Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8
6-f
7

7
3 M
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Bhh. 4

8, 6, f, 7

8. 7. g. 28.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# GERARDI JOAN. VOSSII

# OPERUM

TOMUS QUARTUS

# HISTORICUS

ET

# EPISTOLICUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII

# ARS HISTORICA:

DE

# HISTORICIS GRÆCIS

LIBRI QUATUOR,

DE

# HISTORICIS LATINIS

LIBRI TRES,

# HISTORIÆ UNIVERSALIS


# EPITOME:

# OPUSCULA

ET

# EPISTOLÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




*AMSTELODAMI*,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXIX.

d by Googl

# BENEVOLE LECTOR.

UT quartum hoc operum Voſſianorum Volumen cum tertio connecteremus, initium ab *Arte Hiſtorica* fecimus, cui reliqua Voſſii idem argumentum ſpectantia conjunximus. Præter eximios enim de Hiſtoricis Græcis & Latinis tractatus, quorum poſterior nunc aliquantò auctior quàm in prioribus editionibus prodit, damus tibi accuratam *Hiſtoriæ Univerſalis Epitomen*, nunquam antea typis editam, in qua auctor *Hiſtoriæ* ſuæ *Univerſalis*, hactenus fruſtra deſideratæ, (& de qua, an integra, an partes ejus aliquæ deperditæ ſint, an vero nunquam plene perfecta fuerint, & multa adhuc imperfecta relicta ſint, nihil certi affirmare poſſumus) brevem delineationem dediſſe videtur. Speramus illius editione, eruditorum, avidiſſimis votis ipſam Hiſtoriam nequicquam deſiderantium, curioſitati aliquatenus ſatisfacere: In ea etenim quid Voſſius in magno illo opere molitus fuerit, qua methodo ſingularum gentium Hiſtoriam diſpoſuerit, qua ratione tempora digeſſerit, quaſi in tabella conſpicient. Huic ſubjunximus aliquot Voſſii *Opuſcula*, diverſi quidem argumenti, & diverſis temporibus edita, & de quorum quibuſdam ad quam diſciplinam referenda ſint fortaſſe ambigi poſſet: quæ tamen omnia uno faſciculo comprehendere, ac ſimul conjugere maluimus, ut ita ex variis opuſculis, quaſi membris, juſtum aliquod opus quaſi corpus coaleſcat. Tandem, ut volumini huic juſta moles non deſit, addidimus *Epiſtolas*, ſed ſelectas, & à plurimis privata aut alia minoris momenti continentibus, repurgatas. Prolixiori verò ad Hugonem Grotium Epiſtolæ, quia antehac ſeorſim prodiit hoc titulo, *Diſſertatio Epiſtolica de Jure Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis*, inter tractatus Theologicos locum daturi ſumus; ne forte quiſquam eam peculiari titulo nuſquam in hoc opere conſpiciens, aliquem Voſſii tractatum à nobis omiſſum credat. Vale.



Digitized by

# SERIES

*Librorum in hoc Volumine contentorum.*

I. Ars Hiſtorica, *ſive* Liber de Hiſtoriæ & Hiſtorices Natura, Hiſtoriæque ſcribendæ præceptis.

II. De Hiſtoricis Græcis, Libri quatuor.

III. De Hiſtoricis Latinis, Libri tres.

IV. Hiſtoriæ Univerſalis Epitome.

V. Opuſcula varii Argumenti:

Vita Fabiani à Dhona, Comitis à Dhona.

Conſilium Gregorio XV. Pont. Max. exhibitum per Michaëlem Lonigum, cum præfatione & cenſura G. J. Voſſii.

Aphoriſmi de Statu Eccleſiæ reſtaurando, &c. per Michaëlem Lonigum, cum præfatione & cenſura G. J. Voſſii.

In Epiſtolam Plinii de Chriſtianis, & Edicta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos, Commentarius.

De Cognitione ſui.

De Studiorum ratione Diſſertatio gemina, generalis, & particularis.

Oratio in obitum Thomæ Erpenii, Orientalium linguarum in Academia Leidenſi Profeſſoris.

Oratio de Hiſtoriæ utilitate.

In Fragmenta L. Livii Andronici, Q. Ennii, C. Nævii, M. Pacuvii, & L. Attii Caſtigationes & Notæ.

VI. Epiſtolæ Selectiores, à Voſſio & ad Voſſium ſcriptæ.

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# ARS HISTORICA.
SIVE DE
# HISTORIÆ
ET
# HISTORICES NATURA
Hiſtoriæque ſcribendæ præceptis
COMMENTATIO.




*AMSTELODAMI,*
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
MDCLXXXXIX.

Digitized by Google

# SYNOPSIS

## *Hujus Libri.*

**Hiſtoriæ, & hiſtorices**

- vox, cap. I.
- res ipſa
  - natura artis
    - an ſit
      - ἁπλῶς, cap. II.
      - reſtrictè, an ab aliis artibus diſtincta ſit, cap. III.
    - quid ſit, ubi de materia & forma, cap. IV.
    - cauſſæ externæ
      - finales, cap. V.
      - efficientes, ſive primi hiſtoriæ ſcriptores, cap. VI.
    - diſtributio
      - hiſtoriæ, cap. VII.
      - hiſtorices, cap. VIII.
  - artis præcepta. His exponitur hiſtoriæ
    - modus, ac fundamentum: cujus leges
      - nequid falſi dicere audeamus, cap. IX.
      - nequid veri non audeamus, cap. X.
    - ſtructura: cujus traditur
      - materies quadruplex:
        - narratio
          - totius corporis
            - rei geſtæ unius. Hæc conſideratur
              - ratione totius, cap. XI.
              - ſecundum partem aliquam: nempe
                - perſonam, cap. XII.
                - actionem, cap. XIII.
                - locum, & tempus, cap. XIV.
                - occaſionem, modum, & eventum, cap. XV.
            - imperii unius, omnis ævi. cap. XVI.
          - unius hominis, cap. XVII.
        - judicium: de quo
          - univerſè, cap. XVIII.
          - ratione Sententiarum, cap. XIX.
        - conciones, cap. XX, & XXI.
        - digreſſiones, cap. XXII.
      - diſpoſitio: ubi ſpectatur
        - proœmium, cap. XXIII.
        - ordo in narrando, cap. XXIV.
        - diviſio in libros, cap. XXV.
      - expolitio: ubi in conſiderationem venit,
        - an doctrina ejus neceſſaria ſit, cap. XXVI.
        - quæ virtutes ejus communes: uti ſunt
          - puritas, & perſpicuitas, cap. XXVII.
          - ornatus, & decorum, cap. XXVIII.
        - ut hiſtorica elocutio differat
          - ab oratoria, cap. XXIX.
          - a poëtica, cap. XXX.

Corollarium, de virtutibus in hiſtorico requiſitis, cap. XXXI.

Illu-

Digitized by Google

# *Illuſtriſſimo, & Ampliſſimo,*

# JOANNI BERCKIO,

## EQUITI TORQUATO,

*Supremi in Hollandia Conſilii Senatori,*

Potentiſſimorum fœderatæ Belgicæ Ordinum ad Sereniſſimam Venetorum Rempublicam Legato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*CUm multùm interſit humani generis, ne pereat illa, quæ viri eruditione, & ſapientiâ præſtantes monumentis prodiderunt: tum in hiſtoria hoc imprimis locum habet. Nam, ut univerſæ interciderent literæ, doctrinaque omnis ipſis ex hominum mentibus deleretur: non propterea poſteritas ſemper fraudaretur pulcherrimâ eorum cognitione, quæ ad rationis diſciplinam, vel rerum naturam, vel morum ſcientiam pertinerent. Quippe ſupereſſet nihilominus miranda mundi compages, & mortalium ſocietas, & utriuſque contemplator animus hominis; qui, ex rebus ſeſe in vitâ offerentibus, ſenſim deveniret ad notitiam artium, & ſcientiarum, quas magiſtri veteres tradiderunt. Longè verò aliter cum hiſtoria eſt comparatum. Nam ſi omnis ea ſemel obliteraretur: non magis humanâ inſtaurari poſſet induſtriâ, quam ſtudio cujuſquam redire nunc ipſa ſcit hominis vita. Quare ſuus licet honos conſtare ſemper Socraticis debet chartis: præcipuè tamen vota ejuſmodi fieri convenit, ut, qui res geſtas literis ſignarunt, æternùm vigeant, floreantque. Iccirco arbitrabar, non malè à me iri publico conſultum, ſi hoc tempore ad illuſtrandam hiſtoriam animum appellerem. Et hactenus quidem in eo præcipuè opera conſumta eſt mea; ut non modò tractarem de Hiſtoricis, Græcis pariter, ac Latinis: ſed præterea res geſtas digererem omnis ævi. At quia nondum ea ad umbilicum perduxi: libellum hunc De natura hiſtoriæ, & ejus ſcribendæ præceptis, in anteceſſum dare viſum fuit. Quamvis enim, ut veriſſimè Plinius ait,* hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat: *tamen, quia non tam voluptate omnia metiri decet, quam publicis commodis: neque exiguo emolumento contenti eſſe poſſumus, ubi frui datur ingenti: profectò nec diffiteri illud licebit, plurimùm referre, utrùm negligenter tractentur res geſtæ, an eædem cùm fide optimâ, tum prudenter, ornateque memorentur. Nec temerè à me factum puto, quòd minutum hoc emittere ſum auſus ſub præſtantiſſimi nominis tui auſpiciis. Cui enim hæc à me offerri æquius erat, quàm illi, qui & ſtudia hæc, & me ipſum amaret, & aberrantem in viam reducere non minùs vellet, quàm poſſet? Nam quamvis ætatem univerſam, quod minimè te fugit, in honeſtarum artium ſtudiis exegi: non tamen ſum ita Suffenus, ut ignorem, hæc ipſa, quæ commentabar de via ac ratione ſcribendæ hiſtoriæ, multo ab iis meliùs intelligi, qui juxtà mecum evolverunt ſcriptores veteres, & aliquanto id majori, quàm ego, judicio egere; partim ob eximias animi dotes, quibus ab iis longiſſimè vincor; partim quia rerum civilium (quod in legendâ condendâque hiſtoriâ præcipuè conducit) longè ſunt peritiores; utpote in Rep. ſemper verſati, & ita verſati, ut ipſi etiam res egregias in ea geſſerint. At cui laudes iſtas juſtiùs deferamus, quàm eximio nomini tuo? Poſtquam enim, vernanti ætate, quemadmodum antiquâ*

*ac*

zed by Google

*ac nobili domo tuâ, & præcellenti ingenio, dignum erat, multijugâ eruditione, præcipuè autem æqui juſtique ſcientiâ, & doctrinâ civili, pectus imbuiſſes: fieri haut aliter poterat, quin princeps, ac cordatiſſima Bataviæ civitas, cui vitalem hanc auram debes, excelſas animi tui dotes ſtatim perſpiceret, ac vix adoleſcentiâ egreſſum idoneum cenſeret, cujus oraculum conſultum iret in obſcuris involutiſque Reip. ac civium rebus. Nec hujus eam pœnituiſſe judicii unquam, luculentè illud docet, quòd annis triginta, & quod excurrit, uſque adeò feliciter uſa ſit conſiliis tuis. Neque Urbe in patria duntaxat ſeſe exeruit ſplendor iſte virtutis tuæ: ſed in ampliſſimis quoque illuſtrium Ordinum conſeſſibus: quoties nempe inclytæ civitatis nomine in auguſto hoc loco de pace, bello, induciis, fœderibus, aliiſque negotiis maximis, decerni oporteret. Ingenii verò, prudentiæ, ac fidei tuæ hunc fructum retuliſti, quòd oculos omnium conjectos in te vidimus: neque quicquam tam arduum creditum eſt, quod non rectè tibi committi poſſe videretur. Itaque & in ſupremi Conſilii Senatores es adlectus: & fœderatæ Belgicæ Ordinibus, Patriæ Patribus, præcipuè es delectus, qui de rebus graviſſimis legationes tot obires. Nam ſemel iterumque ſublimis hic honos obtigit ad magnum magnæ Britanniæ regem, Jacobum I. cui tantopere placuiſti, ut te virtutis ergo dignitate equeſtri decoraret. Iterum ampliſſima legatione functus es ad potentiſſimum Daniæ, & Norwegiæ regem, Chriſtianum IV. Atque (ut de magnifica opera tua, præpotentium Belgicæ Ordinum auſpiciis ſuſcepta, ad illuſtriſſimos Cliviæ duces, nihil nunc dicam) quid ſplendidius hac ipſa legatione ad sereniſſimam Venetorum Rempublicam? invictiſſimam illam, ac beatiſſimam, &, ſi formam ſpectes imperii bene conſtituti, nihilo inferiorem veterum ulla. Cujus grande ac manſurum decus celebrarem hoc loco non invitus: ſed periculum extimeſco, ne, ut nubes Solis radios intercipit, ita ego, ob infantiam meam, ſubducam faciliùs, quàm addam lucem. Itaque laudibus ejus non inſiſto: nec magis tuis, illuſtriſſime Legate, quas meliùs poſteris annales Belgici loquentur. Mihi ſatis ſit, devotiſſimo pectore gratulari eximium hunc honorem virtuti tuæ. Cujus, animi mei, quem tibi penitus obſtrinxiſti beneficiis tuis, libellum hunc obſidem mitto. Multùm verò gaudeo, quòd ille in ea potiſſimùm deventurus eſt loca, ubi literas & literatos pretio ſuo æſtimare ſciant viri nobiliſſimi, & præſtantiſſimi: quos inter honoris cauſſâ nomino Illuſtriſſimum & Ampliſſimum Dominicum Molinum, virum majorum meritis inclytum, ſed magis virtute ſuâ: de quâ quicquid dixeris, minus erit. Tu verò, maxime, & illuſtriſſime Domine Legate, placida & ſerena illa fronte, qua me ipſum ſoles, ſuſcipe nunc hoc qualecunque ingenii mei monumentum; parùm illud dignum quidem limato politoque judicio tuo; ſed quod eò pretioſius apud omnes cenſebitur, quia clariſſimi nominis tui ſacrario fuerit appenſum. Lugduni Batav.* VI *Kal. Mart. Ann.* CIↃ IↃ C XXIII.

Præluſtris nominis tui cultor,

G. J. Vossius.

GERAR-

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# ARS HISTORICA,
## SIVE
# LIBER
## De Hiſtorices & Hiſtoriæ Natura, Hiſtoriæque ſcribendæ præceptis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

### CAPUT I.

*Hiſtorices & hiſtoriæ diſcrimen. Verum hiſtoriæ* ἔτυμον *adſeritur, adverſus Servium & Iſidorum. De Platonis, & Varronis originibus judicium. Hiſtoria triplex. Hiſtoriæ appellatio tributa etiam doctrinæ de rebus univerſalibus, atque adeò exquiſitæ philoſophiæ. Hiſtoria* ἐξηγητικὴ *quid ſit, & quàm latè ſe extendat. Hiſtoriæ juſtæ, annalium, & diurnorum actorum diſcrimen. Quadruplex veterum opinio de propria hiſtoriæ notione. Patricii error. Appuleio lux. Cicero refellitur, itemque Cornificius. Cur hiſtorice paucis ſolùm agat de annalibus ſcribendis.*

QUemadmodum antiqui fores ſuas exornare ſolent, aut *a* aliquo è gentium Diis, aut corvo, aut vulture, aliove antipagmento: ita hodie quoque non immeritò in uſu eſt, ut illecebrâ aliquâ in operis ingreſſu allectent lectorem ad perſpectanda ulteriora. Mihi tamen id nunc curæ futurum non eſt; verùm hanc hiſtoricæ facultatis tractationem auſpicabor à ſimpliciſſimis, maximeque in vulgus notis. Certè nihil magis extra controverſiam poni debet, quàm hiſtoricen differre ab hiſtoriâ, quâ ratione diſtinguitur poëtica à poëſi. Nam utraque diſponit præcepta; illa ad conficiendam hiſtoriam, hæc ad poëſin. Atque id ipſum hiſtoricæ nomen indicat, quod ab hiſtoriâ eſt: unde & verbum ἱστορεῖν: non contrà: quod Servius *b*, & Iſidorus *c* putarunt. At hiſtoria ipſa, ut rectè Simplicius in primum de anima ſcripſit, ita dicta eſt ἀπὸ τοῦ ἴσασθαι, quod eſt ſcire, cognoſcere. Nempe ejuſdem originis ſunt ἐπιστήμων & ἴστωρ, unde ἱστορία. Plato quidem in Cratylo deducit παρὰ *d* τὸ ἱστάναι τὸν ῥοῦν: quòd nempe fluentem & quaſi fugientem antiquitatem ſiſtat, tanquam ſtator quidam Jupiter. Sed docti haud ignorant, quid de Platonis Cratylo ſit ſtatuendum; quemadmodum & de Varronis originibus, qui ſæpe in ſuis de L. L. libris prudens ſciens fallit, fallitúrque. Quod ſi hiſtorice, ut dicebamus, ad ſcribendam hiſtoriam viam munit: cùm multifariam hiſtoriæ vox accipiatur, illud inprimis eſt videndum, quòd hiſtoriæ genus intelligendum ſit. Nam πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα *e*: ut philoſophus inquit.

Hoc ut commodiùs fiat, explicandum eſt, circa quas res hiſtoria verſetur. Sed paucis id nunc faciemus, quia infrà ſe proprius offeret de hoc agendi locus.

Rerum aliæ ſunt univerſales, aliæ ſingulares. Priores bifariam conſiderantur: vel pinguiori Minervâ, cùm ſolùm *quid ſit* exponitur: vel accuratè, cùm occultiores rei cauſſas adducimus. Res verò ſingulares vel à Deo ſunt, & naturâ; ut deliquium ſolis, terræ motus, inundationes,

a *Tertull. de corona milit. Plaut. Moſtell. Feſtus. Heſych.*
b *In 1. Æneid.*
c *Lib. 1. orig. c. 40.*
d *Ab eo quòd ſiſtat fluxionem.*
e *Ut rectè doceatur, primùm vocabula examinare oportet.*

prodigia, aliaque iſtiuſmodi: vel ſunt à voluntate humanâ; quales ſunt, tum actiones, uti res geſtæ; tum opera, ut ſtructuræ, automata, alia: vel denique ab utrâque cauſſâ proveniunt; ut regiones, urbes, horti, ſimiliaque.

Pro rebus adeò diverſis, & diſpari conſiderandi modo, hiſtoria dividitur in φιλοσοφικὴν, quæ univerſalium eſt; ἐξηγητικὴν *a*, quæ circa ſingularia verſatur: & μικτὴν *b*, quæ de utriſque tractat. Hiſtoriæ ejus, quæ vel ſola univerſalia, vel ſaltem non ſola ſingularia exponit, exemplum nobis præbet Theophraſtus, qui opus ſuum inſcripſit, *hiſtoriam plantarum*: item Plinius, cujus eſt *hiſtoria mundi*; & Ariſtoteles ipſe, cùm lectiſſimo, at paucis nimiùm noſtro ſeculo lecto, operi nomen fecit, *hiſtoria animalium*. Sed & Philoſophus idem, cap. 1. lib. 1. de animâ, τὴν ψυχολογίαν *c* vocat animæ hiſtoriam: κυριωτάτως *d* profectò, ſi reſpiciamus originem nominis, quam antè adducebamus. Ἴσμεν γὰρ ὅτε ἀκριβῶς γινώσκομεν *e*, ut Simplicius *f* inquit. At καταχρηστικῶς *g*, ſi ſequamur communiorem vocabuli uſum; juxta quem magis cæteris, quos dixi, tractatibus accommodata eſt hiſtoriæ appellatio, in quibus pleraque omnia velut in hiſtoriis referuntur, non demonſtrantur. Sanè Plinius lib. x. hiſtoriæ Naturalis cap. III, *Nobis*, inquit, *propoſitum eſt, naturas rerum manifeſtas indicare, non cauſas judicare dubias.* Hæc igitur cauſſa eſt, cur opus ſuum Hiſtoriam inſcripſerit. At minus ea appellatur. At minùs convenit tribus Ariſtotelis de animâ libris, cùm ſint ἀκροαματικοὶ *h*, nec ſolùm τὸ ὅτι *i* afferant, ſed & τὸ διότι *k*. Nos, cùm hiſtoricen dicebamus viam ſternere ad hiſtoriam, ἐξηγητικὴν ſeu narrativam intelleximus. De quâ ita Plutarchus libro de Homero, Ὁ μὲν *l* ἱστορικός ἐστι λόγος, ὁ τῶν γενομένων πραγμάτων ἔχων διήγησιν. Juſtinus quoque Martyr libro quæſt. & reſponſ. ad Orthodoxos, reſp. LX: Ἱστορία λόγος διήγησιν περιέχων τῶν ἤδη γεγονότων πραγμάτων *m*. Et Theo in Progymnaſmatis, Οὐδὲ γάρ ἄλλο τί ἐστιν ἱστορία ἢ σύστημα διηγήσεων *n*. Item Iſidorus lib. 1. Orig. cap. XL: *Hiſtoria eſt narratio rei geſtæ, per quam ea, quæ in præterito facta ſunt, dignoſcuntur.* Quamquam hæ quidem deſcriptiones non ſatis ſint accuratæ, ut poſtea patebit.

Cùm verò narrationes propriè ſingularium ſint, hæc autem, ut diximus, vel à Deo & natura ſint, vel à voluntate humana, vel ab utroque horum: primum quidem genus tractat hiſtoria naturalis; non illa, quæ philoſophiæ pars eſt, ſed quæ ſolùm ſingularia narrat: poſtremum genus conſiderat ea, quæ τοπογραφία *o* vocatur: medium genus à nobiliſſimâ parte appellatur hiſtoria civilis: ſub quâ etiam Eccleſiaſticam, & Scholaſticam, uti philoſophorum vitas, meritò comprehendimus, cùm eccleſiæ & ſcholæ pars ſint civitatis ſive Reip. Cùm autem latè adeò pateat hiſtoria ἐξηγητικὴ *p*, ſatis liquet, hujus generis eſſe, tum narrationes inſtitutas de ſitu alicujus regionis, vel urbis, aut ejus moribus, inſtitutis, legibus: item quæ ſunt de

a *Narrativam.*
b *Mixtam.*
c *Doctrinam de anima.*
d *Propriè admodum.*
e *Scire enim dicimur, quæ accuratè cognoſcimus.*
f *Initio comment. in lib. 1. de anima.*
g *Abuſive.*
h *Auſcultatorii.*
i *Quid res ſit.*
k *Quare quid ſit.*
l *Hiſtoricus ſermo eſt, qui rerum præteritarum continet narrationem.*
m *Hiſtoria oratio eſt enarrationem continens rei jam geſtæ.*
n *Neque enim hiſtoria aliud eſt, quàm conjunctio ac veluti compages narrationum.*
o *Locorum deſcriptio.*
p *Narrativa.*

philoſophorum opinionibus, aut ſapientum dictis, aut imperatorum ſtratagematis: item quibus exponuntur vitæ, ſive privatæ ſive publicæ perſonæ; ſeu viri, ſeu feminæ. Verùm imprimis ſibi hoc nomen vendicant illæ, quæ ſunt de rebus geſtis unius pluriumve populorum, aut civitatium. Ut quæ referunt res Athenienſium, aut Romanorum, ſive univerſè, ſive ex parte, ut de bello Peloponneſiaco, aut bellis Punicis, & ſimilibus.

Quid quod multis ne ſic quidem ſatis preſſè ea vox accipi videtur? Adeò ut etiam in controverſiam veniat, cujuſmodi de rebus geſtis narratio nomen hiſtoriæ mereatur, tam variè variis ſerram ducentibus.

*a Lib. 1. rerum geſtarum apud Gell. lib. 5. cap. 18.*

Prima eſt ſententia Sempronii Aſellionis *a*, cui hiſtoria & annales diſtinguuntur, quòd in hiſtoria referebantur res illuſtres, ac eorum cauſſæ quoque, & conſilia, & quomodo aliquid geſtum eſſet: annalibus autem res quidem illuſtres continerentur, ſed tantùm, quo anno, & à quibus quid geſtum eſſet, exponeretur: quemadmodum, ſi nec res illuſtres eſſent, ad acta diurna, (ἐφημερίδα Græci, *diarium* Sempronius Aſellio *b* vocabat) non ad hiſtoriam, aut annales, pertinebant. Tacitus lib. decimotertio Annal. *Nerone ſecundùm, L. Piſone conſulibus, pauca memoriâ digna evenere; niſi cui libeat, laudandis fundamentis, & trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Cæſar extruxerat, volumina implere: cùm ex dignitate populi Romani repertum ſit, res illuſtres annalibus; talia diurnis actis mandare.*

*b Gell. lib. 5. cap. 18.*

*c Lib de ſignificatu verborum apud Gell. lib. 5. cap. 18.*
*d In lib. 1. Æn. verſum illum, Et vacet annales noſt. a. l.*
*e Lib. Origin. cap 40. & 43.*
*f Oculatus teſtis.*
*g Lib. 1.*
*h De hiſt. dial. 2.*
*i In.*
*k Videre.*
*l De ſectis.*
*m Tom. 1. p. 6. edit. Ald.*

Altera eſt ſententia Verrii Flacci *c*, Servii *d*, Iſidori *e*, quibus hiſtoria propriè eſt narratio rerum geſtarum, quarum quis fuerit αὐτόπτης *f*, aut quas videre potuerit; cujuſmodi ſunt, quæ quis ab iis accepit, qui ipſi rebus geſtis interfuerunt. Hæc ſe ſecutum ſcribit Thucydides *g*, ut propriè juxta hos ejus libri dici poſſint hiſtorici, quia, ſecundùm illos, eo differat hiſtoria ab annalibus, quòd in his referri poſſint, quæ ætatem noſtram anteceſſerunt, in hiſtoria non poſſint. Et hanc ſententiam eo plerique, atque eos inter Franciſcus Patricius *h*, defenſum eunt, quòd ἱστορία dicatur ab εἰς *i* & ὁρᾷν *k*, ut propriè inſpectionem, ſive αὐτοψίαν notet. Sed de etymo falli, ſatis liquet ex iis, quæ antè diximus. Interim ἱστορίαν anguſtè ita quandoque accipi, ut iis ſolùm conveniat, quæ αὐτοψίᾳ didicimus, cognoſcimus ex Galeno περὶ αἱρέσεων *l*, ubi Empiricis ait τήρησιν vocari, quicquid aliquando obſervaſſent, magnamque horum copiam dici ἄθροισμα, memoriam verò eorum, quæ frequenter eodem modo viderint, ab illis αὐτοψίαν nuncupari, eademque ubi didicerint, appellari ἱστορίαν. Verba Galeni ſunt *m*: Ἐκλήθη δὲ ὑπ' αὐτῶν αὐτοψία τὸ τοιοῦτον ἄθροισμα, μνήμη τις οὖσα τῶν πολλάκις & ὡσαύτως ὀφθέντων. ὀνόμαζον δὲ αὐτὸ τοῦτο & ἐμπειρίαν. ἱστορίαν δὲ τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ. τὸ γὰρ αὐτὸ τοῦτο τῷ μὲν τηρήσαντι, αὐτοψία, τῷ δὲ μαθόντι τὸ τετηρημένον, ἱστορία ἐστίν. Idcirco Plutarchus lib. de defectu oraculorum ἱστορίας & θέας conjungit. Dicit enim *n*: Πλεύσειν δ' αὐτὸς ἱστορίας & θέας ἕνεκα, πομπῆς τοῦ βασιλέως. Quæ maximus Turnebus ita vertit: *Seſe autem cognoſcendi viſendique cauſſa, imperatore mittente, navigaſſe.* Atque inde lucem capit Appuleji illud de dogmate Platonis: *Ceterùm tres ejus* (Platonis) *ad Siciliam adventus, mali quidam carpunt, diverſis opinionibus differentes. Sed ille primò hiſtoriæ gratiâ, ut naturam Ætnæ, & incendia concavi montis intelligeret: ſecundò, petitu Dionyſii, ut Syracuſanis aſſiſteret, profectus eſt*, &c. Ubi *hiſtoriæ gratiâ* ait, ut Plutarchus ἱστορίας & θέας ἕνεκα. Qui & in Solone ſimiliter dixit, πολυπειρίας ἕνεκα & ἱστορίας. De ſecundâ ſententiâ ſatis.

*n Pag. 746. edit. H. St.*

*o Lib. 1. de Invent.*
*p Lib. 1. Rhetor ad Heren.*

Tertia verò eſt Ciceronis *o*, ac Cornificii *p*, quibus hiſtoria eſt narratio rerum geſtarum, ab ætatis noſtræ memoriâ remotarum: eaque ſententia è diametro cum ſecundâ pugnat. Nam quæ de bellis Punicis ſcripſit Livius, non erunt hiſtoria Verrio, erunt Ciceroni ac Cornificio: quæ de ſuâ ætate idem memoriæ prodidit, non erunt hiſtoria Ciceroni ac Cornificio, erunt Verrio. Ciceronis verò ac Cornificii ſententiam ex Cicerone ipſo refellere licet. Nam eruditâ illâ ad Lucceium epiſtolâ *q* poſtulat Tullius, ut eorum, quæ in conſulatu ſuo geſſiſſet, hiſtoriam ſcribere Lucceius vellet. At utique ea à Ciceronis memoriâ non erant remota.

*q Lib 5. epiſt. 12.*

*r Lib. 5. Noct. Att. cap. 18.*

Quarta eſt opinio Agellii *r*, cui in noctibus Atticis hiſtoria eſt quævis rerum geſtarum narratio, ita ut ei hiſtoria, & annales differant, quemadmodum genus & ſpecies. Annales enim omnes, ſunt hiſtoriæ; at non omnes hiſtoriæ ſunt annales.

Hiſtorice neque ſpeciatim indicat rationem ea ſcriptis conſignandi, quæ à ſeculo noſtro ſunt remota; neque ■ ſolùm prodere docet, quæ aut viderit quis ipſe, vel videre potuerit; ut planè neque Verrii, neque Ciceronis aut Cornificii interpretatio huc faciat: ſed generatim monſtrat modum, quo, cùm annales, tum quævis aliæ hiſtoriæ ſcriptis optimè conſignentur. Verumtamen quia, qui facere norit hiſtoriam, in quâ exponantur cauſſæ, ac conſilia, aliaque, quæ haut requiruntur in ſcribendis annalibus, is quoque annalium conſcribendorum artificium perſpectum habebit: (unde in hiſtoria etiam annales contineri, Servius *s* ait) eò omnis ferè opera hiſtorices eſt de conficiendâ hiſtoriâ iſtiuſmodi, qualem ſolam Sempronius Aſellio hiſtoriæ nomine dignabatur. Ac de vocabulo ſatis, nunc ad rem accedamus.

*s In Æn. 1. verſ. 377.*

## Cap. II.

*Eſſe diſciplinam aliquam, quæ rationem doceat conficiendæ hiſtoriæ. Zabarella refellitur. Varronis Siſenna. Annales veterum pontificum ut ſcribi ſolerent. Cur annales fabulis comparentur à Sempronio Aſellione. Hiſtoricæ an ſcientiæ aut artis nomen convenire poſſit. Sextus Empiricus refutatur. Expenditur ſententia Franciſci Pici Mirandulani.*

QUàm notum eſt hiſtoriæ nomen, tam penè ignotum eſt plurimis, organicam eſſe diſciplinam, quæ *Hiſtorice* vocetur. Verùm ut indoctis ignoſci debeat, apud quos tam altum ſemper hac de arte ſilentium, ut Harpocrati, aut Angeronæ ſacris operati eſſe litaſſeque videantur, facit acutiſſimus, doctiſſimuſque philoſophus, imò philoſophorum ſeculi noſtri princeps, Jacobus Zabarella: quippe qui in ſuis de naturâ Logicæ libris probare adnixus ſit, non dari artem hiſtoricam, verùm argumentis plane ficulnis, atque adeo ψυχροτέροις *a* τῶν Χρυσίππου συλλογισμῶν *b*. Negat enim, hiſtoricen dari, tum quia neque ab Ariſtotele, neque alio quoquam ſcripta ſit: tum quia fortaſſè nec digna ſit, in quâ ſcribendâ opera ponatur. Verùm nos ſcimus, olim Lucianum ſcripſiſſe πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν *c*: ſcimus &, antea etiam Dionyſium Halicarnaſſenſem normam texendæ hiſtoriæ oſtendiſſe in ſuo de Thucydide judicio ad Cn. Pompeium. Neque dubium mihi eſt, quin hac de arte egerit Varro libro eo, qui inſcribebatur *Siſenna, ſive de hiſtoria*: cujus teſtimonio utitur Gellius lib. XVI. cap. IX. E recentioribus quoque non ignoramus hâc de re tractâſſe in Actio ſuo Jovianum Pontanum, atque etiam de eâ commentarios edolâſſe Hermolaum Barbarum, Franciſcum Patricium, Joannem Antonium Viperanum, Franciſcum Robortelium, Ubertum Folietam, Sebaſtianum Foxium, Venturam Cœcum, atque alios nonnullos. Atque ut id non eſſet, cùm multa à multis tum veterum, tum recentiorum, præcepta afferantur hiſtorica: quis non videt, ea in unum conflata corpus, juſtoque ordine ac methodo tractata, artis conſtituere σύστημα *d*, & κατασκευάσειν *e*? Aut quis neſcit, ubicunque ab uno quid laudabiliter, ab altero infeliciter fiat, ibi certas poſſe obſervari rationes, certaque præcepta, quæ qui velit σωματοποιεῖν *f*, is artem condat? At, inquit, hiſtoria eſt nuda geſtorum narratio, quæ omni artificio caret, præterquam fortaſſè elocutionis, quam aliâ ab arte mutuatur. Nos verò plurimùm artificii in hiſtoriâ conſpicimus, & conſpiciunt, quotquot in eâ verſantur, non ut, ceu in conviviis ac circulis, alios acroamatis amœnis oblectent, ſed ut pectus civili prudentia inſtruant. Audiamus Lucianum, lib. De hiſt. ſcrib. *g* hac ipſâ de

*a Lucian. in Icaromenippo.*
*b Frigidioribus quam ſunt Chryſippi ſyllogiſmi.*
*c Quomodo ſcribenda ſit hiſtoria.*
*d Compagem.*
*e Quaſi corpus bene compactum.*
*f In corpus unum redigere.*
*g Pag. 367. edit. vet. vel 660. nov.*

de te loquentem: τὸ δ' οἶσθά που καὶ αὐτὸς, ὦ ἑταῖρε, ὡς οὐ τῶν εὐμεταχειρίστων οὐδὲ ῥᾳθύμως συντεθῆναι δυναμένων τοῦτ' ἐστιν, ἀλλ' εἴ τι ἐν λόγοις καὶ ἄλλο πολλῆς τῆς φροντίδος δεόμενον, ἤν τις, ὡς ὁ Θουκυδίδης φησὶν, ἐς ἀεὶ κτῆμα συντεθείη. *Ceterùm, hoc & ipſe noſti, amice, quòd munus hoc* (ſcil. ſcribere hiſtoriam) *non occupatur in rebus, quæ levi manu perfunctorieque componuntur; ſed, quæcunque multâ penſiculatione indigent; veluti, ſi quod monumentum poſteritati ſit dedicandum.* Non multum à veritate aberraſſet ſummus philoſophus, ſi hiſtoriæ haut aliter ſcribi deberent, quàm annales veterum Pontificum. De quibus Tullii afferam παράδειγμα ex lib. II. de Oratore: *Erat*, inquit, *hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi; ii qui etiam nunc Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acuſilaus fuit, aliique permulti, talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio; modò enim huc iſta ſint importata, & dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant eſſe brevitatem. Paullulùm ſe erexit, & addidit hiſtoriæ majorem ſonum vocis vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater. cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt.* Sed profectò, qui ejuſcemodi nudam rerum commemorationem hiſtoriam eſſe credat, longè ab antiquitatis judicio abibit. Sanè Caſſiodorus lib. de divinis officiis cap. XVII, chronologias, ſive *breviſſimas temporum commemorationes* appellat *imagines hiſtoriarum*, ut oſtendat, quantum inter rem, ejuſque picturam intereſt, tantum diſtare germanam hiſtoriam ab ejuſmodi narratione, quæ ſolùm faſtigia rerum carpit. Imò interdum ſcripta hujuſmodi non multò meliori loco ducebat, quàm fabulas: nempe quia ex iis, haut aliter ac ex fabulis, voluptas magis percipitur, quàm fructus. Sanè Sempronius Aſellio apud Agellium *a* de iſtius generis ſcriptis dicere non veretur: *Id fabulas pueris eſt narrare, non hiſtorias ſcribere.* Ita ἀπερισσολογώτερον locutus nobiliſſimus ſcriptor. nempe quia talibus non augetur prudentia civilis: qui præcipuus eſt hiſtoriæ fructus. Adde quòd omnia, quæ ſuo quidem ſeculo utilia fuere, nunc autem, melioribus repertis, in uſu eſſe deſiere, fabulas nominabant: quomodo Juſtinianum quoque locutum eſſe in prooemio Inſtitutionum, docuit Scipio Gentilis lib. II Παρέργων cap. XXVI.

*a Lib. 5. cap. 18.*

De ornamentis verò, quòd ea Zabarella exiſtimat ab Oratoriâ peti, fruſtra eſt. Nam cùm alia ſit orationum, alia carminis, alia hiſtoriarum exornandi ratio; Oratoriæ eſt agere de orationum; Poëtices de poëſios; Hiſtorices de hiſtoriarum ornamentis. Quare nec Zabarellæ in eo adſtipulor, quòd, ut ornamenta requirantur ad hiſtoriam, haut tamen præter ea aliud quicquam hiſtoriæ reliqui eſſe cenſet. Nam quàm multa gravia utiliſſimaque ſuperſint hiſtoriæ præcepta, cognoſcere eſt, tum ex illis, quæ hac de re poſtea trademus: tum quòd antiqui omnes hiſtorici tantopere deſudarunt in exprimendis effingendiſque orationibus; quod hiſtorici quoque munus eſſe inferiùs oſtendemus.

Sic igitur ſtatuimus: etſi hiſtoria propriè nec ars ſit, nec ſcientia, atque adeò nec diſciplina: tamen hiſtoricen eſſe artem: quippe quæ circa univerſalia verſetur: quod de hiſtoria dici non poteſt: ut quæ occupetur circa ſingularia; idque eo fine, ut univerſalia præcepta inde colligantur, atque illuſtrentur. Laxè verò diſciplinam ac ſcientiam eſſe, nemo negaverit, cùm diſcatur, & ſciatur. Quòd verò Sextus Empiricus *b*, nullam eſſe hiſtoriæ artem, exinde colligit, quia hiſtoria verſetur circa ſingularia; hæc verò infinita ſunt: id nullo negotio refellitur. Nam verum quidem eſt, quod Ariſtoteles *c* dicit, ἀδύνατον τὰ ἄπειρα διελθεῖν *d*: verùm hiſtoria non omnia ſibi ſingularia proponit, ſed unum plurave. Atqui non ſingula, ſed univerſa ſingularia, ſunt infinita, vel quaſi infinita.

*b Lib. 1. adverſus Mathematicos cap. 12. quo diſputat, An conſiſtere poſſit pars hiſtorica.*
*c Lib. 1. Poſt. Anal. cap. 3.*
*d Infinita animo percurrere non poſſumus.*

Nihilo magis ſententiæ huic adverſatur, quod adverſus hiſtoricam objicit Joa. Franciſcus Picus Mirandulanus *e*. Ait, inter alia, hiſtoricen non videri artem, eò quòd in hiſtoria uſque adeò multa fabuloſa permiſceantur veris. Atque ejuſce rei aliquammulta adfert exempla. Ac tandem concludit: *His igitur, & hujuſcemodi in rebus, à falſis vaniſque hiſtoriis originem trahentibus, & deſinentibus in ambages varias, & inexplicabiles, ad quorumlibet etiam arbitrium fictas, artificialis ulla methodus, aut ſpeculatio reponetur?* Sed hæc ſi quicquam efficiunt, illud ſolùm colligi ex iis poteſt, hiſtoriam non eſſe artem, quod fatemur non inviti. At minimè ex eo conſequitur, non eſſe artem ullam, quæ tradat ſcribendæ hiſtoriæ præcepta. Neque illud cenſuiſſe Mirandulanum exiſtimo. Nam per hiſtoricam, non eam, quam dixi, artem intellexit; ſed cognitionem rerum antiquarum, quarum explicationem Grammatici ſibi vendicant, ac *hiſtoricen* quoque ambiguo nomine appellant; ut ex ſequentibus pleniùs intelligitur.

*e Lib. 3. rerum, quibus examinat vanitatem doctrinæ gentilis, cap. 3.*

## Cap. III.

*Hiſtoricen non eſſe partem vel Grammaticæ, vel Rhetoricæ, vel Poëticæ, vel Logicæ. Refellitur Robortelius. Item Sextus Empiricus. Quibus limitibus Grammatica ars circumſcribatur. Alter error Robortelii. Item Marcellini, Græci hiſtorici, lapſus. Oratori, ex veterum quidem opinione, honeſto uti mendacio licere. Thomas Corræus refutatur. Item alter Marcellini error. Veterum non pauci ab eloquentiæ ſtudio ad hiſtoriam ſe appulerunt. De Timæi ſtylo non ſimiliter veteres ſenſere. Marcellinum non videri ſatis perſpexiſſe, quomodo hiſtoria & poëſis differrent: verumque inter hæc diſcrimen allatum. Etiam ex mente Cæſaris Scaligeri, hiſtoricen eſſe ab oratoria & poëtica diverſam. Keckermanni opinio non uno nomine damnatur.*

Hiſtoricen poſſe methodo tradi, ſatis ex iſtis conſtat. At nondum liquet, utrùm per ſe artem conſtituat, an alterius artis pars ſit. Sanè vir doctiſſimus, Franciſcus Robortelius, diſputatione de facultate hiſtoricâ, quam ad Clariſſimum Juriſconſultum Lælium Taurellum ſcripſit, exiſtimat, quoſdam eſſe, qui facultatem hiſtoricen Grammaticæ fecerint partem: eamque ſententiam tribuit cùm Aſclepiadi & Dionyſio Halicarnaſſenſi; tum Tauriſco, Crateris auditori; juxta quem, ut ex Sexto Empirico *a* diſcimus, pars quædam Grammatices eſt, quæ κριτικὴ dicitur: hæc verò in tria dividitur membra, λογικὸν *b*, τριβικὸν, ἱστορικόν. λογικὸν μὲν, τὸ στρεφόμενον περὶ τὴν λέξιν, καὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους· τριβικὸν δὲ, τὸ περὶ τὰς διαλέκτους, καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων· ἱστορικὸν δὲ τὸ περὶ τὴν προχειρότητα τῆς ἀμεθόδου ὕλης. Equidem minimè hos illud, quod Robortelius exiſtimat, ſtatuiſſe, perſuaſum habeo. Nam, quod non ſemel diximus, eſt aliud longè hiſtoria, aliud hiſtorice facultas. Fuit eorum opinio, non quidem Grammatici eſſe, præcepta tradere de rectâ ratione ſcribendæ hiſtoriæ, quod hiſtorices munus eſt: verùm quia judicabant, ad Grammaticum pertinere autorum enarrationem; ea autem nihil aliud eſt, quàm obſcurorum ſenſuum quæſtionumve explanatio, ut ex Varrone docet Diomedes: iccirco etiam ſtatuerunt, reconditam omnium hiſtoriarum, fabularum, locorum, notitiam, Grammaticæ ſubjici. Atque id vel ex illis Sexti Empirici *c* verbis cognoſcere eſt, quibus, cùm ex Aſclepiadis de arte Grammatica libro retuliſſet, triplicem eſſe hiſtoriam, circa quam Grammatice verſetur, veram, falſam, & quaſi veram; de vera ita ſcribit *d*: τῆς δὲ ἀληθοῦς τρία πάλιν μέρη· ἡ μὲν γάρ ἐστι περὶ τὰ πρόσωπα θεῶν καὶ ἡρώων, καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν· ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους, καὶ χρόνους· ἡ δὲ περὶ τὰς πράξεις. Falſæ verò ſpeciem eſſe dicit genealogias deorum.

*a Lib. 1. operis adverſus Mathem. cap. 12.*
*b Rationalem partem, exercitatoriam, hiſtoricam: ac rationalem verſari circa vocem, & tropos Grammaticos: exercitatoriam eam, quæ in linguæ proprietatibus, & diverſitate figurarum ac characterum: hiſtoricen verò, quæ conſiſtit in tractatione materiæ, non habentis certam rationem, ac methodum.*
*c Loco ante citato.*
*d Vera autem tres rurſum ſunt partes. Nam alia quidem verſatur in deſcribendis perſonis deorum & heroum, & virorum illuſtrium: alia autem in locis, & temporibus: alia in actionibus.*



Quaſi

Quaſi veræ exemplum facit argumenta comœdiarum, & mimos. Mox verò ita concludit, ἀλλ' ὅτι μὲν γραμματικῆς εἶναι μέρος βούλονται τὸ ἱστορικὸν, ἐκ τούτων ἐστὶ συμφανές. Multaque alia in hanc ſententiam ibidem legere eſt. Neque aliò reſpexit Iſidorus *b*, cùm hiſtoriam dicit ad Grammaticen pertinere.

*a Atque quod Grammaticæ quidem partem velint eſſe hiſtoricam, ex his eſt perſpicuum.*
b *Lib. 1. Orig. cap 40.*

Satis ex his liquere arbitror, per hiſtoricen haud aliud à Tauriſco Grammatico, aliiſque, intelligi, quàm hiſtoriarum notitiam, ſine quâ aliquem Grammatici nomen tueri haut poſſe arbitrabantur. Hanc verò eorum ſententiam eo argumento diluere conatur Sextus Empiricus *c*: Grammatice, inquit, ars eſt, ac methodo continetur: at, ut Tauriſcus dicebat, hiſtorice verſatur circa ἀμέθοδον ὕλην *d*. Verùm parùm validus hic aries. Nam partes Grammaticæ duæ ſunt. Prior rectè vocatur μεθοδική, quia continet artis præcepta. Eſt enim μέθοδος, ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου, ut definit Euſtratius in primum Eth. Nicom. Altera vocatur ἐξηγητική, non quia omnia in omnibus explicet ſcriptoribus, ſed quòd vocum notitiam aperiat. Quare quod univerſam Grammaticam methodo contineri ait Sextus philoſophus, id verò inficiamur. Nos longè aliter hanc Tauriſci opinionem impugnamus: Critice non eſt pars Grammaticæ; neque igitur hiſtorice ejus pars erit, quam tertium κριτικῆς membrum faciebat Tauriſcus. Κριτικὴν verò Grammaticæ partem non eſſe, abunde oſtendimus lib. de naturâ ac conſtitutione Grammaticæ. Quare animus non eſt hìc cramben recoctam lectori apponere. Quod ſi hiſtoriarum notitia neutiquam Grammaticæ ſubjicitur: multo minùs Grammaticæ erit, præcepta tradere de ratione conſcribendæ hiſtoriæ. Nam enarrationem autorum, ad quam hiſtoriarum cognitione opus eſt, plurimi veterum, Grammaticæ ſubjecerunt: at præcepta tradendæ hiſtoriæ, nemo; quamvis aliter exiſtimârit Robortelius. Grammatice profectò verſatur circa ſermonem, ejuſque finis eſt puritas: at hiſtorice præcepta ſcribendæ hiſtoriæ docet: eoque & fine, & objecto, hæ diſciplinæ differunt.

c *Ibidem.*
d *Materiam ac ſylvam methodi expertem.*
e *Habitus animi cum rectâ ratione viam aperiens.*

Quemadmodum autem in eo lapſus Robortelius, quòd exiſtimârit, veteres hiſtoricen, de quâ nos agimus, Grammaticæ ſubjeciſſe, quam quidem ſententiam jure rejicit: ita in altero quoque deceptus eſt, cùm hiſtoricen facultatem, Rhetoricæ partem facit. Quamquam jam olim hanc ſententiam defenderit Marcellinus in Thucydidæ vita. Verùm id ſi eſt, nemo hactenus Rhetoricen perfectè tradidit; ſed illuſtrem admodum partem, quotquot fuerunt Rhetores, prætermiſere. Deinde cùm diſciplinæ objecto, & fine imprimis, diſtinguantur; ſi longè aliud objectum, aliuſque finis Hiſtorices eſt, quàm Rhetorices; neutra alterius pars erit. At objectum Hiſtorices ſunt præcepta contexendæ hiſtoriæ; finis eſt hiſtoriæ opus: objectum verò Rhetorices eſt quæſtio civilis, quâ de re fuſiùs alibi *f* egimus. Adde quòd officium hiſtorici ſit narrare res geſtas, uti geſtæ; neque quicquam turpius, quàm ſi hiſtoricus veritatis tranſiliat ſtateram: at oratoris eſt cogitare veriſimilia, atque ad perſuadendum accommodata, cujuſmodi falſa etiam eſſe poſſunt. Certè, ne longè abeamus, Ciceronem conſtat in Milonianâ longè aliter prudentem ſcientem narrare, quàm res geſta erat. Nam neque Milo inſidias Clodio, neque Clodius Miloni ſtruxerat, ut ex Aſconio in Oratoriis noſtris *g* oſtendimus. Neque me fugit, etiam mendacium, quod civis conſervandi cauſâ fit, in Oratore improbandum eſſe: verùm longè aliter eâ de re veteres ſtatuêre, qui icciro *honeſtum*, ut Scholaſtici *officioſum*, mendacium iſtiuſmodi dixere. Tullius pro Ligario: *Si honeſto & miſericordi mendacio ſaluti civis calamitoſi conſultum eſſe vellemus.* Atque ex his abunde cognoſcere eſt, Hiſtoricen neutiquam eſſe Rhetorices partem; ac falſum quoque Thomam Corræum, qui lib. 1. de Eloqientiâ, cap. ultimo, hiſtorias ſubjicit generi demonſtrativo. Hiſtoria enim, quatenus iſtiuſmodi eſt, nec laudat, nec vituperat: imò nihil vitioſius, quàm ex hiſtoria facere encomium, aut vituperationem: ut inferiùs oſtendemus. Similis eſt error Marcellini in vita Thucydidis, qui hiſtorias ſubjicit generi deliberativo. Nam hiſtoria eſt rei præteritæ: ſuaſio & diſſuaſio reſpicit tempus futurum. Itaque in deliberativo raro narrationem adhibet orator: nempe tum tantùm, quando ex iis, quæ facta ſunt, diſpiciendum eſt, quid conſilii capere oporteat. Interim magna eſt hiſtoriæ cognatio cum oratoria: ut infra dicemus. Atque icciro negare non poſſumus, plurimum momenti ad hiſtoriam ſcribendam conferre eloquentiam. Quin, ut ait Cicero, ſecundo de Oratore, *quaſi ex clariſſimâ Rhetoris officinâ duo præſtantes ingenio, Theopompus & Ephorus, ab Iſocrate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt.* Timæus quoque, ut idem ſcribit, *longè eruditiſſimus rerum copiâ, & ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſe compoſitione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit.* Quamquam de hoc aliquanto aliter ſentit maximi judicii Rhetor, Dionyſius Longinus *a*, juxta quem τοῦ ψυχροῦ πλήρης ὁ Τίμαιος, καὶ πολλάκις ἐκπίπτων εἰς τὸ παιδαριωδέστατον *b*. Utut eſt, plurimum hiſtorico prodeſt Oratoria facultas, ac cumprimis in concionibus exprimendis. Nam has quoque ad hiſtoricum pertinere, inferiùs oſtendemus. Neque eſt, quòd ex eo quiſquam conſequi putet, hiſtoricen pertinere ad Oratoriam facultatem, ut Robortelius ſtatuit. Nam in Oratore Grammaticæ, Logicæ, Juriſprudentiæ, aliarumque diſciplinarum notitia requiritur: neque icciro eas eſſe Oratoriæ facultatis partes, judicat quiſquam. Quare ut Grammaticen, ita Hiſtoricen, diſtinctam eſſe diſciplinam ſtatuimus; neque puto quiſquam Robortelianam ſententiam iis, quibus corculis eſſe datum eſt, probaverit,

f *Libro de natura & conſtitut. Rhetor. cap 4.*
g *Lib. 1. Inſtitut. Orator. cap. 6.*
a *Lib. περὶ ὕψους ſect. 3.*
b *Frigido ſermone plenus eſt Timæus, ac ſæpe reperitur infantiſſimus.*

> *Scillito c decies ſi cor purgetur aceto,*
> *Anticipetque ſuum Samii Lucumonis acumen.*

c *Auſonius.*

Porrò neque defuerunt, qui hiſtoriam artemque ejus ſcribendæ crederent ad poëticam pertinere. Meminit horum Marcellinus in Thucydidæ vita. Quid verò eos moverit, ex iis cognoſci poteſt, quæ ſuperiori capite diximus. Hanc ſententiam eo refellit Marcellinus, quòd hiſtorici oratio nullâ metri lege ſit adſtricta.

Sed iſtius ſententiæ defenſores vel amictu, quod dicitur, telum illud Marcellini eluſiſſent. Siquidem hiſtoria etiam fuerit, ſi metro concludatur. Ut ſi Herodotum, aut Livium, metro alliges, nec de veritate aliquid imminuas. Hinc illa diſceptatio apud antiquos, utrùm Lucanus etiam in poëtis eſſet numerandus: cujus etiam meminit Martialis *d*: pleniùs verò de totâ hac re egimus in libro de re Poëtica. Quare majoris momenti eſt diſcrimen, quod Cicero adfert primo de Legibus, ubi ait, *alias in hiſtoria leges obſervandas, alias in poëmate: in illâ ad veritatem quæque, in hoc ad delectationem pleraque referri.* Sanè hiſtoricus omnia vero metitur, nec aliter res narrat, quàm geſtæ ſunt: poëta verò imitatur, reſque narrat, quomodo fieri potuerunt, aut debuerunt. Adhæc hiſtoria actiones plurimas comprehendit, ac pro ordine, quo quæque geſta eſt, aliam alii accudit. Poëta verò unam ſibi actionem imprimis proponit; cæteræ ei ſunt epiſodia; nec eas refert, niſi quatenus actioni principi inſerviunt. Cumque hiſtoricus ordinem temporis ferè ſectetur; poëta ordinem eum negligit, ſæpeque à mediis incipit. Poëta decoro in perſonis ſtudet: hiſtoricus nihil penſi habet, num decorum ſervetur, an violetur, dummodo ne à vero aberret. Nec hiſtoria περιπέτειαν, & agnitionem agnoſcit: contrà quàm poëta facit. Alia quoque ſunt, quæ rectiùs, quàm accidentarium illud diſcrimen, Marcellinus aſſignaſſet: de quibus & inferiùs dicemus, & libro etiam de re poëtica abunde à nobis actum fuit. Quare etſi multa ſunt, in quibus hæc duo conveniant, adeò ut dixerint veteres, hiſtoriam eſſe poëſin ſolutam: tamen & multa adeò ſunt, in quibus differant, ut qui poëticen & hiſtoricen pro eâdem diſciplinâ habere velit, ſanæ mentis eſſe minimè videatur.

d *Lib. 14. cap. 194.*

At dicat aliquis, non eſſe hiſtoricen vel ſolius oratoriæ, vel poëticæ unius portionem: ſed partem ejus ad oratoriam, partem ad poëticam pertinere: ac propterea minimè eſſe diſtinctam ab duabus illis diſciplinam. Sententia hæc

ut multos patronos habet, ita etiam ſubnixa eſſe videtur ingenti tibicine, Cæſare Scaligero, in libris de cauſſis L. L. *a* ubi cùm dixiſſet, orationem à grammatico conſiderari ſub figurationis ac compoſitionis modo, à dialectica autem ſub ratione veritatis; iſta deinde ſubjungit: *Accidiţ autem ei poſtea ornatus ab oratore, & numerus à poëta. Nam hiſtoria parùm ab utroque differt, ſed ex utroque potiùs mixta eſt.* Verùm hiſtoricum quædam cum oratore, quædam cum poëtâ habere communia, lubentes fatemur. Sed ſunt etiam, in quibus differat ab utroque; ac in iſtis, quibus illis ſimilis eſt, videndum eſt, quatenus oratori, quatenus poëtæ ſit ſimilior. Id verò explicare eſt artis hiſtoricæ. Itaque idem ille Scaliger in ſuis de re poëtica libris *b* diſtinctam hanc ab utraque diſciplinam facit. Nam ait, præter grammaticam, & dialecticam, eſſe unam ſummam ſcientiam tertiam, cui nomen inditum nondum ſit: ſub hac autem ſcientiâ tres iſtas notas comprehendi, oratoriam, hiſtoricam, poëticam. Quid verò dici apertiùs potuiſſet?

a *Lib. 1. cap. 1.*

b *Lib. 3. de re poet. cap. 30.*

Poſtremò excutienda eſt nobis eorum ſententia, qui hiſtoriam maximè logici eſſe opus exiſtimant. Nam ex logicis peti debere, quomodo tractentur themata ſingularia, circa quæ hiſtoria verſatur. Imò non rhetorem ſolùm, ſed logicum etiam, ajunt, qui ſtylus hiſtorico conveniat, exponere debere. Voluit quoque Keckermannus. Quæ probare neutiquam poſſum. Non quidem rationis particeps quiſquam negabit, rationis diſciplinam utilem eſſe ad omnia, ubi ratio locum habet. Verùm enimverò non ic circo logici eſt præſcribere, qualis eſſe debeat dictio ſive character poëtæ, hiſtorici, oratoris. Dirigit enim logica intellectum, non in verborum compoſitione, ſed in rerum cognitione. Verborum verò conſideratio partim ad grammaticen pertinet, partim ad tres illas diſciplinas, oratoriam, hiſtoricen, poëticen; quarum quæque docet, cujuſmodi dictio conveniat materiæ iſti, quam tractat. Imò ne illud quidem verum eſt, quod idem ait, à logico tradi methodum, juxta quam hiſtoricus ſua digerat, ac diſponat. Neque enim hiſtorici ſequuntur ordinem eum in narrando, quem in ſimplicis aut conjunctæ quæſtionis tractatione logicus præſcribit. Quod ex nobiliſſimis quibuſque hiſtoricis manifeſtiſſimum eſt. Denique cogitaſſe eum oportuit, præter ſtylum ac methodum multa alia in conſiderationem venire, de quibus logicus minimè agat, neque agere poſſit, niſi tranſilire velit artis ſuæ limites. Sed hæc planiora multò fient, ex ipſis artis præceptis, quæ poſtea tràdemus.

## CAP. IV.

*Hiſtoricen propriè artem, non ſcientiam eſſe. Officium hujus artis. Hiſtoria definitio. Refellitur communis ſententia, quæ narrationem faciunt hiſtoriæ genus. Gellii, Boethii, atque aliorum lapſus, credentium ſyllogiſmum rectè per orationem definiri. Λόγος duplex. Hiſtoriam male à Sebaſtiano Maccio ad artem referri. Ejuſdem ἀντιλογία. Definitio hiſtoriæ à Keckermanno allata expenditur. Objectum hiſtoriæ. Quo ſenſu dicat Ariſtoteles, ſenſum ſingularium eſſe; rationem, univerſalium. Ex cujuſmodi errore originem traxerit fœda Averrois opinio, tollentis providentiam divinam. Ἀξιαφήγητος. An proba ſit ἀξιολογουμένων vox apud Dionyſium Halicarnaſſæum. Caſtigatur eorum error, qui res privatas omnimodis ab hiſtoria arcent. Item error Patricii, ſegregantis ab hiſtoria, quæcunque non ſunt actiones humanæ. Veterum aliqui, qui ſcripſere de animarum apparitionibus, ac prodigiis. Hiſtorici, divinæ providentiæ miniſtri. Averroes adverſus Zabarellam defenſus. Refutantur, qui in hiſtoricis, aliiſque, rem eſſe materiam, putant; formam verò, dictionem. Cur forma dicatur Græcis ἐντελέχεια. Cur iiſdem myſteria τελεταί, Latinis contrà initia dicantur. Quâ mente dictio ſive ſtylus ſtatui poſſit hiſtoriæ forma. Maccius iterum refellitur.*

EX his liquet, hiſtoricen eſſe diſciplinam, & quidem ab aliis diſtinctam. Nunc, quæ ad naturam definitionemque tum hiſtorices, tum hiſtoriæ pertinent, perſequamur. Ac de hiſtorice quidem obſcurum non eſt, eam eſſe artem, quæ hiſtoriam ſcribere doceat. Niſi quis de genere ipſo litem movere velit. Sed rectè hoc genus adſignari, conſtare ex iis poteſt, quæ de arte fusè proſecuti ſumus, cùm de Logicæ natura tractaremus. Scientia verò non eſt, ut tum finis indicat, tum objectum. Nam hiſtorice diſcitur, ut hiſtoriam legitimè contexamus; ſcientia verò eſt, non operationis, ſed ſciendi gratiâ; ut Ariſtoteles indicat lib. III. Metaph. Deinde Hiſtorice verſatur circa res contingentes, cujuſmodi ſunt notiones omnes ſecundæ, & actiones humanæ, quas memoriæ prodit hiſtoria; at ſcientia eſt rerum neceſſarium; unde eam Johannes Duns Scotus *a* definit, cognitionem certam alicujus rei neceſſariæ, productam à cauſſa evidenti, intellectui applicatam ad rem cognitam, vi & beneficio ratiocinationis.

a *Lib. 1. Sentent. quæſt. 4. & 5.*

Eſt igitur hiſtorice ars, non ſcientia. Genus verò hoc reſtringi debet officio artis: quod eſt tradere præcepta hiſtoriæ ſcribendæ. Nempe ejus eſt agere de ſtylo hiſtorico, item docere, (ut Politiani *b* hac de re verbis utar) *quo utendum principio, qui tenor rebus, qui modus accommodandus, quæ ſubjicenda, quibus immorandum, quæ carptim tantummodo perſtringenda, quo pacto fieri fides, quoque modo vacari omni ſuſpicione autor poſſit, quæ ſint omnino in temporum ordine, locorum deſcriptione, cauſſis, conſiliis, eventibus, rebus ipſis geſtis explicandis, obſervanda: quid ſpectare imprimis autorem, à quibus avocare animum, quantum utilitati ſervire, quantum indulgere voluptati oporteat.*

b *Præfat. in Suetonii expoſitionem.*

Ab hiſtorice tranſeamus ad hiſtoriam. Quæ non incommodè definiri nobis poſſe videtur, cognitio ſingularium, quorum memoriam conſervari utile ſit ad bene beateque vivendum. Eâ definitione tria ſumus complexi, genus, objectum, finem. Dicemus de ſingulis accuratius.

Genus fecimus notitiam, ſive cognitionem: non, uti alii, explicationem, narrationem, vel commemorationem. Nec enim de hiſtoriæ οὐσίᾳ *c* eſt, ut res geſtæ narrentur; ſed tantùm, ùt ſciantur. Iccirco Ciceroni quoque hiſtoria vocatur *memoria rerum.* Ut cùm in Bruto ait: *Nemo erat, qui memoriam rerum Romanarum teneret.* Sanè qui rei cuipiam geſtæ interfuerit, & ſedulò cuncta obſervârit, is hiſtoriam rei geſtæ animo inſcriptam habebit: eaque hiſtoria erit, ut vel nunquam narretur: quod ſi narretur, id accidere hiſtoriæ putandum. Quare qui hiſtoriam per narrationem definiunt, vel expoſitionem, aut commemorationem, quos inter etiam Verrius eſt apud Gellium *d*, item Quinctilianus *e*, ac B. Auguſtinus *f*, hi ſimilem errorem errant, ac illi, qui ſyllogiſmum definiunt per orationem: ut idem Gellius *g* facit, item Boethius *h*, & ex veteribus Latini omnes. Nam ſyllogiſmus quoque eſt, licet animo ſolùm concipiatur: ſed accidit ei, ut proferatur: ut omnino philoſophus *i*, cùm λόγον vocat, non προφορικὸν, ſive orationem intellexerit; ſed ἐνδιάθετον, ſive rationem, hoc eſt, quem Græci vocant [illegible] τοῦ νοῦ, ſive mentis diſcurſum. In quo Ariſtotelis ſententiam ſatis perſpexit Franciſcus Burana, uti & Joannes Baptiſta Monlorius, & Fortunatus Crellius. Quemadmodum & in altero illo, quod de hiſtoria dicebamus, aſſentientem habemus Sebaſtianum Maccium Durentinum. cujus hæc verba in tertio de hiſtoria *k*: *Hiſtoria non eſt narratio rerum geſtarum. fieret enim, ut hiſtoria non eſſet hiſtoria, niſi narraretur. Res namque geſtæ ſive narrentur, ſive non narrentur, ſemper ſunt geſtæ, atque propterea hiſtoria. Narratio vero accidit hiſtoriæ, & eſt attributum, & extrinſecum quoddam, & penitus extraneum in hiſtoria.*

c *Eſſentiâ.*

d *Lib. 5. cap. 18.*

e *Lib. 2. cap. 4.*

f *Lib. 2. de Geneſi contra Manich. cap. 2.*

g *Lib. 15. cap 26.*

h *In Ariſtotelis tralat.*

i *Lib. 1. Analyt. prior. c. 1.*

k *Cap 12.*

At eidem Maccio aſſentire non poſſumus, cùm hiſtoriam putat ad artem poſſe referri. Nec enim hiſtoria univerſalium eſt, nec propriè dici poteſt ποιεῖν *l*. Quare hæc ſententia homine Peripatetico, qualem ſe Maccius profitetur,

l *Facere.*

ſetur, planè eſt indigna: ut ſatis conſtat ex ea artis definitione, quam philoſophus in Nicomachiis *a* tradidit. Sed videamus, quomodo Maccius opinionem hanc ſuam conetur ſtabilire. *Ortum*, inquit *b*, *ars habet ex iis, quæ cadunt ſub ſenſum: ex eo enim fit memoria: & pluribus memoriis comparatur experientia. Ex hac vero percipitur univerſale; quod artis & ſcientiæ principium eſt. Propterea quemadmodum experientia eſt ſingularium, ita ars eſt univerſalium cognitio. Atque hæc eſt ratio, quâ hiſtoria redigitur ad artem. Licet enim rerum ſingularium narratio ſit, tamen ex his orta experientia parit hiſtoriam.* Verùm enimvero, quid ineptius, quàm ſic colligere velle, hiſtoriam eſſe artem, quia ex ſingularibus, quæ hiſtoria narrat, artes, & ſcientiæ promanant? Non jam illud dicam, non poſſe inde probari, potiùs artem, quàm ſcientiam eſſe, cùm utraque ex ſingularibus reſultet: illud ſolùm dicam, non omnia cauſſæ convenire, quæ effectui competant: eoque nec continuò artem eſſe, quod cauſſa eſt artis.

*a Lib. 6. Ethic. cap. 4.*
*b Lib. 3. de hiſtor. cap. 10.*

Illud quoque in eodem Maccio miramur, quòd cùm de hiſtoriæ οὐσίᾳ *c* eſſe negâſſet, ut narretur: tamen eam definiturus, diſertim dicat, eſſe memoriam rerum geſtarum monumentis literarum commendatam. Ac ne excidiſſe hoc ei putes, cauſſam ipſe verborum eorum addit. *Commendatio*, inquit *d*, *ejuſmodi nihil extraneum deſignat, ſed proprium vigorem ejuſdem rei geſtæ, ac veri, quod exprimitur. Sunt enim quædam attributa ita connexa cum ſuo primario, ut non ſolùm conferant ad illud cognoſcendum, ſed etiam videantur ejus quodammodo naturam conſtituere. Hoc modo ſe habet ejuſmodi commendatio: attributa enim ſeparabilia ſunt, quæ improbantur, non naturalia: quæ enim naturalia ſunt, non accidentia ſunt, ſed interioris naturæ ejus, de quo agitur, neceſſaria poſitio, & præcipua pars.* Quis verò non videt, quod hic negat, accidere hiſtoriæ, ut literis mandetur, id manifeſtè pugnare cum eo, quod antè dixerat, planè extraneum eſſe hiſtoriæ, ut narretur? Illud interim non inviti fatemur, hiſtoriam vulgò accipi ſolere pro hiſtorici alicujus monumento: ſimiliterque hiſtoricos dici, qui hiſtorias ſcripſere. Sed ex iis, quæ ſuperiùs diximus, liquet, hiſtoriam primò proprieque dici de notitia rei geſtæ; κατὰ μετωνυμίαν verò de monumentis, quibus hiſtoria continetur: quomodo & artes omnes, ac ſcientiæ, primò proprieque de animi habitu dicuntur; ſecundariò verò de ſcriptis eorum, qui diſciplinas iſtas tractarunt. At philoſophi eſt ejus præcipuè ſignificationis habere rationem, quæ princeps, maximeque propria eſt. Quamquam nec illud diſſimulandum, ſi ullum diſciplinæ genus requirit, ut literarum monumentis conſignetur, id hiſtoriam eſſe: cujus rei cauſſam capite proximo adferemus. Quare neque eſt, quod prohibeat, quo minùs hiſtoriam conſideremus, non ſolùm quatenus animo concluſa latet, ſed etiam quà, ad commune hominum bonum, ſcriptis traditur. Atque huc reſpexiſſe videntur, qui hiſtoriam definiunt, notitiam & explicationem rerum ſingularium. Uti fecit Bartholomæus Keckermannus. Sed tamen in eo minimè mihi ſatisfacit, quod putârit, cognitionem non explere per ſe generis naturam; ſed adjungi ei debere, quod hiſtoriæ accidit. Rectiùs omnino illud, quod inter accidentia principem facilè locum obtinet, differentiæ partem feciſſet, quò per eam hiſtoria, quæ cæteroquin ſolùm reſpicit animum humanum, ad hiſtoricorum monumenta reſtringatur. Ut ſi hiſtoriam dixiſſet eſſe notitiam rerum ſingularium literis conſignatam ad vitæ humanæ bonum. Atque hoc etiam voluiſſe Maccius videtur: etſi in eo, ut diximus, peccârit, quod unum idemque, nunc accidens ſeparabile, nunc naturalem & inſeparabilem rei proprietatem appellet: quam viri ejus inconſtantiam jure optimo improbamus. Sic igitur ſtatuimus, hiſtoriam propriè accipi, quando conſideratur, ut ineſt animo humano: atque ita per notitiam optimè definiri: notitiam verò iſtam (quæ rerum eſt ſingularium, ut mox oſtendemus) ejus eſſe naturæ, ut poſſit voce, aut ſcriptis explicari: ut autem reapſe explicetur, non eſſe de

*c Eſſentiâ.*
*d Lib. 3. de hiſtor. cap. 13.*

hiſtoriæ naturâ; niſi eo nomine utamur pro operibus, quæ quia, quod de rebus ſingularibus ſcitur, exponunt, eò hiſtoriæ nomine κατὰ μετωνυμίαν appellantur.

De genere ſatis dictum. Sequitur objectum ſeu materia. Quæ illa ſit, docet nos Ariſtoteles lib. de re poëtica, ubi diſcrimen iſtiuſmodi ſtatuit inter objectum poëſios, & hiſtoriæ, quòd illa plurimùm ſectetur univerſale, hæc verò circa ſingulare verſetur. Verba ejus ſunt: ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. Ac poëtas quidem circa univerſalia verſari, eo oſtendit Ariſtoteles, quòd cùm fabulas conſtituunt, etiam nomina imponunt: atque hoc quale ſit, fuſiùs expoſuimus, cùm poëticæ naturam explicaremus. At de hiſtoriâ quidem extra omnem controverſiam eſt, eam verſari circa ſingularia, atque ex eo manifeſtus eſt eorum error, qui exiſtumant, intellectum non eſſe ſingularium: neque enim tam craſſos eſſe puto, ut judicent, ad hiſtoriam non requiri intellectum, ſed tantummodo ſenſum. Non quidem neſcio, ab Ariſtotele 1. Phyſic. *a* ſcriptum eſſe, rationem eſſe univerſalium, ſenſus autem ſingularium. Verùm id accipiendum oppoſitè, quia ſenſus tantùm ſingularium ſit, intellectus autem inſuper ſit univerſalium; imò perfectiùs univerſalia intelligat, quàm ſingularia. Et certè ſi non intelligit intellectus ſingularia, quomodo prudentia, quæ eſt habitus intellectus, verſatur ſuâ naturâ circa ſingularia? Aut ſi intellectus non intelligit ſingularia, quomodo ab iis abſtrahit univerſalia? Suntque hæc eo magis conſideranda, quod, cùm Averroës exiſtimaret, intellectum non eſſe ſingularium, ſtatuerit Deum, quia purus eſt intellectus, non perſpicere res ſingulares, neque ea, quæ in mundo fiunt, curare.

*a Text. 48.*

Eſt autem hiſtoria non rerum tantùm ſingularium, ſed etiam verborum. Itaque aliud eſt hiſtoria verborum, aliud ars grammatice. Hiſtoria exponit ſingulatim quæ ad cujusque vocabuli aut verbi proprietatem pertinent. Ars ex ſingulorum verborum natura communia quædam præcepta concludit, eaque methodo conſtringit. Varro lib. VII. de L. L. *Duo igitur omnino verborum principia, impoſititiorum & declinatorum: alterum, ut fons; alterum, ut rivus. Impoſititia nomina eſſe voluerunt quàm pauciſſima, quò citius ediſcere poſſent: declinata quàm plurima, quæ iſtoc opere faciliùs omnes, quibus opus eſſent, diſcerent. Ad illud genus quod prius*, HISTORIA *opus eſt. niſi deſcendendo enim, aliter id non pervenit ad nos. ad reliquum genus, quod poſterius*, ARS: *ad quam opus eſt paucis præceptis, quæ ſunt brevia.* De hiſtoria non verborum, ſed rerum, tractamus hoc loco.

Etſi verò objectum hiſtoriæ ſtatuimus res ſingulares; non tamen, quicquid ſingulare ſive individuum eſt, ab hiſtorico debet explicari: ſed duntaxat res ſingulares memoria hominum dignæ: quæ Græci μνήμης ἄξια, & ἀξιομνημόνευτα vocant. Item ἀξιόλογα, & ἀξιαφήγητα, quaſi ἀφηγήσεως ἄξια. Imò, ſi vulgatis Dionyſii Halicarnaſſenſis codicibus credimus, etiam ἀξιολογούμενα vocantur; ſed vox [illegible], tanquam inſolens planè, Henrico Stephano ſuſpecta eſt, ac pro ea mavult ἀξιούμενα. Ego nihil mutandum cenſeo, cùm inveniam alia etiam apud eundem ſcriptorem, quæ haut temere alibi legantur.

Cæterùm nec æquè circa omnia ἀξιόλογα *b* hiſtoria verſatur. Nam admiſcet quidem angelorum, animarumque, ac ſpectrorum apparitiones, cometas, fulmina, mirabilia ea, quæ circa animalia, aut plantas, contingunt, aliaque ejus generis: verùm princeps & propria ejus cura eſt exponere τὰ πρακτά, ut Græci appellant: hoc eſt actiones, quas ſingularium eſſe, ſcribit Ariſtoteles lib. I. Metaph. cap. II. & lib. II. Eth. Nicomach. cap. VII.

*b Quæ ſunt memoriâ digna.*

Per actiones verò intellige res geſtas publicas, vel privatas illuſtriores. Nam etſi id quidam negarint, tamen ex hiſtoriis omnibus ſatis apertum eſt, etiam eâ res privatas poſſe exponi; ſed quæ humiles non ſint, verùm inſigniores, ac tales planè, ut conducant inſtitutioni vitæ humanæ; ſive eam generatim ſpectes, ſive reſtringas ad gubernationem domus, ſcholæ, eccleſiæ, reipublicæ.

Verùm Franciſco Patricio videtur hæc ſententia objectum

jectum ejuſmodi adſignare, quod latiùs pateat, quàm hiſtoriæ pomeria, ac fines permittunt. Eoque limitat illud hunc in modum, ut objectum dicat eſſe, non ἁπλῶς res ſingulares, ac imprimis actiones memoriâ dignas; ſed actiones humanas, ſive res ab hominibus geſtas. Sed multa ſunt, cur putemus, etiam ea, quæ ab hominibus facta non ſunt, ab hiſtorico exponi, & poſſe, & debere. Fecere enim id hiſtorici prope omnes: imò non defuere, quibus potiſſima hæc cura eſſet, ut de dæmoniis, angelis, aut ſpectris agerent. Sanè ex Photio *a* diſcimus, Damaſcium ſcripſiſſe libros duos incredibilium narrationum: unum de dæmoniis, qui capitibus conſtaret LII: alterum de animis à morte apparentibus, qui capitum erat LXIII. Etiam Euſtratius, magnæ Eccleſiæ preſbyter, multas narrationes hujus generis intexuiſſe videtur libro de vitâ functorum animis: de quo idem Photius in bibliotheca ſua *b*. Qui & auctor eſt *c*, Laurentium Philadelphenſem Lydum de cæleſtibus, aliiſque prodigiis ſcripſiſſe. Uti & è Latinis Julius Obſequens fecit. Quis autem cæleſtia prodigia eſſe hominum actiones dixerit? atque idem judicium eſto de urbibus diluvio, aut terræmotu abſorptis, vel peſtilentiâ exſtinctis. Suntque alia ejus generis non pauca, Dei profectò, non hominum opera. Imò varietates quoque imperiorum, horrendi impiorum exitus, & quæ alia hujuſmodi ſunt, Deo debent adſcribi: cujus providentia non aliunde magis, quàm ex hiſtoria elucet: ut rectè omnino ſenſerint, qui hiſtoricos olim vocandos putarunt divinæ providentiæ miniſtros: quippe qui quaſi ſcribæ & actuarii eorum ſint, quæ Deus fecit. Hinc B. Auguſtinus lib. de Vera religione cap. XXV: *Quoniam divina providentia non ſolùm ſingulis hominibus, quaſi privatim; ſed univerſo generi humano, tanquam publicè conſulit: quid cum ſingulis agitur, Deus ſcit: atque ipſi, cum quibus agitur, ſciunt. Quid autem agatur cum genere humano, per hiſtoriam commendari voluit, & per prophetiam.* Eidemque Auguſtino libro de Geneſi ad literam cap. III. hiſtoria eſſe dicitur, *cùm ſive divinitus, ſive humanitus res geſta commemoratur.* Atque ex his ſatis conſtare puto, cur aſſentire Patricio non poſſimus, cùm hiſtoriæ objectum eſſe dicit res ab hominibus geſtas. Quamquam minùs ſpiſſus eſt error iſte, quàm ille alterius cujuſdam *d*, qui hiſtoriam, haut aliter ac Grammaticen, circa verba verſari ait. Quo errore quid fœdius? Nam hiſtorices quidem eſt non tantùm agere de rebus, circa quas hiſtoria occupatur; ſed etiam de elocutione ac ſtylo: verùm hiſtoria non de verbis, ſed tantùm de rebus tractat: imò neque res omnes refert, ſed, ut diximus, res ſingulares memoriâ dignas. Quare, quin res ejuſcemodi materia atque objectum hiſtoriæ ſint, minimè dubitandum.

a *Timmate 130.*
b *Timmate 171.*
c *Timm. ſive cod. 180.*
d *Thomæ Bonii l. 1. de hiſtoria.*

Quæ verò hiſtoriæ forma ſit, fruſtra aliquis hoc loco requirat. Nam ea eſt genus ipſum, hoc eſt comprehenſio ſive notitia: de quo ſatis antea dictum. Scio, aliter multis videri, quibus placet, id rei formam eſſe, quod in definitione locum differentiæ implet. Sed hoc in ſubſtantiarum definitionibus verum eſt: ut cùm in animalis definitione corpus animatum eo reſtringitur, quòd ſit ſentiendi facultate præditum: aut in hominis definitione, ubi animal reſtringitur per hoc, quod ſit ratione præditum. Nam & hoc hominis, & illud animalis eſt forma eſſentialis. Sed aliter ſe res habet in accidentibus: quorum definitio ex forma & materia conſtat; ac forma eſt genus, materia verò ſubjectum: ut diſertim Averroes *e* ſcribit. Neque ignoro, hoc nomine Averroem reprehendi ab egregio philoſopho, Jacobo Zabarella *f*: ſed illud item ſcio, Zabarellam ipſum alibi *g* idem ſcripſiſſe: neque omnino verum eſt, quod Zabarella ait, ſubjectum in accidentis definitione poni, non tanquam aliquid eſſentiale, ſed tanquam conditionem neceſſariam. Nam accidentia per ſubjectum eſſentialiter definiri, clarè liquet ex Ariſtotelis Poſterioribus Analyticis *h*, & Metaphyſicis *i*. Ac ratio idem oſtendit, cùm, ut Zabarellæ ipſius verbis *k* utar, *definitio accidentis ex materia & forma conſtans dicatur eſſentialis ſive quidditativa, quia tota accidentis eſſentia per eam exprimitur: ſcilicet per genus reſtrictum à ſubjecto proprio ſurgente eſſentiæ differentia.* Solùm nôſſe oportet, quod de ſubjecto hic dicitur, id objecto etiam aptari debere. Nam in accidentibus propriis quidem, qualia ſunt tonitrus, eclipſis, ſimiliaque, differentia à ſubjecto petitur: ſed in habitibus ab objecto id fieri debet.

e *In lib. 2. poſter. contextu 39. & 42.*
f *Libro de converſione demonſtrationis in definitionem, cap. 4.*
g *Lib 4 de morbo dis c. 14.*
h *Lib. 1. Poſt. c. 6. & lib. 2. Poſt c. 10.*
i *Lib. 6. cap. 4.*
k *Lib. 4. de morb. cap. 14.*

Atque ita quidem de materia, & forma hiſtoriæ ſtatui debet, ſi hiſtoriam conſideremus, quatenus animo inhæret. At aliter longè de utroque horum judicandum eſt, ſi eam ſpectemus, quatenus eſt aliquid literis conſignatum: ut cùm Thucydidis, vel Livii hiſtoriam dicimus. In cujuſmodi operibus vulgò dicitur, rem, de qua agitur, materiam eſſe; formam verò, dictionem. Quomodo in Thucydide materiam vocarent, bellum Peloponneſiacum; in Livio, res Romanas. Character verò, ſive ſtylus, formæ iis nomine cenſeretur. Quamquam verò in hac ſententia minimè periclitentur vectigalia, aut ſalus populi: tamen cùm ubique amanda ſit veritas, & ſapientis ſit non ſolùm bene ſentire, ſed etiam, quæ bene ſenſeris, aptè eloqui: ſanè Cæſari potius Scaligero *a* aſſentimus, qui putabat, in iſtiuſmodi rebus materiam potiùs dictionem dici debere; formam verò eſſentialem, eſſe rem ipſam. Neque ut ita ſentiam, tam viri me ſummi autoritas, quàm ratio ipſa compellit. Certè non à verbis, ſed à rebus hiſtorici nomen fecerunt hiſtoriis ſuis. Eſt verò id forma, per quod res eſt id, quod eſt, ac proinde certum quoque nomen accipit. Adde, quod verba ſunt rerum notæ, teſte Philoſopho, lib. περὶ ἑρμηνείας. res verò ſunt verborum finis. finis autem, ut docemur lib. II. φυσ. ἀκρο. nonniſi ratione differt à formâ, quam Græci idcirco appellant ἐντελέχειαν, ab ἐντελὲς *b*, quod ipſum eſt à τέλος *c*. ut formam conſtet haut aliâ de cauſâ dictam ἐντελέχειαν, (*perfectihabiam* ad verbum interpretabatur Hermolaus Barbarus) quàm quia res per eam finem, eoque perfectionem ſuam conſequitur. Eandemque ob cauſſam Græci ſacra opertanea tum Cereris, tum Bacchi vocarunt τελετὰς, quia in iis eſſet finis, hoc eſt, perfectio vitæ. Latini à planè contrariâ voce originem petierunt, quia nominant *initia*, vel *initiati*, οἱ μεμυημένοι: ejuſque ratio eſt, quòd ſacra hæc crederentur eſſe exordium melioris & felicioris vitæ.

a *Lib. 2. de re poët. cap. 1. & lib. 3. cap. 1.*
b *Perfectum.*
c *Finis.*

Interea concedere poſſumus, formam eſſe verba, ſive dictionem, dummodo intelligatur forma externa: per dictionem verò capiamus, non verba ἁπλῶς, ſed ſtyli elegantiam, atque ornatum: qui neque oratorius eſt, ut fallò quidam putarunt: neque item poëticus, ut alii credunt: ſed medius inter utrumque, ut ſuo loco monſtrabimus.

Sub ornatu verò hoc ſplendor quoque orationis continetur: ut qui nihil aliud ſit, quàm pulchritudo ſermonis ἐν ἀξιώματι *d* conſiſtens; ſive cultus orationis cum gravi dignitate conjunctus: quemadmodum in Oratoriis Inſtitutionibus *e* diximus. Quod ſi elegantia atque ornatus omnis ſolùm accidentaria eſt hiſtoriæ forma: errare etiam liquet Sebaſtianum Maccium *f*, cùm nihil niſi οὐσιῶδες *g* contineri ait ſuâ hiſtoriæ definitione. Nam eam eſſe ait, *abſolutam rei geſtæ memoriam, certis literarum monumentis, veri conſervandi gratiâ, fideliter & ſplendidè commendatam.* Si enim per ſplendorem intelligit λαμπρότητα illam, de qua Hermogenes *h*, atque alii Rhetores tractant: jam liquet, eam accidere hiſtoriæ, cùm ferè commentariis abſit, qui hiſtoriæ tamen nomine comprehenduntur. ſin (ut ait Maccius) *non dicit ornatum, ſed naturalem quandam vim, quam verum ſibi habet omnino inſitam, & ita immixtam, ut non poſſit ſine veri læſione disjungi, ac ſeparari:* jam nihil attinet, ſplendoris meminiſſe eâ definitione, quâ fidei ſeu veritatis mentio fit, in qua ſplendor, haut aliter ac τὸ γελαστικὸν *i* in λογικῷ *k*, continetur.

d *In dignitate.*
e *Lib. 6. cap. 5.*
f *Lib. 3. de hiſtor. cap. 13.*
g *Eſſentiale.*
h *Lib. 1. περὶ ἰδεῶν cap. 9.*
i *Ridendi facultas.*
k *Facultate rationali.*

## CAP. V.

*De* FINE *hiſtoriæ, ac multiplici ejus effectu. Luciani ac Strabonis ſententia de hoc expenſa. Hiſtorias, niſi ſcripto conſignentur, minus quàm diſciplinas, per manus*

*um tradi poſſe. Recta ad prudentiam via, eſſe ἐμπειρικόν. Quæ dicatur πολιτικὴ συνωνίκησις. Hiſtoriam juſtam nihil eſſe aliud, quàm philoſophiam exemplis conſtantem. Utrùm hiſtoria exempla, an philoſophia præcepta, melius prudentiâ animum inſtruant. Magis movere exemplum in perſona vera, quàm imaginem virtutis in perſona ficta. Diſſeritur adverſus eos, qui putant, non antè hiſtoricos legi debere, quàm animum imbueris philoſophiæ præceptis.*

AB internis cauſſis accedamus ad finem. Nam ut in accidentis proprii definitione præter ſubjectum adfertur cauſſa efficiens proxima: ita habitus per objectum ac finem definiuntur. Sed de fine hiſtoriæ non ſimiliter veteres ſentiunt. Luciano *a* enim finis ejus eſt τὸ χρήσιμον, hoc eſt, utile. Nimis profectò laxè, ut poſtea parebit. Interim rectè, quòd non addit τὸ τερπνὸν, ſive jucundum, quandoquidem id adjunctum eſt finis, non eſſentia. Straboni *b* ſcopus ejus eſt veritas. Verùm ea propriè non finis, ſed neceſſaria eſt hiſtoriæ conditio, imò princeps legitimæ hiſtoriæ nota; unde eam Tullius fundamentum, alii quaſi animam hiſtoriæ faciunt. In hoc diſſenſu, ut rectiùs certiuſque de fine hiſtoriæ ſtatuere poſſimus, diſtinctè ejus fructus, atque effectus enumerabimus. Nam ad hos in ſcribendâ legendâque hiſtoriâ, tanquam ad ſcopum, collimamus.

*a Lib. de ſcribenda hiſtoria.*
*b Lib. 1.*

Effectus hiſtoriæ vel primarius eſt, vel ſecundarius. Primarius vel communis eſt omnium diſciplinarum, vel certæ peculiaris diſciplinæ.

Communis effectus eſt duplex. Prior eſt, ut conſervetur ac vigeat memoria eorum, quæ acciderunt. Nam ſi uſpiam opus, ut quæ ſciunt homines, ea conſignent memoriâ: ſanè in hiſtoria id locum habet. Siquidem in diſciplinis propriè dictis minùs neceſſaria eſt ſcriptura, quia vivâ voce, quaſi de manu in manum, tradi poſſunt: quod de hiſtoriis non æquè dici poteſt: quippe quæ circa ſingularia verſentur: hæc verò infinita ſunt, eoque memoriâ conſervari non poſſunt. Hoc ita eſſe, ſatis inde cognoſcimus, quòd res ab antiquis proditæ in tenebris jaceant, niſi quas hiſtoriæ lumen illuſtrat. Nam vel maximè de hiſtoria verum eſt, quod de poëta cecinit Horatius *c*:

*Vixere fortes ante Agamemnona*
*Multi; ſed omnes illacrimabiles*
*Urgentur; ignotique, longâ*
*Nocte, carent quia vate ſacro.*

Itaque nec Herodotus dubitat ab iſtis verbis auſpicari hiſtoriam ſuam *d*: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε· ὡς μήτε τὰ γινόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστὰ, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισιν ἀποδεχθέντα, ἀκλεᾶ γένηται. Quicum conſentit illud Plinii *e*, ut hiſtoriam ſcriberet, rogati: *Mihi pulcrum imprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur.* Atque hæc ſatis oſtendunt, cur hiſtoriam Cicero *f* appellet, *teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, & nunciam vetuſtatis.*

*c Lib. 4. od. 9.*
*d Herodoti Halicarnaſſenſis hiſtoriæ explicatio hæc eſt: ut neque ea, quæ geſta ſunt, ex rebus humanis oblitterentur longinquitate ævi: neque ingentia & admiranda opera, vel à Græcis edita, vel à Barbaris, gloriâ fraudentur.*

Alter communis effectus eſt, ut ex ſingularibus univerſale præceptum obſervetur: univerſale item præceptum ſingularibus exemplis illuſtretur, & comprobetur. Quid enim certius, quàm, ex memoria eorum, quæ plurimùm contingunt, & obſervatione cauſſarum, ob quas contingunt, in omni vitæ genere peritiam ac prudentiam naſci? unde ſcitè Afranius *g* dixit in togata, cui Sellæ nomen;

*Uſus me genuit, mater peperit Memoria:*
*Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.*

Quod non de civili ſolùm prudentia, ſed etiam de ſcientiis, & quibuſvis artibus, intelligi debet. Sanè doctiſſimus philoſophus Pomponatius, lib. De incantationibus, cap. X, *h* diſertum ait; *Sine hiſtoriis impoſſibile eſt, eſſe aliquem perfectum in naturali philoſophia.* Idem, cap. XII; *i Philoſophi eſſe, cauſſam reddere effectuum naturalium. Hoc autem fieri non poſſe, niſi quando, quid factum,* (τὸ ὅτι vocat Ariſtoteles,) *ſciatur. Effectus autem multos eſſe rariſſimos. Ac hiſtorico propterea probatis hiſtoriis heic opus eſſe.*

*e Lib. 5. epiſt. 8 quæ ad Capitonem, vel, juxta alios, ad Tacitum.*
*f Lib 2. de Orat.*
*g Apud Gellium l 13. c. 8.*
*h P. 121.*
*i P. 296.*

Peculiares effectus variant pro diſciplinis. Nam exempla ſuppeditat: quorum alia pertinent ad diſciplinam quampiam ὀργανικὴν *a*, uti logicen, rhetoricen, cæteraſque: alia ad diſciplinam principalem: ſive ejus finis ſit θεωρία *b*, ut in phyſicis, arithmeticis, aliiſque ſcientiis contemplativis, ſi metaphyſica excipias: (quæ inprimis θεωρητικὰ, verùm ad vitam exempla non ſuppeditant:) ſive finis ſit πρᾶξις *c*, ut in ethicis, œconomicis, politicis; item in theologia, & juriſprudentia: ſive is ſit ποίησις *d*, ut in poëtica, medicina, architectonica, pictura, ſculptura, cæteris.

*a Inſtrumentalem.*
*b Contemplatio.*
*c Actio.*
*d Effectio.*

Imprimis verò uſus ejus manifeſtus eſt in ethicis, ac politicis; idque trifariam. Primùm enim virtutem docet, atque ad eam excitat. Siquidem exempla proponit virtutum, & vitiorum; item præmiorum, & pœnarum. Cujuſmodi ſunt virtutum ſtimuli, & laudum ſemina. Hinc Livius in præfatione hiſtoriæ ſuæ: *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi, tuæque Reip., quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Iccirco & Polybius initio operis ſcribit, eſſe ἀληθινωτάτην *e* παιδείαν, καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. Ac pertinet eodem hoc Philonis Judæi libro de ſacrificio Abelis ac Caini: Ὠφελεῖ μὲν ἂν εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν τελείας, ἀλλά τοι πρὸς πολιτείαν, καὶ τὸ παλαιαῖς, καὶ ὠγυγίαις ἐντρέφεσθαι δόξαις, καὶ ἀρχαίαν ἀκοὴν ἔργων καλῶν μεταδιώκειν, ἅπερ ἱστορικοί, καὶ σύμπαν τὸ ποιητικὸν γένος, τοῖς τε καθ' ἑαυτοὺς, καὶ τοῖς ἔπειτα, μνήμῃ παραδεδώκασιν. *Prodeſt tamen, ſi non ad parandam perfectam virtutem, certè ad curam Reip., noſſe opiniones priſcas, & Ogygias, audireque antiquitatis pulcherrima facinora, quæ hiſtorici, & omne genus poëtarum, prodiderunt ætati ſuæ ad poſteritatis memoriam.* Egregiè etiam hæc de re Baſilius Imp. Exhortationum cap. LVI. ad Leonem filium: Ἱστορίας ἀρχαίας ἐξερχέσθαι μὴ κατόκνει· ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐπιπόνως· καὶ μάθῃς ἐκεῖθεν τάς τε τῶν εὐδαιμόνων ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγὰς, καὶ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβὰς, τῶν δὲ εὐδαιμόνων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις, ὧν τὰς μὲν φύγῃς, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς, τὰς δὲ κατορθώσεις, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς. *Evolvere ne unquam ceſſes hiſtorias veterum. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii magno cum labore congeſſerunt: atque inde bonorum virtutes, & improborum vitia cognoſces, & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones: mundi hujus inſtabilitatem, & imperii ad cadendum pronitatem diſces. Breviter, malefactorum pœnas; & bonorum præmia leges: quorum illa fugies, ne ultionis, quæ inde ſequitur, ſeveritatem patiaris: hæc autem amplecteris, ut præmia, quæ ex iis manant, conſequi merearis.* Nempe hiſtoriæ id efficiunt in generoſis animis, quod Themiſtocli trophæa præſtitere Miltiadis, quæ eum quieſcere non ſinebant. Imò non probos ſolùm ad virtutem inflammant: ſed improbos ſæpe infamiæ metu à ſceleribus deterrent. Et profectò, ſi non aliæ majores eſſent, vel iſta ſatis gravis cauſſa eſſet, cur interſit memoriæ prodi, quæcunque fiunt. Pulchrè Tacitus lib. III. Annal. *Præcipuum*, inquit, *munus annalium reor, ne virtutes ſileantur, utque pravis dictis factiſque ex poſteritate, & infamiâ, metus ſit.* Sanè quantopere iſtoc metu torqueantur tyranni: indicio eſto acerba illa Tiberii querela in initio cujuſdam epiſtolæ *f*: *Quid ſcribam vobis, Patres Conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam, hoc tempore? Dii me, Deæque pejus perdant, quàm quotidie perire ſentio, ſi ſcio.* Atque hæc quoque cauſſa fuit, cur Nero *g*, dicente quodam,

*e Hiſtoriam eſſe inſtitutionem, atque exercitationem longe veriſſimam ad res civiles.*

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί:

ille ſubjecerit:

Ἐμοῦ δὲ ζῶντος.

Nempe, contrà quàm de ſe Plinius *h* ſcribit, *ſcelerum ſibi conſcius poſteritatis memoriam reformidabat:* eoque non

*f Suet. in Tib. c. 67.*
*g Suet. in Ner. c. 38.*
*h Lib 5. epiſt. 8.*

dico

diò ſe mortuo, ſed vel ſpirante etiam optabat, terrarum orbem deflagrare, nequid fortè ſcelerum ſuorum audire cogeretur. *Tantus audiendi* omnibus, *quæ fecerint, pudor, quibus nullus faciendi, quæ audire erubeſcunt:* ut idem Plinius *a* ait. Vide & quæ hanc in ſententiam ſcripſit Bodinus lib. II. de Rep. cap. IV.

Præterea hiſtoriæ in rebus arduis ac difficilibus conſilium ſuppeditant. Quomodo Marcus Cicero *b*, Thraſybuli monitus exemplo, ἀμνηστίαν *c*, ut Valerius Max. *d* & Plutarchus *e* vocant, ſive τὸ μὴ μνησικακεῖν *f*, ut alii *g* id efferunt, Romano Senatui ſuadebat. Et quis neſcit, quantum in militia juvare ducem poſſint ſtrategemata, quæ Poliænus, & alii congeſſere? Nec tantùm iis, quæ alii prudenter fecere, reddimur cautiores: ſed etiam periculis alienis; dum videmus, quantas in calamitates ſuâ alii ſtultitiâ ceciderint. Cornificius lib. IV ad Herennium *h*: *Rerum imperiti, qui unicuique rei de rebus antè geſtis exempla petere non poſſunt, ii per imprudentiam facilè deducuntur in fraudem. At ii, qui ſciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum eventu ſuis rationibus poſſunt providere.* Itidem hiſtoriæ utilitatem prædicans Dio, oratione eâ, quæ eſt de dicendi exercitio, ait inter alia: *i* ὁ πλεῖστα ἑτέροις συμβάντα ἐπιστάμενος, ἄριστα, οἷς αὐτὸς ἐγχειρεῖ, διαπράξεται, καὶ ἐκ τῶν ἐνόντων ἀσφαλῶς. Sic igitur ſtatuendum, vel præcipuum eſſe hunc hiſtoriæ fructum, quòd ex ſimilibus, vel contrariis colligamus, quid privatim, aut publicè expediat. Nam prudens qui eſſe volet, debet obſervandi eſſe ſtudioſus, ſive, ut Græci illud dicunt, ἐμπειρικός. Siquidem ἐξ ἐμπειρίας *k* prudentia oritur: ut Peripatetici ſciſcunt. Atque in hac ipſa diſtinguere oportet, candidam ſinceramque prudentiam, & malitiam στρεψίμαλλον *l*, quæ κακοπραγμοσύνη vocatur à Græcis *m*. Uti & ab utrâque diſtinguenda ἡ θεραπευτική, quam neceſſitas expreſſit, unde πολιτικὴ συνυπόκρισις *n* vocatur; quia nempe aliud ſimulatur, quàm agitur. Quantum juvet hiſtoria, ut cautè & providè vivamus, indicat Cyrus apud Xenophontem in Pædiâ. Qui eo commendat filiis hiſtoriam, quòd doceat divinare. Sunt, qui eadem comœdiæ tragœdiæque ineſſe decernant; quòd ex præteritis præſentia judicare, & futura præſagire doceant. Denique hiſtoria facit, ut ne rebus ſecundis nimis efferamur: aut rebus adverſis animo ſimus puſillo fractoque. Nempe hiſtoria eſt ſpeculum vitæ humanæ. in eo enim videmus, quantis caſibus obnoxia ſit omnis hominum vita. quæ res efficit, ut ne nimis fidamus rebus proſperis, ſed alienis caſibus moniti cogitemus, eadem nobis poſſe contingere, juxta illud Varronis *o*, veteri etiam proverbio *p* celebratum,

*Neſcis quid ſerus veſper vehat.*

Atque idem nos in adverſis patientes facit, dum animo obverſatur, non recuſare nos debere communem hominum ſortem. Utriuſque iſtius utilitatis ibidem meminit Dio, ubi de hiſtoriæ gnaro ſic ſcribit: *q* Οὔτε εὖ πράττων ἄγαν μέτρον ὑπερβήσεται, δυσπραγίαν τε πᾶσαν οἴσει γενναίως, διὰ τὸ μηδ' ἐν οἷς εὖ ἔπραττεν, ἀνεννόητος εἶναι τῆς ἐπὶ τὸ ἐναντίον μεταβολῆς.

Quis ex iſtis non videt, hiſtoriam à Cicerone *r* jure optimo vocari *magiſtram vitæ:* pulcherrimè item à Dionyſio Halicarnaſſenſi *s* dictum eſſe, τὴν ἱστορίαν φιλοσοφίαν εἶναι ἐκ παραδειγμάτων *t*. Nam ut civilis prudentia præceptis docet ſeveris, quid fieri oporteat: ita hiſtoria præcepta illa condit varietate exemplorum, quò faciliùs animis inſcribantur, atque inhæreant: quemadmodum in præfatione operis diſſerit Agathias. Imò ſi alterutrâ carendum; ſatius videtur, præcepta philoſophiæ à doctore nullo hauſiſſe. Nam philoſophia cauſſas univerſales exponit, eoque communibus præceptis inſiſtit. Hiſtoria verò in ſingularibus verſatur. Quemadmodum verò, cùm ægrotamus, medicum experientem præferimus illi, qui in Hippocratis lectione fuerit exercitatus, ac de univerſo genere egregiè ſciat diſputare, verùm experientiæ ſit nullius: ita quoque non tam cum eo conſilium capere oportet, qui in philoſophorum ſchola hauſerit communia vivendi præcepta, quàm

a *Lib. 9. epiſt. 27. ad Lateranum, ſive Paternum.*
b *Cicer. Philipp. 2. & Dio lib. 44. in concione Cicer.*
c *Oblivionis legem.*
d *Lib. 4. cap. 1.*
e *In præceptis politicis.*
f *Præteritas injurias non recordari.*
g *Æſchin. orat. cont. Cteſiph. Iſocr. orat. de bigis. Dio l. 44.*
h *In mediocris characteris exemplo.*
i *Qui plurima noverit, quæ aliis evenerunt, is optime ea, quibus ipſe manum admovet, conficiet, quantumque licuerit, tutiſſime.*
k *Ex obſervatione.*
l *Verſipellem.*
m *Polyb.*
n *Eidem.*
o *In ſatyræ inſcriptione.*
p *Livius lib. 45.*
q *Neque in rebus ſecundis ultra modum vehemens erit; adverſos verò caſus omnes tolerabit generoſe; eo quòd neque in ſecundis rebus inſcius erat, poſſe omnia in contrarium mutari.*
r *Lib. 2. de Orat.*
s *Ε᾽ν τέχνῃ pag. 65. ed. Franc.*
t *Hiſtoriam eſſe philoſophiam ex exemplis.*

cum illo, qui vel aſſiduâ hiſtoriæ lectione, vel experientiâ longâ, multa ejuſdem generis egregio judicio obſervârit.

Sunt verò hæc eo majoris, quòd cognitio iſta ex hiſtoriis, & facillima ſit, & tutiſſima; cùm illa, quam per experientiam conſequimur, & diutinum tempus requirat, & multis ſit periculis obnoxia: cujus rei exemplum eſſe poteſt Ulyſſes Homericus, qui, non ſine magnis calamitatibus *a*,

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω *b*.

Diſpar verò, ut dixi, hiſtoriæ ratio eſt: quippe ubi alienos errores, ac caſus, (ut pulchrè Polybius diſſerit lib. 1. poſtquam Atilii Reguli cladem expoſuerat,) ſine ullo periculo noſtro, videamus: ubi item res propè omnes, adeò locis & temporibus diſtantes, in una quaſi tabella ob oculos ponantur. Atque hæc de effectis primariis dicta ſunto.

Secundarii verò effectus ſunt duo. Eorum unus eſt voluptas, & delectatio; quæ tergemino ex fonte promanat. Ac primùm ex eo, quia hiſtoria res ſingulares tractet, quæ cùm ſenſuum objecta ſint, facilè à quovis intelliguntur. Deinde verò ex varietate ſummâ, quæ ſæpe mirandos habet eventus. Ac denique inde, quòd aliena pericula videamus ſalvi ipſi atque incolumes: quæ res hominibus jucunda eſſe ſolet; juxta illud Lucretii *c*,

*Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,*
*E terra magnum alterius ſpectare laborem:*
*Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas;*
*Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.*

Eſt hoc de effectu illuſtris planè locus apud *d* M. Ciceronem. Sic enim ſcribit epiſtolâ ad Lucceium: *Nihil eſt aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietates, fortunæque viciſſitudines: quæ etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem: cæteris verò, nullâ perfunctis propriâ moleſtiâ, caſus alienos ſine ullo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt jucunda. Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſteaquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum: ut etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cujus ſtudium in legendo non erectum Themiſtoclis fugâ redituque retinetur? etenim ordo ipſe annalium mediocriter nos retinet, quaſi enumeratione faſtorum. At viri ſæpe excellentis ancipites, variique caſus habent admirationem, exſpectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem: ſi verò exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundiſſima lectionis voluptate.* Pertinet huc etiam Plinii *e* illud ad Capitonem: *Hoc propè ſola hiſtoria polliceri videtur. Orationi enim, & carmini, eſt parva gratia, niſi eloquentia ſit ſumma: hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat. Sunt enim homines naturâ curioſi, & quamlibet nudâ rerum cognitione capiuntur; ut qui ſermunculis etiam, fabelliſque ducantur.* Voluptatis iſtius, quam ex hiſtoricis capere eſt, illuſtre exemplum habemus in ſapientiſſimo Arragoniæ rege Alphonſo. Alphonſus, Caſtiliæ & Siciliæ rex, lectione Liviana dicitur reſtitutus valetudini medicorum judicio deploratæ: & Ferdinandus eorum regnorum dominus ſontico dicitur morbo liberatus lectione Curtii: & Laurentius Medicus valetudinem, abſque medicamentorum ope, dicitur recuperaſſe acroamate ſuavis hiſtoriolæ unius de Conrado III Imper. qui cùm tandem precibus nobilium feminarum hoc dediſſet, ut ipſis ex urbe liceret abire inviolatis, & ſecum exportare quantum humeris poſſent: pulcherrimo dolo ludificatæ ſunt Imperatorem, exportando maritos ſuos; quos inter erat Guelfus, Bavariæ dux, infeſtiſſimus hoſtis imperatoris: tantumque abeſt, ut propterea revocaret promiſſum imperator, ut præ gaudio lacrymas non tenuerit, oppido, quod delere ſtatuerat, pepercerit, & cum hoſte infenſiſſimo ſit conciliatus. Qui cùm graviſſimo morbo laboraret, multaque incaſſum medici remedia adhiberent, Curtii de Alexandro hiſtoriam legere cœpit, eâque tantopere delectatus fuit, ut valetudini reſtitutus dixiſſe dicatur *f*,

a *Homer. Od. α.*
b *Multorum mores hominum cognovit & urbes.*
c *In proœmio lib. 2.*
d *Lib. 5. epiſt. 12. ad famil.*
e *Lib. 5. epiſt. 8.*
f *Anton. Panormitanus lib. de rebus geſtis Alphonſi.*

Valeant Avicenna, Hippocrates, medici cæteri: vivat Curtius, ſoſpitator meus.

Alterum ex ſecundæ notæ effectis eſt, quòd hominem ornet. Siquidem hiſtoriarum gnari, & æſtimantur ob multijugam lectionem atque obſervationem: & amantur ob fructum ac voluptatem, quam ex eorum præſentia ac ſermone cuivis percipere licet.

Sed duo poſtremi hiſtoriæ fructus longè dignitate iis cedunt, quos antea commemoravimus: eoque ridiculi planè ſunt, qui non alio fine hiſtorias legunt, quàm ut animum oblectent, & habeant, quod in conviviis ac circulis narrent. Quanto profectò excellentiorem ob finem Homericorum heroum geſta lectitabat Alexander Magnus? ac Xenophonteâ Cyri inſtitutione ita capiebatur Scipio Africanus, ut eam de manibus nunquam deponeret. Quod ſi etiam fabulas, vel mythiſtorias legebant tanti viri, ut exemplis fictis vel meliores, vel prudentiores redderentur: quis dubitabit, quin eoſe potiſſimùm fine veras legerint hiſtorias, quæ ad movendos animos majorem longè vim habent? Nec enim facilè quiſquam deſperabit, ea ſe conſequi poſſe, quæ alios novit præſtitiſſe. At in fictis exemplis ea perfectio non rarò ad imitandum proponitur, ad quam mortalium conditio neutiquam pertingit.

Satis multa videor dixiſſe de hiſtoriæ utilitate. Plura qui volet, adeat, quæ de Hiſtoriæ laudibus ſingulari libro ad Stephanum, Poloniæ regem, ſcripſit Joannes Michaël Brutus. Item quæ hac de re prodidere Politianus præfatione in expoſitionem Suetonii, & Caſaubonus eruditâ illâ præfatione, quam Polybio præfixit. Nec adſpernanda ſunt, quæ congeſſit Andreas Frankebergerus in inſtitutione antiquitatis. Idemque argumentum tractant, Philippus Beroaldus, oratione, quam habuit Livium & Silium Italicum explicaturus; Ludovicus Vives, initio libri v. De tradendis diſciplinis; Antonius Muretus, oratione eâ, quam habuit Tacitum enarraturus; Franciſcus Patricius, dialogo x de hiſtoria; Bodinus, præfatione in methodum hiſtoriæ: & quis omnes enumeret?

Quæ verò hactenus de utilitate hiſtoriæ diximus, ea occaſionem injiciunt nobis alterius quæſtionis. Nam hoc quorundam, & eos inter docti viri, Barth. Keckermanni *a*, judicium eſt, quia hiſtoria philoſophiam civilem illuſtret exemplis, eò hiſtoricos non antea legi debere, quàm philoſophiâ civili fuerimus inſtructi. Secus ſi fiat, tantumdem fore putant, ac ſi legamus Grammatices, aut Rhetorices exempla, priuſquam vel hujus, vel illius artis præcepta hauſerimus. Iſtud verò mirè iis ridiculum videtur: atque hoc in cauſſa eſt, cur impenſe adeò iſthoc iis placeat argumentum. Meo autem judicio admodum eſt infirmum. Non jam illud dicam, nihil abſurdi eſſe, ſi exempla ante præcepta addiſcamus: imò poſſe linguas optimè abſque præceptis ullis addiſci. Illud dixiſſe contentus ero, non parvum eos errorem committere, cùm non ſatis diſtinguunt inter lectionem hiſtoriæ alicujus, ac hiſtoriam ſcribendi munus, ad quod nemo philoſophiæ civilis ignarus applicare animum debet. Item confundere eos nudam ac ſimplicem rerum omnium hiſtoriam cum ἱστορικῇ πραγματείᾳ, quæ curatè in circumſtantias, & eventuum cauſſas inquirit. Prior iſta non modò eſt rerum verè geſtarum, ſed etiam fabularum, & locorum: quorum omnium intelligentes potiùs πολυΐστορες vocantur. Hoc ſtudium omne primæ convenit ætati. Neque enim aliquid cauſſæ eſt, cur putemus, minùs illam hiſtorias veras capere poſſe, quàm fabellas, à quibus eam auſpicari omnis voluit antiquitas. Propterea valde cæcutiunt, qui non vident, hiſtoriam, hoc eſt, philiſtoriam, ſive antiquitatis ſtudium, inter primæ ætatis ſtudia reponi oportere. Et ſanè Fabius *b*, optimus inſtituendæ pueritiæ artifex, oratori futuro primùm poëtas vult à Grammatico enarrari, à quibus etiam incipi olim ſolere, Strabo *c*, & alii *d* teſtantur: mox verò idem adjici iis ab Rhetore jubet oratores, atque hiſtoricos. Inque hiſtoricis minimè dubitat Livium præponere Salluſtio; non tantùm, quia candidior ſit, ac Ciceroni ſimilior; ſed etiam, quia majoris ſit hiſtoriæ auctor. Quomodo neutiquam loqueretur, niſi ita crediſſet, pueritiæ convenire hiſtorias magis univerſales. Ac propterea neque dubitandum nobis, quin ad utrumque iſtoc in hiſtoria reſpici debeat, quàm prope aliquis à Tullii dictione abſit, & quanti temporis hiſtoriam complectatur. Quæ cùm ita ſint, ne illud quidem obſcurum eſſe poteſt, pueritiæ commendari oportere eos, qui κατ' ἐπιτομὴν proponunt res in orbe geſtas: ac præ cæteris, ſacras, Romanas, Græcas: adhæc generalem locorum notitiam, ſine qua intelligi hiſtoriæ non poſſunt. Cum quibus conjungi mox poterunt præcellentium virorum vitæ; uti Cyri, Alexandri, Miltiadis, Phocionis, Ariſtidis, Scipionis, Catonis, Pompeji, Cæſaris, aliorum. Nihil verò abſurdius, quàm, lectionem iſtorum differre velle, uſque dum aliquis philoſophiæ gnarus fuerit. Nam quis non videt, primam illam ætatem multùm memoriâ, parùm judicio valere: ac iccirco ad linguas addiſcendas peridoneam eſſe; civilis ſcientiæ capacem non eſſe. Atque utriuſque linguæ notitia hauriri debet ex Latinis Græciſque ſcriptoribus: quos inter non infimus debetur hiſtoricis locus. Imò, me judice, non aliunde ſuaviùs faciliuſque illa literaturæ notitia comparatur: eoque, ubi quis in Terentio, Tullioque, mediocriter fuerit verſatus, optimè illis comites dabimus, Cæſarem, Nepotem, Livium, Velleium, Curtium, Florum, Juſtinum: ac ſimiliter poſt mediocrem Græcæ literaturæ notitiam admiſero aliquem ad Herodotum, Xenophontem, & alios, qui ad eorum dictionem proximè accedunt. Dixerit aliquis, per ætatem à multis perſpici tum nondum poſſe τὸ ἠθικὸν, ac multo minùs τὸ πολιτικόν. Verùm ſatis eſſe debet, quòd iiſdem poſtea, ubi hauſerint præcepta ſapientiæ civilis, ſponte propemodum ſe ingeret, quod ante tempus tantopere requirunt. Interea verò, dum animus majora non capit, jucundâ ſcriptorum illorum lectione multùm augent divitias utriuſque ſermonis; & eâ hiſtoriæ notitiâ, quæ in polyhiſtore ſufficere poſſit, feliciter ſibi ad civilem prudentiam, & reginam illam eloquentiam, munierit viam. Sed de fine, atque utilitate hiſtoriæ, & quando hoc ſtudium auſpicari oporteat, ſatis, ut arbitror, diximus.

*a Lib. de hiſtor.*

*b Lib. 2. cap. 6.*

*c Lib. 1.*

*d Lucianus περὶ γυμνασίων, & Athenæus l. 2.*

## Cap. VI.

*Quis primus hiſtoriam ſcripſerit, aut proſâ oratione ediderit quicquam. Unde Arcades προσέληνοι dicti. Pomponii Læti error. Cur Saturni ædi Tritones cum buccinis ſoleant imponi, & quidem caudis humi merſis. Pleraque in hiſtoria Romana, ante Urbem à Gallis captam, fluxa incertaque fidei eſſe. Idemque judicium de rebus Græcorum ante bellum Trojanum, imò ante Olympiadas. Varroniana omnis ævi diſtinctio. Cur, quod Varro refert ad μυθικὸν, ſeu fabulare tempus, id Plauto dicatur* hiſtoria. *Μυθογράφους ſcriptores aliqui. Ἐπικὸς κύκλος quid, & quâ ſerie concinnatus.*

HActenus, cùm internas hiſtorices & hiſtoriæ cauſſas, tum finem quoque expoſuimus: ſolam è cauſſis prætertiimus efficientem, quam tamen neceſſariò infert finis, ut contra Eudemum, & Alexandrum aſſerit Averroës *a*: & Hervæus *b* eo probat argumento, quòd ſiquid non habeat efficientem, id habeat τὸ εἶναι *c* à ſe, & quod à ſe illud habet, id quoque ſit propter ſe, non propter aliud, eoque finem nullum agnoſcat. Itaque exiſtimo, antequam de partitione hiſtoriæ & hiſtorices dicamus, de utriuſque efficiente ſive autore paucis hoc loco agendum eſſe. Ac de hiſtoricâ quidem ita ſtatuo: non parùm debere hanc artem omnibus iis, qui præcepta aliquot hiſtorica obſervârunt, ſcriptiſque conſignârunt; quos inter Polybius, Tullius, alii: plus tamen debere Luciano, atque aliis, qui è profeſſo de eâ egerunt: plurimum autem debituram illi, qui planè planeque, & ordine optimo, quod à veterum nullo præſtitum fuit, corpus ac σύστημα hiſtorices conſcripſerit.

*a Lib. de ſubſtantia orbis.*

*b 1. Quod. lib. quæſt. 1.*

*c Eſſe.*

Longè

a Pag. 197.

Longè verò alia ratio hiſtoriæ eſt. Cujus inventrix Clio dicitur Apollonii ſcholiaſtæ a in librum III. Λέγεται τῶν Μουσῶν ἡ μὲν Κλειὼ εὑρηκέναι τὴν ἱστορίαν. *Clio, Muſarum una, hiſtoriam inveniſſe fertur.* Inventionem Cadmo Mileſio tribuit Plinius lib. VII. cap. LVI. quo etiam loco Pherecydem Syrium ſcribit primùm proſam condidiſſe. At lib. V. cap. XXIX. id ipſum etiam Cadmo tribuit, alios, puto, ſecutus autores. Sed & Strabo lib. I. tradit, Hecatæum cum Cadmo & Pherecyde metrum ſolviſſe, ac primos proſam inſtituiſſe orationem, eâque de re adeunda quoque Suidæ collectanea. Nos apud Græcos hos fuiſſe hiſtoriæ autores, haut inficias imus: at ἁπλῶς ſi intelligant, Moſen longè antiquiorem hiſtoricum agnoſcimus. Quin & eum hiſtoriæ conditorem putat Euſebius lib. XI. de præpar. Euang. Atque, ut id non eſſet, Ægyptiis potiùs hæc laus deberetur, quàm Græcis: quos ita compellat Tatianus initio orationis ſuæ: Ἱστορίας συντάττειν αἱ παρ' Αἰγυπτίοις τῶν χρόνων ἀναγραφαὶ ἐδίδαξαν b. Ægyptiorum certè, Chaldæorumque ſacerdotes diu ante Græcos antiquitatis fuerunt ſtudioſi. quamquam quod jactitant ſe conſcriptas habuiſſe hiſtorias multorum annorum millium, id non magis verum eſt, quàm quod Arcades (ut ſcribit Statius Papinius) fuerint *aſtris Lunâque priores*, uti gloriabantur; προσελήνων nomen à populis finitimis inditum, quòd nihil ſerii ante novilunium aut plenilunium aggrederentur, interpretatione ſuâ eludentes, atque ad genus originem referentes: niſi malis cum Cenſorino c, id nomen accepiſſe, *quòd prius habuerint annum, quàm is in Græciâ ad Lunæ curſum conſtitueretur.*

b *Hiſtoriam ſcribere Ægyptiorum annales docuerunt.*

c *De die natali cap. 19.*

d *De temporibus ea, quæ bellum Trojanum antecedunt, certo ſpacio non definimus, quia nullum certitudinis fulcrum, cui fidamus, ad nos pervenit.*

e *Expugnatio.*

f *Atqui nec hoc vos ignorare decet, nihil à Græcis ante Olympiadas accuratè ſcriptum eſſe, neque exſtare ſcripturam ullam veterem, in quam res aliqua Græcorum, vel Barbarorum ſit relata.*

g *Uſque ad Olympiadas nihil accurate ac certò perſcriptum eſt a Græcis: ſed omnia ſunt confuſa, neque ante id tempus uſpiam conſentiunt.*

Apud Latinos ſunt, qui Saturno inventæ hiſtoriæ laudem tribuant. Cyprianus certè de idolis agens, ſcribit, Saturnum primùm literas impreſſiſſe: unde Petrus Calaber, qui ſe Pomponium Lætum appellari maluit, homo in Cypriano, ejuſque generis ſcriptorum lectione ſatis infrequens, ineptè exiſtimabat, artem typographicam Saturni fuiſſe ævo cognitam. Noſtræ quoque ſententiæ firmandæ facit iſtud Macrobii lib. I. Saturn. cap. VIII: *Illud non omiſerim, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuppoſitos, quoniam ab ejus commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria clara, & quaſi vocalis eſt; ante verò & muta, & obſcura, & incognita: quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ, & abſcondita.* Neque idcirco putandum, à Saturni ævo cuncta fuiſſe in Italiâ explorata, cùm & multo pòſt haut planè caligo illa, in quâ verſabantur, luce hiſtoriarum fuerit diſcuſſa. Nam incerta admodum ſunt, quæ ſub Regibus ſeptem Romæ accidiſſe dicuntur. Quin aliquandiu pòſt quoque omnia obſcura, neque ullo probato autore ſubnixa. quâ de re ita Livius lib. VI: *Quæ ab conditâ urbe Româ ad captam eandem urbem Romani, ſub Regibus primùm, Conſulibus deinde ac Dictatoribus, Decemvirisque ac Tribunis conſularibus, geſſere foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui: res cùm vetuſtate nimiâ obſcuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuere, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: & quod etiam, ſi quæ in commentariis Pontificum, aliiſque publicis privatiſque erant monumentis, incenſâ Urbe pleraque interiere.*

Nihil quoque certi apud Græcos eſt ante bellum Trojanum, ut Diodorus Siculus tradit, initio bibliothecæ ſuæ. ubi ſic ait: Τοὺς δὲ μὲν χρόνους περὶ τῶν Τρωικῶν οὐ διοριζόμεθα βεβαίως, διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι περὶ τούτων πιστευόμενον. Imò ante Olympiades (quas Trojæ ἅλωσις e annis CCCCVII præceſſit) nihil certi apud eos fuit: ſed omnia aut ignota, aut fabulis involuta. Id Græcis exprobrat Juſtinus Martyr λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας, Ἄλλως τε δὲ οὐδὲ τοῦτο ἀγνοεῖν ὑμᾶς προσήκει, ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, οὐδ' ἐστί τι σύγγραμμα παλαιὸν, Ἑλληνικὴν ἢ βαρβάρων σημαῖνον πρᾶξιν. Idem tradit Africanus apud Euſebium Εὐαγγ. προπαρασκ. cap. X: Μέχρι μὲν τῶν Ὀλυμπιάδων οὐδὲν ἀκριβὲς ἱστόρηται τοῖς Ἕλλησι, πάντων συγκεχυμένων, καὶ κατὰ μηδὲν αὐτοῖς τῶν πρὸ τοῦ συμφωνούντων. Itaque, ut apud Cenſorinum legimus cap. XXI, *Varro tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum ab hominum principio, uſque ad cataclyſmum priorem; quod propter ignorantiam vocatur adelon. Secundum à Cataclyſmo priore uſque ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, mythicum nominatur. Tertium à primâ Olympiade ad nos, quod dicitur hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur.* Secundi temporis mythica hiſtoria, quaſi penus quoddam fuit, è quo poëtæ argumenta carminis petebant. Quare non mirum, ſi Plautus, poëta Comicus, hujuſce temporis fabulas, hiſtoriarum nomine dignetur: ut cùm alibi, tum Bacch. Act. I. Sc. II. Hiſtoriæ iſtius fabularis ſcriptores fuere Onomacritus, Leſches, Arctinus, Eumelus, alii: quorum poëmata in unum corpus conflata dicebantur ἐπικὸς κύκλος, ut eruditè oſtendit Iſaacus Caſaubonus in Animadverſ. in Athenæum lib. VI. cap. III. Non tamen mythicum tempus, & epicus cyclus æque latè patent. Nam, ut Photius è Proclo in bibliothecâ ſuâ narrat, exordiebatur cyclus epicus à mundi origine, Deorum generatione, primâque hominum ætate: quæ omnia priorem cataclyſmum anteceſſerunt, ac proinde ad tempus ἄδηλον pertinent. Porrò explicabat Gigantum, & Titanum pugnam, & antiquorum omnium heroum res geſtas: unde tempus hoc etiam ἡρωικὸν vocatur: deſinebat autem in Ulyſſis cæde, quam ad hiſtoricum tempus pertinere, nemo non videt.

## Cap. VII.

*Hiſtoriæ diviſio in divinam, naturalem, humanam. Cornuti liber de Diis aliter appellari ſolet à Chriſtianis, quàm auctor inſcripſerat. Euhemerus, & gentilium alii ingenuè faſſi, Deos, qui vulgò colebantur, homines fuiſſe. Palæphatus, Ægyptiaca, & Sanchoniathonis Phœnicia Theologia. Suidæ de Sanchoniathonis patriâ error. Sanchoniathon unde ſuam hauſerit Theologiam. Manethonis Theologia Ægyptiaca, & unde accepta. Nobiles aliquot ſcriptores, qui de animalibus, plantis, lapidibus tractarint. Hiſtoriæ humanæ diſtributio in veram, falſam, quaſi veram. Male ab Aſclepiade unam duntaxat ſpeciem ſtatui hiſtoriæ falſæ. Quatenus fabulares narrationes mereantur inter hiſtoriæ ſpecies recenſeri. Minus rectè ab Aſclepiade hiſtoriam perſonarum, & actionum, diverſas hiſtoriæ formas putari. Cur locorum temporumque hiſtoria conſtituat ſpeciem diverſam à perſonarum hiſtoria. Illuſtres aliquot veterum Chronographi & Chorographi, qui non amplius exſtent. Hiſtoria perſonarum diviſa in perpetuam, & ſejunctam: perpetua item in univerſalem, particularem, ſingularem: item univerſalis duo, ac totidem particularis hiſtoriæ genera. Aliquammulti, qui gentis unius hiſtoriam tradiderint, quorum ſcripta deperierunt. Hiſtoria ſejuncta quæ: quæ item miſcella. Ἄτακτος Ariſtotelis, & Philetæ.*

PRoximum eſt, ut excutiamus, quæ pertinent ad diviſionem hiſtoriæ, & hiſtoricæ facultatis. Ac hiſtoria quidem ab antiquis diſtribui ſolet in divinam, cujus finis eſt religio, naturalem, cujus finis ſcientia; & humanam, cui finis prudentia vel ars. Ex his divina, cùm tota θεόπνευστος a ſit, minimè indiget præceptis humanis. At illa gentilium falſò huc refertur. Nam quæ de Diis ſuis finxere, ea quidem involucris quibuſdam occultant myſteria naturæ, aut utilia continent vitæ documenta: ſed eo intuitu non hujus ſunt fori, verùm ad philoſophiam pertinent. Involucra iſta præter alios detexit Phurnutus, ſive potiùs Cornutus, libro eo, quem ipſe, utpote gentilis, inſcripſit, θεωρίαν περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως. Chriſtiani verò vocare ſolent Ἑλληνικὴν θεολογίαν. Ita appellat Theodoretus Therapeut. II. item Etymologici magni auctor, voce Ζεύς. Ex quo qui hanc genuinam eſſe inſcriptionem exiſtimet, non ſatis attendat ad morem Chriſtianorum veterum, qui titulos impiam gentium pietatem continentes in

a *Divinitus inſpirata.*

alios Chriſtianæ pietati magis convenientes ſolent immutare. Interim fatemur, narrationes iſtas de Diis gentium non ad philoſophiam, ſed ad hiſtoriam pertinere, quatenus homines aliquando fuerunt, atque ob merita præclara in Deorum fuere numerum relati. Quod ſatis paruit ex Euhemero, quem Ennius tranſtulit. Audiamus Minucium Felicem in Octavio: *Lege Stoicorum ſcripta, vel ſcripta ſapientum: eadem mecum recognoſces, aut merito virtutis, aut muneris, Deos habitos. Euhemerus exſequitur, & eorum natales, patrias, ſepulchra, dinumerat, & per provincias monſtrat.* Item Arnobius in IV adverſus gentes: *Poſſumus hoc, omnes iſtos, nobis quos inducitis, atque appellatis Deos, homines fuiſſe, monſtrare, vel Agragantino Euhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret omnibus, ſermonem in Italum tranſtulit.* Addit ibidem, hoc ipſum poſſe cognoſci ex *Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leone, vel Cyrenenſi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel aliis auctoribus mille, qui ſcrupuloſa diligentia curâ in lucem res abditas libertate ingenuâ prodiderunt.* Nec dubium, quin idem paruerit ex Palæphati Ægyptii Theologia Ægyptiaca, cujus meminit Suidas. Nam ſtudium ei viro fuiſſe, eruere hiſtoriam è fabellis, veraque à falſis diſtinguere, indicio eſt περὶ ἀπίστων *a* libellus aureolus, cujus hodieque pars exſtat. Idem cenſeo de Phœnicum Theologia, quam ſcripſerat Sanchoniathon Tyrius, ut quidem Suidas vocat, ſive potiùs Berytius, ut Theodoretus *b* appellat, idque Porphyrio præeunte: cui fidem hac parte habere potiùs oportet, quàm Suidæ; utpote non modò longè antiquiori, ſed & populari Sanchoniathonis, eoque intelligentiori eorum, quæ ad res Phœnicum pertinerent. Satis enim conſtat, & Malchum ſive Porphyrium illum fuiſſe Phœnicem. De hiſtoria hac, quam Philo Berytius, Theodoreto *c* teſte, è Phœnicia lingua in Græcam tranſtulit, ita ſcribit Porphyrius apud Euſebium εὐαγγελικῆς ἱστορίας lib. x: Σαγχωνιάθων *d* δὲ ὁ κατὰ τὴν τῶν Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθως πᾶσαν τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγεγραμμένων, συναγαγὼν καὶ συγγράψας. Nec aliud ſentiendum de Ægyptiacâ Theologiâ Manethonis Ægyptii, quo ille Iſidis, Oſiridis, Apidis, Sarapidis, aliorumque, quos Ægyptii in Deorum numerum retulere, res geſtas prodidit: teſte Theodoreto *e*: quod opus eum ex ſacris Ægyptiorum monumentis tranſcripſiſſe, auctor eſt Joſephus adverſus Appionem.

a *De incredibilibus.*
b *Secunda therapeutica.*
c *Ibidem.*
d *Sanchoniathon, qui Phœnicia lingua, inſigni veri ſtudio, omnem hiſtoriam veterem ex commentariis urbium, & libris ſacris, collegit ac conſcripſit.*
e *Loco ante citato.*

A hiſtoria divina tranſeo ad naturalem. De qua quàm multa Ariſtoteles, & Theophraſtus ſcripſerint, præter ea, quæ hodie habemus, indicant indices operum apud Laërtium. Eodem pertinent, Soſtratus περὶ ζῴων *f*, Apollodorus περὶ θηρίων *g*, Dorion & Epænetus περὶ ἰχθύων *h*, Seleuci Tharſenſis ἁλιευτικά *i*, (quorum inter alios meminit Athenæus,) Amyntianus περὶ ἐλεφάντων *k* apud Pindari ſcholiaſtem, Democritus de vi & natura chamæleontis apud Gellium, Boëthus de ornithogonia apud Plinium in hiſtor. Natur. Itidem è Latinis Nigidius Figulus ſcripſit de animalibus, de hominis naturalibus, de vento: cujus ſcriptoris fragmenta in præclaro Variarum Lectionum opere collegit nobilis, ac ſummus Vir, Janus Rutgerſius *l*. Similiter Æmylius Macer Veronenſis, præter ophiogoniam, (pro quo corruptè apud Nonium theogonia legebatur) etiam ornithogoniam, & botanica ſcripſit: ut magnus Scaliger oſtendit in Animadverſionibus Euſebianis *m*. Sed & Trogum, ac Fabianum de animalibus laudat Chariſius.

f *De animalibus.*
g *De beſtiis.*
h *De piſcibus.*
i *De piſcatione.*
k *De elephantis.*
l *Lib. 3. cap. 16.*
m *Ad annum MMI.*

Huc etiam refer, qui de plantis egere. Ut è Græcis præter Theophraſtum & Dioſcoridem, etiam Phaniam Ereſium, cujus Athenæus meminit, Dionyſium περὶ φυτῶν, quem Varro laudat, niſi εὐφυῶν legere malis cum Petro Victorio, item Creſiphontem περὶ φυτῶν *n*, quem citat Plutarchus de Flum. è Latinis præter Macrum refer Oppium de ſylveſtribus arboribus; de quo Macrobius lib. III Saturnal. cap. XIX. item Appuleium de arboribus, cujus meminit Servius in II Georg. Ex eodem Plutarcho de fluminibus diſcimus, de lapidibus commentatos Agatharcidem Samium, Archelaum, Ariſtobulum, Dercyllum, Dorotheum Chaldæum, Heraclitum Sicyonium, Niciam Mallotem, Theophilum, & Thraſyllum Mendeſium. Sed & Socratem Rhodium περὶ ὀρῶν, καὶ πυρὸς, καὶ λίθων *a* citat Athenæus, Tacum περὶ λίθων *b* Apollonius Dyſcolus *c*: atque alios alii, quos omnes commemorare longum eſſet: nec id hujus proprium eſt loci. Nobis enim eſt ſermo de hiſtoria ea, quæ ſingularia tractat. At iſti, quos diximus, univerſalia conſiderant, eoque inter philoſophos potiùs, quàm hiſtoricos reponi debent.

n *De plantis.*
a *De montibus, & igne, & lapidibus.*
b *De lapidibus.*
c *Cap. 36. Niſi potius pro Tacus legendum Sotacus; ut ex Plinio oſtendit Meurſius. Quod verum puto.*

Supereſt hiſtoria humana. Quam eo modo dividere poſſumus, quo ἱστορίαν γραμματικήν diſtribuit Aſclepiades apud Sextum Empiricum *d*: nempe in veram, mythicam ſive fabularem, (quomodo Tranquillus *e*, & Cenſorinus vocant) & quaſi veram. Vera eorum eſt, quæ contigerunt: ut illa Thucydidis, Polybii, Salluſtii, &c. Quaſi vera eorum eſt, quæ non contigere quidem, ſed contingere tamen potuerunt: ut argumenta comœdiarum, quas imaginem veritatis etiam Cicero appellat. Fabularis ſive ἡ περὶ πλασμάτων ἢ μύθων, ut Sexto Empirico *f* dicitur, ea exponit, quæ ne contingere quidem potuere. Huic Aſclepiades *g* unam tantùm ſpeciem aſſignabat: nempe genealogias Deorum. Atqui quæ de mutatis hominum formis poetæ narrant, aliaque multa, quæ non minùs, quàm iſtæ, fidem excedunt, planè ad hoc hiſtoriæ genus pertinent: ſi modò hiſtoriæ nomen merentur. Nam quid magis hiſtoriæ, quàm fabula, adverſatur? Nec tamen propterea illam Aſclepiadis diviſionem planè damnamus. Siquidem mythica etiam hiſtoria ſæpe ſubeſt: unde fuere, qui μυθολογουμένων hiſtorias ſcriberent, uti Hyginus, & alii. Itaque & hiſtoricè fieri dicunt, quod fit juxta hiſtoriam mythicam, ſive fabulas poëtarum. Ita loquitur Vitruvius lib. VI. cap. X: *Item ſiqua virili figura ſigna mutulos aut coronas ſuſtinent; noſtri telamones appellant; cujus rationes, quid ita aut quare, ex hiſtoriis non inveniuntur: Græci verò eos Atlantas vocant. Atlas enim hiſtoricè formatur ſuſtinens mundum.* Vide quæ fusè de fabulis Strabo diſſerit, in primo Operis. Ubi inter alia ſic, Οὐ ποιητῶν, ait, πλάσματά ἐστιν, οὐδὲ συγγραφέων, ἀλλὰ γεγενημένων ἴχνη, καὶ προσώπων, καὶ πράξεων. *Non poëtarum figmenta ſunt, vel ſcriptorum, ſed geſtorum veſtigia, ſive perſonas conſideres, ſive actiones.*

d *Adverſus Mathemat. cap. 12.*
e *In Tiber. cap. 70.*
f *Ibidem.*
g *Ibidem apud Sext. Empiricum.*

Hiſtoria vera eidem Aſclepiadi triplex eſt. Una verſatur in deſcriptione perſonarum, altera in locis & temporibus, tertia in actionibus. Sed illa actionum rectiùs ſubjicitur hiſtoriæ perſonarum, cùm hæ inprimis ab actionibus deſcribantur. Sunt qui illam locorum & temporum ſimiliter ſub perſonarum hiſtoriâ comprehendant: & movet eos, quòd rebus à perſona geſtis etiam locorum & temporum deſcriptiones ſoleant admiſceri. Verùm aliquid dicerent, niſi hæ ſeorſum etiam traderentur. Ita Andronem Alexandrinum, & Cteſiclem, & Soſimum χρονικὰ ſcripſiſſe, ex Athenæo ſcimus: idemque de Apollodoro teſtatur Phlegon: de Dexippo Stephanus περὶ πόλεων: de Cornelio Nepote Gellius, &c. Longeque plures de locis tractarunt. Quorum alii ſcripſere de orbe univerſo, ut Eratoſthenes: alii de parte aliqua egerunt, ut Heraclides Cretenſis, cujus librum περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι πόλεων *h* citat Apollonius Dyſcolus. Eodem refer, qui de fluviis ſcripſere: ut Aſclepiades, Stephano περὶ πόλεων memoratus: & Agathocles Mileſius, Agathon Samius, Archelaus, Ariſtoteles, Chryſermus, Cteſias Epheſius, Demaratus, Demoſtratus, Leo Byzantius, Nicagoras, Nicanor Samius, & Soſtratus: quorum omnium meminit Plutarchus de Fluminibus. Uti & Cleanthis, Cteſiæ Cnidii, & Dercylli; quos de montibus ſcripſiſſe teſtatur.

h *De civitatibus Græciæ.*

Atque hæc de temporum, & locorum deſcriptione. Hiſtoria verò perſonarum vel perpetua eſt, vel ſejuncta. Perpetua ſecundùm temporis ſeriem enarrat ea, quæ conſtituunt hiſtoriæ corpus. Eſtque vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis.

Univerſalis eſt omnium, vel præcipuarum ſaltem gentium. Ac vel omne tempus complectitur, vel aliquam tem-

temporis portionem. Prioris generis aliquid dicitur ἁπλῶς, vel ex hypotheſi. Ἁπλῶς omne tempus comprehendit hiſtoria, quam quis ab orbe condito incipit, & ad ſuam uſque ætatem deducit. Ex hypotheſi verò ita vocatur, quæ incipit ab eo, quod gentium opinione antiquiſſimum putatur. Ut facit hiſtoria Diodori Siculi, item Trogi Pompeii. Univerſalis autem hiſtoriæ ejus, quæ non temporis, ſed loci tantum ratione ita vocatur, inſigne exemplum præbet Polybius. Narrat enim, quæ intra annos non ita multos per univerſum orbem, aut ſaltem in nobiliſſimis gentibus, geſta fuerunt.

Particularis hiſtoria eſt duûm generum. Nam vel tradit, quæcumque ad gentis alicujus, aut civitatis res geſtas pertinent: vel partem duntaxat refert. Prioris generis eſt hiſtoria Livii, qui res Romanas perduxit ab urbe condita uſque ad Auguſtum, ſub quo vixit. Poſterioris generis eſt hiſtoria Thucydidis de bello Peloponneſiaco, Salluſtii de bello Jugurthino & Catilinario, Cæſaris de bello Gallico & civili.

In utroque genere innumeri periere. Ut è Latinis hiſtoriæ Siſennæ, annales Claudii Quadrigarii, Fabii Pictoris, Calpurnii Piſonis, Caſſii Heminæ, Cn. Gellii, Cælii Antipatri, Cn. Fannii, Valerii Antiatis, C. Licinii Macri, & aliquot aliorum. Sed ingens imprimis Græcorum numerus eſt. Ut ſunt Myrſili Leſbiaca, & Philonis Æthiopica, quorum mentio eſt apud Antigonum Caryſtium: item Arctazis, Alexandri Cornelii, Agatharcidis, Hermeſianactis Cyprii, & Timolai Φρυγιακὰ, Agathonis Samii, & Creſippi Σκυθικὰ, Cæmaronis, Clitophontis Rhodii, & Chryſermi Ἰνδικὰ, ejuſdem Chryſermi Πελοποννησιακὰ, Calliſthenis Sybaritæ Γαλατικὰ, Dercylli & Dioclis Rhodii Αἰτωλικὰ, Leonis Byzantii Βοιωτικὰ, Soſthenis Ἰβηρικὰ, Thraſylli Αἰγυπτιακά. Quorum omnium Plutarchus meminit libro de Fluminibus. His adde ex Pindari ſcholiaſte Archini Θεσσαλικὰ, Bati Ἀττικὰ, Dieutychidæ Μεγαρικὰ, Hellanici Αἰολικὰ, & Feſti Μακεδονικά. Item ex Arnobio Philoſtephani Cypriaca, Poſidippum ſuper Gnido & rebus ejus. Adhæc, ut ex Stephano ſive Hermolao περὶ πόλεων ſcimus, ſcripſit Ariſtagoras Αἰγυπτιακὰ, Claudius Iulus vel Iolaus Φοινικικὰ, Crito Γετικὰ, Demoſthenes Bithyniaca, Philo Φοινικικὰ, Polyhiſtor Λιβυκὰ, Rianus Ἀχαϊκὰ, Ἠλιακὰ, Θεσσαλικὰ, Ἰλιακὰ, Μεσσηνιακὰ, Xenion Κρητικά. Apud Strabonem verò, Plinium, Athenæum, Pauſaniam, Photium, Euſtathium, Suidam, & alios longè maxima eſt hujuſmodi ſcriptorum ſylva. De quibus abunde dixi libris illis, quos de Hiſtoricis Græcis ſcripſi.

Nec tantùm hujus loci ſunt, qui res geſtas tradunt; ſed etiam qui Reip. formam, ac leges & ritus deſcribunt. Uti Critiam feciſſe, Julius Pollux indicat. Qui & Xenophontem de Athenienſium, itemque Lacedæmoniorum Rep. citat. Ac, Athenæo teſte, Cotta Romanus ſcripſit περὶ Ῥωμαίων πολιτείας a; Ariſtocles & Critias, & Molpis Lacon, & Perſeus, & Proxenas, & Saeus, & Sphærus, Λακεδαιμονίων πολιτείαν. Agathocles verò Samius, ut Plutarchus libro de fluminibus ait, Πεσσινουντίων πολιτείαν. Ac Ariſtotelem quoque de CLVIII urbium legibus, & Reip. forma egiſſe, teſtis eſt Laërtius. Has inter fuit Reſp. Agrigentinorum, Argivorum, Himeræorum, Orchomeniorum, Sicyoniorum, Tarentinorum, uti ex Julio Polluce conſtat. Aliarum etiam Rerump. nomina ex Strabone, Athenæo, & aliis diſcimus. Atque hæc de hiſtoria particulari.

a De Romanorum Rep.

Singularis verò hiſtoria eſt, quæ vitas hominum ſingulatim deſcribit. Quomodo, Athenæo teſte, Amphicrates egit περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν b, Adæus Mitylenæus περὶ ἀγαλματοποιῶν c, Ammonius, & Apollodorus Athenienſis, & Gorgias Athenienſis, περὶ τῶν Ἀθήνησι ἑταιρίδων d. Philoſtratus quoque in præfatione librorum, quos de ſophiſtarum vitis ſcripſit, auctor eſt, Porphyrium vitas Philoſophorum pertexuiſſe uſque ad Platona; Sotionem verò, qui Porphyrio vetuſtior fuit, ulterius etiam progreſſum. Sed Sotionis omnia perierunt. Porphyrii quoque nihil in hoc genere ſupereſt, præter vitam Pythagoræ à Rittershuſio primùm editam. Similiter periit quoque Eudemi hiſtoria Matheſios, quâ videtur Mathematicorum tempora complexus, & vitas, & imprimis quæ ad hoc ſtudium quiſque contuliſſet. Nec magis exſtant, quas vitas ſcripſere, *Hermippus Peripateticus, Antigonus Caryſtius, Satyrus vir doctus, & longè omnium doctiſſimus Ariſtoxenus Muſicus*: quorum exemplo ſe de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſcribere, ait B. Hieronymus præfat. ejus operis. Hujus Ariſtoxeni librum de Pythagora citat Gellius. Varia autem ex opere iſto de vitis fragmenta collegit Clariſſimus & amiciſſimus Joa. Meurſius in Notis ad eum ſcriptorem. Aliquot etiam alios è Græcis, qui vitas ediderint, ſuggeret Jo. Wouwerius tractationis de Polymathia cap. XII a. Ac ut Latinos etiam nominemus, citat Gellius Julii Hygini librum de vita rebuſque illuſtrium virorum. Idemque ſeorſim laudat librum de vita, & rebus Africani. De quo argumento & Caium Oppium ſcripſiſſe, idem teſtatur. Etiam Cajus Plinius ſcripſit vitam Neronis: item vitam Pomponii Secundi: quod ex naturali ejus hiſtoria liquet. Vopiſcus in Probo inter vitarum ſcriptores, quos imitari velit, refert Marium Maximum, Fabium Marcellinum, & Gargilium Martialem. Idem in Bonoſo dicit, ab Oneſimo editam fuiſſe vitam Probi. Inque Taciti vita ſcribit, ejuſce Auguſti vitam fuiſſe concinnatam à Suetonio Optatiano: pluresque, qui Auguſtorum vitas ſcripſere, ſi voles, vide apud Politianum præfat. in Tranquillum. Alios etiam cùm Latinos, tum Græcos vitarum ſcriptores, ſed quorum libri hodieque exſtent, inferiùs commemorabimus.

b De viris illuſtribus.
c De ſtatuariis.
d De ſcortis Atticis.

a Pag. 97. & 104.

Vidimus de hiſtoria perpetua. Sequitur ſejuncta, quæ ex perpetuâ narratione rerum geſtarum excerpit facta vel dicta memorabilia: ac, quæ hujuſmodi ſunt, vel prout ſe quodque offert, vel ſecundùm virtutum vitiorumque ſeriem, vel ſecundùm gentem, ſexum, aliove non abſimili ordine, diſponit. Hujus generis fuiſſe videntur τὰ σποράδην Ἀριστοξένου, & aliorum: item Peſcennii Feſti *hiſtoriæ per ſaturam*, quarum meminit Lactantius. Saltem huc pertinuere Julii Hygini exempla, quæ Gellius citat. Item Calliſthenis apophthegmata, quorum meminit Pollux. Ac ne ſolùm nominemus, qui perierunt, hujus loci ſunt memorabilia Valerii Maximi, apophthegmata Plutarchi, Polyæni & Frontini ſtrategemata, & ſimilia iſtis.

Quæcunque verò diximus, ea pertinent ad hiſtoriam magis ſimplicem. At eſt etiam cùm una hiſtoriæ forma alteri permiſcetur: ut veræ fabularis, humanæ naturalis, & ita in aliis. Talem exhibet nobis Solini Polyhiſtor, & ſimiles. Eam mixtam, vel miſcellam, vel confuſaneam dicere poſſumus: vel, cum Græcis, σύμμικτα, aut ποικίλην, vel παντοδαπὴν ἱστορίαν: uti &, ſi ordinis nulla habeatur ratio, ἄτακτα: quomodo Ariſtotelem opus ſuum inſcripſiſſe, teſtis eſt Laërtius; Philetam, Athenæus.

Hæc ſufficiant de variis hiſtoriæ formis, ex quibus ſolùm à nobis conſideratur hiſtoria humana, eaque vera, ac quidem ſola, quæ circa perſonas & actiones verſatur. imò nec illa omnis, ſed quam ſimplicem ac perpetuam vocabamus, ac imprimis juſta perfectaque, quæ non eſt contenta nudâ expoſitione eventus, ſed etiam in cauſſas, ac modum, diligenter inquirit. Hæc enim illa eſt, quæ parit atque alit prudentiam civilem: atque ab antiquis nihil aliud eſſe dicitur, quàm philoſophia exemplis conſtans. Ut omnino magnum ſibi invideant bonum, qui ſemper hærent in libellis, quibus ſumma rerum traditur; nec unquam ad germanam ac juſtam hiſtoriam adſurgunt.

## CAP. VIII.

*De diviſione artis hiſtoricæ. Luciani partitio adducitur, ac refellitur. Altera tertiaque adfertur, & approbatur.*

NUnc ad diviſionem hiſtoricæ artis accedamus. Ac Lucianum quidem ſi audimus, ea diſpeſcenda eſt in partem unam de vitiis hiſtoriæ, & alteram de virtutibus ejuſdem. Verba ejus ſunt: Διττοῦ δὲ ὄντος τοῦ τῆς συμβουλῆς ἔργου,

τὰ μὲν γὰρ αἱρεῖσθαι, τὰ δὲ φεύγειν διδάσκει) φέρε, πρῶτα εἴπωμεν ἅτινα φευκτέον τῷ ἱστορίαν συγγράφοντι, καὶ ὧν μάλιστα καθαρευτέον. ἔπειτα, οἷς χρώμενος, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τῆς ὀρθῆς, καὶ ἐπ᾽ εὐθὺ ἀγούσης, ἀρχήν τε οἵαν αὐτῷ ἀρκτέον, καὶ τάξιν ἥντινα τοῖς ἔργοις ἐφαρμοστέον, καὶ μέτρον ἑκάστῳ, καὶ ἃ σιωπητέον, καὶ οἷς ἐνδιατριπτέον, καὶ ὅσα παραδραμεῖν ἄμεινον, καὶ ὅπως ἑρμηνεῦσαι αὐτά, καὶ συναρμόσαι. *Cum autem duplex ſit conſilii opus, & alia eligere, alia vitare doceat: age primùm dicamus, quænam fugienda ſint ei, qui hiſtoriam ſcribit, & à quibus maximè purum ſe tueri debeat. Deinde quibus rebus utendo non aberraverit à recta via, & eò, quo tendit, ducente: nempe quo exordio incipiendum, quo ordine res inter ſe ſint componendæ, quis modus ſingulis adhibendus, quæ ſilentio prætereunda, quibus immorandum, & quomodo exponenda & coaptanda, quæ percurrere eſt ſatius.* Sed hæc diſtributio non magis placet, quàm ſiquis artem Grammaticen dividat in partem de vitiis ſermonis, ut ſunt τὸ βάρβαρον, ſive ruſticum, & τὸ σόλοικον, ſive ſtribligo: partemque alteram de recto ſermone, quæ ὀρθογραφίαν, προσῳδίαν, ἀναλογίαν, & σύνταξιν comprehendat. Imò ſententiam hanc refellere eſt ex ipſo Luciano: modò quis pro vero agnoſcat hunc dialecticorum canona, quem eo ipſe libello commemorat ὡς a τῶν ἀμέσων ἡ θατέρου ἄρσις τὸ ἕτερον πάντως ἀντεισάγει. Ac eâdem mente dici vulgò ſolet, rectum eſſe indicem ſui & obliqui. Quæ ſi ita ſunt, profectò doctrina de vitiis hiſtoriæ neutiquam conſtituere poteſt juſtam ac ſegregam partem à doctrina de ejus virtutibus.

a *Eorum, inter quæ medium nullum, altero elevato, alterum contrà deprimi.*

Vera autem hiſtoricæ artis diviſio dependet ex hiſtoriæ natura. At verò, ut in quolibet ſermone, ita & in hiſtoriâ duo ſunt conſideranda, verba & res. Indicat id Cicero quoque cùm ſcribit b; *Thucydides omnes dicendi artificio, meâ ſententiâ, facilè vincit: qui ita creber eſt rerum frequentiâ, ut verborum propè numerum, ſententiarum numero conſequatur; ita porrò verbis aptus & preſſus, ut neſcias, utrùm res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur.* Quare cùm diſciplina ex objecto, & fine debeant dividi: commodè mihi duas ſtatuere videor partes hiſtorices: quarum una ſit de rebus, cujuſmodi eſt civilis prudentia: altera de verbis. Quid quòd Lucianus ipſe hac etiam parte pro nobis pugnat? Duo enim diſertim requirit in eo, qui hiſtoriam ſcribit, σύνεσιν c πολιτικὴν, καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικήν.

b *Lib. 2. de Orat.*

c *Prudentiam civilem, & dicendi facultatem.*

Eſt verò & altera partiendi ratio, eaque ſi non plenior, at certè planior: puta ut pars hiſtorices prior tractet de fundamento, quod eſt veritas: altera verò agat de exædificatione. Hâc in diſtributione caſabundis itidem facem prælucet Cicero; cujus verba capite proximo adferemus. Exædificatio verò ſive ſtructura tria comprehendit. Nam videndum, & quid ſcribamus, & quo ordine, & quibus verbis ac ſententiis. Quare pars ea dividetur in tres iſtas, rerum comprehenſionem, earundem diſpoſitionem, & elocutionem ſive exornationem. Hactenus de natura hiſtoriæ, ac conſtitutione hiſtoricæ facultatis.

## Cap. IX.

*Ad ipſa artis præcepta tranſitum. Ea ſtrictim comprehenſa à Tullio. Veritas hiſtoriæ baſis atque anima, ejuſque vis in animis humanis. Securitas eorum damnata, qui auditis acquieſcunt. Thucydidæ ac Polybio laudabilis induſtria in vero cognoſcendo. Ridicula Graculorum, atque aliorum etiam vanitas, qui, ut auditorem admiratione percellant, confugere ſolent ad ficta prodigia, ac res fidem omnem excedentes: atque ad effugiendam vanitatis notam, ſatis fore putant, ſi addant ſollemne ſuum,* AJUNT, FERTUR, *vel aliquid quod tantumdem valeat. Theopompum, Herodotum, Timæum, Memnonem, Dionem, Zoſimum, & è Latinis inter alios Vellejum, non ſemper litâſſe Veritati. Vita Karoli M. à quodam Turpino ſcripta, turpibus mendaciis referta. Vanitas Pauli Jovii. Non rarò deprenditur, hiſtoricum velle fucum facere lectori ex eo, quòd anxiè nimis, vafreque hoc agat, ut ſibi credatur. Amplificatio, oratoris, ac poetæ inſtrumentum, non item hiſtorici. Alexandri M. judicium de fama. Cur ignoſci etiam debeat hiſtoricis, ſi veritatis lineâ excidant: imprimis in rebus vetuſtis, ac eas inter in urbium primordiis. Præter rerum obſcuritatem ex vetuſtate provenientem, etiam nimiam veterum credulitatem eſſe in cauſſa, cur fabulas ſæpius hiſtoriis ſuis adſpergant. Vopiſci dictum, nullos non hiſtoricorum aliquid mentiri. Nec tamen albâ eos lineâ ſignari debere, qui imbecillitate, quique ſtudio falluntur. Valerii Antiatis error de Pythagoræ ætate, à Livio etiam notatus. Jam olim in dubium vocatum, an Alcibiades Eupolin in mare præcipitâſſet: item an Zaleucus Locris leges dediſſet. Ovidio lux.* Κυνὸς θρῆνος.

PErvenimus ad alteram inſtituti hujus partem, ipſaque artis præcepta; quæ κατ᾽ ἐπιτομὴν deinceps trademus. (De modo ſcribendæ hiſtoriæ hæc obſervat Autor ex Iſidoro Hiſp. lib. VI Orig. cap. XII: *At verò hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur, & non ſolùm in charta, vel membranis, ſed etiam in omentis elephantis,* (ita pro *momentis* legendum,) *textibuſque è malvarum foliis, atque palmarum.* De ſcribendâ hiſtoriâ fusè agit Ludovicus Vives, lib III De ratione dicendi a. Hiſtoriæ ſcribendæ leges etiam ſcripſit Bernardinus Baldus Urbinas, vir undecunque doctiſſimus: cujus utinam omnia lucem vidiſſent.) Ac ſumma quidem capita eorum delibat M. Tullius libro ſecundo de Oratore: cujus iccirco verba apponere viſum fuit. *Nam*, inquit, *quis neſcit, primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo? ne qua ſimultatis? Hæc ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. Ipſa autem exædificatio poſita eſt in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis, conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur, & de conſiliis ſignificari quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari, non ſolùm quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam, quomodo: & cùm de eventu dicatur, ut cauſſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis: hominumque ipſorum non ſolum res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, de cujuſque vita atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, proſequendum eſt.* Hactenus Tullius. Cujus veſtigiis inſiſtemus, ſed ſic, ut pleniùs de ſingulis agamus.

a *Pag. 139. & ſeqq.*

Ac fundamentum quidem hiſtoriæ Cicero eſſe dicit veritatem: quomodo & Dionyſius Halicarnaſſenſis, ἱερεῖ, inquit, τῆς ἀληθείας ἡ ἱστορία: & Diodorus Siculus, προφῆτις ἐστὶ τῆς ἀληθείας b. & Strabo lib. XI, ubi quæ de Amazonibus narrantur, inter fabulas refert, ἡ ἱστορία βούλεται τἀληθὲς, ἄν τε παλαιὸν, ἄν τε νέον· καὶ τὸ τερατῶδες, ἢ οὐκ ἔχει, ἢ σπάνιον. *Hiſtoria requirit veritatem, ſive ea vetus ſit, ſive nova: monſtroſa autem, vel nulla admittit, vel rara.* Præclarè quoque de ea Polybius lib. I: Ὥσπερ c ζώου τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον· οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίνεται διήγημα. Nempe cum hiſtoria haut aliter ac cum arteria aſpera comparatum eſt. Uti enim hæc rejicit, quicquid inciderit: ita hiſtoria averſatur ac repellit, quicquid à vero abhorret. Iccirco Timæus, eodem Polybio d teſte, dicebat, regulam quidem rectitudine, at hiſtoriam veritate definiri. Sunt & illa Polybii verba in Excerptis lib. XIII: Καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθεῖναι δύναμιν. πάντων γοῦν αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε δὲ καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψεύδους ταττομένων· οὐκ οἶδ᾽ ὅπως αὐτὴ δι᾽ αὑτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων· καὶ ποτὲ μὲν παραχρῆμα δείκνυσι τὴν αὑτῆς δύναμιν, ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα τέλος αὐτὴ δι᾽ ἑαυτῆς ἐπικρατεῖ,

b *Dea Veritatis propheta & ſacerdos.*

c *Ut animal luminibus ademtis prorſus inutile redditur: ita, ſi veritatem ex hiſtoria tollas, quod illius ſupereſt, inutile fit.*

d *In excerptis lib. 12.*

καὶ

*καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος. Equidem exiſtimo, Naturam mortalibus Veritatem conſtituiſſe Deam maximam, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam hæc cùm ab omnibus oppugnetur, atque adeò omnes nonnunquam veriſimiles conjecturæ à mendacio ſtent; ipſa per ſe neſcio quomodo in animos hominum ſeſe inſinuat; & modò repente illam ſuam vim exerit: modò tenebris obtecta longo tempore; ad extremum ſuapte vi ipſa vincit obtinetque, & de mendacio triumphat.*

Sed quod de pulcherrimis quibuſque rebus proverbio celebratur, eas difficiles eſſe: id locum etiam habet in Veritate, quæ, ut Democritus dicebat, alto ſæpe puteo preſſa latet: adeò ut nulli ærumnabili labori, nulli etiam impenſæ, parcendum ſit: in quo præter alios Theopompus pulcro fertur præiſſe exemplo. Nec enim ſatis eſt, ut mentiendi abſit libido, quâ tamen multi hiſtoricorum minimè vacant: verùm etiam abeſſe debet ſecuritas omnis, omniſque credulitas: ac propterea maximè fidem merentur, qui, ne parùm explorata, atque, ut Polybius loquitur, *ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς* *a* ſcriptis conſignent, continent ſe intra ea, quæ ſuo, & parentum ævo, contigere: adeò ut nihil prodere neceſſe habeant, niſi cui interfuerint ipſi, vel quod non ſaltem acceperint à viris fide dignis, qui interfuiſſent. Fecit id Thucydides, qui haut ſatis fore putavit, ſi cognoſceret ab Athenienſibus, quæ de rerum geſtarum veritate atque ordine apud eos dicerentur, (jure enim metuebat, ne honori ſuo velificantes non pauca confingerent) verùm inſuper nullis parcere ſumtibus voluit, quò etiam Lacedæmoniorum de iis ſententiam intelligeret. Auctor iſtius rei nobis eſt Marcellinus in vita ejus: qui illum voluiſſe ait, *ἐκ δὲ τῆς τῶν πολλῶν συμφωνίας διεξόδου τῆς ἀληθείας καταλήψεσθαι· τὸ γὰρ ἀσαφὲς ἐξελέγχεται τῇ τῶν πολλῶν συνῳδούσῃ συμφωνίᾳ.* *b*

*a Auditione ab aliis, qui itidem audiſſent tantùm, accepta.*

*b Ex multorum ſimili relatione veritatem indagare. Nam quæ obſcura ſunt, ea multorum per omnia conſentiens relatio aperit explicatque.*

Par quoque, vel major etiam Polybii induſtria fuit: qui, nequid falſi ſcriberet imprudens, iter inſtituit in oras longinquas, ſuiſque eas oculis coràm luſtravit. Galliam enim, atque Alpes adiit, ac Hiſpaniæ pleraque vidit, ne de rebus à Scipione in Hiſpania geſtis minùs ſcriberet explorata: imò Atlanticum *c* navigavit Oceanum, ne de Annibalis profectione referret alia, quàm quæ certiſſima eſſent. Romanam etiam linguam didicit, operamque dedit, ut monumenta eorum antiqua intelligeret, quæ multi etiam indigenæ, atque hi præſtantiſſimi viri, ignorabant. Quanto profectò laudabiliora ſunt iſta, quàm multorum iners vanitas: qui, quæcunque ab aliis accipiunt, chartis illinunt, atque etiam ubi nihil habent magnopere mirandum quod dicant, ad prodigia atque oſtenta recurrunt, vel res in immenſum extollunt, nihil penſi habentes, dummodo attonitum teneant lectorem ſuum. Ad hoc audendum fiduciam ſumunt ab vaniſſimâ hominum curioſitate: quemadmodum non vanè queritur Lucretius lib. IV:

*c Plinius lib. 5. c. 1.*

*Cætera de genere hoc monſtra, ac portenta loquuntur,*
*Ne loca deſerta ab divis quoque fortè putentur*
*Sola tenere; ideo jactant miracula dictis;*
*Aut aliquâ ratione aliâ ducuntur: ut omne*
*Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.*

Illuſtris eſt hac de re locus Senecæ lib. VII. natur. quæſt. cap. XV. ubi meminit duorum cometarum, quorum unus diceretur fuiſſe non minor ſole, alter æquâſſe viam lacteam. Quæ cùm commemoraſſet, ſubjungit, *Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem, aliud acturum ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes ſunt: quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet. Illi non evitant, hi appetunt: & hoc in commune de tota natione, quæ approbare opus ſuum, & fieri populare non putat poſſe, niſi illud mendacio adſperſerit.* Atque ita cùm animati ſint, ubi metuunt ne manifeſtè teneantur, ſatis fore putant, ſi addant ſollemne illud ſuum, *λέγουσι, φασί* *d*, vel quid ſimile. Quales meritò perſtringit idem Seneca lib. IV. Nat. Quæſt. ubi ait: *Quod hiſtorici faciunt, & ipſe faciam. Illi, cùm multa mentiti ſunt ad arbitrium ſuum, unam aliquam rem nolunt ſpondere, ſed adjiciunt, Penes auctores fides erit.*

*d Dicunt, ajunt.*

Vanitatis iſtius imprimis reos agere licet Græcos. Nam uti fabulæ poëtarum ſunt *ἀπὸ τῆς μυθοτόκου Ἑλλάδος* *a*, prout eam Nonnus *b* appellat: itidem fabuloſa multa ſe offerunt in hiſtoricis, quos nobis dedit: quippe quorum longè plurimi minimè narrent *ἱστορικῶς*, ut Sextus Empiricus *c* loquitur, verbaque ſua, ut cum Naſone *d* dicam, haut hiſtoricâ fide obligent. Vide è Chriſtianis doctoribus Origenem lib. IV. adverſus Celſum; è gentilibus Livium lib. XVIII. Plutarchum in Solone, & Pauſaniam in Corinthiacis. Quinctilianus etiam lib. II. Orat. Inſt. cap. II. ſcribit, *Græcis hiſtoriis plerumque poëticæ ſimilem eſſe licentiam.* Et Tullius pro Flacco, & ad Q. fratrem, Græcos negat coluiſſe teſtimoniorum veritatem. Idem primo de Legibus, *Apud Herodotum*, inquit, *hiſtoriæ patrem, & apud Theopompum, ſunt innumerabiles fabulæ.* De eodem Herodoto ſic judicat Marcellinus in vita Thucydidæ, eò quòd à Corinthiis ſpretus fuiſſet, ita ſuccenſuiſſe, ut ſcriberet, ſubterfugiſſe illos navalem pugnam ad Salamina pugnatam. Addit quoque, à Timæo Tauromenita Timoleontem efferri ſupra modum, quòd non fuiſſet ab eo pater ipſius Andromachus regiâ poteſtate ſpoliatus. Ait quoque, Memnonem eò à Xenophonte conviciis inceſſi, quòd ipſe Platonis æmulus, Memnon autem Platonis amicus eſſet. Quodſi quis hæc in dubium vocare volet, at illud ſanè non poteſt, Diodorum Siculum fabulas plurimas hiſtoriæ miſcere in quinque prioribus libris, quibus ea exponit, quæ ante bellum Trojanum contigerant. Dionem quoque Caſſium à veritatis orbita ſæpe deflectere, haut eum fugit, qui vel illa legit, quæ memoriæ tradidit de Cicerone, Caſſio, Seneca. Zoſimo verò, acri Chriſtiani nominis hoſti, quis fidem ſemper habeat in iis, quæ malignè adeò ſcripſit de principibus Chriſtianis? Neque aliorum Græculorum minor vanitas: ut nemo indignari debeat, cùm illud legit Juvenalis *e*,

*a A fabularum parente Græcia.*
*b Lib. 1. Dionyſ.*
*c Lib. 1. Pyrrhon. hypoth. cap. 1.*
*d Lib. 3. Amor. el. 11.*

*—— Et quicquid Græcia mendax*
*Audet in hiſtoriâ.*

*e Lib. 4. ſat. 1.*

Quamquam & Latinorum aliqui veritatis confregere teſſeram. Multos videas nihil penſi habere, quàm vera dicant, dum placeant popello: quaſi non longè aliud ſit hiſtoria ac fabula, quæ agitur: cujus ſcriptor quid ſibi propoſitum habeat, ex Terentio cognoſcas, cùm de ſeſe ſic ſcribit:

*Poëta cùm primùm animum ad ſcribendum appulit,*
*Id ſibi negoti credidit ſolum dari,*
*Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.*

Vellejus Paterculus quid aliud, quàm ſupparaſitatur, & ſeſundas agit in rebus ſui ævi? Id quidem arguunt luculentæ illæ laudes Tiberii, Liviæ, Seiani. Si medii ævi ſcriptores quærimus, quàm fabuloſè Karoli magni vitam ſcripſit Turpinus, Archiepiſcopus Rhemenſis, qui ejuſce imperatoris & Ludovici filii temporibus vixit? Si modò inſcriptio non mentitur auctorem. Quod ego planè cenſeo; etſi multi, cùm in aliis, tum Hiſpaniæ rebus, tam futilis ſcriptoris auctoritate nitantur. Quàm fluxæ etiam fidei patrum ævo fuit Paullus Jovius? quem conſtat in aulâ Henrici ſecundi quibuſque terræ filiis, bene de ſe merentibus, generis claritatem, ac perpetuum nomen pollicitum: contraque maledicè eos traduxiſſe, qui venali hiſtorico morem non gererent. Nempe iſthuſmodi hiſtoricis, ut ridens ait Auguſtinus, inſervias opus eſt, ſi te immortalem eſſe cupis. Neque is in rebus ſui ævi dumtaxat ſubleſtæ fidei fuit, quod de Velleio dicebamus. Nam vel Ligurinus Guntheri, poëtæ ſupra ſeculum ſuum boni, argumento eſt, quàm malignè falſoque idem ille Fridericum Barbaroſſam, ſeu Ænobarbum, depinxerit in elogiis ſuis virorum bellicâ virtute illuſtrium. De legendis cum judicio Legendis Sanctorum, quòd exiguo ſæpe judicio ſcriptæ, vide judicia Doctorum Romanæ eccleſiæ, in Conſultatione de horis canonicis *f*.

*f Pariſiis excuſa an. 1643. pag. 118.*

Itaque non levis eſt negotii, diſtinguere hiſtoricos veros à falſis. Annius quidam Viterbienſis tria, quibus dignoſcantur, indicia adducit ex fictitio Metaſthene. Ita ineptè vocat, quem Megaſthenem nominant antiqui omnes. Diluit autem Annii notas Melchior Canus, aliaſque aſſignat in Locis, lib. XI. cap. VI. In iis verò, cùm alia nonnulla,

tum

tum illud prudenter: *Mihi ſanè*, inquit, *aliquando & verum ipſum in ſcribentis ſinceritate candoreque elucet; & mendacium contrà autoris quidam angor, & calliditas patefacit.*

Magnâ verò ex parte iſthæc hiſtoricorum culpa provenit ab amore, odio, metu. à quibus propterea ſcribentis animum vacuum eſſe decet. Iccirco Plutarchus in Pompeio, cùm quædam narraſſet Pompeji indole ac moribus indigna, ſubjungit, non eſſe, quod fidem iis alligemus, quòd ea hauſerit ex C. Oppio, Cæſaris familiari, qui amore Cæſaris, odioque Pompeji, pleraque ſcripſiſſe videri poſſit. Sanè ut Salluſtius in Catilina ait: *Plerique quæ delicta reprehenderis, malevolentia, & invidia dicta putant.* Tanto magis & lectori opus, videre, an malefacta, quæ narrantur, ſatis conveniant cum alius natura. Nec modo falſitas ab affectu, & partium ſtudio eſſe ſolet, ſed etiam ab levitate humano generi inſitâ. Quippe ita uſu venire videmus, ut propè omnes, quemadmodum apud Juvenalem *a* legimus,

a Sat. 4.

*—— de magnis majora loquantur.*

Strabo, libr. III *b*, in bellorum ducibus hanc, & ſcriptoribus rerum geſtarum, proclivitatem obſervat. Οἱ στρατηγοὶ, καὶ οἱ συγγραφεῖς, ῥᾳδίως ἐπὶ τοῦτο φέρονται τὸ ψεῦσμα, καλλωπίζοντες τὰς πράξεις. *Bellorum duces, & rerum ſcriptores geſtarum, ad hoc mendacii proclives ſunt, ut actiones exornent.* Iccirco non facilè nos famam ſequi oportet: ſed potiùs audiemus Magnum illum Alexandrum, cujus hæc ad milites verba *c*: *Non eſt improviſa vobis mentientium vanitas. Nunquam ad liquidum fama perducitur. omnia, illâ tradente, majora, ſunt vero. Noſtra quoque gloria, cùm ſit ex ſolido, plus tamen habet nominis, quàm operis.* Nempe hiſtoria nec plus, nec minus dicere debet, quàm in re eſt. In quo ab oratore diſtingui ſolet. Nam amplificatio inter præcipua oratoris inſtrumenta numeratur: cujus beneficio pro re nata unum idemque vel auget, vel minuit: ut oratio ejus ſit ſimilis umbrarum, quæ mane ac veſperi cadunt majores; circa meridiem minores, ac propè nullæ. Longè aliter cum hiſtoria comparatum eſt, quæ imago eſt veritatis, eoque rem non amplificat, ſed æquat. Ut merito culpatus ſit Valerius Antias, quod propè omnia in immenſum ſoleat augere, præſertim in iis quæ ad prælia & victorias pertinent Romanas. Unde de eo ſic Livius lib. XXXVI, cùm retuliſſet magnitudinem victoriæ quam Q. Minucius proconſul reportarat de Liguribus: *In numero ſcriptori parum fidei ſit, quia, in augendo, eo non alius intemperantior ſit.*

b Pag. 112.

c Apud Curtium lib. 9.

Quæcunque autem de hiſtoricis diximus, ita accipi debent, ut eos etiam homines eſſe cogitemus; nec ſtatim reſpuamus, ſi uſpiam aliquid ſe immiſceat falſi. Nam ut pauxillum aquæ marinæ, non dico Eridanum, aut Rhenum, ſed ne fluentem quidem, falſum efficere poteſt: ita nec hiſtoria mendax dici debet, cui fabuloſi aliquid irrepſerit. Imò nec fieri poteſt, ut non interdum fallamur in iis, quæ longiſſimè à memoria noſtra ſunt remota, præſertim in exterarum gentium rebus. Ubique enim de patria quædam per manus incolæ à majoribus acceperunt, quæ & poſteris ſuis ipſi tradunt: horum qui antiquitates ſcribere velit, haut aliter ea referre poſſit, quàm ab incolis ipſis acceperit. Ac eam quidem cauſſam adfert Dionyſius Halicarnaſſenſis *d* cur hiſtorici veteres fabuloſa quædam ſcriptis ſuis inſerere haut dubitarint. Imprimis verò locum id habet in urbium primordiis. Quò Livii *e* illud pertinet: *Datur hæc venia antiquitati, ut, miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat.* Addit deinde: *Et, ſicui populo licere oportet conſecrare origines ſuas, & ad deos referre autores: ea belli gloria eſt populo Romano, ut quum ſuum, conditoriſque ſui parentem Martem potiſſimum ferat, tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur.*

d Tract. περὶ τῆς Θουκυδ. ἰδιώματος.
e In præf. univerſi Operis.

Sed præter iſtam, cur falſa veris miſceant, eſt & altera ratio, nimia antiquorum credulitas. Eam tangit Tubero lib. I. apud Nonium: *Siquid à parentibus acceptum, protinus antiqui memoria tradiderunt.* Nam *antiqui* heic pro *antiquè* legi debere, quivis videt: & jamdudum obſervatum id Chriſtophoro Collero ſuis ad Salluſtium Notis.

Quin veniam quoque iis dare oportet, qui alicubi, in rebus ſui ævi, veritatis ſepta tranſiliunt. Sanè, quàm fluxa ſit hiſtoricorum fides, dicet Franciſcus Picus Mirandulanus in Examine doctrinæ gentium lib. II. cap. XXXVII. & Ludovicus Vives lib. VI. de cauſſis corruptarum artium. Ut Ariſtoteles planè ſit audiendus, qui monet, ut neque creduli, neque increduli nimis ſimus. Nam cui potiùs fides debet haberi, quàm Thucydidi? ut qui ea ſcripſerit, quibus ipſe interfuit. Et tamen, tanquam multa mentitus, accuſari à nonnullis ſolet: quemadmodum apud Joſephum legimus lib. I. contra Appionem. Sed quid unum Thucydidem dico, cùm Flavius Vopiſcus in Aureliano ſuo diſertim profiteatur, ipſum ſe dixiſſe Junio Tiberiano, *neminem hiſtoricorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodidiſſe quin etiam, in quo Livius, in quo Salluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtimoniis convinceretur.*

Nec propterea ſecuros nos eſſe convenit, eorum inſtar, quos urbanè perſtringit Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει. ubi ait: *Hæc ita vera ſiquis quæſierit unde ſciam: primùm, ſi noluero, non reſpondebo. ſi libuerit reſpondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis unquam ab hiſtorico juratores exegit?* A quo genere non multum abſuiſſet ille, cujus antea memini, Tiberianus, qui cùm ſummos etiam hiſtoricos mentiri interdum audiiſſet, talibus ad Vopiſcum verbis uſus fuit: *Scribe, ut libet; ſecurus, quod velis, dicas; habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur autores.* Minimè verò; ſed ignoſci mentienti hiſtorico volumus, modò id rarum ſit, & ignorantiæ, non malitiæ culpa. Rectè Auguſtinus epiſt. CXXXI, quæ ad Memorium epiſcopum: *Eſt in hiſtoricis aliqua propinquitas libertatis, ſi voluntatem mentiendi non habent; nec homines fallunt, niſi cùm ab hominibus humanâ infirmitate falluntur.* Quâ de re inſignis eſt Polybii locus in excerptis libri duodecimi. Nam cùm Timæi dictum iſtoc commemoràſſet, *Ut regula rectitudine, ita hiſtoriam definiri veritate:* ſubjungit iſta *a*, Δύο *b* μὲν τρόπους φαμὲν εἶναι ψευδοῦς· ἕνα μὲν τὸν κατ᾽ ἄγνοιαν, ἕτερον δὲ τὸν κατὰ προαίρεσιν. καὶ τοὺς μὲν κατ᾽ ἄγνοιαν ἀποπταίοντας τῆς ἀληθείας διδόναι συγγνώμην· τοῖς δὲ κατὰ προαίρεσιν, ἀκαταλλάκτως ἔχειν. Etiam Diodorus Siculus lib. XIII *c*. graviter reprehendit Timæum, quòd tantopere invehatur in hiſtoricos priores, nec ullum iis veniæ locum relinquat; etiam cùm ſedulò, ut ne à vero aberrarent, operam dederunt. Atqui, inquit, hiſtorici etiam homines ſunt, & veritas eſt δυσεύρετος *d*. Verùm, ait, τοὺς *e* κατὰ προαίρεσιν μὴ τυγχάνοντας τῆς ἀκριβείας, προσηκόντως κατηγορίας τυγχάνειν, ὅταν κολακεύοντές τινας, ἢ δι᾽ ἔχθραν πικρότερον προσβάλλοντες, ἀποφαίνωνται τῆς ἀληθείας.

a P. 658.
b Sed nos duplex eſſe mendacii genus dicimus: unum, quod ab ignoratione veri proficiſcitur: alterum quod à certo mentiendi propoſito venit. Qui igitur per ignorationem à propoſito aberrarit, ei veniam eſſe dandam: at capitali ab iis odio eſſe diſſidendum, qui ad voluntate, & certo animi propoſito agant.
c Pag. 380 edit. H. St.
d Difficilis indagatu.
e Qui datâ operâ exactam inquiſitionem negligunt, hos meritò accuſandos arbitror: quando nimirum nonnullis adulando, vel per odium violentius alios impugnando, à veritate aberrarint.

Præſertim autem ignoſcere convenit, ſiquando communis imponit opinio. Quare etſi nihil certius eſt, quàm Pythagoram centum ampliùs annis poſt Numam floruiſſe: tamen venia dari debet Valerio Antiati, cùm libros ſeptem in agro L. Petilii ſcribæ ſub Janiculo inventos, qui de Philoſophia Græcè ſcripti erant, Pythagoricos fuiſſe prodidit. Nam, ut Livius lib. XL ſcribit, *vulgatæ opinioni, quia creditur, Pythagoræ auditorem fuiſſe Numam, mendacio probabili accommodat fidem.* Eoque in errore etiam hæſere Caſſius Hemina, & Cajus Piſo: ut cognoſcimus ex Plinii hiſt. natur. lib. XIII. Vide ſi voles, quæ ex antiquis hac de re collegit Floridus Sabinus Subſecivarum lectionum cap. XIII. Eſt & hujuſmodi ἀνιστορησίας excuſatio apud Ciceronem epiſt. I. lib. VI. ad Att. Verba Tullii hæc ſunt: *Nam illud de Flavio & faſtis, ſi ſecus eſt, commune erratum eſt: & tu bellè* ἠπόρησας *, *& nos publicam propè opinionem ſecuti ſumus, ut multa apud Græcos. Quis enim non dixit,* Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας *f ab Alcibiade, navigante in Siciliam, dejectum eſſe in mare? redarguit Eratoſthenes. adfert enim, quas ille poſt id tempus fabulas docuerit. Num iccirco Duris Samius, homo in hiſto-*

* dubitaviſti.
f Eupolin veteris comœdiæ poëtam.

*hiſtoriâ diligens, quòd cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit? num igitur jacet Theophraſtus, ſi id à Timæo, tuo familiari, reprehenſum eſt?* Ubi duo illuſtria ἀνιστορησίας exempla à Tullio adferri videmus. Unum eſt de Eupolide, quem in mari fuiſſe ſubmerſum, etiam à Platonio ſcriptum eſt in fragmento de differentiis comœdiarum apud Græcos. En verba: Γενομένα γοῦν, τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας, ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνων εἰς οὓς καθῆκε τοὺς Βάπτας. Ac putabat Turnebus *b*, Eupolidem quoque ſignari iſtoc Ovidii verſu in Ibide:

*Comicus ut liquidis periit dum nabat in undis.*

Sed aliter vetus interpres, qui (ut è Lilio Gyraldo didici: nam mihi vidère eum nondum contigit) ad hunc verſum iſta annotavit: *Menander, Comicus Athenienſis, dum in Piræo portu nataret, ſubmerſus eſt.* Menandri quidem ſepulchrum in Attica oſtendi venientibus ex Piræeo, etiam Pauſanias auctor eſt. De morte verò Eupolidis longè aliter ſcripſit Ælianus lib. x. de animalibus cap. xli. ubi in Ægina mortuum ac ſepultum refert: & locum vocari κυνὸς θρῆνον, eò quòd canis dominum ſuum Eupolin lugens ibidem ſit exſtinctus. Quæ Eratoſthenis de Eupolide ſententiam confirmant. Alterum ἀνιστορησίας exemplum eſt de Zaleuco, quem Locris Epizephyriis leges dediſſe ſcripſerat Theophraſtus, idque præeunte Ariſtotele lib. ii. Politic. cap. ult. Idemque traditum à Diodoro Siculo lib. xii, Valerio Max. lib. i. cap. xiii, Plutarcho, libello Quomodo quis ſe citra invidiam poſſit laudare, Æliano lib. xiii, Variæ hiſtoriæ cap. xxiv, & Suida. Eaque ſatis oſtendunt, communem hanc ac receptam fuiſſe ſententiam: ut omnino, ſi falſa ſit, quod Timæus putabat, tamen proclivis in eo error ſit, quod cùm ante Timæum, tum etiam poſtquam id reprehenderat Timæus, tot ac tantos auctores habet. Quare etſi imprimis, qui hiſtoriam ſcribere cogitat, Epicharmi illud de non temerè credendo inſculptum in pectore habere debet: tamen quia humanæ imbecillitati exemtus non eſt, cùm aliàs veniam meretur, quando errore peccat; tum imprimis, cùm id facit communi opinione adductus & inductus.

a *Scimus enim, Eupolin, quia Baptas acuiſſet, ab iis in mari fuiſſe ſubmerſum, contra quos Baptas emiſerat.*
b *Lib. 9. Adverſ. cap. 25.*

Quod ſi ipſi etiam de veritate rei uſpiam ambigamus, cautè illud proferendum: & hoc, vel ſimili modo, ac Curtius Indica deſcribens facit lib. ix. *Equidem plura tranſſcribo, quàm credo. Nam nec adfirmare ſuſtineo, de quibus dubito: nec ſubducere, quæ accepi.* Nempe incerta, ut incerta; obſcura, ut obſcura, ſcribemus. Nec diſplicet, ſi interdum exponamus, utrum verum eſſe malimus. Ut Livius facit lib. xxi, ubi cùm retuliſſet, de Scipione conſule in pugna adverſum Annibalem ſervato à filio tum primum pubeſcente, cui poſtea cognomen Africano fuit, iſta continuò ſubjungit: *Servati conſulis decus Cælius ad ſervum natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verum eſſe: quod & plures tradidere autores. Servum fama obtinuit.* Atque hæc de prima hiſtoriæ conditione, Nequid falſi dicamus.

## Cap. X.

*Hiſtorici eſſe, nec in amicis vitia, nec in inimicis virtutes præterire. Siſenna parum libero ore de Sylla ſcripſit. Anna Comnena, ac Sozomeni de παρρησίᾳ loci. Poggius ac Machiavellus improbati, ac contrà Friſingenſis Otto laudatus: item Thucydides, ac Polybius. Timæus quo nomine à Polybio inter alia culpetur. Valerii Antiatis opinio de Scipionis in Hiſpania incontinentia poſthabita iis, quæ de eo Polybius narrat. Gellius ſuper eo refellitur, quod ſcripſit, Valerium Antiatem videri Nævii verſibus impulſum, ut de Scipione ſequius, quàm alii, ſcriberet. Periculoſæ rem aleæ eſſe, de iis ſcribere, quibus ſis obſtrictus. Hiſtorici eſſe, non tam laude eorum, qui vivunt, quàm poſteritatis judicio, quid ſcribere, aut non ſcribere, debeas, metiri. Soſtrati, Gnidii architecti, prudentia.*

Altera verò hiſtoriæ conditio Tullio erat, Nequid veri omittamus. Neque enim ſufficit ἡ ἀλήθεια *a*, ſed requiritur etiam παῤῥησία *b*. quam non habuit Siſenna, cùm de Syllæ rebus ſcriberet. Unde ſic de eo Salluſtius in bello Jugurthino: *Idoneum viſum eſt, de natura, cultuque ejus, paucis dicere. neque enim alio loco de Syllæ rebus dicturi ſumus: & L. Siſenna optime & diligentiſſimè omnium, qui eas res dixere, perſecutus, parum mihi libero ore locutus videtur.* Nec ſolus eſt Siſenna, qui hac parte peccàrit: ſed ſollemne hoc propè omnium hiſtoricorum vitium eſt: qui dum alieno honori conſultum eunt, negligunt ſuum. Idem ne vitio nobis vertatur, ne iſta quidem præterire licebit, quæ vel ad vituperationem amiciſſimorum, vel hoſtium commendationem pertineant. Egregium hac de re locum promam ex prooemio Annæ Comnenæ, quæ Alexiados libris patris ſui Alexii res geſtas compoſuit: Ὅταν γάρ τις τὸ τῆς ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ, ἐπιλαθέσθαι χρὴ εὐνοίας καὶ μίσους· καὶ πολλάκις κοσμεῖν τοὺς ἐχθροὺς τοῖς μεγίστοις ἐπαίνοις, ὅταν αἱ πράξεις ἀπαιτῶσι τοῦτο· πολλάκις δ' ἐλέγχειν τοὺς ἀναγκαιοτάτους, ὅταν αἱ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἁμαρτίαι τοῦθ' ὑποδεικνύωσι. διόπερ οὔτε τῶν φίλων καθαπτέον, οὔτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ὀκνητέον. *Nam ſiquis hiſtoriam, prout convenit, ſcribere ſuſcipiat, hunc & amore & odio vacare oportet: ac ſæpe maximis laudibus inimicos ornabit, ſiquando id actiones requirent: ſæpe etiam neceſſitudine conjunctos vituperabit, ſi vitæ delicta hoc faciendum oſtendent. Propterea nec amicorum vituperatione, nec inimicorum laudatione abſtinendum.* Quæ exſcripſit penè ad verbum ex libro primo Polybii, ubi Philinum & Fabium ob partium ſtudium reprehendit. Sed fuſiùs omnino Polybius, cujus verba adſcribi planè merentur: Ἐν μὲν τῷ λοιπῷ βίῳ τὴν τοιαύτην ἐπιείκειαν ἴσως οὐκ ἄν τις ἐκβάλλοι. καὶ γὰρ φιλόφιλον δεῖ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ φιλόπατριν, καὶ συμμισεῖν τοῖς φίλοις τοὺς ἐχθροὺς, καὶ συναγαπᾶν τοὺς φίλους. ὅταν δὲ τὸ τῆς ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ τις, ἐπιλαθέσθαι χρὴ πάντων τῶν τοιούτων· καὶ πολλάκις μὲν εὐλογεῖν καὶ κοσμεῖν τοῖς μεγίστοις ἐπαίνοις τοὺς ἐχθροὺς, ὅταν αἱ πράξεις ἀπαιτῶσι τοῦτο· πολλάκις δ' ἐλέγχειν καὶ ψέγειν ἐπονειδίστως τοὺς ἀναγκαιοτάτους, ὅταν αἱ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἁμαρτίαι τοῦθ' ὑποδεικνύωσιν. ὥσπερ γὰρ ζῴου, τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον· οὕτως, ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίνεται διήγημα. διόπερ οὔτε τῶν φίλων κατηγορεῖν, οὔτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ὀκνητέον· οὔτε δὲ τοὺς αὐτοὺς ποτὲ μὲν ψέγειν, ποτὲ δ' ἐγκωμιάζειν εὐλαβητέον. ἐπειδὰν τοὺς ἐν πράγμασιν ἀναστρεφομένους οὔτ' εὐστοχεῖν ἀεὶ δυνατὸν, οὔθ' ἁμαρτάνειν συνεχῶς εἰκός. ἀποστάντες οὖν τῶν πραττόντων, αὐτοῖς τοῖς πραττομένοις ἐφαρμοστέον τὰς πρεπούσας ἀποφάσεις καὶ διαλήψεις ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. Quæ ſic tranſtulit Caſaubonus: *Sanè quidem in cæteris vitæ partibus ejuſmodi æquus animus non ſit fortaſſe aſpernabilis. par eſt enim, ut vir bonus & amicorum & patriæ ſit amans; atque commune cum amicis adverſus eorundem hoſtes odium gerat, & eorumdem amicos amore communi proſequatur. verùm ubi hiſtorici perſonam aliquis ſuſcepit, horum omnium illi obliviſcendum. ac ſæpe quidem de hoſtibus bene loqui, & ſummis ipſos ornare laudibus, rerum ſcriptor debet, cùm id facta ipſorum poſtulant: nonnunquam verò reprehendere, vel maxime neceſſarios, nec ſine probris vituperare, cùm ita fieri oportere admiſſi in ſuſceptis rebus errores monent. nam ut animal luminibus ademtis prorſus inutile redditur: ita ſi veritatem ex hiſtoria tollas, quæ ſupereſt illius narratio eſt nullius uſus. quamobrem & accuſare amicos, & inimicos laudare ſine cunctatione debemus: neque reformidandum, quo minus eoſdem aliquando reprehendamus, aliquando laudemus: cùm fieri nequeat, ut qui in rebus gerendis verſantur, rectè ſemper colliment: nec rurſus eoſdem continuè errare, vero ſit ſimile. itaque relictis illis qui res gerunt, convenientes iis ipſis, quæ geruntur, ſententiæ ac judicia in commentariis ſunt aptè adhibendæ.* Requirit idem Lucianus lib. de hiſtor. ſcrib. Κἂν ἰδίᾳ μισῇ τινας,

a *Veritas.*
b *Dicendi libertas.*

πολὺ ἀναγκαιότερον ἡγήσεται τὸ κοινὸν, καὶ τὴν ἀλήθειαν περὶ πλείονος ποιήσεται τῆς ἔχθρας· κἂν φιλῇ, ὅμως οὐκ ἀφέξεται ἁμαρτάνοντος. *Sive privatim oderit quoſdam, id quod publicum eſt, magis neceſſarium putabit eſſe, veritatemque pluris faciet, quam inimicitiam: ſive amaverit, tamen non parcet illi, quiſquis peccaverit.* Quod fuſiùs paullo declarat poſtea his verbis: Τοιοῦτος οὖν μοι ὁ συγγραφεὺς ἔστω, ἄφοβος, ἀδέκαστος, ἐλεύθερος, παρρησίας καὶ ἀληθείας φίλος, ὡς ὁ Κωμικός φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην ὀνομάζων. οὐ μίσει, οὐδὲ φιλίᾳ νέμων, οὐδὲ φειδόμενος, ἢ ἐλεῶν, ἢ αἰσχυνόμενος. ἴσος δικαστὴς, εὔνους ἅπασιν, ἄχρι τοῦ μὴ θατέρῳ τι ἀπονεῖμαι πλεῖον τοῦ δέοντος· ξένος ἐν τοῖς βιβλίοις, καὶ ἄπολις, αὐτόνομος, ἀβασίλευτος, οὐ, τί τῷδε ἢ τῷδε δόξει, λογιζόμενος, ἀλλὰ τί πέπρακται λέγων. *Talis igitur mihi hiſtoricus ſit ille, ut & metu careat, & nullis muneribus corrumpatur, & liber ſit, & dicendi libertatem, ac veritatem amet, & quemadmodum Comicus ille ait, ficus ficus, ligonem ligonem nominet: non odio, neque amicitia quicquam tribuens, non parcens, aut miſereſcens, aut erubeſcens, aut exorari ſe facile patiens: æqualis judex, ac benevolus omnibus: eò tamen uſque, dum ne alteri plus æquo aliquid tribuat; hoſpes in libris, ac peregrinus, ſuis legibus vivens, nullius imperio ſubjectus, non quid huic, aut illi placiturum ſit, ſecum cogitans; ſed id, quod actum eſt, exponens.* Idemque monet Sozomenus. Nam quia orthodoxorum referret contentiones, ac quorundam etiam perfidiam: metuere ſe ait *a*, ne proficiſci id videatur ab animo maligno, qui ex talium commemoratione capiat voluptatem: verùm, inquit, profectò veritatem nihil illorum diſſimulandum fuit. Verba ejus inter alia ſunt: Μάλιστα *b* τῆς ἀληθείας ἐπιμελεῖσθαι χρεὼν, διὰ τὸ τῆς ἱστορίας ἀκίβδηλον. item: πάντα *c* δὲ ὥσπερ ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας τὴν συγγραφὴν προσήκει. Neglexit hanc legem Poggius Florentinus. In quem epigramma iſtoc luſit Actius Syncerus Sannazarius:

a *Lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 1.
b *In hiſtoria nihil ponendum, quod non ſit maximè ſincerum.*
c *Veritatem omnibus rebus anteponere ſcriptorem decet.*

*Dum patriam laudat, temnit dum Poggius hoſtem,*
*Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.*

Item Machiavellus, qui planè multa comminiſcitur in vita Caſtrutii: nempe quia is hoſtis fuiſſet Reip. Florentinæ. Quanto meliùs Otho Friſingenſis, Cæſaris nepos, frater, & patruus, ſi verè de eo Æneas Sylvius *d* ſcripſit, *licet fratris nepotiſque geſta memoria traderet, qui Romanorum pontificum hoſtes fuere, ita tamen hiſtoriæ legem ſervâſſe, ut neque cognatio veritati, neque cognationi officeret veritas.*

d *In Auſtralis hiſtoriæ fragmento, quod hiſtoriæ Ottonis præmiſſum fuit a Cuſpiniano, primo Ottonis editore.*

Sed antiquorum potiùs exempla adferamus. Qualis Thucydides, qui, ut etiam in vita ejus obſervat Marcellinus, quamquam ab Athenienſibus in exilium ſe ejectum ſciret, nullum tamen infeſti erga eos animi indicium prodidit: ne erga Cleonem quidem, præcipuam exilii cauſſam, aut Braſidam, qui hujus ei calamitatis cauſſa fuerant. Quodſi quis de Thucydide credere malit Halicarnaſſæo, qui minimè affectu omni vacâſſe exiſtimat: at Polybius, nec amore cujuſquam præterit, quod culpandum: nec odio omittit, quod laudandum. Aratum, Achæorum ducem, quanti Græcia æſtimârit, omnibus eſt notum: nec obſcurum eſt, quantopere eum admiratus ſit ipſe Polybius: ſed tamen, quàm liberè idem commemorat, quæ reprehendi merebantur! Et cui parceret, qui ne pepercit quidem Philopœmeni, & Lycortæ? quorum hic parens fuit; alterum verò ut parentem ſuſpiciebat, atque amabat. Nec propterea diſſimulat ſpiſſam eorum negligentiam in fœdere renovando cum Ægypti rege; quam meritò iis objectârat Ariſtænus; adeò ut nec, quod reſponderent, haberent quicquam; ſed ad vocem inimici in concilio ipſe obmuteſceret Lycortas. Quis quoque ignorare poteſt, quantopere exoſum habuerit tyrannum Siciliæ, Agathoclem? Tamen, quia malis etiam ſuæ ſunt laudes, quas hiſtoricus æquè quàm crimina referre debet, Timæum optimo jure reprehendit, qui id in Agathocle minimè feciſſet. Atque hæc res in cauſſa eſt, cur nec Polybio auſim derogare fidem in eo, quod ſcribit, Scipionem Africanum ſuperiorem, cùm in Hiſpaniis virgo ei formoſiſſima obtigiſſet ex præda, inviolatam intactamque ſuis reddidiſſe: etſi longè aliter hac de re ſcripſiſſe ſciam nobilem hiſtoricum, & Livio ſæpe memoratum, Valerium Antiatem; cujus verba adducit Gellius lib. VI. cap. VIII. Satis verò mirari nequeo, etiam Camerarium, in Subſecivis ſuis *a*, in Antiatis magis partes inclinare. Nam vel ſolus Polybius ſi iſtud ſcripſiſſet; tamen omnium inſtar eſſe potuiſſet. Nunc Valerius Antias, ut Gellius ait, id contra cæteros omnes retulit ſcriptores. Quod verò Gellius ſcribit, Valerium, ut ita ſentiret, impulſum videri verſibus Nævii: id neque veriſimile eſt, neque verum arbitror. Nævii, quos dicit, verſus ſunt iſti:

a *Part.* 1. *cap.* 49.

*Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit gloriosè,*
*Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes ſolus*
*Præſtat, eum ſuus pater cum pallio uno ab amicâ abduxit.*

Atqui non ſatis conſtitit, verſus iſtos in Scipionem fuiſſe ſcriptos: neque, ut ille in adoleſcentiâ famâ fuerit minùs ſincerâ, obſtare illud poſſit, quo minus, ætate provectior, honeſtè vitam egerit. Imò, ut mores veteres non in totum exuiſſet; honos ſuus, & populi Romani, generoſi adeò ſpiritus virum, in quem omnium oculi conjecti eſſent, facilè impellere potuerunt, ut præclarum aliquod continentiæ ſuæ ſpecimen daret. Quare perſuadere mihi neutiquam poſſum, futili adeò argumento Antiatem fuiſſe impulſum, ut ita ſentiret. Ac longè minoris momenti apud me eſt, quod Polybii fidem eo ſuſpectam reddere Camerarius conatur, quòd Plutarchus paullo aliter referat verba Scipionis, quàm fecerit Polybius. Nam, ut alia mittam, in hac quidem cauſſa, quis eſt Plutarchus ad Polybium? cùm ille Trajani demum temporibus floruerit: hic non illis modò temporibus vixerit proximus, (nam Polybii natalis in primum Africani incidit conſulatum,) ſed etiam Scipioni Æmyliano, qui ſuperioris Africani adoptione erat nepos, diu à conſiliis fuerit, & belli comes. Mirum verò, non potiùs objeciſſe, difficile eſſe, ut non utramque in hiſtoriæ legem peccet, qui ejus res geſtas ſcribat, in cujus ſit poteſtate. Nam ita fere uſu venit, ut talis non aliter ſcribere auſit, quàm ad voluntatem alienam, ut etiam Pauſanias agnoſcit. Et ſatis hoc Velleji, atque tot aliorum exemplis edocti ſumus. Verùm, ut ego arbitror, non multùm iſta ad præſentem cauſſam faciunt, cùm Polybium videamus ne proprio quidem parenti parcere voluiſſe: &, à Scipione ſiquid ſequiùs, quàm oporteret, actum eſſet, quod propter Scipionem Æmylianum promere minùs fuiſſet auſus, nihil aperto opus mendacio fuiſſet, ſed conſulere ejus honori potuiſſet Polybius ſilentio ſuo. Interea cùm ne totidem quidem Polybios invenire poſſimus, quot ſunt

*Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili* b:

b *Juven. ſat.* 13.

fatendum planè eſt, non injuriâ ſuſpectam eſſe propè omnium eorum fidem, qui res ab iis geſtas ſcribendas ſuſcipiunt, quibus vel ob ſumma merita, vel aliis de cauſſis, obnoxii ſunt. Iccirco Lucianus *c* jure talem ſibi optat hiſtoricum, qui ſit *d* αὐτόνομος, καὶ ἀβασίλευτος. Quales profectò non fuerunt monachi, atque alii, Eccleſiaſticis muniis vacantes. Qui certamina Imperatorum & Paparum ſuperioribus ſeculis deſcripſere. Quippe, ut de anathematis metu nihil dicam, juramento erant devincti Pontifici Romano. Sanè quibus conditionibus pallium dare ſoleat Pontifex Romanus, docebit formula juramenti, quæ eſt apud Albertum abbatem Studenſem ad annum CIↃCLXXVII. Atque hinc Pius II colligebat in diſceptatione adverſus Diethérum Archiepiſcopum Moguntinum, etiam vera in Papam dicere, eſſe contra Epiſcopale juramentum: quemadmodum in paralipomenis abbatis Urſpergenſis legere eſt. Imprimis verò gratiæ ſuſpicionem injicere ſolet, ſiquem ex hiſtoria facere encomium videamus: quo de inferiùs pluribus agemus, cùm ad locum de hiſtorici judicio erit deventum. Nunc contenti erimus illud dixiſſe, nec facilè nos falſum dicturos, nec verum diſſimulaturos, dum nobis ob oculos ſemper ponamus judicium poſteritatis de ſcriptis noſtris. Qua de re pulcra impri-

c *Lib. de ſcrib. hiſt.*
d *Suis legibus vivens, nec alieno imperio obnoxius.*

imprimis eſt admonitio illa Luciani, paullo antequam librum ſuum claudat: Τὸ δ' ὅλον, ἐκείνου μοι μέμνησο, (πολλάκις τὸ αὐτὸ ἐρῶ,) καὶ μὴ πρὸς τὸ παρὸν μόνον ὁρῶν γράφε, ὡς οἱ νῦν ἐπαινέσονταί σε, καὶ τιμήσουσιν, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἐστοχασμένος, πρὸς τοὺς ἔπειτα μᾶλλον σύγγραφε, καὶ παρ' ἐκείνων ἀπαίτει τὸν μισθὸν τῆς γραφῆς, ὡς λέγηται καὶ περὶ σοῦ, Ἐκεῖνος μέντοι ἐλεύθερος ἀνὴρ ἦν, παρρησίας μεστός· οὐδὲν οὐδὲ κολακευτικὸν, οὐδὲ δουλοπρεπὲς, ἀλλ' ἀλήθεια ἐπὶ πᾶσι. Τοῦτ' εἰ σωφρονοίη τις, ὑπὲρ πάσας τὰς νῦν ἐλπίδας θεῖτο ἂν, οὕτως ὀλιγοχρονίους οὔσας. *In univerſum autem illud memineris, (ſapius autem idem dico) & non ad præſens ſolùm tempus reſpiciens ſcribas, ut ii, qui nunc ſunt, te laudent, & honoribus afficiant, ſed in omne ævum intentus, illis potiùs, qui in poſterum victuri ſunt, hiſtoriam componas, atque ab illis mercedem ſcriptionis depoſcas, ut dicatur & de te aliquando, Ille vero vir liber fuit, & ad dicendum fiduciâ plenus: nihil heic neque adulatorium, neque ſervile: ſed veritas in omnibus ſervatur. Atque hoc ſiquis modeſtè ſapiat, ante omnes præſentium ſpes meritò ponat, quæ breves adeò ac momentaneæ ſunt.* Nobile verò hoc præceptum illuſtrat idem Lucianus pulcherrimo exemplo Soſtrati, Gnidii architecti, qui, cùm Pharum exſtruxiſſet, unum è ſeptem orbis miraculis, interiùs quidem in ſaxis nomen ſuum inſculpſit; calci verò exterius illitæ inſcripſit nomen Ptolomæi, qui tum regnabat. Nempe proſpiciebat, brevi fore, ut literæ, quæ in calce conſpiciebantur, evaneſcerent; interior verò titulus appareret, duraretque quamdiu turris ea eſſet. Subjungit deinde Lucianus iſta, quibus libellum ſuum obſignat: Χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἱστορίαν οὕτω γράφεσθαι, σὺν τῷ ἀληθεῖ μᾶλλον πρὸς τὴν μέλλουσαν ἐλπίδα, ἤπερ σὺν κολακείᾳ, πρὸς τὸ ἡδὺ τοῖς νῦν ἐπαινουμένοις. Οὗτός σοι κανὼν καὶ στάθμη ἱστορίας δικαίας. Καὶ εἰ μὲν σταθμήσονταί τινες αὐτῇ, εὖ ἂν ἔχοι, καὶ εἰς δέον ἡμῖν γέγραπται· εἰ δὲ μὴ, κεκύλισται ὁ πίθος ἐν Κρανείῳ. *Oportet igitur & hiſtoriam eodem modo componi, cum veritate magis in futuram ſpem, quàm cum adulatione ad gratiam & dulcedinem iis, qui eam in præſentia nunc laudent. Atque hæc tibi regula & amuſſis hiſtoriæ juſtæ. Quâ quidem ſiqui examinando ac perpendendo utentur, bene res habet, & commodiùs hæc à nobis ſcripta ſunt: ſi minùs; volutatum eſt in Cranio dolium.*

Interea prudentia hac opus, ne libertate nimiâ periculum nobis creantes, Remp. privemus bono & utili cive. Ut ſicut ſi ſub tyranno vivamus. Exemplo ſit Cremutius Cordus: Qui cùm laudaſſet Brutum, ac Caſſium dixiſſet ultimum Romanorum: etſi accurata ſe oratione defendiſſet, mori tamen à Tiberio juſſus eſt, ut eſt apud Dionem: libros quoque comburi Patres mandarunt, ut teſtis eſt Tacitus. Suetonius item refert, ut Domitianus necârit Junium Ruſticum, quòd laudâſſet Pætum Thraſeam, & Helvidium Priſcum, eoſque vocaſſet ſanctiſſimos viros. Quam rem etiam, ſed paullo aliter, narrat Tacitus in Julii Agricolæ vita. Idem Domitianus ſuſtulit Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras. Quamobrem videndum, ſub quo principe ſcribamus: ne ſerò pæniteat, quando ſtultæ libertatis pœnas demus. Non quaſi omnes eos improbemus, qui veritatis cauſſâ à tyrannis exitium tulere: ſed quia ſæpe ſatius ſit, illa, quæ lædere malum principem poſſint, premere eo ſuperſtite, melioraque tempora exſpectare: vel hæredibus noſtris eorum editionem committere. Nec benè interim de ſe ipſis merentur tyranni, qui ita in ingenia ſæviunt. Exemplo ſit Tiberius: in cujus gratiam cremari hiſtoriam Cremutii juſſerat Senatus. Sed occultata illa, poſteaque edita, ac tanto avidiùs lecta. *Quo magis* (ut Taciti verba adſcribam) *ſocordiam eorum admirari libet, qui præſenti potentiam credant, extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam. Nam contrà punitis ingeniis creſcit auctoritas. Neque aliud externi reges, aut qui eâdem ſævitiâ uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, & illis gloriam peperere.* Porro de Tyrannis maliſque Principibus quam difficile hiſtoria ſcribatur, refert Spartianus in Peſcennio Nigro ad Diocletianum Auguſtum: *Rarum atque difficile eſt, ut quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in literas; atque ideo vix omnia de his plenè in monumentis, atque annalibus habentur. Primum enim, quæ magna ſunt, in eorum honorem* (horrorem rectè emendant) *à ſcriptoribus depravantur, deinde alia ſupprimuntur: poſtremò non magna diligentia in eorum genere, ac vita requiritur, cum ſatis ſit audaciam eorum, & bellum, in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre.*

## Cap. XI.

*Acceditur ad hiſtoriæ ſtructuram: ubi agi incipit de rebus, ex quibus hiſtoriæ corpus componitur: ac primum de narratione actionis humanæ; cujus variâ genera, & variæ generum formæ adferuntur. Contra Halicarnaſſæum aſſeritur,, primum hiſtorici officium eſſe, non ut jucundum, ſed ut utile argumentum tractet. Alterum præceptum, ut rectè auſpicemur, ac finiamus. Thucydides hac etiam parte adverſus Dionyſium defenſus. Hiſtorici fidi cum ſpeculo ſplendido, ac ſtatuario ſimilitudo. De octavo Thucydidis libro judicium veterum. Tertia hiſtoriæ lex, de iis ſolum commemorandis, quæ magna ſunt, & memoriâ digna. Dionem Caſſium ſedulo hanc legem obſervare. In quibus veniam mereantur hiſtorici, ſi ad minutias deſcendant. Damidis ἀπόφθεγμα. Archimedis ſepulchrum à Cicerone Syracuſis inventum, quod ne incolæ quidem norant: & nobiliſſimi oratoris ſuper eo gloriatio. Salluſtii locus aliter enarratus, quam à Victorio factum.*

Tantum de veritate. Quam ſi animæ comparaveris, pars altera ſimilis dicetur corpori. Sin priorem cum Tullio fundamentum hiſtoriæ vocare viſum eſt: alteram hanc cum eodem ſtructuræ compares licebit.

Tria verò hæc pars, ut ſuperiùs quoque dictum, comprehendit. Primùm enim res, ex quibus hiſtoriæ corpus, ac quaſi domus, exſurgit, congeri debent: deinde eas neceſſe eſt digeri atque ordinari: poſtrema verò expolitionis ſive ornatus cura erit.

Hiſtoriæ materia ac ſeges ſunt, non ea, quæ rumore diſperſa, ſed quæ prodita, vel commentariis ſenatus, vel actis diurnis, ſive publicis, ſive urbanis, quæ & ἁπλῶς acta nominantur. De utriſque autem, & ſenatus, inquam, & populi actis, vide, quæ fusè notavit Lipſius in v annalium Taciti.

Res, ex quibus conflatur hiſtoria, meo judicio non incommodè ad quatuor capita revocantur, narrationem, judicium de rebus, concionem, & digreſſionem. Ex quibus primum planè eſt ἔργον: ultimum potiùs eſt πάρεργον: duo intermedia mediam quoque naturam habent.

Ordiemur à parte primâ ac præcipuâ, quæ Græcis διήγησις, Latinis *narratio* vocatur: non quaſi non narret hiſtoricus, dum orationem alicujus refert, aut cùm digreditur à propoſito: ſed quia hæc quam diximus, eſt narratio propriè ac præcipuè inſtituta. Ideo Photio *a* non ἁπλῶς dicitur διήγησις, ſed ἡ κατὰ μέρος διήγησις. *a Tmem. ſive cod. 83.*

Narratio hæc vel eſt rerum geſtarum, vel earum, quæ ad rei naturam pertinent: ut ſunt prodigia, & ſimilia, quæ à Livio, & aliis, admiſcentur iis, quæ homines geſſere. Sed præcipuè verſari hiſtoricus ſolet circa actiones humanas, ſive res geſtas.

Actiones iſtæ variæ ac multiplices ſunt: adeò ut penè omnes ſcientiæ, atque artes, exempla ſibi ex hiſtoria ſumere poſſint. Verùm hoc loco ſolùm agimus de actionibus iſtis, quæ referuntur ad philoſophiam πρακτικὴν, ſive moralem, ac civilem.

Narrationes, quibus iſtiuſmodi actiones exponuntur, vel ſunt unius corporis, ut Reip. alicujus: vel unius hominis, ut Platonis.

Ea quæ totius corporis eſt, vel eſt omnis ævi, vel unius imperii, vel rei geſtæ unius.

Ordiemur à tertio genere, utpote trium iſtorum ſimpliciſſimo. Nam cùm omnis ævi hiſtoria conſtetur ex hiſtoriis omnium, vel præcipuorum imperiorum: ac hiſtoria cujuſque imperii coaleſcat ex narrationibus multis, quarum ſingulis res una narretur: ſatis liquet, quæ hoc in genere de ſimpliciori narratione traduntur, eadem etiam in imperii alicujus, atque adeò ævi omnis hiſtoriâ, obſervari oportere.

Narratio rei geſtæ unius vel univerſè conſideratur, vel ratione partium.

Ad conſiderationem rei univerſæ pertinet præceptum illud Dionyſii Halicarnaſſæi *a*, quo jubet materiem eligere pulchram, & quæ animos hominum voluptate perfundat. Et ſanè, cùm multùm adeò voluptas poſſit in animis humanis: facilè omnes vident, in aliqua felicitatis parte eſſe ponendum, ſi argumentum ejuſcemodi obtingat. Verùm de eo aſſentire non auſim, quod non dubitat hoc vocare primum, ac vel maximè neceſſarium ejus officium, qui res geſtas ſcribere velit. Nec enim in manu noſtra eſt, ut jucunda ſit temporum iſtorum recordatio, quorum memoriam ad poſteros tranſmittere cogitamus. Ac vel hoc ex Thucydide, ſcriptore florentiſſimo, cognoſcimus. Ait enim Dionyſius, & verè ait, hac in re feliciorem eo fuiſſe Herodotum: nam Thucydidem bellum ſcripſiſſe Græcis ſuis, quod neque honeſtè ſatis ſuſceperunt, neque feliciter geſſerunt. Sed quis hic culpam aliquam Thucydidæ videt? cujus gloria eſt, quod tempora iſta, quantumcunque miſera, longè tamen digniſſima, quorum memoria ad poſteros propagaretur, conſignârit fide optimâ, prudentiâ ſummâ, & dictione pro ætate eâ, quâ florebat, ſupra modum diſertâ. Iccirco non primùm in hiſtorico deſidero τὸ τερπνὸν *b*: ſed τὸ χρήσιμον *c*. Quod optimè perſpexit Lucianus, cùm inquit: Ἓν ἔργον ἱστορίας καὶ τέλος, τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται. τὸ τερπνὸν δὲ ἄμεινον μὲν, εἰ καὶ αὐτὸ παρακολουθήσειεν ὥσπερ καὶ κάλλος ἀθλητῇ. εἰ δὲ μὴ, οὐδὲν κωλύει ἀφ' Ἡρακλέους γενόμενον Νικόστρατον τὸν Ἰσιδότου γενναῖον εἶναι, καὶ τῶν ἀνταγωνιστῶν ἑκατέρων ἀλκιμώτερον, εἰ αὐτὸς μὲν αἴσχιστος ὀφθείη εἶναι τὴν ὄψιν. Ἀλκαῖος δὲ ὁ καλὸς ὁ Μιλήσιος, ἀνταγωνίζοιτο αὐτῷ καὶ ἐρώμενος ὤς φασι τοῦ Νικοστράτου ὤν. Καὶ τοίνυν ἡ ἱστορία εἰ μὲν ἄλλως τὸ τερπνὸν παρεμπορεύσαιτο, πολλοὺς ἂν τοὺς ἐραστὰς ἐπισπάσαιτο. ἄχρι δ' ἂν καὶ μόνον ἔχῃ τὸ ἴδιον ἐντελὲς, λέγω δὲ τὴν τῆς ἀληθείας δήλωσιν, ὀλίγον τοῦ κάλλους φροντιεῖ. *Unum hiſtoria opus, unuſque finis, eſt utilitas, quæ ex veritate colligitur. Jucundum verò melius erit, ſi illam, ut forma athletam, ſequatur. Sin minùs, nihil vetat, Hercule prognatum eſſe Nicoſtratum, Iſidoti filium, cùm ſit generoſus, & utroque colluctatore fortior, ſi ipſe facie turpiſſimâ videatur: Alcæus autem, formoſus ille Mileſius, ipſius Nicoſtrati amaſius, cum eo colluctetur. Proinde hiſtoria, ſi jucundum auctarii vice haberet, multos, à quibus ſcriberetur, alliceret. Sed quatenus propriam habet duntaxat perfectionem, veritatis dico patefactionem, pulchritudinem parvi pendit.* Satis iſta oſtendunt, jucundum non per ſe finem eſſe hiſtoriæ, ſed ſpontè è fine ſubſequi. Neque hiſtoria, ſi miſerabiles tantùm caſus narret, eò omnis voluptatis expers erit. Nam hoc ipſum delectare homines ſolet, quod alienæ ſtultitiæ triſtes vident effectus, iiſque fiunt cautiores. Adde, quod ipſum ſcire per ſe delectat: imò, ut Lucretius *d* ait,

*a Reſponſione ad Cn. Pompejum de Platonis ſtylo, item Herodoto, & Xenophonte.*
*b Jucundum.*
*c Utile.*
*d Lib. 4.*

*——— ——— ——— ——— omne*
*Humanum genus eſt avidum nimis auricularum:*

Unde eſt, quod iis etiam capitur, quæ commenticia eſſe non ignorat: ut ſunt Heliodori Æthiopica, Luciani & Appuleji μεταμόρφωσις in aſinum, ſimiliaque otioſorum hominum figmenta.

Alterum huic præceptum addit Dionyſius, ut conſideremus, unde principium ſumere, ubi item deſinere oporteat. Quæ aliquis ad diſpoſitionem potiùs pertinere exiſtimet. Sed non ita eſt. Neque enim hoc Dionyſius vult, ut videamus, quid ex dicendis primum, quid medium, quid ultimum debeat locum occupare: ſed jubet, ut poſtquam animo omnem rei hiſtoriam complexi ſumus, illud etiam cogitemus, num initium ac finis temporis, quo hiſtoriam circumſcripſimus, bellè ſibi reſpondeant, jucundaque ac grata futura ſint civibus noſtris. Hoc ſi eſt, ita occipere ac deſinere jubet: ſin minus; ſatius putat, ut vel altius ordiamur, vel aliquid de initio præcidamus: ac ſimiliter vel citius deſinamus, vel ulterius narrationem extendamus. Unde autem auſpicari, ubi finire oporteat, id nos putat honeſto, atque jucundo metiri oportere. Ait verò, hac etiam in re Herodotum debere Thucydidi præferri. Illum enim prudenter incipere à cauſſis, propter quas barbari Græcos injuriâ afficere cœperunt: deſinere verò in pœnis, quas propterea Græcis barbari dedere: Thucydidem contra incipere ab infelici Athenarum ſtatu, atque ita eum narrare, ut belli cauſſas non obſcurè Athenarum civitati adſcribat, cùm eas in Lacedæmonios conjicere poſſet, atque adeò, ſi Dionyſium audimus, id facere debuerit: præſertim cùm non civis ipſe modò Athenienſis foret, ſed unus etiam de primoribus. Ego verò nullam hic Thucydidæ culpam video. Nam hiſtorici munus implevit, cùm iis culpam adſcripſit, penes quos eam eſſe arbitraretur. Si qua ſtultè geſta ſunt; qui fecere, in cauſſa ſunt; non Thucydides, qui narrat. Nec enim ea ipſe comminiſcitur; ſed verbis tantùm ſignificat. Scitè hac de re judicat Lucianus, cùm ait: Εἰ σιωπήσας αὐτὰ, ἢ πρὸς τοὐναντίον εἰπὼν ἐπανορθώσασθαι ἐδύνατο, ῥᾷστον ἦν, ἑνὶ καλάμῳ λεπτῷ τὸν Θουκυδίδην ἀνατρέψαι μὲν τὸ ἐν ταῖς Ἐπιπολαῖς παρατείχισμα, καταδῦσαι δὲ τὴν Ἑρμοκράτους τριήρη, καὶ τὸν κατάρατον Γύλιππον διαπεῖραι μεταξὺ ἀποτειχίζοντα καὶ ἀποταφρεύοντα τὰς ὁδούς. Ἀλλ' οἶμαι, τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ Κλωθὼ ἂν ἔτι ἀνακλώσειεν, οὐδ' Ἄτροπος μετατρέψειε. τοῦ δὲ συγγραφέως ἔργον ἓν, ὡς ἐπράχθη, εἰπεῖν. *Si tacendo, aut contrario modo narrando, corrigi res poſſent, facillimum fuerat Thucydidi, uno ac tenui calamo munitiones Epipolarum invertere, Hermocratis triremem ſubmergere, & execrabilem iſtum Gylippum confodere interea dum vias obſtruit, & foſſis intercludit. At, puto, quæ facta ſunt, neque Clotho revolvat denuo, neque Atropos immutet. Proinde hiſtorici unum eſt opus, ut res, prout geſta ſunt, exponat.* Nempe, ut idem Lucianus dicit, hiſtorici mens debet eſſe ſimilis ſpeculo optimo, quod formas omnes recipit, atque exhibet quales ſunt. Optimè etiam comparatur cum Phidia, Praxitele, Alcamene, & ſimilibus, qui aurum, argentum, vel ebur, aliunde accipiebant: exinde verò poliebant, concinnabant, inaurabant. Similiter enim hiſtoricus non ea fingit, quæ dici debent: quippe quæ jam geſta ſunt: ſed hæc ipſa verè libereque proponit; ordine apto diſponit; eleganter, perſpicuè, ornatè, decoreque exponit: atque in his ejus artificium conſiſtit; non illo, quod Halicarnaſſæus putavit.

Nec magis audiri idem debet, cùm Thucydidem reprehendit, quia deſinat in prælio navali, quod anno XXI belli Peloponneſiaci inter Athenienſes ac Lacedæmonios juxta Cynoſſema geſtum fuit. Ait, jucundiùs deſinere potuiſſe in gratiſſimo Phliaſiorum reditu. Verùm hiſtorici non eſt ſpectare, quid jucundum; ſed quid utile ſit: ut ſuperiùs ſatis oſtendimus. Adde quòd non ſatis liquet, ubi Thucydides facere voluerit ſcribendi finem. Nam cùm in octavo occuparetur libro, vivere deſiit; eaque, ut Marcellinus *a* putat, cauſſa eſt, cur liber ille tenui ſtylo ſcriptus ſit, cùm priores longè altiùs aſſurgant. Imò multi ne Thucydidæ quidem eſſe putarunt; ſed vel filiæ ejus, vel Xenophontis, vel Theopompi, vel aliûs: ut ex eodem Marcellino diſcimus.

*a In vita Thucydidis.*

Duplici huic hiſtorici muneri tertium addit idem Dionyſius. Præterea enim conſiderare jubet, quæ in hiſtoriam referre, quæ item præterire oporteat. Quo in ipſo etiam Herodotum ſuperiorem fuiſſe Thucydide contendit. Eſt verò tertia hæc virtus magni planè momenti. Nam etiam qui luculentam planè hiſtoriam ſcribere ſunt aggreſſi, ac ſatis perſpiciunt, ubi ordiri, ubi item deſinere oporteat: tamen multa omittenda dicunt, multa dicenda omittunt. Eoque planè ſcito opus, cujuſmodi ſint, quæ dici, quæ item præteriri debeant. Docet verò hæc Cicero quoque in ſecun-

ſecundo de Oratore, cùm hiſtoriam verſari ait *in rebus magnis, memoriâque dignis.* Sanè, poſt vanitatem ac mendacia, nihil in hiſtorico vitioſius eſt, quàm ſi ad minutias deſcendat: quod etiam in Timæo reprehendit Plato. Ammianus quoque Marcellinus, initio lib. XXVI, hiſtoriam ſcribit *adſuetam diſcurrere per negotiorum celſitudines: non humilium minutias indagare cauſſarum: quas ſi ſcitari* (ita & Rob. Stephanus edidit: ſed aſſentior Conr. Rittershuſio, qui *citari* aut *ſciſcitari* legendum putat) *volueris quiſpiam, individua illa corpuſcula volitantia per inane, atomos, ut nos appellamus, numerari poſſe ſperabit.* Idem paullo pòſt μικρολογίαν hanc inſcitiam vulgarem vocat. *Proinde*, inquit, *inſcitiâ vulgari contemtâ, ad reſidua narranda pergamus.* Plutarchus ipſe audiatur in vita Demoſthenis: Τῷ μέν τοι σύνταξιν ὑποβεβλημένῳ, καὶ ἱστορίαν ἐξ οὐ προχείρων, οὐδ' οἰκείων, ἀλλὰ ξένων τε τῶν πολλῶν καὶ διεσπαρμένων ἐν ἑτέροις συνιοῦσαν ἀναγνωσμάτων, τῷ ὄντι χρὴ πρῶτον ὑπάρχειν καὶ μάλιστα τὴν πόλιν εὐδόκιμον καὶ φιλόκαλον, καὶ πολυάνθρωπον, ὡς βιβλίων τε παντοδαπῶν ἀφθονίαν ἔχων, καὶ ὅσα τοὺς γράφοντας διαφυγόντα σωτηρίᾳ μνήμης ἐπιφανεστέραν εἴληφε πίστιν, ὑπολαμβάνων ἀκοῇ καὶ διαπυνθανόμενος· μὴ πολλῶν, μηδ' ἀναγκαίων ἐνδεὲς ἀποδιδοίη τὸ ἔργον. *Qui opus, & hiſtoriam agitat componere, non ex iis, quæ ad manum ſunt, & domi ac in trivio reperiuntur; ſed ex incognitis, & externis quamplurimis, ac diſperſis apud varios autores collectam lectionibus, illum haud dubie imprimis ac potiſſimum expedit habitare in celebri, ſplendida, elegante, & populoſâ civitate, quo & librorum omne genus copiam in promtu habeat, & quæ ſcriptorum ſtylum fugerunt, clariorem autem fidem obtinuerunt, quod in memoria hominum ſervata ſunt, audiendo ediſcat percontetúrque ſedulò, ne opus multis, ac neceſſariis deſtitutum rebus edere neceſſe habeat.* Præterea luculentus eſt iſte Luciani *a* locus: Εἰσὶ τινες οἳ τὰ μεγάλα μὲν τῶν πεπραγμένων, καὶ ἀξιομνημόνευτα παραλείπουσιν, ἢ παραθέουσιν· ὑπὸ δὲ ἰδιωτείας, καὶ ἀπειροκαλίας, καὶ ἀγνοίας τῶν λεκτέων, ἢ σιωπητέων, τὰ μικρότατα πάνυ λιπαρῶς καὶ φιλοπόνως ἑρμηνεύουσιν ἐμβραδύνοντες. ὥσπερ ἂν εἴ τις τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ τὸ μὲν ὅλον κάλλος, τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον ὄν, μὴ βλέποι, μηδ' ἐπαινοῖ, μηδὲ τοῖς οὐκ εἰδόσιν ἐξηγεῖτο· τοῦ ὑποποδίου δὲ, τό τε εὐθυεργὲς, καὶ τὸ εὔξεστον θαυμάζοι, καὶ τῆς κρηπῖδος τὸ εὔρυθμον. *Sunt quidam, qui rerum geſtarum maximas, & memoriâ digniſſimas prætermittunt, aut percurrunt. Præ imperitiâ autem, aut ineptiâ & ignorantiâ, cùm eorum, quæ dicenda, tum quæ tacenda ſunt, res minimas admodum prolixè & laborioſè immorando perſequuntur. Non aliter ac ſiquis Jovis Olympici pulchritudinem univerſam, quæ tanta eſt ac talis, nec videat, nec laudet; neque etiam iis, qui ea neſciunt, quicquam narret: ſed ſubſellii rectitudinem, & expolitionem, & crepidæ concinnitatem admiretur, & hæc planè magno ſtudio exponat.* Aliquanto etiam pòſt ſcitè ait idem, Εἰκότως ἂν προσείποι τοὺς τοιούτους, τὸ μὲν ῥόδον αὐτὸ μὴ βλέπειν, τὰς ἀκάνθας δὲ αὐτοῦ, τὰς παρὰ τὴν ῥίζαν, ἀκριβῶς ἐπισκοπεῖν. *Proinde meritò dixeris quiſpiam, tales ſcriptores roſam quidem ipſam non videre: ſpinas autem, quæ juxta radicem enaſcantur, accuratè contemplari.* Nec poſſum, quin alteram etiam ſimilitudinem ejuſdem auctoris adſcribam, ſanè venuſtam. Nam cùm dixiſſet, magna copioſè eſſe exponenda, parva autem & minus neceſſaria ſatius eſſe percurrere, quin potiùs multa debere prætermitti: ſcitè ſubjungit, Οὐδὲ γὰρ, εἰ ἑστιῷς τοὺς φίλους, καὶ πάντα ᾖ παρεσκευασμένα, διὰ τοῦτο ἐν μέσοις τοῖς πέμμασι, καὶ τοῖς ὀρνέοις, καὶ λοπάσι τοσαύταις, καὶ συσὶν ἀγρίοις, καὶ λαγωοῖς, καὶ ὑπογαστρίοις, καὶ σαπέρδην ἐνθήσεις, καὶ ἔτνος, εἰ τι κἀκεῖνο παρεσκεύαστο· ἀμελήσεις δὲ τῶν εὐτελεστέρων. *Neque enim, ſi convivio accipias amicos, omniaque fuerint apparata, ob hoc inter media bellaria, & aviculas, & patinas tam multas, & apros, & lepores, & ſumina, ſaperdam quoque appones, & pulmentum, ſi illud etiam fuerit apparatum: ſed quæ viliora ſunt negliges.*

Hanc hiſtoriæ legem valde in Chronicis ſuis neglexere Dominicani Colmarienſes: ut cùm annotant, mulierem peperiſſe quatuor liberos, pueros aliquot à lupis fuiſſe comeſtos, mures vaſtaſſe frumenta, gallinam peperiſſe ova duos habentia vitellos, quo anno fuerit ceræ & mellis copia, aut quo penuria frumenti: aut de gallo ſub cujus ventre gallina tranſiret, vel de viſo erinaceo, ſive, ut ibi vocatur, porco ſpinoſo: Calendis Junii fraga, piſa, & ceraſa in Alſatia fuiſſe matura, ab muliere viduam cum puero interemtam fuiſſe, ab alia fuiſſe interfectum maritum: aliaque id genus, quæ privatorum diariis conveniant magis, quàm actis publicis. At eam, quam dixi: hiſtoriæ legem optimè ſervat Dio Caſſius: ut qui nuſquam ad minutias dilabatur: vel ſiquid, quod levius videatur, minimè prætererire volet, excuſatione utatur: ut facilè liqueat, neutiquam imprudentiâ, vel inſcitiâ, peccare. Exemplo eſto iſte ejus locus in excerptis Xiphilini è Commodi vitâ: Καὶ μή με τις κηλιδοῦν τὸν τῆς ἱστορίας ὄγκον, ὅτι καὶ τὰ τοιαῦτα συγγράφω, νομίσῃ· ἄλλως μὲν γὰρ οὐκ ἂν εἶπον αὐτά· ἐπειδὴ δὲ πρός τε τοῦ αὐτοκράτορος ἐγένετο, καὶ παρὼν αὐτὸς ἐγὼ καὶ εἶδον ἕκαστα, καὶ ἤκουσα, καὶ ἐλάλησα, δίκαιον ἡγησάμην μηδὲν αὐτῶν ἀποκρύψασθαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ, ὥσπερ τι ἄλλο τῶν μεγίστων καὶ ἀναγκαιοτάτων, τῇ μνήμῃ τῶν ἔπειτα ἐσομένων παραδοῦναι. *Neque verò quicquam exiſtimare debet, me propterea minuere gravitatem hiſtoriæ, quòd hæc ſcribo. nam cùm ea ab imperatore facta ſint, affuerimque ipſe præſens, viderimque ſingula, audiverim, & collocutus ſim, nihil reticendum putavi: ſed ea perinde volui, atque ſi maxima eſſent, apprimeque neceſſaria, poſteris memoriæ prodita relinquere.* Et ſanè nuſquam faciliùs veniam merentur hiſtorici, ſi minutiora quædam recenſeant, quàm ſi ejuſmodi ſint, ut ſummos viros ſpectent, & quæ coràm viderint, vel audierint ipſi illi, qui narrant. Nam quiſquis novit vanitatem mortalium, facilè cogitare poteſt, quàm proclivis ſit error in omnibus iſtis, quæ ab aliis fando accepimus. Quotuſquiſque enim eſt, qui non vel ea, quæ quotidie fiunt, ſive affectu abreptus, ſive incuriâ deceptus, longè aliter narrare ſoleat, quàm facta ſint? Quare omnibus veritatis amantibus magnam adferre voluptatem ſolet, ſi ea audiant, aut legant, quæ graves & prudentes viri vidiſſe ſe, vel audiiſſe teſtantur. Imprimis ſi ea, ut dixi, pertineant ad viros principes, vel virtute aut eruditione præſtantes. Sanè Damis *a* olim, cùm in Apollonii vita minutias quaſdam adſperſiſſet, atque eo nomine culparetur, bellè reſpondit, etiam ea, quæ de menſis Deorum deciderent, colligi oportere, ne ambroſiæ illius pereat quicquam. Quod verò minora ſint, facilè altero compenſari, quòd ſint certiora. Propterea enim magis ferè afficere animos ſolent, quàm majora aliorum, quorum fides minùs eſt certa. Adhæc altera etiam ratio accedit. Nam ita cum omnibus comparatum eſt, ut eo ſibi placeant, quo cæteris antiſtant: unde fit, ut ſiquid rectiùs ceteris noverint, utcunque exile videatur, lubentes tamen, ubi ſe offert qualiſcunque occaſio, ſermoni illud, aut ſcriptis, inſpergant. Quod etiam à Cicerone factum videmus lib. v. Tuſculan. Quæſt. Ubi de vita beata diſſerens, interſerit hiſtoriam de indagato, atque invento à ſe Archimedis ſepulchro. Nihil profectò hoc ad præſens inſtitutum faciebat. Sed Orator nobilis, ut gloriæ avidus fuit, plùs etiam quàm ſatis eſſet, cùm dixiſſet, Dionyſio Syracuſano beatiores ſibi videri Platonem, Archytam; Archimedem, arripiendam inde ſibi occaſionem putavit narrandi hiſtoriolam hanc, ut, cùm Syracuſis quæſtor eſſet, ſepulchrum inveniſſet Archimedis, quod ne Syracuſani quidem noviſſent. Eam verò pluſculis à ſe verbis prolatam epiphonemate hoc claudit: *Ita nobiliſſima Græciæ civitas, quondam verò etiam doctiſſima, ſui civis unius acutiſſimi monumentum ignoràſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet.* Inde ad inſtitutam diſputationem revertitur. Quodſi audimus doctiſſimum Petrum Victorium *b*, ſimile apud Salluſtium exemplum habemus in Jugurthina hiſtoria: ubi narrat illa de Philænis, qui ſe vivos obrui paſſi ſunt pro Pœnorum Rep. Ait enim, illa prætterire potuiſſe; ſed eò id facere noluiſſe, quia non multa antè locum ipſe luſtraſſet. Atque hòc ita eſſe, probare

*a* Lib. de hiſt. ſcrib.

*a* Philoſtr. lib. 1. vita Apoll. cap. 13.

*b* Lib. 10. Var. Lect. cap. 23.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bere conatur iſtis Salluſtii verbis: *Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur, egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginenſium memorare: eam rem nos locus admonuit.* Sed profectò ſummus vir, judicio meo, non aſſequitur mentem Salluſtii. Neque enim dicit, ſe Philænorum aras vidiſſe: ſed ait, ſe, quia de duabus Syrtibus, & Lepti, ejusque civitatis negotiis egerit, eò occaſione hac velle aliquid addere de fratrum Philænorum aris. Imò ne hoc quidem ſatis certum videtur, an ea loca unquam Salluſtius luſtrârit: etſi haut neſciam, ab Julio Cæſare Numidiæ fuiſſe præfectum; eamque expilaſſe provinciam: ut Dio Caſſius teſtatur lib. XLII. Sed an ad aras uſque Philænorum fuerit profectus, dicere non poſſum. Saltem illud ex Salluſtii verbis haut certò conſequitur, etſi verba ſcriptoris ambiguam ſententiam admittant.

## CAP. XII.

*Acceditur ad ea, quæ partem aliquam narrationis reſpiciunt. Partes iſtæ recenſentur. Prima earum eſt perſona: de quâ quæritur, utrum ipſe is, qui res geſſit, de iis hiſtoriam ſcribere poſſit. Oſtenditur, feciſſe id multos viros præſtantes: eos inter Julium Cæſarem. Quamquam hic non videatur omnia ſatis bonâ fide narrare. Et omnino eſſe difficile, ut aliquis modeſtior ſuas laudes promat, aut ut quiſquam honoris avidior poſteris tradat culpas ſuas. Eò ſatius eſſe, ut alteri de nobis ſcribendi provincia committatur. Saltem non ſuſcipi debere, niſi magnum aliquod urgeat bonum. Poſſe etiam, quæ de nobis ſcripſerimus, edi ſub nomine cujuſpiam amicorum, aut ſub nomine ficto. Denique ſatius videri, ut de ſe quiſque loquatur tanquam de alio, quàm ut illud* EGO *aut* NOS, *faſtidioſis ac invidis hominibus identidem inculcet.*

SEd de iſto ſatis. Nunc ab iis, quæ narrationem universè ſpectant, accedamus ad ea, quæ partem aliquam reſpiciunt. Partes iſtas enumerat Plutarchus libro de Homero. Ubi, cùm dixiſſet, hiſtoriam eſſe rerum præteritarum narrationem, ſubjungit iſta; a Πάσης δὲ διηγήσεως ἀφορμαὶ γίνονται· πρόσωπον, αἰτία, τόπος, χρόνος, ὄργανον, πρᾶξις, πάθος, τρόπος· καὶ οὐδὲν τούτων ἔξω ἐν ἱστορίᾳ περιέχει οὐδεμία διήγησις.

a *Omni narrationi occaſionem hæc præbent, perſona, cauſſa, locus, tempus, inſtrumentum, actio, effectio, modus: neque extra hæc quicquam ulla in hiſtorica narratione continetur.*

In propriis locorum vel hominum nominibus quæ à barbaris accipimus, poëtæ quidem emollire voce barbarum ſonum licet, hiſtorico autem quàm proximè abeundum à barbaris. Multùm enim illud facit ad hiſtoriæ lucem, ſi continuò manifeſtum ſit legenti, quæ loca ſignentur. Hinc Lupus Servatus (qui Ludovici Pii temporibus claruit, & deinceps) præfatione in Vitam S. Wigberchti: *Id autem à periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut ſicubi Latini ſermonis lenitas hominum locorumve nominibus Germanica lingua vernaculis aſperatur, modicè ferat, ac meminerit, non carmen me ſcribere, ubi poëticâ licentiâ nonnunquam nomina mutilantur, atque ad ſonoritatem Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur: ſed hiſtoriam, quæ ſe obſcurari colorum obliquitatibus renuit.* Sanè maximus vir Thuanus in ſui temporis hiſtoria, quando res Belgicas enarrat, ſæpe in locorum nominibus vix à Belgis intelligitur, quia loca appellat non ut Belgicis ſonant auribus, ſed ut corrupte ea proferunt Galli, non ſatis aſſequentes Belgicorum ſonum.

Verùm, ut parteis has diſtinctiùs tractemus, primùm agendum de perſona: hinc de actione ejus: deinde de actionis circumſtantiis, quæ duæ ſunt, locus & tempus: poſtremò videbimus de iſtis, quæ rem vel antecedunt, ut conſilia: vel comitantur, ut modus: vel conſequuntur, ut eventus.

De perſona unum illud in diſquiſitionem venit, utrùm idem ille, qui res geſſit, ſcribere eas poſſit. Non levia ſanè ſunt, quæ hoc ſuadent. Nam ſeu ratione pugnandum eſt, quis meliùs res novit, quàm qui geſſit? ſin exemplis agendum eſt, multa pro hac ſententia poſſunt adferri. Primùm nomino Claudium Cæſarem, quem octo de vita ſua libros ſcripſiſſe, cognoſcimus ex Tranquillo in vita ejus *a*. Sed reſpondeat aliquis, magis hoc ineptè, quàm ineleganter feciſſe, ut idem auctor eſt *b*: item principis hujus ſtultitiam, non ab aliis tantum, ſed matre etiam Antonia, ſolere rideri: quemadmodum alibi *c* idem teſtatur. Age igitur, alios laudemus, qui nihil minùs ſoleant, quam, ut Nero de Claudio hoc dicebat *d*, morari. Sunt iſti L. Sylla, P. Rutilius Rufus, Q. Æmilius Scaurus. De quibus auctores habeo Ciceronem in Bruto, Tacitum in Agricola, Plutarchum in Sylla; ut de Grammaticis veteribus nihil dicam. Taciti verba, quæ adſcribantur, digniſſima ſunt: *Apud priores, ut agere memoratu digna pronum, magiſque in aperto erat: ita celeberrimus quiſque ingenio ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia, aut ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretio ducebatur. Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt. nec id Rutilio, & Scauro, citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeò virtutes iiſdem temporibus optimè æſtimantur, quibus facillimè gignuntur.* Tribus iſtis tres alios addo, magnos ſane viros: Terentium Varronem, cujus de vita ſua libros citant antiqui: Julium Cæſarem, cujus commentarii ſuperſunt de bello, quod in Galliis geſſit, item de bello civili: Auguſtum Cæſarem, quem vitam ſuam Cantabrico tenus bello tredecim fuiſſe libris complexum, auctor eſt in vita ejus *e* Tranquillus; item Suidas, voce *Auguſtus*. E Græcis, de rebus ab Achæis, ſe prætore, geſtis, ſcripſit Aratus Sicyonius; ut ex Plutarchi Arato & Agide conſtat. Alios *f* etiam nominare poſſem, niſi ſufficere iſtos putarem. Nec propterea deeſſe putandum, quæ pro contrariâ poſſint ſententiâ adferri. Nam, ut de exemplo Cæſaris primùm dicam, non quidem ignoro, commentarios ejus tantopere à Cicerone *g* ipſo laudari, ut ſanos homines à ſcribendo deterruiſſe dicat: verùm hoc ad dictionem pertinet; non ad rei fidem. De qua longè aliter quibuſdam viſum fuit. Audiamus Suetonium lib. I. cap. LVI. *Pollio Aſinius parùm diligenter, parumque integrâ veritate, compoſitos* (à Cæſare rerum ſuarum commentarios) *putat: cum pleraque, & quæ per alios erant geſta, temere crediderit: & quæ per ſe; vel conſultò, vel etiam memoriâ lapſus, perperam ediderit. exiſtimatque, reſcripturum, & correcturum fuiſſe.* Et profectò, qui cum Cæſaris commentariis contulerit ea, quæ ab aliis, cùm Latinis, tum Græcis, de rebus Cæſaris ſcripta fuere, negare non poterit, eum, ſiquid imprudentiùs, vel quomodocunque aliter feciſſet, quàm oporteret, hoc ferè, vel planè præterire, vel ita referre, ut in alios potiùs conjiciat culpam. Atque ut hoc ſcribendi de ſe genus Cæſari, & nonnemini alteri, omnino feliciter ſucceſſiſſet: ratio tamen dictat, longè ſatius eſſe, ut per alium res à nobis geſtæ poſteris tradantur. Nam, ut Cæſar apud Salluſtium *h* ait, *haut facilè animus verum providet, ubi officiunt odium, amicitia, ira, atque miſericordia.* At quiſque amat ſeipſum, hoſtes verò atque inimicos odit. Quare difficile eſt cuiquam, ita ſcribere, ut non aliquando vel ſui amore, vel odio adverſarii, aut falſum dicat, aut verum omittat. Atque ut vacuus eſſet ab affectu omni, non tamen fidem facilè inveniet: utpote ſuſpectior. Accedit ad hæc verecundia, quæ impedit, quo minùs laudare ſe, aliosque reprehendere auſit. Vidit hæc Tullius: qui cùm à L. Lucceio petiiſſet, ut res à ſe in conſulatu geſtas literis vellet conſignare: extremo loco ita ſcribit; *Quodſi à te non impetro, hoc eſt, ſiqua te res impedierit, cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſæpe reprehendunt. ſcribam ipſe de me: multorum tamen, & clarorum exemplo. Sed, quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia. & ut verecundiùs de ſe ipſi ſcribant, neceſſe eſt, ſiquid eſt laudandum: & prætereant, ſiquid fortè reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant, verecundiores eſſe præcones ludorum gymnicorum, qui cùm cæteris coronas impoſuerunt victoribus, eorumque nomina magnâ voce pronun-*

a *In Claud. cap. 41.*
b *Ibid.*
c *In Claud. cap. 3.*
d *Sueton. in Ner. cap. 33.*
e *In Aug. cap. 85.*
f *Eoſque inter graviſſimum ſcriptorem, Joſephum, qui de Vita ſua ſcripſit.*
g *In Bruto.*
h *In Catil.*

cia-

*clamitarunt, cùm ipſi ante ludorum miſſionem coronâ donentur, alium præconem adhibeant, ne ſuâ voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. Hæc nos vitare cupis; &, ſi recipis cauſam noſtram, vitabimus.* Hæc Cicero ad Lucceium. Cui fortaſſe & cauſſam ſuam probavit: quod inde veriſimile fit, quia Lucceji, orationes in Catilinam citat Aſconius, notis in orationem, quam Cicero habuit in toga candida. Addam & egregium Plinii locum ex epiſt. VIII. lib. I, quæ eſt ad Pompejum Saturninum: *Hujus cunctationis meæ cauſas non tam in ſcriptis, quàm in ipſo materiæ genere conſiſtunt. Eſt enim paullo quaſi glorioſius & elatius. Onerabit hoc modeſtiam, etiamſi ſtylus ipſe fuerat preſſus demiſſuſque, propterea quod cogimur, cùm de munificentia parentum noſtrorum, tum de noſtra diſputare. Anceps hic & lubricus locus eſt, etiam cùm illi neceſſitas lenocinetur. Etenim ſi aliena quoque laudes parum æquis auribus accipi ſolent: quàm difficile eſt obtinere, ne moleſta videatur oratio de ſe, aut de ſuis, diſſerentis? Nam cùm ipſi honeſtati, tum aliquanto magis gloriæ ejus, prædicationique invidemus: atque ea demum recte facta minus detorquemus, & carpimus, quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur.* Et aliquando pòſt: *In ratione edendi veremur, ne forte non aliorum utilitatibus, ſed propriæ laudi ſerviſſe videamur. Præterea meminimus, quanto majore animo honeſtatis fructus in conſcientia, quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet: nec ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quòd gloriam non meruit, minus pulchrum eſt. Ii verò, qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, ſed ut prædicarent, feciſſe creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſo, qui geſſerat, recenſente, vaneſcit. Homines enim, cùm rem deſtruere non poſſunt, jactationem ejus inceſſunt. Ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum: ſi laudanda, quod non ſileas, ipſe culparis.*

Atque hæc præcipuè ſunt, quæ in utramque partem dici poſſe videntur. Quibus expenſis, in eam maximè ſententiam inclino, ſi idoneus rerum noſtrarum ſcriptor obtingat, ſatius eſſe, per alium id fieri, quàm ut ipſi virtutis noſtræ præcones fiamus. Sin ita fortunati minimè ſimus, poſſe quemque commentarios de rebus ſuis ſcribere, exemplo ſummorum virorum, quos antè diximus. Ac proderit tum libellus Plutarchi, Quomodo ſe ipſum quis citra invidiam poſſit laudare. Cujus epilogus eſt iſte,

*a Abſtinebimus à dicendo de nobis ipſis, niſi magnam aut nobis, aut auditoribus, ſimus allaturi utilitatem.*

*a* ἀφεξόμεθα δὲ λέγειν περὶ αὐτῶν, ἂν μή τι μεγάλα μέλλωμεν ὠφελεῖν ἑαυτοὺς, ἢ τοὺς ἀκούοντας. Ubi videmus, duo tantum tempora adſignari, quibus de nobis dicere, aut ſcribere poſſimus. Atque hoc veriſſimè à prudentiſſimo & graviſſimo ſcriptore dictum eſſe, luculenta oſtendunt exempla, quæ libello illo adferuntur.

Eſtque iſtoc in cauſſa, cur nonnulli, cùm de ſeſe ſcripſiſſent, ſub nomine alicujus è ſuis iſta edere maluerunt. Fecit hoc Imperator Hadrianus. De quo ita Spartianus in ejus vita: *Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ ſuæ ſcriptos à ſe, libertis ſuis literatis dederit, jubens, ut eos ſuis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Adriani eſſe dicuntur.*

Nec multum ab hoc abit exemplum Joannis Cantacuzeni, eximperatoris Conſtantinopolitani: qui de rebus ab Andronico Juniore ac ſe geſtis ſcripturus, ut celaret auctorem, (quod tamen haut ita fecit, ut non certis indiciis prodat) Chriſtodulum ſe vocavit: quod nomen ſibi imponit à ſtatu, quia in vita monaſtica Deo ſerviret.

Et ſanè ſatius interdum ſit, horum imitari exemplum, quàm ſi laudatione noſtri ipſorum apud aliquos invidiam nobis conflemus, aliis verò ludibrium debeamus.

Extremo illud loco addam, ſiquando de nobis in hiſtoria aliquid dicendum ſit, modeſtius videri, ſi hæc referamus, quaſi de alio loquamur. Sanè Xenophon in ſeptem libris, quos de Cyri expeditione ſcripſit, id ſedulò obſervat. Ut lib. primo: Ἰδὼν δ' αὐτὸν ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ Ξενοφῶν *b* Ἀθηναῖος, &c. Et mox, Ὁ δὲ Ξενοφῶν εἶπεν, *c* &c. Et aliis ejus operis locis ſexcentis. Idem in commentariis ſuis Cæſar facit. Notavit hunc hiſtoricorum morem etiam

*b Hunc à Græcorum ordinibus Xenophon Athenienſis conſpicatus.*

*c Xenophon verò dixit.*

B. Auguſtinus lib. XVII. contra Fauſtum Manichæum cap. IV: *At quàm elegantem rem ſibi viſus eſt Fauſtus dicere, ubi propterea voluit non credi hæc ſcripſiſſe Matthæum, quia cùm de ſuâ electione diceret, non ait, Vidit me, &, Dixit mihi, ſequere me: ſed, Vidit Matthæum, &, Dixit ei, ſequere me: quod neſcio, utrùm de errore imperitia dixerit, an de more fallacia: ſed non uſque adeò imperitum putaverim, ut nec legerit, nec audierit, ſolere ſcriptores rerum geſtarum, cùm in ſuam perſonam venerint, ita ſe contexere, tanquam de alio narrent, quod de ſe narrant.* Atque hactenus de perſona.

## Cap. XIII.

*Tranſitum ad actionem. Quæ in bello ſpectanda. Agrippa, & Vivis judicio, bella pro latrociniis habenda. Ea ſententia refellitur. Tres juſti belli leges. Manichæos omnia olim bella damnaſſe.*

Altera narrationis pars eſt res ſive actio: cujus ratione narratio omnis vel eſt de bello aliquo, vel de pacis tempore, vel de ſeditione ſive conjuratione. In bello ſpectamus, qui utrimque duces, quantæ copiæ. Quod ſi de eo incerta tradantur, videndum an ex temporis ratione, vel aliunde, veritatem conjectare poſſimus. Fecit id Livius lib. XXIX: ubi cùm de Malaniſſa ejuſque exilio egiſſet, addit: *Hæc animum inclinant, ut cum modico potius, quàm cum magno præſidio equitum, ad Scipionem quoque poſtea veniſſe Maſaniſſam credam. quippe illa regnantis multitudo, hæc paucitas exulis fortunæ conveniens eſt.* Quæ præterea in bello obſervari imprimis debeant, oſtendit Lucianus. Præcipit verò, ut ne reſpiciamus ad partem unam, puta Romanos ſolùm, ſoloſve Perſas, ſed ad utroſque. In acie item monet, ut ne oculos convertamus ad unum quempiam: niſi forte is fuerit, aut Braſidas aliquis, qui de navi proſiliat, aut Demoſthenes, qui deſcenſum in terram prohibeat. Adhæc duces jubet intueri, & quomodo, ac quo conſilio ſic potiùs, quàm aliter, aciem inſtruxerint; & quæ alia huc pertinent. Ubi verò ad manus jam deventum, monet, ut utramque partem velut trutinæ impoſitam ſpectemus, & quæ utrimque geruntur. Denique & autor eſt, ut cum fugientibus fugiamus, & fugientes item perſequamur. Sunt autem hæc eo magis obſervanda, quia de pacis tempore pauca ſolent narrari: at bella, ſeditiones, conjurationes, penè omnem implent paginam. Ac propterea Cornelius Agrippa in ſuo de vanitate ſcientiarum libro *a* culpare hiſtorias non veretur, quaſi quæ nihil (ut a *Cap. 5.*
verbis ejus utar) *niſi magnos & furioſos latrones, famoſoſque orbis prædones deſcripſerint.* Quæ majoris ponderis forent, niſi etiam bella aliqua juſta eſſent, quæ profectò pro latrociniis haberi minimè debent. Hujuſmodi igitur ſcribere legereque decet: quòd ea res prudentiam imprimis augeat. Atque hinc quoque liquere arbitror, quid judicii ferri oporteat de iſtis Ludovici Vivis verbis lib. V. de tradendis diſciplinis *b*: *Bella & prælia non accuratè perſequenda, quæ* TANTÙM *inſtruunt animos ad nocendum, & vias oſtendunt, quîs invicem poſſimus lædere.* Nec enim TANTÙM inſtruunt ad nocendum, ſed ad eos etiam, qui nocere volunt, cavendos. Quare ne audiendus quidem in eo, quod ſubjungit: *Notanda ſunt* DUNTAXAT, ET LEVITER, *qui arma ceperint, qui utrimque duces, ubi congreſſum, qui victi, quid illis actum: nec aliter dicenda, vel legenda hæc, quàm latrocinia.* Illud verò cautiùs, cùm addit: *Ejuſmodi revera ſunt* PLERAQUE *horum omnia, niſi quæ forte adverſus latrones ſunt ſuſcepta. quod inter Chriſtianos utinam non tam raro uſu eveniret.* Nam hîc ſaltem PLERAQUE juſta eſſe non diffitetur: cujuſmodi ſunt, ubi tria iſta concurrunt, legitima indicentis auctoritas, cauſſa belli juſta, ac propoſitum rectum. Siquidem principis eſt, non deſerere populum ſuum, ſi injuria ei fiat: nec enim ſine cauſſa gladium portat *c*, cùm Dei ſit miniſter: ſed eo fine hunc accepit, ut domi foriſque propulſet ac vindicet injurias civibus illatas.

*b Tom. 1. operum pag. 509.*

*c Ad Rom. cap. 13.*

Eoque

Eoque omnia quidem tentare convenit, priuſquam ad arma deveniatur: verùm, ſi hac viâ non proceſſerit, armatâ etiam vi occurrere neceſſum erit, dummodo injuriæ illæ tanti ſint, ut hacpropter ad arma venire cogamur. Hujuſmodi tempus ſit, quando quis terras noſtras copiis ſuis invadere ac vaſtare non ceſſat. Et tamen tum quoque ſuſcipi arma debent, non cupiditate nocendi, non dominandi libidine, non ſimiles ob fines: ſed propter commune bonum: hoc eſt, ut cives pacatè & tranquillè ex juſtitia ac pietate poſſint vivere. Qui verò, quale diximus, bellum damnant, Manichæorum hæreſin renovant. Hi enim bella omnia exectabantur, etiam ea, quæ Moſes geſſit. Vide B. Auguſtinum lib. XXII. contra Fauſtum Manichæum cap. LXXIV, & aliquot ſequentibus: aliqua item de bello juſto apud eundem leges epiſt. V ad Marcellinum; & CCVII ad Bonifacium Comitem, ubi præclarè illud, *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas.* Adi etiam, ſi voles, Thomam Aquinatem ſecunda ſecundæ Quæſt. XL. Art. I. Alexandrum ab Ales Part. III. Quæſt. LXXVI. M. III. Henricum Gandavenſem Quodlib. XV. Quæſt. XVI. Gabrielem Biel in IV Sentent. Diſt. XV. Quæſt. IV. Sylveſtrem Prier. in Summa, voce *Bellum.* atque alios, quos nominare longum eſſet. Nec tanti eſt, cùm ferè, quicquid dicunt, id hauſerint ex iis Auguſtini locis, quæ antè indicavimus.

## Cap. XIV.

*Neglectu duorum hiſtoriæ luminum, Chronographia, & Geographia, (ſub qua & Chorographiam, & Topographiam complector) magnas in hiſtoria tenebras oboriri. Hellanicum, & Fabium Pictorem, temporis fuiſſe negligentiores. Nonnunquam obiter adjici, ſiquid memoriâ dignum alibi eodem tempore factum ſit. Cur Appianus pro locis hiſtoriam diſtinxerit. Etiam loci contenti deſcriptionem neceſſariam eſſe, ſi abſque ea res minus intelligatur. Poſſe & interdum, loci facta mentione, addi, ſiquid olim admodum memorabile ibidem contigerit. Primordia urbium, ac gentium, multum ferè incerti habere; eoque cautè hic agendum.*

A Perſona, atque actione, venio ad circumſtantias rei. Quæ duæ ſunt, locus, & tempus: quorum ſi alterutrum negligatur, magnæ tenebræ affunduntur hiſtoriæ. Iccirco, ut ſuperiùs vidimus, Cicero *a* etiam in hiſtoria requirit, *ordinem temporum, & regionum deſcriptionem.* Græci vocant τὸ χρονικὸν, καὶ τοπικόν: quæ duo ad hiſtoriam pertinere, etiam Euſtathius docet commentario in Dionyſium περιήγητὴν *b*. Nam in eo dividi ait hiſtoriam in topicum, pragmaticum, chronicum, & genealogicum. Τὸ δὲ, inquit, παρὸν ποίημα, ἱστορικὸν καλοῦσιν οἱ παλαιοί, συγκείμενον ἐκ τοπικοῦ, καὶ πραγματικοῦ, καὶ χρονικοῦ, καὶ γενεαλογικοῦ· εἰς ἃ διαιρεῖσθαι τὴν ἱστορίαν φασί. ἐκ μὲν τοπικοῦ, ὅτι ὁ πᾶς ἐνταῦθα τοῦ βιβλίου σκοπὸς, τόπων γῆς ἐστι περιήγησις. πραγματικοῦ δὲ, ἐν οἷς ἄλλα τέ τινα ἱστορεῖ, καὶ ἐθνῶν ἤθη ἐκτίθεται· χρονικοῦ δὲ, ὡς ὅτε καιροῦ μέμνηται, καθ' ὃν αὐτὸς περιῆν· ὅτι δηλαδὴ οὐκ ἐστὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων· γενεαλογικοῦ δὲ, οἷον ὅτι τοὺς Σαυρομάτας ἐξ Ἀμαζόνων φησὶ κατάγεσθαι, καὶ ἐκ δούλων τοὺς Ἐπιζεφυρίους Λοκρούς. hoc eſt, *Præſens verò opus, veteres appellant hiſtoricum, conſtans ex topico, pragmatico, chronico, & genealogico; in quæ hiſtoriam dividi aiunt. Ex topico, cùm univerſi libri ſcopus ſit orbis terrarum deſcriptio. Ex pragmatico, in quibus alia quædam enarrat, & populorum mores exponit. Ex chronico, cùm temporis meminit, quo quid accidit; puta non modò ſub quibus conſulibus, ſed etiam regibus. Ex genealogico, velut cùm Sauromatas ait ab Amazonibus genus ducere, atque Locros, qui ad Zephyrum vergunt, à ſervis.* Ex quatuor iſtis, in quæ Euſtathius hiſtoriam dividit, τὸ γενεαλογικὸν ad perſonam, τὸ πραγματικὸν ad actionem ſive rem pertinet: τὸ χρονικὸν verò, καὶ τοπικὸν, hujus propriè ſunt loci. Diſtinctè dicam de utroque.

a *Lib. 2. de Orat.*

b *In prolegomenis de Dionyſii genere, & præſenti poëmate.*

Ordiar autem à tempore. De quo ita Tatianus oratione πρὸς Ἕλληνας: Παρ' οἷς *a* γὰρ ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ, οὐδὲ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δυνατόν. Iccirco & B. Chryſoſtomus *b* comparat rationem temporum cum limitibus agrorum: quia ut abſque his agri, ita ſine illâ res geſtæ confundantur. Optimo igitur jure Hellanicum reprehendit Thucydides: uti & Fabium Pictorem Dionyſius Halicarnaſſ. Neuter enim accuratam habuerat temporum rationem.

Temporis verò nomine iſta complectimur, quibus conſulibus, vel quo archonte, aliquid factum ſit: item ecquid hieme acciderit, an vere, an alia anni parte; diu, an noctu; num tempore opportuno, quâ vitæ ætate, aliaque ejuſcemodi.

Imò interdum etiam licet adjungere, ſiquid memorabile eodem tempore aliis in terris contigerit. Nam etſi id vel nihil vel parum pertineat ad hiſtoriam præſentem: tamen varietas ea grata jucundaque eſſe ſolet. Exemplo eſto Salluſtianum hoc in Jugurtha: *Per idem tempus adverſum Gallos ab ducibus noſtris, Q. Capione, & M. Manlio, malè pugnatum. quo metu Italia omnis contremuerat. Illique, & inde uſque ad noſtram memoriam Romani, ſic habuerunt; alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe; cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certare.* Sic Livius *c* aliqua narrat de bello Achaico adverſus Meſſenen: non quidem cauſſam, ſed eventum tantùm: *Cujus*, inquit, *belli cauſſam, & ordinem, ſi exponere velim; immemor ſim propoſiti, quo ſtatui, non ultrà attingere externa, niſi quà Romanis cohærerent rebus. Eventus memorabilis eſt.* Narrat deinde Philopœmenis mortem, funus, honoreſque ei collatos: atque annum eum celebrem fuiſſe ait morte trium clariſſimorum ducum, Annibalis, Philopœmenis, Scipionis. Similiter Juſtinus lib. V, cùm de captis à Lyſandro Athenis egiſſet: *Inſignis hic annus expugnatione Athenarum, & morte Darii, regis Perſarum, & exilio Dionyſii, Siciliæ tyranni, fuit.* Item lib. VI, cùm dixiſſet de pace ab Artaxerxe Græcis data, (quæ pax Antalcidæ vocatur) *Hic*, inquit, *annus non eo tantùm inſignis fuit, quòd repentè pax totâ Græciâ facta eſt: ſed etiam eo, quòd eodem tempore urbs Roma à Gallis capta eſt.* Hæc de chronico.

De Topico autem videndum, num quid terrâ factum, an mari, quâ in regione, juxta quam civitatem, num in loco montano, an plano, & ſimilia.

Quod ſi locus minùs vulgò fuerit notus, ſitum ejus exponi oportebit. Ita Africam in Jugurtha Salluſtius deſcribit: tum ut ſitus loci notus foret: tum etiam, ut conſtaret, qui in ea provincia amici, qui hoſtes fuiſſent. Et ſanè tantum lucis accedit hiſtoriæ ex locorum notitia, ut Appianus propè omnes labores ſuos pro locorum diverſitate diſtinxerit. Quomodo alia vocat Punica, ſive Carthaginenſia, alia Syriaca, alia Parthica, & ita ferè in aliis, tum iis, quæ exſtant, tum quæ perierunt, ut ex Photio cognoſcimus. Etiam Polybius dicere non veretur, præliorum deſcriptiones, ſimiliaque, niſi natura loci declaretur, cæca effici. Ita enim loquitur. Atque hæc res ſatis oſtendit, ſæpe ne ſufficere quidem, ut limites regionis, ac nobiliora ejus loca proponamus: ſed opus eſſe, ut ne minuti quidem abjectique loci deſcriptionem refugiamus: ut ſi inſidias in eo ſtruxerit aliquis, vel ſaltem de eo ſit deliberatum: quæ res omnino intelligi nequit, niſi ſciatur, quàm idoneus ei rei fuerit locus. Exemplo eſto Livius *d*. cujus hæc verba: *Tumulus erat inter caſtra Minucii, & Pœnorum: qui eum occupaſſet, haud dubiè iniquiorem erat hoſti locum facturus. Eum non tam capere ſine certamine volebat Annibal, quamquam id operæ pretium erat, quàm cauſſam certaminis cum Minucio, quem ſemper occurſurum ad obſiſtendum ſatis ſciebat, contrahere. Ager omnis medius erat primâ ſpecie inutilis inſidiatori, quia non modò ſylveſtre quicquam, ſed ne vepribus quidem veſtitum habebat, re ipſâ natus degendis inſidiis, eò magis, quòd in nudâ valle nulla talis fraus timeri poterat. Et erant in anfractibus cavæ rupes, ut quædam earum ducenos armatos poſſent capere.*

Nec

a *Apud quos confuſa & diſſoluta temporum ratio, illic nec hiſtoriæ veritas conſtare poteſt.*

b *Secunda homil. in Jeſa.*

c *Lib. 39.*

d *Lib. 22.*

Nec inſidiæ duntaxat, ſed alia etiam ad iſtiuſmodi locorum deſcriptionem præbere occaſionem poſſunt. Ita Salluſtius in conjuratione Catilinæ, cùm dixiſſet, Lentulum in carcerem à conſule Cicerone eſſe deductum, addit illa, *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paullulùm eſcenderis ad lævam, circiter duodecim pedes humi depreſſus. eum muniunt undique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus juncta.* Iſti deſcriptioni continuò ſubdit: *In eum locum demiſſus eſt Lentulus.*

Poſſumus quoque, ſi loci minùs clari mentio fiat, adjicere, ſiquid olim memorabile in eo contigerit. Nam & veterum id faciemus exemplo, & res ea, uti lucis, ita voluptatis non parùm, adferet lectori. Livius lib. XXXIV: *Quinctius, ſatis jam omnibus paratis, profectus ab ſtativis, die altero ad Sellaſiam ſuper Oenunta fluvium pervenit: quo in loco Antigonus, Macedonum rex, cum Cleomene, Lacedæmoniorum tyranno ſignis collatis dimicâſſe dicebatur.*

Similiter etiam in magis illuſtribus, ut urbium, & aliorum non ignobilium locorum deſcriptione, dicere aliquid licet, quod ad originem & primordia eorum pertineat. Nam hoc etiam ad hiſtoriæ dignitatem confert. Sed videndum, ne incerta pro certis adferamus. Pleraque enim illa commentitia eſſe ſolent: ut quæ de Judaicæ gentis origine Tacitus adfert. Quare omnino hic judicio opus eſt. Idem de initiis nationum dictum velim. Uti ſunt, quæ Salluſtius in Jugurtha narrat de gentibus, quæ initio Africam habuere. Nam ex Afrorum fide refert, Herculem in Hiſpania interiiſſe: exercitum verò ejus, qui ex variis gentibus compoſitus erat, in diverſas eſſe terras delapſum: Perſas autem, item Medos, atque Armenios, in proximam Africam navibus eſſe tranſvectos: Perſas dediſſe originem Numidis: ac alveos navium inverſos primitus iis pro tuguriis fuiſſe: atque inde eſſe, quòd adhuc agreſtium Numidarum domus eſſent oblongæ, & incurvis lateribus tectæ, carinarum inſtar: Medis verò, poſtquam iis Libyes acceſſiſſent, nomen paullatim eſſe corruptum, ac pro Medis Mauros eſſe dictos. Hæc, atque alia ejuſmodi, non multum à fabulis abeſſe videntur: ſaltem valde diverſa ab iis ſunt, quæ Græci ſcripſere. Iccirco ea narraturus Salluſtius, cautè prius hunc in modum viam ſibi munit: *Qui mortales initio Africam habuerint, quique poſtea acceſſerint, aut quomodo inter ſe permiſti ſint: quamquam ab ea fama, quæ pleroſque obtinet, diverſum eſt: tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiemſalis dicebantur, interpretatum nobis eſt; utique, rem ſeſe habere, cultores ejus terræ putant: quàm pauciſſimis dicam. cæterùm fides ejus rei penes auctores erit.*

Cùm verò in univerſa hiſtoria, tum imprimis in hujuſmodi deſcriptionibus, brevitati ſtudere oportet. Lucianum audiamus: Μάλιστα δὲ σωφρονητέον ἐν ταῖς τῶν ὀρῶν, ἢ τειχῶν, ἢ ποταμῶν ἑρμηνείαις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεπιδείκνυσθαι δοκοίης, καὶ τὸ σαυτοῦ δρᾶν, παρεὶς τὴν ἱστορίαν· ἀλλ' ὀλίγον προσαψάμενος, τοῦ χρησίμου, καὶ σαφοῦς ἕνεκα, μεταβήσῃ, ἐκφυγὼν τὸν ἰξὸν τὸν ἐν τῷ πράγματι, καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν λιχνείαν. *Imprimis verò tibi temperandum in deſcriptionibus montium, vel murorum, vel fluminum, ne vim orationis ineptè oſtentare videaris, & omiſſa hiſtoria tuum ipſius negotium agere. Sed cùm illa paullùm attigeris, utilitatis & perſpicuitatis tantùm gratiâ, mox inde digrediaris: evitato, quod in illa re eſt, glutino, & omnibus hujuſmodi cupediis.*

Hujuſmodi igitur rationem inire oportet in locorum deſcriptione: neutiquam verò imitandi ſunt illi, qui ὑπ' ἀσθενείας [a] τῶν ἐν τοῖς χρησίμοις, ἢ ἀγνοίας τῶν λεκτέων, ἐπὶ τὰς τῶν χωρίων καὶ ἄντρων ἐκφράσεις τρέπονται; ut eſt apud Lucianum. Quales, cùm in multa præclarè geſta incidérint, ſimiles eſſe ait famulis recens ditatis ex domini bonis, qui ignorant, quo pacto induere veſtem conveniat, neque ut ex lege ſit cœnandum: ſed in menſam irruentes, quamvis appoſitæ ſint gallinaceæ, ſuillæ, leporinæ carnes, tamen pulmento aliquo ſic ſeſe replent, ut propemodum rumpantur.

[a] *Ob imbecillitatem, quæ utilia non poſſunt invenire, propterque ignorantiam dicendorum, ad locorum & antrorum deſcriptiones divertunt.*

## CAP. XV.

*Conſilia, modum, eventum, neceſſariò referri debere: philoſophi ac hiſtorici in iſto diſcrimen: nec proximas ſolùm cauſſas, ſed remotas etiam eſſe adducendas. Salluſtius ſuper eo defenſus, quod de conjuratione Catilinæ dicturus, ab ipſis Urbis initiis ordiatur. Partis utriuſque conſilia eſſe adferenda: item omne id, quod niſi fuiſſet, res aliter evenire potuiſſet. Si cauſſa ignoretur, excogitari debere cauſſas veriſimiles: ſed cautione hac utendum eſſe, ut nequem iis impulſum dicamus, ſed impulſum* VIDERI. *Dionyſii Halicarnaſſenſis, Sempronii Aſellionis, & Polybii judicium de hiſtoriis, quæ cauſſam, modum, eventum, negligunt.*

SUperſunt narrationis partes eæ, quæ rem vel antecedunt, vel comitantur, vel conſequuntur. Antecedunt conſilia, eorumque cauſſæ. Ut non in philoſopho ſolùm, ſed etiam hiſtoriæ ſcriptore lectoreque locum habeat poëtæ illud [a],

*Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.*

[a] *Virg.* 2. *Georg.*

Sed hoc inter eos diſcriminis eſt, quòd philoſophus exquirit cauſſas rei univerſalis: hiſtoricus verò rei ſingularis, nempe actionum humanarum. Itaque hic videndum, quo fine quid factum ſit: uti; nunquis eò ſpectârit, ut regnum occuparet, aut ut patriam liberaret, aut imperium augeret, aut barbaros compeſceret, aut ut libidinem expleret, aut ſeſe ulciſceretur; & ſimilia.

Videndum autem, ne, quod à multis fieri ſolet, principium, cauſſam & prætextum, confundamus. Quæ optimè diſtinguit Polybius lib. III [b]. Verba ejus Latinè ſolùm ponam: *Eorum qui res Hannibalis memoriæ prodiderunt, nonnulli cùm exponere cauſſas vellent, ex quibus ortum eſt inter Carthaginenſes ac Romanos bellum, primam hanc adſignant, quòd Saguntum Carthaginenſes obſederint: alteram verò hanc, quòd contra pacis leges amnem Iberum iidem tranſierint. Ego verò initia quidem belli ea fuiſſe, infitias non ierim, cauſſas extitiſſe nequaquam conceſſerim. quin longè aliter res habet. Niſi quis putet, Alexandri tranſitum in Aſiam, belli contra Perſas cauſſam fuiſſe: & quòd Antiochus Demetriadem veniſſet cum claſſe, ejus quod cum Romanis ab eo geſtum. quum neutrum verum eſt, ac ne probabile quidem. Nam quis eam fuiſſe cauſſam exiſtimet multorum, quæ partim Alexander antea, partim etiam Philippus, dum adhuc erat in vivis, effecerat, & ad bellum adverſus Perſas apparaverat? aut eorum, quæ ſimiliter ante Antiochi adventum Ætoli ad bellum contra Romanos? Hoc verò dicere, hominum eſt, qui nunquam cogitarunt, quid diſcriminis ſit, & quantum inter ſe diſtent, principium, cauſſa, & prætextus: quorum duo poſteriora præcedunt rem univerſam: principium poſtremum eſt eorum, quæ diximus. Ego principia cujuſque rei eſſe ſtatuo, conatus primos, & eorum effectiones, quæ fuerint decreta: cauſſas verò, quæ judicia & deliberationes rerum antecedunt. cogitationes dico, effectus animorum, & ratiocinationes, quæ de iis ſuſcipiuntur: per quas ad decernendum aliquid & ſuſcipiendum venimus. Quod dico, clarius fiet ex ſequentibus. Nam quæ veræ cauſſæ fuerint, undeque ſit natum bellum contra Perſas, quivis facilè intelligat. Prima earum eſt, Græcorum, qui cum Xenophonte erant, reditus è ſuperioris Aſiæ ſatrapiis: cùm quidem totam Aſiam, hoſtium ſuorum ſedem, pertranſeuntibus ipſis, nemo repertus eſt barbarorum, qui prodire contrà, & ſe eis opponere auderet. Altera cauſſa eſt Ageſilai, Lacedæmoniorum regis, tranſitus in Aſiam: quando ille, nemine invento, cui ſatis animi aut virium eſſet ad prohibenda ſua incepta, in medio conatu, propter tumultus in Græcia exortos, nullo edito operæ pretio, coactus eſt redire. Ex his cùm de ignavia & ſecordia Perſarum conjecturam feciſſet Philippus, ſuam & Macedonum peritiam rei militaris non ignorans: cùm etiam ob oculos ſibi poſuiſſet magnitudinem ac decus præmiorum,*

[b] *Pag.* 162.

*quæ eo bello conſecuturus eſſet: ſimul ac Græcorum omnium conſentientem benevolentiam ſibi conciliaſſet: confeſtim eo prætextu utens, quaſi Græcorum injurias à Perſis acceptas omni ſtudio ultum iret, impetum ſumſit, ac conſilium iniit gerendi belli, omniaque ad tantum inceptum neceſſaria apparare cæpit. Quamobrem belli contra Perſas cauſſæ quidem cenſeri debent, quas primo loco poſuimus: prætextus verò, quem ſecundò: principium autem Alexandri trajectio in Aſiam. Sic etiam ejus, quod inter Antiochum & Romanos fuit, palàm eſt, cauſam debere ſtatui indignationem Ætolorum. nam hi à Romanis ſpreti multis modis, ut quidem ipſis videbatur, circa exitum belli contra Philippum, non ſolùm Antiochum acciverunt, ut antè dicebamus: ſed etiam præ ira illo tempore concepta, quidvis facere ac pati ſuſtinuerunt. at prætextus exiſtimandus eſt liberatio Græcorum: ad quam Ætoli, ſingulas urbes cum Antiocho obeuntes, omnes vocabant. principium verò fuit Antiochi ad Demetriadem cum claſſe appulſus.* Hæc Polybius. quæ & lucem majorem capiunt ex iis, quæ deinceps ſubdit de cauſſis belli Punici ſecundi.

Nec ſatis eſt, cauſſas rei proximas exponamus: ſed ſæpe adſcendendum ad antiquiora tempora, unde cætera, tanquam à fonte, fluxerunt. Obſervat hoc Salluſtius in Jugurthâ: ubi, ut Micipſæ conſilia clariùs paterent, à bello Numantino ea repetit. Similiter egit in Catilina. Scio, propterea reprehendi à multis, quaſi ambitioſe fecerit, dum, de Catilinâ dicturus, poëtarum more hiſtoriam auſpicatur à primis Urbis initiis. Sed nobilem hiſtoricum egregiè tuetur Julius Scaliger in ſuis de re Poëtica libris *a*. Atque idem antea in Actio ſuo fecerat Jovianus. Huc autem redit utriuſque defenſio, debuiſſe Salluſtium exponere priùs, quo pacto urbs creverit, & quomodo paullatim ab antiquis moribus deſciverit: ut ita oſtenderet, corruptis Urbis moribus factum eſſe, ut Catilina de conjuratione iſta cogitaret, & multos eâ in civitate inveniret, qui ſceleris hujus participes eſſe vellent.

*a Lib. 3. de re poët. cap. 96.*

Ut verò conſilia meliùs intelligantur, utile eſt, non unius ſolùm partis, ſed adverſæ etiam, rationes exponi. Multùm enim lucis ea res hiſtoriæ adfert. Ita videmus, ab eodem Salluſtio in Catilina, & Cæſarem, & Catonem, diverſa planè ſuadentes, induci. Ac Herodotus quoque refert, cujuſmodi oratione Otanes ſuaſerit popularem ſtatum, Megabyſus commendârit imperium optimatium, Darius verò hortatus ſit ad unius dominatum.

Cæterùm conſilia, ac cauſſæ eorum, ſatis intelligi non poſſunt, niſi ſciamus, quæ ſit Reip. forma, & quæ leges; item quæ vires ejus, qui bellici apparatus; quo ingenio, quibus moribus ſit belli dux. Ac propterea hæc etiam ab hiſtorico debent exponi. Unde eſt, quòd Salluſtius deſcribit mores Catilinæ, & Senatus principum: quòd item Livius tantâ curâ nobis Hannibalis ingenium, inſtitutionem, moreſque depingat.

Quærat non injuriâ aliquis, quid fieri debeat, ſi res geſta ſciatur, cauſſa ignoretur. Scio, ſic interdum uſu venire: ſed tum circumferendus animus per omnia illa, quæ ad perſonæ naturam, & rei circumſtantias pertinent. Nam inde illud ſaltem cognoſcemus, quibus aliquem fuiſſe impulſum credibile ſit. Eas igitur ſuſpiciones noſtras exponemus: non ſic tamen, ut incerta adferamus pro certis: ſed contenti erimus dicere, videri hæc vel iſta in cauſſa fuiſſe, cur aliquis iſthoc in animum induceret. Vel etiam, non ſatis de cauſſa conſtare, dicemus, aut quibus autoribus aliquid factum ſit. Exemplo ſit Livii hoc lib. XXX: *Annibal, ſi integer, quàm ſi victus peteret pacem, æquiora impetrari poſſe ratus, nuntium ad Scipionem miſit, ut colloquendi ſecum poteſtatem faceret. Id utrùm ſua ſponte fecerit, an publico conſilio, neutrum cur adfirmem habeo.* Atque hæc de conſiliis, & cauſſis.

Rem comitatur modus, ubi ſpectamus, numquid factum ſit aperto Marte, an arte; alacriter, an timidè; ſedulò, an ſegniter. atque ita in aliis. Quæ minimè præteriri debent. Nam vel paullùm variante modo rei geſtæ; uti & περιστάσει aliquâ; ferè aliter atque aliter evenire res ſolent. Quare malè ſuo munere funguntur illi, qui ea omittunt, quæ niſi fuiſſent, aliter res cadere potuiſſet.

Rem conſequitur eventus: qui interdum præter omnem hominum opinionem ſeſe habet, propter aliqua, quæ divinitus intercidunt.

Ex his ſatis cognoſcimus, cur Tullius, uti ſuprà vidimus, tria hæc explicare jubeat, conſilia, modum, eventum. Quod ſedulò præſtat Dionyſius Halicarnaſſenſis. Unde libro quinto ſic ſcribit: Ἄλλος μὲν οὖν ἄν τις ἀποχρῆν ὑπέλαβεν, αὐτὸ τὸ κεφάλαιον εἰπεῖν, ὅτι &c. Quæ verba ita tranſtulit H. Stephanus: *Enimverò alius quiſpiam hoc ſatis eſſe putaſſet, ipſum rei caput dicere, illum eos, qui ſecreta conſilia inter ſe agitaverant, morte mulctâſſe: tanquam rebus hujuſmodi brevis declaratio ſufficiat: at ego ipſum etiam modum, quo illi comprehenſi fuerunt, memoriâ dignum ratus, ſtatui minimè ſilentio præterire: quippe qui conſiderem, hiſtoriarum lectores non ſatis ex iis utilitatis capere, ſi tantùm, quis rerum exitus fuerit, intelligatur: ſed eorum unumquemque poſtulare, ut ſibi commemoretur, & cur, & quo ſingula modo acta fuerint, & mentem illorum, qui ea egerunt: nec non quæ divinitus intervenerunt: ac nihil non audire eorum, quæ res comitari conſueverunt.* Illuſtrem quoque hac de re locum apud eundem habemus libro VII. ubi, cùm egiſſet de ſeditione eâ, quæ prima Romæ concitata fuit, in hunc modum ſcribit: Ἐμήκυνα δὲ τὸν ὑπὲρ αὐτῶν λόγον, τὸ μή τινα θαυμάζειν πῶς ὑπαγομένων, &c. *Longior in narratione hac fui, ne quis miretur, quomodo patricii tantam poteſtatem plebi tradere ſuſtinuerint, cùm neque cæſi, neque in exilium pulſi fuiſſent optimatium ulli, ut in aliquibus civitatibus evenit. Vnuſquiſque enim, cùm aliquid præter opinionem audit, cauſſam intelligere cupit: atque ex hac pendet fides, quam habet, rei narratæ. Conſiderabam itaque, futurum, ut longè, atque adeo planè à fide mea abhorreret oratio, ſi hoc ſolùm dixiſſem, patricios poteſtate ſuâ plebi ceſſiſſe, &, cùm poſſent gubernacula Reip. tradere optimatibus, potiùs rerum ſummam populi arbitrio commiſiſſe: ſed propter quas hæc patricii plebi conceſſiſſent cauſſas, omiſiſſem: eoque omnes recenſui.* Idem egregiè hac de re diſſerit initio libri undecimi: *Quomodo*, inquit, (Romani Decemvirorum) *poteſtatem, quæ jam altas egerat radices,* (ex Rep.) *exſtirpare aggreſſi fuerint, quorum virorum ductu libertatem recuperarint; ob quas cauſſas, quibuſve occaſionibus; re ab initio repetitâ narrare conabor. Talia enim diſcere, neceſſarium, & pulchrum eſſe exiſtimo, cum omnibus, penè dixerim, hominibus; tum præcipuè verò iis, qui in contemplatione rerum ad philoſophiam pertinentium, & in civilium negotiorum tractatione, verſantur. Multis enim non ſatis, hoc ſolùm ex hiſtoria cognoſcere, bello Perſico, ut potiſſimùm de eo loquar, Athenienſes & Lacedæmonios victores fuiſſe duobus præliis navalibus, unoque terreſtri, devicto barbaro, qui ſecum ducebat tricies centena hominum millia, cùm tamen ipſi cum ſociorum auxiliis non eſſent plures, quàm centum & decem hominum millia: hæc, inquam, ex hiſtoria cognoſcere multis non ſufficit; ſed etiam cupiunt, loca, ubi res geſtæ fuerunt, ex hiſtoria intelligere, & cauſſas audire, ob quas illa facinora admiranda, & omnem fidem ſuperantia ediderint, & percontari, quinam fuerint tam barbarorum, quàm Græcorum exercituum duces: denique (ut ita dicam) quicquid in ipſis præliis geſtum eſt, audire volunt.* Rationem verò hanc addit, Ἥδεται γὰρ ἡ διάνοια παντὸς ἀνθρώπου χειραγωγουμένη διὰ τῶν λόγων ἐπὶ τὰ ἔργα, καὶ μὴ μόνον ἀκούουσα τῶν λεγομένων, ἀλλὰ καὶ τὰ πραττόμενα ὁρῶσα. *Cujuſvis enim animus, dum verbis ad ipſas res quaſi manu ducitur, & non ſolùm audit, quæ dicuntur, verùm etiam videt, voluptate afficitur.* Mox quoque huic bellico exemplo ſubjungit alterum ex actionibus civilibus, quas πολιτικὰς πράξεις vocat: atque ait, ex accuratâ hac cognitione, non ſummam tantùm voluptatem percipi; ſed etiam fructum, cùm exempla ejuſmodi prudentiam mirè alant. Et ſanè, ſi cauſſæ, conſilia, modus, prætereantur; pueris quidem fabulæ narrentur, non hiſtoriæ ſcribantur,

ut apud Agellium dicit Sempronius Aſellio. Adſtipulatur eidem Polybius lib. III; Ἱστορίας γὰρ, inquit, ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ Διὰ τί, καὶ Πῶς, καὶ Τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δ' οὐ γίνεται. *Si quis hiſtoriæ adimat, Quare, Quomodo, Quem in finem, unumquodque actum ſit, & numquid exitum habuerit rationi conſentaneum: quicquid in illis reliqui fuerit, inanis erit oſtentatio, non documentum.*

## Cap. XVI.

*De hiſtoria unius imperii. Quinque in ea res ſpectari oportere, &, quæ in ſingulis conſiderari debeant, oſtenſum. Urbis, & imperii initium, differre. Similiter non eundem ſemper urbis eſſe finem, atque imperii. Ut Græcorum res paullatim ad ſummum honoris faſtigium pervenerint, ac ſenſim retro ierint. Quibus modis à Græcis dicatur hiſtoria univerſalis, & quo pacto ſcribi ea debeat.*

EGimus de hiſtoria rei geſtæ unius: ſequitur hiſtoria unius imperii. Quæ Dionyſio Halicarn. lib. VII dicitur ἐπιχώριος ἱστορία. Nec enim ita ſolùm vocatur, quæ unius eſt regionis, ſed etiam quæ unius eſt civitatis, aut loci. Hæc quomodo ſcribi debeat, magna ex parte cognoſcitur ex iis, quæ diximus de ratione rei unius geſtæ. Nam conſtat hiſtoria imperii ex multis partibus, quales deſcripſimus. Ut ſi res Græcorum narrandæ ſint, deſcribi oportet bellum non unum; ſed & Marathonium, & Salaminium, & alia, in quibus ea obſervanda ſunt, quæ antea diximus.

Sed præterea opus eſt, ut imperium conſideremus univerſè, quatenus ſingulæ partes inter ſe nexum habent, & σῶμα ſive corpus quoddam conficiunt.

Partes iſtæ, quas ſpectari convenit, ſunt quinque, ortus imperii, incrementum, ſtatus, declinatio, & finis: quæ Græcis, ἀρχὴ, ἐπαύξησις, ἀκμὴ, παρακμὴ, καὶ φθορά.

Diſtinguere verò oportet inter initium urbis, & imperii. Rarò enim initium idem eſt amborum, quia tum demum imperium habere urbs dicitur, quando ſui eſt juris ac poteſtatis: ut quando habet poteſtatem propriis auſpiciis bellum gerendi.

Itaque priuſquam de initio imperii agamus, de urbis initio dicendum: ubi videndum, & à quo, & qua de cauſſa urbs ſit condita. De priori intereſt ſcire, num à principe populi exſtructa ſit; an pluribus, qui poteſtate fuerint æquales. Nam pro iſto variare etiam imperii ratio ſolet: quæ vel unius eſt poteſtas, vel paucorum, vel populi univerſi.

De altero in conſiderationem venit, quæ commoda ſpectarint, qui urbem exſtruxere.

Ea verò reſpiciunt partim acquiſitionem, partim conſervationem illorum, quæ utilia ſunt ad hanc vitam.

In acquiſitione ſpectamus, tum quid domi naſcatur, ubi conſideramus agros fertiles, fluvios piſcoſos, & ſimilia: tum quid aliunde commodè importetur, ſi domi minùs proveniat. Quantopere autem requiratur agri fertilitas, eo quòd populus frequens ſine copia cibi vitam tueri non poſſet, cognoſcere eſt ex hiſtoria nobili de Dinocrate, ſive ut vocatur in inſcriptione antiquæ Democrate architecto, pollicente ſe Athon montem ita efformaturum, ut haberet figuram regis Alexandri; ac manus læva amplecteretur ampliſſimæ civitatis mœnia; dextera autem pateram, quæ flumina ejus montis & exciperet, inque mare effunderet. Cujus conſilium non alia de cauſſa rejecit Alexander, quàm quia conſpiceret, ut ſi colonia eò deduceretur, judicium ſuum improbaretur, quia eſſet civitas ſine agris & eorum fructibus. Quare Dinocratem quidem ſecum retinuit: ſed opera ejus uſus eſt in urbe condenda Alexandria, loco magis idoneo, ſeu ea quæ agricultura, ſeu quæ mercatura præberet, ſpectarentur: quippe juxta Nilum ac mare. Vide Vitruvium præfat. lib. II.

In conſervatione videmus, num vel loci naturâ, vel hominum vi cuſtodire ac tueri nos noſtraque poſſimus adverſus pericula: ut inundationem, vim hoſtilem, atque alia. Horum in condenda, & retinenda urbe ratio haberi ſolet. Uti fecit Arſaces, primus Parthorum rex, cùm Daram, ſive Daſam, vel Daricum conderet. Quemadmodum his verbis docet Juſtinus lib. XLI: *Revocato*, inquit, *Seleuco novis motibus in Aſiam, dato laxamento regnum Parthicum format, militem legit, caſtella munit, civitates firmat, urbem quoque nomine Daram in monte Zapaortenon condit: cujus loci ea conditio eſt, ut neque munitius quicquam eſſe, neque amœnius poſſit: ita enim & præruptis rupibus undique cingitur, ut tutela loci nullis defenſoribus egeat; & ſoli circumjacentis tanta ubertas eſt, ut propriis opibus expleatur: jam fontium ac ſilvarum ea copia eſt, ut & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur.* Sanè qui in exſtruendo non attendunt ad iſta, imprudentes ſunt: timidi autem, qui, periculo poſtea cognito, ſedes meliores quærere non audent.

Eſt & cùm urbes in extero ſolo conduntur, ut regionem muniant. Hujus generis coloniæ Romanorum eſſe ſolent.

Refert etiam ſcire, num homines ſponte urbem condiderint: an aliunde expulſi. Quomodo Teucer exul condidit in Cypro Salamina.

Interdum quoque urbes partim ab indigenis, partim ab exteris conduntur. Ita Lavinium à Latinis indigenis, & Trojanis advenis fuit exſtructum.

Atque hæc de urbis initio. De quo & quædam non aſpernanda habet Machiavellus Diſput. de Repub. lib. I. cap. I. Poſtilla referemus, ut urbs paullatim indepta ſit imperium: atque id partim opibus publicis ac privatis, quò refer reditus, & vectigalia, ac victum civium: partim legibus, prudentiâque eorum qui imperarent: ut qui non amari minùs, quam metui vellent: partim etiam fortitudine, ac diſciplina militari.

Hinc exponemus, ut iiſdem artibus ad ſummum potentiæ atque honoris faſtigium pervenerit. Nam quibus imperium comparatur, iiſdem retinetur, atque augetur.

Excipit iſta declinatio imperii. Cauſſæ verò, cur labefactetur, eſſe ſolent, vel luxuries, & alia civium vitia, vel ſeditiones, vel nimia externi principis potentia. Atque hæc etiam exitio imperio ſunt. Eſt verò, cùm intereat vel fame, & peſtilentiâ, vel incendio, aut diluvio, vel terræmotu, quo integræ ſæpe civitates ſunt abſorptæ.

Porrò interdum fit, ut urbis idem ſit finis, atque imperii, ut accidit Trojanis, & Carthaginenſibus. item Hieroſolymis à Tito devictis. Interdum urbs manet, non imperium, ut Hieroſolymis captis à Pompejo. Interdum urbs deleta, imperium manſit, ſed aliò tranſlatum. Quod contigit Jeſolo, Heracleæ, & Medauco veteri, Italiæ civitatibus. Nam poſt earum ruinam imperium tranſlatum fuit Rivaltum. Atque hæc, quæ de imperii unius hiſtoria diximus, pleniùs exponit Patricius dialogo VI de hiſtoriâ. Multum verò iis lucis acceſſerit ex Græcorum imperio. Nam nihil memorabile egerunt à Trojanis temporibus, uſque ad bellum, quod adverſus Darium, & Xerxem geſſere. Marathoniâ verò & Salaminiâ pugnâ ad ſummam pervenere potentiam. Mox diſſidium inter Athenienſes, & Lacedæmonios, conflavit bellum Peloponneſiacum, quod vires eorum ita diſtraxit, atque atrivit, ut Philippus, Macedoniæ rex, occaſione eâ utendum ſibi ratus, Græcorum invaſerit imperium. Huic ſucceſſit filius Alexander, qui Perſiam, aliaque orientis regna, paterno imperio adjecit. Eo defuncto, præfecti exercitus imperium inter ſe diviſere. Sed mutuis diſſenſionibus & bellis, cùm illorum, tum eorum qui iſtis ſucceſſere, & Græcia, & quæcunque Alexandri virtute parta erant, Romanorum in poteſtatem venerunt. Hæc quæ breviter nos diximus, paucis item, ſed paullo tamen fuſiùs, etiam Zoſimus narrat initio libri primi. Ubi & obſervat, ut Romanorum res creverint, poſteaque declinarint. Atque hæc de hiſtoria particulari, ſive, ut Polybius a vocat, τῇ κατὰ μέρος ἱστορίᾳ. a Lib. I.

Proximum erat, ut traderemus, quomodo hiſtoria omnis ævi ab origine mundi uſque ad noſtra tempora ſcribi debeat. Item quæ non omnis quidem eſt ævi, attamen orbis eſt univerſi, vel nobiliſſimorum orbis imperiorum:

ut cùm narrandum, quæ annis aliquot, vel etiam ſeculis, per orbem univerſum, vel gentes maximè celebres, contigerunt. Polybio *a* vocatur ἡ τῶν καθόλου πραγμάτων σύνταξις. Dionyſio Halicarnaſſ. lib. v. eſt κοινὴ ἱστορία. cui opponitur ἐπιχώριος, quæ uni eſt loco adſtricta. Quomodo verò ἡ κοινὴ ἱστορία ſcribi debeat, cognoſcere eſt ex iis, quæ hactenus de unius rei geſtæ, atque unius imperii hiſtoria diximus. Nam ut ex multis unius rei geſtæ hiſtoriis conflatur hiſtoria imperii totius: ita ex multis univerſi imperii hiſtoriis componitur hiſtoria univerſalis. Quicquid verò peculiaris hîc artificii eſt, id ad diſpoſitionem pertinet: de quâ dicemus ſuo loco. Quodſi quis ſcire etiam volet, quanta hujus κοινῆς ἱστορίας utilitas ſit; videat, quæ fusè initio bibliothecæ ſuæ diſſerit Diodorus Siculus.

*a Lib. 1.*

## Cap. XVII.

*De vitis, ſeu hiſtoria unius hominis. Utrùm etiam privatorum vita ſcribi debeant, ſi doctrinâ, vel arte aliquâ excelluerint. In vitis privatorum, privatam duntaxat; in iis, qui publicos honores geſſere, & publicam, & privatam vitam ſpectari. Aliter de utroque horum agere, qui vitas ſcribunt; aliter, qui annales condunt. Bonorum vitas, duplici; improborum, uno tantùm nomine prodeſſe. In vitis ſolùm exponi, quæ ſciri intereſt. Junii Cordi peccatum in hoc geminum. Duplex via ſcribentium vitas.*

VIdimus de hiſtoria totius corporis, & variis ejus formis: ut quæ vel omnis eſt ævi, vel integri imperii, vel ſolùm unius belli, aut conjurationis. Supereſt hiſtoria unius hominis.

In hac duo ſpectare oportet: quorum vitas ſcribere conveniat, & quomodo id fieri debeat.

De priori illud ſatis eſt apertum, tum virorum, tum mulierum vitas ſcribi poſſe; quos virtus, aut honor, illuſtri in loco collocaverit; vel etiam facinora fœda nobiles fecerint. Illud verò in controverſia eſt, an præter eos, qui geſſerint publicos honores, ac ſago, aut togâ, multum Reip. emolumenti attulerint, aut damni dederint, etiam deſcribi oporteat vitas hominum privatorum: ut pictorum, ſculptorum, grammaticorum, rhetorum, philoſophorum, & ſimilium. In dubium illud vocat Patricius dialogo de Hiſtoria octavo. Sed ſcimus, Tranquillum non minùs de grammaticis, rhetoribus, ac poëtis ſcripſiſſe, quàm de duodecim Cæſaribus. Et philoſophorum vitas ſcripſit Laërtius, uti ſophiſtarum, Philoſtratus, atque Eunapius. Ac multos etiam alios, qui hodie non exſtent, ſuperiùs *a* commemoravimus. Adhæc ſi Reip. refert, præclaros eſſe philoſophos, poëtas, rhetoras, quis dubitet, quin Reip. interſit, eorum vitas ad poſteros propagari, quò iſtorum exemplo ad ſimile ſtudium alii excitentur?

*a Cap. 7.*

Sic igitur ſtatuo, duplex eſſe eorum genus, qui vitas ſcripſere: alios enim hominum privatorum, alios autem principum vitas compoſuiſſe. Inter quos hoc intereſt, quòd priores privatæ tantùm vitæ conducunt: poſteriores & privatæ, & publicæ. Nam duo hæc in principum vitis ſpectantur, *qualis quiſque fuerit imperio, & interior ac familiaris vita*, ut verbis utar Suetonii. Poſterius hoc reſpondet τῷ ἠθικῷ, prius τῷ πολιτικῷ. Cæterùm in priori etiam differunt vitarum ſcriptores ab annalium conditoribus. Nam hi præcipuè ſpectant Rempublicam: ea verò, quæ ad privatam pertinent vitam, tantùm per occaſionem delibant. Liquet hoc ex Tacito, Dione, Herodiano, Ammiano, & aliis. At vitarum ſcriptores imprimis exponunt vitam ſingulorum privatam: ea, quæ publica ſunt, per occaſionem attingunt, atque, ut Græci dicerent, κατ' ἐπακολούθημα. Quod ſatis oſtendunt Tranquillus, Lampridius, cæterique, qui Cæſarum vitas ſcripſere.

Quamquam autem non bonorum tantùm, ſed ſceleratorum etiam vitas poſteritati prodi expediat: multùm tamen intereſt, illas potiùs ſcribi, quàm has. Nam bonorum exempla non ſolùm cognitione boni nos inſtruunt: ſed etiam ad imitandum excitant. At non pauci ſunt, quos malorum artes neſcire præſtaret. Atqui, ut Plinius verè ait, parùm abeſt à docente, qui narrat. Hactenus de iis, quorum vitæ ſcribi debent.

Altera quæſtio erat, de modo, quo id fieri convenit. Ubi imprimis meminiſſe ejus oportet, quod ſuperiùs dicebamus, materiem, circa quam hiſtoria verſatur, non eſſe quævis, quæ homines egere, ſed τὰ ἀξιόλογα, ac memoriâ digna. Quare nec in Vitis quævis exponemus: ſed ea duntaxat, quæ præluſtria ſunt, atque ejuſmodi, ut ea nota eſſe publici interſit. Ac propterea etiam à Julio Capitolino *a* reprehenditur *Junius Cordus, aſſerens, ſe minima quæque perſecuturum, quaſi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco ſciendum ſit, quoties proceſſerit, quando cibos variaverit, & quando veſtem mutaverit, & quos quando promoverit: quæ ille omnia exequendo mythiſtorias replevit talia ſcribendo; cùm omnino rerum vilium, aut nulla ſcribenda ſint, aut nimis pauca; ſi tamen ex his mores poſſint animadverti, qui revera ſciendi ſunt, ut ex iis cætera colligantur.*

*a In Opilio Macrino.*

Hac ipſa de cauſſa non facilè eorum vita ſcribenda eſt, qui nihil memoratu dignum egere. In quo idem Cordus peccavit. Nam, ut ibidem Capitolinus ait, *ſtudium ei fuit eorum imperatorum vitas edere, quos obſcuriores videbat. Qui non multum profecit. Nam & pauca reperit, & indigna memoratu.* Quare non temerè aliorum vitæ ſcribendæ, quàm qui rebus geſtis, vel ingenii monumentis, vel re aliâ, ſuo ævo fuere illuſtres. Quodſi qui ſolâ imperii amplitudine commendentur, hos non eſt quòd ſtylo noſtro dignemur.

Bifariam verò vitæ ſcribi ſolent; *per tempora, vel per ſpecies*, ut Tranquillus in Auguſti vita loquitur. Hoc eſt, vel temporum gradus ſervandi; vel generum ſequimur diſtributionem, nullâ temporis habitâ ratione.

Poſterioris exemplum ſit, ſi, quæ Spartianus ſcripſit, revoces ad tria hæc capita; publicè geſta, peregrinationes, & cæteram vitam privatam.

In poſteriori genere per eadem capita eundum, per quæ oratores procedunt in genere demonſtrativo: ut ſunt; genus, patria, ingenium, indoles, forma, opes, educatio, mores, ſtudium virtutis & ſapientiæ, amici, vitæ genus, pietas; prudenter, juſtè, fortiter, moderatè dicta, vel facta; honores, conjugium, liberi, mors, fama, & ſiqua hujuſmodi alia: de quibus in Oratoriis Inſtitutionibus, ac Partitionibus ſatis dictum nobis.

Interim cavendum, ne ex hiſtorica vitæ narratione faciamus elogium, aut vituperationem: quæ plurimùm ab hiſtoria differre, ex Luciano ſuperiùs oſtendimus.

Ut verò meliùs perſpiciatur modus, quo vitæ ſcribi debent, exemplum capere poſſumus ex Cornelio Nepote, à quo Attici vitam elegantiſſimè ſcriptam habemus. Uti & Imperatorum vitas, quas falsò tribuunt Æmilio Probo. Nepoti adde Tranquilli illa, quæ exſtant. E Græcis virorum principum vitas nobis reliquit divinus Plutarchus: philoſophorum, Laërtius: Demonactis, Lucianus: Apollonii Tyanæi, Philoſtratus ſecundus, primi, qui ſingularum iconum edidit librum, ex filia nepos. Nec prætereundus Philoſtratus tertius, ſecundi ex fratre nepos, qui ſophiſtarum vitas libris duobus complexus fuit: uti nec Eunapius, qui & ipſe de ſui ævi ſophiſtis librum ſcripſit planè luculentum, niſi quâ parte favet Platonicorum iſtius ævi magiæ, Chriſtianæ verò religioni omnino iniquior eſt.

## Cap. XVIII.

*De judicio hiſtorico. Franciſcus Patricius refellitur. Judicium ferri non debere, niſi probè omnia circumſpexeris. Quo pacto inſtitui debeat, Salluſtii, Liviique locis aliquot oſtenſum. Pertinere eò, ut de vita cujuſque dicamus, qualis fuerit. Si hic peccandum eſt, ſatius eſſe, ut de malis bene, quàm ut de bonis malè ſentiamus. In more eſſe, ut poſt vita hiſtoriam adjiciatur funebris laudatiuncula. Refelluntur, qui laudationes putant ab hiſto-*

*hiſtoriæ eſſe alienas. Interim in laudando modum eſſe ſervandum. Salluſtius eo reprehenſus, quòd malignè laudat, fuſe ampleque vituperet. Laudatiuncula hiſtoricæ, & oratorii encomii diſcrimen ex Agathia, ac Luciano; & inde Tullio lux. Joviani Pontani, & alterius, ſententia expenſa. An hiſtorici etiam ſit affectus movere, obiter quæſitum.*

QUæ hactenus diximus, propriè ad τὴν κατὰ μέρος διήγησιν, ſive narrationem præcipuè inſtitutam pertinent. Sed præter eam tria alia ſunt, ex quibus hiſtoriæ corpus componatur; judicium, conciones, & digreſſiones.

Judicium appello, quo hiſtoricus poſt rem narratam adfert ſententiam ſuam.

Neque hanc partem neglexit Tullius in ſecundo de Oratore. Jubet enim, *de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor probet.* Quod verò de conſiliis ait Tullius, idem in cæteris locum habet. Ita Curtius lib. IX, cùm quædam ambiguæ fidei de canibus venaticis in Sophite regione narraſſet, continuò ſubdit: *Equidem plura tranſcribo, quàm credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito; nec ſubducere, quæ accepi.*

Verùm, inquiunt nonnulli, præjudicium ea res adferet lectori. Minimè verò. Nam & quiſquis legit hiſtoriam, ſecum tacitus judicat: expedit verò ut, ubi ad narrationis finem devenerit, ſuum cum hiſtorici judicio conferat. Nec tamen eſt, quod dicunt, ita narrationis filum abrumpi. Nam leviculum hoc incommodum abunde compenſatur majori emolumento, quod ex judicio iſtoc conſequimur. Neque movere debet, quòd Xenophon ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς *a* id neglexerit. Nam uti cauſſam habuit, cur eo opere judicio ſuperſederet: ita alio in opere judicium adhibet: nempe illo, quod Cyri ἀναβάσεις *b* inſcribitur. Quod verò Cæſarem quoque negant judicium ſuum interponere: id levis eſt momenti. Nam commentarios is, non hiſtoriam ſcripſit.

*a Libb. de rebus Græcor.*
*b Adſcenſus ſive expeditio in Aſiam.*

Atque iſta clarè etiam refellunt Franciſcum Patricium, qui dialogo X. hanc hiſtoriæ legem facit, ut tantùm res geſtas narret; non item, vel cauſſas rerum ſcrutetur, vel judicium ſuum interponat. Nempe quia hoc philoſophi eſſe putet, non hiſtorici munus. Itaque ne Polybium quidem perſtringere veretur, quòd ſubinde, rebus narratis, philoſophi inſtar de iis diſſerat. Sed nobis potior eſt Polybii auctoritas, præſertim quæ ratione adeò validâ ſit ſubnixa. Eſt enim hiſtoria, ut non ſemel dictum, philoſophia exemplis conſtans. Hæc philoſophiæ, & hiſtoriæ affinitas, ac conjunctio, facit, ut philoſopho præcepta ſua liceat hiſtoricorum exemplis illuſtrare: & viciſſim hiſtoricus poſſit facta quædam ad philoſophorum præcepta expendere. Loquor verò de hiſtoriâ juſtâ. Neque enim in commentariis iſta exigi debent. Longeque minùs ἐν χρονολογουμένοις. Ubi ſatis eſt, capita rerum geſtarum referri, & temporibus ſuis accommodari.

Interea agnoſcimus, interdum uſu venire, ut etiam in juſta ac legitima hiſtoria judicio ſatius ſit ſuperſedere. Ut ſi ſingula non ſatis ſint nobis explorata. Nam pendet judicium ab omnibus circumſtantiis, quarum vel una ſi ignoretur, judicare de re minimè poſſumus. Quod etiam Ulpiani judicium eſt l. injuriam, v. §. idem. ff. de injuriis.

In rebus verò minimè incertis planè judicium apponemus: ſed quaſi obiter, atque ut plurimùm paucis. Qua in re exemplo eſſe poſſit Salluſtius. Nam cùm improba Catilinæ conſilia, omnemque conjurationis apparatum, luculentè narraſſet: judicium ſuum his verbis apponit: *Eâ tempeſtate mihi imperium populi Romani multo maximè miſerabile viſum eſt. cui cùm ad occaſum ab ortu Solis omnia domita armis parerent; domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen cives, qui ſeque, & rempub. obſtinatis animis perditum irent. Namque, duobus Senati decretis, ex tanta multitudine, neque præmio inductus conjurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinæ quiſquam omnium diſceſſerat. Tanta vis morbi, atque uti tabes, pleroſque civium animos invaſerat.* Et in Jugurtha, cùm captum à Mario montem ſaxeum mediocri caſtello, ubi regis erant theſauri, retuliſſet, addit: *Sic Forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.* Similiter Livius *a*, cùm narrâſſet eruptionem ad Nolam à Marcello factam: *Ingens*, inquit, *eo die res, ac neſcio, an maxima illo bello geſta ſit. Non vinci enim ab Annibale vincentibus difficilius fuit, quàm poſtea vincere.*

*a Lib. 23.*

Sæpe etiam expedit, judicium apponamus, non ut noſtri unius, ſed tanquam ſapientium commune. Pondus enim ea res addit orationi. Exemplo eſto Livius *b*, cùm explicaret deſidiam Annibalici exercitus ad Capuam: *Majus, ait, id peccatum ducis apud peritos artium militarium habetur, quàm quòd non ex Cannenſi acie protinus ad urbem Romam duxiſſet exercitum. Illa enim cunctatio diſtuliſſe modò victoriam videri potuit: hic error vires ademiſſe ad vincendum.*

*b Lib. 23.*

Cæterùm ad judicium meliùs ferendum plurimùm valet, ſi etiam, ut Ciceronis *c* utar verbis, *explicentur hominum ipſorum non ſolùm res geſtæ, ſed etiam, qui famâ ac nomine excellant, de cujuſque vita ac natura.* Præcipit idem Dionyſius Halicarn. lib. V. cùm ait; Παντὸς μάλιστα (H. Stephanus legit πάντων μάλιστα, vel παντὸς μᾶλλον) τοῦτο νομίζω προσήκειν τοῖς γράφουσιν ἱστορίας, μὴ μόνον τὰς πολεμικὰς πράξεις τῶν ἐπισήμων ἡγεμόνων διεξιέναι, μηδ᾽ εἴ τι πολίτευμα καλὸν καὶ σωτήριον ταῖς πόλεσιν ἀπεδείξαντο ἐξευρόντες, ἀλλὰ καὶ τοὺς βίους αὐτῶν, εἰ μέτριοι, καὶ σώφρονες, καὶ μένοντες ἐπὶ τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ πολιτεύμασι διετέλεσαν, ἐπιδεικνύναι. hoc eſt; *Inprimis exiſtimo convenire iis, qui hiſtorias ſcribunt, ut nonmodò exponant res ab inſignibus Imperatoribus in militiâ geſtas, & ſiquid præclarum, ac reip. adminiſtrationi ſalutare, invenerunt: ſed inſuper, ut vitas eorum, num moderati ac temperantes, morumque patriorum atque inſtitutionum obſervantes fuerint, oſtendant.* Itaque & in hiſtoria locum habent laudes, quas quiſque meritus eſt. Sunt enim pars judicii; quod inter præcipuas eſt hiſtoriæ virtutes. Solùm videndum, ne in laudationibus iſtis negligamus τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸ δίκαιον *d*, quorum imprimis ſe προνοεῖσθαι *e*, idem Dionyſius in prooemio ait. Negligitur verò utrumque, ſi vel probos vituperemus, vel improbos laudemus. Neutrum hiſtorico convenit: qui neque cum Xenophonte Cyrum, regem juſtitiâ minimè commendabilem, optimi ac juſtiſſimi principis ſtatuet exemplar: neque cum Marone univiram ac caſtiſſimam Didonem depinget, ut parum pudicam. Et tamen, ſi alterutro peccandum eſt, leviùs delinquit, qui virum malum celebrat ab egregiis virtutibus: quàm qui probis vitia fallò affingit. Nam poſterius qui facit, alienam lædit exiſtimationem: at non alterius violat famam, qui fallò prædicat alicujus virtutes. Niſi fortè certamen fuerit probo cum improbo. Tum enim laudatio improbi in præjudicium ejus verget, qui ei in vita fuerit adverſatus. Altera etiam cauſſa accedit, quia probi hominis argumentum eſſe ſolet, omnia in meliorem partem interpretari. Nam quiſque alios ex ſeſe metiri ſolet: unde fit, ut qui probis ipſe moribus eſt, idem alios ſimiles eſſe facilè in animum inducat: improbus verò, etiam dum res in incerto eſt, eſſe alios improbos exiſtimet, eoque omnia rapiat in deteriorem partem.

*c Lib. 2. de Orat.*
*d Veritatem & æquitatem.*
*e Curam gerere.*

Quæritur porrò, ubi hiſtoricus apponere judicium debeat. Verbo id jam antè indicavimus: nempe poſt res narratas. Imprimis verò facere id veteres ſolent, poſtquam excellentis ducis obitum retulerunt. Hinc Brutidius Niger apud M. Senecam Suaſoria VI, vel, ut alii diſtinguunt, VII: *Quoties magni alicujus mors ab hiſtoricis narrata eſt, toties fere totius conſummatio vitæ, & quaſi funebris laudatio redditur.*

Keckermannus tamen in ſuo de hiſtoria opere laudationes in totum repudiat: partim quia illas rhetoris, non hiſtorici eſſe putet: partim quia, ſi eum audimus, in hiſtoria etiam ſuperfluæ ſint. *Nam*, inquit, *ipſa narratio ſatis ſuperque prudenti lectori laudabit aut vituperabit factorum auctores.* Sed facilè utrique argumento obviam itur. Nam

rhetor, & hiſtoricus, multa quidem habent communia: ſed nec conſiderandi, nec tractandi ratio convenit. Neque ſupervacaneum eſt, quod judicium imbecilliorum firmat, benefactis & malefactis cujuſque mercedem ſuam rependit, alioſque ad virtutem inflammat, à vitiis abſterret.

Sed tamen à nonnullis modum ea in re minimè teneri, ſatis oſtendunt, quæ Seneca ſubjungit, poſt verba illa, quæ paullo antè citabamus: *Hoc*, inquit, *ſemel atque iterum à Thucydide factum. idem in pauciſſimis perſonis uſurpatum à Salluſtio. Livius benignius omnibus magnis viris præſtitit. Sequentes hiſtorici multò id effuſius fecerunt.* Ubi, Salluſtium in laudando parcum fuiſſe, non minùs verè dicit, quàm ejus in verbis parcimoniam laudat Appuleius *a*: ſed in vituperando tamen parcus minimè fuit. Nam *homo nequam*, ut eum Lactantius *b* vocat, ſed *graviſſimus alienæ luxuriæ objurgator & cenſor*, ut de eo loquitur Macrobius *c*, tum in Catalinariâ, tum in Jugurthinâ, uſque adeò multus eſt in inſectando, ut interdum oratio ejus propiùs ad invectivam in mores populi Romani, quàm ad hiſtoriam accedere videatur. Idem de Theopompo dictum velim, quem Lucianus *d* ait adeo vehementer atque acerbe vituperare, ut videatur κατηγορεῖν *e* μᾶλλον, ἢ ἱστορεῖν τὰ πεπραγμένα.

*a In Apolog.*
*b Lib. 2. de falſ. relig. cap. 13.*
*c Lib. 3. Saturn. cap. 15.*
*d Lib. de ſcrib. hiſt.*
*e Accuſare magis, quàm hiſtoriam ſcribere.*

Nec tamen in vituperando ſolùm, ſed etiam in laudando modus tenendus eſt. quod idem Lucianus indicat his verbis: Οὐ τοῦτό φημι, ὡς οὐχὶ καὶ ἐπαινετέον ἐν ἱστορίᾳ ἐνίοτε, ἀλλ' ἐν καιρῷ τῷ προσήκοντι ἐπαινετέον, καὶ μέτρον ἐπακτέον τῷ πράγματι, τὸ μὴ ἐπαχθὲς τοῖς ὕστερον ἀναγνωσομένοις αὐτά. *Non hoc dico, quaſi non laudandum in hiſtoria quandoque ſit: ſed ſuo loco & tempore laudandum, modumque rebus adhibendum eſſe cenſeo, nequà moleſtiâ afficiantur ii, qui in poſterum eadem hæc aliquando legent.* Nempe aliud omnino eſt laudatiuncula hiſtorica, aliud laudatio oratoria. Quæ jure diſtinguit Agathias operis ſui præfatione, ubi inter alia; Καί τοι ἐγκωμίῳ μόνῳ προσήκειν οἱ ταῦτα δεινοί φασι, τὸ προσὸν ὁτῳοῦν ἀγαθὸν κατὰ τὸ μᾶλλον ἐξαίρειν. ἱστορία δὲ ἐπαινεῖν μὲν καὶ οὐδὲ σφόδρα τοὺς ἀριστεύσαντας οὐ πάμπαν ἀναίνεται· οὐ μὴν τοῦτό γε σκοπὸν εἰργασμένον καὶ γνώρισμα ἔχειν ἐθέλει. ἀλλ' εἴ πῃ ἡ τῶν πράξεων ἀπεργασία ἔπαινον ἢ ψόγον ἐπάγει, οὐ βιάζεσθαι αὐτῇ θέμις, οὐδὲ μεταποικίλλειν τὰ γεγενημένα. *Atqui periti harum rerum auctores ſoli encomio convenire ajunt, bona, quibus quiſque præditus eſt, verbis exaggerare, atque extollere. Hiſtoria verò, tametſi ne ipſa quidem à laudatione eorum, qui præclari aliquid geſſerunt, prorſus abhorret: hunc tamen ſcopum argumentumque ſibi præfixum habere nolle, exiſtimo. Sed ſicubi factorum effectus laudem aut dedecus conciliat, vim facere hiſtoria non licet, neque res ipſas palliare fucareque oportet.* Hæc Agathias: quæ tamen in ſuâ ineptiſſimâ interpretatione, ut alia multa, planè præteriit Chriſtophorus Perſona.

Ex his verò Agathiæ verbis eadem cognoſcimus, cauſſam, cur oratorium encomium non conveniat hiſtoriæ, non hanc ſolùm eſſe, quòd hiſtoricus paucis laudet, orator fuſè id agat: verùm imprimis, quia qui in laudes amplè excurrit, difficulter ſe tenet intra limites veritatis. Hinc Cicero epiſt. XIX. lib. I. ad Att. *Quamquam non* ἐγκωμιαστικὰ *ſunt, ſed* ἱστορικὰ, *quæ ſcribimus.* Sed pluribus hac de re præcipit Lucianus his verbis: Καὶ πρῶτόν γε ἐκεῖνο, ἡλίκον ἁμαρτάνουσιν, ἐπισκοπήσωμεν. Ἀμελήσαντες γὰρ οἱ πολλοὶ αὐτῶν τοῦ ἱστορεῖν τὰ γεγενημένα, τοῖς ἐπαίνοις ἀρχόντων καὶ στρατηγῶν διατρίβουσι· τοὺς μὲν οἰκείους, ἐς ὕψος ἐπαίροντες, τοὺς πολεμίους δὲ, πέρα τοῦ μετρίου καταρριπτοῦντες, ἀγνοοῦντες ὡς οὐ στενῷ τῷ ἰσθμῷ διώρισται καὶ διατετείχισται ἡ ἱστορία πρὸς τὸ ἐγκώμιον. ἀλλά τι μέγα τεῖχος ἐν μέσῳ ἐστὶν αὐτῶν, καὶ τὸ τῶν μουσικῶν δὴ τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν, ἐστι πρὸς ἄλληλα. εἴ γε τῷ μὲν ἐγκωμιάζοντι μόνου ἑνὸς μέλει, ὁπωσοῦν ἐπαινέσαι καὶ εὐφρᾶναι τὸν ἐπαινούμενον· κἂν εἰ ψευσαμένῳ ὑπάρχῃ τυχεῖν τοῦ τέλους, ὀλίγον ἂν φροντίσειεν. ἥδε οὐκ ἄν τι ψεῦδος ἐμπεσὸν ἡ ἱστορία οὐδ' ἀκαριαῖον ἀνάσχοιτο, οὐ μᾶλλον, ἢ τὴν ἀρτηρίαν ἰατρῶν παῖδές φασι τὴν τραχεῖαν παραδέξασθαι ἄν τι ἐς αὐτὴν καταποθέν. *Ac primùm quidem illud, quantum peccent, conſideremus. Nam plerique ipſorum, neglecto eo, ut rem ipſam, perinde ut geſta eſt, exponant, in laudibus imperatorum, & ducum, immorantur, ſuos quidem in cælum extollentes, contrà autem hoſtes ultra modum deprimentes: ignari videlicet, quod non anguſto aliquo iſthmo diviſa & interſepta ſint hiſtoria & encomium: ſed magno quodam muro per medium eunte diſtincta, & muſicorum iſtud,* BIS PER OMNES CHORDAS, *inter ſe diſtent. Siquidem ille, qui encomium ſcribit, hoc unum ſpectat, ut quibuſcunque modis poſſit, eum, quem laudandum ſuſcepit, extollat atque oblectet: ac etiamſi per mendacium forte id conſequatur, quò tendit, parum id curat. At contrà hiſtoria nihil falſum inſeri ſibi, ne pauxillum quidem, permittit; non magis quàm arteriam dicunt medicorum filii, eam quæ aſpera vocatur, quicquam potus, aut cibi, in ſe recipere.*

Ex his ſatis liquet, neutiquam eorum probari ſententiam poſſe, qui hiſtoriam definiunt *a*, rerum geſtarum cum laude aut vituperatione narrationem. Nam oratoria quidem laudatio in hiſtoria locum non habet: ut verò ἀμέτρως laudemus, licet quidem, dum ſuo loco, & tempore, & cum modo fiat: ſed tamen non eſt de hiſtoriæ ἰδίας, ut conſtat ex iis, quæ de ejus natura ſuperiùs diximus. Cautè itaque etiam accipi debent, quæ doctiſſimus Jovianus Pontanus in Actio ſuo ſcribit: *Illud*, inquit, *rerum ſcriptori ſervandum maximè, atque in tota rerum ſerie, ut pro locis, rebus, occaſionibus, judicem ipſe perſonam induat, ut laudet, condemnet, admiretur, deprimat, miſereatur, nunc rideat humanos caſus, nunc deploret: denique meminerit, demonſtrativo in dicendi genere ſe verſari, ac cum laudandi, tum vituperandi onus à ſe eſſe ſuſceptum.* Ubi in altero etiam vix auſim aſſentire. Ait, hiſtorici munus eſſe, legentium animos ad commiſerationem movere. At quanto aliter Polybius! qui muliebre id putat atque effœminatum: neque Philarchum reprehendere eo nomine veretur. Et ſanè tragœdiæ id propoſitum, non hiſtoriæ: quæ immane quantum diſtant. Tamen non videtur vitioſum, ſi res adeo ſit miſerabilis, ut animus cohibere ſe minùs poſſit, quin in affectum hunc erumpat. Cujus rei exemplum non unum in Livio habemus: ut cùm alibi, tum in Albæ ruinis *b*. Nam quid ad miſericordiam movendam aptiùs dici potuit Livianis iſtis? *Inter hæc jam præmiſſi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam. legiones deinde ductæ ad diruendam urbem. quæ, ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum eſſe urbium ſolet, cum, effractis portis, ſtratiſve ariete muris, aut arce vi captâ, clamor hoſtilis, & curſus per urbem armatorum, omnia ferro flammaque miſcet: ſed ſilentium triſte, ac tacita mæſtitia, ita defixit omnium animos, ut præ metu obliti quid relinquerent, quid ſecum ferrent, deficiente conſilio, rogitanteſque alii alios, nunc in liminibus ſtarent, nunc errabundi domos ſuas, ultimùm illas viſuri, pervagarentur. Ut verò jam equitum clamor exire jubentium inſtabat; jam fragor tectorum, quæ diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur; pulviſque ex diſtantibus locis ortus, velut nube inductâ, omnia impleverat: raptim, quibus quiſque poterat, elatis, cùm larem ac penates, tectaque in quibus natus quiſque educatuſque eſſet, relinquentes exirent: jam continens agmen migrantium impleverat vias: & conſpectus aliorum mutua miſeratione integrabat lacrimas: voceſque etiam miſerabiles exaudiebantur, mulierum præcipuè, cùm obſeſſa ab armatis templa auguſta præterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egreſſis urbem Albanis, Romanus paſſim publica privataque omnia tecta adæquat ſolo: unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio ac ruinis dedit.* Hactenus Livius, graphicè omnino, & oratorium planè in modum: adeo ut vel rigidum aliquem Zenona, vel Catonem, poſſint commovere: iis verò, quibus mollior animus, vel lacrimas excutere valeant. Sed orationem hujuſmodi παθητικὴν locum in hiſtoria non habere, niſi in atroci aliqua, ac publica calamitate: ſatis ex iis liquet, quæ antea diximus.

*a Uti Cornel. Agrippa lib. de vanit. ſcient.*
*b Lib. I.*

CAP.

## Cap. XIX.

*De ſententiis oſtenſum, quales in hiſtoria habeant locum, & quomodo, & quatenus uſurpandæ: ac Liviuſne ea parte potius imitandus, an Salluſtius.*

AD judicium hiſtoricum, de quo proximè egimus, etiam pertinent γνῶμαι ſive ſententiæ. Nam iis utitur hiſtoricus, quando judicium ſuum explanat: ſive id fiat, ut ratio eorum adferatur, quæ dicta ſunt; ſive ut epiphonematis loco fungantur. Sententias verò appello, non eas tantùm, quibus exponitur, quid in vita fieri debeat; ſed etiam quid fiat: quomodo & Cornificius uſurpat in Rhetoricis ad Herenn. Conveniunt autem hiſtoriæ non quævis ſententiæ, ſed graves & ſeveræ: quales non ſunt, quæ elegantes quidem ſunt, ſed humiles. Etiamſi verò aliunde promantur: tamen ita ab hiſtorico debent adferri, ut domi natæ, non foris arceſſitæ, videantur. Etiam Petronii illud haut temerè negligendum: *Curandum eſt, ne ſententiæ emineant extra corpus orationis expreſſæ, ſed intexto a veſtibus colore niteant.* Nempe jam Petronii ævo, & oratores, & hiſtorici, ita eas affectabant, ut condenſatione earum laboraret oratio. Damnat id quoque Fabius lib. IX. cap. V. *Lumina præcipuè in clauſulis poſita ſententias vocamus. Quæ minus crebra apud antiquos noſtris temporibus modo carent.* Antiquos igitur, ut Fabius hoc loco monet, imitabitur, non orator tantùm, ſed etiam hiſtoricus noſter: ne fortè audire cogatur illud B. Hieronymi ad Pammachium, *More puerorum argutas ſententiolas in clauſulis ſtruis.* Quamquam nec antiquorum omnes unam viam inſtiterunt. Frequens enim earum uſus eſt Thucydidi, Polybio, ac Salluſtio: parcus admodum Dionyſio, & Cæſari. Mediam verò viam Livius tenet. Hicne verò, an ille, vel iſte, ſequendus ſit nobis, præcepto tradi nequit: imò nec omnia omnes poſſumus, ac propterea ſuo ſe quiſque pede metiri, ac genium ſuum ſequi debet. Interim etiam conſiderare oportet, utrùm commentarios, an juſtam, & legitimam hiſtoriam ſcribamus: in illis vix ſententiis opus: in hac magis requiruntur: non ſic tamen, ut Salluſtium potiùs ſequi neceſſe habeamus, quàm Livium. Nam ſententiolum illud ſcribendi genus plus quidem prodeſt, & afficit, imprimis viros graves, ac prudentes: ſed non propterea ita ſcribere cogimur, cùm id non ſit de hiſtoriæ natura: quod negare non poſſumus, dummodo hiſtoriam conſideremus *b*, ἄχρις ἂν ϗ μόνον ἔχῃ τὸ ἴδιον ἐντελὲς, λέγω δὲ τὴν τῆς ἀληθείας δήλωσιν. Eoque, ut dixi, ſpectandum cuique, quid humeri ferre valeant, & quò naturâ trahatur. Atque hæc de ſententiis, & univerſè de judicio dicta ſunto.

a *Al. intento.*

b *Lucian. de ſcr. hiſt.*

c *Quatenus propriam dumtaxat perfectionem habet, veritatis dico patefactionem.*

## Cap. XX.

*De concionibus, contra Franciſci Patricii, & Pauli Benii opinionem, oſtenditur, habere eas in hiſtoria locum: nec ratione id ſolùm evincitur, ſed etiam Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, & aliorum Græcorum auctoritate. Cratippum in hiſtoria conciones damnâſſe. Unde fit, quòd in ſolo octavo Thucydidæ libro nonnulla ſint conciones. Dionyſium, cùm in Rhetoricis damnat eos, qui hiſtoriæ conciones inſerunt, vel non quaſvis conciones intelligere, vel opus illud ſcripſiſſe ante Antiquitates Romanas, ubi ipſe eas frequentat. Diodorus Siculus adverſus Bodinum defenditur. Diodori illuſtris locus de recto concionum uſu.*

NUnc veniamus ad conciones. Ubi primùm excutienda nobis πολυθρύλητος quæſtio, an eæ in hiſtoria habeant locum. Nam neque olim defuere, qui id negarent, ut poſtea dicemus: & multi hoc ſeculo pedibus in eam ſententiam eunt: eoſque inter Franciſcus Patricius lib. X. de hiſtoria: Paullus Benius itidem in ſuis de hiſtoria libris: & Barthius Adverſariorum lib. LX, ubi commentatur in B. Auguſtini lib. I. de Civ. Dei cap. V: nec alias admittit orationes in hiſtoria, quàm exceptas à notariis: cæteras ad oſtentationem eloquentiæ inferi non dubitat dicere. Quare planè veniam mihi dari poſtulo, ſi paullo fuſiùs hac de re agere videar, quàm inſtituti ratio requirere alioqui videatur. Et tamen non dicam omnia, quæ dici poſſunt. Nam ubertim hac de re egit Ubertus Folieta: uti & Sebaſtianus Maccius. Ego illa imprimis perſequar, quæ illi vel prætermiſerunt, vel tantùm attigere.

Qui in contraria ſententia ſunt, iſti ajunt, orationes, quas hiſtoricus fingit, repugnare veritati; quam is potiſſimùm ſibi propoſitam habet. Et hoc ita eſſe, eo oſtendunt, quòd, ſeu verba, ſeu rem ſpectes, non eadem dixerint illi, qui iſta dixiſſe dicuntur. Livius enim, non Scipionem modò, ac Fabium, ſed ipſum Romulum, Sabinas mulieres, Horatii patrem, Brutum, Camillum, & alios, eo modo loquentes inducit, quo Auguſti ævo ſermones ſuos cædebant. Atqui veteres illos non candido, & terſo adeò ſermone, ſed horridiore omnino, uſos eſſe, extra omnem controverſiam eſt.

Præterea hiſtorici, ne ſententiam quidem ſi ſpectes, cùm eandem concionem referunt, per omnia conveniunt. Quod nemo negaverit, qui orationem Veturiæ, ſive, ut alius vocatur, Volumniæ ad Coriolanum filium, quæ apud Dionyſium Halicarn. *a* exſtat, contulerit cum ea, quæ eſt apud Livium *b*, & utramque cum illa, quæ eſt apud Plutarchum *c*. Cujus varietatis non alia eſt cauſſa, quàm quia more poëtarum conſiderarint τὸ καθόλου, ſive univerſum genus: quomodo diſſimili modo Ulyſſem in Philoctete ſuo deſcribunt Æſchylus, Sophocles, Euripides. Nempe quia non eodem modo conceperunt animo naturam, atque indolem hominis callidi ac prudentis. At, quemadmodum Ariſtoteles ait in libro de re poëtica, eo differunt hiſtoricus, & poëta, quòd hic magis ſingula, ille magis univerſum genus conſiderat. Quippe qui non tam attendat, quid dictum factumve ſit, quàm quid fieri vel dici convenerit ab tali homine, qualis erat, quem deſcribit.

a *Lib. 8. Antiquit. Roman. pag. 521.*

b *Lib. 2.*

c *In Coriolano.*

Adhæc, ajunt, orationes facere, ut *hiſtoria hiet atque divellatur:* quod Raimundi Lulli judicium eſt lib. V. de oratione cap. IV. ubi & in Livio hoc *poëticum & fictum* appellat.

Sed facilè iſtis occurritur. Nec enim hiſtoricus jurat in aliena verba: ſed ei ſatis eſt, ſi rem fideliter referat. Quare etſi hiſtoricus res geſtas haut aliter narrare debeat, quàm acciderunt: ſermones tamen hominum non neceſſe habet, narrare, quemadmodum habiti fuere: nam hoc quidem plurimùm fieri nequit: verùm ſat eſt, ut referat eo modo, quo ſi rem ſpectes, loqui debere, quoque eos locutos eſſe, veriſimile eſt. Imò, ſi vel hiſtoricus nactus ſit orationes, prout eas notarii exceperunt, neceſſe tamen erit, ut cæteræ hiſtoriæ ſtylo accommodentur, ne dictio ſit hybrida, ac diſſimilis ſui. Nec hiat hiſtoria orationibus inſertis, quia pars & ipſa hiſtoriæ ſunt. Nec poëtica ſunt figmenta, quia orationes verè habitæ, & in eam mentem.

Oſtendunt hæc, quàm infirmis nitantur argumentis, qui conciones putant hiſtoriæ repugnare. Nunc illud addamus, tantum abeſſe, ut hiſtoria ab iis abhorreat, ut eas omnino requirat. Siquidem ex illis, quæ ſuperiùs diximus, ſatis liquet, in hiſtoriis vel imprimis requiri rerum cauſſas. Atqui conciones inter eas non infimum tenent locum. Unde Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VII, cùm egiſſet de ſeditione plebis adverſus Senatum, ait, mirari ſe, multos tantopere occupari in prælio aliquo deſcribendo, aut loci natura, aut genere armaturæ, & aliis, quæ alterutris victoriæ cauſſa fuerunt: at non item orationes memoriæ prodere, per quas præter opinionem res maximæ contigerunt, planeque admirandæ.

Nec ratione ſolùm hæc ſententia nixa eſt, ſed etiam auctoritate totius penè antiquitatis. Non jam dicam, Lucianum ſcribere, licere hiſtorico in concionibus ῥητορεύειν: Tullium item in ſecundo de Oratore propterea imprimis velle, maximè eſſe oratoris, hiſtoriam ſcribere. Ipſos potius hiſtoricos, teſtes maximè locupletes, adducam.

Et

Et unde potiùs ordiar, quàm ab Herodoto, hiſtoriæ patre, ſcriptore omnium eorum, quorum opera ſolutâ oratione exſtant, antiquiſſimo? Apud eum lib. I. habemus orationem Sandanidis Lydi, quâ Crœſo bellum diſſuadet adverſus Cappadocas: Cyri, quâ Perſas ad defectionem ſollicitat: Maſſagetarum legati, cùm Cyrus in eorum terras exercitum ducere vellet: Crœſi ſuadentis, ut Cyrus potiùs in Maſſagetarum ſolum copias duceret, quàm eos in ſuo exſpectaret. Item lib. III orationem, quam Periandri, Corinthiorum regis, filia ad Lycophronem fratrem habuit, ut Corcyrâ Corinthum rediret: præterea orationem Cambyſis, interemtum à ſe fratrem Smerdim confitentis, & amicos incitantis ad ulciſcendum magum Smerdim, hominem Medum, qui imperium occuparat: item orationem Darii, qui ſex proceres Perſicos accendebat ad maturandam Smerdis cædem: adhæc Otanis pro imperio populari, Megabyzi pro optimatum ſtatu, Darii pro unius dominatu: item Mæandrii poſt obitum Polycratis, Samiorum tyranni, libertatem populo reſtituentis. Variæ etiam ſunt orationes libri quarti. ut Cois Mitylenæi, legati Scythici; Scytharum; Indathyrſi Scytharum regis. Libro quincto item Ariſtagoræ Mileſiorum tyranni, Lacedæmoniorum, Soſiclis Corinthii, Hiſtiæi. Lib. VI, Perſarum, Dionyſii ducis Phocæi, Leutychidis, Miltiadis. Lib. VII, Xerxis ad proceres, cùm de bello Græcis inferendo cogitaret: Mardonii, expeditionem adverſus Græcos ſuadentis: Artabani eam diſſuadentis: item plures aliæ, tum Xerxis, tum Artabani: duæ item Demarati, & aliæ aliorum. Lib. VIII, cùm aliæ, tum illa Alexandri Macedonis, Xerxis legati, quâ ſuadebat Athenienſibus, ut cum Perſis ſocietatem, ac fœdus inirent: item Lacedæmoniorum, qua eoſdem monebant, ut ne à communi ſocietate, ac defenſione Græciæ, deficerent: inſuper Athenienſium una, qua Alexandro, legato Perſico; altera, quâ Lacedæmoniis reſpondent. Ac denique lib. IX, cùm aliæ aliquot, tum illa Tegeatarum de honoratiori loco in bello cum Athenienſibus contendentium: & Athenienſium, quâ Tegeatis reſpondent.

Cæterùm Herodotus quidem conciones (ut Marcellinus in Thucydidæ vita ait) *a* δι᾽ ὀλίγων ἀ ἐποίησε λόγων, εἰς προσωποποιίας μᾶλλον, ἤπερ δημηγορίας. At accuratas conciones, ac perfectas, primus, quemadmodum ab eodem Marcellino refertur, Thucydides ſcripſit. Ac libro quidem primo apud eum habemus contrarias Corcyrenſium & Corinthiorum orationes: quibus utrique ſocietatem, atque auxilium Athenienſium poſcunt. Item Peloponneſenſium ad Athenienſes, quâ poſtulant, ut aut Corcyrenſes adverſus Corinthios bello juvare deſiſtant, aut ſe hoſtes adverſus Peloponneſenſes profiteantur: item Athenienſium, quâ reſpondent Peloponneſenſibus. Adhæc Corinthiorum, quâ adhortati Lacedæmonios, ut Athenienſibus quamprimum bellum inferrent: Athenienſium, quâ Corcyrenſibus reſpondent: Archidami, Spartanorum regis, Lacedæmoniis ſuis ſuadentis, ut ne propter Megarenſium, Corinthiorum, & aliorum querelas, ſtatim Athenienſibus bellum inferrent, ſed priùs cum iis per legatos agere vellent: item Sthenelaidæ, Ephororum unius, quâ auctor eſt, ut quamprimum adverſus Athenienſes bellum decernatur. Inſuper Corinthiorum altera, qua Lacedæmonios ad ſuſcipiendum bellum vehementiùs accendunt: ac denique Periclis, quâ Athenienſibus ſuadet, ut potiùs bellum eligant, quàm duras adeò conditiones ſibi ab imperioſis Lacedæmoniis præſcribi patiantur. Similiter ſex ſequentibus libris variorum conciones refert. Solus octavus earum eſt expers. Atque hinc patrocinium ſuæ olim quæſiere ſententiæ Cratippus ac Dionyſius *b*: quorum ſententia erat, orationes in hiſtoriis *c* οὐ μόνον ἐν ταῖς πράξεσιν ἐμποδὼν γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσιν: atque addebant, Thucydidem propterea *d* ἐν δὲ τοῖς τελευταίοις τῆς ἱστορίας μηδεμίαν τάξαι ῥητορείαν, πολλῶν μὲν κατὰ τὴν Ἰωνίαν γεγενημένων, πολλῶν δ᾽ ἐν ταῖς Ἀθήναις, ὅσα διὰ λόγων καὶ δημηγοριῶν ἐπράχθη. Sed in iſto quidem, Cratippo, & Dionyſio facilè aſſentio, orationes crebras, longas, intempeſtivas, rebus impedimentum adferre, ac præterea auditori creare moleſtiam: ſed de quibuſvis orationibus id verum non eſt: quemadmodum in eo etiam ratio illos fugit, quòd Thucydidem putant extremo libro conciones neglexiſſe, quia aliter hac de re tum judicaret, quàm feciſſet, cùm priora ſcriberet. Neque enim hoc, judicio fecit, ſed imbecillitate ac morbo coactus: quippe qui, dum in ſcribendo octavo eſt, vivendi fecerit finem: eoque extremam operis partem imperfectam reliquerit: quemadmodum ſuperiùs *a* ex Marcellino dicebamus.

a *Paucorum fecit verborum, & perſonarum fictionibus, quam concionibus, ſimiliores.*

b *Judicio de hiſtoria Thucydid. ad Æl. Tuberon.*

c *Non ſolùm rebus ipſis eſſe impedimento, ſed & auditoribus eſſe permoleſtas.*

d *Nullas in ultima hiſtoriæ parte orationes addidiſſe, etſi multa tum in Ionia, tum Athenis contigiſſent, quæ orationum concionumque interventu acta ſunt.*

a *Cap. 9.*

Itaque jure optimo, qui poſtea conſecuti ſunt, non octavum Thucydidis, de quo multi, an Thucydidæ eſſet, dubitarunt, ſed priores libros imitari voluerunt. Fecit hoc Xenophon, qui in opere de Cyri pædia varias conciones habet: ut illas, Chryſantæ, Pheraulæ, Aſſyriorum regis, Cyaxaris, Cambyſis: & multo plurimas ipſius Cyri: atque inter alias illam, quam *b* ad proceres habuit de ratione conſervandi augendique imperii, quod pepererat: item *c* quam morti vicinus habuit ad Cambyſen & Tanaoxarem filios, quò eos ad fraternam concordiam hortaretur. Nec in ficto ſolùm argumento id fecit, ſed etiam in libris de expeditione Cyri: ubi orationes recenſet Clearchi, Tiſſaphernis, Hecatonymi, ac ſuas imprimis. Uti illam *d*, quâ, belli ducibus à Tiſſapherne perfidè interemtis, conſolatur milites, & ad animi magnitudinem excitat: item quâ *e* poſcit à Seuthe, ut ſtipendia promiſſa militibus perſolvat: atque alias hujus generis. Similiter egit in libris de rebus geſtis Græcorum. Ut cùm *f* Critias Theramenem perfidiæ ac proditionis accuſat: ac Theramenes ad ea reſpondet: item *g* cùm civis Sicyonius defendit ſe, quòd Euphronem occidiſſet: ut nihil dicam de orationibus Callicratidæ, Euryptolemi, Thraſybuli, Cleocriti, & multorum aliorum.

b *Extremo lib. 7.*

c *Lib. 8.*

d *Lib. 3. de Cyri exped.*

e *Lib. 7.*

f *Lib. 2. de rebus geſt. Græc.*

g *Lib. 7.*

Qui verò Polybium à concionibus abſtinuiſſe exiſtimant, ſanè oſtendunt, ſe planè hoſpites eſſe in graviſſimo illo ſcriptore. Sunt enim apud eum non paucæ; aliæ quidem obliquæ, aliæ verò directæ, aut mixtæ. Obliqua eſt illa Hannibalis, quâ *h*, poſtquam Alpes ſuperâſſet, milites ſuos, exemplo priùs animatos, vehementiùs accendit. Obliqua etiam eſt illa P. Cornelii ad milites hortatio, quæ Hannibalis orationem excipit. Obliqua item Agelai *i* Naupactii adhortatio ad regem Philippum. Sed directa eſt, quam Annibal *k* habuit ante Cannenſem pugnam. Item oratio Chlæneæ *l* Ætoli, gentis ſuæ nomine ad Lacedæmonios legati, quâ in Philippum, Perſei patrem, invehitur, ac univerſam Macedonicorum regum domum. Item, quæ hanc continuò excipit, oratio Lyciſci Acarnanis, ſuæ gentis ad eoſdem Lacedæmonios legati, quâ Philippum ac reges Macedonas adverſus Chlæneam defendit, ac Spartanos hortatur ad concordiam, & ſocietatem cum Græcis cæteris, ob periculum imminens à Romanis. Directa quoque eſt illa *m* univerſæ Græciæ nomine habita ad Ætolos, quâ eos hortatur orator, ut bellum cum Philippo rege gerere deſinant, ac ſibi caveant à Romanorum conſiliis, niſi & Græcis reliquis libertatem, & ſibi ſalutem inviderent. Item Pruſiæ *n*, qua Ptolomæi Philopatoris filium, poſt patris exceſſum, populo commendavit. Similiter T. Quinctii *o*, milites hortantis ad fortiter pugnandum adverſus Philippum. Mixta verò eſt L. Æmilii *p*, quâ ſuos ad ſtrenuè dimicandum animat: & Annibalis *q*, quam habuit ante prælium Cannenſe: & Scipionis *r* ad ſeditioſos milites: item altera Annibalis *s* in Africam revocati, habita ad Scipionem: & Scipionis, quâ Annibali reſpondit: & Eumenis *t* regis, de urbibus Aſiaticis libertate donandis. Quæ omnes obliquè incipiunt, ſed directè poſtea procedunt.

h *Lib. 3.*

i *Lib. 5.*

k *Lib. 3.*

l *Lib. 9.*

m *Lib. 11.*

n *Lib. 15.*

o *Lib. 17.*

p *Lib. 3.*

q *Ibid.*

r *Lib. 11.*

s *Ibid.*

t *In excerptis legationum.*

Sed enim, dicet aliquis, refugit conciones Dionyſius Halicarnaſſ. Minimè verò, modò ex libris Antiquitatum Romanarum judicium ferre lubet. Nam centenas in iis orationes lego: imò lib. VII. diſertim ait, inſeri orationes eas hiſtoriis debere, quæ in controverſiis habitæ ſunt. Nec interim diffiteor, eum epiſtola ad Tuberonem improbare conciones, idque præeunte Cratino, ut antea diximus. Unde Sebaſtianus Maccius *u* ſcribere non dubitat,

u *Lib. 2. de hiſtor. cap. 28.*

Dio-

*Dionyſium propriis ſuis armis convinci: damnare orationes in aliis: ipſum tamen tam obliquas, & mixtas, quam etiam directas, paſſim frequentare.* Verùm, qui hoc in Dionyſio reprehendunt, minime cogitant, eum priùs, ac fortaſſe juvenem etiamnum, libros Rhetoricos edidiſſe: poſtea ætate, & judicio grandiorem, hiſtorias ſcripſiſſe. Nam cui veriſimile fiat, quo tempore in hiſtoria Thucydidem imitaretur, eodem in Rhetoricis reprehendiſſe ſcriptorem florentiſſimum? Quare vel hoc dicendum, quod diximus: vel ſtatuere oportet, non quaſvis reprehendiſſe conciones, ſed eas duntaxat, quæ frequentes nimis eſſent, aut juſtam excederent magnitudinem, aut non ſuo loco adhiberentur.

Sanè hæc Diodori Siculi mens fuit: quem cùm Bodinus in methodo hiſtoriæ ſuæ reprehendit, quaſi in leges ſuas peccet ipſe, conciones hiſtoriæ inſerendo, planè aſſecutus non eſt mentem Diodori. Nam ſolùm eos damnare ſe ait, qui *a* εἰς ἱστορίας ὑπερμήκεις δημηγορίας παρεμβάλλουσι *b*, quique utuntur πυκναῖς ῥητορείαις *c*. Ac rationem geminam addit, quia tales, & narrationis curſum interrumpant, & lectorem in hiſtoriæ cognitione morentur. Venuſtè etiam ait, eos προσθήκην ποιεῖσθαι τῆς ὅλης ἱστορίας τὰς δημηγορίας *d*. Quaſi eos dicat τὸ ἔργον πάρεργον, καὶ τὸ πάρεργον ἔργον facere. Quæ cùm dixiſſet, mox, ubi conciones habeant locum, & quem in iis modum ſervare conveniat, oſtendit. Locus paullo prolixior eſt, ſed tamen mirè illuſtris, quem iccirco integrum, ſed Latinè duntaxat, ne longiores ſimus, apponemus. *Qui*, inquit, *prolixas nimis conciones hiſtoriis inferciunt, aut crebris declamationibus utuntur, eos non injuriâ quis reprehendat. Præterquam enim, quod continuam narrationis ſeriem intempeſtivâ [conci]onum introductione interrumpunt; etiam illos, qui cupidè ac ſtudioſè expetunt rerum cognitionem, remorantur. At enimvero, quos ſuam dicendo facultatem oſtentare juvat, iis ſeorſum conciones publicas, & ſermones à legatis habitos; laudationes item, ac vituperationes; atque id genus alia, componere licet. Nam qui, ſtyli moderatione adhibitâ, ſeparatim utrumque argumentum elaborarint, non præter rationem utroque tractationis genere laudem promerentur. Jam verò occurrunt, qui, in Rhetoricis ornamentis nimis, totam hiſtoriam velut appendicem concionum fecere. Atqui non mala duntaxat ſcriptio moleſta eſt: ſed hoc etiam, quòd, licet in cæteris ſcopus attingi videatur, à conveniente tamen locorum & temporum ordine aberretur. Propterea qui id genus ſcripta legunt, partim artificioſas illas orationes, etiamſi maximè appoſita videantur, tranſiliunt: partim prolixitate & intempeſtivâ ſcriptoris diligentiâ laſſati, prorſum à lectione deſiſtunt. Nam hiſtoria natura ſimplex eſt, & inter ſe cohærens, adeoque corpori animato ſimilis: cujus pars avulſa gratiam illam animalem deperdit. Contrà quod debitam habet compoſitionem, ſuo commodè loco obſervatur, & totius deſcriptionis cohærentiâ jucundam & perſpicuam exhibet lectionem. Nec tamen artificium Rhetoricum uſquequaque repudiatum omnino ex hiſtoria profligamus. Nam quia varietate hiſtoria exornari debet: quibuſdam in locis hujuſmodi orationes adoptari neceſſum eſt. Et hac opportunitate ne me quidem privatum velim. Itaque ſi circumſtantia legati, aut conſiliarii, aut id genus aliorum, orationem expetunt: qui tum ad certamen non animoſè deſcenderit, etiam ipſe culpandus fuerit. Rationes enim non paucas quis invenerit, quare ſæpenumero Rhetoricus ornatus ſit adhibendus. Nam de multis dextrè ac præclarè dictis per negligentiam hautquaquam prætereunda ſunt memoratu digna, & quæ conjunctam cum hiſtoria utilitatem habent. Aut ubi res magnificæ fuerint, atque ſplendidæ; concedendum minimè, ut à magnitudine argumenti oratio ſuperari videatur. Eſt etiam ubi præter exſpectationem aliquid evenit, ut ad diſſolvendum intricatæ rationis nodum accommodatis inſtitutæ verbis uti cogamur. Verùm de hiſce nobis dicta hactenus ſufficiant.* Hæc ſatis oſtendunt, Diodorum neutiquam omne concionum genus improbare; ſed intempeſtivas, prolixas, crebras.

*a Initio lib. 20.*
*b Prolixas nimis conciones hiſtoriis inferciunt.*
*c Crebris declamationibus.*
*d Appendicem concionum facere totam hiſtoriam.*

A Diodoro ad alios accedamus. Sanè Philo libro de legatione ſuâ ad Caium, qui totus ferè hiſtoria eſt, inſerit orationem, quam honoratiſſimi Judæorum ad præſidem Petronium habuere ſupplices, cùm is Caligulæ ſtatuam templo vellet inferre. Uti & longam Agrippæ epiſtolam ad Caium pro gente Judaica.

Apud Joſephum quoque complures conciones habemus. Ut lib. II de bello Judaico eſt oratio Agrippæ ad Judæos, quâ eos dehortatur à bello adverſus Romanos. Lib. III eſt oratio Joſephi, quâ ſocios dehortatur, ne manus ſibi ipſis adferrent. Lib. VII eſt oratio Titi ad Judæos, quâ eorum pertinaciam accuſat. Nec expers earum eſt Judaicarum antiquitatum opus. Nam, ut cæteras mittam, lib. XVI Alexander, Herodis filius, de inſidiis ſe purgat, quarum accuſatus erat à fratre Antipatro.

Arrianus quoque, ut in aliis Xenophontem imitatur, (unde & alter Xenophon dictus fuit) ita hac quoque in parte ejus ſequitur exemplum. Itaque lib. II recenſet orationem Alexandri ad milites, cùm apud Iſſum eſſet pugnandum: quamquam hæc quidem obliqua eſt tota. Sed directa eſt illa, qua docet, quanti interſit Tyrum capi, priuſquam aliis bellum inferant. Item lib. III obliqua eſt, quam habuit ad Arbelam pugnaturus. At directa illa lib. IV, qua Calliſthenes Anaxarcho adverſatur de adoratione Alexandri. Eſt & directa lib. V. quam Acaphis, Nyſſæorum rex, habuit ad Alexandrum. Item oratio Alexandri Magni ad exercitum Macedonicum, cùm hic minaretur ſe militiam deſerturum, ſi rex minùs idoneos dimitteret: item oratio Cœni, Polemocratis filii, veterani ducis, quâ Alexandrum rogat, ut bonâ cum ejus veniâ exercitui domum liceat reverti. Item lib. VII eſt oratio Alexandri ad Macedonas tumultuantes, ac à ſacramento poſtulantes abſolvi. item Callinis oratiuncula, quam ad Alexandrum pro Macedonibus habuit.

Nec prætereundus nobis Appianus Alexandrinus, alienorum ille quidem laborum fucus, ut meritò à magno viro *a* appellatur; ſed ſcriptor utilis tamen, præſertim poſt deperditos non paucos eorum, quos exſcribere ſolet. In ejus Punicis habemus orationem legatorum Carthaginenſium ad Conſules Romanos, quâ de pace tractant. Item Hannonis Gillæ, qua impetrare conatur à Romanis, ut ne Carthaginem exſcindere velint. Adhæc eam, qua Cenſorinus ad Gillæ verba reſpondet. Similiter lib. II. de bello civili eſt oratio Bruti ad populum, quâ cædem Cæſaris defendit. Præterea lib. III. eſt oratio Octavii ad Antonium conſulem, qua de Cæſaris nece conqueritur, & actis eam ſecutis. Item quam Cicero in Senatu habuit, cùm Salvius Tribunus Pl. interceſſione ſuâ impediiſſet, quo minùs Antonius hoſtis judicaretur.

*a Joſeph. Scalig. animad. Euſeb. pag 163. edit. pr.*

Veniamus ad Dionem Caſſium. Apud quem, lib. XLIV hiſtoriæ Romanæ, legitur oratio Ciceronis in Senatu, quâ ſuaſit, ut perpetuâ oblivione injuriæ omnes, quibus partes ſe mutuò affecerant, abolerentur. Item M. Antonii funebris, qua Julium Cæſarem laudavit. Item lib. XLV. oratio Ciceronis in Senatu contra Antonium. Inſuper lib. XLVI. maledica illa Q. Fufii Caleni, qua Ciceroni reſpondet pro Antonio. Lib. L. eſt Antonii ad milites ſuos oratio: item Octavii Cæſaris ad ſuos. Lib. LII. oratio Agrippæ ad Cæſarem, quâ eum hortatur, ut principatum deponat, ac populo Romano arma, provincias, ac poteſtatem omnem reſtituat: adhæc oratio Mæcenatis, quâ ſuadet, ut retineat imperium. Lib. LIII. oratio Auguſti, quâ ſe imperium deponere velle ſignificat. Lib. LVI. oratio ejuſdem quâ laudat conjuges ac conjugium: item altera ejus, quâ cælibes ac cælibatum exagitat. Item oratio Tiberii in funere Auguſti.

Nec concionibus abſtinuit Herodianus. Siquidem lib. I. legere eſt orationem M. Antonini imperatoris ad amicos, quâ filium iis commendat: orationem Commodi ad milites, quâ hoc agit, ut imperator ab iis ſalutetur: Pompejani

ad Commodum, diſſuadentis, ne, relictâ Iſtri ripâ, Romam ſe conferret: Fadillæ ad Commodum fratrem de ſeditione à Cleandro excitatâ. Lib. II. orationem Læti, Præfecti prætorio, quâ militibus, mortuo Commodo, Pertinacem commendat: Pertinacis gratias agentis ob imperium ſibi delatum: alteram Pertinacis ad prætorianos, cùm nudis gladiis accurriſſent, ut imperatorem ſuum interimerent: orationem Nigri ad exercitum, quâ animos ejus tentabat, ut, num imperium ſibi offerre vellet, cognoſceret: orationem Alexandri Severi ad milites, quâ oſtendit, Romano imperio debere ſuccurri, & id, ſe duce, facile fore exercitui Pæonico: alteram ejus, quâ relegat milites eos, qui Pertinacem interemerant, & Juliano imperium addixerant. Sequentibus quoque libris habemus orationes Severi, Caracallæ, Macrini, Alexandri Mammeæ filii, Maximini, & Maximi, Imperatorum.

Idem de Procopio dicere poſſum: qui Romanorum, & barbarorum orationes plurimas habet. Ac eò majoris à nobis fieri debet, quia non tantùm eas mirâ elegantiâ tractavit: ſed etiam ſententiam eorum, quæ dicta eſſent, optimâ fide exprimere potuit, cùm individuus fuerit Belliſarii comes, ut multis interfuiſſe concionibus veriſimile ſit. Sed de Græcis hiſtoricis finem faciamus.

## Cap. XXI.

*Etiam Latinis hiſtoricis uſurpatiſſimas eſſe conciones, multis comprobatur exemplis. De Cæſare falli, qui eas refugiſſe tradiderunt. Salluſtius Liviuſque defenſi adverſus Trogum Pompejum. Quando concionibus locus ſit, oſtenſum. Jovium in his modum non tenere: nec tamen adeo in culpa eſſe, quàm multis videtur. Viro docto reſponſum de oratione Habraymi Baſſæ apud Jovium. Nec conciones ſolùm, ſed epiſtolas etiam inſeri hiſtoriis. Non requiri in iis, ut verba ſcriptoris reſerventur. Scipionis Gentilis, & Chriſtophori Colleri ſententia refellitur.*

VEnio ad Latinos. Quorum agmen ducet Criſpus Salluſtius, Romanæ hiſtoriæ princeps. In cujus Catilinaria eſt oratio Catilinæ, quâ in abdita ædium parte, eos, quos conſilii ſui participes habuit, hortatur, ut ſeſe, quemadmodum loquitur ipſe, in libertatem vindicare vellent: item legatorum C. Manlii ad Q. Martium regem: item Cæſaris, quâ ſuaſit, ut ne Catilinæ ſocii afficerentur morte, ſed bona eorum publicarentur; ipſi in vinculis per municipia haberentur, quæ maximè opibus valerent: item M. Porcii Catonis, qua auctor fuit, ut de confeſſis, ſicut de manifeſtis rerum capitalium, ſupplicium ſumeretur: adhæc alia Catilinæ ad milites, cùm ſtatuiſſet cum Antonio confligere.

In Jugurthina itidem habemus orationem Micipſæ ad Jugurtham, Adherbalis ad Senatum Romanum, C. Memmii ad Quirites, Marii ad eoſdem, Syllæ ad Bocchum regem, & Bocchi ad Syllam.

Etiam ex deperditis Hiſtoriarum libris ſuperſunt oratio Lepidi conſ. ad pop. Rom. quamque Philippus habuit in Senatu, & C. Cottæ conſulis ad populum, & Marci Tribuni Plebis, ad eundem.

Sed litem nobis intendunt de Caio Julio Cæſare: quem refugiſſe conciones ajunt. Sanè verum ſi dicerent, parum tamen efficerent: neque enim ille hiſtoriam juſtam, ſed commentarios duntaxat ſcripſit. Nunc autem tantùm abeſt, ut verum dicant, ut nihil à vero ſit magis alienum. Pleræque tamen conciones ejus ſunt obliquæ: ut lib. I. de bello Gallico illa legatorum Helveticorum apud Cæſarem: item Diviconis, qui legationis princeps erat. Lib. II, Divitiaci pro Æduis. Itidem lib. IV. obliquè orant legati Germanorum apud Cæſ. Lib. V. Ambiorix ſimiliter orat. Lib. VII. Vercingetorix, item Æduorum legati, & Cæſar ipſe apud milites. Item lib. I de bello civili Cæſar apud milites obliquè concionatur. Lib. III. Vibullius Rufus apud Pompejum.

Sed apud eundem Cæſarem etiam conciones ſunt directæ. Ut quâ lib. VII de bello Gallico ſeſe purgat Vercingetorix Æduus, proditionis inſimulatus apud ſuos: item Litavici apud milites ſuos: & Critognati apud Arvernos. Item lib. II de bello civili, Curionis apud milites ſuos: & lib. III. oratio Pompeji ad milites: & Labieni apud Pompejum & milites.

Idem de Hirtio, ſive Oppio, dictum velim. Nam lib. de bello Alexandrino concionatur ad milites Cæſar, ſed obliquè: mixtè quoque orat idem lib. de bello Hiſpanienſi: at eodem libro directè orat Tullius legatus cum Catone Luſitano apud Cæſarem: directè item libro de bello Africano Getuli orant apud eundem.

Ad Livium deventum, qui copiâ concionum cæteros facilè exſuperat: eas omnes enumerare longum eſſet, nec opus, præſertim quia ſunt, qui ſeorſim eas ediderint: aliquas verò è tantâ multitudine excerpere neceſſe non eſt: imò hac parte, quod de Karthagine olim Salluſtius, tacere de Livio ſatius puto, quàm pauca dicere.

Sed enim, dixerit aliquis, aliter ſapiebat Trogus, qui eo nomine, uti Salluſtium, ita Livium quoque culpavit. Nam, ut apud Juſtinum a eſt, *Pompeius Trogus in Livio,* a Lib. 38.
*& Salluſtio, reprehendit, quòd conciones directas, & orationes operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ ſuæ modum exceſſerint.*

Sed facile Trogo occurritur. Nec enim qualvis orationes damnat, ſed directas. Obliquas vero non refugiſſe, vel liquet ex illa Zopyri apud Babylonios, quæ apud eum extremo lib. I. extitit. Nunc ἐπιτομὴν ejus ex Juſtino habemus. Libro quoque XI exſtat oratio obliqua Darii Codomanni ultimi Perſarum regis: qua tum Alexandro gratias agit, tum poſcit, ut ſui cædem ulciſcatur. Etiam lib. XXXI habes egregiam, licet obliquam, Hannibalis ad Antiochum regem, qua auctor eſt regi, ut Italiam ſtatuat ſedem belli. Et quàm luculenta illa Mithridatis ad milites; qua ſuadet bellum Romanum ſeu Aſiaticum. At ſi obliquas admittit, cur directas damnet, cauſſa ſatis gravis non eſt. Quid enim refert, utrùm hoc, an illo modo dicatur, ſi idem dicatur? Exempli gratiâ, dicamne, Germanicum Cæſarem, cùm finis vitæ adeſſet, amicis dixiſſe, *Si fato concederet, juſtum ſibi dolorem fore*, & ita deinceps: an verò, ut apud Tacitum b eſt, dicam, *Adſiſtentes amicos in hunc modum alloquitur, Si fato concederem, juſtus mihi dolor eſſet*, &c. Sed nec directas penitus refugit, ſi ex Juſtino judicare de Trogo licet. Nam is lib. XIV. Eumenis catenis conſtricti duas adfert orationes directas. Et licebitne liberè conjecturam noſtram de Trogo promere? Planè metuo, ne invidiâ compulſus diſſenſerit à Livio. Æquales enim fuere: Livioque res Romanas edente, exponebat Trogus res externas; uti Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum: res verò Romanas attingere contentus fuit. Quid mirum? non erat, quod in Romanis ad Liviana adderet: nec illa viro facundia fuit, ut aliquid melius ſe dicere poſſe ſperaret. Ac ne externis quidem, quæ ſcriberet, conciones illas adhibuit: ſive quia deſperaret, ſe ad Livii gloriam poſſe pertingere: ſive quia non unum, ut Livius, ſed tam multa imperia tractanti, concionibus ſuperſedendum videretur, ne in immenſum hiſtoria excreſceret. Ita quidem nobis videtur. Sed certius omnino aliquid hac de re diceremus, ſi Trogi ipſius libri hodie exſtarent.

b Lib. 2. Annal.

Verùm quid multis opus? num hiſtorici illi, qui poſt Trogum vixere, Trogi potiùs, quàm Livii, ac Salluſtii, judicio acceſſere? minimè verò.

Oſtendit hoc Q. Curtius, Latinorum hiſtoricorum, qui exſtant, poſt Trogum, (unum ſi Velleium Paterculum excipias, qui ſub Tiberio vixit) antiquiſſimus. Floruit enim Curtius ſub Cæſare Veſpaſiano, quemadmodum in Variis ſuis c oſtendit Vir Cl. & Ampliſſimus Janus Rutgerſius. Eſt autem apud Curtium lib. III. oratio Charidemi, de Perſico & Macedonico exercitu judicium ferentis: legatorum Darii ad Alexandrum, quâ de pace ineundâ tractant: Parmenionis, ſuadentis Alexandro, ut pacem bello anteferret: Alexandri ad Darii legatos, oblatas pacis con-

c Lib. I. cap. 19.

conditiones repudiantis. Lib. IV eſt oratio Darii ad milites, cùm tertiùm eſſet pugnandum adverſus Darium. Lib. V eſt oratio Euctemonis Cynæi, ſuadentis Græcis captivis, ut ne ſenectâ ætate, quâ viæ moleſtias perferre non poſſent, & corpore lacero ac deformato, quales nec ſuis grati forent, in patriam velint reverti. Item obliqua Theæti Athenienſis oratio, quâ contrarium ſuadet. Adhæc Darii tentantis animos ſuorum, an quartùm cum Alexandro decertare ſint parati: & Nabarzanis, qui auctor fuit, ut potiùs Beſſo, Bactrorum ſatrapæ, imperii ſumma deferretur. Etiam libris ſequentibus habemus orationes Crateri, Philotæ, Amyntæ, Cobaris, Scythici legati, Calliſthenis, Hermolai, Cœni, Perdiccæ, Meleagri, & multas imprimis Alexandri regis.

Nec tacere fas Tacitum puto. Cujus lib. I Annalium eſt ſeditioſa oratio Percennii, ſed obliqua: nec multo pòſt ſequitur directa Vibuleni. Eam excipit obliqua Druſi: hanc directa Clementis centurionis. Inde Germanici Cæſaris, & Segeſtis; poſtea obliquæ Arminii, & Cæcinæ, & Tiberii. Item lib. II obliquæ Germanici, Arminii, Galli Aſinii, Tiberii. Directa item Hortali, & Tiberii ad eam reſponſio. Mox obliqua Arminii, & Marobodui. Hinc iterum directa Germanici jam morituri. Exinde obliqua Domitii Celeris. Similiter in cæteris Annalium libris nunc obliquas, nunc directas orationes uſurpat. Quas inter illæ Cremutii, & M. Terentii, & Senecæ, & Pæti Thraſeæ. Atque idem in hiſtoriarum libris facit. Imò in vita etiam Julii Agricolæ primùm obliquam legimus Britannorum orationem: hinc directam Galgaci, & alteram Julii Agricolæ.

Nec aliter fecere hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Nam apud Julium Capitolinum eſt oratio Clodii Albini, cùm imperium recuſaret. Item Maximini, & Mauricii Afri, & Senatoris cujuſdam, & Vectii Sabini.

Apud Lampridium eſt oratio Macrini, filium commendantis, & donativum promittentis. Item Alexandri Severi, gratias agentis pro honore ac titulis oblatis. Et altera ad milites, qua eorum intemperantiam reprehendit. Et tertia, quæ gratulationem continet de partâ victoriâ contra Perſas.

Apud Trebellium Pollionem eſt oratio Decii conſulis, quâ ei gratulatur, quòd cenſor eſſet electus. Item Valeriani ad Decium reſponſio. Et Baliſtæ ad Macrianum oratio, quâ ſuadet, ut imperium capeſſat: & quâ Macrianus ad eam reſpondet.

Apud Vopiſcum eſt oratio A. Taciti, primæ ſententiæ ſenatoris, laudantis Imperatorem Aurelianum, poſtquam is ſervi fraude erat interfectus. Item Manlii Statiani ad Senatum Rom. laudantis Probum Imp. electum. Item Metii Falconii Nicomachi, gratulantis populo Romano de novo imper. Tacito.

Apud Ammianum Marcellinum quoque habemus varias orationes Conſtantii, & Juliani, & Valentiniani; uti & Procopii illam, qua militibus auctor fuit, ut à Valentiniano deſciſcerent.

Poſſem alios addere: atque inter eos Hegeſippum de excidio Hieroſolymæ, apud quem habemus orationem Herodis ad Varum: item Antipatri reſponſionem, cùm parricidii eſſet accuſatus. Sed non hunc tantùm, ſcriptorem ἱεροσολυμαῖον; verùm & quoſdam alios γνησίως, planè præterire viſum. Nam cui hæc, quæ diximus, non ſufficiunt, ei nihil ſufficere poſſe arbitror.

Quia igitur, & ratione, & Græcorum Latinorumque auctoritate, ſatis eſt commonſtratum, conciones etiam in hiſtoria locum habere: accedamus nunc ad quæſtionem eam, quando concionibus ſit utendum. Sed iſtoc certis circumſcribere limitibus, perdifficile eſt. Uſque adeò variat hæc res pro negotiorum naturâ, ac perſonis, locis, & temporibus diverſis. Imprimis verò locum habent conciones, quando gravis eſt conſultatio de novo principe eligendo: aut cùm popularis ſeditio compeſci debet: aut cùm deliberatur de bello inferendo: aut cùm inflammandus eſt miles ad fortiter pugnandum. Verbo ut omnia dicam, veteres nobis hac in re erunt exemplo, imprimis Thucydides, & Salluſtius. Juniorum autem quidam in eo modum non tenent: nequis nos putet ubique probare Paullum Jovium, qui nimium ſibi hac parte indulſit. Et tamen ne is quidem tantopere reprehenſionem meretur, quàm viſum quibuſdam fuit. Culpant prolixam concionem *a* Habraymi Baſſæ, qua Solimanno, Turcarum imperatori, ſuadebat, ut Perſas potiùs, quàm Chriſtianos, bello perſequeretur. Quàm multæ verò apud Dionem ad magnitudinem eam accedunt, imò excedunt? At quærit vir eruditus *b*, cùm ea ſecretis colloquiis acta ſint, ut Jovius ipſe agnoſcit, *cujus avus indicio* (verba ejus retineo) *concionem eam acceperit, & collegerit.* Equidem cenſeo, ſi non verba, at ſententiam concionis accepiſſe ab Aloyſio Gritto, Andreæ Veneti principis filio. Nam eum Habraymo ex quotidianâ conſuetudine intimum fuiſſe, atque inde ſenſim Solymanno mirificè commendatum, eodem libro à Jovio proditum eſt.

a Lib. 33. *hiſtoriarum ſui temporis.*

b *Barth. Keckerm. lib. de hiſt.*

Uti verò conciones, ita etiam epiſtolas, hiſtoriis inſerere licet. Quomodo Mithridatis epiſtolam habemus apud Salluſtium in Hiſtoriarum reliquiis: Tiberii apud Tacitum in primo Annalium: Druſi item lib. III: Alexandri ad Darium apud Arrianum lib. II. & ſexcentas alias apud hiſtoricos. Imò de epiſtolis minùs mirum, quàm de orationibus. Epiſtolæ enim, quia ſcriptæ ab aliis mittuntur, multos in annos durare poſſunt, cùm orationes ſint ἔπεα πτερόεντα *c*. Quare nec magnopere ab veritate abhorret eorum opinio, qui, epiſtolas, dicunt, modò haberi poſſent, hiſtoriis ad verbum inſeri ſolere: orationes non item, quòd earum non exſtaret exemplum. Magis tamen veriſimile fit, ne in epiſtolis quidem verba ſcriptoris ab hiſtorico reſervari. Argumento eſt, quòd eodem ſtylo epiſtolæ ſcriptæ ſunt, quo reliqua hiſtoria: quod minimè eſſet, niſi alienam ſententiam exprimeret hiſtoricus verbis ſuis. Juvat etiam, quòd aliis verbis epiſtolam Lentuli * referat Cicero invectiva III in Catilinam: aliis verò Salluſtius in Conjuratione. Scio, Scipionis Gentilis *d*, Chriſtophori Coleri *e*, & aliorum quorundam ſententiam eſſe, Salluſtium Lentuli verba reſervâſſe, quòd ſcriberet: Ciceronem non item, quòd diceret. Sed mihi contrà videtur, Ciceronem epiſtolam ipſam legiſſe, nequid affingere Lentulo videretur: Salluſtium ſententiam expreſſiſſe, quòd in hiſtorico id ſatis eſſet. Ampliùs dicam, ea hiſtoricorum veterum opinio fuiſſe videtur, ne debere quidem vel orationes vel epiſtolas alienas ad verbum adſcribi: ne ſtylus varietate iſtac, chimæræ inſtar, fieret multiformis.

c *Verba alata.*

* *Ita monuit nos Cl Tob. Andreæ.*

d *Notis in Appuleji apol. tmem. 552.*

e *In mapiep.*

## Cap. XXII.

*Digredi in hiſtoriis licere, cùm ornandi, & delectandi cauſſâ: tum ad aliquid confirmandum. Livius parcus in digrediendo: multus verò Theopompus. Philippica Theopompi hiſtoria à rege Philippo in epitomen redacta. Othonis Friſingenſis digreſſiones nihil ad inſtitutum facientes. Polybius adverſus Sebaſt. Maccium defenſus. Quantus vir fuerit Lycortas. Achæorum Rempublicam Polybii ætate maximo in honore fuiſſe. Achaia exponatur pro univerſa Græcia. Illuſtria digreſſionum exempla apud Polybium. Salluſtius defenditur adverſus eundem Maccium. Quos Salluſtius honores geſſerit, & unde comeſto patrimonio opes acquiſierit, quibus hortos emit, hodieque Salluſtii nomine celebres. Salluſtii apud veteres elogia.*

HActenus de concionibus. Nunc videamus de digreſſionibus, quas Græci ἐκβάσεις, & uſitatiùs παρεκβάσεις, interdùm etiam παρεκβατικοὺς λόγους, Dionyſius Halicarnaſſenſis in Rhetoricis libris ἐπεισόδια, appellant. Livius *diverticula* vocat lib. IX.

Talis illa Salluſtii in Jugurthino bello, cujus initium, *Cæterùm mos partium popularium, & Senatus factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis antè annis*

*Roma ortum eſt, otio atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt.* Concludit verò eam his verbis: *Sed de ſtudiis partium, & omnibus civitatis moribus, ſi ſingillatim, aut pro magnitudine parem diſſerere, tempus, quàm res, maturius deſeret. quamobrem ad inceptum redeo.*

Eas aliqui in totum damnant. Et ſanè, compendiis minimè convenire, liquet: ubi nihil niſi neceſſarium afferendum: uti à Dionyſio Halic. in hiſtoricâ ſuâ ſynopſi factum eſſe, Photius ſcribit tmemat. LXXXIV. Sed hoc nihil ad legitimam hiſtoriam: ubi aliqua παρεκβατικῶς *a* dici poſſe, non ſolùm oſtendit veterum hiſtoricorum auctoritas, ſed etiam ratione invictâ comprobatur.

*a Per digreſſionem.*

Nam non oratori ſolùm, ſed etiam hiſtorico, utrumque horum propoſitum eſt, ut delectet, & ut doceat. Itaque Dionyſius, quem in ſynopſi digreſſione diximus abſtinere, idem in libris antiquitatum Romanarum utrumque ob finem eas frequentat. Ac de priori quidem fine ita ſcribit Photius tmem. LXXXIII, quo de Dionyſio agit: Κέχρηται *b* ἐκ παρεκβάσει οὐκ ὀλίγῃ, τὸν ἀκροατὴν ἀπὸ τῶ περὶ τ ἱστορίαν τόρυ διαλαμβάνων ταύτῃ, καὶ ἀναπαύων, καὶ ἀναψύχων. Alterum autem finem adfert Dionyſius ipſe lib. VIII *c*: ubi cùm dixiſſet, velle ſe deſcribere ludos Romanos, addit, non eò ſe facere illud, ut gratiam conciliet operi θεατρικαῖς *d* προσθήκαις, καὶ λόγοις ἀνθηροτέροις, (*amœna diverticula* Livius *e* appellat) ἀλλ' ἵνα *f* τῶν ἀναγκαίων τι πιστώσηται πραγμάτων.

*b Digreſſionibus utitur non rarò, eoque hiſtoriæ faſtidium levat, lectoremque interdum reficit, ac retinet.*
*c Prope finem.*
*d Theatrica appendice, floridiori ſermone.*
*e Lib 9.*
*f Sed ut rei neceſſariæ fidem faciat.*

Sic igitur ſtatuimus, digreſſiones tum delectare, atque ornare: tum ea confirmare, quæ narrantur: quorum ille finis hiſtorici eſt ſecundarius; hunc præcipuè ſibi proponit: imò abſque eo fine digreſſio culpâ non carebit.

Hæc cauſſa eſt, cur hiſtoricorum nonnulli ſedulò digreſſiones refugiant. Uti à Livio factum videmus. cujus iſta ſunt verba libro nono: *Nihil minus quæſitum à principio hujus operis videri poteſt, quàm, ut plùs juſto ab rerum ordine declinarem, varietatibuſque diſtinguendo opera, & legentibus velut diverticula amœna, & requiem animo meo quærerem: tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus ſæpe tacitis cogitationibus volutavi animum, eas evocat in medium: ut quærere libeat, quinam eventus Romanis rebus, ſi cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.* Et tamen ne illa quidem digreſſio planè extra propoſitum eſt. Nam pertinebat ad virtutem Papirii Curſoris, nôſſe, an par fuerit futurus Alexandro Magno, ſi is cum exercitu in Italiam trajeciſſet.

Multo minùs à propoſito aliena ſunt illa de Maſaniſſæ varia fortuna, quæ legere eſt lib. XXIX. Ad eam digreſſionem hoc pacto accedit: *Cæterùm cùm longè maximus omnium ætatis ſuæ regum hic fuerit; plurimumque rem Romanam juverit: operæ pretium videtur excedere paullulum ad enarrandum, quàm varia fortuna uſus ſit in amittendo recuperandoque paterno regno.* Nec aliena ab hiſtoria Romana, quæ Livius lib. XXXV narrat de Ætolorum conſiliis, hoc agentibus, ut Demetriade, Sparta, & Chalcide potirentur. Quibus expoſitis hæc ſubdit: *Abſtulerunt me velut de ſpatio Græciæ res immiſſæ Romanis: non quia ipſas operæpretium eſſet perſcribere, ſed quia cauſſa fuerunt cum Antiocho belli.*

Cautè etiam hac parte ſe geſſit Thucydides. Non item Theopompus in libris hiſtoriæ Philippicæ, qua egit de rebus geſtis Philippi, Amyntæ filii, Alexandri Magni patris. Eam hiſtoriam cùm digreſſionibus Theopompus implêſſet: Philippus, proximus ab ultimo Macedonum rex, Perſei pater, ex libris LVIII (tot enim ſcripſerat Theopompus) fecit libros XVI, nihil de ſuo addens, ſed ſolùm digreſſiones ejus reſecans: quemadmodum ex Photio diſcimus.

Nec ſatis eſt, ut ne digreſſionibus utamur nimis multis: nam etiam in paucis peccari poteſt: ut ſi ſint ἄκαιροι *g*, nihilque ad præſens inſtitutum pertineant. Qualis eſt philoſophica illa Othonis Friſingenſis, quæ eſt lib. I. de geſtis Friderici cap. V. item theologica illa cap. LIII. Ut de Suevica hiſtoria Martini Cruſii, & aliis aliorum, nihil dicam.

*g Intempeſtivæ.*

Imò ſi Sebaſtianum Maccium audimus, hujus criminis rei etiam ſunt Polybius, & Salluſtius. at quanti viri! & tamen, ut Maccio videtur, turpiter ſe hîc dederunt: ut qui inutilibus digreſſionibus hiſtoriam repleverint, atque id non alio fine fecerint, quàm ut ſtulto faſtu ſeſe ſupra cæteros efferrent. Audiamus hominem in florentiſſimos ſcriptores debacchantem. *Polybius, & Salluſtius, ita peccârunt, ut nullam unquam veniam impetrarint. In hoc duntaxat ſe occupant; dum digrediuntur, laudant ſe ipſos, atque oculos ita captare ſtudent, ut ab cæterorum lectione penitus ſummoveant. Hic eſt finis omnium digreſſionum, quas tam Polybius, quam etiam Salluſtius, faciunt. Hoc verò genus ſcriptionis eſt maximè vituperabile, & naſo adunco omnino ſuſpendendum. Et eſt minus tolerabile, quando, quæ fuerit hiſtorici conditio, non ignoratur. Salluſtii vita qualis fuerit, notum lippis & tonſoribus. De Polybio quid dicam? Fuit oriundus Megalopoli in Arcadia ex abjectiſſimis, atque ignobiliſſimis parentibus, datus pædagogus Scipioni. Sed cùm nullam præ ſe ferret generis nobilitatem, voluit dicendo famam virtutis ſibi comparare: propterea ſe, ſuumque ſtudium, tantopere jactavit: atque, ad id nobis inculcandum, dicit, ſe interfuiſſe, præfuiſſe, adminiſtrâſſe. Sed quid vanius? quid ambitioſius? Vitium profectò hoc eſt vel maximum; ſed quod totum in hominis conditionem convertitur. Tam enim Salluſtius, quàm etiam Polybius, cùm plebeii eſſent, atque ignobiles, ſine ulla parentum ſuorum imagine nobilitatem ſibi, de ſe prædicando, comparare voluerunt.* Quæ verba viri neutiquam vel ingenii, vel eruditionis aſpernandæ, propè, nequid diſſimulem, cerebrum mihi findunt. Nam quale eſt illud, quòd ait, Polybium, & Salluſtium, natos fuiſſe *abjectiſſimis atque ignobiliſſimis parentibus*? O ſpiſſam inſcitiam! quis neſcit, Polybium, ut de hoc primùm dicam, fuiſſe filium Lycortæ *a*? At is non tantùm Achæorum ad Romanos, ſed etiam ad *b* Ptolomæum, Ægypti regem, legatus fuit. Imò gentis *c* Achæorum fuit στρατηγός, quem Latini prætorem, vel imperatorem, vocant. Eâque in dignitate, & prudentiſſimis conſiliis, & rebus fortiter geſtis, tanto ſe honori parem oſtendit. Quæ ex Polybianis legationum excerptis certiſſima ſunt: &, ſi iſta nondum viderat Maccius, ſaltem pleraque horum ex Livio, quem unum cum Thucydide prædicat, ſcire debuit. Siquidem Livius lib. XXXV narrat, prælio, quod inter Philopœmenem, & Nabidem, commiſſum fuit, Lycortam hunc Megalopolitanum equitibus præfuiſſe. Idem Livius lib. XXXVIII. ſic de eo ſcribit: *Utrimque legatio miſſa Romam eſt. exules quoque Lacedæmoniorum ſuorum cauſſam legationemque Achæis injunxerunt. Diophanes & Lycortas, Megapolitani ambo, principes legationis Achæorum fuerunt.* Et libro proximo: *In Peloponneſo adventus Romanorum legatorum, qui ex Macedonia in Achaiam ire juſſi erant, exſpectabatur, adverſus quos, ut præparata conſilia haberent, Lycortas prætor conſilium indixit.* Ubi & mox Lycortæ hujus ad Appium orationem ſubjungit. Et quale eſt, quòd Polybium fuiſſe Scipionis duntaxat pædagogum calumniatur? Quaſi in eam ſpem, ut pueros doceret, educatus fuerit à patre, principe Achæorum, quorum Reſpub. inter Græcos tum plurimùm poterat, unde & (verba Livii *d* ſunt) *magnæ auctoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat.* Imò quòd Cicero, & alii, Achaiam κατ' ἐξοχὴν pro univerſâ uſurpant Græciâ, id non aliunde eſt, quàm quia, cùm Romani Græciam ſubigerent, Achæi in ea principatum obtinerent: quemadmodum in Oratoriis Inſtitutionibus *e* etiam diximus. Ab nobili eâ gente Polybius cum patre Lycorta, & Arato, Arati filio, legatus miſſus fuit ad Ptolomæum Epiphanem. Et hic honos cùm ei in patria haberetur, necdum attigerat ætatem legitimam capeſſendæ Reip. ut ipſe indicat. Etiam poſtea Achæorum *f* ad conſules Romanos in Theſſaliam legatus fuit: ac mox in patriam reverſus conſilio ſuo effecit, ut Achæi liberarentur multâ, quæ exſuperaret CXX talenta. Præfectus quoque

*a Polyb. in Excerptis Legat. tmem. 37.*
*b Ibid.*
*c Ibid. tmem. 53.*
*d Lib. 38.*
*e Lib. 4. cap. 8.*
*f Polyb. in Excerpt. Legat. tmem 78.*

que *a* equitum fuit. Poſtquam verò in Romanorum venit poteſtatem, *Scipio, elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ & auctor, & admirator, domi militiæque ſecum habuit*: ut Velleius Paterculus *b* inquit. Nec ſolùm Scipioni huic Africano, quamquam unus is multorum inſtar eſſe poſſet; ſed regibus etiam, variarumque gentium principibus, ſummâ amicitiâ conjunctiſſimus vixit. Multùm etiam Locriorum civitati utilis fuit *c*, quæ uni huic acceptam tulit immunitatem duriſſimorum onerum, cui adſtricta erat legibus pacis initæ cum Romanis. Nec ſi Polybius de ſe iſta tacuiſſet, alii ea ignorare nos ſiviſſent. Nam Pauſanias in Arcadicis teſtis eſt ſtatuarum ei in Græcia poſitarum: quæ res ſatis arguit, quàm gratus fuerit ſuis. Jam ſcriptis quid laudatius? Joſephus *d* eum vocat ἀγαθὸν ἄνδρα *e*, Strabo *f* ἄνδρα φιλόσοφον *g*, Ælianus *h* ἄνδρα πολυμαθῆ *i*, Velleius præcellentem ingenio virum, Livius *k* hautquaquam ſpernendum auctorem, quod fortaſſe κατὰ λιτότητα dictum de eo, quem Cicero *l* ipſe appellat auctorem imprimis bonum. Nempe quomodo Achilles Homero *m* vocatur οὐκ ἀφαυρότατος Ἀχαιῶν *n*, qui Achivos omnes fortitudine ſuperabat: quomodo item Pythagoras Horatio dicitur *non ſordidus auctor naturæ, verique*. De quo loquendi genere multa Caſaubonus ad Polybium *o*, & nos in Oratoriis noſtris *p*. Huic viro, & genere, & rebus geſtis, & ſcriptis nobiliſſimo, ita inſultat Maccius, ut hominem pædagogum appellet, genere aiat ortum vili abjectoque, animo etiam adeò ſtolido inflatoque fuiſſe dicat, ut digreſſiones affectârit, non aliâ de cauſsâ, quàm ut eorum inſtar, quibus mali obtigere vicini, ſuarum fieret laudum curſo ac buccinator. Quod nunquam dicet, qui ſatis attenderit, cujuſmodi ſint digreſſiones Polybii. Nam paſſim quidem digreditur, ſed vel ut locum aliquem deſcribat, ſine cujus notitia res non poſſit intelligi: vel ut cauſſa rei ac modus, quo quid geſtum eſt, meliùs intelligatur: vel ut alienam refellat opinionem, quæ officeret narrationi ſuæ. Ita lib. II. cauſſas aperit, quibus feliciter adeò creverat Achæorum Reſp. Lib. IV. tractat de cauſſis, ex quibus Cynethenſium infelicitas provenerat. Liber VI. integer digreſſio eſt, quâ, cur Romani poſt clades à Pœnis acceptas è miſero adeò ſtatu emerſerint, atque ad tantam magnitudinem pervenerint, cauſſam eſſe docet, non fortunam, quam amentes eventuum cauſſam facere ſolent: ſed prudentiam Romanorum, hoc eſt, tum Reip. formam, tum ſcientiam militarem. Quæ ſummi viri diſſertatio auro magis aurea eſt. Lib. IX. diſſerit de inſtitutione præclari imperatoris, & ſcientiis, quibus ei opus. Lib. X. agit de ratione dandi ſigna per faces: nec veterum morem docere contentus, etiam inventis ſuis artem eam adauget. Item lib. XVII. cauſſas adſert, cur Romani vincere potuerint phalangem Macedonicam, quæ invicta priùs erat, ac ejus erat naturæ, ut vinci haut poſſe, neque id temerè, perſuaſum eſſet. Multis etiam locis de hiſtoriæ natura, atque hiſtorici officio diſſerit. Quodſi quis contendat, talia potiùs ad philoſophum, quàm hiſtoricum, pertinere; equidem non refragabor: tantùm dicam, hiſtoricum illum omne, meo judicio, punctum ferre, qui, admirabili cinno, non philoſophi minùs, quàm hiſtorici munus, expleverit. Atque id facilè mihi conceſſuros arbitror, qui perſuaſum habeant, hiſtoriam, & philoſophiam πρακτικὴν, ſine convenire; neque aliud hiſtoriam eſſe, quàm philoſophiam exemplis inſtitutam: ut ſuperiùs etiam dicebamus.

a Ibid. & mem. 73.
b Lib. 2.
c Polyb. lib. 12.
d Lib. 12. Antiq. Juda. cap. 13.
e Virum bonum.
f Lib. 1.
g Hominem philoſophum.
h Lib. de acie inſtr. cap. 1.
i Virum multiſcium.
k Lib. 30
l Lib. 3. de Offic.
m Iliad. O.
n Non infirmiſſimus Achæorum.
o Pag. 1034.
p Lib. 4. Orat Inſtit. c. 10

Nec propterea neceſſe puto, ut hac ſemper parte Polybium potiùs imitemur, quàm cæteros, qui in digrediendo & parciores ſunt, & breviores. Eſt enim non unum hiſtoriæ genus: neque idem hiſtoricis omnibus propoſitum eſt. Polybius non contentus prodere ſui temporis hiſtoriam, ſimul πρᾶξιν tradere inſtituit civilis doctrinæ, tum ejus quæ in adminiſtranda Rep. verſatur, tum quæ ad militarem diſciplinam pertinet: quibus duabus partibus politice abſolvitur. Idem ſi nobis propoſitum ſit, locum itidem habebunt digreſſiones etiam longæ, & philoſophicæ. Sed non omnia ſic tractari opus eſt: imò nec omnia debent, nec ab omnibus poſſunt.

A Polybio ad Salluſtium venio: quem temerè ait Maccius generis nobilitate Livio cedere. Nam quo veteri auctore id adſtruet? Nec dicere poſſit dignitate inferiorem fuiſſe: nam & quæſtor, & tribunus plebis, & ſenator Romanus fuit. Imò & Julii Cæſaris favore hoc conſecutus eſt, ut Africæ eſſet prætor: unde eas eſt opes conſecutus, ut, qui priùs paternam domum vendere fuerat coactus, is poſtea emerit amœniſſimos hortos ſub Quirinali extra pomœrium ad portam Collinam, qui hodieque dicuntur *horti Salluſtiani*. Hæc ſatis certa ſunt: partim ex oratione ea in Salluſtium, quæ vulgò Ciceroni tribuitur; quam antiquam admodum eſſe, vel inde liquet, quòd eam, tanquam ipſius Ciceronis, Quinctilianus *a* citet: partim ex ſchidis antiquis, quarum indicio iſtæc in Salluſtii vita legimus, cùm eâ, quam in ſua Salluſtii editione ante ſeculum & ampliùs poſuit Pomponius Lætus, tum illa, quam ſcripſit Petrus Crinitus. Interim fatemur, vitam hiſtorici defendi non poſſe: uti nec illud, quòd, qui ipſe vitiis erat coopertus, uſque adeò in illa invehatur, quaſi alienis vitiis invideret. Sed de iſto quæſtio non eſt: verùm, fueritne genere vili, dignitate nullâ, ac propterea animo ſtultè adeò ſuperbo, ut crebrò digredi ſoleat, atque id ſemper, quò, vituperantibus cunctis, ſeſe ipſe laudaret. Quæ pura puta calumnia eſt. Nam ſive digrediatur, ut locum exponat, res ſine eo intelligi non potuit: ſive corruptos civitatis mores, ſimiliaque narret, ſunt ea inter cauſſas eorum, quæ deinde contigerunt. Sanè quanto aliter ſapiens vetuſtas de hiſtoria Salluſtii, quàm Maccius, judicavit? Nam, qui proximi illis temporibus fuere, Velleius Paterculus, & M. Seneca Rhetor, alter *b* eum *perfectiſſimum in forma operis* ſui vocat: alter *c* ipſi Thucydidi præferre non dubitat: nec Quinctilianus *d* idem facere veretur: imò, à doctiſſimis quibuſque Romanorum, principem in hiſtoricis locum ei tributum eſſe, vel ex Martialis *e* de eo epigrammate notum eſt. Sanctorum patrum quoque ſi poſcatur judicium, B. Hieronymus, epiſtolâ ad Paulinum, quæ eſt de inſtitutione monachi, quatuor hos eſſe dicit, quos hiſtoricus imitando proponere ſibi debeat, Thucydidem, Salluſtium, Herodotum, Livium. Iſtoc enim ordine recenſet illos.

a Lib. 4. cap. 1.
b Velleius lib. 1.
c Sen. lib. 9. declam. 1. & controverſ. 25. lib. 5.
d Lib. 10. cap. 1.
e Lib. 14.

## Cap. XXIII.

De Dispositione, *ſive ordine. Quàm is hiſtorico etiam neceſſarius ſit. Procœmio etſi primus locus debeatur, poſtremò tamen ſcribi poſſe: atque id à Thucydide etiam, ac Dionyſio, factum videri. Duplex procœmii munus. Quandoque tamen & tertium ei accedere, ut benevolentiam paret: quod ita eſſe, Livii autoritate contra Lucianum comprobatur. Procœmii virtus, ut quaſi è viſceribus hiſtoriæ trahatur: ac Salluſtium à Fabio reprehendi, quòd iſtoc neglexerit. Damnantur exordia frigida, magnifica nimis, & longa. Reprehenſi item, qui procœmium pœnitus omittunt, atque in eo ſe Xenophontem imitari dicunt, vel Cæſarem. Philoſophorum, & veterum oratorum mos, invocare numen initio operis. Cur hiſtorici non æquè id agant, ac poëtæ. Unde poëtæ dicantur* ſacri vates, Deorum miniſtri, ac interpretes.

Alteram ſeu corporis, ſeu exædificationis hiſtoricæ partem feceramus ordinem, ſive, ut Græci vocant, τὴν κατὰ τὴν οἰκονομίαν χαρακτῆρα *a*. Hujus quàm ſtudioſus eſſe debeat hiſtoriæ ſcriptor, oſtendit Dionyſius Halicarn. *b* qui inter quinque illa, quorum habenda eſt ratio, ordinem quoque ponit. item Diodorus Siculus initio lib. V. ubi & Ephorum laudat, quòd non ſolùm curârit illa κατὰ τὴν λέξιν *c*, ſed etiam κατὰ τὴν οἰκονομίαν *d*.

Primum verò ordine in hiſtoria locum tenet procœmium: quod tamen non impedit, quo minùs poſtremo loco ſcribatur. Fecit hoc Thucydides, ut verba illa in ingreſſu operis oſtendunt: Θουκυδίδης *e* Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων, ὡς ἐπολέμησαν

a Diod Sicul. initio lib. 5.
b Epiſt. ad Cn. Pompeium.
c Verborum elegantiam.
d Ordinem.
e Thucydides Athenienſis bellum Peloponneſium, Athenienſiumque, quod inter ſe geſſerunt, conſcripſit, exorſus ſtatim ab eo motu.



μησαν

μησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου. Non ξυγγράψας adicit, ſed ξυνέγραψε b, non ἀρξόμενος c, ſed ἀρξάμενος d. Idem factum à Dionyſio Halicarnaſſeo, qui ſimiliter in præfatione ſuâ ait: Τότε ἐπιχείρησα τῇ γραφῇ e. Ait ἐπεχείρησα f, non ἐπιχειρήσω g. Propterea Lucianus quoque de exordio demum tractat, poſtquam univerſa penè tradiderat hiſtoriæ ſcribendæ præcepta. Eam partem ſic orditur, Πάντων h δὲ ἤδη παρεσκευασμένων καὶ ἀπροοιμίαστον μὲν ποιήσεται τὴν ἀρχήν, &c. Licet verò neceſſe non ſit, ut proœmium primò ſcribatur: tamen, ubi ſcriptum eſt, initio poni debere, vel ex voce ipſa ſatis eſt evidens.

Officium proœmii minimùm duplex eſt. Prius eſt, ut ſignificetur, qua de re hiſtoria inſtituatur. Alterum, ut lector attentus reddatur. Quibus tertium quandoque accedit, ut benevolentia captetur. Sed Lucianus ſolùm priora duo agnoſcit. Sic enim ſcribit i: Ὁπόταν k δὲ καὶ φροιμιάζηται, ἀπὸ δυοῖν μόνον ἄρξεται, οὐχ, ὥσπερ οἱ ῥήτορες, ἀπὸ τριῶν, ἀλλὰ τὸ τῆς εὐνοίας παρείς, προσοχὴν δὲ καὶ εὐμάθειαν εὐπορήσει τοῖς ἀκούουσι. Etiam cur neceſſe non habeat hiſtoricus benevolentiam parare, rationem continuò adjungit: Προσέξουσι l μὲν γὰρ αὐτῷ, ἢν δείξῃ, ὡς περὶ μεγάλων, ἢ ἀναγκαίων, ἢ οἰκείων, ἢ χρησίμων ἐρεῖ. Sed Livius ſecurè hoc præceptum negligit. Tria enim facit in præfatione ſuâ. Ac primùm argumentum operis indicat, cùm inquit: *Facturuſne operæ pretium ſim, ſi à primordio urbis res populi Romani perſcripſerim.* Attentum verò lectorem reddit, cùm mox vocat *res geſtas principis terrarum populi.* Item cùm ait: *Cæterùm aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla unquam reſp. nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam ſero avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tam diu paupertati, ac parſimoniæ honos fuerit: adeò quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.* Quæ operis inſtituti dignitatem commendant. Benevolentiam denique parit his verbis: *Etſi in tanta ſcriptorum turbâ, mea fama in obſcuro ſit: nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me conſoler.* Item cùm ait: *Ego contrà hoc quoque laboris præmium petam, ut me à conſpectu malorum, quæ noſtra tot per annos vidit ætas, tantiſper certè, dum priſca illa totâ mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ ſcribentis animum, etſi non flectere à vero, ſollicitum tamen efficere poſſit.* Suntque ſimilia illis in eodem prologo.

Præterea videndum, quæ proœmii virtutes ſint, quæ item vitia. Optima ſunt illa, quæ ex narrationis viſceribus trahuntur. Qualia ſunt Herodoti, Thucydidis, Dionyſii, Livii, Taciti, aliorum multorum. At non item probari ſolent, quæ vel omni commentationi, vel ſaltem cuivis hiſtoriæ, aut propè omni conveniant. Si tamen Fabio m credimus, *Criſpus Salluſtius, in bello Jugurthino & Catilinario, nihil ad hiſtoriam pertinentibus principiis uſus eſt.*

Vitioſa etiam ſunt proœmia frigida: quali uſus Callimorphus medicus, Parthicæ hiſtoriæ auctor. in cujus proœmio colligebat, medici eſſe hiſtoriam ſcribere, quia Æſculapius foret Apollinis filius, Apollo verò ſit dux Muſarum, atque omnis eruditionis princeps. Auctor Lucianus n, qui & ſimilia refert exordia, & quidem frigida ὑπὲρ o τὴν Κασπιακὴν χιόνα, καὶ τὸν κρύσταλλον Κελτικόν, ut ipſe loquitur. Hujuſmodi quæ ſunt, abſterrent à lectione hiſtoriæ, priuſquam cœperis. Nec enim facilè ab eo præclari aliquid expectes, qui in portu ipſo impingit.

Nec frigida ſolùm exordia damnantur, ſed etiam nimis magnifica. Qualia ſi præponantur hiſtoriæ vulgari ſtylo ſcriptæ; non minùs ridiculum eſſe dicit Lucianus, quam cùm Cupido inducitur, Herculis, aut Titani alicujus perſonam ſuſtinens. Unde & iis, qui exordio ejuſmodi utuntur, acclamari ſtatim ſolet p,

*Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.*

Hoc ne uſu veniat nobis, jubet Lucianus, ut omnia ſint ſimilia, & ejuſdem coloris, atque ut reliquum corpus capiti reſpondeat: ne galea quidem aurea ſit, thorax verò ex

a *Scribens.* b *Scripſit.* c *Orſurus.* d *Orſus.* e *Tum demum hanc hiſtoriam ſum aggreſſus.* f *Aggreſſus ſum.* g *Aggrediar.* h *Porrò jam adornatis omnibus, aliquando etiam abſque proœmio auſpicabitur.* i *Lib. de ſcribenda hiſtoria.* k *Quando verò proœmio utitur, à duobus tantùm ordietur, non, ut rhetores, à tribus: ſed benevolentiæ loco prætermiſſo, attentionem & docilitatem pariet auditoribus.* l *Advertent enim ipſi animum, ſi oſtenderit, quàm de magnis, aut neceſſariis, aut ad ipſos pertinentibus, aut utilibus denique rebus, ſit dicturus.* m *Lib. 3 cap. 10 juxta edit. Rob. St. Aliis verò id cap. 8.* n *Lib. de ſcribenda hiſtor.* o *Magis quàm Caſpiæ nives, & glacies Gallica.* p *Horat.*

pannis vetuſtis, aut pellibus putridis; clypeus item ſalignus, tibialia conchis obſita, aut ex corio ſuillo facta.

Nec debent ea eſſe nimis longa. quod tantumdem eſſet, ac ſiquis Rhodii illius coloſſi caput pumilioni imponeret.

In contrarium verò peccant, qui proœmium planè omittunt. Quod idem Lucianus ſimile eſſe dicit, ac ſiquis hominem produceret ſine capite. Solent verò tales defendere ſe, cùm aliorum, tum Xenophontis exemplo, qui expeditionem Cyri minoris ſic orditur: Δαρείου a καὶ Παρυσάτιδος παῖδες γίγνονται δύο. Sed reſpondet Lucianus, neſcire iſtos, ὡς b δυνάμει τινὰ προοίμιά ἐστι λεληθότα τοὺς πολλούς: quod alibi fuſiùs declarat. Tamen Cæſar quoque proœmio abſtinet. Sed commentarios ille, non juſtam hiſtoriam, ſcripſit: ut non ſemel dictum.

Illud extremo loco in conſiderationem venit, num in proœmio etiam invocare debeat hiſtoricus. Sanè Xenophon in Oeconomico jubet σὺν c τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου. Philoſophis quidem id in more fuiſſe, indicat Jamblichus in vita Pythagoræ d. Ac antiquos quoque oratores id facere conſueſſe, teſtis eſt Servius in illud XI Æn.

*Præfatus Divos ſolio rex infit ab alto.*

Ubi & Ciceronis illud tangit ex Divinatione: *Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, & ſiquid ex vetere aliqua oratione,* JOVEM EGO OPTIMUM MAXIMUM, *aut aliquid ejuſmodi, diſcere potueris, præclarè te paratum in judicium venturum arbitraris.* De poëtis verò ſatius puto tacere. Nam nemo adeò eſt à Muſis alienus, ut initio operis illas ab iis invocari ignoret. Sed de hiſtoricis id dici non poteſt: quippe qui invocationem ſoleant omittere. Unde Livius præfationem ſuam ita claudit: *Sed querela ne tum quidem grata futura, cùm forſitan & neceſſariæ erunt: ab initio certè tantæ ordiendæ rei abſint. Cum bonis potiùs ominibus, votiſque ac precationibus deorum dearumque, ſi, ut poëtis, nobis quoque mos eſſet, libentiùs inciperemus, ut orſis tantum operis ſucceſſus proſperos darent.* Etiam Lucianus e, de ineptis quibuſdam hiſtoricis agens, inter alia inquit: Εἷς f μέν τις αὐτῶν ἀπὸ Μουσῶν εὐθὺς ἤρξατο, παρακαλῶν τὰς θεὰς συνεφάψασθαι τοῦ συγγράμματος. Deinde more ſuo ſalsè hunc ridet: Ὁρᾷς g ὡς ἐμμελὴς ἡ ἀρχή, καὶ περὶ πόδα ἡ ἱστορία, καὶ τῷ τοιούτῳ εἴδει τῶν λόγων πρέπουσα; Nec obſcura eſt ratio, cur hiſtoricos à poëtis hac etiam parte differre putarint. Nam ita ſtatuebant, in iis, qui ingenio ad hiſtoriam ſcribendam idoneo ſint, & illis inſtructi diſciplinis, quarum notitiâ hiſtorico opus eſt, nihil ulteriùs, præter fidem & induſtriam, requiri: in poëtis verò exigi ſpiritum h ἔνθεον καὶ κάτοχον ἐκ Μουσῶν i, unde illud Sulmonenſis poëtæ k:

*Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cæli:*
*Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.*

Atque, ut idem alibi l ait,

Hinc *ſacri vates, & Divûm cura vocantur.* Imò Plato ipſe eos Deorum ἑρμηνέας καὶ ὑπηρέτας m appellat in Ione: nempe quia cælitus veniat furor iſte, quo correpti ea canunt, per quæ Dii volunt hominibus mentem ſuam aperire.

## Cap. XXIV.

*Acceditur ad ordinem, qui in narratione ſervari debet: is duplex; unus, quo temporis ratio habetur; alter, qui generum ſequitur diſtributionem: & quando, vel hic, vel iſto, uti oporteat. Temporis ordinem à fama peti non debere. Quis ordo ſervandus ſit in ſex iſtis; quis egerit, quid, cur, quomodo, ubi, & quando. Quanto plus fructus capiatur ex hiſtoria, quæ partes connectit; quàm illis, quæ de partibus ſeorſim agunt: & quis ordo hiſtoriæ adeo luculentæ. Riccobonus refellitur. Non ſemper temporis ordinem ſervari in hiſtoria, quæ de totâ, vel pluribus etiam nationibus, tractat. Tranſeundi in eâ ratio. Thucydidem, dum accuratè nimis tempus obſervat, ſubinde fieri obſcurum: contrà verò Tacitum, & alios, perſpicuitatis cauſsâ, res diverſi temporis ſimul complecti.* Ὕστερον πρότερον *etiam in hiſtoria à Theone agnoſci. De ordine, qui in Vitis ob-*

a *Darii, & Paryſatides filii fuere duo.* b *Eſſe proœmia quædam vi ac poteſtate, quæ fugiant vulgus.* c *Auſpicatò Diis auſpicari.* d *Initio operis.* e *Lib. de hiſt. ſcrib.* f *At unus quidem ipſorum ſtatim à Muſis exordiebatur, invocando deas, ut ipſæ opus hoc ſcribenti adeſſe vellent.* g *Vides, quàm concinnum principium, quàm in promptu hiſtoria, quàm tali orationis formæ conveniens?* h *Lucian. de hiſt. ſcrib.* i *Divinum à Muſis afflatum.* k *Lib. 3. de Arte.* l *Lib. 3. Amor. el. 8* m *Interpretes ac miniſtros.*

*obſervatur. Judicium de ordine, quem hiſtoria Auguſtæ ſcriptores ſequuntur.*

SAtis dictum de prooemio. Quæ pars hiſtoriæ prima eſt, ſi loci ordinem ſpectes. Sed dignitate longè eſt princeps ipſa narratio, quæ conſtituit τὸ σῶμα τῆς ἱστορίας a, ut Lucianus vocat. Debet verò mollis ac placida eſſe ad narrationem tranſitio, ut idem ait. Εὐαφὴς δὲ, inquit, καὶ διάγωγος ἔστω ἡ ἐπὶ τὴν διήγησιν μετάβασις.

*a Hiſtoriæ corpus.*

In narratione imprimis ordo exigitur. Unde Plinius epiſt. 1. lib. 1. *Collegi epiſtolas non ſervato temporis ordine: neque enim hiſtoriam componebam.*

Atque heic duplex ſervatur ordo. Siquidem hiſtorici in eâ vel τῇ χρόνου ἀκολουθίᾳ b, vel ταῖς περιοχαῖς τῶν πραγμάτων c, ut ait Halicarnaſſenſis; qui & prius illud à Thucydide, poſterius ab Herodoto factum ait.

*b Tempora ſequuntur. c Rerum complexiones.*

Videamus, quando vel hoc, vel illo ordine ſit utendum. Plurimùm autem illud pendet à rei natura, de qua agendum. Res ea vel eſt corporis integri, vel unius hominis. De corpore toto vel refertur res ſimplex, vel res plures. In re ſimplici eo omnia ordine proſequemur, quo geſta ſunt. Sed ordinem hunc à rumore neutiquam diſcere oportet. Nam *ſummam rerum nuntiat fama, non ordinem:* ut Plinius ait epiſtolâ ad Minutianum d. Ubi verò ordinis ſatis gnari ſumus; haut ullo artificio opus eſt, niſi quatenus & aliqua ejus ratio habetur in commemorandis ſex iſtis, quæ in omni narratione ſpectari ſolent, perſonâ, re, cauſâ, modo, loco, ac tempore. Quam rem commodè ſatis expoſuit Franciſcus Patricius. Nec enim, ſi agendum eſſet de Rhodiorum obſidione, rectè ordiremur à militum numero, hinc arma deſcriberemus, tum cauſſam ſuſcepti belli exponeremus, poſtea indicaretur locus, poſtremò belli ſucceſſus, & quo tempore hæc contigiſſent. Nam iſta ordinis perturbatio multùm turbaret lectorem. Ut ergò diſtinctè omnia narrentur, ita potiùs digeremus. Primùm exponemus auctorem, hinc occaſionem, tum apparatum & inſtrumenta, poſtea locum, & agendi modum, poſtremò actionem ipſam, atque ſucceſſum. Suum autem attributis ſingulis tempus addetur. Eſt enim quaſi communis quædam omnium veſtis: eoque, ſi in ſingula dividatur, nulli partium deerit, quo contegatur. Hic ordo plurimùm eſt ſervandus, cùm naturæ maximè ſit conſentaneus. Interdum tamen negligitur, quia caſus alium ordinem offerat. Atque hæc quidem ſatis perſpicua ſunt.

*d Lib. 4. epiſt. 11.*

At operoſior multo eſt οἰκονομία hiſtoriæ ejus, quæ res multas comprehendit. Quin tanto hìc magis habenda eſt ordinis ratio, quanto amplius fructus ex ejuſmodi hiſtoria hauritur. *Nam* (ut optimè Polybius e monet) *univerſam illorum, quæ ad ſummam rerum conferunt, adminiſtrationem in iis, quæ acciderunt, quando, & à quibus principiis quæque ſunt profecta, quove modo hunc tandem finem res ſint nactæ: hæc ex iis, qui particulatim res geſtas ſcripſere, non cognoſcas: niſi fortè aliquis, ubi nobiliſſimas urbes ſingillatim adierit, aut etiam mehercule pictas in tabula fuerit contemplatus: ſtatim putaturus ſit, totius quoque orbis figuram, univerſumque adeò illius ſitum atque ordinem, probè ſe didiciſſe: quod penitus à ratione ſit alienum. Omnino, meo quidem judicio, ſimiles ſunt, qui perſuadent, è particulari hiſtoriâ ſummæ rei notitiam ſatis commodè parari poſſe, iis, qui disjecta membra corporis antè animati ac pulchri tuentes, abunde ſatis ſpectatum ſibi crediderint animalis ipſius vim, actiones, ac pulchritudinem. nam ſiquis illa membra repentè in unum compoſuerit, & denuo integrato animali ſuam formam, & animæ decus reddiderit, atque ita rurſus iiſdem illud ipſum oſtenderit: omnes, credo, ſtatim fateantur, longè ſe antea à rei veritate abfuiſſe: non multo ſecus, atque eos, qui ſomnia vident. quippe ex parte quidem de toto ſubire animum cogitatio; cæterùm ſcientia, & cognitio vera haberi nequaquam poteſt. Quamobrem ita exiſtimare debemus: parum omnino ſingularum partium hiſtoriam ad rerum univerſarum conferre notitiam, & fidem: quam ex ſolâ cunctarum inter ſe partium connexione & comparatione, item ſimilitudine ac differentia, aliquis conſequatur: eoque modo in penetralia admiſſus hiſtoriæ, & utilitatem, & voluptatem ex eâ poterit capere.* Hactenus Polybius: quem quia locus eſſet longior, Latinè ſolùm loquentem induximus.

*e Lib. 1. pag. 4. edit. Caſaub.*

Ex his ſatis liquet, quantum referat, ex particularibus hiſtoriis contexi univerſalem. Quod verò ad ordinem atque οἰκονομίαν ejus, ante omnia diſpicere oportet, num res geſtæ continuâ ſerie ſint connexæ; uti quæ ab uno geruntur imperio: qualia fere ſunt, quæ Livius narrat de Romanis, antequam cum claſſe trajicerent in Siciliam: an à diverſis gentibus fiant, ſed unum in finem referantur: uti illa apud Polybium, qui variarum gentium hiſtoriam tractat, ſed ita ut ad imperium Romanum reſpiciat προηγουμένως a, ad gentes alias κατὰ b δεύτερον καὶ παρεμπτωτικὸν λόγον, ut Stoici loquuntur: an denique ita à diverſis nationibus geſta ſint, ut minimè cohæreant: qualia ſunt, quæ Diodorus Siculus narrat: item Trogus, ſive Juſtinus.

*a Primario. b Secundario, & per occaſionem.*

In poſtremo hoc genere dubium non eſt, quin unaquæque res integrè ſit narranda, priuſquam ad alteram tranſeatur. Nempe, ut quoque Diodorus Siculus c hac ipſa de re ſcribit, Οὕτω d μάλιστα διαλαμβάνομεν, τὴν ἱστορίαν εὐμνημόνευτον, καὶ σαφῆ γενήσεσθαι τοῖς ἀναγινώσκουσιν. Sanè Herodotus id plurimùm obſervat. Idemque faciunt Paterculus, ac Juſtinus: quos immeritò ſugillat Riccobonus, quaſi ſeriem temporis malè neglexerint. Nimirum non vidit, quando res nec ex eodem principio naſcuntur, nec eundem in finem tendunt, tunc minimè requiri, ut ob ſolam temporis cognationem intercidamus narrationem. Quin id non modò opus non eſt, ſed in hiſtoria legitima, hoc eſt, eâ, quam Græci διεξοδικὴν καὶ πραγματικὴν appellant, (nam χρονολογίας diſpar ratio eſt) ne fieri quidem debet: quia ea res intelligentiam moratur. Unde Velleius Paterculus: *Facilius cujuſque rei in unum contracta ſpecies, quàm diviſa temporibus, oculis animiſque inhæret.* Satis hoc etiam perſpexit Suetonius, qui cùm de genere egiſſet Cæſaris Auguſti, omnemque ejus vitam (vixit verò annis prope LXXVI.) diſtribuiſſet in annos illos duodeviginti, & menſes ſex, qui mortem Julii Cæſaris præceſſerunt: XII que proximos, quibus paullùm primò optimatium partibus hæſit, mox cum M. Antonio, & M. Lepido, deinde tantùm cum Antonio Remp. tenuit: denique annos illos XLIV, quibus eum tenuit ſolus: ſubjungit exinde de ordine quo vitam Auguſti ſcripturus eſſet, hæc verba: *Propoſita vitæ ejus velut ſumma, partes ſigillatim, neque per tempora, ſed per ſpecies exſequar, quo diſtinctiùs demonſtrari cognoſcique poſſint.* Profectò ut Pentheum, aut Apſyrtum diſcerptum, difficulter agnoviſſes: ita nec facilè intelligas narrationem, quæ rebus aliis crebrò interſecatur. Nec eo tempus ignorabitur, quia illud initio, aut fine cujuſque narrationis, poterit indicari.

*c Initio lib. 16. d Sic putamus hiſtoriam memoria facilè comprehendi, & perſpicuam reddi legentibus.*

At diſpar ratio eſt primi ſecundique generis, ubi vel unius imperii res commemorantur, vel diverſarum gentium, ſed ita ut ad unum referantur. Nam in hujuſmodi hiſtoriâ ſequimur rationem temporis, contrà quàm poëtæ facere ſolent. Quâ de re ita Macrobius lib. v. Saturn. cap. 11. *Homerus, vitans in poëmate hiſtoricorum ſimilitudinem, quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem uſque perducere, ipſe poëticâ diſciplinâ à rerum medio cœpit, & ad initium poſt reverſus eſt.* Plinius, lib. 1, epiſt. 1. *Collegi epiſtolas, non ſervato temporis ordine: neque enim hiſtoriam componebam.* Similiter Lucianus e jubet ὁμοχρονεῖν, & ea conjungere inter ſe, quæ temporibus congruunt. Sic enim ſcribit, περὶ f πάντα σπευδέτω, καὶ ὡς δυνατὸν ὁμοχρονείτω. καὶ μεταπετέσθω ἀπ' Ἀρμενίας μὲν εἰς Μηδίαν· ἐκεῖθεν δὲ ῥοιζήματι ἑνὶ εἰς Ἰβηρίαν· εἶτα εἰς Ἰταλίαν· ὡς μηδενὸς καιροῦ ἀπολείποιτο. Hoc à ſe factum ait Diodorus Siculus in rebus Philippi & Alexandri. Ac cauſſam hanc initio libri XVII. adfert: Οὕτω g γὰρ μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τάς τε πράξεις εὐμνημονεύτους ἔσεσθαι, κεφαλαιωδῶς τεθείσας, καὶ συνεχὲς ἐχούσας ταῖς ἀρχαῖς τὸ τέλος.

*e Lib. de hiſt. ſcrib. f Ad omnia feſtinet, &, quatenus fieri poteſt, quæ temporibus conveniunt, conjungat: tranſvoletque ex Armeniâ quidem in Mediam, hinc autem curriculo uno in Iberiam, inde in Italiam: ita ut nullam occaſionem prætermittat. g Ita enim exiſtimamus res facilius memoria retineri, cum res in certa capita digeſtæ fuerint habent capiti cohærentem.*

In-

Interim ne in hoc quidem genere perpetuò temporis ordo ſervatur. Quod indicat Lucianus ipſe, cùm addit, ὡς δυνατὸν a. Sanè eſſe, cùm neceſſitas cogat, nos de ordine eſſe ſecuros: ſatis oſtendit Diodorus Siculus lib. xx. his verbis: Τούτων b δ' οὕτως ἐχόντων, ταύτῃ ἄν τις καὶ τὴν ἱστορίαν καταμέμψαιτο, θεωρῶν ἐπὶ μὲν τοῦ βίου πολλὰς καὶ διαφόρους πράξεις συντελουμένας κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, τοῖς δ' ἀναγράφουσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχον τὸ μεσολαβεῖν τὴν διήγησιν, καὶ τοῖς ἅμα συντελουμένοις μερίζειν τοὺς χρόνους παρὰ φύσιν· ὥστε τὴν μὲν ἀλήθειαν τῶν πεπραγμένων τὸ πάθος ἔχειν, τὴν δ' ἀναγραφὴν, ἐστερημένην τῆς ὁμοίας ἐξουσίας, μιμεῖσθαι μὲν τὰ γεγενημένα, πολὺ δὲ λείπεσθαι τῆς ἀληθοῦς διαθέσεως. *Hæc cum ita ſe habeant, hoc quiſpiam loco hiſtoriam reprehendat, videns multas, generiſque diverſi res in vitâ eodem tempore geri: ſcriptores verò ad interrumpendam narrationem, & ad res, quæ uno geruntur tempore, dividendas, neceſſitate contra naturam adigi: Unde ſequatur, ut veritas quidem geſtorum affectionem ſuam habeat: deſcriptio verò, cui facultas hæc negatur, quamquam res quidem imitetur, longo tamen intervallo poſt veram illarum affectionem relinquatur.* Hæc de neceſſitate illuſtris etiam eſt Polybii locus in Legationum Ecloga LXXX. Latinè ſic ſonat. *Quos ſermones apud Senatum iſti legati habuerint, quæ à patribus reſponſa tulerint, & quomodo, omne genus humanitatis & comitatis experti, redierint: in expoſitione rerum Italicarum jam diximus. Eſt verò lector ſæpe hujus nobis admonendus, ſicut etiam ſtudioſè facimus: quod non rarò orationes habitas à legatis, & data illis reſponſa, cogimur prius exponere, quàm de ipſorum legatione decretâ, & de miſſione, verba fecerimus. Quoniam enim, per annos ſingulos res geſtas, quæ temporibus inter ſe congruunt, ſcribentes, quæ apud quamque gentem ſunt facta, ſummatim uno tempore conamur referre: perſpicuum eſt, id ſcriptioni noſtræ neceſſariò evenire.*

Multum verò lucis hiſtoriæ adfert, ſi aperta ſit tranſitio: quod præſtant iſtiuſmodi verba initio appoſita, *Interim*, *Per id tempus*, *Dum hæc geruntur*, & ſimilia. Ita Livius lib. XXI, cùm egiſſet de deſcenſu Annibalis ex Alpibus, & prodito ei Claſtidio, verbis iſtis ad alia tranſit: *Cùm ad Trebiam terreſtre conſtitiſſet bellum, interim circa Siciliam, inſulaſque Italiæ, mille armatis ad depopulandum oram Italiæ à Carthaginenſibus miſſis, novem Liparas, octo inſulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum avertit æſtus maris.* Perſequitur deinde navalem pugnam inter Pœnos, & Romanos. Poſt multa dicturus de Cn. Scipionis in Hiſpaniam profectione, ita incipit, *Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Scipio in Hiſpaniam cum claſſe & exercitu miſſus*; & quæ ſequuntur. Sed, ut dixi, non tranſeundum ad partem aliam, niſi de priori, quod ſatis ſit, dixerimus: nec ad priorem redeundum, niſi iſti etiam parti ſit ſatisfactum. Quæ omnia ratio ac prudentia moderari debet: ut à Livio fieri videmus. Thucydides verò, dum ſtudioſè nimis temporis ordinem ſectatur, obſcuritatem effugere non potuit. Nam, ut Dionyſius Halicarnaſſenſis c etiam obſervat, *cùm multa eâdem æſtate & hieme in diverſis, ut fit, locis gererentur, imperfectas primas res geſtas relinquens, alias attingit, quæ eâdem æſtate & hieme contigerunt. Erramus igitur, & ſummâ cum difficultate res expoſitas mente jam turbatâ aſſequimur.* Itaque ait idem Dionyſius, eum πολλὰ ποιῆσαι μέρη τὸ σῶμα d: contrà quàm ab Herodoto factum, quem ait, τὰς ἐκ πολλῶν καὶ οὐδὲν ἐοικυιῶν ὑποθέσεις προελόμενον, σύμφωνον ἓν σῶμα πεποιηκέναι. Quare prudentis eſt hiſtorici, recedere pauliſper à ſerie temporis, quando ea res perſpicuam magis reddit narrationem. Atque hoc in cauſſa eſt, cur Curtius, etſi bellum inter Archelaum Macedoniæ præfectum, & Agidem regem Spartanum, anteceſſerit prælium Alexandri ad Arbelas, non tamen prælium id ante narret: ac ne quidem eo prælio ad Arbelam expoſito referat: ſed eo in librum ſextum dilato perſequatur, quæ poſt prælium ad Arbelam evenere, uſque ad mortem Darii. Hinc ipſe initio libri V: *Quæ interim ductu imperioque Alexandri, vel in Græcia, vel Illyriis, ac Thracia, geſta ſunt, ſi ſuis quæque temporibus reddere voluero, interrumpenda ſunt res Aſiæ, quas utique ad fugam mortemque Darii univerſas in conſpectum dari, & ſicut inter ſe cohærent, ita opere ipſo conjungi, haut paullo aptius videri poteſt. Igitur quæ prælio apud Arbela conjuncta ſunt, ordiar dicere.* Idem Taciti conſilium fuit: qui lib. XII Annalium, cur res diverſorum annorum in unum tempus interdum conjiciantur, hanc adfert cauſſam, *ne diviſa haut perinde ad memoriam ſui valeant.* Et ante eos ſcripſerat Polybius lib. V. a: *Etſi non fugit nos, bellum iſtud nondum finitum tempore illo fuiſſe, in quo deſinunt res Græcanicæ ſuperius enarratæ: judicio tamen fecimus, quod hoc ordine, & partitione iſtâ, in contexendâ hiſtoriâ noſtrâ utimur. Nam, ut lectores in exactâ notitia temporis, quo res quæque per partes ſunt actæ, non fallerentur; ſatis abunde illos inſtruximus, cùm in explicandis Olympiadis hujus annis, & rebus Græcorum tunc geſtis, principia & fines earum, quæ in Aſia fiebant, diligenter ubique annotavimus, & in memoriam lectori ſubinde revocavimus. Ad lucem namque, & facilem narrationis intelligentiam, faciendum omnino duximus in hac Olympiade, ut res in illâ geſtas ne miſceremus, donec ad ſequentes Olympiades fuerit ventum: quarum res geſtas, ut quæque illarum variis locis actæ ratione temporis inter ſe congruent, in annos ſingulos digeremus. Nam qui non aliquam partem ſeparatim, verùm omnia ſimul, quæ ubique locorum fuere geſta, perſcribere inſtituerimus, & quod jam alicubi antea dicebamus, majus hiſtoriæ opus, quàm ferè hactenus quiſquam ſuſcipere ſit auſus, ipſi ſuſcepimus; præcipua videlicet adhibenda nobis cura fuerit, quo ſic omnia ordinentur, atque inter ſe connectantur, ut & univerſa ſcriptio operis noſtri, & ſingulæ illius partes, perſpicuam explicationem habeant.*

Hæc ſatis oſtendunt, in hiſtoria πραγματικῇ, διὰ τὸ ἀπαραγνώρισθον, hoc eſt, ut perſpicuè res explicentur, non rarò committi ὕστερον πρότερον, & exitus rei ante initia referri. Quod etiam Theon agnoſcit in progymnaſmatis. ubi nobilis ille rhetor ſic ſcribit: Τὴν δὲ ἀναστροφὴν τῆς τάξεως πολλαχῶς ποιησόμεθα· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν μέσων ἐστὶν ἀρξαμένους ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἀναδραμεῖν, εἶτα ἐπὶ τὰ τελευταῖα καταντῆσαι. Tranſtulit Camerarius: *Mutari autem ordo ſolet multifariam: nam & à medio orſus poterit ad initium recurrere, atque ita extrema perſequi.* Ac ne id tantùm de poëtis aut oratoribus dictum putes, ſubjicit Theon exemplum ex Thucydide. Ait enim: Καὶ Θουκυδίδης δὲ ἀπὸ τῶν περὶ Ἐπίδαμνον ἀρξάμενος, ἀνέδραμεν ἐπὶ τὴν πεντηκονταετίαν, ἔπειτα κατῆλθεν ἐπὶ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον. *Thucydides quoque de Epidamno orſus recurrit ad res annorum quinquaginta, unde ad bellum Peloponneſiacum pervenit.* Inde verò ſubjungit Theon: Ἔξεστι δὲ καὶ ἀπὸ τῶν τελευταίων ἀρξάμενον, ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ μέσα, καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν ἀρχὴν καταντῆσαι. ὥσπερ Ἡρόδοτος ἐπὶ τῆς τρίτης ἡμᾶς διδάσκει, λέγων οὕτω· πέμψας Καμβύσης εἰς Αἴγυπτον κήρυκα, αἴτεε Ἄμασιν θυγατέρα. αἴτεε δὲ ἐκ συμβουλῆς ἀνδρὸς Αἰγυπτίου, ὃς μεμφόμενος Ἄμασιν, ἔπρηξε ταῦτα, ὅτι μιν ἀποσπάσας γυναικός τε καὶ τέκνων, ἔκδοτον ἐποίησεν ἐς Πέρσας. Εἶτα καὶ τὰ αἴτια διηγεῖται· ὅτι ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ᾐτήκει παρὰ τοῦ Αἰγυπτίων βασιλέως ἰατρὸν ὀφθαλμῶν, ὃς εἴη ἄριστος. ἡ γὰρ κατὰ φύσιν τάξις τῆς διηγήσεως, πρῶτον μὲν τὴν ὀφθαλμίαν εἰπεῖν τοῦ Περσῶν βασιλέως, καὶ ὡς πέμψας εἰς Αἴγυπτον ᾔτησε παρὰ τοῦ βασιλεύοντος ἐκεῖ ἰατρὸν ὀφθαλμῶν. ὁ δὲ τοῦτον ἀναπέμπει. ἔπειτα ὅτι χαλεπῶς φέρων ὁ ἰατρὸς γυναικός τε καὶ παίδων ἀπολειφθεὶς, ἐμέμψατο τὸν ἐκδόντα, συμβουλεύσας τῷ Περσῶν βασιλεῖ, αἰτῆσαι θυγατέρα παρὰ τοῦ Αἰγυπτίων βασιλέως, ἵνα ἢ δοὺς ἀνιῷτο, ἢ μὴ δοὺς ἀπέχθοιτο. Apponam quoque interpretationem Joach. Camerarii: *Licebit & ab ultimis incipere, & pergere ad media, atque ita ad prima devenire. Id quòd docuit nos Herodotus in tertio libro his verbis:* Miſſo præcone in Ægyptum, petiit Cambyſes filiam Amaſidos. Petiit autem de ſuaſione Ægyptii cujuſdam, qui hoc ageret odio Amaſidos, à quo traditus fuiſſet Perſis, abſtractus à liberis & uxore. *Addit cauſſam: ab Ægypti rege Cambyſen petiiſſe medicum oculorum omnium*

a Quantum fieri poteſt.
b P. 755. edit. H. St.
a P. 378
c Epiſt. ad Cn. Pomp.
d Unum corpus in partes multas divellere.
e Multis, & diſſimilibus argumentis aſſumtis, unum corpus ſibi conſentiens feciſſe.

*omnium præſtantiſſimum. Nam naturalis ordo narrationis hic erat: primum, ut diceretur, ex oculis laboráſſe regem Perſarum, & miſiſſe in Ægyptum illum, petiiſſeque à rege Ægypti medicum oculorum, eumque tranſmiſiſſe hunc. Deinde graviter ferentem medicum, deſerendam ſibi fuiſſe conjugem & liberos, ultum eſſe traditorem ſuum, & ſuaſiſſe regi Perſarum, ut peteret filiam Ægyptii: ut aut doleret, ſi dediſſet; aut, ſi non dediſſet, haberet inimicum Perſam.* His denique ſubjicit Theon: Ἔτι δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μέσων ἀρξάμενον, ἐπὶ τὸ τέλος ἐλθεῖν, εἶτα ἐν τούτοις λῆξαι. καὶ πάλιν ἀπὸ τῶν τελευταίων ἀρξάμενον, ἀναδραμεῖν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, καὶ λῆξαι εἰς τὰ μέσα. καὶ ἔτι ἀπὸ τῶν πρώτων ἀρξάμενον μεταβῆναι ἐπὶ τὰ τελευταῖα, καὶ ἐν τοῖς μέσοις παύσασθαι. *Licebit & à mediis ordiri, & in fine conſiſtere: rurſumque ordiri à fine, & recurrere ad initium, & in medio finire narrationem: atque ordiri à primis, tranſire ad ultima, & in media deſinere.* Quare ita concludimus, χρησιμὸν δὲ οἰκονομίαν ἱστορίας διεξοδικῆς interdum ob perſpicuitatem, καὶ τὸ πεῖθον, requirere, ut à temporis ordine paullùm recedamus: quâ de re nec aſpernanda planè ſunt, quæ Patricius ſcripſit extremo dialogo x.

Nunc quia de ordine in rebus à toto corpore geſtis ſatis dictum: aliquid etiam addendum de ſerie, quam ſequi convenit in vitis deſcribendis. Ac ſuperiùs quidem diximus, vel temporis ordinem ſervari: vel narrationem omnem in capita quædam diſpeſci: ut ſi priùs agas de rebus publicis; deinde de illis, quas quis privatim geſſit. Sed eſt & mixtus ordo. ut ſi initio quidem temporis ordinem retineamus: ubi verò ad grandiorem pervenimus ætatem, omnia ad capita certa revocemus.

Ex Græcis vitarum ſcriptoribus etiam in οἰκονομίᾳ exemplo eſſe poſſunt Plutarchus, Philoſtratus, Laërtius, Eunapius: è Latinis, cùm Cornelius Nepos, tum Tranquillus, quo nemo eorum, qui vitas Cæſarum ſcripſere, ordinis eſt magis ſtudioſus. Quamquam nec eſt, quòd reprehendi poſſit Flavius Vopiſcus. Paullùm peccat Trebellius Pollio. At negligentiores Spartianus, Lampridius, & Vulcatius Gallicanus. Omnium verò maximè incuriam ſuam prodidit Julius Capitolinus: cui congerendi tantùm, non digerendi voluntas fuiſſe videtur.

## Cap. XXV.

*Utrùm hiſtoria in libros ſit dividenda. An diviſio librorum Livii in decadas ſit ab auctore. Sebaſtianus Maccius, & Cælius Rhodiginus refelluntur. Ubi librum quemque claudere conveniat.*

HActenus de Diſpoſitione. Ubi quia duo ſpectantur, in quas partes hiſtoria dividatur, & quo illæ ordine collocentur: eò viſum eſt, ſuperiori doctrinæ adnectere quæſtionem vicinam, ut quæ & ipſa ad diviſionem pertineat; utrùm hiſtoriæ corpus continuum eſſe debeat, an rectiùs in libros dividatur. De quo ita nobis videtur, ſi res una narretur, & ſimplex; neque ea materie ampla ſit; uno commodè libro comprehendi: ut à Salluſtio factum in Catilinaria, & Jugurthina: ſin materiem tractemus varietate & copiâ ſuâ diffuſam; rectiùs in libros dividi; uti fecit idem Salluſtius in deperditis hiſtoriarum libris. Nam ut longiſſima via jucundiùs conficitur, ſi diſtinguatur ſpatiis quibuſdam, ubi interquieſcas; ita & minori faſtidio hiſtoria cùm ſcribitur, tum legitur, ſi non amplum illud camporum æquor continuò percurratur, ſed ſpatiis diſtinctis: hoc eſt, ſi libro quoque ad finem perducto, animus fatigatus reſpiret, ac paullùm ſe colligat, priuſquam ad reliquam hiſtoriam ſe conferat: quæ res, & ſcribentem ſuſcitat, novaſque laſſo vires ſuppeditat, ad reliqua eodem genio pertexenda: & legenti novam affert alacritatem, ad cætera quoque non ſomniculosè legenda. Itaque non unum, & alterum, ſed univerſos hiſtoricos hanc iniiſſe rationem videmus. Uti Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionyſium, Diodorum, Cæſarem, Trogum, Curtium, atque alios: qui omnes, ſi amplior materies obtigiſſet, eam in certos libros ſecuere. Imò Livius hiſtoriam univerſam in decadas, has verò in libros diviſit: ut Sebaſtianus Maccius *a* ſcripſit, & ante eum defendit Cælius Rhodiginus *b*: idque hoc argumento, quòd Livius decadibus præfationes præponat. Sed non tanti hoc eſt, ut movere quemquam debeat. Nam verum quidem eſt, lib. XXI & XXXI præmitti quiddam procemii non omnino diſſimile. Sed unde ibunt probatum, idem feciſſe eum libro XI, XLI, qui ἀκέφαλος, item LI, & cæteris, qui decada incipiebant? Præterea iſtiuſmodi præfatiuncula etiam præponitur, ubi decadis initium non eſt: uti libro ſexto. Quare omnino aſſentire malo Petrarchæ *c*, Crinito *d*, Politiano *e*, Sigonio *f*, atque aliis, qui diviſionem eam, non à ſcriptore, ſed librariis eſſe, putant. Movet verò me illud, quòd etiam iſtos movit: nempe quòd Cenſorinus, Diomedes, ac veterum alii, nunquam decadum, ſed ſemper librorum meminere. Nec aliter Florus in epitome omnium librorum Livii. Ex qua etiam diſcimus, ſcripſiſſe libros non ſolùm CXL, ſed CXLII. quod ipſum diviſioni iſti in decadas adverſatur.

*a Lib. 2. de hiſtor. cap. 32.* *b Lib. 25. Antiquar. Lectionum cap. 3.* *c Epiſt. ad Jo. Boccacium.* *d Lib. 7. de honeſta diſciplin. cap. 12.* *e Ibid. apud Crinitum.* *f Initio ſcholiorum in Livium.*

Sed non tam prodit ſcire, hiſtoriam ampliorem in libros diſpeſci oportere; quod nemo unquam neglexit, nemo impugnavit: quàm illud nôſſe, ubi aliorum quemque claudere conveniat. Hoc verò perſpici poteſt è rei tum qualitate, tum quantitate. Ut ſi de rebus Romanis fuſiùs agere velis, Livii exemplo libro primo commodè comprehendes ea, quæ ad originem Romanorum, & imperium ſeptem regum pertinent. Siquidem, ſeu magnitudinem ſpectes, eſt ea εὐσύνοπτος *g*: ſeu exitum videas, pulcrè finis regii imperii finiet eum librum; alterque incipiet ab initio poteſtatis conſularis. Atque eadem in aliis ratio eſt. Nempe tum finem libro faciemus, cùm aliquid erit, quod pulcrè & convenienter terminet; & multa adeò complexi ſumus, ut, ſi ultra librum procudamus, legentibus ea res faſtidium poſſit adferre.

*g Pulcra, ac conſpicua.*

## Cap. XXVI.

De Elocutione Historica *universè: ac ſpeciatim, an pars ea neceſſariò in hac arte tradatur. Ludovicus Carbo refellitur. Hiſtorici dictionem ab oratoriâ differre, ſive eam Grammaticorum more ſpectes, ſive compoſitionem oratoriam, & verborum ſententiarumque lumina conſideres. Parthenii liber de vocabulis hiſtoricorum.*

VIdimus, quas res hiſtoria tractet, & quo ordine eas perſequatur. Supereſt doceamus, cujuſmodi dictione utatur. Quæ hiſtoricæ artis pars Elocutio vocatur. Sed ejus cura prope ſupervacua eſt, ſi omnis elocutionis laus in eo conſiſtit, ut intelligamur, ac ſatis nobis eſt, ut narratores ſimus: quâ in ſententiâ, ut auctor eſt Tullius *a*, fuere ex Græcis, Pherecydes, Hellanicus, Acuſilaus: ex Latinis item, Cato, Pictor, Piſo. Sin non narratores ſolùm, ſed etiam exornatores eſſe volumus: potiùs nobis exemplo eſſe debent, è Græcis, Herodotus, Thucydides, Xenophon: è Latinis, Salluſtius, Livius, Curtius, Tacitus. Nam priorum ſcripta, qui ornatum neglexerant, ætatem ferre minimè potuerunt: at accurata eorum diligentia, qui non veritatis ſolùm, ſed voluptatis etiam rationem habuerunt, verè omne punctum tulit: eruntque eorum literæ ac monumenta in gloria atque admiratione, quamdiu homines erunt. Propterea non illis tantùm, quibus oratorium, vel poëticum ſtudium placet; ſed etiam, qui ad hiſtoriam ſcribendam appellere animum volunt; multùm ſe in dicendo priùs exercere debent. Quod ſatis perſpexit, egregius Rhetor, Theon: qui in progymnaſmatis ſuis, cùm de paraphraſi excolendâ egiſſet, iſta ſubjungit: Ὅτι μὲν ἐστὶν ἀναγκαῖον ἡ τῶν γυμνασμάτων ἄσκησις, οὐ μόνον τοῖς μέλλουσι ῥητορεύειν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἢ ποιητῶν, ἢ λογοποιῶν, ἢ ἄλλων τινῶν λόγων δύναμιν ἐθέλει μεταχειρίζεσθαι. *Omnino eſſe neceſſariam hujuſmodi exercitiorum uſurpatio-*

*a Lib. 2. de Orat.*

*tionem, non modò iis, qui oratores fieri cupiunt; ſed etiam illis, qui vel poeticam, vel hiſtoriam, vel aliam eloquendi facultatem, aggredi velint.*

Sed multi, ut hoc fatentur, ita negant, aliis hanc ad rem præceptis opus eſſe, quàm rhetorum: quippe ex quorum monumentis diſcere ſit, quibus rebus ſermo omnis fiat ornatior. Verùm vel amictu, quod dicitur, eorum telum evitabimus. Nam ſi non paullo alia ſit dictio hiſtorici, quàm vel oratoris, vel poëtæ; nec eadem tamen eſt, quæ vulgaris: omnino, ut in oratoriâ, ac poëticâ, ita in hiſtoricâ etiam, de elocutione agi debet. Quare ſpiſſus eſt error, non vulgi modò, ſed etiam viri multijugæ lectionis, Ludovici Carbonis, qui, lib. primo de Elocutione oratoria *a*, ſcribere veritus non eſt, duas ſolùm artes ſelectâ & à vulgari remotâ dicendi formâ uti. Loquitur autem de Oratoriâ, & Poëticâ. Quanto meliùs hac de re nobilis Grammaticus, Auguſtinus Saturnius, Mercurii Majoris lib. x. cap. IX. ubi ait: *Cum tria ſint autorum genera, poëta, hiſtorici, oratores: horum quiſque ſuas quaſdam dicendi leges ſibi vindicant. Ut quod, exempli gratiâ, hiſtorici*, ſum velox pedibus: *oratores*, velocibus pedibus: *poëta ipſi ſuo quodam jure*, velox pedes, *multo licentiùs enunciarint: non quòd his cancellis uſque ſeſe contineant; ſed quòd non temerè aliter fari conſueverint.* Et ſanè, ſi minutiis iſtis inſiſtere lubido ſit, multa poſſint adferri, quæ oſtendant, hiſtorici dictionem, etiam Grammaticorum more ſi conſideretur, mediam eſſe inter oratoriam, & poëticam. Nam ut multa à poëtis audaciùs dicuntur, quàm ut hiſtoricus ea auſit uſurpare: tamen neque deſunt, quæ hiſtoricus cum poëta communia habeat. Ut cùm tantopere gaudet infinitum pro finito ponere: qualia ſunt, *tendere* pro tendebat, *negare* pro negabat. Niſi hæc dicta malis κατ' ἔλλειψιν verbi *cœpit*, vel ſimilis. Servium audiamus *b* in 11 Æneid. *Infinitus modus pro indicativo: & eſt figura propria hiſtoriographorum: ut Salluſtius; Equitare, jaculari, curſu cum æqualibus certare.* Aut cùm idem, Græcorum more, adjectivis jungit accuſativum, qui partem, aut patriam, aut habitum ſignificet. Ut Curtius lib. x: *Itaque revocatus veſtem fratris, eam ipſam, quæ in ſella erat, induitur.* Aut cùm aliqua κατὰ σύνθεσιν, ſive generis ἐναλλαγὴν profert. quale hoc eſt ejuſdem Curtii in quarto: *Duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus adfixi.* Aut cùm adjectivis ſubſtantivè acceptis partium caſum addit. ut, *incerta fortuna*, apud Livium. &, apud Juſtinum lib. XLI: *Ut non immenſa tantum ac profunda camporum, verum etiam prærupta collium, montiumque ardua, occupaverint.* Quomodo non temerè loquetur orator: ſed Tacito nihil penè eſt frequentius. Ut in primo Annalium: *Truci ſonore ſubjecta vallium ac reſultanteis ſaltus complerent.* Et ſecundo, *prominentia montium.* Et mox, *prima ſilvarum.* Item, *avia ſaltuum.* Item, *inania famæ.* Ac lib. III, *longinqua imperii.* Item, *incerta maris, & tempeſtatum.* Et lib. IV, *aſperis maris.* Et eodem, *Juſſa principis magis, quàm incerta belli metuens.* Et lib. XII, *Ripas, & colles, ac montium edita, in modum theatri, &c.* Et lib. III Hiſt. *Sed prima rerum quieti ſpeculabantur.* Et eodem: *Offenſarum operta metuebantur.* Et eodem: *Ad Salluſtianos hortos per anguſta, & lubrica viarum flexerant.* Et IV. Hiſtor. *Ardua Alpium præſidiis claudere.* Et eodem lib. *Statos æſtivis flatibus dies* (Lipſ. Eteſiarum dies) *& certa maris operiebantur.* Et vita Agricolæ: *Ludos, & inania honoris.*

a Cap. I. poſit 4.

b Pag. 230.

Nec in hiſtorica dictione ſufficit ad ea attendamus, quæ & Grammaticorum filii obſervare ſolent. Uti fortaſſe fecit Parthenius ὁ τοῦ Διονυσίου *c*, cujus libros περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων *d* Athenæus citat in undecimo. Ulteriùs attollendus animus: ad dignitatem nempe, totamque compoſitionem: hoc eſt, verborum ſententiarumque lumina, quæ τρόπους καὶ σχήματα appellant: adhæc ad juncturam, ordinem, periodos, ac numerum. Hæc enim ſunt ea, quæ Cicero præcipue reſpexit, cùm in Bruto ſuo ita loquitur: *Demochares, qui fuit Demoſthenis oratoris filius, earum rerum hiſtoriam, quæ erant Athenis ipſius ætate geſtæ, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere, perſcripſit.* Quæ non obſcurè oſtendunt, etſi hiſtoricus ornatus cum oratorio conveniat in multis, tamen eſſe, ubi differat ab eodem. Quare etſi multa in Partitionibus, plura in ſex Oratoriarum inſtitutionum libris, de Elocutione dixerimus: tamen hoc iterum loco de ea agendum nobis. Ac primùm videbimus de virtutibus iis, quæ κατ' ἀναλογίαν quandam communes ſunt oratori, hiſtorico, ac poëtæ. Deinde explicabimus, in quibus hiſtorica dictio ab oratoria, ac poëtica differat, & quod dicendi genus (χαρακτὴρ Græcis vocatur) maximè hiſtorico conveniat.

c Dionyſii filius.

d De vocabulis apud hiſtoricos.

## Cap. XXVII.

*De duabus hiſtoriæ virtutibus primis, ſermonis puritate, ac perſpicuâ brevitate. Herodotus Ioniſmi, Thucydides Atticiſmi exemplar. Catonis dictum de Albino, qui, oratione Græcâ ſcripturus res Romanas, imperitiæ veniam popoſcerat. Thucydides, & Philiſtus, obſcuriores facti, dum laborant eſſe breves. Parùm perſpexiſſe Julium Scaligerum, in quo Salluſtiana brevitas conſiſtat. Alienas, ſeu orationes, ſeu epiſtolas, non debere ad verbum inſeri: ac Joannis Cilicis hac in parte peccatum. Thucydidem obſcuriorem reddi ob hyperbata crebra. Falli interim, qui affectâſſe eum obſcuritatem arbitrantur.*

QUæ virtutes ſint hiſtoricæ dictionis, rectè perſpexit Lucianus, cùm de eo judicium facit ex iſtis, quæ de narratione Rhetores tradunt. Cùm enim locutus eſſet de tranſitione ab exordio ad narrationem, iſta ſubjungit: Ἅπαν γὰρ ἀτεχνῶς τὸ λοιπὸν σῶμα τῆς ἱστορίας, διήγησις μακρά ἐστιν, ὥστε ταῖς τῆς διηγήσεως ἀρεταῖς κατακεκοσμήσθω. Virtutes eas pluribus enumerat Dionyſius Halicarn. epiſt. ad Cn. Pompeium. Poſſunt verò revocari ad quatuor iſtas, quas Craſſus etiam apud Ciceronem in oratione requirit: puritatem, perſpicuitatem, ornatum, & decorum.

De puritate ſic ſcribit Dionyſius: Πρώτη *b* τῶν ἀρετῶν γένοιτ' ἄν, ἧς χωρὶς οὐδὲν τῶν ἄλλων τῶν περὶ τοὺς λόγους ὄφελος. τίς; ἡ καθαρὰ τοῖς ὀνόμασι, καὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτῆρα σώζουσα διάλεκτος. Mox de Herodoto ac Thucydide *c* adjungit: Ἡρόδοτός τε γὰρ *d* τῆς Ἰάδος ἄριστος κανών· Θουκυδίδης δὲ τῆς Ἀτθίδος. Seriò verò cogitandum illud, quod Halicarnaſſenſem dicere videmus, abſque puritate, & elegantiâ, inutilem eſſe ſermonem. Propterea A. Albinus, qui cum L. Lucullo conſul fuit, excuſatione ſibi opus eſſe putavit, cùm res à Romanis geſtas Græcè compoſuiſſet. Nam hiſtoriæ ſuæ initio hunc in modum diſſerebat: *Neminem ſuccenſere ſibi convenire, ſiquid in his libris parùm compoſitè, aut minùs eleganter, ſcriptum foret. Nam ſum*, inquit, *homo Romanus, natus in Latio: Græca oratio à nobis alieniſſima eſt.* Ea cùm legiſſet Cato, *Næ tu*, inquit, *Aule, nimium nugator es, cum maluiſti culpam deprecari, quàm culpâ vacare. Nam petere veniam ſolemus, aut cùm imprudentes erravimus, aut cùm compulſi peccavimus. Te*, inquit, *oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priuſquam faceres, peteres ut ignoſceretur?* Hæc Gellius ex Cornelii Nepotis libro de Illuſtribus Viris. De reliquo, extra omnem controverſiam poni debet, ſatiùs plurimùm eſſe, hiſtoriam ſcribere linguâ Latinâ, quàm Gallicâ, Italicâ, Germanicâ, Hiſpanicâ, vel aliâ. Nam hæ ſuis fermè continentur finibus: Latina per omnes gentes diffunditur.

a Omnino enim reliquum hiſtoriæ corpus longa eſt narratio. Quare & narrationis virtutibus exornetur.

b Virtus omnium prima eſt, ſine qua nulla alia eſt orationis utilitas. Quæ illa eſt? Sermo purus & proprietatem linguæ Græcæ retinens.

c Hanc ambo ſtudioſe conſervant.

d Herodotus enim Ionicæ linguæ optima regula eſt, Thucydides vero Atticæ.

Præterea, ut dixi, requirit Dionyſius τὴν ἐνάργειαν, ſive perſpicuitatem. Eam imprimis commendat in brevitate, quam συντομίαν appellat. Sanè, ut idem ait, μετὰ τοῦ σαφοῦς ἐξεταζόμενον, ἡδὺ φαίνεται τὸ βραχύ· εἰ δὲ ἀπολείποιτο τούτου, πικρόν. *brevitas cum perſpicuitate conjuncta, videtur jucunda: ſin ea deſiat, acerba auſteraque.* Idcirco Cicero in Bruto ſuo: *Nihil*, inquit, *eſt in hiſtoria, purâ, & illuſtri brevitate dulcius.* Nempe quia non ſufficit brevitas, cùm ea ſæpe obſcuritatem afferat, eò addit *illuſtris*,

hoc

hoc eſt, clara apertaque. Eſtque hæc res eo majoris momenti, quia Thucydides ipſe, ac Philiſtus, dum conciſis ſtudent ſententiis, nimio acumine obſcuriores ſunt facti: quod etiam Cicero fatetur.

Multi verò ne quidem intelligunt, quid brevitatis nomine cenſeri mereatur. Sanè illorum ſi judicio rem metiamur, ne Salluſtius quidem fuerit brevis: cujus divinam brevitatem Fabius prædicat, & omnis antiquitas. Nam dicent, longè paucioribus tum Catilinarium, tum Jugurthinum bellum, potuiſſe comprehendi. Quod conceſſero non invitus: ſed quòd uſque adeò multa complectatur verbis paucis, id admiratione imprimis dignum eſt: inque eo Salluſtii brevitas conſiſtit. Scio aliter judicare Julium Scaligerum, qui lib. IV de re Poëtica cap. XXIV, *cenſet, brevitatem Salluſtii propterea vulgò jactatam, quia tribus vocibus integras explet ſententias, non circumducit, aſyndetis utitur, emittit verba.* Verùm longè gravior cauſſa ſubeſt; nempe ea, quam dixi. *At,* inquit ſummus ille vir, *qui conciones inſerat, quas nullus habuerit imperator, eaſque prælongas non raro: qui apud Aras fratrum, quaſi in amœno diverticulo, ſpatietur: qui, præter hiſtoriæ argumentum, Catonis Cæſariſque collatione plurimos verſus occupet: qui ad Catilinæ bellum narrandum principia urbis Romæ arceſſat: non video, quo conſilio brevem potius, quàm vel prolixum, vel etiam nimium, ſupervacuumque, exiſtimemus.* Sed hæc quidem minimè movent. Nam etiam in concionibus iſtis, & diverticulis, & exordiis longè arceſſitis, verbis non multis res multas comprehendit: adeò ut non in his minus, quàm cæteris, otioſum atque attentum lectorem requirat. Siquidem ſic uſu venire ſolet, ut, dictio ſi ſit preſſa & conciſa, facilè res quædam animum tranſvolent legentis. Vide omnino collationem illam, quam inter Salluſtium Liviumque, hac ipſa in re, inſtituit Jovianus Pontanus in Actio ſuo *a*.

Brevitati & perſpicuitati obſunt, qui, ut fidem magis concilient hiſtoriæ, ad verbum inſerunt ſcripta aliena. Quomodo Joannes Cilix in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria retulit epiſtolas ab Epiſcopis ultro citroque miſſas: quæ cum volumen immane quantum augerent, tamen haut multum rei hiſtoricæ continebant, ac copia inviſa obterant perſpicuitati: ut Photius in bibliotheca ſua cenſet, tmem. XLII.

Sunt & alia multa, quæ perſpicuitati adverſentur: imprimis verò verba obſcura; cujuſmodi quæ ſint, in Oratoriis ſatis diximus. Nec propterea vulgaribus, ac ſordidis utendum: ſed conſilium ſequemur Luciani. Ejus hæc verba: Ὡς τῇ γνώμῃ τοῦ συγγραφέως σκοποὺς ὑποθέμεθα παρρησίαν, καὶ ἀλήθειαν· οὕτω δὲ ϗ τῇ φωνῇ αὐτοῦ εἷς σκοπὸς ὁ πρῶτος, σαφῶς δηλῶσαι, καὶ φανότατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα, μήτε ἀπορρήτοις, ϗ ἔξω πάτου ὀνόμασι, μήτε τοῖς ἀγοραίοις τούτοις, καὶ καπηλικοῖς, ἀλλ' ὡς μὲν τοὺς πολλοὺς συνιέναι, τοὺς δὲ πεπαιδευμένους ἐπαινέσαι. *Ut menti ſcriptoris hoſce ſcopos propoſuimus, dicendi libertatem, & veritatem: ita & voci ejus unus hic eſto ſcopus, ut rem planè aperiat, & quàm luculentiſſimè declaret, verbis neque obſcuris, neque ab uſu remotis; neque etiam vulgaribus hiſce, & tabernariis; ſed quæ vulgus intelligat, & eruditi laudent.*

Præterea perſpicuitati repugnat ordo verborum perturbatus. Sanè Thucydides quoque Marcellino *b* dicitur eſſe ἀσαφὴς *c* τὴν διάνοιαν διὰ τὸ ὑπερβατοῖς χαίρειν. Nec tamen accedere iis poſſum, qui ſtudio eum putant obſcuriorem eſſe voluiſſe. Sed Tullio potiùs aſſentio, qui ita locutos tum ait viros in Rep. celebres, ac facundiâ nobiles: atque ipſum Thucydidem fuiſſe maturiorem & mitiorem futurum, ſi poſtea vixiſſet. Hæc de brevitate. De qua & aliqua ex antiquis videre potes apud Cælium Rhodiginum lib. XXV. Antiqu. Lect. cap. III.

a Fol. 141. & 142. edit. Ald.

b In vita Thucydid.

c Quoad ſententiam, obſcurus, quia verborum trajectione delectatur.

## CAP. XXVIII.

*De tertiâ, quartâque hiſtoricæ elocutionis virtute: ornatu nempe, & decoro. Herodotum τὸ ἠθικὸν, Thucydidem τὸ παθητικὸν magis obſervâſſe: atque ut in aliis etiam alter alteri antiſtet. Compoſitionem nec numeroſam admodum, nec tamen aſperam eſſe debere. Quomodo Thucydidem Marcellinus defendat in eo, quòd in concionibus lenocinia orationis neglexerit.*

VEnio ad tertiam virtutem, hoc eſt, ad ornatum. quò refertur à Dionyſio τῶν ἠθῶν ϗ παθῶν μίμησις *a*: atque ait idem, Herodotum meliùs τὰ ἤθη *b*, Thucydidem rectiùs τὰ πάθη *c* exprimere. Eodem quoque pertinent τὸ μέγα *d* ϗ θαυμαστὸν ἐκφαίνουσαι τῆς κατασκευῆς ἀρεταί. Quibus Herodotum, & Thucydidem, pares eſſe dicit. Item αἱ *e* τὴν ἰσχὺν, καὶ τὸν τόνον, καὶ τὰς ὁμοιοτρόπους δυνάμεις τῆς φράσεως ἀρεταὶ περιέχουσαι. Quibus Thucydidem vincere ait. Item ἡδονὴ *f*, ϗ πειθὼ, ϗ τέρψις, ϗ αἱ ὁμογενεῖς ἀρεταί. Quibus Herodotum longè præſtantiorem eſſe dicit.

Nec Dionyſius ſolùm, ſed etiam Lucianus, virtutem hanc in hiſtorico requirit. Cùm verò ornatus propriè in tribus conſiſtat, elegantiâ, compoſitione, dignitate, quemadmodum in Oratoriis diximus: ad elegantiam quidem pertinet, quòd abſtinere jubet ἔξω *g* πάτου ὀνόμασι, ϗ τοῖς ἀγοραίοις, ϗ καπηλικοῖς: ac contrà uſurpare ea, quæ intelligant omnes, ac laudent periti.

Ad compoſitionem pertinet, quòd requirit, ut narratio ſit λείως τε ϗ *h* ὁμαλῶς προϊοῦσα, καὶ αὐτῇ ὁμοίως, ὥστε μὴ προέχειν, μήτε κοιλαίνεσθαι. Alibi quoque eopſe opere de eâ ſic ſcribit: Συνθήκῃ *i* τῶν ὀνομάτων εὐκράτῳ, καὶ μέσῃ χρηστέον, οὔτε ἄγαν ἀφιστάντα, καὶ ἀπαρτῶντα, τραχὺ γὰρ, οὔτε ῥυθμῷ, παρ' ὀλίγον ὡς οἱ πολλοὶ, συνάπτοντα. Τὸ μὲν γὰρ ἐπαινὸν· τὸ δ' ἀηδὲς τοῖς ἀκούουσι.

Denique de dignitate, hoc eſt, de verborum ſententiarumque luminibus, ſic paullo antè idem ſcripſerat: Καὶ *k* σχήμασι κεκοσμήσθω ἀνεπαχθέσι, καὶ τὸ ἀνεπιτήδευτον μάλιστα ἔχουσιν· ἐπεὶ τοῖς κατηρτυμένοις τῶν ζωμῶν ἐοικότας ἀποφαίνει τοὺς λόγους.

Supereſt, ut de Decoro dicamus: quæ quarta Ciceroni *l* eſt orationis virtus. Eam in hiſtorico vel imprimis requirit Halicarnaſſenſis *m*. Ἀρετῶν *n*, inquit, ἡ κυριωτάτη τὸ πρέπον. Lucianus ſimiliter Ἢν δέ ποτε *o* ϗ λόγους ἐροῦντά τινα δεήσῃ εἰσάγειν, μάλιστα μὲν ἐοικότα τῷ προσώπῳ, καὶ τῷ πράγματι οἰκεῖα λεγέσθω. Quare vel maximè hiſtoricus curare hoc debet, ut ſermo cujuſque accommodatus ſit perſonæ, κατὰ ἔθνη *p*, γένη, ἡλικίας, προαιρέσεις, τύχας, ἐπιτηδεύσεις. Exemplum hujus rei capiemus ex Herodoto, qui barbarum Candaulem hoc pacto loquentem inducit, Ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα τῶν ὀφθαλμῶν *q*. Quæ verba accuratè expendit Dionyſius Halicarnaſſ. Et ſanè quis non videt, quàm rudis ac horridus ſit ſermo, cùm, quod hoc loco fit, partes corporis, quibus ſenſus inſunt, (Græci αἰσθητήρια, barbari noſtri *ſenſoria* appellant) pro ipſis uſurpantur ſenſibus? Quamquam verò hac virtute ab Herodoto vincitur Thucydides, ut idem Halicarnaſſeus ait: non propterea tamen hic eam neglexiſſe exiſtimari debet. Sanè, quòd omiſerit illas ſententiarum figuras, quibus tantopere triumphat Demoſthenis oratio, id Marcellinus quoque, in hiſtorici ejus vita, iccirco factum putat, non quia neſciret iis uti, ſed quia parùm illæ convenirent perſonis, de quibus tractat. Quid enim? inquit; an decuiſſet, Periclem, Archidamum, Niciam, Braſidam, alioſque, excelſo adeò animo viros, ironiis, & ſcitamentis aliis ludere? quaſi non liceret iis apertè reprehendere, ac palàm conqueri, & dicere quod vellent. Propterea ſimplici oratione, ac minimè figuratâ, eos loquentes ſemper inducit. Nempe, ut ejuſdem Marcellini verbis hoc caput claudam, Τεχνίτου *r* ἀνδρὸς, φυλάξαι τοῖς προσώποις τὴν ἐπιβάλλουσαν δόξαν, καὶ τοῖς πράγμασι τὸν ἀκόλουθον κόσμον. Præter δίζυγα σύστασιν, hoc eſt,

a Morum affectuumque imitatio.

b Mores.

c Affectus.

d Virtutes illæ, per quas magnum & admirandum quid in apparatu orationis relucet.

e Quæ gravitatis vim & vehementiam, & ſimiles facultates, complectantur.

f Suavitas, perſuaſio, delectatio, & aliæ virtutes cognatæ.

g Ab uſu remotis nominibus, ac vulgaribus, & tabernariis.

h Leniter, & æqualiter procedens, ſibi ſimilis, ita ut neque extet, neque hiatus habeat.

i Temperata mediaque compoſitione vocabulorum eſt utendum, ut neque nimium diſtrahas illa & diſſeces: id enim foret aſperum: neque, quod plerique ſtudent, numeroſè connectas: alterum enim vitioſum eſt, alterum auditoribus injucundum.

k *Figuris ornetur non moleſtis, & non affectatis. ſiquidem illud orationem condimentis ſimilem reddit.* l *Lib. 3. de Orat.* m *Epiſt. ad Cn. Pompeium* n *Virtutum princeps, decorum.* o *Quod ſiquando & dicentem aliquem introducere opus erit: vel maxime curandum eſt, perſonæ decora, & rei convenientia, ut propria dicas.* p *Ratione gentis, generis, ætatis, conſilii, fortunæ, ſtudii.* q *Aures ſunt hominibus infideliores incertioreſque oculis.* r *Eſt ejus, qui artis ſuæ intelligens ſit, ſervare perſonæ cujuſque dignitatem, ac rebus omnibus convenientem tribuere ornatum.*

eſt, oratoriam eloquentiam ac poëticam, eſt & tertia, hiſtorica. Audiamus quæ Junius Tiberianus dicat apud Flavium Vopiſcum *a*, *Scribe ut libet, ſecurus, quod velis, dicas, habiturus mendaciorum comites, quos* HISTORICÆ ELOQUENTIÆ *miramur auctores.*

*a In Aureliani vita.*

## CAP. XXIX.

*Acceditur ad alteram Elocutionis partem, quæ ſpecialia perſequitur. Adverſus Doletum, Camerarium, alios, oſtenſum, in hiſtoria potius ad Herodotum, Thucydidem, Livium, quàm Demoſthenem, vel Ciceronem, reſpici debere. Hiſtoricus non adeò numeris, & compoſitioni ſtudet, quàm orator. Theopompi in eo peccatum. Periodi hiſtoricæ, oratoriæ, ac dialogicæ, diſcrimen. Figuras, quibus ornatur oratio, minus hiſtoriæ convenire: ac Theophylactus Simocatta reprehenſus, quòd nimis iis ſtuduerit. Polybium verborum eſſe negligentiorem, rerum curioſiſſimum. Nimium eloquentiæ ſtudium non convenire hiſtorico: uti nec concitatum, foroque aptum dicendi genus. Calliſthenem tamen rhetorico more hiſtoriam ſcripſiſſe. Cæcinæ locus apud Ciceronem aliter expoſitus, quàm à Sebaſtiano Corrado factum fuit.*

VIdimus de quatuor virtutibus, quæ hiſtorico cum oratore, ac poëta, ſunt communes. Nunc, quomodo ab utroque differat, videamus. Multi enim putarunt, eundem eſſe hiſtorici ſtylum, ac oratoris. Imò nec defuere, qui hiſtoricum à poëta ſolo exiſtimarent metro differre. Cùm verò multùm inter oratoris & poëtæ dictionem interſit: vel utroſque, vel alterutros ſaltem, aberraſſe, ſatis liquet. Priùs eorum expendemus ſententiam, qui, in hiſtoria ſcribenda, arbitrantur, ad Ciceronem potiùs, quàm ad Salluſtium, vel Livium, reſpici oportere. Negat quidem id Floridus Sabinus in Subſicivis ſuis *a*. Sed aſſerit Stephanus Doletus, & is, cujus jure major aliquanto, quàm Doleti, auctoritas eſſe debet, Joachimus Camerarius *b*. Nec alia mens fuiſſe videtur Petro Bembo. Dictio quidem ejus planè oratoria, ac Tullianum fontem ſapiens. Et quibus hæc ſcribendi ratio placet, hi ſe patrocinio utentur optimi omnium patroni, ut Veronenſis poëta eum veriſſimè vocabat. Sciunt omnes, me dicere Marcum Ciceronem, qui primo de Oratore ſcribit, *hiſtoriam eſſe munus oratoris:* & primo de Legibus, *hiſtoriam opus eſſe maximè oratorium.* Verùm non ulteriùs profectò hæc verba trahi debent, quàm, quòd orator qui ſit, non multum laboraturus ſit in dictione hiſtorica: ut quæ ab oratoria propiùs abſit. Neutiquam verò eandem eſſe utriuſque dictionem, clarè docet Strabo lib. 1. ubi adverſus Eratoſthenem diſputat, atque inter alia ſic ait: Ἀλλ' ἑτέρα φράσις ἡ ποιητική. καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ποιητικῇ, ἡ τραγικὴ καὶ ἡ κωμική, καὶ ἐν τῇ πεζῇ ἡ ἱστορικὴ, καὶ ἡ δικανική. *Alia eſt poëtæ dictio: in qua poëtica dictione alia eſt tragica, quam comica: uti in pedeſtri alia eſt hiſtorica, quam juridicialis.* Et ſanè hoc ita eſſe, multa oſtendunt. Primùm illud diſcrimen ſe offert, quòd hiſtoricus non uſque adeò periodis ac numeris ſtudeat, quàm orator facit. Nam iccirco eſt, quòd Dionyſius Halicarnaſſenſis in Theopompo, qui Iſocrati ſimilis erat, accuratam nimis verborum compoſitionem reprehendit. Verba ejus adpono: Εἰ δὲ κατεφρόνησεν ἐν τούτοις, ἐφ' οἷς μάλιστ' ἂν ἐσπούδακε, τῆς τε συμπλοκῆς τῶν φωνηέντων γραμμάτων, καὶ τῆς κυκλικῆς εὐρυθμίας τῶν περιόδων, καὶ τῆς ὁμοειδείας τῶν σχηματισμῶν· πολὺ ἀμείνων ἂν ἦν αὐτὸς ἑαυτοῦ κατὰ τὴν φράσιν. Id eſt, *Quod ſi neglexiſſet in iis, in quibus maximè elaboravit, concurſum vocalium, & numeroſam periodorum concinnitatem, ac ſimilem figurarum conformationem: ſe ipſo longè melior in elocutione evaſiſſet.* Idem cognoſcimus ex Demetrio lib. περὶ ἑρμηνείας, ubi triplicem ſtatuit periodum, hiſtoricam, oratoriam, ac dialogicam. Eas ita diſtinguit: Ἱστορικὴ μὲν ἡ μήτε περιηγμένη, μήτε ἀνειμένη σφόδρα, ἀλλὰ μεταξὺ ἀμφοῖν· ὡς μήτε ῥητορικὴ δόξειε, καὶ ἀπίθανος, διὰ τὴν περιαγωγὴν, τὸ σεμνόν τε ἔχουσα, καὶ ἱστορικὸν ἐκ τῆς ἁπλότητος. Τῆς δὲ ῥητορικῆς περιόδου συνεστραμμένον τὸ εἶδος, καὶ κυκλικὸν, καὶ δεόμενον στρογγύλου στόματος, καὶ χειρὸς ἐμπεριαγομένης τῷ ῥυθμῷ. Διαλογικὴ δέ ἐστιν ἡ περίοδος, ἡ ἔτι ἀνειμένη, καὶ ἁπλουστέρα τῆς ἱστορικῆς, καὶ μόλις ἐμφαίνουσα ὅτι περίοδός ἐστιν. *Hiſtorica eſt, quæ neque circumacta eſt, neque remiſſa vehementer, ſed in medio poſita ambarum: ut non poſſit oratoria videri, & aliena à perſuadendo, propter circumactionem; gravitatem interim fidemque hiſtoricam ex ſimplicitate habens. Oratoriæ autem periodi forma eſt contorta, & circularis, & quæ egeat rotundo ore, & manu, quæ unà cum numero circumagitur. Dialogica autem periodus eſt, quæ etiam remiſſior ſimpliciorque eſt hiſtoricâ, & vix præ ſe ferens, quod periodus ſit.* Quæ ibidem etiam exemplis Demetrius illuſtrat.

*a Lib. 1. cap. 2.*

*b Comment. in 1. Tuſc. Quæſt.*

Nec ſolùm juncturæ, periodis, numeriſque, minùs hiſtoricus ſtudet, quàm orator: ſed etiam verborum ſententiarumque lumina, quæ ornatum orationi afferre ſolent, minùs conſectatur, quàm Iſocratici magiſtri ſolent. Hoc non ſatis attendit Theophylactus Simocatta; qui dum ſcitamenta illa avidè adeò arripit, ac ſententias etiam intempeſtivè admiſcet, εἰς ψυχρολογίαν τινὰ καὶ νεανικὴν ἀπειροκαλίαν ἀποτελευτᾷ *a*, ut de eo Photius ſcribit.

*a Oratio ejus frigida fit, ac in juvenilem deſinit ineptiam.*

Interim cavendum, ne vitii hujus fugâ incidamus in verba nimis vulgaria, aut rebus parùm idonea, periodos prælongas, compoſitionem aſperam atque hiulcam: qualis ſermo à Demetrio ἄχαρις *b* vocatur. Quin plus etiam ornatus probârim, quàm Polybius adhibet. Sanè jam olim in eo Dionyſius Halicarnaſſ. reprehendit dictionis incuriam, & quòd utatur comprehenſione verborum minùs accuratâ. Polybio interim ignoſci debet, quia fieri vix poteſt, ut qui tantopere, ac ab eo factum, de rebus ſollicitus ſit, is de verbis adeò laboret, quàm fortaſſe rerum dignitas merebatur. Imò ea eſt humani animi imbecillitas, ut ingentem illam verborum curam rerum incuria plurimùm conſequatur. Ita obſervatum eſt à viris doctis, Dionem multùm rhetoricari in præliorum deſcriptione; ſed eorum, quæ ad rem militarem requiruntur, exiguam oſtendere peritiam, propè dixerim nullam; Polybium contrà ληκύθους pigmentaque illa oratoria aſpernari; ſed tantam in eo militaris diſciplinæ ſcientiam elucere, ut Tacticos ipſos poſſit provocare. Quare non de nihilo eſt, quòd Diodorus Siculus in hiſtorico damnat nimium eloquentiæ ſtudium. Neque eo hæc à me dicuntur, quòd Polybii dictionem horridiuſculam, & Martiam, commendem præ illa Herodoti, aut Xenophontis: ſed ita dictionis cenſeo habendam eſſe rationem, ut imprimis rerum habeamus curam: &, ſi in alterutro peccandum, Polybium potiùs ſequemur, quàm Theopompum, Simocattam, & ſimiles. Optimum verò fuerit, ſi modum teneamus, exemplo Herodoti, Livii, & aliorum, qui ad hos proximè acceſſerunt. Nam neque in iis eſt ornatus, quantus eſt Iſocratis, & ſimilium logodædalorum, quem hiſtoria planè refugit, ut diximus: ſed neque adeò exiguus eſt, ac in cauſſis forenſibus, quæ ne hiſtoriæ quidem nitorem requirunt. Eſtque hæc quoque ſententia Fabii Quinctiliani lib. x. cap. 1. ubi de diſcrimine dictionis hiſtoricæ, & ejus, quâ in judiciis utuntur oratores, ſcribit in hunc modum: *Hiſtoria quoque alere orationem quodam molli jucundoque ſucco poteſt. Verùm & ipſa ſic eſt legenda, ut ſciamus, pleraſque ejus virtutes oratori eſſe vitandas. Eſt enim proxima poëtis, & quodammodo carmen ſolutum: & ſcribitur ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei, pugnamque præſentem, ſed ad memoriam poſteritatis, & ingenii famam componitur. Ideoque & verbis liberioribus, & remotioribus figuris, narrandi tædium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa Salluſtiana brevitas, quâ nihil apud vacuas aures, atque eruditas, poteſt eſſe perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, & ſæpius ineruditum, captanda nobis eſt: neque illa Livii lactea ubertas ſatis docebit eum, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem quærit. Adde quòd M. Tullius ne Thucydidem quidem, aut Xenophontem,*

*b Invenuſtus.*

*utiles*

*miles Oratori putat: quamquam, illum bellicum canere, hujus ore Muſas eſſe locutas, exiſtimet. Licet tamen nobis in digreſſionibus uti vel hiſtorico nonnunquam nitore, dum in iis, de quibus erit quæſtio, meminerimus, non athletarum toros, ſed militum lacertos eſſe.* Huc quoque pertinet, quod idem lib. IX. cap. IV ait, *hiſtoria currere debet, ac ferri:* unde ibidem colligit, minùs ei, quàm oratori, convenire *interſiſtentes clauſulas, & debitam actionis reſpirationem, & claudendi inchoandique ſententias rationem.* Hæc profectò ſatis oſtendunt, non ſolùm alium eſſe ornatum hiſtoricum, alium oratorium: ſed neque convenire hiſtoriæ vehemens illud ac concitatum dicendi genus, quod oratores amant in foro. Et aliter ſi eſſet, non hoc notaſſet in Calliſthene Cicero, quòd vehementior eſſet, quàm hiſtoriæ conveniret. Ita enim intelligi ejus verba debere, ἀντίθεσις oſtendit inter Xenophontis & Calliſthenis ſtylum. Locus eſt libro ſecundo de Oratore: *Denique etiam à philoſophiâ profectus princeps Xenophon Socraticus ille; poſt ab Ariſtotele Calliſthenes, comes Alexandri, ſcripſit hiſtoriam: & hic quidem Rhetorico penè more: ille autem ſuperior, leniore quodam ſono eſt uſus, & qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortaſſe minùs, ſed aliquanto tamen eſt, ut mihi quidem videtur, dulcior.* Quod ſicui hoc Tullii loco aqua hæret, cumque credat de oratorio ſolùm ornatu, non verò de vehementi & acri dicendi genere, accipi oportere: at ſcrupulum omnem animo eximent hæc ejuſdem Ciceronis: *Verborum ratio & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, proſequendum.* Idem de oratore perfecto: *Sed in his tracta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio.* Ubi tractus ſermo, eſt, quem Ariſtoteles in Rhetoricorum tertio appellat εἰρομένην λέξιν: contortus verò, qui eidem λέξις κατεστραμμένη. Quam rem pleniùs declaramus in Inſtitutionibus oratoriis lib. IV. cap. III. Idem cognoſcimus ex illis Plinii verbis lib. V. epiſt. VIII. quæ ad Tacitum, vel Capitonem: *Habet oratio, & hiſtoria, multa communia, ſed plura diverſa in his ipſis, quæ communia videntur. Narrat ſanè illa, narrat hæc, ſed aliter. huic pleraque humilia, & ſordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, ſplendida, excelſa conveniunt. hanc ſæpius oſſa, muſculi, nervi: illam tori quidam, & quaſi jubæ decent. hæc vel maximè vi, amaritudine, inſtantiâ: illa tractu & ſuavitate, atque etiam dulcedine placet. poſtremò alia verba, alius ſonus, alia conſtructio. Nam plurimùm refert, ut Thucydides a ait, κτῆμα b ſit, an ἀγώνισμα c: quorum alterum oratio, alterum hiſtoria eſt.* Idem confirmat ejuſdem Plinii locus de Pompeio Saturnino. Nam cùm eum laudâſſet à facundiâ in cauſſis agendis, ſubjicit hæc de eodem d: *Idem tamen in hiſtoria magis ſatisfaciet, vel brevitate, vel luce, vel ſuavitate, vel ſplendore etiam, & ſublimitate narrandi. Nam in concionibus eadem, quæ in orationibus, vis eſt: preſſior tamen, & circumſcriptior, & adductior.* Ubi per orationes intelligit *forenſe concertatorium judiciale genus*, ut Cicero vocat in Bruto: ubi ait, Thucydidem, apud quem conciones multæ, hoc tamen forenſe concertatorium judiciale genus non attigiſſe. Illuſtris quoque eſt locus ille Luciani, Ὁ συγγραφεὺς ἡκέτω μοι, τὴν τῆς ἑρμηνείας ἰσχὺν, τὴν μὲν σφοδρὰν ἐκείνην, καὶ κάρχαρον, καὶ συνεχῆ ταῖς περιόδοις, καὶ ἀγκύλην ταῖς ἐπιχειρήσεσι, καὶ τὴν ἄλλην τῆς ῥητορείας δεινότητα, μὴ κομιδῇ πεπνιγμένος ἀρχέσθω τῆς γραφῆς· ἀλλ' εἰρηνικώτερον διακείμενος. *Veniat ad me hiſtoriam ſcripturus, expoſitionis vim, illam quidem vehementem & aſperam, ac periodis continuam, & argumentationibus rotundam, præterea reliquam oratoriam facultatem, non afferens; ne admodum acuminatus ſcribendi initium faciat: ſed ſedatiorem ſe præbeat.* E junioribus quoque hoc hiſtoricæ, & oratoriæ dictionis, diſcrimen ſatis perſpexit Angelus Politianus in Panepiſtemone ſuo. *Stylus*, inquit, *in hiſtoria fuſus, & continuus; non periodicus, niſi cum proſopopœias adſciſcit in concionibus.* Idem, præfatione in Suetonii expoſitionem, hiſtoricam orationem ait *forenſi carere aſperitate, fuſo atque æquabili ſuo quodam tractu deferri, crebrioribus uti & ſenſibus, & aculeis, & ad poeticam ſublimitatem quàm proximè accedere.* Plures, puto, adducere nihil eſt opus. Nam ex iis, quos jam advocavimus, ſatis liquet, hiſtoriam non requirere vim, & contentionem illam fori, ac judiciorum: ſed leniter, placidi inſtar fluminis, procurrere: ita tamen, ut pro vario argumento, & tractandi modo, varios ſervemus gradus.

a In præfat. operis.
b Monumentum.
c Certamen.
d Lib. 1. epiſt. 16.

Spiſsè igitur errat doctiſſimus vir, Sebaſtianus Corradus: qui, commentario ſuo in Brutum Ciceronis, de hiſtorico ſtylo interpretatur verba illa Cæcinæ ad Ciceronem a; *Genus hoc ſcripturæ non modò liberum, ſed incitatum atque elatum eſſe debere, quis ignorat?* Nec enim hiſtoriæ, ſed forenſibus cauſſis, atque invectivis, ſtylus convenit incitatus, atque elatus. Eoque ſe uſum Cæcina dicit, non in hiſtoria, ſed libro eo, quo Cæſari maledixerat: ut verba iſta indicant, *Meus error exilio multatur, cujus ſumma criminis eſt, quod armatus adverſario maledixi.* Nempe Cæcina bello Pompeiano, non gladium modò, ſed calamum etiam adverſus Cæſarem ſtrinxerat: atque hæc cauſſa eſt, cur Dictator ille, etſi aliis ignoſceret, erga Cæcinam tamen adeò ſe durum præberet, ut eum exilio multaret. Atque hæc de quæſtione ea, an hiſtoria ſcribi debeat dictione oratoria.

a Apud Cic. ad famil. lib. 6. epiſt. 7.

## Cap. XXX.

*De elocutionis hiſtoricæ ac poëticæ convenientia, & diſcrimine. Fabii, Agathiæ, Luciani, de eo teſtimonia, item Joviani Pontani. Cur poetis major, quàm hiſtoricis, ſit verborum libertas, duplex ratio affertur. Candidi Iſauri dictio magis ποιητικωτέρα, quàm hiſtoria conveniret.*

QUemadmodum verò errant, qui eandem oratoris, ac hiſtorici, eſſe dictionem arbitrantur: ita etiam falſi ſunt, qui putarunt, hiſtoricum, & poëtam, ſolo metro differre. Tuentur ſe auctoritate Joviani Pontani, qui in Actio ſuo ſcribit, *rectè putâſſe majores, hiſtoriam eſſe quandam quaſi ſolutam poëticam.* Ubi per majores imprimis ſignat Fabium Quintilianum a, qui diſertim dicit, *hiſtoriam eſſe proximam poetis, & quodammodo carmen ſolutum.* Imò Agathias quoque, nobilis hiſtoricus, (cui eò major fides debetur, quia prorsâ vorsâque pollebat facundiâ) ſcribit lib. I, οὐ πόῤῥω b τετάχθαι ποιητικῆς, ἀλλὰ ἄμφω ταῦτα εἶναι ἀδελφὰ, καὶ ὁμόφυλα, καὶ μόνῳ ἴσως τῷ μέτρῳ ἐστὶ διακεκριμένα. Sed cautè Agathias addit ἴσως c, ut Fabius *quodammodo*, Pontanus *quaſi*. Etſi enim Thucydides, Dionyſius Halic., Livius, alii, poëticis gaudeant vocabulis, ac loquendi formis: non tamen quævis ex iis, nec ubivis uſurpant, ſed magno hac parte delectu utuntur. Sanè longè plurima ſunt, quæ ſolis conveniant poëtis: qualia intellexit Lucianus d, cùm damnat τοὺς e ποιητικοῖς ὀνόμασιν ἐν ἱστορίᾳ χρωμένους. Cujuſmodi eſſe dicit, ἐλέλιξε f μὲν ἡ μηχανή: &, τὸ g τεῖχος ἐπεσὸν ἐδούπησε. & ſimilia, quæ apud eum legi poſſunt. Sed imprimis memorabilis eſt ejuſdem Luciani locus, quo clarè docet, ubi imprimis aſſurgere debeat hiſtorici oratio, & quomodo tum quoque ita eam moderari oporteat, ut infra grandiloquentiam poëtarum ſubſidat. En verba: Καὶ ἡ μὲν γνώμη κοινωνείτω, καὶ προσαπτέσθω τι καὶ ποιητικῆς, ἐπειδὴ καὶ αὐτὴ ὑψηγόρος καὶ μεγαλήγορος, καὶ διηρμένη καὶ ἐκείνη. καὶ μάλιστα ὁπόταν παρατάξεσι, καὶ μάχαις, καὶ ναυμαχίαις, συμπλέκηται. Δεήσει γὰρ τότε ποιητικοῦ τινος ἀνέμου ἐπουριάσοντος τὰ ἀκάτια, καὶ συνδιοίσοντος ὑψηλὴν, καὶ ἐπ' ἄκρων τῶν κυμάτων, τὴν ναῦν. ἡ λέξις δὲ ὅμως ἐπὶ γῆς βεβηκέτω, τῷ μὲν κάλλει, καὶ τῷ μεγέθει τῶν λεγομένων συνεπαιρομένη, καὶ ὡς ἔνι μάλιστα ὁμοιουμένη· μὴ ξενίζουσα δὲ, μηδ' ὑπὲρ τὸν καιρὸν ἐνθουσιῶσα· κίνδυνος γὰρ αὐτῇ τότε μέγιστος παρακινῆσαι, καὶ κατενεχθῆναι ἐς τὸν τῆς ποιητικῆς κορύβαντα· ὥστε μάλιστα πειστέον τηνικαῦτα τῷ χαλινῷ, καὶ σωφρονητέον, εἰδότας ὡς ἱπποτυφία τις, καὶ ἐν λόγοις πάθος οὐ μικρὸν γίγνεται. Ἄμεινον οὖν ἐφ' ἵππου ὀχουμένῃ τότε τῇ γνώμῃ τὴν ἑρμηνείαν πεζῇ συμπαραθεῖν, ἐχομένην τοῦ ἐφιππίου, ὡς μὴ ἀπολείποιτο τῆς φορᾶς. *Ac ſententia ſit*

a Lib. 10. cap. 1.
b Hiſtoriam non multùm differre à poetica: ſed hæc duo eſſe germina affiniaque & ſolo penè rythmo inter ſe diſcrepare.
c Fortaſſe, pene.
d De ſcrib. hiſt.
e Eos qui in hiſtoria poeticis utuntur vocibus.
f Stridorem dedit machina.
g Murus cadens vehementem dedit fragorem.

*particeps, & affinis etiam poëtices, quatenus grandiloqua eſt illa, & in ſublime elata: idque imprimis, quoties aciebus & pugnis, navalibuſque prælius concurrit. Opus enim tunc erit poëtico quopiam vento, qui ſecundo flatu vela impleat, ac ſublimem, perque ſummos fluctus ſublatam navem provehat. At dictio tamen humi incedat, cum pulchritudine quidem, ac magnitudine eorum, quæ dicuntur, ſublata, & iis quàm maximè aſſimilata: ſed nihil peregrini præ ſe ferat; nec intempeſtivè exultans, quaſi quodam furore concitetur. Periculum enim eſt, ne, quod maximum eſt de ſtatu mentis dimoveatur, & in iſtum Corybantem poëtices impingat. Quare maximè tunc freno credemus, & ratione utemur, illud ſcientes, quod & in verbis non mediocre malum eſt, inani gloriâ eſſe inflatum turgidumque. Proinde ſatius fuerit, ſententiâ ſuper equo incedente, dictionem humi currere ephippio adhærentem, ne à vehementia curſus ſuperetur.* Committere non potui, quin egregium hunc Luciani locum adſcriberem, qui ſatis oſtendit, etſi hiſtoricus ſæpe ſublimi ſtylo utatur, & qui à poëtico non longè adeò abſcedat: tamen nec tam exiguum eſſe inter eos diſcrimen, ut termini diſtingui non poſſint. Eadem mens Joviani Pontani, qui in Actio ſuo clarè docet, in quibus Hiſtoria ac Poëtica conveniant, in quibus item differant, ſeu res, ſeu ordinem, ſeu dictionem ſpectes. Quamquam verò ſcriptor ille veteribus annumerari minimè poſſit: tamen quia luculentus planè eſt locus, & ea eſt magnitudo viri, ut cum veterum nonnullis certare poſſit; non defugiam laborem exſcribendi περικοπὴν ejus bene longam. En verba: *Romani, quod per annos ſingulos quæ geſta eſſent, mandare literis conſueſſent, Annales initio vocavere: poſt, accepto Græco nomine, & ab illis quoque hiſtoria dicta eſt, priſco & Latino nomine penè obliterato. Eam majores noſtri quandam quaſi ſolutam Poëticam putavere, rectèque ipſi quidem: pleraque enim habent inter ſe communia; ut rerum vetuſtarum, ac remotarum repetitiones; ut locorum, populorum, nationum, gentium, deſcriptiones, ut etiam illorum ſitus, mores, leges, conſuetudines; ut vitiorum inſectationes, virtutum, ac benefactorum laudes: utraque enim demonſtrativo verſatur in genere: nec minus etiam in deliberativo, quod ipſum conciones indicant, ac conſilia, quibus tum Poëtica, tum Hiſtoria, maximè ornatur, gloriaturque, ex iis locupletiorem ſeſe bonis ab auctoribus redditam. Ad hæc repentini caſus, ſucceſſuſque ipſi varii atque incerti, conſilia item diverſa, quæque præter hominum ipſorum opinionem plurima contingunt in vita ac rebus gerendis. Nec verò, ſi Poëtica ipſa multa eſt in explicandis deorum tum conſiliis, tum rebus, quæ ab illis adminiſtrantur, non hiſtoria etiam Deorum iras explicat, refert prodigia, placatque illis votis, ſupplicationibus, ludis, conſulitque eorum oracula. Utraque etiam gaudet amplificationibus, digreſſionibus item, ac varietate, ſtudetque movendis affectibus, ſequiturque decorum quaque in re ac materia ſuum. Itaque neutrius magis, quàm alterius, aut propoſitum eſt, aut ſtudium, ut doceat, delectet, moveat, ut etiam proſit, rem apparet, eamque ante oculos ponat, ac nunc extollat aliud, nunc aliud elevet. Sed nec in deligendis tum rebus, tum verbis; iiſdemque propriè ac decenter diſponendis, collocandiſque, altera cedit alteri. Hiſtoria tamen eſt caſtior, illa verò laſcivior. Nec item in ornatu, & cultu, non eadem quoque utrinſque ſedulitas eſt, & cura: tametſi hiſtoria cultu tantùm contenta eſſe poteſt ſuo, eoque, qui ſit matronâ dignus, idoneuſque continentia, à fucoque abſtineat, ac purpuriſſo: quem quidem in alterâ illâ theatra perſæpe probant, idque, ut in puella, nequaquam aliquando reprehenditur, dum tamen ipſa intellegat, quid ingenuam inter, & vulgarem interſit. In verbis item, ac ſententiis, altera caſtigatior; altera, ut etiam in numeris, ſic in verbis, nunc liberalior eſt, nunc etiam affectatior. Nam parum contenta priſcis, atque uſitatis vocibus, exultat perſæpe novandis illis, aut peregrè afferendis. Propoſito verò omnino penè, aut maximè profectò differunt: cùm altera veritati tantùm explicandæ, quamvis & exornandæ quoque, intenta eſſe debeat. Poëtica verò ſatis non habeat, neque decorum ſuum ſervaverit; niſi multa etiam aliunde comportaverit; nunc ex parte aut vera, aut probabilia; nunc omnino ficta, neque veri ullo modo ſimilia; quò admirabiliora, quæ à ſe dicuntur, appareant. Hoc tamen ipſo mirificè conveniunt, quod utriuſque propoſitum eſt, quod ſuſceperit dicendum, illuſtrare, & quoad poſſit, ſempiternum id efficere. Numeros quoque utraque ſuos habet, itemque dicendi figuras, diverſâ tamen ratione. Ordine quoque enarrandarum rerum differunt inter ſe; cùm hiſtoria, rerum geſtarum ordinem ſequatur, ac ſeriem; at illa altera perſæpe à mediis, nonnunquam etiam penè ab ultimis narrandi principium capiat; aſſumens etiam extrinſecus perſonas pro rei ipſius natura; ut deorum, nympharum, numinumque aliorum; ut vatum, furentiumque. Quid quòd vocem quoque dat & orationem rebus mutis, divinitatem tribuit inſomniis, Deos etiam ipſos mortalibus inſtruit affectionibus? quæ quidem omnia apud Græcos Homerus, apud noſtros Virgilius paſſim oſtendunt. Unâ verò re potiſſimùm ſibi ipſa conciliantur, quòd utraque naturam ſequitur, quâ magiſtrâ, & duce, ambæ quoque varietati ſtudent, cùm ea ipſa natura cumprimis varietate lætetur, & decorum illud, quod ab eâdem rei eſt cuique attributum, cum venuſtate ſequatur, ac dignitate etiam ſumma.* Hactenus Jovianus. Ex quibus, præter ea, quæ hujus loci non ſunt, cognoſcimus illud, quod proximè dicebamus, non parùm intereſſe inter hiſtorici & poëtæ dictionem: ac majorem omnino verborum libertatem, & figurarum licentiam, poëtis eſſe conceſſam. Nam, ut Fabius *a* ait, *eos metri neceſſitas excuſat*: atque, ut idem *b* ait, *verſuum propria conditio eſt*. Nempe poëtæ, quia alligati ſunt metro, eò ad quædam eloquendi diverticula confugere neceſſe habent. Imò præter neceſſitatem altera etiam ratio eſt, quia generoſior poëtæ ſpiritus longiùs etiam ſe tollere humo conatur. Quò pertinet illud Petronii: *Effugiendum eſt* poëtæ *ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, & ſumendæ voces à plebe remotæ: ut fiat, Odi profanum vulgus, & arceo.* Hæc non attendunt, qui, quòd hiſtoriæ ſciant ſtylum convenire ſublimem, eò puerili affectatione phraſin poëtarum ſine delectu uſurpant: uti olim in hiſtoriâ ſuâ Candidum Iſaurum feciſſe, Photius ſcribit cap. LXXIX.

*a Lib. 1. cap. 10.*
*b Lib. 9. cap. 4.*

## CAP. XXXI.

*Hiſtoricus ubi ſublimi charactere potiùs utatur; ubi item mediocri, vel tenui. Stylus Cæſaris, Nepotis, C. Fannii, Trebellii Pollionis, Damidis Aſſyrii, Memnonis, & Olympiodori. Defenſus Olympiodorus adverſus Photium. Sebaſtianus Maccius refellitur. Thucydidæ, Herodoti, & Xenophontis ſtylus. Quomodo reſtringi oporteat, quod à Luciano, & aliis, dicitur, hiſtoriam grandi eſſe ſtylo ſcribendam.*

SEd quod dixi de ſublimi hiſtorici charactere, id de juſtâ ac legitimâ hiſtoriâ intelligi debet. Nam in commentariis, ac vitis, diſpar ratio eſt: quod ex commentariis Julii Cæſaris, & Cornelii Nepotis vitis, ſatis eſt evidens. Nec grandi ſtylo ſuos de Neronis ſceleribus libros ſcripſerat C. Fannius. de quo ita Plinius lib. v. epiſt. ad Maximum: *Quamvis agendis cauſſis diſtringeretur, ſcribebat tamen exitus occiſorum, aut relegatorum à Nerone: & jam tres libros abſolverat, ſubtiles, & diligentes, & Latinos, atque inter ſermonem, hiſtoriamque medios.* Quid hinc apertius, quàm in commentariis iſtis uſum eſſe ſtylo, qui medius foret inter ſermonem familiarem, & eum, quò juſta hiſtoria ſcribi ſolet? Nec Trebellius Pollio tenuem ſtylum refugit. Sic enim orditur ea, quæ de xxx tyrannis edidit: *Scriptis jam pluribus libris, non hiſtorico, nec diſerto, ſed pedeſtri eloquio.* Ubi pedeſtrem hiſtoriam non pro ſolutâ uſurpat, quomodo pedeſtres hiſtorias dixit Horatius *a*: ſed pro humili, & vix altiùs ſe efferente, quàm ſermo familiaris ſolet. Ac ne diſparem eſſe apud Græcos rationem putes: Philoſtratus apertè oſten-

*a Lib. 2. od. 12.*

oſtendit, τὸ λογοειδὲς, hoc eſt, accuratiorem ſermonem, non exigi in commentariis. Nam lib. primo cap. XIII. ita ſcribit de Damide Aſſyrio: Τὸ γὰρ λογοειδὲς οὐκ εἶχεν, ἅτε παιδευθεὶς ἐν βαρβάροις. Διατριβὴν δὲ ἀναγράψαι, καὶ συνουσίαν, καὶ ὅ, τι ἤκουσεν, ἢ εἶδεν, ἀνατυπῶσαι, καὶ ὑπόμνημα τῶν τοιούτων ξυνθεῖναι, σφόδρα ἱκανὸς ἦν, καὶ ἐπετήδευε τοῦτο ἄριστα ἀνθρώπων. *Accuratum, & elegantem ſermonem, minimè habuit, utpote inter barbaros inſtitutus. Sed quæ quotidie agerentur, & familiarium dicta factaque, quæcunque audiſſet, aut vidiſſet, exprimere, atque in commentarios ſuos referre, apprimè idoneus erat, atque in hoc ſe exercuerat ſupra cæteros mortales.* Etiam Photius a auctor eſt, Memnonem, ſcriptorem ſanè prudentem, in ſexdecim libris de rebus Heracleæ Ponticæ, ſecutum eſſe ἰσχνὸν χαρακτῆρα b, uſumque verbis uſitatis. Eos libros ſolùm commentarios fuiſſe planè cenſeo. Sed de eo utcunque eſt, idem Photius c auctor eſt, Olympiodorum, qui Theodoſii minoris temporibus vixit, hiſtoriam ſuam ſcripſiſſe humili ſtylo, ac plebejo, ac cùm hoc ſciret, eam ὕλην, ſive *ſylvam*, inſcripſiſſe, quaſi qui aliis materiam ſolùm ſcribendi præbere vellet: cujuſmodi libros Latini *commentarios* appellant. Reprehendit autem in eo Photius, quod cùm illa, quæ ſcripſiſſet, *ſylvam* appellaret, tamen in libros eam diſtingueret, & præfationibus ornare niteretur. Sed non video, quid naturæ commentariorum obſtet, quod in libros dividantur. Sanè nec Cæſar in commentariis ſuis hoc refugit. Neque magis adverſatur titulo, quòd præfationes adjecit: dummodo & illæ, uti ab Olympiodoro factum puto, humili ſtylo ſcriptæ fuerint. Atque hæc ſatis oſtendunt, commentarios & vitas humili ſtylo ſcribi ſolere.

*a Tmemate 224. cap. 62.*
*b Tenue dicendi genus.*
*c Tmemate ſive cod. 80.*

Sed de juſta & legitima hiſtoria multo aliter ſtatui debet: ut cui grandis character maximè conveniat, quemadmodum ſuprà diximus. Quod tamen non ita accipi debet, quaſi ſtylum mediocrem vix admittat, tenuem verò planè refugiat. Scio hoc putare Sebaſtianum Maccium, cujus verba iſta lib. II de hiſtoria cap. XV: *Stylo mediocri, & infimo, veritas exponi, præſertim rei geſtæ, dedignatur, ne vileſcat. non enim doctrinis oſtenditur, ſed verbis, ſiſque aliquâ fide, & auctoritate dignis, quò gravior, & auguſtior mentibus hominum appareat. Stylo etiam mediocri, aut infimo, nemo unquam ſcripſit hiſtoriam.* Quæ vellem erudito viro nunquam excidiſſent. Poteram eum meis refellere verbis: ſed malo pugnare autoritate Marcellini, hiſtorici ac rhetoris antiqui, ex cujus hiſtoriâ Græcâ nunc ſola ſupereſt Thucydidæ vita. In ea cùm dixiſſet, Thucydidem grandi uti charactere, hæc ſubjicit: ἵνα δὲ d μηδὲ τοὺς ἄλλους ἀγνοῇς χαρακτῆρας, ἴσθι ὅτι μέσῳ μὲν Ἡρόδοτος ἐχρήσατο (ὃς οὔτε ὑψηλός ἐστιν, οὔτε ἰσχνός.) ἰσχνῷ δὲ ὁ Ξενοφῶν. Ac confirmantur hæc iis, quæ de eorundem ſtylo ſcribit Hermogenes in ſecundo de formis orationis. Alios quoque hiſtoricorum adferre poſſum, qui grandi ſtylo uſi non ſint: ſed nihil attinet fuſiùs de eo agere hoc loco, cùm ſatis id ſit manifeſtum ex libro noſtro de Hiſtoricis antiquis. Contentus igitur ero adjicere calculum docti Hiſpani, Sebaſtiani Foxii, Morzilli Hiſpalenſis: cujus hæc oratio lib. de Imitatione, ſive ratione ſtyli e: *Tragici, & heroici carminis ſcriptores, ſublimes, & concitati fere ſunt omnes. Epigrammatum, epiſtolarum, lyricorum, elegorum, mixti generis, hoc eſt, partim graves, partim moderati, ac demiſſi, pro rei, quæ tractatur, natura. His aliquantum accedunt hiſtorici; quorum eſt gravis moderataque oratio; ni quando, aut res ardua, & ſublimes, aut concio aliqua ducis ad milites ſublimem exigat orationem.* Videmus, ut hiſtoriæ cenſeat convenire non tam humilem characterem, quàm mediocrem: ſed ſic ut ſubinde etiam exigat ſublimem. Quare cùm multi veterum hiſtoriam grandi ſtylo ſcribere jubent, id non ita capere oportet, quaſi aliter componi non poſſit: ſed quia, quæ talis ſit, ea imprimis, non voluptati modò eſſe ſoleat, ſed etiam admirationi.

*d Sed ut reliquas quoque dicendi formas cognitas habeas, ſcito, Herodotum quidem mediâ eſſe uſum (neque enim ſublimis eſt, neque tenuis) Xenophontem verò tenui.*
*e Fol. 31. b.*

## Cap. XXXII.

*Corollarium eorum, quæ hactenus dicta ſunt: quo muneris difficultas oſtenditur; &, quàm multis ei opus ſit, qui hiſtorici boni nomen poſſidere velit. Item, quinam apud Babylonios, Perſas, Græcos, ac Romanos, difficilem adeò hiſtoriæ ſcribendæ provinciam ſoleant ſuſcipere.*

Quæ hactenus diximus de præceptis hiſtoricis, ſatis oſtendunt, rem arduam eſſe hiſtoriam ſcribere, & ad quam multa magnaque requirantur. De difficultate muneris hiſtorici, quod tamen parvo ſoleat præmio rependi, minori ſanè, quàm ejus qui ſolùm excipit acta, conqueritur hunc in modum Juvenalis Sat. VII:

*Veſter porrò labor fœcundior, hiſtoriarum*
*Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus:*
*Namque oblita modi milleſima pagina ſurgit*
*Omnibus, & creſcit multâ damnaſa papyro.*
*Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.*
*Quæ tamen inde ſeges? terræ quis fructus apertæ?*
*Quis dabit hiſtorico, quantum daret acta legenti?*

Veriſſimè autem de difficultate ſcribendæ hiſtoriæ hoc dicere ex hiſtoricorum confeſſione videmus. Diodorus enim Siculus ait, ſe annos XXX impendiſſe hiſtoriæ ſuæ. Dion Cocceius refert, ſe annis X fuiſſe diſtentum colligendæ hiſtoriæ, XII ſcribendæ. Et, ut juniores quoque nominem, Gobelinus Coſmodormio ſuo annos dedit XLII: Paulus Æmilius hiſtoriæ Gallicæ annos XXX: Paulus Jovius hiſtoriæ ſuæ annos XXXVII. Nam primùm quidem opus eſt, ut quis ſit τῇ φύσει συνετὸς a, ut eſt apud Lucianum. Præterea, ut idem monet, debet eſſe ἄριστος b πρὸς λόγους ἠσκημένος. Quæ duo idem poſtea conjungit, cùm talem diſcipulum exigit, qui ſit συνεῖναί τε, καὶ εἰπεῖν, οὐκ ἀγεννὴς c. Nec ſatis eſt, ut naturæ præſidiis ſit ornatus, & eloquentiâ inſtructus: ſed neceſſe etiam eſt, ut civilium, & bellicarum, omniumque rerum magnarum, ſcientiam ſibi parârit. Unde Lucianus poſtulat γνώμην d στρατιωτικήν, ἀλλὰ μετὰ τῆς πολιτικῆς, καὶ ἐμπειρίαν στρατηγικήν. Imò optandum, ut etiam publicis cœtibus, quibus de pace, bello, fœderibus, aliis rebus maximis, diſſeritur, interfuerit, atque adeò etiam ad interiora principum conſilia adhibitus ſit, bello præfuerit, legationes obierit, &, quæ hujuſmodi alia ſunt, geſſerit. Quod hæc Luciani verba oſtendunt: Καὶ, νὴ Δία, καὶ ἐν στρατοπέδῳ γεγονώς ποτε, καὶ γυμναζομένους, ἢ ταττομένους στρατιώτας ἑωρακὼς, καὶ ὅπλα εἰδὼς, καὶ μηχανήματα ἔνια, καὶ τί ἐπὶ κέρως, καὶ τί ἐπὶ μετώπου, πῶς οἱ λόχοι, πῶς οἱ ἱππεῖς, καὶ πόθεν, καὶ τί ἐξελαύνειν, ἢ περιελαύνειν. *Denique, per Iovem, etiam in caſtris ſit verſatus, & milites ipſos, ſeu cùm ad prælia exercentur, ſeu cùm in aciem educuntur, viderit, & arma, & machinas aliquas nôrit, & quid ſit diductis cornibus, quid exporrectâ fronte aciem inſtruere: quomodo cohortes, & turmæ ordinentur; & unde, & quid equum emittere, quid obequitare.* Neque enim dubium eſt, quin tales rerum maximarum, quas hiſtoria prodit, intelligentiores ſint iis, qui de ſingulis alios rogare coguntur. Unde continuò ſubdit Lucianus: Καὶ ὅλως e, οὐ τῶν κατοικιδίων τις, οὐδ' οἷος πιστεύειν μόνον τοῖς ἀπαγγέλλουσι. Idcirco Sidonius Apollinaris f rogatus ab Leone, Euarigis Gothorum regis conſiliario, ut epiſtolarum loco hiſtoriam ſcribere vellet, Leonem ipſum huic muneri dicit magis idoneum fore, quia eorum eſſet intelligentiſſimus, de quibus hiſtoriæ tractarent: *Quotidie*, inquit, *per potentiſſimi conſilia regis totius ſollicitus orbis, pariter ejus negotia, & jura, fœdera, & bella, loca, ſpatia, merita, cognoſcis. Unde quis juſtiùs ſeſe ad iſta ſuccinxerit, quàm ille, quem conſtat gentium motus, legationum varietates, facta ducum, pacta regnantium, tota denique publicarum rerum ſecreta didiciſſe?*

*a Naturâ prudens.*
*b In dicendo optimè exercitatus.*
*c Neque ad intelligendum, neque ad dicendum, ignarum.*
*d Militarem animum, ſed cum prudentia civili, atque experientiam imperatoriam.*
*e Denique non ſit ex iis, qui domi deſident, neque ſolùm iis credat, qui renunciant.*
*f Lib. 4. epiſt. 22.*

Interea ne alios quidem ab hoc munere excludimus, dum ingenio, & facundiâ, valeant, ac civilium, & bellicarum, & maximarum quarumque rerum ſcientiam, eorum conſuetudine ſint conſecuti, qui publica tractarint, atque iſta geſſerint, quæ Lucianus enumerat. Vide omnino, quæ pro hac ſententia ſcribit Ubertus Folieta lib. de ratione ſcribendæ hiſtoriæ ad Octavianum Paſquam.

Præter iſta verò opus, ut libero ſit animo, neque vel ſpe, vel metu, tranſverſum ſe rapi patiatur. Tacitus in primo Annalium: *Tiberii, Caiique, Claudii, ac Neronis res, florentibus ipſis,* OB METUM *falſæ: poſtquam occiderant, recentibus* ODIIS *compoſita ſunt. Inde conſilium mihi* pau-

*pauca de Auguſto, & extrema tradere: mox Tiberii principatum, & cætera,* SINE IRA ET STUDIO; *quorum cauſſas procul habeo.* Atque huc pertinent iſta Luciani: μάλιστα δὲ καὶ πρὸ τῶν πάντων ἐλεύθερος ἔστω τὴν γνώμην καὶ μήτε φοβείσθω μηδένα, μηδ' ἐλπιζέτω μηδὲν, ἐπεὶ ὅμοιος ἔσται τοῖς φαύλοις δικασταῖς πρὸς χάριν, ἢ πρὸς ἀπέχθειαν ἐπὶ μισθῷ δικάζουσιν. *Imprimis verò, & ante omnia, libero ſit animo, ac neque quemquam metuat, neque quicquam ſperet: quoniam ſimilis eſſet malis judicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium, acceptâ mercede, ſententiam ferunt.* Et poſt pauca: Καὶ ὅλως, πῆχυς εἷς, καὶ μέτρον ἀκριβὲς, ἀποβλέπειν μὴ εἰς τοὺς νῦν ἀκούοντας, ἀλλ' εἰς τοὺς μετὰ ταῦτα συνεσομένους τοῖς συγγράμμασιν. *Vna denique ulna, certaque menſura eſt, ut non præſentes auditores adſpicias, ſed eos, qui in poſterum in legendis ſcriptis hiſce verſabuntur.* Qua de re fuſiùs ſuprà ex eodem diximus.

Sed difficile omnino eſt, ut quis non reſpiciat præſentes, niſi in tanto honoris faſtigio fuerit conſtitutus, ut longiſſimè emineat ſupra eos, quos offendere poſſet. Talis erat ille Leo, de quo antè diximus: unde hoc quoque argumento perſuadere ei conatur Sidonius *a*, valde ad hiſtoriam ſcribendam idoneum fore. *Præſtanti*, inquit, *poſitus in culmine non neceſſe habet, vel ſupprimere verum, vel concinnare mendacium.* Sed quos gloria non extulit ad tantum decus, hi ſæpe potentiorum metu ſua premere coguntur, quamdiu ſuperſtites ſunt. Ammianus Marcellinus initio lib. XXVI: *Hæc quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum ſtylis uberibus explicatas non edidere ſuperſtites; ut in quadam ad Cornelium Nepotem epiſtolâ Tullius quoque, teſtis reverendus, adfirmat.*

*a Lib. 4. epiſt. 22.*

Nec ſufficit, ut præſentium amore, vel odio ne peccemus: ſed neque virtus, vel improbitas eorum, qui prodeſſe, vel obeſſe ampliùs non poſſunt, ita amori nobis, vel odio eſſe debent, ut non ſemper nobis obverſetur, quod idem Lucianus ait, μόνῃ *b* θυτέον τῇ ἀληθείᾳ, τῶν δ' ἄλλων ἀμελητέον. Quare ſiquis narret, ut Philippum After Amphipolitanus altero oculo orbârit: vel ut Alexander Clitum in convivio interemerit: vel ut Cleon in concionibus dominetur, & quæ hujus generis innumera ſunt: non iccirco gaudebit, excruciabit ſe, terrebitur; ſed ſuis coloribus depinget unumquodque, uti geſtum eſt, ita ut coràm cernere videaris.

*b Soli immolandum veritati, cætera verò omnia poſtponenda.*

Denique opus etiam, ut quis curâ, & negotio vacet: unde & Tullius ipſe primo de Legibus ait, eò ſe alia potiùs tractare, quàm hiſtoriam ſcribere, quia *Hiſtoria nec inſtitui poteſt, niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolvi.* Hujus verò rei cauſſa inter alia eſt, quòd in multis adeò, etiam iis, qui judicio plurimùm valent, difficile eſt vera à falſis diſcernere. Nam ſi antiqua ſpectemus, οἱ *c* ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται, ut ait Thucydides *d*. Sin ea quoque conſideremus, quæ noſtris temporibus contigerunt: diverſè adeò ea narrari ſolent, ut planè arduum ſit videre, quibus potiſſimùm habere fidem debeamus. Quod idem Thucydides *e* teſtatur. Nam cùm dixiſſet, ſe non alia velle narrare, quàm quibus interfuiſſet, aut quæ ex aliis, ſedulò in omnia ſingulaque inquirens, cognoviſſet, addit hæc verba, Ἐπιπόνως δὲ *f* ηὑρίσκετο, διότι οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἑκάστοις, οὐ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι.

*c Homines famam rerum ante ipſos geſtarum, etſi domeſtica ſint, nullo prorſus examine eorum inito, plane admittunt.*
*d Præfat. operis.*
*e Ibidem.*
*f Difficulter verò res erui potuit, eo quòd, qui rebus gerendis ſingulis adfuerant, non eadem de iiſdem dicebant: ſed prout quis, aut in alterutrum propenſior erat, aut reminiſcebatur.*

Quare cùm tam multa, tam magna, tam varia, in hiſtoriæ ſcriptore exigantur: nihil ſanè mirandum, ſi annalium ac diariorum ſcriptores apud Hebræos הַמֹּשְׁלִים *hammoſchelim* vocati ſint: ut ex Num. XXI, 27, colligit doctiſſimus Maſius præfatione in Joſuam: nempe quaſi ſcitos atque elegantis ingenii ſcriptores dicas. à מָשַׁל, *maſchal*: quo ſignificatur urbanum, atque ingenioſum & elegans ſcribendi genus: ut *moſchelim* fuerint, qui proſa aut vorſa facundia in populo Dei eminerent, eoque magis idonei eſſent ad res memorabiles ſcripto conſignandas. Etiam apud gentes hiſtoriæ ſcribendæ munus committi ſolet non quibuſvis, ſed viris, cùm gravibus, & ſapientibus, tum qui ſtudio iſti vacare poſſent. Quales apud Babylonios erant Chaldæi, *antiquiſſimum è doctis genus*: ut Cicero appellat lib. 1 de Divinat. Apud Perſas verò idem magi fecere: apud Ægyptios ſimiliter gentis ejus ſacerdotes. Perſica quidem Chronica auctoritate publica ſcribi ſolere in diphtheris, (quæ & κεφαλίδες appellantur à Græcis) vel indicat Diodorus Siculus, cùm ait, hauſiſſe eum ſua ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας. Ecce clarè ait, κατά τινα νόμον. Atque hujuſmodi libri in regia adſervabantur. Vide Eſdr. VI. 2. Eſter. II. 22. VI. I. X. 2. Etiam I. Eſdræ IV nominant, qui Judæos accuſarent epiſtola ſua ad Artaxerxem, librum geſtorum ejus. Cteſias ſe regios hos commentarios ſecutum aiebat. Ac Flavius quoque Joſephus meminit commentariorum regum Perſicorum, & bibliothecæ Suſianæ. Apud Græcos non fuit hoc negotium certi ordinis: ſed, ut Cicero *a* ait, *eloquentiſſimi homines, cùm ad cæteras res illuſtres, tum ſcribendam hiſtoriam, maximè ſe applicaverunt.* Apud Romanos autem primitus quidem pontificum maximorum cura fuit annales ſcribere, Tullio *b*, & Macrobio *c* teſtibus: poſtea verò alii quoque, cùm annales, tum hiſtorias ſcribere ſunt aggreſſi; ſed ſi Salluſtium, Livium, Curtium, & Tacitum exceperis, ex iis quidem, quos habemus, quem Græcis æquiparare poſſis, invenias neminem. Nam Velleii, elegantiſſimi ſcriptoris, pauca admodum ſuperſunt: atque eorum honorem fœdâ adulatione in ſui ævi rebus non leviter offuſcavit. Cæſar verò commentarios; Nepos, & Tranquillus, vitas; non legitimam hiſtoriam, ſcripſere. Quâ de re pleniùs agimus in eo, cujus & antè meminimus, opere, quod *De hiſtoricis antiquis* fecimus. Rerum veterum Bataviæ non alios habemus ſcriptores antiquos, quàm Eccleſiæ Ultrajectinæ canonicos, & Egmondenſis monaſterii monachos. Apud Anglos, quis ante ſecula aliquot mos obtinuerit, oſtendit his verbis auctor Scoti chronici lib. XVI. c. XXXIX: *Statutum convenienter in Anglia, quod unumquodque monaſterium, à Regibus fundatum, haberet de ipſo loco ſuum certum ſcribam, vel ſcriptorem, qui omnia notabilia tempore Regis, ſaltem in regno, vel è vicinis contingentia, ſecundùm quod veritas facti ſe haberet cum data, annotarentur: ad proximum generale Concilium, poſt obitum regis, omnes illi Chronographi convenirent, & ſua verè dicta ſive ſcripta, in medium producerent, & delectis à concilio ſagacioribus, & in talibus peritis, & expertis, ſcripta examinarent, & diligenti habitâ collatione, de congeſtis ſummarium extraherent, & Chronicam compingerent, ac in Cœnobiis archivis librariorum, pro authenticis chronicis, quibus fides daretur, ſcripta reponerent, ne temporum labilitate memoria geſtorum in regno deperirent.* In Eccleſia etiam Romana obtinuit conſuetudo, ut diaconi ſignarent res geſtas, ac paſſiones martyrum. Unde de Clemente legimus in Pontificum vitis Damaſo olim tributis: *Hic fecit ſeptem regiones dividi notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta martyrum ſollicitè & curioſè, unuſquiſque per regionem ſuam perquirerent.* Et de Fabiano: *Hic regiones diviſit diaconibus, & fecit ſeptem ſubdiacones, qui ſeptem notariis imminerent, qui geſta martyrum in integrum colligerent.*

*a Lib. 2. de Orat.*
*b Lib. 2 de Orat. & 1. de Leg.*
*c Lib. 3. Saturnal. cap. 2.*

ATQUE hæc præcipuè ſunt, quæ de hiſtorica arte obſervabam. Nec operam mihi videor luſiſſe, qui primus eam inſtiterim viam, ut non modò ordine juſto nobiliſſimæ artis σύμπηγμα *a* conſignarem: ſed ſingula etiam adſtruerem veterum autoritate. Nempe dives ille antiquitatis penus, quod imperiti vitio mihi vertent, ego autem gloriæ duco, non mediocriter ditavit hunc libellum meum. Cæterùm cùm aliqui *b* putarint, nullam hiſtoriæ ſcribendæ artem veteribus fuiſſe notam: ex commentatione hac ſatis liquebit, tam multa, quæ ad eam artem pertineant, apud hos inveniri, ut judicio mihi non exiguo in delectu opus fuerit. Præſertim quia primò, non de ſingulis aliquid carpere, neque omnem relinere feriam; ſed duntaxat præbere artis guſtum animus erat. Sed dum oculum non incurioſum per Saliares illas antiquorum epulas circumfero; & nunc hinc, nunc inde, aliquid delibo: tam multa ecce ſalivam movere protenus cœperunt, ut ceſſandum non putârim, priuſquam tantum depromſiſſem, quantum videretur ſufficere, non modò ad ſportulam dandam, ſed etiam ad cœnam rectam. Nec propterea laureolam ullam ex hoc muſtaceo quæro: abunde erit, ſi, dum iſtæc palato hominum paro elegantiorum, Momi ipſe dentem effugero. Quod ne ipſum quidem ſi conſequi licebit, conſolabor me hujuſce ævi moribus, quo fortaſſe duobus, vel nemini, quod dici ſolet, præterquam, quod ipſe agit, rectè aliquid factum videtur.

*a Compagem.*
*b Zabarell.*

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

# HISTORICIS GRÆCIS

LIBRI IV.




*AMSTELODAMI,*
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVII.

Digitized by Google

# *SERENISSIMÆ*

# ET

# *SAPIENTISSIMÆ*

# CHRISTINÆ.

NOn dubito, Sereniſſima Regina, quin plerique, qui prolixum tuum erga me favorem & beneficentiam norunt, valde mirentur, nullum me hactenus grati animi ſignum oſtendiſſe; cum tamen innumeri, quos nunquam obſtrinxeris, in remotiſſimis etiam terrarum oris, virtutes tuas uno ore laudent, celebrent, & in cœlum certatim evehant. Si vel inſita quædam ignavia, vel aliud animi vitium, tam diuturni eſſet cauſſa ſilentii; tantum abeſt ut delicti peterem veniam, ut ultro potius à te pœnam criminis efflagitarem. Sed me quam longiſſime ab hac culpa abeſſe, nemo poteſt ignorare, cui & mores mei & ingenii menſura fuerit cognita. Si nunquam præſens eſſem contemplatus ea, quæ totus de te terrarum orbis prædicat, miracula; fidentius aliquanto exigente neceſſitate ſermonem de te inſtituerem. Nunc vero, cum videam, ea ipſa, quæ de te jactantur, longe eſſe infra gloriam tuam, cum omnem prorſus famam virtute exceſſeris; eo ſum redactus, divina & incomparabilis Regina, ut neque loqui neque tacere de te poſſim. Vetat eximia illa erga me etiam immerentem benignitas, ut taceam; alterum vero & magnitudo tua, & ingenii mei prohibet tenuitas. Sed tamen ſi unquam turpe fuerit aliis, ſiluiſſe cum loquendi urgeret neceſſitas; mihi longe fuerit turpiſſimum. Ingratus merito vel malignus habear, ſi, deſtitutus ea dicendi facultate, quæ tantæ convenit Majeſtati, non illa ſaltem proferam, quæ poſſim. Quod itaque te alloquar, non hoc facio fretus viribus aut ingenio meo; neque enim me mea fugit imbecillitas; ſed ſaltem, ut, ſi quod tacendo crimen incurrerim, illud omne loquendo diluam & repellam. Nec tamen ideo ſilentium rumpo, ut laudes tuas aggrediar; faciant hoc ii, qui vel ſunt, vel ſibi videntur facundi & diſerti: à me enim uti virtus illa, ita etiam altera iſta procul abeſt vanitas: hoc ſaltem peto & obſecro, ut benigna & ſerena fronte munus, quod offero, ſuſcipias, nec indigne feras, quod poſt tam longam moram aliena pro meis audeam exhibere. Quamvis, ut rectius loquar, tuum eſt, Domina, non alienum, id quod tibi conſecro opus: tibi quippe vivens deſtinârat pater meus, tibi etiam moriens ultimis reliquit ceris. Sive tamen tuum ſit, ſive non, accipiendo id facies tuum, eritque, ut opinor, non minus gratum quam ſi meum eſſet, imo etiam gratius, quoniam & melius. Argumentum operis quod adtinet, nec hoc ſpero adſpernabere. continet enim ætatem & ſcripta eorum, quos tu libenter à mortalitate una cum ſuis monumentis, ſi per fata liceret, adſereres.

Vereor autem, Domina, ne plus doloris quam voluptatis hic tibi adferat liber. Fieri enim non poteſt, ut non quam graviſſime commovearis, ſi in tot veteris Græciæ lumina, tot præclaros & inæſtimabiles theſauros, avaros illos tuos & inſatiabiles

conjeceris oculos. Nudam quippe ſcriptorum famam, ſolos laborum titulos, & quædam quaſi humanæ ſapientiæ naufragia hic conſpicies. Nihil hic Theopompi, nihil Timæi, nihil denique Ephori, præter nomen: periere omnes, &, quod maxime dolendum, periere ſine poſteritate. Neque hoc ideo à me dicitur, quod inique de hiſtoricorum hujus ſeculi ſentiam ingeniis, ut non illa etiam ea, qua debeam, æſtimatione proſequar; ſunto illi quod voluerint, dummodo ſciant, multum ſe abeſſe à ſublimitate veterum, & quantum ipſi plebem ſuperant intellectu, tantundem ſe ab illis ſuperari. Quamvis autem ejus rei cauſſam reddere non ſit difficile, quid tamen opus eam multis explicare, cum eventus ipſe manifeſte id docuerit? Quis reſponderit ſtulto, quærenti, quare deſipiat, niſi qui & ipſe pro ſtulto velit haberi? Falſum vero eſt quod quidam opinantur, ex quo deſierint eſſe heroes, deſiiſſe etiam eos, qui facta eorum memoriæ & poſteritati traderent. Cui non veterum heroum comparandus glorioſiſſimus tuus parens? Quis non illum regum principumque omnium diceret maximum, niſi majorem ſe genuiſſet filiam? Nullus tamen, quod ſciam, facinora ejus toto orbe & omnibus ſeculis memoranda vel potuit, vel auſus eſt literis & æternitati conſecrare. Hinc adparet, hodiernis ſcriptoribus non deeſſe argumentum, verum ipſos deeſſe argumento. Qua quidem in re uti & in cæteris ferme, plane adverſantur priſcis & vetuſtis hiſtoriæ conditoribus. illi quippe arte & induſtria heroas ex hominibus faciebant; iſti vero culpa ingenii & facundiæ heroas, imo ipſos deos, in homines & quidem viliſſimos, permutant & transformant. Sed quid ego hic aliorum crimina commemoro, cum pulcherrimam laudum præ manibus habeam materiam? Invitus, Regina, aliena perſequerer vitia, ſi tuis prædicandis par eſſem virtutibus: ſed eas percenſere longe fuerit difficilius, quam aliorum carpere errores. Labi quippe & errare, res eſt, ut factu, ita quoque dictu facilis. Tua vero virtus cum nihil habeat humanum, ſed ſit prorſus divina & immortalis, quis eam aggredi & exprimere poſſit, niſi cui cœleſtis quoque contigerit facundia? Nonne ego eundem incurrerem errorem, quem paulo ante in aliis reprehendebam, ſi heroicas & incomparabiles animi tui dotes tenuitate ſtyli & eloquii deprimere, & tanquam de cælo in terram deducere conarer? Permitte, Sereniſſima Regina, ſi in me ingrati videatur animi indicium, de virtutibus tuis tacuiſſe, ut ingratus habear. Malim hoc videri, quam prodere malignitatem; cujus ego manifeſte reus peragar, ſi te modice & frigide (neque enim aliter poſſim) prædicavero. Licet nihil aliud in te magnum & memorabile occurreret, quam quod fortunæ & natalibus debes, eſſet id tamen majus laude & præconio noſtro. tantum quippe abeſt, ut ſublimia illa, ſceptra & coronas, ſermone poſſim adſequi, ut ſæpe ne verba quidem ſuccurrant, quibus amicis & familiaribus meis ſatisfaciam. Sed vero, cum fortuna, licet illa omnia dederit, minora tamen præſtiterit tibi, quam ſint ea, quæ ipſa adquiſiveris, quum propria te virtus etiam ſupra diadema evexerit; vanus eſſem & ineptus, ſi periculum virium facerem, & verbis attenuare mallem, quam ſacro ſilentio venerari, ea quæ in te certatim concurrunt miracula. Huc accedit, Domina, quod laudare nemo te poſſit, ſine graviſſimo aliorum Regum Principumque vituperio. Nam ſane etiamſi aliquid prædicatione dignum in his ſeſe offerat, id tua obumbrat gloria, vixque eorum ſupremæ virtutes eo adſurgunt, ubi tuæ incipiunt. Honorificum eſt illis trium quatuorve linguarum peritiam ſibi comparaſſe. At vero quota hæc eſt pars tuæ laudis, cum linguas pleraſque (Barbaras tamen excipio) exactiſſime intelligas, multas etiam ſermone exprimas, idque tam eleganter, ut ne ipſas quidem Muſas elegantius diſertiuſque poſſe exiſtimem. Et tamen, ut multas edidiceris linguas, plures tamen ſunt, quæ te celebrant. Jam vero quam in aliis regibus glorioſum habetur, ſi erga literas, & literarum cultores, benigno & benevolo fuerint animo? Tu vero, incomparabilis Domina, non ſolum literarum amore teneris, verum etiam tantos in

iis

ed by Google

iis progreſſus feciſti, ut ne doctiſſimis quidem concedas: tuæ certe ætatis omnes longe poſt te reliquiſti. Quodnam eſt enim doctrinæ ſcientiæque genus, cujus non etiam penitiſſimos perluſtraveris receſſus? Poëtas quidem & oratores qua Græcos, qua Latinos, partim legiſſe, partim memoriæ mandaſſe, ludus tibi jocuſque fuit. Hiſtoriarum eam tibi comparaſti cognitionem, qua nec majorem illi, qui totam ætatem huic ſtudio conſecrarunt. Illud vero mirandum prorſus & inauditum, quodque non in juvenem, nedum in virginem cadere exiſtimaſſemus, niſi tu ſola exemplo nobis fuiſſes, evaſiſſe te tam cito ad illa ſacra & abdita Philoſophiæ penetralia, ad quæ alii aſſiduo labore, continuis vigiliis, vix tandem in extrema canicie pervenire potuerunt. Neſcimus adhuc, Domina, propriane induſtria, an vero ſingulari Dei beneficio, tantam ſis adepta ſapientiam. Quamvis enim rapido concitatoque ingenio annos & ætatem tuam præcurras; quamvis etiam ea ſis diligentia, ut nullum tibi tempus fruſtra effluat; & licet te quieti tradas, cum demum major noctium pars præterierit, nunquam te tamen Aurora dormientem deprehenderit: vix tamen patitur imbecillitas humana, ut tantum ſcientiarum rerumque uſum tam ſubito, & inter tot regni negotia, adquirere & comparare tibi potueris: cœlo neceſſe eſt tam cœleſte ad te pervenerit donum: neque enim ex ſola Platonis, Plotini, ſimiliumve inſtitutione tanta repente prodiiſſes. Sed quid adtinet quærere, cœlituſne infuſum, an vero labore partum ſit, id quod in te paſſim colimus & admiramur, dum cœleſte & immortale id eſſe fateamur? Ceſſet itaque curioſa nimium & inutilis illa inquiſitio; ceſſet etiam omnis laus; cum laudare non poſſimus id, quod, quale ſit, & unde habeas, ignoremus: ſed tamen, cum divinum id eſſe agnoſcamus, permitte ut te adoremus. Si enim unquam honor cultuſque divinus ſine crimine & errore cuiquam conferri debuerit; debuit tibi, incomparabilis & adoratione digniſſima Regina. Merces hæc eſt exigua, ſi virtutes tuas, ſi denique ingentia quæ in me contuliſti beneficia reſpicias. Tanta quippe illa ſunt, ut, etiamſi mihi millies vita, quam dego, recurreret, millies me mors opprimeret, priuſquam tuorum erga me meritorum partem vel minimam deponerem. Sed tamen neque tu majus aliquid expetis, neque ego aliquid majus poſſim reddere, quam animum purum, devotum, & intemeratum, quo te æternum colam, venerer, & adorem,

*Humillimus ſervus*

I. V.



Digitized by Google

# AD LECTOREM.

ECce tibi, *Humaniſſime lector*, *Viri Celeberrimi* D. GERARDI JOANNIS VOSSII *de Hiſtoricis Græcis Ampliſſimum commentarium, ita auctum atque elimatum, ut novum opus videri poſſit. Magno labore ex antiquorum monumentis concinnavit hoc egregium opus, Vir maximus & æternitate digniſſimus, atque tot veteribus Hiſtoricis, quorum nomen oblivione ſepultum erat, vitam, lucem reſtituit. Neque tantum Hiſtoricis, ſed & Hiſtoriæ antiquæ, eruditionis profundiſſimæ facem addidit. Pervenerat jam ad finem hic liber, cum mortalitatis leges impleret magni nominis autor. Cumque nihil aliud quam præfatio vel dedicatio deſideraretur, atque magni nominis paterni & famæ hæres Iſaacus Voſſius, quem ex tanta liberorum ſegete ſibi ſuperſtitem unicum pater reliquit, diſſitis terrarum à nobis divulſus ſit, nolui tamen deſiderio veſtro deeſſe, Humaniſſime Lector, atque opus completum in lucem trahere viſum fuit. Vale, & Inſtituto noſtro fave.*



Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS GRÆCIS
## LIBER I.

### Caput I.

*Argumentum operis. Multò hiſtoricis Græcis antiquiores ſunt Aſiatici, & Ægyptii. Quantum ſit intervallum inter Moſem, & cladem Trojanam. Suniathonem corruptè vocari, qui eſt Sanchoniathon. Vnde hic ſua hauſerit, & quando cùm ipſe vixerit, tum Græcus ejus interpres, Philo Byblius. Porphyrii in iſto error: itque alio, interpretis Porphyriani. Juſtini lapſus in Tyri natali: Porphyrii item, de ætate Semiramidis. Ephori ingenua confeſſio de vetuſtate hiſtoriæ barbaricæ. Cadmus Mileſius, & Acuſilaus Argivus. Eumelus. Refelluntur illi veterum, qui Cadmum hiſtoricum non multò putant Orpheo juniorem. Vnde ſua hauſerit Acuſilaus. Tatiani ex Euſebio locus emendatus. Euſebii de Archilochi ætate error. Annii Viterbienſis Archilochus ſuppoſititius. Ætas Theagenis Rhegini. Item Ariſteæ Proconneſii. Tatiani lapſus. Varii ſcriptores, quos ante Homerum vixiſſe Tatianus putârit. Euſebius corrigitur. In eodem, & Tatiano, gemina conjectura. Hecatæi Mileſii ætas. Quis hiſtoriam, quis item de philoſophia, ac diis, primus ſcripſerit oratione ſolutâ. Quantum diſtent natales Hellanici, Herodoti, & Thucydidis. Scripta Hellanici. Vt maiores reprehendat, & viciſſim à junioribus reprehendatur. Pherecydem hiſtoricum, & Pherecydem philoſophum, eſſe diverſos. Charon Lampſacenus.*

Satis de eo convenit inter omnes, nihil homini elegantiori jucundius, nihil civilis prudentiæ ſtudioſo utilius eſſe, quàm hiſtoriam temporum ſcire: ac propterea nec aliquid æquè ex uſu eſſe, quàm noviſſe eos, qui vetuſtatis memoriam literis conſecrarunt. Quamobrem, cùm vita omnis mea publico, ac præcipuè juventutis bono, deſudet; duo in hoc tempore facienda mihi exiſtimavi: primùm quidem, ut hiſtoriam omnis ævi ſecundùm tempora digeſtam paucis conſtringerem libellis: deinde verò ut quaſi digito demonſtrarem fontes ipſos, unde iſta pleniùs ac fuſiùs hauriri à quovis poſſent. Poſteriorem nunc laborem aggredior. In quo non ita verſabor, ut ſim nuda contentus nomina recenſere: ſed verò ætatem, qua ſcriptor quiſque vixerit, producam; atque etiam conſignabo, quorum expoſitionem ab unoquoque, modo ſuperſint, oporteat exſpectare. Adhæc in iis, qui familiam ducunt, ac nonnullis etiam minorum gentium, cujuſmodi dictione utantur, referam. Subinde etiam alia adſpergam, quæ prioribus iſtis poſſe aliquid lucis adferre videbuntur.

Historicorum nomen multò eſt recentius apud Græcos, quàm illos, quos barbaros appellare ſolent. Præſertim ſi in his etiam numeremus ſcriptores ſacros. Neque enim Græci nominare ullum gentis ſuæ hiſtoricum poſſunt, qui non quingentis, & ampliùs, annis recentior ſit bello Trojano. Atqui Moſem ſeculis aliquot antiquiorem eſſe, etiam gentium ſcriptores agnoverunt: eoſque inter Apion Alexandrinus: ſecundùm quem Moſes Inachi temporibus vixit. Eumque hac parte ſecuti è noſtris, Juſtinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Clemens Alexandrinus, atque adeò e beato illo Patrum choro propemodum omnes, qui ante Euſebium fuerunt. Itaque inter obitum Moſis, & Trojæ excidium, intervallum erit annorum Iɔ c lxxv. Sin potiùs Euſebium ſequimur, (ſequi ſanè debemus, propter tot valida, quibus ſententia ejus nititur, argumenta) vixerit Moſes temporibus Cecropis, primi Athenienſium regis, quibus Triopas apud Argivos, Teucer in Phrygia imperabat. Atque ita Moſes quadringentis quidem annis junior erit Inacho: attamen Ilii ἁλώσεως a Moſaïcâ morte poſterior erit annis ccLxxv. a Excidium.

Nec ſacri tantummodo ſcriptores, ſed etiam, quos noſtri τοὺς ἔξωθεν b appellant, ætate Græcos longè præcedunt: b Externos.
imprimis Ægyptii, Chaldæi, & Phœnices. Nam quid habuere unquam Græci, quod poſſet conferri cum annalibus Ægyptiis, quos Manethos exiſcripſit: aut Babyloniis, quos Beroſus ſequebatur: aut Phœniciis, quos habuit Sanchoniathon? Mitto annales, unde ſua hauſerunt hiſtorici iſti: neminem habet Græcia, qui non multò junior ſit Sanchoniathone ipſo. Et tamen non paullò ille recentior eſt, quàm ſcripſit Porphyrius in quarto adverſus Chriſtianos libro: unde illuſtrem locum adducit Euſebius in decimo de præparatione Euangelica cap. III. Dicit ibi Porphyrius, Moſem, & Sanchoniathonem, virorum, & locorum nomina ſimiliter ponere; ac Sanchoniathonem ſua partim hauſiſſe ex urbium annalibus, partim è libris in templo aſſervatis, quos acceperit ab Jerombalo, Dei τοῦ Ἰευὼ ſacerdote: hæc verò monumenta ſua eum Abibalo, Berytio regi, inſcripſiſſe: ac Philonem Byblium ea è Phœnicia lingua in Græcam tranſtuliſſe. Vixit Philo ille temporibus Adriani Cæſaris; ut ex Suida conſtat. Sed Sanchoniathon, ſi Porphyrium audimus, ἐπὶ c Σεμιράμιδος γέγονε τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος. Quod facilè refellitur. Nam Sanchoniathon meminit temporis, quo Tyrus condita eſt: & quidem meminit, ut rei antiquæ: ut bene Joſepho Scaligero obſervatum fuit. Atqui Tyrus non quidem anno duntaxat uno ante Trojanam cladem exſtructa eſt, quod Juſtinus libro epitomes ſuæ duodevigeſimo fallò tradidit: attamen ante cladem illam condita eſt annis non ampliùs ſeptuaginta ſex: ſive, ut quindecim illos, in quibus anachroniſmo peccat Euſebius, annumeremus, annis ante excidium Trojæ nonaginta, & uno. Quid Porphyrio impoſuerit, non difficile eſt conjectare. Nam putavit, Semiramidem vixiſſe tempore belli Trojani, aut paullò antè. Cùm enim de ea eſſet locutus, ſubjicit ſtatim, ἢ δὲ περὶ τὸ Ἰλιακὸν, ἢ καὶ πρὸ

c Vixit temporibus Semiramidis, Aſſyriorum reginæ.

d Hanc ante tempora Iliaca, aut circa illa fuiſſe ſcriptum eſt.



Digitized by Google

αὐτὸς γε τοὺς χρόνους φθάνων, ἀναγέγραφεν. Sed hoc perſpicuè falſum eſt. Nam à decimo Semiramidis anno, uſque ad cladem Trojanam, intervallum eſt annorum octingentorum. Quare non tam quid Porphyrius dixerit, quàm quid dicere voluerit, videre debemus. Sanè qui Semiramidem belli Trojani tempore, aut paullò antè, fuiſſe putat; Sanchoniathonem autem Semiramidi facit æqualem: is Sanchoniathonem quoque excidio Trojæ vel parem, vel ſaltem ſupparem, facit. Hoc igitur voluit. Et ſenſit idem Suidas, qui, Sanchoniathonem tempore belli Trojani fuiſſe, diſertim teſtatur. De Sanchoniathonis hiſtoria Phœnicia, ejuſque interprete Philone Byblio, ita ſcribit Porphyrius lib. II περὶ ἀποχῆς. Καὶ πλήρης *a* ἡ Φοινικὴ ἱστορία τῶν θυόντων, ἣν Σαγχουνιάθων μὲν τῇ Φοινίκων γλώττῃ συνέγραψεν· Φίλων δὲ ὁ Βύβλιος εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν διὰ βιβλίων ὀκτὼ ἡρμήνευσεν. Ineptè admodum nuperus interpres Gallus Σαγχουνιάθων vertit *De Sanchuniaſtis*, quaſi patrius caſus ſit, non rectus. Meminit & præter alios non ſemel Theodoretus Therapeut. ſerm. II, qui eſt de principio. Ubi locum Porphyrii de eo antea citatum itidem reponit. Ac poſt multa ſic ſcribit: Σαγχουνιάθων *b* μὲν ὁ Βηρύτιος τὴν Φοινίκων θεολογίαν ξυνέγραψε· μετήνεγκε δὲ ταύτην εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν Φίλων, οὐχ ὁ Ἑβραῖος, ἀλλ' ὁ Βύβλιος· τὸν δὲ Σαγχουνιάθωνα λίαν τεθαύμακεν ὁ Πορφύριος. Idem ſermone III refert ex Sanchoniathone, ut Saturnus, & Rhea homines fuerint Jovis, & Junonis, parentes, atque ob beneficia à Phœnicibus poſt obitum aris, & ſacrificiis, annuoque epulo fuerint honorati. In quibuſdam Theodoreti libris Mstis eſt Συγχουνιάθων: ſed plures longè Σαγχουνιάθων. Uti apud Euſebium, & Suidam. Ex eodem Suida diſcimus, eum præter libros de inſtitutis Phœnicum, etiam ſcripſiſſe de Mercurii φυσιολογίᾳ, item de Theologia Ægyptia. Hæc de Sanchoniathonis ætate, ac ſcriptis eò adduximus, ut pateat, hiſtoricos barbaros eſſe antiquiores Græcis: quod pluribus oſtendit Flavius Joſephus lib. I. contra Apionem. Mirum verò, etiam Ephorum, hominem Græcum, illud agnoviſſe: quemadmodum locuples teſtis eſt Diodorus Siculus lib. primo bibliothecæ. Diodoro tamen aqua hìc hæret. Imò non obſcurè ab Ephoro diſſentit. Saltem idem, quod Ephorus, profiteri non audet. Sed quos Græcos ille nobis obducet, qui non aliquot ſeculis recentiores ſint bello ad Trojam geſto? Dicit fortaſſe aliquis, Κάδμον τὸν παλαιὸν *c*, ut vocat Clemens Alexandrinus lib. VI Στρωματ. Hoc eſt, Suida interprete, Cadmum, Pandionis filium, Mileſium, qui de urbis patriæ ædificatione, deque tota Ionia, quatuor ſcripſit libros. Primus ſanè hic creditur à nonnullis hiſtoriam reliquiſſe oratione ſolutâ: eſtque & hæc ſententia Plinii lib. VII. cap. LVI: paulloque fuiſſe junior Orpheo putatur, ut apud eundem Suidam legere eſt. At Orpheus Linum paullò antecesſit: Linus Herculem, diſcipulum ſuum: Hercules Laomedontis vixit ætate, cujus Priamus filius fuit. Unde conſequeretur, Cadmum Mileſium vixiſſe circa bellum Trojanum. Sed non fruſtra eſt, quod Suidas, cùm dicit, Orpheo eum paullò eſſe juniorem, cautè addit illud κατά τινας *d*. Nam eum fuiſſe temporibus belli Trojani, non magis verum eſt, quàm vixiſſe tunc Acuſilaum Argivum, antiquiſſimum item hiſtoricum, ut eum appellat Suidas: ubi & genealogias ſcripſiſſe dicit, quas pater ejus, dum locum foderet domi, repeeriſſet. Verum autem, cùm Cadmi Mileſii, tum Acuſilai Argivi, ætatem docebit nos Joſephus libro primo contra Apionem, ubi ita ſcribit: Οἱ μὲν τὰς παρ' αὐτοῖς ἱστορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς, λέγω δὲ τοὺς περὶ Κάδμον τε τὸν Μιλήσιον, καὶ τὸν Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον, καὶ μετὰ τοῦτον εἴ τινες ἄλλοι λέγονται γενέσθαι, βραχὺ τῆς Περσῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατείας τῷ χρόνῳ προέλαβον. *Qui hiſtorias apud eos conſcribere tentavere, id eſt, Cadmum Mileſium, ac Acuſilaum Argivum, & poſt hunc quicunque alii fuiſſe referuntur, paullulùm Perſarum contra Græcos expeditionem præceſſere.* Exſcripſit verò Acuſilaus ille Heſiodum, quod docet Clemens lib. I. Στρωματέων, cùm ait: Τὰ δὲ *e* Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν, Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος, οἱ ἱστοριογράφοι.

*a Eorum, qui (homines) ſacrificarint, plena eſt Phœnicia hiſtoria; quam Phœniciâ linguâ Sanchoniathon ſcripſit: at Philo Byblius eſſe libris Græcè eſt interpretatus.*
*b Sanchoniathon Berytius Phœnicum Theologiam conſcripſit: Philo verò, non Hebræus homo, ſed Byblius, eam in Græcam linguam tranſtulit. Sanchoniathona autem Porphyrius valde admiratur.*
*c Cadmum veterem.*
*d Juxta quoſdam.*
*e Ea verò, quæ Heſiodus ſcripſit, commutavit in ſermonem pedeſtrem, cùm Eumelus, tum Acuſilaus, hiſtoriographi.*

Eumelus hiſtoricus, cujus hic mentio fit, Corinthius fuit, ac nonâ vixit Olympiade, tempore Sibyllæ Erythrææ: ut eſt apud Cyrillum contra Julianum Cæſ. Scripſit verò carmine hiſtoriam patriam, ut initio lib. II Pauſanias tradit: ubi etiam ambigere videtur, utrùm ea Eumeli hiſtoria foret. Meminere ejus quoque Hyginus Fab. CLXXXIII, ubi de equis Solis; Scholiaſtes Apollonii in IV Argon. & Iſaacius Tzetzes in Lycophr.

Sed ſunt hiſtoricorum etiam alii nonnulli, quorum antiquitatem jactare poſſe Græci videantur. Quales iſti ſunt Archilochus, Theagenes Rheginus, Ariſteas Proconneſius, Hecatæus Mileſius, Hellanicus, Charon Lampſacenus, & Pherecydes Lerius. De quibus idcirco ordine dicam. Nec enim inſtituti ratio ſinit, ut non oſtendam, nullum illorum ante Gygis tempora, prope omnes poſt Cambyſen vixiſſe. Ordiar ab Archilocho. Ex hoc veteres *a* aliqua de temporibus citant; unde & Chronica ſcripſiſſe putatur à doctis *b*. Juxta Clementem Alexandrinum *c*, quem Petavius ſequitur, floruit circa Olympiadem vigeſimam: juxta Tatianum *d*, Olymp. XXIII. Verba Tatiani apponam: Ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον συνήγαγον, ὡς Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες. Ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμαζε περὶ Ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν, κατὰ Γύγην τὸν Λυδὸν, ὕστερον τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι πεντακοσίοις. *Alii longiùs deſcendentes, Archilochi ſeculo Homerum conjungunt. Claruit autem Archilochus circa Olympiadem vigeſimam tertiam, tempore Gygis Lydi, annis à bello Trojano quingentis.* Apud Tatianum vulgò pro κατὰ Γύγην legitur καὶ Γύγην: & paullò pòſt vox ὕστερον deſideratur. Sed ita, uti adduximus, rectè hæc leguntur apud Euſebium, qui bene longum Tatiani locum adducit lib. X. præparat. Euangel. Idem tamen Euſebius in Chronicis refert Archilochum ad Olymp. XXIX. Sic enim ſcribit ad annum MCCLIV: *Archilochus, & Simonides, & Ariſtoxenus, inſignes habentur.* Ubi profectò non ſimplicem committit errorem, cùm de trium illorum nullo dixerit verum. Ab omnibus verò hiſce abiit Diphilus; qui, ut eſt apud Athenæum lib. XIII, Sapphûs amatores in ſcenam induxit Archilochum, & Hipponactem. Sed enim non ſeriò hoc egit, quaſi eodem tempore vixiſſe exiſtimaret; ſed quia putaret ſic ludere in Comœdia fas eſſe. Quomodo & Hermeſianax luſit, cùm eam ait adamatam ab Anacreonte, etſi hoc ſenior fuerit; quemadmodum ibidem legimus. Quare ſeu inſcius, ſeu παίζων *e*, ut Athenæus mavult, tempora neglexerit Diphilus; nihil certi ex eo de ætate vel Archilochi, vel Hipponactis, colligi poſſit. Joſephus Scaliger Animadverſionibus Euſebianis refert Archilochum ad tempora Darii, Hyſtaſpis filii, qui imperare demum cœpit Olympiadis LXIV anno III. Vellem autem hujus ſententiæ ſuæ rationem, vel auctorem, addidiſſet. Sed ſive ea Scaligeri, ſive Tatiani, aut Clementis ſententia verior eſt: nihil Archilochi hodie habemus: illa verò ab Annio Viterbienſe ſub ejus nomine edita verè ſunt λῆροι *f*, ac planè ὑποβολιμαῖα *g*, ut alia multa, quæ ab impuro illo Annii fonte promanarunt.

Cambyſis æqualis erat Theagenes Rheginus. Anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. LXIII: Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος χρονογράφος ἤκμαζεν *h*. Item Tatianus orat. adverſus Græcos, & ex eo Euſebius lib. X Præparat. Euangelicæ, Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονὼς *i*.

Ariſteas Proconneſius tum proſa θεογονίαν *k*, tum carmine epico tres ſcripſit libros, quibus hiſtoriam complectebatur de Arimaſpis Hyperboreis. Meminit ejus, tum Tatianus orat. ad Græcos, tum Gellius quoque lib. IX. cap. IV. Ac videtur Plinius eo non ſegniter uſus, cùm ſcriberet ſeptimum Hiſtoriæ Naturalis librum. Floruit, Suida teſte, Olympiade L, vel potiùs LV. Tum enim Cyrus, & Crœſus, vixere, quorum ætate Ariſteam fuiſſe dicit. Tatianus verò nimiùm cauſſæ optimæ indulget, cùm, ut Homerum longè eſſe Moſe recentiorem oſtendat, multos adducit ſcriptores, qui Homerum præceſſerint, atque eos inter, cùm alios, tum Ariſteam hunc reponit. Verba ejus

*a Ut Euſebius in Chron. ad annum 908; ubi de Homeri ætate.*
*b Uti Arnoldo Pontaco notata ad Euſebium. Ut Viterbienſem Annium, & ſimilis farinæ homines mittam.*
*c Lib. I. Στρωματ.*
*d Orat. contra gentes, pag. 113. edit. Baſil. in Octodecimo.*
*e Ludens.*
*f Nugæ.*
*g Suppoſititia.*
*h Theagenes Rheginus, temporum ſcriptor floruit.*
*i Theagenes Rheginus, qui Cambyſis temporibus exſtitit.*
*k Ortum Deorum.*

ejus ſunt: Τὸ δὲ ἀσυνέχον προθυσίαν μετὰ πάσης ἀκριβείας σαφηνίζειν, ὡς οὐχ Ὁμήρου μόνον πρεσβύτερός ἐστιν ὁ Μωυσῆς· ἔτι δὲ καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων, Λίνου, Φιλάμμωνος, Θαμύριδος, Ἀμφίονος, Μουσαίου, Ὀρφέως, Δημοδόκου, Φημίου, Σιβύλλης, Ἐπιμενίδου τοῦ Κρητὸς, ὅστις εἰς τὴν Σπάρτην ἀφίκετο, Ἀρισταίου τοῦ τοῦ Προκοννησίου τοῦ τὰ Ἀριμάσπια συγγράψαντος, Ἀσβόλου τε τοῦ Κυπρίου, καὶ Ἰσάτιδος, Δρύμωνός τε, καὶ Εὐμήλου τοῦ Κυπρίου, καὶ Ὥρου τοῦ Σαμίου, καὶ Προναπίδου τοῦ Ἀθηναίου. Ita legitur is locus apud Tatianum. Citat eundem Euſebius *b* lib. x præparat. Euangel. Sed pro Ἀριμάσπια corruptè apud eum eſt Δεριμάσπια. qui locus ex Tatiano emendandus. Etiam mox pro Εὐμήλου ibi habes Εὔκλου, ubi in Trapezuntii tralatione eſt Euculi. Puto, utrumque corrigendum ex Pauſania de rebus Phocenſium, ubi Κύπριον Εὔκλουν vocat: uti quidem in Aldina *c* expreſſum, & ab interprete Germano: nam video eſſe, qui *d* Eueclum legerint. Denique apud Euſebium eſt Προναπίδου, ubi Tatianus Προναπίδου: rectum autem puto Προσμαντίδου, prout in ſuis codd. Gyraldus *e* invenit. Sed hos ſcriptores mittamus, qui poëtæ potiùs, quàm hiſtorici, fuerunt. Præſertim quando his multa de Ariſtea addantur lib. IV. cap. II; iterumque de eo loquendi occaſio dabitur penè initio operis de Poëtis Græcis.

Proximus eſt Hecatæus, non Abderita ille, de quo inferiùs dicam, ſed Mileſius, Hegeſandri filius; cujus & Joſephus meminit lib. I Antiq. Jud. cap. III, ſive aliis VIII. Ἐν Ἀσίας περιηγήσει citat Athenæus lib. II: uti δευτέρῳ περιηγήσεως, lib. x. Ubi quoque nominat ejus τὴν τῆς Εὐρώπης περίοδον. Etiam Rufus Feſtus Avienus eum recenſet inter illos, quos ſequatur in deſcriptione oræ maritimæ. Floruit hic initio regni Darii Hyſtaſpidæ Olympiad. LXIV, ut ex Suida conſtat: qui & auctor eſt, fuiſſe Protagoræ auditorem, ac præiſſe viam Herodoto Halicarnaſſeo: hunc enim aliqui (quod alii, ut ſuperiùs vidimus, Cadmo Mileſio tribuunt) primùm omnium hiſtoriam ſcripſiſſe volunt: quemadmodum, quæ ad Deos, aut rerum naturam pertinerent, primus ſolutâ oratione tractavit Pherecydes Syrius: ut ex Theopompo Laërtius, Suidas, atque alii tradiderunt. Sanè hiſtoricos, & philoſophos, poſteriores eſſe poëtis; docet quoque Strabo lib. I. Hecatæum hunc ad grandem perveniſſe ætatem, cognoſcimus ex eodem Suida: qui auctor eſt, ſuperfuiſſe etiamnum temporibus belli Perſici: ac familiariter tum eo uſum fuiſſe Hellanicum Mitylenæum: de quo nunc dicendum.

Hellanicus ille annis duodecim ante Herodotum natus fuit: quod ex Pamphila conſtat. Sic enim Gellius ſcribit lib. XV. cap. XXIII: *Hellanicus initio belli Peloponneſiaci fuiſſe quinque & ſexaginta annos natus videtur, Herodotus tres & quinquaginta, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc eſt in libro undecimo Pamphilæ.* Atqui bellum Peloponneſiacum cœpit Olympiadis LXXXVI anno ſecundo. Ergo Thucydidis natalis incidit in annum ſecundum Olympiadis LXXVI, Herodoti autem in annum primum Olympiadis LXXIII; Hellanici denique in annum primum Olympiadis LXX. Scripſerat Hellanicus librum de antiquiſſimis gentium principibus, primiſque urbium conditoribus: quem κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων inſcripſerat. Meminit Stephanus, ſive potiùs Hermolaus Byzantius περὶ πόλεων, voce χαριμάτη: quamvis ibi corruptè legatur κλήσεις. Sed apud Athenæum rectè κτίσεις exſtat; etſi quidam κλήσεις ſubſtituant. Quos jure reprehendit Caſaubonus Animadverſ. in Athenæum lib. X. cap. XIV. Præterea edidit Deucalioniа. Ea citat Clemens Alexandrinus lib. VI Στρωματ. ubi Dieuchidam, Megaricæ hiſtoriæ ſcriptorem, libri ſui initium hauſiſſe dicit ex iſtoc opere Hellanici. Troicorum ejus meminit Dionyſius Halicarn. lib. I Antiquit. Alia quoque Hellanici invenio, cùm apud Stephanum, tum Athenæum, & alios. Sed non facile dictu eſt de ſingulis, quæ ſint Hellanici Mitylenæi; quæ Mileſii. Nam uterque hiſtoricus fuit, ſi Suidæ credimus. Nec ſolent antiqui gentile nomen apponere: ut omnino, utrius illa Hellanici ſint, interdum non ſatis liqueat. Sed ex Suida conſtat, Mileſii eſſe τὴν περιήγησιν. De quo fusè dicam lib. IV. cap. V. Quemadmodum verò Heſiodus in genealogiis corrigebatur ſæpe ab Acuſilao: ita ab Acuſilao ſæpe diſcrepabat Hellanicus: ac Hellanicum ſimiliter in multis mendacii arguit Ephorus, Ephorum Timæus, Timæum alii juniorum. Auctor Joſephus lib. I. contra Apionem. Qui & ejuſdem Hellanici meminit lib. I. Antiquitat. Judaic. cap. III. Etiam Rufus Feſtus Avienus in deſcriptione oræ maritimæ, ubi varios recenſet, quos ſequatur, proximo poſt Hecatæum Mileſium loco recenſet Hellanicum Lesbium: uti inde Philetam Athamenſem, Scylacem Caryandenum, Pauſimachum Samium, Damaſtem Sigenſem.

At paullò grandiores, & Hecatæo potiùs æquales fuerunt, Pherecydes Lerius, & Charon Lampſacenus. Nam vixit Pherecydes circa διάβασιν *a* Xerxis in Europam: quo tempore Herodotus octavum ætatis annum agebat: ut patet ex Pamphilæ loco, quem antè adducebamus. Herodoto igitur vetuſtior eſt; etſi non tanto, quanto putabat Euſebius in Chronicis; ubi ex Pherecyde Syrio, & Pherecyde Lerio, unum nobis fabricat, quos jure diſtinguit Suidas. Nam Pherecydes Syrius philoſophus erat, Pittacum audivit, Pythagoræ & Thaleti æqualis, floruit circa Olymp. LXIX, Laërtio teſte: qui Pherecydis hujus vitam ſcripſit. At Pherecydes Lerius vixit circa Olympiad. LXXV, & hiſtoricus fuit: meminit ejus Plutarchus in Theſeo; ſecundum, & tertium hiſtoriarum citat Athenæus in undecimo; quædam ejus etiam adfert Marcellinus in Thucydidis vita. Sed de his pleniùs poſtea, cùm de Pherecyde Athenienſi judicium feremus.

Supereſt Charon, Pythoclis filius; quem Strabo etiam lib. XIII hiſtoricum appellat, atque inter illuſtres Lampſacenos reponit. Dionyſius quoque, epiſtola ad Pompeium, eum ante Herodotum ſcripſiſſe hiſtorias teſtatur. Hic, Suida teſte, de rebus Perſicis ſcripſit libros duos. Eos Plutarchus citat in Themiſtocle: item Athenæus lib. IX. Idem Athenæus eum ἐν τοῖς ὥροις laudat lib. XI, & XII. Sed præterea multa alia conſignavit, quæ ex Suida peti poſſunt. Ex quo etiam diſcimus, floruiſſe eum circa Olymp. LXXV: vel, juxta alios, paullò poſt Olympiad. LXXIX.

## Cap. II.

*Duæ ex Dionyſio ſtatuuntur eorum claſſes, qui hiſtoriam ſcripſerint ante bellum Peloponneſiacum. Ad priorem, præter eorum pleroſque, quos ſuperiori capite diximus, pertinere Eugeonem, ſive Eugæonem, Deiochum Proconneſium, Eudemum Parium, Democlem Phygaleum, qui minùs rectè in Dionyſii codd. Phygeleus vocatur, & Ameleſagoram Chalcedonium, quem etiam veterum aliqui exſcripſerunt. Utrùm Ameleſagoras, an, truncato capite, Meleſagoras rectiùs vocetur, quæſitum. At ſecundi ordinis, præter Hellanicum, eſſe Damaſten Sigeenſem, Xenomedem Chium, & Xanthum Lydum. Quis primus feminas caſtrârit. Dionyſii Mileſii ætas, & ſcripta. Ageſilaus, rerum Italicarum ſcriptor. Dea Epona, ſive Hippona ortus. Suidas gemino in loco emendatur.*

PRæcipuos ferè ex antiquiſſimis hiſtoricis mihi videor commemorâſſe; nec tamen omnes. Nam præter iſtos etiam alios non ignobiles invenio, qui bellum Peloponneſiacum præcedant. Sed alii longiùs, alii minùs, ab eo diſtant: quod & de iis dici poteſt, quos ſuperiùs adduxi. Remotiores à bello Peloponneſiaco, ex illis quidem, quorum antea memini, ſunt Cadmus Mileſius, Eumelus Corinthius, Archilochus, ſi is quidem Chronica ſcripſit, Theagenes Rheginus, Hecatæus Mileſius, Acuſilaus Argivus. Sed addere cùm alios illis poſſumus, tum imprimis quinque iſtos, Eugeonem Samium, Deiochum Proconneſium, Eudemum Parium, Democlem Phygaleum, & Ameleſagoram

H   Chal-

*a In præſentia verò diligentiſſime declarabo, quòd non Homero ſolùm Moſes antiquior ſit, ſed inſuper ſcriptores alii, qui Moſen anteceſſerunt, Linus, inquam, Philammon &c.*
b *Pag. 291. edit. Rob. St.*
c *Pag. 260. edit. Ald.*
d *Gyrald. dial. 2. de veter. hiſt.*
e *Ibidem.*

a *Tranſitum.*

Chalcedonium. Ex iis verò, qui propiores Peloponnesiaco bello vixere, ex antea commemoratis, est Hellanicus Mitylenæus: cui æquales fuere Damastes Sigeensis, Xenomedes Chius, & Xanthus Lydus. Hæc, quæ dixi, nituntur magno tibicine, Dionysio Halicarnasseo, libro περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος. Primùm adferam verba ejus de illis, quos longiùs paullò abfuisse ait à bello Peloponnesiaco. Sunt verò ista: Ἀρχαῖοι μὲν οὖν συγγραφεῖς πολλοί, καὶ κατὰ πολλοὺς τόπους ἐγένοντο, πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου. ἐν οἷς ἐστιν Εὐγέων τε ὁ Σάμιος, καὶ Δηΐοχος ὁ Προκοννήσιος, καὶ Εὔδημος ὁ Πάριος, καὶ Δημοκλῆς ὁ Φυγελεύς, καὶ Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ὅ τε Ἀργεῖος Ἀκουσίλαος, καὶ ὁ Λαμψακηνὸς Χάρων, καὶ ὁ Χαλκηδόνιος Ἀμελησαγόρας. Ex illis nobis antea indictis primus est Εὐγέων, nisi Εὐγαίων malis, ut hoc nomen scribitur apud Suidam. De quo non contendero, quia & γέα, & γαῖα, dicatur.

Alter est Δηΐοχος ὁ Προκοννήσιος, sive, ut in aliis libris est, Προικονήσιος, aut etiam Προκονήσιος. Sed malim geminare liquidam, auctoritate Strabonis *b* compulsus. Si tantum vitium non puduit rem adeò leviculam arduo geographiæ operi admiscere: neque me verba ejus describere hoc loco pigebit: Καλοῦνται δ' Ἑκατοννῆσοι συνθέτως, ὡς Πελοπόννησος, κατὰ ἔθος τι τοῦ Ν γράμματος πλεονάζοντος ἐν τοῖς τοιούτοις, ὡς Μυόννησος, καὶ Προκόννησος λέγεται, καὶ Ἀλόννησος.

Tertius apud Dionysium est Eudemus Parius: in quo nomine libri satis conveniunt.

Quartus est Δημοκλῆς ὁ Φυγελεὺς, ut quidem in omnibus Dionysii codd. legitur. Sed vera lectio est Φυγαλεύς. Nam de primâ quidem syllabâ discrepant scriptores: quia alii Φυγάλεια malunt, ut Polybius libro v; alii item Φιγάλεια, ut est apud eundem Stephanum; alii Φιγαλία, ut legas apud Athenæum lib. xi. Sed tamen de secundâ vocali omnes conspirant.

Quinctus est Amelesagoras Chalcedonius, qui Clementi Alexandrino Melesagoras vocatur lib. vi Στρωματ. nisi codices fallunt. Verba ejus sunt: Μελησαγόρου γὰρ ἔκλεψεν Γοργίας ὁ Λεοντῖνος, καὶ Εὔδημος ὁ Νάξιος, οἱ ἱστορικοί. Eò autem lubentiùs locum hunc attuli, quia inde cognoscimus, quantùs viris profuerit Chalcedonii illius opera. Utrùm verò Amelesagoras, an Melesagoras, quomodo Andreas Dudithius apud Dionysium legendum putabat, rectiùs vocetur; non facilè dixerim: quando, uti Melesagoras quoque legitur apud Hesychium Grammaticum *e*, ac semel, iterumque, nominatur Maximo Tyrio serm. xxii: ita etiam Amelesagoræ cujusdam, sed Atheniensis, qui Atticam descripserit, mentio est apud Antigonum Carystium historiarum Mirabilium cap. xii. Nec dubium, quin apud Euripidis scholiasten in initium Alcestidis, ubi corruptè Ἀμελιαγόρας vocatur, Ἀμελησαγόρας sit rescribendum. Mentio autem est Chalcedonii illius, à quo scriptum dicitur, Æsculapium esse fulmine percussum, quia Glaucum revocâsset in vitam.

Post istos verò, de quibus proximè dictum, alios commemorat Dionysius; quos ait, non adeò quidem esse antiquos, quàm illos; quos dixerat priùs; sed tamen vixisse & ipsos ante bellum Peloponnesiacum. Sic enim scribit continuò post illa, quæ proximè ex eo adducebam: Ὀλίγῳ δὲ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν, καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος, καὶ Δαμάστης ὁ Σιγειεύς, καὶ Ξενομήδης ὁ Χῖος, καὶ Ξάνθος ὁ Λυδός, καὶ ἄλλοι συχνοί. οὗτοι προαιρέσει τε ὁμοίᾳ ἐχρήσαντο περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὑποθέσεων, καὶ δυνάμεις οὐ πολύ τι διαφερούσας ἔσχον ἀλλήλων. *Qui autem paullò ante Peloponnesiaca tempora vixerunt, & ad usque Thucydidem ætate pervenerunt, Hellanicus Lesbius, Damastes Sigeensis, & Xenomedes Chius, & Xanthus Lydus, & alii complures; quorum & consilium in deligendo argumento non dissimillimum fuit, & facultas penè par.*

Ex quatuor istis, de solo Hellanico vidimus. Aliorum primus est Damastes Sigeensis, è Sigeo Troadis promontorio, Dioxippi filius, Hellanici discipulus, ut disertim dicit Suidas: qui & scripsisse ait de rebus in Græcia gestis; de parentibus, & majoribus eorum, qui ad Trojam militarunt, libros duos; item gentium, & urbium catalogum; deque poetis, & sophistis; & alia multa.

a *Veteres quidem historici, & multi, & multis in locis, extiterunt ante bellum Peloponnesiacum; in quibus est Eugeon Samius, &c.*
b *Lib.* 13
c *Ex uno nomine Hecatonnesi vocantur, voce, ut Peloponnesus, composita, abundante ex quadam consuetudine in his altero N, ut in Myonnesus etiam, & Proconnesus, & Halonnesus*
d *A Melesagora autem est suffuratus Gorgias Leontinus, & Eudemus Naxius.*
e *In* Ἐπ' Ἐπιδαυρ-γυλ. αἰγων.

Alter est Xenomedes Chius; cujus nullam inter illustres Chios mentionem à Strabone fieri miror. Nam solùm nominat *a* Ionem tragicum, Theopompum historicum, & Theocritum sophistam: tum item Homerum; quando & Chios una est è septem urbibus, quæ sibi magnum hunc vatem vindicant.

Tertius est Xanthus, Candaulis Lydi filius, historicus Sardianus: qui eo tempore fuit, quo Sardes, non quidem à Cyro, sed ab Ionibus, & Atheniensibus, captæ sunt; Suida teste. Id fuit Olympiadis lxx, anno iii. Scripsit Lydiacorum libros quatuor: in quibus de regibus Lydorum egit. Meminit Diogenes Laërtius in proœmio, ubi dicit, Xanthum hunc à Zoroastre usque ad Xerxis transitum, annos numerare sexcentos. Lydiacorum ejus apud Athenæum mentio est lib. xii. Idem lib. x citat ejus operis librum ii: uti & Hesychius Illustris *b*, ac Suidas; quorum uterque ex eo refert, Gygem, Lydorum regem, primùm feminas castrâsse, quò iis ætate florentibus semper uteretur. Sed Athenæus eo libro id prodidisse ait de Andramyta, Crœsi fratre *c*; qui Stephano *d* est Adramytes. Forsan opiniones diversas junxerat Xanthus.

Quæ diximus, non parum lucis adferent verbis Dionysii. Sed occurrit item Suidæ locus de antiquissimis aliquot historicis. Verba ejus sunt *e*: Ἑκαταῖος Ἡγησάνδρου Μιλήσιος γέγονε κατὰ τοὺς Δαρείου χρόνους τοῦ μετὰ Καμβύσην βασιλεύσαντος, ὅτε καὶ Διονύσιος ἦν ὁ Μιλήσιος, ἐπὶ τῆς ξε' Ὀλυμπιάδος, ἱστοριογράφος. Ἡρόδοτος δὲ Ἁλικαρνασσεὺς ὠφέληται τούτου, νεώτερος ὤν. καὶ ἦν ἀκουστὴς Πρωταγόρου, ὁ Ἑκαταῖος. Πρῶτος δὲ ἱστορίαν πεζῶς ἐξήνεγκε, συγγραφὴν δὲ Φερεκύδης. τὰ γὰρ Ἀγησιλάου νοθεύεται. *Hecatæus, Hegesandri filius, Milesius, fuit temporibus Darii, qui post Cambysen regnavit; quo tempore fuit & Dionysius ille Milesius, Olympiade* lxv, *historiographus. Herodotus verò Halicarnasseus, qui fuit hoc junior, fructum ex eo percepit. Protagoræ autem auditor fuit Hecatæus, & primus historiam solutâ oratione scripsit. Pherecydes verò aliis argumentis libros primus edidit prosâ. Agesilai enim scripta sunt adulterina.* Quatuor commemorat historicos, qui Herodoto sint antiquiores; Hecatæum Hegesandri filium, Dionysium Milesium, Pherecydem Lerium, & Agesilaum. De primo, tertioque, dictum nobis: non item de Dionysio Milesio, & Agesilao. Quæ Dionysius Milesius scripserit, alibi nobis Suidas *f* refert. Ubi dicit, fecisse libros quinque de rebus post Darium gestis, orbis descriptionem, Persica, quæ Ionicâ scripsit dialecto, rerum Trojanarum libros iii, Μυθικὰ *g*, & Κύκλον ἱστορικὸν *h* libris vii. Sed quis est iste Agesilaus, cujus postremo loco meminit Suidas? nec hic modò, sed etiam in Συγγραφεῦ: ubi extrema reponuntur superioris loci verba. Equidem scio, Agesilaum quendam de rebus Italicis libros aliquot scripsisse: ex quorum tertio Plutarchus in parallelis minoribus *i* historiam citat de Fulvio Stello equam adamante, atque inde pulchram procreante filiam, quæ Eponæ, vel Hipponæ nomen acceperit, postea que in Dearum numerum sit relata, equorumque curæ præfecta. Sed quin Agesilaus hic multò sit Herodoto junior, dubium non est. Quare planè censeo, utrobique pro Ἀγησιλάῳ legi debere Ἀκουσιλάῳ: ut intelligatur Acusilaus ille Argivus, Cabæ filius, ex Cercade urbe prope Aulidem, quem ἱστορικὸν πρεσβύτατον *k* ipse appellat Suidas. Hunc enim Herodoto esse antiquiorem, satis indicant verba Flavii Josephi, quæ superiori capite adducebamus. Et proclivis valde hic error fuit; quia Acusilai nomen paucis est notum; illud Agesilai notissimum, vel propter illum Archidami filium, fortissimum, & clarissimum Lacedæmoniorum regem; quem cum Pompeio Magno in parallelis suis conferre non dubitavit Plutarchus.

a *Lib.* 14.
b *Libell. de philosophis.*
c *Aristot. de Polit. apud Steph. in* Ἀδραμύττιον.
d *Ibidem.*
e *In* Ἑκαταῖος.
f *In* Διονύσιος.
g *Fabulosa.*
h *Circulum historicum.*
i Cap. 29
k *In* Ἀκουσίλαος.

CAP.

## Cap. III.

*Herodotum quadriennio ante expeditionem Xerxis, octennio poſt Marathoniam pugnam, natum eſſe. Dionyſii Halicarn. locus expenſus. Unde Herodotus vocetur Thurius, qui ſit Halicarnaſſenſis. Plinii error. Qui de rebus Perſicis ante Herodotum ſcripſerint. Æſchinis orationes tres, ac novem epiſtolæ, quibus nominibus ornatæ. Cephalæonis, Bionis Rhetorici, & Aurelii Opilii Muſæ. Ludovici Vivis ſententia refellitur de cauſſa, cur libri Herodoti appellentur nominibus Muſarum. Harpocrationis liber* περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν. *Cujuſmodi ſit dictio Herodoti. Dubitatum de eo, quod Theopompus Chius epitomen Herodoti dicitur ſcripſiſſe. Theopompus Cnidius qua ætate vixerit. Theopompus Sinopenſis, & alii duo ejus nominis. Aſſyriaca Homeri. Judicium ſuper libro de vita Homeri, qui Herodoto tribuitur.*

Atque omnium iſtorum quidem, quos hactenus commemoravi, nihil ad nos pervênit. Ut ex hiſtoricis Græcis, qui hodie exſtant, antiquiſſimus ſit Herodotus, hiſtoriæ parens, ut eum Tullius appellat in primo de Legibus. Quare ridiculus eſt error Jacobi Gualterii Soc. J. qui, in Tabulis Chronographicis, hunc ſcriptorem ſub Conſtantino Magno ejuſque liberis, ac fortaſſe etiam Juliano, vixiſſe arbitratur. Sanè in Chronographo is error planè ferendus non eſt. Herodotum eo anno, in quem incidit ἡ Ξέρξου διάβασις *a*, annorum fuiſſe quatuor, ſatis ex citatis *b* Pamphilæ verbis eſt manifeſtum. Nam incidit διάβασις iſta in annum primum Olympiadis LXXV, quo prætor erat Calliades. Auctor Euſebius in Chronicis, & Thomas Magiſter in Euripidis vita; ubi poëtam hunc, tranſeunte in Europam Xerxe, natum dicit. Quod ſi tunc quatuor annorum erat Herodotus; conſequitur, eum octennio natum eſſe poſt pugnam Marathoniam: quippe quæ contigerit anno primo Olympiadis LXXII, prætore Diogneto, quadriennio ante obitum Darii; teſte Sulpicio Severo lib. II Hiſtor. Sacr. Quare non ἁπλῶς de bello Perſico; ſed de expeditione Xerxis in Græciam, verum eſt, quod Dionyſius Halicarnaſſenſis ſcribit in judicio ſuo de Thucydide: Ὁ δ' Ἁλικαρνασσεὺς *c* Ἡρόδοτος γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν.

*a Xerxis tranſitus in Europam.*
*b Cap. I. pag. 7.*
*c Halicarnaſſeus Herodotus paullo fuit ante tempora Perſica.*

Quod ad patriam hanc, verba iſta Dionyſii, popularis ejus, ſatis indicant, cùm Halicarnaſſenſem vocat. Et ita ſe appellat Herodotus ipſe in operis ſui ingreſſu. Egregius verò eſt Strabonis locus lib. XIV, ubi de Halicarnaſſo loquens ait, Ἄνδρες *d* δὲ γεγόνασιν ἐξ αὐτῆς, Ἡρόδοτός τε ὁ συγγραφεὺς, ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας, &c. Unde etiam diſcimus, quòd Juliano in epiſtolis *e* ὁ Θούριος λογοποιὸς *f* dicatur; hoc inde eſſe, quòd ab Athenienſibus unà cum colonis miſſus fuerit in magnam Græciam, ad Thurium inſtaurandum, quod in ſinu eſt ſitum Tarentino. Contigit verò hoc anno tertio Olympiadis LXXXIII, prætore Callimacho. Quo & ipſo libros ſuos in Panathenæorum panegyri recitâſſe videtur, anno ætatis XXXVIII. Plinius lib. XII, cap. IV, ait eum *Thurii in Italia condidiſſe hiſtoriam, anno Urbis Romæ trecenteſimo decimo:* qui aliis trecenteſimus undecimus. Nempe quo tempore Ardeatium fuit ſeditio, & conſul Geganius optimatibus eorum auxilio miſſus fuit. Eſt verò is annus vigeſimus ſecundus Artaxerxis, ſecundus Olympiadis LXXXIV. Quam Plinii ſententiam refellit, quòd ſuperiori Olympiade libros ſuos jam recitârat Athenis; ut ex Euſebii Chronicis, & aliis, conſtat. Ad ætatem provectam perveniſſe Herodotum, cognoſcimus ex eo, quòd Dionyſius Halicarnaſſeus *g* dicat, vixiſſe μέχρι *h* τῶν Πελοποννησιακῶν. Trium igitur Perſicorum regum temporibus floruit; Darii Hyſtaſpidæ, Xerxis, & Artaxerxis ejus, qui Μακρόχειρ *i* dictus fuit. Sed hiſtoria ejus deſinit in pugna ad Platæas, & ad Mycalen; quæ contigere anno Xerxis octavo. Unde liquet, cur Diodorus Siculus, lib. II, contentus ſit dicere, eum ſub Xerxe vixiſſe. Nobiliſſimo huic ſcriptori Perſica imprimis debemus.

*d Viri illuſtres nati ibi, Herodotus hiſtoriæ ſcriptor, qui deinde Thurius eſt appellatus, quod ſocium ſe dedit ducendæ in Thurios coloniæ præbuiſſet.*
*e Apud Suidam in vita Herodoti.*
*f Thurius hiſtoricus.*
*g Judicio de Thucydide.*
*h Uſque ad initium belli Peloponneſiaci.*
*i Longimanus*

Argumentum hoc jam antè tractârat Dionyſius Mileſius; ut ex Suida paullò antè oſtendimus: neque unus ille, ſed etiam Hellanicus Mitylenæus, & Charon Lampſacenus; ut Dionyſius *a* Halicarnaſſ. ait. Sed, ut idem inquit, non hoc à ſcribendo ſummum virum deterruit; quia melius iſtis aliquid ſe poſſe dicere putavit: neque hac ſpe ſuâ fruſtratus fuit. Quod etiam Theophraſti judicium fuit; ut cognoſcimus ex iſtis Ciceronis verbis *b* de Herodoto, & Thucydide: Primis *ab his (ut ait Theophraſtus) hiſtoria commota eſt; ut auderet uberius, quàm ſuperiores, & ornatius, dicere.* Inſcripſit verò opus ſuum novem Muſarum nominibus. Nempe quâ ratione tres Æſchinis orationes ob numerum, ſimulque gratiam ſermonis, *Gratias:* & novem ejus epiſtolas, *Muſas* vocarunt à Muſarum numero; teſte Photio tmem. LXI. Atque ita videmus etiam, Cephalæonem epitomen hiſtoricam, quam dialecto Ionicâ venuſtiſſimè ſcripſerat, nomen Muſarum nominibus appellâſſe; teſte eodem Photio cod. ſeu tmem. LXVIII. Etiam Bion ὁ ῥητορικὸς novem libris ſuis Muſarum nomen impoſuit: ut apud Laërtium legimus in Bione. atque addit, ſcripſiſſe eum Atticè, & Ionicè; eſſeque eorum primum, qui retulerint, eſſe regiones, ubi dies, ac ſimiliter nox, foret ſex menſium. Ex Latinis etiam P. Aurelius Opilius libros ſuos *Muſarum* inſcripſit: ut ex Gellio liquet lib. I. cap. XXV. Lucianus verò libro de ſcribendâ hiſtoriâ ita loquitur, quaſi libri illi Herodoti, non ab auctore, ſed ab aliis, hoc nominis acceperint, quòd ſummopere eos admirarentur. Verba ejus ſunt: *c* ὁ Θουκυδίδης ὁρῶν μάλιστα θαυμαζόμενον τὸν Ἡρόδοτον, ἄχρι τοῦ καὶ Μούσας κληθῆναι αὐτοῦ τὰ βιβλία. Sed utcumque de iſto eſt, ſatis liquet, non ita nuncupari eos libros, ut mendacia titulo ipſo excuſentur. Nempe quaſi in ipſo operis ingreſſu commoneri nos opus fuerit, quædam in eo ad animos oblectandos aliquanto licentiùs dici; quod Muſis permittitur. Eſt hoc commentum eruditi Hiſpani in quincto de tradendis diſciplinis: ſed tanto viro minimè dignum. Equidem non ignoro, Harpocrationem, nomine Ælium, jam olim ſcripſiſſe librum, quo probaret, ementitam eſſe hiſtoriam Herodoti; ut Suidas teſtatur: ſcio etiam, quid alii ſenſerint de toto Muſarum opere: ſed multum abeſt, ut probare hanc ſententiam poſſim; imò, ne de iis quidem, quibus fidem non meretur, aſſentire velim Straboni; qui in ultimo τῶν γεωγραφουμένων ſcribere non veretur, hoc Herodotum ſibi propoſitum habuiſſe, ut poëtarum modo oblectaret lectorem ſuum, atque eam eſſe cauſſam, cur multa adſperſerit à fide aliena. Quid enim aliud volunt verba illa, cùm ait, eum φλυαρεῖν *d*, ὥσπερ μέλος, ἢ ῥυθμὸν, ἢ ἥδυσμά τι, τῷ λόγῳ τῆς τερατείαν προσφέροντα. Equidem malo potiùs pedibus ire in ſententiam Flavii Joſephi *e*; qui errore deceptum putat, dum ſingula contentus eſt referre, prout ab aliis accepiſſet. Hoc volunt iſta ejus de Manethone verba; qui Ægyptiacam hiſtoriam ex ipſis Ægyptiorum monumentis fuerat interpretatus: Πολλὰ *f* τὸν Ἡρόδοτον ἐλέγχει τῶν Αἰγυπτιακῶν ὑπ' ἀγνοίας ἐψευσμένον. Neque ab ejus amore deterret Plutarchi liber περὶ *g* τῆς κακοηθείας Ἡροδότου. Imò neque Plutarcho propterea ſuccenſeo. Utrique facilis apud me venia eſt. Neque enim Petrarchæ acceſſero, qui id tribuit invidiæ Plutarchi. Potiùs cenſeo, id profectum ab innato omnibus patriæ amore: quam ignominioſè notatam eſſe ab Herodoto, concoquere non poterat.

Ad dictionem Herodoti quod attinet, ineſt ei ἀνειμένον *h*, καὶ τὸ γλυκὺ τῆς ἀπαγγελίας, ut ait Dio. Tullius quoque in Oratore ait, eum *ſine ullis ſalebris, quaſi ſedatum amnem, ferri.* Fabius *i* ſimiliter teſtatur, *cùm in eo omnia leniter fluant, tum ipſam* διάλεκτον *habere eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur.* Sanè Ionicæ dialecti normam eſſe, ut Atticæ Thucydidem, ſcribit

*a Judicio de Herodoto, & Thuc. ad Cn. Pompeium.*
*b In Oratore ad Brutum.*
*c Thucydides, cum videret, Herodotum in ſumma admiratione eſſe, adeò ut & Muſæ vocarentur illius libri.*
*d Nugari, velut cantus loco, aut rhythmi, aut condimenti, prodigioſas fabulas orationi adhibentem.*
*e Lib. I. contra Apionem.*
*f Herodotum in multis convincit, de rebus Ægyptiacis per ignorantiam mentitum.*
*g De malignitate Herodoti.*
*h Remiſſa dulciſque oratio.*
*i Lib. 9. cap. 4.*



bit

bit Dionyſius Halicarnaſſenſis, eumque ſecutus Photius. Athenæi quoque eſt lib. III, ὁ θαυμασιώτατος, καὶ μελίγηρυς Ἡρόδοτος· imprimis admirandus, & melliſluus Herodotus.

Si Suidæ credimus, compendium nobiliſſimi operis duobus libris complexus fuit Theopompus Chius, Philippicorum ſcriptor. Sed cùm veterum nemo ejus operis meminerit, quod ſciam: magis veriſimile ſit, junioris cujuſdam Theopompi eam ἐπιτομὴν fuiſſe; fortaſſe Theopompi Cnidii, Julii Cæſaris amici[a]: de quo Strabo in XIV; ubi inter illuſtres Chios reponitur Θεόπομπος ὁ καθ' ἡμᾶς ὁ Καίσαρος τοῦ Θεοῦ φίλος, τῶν μεγάλα δυναμένων. Niſi magis placet, eſſe Theopompi Sinopenſis, cujus libri περὶ σεισμῶν b meminit Phlegon Trallianus c. Saltem eò magis inclinat animus, quàm ut ſit, aut Theopompi Colophonii ἐποποιοῦ; cujus librum, nomine ἁρματικὸν d, Athenæus citat extremo lib. IV: aut Theopompi, Athenienſis comici; cujus Pollux, Athenæus, Laërtius, Harpocration, & alii veterum, meminerunt.

Decreverat etiam Aſſyriaca ſcribere. In quo de Babylonis regibus acturus erat: ut oſtendit hic locus libro primo: Τῆς e δὲ Βαβυλῶνος ταύτης πολλοὶ μέν κου καὶ ἄλλοι ἐγένοντο βασιλῆες, (τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μνήμην ποιήσομαι) οἳ τὰ τείχεά τε ἐπεκόσμησαν, καὶ τὰ ἱρά. Et aliquanto ante dixerat: Καὶ f οὗτοι ἀπεστρέψαντο τὴν ἀρχὴν Μῆδοι, καὶ ἐπεκράτεον τούτων ἐς τὸ πρότερον· καὶ τήν τε Νῖνον εἷλον, (ὡς δὲ εἷλον, ἐν ἑτέροισι λόγοισι δηλώσω) καὶ τοὺς Ἀσσυρίους ὑποχειρίους ἐποιήσαντο, πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης. Sed libri iſti Herodoti non videntur unquam in lucem exiiſſe: credo, quia, fato præventus, perficere non potuerit. Aliter ſi eſſet, puto, veterum quiſquam eorum meminiſſet. Nam & ſcriptoris magnitudo, atque antiquitas, & argumenti nobilitas, illud omnino merebantur. Nec diſſimulare tamen poſſum, apud Ariſtotelem, lib. VIII Hiſtor. Anim. cap. XVIII, culpari Herodotum, quòd ſcripſerit, in obſidione Nini aquilam bibiſſe; cùm avis ea, ut omnes aduncis unguibus, abſtineant potu. Id nuſquam legas in Muſarum opere. At commodum habuerit locum in hiſtoria Aſſyria, quia Ninus erat Aſſyriæ caput. Ut nihil eſſe cauſſæ videatur, cur cum Theodoro Gaza pro *Herodoto* reponamus *Heſiodum*. Sic enim & in principe tralationis ejus editione g legitur. Præterea Herodotus in Euterpe meminit ſuorum Λόγων Λιβυκῶν h: de quibus idem eſto judicium, ac de rerum Aſſyriarum libris.

Præter verò Muſarum opus Herodoto etiam tribuitur liber de vita Homeri. Qui tamen an genuinus ſit, nondum ſatis convenit inter eruditos i. Meminit ejus Stephanus in Νέον τεῖχος· Ὡς Ἡρόδοτος ἐν Ὁμήρου βίῳ k. Mea ſententia eſt, non eſſe antiqui illius Herodoti. Ac movet, quòd in vita ea legere ſit, fuiſſe Homerum annis CLXVIII poſt bellum Trojanum: annis DCXXII ante expeditionem Xerxis in Græciam. At Herodotus longè aliter: ut qui in Euterpe ſua referat, Homerum, & Heſiodum, fuiſſe ante ſe annis non amplius quadringentis: ac proinde annis totidem poſt captum Ilium.

*a Theopompus, unus e divi Cæſaris amicis, qui largiter potuerunt.*
*b De terræ motibus.*
*c Cap. 19. de rebus mirabilibus.*
*d Curriculum.*
*e Babylonis hujus alii quoque multi fuere reges, (quorum in exponentis rebus Aſſyriis mentionem faciam) qui & muros ornaverunt, & templa*
*f Atque ita receptere imperium Medi iſique, quæ prius obtinuerant, potiti ſunt, ac Ninum cepere, (quomodo autem ceperint, alias in libris indicabo) Aſſyrioſque, exceptâ parte Babylonia, ſubegerunt*
*g Venetiis an. 1476*
*h Libro rum de rebus Libycis.*
*i Vide Xylandri annotat. in Plutarchum de vita Homeri.*
*k Ut Herodotus in Homeri vita.*

## CAP. IV.

*Thucydides æmulatione Herodoti excitatus fuit ad hiſtoriam condendam. Libri ejus non uno olim modo dividebantur. Fides ejus, & integritas, laudata: de qua tamen aliter veterum quibuſdam viſum fuit. Elogia, quibus Tullius, ac Fabius, dictionem ejus ornant; & quantum à dictione Herodoti differat. Obſcuritas ejus unde ortum ducat. Numerorum non admodum rationem habet. Veterum judicia de octavo Thucydidis libro.*

VEnio ad Thucydidem, Olori, vel potiùs Oroli filium; qui tempore belli Peloponneſiaci floruit: tantique à Demoſthene fiebat, ut octies a manu ſuâ deſcriberet: imò & Imperator Karolus V eum in expeditionibus, ſed Gallicè redditum, ſemper circumgeſtâſſe ſecum dicitur. De natali ejus, quæ ſuperiùs a diximus, repetere hoc loco nihil attinet. Ad ſcribendum excitatus fuit, cùm Herodotum libros ſuos recitantem audiiſſet; ſive Olympiæ, ut quidam volunt; ſive potiùs Athenis in Panathenæis. Meminere ejus rei, Marcellinus in Thucydidis vita, Photius ἐκλογ. LX, & Suidas in Θουκυδίδης. Scripſit Peloponneſiorum cum Athenienſibus bellum; non tamen, ut omne exponat bellum, quod annis duravit XXVII; ſed ut annorum XX priorum hiſtoriam referat. Interim altiùs orditur; nempe à bello inter Corinthios, & Corcyræos; quod octennio Peloponneſiacum anteceſſit. Eamque annorum XXVII hiſtoriam libris octo eſt complexus; ut nunc quidem id opus dividitur. Nam, teſte Marcellino, olim ab nonnullis in libros XIII, atque ab aliis aliter, diſtribui ſolet. Multum verò fidei, ſiquis alius, ſcriptor hic meretur. Nam & egregium veritatis in eo ſtudium elucet; & illa ſcripſit, quibus interfuit. Neque tamen defuerunt, quibus fides ejus ſuſpecta foret. Quod Joſephus teſtatur in primo contra Apionem, his verbis: Πολλοὶ b δὲ καὶ Θουκυδίδης ὡς ψευδόμενος ὑπό τινων κατηγορεῖται, καίτοι δοκῶν ἀκριβέστατα τὴν καθ' αὐτὸν ἱστορίαν συγγράφειν. De dictione ejus variis in locis judicium tulit Cicero. In ſecundo quidem de Oratore ita ſcribit: *Thucydides omnes dicendi artificio, meâ ſententiâ, facilè vicit; ut verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur: ita porro verbis aptus, & preſſus, ut neſcias, utrum res oratione, an verba ſententiis, illuſtrentur.* Eodem libro ait, eum, uti & Periclem, & Alcibiadem, eſſe *ſubtilem, acutum, brevem, ſententiis magis, quam verbis, abundantem.* Idem in Oratore eum comparat cum Herodoto: atque hunc dicit ſedati inſtar amnis labi; Thucydidem verò *incitatiorem ferri, & de bellicis rebus canere etiam quodammodo bellicum.* Fabius quoque eoſdem comparat lib. x. cap. I: *Denſus*, inquit, *& brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides; dulcis, & candidus, & fuſus Herodotus: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior: ille concionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate.* Sed in virtutibus tantis hoc vitii habet, quòd paullo obſcurior ſit. Fatetur hoc Cicero in Bruto; ubi eum reponit inter ſcriptores, qui *grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, & ob eam ipſam cauſſam interdum ſubobſcuri.* Et eodem opere: *Ipſæ illæ Thucydidis conciones ita multas habent obſcuras, abditaſque ſententias, vix ut intelligantur; quod eſt in oratione civili vitium vel maximum.* Unde idem Tullius ibidem, *Thucydides*, inquit, *præfractior; nec ſatis, ut ita dicam rotundus.* Item, *In Thucydide orbem modò orationis deſidero; ornamenta comparent.*

Quæ verò hactenus de Thucydidis ſtylo diximus, ea præcipuè intelligi debent de ſeptem prioribus libris. Octavus enim planè tenui dictione utitur; cùm in prioribus longè magis aſſurgat. Ac propterea aliqui putarunt, eum à filia Thucydidis ſcriptum eſſe; vel à Xenophonte, aut Theopompo, vel alio. Quorum ſententiam in vita ejus rejicit Marcellinus: ac potiùs cenſet, fuiſſe ſcriptum à Thucydide jam ægrotante.

Plura de Thucydideo dicendi genere apud eundem Marcellinum vide: & imprimis apud Dionyſium Halicarn. in Herodoti, & Thucydidæ collatione; quâ nihil mihi κριτικώτερον videtur.

*a Lucianus ἀδὲ Ἀνμιδάκτης.*
*a Cap. I.*
*b In multis etiam Thucydides, tanquam mentitus, accuſatur; etſi accuratiſſimam videatur ſui temporis hiſtoriam ſcripſiſſe.*

## CAP. V.

*Xenophontis ætas. Quamobrem ſolum verterit. Cur fuerit Lacedæmoniis gratus. Triplex ejus laus. Argumentum Κύρου ἀναβάσεως, & Ἑλληνικῶν. Quantopere fallantur, qui Κύρου παιδείαν pro vera habent hiſtoria. Volaterrani lapſus. Libellus de Æquivocis ſuppoſititius. Xenophontis ſtylus cujuſmodi, & in quo à Julio Cæſare differat. Muſa dictus, vel apis Attica. Thucydidem debemus Xenophonti. De ſimultate inter Xenophontem, & Platonem. Gellii error. Platonis expro-*

*exprobratum à Xenophonte, quòd in Italiam ſe contuliſſet ad Pythagoricos; in Ægyptum, ad ſacerdotes; in Siciliam, ad Dionyſium tyrannum. Cteſiæ ætas, & quâ occaſione rerum Perſicarum cognitionem acquiſierit. Ejus Aſſyriaca, & Perſica. Ambitioſa vanitas ejus in redarguendo Herodoto. Xylandri error. Cteſiæ epitome à Pamphila ſcripta.*

PRoximus Thucydidis temporibus fuit Xenophon, Grylli filius. Vixit Olymp. xcv. ut Euſebius in Chronicis teſtatur. Quicum convenit Laërtius, cùm maximè ait floruiſſe quarto anno Olympiadis xciv; adſcendiſſeque cum Cyro ſub prætore Xenæneto, anno uno ante Socratis mortem. Atque idem ex Steſiclide Athenienſi refert, obiiſſe eum anno primo Olympiadis cv ſub prætore Callidemide; quo & Philippus, Amyntæ filius, imperium Macedoniæ tenebat. Vitam ejus habemus inter illas, quas Laërtius nobis reliquit. Cæterùm quòd ſecutus eſſet Cyrum bello eo, quòd geſſit cum fratre Artaxerxe Mnemone, hoc ei poſtea exilii cauſſa fuit. Nam Artaxerxi favebant Athenienſes. Sed Lacedæmonii exuli incolendam dedere partem agri Elei in Triphylliaco ſolo. Ut mirandum non ſit, ſi, quo gratiam rependeret, elegantem ſcripſerit commentariolum de Rep. Lacedæmoniorum. Tergemina autem gloria fuit Xenophontis. Nam, ut de facundiâ viri nihil dicam, fuit & philoſophus, & hiſtoricus, & bello dux bonus. Ac de poſtremo ſatis ex imperio illo liquet, in decem hominum millia: qui, cùm animum deſpondêrent, & tantùm de morte cogitarent, ut etiam Syneſius ſcribit, eos Xenophon ab extremis Perſarum finibus in patriam reduxit; & ita reduxit, ut vinceret, quicquid auderet eorum impetum ſuſtinere. Hiſtoriam hanc ipſe Xenophon perſcripſit eo opere, quod Κύρου ἀνάβασιν nuncupavit. Quamquam doctiſſimus vir Andreas Maſius, commentario *a* in ſecundum Joſuæ caput, dubitet omnino, an genuinus is auctor ſit. Verùm pro germano fœtu agnoſcit Laërtius: & id ſtylus ſatis indicat. Præterea verò in hiſtoria habemus ejus Ἑλληνικά; quibus continuat illa, quæ Thucydides de Græcorum rebus ſcripſerat. Nam cùm Thucydides libro extremo narret, ut Alcibiades reditum moliretur: Xenophon in primo, ut redierit, refert, & quæ porrò ſunt conſecuta. Fecit idem Theopompus: ſed hic ſexdecim tantùm annos complexus fuit; ut ex Diodoro Siculo cognoſcimus: Xenophon verò hiſtoriam narrat annorum XLVIII. Accuſatur Xenophon, quòd in hoc Ἑλληνικῶν opere non ſemel in annis belli Peloponneſiaci aberret. Sed eum accuratè tuetur Samuel Petitus lib. I Obſervationum cap. XII. Scripſit autem Xenophon Κύρου παιδείαν; quam Cicero in Bruto *Cyri vitam, & diſciplinam*, vocat. Verùm valde errant, qui inde hiſtoriæ veritatem petunt. Et tamen faciunt hoc non pauci haut aſpernandæ eruditionis viri. Ubi deſierit, docet hic locus ejuſdem Diodori *b*: Τῶν δὲ Ξενοφῶν μὲν ὁ Ἀθηναῖος τὴν τῶν Ἑλλήνων σύνταξιν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστροφεν ἐπὶ τὴν Ἐπαμινώνδου τελευτήν. Quæ etiam, ſed paucioribus, exſcripſit Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olym. CIV ann. II. Sed, quod pace eorum dixerim, hac parte Saturnias lemas lippiunt. Saltem Tullio credere debebant; qui ad Q. fratrem diſertim iſta habet: *Cyrus ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus eſt; ſed ad effigiem juſti imperii.* Ac ſimiliter Auſonius, oratione, quâ Gratiano pro conſulatu gratias egit: *Vellem, ſi rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum noſtrum venires: tu, qui ad Cyri virtutes exequendas votum potiùs, quàm hiſtoriam, commodâſti; cùm diceres, non qualis eſſet; ſed qualis eſſe deberet.* E junioribus verò jam ſeculum eſt, cùm idem monuit Ludovicus Vives lib. v. de tradendis diſciplinis. Imò Joſephus Scaliger, in prolegomenis præclari operis de emendatione temporum. Nec dicere veretur, in univerſa Cyropædia veri nihil eſſe, præter nuda nomina, & mentionem duorum, triumve eventuum; ut Babylonis captæ, & Crœſi victi. Utrùm verò Xenophon, ut Tullius ait, juſti imperii effigiem expreſſerit, an ſecus, non diſputo. Eraſmus quidem in vita B. Hieronymi, *Xenophon*, inquit, *vafrum quendam, & ἀγκυλόμητιν expreſſit potius, quàm vere prudentem, ac ſalutarem principem.* At ſpiſſus eſt error Raphaëlis Volaterrani lib. XIX Anthropologiæ; ubi ait, hanc vitam, & diſciplinam, eſſe Cyri minoris, ſub quo Xenophon militârat. Exſtat ſub Xenophôntis nomine etiam libellus de Æquivocis: ſed ab Annio impoſtore confictus. Character, quo utitur Xenophon, tenuis eſt: ut diſertè ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. in præceptis de oratione nuptiali: ubi docet, non eſſe in hoc genere diſcedendum ab humili elocutione; ſed Xenophontis, & Nicoſtrati veſtigiis inſiſti debere; ſic ut in paucis oratio ſe efferat, atque hoc, ſicubi ſententiarum cogat magnitudo. Idem quoque monet Marcellinus in Thucydidæ vita. Nam Thucydidem quidem ait grandi ſtylo uti; ſed Herodotum medio, Xenophontem tenui. Sanè Xenophon non multùm abſimilis eſt Julio Cæſari: uterque enim purus eſt, & elegans, ac cum lenitate quadam fluit: ſed hoc differunt, quòd Cæſar gravior aliquanto, Xenophon ſuavior eſt. Quippe ſcriptor hic adeò eſt dulcis, ut Gratiæ ejus ſermonem finxiſſe videantur: quemadmodum Fabius in decimo ſcripſit. Imò Tullius ipſe in Oratore ait, ſermonem eſſe ei melle dulciorem, Muſaſque ore ejus locutas videri. Et in ſecundo de Oratore inquit, *Xenophon leniore quodam ſono eſt uſus, & qui illum impetum oratoris non habeat: vehemens fortaſſe minus, ſed aliquanto tamen eſt, ut mihi quidem videtur, dulcior.* Ac propter hanc ſuavitatem *Muſa Attica* dicebatur, ut Laërtius in vita Xenophontis ait; vel *Attica apes*, ut in Collectaneis Suidæ legere eſt. Eâpſe de cauſſa Appuleius, in Floridis, canere dicit Xenophontem: *Canit*, inquit, *Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon hiſtorias, Xenocrates ſatyras.* At valde errat doctiſſimus Dauſqueius præfat. in Silium; cùm inde colligit, omnes iſtos carmine ſcripſiſſe, qui hic memorantur. Luculentum Xenophontis elogium vide apud Dionem Chryſoſtomum, oratione de dicendi exercitio; ubi mirè ad eum lectitandum adhortatur: atque inter alia ait, vel ejus ſolius lectionem ſufficere poſſe homini politico. Imò illa etiam Xenophontis laus eſt, quòd cùm Thucydidem poſſet ſupprimere, primus ejus monumenta in lucem protraxerit; quemadmodum teſtatur Laërtius: quo vel ſolo nomine, quantum illi debeant omnes, nemo non intelligit. De occulta ſimultate, quæ inter nobiles illos Socratis diſcipulos, Platonem, & Xenophontem, fuit, nota eſt res ex Athenæi undecimo, Laërtio in Platonis vita, & Gellio in decimoquarto. Qui tamen in eo errat, quòd putat, Xenophontem nuſquam Platonis facere mentionem. Nam verum eſt, quod Laërtius ſcribit, ſemel ejus meminiſſe; idque in tertio Ἀπομνημονευμάτων. Nec eo minùs verum eſt, quod probare Gellius propoſuit. Nam Platoni inimicum fuiſſe Xenophontem, ſatis compâret ex fragmento epiſtolæ Xenophonteæ ad Æſchinem Socraticum, ubi neutiquam obſcurè Platoni exprobratur, quòd, non contentus Socratis philoſophiâ, in Italiam ierit ad Pythagoricos; quorum philoſophiam τερατώδη *a* eſſe dicit; quodque in Ægyptum etiam ad prophetas, ac ſacerdotes, acceſſerit: quorum utrumque ſupervacaneum fuiſſe cenſet Xenophon; imò omnino inconſtantis erga Socratem ſtudii argumentum. Sed vitæ etiam philoſopho indignæ duo adfert indicia, quibus id multo etiam planius fieri ait. Ea ſunt, ἔρως *b* τυραννίδος, καὶ ἀντὶ διαίτης λιτῆς Σικελιώτις γαστρὸς ἀμέτρου τράπεζα. Iis verbis objectat ei, quòd in Sicilia familiaris fuerit Dionyſio juniori: quaſi id ob menſam paraſiticam fecerit, & non ut tyrannum redderet meliorem. Sed hoc etiam ab aliis Platoni exprobratum fuit. Uti à Molone, qui, tyranno è Sicilia ejecto, dicebat, Nil mirum eſſe, ſi Dionyſius ſit Corinthi; ſed ſi Plato fuerit in Sicilia. Auctor Laertius in Platone. Videtur autem præter ea, quæ exſtant, & alia ſcripſiſſe. Nam Valerius Maximus lib. VIII cap. XIII, ac Plinius lib. VII, c. XLVIII, citant Xenophontem in Periplo: ut quidem utrobique

*a* Pag. 38.

*b* Lib. 15.

*c* Ex hiſtoricis autem Xenophon Athenienſis hoc anno concludit Græcorum hiſtoriam cum morte Epaminondæ.

*a* Monſtroſam.

*b* Amor tyrannidis, & Siculæ immoderati ventris menſa tenui victui prælata.

nunc in melioribus legitur codicibus. Nam in veteribus Valerii editionibus eſt περὶ γήρως. Pliniani autem, tum MSSi, tum olim editi, mirè variant. Xenophon hic *b* πρῶτος ἔγραψε βίους φιλοσόφων, ut ait Suidas. Opus id non exſtat, ſi aliò reſpexit, quàm quæ de Socrate reliquit: ut ſententia ſit, primum ea aggreſſum ſcribere, quæ ad ullius philoſophi vitam pertinerent; cùm ante id tempus nulla hiſtoria de vita ullius philoſophi exſtaret.

*a De ſenectute*
*b Primus ſcripſit philoſophorum vitas.*

Iidem, quibus Xenophon, temporibus vixit Cteſias Cnidius. Nam prœlio, quod Cyrus junior geſſit cum fratre Artaxerxe, captus fuit; poſteàque vulnere eo regem, quod a Cyro acceperat, ſanavit; ac medicinam porrò exercuit in Perſia, totiſque annis ſeptemdecim verſatus eſt apud regem. Auctor Diodorus Siculus libro II. Hinc Photius cod. LXXII: Ἤκμασε *c* δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Κύρου τοῦ ἐκ Δαρείου, καὶ Παρυσάτιδος, ὃς ἀδελφὸς Ἀρταξέρξου, εἰς ὃν ἡ Περσικὴ βασιλεία κατῆλθεν, ἐτύγχανεν. Et antiquior utroque Strabo in XIV, ubi de illuſtribus Cnidi viris agit: Κτησίας *d* ὁ ἰατρεύσας μὲν Ἀρταξέρξην. Addit ibidem, συγγράψας *e* δὲ τὰ Ἀσσυριακά, καὶ τὰ Περσικά. Res iſtas Aſſyrias, & Perſicas, uno volumine complectebatur: quod oſtendit initium eorum, quæ Photius de eo habet in excerptis ſuis. Unde & alia diſcere eſt. Verba Latinè ſic ſonant: *Cteſiæ Cnidii Perſica libris viginti tribus continentur: ſed in ſex prioribus res Aſſyriorum, & quæcunque res Perſicas præceſſere, tractat: à ſeptimo autem libro de Perſicis rebus agit: ac in ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, & decimotertio, quæ ad Cyrum, & Cambyſem, & magnum illum, Dariumque, & Xerxem, ſpectant, commemorat.* Ex prioribus ſex Aſſyriarum rerum hauſiſſe ſe ea, quæ de Aſſyriis ſcribit, profitetur Diodorus Siculus lib. II. At temerè Ludovicus Vives, in B. Auguſtini lib. XVIII de Civit. Dei cap. II, ait; *vel regum* (Aſſyriorum) *nomina, vel quanto quiſque tempore regnum tenuiſſet, piguit Cteſiam, vetuſtiſſimum ſcriptorem, referre.* Movere eum citra dubium verba illa Diodori lib. II. Τὰ *f* ὀνόματα πάντων τῶν βασιλέων, καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἐτῶν ἕκαστος ἐβασίλευσεν, οὐ κατεπείγει γράφειν, διὰ τὸ μηδὲν ὑπ' αὐτῶν πεπρᾶχθαι μνήμης ἄξιον. Sed non, ſi Diodorum ea piguit exſcribere, Cteſiam non ſcripſiſſe, conſequitur. Sanè Cteſiam ea tradidiſſe, quis dubitet; qui ſex libris Aſſyrias res tractâſſe ſciat, & ita tradidiſſe, ut hoc ex fonte plerique omnes juniorum ſua exſcribere ſoleant. Progreſſus eſt Cteſias uſque ad Olympiadis XCV annum III; quo Dionyſius, Siciliæ tyrannus, ingens bellum parabat adverſus Carthaginenſes. Eo anno hiſtoriam ſuam Perſicam concluſiſſe, diſertim de eo ſcribit Diodorus Siculus lib. XIV. Sic enim hoc de anno agens loquitur: Κτησίας *g* δὲ ὁ συγγραφεὺς τὴν τῶν Περσικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστροφεν, ἀρξάμενος ἀπὸ Νίνου, καὶ Σεμιράμεως. Nec prætereundum, quòd Photius poſt ea, quæ adferebamus antè, ſubjungit: Σχεδὸν ἐν ἅπασιν ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορῶν. ἀλλὰ καὶ ψεύστην αὐτὸν ἀποκαλῶν ἐν πολλοῖς, καὶ λογοποιὸν ἀποκαλῶν. καὶ γὰρ νεώτερος μέν ἐστιν αὐτοῦ. φησὶ δὲ αὐτὸν τῶν πλειόνων, ἃ ἱστορεῖ, αὐτόπτην γενόμενον, ἢ παρ' αὐτῶν Περσῶν, ἔνθα τὸ ὁρᾶν μὴ ἐνεχώρει, αὐτήκοον καταστάντα, οὕτω τὴν ἱστορίαν συγγράψαι. οὐχ Ἡροδότῳ δὲ μόνῳ τἀναντία ἱστορεῖ, ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἐπ' ἐνίων διαφωνεῖ. *Ferè in omnibus repugnantia Herodoto narrat, illum in multis & mendacem, & ſcriptorem fabularum appellans: illo enim poſterior eſt. Se autem eorum, quæ narrat, magnâ ex parte oculatum teſtem fuiſſe; aut certè, quæ videre non licuit, de iis à Perſis, qui viderant, edoctum, ita demum ea memoriæ prodidiſſe dicit. Nec verò tantummodo ab Herodoti; ſed etiam in aliquibus à Xenophontis, Grylli filii, hiſtoria diſſentit.* Hæc Photius. Porrò Ariſtoteles libro VIII Hiſt. Animal. cap. XXVIII, quiddam ex ejus Indicis citans, ſcriptorem eſſe negat ἀξιόπιστον *h*. Eundem vanitatis arguit quoque Plutarchus in Artaxerxis vita. Joſephi etiam Scaligeri *i* tale de eo judicium eſt, ineptum Græculum, modò Herodoto adverſetur, nihil penſi habere: multa ab eo humanitus, multa etiam conſultò per ζηλοτυπίαν peccari; atque id non obſcurè cognoſci ex Photii particulis. Miretur aliquis homini adeò vano tantum fidei habitum eſſe a Diodoro Siculo, Trogo, & aliis, ut eum, quàm Herodotum, ſequi in plurimis mallent. Nempe impoſuit iis, quòd Cteſias profiteretur, ſe cuncta hauſiſſe ex regiis membranis. Qua de re ita Diodorus Bibliothecæ ſuæ lib. II. Οὗτος *a* οὖν φησιν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστον, καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. Præter illa, quorum ſuperiùs memini, etiam ſcripſit de Indicis librum ſingularem. Ac uti ex Perſicis, ita ex Indicis quoque, excerpta luculenta Photius nobis conſervavit. Xylandrum verò ratio fugit; apud quem in Strabonis loco, quem antè adferebamus, Syriaca etiam ſcripſiſſe dicitur; cùm in Aldinâ diſertim ſit Ἀσσυριακά, & conſentaneum hoc ſit iſtis Photii excerptis, quæ Latinè antè adducebamus. Harpocration memorat quoque ejus περίπλουν Ἀσίας. Alia quoque ſcripſit: quæ referre ſuperſedeo; quia id fecit V. Cl. Joannes Meurſius commentario in Apollonii Hiſtoriam commentitiam. Hujus Cteſiæ compendium tribus libris ſcripſerat Pamphila; ut Suidas *b* teſtatur. Arbitror verò, eam epitomen non fuiſſe omnium Cteſiæ librorum; ſed viginti trium de rebus Perſicis: quo opere imprimis celebratur.

*c Floruit temporibus Cyri, Dario, & Paryſatide geniti: qui frater fuit Artaxerxis: ad quem regnum Perſicum devenit.*
*d Quique medicinam fecit Artaxerxi*
*e Quique de rebus Aſſyriis, ac Perſicis ſcripſit.*
*f Nomina regum omnium, ac quanto quiſque tempore regnârit, nihil me urget, ut ſcribamus, quandoquidem nihil egerunt memoratu dignum.*
*g Cteſias hiſtoricus rerum Perſicarum hiſtoriam ad hunc uſque annum perduxit, exorſus à Nino, & Semiramide.*
*h Fide dignum*
*i Pag. 39 Notarum in fragmenta ſubjuncta operi de emendatione Temporum.*
*a Hic à membranis regiis (ex quibus Perſæ, res antiquas juſſu legis cujuſdam ordine deſcriptas habebant) multâ curâ inquiſivit ſingula, biſque eodemque ordine compoſita ad Græcos tranſtulit.*
*b In Pamphila.*

## Cap. VI.

*Ætas, & ſcripta Anaximandri Mileſii, & Metrodori Chii. Quæ ſcripſerint Dionyſii duo, Siciliæ tyranni. Philiſti Syracuſani ætas, honores, exilium, reditus in patriam, pugna navalis pro Dionyſio juniore, mors, ac monumenta. Opus rerum Sicularum bipartitum. Ciceroni lux. Pauli Manutii lapſus. Diverſum Timæi, ac Ephori, de Philiſto judicium. Dictio Philiſti qualis fuerit. Eudoxi Cnidii ætas. Lapſus interpretis Laertii. Octaeteris Eudoxi, & γῆς περίοδος. Eudoxus Rhodius. Eudoxus Cyzicenus.*

Æqualis Xenophonti, & Cteſiæ, fuit Anaximander Mileſius junior, Anaximandri filius. Nam Suidas vixiſſe ait tempore Artaxerxis τοῦ Μνήμονος. Meminit & Laertius; qui cùm egiſſet de Anaximandro philoſopho (is verò Olympiadis quinquageſimæ octavæ anno ſecundo agebat annum LXIV) ſubdit hæc verba: Γέγονε *a* δὲ καὶ ἄλλος Ἀναξίμανδρος, ἱστορικός, καὶ αὐτὸς Μιλήσιος, τῇ Ἰάδι γεγραφώς. Mirum verò, cùm & Suidas hiſtoricum fuiſſe dicat, nihil tamen hiſtoricum ejus proferre. Tantùm enim ait, ſcripſiſſe explicationem ſymbolorum Pythagoræ. Nec memini quicquam hiſtoricum ſub Anaximandri nomine citari præter ἡρωολογίαν: quam hujus Anaximandri fuiſſe puto. Mentionem ejus operis facit Athenæus lib. XI. Sed eo fortaſſe in hiſtoricis illi datus fuerit locus, quia poſt Homerum primus attigerit Geographiam; ut in ipſo operis ingreſſu ait Strabo. Sanè etiam Geographia quæpiam, terrarum videlicet, hiſtoria eſt. Alius eſt Anaximander Lampſacenus; ex quo Fulgentius lib. I Μυθολογ. quid Apolline, & novem Muſis, ſignificetur; docet. Quamquam profectò metuo, ne ſolens peccet; ac vel Anaximandrum Mileſium, vel Anaximenem Lampſacenum, dicere voluerit.

*a Fuit & alter Anaximander, hiſtoricus, & ipſe Mileſius, qui Ionicâ ſcripſit dialecto.*

Iiſdem temporibus floruit Metrodorus Chius, diſcipulus Democriti philoſophi, præceptor Hippocratis medici, & Anaxarchi; teſte Suida in Δημόκριτος. Magni fuit nominis philoſophus, ac medicus; multaque ad artem ſuam pertinentia ſcripſit; quorum non uno loco meminit Plinius. Sed, præter iſta, *Troica* edidiſſe, diſcimus ex Athenæo; qui diſertim Chio Metrodoro id opus tribuit. Etiam apud Iſacium Tzetzem in Lycophronem lego *b*: Κύμη, καὶ Ὄσσα ὄρος Ἰταλίας μέγιστον, ὥς φησι Μητρόδωρος *c* [illegible]

*b P. 101. edit. Baſil.*
*c Cuma, & Oſſa mons Italiæ maximus, ut ait Metrodorus.*

Etiam Artaxerxis τοῦ Μνήμονος temporibus Dionyſius ſenior

ſenior in Sicilia regnabat. Nam imperare cœpit Olympiadis XCIII, anno quarto: ac tyrannidem eam tenuit uſque ad annum primum Olympiadis CIII. Scripſit cùm comœdias, & tragœdias, tum etiam hiſtorica quædam; ut eſt apud Suidam. Ex quo etiam diſcimus, filium habuiſſe philoſophum, qui & in regno ſucceſſit. Sed is hiſtoricum nihil ſcripſiſſe videtur. Tantùm enim dicit Suidas, epiſtolas edidiſſe, ac de poëmatibus egiſſe Epicharmi.

Dionyſiorum temporibus fuit quoque Philiſtus Naucratita, vel, ſecundùm alios, Syracuſanus, Archonidæ filius, Eueni elegiaci poëtæ diſcipulus, ſcriptor laudatus etiam Flavio Joſepho lib. I. contra Apionem, Plutarcho in vitis non uno loco, Pauſaniæ in Atticis, & Eliacis, Clementi lib. VI Στρωματ. Harpocrationi in Ἀδδηφάγος, Anonymo ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CIV ann. II, Euſebio ad annum MCCCIV, Tzetzi Chil. X Hiſt. CCCLVIII, Stephano in Ethnicis, locis pluribus, Arati interpreti, atque aliis. Vixit Syracuſis diu, inque conſtituendo principatu Dionyſio ſeniori favit, & arci ab eo præfectus fuit: quin fama etiam erat, conſueviſſe cum matre tyranni, hoc non omnino inſcio. Sed cùm, eo ignaro, uxorem duxiſſet filiam Leptinæ, qui frater Dionyſii erat; è Sicilia à tyranno ejectus fuit: profugit autem Adriam; atque ibi, cùm otio abundaret, hiſtoriam maxima ex parte ſcripſiſſe videtur. Nec, ſuperſtite Dionyſio, in patriam redire licuit. Sed regnante ejus loco Dionyſio juniore, illi, qui Dioni adverſabantur, ac, ne eloquentiâ ſuâ Plato tyranni animum mutaret, metuebant, perſuaſere tyranno, ut Philiſtum ab exilio revocaret, virum & eruditum, & tyrannicorum morum ſcientiſſimum; quem Platoni ſe, & philoſophiæ ejus, opponere poſſe ſperabant. Quæ ſpes eos neutiquam fefellit. Nam ubi Syracuſas rediit Philiſtus, Platoni ſemper eſt adverſatus; ac tandem effecit, ut tyrannus ejiceret Dionem. Sed non multo pòſt Dion bellum intulit Dionyſio, eumque in arce obſedit. Tum Philiſtus cum magna claſſe ex Iapygia ſuppetias ei tulit. Sed infeliciter pugnavit. Victus autem mortem ſibi conſcivit: ut Ephorus tradit, quem Diodorus Siculus ſequitur. Timonides verò, qui ab initio hiſce rebus cum Dione interfuit, vivum refert in hoſtium poteſtatem veniſſe, ac crudeliter ab iis eſſe interfectum. Idem quoque Timæus ſcripſit: ſed de mortis genere non per omnia convenit. Diodorus Siculus etiam, inſepultum eſſe projectum, teſtatur. Pleniùs, fuſiuſque, iſta nôſſe ſi velis, adi Plutarchum in Dione, & Diodorum Siculum in XVI. Fuit homo doctus, ac diligens, ut de eo judicat Tullius in primo de divinatione. Primus ex arte oratoria hiſtoriam condidit, ſi Suidæ credimus: qui & eum ait Ægyptiaca ſcripſiſſe libris XII, res Siculas libris undecim, de Dionyſio tyranno libris ſex, quædam item de Libya, & Syria; ut de arte ejus rhetorica, & orationibus, nihil dicam. Præcipuè verò celebratus fuit opere de rebus Siculis. Cujus duæ erant partes; ut Diodorus Siculus teſtatur libro XIII. Unde etiam diſcimus, priorem partem ſeptem libris conſtitiſſe, ac complexam fuiſſe annos octingentos: deſiiſſe verò in capto à Pœnis Agrigento: quod contigit anno III Olympiadis XCIII: alteram verò partem, quæ libris conſtabat quatuor, iſtic, ubi deſiit prior, cœpiſſe; hoc eſt, ab Dionyſio ſeniore, qui proximo à capto Agrigento anno tyrannidem Syracuſis invaſit. Unde lucem accipit locus iſte Ciceronis ad Q. Fratrem lib. II. epiſt. XII: *Siculus ille* (Philiſtus) *capitalis, creber, acutus, brevis, penè puſillus Thucydides: ſed utros ejus habueris libros (duo enim ſunt corpora) an utroſque, neſcio. me magis de Dionyſio delectat. ipſe eſt enim veterator magnus, & perfamiliaris Philiſto Dionyſius.* Quod verò eum Cicero puſillum penè Thucydidem hic appellet, id referri eo minimè debet, quòd præ Thucydide pauca admodum ſcripſerit, quæ Paulli Manutii *a* ſententia eſt; (nam longè aliud apparet ex iis, quæ ex Suida, & Diodoro, adduximus) ſed quia non paullò quidem infirmior ſit Thucydide, ut Fabius *b* quoque cenſet; attamen imitetur eum non infeliciter. Multum civilis prudentiæ potuiſſe ex eo hauriri, ſatis oſtendit, quòd Cicero etiam partem eam de Dionyſio tantopere commendat. Et tamen nuſquam Philiſtus ſe turpiùs dedit. Quid mirum? Impensè favebat tyrannis, ac vehementer admirabatur eorum potentiam, divitias, ac luxum: quemadmodum, cùm ex aliis, quos dixi, tum ex Cornelii Nepotis Dione conſtat. Iccirco etiam omnia illorum vitia, factaque injuſta, honeſti prætextu tegere conatus eſt. Hoc ejus in tyrannos ſtudium jure reprehendit Timæus: ſed eo viciſſim hic peccat, quòd modum in exagitando eo nullum tenet: utpote occaſionem maledicendi undique quærens: contrario planè vitio, ac Ephorus, qui Philiſtum etiam laudat: unde uterque reprehendi meruit à Plutarcho in Dione. Nec eſt, quòd Ciceronem ejuſdem, ac Ephorum, vitii agamus reum. Quippe non animum Philiſti laudavit Tullius; ſed utilitatem libri prædicavit: atque id imprimis quidem propter prudentiam, quam ex vafri adeò tyranni vita capere eſſet: ſed & propter dictionem, quam Thucydideæ æmulam fuiſſe, etiam ex ſecundo de Oratore cognoſcimus. Ac propterea idem in Bruto, ubi M. Catoni Cenſorio deeſſe amatores conqueritur, *ſicut*, inquit, *multis jam ſeculis, & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucydidi.* Nec tamen dictionem eorum penitùs probabat. Siquidem horum eſſe dicit *concisas ſententias, interdum etiam non ſatis apertas, cùm brevitate, tum nimio acumine.* Sed ad laudem Philiſti pertinet, quòd minùs Thucydide erat obſcurus: ut hæc Fabii verba oſtendunt lib. X. cap. I: *Philiſtus, imitator Thucydidis, &, ut multò infirmior, ita aliquatenus lucidior.* Et ſanè, quàm præ Thucydide amârit perſpicuitatem; argumento eſſe poteſt, quòd omnem digreſſionem penitus fugiat; ut Theon in Progymnaſmatis teſtatur. Sed hac parte modum non tenuit; quandoquidem digreſſio interdum, ut ibidem dicitur, ἀναπαύει *a* τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροατῶν: eoque non omnem fugere digreſſionem oportet; ſed eas, quæ prolixæ adeò ſunt, ut neceſſe ſit, eorum memoriam refricari, quæ antè dicta ſunt: cujuſmodi erant digreſſiones Theopompi in Philippicis; ut idem ait. Interim illud, quòd ita brevis eſſe Philiſtus voluit, ut obſcurus eſſe nollet, tantopere illum commendavit Dionyſio Halicarnaſſenſi *b*, ut eum propterea faceret unum ex quinque illis, quos hiſtorico eſſe imprimis imitandos putaret.

Æqualis Philiſto Syracuſio fuit Eudoxus Cnidius, celebris ille aſtrologus, ac geometra. Vixit enim circa Olympiadem CIII; ut Apollodorus in Chronicis ſcripſit, & ex eo Laërtius in Eudoxi hujus vita: qui etiam ex Sotionis de Succeſſionibus libro refert, ut, cùm annum ageret vigeſimum tertium, audierit Platonem. Errare itaque arbitror Euſebium in Chronicis; qui floruiſſe dicit initio Olymp. XCVII; hoc eſt, ſeptennio poſt Socratis mortem: quo tempore necdum magnum habere nomen potuit Eudoxus, ſi Platonis erat diſcipulus. De Euſebii iſtac, & aliorum alucinatione, uti & de aliis ad hunc Eudoxum pertinentibus, fuſiùs diſſero in Hiſtoria Hiſtoricorum Græcorum lib. I. cap. VI. Quare commodè capi debet, quòd Suidæ dicitur fuiſſe Ἡλικιώτης *c* Πλάτωνος. Nempe eò reſpexit, quòd aliquamdiu unà vixerint. Nam & Platoni in Ægyptum proficiſcenti comes fuit; ut etiam Strabo ait. Interim liquet, non tam floruiſſe ſtatim poſt mortem Socratis, quàm circa Olymp. CIII: ut præter Laërtium etiam Anonymus ſcribit ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ *d*. Præter Sotionem etiam Cicero in ſecundo de Divinat. Platonis fuiſſe auditorem ait: cumque eo profectum in Ægyptum. Rittershuſius, notis in Malchum ſuum, pro *Platonis*, mavult *Socratis*; quia Suidæ vocetur Πλάτωνος ἡλικιώτης *e*. Sed Platonis æqualis dicitur; quia ſi non par, at ſuppar fuit. Scripta ejus idem Laërtius commemorat: interque ea fuit *octo annorum hiſtoria*, ſi credimus interpreti. Sed Græca ſonant: τὴν ὀκταετηρίδα κατά τινας συγγράψαι *f*. Octaëterida iſtam Eudoxi etiam laudat Suidas: ſed opus iſtoc non hiſtoricum fuit, verùm mathematicum. Vide illuſtrem de eo lo-

*a* *Notis ad ſuos Ciceronis locos.*
*b* *Lib. 10. cap. 1.*

*a* *Facit ut animus audientium acquieſcat.*
*b* *Judicio de Herodoto, & Thucyd.*
*c* *Æqualis Platonis.*
*d* *Ad Olymp. 103.*
*e* *Platonis æqualis.*
*f* *Illud Octaëterida ſecundùm alios conſcripſiſſe.*

locum apud Cenſorinum lib. de die natali cap. XVIII. Sed multa hiſtorica, atque ad gentium ritus pertinentia, adſperſerat alteri operi, quod inſcripſerat γῆς περίοδον a. Liquet hoc ex iis, quæ Athenæus, & alii, ex eo citant. Itaque & Strabo lib. II, quod inde refert, vocat τὴν περὶ τῆς Εὐδόξου ἱστορίαν b. Multis id opus libris conſtabat. Sanè ſeptimum, præter Stephanum, & alios, citat quoque Porphyrius, ſive Malchus, libro de vita Pythagoræ. Etiam Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἔγραψε φαινόμενα c, ut inquit anonymus in vita Arati. Fuit opus grande; quandoquidem ἕβδομον τῆς γῆς περιόδου d citat idem Porphyrius de vita Pythagoræ. Primus apud Græcos conſtituit annum. Unde Cæſar apud Lucanum lib. X:

*Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.*

Laudat eum Strabo, cùm alibi, tum lib. IX, XIV, & XVII: ubi & ait, ſe vidiſſe in Ægypto loca, ubi Plato, & Eudoxus erant commorati. Fuit præter hunc alter ejus nominis, qui juſtiùs inter hiſtoricos nomen ſuum profiteatur, Εὔδοξος Ῥόδιος, ἱστορίας γεγραφὼς e, ut eſt apud Laërtium. Ac meminit ejus quoque Apollonius hiſtoriæ commentitiæ cap. XXIV: item Etymologus in Ἀδρίας, ubi eum citat ἐν ἐνάτῳ τῶν ἱστοριῶν f. Sed iſte quando vixerit, ignoratur. Celebratur quoque Eudoxus Cyzicenus; qui, Ptolomæum Lathyrum fugiens, è ſinu Arabico uſque ad Gades navigavit: ut ex Poſidonio narrat Strabo lib. II, ex Cornelio Nepote item refert Plinius lib. II. nat. hiſt. cap. LXVII. Sed uti hunc quidem vixiſſe conſtat circa Olymp. CLXII: ita alii potiùs navigationis ejus meminiſſe, quàm ipſe hiſtoriam ejus ſcripſiſſe, videtur nobis.

*a Ambitum terræ.*
*b Hiſtoriam ſecundum Eudoxum.*
*c Eudoxus Cnidius cœleſtia ſcripſit.*
*d Septimum de ambitu terræ.*
*e Eudoxus Rhodius, qui hiſtorias ſcripſit.*
*f In nono hiſtoriarum libro.*

## CAP. VII.

*Theopompus Chius inter Iſocratis diſcipulos familiam ducebat. Orationem, Artemiſiæ poſtulatu, habuit in laudem mariti ejus Mauſoli. Epiſtolæ ejus rectiuſne* archaicæ, *an* Achaïcæ *dicantur. Iterum quæſitum, an epitomen Herodoti ſcripſerit. Varia ejus ſcripta. Hiſtoriæ ejus laus. Quot fuerint Philippicorum libri, & Suidæ ſuper eo error. Laudatur Theopompus, quòd uſque adeò ſtudioſus ſit veritatis. Dictio etiam quo nomine probetur. Reprehenditur idem, quòd acerbè adeò alios reprehendat. Ut Dionyſius Halicarn. hoc excuſet. Judicium Dionis de ejus ſtylo; item Longini, & aliorum, qui dictionem ejus dicunt magis oratoriam eſſe, quàm hiſtoricam. Ut iſtoc etiam Dionyſius tueatur. Mente dicitur orbatus, cùm vellet hiſtoriis ſuis inſerere quædam ex lege divina. Similiter de Theodecte proditum eſſe, eum lumina amiſiſſe, cùm tragœdiis ſuis infercire quædam vellet ex ſcripturis ſacris. Ephorus unà cum Theopompo Iſocratem audivit. Iſocratis de utriuſque ingenio judicium, Platonis item de Ariſtotele, & Xenocrate; Ariſtotelis de Theophraſto, & Calliſthene. Quot annorum hiſtoriam complexus ſit Ephorus. Ejus liber Ἐπιχώριος. Malæ fidei eſt ſuſpectus. Fœdus error ejus de Iberis. De ſtylo illius diverſa veterum ſententia. Alter Ephorus Cumanus; ſed longè recentior. Ephippus Cumanus corruptè Suidæ vocatur, qui Ephorus eſt.*

PAullò pòſt Philiſtum, & Eudoxum, cùm in Perſia Artaxerxes Ochus, in Macedonia Philippus, Alexandri Magni pater, regnaret, floruit Theopompus Chius, Iſocratis diſcipulus, imò, ut Dionyſius a Halic. ait, ἐπιφανέστατος b πάντων Ἰσοκράτους μαθητῶν: cujus inter illuſtres Chios etiam meminit Strabo in XIV. De eodem ſic Athenæus, lib. III: Μαθέτω δὲ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους, καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ. *Diſcat à Theopompo Chio, viro veritatis amante, & qui multum pecuniæ impenderit in accuratam hiſtoriæ inquiſitionem.* Multa hunc ſcripſiſſe, indicat idem Dionyſius. Primùm inde diſcimus, Iſocratis exemplo varias edidiſſe orationes, partim panegyricas, partim ſuaſorias. Prioris generis fuit illa, quam habuit apud Mauſoli ſepulchrum: Ἐπιτάφιον ἐπὶ Μαυσώλῳ vocat Anonymus deſcriptione Olympiadum, ad Olymp. CIII annum I. Ac ſignat eandem Gellius lib. X. cap. XVIII. Ibidem dicit Dionyſius, ſcripſiſſe eum ἐπιστολὰς ἀρχαϊκάς: quomodo, ſi vera eſt lectio vulgata, orationes vocabat, quæ vel de rebus eſſent antiquis, vel ſtylo exaratæ eſſent antiquo. Sed Stephanus dicit, ſe in codicibus quibuſdam inveniſſe Ἀχαϊκάς, quod magis placet: nempe ut ita dicantur epiſtolæ iſtæ, quæ miſſæ eſſent ad Achivos. Sanè Theopompum epiſtolas ad varios edidiſſe, certiſſimum eſt. Nam unam ad Chios, alteramque ad Alexandrum, citat Athenæus lib. XIII, ac tertiæ etiam ad Tiſamenum meminit Harpocration in κατωνάκη. Etiam libris duobus complexus fuit epitomen hiſtoriarum Herodoti: &, ne alium putes Theopompum, diſertim dicit Suidas, eam epitomen concinnaſſe unà cum Ephoro, æquali ſuo. Sed parùm mihi fit veriſimile, duos tantos viros huic uni rei incubuiſſe: præſertim cùm præter Suidam, ut arbitror, nemo ejus operis meminerit. Quare cenſeo, fuiſſe Theopompi alicujus junioris; quiſquis tandem ille ſit; ut & ſuperiùs a dicebamus. Dicat aliquis, acrem veterum cenſorem Longinum περὶ ὕψους epitomen hanc Theopompo tribuere, nec diſtinguere. Verùm non video, unde colligi poſſit, loqui Longinum de epitome Herodoteâ. Meminit quidem priùs Herodoti, ac mox Theopompi; ſed in rebus diverſis. Nam Herodoto ait hiemem deſcribi; Theopompo autem, expeditionem Perſæ in Ægyptum. Nec locus ille, quem adducit, epitomes, ſed juſtæ hiſtoriæ, ſcriptorem ſapit. Neque gravior cauſſa urget, cur credamus, de epitome hac loqui ſcholiaſtem Apollonii in lib. IV, cùm ait: Ἀκερβίσιρον b δ' ἱστορεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ παρὰ Ἡροδότῳ. Θεόπομπος δ' ἐν τρίτῳ Σέσωστριν αὐτὸν καλεῖ. Nam hic videmus, ex Theopompo referri, quæ in Herodoto ipſo non legerentur. Id parùm convenit cum epitomes natura. Adde quòd tertius Theopompi citetur, cùm epitome ea, ſi Suidæ credimus, tantùm duobus conſtiterit libris. Denique, cùm non additur libri nomen, potiùs ſignari ſolet hiſtoria Philippica Theopompi: ut cùm idem interpres in lib. IV. citat vigeſimum primum, & vigeſimum quinctum Theopompi. Hæc faciunt, quò minùs vel Longinum, vel ſcholiaſtem iſtum, loqui putem de epitome Theopompi. Nec propterea tamen cum viro ſummo, cui aliter videtur, contentionis funem traxero. Eundem περὶ τῶν συληθέντων ἐκ Δελφῶν χρημάτων c ſcripſiſſe, teſtis Athenæus lib. XIII. Adhæc egit κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς d, ut eſt apud eundem lib. XI: item περὶ εὐσεβείας e, de quo ſcholiaſtes Ariſtophanis in Aves: item θαυμάσια f ejus laudat Apollonius hiſtoriæ commentitiæ cap. X. Laërtius in Epimenide, & Pherecyde, Servius ad Eclog. VI. Sed imprimis nomen paravit hiſtoriâ. Unde Dionyſius: Λόγου g ἀξίαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος, ἄξιος ἐπαινεῖσθαι. Erat verò hiſtoria hæc duplex; quarum utraque pulcherrimum tractabat argumentum. Idem Dionyſius: καλαὶ h γὰρ (ὑποθέσεις) ἀμφότεραι· ἡ μὲν τὰ λοιπὰ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου περιέχουσ'· ἡ δὲ τὰ Φιλίππῳ πεπραγμένα. Utrumque opus etiam conjungit Athenæus lib. IX: Θεόπομπος i μὲν φησὶ ὁ Χῖος ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς, κἀν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν. Ἑλληνικῆς ἱστορίας ſeptimum, & nonum, citat idem Athenæus lib. VI: tertium verò Φιλιππικῶν Harpocration in Δάτος. At etiam trigeſimum octavum memorat Athenæus in III. Imò & quinquageſimum tertium advocat idem Athenæus in X. Non quidem addit ex Philippicis eſſe: ſed quoties ἁπλῶς hiſtoria citatur, Philippica ab eo intelliguntur. Fuere autem Philippicæ hiſtoriæ libri LVIII, ut in ſextodecimo Diodorus Siculus teſtatur, item Photius in bibliotheca ſua: non autem ſeptuaginta duo, quot fuiſſe dicit Suidas. Poterat librarii error videri, niſi οβʹ, uti eſt apud Suidam, pluſculum recederet à νηʹ. Ex iſtis LVIII Photius tantùm LIII

*a Epiſt. ad Pompeium.*
*b Clariſſimus omnium Iſocratis diſcipulorum.*

a Cap. 3.
*b Accuratiùs de hoc Herodotus. Theopompus autem in tertio Seſoſtrum vocat.*
*c De his, qui prædati ſunt Delphicas pecunias.*
*d De exercitationibus Platonis.*
*e De pietate.*
*f Admiranda.*
*g Cùm memorabilem condiderit hiſtoriam, dignus eſt, qui laudibus extollatur.*
*h Præclari erat utraque argumenti. Una enim partem poſteriorem belli Peloponneſiaci continet: altera verò agit de rebus à Philippo geſtis.*
*i Theopompus quidem Chius in Hellenicis ait, & libro decimotertio Philippicorum.*

ætate

ætate illâ extitiſſe ait. Quod & Anonymus voluit ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad annum I Olymp. CV, quando ait: Θεόπομπος ὁ Χῖος τὴν ἀρχὴν τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν ἐντεῦθεν ποιησάμενος, γέγραφε βίβλους ἐννέα πρὸς ταῖς πεντήκοντα, ἐξ ὧν πέντε διαφωνοῦσι. Nam διαφωνεῖν hoc loco eſt extremam vocem edere, ſive exſpirare atque intercidere. Videmus autem hic etiam LVIII Philippicæ hiſtoriæ libros ei tribui: quod Suidæ itidem repugnat. Idem in eo paullùm abit à Suida, quòd Grammaticus hic ſcripſiſſe dicit Ἑλληνικῆς *b* ἱστορίας βιβλία ια᾽ anonymus autem Ἑλληνικῶν σύνταξιν fuiſſe ait βιβλίων *c* ιϐ. Vide eum ad Olymp. XCII an. II, & iterum Olymp. XCVI an. II: quo loco etiam indicat, res Græcas orſum eſſe, ubi deſierat Thucydides; annoſque complexum XVII, deſinere in navali pugna circa Cnidum. Fabulas permiſcuiſſe hiſtoriæ, etiam Æliani ſententia eſt lib. III Var. Hiſt. cap. XVIII: ubi de Midæ, & Sileni hiſtoria. Similiterque Euagrius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. V. cap. ult. Sed hic omnes gentium hiſtoricos ejus criminis agit reos.

Multæ autem, & magnæ fuere hiſtoriarum Theopompi virtutes. Nam præterquam quòd argumentum tractabat nobile, bellè omnia diſponebat. Unde Dionyſius: Ἔπειτα *d* τῆς οἰκονομίας ἄξιος ἐπαινεῖσθαι· ἀμφότεραι γὰρ εἰσὶν εὐπαρακολούθητοι, καὶ σαφεῖς. Præterea tanta ejus in inquirenda veritate induſtria fuit, ut ſi vel nihil poſteris reliquiſſet, tamen ſatis liqueat, maximos feciſſe ſumtus in cunctis indagandis. Quod Dionyſius quoque teſtatur: & præter eum Athenæus lib. III. ubi hiſtoria ejus eſſe dicitur ἀνδρὸς *e* φιλαλήθους, καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος, εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ. Denique dictio ejus eſt καθαρὰ, κοινὴ, ὑψηλή τε καὶ μεγαλοπρεπὴς, καὶ τὸ πομπικὸν ἔχουσα πολὺ, συγκειμένη τε κατὰ τὴν μέσην ἁρμονίαν, ἡδέως καὶ μαλακῶς ῥέουσα *f*: ut ibidem dicitur à Dionyſio.

Sed neque interim deſunt, quæ in eo veteres reprehendant. Imprimis malè audiit, quòd, ut vehementi erat, atque acri ingenio, ita in accuſando nimis erat acerbus. Sanè Cornelius Nepos in Alcibiade eum conjungit cum Timæo; quos duos maledicentiſſimos fuiſſe ait. Ac, ne unius hoc Nepotis judicium putes, Lucianus *g* quoque culpat, quòd φιλαπεχθημόνως *h* κατηγορεῖ, atque hoc adeò ſtudio habeat, ut videatur κατηγορεῖν *i* μᾶλλον, ἢ ἱστορεῖν τὰ πεπραγμένα. Imò præter iſtos etiam Flavius Joſephus lib. I. contra Apionem ait, non Timæum ſolùm de variis gentibus βλασφημεῖν *k*; ſed etiam Theopompum, Polycratem, & Tripolitici ſcriptorem: quorum primus Athenienſium Reip. detrahere conetur, alter Spartanæ, tertius mordeat Thebanos. Verba ejus ſunt: Καὶ γὰρ ἐθνῶν τινες, καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων πόλεων λυμαίνειν τὴν εὐγένειαν, καὶ τὰς πολιτείας ἐπεχείρησαν λοιδορεῖν. Θεόπομπος μὲν τὴν Ἀθηναίων, τὴν δὲ Λακεδαιμονίων Πολυκράτης, ὁ δὲ τὸν Τριπολιτικὸν γράψας καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν προσέβαλε. *Quidam etiam gentium, & glorioſiſſimarum civitatum, fœdare nobilitatem, & converſationi detrahere tentavere: Theopompus quidem Athenienſium, Lacedæmoniorum verò Polycrates: is autem, qui Tripoliticum conſcripſit, etiam Thebanorum momordit urbem.*

Sed operæ eſt videre, quomodo hoc excuſare conetur Dionyſius. Verba ejus ſunt: Διὸ καὶ βάσκανος ἔδοξεν εἶναι, προσλαμβάνων τινὰ τοῖς ὀνειδισμοῖς, καὶ τὰ τῶν ἐνδόξων προσώπων οὐκ ἀναγκαῖα πράγματα. ὅμοιόν τι ποιῶν τοῖς ἰατροῖς, οἳ τέμνουσι καὶ καίουσι τὰ διεφθαρμένα τοῦ σώματος, ὡς βαθεῖς τὰ καυτήρια, καὶ τὰς τομὰς φέροντες, οὐδὲ τῶν ὑγιαινόντων καὶ κατὰ φύσιν ἐχόντων στοχαζόμενοι. *Proinde etiam obtrectator videtur eſſe, dum nonnullis debita convitia facit, & facta virorum illuſtrium non neceſſaria perſtringit: ſimile quiddam faciens ac medici, qui corruptas corporis partes ſecant, & urunt, quàm profundiſſime cauteria & ſectiones immittentes; non tamen ſanas corporis partes & bene affectas attingunt.*

Interim & Dionyſius quædam in rebus ipſis culpat. Imprimis κατὰ *l* τὰς παρεμβολάς. οὔτε γὰρ ἀναγκαῖαί τινες αὐτῶν, οὔτ᾽ ἐν καιρῷ γινόμεναι. Addit, ſimilia eſſe, quæ de Sileno refert, qui in Macedonia apparuit; quæque dicit de dracone ad triremem navali pugnâ decertante, & alia quædam ſimilia iſtis. Adhæc Theon in progymnaſmatis culpat digreſſiones ejus, tanquam nimis prolixas, ita ut neceſſe ſit in memoriam revocari ea, de quibus primò dictum fuit.

Etiam Dio Chryſoſtomus, oratione de dicendi exercitio, frigidè ſatis laudat ejus dictionem. Nam cur poſt Thucydidem imprimis Theopompum commendet, hanc cauſſam adfert: Καὶ γὰρ ἱστορικόν τι περὶ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν λόγων ἔχει καὶ οὐκ ἀδύνατος, οὐδὲ ὀλίγωρος περὶ τὴν ἑρμηνείαν· καὶ τὸ ῥᾴθυμον περὶ τὰς λέξεις οὐχ οὕτως φαῦλον ὥστε σε λυπῆσαι. *Etenim hiſtoricum quid circa ſermonum narrationem habet; neque impotens, neque modicus circa explicationem; & negligentia circa dictionem non ita vilis eſt, ut te contriſtet.* Sanè levicula laus, ſi ſermo ejus non uſque adeò vilis ſit, & protritus, ut faſtidio ſit. Demetrius etiam, libello περὶ ἑρμηνείας, dicet, eum δεινὰ οὐ δεινῶς λέγειν *a*. Imò veterum hoc commune judicium eſt, dictionem ejus oratoriæ, ac imprimis Iſocraticæ, ſimiliorem eſſe, quàm hiſtoricæ. Quod ex Tullio, Fabio, & aliis, oſtendimus lib. de Nat. Rhetor. & Inſtitutionibus *b* Oratoriis. Sed hac quoque parte excuſat eum Dionyſius. Nam dicit, Iſocrateam quidem lenitatem habere, ubi nullâ eſt acrimoniâ opus: cæteroquin, cùm affectus ciendi ſunt, & maximè, cum urbibus, earumque ducibus, exprobrat improba conſilia, tum verò non paullò elatiorem eſſe Iſocrate, imò ne latum quidem unguem ab Demoſthenis acrimonia abeſſe. Vide & quæ de ſtylo ejus ſcripſit Longinus libello περὶ ὕψους, item Photius in bibliotheca. Ubi & excerpta quædam ex duodecimo Philippicorum adfert.

Fuere, qui hujus etiam ſcriptoris eſſe putarent octavum Thucydidæ librum; qui longè grandiloquentiâ cedit ſuperioribus. Sed meritò ſententiam hanc repudiat Marcellinus in Thucydidis vita. Etiam, Flavio Joſepho *c* teſte, fuere, qui Τριπολιτικὸν ei tribuerent: ſed falſò, ut ibidem dicitur. Ac multo minùs ejus fuit hiſtoria, quam Anaximenes Lampſacenus ſub Theopompi nomine edidit; ut paullo pòſt dicemus.

Memorabile verò eſt, quod de Theopompo hoc refert Ariſteas lib. de LXX interpretibus: ac Joſephus lib. XV Antiquit. Jud. Nam ait uterque, eum, cùm vellet quædam ex ſacris ſcripturis, tum non ita commodè tranſlatis, hiſtoriis ſuis inſerere, diebus triginta mente fuiſſe turbatum: morbo autem intermittente, oràſſe Deum, ut indicare ſibi vellet, qua de cauſſa hoc accidiſſet: tum in ſomno didiciſſe, eò eveniſſe illud, quia divina voluiſſet diffundere in vulgus: Theopompum, hoc intellecto, inſtitutum ſuum deſeruiſſe; atque ita à morbo fuiſſe liberatum. Ibidem narrat, Theodectem, poëtam tragicum, qui iiſdem temporibus vixit, cùm fabulis ſuis voluiſſet inſerere aliqua ex Scripturis, divinitus fuiſſe viſu orbatum, uſque dum pœnitudine ejus facti ductus, Deoque eſſet reconciliatus. In Vaticano codice, hoc quoque loco, *Theopompi* nomen ſcriptum fuit. Sed Theopompum tragicum nuſquam reperio: eoque rectum puto *Theodectes*; quem Tragicum fuiſſe poëtam, & cum Theopompo Chio, & Naucrate, apud Mauſoli ſepulchrum dicendis Mauſoli laudibus decertàſſe, auctor eſt Gellius lib. X. cap. XVIII; item Suidas in Θεοδέκτης, & Ἰσοκράτης.

Adhæc Anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CIII, ann. I. Aut hoc verum eſt, aut errore memoriæ Ariſteas Tragicum Theopompum vocat, cùm Comicum dicere deberet.

Alter etiam Iſocratis diſcipulus eſt, qui magnum habeat inter hiſtoricos, atque adeò etiam inter oratores, nomen. Eſt is Ephorus, Demophili filius, cui Cumæ Æolicæ patria fuerunt; teſte Strabone lib. XIII. Ubi illud etiam notavit, ſalſè rideri, quòd, cùm Cumæorum ſuorum mentionem in hiſtoria facere vellet; nec magnopere ſciret, quod diceret: ſolùm iſta ei, quæ ſcriberet, venerint in mentem: Κατὰ *d* τὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον.

*a Theopompus Chius initium hinc facit hiſtoria Philippica, ſcripſitque libros eilo & quinquaginta: ſed ex iſtis quinque liquido deſiniunt.*
*b Græcanica hiſtoria libros undecim.*
*c Librorum duodecim.*
*d Deinde laude dignus eſt ob diſpoſitionem. Nam utraque ejus hiſtoria optimè omnia connectit, & perſpicua eſt.*
*e Viri veritatis ſtudioſi, & qui ad accurate exquirendam rei veritatem pecuniæ multum impenderit.*
*f Pura, vulgaris, ſimplex, ſublimis, magnifica, & ſummam pompam præ ſe fert, & quâdam harmoniâ temperata eſt, jucunde, & ſuaviter fluens.*
*g Lib. de hiſt. ſcrib.*
*h Invidioſè nimis accuſat.*
*i Accuſare magis, quam hiſtoriam ſcribere.*
*k Probra ac convitia jactare.*
*l In comparationibus. nam quædam earum neque neceſſariò inducuntur, neque tempeſtive.*

*a Gravia non graviter dicere.*
*b Lib. de nat. Rhet. cap. II, & Inſtit. lib. 6. c. 3.*
*c Lib. I. contra Apionem.*
*d Eo tempore quieti erant Cumæi.*

Hunc unà cum Theopompo Iſocratem, uti dixi, audiiſſe, multi veterum tradiderunt: eoſque inter Plutarchus in Iſocratis vita, & Photius cap. CLXXVI. Sed duo hi diſcipuli ingenii valde diſparis erant. Sanè Cicero in Bruto ſcribit, *Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori, dixiſſe, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frenos.* Quod etiam Quinctilianus tradit lib. II. cap. IX, item Suidas in Ἔφορος. Atque idem Platonem de Ariſtotele, & Xenocrate, Ariſtotelem de Theophraſto, & Calliſthene, dixiſſe, auctor eſt Diogenes Laërtius *a*. Scripſit Ephorus hiſtoriam annorum ferme IↃCCL. libris XXX: quorum ſingulis præfatio addita. Orſus autem fuit ab reditu Heraclidarum; ac deſiit in vigeſimo Philippi anno, quo Perinthum oppugnabat. Auctor Diodorus Siculus lib. IV: Ἔφορος ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητὴς, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας. *Ephorus Cumanus, Iſocratis diſcipulus, cùm res publicè geſtas ſcribere inſtituiſſet, veteres quidem fabulationes omiſit; illa verò, quæ ab Heraclidarum reditu facta, colligens, hoc initium fecit hiſtoriæ ſuæ.* Pleniùs verò idem lib. XVI: Ἔφορος μὲν ὁ Κυμαῖος τὴν ἱστορίαν ἐνθάδε κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν. περιείληφε δὲ τῇ γραφῇ πράξεις τάς τε τῶν Ἑλλήνων, καὶ Βαρβάρων, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου. χρόνον δὲ περιέλαβε σχεδὸν ἐπτακοσίων καὶ πεντήκοντα ἐτῶν, καὶ βίβλους γέγραφε τριάκοντα, προοίμιον ἑκάστῃ προθείς. *Ephorus Cumanus hiſtoriæ ſuæ opus cum obſidione Perinthi concludit. Monumentis autem ſuis res à Græcis, & Barbaris, ab Heraclidarum reditu, penè per IↃCCL annorum decurſum geſtas, & in XXX volumina, quorum ſingulis præfatio adhæret, diſtributas, comprehendit.* Quæ iiſdem verbis legere eſt apud Anonymum in Ὀλυμπ. ἀναγραφῇ ad Olymp. CIX, annum IV. Hoc de Opere ejuſmodi judicium eſt Strabonis in X, Eudoxum de rebus Græciæ bellè, at Ephorum optimè, ſcripſiſſe. Primus, quartus, ſeptimus, ac undecimus quoque ejus operis, citatur Theoni in Progymnaſmatis. Eidem & laudatur Ἔφορος *b* ἐν τῷ περὶ λέξεως. cujus operis penè initio hexametrum effundere ait. Strabo lib. XIII, cùm eum vocâſſet virum μνήμης *c* ἄξιον, eumque hiſtorias ſcripſiſſe dixiſſet; addit, egiſſe quoque περὶ *d* τῶν εὑρημάτων. Quod & Suidas teſtatur in Ἔφιππος. Nam Ἔφορος ibi legendum eſſe, mox planum faciam. Atque ex eodem Suidæ loco etiam cognoſcimus, reliquiſſe περὶ *e* ἀγαθῶν, καὶ κακῶν, βιβλία κδʹ. item παραδόξων *f* τῶν ἑκασταχοῦ βιβλίων ιεʹ. Apud Harpocrationem in Αἶνος lego, Ἔφορος *g* ἐν τῇ τετάρτῃ περὶ Θρᾳκίων πολισμάτων. Evagrius lib. V Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. ult. tres illos è nobilibus gentium hiſtoricis primo recenſet loco; Characem, Theopompum, Ephorum.

Plutarchus initio libri de vita Homeri ſcribit, eum librum feciſſe de rebus patriis, hoc eſt, Cumanis; quem idcirco ἐπιχώριον inſcripſerit. Fides hujus hiſtorici multis ſemper ſuſpecta fuit. Senecæ verba ſunt lib. VII Naturalium Quæſt. *Ephorus, non religioſiſſimæ fidei, ſæpe decipitur, ſæpe decipit.* Decipitur quidem, cùm, Arcadum ſecutus fidem, tradidit, apud eos, *antiquos aliquot reges ad trecentos vixiſſe annos.* Quod cùm retuliſſet Cenſorinus, ſubjungit, *verùm hæc, ut fabuloſa, prætereo.* Decipit autem in eo, quòd de Herculis fano in Hiſpania finxit, ut eſt apud Strabonem initio libri III. Et fuere id genus apud Ephorum permulta. Unde & Diodorus Siculus lib. I: Οὐχ *h* ἂν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου τἀκριβὲς, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας. Plutarchus in Dione, & ex eo Photius *i*, reprehendunt eum, quòd Philiſtum hiſtoricum laudare non dubitârit. Quàm verò exiguam habuerit peritiam terrarum; argumenta fuere, quæ de Ægypto tradiderit. Nam auctor eſt Diodorus lib. primo, ſatis inde perſpici, nec in Ægypto fuiſſe, nec eos percunctatum, quibus nota eſſet Ægyptus. Etiam indicio eſt, quòd Hiſpanos (Iberos ipſe vocat) unam putârit eſſe civitatem: unde rectè colligit Joſephus *k*, ſerò admodum eorum, qui occidentem colunt, notitiam ad Græcos perveniſſe.

*a In Xenocrate, & Theophraſto.*

*b Ephorus libro de dictione.*

*c Memoriâ dignum.*

*d De rerum inventione.*

*e De bonis, & malis, libros viginti quatuor.*

*f Rerum paſſim ad mirabilium libros quindecim.*

*g Ephorus in quarto de civitatib. Thraciæ.*

*h Certi quid apud Ephorum nemo inquiret, qui viderit, in multis eum negligere veritatem.*

*i Biblioth. cap 245.*

*k Lib. I. contra Apionem.*

De οἰκονομίᾳ, & ſtylo Ephori, ſatis benignè judicat Diodorus Siculus initio lib. V. ubi ſic ſcribit: Ἔφορος, τὰς κοινὰς πράξεις ἀναγράφων, οὐ μόνον κατὰ τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν οἰκονομίαν, ἐπιτέτευχε. *Ephorus, res paſſim geſtas deſcribens, non verborum elegantiâ duntaxat, ſed accuratâ ordinis quoque obſervatione, probè officio hiſtorici fungitur.* Aliter verò Duris Samius lib. I Hiſtor. qui & Ephorum, & Theopompum, ſcribit multùm cedere ſuperioribus. nam & imitationis gratiâ carere, & dictionis venuſtate: nec multùm penſi habere, quomodo ſcribant. Ita ille, qui ipſe multùm, & Ephoro, & Theopompo, ceſſit ſcribendi venuſtate: ut Photii judicium eſt cap. CLXXVI. Quare poterat contemni, niſi etiam Dio Chryſoſtomus oratione eâ, quam de dicendi exercitio ſcripſit, tribueret Ephoro τὸ *a* ὕπτιον, καὶ ἀνειμένον τῆς ἀπαγγελίας. Idemque Suidæ judicium fuit, qui ait: Ἔφορος *b* ἦν τὸ ἦθος ἁπλοῦς, τὴν δὲ ἑρμηνείαν τῆς ἱστορίας ὕπτιος, καὶ νωθρὸς, καὶ μηδεμίαν ἔχων ἐπίτασιν.

Et hæc de Ephoro Cumano: præter quem alter ejuſdem & nominis, & patriæ fuit; ſed multò junior. Ut inde liquet, quòd ſcripſerit Galeni hiſtorias libris XXVII. Fuit igitur junior Galeno, qui temporibus vixit Antonini Pii. Præter hiſtorias iſtas etiam Corinthiaca edidit, & περὶ τῶν Ἀλευαδῶν, & alia quædam, ut docet Suidas.

Exſpectet aliquis, ut hoc loco ſubjungam de Ephippo Cumano, qui & ipſe Iſocratis auditor, ac hiſtoricus fuit; ut Suidas in Ἔφιππος teſtatur. Sed planè corruptus mihi is locus videtur, proque Ἔφιππος legendum Ἔφορος. Error ſine dubio eſt inde ortus, quòd Ἔφιππος proximè anteceſſit. Nam quis credat, Iſocrati duos fuiſſe diſcipulos, quorum uterque Cumanus foret, uterque hiſtoriam lib. XXX ſcripſiſſet, à Trojanis temporibus, vel Heraclidarum reditu, uſque ad tempora Philippi, uterque etiam de rerum inventione volumen reliquiſſet: ut cætera mittam? Vide & quæ de Demophilo inferiùs dicemus.

*a Supinum, & remiſſum orationis genus.*

*b Ephorus ingenio quidem erat ſimplici: in dictione verò hiſtoricâ ſupinus, & ſegnis, ut contentione careat.*

## Cap. VIII.

*Euphantus Olynthius. Præceptor ejus Eubulides. Utriusque ætas. Simonides hiſtoricus. Xenocratis Chalcedonii liber περὶ βίων. Leo Byzantius. Suidæ oſcitantia. Heraclides Ponticus. Pamphilus philoſophus.*

ATque ut iſti Iſocratem, ita æqualem ejus Eubulidem Mileſium audivit Euphantus Olynthius. De Eubulidis verò ætate quod dixi, inde planum fit, quòd fuerit Euclidis Megarenſis diſcipulus, ejus quem Plato etiam poſt Socratis mortem audivit. Item quòd Demoſthenem docuiſſe credatur; eumque, cùm ρ pronunciare non poſſet, jugi exercitio emendâſſe. Inimico erga Ariſtotelem animo fuit: uti condiſcipulus ejus, Alexinus Elienſis, infeſtus erat Zenoni: neque ad Zenonem modò, ſed etiam ad Ephorum hiſtoricum, libros miſit. Ipſe verò Euphantus præceptor fuit primi Antigoni, regis Macedoniæ; cui Demetrius filius erat, nepos Antigonus Gonatas. Auctor iſtorum Laërtius in Euclide: quæ omnia ſatis oſtendunt ætatem, uti Eubulidis, ita etiam Euphanti Olynthii. Fecit Euphantus tragœdias plurimas; quibus in certaminibus multum gloriæ retulit. Item librum de regno perutilem, & laudatiſſimum; quem Antigono regi miſit. Denique ſui temporis hiſtoriam conſcripſit. Horum quoque teſtis idem Diogenes, ἐν τετάρτῃ ἱστοριῶν *a* citatus ab Athenæo lib. VI. Meminit ejus & Porphyrius lib. IV περὶ ἀποχῆς *b*.

Iiſdem temporibus vixit Simonides is, qui hiſtorias condidit, quibus Dionis, ac Bionis geſta conſignavit. Siquidem, Laërtio auctore *c*, eos miſit ad Speuſippum, qui Platonis ex ſorore natus, ejuſque diſcipulus, & in ſchola ſucceſſor erat. Scripſit & Simonides librum de Sicilia; ut auctor eſt Theocriti Scholiaſtes *d*: cujus hæc verba: Σιμωνίδης *e* δὲ ἐν τῷ περὶ Σικελίας, Αἴτνην φησὶ κρῖναι Ἥφαιστον, καὶ Δημήτραν, περὶ τῆς χώρας ἐρίσαντας.

*a Lib. 4. Hiſtoriar.*

*b De abſtinentia ab animalibus.*

*c In Speuſippo.*

*d Ad Idyll. I. verſ. 65.*

*e Simonides libro de Sicilia ait, Ætnam fuiſſe judicem inter Vulcanum, & Cererem, ubi de Sicilia contenderent.*

Xeno-

Xenocratem Chalcedonium, qui & ipſe Platonis fuit diſcipulus, eique in Siciliam proficiſcenti itineris erat comes, περὶ βασιλείας *a* libros ſcripſiſſe, ex Laërtio *b* diſcimus.

*a De vitis*
*b In Xenocrate.*

Fuit tum quoque Leo Byzantius; qui juvenis etiamnum Platonem audivit; ut Philoſtratus teſtatur lib. I. de vitis Sophiſtarum. Suidas eſſe ait. qui inter Ariſtotelis diſcipulos reponunt. Quod verum non puto; niſi fortè & grandior jam, neque diu, eum quoque audivit. Nam jam Philippi temporibus magna in auctoritate fuit, & legationes obiit; ut ex Philoſtrato conſtat. Scripſit, ut idem Suidas refert, res Philippicas, & Byzantinas, libris VII, Teuthranicum, de Bezalo, & de ſeditionibus. Addit Suidas, etiam de rebus Alexandri egiſſe. Scio, Philippo fuiſſe proavum Alexandrum, etiam memoratum Herodoto, ac Xerxis æqualem. Sed cùm tanto ille antè fuerit, ejus res geſtas à Leone ſeorſim ſcriptas eſſe, parum fit veriſimile. Omnino igitur Alexandrum Magnum intellexit Suidas. Quæ fœda eſt oſcitantia. Nam paullò antè dixerat, cùm fraudulentè per epiſtolam Leonem traduxiſſet Philippus, quaſi eò adverſaretur regi, quia non quantum vellet pecuniæ ei obtuliſſet, ſeditionem fuiſſe eapropter Byzantii coortam: Leonem verò, dum metuit ne à populo lapidibus obruatur, ſpontaneo vitam ſuſpendio finiiſſe.

Præter ea autem, quæ ex Suida referebamus, etiam alia Leo hic reliquit. Siquidem apud Plutarchum libro de Flumin. in Iſmeno legas: Λέων *c* ὁ Βυζάντιος ἐν τοῖς Βοιωτικοῖς. Scripſit igitur & hiſtoriam rerum Bœoticarum. Idem in Tigri: Λέων *d* ὁ Βυζάντιος ἐν γ΄ περὶ ποταμῶν. Citat & Leonem Byzantium Athenæus in duodecimo.

*c Leo Byzantius in Bœoticis.*
*d Leo Byzantius in tertio de fluminib.*

Platonem quoque audivit Heraclides Ponticus; ut Laërtius in Platone ſcribit. Sed alibi idem tradit, primum Speuſippum, inde Ariſtotelem, audiiſſe. Priori ſententiæ favet quoque Tullius in primo de Divinatione: *Ponticus*, inquit, *Heraclides, doctus vir, auditor, & diſcipulus Platonis.* Sed iſta facilè conciliantur. Nam apud Platonem, & Speuſippum, philoſophiæ tirocinium fecit: Ariſtoteles eum perfecit. Quare potiùs inter Ariſtotelis diſcipulos de eo dicemus.

Etiam Pamphilus philoſophus Platonis diſcipulus fuit, Epicuri autem præceptor: teſte eodem Laërtio lib. X, atque item Suida in Ἐπίκουρος. Sed, ecquid hiſtoricum literis mandaverit, non conſtat. Niſi hic idem ſit, de quo alibi ita Suidas: *Pamphilus, Amphipolita, aut Sicyonius, aut Nicopolita, philoſophus cognomento* φιλοπράγματος, *ſcripſit Imagines ordine literarum, de arte grammatica, de pictura & pictoribus illuſtribus, de re ruſtica lib.* III. Ubi unicum de pictoribus illuſtribus opus videmus, cujus gratia inter hiſtoricos nomen poſſit obtinere.

## CAP. IX.

*Calliſthenes. Ejus faſtus, & effrenis libertas, item ſupplicium. Quæ ſcripſerit. Quo die capta Troia. Stylus Calliſthenis. Quàm graviter eadem Calliſthenis tulerit Theophraſtus. Hiſtorica, quæ Theophraſtus ſcripſit. Ut primò dictus ſit, & unde Theophraſti nomen acceperit à magiſtro. Longævitas ejus. Veterum in eo diſſenſus. Ariſtoxeni Tarentini ingratus erga Ariſtotelem animus. Ejus Vitarum libri. Heraclidis Pontici ſcripta. Tres hujus nominis, & gentis; unus philoſophus celeberrimus, alter hiſtoricus, tertius poeta. Dicæarchus Meſſenius. Quanti ejus libri de Republ. Spartana fieri Lacedæmone ſoleant. Libri illius de Græcia. Quis genuinus ſcriptor operis de bello Tripolitico. Spiſſus, & peſtilens Dicæarchi error de mente humana. Hieronymi Rhodii ætas, & ſcripta. Clearchus Solenſis. Quis primus Socraticorum protinùs à ſtatione exegerit mercedem. Phanias, ſive Phænias, Ereſius. Plutarchi locus emendatus; uti & Etymologici magni. Satyrus Peripateticus. Palæphatus Abydenus. Abydeni hiſtoria Aſſyria.*

Iis, qui ex Academia prodierunt, Platoneque uſi magiſtro, ſubjungimus pluſculos, qui Ariſtotelem in Lyceo philoſophantem audierunt. Ordiemur à Calliſthene; qui Ariſtotelis non diſcipulus modò, ſed etiam, quod & Laërtius *a* ſcripſit, conſobrinus erat; eoque auctore, regem in Orientem ſecutus fuit. Condidit hiſtoriam de rebus geſtis Alexandri: ex qua aliqua adducit Strabo lib. XVII. Nec deſunt, qui hanc ejus hiſtoriam tradunt MSam ſupereſſe in Bibliotheca Strozæ, & Cardinalis Tit. S. Angeli, & regis Galliarum. Sed opus id eſſe ψευδώνυμον, didici ex Caſauboni ad Scaligerum epiſtola XXXIX, & XCIII, nec non XCV: ubi ait, impoſtorem illum decenter mimum agere; eſſeque eum Calliſthenem, quem non ſemel laudat Pſeudogorionides, imò & μεταφράσας tranſcripſit; ſive Græcè eum legerit, quod non putat; ſive potiùs Latinè, vel Gallicè. Etiam Salmaſius, Exercitationibus in Solinum *b*, auctorem dicit incertum. Quos eò lubentiùs laudo, quia mihi videre id opus necdum contigit. Quod verò ad Calliſthenem, tanto is faſtu, atque oris adeò liberi erat, ut Alexandri facta ſuis eſſe ſcriptis inferiora prædicaret: neque ſe ad Alexandrum veniſſe, ut ex eo gloriam compararet: ſed ut Alexandrum inter mortales glorioſum redderet, atque illuſtrem. Idem cùm Alexandro divinos deferre honores ſuaderet Anaxarchus, magnopere ei ſe oppoſuit. Ac per iſta magnum in odium apud regem venit. Itaque & cùm Hermolaus, puer ex regia cohorte, qui Calliſthene uſus erat familiariter, de interimendo rege cum Soſtrato, & aliis ejuſdem cohortis pueris, conſpiraſſet: rex lubens calumniatoribus illis aurem commodavit. qui, Calliſthene incitante conſpirationem eam eſſe factam, dicebant. Sed quo ſupplicio propterea affectus ſit, ne inter illos quidem ſatis convenit, qui temporibus iſtis vixerunt. Vide fuſiùs de his Curtium in octavo, Arrianum in quarto, Plutarchum in Alexandro, & Juſtinum Philippicæ hiſtoriæ lib. XV. Sed redeamus ad ea, quæ Calliſthenes ſcripſit. Inter iſta etiam ſunt Ἑλληνικά, ſive hiſtoria de rebus geſtis Græcorum ante tempora ſua. Quam Plutarchus teſtem advocat in Cimone, & Ageſilao, Athenæus lib. X, & Stephanus in Τεγύρα. Complectebatur eà annos triginta, atque orſus eſt ab eo anno Olympiadis XCIII, quo facta eſt pax Antalcidæ: deſiit verò in eo anno, quo templum Delphicum à Philomelo Phocenſi captum, & expilatum fuit. Auctor Diodorus Siculus extremo libro XIV, item lib. XVI, & Anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγρ. ad Olymp. XCVIII, anno II, & Olymp. CV, anno IV. M. Tullius, eruditâ epiſtolà ad Lucceium, eam vocat hiſtoriam perpetuam: atque ſeorſim etiam ſcripſiſſe ait bellum Troicum. Ex belli Troici hiſtoria refert Plutarchus in Camillo, vigeſimo quarto die menſis Thargelionis captam fuiſſe Troiam: quod etiam ab Ephoro, Damaſte, & Phylarcho, proditum eſſe ait. Multa quoque alia ſcripſiſſe videtur. Nam Plutarchus in parallelis citat Μακεδονικὰ, Θρᾳκικὰ, Μεταμορφώσεις. Item Περὶ ἱεροῦ πολέμου Athenæus lib. XIII, Ἀποφθέγματα Julius Pollux lib. IX. cap. VI, Κυνηγετικὰ Plutarchus de fluminibus, Περίπλουν ſcholiaſtes Apollonii in lib. I, Περσικὰ Apoſtolius, proverbio Σαρδανάπαλλος βίος. Sed cùm non unus fuerit Calliſthenes, (nam & Calliſthenis Sybaritæ, qui Γαλατικὰ ſcripſerit, meminit Plutarchus de Flumin.) difficile omnino dictu eſt de ſingulis, quæ hujus ſint Calliſthenis, quæ alterius. Et hæc de librorum titulis. Meminit ejus quoque Polybius libro IV: item in VI, ubi, de Republ. Cretenſium quæ ſcripſerit, refert: adhæc in excerptis ex hiſtoriarum duodecimo. Item Strabo lib. VIII, XI, XVII, & Ælianus lib. XVI Hiſtor. animal. cap. XXX: ubi Olynthius vocatur, ac prodidiſſe dicitur, capras in Lycia tonderi. Adhæc Proclus lib. I. in Timæum Platonis *c*; ubi ex eo, & Phanodemo, memorat, Athenienſes eſſe Scytharum progenitores. Præterea Harpocratio in Ἀνάκειον, & alii. Tacticæ artis imperitum fuiſſe, colligit Polybius ex iis, quæ de pugna Alexandri in Cilicia cum Dario ſcripſerat: ubi

*a In Theophraſto.*
*b Pag. 908.*
*c Pag 30. edit Baſil. an. 1534.*

multa abſurda, & quæ fieri non poſſent, effutiit. Vide excerpta ex Polybii libro XII. Ad dictionem quod attinet, Tullius in ſecundo de Oratore ait, *ſcripſiſſe hiſtoriam Rhetorico pene more.* Suidæ dicitur εὐφυὴς a περὶ τὸ αὐτοσχεδιάζειν, καὶ ῥύμῃ πολλῇ φέρεσθαι.

Calliſtheni quem potiùs jungemus, quàm ſodalem ejus Theophraſtum Ereſium? qui cædem Calliſthenis ſui ita graviter moleſteque tulit, ut eapropter fecerit librum περὶ πένθους b, quem & Καλλισθένην inſcripſit, ut Laërtius indicat: & Cicero quoque teſtatur Tuſcul. III, his verbis; *Theophraſtus, interitum deplorans Calliſthenis, ſodalis ſui, rebus Alexandri proſperis angitur. Itaque dicit, Calliſthenem incidiſſe in hominem ſummâ potentiâ, ſummâque fortunâ; ſed ignarum, quemadmodum rebus ſecundis uti conveniret.* Ac meminit quoque Tuſculan. V: *Vexatur idem Theophraſtus, & libris, & ſcholis, omnium philoſophorum, quod in Calliſthene ſuo laudaret illam ſententiam, Vitam regit fortuna, non ſapientia.* Citat quoque hunc librum Alexander Aphrodiſienſis comment. in ſecundum Ariſtotelis de Anima. Cæterum Theophraſti hujus, quem Theophylactus Simocatus c mentò vocat τὴν d τῆς γνώσεως θάλατταν, majus multo eſt nomen inter philoſophos, quàm hiſtoricos. Sed tamen & ἱστορικὰ ὑπομνήματα ſcripſiſſe, auctor eſt ſcholiaſtes Apollonii lib. IV. Ac hiſtoricum quoque opus fuit Τυρρηνικῶν e: quod Pindari ſcholiaſtes citat in Pyth. od. II. Imò planè cenſeo, hujus eſſe Theophraſti, cujus ſecundum περὶ καιρῶν f librum advocat Suidas in Κυψελιδῶν. Περὶ καιρῶν appellat Parthenius Eroticῶn cap. IX, & XVIII. Erat quoque hiſtoricum opus περὶ νόμων g: ut liquet ex Harpocratione in Ἀρδηττός, & Ἀμβάτης, ubi laudatur, ἐν h τῷ εἰκοστῷ τῶν νόμων. De ſtylo ejus ſatius eſt tacere, quàm pauca dicere. Nam & elegantia ejus ſatis ex tam multis perſpicitur, quæ ad nos pervenerunt: & nemo adeò inſanit, ut non magnifice de eo ſentiat, quem ſummus ſapiendi, & dicendi magiſter, Ariſtoteles, ob divinam φράσιν vocavit Θεόφραστον, cùm priùs Tyrtamus diceretur. Auctores Strabo lib. XIII, Laërtius in Theophraſto, Joa. Tzetzes Chil. IX. cap. CCXCVI, & Suidas in Θεόφραστος. Sed hic primùm Tyrtamum, hinc Εὔφραστον, denique Θεόφραστον dicit vocatum. Quem verò ob præſtantiam primo inter diſcipulos loco collocamus, hunc poſt omnes fuiſſe ſuperſtitem, ſatis eſt veriſimile. Nam centum & ſeptem annos vixit; ut Hieronymus ſcribit epiſtola ad Nepotianum. Verba ejus ſunt: *Unde & ſapiens vir Theophraſtus*, (ita rectè emendat Caſaubonus i, ubi vulgò *Themiſtocles*) *cum, expletis centum & ſeptem annis, ſe mori cerneret, dixiſſe fertur, ſe dolere, quòd tum egrederetur è vita, quando ſapere cœpiſſet.* Et ſanè ipſe Theophraſtus præfatione elegantiſſimi libelli, quem ἠθικοὶ χαρακτῆρες k inſcripſit, ait, eum ſe ſcribere annos natum XCIX, poſtquam cum multis, & omnis generis naturæque hominibus, eſſet verſatus. Tamen Diogenes Laërtius, quæ verba Hieronymus dixiſſe dicit, annos natum centum & ſeptem, hæc vult protuliſſe, cùm eſſet annorum LXXXIV. Unde Caſaubonus in præfation. Theophraſti legendum ſuſpicabatur οθ', hoc eſt, LXXIX, non ϙθ', hoc eſt XCIX. Et profectò ſi ad tantam ætatem pervenit Theophraſtus, ac Hieronymus ait: mirum, non ejus meminiſſe duos illos, Cenſorinum cap. XV, ubi pleroſque longævos recenſet, ac imprimis Lucianum, qui ex profeſſo περὶ μακροβίων l tractat.

Etiam Ariſtotelis auditor fuit Ariſtoxenus Tarentinus: qui tantæ, ſuperſtite etiamnum magiſtro, auctoritatis apud condiſcipulos erat, ut icirco planè ſibi perſuaderet, defuncto Ariſtotele, non alteri potiùs deſtinatum iri loci & magiſterii ſucceſſionem. Sed Ariſtoteles, cùm corpore ægro, & tenui vitæ ſpe, foret, à diſcipulis conſultus, ſucceſſorem delegit Theophraſtum. Quod ita indignè tulit Ariſtoxenus, ut parùm memor, quid præceptori deberet, fœdis defunctum convitiis aſſiduè proſcinderet. Auctor Gellius lib. IV. cap. XI. Cæteroquin, ut ibidem dicitur, fuit *vir literarum veterum diligentiſſimus.* Ariſtoxeni hujus περὶ ἁρμονικῶν στοιχείων a tres libros primus in lucem protraxit vir is, cui multum adeò tot Græci ſcriptores debent, Joannes Meurſius. Præter tres hoſce libros quàm varia Ariſtoxenus edolârit, vel conſpicuum eſt ex titulis, quos in Notis ad hunc ſcriptorem ejuſdem viri induſtria collegit. Et ſanè Suidas auctor eſt, præter muſica, etiam hiſtorica & philoſophica ſcripſiſſe: atque adeò in omni diſciplinarum genere edidiſſe aliqua: ac librorum numerum fuiſſe CCCCLIII. Nihil verò celebratius opere de vitis illuſtrium virorum. Niſi potiùs intelligit variam ejus hiſtoriam, quam ſignat Laërtius in Myſone, cùm citat Ἀριστόξενον ἐν τοῖς σποράδην b. Ariſtoxeni Muſici meminit è Latinis quoque Marius Victorinus lib. I artis grammaticæ: eoque antiquior Valerius Maximus lib. VIII. cap. XIII; ubi ex eo narrat memorabilem, & felicem ſenectutem Xenophili Chalcidenſis Pythagorici. Ac ejuſce rei etiam Ariſtoxenum hunc auctorem laudat Lucianus in Macrobiis. Meminit & equidem Ariſtoxeni Plutarchus in Ariſtide. Nec alium ſignat in Lycurgo. Ubi ſine Muſici cognomento ἁπλῶς Ariſtoxenum vocat: ut & Laërtius facit in Pherecyde, Thalete, atque alibi. Sæpius etiam memoratur Malcho, ſive Porphyrio, libro de Pythagoræ vita; ubi inter alia commemorat, ut Ariſtoxenus ipſe Dionyſium juniorem, qui Siciliæ tyrannus fuerat, audierit narrantem ea, quæ de vadimonio Damonis pro Phintia præſtito (Ciceroni eſt Phidias) tam multi c veterum prodiderunt. Vide & Ariſtoxeni ea de re verba apud Jamblichum de vita Pythagoræ cap. XXXIII. Quod ſi neſciremus, Ariſtoxenum fuiſſe Ariſtotelis diſcipulum, atque, ut Stephanus d vocat, Ἀριστοτέλους e γνώριμον: hinc ætatem Ariſtoxeni ſatis noſceremus. Nam Dionyſius iſte Syracuſis Corinthum in exilium abiit ſeptennio antequam Alexander M. cœpit imperare. Præterea ejus B. Hieronymus meminit in præfatione libri de ſcriptoribus Eccleſiaſt. *Fecerunt*, inquit, *hoc idem apud Græcos, Hermippus peripateticus, Antigonus Caryſtius, Satyrus, doctus vir, & longe omnium doctiſſimus, Ariſtoxenus Muſicus.* Ex eo variæ vitæ à Græcis ſcriptoribus laudantur: uti Architæ, Socratis, Platonis, Teleſtis, Xenophili, & præcipuè Pythagoræ; cujus vitæ etiam mentio fit apud Malchum, ſive Porphyrium, in vita Pythagoræ. E Latinis quoque celebrat eum Gellius loco antè citato. Etiam ὑπομνήματα ἱστορικὰ citat Laërtius in Democrito; quæ ἱστορίας vocat Suidas. Sed fortaſſe idem hoc opus eſt iſti, quod de Vitis erat illuſtrium virorum. Apud Cyrillum initio libri primi contra Julianum legas, Ariſtoxenum Muſicum unà cum Hipponacte, & Simonide, vixiſſe Olympiade XXIX. Sed qui Ariſtotelis diſcipulus fuit, minimùm LXXX Olympiadibus poſt floruit. Decepit Cyrillum, quòd putaret, Euſebium de Ariſtoxeni ætate idem prodidiſſe in Chronicis ad annum M CCCLIV. Sed falſus in eo fuit. Nam Euſebius Muſici cognomen non addit: eoque intelligere poſſum Ariſtoxenum Selinuntium, poëtam, Epicharmo ipſi memoratum; ut Hephæſtio ait in Enchiridio, & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Plut. Act. II. Scen. V.

Heraclides Ponticus quoque, cùm primùm Speuſippum, & Pythagoricos, audiſſet, poſtea Ariſtotelem acceſſit; ut Sotion ἐν Διαδοχαῖς f ſcripſit, & ex eo Laërtius, qui Heraclidis hujus vitam conſignavit. Ubi & teſtatur, prope in omni diſciplinarum genere aliqua reliquiſſe, eaque κάλλιστά τε καὶ ἄριστα g. Inter alia ſcripſiſſe dicit Ἱστορικὰ h, Περὶ Πυθαγορείων, καὶ Περὶ εὑρημάτων. Ac planè cenſeo, huc etiam pertinere libros Περὶ βίων i, etſi eorum meminerit Laërtius inter φυσικά. Sanè opinionem noſtram non leviter firmat, quòd Eutocius in Archimedem citat Ἡρακλείδην ἐν τῷ Ἀρχιμήδους βίῳ k. Quod abſque dubio hiſtoricum opus fuit. Ex tam multis verò, quæ fecit, nihil ejus hodie exſtat præterquam illa Περὶ πολιτείας l. De dictione ejus ita cenſet Laërtius, Ἐν ἅπασι m ποικίλος τε, καὶ διηρμένος τὴν λέξιν ἐστί, καὶ ψυχαγωγεῖν ἱκανῶς δυνάμενος. Paſſim hujus ſcriptoris meminere Græci: è Latinis item Cicero ad Quinctum Fratrem lib. III. epiſt. V, Tertullianus lib. de Anima cap. X. Nec alium

ſignat

*a* Valere extemporali dictione, magnoque ferri impetu.
*b* De luctu.
*c* Problemate Phyſico ultimo.
*d* Cognitionis mare.
*e* De Tyrrhenis.
*f* De temporibus.
*g* De legibus.
*h* In vigeſimo de legibus.
*i* Notis ad Theophraſti characteres.
*k* Notiones morum.
*l* De longævis.

*a* De elementis harmonicis.
*b* Ariſtoxenum in diſperſis ſcriptis.
*c* Cicero lib. 3. de off. & 5. Tuſcul. Val. Max. lib. 4. c. 7. Plutarchus, Lactantius, alii.
*d* In Τάρας.
*e* Ex notis Ariſtotelis.
*f* In traditionibus.
*g* Pulcherrima & optima.
*h* Hiſtorica, de Pythagoricis, & de inventis.
*i* De vitis.
*k* Heraclidem in vita Archimedis.
*l* De Rep.
*m* In omnibus eſt varius, ac oratione diſtinctus, planeque idoneus eſt ad animos capiendos, & oblectandos.

ſignat Plinius lib. VII, cap. LII; ubi de iis agit, qui elati revixerunt. *Huc*, inquit, *pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, ſeptem diebus fœmina exanimis ad vitam revocata.* Liber ille Heraclidis Pontici περὶ ἄπνου *a* inſcribebatur; ut cognoſcimus ex Galeni lib. VI. περὶ πεπονθότων τόπων *b*, & Laërtio in proœmio. Fuit & alter Heraclides Ponticus; qui Caii, Claudii, & Neronis temporibus vixit. De eo Suidam vide in Ἀντίπατρος, & Ἡρακλείδης: ubi multa dicitur ſcripſiſſe verſu heroico; item libros verſu Sapphico, quos Λέσχας, ſive Nugas, vocavit. Ab utroque diverſus videtur Heraclides ille, cujus meminit Stephanus in Ὀδησσός, quo loco Heraclides ἱστοριογράφος vocatur, & Odeſſi natus dicitur. Nam etſi & primus ille hiſtoriam tractavit: tamen cùm, præ illis, quæ ad philoſophiam pertinerent, pauca in hoc genere ſcripſerit; planè fit veriſimile, ita vocari, ut non à philoſopho minus, quam poëta, diſtinguatur. Ponticum verò etiam hiſtoriographum hunc eſſe, ſatis liquet; quando, ut ibidem à Stephano dicitur, Ὀδησσὸς eſt Ponti civitas. Heraclidi Pontico, Laërtio *c* teſte, filius Euthyphron fuit. Ex quo refert idem Laërtius *d*, cùm oraculum dixit, Anacharſide ſapientiorem eſſe Eteum, per *Eteum* intellexiſſe Cretenſem: nam in Creta eſſe oppidum; unde fuerit Myſon. Secundi, vel tertii Heraclidæ Pontici, fuerit liber, qui nunc inſcribitur Ἀλληγορίαι Ὁμηρικαί. Scio, Laërtium in vita Heraclidis Pontici, primum hujus nominis, qui Ariſtotelis diſcipulus fuit, auctorem facere Λύσεων *e* Ὁμηρικῶν: quomodo olim is liber inſcribebatur. Scio etiam, doctiſſimum Geſnerum, qui eum vertit, in frontiſpicio libri velle, hunc auctorem eſſe, qui Ariſtotelis vixerit ætate. Sed valde utrumque falli, argumento eſt, quòd eo in libello mentio fiat multorum, qui multo pòſt Heraclidem eum vixerunt: ut Arati, Callimachi, Eratoſthenis, Apollodori, Cratetis, ejus diſcipuli Herodici, & aliorum.

Dicæarchus quoque Meſſenius Ariſtotele magiſtro gloriari potuit. Athenæus lib. XI: Δικαίαρχος *f* ὁ Μεσσήνιος, ὁ Ἀριστοτέλους μαθητής, ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου. Ariſtophanis ſcholiaſtes in Pacem: *g* Δικαίαρχος *h* ὁ Μεσσήνιος, Ἀριστοτέλους μαθητής, ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου, καὶ τὴν λάταγα αὐτὴν εἶναι Σικελικὸν ὄνομα. Sed de patria ſcrupulum injicere poſſunt hæc verba ejuſdem in XV: Δικαίαρχος *i* ὁ Μιλήσιος, Ἀριστοτέλους μαθητής, ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου. Sed legendum Μεσσήνιος, ut Caſaubonus *k*, & ante eum Geſnerus *l*, obſervavit. Nam & Ariſtophanis ſcholiaſtes Meſſenium vocat. Item Suidas, Δικαίαρχος *m*, inquit, Φειδίου, Σικελιώτης, ἐκ πόλεως Μεσσήνης, Ἀριστοτέλους ἀκουστής, φιλόσοφος, καὶ ῥήτωρ, καὶ γεωμέτρης. Et alibi Ariſtoxenum Muſicum æqualem facit Dicæarchi Meſſenii. Ex eodem cognoſcimus, ſcripſiſſe dimenſiones montium Peloponneſi. Item Remp. Spartiatarum; quod opus quanti Lacedæmone fieri ſoleat, inde videmus, quòd lege cautum fuerit, ut in Ephororum prætorio, audientibus puberibus, quotannis recitaretur; atque is mos diutiſſimè fuerit obſervatus, Suida teſte. Ex eodem diſcimus, ſcripſiſſe libros tres de populis, & civitatibus Græciæ; in quibus egit de ſingulorum populorum, & civitatium moribus, vitæque inſtitutis; quæ cauſſa eſt, cur eos inſcripſerit περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου *n*. Eam Græciæ deſcriptionem citat etiam B. Hieronymus lib. II adverſus Jovinianum. Verba ejus ſunt: *Dicæarchus in libris Antiquitatum, & deſcriptione Græciæ, refert, ſub Saturno, id eſt, in aureo ſeculo, cùm omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes; ſed univerſos vixiſſe frugibus, & pomis, quæ ſponte terra gignebat.* Libris plurimis hoc opus conſtitiſſe, *o* indicat, quòd librum tertium memoret Athenæus libro XIII. Atque hanc ſententiam adſtruunt etiam Suidas, & Stephanus περὶ πόλεων *o*.

Hodie vel epitomen, vel egregium ejus operis habemus fragmentum; unde etiam cognoſcimus, dicatum fuiſſe Theophraſto, qui abſque dubio magnus magni illius philoſophi diſcipulus fuit. Citat & Dicæarchum ἐν πρώτῳ περὶ βίων *p* Diogenes Laërtius in Platone *q*: εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ πα-

a De examini, nec reſpirante.
b De locis affectis.
c In Myſone.
d Ibidem.
e Solutionum Homericarum.
f Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, libro de Alcæo.
g P. 716.
h Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, in libro de Alcæo ait, & vocabulum Latax, quo ſonus caſtabiſmi ſignificatur, eſſe à Siculis.
i Dicæarchus Mileſius, Ariſtotelis diſcipulus, libro de Alcæo.
k Animad. in Athen.
l In Bibliotb.
m Dicæarchus Phidiæ filius, Siculus, Meſſenius, Ariſtotelis auditor, philoſophus, orator, geometra.
n De vita Græciæ.
o De urbibus, [illegible]
p Libro primo de vitis.
q P. 189. edit. Amſt. an. 1594.
r Sunt & qui dicant, palæſtrâ ſe exercuiſſe in Iſthmo; quemadmodum eſt apud Dicæarchum libro de Vitis.

λαῖσαι φασὶν αὐτὸν Ἰσθμοῖ, καθὰ καὶ Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ βίων. Scripſit quoque de montibus; ut adparet ex Stephano Byzantino; cujus libri fragmentum videtur eſſe deſcriptio illa montis Pelii. Etiam Cicero ad Atticum lib. XIII, epiſt. XXXII, & Athenæus lib. IV, citant Dicæarchi Τριπολιτικόν: quem Meſſenium hunc fuiſſe, omnino veriſimile eſt. Videtur autem, de hujus libri auctore fuiſſe olim dubitatum. Nam Joſephus lib. I contra Apionem ait, multos putâſſe, eſſe eum Theopompi Chii; quos falſos eſſe ſcribit; ſed Dicæarchi eſſe, non addit: fortaſſe quia genuinum auctoris nomen non occurreret. Denique citatur etiam Dicæarchus ab Athenæo lib. XIII περὶ *a* τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως: item περὶ *b* τῆς ἐν Ἰλίῳ θυσίας: adhæc lib. XIV; ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ *c*: lib. XV. ἐν τῷ περὶ Ἀλκμᾶνος *d*: & τῷ περὶ Ἀλκαίου *e*. Etſi enim non ignoro, fuiſſe & alterum Dicæarchum *f*, Lacedæmonium, Ariſtarchi diſcipulum: quin tamen iſta Meſſenii hujus fuerint, minimè dubitandum. Præſertim cùm Cicero, ut unius auctoris, conjungat Dicæarchi Τριπολιτικὸν, & καταβάσεως, & περὶ ψυχῆς. Locus eſt ad Att. lib. XIII, epiſt. XXXII: *Dicæarchi* περὶ ψυχῆς *utroſque velim mittas;* & καταβάσεως. Τριπολιτικὸν *non invenio, & epiſtolam ejus, quam ad Ariſtoxenum miſit.* Meminerat & καταβάσεως Dicæarchi epiſtolâ præcedenti. Nec magis ambigere licet de libro, quem Tullius eum de divinatione, & ſomniis, ſcripſiſſe auctor eſt. Nec alterius eſt liber de Muſica; cujus meminere Plutarchus, Fabius, & Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Nubes. Idem quoque intelligendus apud Gellium lib. IV, cap. XI, Plutarchum in Theſeo, & Ageſilao, Laërtium in Thalete, Cenſorinum de die Natali cap. IV, Clementem Alexand. ἐν Προτρεπτικῷ, item Malchum ſive Porphyrium in vita Pythagoræ, & lib. IV περὶ ἀποχῆς, ubi dicitur τῶν *g* συντόμως τε καὶ ἀκριβῶς τὰ Ἑλληνικὰ συναγαγόντων εἶναι. Adhæc Geminum iſagoge εἰς τὰ φαινόμενα: ſed ibi corruptè vocatur Δικαίαρχος: item Sophoclem in Ariſtophanis Veſpas, ubi citatur Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ: nec non ἐν *h* τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων: puto enim, hîc quoque Meſſenium ſignari, & fortaſſe ubicunque ἁπλῶς mentio fit operum Dicæarchi. Quem Cicero nunc ſcriptorem luculentum, nunc hiſtoriæ peritiſſimum, nunc peripateticum magnum, & copioſum vocat. Hujus ſcriptoris fœdus iſte error fuit, *nihil omnino animum eſſe:* de quo ita Cicero lib. I Tuſcul. Quæſt. *Dicæarchus in eo ſermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum diſputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus, Pherecratem quendam, Phthiotam ſenem, quem ait à Deucalione ortum, diſſerentem inducit,* NIHIL OMNINO ESSE ANIMUM, *& hoc eſſe totum nomen inane, fruſtraque & animalia, & animantes appellari; neque in homine ineſſe animum, vel animam, neque in beſtia.* Et poſt pauca: *Quid de Dicæarcho dicam, qui nihil omnino animum dicat eſſe?* Eſſe verò iſtum Dicæarchum Meſſenium, indicant hæc Tertulliani verba lib. de Anima cap. XV: *Denique, qui negant principale, ipſam prius animam nihil cenſuerunt; Meſſenius aliquis Dicæarchus, ex Medicis autem Andreas, & Aſclepiades.*

Diſcipulus quoque Ariſtotelis fuit Hieronymus Rhodius. Athenæus lib. X: Ἱερώνυμος *i* ὁ Ῥόδιος, Ἀριστοτέλους μαθητής, ἐν τῷ περὶ μέθης. Cujus operis etiam meminit lib. XI. Ab eodem lib. XIII dicitur Ἱερώνυμος ὁ Περιπατητικός; Plutarcho *k*, Ἱερώνυμος ὁ φιλόσοφος. Æqualem fuiſſe Arceſilai, indicat Laërtius philoſophi hujus vitâ. At idem ex Apollodori Chronicis tradit, Arceſilaum floruiſſe circa Olymp. CXX. Quare vel inde poſſet conſtare, Hieronymum temporibus Ptolomæi Lagi vixiſſe. Superfuiſſe verò videtur etiam temporibus Philadelphi. Siquidem Timoni fuit familiaris: Timon autem Antigono, & Philadelpho, carus fuit; ut Laërtius teſtatur in Timone. Scripſit inter alia etiam hiſtorias. Athenæus lib. XIII: Ἱερώνυμος *l* ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν. Ac fortaſſe idem opus ſignat Laërtius in Thalete, cùm citat Ἱερώνυμον *m* ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων.

a De deſcenſu in antrum Trophonii.
b De ſacrificio in Ilio.
c In Olympico.
d Lib. de Alcmane.
e Lib. de Alcæo.
Cujus libri etiam mentio eſt in undecimo.
f Suid.
g Unus eorum, qui [illegible] ac accurate, collegerunt.
h De muſicis certaminibus.
i Hieronymus Rhodius, qui Ariſtotelis diſcipulus fuit, libro de ebrietate.
k In Ageſilao.
l Hieronymus Rhodius in hiſtoricis commentariis.
m Hieronymum in ſecundo collectaneorum varii argumenti.



Digitized by Google

Etiam tanto ſe magiſtro jactat Clearchus; ut ſcribit Joſephus lib. I contra Apionem: ubi & eum Peripateticorum dicit nulli eſſe ſecundum. Adfert quoque egregium fragmentum ex libro ejus de ſomno. Quod ipſum exſcripſit Euſebius lib. IX de præparat. Euang. a. Exponit autem Scaliger, Appendice libri de emendatione Temp. b. Etiam Κλέαρχος c ἐκ τοῦ περιπάτου vocatur Æliano lib. XII de animalibus cap. XXXIV. Intelligendus verò Clearchus Solenſis, ut cognoſcimus ex Suida, item Diogene Laërtio in proœmio; ubi ejus librum περὶ παιδείας d citat. Cujus & mentio fit apud Athenæum lib. XV. Multa quoque alia illius idem laudat. Eaque inter libros περὶ βίων e. quorum meminit lib. VI, his verbis: Κλέαρχος f δ' ὁ Σολεὺς, εἷς δ' οὗτος τῶν Ἀριστοτέλους ἐστὶ μαθητῶν, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν βίων τάδε γράφει. Atque ut hìc librum Vitarum primum, ita ejus operis ſecundum citat lib. IV; quartum verò, & quinctum, libro XII. Nec aliunde eſt, quod de Pythagora refert Gellius lib. IV. cap. XI. Arbitror, & hiſtoricum fuiſſe opus ἐρωτικῶν g: nec aliud ferè continuiſſe, quàm narrationes amatorias. Memorat illud Athenæus, cùm alibi, tum lib. XIII; ubi refert ex primo ἐρωτικῶν de Gyge, Lydiæ rege, quanto fuerit honore dignatus ſcortillum, quod amabat. Nec alterius fuit opus περὶ θινῶν h, eidem Athenæo celebratum lib. VIII; aut περὶ παροιμιῶν i, cujus ibidem mentio: aliaque, apud eundem, compluria. Etiam τακτικὰ k ſcripſiſſe, auctor eſt Ælianus cap. I libri περὶ l στρατηγικῶν τάξεων Ἑλληνικῶν. Item libri de gryphis meminit ſcholiaſtes Ariſtophanis in Veſpas. Eundem περὶ τοῦ Πανικοῦ citat Athenæus lib. IX; ubi de ſalacitate perdicum. Meminit & Clearchi, Lycophronis ſcholiaſtes m; ubi tres Hercules ex eo fuiſſe narrat; Herculem Briarei, Herculem Tyrium, ac Herculem Græcum.

Denique etiam, auctore Suidâ, Phanias, ſive Phænias, Ereſius, philoſophus Peripateticus, Ariſtotele magiſtro profecit. Meminit illius & Laërtius n lib. II: ubi ex eo tradit, Ariſtippum Cyrenaicum primum Socraticorum mercedem pro inſtitutione exegiſſe. Varia ſcripſiſſe, ex Athenæo cognoſcimus. Nam ſæpius nominat opus περὶ φυτῶν o. Item libro III citat eum ἐν τῷ p ἐπιγραφομένῳ, Τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας. Libro VI, περὶ q τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων. Lib. VIII, ἐν r δευτέρῳ πρυτάνεων Ἐρεσίων. Et eodem, ἐν δευτέρῳ περὶ ποιητῶν s. Item lib. XIV; πρὸς t τοὺς σοφιστάς. Quædam quoque ejus Laërtius citat. Nam in Antiſthene legas: Φανίας u ἐν τῷ περὶ τῶν Σωκρατικῶν. Et in Zenone: Καθά φησι x Φανίας ὁ Ποσειδωνίου γνώριμος, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποσειδωνείων σχολῶν. Hiſtoriam de Hipparino ex Phania hoc citat Parthenius in Eroticis cap. VII. Ad eundem Phaniam exſtitit olim epiſtola Theophraſti, popularis ejus: quod ipſum quoque ætatem ejus oſtendit. Apollonii ſcholiaſtes in lib. I: Λέγεται y ἡ ἴουλος καὶ ζῶόν τι, θηρίδιον πολύπουν. ἑκατέρωθεν γὰρ ἔχει πολλοὺς πόδας, ὥσπερ σκολόπενδρα. Θεόφραστος δὲ ἐν τῇ πρὸς Φανίαν ἐπιστολῇ, καὶ ὄνον φησὶν αὐτὸν καλεῖσθαι. Meminit & Phaniæ hujus Antigonus Caryſtius in Collectaneis Hiſtor. Mirab. cap. CLXXI: & Plutarchus de defectu oraculorum: item in Solone; ubi vocatur Phanias Lesbius. Quid mirum? cum Ἔρεσος ſit civitas inſulæ Lesbi; ut ex Strabone, Mela, & Ptolomæo conſtat. In eâdem Solonis vitâ extremâ legas, Φανίας ὁ Ἐφέσιος: corruptè pro Ἐρέσιος. Nam Lesbium illum ſignari, certum eſt; cùm, uti antè, ita iſtic quoque, de Solone quædam ex Phania narrentur. Corrigendus ſimiliter Etymologici magni auctor voce Κύρβεις; ubi nunc ſcriptum, Φανίας ὁ Ἐφέσιος. At incorruptè legas apud Anonymum ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CXI, an. II. Φανίας z Ἐρέσιος Περιπατητικὸς Ἀριστοτέλους μαθητὴς ἐγνωρίζετο. Eundem ſignat Antigonus Caryſtius Hiſt. Mirab. cap. CLXI.

Utinam verò exſtaret Nicandri Alexandrini liber de diſcipulis Ariſtotelis, cujus meminit Suidas. Deſpici poſſet, an non eos inter eſſet Satyrus Peripateticus. Sed de hoc videbimus libro tertio in ſcriptoribus incertæ ætatis.

*a P. 140. edit. Rob. Steph. b P. 928 edit. Baſ. c Clearchus Peripateticus. d De diſciplina. e De Vitis. f Clearchus Solenſis, qui unus fuit ex Ariſtotelis diſcipulis, libro Vitarum primo ita ſcribit. g Amatoriorum. h De arenoſis ſolitudinibus. i De proverbiis. k De inſtruenda acie. l De inſtruendis copiis Græcorum. m P. 65 n In Ariſtippo. o De plantis. p Libro, qui inſcribebatur, Tyrannorum cædes ex vindicta. q De tyrannis Siciliæ. r In ſecundo de magiſtratibus Ereſſiis s In ſecundo de poëtis. t Ad ſophiſtas. u Phanias libro de Socraticis. x Sicut Phanias ait, Poſidonii familiaris, in primo de Poſidonii diſſertationibus. y Dicitur iulus etiam animal quoppiam, animalculum multipes: utrimque enim pedes habet multos, inſtar ſcolopendræ. Theophraſtus epiſtolâ ad Phaniam ait, & aſellum vocari: ut à Sophocle in mutis Satyris. z Phanias Ereſius, Peripateticus, Ariſtotelis diſcipulus, clareſcebat.*

Diſcipulis Ariſtotelis ſuccedat Palæphatus Abydenus, qui amaſius ejus fuit; ut Philo ſcripſit lib. I de Admirabili hiſtoria, & Theodorus Ilienſis Troicorum lib. II, atque ex his Suidas. Qui auctor quoque eſt, edidiſſe Cypriaca, Deliaca, & Arabica. Etiam Abydeni hiſtoriam Aſſyriam citant varii: & ex ea Euſebius lib. IX a præparat. Euang. fragmentum adfert nobile, quod à Scaligero explicatur in appendice libri de Emend. Temp. Sed cùm ἁπλῶς vocet Abydenum; alium eſſe à Palæphato Abydeno, cenſeo. Præſertim cùm non tantùm Ἀβυδηνὸς vocetur; ſed in pleriſque libris ſit Ἀβυδινὸς, & Ἀβυδηνός; ut hominis poſſit nomen videri, non gentis. Et profectò ita eſt; ut lib. III pluribus dicemus.

## Cap. X.

*Marſyas Pellæus. Duo alii ejuſdem nominis, itidem hiſtorici. Hecatæus Abderita. Liber ejus de Judæis. Ariſtobulus, Ariſtobuli filius. Ariſtobulus Judæus. Trapezuntius notatus. Clitarchus. Cujuſmodi ejus dictio, & fides. Clitus Peripateticus. Anaximenes Lampſacenus rhetor, Ejus videri Rhetorica ad Alexandrum, quæ Ariſtoteli tribuuntur vulgò. Scripta illius hiſtorica. Ut pulcherrimo dolo cives ſuos ſervârit. Quo arte ultus ſit Theopompum. Quædam orationes ejus improbata à Plutarcho; uti & Theopompi, atque Ephori. Oneſicritus. Spontaneum Calani vivicomburium. Nearchus. Ptolemæi Lagi hiſtoria. Cur præ cæteris fides ei habita ſit ab Arriano. Antipatri hiſtoria. Archelaus χωρογράφος. Rejecta Mauſaci conjectura. Strattis Olynthius. Eumenes Cardianus. Diodotus Erythræus. Chares Mitylenæus Εἰσαγγελεύς. Ariſtus Salaminius. Aſclepiadis, ac Jaſonis item, hiſtoria de Alexandri rebus geſtis.*

Perſequamur nunc cæteros ejuſdem ætatis ſcriptores: uti ſunt illi, qui cum Alexandro Magno nutriti fuerunt; aut ejus fuere in bello comites, aut duces. Poterat his accenſeri Calliſthenes, philoſophus, & hiſtoricus ſummus; de quo jam dictum nobis. Sed cùm de ſanguine Ariſtoteli junctus fuerit, & multis partibus amplius debuerit Ariſtoteli, quàm Alexandro: maluimus ei locum dare inter Ariſtoteleos, quàm iſtos, quibus ab Alexandro claritudo aliqua nominis acceſſit. Ordiemur igitur à Marſya Pellæo. Hic γραμματοδιδάσκαλος a fuit, Periandri filius, frater verò Antigoni ejus, qui poſt Alexandrum regnavit. Reliquit librum de educatione Alexandri: de qua non alius meliori fide ſcribere poterat: quippe qui unà cum Alexandro fuit educatus. Sed præterea edidit libros XII de rebus Atticis: item libros X rerum Macedonicarum. Opus illud ordiebatur à primo Macedoniæ rege Carano: ac terminabat Alexandri in Syriam ingreſſu. Auctor iſtorum Suidas. Qui & alterius Marſyæ meminit, Critophemi filii, Philippenſis. Hunc ἱστορικὸν τὸν νεώτερον b appellat. Eum quoque Macedonica ſcripſiſſe, colligo ex Harpocratione. Qui prioris quidem meminit in Μύρκινος, his verbis: Μαρσύας c ὁ πρεσβύτης ἐν ὀγδόῃ Μακεδονικῶν. Alterius verò mentionem facit in Αἰτῇ. Μαρσύας d, inquit, ὁ νεώτερος ἐν ἕκτῃ Μακεδονικῶν. Itaque non ſatis apertum eſt, uter ſignetur ab eodem in Ἀμφίπολις: aut Athenæo lib. XIV; ubi Marſyæ Macedonica, ſed ſine nota [illegible], citantur. At eidem Athenæo lib. II Μαρσύας ὁ νεώτερος ſcripſiſſe dicitur, Phaona à Venere occultatum eſſe ἐν e χλόῃ κριθῶν. Ac temporum ratio oſtendit, eundem intelligi à Diodoro Siculo, lib. XX; quo loco deſcribit pugnam navalem inter Demetrium, Antigoni filium, & Ptolomæum, filium Lagi: mediæque navium aciei præfuiſſe ait Themiſonem, & Marſyam, hiſtoricum rerum Macedonicarum: ἦν f ἡγοῦντο Θεμίσων τε ὁ Σάμιος, καὶ Μαρσύας ὁ τὰς Μακεδονικὰς πράξεις συντεταγμένος. Eſt & tertius Marſyas, Marſi filius, Tabenus hiſtoricus; qui libros XII antiquitatum, libros VII rerum fabuloſarum, & quædam de patria ſua, Suida teſte, perſcripſit.

*a P. 443. edit. Rob. Steph. a Literarum magiſter. b Hiſtoricum juniorem. c Marſyas ſenior in octavo rerum Macedonicarum. d Marſyas junior in ſexto de rebus Macedonicis. e In ſegete virentis hordei. f Quibus (ut meminit navibus) Themiſo Samius, & Marſyas, Macedonicarum rerum ſcriptor, præfuerunt.*

Mar-

Marſyæ accedat Hecatæus Abderita: quem cum Alexandro M. nutritum, & cum Ptolomæo Lagi commoratum fuiſſe, teſtatur Fl. Joſephus lib. I contra Apionem: ubi & ſæpius ejus teſtimonio utitur. Hecatæi hujus elogium exſtat apud Euſebium lib. IX præparationis Euangelicæ *a*: Ἑκαταῖος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης, ἀνὴρ φιλόσοφος ἅμα, καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος, ἰδίαν βίβλον ἀναθεὶς τῇ περὶ Ἰουδαίων ἱστορίᾳ, πλεῖστα περὶ αὐτῶν διέξεισιν. *Hecatæus autem Abderita, vir philoſophus, atque idem ad res agendas valde i[illegible]em, ſingularem librum deſtinavit hiſtoriæ Judaicæ, in quo multa de iis prodit.* Quod ſi Abderita eſt, qui de rebus Judaicis ſcripſit: non dubium eſt, quin idem ſignetur à Flavio Joſepho lib. I Antiquit. cap. VII; ubi ſic ſcribit: Ἑκαταῖος βιβλίον περὶ αὐτοῦ (Ἀβραάμου) συνταξάμενος κατέλιπε. *Hecatæus librum de Abrahamo ſcriptum reliquit.* Non dubito, quin liber is pars fuerit hiſtoriæ Judaicæ. Suidas tantùm dicit, [illegible]ſſe philoſophum, & grammaticum criticum; ſcripſiſſeque de poëſi Homeri, & Heſiodi: ſed libri de Judæis nullam facit mentionem; etſi aliter prodiderit Geſnerus. Ex eo libro fragmentum, ab Euſebio, quo dixi loco, adlatum, illuſtrat Scaliger appendice libri de Emendat. temp. Cæterùm, an genuinum id Hecatæi opus foret, dubitabat Herennius Philo. Impenſe adeò illud Judæorum favebat religioni. Quâ de re inſignis eſt locus Origenis lib. I. contra Celſum: Καὶ Ἑκαταίου δὲ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλόν πως ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἑρέννιον Φίλωνα, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι, πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν, εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστι τὸ σύγγραμμα· δεύτερον δὲ λέγειν, ὅτι, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ἀπὸ (ὑπὸ) τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος, καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῶν τῷ λόγῳ. *Fertur & Hecatæi hiſtorici de Judæis liber; in quo adeò probat hujus gentis ſapientiam, ut Herennius Philo in commentariis ſuis de Judæis primùm dubitet, an hujus hiſtorici id ſcriptum ſit: deinde addat, ſi quidem ejus eſt, videri eum corruptum Judæorum perſuaſionibus, probaſſeque illorum placita.* Herennii Philonis judicium ſequitur Jo. Scaliger epiſt. CXV, ad Caſaubonum. Vult enim, illud opus eſſe ab Helleniſtis antiquis confictum, atque id manifeſtè colligi ex Origene. Non dubium verò, quin ſuperiora Origenis verba in animo habuerit. Nec tamen manifeſtè ſatis hoc inde colligitur, quòd dicatur, Herennium Philonem de opere eo dubitâſſe; ut qui ſolùm ſcribat, vel non eſſe Hecatæi opus, vel Judæorum placita probâſſe. Fortaſſe igitur Hecatæus, à Judæis perſuaſus, defecerit à religione Græcorum: ſi non in univerſum, ſaltem hactenus, ut videri poſſet conſtitutus in confinio tenebrarum, ac lucis. Edidit quoque hiſtoriam Ægyptiacam. Nam Abderitæ, non Mileſii *b*, fuiſſe hoc opus, cognoſcimus ex illis Diodori Siculi verbis lib. I: Οὐ μόνον δ' οἱ κατ' Αἴγυπτον ἱερεῖς ἐκ τῶν ἀναγραφῶν ἱστοροῦσιν, ἀλλὰ καὶ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων τῶν παραβαλόντων μὲν εἰς τὰς Θήβας ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, συνταξαμένων δὲ τὰς Αἰγυπτιακὰς ἱστορίας, (ὧν ἐστι καὶ Ἑκαταῖος) συμφωνοῦσι τοῖς ὑφ' ἡμῶν εἰρημένοις. *Nec verò à ſacerdotibus Ægyptiis duntaxat hæc è libris ſacris referuntur: ſed etiam Græcorum multi, qui Ptolomæi Lagi ætate hiſtorias Ægyptiacas compoſuerunt, (è quibus etiam Hecatæus eſt) conſentiunt iis, quæ à nobis dicta ſunt.* Sed fuere, qui Hecatæo Mileſio hoc opus tribuerent. Eum enim ſignare videtur Arrianus lib. V expedit. Alex. ubi de auctore dubius ita loquitur: Ἡρόδοτός τε *c* καὶ Ἑκαταῖος οἱ λογοποιοί, ἢ εἰ δή του ἄλλου ἢ Ἑκαταίου ἐστὶ τὰ ἀμφὶ τῇ γῇ τῇ Αἰγυπτίᾳ ποιήματα. Opus quoque Hecatæi Abderitæ de gentibus Hyperboreis hiſtoricum fuit; ſed fabulas multas habuit admiſtas. Ælianus lib. XI de Nat. Animal. cap. I: Ἀνθρώπων *d* Ὑπερβορέων γένος, καὶ τιμαὶς Ἀπόλλωνος ἐκεῖθι, ᾄδουσι μὲν καὶ ποιηταί, ὑμνοῦσι δὲ καὶ συγγραφεῖς. ἐν δὲ τοῖς καὶ Ἑκαταῖος, οὐ Μιλήσιος, ἀλλ' ὁ Ἀβδηρίτης. Signat hoc volumen etiam Stephanus in Ἐλίξοια, atque iterum in Καραμβύκαι. Utrobique docet; Carambycas, ſive Cerambycas, eſſe gentem Hyperboream: & ejus rei auctorem laudat Ἑκαταῖον Ἀβδηρίτην. Atque ex his ſatis liquet, non Mileſium, ſed Abderitam intelligi debere apud ſcholiaſtem Apollonii, quando in librum II ſic ſcribit: Ἑκαταῖος *a* δὲ μέχρι τοῦ αὐτοῦ χρόνου εἶναί φησι τὸ τῶν Ὑπερβορείων ἔθνος. Ἔστι δὲ αὐτῷ βιβλία ἐπιγραφόμενα περὶ τῶν Ὑπερβορείων. Geſnerus in bibliothecâ ſuâ Abderitæ huic etiam tribuit Αἰολικά, quorum Stephanus meminit in Ἀμαζόνιον, & Μελιτοῦ κόλπος. Sed cùm non addat Stephanus patriam; alius quoque intelligi poſſit. Meminit Hecatæi Abderitæ etiam Plutarchus libro de Iſide, ac Oſiride, & Laërtius in Pyrrhone: ac fortè Abderita hic, non Hecatæus Mileſius, ſignatur quoque à Laërtio in proœmio, ubi advocat Hecatæum in primo de philoſophia Ægyptia. Non eundem eſſe, qui de Ægyptia terra, quique de philoſophia Ægyptia ſcripſit, ſatis veriſimile eſt. Apud Clementem in V Στρωματ. legas, Hecatæum in ſua hiſtoria agere de Abrahamo, & Ægyptiis. Cæterùm corrigi debet Hecatæi nomen apud Rufinum, Joſephi interpretem, lib. I Antiquit. cap. VIII; ubi *Echatæus* vocatur: quemadmodum & ibidem *Eſtius* dicitur, qui eſt Heſtiæus, ſive Hiſtiæus. At longè corruptiora etiam nomina iſta ſcriptorum ſunt apud Freculphum Lexovienſem; qui duos Chronicorum libros ante annos penè octingentos edidit. In eorum primo cap. XXVI hæc legas: *Manethon, qui deſcriptionem fecit Ægyptiorum, & Beroſus, qui Chaldaica defloravit, & Mochus, & Aetius, adhæc & Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicam diſpoſuit, concordant cum eis dictis. Heſiodus quoque, & Agatheus, & Hellanicus, & Acuſivavus.* Non operoſum eſt hæc emendare ei, qui ſciat exſcripſiſſe ea ex Rufino, Joſephi interprete. Primùm qui Joſepho Μανέθων *b*, is apud Rufinum vitioſè *Manathon*, apud Freculphum *Manechon*. Qui Joſepho Ἑστιαῖος *c*, is Rufino corruptè *Eſtius*, Freculpho corruptiùs *Aetius*. Hieronymus Ægyptius dicitur Joſepho ſcripſiſſe Φοινικικά *d*. Apud Rufinum in editis legas, eum *Phœniciam*, apud Freculphum, (uti & Rufino meo MSo) *Phœnicam* diſpoſuiſſe. Apud Joſephum eſt Ἑκαταῖος. Apud Rufinum perperam eſt *Echatæus*, vel, ut in MSo eſt, *Egathæus*: apud Freculphum ineptiùs etiam eſt *Agatheus*. Apud Joſephum eſt Ἀκουσίλαος *e*, apud Rufinum *Accuſilaus* in editis, in MSo *Acuſilaus*, apud Freculphum *Acuſivavus*. Sed quid fiet loco iſti, ubi apud Flavium Joſephum eſt, Ἡσίοδος, apud Rufinum *Iſidorus*, ut & in MSo meo? Nimium quantum hic literarum ductus diſcrepant. An utrobique vox corrupta ex Ἡλιόδωρος? Sanè hoc & in Ἡσίοδος, & in *Iſiodorus*, (ſic enim apud Rufinum in editis exaratum eſt) facilè potuit immutari. Et complures Heliodori fuere, qui hiſtoriam ſcripſerint. An durius ſit ſtatuere, utrumque locum eſſe corruptum: eoque ſatius eſt, ſi ex Græco Rufinum corrigamus, pro *Iſidoro* (ut quoque in MSo reperio) reponentes *Heſiodus*? Sanè niſi & olim in Rufini codicibus *Heſiodus* fuiſſet, non hoc nomen, uti apud Joſephum, ſic hodieque apud Freculphum legeretur; qui non Joſephum, ſed interpretem, exſcripſit: quippe qui hujus verba toto iſtoc capite reſervet. An potiùs apud Joſephum ſcribendum eſt Ἰσίδωρος? Nec enim Heſiodo locus inter hiſtoricos erat. Poſtremum hoc non diſplicet. Nam loquitur Joſephus de iis, qui veterum meminerint mille annos viventium. Hoc veriſimile eſt feciſſe Iſidorum Characenum. Nam ſi ex profeſſo de longævis non ſcripſit, ſaltem occaſio ei digrediendi de his fuit, quia longævorum exempla in hiſtoria ſua retulit. Hoc ita eſſe, cognoſcimus ex Luciani Macrobiis: ubi ex Iſidori Characeni hiſtoria duo adfert exempla regum longævorum: Artaxerxis Perſæ, quem XCIII fuiſſe annorum ait, cùm à fratre Goſethra obtruncaretur: item Goæſi, qui, cùm Mano apud Arabas regnaret, annorum fuit CXV, ac tandem morbo periit.

Præterea Ariſtobulus, Ariſtobuli filius, inter comites Alexandri fuit. Hic quoque poſt mortem Alexandri ſuam de rebus ab eo geſtis hiſtoriam perſcripſit: quemadmodum tradit Arrianus initio hiſtoriæ de expeditione Alexandri. Ubi duos illos, Ariſtobulum hunc, & Ptolomæum Lagi filium, imprimis ſequi ſe velle profitetur. Sæpius

Ari-

*a* P. 239. edit. Rob. Steph.

*b* Qui ſeculo, & amplius ante Abderitam claruit: nempe Darii Hyſtaſpidæ temporibus; ut dictum libri hujusce c. I.

*c* Herodotus & Hecatæus hiſtoriarum ſcriptores; niſi alterius, quàm Hecatæi, ſunt illa de regione Ægypti ſcripta.

*d* Hyperboreorum gentem, & Apollinis quidem honores, cantant non modo poetæ, ſed hiſtorici etiam celebrant. In quibus Hecatæus, non Mileſius ille, ſed Abderita.

*a* Hecatæus vero ait, ad ſuam uſque ætatem durare Hyperboreorum genus. Scripſit vero II de Hyperboreis libros.

*b* Manethon.

*c* Heſtiæus.

*d* Phœnicica.

*e* Acuſilaus.

Ariſtobuli hujus meminit Plutarchus in Alexandro. Multaque ex eo de rebus Indicis adfert Strabo lib. xv. Non dubium verò, quin idem ſit, quem Caſſandreum cognominat Plutarchus in Demoſthene. Item Lucianus in Macrobiis; ubi illuſtris eſt hoc de ſcriptore locus. Verba ejus ſunt: Ἀριστόβουλος ὁ Κασανδρεὺς ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα ἔτη λέγεται βεβιωκέναι. τὴν ἱστορίαν δὲ, τέταρτον καὶ ὀγδοηκοστὸν ἔτος γεγονὼς, ἤρξατο συγγράφειν· ὡς αὐτὸς ἐν ἀρχῇ τῆς πραγματείας λέγει. *Ariſtobulus Caſſandreus ultra nonaginta annos vixiſſe fertur: qui hiſtoriam ſuam, quartum & octogeſimum annum agens, orſus eſt conſcribere; quemadmodum ipſe in operis ſui principio ait.* Etiam Athenæo lib. II citatur Ariſtobulus ὁ Κασανδρεὺς, ac ſcripſiſſe dicitur, ut Mileti fons ſit, quem incolæ vocent *Achilleum:* ejus aquam profluentem eſſe dulciſſimam: at quæ fundo propior, ſalſam eſſe: in hoc fonte ſeſe luſtrâſſe heroem, cùm interemiſſet Strambelum, Lelegum regem. Etiam Κασανδρεὺς vocatur lib. VI: ſed ἁπλῶς *Ariſtobulus*, ſemel iterumque, in XII. Plutarchus libro de Fluminibus citat primum Ariſtobuli librum de Lapidibus. Siquis eundem putet, non video, ut refelli poſſit. Fortaſſe & idem eſt Ariſtobulus, cujus libros de rebus Italicis citat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XXXII. At alius eſt Ariſtobulus Judæus, philoſophus Peripateticus; ut eum vocat Clemens Alexandr. lib. I Στρωμ. & Euſebius lib. IX præparat. Euangel. Eundem ſignat B. Hieronymus in illuſtr. ſcript. cap. XXXVIII, quod eſt de Clemente Alexandrino. Scripſit is explanationem in Moſen, eamque Ptolomæo Philometori dicavit; qui regnare cœpit Olympiade CL, anno uno ante Perſeum Macedoniæ regem. Euſebii eo, quo dixi loco, verba ſunt: Ἀριστόβουλος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα. Quæ Trapezuntius vertit, *Ariſtobulus in primo apud Philometora*; cùm deberet, *in primo eorum, quos ad Philometora ſcripſit.* Vide & Euſebium lib. VII Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXVI: quæque de hoc Ariſtobulo adverſus Anatolium, & Clementem, obſervat Joſephus Scaliger ad Chron. Euſeb. annum MDCCCXL.

Lego quoque, Clitarchum fuiſſe Alexandri expeditionum comitem, & hiſtoriam condidiſſe de rebus à rege ſuo geſtis. Meminit ejus Curtius lib. IX ſemel, iterumque: Græcorum verò longè plurimi: in quibus, Plutarchus in Alexandro, & Themiſtocle: item Athenæus, cùm alibi, tum lib. XII; ubi eum citat ἐν πέμπτῃ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον. Adhæc Ælianus lib. VII hiſt. animal. cap. II. Et his antiquior Strabo lib. V: ubi de Indico ſale quiddam ex eo refert. Et ante omnes Diodorus Siculus lib. II; qui cum Alexandro M. in Aſiam trajeciſſe, non obſcurè indicat. E Latinis non ignotus eſt vel Ciceroni in Bruto, vel Gellio lib. IV cap. XI. Plinius quoque lib. VI cap. XIII ab eo proditum ait, mare Caſpium, ſive Hircanum, non minus eſſe, quàm pontum Euxinum. Etiam ex Plinio colligunt, ſcripſiſſe librum ad Nicodorum Archontem. Sed, qui ſedulò conſideret ejus verba, cognoſcet, non hoc dicere, Clitarchum Nicodoro, ſed Theophraſtum illi, ſcripſiſſe. Verba enim Plinii ſunt iſta lib. III cap. V: *Theophraſtus, qui primus externorum aliqua de Romanis diligentiùs ſcripſit, (nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, urbem duntaxat à Gallis captam dixit: Clitarchus, ab eo proximus, legationem tantum ad Alexandrum miſſam) hic jam, pluſquam & famâ, Circeiorum inſulæ menſuram poſuit ſtadia octoginta, in eo volumine, quod ſcripſit Nicodoro Athenienſium magiſtratui; qui fuit Urbis noſtræ quadringenteſimo ſexageſimo anno.* Præterea (quod jam ad ipſum pertinet Plinium) metuo, ne memoria illum fugerit; quandò anno Urbis CCCCLX, Athenis ait magiſtratum, ſive ἄρχοντα, fuiſſe Nicodorum. Nam is ἄρχων erat anno quarto Olympiadis CXVII: ut ex Dionyſii Halicarnaſſenſis Dinarcho, atque aliis, conſtat. Qui annus eſt ab Alexandri exceſſu quintuſdecimus. Atqui annus Romæ conditæ CCCCLX incidit in Olympiadem CXXI: cujus anno ſecundo ἄρχων erat Nicoſtratus. Num igitur putabimus, à Plinio Nicodorum, & Nicoſtratum, confundi? an veriſimilius eſt, pauxillum eſſe peccatum in annis Urbis? ut ſi dicamus; ad an. CCCCLX, tres quatuorve annos adjici oportere? præſertim, quando notum eſt, Romanos in annis Urbis computandis uno, alteroque anno, imò aliquos etiam triennio, atque adeo quadriennio, variâſſe. Ad Clitarchum redeo. Ciceronis de hoc ſcriptore judicium ejuſmodi eſt, in primo de Legibus: *Siſenna omnes adhuc noſtros ſcriptores facilè ſuperavit: is tamen in hiſtoria puerile quiddam conſectatur; ut unum Clitarchum, neque quemquam præterea, de Græcis legiſſe videatur; eum tamen velle duntaxat imitari; quem ſi aſſequi poſſet, aliquantum ab optimo tamen abeſſet.* Quinctilianus de eodem lib. X. cap. I: *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.* Græci Critici incidiſſe obſervant in ſtylum, qui ἄχαρις, ſive invenuſtus, vocatur. Uti Demetrius lib. περὶ ἑρμηνείας; ubi eum ridet, quòd cùm de apis genere ſermo eſſet, locutus ſit tanquam de bove fero, vel apro Erymanthio. Verba Clitarchi erant: Κατανέμεται ᵃ μὲν τὴν ὀρεινὴν, εἰσίπταται δὲ εἰς τὰς κοίλας δρῦς. Propterea Longino, libello περὶ ὕψους, dicitur φλοιώδης αὐτὸς, καὶ φυσῶν: hoc eſt, corticeus, ſive, ut Horatius ᵇ loquitur, *cortice levior*, planeque ventoſus, ac turgidus. Tzetzes Chil. V, 21 Hiſt. c recitat verba Clitarchi hoc pacto: Νέμεται μὲν τὴν ὀρεινὴν, ἵπταται δρῦς τὰς κοίλας. Ac meminit quoque ejus rei Chil. X, 2. Hiſt. CCCLXXXVI. Interpres ejus Paullus Laciſcus utrobique putat iſta dici de teredine: ſed fallitur. Nam τενθρηδὼν, de qua loquitur Clitarchus, eſt ζῶον ᶜ μελίσσῃ ἐοικός: imò eſt ζῶον μελισσοποιὸν ᵈ, ut Nicandri ſcholiaſtes cenſet in Alexipharmaca; quod aliqui, ut idem ait, βέμβικα appellant. Sed de iſto in Oratoriis etiam diximus lib. VI, cap. VII, ſect. X.

Itidem, qui res geſtas Alexandri ſcripſere, Clitum inter ejus comites referunt: uti & facit Valerius Maximus. Κλειτὸς ὁ Ἀριστοτελικὸς dicitur Athenæo lib. XII; ubi ejus libri de Mileto meminit, atque ex eo quædam refert de luxu Polycratis Samii. Apud eundem Athenæum legas lib. XIV: Κλύτος ᵉ ὁ Μιλήσιος Ἀριστοτέλους μαθητὴς, ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Μιλήτου. Ubi Κλειτὸς legendum; ut eſt libro XII.

Alexandrum quoque comitabatur Anaximenes Lampſacenus ſenior, Ariſtoclis filius, Diogenis Cynici ᶠ diſcipulus. Cui, ut à juniori diſtinguatur, rhetoris cognomentum ferè addi ſolet. Eum quoque ſignat Dionyſius Halicarn. epiſt. ad Ammæum; ubi cum Iſocrate, & Alcidamante, reponitur inter τῶν παραγγελμάτων ᵍ τεχνικῶν συγγραφεῖς, καὶ ἀγωνιστικῶν λόγων ῥητορικῶν. Item Fabius lib. III cap. V: *Anaximenes judicialem, & concionalem, generales partes eſſe voluit.* Non diſplicet verò conjectura Petri Victorii ʰ; qui hujus Anaximenis eſſe exiſtimat libros Rhetoricorum ad Alexandrum, Ariſtoteli vulgò tributos. Quibus argumentis impulſi ita judicemus, nihil attinet hoc loco referre. Qui volet, Victorium ipſum adeat, præfatione in genuina Ariſtotelis Rhetorica. Atque idem ſenſit Franciſcus Robortelius. Item Petrus Nunneſius notis ⁱ in Phrynichum. Rhetor hic etiam ſcripſit de rebus geſtis Alexandri: ut ex Diogene Laërtio conſtat; ubi diſertim dicitur, juniorem Anaximenem fuiſſe natum ex ſorore Anaximenis Lampſaceni τοῦ ῥήτορος ᵏ, τοῦ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις γεγραφότος. Ut omnino, aut perperam hunc locum verterit interpres; aut alios ſit codices ſecutus. Anaximenem ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον citat Harpocration in Ἀλκίμαχος. Quodſi ſenioris Anaximenis ſint res geſtæ Alexandri: ejuſdem quoque erunt res geſtæ Philippi, & de antiquitatibus Græciæ liber. Nam eidem Anaximeni tribuit hæc Pauſanias Eliac. lib. II: ubi ſic ſcribit: Ἐνταῦθα ˡ καὶ Ἀναξιμένους οἶδα εἰκόνα ἀνδρὸς, ὃς τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα, καὶ ὅσα Φίλιππος ὁ Ἀμύντου, καὶ ὕστερον Ἀλέξανδρος, εἰργάσατο, συνέγραψεν ὁμοίως ἅπαντα. Philippicorum Anaximenis Euſtrathius meminit in Ariſtotelis lib. III cap. VIII; & Harpocration in Ἀλόννησος; ubi eum citat ἐν πέμπτῳ Φιλιππικῶν, item in Κάβυλη, ubi octavum ejus operis laudat, & in

Mà-

a Depaſcitur montana loca, atque involat in cavas quercus.
b Od. 9. lib. 3.
c Animal api ſimile.
d Animal mel faciens.
e Clitus Mileſius, Ariſtotelis diſcipulus, in primo de Mileto.
f Suid.
g Eos, qui de artis præceptis ſcripſerunt, & cauſſas egerunt.
h Cùm alibi, tum lib. 14. Var. Lect. cap. 11.
i Pag. 56.
k Oratoris ejus, qui Alexandri geſta conſcripſit.
l Ibidem & Anaximenis ſtatuam memini me reperire; qui res priſcas Græcorum quaſque Philippus Amyntæ filius, & poſtea Alexander, geſſerint, omnes ſimul conſcripſit.

Μάγνητος. Sed quæ Pauſanias vocat τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα, hæc ipſe inſcripſerat πρώτας ἱστορίας, ut optimè doctiſſimus Meurſius colligebat ex iſtis verbis Athenæi lib. VI, Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς ἐν τῇ Πρώταις ἐπιγραφομέναις ἱστορίαις. Nam quid aliud ſint Hiſtoriæ primæ, quàm antiquiſſimæ, ſive de vetuſtiſſimis rebus Græcorum? Sed & ſingulo numero Πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν dixere: quo non primus rerum Græcanicarum liber intelligi debet; ſed πρώτη ἱστορία a. Ita vocat Harpocration in Ἀμφιπλῶνες. Item Diodorus Siculus lib. XV. ubi & operis ejus argumentum adfert his verbis: Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς τὴν πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν ἀνέγραψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ θεογονίας, καὶ ἀπὸ τοῦ πρώτου γένους τῶν ἀνθρώπων· κατέστροφε δ᾽ εἰς τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην, καὶ τὴν Ἐπαμινώνδου τελευτήν. περιέλαβε δὲ πάσας σχεδὸν τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πράξεις ἐν βίβλοις δώδεκα. *Anaximenes Lampſacenus primam* (non *primum*, ut vertit interpres) *rerum Græcarum hiſtoriam deſcripſit: eamque à Deorum ortu, & generis humani primordiis, exorſus, ad prælium apud Mantineam commiſſum, & Epaminondæ mortem, deducit, univerſas prope Græcorum, & Barbarorum res, duodecim voluminibus complexus.* Satis conſtat, prœlium illud ad Mantineam, in quo Epaminondas occubuit, incidere in annum ſecundum Olympiadis CIV. Inde verò anni ſunt XXXIII uſque ad pugnam, quæ ad Arbelam commiſſa cum Dario fuit. Quo tempore imprimis florebat Anaximenes. Nam habere eum ſecum ſolet Alexander in bellis, penè haut ſecus ac Cyneam Pyrrhus, Epirotarum rex. Et memorabilis eſt hiſtoria, quæ ad tempora hæc pertinet. Junxerant Lampſaceni ſe Dario: ac propterea iis atrocia quæque Alexander fuerat comminatus. Eo territi Lampſaceni Anaximenem, civem ſuum, ad Alexandrum miſerunt deprecatum. Rex, ut cognovit, cur Anaximenes adveniſſet, verbis conceptis juravit, nihil eorum, quæ orator ille poſtulaturus eſſet, exoraturum. Tum Anaximenes dolo pulcherrimo regem circumvênit. Popoſcit à rege, ut Lampſacenos cives, eorumque uxores, & liberos, ſub corona venderet, templa incenderet, urbem ſolo æquaret. Ita Alexander, cùm jurejurando ſe conſtringi videret, Lampſacenis pepercit etiam invitus. Auctor Pauſanias, & ex eo Suidas. Ex quorum utroque etiam cognoſcimus, Anaximenem magnas geſſiſſe inimicitias cum Theopompo hiſtorico, atque invidioſè admodum ſeſe de eo vindicaſſe. Scripſit enim librum ad Athenienſes, item σύγγραμμα λοίδορον b ad Lacedæmonios, & Thebanos. In his Theopompi dictionem egregiè expreſſerat, etiam nomen ejus inſcripſerat, ut ejus eſſe ab omnibus crederentur. Quo peſſimo artificio magnum in odium adduxit Theopompum per univerſam penè Græciam. Cùm verò exquiſitam illam Theopompi dictionem potuerit exprimere, quando vellet: ſatis liquet, quantum valuerit dicendo. Interim, uti in Theopompo, ac Ephoro quoque; ita etiam in hiſtorico hoc, damnantur orationes prolixæ, ubi illæ locum non habent. Qua de re ſic egregiè Plutarchus, libro eo, quem πολιτικὰ παραγγέλματα c inſcripſit: Καθόλου δὲ ὁ μὲν ὄγκος, καὶ τὸ μέγεθος, τῷ πολιτικῷ μᾶλλον ἁρμόττει. παράδειγμα δὲ οἵ τε Φιλιππικοί, καὶ τῶν Θουκυδίδου δημηγοριῶν ἡ Σθενελαΐδα τοῦ Ἐφόρου, καὶ Ἀρχιδάμου τοῦ βασιλέως ἐν Πλαταιαῖς, καὶ Περικλέους ἡ μετὰ τὸν λοιμόν. Ἐπὶ δὲ τῶν Ἐφόρου, καὶ Θεοπόμπου, καὶ Ἀναξιμένους ῥητορειῶν, καὶ περιόδων, ἃς περαίνουσιν ἐξοπλίσαντες τὰ στρατεύματα καὶ παρατάξαντες, ἔστιν εἰπεῖν:

Οὐδεὶς σιδήρου ταῦτα μωραίνει πέλας.

Hoc eſt, *Et, ut ſemel dixerim, gravitas & amplitudo orationis iis, qui reip. præſunt, maxime convenit. Hujus rei exemplo ſint orationes Philippicæ, atque ex Thucydidis concionibus illa, quam Sthenelaidas Ephorus quamque Archidamus rex Platæis habuit, quamve Pericles poſt peſtilentiæ cladem habuit ad populum. At verò de Ephori, Theopompi, Anaximenis orationibus, quibus copias armans, & inſtructas in aciem ducunt, hoc dicere poſſis:*

*Præſente ferro nemo tantum deſipit.*

a Prima hiſtoria.

b Maledicum opus.

c Civilia præcepta.

Alexandri etiam in comitatu fuit Oneſicritus: qui ab rege eo ad Indiæ ſophiſtas (quorum alii Brachmanes, alii Germanes, dicuntur) miſſus fuit: atque ex iis etiam collocutus eſt cum Calano, nobili philoſopho; qui poſtea in Perſiam uſque Alexandrum eſt ſecutus, ac ſpectantibus Macedonibus, & Perſis, ſpontaneo ultimum diem vivicomburio clauſit. Auctor Strabo lib. XV; quo perſequitur res Indicas. Meminere Oneſicriti præter Strabonem, qui multa imprimis ex eo refert, etiam Plutarchus in Alexandro, (ubi & legas, fuiſſe philoſophum ex Diogenis Cynici contubernio) & Agellius lib. IX. cap. IV. Curtii de eo verba mox adferam. Adhæc ita Lucianus de Longævis; Ὀνησίκριτος a, ὁ τὰ περὶ Ἀλέξανδρον συγγράψας. Item Ælianus lib. XVI de animalibus cap. XXXIX. ubi vocatur Ὀνησίκριτος ὁ Ἀστυπαλαιεύς. Nempe ab Ægei maris inſula Aſtupalæa, cujus meminere Strabo, Ptolomæus, alii. Mentionem quoque Oneſicrati idem Ælianus facit lib. XVII ejuſdem operis cap. VI. Item Joannes Tzetzes Chil. III. Hiſtor. CXIII. Et, qui antiquâ magis fide eſt, Arrianus lib. VI de Expeditione Alexand. ubi hæc legas: Τῆς b δὲ αὐτοῦ νεὼς κυβερνήτης Ὀνησίκριτος, ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ, ἥν τινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε, καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα. Sed non in eo ſolo Oneſicratus fefellit. Nam in multis fides ejus ſuſpecta erat: minùs tamen, quàm Daimachi Platæenſis, ut dicam cap. XII. Neque vulgaris navis gubernator fuit; ſed regiæ. quod ipſe Arrianus agnoſcit lib. VII; ubi vocatur κυβερνήτης c τῆς νεὼς τῆς βασιλικῆς. De ſtylo ejus ita cenſet Suidas, Xenophontem ſibi imitandum propoſuiſſe; ſed elegantiam ejus aſſequi minime potuiſſe.

a Oneſicratus, qui res Alexandri conſcripſit.

b Navis (Alexandri) gubernator fuit Oneſicratus; qui in hiſtoria ſua de Alexandro hoc quoque mentitus eſt, ſuiſſe ſe claſſis præfectum, qui tantum fuerit gubernator navis.

c Regiæ navis gubernator.

Nearchus quoque, Suida teſte, cum Alexandro militavit, deque eo hiſtoriam ſcripſit. Ex ea multa quoque adducit Strabo eodem libro XV. Meminit & idem Suidas in Ἀλέξανδρος. Planè verò hunc eſſe Nearchum illum cenſeo, cui, poſt Alexandri obitum, Lyciæ & Pamphyliæ præfectura obtigit; ut ſcribit Juſtinus lib. XIII. Nec de eo dubitare nos patitur Arrianus in libris de expeditione Alexandri. Nam lib. V. legas, Ὁ ἐκπεριπλεύσας d τὴν μεγάλης θαλάσσης τὸ κατ᾽ Ἰνδοὺς Νέαρχος. Libro etiam VII narrat, ut Alexander Nearchum hunc, poſtquam Suſa pervenerat, coronârit, quòd claſſem ex Indorum regione in Oceanum duxiſſet. Sed imprimis vide, quæ ex Nearcho hoc variis in locis refert idem Arrianus libro rerum Indicarum: item quæ de eo narrat Strabo lib. II, XI, & XVI; & Plutarchus in Alexandro. Meminit quoque Curtius lib. IX: *Nearcho, atque Oneſicrato, nauticæ rei peritis, imperavit* (Alexander,) *ut validiſſimas navium deducerent in Oceanum; progreſſique, quoad tuto poſſent, naturam maris noſcerent: vel eodem amne, vel Euphrate, ſubire eos poſſe, cum reverti ad ſe vellent.* Vide & Philoſtratum lib. I de vita Apollonii cap. VIII.

d Nearchus, qui Oceanum Indicum pernavigavit.

Summa verò dignitas non patitur, ut prætereamus Ptolemæum Lagi, primum ejus nominis Ægypti regem; qui & ipſe Alexandri magni, ſub quo militârat, res geſtas perſcripſit. Curtius lib. IX: *Ptolemæum, qui poſtea regnavit, huic* (Alexandri in Oxydracarum oppido) *pugnæ adfuiſſe, auctor eſt Clitarchus, & Timagenes. Sed ipſe, ſcilicet gloriæ ſuæ refragatus, abfuiſſe ſe, miſſum in expeditionem, memoriæ tradidit.* Arrianus præfatione hiſtor. de Expedit. Alexandri: Πτολεμαῖος e ὁ Λάγου, καὶ Ἀριστόβουλος ὁ Ἀριστοβούλου, ὅσα μὲν ταὐτὰ ἄμφω περὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου ξυνέγραψαν, ταῦτα ἐγὼ ὡς πάντη ἀληθῆ ἀναγράφω. Cur verò non temere Ptolomæo fides debeat derogari, cauſſam hanc adfert ſatis gravem, quòd non ſolùm ſub Alexandro militârit; ſed etiam rex fuerit, cùm iſta ſcriberet: in quo turpius mendacium foret, quàm alio quoquam. Ptolomæi hiſtoriam laudat quoque Plinius in hiſtoria naturali lib. XII, & XIII. Meminit & Plutarchus, in vita Alexandri; ubi inter eos, qui illud de Amazonis ad Alexandrum acceſſu commentum eſſe aſſerunt, præter Ariſtobuli, Duridis, & aliorum, etiam mentio fit hujus Ptolomæi.

e Ptolemæus Lagi filius, & Ariſtobulus Ariſtobuli filius, quæ ambo quidem de Alexandro commemorant, hæc ego, tanquam veriſſima, conſcribam.

Nec ex ducibus Alexandri ſolus ille Lagi filius; ſed etiam Antipater, hiſtoriam ſcripſit; ut ex Suida diſcimus. Iolai, ſive Iuli filius fuit, diſcipulus Ariſtotelis; ut idem auctor eſt: unde & ſuperiori capite inter Ariſtotelis diſcipulos potuerat reponi. Sed malui hoc loco referre; quia, ſi vitæ genus ſpectes, propius multo ad Alexandrum, quàm Ariſtotelem, acceſſit. Nam &, vivo Alexandro, inter duces ejus fuit, & poſt illius obitum; non quidem Macedoniæ factus rex; ſed tamen, cùm penes Aridæum, fratrem Alexandri, ſolum imperii titulus foret, ipſe omnem imperii curam ſuſtinuit: moriens quoque ita tutorem Aridæi fecit Polyſperchonta, ut tamen potentiâ proximus ab eo eſſet filius ſuus Caſſander: qui, cùm Polyſperchontis ignaviam exoſa eſſet Græcia, facilè imperium occupavit, ac Olympiadem, Alexandri matrem, cùm conſiliis ſuis obſtaret, interemit. Tradidit Antipater, Suida teſte, res à Perdicca in Illyriis geſtas. Epiſtolarum etiam libros duos reliquit.

Suſpicor autem, ſed tantùm ſuſpicor, etiam in comitatu Alexandri fuiſſe Archelaum *a* τὸν α χωρογράφον τῆς ὑπὸ Ἀλεξάνδρε πατηθείσης γῆς: ut Laërtius eum vocat. Cenſeo, eundem eſſe, cujus Euboica citat Harpocration. Uti & illum, cujus librum de fluviis celebrat Stobæus ſermone de moribus. Nam cùm utrumque argumentum ſit χωρογραφικὸν, unius eſſe ſcriptoris eſt veriſimile: ut cauſſa non ſit, cur apud Harpocrationem pro *Archelao* legamus *Archemachus*; quod doctiſſimus Mauſſacus malebat.

Stratis quoque Olynthius, niſi conjectura fallit, & tum vixit, & inter Alexandri comites fuit. Scripſit de diurnis Alexandri actis libros v, de fluviis, fontibus, & lacubus, item de obitu Al[ex]andri. Auctor Suidas.

Diſpiciendum, an non & temporibus iiſdem floruerint Eumenes Cardianus, & Diodorus Erythræus; quos ſimiliter Alexandri ephemeridas feciſſe, Athenæus dicit lib. x. Ephemeridum Cardiani mentio etiam fit ab Æliano lib. III. cap. XXIII. Item Dorotheus; cujus ſextum de rebus Alexandri advocat initio lib. VII idem Athenæus. Nec alius ab eo videtur, qui Aſcalonita ab eo vocatur lib. XIV. Item Chares Mitylenæus; qui & ipſe de rebus ab Alexandro geſtis opus condidit. Citatur ab Athenæo lib. I, III, V, X, XI, XII, & XIII. Item Plutarcho in vita Alexandri. Ubi ἐισάγγελ@ vocatur. Item Gellio lib. V. cap. II.

Scripſit quoque res geſtas Alexandri Ariſtus. Uti & Aſclepiades. Arrianus lib. VII de expedit. Alexand. *b* Ἄρισ@ δὲ, ᾗ Ἀσκληπιάδης, τῶν τὰ Ἀλεξάνδρε ἀναγραψάντων, καὶ Ῥωμαίες λέγεσιν ὅτι ἐπρεσβεύσαν. Ariſtus iſte Salaminius fuit; ut præter Athenæum teſtatur Clemens Alexandr. ἐν προτρεπτ. *c* Τί με δεῖ καταλέγειν Ἀλέξαρχον; γραμματικὸς ὗτ@ τὴν ἐπιςήμην γενόμενος, εἰς ἱστορεῖ Ἄρισ@ ὁ Σαλαμίνι@, αὐτὸν κατεσχημάτιζεν εἰς ἥλιον. Itemque iſtis antiquior Ariſtus iſte Salaminius fuit; ut indicat Strabo lib. XIV in deſcriptione Cypri: *d* Μετὰ δὲ ταύτας ἡ Σαλαμίς, ὅθεν ἦν Ἄρισ@ ὁ συγγραφεύς. De ætate verò nihil prodit. Et nimis ſit imbecille, ex eo, quòd Alexandri res geſtas vel ille, vel alius, perſcripſit, de tempore certi quid ſtatuere velle, cùm, tanto pòſt, Curtium, & Arrianum, idem tractaſſe argumentum videamus. Saltem Aſclepiades multo recentior eſt, ſi eſt Myrleanus ille, de quo poſtea dicemus. Imò & Ariſtus; ſi ſit ille Ciceronis æqualis, ac Bruti magiſter. de quo ſic ſcribit Cicero in Bruto: *Nam quid te exercuit Pammenes*, (Brutum alloquitur) *vir longè eloquentiſſimus Græciæ? quid illa vetus Academia, atque ejus hæres Ariſtus, hoſpes & familiaris meus?* Unde, philoſophum veteris Academiæ fuiſſe, diſcimus. Sed hoc, quo minus hiſtoriam condere potuerit, nihil impedit.

Ex his verò liquet, cur neque de Jaſone certi quicquam ſtatuere auſimus, cujus tertium librum *e* περὶ τῆς Ἀλεξάνδρε ἱερῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ citat Athenæus lib. XIV. Etiam vitam Græciæ ſcripſit; cujus Stephanus meminit *f* his verbis: Ἰάσων *g* ὁ τῆς Ἑλλάδος βίον γράψας ἐν τέσσαρσι βιβλίοις. De Menæchmo Sicyonio, qui & ipſe res geſtas Alexandri ſcripſit, paullo pòſt agemus.

*a Qui omnem ab Alexandro peragratam terram deſcripſit.*

*b Ariſtus autem, & Aſclepiades, ex iis, qui de Alexandri rebus geſtis ſcripſerunt, dicunt, Romanos etiam legatos miſiſſe.*

*c Quid vero opus, me dicere Alexarchum? hic cum grammaticus foret, ut Ariſtus Salaminius refert, ſeſe transformabat in ſolem.*

*d Eſt poſt has Salamis, patria Ariſti hiſtorici.*

*e De ſacrificiis Alexandri in Alexandria.*

*f ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.*

*g Jaſon, qui vitam Græciæ ſcripſit libris quatuor.*

## Cap. XI.

*Hieronymus Phœnix, vel potius Ægyptius. Tertulliani error. Hieronymus Cardianus. Lapſus Æmylus Porti. Ἐπίγονοι τῆς ἐπὶ Θήβας. Ἐπίγονοι Ἀλεξάνδρε, qui & διάδοχοι. Menæchmus Sicyonius. Anaximenes Lampſacenus junior. Ejus ſcripta. Stratonis, & Nicoclis, de mollitia certamen. Nicoclis miſera mors. Demochares à Timæo accuſatus, à Polybio defenſus. Ejus in hiſtoria ſtylus cujuſmodi. Callias Syracuſanus. Subleſta illius in hiſtoria fides. Callias Athenienſis. Callias Mitylenæus. Megaſthenes. Ejus ad Indos iter. Fœdus impoſtoris Annii error, qui nec verum hiſtorici hujus nomen cognitum habuit. Idomeneus. Euhemeri ætas, peregrinatio, patria, hiſtoria ex inſcriptionibus contexta, & ab Ennio verſa, item ἄθεότης. Zenodoti tres.*

Vidimus de iis, qui vel Ariſtotelem in ſchola docentem audierunt, vel Alexandrum in Aſia ſunt ſecuti, vel etiam utrumque horum præſtiterunt. Dicemus nunc de aliis hiſtoriæ ſcriptoribus, de quibus fortaſſe nec hoc, nec illud, verè aſſeri poſſit; ſed quos tamen conſtet eâdem vixiſſe ætate. Qualis fuit Hieronymus is, qui Syriæ terræ præfectus fuit; ſive ab rege Antiocho; ut Græca habent Flavii Joſephi verba; ſive à rege Antigono; ut eſt apud Rufinum, & Gelenium, Joſephi interpretes. Si prius placet, ſignabitur Antiochus Σωτὴρ, ſecundus Syro-Macedonum Rex. Sed omnino hiſtoriæ magis eſt conſentaneum, Hieronymum fuiſſe Syriæ præfectum ab Antigono Aſiæ rege; nempe quando is, Eumene devicto, in Babyloniam venit, ac, poſt Seleuci Nicatoris ad Ptolomæum Philadelphum fugam, Demetrium filium in Syria reliquit. Quod Olympiade accidit CXVI. Hanc poſteriorem ſententiam firmat Lucianus libro de Longævis: ubi Hieronymus ille, niſi Cardianus potiùs intelligitur, de quo mox dicam, cum Antigono dicitur militâſſe. Verba ejus ſunt: Ἀντίγον@ δ' ὁ Φιλίππου ὁ μονόφθαλμ@, βασιλεύων Μακεδόνων, περὶ Φρυγίαν μαχόμεν@ Σελεύκῳ, καὶ Λυσιμάχῳ, τραύματα πολλὰ λαβὼν, ἐτελεύτησεν, ἐτῶν ὢν ὀκτὼ καὶ ὀγδοήκοντα, ὥσπερ ὁ συςρατευόμεν@ αὐτῷ Ἱερώνυμ@ ἱςορεῖ. *Antigonus unoculus, Philippi filius, Macedonum rex, in Phrygia cum Seleuco, & Lyſimacho confligens, multis acceptis vulneribus collapſus, vitam finivit, annorum cùm eſſet octoginta & unius: ſicut refert Hieronymus, qui cum eo militavit.* Itaque non Rufinus ex Joſepho; ſed Græca ex interprete Rufino corrigi debent. Aliquot autem annos poſt hanc Antigoni cædem ſuperfuiſſe Hieronymum, colligo ex eodem Luciano. Nam continuò ſubjungit, ab eodem Hieronymo tradi, Lyſimachum, cùm in prælio caderet, octogenarium fuiſſe. At occubuit Lyſimachus anno quarto Olympiadis CXXIII, annis poſt Antigoni cædem decem & ſeptem. Imò & multo pòſt ſuperfuiſſe, oſtendunt hæc Luciani verba eodem libello: Ἱερώνυμ@ *a* ὁ ἐν πολέμοις γενόμεν@, καὶ πολλοὺς καμάτους ὑπομείνας, καὶ τραύματα, ἔζησεν ἔτη τέσσαρα καὶ ἑκατόν. Nam eundem Hieronymum ſignari, argumento eſt, quòd, cùm de hiſtoricis longævis ſe acturum dixiſſet, eum ſecundo refert loco. Dicat quiſpiam, fuiſſe & Hieronymum Rhodium, qui hiſtoriam reliquit. Ita eſt. Sed, quòd Hieronymum hunc in bellis verſatum dicit, oſtendit, eumpſe ſignari, quem antea dixerat cum Antigono militâſſe, vel, inquam, Hieronymum Ægyptium, Phœniciæ Syriæque præfectum: vel alterum ejuſnominis, patria Cardianum; quod magis, magiſque, nunc cœpit arridere. Ac inter alia tum Diodori Siculi verba movent, quæ de Cardiano inferiùs adducam: tum autem, quòd nuſquam legam, Hieronymum Syriæ præfectum ſcripſiſſe de ſucceſſoribus Alexandri. Sed de Cardiano mox pluribus: ubi priùs ero proſecutus nonnulla, quæ ad Ægyptium pertinent. Vix dubium verò, quin hunc ipſum Hieronymum ſignârit Tertullianus in Apologetico cap. XIX: ubi conjungun-

*a Hieronymus verò in bellis verſatus, ac non paucis laboribus, & vulneribus affectus, vixit ad annum quartum & centeſimum.*

junguntur Manethon, ſive Manethos Ægyptius, Beroſus Chaldæus, Hieronymus Phœnix Tyri rex, Ptolomæus Mendeſius, atque alii; quos à Joſepho Judæo partim probari ait, partim refelli. Nam Hieronymus iſte, quem Flavius Joſephus inter alios gentium ſcriptores in primo contra Apionem laudat, nec non libro primo Ἀρχαιολογίας, uti & interpretes ejus cap. VIII, Phœniciæ, Syriæque præfectus fuit, & de rebus Phœniciis ſcripſit. Atque hoc fecit, ut eum μνημονικῷ ἁμαρτήματι a confunderet Tertullianus cum Hiromo, Tyri rege, cui Salomo fuit familiaris. Εἴρωμον etiam Menander Epheſius apud Joſephum primo contra Apionem b vocat: ac ſæpiùs ſic ipſe nominat Joſephus. At ſanè multum diſtat inter Phœniciæ regem, & ejus terræ præfectum: ille domo Phœnix, hic Ægyptius fuit. Nam Ægyptium diſertim vocat lib. I Antiquit. Judaic. & ex eo Freculphus Tomi prioris lib. I. cap. XXV. Ubi uterque illum in libris, quos de Phœnicum rebus ſcripſit, meminiſſe ait diluvii univerſalis. Magnum etiam intervallum eſt inter amborum tempora. Hiromus, rex Phœniciæ, vixit annis ampliùs ducentis ante primam Olympiada. At Hieronymus, Phœniciarum rerum ſcriptor, floruit circa Olympiadem CXX; ut inde cognoſcitur, quòd, Joſepho c teſte, æqualis fuerit Hecatæo; qui ſine dubio eſt Hecatæus Abderita. Hic enim Judæis notior, quia de Judæis librum ſcripſerat; ut ſuprà diximus. Fuit igitur Hieronymus hic æqualis Hieronymo Rhodio, Ariſtotelis diſcipulo, de quo antè dictum. Ab utroque verò hoc Hieronymo, & Rhodio, inquam, & Ægyptio, diverſus eſt Hieronymus Cardianus. Nam *Cardia* eſt Thraciæ Cherſoneſi civitas; ut præter Suidam etiam Plutarchus in Eumene, & Stephanus, ſive Hermolaus Byzantius, in Καρδία, teſtantur. Ptolomæo *Cardiapolis* vocatur. Hujus Cardiani non ignobile inter hiſtoricos nomen eſt. Scripſit autem de rebus geſtis Alexandri; quemadmodum eſt apud Suidam. Itaque hunc Hieronymum intelligi puto ab Appiano in Mithridaticis: ubi, poſtquam de rebus Bithyniæ egiſſet, ad Cappadocas accedit; atque ex Hieronymo refert, Alexandrum, cùm adverſus Darium proficiſceretur, has gentes reliquiſſe intactas; ingreſſumque aliam viam maritimam, per Pamphyliam, & Ciliciam. Nec de Alexandro ſolùm, ſed illis etiam Hieronymus egit, qui Alexandro ſucceſſerunt. Siquidem Dionyſius præfatione hiſtorici operis citat eum ἐν τῇ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγματείᾳ. Quod Lapus vertit, *de ſucceſſione heroicorum principum*: ſanè ineptè, cùm vel transferri debeat, *de partiariis regni Alexandri*; ut placuit Joſepho Scaligero in animadverſionibus ad Euſebium: vel potiùs, *de poſteris eorum, qui Alexandri regnum diviſerunt.* Hos enim Græci ἐπιγόνους appellant. Quod neque animadvertit doctiſſimus vir, Æmilius Portus d; qui hic agi putavit de ſeptem ducum ad Thebas cæſorum filiis, quos ἐπιγόνους vocari, indicat Apollodorus lib. III. his verbis: Μετὰ δὲ ἔτη δέκα, οἱ τῶν ἀπολομένων παῖδες κληθέντες Ἐπίγονοι, στρατεύειν ἐπὶ Θήβας προῄρηντο, τὸν τῶν πατέρων θάνατον τιμωρήσασθαι βουλόμενοι. *Decimo autem poſt anno cæſorum ad Thebas ducum filii, cognomento Epigoni, ac ſi Latinè dicas, poſteri, paternas cædes ulturi, bellum contra Thebanos gerendum ſtatuerunt.* Verùm non intellexit Dionyſius ἐπιγόνους τῶν ἐπὶ Θήβας, ſed ἐπιγόνους Ἀλεξάνδρου. Nam Hieronymum eo opere etiam res Romanas curſim attigiſſe, ibidem teſtatur. Quid autem res Romanæ ad priores ἐπιγόνους. Quorum ætate Roma nondum erat? Imò Troia eo tempore adhuc ſtabat. Quare intelligere oportet ἐπιγόνους e Alexandri: qui, ſi Scaligerum audimus, etiam διάδοχοι appellantur; ut apud Suidam, cùm Hecatæum Abderitam fuiſſe ait ἐπὶ τῶν Ἀλεξάνδρου διαδόχων f. Sed omnino malim diſtinguere inter διαδόχους, & ἐπιγόνους, ut illi ſint ſucceſſores Alexandri, & imperii ejus partiarii: at ἐπίγονοι ſint eorum poſteri. Quomodo eidem Suidæ Nymphis Heracleotes dicitur ſcripſiſſe περὶ g Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν διαδόχων, καὶ ἐπιγόνων. Perduxerat ille hiſtoriam ſuam uſque Ptolomæum tertium, ut idem Suidas dicit. Ergo inter διαδόχους erit Ptolomæus Lagides: uti & Seleucus Nicator. Inter verò ἐπιγόνους ſit Ptolomæus ſecundus, cognomine Philadelphus, ut quoque Seleuci Nicatoris filius Antiochus Σωτήρ. Quare non dubitamus, quin ultra Ptolomæi Lagi tempora, ultimi τῶν διαδόχων, vitam produxerit Hieronymus. Neque enim aliter agere potuiſſet de omnium, qui Alexandri regnum partiti eſſent, ſucceſſoribus. Interim περὶ a διαδόχων quoque tractavit. Uti de Lyſimacho, & Antigono. Quod etiam ex Pauſaniæ Atticis conſtat. Ubi, eum in iis, quæ ad Lyſimachum, & alios, pertinent, non optimâ fide uſum eſſe, multaque in Antigoni gratiam prodidiſſe, dicitur. Nec quicquam manifeſtius verbis Diodori Siculi lib. XVIII: qui eum inter legatos Eumenis ad Antiochum fuiſſe narrat. Ἱερώνυμος ὁ τὰς τῶν διαδόχων γεγραφώς. *Hieronymum, qui ſucceſſorum hiſtoriam conſcripſit.* Ac ne alium hunc eſſe putes ab Hieronymo Cardiano, eodem poſtea libro memorat, ut Antigonus Hieronymum hunc ad Eumenem miſerit legatum. Verba ejus ſunt: Ἱερώνυμον τὸν τὰς ἱστορίας γράψαντα μετεπέμψατο, φίλον ὄντα καὶ πολίτην Εὐμένους τοῦ Καρδιανοῦ. *Hieronymum miſit, hiſtoriæ ſcriptorem, Eumenis Cardiani amicum, & civem.* Etiam lib. XIX, cùm de morte Eumenis egiſſet, ſubjicit iſta: Ἀνήχθη δ' ἐν τοῖς τραυματίαις (al. ἑαλωκόσιν) αἰχμάλωτος καὶ ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος Ἱερώνυμος ὁ Καρδιανὸς, ὃς τὸν μὲν ἔμπροσθεν χρόνον ὑπ' Εὐμένους τιμώμενος διετέλεσε, μετὰ δὲ τὸν ἐκείνου θάνατον ὑπ' Ἀντιγόνου ἐτύγχανε φιλανθρωπίας καὶ πίστεως. *Inter ſaucios tunc etiam Hieronymus Cardianus, hiſtoriarum ſcriptor, captivus fuerat abductus. Qui per antegreſſum tempus ab Eumene ſemper in precio habitus, poſt interitum ejus, Antigoni etiam humanitatem, fidemque expertus eſt.* Vixerit igitur extremis διαδόχων, & primis ἐπιγόνων b temporibus. Quod etiam inde liquet, quia antiquior ſit Timæo, qui extremis Philadelphi temporibus floruit. Saltem Hieronymum Cardianum ante Timæum Siculum ſcripſiſſe, diſertim teſtatur Diodorus Siculus lib. I Antiquit. Ex hoc opere Lucianus in Longævis refert, Lyſimachum, cùm, in prœlio adverſus Seleucum, occumberet, annorum fuiſſe octoginta: pro quo, *quatuor & LXX*, legere eſt apud Juſtinum lib. ſeptimodecimo.

a *Memoria lapſu.*
b *P. 924. edit. Frob.*
c *Lib. I. contra Apionem.*
d *Annot. in Dionyſ. Halic.*
e *Poſteros.*
f *Sub Alexandri ſucceſſoribus.*
g *De Alexandro, & ejus ſucceſſoribus, & illorum poſteris.*
a *De iis, qui Alexandri regnum ſunt partiti inter ſe.*
b *De illis, qui ſucceſſere iſtis, qui regnum Alexandri Magni inter ſe diſtribuerant.*

Atque ex his cognoſcimus etiam, temporibus Ptolomæi primi floruiſſe Μάνεχμον ſive potiùs Μέναιχμον Sicyonium, filium Alcibii, vel Alcibiadis. Siquidem Suidas eum vixiſſe dicit ἐπὶ τῶν διαδόχων c. Eſt verò unus ex iis, qui res ab Alexandro geſtas ſcripſere; eodem Suida auctore. Ejuſdem περὶ τεχνιτῶν d librum citat Athenæus lib. II, & XIV: item Σικυωνιακὰ, libro VI. Non dubito autem, quin inde ſit productum fragmentum illud de Adraſto, Sicyoniorum rege, quod ex Menæchmo Sicyonio depromere ſe dicit Pindari ſcholiaſtes in Nem. od. IX. Meminit & ejuſdem, ut cenſeo, Menæchmi in od. II. Nem. Μέναιχμος e δὲ ἱστορεῖ, τοὺς ῥαψῳδοὺς, στιχῳδοὺς καλεῖσθαι διὰ τὸ τοὺς στίχους ῥάβδους λέγεσθαι ὑπό τινων. Fortaſſe eſt ex opere περὶ f τεχνιτῶν. Plinius lib. IV. cap. XII. tradit ex Menæchmo, Eubœam priùs vocatam Abantiada. Id potiùs ex Sicyoniacis videtur. At alius eſt Menæchmus, cujus ex Πυθικῷ duos oraculi verſus hexametros adducit interpres Pindari in Pythiorum od. IV. item Menæchmus mathematicus, Proclo laudatus lib. III. g εἰς τὸ Εὐκλείδου στοιχεῖον. Apud Stephanum in Τηλίφιος, pro Μενέκμαχος, legi debere Μέναιχμος, jamdiu Xilander obſervavit.

Floruit & iiſdem temporibus Anaximenes Lampſacenus junior, cujus avunculus fuit Anaximenes Lampſacenus ſenior, orator idem, ac hiſtoricus; ut ſuperiùs dictum. Mirum verò, Strabonem in XIII, ubi illuſtres recenſet Lampſacenos, ſenioris tantùm meminiſſe, hoc eſt, Ἀναξιμένους τοῦ ῥήτορος. Præſertim cùm libro proximo ex Anaximene Lampſaceno tradit Mileſiorum colonias. Qui ſanè videtur eſſe Anaximenes hiſtoricus. Saltem apertè diſtinguit Laërtius in Anaximene Mileſio, cùm ait, Γεγόνασι h δὲ καὶ ἄλλοι δύο Λαμψακηνοὶ, ῥήτωρ, καὶ ἱστορικὸς, ὃς ἀδελφῆς υἱὸς ἦν τοῦ ῥήτορος. Ac junior hic etiam intelligendus

c *Sub ſucceſſoribus Alexandri.*
d *De artificibus.*
e *Menæchmus refert, rhapſodos dici eos, qui verſus faciunt, propterea quod verſus à nonnullis ῥάβδοι dicantur.*
f *De artificibus.*
g *Pag. 68.*
h *Fuere & alii duo Anaximenes Lampſaceni; orator unus, alter hiſtoricus; qui oratoris ex ſorore erat natus.*



vide-

videtur apud Clementem Alexandrinum lib. VI Στρωμ. & Stephanum in Πασαργάδα; ubi Anaximenes citatur ἐν μεταλλαγαῖς βασιλέων a. Uti & apud Athenæum lib. XII. Ubi ex eo narrat, ut inter Stratonem, Phœnicum, & Nicoclem, Salaminiorum regem, certamen fuerit, uter eſſet mollior ac effeminatior: utrumque autem violentâ morte periiſſe. Nicocles iſte, ſive Nicocreon, Euagoræ filius, Antigoni partes erat ſecutus. Propterea Ptolomæus Lagides exercitum adverſus eum in Cyprum miſit. Eo cognito, Nicocles laqueo vitam finiit. Exemplum ſecuta eſt uxor; quæ & filias interemit, ac fratribus Nicoclis perſuaſit, ut ſe, igne tectis injecto, comburerent. Accidit hoc Olympiadis CXVI anno primo; anno duodecimo à morte Alexandri Magni. Unde cognoſcimus, ut ſenior Anaximenes ſub Alexandro claruit: ita hunc, ſororis filium, floruiſſe temporibus Ptolomæi Lagi. Fortaſſe autem & alia hujus ſunt, quæ Anaximeni avunculo tribuebamus, idque uno Laërtii loco compulſi; quem tamen aliter legiſſe videtur interpres. Imò ne illud quidem ſatis eſt apertum, alterius horum, an neutrius fuerint de picturis libri; ex quorum ſecundo hiſtoriæ, ſub Actæonis fabula latentes, à Fulgentio exponuntur lib. III Mytholog.

*a Libro, qui refert immutationes, ſive mortes regum.*

Æqualis Anaximeni juniori fuit Demochares; non Solenſis ille, qui, Plutarcho teſte b, poëta fuit, ac fabulam, nomine *Demetrium*, fecit, ſed qui Rhetor Athenæo vocatur in undecimo; ac quem idem in XIII, adverſus Philonem, Ariſtotelis familiarem, orationem ſcripſiſſe ait, quâ Sophoclem defendit, cùm philoſophi omnes Atticâ excedere juſſi eſſent. Et meminit orationum ejus Cicero quoque in Bruto. Demoſthenis ſororis filius fuiſſe dicitur ibidem, & in ſecundo de Oratore. Similiterque ab Athenæo lib. VI, & XIII, vocatur Δημοσθένους ἀνεψιὸς c: ab Æliano lib. III Var. Hiſt. cap. VIII, Δημοσθένους ἀδελφιδοῦς, quomodo & Suidæ appellatur. Etiam cujuſdam dicti ejus ad Theophraſtum Ereſium meminit Ælianus lib. VIII Var. Hiſtor. cap. XII. Atque hæc, quâ ætate vixerit, ſatis oſtendunt. Maledicentiſſimus Timæus deſcripſit eum, tanquam hominem impuriſſimum, & ſceleſtiſſimum. Sed defendit illum Polybius lib. XII; qui, & ducem ab Athenienſibus creatum, & alios geſſiſſe honores, ait; ut Suidas quoque monet. Præter verò orationes, de quibus antea ſermo fuit, etiam hiſtoriam ſui temporis condidit: cujus apud Plutarchum in Demoſthene mentio eſt, & Athenæum in VI, ubi ejus vigeſimum hiſtoriarum librum citat. Nec dubium, quin eo in opere inter alia ſcripſerit, Agathoclem, Siciliæ regem, annos vixiſſe XCV: quod à Demochare, uti & Timæo, proditum fuiſſe, Lucianus ait in Macrobiis. De ſtylo ejus ita Tullius in Bruto: *Demochares, qui fuit Demoſthenis ſororis filius, & orationes ſcripſit aliquas, & earum rerum hiſtoriam, quæ erant Athenis ipſius ætate geſta, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere, perſcripſit.*

*b In Demetrio.*

*c Demoſthenis neceſſarius.*

Vixit quoque his temporibus Callias Syracuſanus, qui de rebus Siculis libros complures reliquit; multo poſt Philiſtum quidem, ſed ante tamen Timæum; qui non minùs à Callia, quàm Callias à Philiſto, diſſentit. Auctor Joſephus lib. I contra Apionem. Athenæus quoque lib. XII citat Καλλίαν ἐν ὀγδόῃ περὶ Ἀγαθοκλέα d. qui idem eſt liber, ac ille, cujus Joſephus meminit. Similiter Ælianus lib. XVI. hiſt. animal. cap. XXVIII: Καλλίας e ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν περὶ τὸν Συρακούσιον Ἀγαθοκλέα λόγων. Et Apollonii ſcholiaſtes in lib. III: Καλλίας f ἐν δεκάτῳ τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα. Nec Latinis eſt ignotus. Nam fragmentum ex ejus ſeptima hiſtoria de rebus Siculis adducit Macrobius lib. V Saturnal. cap. XIX. Qua fide verò hiſtoriam hanc de Agathocle, Siciliæ rege, conſignârit, optimè nos docebit Suidas. Ait enim, donis ab Agathocle corruptum, planè omnia ad regis arbitrium ſcripſiſſe; egregieque operam dediſſe, ut largitionem regiam laudibus ejus prædicandis adæquaret. Itaque contrarium planè fecit, ac Timæus; qui, ab eodem Agathocle in exilium ejectus, ut ſe ulciſceretur, præclara multa præteriit, multa etiam injuriâ reprehendit; ut poſtea dicemus. Unde verò iſta de Timæo pariter, ac Callia, hauſerit Suidas, nunc facile eſt dictu, poſtquam V. Cl. Henricus Valeſius, ut Polybii, Nicolai Damaſceni, atque aliquot aliorum, ita etiam Diodori Siculi, edidit excerpta: quæ continebantur Collectaneis Conſtantini Porphyrogenneti, libro de Virtutibus, & Vitiis. In iſtis enim hæc iiſdem verbis, quibus ea retulit Suidas, leguntur; ut, quin ex Diodoro illa Grammaticus hic exſcripſerit, nullus dubitationi relictus ſit locus. Meminit quoque hujus operis Dionyſius Halic. lib. I. Roman. Antiq. Καλλίας a ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας. Item Feſtus Pompeius in *Romam: Callias*, inquit, *Agathoclis Siculi qui res geſtas conſcripſit.* Ab hoc verò Callia, quem Syracuſanum vocat Suidas, diverſus eſt Callias Athenienſis; qui paullo ante Strattidis ſæculum genitus fuit, & tragœdiam Grammaticam reliquit: quæ cujuſmodi fuerit, docebit Athenæus lib. X. Comœdias quoque fecit, quarum nomina Suidas recenſet. Eſt & alius Callias, Mitylenæus, quem ἐν τῷ b περὶ τῆς παρ᾽ Ἀλκαίῳ λεπάδος citat Athenæus lib. III. Eundem memorat Strabo lib. XIII; ubi inter illuſtres Lesbios referuntur, Ἑλλάνικος c ὁ Λέσβιος συγγραφεὺς, καὶ Καλλίας ὁ τὴν Σαπφὼ καὶ τὸν Ἀλκαῖον ἐξηγησάμενος.

*d Calliam libro octavo de Agathocle.*

*e Callias lib. decimo eorum, quos de Agathocle Syracuſio ſcripſit.*

*f Callias libro decimo de Agathocle.*

*a Callias Agathoclis rerum geſtarum ſcriptor.*

*b Libro de Alcæi lepade, ſive ut Gaza appellat, patella.*

*c Hellanicus Lesbius hiſtoricus, & Callias, qui Sapphus, & Alcæi verſus, interpretatur.*

Megaſthenem quoque in hæc tempora refert Strabo lib. I. ut & Clemens Alex. lib. I Στρωματ. ubi ait: Μεγασθένης d ὁ συγγραφεὺς, ὁ Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι συμβεβιωκὼς, ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἰνδικῶν ὧδε γράφει. Quæ & verba adducit ex eo Euſebius lib. IX præparationis Euangelicæ e. Hinc verò ſimul cognoſcimus, eum Indica ſcripſiſſe. Ea cùm conſignaret, apud Indorum reges commorabatur, ut omnia bonâ fide traderet: quemadmodum auctor eſt Plinius lib. VI. cap. XVII, & Solinus cap. XLIX. Cave autem, genuina eſſe putes, quæ ſub hujus nomine edita ſunt ab Annio Viterbienſi. Nam cuncta iſta ab Annio ſunt conficta: qui ne verum quidem hiſtorici nomen ſciebat. Alioqui eum, non *Metaſthenem* vocaſſet, quæ appellatio ne Græca quidem eſt; ſed *Megaſthenem*; ut faciunt Athenæus, Arrianus, Cicero, & veteres omnes. Nempe decepit hominem vetus Rufini tralatio; ubi, librarii vitio, perperam ita ſcriptum erat. Quod ſi germana aliqua Megaſthenis quærimus; adeundus imprimis Strabo lib. XV; ubi is ſcriptor penè omnem facit paginam. Adeò multa ex eo ſe exſcribere profitetur. Etiam ex IV Indicorum libro apud Flavium Joſephum lib. X Judaicarum Antiquitatum cap. XI, (Rufino autem XIII) atque iterum in primo contra Apionem, nobile ejus fragmentum habes; quod Joſephus Scaliger exponit appendice libri de emendatione Temporum. Vide & Ælianum lib. VIII. Hiſtor. animal. cap. XLI. Fidem ejus in hiſtoriâ Indicâ præter Plinium, de quo dictum antea, etiam probat Arrianus lib. V. Expedit. Alex. ubi ille, & Eratoſthenes, vocantur δοκίμω f ἄνδρε. Idem & aliqua ejus citat lib. VII: item rerum Indicarum libro.

*d Megaſthenes hiſtoricus, qui vixit cum Seleuco Nicatore, ſcribit ſic in tertio rerum Indicarum.*

*e Pag. 241. edit. Rob. St.*

*f Probati auctores.*

Etiam Ptolomæi Lagi temporibus vixit Idomeneus Lampſacenus. Strabo lib. XIII ait, Epicurum eo familiariter uſum eſſe. Item ex decimo Laërtii libro conſtat, fuiſſe auditorem Epicuri, atque uxorem habuiſſe Batidem, ſororem Sandis Lampſaceni; qui & ipſe Epicuri diſcipulus erat. At ſatis ex eodem Laërtio liquet, Epicurum veniſſe Athenas, cùm Ariſtoteles Chalcide ſcholam haberet. Scripſit libros de Socraticis: quorum mentio apud eundem Laërtium in Socrate; ubi legas, Ἰδομενεὺς g ἐν τοῖς περὶ τῶν Σωκρατικῶν: item hiſtoriam Samothraciam, de qua auctor Suidas. Meminere Idomenei hujus Plutarchus in Demoſthene, Pericle, Ariſtide, Phocione, Athenæus lib. XIV, atque alii.

*g Idomeneus libro de Socraticis.*

Inſuper Euhemerus tum vixit: quippe amicus Caſſandri ejus, qui Antipatri filius, & Macedoniæ rex fuit; ut Euſebius ſcribit lib. II. præparatione Euangel. ubi etiam teſtatur, regis hujus poſtulato peregrinatum in oras longinquas, & Oceanum Auſtralem, ejuſque inſulas, luſtraſſe. Sed in Trapezuntio fruſtra ea quæras; cujus tranſlatio nihil aliud continet, quàm Euſebii excerpta multa. Agrigentinum vocat Arnobius lib. IV. Sed Meſſenium

facit

facit Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride. Item Lactantius. Cujus hæc verba lib. 1 cap. XI. *Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Meſſana, res geſtas Iovis, & cæterorum, qui dii putantur, collegit; hiſtoriamque contexuit ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur; maximeque in fano Iovis Triphylii; ubi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Iove, titulus indicabat: in quâ columnâ geſta ſua perſcripſit, ut monumentum poſteris eſſet rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam & interpretatus eſt Ennius, & ſecutus.* Cicero idem paucis dicit lib. 1 de nat. Deor. ubi cùm egiſſet de iis, qui in Deorum numerum relati eſſent, *Quæ ratio*, inquit, *maximè tractata eſt ab Euhemero; quem noſter & interpretatus, & ſecutus eſt, præter cæteros, Ennius.* Item Varro lib. 1 de re Ruſt. cap. XLVIII: *Id apud Ennium ſolum ſcriptum, ſcio, eſſe in Euhemeri libris verſis.* Inter illos numeratus Euhemerus fuit, qui ἄθεοι dicebantur; teſte, cùm Sexto Empirico, tum etiam Plutarcho lib. de placitis philoſophorum; ubi & Callimachi verſiculos citat, quibus eum propterea perſtrinxit. Ex noſtris quoque Theophilus, Antiochenſis epiſcopus, ſcribit lib. III: Τὰ περὶ Εὐημέρου τοῦ ἀθεωτάτου περισσὸν ἡμῖν καὶ λέγειν. πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τολμήσας φθέγξασθαι, ἔσχατον καὶ τὸ ἐξόλου μὴ εἶναι θεούς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται. *Nam quæ prorſus impius Euhemerus commemorat, ea ſupervacaneum reor in medium adferre. Cùm enim plurima de diis auſus fuiſſet proponere; poſtremò Deos prorſus è rerum natura tollit, & hoc univerſum caſu & fortuitò, non providentiâ regi, confitetur.* Etiam meminere Euhemeri, Columella ſemel, iterumque lib. IX de re R. cap. II, & Minucius Felix in Octavio. Vide & Politianum in Miſcellaneis cap. XXXIV. Adhæc Hyginus in poetico Aſtronomico, & Lactantius lib. 1 de falſa religione. quorum uterque complura ex ſacra ejus hiſtoria refert. Plinius quoque lib. XXXV cap. XXII inter eos numerat, qui ſcripſerunt de pyramidibus Ægypti. E Græcis itidem mentionem faciunt, Strabo lib. 1; ubi eum cum Antiphane Bergæo conjungit, ac utrumque, ut futilem, traducit: Flavius Joſephus lib. 1 contra Apionem; ubi & Judæorum ait meminiſſe: Ælianus lib. II Var. Hiſt. cap. XXXI; ubi cum Dionyſio Phryge, & ejus farinæ aliis, inter ἀθέους, divinamque negantes providentiam, reponit.

Zenodotus quoque, Philetæ diſcipulus, vixit ſub Ptolomæo primo, ejuſque præfuit bibliothecæ: ſed cauſſæ ſatis non video, cur inter hiſtoricos debeat referri. Nam verſificator quidem, & grammaticus fuit; primuſque Homerum emendare eſt aggreſſus, nobilis criticus; unde Bibaculus *a* in Catonem,

*a Apud Sueton. lib. de Grammat. illuſtr.*

*En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!*

Sed cur hiſtoricum putent aliqui, nondum liquet. Epitomas quidem Zenodoti citat Athenæus lib. X. At hiſtoricas fuiſſe, quis dixerit nobis? Imò ne illud quidem apertum eſt, an hujus ſint Zenodoti. Nam idem Suidas nominat & alterum Zenodotum, Alexandrinum; quem juniorem fuiſſe, inde cognoſcimus, quòd recognovit ea, quæ ab Ariſtarcho damnarentur in Homero. Ariſtarchus verò vixit *b* Olymp. CLVI, tempore Ptolomæi Philometoris. Scripſit Zenodotus *c* iſte adverſus Platonem, De diis, De Homerica conſuetudine, Solutiones Homericarum dubitationum, item in Heſiodi Theogoniam, & alia. Eſt tertius quoque Zenodotus, ſophiſta; qui Hadriani Cæſaris tempore vixit; &, cùm propria quædam ſcripſit; tum Salluſtii hiſtorias vertit Græcè. Niſi is Zenobius potiùs vocatur; ut Suidas nominat. Zenodoti grammatici etiam meminit Ammonius, ſive Herennius Philo, libello de ſimilibus & differentibus vocibus, in Οὐδέν: item Stephanus in Δωδώνη. Etiam Arati ſcholiaſtes in verſum XXXIII; ubi vocatur Ζηνόδοτος ὁ Μελώτης. Item Zenodotum ἐν ταῖς ἐθνικαῖς λέξεσι citat Galenus in gloſſis.

*b Suid. in Ariſtarchus.*
*c Suid. in Zenod.*

## Cap. XII.

*Demetrio Phalereo CLX ſtatuæ poſitæ ab Athenienſibus. Ejus in Ægyptum fuga. Ubi magno in honore apud Ptolemæum Lagi erat. Sed filio ejus Philadelpho fuit exoſus, quòd auctor patri fuiſſet, ut fratrem ex priori conjuge, Ptolemæum Ceraunum, in imperio præferret. Conciliantur, cùm Hermippus, tum Irenæus, & Anatolius, cum aliis veterum, qui Demetrium dicunt præfuiſſe bibliothecæ Philadelphi, bibliaque, eo procurante, eſſe Græcè tranſlata. Contrà Scaligeri ſententia rejicitur. Liber Demetrii de archontibus. Dictio illius cujuſmodi. Laërtius refellitur. Lycus Bytheras, Rheginus, Demetrii hujus inſidiis petitus. Pleias poëtarum. Daimachus Platæenſis. Strabonis de eo judicium, item de Megaſthene, Oneſicrito, Neandro, & Patrocle. Patroclis ætas, & cur à Strabone cæteris rerum Indicarum ſcriptoribus præferatur. Antigoni Caryſtii ætas. Lapſus interpretis Laërtii. Antigoni ſcripta. Hegeſiæ Magneſii ætas. Exclamatio ejus à Plutarcho reprehenſa, quam in Timæo Cicero probavit. Alter Hegeſias, cognomento* Πεισιθάνατος. *Quis primus induxerit Aſiaticum ſtylum. Dictio Hegeſiæ Magneſii à Cicerone damnatur, & Dionyſio Hal. Varronis de eo judicium repudiatur. Timæus Locrus. Timæus Siculus. Ejus ætas, & ſcripta.* Γραοσυλλέκτρια *quis vocatus. Ubi fidem Timæus meritus ſit. Vt in Agathoclis hiſtoria undique malignum erga eum animum prodat. Volaterrani error. Ciceronis de Timæo judicium. item Diodori Siculi. Timæi maledicentia, unde* Ἐπιτίμαιος *dictus. Longini judicium de eodem.*

Atque hos omnes, ſi poſtremos rerum Alexandri ſcriptores exceperis, Ptolomæi Lagi, & Seleuci Nicatoris temporibus, floruiſſe, ſatis eſt manifeſtum. Addam iſtis alios, qui illorum quidem vixerint ætate; ſed ulteriùs etiam vitam produxerint. Traditum hoc eſt de Demetrio Phalereo. Fuit hic Theophraſti auditor *a*, ac Athenarum per decennium præfectus; à quibus tot ſtatuis fuit ornatus, quot dies annus habere credebatur; hoc eſt, trecentis, & ſexaginta. M. Varro:

*Hic Demetrius æneas tot aptu'ſt,*
*Quot luces habet annus abſolutus.*

Vide & Strabonem lib. IX, ac Plinium lib. XXXIV cap. VI.

*a Cicero in Bruto. Strabo lib. 9 & Laërtius in Demetrii hujus vita.*

Sed poſt Caſſandri necem, quemadmodum ex Hermippo Laërtius refert, Antigoni metu confûgit ad Ptolomæum Lagidam, cognomento Σωτῆρα: atque ibi, cùm magno in honore eſſet, auctor regi fuit, ut liberos, quos ex Eurydice haberet, regni ſucceſſores deſignaret; non filium Beronices, qui poſtea dictus Philadelphus. Sed Σωτὴρ etiam ſuperſtes Philadelphum regni conſortem fecit. Exinde Demetrius Philadelpho ſemper fuit exoſus, qui & eum, mox poſt obitum patris, honore omni privavit, inque carcerem conjecit; ubi aſpidis morſu periit. Hæc ætatem Demetrii liquidò oſtendunt: ſed non ſatis convenire videntur iis, qui, illum ſub Philadelpho præfuiſſe bibliothecæ Alexandrinæ, eoque procurante, biblia ex Hebræo fonte in Græcum ſermonem tranſlata eſſe, tradiderunt. Et tamen ea res magnos etiam viros ex antiquis auctores habet. Equidem, quomodo hæc concilientur, haut facilè dictu puto. Sed in medium adferam, quod maximè ſit veriſimile. Cenſeo, tranſlationem eam fuiſſe inſtitutam, quo tempore cum parente ſuo regnabat Philadelphus. Sanè hoc ſi dicamus, etiam Irenæus, & Clemens Alexandrinus, conciliari poterunt cum aliis veterum. Nam duo iſti tradunt, ſacrum codicem Græcè verſum eſſe tempore Ptolomæi Lagi. At referunt hoc ad Philadelphi tempus, Ariſtæus, Ariſtobulus Judæus, Philo, Joſephus, Tertullianus, Euſebius, Epiphanius, & alii, multi adeò, ut referre eos longum ſit. Nec cauſſa obſcura eſt, cur plerique omnes id Philadelphi potiùs temporibus fa-

ctum dicant. Nam humaniſſimus ſemper hic erga Judæos fuit: ut, illum conſilii iſtius de Bibliis transferendis, & protam, & puppim, fuiſſe, per ſit veriſimile. Et fortaſſe, parente vivo, labor iſte duntaxat cœptus: at, cùm ſolus regnaret Philadelphus, abſolutus demum fuit. Equidem tale aliquid dicere malim, quàm cum Scaligero, in Animadverſionibus Euſebianis, propter unum Hermippum, (ſive is Smyrnæus, qui ſub Ptolemæo Euergete fuiſſe videtur; ſive Berytius, qui demum Hadriani Cæſaris tempore vixit,) omnibus illis, & Judæis, & Chriſtianis antiquis, derogare fidem, qui, Demetrium Phalereum bibliothecæ Philadelphi præfuiſſe, ſummo conſenſu tradiderunt. Atque hæc cum ſcripſiſſem, viſum accuratiùs perpendere, quæ apud Euſebium memineram legere lib. VII Hiſt. Eccleſiaſt. cap. XXVI, ſive Græce Κεφ. λϚ: ubi habemus Anatolii iſta de Ariſtobulo: Ὃς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα καταλεγμένος τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ, καὶ τῷ τούτου πατρί, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσπεφώνηκε βασιλεῦσιν. *Qui unus ex ſeptuaginta interpretibus, qui ſacras, divinaſque ſcripturas interpretati ſunt Ptolomæo Philadelpho, & patri ejus, quique commentarios in legem Moſaicam iiſdem regibus dedicavit.* Ubi clarè videmus, utrumque regem jungi, patrem, & filium. Hæc ſanè omnem ſcrupulum eximunt, conjecturamque noſtram penitùs confirmant.

Sed ad ea, quæ inſtituti noſtri propria ſunt, veniamus. Demetrium præter rhetorica, poëtica, politica, etiam hiſtorica quædam reliquiſſe, abunde conſtat ex Plutarchi Lycurgo, Solone, Ariſtide, Demoſthene, & aliis locis: ac diſertim id Laertius dicit: & ſatis liquet ex librorum catalogo, quem idem contexit. Mirum verò, non meminiſſe ibi libri de Archontibus. Atqui ipſe in Thaletis vita Demetrium citat ἐν ᾳ τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ *a* uti & ante fecerat in vita Thaletis. Ac ex Didymo, & Zopyro, ejuſdem operis mentio fit apud Marcellinum in vita Thucydidis. In monumentis ſuis quædam de Judæis ſcripſiſſe, ait Joſephus lib. I adverſus Apionem. Ac meminit quoque Demetrii libro II; ubi ait, eruditione ſui ſeculi facile principem fuiſſe. De ſtylo ita judicat Laertius, Χαρακτὴρ φιλόσοφος, εὐτονίᾳ ῥητορικῇ, καὶ δυνάμει κεκραμένος *b*. Sed de robore, ac lacertis, quod Laertius dicit, id minimè verum puto. Sanè aliter Tullius; qui de eo ſic ſcribit in Bruto: *Phalereus ſucceſſit eis ſenibus adoleſcens; eruditiſſimus ille quidem horum omnium; ſed non tam armis inſtitutus, quam palæſtra. Itaque delectabat magis Athenienſes, quam inflammabat. Proceſſerat enim in ſolem, & pulverem, non ut è militari tabernaculo; ſed ut è Theophraſti, doctiſſimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem teneramque reddidit: & ſuavis, ſicut fuit, videri maluit, quam gravis; ſed ſuavitate eâ, quâ perfunderet animos, non quâ perfringeret.* Idem primo de Officiis: *Nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utroque in genere laboraret, ſequereturque & illud forenſe, & hoc quietum diſputandi genus: niſi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parùm vehemens; dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.* Quod ſi in orationibus, ubi acrimoniâ potiùs opus erat, ſuavis adeò fuit: ſanè dubium non eſt, quin dulcis admodum fuerit in hiſtoria; ubi acrimonia iſta non requiritur.

*a In deſcriptione prætorum Athen.*

*b Stylus philoſophicus eſt, & ſuavitate oratoriâ, ac robore mixtus.*

An verò etiam Lagidæ ſupervixerit Lycus Βυθήρας, non facilè dixerim. Sed tamen huc commodè refertur, cùm Demetrii Phalerei fuerit æqualis, ut mox liquebit. Fuit hiſtoricus Rheginus. Meminit ejus quoque Agatharchides libro de mari rubro, his verbis, Τὰ μὲν c πρὸς ἑσπέραν ἐξείργασαι Λύκος, καὶ Τίμαιος. Item Porphyrius, ſive Malchus in vita Pythagoræ; cujus verba optimè emendabat Jo. Meurſius *d*. Legi enim debet, Λύκος ἐν τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν: ubi vulgò Λοῦκος. Meminit & Clemens Alexandr. lib. I Στρωματ. ubi Peripateticus vocatur. Item Stephanus in Ἀβρότονον: Λύκος ὁ Ῥηγῖνος χωρίον οἶδε τινὰ εἶναι *e*. Item Jo. Tzetzes Chiliad. III, Hiſtor. c.

*c Ea quæ ad occidentem ſunt, exſequitur Lycus, & Timæus.*

*d Ad Heſych. Ill.*

*e Lycus Rheginus eſſe putat nomen loci.*

Condidit, Suida teſte, hiſtoriam Libyæ, & Siciliæ. Ex Libyca hiſtoria quædam citat Antigonus Hiſtor. Mirab. LXVI. Qui & ejus de fluminibus, ac fontibus, librum advocat hiſtor. CXLVIII, & CLIV. Ac præterea de Alexandro ſcripſiſſe, diſcimus ex Stephano in Σκίδρος. Demetrii Phalerei inſidiis appetitum fuiſſe, tradit Suidas. Atque hinc cognoſcimus, quod de ætate dicebam. Uti & inde, quòd vel natura, vel adoptione, pater fuit Lycophronis: ut idem Suidas tradit in Λύκος, & Λυκόφρων, & Iſaacius Tzetzes comm. in Lycophronem. Siquidem Lycophron fuit unus ex ſeptem poëtis, qui ſub Lago, & Philadelpho, crediti floruiſſe; unde & *Pleias* dicebantur. Sunt autem iſti; Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus tragicus, Aratus, & Lycophron; ut ſcribit Iſaacius Tzetzes, Lycophronis interpres. A quo de nominibus non parùm quidem diſſentit Hephæſtion: ſed Lycophronem tamen & ipſe inter eos reponit. Qua de re plura diximus volumine de Poëtis Græcis. Eſt autem hic Lycophron iſte, ex cujus poëmatis tam multis, quorum nomina apud Suidam leguntur, ſola hodie exſtat Alexandra, ſive Caſſandra, poëma obſcurum; ut etiam Suidas appellat.

Ad hæc etiam tempora referendus Daimachus, ſive Deimachus Platæenſis: quippe qui, ut Strabo teſtatur lib. I, legationem obierit ad Allitrochadem, Indiæ regem, filium Androcotti, ſive, ut aliis vocatur, Sandrocotti. At ſatis conſtat, Androcottum *eâ tempeſtate, quâ Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jaciebat, Indiam poſſediſſe:* ut Juſtinus ſcribit lib. XV; ubi etiam narrat, ut mirâ fortunâ, pulſus Alexandri præfectus, regnum hoc occupârit. Cave igitur putes, Ephorum pleraque hujus Daimachi in hiſtoriam ſuam totidem verbis tranſcripſiſſe: etſi id doctiſſimus Caſaubonus *a* ex Porphyrio probare conetur. Nam Ephorum tanto eſſe antiquiorem, ſatis ex iis, quæ ſuprà diximus, liquet. Meminit Daimachi Plutarchus in Poplicola, & fortaſſe etiam in Lyſandro; ubi Damachus nominatur. Indica ſcripſit, ut teſtatur Athenæus lib. IX, & Harpocration in Ἐγγυθήκη; ubi legas, Δαίμαχος *b* ὁ Πλαταιεὺς ἐν δευτέρῳ περὶ Ἰνδικῆς. Item Apollonii ſcholiaſtes in lib. I; ubi dicitur Δηίμαχος. Idem πολιορκητικὰ *c* ὑπομνήματα reliquit; quorum XXXV citat Stephanus in Λακεδαίμων. Fuit rerum mathematicarum rudis, & imperitus, multaſque fabulas hiſtoriæ ſuæ inſeruit; teſte Strabone lib. I. Verba ejus ſunt iſta: Ἅπαντες οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ Δηίμαχος, τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης, Ὀνησίκριτός τε, καὶ Νέαρχος, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δ' ὑπῆρξεν ἐπιπλέον καθιδεῖν ταῦτα, ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις. Διαφερόντως δ' ἀπιστεῖν ἄξιον Δηιμάχῳ τε, καὶ Μεγασθένει· οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ τοὺς ἐνωτοκοίτας, καὶ τοὺς ἀστόμους, καὶ ἄρρινας ἱστοροῦντες, μονοφθάλμους τε, καὶ μακροσκελεῖς, καὶ ὀπισθοδακτύλους. ἀνεκαίνισαν δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες. οὗτοι δὲ καὶ τοὺς χρυσωρύχους μύρμηκας, καὶ Πᾶνας σφηνοκεφάλους, ὄφεις τε, καὶ βοῦς, καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνοντας. περὶ ὧν ἕτερος τὸν ἕτερον ἐλέγχει, ὅπερ καὶ Ἐρατοσθένης φησίν. Ἐπέμφθησαν μὲν γὰρ εἰς τὰ Παλίμβοθρα, ὁ μὲν Μεγασθένης πρὸς Ἀνδρόκοττον, (al. Σανδρόκοττον) ὁ δὲ Δηίμαχος πρὸς Ἀλλιτροχάδην τὸν ἐκείνου υἱόν, κατὰ πρεσβείαν· ὑπομνήματα δὲ τῆς ἀποδημίας κατέλιπον τοιαῦτα. Πατροκλῆς δὲ ἥκιστα τοιοῦτος· καὶ οἱ ἄλλοι δὲ μάρτυρες οὐκ ἀπίθανοι, οἷς κέχρηται ὁ Ἐρατοσθένης. *Sane, quicunque de India ſcripſerunt, pleraque mentiti ſunt: præ reliquis Daimachus, proxime Megaſthenes, Oneſicritusque, & Nearchus, aliique tales, jam nonnihil etiam balbutientes: nobiſque iſta plenius perſpicere contigit, cum de rebus Alexandri faceremus commentarium. Præcipue autem fides Daimacho eſt, & Megaſtheni, deroganda: hi enim ſunt, qui in auribus cubantes, ore, naribus carentes, unoculos, longipedes, digitis retro averſis præditos, referunt. immutarunt etiam Homericam Pygmæorum pugnam, trium ſpithamarum iis ſtaturam adſignantes. iidem narrant, formicas aurum effodere:* eſſe

*a Notis ad Laertium in vitâ Thaletis.*

*b Daimachus libro ſecundo Indicorum.*

*c Commentarios de bellicis machinis, tormentis, reliſque.*

*eſſe quoſdam Panas capita cunei formâ habentes; qui ſerpentes, boves, & cervos cum cornibus deglutiant. atque de his alter alterum redarguit; ut ait Eratoſthenes. Miſſi enim fuerunt legati Palimbrota a, Megaſthenes ad Androcottum, Daimachus ad filium ejus Allitrochadem; taleſque ſuarum peregrinationum commentarios, neſcio qua de cauſâ, reliquerunt. Patrocles verò minimè eorum ſimilis eſt: neque reliqui leves ſunt teſtes, quibus utitur Eratoſthenes.* Verba hæc eo lubentiùs adduxi, quia non de uno Daimacho; ſed de quinque nobilibus rerum Indicarum ſcriptoribus judicium contineant. Ac minimum quidem fidei tribuit Daimacho. In proximo vanitatis gradu collocare non dubitat Megaſthenem; de quo ſuperiori capite agebamus. Arrianus tamen *b* δόκιμον ἄνδρα *c* appellat; eumque ſequi ſe velle profitetur. Tertius, quartuſque locus, aſſignatur duobus illis Alexandri comitibus, de quibus capite decimo dictum fuit; Oneſicrito, inquam, & Nearcho: quorum ille philoſophus erat ex Diogenis Cynici contubernio; ab Alexandro autem gubernatorum magiſter in Indiis conſtitutus fuit: hic verò ab eodem Alexandro præfectus fuit claſſi Indicæ, qua Oceanum Indicum pernavigavit; unde in Euphratem reverſus ad Alexandrum Babylonem euntem vênit; eumque de Chaldæorum ſententia commonuit, ut ne Babylonem ingrederetur: ac rex quidem prædictionem Chaldæorum tunc neglexit; verùm poſtea, prodigiis aliquot territus, pœnitudine duci cœpit, quòd Nearcho non habuiſſet fidem: etiam poſt dies paucos, octiduo verò ante obitum ſuum, in balneo vacavit Nearcho, qui ei, jam febri correpto, narrabat navigationem ſuam, & quæ in Oceano Indico vidiſſet. Auctor iſtorum Plutarchus in Alexandro. Ut mirum non ſit, ſi Arrianus *d* Nearchum imprimis inter eos reponat, quos fide dignos cenſeat. Sed Strabonis, ut vidimus, longè aliud judicium eſt. Et res clamat, meras eſſe fabulas, quæ ex Nearcho, Oneſicrito, Megaſthene, ac cæteris ejus farinæ hiſtoricis, adferuntur à Mela, Plinio, Solino, atque aliis. Quinctus ex iſtis Indiæ ſcriptoribus eſt Patrocles, qui Seleuci Nicatoris, & filii ejus Antiochi temporibus, mare Indicum claſſe luſtravit. Plinius lib. VI Hiſt. Nat. cap. XVII: *Patefacta eſt* (India) *Alexandri magni armis, regumque, qui ei ſucceſſere; circumvectis etiam in Hyrcanum mare, & Caſpium, Seleuco, & Antiocho, præfectoque claſſis eorum Patrocle.* Huic Strabo præ omnibus fidem dicit habendam. Nec leves ſententiæ ſuæ cauſſas adfert. Nam, ſummæ fuiſſe auctoritatis, dicit: quippe qui præfuerit locis, quæ deſcripſit; atque ab duobus regibus, Seleuco, & Antiocho, hoc imperium acceperit. Adhæc rerum mathematicarum minimè fuit rudis; contrà quàm de Daimacho dicebamus. Præterea, cùm Alexandri comites multa obiter tantùm luſtrata in commentarios ſæpius retulerint. Alexander verò omnia ſoleat indagare, deſcriptionemque regionum à peritiſſimis conſueverit accipere: Patrocles eam ſe deſcriptionem poſtea temporis accepiſſe dicit à Xenocle, gazæ præfecto. Ex his apparet, quanto judicio uſus ſit Strabo in hiſtoricis iſtis: longè aliter ac Plinius; qui multa ex Megaſthene, & ſimilibus, ſuis inſeruit libris, de rei veritate ſecurus, dum bonâ referat fide, quæ apud veteres legiſſet.

a India oppidum.
b Lib. 5. exped. Alex.
c Spectatæ fidei virum.
d Lib. 5. exped. Alex.

Etiam ſub Ptolomæo Lagida, & Philadelpho, vixit Antigonus Caryſtius. Opponet fortaſſe aliquis nobis Diogenem Laërtium; cujus interpreti ſi credimus, in hanc ſententiam ſcripſit: *Sunt igitur hujuſmodi notæ, & hic librorum numerus: ut Antigonus Caryſtius in libro, quem* NUPER *de Zenone edidit, refert.* Hæc qui legat, non aliud exiſtimare poteſt, quàm Caryſtium hunc vixiſſe circa tempora Hadriani. Siquidem ipſe Diogenes floruit ſub ſucceſſore Hadriani, Antonino Pio, vel paullo etiam poſt. Sed interpres neutiquam eſt aſſecutus Laërtii ſententiam. Græcè eſt: Τὰ μὲν σημεῖα, ταῦτα, καὶ τὰ βιβλία, τοσαῦτα· ἅπερ (Ἀντίγονός φησιν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος) νεωστὶ ἐκδοθέντα εἴ τις ἤθελε διαγνῶναι, (malim cum Caſaubono ἀναγνῶναι) μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις. Hoc eſt: *Sunt igitur hujuſmodi, notæ, & tot numero, quæ ſcripſit: quæ (ut verbis utar Antigoni Caryſtii libro de Zenone) nuper edita, ſiquis cognoſcere voluiſſet, mercedem his, eos qui poſſiderent libros, perſolvebat.* Dicit igitur Antigonus, nuper editos eſſe Platonis libros, cum notis à ſe expoſitus, quas antea ſi quis intelligere voluiſſet, pretii aliquid annumerare debuerit. Nihil igitur hæc derogant ſententiæ noſtræ; quâ dicebamus, Antigonum hunc ſub Lagi filio, & Philadelpho, vixiſſe. De Lagi filio docuit me Ariſtocles, antiquiſſimus ſcriptor, cujus nobile fragmentum conſervavit nobis induſtria Euſebii lib. XIV præparationis Evangelicæ. In eo, ubi de Pyrrhone, & ejus philoſophia, multa narrat, inter alia hæc verba leguntur *a*: Ἀντίγονος γὰρ ὁ Καρύστιος κατὰ τοὺς αὐτοὺς γενόμενος χρόνους, καὶ ἀναγράψας αὐτῶν τὸν βίον, φησὶ, τὸν Πύῤῥωνα διωκόμενον ὑπὸ κυνὸς, ἀναφυγεῖν ἐπί τι δένδρον· σκωπτόμενον δ᾽ ὑπὸ τῶν παρόντων, εἰπεῖν, ὡς χαλεπὸν εἴη τὸ ἄνθρωπον ἐκδῦναι. *Antigonus Caryſtius, qui iiſdem temporibus vixit, eorumque vitam perſcripſit, ait, Pyrrhonem, cùm canis eum inſequeretur, in arborem quampiam refugiſſe; ac ciim, qui adeſſent, eo nomine deriderent,* (quaſi qui facto ſuo deſtrueret proprium dogma ἀδιαφορίας *b*) *dixiſſe iis, grave omnino eſſe, hominem exuere.* Quod de Pyrrhone hoc etiam narrat Laërtius: ſed auctores ſuos non laudat. At Pyrrho ille æqualis fuit Anaxarcho; ut ex eodem Laërtio conſtat. Anaxarchus autem vixit Olympiade CX; ut diſertim idem ſcribit. Et, ut hoc non diceret, dicit, congreſſum eſſe cum Alexandro Magno, & poſt ejus obitum crudeliter fuiſſe occiſum à Nicocreonte, Cypri tyranno. Aliter quoque idem cognoſcimus. Nam Pyrrhonis diſcipulus fuit Hecatæus Abderita, Laërtio eodem teſte. At Hecatæum hunc cum Alexandro M. nutritum, & cum Ptolomæo Lagi commoratum fuiſſe, ſuperiùs diximus ex primo Joſephi libro contra Apionem. Vixit igitur Antigonus Caryſtius temporibus Ptolomæi Lagi. Interim quoque floruit ſub ſucceſſore ejus Philadelpho. Nam ſcripſit vitam Timonis; ut liquet ex Laërtio. Ac idem teſtatur, Timonem hunc Antigono regi, & Ptolomæo Philadelpho, carum fuiſſe.

a P. 445. edit. Rob. St.
b Indifferentia.

Quod ad ſcripta ejus: non ſolùm Timonis, aut Pyrrhonis vitas, in literas retulit, de quibus jam vidimus: ſed etiam Polemonis, Antipatri, Menedemi, Dionyſii Heracleotæ Metathemeni, Lyconis, & Zenonis: quarum variis in locis meminit Athenæus. Itaque Laërtius *c* ἁπλῶς eum citat ἐν τοῖς βίοις *d*. Ac meminit ejus operis quoque Hieronymus præfat. libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Etiam περὶ ζώων *e* commentarium elucubratus eſt, teſte Heſychio in Γλαυξ: item περὶ λέξεως *f*, ut liquet ex Athenæi lib. III, & VII. Idem Athenæus lib. XIII citat Καρυστίου ὑπομνήματα ἱστορικὰ *g*: atque ex iis refert, ut Lyſimachus è regno ſuo, Athenienſes item publico decreto ex ſua Republica, ejecerint philoſophos: quod factum oratione improbavit Philo Alexandrinus; probavit Demochares, Demoſthenis conſobrinus. Scripſit & ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγὴν *h*, quæ ſola ad nos pervênit. Nam Caryſtii illius opus hoc eſſe, non Alexandrini illius, vel Cumani Antigoni, liquet ex Stephano περὶ πόλεων in Γυαρός; ubi ſcriptorem ejus operis Caryſtium diſertim vocat: quemadmodum collega meus Jo. Meurſius optimè obſervat in eruditis ad eum ſcriptorem notis. Video & alia citari ſub Antigoni nomine: eaque inter, περιήγησιν Μακεδονικὴν *i* apud eundem Stephanum in Ἄβαρις; item Ἀλλοιώσεις *k* apud Antoninum Liberalem Metamorph. XXIII: περὶ πινάκων *l* apud Laërtium in Chryſippo: & ἱστορίαν Ἰταλικὴν apud Dionyſium Halic. lib. I Rom. Antiq., Plutarchum in Romulo, & Feſtum Pompeium in *Roma.* Sed cùm nuſquam in iſtis Caryſtii nomen apponatur, cujus iſta Antigoni ſint, aſſerere non auſim.

c In Polemone.
d In vitis.
e De animalibus.
f De vocib.
g Caryſtii commentarios hiſtoricos.
h Hiſtoriarum mirabilium collectanea.
i Deſcriptionem Macedoniæ.
k Immutationes formæ.
l De tabulis.

His quoque temporibus fuit Hegeſias Magneſius, imitator Chariſii ejus, qui Democharis temporibus vixit. Quod oſtendit hic Ciceronis locus in Bruto: *Duo fuerunt per idem tempus diſſimiles inter ſe, ſed Attici tamen. quorum Chariſius multas orationes ſcribebat aliis, cùm cupe-*

re

*re videretur imitari Lyſiam: Demochares autem, qui fuit Demoſthenis ſororis filius, & orationes ſcripſit aliquot; & earum rerum hiſtoriam, quæ erant Athenis ipſius ætate geſtæ, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere, perſcripſit. At Chariſii vult Hegeſias eſſe ſimilis*, &c. Satis hinc liquet; fuiſſe juniorem Demochare, de quo antea diximus. At idem Timæo, vel antiquior, vel σύγχρονος a fuit. Antiquiorem fuiſſe, cenſet P. Victorius, extremo capite xv libri xvi Variarum Lectionum. Saltem juniorem non eſſe, hinc veriſimili conjecturâ colligo, quòd Plutarchus in Alexandro ab eo ſcriptum fuiſſe dicat, quo die Dianæ Epheſiæ templum conflagravit, natum fuiſſe Alexandrum: atque, hoc cùm diceret, exclamâſſe, domo abfuiſſe Dianam, quòd in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet. Eamque exclamationem Plutarchus ita frigidam eſſe ait, ut vel illud templi incendium valuerit reſtinguere. Atqui, ſi Ciceronem memoria non fefellit, idem ſcripſit Timæus: à quo id commune dictum fuiſſe, Tullius ait libro ſecundo de Natura Deorum. Nempe Tullius, ut homo erat venuſtus, καὶ εὐτράπελος b, amavit ingenii eo ex dicto relucentis elegantiam: Plutarchus, ſeverioris ſupercilii philoſophus, turpem aſſentationem improbavit. Puto autem, Plutarchus, vir immenſæ lectionis, & cui, cùm Vitas iſtas ſcriberet, ad manus ſemper erant Timæus, atque hiſtorici alii, nunquam Hegeſiæ illud dictum tribuiſſet, quod Timæo aſſignat Tullius, niſi prior Hegeſias dixiſſet: aut ni ſaltem, circa eadem tempora, ita uterque ſcripſiſſet. Quod ſi eſt, extremis Ptolomæi Lagi, & primis Philadelphi temporibus, vixerit Hegeſias. Jure vero eum inter hiſtoricos reponi, partim ex iis, quæ diximus, liquet: partim ex Dionyſio Halic. lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. (ubi jungitur Duridi Samio, Polybio, Satyro, Demetrio Calantiano, Hieronymo, Antilogo, vel potiùs Antiocho Syracuſano, & Heraclidi; qui omnes fuere hiſtorici) partim ex Gellii lib. ix, cap. iv; ubi eum conjungit cum Ariſtea Proconneſio, Iſigono Nicæenſi, Cteſia, Oneſicrito, & Polyſtephano, ſcriptoribus veteribus non parvæ auctoritatis; ſed quorum libri miraculorum, ac fabularum, ſint pleni; ut ibidem dicitur. At cave hunc Hegeſiam confundas cum illo, qui, Laërtio c teſte, Πεισιθάνατος eſt dictus. De quo Cicero lib. i Tuſcul. & Valerius Max. lib. viii, cap. ix. Nam iſte Cyrenaicus fuit philoſophus, ac Platonis temporibus vixit. Quippe qui diſcipulus fuerit Paræbatis ejus, quem etiam audivit Anniceris, is qui Platonem redemit: ut Laërtius in Ariſtippo teſtatur. At Hegeſias iſte, de quo nunc ſermo, multo, ut vidimus, junior fuit, orator idem, atque hiſtoricus, patriâ Magneſius; qui primus induxit Aſiaticum dicendi genus. Strabo lib. xiv: Ἄνδρες δ' ἐγένοντο γνώριμοι Μάγνητες, Ἡγησίας ὁ ῥήτωρ, ὃς ἦρξε μάλιστα τοῦ Ἀσιανοῦ λεγομένου ζήλου, παραφθείρας τὸ καθεστηκὸς ἔθος τὸ Ἀττικόν. Etiam ſtylum damnat Tullius in Bruto. *At Chariſii*, inquit, *vult Hegeſias eſſe ſimilis; iſque ſe ita putat Atticum, ut veros illos præ ſe penè agreſtes putet. At quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile?* Item in Oratore: *Quam perverſè fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam vult, alterum penè Demoſthenem, ſaltat, incidens particulas: & is quidem non minus ſententiis peccat, quàm verbis: ut non quæras, quem appelles ineptum, qui illum cognoverit.* Et aliquanto pòſt: *Sunt etiam, qui illo vitio,* QUOD AB HEGESIA MAXIME FLUXIT, *infringendis, concidendiſque numeris, in quoddam genus abjectum incidant, Siculorum ſimillimum.* Dionyſius quoque Halicarnaſſenſis, libro περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. ait, genus dicendi ejus eſſe μικρόκομψον e, ἀγεννές, μαλθακόν: atque alibi eodem libro refert, deformis compoſitionis primas, medias, ultimas, tenêre: atque id allato ex eo exemplo probat. Horum judicio ſtandum potiùs, quàm Varronis; viri quidem omnium Romanorum doctiſſimi, ſed minus intelligentis eorum, quæ ad laudabilem pertinent characterem. Ab eo quidem Hegeſiæ dictionem laudatam fuiſſe, verba iſta Ciceronis oſtendunt ad Atticum lib. xii epiſt. vi: *Habes Hegeſiæ genus, quod Varro laudat.* Nam ſententia eſt: Ex eo, quem ad te miſi, Hegeſiæ libro, facile nunc vides, quàm turpiter ſe det Varro; cùm non vereatur laudare dicendi genus, quod Hegeſias uſurpat.

*a Æqualis.*

*b Et facetus.*

*c In Ariſtippo.*

*d Magnetes viri illuſtres fuere, ut Hegeſias orator, qui princeps induxit ſtylum Aſiaticum, Attico, qui tum erat, corrupto.*

*e Illepidum, ignobile, atque ignavum.*

Etiam ſub Ptolomæo Lagi filio, & Ptolomæo Philadelpho, vixit Timæus; non ille Locrus, philoſophus Pythagoricus, cujus exſtat libellus de natura, & anima mundi, Doricâ ſcriptus dialecto; quemque Plato loquentem inducit in dialogo ſuo, cui inde Timæo nomen; quem item de Pythagoræ vita librum ſcripſiſſe, ait Suidas a: ſed alter, eo junior, Andromachi filius, domo Siculus. Lycophronis Schol. b Τίμεος ὁ Σικελικός φησι: ubi arbitror corruptè Τίμεος pro Τίμαιος legi. nempe Timæus erat Tauromenita; ut ex ſecundo Athenæi, & aliis, conſtat. De ætate verò quod dixi, certiſſimâ nititur ratione. Nam ex illis, quæ deinceps referam, planum fiet, vixiſſe temporibus iis, quibus Agathocles in Sicilia imperabat, inque Italia Tarentinum bellum gerebatur. At Agathocles anno uno antè mortuus eſt, quam regnare cœpiſſet Philadelphus. Tarentinum verò bellum exarſit, cùm triennium jam imperâſſet Pyrrhus. Scripſit Timæus, Suida teſte, libros lxviii, quibus argumenta rhetorica collegit. Sed præcipue hiſtoriâ inclaruit: quamquam multis viſus ſit parvo omnia judicio in literas referre, uſque adeò, ut propterea etiam γραοσυλλέκτρια c diceretur, Heſychio, & Suida teſtantibus. Hiſtorica ejus ſunt iſta: libri tres de Syria, & ejus urbibus, ac regibus. Item Olympionicæ, & χρονικὰ πραξίδια d. quod idem opus fuiſſe cenſeo, ac illud de Olympionicis. Adhæc Ἰταλικὰ, καὶ Σικελικὰ libris viii, & Ἑλληνικὰ, καὶ Σικελικά. Nempe utroque in opere expoſuit res Siculas: ſed in priori retulit, quà permiſcentur rebus Romanis; ut quæ Romani in Sicilia geſſere tempore belli Punici primi: in altero verò egit de bellis inter Græcos, & Siculos; quæ multa variaque. Σικελικὰ ejus citat etiam Antigonus ἐν θαυμασ. hiſt. i, & Parthenius Erot. xxix. Utrum verò opus ſignent, non addunt. In prioribus ejus operis libris, quod erat de rebus Græcis, & Siculis, diligentem habuit veritatis rationem: non item, ubi ad res Agathoclis deventum. Quippe, quia Siciliâ ejectus erat à rege, eo undequaquavorſum occaſionem captare ſolet, qua ſeſe vindicet; uſque adeò etiam, ut, ubi delicti nihil erat, ibi infortunium vitio vertat. Etiam iſto nomine latæ eſt culpæ reus, quòd ignaviam exprobrat viro ſtrenuo, & forti. Et hoc cùm facit, ne quidem ſibi conſtat. Nam Syracuſanorum fortitudinem extollit in cœlum. Quaſi non eos ſubegerit Agathocles. Si iſti fortes, quid judicii feremus de Agathocle, modò mica candoris ſit in nobis? Præſertim quando non proclive hoc illi fuit, qui figulo patre natus erat. Et tamen iſte ad tantum pervênit imperium. Quo alio, quàm prudentiâ eximiâ, ac fortitudine animi ſingulari? Nec domi modò rem præclarè geſſit; ſed etiam foris: ut qui magnam ſubegerit Italiæ & Libyæ partem. Quare mero meridie clarius eſt, Timæum parum fidei mereri in hujus principis rebus: quemadmodum bene obſervatum eſt à Suida; vel potiùs à veteribus illis, quos Suidas exſcribit; Unde verò iſta excerpſerit Suidas, non ſinunt nos ignorare fragmenta illa Diodori Siculi ab Henrico Valeſio paucos ante annos Lutetiæ edita ex Collectaneis Conſtantini Porphyrogenneti: in quibus iſta iiſdem leguntur verbis; ut nihil cauſſæ ſit, cur ulteriùs aqua iſtic hæreat cuiquam. Præter verò iſta, quæ diximus, etiam de Romanorum bello cum Pyrrho, Epirotarum rege, commentarium condidit. Nam cùm res priſcas univerſali rerum Italicarum hiſtoriâ eſſet complexus; bello cum Pyrrho proprium dicavit volumen: ut auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſ. in præfatione Antiquitatum Romanarum. Item Cicero lib. v, epiſt. ad Lucceium: *Ut cogitares, conjunctène malles cum ceteris rebus noſtra contexere; an, ut multi Græci fecerunt, Calliſthenes Troicum bellum,*

*a In Timæo.*

*b P. 103.*

*c Anus collectrix.*

*d Acta ad tempus ſuum relata.*

*lum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum. qui omnes à perpetuis ſuis hiſtoriis ea, quæ dixi, bella ſeparaverunt.* At vel memoria, vel corrupti codices fefellere Raphaëlem Volaterranum libro x Antropologiæ; ubi Timæum ait ſcripſiſſe bellum Thebanum; atque ejuſce rei Ciceronem in illâ, quam dixi, epiſtolâ laudat auctorem. Arbitror autem, idem opus ſignari à Gellio lib. XI. cap. I; ubi Timæum oratione Græcâ ſcripſiſſe ait de rebus Romanis. Mirum interea, Suidam non meminiſſe hiſtoriæ iſtius de bello cum Pyrrho. Niſi idem ſit liber, ac iſte, quem de rebus Italicis, & Siculis, conſcripſit; quod non admodum veriſimile ſit. Satis Timæum hunc laudat Cicero libro de Oratore: *Poſt*, inquit, *Calliſthenem Timæus longè eruditiſſimus, & rerum copiâ, & ſententiarum varietate, & ipſâ compoſitione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit.* Aſiaticum dicendi genus ſequebatur. Sed cùm id duplex fuerit, utrum probârit Timæus, oſtendunt hæc ejuſdem Ciceronis verba in Bruto: *Genera Aſiaticæ dictionis duo ſunt: unum ſententioſum, & argutum, ſententiis non tam gravibus, & ſeveris, quàm concinnis, & venuſtis; qualis in hiſtoria Timæus: aliud autem genus eſt, non tam ſententiis frequentatum, quàm verbis volucre, atque incitatum; qualis eſt nunc Aſia tota; nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato, & faceto genere verborum.* At illuſtris imprimis eſt Diodori Siculi locus lib. v. quo, quid in eo laudari, quid culpari mereatur, oſtendit his verbis: Τίμαιος μὲν ἐν μεγίστην πρόνοιαν πεποιημένος, τῆς τῶν χρόνων ἀκριβείας, καὶ τῆς πολυπειρίας πεφροντικὼς, διὰ τὰς ἀκαίρους καὶ μακρὰς ἐπιτιμήσεις εὐλόγως διαβάλλεται. καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐπιτιμήσεως Ἐπιτίμαιος ὑπό τινων ὠνομάσθη. *Timæus ſanè, & in temporum notatione exquiſitam adhibuit diligentiam, & ut variâ rerum cognitione abundet, ſollicitè laborat. At, propter intempeſtivas, & verboſas reprehenſiones, jure etiam ipſe reprehenditur. Quare ob nimiam taxandi libidinem, & acerbitatem, Epitimæus (id eſt, taxator) à quibuſdam dominatus fuit.* Hanc ejus in Philiſto, aliiſque hiſtoricis reprehendendis, acerbitatem damnat idem Diodorus lib. XIII. & fecerat idem, cùm Cornelius Nepos in Alcibiade; ubi *maledicentiſſimum* appellat: tum utroque antiquior Polybius lib. XII; ubi ſic ſcribit: Διὸ δὴ καὶ νῦν ἡμεῖς μὲν εἰκότως ἂν δόξαιμεν ἀθετεῖν τοῖς ὑπὸ Τιμαίου κατὰ Δημοχάρους εἰρημένοις. ἐκεῖνος δὲ ἂν οὐκ εἰκότως τυγχάνοι συγγνώμης, οὐδὲ πίστεως ὑπ' οὐδενὸς, διὰ τὸ προφανῶς ἐν ταῖς λοιδορίαις ἐκπίπτειν τοῦ καθήκοντος διὰ τὴν ἔμφυτον πικρίαν: Hoc eſt, *Quocirca nunc quoque nos ea, quæ à Timæo dicta ſunt in Democharem, meritò improbare videamur. Ille autem indignus, cui à quoquam ignoſcatur, & fides habeatur, videri debet: quia apertè in maledictis ab officio diſcedit, ac deflectit, propter inſitam acerbitatem.* Nec aliter Strabo in XIV; ubi eum *βάσκανον*, καὶ συκοφάντην *a*, appellat: ac à reprehendendi ſtudio vocatum ait ἐπιτίμαιον, quod & Diodorum ſcripſiſſe vidimus: niſi quòd apud eum ἐπιτίμαιον legitur, uti & Suidam. Et rectiùs, ut arbitror, taxat quoque hunc taxatorem, tum Clemens lib. I Στρωμ. tum Plutarchus in Dione, & ex eo Photius bibliothecæ ſuæ cap. CCXLIV. Nec prætereunda videntur ejuſdem Plutarchi verba in Nicia; ubi Timæum tantopere ſibi placuiſſe ait, ut ſuperare poſſe Thucydidem ſibi videretur; dum in eo totus eſt, ut Philiſtum oſtendat rudem fuiſſe, & impolitum, propriam prodere infantiam, ac pingue quid ſonare, Siculâque adipe oblitum, ut Diphilus dicebat. A quo nec abit ὁ κριτικώτατος *b* Longinus lib. περὶ ὕψους. ubi ſic de eo ſcribit: Θατέρου δὲ ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ, πλήρης ὁ Τίμαιος, ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα ἱκανὸς, καὶ πρὸς λόγων ἐνίοτε μέγεθος οὐκ ἄφορος· πολυΐστωρ, ἐπινοητικὸς, πλὴν ἀλλοτρίων μὲν ἐλεγκτικώτατος ἁμαρτημάτων, ἀνεπαίσθητος δὲ ἰδίων, ὑπὸ δὲ ἔρωτος τοῦ ξένας νοήσεις ἀεὶ κινεῖν πολλάκις ἐκπίπτων εἰς τὸ παιδαριωδέστατον. *Eorum porrò vitiorum, de quibus diximus, altero, frigido, inquam, paſſim laborat Timæus, vir alioqui alia, quæ ad artem pertinent, callens non mediocriter, nec interdum in conciliandâ orationi magnitudine ſterilis; qui multa novit, conſultus, & prudens; præterquam quod ad alienos errores reprehendendos propenſiſſimus, propriorum autem ſenſu deſtitutus, aliorum commentationes ſubinde agitandi cupidine, plerumque ad id, quod infantiſſimum eſt, excidit.* Hoc ita eſſe, à Cæcilio pluribus fuiſſe oſtenſum, addit: atque ipſe unum alterumque ejus locum adducit, quo id planum fiat. Annos ſex & nonaginta Timæum vixiſſe, auctor eſt Lucianus in Macrobiis.

a *Invidum & calumniatorem.*

b *Summi judicii ſcriptor.*

## Cap. XIII.

*Beroſus, ſeu Beroſſus. Ejus nominis origo; uti & nominis* Βαρθολομαῖος. *Claudius Verderius refellitur. Item Conradus Geſnerus. Adverſus utrumque oſtenſum, Beroſum vixiſſe ſub Ptolomæo Philadelpho, dicâſſeque ſua ſeu Antiocho Soteri, ſeu filio ejus Antiocho* Θεῷ. *Hiſtoria Beroſi* Βαβυλωνικὴ, *ſeu* Χαλδαϊκὴ, *tribus conſtans libris. Nabopolaſſar quis. Viri eruditi de Annii Beroſo ſententia refellitur.*

Æqualis quoque horum fuit Beroſus, ſive, ut Græcis vocatur, Βηρωσός. Quod nomen ſummis viris *a* ita dici placet, quaſi Oſeæ filium. Sanè ex Elia conſtat, Chaldæis בר idem eſſe, quod Syris בר; unde ſimiliter *Bar-Ptolomæus*, quaſi filius Ptolomæi; item *Bar-Ieſus*, *Bar-Timæus*, & ſimilia. Sed de ætate Beroſi non convenit inter omnes. Moſi æqualem ſtatui à nonnullis, ait Barthius Adverſar. lib. LI, cap. VII. Quam ſententiam jure, ut ineptiſſimam, damnat. Claudius Verderius, ſuâ in Annianum Beroſum cenſurâ, vixiſſe ait paullo ante principatum Alexandri Magni. Hoc unde adſtrui poſſit, non video. Sed tamen Alexandri ætate vixiſſe, lego apud Tatianum oratione adverſus gentes. Verùm addit idem Tatianus, eum hiſtoriam ſuam dicâſſe Antiocho ei, qui tertius fuit ab Alexandro. Imò nec ſatis conſtans hæc lectio eſt. Nam apud Euſebium lib. x. præparat. Euangelicæ iſte Tatiani locus hunc in modum adducitur *b*: Βηρωσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Ἀλέξανδρον γενόμενος, Ἀντιόχῳ τῷ μετὰ Σέλευκον τρίτῳ τὴν Χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας, καὶ τὰ περὶ βασιλέων ἐκτιθέμενος, ἀφηγεῖταί τινος αὐτῶν, ὄνομα Ναβουχοδονόσορ, &c. *Beroſus igitur Babylonius, Beli Babylone ſacerdos, qui Alexandri ætate vixit, & Antiocho poſt Seleucum tertio Chaldæorum hiſtoriam tribus libris perſcripſit, & regum geſta expoſuit, mentionem facit cujuſdam, cui nomen Nabuchodonoſor.* Hic eſt μετὰ Σέλευκον. At apud Tatianum *c* ipſum pro eo invenio μετ' αὐτὸν, ut idem Alexander ſignetur. Et magis hiſtoriæ eſſe conſentanea hæc lectio videtur. Sanè proximus ab Alexandro eſt Seleucus Nicator, alter ab eo Antiochus Σωτὴρ, tertius Antiochus Θεός. Qui ſexaginta annis, & uno, imperare cœpit poſt obitum Alexandri. Nihil verò prohibet, quo minùs Beroſus, cùm Babylone eſſet Alexander, fuerit annorum circiter triginta, vel etiam minùs: idem nonagenarius, vel junior paullo, hiſtoriam ſuam dicârit Antiocho Θεῷ. Dicere etiam poſſumus, cùm Antiochus nominatur, qui tertius eſt ab Alexandro, intelligi Antiochum Σωτῆρα; ut nempe ipſe in orationem veniat Alexander; alter ſit Seleucus; tertius Antiochus Σωτὴρ, ad quem ab obitu Alexandri anni duntaxat ſunt XLIV. Poſſis etiam, ſi hæc numerandi ratio placet, retinere lectionem, quæ apud Euſebium eſt: nempe ut Seleucus, primus ſit; ſecundus, Antiochus Σωτὴρ; tertius, Antiochus Θεός. Et ita quidem dicere liceat, ſi in adductis Tatiani verbis, iſtoc, κατ' Ἀλέξανδρον γενόμενος, ut apud Stephanum eſt; ſive, κατ' Ἀλέξανδρον γεγονὼς, ut legitur in Tatiano ipſo; rectè à Geſnero transfertur, *qui Alexandri ætate vixit*: quam interpretationem etiam ſequitur Onuphrius Panvinus libro de Sibyllis. Sed, verba hæc peniculatiùs expendenti, in mentem venit, rectiùs verti, *qui Alexandri ætate natus eſt.* Sic ſanè omnis tollitur ſcrupulus. Quippe natus ſit Beroſus biennio ante obitum Alexandri. Fuerit hoc pacto tantùm annorum LXIV, cùm cœpit regnare Ἀντίοχος Θεὸς, cui librum ſuum obtulit.

a *Joſeph. Scaligeri Animadv. Euſeb. pag. 248. edit. prim.*

b *p. 289. edit. Rob. Steph.*

c *In Baſil. edit. Orth. an. 1558.*



Utcun-

Utcunque eſt, Beroſus hiſtoriam ſuam emiſit temporibus Ptolomæi Philadelphi. Nam is annis imperavit XXXVIII: ac anno quidem ejus ſexto regnare in Syria cœpit Antiochus Σωτὴρ: anno autem vigeſimo ſecundo Antiochus Θεός: quorum alterutri ſua nuncupavit Beroſus. Minimè verò aſſentiendum Conrado Geſnero, viro doctiſſimo: qui in notis ad Tatianum per Alexandrum intelligi putat, non illum Philippi filium, cognomento Magnum; ſed eum, qui in Syriæ regno Demetrio Soteri ſucceſſit, ſucceſſoremque habuit Demetrium Nicanorem: per Antiochum verò capit Antiochum Sedetem; qui poſt Demetrium Nicanorem regnavit. Hæc enim ſi vera eſſent, Beroſus ſeculo toto eſſet junior Manethone. Atqui Manethos floruit ſub Philadelpho, ut poſtea liquebit. Philadelphus obiit anno tertio Olympiadis CXXXIII. At Antiochus Sedetes Syriam invaſit anno primo Olympiadis CLX. Quomodo tum demum vixiſſe Beroſus poteſt, qui paulo antiquior eſt ipſo Manethone? quod diſertim dicit Georgius Syncellus. Verba ejus poſtea adducam. Aliter etiam ætatem Beroſi adſtruimus. Siquidem Plinius lib. VI Hiſt. Nat. cap. LV refert, Beroſum tradere memoriam quadringentorum annorum, & octoginta: qui ſine dubio ſunt ann: Nabonaſſaris. At caput æræ Nabonaſſareæ ſurgit Olympiadis VIII anno II. A quo tempore ſi annos numeres CCCCLXXX; incidemus in extrema tempora Antiochi Σωτῆρος. Quare vel huic, vel filio ejus Antiocho Θεῷ, hiſtoriam ſuam dicaverit Beroſus. Hæc profectò de ætate Beroſi dubitare nos minimè ſinunt. Meminere Beroſi plurimi veterum; eoſque inter Vitruvius lib. IX cap. IX, Tertullianus in Apologetico cap. XIX, & ſcriptor Chronici Alexandrini *a*. Condidit Babylonica, ſive Chaldaica, tribus libris. Promiſcuè enim his nominibus utuntur veteres. Βαβυλωνικὰ quidem Beroſi advocat Athenæus in quartodecimo. At Tatianus ait, ſcripſiſſe τὴν Χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις *b*. Ac, ut vidimus, Clemens Alexandrinus *c* citat Beroſum ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν *d*. & alibi *e* ἀπλῶς, ἐν ταῖς Χαλδαϊκαῖς ἱστορίαις *f*. Agathias quoque lib. II. contexuiſſe ait τὰ *g* ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων, καὶ Μήδων. Freculphus Lexovienſis Chronicorum lib. I. cap. XXVI: *Beroſus, qui Chaldaica defloravit.* Nec res ſolum Aſſyrias, ſeu Chaldæas, ſed etiam Medicas libris iſtis complexus fuit. Agathias lib. II: Ὡς πῃ Βηρώσῳ τε τῷ Βαβυλωνίῳ, καὶ Ἀθηνοκλεῖ, καὶ Σιμάχῳ, τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγραψαμένοις, ἱστόρηται. *Ut alibi Beroſus Babylonius, & Athenocles, & Simachus, qui antiquiſſimas Aſſyriorum & Medorum res conſcripſere, retulerunt.* Ex eo opere præclara quædam fragmenta conſervavit nobis Flavius Joſephus lib. I. contra Apionem. Quorum aliqua luculentis notis illuſtrat Scaliger in appendice operis de emendatione temporum. Sanè ex fragmentis iſtis inter alia illud diſcimus, Nabopolaſſarum fuiſſe patrem Nabuchodonoſori, & tertium decimum Nabuchodonoſori eſſe trigeſimum Nabopolaſſari. Vide & Euſebium in IX Præparationis Evangelicæ cap. XL. Habes & aliud fragmentum apud eundem Joſephum lib. I Antiquitatum Judaicarum cap. V. Sed Annii Beroſus ejuſdem eſt farinæ, ac ſunt ejus Megaſthenes, & Archilochus; de quibus antè diximus. Ut inſanum ſit, velle ex quiſquiliis iſtis, ac nugis mendacibus, metiri magnum illum Beroſum, cui *ob divinas prædictiones Athenienſes publice in gymnaſio ſtatuam inauratâ linguâ poſuere*: ut auctor eſt Plinius lib. VII. cap. XXXVII. Et tamen V. Cl. Dionyſius Gothofredus, præfatione ſuâ in antiquæ hiſtoriæ auctores, hiſtoriarum ſtudioſos cognitionem earum haurire jubet, non ex decimâ, ut ait, lacunâ; ſed ex illo Annii Beroſo, Manethone, & Metaſthene. Quia verò non ignorabat, maximos viros cenſere, eſſe iſtos ſcriptores ſuppoſititios, & mendis, mendaciiſque coopertos, eo continuò adjungit, *ſuſpecta ſunt, ac fluxa apud viros quoſdam eruditiſſimos fidei. ſed quid? ſua illis, mea mihi, aliiſque, opinio eſt.* Et poſt pauca: *Quid ſi moroſe, ac pertinaciter, in ſuperioribus auctoribus recuſandis manſerint, eodem per me licet loculamento in bibliothecis ſuis Beroſum, & alios, aſſervent, quo Herodotum, quo denique priores Dionyſii Halicarnaſſei, ac multorum aliorum, ac maximè Plinii hiſtorici libros.* Quibus verbis quid aliud facit, quàm quod noctuam aquilæ conferat, picam cum luſcinia, culicem cum elephanto? *Sed*, inquit, *ſeriem principum, quos* (Beroſus, Manetho, Megaſthenes Annii) *enumerant, pene totam Euſebius Chronico ſuo recenſet. quin nec difficile fuerit, apud veteres eoſdem quoque nanciſci, atque oſtendere.* At toto errat cœlo. Nam Annianus ille Beroſus multos comminiſcitur reges, qui nuſquam extant: quod ſatis docti viri oſtenderunt. Ac vix quicquam eorum invenias apud hunc, quæ ex vero Beroſo citat Joſephus. Imò interdum pugnantia habet; ut, cùm ait, Babylonem à Semiramide conditam eſſe: cùm Joſephus dicat, à Beroſo ſcriptum fuiſſe, non eſſe eam à Semiramide ædificatam. Quàm etiam ridiculum, cùm Beroſus iſte libro V, quo loco de quartodecimo Babyloniorum rege tractat, ait, ejus tempore *regnâſſe apud Celtas Lugdum, à quo provincia, & homines, cognomenta ſumſerint*: hoc eſt, à quo, ut Annius ipſe exponit, Celtica vocari cœperit *Lugdunenſis*, & homines dicti ſint *Lugdovici*, poſteaque, extrito G *Ludovici*. Nam & Lugdus ille eſt commentitius, & *Ludovicus* eſt Germanicum nomen. Et Galliæ ea pars, demum ſeculis duobus, & ampliùs, poſt Beroſum, nomen *Lugdunenſis* accepit. Nam dicta ita eſt a Lugduno; poſtquam ad magnam ea urbs nominis claritatem venerat. At nomen ejus obſcurum fuit, priuſquam L. Munatius Plancus, Ciceronis diſcipulus, coloniam eò Romanorum deduxit: ut Hieronymus teſtatur in Euſebiano Chronico, & vetus quædam indicat inſcriptio, quæ Caietæ in Neapolitanorum agro reperta creditur. Colonia deducta eſt principatu Auguſti. Beroſus autem vixit tempore Antiochi Θεῷ, hoc eſt primi belli Punici. Inter quæ duorum eſt ſeculorum intervallum. Fortaſſe aliquis credat, in errorem propemodum æquè ſpiſſum incidiſſe B. Martyrem Juſtinum, quando, in cohortatione ad Græcos, Sibyllam Babyloniam Cumis vaticinatam dicit, eamque vocat Βηρώσου *a* τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος θυγατέρα. Nam, dicat quis, Cumana Sibylla, vel tempore vixit Æneæ, cui oraculum dedit, juxta Maronem in ſexto: vel ſaltem junior non erat Tarquinio Priſco, cui libros ſuos obtulit, ut à multis veterum proditum eſt. At inter Tarquinium Priſcum, & primum bellum Punicum, cujus tempore Beroſus erat, ſunt anni ducenti quadraginta quinque. Equidem fateor, nihil piaculi fore, ſi agnoſcam, deceptum in hac re Beatum martyrem: cumque legiſſet, Sibyllam, quæ Tarquinii tempore vixit, fuiſſe filiam Beroſi, (quod ab Juſtini æquali Pauſania in Phocicis, & Suida etiam, ſcriptum eſt) putâſſe, eam eſſe filiam Beroſi hiſtorici: nec cogitâſſe ſatis, fuiſſe & alios Beroſos in Chaldæa. Sed nihil opus eſt, ut tam fœdam ἀνιστορησίαν doctiſſimo pariter, & ſanctiſſimo viro impingamus. Nam quid prohibet, quo minùs dicamus, locutum de aliâ Sibyllâ Cumanâ, multo juniore, quæ mox à primo bello Punico fuerit? Neque enim una Cumis, ſed complures ſunt vaticinatæ: ut ex libro de mirabilibus rebus auditu perceptis, qui Ariſtoteli tribuitur, item ex Martiano Capella, & aliis, jam diu planum fecit Onuphrius Panvinius libro de Sibyllis.

a Pag. 48.
b Hiſtoriam Chaldaicam libris tribus.
c Ἐν στρωματεῖ.
d Libro tertio Chaldaicorum.
e Lib. I. Στρωμ.
f In hiſtoriis Chaldaicis.
g Antiquiſſima Aſſyria, & Medica geſta.
a Beroſi ejus, qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filiam.

## CAP. XIV.

*Manethos Sebennita, ſive Sebenita. Annii Manetho rejicitur. Genuini Manethonis dignitas, hiſtoria ſacra, & ejus argumentum. Manetho Mendeſius. Κῦφι.*

ET hi quidem tum ſub Sotere, Lagi filio, tum ſub Philadelpho, vixerunt. Dicam nunc de iſtis, qui an ſub Sotere floruerint, non ſatis liquet: ſed quos tamen ſub Philadelpho fuiſſe, certò comperiam. Horum primus eſto Manethos Sebennita Dioſpolitanus; qui, Beroſo jam ſene, adoleſcens fuiſſe, ac poſt eum ſuperfuiſſe, videtur.

Sal-

Saltem juniorem facit Georgius Syncellus: Μανεθὼς *a* ὁ Σεβεννύτης, τῶν ἐν Αἰγύπτῳ μιαρῶν ἱερῶν ἀρχιερεὺς, μετὰ Βηρωσσὸν γενόμενος. Unde etiam videmus, fuiſſe flaminem Ægyptium. Philadelphi ætate vixiſſe, ibidem dicitur; pleniuſque & hoc, & quod de dignitate ejus retuli, cognoſcere erit ex Euſebii verbis, quæ poſtea adferam. Scriptor eſt memoratus Joſepho lib. I Antiq. Jud. cap. III *b*, Plutarcho lib. de Iſide, & Oſiride, Theophilo lib. III ad Autolycum, Tertulliano in Apolog. cap. XIX, Porphyrio lib. de abſtinentia animalium ſecundo, (ubi citatur ἐν τῷ περὶ ἀρχαϊσμοῦ, καὶ εὐσεβείας *c*,) Euſebio in Chronicis ad annum XV Manethonis Ægyptii regis, (ſed in quibuſdam codicibus is locus deſideratur) item ad annum VII Thuoris, terræ Ægypti regis, ſub quo Troia capta eſt. Adhæc Cedreno *d*, & aliis. Sub Manethonis nomine quædam edidit Annius Viterbienſis; de cujus commentis toties dicere piget. De genuino potiùs Manethone videamus. Quem compluria ſcripſiſſe, indicat hic Euſebii locus initio lib. I Præparat. Euangel. Πᾶσαν μὲν οὖν τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν εἰς πλάτος τῆς Ἑλλήνων μετείληφε φωνῆς, ἰδίως τε τὰ περὶ τῆς κατ' αὐτοὺς θεολογίας, Μανεθὼς ὁ Αἰγύπτιος, ἔν τε ᾗ ἔγραψεν ἱερᾷ βίβλῳ, καὶ ἐν ἑτέροις αὐτοῦ συγγράμμασι. *Omnem hiſtoriam Ægyptiacam, proprieque, quæ ad theologiam hujus gentis pertinent, fusè in Græcam tranſtulit linguam Manethos Ægyptius, cùm in ſacro opere, quod ſcripſit, tum in aliis commentariis.* Per ſacrum verò librum intelligi hoc loco debet hiſtoria, quam, poſtulato Ptolomæi Philadelphi, ab antiquiſſimis ac fabuloſis temporibus exorſus, perduxit penè uſque ad tempora Darii Codomanni, ejus quem Alexander Magnus devicit. Sanè apud Euſebium in Chronicis, ad annum XVI Artaxerxis Ochi, annotatur, HUC USQUE MANETHOS. Eſt is annus ſecundus Olympiadis CVII. Quo ipſo, ut ibidem legere eſt, Ægyptiorum concidit imperium, Nectanebo in Æthiopiam pulſo; rediitque Ægyptus in poteſtatem Perſarum: uti, Perſis devictis, ſub Alexandro, & Ptolomæis fuit. Nec dubito, quin hæc cauſſa fuerit, cur Manethos deſierit in ultimo Nectanebi anno: ſequentia enim tempora ex Perſarum, & Græcorum imprimis, monumentis poterant colligi. Hiſtoriam hanc tribus diſtinxerat tomis. Primo complectebatur τὰς θεῶν, καὶ ἡμιθέων, δυναστείας *e*: quæ numero fuere XI. Altero comprehendebat δυναστείας octo: tertio duodenas. Dynaſtias iſtas invenies in excerptis Africani; ex quo & ſua hauſit Euſebius, ſed ea interpolavit. Committere verò non poſſum, quin ex Euſebii Chronicis illuſtrem adſcribam locum; ex quo cognoſcere ſit, quis fuerit Manethos, quando vixerit, unde hiſtoriam ſuam hauſerit, & ut eam regi Philadelpho dicârit. Verba Euſebii ſunt iſta: Ἐκ τῶν Μανεθῶ τοῦ Σεβεννύτου. ὃς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων, χρηματίσας ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν, ἱερᾷ, φησι, διαλέκτῳ, καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι κεχαρακτηρισμένων ὑπὸ Θὼθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ Ἀγαθοδαίμονος τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ, πατρὸς δὲ τοῦ Τὰτ, ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων. ἃ προσεφώνησε τῷ αὐτῷ βασιλεῖ, δευτέρῳ Πτολεμαίῳ, ἐν τῇ βίβλῳ τῆς Σώθεως γράφων οὕτως. Quorum hæc ſententia eſt: *Ex libris Manethonis Sebennitæ; qui cùm temporibus Ptolomæi Philadelphi flamen ſacrorum eſſet, ſive malis idolorum,* (ἱερῶν *f* μιαρῶν ἀρχιερεὺς dicitur Georgio Syncello) *eruit iſta ex columnis in Seriadica terra poſitis; quibus ſacrâ, ut ait, dialecto ſacra erant notæ inſculpta à Thoüt, primo Mercurio: ea verò poſt diluvium ex ſacra lingua in Græcam notis ibidem ſacris verſa fuerunt; interque libros in adyta Ægyptia relata ab Agathodæmone, altero Mercurio, patre Tat. Hæc verò Manethos Philadelpho, ſecundo è Ptolomæis, dicavit: ad quem ita perſcripſit in Sothis libro:* hoc eſt, libro Iſis, ſive Iſidis; à cujus peregrinatione Manethos ordiebatur. Poſt iſta ſubjungit Euſebius epiſtolium Manethonis ad Philadelphum, cujus hæc inſcriptio: Μανεθὼς ἀρχιερεὺς, καὶ γραμματεὺς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων, γένει Σεβεννύτης ὑπάρχων, Ἡλιοπολίτης, τῷ δεσπότῃ μου Πτολεμαίῳ χαίρειν. *Manethos flamen ſacrorum, & ſcriba adytorum Ægypti, genere Sebennita, Heliopolites, domino meo Ptolomæo ſalutem.* In literis verò ipſis dicit, ſecutum ſe ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος Τρισμεγίστου Ἑρμοῦ· *libros ſcriptos ab avo Mercurii Triſmegiſti.* Quamquam verò optandum eſſet, ut ſcriptor hic integer ad nos perveniſſet: tamen bene ſaltem eſt, quòd luculenta quædam fragmenta conſervavit nobis Fl. Joſephus lib. I. contra Apionem: in quibus egregiè diſtinguit ea, quæ Manetho ex libris ſacris, quæque ex vulgi hauſerat fabellis: poſterioraque hæc ſolidè ibidem refellit. Bene etiam eſt, quòd Africani beneficio epitomen totius Manethonis habemus. Cui lucis multum attulit Joſephus Scaliger, notis in Græca παντοδαπῆς ἱστορίας *a* Euſebii *b*: item in canonibus Iſagogicis lib. II. cap. II, & lib. III. cap. II. Et hæc de Manethone Sebennita Dioſpolitano; à quo diſtinguendus Manethos, ſacerdos Mendeſius, quem Suidas ſcripſiſſe dicit de confectione κυφίων. Eſt verò κῦφι ſuffimenti genus ſacerdotibus Ægyptiis uſitatum: unde ἱερατικὸν *c* Galenus vocat in libris τῶν κατὰ τόπους *d*. Meminit ſuffimenti ejus & Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, & B. Hieronymus lib. II adverſus Jovinianum. Fortaſſe autem hic Manetho Mendeſius is eſt, quem ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ citat Laërtius in proœmio. Puto, & eundem ſignari ab Æliano lib. X. de natura animalium cap. XVI; ubi vocat Μανέθωνα *e* τὸν Αἰγύπτιον, σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα: ac proditum ab eo dicit, vitiligine, & leprâ, corripi ſolere, qui ſuillo lacte veſcuntur.

*a* *Manethos Sebennita, impurorum in Ægypto ſacrorum ſummus ſacerdos, qui poſt Beroſum fuit.*
*b* *Juxta diſtinct. Græci codicis c. 8. juxta diſtinct. interpretis vet.*
*c* *Libro de antiquitate, & pietate.*
*d* *Pag. 8. & 10.*
*e* *Deorum & ſemideorum imperia, ac principatus.*
*f* *Impurorum ſacrorum flamen.*
*a* *Omnigenæ hiſtoriæ.*
*b* *P. 150. & deinceps ed. 1.*
*c* *Sacerdotale.*
*d* *Lib. 8. c. 5, & 7.*
*e* *Manethonem Ægyptium, ſummæ ſapientiæ virum.*

## CAP. XV.

*Callimachus Cyrenæus. Ejus genus, præceptor, ætas, ſcripta. Philoſtephanus. Hujus, an Heraclidis, foret de inſulis liber, nec olim ſatis conſtabat. Ariſteas. Non videri genuinum opus, quod ſub Ariſteæ nomine exſtat de tranſlatione τῶν ἑβδομήκοντα a. Cur Zoilus vocetur* canis Rhetoricus. *Ejus ſcripta. Polycratem falsò credi unum ex iis, qui Socratem coram judicibus accuſarunt. Zoili paupertas, & miſera mors. Dionyſii Halicarnaſſenſis honeſtum de Zoilo judicium. Duris Samius. In Suida conjectura. Duris circa verborum collocationem negligens. Lynceus Samius. Suidas emendatur. Neanthes Cyzicenus. Cleanthis Antiquitatum libri. Cteſibius hiſtoricus. Cteſibius junior, qui hydraulicas machinas invenit. Soſibius Lacon. Antonius Diogenes.*

Iſdem temporibus floruit Callimachus, Batti & Meſatmæ filius, unde Battiadem vocat Ovidius in Ibide. A Batto eo, qui Cyrenen condidit, genus ſe ducere dicebat; ut Strabo ſcribit lib. XVII. Fuit diſcipulus Hermocratis, Jaſenſis grammatici: ac ipſe etiam, priuſquam Philadelpho commendaretur, literas in vico Alexandrino docebat. Pertigit verò uſque ad tempora Ptolomæi Energetæ. Auctor Suidas. Ac convenit, quòd Gellius lib. XVII. cap. XXI. floruiſſe dicit paullo poſt primum bellum Punicum. Nec immeritò à nobis inter hiſtoricos recenſetur. Siquidem tabulam edidit, ſive deſcriptionem eorum, qui in quavis diſciplina clari fuerunt, illorumque quæ ſcripſerunt. Conſtabat hoc opus libris centum, & viginti. Præter Suidam ejus meminit Athenæus lib. VI, & XIV; item Etymologus his verbis: Καλλίμαχος *b* ὁ γραμματικὸς ἐποίει πίνακας, ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ τῶν ἀρχαίων. In his illud quoque annotârat, quot verſuum liber quiſque eſſet; ut ex Athenæo conſtat. Atque idem fecerat in ſcripto à ſe πίνακι *c* τῶν νόμων· ut videre eſt ex Athenæi XIII. Id in poëtis facere nunc quoque facile ſit: ſed nec difficile olim fuit in iis, qui proſâ uterentur. Nam in deſcribendis auctoribus uſi chartæ genere certæ formæ: ut facilè ex verſuum numero colligi poſſet de operis magnitudine: quâ de re vide quæ notata Salmaſii prolego-

*a* *Septuaginta interpretum.*
*b* *Callimachus Grammaticus fecit tabulas, in quibus deſcriberet antiquos.*
*c* *Indice Legum.*

legomenis in Solinum. Scripſit etiam κτίσεις ſive origines inſularum, & urbium, & nominum mutationes: item de fluminibus Europæ, de rebus in Peloponneſo, & Italia, admirabilibus & incredibilibus, de mutatione nominum piſcium, de ventis, de avibus, de orbis terrarum fluminibus; item collectanea de miraculis in ſingulis locis orbis terrarum; & multa alia, quæ ex Suida peti poſſunt. Mirum verò, eum præterire librum περὶ ἀγώνων *a*: in quo inter alia de Actiacis ludis, Virgilio etiam memoratis, egiſſe, auctor eſt Harpocratio in Ἄκτια. Cui & in Ἀκὴ citatur Καλλίμαχος *b* ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. Sed cujuſmodi commentarios ſignet, non addit. Mirum quoque, Suidam non nominare ibidem Hecalen; quo nomine poëmatium ab illo editum fuiſſe, ſcholiaſtes ejus docet. Hujus argumentum vide apud Politianum Miſcellaneorum cap. XXIV. Scripſit quoque Αἴτια, quæ Martialis memorat lib. X. epigr. IV, & Servius in VII Æn. Edidit & hymnos, qui hodieque exſtant. Item carmen de Beronices coma; quod Catullus tranſtulit. Sed & aliqua ejus ad nos epigrammata pervenerunt. Καλλίμαχος *c* ἐν τοῖς περὶ ὀρνέων citatur à Tzetze in Lycoph. *d* Fortaſſe tamen quædam ex iis, quæ Callimacho huic tribuuntur, fuere Callimachi junioris. Nam fuit & Callimachus Cyrenæus, poëta ἐπικὸς, ex ſuperioris ſorore natus, filius Staſenoris, & Megatimæ, quæ Callimachi ſoror erat; ut eſt apud Suidam. Sed hujus non ita magnum nomen fuit. Itaque & Strabo lib. XVII, ubi commemorat inſignes viros Cyrenæos, unum tantùm Callimachum laudat; quem à rege Ægyptio in honore habitum ait. Ex ſeniori Callimacho etiam hiſtoriolam unam, alteram, receſſet Jo. Tzetzes Chil. IV hiſtor. CXXXVIII, & Chil. VIII hiſt. CCXXVIII.

a De certaminibus.
b In commentariis.
c In opere de avibus.
d Pag. 83.

Eodem ſub rege floruit Philoſtephanus Cyrenæus; utpote Callimachi familiaris. Athenæus initio lib. VIII: Φιλοστέφανος *e* δ' ὁ Κυρηναῖος μὲν γένος, Καλλιμάχου δὲ γνώριμος, ἐν τῷ γ' περὶ παραδόξων ποταμῶν, &c. Præter opus, cujus hic meminit Athenæus, etiam ſcripſit Δήλιον. quod idem nominat lib. VII. Atque eodem libro citat librum ſeptimum urbium Aſiaticarum. Φιλοστέφανος ἐν τοῖς Ἠπειρωτικοῖς *f* celebratur Harpocrationi in Βόχετα. Hiſtoriæ ejus mentio eſt apud Plutarchum in Lycurgo: operis περὶ εὑρημάτων *g* apud Clementem lib. I Στρωμ. Idem προτρεπτικῷ πρὸς Ἕλληνας advocat librum ejus de Cypro: atque inde narrat, ut Pygmalion Cyprius eburneum Veneris ſimulachrum perditè amârit: quod & facit ex eo Arnobius lib. VI. Librum iſtum cenſeo fuiſſe partem majoris operis, quod περὶ Νήσων *h* inſcribebatur. Nam Philoſtephano nonnulli illud opus tribuebant; ut indicant hæc Harpocrationis verba in Στρόμη: Ἡρακλείδης, ἢ Φιλοστέφανος, ἐν τῷ περὶ Νήσων *i*. Et Servius in I Æn. juxta codicem Fuldenſem, citat *Phicopoſtephanum* περὶ τῶν Νήσων *k*; ubi ſine dubio *Philoſtephanum* legendum. Et ſanè Heraclidi librum tribuit Stephanus in Ὠλίαρος: ſed Philoſtephano adjudicat quoque Conſtantinus de Themat. lib. α cap. XV. Et videtur ſententiæ ejus accedere Laërtius: quippe qui, recenſens Heraclidis libros, eum nullus nominet. Meminit Philoſtephani hujus etiam Anonymus Homeri interpres in Iliad. B *l*, H *m*; ubi ex eo de Phryxo, & Helle: item Apollonii Scholiaſtes in II Argon. *n*. ubi de Sinope: & Tzetzes Chil. VII Hiſtor. CXLIV.

e Philoſtephanus vero genere quidem Cyrenæus, Callimachi autem familiaris, in tertio de fluminibus admirabilibus.
f Philoſtephanus de rebus Epiroticis.
g De rebus inventis.
h De inſulis.
i Heraclides, [illegible] Philoſtephanus, libro de inſulis.
k De inſulis. Servius Danielis Appendicis, ubi variæ Lectiones, pag. 28. edit. Pariſ. 1600.
l Pag. 32. edit. Hervag.
m Pag. 138.
n P. 110. edit. H. St.

Etiam Philadelphi tempore vixit Ariſtæus, ſcriptor jam olim laudatus Joſepho, Antiquitatum Judaicar. lib. XII, cap. II, & libro contra Apionem: Tertulliano in Apologetico cap. XII, Euſebio cùm aliàs, tum lib IX *o* Præparationis Evangelicæ. Ἀριστέας *p*, inquit, ἐν τῷ γραφέντι βιβλίῳ περὶ τῆς ἑρμηνείας τοῦ τῶν Ἰουδαίων νόμου: item Epiphanio lib. de menſuris, & ponderibus: & Hieronymo præfat. in pentateuchum. Extat hodieque liber ſub Ariſtei, ſeu Ariſteæ nomine, de tranſlatione legis per LXXII interpretes. Sed eum genuinum videri, negat Ludovicus Vives in Auguſtini lib. XVIII de Civitate Dei cap. XLII. Scio, Vivi in eo refragari, cùm alios non paucos, tum Perionium; Obſervationibus in B. Juſtini parænesin ad gentes: tum Cardinalem Bellarminum libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Margarinum Bigneum edit. II bibl. PP. Sed Vivi accedunt Leo Caſtrius prol. in Jeſ. VI, & Alphonſus Salmero in Prolegom. VI. Et profectò levia non ſunt, quæ pro hac ſententia adfert Joſephus Scaliger Animadverſ. Euſeb. ad annum MDCXXXIV. Ipſum adi.

o P. 260. edit. R. St.
p Ariſtæus in libro, quem ſcripſit de tranſlatione legis Judaicæ.

Felix quoque Philadelphi ſeculum infelicem Zoilum vidit: ut conſtat ex Vitruvio; cujus verba poſtea adducam. Epheſium vocat Anonymus Homeri interpres in Iliad. E: ut mox videbimus, ubi verba ejus attulero. Sed fuit Amphipolitanus; teſte Heraclide Pontico in Allegoriis Homericis; cui ibidem vocatur iccirco Θρᾳκικὸν ἀνδράποδον *a*. Eandem ei patriam tribuit Ælianus libro XI. Var. Hiſtor. cap. X: ubi etiam docet, vocatum fuiſſe *canem Rhetoricum*: ac *Rhetoricum* quidem, quia ſophiſta eſſet, & eleganti dictione uteretur: *canem* autem, quòd ſtylo mordaci adlatraret ſummos viros: atque adeò Homerum ipſum, adverſus quem Grammatica quædam libris IX ſcripſit; ut Suidas indicat. Ponam unius, atque alterius verba. Anonymus Iliad. E. *b* Ζωΐλος δὲ ὁ Ἐφέσιος κατηγορεῖ τοῦ τόπου τούτου, καὶ μέμφεται τὸν Ποιητὴν, ὅτι λίαν γελοίως πεποίηκεν ἐκ τῶν ὤμων τοῦ Διομήδους καιόμενον πῦρ. ἐκινδύνευε γὰρ καταφλεχθῆναι ὁ ἥρως. *Zoilus verò Epheſius accuſat hunc locum, ac culpat poëtam, quòd admodum ridiculè fecerit, ſcribendo, ex humeris Diomedis arſiſſe ignem. Siquidem ſic periculum fuerit, ne heros conflagraret.* Et paullo pòſt citat Zoilum; ubi rurſus Homerum reprehendit: Κατηγορεῖ γὰρ τούτου τοῦ τόπου Ζωΐλος· ὅτι λίαν, φησὶ, γελοίως πεποίηκεν ὁ Ποιητὴς τὸν Ἰδαῖον, ἀπολιπόντα τοὺς ἵππους καὶ τὸ ἅρμα, φεύγειν· ἐδύνατο γὰρ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ἵπποις φυγεῖν. *Accuſat & hunc locum Zoilus: quòd valde, inquit, ridiculè fecerit poëta, ſcribendo, Idæum, equos & currum relinquentem, fugere: potuiſſet enim magis in equis fugiſſe.* Indeque factum, ut omnes alienarum laudum obtrectatores *Zoili* dicerentur. Ovid. lib. I. de Remed. Amor.

*Ingenium magni livor detrectat Homeri.*
*Quiſquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.*

a Thracium mancipium.
b Pag. 92. edit. Hervag.

Etiam adverſus Platonem, & Iſocratem, calamum ſtrinxit; ut ex eodem Æliano, & Suida, conſtat. Idem Suidas indicat, Hiſtoriam libris tribus ſcripſiſſe; eamque à θεογονίᾳ, ſive generatione Deorum, orſum fuiſſe: deſiiſſe autem in Philippi interitu. Item ait, edidiſſe libros tres de urbe patria, Amphipoli; aliaque multa. Inter quæ Tenediorum encomium fuit. Strabo lib. VI: Ἀλφειὸν *c* δὲ Ζωΐλος ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ Τενεδίων ἐγκωμίῳ φησὶν ἐκ Τενέδου ῥεῖν, ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον. Fuit auditor Polycratis illius, qui accuſationem contra Socratem ſcripſit. Hoc diſertim legere eſt apud Ælianum lib. XI Var. Hiſtor. cap. X. Sed videtur parùm eſſe conſentaneum ei, quod vixiſſe dicitur temporibus Philadelphi. Nam Socrates cicutam bibit Olympiadis XCV anno II. Philadelphus autem imperare cœpit Olympiadis CXXIII anno IV. Intermedii ſunt anni CXIV. Non leve hoc argumentum foret adverſus illud, quod de ætate Zoili dicebamus, ſi Polycrates fuiſſet inter eos, qui Socratem accuſarunt; quod Hermippus putavit. Verùm tres ſolùm fuere, qui litem intenderent Socrati; Anytus, Lyco, ac Melitus: ut Plato in Apologia retulit, & Antiſthenes in Succeſſionibus, Laërtio teſte. Polycrates autem aliquanto pòſt vixit. Sanè oratione, quam adverſus Socratem ſcripſit, meminit murorum, quos inſtauravit Conon. At factum hoc ſexennio poſt mortem Socratis. Unde liquet, eam orationem poſtea demum ſcriptam eſſe: quod etiam animadvertit Phavorinus in primo commentar. Auctor idem Laërtius. Sed alterum etiam argumentum video adverſus id, quod dicebamus. Nam Heraclides Ponticus in Ἀλληγορίαις Ὁμηρικαῖς meminit Zoili hujus Amphipolitæ. At ille Heraclides Ariſtotelis ætate vixiſſe putatur. Sed facilè occurritur. Nam Heraclides iſte Ariſtotele, ſeculo, & amplius, junior fuit: ut alibi oſtendimus. En & tertium adverſus nos telum. Suidas in Ἀναξιμένης refert, eum fuiſſe diſcipulum Zoili illius, qui Homerum eſt inſectatus. Atqui Anaximenes, ut ibidem dicitur, vixit tempore Alexandri Magni. Sed Suidas, credo, alios eſt ſecutus auctores; quos vellem

c Jam Zoilus orator, is qui Homerum, tanquam fabularum ſcriptorem, vituperat, in Tenediorum encomio ſcribit, Alpheum è Tenedo fluere.

adſcripſiſſet. Interim hæc docent, quantopere varient antiqui de Zoili ætate. Nec minùs diſconvenit de mortis genere. De iſto eſt illuſtris locus Vitruvii Pollionis præfatione libri VII de Architectura: *Inſequentibus annis à Macedonia Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromaſtix vocitaretur, Alexandriam venit, ſuaque ſcripta, contra Iliadem, & Odyſſeam comparata, regi recitavit: Ptolemæus verò, cùm animadvertiſſet, poëtarum parentem, philologiæque omnis ducem, abſentem vexari, & cujus ab cunctis gentibus ſcripta ſuſpicerentur, ab eo vituperari; indignatus, nullum ei dedit reſponſum. Zoilus autem, cùm diutiùs in regno fuiſſet, inopiâ preſſus, ſummiſit ad regem, poſtulans, ut aliquid ſibi tribueretur: rex verò reſpondiſſe dicitur, Homerum, qui ante annos mille deceſſiſſet, ævo perpetuo multa millia hominum paſceret: item debere, qui meliori ingenio ſe profiteretur, non modò ſe unum, ſed etiam plures alere poſſe. Et ad ſummam, mors ejus, ut parricidii damnati, variè memoratur. Alii eum ſcripſerunt à Philadelpho eſſe in crucem fixum; nonnulli in eum lapides eſſe conjectos; alii Smyrnæ vivum in pyram conjectum: quorum utrum ei acciderit, merenti digna conſtitit pœna.* Hactenus Vitruvius. Dionyſius tamen Halicarnaſſ. honeſtè de hoc Zoilo ſenſit. Putat enim, ſolo veritatis amore hoc feciſſe: eoque nec dubitat eum jungere Ariſtoteli, & aliis viris magnis; quorum exemplo ſe etiam velle ait inquirere in Platonis virtutes, vitiaque.

Ejuſdem Philadelphi tempore floruit Duris Samius, ſcriptor celebratus Plinio lib. VIII hiſtor. Nat. cap. XL, lib. XXXIV cap. VIII, lib. XXXVI cap. XII, Plutarcho in Pericle, Alcibiade, Lyſandro, Ageſilao, & multis aliis in locis. Item Straboni lib. I, Clementi lib. I Στρωματ. Laërtio in Socrate, & Harpocrationi in voce Ἀσπασία, Stephano in Ἀκράγαντες, & alibi, Suidæ quoque in Πανύασις. Eidem in Λαμία citatur Δοῦρις *a* ἐν δευτέρῳ Λιβυκῶν. Ubi fortè legendum Δοῦρις. Nam & ſcholiaſtæ Ariſtophanis in Veſpas Δοῦρις in ipſo Λιβυκῶν libro laudatur. Præter librum de Tragœdia, Athenæo memoratum lib. XIV, etiam condidit hiſtoriam Agathoclis Syracuſani; qui anno uno deceſſit antequam imperaret Ptolomæus Philadelphus. Ex hoc opere tertium librum citat Athenæus lib. XIII. At lib. X eundem memorat ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα *b*. Scripſit præterea Macedonica; ex quibus ſeptimi meminit idem Athenæus in IV: quinctidecimi, Ariſtophanis ſcholiaſtes in Nubes *c*. Sed & lib. XV citat eum ἐν τοῖς Σαμίων ὅροις: *de finibus Samiorum*. Unde corrigendus Euripidis ſcholiaſtes in Hecub. ubi legas, Δοῦρις *d* ἐν τῷ ιβ´ τῶν ὡρῶν, pro ὅρων *e*. Ac ſimiliter legendum cenſeo apud Malchum, ſive Porphyrium, in vita Pythagoræ: ubi itidem vulgò exaratum: Δοῦρις ὁ Σάμιος ἐν δευτέρῳ τῶν ὡρῶν *f*. Sanè cùm Duris fuerit Samius, & ſcripſerit de limitibus Samiorum, & loquatur iſtic de Pythagora Samio; quid veriſimilius, quàm idem opus ſignari. Laërtius in Pherecyde epigramma adfert ex ejuſdem δευτέρῳ *g* τῶν ἱερῶν. Expectet fortaſſe quis, ut tandem aliquid dicam de hiſtoria Græcorum, quam ſcripſit. Sed puto, non eſſe hoc opus diverſum à Macedonicis. Movet me, quòd poſt Amyntæ obitum Philippus Macedo paullatim eſt adeptus imperium univerſæ Græciæ. Atqui ab obitu Amyntæ, & imperio Philippi, res Græcas orſus eſt Duris; ut oſtendit Diodorus Siculus lib. XV. ubi cùm de trium præſtantium ducum, qui eodem anno obiere, Amyntæ, Ageſipolidis, & Jaſonis morte, dixiſſet; addit iſta: Δοῦρις *h* ὁ Σάμιος ὁ ἱστοριογράφος τὴν τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας ἐντεῦθεν ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν. Quæ & more ſuo verbis totidem exſcripſit Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CII. an. III. At is, qui Macedonica condiderat, quid magnopere habuit, quod diceret de temporibus illis, quibus Macedonia cum reliqua Græcia conflictabatur, uſque dum principatum tandem obtineret? Præſertim cùm fuſè adeò res Macedonicas ſcripſerit. Nam & in πέμπτῃ *i* καὶ δεκάτῃ τῶν Μακεδονικῶν citatur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. IV. Diverſum tamen opus fuerit

a Duris in ſecundo Libycorum.
b Lib. decimo de Agathocle.
c P. 150. edit. Aurel. Allobr.
d Duris in duodecimo de horis.
e Terminis.
f Duris Samius in ſecundo de horis.
g Secundo ſacrorum.
h Duris, Samius hiſtoricus, rerum Græcarum initium inde cepit.
i Libro quintodecimo Macedonicorum.

Μακεδονικῶν, καὶ Ἑλληνικῶν, ſi Macedonica Duris altiùs, quàm à Philippo M. orſus fuit. Sed non video, quo argumento id feciſſe comprobetur. Et iſta quidem ſunt, quæ ſcripſit Duris. A Cicerone *a* vocatur *homo in hiſtoria diligens*. Quod intelligi debet de ſtudio ejus in rebus inquirendis, & collocandis. Sed verborum ſtructuram, & Duris ille, & Polybius, & juniores omnes, neglexerunt: ut eſt apud Dionyſium *b* Halicarn. Imò & Photius in bibliotheca *c* ſua ait, eum dictionis venuſtate longè inferiorem fuiſſe Ephoro, & Theopompo; quos tamen in primo hiſtoriarum libro non veritus ſit carpere, quaſi deſtituantur imitationis gratiâ, ac dicendi venuſtate. Alius verò, ni fallor, ab hoc Duride eſt is, cujus liber περὶ ζωγραφίας *d* citatur à Laërtio in Thalete: eſtque is ſine dubio, quem Toreuticen ſcripſiſſe ait Plinius. Sunt enim affines artes pictorum, & tornatorum. Uti & ſculptorum. Eoque non abſurdè exiſtimemus, hunc eſſe, qui ad commendationem ſuæ artis prodiderit, Socratem quoque ἐργάσασθαι *e* λίθους, teſte Laërtio in Socrate.

Habuit Duris & fratrem hiſtoricum, Lynceum Samium, Theophraſti diſcipulum. Suidas: Λυγκεὺς *f*, Σάμιος γραμματικός, Θεοφράστου γνώριμος, ἀδελφὸς Θεοδώρου, καὶ ἱστοριογράφου, τοῦ καὶ τυραννήσαντος Σάμου. Quem locum ſic emendo: ἀδελφὸς Δούριδος τοῦ ἱστοριογράφου. Sic legi debere, oſtendunt verba hæc Athenæi lib. VIII: Λυγκεὺς *g* ὁ Σάμιος, ὁ Θεοφράστου μὲν μαθητής, Δούριδος δὲ ἀδελφὸς, τοῦ τὰς ἱστορίας γράψαντος, καὶ τυραννήσαντος τῆς πατρίδος. Ac citat ibidem Lyncei hujus Apophthegmatum librum, cujus & meminerat lib. VI. Uti quoque ἀπομνημονευμάτων. Sed & eundem ἐν Αἰγυπτιακοῖς laudat lib. VI. Et ſecundum περὶ Μενάνδρου, libro eodem. Et talia quædam, aliis in locis. De Lamiæ cœna ſcripſiſſe, teſtatur Plutarchus in Demetrio.

Æqualis quoque iſtis fuit Neanthes, Cyzicenus orator. Siquidem diſcipulus fuit Philiſci, Mileſii oratoris, ejus qui Iſocratis fuerat auditor. Auctor Suidas in Νεάνθης, & Φιλίσκος. Meminit Neanthis Porphyrius περὶ ἀποχῆς *h* lib. IV. Ὡς *i* φησι Νεάνθης ὁ Κυζικηνός. Item ſcriptor τῶν *k* θεολογουμένων τῆς Ἀριθμητικῆς. Scripſit Ἑλληνικὰ *l*; quæ cùm alibi laudat Athenæus, tum lib. XIII; ubi tertium, quartumque ejus operis citat. Idem lib. IX, & XIII, citat Νεάνθην τὸν Κυζικηνὸν ἐν δευτέρῳ περὶ τελετῆς *m*. Ac celebrat quoque hoc opus Etymologus. Μυστικὸν λόγον *n* vocat Harpocratio in Ἄττις. Eo explicabat ritus myſticos gentilis ſuperſtitionis. Meminit Clemens Alexandrinus lib. V Στρωμ. ubi narrat ex eo quædam de ſacerdotibus Macedonicis. item lib. I; ubi à Neanthe traditum ait, Pythagoram, non Samium, ſed Tyrium fuiſſe. quod ex Neanthe etiam refert Theodoretus lib. I Θεραπευτ. Eundem ἐν τρίτῳ τῶν κατὰ πόλιν *o* citat Ammonius libello de vocum differ. Scripſit etiam ὥρους *p*. Unde primum librum citat Athenæus lib. IV. Item librum περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν *q*. quem laudat Stephanus, & inde quædam adducunt Clemens lib. I Στρωμ.; Diogenes Laërtius in Periandro, Empedocle, Platone & Heraclito; Malchus ſive Porphyrius in vita Pythagoræ ſemel, iterumque; Parthenius Erot. cap. XXXIII; & Heſychius Mileſ. in Empedocle.

Num & Cleanthem inter hiſtoricos referre licebit? Sanè ἀρχαιολογίας, ſive antiquitatum libros reliquit, Laërtio teſte. Et his vixiſſe temporibus, conſtat ex eodem. Nam Zenonis diſcipulus fuit; qui Olympiade CXXX jam octogenarius erat. Scripſit inter alia, eodem teſte, etiam libros, tum περὶ θεῶν *r*, tum περὶ *s* γιγάντων. Planè cenſeo, eſſe idem opus θεομαχίας *t*: unde tertium librum teſtem adducit Plutarchus de Flumin. Nec dubito, quin ejuſdem Cleanthis ſint μυθικὰ *u*, quæ citat Athenæus lib. XIII. Uti & Porphyrius initio libri de vita Pythagoræ. Unde diſcimus, opus hoc quinque minimùm libris conſtitiſſe. Nam citat πέμπτον τῶν μυθικῶν *x*. Non meminit eorum Laërtius, uti nec librorum περὶ *y* μεταλήψεως. Quos ejuſdem eſſe, ſatis oſtendit Athenæus lib. XII; cùm diſertim auctor eorum vocetur

a Epiſt. I lib. 6. ad Att.
b Lib. de collocat. verborum.
c Cod. 176.
d De pictura.
e Sculpſiſſe lapides.
f Lynceus Samius Grammaticus, Theophraſti diſcipulus, frater Duridis & hiſtoriographi, qui & Sami tyrannus fuit.
g Lynceus Samius, Theophraſti diſcipulus, frater Duridis, qui ſcripſit hiſtorias, & in patria tyrannidem occupavit.
h De abſtinentia ab eſu animalium.
i Ut ait Neanthes Cyzicenus.
k Arithmetices explanationum de Diis.
l De rebus Græcorum.
m Neanthem Cyzicenum libro ſecundo de Initiis.
n Sermonem myſticum.
o Tertio eorum libro, quæ ad ſingulas pertinent civitates.
p De Horis.
q De viris illuſtribus.
r De diis.
s De gigantibus.
t De pugna cum Diis.
u Fabuloſa.
x Librum quinctum rerum fabuloſarum.
y De commutatione, vel tranſlatione, &c.

Κλεάνθης *a* ὁ φιλόσοφος. Sed & Clemens lib. v. Στρωματ. ex poëmatis hujus, quem Στωικὸν vocat, apponit quatuor verſus hexametros, & octo jambicos ſenarios: qui legi apud eum poſſunt. Et ſanè Laërtius ipſe alios quoque refert, eoſque ſibi ipſi præteritos in librorum catalogo, quem in Cleanthis vita contexit. Ut in Zenone citatur Κλεάνθης *b* ἐν τῷ περὶ χαλκῦ. Puto autem, eundem eſſe Cleanthem Stoicum, ex quo Theophilus libro III ad Autolycum commemorat gentis cujuſdam conſuetudinem veſcendi carnibus; & quidem, ut patres à propriis liberis aſſentur, ac comedantur; &, ſiquis, ab hoc abominando more abhorrens, oblatum membrum averſetur, ut jus ſit reliquis mactandi eum, ac devorandi. Interdum autem hoc nomen corruptum eſt ex *Neanthes*. Ut apud Ariſtophanis interpretem ad hunc verſum in Equitibus, Ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος. Ubi ex Cleanthe annotatur de tribus civitatibus, quæ Themiſtocli præberent frumentum, vinum, & opſonium. Sed Plutarchus in Themiſtocle ejuſce rei auctorem laudat Neanthem Cyzicenum: quæ quin vera lectio ſit, nullus dubito. Multum ad honorem hujus Cleanthis facit, quòd à Romanis ei S. C. Aſſi poſita ſit ſtatua: quam ſibi viſam ſcribit Simplicius, commentario in Enchiridium Epicteti.

Cteſibium hiſtoricum quoque lubens ad hæc tempora referam. *d* Ex eo enim Hermippus Smyrnæus quædam de Demoſthene citavit; ut cognoſcimus ex Plutarcho in Demoſthenis vita. Demoſthene igitur junior fuit; grandior verò Hermippo; qui ſub Ptolomæo Euergete vixit. Apollodorus in Chronicis narrat, eum annos vixiſſe CIV, teſte Phlegonte Tralliano *c*. Ejus verba ſunt: Κτησίβιος δ' ὁ ἱστοριογράφος ἔτη ἑκατὸν τέσσαρα. ἐν περιπάτῳ δὲ ἐτελεύτα, ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς δεδήλωκεν. Sed Lucianus in Longævis vixiſſe ait annis CXXIV. Niſi locus corruptus, & ex Phlegonte emendandus; quod cenſet clariſſimus & amiciſſimus vir Joa. Meurſius. At junior hoc Cteſibius Alexandrinus; qui pneumaticam rationem, & hydraulica organa reperit. Is enim vixit tempore Ptolomæi Euergetæ, ſecundi ejus cognominis, qui aliter Phyſcon. Vide de hoc Cteſibio Vitruvium lib. IX. cap. IX, & Plinium lib. VII Hiſt. Nat. cap. XXXVII.

Sub Philadelpho etiam vixit Soſibius Lacon, Grammaticus ex eorum genere, qui ἐπιλυτικοὶ dicebantur, eò quòd obſcura quæque in ſcriptoribus explicarent: ut ex Suida cognoſcimus. Meminit Athenæus lib. III, & Arnobius lib. IV. Ejus tertium περὶ Ἀλκμᾶνος *e* citat idem Athenæus, eodem libro, & XIV. Chronographiam quoque edidit. Clemens Alexandr. lib. I Στρωμ. Σωσίβιος *f* ὁ Λάκων ἐν χρόνων ἀναγραφῇ. In eo ſcripſit, ab Inachi regno, uſque ad Olympiadem primam, eſſe annos CCCXCV: ut Cenſorinus auctor eſt cap. XXI. Athenæus lib. IV ait, quoſdam & ei tribuere librum de regno ad Caſſandrum. Callimachi fuiſſe æqualem, ibidem dicit. Alius fuit Soſibius, quicum Anaxagoræ æmulatio fuit; ut ex Laërtio in Socrate conſtat. Alius item, qui Claudii Cæſaris ætate vixit, Britannici educator; ut Tacitus docet initio XI Annal. Ambigit Lipſius, utrùm hic ſit, cujus Arnobius, & Clemens, meminere. Mihi haut dubium videtur, quin eum ſignent, qui Philadelphi ætate vixit. Nam is Λάκων nuncupatur ab Athenæo lib. III. At Laconem quoque Clemens vocat: ut, eundem ſignari, per ſit veriſimile.

Iiſdem, vel circiter, temporibus Antonium Diogenem ſcripſiſſe arbitror incredibilium de Thule inſula libros XXIV: quorum meminit Porphyrius in vita Pythagoræ. Meminit & Servius ad Virgilii lib. I Georg. Eorum argumentum luculentè narrat Photius tmem. CLXVI: ac vixiſſe putat non multo poſt tempora Alexandri Magni: quam unicam cauſſam habemus, cur Ptolomæi Soteris, vel ſummùm Philadelphi temporibus, fuiſſe eum putemus.

*a Cleanthes philoſophus.*

*b Cleanthes libro de ære.*

*c Lib. de longævis cap. 2.*

*d Cteſibius hiſtoricus annos vixit centum & quatuor. Inter deambulandum verò vivendi finem fecit; ut Apollodorus in Chronicis teſtatur.*

*e De Alcmane.*

*f Soſibius Lacon in deſcriptione temporum.*

## Cap. XVI.

*Apollonius cur Rhodius dicatur, qui ſit Alexandrinus. Idem* Ibis *vocatus à præceptore Callimacho. Ovidius, Callimachi exemplo, Ibin ſcripſit. Gyraldus notatur. Hermippi Smyrnæi ætas, ac de Vitis liber. Duo alii Hermippi. Nymphis Heracleota. Sphærus. Zenonis de Pyrrho hiſtoria. Duo alii Zenones, qui hiſtoricum tractarint argumentum. Euphorion Cherroneſiota, ſive Chalcidenſis. Cur Attica prius dicta ſit* Mopſopia. *In Athenæo conjectura. Duo alii Euphoriones. Timarchus. Timachidas gloſſographus.*

A Philadelphi temporibus conferamus nos ad ea, quibus vixit Ptolomæus Euergetes. Floruit tum Apollonius Rhodius; cujus quatuor habemus Argonauticôn libros. Sillei, vel, ut alii vocant, Illei filius fuit, Callimachi diſcipulus. Quamquam verò patriâ eſſet Alexandrinus; dictus tamen fuit Rhodius, poſtquam Alexandriâ Rhodum conceſſit, atque ibi magno diu in honore vixit. Scio, virum eruditum pro diverſis habere, Rhodium hunc, & illum, quem Suidas vocat Alexandrinum, & Eratoſtheni in Alexandrinæ bibliothecæ curatione ſucceſſiſſe dicit. Sed cùm idem Suidas fateatur, Alexandrinum illum diu Rhodi eſſe commoratum; vel inde, eundem eſſe, cognoſcimus. Tempora ſanè conveniunt. Et apertè id, quod dixi, docet nos Anonymus *a*, qui vitam Apollonii ſcripſit. Nam cùm egiſſet de patria Alexandria, de parentibus Silleo, ſive Illeo, & Rhode, deque præceptore Callimacho; ac, quâ item occaſione Rhodum abierit, dixiſſet: ſubjungit, κἀκεῖ *b* ἐπολιτεύσατο καὶ ἐσοφίστευε ῥητορικοὺς λόγους· ὅθεν καὶ Ῥόδιον αὐτὸν ἀπεκάλεσαν. Quæ ipſa fuſiùs etiam narrat Ἀνώνυμος, qui ſcripſit γένος Ἀπολλωνίου τοῦ Ῥοδίου *c*. Quare dubium non eſt, quin Apollonius, cùm Alexandrinus eſſet, eâ ratione cognominatus ſit Rhodius, quâ Apion, cùm Oaſenſis foret, Alexandrini cognomento gaudebat, quòd viveret Alexandriæ. Niſi magis placet, Apollonium non Alexandrinum fuiſſe, ſed Naucratitam; quia Ælianus dicat lib. XV de animalibus cap. XXIII: Λέγει *d* δὲ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος, ἢ Ναυκρατίτης. Utcunque eſt, Ægyptus patria ſit, non Rhodus. Nam & Naucratis Ægypti urbs: ut ex Strabone, Plinio, aliis, conſtat. Scripſit Apollonius hic librum περὶ Ἀρχιλόχου *e*, cujus Athenæus meminit lib. X. Item Κτίσεις *f*; quo ex opere Ἀλεξανδρείας κτίσις *g* citatur ab Scholiaſte Nicandri in Theriacis: Καύνου κτίσις *h* à Parthenio Erot. XI: Κνίδου κτίσις *i* à Stephano in Ψυκτήριος. Ita enim legendum, ubi vulgò Κνίδης κτίσις. Alia quoque, quæ ſcripſit, vide apud Meurſium ſyntagmate de Apolloniis. Uno verò nomine hiſtoricus iſte, & poëta, audit peſſimè. Siquidem, ut Suidas *k* teſtatur, ingratus fuit erga præceptorem ſuum, Callimachum grammaticum. qui cùm hoc concoquere non poſſet, in diſcipulum ſcripſit carmen maledicum, quod ab ave Ægyptiâ, roſtro ventrem purgante, Ibin vocavit: ejuſque exemplo poſtea Ovidius, ſeu Corvinum *l*, ſeu alium, qui uxorem poëtæ ſollicitârat, & Auguſto auctor erat, ut ne ab exilio eum revocaret, Ibin nominavit. Hinc inter alia Ovidius ipſe:

*Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,*
*Hoc ego devoveo teque, tuoſque, modo.*
*Utque ille, hiſtoriis involvam carmina cæcis,*
*Non ſoleam quamvis hoc genus ipſe ſequi.*
*Illius ambages imitatus in Ibide, dicar*
*Oblitus moris, judiciique mei.*
*Et quoniam, qui ſis, nondum quærentibus edo;*
*Ibidis interea tu quoque nomen habe.*

Satis verò mirari non poſſum, quod apud Lilium Gyraldum lego dial. III de poëtis. *Apollonio poëtæ*, inquit ille, *familiaris fuiſſe perhibetur Charon Lampſacenus, hiſtoriarum ſcriptor, qui & ipſius Apollonii poëmatis hiſtorias colle-*

*a In Apollonii editione Baſil.*

*b Atque illic verſabatur, atque oratoriam profitebatur: unde & Rhodium eum appellarunt.*

*c Genus Apollonii Rhodii.*

*d Dicit Apollonius Rhodius, aut Naucratita.*

*e De Archiloche.*

*f Origines.*

*g Origo Alexandriæ.*

*h Cauni origo.*

*i Cnidi origo.*

*k In Καλλίμαχος.*

*l Cælius Rhodiginus ex neſcio quibus fragmentis Cæcilii Minutiani Appuleji.*

*collegit, quas citatas identidem apud ſcriptores Græcos legimus.* Video equidem, Apollonii ſcholiaſtem, in librum II *a* Argonauticôn, ex Charonte Lampſaceno illuſtrare illa de Hamadryadibus. Sed enim intelligendus & hic Charon Lampſacenus, hiſtoricus, qui Herodotum præceſſit: ut Dionyſius Halicarnaſſenſis non uno dicit loco: item Tertullianus lib. de anima cap. XLVI; *Hoc etiam,* inquit, *Charon Lampſacenus, Herodoto prior, tradit.* Quibuſcum conſentit Suidas, qui vixiſſe dicit Olymp. LXXV; tempore Darii Hyſtaſpidæ. At Ptolomæus Philopator, ſub quo Apollonius Rhodius floruit, imperare demum cœpit Olympiade CXL.

Ad hæc tempora etiam refero Hermippum Smyrnæum. Antiquior ſaltem eſſe non poteſt; cùm Theophraſti Vitam ſcripſerit. Nec junior videtur, cùm in Vitis ſuis nullum, ut puto, deſcripſerit eorum, qui poſtea vixerunt. Et pondus aliquod ſententiæ noſtræ addit, quòd Καλλιμάχειος ab Athenæo in XV vocatur. Nec enim aliunde fieri id cenſeo, quàm quia Callimachi fuerit diſcipulus, & non paullo gratior erga magiſtrum, quàm Apollonius ille, de quo diximus. Utcunque iſtoc eſt, Hermippum hunc Fl. Joſephus lib. I contra Apionem eſſe dicit diligentiſſimum circa omnem hiſtoriam indagatorem. Peripateticum appellat; ac, virorum eruditione illuſtrium vitas prodidiſſe, dicit B. Hieronymus præfatione libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Et Diogenes Laërtius in Thalete diſertim citat ἐν τοῖς βίοις *b*. Ejuſque operis varias particulas allegat idem Laërtius, interque alia *c* ἐν πρώτῳ περὶ Μάγων *d*. Item, ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου *e*: & alibi in vita Platonis, Arceſilai, Ariſtotelis, Lycophronis, aliorum. Athenæus quoque libro VII inquit: Ἕρμιππος *f* ὁ Σμυρναῖος ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος. Lib. VIII: ἐν *g* τρίτῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν. Cujus operis etiam meminit lib. X. Ubi & citat eum ἐν τοῖς περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν *h*. Item lib. XI, ἐν τῷ περὶ Γοργίου *i*. Et lib. XIII, ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ *k*. Uti & lib. XV, cùm ait, Ἕρμιππος *l* ὁ Καλλιμάχειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀριστοτέλους. Origenes lib. I. contra Celſum laudat ἐν *m* τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν. De Hyperide ex eo quædam refert Plutarchus libro de vitis X Rhetorum: de Triptolemo, antiquiſſimo legiſlatore Athenienſi, Porphyrius lib. IV περὶ ἀποχῆς: de Euthia, & Anaximene, Harpocratio in Εὐθίας. Anonymus in argumento orationis Iſocrateæ ad Philippum ex Hermippo tradit, orationem illam ab eo jam ſene ſcriptam eſſe, paullo ante, & ipſius, & Philippi obitum. Puto, id eſſe ex vita Iſocratis. Minimè verò confundi Hermippus hic debet cum antiquiore Hermippo, veteris comœdiæ poëta, ac XL *n* fabularum ſcriptore; quarum varias laudant Athenæus, Pollux, Stephanus, alii: ac Plutarchus quoque quinque ex eo verſus citat in Pericle. Neque item confundendus cum juniore Hermippo, patriâ Berytio, qui Hadriani temporibus vixit: ut ſuo loco dicetur.

Euergetæ etiam tempore Nymphis claruit, & uſque ad hujus regis tempora hiſtoriam ſuam perduxit. Hic, cùm Heracleenſes bello adverſus Galatas juviſſent Mithridatem; atque bellum hoc infeliciter iis cecidiſſet; legatus inter alios, imò κορυφαῖος *o* τῆς πρεσβείας, ad Galatas miſſus fuit; multâque pecuniâ effecit, ut è finibus Heracleenſium diſcederent: uti narratur è Memnonis Excerptis in Myriobiblo Photii, codice CCXXIV. Mithridates autem iſte, quem plerique, more Græcorum, *Mithradatem* appellant, filius erat Ariobarzanis; ut Photius ibidem ait. De hoc ita Suidas: *Nymphis Xenagoræ filius, Heracleotes, Ponticus, hiſtoricus, ſcripſit de Alexandro, & ſucceſſoribus ejus, ac ſucceſſorum poſteris,* (περὶ Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν διαδόχων, καὶ ἐπιγόνων) *libros* XXIV. *item de Heraclea libros* XIII. *Continet autem res geſtas poſt Epigonos uſque ad tyrannorum everſionem, & uſque ad tertium Ptolemæum.* Operis de Ptolomæis librum IX citat Ælianus lib. XVII de Animal. cap. III. Librum de Heraclea laudat Apollonii ſcholiaſtes in lib. II: Νύμφις *p* ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας. Primum ejus operis adducit Stephanus in Τῖος, & Φρίξος: quartum Plutarchus libro de virtutibus mulierum. Librum ſextum de Heraclea laudat Athenæus lib. XII. Νύμφις *a* ὁ Ἡρακλεώτης ἐν ἕκτῳ περὶ τῆς πατρίδος. Ejuſdem περίπλουν Ἀσίας *b* citat lib. XIII.

a Pag. 91 editionis Stephanianæ.
b In vitis.
c In præfat.
d Lib. I de magis.
e Libro de Theophraſto.
f Hermippus Smyrnæus in iis, quæ de Hipponacte ſcripſit.
g Libro tertio de diſcipulis Iſocratis.
h Opere de ſeptem ſapientibus.
i Libro de Gorgia.
k Libro primo de Ariſtotele.
l Hermippus Callimachius libro primo de Ariſtotele.
m Libro primo de legiſlatoribus.
n Suidas.
o Princeps legatorum.
p Nymphis Heracleota libro de Heraclea.

Etiam Sphærus, ut extremis Philadelphi annis fortaſſe aliquod nomen habere cœperit: tamen ſub Euergete præcipuè floruit. Nam primùm, Laërtio teſte, Zenonis Cittiei auditor fuit. Obiit autem Zeno Olympiadis CXXIX anno primo; juxta Euſebium in Chronicis. Hoc eſt, annis XVII, antequam imperaret Euergetes. Poſt Zenonis verò obitum Cleanthem audivit; ut idem Laërtius auctor eſt. Qui & inter alia ſcripſiſſe refert de Eretriacis philoſophis: item de Lycurgo, & Socrate, libros III: adhæc de Rep. Laconica; cujus operis librum III citat Athenæus in quarto Δειπνοσοφ.

Quantum etiam conjectare poſſum, mox poſt bellum Punicum primum, quod quincto Ptolomæi Euergetæ anno deſiit, hiſtorias ſuas condidit Zeno iſte, qui inter octo ejus nominis quartus eſt Laërtio, & conſignâſſe eidem dicitur τὴν Πύρρου *c* ἱστορίαν εἰς Ἰταλίαν, καὶ Σικελίαν: item ἐπιτομὴν *d* τῶν πεπραγμένων Ῥωμαίοις τε καὶ Καρχηδονίοις. Ibidem & alius Zeno commemoratur, qui ei numero eſt tertius: hunc in literas retuliſſe ait τὴν *e* ἐντόπιον ἱστορίαν ἑνιαίαν. Ac meminit ejus quoque Diodorus Siculus lib. V, *f* his verbis: Περὶ *g* μὲν οὖν τῶν ἀρχαιολογουμένων παρὰ Ῥοδίοις οὕτω τινὲς μυθολογοῦσιν. ἐν οἷς ἐστι καὶ Ζήνων, ὁ τὴν περὶ ταύτης συνταξάμενος. Et, puto, is eſt, quem Cephalæon apud Euſebium in Chronicorum primo, unà cum Hellanico Lesbio; & Herodoto, teſtem laudat de Babylone à Semiramide muris circumdatâ. Porrò uterque hic Zeno refricat mihi memoriam & tertii Zenonis, itidem hiſtorici, Laërtio, quod miror, indicti. Eſt is Zeno Sidonius. Dicat aliquis, hunc Laërtio eſſe numero octavum. Sed non ita eſt. Nam iſte Sidonius, cujus Laërtius meminit, fuit philoſophus Epicureus; quemadmodum ibidem *h* dicitur; ac alibi *i* quoque ait, audiiſſe Appollodorum, diſcipulum Epicuri. At is, de quo nunc ſermo eſt nobis, Suidâ teſte, fuit philoſophus Stoicus, ac Diodorum Cronum audivit, & præceptor fuit Zenonis Cittici. Quamquam non ſatis liquet, quomodo Stoicum vocet præceptorem ejus Zenonis, qui primus philoſophiam Stoicam condidit. Nam Zenoni eam ſectam debere originem ſuam, ſatis convenit. Sed hoc utcunque eſt; ex magiſtro, & diſcipulo, ejus ætatem non obſcurè perſpicimus. Nam Diodorus Cronus temporibus Ptolomæi Soteris, ſive Lagi, etiamnum in vivis fuit: ut videre eſt ex vita ejus apud Laërtium. Zeno autem Cittieus, quo tempore Alexander M. obiit, annorum jam erat XXXVIII. Siquidem Laërtius dicit, mortuum eſſe anno ætatis XCVIII, ac fuiſſe hunc annum primum Olympiadis CXXIX: qui à morte Alexandri fuerit annus LXI. Quare, ſi Suidæ ſtandum eſt, vixerit iſte Zeno Sidonius temporibus Alexandri M. Meritò verò aliquod nomen inter hiſtoricos obtinere, arguit; quòd, præter Socratis apologiam, etiam Sidoniaca ſcripſerit: ut Suidas docet. Sed ad Euergetæ æquales redeamus.

Extremis etiam Euergetæ temporibus, quibus in Syria primùm Seleucus Κεραυνὸς, poſteaque Antiochus Magnus regnabat, floruit poëta hiſtoricus, Euphorion, Polymneti filius, Cherroneſiota, ut Hephæſtion eum appellat; ſive è Chalcide Eubœæ, ut Suidas ſcribit. Natus fuit Olymp. CXXVI; quo tempore Romani Pyrrhum vicerunt, inque Ægypto Philadelphus, in Syria Antiochus Σωτὴρ regnabat. In poëtica diſcipulus fuit Archebuli, Theræi poëtæ; in philoſophia autem, Lacydis, & Prytanidis. Charus fuit Niciæ, uxori Alexandri, Eubœæ regis, Crateri filii. Inde, multùm ditatus, contulit ſe in Syriam ad Antiochum Magnum; qui eum bibliothecæ regiæ præfecit. Ibique defunctus, Apameæ, vel, ut alii volunt, Antiochiæ ſepultus fuit. Auctor horum Suidas. Ex quo etiam diſcimus, heroico verſu poëma condidiſſe, cui *Heſiodo* nomen eſſet. Item Μοψοπίαν, ſive Ἄτακτα *k*: quod opus Μοψοπία quidem inſcribebatur,

a Nymphis Heracleenſis in ſexto de patria ſua Heraclea.
b Circumnavigationem Aſiæ.
c Hiſtoriam eorum quæ Pyrrhus in Italia geſſit, & Sicilia.
d Epitomen eorum, quæ Romani, & Carthaginenſes, geſſerunt.
e Singularem librum de hiſtoria locorum.
f P. 227. edit. Rob. St.
g De antiquitatibus Rhodiorum hæc quidam literis prodiderunt: in quibus eſt Zeno, qui hiſtoriam illorum contexuit.
h In Zenone.
i In Epicuro.
k Indigeſta.

tur, quia agebat de rebus Atticis: Attica autem olim *Mopſopia* dicta fuit; ſive ab ejus nominis Oceani filiâ, quod Suidas *a* ait; ſive potiùs à Mopſo quodam, alio quàm vate, Tireſiæ filio, vel nepote, ut Euſtathius *b* annotavit, & ante eum Strabo lib. IX. Ἄτακτα verò hunc commentarium nuncupavit, quia eo tractabat *συμμιγεῖς ἱστορίας c*, ut ait idem Suidas. Unde & idem opus ſignari arbitror ab Athenæo lib. IV: ubi Euphorionem citat ἐν *d* ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι: &, ne alium putes, diſertim addit, Chalcidenſem. Quantum verò ex obſcuris, atque adeò corruptis Suidæ verbis colligere poſſum; labor iſte quinque libris conſtabat, ac eorum ultimus inſcribebatur Χιλιὰς *e*, eo quòd complecteretur oracula annorum mille eventu comprobata. Apud Athenæum tamen lib. X lego: Μνημονεύει *f* δ' αὐτῶ Εὐφορίων ὁ ἐποποιὸς ἐν Χιλιάσι. Sed parum ſit veriſimile, eum uni operi triplicem feciſſe inſcriptionem, Μοψοπίαν, Ἄτακτα, & Χιλιάδας. Quare legere malim Χιλιάδι; ut quinctus ejus operis ſignetur. Idem Athenæus teſtatur, egiſſe περὶ μελοποιῶν *g*: uti & περὶ Ἰσθμίων *h*; cujus operis meminit lib. IV, & XIV; (ubi ex eo refert, τὰ *i* πολύχορδα τῶν ὀργάνων eſſe antiquiſſima, ac nomina ſolùm eſſe mutata) ac diſertim ἐποποιὸν *k* vocat: ut omnino intelligi Chalcidenſis hic debeat. Similiter Euphorionem hunc nunc Chalcidenſem vocat Clemens Alexandrinus, ut lib. IV Στρωμ. nunc ποιητὴν, ut ἐν Προτρεπτ. & lib. V Στρωμ. Ex Euphorione hoc eſt verſus iſte ab Euſtathio ad Dionyſium *l* productus:

Χαλκείῃ *m* σὺν νηὶ βιβαλλήμενος ἐξ Ἐρυθείης.

Etiam verſum ejus citat Arati ſcholiaſtes ad verſ. XXXIII: & alterum, quo loco poëta de Hyadibus tractat: item alium, ubi idem agit de ſideribus circuli æquinoctialis. Signat quoque poëtam hunc Tranquillus in Tiberio c. LXX; cùm ait: *Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium.* Et Probus Grammaticus, *Euphorion*, inquit, *Elegiarum ſcriptor, Chalcidenſis fuit; cujus in ſcribendo ſecutus colorem videtur Cornelius Gallus.* Sed fuit præterea Euphorio quidam rei ruſticæ ſcriptor, cujus patria neſcitur; teſtibus Varrone, & Columellâ, utroque initio operis de re ruſtica. Fuit autem ejus nominis poëta tragicus, nobilis poëtæ Æſchyli filius, qui fabulis patris, priuſquam editæ forent, actis, quater vicit, ac etiam ſua quædam edidit, Suida teſte. Quare difficile eſt videre, quis horum ſignetur à Stephano, cùm toties Euphorionem laudat: aut etiam apud Clementem, qui libro I Στρωμ. citat Euphorionem περὶ Ἀλευάδων, ac lib. V verſum adducit ex Euphorionis ἀπληχεφαῖς ad Theoridam: aut apud Parthenium in Eroticis; quorum cap. XIII hiſtoria de Harpalice ex Euphorione citatur; & cap. XXVI hiſtoria de Apriate; & cap. XXVIII de Clite: aut apud Servium cùm in II Æn. ait, ab Euphorione dici, *Priamum ex Ariſba vatem filium ſuſcepiſſe:* aut ſcholiaſtem Apollonii, lib. II; ubi de Mariandynorum ſolo ex eo ſcribit: aut apud interpretem Nicandri, qui ſæpius meminit in Theriac. aut apud Athenæum quoque, cùm Euphorionem laudat in Ἀπολλόδωρῳ. Quamquam ſatis ſit veriſimile, fabulæ ejus auctorem Æſchyli filium eſſe; cùm Chalcidenſis poëta non tam fabulas facere, quàm hiſtorias heroico carmine ſoleat complecti: unde ἐποποιὸς *n* vocatur paſſim.

Eâdem verò ætate claruit etiam Timarchus: quippe quem cum Apollonio, & Eratoſthene, ſub Ptolomæo Euergete vixiſſe, diſertim dicat Suidas in Ἀπολλώνιος. Sed an hiſtoricus fuerit, ultrà diſpiciendum. Ἐν τετάρτῳ περὶ τῶ Ἐρατοσθένους Ἑρμῶ *o* citat eum Athenæus lib. XI. Etiam Harpocrationi in Ἀργᾶς citatur Τίμαρχος ὁ Ῥόδιος. Quem cur non eundem putemus, cauſſæ nihil video. Etſi aliter viſum viro erudito. Sed argumenta, quibus pugnat, ſatis firma non ſunt. Neutiquam quippe, ſi Timarcho dicatur ἀργᾶς eſſe genus ſerpentis, quod οἱ γλῶττας dici putarunt, inde Timarchum fuiſſe gloſſographum conſequitur. Atque ut conſequeretur, non eò lectio vulgata ſit ſollicitanda; proque Timarcho *Timachidas* legi debeat. Neque enim cauſſæ eſt quicquam, cur in tanto eorum numero, qui gloſſas tradiderunt, haut æquè *Timarchus*, ac *Timachidas*, eſſe poſſit. At, inquit ille, Timarchus, cujus Athenæus meminit, non fuit Rhodius. Sanè Rhodium quidem fuiſſe, non dicit Athenæus: ſed ſi inde non eſſe Rhodium conſequitur, nuſquam natus ſit; quia ubi natus ſit, grammaticus ille uno hoc loco, quo ejus meminit, non expreſſit. Adde quòd neque patriæ nomen ponitur, ubi Timachidas citatur. Nam libro II ἁπλῶς dicitur, Τιμαχίδας ἐν γλώσσαις. Quem tamen non alium puto ab Timachida illo, qui Rhodius vocatur lib. I, & VII, ejuſdem Athenæi. Ἁπλῶς etiam Τιμαχίδας dicitur, cumque Clitarcho gloſſographo jungitur Harpocrationi in Ἐπιβλῆτας.

*a* In Euphorion.
*b* In ὑφήγησιν Dionyſ.
*c* Hiſtoriam miſcellam.
*d* In hiſtoricis commentariis.
*e* Millenarium.
*f* Meminit ejus Euphorio, poëta epicus, in chiliadibus.
*g* De poëtis lyricis
*h* De Iſthmiis.
*i* Inſtrumentorum muſicorum ea, quæ multas habent fides.
*k* Heroici carminis ſcriptorem.
*l* Ad verſum Περιηγήσεως 558.
*m* Ærea navi ex Erythia bubus abundante.
*n* Carminis heroici ſcriptor.
*o* In quarto de Eratoſthenis Mercurio.

## Cap. XVII.

*Aratus Sicyonius. Eratoſthenis Cyrenæi ætas, & multijuga ſcientia. Cur* Βῆτα *dictus. Timoſthenes, & Pytheas Maſſilienſis, Eratoſthene priores. Eratoſthenis varia. Cui primo* grammatici *datum cognomen. Rhianus Benæus. Phylarchus. Patria ejus incerta. Hiſtoria illius. Chryſippus Solenſis. Tres alii Chryſippi. Diogenes Laërtius emendatur.*

ADdam his alios, qui ſub eodem quidem vixerint Euergete: ſed ulteriùs aliquanto vitam extenderint. Eorum primus eſto Aratus Sicyonius; qui, primo Olympiadis CXXXII anno, ipſe annos natus tantùm XX, patriam ſuam Achæorum junxit Reip., eorumque prætor factus fuit; ut Polybius teſtatur lib. II. Factum hoc eſt quinquennio ante obitum Philadelphi. Euergetæ verò temporibus, qui XXVI imperavit annos, Acrocorinthum dolo occupavit; quæ antea fuerat in poteſtate Antigoni, Macedoniæ regis. Atque ita Corinthum quoque Achæorum junxit Reip. Multaque alia præclarè geſſit; quæ peti poſſunt ex Polybio; item Plutarcho, qui Arati hujus vitam ſcripſit. Tandem, ut iidem narrant, à Philippo II, Macedoniæ rege, veneno eſt ſublatus, Olympiadis CXLI anno III; qui ſeptimus erat Ptolomæi Philopatoris. Scripſit Aratus hiſtoriam de rebus ab Achæis, & ſe ipſo, geſtis. Laudat Polybius lib. II; Τῶν μὲν τοί γε Ἀράτῳ διῳκημένων, καὶ νῦν, καὶ μετὰ ταῦτα πάλιν ἐπικεφαλαιούμενοι μνησθησόμεθα, διὰ τὸ καὶ λίαν ἀληθινὲς, καὶ σαφεῖς, ἐκεῖνον περὶ τῶν ἰδίων συντεταχέναι πράξεων ὑπομνηματισμούς. *Arati tamen facta & nunc, & deinceps, dicemus ſummatim: quia exſtant ab ipſo editi, ſingulari tum fide, tum ſermonis perſpicuitate, commentarii.* Meminit quoque ejus commentarii Plutarchus in Arato; item in Agide, qui Arato huic σύγχρονος fuit. Σιωύταξιν Ἀράτου vocat Polybius lib. I, & IV: quo loco & ſe perſequi hiſtoriam Arati dicit. Hiſtoriam eam pluſquam XXX librorum fuiſſe, auctor eſt Anonymus in vita Arati Solenſis. Verba ejus libro IV adducimus.

Iiſdem, & ultrà, temporibus vixit Eratoſthenes Cyrenæus. Cujus ætatem utcumque ex eo videre eſt, quòd Strabo illum lib. I æqualem facit Ariſtonis, & Arceſilai. Diſtinctiùs verò eam hinc perſpiciemus. Natus eſt ſub Ptolomæo Philadelpho, anno primo Olympiadis CXXVI: ſed à ſucceſſore illius Ptolomæo Euergete arceſſitus, Athenis venit in Ægyptum; atque ibi Alexandriæ bibliothecæ præfectus fuit. Porrò autem floruit ſub quarto Ptolomæo, cui cognomen Philopatori: ad cujus annum octavum collocat eum Euſebius in Chronicis. Deſique anno primo Olympiadis CXLVI inediâ, ob hebetem oculorum aciem, deceſſit, annos natus LXXX: quo tempore regnabat Ptolomæus quinctus; qui dictus eſt Epiphanes. Atque hæc quidem ſatis manifeſta ſunt ex Suida *a*. Qui & auctor eſt nobis, præceptore uſum fuiſſe Callimacho; diſcipulum autem reliquiſſe Ariſtophanem Byzantium. Idem teſtatur, eum Platonem alterum, & Πένταθλον, ſive *Quinquertionem*, dictum eſſe, ob multijugam ſcientiam. Sed operæ eſt ſcire de eo judicium Strabonis *b*, gravis imprimis ſcriptoris. Ait ille, ex tractatione *De bonis* ab eo editâ, & declamationibus, atque aliis ſimilibus, ſatis lique-

*a* In Ἐρατοσθένης, & Ἀπολλώνιος.
*b* Lib. I.

liquere, medium tenuiſſe inter eum, qui philoſophari vellet, & illum, qui haut ſeriò auderet iſti ſe inſtituto dare; ſed eò uſque tantummodo progrederetur, ut philoſophari putaretur, aut philoſophiam duntaxat faceret παρέκβασιν a ab reliquo diſciplinarum orbe, ſive oblectamenti ſolùm cauſſâ, ſive etiam doctrinæ gratiâ. Quare nihil mirum, ſi, ut Heſychius Mileſius tradit, τὸ βῆτα ſoleat vocari; eo quòd omni diſciplinæ genere, non quidem primas, ſed ſecundas tamen ferre ſoleat: nempe quomodo Martialis dicit lib. v. epigr. xxvii:

*Dicas licebit beta me togatorum.*

Eo verò ex Heſychii loco Suidam corrigi debere, ubi pro Βῆτα eſt βήματος, jam diu eſt, quòd Heraldus in Arnobium obſervavit; uti & Joannes Meurſius ad Heſychium Mileſium. Cujus ſententiam firmare viſum eſt etiam altero ſcriptore. Nempe Martiano Heracleotâ. Is in periplo ſuo, cùm de Timoſthene egiſſet, ſubjungit *b*, καὶ c μετ' ἐκεῖνον Ἐρατοσθένης, ὃν Βῆτα ἐκάλεσαν οἱ τοῦ Μουσείου προεστῶτες. Scripſit Eratoſthenes geographiam; quo in opere Timoſthenis de portubus librum exſcripſit. Abſque dubio igitur illum Cæſar deſignat lib. vi. de bell. Gall. cap. xxiv: cùm eum Hercyniæ ſylvæ ait meminiſſe: *Hercyniam Sylvam, quam Eratoſtheni, & quibuſdam Græcis, famâ eſſe notam video: quam illi Orciniam appellant.* Idem Martianus: Ἐρατοσθένης d Κυρηναῖος, οὐκ οἶδα τί παθὼν, τὸ Τιμοσθένους μετέγραψε βιβλίον, βραχέα τινὰ προσθεὶς· μηδὲ τοῦ προοιμίου τοῦ μνημονευθέντος ἀποσχόμενος, ἀλλ' αὐταῖς λέξεσι κἀκεῖνο τοῦ οἰκείου προσθεῖναι συγγράμματος. Ac meminit Timoſthenis ἐν τῷ περὶ λιμένων e Harpocration quoque in voce Ἐφ' ἱερόν. Timoſthenes ille paullo grandior fuit Eratoſthene. Nam vixit ſub Philadelpho. Quod docet Strabo lib. ix: Τιμοσθένης f ναύαρχος τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου, ὁ καὶ τοὺς λιμένας συντάξας ἐν δέκα βίβλοις. Martianus Heracleota in Periplo: Τιμοσθένης g ὁ Ῥόδιος ἀρχικυβερνήτης τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου γεγονώς. Opus ejus de portubus præcipuè laudabat Eratoſthenes: ſed ſæpius in eo peccâſſe, arguit Strabo lib. ii. Meminit & idem Timoſthenis lib. iii. Uti & Stephanus in Ἀλεξάνδρεια, Ἀγραίκη, Ἀπία, Ἀγάθη; ubi citatur ἐν σταδιασμῷ, hoc eſt, dimenſione terræ per ſtadia. E Latinis ſæpe advocat Plinius; ut lib. ii. cap. cviii: *Univerſum autem hunc mundi circuitum Eratoſthenes, in omnium quidem literarum ſubtilitate, & in hac utique præter cæteros ſolers, quem cunctis probari video, trecentorum quinquaginta duorum millium ſtadiûm prodidit. Quæ menſura, Romanâ computatione, efficit trecenties quindecies centena millia paſſuum. Improbum auſum, verùm illâ ſubtili argumentatione comprehenſum, ut pudeat non credere.* Eam Eratoſthenis ſententiam memorant è Græcis Geminus, & Strabo; è Latinis verò Vitruvius, Cenſorinus, Macrobius, & Martianus Capella. Præterea mentio eſt Eratoſthenis apud eundem Plinium lib. v, cap. ix: ubi ex eo prodit, quantum Aſia à Canopico oſtio uſque ad Ponti oſtium pateat. Et cap. xxxi, ab eo referri Cypri magnitudinem, teſtatur. Et lib. vi. cap. v; ubi de Colchicis litoribus. Et ejuſce libri cap. xxviii: ubi de longitudine ſinûs Arabici. Et cap. ſeq. ubi de itinere à Siene Meroën uſque: atque ibidem Timoſthenes claſſibus Philadelphi præfuiſſe dicitur. Et cap. xxxi, ubi ex eodem refert Æthiopici maris inſulas. Hæc in Philadelphi temporibus potiùs dicenda fuerant. Sed Martiani locus memoriam hìc Timoſthenis refricavit, de quo tum non occurrebat. Nec poſt Timoſthenem ſolùm, ſed etiam Pytheam Maſſilienſem, ſcripſit Eratoſthenes. Nam Strabo lib. ii, cùm dixiſſet, Polybium inquirere in Dicæarchum, Pythiam, alios; ait, eorum, qui geographiam tractarint, ultimum ab eo vocari Eratoſthenem. Eſt verò is Pytheas Maſſilienſis: qui in epitome Artemidori Epheſii, inter veteres geographos editâ, numeratur in illis, qui periplum orbis ſcripſere. Sed redeamus ad Eratoſthenem. Scripſit hic quoque grammatica: imò primum hunc putant *grammatici*, ſeu *philologi* nomine, appellatum: quod alii tribuunt Apollodoro Cumano; teſte Clemente lib. i. Στρωματ. Edidit quoque, ut Suidas dicit, dialogos

a *Digreſſionem.*
b Pag. 95. *edit. Auguſtanæ.*
c *Et poſt eum Eratoſthenes, quem Beta nuncupabant præfecti Alexandrinæ bibliothecæ.*
d *Eratoſthenes Cyrenæus, neſcio qua ratione motus, Timoſthenis librum in ſuum tranſtulit, pauca quæpiam addens: adeò ut nec proœmio ejus, quem dixi, abſtineat; ſed ad verbum illud proprio apponat operi.*
e *Libro de portubus.*
f *Timoſthenes, ſecundi Ptolemæi claſſi præfectus; qui de portubus volumen compoſuit decem libris conſtans.*
g *Timoſthenes Rhodius, qui præcipuus gubernator fuit ſecundi Ptolemæi.*

multos de vacuitate doloris, aſtronomiam ſeu ſitum ſtellarum, de ſectis philoſophorum, poëmata, & hiſtorias; quarum potiſſimùm cauſſâ ejus meminimus hoc loco. Hujuſmodi erant ejus Γαλατικὰ a; quorum ſecundum, quartum, ſeptimum, Stephanus citat, imò & xxxvii. Vide eum in Ὕδρηλα. Etiam περὶ χρονογραφιῶν b commentarium reliquiſſe, cognoſcimus ex Harpocratione in Εὔηνος. Quomodo autem tempora deſcripſerit, oſtendet Clemens lib. i. Στρωμ. ubi & de Homeri ætate. Simile, ſi non idem opus, erat, quo Olympionicas retulit. Sanè Ἐρατοσθένης c ἐν Ὀλυμπιονίκαις citatur Laërtio in Empedocle. Puto &, majorem partem hiſtoricum fuiſſe opus περὶ d ἀρχαίας κωμῳδίας; cujus octavum librum idem in Zenone celebrat. Crebra illius eſt mentio apud Strabonem. Laudat & Soranus in vita Hippocratis. Plutarchus quoque meminit in Lycurgo, Alexandro, Demoſthene, & alibi. Atque idem in Themiſtocle commentarium ejus de divitiis citat. Sic enim vulgò editum: Ὁ δὲ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς πλούτου. Sed videtur locus corruptus, legendumque ἐν τῷ περίπλῳ. Quod opus, quippe geographicum, convenientius ſit geographo. Elegiam ejus adfert Eutocius Aſcalonita comment. in Archimedem. Sed multa quoque alia in literas retulit; de quibus clariſſimum Joannem Meurſium vide in notis, partim ad Heſychium Mileſium, partim ad Nicomachi Geraſeni Enchiridion. Ad lxxx, ut Suidas ait, annum pervénit; ſive lxxxii, ut Lucianus ait in Longævis.

Eratoſtheni huic æqualis erat Rhianus Benæus, Suida teſte. Eſt autem Βήνη Cretæ civitas. Nobilis fuit grammaticus, & poëta; Athenæo etiam memoratus lib. xi, & Stobæo ſerm. de imprudentia. Stephanus citat ejus Eliaca, Theſſalica, Iliaca, Achaica, & Meſſeniaca. Pauſanias in Meſſeniacis magis commendat Rhiani Meſſeniaca, licet carmine ſcripta, quàm hiſtoriam ejuſdem argumenti contextam à Myrone Prienenſi. Unde, Rhianum hunc poëtam hiſtoricum fuiſſe, cognoſcimus. Pauſaniam ipſum vide. Heracleida quoque edidit. Opus id conſtitiſſe βιβλίοις e τέσσαρσι, ait Suidas. Quem ſequitur Lilius Gyraldus in poëtarum hiſt. dial. iii. Sed apud Etymologum in Ἀσίλλινα citatur Ῥιανὸς f ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ἡρακλείας. Unde Suidas, denario adjecto, emendandus. Meminit & Rhiani Euripidis ſcholiaſtes in initium Alceſtidis: ubi ex eo commemorat, Apollinem volentem ſerviiſſe amori Admeti. Item è Latinis Tranquillus in Tiberio cap. lxx: *Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium. Quibus poëtis admodum delectatus, ſcripta eorum, & imagines, publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores, dedicavit.*

Etiam Euergetæ, & Philopatoris ætate vixit Phylarchus, qui & *Philarchus* in pleriſque codd. vocatur. Eum aliqui Athenienſem, aliqui Naucratitam, alii Sicyonium, vel etiam Ægyptium fuiſſe, prodiderunt *g*. Præter compendium fabuloſum *h* περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας *i*, item librum de inventis, & alium de ſignificationibus, etiam ſcripſit duodetriginta hiſtoriarum libros; quos *k* ordiebatur ab expeditione Pyrrhi in Peloponneſum; perducebat verò uſque ad mortem Ptolomæi Euergetæ, & Beronices, item Cleomenis Lacedæmonii; qui ab Antigono victus in Ægyptum fugerat ad Ptolomæum Euergeten: ſed, eo mortuo, ab ſucceſſore illius, Ptolomæo Philopatore, in carcerem fuit conjectus. Obitus iſte Euergetæ incidit in Olympiadis cxxxix annum iv. Ex eo Phylarchi opere ſeptimum librum citat Apollonius Alexandrinus in hiſtoria commentitia *l*, & alibi *m* vigeſimum. Etiam ſeptimum Phylarchi citat Apollonii ſcholiaſtes in lib. iv. Librum nonum Sextus Empiricus adverſus Mathematicos libro i. cap. xli; ubi ex eo narrat, Æſculapium propterea de cœlo tactum eſſe, quòd excæcatis Phinei liberis viſum reſtituiſſet, gratificans eorum matri Cleopatræ, Erechthei filiæ. Librum duodecimum laudat Ælianus libro xvii de natura animal. cap. v: ubi ex eo ſcribit, ut Ægyptii aſpidem colant, & manſuefaciant. Ex quincto-

a *De rebus Galatarum, ſive Gallogræciæ.*
b *De temporum deſcriptione.*
c *Eratoſthenes de iis, qui ludis viciſſent Olympiis.*
d *De priſca comœdia.*
e *Libris quatuor.*
f *Rhianus in decimoquarto Heracleæ.*
g *Suidas.*
h *Idem.*
i *De Jovis adventu.*
k *Suidas.*
l Cap. 14.
m Cap. 18.

decimo hiſtoriam de Daphne adfert Parthenius Eroticôn cap. xv. Meminit & Plutarchus in Themiſtocle: & ſæpe imprimis Athenæus; qui vigeſimum ſecundum advocat lib. xi; vigeſimum quinctum lib. vi, & xii; atque alios item alibi adducit. xii item advocat Ælianus lib. xvii de Animal. cap. v. Edidit præterea Phylarchus res Antiochi, & Eumenis Pergameni; teſte eodem Suida. Quo loco procul dubio intelligit Antiochum Magnum, & Eumenem ii: quorum ille deſiit imperare anno primo Olympiadis cli; hic verò anno tertio Olympiadis clv. Et iſtorum quidem temporibus quin Phylarchus vixerit, nullus ambigo. Mentionem quoque ejus facit Hyginus in Poëtico aſtronomico. Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride refert ex eo de bubus duobus ex India adductis; quorum unus Apis, alter Oſiris dicatur. De aquilæ erga juvenem amore eundem auctorem laudant Ælianus lib. vi de nat. animal. & Jo. Tzetzes Chil. iv Hiſtor. lxxxiv. De ſtylo ejus ita cenſet Halicarnaſſeus *a*, planè illum in collocatione verborum negligentem eſſe: uti & Duridem Samium, & Polybium Megalopolitanum, & alios juniorum.

*a Lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ.*

Videtur verò & Chryſippo Solenſi locus eſſe aliquis inter hiſtoricos. Siquidem σύγγραμμα edidit περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων *b*, teſte Laërtio *c*. Fortaſſe pars erat operis Περὶ βίων, Laërtio memorati lib. vii in Zenone: ubi & primum de Vitis citat; ut pluribus id opus conſtiterit libris. Imò Plutarchus quoque in Parallelis minoribus (quæ non illius Chæronenſis, ſed junioris Plutarchi videntur) citat Chryſippi libros de rebus in Italia geſtis. Dicet aliquis, non meminiſſe Laërtium ejus operis. Non diffiteor: verùm is, cùm ſcripſiſſe dicat volumina Iↄ ccvii, tantùm recenſet ccccxxxi: ut omnino quædam incuriâ, ſeu ſcriptoris, ſeu librarii, omiſſa ſint. Nec tamen repugno, ſicui Chryſippus iſte alius à Solenſi eſſe videatur. Nam præter eum etiam fuit Chryſippus Gnidius medicus; à quo Eraſiſtratus multa ſe didiciſſe profitetur; item alius, Eraſiſtrati diſcipulus: ac tertius Ptolomæi medicus, qui, calumniâ oppreſſus, duro, à rege ſuo, ſupplicio affectus fuit: & alius, qui Georgica ſcripſit. Nominat iſtos Laërtius. Solenſis verò quin Ptolomæi Euergetæ, & Philopatoris ætate vixerit, dubium non eſt. Nec obſtat, quòd apud Laërtium legitur, obiiſſe eum Olympiade xliii. Nam id perſpicuè falſum eſt. Imò error eſt annorum quadringentorum; quod facilè comprobatur. Nam Chryſippus fuit diſcipulus Cleanthis, Cleanthes Zenonis Cittiei; qui, ipſo teſte Laërtio, Olymp. cxxx. ſuperſtes erat, annumque agebat octogeſimum. Non igitur Chryſippus mori potuit Olympiade xliii, trecentis & ampliùs annis antequam natus eſſet; ſed Olympiade cxliii. Nimirum, qui Laërtium exſcripſit, pro ρμγ΄ ſcripſit μγ΄. Quod ita eſſe, ex Suida etiam liquet; qui diſertim refert, obiiſſe Chryſippum ἐπὶ ἑκατοστῆς τεσσαρακοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος *d*. Inde igitur Laërtius emendandus; quod mirum, nec ei, qui Laërtium tranſtulit, nec ſummo viro, qui eruditis eum notis illuſtravit, fuiſſe animadverſum.

*b Opus de antiquis phyſicis.*
*c In Chryſippo.*
*d Centeſima & quadrageſima Olympiade.*

Fuit tunc quoque C. Acilius C. F. L. N. Glabrio: quippe qui quæſtor provincialis fuerit anno ab urbe condita Iↄ li; Cn. Servilio Cæpione, & C. Servilio Nep. Coſſ.: item tribunus plebis anno Iↄ lvi, C. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Ruſo Coſſ. Puto autem, eundem eſſe, cujus annales citat Plutarchus in Romulo: Γάϊος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ, πρὸ τῆς κτίσεως τὰ θρέμματα τῶν περὶ τὸν Ῥωμύλον ἀφανῆ γενέσθαι· τοὺς δὲ τῷ Φαύνῳ προσευξαμένους ἐκδραμεῖν γυμνοὺς ἐπὶ τὴν ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τοῦ ἱδρῶτος μὴ ἐνοχλοῖντο. καὶ διὰ τοῦτο γυμνοὺς περιτρέχειν τοὺς Λουπέρκους. *C. verò Acilius refert, ante urbem conditam amiſſum fuiſſe pecus Romuli, & Remi: eos, Fauno voto facto, nudos, ne ſudor iis moleſtiam crearet, ad inquirendum id pecus excurriſſe. Atque hinc nudos diſcurrere Lupercos.* Meminit etiam Tullius lib. iii. de Officiis: ubi narrat, ut Senatus eos, qui relicti in caſtris fuiſſent à Paullo, & Varrone Coſſ., non cenſuerit redimendos: atque Annibalis animus eo fuerit fractus, quòd populum Romanum rebus adeò adverſis tam infracto vidiſſet animo. Subjungit inde Tullius hæc verba: *Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, plures ait fuiſſe, qui in caſtra revertiſſent, eâdem fraude, ut jurejurando liberarentur: eoſque à Cenſoribus omnibus ignominiis notatos.* Ex his etiam, de bello Annibalico ſcripſiſſe, cognoſcimus. Verùm in editione Aldi Nepotis, quæ anno prodiit cIↄ Iↄ lxxxiii; uti & Leidenſi nuperâ Elzevirii; pro *Acilii* legas *Attilii*. Quod planè repudiandum. Siquidem ſcriptor Attilius non hiſtoricus Græcus fuit: ſed poëta Latinus; cui quinctum inter Comicos locum Volcatius Sedigitus adſignat apud Agellium lib. xv. cap. xxiv. Porrò annales eos Acilii tranſtulit Claudius, ſeu Quadrigarius, ſeu alius. Livius lib. xxv: *Ad* xxxvii *millia hoſtium, ductu L. Marcii, cæſa, auctor eſt Claudius; qui annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit.* Idem Livius lib. xxxv: *Claudius, ſequutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuiſſe legatione, tradit.* Loquitur de legatione ad Antiochum M. apud quem eo tempore agebat Annibal. In Aurelio Victore, ſive quiſquis ille eſt ſcriptor de origine gentis Romanæ, legere eſt hæc verba: *Et poſtquam ad claſſem rediit, reperitque, mortuam* (Prochytam:) *in inſula proxima ſepeliſſe: quæ nunc quoque eodem eſt nomine; ut ſcribunt Vulcatius, & Acilius Piſo.* Ubi placent, qui legunt, *Vulcatius, Acilius, & Piſo.* Nam diverſi ſunt C. Acilius, & L. Calpurnius Piſo. Nec in gente Acilia Piſones ullos norunt, qui de Romanis familiis egerunt. Videndum autem, idemne, an alius ſit Acilius Glabrio, ſcriptor Tabulæ, ex qua Atilius Fortunatianus, libro de arte Metrica, hæc citat: *Fundit, fugat, proſternit maximas legiones.* Equidem, cur alium credam, non video.

Eadem ad tempora referendus eſt Philinus, Φιλῖνος. Is bellum deſcripſit inter Carthaginenſes, & Romanos, propter Siciliam geſtum. Sed ut Fabius, Romanis nimis addictus, quædam longè aliter narrat, quàm res erat: itidem Philinus, partium ſtudio, nimiùm velificatur honori Carthaginenſium: quemadmodum oſtendit Polybius libro primo. Idem libro tertio ſecundum citat: unde videmus, opus illud fuiſſe in plures diviſum libros. Agrigentinus patriâ fuit: ut ſcimus ex Eclogis Diodori Siculi lib. xxiii; ubi quædam de Siculo hoc bello ex eodem refert. Uti & in Eclogis libri ſequentis facit. Quodſi Agrigentinus fuit; nihil mirum, ſi iniquior erat Romanis. Nam cùm initio ejus belli Sicilia eſſet diviſa in tria imperia; Romanum, cujus erat Meſſana; Syracuſanum, cujus rex Hiero; & longè maximum Pœnorum, ſive Carthaginenſium, qui ſedem belli elegerant Agrigentum: Romani, poſtquam pacem cum Hierone inierant, Agrigentum obſedere, ac poſt ſeptem menſium obſidionem urbem ceperunt: ac quanquam Agrigentini in fugientem Annibalem impetum feciſſent, multoſque occidiſſent; ut Zonaras teſtatur; non tamen eo reprimere potuerunt Romanorum iracundiam: qui, ut Diodorus refert, nihilominus Agrigentinos cives ſub corona vendidêre, prædamque opimam dederunt militibus.

Porrò ex Polybio, ac Diodoro, corrigendus eſt Cornelius Nepos, ubi *Philænus* perperam vocatur. Verba ejus ſunt iſta in vitâ Annibalis: *Hujus* (Annibalis) *bella geſta multi memoria prodiderunt: ſed ex his duo, qui cum eo in caſtris fuerunt, ſimulque vixerunt, quamdiu fortuna paſſa eſt, Philænius, & Soſilus Lacedæmonius. Atque hoc Soſilo Annibal literarum Græcarum uſus eſt doctore.*

Quibus ex verbis etiam alteram Soſili hiſtorici ætatem diſcimus. Lambinus *a* *Soſilum* vocatum putat. Sed *Soſilus* ab aliis etiam appellatur. Patriam ejus, ac librorum numerum, indicat his verbis Diodorus Siculus: Σώσιλος *b* δὲ ὁ Ἴλιος τὰ περὶ Ἀννίβαν ἔγραψεν ἐν βιβλίοις ξ΄. Interea Soſilus hiſtorici nomine vix dignus videtur. Nam opus ejus ex rumuſculis conflatum erat, & narratiunculis infimæ plebis: ut ex Polybii lib. iii conſtat. Verba ejus adducimus libro iv, quo loco de Chærea, ſimili nugivendo, agimus.

*a Notis in Corn. Nepotem.*
*b Soſilus Ilienſis res Hannibalicas ſcripſit libris ſexaginta.*

## Cap. XVIII.

*Philochorus quando vixerit. Suidas emendatus. Quæ ſcripſerit Philochorus. Steſiclides Athenienſis. Ptolemæus Ageſarchi. Argumentum hiſtoriæ ejus. Simleri lapſus. Aſclepiades, Diotimi filius. Error Suidæ. Aſclepiades Tragilenſis. Polemon Euegeti. Ætas cum Ariſtophanis Byzantii, tum Polemonis hujus. Variæ urbes de Polemonis patriâ certantes. Unde Ἑλλαδικὸς dictus ſit, & Στηλοκόπας. Varia ejus ſcripta.*

Atque iſti fuere ſub Ptolomæo Euergete, & Philopatore. Nunc ulteriùs proferamus gradum ad eos, qui ſub Ptolomæo Philopatore, & Epiphane, floruerunt. Vixit autem eorum tempore Philochorus, Cygni filius, vates atque aruſpex Athenienſis. Ætatem ejus inde ruſpamur, quòd, Eratoſthene jam ſene, adoleſcens fuerit, teſte Suidâ: item quòd ibidem dicitur periiſſe inſidiis Antigoni, cùm Ptolomæo addictior eſſe diceretur: quæ lectio ſi recta eſt, intelligi debet Antigonus ὁ Δώσων a, & Ptolomæus Euergetes. Sed obſtat, quòd Antigonus iſte obiit mox poſt victoriam de Dardanis partam. Olympiadis CXXXIX anno III. Eo autem tempore Eratoſthenes, qui annos vixit LXXX, tantùm erat annorum LIV. Siquidem ſuperiùs dicebamus, eum natum fuiſſe anno primo Olympiadis CXXVI. Demus, ultimo Antigoni anno ſublatum ab eo rege eſſe Philochorum. At tum Eratoſthenes quatuor tantùm annos ſupra quinquageſimum natus erat. Atqui, Eratoſthene jam ſene, Philochorus erat adoleſcens. Conſequetur igitur, Philochorum in adoleſcentia periiſſe. Verùm hoc veriſimile non eſt de eo, qui tam multa monumenta, ac tantum nomen reliquerit. Quare apud Suidam pro Ἀντιγόνου legendum cenſeo Ἀντιόχου, ut intelligatur Antiochus Magnus; qui imperare cœpit anno proximo poſt obitum Antigoni τοῦ Δώσωνος, ac rexit annis XXXVI. Ptolomæus verò, cui Philochorus ſtudebat, fuerit Ptolomæus Philopator, vel potiùs ſucceſſor ejus Epiphanes. Philochori hujus meminêre cùm alii, tum Strabo lib. VII, & IX; Plutarchus in Theſeo, ac vitis decem Rhetorum; Gellius lib. XV. cap. XX; Laërtius in Protagora, Ælianus lib. XII de natura animal. cap. XXXV, Tertullianus de anima cap. XLVI, Clemens Alexandrinus in προτρεπτ. ſemel iterumque, & lib. V Στρωματ. Harpocration in Ἀγυιᾶς, & Ἀδώνια, & Ἀλωπεκαῖ, & Ἀντιγραφεὺς, & alibi. item Africanus lib. III. chronographiæ apud Euſebium lib. X. præparationis Euangel. ubi & Athenienſem appellat. adhæc ſcholiaſtes Ariſtophanis in Plutum, Sophoclis in Oedipum Coloneum, Euripidis in Oreſtem. Edidit de Attica libros XVII: quibus, ut Suidas ait, complectebatur res geſtas Athenienſium eorumque reges, & prætores, uſque ad tempora Antiochi Θεοῦ. Opus verò hoc adverſus Damonis hiſtoriam Atticam compoſuerat. Ἀπλῶς Φιλόχορος b ἐν Ἀτθίδι citat Julius Pollux lib. X. cap. XX. Libro ſecundo Atthidis retulit inter alia ut Adoneus, id eſt Orcus, rex Moloſſorum, rapuerit Proſerpinam: atque ut idem canem habuerit ingentem, qui Pirithoum devoravit: item ut Theſeum quoque fuerit voraturus, ni Hercules ſubveniſſet; unde eum ab inferis liberâſſe dicitur. Auctor Euſebius in Chronicis. Quintum Philochori de rebus Atticis citat anonymus Ὀλυμπιάδ. ἀναγρ. ad Olympiad. C. anno III. Sextum ad Olymp. XC. an. II: qui & luculentum ex eo fragmentum apponit ad Olymp. CVII. an. IV. Citat & eundem librum Harpocration in Διαψήφισις. Septimum idem in Φυλή, uti & Athenæus lib. VI. Ex octavo fragmentum habes apud anonymum antè dictum ad Olymp. CXVIII. an. II, & ex nono ejus operis ad annum ſequ. Etiam noni meminit Athenæus lib. V. In decimoſexto autem citatur ab Harpocratione in Ἄμυνται. De Philochori Archontibus eſt egregius locus Anonymi ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CI. an. II. Φιλόχορος c Κύκνου Ἀθηναῖος πραγματείαν συνεστήσατο περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀρξάντων, ἀπὸ Σωκρατίδου, καὶ μέχρι Ἀπολλοδώρου. Opus de Archontibus pars erat commentariorum de Attica. Ejus ſeorſim meminit Marcellinus in vita Thucydidis. Ubi etiam alterum nominat, qui de Archontibus ſcripſerit, Demetrium Phalereum. De utroque laudat Didymum; quem hoc ex Zopyro dicit referre. Tertius etiam, qui hoc argumentum tractaret, fuit Steſiclides Athenienſis. Quem de Archontibus, & Olympionicis, librum reliquiſſe, Laërtius indicat in vita Xenophontis. Præterea ſcripſerat Philochorus περὶ μαντικῆς a. Meminit Athenæus lib. XIV. Ac πρῶτον περὶ μαντικῆς nominat Clemens lib. I Στρωματέων, τρίτον b Suidas in Ἐγγαστρίμυθος. Τετράπολιν quoque emiſiſſe, ex eodem Suida ſcitur; item Athenæi lib. VI; & ſcholiaſte Sophoclis in Oedipum Coloneum, qui eo ex opere illuſtrem adducit locum. Fecit & librum περὶ c θυσιῶν; de quo Apollonii ſcholiaſtes lib. I. Præterea edidit Salaminis origines, item Olympiadum libros duos, inſuper de Athenienſium certaminibus libros XVII, item epitomen hiſtoriæ Atticæ, adhæc librum de rerum inventionibus; & alia multa, de quibus Suidas.

Etiam Ptolomæi Euergetæ & Philopatoris temporibus, floruiſſe videtur Ptolomæus, Ageſarchi filius, Megalopolitanus; qui hiſtoriam ſcripſit Ptolomæi Philopatoris quarti regis Ægyptii. Nec, cur homo Megalopolitanus ejus res geſtas conſignaret, cauſſa nulla erat. Nam Cleomenes, rex Spartanus, Megalopolim, fruſtra obſiſtente Philopœmene, ceperat, diripuerat, incenderat. Paullo pòſt verò ab Antigono, qui Achæis venerat auxilio, devictus, in Ægyptum fugerat ad Ptolomæum Euergeten, qui opem ei promiſit adverſus Achæos. Sed altero pòſt anno moritur Euergetes: ſuccedit verò Philopator; qui Cleomenem in carcerem compegit. Ita Achæi, quibus & ſe junxerant Megalopolitani, Philopatoris beneficio liberati fuerunt graviſſimi belli metu, quod à Cleomene, & Ægyptiis impendebat. Nec indignus planè erat Philopator, cujus res geſtæ proderentur. Nam imperium quidem auſpicatus fuit à parricidio, homo impius: ſed multa tamen ſtrenuè geſſit; præſertim adverſùm Antiochum Magnum. Nam ereptam ei Cœleſyriam iterum Ægyptio addidit regno. Iſta igitur, aliaque, hic Ageſarchi filius perſequebatur. De quo ita Athenæus lib. VI: Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀγησάρχου d, Μεγαλοπολίτης γένος, ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα ἱστοριῶν, συμπότας φησὶ τῷ βασιλεῖ συνάγεσθαι ἐξ ἁπάσης τῆς πόλεως, οὓς προσαγορεύεσθαι γελοιαστάς. Tertium ejus operis citat lib. X. Meminit quoque hiſtoriæ iſtius lib. XIII. Uti etiam Clemens in Προτρεπτικῷ, & ex eo Arnobius lib. VI. Cujus hæc verba: *Ageſarchi Ptolemæus de Philopatore, quem edidit, primo, Cinyram regem Paphi cum familia omni ſuâ, imo cum omni proſapiâ, in Veneris templo ſitum eſſe, literarum auctoritate declarat.* Joſias Simlerus e ſuſpicatur, ſcripſiſſe etiam περὶ f τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλείων, & de animalibus, quæ in eis nutriuntur. Sed eſt is Ptolomæus Euergetes ſecundus. Quod oſtendunt hæc Athenæi verba in XIV: Πτολεμαῖος g ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ δυοκαιδεκάτῳ τῶν ὑπομνημάτων περὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλείων λέγων, καὶ περὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ζώων τρεφομένων, φησίν. Unde etiam videmus, non eſſe eam juſti operis inſcriptionem; quod putabat vir eruditus: ſed hoc ſolùm dicere Athenæum, in commentariis iſtis alicubi de eo argumento fieri mentionem.

Etiam Ptolomæi Epiphanis ætas vidit Aſclepiadem, Diotimi filium. Hic oriundus erat Nicæâ, ortus verò Myrleæ, quæ & ipſa Bithyniæ eſt civitas, dicta poſtea Apamea. Audivit Apollonium, Callimachi diſcipulum, æqualem Eratoſthenis, Euphorionis, & Timarchi, teſte Suida. Hinc ejus ætas non obſcurè paret. Uti & inde, quòd Suidas diſertè dicat, Aſclepiadem hunc ſub Philopatore, qui Euergetæ ſucceſſit, adoleſcentem commoratum Alexandriæ: floruiſſe autem ſub regibus Pergamenis, Attalo, & Eumene. Eumenes enim Attalo ſucceſſit ſeptimo Ptolomæi Epiphanis anno. Ut hæc probè conveniant cum eo, quod

a *Cognomento Doſonis.*

b *Philochorus de rebus Atticis.*

c *Philochorus, Cygni filius, volumen compoſuit de iis, qui Athenis prætores fuere ab Socratide uſque ad Apollodorum.*

a *De divinatione.*

b *Tertium.*

c *De ſacrificiis.*

d *Ptolomæus, Ageſarchi filius, civis Megalopolitanus, libro ſecundo hiſtoriarum Philopatoris, conſultores fuiſſe tradit ex omnibus civitatibus regi compotores; quos Ridiculos nominabant.*

e *Appendice biblioth. Geſn.*

f *De regio palatio.*

g *Ptolomæus rex libro duodecimo commentariorum, ubi loquitur de regis palatio, quod eſt Alexandriæ, & animalibus, quæ in eo nutriuntur.*

quod dixi. Sed quod Suidas ſubjungit, tempore Pompeji Magni Romæ docuiſſe, id verum eſſe non poteſt. Nam ſeptimus annus Ptolomæi Epiphanis eſt quartus Olympiadis CXLV. Unde ad tertium annum Olympiadis CLXVIII, hoc eſt, Urbis conditæ annum IↃCXLVIII, quo Pompejus, & Cicero, nati fuere, anni ſunt XCI. Quomodo Pompeji tempore adoleſcens docebat Romæ, qui tot annis floruit ante natum Pompejum? De quo mox plura. Varia ſcripſiſſe, Suidas teſtatur. Quæ ea ſint, non addit. Sed, in Ὀρφεύς, citat illius librum περὶ γραμματικῶν *a*. cujus & meminit is, qui Arati vitam compoſuit.

Strabo lib. III. auctor eſt, in Turditania non tantùm docuiſſe grammaticam; ſed edidiſſe etiam περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν *b*. Qui & ex eo poſtea quædam de Igletis, Hiſpaniæ populo, refert. Item ὁ Μυρλεανὸς *c* Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς περὶ Κρατίνου teſtis adducitur ab Athenæo in XI; ubi ex eo exponit vocem βαλανειομφάλων. Etiam libri περὶ Νεστορίδος *d* mentio non ſemel eſt apud Athenæum lib. XI. Ὑπόμνημα *e* τῆς Ὀδυσσείας laudat Etymologus in Ἀγραῖος. Præter quæ etiam Βιθυνιακὰ *f* ſcripſit. Ex eo opere primum librum adducit Parthenius Erot. XXXV: decimum item citat Apollonii ſcholiaſtes in lib. II. Etiam Aſclepiades ſcripſit res geſtas Alexandri Magni teſte Arriano lib. VII. de expeditione Alexandri. Ac Athenæus lib. III. ex Aſclepiadis Ægyptiacis citat librum LX. Sed incertum, an vel Ægyptiaca, vel Alexandri hiſtoria, ſit Myrleani. Nam præter eum alii quoque hujus nominis celebrantur: eoſque inter ὁ *g* τὰ τραγῳδούμενα γράψας ἐν ἓξ βιβλίοις: quem Tragilenſem fuiſſe, teſtis eſt Stephanus in Τράγιλος. Meminere ejus, Plutarchus in Iſocrate, Athenæus lib. X, Harpocration in Δυσκύλης, Heſychius in Ῥησίαρχος, & plerique ſcholiaſtæ. Alios etiam ejus nominis ſuggeret Joannes Meurſius notis ad Chalcidium.

Præterea Ptolomæi Epiphanis temporibus vixit Polemon, Euegeti filius. Siquidem Polemon iſte, Suida teſte, æqualis fuit Ariſtophanis Byzantii, grammatici ejus, cujus librum *h* de perſonis, & alterum *i* in Callimachi tabulas, atque alia, citat Athenæus. At Ariſtophanes Eratoſthenis diſcipulus erat; qui ſub Ptolomæo Euergete, & Philopatore, claruit; ſub Epiphane autem mortuus fuit anno ætatis octogeſimo. Quare Ariſtophanes, cujus æqualis Polemo eſt, floruerit imprimis ſub Epiphane: uti diſcipulus ejus Ariſtarchus ſub Philometore in pretio erat Olympiadis CLVIII; quemadmodum prodidit Euſebius in Chronicis, & Suidas in *Ariſtarchum*. Alterum etiam argumentum accedit, quòd Polemo, eodem Suida auctore, audiit Panætium Rhodium. Hoc ſub Epiphane factum putamus. Nam Panætius jam provectior vixit cum Scipione Æmiliano; ut ait Cicero lib. IX ad Att. & Tuſcul. I. At Scipionem Philometoris, qui Epiphani ſucceſſit, & Euergetæ ſecundi, æqualem fuiſſe, ſatis liquet.

De hujus Polemonis patriâ admodum diſſentientes fuere veterum ſententiæ. Nam, ut Athenæus in VI teſtatur, Samium aliqui putarunt, nonnulli Sicyonium, alii Athenienſem, ut Heraclides Mopſeates; alii aliter, ut Suidas, qui Ilienſem facit ex Glycea, Iliaco pago. Vocatus etiam Ἑλλαδικὸς, quaſi dicas *Græcanicum*, aut *Græcienſem*: nempe qui Athenis in civium numerum fuiſſet adſcriptus; ut Suidas ait. Idem dictus eſt Στηλοκόπας, ut ex Herodico, Cratetis diſcipulo, tradit Athenæus *k*. Et certiſſima eſt conjectura doctiſſimi Caſauboni *l*, ita fuiſſe nuncupatum περὶ *m* τὸ κόπτειν τὰ περὶ τὰς στήλας. Nam hoc clarè dicunt verba ex Polemone ab eo adducta, ubi laudat στήλην *n*, ἐν ᾗ ψήφισμα Ἀλκιβιάδου. Et manifeſtè confirmant tituli librorum, qui ſuperſunt. Siquidem librum ſcripſit περὶ *o* τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων, teſte Athenæo lib. X. Item περὶ *p* τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, ut idem docet lib. XI. Sive, ut integrè titulum apponamus ex Strabonis lib. IX, τέτταρα *q* βιβλία περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ Ἀκροπόλει. Item, quorum alibi idem meminit Athenæus, περὶ *r* τῶν ἐν Λακεδαίμονι ἀναθημάτων, περὶ *s* τῆς ποικίλης ἐν Σικυῶνι στοᾶς, περὶ *t* τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων. Alia quoque multa reliquit. Ea inter orbis deſcriptionem, ſive geographiam, teſte Suida. Hinc Straboni lib. IX. περιηγητὴς *a* vocatur. Uti & Athenæo lib. IX: Πολέμων *b* περιηγητὴς ἐν τῷ περὶ Σαμοθρᾴκης. Idem opus condidiſſe dicit περὶ *c* τῶν ἐν Σικελίᾳ ποταμῶν. Etiam ἁπλῶς ἐν *d* τῷ περὶ ποταμῶν citatur ab Euripidis ſcholiaſte in Medeam. Sed liber is περὶ *e* τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν vocatur à Macrobio lib. V Saturn. cap. XIX; ubi inde illuſtre adducit fragmentum. Fortaſſe pars erat operis De admirandis. Nam Athenæo lib. XIII citatur Πολέμων *f* ὁ Περιηγητὴς ἐν τῷ περὶ θαυμασίων. Ubi ex eo refert, Archeſtratum vatem corpuſculo adeò tenui fuiſſe, ut ab hoſtibus captus, ſtateræque impoſitus, non amplius, quàm obolum, pependerit. Περὶ *g* ἱερᾶς ὁδοῦ ſcripſiſſe, teſtis eſt Harpocratio in Ἱερὰ ὁδός. Item in Λαμπάς citatur liber ejus περὶ τῶν *h* ἐν τοῖς προπυλαίοις πινάκων. Eidem Harpocrationi in Ἄξονες, & Scholiaſtæ Sophoclis in Oedipum Coloneum, citatur Πολέμων *i* ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην. Legas & apud Ariſtophanis ſcholiaſtem in Aves, Μέμνηται *k* δὲ αὐτοῦ καὶ Πολέμων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρατοσθένους ἐπιδημίας. Et in eandem comœd. Ἀναγράφει *l* δὲ τὰς ἐπωνύμους τῶν δήμων καὶ φυλῶν Πολέμων. Ac Suidas auctor eſt, conſignâſſe origines urbium Phocenſium, item de cognatione urbium Ponticarum cum Athenienſibus: adhæc de urbibus Laconicis: præterea deſcriptionem Ilii, tribus comprehenſam libris. Apud Athenæum verò lib. III. etiam nominatur liber περὶ ἄρτου *m*, & περὶ *n* Μορύχου; & libro XI. *o* τὰ πρὸς Τίμαιον συγγράμματα; quorum librum quinctum citat lib. III, librum VI libro X, librum XII libro XV. Eidem Athenæo, penè extremo libro IX, celebratur ἐπιστολὴ περὶ ἀδόξων ὀνομάτων *p*. Idem lib. XI. Ἑλλαδικὸν *q*. quod opus puto etiam ſignari à Juſtino Martyre paræneſi ad Græcos. ubi cùm dixiſſet, pleroſque è gentium hiſtoricis circa Ogygis & Inachi tempora Moſis meminiſſe, addit: Οὕτω *r* γὰρ Πολέμων ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν μέμνηται. Quæ etiam legas apud Euſebium lib. I. Χρονικῶν *s*, & Cyrillum libro primo contra Julianum. Athenæo quoque, libro XI, citatur Ἑλλαδικὸς *t*: Suidæ etiam memorata τὰ *u* πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον συγγράμματα. quorum librum primum nominat Athenæus lib. XI; librum V, & VI libro IX: item περὶ *x* τοῦ Διὸς κῳδίου, lib. XII; libro verò XIII, περὶ *y* τῶν ἐν Καρχηδόνι πέπλων. Ac eopſe libro advocantur αἱ *z* περὶ Νεάνθη ἀντιγραφαί. Quamquam fortaſſe aliqua ex his ſint Polemonis Athenienſis, diſcipuli Xenocratis ejus, qui Platoni in Academia ſucceſſit, ac Clementi etiam laudatur in ſecundo Στρωματ. Ilienſis Polemonis mentionem facit & Strabo lib. IX. Hiſtoricus quoque ille intelligitur, ut puto, Feſto Pompeio in voce *Salii*; Heſychio in Βίηφι, & Ἐφόδιον; Pindari ſcholiaſtæ in I Olympiadis *a*. item Scholiaſt. Apollonii, lib. IV; Clementi Alexandrino in Protrept. & alibi. Juſtinus Martyr, cohortatione ad Græcos, ait, apud Polemonem ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν mentionem fieri Moſis, ut ducis, & legiſlatoris Judaici. Sed in tam multis ejuſce nominis quis potiſſimum ſignetur, haut facilè dictu. Antiquiſſimus verò eorum, quos Polemonem Euegeti laudâſſe invenio, eſt Aſclepiades Myrleanus. Siquidem, quod dicebam, æqualem fuiſſe Ariſtophanis Byzantii, ejuſce rei hunc Aſclepiadem auctorem laudat Suidas. Unde quæſtio exſurgit, quomodo Aſclepiades ille Polemonis ætatem ſcriptis voluerit conſignare, ſi æquales erant? An dicemus, utrumque vixiſſe quidem ſub Ptolomæo Epiphane, quod clarè adeo evicimus, ut negari non poſſit: ſed diu poſt Polemonem ſuperfuiſſe Aſclepiadem; etſi non quanto ſpatio putavit Suidas, qui Pompeji tempore Romæ docuiſſe ait? An potiùs duos ſtatuemus Aſclepiadas Myrleanos? unum patrem, vel

*a De Grammaticis.*
*b Deſcriptionem quandam gentium.*
*c Aſclepiades Myrleanus in opere de Cratino.*
*d De Neſtoride.*
*e Commentarium Odyſſeæ.*
*f De rebus Bithyniæ.*
*g Qui ſex libris ſcripſit de iis, quæ tragœdiis decantantur.*
*h Athen. lib. 14.*
*i Idem extremo lib. 9.*
*k Lib. 6.*
*l Animadverſionibus in Athen. l. 6. c. 5.*
*m Ob laborem circa pilas, & ſtatuas.*
*n Pilam, in qua Alcibiadæ decretum.*
*o De inſcriptionibus, quas videre eſt in urbibus Græciæ.*
*p De arce Athenarum.*
*q Libros quatuor de donariis in Athenarum arce.*
*r De donariis, quæ erant Lacedæmone.*
*s De parti la porticu Sicyonis.*
*t De tabulis, quæ Sicyone habentur.*

*a Qui orbem deſcripſit.*
*b Polemon, qui orbem deſcripſit, libro de Samothracia.*
*c De fluviis Siciliæ.*
*d Libro de fluviis.*
*e De admirandis Siciliæ fluviis.*
*f Polemo, orbis deſcriptor, libro de admirandis.*
*g De ſacra via.*
*h De tabulis in ingreſſu, ſive veſtibulis.*
*i Polemo in opere ad Eratoſthenem.*
*k Meminit verò ejus Polemo in ſecundo operis de tempore, quo Eratoſthenes Athenis agebat.*
*l Deſcripſit Polemo, à quibus populi Attica, ac tribus, nomina accepiſſent.*
*m De pane.*
*n De Morycho.*
*o Eorum, quæ ad Timæum ſcripſit.*
*p Epiſtola de nominibus obſcuris.*
*q Græcanicum.*
*r Ita enim Polemo in primo Græcanicarum rerum libro memorat.*
*s Pag. 25. Theſaur. Tempor. Joſeph. Scalig.*

*t De Græcanicis liber. u Libri ad Adæum, & Antigonum. x De vellere ovis Jovi immolata y De peplis Carthaginis. z Opus, quo Neanthi reſcripſit, ut ſe defenderet. a Pag. 4. editionis Pauli Stephani.*

vel potiùs avum; alterum filium, aut nepotem; ex quibus unum fabricârit Suidas. Ac illum quidem dicemus cum Polemone vixiſſe temporibus Ptolomæi Epiphanis: junior verò fuerit is, quem Pompeii tempore ait docuiſſe Romæ. Sanè quid aliud Suidam in ſpiſſum adeò errorem impellere potuerit, non video.

## CAP. XIX.

*Polybius quandò natus, quamdiu vixerit, quanto primum in honore fuerit apud ſuos, ac quanto poſtea favore eum complexi ſint Romani. Quouſque hiſtoriam ſuam perduxerit. Cur hiſtoriam ſuam vocârit καθολικήν. Ejuſdem de bello Numantino hiſtoria. Ambigua elogii verba, quo à Livio ornatur. Quanti eum fecerit M. Brutus. De ſtylo ejuſdem judicium. Scylacis adverſus Polybium liber. De ætate Scylacis diſſenſus Dionyſii à Suida. Scylacis geographi ſcripta.*

EPiphanis temporibus cœpit quoque in aliqua dignitate eſſe Polybius Megalopolitanus, filius Lycortæ: ſed imprimis floruit tempore Ptolomæi Philometoris: ἀνὴρ *a* πολυμαθὴς, Σκηπίωνι συγγενόμενος, ut de eo ſcribit Ælianus *b*. Natus fuit Olympiadis CXLIII anno IV, anno Urbis Conditæ IↃ XLVIII, P. Corņel. Scipione (qui poſtea dictus Africanus) primùm conſule cum P. Licinio Craſſo. Quod ita eſſe, conſtat ex Luciani Macrobiis; ubi obiiſſe dicitur anno ætatis octogeſimo ſecundo. Satis autem convenit, diſceſſiſſe eum annis XVII ante natum Ciceronem; nempe Olympiadis CLXIV anno I, anno V. C. IↃC XXXI, Q. Cæcilio Metello, cui poſtea nomen Baleatico, & T. Quinctio Flaminino coſſ. Unde, ſi retro tempora legamus, ſatis parebit id, quod dixi. Annos natus XXIV cum Lycorta, & filio ejus cognomine, item cum Arato, Arati filio, legatus ab Achæis ad Ptolomæum Epiphanem miſſus fuit, Olympiadis CXLIX anno IV, Romæ conditæ IↃ LXXIII, A. Poſthumio Albino, & C. Calpurnio Piſone coſſ. Anno ætatis ejus XXXVII, Olympiadis CLII anno V, Romæ conditæ IↃ LXXXV, L. Æmilio Paullo II, & C. Licinio conſulibus, Ptolomæi duo, Ægypti reges, poſtulârunt ab Achæis auxilium; & nominatim, ut Lycortas ſocialibus præeſſet copiis, Polybius verò equeſtribus. Verumtamen res ea non ſucceſſit. Anno proximo, quo conſules erant Q. Æmilius Pætus, & M. Julius Pennus, Romam venit: utpote unus ex mille Achæis maximè ſuſpectis, quos, ne domi rebus novis ſtuderent, in Italiam evocârant Romani. Unde eos ἀνακεκλημένους *c* vocat Polybius: uti & κατηλιωμένους *d*. Plutarchus φυγάδας *e* nominat. Septendecim annis pòſt propter Polybii imprimis gratiam, iſti φυγάδες Achivi, qui tum trecenti tantùm ſupererant, poteſtatem accepere redeundi in patriam. Nempe Olympiadis CLVII anno II, Romæ IↃCIII, L. Quinctio Flaminino, & M. Acilio Balbo conſulibus. At Olympiadis CLVIII anno I, Urbis Romæ IↃCVI, P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus Polybium ſecum in Africam duxit. Ubi pleraque ex Polybii conſilio egit. Quod & illa Ammiani verba indicant lib. XXIV. *Legerat* (Julianus,) *Æmilianum Scipionem, cum hiſtoriarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade, & triginta millibus, portam Carthaginis impetu ſimili ſubfodiſſe.* Hoc, quod Ammianus dicit, anno proximo contigit: nempe ejuſdem Olympiadis anno II. Biennio pòſt, puta Olympiadis ejuſdem anno IV, à conditâ Urbe anno IↃCVIII, Q. Fabio Max. Æmiliano, & L. Mancino coſſ., Polybius in Græcia fuit, ac coràm ſpectavit cladem eam, cùm à L. Mummio Corinthus diriperetur, & incenderetur: ut teſtatur Strabo lib. VIII γεωγραφουμένων. Ac huc uſque etiam hiſtoriam ſuam perduxit Polybius. Erat ea librorum XXXVIII. quibus complectebatur geſta annorum LIII: nempe ab initio belli Punici ſecundi, uſque ad Carthaginis excidium; ut ait Euagrius lib. V cap. ultimo; ſive potiùs Macedonici regni everſionem; quibus paucos annos attexuit. Nec Romanorum ſolùm, etſi horum imprimis; ſed ſimul aliarum orbis gentium celebriorum res geſtas narrat; unde ſuam ἱστορίαν καθολικὴν *a* appellat. Iſtis verò XXXVIII libris præmiſit duos εἰσαγωγικούς *b*: quibus tempora percurrit à Roma per Gallos, Brenno duce, captâ, uſque ad primam trajectionem in Siciliam: quæ initium fuit primi belli Punici: & inde κατ' ἐπιτομὴν *c*, ſed paullo fuſiùs tamen, quàm priora, exequitur cætera, uſque ad bellum Punicum ſecundum. Ut in univerſum (quemadmodum etiam Stephanus ſcribit in Μεγάλη πόλις) fuerint libri XL: ex quibus quinque primi ad nos ſalvi atque incolumes pervenerunt: ex cæteris ſolùm excerpta habemus. Ex Tullii verò lib. V epiſtolarum *d* etiam ſcimus, ſeparato opere ſcripſiſſe de bello Numantino, quod idem Scipio Æmilianus geſſit, qui Karthaginem delevit. Apud Geminum etiam, Iſagoge εἰς φαινόμενα, legere eſt, Πολύβιος *e* ὁ ἱστοριογράφος πεπραγμάτευται βιβλίον, ὃ ἐπιγραφὴν ἔχει, Περὶ τῆς περὶ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως. Ac ibidem complura eo ex opere adfert. Mirum verò, Livium *f* non alio elogio Polybium dignari, quàm *ſcriptoris haut quaquam ſpernendi*: præſertim cùm integros ex eo libros propè ad verbum deſcribat. Sed poſſumus id κατὰ λιτότητα *g* intelligere: quod omnino fieri debere, multis oſtendere adlaborat Caſaubonus. Et ſanè aut hoc faciendum, vel meritò candorem in Livio requiramus. Marcus quidem Brutus, prudens rerum æſtimator, ac præterea acris adeò verborum cenſor, ut nec Cicero ei ſatisfaceret, tanti Polybium fecit, ut etiam ultimis, atque adflictiſſimis temporibus, partim ad ſolatium, partim ad vitæ inſtitutionem, non modò eum legeret ſtudioſiſſimè, ſed etiam, quæ ab eo fuſiùs dicta eſſent, compendio conſtringeret. Falſus interim ſummus vir, Iſaacus Caſaubonus, quando ſuſpicatur, παρεκβολὰς illas ſive excerpta è Polybii libro ſexto, & ſequentibus, uſque ad finem ſeptimidecimi, eſſe partem compendii M. Bruti. Nam aliud ſanè ſunt excerpta, aliud verò eſt epitome. Excerpimus ſeligendo ea, quæ χρήσιμα, ac *laudabilia* dicuntur. Nec opus, ut iſtiuſmodi inter ſe cohæreant. At epitome, ſi digreſſiones exceperis, omnia attingit paucis: parteſque omnes non minùs cohærent, quàm in juſta ſit hiſtoria. Illud etiam addamus. Excerptis, quæ Caſaubonus ſuâ editione longè omnium optimâ exhibet, addi oportere Polybii illa, quæ ex Conſtantini Porphyrogenneti Collectaneis primus edidit, vertit, notiſque illuſtravit Henricus Valeſius *h*, vir & hoc, & aliis nominibus, optimè de ſtudiis meritus.

*a Vir variæ eruditionis, & Scipioni familiaris.*
*b Lib. de acie inſtruenda.*
*c Evocatos.*
*d Accuſatos.*
*e Exules.*
*a Univerſalem.*
*b Ut manuductio eſſent.*
*c Compendio.*
*d Epiſt. ad Lucceium.*
*e Polybius hiſtoricus conſcripſit librum, qui inſcribitur, De habitatione circa æquinoctialem.*
*f In fine libri trigeſimi.*
*g Per extenuationis figuram.*
*h Pariſ. an. 1634.*

Quod ad dictionem Polybii, Halicarnaſſenſis quidem Dionyſius incuriam ejus reprehendit, & minùs accuratam verborum comprehenſionem. Sed profectò nihil mirum videtur, dictionis comtæ minùs rationem habere virum adeò ſeriis ſemper deditum, ſive, ut cum Strabone loquar, τὸν ὅλως ἐσπουδασμένον ἄνδρα. Nempe ſuffecit ei τὸ ἔμπρακτον *i*, καὶ τὸ ἀληθὲς τῶν ἐννοιῶν; quod Græci critici dicunt. Quemadmodum pluribus diſſerit Caſaubonus ſuis ad Polybium notis. Verùm ut ſanè Polybius eloquentiâ cedat Herodoto, Xenophonti, & præterea uni, alterique Græcorum; attamen civilem prudentiam ſi ſpectes, & ſcientiam militarem, nulli fuerit ſecundus. Narrare contentus non eſt; ſed etiam monet, duplici fungens munere, hiſtorici, & philoſophi. Quod immeritò ſugillat Patricius. Quemadmodum nec Raimundus Lullus *k* rectè in eo, ut affectatum nimis, improbat ſententiarum uſum; quas eum ait nimis cumulâſſe. Vide &, quæ de Polybio diximus in Arte hiſtorica, cùm alibi, tum imprimis cap. XXII.

Adverſus nobilem hunc hiſtoricum ſcripſit Scylax quidam. Unde ſic Suidas: Σκύλαξ *l* Καρυανδεὺς, (πόλις δέ ἐστι τῆς Καρίας πλησίον Ἀλικαρνασσοῦ τὰ Καρύανδα) Μαθηματικὸς, καὶ Μουσικός. Ἔγραψε περίπλουν τῶν ἐκτὸς Ἡρακλέους στηλῶν· τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλείδην τὸν Μυλασσέων βασιλέα· γῆς περίοδον. ἀντιγραφὴν πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν. Si librum ille adverſus Polybium ſcripſerit, non poteſt is eſſe Scylax Caryandenſis, quem Herodotus in Melpomene ait à Dario Hyſtaſpide miſſum eſſe inter alios cum pluribus navi-

*i Efficacia, ac veracitas conceptuum.*
*k Lib. 5. de Orat. cap. 4.*
*l Scylax Caryandenſis, (Caryanda verò eſt urbs Cariæ prope Halicarnaſſum) Mathematicus, & Muſicus. Scripſit navigationem extra columnas Herculis. De Heraclide, Mylaſſorum rege Terræ ambitum. Librum adverſum Polybii hiſtoriam.*

navibus, quo cognoſceret, ubi Indus fluvius in mare influeret: quo cognito, Darium Indos ſubegiſſe, ac maris potitum. Siquidem Darius ille vitâ exceſſit Olympiadis LXXIII anno III. Polybius demum natus Olympiadis CXLIII anno IV. Nec ille Polybii adverſarius fuerit, quem Ariſtoteles ſignat lib. VII Politicorum cap. XIV, cùm ait: Οὐδὲ ἐστιν, ὥσπερ ἐν Ἰνδοῖς *a* φησὶ Σκύλαξ, εἶναι τοὺς βασιλέας τοσοῦτον διαφέροντας τῶν ἀρχομένων. Nam ſatis conſtat, Ariſtotelem vixiſſe Philippi, & Alexandri M. temporibus: Polybium autem ætate Ptolomæi VII, cui cognomentum Phyſcon, vel Euergetes II. Eſtque veriſimile, cùm Ariſtoteles quædam de Indis adducat ex Scylace Caryandenſi, ea eſſe ex commentariis illius Scylacis Caryandenſis, quibus complexus erat, quæ ad Indos à Dario miſſus obſervâſſet. Ut nec alius ſit Scylax Caryandenſis: quem idem Ariſtoteles ἐν Κυανῶν πολιτείᾳ teſtem adduxit: ut cognoſcere eſt ex Apollonii ſcholiaſte in librum primum Ἀργοναυτ. Porrò quæritur, quis ille ſit Scylax Caryandenſis, cujus ſive γῆς περίοδος, ut Suidas vocat, ſive περίπλους, ut vulgò inſcribitur, primùm beneficio Davidis Heſchœlii prodiit in lucem, unà cum Marciani Heracleotæ, Artemidori Heracleotæ, Artemidori Epheſii, Dicæarchi Meſſenii, & Iſidori Characeni Geographicis. Quem ipſum ante novennium Latinè à ſe redditum, & caſtigationibus, ac notis illuſtratum, edidit filius meus Iſaacus. Non poſſum adduci, ut exiſtimem, eſſe id opus illius Herodoto memorati. Nam bene jam filio monitum, hunc, quem habemus, meminiſſe longorum Piræei murorum, quos Themiſtocles duxit: item Amphipoleos, quam Braſidas condidit: adhæc Cleoſtrati, aſtrologi Tenedii, & Calliſtrati, Rhetoris Athenienſis, qui exul Datum urbem in Thracia exſtruxit. Cuncta hæc recentiora eſſe temporibus Darii Hyſtaſpidæ, ſatis convenit. Et tamen Ariſtotele eſſe antiquiorem arguit, quòd (ut vetus ſcriptor in vita Scylacis Caryandenſis obſervat) ex hoc ſcripto colligere ſit, τὸ *b* μήτε Ἀλέξανδρον εἰδέναι τὸν Μακεδόνων βασιλέα, μήτε τὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐκείνου τῷ χρόνῳ. Subjungit deinde ex primo Aelii Dionyſii de Alexandria, ut Scylax meditationes ſuas inſcripſerit Dario. Atqui tres Darii fuere Perſarum reges; Hyſtaſpides, Nothus, & Codomannus: quorum hic regnare cœpit eopſe anno, quo Alexander Magnus. Proinde ſi is Codomannus non ſit; conſequitur vel Hyſtaſpidem ſignari, vel Darium Nothum. Sed Hyſtaſpidi multa obſtant, quæ antea adduximus. Quare videri poſſint tres fuiſſe Scylaces Caryandenſes: unus tempore Hyſtaſpidæ, de quo Herodotus: alter ætate Darii Nothi, cujus periplus exſtat: tertius par, vel ſuppar Polybio, adverſus quem ſcripſit. Nec propterea neceſſe eſt credere, tres fuiſſe Scylaces Caryandenſes, eoſque Geographos. Magis eſt veriſimile, Suidam falli, cùm ab eodem Scylace eſſe arbitratur, & γῆς περίοδον *c*, & librum adverſus Polybium. Imò fortaſſe ne illud quidem verum eſt, periplum, uti nunc habemus, eſſe exaratum Darii Nothi ætate. Potiùs cenſeo, opus, quod habemus, eſſe compendium antiqui illius Scylacis, qui Hyſtaſpidis ætate claruit: ac Scylacem inſcribi, quia ex Scylace ſit excerptum ab aliquo, qui ſeculis aliquot poſt Polybium vixerit. Sanè parum eſt credibile, Polybii ætate, nedum antea, quemquam gloriam fuiſſe quæſiturum ex minuta epitome; vel eam fuiſſe victuram ad noſtra uſque ſecula, tot præclaris ſcriptoribus intermorientibus. Propius ad verum accedit, aliquem ante ſecula non ita multa feciſſe hoc compendium: fortaſſe temporibus demum Cæſaris Conſtantini Porphyrogennetæ: quo regiâ auctoritate ex præſtantiſſimis ſcriptoribus laudabilia excerpi ſolent: ut lib. II cap. XXV referemus. Utcunque eſt, neque Strabo lib. XIV eum, qui hanc epitomen concinnavit, ſed majoris operis auctorem deſignat; cùm ei Scylax Caryandenſis vocatur παλαιὸς συγγραφεὺς *d*, uti Stephano in Καρύανδα nuncupatur ὁ παλαιὸς λογογράφος *e*; cumque eidem Straboni lib. XIII Σκύλαξ ὁ Καρυανδεὺς (ſic pro Καρυανδεὺς reſcribendum eſſe, ſatis eſt apertum) dicitur initium capere Troados ab Abydo. In quo abitur ab Scylace, quem habemus. Nam hic incipit eam à Dardano. Atque hoc etiam, argumento fuerit, plurima in noſtri ævi Scylace eſſe mutata, vel omiſſa. Etiam priſcum illum intellexit Harpocratio, cùm de Troglodytis citat Scylacem in Περίπλῳ: adhæc Marcianus Heracleota, in epitome Artemidori, & Menippi; ubi inter eos, qui internum, vel externum mare, deſcripſerint, reponit Scylacem, & Botthæum: tum autem Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei lib. III cap. XIV, ubi Scylacem in Indicis referre ait homines σκιάποδας *a*, καὶ μακροκεφάλους, & alia ejuſmodi monſtra, quæ ex eodem Scylace recenſet Joannes Tzetzes Chiliad. VII. Meminere & Scylacis hujus Rufus Avienus in ora Maritima, & Conſtantinus Porphyrogenneta in Themate Armeniaco. Adhæc Scholiaſtes Apollonii in Argonaut. lib. I, & IV. De Suida ſuperiùs dictum. Corrigendus autem videtur, ubi apud eum legitur vulgò, Ἔγραψε *b* περίπλουν τῶν ἐκτὸς τῶν Ἡρακλέους στηλῶν. Malim equidem, τῶν ἐντὸς *c*, καὶ ἐκτὸς τῶν Ἡρακλέους στηλῶν. Sanè Scylax, qualem nunc habemus, non modò ea, quæ ſunt extra columnas Herculis, perſcribit: ſed etiam, quæ intra eas. Alius ab his, de quibus diximus, eſt Joannes Scylax, non Caryandenſis ille; ſed Conſtantinopolitanus; qui & Scyliza, & Scylix, & Scylex, in pleriſque libris vocatur. De Scyliza illo dicam lib. IV.

*a Neque ita evenit, quemodo Scylax apud Indos fieri ait, ut reges tantopere iis præſtent, quibus imperant.*

*b Quòd neque nôrit Alexandrum, Macedonum Regem; neque aliquem qui paullo ante eum vixerit.*

*c Terræ ambitum.*

*d Antiquus hiſtoricus.*

*e Antiquus hiſtoriæ ſcriptor.*

*a Homines, qui pedibus ſibi umbram faciunt, alios item oblongis capitibus.*

*b Scripſit ambitum terræ extra Herculis columnas.*

*c Tum intra, tum extra columnas Herculis.*

## Cap. XX.

*Heraclides Lembus. De patria ejus diſſenſus veterum. Unde Lembi acceperit cognomen. An idem ſit Heraclides, qui ſex Succeſſionum libros, quippe Sotionis, & Satyri, compendium ſcripſit. Heraclidæ tres alii; Magneſius, Cumanus, Cretenſis. Agatharchides Cnidius. Eundem videri, qui Samius dicitur. Artemidorus Ariſtophanius. Stratones octo. In Laërtio defectus paucorum verborum de quinto Stratone; qui videtur eſſe Strato geographus. A. Albini, hominis Romani, de rebus Romanis hiſtoria Græcè ſcripta. Ut Cato Albinum hunc feſtivè riſerit. Res ea paullo aliter relata à Plutarcho, quàm Nepote. Albinus adverſus Catonem defenſus. Albinus junior, poeta; quem cum priori confuderit Geſnerus.*

Venio ad alios, quos Polybio æquales eſſe, magis ſit compertum. Qualis eſt Heraclides, Sarapionis filius, cognomento Lembus. Siquidem à Suida vixiſſe dicitur temporibus Ptolomæi ſexti, hoc eſt Philometoris; qui imperare cœpit Olympiadis CL anno primo; deſiit verò anno tertio Olympiadis CLVIII. De patria non ſatis convenit. Nam Diogenes *a* ipſe dubius inquit, Καλλατιανὸς (malim Καλλατιανὸς) ἢ Ἀλεξανδρεύς. Eſt verò Καλλατις in Mœſia minori, juxta Ptolomæum. Suidas neutrum probat. Nam Ὀξυρυγχίτην appellat. Eſt autem Oxyrynchus Ægypti civitas; teſte eodem Ptolomæo; item Strabone, & Stephano in Ethnicis. Meminit Heraclidæ hujus Laërtius quoque in Pythagora & Empedocle: utrobique Sarapionis filium vocat; in quo ei cum Suida probè convenit. *Lembi* cognomentum, præter Laërtium, & Suidam, ei dant Athenæus lib. XIII, & Feſtus Pompeius in *Romam*. Sed Laërtius etiam cauſſam nominis explicat. Compoſuiſſe enim ait Λεμβευτικὸν *b* λόγον, ὅθεν καὶ Λέμβος ἐκαλεῖτο. Præter eam orationem fecit grande hiſtoriarum opus; ex quo librum XXI citat Athenæus lib. VIII, ac XXXVII nominat lib. III. Etiam τὰς *c* περὶ Ἀντίοχον ἱστορίας edidiſſe, auctor eſt Suidas *d*. Inſuper Laërtius diſertim dicit, eum ſcripſiſſe τὴν *e* διαδοχὴν ἐν ἓξ βιβλίοις. Procul dubio autem hoc vult, prodidiſſe, qui philoſophorum, alii aliis, in ſchola ſucceſſerint. Sed quæritur, an opus hoc fuerit compendium Sotionis; quem de eopſe argumento egiſſe, conſtat. Sanè Laërtius in Demetrio citat Ἡρακλείδην *f* ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν. Ac, ne à Sarapionis filio diverſum putes, idem in Pythagora inquit: Ἡρακλείδης *g* ὁ τοῦ Σαραπίωνος ἐν

*a In Heraclide.*

*b Orationem Lembeuticam, unde & Lembus vocabatur.*

*c De ſuis rebus geſtis cum Antiocho.*

*d In Heraclides.*

*e Succeſſionem libris ſex.*

*f Heraclidem in epitome Succeſſionum Sotionis.*

*g Heraclides, Sarapionis filius, in Sotionis epitome.*

ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ. Sotion ille ſcripſerat Διαδοχάς, ſive ſucceſſionum libros: ut ex Laërtio, & Eunapio conſtat. Fuit igitur ante Heraclidem: qui eum in compendium contraxit. Suſpicor, a eundem Heraclidem intelligi à Laërtio, cùm in Zenone Eleate inquit; Ἡρακλείδης ἐν τῇ τοῦ Σατύρου ἐπιτομῇ. Sanè ut Sotion literis prodiderat, qui philoſophorum alii aliis in ſchola ſucceſſiſſent (unde operi ſuo Διαδοχῶν b nomen fecerat:) ita Satyrus quoque illuſtrium virorum Vitas compoſuit; ut capite IX oſtenſum. Argumenta non multùm abeunt. quod ſuſpicionem noſtram auget, quâ dicebamus, Heraclidem, qui Satyri compendium fecit, eundem illi videri, qui in epitomen redegit Sotionem: utcunque hic dicatur Sarapionis filius; in eo, qui Satyri compendium reliquit, illud non apponatur. Certiora adferrem, ſi Laërtius clarè ſatis diſtingueret Heraclidas: qui quatuordecim ejus nominis agnoſcit: eoſque inter, qui non minùs condiderint hiſtoriam, quàm Sarapionis ille filius, cognomento Lembus. Uti eſt Heraclides Magneſius, Mithridaticorum ſcriptor; & Heraclides Cumanus, qui quinque reliquit libros de rebus Perſicis: cujus operis meminit quoque Athenæus lib. III, XI, & XII, ac Etymologus in Δαναίης. Et fortaſſe alii etiam fuere; cùm non deſint, qui vicinum argumentum tractarint; ut Heraclides Cretenſis, cujus librum περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι πόλεων c Apollonius citat Hiſt. Mirab. cap. XIX.

a *Heraclides in Satyri epitome.*
b *Succeſſionum.*
c *De civitatibus Græciæ.*

Etiam Ptolomæi Philometoris tempore vixit Agatharchides Cnidius. Hic à Diodoro Siculo celebratur lib. III: Ἀγαθαρχίδης d ὁ Κνίδιος ἱστοριογράφος: item à Strabone lib. XIV; ubi inter illuſtres Cnidi viros eſſe dicitur Ἀγαθαρχίδης e ὁ ἐκ τῶν περιπάτων, ἀνὴρ συγγραφεύς. Unde & Peripateticum fuiſſe diſcimus. Quod ſi ſequimur tralationem Xylandri, vixerit Julii Cæſaris temporibus. Ita enim habet: *Præterea Agatharchides Peripateticus, unus de amicis divi Cæſaris.* Sed ex Græco codice ſuppleri ſic locus debet: *Præterea Agatharchides, peripateticus, hiſtoricus: noſtrâ verò ætate Theopompus, unus de amicis divi Cæſaris.* Fortè typographi incuriâ verba intermedia ſunt omiſſa. Omnino autem vixit tempore Heraclidæ Lembi: quippe cujus fuerit anagnoſtes; ut Photius diſertè ſcribit bibliothecæ ſuæ tmemate CCXIII. Quantus fuerit, & quàm varia ſcripſerit, ibidem Photius oſtendit. Apud eundem Photium, tmem. CCL, ſuperſunt ſumma capita ex libro primo, & quinto, de rubro mari, cæteriſque rebus, quæ fidem excedunt. Hiſtoria ejus Aſiatica pluribus memoratur. Diodorus Siculus lib. III: Ἀγαθαρχίδης f ὁ Κνίδιος ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ τῶν περὶ Ἀσίας. Ex nono ejus operis de Hieronymi vivacitate quædam adfert Lucianus in Macrobiis. Athenæo lib. XII citatur Ἀγαθαρχίδης g ὁ Κνίδιος ἐν δεκάτῳ περὶ Ἀσίας. Idem lib. IV laudat τῶν Εὐρωπιακῶν h librum XXVIII: libro IX citat librum XXXIV: libro VI etiam advocat librum XXXVIII, & aliis locis alios ejuſdem operis libros. Plutarchus, ſcriptor libri de fluminibus, citat eum ἐν i τοῖς Φρυγιακοῖς; quo loco de Marſya agit. Meminit Agatharchidæ quoque Plinius lib. VII cap. II; ubi ex eo quædam adfert de Pſillorum in Africa gente: atque iterum poſtea de Macrobiis in India. Adhæc Ælianus lib. XVI de Animal. cap. XXVII: item Photius in excerptis ex ſeptimo Theophylacti Simocattæ, & Joſephus lib. I adverſus Apionem: ubi & egregium adducit fragmentum. Eo narrat, ut Stratonice, deſerto marito Demetrio, in Syriam venerit, ſpe nubendi Syriæ regi: ſed, eâ ſpe eluſa, bellum illi moverit, ac tandem, dum ſomnio paret, capta ſit in Seleucia. Item, ut Ptolomæus Lagi filius, cùm ſciret, Judæos ſeptimo die feriari, Hieroſolyma nullo negotio ceperit, dum cives admittere eum malunt, quàm pugnando ſabbathum violare. Meminit & ejus idem Joſephus initio lib. XII Antiquitatum; ubi in Græco planè eſt, Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος. Sed apud Rufinum interpretem legas, *Ovidius Abatarcides:* quomodo non modò in excuſis omnibus invenio, ſed etiam in noſtro MSo. Unde ſuſpicor, Rufinum eſſe uſum codice corrupto. Nam unde illud *O* in *Ovidius*, niſi ab articulo ὁ? Sed ſeu codicis culpa eſt, quo uſus Rufinus; ſeu ejus, qui interpretationem Rufini exſcripſit, ac irrepſerit ex c, quod in *Cnidius* principem locum tenet: omnino *Cnidius Agatharchides* ſcribi debuit. A Rufino etiam deceptus eſt Freculphus, Tom. I lib. IV cap. XXVII. Sed, ut fœcundus eſt error, *Sabatarcides* editum. Plutarchus, initio parallelorum minorum, citat Agatharchidem Samium in ſecundo rerum Perſicarum. Eundem hunc, ac Cnidium, eſſe exiſtimat Geſnerus a. Nec abnuerim; cùm inſolens non ſit, ut gemino à loco cognomen geminum indatur: quod non uno loco hujus operis oſtendimus.

d *Agatharchides Cnidius hiſtoricus.*
e *Agatharchides peripateticus hiſtoricus.*
f *Agatharchides Cnidius libro ſecundo de Aſia.*
g *Agatharchides Cnidius lib. decimo de Aſia.*
h *Rerum Europæarum.*
i *De Phrygia.*
a *In bibliotheca.*

Iiſdem temporibus claruit Artemidorus, cognomento Ariſtophanius; quod nomen habuit à præceptore Ariſtophane Grammatico; uti & Diodorus, qui eapſe de cauſſa ſimiliter dictus Ariſtophanius. Atque hæc res utriuſque ætatem ſatis oſtendit. Artemidorus, præter gloſſas ὀψαρτυτικὰς b, librum vulgavit de Doride; ut ex quarto Athenæi libro cognoſcimus.

Sub Ptolomæo Philometore etiam floruiſſe videtur Strato c ἱστορικὸς, Φιλίππου καὶ Περσέως, τοῖς Ῥωμαίοις πολεμησάντων, γεγραφὼς πράξεις: ut Laërtius inquit d, qui octo enumerat Stratones. Primus eſt Iſocratis diſcipulus. Alter Theophraſti auditor, & in ſchola ſucceſſor, præceptor autem Ptolomæi Philadelphi; qui ſcholæ præeſſe cœpit Olymp. CXXIII, eamque tenuit annis XVIII; ut Apollodorus in Chronicis prodidit. Hic Phyſicus cognominatur, quia imprimis in ſpeculatione naturæ verſaretur. Quàm multa autem ſcripſerit, Laërtius indicabit. Ea inter fuit liber *De inſomniis*, quem ſignat Tertullianus lib. de Anima cap. XLVI. Tertius eſt medicus, Eraſiſtrati ſeu diſcipulus, ſeu alumnus. Floruit autem Eraſiſtratus ſub Ptolomæo Philadelpho; teſte Euſebio in Chronicis. Quartus eſt hiſtoricus, quem tempore Ptolomæi Philometoris, & Perſei, ultimi Macedoniæ regis, vixiſſe putamus, eò quòd illud potiſſimùm bellum tractandum ſuſceperit, quod Romani cum Perſeo, & patre ejus Philippo, geſſerunt. Quintus quis ſit, apud Diogenem deſideratur. Omnino aliquid deeſt. Sextus eſt poëta, epigrammatum ſcriptor. Septimus, medicus antiquus, etiam memoratus Ariſtoteli, ſive Ariſtocli; prout legit Laërtii interpres. Octavus vocatur Περιπατητικὸς e, βεβιωκὼς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. Quem opus hiſtoricum de rebus inventis reliquiſſe, oſtendunt hæc verba Clementis Alexandrini lib. I Στρωμ. Στράτων f ὁ Περιπατητικὸς ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησε. Videmus, non meminiſſe Laërtium Stratonis geographi; quem ſub Tiberio vixiſſe, ait Suidas. Sed fortaſſe is erat quintus; qui nunc deſideratur. Mirum verò, quod & Strato iſte Amaſenus fuiſſe dicitur. Nam Amaſenus quoque erat Strabo, & geographus quoque eſt, & ſub Tiberio vixit. Quare vel Suidas, vel librarius, Strabonem, Stratonemque, confudiſſe videtur. Sanè hoc veriſimilius ſit, quàm, quod ſomniabat Franciſcus Patricius, nobilem illum geographum, quem veteres omnes *Strabonem* vocant, *Stratonem* dici oportere.

b *Rerum quæ pertinent ad res culinarias.*
c *Hiſtoricus, Philippi & Perſei, qui adverſus Romanos pugnarunt, geſtorum ſcriptor.*
d *In Stratone.*
e *Peripateticus, qui Alexandriæ vixit.*
f *Strato Peripateticus retulit hoc libris de rebus inventis.*

Eſt & Romanus homo, qui temporibus Philometoris hiſtoriam emiſit Græcè, ſed de rebus Romanis. Eſt is A. Poſtumius Albinus, qui cum L. Licinio Lucullo conſul fuit anno Urbis DCII. M. Cicero in Bruto: *Nam & A. Albinus, is qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, qui conſul cum L. Lucullo fuit, & literatus, & diſertus fuit.* Gellius lib. III. cap. X: *Albinus, qui cum L. Lucullo conſul fuit, res Romanas oratione Græcâ ſcriptitavit.* Refert deinde, ut Albinus veniam ſibi imperitiæ petierit, quòd homo Romanus Græcâ oratione uteretur, quæ à gente ſuâ eſſet alieniſſima: M. Cato autem propterea eum feſtivè riſerit, quòd maluerit culpam deprecari, quàm culpâ vacare. Ipſum vide hoc fuſiùs narrantem ex libro Cornelii Nepotis de viris illuſtribus. Idemque legere eſt apud bonorum ſcriptorum lavernam, Macrobium, in proœmio Saturnaliorum. Narrat quoque id Plutarchus in Catone, ſed paullo aliter: ac pro Albino vocat Labienum. Verba ejus ſunt: Ποστούμιον Ἀλβῖνον, ἱστορίαν Ἑλληνιστὶ γεγραφότα, καὶ συγγνώ-

γνώ-

*γράφειν αἰτήσασθαι, ἐπέσκωψεν, εἰπὼν, δέον εἶναι τὴν συγγράφειν, εἰ τῶν Ἀμφικτυόνων ψηφισαμένων ἀναγκασθεὶς ὑπέμεινε τὸ ἔργον. Poſtumium Albinum, qui hiſtorias ſcripſerat Græcè, veniam petentem irriſit, dicens, planè dari eam debere, ſi Amphictyonum decreto adactus ſcripſiſſet.* Nos verò etiam veniam damus, licet nullum Amphictyonium decretum ad ſcribendum compulerit. Abundè enim excuſat patriæ amor: qui fecit, ut res Romanas Græco potiùs ſermone legi vellet. Nam is in omnibus ferè gentibus notiſſimus erat; cùm Latina finibus ſuis, ſanè exiguis, continerentur: ut Cicero etiam pro Archia agnoſcit. Itaque non Albinus modò, ſed & alii complures è Romanis, hoc ſermone res geſtas ad poſteritatis memoriam tradiderunt. Nempe turpe cenſebant, res externas ab omnibus legi: ea autem, quæ præclarè, fortiterque Romani geſſiſſent, ob ignorantiam Latini ſermonis paucis innoteſcere. Atque hoc pro Albino adverſus cenſuram Cenſorii illius Catonis dictum eſto. Ac ſimul adverſus Suidam, qui Catonis judicium ſequitur in Αὖλος Ποσύμιος. Priſcianus in ſeptimo citat tres verſus iſtos ex Albini lib. I rerum Romanarum:

*Ille cui ternis Capitolia celſa triumphis*
*Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos*
*Abſcondêre ſinus, non tuta mœnibus urbes.*

Eſſe ejuſdem Albini, cenſet Geſnerus *a*: ſed planè ſunt junioris Albini: qui verſibus illis triplicem ſignat Pompeii ex tribus orbis partibus triumphum; ex Africa unum de Hiarba: alterum ex Hiſpania de Sertorio: tertium ex Aſia de Mithridate, ac piratis.

a *In biblioth.*

## Cap. XXI.

*Ptolemæus Euergetes, qui & κακεργέτης, rex idem, atque hiſtoricus. Apollodorus grammaticus. Vulgata in Athenæo lectio firmata. Mnaſeæ tres; Patrenſis, Berytius, Colophonius. Demetrius Scepſius. Argumentum operis quod* Τρωικὸν Διάκοσμον *inſcripſit. Metrodori quatuor; Scepſius, Chius, Lampſacenus, & Athenienſis. Menecrates quinque. Ariſtodemi Nyſæi duo. Alii illuſtres grammatici Nyſæi. Ariſtodemus Alexandrinus. Ariſtodemus Elienſis. Herodicus Crateteus. Clitomachi liber de ſectis.*

A Sexto Ptolomæo accedo ad filium ejus Ptolomæum Phyſconem; qui & Euergetes ſecundus vocatur. Eſt is Πτολεμαῖος *a* ὁ ἕβδομος Αἰγύπτου βασιλεύσας. ὁ αὐτὸν μὲν Εὐεργέτην ἀνακηρύττων, ὑπὸ δὲ Ἀλεξανδρέων κακεργέτης ὀνομαζόμενος: ut de eo loquitur Athenæus lib. XII. Dicitur ſcripſiſſe ἱστοριῶν *b* βιβλία κδ. Ὑπομνήματα vocat Athenæus lib. II: Πτολεμαῖος *c* δὲ ὁ Εὐεργέτης, βασιλεὺς Αἰγύπτου, εἷς ὢν Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν, ἐν δευτέρῳ ὑπομνημάτων γράφει οὕτως. Atque ut hic ſecundi meminit libri, ita primum citat libro X, ſeptimum lib. II, octavum libro VI, nonum in IX, duodecimum libro XIV: ubi loquitur de regiis palatiis, quæ ſunt Alexandriæ, & animalibus, quæ ibi nutriuntur.

Sub hoc Euergete ſecundo floruit Apollodorus Athenienſis, Aſclepiadis filius, grammaticus, primus verſuum auctor, qui τραγίαμβων nomine cenſentur. Siquidem & hic unus ex diſcipulis fuit Ariſtarchi grammatici, & Panætii philoſophi; ut Suidas teſtatur. Puto, hunc eſſe, qui Heraclidi Pontico *d* in Allegoriis Homericis vocatur περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινὸς *e*. Nam de Apolline agit, quem Solem eſſe ait: ac de talibus inquit Apollodorum ſcripſiſſe. Nempe ſignantur ejus bibliotheces, ſive de Deorum origine, libri tres. Quod opus non tam alienum eſt ab hiſtoria, quàm vulgò arbitrantur. Afferam hac de re quod veriſſimè ſcripſit Scaliger elencho orationis Chronologicæ *f*. *Tota bibliotheca Apollodori, opus ſanè ingenioſiſſimum, & elegantiſſimum, fabuloſa eſt; non utique ſi homines, ſed ſi hominibus attributa conſiderentur. Eam totam, ſi velimus, poſſumus, κατὰ γενεὰς g, in certum Chronicon conjicere: quod longè certius, veracius, exploratius erit, quàm Beroaldina delirationes.* Hodie tres duntaxat ejus operis libros habemus. Plures autem multo fuiſſe olim, arguit, quòd ſextum citat Harpocration in Ἀποπομπάς: decimumquartum Macrobius lib. I Saturn. cap. XVII: ſeptimumdecimum Stephanus, ſive Hermolaus, in Ἀγχιάλη. Præterea Chronica ſcripſit. Diogenes Laërtius in Empedocle: Ἀπολλόδωρος *a* δὲ ὁ γραμματικὸς ἐν τοῖς χρονικοῖς φησιν. Ejus operis meminit in Thalete, Pittaco, Ariſtotele, Stratone, Chryſippo, Zenone, Eleate, Pyrthone. Indeque eſt, quòd Diodorus Siculus initio bibliothecæ ſcribit, ab excidio Trojano, uſque ad reditum Heraclidarum, annos eſſe LXXX: & inde uſque ad primam Olympiadem annos CCCVIII. Idem opus nominat lib. III; ubi dicitur χρονικὴ σύνταξις *b*. Item Lucianus in Macrobiis, Gellius lib. XVII, cap. IV, Clemens Alexandr. lib. I Στρωμ. atque alii multi. Ex Athenæo etiam diſcimus, ſcripſiſſe περὶ *c* τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων, item περὶ *d* κρατῆρος, ut vulgò quidem legitur, ῥησείδια, adhæc περὶ νεῶν καταλόγου *e*, & περὶ *f* ἐτυμολογιῶν. item τὰ περὶ Σώφρονος; qui non libri erant de Sophrone, ſed libri interpretantes Sophronem; ut benè Caſaubonus *g* in Athenæum obſervat. Eorum commentariorum librum IV citat Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Veſpas. Sed imprimis memorari debet opus περὶ νομοθετῶν *h*; cujus librum ſecundum citat Laërtius in Solone. Item περὶ φιλοσόφων αἱρέσεων *i*: qui liber in eâdem Solonis vitâ citatur. Ac vel idem, vel geminum huic opus fuit iſtud, cujus his verbis meminit in Chryſippo: Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Ἀθηναῖος, ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν δογμάτων, βουλόμενος παριστάνειν, ὅτι τὰ Ἐπικούρου οἰκείᾳ δυνάμει γεγραμμένα, καὶ ἀπαράθετα ὄντα, μυρίῳ πλείω ἐστὶ τῶν Χρυσίππου βιβλίων, φησὶν οὕτως αὐτῇ τῇ λέξει. Εἰ γάρ τις ἀφέλοι τῶν Χρυσίππου βιβλίων, ὅσ' ἀλλότρια παρατίθεται, κενὸς αὐτῷ ὁ χάρτης καταλελείψεται. *Apollodorus quoque Athenienſis, in Collectione dogmatum, cùm vellet aſſerere, quæ Epicurus viribus ſuis fretus conſcripſiſſet abſque adminiculo, eſſe incomparabiliter plura, quàm Chryſippi opera, ſic ad verbum dixit: Nam ſiquis tollat de Chryſippi libris, quæ aliena ſunt, vacua illi charta relinquetur.* Apollodori hujus meminit quoque Joſephus lib. II contra Apionem; ubi ait, ex eo conſtare, nihil riſu dignum ab Antiocho Epiphane inventum eſſe in templo Hieroſolymitano, cùm illud vaſtaret. Nec rara illius mentio ſcholiaſtis: ex quibus Pindari interpres ejus meminit in od. I Olymp. & in od. X Nem. Diſtinguere verò ab hoc oportet Apollodorum Artemitam, Parthicorum ſcriptorem, qui de Hircania & Bactriana, accuratiùs multo, quàm alii, commentatus: ut ex Strabone planum faciemus lib. III. Eum Athenæus quoque citat ἐν δ' Παρθικῶν *k*. De lectionis hujus veritate ambigit vir ſummus. Sed Strabonis locus, quem dixi, ſcrupulum tollit. Alii quoque multi hoc nomine fuerunt, quos commemorare longum eſſet: & ſcripſit de iis commentarium Scipio Tettus.

Phyſconi ſimiliter æqualis fuit Mnaſeas: quando & iſte, ut ait Suidas *l*, diſcipulus fuit Ariſtarchi, qui Phyſconem docuit; ut antè diximus. Neque ignoro, fuiſſe etiam Mnaſeam Berytium, quem de arte dicendi, & verbis Atticis, ſcripſiſſe, idem Suidas ait: item Mnaſeam Colophonium, aut Locrum, qui Pægnia edidit, teſte Athenæo in ſeptimo. Verùm obſcuri ſunt iſti præ Mnaſea Patarenſi, vel Patrenſi: cujus crebra adeò mentio apud veteres: ut omnino veriſimile ſit, non alium à Suida intelligi, quàm Patrenſem, cùm nulla addatur nota διακριτική *m*. Mnaſeas hic reliquit περίπλουν, ut vocat Athenæus lib. VIII: Μνασέας, inquit, Πατρεὺς ἐν τῷ περίπλῳ *n*. ſive περιήγησιν, ut eſt apud Stephanum in Ἐγχελᾶνες; ubi Mnaſeam ἐν γ' περιηγήσεως *o* citat. Idem περὶ Ἀσίας *p* ſcripſit, ut ex ejuſdem Athenæi lib. VIII conſtat. Sed imprimis celebrantur ejuſdem Εὐρωπιακά; unde locum adducit Suidas in Περξίδικη. Primum librum citat Harpocration in Ἱππία: tertium autem Athenæus in XII, item Fulgentius Planciades voce *Veſpillones*. Sed in Harpocrationis loco cor-

a *Ptolemæus, ſeptimus Ægypti rex, qui ſe ipſum Euergetem, hoc eſt, beneficum, nuncupabat; ab Alexandrinis verò Cacergetes, ſive maleficus, vocabatur.*
b *Hiſtoriarum lib. 24.*
c *Ptolemæus verò Euergetes, rex Ægyptius, unus diſcipulorum Ariſtarchi, in ſecundo commentariorum ſcribit hoc pacto.*
d P. 96.
e *Vir in omni hiſtoria verſatus.*
f P. 81.
g *Secundùm generationes.*

a *Apollodorus verò Grammaticus in Chronicis.*
b *Temporum ordo, ac ſtructura.*
c *De ſcortis, quæ erant Athenis.*
d *De cratere.*
e *De catalogo navium apud Homerum.*
f *De origine vocabulorum.*
g *Lib. 7. cap. 6.*
h *De legiſlatoribus.*
i *De philoſophorum ſectis.*
k *Libro quarto rerum Parthicarum.*
l *In Eratoſthene.*
m *Quæ ab aliis diſtinguat.*
n *Mnaſeas Patrenſis in periplo.*
o *Lib. tertio de orbis deſcriptione.*
p *De Aſia.*

corruptè vocatur Μνασάλας. At emendandum idem nomen apud Ammonium libro de vocum differentiis in Νηρεΐδες: ubi vulgò legitur, Μνασίας ἐν τοῖς περὶ τῆς Εὐρώπης. At integre id nomen habes apud interpretem Cæſaris Germanici, quo loco de Luna diſſerit: ubi inter alia ait, *Primus hominum Endymion curſum Lunæ invênit, unde & triginta annos dormiſſe dicitur: quia nihil aliud in vita ſuâ, niſi huic repertioni ſtuduit; ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa ſcribens tradit.* Eademque legas apud Fulgentium lib. II. Mythologicôn cap. ult. qui totum illud caput de Proſerpina, & Endymione, ex Germanici interprete exſcripſit. Sed ſæpe imprimis celebratur hic ſcriptor non addito operis nomine; ut Hygino in poëtico aſtronomico *b*; ubi ex eo docet, unde Hyades, & Pleiades, hæc nomina ſortitæ ſint. Adhæc Plinio lib. XXXVII, cap. II. cujus verba: *Mneſias* (l. Mnaſeas) *tradit Africæ locum, Sicyonem appellatum, & Crathin amnem, in Oceanum effluentem è lacu: in quo aves, quas meleagridas, & penelopas vocat, vivere.* Item Plutarcho, libro de Iſide & Oſiride; & ſcholiaſtæ Pindari Olymp. X. & Pyth. od. IV. ubi diſertè vocatur Μνασέας ὁ Πατρεύς. Adhæc Apollonii ſcholiaſtæ in lib. II; ubi ex eo traditur, νῦν *c* δὲ τοὺς Ὑπερβορέους Δελφοὺς λέγεσθαι. Ac in IV ex eodem dicitur, Arcadum reges Lunâ fuiſſe antiquiores. Poſt tam multos, duos ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus addere contentus ero. Eſt & apud Theocriti ſcholiaſten in Idyllion I *d*: Μνασέας *e* δὲ, ἐν τῷ περὶ Εὐρώπης, Πανὸς υἱὸν φησι Βουκολίωνα, ἀφ' οὗ καὶ τὸ βουκολεῖν. Præterea Mnaſeas περὶ Λιβύης ab Heſychio citatur in Βακχαίοις ὄχοις. Meminit Mnaſeæ etiam Fl. Joſephus lib. I. contra Apionem; ubi eum Judæorum quoque mentionem facere ait. Item Arnobius lib. III. adverſus gentes: & Apollonii ſcholiaſtes, quo loco de Cabiris tractat. Atque hæc de Mnaſea Patrenſi. At Berytium, de quo ſuperiùs tangebamus, ſine dubio ſignat Joſephus Scaliger in Conjectaneis *f*; cùm ait, Mnaſeam fuiſſe genere Phœnicem, ac Phœnicum res omnes complexum: atque adeò ipſum nomen *Mnaſea*, hoc eſt, Manaſſis, Phœnicium eſſe.

a *Mnaſeam inquit, qui de Europa ſcripſit.*
b *In Tauro.*
c *Hyperboreos nunc Delphos vocari.*
d *Pag.* 15.
e *Mnaſeas verò, libro de Europa, Panis filium fuiſſe ait Bucolionem: unde & ars paſtoralis.*
f *Pag.* 110. *edit. H Steph.*

Num & memorandus nobis Demetrius Scepſius? Diſcipulus is Cratetis, & Ariſtarchi fuit: ut Strabo dicit lib. XIII. Unde de ætate liquet. Sed an Demetrius hic, quem Grammaticum Strabo appellat, etiam inter hiſtoricos qualecunque nomen mereatur, non injuriâ aliquis in dubium vocet. Scripſit quidem Τρωικοῦ διακόσμου *g* libros; quod etiam Strabo refert: & Stephanus in Σιλίνδιον ex iis citat librum XVI. Athenæus libro III meminit decimiquinti libri, & vigeſimiſexti, & alibi quoque alios laudat. Sed opus hoc propriè erat commentarius in eam partem Iliados B, quâ recenſet copias Troianas. Interea verum eſt, eo commentario retuliſſe, quo genere eſſent duces Troiani, quæ ipſi, quæ majores geſſiſſent, quales illæ gentes, atque urbes forent, quibus præeſſent: ut hiſtoricum, & geographicum fuerit opus. Meminit hujus ſcriptoris etiam Harpocratio in Ἀδράστεια, & Apollonii ſcholiaſtes lib. I; ubi ex eo tradit, eſſe eandem Apolloniatarum dialectum, & eorum, qui in Ponto habitant. Item aliquanto pòſt in eundem librum, ubi vulgò legitur, Δημήτριος Σκήψιος ἐν τῷ αὐτῷ διακόσμῳ. corrige, ἐν Τρωικῷ διακόσμῳ. Ut opus ſignet, de quo antè dictum. Etſi, & ἁπλῶς διάκοσμοι vocari, non inficier. Quomodo apud Harpocrationem in Θεογενίδης legas, ἐν δευτέρῳ διακόσμου. Sed verba illa ſcholiaſtæ τῷ αὐτῷ manifeſtè corrupta ſunt ex Τρωικῷ. Nec enim antè hoc opus nominârat. Interdum autem hic ſcriptor ἁπλῶς appellatur Σκήψιος: ut apud Strabonem lib. IX, & X ſæpius: quemadmodum & ἁπλῶς vocatur Δημήτριος lib. XII, & XIII. Integrè autem Demetrium Scepſium nominat lib. I, & in VIII aliquoties. Fuit hic Scepſius vir dives, ac nobilis, & admodum φιλόλογος, ut Laërtius dicit; qui eum undecimo loco refert inter viginti illuſtres Demetrios.

g *Ordinationis copiarum Troianarum.*

Eâdem ut patriâ orti Demetrius Scepſius, & Metrodorus Scepſius: (eſt verò Scepſis Myſiæ minoris, vel Troadis urbs:) ita eâdem quoque ætate vixere: ut illud clarè arguit, quòd Demetrius iſte, ut ait Laërtius, provexerit hunc Metrodorum: amore videlicet erga civem. Exinde etiam ætatem perſpicere eſt, quòd Metrodorus hic poſtea fuerit legatus Mithridatis Eupatoris ad Tigranem: quâ de re plura Strabo lib. II. Eſtque idem ille, qui à Romanorum odio cognomen invenit; interque alia Romanis objecit, quòd Volſinios propter duo millia ſtatuarum expugnâſſent. Auctor Plinius lib. XXXIV, cap. VII. Hujus Metrodori libros περὶ ἀλειπτικῆς *a* citati video ab Athenæo lib. XII. Sed nihil iſtoc ad hiſtoriam. Meminit quoque Plinius lib. III, cap. XVI; ubi à Metrodoro Scepſio traditum ait, Pado flumini inde nomen eſſe, quia adſitæ ſint multæ piceæ, quæ linguâ Gallica *pades* dicuntur. Verùm ex quo opere id ſit, non addit. At non difficile hoc fuerit conjectu, ſi idem eſt, ac ille, qui περιήγησιν *b* ſcripſit. atque inde Periegeticus appellatur Placido Lutatio ad illud poëtæ:

*—— patrioque æqualis honori*
*Branchus.*

Etiam huic argumento conveniens fuerit, quod ex Metrodoro dicit Plinius lib. III. cap. XXXI, Chion, ſive Chiam, Ægei maris inſulam, à Chione nympha ſic appellatam. Quodque idem lib. VIII, cap. XIV narrat, *circa Rhyndacum amnem in Ponto ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſupervolantes, quamvis altè perniciterque, alites hauſtu raptas abſorbeant.* Illud quoque non alienum fuerit à Περιηγήσεως opere, quòd ex quarto Metrodori libro Stephanus voce Ὕπανις narrat, fontem quempiam amarum fluere in Hypanim, atque efficere, ut aqua fluvii ejus potabilis non ſit. Nec tamen ſpondere auſim, eundem eſſe Metrodorum Scepſium, & Περιηγήσεως auctorem, vel cuncta hæc ex Περιηγήσει eſſe deſumta. Utcumque enim hæc conjectura non abludat à vero: eo tamen incerta, quia non apponitur Scepſii cognomen. & fuere Metrodori complures: in his Chius, Troicorum ſcriptor: de cujus ætate vidimus libri hujus cap. ſexto. Fuit præterea Metrodorus Lampſacenus, familiaris Anaxagoræ philoſophi; qui Olymp. LXX floruit, juxta Euſebium in Chronicis: ac, ut idem ait, mortuus eſt Olymp. LXXIX. Metrodori hujus ex omnigenâ Phavorini hiſtoriâ meminit Laërtius in Anaxagora. Fuit quoque Metrodorus Athenienſis, ſectâ Epicureus. Ejus ætas inde liquet, quòd diſcipulus, ac familiaris fuit Epicuri; eandemque, ac ille, meretricem Leontium amârit: cujus rei etiam Joannes Saresberienſis meminit lib. VII. de nugis curialium cap. XI. Præit verò Laërtius; qui & ſeptennio ait ante Epicurum eſſe defunctum. At Epicurus eſt mortuus Olymp. CVII: quo tempore Philippus, Alexandri M. parens, duodecimum regnabat annum. Sic ſanè ſtatuendum, ſi ſequamur vulgatos Laërtii codices. Sed liquet ex iis, quæ libro de Philoſophorum ſectis dicam, pro Olympiade CVII reſcribendum eſſe CXXVII. Nempe in Græco excidit εἰκοστῇ *c*; quod etiam viſum Caſaubono, Meurſioque. Quæ Metrodorus iſte ſcripſerit, ex eodem Laërtio diſcere eſt. Nunc ea prætereimus, quia nihil ad hiſtoriam faciunt.

a *De ratione inungendi athletas; & aliis ad magiſtrum gymnaſii pertinentibus.*
b *Orbis deſcriptionem.*
c *Vigeſima.*

Ariſtarchi quoque diſcipulus fuit Menecrates Nyſæus; teſte Strabone in XVI. Verba ejus adducam, cùm de filio illius Ariſtodemo loquar. Videndum verò, an hic ſit Menecrates iſte, cujus hiſtoriam de Nicæa Bithyniæ citat Plutarchus in Theſeo. Res eo obſcurior eſt, quia patriam non addit. At præter Nyſæum quatuor celebrantur hujus nominis. Unus medicus Syracuſius; de cujus faſtu multa Athenæus in VII, pauca item Suidas. Alter, poëta Comicus; cujus fabula Μανέκτωρ, ἢ Ἑρμιονεύς, Suida teſte. Tertius, Menecrates Epheſius; quem carmine de re ruſtica ſcripſiſſe, auctor eſt Varro lib. I. Rei Ruſt. cap. I. Eſtque idem Menecrates poëta, ex quo ſe profeciſſe ſcribit Plinius in VIII Hiſt. Nat. Quartus eſt Menecrates Xanthius; qui, Troiam ab Ænea Achivis proditam fuiſſe, tradidit; ut refert Dionyſius Halicarn. lib. I. Antiq. Rom. Hujus Lyciaca citant Stephanus in Ἀρτύμνησος, & Antonius Liberalis. Metamorph. XXXV. Imò & quinctum invenio, eumque Elaïtam: de quo libro proximo dicetur.

Etiam ſub Euergete, & poſt eum, floruit Ariſtodemus: quippe filius Menecratis illius, qui Ariſtarchum audivit, ipſeque etiam Ariſtarchi diſcipulus. De poſteriori teſtis ſcholiaſtes in od. VII. Nem. Ἀριστόδημος a δὲ ὁ Ἀριστάρχου μαθητής. De Menecrate parente auctor Strabo lib. XIV: qui etiam docet, fuiſſe Nyſæum, & præter eum fuiſſe item alterum Ariſtodemum, itidem Nyſæum, ſed juniorem; ut qui docuerit Pompeium Magnum. Verba Strabonis ſunt iſta: Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἔνδοξοι Νυσαεῖς· Ἀπολλώνιός τε ὁ Στωϊκὸς φιλόσοφος, τῶν Παναιτίου γνωρίμων ἄριστος· καὶ Μενεκράτης, Ἀριστάρχου μαθητής· καὶ Ἀριστόδημος, ἐκείνου υἱός, οὗ διηκούσαμεν ἡμεῖς ἐσχατογήρω νέοι παντελῶς ἐν τῇ Νύσῃ. καὶ Σώστρατος δὲ ὁ ἀδελφὸς τοῦ Ἀριστοδήμου· καὶ ἄλλος Ἀριστόδημος, ἀνεψιὸς αὐτοῦ, ὁ παιδεύσας Μάγνον τὸν Πομπήϊον· ἀξιόλογοι γεγόνασι γραμματικοί. ὁ δ' ἡμέτερος, καὶ ἐρρητόρευε· καὶ ἐν τῇ Ῥόδῳ, καὶ ἐν τῇ πατρίδι, δύο σχολὰς συνέχων, πρωῒ μὲν τὴν ῥητορικήν, δείλης δὲ τὴν γραμματικὴν σχολήν· ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τῶν Μάγνου παίδων ἐπιστατῶν ἠρκεῖτο τῇ γραμματικῇ σχολῇ. *Nyſa illuſtres protulit viros, Apollonium, Stoicum philoſophum, Panætii auditorum optimum; & Menecratem, Ariſtarchi diſcipulum; & Ariſtodemum, ejus filium, (quem nos jam decrepitum audivimus Nyſæ, admodum adoleſcentes;) item Soſtratum, hujus filium; item alium Ariſtodemum, hujus conſobrinum, qui docuit Pompeium Magnum. Hi omnes egregii fuerunt grammatici: noſter etiam Rhetoricam docuit; & in Rhodo, atque in patria, duas ſcholas habuit: ita ut manè rhetoricam, veſperi grammaticam tractaret: ſed Romæ, filiis Pompeji præfectus, grammaticâ ſcholâ fuit contentus.* Ex his colligimus, priorem Ariſtodemum vixiſſe temporibus Ptolomæi Euergetæ ſecundi. Nam fuit diſcipulus Ariſtarchi, qui ſub Ptolomæo Philometore floruit; ut antea dictum. Alter verò, qui Pompeji liberos docuit, vixerit circa Olymp. CLXXVIII. Nam Pompeius natus fuit anno ſecundo Olymp. CLXVIII: initium verò belli Pompeiani, quod liberi Pompeji poſt patris obitum continuarunt, incidit in annum tertium Olymp. CLXXXII. Ex quibus tempus conjectare non eſt difficile. Porrò alterutrum eorum hiſtoriam ſcripſiſſe, planum eſt ex Parthenio in Eroticis cap. VIII, quod eſt de Euripe; ubi ait, Ἱστορεῖ b Ἀριστόδημος ὁ Νυσαεὺς ἐν α' ἱστοριῶν. ubi Νυσαεὺς reſcribi debere, liquet ex allatis paullo antè Strabonis verbis. Fuit & Ariſtodemus ὁ Ἀλεξανδρεὺς, memoratus ſcholiaſtæ Pindari in od. I Iſthm. item Ἀριστόδημος ὁ Ἠλεῖος; cujus mentio apud Harpocrationem in Ἑλλανοδίκαι. Difficile igitur eſt dicere, cujus Ariſtodemi ſit collectio fabularum, de qua Plutarchus in parallelis minoribus, cap. XXXV: ubi ex tertia congerie narrat, ut Helena, cùm immolanda eſſet ad averruncandam Lacedæmone peſtilentiam, aquilæ beneficio fuerit liberata. Item cujus fuerint Θηβαϊκά; quorum primum citat Apollonii ſcholiaſtes in II Ἀργον. Aut Γελοίων c ἀπομνημονευμάτων; quorum ſecundum librum adducit Athenæus lib. VI, VIII, & XIII. Aut Μυθικὴ d συναγωγή; ex qua quiddam narrat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XXXV. Atque idem judicium eſto de libris Ariſtodemi περὶ εὑρημάτων e; quorum mentio eſt apud Clementem in primo Στρωματ. Item de epitome Ariſtodemi τῆς καθόλου f Ἡρωδιανοῦ πρὸς Δαναόν; de qua Suidas. Meminere Ariſtodemi etiam Varro lib. IX. de L. L., Tertullianus lib. de anima cap. XLVI; necnon Euſebius lib. I. χρονικῶν g; ubi Ariſtodemum de Olympiadum initio conſentire ait cum Polybio.

*a Ariſtodemus, Ariſtarchi diſcipulus.*

*b Refert Ariſtodemus Nyſenſis in primo hiſtoriarum.*

*c Ridiculorum commentarii.*

*d Collectanea fabuloſa.*

*e De rerum inventione.*

*f Univerſa doctrina Herodiani ad Danaum.*

*g Pag 37 Theſauri Tempor. edit. pr.*

Quemadmodum verò horum ætatem perſpicimus ex eo, quòd Ariſtarchi fuerint diſcipuli: ita cognoſcimus, eâdem ætate vixiſſe Herodicum Crateteum, eo quòd à præceptore Cratete hoc cognomen acceperit. Nam Crates erat æqualis Ariſtarchi: imò gravis inter Grammaticos iſtos diu contentio fuit; ut Suidas teſtatur; quem vide in *Crates*, & *Ariſtarchus*. Sed an Herodicus iſte hiſtoricum quid ſcripſerit, minùs evidens eſt. Sanè κωμῳδούμενα h ejus non multùm ad hiſtoriam pertinere videntur. Nam quid comœdiæ figmentis, dixerit aliquis, cum hiſtoriæ veritate? Hiſtoricum tamen eſt, quod Athenæus in XIII ex ſexto κωμῳδουμένων refert, duas fuiſſe Phrynas: quarum una à rhetoribus dicta ſit Σηστὸς, ἀπὸ τοῦ σήθειν a, quia amatores ſuos quaſi cribro cerneret, & fortunis excuteret: altera Theſpica, adeò opulenta, ut Thebarum ſe mœnia inſtauraturam ſponderet, dummodo hoc adſcribere vellent Thebani: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ b ΜΕΝ ΚΑΤΕΣΚΑΨΕΝ, ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ Η ΕΤΑΙΡΑ. Hiſtoricum quoque eſt, quod Sinopis, ſcortum Demoſtheni etiam memoratum, ob ætatem, cauſſamque, ut puto, obſcœnam, Ἄβυδος dicebatur. Hæc eâ occaſione retulerat Herodicus, quia Comici Phrynes, & Abydi, meminiſſent. Nempe Herodicus eo tractabat opere de iis, qui in comœdiis perſtringerentur. Id enim eſt κωμῳδεῖσθαι. Uti igitur τραγῳδουμένων libri, quos Aſclepiades Tragilenſis ſcripſerat, de iis erant, quæ argumentum tragœdiis præbent: ita libri κωμῳδουμένων fuerint de iſtis, qui à comœdis notarentur. Quare ſeu hoc ſolum, ſeu, inter alia, κωμῳδουμένων erat argumentum, non alienum ſanè ab hiſtoria fuerit. Scripſit & de paraſitis; quod opus & ipſum hujus loci erit, ſi eo vitas, & dicta, factaque paraſitorum conſignavit. Puto, nec aliena ab hiſtorico fuiſſe argumento ejus σύμμικτα c ὑπομνήματα. Duorum verò horumce operum meminit Athenæus. Ac ex συμμίκτοις quidem eſſe ea videntur, quæ ex Herodico Cratetæo refert Heraclides Ponticus in Homericis allegoriis; ubi ab eo proditum ait, Græcos non decennio integro manſiſſe ad Ilium; ſed, cùm ex Calchantis vaticinio noſſent, decimo demum anno capi illud poſſe, novennio quidem circumnavigâſſe Aſiæ regiones, ac bellicis ſe artibus exercuiſſe, caſtraque replêſſe manubiis; ſed ubi decimus, quem fatum præfiniverat, adveniſſet annus, tum omni eos vi Ilium expugnatum iviſſe. Alius ab hoc eſt Herodicus, magni Hippocratis Coi præceptor; ut in vita ejus Soranus teſtatur. Is enim ante bellum Peloponneſiacum vixit.

*h De iis, quæ ad comœdiam pertinent.*

*a Cribro cernere, & excutere.*

*b Alexander quidem diruit; ſed amica Phryne refecit.*

*c Miſcellanea.*

Clitomachus quoque his temporibus emiſit libros de ſectis; quorum primum citat Laërtius in Ariſtippo. Sed neque, an opus hoc hiſtoricum propriè fuerit, dicere poſſim. De ætate verò ſatis arbitror liquere. Nam Carneadis auditor fuit, floruitque circa Olympiadem CLXII: cujus anno quarto obiit magiſter ejus Carneades; ut Apollodorus in Chronicis retulit, & ex eo Laërtius in Carneadis vita. Clitomachi verſum memorat Stobæus ſermone CIII. Vide ſis, quæ de Clitomacho prodidere, Laërtius in vita ejus, Stephanus in Καρχηδών, & Suidas in Κλειτόμαχος.

## CAP. XXII.

*Publius Rutilius Rufus. Quo uſus ſit genere dicendi. Ejus orationes, & libri de Vita ſua, & hiſtoria de bello Numantino. Hiſtoria Græcè ab eo ſcripta. Ejus exilium. Livii vulgaris ſcriptura refellitur; veraque lectio, præeunte Corrado, indicatur. Mucia, Græcorum feſtum. Quanti exulem Rutilium fecerint Aſiatici. Quàm fortiter exilium tulerit. Artemidorus Epheſius. Artemidorus Daldianus. Ejus ætas. Artemidorus Cnidius. Artemidorus Ariſtophanius. Artemidorus alius tempore Trajani. Iterum de Aſclepiade Myrleano. Ejus* Περιηγήσεις *gentium Hiſpanarum. Aſclepiades Ægyptius. Ægyptiaca hujus eſſe, non Myrleani. Alexander Cornelius Polyhiſtor. Ejuſdem captivitas, manumiſſio, mors miſera, & fœdum commentum de Moſo muliere, quâ leges tulerit Judæis. Varia ejus ſcripta. Elogium ejuſdem ex Clemente, & Suida.*

OCtavus è Ptolomæis fuit Lathyrus: cujus tempus eſt tripartitum. Nam primùm ipſe imperium Ægypti habuit: hinc, eo ejecto, regnavit mater Cleopatra cum juniore filio Alexandro: poſtremò, dejecto Alexandro ob interfectam Cleopatram, Lathyrus iterum regno reſtitutus fuit. Primis, mediiſque temporibus, floruit Nautius, ut quibuſdam vocatur; qui & prænomen hoc repo-

nunt

ſunt apud Athenæum lib. vi; vel, quod verum ejus prænomen eſt, Publius, Rutilius Rufus; qui cum C. Mallio conſul fuit anno ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Olympiadis clxviii anno iv. Hic, licet homo eſſet Romanus, tamen inter hiſtoricos Græcos etiam nomen profitetur ſuum; ut poſtea liquebit. Fuit orator, pro illis temporibus, bonus. Ait Tullius in Bruto, *in quodam triſti, & ſevero genere dicendi verſatum; fuiſſeque naturâ vehementem, & acrem, multâ operâ, multâque induſtriâ: quæ erat propterea gratior, quòd idem magnum munus de jure reſpondendi ſuſtinebat.* Addit deinde; *Sunt ejus orationes multæ, multa præclara de jure: doctus vir, & Græcis literis eruditus; Panætii auditor, propè perfectus in Stoicis.* Ex orationibus ejus, quas multas fuiſſe, Tullius hoc loco ait, duæ ab antiquis celebrantur: una de modo ædificiorum; de qua Tranquillus in Auguſto *a*, & Val. Max. lib. ii, cap. iii: altera pro L. Cæcucio ad populum; ex qua verba pauca Diomedes adducit lib. i. Nec orator modò, philoſophus, ac juriſconſultus; quod Cicero hìc dicit; ſed hiſtoricus etiam fuit. Scripſit enim libros de Vita ſua; quorum ſæpius meminit Soſipater lib. ii: unde eos Latinè edidiſſe cognoſcimus. Item hiſtoriarum libros; quos laudant Velleius Paterculus lib. ii; Gellius lib. i, cap. xvi; & Plutarchus in Pompeio. Multa ex iis in Iberica ſua tranſtulit Appianus; ut ipſe teſtatur. Ex quo etiam diſcimus, complexum iis fuiſſe hiſtoriam belli Numantini; in quo ipſe tribunus militârat ſub conſule P. Cornelio Scipione Africano Æmiliano. Meminit ejuſce rei & Suidas in Ῥουτίλιος. Eum verò, cùm Græcis literis eruditus eſſet, ut ait Tullius, hoſce hiſtoriarum libros Græcè ſcripſiſſe, indicat Athenæus in quarto; Ῥουτιλίῳ *b*, inquit, τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ. Ac ne alium ab eo, de quo dicebamus, putes, addit, operâ Apicii cujuſdam (non ejus, qui Tiberii ætate vixit; ſed hujus fortaſſe avi; quod Schegkius, notis in Velleium, non ſatis attendit) in exilium fuiſſe ejectum. Atque hoc probè convenit cum illo in epitoma Livii lib. xx: *P. Rutilius, vir ſummæ innocentiæ, qui legatus C. Marii proconſulis à publicanorum injuriis Aſiam defenderat, inviſus equeſtri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium miſſus eſt.* Quamquam verum non eſt, quod hìc dicitur, Rutilium Marii proconſulis in Aſia fuiſſe legatum. Nec enim unquam Marius in Aſiam proconſul fuit miſſus: etſi P. Sulpicius, ſeditioſus tribunus pleb. legem tulerit, ut pro Sylla Marius adverſus Mithridatem mitteretur. Sed nec ivit Marius, quia, ut Sulpicii factum reſcivit Sylla, cum infeſto exercitu ex Campania Romam venit, ac Sulpicii, & Marii factionem, Urbe expulit. Nec, ſi in Aſiam iſſet, hoc multum ad rem faceret: quia ante eam legem Sulpicii Rutilius jam erat damnatus. Nam legem iſtam Sulpicius tulit, P. Cornelio Syllâ Felice, & Q. Pompeio Ruſo Coſſ., anno ab V. C. ͻͻclxvi. At quadriennio antè in exilium actus eſt Rutilius, C. Claudio Pulchro, & M. Perpennâ coſſ. Nec tamen Livii tam errorem hunc puto, quàm librariorum; qui, ut Sebaſtianus Corradus non immeritò ſuſpicatur, ex *Mutii* fecere *Marii*; poſteaque, cùm prænomen huic Caio fuiſſe ſcirent, etiam Q. in C. commutarunt. Favent huic conjecturæ verba Aſconii in iii contra Verrem: *Q. Mutius Aſiam ſingulariter rexerat: adeò ut dies feſtus à Græcis in honorem ejus conſtitueretur, qui diceretur Mutia.* Et imprimis in Divinationem: *Q. Mutii Scævolæ quæſtor Rutilius Rufus damnatus eſt, quòd cum prætore conſenſerit ſuo, ne publicani aliquid agerent in provincia ſua. quo cognito, equites Romani (nam tum ante Syllana tempora judicabant) damnarunt eum. Hic eſt Mutius, in honorem cujus Aſiani diem feſtum Mutia nominabant.* Prudenter itaque Aſiam potiſſimùm exilii ſedem delégit. cui quàm gratus fuerit, oſtendunt verba hæc Valerii Maximi lib. ii. cap. x: *Aſiam petenti omnes provinciæ illius civitates legatos, ſeceſſum ejus opperientes, obviam miſerunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare, juſtiùs dixerit?* Quàm fortiter exilium tulerit, argumento eſt, quòd, (ut Fabius refert libri xi. cap. i.) *revocante eum L. Syllâ, manere in exilio maluit.* Unde & Ovidius *a* de eo:

*Et grave magnanimi robur mirare Rutilí,*
*Non uſi reditûs conditione dati.*

Et Seneca lib. de providentia cap. iii: *Infelix eſt Rutilius, quòd, qui illum damnaverunt, cauſſam dicent omnibus ſeculis? quòd æquiore animo paſſus eſt ſe patria eripi, quàm ſibi exilium? quòd Syllæ dictatori ſolus aliquid negavit, & revocatus non tantum retro ceſſit, ſed longius fugit?* Idem dicit initio epiſt. xxiv, & lxxxix. Sed & vide eum ſexto de benefic. cap. xxxvii; ac Fabium lib. xi, cap. i. Conſenuiſſe eum Smyrnæ, literis intentum, Oroſius ait lib. v, cap. xvi. Unde & de eo Ovidius *b*:

*Smyrna virum tenuit, non Pontus, & hoſtica tellus.*

Aliquid & de illo Cujacius, Obſervat. lib. ii, cap. xxvii, ac Torrentius in Suetonii Auguſtum, cap. lxxxix. Sed nihil, ni fallor, adferunt nobis indictum.

A Romano homine venio ad Græcos. Primus ſit Artemidorus Epheſius. Qui, ut Marcianus Heracleota in Periplo teſtatur, vixit κατὰ τὴν ρξθʹ Ὀλυμπιάδα, hoc eſt, *Olympiade* clxix; quo tempore, Ptolomæo Lathyro ex Ægypto pulſo, mater ejus Cleopatra regnabat cum juniore filio Alexandro; qui totus in matris erat poteſtate. Terras deſcripſit libris undecim. ut ibidem à Marciano dicitur. item initio operis: Ἀρτεμίδωρος *c* ὁ Ἐφέσιος, γεωγράφος, ἐν ἕνδεκα τοῖς τῆς γεωγραφίας βιβλίοις τὸν Περίπλουν, ὡς ἂν ἦν μάλιστα δυνατὸν, συνέγραψεν. Ejus operis libri octavi meminit Diodorus Siculus lib. iii: Ὁ τὰς *d* γεωγραφίας συνταξάμενος, Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἐφέσιος, κατὰ τὴν ὀγδόην βίβλον. Decimum τῶν γεωγραφουμένων citat Athenæus lib. viii. Stephanus in Χαλκίτης laudat librum xi, ut alibi librum i, ii, iii, item ἐπιτομὴν *e* τῶν ἕνδεκα. Nec alius eſt Artemidorus, cujus ſæpius meminit Strabo, lib. iii: etſi patriam non addit. Uti nec lib. xvi ubi Artemidorum in iis citat, quæ ad res Indicas pertinent. Ac idem videtur, cujus de Bithynia volumen laudat Stephanus in Ἀσκανία. Sæpeque Plinio memoratur in Hiſtoria Natural. ut lib. ii, cap. viii; lib. iv, cap. xxiii; lib. v, cap. vi, & ix; lib. vi, cap. xiii, xix, xxviii, & xxxiii; lib. xxxvi, cap. xii. Præter γεωγραφούμενα etiam literis mandavit Ἰωνικὰ ὑπομνήματα *f*; quorum meminit Athenæus lib. iii. Fuit & alter Artemidorus, itidem Epheſius, ſi paternum ſolum attendas; uti convenit: nam materno genere erat Daldianus. Eſt is, cujus ὀνειροκριτικὰ exſtant, opus vaniſſimum, ſed eruditum; ut multa inde bona philologi haurire poſſint. Vixit is temporibus Antonini Pii. Ut cognoſcere eſt ex lib. i, cap. xxviii; ubi narrat, ſe nôſſe quendam, qui ludis, ab Antonino in honorem patris Hadriani actis, viſus ſibi ſit cæcus factus, poſteaque victor evaſerit. Item ejuſdem libri cap. lxvi; ubi noviſſe ſe ait, qui, Adriani certamine decertaturus, ſibi videretur in balneo non invenire aquam; poſteaque multatus, & è certamine ſit ejectus. Fuit præterea Artemidorus Cnidius, Theopompi Cnidii filius: quos ſuâ ætate, hoc eſt, Auguſti, & Tiberii temporibus, vixiſſe, Strabo ait lib. xiv: ubi illuſtres ejus inſulæ viros recenſet. Eſt & Artemidorus Ariſtophanius; qui, præter gloſſas ὀψαρτυτικὰς *g*, etiam volumen de Doride ſcripſit. Prioris operis meminit Athenæus lib. ix, & xiv. Poſterioris, libro iv; ubi ſecundum ejus operis citat. Non dubium, quin *Ariſtophanius* dicatur ab Ariſtophane Byzantio, magiſtro ſuo. Quare fuerit æqualis Ariſtarchi, qui & ipſe diſcipulus fuit Ariſtophanis: ut uterque vixerit ſub Philometore. Artemidorus quoque Grammaticus inter illuſtres viros, quos Tarſos dedit, reponitur à Strabone lib. xiv. Etiam Artemidorus philoſophus Trajani tempore fuit: cujus elogium apud Plinium eſt lib. iii, epiſt. xi. ad Julium Genitorem. Sed omnes ejus nominis recenſere longum ſit.

Quod ſi Suidas audiri meretur, cùm Aſclepiadem Myrleanum tempore Pompeji Magni Romæ ait docuiſſe: ad hæc eum etiam tempora referre oportebit. Conjecturam

N 2 noſtram

a *Cap. 89.*

b *Rutilio, qui hiſtoriam Romanam Græcâ ſcripſit lingua.*

a *De Ponto lib. i, eleg. 4.*

b *Ibidem.*

c *Artemidorus Epheſius, geographus, undecim geographiæ libris periplum, quàm optimè potuit, perſcripſit.*

d *Artemidorus ille Epheſius, qui res edidit Geographicas, libro octavo.*

e *Compendium undecim librorum.*

f *Ionicos commentarios.*

g *Rei culinariæ, ſive artis opſoniæ condiendi.*

a Cap 18.

noſtram ſuperiùs *a* attulimus: nempe duos Aſclepiadas fuiſſe, quos Suidas confuderit. Quod ſi non diſplicet, dicemus, Aſclepiadem Myrleanum juniorem his vixiſſe temporibus. Ac fortaſſe eſt junior hic quoque, quem Strabo lib. III. ait in Turditania, Hiſpaniæ regione, docuiſſe Grammaticen. Ubi etiam addit, edidiſſe deſcriptionem gentium, quæ iis in terris eſſent. Sed Ægyptiaca Aſclepiadæ, ex quibus dicebamus ab Athenæo citari librum ſexageſimum, ea etſi Myrleani à nonnullis eſſe credantur, tamen non falſò nos ſuſpicati ſumus, illa alterius eſſe. Sunt enim Aſclepiadæ Ægyptii. Ægyptius ille tum non obverſabatur: ſed meminit ejus Suidas in Ἡραΐσκος: ubi dicit, eum, cùm in patriis, hoc eſt, Ægyptiis ſacris, verſatiſſimus eſſet, ſcripſiſſe hymnos in Deos Ægyptios. Addit præterea, edidiſſe commentarium de omnium religionum conſenſu: adhæc hiſtoriam Ægyptiacam de rebus Ogygiis; quâ profitebatur, ſe complecti non minùs, quàm tres annorum myriadas. Non dubium igitur, quin Ægyptius ille, non Myrleanus Aſclepiades, ab Athenæo intelligatur.

Minimè verò prætereundus nobis Alexander Cornelius, cognomento Polyhiſtor; qui multa, & philologica, & hiſtorica, reliquit. Floruit Olympiade CLXXIII; qua in Ægypto iterum imperabat Ptolomæus Lathyrus, bellumque in Græcia gerebat Lucius Sylla. De hoc Alexandro ita ſcribit Suidas: *Alexander Mileſius, qui & Polyhiſtor, & Cornelius cognominatur, propterea quòd captus Cornelio Lentulo fuit venditus, ejuſque pædagogus factus eſt, & poſtea manumiſſus. Fuit autem Romæ Syllæ temporibus. Laurenti periit, ædibus, in quibus erat, flammâ conſumtis; quod ubi ejus uxor audivit, laqueo vitam finivit. Fuit verò grammaticus, Cratetis diſcipulus: & libros ſcripſit innumeros; & de Roma libros quinque; in quibus ait, Hebræam fuiſſe mulierem Moſo nomine, cujus ſcriptum ſit lex Hebræorum.* Hæc Suidas. Sed quod Alexandrum facit Mileſium, in eo repugnat Stephanus, ſive Hermolaus Byzantius in Ethnicis; ubi eum natum dicit Cotyaëi, civitate Phrygiæ ejus, quæ ἐπίκτητος, vel Helleſpontia, vel etiam minor, appellatur. Atque hinc Ἀλέξανδρος ὁ Κοτυαεὺς vocatur Etymologo in Δέδοικα, & Περιρρηδής. Eidem Stephano dicitur fuiſſe filius Aſclepiadæ, ac ſcripſiſſe περὶ *b* παντοδαπῆς ὕλης τεσσαράκοντα δύο λόγους. Nam ne hunc Aſclepiadæ filium alium à Polyhiſtore putem, facit, quòd ibidem vocatur γραμματικὸς πολυμαθέστατος *c*. Multa quoque idem adducit paſſim, quæ ſcripſit: ſed quædam eorum pertinuiſſe ad illos omnigenæ hiſtoriæ libros, planè cenſeo. Nominat *d* verò Φρυγιακὰ, ſive περὶ Φρυγίας; cujus operis etiam meminit Plutarchus de Fluminibus. Item *e* περὶ Βιθυνίας; de quâ ab eo fuiſſe ſcriptum, etiam auctor eſt nobis Etymologus in Κύβελον. Item Ægyptiaca, Carica, Lyciaca, Libyæ periplum; de Aſia, Paphlagonia, Syria, Cypro, ponto Euxino, Europa. item περὶ *f* τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς εἰρημένων. Primum Κρητικῶν advocat Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV. Alexandrum de tractu Illyrico (nec alius is) laudat Valerius Maximus lib. VIII. cap. XIII. Athenæus quoque lib. XI. citat ἐν τρίποσι. Plutarchus, penè initio libri de Muſica, exaràſſe librum ait, quo Phrygios Muſicos collegit. Adhæc ἐν Διαδοχαῖς *g* citatur à Laërtio in vita Pherecydis, & Socratis. Eo opere docuiſſe videtur, ut philoſophorum alii aliis ſucceſſerint. Etiam edidit Πυθαγορικὰ ὑπομνήματα *h*, ſive περὶ *i* Πυθαγορικῶν συμβόλων. Priori modo appellat Laërtius in Pythagora: poſteriori Clemens Alexand. lib. I Στρωμ. & Cyrillus lib. IX. adverſus Julianum. Idem Clemens lib. I. citat librum περὶ Ἰουδαίων *k*: uti quoque Euſebius lib. IX de præpar. Euang. cap. XVII. Ubi penè integrum ejus librum exſcribit. Ibidem & illuſtre ejus elogium habemus. Sic enim de eo ſcribit: Σωσάδης δὲ τίνος ὁ πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος, πολλοῖς ὢν καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ, τοῖς τε μὴ παρέργως τὸν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις Ἕλλησι γνωριμώτατος. *Concinit iſtis Alexander polyhiſtor, vir acutus, & varia ſcientia, ac Græcorum iis notiſſimus, qui non dicis cauſſâ, & perfunctoriè, fructum cepere ex ſtudiis.* Nec dubium, quin hoc opus ſignet Juſtinus Martyr, cohortatione ad Græcos; ubi eos refert, qui Moſis meminerint, ut ducis, & principis Judaici. Et ſanè nulli obſcurum eſt, quantum illi debeat Plinius ipſe: quippe quem toties ad partes advocet in Hiſtoria naturali. Inter alia eſt locus iſte lib. IX, cap. XXXVI: *Alexander Polyhiſtor, & Sudines, ſeneſcere eos putant.* Ita legendum, non *Alexander, & Polyhiſtor*; ut vulgò editum: quo fortaſſe deceptus fuit, vir eruditus, Mauſſacus, cùm commentario in Plutarchum de Flum. Alexandrum Cornelium ab Alexandro Polyhiſtore diverſum facit. Eundem ſignat Servius in illud Maronis Æn. VIII;

—— *immani corpore Tybris.*

Quæ ad verba hæc annotavit: *Alexandrum ſequitur; qui dicit, Tiberinum, Capeti filium, venantem in hunc fluvium incidiſſe, & fluvio nomen dediſſe.* Item in hoc Æn. X:

—— *Rhœti de gente vetuſtâ*
*Archemolum.*

ubi idem ait: *Gente vetuſtâ ideo, quia à Phorco, deo marino, originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyhiſtor tradit, quem Lucilius Sylla* (leg. Lucius Sylla) *civitate donavit.* Sed quod ait, à Lucio Cornelio Sylla civitate donatum, id aliter narrat Suidas; qui, ut vidimus, à Cornelio Lentulo manumiſſum, & ab eo Cornelii nomen accepiſſe narrat. Meminit quoque Chalcidius, comment. in Timæum Platonis, & Agathias Scholiaſt. lib. II Hiſtoriæ ſuæ, &, ne ſolùm τῶν ἔξωθεν *a* nominemus, etiam Fl. Joſ. lib. I Ant. Jud. cap. XVI: quod aliis XV aliis etiam XXII. Ejuſdem de diluvio, & alterum de turri Babylonis, teſtimonium, adfert Cyrillus initio libri primi contra Julianum.

b *De omnigenis rebus libros quadraginta duos.*
c *Multijuga ſcientiæ grammaticus.*
d *Voce Γάλλος.*
e *Voce Καλλίπολις.*
f *De locis, quorum meminit Alcman.*
g *In traditionibus.*
h *Commentaria Pythagorica.*
i *De ſymbolis Pythagoricis.*
k *De Judæis.*

a *Gentiles.*

## Cap. XXIII.

*Theophanes Lesbius hiſtoricus. Quanto patriæ fuerit ornamento; atque ut iiſdem libertatis fuerit cauſſa. Filius ejus Aſiæ procurator. Sed pronepotibus hujus obfuit memoria proavi. Dionyſius grammaticus, quomodo* & Thrax, & Alexandrinus, & Rhodius, *dici potuerit. Apollonius Tyrius. Alii ὁμώνυμοι. Demetrius Magnes. Vulgata Ciceronis lectio defenſa; uti* & *Laertii. Dinarchi quatuor.*

PTolomæo Lathyro ſucceſſit in regno filius Ptolomæus Auletes. Quo in Ægypto regnante, magnum imprimis Magni Pompeji nomen Romæ fuit. Floruit his temporibus Theophanes Lesbius, Mithridatici belli ſcriptor: quippe qui Pompeio familiaris fuerit, atque in expeditionibus pleriſque comes. Meminit ejus Julius Cæſar lib. III de bello Civili, cap. XVIII: ubi Pompejum ait de maximis rebus cum eo ſolitum communicare. Item Valerius Maximus lib. VIII. Memorabil. cap. XIV, ubi ait: *Ne Pompejus quidem Magnus ab hoc affectu gloriæ averſus; qui Theophanem Mitylenæum,* SCRIPTOREM RERUM SUARUM, *in concione militum civitate donavit.* Item Jul. Capitolinus in Maximo, & Balbino: *Familia Balbinus vetuſtiſſima, ut ipſe dicebat, à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium civitatem meruerat, cùm eſſet ſua patria nobiliſſimus, idemque hiſtoriæ ſcriptor.* E Græcis eundem celebrat Plutarchus in Pompeio: item Strabo lib. XI, & imprimis XIII: ubi inter illuſtres Mitylenæos, qui ſuâ vixerint ætate, reponit τὸν συγγραφέα Θεοφάνη *a*: ac porrò de eo ſic ſcribit: Οὗτος δὲ καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε, καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος, μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν ταύτην, καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις· ἀφ' ὧν τήν τε πατρίδα ἐκόσμησε, τὰ μὲν δι' ἐκείνου, τὰ δὲ δι' ἑαυτοῦ, καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν. *Hic in rep. etiam verſatus eſt; & uſus Magni Pompeji amicitiâ, ſuam ob virtutem in omnibus præclaris facinoribus ſocium ſe ei præbuit: ac partim Pompeji, partim ſuâ ipſius operâ, patriam ornavit, ſeque omnium Græcorum illuſtriſſimum præſtitit.* Nec patriæ ornamento ſolùm fuit, quod Strabo hic dicit: ſed libertatem etiam eidem impetravit; quod Plutarchus teſtatur

a *Theophanem hiſtoricum.*

in Pompeio, item Velleius Paterculus lib. II. *Horum* (Rhodiorum) *fidem Mitylenaeorum perfidia illuminavit; qui M'. Aquilium, aliosque, Mithridati vinctos tradiderunt: quibus libertas, in unius Theophanis gratiam, poſtea à Pompeio reſtituta eſt.* Atque hæc oſtendunt, hunc ipſum Theophanem ſignari à M. Tullio, cùm ad Atticum ſic ſcribit lib. II, epiſt. XVII: *Velim te ex Theophane reſpicere, quonam in me animo ſit Arabarches.* Nam per *Arabarchen*, ſive, ut alii legunt, *Alabarchen*, intelligit Pompeium. Quâ de re plura diximus in Originum libris, voce *Alabarches.* De filio Theophanis ſic ibidem ſcribit Strabo: Υἱὸν ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήιον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς· καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. *Filium reliquit M. Pompeium, quem quondam Auguſtus Cæſar Aſiæ procuratorem conſtituit: hodie inter primos Tib. Cæſaris amicos cenſetur.* Sed ſcribebat iſta Strabo anno V. C. DCCLXXI: qui Tiberii annus erat quartus. Verùm anno V. C. DCCLXXXVI, qui Tiberii fuit XIX, (quo tempore Pompeius iſte, ut videtur, jam fato conceſſerat) memoria Theophanis multum poſteris nocuit. Sic enim ſcribit Tacitus in actis ejus anni, quem dixi: *Etiam in Pompeiam Macrinam exilium ſtatuitur; cujus maritum Argolicum, ſocerum Laconem, è primoribus Achæorum, Cæſar afflixerat. Pater quoque, illuſtris eques Romanus, ac frater prætorius, cùm damnatio inſtaret, ſe ipſi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanem Mitylenæum, proavum eorum, Cn. Pompeius inter intimos habuiſſet: quodque defuncto Theophani cæleſtes honores Græca adulatio tribueret.* Atque hic locus ſatis refellit doctiſſimum virum Savaronem; qui ad Sidonii lib. IX, epiſt. XIV, eundem putat CORNELIUM BALBUM; à quo ephemerides Cæſaris ſcriptas dicit Sidonius: & CORNELIUM BALBUM THEOPHANEM; quem nobiliſſimum ſuæ patriæ fuiſſe, ac hiſtoria ſibi nomen peperiſſe, Julius Capitolinus auctor eſt. Nam prior ille Cæſari fuit familiariſſimus; teſte Suetonio lib. I, cap. LXXI, & Gellio lib. XVII, cap. IX. At Theophanes fuit intimus Pompeio; ut hic Tacitus dicit. Qui & ſubdit, ejus poſteris id culpæ datum fuiſſe ſub Tiberio. Adde quòd Theophanes, homo Lesbius, Græcè ſcripſit: alter autem Romæ vixerit, Romanâque ſcripſerit linguâ. Porrò in Lesbio hoc nihil æquè culpari meretur, quàm quòd in gratiam Pompeii ſcripſerit, arce, Καινῷ dicta, à Pompeio captâ, inventas eſſe literas Publii Rutilii, quibus Mithridatem accenderet ad occidendos cives Romanos. Nihil enim alienius à moribus Rutilii, viri optimi, & omnium judicio ſanctiſſimi. Itaque pro mero Theophanis commento jure habitum fuit. Voluit autem ſe ulciſci de Rutilio, qui Pompeium Strabonem, Magni parentem, dixerat fuiſſe improbiſſimum. Nempe quia Rutilius noluit peccare in ſecundam hiſtoriæ legem, ne quid veri ſcribere non auderet: Theophanes etiam peccavit in primam, ut nempe ſcribere auderet falſa. De poëmatis ejus dicam libro de poëtis.

Pompeiis familiari, ac Mithridatici belli ſcriptori, ſubdatur Mithridatis anagnoſtes Æſopus; cui Mithridatis encomium nomen peperit: item opus alterum de Helena. Poſteriori, hoc prodidit, eſſe piſcem cetacei generis, Pana dictum: inque eo reperiri gemmam Aſteriten, à Sole accendi idoneum: valere autem ad philtra. Auctor Suidas in Αἴσωπος. Sed eſt iſtud vanum Græculorum commentum: & interim ejuſmodi, quod nullus facilè refellat. Ecquando enim conſtabit, quod genus cetacei piſcis per ſuum Pana intellexerit Æſopus? vel quando is capietur, ut experimentum fiat à fatuis Venetis nepotulis, qui gaudent philtris?

Pompeii tempore etiam Romæ, Suida teſte, docuit Dionyſius cognomento Thrax, patriâ Alexandrinus: ſed Rhodius vulgò dictus, quia Rhodi habitaret. De quo ita Strabo lib. XIV: Διονύσιος ſ ὁ Θρᾷξ, καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τὰς Ἀργοναυτικὰς ποιήσας, Ἀλεξανδρεῖς μὲν, ἐκαλοῦντο δὲ Ῥόδιοι. Ariſtarchi fuit diſcipulus, variaque grammatica, & ſyntagmatica, & commentaria ſcripſit, ut ait Suidas. Inter ea hiſtoricum opus erat περὶ Ῥόδου a, cujus meminit Stephanus in Ταρσός. Ab hoc Dionyſio Thrace, uti & ab ejus præceptore Ariſtarcho, Homerum fuiſſe habitum Athenienſem, ſcribit Plutarchus in vita Homeri. Meminit & Dionyſii Thracis Clemens Alexandrinus lib. V Στρωματ. his verbis: Ἀλλὰ b καὶ Διονύσιος ὁ Θρᾷξ ἐν τῷ περὶ τῆς ἐμφάσεως ἢ περὶ τῶν τροχίσκων συμβόλων.

His quoque temporibus fuit Apollonius Tyrius. De quo Strabo lib. XVI: Ἐκ Τύρου δὲ Ἀντίπατρος, καὶ μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος, ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων, καὶ τῶν βιβλίων. *Tyrius etiam fuit Antipater, &, qui paullo ante tempora noſtra fuit, Apollonius, is qui tabulam ſcriptorum Zenonis, & philoſophorum ejus ſecta, edidit.* Opus hoc Apollonii plurium fuiſſe librorum, argumento eſt, quòd Ἀπολλώνιον c τὸν Τύριον ἐν πρώτῳ περὶ Ζήνωνος citat Laërtius lib. VII. Stephanus, in Χαλκητόριον, etiam laudat Ἀπολλώνιον d τετάρτῳ χρονικῶν. Sed utrùm idem, an alius, ille ſit Apollonius, haut facile dictu puto. Nam præter hunc Tyrium, eſt etiam Apollonius Alexandrinus; de quo ſuprà dictum: eſt item Apollonius Aphrodiſeus, ἀρχιερεὺς e, καὶ ἱστορικός, Suida teſte; qui ſcripſiſſe dicit Περὶ f Τραλλέων; adhæc Περὶ Ὀρφέως, καὶ τῶν τελετῶν αὐτοῦ g; item Καρικά; quod opus ſæpe citat Stephanus. Eſt etiam Apollonius ὁ εἰδογράφος h; quem Pindari ſcholiaſtes citat in od. II Pythiorum. Eſt Ἀπολλώνιος ὁ λογιστικός i; cujus Diogenes meminit in Thalete & Pythagora. Eſt Apollonius Nyſæus, philoſophus Stoicus, Panætii auditorum optimus: de quo Strabo lib. XIV. Eſt Apollonius Alabandenſis, cognomento Molon; quem Cicero adoleſcens audivit primùm Romæ, deinde in Aſia: ut ipſe refert in Bruto: ſcriptor celebratus etiam Fabio lib. III cap. I, Suetonio in Julio cap. IV, Joſepho lib. II contra Apionem; ubi & quædam de Judæis mentitum dicit. Et ne ſic quidem omnes dixi: ut oſtendet Meurſii ſyntagma de Apolloniis.

Præterea Demetrius Magnes tum vivebat. Quod colligo ex Ciceronis verbis lib. VIII ad Att. epiſt. XI: ubi ait, *Memini librum tibi afferri, à Demetrio Magnete ad te miſſum* περὶ ὁμονοίας k. Ecce, diſertim ait, recordari ſe ejus temporis, cùm Demetrius Magnes mitteret librum quendam ſuum ad Pomponium Atticum. Fuit igitur Attici, & Ciceronis æqualis. Sed de nomine libri, quem miſerat Demetrius, controverſia eſt. Vulgò legitur περὶ ὁμονοίας l. Quod rectum puto. Nam ſcripſit hanc epiſtolam Cicero, cùm jam Pompeius ex Italia fugiſſet, & Cæſar per Apuliam Brunduſium tenderet. Hoc argumentum epiſtolæ clamat. Nil mirum igitur, ſi Cicero, qui omnia ſua conſilia ad pacem, & concordiam, dirigebat, librum petierit de concordia tractantem. Nec enim eo tempore ſe junxerat Pompeianis, ſed quieſcebat: quippe qui dicat, literas ſe accepiſſe à Cæſare; quibus ſcribebat, gratiſſimum ſibi eſſe, quòd quieſceret. Alia etiam in hanc ſententiam ibidem legere eſt. Denique omnem ſcrupulum tollunt verba Ciceronis ſequentia: *Eum mihi velim mittas. Vides, quam cauſſam mediter.* Hoc eſt, Cùm cupiam mihi librum tranſmitti de concordia ſcriptum: facilè vides, & me aliquid de concordia meditari, eâ ſpe, ut animos civium meorum ab hoc civili bello quàm maximè dehorter. Hæc faciunt, ut planè diſſentiam ab erudito viro, Philippo Mauſaco, qui in notis ſuis ad Harpocrationem pro ὁμονοίας legendum putat ὁμωνύμων. Nempe quia Demetrius Magnes ediderat etiam librum hiſtoricum; ſeu philologicum, de iis ſcriptoribus, qui eodem nomine appellarentur. Græcè is inſcribebatur, περὶ m ὁμωνύμων ποιητῶν, καὶ συγγραφέων; ut conſtat ex Laërtio in Epimenide. Simpliciter ὁμωνύμων dicitur Athenæo, extremo lib. XIII. Ac meminit quoque Laërtius in Zenone. Sed non video, quid utilitatis opus hoc adferre ei potuerit, qui meditaretur aliquid ad pacem inter cives componendam. Quare vulgata lectio ſollicitari minimè debet. Uti neque apud Laërtium in Thalete; ubi legitur,

*ſ Dionyſius verò Thrax, & Apollonius Argonauticorum conditor, Alexandrini fuerunt; ſed nominati ſunt Rhodii.*

*a De Rhodo.*
*b Quin & Dionyſius Thrax in declaratione ſymboli de rotulis.*
*c Apollonium Tyrium in primo de Zenone.*
*d Apollonium in quarto Chronicorum.*
*e Summus ſacerdos, & hiſtoricus.*
*f De Trallenſibus.*
*g De Orpheo, & ejus ſacris.*
*h Odarum ſcriptor.*
*i Supputator.*
*k De concordia.*
*l De concordia.*
*m De ejuſdem nominis poëtis, ac hiſtoricis; ſive, & aliis ſcriptoribus.*



tur,

*a Demetrius Magnes de nominibus idem ſignificantibus.*
*b De habentibus idem nomen.*
*c Demetrius Magnes in libris de vocabulis idem ſignificantibus.*
*d Notis in Strabonem.*
*e Demetrius Magneſius, qui polyhiſtor cenſebatur, in commentatione de iis, qui idem nomen habuerunt.*

tur, *Δημήτριος a ὁ Μάγνης περὶ συνωνύμων.* Malebat Caſaubonus *περὶ ὁμωνύμων b.* Sed de utriſque egerat Demetrius. Nam & apud Plutarchum in Demoſthene ſcriptum eſt, Δημήτριος c ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ συνωνύμων. At magis eidem Caſaubono aſſentio, cùm *d* apud Dionyſium Halic. in Dinarcho reponere jubet, Δημήτριος e ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε πολυΐστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ. Ubi vulgò legitur Δῆμος. Credo, Δῆμος, compendio literarum ſtudens pro Δημήτριος ſcripſerat librarius. Quomodo verò hoc tractare ſoleat Demetrius Magnes, oſtendit fragmentum ibidem adductum de quatuor Dinarchis; uno, oratore Athenienſi; altero, qui fabulas Cretenſes collegerat, & explicârat; tertio, genere Delio, utroque antiquiori; quarto, ſcriptore libri de Homero. Nempe enarrabat ſcriptorum vitas, deque eorum libris judicium ferebat: quod pleniùs cognoſcere eſt ex Plutarchi Demoſthene, Athenæi lib. XIII, & Laërtii Hippaſo, Philolao, ac Xenophonte.

## Cap. XXIV.

*Timagenes. Plures ejus nominis. Aſinius Pollio Trallianus. In dubium vocatur, quod à Suida ſcriptum fuit, Aſinium, poſt Philochorum, compendium feciſſe hiſtoriæ Atticæ Philochori. Aulus Licinius Archias. Artuaſdes Armenius. Poſidonius Apamenſis. Athenas ἁμάρτημα μνημονικόν. Panætius comes erat Scipionis Æmiliani, cùm ad Ptolemæum Phyſconem legatus proficiſceretur. Quando Romam venerit Poſidonius. Suidæ lapſus, Poſidonios duos, Apamenſem, & Alexandrinum, confundentis. Tertius Poſidonius, Olbiopolita. Quo trium iſtorum Cicero uſus ſit magiſtro. Quomodo Apamenſem illum ſui temporis ſcriptorem vocet Strabo; cùm Poſidonius, Pompeii ac Julii; Strabo, Tiberii tempore vixerit. Auruncuelius Cotta. Caſtor Rhodius. Thallus. Duo Caſtoris cognomenta, Φιλορωμαῖος, & Σαοκονδάριος. Genus ejus, fortuna, & cædes. Ciceroni pro Deiotaro lux. Didymus. Unde χαλκέντερος, & βιβλιολάθης vocatus. Quantum librorum numerum ſcripſerit; quantum item Origenes. Cur hic dictus συντακτικός. Didymi elogium. Non videri auctorem brevium ſcholiorum in Odyſſeam. Alter Didymus, itidem Alexandrinus. Tertius ejus nominis. Empyli Brutus, ſive de nece Cæſaris. Cenonis ætas, commentatio, ſtylus.*

PTolomæus Auletes in regno ſucceſſores habuit liberos ſuos, Ptolomæum Dionyſium, XIII annorum puerum; cujus juſſu poſtea Pompeius M. interfectus fuit; & Cleopatram, Julii Cæſaris primùm, poſteaque M. Antonii amaſiam: quæ cùm quadriennium imperâſſet cum fratre, ſola poſtea annis rexit ſeptendecim. Horum præcipuè temporibus vixit Timagenes, regii argentarii filius, Alexandrinus orator; qui ſub Pompeio Magno bello captus, Romam à Gabinio deductus eſt; & à Fauſto, Syllæ filio, redemtus, Romæ docuit, cùm ſub ipſo Pompeio, tum etiam Cæſare Julio, & triumviris, ac ulterius fortaſſe. Teſtis Suidas; qui & mortis genus commemorat, & multa edidiſſe ait. Mox verò addit: *Timagenes hiſtoricus περίπλουν totius maris libris quinque deſcripſit.* Inde ſubjicit: *Timagenes, ſive Timogenes, Mileſius hiſtoricus, & orator, ſcripſit de Heraclea Pontica, & doctis clariſque illius urbis viris, libros V, & epiſtolas.* Timagenis illius, quem περίπλουν maris ſcripſiſſe dicit, patria non apponitur: credo, quia non ſatis perſpectum haberet, idemne eſſet ac Mileſius hiſtoricus, ac Alexandrinus orator; quem multa compoſuiſſe dicit; ſed quæ illa ſint, non dicit. Ejus quidem, quem ſub Pompeio, Julioque, & triumviris, vixiſſe dicebam, mentionem facit Horatius lib. I. Epiſt. XIX ad Mecœnatem:

*Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,*
*Dum ſtudet urbanus, tenditque diſertus haberi.*

Meminit etiam Suetonius in Auguſto. Adhæc & Plinius lib. III. Hiſtor. Nat. Item Flavius Joſephus lib. II contra Apionem; ubi inter eos adducitur hiſtoricos, qui agnoſcunt, Antiochum Epiphanem, cùm Hieroſolymitanum templum ſpoliaret, nihil in eo vidiſſe, quo nomine riſum gentibus Judæi deberent. Cæterùm alia etiam hiſtorica, ab alterutro, præter ea, quæ Suidas nominat, ſcripta eſſe, ex Stephano liquet in Μιλύαι; ubi citatur Τιμαγένης a πρώτῳ βασιλέων. Fortaſſe in hoc de regibus opere fuit illud de rege Alexandro Magno: quod Curtius lib. IX memorat: *Ptolomæum, qui poſtea regnavit, huic* (Alexandri) *pugnæ adfuiſſe, auctor eſt Clitarchus, & Timagenes.* Niſi hoc opus tertii fuerit Timagenis, natione Syri: de quo libro III dicemus. Sanè difficile eſt de iſto certi quicquam ſtatuere. Illud interim evidens eſt, Timagenem hiſtoricum ſub Auguſti principatu vixiſſe. Nam hoc clarè docet L. Seneca lib. III de Ira cap. XXIII. ubi hæc legas: *Multa & divus Auguſtus digna memoriâ fecit, dixitque, quibus appareat illi iram non imperaſſe. Timagenes, hiſtoriarum ſcriptor, quædam in ipſum, quædam in uxorem ejus, & in totam domum, dixerat; nec perdiderat dicta. magis enim circumfertur, & in ore hominum eſt temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæſar monuit, ut moderatius linguâ uteretur: perſeverantis, domo ſuâ interdixit. Poſtea Timagenes in contubernio Pollionis Aſinii conſenuit, ac totâ civitate dilectus eſt. nullum illi limen præcluſa Cæſaris domus abſtulit. Hiſtorias poſtea, quas ſcripſerat, recitavit, & combuſſit, & libros acta Cæſaris Auguſti continentes in ignem poſuit. inimicitias geſſit cum Cæſare. Nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quaſi fulguritum refugit: fuit, qui præberet tam altè cadenti ſinum. Tulit hoc, ut dixi, Cæſar patienter; ne eo quidem motus, quòd laudibus ſuis, rebuſque geſtis, manus attulerat. Nunquam cum hoſpite inimici ſui queſtus eſt: hoc duntaxat Pollioni Aſinio dixit, θηριοτροφεῖς b. Paranti deinde excuſationem obſtitit. Fruere, inquit, mi Pollio fruere. Et, cùm Pollio diceret; Si jubes, Cæſar, ſtatim illi domo meâ interdicam; Hoc me, inquit, putas facturum, cùm ego vos in gratiam reduxerim? Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus: nec ullam aliam habuerat cauſſam deſinendi, quàm quod Cæſar cœperat.* Meminit & Epiſt. XCI, his verbis: *Timagenes, felicitati Urbis inimicus, aiebat, Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quòd ſciret, meliora reſurrectura, quàm arſiſſent.* Sed priori loco quod attulimus, id lucem adfert verbis M. Senecæ controverſ. XXXIV: *Sæpe ſolebat* (Aſinius Pollio) *apud Cæſarem cum Timagene confligere, homine acidæ linguæ, & qui nimis liber erat: puto quia diu non fuerat ex captivo coquus, ex coquo lecticarius, ex lecticario uſque ad amicitiam Cæſaris felix. uſque eò utramque fortunam contemſit, & in qua erat, & in qua fuerat; ut, cùm illi multis de cauſſis iratus Cæſar interdixiſſet domo, combureret hiſtorias rerum ab illo geſtarum; quaſi & ipſe illi ingenio ſuo interdiceret; diſertus homo, & dicax; à quo multa improbè, ſed venuſtè, dicta.* Etiam, Timagenem Cæſaris amicitiâ excidiſſe, narrat Plutarchus: ſed de cauſsâ paullo aliter ſentit. Vide eum libro de adulatoris, & amici diſcrimine. Nos M. Senecam potiùs audimus, qui ejus ætate vixit Romæ, & ipſum procul dubio vidit. Operæ autem eſt, conferre illa, quæ de Timagene Alexandrino refert Suidas: quæque de Timagene hiſtorico tradit uterque Seneca. Timagenes Alexandrinus docuit Romæ. nihil tale legimus de hiſtorico; ſed geſta Auguſti ſcripto conſignâſſe dicitur. Alexandrinus ob libertatem ſcholâ excidit. Sed hiſtoricus excidit ob libertatem amicitiâ Cæſaris. nec ultrà tamen pœnas luit, quàm quòd ei domo Cæſaris interdictum eſt. nullius enim Romani civis limen ei fuit præcluſum; ut antea vidimus. Alexandrinus in Tuſculano tranſegit vitam, ac mortuus eſt Dabani. Ea autem (ut ex imperii notitiarum libro

*a Timagenes in primo de regibus.*
*b Serpentem nutris.*

libro conſtat) civitas eſt Oſrhoënæ; quæ Meſopotamiæ eſt præfectura inter Euphratem, & Chaboram fluvium. Sed hiſtoricus conſenuit Romæ in contubernio Aſinii Pollionis. Quare alius omnino fuerit Timagenes hiſtoricus ab Rhetore Alexandrino, qui Romæ docuit, Pompeii, & Cæſaris, temporibus; & ulteriùs fortaſſe ætate provectus fuit. Timagenes hiſtoricus idem eſt illi, qui geographica edidit. Nam ab hiſtorico περίπλουν maris eſſe editum, apertè tradit Suidas. Quare hic erit ille, quem Plinius in Indice refert inter eos, ex quibus geographica ſua depromſit. Et, puto, idem eſt, quem ſignat Quinctilianus lib. I cap. I. ubi ait: *Timagenes auctor eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen extitiſſe.*

*a In Πωλλίων.*

Etiam, Suida *a* auctore, ſub Pompeio Magno Romæ, Timagenis ſcholâ per ſucceſſionem ſuſceptâ, docuit Aſinius Pollio Trallianos: ſed idem, Cæſare Dictatore, imprimis floruit. Scripſit epitomen Atthidis Philochori; dicta & facta memorabilia Muſonii philoſophi; epitomen Diophanis Georgicorum libris duobus; (perperam interpres Æmilius Portus reddit *quatuor*, cùm Græcè, etiam in Aldinâ, ſit B) adhæc ad Ariſtotelem de animalibus lib. X; deque bello civili inter Pompeium, & Cæſarem. Satis verò mirari non poſſum, quid impulerit Aſinium, ut ſcriberet epitomen Atthidis Philochori; quando ipſe auctor contexuerat epitomen Atticæ ſuæ hiſtoriæ; ut diſertim à Suida ſcriptum eſt in Φιλόχορος. An meliùs hoc Philochoro ipſi præſtiturum ſe putavit Aſinius? An error eſt Suidæ? qui, cùm repeniſſet Atticæ epitomen, nomine Aſinii ejus, qui in compendium redegerat, non expreſſo, Philochorum ipſum grande ſuum de rebus Atticis opus paucis conſtrinxiſſe, crediderit? Sanè hoc veriſimilius puto. Cave autem exiſtimes, hunc Aſinium Pollionem eſſe Pollionem illum principem oratorem, & civem, ut Plinius vocat lib. VII cap. XX, qui de Dalmatis triumphavit; ut ex faſtis Capitolinis, & Dionis lib. LXVIII, conſtat. Nam, de quo nunc loquimur, homo Græcus fuit, & Romæ docuit; teſte Suida. Quod minimè fuiſſet ex dignitate viri principis: ſed ferè libertinorum erat. Et ſanè planè cenſeo, Trallianum hunc Aſinium fuiſſe id nomen conſecutum ab claro illo cive, atque oratore Pollione; quia eum libertate, vel civitate donâſſet. Non igitur in Suidæ verbis intelligendum volumen de bello civili, quod nobilis ille civis Romanus etiam Horatio *b* ſcripſiſſe dicitur. Præſertim quando hic Latinè, Trallianus ille ſcripſit Græcè.

*b Lib. 2 od. 1.*

Aulus Licinius Archias Antiochenus carmine Græco Romanorum bella Cimbrica memoriæ tradidit. Orſus eſt deſcribere conſulatum Ciceronis. Superſunt ejus epigrammata varia in Ἀνθολογίᾳ. Hic ille eſt, quem Cicero oratione defendit. Vide igitur plura de eo oratione pro Archia.

Etiam his temporibus claruit Artuaſdes Armenius rex; qui M. Craſſum prodidit bello Parthico; ut eſt apud Plutarchum in Craſſo. Ubi & refert, ſciſſe eum Græcè, & ſcripſiſſe tragœdias, ac hiſtorias, ſuoque etiam tempore quædam extitiſſe.

Tempore belli Pompeiani, ac ſub Julii Cæſaris principatu, floruit etiam Poſidonius Apameenſis. Sed non leviter obſtare huic ſententiæ videtur, quòd apud Athenæum lib. XII legere ſit: Ποσειδώνιος *c* δ' ὁ Στωϊκὸς, συναποδημήσας Σκιπίωνι τῷ Ἀφρικανῷ κληθέντι εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ θεασάμενος αὐτὸν (Πτολεμαῖον ἕβδομον,) γράφει ἐν ἑβδόμῃ τῶν ἱστοριῶν οὕτως. Equidem multùm metuo, ne memoria fallat Athenæum. Ait, Poſidonium Stoicum fuiſſe comitem Scipionis Æmiliani, in legatione eâ, quâ cum Sp. Mummio, & L. Metello, à Senatu miſſus fuit in Ægyptum, atque Orientem, ut regum ſociorum regna luſtraret. Accidit hoc C. Claudio Pulchro, & M. Perpenna coſſ., anno Urb. Cond. IↃCXXIV, anno uno ante obitum Scipionis hujus, Olympiadis CLXII anno III. Sed quo minùs tum Poſidonium Scipionis eâ in legatione comitem fuiſſe putem, illud compellit, quòd Plutarchus in Apophthegmatis dicat, in comitatu habuiſſe Panætium, & quinque ſervorum familiam. A quo proximè abeſt Valerius Max. lib. IV, cap. III: ubi ſcribit, ſeptem ſervis

*c Poſidonius Stoicus, qui Scipionem, cognomine Africanum Alexandriam comitatus fuit; quique ipſum (Ptolemæum ſeptimum, ſive Phyſconem) viderat; ita ſcribit octavo hiſtoriarum libro.*

ſequentibus, officio legationis functum eſſe. Quare omnino puto, in legatione eâ non fuiſſe Poſidonium Stoicum, ſed Panætium Stoicum. Et firmat hanc ſententiam quoque Suidas, cùm Poſidonium Apameenſem dicit veniſſe Romam, conſule M. Marcello. Hoc eſt, totis octoginta poſt legationem eam annis. Nam fuit Marcellus conſul cum Ser. Sulpicio, anno ab V.C. IↃCCIII, altero anno ante bellum Pompeianum. Eſt verò is annus ſecundus Olympiadis CLXXXII. Juvat etiam Strabo lib. XVI: quo loco de Apamea, Syriæ urbe, agens, ita ſcribit, Ἐντεῦθεν *a* δ' ἐστὶ Ποσειδώνιος ὁ Στωϊκὸς, ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος. Sunt verò à conſulatu Marcelli uſque ad quartum Tiberii annum anni LXVIII. Ubi à legatione Scipionis in Ægyptum, uſque ad tempus, quo Strabo hæc ſcribebat, ſunt anni CXLVIII. Apud eundem Strabonem etiam legimus lib. XI, Pompeium, ad bellum Mithridaticum proficiſcentem, cùm Rhodum veniſſet, iſtic audiſſe Poſidonium; cumque diſcedens rogaret, ecquid mandaret, verſu hoc reſpondiſſe philoſophum:

*a Ex hac urbe eſt Poſidonius Stoicus, vir philoſophorum noſtri temporis eruditiſſimus.*

Αἰὲν *b* ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

*b Rem gere præclare, atque aliis præſtare memento. Homerus lib. 3. verſ. 208.*

Ibidem additur, Poſidonium de rebus à Pompeio geſtis ſcripſiſſe. Quare inter hiſtoricos quoque ei locus eſt. Et ſanè oſtendit hoc etiam locus iſte Luciani in Macrobiis: Ποσειδώνιος *c* ὁ Ἀπαμεὺς τῆς Συρίας, νόμῳ δὲ Ῥόδιος, φιλόσοφός τε ἅμα, καὶ ἱστορίας συγγραφεύς. Poſidonii hujus hiſtorias advocat Plutarchus in vita Marcelli, & Paulli Æmilii. Item Athenæus, qui alios quidem libros alibi, ſed librum ejus trigeſimum ſextum citat in XI; atque etiam quadrageſimum nonum lib. IV. Fuere verò libri in univerſum LII: quibus complexus fuit, quæ conſecuta ſunt poſt illa, quæ Polybius ſcripſit. Hoc etiam oſtendunt verba iſta Suidæ: Ἔγραψεν *d* ἱστορίαν τὴν μετὰ Πολύβιον ἐν βιβλίοις νβ΄, ἕως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηναϊκοῦ, καὶ Πτολεμαίου. Ubi intelligo Ptolomæum primum, Lagi filium; cujus dux Ofella Cyrenæos Ptolemæi imperio ſubjecit, Olymp. CXIV: ut fuſiùs narrat Diodorus lib. XVIII. Neque ignoro, Suidam iſta ſcribere de Poſidonio Alexandrino, quem Zenonis Citticnſis diſcipulum fuiſſe ipſe agnoſcit, & multo ante eum ex Hippoboto tradiderat Laërtius *e*. Sed manifeſtus eſt iſte, ſive Suidæ, ſive librarii, error. Nam Zeno Κιτιεὺς claruit initio belli, quod cum Tarentinis, & Pyrrho rege, geſtum fuit: teſte Gellio lib. XVII cap. ult. hoc eſt, Olymp. CXXIV. Quod etiam Laërtius confirmat. Quippe, jam ſenem fuiſſe, ait, Olympiade CXXX. Ex quo colligimus, circa hanc Olympiadem etiam vixiſſe Zenonis diſcipulum Poſidonium Alexandrinum. Ab initio verò belli Tarentini, ad initium belli Numantini, quod Polybius deſcripſit, intermedii ſunt anni centum, & quadraginta. Ergò jam deceſſerat Poſidonius Alexandrinus multo ante natum Polybium. Quomodo igitur incipere inde hiſtoriam ſuam potuit, ubi deſierat Polybius? Accedit auctoritas Athenæi lib. VI; ubi hiſtorias iſtas non Alexandrino, ſed Apameenſi, tribuit. Sic enim ſcribit: Ποσειδώνιος δ' ὁ Ἀπαμεὺς *f* ἐν τῇ εἰκοστῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν. Sollemnia igitur errat Suidas, cùm ejuſdem nominis ſcriptores confundit. Quod ad ſtylum Poſidonii Apameenſis attinet, is ornatus, atque elegans erat; Strabone teſte lib. III. Imò, ut ibidem dicitur, interdum ſcriptor ille συνενθουσιᾷ *g* ταῖς ὑπερβολαῖς. Cujus rei luculentum exemplum adfert, verba ejus de metallis Hiſpanicis. Hæc veriſimile eſt citari ex eo hiſtoriarum libro, quo prodidit, M. Marcellum, cui minimè ignota erat Hiſpanici metalli bonitas, ac copia, ab Celtiberis exegiſſe tributum talentorum ſexcentorum; ut idem Strabo *h* narrat ex Poſidonio. De hiſtorico igitur Poſidonio ſermo ei eſt. Alexandrinus verò Poſidonius alia ſcripſerat. Ælianus quidem *i* citat Poſidonii Stoici librum de inſtruendis aciebus. Credo is erit Alexandrinus. Et illius eſſe puto, quæ paſſim ex ejus nominis ſcriptore adfert Laërtius. Uti & librum de heroibus, ac dæmonibus; cujus meminit Macrobius lib. I Satur. cap. XXIII. Præter verò iſtos fuit alius Poſidonius, itidem hiſtoricus, patriâ Olbiopolita, qui Atticas hiſtorias libris IV ſcripſit: item Libyca libris XI; item de regione

*c Poſidonius Apamea in Syria natus; ſed lege Rhodius; philoſophus pariter, & hiſtoricus.*

*d Scripſit hiſtoriam eorum, quæ conſequuntur hiſtoriam Polybii, libris LII uſque ad bellum Cyrenaicum, & Ptolemæum.*

*e In Zenone.*

*f Poſidonius Apamenſis libro vigeſimo tertio hiſtoriarum.*

*g Poëtico quaſi furore rapitur.*

*h Lib. 3.*

*i Lib. de militaribus ordin. cap. 1.*

ne

ne Tyriâ; adhæc de Oceano, & aliis, quæ juxta eum ſunt; atque alia nonnulla. Auctor Suidas. Operis de Oceano mentio eſt apud Strabonem lib. II: Ἴδωμεν *a* δὲ καὶ Ποσειδώνιον, ἅ φησιν ἐν τοῖς περὶ Ὠκεανοῦ· δοκεῖ γὰρ ἐν αὐτοῖς τὰ πολλὰ γεωγραφεῖν, τὰ μὲν οἰκείως, τὰ δὲ μαθηματικώτερον. Sed, iſte quando vixerit, non ſatis liquet. Cicero non uno loco Poſidonio quodam ſe magiſtro uſum indicat. Nam lib. I de Natura Deorum ait; *Et principes illi, Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius; à quibus inſtituti ſumus.* Et in primo de Fato; *Quædam etiam Poſidonius, pace magiſtri dixerim, comminiſci videtur.* Initio verò libri I de Finibus etiam familiarem ſuum vocat. Quis iſte Poſidonius fuerit, præteriit induſtria maximi Turnebi in commentariis ad eum locum. Franciſcus Fabricius, qui eruditè Ciceronis vitam pertexuit, Apameenſem vocat. Quod cur verum putem, non levia adducunt. Primùm video, Suidam ſcribere, Poſidonium Apameenſem Rhodi habuiſſe ſcholam. At Plutarchus *b* dicit, Ciceronem Rhodi audiviſſe Apollonium Molonis, & Poſidonium philoſophum. Nec obſtat, quòd Cicero in Bruto Molonis quidem meminit, Poſidonii non item. Nam idem refert, quibus uſus ſit dicendi magiſtris: quos inter Poſidonius iſte non fuit. Sed in philoſophia Stoica ab eo factus eſt exercitatior. Sanè Suidas vocat philoſophum Stoicum, & Athenæus nunc τὸν φιλόσοφον, nunc τὸν ἀπὸ τῆς στοᾶς *c* appellat. Imò Plutarchus diſertè, præceptorem ejus appellat Poſidonium philoſophum. Denique tempus convenit. Nam ab eo tempore, quo Cicero in Aſia, ac Rhodi, Græcis utebatur magiſtris, ſunt ad conſulatum M. Marcelli, quo Poſidonius ille Romam venit, anni tantùm ſeptem & viginti: ut omnino Poſidonius, quem Cicero Romæ audivit, Apameenſis ille eſſe videatur. Dicat aliquis, ab extremis Syllæ temporibus; quibus Cicero Poſidonium audiit, uſque ad tempus illud, quo Strabo illud ſcribebat, eſſe annos centum, & viginti ſex: Strabonem verò dicere eum ſui temporis ſcriptorem. Eſt ſanè hoc intervallum ingens; ſed non tantum tamen, ut, ſi Apameenſis ille ad grandem pervenit ætatem, & Strabo iſta ſcribebat jam ſenex, illius ſenectus hujus pueritiam attingere non potuerit. Et notum quoque eſt, quàm laxè uſurpare ſoleant Græci ſuum illud καθ' ἡμᾶς *d*. Vel exemplo ſit locus Strabonis lib. XVII; ubi ſecundo Euergetæ, qui & Phyſcon dicebatur, Lathyrum ſucceſſiſſe ait; ac deinde ſubjungit, Τούτου *e* δ' ὁ Αὐλητὴς ὁ καθ' ἡμᾶς, ὅσπερ ἦν τῆς Κλεοπάτρας πατήρ. Atqui à morte Ptolomæi Auletæ uſque ad quartum Tiberii annum ſunt anni LXVII. Hoc verò ſpatium ab eo, quo Poſidonius Apameenſis Romam venit, uno duntaxat anno vincitur. Ut verò illud καθ' ἡμᾶς *f* uſurpat Strabo, de Ptolomæo Aulete agens: ſimiliter illo potuit uti de Poſidonio Apameenſi: fortaſſe & multo juſtiùs, quando propiùs hic attigiſſe potuit tempora Tiberii. Nam poſtquam Romam venit Poſidonius, annos fortean multos ſuperfuit: quod de Aulete dici non poteſt: quem deceſſiſſe anno uno ante bellum civile, hoc eſt, proximo, poſtquam Apameenſis Poſidonius Romam venerat, anno, ſatis ex antiquis hiſtoricis conſtat.

a *Videamus jam nunc, quæ Poſidonius dicat in opere de Oceano: in quo videtur multa geographicè tradere, partim ut hiſtoriæ proprium eſt, partim magis mathematicè.*

b *In vita Cic.*

c *Stoicum.*

d *Noſtris temporibus.*

e *Lathyri autem, ætate noſtra, Auletes, Cleopatræ pater.*

f *Temporibus noſtris.*

Lucius Auruncuieius Cotta Julii Cæſaris in Galliis legatus fuit, atque ibidem vulneratus fundâ: poſteaque ab Ambiorige circumventus, cum maxima parte militum eſt interfectus: ut Cæſar ipſe refert in quincto de bello Gallico. Videtur is eſſe, qui librum de Rep. Romanâ conſcripſit; teſte Athenæo in ſexto, his verbis: Ἰούλιος δὲ Καῖσαρ, ὁ πρῶτος πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς Κόττας ἱστορεῖ, ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι, ὃ τῇ πατρίῳ ἡμῶν γέγραπται φωνῇ. *Julius verò Cæſar, qui primus omnium hominum in inſulas Britannicas trajecit cum mille navibus, tres tantummodo ſervos habuit; ut auctor eſt Cotta, ſub eo militum ductor, qui de Rep. Romana commentarium patriâ noſtrâ linguâ conſcripſit.*

Etiam ſub Julii Cæſaris principatu floruit in Aſiâ Caſtor Rhodius, quem aliqui Galatam vocarunt, quia in Galatia vixerit. Puto autem, eundem eſſe, cujus meminit Plinius lib. XX Hiſtoriæ Naturalis, Cyrillus lib. I contra Julianum, ac Stephanus in Ethnicis, voce Βοιωτία. Nobilis chronographus fuit; atque eo nomine etiam laudatus Euſebio in Chron. ad annum IↃCCCCLXXXIX; ubi ex Chronographia Caſtoris de regno Sicyoniorum, & mox de Athenienſium regno, fragmentum citat. Item ad an. CLXI, & IↃ XLII; ubi quædam adfert ex eo de regno Argivorum. Adhæc Tatiano *a* etiam celebratus, & ante hos Fl. Joſepho; qui in ſecundo contra Appionem libro eum hiſtoricis annumerat, ex quibus conſtet, Antiochum Epiphanem in templo Hieroſolymitano à ſe ſpoliato haut quicquam reperiſſe, propter quod Judæi à nationibus rideri mereantur. Maſſilienſis primùm fuit orator, ſi Suidæ credimus qui & auctor eſt, ſcripſiſſe libros V, ſive, juxta alios, libros IX de epicherematis; item de perſuadendo libros II; adhæc artem dicendi. Sed hiſtorica ejus quorum idem meminit, ſunt iſta: libri duo de Babylone, liber de Nilo, item χρονικὰ ἀγνοήματα *b*; quæ etiam Apollodorus citat lib. II; & fortaſſe Auſonius Carm. XXIII in profeſſores Burdigalenſes;

*Quod Caſtor cunctis de regibus ambiguis.* ——

Nam cùm imprimis ſoleat in temporibus peccari, eò quòd ejuſdem nominis principes confundantur: planè eſt veriſimile, Caſtorem illo opere unius nominis reges diſtinxiſſe. Scripſit præterea, eodem teſte, περὶ *c* θαλασσοκρατησάντων: ex quo opere ſunt, quæ Euſebius in Chronicis paſſim de illis refert, qui mare obtinuerunt. Caſtorem hunc, atque item Thallum, diligenter tractâſſe hiſtoriam, auctor eſt Africanus, & ex eo Euſebius lib. X præparat. Evangel. cap. III. Idem Euſebius lib. I χρονικῶν: *d* ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ φησὶν ὧδε. Affert deinde ejus verba de imperio Aſſyrio, ejuſque initio; quod eſt à Belo. Mentionem quoque Juſtinus Martyr facit parænesi ad Græcos. Impenſiùs ſemper faviſſe Romanis, indicat cognomen Φιλορωμαῖος: cujus meminit Suidas. Atque eo magis veriſimile fit, eſſe hunc ipſum Caſtorem illum, qui volumine quodam Romana inſtituta cum Pythagoricis contulit; teſte Plutarcho in Quæſtionibus Romanis. Quod opus etiam ſignat libro de Iſide & Oſiride. Sed Strabo alterum etiam cognomen adfert. Nam lib. XII vocatur *Saocondarius*. Refert ibidem, fuiſſe generum Deiotari, regis Galatiæ, atque ab eodem unà cum uxore fuiſſe interemtum. Suidas cauſſam hanc cædis addit, quòd ſocerum eſſet criminatus apud Julium Cæſarem. Itaque videri poſſit hic eſſe idem Caſtor, adverſus quem pro Deiotaro orationem habuit Cicero apud Cæſarem. Sed obſtat, quòd Caſtor iſte Deiotari fuit nepos: & vocatur adoleſcens; quâ ætate tam multa ſcripſiſſe minimè fit veriſimile. Verba Ciceronis *e* ſunt: *Crudelis Caſtor; ne dicam ſceleratum, & impium; qui nepos avum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiaque ſua terrorem injecerit ei, cujus ſenectutem tueri, & tegere debebat.* Cicerone autem quis meliùs iſta nôſſe potuit, qui cauſſam Deiotari adverſus Caſtorem egit? Num igitur Strabonem, & Suidam, erràſſe dicemus, qui ex nepote generum fecerint? An potiùs ſtatuendum, Caſtorem illum de quo Cicero loquitur, eſſe filium Caſtoris illius de quo Strabo, & Suidas? Saltem illud extra controverſiam ponimus, Caſtorem nepotem, de quo Tullius, eſſe filium Caſtoris chronographi; qui cùm genere eſſet humili, ſolâque fortaſſe eruditione, & facundiâ commendabilis, (Maſſilienſem rhetorem priùs fuiſſe, tradit Suidas) regis gener factus eſt. Hoc indicant clarè illa Ciceronis verba: *Vos veſtrâ ſecundâ fortunâ, Caſtor, non poteſtis ſine propinquorum calamitate eſſe contenti. Sint ſanè inimicitiæ, quæ eſſe non debebant. Rex enim Deiotarus veſtram familiam abjectam, & obſcuram, è tenebris in lucem vocavit. Quis tuum patrem antè, qui eſſet, quàm, cujus gener eſſet, audivit?* Solùm ſcrupulus relinquitur, utrùm Caſtorem interemerit Deiotarus. Strabo, & Suidas, patrem dicunt: & fortaſſe hinc inimicitiæ inter avum, & nepotem. Sed Suidas ait, Caſtorem occiſum, quòd detuliſſet Deiotarum apud Cæſarem. Hoc, puto, Suidas hauſerat ex veteribus. Atqui nepos accuſavit avum

a *Orat. adverſus gentes.*

b *De ignoratione temporum.*

c *De iis, qui imperio maris ſunt potiti.*

d *Caſtor in canone ſuo ſic ait.*

e *Orat. pro Deiotaro.*

avum apud Cæſarem. Ergo nepotem occidiſſe videtur. Dicam, quod ſentio. Puto, ſcriptores iſtos poſſe conciliari inter ſe. Nam, ut Deiotari ſervus iſte, qui adverſus dominum cauſſam Romæ dixit, fuit à Caſtore juniore præmiis corruptus, atque ad accuſandum dominum impulſus; quod Cicero initio orationis ſuæ teſtatur: ita Caſtor hic parentis ſui inſtinctu potuit feciſſe, quod fecit. Sed nepotis ſolùm meminit Tullius, quia is Romæ erat, ut Cicero ipſe indicat: & eò iverat ad avum atrociſſimi criminis agendum reum. Sanè, non nepotem ſolùm, ſed ſimiliter generum, fuiſſe Deiotaro infeſtos, veriſimile facit, quòd Tullius, cùm dixiſſet, abjectam obſcuramque Caſtoris familiam à Deiotaro in lucem eſſe productam; nec antè notum fuiſſe ejus parentem, quàm gener eſſet regius: continuò ſubjungat; *Sed quamvis ingratè, & impiè, neceſſitudinis nomen repudiaretis: tamen inimicitias hominum more gerere poteratis; non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere.* His mihi non nepotem tantùm, ſed etiam generum regis, perſtringere videtur. Quod ſi eſt, fuerit tum Caſtor chronographus etiamnum in vivis: eumque, credo, interemerit Deiotarus, cùm cognoviſſet, ab eo, & filiâ ſuâ, nepotem eſſe Romam miſſum ad ſe accuſandum apud Cæſarem, quaſi inſidias vitæ ejus ſtruxiſſet, cùm ad ſe divertiſſet. Hoc enim imprimis crimen eſt, cujus Deiotarus reus erat. Et ſperabant cùm gener, tum nepos regius, ſe, pro illo inſidiarum crimine patefacto, hoc mercedis relaturos, quòd in regno eſſent ſucceſſuri loco filii, cui regnum Cæſar conceſſerat. Hoc poſterius illa Ciceronis verba indicant: *Omnia tu Deiotaro, Cæſar, tribuiſti, cùm & ipſi filio nomen regium conceſſiſti.*

Julii Dictatoris, & triumvirorum temporibus, & paullo etiam ulteriùs, vixit quoque Didymus, Didymi ſalſamentarii filius; teſte Suida, & Heſychio Mileſio. Χαλκέντερον a vocant Ammianus Marcellinus lib. XXII, Hieronymus epiſt. ad Marcellum, & Rufinus in Hieronymum. Id verò nomen accepit ab aſſiduo labore, ac indefeſſo ſcribendi ſtudio. Nam edidiſſe dicitur libros ter mille, ac quingentos. Ita Suidas; cui de numero hoc præit Athenæus lib. IV. Sed alterum hic ei cognomen tribuit. nam à Demetrio Trœzenio βιβλιολάθαν ait vocatum, quaſi dicas *oblivionem librorum:* nimirum, quia ſæpe nec eorum meminiſſet, quæ ipſe ſcripſiſſet. Seneca epiſtola LXXXVIII etiam librorum numerum auget. Nam quater mille eum edidiſſe ait. Et tamen ſic quoque ab Origene vincetur: qui libros ſcripſit ſexies b mille: unde Συνταχληνὸς c vocabatur. Illuſtre Didymi elogium habemus apud Macrobium lib. V Saturnal. cap. XII; ubi dicitur, *Grammaticorum omnium, qui ſunt, quique fuerint, inſtructiſſimus.* Et apud Ammianum, libro quem diximus, legas: *Plurimi ſcriptores, multorum in literis nobilium ſtudiorum: inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis ſcientiæ copti memorabilis.* Ubi pro *copti* legendum divinabam *copia.* Sanè in manuſcripto eſt *copti.* Stylum Ciceronis ab eo reprehenſum fuiſſe, oſtendunt, quæ ibidem ſubjicit Ammianus: *Qui in illis ſex libris, ubi nonnunquam imperfectè Tullium reprehendit, ſillographos imitatus, ſcriptores maledicos, judicia doctarum aurium, incuſat, ut immania frementem leonem putredulis vocibus vanus catulus longiùs circumlatrans.* Nec hoc ſolùm nomine culpatur. Nam cujuſmodi pleraque fuerint, quæ tractabat, Senecæ hæc verba oſtendunt, eâ, quâ dixi, epiſtolâ: *In his libris* Didymi *de patria Homeri quæritur; in his, de Æneæ matre verâ; in his, libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit; in his, an Sappho publica fuerit; & alia, quæ erant dediſcenda, ſi ſcires.* Inter tam multa verò etiam *hiſtoriam peregrinam* reliquit; unde quiddam de Perſeo, & capite Meduſæ, Euſebius in Chronico commemorat, ad annum DCLXI. Item librum integrum edidit de civitate Caballo; ut auctor eſt Stephanus in Ἀγάθυρσι. Quod opus planè hiſtoricum fuiſſe arbitror. Uti & quæ adverſus Jubam regem edidit: quorum meminit Suidas in *Jubas.* Unde liquet, etiam vixiſſe ſub Auguſto. Tum enim floruit Juba hiſtoricus; ut poſteà dicemus. Alia etiam hiſtorica conſignâſſe, oſtendunt tam multa, quæ veteres ex eo Grammatici adducunt. Exſtant hodie ſub Didymi nomine ſcholia in Odyſſeam: quæ, ſeu Tzetzæ, ſeu alterius ſint; ſaltem Didymi eſſe non poſſunt, cùm in iis ipſe Didymus citetur. Præterea ſub ejus nomine habemus proverbia cum Tharræi proverbiis conjuncta. Adagiorum Didymi meminere Tzetzes Chil. VIII. Hiſtor. CLIX; & Photius cod. CCLXXIX; ubi ex Helladii Beſantenoitæ χρηστομαθειῶν libris refert, decem proverbiorum libros à Didymo ſcriptos fuiſſe. Nec pauca Didymi legas in ſingulis Geoponicorum libris; quos Dionyſius Uticenſis, aut Caſſianus Baſſus Scholaſticus, collegit, & Conſtantino Cæſari nuncupavit. Neque nihil Didymo debent Collectanea ex Apſyrto, Hierocle, Theomneſto, & aliis mulomedicis. Attamen omnia, quæ dixi, Didymo iſti tribuere non auſim; quandoquidem & alter Didymus fuit, itidem Alexandrinus, & Grammaticus; quem Probabilia, & de Orthographia, & alia ſcripſiſſe, auctor eſt Suidas. Ex quo etiam diſcimus, fuiſſe præterea Didymum, Heraclidæ filium; qui & grammaticus fuit, & egregius Muſicus: cumque eo nomine Neroni Cæſari gratiſſimus eſſet, magnas ſibi opes paravit. Atque idem teſtatur, fuiſſe alium grammaticum ejus nominis, cognomento Claudium; qui de Thucydidis in analogia erratis ſcripſit: item epitomen Heraclionis, & alia quædam. Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς teſtis laudatur à Lactantio lib. I. cap. XXII. Non dubito, quin is ſit, quem χαλκέντερον vocatum dicebamus.

a Æneis inteſtinis præditum.
b Honorius in luminaribus Eccleſ.
c Compoſitor librorum.

Empylus, Marci Bruti, ejus, qui Julium Cæſarem interfecit, contubernalis, libellum de Cæſaris nece reliquit; utrâ linguâ, non certò dixerim; ſed ſuſpicor Græcâ. Plutarchus in Bruto: Ὁ δ' Ἔμπυλος (οὗ καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς, καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις, ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ) ῥήτωρ μὲν ἦν, καὶ καταλέλοιπεν μικρὸν μὲν, οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τῆς Καίσαρος ἀναιρέσεως, ὃ Βροῦτος ἐπιγέγραπται. *Empylus (cujus & Brutus ipſe in epiſtolis, & ejus amici, ſæpius meminere, tanquam viventis cum eo) orator fuit: ac exiguum quidem, at non inelegantem commentarium, de Cæſaris nece reliquit, qui inſcribitur Brutus.*

Iiſdem temporibus floruiſſe cenſeo Cononem; qui libellum quinquaginta narrationum è veterum ſcriptis collegit, eumque dicavit Archelao Philopatori regi; ut Photius ait. Nam rex iſte inter eos fuit, qui Antonium triumvirum adverſus Auguſtum ſecuti in Aſia fuerunt: quantum ex Dione, Strabone, & aliis, colligere poſſum. Narrationes Cononis paucis conſtrinxit Photius tmemate CLXXXVI. Pertinent verò ad tempus μυθικὸν a, καὶ ἡρωικόν. Ex hujus libris non pauca in ſuâ παραδόξων b ἐθῶν συναγωγῇ exſcripſerat Nicolaus Damaſcenus; ut idem Photius narrat tmemate CLXXXIX. De ſtylo ejus ita idem judicat, Attico illum ſermone uti, eſſeque ταῖς c τε συνθήκαις, καὶ ταῖς λέξεσι, χαρίεντά τε, καὶ ἐπαφρόδιτον: interim habere aliquando quiddam συνεστραμμένον d, καὶ ἀποκεχωρηκὸς τοῖς πολλοῖς.

a Fabuloſum, ſive heroicum.
b Admirabilium morum collectione.
c Compoſitione, & dictione gratioſum, ac venuſtum.
d Contortum, & à vulgi cognitione remotum.

ATQUE hæc dicta ſunto de hiſtoricis iſtis, qui fuerunt temporibus imperii Perſici, vel ſub Alexandro Magno aut ejus ſucceſſoribus: ex quibus à Ptolomæis diutiſſimè in Ægypto regnatum fuit. Quippe horum imperium demum defecit in morte Cleopatræ, Antonii amaſiæ, poſtquam Ægyptus in provinciam ab Auguſto redacta eſt. Jure igitur operis noſtri de hiſtoricis Græcis primus ibi deſinet liber, ubi omnimodis Græcorum deſiit imperium. Jure etiam novum ibi initium faciemus, ubi in Romano imperio cœpit μοναρχία, ac principatus Auguſti, qui cum ipſo Auguſti nomine per tot ſecula in ſucceſſores tranſmiſſus fuit. Atque eò juſtiùs illud faciemus, quia Auguſti hoc ævo, annis à principatus ejus initio non ampliùs viginti ſeptem, vel, ſi vulgarem ſententiam ſequi quis amet, undetriginta, nova affulſit hominibus lux, ſol ille juſtitiæ inclytus, & verè auguſta ſalutis noſtræ origo, JESUS CHRISTUS; cujus natali dividi omne ævum ſolet.

FINIS LIBRI PRIMI.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS GRÆCIS
## LIBER II.

### Caput I.

*Parthenius Nicænus quando vixerit, & quæ ſcripſerit. Parthenius Chius. Parthenius Phocenſis. Parthenius Dionyſii. Chæremon Ægyptius. Quamdiu phœnicem vivere Chæremon putârit; atque ut veterum alii ætati ejus longè minus ſpatium aſſignent. Ariſtocles Rhodius.*

INitio principatus Auguſti, à quo Actiaca quoque Ægyptiorum æra incipit, floruit Parthenius, auctor elegantiſſimi libelli, περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων a; qui hodie ſupereſt, ac narrationes continet collectas ex ſcriptoribus bene antiquis, ſed deperditis: ut vel hoc nomine gratiſſimus eſſe debeat philologiæ, & veteris hiſtoriæ ſtudioſis. Eum dicavit auctor Cornelio Gallo Forojulienſi, primo Ægypti præfecto. Quid mirum? Erat Gallus poeta egregius, & amorum minimè vacuus; quod vel ex Maronis eclogis notum eſt. At ſimiliter Parthenius, & poëta nobilis fuit, & qui amatorio ſe argumento imprimis oblectaret. Planè enim veriſimile ſit, eſſe hunc Parthenium illum, quem Suidas dicit eſſe Heraclidis, & Eudoræ, ſive, ut Hermippus putabat, Tethæ filium, patriâ Nicænum, vel juxta alios, Myrleanum: qui præter Aretes, conjugis ſuæ, encomium, ac tres libros de laudibus uxoris, aliaque nonnulla, etiam elegias in Venerem ſcripſit. Senſit idem Joannes Cornarius; nec tempora repugnant. Nam poëta ille, ut ex eodem Suida cognoſcimus, belli Mithridatici tempore captus fuit; poſteaque, ob eruditionem, eſt manumiſſus: ac pervênit uſque ad tempora Tiberii Cæſaris. Quanquam majus quidem hoc videatur intervallum, quàm ut ſcriptor ille tot annos poſt captivitatem fuerit ſuperſtes. Nam à morte Mithridatis, uſque ad imperium Tiberii, anni ſunt LXXVI. Sed fortaſſe erat adoleſcens admodum, cùm caperetur; valdeque ſenex, cùm decederet. Aut hoc verum eſt, aut Tiberii tempus intelligi debet, non quo imperare, ſed quo florere cœpit: ut cùm Rhætos, & Vindelicos vicit. Id ſpatium totis undetriginta annis minus erit. Potuit autem circa iſta tempora Tiberio aliquid dicare; unde Suidas crediderit, eum vixiſſe imperante Tiberio. Ex Parthenio hoc verbum à Marone expreſſum Gellius refert lib. XIII, cap. XXV. Imò Tiberius Cæſar eum in pangendis verſibus imitari ſolet; teſte Suetonio Tranquillo. Μεταμορφώσεις edidit; ut ex Plutarcho, & Euſtathio, ſcitur: item Suidâ in Νέστωρ; ubi Parthenius hic Nicenus vocatur. Eas Metamorphoſes Ovidium ſecutum fuiſſe, per eſt veriſimile. Archelaida ejus nominat Hephæſtion: Herculem, Iphiclum, Ἀνθίππην, Delum, Epicedium in Auxithemin, & Προπεμπτικὸν, celebrat Stephanus: ac meminit quoque Probus in Ecl. III Virgilii, & Artemidorus lib. IV Ὀνειροκριτικῶν. Cùm autem de patria fuerit dubitatum, Nicenum quoque facit Stephanus in Νίκαια. At alius omnino ab hoc eſt Parthenius Chius, cognomento Chaos, ex Homeri, ut creditum, poſteritate unus; qui de patre ſuo Theſtore ſcripſit, teſte Suida. Alius Parthenius ὁ Φωκαεὺς a; cujus meminit Stephanus in Γόττοι, & Δεξίεπποι. Alius denique Parthenius grammaticus, Dionyſii grammatici diſcipulus; cujus ætatem ex magiſtro cognoſcimus. Nam Dionyſius ille à Neronis temporibus floruit uſque ad Trajanum; ut Suidas docet. Eſt, puto, hic Παρθένιος ὁ Διονυσίου b, quem ἐν πρώτῳ c περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων ζητουμένων Athenæus citat lib. XI.

a De amatoriis affectibus.

a Phocenſis.

b Parthenius, diſcipulus Dionyſii.

c In primo de vocabulis apud hiſtoricos quæſitis.

Tum quoque vivebat Chæremon Ægyptius; qui Hieroglyphica, & res Ægyptias, literis commiſit. *Chercinon* dicitur Simlero in Bibliotheca, & aliis hunc ſecutis. Sed id vocabulum non eſt nauci. Ætatem ejus arguit non obſcurè, quòd præceptor fuerit Dionyſii Alexandrini, ejus qui à Nerone uſque ad Trajanum docuit, ac bibliothecæ præfuit, & ab epiſtolis, ac reſponſis fuit, variaſque obiit legationes, Suida d teſte. Sed imprimis Chæremonis ætatem inde ſcimus, quòd Ælium Gallum, Alexandriâ navigantem, in Ægyptum fuerit ſecutus; ut Strabo narrat lib. XVII. Refert etiam, profeſſum fuiſſe philoſophiæ & aſtronomiæ peritiam: ſed ob inſcitiam, & arrogantiam, ludibrio fuiſſe. Sanè vanitatem hominis oſtendunt etiam verba hæc Tzetzæ Chiliad. V. Hiſt. VI.

d In Ἀντίνοος Ἀλεξανδρεύς.

Ὡς δ' ὁ Αἰγύπτιος ἱερογραμματεὺς Χαιρήμων
Ἔδειξεν ἐν διδάγμασι τῶν ἱερῶν γραμμάτων,
Ὁ φοῖνιξ ἓξ τοῖς ἔτεσι καὶ ἑπτακισχιλίοις
Θνήσκει, παραγινόμενος ἐν τόποις τοῖς Αἰγύπτου.
*Ut autem Ægyptius ſacrarum literarum ſcriba, Chæremon,*
*Oſtendit in diſciplinis ſacrarum literarum,*
*Phœnix ſex annis & ſeptem millibus*
*Moritur, cùm fuerit in locis Ægypti.*

Nam quis neſcit, quanto aliter de numero annorum veteres omnes ſcripſerint. Quingentos ſolùm phœnici tribuit Herodotus lib. II. atque ita Heliopolitanos tradere addit. Similiter Ovidius lib. XV Metam., Ælianus lib. VI de animal. cap. LVIII, Philoſtratus lib. III de vita Apollonii cap. XIV. Eſſeque id ſpatium maximè vulgatum, dicit Tacitus lib. VI annalium. Nec multum excedit Solinus cap. XXXVI. Nam ſexaginta tantùm annos addit. At Plinius etiam centenos adjicit lib. X. nat. hiſt. cap. II: ubi ei annos adſignat IↃCLX. Sunt tamen, qui annos mille quadringentos ſexaginta unum vivere dicant; ut ibidem Tacitus teſtatur. Sed quanto calidius eſt mendacium Chæremonis, qui ſeptem annorum millia vivere dicit. Ex vaniſſimi hujus ſcriptoris Ægyptiaca hiſtoria quædam, quæ mentitus erat de rebus Judaicis, adducit Joſeph. lib. I contra Apionem: eademque ibidem refellit. Meminit & ejus

Theodoretus Therapeutices ſerm. III; qui eſt de angelis, dis, & dæmonibus. Imò quiſquis, quæ hactenus dixi, perpendat, facilè videbit, non alium eſſe eum, de quo ſic Porphyrius lib. IV de abſtinentia: Τὰ *a* γοῦν κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους ἱερέας Χαιρήμων ὁ Στωϊκὸς ἀφηγούμενος. Vide &, quæ ex hoc Chæremone ibidem referuntur. Cæterùm ex allatis Porphyrii verbis cognoſcimus, eumpſe eſſe, qui de cometis ſcripſit. Nam eum diſertim Stoicum vocat Origenes lib. I contra Celſum, ubi ait: Ἀνέγνωμεν *b* δὲ ἐν τῷ περὶ κομητῶν Χαιρήμονος τοῦ Στωϊκοῦ συγγράμματι. Mirum autem, ni corruptum hoc nomen ſit apud Senecam Natural. Quæſt. lib. ult. cap. V: *Charimander quoque in eo libro, quem de cometis compoſuit.* Equidem eò inclino, ut *Chæremon* hic reponam. Alius, ut ætas clamat, eſt Chæremon Ariſtoteli memoratus in II, & III Rhetor. Et ille erat Κωμικὸς *c* ποιητής; ut ibi dicit interpres.

Quod ſi Ariſtocles hiſtoricus, cujus Clemens meminit lib. VI Στρωμ. quemque ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν *d* citat Plutarchus in parallelis, is Ariſtocles Rhodius fuerit; ut doctiſſimus & amiciſſimus Jo. Meurſius *e* ſatis probabiliter exiſtimat; omnino in eadem tempora referri debebit. Nam Ariſtoclem hunc ſuâ ætate vixiſſe, diſertim dicit Strabo lib. XIV; quo loco de illuſtribus viris Rhodiis tractat. Meminit ejus, ſed ut Grammatici, Erotianus in Lexico Hippocratico, item Varro in IX de L. L. ubi & Ariſtoclis, & Ariſtodemi, grammaticorum, obſcuras fuiſſe definitiones ait. Ejuſdem verò, ut rhetoris Rhodii, mentionem facit Dionyſius Halicarn. in Dinarcho. Etiam περὶ Ποιητικῆς ſcripſiſſe, Ammonius indicat de Differ. Verb. voce Ἐπικήδειος. Quo minùs verò, qui inter grammaticos, & rhetoras, celebraretur, idem hiſtoriam ſcriberet, cauſſæ nihil video, quando à pleriſque id factum fuit; quemadmodum ex multis planum fit, quos hactenus laudavi. Fuere & alii Ariſtocles, ut ex Suida conſtat. Sæpius autem nomen *Ariſtoclis* corruptum leges apud ſcriptores. Nempe librarii, quia illud *Ariſtotelis* notius foret, hujus nomen repoſuerunt. Uti factum apud Euſebium lib. XI Προπαρασκευῆς Εὐαγγελ. Nam fragmentum, quod adducit, non Ariſtotelis, ſed Ariſtoclis eſſe, argumento fuerit, quòd in eo fiat mentio Ariſtoxeni Muſici, qui diſcipulus Ariſtotelis erat.

a Ea, quæ ad ſacerdotes Ægyptios pertinent, Chæremon Stoicus exponens.
b Legimus in Chæremonis Stoici commentario de cometis.
c Comicus poeta.
d Libro tertio rerum Italicarum.
e Notis ad Ariſtoxenum.

## CAP. II.

*Diodori Siculi ætas, & patria. Quomodo idem inſcripſerit opus ſuum, & argumentum illius. Lapſus ejus geminus. Diuturnus Diodori labor in bibliotheca conſarcinanda. Quantum librorum ejus damnum fecerimus. Diodori βίβλος νησιωτική. Quem plerique ſextum vocent Diodori. Defenditur Diodori fides adverſus Vivem; ſtylus, adverſus Bodinum.*

RES interim apertior eſt de ætate Diodori Siculi. Antiquiorem paullo eſſe aliquis dicat, quia, tempore Julii Cæſaris vixiſſe, Euſebius in Chronicis tradat: atque adeò ipſe Diodorus non uno hoc loco de ſeſe teſtetur. Sed non malè propterea Suidas; qui ſub Auguſto vixiſſe dicit. Nam ad grandem pervenit ætatem, adeò ut ad medium uſque Auguſti principatum ſuperfuerit. Quod ita eſſe, optimè ex eo Scaliger *a* obſervat, quòd meminerit biſexti Romani. Nec enim id nomen obtinuit, priuſquam faſtos correxiſſet Auguſtus. Natale ei ſolum Argyrium, ſive Angyrium, Siciliæ oppidum; ut quidem vulgò legitur apud Diodorum; vel potiùs Agyrium; quod verum eſſe oppidi nomen, aliorum ſcriptorum conſenſu probat princeps ætatis noſtræ geographus, Philippus Cluverius, in Sicilia ſua antiqua. Scripſit Diodorus Siculus βιβλιοθήκην ἱστορικήν, ſive, ut Ariſtophanis ſcholiaſtes vocat, τῶν ἱστορικῶν βιβλιοθήκην, quam veterum alii ἁπλῶς βιβλιοθήκην, vel etiam βιβλιοθήκας nominant. Βιβλιοθήκην verò appellavit, quia tractet hiſtoriam καθολικήν. Agit enim de rebus Ægyptiis, Aſſyriis, Medicis, Perſicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Conſtabat verò opus hoc libris quadraginta; quorum argumentum ipſe in præfatione recenſet. Latine referre ero contentus: *Ex libris noſtris primi quidem ſex continent res ante Troianum bellum geſtas, eaque quæ fabulis de ſeculo iſtoc prodita fuerunt: atque horum priores tres, antiquitates barbaricas; tres poſteriores, ferè Græcas comprehendunt. Vndecim verò ſequentibus res ubique locorum geſtas, à bello Troiano uſque ad Alexandri Magni mortem, deſcripſimus. Denique, in tribus & viginti libris, cæteras res geſtas retulimus, uſque ad initium belli adverſus Gallos excitati; quo Imperator C. Julius, cui res geſtæ Divi nomen peperere, plurimis & pugnaciſſimis Gallorum gentibus debellatis, imperium Romanum ad Britannicas uſque inſulas prolatavit.* Quod verò continuò addit, *Cujus res principio geſtæ incidunt in primum Olympiadis centeſimæ & octogeſimæ annum, archonte tum Athenis Herode:* id profectò verum non eſt, cùm initium belli Gallici in tertium ejuſce Olympiadis annum inciderit. Nihiloque verius eſt, quod ſubjungit de annis, qui intercedunt ab excidio Troiæ uſque ad tempus id, quo bibliothecam ſuam ad umbilicum perduxerat. Vide, quæ de eo idem Scaliger ad Euſebium *a* notavit. Et ſanè multa adeò ſunt σφάλματα *b* Diodori in Olympiadum annis, & Romanis magiſtratibus, ut planè veriſimile ſit, corruptis ac mutilis faſtis uſum eſſe. Sanè hoc nomine non à Bodino modò vapulat: ſed ab ipſo etiam Sigonio, Stephano item Pighio, & aliis χρονογράφοις, ſæpe reprehenditur. Cætera ſi ſpectes, magna ejus φιλοπονία *c* fuit: ut qui triginta annorum operam in hanc ſe hiſtoriam impendiſſe ſcribat in præfatione ſua. Ubi &, quanto veritatis ſtudio laborârit, oſtendit peregrinatione ſuâ in Aſia, atque Europa. Nempe periculis, vel ærumnis nullis territus fuit, quo minùs loca ipſa luſtraret, de quibus ſcripturus eſſet. Utinam modò nobile adeò opus integrum ad nos perveniſſet. Nunc ex quadraginta libris ſolùm quindecim exſtant; atque item pauca ex Photio, & aliis, de quibus mox dicam, excerpta. Ex iſtis XV ultimus, hoc eſt, vigeſimus, deſinit in anno Urbis CCCCLII, quo Conſules fuere M. Livius Denter, & M. Æmilius Paullus. Sed, ad Julium Cæſarem pertigiſſe, credere oportet Diodoro ipſi; cujus ex præfatione verba paullo antè adduximus. Atque idem traditum eſt ab Evagrio lib. V, cap. XXIV. Æquiori animo jacturam tantam ferremus, ſi ſupereſſent Beroſus, Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Calliſthenes, Timæus, atque alii; ex quibus ſua aſſiduo labore congeſſerat Diodorus. Sed nullis libris inviti magis caremus, quàm illis, qui ſequebantur βίβλον νησιωτικὴν *d*; prout librum quinctum ipſe appellat Diodorus, quia eo de inſulis agat. Quinque enim libri, qui alteram decada proximè anteibant, fuere de imperiis Orientis: unde multum lucis accedere potuit ſacris veteris inſtrumenti libris. Neque imponere debet, quòd etiam ſextum videas citari à nonnullis. Nam fefellit eos Poggius Florentinus, qui ante hos annos CLX, poſtulato Nicolai V, magni, imò primi literarum vindicis, quinque primos tranſtulit. Siquidem is bipartitum Dionis librum primum diſcerpſit in duos: unde, qui reverà ſecundus, hic ei tertius; qui tertius; hic illi quartus; ac par ratio in quarto, & quincto. In tanta verò librorum Diodori jactura, qualicunque ſolatio eſt, quòd ex deperditis ἐκλογὰς atque excerpta habemus; ut apud Photium; quæque de legatis dedit Fulvius Urſinus; item quæ ex codice Auguſtano juris publici fecit David Hoeſchelius, ac vertit Rhodomannus; præterea, quæ poſt editionem Rhodomanni, ex Collectaneis Conſtantini Porphyrogenneti, Henricus Valeſius edidit primus, ac vertit, & notis illuſtravit. Item fragmentum de Cleonnide, & Ariſtomene: quod unà cum nonnullis Polemonis, & Himerii, edidit Henricus Stephanus. Sed neſciebat, eſſe Diodori Siculi: cui tribuitur in Florentino codice Bibliothecæ Mediceæ: unde in peregrinatione ſua exſcripſit filius meus Iſaacus, ignarus tum, jam Stephani prælo prodiiſſe. Porrò egregium hoc Diodori opus, nec τοῖς ἔξωθεν *e* modò, ſed etiam Juſtino Martyri *f*, ac Euſebio *g*, laudatum,

a Animadverſionib. in Euſeb. ad annum 1667.

a Ibidem.
b Errata.
c Induſtria.
d Librum inſularem.
e Scriptoribus externis, ſive gentilibus.
f Cohortatione ad Græcos, ubi dicitur ἐνδοξότατος τῶν ἱστοριογράφων, hiſtoricorum clariſſimus.
g In proœmio lib. 2. Præparat. Euangel. ubi illuſtre ejus elogium habes. Vide non tam tralationem Trapezuntii, quàm Euſebium ipſum.

non caruit noſtro ſeculo reprehenſoribus ſuis, ſeu rem, ſeu dictionem ſpectes. Rem ipſam culpat Ludovicus Vives; qui in quincto de tradendis diſciplinis refert, nihil Diodoro eſſe nugacius: contrà profectò, quàm Plinius judicàrat, qui in præfatione ſcripſerat, cùm Græcorum alii magnificis titulis ſuperbiant, Diodorum, qui ἁπλῶς βιβλιοθήκην vocat, primum Græcorum deſiiſſe nugari. Sed videamus, quid moverit eruditum illum cenſorem, ut iniquum adeò judicium ferret. Nempe unum hoc eum impulit, quòd primis libris tradat μυθικὴν ἱστορίαν a, ſive, ut Diodorus ipſe vocat, παλαιὰν μυθολογίαν b. Atqui ipſâ hac appellatione ſatis ſe purgat Diodorus. Adde quòd iſtæ heroicorum temporum narrationes pro meris fabulis haberi minimè debent. Nam verum iis argumentum ſubeſt; ſed fabulari ſe quædam admiſcentur. Qua in re non modò Palæphati reliquiæ lucem aliquam afferunt: ſed idem etiam comprobant, quæ de cataclyſmo, & turri Babylonicâ, prodidere Beroſus, Hecatæus, Alexander Polyhiſtor, Hieronymus Ægyptius, Mnaſeas, atque Abydenus. Nec movere debet, quòd ſcriptores hujuſmodi diſconveniant in multis: ſed cogitandum, non temere eſſe, quòd conveniant in multis. Et ſanè, cùm narrationes ejuſmodi ab hiſtoria quidem originem capiant; ſed tamen longo ævo, in iſta ingeniorum varietate & vanitate, multum ex falſo trahant: nihil mirum eſt, ſi in μυθικῇ hiſtoriâ aliquis inveniatur diſſenſus. Ut in fabula de Phineo à diis excæcato, atque ab Harpyis divexato, quas alati Boreæ filii, Zetes & Calais, cùm ad eum in Argonautica expeditione divertiſſent, occiderint. Nam aliter multò, ac Apollonius, & poëtarum alii, narrat iſta Diodorus Siculus lib. IV, & diverſitatis hanc cauſſam adducit; Καθόλε γὰρ ἐν ταῖς παλαιαῖς μύθοις οὐχ ἁπλῆν, οὐδὲ συμπεφωνημένην ἱστορίαν ἔχειν συμβέβηκε c. Satis iſta oſtendunt, haut multò meliori fide agere potuiſſe Diodorum in rebus ab omni omnium hiſtoricorum memoriâ remotis. Neque enim diffitetur, priſci temporis hiſtoriam fabulis eſſe permiſtam, & aliter, atque aliter, de iis veteres tradidiſſe: ſed contentus eſt referre, quæ veritati maximè conſentanea eſſe putaret: ac ne ſic quidem haberi ea vult pro uſquequaque veris: ſed ſatius putat, quomodocunque res priſcas nôſſe, quàm eas penitùs ignorare. Quemadmodum verò rem ipſam Vives, ita dictionem Diodori arrodit Bodinus in methodo hiſtoriæ. Quanto meliùs de eo cenſuit Photius patriarcha μυριοβίβλε ſuæ cap. LXX! ubi uſum ait φράσει σαφεῖ τε, καὶ ἀκόμψῳ, καὶ ἱστορίᾳ μάλιστα πρεπούσῃ d. Addit, non affectare dictionem nimis Atticam, ſed neque devolvi ad vulgarem, & tritam dicendi formam, verùm mediocri genere gaudere. Quæ ſanè majoris, quàm Bodini judicium, fieri debere, nobiſcum fatebitur, qui vel de ſtylo judicare per ſe poſſit; vel, quàm exquiſito in talibus judicio Photius fuerit, intelligat.

*a Hiſtoriam fabularem.*
*b Enarrationem veterum fabularum.*
*c In priſcis fabulis nulla ſimplex, & per omnia conſentiens ſibi, eſt hiſtoria.*
*d Dictione perſpicuâ, nec nimiùm ornatâ; ſed hiſtoriæ maximè convenienti.*

## CAP. III.

*Ætas Dionyſii Halicarnaſſenſis. Ἀνιστορησία Keckermanni. Quanti temporis, ac quot librorum hiſtoriam Dionyſius conſignârit. Non videri univerſis libris, ſed primis duntaxat, feciſſe nomen Antiquitatum Romanarum. Refellitur Sigiſmundus Gelenius. Dionyſii cura in obſervatione temporis, & explicatione rituum Romanorum. Stylus ejus cujuſmodi. Scripſit ipſe hiſtoriæ ſuæ compendium. Rhetoricorum ejus, & Criticorum operum laus. Dionyſius Pergamenus. Dionyſius ὁ μελῳδητής. Quando hic vixerit, accuratè oſtenſum. Patria ejus ex Plinio indicata. Suidas emendatur. Ejuſdem de patria Dionyſii conjectura refellitur. Conciliatur idem cum Plinio. Scripſit Dionyſius hic quoque de lapidibus. Sed opus de avibus erat Dionyſii Philadelphenſis. Baſſaricorum, ſive operis de geſtis Bacchi, auctor erat Dionyſius Rhodius, qui aliis Samius. Alter Dionyſius μελῳδητής, patriâ Mileſius. Dionyſius Thrax, & Dionyſius, Glauci filius, uterque Alexandrinus.*

AUguſti quoque temporibus floruit Dionyſius, Alexandri filius, Halicarnaſſenſis. Quod ſatis indicat Strabo, ejuſdem temporis ſcriptor. Sic enim ille libro XIV: Καὶ ὁ καθ' ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς a. Ac ne alium hunc Dionyſium putes, ipſe in præfatione ſcribit, in Italiam ſe veniſſe, ſimul ac Cæſar Auguſtus finem impoſuit bello civili, circa mediam Olympiadem centeſimam octogeſimam ſeptimam. Ut omnino aliud egerit vir eruditus b, cùm in ſuo de hiſtoria opere tres eſſe ſcribit, qui acriùs in Plutarchum cenſuram exerceant; eoſque inter eſſe principem Dionyſium Halicarnaſſeum: quaſi Plutarchus non Traiani demum temporibus floruerit: Dionyſius autem vixerit ſub Auguſto; quemadmodum vidimus. Subjungit poſtea Dionyſius, ex eo tempore, quo Romam venit, uſque ad illud, quo iſta ſcriberet, exactos eſſe annos viginti duos; quibus Romæ egerit, Urbiſque didicerit ſermonem, ac partim eruditorum hominum conſuetudine, partim lectione Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis, & aliorum, hiſtoriam iſtam ſcripſerit. Ac primùm, ut, unde Romani genus ſumſerint, liqueat, ea refert, quæ de Aborigenum populo, & priſcis Italiæ incolis, ferebantur. Pertexuiſſe verò ſe hiſtoriam dicit uſque ad primum bellum Punicum, ſive annum urbis CCCCLXXXVIII, vel, juxta alios, CCCCXC; unde Polybium incipere ait. Ac convenit, quòd uſque ad Pyrrhum, Epirotarum Regem, produxiſſe ait Euagrius lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. ultimo. Opus hoc ipſe appellat ἀρχαιολογίαν Ῥωμαϊκὴν c, niſi is titulus proprius ſit priorum librorum; quos ante cæteros, ut totius operis guſtum haberent Romani, editos fuiſſe, rectè obſervavit H. Stephanus. Hodie ex XX libris (quot à Dionyſio ſcriptos fuiſſe, etiam Photius dicit) tantum exſtant undecim; quibus pervênit uſque ad ſublatum decemviratum, plebeios ad tribunatum militarem admiſſos, eamque poteſtatem abrogatam, & conſules ex ordine patritio iterum electos: quod factum eſt anno V. C. CCCXII. Ex poſterioribus libris, qui perierunt, Stephanus περὶ πόλεων citat aliquos: ut decimumſextum in Αἴκελον, & undevigeſimum in Κορνίσσεια. Quare, ut tacuiſſet Dionyſius, quouſque hiſtoriam ſuam perduxiſſet: tamen ex Ἐθνικῶν ſcriptore ſatis conſtaret, Gelenium falli, qui putabat, Dionyſium operi iſti immortuum eſſe; nec plura ſcripſiſſe, quàm hodie habemus. Quam ſententiam etiam refellit Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olympiad. CXXVIII an. III. ubi ait: Ἀρχὴ δὲ τοῦ πρώτου Ῥωμαίων, καὶ Καρχηδονίων πολέμου. ἐνταῦθα τὴν τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀρχαιολογιῶν πραγματείαν κατέστρεψε Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς d. Ex novis libris deperditis luculentum nobis fragmentum conſervavit Conſtantinus Porphyrogennetus, eo Collectaneorum libro, quo agebatur de Virtutibus, & Vitiis. Unde unà cum Excerptis Polybii, Diodori Siculi, Nicolai Damaſceni, & aliorum, appoſitâ tralatione ſuâ, ac notis, edidit jam e ſemel, iterumque, memoratus nobis Henricus Valeſius. Euſebius in IV Præpar. Euang. cap. XVI, quo περὶ τῆς παλαιᾶς ἀνθρωποθυσίας f tractat, vocat Διονύσιον τὸν Ἁλικαρνασσέα, ἄνδρα τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἀκριβῶς τὴν γραφὴν ἅπασαν ἐνθέμενον. *Dionyſium Halicarnaſſenſem, virum, qui accuratè hiſtoriam Romanam perſcripſit univerſam.* Et ſanè Dionyſio huic laudem eam tribuit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, quòd curatiùs eo tempora nemo obſervârit. Hac quoque parte Livio præfertur, quòd & plura, & accuratiùs, multa tradat, quæ ad Romanas antiquitates pertinent. Quâ de re H. Steph. vide operæ primæ in Dionyſ. cap. X. Stylus quoque, ut Photius loquitur, eſt καινοπρεπὴς g: atque, ut idem ait, τὸ κομψὸν τοῦ λόγου, τῇ τε τοῦ μέτρου ἀφηγήσει, καὶ τῇ παρεκβάσει κεκερασμένον, τὸ ἐπὶ τὸ τραχύτερον ῥέπουσαν θεραπεύει συνέπειαν. *orationis elegantia, quæ rerum particularium narratione, & digreſſione, temperatur, dictionem, quæ in aſperitatem abiiſſet, lenit.* Horum XX librorum σύνοψιν ſcripſit ipſe auctor; ut Photius dicit: addit autem, in eâ ſolùm neceſſaria expoſuiſſe, eoque utilem magis fuiſſe operam, quàm ſuavem. Quinctum hujus epitomes librum citat Stephanus, ſive Hermolaus, in Ἀρίκεια. Meminit quoque ejuſce epitomes in

*a Ac noſtri temporis ſcriptor, Dionyſius hiſtoricus.*
*b Barth. Keckerm.*
*c Antiquitatum Romanarum hiſtoriam.*
*d Initium belli inter Romanos, & Carthaginenſes. Hic antiquitatum Romanarum opus finit Dionyſius Halicarn.*
*e Pariſiis an. 1634.*
*f De antiqua conſuetudine immolandi homines.*
*g Gratum ac decorum habens novitatem.*

in Κοριόλα: ſed quotum ejus librum advocet, parùm liquet. Corruptè enim legitur, Διονύσιος ἐν τῇ ἐπιτομῆς. Exiſtimare aliquis poſſit, ἐν, eſſe corruptum ex Κ; ut vigeſimus ſignetur. Sed obſtat, quòd epitome ea tantùm quinque conſtiterit libris: ut clarè ait Photius. Liceat tamen ſuſpicari, fuiſſe plures, quàm Photius vidiſſet. Nec bonus tantùm hiſtoricus fuit, ſed etiam Rhetor, ac Criticus nobilis: quod oſtendunt Rhetorica, ac Critica ejus opuſcula, quæ ſuperſunt: præter quæ alia ejus generis elaboràſſe, cognoſcimus inde, quòd in iſtis multa è ſuis hujus argumenti citet, quæ hodie non habemus.

Proximus Dionyſio huic fuit alter Dionyſius, itidem hiſtoricus; ſed natione Pergamenus, cognomento Atticus, diſcipulus Apollodori Pergameni, rhetoris ejus, qui Auguſto Cæſari familiaris adeò fuit, & à quo condita eſt ſecta Apollodorea, quæ Theodoreæ opponitur. Auctor Strabo lib. XIII: ubi & Dionyſius iſte vocatur σοφιστὴς *a* ἱκανὸς, συγγραφεὺς, καὶ λογογράφος. Meminit hujus Dionyſii etiam Suidas: quem ſaltem auctorem potiùs laudare debuit Geſnerus in bibliotheca ſua, quàm Æneam Sylvium.

Ad hæc etiam tempora referri debet Dionyſius ille, cujus περιήγησις hodieque exſtat: quod opus ἱστορικὸν καλοῦσιν οἱ παλαιοὶ *b*: ut ait Euſtathius *c* ſcholiaſtes. Idem vixiſſe ait οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῶν ἀνάκτων *d*, atque hoc ipſum de ſe ſcribere dicit. Signat verò locum iſtum:

> Ἐκ *e* Διὸς Αὐσονίης αἰεὶ μέγα κοιρανέοντες.

Et imprimis verſus iſtos:

> Ῥώμην *f* τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
> Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Ubi Euſtathius monet, cùm Dionyſius dicit ἐμῶν ἀνάκτων *g*, ſatis oſtendere, non ſub conſulibus ſe iſta ſcribere, ſed ſub imperatoribus. Quod verum eſt. Sed, quo ſub imperatore, minùs liquet. Antoninorum temporibus vixiſſe, cenſet Barthius Adverſ. Lib. LVIII. cap. V. Atque eos per ἄνακτας intelligendos putat. Severi temporibus claruiſſe dicit Salmaſius in Solinum *h*. Imò & Scaliger Euſebianis Animadverſionibus ad annum MMCCXV: ubi per ſuos ἄνακτας intelligere ait Severum cum filiis Getâ, & Caracallâ; quos ipſos per triplicem imperii virtutem ſignat Tertullianus *i*. Sed ſi, quia ἄνακτας dicit, plures deſignantur; quid prohibet, ut Divos fratres, M. Aurelium & L. Verum, intelligamus? At multo antè vixiſſe putat Euſtathius, nempe ſub Nerone; imò Auguſto, juxta quoſdam: cujus etiam mentionem eidem facere videtur, cùm, poſtquam de Parthorum ferociâ dixiſſet, addit,

> Αὐσονίου *k* βασιλῆος ἐπεπρήϋνεν ἀκωκή.

Sanè conſules nunquam ἄνακτας *l* vocâſſet. Quod verò Parthos, Auſonii domini haſtâ coactos, ferociam ait depoſuiſſe, id optimè convenire Auguſto, oſtendunt iſta verba Tranquilli *m*: *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facilè ceſſerunt: & ſigna militaria, quæ M. Craſſo, & M. Antonio, ademerant, repoſcenti reddiderunt; obſideſque inſuper obtulerunt: denique, pluribus quondam de regno concertantibus, nonniſi ab ipſo electum comprobaverunt.* Quod ſiquis, quia Euſtathius dubitare videtur, num ſub Nerone, an ſub Auguſto vixerit, eo & ipſe ambigat, ſub utro floruerit: at omnem ſcrupulum tollit, illis temporibus proximus, Plinius ſecundus. Ex quo etiam patriam diſcimus fuiſſe Alexandriam, non illam Ægypti, aut Syriæ; ſed oppidum Suſianæ ad ſinum Arabicum, inter Tigrim, & Eulæum fluvium; quod ut ſæpe nomen mutarit, idem Plinius refert. Adſcribam ea ſolùm verba, quibus ſub Auguſto claruiſſe, atque Alexandriæ Suſianæ natum eſſe, cognoſcimus. Locus eſt lib. VI Nat. Hiſt. cap. XXVII: ubi cùm de eo Suſianæ oppido egiſſet, ſubjungit iſta: *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſium, terrarum orbis receniſſimum auctorem, conſtat; quem ad commentanda omnia in Orientem præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam, ad Parthicas, Arabicaſque res, majore filio.* Quare omnino inanis eſt conjectura Suidæ, cùm Dionyſium, ſi vulgata lectio vera eſt, Byzantium fuiſſe arbitratur, propter ea, quæ de fluvio Rheba canit. Sunt verò hæc:

> Ἄγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσι,
> Ῥήβας ἔνθ᾽ ἐρατεινὸν ἐπιπροΐησι ῥέεθρον,
> Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στόμα πότνιον εἶσι,
> Ῥήβας, οὗ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ.

Quæ ſic vertit vetus interpres, Rufus Avienus:

> —— *Propter Bithynia glebam*
> *Exerit. hic latè Rhebas extenditur amnis,*
> *Rhebas cyanei qui disjicit æquora Ponti,*
> *Rhebas argento ſimilem qui porrigit undam.*

Nimirum putavit Suidas, niſi Rhebas patrium ſolum interluiſſet, nunquam illuſtri adeò elogio fuiſſe dignaturum. Nondum diſputo, quàm validum hoc ſit argumentum. Illud ſolùm dico, & Dionyſii, & interpretis verba, ſatis oſtendere, Rhebam eſſe Bithyniæ flumen. Atque idem liquet ex ſcholiaſte Euſtathio: imò ex Plinio etiam lib. VI Nat. Hiſt. cap. I. Ῥήβαιον vocat Apollonius in II Ἀργοναυτ. Hodie verò à Græcis *Ribas* nominatur: ut cognoſcimus ex doctiſſimo P. Gillio *a*; qui loca hæc ipſe luſtravit. Sed ſi Rhebas Bithyniæ eſt fluvius, ut iſta oſtendunt; quomodo Suidas ex eo, quòd Dionyſius tantopere laudat Rhebam, colligit, eum fuiſſe Byzantinum? Sic enim ſcribit: Ὑπολαμβάνω *b*, ὅτι Διονύσιος ὁ περιηγητὴς Βυζάντιος ἦν, διὰ τὸν ποταμὸν Ῥήβαν. Equidem, quod ſentio, dicam. Puto, Suidæ locum corruptum eſſe, proque Βυζάντιος legendum eſſe Βιθυνός. Hæc omnino, judicio meo, vera lectio eſt. Nec propterea perſuadere mihi poſſum, Bithynum fuiſſe. Nihil enim argumento illo infirmius. Nam potuit egregiam adeò ejus fluminis laudem dare auribus Bithynorum, quòd aliquamdiu jucundè apud eos vixiſſet, aut aliâ de cauſâ. Utut eſt, Plinii verbis omnis de patria ſcrupulus tollitur. Nam quin idem ſit Dionyſius, de quo Plinius loquitur, & iſte, quem habemus, dubitari non poteſt propter ea, quæ in laudem Auguſti dicit; ut vidimus. Euſtathius tamen hoc, quod de patria Dionyſii dicebamus, ignoràſſe videtur. Nam nullam Alexandriæ mentionem facit, dicere contentus *c*, eſſe genere Afrum. Quod falſum eſſe contenderem, niſi ſemper ſcriptores ἐναντιοφανεῖς *d* conciliare mallem, modò id fieri poſſit. Fortaſſe autem Dionyſius oriundus quidem ex Africa fuit: ſed ortus erat in Suſiana.

Porrò ex Euſtathio diſcimus, alia etiam huic Dionyſio tribui ſolere; ut λιθιακὰ *e*, ὀρνιθιακὰ *f*, καὶ βασσαρικὰ *g*. Ac idem λιθιακὰ quidem Dionyſii hujus eſſe agnoſcit, propter ſimilem ſtylum: Ὀρνιθιακὰ verò à doctoribus tribui dicit Dionyſio Philadelphenſi, qui διὰ *h* λέξεως ἀκυρολογίαν Διάκτορος vocabatur. Βασσαρικὰ autem, quia ſtylum habeant incultum, eò indigna eſſe viſa ait, quæ Dionyſii hujus crederentur: ſed potiùs adſcribenda eſſe Dionyſio Samio. Βασσαρικῶν Dionyſii meminit etiam Stephanus in Ethnicis aliquoties. Βασσαρικὰ autem eadem eſſe, ac Διονυσιακὰ, etiam Suidas auctor eſt in Σωτήριχος; quem ejuſdem tituli, atque argumenti, opus condidiſſe ſub Diocletiano, auctor eſt ibidem. Appellatio eſt ex eo, quia βασσάραι, αἱ βάκχαι. Cæterùm præter hunc Dionyſium περιηγητὴν, quem habemus, fuêre etiam alii ejus nominis, qui ſimiliter περιηγήσεις ſcripſerint. Unus Mileſius fuit; qui Herodoto ipſo antiquior eſt. De hoc diximus cap. II libri præcedentis. Alter, utrùm Samius, an Rhodius fuerit, non ſatis conſtat. Rhodium vocat Tertullianus libro de Anima cap. XLVI. Ubi ſcripſiſſe ait de divinatione à ſomniis. At Samium diſertim appellat Euſtathius; ut paullo antè vidimus. Credo, cùm in Samo eſſet natus, nihilominus Rhodius dicebatur, quia Rhodi habitaret, atque ibi ſacerdos eſſet Solis; qui Rhodi imprimis colebatur, eò quòd in inſula hac nunquam ita nubilum ſit cælum, quin luce ſolis perfundatur, ut Solinus dicit cap. XXVII. De hoc Dionyſio ita Suidas: *Dionyſius, Muſonii filius, Rhodius, aut Samius hiſtoricus, fuit autem etiam ſacerdos templi Solis, quod ibidem erat. Scripſit locorum hiſtorias libris ſex, orbis deſcriptionem,* (οἰκουμένης περιήγησιν) *hiſtoricæ inſtitutionis* ἱστορικῆς παιδεύσεως

a *Sophiſta bonus, & hiſtoricus, & orationum ſcriptor.*
b *Hiſtoricum veteres vocant.*
c *In præfat.*
d *Non ſub conſulibus, ſed ſub imperatoribus.*
e *E Jove Auſonii ſemper ſtrenuè dominantes.*
f *Romam glorioſam, meorum magnam domum dominorum, Matrem urbium, opulentam ſedem.*
g *Regum ſive imperatorum meorum.*
h *P. 618.*
i *Lib de Pallio cap. 3.*
k *Auſonii imperatoris manſuefecit cuſpis.*
l *Reges ſeu imperatores.*
m *In Aug. cap. 21.*

a *Lib. 3. de Boſphoro Thracio cap. 1.*
b *Exiſtimo, Dionyſium, qui orbem deſcripſit, Byzantinum fuiſſe, propter fluvium Rhebam.*
c *In prolego commment.*
d *Qui inter ſe pugnare videntur.*
e *De lapidibus.*
f *De avibus.*
g *Dionyſiaca, ſive de rebus à Baccho geſtis.*
h *Ob dictionem impropriam Diacenus.*

ϑδωνικῆς) *libros decem.* Ex hoc Dionyſio cenſeo eſſe verſus iſtos, quos Jo. Tzetzes Chil. XII Hiſtor. CCCCL in Dionyſii περιηγήσει legi ſcribit:

Τῆς ᵃ γάρ τοι φιλότητος Ἀμαζονίδων ἰσχόντο,
Τὴν ποτε δὴ μιχθεῖσαι ἐπ' ἀνδράσι Σαυρομάτῃσι.

Nam in ea quidem Dionyſii περιηγήσει, quam habemus, verſus hos nullus invenio: ſed iſtos,

—— Ἐκ ᵇ γὰρ ἐκείνης
Ἰφθίμης φιλότητος Ἀμαζονίδων ἰσχόντο,
Τὴν ποτε Σαυρομάτῃσιν ἐπ' ἀνθρώποισι μίγησαν.

*a Illi enim ex amore Amazonidum fuerunt geniti, Quæ olim jam commixtæ ſunt cum viris Sauromatis.*
*b Ex illo enim valenti concubitu Amazonidum geniti ſunt, Quæ ſe cum Sauromatis viris miſcuerunt.*

Quemadmodum verò præter Dionyſium Alexandrinum duo fuiſſe Dionyſii exiſtimantur, quorum uterque περιήγησιν ſcripſerat: ita præter Dionyſium iſtum περιηγητὴν fuere duo Dionyſii, qui Alexandrini non minùs vocarentur, ſed περιήγησιν ſcripſiſſe nuſquam, quod ſcio, dicantur. Eorum unus eſt Dionyſius, cognomento Thrax, qui ſub Pompeio Magno docuit; ut ſuperiùs oſtendebamus. Alter fuit Dionyſius, Glauci filius, diſcipulus Chæremonis philoſophi, cui etiam Alexandriæ ſucceſſit, præceptor verò Parthenii Grammatici. Vixit is à Neronis temporibus uſque ad Trajanum: præfuit bibliothecis; fuit ab epiſtolis, & à reſponſis; & legationes varias obiit. Auctor Suidas.

## Cap. IV.

*Jubæ hiſtorici genus, captivitas, inſtitutio, regia dignitas, conjugium, libri. Neſtoris Tarſenſis ætas, fortuna, ſcripta. Cujuſmodi fuerit, tum Neſtoris Larandenſis Ilias, tum Triphyodori Odyſſea. Alia, quæ idem Neſtor conſignavit. Nicolaus Damaſcenus quanti viris acceptus fuerit. Quid per* Nicolaos *intelligant antiqui. Nicolai hiſtoria καθολική. Dalecampius notatus.* Καλὴ Ἀκτὴ, *ſeu* Καλάκτη. *Alios eſſe* Calatinos, *alios* Calactinos. *De ætate Cæcilii diſſeritur. An religione fuerit Judæus. Ariſto, atque Eudorus, alter alterum furti alligant. Malè confundi Ariſtonem Ceum, Peripateticum, & Ariſtonem Chium, Stoicum. Ariſto Pellæus.*

AB Dionyſiis ad alios venio, qui Auguſtæo ævo floruerint. Eos inter, ob regium genus, agmen ducat Juba ſecundus, filius Jubæ primi, ejus qui Numidiæ, & partis Mauritaniæ, rex fuit, belloque civili partes Pompeii eſt ſecutus; à Cæſare autem victus, cum M. Petreio ſingulari certamine concurrens, vitâ functus eſt. Vide Dionem lib. XLIII. Cùm patrem non poſſet, filium ejus Jubam, admodum puerum, in triumphum Julius Cæſar duxit; teſte Plutarcho in C. Cæſare. Qui & addit, hanc Jubæ fortunatam fuiſſe captivitatem; quia occaſione eâ factum fuit, ut in Italia optimis literis excoleretur, atque ex barbaro Numida hiſtoricus fieret eruditiſſimus. Sanè Athenæus quoque lib. III ἄνδρα πολυμαθέστατον ᶜ appellat. Nec paternæ dignitatis planè exſors permanſit. Nam Auguſtus eum, ſtudiis jam egregiè excultum, ſuaſque ſecutum partes adverſus Antonium, pro paterno regno quibuſdam Gætuliæ partibus, & Bocchi ac Bogudis ditionibus donavit: præterea uxorem ei didit Cleopatram Σελήνην juniorem, Antonii triumviri ex Cleopatra filiam. Auctor Dio lib. LI, & LIII. Multa ſcripſit, quæ à plurimis veterum citantur: imprimis Plinio in Hiſtoria Naturali; ut lib. VI, cap. XXVII, XXIX, XXXI, XXXII; lib. X, cap. XLIV; & alibi. Laudat & Plutarchus in Romulo, Numa, Sylla, in Quæſtionibus verò Romanis ſæpius; Tertullianus adverſus gentes cap. XIX; Philoſtratus de vita Apollonii lib. II cap. VI, & VIII. Etymologicum Magnum in Βλίτυες, & Διόνυσος: ex Eccleſiæ ſcriptoribus Tertullianus in Apologetico cap. XXIX; & alii. Edidit inter alia opus de expeditione Arabica, Plinio memorante lib. VI. cap. XXVII. Item συγγράμματα ᵈ περὶ Λιβύης. quæ citat Athenæus lib. III; & Plutarchus Parallelorum minorum cap. XXIII; ubi è tertio ejus operis quiddam narrat. Idem lib. IV advocat περὶ τῆς ᵉ θεατρικῆς ἱστορίας. Eâ egerat de fabulis, & hiſtoriis, quæ tragœdiis argumentum præbere ſolent. Scripſit quoque duos de Aſſyriis libros, quos ex Beroſo excerpſerat; teſte Tatiano orat. ad gentes. Epigramma ejus in Leontem Argivum, tragicum, refert Athenæus lib. VIII. Sed imprimis laudari meretur Ῥωμαϊκὴ ἱστορία ᵃ; cujus librum primum celebrat Stephanus in Ἀβοριγῖνες, & Ἀσία. Alius eſt Juba, ex quo Priſcianus, initio libri de verſibus Comicis, aliqua refert de jambicis cacometris. Grammaticus is fuit & Latinè ſcripſit.

*c Virum multijugæ eruditionis.*
*d Commentarios de Libya.*
*e Lib 4. theatricæ hiſtoriæ.*
*a Hiſtoria Romana.*

Nec magis obſcura poteſt eſſe ætas Neſtoris Tarſenſis. Siquidem præceptor fuit Marcelli ejus, qui à Virgilio celebratur, & C. Marcelli ex Octavia, Auguſti ſorore, filius erat. Docet hoc nos Strabo lib. XIV; ubi, de egregiis Tarſenſibus agens, inter cætera inquit, Οὗτοι ᵇ μὲν Στωικοὶ ἄνδρες. Ἀκαδημαϊκὸς δὲ Νέστωρ ὁ καθ' ἡμᾶς, ὁ Μαρκέλλου καθηγησάμενος τοῦ Ὀκταουΐας παιδὸς, τῆς Καίσαρος ἀδελφῆς. Scripſit Θεατρικὰ ὑπομνήματα ᶜ. Hæc hiſtoria eorum erat, quibus perſonant theatra. Meminit Athenæus lib. X. At multo junior hoc Neſtore fuit alter ejus nominis, poëta epicus, qui ſub Severo imperatore vixit, & patriâ fuit Larandenſis, ex Lycia; ſive Lycaonia. Hic, Suida teſte, fecit Ἰλιάδα λειπογράμματον ᵈ; cujus liber primus nullum Α habebat, liber II nullum Β, lib. III nullum Γ, & ita deinceps. Quomodo & Triphyodorus Ægyptius, is cujus hodieque Ἰλίου ἅλωσις ᵉ exſtat, ſcripſit Ὀδυσσείαν λειπογράμματον ᶠ. Auctores de utroque Heſychius Mileſius, & Suidas. Etiam Ἀλεξανδριάδα ejus nominat Stephanus in Ὑσίαι. Μεταμορφώσεων citat Menander rhetor cap. περὶ λαλιᾶς, & Suidas in Νέστωρ: ac duo epigrammata ejus exſtant lib. I Ἀνθολογίας.

*b Atque hi quidem fuere Stoici. Academicus autem noſtrâ ætate Neſtor, qui docuit Marcellum, filium Octaviæ, Auguſti ſororis. Doctiſſimus Xylander extremis verbis pro ſororis vertit filiæ. Nempe aliud agebat vir Græcè ſcientiſſimus.*
*c Commentarios theatrales.*
*d Iliada literarum aliquâ carentem.*
*e Ilii excidium.*
*f Odyſſeam quâpiam literâ defectam.*

Nicolai Damaſceni ætas nulli ignota eſſe poteſt, qui ſciat, familiarem fuiſſe Herodi regi: amiciſſimum item Auguſto Cæſari, uſqueadeò, ut *Nicolaorum* nomen ab hoc imponeret, ſive dactylis, quod eſt apud Athenæum ᵍ, Plutarchum ʰ, Iſidorum ⁱ, & Adhelmum ᵏ; ſive placentæ generi, juxta Serenum Samonicum, Heſychium Mileſium, Photium, & Suidam; quomodo & Palladius uſurpat lib. de monachis Ægyptiis hiſtor. VIII. Meminit Nicolai Damaſceni quoque Euſebius lib. IX. Præparat. Euang. Fuit Philoſophus Peripateticus, vir planè ſummus, & undecunque doctiſſimus. Scripſit de vita propria, teſte Suida: qui & alia multa nominat, quæ apud eum legi malo. Ipſe ea ſolùm adferam, quæ hiſtorica ſunt. Qualis eſt hiſtoria Aſſyria, quam ab eo ſcriptam fuiſſe, auctor eſt Photius. Qui etiam putat, fuiſſe ejus Collectanea morum incredibilium. Planè autem cenſeo, hiſtoriam Aſſyriam fuiſſe partem univerſalis hiſtoriæ. Ea librorum erat LXXX, juxta Suidam, CXXIV, ſecundùm Joſephum: ſed fuiſſe librorum centum & XLIV, indicat Athenæus lib. VI: Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς, εἷς δ' ὢν τῶν ἐκ τοῦ περιπάτου, ἐν τῇ πολυβίβλῳ ἱστορίᾳ (ἑκατὸν γὰρ καὶ τεσσαράκοντα εἰσι πρὸς ταῖς τέσσαρσι) τῇ ἑκκαιδεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ φησιν. &c. *Nicolaus Damaſcenus, unus ex Peripateticis, in hiſtoria ſua multis conſtante libris, nimirum centum, & quadraginta quatuor, libro centeſimo decimoſexto ait.* Ex libro XCVI locum quendam de diluvio, & arcâ, citat Flavius Joſephus lib. I. Antiq. Jud. cap. V. Item alium de patriarcha Abrahamo, & illius habitatione apud Damaſcenos, cap. VII ejuſce libri. Operæ etiam fuerat adire librum XVI hujuſce operis cap. XI; ubi oſtendit, quantopere ejus fides fuerit ſuſpecta in rebus Herodis M., quo vivo ſcribebat. Meminit quoque Freculphus Lexovienſis Chron. Tom. I. cap. XXV. Ubi vulgò legitur: *Sed Manaſeas Damaſcenus in nonageſimo ſexto Hiſtor.* Legendum autem; *Sed & Mnaſeas, & alii complures. Damaſcenus in nonageſimo ſexto Hiſtor. ita de hoc diluvio dicit.* Nempe Freculphus Rufinum exſcripſit, more ſuo; apud quem eadem legas in Joſephi tralatione ˡ. Sed in Mſo noſtro eſt, *Manaſſea.* Apud Joſephum, quod omnem ſcrupulum tollit, legitur: Καὶ Μνασέας δὲ καὶ ἄλλοι πλείους. καὶ Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς, ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ καὶ ἕκτῃ βίβλῳ, ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν, &c. Quædam, quæ

*g Lib. 14.*
*h Sympoſ. lib. 8. cap. 4.*
*i In Gloſſis.*
*k Lib. de virginitate.*
*l Lib. 1. Ant. cap. 5.*

quæ ad Indiam pertineant, refert ex eo Strabo lib. xv. Etiam geminum ejus fragmentum eruditis notis illuſtrat Joſ. Scaliger append. operis de Emend. Temporis. Ab aliis excerpta tantùm, aliis verò integra Venetiis hiſtoria exſtare dicitur, ut ait Geſnerus Tom. I biblioth. Sed metuo multùm, ne fucum aliquis fecerit Geſnero. De integra, inquam hiſtoria. Nam excerpta quædam nobis conſervavit Conſtantinus Auguſtus Porphyrogennetus libro de Virtutibus, ac Vitiis: unde ea V. Cl. Henricus Valeſius depromſit, cumque tralatione ſua, ac notis, bono publico divulgavit a. Quædam etiam in iis ſunt non ex Hiſtoriarum libris, ſed libro de vita ſua, item libro de Inſtitutione Auguſti. Addidit quoque illa, quæ ex Damaſceni hiſtoria univerſali hauſerat Stobæus. Συναγωγὴν b Nicolai Damaſceni citat Abba Maximus, Eclog. cap. IV: indeque aliqua adducit. Ambigo autem, idemne, an aliud ſit opus, quod Græcè Mſum haberi in Nomenclatore ſuo ait Rob. Conſtantinus, ac Nicolai Damaſceni Syllogas appellat. Sanè Collectanea Græcis Συναγωγὴ, & Συλλογή.

a *Pariſiis an. 1634.*
b *Collectanea.*

Auguſtæo quoque ævo vixit Cæcilius Siculus, rhetor nobilis, ſed ſervili genere prognatus. Verùm, quòd tum vixiſſe dicebamus, & quòd Siculum fecimus, utrumque id non videtur controverſiâ carere. Nam in Atticâ natus fuit, ſi credimus Dalecampio; qui lib. VI, & XI Athenæi, ubi Græcè eſt, Καικίλιος ὁ ῥήτωρ, ὁ ἀπὸ καλῆς Ἀκτῆς, vertit, *Cæcilius rhetor in pulchra Attica genitus.* Sed non venit ei in mentem, Καλὴν ἀκτὴν notare *Siculum litus*, inque eo civitatem Siciliæ. Ejus mentio eſt apud Diodorum Siculum lib. XII: ubi de Ducetio ſic ſcribit: Προσποιησάμενος c χρησμὸν αὐτῷ δεδόσθαι, κτίσαι τὴν Καλὴν ἀκτὴν ἐν Σικελίᾳ. Etiam Herodotus ita vocat lib. VI. Sed ex Καλὴ Ἀκτὴ poſtea factum Καλάκτη: quomodo vocatur apud Ptolomæum, ac Priſcianum quoque extremo lib. II; ubi & Mſſi mei, & antiquiſſimæ etiam editt. conſtanter habent, *Præneſte Præneſtinus, Calate Calatinus, Calacte Calactinus.* Quare planè aſſentio doctiſſimo Caſaubono d; qui apud Diodorum Siculum e ſcribendum ſuſpicabatur, τὴν τῶν Καλακτίνων πατρίδα, ubi vulgò eſt Καβακτίνων. Ac monuit ſummus vir, Philippus Cluverius, ſimiliter apud Ciceronem actione III in Verrem legi debere, *Calactinis quamobrem imperaſti anno tertio, ut decimas agri ſui, quas Calactæ dare conſueverant, Ameſtrati M. Cæſio decumano darent.* Ubi vulgò eſt *Calata*, & *Calatinis*: cùm Calate, ſive Γαλάτη ſit in mediterraneis Siciliæ, unde Plinio *Galatini*. Alibi quoque in hoc nomine peccatum eſſe, pluribus idem oſtendit in ſua Sicilia antiqua lib. II. cap. IV. Nec de patria ſolùm, ſed de ætate etiam, dubitatio eſt. Nam Suidas agnoſcit quidem, docuiſſe Romæ ſub Auguſto Cæſare: ſed addit, inde uſque ad Hadriani tempora docuiſſe. Atque ab exceſſu Auguſti, uſque ad principatum Hadriani, ſunt anni CII. Nunc adde annos, quibus ſcholam habuit ſub Auguſto. An dicemus, non debere intelligi principatum Hadriani, ſed pueritiæ; quia fortaſſe Hadrianus eum audierit Romæ? At à morte Auguſti, uſque ad XV Hadriani annum, ſunt anni LXXVI. Hoc quoque ſpatium, vel ſine annis Auguſti, nimium videtur. Quare, quod ad Hadrianum uſque vixiſſe Cæcilium ait, non magis fidem meretur, quàm quod alii dixere, fuiſſe religione Judæum. Nam, ut bene inquit Suidas, Πῶς f Ἰουδαῖος σοφὸς τὰ Ἑλληνικά: Præſertim qui non in Judæâ, aut Ægypto, vixiſſet; ſed in Sicilia, & Romæ? Fortaſſe duo fuere Cæcilii Rhetores Calactini; aut unus Calactinus, alter Calatinus: indeque error obortus, tum de religione, tum de ætate. Sanè fuiſſe Cæcilium Rhetorem Ciceronis ætate, ſi non Judæum, at ſaltem judaizantem, oſtendit dictum illud Tullii de eo, cùm Verrem accuſare vellet: *Quid Judæo cum Verre?* Qui autem Ciceronis temporibus cauſſas agebat, potuit & ulteriùs vitam produxiſſe. Vel fortaſſe ille, qui ſub Auguſto claruit, filius ejus erat, quem Cicero dicto illo notârat. Utcunque hoc eſt, Cæcilius ille Calactinus Auguſti ætate vixit. Siquidem amiciſſimum ſibi eſſe, dicit Dionyſius Halicarn. epiſt. ad Cn. Pompeium. Nobilis planè rhetor fuit, etiam Fabio ſæpe laudatus: ut nihil de iis dicam, qui poſt Hadrianum vixerunt: ut ſunt Athenæus lib. VI, ac Dionyſius Longinus initio libelli περὶ ὕψους a; ubi de eodem argumento Cæcilium egiſſe dicit. Alia quoque ejus commemorat Suidas: quæ apud eum legi poſſunt. Nos contenti erimus adferre, quæ ad noſtrum magis inſtitutum faciunt. Ut quòd hiſtoriam condidit bellorum ſervilium. Athenæus lib. VI: Σύγγραμμα b τι ἐκδέδωκε περὶ τῶν δουλικῶν πολέμων Καικίλιος ὁ ῥήτωρ ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς. Nec hiſtoriam modò, ſed etiam de hiſtoria ſcripſit. Unde idem Athenæus lib. XI: Καικίλιος c ὁ ῥήτωρ ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς ἐν τῷ περὶ ἱστορίας. Cujus operis etiam meminit Suidas; qui ejus argumentum fuiſſe docet περὶ d τῶν καθ' ἱστορίαν, ἢ παρ' ἱστορίαν, εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι.

c *Fingens ſe oraculo juberi in Sicilia condere Calen Acten.*
d *In Athen. Animadv. lib. 6. cap. 21.*
e *Lib. 12.*
f *Quo pacto Judæus diſciplinas Græcanicas norat?*

a *De ſublimi charactere.*
b *Commentarium de bellis ſervilibus edidit Cæcilius Rhetor Calactinus.*
c *Cæcilius Rhetor Calactinus libro de hiſtoria.*
d *De iis, quæ ab oratoribus ſecundùm hiſtoriam, vel præter hiſtoriæ veritatem, dicta ſunt.*

Nec dubium, quin Cæcilii Rhetoris ſit liber de Antiphonte Rhetore, quem à Cæcilio editum fuiſſe, auctor eſt Plutarchus initio libri de X Rhetoribus.

Felici ævo Auguſti, quo tot ingenia eluxerunt, etiam vixit Ariſto Alexandrinus; philoſophus Peripateticus, qui de Nilo ſcripſit. Meminit Strabo lib. XVII his verbis: Ἀρκεῖ e δύο μηνῦσαι τοὺς ποιήσαντας καθ' ἡμᾶς τὸ περὶ τοῦ Νείλου βιβλίον, Εὔδωρόν τε, καὶ Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τῶν περιπάτων. Addit deinde, iiſdem prope verbis utriuſque librum eſſe perſcriptum; ut alter neceſſariò ſit plagiarius: ſed uter ab altero ſit ſuffuratus, id eſſe dictu difficile: ab Eudoro quidem accuſari hoc nomine Ariſtonem: ſed dicendi genus magis eſſe Ariſtoneum. Eſt verò Ariſto hic ſextus ordine ex iis, quos hujus nominis Laërtius recenſet lib. VII f. Ubi alterum etiam nominat Ariſtonem Peripateticum, ſed Ceum; quippe Julietem. Eſt autem Julis, civitas in inſula Ceo; patria non hujus modò Ariſtonis, qui Bionis Boryſthenitæ imitator fuit, ut Strabo ait lib. X; ſed etiam Simonidis, poëtæ Lyrici, & Bacchylidis, qui Simonidis conſobrinus erat, & Eraſiſtrati medici: ut ibidem dicitur à Strabone, atque ex eo à Stephano, in Ἰουλίς. Porrò ſimilitudo nominis inter Ariſtonem Ceum, & Ariſtonem Chium, qui Zenonis Cittiei auditor fuit, fecit, ut multa Ariſtonis Cei, Peripatetici, tribuerentur Ariſtoni Stoico. Nam ex tam multis, quæ Laërtius commemorat, ſolæ epiſtolæ verè erant Ariſtonis Chii: cætera fuere Ariſtonis Cei, Peripatetici: ut Laërtius tradidit ex Panætio, & Socrate. Sed ſi non aliud dicit Strabo, quàm Peripateticum Ariſtonem eſſe auctorem libri de Nilo: Laërtius autem docet, duos fuiſſe Ariſtones Peripateticos, Alexandrinum unum, alterum Ceum: unde conſtat Alexandrinum potiùs ejus operis eſſe patrem, quàm Ceum? Nempe, ita ut ſentirem, impulit, quòd veriſimile videretur de fluvio Ægyptio egiſſe potiùs hominem Ægyptium, quàm de Ægei maris inſula. Sed ſcrupulum injicit ſcholiaſtes Apollonii in IV Argonaut. ubi Ariſtonis Chii de Nili origine ſententiam inter alia adfert. Nempe vulgarem quidem ſecutus ſententiam, *Chium*, & *Ceum*, confudit: at interim veriſimile ſatis eſt, eum de Nilo opus vulgâſſe, cujus de Nilo ſententia memoratur. Fortaſſe autem ex hoc de Nilo opere etiam ſunt, quæ miranda de aliis aquis prodidiſſe dicitur. Verba ſunt Sotionis, cujus excerpta in Sylburgiana Ariſtotelis editione leguntur: Ἀρίστων g ὁ περιπατητικὸς φιλόσοφος ἐν τῇ Κίῳ πηγὴν φησιν ὕδατος εἶναι, ἀφ' ἧς πίνοντας ἀναισθήτους γίνεσθαι τὰς ψυχάς. Qua de re, præterito, unde hauſiſſet, nomine, ita Vitruvius ſcribit lib. VIII, cap. III. *Eſt*, inquit, *in inſulâ Chio fons, è quo, qui imprudenter biberint, fiunt inſipientes.* Prout etiam legitur in utraque veteri Florentina h. Ut non ſatis liqueat, utrùm ſignetur Χίος inſula, an Κίος, quæ Κία Ptolomæo. Sed ad Ariſtones redeamus. Ariſtoni Chio tribui ſolet liber ἐρωτικῶν διατριβῶν i; quem Ariſtoni Ceo Peripatetico aſſignat Athenæus lib. X, & XIII; ubi vocatur ἐρωτικὰ ὅμοια k; ſecunduſque ejus operis adducitur. Chii Ariſtonis meminit & Plutarchus in Ariſtide, & Demoſthene. Sed crebrò imprimis mentio ejus fit ἁπλῶς, patriæ nomine non expreſſo, vel cum ſola philoſo-

e *Satis ſit duos afferre, qui ætate* NOSTRA *de Nilo ſcripſerunt; Eudorum, & Ariſtonem Peripateticum.*
f *In Zenone.*
g *Ariſto philoſophus peripateticus ait, fontem eſſe in Cio, unde qui bibunt, animi ſenſum deperdant.*
h *Una an. 1496, alterâ 1522.*
i *Amatoriarum exercitationum.*
k *Amatoria ſimilitudines.*

loſophi appellatione. Ut apud Strabonem in primo, ubi Eratoſthenes Ariſtoni, & Arceſilao, æqualis fuiſſe dicitur. Item Plutarchum in Themiſtocle, & Cicerone: etiam de Iſide, & Oſiride, ubi laudatur Ἀρίςων ὁ γεγραφὼς Ἀθηναίων ἀποικίαν a: item Laërtium in Heraclito, ubi citat Ἀρίςωνα b ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτε: adhæc Pindari ſcholiaſtem in od. I, & III Nemeorum, & alibi ſæpe. Fuit & Ariſto Pellæus; ſed qui Hadriani demum tempore, aut pòſt, vixerit. Ex eo quædam de poſtrema Judæorum rebellione, quæ ſub Hadriano contigit, refert Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. IV cap. VI; & Nicephorus Calliſtus lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXIV.

a *Ariſto, qui Athenienſium coloniam ſcripſit.*
b *Ariſtonem libro de Heraclito.*

## CAP. V.

*Ptolomai Mendeſii, ſacerdotis, regum Ægyptiacorum hiſtoria. Pharao is, ſub quo Iſraelita ex Ægypto egreſſi, Amoſis, juxta hunc Ptolomaum, fuit. Ejus Ptolomai fortaſſe erat liber de Herode. Memnonis hiſtoria de Heraclea. Socrates Rhodius. Soſtratus grammaticus. Athenodorus Tiberii, imò & Auguſti praceptor, nunc Tarſenſis, nunc Alexandrinus, vel Cananites, vocatus. Quàm praclarè de Tarſenſibus meritus ſit, & gratus horum animus. Varia ejus ſcripta. Alter Athenodorus, itidem Tarſenſis. Alteruter hiſtoriam ſcripſit rerum Tarſenſium.*

SUnt præterea alii, quos ætate hac vixiſſe, arbitrarium magis ſit, quàm certum. Sunt item, de quibus non ſatis liqueat, an deperditum opus propriè hiſtoricum fuerit. Tam horum, quàm illorum, aliquos adducam. Initium ſumam à Ptolomæo Mendeſio; cujus locum quendam in commentariis ſuis exſcripſit Apio Alexandrinus; ut Clemens refert libro primo Στρωματέων, & ex eo Euſebius lib. X præparat. Euang. cap. XII a. Ubi etiam dicitur, Ptolomæum hunc non regem fuiſſe, ſed ſacerdotem. Verba Clementis ſunt: Ἀπίων ὁ γραμματικὸς, ὁ Πλειςονίκης ἐπικληθεὶς, ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Αἰγυπτιακῶν ἱςοριῶν, Ἀμώσιος τῦ Αἰγυπτίων βασιλέως μεμνημένος, καὶ τῶν κατ᾽ αὐτῶν πράξεων, μάρτυρα παρατίθεται Πτολεμαῖον τὸν Μενδήσιον. καὶ τὰ τῆς λέξεως αὐτῦ ὧδε ἔχει. Κατέσκαψε δὲ τὴν Ἀθυρίαν b Ἄμωσις, κατὰ τὸν Ἀργεῖον γενόμενος Ἴναχον, ὡς ἐν τοῖς χρόνοις ἀνέγραψεν ὁ Μενδήσιος Πτολεμαῖος. ὁ δὲ Πτολεμαῖος ἦτος, ἱερεὺς ἦν· τὰς δὲ τῶν Αἰγυπτίων βασιλέων πράξεις ἐν τρισὶν ὅλαις ἐκθέμενος βίβλοις, κατὰ Ἄμωσιν φησὶν Αἰγύπτε βασιλέα, Μωϋσέως ἡγεμένε, γεγονέναι Ἰεδαίοις τὴν ἐξ Αἰγύπτε πορείαν. *Apion Grammaticus, cognomine Pliſtonices, libro quarto hiſtoria Ægyptiaca meminit Amoſis, regis Ægyptii: & eorum, qua ejus temporibus contigere, teſtem laudat Ptolomaum Mendeſium. Ac verba quidem Apionis ſic ſonant: Evertit Athyriam c Amoſis, qui temporibus fuit Inachi Argivi: ut libro de temporibus ſcripſit Ptolomaus Mendeſius. Ptolomaus verò hic ſacerdos fuit, ac tribus libris integris comprehendit ea, qua geſta ſunt à regibus Ægyptiis; inque iis auctor eſt, temporibus Amoſis, Ægypti regis, duce Moſe, Judaos exiiſſe ex Ægypto.* Meminit Ptolomæi hujus, & iſtius de Temporibus operis, etiam Tatianus in Orat. ad Græcos: Αἰγυπτίων d δὲ εἰσιν αἱ ἐπ᾽ ἀκριβὲς χρόνων ἀναγραφαί. καὶ τῶν κατ᾽ αὐτὲς πραγμάτων ἑρμηνεύς ἐςι Πτολεμαῖος, ἐχ ὁ βασιλεὺς, ἱερεὺς δὲ Μενδήσιος. Et paullo pòſt: Ὡς ὁ ἐν χρόνοις ἀνέγραψε ὁ Μενδήσιος Πτολεμαῖος. Mentio quoque fit ejus apud præceptorem Tatiani Juſtinum in exhortatione ad Græcos. Nam cùm dixiſſet, à gentibus quoque referri ætatem Moſis ad Inachi, & Ogygis tempora, teſtes ejus rei laudantur Polemo, Apio Alexandrinus, & Πτολεμαῖος ὁ Μενδήσιος τὰ Αἰγυπτίων ἱςορῶν f. Meminere & Tertullianus in Apologetico cap. XIX; item Cyrillus lib. I. contra Julianum. Facilè autem aſſentio amiciſſimo, & doctiſſimo Joanni Meurſio, qui eundem Ptolomæum intelligit in illis Ammonii verbis lib. de differ. verb. Ἰδεμαῖοι g καὶ Ἰεδαῖοι διαφέρεσιν, ὡς φησι Πτολεμαῖος ἐν πρώτῳ περὶ Ἡρώδε τῦ βασιλέως. Quod ſi de Herode ſcripſit, Auguſto eſſe antiquior non poteſt. Nam Herodes iſte ſine dubio eſt Herodes Magnus: qui annis quatuordecim deceſſit ante obitum Auguſti. At Mendeſii Ptolomæi meminit Apion; qui ſub Tiberio jam maximi nominis erat, adeò ut ab illo *cymbalum mundi* diceretur. Quare hinc veriſimile ſit, Auguſti, & fortaſſe etiam Tiberii tempore, vixiſſe. Præſertim cùm ante Apionem, nec multæ adeò lectionis Strabo, nec veterum alius, quod ſciam, meminerit hujus Ptolomæi: quod ſententiam noſtram non leviter firmat. Nam ſi Apion iſte Tiberii, & Caii, tempore vixit; ſanè Mendeſius ille nec junior eſſe Tiberio poſſit.

a *P. 292. edit. Rob. St.*
b *Al. Ἀβαριν.*
c *Al. Auarim.*
d *Exſtant verò annales Ægyptiorum diligenter concinnati: & rerum iis contentarum interpres eſt Ptolomæus, non quidem rex, ſed Mendeſius ſacerdos.*
e *Ut libro de temporibus Ptolomæus Mendeſius ſcribit.*
f *Ptolomæus Mendeſius, rerum Ægyptiarum ſcriptor.*
g *Idumæi, & Judæi, differunt, ut ait Ptolomæus in primo de rege Herode.*

Sub Auguſto etiam floruiſſe Memnon videtur. Hic literis mandavit hiſtoriam de rebus Heracleæ Ponticæ; quæ libris conſtabat XVI. Eos penè univerſos in compendium redegit Photius mem. ſive cod. CCXXIV. unde etiam diſcimus, præter ſexdecim libros iſtos elucubrâſſe octo alios; ſed quos nec Photius viderit. Ex ſexdecim verò, quos dixi, poſtremus deſinebat in morte Bithagoræ, Heracleenſium legati ad C. Julium Cæſarem, cùm ad unum illum imperium deveniſſet Romanum. Scriptor eſt prudens; charactere uſus tenui, dictione uſitatâ, & perſpicua: quemadmodum ibidem dicitur.

Socrates Rhodius, quantum videre poſſum, ſub eodem Auguſto vixit. Reliquit libros de bello civili: quorum tertium citat Athenæus lib. IV; atque ex eo quædam refert de convivio, quo Cleopatra amaſium ſuum Antonium excepit. Videtur & idem Socrates eſſe, quem ἐν ἕκτῳ ἐπικλήσεως a idem citat lib. III; ac cujus librum περὶ ὅρων b, καὶ πυρὸς, καὶ λίθων, idem advocat in IX.

a *Libro ſexto appellationum, ſeu cognominum.*
b *De finibus, igne, & lapidibus. Niſi leg. ὀρῶν, id eſt, montibus.*

Iniſtus de ætate non penitus liquet. Alios eſſe dicebam, ubi non ſatis ſit apertum, ecquod inter hiſtoricos nomen mereantur. Qualis Soſtratus grammaticus: quem Auguſti ætate vixiſſe, minimè eſt dubium. Eſt enim filius Ariſtodemi illius, quem Strabo admodum adoleſcens audivit jam decrepitum: nepos verò ejus Menecratis, qui Ariſtarchi fuit diſcipulus. Auctor Strabo in XIV: ubi Soſtratum hunc commemorat inter illuſtres Niſæos. Ergo diverſus eſt ab Soſtrato illo, qui Phanagorites dicitur Stephano in Μυκάλη. Ideirco ſtatuere non poſſumus, hujus, an illius Soſtrati ſit, quoties hiſtoricum quid, vel alterius generis, Soſtrato acceptum referunt ſcriptores. Uti ſunt libri rerum Hetruſcarum; quorum ſecundum citat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XXVIII. Aut libri de animalibus; quos feciſſe Soſtratum ait Athenæus lib. VII. qui & aliquanto antè citârat librum ejus operis ſecundum: quarti verò meminit Apollonii ſcholiaſtes in lib. I. Aut libri fabuloſæ traditionis; quorum, poſt Plutarchum lib. de fluviis, etiam Stobæus mentionem facit, ſermone de morbis. Aut de venatione; quorum apud eundem mentio eſt in vituperatione Veneris: ſi placet emendatio Geſneri: nam in vulgatis pro *Soſtratus* eſt *Soſiſtratus*. Aut tyrannica; ex quibus aliqua eodem adducit ſermone. Aut libri rerum Thraciæ; quorum ex ſecundo quædam adfert ſerm. de Fortitudine. Aut libri de Fluminibus; qui celebrantur Plutarcho ejuſdem argumenti libello cap. de Iſmeno. Meminit hujus ſcriptoris & Ælianus lib. VI de nat. animal. cap. LI: ubi quædam de dipſade ex eo narrat. Videntur ea eſſe ex Soſtrati de animalibus libris, de quibus diximus.

Ulteriùs etiam inquirendum, num hiſtorias ſcripſerit Athenodorus. De ætate quidem nemo ambigit. Nam Auguſtus eum Tiberio præpoſuit: ut conſtat ex Suetonio, qui ex Auguſti epiſtola hæc verba adducit c: *Tiberium adoleſcentem ego verò, dum tu aberis, quotidie invitabo ad cœnam, ne ſolus cœnet cum ſuo Sulpicio, & Athenodoro.* Imò & Auguſti ipſius præceptor antè fuerat; ſi Luciano credimus: cujus verba mox adferam. De patria non convenit inter omnes. Theodorus Metochita in hiſtoriæ Romanæ compendio Alexandrinum vocat. Verba ejus in vita Auguſti ſunt: Σοφὸς d δέ τις Ἀλεξανδρεὺς, Ἀθηνόδωρος ὄνομα. Similiter Cedrenus, & Manaſſes. Sed Euſebio eſt Tarſenſis. Siquidem in Chronicis ad

c *Cap. 4.*
d *Sapiens quiſpiam, Alexandrinus, Athenodorus nomine.*

ad Olymp. CXCVI annum IV appellatur *Athenodorus Tarſenſis, Stoicus philoſophus.* Et ante eum idem tradiderat Lucianus in Macrobiis. Imò ante utrumque Strabo, qui Athenodori ipſius ætate vixit, idem dixit. Ex quo etiam cognoſcimus, *Cananiten* vocatum eſſe. Sic enim ait lib. XIV: Ἀθηνόδωρος, α ὁ τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινός, Καίσαρος καθηγήσατο, καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης. Ubi etiam refert, ut jam ſenex in melius mutârit ſtatum patriæ ſuæ, quem perverterat Boëthus, & poëta ille, & civis malus; ſed ad honores tamen ſummos evectus; partim ab Antonio, ob carmen ſcriptum in victoriam ad Philippos; partim ab Tarſenſibus, quibus levitas quædam innata erat. Nec eo ſolùm, ſed altero etiam nomine Athenodorus profuit Tarſenſibus ſuis. quod indicat locus iſte Luciani in Macrobiis: Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος, Ταρσεὺς Στωικὸς, ὃς καὶ διδάσκαλος ἐγένετο Καίσαρος Σεβαστοῦ θεοῦ, ὑφ' οὗ ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη βιοὺς, ἐτελεύτησεν ἐν τῇ πατρίδι. καὶ τιμὰς ὁ Ταρσέων δῆμος αὐτῷ κατ' ἔτος ἕκαστον ἀπονέμει, ὡς ἥρωι. *Athenodorus Sandonis, Tarſenſis Stoicus, qui fuit Cæſaris Auguſti præceptor, cujus precibus Tarſenſium civitas vectigalibus levata eſt, duos & octoginta annos agens, mortuus eſt in patria. Huic Tarſenſis populus quotannis ſollemnes honores, ut heroi, perſolvit.* Meminit Athenodori quoque Clemens Alexand. Προτρεπ. Ἀθηνόδωρος b ὁ τοῦ Σάνδωνος, ἀρχαΐζειν βουληθεὶς, οὐκ οἶδ' ὅπως περιέπεσεν, ἐλέγξας αὐτὴν ἄγαλμα εἶναι γεννητόν. Et ante eum Plutarchus in Poplicola: Τοῦτον c τὸν ἄνδρα Μούκιον ὁμοῦ τι πάντων, καὶ Σκαιόλαν καλούντων, Ἀθηνόδωρος ὁ Σάνδων, ἐν τῷ πρὸς Ὀκταουΐαν τὴν Καίσαρος ἀδελφὴν, καὶ Ὀπίσθονον ὀνομασθῆναι φησιν. Præter verò librum ad Octaviam, cujus hic mentio, etiam librum fecit περὶ d σπουδῆς, καὶ παιδιᾶς; cujus meminit Athenæus. Item περιπάτων e libros; ex quorum octavo Laërtius refert, ut Democritus ſummam in ruſpanda natura induſtriam ſuam documentis quibuſdam Hippocrati fecerit teſtatam. Quæſtionem etiam de Oceano, & æſtu ejus, tractaſſe, ex Strabonis lib. I conſtat; ubi de hac remittit nos ad Poſidonium, atque Athenodorum; quos de iis affatim ediſſertaſſe ſcribit. Niſi hic diverſus ab illo ſit Athenodorus. Nam Strabo lib. XIV. præter eum, de quo diximus, etiam alterum fuiſſe ejus nominis ait, itidem Tarſenſem, cognomento autem Cordylionem, qui cum M. Catone vixerit, atque apud eum obierit diem ſuum. Utcunque hoc eſt, alteruter ſaltem de rebus Tarſenſium hiſtoricum opus reliquit. Quod oſtendit Stephanus in Ἀγχιάλη, quæ poſtea Tarſus pleriſque dicta creditur. Ἔστι f δὲ, inquit, Ἀγχιάλη κτίσμα Ἀγχιάλης τῆς Ἰαπετοῦ θυγατρὸς, ὡς Ἀθηνόδωρος περὶ τῆς αὐτοῦ πατρίδος γράφει.

*a Athenodorus Sandonis, quem & Cananitem à pago quodam vocant, Cæſaris præceptor fuit, magnoſque eſt honores conſecutus.*
*b Athenodorus, filius Sandonis, cum vellet Serapidis oſtendere antiquitatem, neſcio quomodo eò lapſus eſt, ut eum argueret factum fuiſſe ſtatuam.*
*c Hunc virum etſi plerique omnes & Mucium, & Scævolam, nominant, Athenodorus Sandon tamen, in libro quem ad Octaviam ſcripſit, Cæſaris ſororem, fuiſſe etiam dicit Poſtumium vocatum.*
*d De ſeriis, & jocis.*
*e Diſſertationum.*
*f Eſt verò Anchiale opus Anchiales, Iapeti filiæ, juxta Athenodorum, qui de patria ſua ſcripſit.*

## CAP. VI.

*Strabo patriâ Amaſenus. Refellitur Xylander, qui Peripateticum fuiſſe putavit; cum Ariſtotelicos quidem audierit, ſed Stoicam ſectam ſecutus ſit. Quæ ſcripſerit præter ea, quæ exſtant. Quo anno ediderit geographica ſua. Diodorus Sardianus, Strabonis amicus, hiſtoriam reliquit.*

VEnio nunc ad hiſtoricos illos, quos ultra Auguſti tempora extendiſſe vitam ſuam conſtet. Eſt inter eos Strabo, vir profectò maximus. Ad patriam quod attinet, Cnoſſo quidem, Cretæ civitate, oriundus erat; ut lib. X. ipſe refert: (unde Cretenſem alicubi vocat Joannes Aventinus a) ſed natus fuit Amaſiæ, civitate Ponti. Cujus non eſt quòd Suidam laudemus auctorem; quandoquidem ipſe hoc de ſe profitetur in duodecimo Geographiæ. ubi exponens quandam Ponti partem, ait: Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὸ μὲν προσάρκτιον πλευρὸν ἡ Γαζηλωνῖτις συγκλείει, καὶ ἡ τῶν Ἀμασέων· τὸ δὲ ἑσπέριον, ὁ Ἅλυς· τὸ δὲ ἑῷον ἡ Φαναροία· τὸ δὲ λοιπὸν ἡ ἡμετέρα ἡ τῶν Ἀμασέων, πολὺ πασῶν πλείστη καὶ ἀρίστη. *Hujus regionis Septentrionale latus Gazelotis, & ager Amaſenus, includunt: occiduum, Halys; orientale, Phanaræa: reliquum,* NOSTRA *Amaſenſium terra, omnium* *multo ampliſſima & optima.* Exſtant ejus XVII Geographiæ libri; quos non unâ de cauſſâ maximi facere oportet. Fuit enim egregius philoſophus: ac, Xylandrum quidem ſi audimus, ſecta Peripateticus erat. Quam ſententiam refellit Stephanus his verbis: Ἀμάσεια a πόλις Ποντική, ἀφ' ἧς Στράβων ὁ στωικὸς φιλόσοφος. Idem Suidas b teſtatur. Poſſem & alios adferre. Sed nihil opus eſt teſtibus, quando hoc indicat ipſe Strabo lib. II: ubi dicit, Poſidonium ſæpe de cauſſis diſputare, inque multis Ariſtotelem imitari: ſuæ verò ſectæ homines fugere iſtæc ob cauſſarum obſcuritatem. Græca ſiquis malit, en verba: Πολὺ γάρ ἐστι τὸ αἰτιολογικὸν παρ' αὐτῷ, καὶ τὸ Ἀριστοτελίζον, ὅπερ ἐκκλίνουσιν οἱ ἡμέτεροι διὰ τὴν ἐπίκρυψιν τῶν αἰτιῶν. Et ſanè Stoico magis, quàm Peripatetico, conveniunt verba illa lib. XVII: Καὶ γὰρ ἐν τοῖς περὶ τῆς προνοίας, καὶ τῆς εἱμαρμένης λόγοις, εὕροι τις ἂν πολλὰ τοιαῦτα τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν φύσει γινομένων, ὥστ' ἐπ' αὐτῶν φάναι, πολὺ κρεῖττον εἶναι τόδε ἢ τόδε γενέσθαι· οἷον, εὔομβρον εἶναι τὴν Αἴγυπτον, ἀλλὰ μὴ τὴν Αἰθιοπίαν ποτίζειν τὴν γῆν· καὶ, τὸν Πάριν, εἰς τὴν Σπάρτην πλέοντα, ναυαγίῳ περιπεσεῖν· ἀλλὰ μὴ τὴν Ἑλένην ἁρπάσαντα, δίκας τίσαι τοῖς ἀδικηθεῖσιν ὕστερον, ἡνίκα τοσοῦτον ἀπειργάσατο φθόρον Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων· ὅπερ Εὐριπίδης ἀνήνεγκεν εἰς τὸν Δία·

> Ζεὺς γὰρ, κακὸν μὲν Τρωσὶ, πῆμα δ' Ἑλλάδι
> Θέλων γενέσθαι, ταῦτ' ἐβούλευσεν πατήρ.

Hoc eſt, *Nam ubi de providentia, & fato, diſputatur, multa inveneris alioqui in rebus humanis ac naturalibus; de quibus diceres, præſtitiſſe alio, quàm hoc modo, ea fieri. Ut, verbi gratiâ, imbribus potius irriguam Ægyptum debuiſſe eſſe, quàm ab Æthiopia humorem accipere: & Paridem, cum Spartam peteret, debuiſſe potius naufragium facere; quàm, raptâ Helenâ, pœnas poſtmodo ſceleris dare, auctorem tantæ cladis Græcorum, ac barbarorum. quam Euripides Jovi imputat:*

> *Teucris malum, Helladique cladem Jupiter*
> *Contingere volens, iſta decrevit pater.*

Hactenus Strabo. Nec tamen philoſophiæ Peripateticæ ignarus fuit. Siquidem in eâ ſe cum Boëtho Sidonio exercuit: ut ipſe ait lib. XVI. ac libro XIV præceptorem ſuum vocat Xenarchum Seleucienſem, peripateticum. Alterum etiam eſt, quod labores Strabonis maximopere nobis commendet. Siquidem priorum geographorum nemo plus terrarum luſtravit: ut ex his cognoſcimus, quæ ſcripſit lib. II. Ea Latinè ſic ſonant: *Exponemus, tum, quæ ipſi obivimus terrâ, marique; tum de quibus aliorum ſermonibus, aut ſcriptis, nobis fides eſt facta. Ipſi obivimus verſus occaſum ab Armenia uſque ad Etruria loca Sardiniæ oppoſita: verſus meridiem ab Euxino ponto uſque ad fines Æthiopiæ. Neque verò reliquorum, qui ſitum deſcripſerunt, quemquam invenies, qui dicta intervalla obeundo, multò plura, atque nos, præſtiterit. nam qui in occidua plaga plura viderunt, orientalium non tantum, quantum nos, attigerunt: contrà alii pauciora in occaſu: quod idem de ſeptentrione, & meridie, affirmo.* Priuſquam verò hos libros ſcriberet, ediderat ipſe ὑπομνήματα c ἱστορικὰ, χρήσιμα εἰς τὴν ἠθικὴν, καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν, quemadmodum ipſe teſtatur lib. I. Geographiæ. Scripſit etiam, quæ conſecuta ſunt poſt illa, quæ Polybius conſignavit. Nam lib. XI. de Parthis ſe plura ait ſcripſiſſe ἐν d τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ, δευτέρᾳ δὲ τῶν μετὰ Πολύβιον. Nempe geminum opus adſignat, quorum utroque de Parthis non minùs, quàm in geographicis, tractârit. Poſſis tamen cum doctiſſimo Caſaubono aliter etiam hæc verba capere. Nempe ut idem liber intelligatur, qui ſextus fuerit commentariorum hiſtoricorum, hoc eſt, operis univerſi: ſecundus verò partis ejus, quæ perſequebatur res geſtas poſt illa Polybii. Fortaſſe & in hiſtoricis commentariis egerat de rebus ab Alexandro geſtis. Nam libro ſecundo ait ſe ὑπομνηματίσασθαι e τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις. Niſi, cum Caſaubono, malis ea capere de iſtis, quæ, cùm aliis, tum imprimis tribus poſtremis de Alexandro libris adfert. Sed mihi altera ſententia non minùs veriſimilis videtur. Quando vixerit, oſtendit lib. XIII; cùm ait, Ἡ δὲ Τιβερίου f προνοία τοῦ καθ' ἡμᾶς ἡγεμόνος.

*a In iis, quæ de auctoribus primo annalium ſuorum libro præmittit.*

*a Amaſia, civitas Pontica; ex qua Strabo, philoſophus Stoicus.*
*b In Amaſia, juxta interpretationem Wolfii, neſcio ex quibus codd. Græcis. nam in vulgatis id deſideratur.*
*c Commentarios hiſtoricos, utiles ad moralem ac civilem philoſophiam.*
*d In ſexto quidem commentariorum hiſtoricorum; ſecundo autem illorum, quibus hiſtoriam Polybii continuat.*
*e Commentatum eſſe de geſtis Alexandri.*
*f Tiberii autem Cæſaris providentia, qui noſtra ætate rerum potitur.*

μόνος. Et lib. IV; ubi ait ſ ſcribere ſe iſtæc anno XXXIII poſt Noricos, Carnos, atque alias gentes Inalpinas, à Tiberio, & Druſo, devictas. Accidit verò hoc anno ab V.C. IↃCCXXXVIII: qui primus fuit Olympiadis CXCI. Ergò Geographiam ſuam ſcribebat anno V.C. IↃCCLXXI, quarto anno imperii Tiberii Cæſaris. Fuiſſe verò tum ætatis admodum provectæ, inde videmus, quòd libro II dicat, amicum ac ſodalem ſuum fuiſſe Ælium Cornelium Gallum, qui primus Ægypto præfuit: quicum & Memnonis ſtatuam, tantopere ſcriptoribus antiquis celebratam, vidiſſe ſe ſcribit libro XVII. Atqui Gallus iſte præeſſe Ægypto cœpit mox poſt Antonii, ac Cleopatræ mortem; à quo anno cœpit nova æra Ægyptiaca. Præfuit verò Ægypto quadriennium. Nam interemit ſe Cæſare Octaviano VIII, & L. Statilio Tauro coſſ. Unde uſque ad quartum Tiberii annum, quo Strabo ſcribebat, anni ſunt tres, & quadraginta. Atqui jam tum, cùm Gallus, vir tantæ & eruditionis, & dignitatis, Strabone amico adeò & familiari uteretur, alicujus hunc nominis fuiſſe, nemo, ut puto, inficiabitur. Quare vel ex eo, quod dixi, argumento, grandem ætate fuiſſe Strabonem, cùm geographiam ſuam ederet, ſatis evidens eſſe arbitror. Nec tamen magnopere ſuper eo contendero. Video enim, non Cornelio Gallo dici amicum, ac familiarem; verùm Ælio Gallo. Fortaſſe igitur Ælius Gallus, Publii, vel aliud, habuit prænomen. Saltem duo Galli Ægypto fuere præfecti, Cornelius Gallus, poëta Maroni celebratus, & Ælius Gallus, tertius præfectus. Quid ſi igitur Strabonis ille familiaris, fuerit non Cornelius Gallus, ſed Ælius Gallus: inter quos Petronius interceſſit? Dicam de iſto pluribus opere de poëtis Latinis.

Strabonis etiam ætate fuit Diodorus Sardianus junior; qui ex genere fuit Diodori Sardiani ſenioris, ejus qui Mithridatici belli temporibus vixit. Uterque orator; ſed junior etiam poëta, & hiſtoricus, fuit. Auctor Strabo lib. XIII; ubi commemorat illuſtres viros Sardibus natos, ac juniorem hunc amicum ſuum appellat, ſcripſiſſeque dicit ἱστορικὰ *a* συγγράμματα, καὶ μέλη, καὶ ἄλλα ποιήματα, τὴν ἀρχαίαν γραφὴν ἐμφαίνοντα ἱκανῶς. Aphthonii ſcholiaſtes initio ſcholiorum adducit definitionem quandam Rhetoricæ ex Diodoro. Ea utrius Diodori ſit, non ſatis liquet, cùm, utrumque ῥήτορα fuiſſe, dicat Strabo.

*a Hiſtorica volumina, odas, aliaque carmina, quæ antiquam ſcribendi formam referrent.*

## CAP. VII.

*Potamon Mitylenæus. Cujuſmodi literario viatico eum proſecutus ſit Tiberius Cæſar. Sotion Alexandrinus. Bucephala, & Perita, oppida India, ab Alexandro exſtructa in memoriam mutorum animantium. Apionis elogia. Suida lapſus. Cognomina Apionis,* Πλειστονίκης, καὶ Μόχθος. *Dictus &* cymbalum mundi. *Alexandrinorum apud Caligulam cauſſam egit adverſus Judæos. Hiſtoriâ Ægyptiacâ imprimis notus fuit. Mirificè ſe in ſcriptis ſuis oſtentabat. Philo Alexandrinus. Ejus facundia, & legatio pro gente Judæa. Antiquitates biblicæ, quæ Philoni huic tribuuntur, planè ſuppoſititiæ ſunt. Pamphila hiſtoria miſcella. De mariti ejus nomine nec ſecum convenit Suidas.*

SUb Tiberio etiam docuit Romæ Potamo Lesbius, ſive Mitylenæus. Hunc, ut auctor eſt Suidas, cùm aliquando in patriam rediret, talibus literis, viatici loco, inſtruxit Tiberius, Ποτάμωνα *a* Λεσβώνακτος εἴ τις ἀδικεῖν τολμήσοι, σκεψάσθω εἰ μοι δυνήσεται πολεμεῖν. Scripſit de rebus geſtis Alexandri Magni. Item de limitibus Samiorum: adhæc laudationem Bruti, item encomium Tiberii Cæſaris, item de perfecto oratore. Auctor idem Suidas. Meminit & Plutarchus; ut in Sotione mox referam. Cave autem Potamonem hunc Lesbium confundas cum Potamone Alexandrino: qui & ipſe quidem ſub Auguſto, & deinceps, claruit; verùm non Rhetor, ſed Philoſophus fuit, ac primus condidit ſectam ἐκλεκτικὴν, *b* quæ ab eo Potamonica vocabatur: ut pluribus expoſui libro de Philoſophorum ſectis.

*a Potamonem, Lesbonactis filium, ſiquis injuriâ afficere fuerit auſus, videat, an bellum adverſus me gerere valeat.*

*b Electricam, ſive optima quæque ex ſingulis ſectis ſeligentem.*

Quemadmodum verò duo Potamones: ita minimùm duo quoque illuſtres fuere Sotiones. Prior ſub Ptolomæis vixit; ut non pertineat ad hæc tempora. Alter hujus eſt loci. Dicam de utroque, quia aliqui confundunt. Antiquior ſibi memoriam peperit opere τῶν Διαδοχῶν, ſive *ſucceſſionum:* quo tradidit, quis philoſophus cuique ſucceſſerit. Unde Laërtius in Anaxagoræ vitâ: Σωτίων *a* ἐν τῇ Διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων. Philoſophorum vitas perſequebatur hoc opere; ut indicat Eunapius initio vitarum. Tertium inde librum memorat Laërtius in proœmio. Ac vix dubium, quin ejuſdem fuerit Sotionis opus περὶ τῶν Τίμωνος σίλλων *b*, Athenæo memoratum lib. XII. Id ut exiſtimem, facit vicinitas argumenti. Siquidem Timon opere eo philoſophos omnes convitiis inſectabatur: ut veriſimile ſit, Sotioni fuiſſe propoſitum, obviam ire Timonis calumniis. Diximus de hoc Timone commentario noſtro de Poëtis Græcis. Ætatem hujus Sotionis ex parte indicat, quòd ejus de Succeſſionibus librum in compendium redegerit Heraclides Lembus, Sarapionis filius: ut Sotion Heraclide illo junior eſſe non poſſit. At, ut dictum lib. I. cap. XX, ex Suida cognoſcimus, Heraclidem hunc floruiſſe ſub Ptolomæo ſexto, cui cognomentum *Philometor* fuit. Regnare is cœpit Olympiade CL. At alter Sotion demum claruit temporibus Tiberii Cæſaris; qui imperium accepit Olympiade CXCVIII. De ætate hac colligo ex Plutarcho in vita Alexandri: ubi narrat, ut Sotion ex Potamone Lesbio (quem Tiberii Cæſaris fuiſſe æqualem, antea oſtenſum) audierit illud, Alexandrum non ſolùm in equi memoriam, cui *Bucephalus* nomen erat, condidiſſe Bucephalam, ſive Bucephaliam oppidum: ſed etiam in memoriam canis dilecti, cui nomen *Perita*, nominis hujus oppidum in eàdem Indiâ exſtruxiſſe. Meritò autem Sotion hujus rei teſtem citabat Potamonem Lesbium; quia is ſummæ foret auctoritatis, & res geſtas Alexandri Magni literis mandâſſet: quorum utrumque ex Suida proximè vidimus. Et quia hæc Sotion prodiderat de rebus ab Alexandro in India geſtis: exiſtimo etiam, ex eodem Sotionis opere fuiſſe illa de mirificis hominum formis in India; quorum teſtem Sotionem citat Tzetzes Chiliad. VII. Hiſtoriar. CXLIV. Nam iſtiuſmodi fabellas prodiderant, qui cum Alexandro fuerant in Indiam profecti. At non facilè item dixero, hujus, an prioris Sotionis, vel fortaſſe tertii cujuſdam ejuſce nominis, fuerit liber de ira, aliaque, quæ laudat Stobæus. Sanè de ira conveniens fuerit argumentum philoſopho: Sotionem autem philoſophum mancipat Tzetzes in Lycophronem *c*. Gellio etiam lib. I. cap. VIII. vocatur *ex Peripatetica diſciplina haud ignobilis vir:* ubi ſcripſiſſe etiam dicitur Κέρας Ἀμαλθείας *d*. Fit & Sotionis mentio in Geoponicis Conſtantino dicatis. Hodieque aliqua exſtant ἐκ τῶν Σωτίωνος *e* τῶν σποράδην, περὶ ποταμῶν, καὶ κρηνῶν, καὶ λιμνῶν παραδοξολογουμένων. Quæ, ut libri hujus cap. VII dicebamus, primus, cùm Ariſtotelis θαυμασίοις ἀκούσμασιν *f*, edidit Henricus Stephanus: poſteaque in ſua Ariſtotelis editione, longè omnium optimâ, inſeruit Fridericus Sylburgius, non exiguum Cattorum decus.

*a Sotion libro de philoſophorum ſucceſſione.*

*b De ſillis Timonis.*

*c P. 141.*

*d Cornu Amalthea.*

*e Ex miſcellis Sotionis, de fluviis, fontibus, & lacubus mirabilibus.*

*f Auditionibus mirabilibus.*

Tiberii quoque, & ultrà, temporibus floruit Apion, ſic ab Ægyptio Apidis numine vocatus; quemadmodum ab Oro, itidem Ægyptiorum Deo, factum eſt nomen Ὠρίων. Decipiuntur, qui *Origines* malunt, per tertiam vocalem; cùm ſimile ſit ac Διογένης, & Ἑρμογένης. Nec minùs falſi, qui, geminato P, dicunt *Appionem*, quaſi derivatum ſit ab Appia gente Romana. Video tamen, non ſemel ſic ſcribere Joſephum Scaligerum in erudita Appendice præclari operis de Emendatione Temporum *g*, περιεργότατος *h* γραμματικῶν, ut Africano apud Euſebium *i* vocatur; ἀνὴρ δοκιμώτατος *k*, ut dicitur Tatiano *l*; *literis homo multis præditus, rerumque Græcarum plurimâ atque variâ ſcientiâ*; ut judicat Gellius lib. V. cap. XIV: qui & ejuſdem meminit lib. VI, cap. VIII.

*g Pag. 18. edit. Raphelang. & alibi.*

*h Grammaticorum curioſiſſimus.*

*i Lib. 10. de præpar. Evangel. pag. 288. edit Rob. Steph.*

*k Vir celeberrimus.*

*l Orat. ad gentes.*

Natus

Natus fuit Oaſi, Ægypti civitate: ſed Alexandrinus vocari gaudebat, quòd jus ejus civitatis haberet. Auctor Ioſephus lib. II. eorum, quos adverſus eum ſcripſit. Cognomen habuit Πλειστονίκης *a*; ut liquet ex Plinii lib. XXXVII, cap. V; Gellii lib. V, cap. XIV; & lib. VI, cap. VIII; & Clementis Alex. lib. I. Στρωματ. Sed Suidæ dicitur Ἀπίων ὁ πλειστονίκης *b*. Verùm fallitur. Nam Poſidonii filius fuit; ut Africanus ſcripſit in tertio χρονογραφιῶν; & inde Euſebius, lôco, quem antè diximus. Etiam cognomen habuit Μόχθος *c*, ab aſſiduo labore; ut Suidas docet. Ex quo etiam cognoſces, quibus præceptoribus uſus ſit. De eo ſic Plinius in præfatione hiſtoriæ naturalis: *Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæſar cymbalum mundi vocabat, cùm publica fama tympanum potiùs videri poſſit, immortalitate donari à ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.* Unde liquet, Tiberii ætate non exiguum nomen habuiſſe. Idem ab Alexandrinis ad C. Cæſarem, cognomento Caligulam, accepit legationem. Quo tempore Philo à Iudæis eſt miſſus ad eundem, ut gentis ſuæ cauſſam ageret adverſus Alexandrinos. Auctor Ioſephus lib. XVIII. Antiquit. Iud. cap. X *d*; & ex eo Euſebius lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. V. De eodem ſic Seneca epiſt. LXXXVIII: *Apion Grammaticus, qui ſub C. Cæſare totâ circulatus eſt Græciâ.* Ita enim ex veteri codice rectè legit I. Lipſius: ubi in vulgatis *circumlatus*. Nec tantùm Tiberii, & Caji; ſed Claudii etiam tempore vixit; ut Suidas ſcribit. Edidit librum adverſus Iudæos: cui Flavius Ioſephus reſpondit. In hujus operis lib. IV. Moſis ætatem retulit ad tempora Ogygis, & Inachi; ut teſtis eſt Iuſtinus Martyr in cohortatione ad Græcos. Item ſcripſit Ægyptiacorum libros quinque; ut Tatianus *e* teſtatur: ubi & ex quarto eorum quædam adducit. Meminit hujus operis Gellius lib. V, cap. XIV; lib. VII, cap. VIII; lib. X, cap. X. Utriuſque ſcripti mentionem facit Clemens in primo Στρωματέων, his verbis: Ἀπίων ὁ γραμματικὸς, ὁ Πλειστονίκης ἐπικληθεὶς, ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Αἰγυπτιακῶν ἱστοριῶν, καίτοι φιλαπεχθημόνως πρὸς Ἑβραίους διακείμενος, ἅτε Αἰγύπτιος τὸ γένος, ὡς καὶ κατὰ Ἰουδαίων συντάξασθαι βιβλίον, &c. *Apion, cognomine Pliſtonices, in quarto hiſtoria Ægyptiaca: licet inimico infeſtoque erga Hebræos animo eſſet, quippe qui genere Ægyptius foret; adeò ut etiam librum fecerit adverſus Judæos*, &c. Et ante eum utriuſque operis mentionem fecit Iuſtinus parænesi ad Græcos. Ubi itidem quartum hiſtoriarum citat. Deque altero opere ſic ait: Ἀπίων *f* ὁ Ποσειδωνίου ἐν τῇ κατὰ Ἰουδαίων βίβλῳ. Cujus loci eò lubentius memini, quia inde etiam liquet, quod de patre ejus ex Africano, & Euſebio, adverſus Suidam dicebamus.

*a Multivictor, ſive ſæpe victor.*
b *Apion, filius Pliſtonici.*
c *Labor ærumnabilis.*
d *Al.* 15.
e *Orat. ad gentes.*
f *Apio, Poſidonii filius, in ſuo adverſus Iudæos commentario.*

Gellius de Ægyptiaca ejus hiſtoria ita judicat lib. V, cap. XIV: *Ejus libri non incelebres feruntur, quibus omnium ferme, quæ mirifica in Ægypto viſuntur, audiunturque, hiſtoria comprehenditur: ſed in his, quæ audiviſſe, vel legiſſe, ſeſe dicit, fortaſſe à vitio ſtudioque oſtentationis, ſit loquacior. Eſt enim ſanè quàm in doctrinis ſuis venditator.* Inter mirifica Ægypti imprimis fuiſſe pyramides, nihil monere attinet. Itaque inter duodecim ſcriptores, qui de iis ſcripſerint, Apio hic poſtremus à Plinio, nempe temporibus illis proximo, recenſetur lib. XXXVI Hiſtor. Nat. cap. XII.

Apionis hujus æqualis fuit Philo Alexandrinus, Judæorum, ut de eo Hieronymus ſcribit, diſertiſſimus, Platonis imitator ſummus; ut de eo dictum ſit, ἢ *g* Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει. Scripſit inter alia de vita Moſis, item de vita Joſephi. Item de legatione ſuâ ad Caium Cæſarem, cognomento Caligulam. Quâ narrat, quanta Judæi mala fuerint perpeſſi ab Avidio Flacco; qui Ægyptum præſes obtinebat; & Judæos, Alexandriæ adverſus Græcos, & populum Alexandrinum tumultuantes, oppreſſerat; eorumque ſynagogas imaginibus, aris, victimis, inquinârat. Narrat quoque, quæ in legatione eâ contigerint. Uti verò à Judæis Philo, ita ab adverſa factione miſſus fuit Apio Alexandrinus: quemadmodum paullo antè dictum eſt. Rejecit verò Caligula legationem Judæorum ob non admiſſas Cæſaris imagines. Vide Joſephum Antiquitat. lib. XVIII, cap. XV; Euſebium in Chronic. & II Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. V; Oroſium lib. VII, cap. V; & Zonaram. Euſebius *a* addit, libris V complexum, quæ ad has Judæorum calamitates, & legationem ſuam pertinerent. Sed libri illi perierunt. Scripſit & de vita eorum, qui ἀσκηταὶ dicuntur; quales monachi. Eſſenos intellige; quæ Judæorum ſecta. Etſi Chriſtianos ſignari putet Euſebius: qui fuſè de iis lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XVI; eumque ſecuti Rufinus cap. XVII; & Nicephorus lib. II. cap. XVII. Exſtat quoque ſub nomine hujus Philonis hiſtoria ab Adamo uſque ad Sauli regis tempora. Trithemius appellat, *De generationis ſucceſſu.* Ac Ludovicus Vives pro genuino agnoſcit, lib. V. *b* de tradendis diſciplinis. A compluribus, ut genuinum, videas adduci: in his à Gobelino Perſona in Coſmodromio Ætat. II. cap. II. Sed Græcè non exſtat, nec quicquam Philonis genio dignum habet. Et tum Scripturis, tumque Joſepho ſæpius adverſatur; ut omnino ſcriptor ſit ὑποβολιμαῖος *c*. Vide de eo diſſertantem Melchiorem Canum lib. XI. Loc. Comm. cap. VI.

*g Aut Plato Philonem, aut Philo Platonem imitatur.*
a *Hiſtor. lib.* 2. *c.* 4.
b *Pag.* 507.
c *Suppoſititius.*

PAMPHILA, genere Ægyptia, vixit tempore Neronis imper. ac ſcripſit perutiles octo libros hiſtoriæ miſcellæ; quibus congeſſit, quæ vel ex marito, quicum tredecim annos nupta fuit, audiſſet; vel ex viris eruditis, qui mariti ædes frequentaſſent, vel quæ ipſa obſervâſſet. Auctor Photius tmem. VIII. Sed Suidas ait, Epidauriam fuiſſe, filiam Soteridis, conjugem Socratidis; ac ſcripſiſſe hiſtoriarum libros XXXIII; & epitomen Cteſiæ lib. III; & epitomas alias hiſtoricorum, aliorumque ſcriptorum plurimas. Fuere autem, qui libros iſtos Soteridi attribuerunt; ut idem Suidas dicit in hac voce: ubi &, ſui oblitus, Soteridem maritum Pamphilæ, non patrem fuiſſe dicit. Ex primo Pamphilæ, ac portò ad decimum uſque, excerpſerat magnam partem libri ſecundi eclogarum Sopater Sophiſta; teſte Photio tmem. CLXI. Nonum & vigeſimum Pamphilæ commentarium citat Gellius lib. XV, cap. XVII. Sæpe etiam Pamphilæ meminit Laërtius. Ut in Pittaco; ubi eam memorat ἐν δευτέρῳ *d* τῶν ὑπομνημάτων; indeque refert, ut Pittacus noluerit capere pecunias, quas Crœſus dono miſerat. Idem in Periandro ex quincto commentariorum probat, duos fuiſſe Periandros. Et in Socrate narrat ex ſeptimo Pamphilæ, ut Alcibiades Socrati donârit ingentem aream ad extruendam domum: ille autem recuſârit; addens, ſi corium ſibi daretur ad parandos calceos, non ſe recepturum; &, ridiculum ſe fore, aliter ſi faceret. Iterum in Platone; ubi ex libro vigeſimoquincto narrat, ut Arcades, & Thebani, cùm ingentem condidiſſent urbem, Platonemque rogâſſent, ut eorum conſtitueret Rempublicam, proficiſci eò noluerit; quòd æqualitatem illos ſequi nolle intelligeret. Idem in Theophraſto prodit ex trigeſimo Pamphilæ, Menandrum Comicum Theophraſti fuiſſe diſcipulum. Mentionem etiam facit in Thalete, Chilone, Cleobulo. Sed iſtis in locis numerum libri non addit. Quare etſi Photius tantum octo libros viderit, tamen, XXXIII ſcripſiſſe, Suidæ credimus.

d *In quincto commentariorum.*

Neronis, & Veſpaſiani temporibus, claruit PERIPLI AUCTOR, qui perperam vulgo creditur Arrianus. Multo tamen junior fuerit, ſi inſcriptioni fides: quæ iſtiuſmodi eſt: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραιανῷ Σεβαστῷ Ἀρριανὸς χαίρειν *e*. Sed id poſſe ſubſiſtere, negat clariſſimus Claudius Salmaſius Plinianis exercitationibus in Solini Polyhiſtora *f*. Ubi & comprobat, nec Arrianum eſſe, nec Hadriani temporibus vixiſſe; ſed Plinio fuiſſe æqualem, vel paullo etiam vetuſtiorem. Argumenta apponerem, niſi plura eſſent: ut ſatis videatur, digitum ad fontem intendere.

e *Imperatori Cæſari Trajano Auguſto Arrianus ſalutem.*
f *P.* 1186. *Tangit & pag.* 1021.

## CAP. VIII.

*Fl. Joſephus ad Romanos legatus. Galilæorum poſtea dux, ab Romanis captus. Veſpaſiano, & Tito, adaptat oraculum de Chriſto; eumque errorem ſecuta eſt nationum vanitas. Suidas corrigitur. Portus refellitur. Quanto*

*in honore fuerit Joſephus apud Titum, ac quàm præclare idem de ejus hiſtoria Judaica ſenſerit; uti & rex Agrippa. Quæ præterea Joſephus ediderit. Stylus ejus cujuſmodi. Diſcrepantes de fide illius ſententiæ juniorum. Joſippus, Gorionis filius, alius eſt à Fl. Joſepho, & quidem longè recentior; imò putidus impoſtor, qui nec cautè ſatis ſciat mentiri. Cur dicatur Joſippus Longus. Juſtus Tiberienſis. Ejus hiſtoria, & ſtylus, & cum Fl. Joſepho inimicitia.*

FLavius Joſephus, Matthathiæ filius, natus fuit anno primo Caji Cæſaris, cognomento Caligulæ: maternum genus ducebat à regia Haſmonæorum ſtirpe, ſive, ut vulgò vocant, Maccabæorum: ſectâ fuit Phariſæus; quam ipſe ait ad illam, quæ Græcis Stoica vocatur, proximè accedere: annos natus XXVI Romam iit, ut pro ſacerdotibus aliquot ſuæ gentis intercederet; quos Felix, Judææ procurator, ob culpam leviculam, vinctos miſerat Romam: eâ occaſione per Aliturum mimum, genere Judæum, ac Neroni charum, innotuit Poppeæ Auguſtæ: nec modò impetravit, ut dimitterentur ſacerdotes; ſed etiam donis ab Auguſta ornatus in patriam rediit. Ubi gliſcente ſeditione, dux Galilæorum ab Hieroſolymitanis factus, multa prudenter, & fortiter geſſit; uſque dum, captâ Jotapatâ, vivus in manus Romanorum venit: hinc cuſtodiæ datus fuit, ut ad Neronem mitteretur. Quo cognito, poſtulavit, ut cum Veſpaſiano loqui poſſet, Tito filio, & duobus amicis præſentibus. Ibi ille Veſpaſiano imperium prædixit. Cujus etiam rei Suetonius meminit. Nam cùm de Carmeli Dei apud Judæam oraculo dixiſſet, ſubjicit iſta: *Et unus ex nobilibus captivis, Joſephus, cùm conjiceretur in vincula, conſtantiſſimè aſſeveravit, fore, ut ab eodem brevi ſolveretur; veriùm jam imperatore.* Nimirum vaticinium propheticum de Meſſia rege, quem iis temporibus Judæi etiamnum exſpectabant, Veſpaſiano accommodabat: eamque vaniſſimam interpretationem eventu poſtea comprobatam fuiſſe, gentiles putarunt; quibus ignotum erat regnum ſpirituale, quod per univerſum orbem habet Soſpitator noſter Jeſus. Hinc idem Tranquillus paullo ante dixerat: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de imperatore Romano (quantum eventu poſtea paruit) prædictum, Judæi ad ſe trahentes rebellarunt.* Ac ſimiliter Tacitus lib. V. Hiſtor. *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore ut valeſceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur: quæ ambages Veſpaſianum, ac Titum, prædixerant.* Nempe, ut videmus, in ſubleſtâ hac interpretatione gentibus præivit Joſephus, poſtquam res Judæorum retro cedere, ac Veſpaſiano omnia ex voto fluere, perſpexit. Eſt eâ de re egregius quoque locus apud Zonaram annalium Tom. II [a]: Ὁ γὰρ Ἰώσηπος, ὡς αὐτὸς ἐκεῖνος ἱστόρησε, χρησμόν τινα ἐν γράμμασιν ἱεροῖς εὑρηκὼς, δηλοῦντα ὡς ἄρξει τις ἀπὸ τῆς χώρας αὐτῶν τῆς οἰκουμένης, διὰ τὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ στάσεις, καὶ τὰς ἐκεῖ βασιλέων τὰς συνεχεῖς ἀλλαγὰς, εἰς τὸν Οὐεσπασιανὸν τοῦτον ὑπέλαβε τὸν χρησμὸν, καὶ τὸ κράτος προεμαντεύσατο. Τούτου δὲ τοῦ χρησμοῦ μέμνηται καὶ Ἀππιανὸς ἐν τῷ εἰκοστῷ δευτέρῳ λόγῳ τῆς ἱστορίας αὐτοῦ Ῥωμαϊκῆς. Δικαιότερον δ' ἂν ἡ ἀληθὲς μᾶλλον νομισθείη, τὸ ἐπὶ τὸν σωτῆρα τὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν χρησμὸν ἐκληφθῆναι. Οὐ γὰρ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης Οὐεσπασιανὸς ἐβασίλευσε, κατὰ τὸν χρησμὸν, ἀλλὰ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις μόνης. *Joſephus enim, ut ipſe narrat, cùm in ſacris literis oraculum reperiſſet, fore, ut quidam ex Judæa orbi terrarum imperaret: id oraculum, ob Romanorum ſeditiones, ad Veſpaſianum retulit, eique vaticinatus eſt imperium. Ejus oraculi meminit etiam Apianus hiſtoria Romana lib. XXII. Rectius autem, ac veriſſimè, id oraculum de ſervatore humani generis, Domino Jeſu Chriſto, intelligetur. Neque enim toti terrarum orbi Veſpaſianus imperavit: ſed Romano imperio duntaxat.* Quod & judicium fuit Euſebii, Hiſtor. Eccleſ. lib. III, cap. VIII: ubi itidem legas, oraculum illud non Veſpaſiano aptari, ſed Chriſto, debuiſſe. Ac verba quidem, quibus tum Joſephus ad Veſpaſianum uſus fuit, adfert ipſe lib. III de bello Judaico cap. XIV. Sunt verò ejuſmodi: Σὺ μὲν, Οὐεσπασιανὲ, νομίζεις, αἰχμάλωτον αὐτόμολον εἰληφέναι τὸν Ἰώσηπον· ἐγὼ δὲ ἄγγελος ἥκω σοι μειζόνων. μὴ γὰρ ὑπὸ θεοῦ προπεμπόμενος οὐκ ᾔδειν τὸν Ἰουδαίων νόμον, καὶ πῶς στρατηγοῖς ἀποθνήσκειν πρέπει. Νέρωνί με πέμπεις; τί δέ; οἱ μετὰ Νέρωνα μέχρι σοῦ διάδοχοι μένουσι; Σὺ Καῖσαρ, Οὐεσπασιανὲ, καὶ παῖς ὁ σὸς οὗτος. Δέσμει δέ με νῦν ἀσφαλέστερον, καὶ τήρει σεαυτῷ· δεσπότης μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐμοῦ σὺ, Καῖσαρ, ἀλλὰ καὶ γῆς, καὶ θαλάσσης, καὶ παντὸς ἀνθρώπων γένους· ἐγὼ δὲ ἐπὶ τιμωρίαν δέομαι φρουρᾶς μείζονος, εἰ καὶ σχεδιάζω κατὰ θεοῦ. *Tu quidem, Veſpaſiane, putas, Joſephum te habere transfugam captivum: ego autem majorum ad te nuntius venio, præmiſſus à Deo: alioqui Judæorum legem ſciebam, & quemadmodum duces exercituum mori deceret. Ad Neronem me mittis? quid ita? quaſi qui Neroni uſque ad te ſucceſſuri ſunt, maneant. Tu es Cæſar, Veſpaſiane, & Imperator, atque hic filius tuus: me autem colligatum arctius tibi aſſervato: nam dominus quidem non mei ſolius es tu, Cæſar; verùm etiam terræ, mariſque, ac totius humani generis: me autem ad majorem pœnam cuſtodiri oportet, ſi extempore, & ſubitò, in Deum iſta confingo.* Ex hoc Joſephi loco emendandus eſt Suidas in Ἰώσηπος; ubi ea Joſephi oratio, nec rectè, nec integrè, adducitur. Neque audiendus Æmilius Portus, cùm apud Suidam, ubi nunc eſt, Μὴ [a] γὰρ οὐχ ὑπὸ θεοῦ προπεπεμμένος εἶδον τὸν Ἰουδαίων μόρον, legere jubet εἶδες, ut ad Veſpaſianum referatur, qui Judæorum urbem expugnavit, & interitum vidit. Nam rectum eſt εἶδον, vel potius ᾔδειν. Neque iſta, ut ille putat, dixit Joſephus, captis Hieroſolymis, & delatâ gente; ſed captâ Jotapatâ: quo tempore Hieroſolyma nundum obſidebantur. Cæterùm etſi Veſpaſianus putaret, callidè iſta Joſephum eſſe commentum, quo dimitteretur: tamen, ubi cognovit Neronis, & Galbæ mortem; ac civile inter Othonem, & Vitellium bellum; ubi item Tiberius Alexander, Ægypti præfectus, in Veſpaſiani verba legiones adegit: mox Joſephum veſte, & ornamentis donavit; qui vinculis ſolutus, & eo nactus honore, cum Tito ad Hieroſolymorum obſidionem profectus fuit. Hoc peracto bello, edidit Joſephus libros VII. de eopſe bello Judaico: quibus Romæ, ob ingenii & eruditionis gloriam, ſtatuam meruit: ut Hieronymus quoque narrat in Eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogo. Eos ſe primùm Veſpaſiano, & Tito, obtuliſſe ait, quòd eorum judicium minimè expaveſceret. Quin refert, Titum ex ſolis iſtis peti voluiſſe ejus belli hiſtoriam: præterea illum manu ſuâ iis ſubſcripſiſſe, & juſſiſſe, ut in bibliotheca publica aſſervarentur. Adhæc commemorat, ut regi eos Agrippæ oſtenderit, & ab eo acceperit epiſtolas ſeptuaginta duas; quibus, quàm veriſſimè hiſtoriam à ſe exaratam eſſe, planum fiat. Multa quoque alia adfert, quibus fidem hiſtoriæ ſuæ conciliet: imprimis, quòd propè omnia oculis ſuis viderit, cætera ab iis acceperit, qui ipſi rebus præfuerunt. Adhæc edidit XX libros Antiquitatum Judaicarum; quas decimotertio Domitiani anno abſolvit. Orditur verò eas ab orbe condito, ac perducit uſque ad duodecimum annum Neronis: quo Judæi, injuriis Flori, qui Albino ſucceſſerat, coacti, arma adverſus Romanos ceperunt. Opus illud Evagrius lib. V. cap. ultimo appellat ἱστορίαν [b] χρειώδη εἰς ἅπαντας τυγχάνουσαν. His libris adtexuit Vitam ſuam; unde peti debent, quæ prætериimus. Scripſit quoque libros II contra Apionem; qui à gentilibus legatus Romam miſſus librum adverſus Philonem ediderat, quo Judaicæ gentis vituperationem complexus erat. Fecit & librum περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [c]. Qui & Μακκαβαϊκὸν [d] inſcribitur. Cæterùm Porphyrius quoque lib. IV περὶ ἀποχῆς [e] quædam de triplici apud Judæos ſectâ adducit ex Joſephi duodevigeſimo Antiquitatum libro: item ex ſecundo hiſtoriæ Judaicæ; ac ſeptem fuiſſe addit hiſtoriæ ejuſce libros. Hoc Judaicæ hiſtoriæ opus ſignat & Stephanus in Φασαηλίς; ubi eum citat ἐν [f] τῷ α' πρὸς τοὺς Ῥωμαίους πολέμῳ. De ſtylo ejus ita cenſet Photius [g], eſſe eum candidum, purum,

[a] Pag. 193.

[a] Niſi enim à Deo præmiſſus eſſem, non vidiſſem Judæorum exitium.

[b] Hiſtoriam ad omnia utilem.

[c] De imperio rationis.

[d] De Maccabæis.

[e] De abſtinentia ab animalibus.

[f] Libro primo de bello adverſus Romanos.

[g] Cod. 47.

purum, elegantem, ac jucundum; in concionibus etiam diſertum. B. Hieronymus, libello ad Euſtachium de cuſtodia virginitatis, Græcum Livium nominat. Quantum autem fidei mereatur, minimè nunc convenit inter eruditos. Sunt quibus uſque adeò fides ejus ſuſpecta ſit, ut planè ſuſque deque habeant, quid Joſephus dicat, dummodo vel alterius qualicumque autoritate, vel minutâ ratiunculâ, defendere contrarium ſibi poſſe videantur. Contrà magnus Scaliger Prolegomenis ardui operis de Emendatione Temp. cenſet, ubique elucere Joſephi, & eruditionem, & fidem, in tantum, ut non ſolùm in rebus Judaicis, ſed etiam externis, tutiùs ei credatur, quàm omnibus Græcis, ac Latinis. Illuſtre apud eum de Chriſto teſtimonium habemus in duodevigeſimo Antiquitatum libro: unde illud etiam citat Hieronymus in Eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogo, item Suidas in Ἰώσηπος. Mirum verò, non meminiſſe ejus Photium in excerptis ſuis cap. LXXVI.

a *In Chronologia.*
b *Præfat. in lib. Joſephi edit. Baſil. ann. 1548.*

Æqualis huic Joſepho, juxta Gerebrardum *a*, imò, ſi Munſterum audimus, idem planè fuit Joſephus is, qui vulgò dicitur Joſippus Gorionides *b*; ſcriptor hiſtoriæ de bello Judaico; quæ Hebraicè exſtat; ac beneficio Munſteri, mutilè tamen, in lucem prodiit Baſileæ; integriùs verò excuſa eſt Venetiis. Sed neque hic idem eſt, ac Flavius Joſephus; neque æqualis. Siquidem lib. III cap. XV. Gothos in Hiſpania ponit: etiam partem Africæ vocat *Barbariam*: item lib. V cap. I ait, Francos à Iulio Cæſare ſubactos. Quo tempore nomen id non erat Gallis. Imò ejuſdem libri cap. XLII *c* Francorum meminit, qui Gallias occupâſſent. At aliquot demum ſeculis pòſt natio iſta has terras obtinuit. Quid quod multa adeò dicat, quæ Flavio Ioſepho, ac veritati ipſi, repugnent? Quocirca non poſſum diſſentire ab illis, qui pro ſuppoſititio ſcriptore habent: ut ſunt Baronius Tom. I. Annal. ad ann. LXXII num. XXVII, Poſſevinus in Apparatu, voce Hegeſippus, Ribeira comment. in Obadiam num. CX, & Maldonatus in Matth. cap. XVI. Amplius dico; Gorionides iſte non librariorum culpâ titulum mentitur: ſed ipſe, quantus quantus eſt, impoſtor eſt. Quod pluribus probandum duxi. Scriptor ejus operis legerat apud Ioſephum, ex interpretatione Rufini, (hac enim uſum liquet) Ioſephum, Gorionis filium, quem Γωρίωνα Fl. Ioſephus nominat, unà cum Anano mœnibus fuiſſe præfectum: Ioſephum autem, Matthathiæ filium, præfuiſſe Galilææ. Horum ille utrumque in unum conflavit: & bonus vir perſuadere nobis eſt conatus, ſe nempe eſſe ſacerdotem illum Ioſephum, qui de excidio Iudaico ſcripſerat. Sed vide hominis ſtuporem. Ipſe commenti ſui interdum obliviſcitur. Uti quando ait, non quiviſſe ſe ſanctuarium ingredi, eo quòd ſolis ſacerdotibus fas eſſet. Quàm bellè cum eo hoc convenit, quod ſe finxerat ſacerdotem? Et tamen genti ſuæ, ut ad iſtiuſmodi credula eſt, potuit perſuadere, eſſe ſe celebrem illum Fl. Ioſephum. Solent verò Iudæi nobilem illum hiſtoricum, de quo antea dictum, vocare *Joſephum*, ſive *Joſippum Longum*: nempe ut diſtinguant ab ea Ioſippi epitome, quam Hebraicolatinam Baſileæ edidit Sebaſtianus Lepuſculus. Quod ad gentem, & ætatem Pſeudogorionidæ, fuiſſe Iudæum Gallum, & quidem nuperum ſcriptorem, ſaltem vixiſſe poſt annum Chriſti ſexcenteſimum, ſatis veriſimiliter probat Ioſ. Scaliger: quem vide Trihæreſii elencho cap. IV. & V.

c *In Lat. tralat. ſed in Hebr. 41.*

Iuſtus Tiberienſis, è Galilæa provincia, Ioſephi, Iudaicarum antiquitatum ſcriptoris, æqualis fuit: quicum & graves ei inimicitiæ interceſſerunt. Scripſit, Photio teſte *d*, Iudæorum regum Chronicon qui coronati fuere. Incepiſſe illud ait à Moyſe, & perduxiſſe uſque ad exitum Agrippæ, ſeptimi è familia Herodis, ac Iudaicorum regum ultimi: qui Claudii tempore regnare cœpit; ſub Nerone crevit, majoraque incrementa ſumſit ſub Veſpaſiano; ac tertio Trajani anno obiit: quouſque & hiſtoriam Iuſtus perduxit. Ibidem judicium tale de eo fert, ſtylum eſſe συντομώτατον *e*, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν ἀναγκαιοτάτων παρατρέχοντα. Adhæc dicit, communi Hebræorum vitio laborare; ut, cùm Iudæus genere eſſet, nullam de Chriſti adventu, aut miraculis ejus, faceret mentionem. Multa item in hiſtoria finxiſſe ait: imprimis de iis, quæ ad Romanorum adverſus Iudæos bellum: & excidium Hieroſolymorum pertinerent. Hoc Photii judicium convenit cum iis, quæ de eo Ioſephus ſcripſit in Vita ſua. Pauca inde Latine apponam. *Hoc*, inquit, *loco libet paucis reprehendere Juſtum, hujus argumenti ſcriptorem. Is, ut videretur bene tempus inſumere, res hoc bello geſtas ſcribere aggreſſus, multa mentitus de me, ne de ſuâ quidem patriâ vera locutus eſt.* Et mox: *Ut igitur ad te jam ſermonem vertam, Juſte, hiſtoricorum tuo judicio graviſſime; quomodo ego, & Galilæi, in cauſſa fuimus, ut patria tua deficeret à rege ſimul, & Romanorum imperio? quandoquidem, priuſquam ego ex decreto civitatis Hieroſolymitanæ in Galilæam dux mitterer, tu cum tuis Tiberienſibus, armis correptis, populariter auſi eſtis infeſtare etiam Syrorum Decapolim.* Longum eſſet exſcribere omnia, quæ ad vitam ſcriptaque hujus Iuſti pertinent: ſunt enim pagellæ aliquot: quare ſolùm adferam, quæ ad tempus pertineat, quo ſua edebat. In hanc igitur ſententiam ſonant Græca verba Ioſephi: *Si confidis, te ſcripſiſſe melius omnibus, cur, vivo Veſpaſiano, ac Tito, ac quorum auſpiciis id bellum geſtum eſt, & Agrippâ ſuperſtite, cognatiſque ejus, viris Græcarum literarum peritiſſimis, non edidiſti tuam hiſtoriam? Ante viginti enim annos eam ſcripſeras, & poteras à conſciis habere teſtimonium. Nunc poſtquam illi non ſunt inter nos amplius, nec putas eſſe, qui coarguat, auſus es librum edere. At non ſic ego: neque meis ſcriptis timui; ſed ipſis opus id imperatoribus tradidi, cùm adhuc recens id bellum penè verſaretur in hominum oculis.* Meminit hujus operis etiam Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. III, cap. IX. Adhæc B. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Item Stephanus in Τιβεριάς: Ἐκ ταύτης *a* ἦν Ἰοῦστος, ὁ τὸν Ἰουδαϊκὸν πόλεμον τὸν κατὰ Οὐεσπασιανοῦ ἱστορήσας. Unde colligo, ut Ioſephus, ita & Iuſtum, non modò de Antiquitatibus Iudaicis, ſed ſeorſim etiam de bello Iudaico ſcripſiſſe. Item meminit Honorius in luminaribus Eccleſiæ; apud quem perperam legitur, *Juſtinus Tiberienſis*. Alia quoque ab eo edita eſſe, ex Suida diſcimus: &, credo, aliquis iſtoc etiam adſtruere conabitur ex hoc Laërtii loco in Socrate: Φησὶν *b* Ἰοῦστος ὁ Τιβεριεὺς ἐν τῷ στέμματι. Sed nihil infirmius hoc argumento, ſi Laërtius, quod veriſſimum puto, librum ſignat de corona Iudaica, ſive de regibus Iudaicis, qui coronâ fuerant ornati. Siquidem hoc opus ita inſcribebatur, Ἰοῦστος *c* Τιβεριεὺς περὶ Ἰουδαίων βασιλέων τῶν ἐν τοῖς στέμμασιν: ut teſtis Photius. Fruſtra verò eſt doctiſſimus Xylander; cùm apud Stephanum in Τιβεριάς, ubi Iuſtus, belli Iudaici adverſus Veſpaſianum ſcriptor, fuiſſe dicitur Tiberienſis, *Joſephus* pro *Juſtus* legendum eſſe ſuſpicatur. Nam Ioſephus non Tiberienſis, ſed Hieroſolymitanus fuit. Iuſtum autem Tiberienſem fuiſſe, & Chronica condidiſſe, præter eos, quos dixi, ſcriptores, etiam anonymus teſtatur ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. an. IV: Ἐν ταῦθα *d* λήγει τὸ Ἰούστου τοῦ Τιβεριέως χρονικὸν, ἀρξάμενον ἀπὸ Μωσέως.

d *Themate 35.*
e *Conciſum, & pleraque relatu maxime neceſſaria prætermittentem.*

a *Inde erat Juſtus, qui hiſtoriam belli Judaici adverſus Veſpaſianum ſcripſit.*
b *Juſtus Tiberienſis ait in Corona.*
c *Juſtus Tiberienſis in hiſtoria regum Judæorum, qui fuere coronati.*
d *Hic deſinit Juſti Tiberienſis Chronicon, quod orditur à Moſe.*

## CAP. IX.

*Suppoſititii ſcriptores. I. Prochorus de vita B. Joannis. II. Abdias Babylonius de certamine Apoſtolorum. III. Linus de paſſione BB. Petri, & Pauli. IV. Anonymus, vel potiùs presbyteri Achaiæ, de paſſione B. Andreæ. V. Anonymus de actis Pauli, & Theclæ. Clemens Romanus, cui Recognitionum libri attribuuntur. Et fuere olim etiam alia ſpuria, quæ nunc non exſtant. Ut liber de adſcenſu Pauli, Evangelium Judæ, & alterum ſecundùm Ægyptios, & aliud ſecundùm Hebræos. Cajanorum ſecta. Clementis Alexand. ὑποτύπωσις.*

AB tribus his, qui bellum Judaicum memoriæ prodiderunt, tranſeo ad ſex ſeptem ſcriptores hiſtoriæ Chriſtianæ; ſed ſuppoſititios omnes. Eos hoc loco ſubnectam, quia eâdem, hoc eſt Domitiani, ætate, vel ſaltem non multo pòſt, vixiſſe dicuntur.

Ex iſtis eſt Prochorus, unus ex ſeptem diaconis, ſive, ut Eccleſiaſtici fere loqui amant, diaconibus, quos Apoſtoli ipſi ordinarant: ut Lucas teſtatur in Actis cap. VI. Scripſiſſe hic dicitur vitam Euangeliſtæ, & Apoſtoli Joannis, quæ in Orthodoxographis, & bibliotheca Patrum, legitur. At, multo recentiorem eſſe, arguit, quòd nominat diſertim ὁμοούσιον τριάδα *a*, quomodo antiquiſſimi illi necdum loquebantur. Præterea fabulis, mendaciiſque, ita coopertus eſt, ut nec in iis, quæ vera fortaſſe ſunt, fidem mereatur. Idem cenſent, Baronius in annalibus *b* Eccleſ. Bellarminus in Eccleſiæ ſcriptoribus, magiſter ſacri palatii in Ind. Expurg. Lorinus in Act. cap. VI. Facilè autem iis aſſentio, qui arbitrantur, eſſe eundem librum, qui *circuitus Joannis* vocari antea ſolet, atque hoc nomine etiam inter apocrypha refertur ab Athanaſio in Synopſi. Nec tamen Serrarius lib. de Apoſtolis, ſectione LV, dubitat Prochori auctoritate refellere eos, qui negant, Apoſtolos ante duodecimum à paſſo Chriſto annum Hieroſolymis deceſſiſſe. Nec ignorabat, quo loco alii Prochorum haberent. Sed addit: *Quiſquis is eſt, vetus eſt.*

*a Coëſſentialem Trinitatem.*
*b Tom. 1. ad. an. 99. num. 4. & ad an. 44. num. 30.*

Etiam Abdias Babylonius creditur Hebraicè feciſſe libros decem de hiſtoria certaminis Apoſtolici: quos Græcè tranſtulerit Eutropius, ac Latinè interpretatus ſit Julius Africanus, nobilis ille chronographus, de quo ſuo loco dicetur. Scribit verò Abdias iſte lib. VI, ſe Soſpitatorem noſtrum Chriſtum vidiſſe in carne: cumque unus foret ex LXXII diſcipulis, aſſeclam ſe fuiſſe Simonis, & Judæ, quando in Perſiam abibant ad prædicandum Euangelium: denique ab iis, priuſquam iſtis oris excederent, Babyloniæ ſe epiſcopum factum eſſe. Atque eadem legere eſt apud interpretem in præfatione. Quæ ſi vera ſunt, jure magnum apud omnes ſcriptoris hujus nomen eſſe debet. Sanè Wolfangus Lazius, qui primus ex cœnobio Oſſiacenſi Carinthiæ, nec non è cœnobio S. Trutberti in ſylva Hercynia illum in lucem protraxit, tanti eum fecit, ut dubitare ſe dicat, utrum ea, in quibus cum Luca conſentit, hauſerit ex hoc Euangeliſta, an Lucas potiùs ea ex Abdia iſto exſcripſerit: nempe qui ὁμήλικες *c* fuere. In eâdem ſententia fuit Jo. Faber, Theologus Pariſienſis. Sed ſi adeò antiquus eſt Abdias ille, mirum, non Euſebium, non Hieronymum, non alium veterum quemquam, meminiſſe vel Abdiæ, vel interpretationis iſtius, ne iſtic quidem, ubi Africani ſcripta recenſentur. Præterea quomodo fidem habere ei poſſumus, qui dicat, ſe Chriſtum vidiſſe, cùm in terris verſaretur; atque interim laudet Hegeſippum hiſtoricum, verbaque ejus citet ex lib. V commentariorum? Nam Hegeſippus ille Juſtini, & Athenagoræ, æqualis fuit; ut conſtat ex Euſebii Hiſt. Eccl. lib. IV cap. XXI, & Hieronymo in ſcriptoribus Eccleſ. Quare centum circiter, & triginta annis, floruerit, poſtquam Chriſtus adſcenderat in cœlum. Adhæc quomodo Abdiam eum Latinè tranſtulit Julius Africanus, quem Græcum fuiſſe ſcriptorem, ex Euſebio, & aliis, conſtat? Denique in ſcriptore hoc multæ adeò ſunt fabulæ, ac mendacia, ut eos libros, *velut fide indignos, Paullus Papa* IV *inter ſcripta à ſe damnata rejecerit*: quemadmodum ſcribit Sixtus Senenſis lib. II bibliothecæ ſanctæ. Multa quoque erronea in eodem notavit Joa. Heſſels in Cenſura de quibuſdam ſanctorum hiſtoriis cap. X. Eundem rejiciunt Bellarminus in ſcriptorib. Eccl.; Baronius in annal. *d* Eccl., Joannes Molanus lib. I. de fide hæreticis ſervanda cap. VI; Poſſevinus in Apparatu ſacro voce *Abdias*, & *Severus Sulpitius*, Eſpencæus de continentia lib. V cap. V; & lib. VI cap. II. Adhæc Salmeron Comment. in II Timoth. II diſp. II *e*, & Nicolaus Nancelius catalogo librorum, quos ſcripſit: ubi auctorem eum, *plurimis indiciis, & argumentis à ſe falſi convictum, interimque correctiorem multo redditum ait.* Ac paullò pòſt dicit, ſcriptorem eum licet ſuppoſititium, uti & Clementem Romanum, *multis & argumentis à ſe, notiſque illuſtratum.* Puto autem, iſtos Abdiæ libros ſignari à beato Auguſtino contra Adimantum cap. XVII; cùm ait, *Manichæi legunt ſcripturas apocryphas, quas etiam corruptiſſimas eſſe dicunt: ubi ſcriptum eſt, Apoſtolum Thomam maledixiſſe homini, nec multo poſt à leone dilaniatum, & occiſum eſſe.* Nam hiſtoria iſtæc, vel fabula potiùs, (ut Melchior Canus *a* appellat) refertur ab hoc Abdia lib. IX, qui eſt de geſtis Thomæ in India.

*c Æquales.*
*d Ad an. 44. num. 44. & ad ann. 58 num. 51.*
*e P. 585.*
*a Loc. Com. lib. 11. cap. 6.*

Præterea ſub nomine Lini, epiſcopi Romani, & martyris, duo circumferuntur libri ad eccleſias orientales: qui acta continent paſſionis Petri, & Pauli. Agnoſcit ea Sigebertus de illuſtribus Scriptoribus cap. V; *Linus, primus poſt Petrum Papa, ſcripſit Græco ſermone martyrium Petri, & Pauli, uno die paſſorum; & Eccleſiis Orientalibus deſtinavit.* Item Anonymus in vita Nerei, & Achillei, apud Surium: *Quo autem pacto* (Petrus, & Paulus) *cum Simone congreſſi ſint, cum ipſi coram ſitis intuiti, ſuperfluò mihi viſum ſum apud vos velle referre: maximè cum S. Linus Orientis Eccleſiis omnem paſſionis eorum ſeriem Græcè perſcripſerit.* Sed hiſtoria ea, quæ hodie quidem exſtat, eſt commentitia, ac multos continet errores: ut docent, Bellarminus in Eccleſiaſt. ſcript. & lib. II de Pontif. Rom. cap. IX, Baronius in Ann. Eccl. ad ann. LXIX num. VI. Poſſevinus in apparatu ſacro, voce *Linus.* Joannes Maria, magiſter ſacri palatii in Ind. Exped. tom. I, & Claudius Eſpencæus lib. VI de continentia cap. II. Etſi autem ſcriptor ſit fabuloſus, eſt tamen antiquus; & fortaſſe, licet Linus à Sigeberto dicatur Græcè ſua literis mandâſſe, nihilominus, quæ non habemus, Latinè primùm conſcripta ſunt; non à Lino quidem, ſed aliquanto pòſt. *Stylus ipſe priſci alicujus monachi eſſe arguit*: ut non male conjectat Barthius Adverſar. lib. XLIII. cap. XIII.

Exſtat & paſſio S. Andreæ Apoſtoli, ſcripta, ut aiunt, à presbyteris & diaconis Eccleſiarum Achaiæ, qui paſſioni interfuerant. Eam pro legitimâ agnoſcit Petrus Damiani *b*; qui temporibus vixit Gregorii VI, uſque ad Gregor. VII; atque obiit anno Chriſti CIↃ LXXII. Sed Petro Damiani opponimus Epiphanium; qui hæreſ. XLVII Encratitas ait uti actionibus Andreæ, Joannis, & Thomæ. Item Philaſtrium de hæreſ. cap. XL; quod eſt de apocryphis, ubi inquit: *Contra diſputationes beatiſſimorum Apoſtolorum conſulta ponunt. e quibus ſunt Manichæi, Gnoſtici, Nicolaitæ, Valentiniani, & alii quàm plurimi; qui, apocrypha Prophetarum, & Apoſtolorum, id eſt, actus ſeparatos habentes, canonicas legere Scripturas contemnunt.* Et poſt pauca: *Habent Manichæi apocrypha beati Andreæ Apoſtoli, id eſt, actus, quos fecit veniens de Ponto in Græciam: quos conſcripſerunt tunc diſcipuli ſequentes Apoſtolum.* Mox idem cenſet de actibus Ioannis, Petri, & Pauli. Item Innocentius I, extremâ epiſtolâ primâ, quæ eſt ad Exuperium, Toloſanum epiſcopum, eum, quem Auſonius quoque inter claros ſui ſeculi oratores celebrat: *Cætera, quæ vel ſub nomine Matthiæ, ſive Jacobi Minoris, vel ſub nomine Petri, & Joannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide, & Leonide philoſophis, vel ſub nomine Thomæ, & ſiqua ſunt alia, non ſolum repudianda, verùm etiam noveris eſſe damnanda.* Ubi ſimul auctorem operis iſtius indicat. Similiter Gelaſius, decreto cum LXX epiſcopis habito, in apocryphis reponit *Actus nomine Andreæ Apoſtoli.* Inclinat huc etiam Baronius in annal. Eccl. ad an. LXIX. §. XXXIV: imò etiam agnoſcit, acta paſſionis Andreæ à Manichæis eſſe corrupta, atque ab iis citari ſolita, & propterea dubiæ in Eccleſia fidei cenſeri. Sanè non alienum eſſe à moribus Manichæorum, acta Apoſtolica promulgare fabulis pleniſſima, vel ex iis liquet, quæ de Leucio Manichæo retulimus ex Innocentio: quæque de eo legere eſt apud B. Auguſtinum libro de fide contra Manichæos cap. XXXVIII. Ut mirum mihi videatur, Poſſevinum

*b Serm. 1. de ſancto Andrea.*

a ſic

a In Apparatu, voce Andreæ.

*a* ſic laborare in eo, ut Paſſionem illam Andreæ doceat eſſe genuinam; ac Bellarminum quoque in eadem eſſe ſententia. Diſtinguit enim inter acta olim damnata, & illa presbyterorum Aſiæ, quæ apud Surium leguntur Tom. VI, die XXX Nov. *b* Ac poſteriora hæc legitima eſſe arbitratur. Quibus cauſſis moveatur, exponit in Scriptoribus Eccleſiaſticis ſeculi primi. Sed iis alibi occurremus.

b P. 696.

Similiter ſtatuendum de actis Pauli, & Theclæ. Quorum crebra adeò eſt mentio apud veteres. E Græcis meminit Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Athanaſii, & exhortatione ad virgines, item oratione I in Iulianum Apoſt. & orat. XVIII; quæ eſt in laudem Cypriani: item carmine jambico de vita ſua: adhæc Gregorius Nyſſenus; apud quem illuſtre eſt Theclæ elogium orat. XIV in Cantica Canticorum: item Epiphanius hæreſi LXXVIII contra Collyridianos, Chryſoſtomus homil. XXV in Act. Apoſt. & ad Antioch. homil. XXII, Iſidorus Peluſiota lib. I. epiſt. LXXXVII, & CIX, Damaſcenus oratione de iis, qui cum fide ex his terris excellerunt: ut de Baſilio Seleucienſi, & Simeone Metaphraſte Logotheta, & prato ſpirituali Sophronii, atque aliis, nihil dicam. E Latinis item mentionem faciunt, Cyprianus orat. pro martyribus, & orat. ſub diem paſſionis ſuæ, Ambroſius epiſt. VII, & LXXXI, & lib. II de Virginibus, Hieronymus epiſt. XXII, quæ eſt ad Euſtochium, Auguſtinus lib. XXX contra Fauſtum cap. IV, Sulpicius Severus Dial. II. cap. XIV, Fortunatus Pictavienſis non uno in loco, Ado Viennenſis in ſuo Martyrologio, atque alii. Sed non, ſi Patres illi quædam pro veris habuerint, quæ actis iſtis continerentur, hinc, illa genuina, & undequaque vera eſſe, conſequitur. Nam ſuppoſititia quin fuerint, dubitare non patitur nos locus iſte Tertulliani lib. de baptiſmo cap. XVII: *Quod ſi quæ Pauli perperam ſcripta* (expreſſit Græcum ψευδογεγραμμένα, hoc eſt, ψευδεπίγραφα) *legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt: ſciant, in Aſia presbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, convictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe.* Refellit quoque ea Hieronymus in catalogo *c* Script. Eccleſ. ubi cùm dixiſſet, Lucam fuiſſe *ſectatorem Pauli, & omnis peregrinationis ejus comitem*, paullo pòſt addit: *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo* πράξεις Ἀποστόλων *d prænotatur: cujus hiſtoria uſque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id eſt, uſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eâdem urbe librum eſſe compoſitum. Igitur* περιόδους *Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam; inter apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, ut individuus comes Apoſtoli, inter cæteras ejus res hoc ſolum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert, presbyterum quendam in Aſia* σπουδαστὴν *Apoſtoli Pauli, convictum apud Joannem, quòd auctor eſſet libri, & confeſſum, ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id excidiſſe.* Denique Gelaſius papa, & concilium LXX epiſcoporum, diſertim ita ſtatuunt: *Liber qui appellatur Actus Theclæ, & Pauli apoſtoli, apocryphus.* Et jure à Gelaſio acta ea rejici, etiam Melchior Canus ſcribit in locis Theol. lib. XI, cap. VI.

c In Luca.

d Actus Apoſtolorum.

Eodem loco haberi debent, quæ ſub nomine Clementis Romani epiſcopi, Ἀναγνώσεις, ſive Recognitiones exſtant. Sunt illæ idem opus, quod *hiſtorias Clementis* appellat Beda de rat. temp. cap. III, & in Acta Ap. cap. V. Antiquitus dicebatur Itinerarium, vel Circuitus Petri: atque eo nomine inter apocrypha refertur ab Athanaſio, extremo capite ſynopſios; ubi περίοδον Πέτρου inter illa reponit, quibus contradicitur: item à Gelaſio, conciliòque Romano: *Itinerarium*, inquit, *S. Petri, quod appellatur Clementis, libri decem, apocryphum.* Similiter Honorius libro de luminaribus Eccleſiæ; ubi ei tribuit *itinerarium Petri, nec non diſputationem Petri, & Apionis.* Latinè hoc opus vertit Rufinus Aquilejenſis: quod & Gennadius teſtatur in catalogo virorum illuſtrium. Edidit id primus Io. Sichardus, ann. CIↃ IↃXXXVI. Sed ἀκρισίαν *a* ſuam oſtendit, cùm pro genuino habet Clemente, nec Gelaſii judicium reprehendere veretur. Meminit itinerarii iſtius Humbertus, epiſcopus Sylvæ Candidæ; qui anno vixit CIↃL. Nam cùm Nicetas Pectoratus jejunia Sabbathi conatus eſſet refutare ex Clemente, & canonibus, qui Apoſtolorum eſſe dicuntur: reſpondit ei in hunc modum: *Et hoc b aſſerere conaris ex apocryphis libris, & canonibus, pari ſententiâ ſanctorum Patrum repudiatis? Nam Clementis librum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & canones Apoſtolorum, numeravere inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxiæ adjungenda.* Et ſanè multa oſtendunt, opus hoc non paullo eſſe recentius Clemente Romano. Primùm illud, quòd (ut optimè obſervavit Sixtus Senenſis *c*) nono itinerarii illius libro legantur duo integra folia, quæ Epiphanius *d* citet ex Bardeſanis Syri libro de fato adverſus Abidam aſtronomum. Bardeſanes iſte vixit ſub Marco Imp. annis circiter ſeptuaginta poſt mortem Clementis, qui tertio Trajani anno martyrii coronam acceperat. Accedit, quòd multa adeò illo opere contineantur ex intimâ Platonis, atque Ariſtotelis philoſophiâ deprompta, planeque aliena à ſimplicitate, quæ in primitiva Eccleſia vigebat. Denique quid multis opus? libri illi *inſulſis fabulis ſunt referti*: quod etiam judicium eſt Baronii *e* in Annal. Eccleſiaſt. Nicolaus Nancelius in catalogo librorum, quos compoſuit, de eodem ſic ſcribit: *Clemens dictus Papa; & Pauli diſcipulus, inſcriptus* Ἀναγνωσιῶν, *ſive Recognitionum auctor, ad Jacobum fratrem Domini* X *libris, Rufino videlicet interprete, ſuo ipſius gladio à me confoſſus eſt, & falſi redargutus, ex ipſa ſerie hiſtoriæ locis certis indicatis, præ,ertim ex fine libri* III; *ut attente conſideranti liquet. Licet ſubdititius, multis tamen, & argutis à me notis illuſtratur.* Pariterque eos rejiciunt, vel fidem ſaltem ſuſpectam habent, Pererius, Bellarminus, Poſſevinus, ac hodie eruditiores omnes.

a Judicii defectum.

b P. 115. Tom. 11 Baron. in appendice edit. Moreti.

c Lib. 2. biblioth. in Clemens.

d Hæreſi 56. Vide & Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl cap. ult. & lib 6. Præparat. Evangel. cap. 10. item Hieronymum in Catalogo ſcript. Eccleſ.

e Tom. 2. ad ann. 102 num. 22.

Huic operi præmittitur ad Gaudentium Epiſcopum præfatio Rufini, vel alterius ſub ejus nomine, in editione, quam anno CIↃ IↃ XXVI ex officina Bebelii Io. Sichardus procuravit. Nam in illa, quæ Pariſiis anno CIↃ IↃ LXVIII à Michaële Sonnio eſt emiſſa, fruſtra quæras. Digna verò obſervatione ſunt ejus præfationis verba, quæ adſcribam: *Puto, quòd non te lateat, Clementis hujus in Græco ejuſdem operis* Ἀναγνωρισμῶν, *hoc eſt, Recognitionum, duas editiones haberi, & duo corpora eſſe librorum, in aliquantis quidem diverſa, in multis tamen ejuſdem narrationis. Denique pars ultima hujus operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur, in alio penitus non habetur. Sunt autem & quædam in utroque corpore de ingenito Deo, genitoque, diſſerta; quæ, ut nihil amplius dicam, exceſſerunt intelligentiam noſtram.* Hæc ille. Ubi duo in conſiderationem veniunt. Prius eſt de Fauſtiniano, à Simone mago in faciem hujus Simonis converſo, & à B. Petro prædicare Antiochenis juſſo de pœnitentia Simonis magi, quòd tot falſiloquis dictis impetiiſſet hunc Apoſtolum. Quàm enim hæc abhorreant à vero, quis non videt? Nec enim ulla pœnitudine Magus ducebatur. Ut non niſi ſpiſſo mendacio hæc Fauſtinianus potuerit Antiochenis ire perſuaſum. Sanè veritas cœleſtis non indiget ejus generis artibus. Quare credibile eſt, vel aliquem iſta prioribus appoſuiſſe, vel alium, qui iſtis offenderetur, omiſiſſe: à quo & alia ſunt mutata; ut præfatio indicat. Alterum eſt, quòd dicitur, quædam in hoc opere de Deo, ingenito, ac genito, eſſe difficilia perceptu, ne quid gravius, hoc eſt, verius, dicat. Atque ad oram eorum legas in iſta Sichardi editione: *Corrupta enim hæc fuiſſe ſuſpicor ab Eunomio: quemadmodum Pauli epiſtola ad Corinthios à Marcione.* Ubi, ut Eunomio id potiſſimùm tribueret, Rufinus fecit; qui ſic de adulteratione librorum Origenis ſcribit ad Macarium *f*: *Clemens Apoſtolorum diſcipulus, qui Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos, & Epiſcopus, & martyr præfuit, libros edidit, qui appellantur* Ἀναγνωρισμοὶ, *id eſt,*

f Habes Hieronymi Tom. 4. pag. 195. edit. B. ſil. an. 1553.

Re-

*Recognitio. in quibus cùm ex perſona Petri Apoſtoli doctrina quaſi vere Apoſtolica quamplurimis exponatur: in aliquibus ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nihil aliud, quàm ipſe Eunomius diſputare credatur.* Quod & ſtatuit Mirandulanus Picus, vel Phœnix potiùs, in apologia ſua, quo loco diſſerit de ſalute Origenis. Sed enim meritò in dubium vocari poſſit, utrùm hos libros, qui ſuperſunt, deſignet Rufinus, vel Hieronymus libro ſecundo adverſus Rufinum. Quippe non ſatis hæc conveniunt cum eo, quòd Rufinus eos Clementis libros Latinè reddiderit. Niſi ab alio malis tranſlatos, & prorſus fictitiam eſſe præfationem, quæ Rufini ad Gaudentium eſſe dicitur. Interea conſtat, fuiſſe & alios x Recognitionum libros, qui ante iſtos x ſuperſtites ſcripti ſint. Clarè enim id legas extremo lib. III: ubi & argumentum affertur ſingulorum librorum, qui deperierunt. Multùm verò id differt ab argumento librorum, quos habemus. Et, credo, de deperditis illis intelligendus ſimiliter eſt Euſebius lib. III hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. XXXVIII; ubi de Clementis Romani libris tractans, ſic loquitur: *Jam & alios quoſdam nuper multiloquos, & prolixos commentarios, quaſi illius ſint, nonnulli prodiderunt: ut qui Petri, & Apionis dialogos contineant; quorum apud veteres prorſus nulla ſit mentio. Neque enim ſincerum recta, & Apoſtolicæ doctrinæ characterem tenent.* Poſſis ſimiliter de amiſſo opere intelligere, quod ait Epiphanius hæreſi XXX, ubi de Ebionæis agit a: Χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισὶ βίβλοις, δῆθεν ταῖς Περιόδοις καλουμέναις Πέτρου, ταῖς διὰ Κλήμεντος γραφείσαις, νοθεύσαντες μὲν τὰ ἐν αὐταῖς, ὀλίγα δὲ ἀληθινὰ ἐάσαντες, ὡς αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων, ὅτι ἄλλον ἔχει χαρακτῆρα ἡ ἑαυτοῦ πίστις, καὶ ὁ λόγος, παρὰ τὰ ὑπὸ τούτων εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς Περιόδοις νενοθευμένα. *Sunt & alii libri, quibus utuntur, velut Petri Circuitus, à Clemente conſcripti: quo in libro paucis veris lectis, cætera ſuppoſuerunt: quemadmodum Clemens ipſe omnibus illos modis redarguit in epiſtolis, quæ ab eo ſcriptæ in ſacroſanctis Euangelius leguntur. Ex quibus conſtat, longè ab iis, quæ in Circuitibus illis ſub ejus nomine adulterina exſtant, illius fidem, ac ſermonem abhorruiſſe.* Quæ pluribus deinde demonſtrat. Sed ut libri x, quos habemus, non ſint Clementis; opus tamen eſt antiquum, & in quo multa bona ſint monita: ut ſi non hiſtoriæ ergo, ſaltem eo pacto legi mereatur, quo Philoſtratum verſamus; ut ſe facere ait Barthius lib. XLV, cap. V. Ubi & de interprete judicium invenies. Nempe dictionem ejus, etſi non careat nævis, tamen necdum eſſe inquinatam illuvie Gothicâ, & aliorum barbarorum: eoque ſi non ſit Rufini, tamen non eſſe multo recentioris.

a P. 139. edit. ann. 1622.

Multa inſuper alia apocrypha circa hæc tempora edita fuerunt: ut Pauli Ἀναβατικὸν b; quomodo inſcripſere, occaſione inde arreptâ, quòd Apoſtolus dicat, ſe aſcendiſſe uſque in tertium cœlum, atque ibi audiiſſe verba arcana, quæ nulli hominum liceat profari. Ajunt igitur, arcana iſta verba hoc opere contineri. Refertum verò erat actionibus planè nefariis; ut pluribus docet Epiphanius hæreſi XXXVIII, quæ eſt Cajanorum. Ibidem etiam meminit Epiphanius Euangelii ſcripti ab Juda Iſcarioth; quem Cajani annumerabant cognatis ſuis; uti & Sodomitas, & Eſau, & Core, Dathan, atque Abiron: horum verò omnium, & ſui quoque, patrem profitebantur Cainum; quem Abelo multis partibus præferebant; unde *Caini* dicebantur. Negabant verò ſalvari quemquam, niſi qui propudioſam, atque abominabilem Carpocratis vitam ſectaretur: unde quale hoc eorum Euangelium fuerit, non difficile eſt conjectare.

b De aſcenſu.

Melioris notæ, quàm Euangelium Judæ, ſpurium nihilominus, erat Euangelium ſecundùm Ægyptios: item Euangelium ſecundùm Hebræos: quorum tamen teſtimonio non ſemel uſus eſt Clemens Alexandrinus. Sed aliorum etiam, non unius Clementis, hæc ἀκρισία c fuit. Vide, quæ de variis Euangeliis ſcribit Sixtus Senenſis d lib. II bibliothecæ. Eſt verò Euangelium hoc ſecundùm Hebræos planè idem, ac illud, quod ſecundùm Nazaræos dicebatur. Cur ita dictum ſit, & ut magis magiſque receſſerit ab Euangelio, quod Hebraicè ſcripſerat Euangeliſta Matthæus, fusè expoſui in Diſſertatione de genere Jeſu Chriſti cap. ſecundo a.

c Fidelis aberratio.
d Voce Hebræorum, & deinceps.

a Pag 15. 16. 17. 18.

Apud Sigebertum in catalogo ſcriptorum illuſtrium, legere etiam eſt, Marcum Euangeliſtam literis quoque mandaſſe paſſionem Barnabæ Apoſtoli: à Polycrate item elucubratam eſſe vitam Timothei. Sed utraque ſuppoſititia fuiſſe, inde colligere eſt, quòd eorum non meminerint Euſebius, ac Hieronymus.

Exſtat præterea, idque Græcè b, ſub nomine Clementis, Romani epiſcopi, de rebus geſtis, peregrinationibus, atque concionibus Petri, epitome ad Jacobum, Hieroſolymorum epiſcopum. Quod opus non admodum antiquum eſſe, præter dictionem multis argumentis convincitur: ut videre eſt apud Barthium Adverſ. lib. XXXII, cap. XIV. Nec liber is epitome x librorum, qui *Recognitionum* dicuntur, exiſtimari debet, cùm multa adeò contineat, longè ab iis recedentia, quæ in Recognitionum opere leguntur; multa etiam libris illis indicta.

b *Edidit Adrianus Turnebus an. 1555: vertit Latine Joachimus Perionius. Habes quoque in editione Clementis Sommiani an. 1568.*

## Cap. X.

*Hermogenes Tarſenſis. Damis Aſſyrius, Maximus, & Mœragenes, tres ejuſdem temporis, qui vitam Apollonii Tyanei literis mandarint. Plutarchus Chæronenſis. Ejus dignitas, multijuga lectio, ſtylus. Plutarchi junioris quædam videri, quæ Chæronenſi tribuuntur. Lampriæ tabula, quæ Plutarchi libros indicabat. Herennius Philonis Byblii ætas, & ſcripta. Severus, qui Philonis librum περὶ πόλεων conſtrinxit. Alter, Philo Heracleota; & tertius, philoſophus. Phavorinus Arelatenſis. Tria in eo miranda. Ptolomeus Alexandrinus, cognomento Chennus. De ætate ejus conciliatus ſecum Suidas.*

AB Eccleſiæ ſcriptoribus redeamus ad externos: ſed à ſuppoſititiis ad genuinos. Qualis Domitiani temporibus fuit Hermogenes Tarſenſis: de quo Suetonius in Domitiano cap. x; *Occidit item Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras; librariis etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis.* Item Damis Aſſyrius. Hic Ninum veterem incoluit, quò ad eum Antiochiâ venit Apollonius Tyaneus. Iſtac occaſione Apollonio uſus eſt familiariter; poſteaque ſcriptis conſignavit ejus ſermones, & vaticinia. Stylus erat minùs laudabilis; quippe hominis Aſſyrii, inter barbaros inſtituti: ſed tamen ea, quæ vidiſſet, atque audiſſet, commodè ſatis ſcribere poterat. Auctor Philoſtratus lib. I de vita Apollonii, & ex eo Suidas in *Damis*. Meminit & Euſebius contra Hieroclem: Εἴτε a τις Δάμις Ἀσσύριος, εἴτε Φιλόστρατος, εἴτε τις ξυγγραφεὺς, ἢ λογογράφος.

Videntur verò eâdem tempeſtate etiam vixiſſe Maximus, & Mœragenes. Quorum Maximus Ægienſis fuit, ac res ſcripſit ab Apollonio geſtas ἐν Αἰγαῖς civitate. Citatur à Philoſtrato lib. I de Apollonii vita cap. V, Euſebio contra Hieroclem b: & Jo. Tzetze Chil. II Hiſtor. CCXCI.

a *Sive qui Damis Aſſyrius, ſive Philoſtratus, ſive quis hiſtoriæ, aut orationum ſcriptor.*
b P. 431.

Alius verò eſt Maximus, de quo Tzetzes Chil. IX. Hiſt. CCXCI: Μέμνηται c μὲν καὶ Μάξιμος ἱστορῶν τοῖς λόγοις. Ἃς ἱστορίας ἔγραψε Γρηγόριος ὁ Μέγας.

c *Meminit & Maximus in hiſtoriarum libris. Quas hiſtorias ſcripſit Gregorius Magnus.*

Mœragenes IV libros de Apollonio edidit. Iis fidem habendam negat Philoſtratus lib. I. cap. IV. Multa enim dicit Mœragenem ignoraſſe. Meminit & Tzetzes Chil. II Hiſtor. LX.

Tum etiam, ac diu poſtea, claruit Plutarchus. Fuit natione Bœotus, patriâ Chæronenſis, ut de ſe non uno ſcribit loco d. Sub Cæſare Claudio natus fuit. Sub Nerone eſt Ammonio uſus præceptore. Ad pueritiam igitur reſtringendum, quòd Photius in bibliotheca ſua caput CCXXV (continet illud excerpta ex Plutarcho) claudit his verbis: Ἐπὶ δὲ Νέρωνος ἦν e. Sanè & ipſe Neronis ita me-

d *In Cimone, Sylla, & libro de Romanorum fortuna, atque alibi.*
e *Neroni erat temporibus.*

meminit; ut ejus ſe ætate vixiſſe oſtendat. Cùm Veſpaſianus cœpit imperare, fuiſſe videtur XVII, aut XVIII annorum. Ut ſub Nerone nullum, ita vix ſub Veſpaſiano ullum habuit nomen. Interim admodum juvenis erat, quando à Chæronenſibus ſuis legatus eſt miſſus ad Proconſulem: ut ipſe tradit in Præceptis Politicis. Familiaris fuit L. Junio Aruleno Ruſtico, quem Domitianus occidit *a*. Ac ſub Domitiano hoc cœpit Plutarchus inclareſcere. Multumque auxit nominis decus imperante Nerva, ac Traiano. Horum tempore familiaris fuit C. Soſſio Senecioni, quater conſuli; ut conſtat ex Faſtis Capitolinis, & aliunde: primùm anno Nervæ primo, iterum Traiani primo, denuo Traiani tertio, quartove, ac quartùm anno ejus IX, vel X. Imò Plutarchus ipſe etiam à Traiano dignitate ornatus eſt conſulari: ut ex Suida cognoſcimus. Addit, omnes Illyrici præfectos in mandatis habuiſſe, nequid agerent Plutarchi injuſſu. Video eſſe, qui hunc honorem ei tributum arbitrentur, ut præceptori. Quæ non modò opinio fuit Franciſci Petrarchæ *b*; ſed etiam eo antiquioris Joannis Sariſberienſis *c*. Qui hoc adſtruit epiſtolâ Plutarchi ad Trajanum, quæ Politicis præmittitur. At, cùm epiſtola hæc Latinè ſolùm legatur, meritò pro ſuppoſititia habetur. Majoris momenti eſt, quòd apophthegmata Plutarchi ad Trajanum leguntur Græcè. Sed videntur ea Plutarchi eſſe junioris. Saltem, an Chæronenſis ſint, meritò etiam ambigit Xylander. Neque id putat Joannes Rualdus in Plutarchi vita. Ultra etiam tempora Traiani vixit. Unde ad tertium Hadriani annum reponitur à B. Hieronymo in Chronico Euſebiano. Etiam poſtea Ἄρχων, ſive prætor Chæronenſium fuit: ut ipſe indicat Sympoſiacôn lib. VI. problem. VIII. Imò ſub Antonino Pio factus eſt Apollinis Pythii ſacerdos: ut liquet ex libro ejus, *An ſeni ſit adminiſtranda Reſpublica.*

*a Plutarchus de Curioſitate.*
*b Lib. 5. epiſtolar.*
*c Lib. 5. de Nugis Curialium cap. 1.*

Elogia Plutarchi apud veteres permulta habemus. Quale quòd Tauro apud Agellium dicatur *vir doctiſſimus, ac prudentiſſimus*. Et ipſi Agellio, *homo in diſciplinis gravi auctoritate*. Himerio Sophiſtæ Bithyno, in laudatione filii Rufini, θειότατος *d*; Eunapio, præfatione operis de vitis Sophiſtarum, θεσπέσιος *e*, item ἡ φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη, καὶ λύρα *f*. Fertur quoque Theodorus Gaza rogatus, ſi neceſſe foret libros in mare dare præcipites, quem poſtremo eſſet demerſurus, reſpondiſſe, Plutarchum. Et ſanè fuit Plutarchus vir undecunque doctiſſimus, idem philologus, philoſophus, & hiſtoricus ſummus. Magnam enim horum trium ſcientiam undique ejus ſcripta ſpirant. Quin habitus etiam fuit orator bonus. Itaque Himerius, laudatione funebri filii ſui Rufini, cùm dicere vellet; quàm præclaram de filio ſuo ſpem concepiſſet, ſpectaſſe ſe ait, Minuciano fore vehementiorem, Nicagora graviorem, Muſonio ſapientiorem, Sexto fortiorem, Plutarcho diſertiorem, ac quibuſque oratoribus, qui antea viguiſſent, clariorem, & meliorem. Auctor Photius biblioth. cap. CCXLIII. Tamen diſſimulare non poſſum, dictionem ejus gravem quidem eſſe; ſed duriuſculam videri. Verùm leviculum hunc defectum multijugâ adeò ſcientiâ abunde ſummus vir compenſat. Vitæ parallelæ non univerſæ, ſed aliæ poſt alias, editæ ſunt; neque id eopſe ordine, quo leguntur, ſed quo ſcripſerat. Itaque cùm nunc primæ ſe offerant Theſei, & Romuli vitæ, hinc Lycurgi, & Numæ; tamen poſteriores haſce priùs ediderat: ut ex præfatione in Theſei ac Romuli vitam cognoſcimus. Præter iſta autem, quæ habemus, alias etiam vitas ſcripſit; aliaque, ut vulgò appellant, ἠθικὰ opuſcula edidit: quod partim ex Plutarcho ipſo ſcimus, qui deperdita compluria è ſuis citat: partim ex veteri opuſculorum catalogo; quem in ſuis ſe manuſcriptis reperiſſe, teſtatur H. Stephanus: partim ex Gellio, Philopono, aliis, qui Plutarchum laudant in libris variis, quos non habemus. Quemadmodum verò non pauca ejus viri perierunt; ita & aliqua genuinis permiſcentur, quæ alium habeant auctorem. Fortè Πλούταρχον *g* τὸν νεώτερον, ut eum vocat Jo. Tzetzes Chiliad. I. Hiſt. XIV; ubi ex eo refert, Sirenes, de quarum pellaci cantu multa adeò fabulantur poëtæ, meretrices fuiſſe. Ex hujus credo junioris Plutarchi fuerint quoque libri V. περὶ *a* τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, uti alibi *b* dictum nobis. Item liber περὶ ποταμῶν *c*: quem Plutarchi ejus, cujus de amatoriis affectionibus librum habemus, eſſe credebat Ianus Cornarius; ut ex præfatione eâ conſtat, quam Marcello Empirico præmiſit. Imò & alii fuere ſcriptores Plutarchi nomine. Ut Nicandri interpres, teſte Stephano in Κορόπη. Credo is Grammaticus ille hoc nomine citatus Etymologo in Ἄψ. Nec deſunt, quibus in vitis X Rhetorum illa Iſocratis non videatur genuina, eò quòd pleraque aliter tradiderit in Pericle. Sed argumentum hoc parum eſt validum; quia fortaſſe, poſtquam priora ſcripſerat, in meliores incidit ſcriptores. Poterat verò & de iſtis, quibus caremus, & aliis quibuſdam, quæ ſub ejus nomine leguntur, certius judicium ferri; ſi nobis vitus foret ὁ πίναξ *d* ſive καταγραφὴ *e*; quam, ut ait Suidas *f*, de Plutarchi ſcriptis fecerat Lamprias filius; quamque in Italia editam eſſe, refert Joannes Rualdus libro de vita Plutarchi cap. VI. Opinor, non aliam eſſe ab ea, cujus antea ex H. Stephano meminimus.

*d Diviniſſimus.*
*e Divinus.*
*f Totius philoſophiæ Venus, ac lyra.*
*g Plutarchum juniorem.*

Philo Byblienſis vixit ſub Nerone, Veſpaſiano, Tito, Domitiano, Nerva: imprimis autem nomen, famamque obtinuit ſub Traiano, atque Hadriano. Suidas: Φίλων Βύβλιος *g*, γραμματικός. Οὗτος γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων ἐγγὺς Νέρωνος, καὶ παρέτεινεν εἰς μακρόν. Ὕπατον γοῦν τὸν Σεβῆρον, τὸν Ἑρέννιον χρηματίσαντα, αὐτὸς εἶναί φησιν, ὅτε ἦγεν ὄγδοον, καὶ ἑβδομηκοστὸν ἔτος, ὀλυμπιάδι σ' κ', καὶ διακοσιοστῇ. Similiter apud Anonymum ἐν Ὀλυμπ. ἀναγρ. legas: Φίλων *h* Βύβλιος, γραμματικός, ὢν ἐτῶν οη', ἐγνωρίζετο ἐπὶ ὑπάτου τοῦ Ἑρεννίου χρηματίσαντος. Sed Olympiade CCXX nullum ejus nominis conſulem reperio. Ut videatur fuiſſe conſul non ordinarius, atque ἐπώνυμος *i*, ſed in mortui locum ſuffectus. Ac natus quidem fuerit anno Tiberii decimo exacto. Ut quando Nero cœpit imperare, quod erat M. Aſinio Marcello, & M. Acilio Aviolâ conſulibus, annos habuerit XXX. At cùm XV annis pòſt Veſpaſianus imperium eſt adeptus, annum implêrit XLV. Atque hoc tempus ſignat Suidas, cùm ait, vicinum fuiſſe temporibus Neronis. Nempe claruit ſub principibus Flaviæ gentis; Veſpaſiano, Tito, & Domitiano. Sed ſic ut ulteriùs etiam vitam extenderit, ad tempora non Traiani modò, ſed etiam Hadriani: ut indicio ſunt, quæ ex Suida adduximus: & his, quæ alibi *k* apud eundem legas: Ἕρμιππος *l* Βηρύτιος ἀπὸ κώμης μεσογαίου, μαθητὴς Φίλωνος τοῦ Βυβλίου, ὑφ᾽ οὗ ᾠκειώθη Ἑρεννίῳ Σεβήρῳ, ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως. Imò cùm Philo hic, Suida teſte *m*, librum reliquerit de imperio Adriani, videri poſſit etiam poſt Adriani tempora vixiſſe.

Præterea & alia multa literis mandavit. Ut libros XII περὶ *n* κτήσεως καὶ ἐκλογῆς βιβλίων. Adhæc de Urbibus, & quos quælibet claros genuerit viros. Auctor & horum Suidas. Qui etiam teſtis eſt *o*, poſterioris hujuſce operis Philonæi περὶ πόλεων epitomen fuiſſe ſcriptam ab Ælio Severo Athenæo. Ac meminit epitomes ejus à Severo factæ Etymologici magni ſcriptor in Ἀρεινέη, & Βεκίερος. Nec exiguum nomen comparavit ſibi Philo, ex Phœnicia lingua in Græcam transferendo Sanchuniathonem, hiſtoricum antiquiſſimum. De quo ſilet quidem Suidas: ſed non ſivit nos ignorare Porphyrius lib. IV adverſus Chriſtianos *p*: Τὰ *q* δὲ τοῦ Σαγχουνιάθωνος εἰς Ἑλλάδα γλῶσσαν ἡρμήνευσε Φίλων. Adhæc ſcripſit Αἰθιοπικά, teſte Antigono Mirabil. Hiſt. CLX. Item Φοινικικὰ *r*, & περὶ *s* ἰατρικῶν; quorum meminit Stephanus. Sed fortaſſe Phœnicum hiſtoria non eſt diverſa ab illa Sanchuniathonis, cujus hiſtoriam Phœniciam Græcè verterat. Præterea Etymologus citat τὰ ῥηματικὰ *t*, τὸ ῥητορικὸν *u*, τὴν περὶ Ῥωμαίων διαλέξεως, ſive περὶ Ῥωμαίων διαλέκτου *x*, & librum περὶ χρηστομαθίας *y*: ubi hic ſcriptor Herennius Philo vocatur. Quod nomen etiam firmat Suidas in Ἑρέννιος; ubi refert, ipſum Philonem tradere, nomen ſibi Herennio fuiſſe. Mitor,

*a De placitis, decretiſque philoſophorum.*
*b Reſponſione de ſatisfactione Ieſu Chriſti adverſus H. Ravi. c. 1.*
*c De fluminibus.*
*d Tabula.*
*e Recenſio, ſive catalogus.*
*f In Lamprias.*
*g Philo Byblius, Grammaticus. Hic fuit vicinus temporibus Neronis, & diu vixit. Severum enim, qui Herennius vocabatur, ait fuiſſe conſulem, quando ipſe annum ageret ſeptuageſimum octavum.*
*h Philo Byblius Grammaticus, annorum LXXVIII. erat, cùm conſulatum gereret Severus Herennius.*
*i Unde annus denominaretur.*
*k In Ἕρμιππος.*
*l Hermippus Berytius ex pago mediterraneo, diſcipulus Philonis Byblii, à quo commendatus eſt Herennio Severo, ſub Adriano Cæſare.*
*m In Φίλων.*
*n De parandis, & deligendis libris.*
*o In Στέφανος.*
*p Apud Euſebium.*
*q Libros Sanchuniathonis in Græcam linguam tranſtulit Philo. r De rebus Phœniciis. s De rebus medicis. t Verbalia. u De vocibus oratorum. x De dialecto Romana. y De laudabilibus.*

Miror, Æmilium Portum ad ea verba annotare, de iſtoc ſibi non liquere. Perperam verò in libris nonnullis pro Ἐρέννιος exaratum Ἐῤῥαῖνος, vel Ἐῤῥένιος. Etiam Julius Pollux lib. x, cap. l i. ambigit, Philonis, an Apollodori, ſit ἡ ἀ τοῦ νεὼ ποίησις. Eodem nomine appellatur ab Origene contra Celſum *b*; ubi ait, cum edidiſſe σύγγραμμα περὶ Ἰουδαίων *c*: & refert ibidem judicium Herennii Philonis de Hecatæo; qui itidem librum de Judæis ſcripſerat. Fuere & alii hujus nominis: imò præter nobilem Alexandrinum illum, de quo ſuperiùs dictum, duos minimùm comperio, qui ad inſtitutum noſtrum pertineant. Unus eſt Philo Heracleota, cujus περὶ θαυμασίων *d* librum citavit Porphyrius libro περὶ Στυγός *e*. Atque inde fortaſſe ſunt miranda illa, quæ, de galli gallinacei, graculi, & apum amore erga hominem, ex Philone prodit Ælianus lib. x i i. cap. x x x v i i. Alter eſt philoſophus, cujus hiſtoriam Eccleſiaſticam in Annalibus ſuis laudat Glycas.

*a Templi poeſis.*
*b Lib. 1. pag. 13.*
*c Commentarium de Judæis.*
*d De rebus mirabilibus.*
*e De Stygo.*

Trajani etiam, ac imprimis Adriani tempore, floruit Phavorinus Arelatenſis, ἀνδρόγυνος *f*, ut etiam Suidas, imò & Philoſtratus in vitis Sophiſtarum, ait; vel, juxta alios, eunuchus. Sanè ſenex quoque imberbis erat, & voce acutâ, ac ſtridulâ, ut eunuchi ſolent. Interim rerum amatoriarum erat callentiſſimus; uſque adeò ut in adulterio etiam deprehenſus dicatur. Quod & Lucianus in Eunucho narrat. Nam etſi nomen ipſum reticeat; tamen, cùm patriam, & ætatem exprimat, ſatis docet, quem ſignet. Ab Adriano Cæſare aliquando culpatus ob ſermonem, quem defendere optimâ ratione poſſet, ſilere maluit. Reprehendentibus hoc amicis, dicebat, nolle ſibi cum eo negotium eſſe, qui triginta haberet legiones. Autor Spartianus in Hadriani vitâ. Interdum tamen cum eo contendit; quæ res pluſquam ſatis erat periculoſa. Nam Adrianus eos, à quibus eruditione vinceretur, odio tanto proſequebatur, ut pleroſque eorum è medio tolleret. Nota res ex Xiphilino, qui memorabilem hiſtoriam refert de architecto Apollodoro, ejuſque cæde. Itaque Phavorinus tria in ſe miranda eſſe dicebat, quòd homo Gallus Græcè loqueretur; quòd eunuchus adulterii cauſſam ageret; quòd cum Imperatore diſceptaret, & viveret. Autor Philoſtratus in vita Phavorini. Multa admodum, eaque & philoſophica, & hiſtorica, ſcriptis mandavit; Plutarchi Chæronenſis æmulus; ut Suidas teſtatur. Inter ea fuere libri παντοδαπῆς *g* ὕλης ἱστορικῆς: quorum, præter Stephanum, Laërtius meminit in Platone, Speuſippo, Bione, Carneade, Ariſtotele, Diogene, Parmenide. Qui & in Pittaco, ac Socrate, citat eum ἐν πρώτῳ *h* ἀπομνημονευμάτων; & in Ariſtotelis vita ſimiliter advocat ſecundum ejus operis; in Pythagora tertium; in Parmenide quinctum. Puto, aliud eſſe opus à priori. Saltem, alia quoque divulgâſſe, conſtat vel ex eodem Laërtio, cui in Socrate citatur Φαβωρῖνος ἐν τῷ Μητρῴῳ: ac imprimis Galeni libro de optimo genere interpretandi, qui adverſus Phavorinum, & Academicos, ſcriptus eſt. Ac Stephanus quoque varia ejus adducit: ut παντοδαπῆς ἱστορίας *i* in Αἰθίοψ, epitomen quartam Pamphyliæ in Ῥώμη, Κυρηναϊκά *k* in Ἀλεξάνδρεια. De vita ejus plura ſi voles, adi Philoſtratum lib. 1. de vitis Sophiſtarum. Meminit & Spartianus in Hadriano.

*f Utriuſque ſexus.*
*g Omnigenæ hiſtoricæ ſylvæ.*
*h In primo commentariorum.*
*i Præcedanea doctrina ejus, quæ eſt de nominibus gentium.*
*k De rebus Cyrenaicis.*

Etiam ſub Traiano, & Hadriano imperatoribus, fuit Ptolomæus Alexandrinus, cognomento Chennus, grammaticus; æqualis Epaphroditi Chæronenſis, itidem grammatici. Auctor Suidas in *Epaphroditus*, & *Ptolomæus*. Qui tamen in eo nonnihil diſſentire à ſe ipſo videtur, quòd cùm eos tradat eſſe æquales, tamen in Epaphrodito ſcribat, hunc à Nerone claruiſſe uſque ad Nervam; in Ptolomæo autem Alexandrino dicat, Ptolomæum iſtum floruiſſe ſub Traiano, & Adriano. Sed non difficulter hæc conciliantur, quia Epaphroditi ſenectutem attigit juventus Ptolomæi Alexandrini. Reliquit verò Ptolomæus Chennus opus περὶ παραδόξου ἱστορίας *l*; item ſphinga; quæ fabula eſt hiſtorica; adhæc Ἀνθόμηρον, poëma x x i v librorum; cui inde nomen, quòd Homericæ Iliadis, vel Odyſſeæ, libros adæquaret. Alia quoque edidiſſe, ait Suidas. Cùm autem hunc Ptolomæum Suidas fuiſſe Hephæſtionis filium dicat: non dubium, quin idem ſit, ac ille, quem deſignat Photius in biblioth. cod. cxc, cùm ait: Ἀνεγνώσθησαν *a* Πτολεμαίου τοῦ Ἡφαιστίωνος, περὶ τῆς εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας, λόγοι ἑπτά. Dedicaſſe hoc opus Tertullæ, ait: ac utile iis eſſe, qui πολυμάθειαν *b* ἱστορικὴν ſectantur. interim multa continere τερατώδη *c*, καὶ κακόπλαστα: unde idem opus eſſe cenſeo, quod Suidas vocat περὶ *d* παραδόξου ἱστορίας. Bene autem eſt, quòd ex his ſeptem Ptolemaicæ hiſtoriæ libris ſaltem excerpta habemus, Photii beneficio, ſanè nec inutilia, nec injucunda.

*l De admirabili hiſtoria.*
*a Legi Ptolomæi Hephæſtionis nova ad variam parandam eruditionem hiſtoriæ libros ſeptem.*
*b Multijugam hiſtoriæ ſcientiam.*
*c Prodigioſa, maleque conficta.*
*d De Hiſtoriis mirandis.*

## Cap. XI.

*Hadriani Cæſaris eruditio multijuga, variaque ſcripta. Non videri de re militari ſcripſiſſe, contrà quàm putavit Geſnerus. Arrianus Nicomedienſis. Videri aliquibus eundem eſſe, cujus in Digeſtis mentio fit; ſed perperam. Dictus hic* alter Xenophon. *Dignitas ejus, & opera. Stuckii error. Æliani dictio, ætas, ſcripta. Martialis illuſtratus. Cur ſtylus in Varia hiſtoria minùs ſit elegans, quàm in Hiſtoria animalium. Ex opere ejus de Providentia quædam allata de aris, ac templis Gaditanis. Phlegon Trallianus. Chronica ejus. Refelluntur, qui Octaviani Auguſti fuiſſe libertum putarunt. Defenditur ejuſdem Chronicon adverſus Photium. Zenobius, qui nonnullis Zenodotus. Saluſtius Græcè ab eo verſus.*

Nec indictus abire nobis debet Hadrianus Cæſar, princeps eruditus, & eruditorum amans; præterquam eorum, qui palmam ei doctrinæ præriperent; imprimis ſi tam dira eos gloriæ cupido cepiſſet, ut cum imperatore triginta habente legiones, quemadmodum antea dicebamus, de eruditione contendere auderent.

Nec doctrina ejus unius generis erat. Dionis *a* verba ſunt: φύσει φιλολόγος ἦν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ. καί τινα πεζά, καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ καταλέλοιπε. *Naturâ amans erat literarum utriuſque linguæ, multaque partim pedeſtri oratione, partim carmine conſcripta omnigena reliquit.* Poëtam fuiſſe, ſatis conſtat. Nam & Latina *b*, & Græca *c* ejus epigrammata aliquot, hodie exſtant. Poëma etiam erant libri Alexandreidos; quorum primum citat Stephanus in Ἀσβεία, ſeptimum in Σάνεια. Orationes quoque edidit; ex quibus ejus, quam de Italicenſibus in ſenatu habuit, Gellius meminit lib. x v i. cap. x i i i. Præterea libris illius de re militari adjutum ſe profitetur Vegetius; ſi rectè eum intellexit Geſnerus. Locus, quem attendit, eſt iſte lib. 1. cap. v i i i: *Hæc neceſſitas compulit, evolutis auctoribus, ea me in hoc opuſculo fideliſſimè dicere, quæ Cato ille Cenſorius de diſciplina militari ſcripſit; quæ Cornelius Celſus, quæ Frontinus, perſtringenda duxerunt; quæ Paternus, diligentiſſimus juris militaris aſſertor, in libros redegit; quæ Auguſti, & Traiani, Adrianique conſtitutionibus, cauta ſunt.* Sed non magis inde conſequitur, quod Geſnerus putabat; quàm Auguſtum, aut Traianum, de arte militari ſcripſiſſe: quod nemo dicat. Sed utcumque eſt de cæteris Hadriani ſcriptis, id, cujus gratiâ potiſſimùm ejus hoc loco memini, ſunt libri quos de Vitâ ſuâ ſcripſit, ac ſub Phlegontis, unius ex libertis, nomine edidit; ut Spartianus in vita Hadriani tradit. Sanè Hadriano ipſi eos quoque tribuit Dio, ſive Xiphilinus; ubi ex his libris refert, Antinoum, Hadriani παιδικά *d*, in Nilo fuiſſe ſubmerſum.

*a In Xiphilini epitome pag. 257. editionis H. Steph.*
*b In append. Virgil.*
*c In Anthologia.*
*d Delicias.*

Sub erudito adeò principe multi doctrinâ floruerunt: atque in his etiam aliqui, qui hiſtoricum argumentum tractarint. Uti fecit Arrianus Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus, philoſophus idem, & hiſtoricus, &, ſi quorundam conjecturæ fidimus, juriſconſultus inſignis. Nempe hunc eſſe eundem arbitrantur *e*, cujus à Paullo *f*, & Ulpiano, mentio fit: atque eò id veriſimilius illis videtur, quia, uti ajunt, lege quâdam *g* meminit Hadriani imperatoris. Sanè hiſtoricus Arrianus, Hadriani, & utriuſque

*e Alexander Gabuardus Turcellanus epiſtolâ ad Thomam Piovatarium. Item Gulielmus Stuckius notis in Arriani Periplum.*
*f L. Arrian. 47. ff. de oblig. & act.*
*g L. more delictum. ff. de re militari. §. Qui ſe vulneravit.*

Anto-

Antonini temporibus, claruit; teſte Euſebio in Chronicis ad annum ↀↀↀCLII; item Photio, & Suidâ. Sed, quod hinc eundem eſſe colligunt, planè frivolum eſt argumentum. Nam Arrianus Juriſconſultus poſt Hadrianum aliquanto vixit. Alioqui Pomponius, qui ſub Antonino Pio fuit, meminiſſet ejus l. 2. ff. de origine juris; ubi recenſentur Juriſconſulti varii, qui ſub Hadriano, & poſt obitum ejus, in pretio fuerunt. Præterea quòd Arrianum ſub Hadriano vixiſſe colligunt ex L. *omne delictum*, §. *qui ſe vulneravit. ff. de re militari*: id omnino ineptum eſt: quia lex illa non eſt Arriani, ſed Arrii Menandri; qui longè junior fuit, deque re militari libros reliquit. Ac, velle ex eo, quòd Arriani meminit, colligere, fuiſſe ei æqualem, omnino frigidum, & infirmum eſt. Sed redeamus ad Arrianum hiſtoricum: quem Suidas ex Heliconio refert ad conſularem dignitatem eſſe evectum: addit etiam, ob dulcedinem ſermonis, alterum fuiſſe dictum Xenophontem: quæ & apud Photium legas. Lucianus de eodem in Pſeudomante ſic ſcribit: *Ἀῤῥιανὸς a ὁ τοῦ Ἐπικτήτου μαθητὴς, ἀνὴρ Ῥωμαίων ἐν τοῖς πρώτοις, καὶ παιδείᾳ παρ' ὅλον τὸν βίον συγγενόμενος.* Atque vel ex hoc uno, qui Lucianum ſub M. Aurelio vixiſſe ſciat, facilè eorum refellet ſententiam, qui Arrianum hiſtoricum ſub Gordiano vixiſſe colligunt ex Julio Capitolino in Gordiani vita. Meminit & Arnobius in fine libri ſecundi, his verbis: *Cùm de animarum agitur ſalute, ac de reſpectu noſtri, aliquid & ſine ratione faciendum eſt: ut Epictetum dixiſſe approbat Arrianus.* Neque à vero eorum abhorret opinio, quibus placet, hunc eumpſe Arrianum eſſe, quem Dio in vita Hadriani refert Cappadociæ præfuiſſe, ac Alanos, ſeu Maſſagetas, compeſcuiſſe: item ad quem ſeptem exſtant epiſtolæ Plinii Novocomenſis; qui, Arriani temporibus, Bithyniæ, ac Ponti proconſul fuit. Hæc eò veriſimiliora fiunt, quia Arrianus in Bithynia natus erat, ac non Bithynicam tantùm, ſed etiam Alanicam hiſtoriam condidit; Photio teſte. Atque idem auctor eſt, ſcripſiſſe ſeptemdecim Parthicorum libros: etiam paucula ex iis excerpit. Lucianus in Pſeudomante ait, conſignâſſe vitam Tillibori latronis; qui in Minya, & Ida, ac vicinis Aſiæ locis, graſſabatur, omniaque populabatur. Atque hujus exemplo ſe tuetur, quòd Alexandri Pſeudomantis vitam non dubitârit literis prodere. At nihil hodie habemus præter libros IV de diſſertationibus Epicteti. Item periplum, ſive luſtrationem tum ponti Euxini, tum ponti Erythræi; quod opus Hadriano Cæſari dicavit, ſi inſcriptioni fides. Sed Claudio Salmaſio videtur ſcriptor ille longè alius, Plinii æqualis, vel etiam paullo vetuſtior: ut cap. VII hujus libri dicebamus. Adhæc ejus ſeptem habemus libros *ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου b*. Eos ſcripſit exemplo Xenophontis, cujus totidem habemus libros *Κύρου ἀναβάσεως c*. In his maximè ſecutum ſe ait Ptolomæum Lagi, & Ariſtobulum, Ariſtobuli filium; quorum uterque ſub Alexandro militârat. Superſunt quoque Indica Arriani; quorum meminit Hermolaus Byzantius, ſive Stephanus *περὶ πόλεων*, voce *Μάσσακα*. Sanè hodieque initio Indicorum Arriani mentio fit Maſſacæ; ubi eſſe ait Aſſaceni regni caput. At planè ratio fugit doctiſſimum Guilielmum Stuckium *d*; cùm opus hoc ait temporum injuriâ intercidiſſe. Nam Indica nihil aliud ſunt, quàm qui vulgo creditur liber octavus de expeditione Alexandri. Quem ſeorſum à prioribus ſeptem ſcriptum eſſe, cùm ex Photio conſtat, tum ex fine ſeptimi de Alexandro: ac vel maximè ex Indicorum, ſive, ut vulgò vocant, libri octavi fine. At veriſſimum eſt, periiſſe, ut diximus, Alanica: item Parthica; quorum quartum citat idem Hermolaus, ſive Stephanus, in *Βάσσαι*, & ſeptimumdecimum, ſive ultimum, in *Ἄτραι*: tum etiam Bithynica; quorum meminit idem in *Ἀμαζόνειον*, & *Ἀσκανός*, atque etiam *Βιθυνόπολις*, ubi quinctum citat Bithynicorum. Uti ſecundum Bithynicorum Etymologus in *Ἀφέσιος*. Ex iiſdem Bithynicis refert Photius, fuiſſe Arrianum Nicomediæ natum, atque inſtitutum; ibidem quoque fuiſſe ſacerdotem Cereris, & Proſerpinæ. Etiam quædam ex illis narrat Tzetzes Chil. III, hiſtor. CXV. Adhæc interierunt libri decem de rebus poſt Alexandrum geſtis: præter quædam à Photio excerpta tmem. XCII. Item liber de rebus Dionis Syracuſii. Eos idem Photius laudat. Apud quem etiam luculentum de præſtantis hujus ſcriptoris ſtylo judicium habemus extremo tmem. CXII.

a *Arrianus, Epicteti diſcipulus, vir inter Romanos imprimis laudatus, ac per omnem vitam in literarum ſtudiis verſatus.*

b *De aſcenſu ſive expeditione Alexandri.*

c *De expeditione Cyri.*

d *Notis in Arrianum de ponto Euxino.*

Sub eodem Cæſare vixit Claudius Ælianus. Præneſte is natus fuit, Suida teſte; ſed Romæ vixit, civiſque Romanus fuit; unde & ſe in Variis ſæpiùs Romanum appellat; uti quoque Philoſtratus facit. Et iſte in Italia natus ita Atticè loquebatur, quàm Attici Athenis ſolent; ut idem Philoſtratus ait. Imò tanta inerat ſermoni & ſcriptis ſuavitas, ut propterea diceretur *Μελίγλωσσος a*, vel *Μελίφθογγος b*; quemadmodum apud Suidam legere eſt. Ætatem ejus indicat, quòd Tactica ſua miſerit ad Adrianum Cæſarem. Eorum verò in præfatione ait, ſe Nervam conveniſſe Formiis. Itaque facilè mihi perſuadeo, non alium ab hoc Æliano eſſe, cujus meminit Martialis lib. XII, epigr. XXIV:

*O jucunda, Covine, ſolitudo,*
*Carrucâ magis, eſſedoque gratum*
*Facundi mihi munus Æliani.*

Sanè Martialis ſub Domitiano, Nerva, & Trajano floruit: ut vel ex eopſe libro *c* liquet, quo obliquè Domitiani tempora damnat; illa Nervæ, & Trajani, laudat. Et, quòd Ælianum hîc *facundum* appellat, bene cum eo convenit, quòd *μελίγλωσσον*, & *μελίφθογγον*, vocatum dicebamus. Sub eodem verò Trajano, vel Nervâ, etiam Ælianus Domitiani accuſationem ſcripſit; ſed nomine mutato. Nam inſcriptio erat, *κατηγορία d τοῦ Γυννίδος τυράννου*. De qua Philoſtratum vide. Et iſta ſatis certa videntur. Suidas verò addit, ſub Antonino etiam, qui Hadriano ſucceſſit, Rhetoricen docuiſſe Romæ. Et fieri poteſt, ut verum dicat, cùm Philoſtratus auctor ſit, annum exceſſiſſe ſexageſimum. Quanto ætatem eam exceſſerit, non dicit. Nec multùm adeò de eo laboro; quando ab Nervæ exceſſu, uſque ad principium Antonini, ſunt anni duntaxat quadraginta. Præter Tactica quoque edidit libros XVII de Animalibus: in quibus, præ ſcriptoribus aliis, laudem eo meretur, quòd ex mutis animantibus vitæ exemplum capere homines docet. Sed cujus præcipuè cauſsâ Ælianus etiam hoc in opere aliquem ſibi locum depoſcere viſus fuit, id eſt Hiſtoria Varia, libris conſtans XIV: etſi nec pauca ei ineſſe diffiteat, quæ ad naturæ potiùs hiſtoriam pertineant. Si librorum horunce ſtylum ſpectem; minùs elegans eſt, quàm librorum de animalibus. Sed planè mihi perſuadeo, non eſſe extremam operi manum additam ab auctore, eò quòd fato præveniretur. Nam abſque dubio aliter concinnaturus erat iſta capita, quæ ab *Ὅτι e* orditur. Siquidem ſic ſolent ſcribere, qui alieni operis excerpta ſolùm nobis dant: ut oſtendunt Strabonis epitome, Photii bibliotheca, pluriaque hujus monetæ. Alia etiam hiſtorica edidiſſe, quæ non exſtent, certum eſt. Nam Ælianum *ἐν πρώτῳ ἱστορικῆς διαλέξεως f* citat Stephanus in *Χεῤῥόνησος*. Nec enim puto, ſignare libros *ποικίλης g ἱστορίας*. Præſertim cùm ibi dicat Stephanus, Ælianum in primo laudati operis à *Χεῤῥόνησος* formare *Χεῤῥονήσιοι*. Nam eâ voce nuſquam utitur Ælianus in primo Variæ hiſtoriæ. Etiam Ælianum *ἐν τοῖς h περὶ προνοίας* citat Euſtathius in *περιήγησιν* Dionyſii: ubi ex eo opere refert, in Gadibus geminam aram eſſe conſtitutam, alteram Anno, alteram Menſi, in honorem temporis, & longioris, & brevioris. Item templum ibidem eſſe exſtructum Senectuti, quòd multum ætati iſti honoris tribuatur: item alterum in honorem Mortis, quòd hæc communis ſit omnium quies. Inſuper & aram ibi Paupertati eſſe poſitam, & Arti: Paupertati quidem, quo eam placarent: Arti verò, tanquam remedio ad effugiendam paupertatem longè optimo.

a *Linguâ præditus melleâ.*

b *Melliſonus.*

c *Epigr. 6, & 8.*

d *Accuſatio Gynnidis tyranni.*

e *Quòd.*

f *In primo hiſtoricæ diſſertationis.*

g *Variæ hiſtoriæ.*

h *Opere de providentia.*

De Phlegonte Tralliano, Hadriani liberto, ſuperiùs retulimus, nomen ejus prætuliſſe librum de Cæſaris hujus vita, qui ipſius eſſe Hadriani crederetur. Sed, ut hujus libri non fuerit auctor, multa tamen alia ab eo edita eſſe, ex Suida cognoſcimus. Imprimis, quo celebraretur, erat opus Olympiadum, ſive Chronicorum. Utroque enim modo cita-

citatur ab antiquis: quemadmodum ab eruditiſſimo Meurſio in notis ad reliquias ejus ſcriptoris eſt obſervatum. Diviſum hoc opus fuit in libros ſexdecim. Continebat verò Olympiades CCXXIX; quarum ultima deſiit in quartum Antonini Pii annum. Ex eo opere nunc fragmentum duntaxat habemus. Neque integer ad nos pervênit liber de Mirabilibus; cujus initium deeſt. Hujus libri caput X meminit conſulum M. Plancii Silvani, & Sentii Augurini: qui undevigeſimo Antonini Pii anno conſules fuerunt, anno tertio Olymp. CCXXXIII. Ac tum inde, tum ex eo, quod de Chronicorum opere dixi, ſatis refellitur error illorum, qui Auguſti, non Hadriani, fuiſſe libertum putarunt; ut ex Suida cognoſcimus. Supereſt & libellus de Longævis. Niſi id quoque fragmentum duntaxat eſt. Quod verum puto. Nam longævorum aliquot ſatis illuſtrium non meminit. De ſtylo ita cenſet Photius, neque omnino humi ſerpere, neque ſatis Atticum eſſe. De quo nequaquam repugno. Sed non penitùs probare poſſum, quòd idem reprehendit anxiam illam curam in Olympiadibus recenſendis, atque iis annotandis, quæ ſingularum tempore contigerunt. Imò verò utinam totum Chronicon exſtaret. Multum enim lucis abſque dubio priſcæ inde Eccleſiæ temporibus accederet. Atque hoc eo juſtiùs putamus, quia inter alia induſtriæ teſtimonia etiam eclipſios illius meminerit, quæ Dominicæ paſſionis tempore contigit: ut conſtat ex Origenis in Matth. tractatu XXXV: item Euſebio in Chronicis.

Æqualis Phlegonti fuit Zenobius ſophiſta, Suida teſte; qui Romæ docuiſſe ait ſub Cæſare Adriano. Eſt hic, cujus proverbia exſtant, ex Tarrhæo, ac Didymo, exſcripta. Sed quem Suidas, & Etymologici magni auctor, Ζηνόβιον appellant, hunc Ariſtophanis ſcholiaſtes ἐν Νεφέλαις vocat Ζηνόδοτον. Eumque interdum ſequitur Eraſmus. Scripſit quoque Genethliacum Adriani. Hiſtoricum verò nihil ediſſe videtur. Sed tamen principem apud Romanos hiſtoricum, Criſpum Salluſtium, Græcè *a* vertit. Quo nomine non planè indignus eſt viſus, cujus hìc nomen legeretur. Satis autem ingenioſa videtur doctorum virorum conjectura, qui, quo loco apud Suidam legitur, Zenobium vertiſſe Salluſtianos libros βελῶν, quod eſſet *telorum*, legunt βίβλων; ut Romano hoc vocabulo ſignentur libri de bello Catilinario, deque bello Jugurthino: de quibus ſeorſim ſcripſit Salluſtius.

*a Suid.*

## Cap. XII.

*Cephalæonis Muſæ. Faſtus ejuſdem. Suidæ error, Cephalæonem, & Cephalonem, confundentis. Dionyſius Halicarnaſſenſis junior. Hermippi Berytii natales, facundia, hiſtoria ſomniorum. Leander Nicanor, Hermiæ filius, Cyrenæus, cognomento Stigmatias: atque unde hoc cognomen acceperit. Ejus libri μετονομασιῶν. Diogeniani Heracleenſis ſcripta. Iterum de Jaſone Argivo actum.*

QUatuor iſtorum, quos proximè diximus, non omnia delere potuit ætas. Subjiciam nunc alios ejuſdem temporis, quorum nec hiſtoricum, nec alterius argumenti aliquid, ad nos pervênerit. Inter hos non minimum nomen fuit Cephalæonis, Euſebio etiam laudati in priori Chronicorum libro. Præter declamationes, atque alia, etiam ſcripſit σύντομον ἱστορικὸν *a*, à Nino, & Semiramide, uſque ad Alexandrum Magnum; cujus etiam geſta perſcripſit. Illuſtrem inde locum adducit Euſebius in primo χρονικῶν *b*. Opus hoc in Sicilia fecit, quò ab Hadriano erat relegatus. Erat verò Ionicâ ſcriptum linguâ: ac conſtabat libris novem, quibus Muſarum nomen fecerat, Herodoti exemplo. Tanti autem faſtus erat, ut patriam diſſimularet: atque id Homeri ſe facere diceret exemplo. Auctores ejuſce rei habeo Photium, & Suidam. Sed hic malè confundit duos iſtos, Cephalæonem, & Cephalonem. Cephalæonis enim patria ignota erat, ut diximus: Cephalon autem fuit Gergithius, multoque erat antiquior: quippe cujus etiam meminerit Dionyſius Halicarn. lib. I. Antiquitat. imò ei vocatur συγγραφεὺς *a* παλαιὸς πάνυ. Scripſit verò de adventu Æneæ in Italiam; ut cùm ex eodem Dionyſio ſcimus, tum ex Verrio Flacco, ſive Feſto in *Romam*. Plura de Cephalonis hiſtoria lib. III. dicemus.

*a Compendium hiſtoricum.*

*b Pag. 30. Theſaur. Temp.*

*a Hiſtoricus antiquiſſimus.*

Sub Hadriano Cæſare claruit quoque Dionyſius Halicarnaſſenſis junior, unus ex poſteris ſenioris Dionyſii Halicarnaſſenſis, qui ſub Auguſto floruit. Emiſit junior hic, Suida teſte, Hiſtoriæ Muſicæ libros XXXVI; in quibus tibicinum, citharœdorum, & poëtarum omnis generis meminit. Vigeſimumtertium ejus operis citat Stephanus in Ὑδρέᾳ. Trigeſimum Suidas, in Σωτηρίδας, ubi ἁπλῶς Dionyſius vocatur, nullâ patriæ factâ mentione. Alia quoque edidit; quæ apud Suidam vide.

Ac ex eodem Suida *b* ſcimus, iiſdem temporibus in pretio fuiſſe Hermippum Berytium, Philonis Biblii diſcipulum. Servili is genere ortus erat. Nec tamen hoc impedit, quo minùs à magiſtro ſuo Philone commendaretur Herennio Severo. Nempe generis obſcuritatem claritate nominis vincebat. Erat enim eloquens, multáque ſcripſit; ut eſt apud eundem Suidam *c*. Citat eum Clemens Alex. lib. I. Στρωματ. & Stephanus in Ῥάβεννα. Inter alia edidit ſomniorum hiſtoriam libris V. Meminit ejus operis Tertullianus lib. de anima cap. XLVI: *Cætera cum ſuis, & originibus, & ritibus, & relatoribus, cum omni deinceps hiſtoria ſomniorum, Hermippus Berytenſis quinione voluminum ſatiatiſſime exhibebit.* Fecit & opus de Legiſlatoribus. Citat Origenes contra Celſum *d*: Λέγεται δὲ καὶ Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι, Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. *Dicitur & Hermippus in primo de legiſlatoribus retuliſſe, Pythagoram ſuam Philoſophiam à Judæis deduxiſſe in Græciam.* Puto, eundem eſſe Hermippum, cujus ſemel, iterumque meminit Arati ſcholiaſtes.

*b In Νικάνορι.*

*c In Ἑρμίππῳ.*

*d Lib. I. Pag. 13.*

Huic Hermippo Berytio æqualis fuit Nicanor, Hermiæ filius, Grammaticus Alexandrinus, ut Suidas refert; qui & varia ejus opera recenſet, interque alia librum περὶ στιγμῶν, hoc eſt, *de puncto*; ob quam unam cauſſam, non autem, quaſi aliquando ſervitutem ſervierit, Στιγματίας, hoc eſt, *notis compunctus*, vocabatur. Hic libros de Alexandria, ubi vivebat, edidit. Stephanus in Ἀλεξάνδρεια: Νικάνωρ *e* ὁ Ἑρμείου ἐν τῇ περὶ Ἀλεξανδρείας πρώτῃ. Simul vides, de patris nomine conſpirare cum Suida. Adi & Stephanum in Τίβερις. Ac imprimis in Ἄβλιβις, ubi refertur, ſcripſiſſe πρὸς Ἀδριανόν *f*. Qui non alius eſt ab Adriano Cæſare. Egit præterea de illis, quibus nomen immutatum fuit. Meminit hujus operis idem Stephanus in Πάρος, & Ὕδη; ubi Λέανδρος ὁ Νικάνωρ vocatur; diciturque ἐν μετονομασίαις retuliſſe, urbem eſſe eandem Ὕδην, ac Σάρδεις. Ejuſdem operis mentio fit apud Athenæum lib. VII; qui patriâ fuiſſe Cyrenæum oſtendit: Νικάνωρ *g* ὁ Κυρηναῖος ἐν μετονομασίαις τὸν Μελικέρτην φησὶ Γλαῦκον μετονομασθῆναι. Nec alius eſt Nicanor, ex quo ſcholiaſtes Apollonii in lib. IV narrat, Ægyptios eſſe hominum antiquiſſimos, primaſque in Ægypto Thebas conditas fuiſſe.

*e Nicanor, Hermiæ filius, libro primo de Alexandria.*

*f Ad Adrianum.*

*g Nicanor Cyrenæus, in libris de nominum mutationibus, Glaucum mutâſſe nomen, & vocatum Melicertam.*

Diogenianus quoque Heracleota tum vixit; ut Suidas teſtatur. Sed non video, quo nomine magnopere hìc referri mereatur; niſi fortè, quòd ab hiſtorico argumento non fuerit alienus liber ejus de fluminibus, lacubus, montibus: item tabula, quâ omnes univerſæ terræ urbes complectebatur. Fuit ἀνὴρ *h* σπουδαῖος, καὶ φιλόκαλος; ut ab Heſychio in lexici ſui initio vocatur: ubi ait, ſe Diogeniani hujus exemplo parœmias quoque admiſcere libro ſuo, multumque ſe ejus operâ fuiſſe adjutum. Diogeniani parœmias ex duobus codd. Mſs primus divulgavit V. Cl. Andreas Schottus. Meminit verò ejus operis quoque Suidas. Quippe ubi dicitur ediſſe compendio ſcripta collectanea περὶ ποταμῶν *i*, legi debet περὶ παροιμιῶν *k*, ut ab eodem Schotto eſt obſervatum. Siquidem de fluminibus libri jam mentio erat facta, ut nihil attinuerit ſeorſum eadem inculcare. Alia quoque ejuſdem memorat Suidas. Præter Diogenianum hunc etiam alter fuit, ſeu Dio-

*h Vir ſtudioſus, & elegans.*

*i De fluviis.*

*k De adagiis.*

Diogenianus, ſeu Diogenes, (neque enim de nomine convenit,) grammaticus Cyzicenus, quem Suidas inter alia commentatum ait de inſtitutis patriæ ſuæ Cyzici. De hoc, libro III dicemus.

Ad Hadriani etiam tempora referendus videtur Jaſon, Argivus grammaticus. Sanè Plutarcho Chæronenſe junior eſt; ut ſcribit Suidas. Quomodo, qui ætatem ejus indicare eſt contentus, aut Plutarcho eum proximum facit, aut hæret ipſe. Scripſit, Suida teſte, de Græcia libros IV. Quibus complectebatur, tum Græciæ antiquitates, tum res geſtas Alexandri, quas cœpit ἀπὸ τῶν Μηδικῶν, hoc eſt, à bello adverſus Medos, & Perſas: perduxit verò ad mortem Alexandri, & captas Athenas ab Antipatro, patre Caſſandri. Athenæum hujus operis meminiſſe, oſtendimus lib. I, cap. X. Sed negabamus, liquere de ætate ejus. Nempe non obſervabatur animo locus Suidæ, quem dixi. Mentio præterea ejus fit apud Stephanum in Ἀλεξάνδρεια; ubi ait, Ἰάσων *a* δὲ, ὁ τὸν βίον τῆς Ἑλλάδος γεγραφὼς ἐν τέσσαρσι βιβλίοις.

*a Jaſon verò qui Græciæ vitam ſcripſit quatuor libris.*

## Cap. XIII.

*Appiani Alexandrini ætas, ſcripta, ſtylus, furta. Diogenes Laërtius. Frigidum Keckermanni judicium de eo refellitur. Ætas Diogenis. Fœmina nuncupavit Vitas ſuas. Callinicus Sutorius. Ætas Rutilii Lupi rhetoris.*

ACcedo ad eos, qui Antonini Pii tempore fuerunt. Uti Appianus, qui ſub Trajano, & Hadriano quidem vixit; ut Photius eſt auctor: ſed ulteriùs tamen produxit vitam; ſicut argumento eſt, quòd in præfatione ſcribat, nongentos jam annos Romanam duráſſe potentiam. Nongenteſimus enim Urbis annus incidit in tempora Antonini ejus, qui Hadriano ſucceſſit. Convenit cum eo, quod ibidem ait, à principatu Julii Cæſaris eſſe annos propè ducentos. Nam ducenteſimus annus incidit in annum Antonini Pii decimum ſeptimum. Ut videatur condendis doctrinæ induſtriæque ſuæ monumentis vacáſſe, cùm Antoninus hic cœpit imperare. Eâdem præfatione refert, ſe patriâ eſſe Alexandrinum; ac Romæ priùs fuiſſe cauſſarum patronum, poſteaque adlectum fuiſſe Cæſaris procuratoribus. Hiſtoriam Romanam complexus eſt libris XXIV. Ac orſus ab Ænea, & Ilio capto, percurrit illa tempora uſque ad Romulum. Inde accuratiùs perſequitur omnia uſque ad Auguſtum: quædam etiam carptim, atque obiter, addit uſque ad Trajanum. Quâ ratione verò opus hoc diviſerit, & qui tituli, atque argumenta librorum fuerint, non tam Suidas dicet, quàm ipſe in eâdem præfatione, ac Photius in biblioth. Ex vaſto opere ſuperſunt hodie Punica, Syriaca, Parthica, Mithridatica, Iberica, Annibalica, Illyrica, de bellis civilibus lib. V, & Celticorum fragmentum, vel compendium. Iberica, cùm primò eorum tantummodo fragmentum haberemus, primus edidit David Heſchœlius. Ἑλληνικῆς γραφῆς *a* mentionem ipſe facit initio Syriacorum. Ægyptiacorum ſuorum item meminit in Mithridaticis *b*. Zonaras annal. Tom. II laudat Appianum ἐν τῷ *c* εἰκοστῷ δευτέρῳ λόγῳ τῆς ἱστορίας Ῥωμαϊκῆς. Etiam ex hiſtoria βασιλικῇ *d*, quæ erat de Regibus Romanis, item ex aliis ejuſdem, excerpta primus edidit *e* Henricus Valeſius: quæ deſumpſit ex Collectaneis Conſtantini Porphyrogenneti, Leonis Aug. filii, Baſilii Macedonis nepotis. Euagrii de eo judicium eſt lib. V. cap. ult. Εὐκρινῶς *f* διαστήμασιν ἑκάστην πρᾶξιν, καὶ εἰς ἓν ἀγείρων, εἰ καὶ κατὰ διαφόρους γέγονε χρόνους. Addit, hos non in iis modò præſtare, quæ retuliſſet Polybius; quod minùs mirandum foret tanti viri judicium ſecuto; ſed in illis etiam, quæ poſtea contigiſſent. Stylo eſt, ut Photius indicat, ἀπερίττῳ, καὶ ἰσχνῷ *g*; ſed quo, veritati ſtuduiſſe, & intellexiſſe rem militarem, & affectus poſſe movere, ſatis appareat. Scaligeri tamen in Animadverſionibus Euſebianis *h* judicium eſt, vel admodum in hiſtoria eſſe infantem, vel multa ejus Syriacis eſſe adſuta.

*a Hiſtoriæ ſuæ de rebus Græcorum.* *b P. 251.* *c Libro XXII. hiſtor. Romanæ.* *d Regia.* *e Pariſ. an. 1634.* *f Bene judicio ſingulas diſtinguere actiones, inque unum colligere, etſi diverſis contigiſſent temporibus.* *g Minime redundans, ſed tenuis.* *h P. 195. a.*

Atque idem alibi *a*, eodem in opere, vocat alienorum laborum fucum. Sanè multum Polybio debere, ac Plutarchum ad verbum exſcribere ſolitum, viri docti jamdiu obſervarunt. *a P. 163.*

Ad hæc tempora etiam refero Diogenem Laërtium, ſive, ut Tzetzes vocat, Diogenianum: cujus decem habemus libros de vitis philoſophorum. Parùm idoneè judicat de eo, vir cæteroquin eruditus, ſed novellorum ſcriptorum, quàm antiquitatis, ſtudioſior, Bartholomæus Keckermannus. Ait ille libro ſuo de Hiſtoria, ſcripſiſſe Laërtium *languide & frigide, ſæpe tamen non inutiliter*. Quæ profectò frigida laus eſt operis utiliſſimi, & auro contra non cari. Quippe ex quo diſcere ſit, cùm alia tam multa ad hiſtoriam temporum pertinentia, tum præclara tot veterum apophthegmata; quorum Keckermannus, malo ſanè exemplo, Eraſmum laudare mavult autorem, quàm Plutarchum, Laërtium, & ſimiles. Quin, quod caput eſt, diſcrepantes ex eodem Laërtio ſectarum ſententias diſcimus. Atqui, ut ait Lactantius *b*, *nulla ſecta fuit tam devia, nec philoſophorum quiſquam tam inanis, qui non viderit aliquid ex vero.* Imò, ut idem dicere non veretur, *Si exſtitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam, colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non diſſentiret à nobis. Sed* hoc, inquit, *nemo facere, niſi veri peritus, ac ſciens, poteſt. Verum autem ſcire, non niſi ejus, qui ſit doctus à Deo.* De ſolis iis, qui moralem philoſophiam docuerunt, loquitur Lactantius. Nunc verò agit etiam Laërtius de aliis philoſophiæ partibus; ubi ratio, & naturæ lumen, non minùs pollet: ut omnino, qui veterum omnes ſententias de his nôrit, meliùs ac certiùs judicare ſciat de rerum natura; modò

*b Lib. 7. cap. 7.*

*Nullius c adſuêrit jurare in verba magiſtri.* *c Horat. Epiſt. 1. lib. 1.*

Multa ex eo Laërtii opere ſuis doctrinæ variæ eclogis inſeruerat Sopater; teſte Photio mem. CLXI. Atque hinc liquet, vixiſſe Diogenem ante tempora Conſtantini Magni, à quo Sopater iſte Apamenſis, ſive potiùs Alexandrinus, interfectus fuit; ut Suidas narrat in Ἀλέξανδρος. At junior omnino eſt Trajano. Siquidem in Speuſippi, atque item Anaxagoræ vita, Plutarchi meminit, qui Trajani, atque etiam Hadriani tempore floruit. Præterea in Timone mentionem facit decem librorum Sexti Empirici; item Saturnini; qui Sextum audivit. Nempe vixit Laërtius ſub Antonino Pio, vel paullo pòſt; quemadmodum oſtendimus libro de Natura & Conſtitutione Rhetorices cap. IX. Hoc opus à Laërtio ſcriptum fuiſſe ad feminam, tradit Ludovicus Vives lib. V. de tradendis *d* diſciplinis. In id primùm cùm incidiſſem, mirari ſubiit, quia tale nihil apud Laërtium meminiſſem me legere. Sed iteranti lectionem præclari operis, quod etiam tertiari meretur, locus occurrit in vita Platonis *e*, qui omnem ſcrupulum tolleret. Antiquiſſimus eorum, qui hujus ſcriptoris meminerint, eſt Stephanus in Χαλκίδαι; ubi citatur Διογένης ὁ Λαέρτιος ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας. Similiter in Ἐνετοί Ἔστι *f* καὶ πόλις Ἐνετὶς, ἀφ᾽ ἧς ἦν Μύρμηξ, ὁ διαλεκτικὸς φιλόσοφος, ὡς Διογένης ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας. Ἁπλῶς quoque ejus φιλόσοφον *g* ἱστορίαν citat in Ἐνετοί, & Δρυΐδαι. Quod ſi Laërtii interpreti Ambroſio credimus, etiam reliquit εἰς τοὺς Σίλλους ὑπομνήματα *h*: quorum primum librum citet ipſe in vita Timonis. Sed omnino interpres mentem Laërtii aſſecutus non eſt. Nam non ſe, ſed Timonem Apollonidem, ait commentarios eos ſcripſiſſe: dicaſſeque Tiberio Cæſari. At inter Tiberium, & Antoninum Pium, ſub quo Laërtius vixit, integrum ſeculum eſt. Atque ideo addit de Timone, ſeu Simone hoc, ὁ παρ᾽ ἡμῶν, ubi malim, ὁ πρὸ ἡμῶν, hoc eſt, qui anteceſſit ſeculum noſtrum. Nempe propiùs, quàm alter Timo Philoſophus; qui cognitus fuit Antigono regi, & Philadelpho, æqualis Arati poëtæ; à quo rogatus, quæ Homeri exemplaria optima forent, reſpondit, ea eſſe emendatiſſima, quæ minimè eſſent emendata. Ac reliquerat Diogenes quoque epigrammata omni genere metrorum: unde hoc opus παμμετρον inſcripſit;

*d P. 508.* *e P. 117. edit. 1. Hen. St. ſive pag. 214. edit. Græcolatinæ.* *f Eſt quoque urbs Henetos, unde erat Myrmex, philoſophus Dialecticus: ut Diogenes ait in ſecundo hiſtoriæ de philoſophia.* *g Hiſtoriam philoſophicam.* *h Commentaria in Sillos.*



mul-

multaque de Philoſophis epigrammata inde adducit, & Ἐπιγραμματογράφον ex eo vocat, Tzetzes Chil. III, cap. LXI.

Antonini Pii tempore viguit itidem Callinicus, Caii filius, cognomento Sutorius, ſophiſta, natione Syrus, vel potiùs Arabs; nempe ex Arabia Petræa. Docuit Athenis. Emiſit προσφωνητικὸν *a* ad Galenum; quod ejus ætatem oſtendit. Reliquit etiam περὶ κακοζηλίας *b* librum ad Lupum, qui videtur eſſe filius illius Rutilii Lupi, cujus de Figuris ſententiarum, & elocutionis opuſculum exſtat. Sane Rhetoricus libellus convenienter miſſus Rhetoris filio, & Rhetori fortaſſe. Quo minùs verò patri ipſi miſſum credam, facit, quòd idem ille de Figuris ſcriptor memoretur Fabio lib. IX cap. II: ubi dicitur Gorgiæ, æqualis ſui, libros IV in unum contraxiſſe. Ut omnino paullò ſit antiquior Fabio. At à Neronis exceſſu, ſub quo vixiſſe Rutilius videtur, uſque ad principatum Antonini Pii, ſub quo Galenus floruit, anni ſunt LXVIII. Niſi placet, & Rutilio jam ſeni ſub Veſpaſiano ſua miſiſſe, & Galeno juveni ſub Hadriano. Sunt enim inter duos illos imperatores anni duntaxat XXXVII. Sed de iſto quiſque judicio ſuo fruatur. Scripſit præterea Callinicus ad Cleopatram. Item (niſi idem hoc opus) de Alexandrinis hiſtoriis libros decem: adhæc adverſus philoſophorum ſectas, & de Romanorum renovatione, & laudationes, atque alias orationes. Auctor Suidas. Opus de Alexandrinis hiſtoriis ſignat B. Hieronymus præfat. in Danielem, his verbis: *Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum hiſtoria neceſſaria eſt: Sutorii videlicet Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Poſidonii, Claudii Theonis, & Andronici cognomento Alipii: quos & Porphyrius eſſe ſecutum ſe dicit.* Ita eum locum emenda. In vulgatis eſt *Suſlorius*, & ante *Callinicus* diſtinguitur, quaſi à Sutorio ſit diverſus. Non dubito, quin hujuſce Callinici ea ſint, quæ in excerptis variis Græcorum Sophiſtarum, ac Rhetorum, edidit Romæ *c* Leo Allatius. Inſcriptio eſt: Καλλινίκου *d* Σοφιστοῦ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάτρια Ῥώμης.

*a Dedicationem.*
*b De prava imitatione oratoria.*
*c Ann. 1643.*
*d Callinici Sophiſtæ ex Antiquitatibus Romanis.*

## Cap. XIV.

*M. Antoninus Philoſophus. Polianus Macedo. Polianus Sardianus. Amyntianus. Damophilus. Pauſaniæ ætas, dictio, libri. Apollonius Alexandrinus. Melitonis Sardenſis liber de tranſitu B. Mariæ, ſuppoſititius. Hegeſippus genuinus. Alter hujus nominis ὑπομνηματογράφος. Ætas ejus. Fl. Joſephum exſcribit, & quandoque leviter incruſtat. Crator, Aurelii Cæſaris libertus. Theophilus Antiochenus.*

POſt T. Ælium Hadrianum Antoninum, cognomine Pium, imperavit M. Annius (ſive, ut poſtea dictus eſt, Aurelius) Verus Antoninus, cognomento Philoſophus, ac ejus frater adoptivus, collega; & gener, L. Aurelius Verus Commodus: qui Divi fratres ſolent vocari.

Marcus Antoninus Philoſophus, Suidâ teſte, ſcripſit ἰδίου *a* βίου ἀγωγῆς βιβλίοις ιβʹ. Quæritur, utrùm hi ſint illi ipſi libri, quorum inſcriptio τὰ καθ' ἑαυτόν. Ita cenſet Xylander. Et favet huic ſententiæ, quod & illi ſint XII numero: & Suidas non alius operis meminit, quàm ejus, quod dixi. Amplior tamen inſcriptio, quæ apud Suidam: cùm in duodecim illis libris, quos hodie habemus, non tam vita Aurelii referatur, quàm illuſtria tradantur Sapientiæ præcepta. Quare alicui placere poſſit ſuſpicio Barthii, Adverſ. lib. LI, cap. XVI; ubi cenſet, non exſtare ipſos Antonini libros, ſed excerpta ex iis, qualia veteres *Florida*, vel *Laudabilia*, Græci χρήσιμα, dixere. Cui ſententiæ favere aliquis dixerit; quòd in codice MSo, qui Romæ eſt, inſcribantur ἐκ τῶν καθ' ἑαυτὸν *b*, Geſnero teſtante. Sed multo veriſimilius eſt, τὰ καθ' ἑαυτόν, idem eſſe opus, ac illud, quod Suidas appellat ἰδίου βίου ἀγωγῆς: non quaſi vitæ ſuæ hiſtoriam reliquerit, ut vulgò ſunt arbitrati: ſed quia ideam ſuæ vitæ condiderit. Siquidem ſunt hi XII libri de officio boni principis, quos ſcripſit non ad filium, ſicut Tullius filio tres nos miſit de officiis libros: ſed πρὸς ἑαυτόν, hoc eſt, *ad ſe ipſum*: nempe ut illos aſſiduè legeret, ac ſecundùm eos componeret vitam, & mores ſuos. Opus hoc, erutum è Palatina bibliotheca, primus in lucem emiſit Conradus Geſnerus: Latinè autem vertit Gulielmus Xylander. Ejus poſtea tralationem ad incudem vocavit Vir Clariſſimus Mericus Caſaubonus IS. Fil. Eruditas præterea notas; & emendationes addidit. At vita illa M. Aurelii Antonini, quæ ab Antonio Guevara, Mendonenſi Epiſcopo, & Cæſari Carolo V. à conſiliis, Hiſpanicè edita eſt, eâque è linguâ in alias permultas tranſlata fuit, nihil Antonini habet; ſed tota eſt ſuppoſititia, ac genuinus Guevaræ ipſius fœtus; qui turpiter os oblevit lectori, planè contra officium hominis candidi, maximè Epiſcopi. Habet interim plurima lectu nec inutilia, nec injucunda: imprimis viro principi: unde & *Horologium Principum* inſcribitur.

*a De vita ſua libros duodecim.*
*b Ex iis quæ ad ſe ipſum ſcripſit.*

Vixit tum quoque Poliænus. Hic Divis fratribus dedicavit octo libros, quibus nongenta (ut ipſe in præfatione ait) præſtantium ducum ſtrategemata complexus eſt. Macedonem ſe eſſe, ibidem dicit. Fuit orator, & cauſſarum patronus. Scriptor eſt elegans, & argutus: quem magno ære à ſe erutum primus Græcè edidit Iſaacus Caſaubonus. Præterea ſcripſit de Thebis: item Τακτικά, ſive de inſtruenda acie lib. III: atque alia item, Suida teſte. Ex quo etiam diſcimus, alterum quoque fuiſſe Poliænum, Sophiſtam Sardianum; qui ſub Caio Caligula vixit, atque orationes forenſes compoſuit, & cauſſarum ſive patrociniorum ὑποθέσεις *a*, & Parthici triumphi libros III, atque alia. Prioris Poliæni στρατηγηματικῶν *b*, meminit anonymus ab Leone Allatio è bibliotheca Vaticana editus *c* cum Heracleto, & aliis. Vide eum fabulâ XI, quæ eſt de Pane.

*a Formas.*
*b De ſtrategematis.*
*c Ann. 1641.*

Æqualis Polyæno fuit Amyntianus. Siquidem librum ſuum de laudibus Alexandri dedicavit Marco Antonino Imperatori. Quamvis verò promiſiſſet ſtylo ſe æquaturum res Alexandri: tamen ſcriptor erat frigidus, multoque inferior iis, qui ante eum Alexandri geſta literis mandarant. Edidit quoque vitam Olympiadis, Alexandri matris: item vitas comparatas, ut Dionyſii, & Domitiani, libris duobus: & Philippi, Macedonum regis, ac Auguſti, libris totidem. Auctor Photius tmem. CXXXI.

Damophilum quoque huc pertinere, Suidas docet: qui auctor eſt, educatum fuiſſe ab Juliano illo, qui ſub Marco Antonino conſulatum geſſit. Philoſophus fuit, ac ſophiſta bonus: interque alia nomen ſibi comparavit philobiblo primo, qui erat de libris comparatu dignis. Sed, quòd hoc loco ejus meminerimus, præcipuè eſt ob librum de Vita veterum. Alia quoque hiſtorica conſignâſſe, credibile eſt. Sed ex tam multis, quæ ediderat, hæc ſola in manus ſuas perveniſſe, ait Suidas.

Pauſanias itidem ſub hoc Cæſare floruit. Siquidem, Philoſtrato teſte, diſcipulus fuit Herodis Attici; qui ſub Hadriano, & Antonino Pio, magnum adeò nomen habuit inter ſophiſtas. Etiam Pauſanias ipſe meminit Olympiadis CCXXXV; quâ imperare cœpit Antoninus Philoſophus. Patria ei fuit Cæſarea Cappadociæ. Inde erat, quòd in declamando, Cappadocum more, corripiendas ſyllabas produceret, producendas corriperet: ac propterea coquo comparabatur, cibos bonos malè condienti. Sed & ſtylus per ſe languidior erat. Declamavit non ſolùm Athenis, ſed etiam Romæ; ubi ſenex deceſſit. Plura de eo apud Philoſtratum vide in ſecundo de vitis ſophiſtarum. Exſtat hujus ſcriptoris minùs quidem facundum, ſed eruditum opus de Græcia, libris decem conſtans: iis & ſitum urbium ac locorum, & antiquitates Græcanicas, & quicquid penè memorabile Græcia habuit, magno philologiæ & hiſtoriæ ſtudioſorum bono, complexus fuit. Quod olim dicebat Domitius Piſo *d*, theſauros ſcribi debere, non libros, id à Pauſania verè factum dixeris. Quare non ſatis concoquere poſſum, quod excidit

*d Plinius in præfat. hiſt. Nat.*

Cæſari Scaligero *a* commentario in priorem librorum de plantis, Ariſtoteli falsò inſcriptorum; ubi dicitur, *Græculorum omnium mendaciſſimus*. Non ſum ignarus, quàm multa narret fabuloſa. Sed hoc Grammaticum decebat. Nec ſine fabularum iſtiuſmodi notitia ſatis intelliguntur veteres ſcriptores. Utinam tantùm exſtarent ejus Aſiatica, ſæpiùs memorata Stephano in Ethnicis. Ut ubi laudetur Pauſanias in Φοινικικοῖς, Συριακοῖς, τῷ περὶ Ἀντιοχείας; & alibi, quando de Syriæ aliqua civitate fit mentio; ut in Μαγαρμμίᾳ; ubi ſextus Pauſaniæ liber citatur: item in Γάββα, Γάζα, atque aliis locis. Sanè eundem eſſe Pauſaniam, dubium non eſt, partim ex eo, quòd ἀσιανὸς Pauſaniam dicat; partim quòd in opere de Græcia non uno loco oſtendat, Aſiam ſibi perluſtratam.

Fortaſſe aliquis requirat, ut locum etiam inter hiſtoricos demus Apollonio Alexandrino, cognomento Δυσκόλῳ, patri Herodiani ejus, qui de arte Grammaticâ ſcripſit; nempe paterno exemplo, quando & Dyſcoli hujus quatuor περὶ συντάξεως *b* libros habemus. In vita Apollonii hujus ab anonymo ſcripta, quæ quatuor iſtis libris præfigitur, cauſſam legere potes, ob quam Δύσκολος *c* dicatur. Scripſit alia quoque multa, ut ex Suida conſtat. Eaque inter librum, cui titulus ἱστορίαι θαυμάσιαι *d*. Sed eone nomine ſatis mereatur hoc loco adſcribi, non injuriâ aliquis dubitet. Nam liber is non ſolùm ad rerum geſtarum, ſed etiam ad naturæ hiſtoriam pertinet: ac de utroque genere ea duntaxat adfert, quæ commentitia vel ſunt, vel ſanè videntur. Et, ut verbo dicam, non tam hiſtoriæ ſtudioſum juvare hoc opus poteſt, quàm philologum. Primus eum exhibuit Guilhelmus Xylander. Meminit & Suidas: ſed ei dicitur, περὶ ἐψευσμένης ἱστορίας *e*. Quo compulſus eruditiſſimus Meurſius, veterem inſcriptionem mutavit in editione ſua, quà nobis Apollonium Notis auctiorem dedit. Nollem factum. Nec enim Apollonius operi ſuo titulum erat daturus, quo fidem ſibi in univerſum abrogaret, etiam vera dicenti; cujuſmodi ſunt pleraque ex Ariſtotele, & alia ex aliis. Nec movere debet Suidæ auctoritas, qui eo modo opus illud nuncupavit, quo nominare illud Chriſtiani vulgò ſolent. Siquidem moris iis fuit, ſcripta Gentilium appellare, non ut inſcripſerant auctores, ſed ut inſcribi, eorum judicio, merebantur. Quare & Apollonii hoc opus, fabellis ſcatens, dixere hiſtorias commentitias; etſi auctor non pro falſis, ſed pro mirabilibus, haberi eas voluiſſet. Similiter librum Phurnuti, ſive potiùs Cornuti, qui inſcribitur, περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως *f*, vocârunt, περὶ Ἑλληνικῆς θεολογίας *g*; ut videre eſt apud Theodoretum Therapeut. II, & Etymologum voce Ζεύς. Nam quis credat, hominem gentilem doctrinam de Diis, more Chriſtianorum, vocaturum Ἑλληνικὴν, hoc eſt; ἐθνικήν? Notum enim, iſtoc Chriſtianis ſonare hoc nomen, unde Ἑλληνισμός, ipſa paganorum religio.

Ac longè etiam minùs locum ſibi hic vindicare poſſit Melito, Sardenſis epiſcopus; qui M. Aurelii *h* tempore floruit, proque Chriſtianis apologiam obtulit. Niſi fortè referre huc libet propter librum de vita prophetarum; quem ab eo ſcriptum fuiſſe, Hieronymus ait; uti & Honorius. At non item huc pertineat, ſi ſpectes, quæ exſtent. Ei tribuitur quidem liber de tranſitu B. Virginis: qui legitur in bibliotheca Patrum *i*. Imò Trithemius quoque inter Melitonis ſcripta reponit. At non Euſebius, vel Hieronymus; quorum uterque accuratè texit catalogum eorum, quibus Melito memoriam ſui propagavit. Primus veterum, quod ſciam, meminit ejus Gelaſius *k*: ſed, ejus judicio, *liber, qui appellatur tranſitus, id eſt, adſumptio S. Mariæ, apocryphus eſt*. Ac Beda *l* quoque notavit, multa continere, quæ Apoſtolicis Actis repugnant. Bellarmini *m* etiam judicio *liber eſt indignus, qui tanto viro tribuatur*. Atque idem cenſet Sixtus Sinenſis lib. II biblioth. S. Baronius Tom. II ad annum XLVIII num. XII, & anno CLXII, num. V; item Poſſevinus in Apparatu ſacro, & Joannes Maria, Magiſter Sacri Palatii, in indice Romano.

*a* Pag. 89. edit. Criſp.
*b* De ſtructura ſermonis
*c* Difficilis, vel moroſus.
*d* Hiſtoriæ mirabiles.
*e* De hiſtoria commentitia.
*f* De natura Deorum.
*g* De Theologia Græcanica, ſive Gentili.
*h* Euſeb. lib. 4. hiſt. Eccl. c. 25.
*i* Tom. 7.
*k* In concilio Romano I. ſub Gelaſio.
*l* Retractat. in Act. c. 8.
*m* In catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt.

Meliori verò jure hic adſcribetur Hegeſippus, non quidem, ſi conſideres, quæ vulgò illi tribui ſolent: ſed propter ea, quæ perierunt. Nam cum quinque actuum Eccleſiaſticorum libros elucubraſſe, auctores ſunt Euſebius, Hieronymus, ac Honorius: & quinctum eorum citat Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. II, cap. XXII, at Græcè κγ; ubi de Jacobi, fratris Domini, martyrio verba facit. Item Photius biblioth. cod. CCXXXII; ubi vocatur ἀρχαῖός τε ἀνὴρ, καὶ ἀποστολικός *a*. Ex illuſtribus verò fragmentis, quæ apud Euſebium habemus, omnes vident, quanto cum damno libri ejus interciderint. At Hegeſippus ille vulgaris, quem B. Ambroſius Latinè vertiſſe diu creditus fuit, pro genuino quidem habetur à Trithemio: imò, quantum videre poſſum, etiam à Ludovico Vive *b*, & aliis quibuſdam: ſed omnino eſt ſcriptor ὑποβολιμαῖος, vel ſaltem alius ab illo nobili Hegeſippo, Apoſtolorum temporibus proximo, Juſtino Martyri, & Athenagoræ æquali. Sanè alterius planè opus eſſe, cenſet etiam Baronius in Annal. *c* Eccleſ. Atque idem judicium eſt Laurentii de la Barre *d*, Margarini Bignei *e*, Nicolai Nancelii *f*, & aliorum. Ac validæ id adſtruunt rationes. Nam, ut alia multa mittam, non hic ſcriptor agit de Eccleſiæ rebus: ſed de geſtis Judæorum inde à Maccabæis uſque ad Urbis excidium. Præterea in his libris mentio fit Conſtantinopolis, & dignitatis ejus, quam habuit Romanæ urbi æqualem. Sic enim lib. III, cap. V, ſcribit de urbe Antiochia, *Urbs tertio loco ante ex omnibus, quæ in orbe Romano ſunt, civitatibus æſtimata, nunc quarto, poſtquam Conſtantinopolis excrevit, civitas Byzantiorum.* At Hegeſippus, antequam Conſtantinus urbem ſuam adjeciſſet urbi Byzantio, maximum fuiſſe decus trium urbium, primum Romæ, inde Alexandriæ, hinc Antiochiæ: ſed Antiochiam quarto nunc loco contentam eſſe, poſtquam imperium eſt tranſlatum Conſtantinopolin, eaque urbs dicta eſt νέα Ῥώμη *g*, ac veteri Romæ æquata. Quæ clarè oſtendunt, à maligna manu, ac planè contra mentem Hegeſippi, adjecta eſſe, quæ mox ſequuntur: *Prima enim Roma, ſecunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Conſtantinopolis.* Nec leviter hanc firmat ſententiam Cornelius Gualterus; qui in Notis ad eum ſcriptorem monet, verba iſta non legi in codd. Mſſis. Quemadmodum verò ea, quæ diximus, clarè oſtendunt, vixiſſe hunc ſcriptorem, poſtquam imperium Conſtantinopolin tranſlatum fuit; ita ibidem alia leguntur, unde etiam ſexcentis ampliùs annis poſt id tempus vixiſſe colligam. Nam de Antiochia ſic inibi ſcribit: *Perſarum quondam caput, nunc repulſorum.* At Antiochia Perſis, ſive Saracenis, erepta eſt à Nicephoro Phoca anno Chriſti IↃCCCCLXVIII: quemadmodum narrat Cedrenus. Quare, non multo poſt hæc tempora vixerit, neceſſe eſt. Neque enim puto, Hegeſippum ſignare tempus illud, quo eam Turcis eripuere ſacræ expeditionis duces; quod demum eſt factum anno Chriſti CIↃ CXVIII. Utcumque eſt, infimæ eſſe antiquitatis ſcriptorem, ſatis illa, quæ dixi, oſtendunt. Porrò in his libris ita Joſephi veſtigiis inſiſtit, ut magis interpretis, quàm ſcriptoris, officio fungatur: ut etiam ſcripſit Durantius Caſellius lib. II. Var. Lect. cap. XIII. Neque quiſquam judicare aliter poteſt, qui legerit. Interim hoc habet, quòd ſubinde, non contentus Joſephi verbis, ut videatur aliquid novi adferre, ſincerum vas incruſtet: de quo vide, quæ notavit Scaliger ad Euſebii annum CIↃ IↃCCCCL: ubi impudens ejus commentum diluit de illis, quæ Pompeium, captis Hieroſolymis, vidiſſe memorat. Nec Græcum tamen, & genuinum Hegeſippum, nunquam nugatum eſſe, oſtendit idem eoipſe opere: ubi refellit ridicula ejus commenta de paſſione Jacobi Apoſtoli: item de Juda fratre Domini, deque Davidis poſteritate. Vide omnino Scaligerum ad Euſebii annum MMLXXVII; item MMCXII.

Crator libertus fuit M. Aurelii Veri, ac deſcripſit exactè nomina temporaque conſulum, atque aliorum, qui annuum magiſtratum Romæ geſſerunt annis CCCCLIII. Teſtis Theophilus Antiochenus in fine libri tertii. Sed perpe-

tam

*a* Vir antiquus, & Apoſtolicus.
*b* Lib. I. de tradendis diſc.
*c* T. 2 ad ann. 167. num. 15.
*d* Præfat. hiſtor. Chriſtia. vett. Pat.
*e* In indice Chronolog. ad fin. tom. 6. bibl. PP. edit. 2.
*f* In catalogo librorum, quæ ſcripſit.
*g* Nova Roma.

cam ibi ſcriptum ἀπελεύθερος a γενόμενος Μαυρηλίου Οὐήρου, pro M. Αὐρηλίου b.

Aliquis quoque hic locus fuerit Theophilo, ſexto Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopo; quem ſub M. Antonino Vero floruiſſe, etiam teſtatur B. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Ubi &, quàm variis monumentis laudem ſibi pepererit, refert. Meminimus verò ejus propter tertium ad Autolycum librum; qui chronologicus eſt. Eum ſignat Lactantius lib. I. cap. ult. his verbis: *Theophilus, in libro de temporibus ad Autolycum ſcripto, ait: In hiſtoria ſua Thallum dicere, quod Belus, quem Babylonii & Aſſyrii colunt, antiquior bello Trojano fuiſſe invenitur* CCCXXII *annis.*

a Qui libertus fuit Marcelli Veri.
b M. Aurelii.

## Cap. XV.

*Athenæi Naucratitæ ætas, deque Syriæ regibus liber. Duo alii ejuſce nominis ſcriptores. Lucianus Samoſatenſis. Unius, & alterium, de ætate ejus error refellitur. Eorum quoque ſententia diluitur, qui Apollonii vitam à Luciano fuiſſe ſcriptam putarunt. Quanto in pretio Apollonium habuerint ſtultæ nationes, inque iis Caracalla Imperator, & Hierocles philoſophus. Severus Cæſar. Stylus Philoſtrati. Julia Augusta, Severi Imper. uxoris, juſſu vitam eam Apollonii ſcriptam fuiſſe. Diverſus ab hoc Philoſtrato eſt is, qui ſophiſtarum vitas edidit. Julius Africanus. De ætate ejus Bodini error. Cedreni ἀνακρονισμός. Godefridi Viterbienſis lapſus. Item alius Euſebii. Africanum videri κεστῶν auctorem, contrà quam Scaliger putavit. Dionis Caſſii patria, ætas, dignitas, hiſtoria, ejuſque argumentum, & ſtylus. Herodianus. Ejus dictio, ac fides.*

SUb M. Aurelio etiam vixit Athenæus Naucratita, grammaticus; quemadmodum Suidas prodidit. Sed hunc ulteriùs aliquanto vitam produxiſſe, inde cognoſcimus, quòd lib. XII Δειπνοσοφιστῶν referat, ut Commodus Imperator, qui patri M. Aurelio in imperio ſucceſſit, in curru ſuo appoſitam habuerit clavam Herculis, ſubſtratâ leonis pelle. Imò ne hoc quidem, ut puto, ſaltem non iſtum in modum, literis mandâſſet, niſi Commodo jam defuncto. Vixerit igitur ſub Pertinace etiam, & Severo. Maximos ingenii, doctrinæque ſuæ, fructus percepit à poſteritate quindecim libris Δειπνοσοφιστῶν: quorum & excerpta ſuperſunt, ſive, ut mutilator ipſe appellavit, παρεκβολαί. Præterea verò conſignavit librum de regibus Syriæ. Indicat hoc ipſe libro V, proximè antequam deſcribat convivium Alexandri, Syriæ regis, ejus qui Antiochi Epiphanis filius erat ſuppoſititius. Etiam opere quodam collegit hiſtorias Ducum iſtorum, qui ſingulari pugnaverant certamine, atque ita ſalutem exercituum redemerant. Docent hoc verba iſta Athenæi lib. IV a. Ὅτι δὲ b καὶ οἱ ἔνδοξοι, καὶ ἡγεμόνες, ἐμονομάχουν, καὶ ἐκ προκλήσεως τοῦτ' ἐποίουν, ἐν ἄλλοις εἰρήκαμεν. Diverſus planè, ut ætas oſtendit, ab hoc Athenæo eſt nobilis ejuſdem nominis peripateticus, & orator, qui Seleuciæ in Cilicia Remp. tractavit, & Murænâ uſus eſt familiariter: hujus verò inſidiis in Auguſtum deprehenſis, unà captus, atque ad Auguſtum eſt deductus; ſed ubi culpâ vacare repertum fuit, cuſtodiâ dimiſſus eſt: nec multò pòſt, jam ad ſuos reverſus, noctu, domus ejus ruinâ, in quâ degebat, exſtinctus fuit. Auctor Strabo lib. XIV. Fuere & alii hujus nominis: ut ille Galeno celebratus inter recentiores medicos libro de elementis, & lib. II de cauſſis ſymptomatum. Sed omnes perſequi, non eſt hujus inſtituti. Ac ne iſta quidem dixiſſemus, niſi temporum ignaris ſæpe imponeret nominis ſimilitudo.

Athenæo Naucratitæ æqualis fuit Lucianus Samoſatenſis. De quo aliquid dictum nobis lib. de Rhetoricæ natura, ac rhetoribus antiquis cap. XII. Et paullò majorem natu facit Suidas. Nam vixiſſe ait ἐπὶ c τοῦ Καίσαρος Τραϊανοῦ, καὶ ἐπέκεινα. Suntque hac in ſententia quoque è junioribus, Gilbertus Cognatus, & Jacobus Zuingerus: quorum ille Luciani ſcripſit elogium; hic de vitâ, ſcriptiſque ejus, narrationem contexuit. Quin Ludovicus Vives, vir acris judicii, ſuſpicatur, eum ad inſectandos philoſophos impulſum fuiſſe invidiâ Plutarchi Chæronenſis; quem ſummo apud Trajanum loco eſſe cerneret, & doleret. Mihi ſecus videtur; neque id levi de cauſſâ. Quippe meminit Lucianus Marci Cæſaris, ac belli Marcomannici ab eo geſti. Locus eſt in Alexandro, ſeu Pſeudomante: Διακηρύττει a ἐν Γερμανίᾳ πολέμου ἀκμάζοντος, ὅτε θεὸς Μάρκος ἤδη τοῖς Μαρκομάνοις, καὶ Κουάδοις, συνεπλέκετο. Vides, ut non tantùm belli meminerit cum Marcomannis, & Quadis, geſti: ſed Marcum voce θεὸν, hoc eſt Divum: quod arguit, naturæ ceſſiſſe, ac jam locatum fuiſſe cœlo. Quare extra controverſiam poni debet, Lucianum, tum Marci Antonini Philoſophi ætate vixiſſe, cùm referat b ſermones, quos habuit ipſe cum Alexandro Pſeudomante; tum ſub Commodi Antonini Philoſophi filio, quandoquidem Marcum appellat Divum. Reliquit Lucianus inter alia utilem librum, cujus inſcriptio eſt, πῶς c δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν. Ac vel hoc nomine mereatur aliquem hìc locum. Juſtiùs ſaltem, quàm libris duobus, quos ἀληθοῦς ἱστορίας d inſcripſit. Quippe fidem quibus habendam ipſe neget. Atque ut contrarium dixiſſet, nec jurato fides haberetur. Nihil enim iis libellis refert, niſi Lamiæ turres, & pectines Solis. Nec tamen ſolo de hiſtoria ſcribenda opere dignus cenſeri debet, qui hoc loco memoretur. Nam, ut hiſtoriam de Dea Syria mittam, quam ante ſeculum, & ultrà, eleganter, Bembo e judice, Georgius Cælius Luſitanus tranſtulit; utque item ſimiles aliquot libros prætercam: Eunapio quoque refertur inter Vitarum ſcriptores, propter unam Demonactis vitam. Sic enim ſcribit: Λουκιανὸς f ὁ ἐκ Σαμοσάτων, ἀνὴρ σπουδαῖος ἐς τὸ γελασθῆναι, Δημώνακτος φιλοσόφου κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους βίον ἀνέγραψεν. Vitas verò ad hiſtoriam quoque pertinere, ipſe oſtendit initio capitis, cùm ait; Τὴν g φιλόσοφον ἱστορίαν, καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων βίους, Πορφύριος, καὶ Σωτίων, ἀνελέξαντο. Et alia quædam ejuſdem ſcriptoris aliena non ſunt ab hiſtorico inſtituto: interque ea liber, quo τοὺς μακροβίους h recenſet. Quid quòd Guilielmus Philander, ſuo in Vitruvium commentario, Apollonii vitam Luciano huic adſcribere videtur? Et Gilbertum Cognatum i eodem propendere arbitrere ut eo verbo utar, quod à Cicerone k conſideratiſſimum vocatur. Sed Lucianum minimè eſſe operis ejus ſcriptorem, facilè comprobatur. Nam Epicurei rident omnes præſtigias, ac vaticinia, & quicquid iſtiuſmodi eſt: Lucianus autem tam Epicureæ ſectæ addictus erat, quàm qui maximè. Quorum neutrum negabit, qui vel ejus Alexandrum duntaxat oculis percurrerit non conturbatis. Illud quoque validè hanc rem confirmat, quòd Lucianus, oſtenſurus à cujuſmodi præceptoribus hauſerit hoc ſceleratiſſimum vitæ genus, refert, quomodo eum primò in contubernium receperit ἐραστὴς l γόης, τῶν μαγείας, καὶ ἐπῳδὰς θεσπεσίους ὑπισχνουμένων: huic ſe eum proſtituiſſe, ac mercedis loco κακίαν, ſeu maleficii artem, reportâſſe: fuiſſe autem doctorem hunc genere Tyaneum, ac è comitibus Apollonii Tyanei; cujus omnes impoſturas probè calluerit. Sic enim inquit: Ἦν δὲ m ὁ διδάσκαλος ἐκεῖνος, καὶ ἐραστὴς, τὸ γένος Τυανεύς, τῶν Ἀπολλωνίῳ τῷ Τυανεῖ πάνυ συγγενομένων, καὶ τὴν πᾶσαν αὐτοῦ τραγῳδίαν εἰδότων. Quæ manifeſtè indicant, quo loco Apollonium habuerit Lucianus. Quemadmodum & illud, quod mox ſubjicit: Ὁρᾷς n ἐξ οἵας σοι διατριβῆς ἄνθρωπον λέγω; Hæc pluribus commemorare viſum fuit, quò pateat cuivis, quàm inanis ſit ſuſpicio eorum, qui libros de Apollonii vita, contra codicum omnium fidem, contra autoritatem Eunapii, B. Hieronymi, Photii, Suidæ, & tot aliorum, abjudicant Philoſtrato: quo de ſcriptore mox dicendum nobis erit.

a Cap. 13.
b Illuſtres etiam viri, & duces, ſingulari certamine certarunt; atque hoc quidem fecere provocati; ut alio opere diximus.
c Temporibus Trajani Cæſaris, et poſtea.

a Oraculum divulgavit, cum bellum in Germania maximè flagraret, Divo Marco cum Marcomannis, & Quadis, confligente.
b In Alexandro.
c Quomodo hiſtoria ſcribenda ſit.
d veræ hiſtoriæ.
e Petrus Bembus lib. 6. epiſt. ad Georg. Cælium.
f Lucianus Samoſatenſis, vir ad concitandum riſum factus, Demonactis, ſuâ ætate philoſophi, vitam retulit.
g Hiſtoriam philoſophicam, ac vitas eorum, qui haud inſinceri fuere philoſophi, Porphyrius, & Sotion, collegerunt.
h Longævos.
i Annotat. in Luciani Alexandrum, ſeu Pſeudomantem.
k Orat. pro Fonteio fol. 279 a edit. Ald.
l Amans præſtigiator, ex iis, qui magiam, & divinas incantationes profitentur.
m Doctor ille, idemque amator erat, natione Tyaneus, ac ex eorum numero, qui converſati cum Apollonio Tyaneo, totamque ejus tragœdiam nôrant.
n Vides, è cujuſmodi ſchola hominem tibi dicam?

Se-

Severus imperator de vita ſua commentarios conſcripſit. Herodianus lib. II; ubi narrat, quæ potiſſimùm ei ipſum fecerint imperii: Τὰ μὲν ἐν πολλὰ αὐτός τε συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὑτὸν βίῳ. *quorum pleraque ipſe libro de vita ſua conſcripſit.*

Philoſtratus, ejus Philoſtrati, qui ſub Veſpaſiano, & Tito vixit, ex filia nepos, Severi imperatoris temporibus, atque inde uſque ad Philippum, floruit; teſte Suida. De patria non convenit. Euſebius, contra Hieroclem, facit Athenienſem. Ὁ γε μὴν Ἀθηναῖος Φιλόστρατος, τὰ φερόμενα πάντα ὁμοῦ ἀπό τε τοῦ Μαξίμου, καὶ αὐτοῦ τοῦ Δάμιδος, καὶ ἄλλων, ξυναγαγεῖν ἑαυτὸν φήσας, πάντων μάλιστα ἐντελῆ τὴν ἀπὸ γενέσεως ἐς μέχρι τελευτῆς ἱστορίαν τοῦ κατὰ τὸν ἄνδρα βίου πεποίηται. *Athenienſis Philoſtratus, & Maximum, & Damidem complexus, & ex aliis quoque ſua ſe collegiſſe affirmans, maximè omnium exactam, à nativitate ipſa exorſus ad obitum uſque, hiſtoriam vitæ ejus viri compoſuit.* Alii verò Tyrium judicant; qui ab Athenienſi eſt diverſus: ut cenſet Joannes Tzetzes Chiliados VI hiſtoriâ XLV:

Φιλόστρατος a ὁ Φλάβιος, Τύριος, οἶμαι, Ῥήτωρ.
Ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ Ἀττικός.

a *Flavius Philoſtratus, Tyrius, ut puto, Rhetor. Alius verò eſt Athenienſis.*

Tyrium quoque nuncupat Photius in bibliotheca codice XLIV: ut & cod. CL; ubi de Lexico ejus ſermo. Fortaſſe autem, qui Tyrium dixere, vitioſis uſi codicibus; ut in quibus Τύριος pro Μύριος ſcriberetur. Eſt enim Μύρινα Lemni civitas ea, in cujus forum, etſi LXXXVI paſſuum millibus diſtet, Athos mons umbram jacit: ut ex Solino, & aliis, conſtat. At Philoſtratus fuit Lemnius, ſecundùm Eunapium, Heſychium Illuſtrem, & Suidam. Quod ſi eſt, nihil mirum, ſi lib. VI. cap. XIII. dicat, ſe ex æquali ſuo quædam olim in Lemno audiſſe de Satyro, matrem ejus accedere ſolito. Nempe hæc audierit adoleſcens, antequam è patria pedem poneret. Philoſtratus hic immortalem eſt nactus memoriam libris octonis de Apollonii vita. In eâ ſe profitetur ſequi, tum Damidem Aſſyrium, de quo ſuprà dictum nobis, tum alios duos, qui & ipſi Philoſtrati vitam ſcripſerint; nempe Maximum, & Mœragenem; quorum mentionem facere dicebamus Joannem Tzetzem Chil. II. Hiſtor. LX. Sed, ſeu vanos ſequitur duces, ſeu ipſe multa comminiſcitur, *magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit*; ut de eo refert Vives lib. V. de tradendis diſciplinis. Et tamen hujuſmodi commentis deceptus Caracalla Apollonio heroicum erigere monumentum non dubitavit; ut eſt apud Xiphilinum in vita Caracallæ. Quin fuere gentiles, quos etiam Chriſto comparare Apollonium non puderet. Uti Hierocles ille, adverſus quem Euſebius diſſerit. Eunapius quoque ait, Philoſtratum opus ſuum non debuiſſe inſcribere Ἀπολλωνίου βίον b, ſed θεοῦ εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν c. Interim, quod ad ſtylum Philoſtrati attinet, eſt is elegans, perſpicuus, ſuavis: ut etiam cenſet Photius, quem vide tmem. XLV. Narrat verò Philoſtratus lib. I. cap. III, ſe iſtos de Apollonio commentarios feciſſe juſſu Juliæ τῆς βασιλίδος. Quæ Julia hæc fuerit, videtur Tzetzes ignoraſſe. Sic enim ſcribit Chil. VI. Hiſtor. XLV; poſtquam, Philoſtratum fuiſſe Tyrium, non Atticum, dixerat:

—— Ὁ Τύριος ὢν οὗτος d
Ἦν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς αὐτοῦ βιβλίοις διαγράφει,
Εἷς τοῦ χοροῦ ῥητόρων τε καὶ τῶν γραμματευόντων
Τῇ Ἰουλίᾳ κραταιᾷ τελούσῃ βασιλίδι.
Σύζυγος αὐτὴ δ' οὔσῃ τινὸς ἦν βασιλέως.

b *Apollonii vitam.* c *Acceſſum Dei ad homines.*

d *Tyrius igitur rhetor. Erat, ut ipſe in ſuis libris deſcribit, Unus è choro rhetorum atque ſcribarum Juliæ, potentis imperatricis. Cujus verò imperatoris fuerit uxor, non dicit.*

Erat verò conjux Severi Auguſti, quam iccirco duxerat etiamnum privatus, quòd ejus in genitura eſſe cognoviſſet, fore, ut regi jungeretur: quemadmodum prodidit Spartianus, in Severo, & Antonio Geta. Apud Flavium Joſephum lib. X. Antiquitat. cap. XI. (quod Rufino eſt XIII.) memoratur etiam Φιλόστρατος e ἐν ταῖς Ἰνδικαῖς, καὶ Φοινικικαῖς ἱστορίαις. Ac ex Rufino, more ſuo, ſimiliter Freculphus Tom. I. cap. XVII. laudat *Philoſtratum in Indicis, & Phœniciis hiſtoriis.* Utrobique puto ſignari Apollonii vitæ ſcriptorem: imò, credo, Indica non aliud ſint, quàm vita Apollonii, qui profectus erat ad Indos, ſive Brachmanas: quâ occaſione de Indis, eorumque ſapientia, tractat Philoſtratus. Scripſit etiam λόγους Κορινθιακοὺς a: quod ipſe non ſivit nos ignorare lib. IV. cap. XIV. Et hæc de Philoſtrato eo, qui elucubravit Apollonii vitam. At juſtiùs inter hiſtoricos nomen meretur Philoſtratus tertius; cujus is, qui Apollonii vitam fabuloſè adeò condidit, patruus, & ſocer erat. Tertii hujus Philoſtrati ſunt vitæ ſophiſtarum. Nam Suidam falli, qui patruo, ſoceroque tribuit, alibi dictum nobis. Vixit hic ſub Macrino, & Heliogabalo.

e *Philoſtratus in hiſtoriis Indicis, & Phœniciis.*

a *Sermones Corinthiacos.*

Imò, quanquam Suidas tres ſolùm Philoſtratos nominet: tamen & quartus Philoſtrato tertio memoratus. Nam in vitis Sophiſtarum ait, viſum ſibi Philoſtratum Ægyptium, philoſophum pariter, ac ſophiſtam: ut omnino is quoque vixerit Macrini temporibus. Difficile eſt dictu, quis horum ſit Philoſtratus ille, cujus περὶ Κυνὸς librum citat Tzetzes, commentario in Caſſandram Lycophronis b.

b *Pag. 79. edit. Baſil.*

Æqualis huic fuit Julius Africanus, accuratiſſimus temporum obſervator, prænomine Sextus; ut colligo ex Suida; ubi ait, Origenem contra Sexti Africani de Suſannæ hiſtoriâ ſententiam librum edidiſſe. Vide eum in Σέξτος. Chriſtianorum primus Chronologiæ fontes recluſit, ac πεντάβιβλον χρονολογικὴν ſcripſit; ex qua integras etiam paginas in ſuum chronicon tranſcripſit Euſebius. Primus eas Græcè publicavit Joſephus Scaliger; qui nec dubitat c Euſebii Chronicon vocare Africani Chronicon recoctum. Atque hinc detegitur ſpiſſus error Jo. Bodini, qui in Methodo hiſtoriæ ſuæ Euſebio juniorem facit; atque addit, deduxiſſe tempora uſque ad annum CCCXX. Scribere debuit CCXX, ut ex Euſebio ſcimus, qui Africanum exſcripſit. At Photius quoque in bibliotheca tmem. XXXIV, tempora eſſe complexum dicit uſque ad imperium Macrini. Rectiùs igitur Freculphus Lexovienſis Chronicorum Tom. III. cap. IV: ubi, Euſebium ſecutus, vixiſſe ait iis temporibus, quibus Origenes inſtituit Theodorum, ſive Gregorium, qui poſtea dictus Thaumaturgus, fratremque ejus Athenodorum. Etiam refert, Africanum ipſum narrare, ſe, excitatum Heraclæ epiſcopi famâ, Alexandriam profectum. Nec abit Cedrenus; cùm ſub Pertinace vixiſſe ait; quibus temporibus Leonidas, Origenis pater, martyrium ſubiit. Quamquam falsò putat, martyrium illud ſub Pertinace contigiſſe, cùm accident anno decimo Severi. Sed iſtiuſmodi ἀνιστορησίας d plenus eſt Cedrenus. Verùm imprimis ridiculus eſt error Gotefridi Viterbienſis, qui in proœmio Panthei, ſive Chronicorum ſuorum, ita ſcribit: *Habemus Julium Africanum, qui prima Chronica conſcripſit ſub Marco Craſſo.* Niſi is ſomniculoſi librarii potiùs error; qui, cùm ἁπλῶς inveniſſet *Marci*, non addito *Antonini* nomine, ut ſæpe fit, craſſo admodum errore adjecit illud *Craſſi*: quod credere malo, Viterbienſis cauſâ. Apud Honorium in Luminaribus Eccleſiæ pro eo legas, *Aurelio imperatore.* Qui idem, ac Antoninus. Sanè integrè Cæſaris hujus nomen expreſſit Iſidorus; qui his verbis & quinctum claudit Originum librum, & Chronicon ſuum orditur; *Brevem temporum ſeriem per generationes, & regna, primus ex noſtris Julius Africanus, ſub imperatore Marco Aurelio Antonino, ſimplici hiſtoria ſtylo elicuit.* Quæ verba cum ſequentibus initio Chronici ſui etiam exſcripſit Ado Viennenſis. Solùm cauto opus eſt, nequis hæc capiat de M. Aurelio Antonino, cui cognomen Philoſopho. Nam ſignatur is M. Aurelius Antoninus, qui dicebatur Heliogabalus, ſive potiùs Elagabalus. Id clarè indicat B. Hieronymus in catalogo illuſtrium ſcriptorum. uti & Græcus ejus interpres, Sophronius. Quippe dicunt, *Sub imperatore M. Aurelio, qui Macrino ſucceſſit, legationem pro inſtauratione Urbis Emaus ſuſcepit, quæ poſtea Nicopolis appellata eſt.* Quid autem, quod ne Euſebius quidem examuſſim nôrat tempus, quo Africanus deſiit Chronicon ſuum? Nam factum id putat anno eo, quo Alexander Imper. coloniam deduxit, cujus rei ergo ad Alexandrum legatus fuerit Africanus. Nempe tempus educeridæ coloniæ cum eo confundit, quo Chronicon finiit. Terminavit verò Chronicon ſuum quarto anno

c *In Euſeb. pag. 241. edit. pr.*

d *Hiſtoriæ ignorationis.*

anno Antonini Elagabali, Grato & Seleuco coſſ. Quod ex ipſis Africani verbis clarè Scaliger comprobavit. Sed non æquè apertum, quod ait idem Scaliger *a*, ab Africano hoc diverſum eſſe Africanum τῶν Κεςῶν ſcriptorem, cujus meminit Euſebius lib. I Chronicorum, his verbis: Ἀφρικανὸς ὁ τὴν ἐννεάβιβλον τῶν Κεςῶν ἐπιγεγραμμένην πραγματείαν, ἰατρικῶν, καὶ φυσικῶν, καὶ γεωργικῶν, καὶ χυμευτικῶν περιέχουσαν δυνάμεις, Ἀλεξάνδρῳ τούτῳ προσφωνεῖ. Sanè eundem planè eſſe, Photius dicit in bibliothecâ ſuâ. Cui hac parte fidem potiùs habere convenit. Præſertim quando & idem apertè ait Euſebius lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XXIII; ubi & alia Africani ſcripta recenſet; eaque inter de genealogia Chriſti epiſtolam; quam & alibi citat; uti & Auguſtinus facit lib. II. Retractat. cap. VII, & alii.

*a In Euſeb. pag. 241 edit. prim.*

*b Africanus libros novem, quos Ceſtorum inſcripſit, ac quibus complectitur res medicas, phyſicas, ruſticas, chymicas, Alexandro huic dicat, & nuncupat.*

Iiſdem temporibus vixit Dio Caſſius, qui & Cocceius, ſive Cocceianus, vocatur. Nicææ hic, Bithyniæ urbe, natus fuit. Patrem habuit, qui, cùm Hadrianus ad imperium perveniret, Ciliciæ præerat; ut ex Dione conſtat. Fortè is erat Caſſius Apronianus; qui conſulatum geſſit ſexto Hadriani anno; ſive urbis conditæ anno IↃCCCLXXV: niſi is avus potiùs exiſtimandus. Sub Commodo, & proximis imperatoribus, ſenatoriâ gaviſus eſt dignitate: à Pertinace etiam ornatus; ab Alexandro, Mammeæ filio, ad conſulatum fuit evectus; quem cum ipſo imperatore geſſit anno Urbis IↃCCCCLXXXI. Extremâ ætate, cum bonâ ejuſce Imperatoris veniâ, Nicæam abiit, ut reliquum vitæ tempus in urbe patriâ viveret. Hiſtoriam ad hunc uſque Alexandrum libris LXXX perduxit. Ac orſus quidem fuit ab Urbe conditâ. Sed primi XXXIV libri perierunt: imò & major pars trigeſimi quinti. Exſtant verò ſequentes XXV; qui incipiunt à Luculli geſtis, ac deſinunt in morte Claudii Cæſaris. Qui inde ſequebantur, itidem interciderunt. Attamen bene eſt, quòd horum excerpta ſaltem habemus. Nam ſuperſunt ἐκλογαὶ *c* Joannis Xiphilini, à Pompeio, ac Julio Cæſare, uſque ad Alexandrum, quem dixi. Euagrius lib. V. cap. ult. narrat, perveniſſe uſque ad Ἀντωνῖνον *d* τὸν ἐξ Ἐμέσης. Ubi ſi Alexander deſignatur, Ἀντωνῖνον legi oportet. Sic enim Senatus appellari voluit Alexandrum Mammeæ; ut arguunt acclamationes ejus apud Ælium Lampridium in ejus vita. Sed diſpiciendum, quomodo, quòd idem Emeſæ natum ait, conveniat cum iſto, quòd eum Lampridius ait *urbe Arcenâ genitum*. Ac uſque ad Commodum quidem ab aliis Dio, quæ ſcriberet, accepit; at, ſequentia ſe ipſum obſervâſſe, dicit: nempe quæ geſta ſub Commodo, Pertinace, Severo, Caracalla, Macrino, Heliogabalo, Alexandro. A Commodi verò obitu, uſque ad octavum Alexandri annum, quo cum imperatore conſul fuit, anni ſunt XXXVII. Ac ſub Commodo, ut dictum, jam ſenator erat; ut minimùm quadraginta circiter annos fuerit in dignitate. Grandi ſtylo uti, & in concionibus Thucydidem æmulari, ſed magis eſſe perſpicuum, judicat Photius tmem. ſeu codice LXXI. Unius interim, ſed latæ admodum culpæ, abſolvere Dionem non poſſum; quòd quâdam ſeu judicii, ſeu morum pravitate, virtutes ſuo pretio æſtimare neſcit; ſed virus ſuum ejaculatur in optimos, & præſtantiſſimos viros: ut Ciceronem, & Brutum, Caſſiumque & L. Senecam. Omnino hæc aut inſignem judicii defectum, aut malam mentem, arguunt. Tranſtulit Dionem Caſſium Latinè Xylander: idemque à ſe, ſed liberiore ſtylo, factum ait Robertus Conſtantinus in ſuo ſcriptorum nomenclatore. Præter iſtos LXXX libros, qui in decadas diſtribuebantur, etiam prodidit Perſica, Getica, Ἐνόδια, ſive potiùs, ut Hieronymus Wolfius emendat, ἐνόδια, *itineraria*; adhæc res à Trajano geſtas, & Arriani philoſophi vitam; auctore Suida.

*c Excerpta.*

*d Antoninum Emeſenum.*

Tum quoque magno in pretio fuit Herodianus. Condidit hic hiſtoriarum libros octo. Eos exorſus ab exceſſu Marci Aurelii Antonini philoſophi; deſiit in morte Balbini, & Maximi, ac imperio Gordiani nepotis. Quod & Euagrio traditum lib. V. cap. ult. Stylus, Photio teſte, eſt elegans, perſpicuus, ac talis planè, ut vix hiſtoricorum ulli ullâ virtute cedat. Veritati etiam ſtuduit: niſi quòd fides ejus nutet in Alexandro, & Maximino. Quod etiam obſervatum politiſſimo hujus ſcriptoris interpreti, Angelo Politiano *a*. Et ante eum Julio Capitolino in Maximinis duobus. ubi ait: *Herodianus, Græcus ſcriptor, ei, quantum videmus, in odium Alexandri plurimùm favit.* Similiter Trebellius Pollio in XXX tyrannis: ac Lampridius in Alexandro Severo, & in Antonino Diadumeno.

*a Præfatione in expoſitionem Suetonii.*

## Cap. XVI.

*Nicagoras. Aſinius Quadratus. Suidæ error. Suidas corrigitur. Ephorus Cumanus. Nicomachus. Dionyſius Longinus. Ejus mors. Dexippus Herennius. Ejus ætas, ſcripta, ſtylus. Porphyrii ætas, & hiſtoria de vitis philoſophorum. Eundem & patriâ linguâ Malchum, & Græcâ Porphyrium dictum.* Πορφυρογέννητος. *In dubium vocatum, quòd B. Auguſtinus Porphyrium ait primùm fuiſſe Chriſtianum. Refelluntur, qui eundem iterum Chriſtianum eſſe factum arbitrantur. Alius ab hoc Porphyrio eſt, cujus panegyricus exſtat. Error eorum, qui Porphyrium, & Euſebium, eodem tempore floruiſſe cenſent. B. Methodius. Chronicon ei falsò tributum. Cognomen ejus Eubulius. Soterichus Oaſites. Paſicrates.*

Ulteriùs gradum moveamus ad eos, qui vixerunt ſub Philippo, Decio, atque aliis, qui poſtea imperarunt, uſque ad tempora Conſtantini Magni. Philippi Cæſaris temporibus floruit Nicagoras, Mneſæi oratoris filius, Athenienſis ſophiſta; teſte Suida. Qui ſcripſiſſe addit Vitas clarorum virorum, De Cleopatra in Troade, & Legationem ad Philippum, imperatorem Romanum.

Aſinius quoque Quadratus, qui Græcis Ἀσίνιος, vel Ἀσίνιος Κυάδρατος, ſub Philippis vixit. Romanus eſt hiſtoricus, ac Ionicâ dialecto Romanam hiſtoriam libris condidit quindecim: opus autem ſuum Χιλιετηρίδα inſcripſit, quia complecteretur annos mille. Autor Suidas *a*. Nempe hiſtoria erat ab urbe conditâ, uſque ad annum Urbis milleſimum, quo millenarius agon à Philippis impp. maximo fuit apparatu celebratus. Hoc minùs perſpexit Suidas; qui perduxiſſe hiſtoriam ait uſque ad Alexandrum Mammeæ filium. Puto, idem opus ſignari, quando Stephanus ex Aſinio hoc Quadrato, vel ſecundum Ῥωμαϊκῆς χιλιάδος citat in Ἄνθιον; vel decimumquartum Ῥωμαϊκῆς χιλιετηρίδος in Ὀξύβιοι; vel decimumquinctum Ῥωμαϊκῶν in Θεσπιάδαι. Etiam Parthyenica, ſive Parthorum origines, ac bella, in literas retulit; teſte Capitolino in vita Veri imp. *Quod quidem & jam Quadratus, belli Parthici ſcriptor, incuſatis Seleucenis, purgat.* Primum Παρθυηνικῶν librum idem Stephanus advocat in Γηλύς; tertium in Γαρμανίκεια, & Ταρσός; octavum in Γάζακα; nonum in Σόλυμα. Idem ſcriptor ἁπλῶς laudat Ἀσίνιον Κυάδρατον in Μεσσήνη. Primò Παρθηνικά hic liber vocabatur in codd. vulgatis. Unde Xylander fecit Παρθικά. Sed ſcripſerat Stephanus Παρθυηνικά. Nam Παρθυηνή potiſſima eſt regio Parthiæ, ſive regni Parthici. Unde συνεκδοχικῶς Πάρθοι pro Παρθυηνοῖς; ut Stephanus agnoſcit. Hiſtoriæ hujus Parthyenicæ meminit Volcatius Gallicanus initio vitæ Avidii Caſſii. Verba ejus ſunt: *Avidius Caſſius, ut quidam volunt, ex familia Caſſiorum fuiſſe dicitur; per matrem tamen avo genitus Avidio Severo: qui ordines duxerat, & poſt ad ſummas dignitates pervenerat. Cujus Quadratus in hiſtoriis meminit, & quidem graviter, cum illum ſummum virum, & neceſſarium Reip. aſſerit, & apud ipſum Marcum Antoninum prævalidum.* Apud Glandorpium in Onomaſtico vocatur Numidius Quadratus: perperam, etſi & Numilii Quadrati mentionem faciat Ælius Spartianus in vita Adriani. Sed is non paullò hoc Quadrato fuit antiquior; utpote ex iis, quos graviter ſit exſecutus Adrianus; ut ibidem narratur. Apud Dionem autem mentio quidem eſt Ninnii Quadrati, tribuni plebis, qui à Ciceronis partibus contra Clodium ſtete-

*a In Κυάδρατος.*

ſteterit. Quare nihil ille ad hiſtoricum noſtrum; cui nomen fuiſſe Aſinio Quadrato, ex Stephani Ethnicis diximus. Ac ſic quoque non ſit at Euagrius lib. v. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. ult. ubi commemorat aliquot nobiliorum gentium hiſtoricos, & quod quiſque tractârit argumentum.

Sub Claudio Cæſare, ejus nominis ſecundo, fuit Lupercus, Grammaticus Berytius, Suida teſte; qui, multa compoſuiſſe, docet; interque ea κτίσιν *a* τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Ἀρσινόης. Sic enim apud eum legi debet, non κλῆσιν. Quâ in voce ſæpe peccarunt librarii. Ἀρσινόητον verò, ſi ea modò lectio recta eſt, Ægypti urbem vocat, quæ aliter Ἀρσινόη dicitur.

Ejuſdem imperatoris temporibus vixit Ephorus Cumanus; ſi libri XXVII hiſtoriarum, quas ſcripſit, de Gallieno imperatore fuerunt. Cenſet hoc Raphael Volaterranus lib. xv. Commentar. Urban. Nempe apud Suidam legit, Γαλλιηνοῦ ἱστορίας; ubi editum Γαλλιηνοῦ. Quomodo Claudius intelligatur; ſive ejus vita ab Ephoro ſcripta fuerit; ſive hiſtorias, quæ paſſim apud Galenum leguntur, uno faſce complexus ſit. De Ephoro hoc, occaſione Ephori Cumani ſenioris, Iſocratis diſcipuli, dictum nobis etiam libri I extremo cap. VII.

Nicomachus Aureliani temporibus vixit. Meminit hiſtorici ejus Vopiſcus in Aureliano: *Hanc*, inquit, *epiſtolam Nicomachus ſe tranſtuliſſe in Græcum ex lingua Syrorum dicit, ab ipſa Zenobia dictatam.* Ac cenſent viri docti *b*, eundem eſſe, qui vitam Apollonii Tyanei conſignavit. De qua ſic Sidonius lib. VIII. epiſt. III: *Apollonii Pythagorici vitam, (non, ut Nicomachus ſenior, è Philoſtrati; ſed, ut Taſcius Victorianus, è Nicomachi ſchedio, exſcripſit) quia juſſeras, miſi.*

Aureliani etiam ætate vixit Dionyſius Longinus Caſſius, nobilis criticus, hæres Frontonis Emiſeni, Oratoris; qui ejus avunculus fuit; & Severi Imperatoris tempore, Philoſtrati, & Apſinis Gadarenſis, æmulus, atque adverſarius, docuit Athenis; ut à Suida proditum eſt in Φρόντων. Fuit Longinus hic Porphyrii philoſophi præceptor, & Zenobiæ, Palmyrenorum reginæ, à conſiliis. Philoſophum vocat Suidas in Λογγῖνος. Sed Plotinus eum dicebat φιλόλογον *c* μὲν, φιλόσοφον δὲ οὐδαμῶς. Teſtis Porphyrius in Plotini vita; ubi & complura Longini hujus illuſtria invenies elogia. Etiam Eunapius eum vocat βιβλιοθήκην *d* ἔμψυχον, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. Multa admodum ſcripſit; quæ apud Suidam legi poſſunt. Ea inter eſt, πόσα *e* παρὰ τοὺς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ, ὡς ἱστορικὰ, ἐξηγοῦνται. Præter ea, quorum Suidas meminit, etiam librum fecit περὶ ἀρχῶν *f*; item περὶ *g* τέλους; item περὶ τῶν ἀσωμάτων *h*; item πρὸς *i* Πλωτῖνον, καὶ Γεντιλιανὸν, ἐπιστολὴν; quæ libri magnitudinem habebat. Meminit horum Porphyrius. Scripſit & περὶ ὕψους *k* elegantiſſimum libellum. Nec quicquam ejus hodie exſtat, præter opuſculum iſtoc, & fragmenta quædam apud Porphyrium in vita Plotini, & apud Euſeb. lib. xv. εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς. Occiſus eſt à Cæſare Aureliano, propterea quòd Zenobiæ fuiſſet auctor, ut ſe Romanis opponeret, & ſuperbiorem ei epiſtolam dictâſſet. Vide fuſiùs de iſtis Zoſimum.

Dexippi Herennii Athenienſis ætatem docet nos Eunapius in Porphyrio. ubi cùm nominâſſet Galienum, Fl. Claudium, Tacitum, Aurelianum & Probum Impp., continuò addit *l*, καθ᾽ οὓς χρόνους ἦν καὶ Δέξιππος, ὁ τὴν χρονικὴν ἱστορίαν συγγράψας ἀνὴρ ἁπάσης παιδείας τε καὶ δυνάμεως λογικῆς ἀνάμεστος. Scripſit Dexippus τὰ *m* μετὰ Ἀλέξανδρον, ἐν λόγοις τέσσαρσιν, Photio teſte. Huic verò operi compendio præmiſiſſe videtur reges Macedonicos ἀπὸ *n* Καράνου μέχρι τῆς Ἀλεξάνδρου. Etiam operis illius partem Euſebius ſignat lib. I. Chronicorum; ubi Dexippum citat περὶ *o* τῶν Μακεδόνων βασιλέων, ἐκ τῶν Δεξίππου. Ibidem luculentum ac prænobile inde fragmentum adfert: ipſe interim alios ſequi auctores maluit, quàm Dexippum. Nam Dexippus ab initio Carani uſque ad initium Alexandri annos numerat CCCXCVI; Euſebius verò annis auget LXXXI. Nam annos colligit CCCCLXXVII.

*a Originem ſive ſtructuram Arſinoëti in Ægypto.*
*b Savaro ad Sidonium, & Meurſius ad Nicomachum.*
*c Politioris quidem literaturæ peritum; philoſophum verò minimè.*
*d Bibliothecam vivam, & ambulans muſeum.*
*e Quænam contra fidem hiſtoriarum, tanquam hiſtorica, enarrent grammatici.*
*f De principiis.*
*g De finibus.*
*h De iis, quibus animi conſtantur.*
*i Epiſtolam ad Plotinum, & Gentilianum.*
*k De ſublimi dictione.*
*l Quibus etiam temporibus vixit Dexippus, qui temporum hiſtoriam conſcripſit, vir in liberalibus diſciplinis, & facultate logicâ, verſatiſſimus.*
*m Rerum poſt Alexandrum M. geſtarum libros quatuor.*
*n A Carano uſque ad mortem Alexandri.*
*o De regibus Macedonum, ex Dexippo.*

Scripſit præterea Dexippus ἕτερον *a* σύντομον ἱστορικὸν μέχρι τῆς Κλαυδίου ἀρχῆς; ut eſt apud Photium. Ubi Claudium intellige, qui Gallieno ſucceſſit, & Aurelianum habuit ſucceſſorem. Sæpiùs hoc opus laudant Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores: uti Lampridius in Alexandro Severo; Capitolinus in Maximo Juniore, in tribus Gordianis, in Maximo, & Balbino; Trebellius Pollio in Gallienis duobus, in XXX tyrannis, & in Claudio. Sed unde hoc opus fuerit exorſus, non adeò apertum eſt. Si credimus Chriſtophorſono, interpreti Euagrii, à rebus Medicis cœperit. Ut liquet ex lib. v. cap. ult. Sed Græcè eſt non Μηδικῶν *b*, verùm Μυθικῶν *c*; ut videatur orſus à temporibus heroicis, & fabuloſis. Ac probat etiam hanc lectionem Clariſſimus & ſummus vir, Philippus Labbæus in Delineatione Apparatus Hiſtoriæ Byzantinæ *d*. Adhæc Scythica prodidit, ſive de prœliis inter Romanos, & Scythas. Occaſio huic operi data bello Scythico; quod ejus tempore fuit, & in quo ſtrenuè ſe Dexippus geſſit. Trebellius Pollio in Gallienis duobus: *Inter hæc Scythæ per Euxinum navigantes, Iſtrum ingreſſi, multa gravia in ſolo Romano fecerunt. Quibus compertis, Gallienus Cleodamum, & Athenæum Byzantios, inſtaurandis urbibus, muniendiſque, præfecit. Pugnatum eſt circa Pontum, & à Byzantiis ducibus victi ſunt barbari. Veneriano enim duce, navali bello Gotthi ſuperati ſunt: tum ipſe Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum, & Aſiam, deinceps Achaiam omnem vaſtaverunt, & ab Athenienſibus, duce Dexippo, ſcriptore horum temporum, victi ſunt.* Unde etiam, quod de ætate diximus, liquet: &, eum fuiſſe ſtrenuum bello ducem, cognoſcimus. Etiam ex Scythicis ejus eſſe videntur, quorum Dexippum hiſtoricum laudat autorem Jornandes de rebus Geticis cap. XXII. Niſi ſignatur opus de iis, quæ Carpi, & aliæ gentes barbaræ, in Hellade, Thraciâ, & Ioniâ, bello geſſere. Cujus voluminis meminit Euagrius lib. v. cap. ult. Oratio ejus brevis eſt, & aperta; ut alterius Thucydidis, ſed perſpicui magis. Autor Photius; qui & pauca excerpſit ex hiſtoria de iis, quæ poſt Alexandrum contigerunt; ac cùm in iſtis, tum in pleriſque omnibus, cum Arriano ait conſentire. Præterea quædam ex Dexippi hiſtoria habemus in Excerptis de Legationibus. Verùm iſta ex alio opere ſunt. Nempe ex Scythicis ejus. Nam tractat de iis, quæ accidêre inter Aurelianum imperatorem, & Juthungos Scythas. Stephanus citat Dexippi χρονικῶν librum x in Σαξχαῖοι, librum XII in Ἕλουροι. Uti & Etymologus, voce Ἕλουρος: Δέξιππος *e* ἐν δωδεκάτῳ χρονικῶν. Eundem in Theſauro laudat Suidas in Κορυκαῖος. Exſtat hodieque Dexippi, philoſophi Platonici, liber pro Ariſtotelico τῶν κατηγοριῶν libro ſcriptus adverſus Plotinum. Eſt is ejuſdem Dexippi: quod ex Tzetze liquet Chiliad. IX. Hiſtor. CCLXXIV. Verſus ejus, quia & alia nos docent, apponam:

Δέξιππος ὁ φιλόσοφος, μύστης ὢν Ἰαμβλίχου,
Πολλὰ μὲν συνεγράψατο καὶ ἕτερα βιβλία.
Ἐν τῷ ἑνὶ ἐνέτυχον, τῷ εἰς κατηγορίας.
Ἔγραψε δὲ καὶ Σκυθικὰ, ἃ μέχρι νῦν οὐκ οἶδα.
Καὶ ἕτερα, ὡς εἴρηκα, μόνον τὸ ἓν δ᾽ ἀνέγνων.
*Dexippus philoſophus, myſtes qui fuit Iamblichi,*
*Multos quidem conſcripſit & alios libros.*
*In unum verò incidi, qui eſt in Categorias.*
*Scripſit autem & Scythica; quæ hactenus non vidi:*
*Et alia, ut dixi. ſolùm ſed unum legi.*

Eâdem, quâ Dexippus, ætate vixit Porphyrius; quod in vita ejus clarè dicit Eunapius. Magnum hujus inter philoſophos, ac ſophiſtas, nomen fuit. Sed, inter hiſtoricos quoque jure optimo referri, nemo inficias iverit, qui ſciat, philoſophorum vitas ſcripſiſſe. Id, quod dixi, cognoſcimus ex Cyrilli libro I. contra Julianum, (qui & egregia inde fragmenta adfert;) item Nicephori Calliſti hiſtoriæ Eccleſ. lib. x, cap. XXXVI; ubi, ut oſtendat, quàm φιλαπεχθήμων *f* fuerit Porphyrius, pro argumento adfert, quòd Socratem, à Platone, & Xenophonte, tantopere laudatum, ita calumniis traducat, quaſi accuſatores ejus Anytum, ac

*a Alterum compendium hiſtoricum uſque ad Claudii principatum.*
*b Medicarum.*
*c Fabuloſorum.*
*d Pag. 40.*
*e Dexippus in XII Chronicor.*
*f Diſſidiorum, & ſimultatum amans.*

ac Melitum, vincere voluiſſet. Mentio quoque hujus operis eſt apud Tzetzem Chil. XI. Hiſtor. CCCLXXVII. Eas ad Platonem uſque pertexuiſſe, ait Eunapius in præfatione libri ſui de vitis ſophiſtarum. Nec dubium, quin hoc opus ſignetur à Stephano in Γάδαρα; ubi tertius citatur φιλοσόφου ἱστορίας: item Suida in Ὅμηρος; ubi ex Porphyrii φιλοσόφῳ ἱστορίᾳ refert, Homerum ante primam Olympiadem annis vixiſſe CXXX: & in Excerptis barbarolatinis; ubi ſimiliter vocatur *Porphyrii hiſtoria philoſophica:* eoque nomine exinde à Scaligero citatur ad Euſebii annum MCCX. Exſtat ex hiſtoria hac Pythagoræ vita, quam primus ſub Malchi nomine publicavit Conradus Ritterſhuſius. Nempe, ut Eunapius ait, Μάλχος κατὰ τὴν Σύρων πόλιν ὁ Πορφύριος ἐκαλεῖτο τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ δύναται βασιλέα λέγειν· Πορφύριον δὲ αὐτὸν ὠνόμασε Λογγῖνος, ἐς τὸ βασιλικὸν τῆς ἐσθῆτος παράσημον τὴν προσηγορίαν ἀποτρέψας. *Porphyrius prius, juxta Syrorum linguam, Malchus dicebatur. Ea vox regem ſonat. Sed Longinus, detortâ appellatione ad purpuram, regium in veſtimento inſigne, Porphyrium, velut purpureum, nominavit.* Imò Porphyrius ipſe apud Plotinum, ſibi, & patri, *Malcho* fuiſſe nomen teſtatur. Ut de Suida nihil dicam; qui & ipſe *Malchum* ait Tyriâ linguâ (Tyrius autem erat Porphyrius) regem ſignificare. Sanè Hebræis, à quibus Phœnicum lingua dialecto ſolùm diſtat, מלך rex. Et quid multis opus? B. Cyrillus in tertio adverſus Julianum, quædam ex hac Pythagoræ vitâ adducens, ea diſertim Porphyrio adſcribit. Nec ineptè pro rege purpureum vocavit Longinus; quando, ut Eunapium dicentem audivimus, purpura regum eſt inſigne. Unde & Albino nomen *Porphyrii.* Capitolinus in vitâ Albini: *Acceſſit omen* (Albino,) *quòd, cùm pueri ejus familiæ ruſſulis faſciolis illigarentur, quòd forte lota, atque uda eſſent ruſſula faſciola, quas mater prægnans paraverat, purpureâ matris illigatus eſt faſciâ: unde illi joco nutricis etiam Porphyrii nomen inditum eſt.* Itaque Alexius Angelus Comnenus Irenen, filiam ſuam, geſtare juſſit purpurea ſandalia, quòd illi, & cui deſponderetur, imperium ſuum deſtinâſſet: ut initio operis narrat Georgius Protoveſtiarius. Quin & πορφυρογέννητοι propterea vocabantur, ad quos natalium jure ſucceſſio in regno pertineret. Magis hoc veriſimile fit, quàm, appellationem illam inde cepiſſe, quòd, ut Conſtantinus Manaſſes in Annalibus ſuis refert, πορφύρα diceretur domus ea, in quâ parerent Imperatricea. Unde prolem Cæſaream πορφυρογέννητον vocari, notavit ibidem doctiſſimus Leonclavius. Præter Philoſophorum Vitas, de quibus diximus, etiam reliquit ἱστορίαν παράδοξον *a* libris tribus. Ut cognoſcimus ex Euſebii de præparatione Evangelica lib. I *b*. Ubi cùm de Sanchoniathone, ejuſque interprete Philone Byblio, ex Porphyrio quædam retuliſſet, ait, eundem Porphyrium, de diſcrimine Græcanicæ, ac Paganicæ Theologiæ loquentem, dicere: Περὶ *c* ἧς μοι τρία πεφιλοτίμηται βιβλία, τὴν ἐπιγραφὴν ἔχοντα παραδόξου ἱστορίας. Puto, & eundem ſignari ab Euſebio aliquanto pòſt *d*; cùm locutus de libris Sanchoniathonis, à Philone Byblio verſis, & à Porphyrio approbatis, addit; Ὃ *e* δὴ αὐτὸς ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι. Hinc illuſtrem ex eo locum adducit. Item cùm poſtea ſequitur: Εἴρηται *f* δὲ ἡμῖν περὶ αὐτοῦ ἐν τοῖς Ἀρχαιογραφουμένοις Ἑβδομάδων ὑπομνήμασιν ἐπιμελέστερον. Porphyrium primitus fuiſſe Chriſtianum, ſed poſtea à religione hac reſiluiſſe, Auguſtinus innuere videtur lib. de Civit. Dei cap. XXVIII. Id ob auctoritatem tanti viri inficias ire non auſim: ſed hactenus tamen nihil invenio, quo id veriſimile fiat, præterquam quòd junior familiariter uſus ſit Origene. Ac longè etiam minùs aſſentire poſſum doctiſſimo Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptori *g*, qui jam ſenem denuo ex gentili Chriſtianum factum putat. Nempe propter Hieronymi hæc verba *h* in Chronicis: *Porphyrius miſſo ad Conſtantinum inſigni volumine exilio liberatur.* Sanè hodieque exſtat laborioſiſſimum carmen panegyricum ad Conſtantinum Auguſtum, quod Chriſtiani hominis eſt, ac Porphyrio tribuitur, non modò vulgariis in libris, ſed quoque à venerabili Beda libro de metris; ubi addit, Porphyrium eo carmine meruiſſe ab exilio liberari. Sed alius à Porphyrio philoſopho eſt Publilius Optatianus Porphyrius, carminis ejus pater; ut jamdudum Scaligero ad Euſebium eſt obſervatum. Nunquam enim Porphyrius philoſophus in exilium miſſus fuit: nunquam ſua retractavit: neque, ſi feciſſet, veniam à Chriſtiano quoquam Imper. impetrâſſet: quippe qui neutiquam ad ea tempora pervenerit, quibus Diocletianus imperium depoſuit; ut ex iis conſtat, quæ de ætate ejus ex Eunapio diximus. Atque inde etiam refelluntur, qui exiſtimant, eodem tempore, & Porphyrium adverſus Chriſtianos calamum ſtrinxiſſe, & Euſebium ei reſpondiſſe libris XXX; quot contra Porphyrium ſcripſiſſe, auctor eſt B. Hieronymus in Chronico Euſeb.

*a Hiſtoriam eorum, quæ ſunt præter hominum opinionem.*
b *Pag. 23. edit. Rob. Steph.*
c *De qua magno cum ſtudio elaboravi tres libros, qui inſcribuntur,* Hiſtoriæ paradoxæ.
d *Pag. 26.*
e *Hic ipſe in commentario de Iudæis.*
f *De eo ampliùs nobis dictum eſt in libris Etbodorum.*
g *Ad annum 325.*
h *Ad an. 2345.*

Sed Euſebius quidem reſpondit Porphyrio jam defuncto. Vivente autem eo idem fecerat S. Methodius, Olympi Lyciæ, aut Patararum, & poſtea Tyri epiſcopus: qui, juxta Suidam, ſub Decio, & Valeriano; ſed veriùs (ut apud Hieronymum etiam legitur) decimâ perſecutione, ſub Diocletiano martyrii coronam accepit. Hic quoque, ſi Trithemio credimus, hiſtoricis eſt accenſendus. Nam, Chronicon ſcripſiſſe, ait. Quin apud Marianum Scotum fragmenta quædam habemus ex Methodii Chronicis. Indeque etiam meminit Martinus Polonus lib. I, cap. IV. Sed nec Hieronymus, nec Suidas, qui Methodii ſcripta recenſent, Chronicorum ejus meminerunt: ut opus iſtoc alterius poſſit videri. Methodii hujus fragmentum admodum luculentum invenio apud Epiphanium hæreſ. LXIV: ubi dicitur alio quoque nomine vocatus eſſe *Eubulius*, fuiſſeque vir bene doctus, & veritatis intelligentiſſimus.

Locus quoque hìc eſto Soterícho Oaſiti: qui Poëta quidem epicus fuit: ſed & hiſtoriam tractavit. Vixit ſub Diocletiano; cujus etiam encomium fecit. Alia quoque ejus laudat Suidas: eaque inter eſt vita Apollonii Tyanei: item Pytho, ſive Alexandriacum: hiſtoria hæc fuit de Thebis, atque aliis, ab Alexandro captis. Item condidit Calydonia. Autor nobis eſt Lycophronis ſcholiaſtes *a*: καὶ Σωτήριχος ἐν τοῖς Καλυδωνιακοῖς. Videtur autem opus illud proſâ oratione ſcriptum eſſe, quantum ex fragmento, ab eodem ſcholiaſte allato, colligere eſt. Meminit Soterichi etiam Jo. Tzetzes Chil. VII, hiſt. CII. item Stephanus, ſive Hermolaus, his verbis: Ὄασις *b*, πόλις Λιβύης. λέγεται καὶ Ὄασις, καὶ ὁ πολίτης, Ὀασίτης, ὁ ποιητὴς Σωτήριχος, καὶ ὁ πάτρια γεγραφώς: unde Suidam corrigi debere, etiam Lilius Gyraldus *c* vidit. Nam corruptè apud eum ὁ Ἀσίτης ſcriptum pro Ὀασίτης. Alius eſt Soterichus Alexandrinus, quem inſignem fuiſſe muſicum, dicit Plutarchus initio libri de Muſica.

Ad Diocletiani quoque tempora refertur Paſicrates, S. Martyris Georgii ſervus, qui martyrium paſſus dicitur circa annum CCXCV. Georgii hujus vitam Paſicrates reliquiſſe creditur: quæ ex Cryptæ Ferratæ bibliotheca ab Aloyſio edita eſt, atque item Surio Tom. II, ad XXIII April. Sed acta Georgii planè ſunt ἀπόκρυφα; quemadmodum jam olim Gelaſius Papa judicavit. Aloyſius cenſet, hæc alia eſſe ab iis, de quibus loquitur Gelaſius. Nos vel eadem putamus, vel nihilo illis meliora, quæ Gelaſius vidit, & rejecit, tanquam ab hæreticis compoſita. Vide eum Diſt. XV. cap. Sancta Romana.

a *Pag. 75.*
b *Hoaſe; urbe Libyæ. dicitur & Oaſis, & civis ejus Oaſites; ut Soterichus poëta, qui res patrias ſcripſit.*
c *De poët. hiſt. dial. 4.*

## CAP. XVII.

*Sopater Apamienſis. Conſtantini Magni juſſu interfectus eſt. Ejus ſcripta. Euſebius Cæſarienſis cur Pamphili cognomen habeat. Chronicorum ejus diviſio, atque argumentum.* Παρασκευῆς εὐαγγελικῆς *libri quo fine ſcripti. Quot olim libri* Ἀποδείξεως εὐαγγελικῆς. *Operis* προπαρασκευαστικοῦ *commendatio. Praxagoras Athenienſis. Quanti Conſtantinum fecerit, licet gentilis eſſet. Bemarchius Cæſarienſis, atque alii, qui ſcripſerint de rebus geſtis Conſtantini.*

Extre-

*Eutropii hiſtoricum compendium Græcè tranſlatum. Euſtochius Cappadox. Eſaias, de martyrio Iona, & Barachiſii. Acaſius Cæſarienſis Epiſcopus.*

DEvenimus ad meliora tempora, quibus Imperatores Romani Chriſtianam fuere religionem amplexi. Princeps eorum fuit Flavius Conſtantinus, cognomento Magnus. Sub hoc floruit Sopater Apamienſis, ſophiſta, & philoſophus Alexandrinus; Jamblichi diſcipulus, Platonicorum ſuæ ætatis facilè princeps. Eo Conſtantinus ipſe familiariter utebatur: ſed cùm propterea videretur non alienus à religione gentili, interfici eum juſſit, quò fidem omnibus faceret, ſe ex animo Chriſtianæ religioni favere. Ita quidem Suidas. Sed accuratiùs, pleniuſque, de hoc Eunapius Sardianus in Ædeſii vita: ubi ejus facti culpa in Ablavium, prætorio præfectum, derivatur. Quædam etiam de Sopatro hoc legere potes apud Sozomenum lib. I. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. V. Reliquit, Suida teſte, librum de providentia, & iis, qui præter meritum felices ſunt, aut infelices. Item feciſſe teſtatur librorum plurimorum epitomas: atque hiſtoriarum etiam excerpta ejus exiſtimari. Excerpta iſta Photius eclogas variæ doctrinæ appellat, ac conſtitiſſe dicit libris XII; fuiſſeque id opus collectum ex variis hiſtoricis, aliiſque ſcriptoribus, quos nominat ipſe tmemate CLXI.

Sub Conſtantino etiam, filioque ejus Conſtantio, floruit Euſebius Pamphili (quomodo vocabatur ob amicitiam cum Pamphilo martyre, teſte Hieronymo *a*) Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus; quem πολυμαθῆ *b*, καὶ πολυίστορα, meritò appellat Georgius Cedrenus. Scripſit Euſebius Chronica à mundi fabrica uſque ad Conſtantini Magni vicennalia, qui eſt annus Chriſti CCCXXVI. Horum priorem partem παντοδαπὴν ἱστορίαν *c* ipſe Euſebius vocat: alteram, χρονικοὺς κανόνας. Georgius Syncellus χρονικὸν, ac frequentiùs κανόνας appellat. Opere hoc propoſitum Euſebio fuit, monſtrare, Moſaicas origines tum initiis omnium dynaſtiarum, regnorum, ac Rerump., tum natalibus fabuloſorum Deorum, longè eſſe antiquiores. Atque ut hoc opere vetuſtatem doctrinæ Moſaicæ; ita ejuſdem, ac Chriſtianæ item religionis, veritatem adverſus philoſophos tuetur aureis commentariis de præparatione Euangelica. Idem quoque elaboravit viginti libros demonſtrationis Euangelicæ: quot olim fuiſſe, auctores ſunt B. Hieronymus in ſcriptor. Eccleſ. & Photius in biblioth. Sed hodie decem tantùm ſuperſunt. Arrianum fuiſſe, vel ſaltem excidiſſe illi, Arrio magis, quàm Nicenæ Synodo, convenientia, etſi veteres non dicerent, ſatis ex hoc opere parêret: quemadmodum oſtendit doctiſſimus Billius lib. I Obſervationum Sacrarum cap. XXVII. Ex ſcriptis nominatis Chronica (quorum & Epiphanius meminit in λόγῳ ἀγκυρωτῷ) cum vett. libb. contulit doctiſſimus Arnoldus Pontacus. Atque idem opus Joſephus Scaliger caſtigavit, notiſque illuſtravit, quibus nihil hic ſol videt eruditius: ut omnino tacere de iis ſatius videatur, quàm pauca dicere. Utinam aliquis tandem exſurgat, qui in illo, quod dixi, πραγματειώδει opere, parem præſtet induſtriam. Nam eo Euſebius ſatis docet, omnes ſe reſeraſſe arcas librarias philoſophorum, hiſtoricorum, Theologorum; non Græcorum modò; ſed etiam Ægyptiorum, ac Phœnicum. Atque hæc quidem eò fecit: tum ut ex divina lege arguat gentiles: tum ut comprobet, multa illos de Hebræorum fontibus hauſiſſe. Condidit præterea Hiſtoriam Eccleſiaſticam libris decem; quibus initium capit à nato Chriſto, &, per tyrannorum tempora accuratè progreſſus uſque ad Conſtantinum Magnum, ea, quæ ab illo in Eccleſia inſtituta, vel ſaltem ſub eo geſta, diligentiſſimè tractat. Mentionem facit eorum & Euagrius lib. V. cap. ult. & Photius tmemate XXVII. Edidit inſuper librum de martyribus: ut conſtat ex Hiſtor. Eccl. lib. IV, cap. XIV; & lib. V. cap. I, & IV, & XX. Meminit ejus operis quoque, cùm Hieronymus in ſcrip. Eccleſ., tum Gregorius M. ad Eulogium epiſt. XXIX lib. VII Indict. I. Inque catalogo codicum, qui ſunt Scodriaci in Regis Hiſpaniarum bibliotheca, eſt Euſebii hujus liber de ſanctis Martyribus, & alter de Martyribus è Cæſarea Palæſtina ſub Diocletiano, & Maximino. Etiam de vita Pamphili fecit tres libros, ac alia multa; quorum titulos legere potes apud Hieronymum in dicto opere. Mirum verò, præteriri ab illo libros IV de vita Conſtantini; qui hodieque exſtant, ac pro Euſebianis quoque agnoſcuntur à Photio; ubi ἐγκωμιαστικὴν τετράβιβλον *a* vocat. Similiter nec mentionem facit Hieronymus orationis Euſebianæ, quæ inſcribitur εἰς Κωνσταντῖνον τὸν βασιλέα τριακονταετηρικός *b*. At ejus meminit ipſe Euſebius lib. I de vita Conſtantini cap. I, & lib. IV cap. XLVII.

*a In ſcriptor. Eccleſ. catal.*

*b Varia inſtructum eruditione, ac multiſcium.*

*c Omnimodam hiſtoriam.*

*a Quatuor libros in laudem ſcriptos.*

*b Oratio de Conſtantino Imperatore habita anno imperii ejus trigeſimo.*

Præter Euſebium multi etiam alii Conſtantini vitam conſignarunt: atque aliqui quidem, ut videtur, tempore liberorum ejus. Uti Praxagoras Athenienſis. Hic, annos natus XIX, edidit libros duos de regibus Athenienſibus. Cùm annorum eſſet XXII, emiſit libros duos de geſtis Conſtantini M. Anno XXXI elucubravit libros VI de rebus geſtis ab Alexandro M. Ionicâ uſus fuit dialecto, ac ſtylo aperto, & jucundo; ſed languidiuſculo. Ex hiſtoria de Conſtantino Magno quædam excerpta habemus à Photio bibliothecæ cap. LXII: ubi & teſtatur, etſi homo eſſet gentilis, tanti tamen feciſſe Conſtantinum, ut prioribus eum Imperatoribus omnino anteferret, atque adeò eorum gloriam diceret à Conſtantino eſſe obſcuratam.

Etiam circa hæc tempora claruiſſe videtur Bemarchius Cæſarienſis, Cappadox ſophiſta: qui præter declamationes, & orationes, vulgavit libros decem de rebus geſtis Conſtantini Imp., teſte Suida: ſed ætatem non ponit.

Imprimis verò illuſtris eſt locus apud Georgium Codinum in Selectis de Originibus Conſtantinopolitanis: ubi, cùm locutus eſſet de urbis Byzantinæ muris à Conſtantino M. exſtructis, deque ejuſdem encæniis, & tempore, quo hæc contigerunt, continuò addit: Καθὼς ἱστοροῦσιν, Εὐτυχιανὸς πρωτοασηκρῆτις ὁ γραμματικὸς, καὶ Εὐτρόπιος ὁ σοφιστὴς, ὁ τῷ παραβάτῃ Ἰουλιανῷ συμπαρὼν ἐν Περσίδι, καὶ ὁ ἐπιστολογράφος Κωνσταντῖνος, Ἐλεύσιός τε διάκονος ὁ φιλόσοφος, Τρωίλος ὁ ῥήτωρ, ὁ πολλὰς ἀρχὰς μετὰ δόξης ἀνύσας, καὶ Ἡσύχιος ὁ ταχυγράφος. οὗτοι πάντες αὐτόπται γενόμενοι τῶν τηνικαῦτα πραχθέντων, ἀκριβῶς ταυτὶ συνεγράψαντο. *Quemadmodum memorant, Eutychianus, primus à ſecretis, grammaticus; Eutropius ſophiſta, qui Juliano Apoſtata in Perſide aderat; Conſtantinus, qui ab epiſtolis erat Imperatori; Eleuſius diaconus, philoſophus; Troilus orator, qui in magiſtratu magno cum honore verſatus fuit; & Heſychius notarius. Hi omnes, quæ ſuis oculis tum viderunt, accuratè ſcriptis mandarunt.* Poſtrema verba ſatis oſtendunt, vixiſſe eos, Conſtantino M. encænia novæ Romæ celebrante. Sed non, ſi quædam de Conſtantino magno, & urbis encæniis, prodiderunt, eò hiſtoriam conſignâſſe ſequitur: quia hoc obiter in aliis generis opere feciſſe poſſunt: neque ſi hiſtoriam condiderint, eò ſcripſerint Græcè. Sanè Eutropius, cujus hìc mentio eſt, id fecit Latinè: ſed eum Græcè verſum fuiſſe à Capitone Lycio, teſtis eſt Suidas. Ab hoc verò Eutychiano, ut temporis ratio docet, diverſus eſt Eutychianus junior; ut eum vocat Agathias in procemio: ubi illum perhibet primarium fuiſſe Cæſaris ſcribam, ac virum bonum, & prudentem, mediocriter etiam eruditum, & egregium gentis Floridorum ornamentum. Troilus ille ſophiſta, qui loco memoratur quincto, Suida teſte, Conſtantinopoli docuit; ac orationes civiles, & ſeptem edidit epiſtolarum libros. Apud Socratem lib. VII cap. XXVII; (ut jam monitum Labbæo in delineatione ad Apparatum corporis Hiſtoriæ Byzantinæ *c*) pro Τρόφιλος ὁ σοφιστής, quam lectionem etiam retinuit interpres Latinus, omnino Τρωίλος reſcribendum. Meminit ejus quoque Nicephorus Calliſti lib. XIV cap. XXIX.

*c Pag 33.*

Euſtochius Cappadox, ſophiſta, Conſtantis imperatoris tempore in literas retulit Cappadociæ, & reliquarum gentium, Antiquitates. Auctor Suidas.

Ad eadem tempora refertur, Eſaias, Adami filius, eques Sa-

Saborii, regis Perſarum; qui ſpectator, atque auditor fuit martyrii ſanctorum Jonæ, & Barachiſii, atque id ſcripto conſignavit. Habes apud Simeonem Metaphraſtem, & exinde apud Surium Tom. II, a. d. XXIX Mart.

Item quo tempore Conſtantini liberi imperarunt, Acacius, Cæſareæ in Palæſtina epiſcopus, vitam prodidit præceptoris, & deceſſoris ſui Euſebii Cæſarienſis: qui anno obiit CCCXL. Credo, propterea etiam Chriſtianus Maſſæus in accurato ſuo Chronico eum *hiſtoriæ ſcriptorem* appellat. Mirum, hujus Acaciani operis nullam exſtare mentionem apud B. Hieronymum in Catalogo. Sed meminit ejus Socrates libro II Hiſtor. Eccleſ. cap. III. Fuit hic Acacius partibus Arrianis valde addictus; ut ex Athanaſio de Synodis cognoſcitur. Imò ab eo Arriani quoque dicti fuere *Acaciani*. Vide de Acacio, & Acacianis, plurima apud Socratem, & alios Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores: in his quinctum Hiſtoriæ Tripartitæ. Epiſtolam ejus habes inter Cyrilli illas numero XV. Non poſſumus itaque adſentire Poſſevino, quando in Apparatu Sacro vocem *Arriani* delere jubet in Catalogo quem dixi. ubi legitur vulgò: *In tantum autem* (Acacius) *ſub Conſtantino claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem, Arrianum epiſcopum, conſtitueret.* Scio, vocem *Arriani* in compluribus Hieronymi codicibus deſiderari; uti & apud Sophronium, Hieronymi interpretem Græcum. Sed enim in vocabulo *Arriani*, omnis eſt vis argumenti. Sententia enim Hieronymi eſt: Acacium tantæ fuiſſe auctoritatis, ut per eum, in locum Liberii, in ipſa ſede Romanâ, ſufficeretur homo Arrianus. Nec ſanè Conſtantinus Cæſar, & Acacius, qui ambo hoc veneno fuere infecti, Catholicum conſtituere voluiſſent.

## Cap. XVIII.

*Julianus Apoſtata. Jamblichus Platonicus. In vita Pythagoræ magna ex parte exſcripſiſſe præceptorem ſuum Porphyrium. Dorotheus Tyrius. Apollinaris. S. Ephræm. Eunapius Sardianus. Quantopere cum eo conveniat Zoſimus. Marcellinus. Sitne idem ac Ammianus.*

a Deſertor.

QUodſi Julianus ὁ παραβάτης a hiſtoriam condidit; non dubium eſt, quin proximè commemorari debeat poſt eos, quos diximus. Nam præterquam, quòd pauxillo tempore cum Conſtantio Conſtantini filio imperavit, eique ſucceſſit: etiam natus fuit ex Conſtantini M. fratre, Flavio Conſtantio: maritus item Helenæ erat, quæ Conſtantini Magni fuit filia. Suidas fallitur, cùm filium appellat Flavii Dalmatii Cæſaris, qui frater Juliani erat. Quemadmodum &, quando natum eſſe ait ex Gallâ: cùm mater ei fuerit Baſilinna, Juliani, Comitis Orientis, filia. Aliquem verò inter hiſtoricos ei locum deberi, credat quiſpiam, qui apud Suidam legat, ſcripſiſſe τοὺς παλαιοὺς Καίσαρας b. Sed liber is non vitas Cæſarum continet; verùm in priores imperatores ſatyra eſt: inque veteribus libris Κρόνια, ſive *Saturnalia*, item Συμπόσιον, inſcribitur. Tranſtulit eum Carolus Cantoclarus: & non paullo feliciùs, licet tum admodum adoleſcens, Petrus Cunæus, vir Latinè, Græcè, Hebraicè ſcientiſſimus, atque idem eloquentiſſimus, & juriſconſultiſſimus, vetus in Leidenſi, dum viveret, collega meus. Exſtant quoque Iuliani epiſtolæ elegantiſſimæ, & Miſopogon adverſus Antiochenos, & περὶ βασιλείας c liber, & ὕμνος d εἰς βασιλέα Ἥλιον. Sed ex Suida cognoſcimus, præterea ſcripſiſſe περὶ e τριῶν σχημάτων; item Κρόνια f; adhæc περὶ τοῦ πόθεν τὰ κακὰ καὶ ἀπαιδεύτους g; item πρὸς τὸν h κυνικὸν Ἡράκλειον, ὅπως κυνιστέον. Sed quid hic hiſtoricum?

b Librum, qui inſcribitur Cæſares.
c De regno
d Hymnus in Solem regem
e De tribus figuris.
f Saturnalia.
g Unde mala oriantur ſecundùm indoctos.
h Adverſus Heraclitum Cynicum, quo pacto Cynica vita inſtitui debeat.

At meliori jure huc refertur Iamblichus, philoſophus Platonicus, ad quem Iuliani Cæſaris tres epiſtolæ exſtant. Varia Iamblichus hic compoſuit. Ex quibus exſtant, tum protrepticæ ad philoſophiam orationes, tum (cujus cauſâ hoc loco ejus meminimus) de vita Pythagoræ liber. Tractârat hoc argumentum antea præceptor ejus Malchus, ſive Porphyrius: ex cujus de Pythagora libro multa, vel iiſdem, vel leviter immutatis verbis, deſcribit Jamblichus. Meminit hujus operis Jamblichi etiam Euſtathius in Il. A a, B b, & N c. Vitam Jamblichi Eunapius exſcripſit: in qua eum θαυμάσιον d, ut Proclus Diadochus e θεῖον f, appellat. Edidit quoque Jamblichus vitam Alypii, viri in Dialecticis exercitatiſſimi, patriâ Alexandrini. Teſtis eſt Eunapius in Jamblichi vita.

a P. 114 edit. Rom.
b P. 190.
c P. 951.
d Admirandum.
e In Timæum pag. 5. 6. 64 & 94.
f Divinum.

Dorotheus Tyrius, qui ſub Diocletiano vixit, & ſub Juliano multa perpeſſus fuit, creditur à multis auctor eſſe libelli, de vita, ac morte Prophetarum, Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti. Sed non pauca in eo ſunt tanto viro indigna. Inter alia, quòd, cùm Apoſtolus Philip. IV. 22: *Salutant vos omnes ſancti, maximè verò, qui ſunt ex Cæſaris domo:* per *Cæſarem* intelligit aliquem ex Chriſti diſcipulis: quaſi non perſpicuum ſit, loqui Paulum de Nerone. Interea multa in eo à Bellarmino, & aliis, injuriâ culpantur. Reprehenditur graviter, quòd Eunuchum reginæ Candacis, qui demum poſt adſcenſionem Jeſu Chriſti fuit converſus, inter Apoſtolos numeret; item Juniam feminam. Atqui LXVIII diſcipulis annumerat Marcum, & Lucam Euangeliſtas: ut ita ſeptuagenarius impleatur: extra horum autem numerum ponitur Eunuchus Candaces, & Junias, ὁ Ἰουνίας, quem cum Andronico ſalutat Paulus ad Rom. XVI. 17. Et quomodo Junias fuerit femina, cùm ibidem dicat Paulus, fuiſſe Andronicum, & Juniam, inſignes inter Apoſtolos: laxiùs nempe *Apoſtoli* voce acceptâ: quomodo & alii Chriſti nomine legatione fungentes, etſi non ἀμέσως à Chriſto, ſed ab Apoſtolis miſſi, *Apoſtoli* nominantur: ut pluribus alio in opere oſtendimus. Sed etſi hac parte diſſentimus; tamen genuinum non eſſe, facilè credimus Bellarmino. Cui conſentiunt Poſſevinus, Margarinus de la Bigne, Molanus, item Baronius; qui alicujus recentioris Dorothei, abbatis Romani, arbitratur. Vide eum in Notis ad Martyrologium Romanum, v. Jun. Nonnulla in hoc Dorotheo, ſive interprete ejus, explicat Barthius Adverſ. lib. XLIII, cap. XIV.

Fortaſſe & aliquis hîc locus ſit Apollinari, qui tempore Juliani Apoſtatæ, ac deinceps, claruit. Veteris Teſtamenti libros hiſtoricos partim carmine heroico, ad Homeri modum, expreſſit: partim lyrico verſu, ad Pindari morem: partim ad formam comœdiarum Menandri, aut tragœdiarum Euripidis. Hiſtoriam quidem ab orbe condito, uſque ad regnum Saulis, abſolvit libris XXIV, ac ſingulis ſingularum Alphabeti literarum nomen fecit. Occaſionem dederat, quòd Julianus Apoſtata interdixiſſet, ne Chriſtiani docerent poëtas veteres, vel Græcanicas diſciplinas. Iniquum enim Apoſtata eſſe ajebat, ut ex iis Chriſtiani caperent utilitatem, quæ ut fabulas traducerent, & quæ poſtilla, petitis inde armis, impugnarent. Ita factum, ut temporibus ejus, Chriſtianorum in ſcholis Apollinaris poëmata, pro Homero, & aliis, regnarent. Eſt autem hic Apollinaris pater: cujus & Pſalmorum paraphraſis hodie exſtat. Alius ab eo filius, qui, cùm Oratoriâ arte magis polleret, Euangelia, & Apoſtolorum ſcripta, dialogis, Platonis more, tractavit. Plura de Apollinare patre, presbytero, & Apollinare filio, epiſcopo Laodiceno in Syria, vide apud Hieronymum in ſcriptoribus illuſtribus; Socratem Scholaſticum, Sozomenum lib. V, Suidam in Ἀπολλινάριος. Sic enim Græcis per ιος effertur, qui Latinis ſemper *Apollinaris*: quomodo & iiſdem Heſychius dicitur Ἰλλούστριος, qui Latinis perpetuò *Illuſtris*. De Apollinare etiam actum nobis opere de Poëtis Græcis. Inde, quæ nunc præterimus, petere licebit.

Juliani quoque temporibus S. Ephræm fuit; ſed ſub Valente obiit. Hic reliquit inter alia vitam S. Abrahæ Eremitæ; quæ Latinè ab anonymo, ſed veteri interprete, reddita, exſtat in vitis SS. Patrum. Nova verò tranſlatio Ger. Voſſii Eburonis eſt in operibus B. Ephræm. Cum vita autem Abrahæ Eremitæ, etiam jungitur vita S. Mariæ,

tiæ, meretricis; quæ nata ex fratre erat Abrahæ Eremitæ. Verùm in Roſweidi editione vitarum, vitæ iſtæ disjunguntur, ut ſeorſim legantur viri ἀσκηταί *a*, & feminæ ἀσκήτριαι *b*.

*a Aſketerium, & exactius Chriſtianæ vitæ genus ſecuti.*
*b Quæ ſeſe exercuiſſent in auſteriori, & exactiori vita: ut Auguſtino dictæ* ſanctimoniales.

Valentiniani, Valentis, & Gratiani temporibus, imò & deinceps, uſque adeò, ut pertigiſſe videatur uſque ad initia Theodoſi Junioris. Eunapius vixit: ſophiſta idem, medicus, ac hiſtoricus inſignis, magni illius Proæreſii diſcipulus, ac affinis nobilis ſophiſtæ Chryſanthii: quippe qui Eunapii conſobrinam duxiſſet uxorem. Impulſu hujus Chryſanthii ſcripſit De vitis Sophiſtarum, opus elegans, ac venuſtum: ſed in quo paſſim prodat, quàm Chriſtiano nomini fuerit infeſtus. Idem res geſtas Cæſarum, exinde orſus, ubi deſierat Herodianus, ad ſua uſque tempora perduxit. Signat hoc opus initio vitæ Proæreſii, ubi appellat ἱστορικὰ ὑπομνήματα. Styli elegantiam commendat Photius cap. LXXVII: ſed damnat, quòd Conſtantinum M. vituperet, ac Julianum contrà extollat. Eo ex opere ſolùm De legationibus fragmentum, beneficio V. Cl. Andreæ Schotti, lucem vidit *c*: reliqua exſtare dicuntur in bibliotheca Veneta. Eò autem æquiori animo iſtis caremus, quòd Zoſimum habeamus. Nam eaſdem res Eunapius, & Zoſimus, tractarunt: & ita tractarunt, ut Zoſimus Eunapium propè deſcripſiſſe viſus ſit: ut à quo ſolùm differat, quòd non, uti Eunapius fecerat, Stilichontem conviciis proſcindat: item quòd brevior, & planior Eunapio ſit; nec figuris, niſi rarò, utatur. Quo in judicio præit nobis Photius in bibliotheca ſua. Vide eum tinem. XCIIX. Meminit quoque Suidas in Κωνσταντῖνος, & Ζώσιμος, aliique permulti.

*c Anno* 1396.

Videtur adhæc quoque tempora referri debere Marcellinus, ſcriptor hiſtoriæ Græcæ, ex qua ſolùm ſupereſt diſſertatio de Thucydidis vita, & ejus genere dicendi; quæ hiſtorico huic præmitti ſolet. Arbitror verò, eundem eſſe, cujus in Hermogenem de Statibus commentarios unà cum Syriano, & Sopatro, excudit Aldus. Quin & Conradi Geſneri ſuſpicio eſt, non alium hunc eſſe ab Ammiano Marcellino; cujus ex XXXI hiſtoriarum libris exſtant libri XVIII. Nempe quia Ammianus ille Græcum ſe fuiſſe dicit extremis libri XXXI verbis: & phraſis ipſa ſatis hoc prodit. At ſatis conſtat, Ammianum illum vixiſſe ſub Gratiano, & Valentiniano juniore. Altero quoque argumento ætatem ejus oſtendere idem conatur. Nempe quia Marcellinum dicat Suidas fuiſſe familiarem Salluſtio philoſopho. Eum cenſet eſſe Salluſtium prætorio præfectum, qui Valentinianum deſignavit imperatorem; ut Suidas ait. Dictus is fuit Salluſtius Promotus; de quo Faſti Onuphrii Panuini ad Olymp. CCLXXXI ann. III. Urb. Cond. CIↃXCIX. Sed ſcrupulum injicit, quòd Suidas Salluſtium prætorio præfectum diſtinguat à Salluſtio philoſopho. Adde quòd non video, unde Marcellinum, quem principem Dalmatiæ, & Illyridis, fuiſſe dicit Suidas, colligi poſſit, eumpſe eſſe, ac is, qui Græce hiſtorias emiſit.

## CAP. XIX.

*S. Baſilii, & Gregorii Nyſſeni orationes de vitis aliquot Sanctorum. Amphilochius Iconienſis. Epiphanii de Prophetarum vita liber ſuſpectus. Joannes Chryſoſtomus de plurium vitis, & martyrio. Joannes Sinaita de vita Barlaami. Palladii Hiſtoria Lauſiaca. Rufino Palladius favit; Hieronymo inimicior fuit. Timotheus de aliquot ſanctorum Vitis. Heraclidis Paradiſus. Heliconius. Euagrius Ponticus. Vita ejus falsò Hieronymo tributa. Sixti Senenſis, & Tritthemii error. Sophronius.*

VEnio ad Eccleſiæ doctores. Qualis B. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus. Hic orationem reliquit, qua martyrium Gordii, militis Chriſtiani, depingit. Item aliam de S. Barlaam, martyre. Præterea de XL martyribus, de martyre Julitta. Floruit Baſilius ſub Valente; atque obiit ſub Gratiano, teſte Hieronymo in ſcript. Eccleſ.

Qualis item Gregorius Nyſſenus, S. Baſilii frater, qui vitam ſcripſit Gregorii Thaumaturgi. Etiam apud eum, epiſtola ad Olympium *a* Monachum, habes vitam ſororis ejus, beatæ Macrinæ, quam idem Nyſſenus ſcripſit. Item reliquit vitam S. Ephræmi, quam & in Nyſſeni, & in Ephræmi operibus habes.

*a In append. operum Nyſſeni.*

Succedant qui ſub Theodoſio M. vixerunt. Qualis eſt Amphilochius, Iconii (Lycaoniæ hæc metropolis eſt) epiſcopus. Quanti eum fecerit B. Hieronymus, argumento eſt, quòd, epiſtolâ ad Magnum, ſacrâ, profanâque doctrinâ eum Baſilio, & Gregorio Nazianzeno, æqualem facere videtur. Sigebertus in Viris Illuſtr. *Amphilochius, Iconii Epiſcopus, ſcripſit vitam Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi.* At Hieronymus, & Honorius, contenti ſunt dicere, edidiſſe librum de ſpiritu S. Saltem vita S. Baſilii, quæ ſub Amphilochii hujus nomine exſtat, genuina non eſt: quod ſolidè probant, Bellarminus in catalogo ſcriptorum Eccleſ. & Poſſevinus in Apparatu Sacro. Atque idem non uno in loco Baronius etiam fatetur. Imò jam olim fidem ejus in dubium vocavit Glycas annal. part. IV. De Urſo, veteri ejus interprete, in Latinis hiſtoricis dicemus.

Floruit his quoque temporibus Epiphanius, Salamine in Cypro epiſcopus. Epiſtolam de vita, ac laudibus S. Hilarionis, ſcripſiſſe dicitur. Sed ea non exſtat. At ſupereſt hiſtoria brevis de prophetarum vita. Verùm meritò ea ſuſpecta eſt, cùm veteres ejus non faciant mentionem, & quædam contineat Thalmudico de fonte deprompta, Epiphanio ſanè parum digna. Imò Panarium ejus, quo LXXX hæreſes recenſet, ac refellit, magna ex parte hiſtoricum opus eſt.

Eſt & quod Joanni Chryſoſtomo, Epiſcopo Conſtantinopolitano, ac eorundem temporum ſcriptori, hiſtoria debeat. Quippe & B. Babylæ paſſionem conſignavit, & Juventini, ac Maximi martyrium, & vitam S. Meletii, Epiſcopi Antiocheni, & Pelagiæ, martyris Antiochenæ.

Fuit & tum Joannes Sinaita, qui auctor genuinus putatur hiſtoriæ Barlaami, Damaſceno tributæ. Ejus quidem nomen præfert catalogus Auguſtanæ bibliothecæ Græcus, cap. CCV. Qua de re vide, quæ in Damaſceno infrà dicemus. Interpretatio adſcribitur Trapezuntio. Sed, alterius, nec Sinaitâ multo junioris, eſſe, ait Barthius, Adverſ. lib. XLI cap. XI, & XXVII; item lib. XLIII, cap. XIII, & lib. LX in Auguſtini lib. I de Civit. Dei, cap. IX.

Iiſdem temporibus floruit Palladius Galata. Vitas aliquot ſanctorum in literas retulit; quæ vulgò *hiſtoria Lauſiaca* dicitur, quia nuncupata eſt Lauſo præfecto. Etiam in libris quibuſdam vocatur *paradiſus Heraclidis*: ſed falsò. Opus hoc certis diebus in Eccleſia prælegi ſolere, ex Triodio oſtendit in gloſſario ſuo Clariſſimus Jo. Meurſius: qui & primus hunc ſcriptorem edidit Græcè, cùm aliis multis, tum hoc quoque nomine de Rep. litterariâ præclarè meritus. Fuit Palladius Rufini amicus, quemadmodum ejus laudes oſtendunt: at B. Hieronymo inimiciorem fuiſſe, ſatis ex iis liquet, quæ ipſe Hieronymus ad Cteſiphontem refert, præfatione operis adverſus Pelagianos. Cum Euagrio Pontico triennium ſe, & quod excurrit, in Ægypti eremo vixiſſe, narrat ipſe hiſtoriæ ſuæ Lauſiacæ cap. XII. Meminere hiſtoriæ hujus à Palladio exaratæ Socrates lib. IV Hiſtor. Eccl. cap. XVIII, Caſſiodorus hiſtor. Tripart. lib. VIII cap. I, Joannes Damaſcenus libro de iis, qui in fide dormierunt, & Nicephorus Calliſtus lib. XI cap. XLIV. Huic Palladio etiam tribuitur à pleriſque dialogus de vita Chryſoſtomi, in qua colloquuntur Palladius, Helenopolitanus, Epiſcopus, & Theodorus, diaconus Eccleſiæ Romanæ. Sanè Palladium Epiſcopum auctorem facit Photius quoque. Sed ea in hoc dialogo legas, quæ nunquam de ſe ipſo, ſalvo pudore, ſcribere potuiſſet Palladius. Eoque alii potiùs cenſent eſſe Theodori diaconi, qui cum Palladio hic loquitur. Baronius autem arbitratur eſſe illius Palladii, qui à B. Auguſtini temporibus in Scotiam à Cœleſtino Papa miſſus fuit ad prædicandum

Euan-

Euangelium. Dialogum eum, ſeu Palladii, ſeu Theodori, è Græco vertit Ambroſius, monachus Camuldulenſis. Græcè autem nondum prodiit.

Palladii quoque æqualis fuiſſe videtur Timotheus; qui & ipſe, Vitas Sanctorum enarrando, nominis ſibi decus comparavit. Aut ſi non alter alteri par, ſanè ſuppar fuerit. De eo ſic Sozomenus lib. VI Hiſtor. Eccleſ. cap. XXIX: Ἀλλ' οἵᾳ μὲν ἀγωγῇ ἐχρῆτο, καὶ ἡλίκων, καὶ θείων, καὶ παραδόξων πραγμάτων ποιητὴς, ἱστορεῖ Τιμόθεος, ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπιτροπεύσας μάλα, αὐτοῦ, καὶ πολλῶν ὧν ἐπεμνήσθην, καὶ ἄλλων δοκίμων μοναχῶν τοὺς βίους διεξελθών. Vertit Chriſtophorſonius: *Sed quanam fuerit diſciplina ejus ratio, & quanta, quamque divina fecerit miracula, Timotheus, Eccleſiæ Alexandrinæ antiſtes, accuratè narrat: qui non illius modò, ſed aliorum etiam complurium, de quibus facta à me mentio, vitas literis perſecutus eſt.* Hujus Timothei eſt liber de miraculis Menæ; qui eſt apud Sur. T. VI, die XI Nov. Ejuſdem videntur eſſe pleræque vitæ, quæ leguntur in vitis Patrum lib. II. Vide Roſweidum in prolegomenis ejus operis ſect. IV.

Palladii ætate ſimile etiam argumentum tractavit Heraclides Origeniſta; is quem ſolitarium degere ſolitum ſcribit Georgius Alexandrinus in B. Chryſoſtomi vita. Videtur autem liber, qui Palladii nomine legitur, conflatus eſſe ex duobus; Palladii uno, altero Heraclidis; ſeu Palladius illum Heraclidis, ſeu Heraclides illum Palladii ſuo inſeruerit libro, indictaque alteri adjecerit. Suſpicionem hanc injicit, quòd præfatio gemina, una Palladii, altera Heraclidis, Lauſiacis præmittitur. Adde quòd in quibuſdam libris vitæ illæ Palladio, in quibuſdam Heraclidi tribuantur. Heraclides autem librum ſuum inſcripſerat Paradiſum. Unde prima editio Palladii, quæ cura Jacobi Fabri Stapulenſis Pariſiis prodiit, non Palladii nomen præfert, ſed titulum habet, Heraclidis paradiſus. In quo editor Msi fidem eſt ſecutus. Imò & Vincentius Belvacenſis in Speculo Hiſtoriali, & Petrus à Natalibus in catal. Sanct. ſimiliter appellant. Vide Roſweidi prolegomena in Vitas Patrum.

Quantum etiam videre poſſum, vixit tum quoque Heliconius, ſophiſta Byzantinus: quem Suidas ait annalium compendium ſcripſiſſe ab Adamo uſque ad Theodoſium M. libris X. Sunlerus ait, ſe accepiſſe, in Italia etiam exſtare.

At de Euagrii Pontici ætate ſatis res aperta eſt. Ponticus dicebatur, quia natus eſſet circa Pontum Euxinum: unde & Hyperboritam Hieronymus, ad Cteſiphontem ſcribens, appellat. A S. Baſilio Lector fuit ordinatus: à Gregorio Nazianzeno cooptatus eſt inter Conſtantinopolitanos Diaconos. Poſtilla Hieroſolymam profectus fuit: atque ibi ex clerico factus eſt monachus. Hieroſolymâ in Ægyptum venit; ubi in Nitriæ monte monachus vixit annis XVI: ut Palladius, qui ei familiaris fuit, in Lauſiaca historia [a] teſtatur. Valde Euagrium hunc Gennadius laudat in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Etiam commendat eum Palladius Galata in Lauſiacis. Item Socrates lib. IV, Hiſtor. Eccleſ. cap. XVIII, & Sozomenus lib. VI, cap. XXX. Sed ex Hieronymo conſtat, Pelagiani dogmatis ſemina jeciſſe. Hieronymi autem judicium adverſus Rufinum comprobatur à Gelaſio in Concilio Rom. LXX epiſc. Imò & inter hæreticos reponitur ab Antiocho monacho; qui ætate Heraclii vixit, homilia CXXX, quæ eſt de regno. Etiam Synodo V generali cum Origene, & Didymo Alexandrino, damnatus fuit: ut teſtis eſt Tharaſius in Concil. Nic. II act. III, Cedrenus item, ac Nicephorus. Elucubravit, cùm multa, tum vitas Patrum, Hieronymi à multis creditas. Quanquam non univerſæ ab Euagrio ſint: ſed tantùm uſque ad caput de periculis in eremo. Sixtus Senenſis tribuit eas Euagrio Antiocheno, qui B. Antonii vitam è Græco Latinè vertit, Hieronymo teſte. Quo in errore etiam Tritthemius hæſit.

[a] Sect. 74. ſive ſecundum alios 86.

Iiſdem temporibus fuit Sophronius; qui vitam Hilarionis monachi ſignavit, & B. Hieronymi librum de illuſtribus ſcriptoribus Græcè tranſtulit. Aliaque ejuſdem commemorat Hieronymus dicto opuſculo. Hujus nomen paſſim in vett. codd. (ut à clariſſimo, & amiciſſimo, P. Scriverio monitum) corrumpitur in *Sempronium*: uti initio Chronici Proſperi; ubi, Auſonio, & Olubrio conſulibus, dicitur *Sempronius, vir apprimè eruditus, agnitus eſſe.*

## CAP. XX.

*Anianus chronographus. An idem ſit, ac Anianus ille, qui Chryſoſtomi quædam tranſtulit. Joannes de S. Epiphanii vita. Marcus, diaconus Gazenſis. Panodorus monachus Ægyptius. Incertus de vita S. Pachomii. Philippus Sidcta. Socrates. Ejus ſtylus, & in dogmatis Chriſtianis fides. Hermias Sozomenus. Ejus dictio. Verene à Gregorio Magno dicatur, laudâſſe Theodorum Mopſveſtiæ epiſcopum. Extremam hiſtoriæ ejus partem, injuria temporum, intercidiſſe. Nonnus monachus. Cyrillus Alexandrinus. Theodoretus. Utrum Cyrus oppidum à Judæis, an Cyro rege, conditum ſit. Tritthemii, & Horantii, error. Zoſimus. Dictio ejus. An omnimodis fides ejus ſuſpecta eſſe debeat in rebus Chriſtianorum, Zoſimus Gazæus, Zoſimus Alexandrinus, Olympiodorus, Philoſtorgius, Sabinus, Thraciæ Epiſcopus. Jacobus, Helìopolis diaconus, de vita S. Pelagia.*

SUb Arcadio, Theodoſii magni filio, floruit Anianus, monachus Ægyptius. Hic Chronologiam ſcripſit: in qua Euſebium ſequitur; ſed nec rarò tamen eum reprehendit: ut ex Georgio Syncello conſtat. Quid ſi idem ſit, qui è Græcis Latinas fecit octo primas Chryſoſtomi homilias in Matthæum? Saltem ætas non diſconvenit. Nam interpres iſte vixit tempore Alarici; à quo Roma capta eſt. Sigebertus: *Anianus, vir ſpectabilis, jubente Alarico rege, volumen unum de legibus Theodoſii Imp. edidit; &, monente Oruntio epiſcopo, librum Jo. Chryſoſtomi in Matthæum è Græco in Latinum tranſtulit.* Sed tamen ut diverſum putem, facit, quòd Anianum hunc vocat, non ſanctum; ſed ſpectabilem virum. Omnino enim *ſpectabilis viri* elogium magis convenit in civili dignitate conſtituto. At Chronologiæ ſcriptor, ut dixi, monachus erat Ægyptius. Nec monachus, puto, de Theodoſianis legibus ſcripſiſſet; quod argumentum convenientius homini politico, ac juriſconſulto.

Item ſub Arcadio fuit Joannes, diſcipulus Epiphanii, qui vitam ſcripſit præceptoris ſui. Habes apud Simeonem Metaphraſtem, & Surium, a. d. XII Maji: item Epiphanii editione Græcolatinâ, quam cum ſuis Animadverſionibus Petavius dedit.

Sub eodem Arcadio in pretio erat Marcus, diaconus Gazenſis Eccleſiæ, ac Porphyrii, ejuſdem Eccleſiæ epiſcopi, legatus ad Arcadium imperatorem, cùm gentiles eā in urbe Eccleſiam infeſtarent. Marcus hic acta collegit, & edidit, rerum geſtarum Porphyrii, epiſcopi ſui. Quæ apud Simeonem Metaphraſtem exſtant a. d. XXVI Febr. item apud Surium a. d. eundem.

Vixit tum quoque Panodorus, monachus & ipſe Ægyptius; qui itidem χρονογράφιον ſcripſit; inque eo ſimiliter multa ex Euſebio deſumſit, & ſæpe errantem Euſebium caſtigavit. Ætatem ejus ſatis nos docet Syncellus; qui Anianum, & Panodorum, vocat μονάζοντας ὁμοχρόνους [a]. Eidem Panodorus dicitur Αἰγύπτιος ὁ μοναχὸς ἱστορικὸς, οὐκ ἄπειρος χρονικῆς ἀκριβείας, ἐν τοῖς χρόνοις ἀκμάσας Ἀρκαδίου βασιλέως, καὶ Θεοφίλου Ἀλεξανδρείας ἀρχιεπισκόπου [b]. Multa ex Panodoro hoc adducit Syncellus, atque ex eo Scaliger in animadverſionibus Euſebianis.

[a] *Monachos ætatis ejuſdem.*
[b] *Ægypti monachus hiſtoricus, non ignarus accuratioris chronologiæ, qui floruit tempore Arcadii Imperatoris, & Theophili, Archiepiſcopi Alexandrini.*

Iiſdem temporibus fuiſſe videtur, qui S. Pachomii vitam Græcè conſignavit. Nam cap. X ait, ea quæ tradit, ſe accepiſſe ab iis, qui cum Pachomio vixerant. Atqui S. Pachomius CX annum agens mortuus eſt, Arcadii, & Honorii anno IX, Chriſti autem CCCCVI; ut eſt

a *Qui tamen in annis bisſenis peccavit cum Honorii, & Arcadii imperium ordiatur ab anno 397. quod cœpit anno 395.*

apud Sigebertum *a* in Chronicis. Hanc vitam Pachomii toto pòſt ſeculo è Græca Latinam fecit Dionyſius Exiguus, abbas Romanus: quæ tranſlatio adhuc exſtat.

Sub eodem Arcadio, ac imprimis filio ejus Theodoſio, fuit Philippus Sidetes, presbyter, ita dictus à Sida, Pamphyliæ civitate; ubi natus fuit. Junior familiariter uſus eſt B. Chryſoſtomo: ac pòſt ad patriarchalem ſedem adſpiravit: ſed in hoc prælatus eſt illi Siſinnius. Quæ ætatem ejus ſatis docent. Nam Siſinnius Attico ſucceſſit, Atticus Arſacio, Arſacius Chryſoſtomo; ut diximus hiſtoriæ Pelagianæ lib. I, cap. XXXVIII. Philippus hic ſcripſit *hiſtoriam Chriſtianam*; ſed ſtylo planè Aſiatico, adeò ut plus oſtentationis haberet, quàm fructûs: quemadmodum Photius cenſet; quem vide τμημ. XXXV: uti & Socratem lib. VII. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XXVII, & Nicephorum Calliſtum lib. XIV. cap. XXIX.

Æqualis huic fuit Socrates Scholaſticus, Ammonii, & Helladii in Grammaticis diſcipulus. Hic Eccleſiæ hiſtoriam ſeptem libris complexus eſt. Ea proximè excipit hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii. Nam à Conſtantino Magno incipit, & ad Theodoſii minoris tempora perducit. Uti quoque eſt apud Evagrium lib. V. cap. XXIV. Eſt id tempus annorum CXL. Nec ſtylum admodum ſplendidum habere, nec in dogmatibus eſſe accuratum, cenſet etiam Photius τμημ. XXVIII. Sanè Novatianis favere, nulli obſcurum eſſe poteſt, qui legerit. Atque inde eſt, quòd cognomen quidem *Cathari* habuiſſe, ſed animo minimè καθαρὸν, hoc eſt, *purum*, fuiſſe, dicat Nicephorus Calliſti in proœmio. Mentionem etiam facit Caſſiodorus libro de Divinis Lectionibus cap. XVII. Vide & de eo Jacobum Billium Obſervationum Sacrarum lib. I, cap. XXVI.

b *In Præfatione Sozomeni.*

Sub juniore Theodoſio etiam Hermias Sozomenus, Salaminius, Scholaſticus, quem miror à Lango *b* vocari *Mercurium Sozomenum.* Saltem *Mercurialem* dixiſſet, ut ab Apolline formatum eſt nomen *Apollinaris*: à Marte *Martialis*. Neque enim Ἑρμῆς, ſed Ἑρμείας dictus. Sic Διόνυσος, *Liber*; Διονύσιος, *Liberalis*; unde *Liberalium* feſtum. De M. Antonio Rhetore, Palæmonis inimico, & M. Antonio Liberale, Metamorphoſeon ſcriptore, diximus operis hujus lib. III. Sozomenus hic condidit hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros novem: quos incipit à conſulatu Criſpi, & patris ejus Conſtantini, ac perducit uſque ad imperium Theodoſii minoris, cui hiſtoriam hanc ſuam dicavit. Ita quoque Evagrius lib. V, cap. ult. Sed hiſtoriæ deſunt anni quaſi XX: videlicet ab anno CCCCXX, ad annum CCCCXXXIX, quo Theodoſius decimumſeptimùm conſul fuit. Singulorum librorum argumentum in epiſtola ad Theodoſium ipſe exponit. Diſſentit in quibuſdam à Socrate; ac ſtylum eo præſtantiorem habet; ut Photius judicat τμημ. XXX. Apud Gregorium M. lib. VI. epiſt. XCV. hujuſmodi de eo judicium eſt: *Sed ipſam quoque Sozomeni hiſtoriam ſedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur: & Theodorum Mopſveſtiæ nimium laudat: atque ad diem uſque obitûs ſui magnum doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet.* Quod de Theodoro Mopſveſtiæ ait, id hodie in Socrate non legas; ſed in Theodoreto. Quare videri poſſit μνημονικὸν Gregorii ἁμάρτημα *c*. Sed veriſimilius eſt, ſcripſiſſe hoc Sozomenum in iis, quæ deperierunt. Nam ipſe Sozomenus refert in præfatione, ſe hiſtoriam ſuam produxiſſe uſque ad conſulatum Theodoſii Junioris ſeptimumdecimum: ut penè viginti annorum hiſtoria deſideretur, ſicut diximus. Meminere ejus Caſſiodorus de Divinis Lectionibus cap. XVII, Evagrius non uno in loco, Photius cod. XXVIII, & XXX, Anaſtaſius bibliothecarius in præfatione ad Paulum diaconum, Petrus Siculus hiſtoria de Manichæis, & ſuâ ad Armenios legatione, Nicephorus Calliſti in præfatione.

c *Memoriæ error.*

Etiam ejus ætate fuit Nilus, Conſtantinopolitanus monachus: quippe B. Chryſoſtomi diſcipulus, ac Theodoreti æqualis. Scripſit de cæde ſanctorum martyrum monachorum in monte Sina. Alia etiam reliquit, ſed parænetica. Vide de eo Photium in Bibliotheca cod. CCLXXVI, & Nicephorum Eccleſ. Hiſtor. lib. XIV, cap. LIV. Latinè habes apud Surium tom. I; ad XIV Januarii. Opuſcula hujus Nili ab hæreticis fuiſſe vitiata, judicium eſt Synodi Nicenæ ſecundæ, quâ cultus imaginum comprobatur.

B. Cyrillus, Epiſcopus Alexandrinus, inter tot alia etiam elucubravit vitam Jo. Chryſoſtomi; ex quo ſua hauſit Georg. Alexandrinus in commentario de ejuſce Patris vita.

Theodoretus quoque iiſdem temporibus vixit. Trithemius quidem floruiſſe ait anno Chriſti CCCXC. Sed grandiorem oſtendit, quòd tempore fuerit concilii Epheſini; ut ex concilio ipſo ſatis liquet. Sed malo credere, lapſum eſſe librarii; cùm Theodoricum (*Theodoretum* reſcribe) proximè ſubdat Cœleſtino Papæ, cujus extremis temporibus celebrata eſt Synodus Epheſina. Fuit epiſcopus Cyri; quod Syriæ eſt oppidum à Judæis conditum in memoriam beneficii à Cyro, primo Perſarum rege, accepti: ut refert Procopius Cæſarienſis lib. de ædificiis Juſtiniani. Sed veriſimilius eſt, à Cyro ipſo exſtructum, & conditoris ſui nomine donatum eſſe: quod Gennadius tradit in ſcriptoribus Eccleſiaſticis *a*; item Honorius, ac Sigebertus in ejuſdem argumenti opere, Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum CCCCLXVII. Superſunt Theodoreti libri quinque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: quos ab hæreſi Arrii incipit, & deducit uſque ad tempora Theodoſii junioris. Meminit inter alios Caſſiodorus lib. de Divinis Lectionibus cap. XVII; Evagrius lib. V. cap. ult. Nicephorus Calliſti in Proœmio, cujus verba: Καὶ ὁ τῶν Κυρεστῶν προεδρεύσας σοφὸς Θεοδώρητος, τῇ τρίτῃ συνόδῳ πρὸς μάχην ἰών. Secundæ ſynodi generalis geſta fuſiùs, quàm hiſtorici alii, enarrat. Apud Gennadium autem legimus, continuâſſe eum hiſtoriam ſuam uſque ad Leonem Imper. atque id aliis quinque libris adjectis. Sed iſti perierunt. Interim hoc quoque validiùs ſuperiorem Trithemii errorem refellit. Nam Leo imperare demum cœpit anno CCCCLVII. Atque eo lubentiùs illud monemus, quia Trithemius in hoc pleroſque alios ſectatores invênit: & eos inter Franciſcum Horantium Hiſpanum lib. III. Loc. Comm. cap. XVIII *c*. Scripſit Theodoretus quoque hiſtoriam ſanctorum, quam εὐσεβῆ, ſive religioſam, appellat. De ſtylo Theodoreti ita cenſet Photius τμημ. XXXI, hiſtoriæ eum magis convenire, quàm iſtum, quo vel Socrates utitur, vel Hermias Sozomenus, vel etiam Evagrius Ponticus. Cum antea ſeorſum Græcè, ac Latinè, prodiiſſet; poſtea eum Græcè cum verſione Latina edidit Jacobus Sirmondus. Latinam præterea interpretationem recenſuit.

a *In voce Theodoretus.*

b *Et Cyrenſium antiſtes ſapiens Theodoretus, qui ad tertiam ivit ſynodum concertandi gratiâ.*

c *P. 121. edit. Ven.*

Miretur quis, tres iſtos, de quibus proximè diximus, ætate eâdem eandem hiſtoriam tractaſſe. Sanè & Nicephorus, in proœmio, neſcire ſe, ait, quo conſilio eandem ſibi omnes materiam propoſuerint. Sed ratio eſt, quia nullus alterius hiſtoriam probaret. Verum enim eſt, quod continuò ſubjicit Nicephorus, variè eos in rebus quibuſdam diſſentire, ac, prout quiſque animatus eſſet, ita Epiſcoporum contentiones referre.

ZOSIMUS quoque, comes, & exadvocatus fiſci, vixit tempore Theodoſii junioris; ut ex Evagrio *d* ſcholaſtico conſtat. Reliquit hiſtoriæ libros VI: quorum primus Cæſares ab Auguſto uſque ad Diocletianum percurrit. Cæteris quinque fuſiùs perſequitur res Romanas uſque ad Romam iterum ab Alarico obſeſſam, Attalum ab eo deſignatum Imperatorem, poſteaque eâ dignitate exutum, & Sari ad Honorii partes tranſitum. Paullo tamen ulteriùs progreſſum eſſe, veriſimile eſt. Nam quædam in fine deeſſe, nemini puto eſſe obſcurum. Sed id eſſe multum nequit: quando, nonniſi ad Honorium, & Arcadium, ſuam pertexuiſſe hiſtoriam, clarè ait Evagrius lib. V. Hiſtor. Eccleſ. cap. ult. Libros iſtos Latinè vertit, atque edidit, Leunclavius. Henricus Stephanus duos primos etiam Græcè cum Herodiano ſuo excudit. Sed interpretationem eſſe Leunclavii, parùm candidè diſſimulavit. Dictio Zoſimo eſt brevis, perſpicua, pura, & ſuavis; ut Photius ſtatuit in bibliotheca ſua. Sed homo fuit paganus; unde creber eſt in ſugillandis principibus Chriſtianis: quo nomine etiam à Photio reprehenditur cod. XCVIII; ubi dicitur ἀσεβὴς ὢν τὴν θρησκείαν, καὶ πολλάκις ἐν πολλοῖς ὑλακτῶν

d *Hiſtor. Eccleſiaſt. l. 3. c. 41.*

e *Religionis cultu impius, ac ſæpius pro oblatrans.*

κατὰ τ̃ εὐσεβῶν. Eapropter culpatur. Item Euagrio, Nicephoro, & aliis. Sed Leunclavius cenſet, ne in iſtis quidem fidem facilè Zoſimo eſſe abrogandam. Nam & Chriſtianos principes quædam enormia vitia habuiſſe: quæ fidelis hiſtoricus minimè debeat præterire. Vide ipſam Leunclavii pro Zoſimo apologiam, quam Latino ſuo Zoſimo præmiſit. Theodoſium adverſus Zoſimum defendit Joannes Fileſacus Select. lib. 1. cap. xv. Diverſus autem ab hoc Zoſimo eſt Zoſimus Gazæus, qui commentarios fecit in orationes Demoſthenis, ac Lyſiæ. Quippe qui temporibus vixerit Anaſtaſii imperatoris; ut ait Suidas. Meminit & idem Zoſimi Alexandrini, qui vitam Platonis poſteris tradidit, & χυμευτικῶν a libros xvii. Sed ætatem ejus non ponit; ut, an idem ſit, ac Zoſimus iſte, de quo priùs diximus, parùm liqueat.

*a De arte fuſoriâ.*

Vixit tum quoque Olympiodorus Thebis Ægyptiis: qui hiſtoriarum condidit libros duos, & viginti; atque incepit ab Honorii Conſulatu ſeptimo, & Theodoſii ſecundo; hoc eſt, anno Chriſti ccccvii: deſiit verò, ubi Valentinianus, Placidæ & Conſtantii filius, factus eſt Imperator Romanus; hoc eſt, anno ccccxxv. Dicavit hiſtoriam ſuam Theodoſio minori, Arcadii filio. Stylo uſus eſt commentariis, non hiſtoriæ, convenienti: quod nec ipſe neſcivit: ut qui libros ſuos ὕλην, ſive ſylvam, hiſtoriæque materiem, inſcribat: uti Latini ſolent Commentarios. Auctor Photius; apud quem etiam excerpta admodum luculenta ex commentariis iſtis habemus; uti & Zoſimum lib. v.

Æqualis eidem erat Philoſtorgius Cappadox: qui, Carterio, & Eulampia, parentibus, natus fuit ſub Valentiniano, & Valente, imperatoribus, circa annum Chriſti ccclxvii. Sed ſub Theodoſio juniore Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros edidit xii, pro duodecim literis, quas habemus in nomine ejus: ac primus quidem liber cœpit à Φ, alter ab I, tertius à Λ; & ita porro; ut tandem integri nominis, quod eſt Φιλοςόργιος, fieret Ἀκροστιχίς. Hoc feciſſe arbitror, ne auctor aliquando ignoraretur, ſed ex Acroſtichide poſſet agnoſci. Quomodo & Plautinarum comœdiarum nomen indicatur verſibus, qui cuique fabulæ præmittuntur. Ex hiſtoria hac ſuperfuiſſe nonnulla apud Diegum Hurtadum, Cæſareum apud Venetos legatum, refert Conr. Geſnerus in bibliotheca ſua. Stylo uſus fuit ſic ſatis eleganti; ſed undique erga Eunomianæ ſectæ homines amorem, erga Catholicos odium prodidit. Ab Arrii in hæreſin ſtudio incepit: ac deſiit in eo tempore, quo Theodoſius junior imperii ſceptra Valentiniano minori, Placidiæ, & Conſtantii filio, patrueli ſuo, tradidit. Teſtis Photius, patriarcha Conſtantinopolitanus, in Bibliotheca ſua; codice, ſeu tmemate xl: ubi plura de illo, ſcriptiſque ejus, invenies. Atque idem peculiari extra bibliothecam opere hiſtoriam ejus in compendium redegit. Id compendium primus vir ſummus, Jacobus Gothofredus, edidit Græcè, Latineque vertit, & luculentis prolegomenis, ac notis, ſive diſſertationibus, illuſtravit, etiam ſupplementis quibuſdam cumulavit. Idem ex codice olim Heidelbergenſi, nunc Vaticano, bina in Philoſtorgium epigrammata addidit. Eorum priori dicitur eruditâ cum gratiâ ſcripſiſſe hiſtoriam Athei, hoc eſt Aëtii, cognomento Athei b, Eunomii magiſtri. Alterum refert, quomodo ex primis librorum literis nomen ejus connecteretur; ſicut antè ex Photii bibliotheca, & Philoſtorgiani compendii initio, memorabam. Quædam etiam ex hoc Philoſtorgio recenſet Suidas in Gregorio, item in Apollinari. Vide & eum in Leontio Tripolitano, & Phlegonte Tralliano. Item Nicetam Choniatem in Theſauro fidei. Multa verò ex eo exſcripſit Nicephorus Calliſti: qui initio operis ſui, & libro vii. cap. xix, eum vocat θεομισῆ c: nempe ob hæreſin Eunomianam. Etiam, ut ineptum Eunomii laudatorem, taxat lib. xii, cap. xxix. Meminit quoque libro ix, cap. xix.

*b Socrates Hiſt. Eccl. lib. 2 cap. 28, & Sozomenus lib. 3. cap. 14.*

*c Deo inviſum.*

Sub eodem juniore Theodoſio claruit Sabinus, Heracleæ Thraciæ epiſcopus: qui reliquit συναγωγὴν τ̃ συνοδικῶν, hoc eſt, collectionem Actorum ſynodalium, & epiſtolarum ἱερατικῶν, ſive ſacerdotalium. Quemadmodum cognoſcere eſt ex Socrate lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. v, & lib. ii. cap. xi, xiii, xvi, & lib. iii. cap. penult. Unde etiam videre eſt, fuiſſe Semiarrianum, ſive Macedonianum. His enim vocabulis promiſcuè uſi veteres; ut fit can. 1. Concilii Conſtantinopolitani primi. Hoc opere autem ſuæ in tantum ſectæ ſtuduit, ut ſuorum epiſtolas infereret, illas Catholicorum præteriret, illis etiam apertè obtrectaret.

Marciani Cæſaris ætate fuit Jacobus Heliopolitanus in Phœnicia diaconus: qui in literas retulit vitam S. Pelagiæ, priùs meretricis, ſed à Nonno epiſcopo in urbe Antiochena converſæ. Opus id hodieque exſtat in Vitis Patrum a, interprete Euſtochio. Eo autem Jacobum ad hæc tempora refero, quòd is diaconus fuerit Nonni epiſcopi, qui Pelagiam convertit: ac Nonnus Edeſſenus fuit epiſcopus, Ibæ, Edeſſeni epiſcopi, ſucceſſor. Cujus de cauſſa in Chalcedonenſi ſynodo actum eſt octavâ ſeſſione. Unus tamen ſcrupulus eſt, quòd apud Jacobum Diaconum Nonnus ex Tabennenſionatarum monacho dicatur factus epiſcopus Heliopolis, Phœniciæ civitatis. At Nicephorus lib. xxiv. cap. xxx. ait, Nonnum eum Edeſſenum fuiſſe epiſcopum. Ac in Martyrologio quoque Romano legas 11 Decembris: *Edeſſæ S. Nonni epiſcopi, cujus precibus Pelagia pœnitens ad Chriſtum converſa eſt.*

*a Habes quoque apud Surium ex Mſſis codd. expreſſam Tom. 5. die 8. Octobr.*

## Cap. XXI.

*Pamprepius Ægyptius. Joannes Ægeates, Neſtorio addictus. Gelaſius Cyzicenus. Cyrillus monachus. Is cum novi tralatione Franc. Junii promittitur. Candidus. Iſaurus Euſtathius Epiphanenſis. Malchus ſophiſta. Timotheus Gazæus.*

At Zenonis Imperatoris temporibus claruit Pamprepius, Thebis Ægyptiis natus, vel, juxta alios, Panopolita, Procli diſcipulus. Scripſit verſibus multa; ſolutâ verò oratione Iſaurica conſignavit. Vitam ejus ſcire ſi voles, Suidam adi in Παμπρέπιος.

Ad hæc quoque tempora referendus eſt Joannes presbyter, Ægeates: qui Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcripſit libros decem; quorum primus à Theodoſio minore, & Neſtoreo hæretico, eſt orſus: deſiit autem quinctus in Zenone Imp. & è ſede Antiochenâ dejectione Petri hæretici, cui Γναφεὺς, ſive Fullo, cognomentum fuit. Quinque poſtremos ſibi viſos Photius negat. Non fuiſſe Catholicum, inde probat Photius tmem. xli, quòd Synodum Epheſinam, quæ λῃστρικὴ a vocatur, divinam appellet: item Dioſcorum, præſidem ejus, cum aſſeclis, laudet: adhæc quòd Chalcedonenſe Concilium probris inſectetur. Nimirum Eutychianus fuit.

*a Latrocinatrix.*

Æqualis iiſdem erat Gelaſius Cyzicenus, presbyteri Cyziceni, Photio teſte, filius, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus. Quippe qui vixiſſe ſe dicat ſub Baſiliſco, eo, qui, Zenone pulſo, tyrannidem occupavit: hoc eſt, anno cccclxxvi. Hic tribus libris complexus fuit res in Nicena ſynodo geſtas: opus, ut b μᾶλλον ὑπάρχον πραγματικὸν, ἢ ἱστορικόν. Secutum ſe ait, cùm alios, tum acta veteribus membranis inſcripta, quæ fuerant Dalmatii, Cyzicenorum epiſcopi, Socrati etiam memorati lib. vii. cap. xxviii. Ex his Gelaſii libris paucula excerpta Photius exhibet: ſed ipſum Gelaſium, vel ſaltem libros ejus duos Græcè cum interpretatione ſuâ edidit Rob. Balforeus: tertii autem loco dedit ſolùm tres epiſtolas Conſtantini Imperatoris. Videtur tertius liber omiſſus, quia non omnibus probarentur, quæ ſcripſiſſet de baptizato Conſtantino paullo ante mortem, idque ab Epiſcopo orthodoxo. Photium vide. Eoſdem libros, & alia quædam, ad Nicenam ſynodum, & Arrii cauſſam, pertinentia, vertit quoque clariſſimus vir, nec tot modò linguarum, ſed rerum etiam divinarum, & humanarum, ſcientiſſimus, Franciſcus Junius, ſocer meus beatæ memoriæ. Ea dono accepi à filio ejus, Franciſco Junio; viro genere quidem, ſed magis tamen multijugâ eruditione nobili; neque tam affinitatis cauſſâ, quàm quia virtutem paternam feliciter adeò æmuletur,

*b Nentem diffuſum, plenumque rerum geſtarum narrationem continens, quàm ſimplici hiſtoriâ contentum.*

letur, cariſſimo. Tralationem hanc, cum notis in ipſum Gelaſium noſtris, publico haut invidebo, ubi prima ſe offerat edendi occaſio. Stylus Gelaſii vilis eſt, & humilis: ut de eo gemino in loco cenſet Photius, cod. xv, & LXXXVIII. Dubitat idem, num alius ab eo ſit Gelaſius ille, cujus libellus ſupereſt adverſus anomœos, ſive Eutychen, de duabus in Chriſto naturis. Sed eundem eſſe contendit Baronius in annal. Eccleſ. ad annum CCCCXCVI. Photius tamen ſtylum hujus præfert. Quem ait minimè ſuperfluum; ſed gravem, ac vehementem, & Atticis permiſtum vocabulis. Nec tamen per omnia probat. Vide in ejus bibliotheca Codicem CII.

Sub Zenone, & ſucceſſore ejus Anaſtaſio, floruit Cyrillus monachus, diſcipulus magni illius Euthymii, Archimandritæ in Palæſtina; qui ſextodecimo obiit Leonis anno; Chriſti CCCCLXXII. Prodidit nobis vitam præceptoris ſui Euthymii; quæ exſtat apud Surium Tom. I, XX Januar. Neque enim eam eſſe Simeonis Metaphraſtæ, ſed hujus Cyrilli, fidem fecerint verba iſta in eâpſe vitâ: *Cùm procedente autem tempore poſtea congregata fuiſſet Conſtantinopoli quinta ſancta Synodus, & Origenis, & Neſtoris dogmata fuiſſent ab eâ percuſſa anathemate, &, qui novam Lauram tenuerant Origeniſtæ, illinc eſſent expulſi, & fideles Orthodoxi Patres rurſus in eam migrâſſent: permittente mihi admirabili Joanne Silentiario, eo, inquam, qui erat Epiſcopus, diſcedo à cœnobio, & ipſe quoque verſor in hac Laura. Cùm autem ad eam tranſiſſem, ſecutus paternas literas, quæ à me portabantur, ut componerem hiſtoriam beatorum Euthymii, & Sabæ; duos quidem annos deinceps continuos quievi in Laura, & cœptum opus ſum perſecutus. Cum verò non poſſem orationis facere principium; ut qui non ſim internâ verſatus eruditione: non ceſſabam lachrymari, & vehementiſſimè rogare, ac precari. Jam autem cogitabamus deſiſtere à cœpto adeò difficili, & quod noſtris erat viribus ſuperius. Cùm itaque eſſem aliquando animi dubius, & perplexus, & ſederem in ſolita cathedra, habens chartam in manu, & cogitabundus; circa ſecundam horam diei me ſomnus opprimit; & ſtatim magnus Euthymius, & divinus Saba apparent, veſtiti ita, ut conſueverant; & mihi videbar eos audire differentes, venerando Sabâ primùm incipiente ſermonem, & dicente magno Euthymio: Ecce Cyrillus tum manu quidem tenet chartam commentariorum: cùm autem magnum adhibuerit ſtudium, & diligentiam, nondum potuit orationi ne principium quidem imponere. Cùm autem dixiſſet Euthymius; & quomodo hæc poterit facere, ſi non eum ſuperna adjuverit gratia? divinus Sabas, At tu ei da gratiam, ſancte pater, reſpondens inquit. Et ſimul divinus Euthymius annuenti ſimilis, cùm manum ſuam in ſinum immiſiſſet, argenteam quandam mellis pyxidem illinc ſumit, in qua cùm ſcalpellum intinxiſſet, in os mihi ter immiſit. Illius autem ſpecies quidem erat ſimilis oleo; guſtus verò (ô quæ illic ſunt gratiæ!) revera explicari, & verbis exprimi non poteſt. Et id quidem cum melle conferre, eſſet planè eam rem afficere injuriâ. Nam mihi etiam expergefacto, propter voluptatem, quæ narrari non poteſt, ejus adhuc in ore remanebant reliquiæ; & ſic expletus divinâ hac ſuavitate, præſens opus ſum aggreſſus: in alio quoque opere conatus Sabæ res geſtas ſcribere.* Porrò extremis ex verbis eundem diſcimus auctorem eſſe vitæ S. Sabæ; quæ exſtat apud Surium Tom. VI, V Decembr. Ab eodem conſignata eſt vita Ioannis, primùm Epiſcopi, inde abbatis Lauræ; ac poſtea Sabæ Silentiarii; quamquam is, ſcribente ea Cyrillo, necdum terris exceſſiſſet. Sic enim vitam illam claudit: *Vt autem audivi ſanctam ejus linguam narrantem, trigeſimo octavo ſuæ ætatis anno fuit ordinatus Epiſcopus, ut ſuprà dictum eſt, & tranſegit decem annos in epiſcopatu. Manſit autem in Laura prius novem annis: & in ſella ſedens, in qua ſilet uſque in hodiernum diem, implevit, Dei gratiâ, quadraginta ſeptem annos: & ecce jam pervênit ad centeſimum quartum annum ſuæ ætatis. Eſtque, licet valde ſenex, læto vultu, promtoque & alacri animo, & divinâ plenus gratiâ. Oramus autem nos quoque humiles, & abjecti, ut Deus eum adhuc magis confirmet, & corroboret, & ejus curſum in pace conſummet.* Exſtat ea vita apud Surium Tom. III, XIII Maji. Baronio ad annum CCCCLXXV Cyrillus hic vocatur *diligens, & veritatis cultor, ſuorum temporum hiſtoricus*. Et ad annum CCCCXCI, cùm dixiſſet, hoc anno Anaſtaſium ex Silentiario factum imperatorem; Ioannem ex Epiſcopo Coloniæ in Armenia factum monachum ſub diſciplina magni Sabæ, atque ob incomparabilem ſilentii obſervantiam Silentiarium vocatum; hiſtoriam autem ejus rei ſcriptam eſſe à Cyrillo, qui his temporibus vivebat: ſubjungit continuò hæc verba: *Liceat abſque invidia dicere, me neminem reperiſſe, poſt Sanctos Athanaſium, & Hieronymum, qui majori fide ſcripſerit ſanctorum res geſtas, dirigens eas, atque diſtinguens accuratè per tempora, ac Cyrillus, dum, quæ ipſe vidit, vel ſanctorum omni probitate præſtantium virorum relatione didicit, abſque levi ſuſpicione mendacii, ſinceram veritatem, veluti ſacroſanctum depoſitum, poſteris tradidit: nempe acta Euthymii, itemque Sabæ, & Joannis Silentiarii, de quo eſt ſermo: ſed & ejuſdem auctoris creduntur eſſe vitæ Theodoſii Cœnobiarchæ, nec non Quiriaci anachoretæ, qui iiſdem temporibus claruere ſanctiſſimi: ſed quòd illæ careant auctoris inſcriptione, feruntur nomine ejus, qui poſtremò edidit Metaphraſtes: cùm tamen ipſe eas antiquitus ſcriptas tantùm exſcripſerit.*

Sub Anaſtaſio quoque florebat Candidus Iſaurus, qui hiſtoriam ſuam ab electione Zenonis ordiebatur: atque eam deſinebat in genere ejus Zenonis morte. Eclogas quaſdam ex illo legere eſt apud Photium in bibliot. cap. LXXIX. ubi & ſtylum ejus damnat, tanquam ποιητικώτερον [a]. Epiphanienſis dictus ab Epiphania, Syriæ urbe ad Orontem fluvium. Itaque ſine dubio idem erit, ac ille, qui *Euſtathius Syrus* dicitur. Nicephoro Calliſti memoratur, in proœmio; ubi unus fuiſſe eorum refertur, ex quibus ſua deſcripſit Euagrius. Et ſanè hîc ejus meminit: quod & facit non in proœmio modò, ubi, ſicuti dixi, *Euſtathium Syrum* vocat: ut & facit lib. III. cap. XXVI, & initio ſequentis: ſed alibi etiam; ut ejuſdem libri cap. XXIX; quo loco ſimpliciter nuncupat Euſtathium. *Epiphanienſem* autem appellat lib. V. cap. ult. Ubi teſtatur, ſtrictim quidem, ſed præclarè, duo reliquiſſe volumina: unum à mundi primordio ad vaſtationem Ilii: alterum exinde uſque ad annum XII Anaſtaſii imperatoris.

[a] Poëticum magis.

Tum quoque vixiſſe arbitror Euſtathium Epiphanienſem. Is, Suida teſte, condidit annalium compendium ab Ænea uſque ad Anaſtaſium Imp. libris IX, & alia quædam. Ut Amidæ expugnationem; quemadmodum conſtat ex Nicephoro. Eum vide lib. XIV Hiſtoriarum Eccleſiaſtic. cap. LVII.

Sub Anaſtaſio etiam vixiſſe videtur Malchus ſophiſta; qui, Suida teſte, hiſtoriam condidit ab imperio Conſtantini uſque ad Anaſtaſium: qua res geſtas Zenonis, & Baſiliſci, & bibliothecæ publicæ conflagrationem, & ſtatuarum Auguſtalis, atque alia quædam, commemorat magnâ cum gravitate; eaque haut ſecus, ac in tragœdia ſit, deplorat. Ex Photio diſcimus, etſi Suidas ſophiſtam Byzantium vocet, tamen patriâ fuiſſe Philadelphenſem; ac ſeptem hiſtoriæ ejus Byzantinæ libros Photio viſos eſſe; nempe ab eo tempore, quo morbus Leonem decimo ſeptimo imperii ſui anno extinxit, uſque ad mortem Iulii Nepotis; quæ in annum incidit CCCCLXXX. Stylum Malchi idem Photius admodum commendat cap. LXXVIII. Luculenta duo fragmenta ex hac hiſtoria habes in Legationum Eclogis è codice Andreæ Schotti.

Egregium quoque ſub Anaſtaſio nomen habuit Timotheus Gazæus, grammaticus: in quem etiam tragœdiam fecit de publico, quod χρυσάργυρον, quaſi dicas *aurargentum*, vocabatur. Suidas auctor. Sed hiſtoricum nihil videtur edidiſſe, præter eam naturalis hiſtoriæ partem, quæ variam animalium naturam exponit. Io. Tzetzes Chil. IV. Hiſt. CXXVIII:

*a De animantibus ſcribunt priores hiſtoriam Ælianus, Oppianus, unà cum Leonide. Et cum ipſis Timotheus, grammaticus Gazæus. Qui Anaſtaſio regi concurrebat tempore.*

Τὰς ᾶ περὶ ζώων γράψαντα περιέργους ἱστορίας
Αἰλιανός, Ὀππιανός, ἅμα τῷ Λεωνίδη,
Καὶ σὺν αὐτοῖς Τιμόθεος γραμματικὸς Γαζαῖος,
Ἀναστασίῳ βασιλεῖ συνδρομῶν ὢν ἐν χρόνοις.

Diſtinctè magis opera ejus enarrat Suidas; qui ſcripſiſſe refert de quadrupedibus, & feris Indicis, Arabicis, Ægyptiis, ac Libycis. Item de avibus peregrinis, ac prodigioſis, & de ſerpentibus libros IV. Satis interim ex his Suidæ verbis liquet, hiſtoricum magis, quàm philoſophum, iſtis libris egiſſe.

## Cap. XXII.

*Baſilius Cilix. Marinus Neapolitanus. Theodorus Anagnoſtes. Heſychius Illuſtris Mileſius. Malchus. Refellitur Suidas. Procopius Cæſarienſis. Cur librum IX vocârit ἀνέκδοτον. Perſonæ tralatio reprehenſa. Agathias. Cur σχολαστικὸς vocetur. In patria ejus Perſona lapſus. Stylus Agathiæ, & religio. Joannes Lydus. Plutarchus, Juſtiniano à ſecretis. Hermolaus, & Stephanus, Byzantini. Petrus orator. Ætas utriuſque Choſroïs. Gordianus de vita Placidi monachi. Nonnoſus. Damaſcius Damaſcenus. Theophanes Byzantius. Andreas Cretenſis.*

Partim ſub Zenone, partim etiam ſub Anaſtaſio, vixit Baſilius Cilix, presbyter; ut ex Photio diſcimus codic. XLI, & CVII. Hiſtoriam divulgavit; cujus & Nicephorus meminit operis ſui initio. Conſtabat ea libris tribus. Primum à Marciano auſpicabatur, & deſiit in Zenone. Alterum cœpit à Zenone, & obitu Simplicii, epiſcopi Romani: ac perduxit uſque ad obitum imperatoris Anaſtaſii, & initium ſucceſſoris ejus, Juſtini Thracis. Tertium autem à Juſtino Thrace ordiebatur: unde, ultra Anaſtaſium produxiſſe vitam, liquet; etſi Photius ſolùm dicat, floruiſſe ſub Anaſtaſio. Vide eum tmemate XLII; ubi & de ſtylo illius judicium fert. Item tmem. CVII; ubi agit de libro ejus contra Joannem Scythopolitam.

Magno quoque iiſdem temporibus in honore fuit Marinus Neapolitanus, philoſophus, & rhetor, Procli diſcipulus, inque ſchola ſucceſſor. Compoſuit librum de vita præceptoris ſui Procli; qui hodieque exſtat. Nec proſâ ſolùm, ſed etiam carmine edidit. Vide, quæ de Marino hoc refert Suidas.

Vivebat tum quoque Theodorus Anagnoſtes, ſive Lector: quomodo vocabatur, quia unus fuit ex lectoribus magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Suida teſte, in Θεόδωρος. Imò nec aliud voluit Nicephorus Calliſti, quando in præfatione ait, καὶ ὁ Βυζάντιος ἀναγνώστης Θεόδωρος *a*. Neque enim id voluit, Byzantii natum, ſed Lectoris munus obiiſſe. Reliquit libros duos Collectaneorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Incipit autem à morte Theodoſii Junioris, ac deſinit in temporibus Juſtini; qui imperare cœpit anno IↃXVIII.

*a Et Byzantinus Lector Theodorus.*

Unde & Judocus Coccius Indice Auctorum, quem Theſauro ſuo Catholico præmiſit, eum vixiſſe anno ait IↃXX. Quod biennio fuerit poſt mortem Anaſtaſii. Solùm igitur tractat de Marciano, Leone, Zenone, Baſiliſco, & Anaſtaſio. Loquor autem de Theodoro, qualem nunc habemus Græcè, Latineque, in corpore Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ac Latinè ſolùm in Bibliotheca Patrum Tom. VII. edit. ſec. Sed is, quo Suidas uſus, cœpit à Conſtantino Magno. Num dicemus, eò tanto altiùs orſum dici, quia extremo libro pauca ſubdat de annis Conſtantini Magni, Conſtantii, Theodoſii Magni, Arcadii, & Theodoſii junioris? Sed enim tam iſta ſunt exilia, ut non mereantur in conſiderationem venire; præſertim cùm extremo addantur loco, ut ab alio potiùs videantur aſſuta. Imò tam exigui ſunt duo libelli Collectaneorum, ut vix digni ſint appellatione ἱστορίας ἐκκλησιαστικῆς, quomodo vocat Suidas. Equidem metuo, ne ſolùm ſint excerpta quædam. Eſtque hoc eò veriſimilius, quòd libri ſecundi inſcriptio ſit, ἀπὸ *b* τοῦ δευτέρου βιβλίου. Ac libro primo hæc præmittantur: ἐκλογαὶ *a* ἀπὸ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου. Credo, Nicephorus Calliſti (qui anno vixit CIↃCCCXX) non integram Theodori hiſtoriam, ſed ſolùm ea, quæ excerptu digniora putavit, ſuo dictavit amanuenſi. Et ſanè Appendix Poſſevini ad Apparatum ſacrum teſtatur, in Veneta Beſſarionis Bibliotheca exſtare *Epitomen* *c* *Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum Theodori Lectoris, & Philoſtorgii.* Item *Theodori* *c* *Lectoris compoſitionem Eccleſiaſticam è variis auctoribus.* Ut Hiſtoriam Theodori juſtam, & ejuſdem epitomen alienam, diſtinguere conveniat. Atque ita mihi quidem videtur. Nec tamen pugnâro, ſi quis cum longè doctiſſimo Labbæo cenſeat, ſic hunc nodum exſolvi, quòd vel plures hiſtorias ſcripſerit Theodorus Lector, vel plures fuerint Theodori Lectores.

*b E libro ſecundo.*

*a Excerpta hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ab ore excepta Nicephori Calliſti Xanthopuli.*

*b Labbæus in Delineatione Apparatus Hiſt. Byz. pag. 51.*

*c Poſſev. in Append. Appar. Sac. pag. 29. edit. Colon. an. 1608.*

Egregium quoque iis temporibus nomen fuit Heſychii Illuſtris Mileſii. Is Heſychii cauſidici, & Sophiæ, filius erat. Scripſit Univerſalem hiſtoriam; quam *Romanam*, & *Omnigenam*, inſcripſit, & ſex libris diſtinxit. Incepit à Belo, Aſſyriorum rege; ac finit in morte Anaſtaſii imperatoris, cognomento Dicori. Auctor Photius cod. LXIX. Ac citatur ex ſexto ejus operis fragmentum in gloſſis Baſilicorum *d*. Meminit quoque Conſtantinus Porphyrogenneta lib. 1. de Thematibus cap. 11: item Suidas; & addit, feciſſe etiam Nomenclatorem, ſive Indicem eorum, qui eruditionis famâ claruerunt: inque eâ nullius Eccleſiaſtici doctoris meminiſſe: atque hinc colligi poſſe, hominem fuiſſe gentilem. Sed mihi ſecus videtur, propter ea, quæ in Sibylla de Chriſto dicit. Libellum hunc Græcè edidit Sambucus, Latinè vertit Hadrianus Junius: eruditis verò notis illuſtravit, cùm idem Junius; tum imprimis clariſſimus collega meus Joannes Meurſius. Qui & primus libellum hujus Heſychii *de rebus patriis Conſtantinopoleos* ex bibliotheca Palatina exſcripſit, ac typis divulgavit. Ejus libelli non meminit Suidas: uti nec alterius operis, Photio memorati *e*, in quo narrabat, ut Anaſtaſio ſucceſſerit Juſtinus, & quæ is geſſerit: atque item, ut hujus imperium Juſtinianus exceperit, & quæ primis aliquot annis fecerit. Quo minùs autem opus hoc abſolveret, filii morte evênit; quæ ita perculit animum ejus, ut abrumperet ſcribendi filum. Ex his eâdem liquet, non ſub Anaſtaſio tantùm vixiſſe; quod apud Suidam legere eſt: ſed vel maximè ſub Juſtino, & Juſtiniano floruiſſe: quod apertè etiam teſtatur Conſtantinus Porphyrogennetes lib. 1. Themat. 11. Diodorus Siculus eo uberior eſt, Photio teſte: interim ſtylo eſt eleganti, ac diſerto: &, quod caput eſt, veritatis eſt ſtudioſus, ut idem agnoſcit. Meminit Heſychii hujus etiam Jo. Tzetzes Chil. III; Ἡσύχιος *f* Ἰλλούστριος, Πλούταρχός τε, καὶ Δίων. Alius autem ab hoc eſt Heſychius ὁ ταχυγράφος, hoc eſt, notarius; cujus meminit Georgius Codinus libro de Originibus Conſtantinopolitanis. Nam is Conſtantini Magni ætate vixit. Quippe quem Codinus dicat ſcripſiſſe res eas Conſtantini Magni, quarum ipſe eſſet αὐτόπτης *g*. Niſi placeat, eundem fuiſſe, ac deceptum eſſe Codinum; quod Cl. Labbæus exiſtimat in Apparatu ad Hiſt. Byzantinam *h*.

*d Voce Φοῦσκ. Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούστριος ὁ φιλοσόφιας τῆς Μιλησίας ἐν τῷ ς΄ χρονικοῦ διαστήματι τῆς ἱστορίας. Heſychius Illuſtris, Philoſophus Mileſius, in hiſtoria ſua ſexto temporis intervallo.*

*e Cod. LXIX.*

*f Heſychius Illuſtris, & Plutarchus, & Dion.*

*g Teſtis oculatus.*

*h Pag. 43.*

Præclarum quoque ſub Juſtiniano nomen habuit Procopius rhetor. Natus hic fuit Cæſareæ Palæſtinæ. Fuit idem orator, ac rhetor, ſeu profeſſor, vel cauſſidicus. Ita capere oportet Suidæ verba, cùm vocat ῥήτορα, καὶ σοφιστὴν *i*. Item cùm ſimpliciter ῥήτωρ dicitur Euagrio lib. IV. cap. XII, Agathiæ Scholaſtico lib. 1, & Photio bibliothecæ cod. LXIII. Ac Euagrius quidem inibi ait, cùm deſierit Euſtathius Epiphanienſis in XII Anaſtaſii imperatoris anno, Procopium eſſe cætera perſecutum: videlicet XV poſteriores Anaſtaſii annos; quæque ſub Juſtino Thrace, & Juſtiniano M. contigiſſent. Meminit quoque Conſtantinus Porphyrogennetus lib. 1 de Thematibus cap. 11: item Georgius Codinus, atque alii. Notarius erat, ac comes Beliſarii; cujus & res geſtas conſignavit. Accuratè, ac diſertè ſcripſit, ſive, ut Euagrius inquit loco memorato, φιλοπόνως *k*, κεκομψευμένως τε, καὶ λογίως, ut ait Nicephorus Calliſti lib. XVI. cap. X. Continet ejus hiſtoria libros VIII: quorum

*i Rhetorem, ac ſophiſtam.*

*k Laborioſe, ſcitè, ac diſertè.*

rum duo primi ſunt de bello Perſico; duo ſequentes de bello Vandalico; quatuor poſtremi de bello Gothico, quos vir incomparabilis Hugo Grotius Latinos fecit: ſed necdum ea translatio vidit lucem. Primos duos, quos de bello Perſico eſſe dixi, in compendium redegit Photius in biblioth. cap. LXIII. At omnium σύνοψιν a habes apud Agathiam in præfatione: qui hiſtoriam ſuam inde cœpit, ubi Procopius deſiit. Octo iſtis poſtea nonum Procopius adjecit: atque eum, quia complecteretur res antea non editas, ἀνέκδοτα b appellavit, Suida teſte; qui etiam auctor eſt, libro hoc fuiſſe invectum in Juſtinianum, & conjugem Theodoram; item Belliſarium, & uxorem ejus Antoninam. Ἀνέκδοτα iſta laudat Euagrius lib. IV cap. XXXI. Memorat quoque Nicephorus Calliſti lib. XVII cap. X. Item Suidas; qui & multa inde variis exſcripſit in locis. Nonum primus edidit, & commentario illuſtravit, Nicolaus Alemannus, anno CIƆ IƆ CXXIII. Præter novem, quos dixi, libros, exſtat volumen Procopii de Juſtiniani ædificiis in ſex narrationes, ſive, ut ipſe vocat, λόγους, diviſum. Ex iis clarè elucet, hominem fuiſſe Chriſtianum; non gentilem; qualium ἀθεΐαν deteſtatur: ſed neque hæreticum, etſi in Iuſtiniano damnet, quòd in tales ſtatuerit pœnam capitalem. Nimirum judicabat, aliquas fidei controverſias tam eſſe difficiles penetratu, ut multi eas capere non poſſint: eoque probare non poterat, ſi propterea quis vitâ privaretur. Hoc opus intellexit Georgius Codinus in ſelectis de Conſtantinopoli; ubi ait, καθὼς ἐν τοῖς περὶ κτισμάτων περιέχει c. Atque exſtat idem Mſtum in bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Iulii Mazarini; quem conferre cum editis volenti pollicetur Gabriel Naudæus. Etiam de aliis Mſis dicit Philippus Labbæus in catalogo ſcriptorum Hiſtoriæ Byzantinæ. Quicquid autem Procopii, ante edita ab Alemanno ἀνέκδοτα, Græcè habemus, hoc debemus Davidi Heſchœlio: eſtque hoc egregii viri beneficium eo majus, quòd Latini interpretes toties abeant à Græcis: imprimis ineptiſſimus ille Chriſtophorus Perſona quatuor rerum Gothicarum libros vertit; ſi vertiſſe, & non pervertiſſe dici is debet, qui multa adeò omittit, & in iis, quæ refert, toties nobis ſua narrat ſomnia. De interpretum aliis, ut ſunt Leonardus Aretinus, & Arnoldus Veſalienſis, in libro de Hiſtoricis Latinis dicam.

a Conſpectum ſive compendium.
b Inedita.
c Ut in opere de ſtructuris ſcriptum eſt.

Multum quoque tempora illa Iuſtiniani, ac præcipuè Iuſtini junioris, ornabat Agathias; ſive, ut ſe in epigrammatis vocat, Agathius, natus Murinæ; quæ in Aſia veterum Æolenſium colonia eſt ad oſtia Pythici fluminis ſita: ut ipſe in præfatione ait; ubi & ſe patre dicit Memnonio prognatum, ac juri & legibus operam dediſſe; unde & *Scholaſticus* vocatur. Erant enim ſcholæ, collegia juriſperitorum: unde σχολαστικοὶ dicti, qui alio nomine *advocati* appellantur. Fuit autem advocatus Smyrnæ; auctore Suida, qui σχολαστικὸν d Σμυρναῖον vocat: quod non attenderis Chriſtophorus Perſona, natione Smyrnæum fuiſſe putavit, cùm ipſe, ut diximus, Murinenſem ſe dicat. Præter epigrammata multa, quæ in Ἀνθολογίᾳ habemus, condidit libros quinque de imperio, & rebus geſtis Iuſtiniani. Nec tamen omnia de eo refert: ſed inde, ut ipſe ait, cœpit, ubi deſiit Procopius. Etiam Δαφνιακὰ, atque alia, partim proſâ, partim carmine exaravit: ut Suidas teſtatur. Imò meminit ipſe in præfatione hiſtoriæ ſuæ; ubi ſe à puero ait admodum carmine fuiſſe delectatum, ac panxiſſe hexametro verſu poëmatia quædam, amoribus, & iſtiuſmodi illecebris, variegata; eaque Δαφνιακὰ appellari. Dictione utitur terſâ, & floridâ. Gentilem fuiſſe, præter alia oſtendit illud φασὶν e, quo lib. III utitur, cùm ſermo ſit de martyrio B. Stephani. Meminere præterea Agathiæ Euagrius lib. V cap. ultimo, Conſtantinus Porphyrogennetus lib. I de Thematibus Orientis cap. II, Zonaras in Iuſtino juniore, Nicephorus Calliſti, & alii. Vide etiam de Agathia Dionyſium Petavium exercitationibus Miſcellaneis ad Iulianum Imperatorem.

d Scholaſticum, ſive advocatum Smyrnæum.
e Ajunt.

Procopii etiam, & Agathiæ, æqualis fuit Ioannes Lydus; qui & ipſe res Iuſtiniani conſignavit. Memoratur Ioanni Curopalatæ; item Cedreno; utrique in operis prooemio. Sed Cedrenus Lydum eſſe non addit. Egiſſe hunc de ſui ævi rebus, ait uterque. Unde, cùm Iuſtiniani geſta perſequatur, ignorare ejus tempora non poſſumus. Doctiſſimus tamen vir, qui delineationem apparatus edidit in corpus Hiſtoriæ Byzantinæ, ait, ex præfatione Ioannis Scylitzæ, ſive Curopalatæ, hoc unum conſtare, vixiſſe poſt annum Chriſti IƆCCC. Nos duobus ſeculis, & ampliùs, minùs dicebamus; ut vel me, vel præclarum illum virum, multùm ratio fefellerit. Eſt qui eum eſſe Ioannem Zonaram arbitretur: quod eſſe non poteſt, cùm & Curopalates, & Cedrenus, Zonaram ætate antecedant. Etiam à Nicephoro Calliſti, in proœmio, Ioannes (αὐτὸς ſic vocat) illuſtris dicitur orator fuiſſe; interque eos hiſtoricos refertur, ex quibus hiſtoriam ſuam excerpſit Euagrius ſcholaſticus. Ubi ſi ſignatur idem Ioannes Lydus, non poſſit demum poſt annum IƆCC vixiſſe, cùm Euagrius ſub Tiberio, & Mauricio, claruerit; nempe anno IƆC, & antè.

Plutarchus Iuſtiniano fuit à ſecretis: atque ejus res poſteris tradidit: ut cenſet etiam Nicolaus Alemannus Prolegomenis in Procopii hiſtoriam arcanam a.

a Pag. 2.

Iuſtiniani hæc tempora viderunt quoque Hermolaum, Conſtantinopolitanum grammaticum; qui in ſchola Eugenio ſucceſſit, ac Stephani grammatici ἐθνικὰ b in compendium redegit, atque illud nuncupavit Iuſtiniano: ut ex Suida cognoſcere eſt. Stephanus iſte, quem diximus, Byzantinus fuit; ejuſque libri de populis, atque urbibus, meminit & Tzetzes Chil. III Hiſt. c. Alteruter autem, Stephanus, inquam, aut compendii auctor, Hermolaus, (ſed hic potiùs, ut videtur) Byzantinam quoque hiſtoriam compoſuit. Oſtendunt hoc iſta compendii verba in Γότθοι: Ὡς εἴρηταί μοι ἐν τοῖς Βυζαντινοῖς c. Euſtathio alteruter iſtorum [illegible] ſignatur. Ut cùm ad verſum Dionyſii IƆCXCIV adnotat hæc verba: Τὸ δὲ Ἀρμένιον ὄρος d, ἀφ᾽ οὗ ῥέων ὁ Φᾶσις ἄρχεται, ὁ μὲν τὰ ἐθνικὰ γράψας περὶ τὴν ἀρχὴν τῆς Ὑρκανίας εἶναι οἴεται. Similiter appellârat ad verſum XXXVIII.

b De gentibus libro.
c Ut dictum mihi in hiſtoria Byzantina.
d Armeniam montem, ex quo Phaſis fluit, Ethnicorum ſcriptor in Hyrcaniæ initio eſſe putat.

Etiam temporibus Iuſtiniani vixit Petrus Patricius, patriâ Theſſalonicenſis, orator, & magiſter, & hiſtoricus; qui, legatus ad Choſroën miſſus, mirâ facundiâ ingenia barbarica demulcebat. Scripſit hiſtorias, & de ſtatu Reip., teſte Suida in Πέτρος. Choſroën autem, ad quem miſſus fuit, cenſeo eſſe Coſroën magnum; qui anno IƆXXXI regere cœpit, ac annis imperavit XLVIII. Fortaſſe tamen filius ejus intelligi debet; qui anno duodecimo poſt Choſroïs Magni obitum, imperium auſpicatus eſt; ac temporibus Mauricii, Phocæ, & Heraclii, regnum tenuit. Meminere hujus Petri quoque Procopius, Corippus, atque alii.

Gordianus quoque floruit ſub Iuſtiniano ſeniore, ac literis conſignavit vitam Placidi monachi, qui à Manucha pirata, quem Abdala barbarus, Hiſpaniæ rex, miſerat in Siciliam, interfectus fuit, anno IƆXLV. Fuit Placidus diſcipulus B. Benedicti; Gordianus autem Placidi ſocius; cujus ſe famulum appellat. Exſtat vita ea Placidi apud Surium a. d. v. Octob. Ei libello hæc ad calcem ſunt adjecta: *His taliter ſuccinctè libatis, quid Gordianus, martyris Placidi famulus, egerit, opuſculo præſenti tradamus. Poſtquam enim idem Gordianus ſanctorum martyrum corpora tradidit ſepulturæ; quid faceret, vel quid diceret, neſciebat. Dicebat enim intra ſe; ſi ad Caſſinum redire voluero, omninò impoſſibile mihi videtur: ſcio enim, quanta pericula in tanto itinere mihi incumbant. Hæc dum ſecum tacitus volveret, B. Placidi, & ſociorum eius, ſuffragium diebus, ac noctibus, exorabat attentius. Quartâ interea die adveniente, valde diluculo navis Neapolitanorum, mercibus onuſta, in portu Meſſanæ civitatis devênit; deſcendenteſque nonnulli eorum ad terram, ſancti Joannis Baptiſtæ, in qua ſanctus Domini martyr Placidus cum ſociis ſuis ſepultus erat, eccleſiam devenerunt. Quos Gordianus adſpiciens, poſt ſalutationis officia, oſculatus eſt: ac deinde percunctatus eſt eos, dicens:*

*Qui eſtis, & unde, & quò tenditis iter? Tum illi, Neapolitani (inquiunt) ſumus, & curſus noſter Conſtantinopolim tendit. Gordianus vero talia ab eis dum verba audiſſet, gaudio ingenti perfuſus eſt; datoque naulo, in eorum navi conſcendit. longiſſimaque maris itinera cum eis transfretans, Conſtantinopolitanam pervênit ad urbem: in quam ingreſſus, in domo cujuſdam potentiſſimi viri annis quampluribus hoſpitatus eſt. Ibique, juſſu* JUSTINIANI *Imperatoris, enucleatius vitâm, atque miracula, nec non paſſionem beatiſſimi martyris Placidi, & ſociorum ejus, notificare, atque ad poſteritatis memoriam* GRÆCIS LITERIS, *quibus apprime imbutus fuerat, latiùs annotare curavit. Illi autem hæc audientes, glorificaverunt Deum; utque ſecum Gordianus in eâdem urbe maneret, hortati ſunt: quod & fecit. Poſt aliquanta verò annorum curricula Gordianus ille, valefaciens, paſſionem martyris Placidi, & ſociorum ejus, quam ibidem, ut ſuprà taxavimus,* GRÆCIS *apicibus exaraverat, apud illos reliquit: ipſe verò navem conſcendens, Siciliam rediit, atque ad Syracuſanam urbem deveniens, pauco illic tempore ſupervixit.*

Nec prætereundus Nonnoſus. Nam hiſtoriam edidit, quâ legationem ſuam complexus eſt ad Æthiopas, & Homeritas, ac Saracenos, aliaſque Orientis gentes. Eo ex opere excerpta quædam habemus apud Photium tmem. III: ubi & Juſtiniani tempore vixiſſe, aliaque quædam de Nonnoſo, & parente ejus Abrahamo, & avo item, refert.

Atque hoc etiam celebrius nomen habuiſſe videtur Damaſcenus: qui quatuor reliquit παραδόξων *a* libros: unum de incredibilibus fictionibus; qui erat capitum CCCLII: alterum incredibilium de dæmoniis narrationum; qui fuit capitum LII: tertium narrationum incredibilium de animis à morte apparentibus; qui capita continebat LXIII: quartum naturarum incredibilium; cujus capita fuere CV. Horum auctor nobis eſt Photius tmemate CXXX. Atque idem tmemate CLXXX multis de hoc Damaſcio agit: interque alia nos docet, literis tradidiſſe vitam Iſidori. Imò apud eundem tmem. CCXLII excerpta quædam ex hac vita invenies. Cùm verò, Damaſcum Syriæ eſſe civitatem norint etiam, qui necdum ære lavantur: planè cenſeo, eſſe hunc Damaſcium, philoſophum Syrum, quem Suidas ait Stoicum fuiſſe, Simplicii, & Elamitæ, Phrygum, diſcipulum; qui tempore claruit Iuſtiniani; quemadmodum ex Agathia Scholaſtico ſcimus; qui lib. II hiſtoriæ ſuæ eum inter principes ſui ævi philoſophos numerat; ut qui ipſum cum Simplicio Cilice, Priſciano Lydo, Iſidoro Gazæo, & duobus tribus aliis, jungat, ac tale ſubdat elogium, Ἅπαντες *b*, τὸ ἄκρον ἄωτον, κατὰ τὴν ποίησιν τῶν ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς χρόνῳ φιλοσοφησάντων. Inter alia autem, quæ ſcripſiſſe ait Suidas, etiam eſt hiſtoria philoſophica; cujus quoque Suidas meminit in Δωρος. Geſnerus cenſet, eſſe eandem, quæ inter notha Galeni opuſcula invenitur. Tractat illa de ſententiis veterum philoſophorum. At, puto, hiſtoria Damaſcii non ſententias modò, ſed vitas etiam philoſophorum, complectebatur. Sicuti Porphyrii hiſtoria philoſophica vitas etiam continebat. Ac ſuſpicatur Ioannes Petrus Nunneſius, vitam Ariſtotelis, à ſe ex veteri tralatione editam, Damaſcium habere auctorem. Sed obſtat, quòd in ejus vitæ extremo Simplicius citetur. Nam Simplicius Damaſcii diſcipulus fuit; ut ipſe in Commentariis Phyſicis agnoſcit. Scio, Nunneſium ſic occurrere huic difficultati, quòd potuerit præceptor diſcipuli teſtimonio uti. Verùm mihi parum fit veriſimile, Damaſcio florente, tantum fuiſſe Simplicii nomen, ut eo ſe teſte tueretur.

*a In obinatorum.*

*b Omnes, flos ipſe ſummus, ut poetice loquar, noſtri ævi philoſophorum.*

Sub Juſtino II, qui Juſtiniano ſucceſſit, anno IϽLXV, vixit Theophanes Byzantius: qui inclaruit decem Hiſtoriarum libris. Eos exorſus fuit a rupto fœdere, quo convenerant Juſtinus ille, & Choſroes, Perſarum rex. Quod contigit exeunte anno altero, ex quo imperâſſet Juſtinus. Producit verò hoc bellum uſque ad annum X. Idem primo libro refert, quomodo & literis prodiderit res Juſtiniani. Etiam indicat, ſe denis illis, quos dixi, libris, plures ſubjunxiſſe. Auctor horum Photius in Bibliotheca cod. LXIV. Ubi & memorabile illud, quod ex eo Photius narrat, ſub Juſtiniano demum innotuiſſe Græcis, ac Romanis, bombycum ortum, & texendi artificium: didiciſſe autem a Perſa è Serum regione profecto: qui ſemen bombycum, ferulæ incluſum, ſalvum Conſtantinopolim detuliſſet: ex eo ſemine cùm verno tempore vermiculi eſſent enati, his mori folia præbuiſſe in alimentum; tandem texuiſſe; poſtea accepiſſe alas, ac ſemen profudiſſe. Non dubium, quin ſic habeat hiſtoria, licet in ordine paullùm turbet Theophanes, vel Photius.

Etiam ſub Juſtino II, circa annum IϽLXX, (non IϽL, ut eſt apud Poſſevinum, credo, librarii culpâ) claruit Andreas Cretenſis, epiſcopus Hieroſolymitanus. Hujus varii exſtant ſermones de Vitis Sanctorum: quos ex Simeone Metaphraſte, & Aloyſio Lipomano, Laurentius Surius Sanctorum Vitis inſeruit.

## CAP. XXIII.

*Euagrii Scholaſtici libri, honores, ſtylus. Menander Protector. Theophylactus Simocattus. Ejus patria, ætas, hiſtoriæ argumentum, ſtylus; & quæ præter hiſtoriam ediderit. Leontius, Cyprius epiſcopus. Auctor Chronici Alexandrini, ſeu Siculorum faſtorum; & unde hoc nomen habeant. Georgius Piſides. Joannis Antiochenſis Antiquitates. Sophronius Hieroſolymitanus. Joannes Moſchi Eviratus. Eleuſius, ſive Georgius, de vita S. Theodori. Anaſtaſius de vita præceptoris ſui Maximi. Trajani Patricii ætas, & Chronicon.*

Tiberius Anicius anno IϽLXXVIII à Juſtino factus eſt conſors imperii: necdum integro quadriennio pòſt ſolus cœpit imperare. Anno IϽLXXXVI Tiberio ſucceſſit Mauricius: qui anno IϽCII cum tota domo à Phoca eſt interfectus. Sub Tiberio, atque hocce Mauricio, claruit Euagrius Scholaſticus, patriâ Antiochenus, ſcriptor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ libris ſex conſtat. Eam inchoat, ubi Socrates, ac Theodoretus, deſiere: perducit verò uſque ad annum Mauricii duodecimum: ut quidem ipſe teſtatur in fine operis, atque ex eo Photius tmem. XXIX. Sed Baronio is eſt annus decimus. Idem Euagrius in peroratione hiſtoriæ ſuæ commemorat, etiam alterum ſe volumen conſignâſſe: quo complexus ſit relationes, epiſtolas, decreta, orationes, diſputationes, atque alia. Relationes autem maximâ ex parte ſunt ex perſona Gregorii epiſcopi Antiochiæ factæ. Pro duobus autem hiſce libris ait gemino ſe honore eſſe affectum. Nam à Tiberio Conſtantino quæſturâ fuiſſe ornatum: ſed à Mauricio conſecutum eſſe, ut tabulis publicis præeſſet. Iudicium de eo Nicephori Calliſti *a* iſtiuſmodi eſt: *Euagrius illuſtri dignitate præditus, hiſtoriam uſque ad Juſtini ætatem deduxit, maximâ ex parte res profanas tractans: quarum argumenta, & materiam, ex Euſtathio Syro, Zoſimo Priſco, Joanne Procopio Cæſarienſi, Agathia, qui illis temporibus ordine inſignes fuere oratores, & præterea ex aliis, non pœnitendis hiſtoricis, decerpſit.* Stylus ei non ingratus; ac in dogmatis etiam accuratior eſt, quàm alii; ut Photius indicat. Loca compluria in hac Euagrii hiſtoria explicat Iacobus Billius Prunæus libro I Obſervationum Sacrarum cap. XXXVIII.

*a In proœmio.*

Sub Mauricio quoque vixit Menander Protector. Neque ignoro, à Conſtantino Porphyrogenneta, lib. I Themat. II, inter eos referri, qui ſub Juſtiniano Imperatore Chronica ſua compoſuerint. Sed potior mihi eſt ipſius Menandri auctoritas: cujus luculenta de ſe ipſo verba refert Suidas *b*. Narrat verò inter cætera, quomodo priùs, non, fratris ſui Herodoti exemplo, legibus operam dederit, & eloquentiæ deditus regiam porticum frequentârit; ſed amârit equeſtria certamina, pantomimorum

*b In Μένανδρος.*

ſal-

ſaltationes, ac palæſtras, ſimileſque nugas; donec Mauricius ſuſcepiſſet imperium: tum ſe amore captum Muſarum; poëmataque, & hiſtorias, audiiſſe avide: magnam etiam noctis partem iis impendiſſe: animum quoque appuliſſe ad ſcribendam hiſtoriam, eamque aggreſſum ab obitu Agathiæ. Ex hujuſce Menandri hiſtoria luculenta habes fragmenta in legationum Eclogis: quas è Mſſis Andreæ Schotti. codd. edidit David Hœſchelius *a*. Meminit ejus quoque Theophylactus Simocatta lib. I Hiſtoriæ Mauricianæ cap. III, & Conſtantinus Porphyrogenneta lib. I de Thematibus cap. II. Cœpit Menander ab anno Juſtiniani XXXIII, in quo Agathias deſierat; ac progreſſus uſque ad deditum Abaris; ſive Hunnius, Sirmium; quod fuit paullo ante obitum Flavii Tiberii II; qui incidit in annum IↃLXXXIII.

*a Auguſtæ Vindel. an. 1603.*

Junior his paullò fuit Theophylactus ὁ Σιμοκάτης, ut Suidas vocat, ſive Σιμόκαττος, aut Σιμόκατος, ut dicitur Tzetzæ *b*, & Euſtathio *c*. Oriundus erat Ægypto, Photio teſte: ſed tamen in Græcia natus fuit; ut de ſe ipſe teſtatur præfatione de Phyſicis Quæſtionibus. Floruit circa annum IↃCXII; quo imperare cœpit Heraclius, Phocæ ejus ſucceſſor; qui Mauricium interemit. Theophylactum ſophiſtam in Nomenclatore ſuo vocat Robertus Conſtantinus. Græcè, Latineque, interprete Iacobo Pontano, Soc. Ieſu Theologo, prodiit Ingolſtadii anni CIↃIↃCIV. Sed recognovit Carolus Annibal Fabrotus I.C. & Gloſſarium addidit. Habebis in corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, hoc anno CIↃIↃCXLVIII, vel proximis, luci deſtinatæ. Scriptorem inter recentiores Græcos eximium appellat Caſaubonus animadverſ. in Spartianum. De rebus geſtis à Mauricio hiſtoriam condidit libris VIII: ac prioribus quinque agit de bello ejus adverſus Perſas: reliquis tribus tractat de iis, quæ geſſit adverſus Avares, & Sclavos: item de miſerabili Mauricii, ac liberorum, cæde. Hoſce libros cùm poſt obitum Phocæ de ſuperiori loco populo legeret, ubi ad cædem Mauricii ventum fuit, lachrymas ei excuſſit: quemadmodum ipſe narrat lib. VIII cap. XII. Quæ verò fuſiùs ſuis libris exponit Simocatta, ea breviùs perſtringunt Theophanes, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus Calliſtus: qui & ex Simocatta, vel iis, qui Simocattam exſcripſerant, illa, quæ de Mauricio referunt, hauſerunt. Stylus ejus venuſti aliquid habet: ſed dum figuras & ſcitamenta orationis ſectatur; curioſâ nimis curâ in frigidam dictionem, ac puerilem affectationem, incidit: ut quidem Photius cenſet; qui & ex ſingulis hiſtoriæ ejus libris quædam excerpſit cap. LXV. Præter hiſtoriam ejus habemus quoque, tum epiſtolas morales, ruſticas, & amatorias, ab Aldo olim editas: tum phyſica problemata, quæ primus Lugduni Bat. edidit Bonaventura Vulcanius: poſtea Andreæ Schotti, & Iani Gruteri beneficio, integriores prodiere in lucem. De Legationum excerptis ab Hœſchelio editis, nihil dicam, quia portio ſunt hiſtoriæ illius, de quâ antè egimus. Ab Euſtathio quoque, interprete Dionyſii Periegetæ *d*, citatur ἡ ε τ̃ Σιμοκάτε οἰκουμενικὴ ἱστορία: indeque refertur, Unnos, quos Perſæ *Turcas* vocant, tantopere abundâſſe auro, ut ex eo facerent lecticas, menſas, ſedes, tribunalia: ac à Medis, pacis prætextu, exegiſſe quadringenta aureorum millia.

*b Chil. 3. Hiſt. 69.*
*c In Dionyſii τ̃ οἰκουμένης verſum 730.*
*d Adver. 730.*
*e Simocati orbis habitabilis hiſtoria.*

Mauricii quoque, Phocæ, ac Heraclii temporibus, vixit Leontius. de quo ſic Sigebertus in catalogo cap. LVII: *Leontius, Neapolis, Cypriorum inſulæ, epiſcopus, ſcripſit vitam Joannis Alexandrini, qui, ob eximiam in pauperes miſericordiam, agnominatur Eleemoſynarius.* Ex hoc Leontii opuſculo hauſit ea Simeon Metaphraſtes, quæ narrat de vita Ioannis τ̃ Ἐλεήμονος: imò fortaſſe nec aliud, quàm ordinem, immutavit. Apud complures, etiam Baronium, & Poſſevinum, legas, Salaminis, ſeu Conſtantiæ, fuiſſe Epiſcopum. Sed Sigebertus, ut vidimus, ait, fuiſſe Epiſcopum Neapolis, Cypriorum inſulæ. Sanè Neapolin Cypriis quoque tribuere videtur Metaphraſtes in vita S. Simeonis Abbatis. Actione IV Synodi Nicenæ II, civitatis nomen præteritur. Nam ſimpliciter dicitur, Leontium hunc fuiſſe epiſcopum ἐν μιᾷ τ̃ πόλεων Κύπρε *a*. Ibidem mentio fit vitæ ejus, quam diximus: ac præterea vitæ τ̃ ὁσίε Συμεὼν τ̃ Σαλε̃: hoc eſt, Sancti Simeonis Sali. Ita locus iſte capiendus. Simeon enim iſte Σαλὸς dictus; quo Syris ſignificatur *ſimplex*, vel etiam *ſtultus*. Quod cùm non attenderet Anaſtaſius bibliothecarius, pro Σαλε̃, legit σάλε. Σάλος autem eſt *jactatio*, ſive *turbatio*. Eoque addit, ſcripſiſſe *turbationes propter Chriſtum, circa ea tempora, in Eccleſia factas*. Obſervavit eam rem Heribertus Roſweidus, Notis in lib. I de Vitis Patrum; ut omnino aberrent & Baronius, & Poſſevinus, (quos ipſi priùs ſecuti fuimus) cùm ex Nicena illa Synodo colligunt, Leontium conſignâſſe calamitates, quas Eccleſia Dei paſſa eſt temporibus Mauricii imperatoris, & Gregorii M. Eâdem è Synodo cognoſcimus, Leontium exarâſſe πολλὰ ἐγκώμια, καὶ πανηγυρικὲς λόγες, μεθ᾽ ὧν καὶ εἰς μεταμόρφωσιν τ̃ Σωτῆρος ἡμῶν· *multas laudationes, ac orationes panegyricas: atque unà cum iis etiam transfigurationem Soſpitatoris noſtri*. Adhæc ex eodem Concilio diſcimus, pro Chriſtianis apologiam contra Iudæos emiſiſſe: unde & aliqua adducit Ioannes Damaſcenus Orat. III de Imagin.

*a In una civitatum Cypri.*

Ad eadem tempora referri debet ſcriptor Chronici Alexandrini: quod omne ævum digerit uſque ad XX annum Heraclii. Quamquam, quòd tum auctorem eum vixiſſe ajebam, id capiendum de illo, qui ad ea, quæ dixi, tempora Chronicon perduxit. Nam facilè mihi perſuadeo, non unius hanc fuiſſe operam: quod & Raderus, ex inſcriptione, præfatione, & Cæſarum ſyllabo, conjectat. Hoc opus in antiqua Siciliæ bibliotheca primus invenit Hieronymus Surita; atque inde, ejuſdem, & Antonii Auguſtini operâ, Romam advectum fuit. Hæc cauſſa eſt, cur vulgò *Faſtos Siculos* appellarint. Meminere jam olim ejus Sigonius, & Panuinus. Ac partem illius Euſebio ſuo Græcè adjecit Ioſephus Scaliger; qui eam à Caſaubono acceperat. Sed integrum, XXXVI aureis Solaribus emtum, Auguſtanæ bibliothecæ per Davidem Heſchœlium obtulit Fridericus Sylburgius. Unde (ultimis duobus annis exceptis, qui ita vetuſtate erant arroſi, ut legi amplius non poſſent) exſcripſit Matthæus Raderus, cumque interpretatione ſuâ publici juris fecit. Idem Chronici Alexandrini nomen libro impoſuit, eò quòd in frontiſpicio illud commendet Πέτρος Ἀλεξανδρείας. Ac ſatis veriſimiliter ſuſpicatur, eſſe hunc Petrum illum, qui numero quinquageſimus, anno Redemtoris IↃCXL, Alexandrinus epiſcopus fuit; ut ex Chronologia Iuris Græco-Latini, quam Marquardo Frehero debemus, cognoſcere eſt. Opus eſt Chronologis perutile, vel ob multa ex Africano, atque Euſebio, excerpta, quæ fruſtra alibi quæras.

Temporibus his vixiſſe etiam invenio Georgium Piſidem. Conſtantinopolitanæ hic Eccleſiæ diaconus, & chartophylax, ſive, ut vocant, chartularius, vel referendarius, erat. Condidit poëma de opere ſex dierum; quod dicavit Sergio patriarchæ. Nomen ei Κοσμεργία, ἢ Ἑξαήμερον *b*. Conſtitit verò olim tribus ſenariorum millibus; ut Suidas teſtatur. Sed ex iis hodie ſolùm ſuperſunt mille octingenti octoginta: qui procemium ſunt operis; ut oſtendit Mſus codex bibliothecæ Auguſtanæ; ubi iſtiuſmodi inſcriptio eſt: Γεωργίε *c*, Διακόνε τ̃ ἁγίας ἐκκλησίας, τ̃ Πισίδε, προοίμιον τ̃ ἑξαημέρε, διὰ ἰαμβῶν στίχων. Fecit idem ſenarios εἰς τ̃ μάταιον βίον, ſive *de vitæ vanitate*: quanquam horum non meminerit Suidas. Et iſti quoque exſtant. Græcè primus edidit, & Latinis verſibus reddidit, Fredericus Morellus, Frederici filius *d*. Etiam refutavit errores Ioannis Philoponi. Sed ex Suida, Ioanne Tzetze hiſt. LXVI, Nicephoro Calliſti Hiſt. Eccl. lib. XVIII cap. XLVIII, atque aliis, diſcimus, præterea ſcripſiſſe de Heraclio imperatore, de bello Perſico, itemque Avarica, idque πεζολογάδλω, ſeu ſolutâ oratione: item laudationem Anaſtaſii martyris. Hiſtoriam de Heraclio imperatore Piſidæ acceptam refert Io. Tzetzes Chil. III Hiſt. LXVI. Meminit & hujus Piſidæ Nicephorus Hiſt. Eccleſ. lib. XVIII cap. XLVIII. Romæ in bibliotheca S. Mariæ in Vallicella, ut apud Poſſevinum in appendice ad

*b Mundi opificium, ſive opus ſex dierum.*
*c Georgii, Diaconi ſanctæ Eccleſiæ, ſive cognomento Piſidæ, proœmium libri de ſex dierum opificio verſibus jambicis ſcripti.*
*d Lutetiæ edidit Fed. Morellus, Typographus Regius, ann. 1584.*

ad Apparatum ſacrum *a* legas, eſt *Georgius Piſſidius de geſtis imperatorum Conſtantinopolitanorum.* Ubi ſine dubio, ut Labbæo in delineatione apparatus *b* ad Hiſtoriam Byzantinam monitum, pro *Piſſidius* legendum *Piſides.* Et ſunt, qui hujus Piſidæ eſſe arbitrentur, quos *Faſtos Siculos* appellant. Sed eam ſententiam initio ſuarum in hoc Chronicon Animadverſionum refellit editor ejus Raderus.

a Pag. 41. Colon edit. an. 1608. b Pag. 43.

Joannes quoque Antiochenſis ſub eodem vixit Heraclio, ac opere περὶ ἀρχαιολογίας *c* ſui memoriam reliquit: hactenus tamen ineditus eſt, ſed ſæpiùs ab hominibus doctiſſimis memoratus; ut Iacobo Gothofredo, J. C. & exconſule, prolegomenis in Philoſtorgium; ubi & ætatem appoſuit; imprimis verò à maximo Salmaſio in Plinianis ad Solinum exercitationibus; qui compluribus locis *d* quædam inde adducit. Hoc junior eſt alter Ioannes Antiochenſis, qui nobis memorabitur libro tertio inter eos, quorum de ætate ſumus incerti. Sed hæc omnia ſunt ſubnixa fide doctiſſimi, & juriſconſultiſſimi Iacobi Gothofredi: qui, ut jam dixi, Prolegomenis in Philoſtorgium *e* ait, vixiſſe *Heraclio imperante, ſub initium ſeptimi ſeculi.* Quid ſi autem verior ſit opinio ſummi *f* viri Philippi Labbæi, Societatis Ieſu Theologi; cui & ille ἀρχαιολογίας ſcriptor, & Ioannes ille Antiochenſis, de quo libro tertio me dicturum recepi, idem videtur? Quodſi eſt, non ſub Heraclio claruerit, ſed duobus minimùm ſeculis pòſt. Res planior erit, ubi, qui ἀρχαιολογίαν poſſident Mſam, publici eam juris fecerint: ſive hoc beneficium debituri ſumus, ſive τῷ πάνυ *g* Salmaſio, ſive doctiſſimo Leoni Allatio.

c De antiqua hiſtoria. d Ut pag. 141. 575. 577. 669. 903. 904. 907. & alibi. e Pag. 2. f In delineatione apparatus ad Hiſt. Byzantinæ ſcriptores p. 43. g Illuſtri illi.

Etiam vixiſſe tum reperio Sophronium, patriâ Damaſcenum, primùm ſophiſtam, poſtea patriarcham Hieroſolymitanum; qui anno ΙϽCXXXVI deceſſit. Cùm alia multa in lucem emiſit, tum vitam B. Mariæ Ægyptiacæ; ut cognoſcimus ex Joanne Damaſceno Orat. III de Imaginibus, ſynodo Nicæna II Act. IV, & Nicephoro libro VII capite V. Scripſit idem de laboribus, certaminibus, ac peregrinationibus BB. Petri, & Pauli: cujus libri fragmentum ſupereſt in bibliotheca PP. Ac in primâ quidem bibliothecæ ejus editione tribuebatur Sophronio, patriarchæ Conſtantinopolitano. Perperam planè. Rectiùs ſecunda; ubi Hieroſolymitano adſcribitur. Sed quod in ea apponitur ad oram, Sophronii vitam legi apud B. Hieronymum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis: id ſatius fuerat prætermittere. Nam eſt is Sophronius ipſius Hieronymi σύγχρονος *h*; qui pleraque B. Hieronymi tranſtulit, eaque inter & catalogum illum illuſtrium ſcriptorum. At Sophronius iſte, de quo nunc agimus, vixit tempore Heraclii Imperatoris, ducentis annis poſt B. Hieronymum.

h Æqualis.

Æqualis ejus fuit Joannes Moſchi, cognomine Eviratus, monachus. Hic ad eum, quem proximè diximus, Sophronium, librum ſuum miſit, nomine Λειμῶνα, ſive *Viridarium*, vel, ut alii appellant, Παράδεισον. In eo vitas narrat ſanctorum, qui ſub Heraclio, & circa ea tempora, floruerunt. Hodie in capita diviſum eſt CCIX: ſed Photius teſtatur, in quibuſdam libris habuiſſe narrationes CCCXLII. Stylo eſſe humiliori, ac rudiori, idem Photius judicat. Meminit operis hujus etiam Joannes Damaſcenus, libro eo, quo venerationem imaginum tuetur: ſed vocat τοῦ ἁγίου Σωφρονίου, ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων *ſancti patris Sophronii, Hieroſolymorum archiepiſcopi.* Eidem tribuitur in Synodo Nicenâ ſecundâ Act. IV. Unde ſuſpicari licet, pleriſque ita perſuaſum fuiſſe, præcipuam, aut non minimam ſanè, operam in hoc volumine fuiſſe Sophronii; etſi ſolius Evirati nomen præferat. Fortè ita inter par hoc amicorum convenit: ut ſolus quidem Eviratus auctor in libri inſcriptione diceretur: ſed Sophronio opus ab Evirato dicaretur: inque eo Sophronii tanquam individui comitis ſæpe mentio fieret. Utrumque enim ab Evirato factum videmus.

Eleuſius, ſive Georgius presbyter, & Siceonum manſionis præfectus, vixit tempore Heraclii, & filii ejus Conſtantini, qui patri anno ſucceſſit ΙϽCXL. Eleuſius hic in literas retulit vitam S. Theodori, Siceorum archimandritæ, præceptoris ſui. Extat ea apud Surium Tom. II a. d. XXII April. In fine vitæ ejus legas: *Hæc ego Eleuſius, qui & Georgius à ſancto Georgio vocatus ſum, omnia, Deo adjuvante, conſcripſi. Neque verò miraculorum ipſius expers ſum. Cum enim parentes mei, ex oppido Adſegermaeo, diu ſimul vixiſſent, nec ullos poſſent liberos ſuſcipere; ad ſanctum virum acceſſerunt: cumque zonas, quibus ille benedixerat, accepiſſent, ego conceptus ſum, & in lucem editus; & infans ipſi oblatus, qui &, in ſancto ejus monaſterio enutritus, a religioſiſſimo præfecto literas didici, &c.* Quando verò beatus ille Theodorus deceſſerit, paullò pòſt exponit: *Deceſſit*, inquit, *& vitâ ſanctiſſimus, & beatiſſimus, ac fideliſſimus Chriſti ſervus, Theodorus, tertio imperii anno, pietatis, & Chriſti ſtudioſiſſimi imperatoris Heraclii: quo quidem anno filius ejus, Deo chariſſimus, Conſtantinus creatus fuit Cæſar, indictione prima, die XXII menſis Aprilis.* Quæ ſanè de Eleuſii non magis, quàm Theodori ætate nos ſinunt dubitare. Etſi autem inſcriptio non indicet interpretem: tamen de Græco vitam hanc eſſe tranſlatam, vel argumento eſt, quòd in ea vita, ubi hiatus occurrit, dicantur *nonnulla defuiſſe in Græco exemplari.*

Conſtantino fratri ſucceſſit Heracleonas: ſed octo ſolùm menſibus habuit imperium. Hinc imperium tenuit Conſtantini filius, Conſtans: qui ſolus imperavit ab anno ΙϽCXLI, uſque ad annum ΙϽCLIII: quo conſortem imperii fecit filium ſuum Conſtantinum Pogonatum: cumque eo rexit annis XV. Hujus Conſtantis, & fortaſſe etiam Conſtantini Pogonati tempore, fuit Anaſtaſius, qui præceptoris ſui Maximi vitam memoriæ prodidit; ut & teſtatur Joannes, Epiſcopus Epheſinus. Acta Maximi, quæ Anaſtaſius vitæ ejus inſeruit, reperiuntur in tribus codicibus Vaticanis. Unde ea accepta Petrus Morinus, Theologus Pariſienſis, tranſtulit. Tranſlationem illam Annalibus ſuis intulit Baronius ad an. ΙϽCLVI.

Poſt Conſtantinum Pogonatum imperium fuit penes Heraclium Juſtinianum, cognomento ῥινότμητον, quia à Leontio, imperium invadente, naribus eſt truncatus: quod anno fuit ΙϽCLXIV, ex quo Juſtinianus rexiſſet annis novem. Tempore hujus Juſtiniani τοῦ ῥινοτμήτου fuit Trajanus Patricius, vir planè Chriſtianus, atque orthodoxus. Reliquit χρονικὸν *a* σύντομον πάνυ θαυμάσιον. Auctor Suidas in Τραιανός. Meminit quoque Theophanes Confeſſor. Cujus hæc verba è cod. Mſo promit Philippus Labbæus *b*: Γρατιανὸς ὁ Αὔγουστος ἀντὶ Οὐάλεντος ἐνέδυσε Θεοδόσιον Αὔγουστον, καὶ ἀνηγόρευσε βασιλέα, καὶ ἀπέστειλε εἰς τὸν κατὰ τῶν Γότθων πόλεμον. Γότθους δὲ ἐπιχωρίως τοὺς Σκύθας λέγεσθαι, ὁ Τραιανὸς ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἱστορίᾳ φησίν. Quæ vetus ejus interpres Anaſtaſius Bibliothecarius ſic Latinè reddebat: *Gratianus Auguſtus Theodoſium Auguſtum induit, & appellavit Imperatorem, & contra Gotthos direxit. Gotthos autem vulgò Scythas dici Traianus Patricius perhibet.*

a Chronicon breve, valde admirabile. b In delineatione apparat.

## Cap. XXIV.

*Joannis Damaſceni ætas. Tritthemii, & aliorum, de hac error refellitur. An is auctor ſit hiſtoria de Barlaam, & Joſaphat. Damaſceni ἀκρίβεια in iſtis, quæ de Falconilla, ac Trajani animis, conſignavit. Zacharias Papa tranſtulit Græcè dialogos Gregorii M. Theodorus Studites de vita S. Platonis. Joannes Hieroſolymitanus de vita Joannis Damaſceni. Baſilius Seleucienſis carmine Theclæ res geſtas compoſuit. Non videri auctorem eorum, quæ proſâ ſub ejus nomine de Thecla leguntur. Georgius Syncellus; & cur Σύγκελλος dictus. Euſebium exſcripſit, & caſtigavit: ſed nec rarò ipſe culpandus. Fœdus error ejus de Ptolomæo. Georgius Theophanes; è quo ſua hauſit Anaſtaſius bibliothecarius. Theophanes* Byzantius, an idem.

Tem-

TEmpore Leonis Iſauri, qui cœpit regere anno ſalutis ꟾↃCCXVII, item Conſtantini VII, cognomento Caballini, ac Copronymi, qui imperare cœpit eſt anno ꟾↃCCXLI, claruit Joannes Damaſcenus, cognomine Chryſorrhoas, & Manſur; pro quo eum à Conſtantino vocatum Manſeron, ait Theophanes. De ætate ejus valde falluntur, Vincentius Bellovacenſis, S. Antoninus, & Raphaël Volaterranus; qui vixiſſe dicunt ſub Theodoſio M. circa annum CCCXC. Ea ſententia refellitur, non tantùm autoritate Joannis Hieroſolymitani, qui vitam ejus poſteris prodidit; ſed etiam invictis argumentis. Nam meminit Damaſcenus Petri Gnaphei, ſive Fullonis, libro de Triſagio, & de Orthodoxa fide lib. III. cap. X. Atqui Fullo iſte Leonis, & Anthemii, temporibus vixit, anno CCCCLXX, & deinceps. Adhæc libro de Hæreſibus nominat Cyrum, Sergium, & Euſtachium, Monothelitas; quos ſynodus ſexta condemnavit. Etiam lib. IV. de Orthodoxa Fide cap. XVII. diſputat adverſus Iconomachos. Vidit hoc ex parte Jo. Trithemius. Itaque apud eum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis legas: *Joannem monachum, cognomento Chryſorrhoam, natione Damaſcenum ex Syria, provocatum ſcriptis Gregorii papæ tertii, ſcripſiſſe de Græcis ſuis Græco ſermone contra Leonem imperatorem, anno* ꟾↃCCXXX. Sed tamen idem Trithemius, deceptus ab iis, quos antè retuli, & alterum commemorat Joannem Damaſcenum, qui claruerit ſub Theodoſio M. anno CCCXC. In quo, ut cum poëta *a* dicam,

*a Lucretio lib. 1. & 2.*

*Magnopere à verâ lapſus ratione videtur.*

Nam quòd hiſtoriam Barlaam, & Joſaphat, ab antiquiori illo Damaſceno ſcriptam ait, planè fallitur. Nihil enim cauſſæ eſt, cur alium putemus, quàm illum ſub Leone Iſauro. Sed hìc aliud etiam in controverſiam venit, an hæc Damaſceni hiſtoria ſit genuina. Vix videtur. Nam quo pacto potuit rex Joſaphat, recens ad Chriſtianam religionem converſus, tot ſe tueri teſtimoniis Scripturarum, quas nunquam legiſſet? Sed enim, dixerit aliquis, *ſcita* ipſa, ac fundamenta diſputationum, verè perſcribuntur: ſolùm Damaſcenus ea ſtylo ſuo diduxit, & S. Scripturæ verbis munivit. Inclinat eò Herebertus Roſweidus. At ecce alterum telum. Hiſtoriâ in eâ jubetur filius Regis credere in Spiritum S. à Patre, Filioque, procedentem. Quod Damaſceni ſententiæ repugnat: ut liquet ex lib. I. de Fide cap. XI. Neque video, ut difficultati huic occurri queat; niſi dicamus, ab Latinis ea eſſe adjecta. Sanè in Billianâ editione non habentur; ſeu ea præter codd. veterum fidem Billius ſuſtulerit, ſeu adjecerint priores. Scrupulum quoque injicere poſſit, quòd Billius in codice quodam adſcriptum reperit nomen Joannis Sinaitæ: qui temporibus vixit Theodoſii Senioris; ut conſtat ex Paulli Diaconi Hiſtoriæ Miſcellæ libro XIII. Imò complures inveniri Msos Græcos, in quibus Sinaitæ illi tribuatur, jam alii monuerunt. Sed eum non eſſe auctorem, evincit idem Billius: qui hiſtoriam hanc, à Trapezuntio, vel alio non paullò antiquiori, parum fideliter verſam, majori fide, ac curâ, tranſtulit; deque auctore ejus ſolidè diſſeruit. Præterea elucubravit Damaſcenus vitam æqualis ſui Stephani junioris; qui cùm acriter imaginum cultum defenderet, multùm propterea Conſtantino Imperatori exoſus fuit, graviaque ab eo perpeti coactus eſt. Habes eam non modò in Billianâ Damaſceni operum editione: ſed etiam in hiſtoria Sanctorum Surii Tom. VI, die XXVIII Nov. Utrùm tamen illa Stephani, & Sociorum Acta, ſint genuina, dubitari video à Cæſare Baronio, Severino Binio, & Melchiore Goldaſto *b*. Item dicitur Florentiæ exſtare hujus Damaſceni liber de geſtis in Perſide. Etſi verò Damaſcenus vir foret egregiè eruditus, ac magni nominis: tamen in pleriſque credulus fuit plus ſatis. Hoc oſtendunt hiſtoriæ ab eo relatæ in ſermonibus. Sanè agnoſcit etiam Baronius, *in multis ejus ſcriptis fidem vacillare, & compluribus ipſum ſcatere mendaciis.* Quod ejus judicium Caſaubonus firmat exercitatione XIII adverſus Baronium ſect. XXXVIIII ubi varios, & ſpiſſos errores annotavit. Etiam aliis in ſcriptis judicium deſideres: inter cætera in narratione illâ de anima Falconillæ, precibus B. Theclæ, primæ martyris, ab inferorum ſuppliciis liberatæ; etſi in gentili errore, & idololatria, obiiſſet. Item quòd ait, animam Trajani Imp. ſimiliter pœnis infernis exemtam precibus Gregorii Magni. Quorum utrumque legas apud Damaſcenum oratione de his, qui in fide migraverunt. Fortaſſe aliquis abjudicet propterea orationem illam Jo. Damaſceno. Sed Bellarminus cauſſam hanc ſatis gravem eſſe minimè putat. *Nam*, inquit, *narrationes* quidem, *falſæ eſſe videntur, & fabulis ſimiliores, quàm hiſtoriæ. Sed fieri poteſt, ut S. Joannes Damaſcenus, quamvis alioqui doctus, & prudens, iſtis narrationibus facilè fidem habuerit; neque de veritate earum inveſtigandâ ſollicitus fuerit.* Dixerit aliquis, illud de Falconillæ anima didiciſſe è Baſilio, Seleuciæ epiſcopo, qui annis penè trecentis anteceſſit: quippe qui interfuerit ſynodo quartæ œcumenicæ, eique ſubſcripſerit. Equidem non ignoro, legi idem in vita Theclæ, ſub Baſilii Seleucienſis nomine edita è doctiſſimo viro, Petro Pantino: qui & narrationem de liberata Falconillæ anima defendit in notis ſuis. Sed perſuadere mihi non poſſum, vitæ ejus ſcriptorem adeò eſſe antiquum. Sanè ſi tantò ante Damaſcenum aliquis magnæ auctoritatis monumentis ſuis tale quid conſignâſſet: puto, non altum adeò ſilentium eſſet hac de re apud ſcriptores omnes, qui inter Baſilium, & Damaſcenum, vixiſſent. Verùm, obducat aliquis, Photium diſertim teſtari in bibliotheca ſua cod. CLXVIII, à Baſilio, Seleuciæ epiſcopo, primæ martyris Theclæ præclarè geſta, certamina, & victorias, eſſe perſcriptas. Dicit hoc quidem Photius; ſed ait, ea complexum eſſe μέτρῳ, ſive carmine. Illa verò, quæ primus edidit Pantinus, ſolutâ oratione exarata ſunt; ut planè alia ſint. Et, credo, aliquis, cùm legiſſet, Baſilium Seleucienſem de Thecla egiſſe, fucum facere voluit lectori, præfigendo tanti viri nomen: quaſi idem, & proſâ, & carmine, eandem rem tractâſſet: quomodo nempe Tertullianus contra Marcionem fecit; ut alios mittam. Cujuſmodi dicerentur ſpecioſè, niſi, quæ libris iſtis traduntur, parùm ejus ævi, & eruditionis, viro digna viderentur. Neque ſtylus convenit; qui ſanè alius eſt in orationibus hujus Baſilii. Quod neque Pantinus negare audet. Nam tantùm ait, *ſtylum à Photio deſcriptum, quique in homiliis ſub ejuſdem nomine editis comparet, non valde repugnare*: quomodo qui loquitur, minimè inficias it, ſtylum aliquantum adverſari. Hæc eò fuſiùs ſum perſecutus, quia & libri illi duo de Thecla pertineant ad præſens argumentum, cùm hiſtoriam promittant primæ illius martyris, etiam celebratæ Tertulliano, Cypriano, Nazianzeno, Nyſſeno, Ambroſio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Sulpicio Severo, ac tot veterum aliis. Damaſceni vitam poſteritatis memoriæ tradidit Joannes, patriarcha Hieroſolymitanus; ut inferiùs dicetur.

*b In diſſertatis imperialibus de cultu imaginum pag. 24. & 26.*

Adhæc Conſtantini hujus ſexti temporibus fuit Zacharias Papa: de quo ſic Sigebertus in Catalogo cap. LXXVII: *Zacharias Papa libros dialogorum primi Gregorii Papæ de Latino in Græcum tranſtulit, & plures Latinæ linguæ ignaros lectione eorum illuminavit.* Dialogi iſti à Gregorio ſcripti ſunt de *miraculis ſanctorum ſui temporis*; ut idem Sigebertus ait cap. XLI. Quod eò addo, ne quis, qui minùs legerit, arbitretur, nihil eos ad hiſtoriam pertinere. Hæc Zachariæ tranſlatio exſtat in editione Gregorii Magni, quæ prodiit Romæ anno ꟾↃXCI. Sed hiatus ille lib. III, ubi deſiderantur cap. XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, & pars XXV, ab Henrico Caniſio ex membranaceo codice Auguſtano ſuppletur Tom. III Antiquarum Lect.

Etiam Conſtantini Caballini, ſive Copronymi, & filii ejus Leonis IV Porphyrogenneti, atque item poſt eos, ſub imperio Conſtantini, & matris Irenes, effulſit Theodorus Studites: quomodo vocatus à monaſterio, cui *Studium* nomen erat. Hic cùm alia multa divulgavit; tum etiam oratione funebri complexus eſt vitam S. Platonis; quæ eſt apud Surium, Tom. VI. die XVI Decembris.

Extremis item Conſtantini hujus VI temporibus, filiique ejus Leonis IV, apud omnes, qui cultum imaginum comprobarent, in pretio fuit Joannes, patriarcha Hieroſolymitanus; non ille quidem, qui à Gennadio in catalogo memoratur, (totis enim ſeculis præceſſit) ſed is, qui Jo. Damaſceno paullò junior fuit. Damaſcenum autem anno ƆCCXL vixiſſe, antea diximus. Ut plane falſus ſit Petrus Lucius Carmelita; quando duos hoſce Joannes Hieroſolymitanos in bibliothecâ ſuâ confudit. Patriarcha hic literis mandavit vitam Joannis Damaſceni, cognomento Manſur; quæ hodieque exſtat, operibus Damaſceni vel præmiſſa, vel ſubjuncta. Abundè eâ ex operâ elucet, quantopere fuerit adverſatus Conſtantino Caballino, filioque Leoni IV; à quibus anno ƆCCLIV Synodus erat habita contra cultum imaginum: ut liquet ex Actis Concilii Niceni ſecundi, Act. VI. Atque inde etiam eſt, quòd comparans nomen Leonis Imperatoris, & Joannis Damaſceni, illud eſſe ait ab leonis rugientis ſimilitudine: alterum autem fuiſſe impoſitum à gratia; videlicet quia idem Hebræis ſit *Jochanan*, five *Joannes*, quod Latinis eſt *Gratianus*. Vitam Damaſceni, ſi Poſſevino in Apparatu ſacro credimus, Arabicè primò exaravit Patriarcha is, quem dixi. Sed in vita Damaſceni patriarcha ait, primò Arabicè ſcriptam fuiſſe; ſtylo tamen rudi, & incompto. At non dicit, ſe eâ compoſuiſſe linguâ. Nempe qui nonniſi laborem ſuſceperit Græcè eam prodendi. E Græcis Latinè reddidit Joannes Oecolampadius: ſed elegantiùs Jacobus Billius Prunæus. In Surii collectione Latinè invenies Tom. III. Maji VI.

Conſtantini Porphyrogenneti temporibus, & matris ejus Irenes, qui cœperunt imperare anno ƆCCLXXX, aliquod nomen geſſit Georgius monachus, Taraſii Patriarchæ Syncellus: quomodo dicebatur, qui proximus eſſet patriarchæ, eique defuncto deſtinatus eſſet ſucceſſor. Vide, quæ de ea dignitate annotavit doctiſſimus Meurſius in Lexico ſuo Mixobarbaro. Syncelli hujus Chronicon ad nos pervênit cum inſcriptione iſtiuſmodi: Ἐκλογὴ a χρονογραφίας, συνταγεῖσα ὑπὸ Γεωργίου μοναχοῦ, συγκέλλου γεγονότος Ταρασίου πατριάρχου. In hoc volumen Syncellus univerſum Euſebii Chronicon, nullâ verborum immutatione, tranſtulit: ſed ita, ut perpetuus penè ſit in Euſebio inſectando, ac rarò eum ſine contumelia dimittat: quin etiam ἐμβρόντητον b appellet. Interim fatemur, meritò ſæpe ab Euſebio diſſentire. Verùm enimvero eſt etiam, cùm Syncellus ipſe non minùs latæ ſit culpæ reus: quod paſſim oſtendit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis. Ut cætera mittam, quanti in Chronologo eſt ſtuporis, cùm Ptolomæum Aſtrologum, & Geographum, qui ſub Antonino Pio vixit, æqualem facit Philippo Aridæo fratri Alexandri Magni? Quæ Euſebii nomine Scaliger in Theſauro Temporum edidit Græcè, ea ex Georgio Syncello excerpſit. Vixit Georgius hic temporibus Karoli Magni: opuſque ſuum adornavit anno ƆCCXCII, annis XXI ante obitum Karoli. Morte verò præventus tantùm ad Maximianum, & Maximinum, tyrannos, volumen ſuum perduxit: quod etiam de eo Joannes Curopalates, & Cedrenus, monuerunt, uterque in proœmio: item Michaël Glycas prope finem partis tertiæ Annalium. Georgium hunc ſignari cenſeo à Jo. Tzetze Chil. II. Hiſtor. XXXIII, quæ eſt de Cleopatra, & *Pharo*; ubi inter alios teſtis laudatur Γεώργιος ὁ χρονικός c. Vocatur & Georgius Ἁμαρτωλὸς d; ut in fragmento de inventione Crucis, apud Gretzerum de cruce Tom. II e. Opus hoc Georgii monachi, ſive Hamartoli, à quodam Stafino ταχυγράφου ζωγράφου f deſcriptum, in lucem daturus eſt Leo Allatius in Corpore hiſtoriæ Byzantinæ, quod typis Regiis excuditur Pariſiis. Exſtat quoque Mſtum in Pariſienſi bibliotheca Regis Galliarum. Sed quid ſibi vult, quòd in catalogo librorum Allacii antè memorato, numero LXVI, legitur: *Hiſtoria Georgii abbatis, qui Hamartolus vocari amat, ab exordio mundi ad imperium Michaëlis, Theophili filii, imperatoris.* Quod fuerit uſque ad annum Chr. ƆCCCXLI. Quid item de eo dicemus, quòd in bibliothecâ Bavaricâ, quæ Monachii eſt, Georgii Hamartoli Annales breves ex variis collecti ſcriptoribus progrediantur uſque ad imperatorem Conſtantinum Porphyrogennetum, Leonis philoſophi filium, Baſilii Macedonis nepotem? Qui imperare cœpit anno ƆCCCCXII. Sed de his certiora promere licebit, ubi codicem ſuum publicârit Clariſſimus Allatius.

*a Excerpta chronographica, collecta ab Georgio monacho, Taraſii patriarchæ ſyncello.*
*b Attonitum, ac inſtar eorum, qui de cœlo tacti ſunt, ſtupentem totum.*
*c Georgius temporum ſcriptor.*
*d Peccator.*
*e Pag. 52. edit. Ingolſtad. an. 1600.*
*f Notario, & pictore.*

Æqualis ei fuit Georgius Theophanes, Confeſſor: ut conſtat ex Michaelis Glycæ Annalium parte tertiâ a. *Ruri degentis cœtus præfectus* ibidem vocatur, ſive *agri dux*; ut vertit Joannis Curopolatæ interpres initio operis. Sed *Ducis* vox huic loco non convenit. Eſt enim Ἀγρὸς cœnobii nomen: ut liquet ex Anaſtaſio bibliothecario; qui vocat *Abbatem in monaſterio Agri*. Eoque non *Dux* vertendum, quaſi eſſet ἀγὸς; ſed *præpoſitus*, vel *præfectus*, vel *antiſtes*, vel aliquâ non abſimili ratione, quæ abbati conveniret. Chronicon elaboravit uberrimum; quod interpretatus eſt Anaſtaſius bibliothecarius. Familiaris fuit Georgio Syncello: qui cùm, morte præventus, Chronicon ſuum tantùm perduxiſſet uſque ad tempora Maximiani, & Maximini; Theophanes reliqua, ipſius Syncelli poſtulato, pertexuit; nempe uſque ad obitum Nicephori Logothetæ, & initium Michaelis Curopalatæ, *Rancabe* dicti, Nicephori generi; ut teſtantur Joannes Curopalates, & Georgius Cedrenus, hiſtoriæ ſuæ proœmio. Id temptis incidit in annum Chriſti ƆCCCXII. Hinc &, in codice bibliothecæ Chriſtianiſſimi regis, Syncellum hic Theophanes excipit. Miſcellæ hiſtoriæ collector, uti in prioribus libris Eutropium, & Diaconum, exſcripſit: ſic in poſterioribus, puta ab initio lib. XVII, ſequitur Theophanem, & ita ſequitur, ut interpres veriùs ſit, quàm ſcriptor diverſus. Atque id vel conſtare poteſt ex fragmentis iſtis, quæ Dionyſius Petavius ſuis in Nicephorum notis inſeruit. Nam integer necdum prodiit in lucem. Solùm fragmentum ejus de Moammedicæ ſectæ origine, ac dogmatibus præcipuis, in Saracenicis ſuis edidit Sylburgius; qui & verſionem ex Anaſtaſii bibliothecarii hiſtoria Eccleſiaſtica adjecit. Theophanes hic Græcè edetur in corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, quod molitur Philippus Labbæus, Societatis Jeſu Theologus. Ac quia Anaſtaſii interpretatio mutila, & vitio ſeculi barbara eſt, integriorem, & limatiorem addit tranſlationem, Joannis Baptiſtæ Hautini, Conſiliarii Regii. Planè autem mihi hic idem videtur, ac Theophanes ille presbyter, & præpoſitus; cujus oratio de exilio S. Nicephori, epiſcopi Conſtantinopolitani, deque tranſlatione reliquiarum ejus, apud Surium exſtat, Tom. II. XIII Mart. Cogitandum autem, an idem quoque ſit, ac Theophanes Byzantius; ex cujus decem hiſtoriarum libris quædam de Juſtino, ac Choſroë, excerpta habemus apud Photium cap. LXIV.

*a Prope finem.*

## CAP. XXV.

*Nicephori Conſtantinopolitani libri, ſtylus, dignitas, obitus, ſollemnis dies. Michaël Monachus. Theoſterictus. Sergius confeſſor. Alter Sergius, itidem confeſſor. Nicephorus Conſtantinopolitanus junior, chronologus. Scriptor Vitæ S. Anaſtaſiæ. Photius patriarcha. Leo VI Philoſophus. Nicetas David. Simeonis Metaphraſtæ ætas adſeritur; in qua pluribus aberratum. Non omnes Vitæ, quæ ejus creduntur, Simeonis ſunt; ſed quædam à junioribus additæ. Ac genuinæ partim ſignata hiſtorica fide, partim ex veriſimili poëtarum more conſcribillatæ. Hippolytus Thebanus.*

PErvenimus ad eos, qui nono partæ ſalutis ſeculo vixerunt. Ac anno quidem ƆCCCII Nicephorus Logotheta Irenen imperio dejecit. Nicephoro, anno ƆCCCXI, ſucceſſit Michaël Curopalates: cui biennio pòſt Leo V Armenius. Sub hiſce claruit Nicephorus, patriarcha Conſtantinopolitanus. Familiaris fuit Theodoro Studitæ: ut cognoſcere eſt ex ipſius Studitæ epiſtolis, quæ Romæ in Vaticana, & in Aſcanii Columnæ, Cardinalis, bibliothe-

ca,

æ, quæ Sirleti olim fuit, adverſantur. Vide Baronium Tom. IX, ad annum IↃCCCXXI. Reliquit *ἱστορίαν σύντομον*, ſive Breviarium de rebus geſtis à Mauricii cæde, uſque ad Leonis IV Porphyrogenneti, & Irenes nuptias: hoc eſt, Conſtantini Copronymi annum XXIX, Chriſti IↃCCLXIX. Primus publicavit; ac tralationem ſuam addidit V. Clariſſ. Dionyſius Petavius. Notas etiam Chronologicas adjecit. Factum id anno CIↃ IↃCXVI. Sed idem eum, hocce anno CIↃ IↃCXLVIII, ſecundis curis auctiorem dedit excudendum. Ac ejuſdem etiam ex Theophane luculentum fragmentum adjecit; ſed alius, ut videtur, operis. Nam dictio non ita conciſa eſt, ac in breviario: ſed fuſior, qualis oratorum eſſe ſolet. Quod ſatis veriſimilem facit ejuſdem Petavii conjecturam, eſſe ex opere aliquo, quo venerationem imaginum defenderit adverſùs imperatorem. Dictionis elegantiam etiam Photius Patriarcha laudat cap. LXVI. Addit quoque, eum multos, qui antea ſcripſiſſent, hoc uno hiſtorico opere exſuperâſſe: neque in eo aliud quidquam deſiderari poſſe, quàm quòd brevitas nimia deterat aliquid de ſumma venuſtate. Præfuit Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ annos IX. Poſt id tempus ab Imperatore Leone Armeno ejectus fuit: & ſurrogatus ei Theodorus, ſive Caſſiteras. Auctor Nicephorus junior, in Chronologia: de qua hoc ipſo capite dicam. Nam *χρονολογίας* auctorem eſſe diverſum ab Nicephoro eo, de quo hactenus actum nobis, non ineptè inde colligimus, quòd *χρονολογία* iſta deſinit in imperio Theodoræ, filiique Michaëlis, ac patriarchatu Ignatii Eunuchi. At Nicephorus ille, de quo dictum, aliquanto antè obierat; nempe anno IↃCCCXXVIII, qui octavus erat Michaëlis Balbi Imperatoris, quartusdecimus exilii Nicephori. Vide Theophanis presbyteri orationem apud Surium Tom. II. Quare aut verum eſt, quod dixi: aut poſtea quædam Nicephori Chronologiæ fuerunt adjecta: ut Gennadii catalogo illuſtrium virorum, & hiſtoricorum multis contigiſſe, videmus. Hujus Nicephori patriarchæ memoria, propter ea, quæ, ſacrarum imaginum venerationem defendens, perpeſſus fuit, celebratur in Oriente IV Non. Jun. ut ex Menologio Græcorum conſtat: in Occidente autem III Idus Martias, non Majas: ut apud Petavium, ſeu memoriæ, ſeu librarii errore, legitur.

Leone V Armenio per fraudem necato, imperio ſuo cuncta ſubjecit Michaël Ψελλός, ſive Balbus: quod anno contigit IↃCCCXXI. Sub hoc Michaël monachus vitam exaravit æqualis ſui Theodori abbatis, cognomento Studitæ; de quo antè dictum. Multaque propterea, quòd imaginum cultum propugnaret, perpeſſus eſt ab Imperatoribus iconoclaſtis. Obiit autem anno IↃCCCXXVI. De hujus ergò vita liber Michaëlis monachi, quem dixi, in Vaticano exſtat: multaque inde Annalibus ſuis inſeruit Baronius in Tom. IX, ad an. IↃCCXCVIII, ac deinceps. Etiam Joannes Lævineius, præfatione in Studitæ Catecheſin, eum ſibi librum lectum ait, indeque pluſcula Studitæ loca in Notis ſuis illuſtrat. Judicio autem ejus is Michaëlis liber eſt *copioſior, quàm eruditior*.

Michaëlis etiam Balbi tempore, atque item filii ejus Theophili, qui paterni hæres imperii factus eſt anno IↃCCCXXIX, claruit Theoſterictus. Hic oratione funebri complexus eſt vitam præceptoris ſui Nicetæ Confeſſoris: qui vitâ exceſſit circa annum IↃCCCXXIII. Habes eam apud Simeonem Metaphraſtem, & exinde apud Surium Tom. II, die III April.

Sub eodem Theophilo claruiſſe videtur Sergius Confeſſor. Hic hiſtoriam ſuam cœpit à Michaële imper. atque inde recurrit ad Conſtantinum, cui Copronymi cognomen factum. Eum Michaëlem eſſe cenſeo, cui *Balbo* cognomentum. Saltem Michaël Curopalates eſſe non poteſt; qui nec biennio toto imperavit. Dictio Sergii perſpicua fuit, & minimè affectata: ſed nativâ venuſtate florida, planè qualis Eccleſiaſticum ſcriptorem decet; ut cenſet Photius bibliothecæ cod. LXVII. Alius ab hoc eſt Sergius Confeſſor, quem Leo Iſaurus Iconomachus necavit. Ejus memoria eſt in Menologio Baſilii imperatoris, die XIII Maji. Meminit & Baronius Tom. IX, ad annum IↃCCXXXV.

Theophilo mortuo, anno IↃCCCXLI, paterni imperii hæreditatem adiit Michaël III: ſed conſorte tantæ dignitatis matre Theodorâ. Sub his (ſi poſtremi tres, quatuorve imperatores, ejuſdem ſint auctoris, ac priores) viguit Nicephorus Conſtantinopolitanus junior: quippe qui Chronologiam ſuam, ut paullò antè dictum, in horum finiat imperio; ac ſimiliter in patriarchis ultimum agnoſcat Ignatium Eunuchum, eum, in cujus locum Photius ſuffectus fuit. Dixi, quid primò fuerit viſum. Sed, iſta poſtquam ſcripſiſſem, vidi, lucem allucente Labbæo a, ejuſdem eſſe, tum *χρονολογίας*, tum *ἱστορίαν σύντομον*, de qua paullo antè dicebam. Arguunt hoc verba illa Anaſtaſii bibliothecarii, præfatione ad Joannem Diaconum: *Huic ſanè operi, ratum duxi, Beati Nicephori, Conſtantinopolitani epiſcopi, Chronographiam proponere* b: *ut ſcilicet & ex ea poſſis aliquantula carpere, & ſicubi fortaſſis hac utendum judicaveris, tuam non lateat omnino notitiam.* Ejuſdem igitur Nicephori ſit hoc opus; niſi quòd tres, quatuorve imperatores, addiderit poſtea alius. Chronologiam Nicephori hujus Latinè vertiſſe dicitur Anaſtaſius bibliothecarius. Tranſtulit poſtea Joachimus Camerarius, & commentarium addidit. Exinde Antonius Contius novam editionem emiſit, in qua ſe ait tralationem Camerarii emendâſſe ad Anaſtaſianum exemplar: notas præterea chronologicas adjecit. Secuta eam eſt editionem bibliotheca PP. qualis ſecundò prodiit. At primus Græcè Nicephorum hunc divulgavit Joſephus Scaliger, in Theſauro temporum.

a *In delineatione Apparatus ad Corpus hiſtoriæ Byzantinæ pag. 47.*

b *Fortè* præponere.

Etiam ætate hujus Michaëlis Porphyrogenneti vixit ille, qui vitam reliquit S. Athanaſiæ. Nam claruit ea circa annum IↃCCCL. At ſcriptor ejus vitæ referre ſe ait, quæ partim vidiſſet, partim audiſſet à matre ſua, atque aliis mulieribus, quæ familiares fuerant S. Athanaſiæ. Habes apud Simeonem Metaphraſtem: item Surium die XIV Aug.

Anno IↃCCCLXVI Baſilius Macedo, interemto domino ſuo Michaële, imperium invaſit, atque annis id tenuit duodeviginti. Hujus exſtant Novellæ: item *πρόχειρον* c *νομικὸν* titulis LX; quod nunc uni Leoni, nunc eidem & filio Conſtantino, nunc duobus illis, & alteri Baſilii filio Leoni tribuitur. Hoc opus magnam partem in *πρόχειρον* d transſcripſit Harmenopulus. Superſunt etiam Baſilii ad Leonem filium Παραινέσεις e. Sed nihil iſta ad hiſtoriam. Partim verò Michaëlis, de quo diximus, partim Baſilii hujus temporibus, longè lateque nominis ſui decus diffundebat Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, omnium ſuæ ætatis doctiſſimus: qui juſtiùs locum ſibi hìc depoſcit, non quidem ob Νομοκάνονα, quo Leges, & Canonas contulit: ſed propter excerpta ex hiſtoricis, tum eos, qui vitarunt Libitinam, tum qui injuriâ temporis perierunt. Ea cum cæteris *ἐκλογαῖς*, & cenſuris ſuis, complexus eſt præclaro opere, quod *μυριόβιβλον* f, & *bibliothecam*, inſcripſit. Confecit hoc opus rogatu fratris ſui Taraſii, cùm ab imperatore Conſtantinopolitano miſſus eſſet legatus in Aſſyriam: ut ipſe in præfatione operis teſtatur. Deſcripſit & templum, quod Conſtantinopoli erat in Palatio Imperatoris. Eam deſcriptionem Petrus Lambecius, cum tralatione, & notis ſuis, Codino ſubjunget in corpore Byzantinæ Hiſtoriæ, quod Pariſienſes moliuntur. Præterea, Photii Patriarchæ hiſtoriam de Rhetoribus decem exſtare, lego in Nomenclatore Roberti Conſtantini. Patriarcha Conſtantinopolitanus in Ignatii locum ſuffectus eſt anno IↃCCLIX; cùm priùs eſſet *πρωτοσπαθάριος* g, & urbis ſenator. Cætera, quæ ad vitam ejus pertinent, ſuggeret Andreas Schottus, Photii interpres, in Prolegomenis.

c *Epitome Legalis.*

d *Promtum, & expeditum compendium.*

e *Adhortationes.*

f *Libros infinitos.*

g *Primus à ſecretis.*

Sub iiſdem imperatoribus vixit Nicetas David; qui & Nicetas Paphlago, Photii, de quo proximè loquebamur, adverſarius. Compoſuit vitam Ignatii monachi, Michaëlis Trauli Imper. F., patriarchæ Conſtantinopolitani; quo exacto, Photius ex ſenatore factus eſt patriarcha. Græcè exſtabat in Columnenſi bibliotheca Cardinalis Sirleti: unde

unde erutum Latinè tranſtulit Fridericus Metius: poſteaque Matthæus Raderus, Soc. Jeſ. Theologus. Eo ſe opere adjutum fatetur Baronius ad annum IↄCCCXLVIII. Meminere etiam hujus Nicetæ Joannes Curopalates, & Georgius Cedrenus; uterque initio operis. Guilielmi Xylandri ſuſpicio eſt, eundem eſſe hunc Nicetam, ac illum, cui *Acominati* cognomentum fuit. Sed tempora videntur diſconvenire. In quibuſdam codd. Mssis Nicetæ Davidi, philoſopho Paphlagoni, tribuuntur; quæ alii adſcribunt Nicetæ Serroni, prius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diacono, poſtea autem Heraclienſi Archiepiſcopo. Ut in Catena Patrum, & ſcriptorum Eccleſiaſticorum, excerpta in Matthæum, & Lucam Euangeliſtas; item expoſitio multorum Nazianzeni Carminum, & Orationum. Diverſos tamen eſſe hos Nicetas, Leonis Allatii ſententia eſt, diatribâ de Pſellis. Cui hac parte potiùs ſubſcribo.

Anno IↄCCCLXXXVI exceſſit Baſilius Macedo; imperiique hæreditatem adiit filius Leo VI, cognomento Sapiens, vel Philoſophus: nimirum quia philoſophiæ totius, ac juris eſſet peritiſſimus. Sed *Philoſophus* junioribus, *Sapiens* autem veteribus dici ſolet. Eoque videndum, ne cum Gyraldo, & aliis, confundamus Leonem Philoſophum, ſenioris Michaelis Pſelli diſcipulum, cum hoc Leone Sapiente imperatore. Hujus ſunt Novellæ, quas Latinè reddidit Agyllæus; & juris epitomæ; item opus *Βασιλικῶν a*, quod ἑξηκοντάβιβλον *b* nominatur. Adhæc τακτικὰ *c*, & liber de Aucupio, in bibliotheca Antonii Auguſtini *d*; item oracula, & vaticinia varia de Roma, & Conſtantinopoli, in bibliotheca Conſtantinopol. Sed hic loci nobis memoratur propter vitam B. Joannis Chryſoſtomi. Savilius eam habet in tomo VIII operum Chryſoſtomi. Sed nihil aliud eſt, quàm epitome eorum, quæ fuſiùs tradiderat Georgius, Alexandrinus epiſcopus. Nec à pura dictione poſſumus laudare; cùm ea ſit propè barbara. Adde, quòd nec judicio ſit magno uſus in colligendo. Quæ præterea emiſerit, dicet Poſſevinus. Sed tacet de Chryſoſtomi vitâ; quam, puto, non viderat. Leonis imperatoris vita ex hiſtoria in Patriarcham Abraham, & ejuſdem imperatoris hiſtoriæ particulares, exſtitere Conſtantinopoli in Palat. Joannis Sadi; teſte Poſſevino in append. Apparatus ſacri *e*.

*a Regiarum Conſtitutionum, de quarum auctore adi Cujacium l. 6. Obſervat. cap. 9.*
*b Opus LX librorum.*
*c De acie inſtituenda.*
*d Num. 228.*
*e Pag 48 edit. Colon. an. 1608.*

Sub Leone hoc Symeon Metaphraſtes, propter generis claritatem, opes luculentas, dignitatem, ac imprimis prudentiam, doctrinam, facundiam, magno in pretio fuit; ſicut ex Pſello in Symeonis encomio cognoſcimus. Atque idem refert, non Conſtantinopolin modò, ſed etiam civitates vicinas, imò orbem univerſum, radiis ſuis illuſtrâſſe: fuiſſe autem imperatoribus à ſecretis, & intimis conſiliis, ac munus ei incubuiſſe renunciandi imperatori, quæ exteri adferrent, ac deinde ſignificandi exteris, quid reſpondiſſet imperatori. Mirum, qui tantâ fuerit dignitate, eum ab Hoſpiniano, libro de Templis, nuncupari *trivialem ludimagiſtrum*. Prævit illi non quidem Geſnerus, qui nihil habet tale Tom. I. bibliothecæ, voce *Symeon*; ſed, in bibliothecæ Geſnerianæ Epitome, Joſias Simlerus: ubi *ludimagiſtrum* appellat. Non arbitror hoc confinxiſſe: quod à viri optimi, & doctiſſimi, moribus alienum erat. Credo in Indice, ſive Nomenclatore aliquo librorum Græcorum, invenerat. Vellem tamen auctorem laudâſſet. Eſto autem, ut in adoleſcentiâ hoc ſe munere ſuſtentârit. Non ideo ſic nuncupari eum oportuit, qui non genere modò, & opibus polleret: ſed præterea evectus foret ad tantam dignitatem. Interim videre mihi videor, cur Symeonem non niſi cum iſtiuſmodi elogio dimittendum putârit. Nempe offenſus eo fuit, quòd a ſimplicioribus Vitæ ab eo exaratæ tanto in loco haberentur, omniaque albâ ſignarentur lineâ, cùm neutiquam ἀδιακρίτως *f* eum legi oporteat. Equidem omne hoc lubens agnoſco; ut inferius liquebit. Sed non propterea detractum iero juſtis etiam laudibus *viri in Eccleſiis Græcis celeberrimi*; ut Andreæ, Rhodi epiſcopo, appellatur in concilio Florentino *g*: ubi quoque idem dicit, *in Eccleſiis Græcis legi quotidie*. Imò, quemadmodum Gregorius Nazianzenus cognomentum habuit Theologi, ita Symeon hic videri poſſit Νεώτε-ρῶς *a* eſſe dictus *recentior Theologus*. Id veriſimile etiam Gretzero *b* viſum fuit, propterea quòd Index bibliothecæ Vaticanæ *c* hæc habeat verba: Τῦ μεταφραςῦ κυρῦ Συμεὼν τῦ νέυ Θεολόγυ περὶ προσευχῆς *d*. Præterea Joſephus Methonenſis contra Marcum Epheſinum in eadem Synodo Florentina ait: *Symeon novus ſeu junior Theologus, qui & Metaphraſtes*. Sed quid de eo dicemus, quòd idem Simlerus claruiſſe Simeonem ait circa annum cIↄCC? Atqui multò antiquior eſt Pſellus ipſe, qui ejus elogium ſcripſit circa annum cIↄLX. Tum enim imperare cœpit Conſtantinus Ducas: cujus fuerat præceptor; ut inferiùs dicetur. Jam verò Leo philoſophus CLX annis ante Conſtantinum imperium tenuit. Sub hoc autem vixit Metaphraſtes: ſic tamen ut vitam ulteriùs aliquanto prorogaret. Nempe etiamnum vivebat ſub Leonis filio, Conſtantino Porphyrogenneto; atque adeò etiam Romano Lagapeno; qui anno eo Orientalis imperii habenas accepit à Conſtantino, quo in Occidente cœpit imperare Henricus Auceps. Erat autem is annus Chriſti IↄCCCCXIX. Hæc clarè docent, annis quaſi trecentis aberratum eſſe à Simlero. Quid jam dicam de Hoſpiniano? qui, multo ſpiſſiori errore, cenſet, non niſi ducentis annis fuiſſe antequam ea ſcriberet, quod erat anno cIↄIↄXCVIII. Quomodo fuerit Simeon non multo ante annum cIↄCCCC; qui error eſt annorum quaſi quingentorum. Dixeris, bellè hoc procedere ex hypotheſi ea, quòd Michaël floruerit ſub Leone philoſopho, Baſilii Macedonis filio. Id verò priùs fuiſſe demonſtrandum. At liquet hoc de Leone, ex occaſione, qua ſcribere vitas ſanctorum cœpit. Siquidem ab hoc Leone miſſus in Cretam, quam invaſerant Arabes, impedientibus ventis, non ultrà provectus, quàm in Parum inſulam, incidit illic in ſenem Anachoretam: à quo didicit vitam S. Theoctiſtæ, virginis Lesbiæ. Quia verò ſenex ille rogârat, ut, legatione perfunctus, vitam ſanctæ Theoctiſtæ literis complecti vellet: non paruit modò, ſed ab hoc ſanctorum Vitas exarare orſus fuit. Quæ omnia è Pſello cognoſcimus. Cæterùm Arabes inſulas Ægei maris, ac maritimam Græciam, infeſtarunt ſub Leone illo, qui patri Baſilio Macedoni ſucceſſit: ut eodem tempore à Cedreno, & Curopalate, poſtea item à Zonara, & aliis, perſcriptum. Meritò igitur aſſentio Leoni Allatio, hinc colligenti, vixiſſe Symeonem ſub Leone philoſopho. Eidem Allatio adſenſum quoque præbeo, conjectanti, non alium fuiſſe Symeonem, qui Leonis poſtulato aurum à Rhodophyllo relictum obtulit apoſtatæ Leoni Tripolitæ, ne everſum iret Theſſalonicam: ideoque ab eodem Cæſare patricius eſt factus, & primus ſecretarius. Valde enim hoc cum eo convenit, quòd toties à Pſello Λογοθέτης nuncupatur. Quæ verò fuerit Λογοθέτου dignitas, Joannes Meurſius in Gloſſario, atque alii, dicent. Porrò non in ſanctæ Theoctiſtæ vita concinnanda ſubſiſtit Symeon; ſed aliorum etiam vitas prodidit; eaſque ad menſium dies digeſſit. Exſtant in bibliothecâ Vaticanâ, Bavaricâ, Auguſtanâ, aliis. Eas hortatu Aloyſii Lipomani Latinas partim fecit Gentianus Hervetus; partim Guilielmus Sirletus, tunc protonotarius Pontificis, poſtea Cardinalis; partim etiam Franciſcus Zinus Veronenſis. Atque ex octo tomis Lipomani conſtituit Metaphraſtes tres tomos. Habes & vitas eas apud Laurentium Surium. Sed plurima in iis fabuloſè ſcripta ſunt. Et ideo *Metaphraſtes* dictus, quia id nomen non iis tantùm convenit, qui ex unâ aliquid linguâ transferunt in alteram; ſed etiam, qui tum dictionem limant; tum, prout res tulerit, aliquid vel addunt, vel adimunt. Nempe etiam Symeon ille, ut Bellarminus veriſſimè ait, *multa addidit ex proprio ingenio, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt*. Gretzero, Bellarmino, uti & Baronio, monitum, aliquas vitas à junioribus eſſe adjectas: nempe omnium illorum, qui poſt Symeonem claruerunt. A juniore quodam Pſello eſſe eas, ſuſpicio eſt v. cl. Andreæ Schotti, præfat. in Cantica. Cenſeo, eſſe à πολυγραφωτάτῳ *e* illo Michaële Pſello; qui ſummi hujus viri, orationeque tantopere à ſe laudati, æmulus, vitas ſanctorum & ipſe elucubravit; quas inferiùs enumerabimus.

*f Sine examine.*
*g Seſſ. 7.*
*a Diſcriminis cauſſa.*
*b Appendice Notarum ad Codinum diſſertatione de imaginibus à S. Luca pictis.*
*c Cod. 38. ſcamni 5.*
*d Metaphraſtæ domini Symeonis novi Theologi de attentione liber.*
*e Plurimorum ſcriptorum parente.*

Digitized by Google

mus. Cave autem, hoc opus *Metaphraſtas* appelles, cùm Μεταφράσεις ei nomen ſit: ſed ſcriptor ab opere eo dicatur *Metaphraſtes*. Quod non ſatis attendiſſe videtur Simlerus in Epitome ſua; ubi ſic legitur *Symeon Conſtantinopolitanus, logotheta, magiſter compoſuit Græcè metaphraſtas, id eſt, ſanctorum vitas; quæ ſingulis menſibus propriè leguntur, habenturque in bibliotheca Vaticana.* Sed cùm tam multa peccent imperiti librarii, malo credere, Simlerum *metaphraſes* ſcripſiſſe, quia ſanctorum Vitas μεταφραστικῶς exaraſſet. Quærat aliquis, idemne ſit hic Symeon Metaphraſta, ac Symeon junior, cujus orationes ſuperſunt, hujuſmodi titulo: Τοῦ *a* ἐν ἁγίοις Πατρὸς Συμεὼν τοῦ νέου, Θεολόγου. Item divini hymni, cum inſcriptione iſtiuſmodi: Τοῦ *b* νέου ἐν θεολόγοις, πρεσβυτέρου, καὶ ἡγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου καὶ μεγαλομάρτυρος Μάμαντος, τῆς Ξυλοκέρκου. Cenſet illud Jacobus Gretzerus *c*, motus illo, quòd Metaphraſtæ τοῦ νέου Θεολόγου *d* nomen tribuitur tum à Joſepho Methonenſi, tum in Indice bibliothecæ Vaticanæ; ut ſuperiùs expoſuimus. Scrupulum tamen injicit, quod orationum XXXIII, huic tributarum, item vel θείων ἐρώτων *e*, vel capitum πρακτικῶν, καὶ θεολογικῶν *f*, (quæ omnia Latinè reddidit Jacobus Pontanus *g*) nulla fiat mentio à Pſello in Encomio Symeonis. Præterea, quæ de civili Symeonis dignitate retulimus ex Pſello, non bene cum eo conveniunt, quòd Symeon junior in Inſcriptione operum, ut paullò antè vidimus, vocatur presbyter, & ἡγούμενος, ſive antiſtes *h* monaſterii, quod Conſtantinopoli erat prope murum, cui nomen erat Xylocerci, vel potiùs Xycerci. Puto, idem ſi foret, monaſticæ ejus vitæ non ſiviſſet nos ignaros eſſe Pſellus. Denique adverſatur, quòd Symeon ipſe initio orationis decimætertiæ, quæ eſt de diabolo, dicat: Αὐτὸς δὲ ἑξακισχιλίοις, καὶ ἑξακοσίοις, καὶ ἐπέκεινα τούτων ἔτεσι διαμείνας ἀεὶ πολέμιος τῶν ἀνθρώπων, ἄδηλος, καὶ κρύφιος. *Ipſe annis ſexies millenis, ac ſexcentis, & quod excedit, perſtitit eſſe hoſtis generis humani, occultus, atque clandeſtinus.* Loquitur ex computatione Græcorum receptiſſimâ, ſive illâ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ; ſecundùm quam Chriſtus eſt natus anno mundi quinquies milleſimo quingenteſimò nono. Adde jam annos Chriſti mille nonaginta & unum; conſient anni ſexies milleni, & ſexcenti *i*. Fuerit is annus Alexii Comneni undecimus. Sed enim propter illud μετέκεινα *k*, addere annos aliquot oportet. Nec tamen centenos; quia, hoc ſi foret, non *ſexcentos* annos, ſed *ſeptingentos* dixiſſet Symeon. Si ſolùm addideris annos XXVIII; habebis annum ultimum Alexii, ac primum filii Joannis Comneni: qui imperare cœpit anno Chriſti CIↃCXVIII; imperium verò filio Manueli Comneno reliquit anno CIↃCXLIII. Quare veriſimile eſt, vixiſſe, partim extremis Alexii temporibus, partim ſub filio ejus Joanne Comneno: qui vivere demum deſiit anno CIↃCLXXX. Quomodo Symeo junior poſt Metaphraſten fuerit annis ampliùs CCL.

Hippolytus Thebanus memoratur Glycæ in tertia parte Annalium. Conradus Geſnerus in bibliotheca ſua ait, compoſuiſſe Chronicon; atque id Romæ exſtare in bibliotheca Vaticana. In epitome legitur, ex eo à Joanne Sambuco deſumtum eſſe de ortu & nativitate B. Virginis Mariæ fragmentum *l*. Henricus Caniſius Tom. III Antiq. Lect. edidit Græcè, Latineque, Hippolyti hujus Chronicon, vel potiùs ex eo fragmentum. Quod ad ætatem attinet, non poteſt eſſe antiquior Symeone Metaphraſte, cujus ipſe meminit. Æquales fuiſſe, Poſſevini ſententia eſt. Alii Simeonem paullò juniorem arbitrantur. At omnino fallitur Geſnerus, cùm ſuſpicatur, Thebanum Hippolytum eundem eſſe ei, de quo B. Hieronymus agit in Catalogo. Nam is quidem Origenis fuit æqualis, Arabum metropolitanus. Sed ſollemne eſt veteribus, Hippolytos confundere: uti dixi in S. Hippolyto, lib. hujus cap. XV. *m*.

a *Sancti Patris noſtri Symeonis junioris, Theologi.*
b *Junioris Theologi, presbyteri, & antiſtitis monaſterii ſancti & magni martyris Mamantis, prope Xylocercum.*
c *Codini appendice, quæ eſt de Imaginibus, pag.* 361.
d *Junioris theologi.*
e *Divinorum amorum.*
f *Moralium, & theologicorum.*
g *Edita Ingolſtadii an.* 1603.
h *Simlerus in ſcriptoribus, quos Geſneri bibliothecæ, ſive epitome ejus addidit,* ἡγούμενον, *vertit principem: cùm præſulem, vel præpoſitum, aut ſimile, dicere debuerit. Sic Liberato in Breviario cap. undecimo idem tum hegumenus, tum archimandrita vocatur.*
i 5509.
1091.
6600.
k *Et deinceps.*
l *Edidit Patavii Gratioſus Pertachinus.*
m *In Addendis.*

## CAP. XXVI.

*Conſtantinus Porphyrogennetus imperator, literarum, & literatorum, amans admodum. Ejus juſſu collecti* LIII *libri digeſtorum politicorum, & hiſtoricorum. Quantum damni ea res dederit Reip. literariæ. Nicephorus philoſophus. Georgius Cedrenus, vix treſſis ſcriptor, niſi quatenus ex Africano, & Euſebio, aliquos purpuræ pannos habet, quos fruſtra alibi quæras. Michaëlis Pſelli elogium. Sub Michaele illum Ducâ vixiſſe. Poſſevini ἀλογισία, & quid eum in errorem induxerit. Pſelli de rebus avi ſui hiſtoria. Joannis Curopalatæ ætas. Hiſtoriam ejus Cedrenus exſcripſit. Eundem eſſe Joannem Scylitzam, ac Joannem Thraceſium. Geminus Joannis Livinei error. Thraceſium ubi. Quis Πρωτοβεστιάριος dicatur: quis item Κυροπαλάτης; & quanta ejus dignitas. Curopalatæ interpres notatus, quòd eius hiſtoriam produci ſolùm dicat uſque ad tempora Iſaacii Comneni; quæ viginti amplius annis ulteriùs ſe extendit. Ioannes Xiphilinus. Suidas quando vixerit, & quæ ſcripſerit.*

DEcimum ſeculum, præſertim exacto primo decennio, quo Leo hactenus celebratus imperium obtinuit, cætera valde fuit obſcurum; ut meritò ait Bellarminus in ſcriptor. Eccleſ. *a* Interea nonnihil lucis accepit à Conſtantino Porphyrogenneto, Leonis filio, principe ſtudiorum amantiſſimo; quæ & non parùm promovit; ut teſtantur Georgius Cedrenus, Zonaras Annal. lib. III, Theodorus Metochita Hiſtor. Rom. lib. II, Michaël Glycas Annal. lib. IV, atque alii. Imperator hic, librum de adminiſtrando imperio, item de Thematibus duos, edidit: qui prodiere cum tralatione, ac notis, Bonaventuræ Vulcanii, Joannis Meurſii, & Fed. Morelli. Etiam Tactica ſuperſunt: ſed hæc non ſunt hujus loci. Magis illud, quòd ſcripſerit vitam avi ſui Baſilii Macedonis; quæ Græcè exſtat in Bibliothecâ Vaticanâ. Quòd item cùm videret hiſtoricorum maximum numerum, & conſiliariorum in iis legendis negligentiam, quo malo iſti occurreret, juſſit flores ex hiſtoricis omnibus excerpi, atque in politicorum uſum digeri in corpus unum: quod in partes LIII, ut alii perhibent, LIV quaſi locos quoſdam, digeſtum fuit. Dubium verò non eſt, quin hæc non minima fuerit cauſſa, cur tot nobiles Græciæ hiſtorici perierint. Nam ut loci illi ſolùm conſuli, ac legi, cœpere: hiſtorici, ex quibus illa deſcripta erant, deſcribi deſierunt. Ex iſtis autem LIII Pandectarum, ſeu florilegii politici partibus, una duntaxat hodie ſupereſt: nempe illa, quæ *excerpta legationum* continet.

a *In Leone Sapiente.*

Fortaſſe nec indignus, qui memoretur, fuerit Nicephorus philoſophus, atque orator; cujus oratio funebris exſtat de vita Antonii, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui deceſſit anno IↃCCCCI. Habes apud Surium Tom. I. die XII Febr.

Credo, aliàs nobis accuratiùs meditanti, duo tres præterea ejus ſeculi ſe offerent. Sed enim nonne tum quoque meritò dixeris,

*Occurrunt b rari nantes in gurgite vaſto.*

b 1 *Æn.*

Quare hinc jam me confero ad ſeculum undecimum, longè ſcriptorum feracius.

Ordior à Georgio Cedreno, monacho. Hic annales, ſive compendium elaboravit, ab initio mundi uſque ad Iſacium Comnenum; cujus & vixiſſe temporibus videtur. Is verò Michaël VI Stratiotico ſucceſſit anno Chriſti CIↃLVII. Id tamen, quod dicebamus, probabile eſſe, negat editor corporis hiſtoriæ Byzantinæ, excudi jam cœpti anno hoc CIↃ IↃ CXLVIII. Negat verò, certò de ætate ejus conſtare. Juris eum publici primus fecit Gu. Xylander cum notis ſuis. Sed in corpore hiſtoriæ Byzantinæ, quod Pariſiis curâ Reverendi, & clariſſimi Philippi Labbæi excuditur, prodibit, tribus lacunis ingentibus, aliiſque, expletis, unà cum Notis in Cedrenum Reverendi Jacobi Goar, Ordinis Prædicatorum, & Caroli annibalis Fabroti J. C. Gloſſario ad eundem. In rebus Byzantinis Zonarâ paullò diligentior eſt. In iis autem, quæ Conſtantinopolitanos Cæſares præcedunt, cedit Zonaræ: à quo & ſtylo vincitur, uti etiam à Niceta, & Gregora, & aliis.

alius. Interim in centone hoc, ac, penè dixerim, quiſquiliis iſtis, aliquos purpuræ pannos reperire eſt, ex Africano ab Euſebio, indeque a compilatore hoc, ſuo adſutos centoni. Nam ut Africanum Euſebius, Euſebium Georgius Syncellus, ita Syncellum, itemque Theophanem, qui Syncellum continuavit, ad verbum exſcripſit Cedrenus. Vocavit verò hoc opus *σύνοψιν* a *ἱστοριῶν*. Sed ut ipſe mutilarat priores, ita ejus quoque volumen mutilarunt juniores: idque judicio nullo, ſine ordine temporum, ſine delectu rerum. Fortaſſe tamen erit, cùm integriùs prodeat. Sanè doctiſſimus Leunclavius, in notis ad Turcicos annales, monet, aliquot ſe habuiſſe Cedreni folia, quæ deeſſent in codd. vulgatis. Ac Ioſephus Scaliger, ſuis in Euſebium notis, paginam integram ex Georgio Syncello, atque alia quædam, adfert, quæ fruſtra quæras in excuſis. Cæterùm hiſtoria Cedreni, à morte Nicephori uſque ad imperium Iſaaci Comneni, etiam legitur ſub nomine Ioannis Curopalatæ, paucis exceptis: quod Geſnerus monuit. Ac Caſaubonus quoque, notis in lib. XVII Strabonis, refert, ut, cùm à Græculo hiſtoriam Curopalatæ emiſſet, eumque contuliſſet cum Cedreno, deprehenderit eadem iiſdem verbis ab iis dici; ut alteruter neceſſariò plagiarius ſit. Uter autem alterum exſcripſerit, mox exponam, cùm de Ioanne hoc Curopalate verba faciam. De Cedreno ſic inquit Labbæus in Apparatu ad corpus hiſtoriæ Byzantinæ, prodeuntis anno CIↃ IↃCXLVIII: *Hujuſce* Γεωργίου τοῦ Κεδρηνοῦ χρονογράφου *meminit Zonaras, ſeu Glycas, aut quis alius, Epiſtola* LVI, *apud Leonem Allatium, in diſſertatione alterâ de libris Eccleſiaſticis Græcorum* b. *At nos Zonaræ, ut paullo poſt inſinuabimus, tantùm habemus* XLVI *Epiſtolas: & juſta ſuſpicio eſt, Zonaræ lucubrationibus epiſtolicis additas fuiſſe alterius cujuſpiam Glycâ noſtro recentioris aliquot epiſtolas. Qui enim fieri potuit, ut de Cedreno ne verbum quidem fecerit in Annalibus Glycas, qui Ioannem Scylitzam, Ioannemque Zonaram tam ſæpe appellat?*

Sub Conſtantino Duca, qui Iſaacio Comneno anno ſuffectus CIↃLVIII, claruit *πολυγραφώτατος* c ille Michaël Pſellus. Præfectus fuit ſtudii Michaëlis Ducæ, Conſtantini Ducæ filii: qui an. CIↃLXXI ſucceſſit Romano Diogeni. Atque hæc ſatis liquent ex Zonaræ Annalibus. Bellarmini tamen, ac Poſſèvini, ſententia eſt, parem aut ſupparem fuiſſe Symeoni Metaphraſtæ. Inque eo ſequuntur Baronium in Annalibus ad annum IↃCCCL. ubi hoc colligit ex eo, quia Pſellus ſic ſcribat in laudem ejuſce Symeonis d: *Non enim eum veluti abſciſſum, aut diviſum fuiſſe, dicunt ii, qui viderunt: ſed videbatur veluti a quodam vinculo liberari, & hilari nutu ſe extendere ad ducentes angelos; & quodammodo ſe ipſum tradebat illorum manibus, ut cito emigraret de corpore.* Nempe exiſtimarunt Baronius, & alii, hoc Pſellum dicere, ſe audiſſe de iis, qui viderunt Symeonis ad Deum tranſitum: unde colligunt, non ita multò obiiſſe antè quàm iſta ſcriberet Pſellus. Sed non, ſi ea acceperit Pſellus ex iis, qui adſuere morienti, eò illos viderit, ac audierit. Accepiſſe ex iis poſſit, quæ ſcriptis conſignaſſent. Quod omnino ſtatuendum, quia inter Symeonem Metaphraſtem, ac Michaëlem hunc Pſellum; quaſi annorum eſt ducentorum intervallum. Prior enim vixit ſub Imp. Leone Philoſopho, Baſilii Macedonis filio: qui imperii habenas accepit IↃCCCLXXXV. Poſterior autem imprimis claruit ſub Michaële Duca: qui anno CIↃLXIX cœpit imperare. Atque huic Conſtantino Ducæ, cujus ſtudiis à parente Conſtantino fuerat præfectus, *σύνοψιν* e legum verſibus panxit politicis, ſive popularibus. Item edidit reſponſiones ad diverſas quæſtiones politicas, & omnifariam doctrinam, quæ capitibus conſtat CXCIV. Tria iſthæc in bibliothecâ Palatinâ, nunc Vaticanâ, exſtare, ſcribit Marquardus Freherus in Chronologiâ ſuâ, juri Græco-Romano præfixâ. Atque hæc Baronii, & Bellarmini, arguunt errorem; de quo paullò antè diximus. Antonius Poſſevinus agnoſcit in Apparatu ſacro, eundem Pſellum de fide librum emiſiſſe ad Michaelem Ducam; atque eum ſupereſſe in bibliotheca Imperatoris, quæ eſt Viennæ. Quare ſatis mirari non poſſum, referre eundem paullò antè, Pſellum hunc fuiſſe præceptorem Leonis cognomento Philoſophi: qui anno IↃCCCC etiamnum imperabat. Videor autem videre mihi, quid impoſuerit Poſſevino. Legerat nempe apud Ioannem Curopalaten, tempore Michaëlis, ac Theodoræ matris, floruiſſe Leonem philoſophum, qui præceptore in Andro uſus fuerat ſtudioſo quodam homine, Michaële Pſello. Sic enim ſcribit in Michaële III a: *Grammaticam aſſerebat ſe Leo, & Poeticam, Conſtantinopoli didiciſſe; reliquas verò diſciplinas, cùm in inſula Andro commoraretur: ibi enim cum ſtudioſo quodam homine Michaele Pſello verſatus, atque ab eo perceptis elementis, atque rationibus quibuſdam, & principiis, quando non, quantum voluit, comprehendit, obibat Monaſteria.* Hunc Leonem philoſophum putavit eſſe Leonem Imp. cognomento philoſophum. Atqui Michaël cum Theodora matre rexit anno IↃCCCXLII, ac proximis XXV annis. Leo autem imperare demum cœpit anno IↃCCCLXXXVI. Præterea Leo Imp. natus erat patre imperatore, Baſilio Macedone. Leo philoſophus, Michaelis Balbi æqualis, non eo commendatur à Curopalate, quòd patrem haberet imperatorem: ſed quòd patruus ei foret Joannes, patriarcha Conſtantinopolitanus. Sed ſeu hunc, ſeu alterum Leonem intelligas, ſanè ſpiſſus eſt error Poſſevini: cùm Leo prior totis annis ducentis; Leo imperator, centum & quinquaginta annis, diſtet à Conſtantino Duca, & Michaele filio, imperatoribus; ſub quibus vixit celeberrimus ille Michaël Pſellus. Imò etiam pertigit ad tempora Nicephori Botoniatæ: ſed ab hoc fuit omni dejectus dignitate. Præter librum de ſeptem Synodis, ubi de tempore, quo habitæ, falli interdum videtur; præter item præfationem in Philippi Solitarii Dioptram b, ſive diſſertationem animi & corporis, quod opus eſſe partim theologicum, partim hiſtoricum, Simlerus c ait; præter item alia tam multa, quorum meminere Geſnerus, & Poſſevinus; condidit quoque hiſtoriam; quod initio hiſtoriæ ſuæ teſtatur Joannes Curopalates, ac Georgius Cedrenus. Et inde quædam referre ſe dicit Zonaras Tom. III, in Iſaacio Comneno, item in Romano Diogene: ſimiliterque Theodorus Metochites facit lib. II Hiſtoriæ Sacræ. Meminit & ſemel, iterumque, Michaël Glycas in Annalibus; ac Index Grammaticus apud Antonium Verderium in Supplemento bibliothecæ Geſnerianæ. Variæ etiam orationes ejus exſtant, panegyricæ quidem, ſed pariter hiſtoricæ. Ut in Conſtantinum Ducam, Romanum Diogenem, & Michaëlem Ducam, imperatores. Adhæc aliæ in laudem Nicolai Monachi, qui fuerat *καθηγούμενος τῆς ἐν Ὀλύμπῳ μονῆς* d. Item laudem Ioannis Cruſtulæ, *τοῦ ἀναγνόντος ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ* e. Præterea reliquit orationem hiſtoricam, atque encomiaſticam, Symeonis Metaphraſtæ: poſt quam ſcriptam non diu ſupervixit. Habes in hiſtoria Sanctorum Aloyſii. Item in Surio Tom. VI die XXVII Novemb. Hujus Pſelli illuſtre eſt elogium apud Annam Comnenam Alexiados libro quincto. Atque Cedreno dicitur *ὁ φιλοσόφων ὕπατος* f: uti Cedreno *ὑπέρτιμος Ψελλός* g. Et Zonaræ *πολὺς τὴν γλῶτταν, καὶ σοφώτατος Ψελλός* h. Etiam indicta nobis multa reperies apud v. cl. Leonem Allatium diſſertatione de Pſellis.

Æqualis Cedreni, & Michaëlis Pſelli, Ioannes Curopalates fuit. Ac de Pſello quidem præfatione ſuâ hoc Curopalates teſtatur. Divulgavit hiſtoricum compendium, quod incipit ab obitu Nicephori imperatoris à Genicis; hoc eſt, anno IↃCCCXI: ac deſinit in rebus Nicephori Botoniatæ; qui imperare cœpit anno CIↃLXXVIII. Eadem autem uſque ad geſta Iſaacii Comneni in Cedreno legas; ut ſuperiùs dicebamus. Alter igitur alterum tranſcripſit. Uter autem? dixerit aliquis. Equidem non arbitror hoc à quoquam hactenus expoſitum eſſe. Quare non ingratum fore puto, ſi, quid ſuper eo in mentem mihi venerit, exponam: ſi non ob aliud, ſaltem

a *Conſpectum hiſtoriarum.*

b P. 324 edit. Pariſ.

c *Multitudine ſcriptorum celebris.*

d *Apud Surium 27. Novembr.*

e *Conſpectum, ſive compendium.*

a *Pag. 29. b edit. Ven. a. 1570.*

b *Latinè Ingolſtadii edidit Jacobus Pontanus.*

c *In iis, quæ addidit bibliothecæ Geſneri.*

d *Præfecti monaſterii in Olympo.*

e *Qui legeris in ſacro loculo, ſive urna.*

f *Philoſophorum ſummus.*

g *Honoratiſſimus Pſellus.*

h *Diſertiſſimus, & ſapientiſſimus Pſellus.*



Digitized by Google

ut judicium aliorum faciliùs eliciam. Cenſeo igitur, Cedrenum, quæ ab obitu Nicephori uſque ad imperium Iſaacii Comneni refert, hauſiſſe ex Joanne Curopalata. Movet me illud imprimis, quòd Joannes in hiſtoriæ ſuæ procemio ait, Georgium quidem Syncellum ordiri hiſtoriam ſuam ab orbe condito, eamque producere uſque ad Maximianum, & Maximinum, Cæſares: hinc autem incipere Theophanem, & progredi uſque ad obitum Nicephori: quæ verò poſt Nicephorum ſunt conſecuta, ea à nemine ſimili ſtudio eſſe tractata: etſi non defuerint, qui vel nudos texerent imperatorum catalogos, vel laudationem, aut vituperationem inſtituerent, ſeu Imperatoris, ſeu Patriarchæ: vel qui ſuſiùs quidem res geſtas exponerent; attamen, quia hic amore, alter odio, abriperetur, eò multùm inter ſe diſcreparent, turbarentque animos legentium. Ac propterea ſibi propoſitum eſſe, quâ ratione in literas ſua retulerant Syncellus, & Theophanes, eâdem cætera pertexere. Nempe uſque ad tempora Iſaacii Comneni, vel eorum etiam, qui paullò pòſt imperarunt. Quippe ætate Iſaacii Comneni, & proximorum imperatorum, vixit Joannes Curopalates: ut antè oſtendimus; & ex iis etiam, quæ dicemus, planius fiet. Unde colligitur, Joannem Curopalatem fuiſſe, qui, ut Syncellum Theophanes, ita Theophanem ipſe continuaret hiſtoriamque ad tempora uſque Iſaacii Comneni, imò aliquanto etiam ulteriùs, perduceret. Sanè, quam ſibi laudem tribuit Joannes Curopalates, hanc vindicare ſibi Cedrenus non audet: imò diſertim dicit, ubi deſinit Syncellus, incipere Theophanem; ubi finit Theophanes, ibi auſpicari Joannem: ſe autem ex tribus illis conficere hiſtoriæ ſuæ corpus; ſed ita, ut interſerat ſuis locis nonnulla ex parva geneſi, hiſtoria Eccleſiaſtica, & aliis. Quid igitur manifeſtius, quàm Ioannem ſua nemini; Cedrenum tertiam operis partem, hoc eſt, eam, quam Ioannes tractàrat, Ioanni ferre acceptam? Sed porrò quæritur, an Cedrenus, iſta cùm dicit, ſignet Ioannem Curopalatem. Planè ita cenſeo. Nam hiſtoria Curopalatæ à Nicephoro, uſque ad Iſaacium Comnenum, eadem eſt ac Curopalatæ, paucis ſanè mutatis. Nemo hoc negabit, qui utrumque contulerit. Quid ergò dubitamus, quin Ioannem is Curopalatem exſcripſerit? Verùm, obſtare, aliquis dicet, duo quantivis pretii argumenta. Nam qui primum ſe ait conſtringere tempora Nicephorum conſecuta, is vocatur in libri inſcriptione Ioannes Curopalates Scylizza. At quem Cedrenus ſe exſcribere ait, ab ipſo appellatur Ioannes Protoveſtiarius, Thraceſius. Adhæc, prior perducit hiſtoriam uſque ad Tempora Nicephori Botoniatæ. At alter ſiſtit in Iſaacii Comneni initio. Sunt autem inter initium Iſaacii Comneni, & Nicephorum Botoniaten, anni XX. Priori argumento ſic abunde mihi occurrere videor. Puto, eum, qui Theophanem continuavit, fuiſſe Joannem Scylizzam Thraceſium, dignitate priùs quidem Protoveſtiarium, poſtea autem Curopalatem. Dicam de ſingulis horum ordine. *Scylizzas* familiæ eſſe nomen videtur. Quamquam aliter de iſtoc viſum egregio viro, Jo. Livineio, præfatione eâ, quam Theodoræ Studitæ præmiſit. Verba ejus ſunt: *Autores laudo Joannem Zonaram, & eius ſimium alterum, Ioannem Curopalaten, ac magnum Bigla* τ͂ Σχυλίτζυ *Drungarium; qui exſtat in Vaticano.* Sed paucis his verbis bis, judicio meo, peccat vir doctiſſimus. Prius eſt, quòd ſimium Zonaræ vocat Curopalaten, cùm is poſt Curopalaten ſcripſerit. Nam Curopalates æqualis fuit Michaëlis Pſelli; ut ex præfatione liquet. Nec ulteriùs hiſtoriam perducit, quàm initia imperii Botoniatæ: ut ſub eo deceſſiſſe videatur; præſertim quando mortem ejus non exponit. At Zonaras deſinit in morte Alexii Comneni, qui Botoniatæ ſucceſſit, atque annis imperavit XXXVII. Vixit autem Zonaras partim ſub Alexio hoc, partim filio ejus Ioanne, qui patris in imperio ſucceſſor fuit. Alter error eſt, quòd Curopalaten cenſet fuiſſe Scylitzæ drungarium, cùm drungarius non cum Scylitza, ſed cum *bigla* jungatur. Ut qui dicatur fuiſſe μέγας δρουγγάριος τ͂ βίγλης, hoc eſt, *magnus bigla*, ſeu *excubiarum drungarius*, ſive *præfectus*. Nam βίγλη corruptum ex *vigilia*: *drungarius* autem eſt à *drungo*: quo pro militum globo etiam Vopiſcus in Aureliano utitur: ut Codinum, & Græcorum alios, mittam. Ac de iſto hîc ſatis. Nam ſuſiùs de *drungi*, & *drungarii* vocabulis, egi lib. II de vitiis Sermonis cap. V. Thraceſium, quam patriam ejus ſtatuimus, eſt Aſiæ minoris tractus, juxta mare Ægeum: ut conſtat ex Conſtantini Porphyrogenneti lib. I de Thematibus, Themate tertio, quod *Thraceſiorum* vocabatur: ubi &, cur ea pars *Thraceſium* à Thracia dicta ſit, exponit. Protoveſtiarius erat primus eorum quibus incumberet cura veſtiarii imperatoris. Ita uſi quoque Nicetas, Georgius Logotheta, alii. Et origo vocis ſatis id docet. Ab hoc munere provectus fuit ad longè majorem, nempe ad palatii, curam: quam qui ſuſtineret, *Curopalates* audiebat. Unde Corippus Africanus, lib. II de laudibus Iuſtini:

*Succeſſor ſoceri factus, mox Cura palati eſt.*

Dixerat quoque libro I:

*Ordine pro rerum vocitatus Cura palati.*

Quanta autem ea dignitas fuerit, oſtendunt, quæ proximè antecedunt:

*Cum magni regeres divina palatia patris,*
*Par exſtans curis, ſolo diademate diſpar.*

Ecce ait, dignitatem Curopalatæ proximam fuiſſe dignitati imperatoriæ: ut nihil mirum ſit, ſi & imperatoris frater eâ dignitate fuerit honoratus: cujus rei exemplum habemus apud Luitprandum in Legatione. Nec movere debet, quòd prætetea poſſe objici dicebamus: videlicet quòd longiùs in hiſtoria provehitur Curopalates, quàm Cedrenus. Fortaſſe enim alius iſta Curopalatæ adjecit. Sed non eò confugiam. Sint ea, quæ Cedrenus non habet, ab ipſo Curopalata. At eſt illud diſcrimen leve. Quippe annorum XX, vel, ſi his triennium, quo ipſe Botoniates imperavit, adjeceris, haut plures tamen fuerint, quàm XXIII. Videlicet Ioannes Scylizza, cùm protoveſtiarius foret, hiſtoriam tantùm perduxerat uſque ad Iſaacium Comnenum. Hanc compilavit Cedrenus monachus. Sed multos poſtea annos vixit Ioannes: interim ad curam palatii evectus fuit. Tum ſequentium quoque Imperatorum, annorum pura viginti, & paullò amplius, hiſtoriam adjecit. Satis autem mirari non poſſum, quid impulerit Ioannis Curopalatæ interpretem, Io. Baptiſtam, ut, ſi ea, quæ de Iſaacio Comneno, & deinceps, leguntur, ipſius eſſe Curopalatæ, non autem ab alio adjecta, arbitraretur: nihilominus & in inſcriptione, & in præfatione operis, diceret, compendium hoc hiſtoricum ab obitu Nicephori à Genicis deduci uſque ad imperium Iſaacii Comneni. Credo, in inſcriptione Mſti codicis ita repererit: quod non parùm confirmat ſententiam noſtram de duplici editione. Nec enim iſtiuſmodi inſcriptio locum habuiſſet, niſi iſtoc compendium, prout à Ioanne Scylizze priùs editum fuit, ad Iſaacium dumtaxat pertigiſſet. Sed cùm pòſt, non alius puto, (quamquam nec abſurdè hoc defendi poſſit) ſed ipſe adjecerit Scylizza res geſtas Iſaacii Comneni, Conſtantini Ducæ, Eudociæ, quæ Ducæ vidua erat, Romani Diogenis, Michaëlis Ducæ, & Nicephori Botoniatæ, cui Alexius Comnenus ſucceſſit: omnino, utcumque id à Græco librario factum non eſſet, ipſe mutare inſcriptionem veterem debuit: vel ſi tantillum à Græco codice abire religio ei fuit, ſaltem ad oram libri, aut in præfatione, vel alibi, id annotâſſet. Nunc & ſibi, & fortaſſe Curopalatæ, injuriam facit; cùm tam nobilis appendicis (à quocumque ea ſit) mentionem facit nullam: ac tantùm ait, edere ſe hiſtoriam ab obitu Nicephori à Genicis, uſque ad Iſaacium Comnenum: quaſi non Curopalates porrò, ſeu alius, ſex Imperatorum geſta addiderit, ipſeque etiam Gabius ea Latinè verterit: tantoque minùs ſilentio hoc debuerit præterire, quòd priora etiam in Cedreno (etſi hoc fugiſſe Gabium videtur) legere ſit; at illa de ſex imperatoribus poſtremis, ex Curopalate quidem, at non item è Cedreno, cognoſcamus. Ait quidem, Curopalaten complecti hiſtoriam annorum fere trecentorum:

ſed

ſed hoc verum ſit, ſi tempora numeres uſque ad Nicephori Botoniatæ exceſſum, ſive initium Alexii Comneni. Sed ad uſque Iſaacium Comnenum anni erunt duntaxat CCXLVI. Interea cùm Gabius plura præſtet, quàm frontiſpicio, aut proœmio, promittit: quanto ſanè ille plus laudis meretur, quàm multi, noſtri temporis, contra affecti, homines, ut cum Comico *a* dicam,

*Linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide.*

a *Bacchid. Act.* 3. *ſc.* 6.

Græcè hunc hiſtoricum jam anno hoc cIↄ Iↄ CXLVIII edunt Parisienſes ex cod. Mſo bibliothecæ Regiæ, cum caſtigata verſione Joannis Baptiſtæ Gabii, & notis doctiſſimi Jacobi Goar.

Præter hos ſub Conſtantino XII, cognomento Ducâ, (cujus uxori Eudoxiæ tribuitur Cento Homericus de Chriſto) claruit Joannes, cognomento Xiphilinus, VII ejus nominis, patriarcha Conſtantinopolitanus, ordine in iis LXXVIII; quâ dignitate functus eſt annos XI, menſes VII. Antea fuit monachus montis Olympi. Patriâ erat Trapezuntius. De eo ſic Glycas Annalium parte IV: *Conſtantino patriarchâ mortuo, Joannes Xiphilinus in ejus locum ſuffectus eſt; vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem, admirandus. Trapezunte oriundus, vitam in Olympo religioſis exercitiis deditam agebat: unde vi pertractus eſt ad hanc dignitatem, tanquam inter alios eximius.* Xiphilinus hic Dionis hiſtoriam in compendium redegit; niſi cum nonnullis, nepotem ejus fuiſſe, malis. Sed priorem ſententiam magis probo: uti & Andr. Schottum facere video Prolegomenis in Photii myriobiblum.

Proximè poſt iſtos Suidam vixiſſe cenſeo; temporibus videlicet Alexii Comneni; qui imperium ſuſcepit anno cIↄLXXXI. Hoc, de ætate, ſcimus ex iis, quæ ſcribit in voce Ἀδὰμ; ubi à Christo nato, uſque ad id tempus, effluxiſſe ait annos cIↄXVIII. Sanè, Suidam ante annos claruiſſe quingentos, etiam judicium eſt doctiſſimi Caſauboni *b*. Sed poterat *ſexcentos* dixiſſe; ut facit Andreas Schottus præfatione in proverbia ex Suidæ Collectaneis. *Sudines* perpetuò vocatur à Scipione Tertio, commentario de Apollodoris, ad Othonem Truchſium Cardinalem. Etſi autem, quantum ad lexicon, propriè hiſtoricus non eſt: tamen magnam partem operis ſui hiſtoriis farcivit: quas à ſe, ac diſcipulis ſuis, Latinè tranſlatas ſeorſum edidit Hieronymus Wolfius. Primus verò Latinè tranſtulit, atque etiam annotationibus illuſtravit Robertus Groſſeteſt, ſive Capito, Anglus; qui obiit anno cIↄCCLIII; ut auctor eſt Balæus in ſcriptoribus Britannicis centuriâ IV. Sed omnium facilè induſtriam vicit Æmilius Portus, Franciſci filius; qui Græcum textum cum Mſsis contulit, multiſque locis emendavit, obſcura item explicuit, integrum quoque Latinè tranſtulit. Videri verò poſſit Suidas etiam alia in literas retuliſſe. Sanè Σουίδας ἐν Θεσσαλικοῖς adducitur ab Appollonii ſcholiaſte in I Ἀργοναυτ. Et eo ipſe libro legas, Σουίδας *c*, καὶ Ἀριστοτέλης, οἱ περὶ Εὐβοίας πεπραγματευμένοι. Imò Suidam ἐν γενεαλογίαις citat Stephanus in Ἄμυρος. Sed cùm Suidas ipſe meminerit Hermolai, qui Stephani epitomen fecit: omnino alius iſte Suidas fuerit. Videlicet duo minimùm fuere Suidæ. Unus ipſo Strabone antiquior. De quo ſic ſcriptor ille lib. VII: Σουίδας *d* ἢ τοῖς Θετταλοῖς μυθώδεις λόγους προσχαριζόμενος, ἐκεῖθέν τέ φησιν εἶναι τὸ ἱερὸν μετενηνεγμένον ἐκ τῆς περὶ Σκότουσαν Πελασγίας. Unde diſcimus, valde antiquum eſſe Θεσσαλικῶν opus; quod Suidæ quoque, ut jam vidimus, Apollonii tribuit ſcholiaſtes. Atque hujus etiam, tum libri γενεαλογιῶν, tum de Eubœa, fuerint, quos Stephanus à Suida exaratos eſſe teſtatur. Alter Suidas, lexici auctor, junior eſſe non poteſt Joanne Zimiſce. Siquidem voce Ἀδὰμ ab origine mundi exorſus temporum ſeriem uſque ad Zimiſcen perducit. Is autem imperare cœpit an. Iↄ CCCLXX. Et profectò ſi multò pòſt vixiſſet, credo, ulteriùs tempora perduxiſſet. Siqua recentius ſeculum indicare videntur, ea fortaſſe addiderint juniores. Vel hoc verum eſt; vel locum, quem dixi, tranſſcripſerit ex aliquo, qui Zimiſcis tempore vixerit. Nam

b *In exercitat.* I. *ad apparatum Annal. num.* 25.

c *Suidas, & Ariſtoteles, qui de Eubœa tractarunt.*

d *At Suidas in Theſſalicis, ut Theſſalis fabularum additamento gratificaretur, ex ea, quæ apud Scotuſam Theſſaliæ eſt, Pelaſgiâ in Epirum tranſlatum id fanum ait.*

is mos Suidæ, ad verbum priores exſcribere, neque mentione eos dignari. Propterea paullo ante me iis aggregabam, qui referre malunt ad tempora Alexii Comneni, vel ſaltem filii Joannis, Comneni, ſive Calojoannis. Quomodo ſeculo, & paullo ampliùs, junior fuerit. Neſcio autem, quid in mentem venerit doctiſſimo Angelo Politiano, ut epiſtolâ ad Bernardum Riccium, quæ legitur libro undecimo, dubitaret, an ullus unquam Suidas fuiſſet. Quam ſententiam, quæ diximus, ſatis refellunt. Atque hi claruere ſeculo undecimo.

## CAP. XXVII.

*Euthymii Zigabeni Saracenica. Joannis Zonaræ ætas, honores, hiſtoria univerſalis, incuria. Annæ Comnenæ genus, eruditio, hiſtoria, fides. Michaëlis Glycæ hiſtoria quadripartita. Conſtantinus Manaſſes. Joannes Tzetzes. Anonymi Græci a Prætoris hiſtoria annorum* LX.

PErgamus porrò ad eos, qui famam obtinuere ſeculo duodecimo. Ex his Euthymius Zigabenus Monachus (ſicut ipſe initio Panopliæ teſtatur) ingenii doctrinæque ſuæ monumenta per orbem diſpergebat ſub Alexio Comneno: qui XX ultimis ſuperioris ſeculi, ac XVIII primis ſeculi duodecimi annis, imperavit. Anno enim cIↄCXVIII ſucceſſorem habuit filium Joannem Comnenum. Zigabeno autem aliquis videatur hic eſſe locus propter Saracenica, ſeorſum Græcè, & Latinè, edita à Commelino, & Sylburgio *a*. Sed iis narrantur quidem ortus, & commenta Mahumedis, verùm ut refellantur; quod jam ad Theologum potiùs pertinet. Idem dixero de hiſtoria aliarum hæreſium, quam in Panoplia narrat. Porrò in Saracenicis non ſatis ſemper litat veritati, eò quòd uſus ſit pravâ Alcorani tralatione: quod Arabicè gnari ſciunt: monitumque Joſepho Scaligero in opere de emendatione Temporum *b*. Græcè Panopliam vertit Petrus Franciſcus Zinus Veronenſis *c*. Nec parum laudis invenit Euthymius commentando in Pſalmos, & IV Euangelia: eò quòd ſit *in verborum proprietatibus obſervandis diligentiſſimus*; ut optimè cenſet Maldonatus in Matth. cap. XVII. 18.

a *An.* 1555.

b *P.* 487.

c *Ed. Venet. an.* 1555.

Extremis ejuſdem Alexii temporibus, item ſub Joanne Comneno, floruit Joannes Zonaras; qui juſtiùs inter hiſtoricos ſibi locum depoſcit. Hic priùs maximos in Conſtantinopolitano imperio honores geſſit. Nam magnus in eo Drungarius, & Protoſecretarius, fuit. Poſtea, monachus factus, ſcripſit hiſtoriam καθολικὴν *d* ab initio mundi uſque ad ſui ævi imperatoris, Alexii Comneni, obitum: qui incidit in annum Chr. cIↄCXVIII. Paſſim autem Dionem vel ſequitur, vel exſcribit: ita ut ſæpe, quid Dio in libris deperditis ſenſerit, & ſcripſerit, ex Zonara liceat cognoſcere. Syncerae fidei hiſtoricum appellat Alexander Braſſicanus Juriſconſultus, Vir Cl., præfatione in Salvianum. Majorem tamen curam, atque induſtriam, meritò in eo deſideramus. Sed illud maximè mirandum, virum uſque adeò experientem, etiam in ſui temporis rebus, pleraque perfunctoriè tantùm dicere: cùm multa, magnaque iis temporibus geſta ſint, orientali orbe cum occidentali quaſi concurrente. Sanè pauca ſunt, quibus Alexii Comneni vitam perſtrinxit. Hunc ſcriptorem ſæpius citat Michaël Glycas. Græcè eum edidit, Latineque reddidit, Hieronymus Wolfius Oetingenſis, Baſileæ anno cIↄ Iↄ LXXVII. Sed brevi Parisienſes in corpore Hiſtoriæ Byzantinæ Græcè dabunt collatum cum Mſsis codd. bibliothecæ Regiæ, & Eminentiſſ. Cardinalis Mazarini, ſtudio Rev. Jacobi Goar, Ordinis Prædicatorum; qui & Wolfii tralationem exhibebit caſtigatiùs, notaſque addet. Adhæc Phil. Labbæus tertiam partem, quæ ſola Byzantinam continet hiſtoriam, conferet cum Græco Mſo bibliothecæ Claromontanæ: quo in codice, non minùs ac Regio, continentur quoque ejuſdem Zonaræ epiſtolæ XLVI,

d *Univerſalem.*

cum

cum aliis nonnullis, quæ ad Matheſin pertineant. Inclaruit etiam diſſertatione de LXXXV canonibus Apoſtolorum, de VII Conciliis Oecumenicis, commentario in canones Joannis Damaſceni, qui Ms exſtat in Cæſarea bibliotheca Viennæ Auſtriæ, & aliis quibuſdam. Cur Alexandri M. vitam præteream, liquebit ex iis, quæ lib. III referam in Joanne Monacho.

Sed bene eſt, quòd hunc Zonaræ defectum ſupplevit Alexii imperatoris filia, Anna Comnena: de cujus eruditione ita Zonaras *a* ipſe, Τῆς *b* ἐν λόγοις παιδείας ἀντείχετο, καὶ τὴν γλῶτταν εἶχεν ἀκριβῶς ἀττικίζουσαν, καὶ τὸν νοῦν πρὸς ὕψος θεωρημάτων ὀξύνοντα. Scripſit hæc libros quindecim de rebus geſtis patris ſui, quos *Alexiada* vocavit. Horum octo primos ex Auguſtana bibliotheca edidit Hœſchelius. Multa verò de parente ſuo longè aliter narrat, quàm Latini ſolent: qui omnes propè, ſi unum excipias Albertum, Canonicum Aquenſem, Cæſarem eum deſcribunt, tanquam hominem fraudulentum, ac perfidum. Sed ſatis veriſimile eſt, tum Latinos ſuo erga Græcum Imperatorem odio, tum filiam Comnenam amori erga patrem ſuo, aliquanto ampliùs indulſiſſe, quàm per leges hiſtoriæ liceret. Porrò cùm in editione Auguſtanâ ſolùm VIII libri compareant; iique, ſicut Hœſchelius obſervavit, multas habuerint lacunas, ut veriùs ea debeant fragmenta cenſeri, quàm ipſa hiſtoria: Pariſiis propediem integri prodibunt libri XV, ex codice Mſo bibliothecæ Florentinæ. Latinam verò interpretationem, notaſque in eum, ac Gloſſarium, adornat Petrus Poſſinus, Societatis Jeſu Theologus.

*a* Tom. 3. pag. 242.
*b* *Studiis erat addicta, & exquiſite atticiſſabat, & acutiſſimo erat ingenio ad abſtruſiſſimas quæque contemplationes.*

Iiſdem temporibus fuit videlicet Annæ Comnenæ, de qua proximè dixi, & fratris ejus Joannis Comneni Imperatoris, & aliquanto etiam ulteriùs, ſub Manuele Comneno, Michaël Glycas, Siculus. Scripſit annales quadripartitos, opus non hiſtoricum modò, ſed etiam phyſicum, & theologicum. Primâ parte agit de operibus ſex dierum. Alterâ de rebus geſtis ab orbe condito uſque ad natum Chriſtum. Tertiâ perſequitur res à Chriſto uſque ad Conſtantinum Magnum. Quartâ Cæſarum Byzantinorum res tractat uſque ad obitum Alexii Comneni; qui ſucceſſorem reliquit Joannem Comnenum, anno, ut antea diximus, CIↃCXVIII. Exinde uſque ad captam Conſtantinopolin perſtrinxit res Byzantinas Leunclavius: qui, uti primus Glycæ nobis interpretationem dedit, ita ei ſuum quoque hiſtoriæ Byzantinæ ſupplementum adtexuit. Scriptorem hunc leges quidem hiſtorico præſcriptas non obſervare, multa tamen notatu digna in eo reperiri, judicium eſt Thomæ Demſteri paral. in Antiquitatis Roſini lib. I, cap. I. Hactenus Latinè tantùm prodiit Baſileæ anno CIↃIↃLXXII. Græcè autem ex gemino codice Manuſcripto pollicetur Philippus Labbæus in corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, quod jam, ut ſæpius dixi, edere aggreſſi ſunt Pariſienſes. Videndum autem, an Siculus hic Glycas ſit idem, ac ille Σικελιώτης διδάσκαλος *c*, cujus in procemio Joannis Scylitzæ, & Cedreni, mentio fit; an potiùs ſit Joannes Siculus, vel Petrus Siculus, qui & ipſi Chronicon condiderunt. Omnino de Joanne eſt veriſimilius.

*c* Siculus magiſter.

Paullò Glycâ junior fuit Conſtantinus Manaſſes, ſcriptor non aſpernandus, præſertim in rebus Byzantinis. Scripſit verſibus politicis σύνοψιν ἱστορικὴν *d*; quam Latinè vertit doctiſſimus Leunclavius: Græcè autem primus edidit clariſſimus collega noſter Joannes Meurſius. Denuo edere parant Pariſienſes, Græco textu priùs collato cum Manuſcriptis bibliothecæ Regiæ, curâ Caroli Annibalis Fabroti J.C., ac variis lectionibus obſervatis à Viro Clariſſimo Leone Allatio. Hæc Chronica ejus accuratiſſima appellat Janus Douza Nordovix, præfatione alterâ hiſtoriæ ſuæ metricæ de priſcorum Hollandiæ Comitum geſtis. Comprehendunt res ab initio mundi uſque ad finem imperii Nicephori Botoniatæ, initium verò Alexii Comneni: quod incidit in annum CIↃLXXXI. Vixit autem circiter LXXX annis pòſt: nempe circa annum CIↃCL, temporibus Manuelis Comneni. Ut cognoſcitur ex deſcriptione Theodoſii II; ubi Manueli Comneno imperatori ſuo, diutinum precatur imperium. Item ex lemmate procemii; unde videmus opus ſuum nuncupâſſe Manuelis hujus fratriæ, Irenæ, Andronico nuptæ. Atque hic Manaſſes, etſi verſibus ſcripſerit politicis, non metro heroico: uti factum Latinè à ſuppari Philippo Galthero decem Alexandreidos libris: huic tamen, & viribus ac lacertis, & uberi dicendi copiâ, præfertur à Jano Douza, præfatione alterâ, quam præmiſit annalibus Batavicis, carmine à ſe compoſitis.

*d* Conſpectum, ſive compendium hiſtoricum.

Circa hæc tempora etiam claruit Joannes Tzetzes, Iſaacii Tzetzæ, ejus, qui in Lycophronem commentatus, frater. Hic, præter ſcholia ſua in Heſiodum, etiam Variam hiſtoriam eſt complexus verſibus politicis; non autem jambicis; quod Geſnerus putavit. Ipſe, Chiliade XI *a*, hiſtor. CLXXXV, ſe vivere dicit annis centum poſt Michaëlem Pſellum, qui pulicis encomium ſcripſit. Vixerit igitur circa annum CIↃCLX, imò & CIↃCLXXX. Verba ſi Tzetzæ voles, ea ſic habent:

*a* Pag. 218.

> Ὁ Μιχαὴλ μὲν ὁ Ψελλὸς ψύλλας ἐγκωμιάζει,
> Ἡμῶν πρὸ χρόνων ἑκατὸν ἀκμάζων ἐν τῷ βίῳ.
> *Michaël quidem Pſellus pulices laudat,*
> *Annis ante nos centum florens in vita.*

Incerti nominis prætor Græciæ, qui claruit anno CIↃCCLXX, hiſtoriam edidit annorum LX, exorſus à Conſtantinopoli capta à Flandris; ac eâdem à Michaële Palæologo receptâ: quod contigit anno CIↃCCLXI. Hunc ſe Mſum habere refert Joannes Leunclavius in Pandecte hiſtoriæ Turcicæ.

## CAP. XXVIII.

*Nicetas Choniates. Ejus hiſtoriæ argumentum, & ſtylus. Georgius Logothetes. Ejus elogium ex Gregorio Cyprio; ſed immodicum. Georgii Pachymeris dignitas, & hiſtoria.*

Sequitur ſeculum tertiumdecimum. Cujus initio claruit Nicetas Acominatus Choniates, vir dignitate in Conſtantinopolitano imperio illuſtris. Hic (etſi Robertus Conſtantinus in ſuo Nomenclatore tantùm ſeptem meminerit librorum) libris XXI complexus eſt hiſtoriam annorum LXXXV: nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi deſierat Zonaras, qui in annum incidit CIↃCXVIII, uſque ad annum CIↃCCIII, captamque à Francis Conſtantinopolim. Diligens fuit Homeri lector, ac imitator, adeò ut ob poëticam, atque inſolentem dictionem, quandoque durior fiat: cumprimis in præfatione, quæ ſanè ſalebroſa. In cæteris molliùs fluit. Quod & de ſe in præfatione promittit. Ut mihi quidem videatur præfatione eâ oſtentare voluiſſe, quantus logodædalus foret: quod ſimiliter in hiſtoria ſi feciſſet, næ ille multò etiam minus laudis, quàm nunc habet, mereretur. Vertit, & Notis illuſtravit, Hieronymus Wolfius. Pariſienſes verò hoc anno CIↃIↃCXLVIII recudêre, à Carolo Annibale Fabroto collatum cum variis Manuſcriptis, ac Gloſſario præterea illuſtratum.

Temporibus Michaëlis Palæologi floruit Georgius, vel, ut alii malunt, Joannes, Logothetes Acropolites. Chronicon edidit Conſtantinopolitanum; quod continet hiſtoriam annorum LVIII; nempe ab anno CIↃCCIII, quo Balduinus Flander Conſtantinopolim cepit, uſque ad annum CIↃCCLXI, quo Michaël Palæologus Conſtantinopolin eripuit Balduino ſecundo, atque iterum imperium Græcis vindicavit. Scriptorem hunc nobiliſſimi Jani Douzæ filiis, Georgio, & Theodoro, debemus: quorum ille Conſtantinopoli eum advexit: hic poſt obitum fratris, cum interpretatione, & notis, in lucem edidit. Recudunt verò Pariſienſes cum tralatione, & annotationibus Leonis Allatii. Ac præterea collatum cum codice Mſo illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii, Petri Seguerii. Quantus vir hic Logothetes fuerit, cognoſcere eſt ex præmiſſo ei encomio Gregorii Cyprii, patriarchæ Conſtantinopoli-

politani centeſimi: quo de viro Onuphrius Panuinus in Chronico ad annum cIↄccxxxiv. Ait verò Gregorius hic, Georgium Logotheten omnibus ſuâ ætate palmam eruditionis præripuiſſe; fuiſſeque alterum Ariſtotelem in diſſerendo, & rerum naturalium cognitione: alterum item Platona, ſi divinorum notitiam, & eloquentiam, ſpectes. Hoc profectò non eſt malignè laudare. Sed chronicon ejus, quod habemus, fidem admit, præſertim de tantâ viri facundiâ. Nempe liberale adeò elogium amicitiæ datum, quæ fortaſſe cum Logotheta interceſſit. Vel id tribuemus ſeculi vitio, quo, quantæ eſſent Platonis, & Ariſtotelis virtutes, nemo ſatis capiebat. Interea, quòd nulli ait eruditorum ſeculi ſui ſecundum fuiſſe, id cur inficias eam, nihil equidem cauſſæ video. Quam dignitatem geſſerit, dicet Ephræmus in Chronico, his verbis:

*a Inſuper Acropolitem Georgium omnium præſidem, ac primatem conſtituit, prius Prætoris dignitate inſignitum.*

Πρὸ [a] τοῖσδε Γεώργιον Ἀκροπολίτην
Ἄρχοντα πάντων, καὶ Πρόεδρον δεικνύει,
Πρόσθεν τιμήσας τῇ Πραίτωρος ἀξίᾳ.

Laudat eum quoque Ephræmus in Chronico, & Cuſpinianus in opere de Cæſaribus. Eſt is ſcriptor, de quo in principe litera ſic Geſnerus ait tomo primo bibliothecæ, & in epitome ſua Simlerus: *Acropolites, qui & Græce ſcripſit librum hiſtoricum, cujus initium à capta Conſtantinopoli, ſervatur Romæ.* Nec dubito, quin idem ſit, qui in Rob. Conſtantini Nomenclatore dicitur *Magnus Logotheta Acropolita de expugnatione Conſtantinopoleos.* Nempe Gregorii nomen omiſſum. Nec intelligenda expugnatio à Muhammede; ſed à Balduino.

At circa annum cIↄccLXXX florebat Georgius ὁ Παχυμέρης; qui Latinis vulgò Pachymerius, Conſtantinopoli, ut ipſe narrat, oriundus, ſed Nicææ ortus, atque educatus, in ſacerdotum numerum cooptatus, etiam protecdici, & hieromnemonis honore auctus. Hic præter eum, quem in Dionyſium Areopagitam commentarium habemus, condidit etiam hiſtoriam; quam orditur à temporibus Michaëlis Palæologi; qui imperare cœpit anno cIↄccLXI; deſinit autem in annum XXIII ſenioris Andronici; ſub quo vixit. Opus hoc, ſed mutilum, adſervatur in bibliotheca Auguſtana: ex quo quædam excerpſit, & Nicephoro Gregoræ ſubjecit, Hieron. Wolfius. Cætera, quòd codex Auguſtanus eſſet cariosſus, & mutilus, publicare nequivit. Partem verò illorum, quæ in Auguſtano codice deſiderabantur, cum Nicephori Patriarchæ breviario Græcè edidit Dionyſius Petavius [b]. At integros XIII libros excudunt Pariſienſes ex codice Mſo bibliothecæ Regiæ, unà cum tralatione Latina Joannis Tarini, Eloquentiæ Profeſſoris Regii. Etiam Romæ in bibliotheca Barbarina eſt Georgii Pachymeris codex Mſus, collatus cum altero Mſo N. Cherubini, & inde ſuppletus, variantibus etiam lectionibus appoſitis à Leone Allatio.

*b Pariſ. an. 1616.*

## Cap. XXIX.

*Ephraëm, poëta hiſtoricus. Nicephori, Calliſti filii, Hiſtoria Eccleſiaſtica. Theodori Metochitæ ætas; ſcripta partim edita, partim inedita; eruditio varia, dictio, obitus. Nicephori Gregoræ hiſtoria; ac de ejus fide, ſtylo, & judicio, judicatum. Joannis Cantacuzeni dignitas; hiſtoria ſub ficto Chriſtoduli nomine edita, atque ejus utilitas. Maximi Planudis opera in vertendis Julii Cæſaris commentariis de bello Gallico.*

SEculi quartidecimi initio claruit Ephraëm ille, qui vitas principum Conſtantinopolitanorum jambico carmine perſcripſit: ut Raphaël Volaterranus annotavit: qui & opus hoc in bibliotheca Vaticana cerni ait. Duodenos verſus ex hoc Ephræmi Chronico citari video ab Leone Allatio libro de Pſellis [a]; quem Romæ elucubravit: nec dubium, quin eos verſus ex ipſo codice Vaticano hauſerit.

*a Pag. 113.*

Tum quoque, de quo exploratiora dicere poſſumus, fuit Nicephorus Calliſti filius, Xanthopulus, niſi malis dicere, Calliſti Xantopuli filium; qui inclaruit hiſtoria Eccleſiaſticæ, ad Andronicum Palæologum exaratæ, libris viginti tribus: quorum poſtremi quinque perierunt. Duodeviginti (qui ex reliquiis bibliothecæ Matthiæ, Hungarici regis, in præda reperti Turcicâ) perducunt à Chriſto nato hiſtoriam uſque ad exitum Phocæ, & initium Heraclii imperatoris. Singulorum argumentum ipſe Nicephorus in prooemio ponit: atque ibidem (ut ex Mſtis codd., nec tamen omnibus, dilucet) & quinque ſequentium argumentum attulerat: ſed interpres Joannes Langus inde ad calcem libri rejecit. Ex iis verò argumentis diſcimus, deſiiſſe librum vigeſimum tertium in morte Leonis imper. cognomento Philoſophi; quæ incidit in annum Domini Iↄccccxi. Ut omnino errent, qui in Chronologia ſua tradunt, univerſum opus perduxiſſe non niſi uſque ad annum Iↄcxxv: quia nempe illic deſinit liber duodevigeſimus: quod ipſe in fine ejus libri refert. At non ſi nunc non ulterius provehatur, eo & ſic fuerit olim. Dicavit hiſtoriam ſuam Palæologo majori; filio Michaëlis ejus, qui Latinos Conſtantinopoli ejecit; avo junioris Palæologi, qui cum imperii principibus conſpiravit adverſus avum, eumque evertit. Condidit Nicephorus hoc opus, annum necdum trigeſimum ſextum egreſſus; ut ait ipſe in prooemio. Ineptum, ac ridiculum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorem vocat Beza, Notis ad Actorum Apoſtolorum cap. 10 verſ. XIII. Videlicet propter fabellas complures, & errores non exiguos: quos in eo etiam Baronius, Poſſevinus, atque alii obſervarunt. Sed ætatem cogitemus qua vixit. Pro qua, dictione uſus non invenuſta. Ordine non incommodo priorum hiſtorias digeſſit. Alia quoque ediſiſſe, autor eſt Guilelmus Eiſingrinius in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum. Ea ſunt,

De rebus geſtis poſt Maccabæos ad Chriſtum, uſque ad Hieroſolymæ excidium.

Genealogia patriarcharum uſque ad Davidem.

De rebus Moſaicis.

Catalogus judicum Iſraëlis.

Deſcriptio Regum Iſraëlis, & patriarcharum Conſtantinopolitanorum.

Genealogia Chriſti.

Duodecim Apoſtoli, & LXX diſcipuli; Evangeliſtæ, & diaconi; diſcipulæ Chriſti; & multa alia.

Miracula Salvatoris noſtri, ſecundum IV Evangeliſtas.

Adhæc, in Mſtis codd. nonnullis, Nicephoro huic adſcribitur Catalogus metricus imperatorum Conſtantinopoleos. Ex quo non minùs, quàm præfatione Hiſtor. Eccleſiaſticæ, ætas ejus cognoſcitur. Etiam in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi exſtat ea ſeries patriarcharum fuſiùs conſcripta; ut apud Labbæum reperio.

Eodem tempore Theodorus Metochita vixit: quippe quem Andronicus Palæologus, ejus nominis primus, magnum logothetam fecerit: poſtea autem junior Andronicus Didymotichum, quod maritimum Bithyniæ eſt oppidum, unà cum Beco, ac Melitenione, relegârit. Quorum prius refert Codinus Curopalates de officiis Conſtantinopolitanis cap. 11 [a]. Theodorus hic ſcripſit compendium hiſtoriæ Romanæ ab Julio Cæſare uſque ad Conſtantinum Magnum. Id, collega noſter, vir, & amicus ſummus, Joannes Meurſius, primus edidit, & interpretationem ſuam, ac notas addidit. Alia quoque multa fecit: eaque inter Paraphraſin in Phyſicos Ariſtotelis libros. Hanc Latinè vertit Gentianus Hervetus. Præterea emiſit Hiſtoriæ ſacræ libros duos: item Conſtantinopolitanæ hiſtoriæ librum unum, unde Meurſius monet Codinum ſuas concinnâſſe παρεκβολάς. Utrumque opus exſtitit in bibliotheca ejuſdem Meurſii. Præterea hujuſce Theodori centum & viginti capita philoſophica, & hiſtorica, ſuperſunt in bibliotheca ea, quæ eſt Auguſtæ Vindelicorum. Etiam in Viennenſi Cæſaris bibliotheca exſtat Theodori Metochitæ, Logothetæ Magni Mſus codex, charactere quadrato conſcriptus; in quo variæ ſunt Orationes panegyricæ ad imperatores Conſtantinopolitanos; atque alia, ad Urbem, & eorum temporum hiſtoriam, perti-

*a Pag. 9. edit. Pariſ.*

pertinentia. Alia quoque, eaque philoſophica, deliteſcunt in bibliothecis Germaniæ, & Hiſpaniæ, uti & Pariſina Regis Chriſtianiſſimi, Nicephori Gregoræ *a* hujuſmodi de eo judicium eſt; fuiſſe multijugæ eruditionis, &, quod de Longino Eunapius dicebat, βιβλιοθήκην ἔμψυχον *b*: ſed, ingenio ſuo & naturali facundiâ contentum, veterum imitationem neglexiſſe: atque inde contingere, quòd dictio ejus aures radat, ac veluti pungat, quemadmodum ſpinæ ſolent eos, qui roſas carpunt. Obiit anno Chriſti clↃ ccc xxxii, ac defunctum oratione funebri laudavit idem Gregoras. Apud quem plura de hoc Metochita vide lib. vii, viii, ix. Adeatur & Phranzes lib. i, cap. ix; item Cantacuzenus lib. i, cap. lix, & lib. ii, cap. i.

*a Lib. 7.*

*b Bibliothecam vivam.*

Proximus Metochitæ huic eſto Nicephorus Gregoras: quippe qui & literas ab eo accepiſſe ſe referat, &, ut diximus, oratione ſuâ mortuum honeſtârit. Hic, prætterquam quòd interpretatus eſt Syneſii librum de inſomniis; præter item alia multa, quæ in Italiæ bibliothecis adſervantur; etiam hiſtoriæ Byzantinæ undecim condidit libros; quibus complexus eſt res annorum cxlv, à Theodoro Laſcare priore uſque ad ſuam ætatem, ſive obitum Andronici Palæologi poſterioris, qui incidit in annum Chriſti clↃ cccc lxi. Hunc primus cum tralatione ſuâ publicavit Hieronymus Wolfius *c*. Fragmenta verò quædam, quæ in vulgatis editionibus deſiderabantur, nuper, cum Nicephori, Conſtantinopolitani patriarchæ, breviario, edidit Dionyſius Petavius. Nunc eum cum variis Mſsis confert Carolus Annibal Fabrotus Jur. Conſ. atque is in Pariſino Hiſtoriæ Byzantinæ corpore comparebit. In rebus Andronici, in cujus morte deſinere eum diximus, minùs fidem meretur. Sanè Cantacuzenus hiſtoriæ ſuæ lib. iv, cap. xxiv, & xxv, valde eum exagitat, tanquam levem, & mendaciorum manifeſtum. Nempe Nicephorus in aula vixit Andronici avi; nec res nepotis tam exactè potuit nôſſe, quàm Cantacuzenus. Simul etiam affectu abripiebatur, quo minùs cerneret verum. Impensè enim favebat avo adverſus nepotem, inter quos de imperio certabatur. Neque de Andronico ſolùm; ſed de Cantacuzeno etiam mentitur. Sed illa, quæ de hujus geſtis prodidit, vel in bibliotheca quadam cum blattis tineiſque rixantur; vel penitùs interciderunt; quod veriùs puto. Conſignavit & vitam Joannis, Metropolitæ Heracleæ, avunculi ſui; ut ipſe in nono hiſtoriæ ſuæ libro autor eſt. Plura de Gregorio ſi voles, vide, quæ ipſe de ſe narrat lib. vii, viii, ix. Ad ſtylum quod attinet, longè vincitur à Niceta Choniate; cujus hiſtoriam excipit. Siquidem redundans eſt, atque alia vitia trahit ab ævo ſuo. Multa enim de ſe miſcet parùm decorè, vel ineptè potiùs. Sed de rerum cauſſis ſatis idoneus judex eſſe ſolet. Vide de eo judicium ſummi viri, Juſti Lipſii, notis in lib. i. Politic.

*c Anno 1562.*

Nec præterire fas eſt Joannem Cantacuzenum, qui ex imperatore monachus factus, ac pro Joanne Joſaaphus dictus, ſub nomine Chriſtoduli luculentam condidit hiſtoriam de imperio Andronici junioris, & ſuo. Conſtat id opus libris iv; cujus priores duo præcipuè ſunt de rebus Andronici; poſteriores de iis, quæ ipſe poſt obitum Andronici geſſit. Factus verò monachus fuit anno clↃ ccc lx, vel potiùs, ut Freherus *d*, & alii, computant, anno clↃ ccc lvii. Eo autem majoris hiſtoria ejus fieri debet, quia ſcripta eſt ab illo, non qui umbraticam ſemper vitam egiſſet: ſed qui primùm magnus fuerit domeſticus: ac, poſt obitum Andronici junioris, liberorum ejus tutelam obtinuerit: & mox (ita volente Senatu, & imperii rebus exigentibus) imperator creatus ſit, & in ea dignitate prudenter, & fortiter, ſe geſſerit. His illud accedit, quòd non de rebus ſcripſit parùm ſibi perſpectis; ſed quibus ipſe interfuit, atque adeò præfuit. Sanè inter recentiores Græcos ei neminem puto præferri oportere, utcunque ei iniquiores ſint Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes, & juniorum alii nonnulli. Latinè is Ingolſtadii primùm prodiit anno clↃ Ↄc iii ex interpretatione Jacobi Pontani, cum ejuſdem, & Jacobi Gretzeri, additis. Anno autem clↃ Ↄc xlvi Pariſiis etiam Græcè divulgatus eſt typis Regiis, ex Mſo Petri Seguerii, Franciæ Cancellarii.

*d Chronologiâ Juri Græco-Romano præfixâ.*

Aliquis & hic locus eſſe debet Maximo Planudi; ſi is eſt, qui nobis Cæſarem de bello Gallico Græcè dedit; ut viri docti arbitrantur. Vixit circa annum clↃ ccc lxx; ut etiam tradit Genebrardus in Chron. & Bucholcerus in Iſagoge Chronologicâ. Plura de eo in Poëtis Græcis dicam, ubi Poſſevini de eo refellam errorem.

## Cap. XXX.

*Georgius Gemiſtus, deque ejus ſtylo judicium Antimachi. Georgius Phranza. Ejus dignitas. & quando hiſtoriam ad finem perduxerit. Laonicus Chalcocondylas.*

SUpereſt ſeculum decimumquinctum, quo capta eſt Conſtantinopolis. Eo fuit Georgius Gemiſtus, philoſophus & mathematicus, cognomine Pletho *a*, patriâ Conſtantinopolitanus, æqualis Beſſarionis Cardinalis, patriarchæ Niceni, & Michaëlis Apoſtolii Byzantini, cujus de parœmiis librum habemus. Præter illa de diſcrimine Platonis, & Ariſtotelis, ac quædam alia, fecit libros duos de geſtis Græcorum poſt pugnam ad Mantineam. Hi verò ita placuerunt M. Antonio Antimacho, qui eos Latinè vertit, ut diceret, non tantùm eſſe verbis aptos, pretioſque: ſed etiam artificio tanto, tantâ lenitate ac rerum copiâ ferri, ut, poſt Herodotum, ac Thucydidem, cum antiquiſſimis terræ Græciæ ſcriptoribus non immeritò poſſit comparari. Quod profectò non eſt malignè laudare. Præterea in Regia Pariſienſi bibliotheca exſtat emendatio ejus aliquot errorum Strabonis. Item in bibliotheca Oxonienſi ex Strabone deſcriptio Græciæ. Uti & Peloponneſi. Credo, ſignari orationes duas de rebus Peloponneſiacis à Plantino excuſas *b* cum interpretatione Guilhelmi Canteri. Poſſevinus, in Appendice ad Apparatum ſacrum, ait *c*, in Viennenſi Bibliotheca extare Gemiſti Platonis epitomen Hiſtoriarum Siculorum. Sed vicinitas nominum facit, ut pro *Platonis* videatur legendum *Plethonis*. Nullum ejuſce ætatis tantâ, ac Pletho, induſtriâ hiſtoriam tractâſſe, etiam Theodori Gazæ judicium eſt, epiſtolâ de origine Turcarum.

*a Perperam pro eo Plethron eſt in Nomenclatore Rob. Conſtantini.*

*b Anno 1575.*

*c Pag. 51. edit. Colon.*

Poſt annum clↃ cccc liii, quo efferа Turcarum rabies Conſtantinopolin abſtulit Reipub. Chriſtianæ, duo præcipuè, qui non multo pòſt vixerint, hiſtorici celebrantur. Unus eſt Georgius Phranza Protoveſtiarius, hoc eſt, regiarum veſtium cuſtos, ac præfectus. Is, nobilium quorundam Corcyræorum rogatu, Chronicon reliquit de rebus Byzantinis, ac Peloponneſiacis: quas magnam partem viderat, pleriſque etiam præfuerat. Finivit hoc opus anno Chriſti clↃ cccc lvii; ut ipſe in Chronici calce teſtatur. Hactenus nonniſi Latinè prodiit Ingolſtadii an. clↃ Ↄc iv; qua in editione Theophylacto Simocattæ ſubjungitur, ex interpretatione Jacobi Pontani. Græcè verò Mſus exſtat Romæ in bibliotheca Cardinalis Barbarini; item Monachii; nec non in Laurentina Scoriacenſi bibliotheca.

Alter eſt Laonicus Chalcocondylas Athenienſis. Robertus Conſtantinus in Nomenclatore ſuo pro *Laonico* appellat *Nicolaum*: credo, ſic in Mſo invenerit. Hoc ſaltem conſtat, idem eſſe *Nicolai*, & *Laonici* nomen: uti *Nicodemi*, & *Demonici*. Solùm compoſitæ vocis partes ordinem mutant. Hic Græcè hiſtoriam Turcicam libris x condidit. Orditur ab Otomanno, Orthogulis filio; qui regnare cœpit circa annum clↃ ccc. Deſinit in anno clↃ cccc lxiii; quo Mahometus ii bellum, à Venetis & Matthia Ungariæ rege illatum, fortiter repulit. Sed ætatem ad annum uſque clↃ cccc xc, vel ultrà, perduxit. Argumentum ſingulorum librorum in Chronologia ſua complexus eſt David Chytræus. Robertus Conſtantinus in Nomenclatore ſuo perperam (niſi typothetæ id vitium)

*Calcondryllum* vocat; ſeque Græcè ait vidiſſe Lutetiæ apud Dionyſium Coroneum, Profeſſorem Regium, tum temporis transferendo eo diſtentum. Sed enim ea verſio non prodiit: ſolaque nunc ſupereſt tralatio Latina Conradi Clauſeri Tigurini, Baſileæ excuſa anno cIɔ Iɔ LXII. Græcè autem Latineque publicarunt Genevenſes anno cIɔ Iɔ CXV. Verùm, cum variis Mſsis bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi collatum, Pariſiis in Corpore Byzantinæ hiſtoriæ exhibebit Carolus Annibal Fabrotus J.C. At Gallicè reddidit Blaſius Vigenerius Borbonius *a*, & commentario præterea illuſtravit.

*a Excuſ. Pariſ. an. 1620.*

Atque hic finem faciam, tum de iis, quorum tempora in aperto ſunt: tum illis etiam, quorum de ætate, licet ea in obſcuro eſſe exiſtimetur, conjecturâ tamen non penitùs abludente a vero, aliquid mihi colligere poſſe viſus fui.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERAR.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS GRÆCIS
# LIBER III;

*QUI EST*

## DE HISTORICIS ÆTATIS INCERTÆ.

NOvam nunc telam ordiar, illos etiam expoſiturus, quorum de ætate nihil in præſentia occurrit. In his autem, quod in negotio non planè abſimili jam Auguſti ævo Verrius Flaccus, & poſtea complures alii, fecerunt, non alium ſervabo ordinem, quàm literarum. Si ad pompam hoc aliquis minùs facere exiſtimabit: equidem non repugnabo, dummodo, ſic quoque ſtudiis bene conſuli, mecum fateatur.

ABas ſophiſta, præter artem dicendi, etiam commentarios hiſtoricos edidit; teſte Suida. Credo, idem eſt Abas, qui Candaulæ conjugem Herodoto memoratam Abro dictam tradidit: ut ex libro quincto hiſtoriæ novæ Ptolomæi Chenni retulit Photius in biblioth. cod. cxc. Fit & Abantis, qui Troica ſcripſerit, mentio apud Servium in illud Æn. III:

*Pocula, devictâ genitor quæ cepit Arisbâ.*

Verba grammatici ſubjungam: *Quidam ab Abante, qui Troica ſcripſit, relatum ferunt, poſt diſceſſum à Troia Græcorum, Aſtyanacti ibi datum regnum: hunc ab Antenore expulſum, ſociatis ſibi finitimis civitatibus, inter quas & Ariſba fuit: Æneam hoc ægrè tuliſſe, & pro Aſtyanacte arma cepiſſe, ac proſperè geſtâ re Aſtyanacti reſtituiſſe.*

Abidenus, qui & Abydinus, de Chaldæorum, & Aſſyriorum rebus ſcripſit. Euſebius lib. I Chronicorum *a*: Ἀβυδηνὸς περὶ τῆς τῶν Χαλδαίων βασιλείας: & alibi *b* eodem opere legas, Ἐκ τῶν Ἀβυδηνοῦ Ἀσσυριακῶν. Iiſdem verò in locis fragmenta quædam Abideni Euſebius adfert. Uti & lib. IX Præp. Euang. cap. XII, XIV, & XLVI. Ubi Ἀβυδηνὸς dicitur, quaſi ab Abydo patria foret cognomen. Sed hoc ſi eſt, quod proprium nomen putabimus? Priorem Abideni locum, qui de diluvio, alterum qui de Nabuchodonoſore, ac conditâ ab eo Babyle, illuſtrat Scaliger in Appendice operis de Emendatione temporum *c*. Etiam mentionem ejus hiſtoriæ Cyrillus facit initio operis adverſùs Julianum. Quin Scipio Tettus Aſſyriam Abideni hiſtoriam inter eos refert ſcriptores, quorum libri in Italia Mſti adſerventur. Vide & aliquid de Abideno dictum nobis ſupra lib. I cap. IX.

a Pag. 5. theſauri Temp. à Scalig. edit.
b Pag. 13, & 41.
c Pag. 18. & 44. edit. Raphelong.

Abroni quoque Athenienſi aliquis fortaſſe hîc locus debetur; quando ad hiſtoriam, ſive antiquitates Græciæ, pertinebant ea, quæ de feſtis, & ſacrificiis veterum, prodidit. Stephanus: Βατὴ *a*, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ὅθεν ἦν Ἄβρων, ὁ Καλλίου ἐξηγητὴς, περὶ ἑορτῶν, καὶ θυσιῶν γεγραφώς. Scripſit & περὶ παρωνύμων; cujus operis idem meminit in Ἄργος, Ἀθῆναι, & alibi ſæpe. Alius fuit Abron, Phryx, aut Rhodius grammaticus, qui Romæ Rhetorica docuit, ſervis parentibus procreatus, ut ex Hermippo tradit Suidas. Eſt hic, cujus in libris ſuis de Syntaxi ſæpius meminit Apollonius Alexandrinus. Alius quoque Abro, Lycurgi filiùs; de quo Plutarchus in X oratoribus. Alius item Abro, Dexippi hoſpes, apud eundem in Eroticis.

a Bate, vicus tribus Ægeidis, unde erat Abro, Callia interpres, qui de feſtis, & ſacrificiis, ſcripſit.

Aceſander Cyrenaicam edidit hiſtoriam. Cujus primum citat librum Apollonii interpres in lib. IV: Ἀκέσανδρος ἐν πρώτῳ περὶ Κυρήνης. Quædam de Batto, Cyrenæorum conditore, ex eo Aceſandri opere, refert Pindari ſcholiaſtes in initium od. IV Pythiorum. Et aliquanto pòſt ejuſdem verba adducit de Eurypyli genere.

Aceſodorus, Ἀκεσόδωρος, Megalopolita, περὶ πόλεων *b* ſcripſit, teſte Stephano in Μεγάλη πόλις. Hoc, puto, ex opere eſt egregius Aceſodori locus, quem citat Sophoclis ſcholiaſtes in Oedipum Colonæum. Niſi Ἀκεστόδωρος legendum: de quo nunc dicam.

b De urbibus.

Aceſtodorus, Ἀκεστόδωρος, citatur à Plutarcho in Themiſtocle; ubi ex eo refert, Xerxen, ante pugnam Salaminiam, claſſem, & aciem, ſpeculatum fuiſſe in Megaridis confinio, ſuper colles, quos Κέρατα *c* appellant. Meminit & etymologici magni ſcriptor in Δωδωναῖος; ubi ait, Ἡ ἱστορία *d* αὐτοῦ Θρασυβούλου, καὶ Ἀκεστοδώρου.

c Cornua.
d Hiſtoria Thraſybuli, & Aceſtodori.

Aceſtor, Ἀκέστωρ ἐν τῷ περὶ Κυρήνης *e*, memoratur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. II.

e Aceſtor opere de Cyrenæorum urbe.

Aceſtorides quatuor vulgavit libros *de quaque urbe fabularum*, τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν. Quibus multa quidem vera retulit; ſed multa etiam fabuloſa adſperſit; & propterea, ut calumniam effugeret, μυθικὰ *f* ipſe inſcripſit: ſimul ut titulo jucunditatem operis indicaret. Auctor Photius tmem. CLXXXIX. Proſâ ſcripſiſſe, interque alia quædam tradidiſſe de mirabili, ac monſtroſâ hominum quorundam formâ in India, teſtis eſt Tzetzes Chil. VII Hiſtr. CXLIV.

f Fabuloſorum.

Achilles Tatius Alexandrinus, niſi Tatii potiùs, puta filius, aut libertus, dici debet, literis conſignavit ἱστορίαν σύμμικτον *g*; in qua multorum magni nominis virorum meminerat. Teſtis Suidas: atque addit, præterea ſui memoriam reliquiſſe opere Etymologico: nec non libro de Sphæra. Hujuſce fragmentum ſupereſt, manuductio in Arati Phænomena: quæ unà cum Hipparcho Bithyno ex bi-

g Hiſtoriam miſcellaneam.



Digitized by Google

bibliotheca Medicea edita eſt curâ Petri Victorii. Eſſe verò hæc partem operis de ſphæra, indicat inſcriptio, quæ iſtiuſmodi eſt: Ἐκ *a* τῆς Ἀχιλλέως περὶ εἰσαγωγῆς εἰς τὰ Ἀράτου φαινόμενα. Meminit præterea Suidas Achillis ἐρωτικῶν *b*: in quibus reponit τὰ *c* κατὰ Λευκίππην, καὶ Κλειτοφῶντα. Ejus operis inſcriptio eſt, περὶ *d* Λευκίππην, καὶ Κλειτοφῶντα λόγοι. Nec obſtant verba illa calci operis addita: Τέλος *e* τῶν περὶ Λευκίππην, καὶ Κλειτοφῶντα ἐρωτικῶν πλασμάτων. Utcunque enim verè ſint figmenta, quæ narrat Achilles: noluit tamen hoc auctor inſcriptione ipsâ profiteri, ſed legi id opus maluit tanquam λόγον, ſive hiſtoriam veram. Sed ſolent librarii ſubinde titulos mutare, inſcriptioneſque ex ſua mente potiùs formare, quàm qua voluit auctor legi. Sic, ut alibi monui, Apollonii Dyſcoli, itidem Alexandrini, quas ipſe inſcripſerat ἱστορίας θαυμασίας *f*, Suidas nuncupat ἱστορίαν κατεψευσμένην *g*. Valde hoc Amorum opus epigrammate ſuo laudat ſive Photius Patriarcha, ſive potiùs Imperator Leo, cognomento Philoſophus. Et ſanè nihil Euſtathii, vel Prodromi amores ad illos Heliodori, vel Achillis Tatii. Etiam dictione utitur planè venuſtâ, & ejuſmodi omnino, qualis eſſe debet λόγος ἐρωτικός *h*. Latinè eos amores vertit Annibal Cruccius Mediolanenſis. Sed ſæpe non eſſe aſſecutum ſcriptoris mentem, liquet, ex quo Græcè prodiit. Quòd primò ex Palatinæ bibliothecæ codice factum Heidelbergæ in officina Commeliana. Exinde ex pluribus Mſſis integriùs, correctiuſque, cum Notis & Emendationibus ſuis edidit *i* eximius vir Claudius Salmaſius. Cùm opus hoc conderet, fuiſſe gentilem, ea oſtendunt, quæ de puerorum ſcribit amoribus, atque alia. Tandem tamen factum fuiſſe Chriſtianum, atque ad epiſcopatum etiam perveniſſe, ex Suida diſcimus.

a *Ex Achille manuductio in Phænomena Arati.*
b *Librorum de amore.*
c *Quæ narrat de Leucippe, & Clitophonte.*
d *De Leucippe, & Clitophonte hiſtoria.*
e *Finis fictionum amatoriarum de Leucippe, & Clitophonte.*
f *Hiſtorias mirandas.*
g *Hiſtoriam commentitiam.*
h *Amatorius ſermo.*
i *Leidæ an. 1640.*

Adæus Mytilenæus de ſtatuariis librum reliquit. Athenæus lib. XIII: Ἀδαῖος *k* ὁ Μυτιληναῖος ἐν τῷ περὶ ἀγαλματοποιῶν. Eſt idem Ἀδαῖος, qui ἐν τοῖς περὶ διαθέσεως *l* ab eodem memoratur lib. XI.

k *Adæus Mytilenæus libro de ſtatuariis.*
l *Libris de affectione ſive diſpoſitione.*

Ἀδέσποτοι, ſive incerti, atque ἀνώνυμοι longè plurimi à veteribus laudantur: de quibus ſeorſim aliquando, σὺν Θεῷ, agemus.

Ægias Αἰγίας à Clemente citatur lib. I Στρωμ. ubi ex eo commemorat, quæ de Ilii capti tempore ſcripſerit. Sed, qui Ægeas eſt Clementi, is Euſebio, in præparat. Evangelicâ Clementem exſcribenti, eſt Agis.

Æſopus vitam Alexandri M. literis prodidit: Latinè verò interpretatus eſt Julius Valerius. Habere ſe hanc Æſopicam tralationem Mſam, refert Franciſcus Juretus, notis in Symmachi lib. X epiſt. LIV. Etiam Barthius Adverſar. lib. II cap. X, ait, ſibi codicem eſſe Mſum. Sed negat, ſe vel de auctore, vel de interprete credere; eſſeque opus ex mendaciis prodigioſis refertum: etſi ejus & ante ſecula quatuor meminiſſet Sylveſter Gyraldus. Dicam de eo quoque lib. III de Hiſtoricis Latinis cap. de anonymis *m*.

m *P. 654. edit. primæ.*

Aëthlius, Ἀέθλιος *n* ὁ Σάμιος ἐν πέμπτῳ Σαμίων ὅρων, Athenæo citatur lib. XIV: ubi tamen vulgò corruptè eſt ἀεθρίων: ſed veram lectionem vidit Caſaubonus ad eum librum cap. XIX. Quæ de Junone Samiâ Aëthlium ſcripſiſſe ait Clemens in προτρεπτ. ea ſine dubio fuere ex prædicto opere. Ac meminit horum quoque librorum Etymologici magni auctor in Νήνωτῃ: ubi legas, Ἀέθλιος ἐν τοῖς Σαμίων ὅροις. Aëthlii quoque nomen Arnobio in VI, ubi vulgò *Ethedius* legebatur, reſtituit Theodorus Canterus.

n *Aëthlius Samius libro quinto de finibus Samiis.*

Agaclytus Olympiadas conſignavit. Suidas in Κυψελιδῶν: Ἀγακλυτὸς *o* ἐν τῇ π΄ ὀλυμπιάδι φησὶν ἔτους.

o *Sic ait Agaclytus in octogeſima Olympiade.*

Agatharcides Samius in ſecundo rerum Perſicarum laudatur Plutarcho in parallelis minoribus cap. II. Eundem Plutarchus junior libro de Fluminibus citat ἐν τοῖς Φρυγιακοῖς *p*. Et alibi in quarto περὶ λίθων *q*. Fortaſſe idem eſt, ac Cnidius: de quo dictum lib. I cap. XX.

p *In rebus Phrygiis.*
q *De lapidibus.*

Agathocles Babylonius laudatur Scholiaſtæ Heſiodi in illud Θεογον.

Τῷ δὲ σπαργανίσασα μέγαν λίθον ἐγγυάλιξεν.

Ubi ex eo commemorat, lapidem illum, qui Saturno fuit objectus, ut eum Iovis loco deglutiret, ex Proiconneſo fuiſſe apportatum. Res Cyzicenorum literis eſt perſecutus. Eo ex opere narrat Athenæus lib. I, ut Cyrus, primus Perſarum rex, Pytharcho Cyziceno, quem impensè amabat, ſeptem donârit civitates: ille autem, opibus iis inſoleſcens, patriæ tyrannidem affectârit, exercitu adverſus eam conſcripto; Cyziceni verò fortiter ſe defenderint. Meminit & lib. IX: Ἀγαθοκλῆς *a* ὁ Βαβυλώνιος ἐν πρώτῳ περὶ Κυζίκου φησὶν οὕτως. Tertium ejus operis citat lib. IX. Sed quem in primo, & nono, vocat Babylonium, eum hic ἁπλῶς nominare eſt contentus. At lib. XII Cyzicenum appellat. Sic enim ſcribit: Μνημονεύει δὲ *b* αὐτῶν Ἀγαθοκλῆς ὁ Κυζικηνὸς ἐν τρίτῃ τῶν περὶ τῆς πατρίδος. Perſuadere mihi non poſſum, diverſos eſſe: ſed potiùs cenſeo, ex cognomentis unum fuiſſe patriæ nomen, alterum domicilii: cujus generis exempla multa adduximus ſuperioribus libris. Stephanus in Βέσβικος ſimpliciter nominat: Ἀγαθοκλῆς *c* ἐν πρώτῃ περὶ Κυζίκου. Item Feſtus in Romam: *Agathocles*, inquit, *Cyzicenarum rerum conſcriptor.* Ubi illuſtrem ex eo locum refert de Romæ origine. Ut & Solinus in Polyhiſtore facit cap. I. Egregium ex eo memoratur exemplum à Tullio in primo de Divinatione: *Apud Agathoclem ſcriptum in hiſtoria eſt, Hamilcarem Karthaginenſem, cùm oppugnaret Syracuſas, viſum eſſe audire vocem, ſe poſtridie cœnaturum Syracuſis: cùm autem is dies illuxiſſet, magnam ſeditionem in caſtris ejus inter Pœnos, & Siculos, milites, eſſe factam: quod cùm ſenſiſſent Syracuſani, improviſo eos in caſtra irrupiſſe, Hamilcaremque ab iis vivum eſſe ſublatum. Ita res ſomnium comprobavit.* Eundem verò cenſeo, cujus ὑπομνήματα citat Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV; ubi ex ſeptimo commentariorum ejus quædam adfert de inſula Sacra, & Strongyle. Sed fuit præterea Agathocles Chius, rei ruſticæ ſcriptor; de quo Varro, & Columella: uterque lib. I de R.R. cap. I. Eſt iſte, de quo Plinius, cùm alibi, tum lib. XXII cap. XXII, de ſoncho agens: *Agathocles*, inquit, *etiam contra ſanguinem tauri demonſtrans ſuccum ejus.* Eſt & Agathocles Atracius, quem de piſcibus ſolutâ oratione ſcripſiſſe, auctor eſt Suidas. Præterea Agathoclem Samium ἐν τῇ Πεσσινουντίων πολιτείᾳ *d* citat Plutarchus de Flum. Atque idem Agathoclem Mileſium laudat ἐν τοῖς περὶ ποταμῶν *e*.

a *Agathocles Babylonius libro primo de Cyzico ſic ait.*
b *Meminit verò eorum Agathocles Cyzicenus in tertio de patria.*
c *Agathocles in primo de Cyzico.*
d *In Peſſinuntiorum Rep.*
e *In iis, quæ de fluminibus ſcripſit.*

Agathon Samius libros edidit rerum Scythicarum. Plutarchus de Flum. Ἀγάθων *f* ὁ Σάμιος ἐν β΄ Σκυθικῶν. Idem citat ſecundum περὶ *g* ποταμῶν. Uti & facit Stobæus ſerm. de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Ex Agathone hoc quædam de Buſiride hoſpites mactante, poſteaque ab Hercule interfecto, refert Plutarchus in parallelis minoribus cap. XXXVIII.

f *Agathon Samius ſecundo rerum Scythicarum.*
g *De fluviis.*

Agathonymus de Perſiæ rebus egit. Ἀγαθώνυμος ἐν Περσίδι *h*, apud Plutarch. de Flum.

h *Agathonymus in Perſicis.*

Agathoſthenes in Aſiaticis carminibus citatur à Germanico in Aratea: ubi ex eo narrat, Cynoſuram fuiſſe Iovis nutricem, unam ex Idæis nymphis. Nec dubito, quin idem opus ſignet Tzetzes Chil. VII Hiſt. CXLIV; ubi, aliqua de mirandis hominum formis tradidiſſe, teſtatur.

Ageſilaus memoriam ſui reliquit opere de rebus Italicis: ex quorum tertio hiſtoriam ſeu fabellam de Fulvio Stello, ejuſque filia Epona, quæ præeſſe Deis poſtea credita eſt, Plutarchus commemorat in Parallelis minoribus cap. XXIX.

Aglaoſthenes, qui corruptè in libris nonnullis *Agloſthenes*, vel *Ægloſthenes*, imò & *Ædoſthenes*, vocatur, hiſtoriam rerum Naxicarum conſignavit. Hyginus in poëtico aſtron. ubi de arcto minore loquitur: *Hanc Aglaoſthenes, qui Naxica conſcripſit, ait, Cynoſuram eſſe, unam de Iovis nutricibus ex Idæis nymphis.* Idem opus ſignat Germanicus Cæſar in Aratea Phænomena: *Aglaoſthenes dicit, Iovem, in aquilam transfiguratum, Naxiam regionem,*

*num, ubi nutritus fuerat, petiiſſe, & regnum accepiſſe. Egreſſo verò de Naxo, cùm adverſus Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret, aquilam ei in auſpicio apparuiſſe; quam, bono omine acceptam, tutelæ ſuæ ſubjeciſſe.* Quem locum intelligit Lactantius lib. I cap. XI. ubi ſic ſcribit: *Cæſar quoque in Arato refert, Aglaoſthenem dicere, Iovem, cum ex inſula Naxo adverſus Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret in litore, aquilam ei in auſpicium advolâſſe; quam victor, bono omine acceptam, tutelæ ſuæ ſubjugârit.* Meminit Aglaoſthenis quoque Plinius lib. IV cap. XII; ubi ex eo tradit, Delum aliter dictam Cynthiam. Item Jul. Pollux lib. IX cap. VI.

Agriopas Ὀλυμπιονικῶν *a* hiſtoriam texuit. Plinius lib. VIII Hiſt. Nat. cap. XXII: *Itaque Agriopas, qui Olympionicas ſcripſit, narrat, Demænetum Parrhaſium* (Demarchum vocat Pauſanias *b*) *in ſacrificio, quod Arcades Iovi Lyceo humanâ etiam tum hoſtiâ faciebant, immolati pueri exta deguſtâſſe, & in lupum convertiſſe: eundem decimo anno reſtitutum, athleticè certâſſe in pugilatu, victoremque Olympiâ reverſum.*

*a Eorum, qui in ludis Olympicis viciſſent. b In Eliacis.*

Agrœtas Ἀγροίτας in decimotertio τῶν Σκυθικῶν *c* citatur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. II. Idem ἐν γʹ Λιβυκῶν *d*, ab eodem celebratur in lib. IV. Meminit & ejus Stephanus in Ἄμπελος.

*c Rerum Scythicarum. d Libro tertio rerum Libycarum.*

Alcetas libros ſcripſit de iis, quæ Delphis dicata erant. Athenæus lib. XIII: Ἀλκέτας *e* ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων.

*e Alcetas in ſecundo de donariis Delphicis.*

Alexander Epheſius, cognomento Lychnus, inter illos, qui Epheſum illuſtrârint, reponitur à Strabone lib. XIV. Verba ejus ſunt: Τῶν δὲ νεωτέρων Ἀλέξανδρος ῥήτωρ, ὁ Λύχνος προσαγορευθεὶς· ὃς καὶ ἐπολιτεύσατο, καὶ συνέγραψεν ἱστορίαν, καὶ ἔπη κατέλιπεν, ἐν οἷς τά τε οὐράνια διατίθεται, καὶ τὰς ἠπείρους γεωγραφεῖ, καθ' ἑκάστην ἐκδοὺς ποίημα. *Ex recentioribus fuit Alexander orator, cognomento Lychnus: is & remp. geſſit, & hiſtoriam conſcripſit, ac verſus reliquit de rerum cæleſtium, ac orbis terreſtris partium deſcriptione, editis de ſingulis earum poëmatis.* Quod hoc loco Strabo dicit, præter hiſtoriam verſus feciſſe, id etiam cognoſcimus ex Euſtathio in Dionyſii περιηγ. verſ. DLVIII; ubi verſum hunc de Hercule, æneo lebete in Erythian navigantem, adducit: Χαλκείῳ *f* δὲ λέβητι μέγαν διενήξατο πόντον. Item ex Stephano, qui in Λάπηθος verſum unum refert, & alios duos in Ταπροβάνη. Quod verò orbis terreſtris partes deſcripſiſſe dicit Strabo, id ex eodem Stephano confirmatur; qui ejus Aſiam, ac Libyam, citat in Χαονία. Denique ex opere de rebus cœleſtibus, eidem Straboni laudato, abſque dubio ſunt verſus de harmonia cœleſti, quos Heraclides Ponticus adfert libello de allegoriis Homericis. Quod argumentum in hiſtoria ſua tractârit, id non dicit Strabo; ſed Sextus Aurelius Victor, libro de origine gentis Romanæ, cùm retuliſſet, ut Æneas, ab Agamemnone ire, quò vellet, permiſſus, petiiſſet Idam, ibique navibus fabricatis, oraculi admonitu Italiam petiiſſet, autorem ejus rei laudat *Alexandrum Epheſium, libro primo belli Marſici.* Præter hoc bellum nihil alibi legiſſe memini; niſi idem eſt, qui de philoſophis, & ſucceſſione eorum, opus hiſtoricum condidit. Meminit Laërtius in Socrate, Euclide, Pyrrhone, ac Pythagora; ubi legas, Ἀλέξανδρος *g* ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς. Sed fortaſſe ille eſt Alexander polyhiſtor: de quo diximus libro I cap. XXII.

*f Æneo verò lebete magnum tranſnavit pontum. g Alexander in ſucceſſione philoſophorum.*

Alexander Monachus hiſtoriam emiſit de inventione pretioſæ crucis. Primus eam Gretzerus edidit ex exemplari gemino, uno bibliothecæ Auguſtanæ, altero Cryptæ Ferratæ.

Alexarchum in tertio Italicorum citat Plutarchus in Parallelis cap. VII. Geſnerus in bibliotheca iſtic legiſſe videtur *Alexander.* Nam Alexandrum polyhiſtorem de rebus Italicis ſcripſiſſe ait, atque ejuſce rei auctorem laudat Plutarchum in dicto libello. Sed fallitur. Sanè & Servius in III Æn. Alexarchum, hiſtoricum Græcum, (ſic vocat) teſtem laudat de Epiri, & Campaniæ nomine. Ea quin ex Alexarchi Italicis ſint, dubium non eſt.

Alexis Samius conſcripſit libros de finibus Samiorum. Athenæus lib. XII; Ἄλεξις *a* ἐν τρίτῳ Σαμίων ὅρων. Et lib. XIII; Ἄλεξις *b* ὁ Σάμιος ἐν δευτέρῳ ὅρων Σαμιακῶν. Ubi eo libro retuliſſe dicitur, meretrices, quæ Periclem ſecutæ erant, cùm Samum obſideret, tantopere, proſtituendo ſe, ditatas fuiſſe, ut ædem Veneris, quæ in Samo erat, exſtruxerint.

*a Alexis in tertio de finibus Samiorum. b Alexis Samius in ſecundo de finibus Samiacis.*

Alexon Myndius fecit libros narrationum fabuloſarum. Diogenes Laërtius in Thalete, Ἀλέξων *c* ὁ Μύνδιος ἐν ἐνάτῳ μυθικῶν. At alius, puto, eſt Alexander Myndius; cujus Plutarchus meminit in Marii vitâ: ubi ſermo de vulturibus duobus, exercitum Marii ſequentibus.

*c Alexon Myndius in nono fabuloſorum.*

Ambryon Theocriti Chii vitam ſcripſit; ut Laërtius in Ariſtotelis vita auctor eſt: ubi ex eo refert maledicum hoc Theocriti ejuſce epigramma in Naturæ promum condum Ariſtotelem:

Ἑρμείου εὐνούχου, ἠδ' Εὐβούλου ἅμα δούλου
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.

Cujus ſententiam, licet duriuſculè, ſic expreſſeris:

*Hermiæ eunuchi, & ſervi monumentum Eubuli*
*Mentis inanis inane exſtruxit Ariſtoteles.*

Apud Etymologum in ὁμοκλήσαντες citatur ὁ Ἄμβρων. Fortaſſe idem eſt.

Amometus de Attacorum gente ſcripſit. Plinius lib. VI cap. XVII: *Et gens hominum Attacorum, apricis ab omni noxio afflatu ſecluſa collibus, eâdem, quâ Hyperborei, degunt temperie. De iis privatim condidit volumen Amometus: ſicut Hecatæus de Hyperboreis.* Antigonus quoque Caryſtius Hiſtor. Mirab. cap. CLXIV refert ex eo, ſiquis fonti Iſidis corylam vini infundat, fieri potum bene temperatum. Vocat autem Ἀμώμητον *d* τὸν πραγματευθέντα τὸν ἐκ Μέμφεως ἀνάπλουν εἰς τὴν καλουμένην Ἴσιδος κρήνην. Ejuſdem rei Amometus autor laudatur in Sotionis excerptis de fluviis, & lacubus. Ælianus lib. XVII de animalibus cap. VI ab Amometo proditum teſtatur, in urbe quadam Libycâ à ſacerdotibus carmine quodam educi è lacu crocodilos cubitorum ſeptemdecim.

*d Expertum navigationem a Memphi ad Iſidis fontem.*

Amphicrates librum reliquit de viris illuſtribus: uti Laërtius indicat in Ariſtippo, & Athenæus lib. XIII.

Anaxandrides confecit libros περὶ τῶν *e* συληθέντων ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων. In eorum primo hiſtoriam retulerat, unde ortum proverbium; Ἄκρον *f* λάβε, καὶ μέσον ἕξεις. Narrat hoc collector proverbiorum, quæ è bibliotheca Vaticana edidit Schottus *g*.

*e De anathematis, quæ ſacrilegio Delphis fuere ſublata. f Summum cape, ac medium tenebis. g P. 159.*

Anaxilai meminit Dionyſius initio antiquitatum Romanarum: ubi eum dicit prooemium hiſtoriæ ſuæ à vituperatione aliorum orſum eſſe; idemque factum eſſe à Theopompo: quorum neutrum ait ſe imitari velle. Neque, ut puto, alius eſt Anaxilaus, ex quo, Mytonem fuiſſe Arcadem, Laërtius *h* refert. At alius eſt Anaxilaus comicus; cujus fabulas longè plurimas citat Athenæus. Ἀναξίλας dicitur Etymologo in φιλοδεσποτοδόμος. Alius item eſt Anaxilaus medicus; quem Plinius laudat in Hiſt. Nat. lib. XIX cap. I, lib. XXV cap. XIII, & lib. XXX cap. VIII.

*h In Myſone.*

Andreæ, neſcio cujus, hiſtoria MS. unà cum ejuſdem hymnis, in Auguſtanâ exſtat bibliothecâ. Ea in hiſtoria deſcribit iter ſuum, quo Epheſo iit Hieroſolymam, &, poſt luſtratam terram ſanctam, Epheſum eſt reverſus.

Andriſcus Ναξιακῶν *i* libros elaboravit; quorum primum citat Parthenius cap. IX; ſecundum item cap. XIX. Atque ex eodem opere eſt, quod Athenæus refert in primo: Νάξιοι δὲ, ὡς Ἄνδρισκος, ἔτι δ' Ἀγλωσθένης, ἱστοροῦσι, Μειλίχιον καλεῖσθαι τὸν Διόνυσον διὰ τὴν τοῦ συκίνου καρποῦ παράδοσιν. διὸ καὶ τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ παρὰ τοῖς Ναξίοις, τὸ μὲν τοῦ Βακχέως Διονύσου καλουμένου, εἶναι ἀμπέλινον· τὸ δὲ τοῦ Μειλιχίου, σύκινον· τὰ γὰρ σῦκα μείλιχα καλεῖσθαι. *Naxii verò, ut Andriſcus, ut Agaſthenes, referunt, Bacchum appellant Meilichon, quòd dederit hominibus ficum: atque idcirco & apud Naxios facies Dei Bacchi, quem Diony-ſum*

*i De rebus Naxiacis.*

*ſon vocant, eſt è ligno vitis: illius autem, quem Meilichion nominant, eſt è ficu: ficus enim Naxii μειλίχια appellant.*

*a Andrœtas Tenedius in Propontidis periplo.*

Andrœtas Ἀνδροίτας *a* Τενέδιος ἐν τῷ περίπλῳ τῆς Προποντίδος citatur ab interprete Apollonii in lib. II.

Andron Alexandrinus χρονικὰ condidit: quod Athenæus nos docet lib. IV. Alius ab eo eſt Andron Epheſius, Laertio memoratus in Pherecyde, & ſcholiaſtæ Pindari in Iſthm. od. II: ex quo diſcimus, de ſeptem ſapientibus Græciæ commentatum. Ab hoc quoque Τρίπους ſcriptus fuit; ut optimè oſtendit Meurſius commentario in Apollonium. Ejus operis meminere Laërtius in Thalete, Clemens lib. I Στρωματ. Suidas, & Michaël Apoſtolius, uterque in Σαμίων ὁ δῆμος. Alius quoque eſt Andron Halicarnaſſenſis, qui laudatur Plutarcho in Theſeo, Iſaacio Tzetzæ ad Lycophronem, ſcholiaſtæ Æſchyli ad Perſas. Ac illa, quæ ex eo ſcriptores hi referunt, ſatis veriſimilem faciunt conjecturam doctiſſimi Meurſii, exiſtimantis, iſta citari ex Androne ἐν τῇ ἐπιτομῇ περὶ συγγενειῶν *b*, quam memorat Apollonii ſcholiaſtes in lib. I. Octavum ejus operis laudat Harpocratio in Φορβάντειον. Denique præter iſtos eſt & Andron Teius, cujus περίπλους citatur à ſcholiaſte Apollonii lib. II. Nec à vero abludit, eundem eſſe, cujus volumen Περὶ Πόντου *c* idem celebrat in ſcholiis ad eundem librum. Apollonius in hiſtoria commentitia, ſive potiùs mirandâ, cap. VIII, citat Andronis opus Περὶ *d* θυσιῶν, πρὸς Φίλιππον. Sed cujus Andronis hoc fuerit, nec addit, nec conjecturâ aſſequi facile eſt. Uti nec quis ille ſit Andron, quem Ἀτθίδα *e* condidiſſe, Strabo innuit lib. IX. Niſi illic *Androtion* legendum; quem res Atticas conſignâſſe, mox planum faciam. Meminit & Andronis idem lib. XII, ubi de Dulichia loquitur; atque iterum, ubi de Eteocretibus, & Cydonibus, ſermo eſt.

*b In epitome cognationum.*
*c De Ponto.*
*d De ſacrificiis, ad Philippum.*
*e Res Atticas.*

Andronycus Alypius Syriæ regum, atque aliarum gentium, ut B. Hieronymus auctor eſt, hiſtorias eſt literis perſecutus.

Androtion Atticam hiſtoriam edidit; teſte Pauſania in Eliacis, & Phocicis, & Marcellino in vita Thucydidis. Ejus operis liber tertius citatur à Stephano in Ἀλικαρνασσός, quartus in Ἀργινοῦσαι, quinctus ab Harpocratione in Ἀγυιᾶς, ſextus ab Stephano in Γρήινος, duodecimus ab Harpocratione in Ἀμφίπολις. Puto autem, idem opus ab Hephæſtione, & Stephano ſignari; quando ille ſecundum Androtionis advocat in Ἀποδέκται: hic octavum adducit in Ἀκόντιον. Uti & cùm ſextum Androtionis citat Harpocration in Ἱερὰ τριήρης, & ſecundum Androtionis in Ἵππαρχος. Meminere Androtionis Plutarchus in Solone, Ælianus lib. VIII Var. Hiſtor. cap. X, Clemens lib. VI Στρωμ., Suidas in Συγγραφεῖς, Pindari ſcholiaſtes *f* in Iſthm. od. VII, Etymologici magni auctor in Βελεσσαῖος, & Συγγραφεῖς; Anonymus in Olymp. deſcriptione ad Olymp. XC an. II, Ariſtophanis ſcholiaſtes in Acharnenſes *g*, Veſpas, & in Aves ſemel, iterumque; ſcholiaſtes Sophoclis *h* in Oedipum tyrannum, ſcholiaſtes Euripidis in Phœniſſas *i*, Lycophronis ſcholiaſtes *k*, qui de Cadmo ex eo hiſtoriolam narrat. Etiam Androtion ſive idem, ſive alius, de agricultura ſcripſit: quem Plinius memorat in Hiſtor. Natur. & ante eum Varro, ac Columella, uterque initio libri primi de R. R. ubi eum reponunt inter eos rei ruſticæ ſcriptores, quorum patriam non acceperint.

*f P. 399. edit. Aurel.*
*g P. 498.*
*h P. 306. edit. H. St.*
*i P. 325. edit. P. St.*
*k P. 156.*

Anticlides, Ἀντικλείδης ἐν Δηλιακοῖς *l* ſemel, iterumque, in ſecundo Δηλιακῶν citatur à ſcholiaſte Apollonii in lib. I. Ejuſdem liber περὶ νόστων *m* memoratur Athenæo lib. XI, & alibi, item Clementi Alexandr. ἐν Προτρεπτ. Νόστους autem vocavit reditum in patriam, ſive Græcorum à Troia, ſive Argonautarum è Colchide, vel ſimilem. Vide Caſaubonum ad Athenæum lib. IV. cap. XIV. Eundem ἐν ἐξηγητικῷ laudat Athenæus in XI. Etiam ejus memoriam celebravit Strabo in V: ubi ab Anticlide proditum ait, primos Pelaſgos loca Lemno, & Imbro vicina, condidiſſe, ac quoſdam eorum cum Tyrrheno, Atyos filio, in Italiam navigâſſe. Meminit & Anticlidæ Plutarchus in Alexandro: item libro de Iſide & Oſiride, ubi narrat, Iſidem ab eo Promethei filiam, Liberi uxorem ſtatui. Et Plinius lib. VII Hiſt. Nat. cap. LVI; ubi de literarum inventione agens, *Anticlides*, inquit, *in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona tradit, XV annis ante Phoroneum, antiquiſſimum Græciæ regem: idque monumentis approbare conatur.*

*l De rebus Deliacis.*
*m De reditibus ſive reverſionibus.*

Antidamus *a* Heracleopolites edidit, præter Moralia, hiſtoriam Alexandri Magni. Utriuſque operis interpretem advocat Fulgentius Planciades in expoſitione ſermonis antiqui ad Chalcidium. Nec eſt, quòd miretur quiſquam, judicare me, interpretem potiùs Antidami, quàm ipſum Antidamum, citari. Nam is mos eſt Fulgentii. Sic in *Veſpillones*, cùm Antidamum hunc nominâſſet, mox adducit quædam ex interprete Mnaſeæ Εὐρωπιακῶν. Mnaſeam enim Εὐρωπιακὰ ſua Græcè vulgâſſe, ſatis notum eſt ex iis, quæ diximus lib. I, cap. XXI. Ubi & περὶ Ἀσίας *b* egiſſe, oſtendimus. Sanè eum ἐν *c* πρώτῳ περὶ Ἀσίας citat etiam Apollonii interpres in lib. I. Græci quoque ſunt, Steſimbrotus Thaſius, Diophantus Lacedæmonius, & alii, ab eodem Fulgentio laudati.

*a Niſi is Antidamas potius: ut Polydamas Homero, & Perſeis.*
*b De Aſia.*
*c Lib. I de Aſia.*

Antigenes à Plutarcho in Alexandro commemoratur inter eos, qui Amazonem ad Alexandrum veniſſe narrant, cùm Orexartem fluvium trajeciſſet. Geſnerus cenſet, cognomentum habuiſſe Iſtri. Nempe quia continuò Iſtri nomen apud Plutarchum ibidem ſubjiciatur. Iſter ille hiſtoriam fecit rerum Atticarum, item Argolicarum, aliaque; ut ex Athenæo conſtat. Sed omnino Iſter ab Antigene diverſus eſt.

Antileo περὶ χρόνων *d* libros confecit: quorum ſecundum citat Laertius initio vitæ Platonis. Meminit & Antileonis, ſeu ejuſdem, ſeu alterius, Julius Pollux in Onomaſtico lib. II. cap. IV.

*d De temporibus.*

Antilogus, Ἀντίλογος, inter hiſtoricos recenſetur à Dionyſio Hal. lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτ. Sed viri docti legere jubent Ἀντίοχος. Quod ſi rectum eſt, planè veriſimile ſit ſignari Antiochum Syracuſanum; de quo dicimus alibi. Sed ego Ἀντίλοχον rejicere non auſim, propter locum illum Clementis lib. I. Στρωματ. Ἀντίλοχος *e* δὲ αὖ ὁ τοὺς ἱστορικοὺς πραγματευσάμενος ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτήν. Unde diſcimus, ſcripſiſſe doctorum chronologiam. Anonymus in Olympiadum deſcriptione, ad Olymp. XLIX: Ἐντεῦθεν Ἀντίλοχος *f* τῆς ἱστορικῆς πραγματείας ἄρχεται. Videtur autem idem ſignari à Theodoreto Therapeutices lib. VIII, qui eſt de martyribus; ſi recta eſt vulgaris lectio, quæ habet: Καὶ *g* γὰρ Ἀθήνησιν, ὡς Ἀντίλοχος ἐν τῇ ἐνάτῃ γέγραφεν ἱστορίᾳ, ἄνω γε ἐν τῇ ἀκροπόλει, Κέκροπός ἐστι τάφος, παρὰ τὴν Πολιοῦχον αὐτήν. Sanè ita eſt in vetuſtioribus codicibus, Auguſtano, & Palatino, ubi in recentioribus eſt Ἀντίοχος: ut Sylburgius teſtatur. Recentioribus tamen libris favet Clemens in Προτρεπτ. En verba: Ἐν *h* τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει, τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου. Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει, Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐνάτῳ τῶν ἱστοριῶν. Et ex eo Arnobius lib. VI: *In hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem eſſe mandatum terræ.*

*e Antilochus vero, qui de viris doctis ſcripſit, ab ætate Pythagoræ uſque ad Epicuri mortem.*
*f Inde Antilochus tractare incipit de viris ſcientiâ claris.*
*g Athenis enim, ſicut Antilochus in nono hiſtoriæ ſuæ libro teſtatur, ſepulcrum Cecropis in ipſa arce poſitum eſt, juxta Minervam, civitatis cuſtodem.*
*h In templo Palladis, Lariſſæ in arce, eſt ſepulcrum Acriſii. Athenis autem, Cecropis, ut ait Antiochus in nono Hiſtoriarum.*

Antimachorum quinque, quos commemorat Suidas, unus hiſtoricus fuiſſe ab eodem dicitur.

Antipater libros de Rhodo fecit; quorum tertium Stephanus nominat in Ἀρμενία. Cognomen ſcriptoris omittit; ut quoque facit Stobæus, qui Antipatri de nuptiis fragmentum adfert. Item Apollonii ſcholiaſtes *i*; qui meminit operis Antipatri περὶ *k* ζώων. Ex quo eſſe cenſeo, quæ de elephantis duobus Antiochi regis, in uſu bellico celebribus, ab Antipatro prodita eſſe, Plinius teſtatur lib. VIII Hiſt. Nat. cap. V. Varii autem fuere Antipatri, poëtæ quidam, aliqui philoſophi, alii item hiſtorici. De Antipatro Macedone, Alexandri M. ſucceſſore, qui de rebus ſcripſit Perdiccæ apud Illyres geſtis, alibi *l* nobis dictum è Suida: qui & epiſtolarum ejus mentionem facit. Ut Cicero quoque lib. II de Officiis: *Exſtant*, inquit, *epiſtolæ, & Philippi ad Alexandrum, &*

*i In lib. I.*
*k De animalibus.*
*l Lib. I. cap. 10.*

An-

*Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum, trium prudentiſſimorum.* Ac Plutarchus etiam in Corio-lani vita meminit epiſtolæ ejus, quâ Ariſtotelis mortem perſcripſit. Præter eum eſt Antipater Sidonius, Ciceroni etiam lib. III. de Oratore memoratus: item Fabio lib. X. cap. VII. Uterque verò ait, eum extemporali facundiâ in carmine valuiſſe. Epigrammata illius undeviginti habemus in Ἀνθολογίᾳ, & aliud in laudem Sapphûs, quo decimam eam vocat Muſam: atque aliud in Homerum, quod eſt apud Plutarchum in vita Homeri. Eſt præterea Antipater Tarſenſis, Stoïcus, Straboni laudatus lib. XIV; cujus περὶ δεισιδαιμονίας a librum citat Athenæus lib. VIII, & alterum, ut videtur, περὶ ὀργῆς b1 quem Antipatro tribuit idem lib. XIV. Invixit Olymp. CLXIX, proximâ nempe à natali Ciceronis; ut dicemus in poëtis Græcis. Eſt item Antipater Theſſalonicenſis; cujus hexaſtichon habes apud Stobæum ſerm. XXXVII, qui eſt de temperantia. Ejuſdem ſexdecim in Ἀνθολογίᾳ epigrammata ſuperſunt. Adhæc eſt Antipater Tyrius, philoſophus, Catonis Uticenſis, Plutarcho teſte, familiaris; de quo ita Tullius in ſecundo de Officiis: *In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, Stoïcus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præcepta cenſet eſſe à Panætio prætermiſſa, valetudinis curationem, & pecuniæ.* Antipatri Stoici meminit idem lib. I. de Divinat. & lib. IV c. Acad. Quæſt. & Laërtius in Zenone. Sed diſpiciendum, utrùm de Tarſenſi, an Tyrio, ſermo ſit. Uterque enim Stoicus fuit. Saltem is, quem Cicero libro primo de divinatione ait diſcipulum fuiſſe Diogenis Babylonii, præceptorem verò Panætii, omnino eſt Tarſenſis; cùm Panætii doctor non potuerit ætatem producere uſque ad tempora Ciceronis; quod de Tyrio refert Tullius, ut videmus. De Lucio Cælio Antipatro in Latinis hiſtoricis dicemus.

a *De ſuperſtitione.*
b *De ira.*
c *Vulgo lib. 2. Sed Nonnio verius eſt quartus.*

Antiphanes ab Athenæo lib. XIII. inter eos refertur, qui ſui memoriam reliquere commentando de Atticis meretricibus. Ac eodem libro ſæpius ἁπλῶς citatur ἐν τῷ περὶ ἑταιρῶν d. Meminit & ejus operis Harpocration in Ἀντίκυρα. Antiphanes de rebus inventis laudatur à Clemente Alexandrino lib. I. Στρωματ.

d *De ſcortis.*

Antiſthenes, peripateticus philoſophus, citatur à Phlegonte Tralliano Mirabil. cap. III: Ἱστορεῖ e δὲ καὶ Ἀντισθένης Περιπατητικός. Ac deinceps ex eo mira refert de Buplago Syro, & Publio, duce Romano: quæ contigiſſe ait poſt pugnam cum Antiocho apud Thermopylas. Non hic eſſe poteſt ille Antiſthenes, cujus vitam emiſit Laërtius: quia is Cynicus fuit, neque hiſtoricum ejus quicquam Laërtius recenſet. Sed, juxta eundem Laërtium, Γεγόνασι f δὲ καὶ ἄλλοι Ἀντισθένεις τρεῖς· Ἡρακλείτειος, εἷς· ἕτερος, Ἐφέσιος· καὶ Ῥόδιος, ἱστορικός. Forſaſſe autem & alii fuerunt: & ut hoc non ſit, quid Epheſius vulgârit, non magis hinc liquet, quàm de Heracliteo: niſi quòd eum philoſophicum potiùs ſuæ ſectæ argumentum tractâſſe, credibile eſt. Quare difficile eſt videre, quem ſignet Phlego. Sed ſi conjecturæ indulgere licet, cùm tertius ille, patriâ Rhodius, dicatur hiſtoricus fuiſſe: non video, unde potiùs, quàm ex illo, Phlegontem eam hauſiſſe hiſtoriam putemus. Eadem de cauſſa illi tribuerim τὰς g τῶν φιλοσόφων διαδοχάς: quas Antiſthenem conſignâſſe, auctor eſt idem Laërtius in Thalete, Ariſtippo, Menedemo, & alibi. Satis quidem hæc de philoſophis hiſtoria conveniebat, tum homini philoſopho, ut vocat Phlego; tum hiſtorico etiam, ut Laërtius nominat. Denique, ob Laërtii verba illa, veriſimile fit, eundem ſignari à Plinio lib. XXXVI. Hiſt. Nat. cap. XII: ubi inter duodecim iſtos, qui de pyramidibus Ægyptiis ſcripſerint, Antiſthenem nono recenſet loco. Etiam à Plutarcho, lib. de Flumin. citatur, Ἀντισθένης h ἐν γ´ Μελεαγρίδος. Hunc ſiquis Epheſium illum putet, non quidem repugno: ſed quid pro ea ſententia certi adferri poſſit, planè non video.

e *Refert verò & Antiſthenes Peripateticus.*
f *Fuere & alii Antiſthenes tres; unus Heracliteus, alter Epheſius, & Rhodius quispiam hiſtoricus.*
g *Succeſſiones philoſophorum.*
h *Antiſthenes in tertio Meleagridos.*

Antoninus Liberalis innotuit Metamorphoſeôn collectaneis. Sed narrationes iſtæ, ut philologo utiles, ita hiſtoricum nihil juvant, niſi quatenus hiſtoria ſubeſt; ut ferè in fabulis ſolet. Putabat vir magnus i, hunc eſſe illum Liberalem, de quo Suetonium, libro de claris rhetoribus, egiſſe, ex indice reſiduo liquet: item de quo Hieronymus in Chronico Euſebiano ad ann. CIↃ IↃ LXIV ait; *M. Antonius Liberalis, Latinus Rhetor, graviſſimas inimicitias cum Palæmone exercet.* Hoc ſi eſt, Claudii Imper. ac fortean etiam Neronis tempore vixerit. Sed malo credere Scaligero; qui ad eum Hieronymi locum monet, eſſe alterius Liberalis Μεταμορφώσεις iſtas. Movet me, quòd hic Antoninus; ille Antonius dictus: hic Græcè ſcripſerit, neque niſi Græcos citet ſcriptores; ille Latinus fuiſſe rhetor diſertim ab Hieronymo ex Suetonio dicatur.

i *Notis ad Sueton. de claris rhetor.*

Apellas Cyrenæus, Ἀπελλᾶς ὁ Κυρηναῖος, geographus memoratus in epitome Artemidori Epheſii. Fortè eſt idem, qui de rebus Delphicis commentarium edidit. Hujus meminit Clemens Alexand. ἐν προτρεπτ. Ἀπελλᾶς δὲ a ἐν τοῖς Δελφικοῖς δύο φησὶ γεγονέναι τὰ Παλλάδια. Videndum, an non idem ſit, qui Athenæo *Apollas* vocatur. Mihi quidem ſic videtur: quia & is de Urbibus ſcripſit: & proclivis in una litera lapſus fuit.

a *Apellas in Delphicis duo ait fuiſſe Palladia.*

Aphrodiſius, ſive Euphemius, Ἀφροδίσιος, ἤτοι Εὐφήμιος, ἐν b τῷ περὶ πατρίδος citatur à Stephano in Ἀφόρμιον.

b *Libro de patria.*

Apollas volumen de civitatibus Peloponneſi reliquit. Athenæus lib. IX: Ἀπολλᾶς c ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων. ubi ex eo refert, γογγυλίδας d à Lacedæmoniis vocari γαστέρας e. Judicio meo, idem eſt ac Apellas Cyrenæus; ut antè dixi.

c *Apollas libro de oppidis Peloponneſi.*
d *Rapa.*
e *q. d. ventres.*

Apollodorus Artemita opere inclaruit de rebus Parthicis; ut Strabo indicat lib. II. Meminit & initio lib. XV; ubi in Parthicis retuliſſe dicit, ut à Syriacis regibus, qui ſucceſſere Seleuco Nicatori, abalienata fuerit Bactriana. Libro quoque XI apud eum legas, Ἀπολλόδωρος f ὁ τὰ Παρθικὰ συγγράψας.

f *Apollodorus, qui res Parthicas conſcripſit.*

Apollodorus etiam, neſcio quis, de rebus Caricis commentatus eſt. Stephanus in Ἀργυννοὺς advocat Καρικῶν g librum VII, ac XVI in Λαγινία. Idem Apollodori ſecundum de Alexandria citat in Ὀρβίται. Adhæc περιηγήσεως h ſecundum in Ἄβυλλοι, & Αὔγιλα: quod idem eſſe opus arbitror ac libros περὶ γῆς i, quorum ſecundum idem adducit in Γαυγάμηλα. Scio eſſe, qui *Artemidorum* legere malint, quia Artemidorus Epheſius terrarum ſitum deſcripſit. Sed literarum ductus nimis diſconveniunt, ut omnino audacior ea ſit conjectura. Apollodori Geographi meminit quoque Tzetzes Chil. III. Hiſtor. c. Ἀπολλόδωρος k φησι ταύτην τὴν ἱστορίαν, τῷ περὶ νήσων, πόλεων, καὶ δήμων, βιβλίῳ. Etiam apud Apollonii ſcholiaſtem in librum II citari video Apollodorum ἐν l πρώτῳ περὶ Ποντικῶν. Sed & Apollodorum ἐν Ῥυτίνῳ citat Plutarchus in Quæſtionibus Græcis. ubi ex eo narrat, ut Dinon, Tarentinorum Dux; cùm præco, poſt ſententiam ab eo, & aliis, dictam, pronunciâſſet, *Hac ſententia ſuffragia habet numero plura*; ille liberè ſubjecerit continuò, *At hæc ſententia ſuffragia habet meliora.* Singulos verò ex Apollodoris iſtis patriâ ſuâ diſtinguere eo arduum, vel potius ἀδύνατον m eſt, quia uſque adeò multi hujus nominis ſcriptores fuerunt. Ut, Apollodorus Adramyttenus, quem (ut conſtanter exaratum videas in codd. antiquis) memorat Strabo lib. XI; ubi de Arſacia loquitur. Niſi hìc legendum, Ἀρταμιττηνὸς, vel Ἀρτεμιτηνὸς, ut Caſaubono placet, & Mſſi indicant; ubi nunc eſt Ἀρταμύττιος, nunc Ἀρταμύθηνος. Hoc ſi placet, idem fuerit, qui Ἀρτεμίτης alibi vocatur. Fuit præterea Apollodorus Ephillus, qui vulgavit εἰσαγωγὰς n εἰς τὰ δόγματα. Earum librum primum citat Laërtius lib. VII. in Zenone. Adhæc Apollodorus ὁ Λογιστικὸς o apud eundem in Pythagora & Thalete, qui idem ac Ἀριθμητικός; ut vocatur Athenæo lib. II. Apollodorus Cyzicenus apud eundem in Democrito. Apollodorus Athenienſis, poëta comicus, qui fabulas fecit XCVII; ſed ſepties tantùm vicit. Apollodorus Athenienſis, grammaticus, de quo dictum lib. I. cap. XXI. Apollodorus Erythræus, qui Sibyllam Erythræam fuiſſe civem ſuam tradidit; teſte Lactantio lib. I. de falſa religione cap. VI. Apollodorus Telmiſſenſis, unde quiddam citat Artemidorus lib. I. cap. LXXXII:

g *De rebus Caricis.*
h *De orbis deſcriptione.*
i *De terra.*
k *Apollodorus refert hanc hiſtoriam eo in libro, quem conſignavit de inſulis, urbibus, & populis.*
l *In primo Ponticorum.*
m *Impoſſibile.*
n *Introductiones in dogmata.*
o *Supputator.*

ubi & vocatur ἀνὴρ a ἀξιόλογος. Etſi autem, ut dixi, difficile ſit dicere, quis intelligendus ſit, cùm ἁπλῶς ſit mentio Apollodori, tamen de auctore περιηγήσεως b videor mihi ſtatuere poſſe, eum eſſe Adramyttenum, ſive Artemitenum. Nam valde hanc ſententiam veriſimilem facit, quòd Strabo ex eo refert, Arſaciam à Parthis diſſitam eſſe ſtadiis quingentis, ſive, ut in Mſsis legitur, octingentis. Cujuſmodi perſequi proprium eſt τῷ περιηγητῇ c. Apollodorus Lemnius, rei ruſticæ ſcriptor, de quo Varro R. R. cap. I. Apollodorus Nicenus, de quo Stephanus in Νικαίᾳ, atque alii multo plurimi.

Apollonides Nicenus, Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς, ſcripſit ὑπόμνημα d περὶ παραπρεσβείας Δημοσθένους. Meminit Ammonius libello de ſimilibus & differentibus vocibus, in Ὄφλειν. Etiam Apollonidæ Niceni περὶ παροιμιῶν e librum citat Stephanus in Τέρινα. At ἁπλῶς Apollonides ἐν f τῷ περίπλῳ τῆς Εὐρώπης ſemel, iterumque, citatur à ſcholiaſte Apollonii in lib. IV; utrobique ob locorum hiſtoriam. Etiam Apollonidem laudat Strabo lib. VII; item Plinius lib. VII. Hiſt. Nat. cap. II; ubi ex eo commemorat, eſſe feminas in Scythia, quarum oculis binæ inſint pupillæ. Aliquot etiam ſenarios Apollonidis adducit Stobæus in laude nuptiarum: legas quoque epigrammata illius XIV in primo Ἀνθολογίας libro, & novem alia in libris ſequentibus. Non dubito autem, quin, ſi non omnia, pleraque ſaltem ſint Apollonidis illius Nicæni, de quo diximus. Sed fuit præterea Apollonides Horapius, qui de Semenuthi ſcripſit: item de diis, & heroibus Ægyptiorum, & hiſtorias Ægyptiacas. Theophilus Alexandrinus lib. II: Ὡς μέμνηται Ἀπολλωνίδης, ὁ καὶ Ὡράπιος g ἐπικληθεὶς, ἐν βίβλῳ τῇ ἐπιγραφομένῃ Σεμενουθὶ, καὶ ταῖς λοιπαῖς κατ' αὐτὸν ἱστορίαις, περί τε θρησκείας τῆς Αἰγυπτιακῆς, καὶ τῶν βασιλέων αὐτῶν, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ματαιοπονίας, *Ut meminit Apollonides, cognomento Orapius, in libro, cui titulus Semenuthi. Præterea & in reliquis, quas ſcribit, hiſtoriis, mentionem facit ſuperſtitionis circa cultum divinum Ægyptiorum, deque eorum regibus, & vano eorum labore in operibus ſuis.* Ita enim poſtrema verba, quæ planè non cepit Conradus Clauſerus, interpretari oportet. Reſpicit enim Theophilus imprimis pyramides: circa quæ regum Ægyptiorum, ut Plinii verbo utar, *multa vanitas.* Quod & Græcum ματαιοπονία h dicit. Nempe, ut idem Plinius ait, *erant pyramides regum pecuniæ otioſa ac ſtulta oſtentatio.* Vide eum lib. XXXVI. cap. XII.

Apollothemus hiſtoriam fecit: quantum colligere poſſum ex iis, quæ de Lycurgi morte ex eo refert Plutarchus in Lycurgi vita.

Archelaus hujus quoque loci erit, ſi, ut veteres Harpocrationis codices habent, res Euboicas prodidit: ac præterea ab eo diverſus eſt, qui terras deſcripſit ab Alexandro peragratas. Diximus de hoc aliquid lib. I. cap. X. Sed non abs re erit, ſi nunc paullo pleniùs de Archelais agamus. Plures enim ejus nominis fuerunt. Nobiliſſimus omnium eſt Archelaus phyſicus, Anaxagoræ diſcipulus, Socratis magiſter: quem Athenienſem Clemens vocat ἐν προτρεπτ. Alii Mileſium cenſent, ut ex Laërtio cognoſcimus. Præter hunc tres alii celebrantur, eodem Laërtio teſte. Primus erat χωρογράφος i. Hic omnem terram deſcripſit, quam Alexander Magnus perambulavit. Alter, quæ propriæ ac ſingularis naturæ ſunt, conſignavit verſu. Tertius, orator, de arte ſuâ volumen reliquit. Secundus iſtorum Laërtio dicitur, ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας k. Unde liquet, eundem intelligi ab Athenæo lib. extremo IX; cùm ait, Παρὰ l Ἀρχελάῳ Χερρονησιώτῃ ἐν τοῖς Ἰδιοφυέσιν. Sed qui hoc loco eſt Cherſoneſiotes, is Ægyptius vocatur Antigono Caryſtio: qui, illum παράδοξον m καὶ θαυμάσιον epigrammata ad Ptolomæum ſcripſiſſe, teſtis eſt. Vide eum Hiſt. Mirabil. cap. XXIII, & XCVI: ubi & epigrammata ejus recitat, quibus docebat, ex crocodilo, ſcorpios; ex equis, veſpas; ex ſpinæ medulla, in nonnullis cadaveribus, parvos enaſci ſerpentes. Cùm autem hæc ad animalium hiſtoriam pertineant: planè cenſeo eſſe Archelaum eundem, quem de animalibus ſcripſiſſe, & quâ re unumquodque eorum

a *Vir doctus, & celebris.*
b *Operis de orbis deſcriptione.*
c *Orbem deſcribentis.*
d *Commentarium de male obitâ legatione à Demoſthene.*
e *De adagiis.*
f *In Europæ periplo.*
g *Sic nomen hoc ſcribo: quia conflatum cenſeo ex Ὧρος, unde Ὡράπις, & Ἄπις, unde Σάραπις, & Ἄπιον, Grammatici nomen. Vitioſe igitur Ὀράπιος, ſive Horapius, editum.*
h *Vanus labor.*
i *Regionum deſcriptor.*
k *Qui carmen fecit de propria cujuſque rei natura.*
l *Secundùm Archelaum Cherroneſiotam in opere de proprietate naturæ.*
m *Inopinatorum, & admirabilium.*

curetur, Artemidorus dicit lib. IV Oneirocriticôn cap. XXIV, quod inſcribitur περὶ συνταγῶν a. Idem confirmat locus Plinii lib. VIII. cap. L: *Auribus capras ſpirare, non naribus, nec unquam febri carere, Archelaus auctor eſt.* Et cap. LV: *Archelaus auctor eſt, quot ſint corporis caverna ad excrementa lepori, totidem annos eſſe ætatis.* Et lib. XXVIII. cap. IV: *Sanguine ipſius hominis, ex quacumque parte emiſſo, efficaciſſimè anginam illini, tradunt Orpheus, & Archelaus: item ora comitiali morbo lapſorum: exurgere enim protinus.* Et alia apud eundem. Iſtius, quod de capris dicit Plinius, etiam Varro Archelaum laudat auctorem. Sic enim loquitur lib. II. de R. R. cap. III: *De quibus admirandum illud,* (reſpicit ad titulum θαυμασίων b, καὶ παραδόξων) *quod etiam Archelaus ſcribit, capras, non, ut reliqua animalia, naribus, ſed auribus, ſpiritum ducere ſolere.* Non alium autem Archelaum ab eo ſignari, quàm illum Antigono memoratum, liquet ex libro III. de R. R. cap. XVI: ubi idem ait, *Primùm apes naſcuntur, partim ex apibus; partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait, eas eſſe* Βοὸς c φθινομένης πεποτημένα τέκνα. *Idem,* Ἵππων d μὲν σφῆκες γενεαὶ, μόσχων δὲ μέλισσαι. Hæc Varro. Stobæus ſerm. de morbis & moleſtiarum in eis ſolutione, advocat Archelaum lib. I. περὶ ποταμῶν e. Similiter Plutarchus lib. de Flumin. citat Archelaum in XIII περὶ ποταμῶν e, item primo de lapidibus. Prius opus ut τῷ χωρογράφῳ f eſſe putem, ſuadet argumentum. Sed tamen nec abſurdè credatur, Archelaum, qui τὰ παράδοξα g conſignavit, res admirabiles, & animalium, & fluviorum, & lapidum, tradidiſſe.

Archemachus conſcripſit Euboicarum rerum libros; ut cognoſcimus ex Athenæo, & Clemente Alexandrino; quorum ille in VI, hic in I Στρωμ. eum laudat ἐν h τρίτῃ Εὐβοϊκῶν. At in τετάρτῃ i Εὐβοϊκῶν citat Harpocration in Ἀλόννησος, ut quidem ibi corrigit Mauſſacus. Nam in Aldina antè legebatur, Ἀρχίλαος ἐν τετάρτῳ τῶν Εὐβοϊκῶν. Nempe de patriâ ſuâ hos libros ſcripſerat. Siquidem Straboni in X vocatur Ἀρχέμαχος ὁ Εὐβοεὺς, ubi de Curetibus, eorumque nomine, quædam ex illo commemorat. Etiam, ſeu idem, ſeu alius Archemachus, librum edidit, quo referebat, ut multis aliud eſſet nomen impoſitum, ac priùs habuiſſent. Hoc diſco ex Apollonii ſcholiaſte in lib. IV, ubi citatur Ἀρχέμαχος ἐν ταῖς μετωνυμίαις k. Nec enim dubito, quin ejuſdem argumenti fuerit liber, ac ille Leandri Nicanoris Cyrenæi, quem μετονομασιῶν l inſcripſerat. Ex hoc Archemachi opere fuiſſe autumo, quod Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride docuit, Serapidem non alium eſſe, quàm Plutonem; nec Iſidem, quàm Proſerpinam: quod ab Archemacho Euboenſi proditum ait. Itaque ex hoc Plutarchi loco etiam Archemachi patriam diſcimus. Ut Euboica ejus nihil aliud fuerint, quàm libri περὶ πατρίδος m.

Archeſtratus, præter γαστρονομίαν n, cujus Athenæus lib. III. ſæpius meminit, etiam librum edidit περὶ αὐλητῶν o, cujus apud eundem mentio fit lib. XIV.

Archinus, Ἀρχῖνος ἐν Θεσσαλικοῖς p, adducitur interpreti Pindari in Pyth. od. III.

Architimus inclaruit opere de rebus Arcadicis: ex quibus, unde Eleutheræ, Bœotiæ oppidum inter Megaram & Thebas, nomen acceperint, Plutarchus refert in Quæſtionibus Græcis.

Aretates Cnidius literis prodidit Macedonica; ex quorum tertio hiſtoriam de Ariobarzane, Alexandro Darium patrem prodere volente, & interfecto eapropter à patre, refert Plutarchus in parallelis minoribus cap. XI. Reliquit idem librum de inſulis: unde hiſtoriam de Telamone, & Peribœa, exſcripſit Plutarchus, ejuſdem libri cap. XXVII. Condidit & opus de rebus Phrygiis, ut arbitror. Sed pro eo apud Plutarchum libro de Flum. ſcribitur, Ἀρετάζης ἐν τοῖς Φρυγιακοῖς. Mauſſacus contrà cenſet, ex ſcriptore de Fluminibus utrumque Plutarchi Chæronenſis locum corrigi debere. Haut magnopere repugno. Sed neque video, cur veriſimilius ſit, in pluribus, quàm uno in loco, verum hujus viri nomen corruptum eſſe.

a *De medicamentorum compoſitionibus.*
b *Admirabilium, & inopinatorum.*
c *Proles putrefacti de bove nata.*
d *Veſpa creantur equo, ſed apis prognata juvenco.*
e *De fluminibus.*
f *Loca deſcribentis.*
g *Ea quæ ſunt præter opinionem hominum.*
h *In tertio rerum Euboicarum.*
i *In quarto Euboicorum.*
k *Quas dicas, de transformationibus multorum.*
l *Mutationes nominis.*
m *De patria.*
n *Leges memori fundis.*
o *De tibicinibus.*
p *In rebus Theſſalicis.*

Are-

Artes à Cenſorino, cap. xxi, conjungitur cum Eratoſthene Soſibio, chronographo, & Timæo; ac ab Inachi regno uſque ad Olympiadem primam ſtatuiſſe dicitur annos ↄↄxiv.

Ariſtides Mileſius celebratur à Plutarcho in parallelis minoribus cap. iv, xii, xviii, & xl. Nomen ſibi comparavit libris rerum Sicularum; quarum primum advocat idem cap. i. Item Italicarum, teſte eodem, cap. xi, xv, xvi, xvii, & xxxvi. Primum ejus operis citat idem cap. xxx. Tertium verò capite iii, xix, xxii, xxiv, xxxi. Quartum cap. xxxix. Undevigeſimum cap. xxxv. Quadrageſimum cap. v. Nec dubito, quin idem ſit Ariſtides, qui Perſica compoſuit: quorum ex primo quædam narrat idem cap. iv. Fortaſſe & idem eſt Ariſtides, quem ἐν τῷ α περὶ Κνίδου συγγράμματι [a] advocat Pindari ſcholiaſtes in od. iii Pyth. Alioqui non ignoro, fuiſſe & Ariſtidem Samium; cujus Varro in Hebdomadibus, ſive opere de imaginibus, & ex eo Gellius meminit lib. xi. cap. ix. Ut nihil dicam de Ariſtide, Adrianenſi ſophiſta, cujus orationes exſtant. Mileſii Ariſtidæ fuiſſe etiam cenſeo Ariſtidæ Mileſiaca: ſed opus hoc non erat de Mileſiorum rebus geſtis; quomodo Mileſiaca Hegeſippus, & nonnulli alii, ſcripſerunt: ſed narratiunculas continebat multæ laſciviæ: quo pacto Appuleius initio Metamorphoſios pollicetur, ſcripturum ſe fabulas ſermone Mileſio. Hoc oſtendit Plutarchus in Craſſo: ubi Mileſiaca Ariſtidæ vocat ἀκόλαστα βιβλία [b], pluraque in hanc ſententiam refert. Ac Ovidius quoque ſecundo Triſtium idem oſtendit, cùm ait:

*a Commentario de Cnido.*

*b Laſcivos libros.*

*Junxit Ariſtides Mileſia crimina ſecum:*
*Pulſus Ariſtides nec tamen urbe ſuâ eſt.*

Librum ſextum Ariſtidæ Mileſiacorum citat Harpocration in Δερμησίς. Puto, Ariſtidem hunc etiam ſignari à Jo. Tzetze Chil. i. Hiſt. xxiv; ubi ex eo refert, ut Simonides humârit mortuum; is Simonidi in ſomnis gratiam pro ſepultura hanc rependeret, quòd monuerit, ut ne navigâret; Simonidem paruiſſe; navem poſtea periiſſe; tum Simonidem hoc epitaphium condidiſſe monitori ſuo:

Οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο Σιμωνίδου ἐστὶ σαωτὴρ,
Ὃς καὶ τεθνηὼς ζῶντι παρέσχε χάριν.

*c Hic quidem Cei Simonidis eſt ſervator, Qui & mortuus vivo retulit gratiam.*

Ita enim legendum, ubi vulgò Οὗτος ὁ Κεῖος. At hujus loci non eſt, quòd hiſtoriæ de Dario, & Xerxe, idem Ariſtidem laudat auctorem Chil. i. Hiſt. xxxii, & initio, & fine. Nam diſertim ait initio, ſe iſta adducere ex Ariſtidæ oratione Panathenaicâ: ut apertum ſit, Rhetorem ſignari Adrianenſem: in cujus Panathenaica fusè agitur de Xerxe.

Ariethus Tegeates laudatur Hygino in poëtico Aſtronomico; ubi ait: *Ariethus Tegeates, hiſtoriarum ſcriptor, non Calliſto, ſed Megiſto, dicit appellatam; & non Lycaonis, ſed Cetei filiam, Lycaonis neptem. Præterea Cetea ipſum Engonaſin nominari.* Niſi corrigendum, *Araithus.* Quod verum puto. Sanè & Ἀρίαιθος Κορωνίνης legere eſt apud Pauſaniam in Arcadicis.

Ariſtagoras nomen ſibi peperit Ægyptiacis ſuis. Eorum primi libri Stephanus meminit in Ἑρμωνυμβιῶς, & Ταχομψός: ſecundi autem teſtimonio utitur in Νικίου κώμη. Ἁπλῶς quoque hoc opus nominat in Ψεβώ, non addito libri numero. Idem volumen ſignat Ælianus in Hiſt. animal. lib. xi. cap. x: ubi Ariſtagoram ait explicuiſſe notas bovis Apidis, qui Memphide adſervabatur. Inter alia hoc in opere de pyramidibus egit; ut ex Plinio conſtat. A quo duodecim, qui eam partem tractarint, hoc ordine recenſentur, lib. xxxvi. Hiſt. Nat. cap. xii: *Herodotus, Euemerus, Duris Samius, Ariſtagoras, Dionyſius, Artemidorus, Alexander Polyhiſtor, Butorides, Antiſthenes, Demetrius, Demoteles, Apion.* Ex iſtis ætatem ſcimus Herodoti, Euemeri, Duridis Samii, Artemidori Epheſii, Alexandri Polyhiſtoris, & Apionis. Cùm verò in ſex iſtis recenſendis temporum ratio à Plinio ſervetur: facilè mihi perſuadeo, idem in ſex alteris obſervâſſe. Quodſi eſt, vixerit Ariſtagoras inter Duridem Samium, & Artemidorum Epheſium, vel alterutrius fuerit æqualis. Floruit autem Duris Samius ſub Philadelpho: Artemidorus Epheſius, uti &, qui proximè ſequitur, Alexander Polyhiſtor, Lathyri tempore floruerunt. Quod de Ariſtagora diximus, idem locum habet in Dionyſio; quiſquis ille eſt: nam qui ſit, difficile dictu eſt; cùm uſque adeò multi laudentur ejus nominis ſcriptores. Similiter colligere licebit, Butoridem, Antiſthenem, Demetrium, Demotelem, nec Ptolomæo Lathyro antiquiores eſſe; nec juniores Tiberio Cæſare, cujus ætate vixit Apion, qui poſtremo loco à Plinio recenſetur. Laërtius Ariſtagoram nominat in præfatione. Idem in Chilone meminit Ariſtagoræ Mileſii: quem, quia Chilon, unus è ſeptem ſapientibus, brevitate gauderet, hunc loquendi morem Χιλώνειον appellâſſe ait. Sed Mileſius hic idemne ſit Ariſtagoras, ac Ægyptiacorum ſcriptor, non ſatis habeo compertum.

Ariſtander, ſeu naturæ is myſtes, ſive hiſtoricus erat, multa oſtenta ſcriptis conſignavit. Docet id Plinius lib. xvii. cap. xxv: *Laodiceæ, Xerxis adventu, platanus in oleam mutata: qualibus oſtentis Ariſtandri apud Græcos volumen ſcatet.* Et in elencho autorum libri ejus legas apud illum, *Ariſtander, qui de portentis.*

Ariſtarchus Chronographus epiſtolam hiſtoricam reliquit de Athenarum ſitu, & rebus ibi geſtis, temporibus Apoſtolorum: inque his de vita Dionyſii Areopagitæ. Hildiwinus epiſtolâ ad Ludovicum Pium Imper. *Maximè autem* (cognoverunt) *ex hiſtoria Ariſtarchi, Græcorum Chronographi; qui, in epiſtola ad Oneſiphorum Primicerium, de ſitu Athenæa [a] civitatis, & geſtis ibidem Apoſtolorum temporibus, ſcribens, ortum proſapiâ, & doctrinam ejus* (Dionyſii Areopagitæ) *atque converſationis ordinem, ſive ætatis tempus, nec non & ordinationem ipſius, ac prædicationem, ſubrogationem etiam epiſcopi, loco ſuo, & adventus illius Romam, ordinabiliter narrat: quam epiſtolam veſtra Dominationi dirigimus; & quiſquis ſtudioſus apud nos, prævalet invenire.* Idem Hildiwinus, epiſtolâ ad omnes Catholicos: *Qui curioſiùs hoc ſcire voluerit, ut de multis quædam deſignemus, ex nomine Euſebii Cæſarienſis hiſtoriam, & Ariſtarchi Græcorum Chronographi ad Oneſiphorum Primicerium epiſtolam, & Viſbii conſcriptionem perquirat, & relegat. Ibique diſcere poterit, quis iſte Dionyſius fuerit, & qualiter per martyrii palmam ad Chriſtum pervenerit.*

*a Pro Athenarum; quæ ſtribligo potiùs ſeculo tribuenda, quàm ſcriptori.*

Ariſthus res Arcadicas prodidit. Dionyſ. Halic. lib. i. Antiq. Roman. Ἀρίαιθος [b] ὁ γράψας Ἀρκαδικά. Niſi (ut Sylburgio placet) legere mavis Ἀραίθου, vel Ἀρείθου; quod contractum ex Ἀραίθεος, ut Πειρίθους.

*b Ariſthus qui Arcadica ſcripſit.*

Ariſtippus quoque Arcadica condidit: unde de Api Argivo quædam refert Clemens Alexandr. lib. i Στρωματ. Ἆπις ὁ τῆς Ἄργους βασιλεὺς, Μέμφιν οἰκίζει, ὥς φησιν Ἀρίστιππος ἐν πρώτῃ Ἀρκαδικῶν [c]. Atque eadem ex Clemente habet Euſebius [d] lib. x. præparat. Euangel. Meminit quoque Arcadicorum Ariſtippi Laërtius lib. ii; ubi de quatuor Ariſtippis loquitur: & ſcholiaſtes Apollonii in lib. iii. item Theocriti ſchol. in Idyll. i. ubi inde refertur, Panos parentes eſſe Jovem, & nympham Oeneida. Diverſus eſt ab Ariſtippo Cyrenaico, Socratis diſcipulo; quem, inter alia, hiſtoriam Libycam, deque antiquorum deliciis, ſcripſiſſe, alibi dicimus.

*c Apis, rex Argivus, Memphi habitavit; ut ait Ariſtippus in primo Arcadicorum.*

*d P. 293. edit. Rob. Steph.*

Ariſtocles Meſſenius, philoſophus Peripateticus, cùm alia, tum decem reliquit libros de philoſophia; quibus philoſophos omnes, eorumque opiniones, recenſebat. Suidam adi. Ex Ariſtocle hoc narrat Theodoretus Therapeut. ſerm. viii, Lyconem Pythagoricum tradere, ab Ariſtotele, Nicomachi filio, eo ritu conſueviſſe rem divinam fieri uxori mortuæ, quo Athenienſes Deæ Cereri ſolent. Sed ut alia multa, ita hoc quoque, ab inimicis ſummi philoſophi confictum fuiſſe, lubens mihi perſuadeo. Fuit & Ariſtocles Rhodius, grammaticus; ut in proœmio Erotianus teſtatur. Uter, an neuter, eſt Ariſtocles, qui paradoxorum libros ſcripſit? Ex iis quædam Stobæus narrat Sermone de vituperatione Veneris. Ælianus quoque lib. xi. de animalibus cap. iv. refert Ariſtoclis neſcio cujus octaſtichon de bove; quem, cùm vix decem viri domare poſſent, una ſacerdos ſolâ aure prehenſum ad aram deducat.

Ariſtocreon terrarum ſitum deſcripſit. Ex eo prodit Plinius lib. v. cap. ix, *ab Elephantide ad mare* ↀCCL *mille paſſuum eſſe.* Item lib. vi. cap. xxx. meminit his verbis: *Ariſtocreon Libyæ latere à Meroë oppidum Tolen dierum quinque itinere tradit.*

Ariſtocritus innotuit commentario ſuo de Mileto, ex quo opere eſt undecima Parthenii hiſtoria in Eroticis. Plinius lib. v. cap. xxxi. tradit ex eo, ut Samus inſula aliquando dicta ſit Melamphyllos, item Cypariſſia. Meminit & alibi. Ut etiam Apollonii ſcholiaſtes in lib. i.

Arius Tarſenſis, Ἄρειος ὁ Ταρσεύς, commemoratur Sorano Epheſio in vita Hippocratis; ubi ab eo *γενεαλογίαν* Hippocratis ſcriptam prodit.

Armenidas de rebus Thebanis egit: ſeu is hiſtoricus fuit, ſeu hiſtoricum argumentum poeta ſumſit, & poetarum more tractavit: ut in Thebaide ſuâ fecit Papinius. Prora verò, & puppis ejus, quod de Armenida dicebamus, eſt Apollonii ſcholiaſtes in lib. i: ubi legitur, Ἀρμενίδας *a* ἐν τοῖς Θηβαϊκοῖς: atque ex iis refertur, civitatem Itonen ita dictam eſſe ab Itono, Amphictyonis filio. Sed non diſſimulabo ſuſpicionem meam. Video, ab eodem Apollonii ſcholiaſte alibi, ac eumpſe in librum, citari Antimenidæ librum primum. Unde veriſimile fit, & altero in loco, pro Armenide, *Antimenidem* legi debere. Sanè Antimenidæ etiam meminit Laërtius in Socrate: ubi, multas celebrium virorum contentiones recenſens, inter alia ait, Pittaco fuiſſe contentionem cum Antimenide, & Alcæo: pleniusque hac de re è junioribus Lilius Gyraldus dialogo ix. Quodſi idem is eſt Antimenides, cujus Apollonii interpres mentionem facit; de ætate ejus ſatis ſit apertum.

Artapanus fecit librum de Judæis: in quo quæ de Moſe prodiderit, refert Clemens lib. i Στρωματ. Ἀρτάπανος *b*, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι, ἱστορεῖ, &c. In Chronico Alexandrino *c* vocatur Ἀρτάβανος; ubi ab eo traditum ait, ut Moſes, cùm ſibi à Chenebrone, Mempheos rege, inſidias ſtrui animadverteret, Chanethoten Ægyptium, qui Iſraëlitam interimere ſtudebat, ſuſtulerit, atque inde profugerit in Arabiam, ad Rhaguelem, qui partibus iis præerat; atque iſtic Sephoram, Rhaguelis filiam, duxerit uxorem.

Artemon quoque ſibi inter hiſtoricos locum depoſcit. Siquidem apud Pindari ſcholiaſten in Pyth. od. i. legere eſt: Λέγεται *d* δὲ ὁ Πίνδαρος οὕτως ἐπιβεβλῆσθαι, κατὰ Ἀρτέμωνα τὸν ἱστορικόν, ὅτι δὴ αὐτῷ Ἱέρων χρυσῆν ὑπέσχετο κιθάραν. Meminit & in Olymp. od. v, & Pyth. od. iii, & Iſthm. od. i: ubi ſic de eo ſcribit, Ὁ δὲ *e* Ἀρτέμων σφόδρα τὰ περὶ τοὺς Σικελιώτας πεπολυπραγμονηκώς. Patriâ Pergamenum fuiſſe, colligo ex iſtis ejuſdem ſcholiaſtæ verbis in Olymp. ii: Ἀρτέμων *f* δὲ ὁ ἀπὸ Περγάμου. Nam eundem ut ſignari putem, facit, quòd & ibi ex eo quædam referantur de rebus Siculis; quarum uſque adeò curioſus Artemo erat. Fuit verò & alter Artemo, patriâ Clazomenius: cujus mentio apud Servium in illud ix Æn.

*Accelerant actâ pariter teſtudine Volſci.*

*Inventor*, inquit, *teſtudinis Artemon Clazomenius fertur, idemque arietis repertor dicitur.* Hic de Homero librum ſcripſit. Suidas in Ἀρκτῖνος: Ὡς *g* φησὶ ὁ Κλαζομένιος Ἀρτέμων τῷ περὶ Ὁμήρου. Ælianus librum ejuſdem citat de finibus Clazomeniorum. Locus eſt lib. xii de animal. cap. xxxviii. Ubi Ἀρτέμων *h*, ἐν τοῖς ὅροις τοῖς Κλαζομενίοις, prodidiſſe dicitur, apud Clazomenios fuiſſe aliquando ſuem alatam, quæ agros vaſtaret. At, puto, erat diverſus ab utroque ille Artemo, qui, ut Plin. lib. xxviii cap. i refert, *Calvariâ interfecti, neque cremati, propinavit aquam è fonte noctu comitialibus morbis.* Videtur is medicus fuiſſe. Alius quoque, ut puto, qui Κασσανδρεύς dictus. Quid is literis mandârit, docet Athenæus in xii: Ἀρτέμων *i* ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων. Etiam Ἀρτέμων ἐν *k* τῷ περὶ ζωγράφων Harpocrationi laudatur in Πολύγνωτος; ubi de Polygnoto pictore quædam referuntur.

Aſpaſius Tyrius, ſophiſta, & hiſtoricus, tum opere quodam artem dicendi tradidit; tum de Epiro, & rebus Epiroticis, hiſtoriam condidit libris xx; teſte Suida.

a *Armenidas in Thebaicis.*
b *Artapanus in commentario de Judæis refert.*
c P. 148
d *Dicitur verò Pindarus ſic cœpiſſe, ſecundum Artemonem hiſtoricum, eo quod Hiero ei citharam auream promiſiſſet.*
e *Artemo, qui de Siculis ſollicite admodum inquiſivit.*
f *Artemo Pergamenus.*
g *Ut ait Artemo Clazomenius in libro de Homero.* Niſi in Homerum commentarius fuit.
h *Artemo libro de limitibus Clazomeniorum.*
i *Artemo Caſſandreus in opere, quo ad autores genuinos referuntur libri.*
k *Artemo in libro de pictoribus.*

Aſtynomus Ἀστύνομος de Cypro commentatus videtur. Plinius ex eo refert lib. v. Hiſt. Natur. cap. xxxi, Cypron, prius vocatam fuiſſe Crypton, & Coliniam. Stephanus in Ethnicis, voce Κύπρος, tradit ex eodem Aſtynomo, inſulam hanc priùs eſſe dictam Κρύπτον *a* διὰ τὸ κρύπτεσθαι πολλάκις ὑπὸ τῆς θαλάσσης; poſtea verò, mutatâ literâ T in P, dictam eſſe Κύπρον.

Athanadas de rebus Ambraciotarum volumen conſcripſit. Auctor Antoninus Liberalis; a quo citatur Ἀθανάδας ἐν Ἀμβρακικοῖς. Et ex iis, ac Nicandri primo ἑτεροιουμένων *b* libro, narratur de lite inter Apollinem, Dianam, atque Herculem, ſuper Ambracia; deque Cragaleo, poſtquam Urbem Herculi adjudicâſſet, ab Apolline in ſaxum converſo.

Athanis res Siculas memoriæ prodidit. Athenæus lib. iii: Ἄθανις *c* ἐν πρώτῳ Σικελικῶν. Nec cauſſæ aliquid video, cur aliunde eſſe putemus, quæ ex Athane adfert Plutarchus in Timoleonte: quandoquidem Timoleon hic, Dione Syracuſis interfecto, Dionyſium Siciliâ depulit, ac, rebus multis præclare eâ in inſulâ geſtis, Syracuſis in gymnaſio, quod Timoleonteum vocabatur, totâ celebrante Siciliâ, ſepultus fuit: ut etiam in vita ejus narrat Cornelius Nepos. Quare quod de Timoleonte Athani acceptum refert Plutarchus, id ex Sicula ejus hiſtoria eſſe, exiſtimandum.

Autocratis Ἀχαϊκὰ *d* memorat Athenæus in nono, & undecimo.

Balagrus Βάλαγρος ἐν Μακεδονικῇ *e* advocatur à Stephano in Ὄλβηλος: ac ἐν *f* Μακεδονικῶν δευτέρῳ ab eodem in Ἄμαλβος.

Baſilis Indica prodidit: quorum ſecundum citat Athenæus lib. ix. A Plinio lib. vi. Hiſt. Nat. cap. xxxix. inter eos numeratur, qui Æthiopiæ menſuram conſignarint. Agatharchides autem, libro de rubro mari, ἀπλῶς ejus meminit inter illos, qui Orientis loca deſcripſerunt.

Batus Βάτος ἐν δευτέρῳ *g* Ἀττικῶν ἱστοριῶν adducitur à Pindari ſcholiaſte in Iſthm. od. iv.

Bion Solenſis Æthiopica conſcripſit. Eſt hic quinctus ejus nominis apud Laërtium in Bione. Teſtimonio hujus quoque Plinius utitur, cùm alibi, tum lib. vi. cap. xxix; ubi inter illos refertur, qui menſuram Æthiopiæ tradiderunt. Idem videtur, ex quo Plutarchus *h* narrat, Antiopam Amazonem à Theſeo fuiſſe captam. Item is, quem de Belitara, regnum Aſſyrium, cùm Semiramidis ſtirps defeciſſet, occupante, literis conſignâſſe, Agathias narrat lib. ii hiſtoriæ ſuæ. At alius, puto, Bion eſt, qui τὰς Διατριβὰς *i* ſcripſit: ex quibus Laertius *k* refert, Ariſtippum, famulo geſtante magnam pecuniæ vim, ac de gravitate oneris querente, juſſiſſe, ut effunderet, quod portare non poſſet; ferret duntaxat, quantum poſſet. Alius quoque à Solenſi illo videtur Cæcilius Bion; de quo Plinius lib. xviii. cap. xiii: *Datur & equi lingua inveterata ex vino, præſentaneo medicamento, ut didiciſſe ſe ex barbaris Cæcilius Bion tradidit.*

Bolus, Βῶλος, Democritêus philoſophus, præter librum de arte medica, etiam hiſtoriam emiſit; ut ait Suidas. Ex Bolo hoc recitat iſta verba Theophraſtus nono de plantis, & exinde Stephanus in Ἀψυνθος: Τὰ *l* πρόβατα τὰ ἐν Πόντῳ τὸ ἀψίνθιον νεμόμενα, οὐκ ἔχει χολήν. Eſt præterea alter Bolus Mendeſius, Pythagoricus. Hic memoriam ſui nominis adeptus eſt opere περὶ *m* τῶν ἐκ τῆς ἀναγνώσεως τῶν ἱστοριῶν εἰς ἐπίστασιν ἡμᾶς ἀγαγόντων. Fecit quoque librum περὶ θαυμασίων *n*, atque alia; de quibus Suidas.

Botthæus (Βοτθαῖος) inter eos fuit, qui nomen ſibi pepererunt circumnavigationem orbis deſcribendo. Eum cum Scylace Caryandenſi conjungit Marcianus Heracleota in Epitome Artemidori, & Menippi.

Brutius, Βρέττιος ὁ σοφώτατος ὁ ἱστορικὸς, καὶ χρονογράφος, vocatur à ſcriptore Chronici Alexandrini *p*; ubi ex eo quædam narrat de Danaë, & Perſeo. Et, puto, idem eſt, qui memoratur Hieronymo in Chronico Euſebiano, ad annum MMCXII, his verbis: *Scripſit Brutius, plurimos*

Chri-

a *Crypton, eo quod ſæpe occultatur mari.*
b *Alteratorum.*
c *Athanis in primo de rebus Siculis.*
d *Lib. de rebus Achaicis.*
e *Balagrus in opere de Macedonicis.*
f *Libro ſecundo rerum Macedonicarum.*
g *Lib. 2. hiſtoriæ Atticæ.*
h *In Theſeo.*
i *Diſſertationes.*
k *In Ariſtippo.*
l *Oves Pontica abſynthium depaſcentes carent bile.*
m *De iis, qui nos per hiſtoriarum lectionem ad ſcientiam perduxerunt.*
n *De rebus mirabilibus.*
o *Brutius ſapientiſſimus hiſtoricus, & temporum ſcriptor.*
p *Pag. 90.*

Digitized by Google

*Chriſtianorum ſub Domitiano fuiſſe martyrium: inter quos & Flaviam Domitillam, Flavii Clementis Conſulis ex ſorore neptem, in inſulam Pontiam relegatam, quia ſe Chriſtianam eſſe teſtata ſit.* In Græcis eſt Βρέττιος, non Βρούτιος. Vide, quæ ad eum Hieronymi locum de Bruttio Præſente, & Bruttianâ Præſentis domo, Scaliger annotavit. De ætate ſanè planum foret, ſi conſtaret, Chronographum illum eſſe Bruttium Præſentem, qui cum imperatore Antonino filio Conſul fuit; ac cujus filia nupſerat filio Antonini. Verùm poſſit tantummodo fuiſſe gentilis ejus: imò fortaſſe ne gentilis quidem erat.

Butas Elegiaco carmine res Romanas tradidit; ex quo fabuloſas Lupercalium cauſſas tradit Plutarchus in Romulo. Meminit Arnobius in ſexto; ubi de Bona Dea loquitur. Sed corruptè iſtic legitur *Pitas*, pro *Butas*. Deſiderius Heraldus corrigit *Plutarchus*, quia in libro Αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν a (ſic Plutarchus ipſe id opus appellat, quod vulgò Κεφαλαίων καταγραφὴ c inſcribitur) id tradi ab eo videmus, quod ex Cauſſalibus citat Arnobius. Non repugnarem viro doctiſſimo, niſi & ἄλλα d tractâſſet Butas. Itaque fabuloſam Lupercalium cauſſam ex eo adducit Plutarchus, ut dixi. Plura de eo attulimus in opere de Poëtis Græcis.

Butorides inter duodecim iſtos, qui de pyramidibus Ægyptiis ſcripſerint, reponitur à Plinio lib. XXXVI Hiſt. Nat. cap. XII. Vide, quæ ſuperiùs dixi, verbo *Ariſtagoras*.

*a Cauſſarum Romanarum. b In Romulo, & Camillo. c Capitulorum deſcriptio: hoc eſt, quæſtionum ſolutio. d De cauſſis.*

CAdmi Mileſii duo fuerunt; quorum uterque hiſtoriam reliquerit. Prior Pandionis filius, qui origines Mileti, ac totius Ioniæ, quatuor libris comprehendit. De hoc diximus lib. I cap. I. Alter eo junior fuit, qui ſexdecim Atticæ hiſtoriæ libros condidit; ut auctor eſt Suidas.

Cæmaro, Καιμάρων, res Indicas tractavit: quarum decimo ex libro Plutarchus de Flum. fabellam narrat.

Callidemus an hîc reponi mereatur, non ſat ſcio. Plinius lib. IV cap. XII, & Solinus cap. XVII, hoc teſte adſtruunt, Eubœam priùs *Chalcidem* eſſe vocatam, ære ibi priùs reperto.

Callippus Corinthius hiſtoriam ſcripſit de Orchomeniorum rebus. Pauſanias in Bœoticis: Κάλλιππος e Κορίνθιος ἐν τῇ ἐς Ὀρχομενίους συγγραφῇ μαρτυρεῖ.

Calliſthenes Sybarita conſignavit Γαλατικὰ f; quorum librum XXIII citat Plutarchus libro de Flum. librum XIII Stobæus ſerm. de morbis, & moleſtâ in eis ſolutione.

Calliſtratus hiſtoriam edidit de rebus Samothraciis. Dionyſius Halic. lib. I: Καλλίστρατος g ὁ περὶ Σαμοθρᾴκης συντεταγμένος ἱστορίαν. Etiam Calliſtratus, ſed fortè alius, libro eſt complexus, quæ de ſcortis memorabilia haberet. Athenæus lib. XIII, Καλλίστρατος περὶ ἑταιρῶν h. Ubi eo ex opere refert, ut Phryne pollicita ſit, reficere ſe velle Thebarum muros, modò adſcriberetur: *Alexander diruit, Phryne amica* (ἡ ἑταίρα) *refecit*. Fuere & qui Calliſtrato tribuerent opus περὶ Ἀθηνῶν i: quod alii Menecli Barceo aſſignabant; ut ex Harpocratione infrà dicemus. Meminit & Calliſtrati Plinius lib. XXXVII cap. VII: *Calliſtratus fulgorem carbunculi debere candidum eſſe poſuit; extremo viſu nubilantem; ſi attollatur, exardeſcentem: ob id à pleriſque hunc carbunculum candidum vocari.* Sed multùm metuo, ne diverſus ſit ille. Quemadmodum & abſque dubio alius eſt Calliſtratus Grammaticus, qui Samiis primus XXIV literas tradidit, cùm antè pauciores numerarentur; ſi Tzetzi credimus Chil. XII. hiſtor. CCCXCVIII. Inter interpretes quoque Arati fuit Καλλίστρατος Τενέδιος. Ex Calliſtrato quiddam de Pamphilo tragico, & pictore, refert Ariſtophanis ſcholiaſtes in Plutum: item pòſt meminit, ubi de Tenedo inſula: in Veſpas item ſæpius; uti & in Aves, & alias comœdias. Inferiùs etiam de Domitio Calliſtrato dicam. Cùm autem varii fuerint Calliſtrati: hodie tamen nihil cujuſquam ejus nominis, qui Græcè ſcripſerit, habemus, præter Calliſtrati ἐκφράσεις k, cum Philoſtratis editas.

*e Callippus in hiſtoria de Orchomeniis teſtatur. f De rebus Galatarum. g Calliſtratus, qui hiſtoriam edidit de rebus Samothraciis. h Calliſtratus de meretricibus. i De Athenis. k Statuarum expoſitiones.*

Callixenus Rhodius libros de Alexandria teſtis citatur ab Athenæo lib. V: ubi ex eo enarrat pompam Ptolomæi Philadelphi. Idem lib. XI tradit ex eodem, quale poculum fuerit carcheſium. Pluribus id libris opus conſtabat. Nam Καλλίξενος a ἐν τετάρτῳ περὶ Ἀλεξανδρείας laudatur Harpocrationi in Ἐγγυοθήκη.

Camon libros fecit τῶν εὑρημάτων b. Quorum ſecundum citat Michaël Apoſtolius in Φοινικήια γράμματα c: atque ex eo refert, literas Phœnicias ita dici à Phœnice, Actæonis filiâ. Sed veram ejus appellationis cauſſam in diſſertatione de literis d attulimus.

Capito, hiſtoricus Lycius (non *Lyricus*, ut in Wolfiana Suidæ tranſlatione eſt) ſcripſit Iſauriam libris VIII. Adhæc μετάφρασιν e epitomes Eutropii; qui rerum Romanarum compendium ex Livio, & aliis, concinnavit. Item de Lycia, & Pamphylia. Auctor Suidas. Capitonis hujus meminit Stephanus in Ἀνεμούριον; quam Lyciæ eſſe civitatem, ex Capitone refert. Secundum Iſauricorum advocat idem in Ἄλιμαλα, atque alibi: tertium verò in Ἀρυαί, atque etiam ſextum in Καρίδαυρα f. Ab Athenæo quoque lib. VIII adducitur Καπίτων ὁ ἐποποιὸς g ἐν τετάρτῳ τῶν πρὸς Φιλόπαππον ὑπομνημάτων. Item lib. X: Καπίτων h ὁ ἐποποιὸς, Ἀλεξανδρεὺς τὸ γένος, ἐν δευτέρῳ ἐρωτικῶν. Sed hic planè alius. Nam prior Lycius fuit; hic Alexandrinus: prior, hiſtoricus; hic, poëta: prior denique poſt Juliani tempora vixit, quippe qui Eutropium Græcè verterit; hic verò antiquior eſt Athenæo, qui ſub M. Antonino floruit. Accuratè interim Lycii tempus dicere non poſſumus: ſed illud ſolùm, ut poſt Julianum claruit, ita fuiſſe ante Juſtinianum Imp. Siquidem hujuſce Imperatoris æqualis. Stephanus, ſive Hermolaus Byzantius, meminit ejus in Ὑμαδα. Ubi ait, ſic vocari vicum Iſauriæ. Unde videri poſſint verba, quæ adducit, eſſe ex ejus Iſauricis. Verùm obſtat, quòd hîc memoretur liber quinctus decimus: at Suidas dicat, ſolùm octo reliquiſſe Iſauricorum libros. Omnino, puto, vel in Suida librarius peccârit, vel in Stephano. Fit & Capitonis mentio apud Clementem initio προτρεπτ. quem, ex eo, quòd cum Eunomo, & Terpandro, conjungitur, illuſtrem fuiſſe muſicum, cognoſcimus.

Caryſtius Pergamenus ἱστορικὰ ὑπομνήματα i ſcripſit: quorum meminit Athenæus lib. X, XI, XII. Item XIII; ubi tertium ejus operis citat; etſi hîc ἁπλῶς ὑπομνήματα vocat. Sed non dubium, quin eadem ſint, quæ aliàs ferè ἱστορικὰ appellat, etiam eopſe libro poſtea. Idem Athenæus lib. VI teſtimonium uſurpat ex Caryſtii Pergameni libro περὶ διδασκαλιῶν k; ubi errorem ejus caſtigat, quòd putârit, Alexidem primum paraſiti vocem vulgari illâ notione uſurpâſſe, cùm ante id fecerit Epicharmus. Etiam commentarium περὶ Σωτάδου l edidit. Puto, quaſi commentarium fuiſſe in Sotadem. Meminit Athenæus lib. XIV; ubi ex eo commemorat, ut Sotades Maronites nomen ſibi parârit illo carminis genere, quod Ionicum vocatur.

Caſſianus, homo Chriſtianus, χρονογραφίαν edidit; ut ex Clemente Alexandrino tradit B. Hieronymus in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, cap. XXXVIII, quod eſt de Clemente. Puto autem, eundem eſſe Julium Caſſianum, ex cujus de Continentiâ libro quædam adducit Clemens Alexandrinus lib. tertio Strom. Imò nec alium cenſeo Caſianum, cujus primus Exegematicôn citatur in primo Stromat.

Cephalon Gergithius, Κεφάλων ὁ Γεργίθιος, memoratur Straboni lib. XIII: ubi ait, fuiſſe in agro Cumano urbem, quæ plurativo numero, ac genere muliebri, αἱ Γέργηθες diceretur: atque hanc Cephalonis hujus patriam fuiſſe. Teſtem eum producunt, Parthenius in Eroticis, qui Troica illius citat hiſtoriâ IV, & Feſtus Pompeius in *Romam*: item Dionyſius Halic. lib. I Antiq. ubi vocatur Κεφάλων Γεργίθιος m, συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ. Et aliquanto pòſt Cephalo hic, & Hegeſippus, qui de Pallene ſcripſit; appellantur ἄνδρες n ἀρχαῖοι, καὶ λόγου ἄξιοι: ac uterque dicitur prodidiſſe, Æneam in Thracia obiiſſe, quò captâ Troiâ conceſſerat. Adhæc teſtimonio ejus utitur

*a Callixenus in quarto de Alexandria. b De rerum inventionibus. c Phœnicia literæ. d Lib. I. de Arte Grammatica c. 10. e Interpretationem, ſive tralationem. f Inter Κλαυδίου, & Καύναν, pag. 163. edit. Operin. g Qui carmine ſcripſit, in quarto commentariorum ad Philopappum. h Capito, poëta epicus, genere Alexandrinus, in ſecundo amatoriorum. i Hiſtoricos commentarios. k De argumento, tempore, aliis, pertinentibus ad comœdias & tragœdias, deque ipſis poëtis, qui fabulas ſuas docuerunt, dirigentes, ſive docere, quando in ſcena agerentur. l Sotadem. m Cephalon Gergithius, ſcriptor antiquiſſimus. n Viri graves, & fide digni.*

tur Stephanus in Γραϊκὸς uti & in Ἀρίσβη. ubi ait: Κεφάλων *a* δέ φησιν, ὅτι Δάρδανος, ἀπὸ Σαμοθρᾴκης ἐλθὼν εἰς τὴν Τρῳάδα, τὴν Τεύκρου τοῦ Κρητὸς θυγατέρα ἔγημε Ἀρίσβην. Quæ abſque dubio ſunt ex Cephalonis Troicis. Vide & alia ex Cephalonis hiſtoria apud Photium cap. LXVIII. Etiam Etymologus in Καπύη hunc teſtem adhibet; & locis aliis, quos brevitatis cauſâ mitto.

Cephiſodorus nomen ſibi peperit hiſtoriâ belli ſacri, ſeu Phocici. Euſtrathius in Ariſt. Eth. lib. III cap. VIII: Ἱστορεῖ *b* περὶ τῆς μάχης ταύτης Κηφισόδωρος ἐν τῇ δωδεκάτῃ τῶν περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου, καὶ Ἀναξιμένης ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν περὶ Φίλιππον. Alius eſt ab antiquo poëta Comico, cujus non uno loco meminit Athenæus. Nec confundi debet cum Cephiſodoro, Iſocratis diſcipulo, obtrectatore Ariſtotelis, quem negabat operæ pretium feciſſe, ſcribendo opus παροιμιῶν *c*, ut teſtatur idem Athenæus lib. II.

Chamæleon Heracliota à quibuſdam etiam huc refertur, quibus vitas multorum ſcriptorum conſignâſſe creditur. Nimirum quia eum ἐν τῷ περὶ Ἀνακρέοντος citat Athenæus lib. XII: item lib. XIII περὶ Σαπφοῦς, & περὶ Σιμωνίδου. Adhæc περὶ Θεσπίδος Michael Apoſtolius, proverbio, Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Verùm planè cenſeo, libris iſtis non ſolùm vitam expoſuiſſe Anacreontis, Sapphûs, Simonidis, Theſpidis: ſed præterea quaſi commentarios libros in illorum poëmata ediddiſſe. Quomodo idem Chamæleon ſcholiaſtæ Apollonii in lib. II citatur ἐν πέμπτῳ περὶ Ἰλιάδος: quod nihil aliud eſt, quàm in quinĉto ſuper Iliade. Variorum nempe poëtarum argumentum expendit. Idem & alia edidit. Eaque inter de Diis librum. Clemens Strom. lib. I: Χαμαιλέων *d* δὲ ἐν τῷ περὶ θεῶν. Item ſcripſit de ebrietate. Idem Clemens eodem libro: Χαμαιλέων *e* ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης. Quo ex loco patriam ejus diſcimus. Commentatus quoque eſt περὶ Σατύρων *f*; cujus libri mentionem facit Michaël Apoſtolius, proverbio, Ἀπώλεσας τὸν οἶνον, &c. Meminit & Chamæleontis Laërtius in Platone; ubi ex eo prodit, Lycurgum quoque ſtudioſum fuiſſe Platonis. Idem ex eo in Heraclide narrat, Heraclidem hunc ſuffuratum ſua fuiſſe ex Homero, & Heſiodo.

Charax Pergamenus, ſacerdos, & philoſophus, Suida teſte, condidit hiſtoriarum Græcarum libros XL; in quorum ſecundo Auguſti Cæſaris memoriam celebrat, ὡς πάλαι γενομένου *g*; in ſecundo item Neronis, & ſucceſſorum. Unde, cum multo poſt Auguſti ævum vixiſſe, colligitur. Simpliciter ejus Ἑλληνικῶν *h* meminit Anonymus fab. XI in ἀπίστοις *i* ab Leone Allatio Romæ *k* editis, cum Heraclide, & aliis. Eodemque ex opere ſunt illa fabulâ XII. Secundum Ἑλληνικῶν adducit quoque Stephanus in Ἀδράστεια, & Τάναγρος. Condidit & χρονικὰ, quorum ſecundum idem citat in Ἀχίλα, ſeptimum in Αὐτάριᾶται, octavum in Ἀλαβάστρον, decimum in Ἄρμα, & Ἡφαιστία, decimumſextum in Ὠρεός. Ἀπλῶς item nominat in Ἀβοριγῖνες, & Ἄρδεα. At apud Euſtathium in Iliad. I. legas *l* etiam iſta: Ἔλκηθον, ἐλκηθος, καὶ πλεονασμῷ τοῦ κ κέλεβος· ᾧ λόγῳ καὶ τὴν Αὐλωνίαν ὁ Χάραξ Καυλωνίαν φησὶν ἐν Ἰταλικοῖς. οὕτω δέ φησι καὶ τὰ ἄνθηλια καύθηλια. Euagrius lib. V. Hiſt. Eccl. cap. ult. ejus primo loco mentionem facit, inter illos, qui hiſtoriam, in qua fabulæ multæ, prodiderunt: itaque & Theopompum, atque Ephorum, ſubjungit. Quod miror, quando Charax ille, ut dixi, Auguſti Cæſaris meminit. Memorat eum quoque Lycophronis ſcholiaſtes *m* ubi ait: Σαῒς *n* δὲ κατ' Αἰγυπτίους ἡ Ἀθηνᾶ λέγεται. ὥς φησι Χάραξ. Stephano quoque teſte ſe defendit Euſtathius in Dionyſii περιήγησιν *o*, quo loco de Heniochis, & Zygiis tractat: item Suidas in Ὅμηρος, ac Etymologici magni auctor in Καλλίπολις: ubi, quibuſdam ex eo narratis, ſubjicit deinde, Ταῦτα *p* εἴρηται Χάρακι ἱστορογράφῳ. Lampſacenus vocatur à Lilio Gyraldo dialogo II de poëtis. Verùm Suidas in Χάραξ adducit epigramma antiquum, ubi Pergamenus dicatur. Incipit illud.

*Εἰμὶ *q* Χάραξ ἱερεὺς γεραρῆς ἀπὸ Περγάμου ἄκρας.*

Fortaſſe Gyraldo obverſabatur Chares Lampſacenus: de quo dicebamus lib. I cap. I. Non de nihilo verò eſt, quòd Etymologus, uti vidimus, diſtinctè dicat, Χάρακι ἱστορογράφῳ. Quomodo & Suidæ in Ὅμηρος bis vocatur. Nam fuit præterea alter Charax, grammaticus: cujus idem in Εἶπον meminit: Ἴσθι *a*, ὅ, τι λέγει ὁ γραμματικὸς Ἰωάννης ὁ Χάραξ.

Charon, Carthaginenſis hiſtoricus, deſcripſit tyrannos, quotquot in Europa, & Aſia, fuerunt. Item prodidit vitas illuſtrium virorum libris IV; & vitas illuſtrium feminarum libris totidem. Teſtis Suidas.

Charon, Naucratites hiſtoricus, ut idem Suidas auctor eſt, retulit Alexandrinos, & Ægyptios ſacerdotes, ac quæ ſub eorum quôque accidiſſent. Adhæc reges, qui in unaquaque fuiſſent gente. Præterea de Naucrate, & alia quædam de Ægypto, poſteris reliquit. De Charonte Lampſaceno, qui tempore Darii Hyſtaſpidæ floruit; item de altero Charonte, qui ſub Ptolomæo Evergete vixit; alibi dictum nobis.

Chreſtodemus, Χρηστόδημος, ex Thebanarum rerum ſcriptoribus unus fuiſſe dicitur à Michaële Apoſtolio Centur. XVIII, proverb. XLII, quod eſt Τελμησία *b* ἀλώπηξ, καὶ κύων.

Chryſermus Corinthius gemino in loco teſtis adhibetur à Plutarcho lib. de Flum. ſemel in Euphrate; ubi quædam refert ex XIII ejus de fluminibus libro: iterum in Inacho; ubi primum advocat de rebus Peloponneſiacis. Unde & tertium citat Plutarchus in minoribus Parallelis cap. III. Scripſit & Chryſermus Indica, grande opus; quorum octogeſimum librum citat Plutarchus de Flum. in Hydaſpe. Videndum, Peloponneſiaca, an Indica, ſignentur cap. X Parallel. Min. ubi meminit decimi hiſtoriarum Chryſermi. Imò Stobæus etiam adfert Chryſermi verba ex ſecundo hiſtoriæ Perſicæ. Apud Plinium legas lib. XXII Hiſt. Nat. cap. XXII: *Chryſermus & parotidas in vino decoctâ radice curavit*, &c. Sed, credo, hic alius eſt à Corinthio.

Chryſerus, Χρύσηρος, ſive, ut eſt apud Theophili interpretem, Chryſorus, reliquit opus de conſulum nominibus, & temporibus, quo poſt reges exactos Romæ tenuerunt imperium. Auctor Theophilus Antiochenus in fine libri tertii; ubi Chryſerum cum Crantore conjungit.

Chryſippus res Italicas memoriæ prodidit: quarum primum citat librum Plutarchus parallelis minoribus cap. XXIIX. Quis iſte, imò ecquis iſte ex quinque Chryſippis ſit à Laërtio commemoratis, ulteriùs diſquirendum.

Claudius Julius de rebus Phœniciis libros concinnavit: è quorum primo teſtimonium uſurpat Stephanus in Ἄκη. Niſi verum nomen eſt *Claudius Iolaus*; prout nominatur eidem in Ἰουδαία. Sed prius malim. Nam veriſimile eſt, fuiſſe libertum hominis Romani, & fortaſſe domus Auguſtæ. Adhæc ita vocatur quoque ab Etymologo in Γάδειρα: Ὥς *c* φησι Κλαύδιος Ἰούλιος ἐν ταῖς Φοινίκης ἱστορίαις. Video, ſummum virum putare, Phœnicia Claudii eadem eſſe, ac Carthaginenſia Claudii. Sed Καρχηδόνια ſunt Claudii Cæſaris; ut ex Tranquillo conſtat. A quo diverſus eſt Claudius Julius, ſive Iolaus. Iolai etiam Peloponneſiaca adducuntur à Nicandri ſcholiaſte. Qui idem, ac Phœniciorum auctor, videtur.

Clemens hiſtoricus monumentis ac literis mandavit Romanorum reges, & imperatores. Item ad Hieronymum ſcripſit de figuris Iſocratis, & alia. Auctor Suidas.

Cleobulus apophthegmata collegit; ut Stobæus indicat ſerm. III, atque alibi. Plinius lib. V, cap. XXXI, tradit ex Cleobulo, ut Chios priùs ſit dicta Chia à Chione nympha: quam alii à nive habere hoc nomen arbitrantur. Fuit & Cleobulus Lyndius, unus è ſeptem ſapientibus, de cujus verſibus, ac ſententiis, Laërtius agit lib. I.

Cleomenes librum fecit de Heſiodo. In eo dictum illud, *Sponde, noxa præſto eſt*, ad Homerum referebat. Teſtis Clemens Alexandrinus lib. I Στρωματ. Κλεομένης *d* μὲν ἐν

*a Cephalon verò ait, Dardanum, cum è Samothracia in Troada veniſſet, uxorem duxiſſe Ariſbam, filiam Teucri.*
*b Tradunt hæc de pugna Cephiſodorus libro duodecimo de bello ſacro, & Anaximenes in quarto Philippicorum.*
*c Adagiorum.*
*d Chamæleon verò in opere de Diis.*
*e Chamæleon Heracleota libro de ebrietate.*
*f De Satyris.*
*g Tanquam antiqui.*
*h Rerum Græcanicarum.*
*i In credibilibus.*
*k Anno 1641.*
*l P. 734. edit. Rom.*
*m P. 24.*
*n Minerva Ægyptiis etiam Sais nuncupatur; ut ait Charax.*
*o Deſcriptionem orbis.*
*p Hæc dicta ſunt à Charace hiſtorico.*
*q Sum Charax ſacerdos venerandâ è Pergami arce.*

*a Sciendum illud, quod dicit grammaticus Joannes Charax.*
*b Telmeſſia vulpes, & canis.*
*c Ut ait Claudius Julius in Phœnicia hiſtoria.*
*d Cleomenes quidem libro de Heſiodo.*

ἐν τῷ περὶ Ἡσιόδε. Niſi non tam de Heſiodo hic liber, ut doctiſſimus Sylburgius putabat, quàm in eum quaſi commentarius erat: quod mihi veriſimilius ſit. Alius eſt ab hoc, ut arbitror, Cleomenes Rheginus, dithyramborum poëta: qui, inter alia, poëma fecit, nomine Meleagrum, inque eo, Calidonium aprum albi fuiſſe coloris, cecinit. Narrat Athenæus lib. IX.

Cleon Magneſius commentarios fecit, quibus res portentoſas explicuit. Illuſtrem ex eo locum adducit Pauſanias lib. X. ubi, cùm locutus eſſet de ſepulchro Tityi, per jugera novem porrecti, iſta adjungit: Κλέων ἢ ἀνὴρ Μάγνης (οἳ τῷ Ἕρμῳ προσοικᾶσιν) ἔφασκεν, ἐς τὰ παράδοξα ἀπίστως εἶναι τ̃ ἀνθρώπων, οἷς ἂν μὴ αὐτοῖς ἐν τῷ αὐτῶν γένηται βίῳ θεάμασιν ἐπιτυχεῖν λόγῳ μείζοσιν. Αὐτὸς ἢ καὶ Τιτυὸν, καὶ ἄλλως, ἔφη πεισθῆναι γενέσθαι κτ̃ τὴν φήμην. τυχεῖν γδ δὴ ἐν Γαδείροις, καὶ ἐκπλεῖν μὲν αὐτόν τε, καὶ τ̃ ἄλλον πάντα ὄχλον, ἐκ τ̃ νήσε κτ̃ τὸ Ἡρακλέους πρόσταγμα. ὡς ἢ αὖθις ἐπανήκειν ἐς τὰ Γάδειρα, ἄνδρα εὑρεῖν θαλάσσιον ἐκπεπτωκότα ἐς τὴν γῆν. τῦτον πλέθρα μὲν πέντε μάλιστα ἐπέχειν, κεραυνωθέντα ἢ ὑπὸ τ̃ θεῦ καίεσθαι. ἔπος μὲν δὴ ταῦτα ἔλεγε. *At Cleon Magnes (ex iis Magneſiis, qui Hermi ſunt accolæ) eos maximè homines rerum miraculis fidem habere non conſueſſe dicebat, quibus in totâ vitâ non contigiſſet quicquam intueri, quod eſſet communi hominum opinione majus: ſe certè adduci poſſe, ut crederet, & Tityum, & alios, eâ magnitudine, quam fama prodidit, fuiſſe. Veniſſe enim fortè ſe aliquando Gades; & ab ea inſula, cum tota ſui comitatus turba, quòd id Hercules imperâſſet, enavigâſſe: mox iterum Gades reverſum, marinum hominem, in litus ejectum, inveniſſe, nihilo breviorem jugerum quinque ſpatio, qui fulmine ictus conflagrârat.* Alius ab hoc eſt Cleon Syracuſius, Κλέων ὁ Σικελιώτης, qui librum ſcripſit περὶ λιμένων a, Stephano memoratum in Ἀσπίς. Meminit ejus & epitome Artemidori Epheſii. Alius quoque eſt Κλέων ὁ Κυζικηνὸς, ex quo Apollonii ſcholiaſtes in lib. I refert, unde nomen acceperit Sicinus inſula.

Clidemus, ſive Clidamus, Atthidem deſcripſit. Harpocration in Μελανίππειον: Κλείδημος b ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος. Athenæus lib. VI; Κλείδημος c ἐν τῇ Ἀτθίδι φησί. Item νόστως d. Idem lib. XIII: Ὡς e Κλείδημος ἱστορεῖ ἐν ὀγδόῳ νόστων. Item πρωτογονίας. Idem lib. XIV: Ὡς f φησι Κλείδημος ἐν πρωτογονίας πρώτῳ. Harpocratio in Πνυκί: Κλείδημος g ἐν τρίτῳ πρωτογονίας. Scripſit item Ἐξηγητικὸν h, ſive, ut juniores vocant, λεξικόν. Athenæus lib. IX: Ὡς i καὶ Κλείδημος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐξηγητικῷ. Meminit & Plutarchus Clidemi hujus in Ariſtide, Theſeo, & Themiſtocle: item Etymologus in Τῆς. Vir doctus k ambigit, an non Atticarum rerum ſcriptor ſit *Clitodemus*, unde *Clidemus* fecerit librarius. Quod verum puto. De Clitodemo mox dicam.

Climachleon, quem Geſneri bibliothecæ perperam adjecit Simlerus, planè corruptum eſt nomen ex *Chamæleon*: de quo paullo antè dictum.

Clinias ſitne hiſtoricus, haut tam apertum eſt, quàm hiſtoricos ejus ſententiam ſequi in cauſſa nominis, quod Perſiæ, & mari rubro, impoſitum eſt. Agatharchides initio libri de mari rubro: Οἱ γδ περὶ Κλινίαν ἱστορικοὶ φασιν, ἀπὸ τ̃ ποιητικῆς ἐξουσίας ἀσφαλῆ ἄδειαν λαβόντες, ἐξ Ἄργους εἰς Αἰθιοπίαν (ἐκαλεῖτο ἢ ταύτη Κηφηνία) παραγενόμενοι ἐπὶ λυσει τ̃ Κηφέως θυγατρὸς τ̃ Περσέα, ἐκεῖθεν ἢ εἰς Πέρσας μεταβάντα, Πέρσας μὲν ἀπό τινος τ̃ ἐγγόνων, τ̃ κλήσεως μεταδῦναι, Ἐρύθραν ἢ γυναῖκα υἱὸν, καὶ ἐξ ἐκείνε τῇ θαλάσσῃ τὴν κλῆσιν καταλιπεῖν. *Nam qui Cliniam ſectantur hiſtorici, ex poëtarum licentia ipſi etiam ſecuritatem nacti, perhibent, ex Argis in Æthiopiam (quæ Cephenia tunc habebat nomen) Perſeum, ad filiam Cephei liberandam, profectum, &, inde ad Perſas tranſgreſſum, nomen hoc à filiorum quopiam cum Perſis communicâſſe: &, procreato filio, ab hoc nomen indidiſſe mari.*

Clitodemus antiquiſſimus eorum eſt, qui res Atticas conſignarunt. Pauſanias in Phocicis: Κλειτόδημος l ἢ, ὁπόσοι τὰ Ἀθηναίων ἐπιχώρια ἔγραψαν, ὁ ἀρχαιότατος. Narrat deinde prodigia, quæ contigiſſe Clitodemus ſcribit, quo tempore Athenienſes claſſem inſtruebant adverſus Siculos. Perperam pro eo Κλητίδημος eſt apud Heſychium in Aldina; ubi ex ejuſdem Atticis exponit, quid ſit Βοῦς ἕβδομος. Quædam ex Clitodemo refert quoque Etymologici magni auctor in Ἐπὶ Παλλαδίῳ. Meminit Michaël Apoſtolius centur. VIII proverb. XLII.

Clitonymus, Κλειτώνυμος, Italica prodidit; quæ Plutarchus citat in Parallelis minoribus cap. X. Idem Sybaritica edidit; ut conſtat ex ejuſdem cap. XXI. Item Tragica, quibus complexum cenſeo argumenta ἐγκύκλια a, quæ Tragici tractare ſolent. Ex tertio τ̃ τραγικῶν, Plutarchus libro de Flum. refert, ut Orphei diſcerpti, inque Hebrum conjecti, caput fuerit mutatum; ſed lyra, Apollinis voluntate, immutata permanſerit: ex ſanguine autem Orphei ſuccreverit herba, nomine *Cithara*, quæ in Bacchi ſacris citharæ ſonum emittat: item ut indigenæ, nebridibus, ſive hinnulorum pellibus tecti, ac thyrſum geſtantes, hymnum canant, in quo ſit iſte ſenarius:

Καί ποτε φρονήσεις, ὅτε ἴσῃ μάτην φρονῶν.

Ejus ſententia eſt:

*Sapieſque demum, quando nequicquam ſapis.*

Clitophon Rhodius Κλειτοφῶν ὁ Ῥόδιος memoriam ſui in Remp. literariam intulit, conſignando res Indicas: quarum decimum librum Plutarchus citat libri de Fluviis cap. ultimo: ut & Stobæus facit ſermone de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Arbitror autem, eundem eſſe, qui paſſim ἁπλῶς Clitopho vocatur. Prodidit is res Gallicas; quarum è primo lib. Plutarchus quædam adducit in parallelis minoribus cap. XV. Item cudit libros rerum Italicarum; quos Stobæus allegat lib. IX. Adhæc libros τ̃ κτίσεων, ſive Originum: ex quorum decimotertio Plutarchus libro de Flum. refert, Lugoduno, pro quo poſtea *Lugdunum* dixere, inde nomen factum eſſe, quòd, cùm fundamenta ejus urbis jacerentur, corvi expanſis alis ſuper colle, in quo urbs exſtruebatur, apparuerint: nam *lugum* dialecto Celticâ *corvum*; at *dunum* notare locum eminentem, ſive collem. Sanè *dunum* collem, vel montem, notare, indeque Lugdunum accepiſſe nomen: etiam ſenſit Henricus Benedictus Altiſſiodorenſis, qui ante annos ſeptingentos, & circiter quinquaginta, temporibus Caroli Calvi, claruit. Indicium faciunt hi ejus verſiculi lib. IV de vita S. Germani:

*Lugduno celebrant Gallorum famine nomen*
*Impoſitum quondam, quòd ſit* MONS LUCIDUS *idem.*

De priori vocis parte diſſentit à Clitophonte: quam à luce deducit; deque ea ne hodie quidem convenit: ſed de poſteriori nemo ambigit: quando nunc quoque Belgæ montes vel colles vocant *dunen*: &, ſi rem ſpectes, Λούγδουνον b ἐκτισμένον ὑπὸ λόφω, legas & apud Strabonem lib. IV: quamquam malim dixiſſet ἐπὶ λόφω c. Quomodo Seneca epiſt. XCI loquitur, ubi de hujus urbis incendio agit: *civitas*, inquit, *uni impoſita, & huic non altiſſimo, monti.* Et Petrus Venerabilis IX abbas Cluniacenſis lib. I Epiſt. I vocat *Lugdunenſium montem.* Sanè cùm multa ſint Galliæ oppida, in *dunum* deſinentia, omnia ſunt in collibus, & locis editis: ut fortaſſe etiam Lugduno Batavorum inde nomen ſit, quia non longè abſit à tumulis arenariis ad mare ſitis: vel potiùs à colle illo in Urbe ipſa, qui Burgi nomen habet, atque non tam ab Engiſtho, Friſiorum rege, circa annum Chriſti CCCCL, quàm multò antè, congeſtus videtur ab Romano aliquo duce: fortaſſe ſub Auguſto ab militibus Druſi, qui *per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella direxit*: ut ait Florus lib. IV cap. XII. Sed hæc παρέργως.

Cnoſſus in primo γεωγραφικῶν τ̃ Ἀσίας d cenſet, Ægyptios eſſe omnium antiquiſſimos: ut ait Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV.

Conon (alius, puto, ab Samio illo, nobili aſtrologo) ἐν e τῇ Ἡρακλείᾳ citatur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. I. Etiam Fl. Joſephus, lib. I contra Apionem, Judæorum à Conone mentionem factam ait. Cononis quoque, qui Ita-

a De portubus.
b Clidemus in primo rerum Atticarum.
c Clidemus in Atthide ait.
d Reditus variorum in patriam poſt longam peregrinationem: ut Argonautarum, Ulyſſis, & ſimilium.
e Clidemus ait octavo de reditibus.
f Ut ait Clidemus in primo de prima generatione, ſive de primo ſeculo.
g Clidemus libro tertio de prima generatione.
h Librum de vocum ſignificationibus.
i Ut & Clidemus in libro, qui de vocum ſignificatione inſcribitur.
k Joannes Meurſius in Piſiſtra. cap. II.
l Clitodemus vero, qui res Atticas tractavit, antiquiſſimus eſt.

a Vulgaria.
b Lugdunum exſtructum ſub colle.
c In colle.
d Deſcriptionis Aſiaticæ.
e Libro de Heraclea.

Italiæ res literis perſecutus, meminit Servius in illud Maronis VII Æn.

*Sarraſteis populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Ubi ſic tradit: *Conon in eo libro, quem de Italia ſcripſit, quoſdam Pelaſgos, alioſque ex Peloponneſo convenas, ad eum locum Italiæ veniſſe dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & flumini, quem incolerent, Sarno* (in veteri codice eſt Sarro) *nomen impoſuiſſe ex appellatione patrii fluminis, & ſe Sarreſtes appellâſſe.* An autem hic idem, an alius ſit ab eo Conone, de quo extremo libro primo dicebamus; penes eruditos arbitratus eſto.

Coſme, Κόσμη, Ægyptiaca prodendo, memoriam ſui extendit. Eorum ex primo ſcholiaſtes Apollonii, in lib. IV, variorum adfert ſententias de quæſtione eâ, quæ gens ſit antiquiſſima.

Craterus Macedo teſtis adhibetur à Plutarcho in Ariſtide. Stephanus citat tertium, & nonum, è Crateri libris περὶ ψηφισμάτων a. Suſpicor eſſe eum ipſum, qui cum Alexandro M. militavit: de quo ſequenti libro dicemus. Craterus autem, Antigoni regis frater, citatur à Phlegonte Tralliano Mirab. cap. XXXII.

a *De ſcitis, ſive decretis.*

Crates Pergamenus res mirandas de variis gentibus literis prodidit. Plinius lib. VII cap. II: *Crates Pergamenus in Helleſponto circa Parium, genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocat: ſerpentum ictus contactu levare ſolitos, & manu impoſitâ venena extrahere corpori.* Et aliquanto pòſt: *Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat, non pauci Macrobios.* Et poſt pauca: *Troglodytas ſuper Æthiopiam velociores eſſe equis, Pergamenus Crates refert.* Idem ſignatur ab Æliano lib. XVII de animalibus, ubi cùm mira narrâſſet de onocentauro, hæc ſubjungit: Πυθαγόρας b λέγει ταῦτα, ὡς τεκμηριοῖ Κράτης ὁ ἐκ Μυσίας Περγάμου. Alius eſt Crates Mallotes, grammaticus: ex quo idem Plinius lib. IV. cap. XII tradit, *Cretam primum Æriam dictam, deinde poſtea Curetin.* De eo ſic Suetonius in libro de claris Grammaticis: *Primus, quantum opinamur, ſtudium Grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Ariſtarchi æqualis; qui miſſus ad ſenatum ab Attalo rege, inter ſecundum, ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennii mortem, cùm in regione palatii, prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul, & valetudinis tempus, plurimas ἀκροάσεις ſubinde fecit, aſſiduèque diſſeruit, ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.* Hunc Varro ſignat lib. VIII de L. L. *Crates*, inquit, *nobilis grammaticus, fretus Chryſippo, homine acutiſſimo, qui reliquit ſex libros περὶ τῆς ἀνωμαλίας c, his libris contra analogiam, atque Ariſtarchum, eſt nixus.* De eodem loquitur Strabo lib. I; ubi docet, ut Crates hic Homeri verſum emendârit: item de Oceano quid ſenſerit: tum autem lib. III, & XIII, & XIV; ubi addit, præceptorem credi Panætii. Multùm & celebratur Grammaticis Græcis: eoſque inter Etymologo. Suidas in Ἀλκμάν citat τὸν Κράτητα Πτώοντα d; ex quo refert Alcmana fuiſſe Sardianum, filium Damantis, vel Titari. Quis iſte Crates ſit, dicere non poſſum. Puto, locum corruptum; etſi ita conſtanter legatur in Mediolanenſi, Aldinâ, Baſileenſi, aliis.

b *Hæc quoque Pythagoras ait, ut teſtatur Crates ex Myſio Pergamo.*

c *De anomalia.*

d *Cratetem Ptoeneem.*

Creophylum de finibus Samiorum teſtem dat Athenæus lib. VIII; atque ex eo hiſtoriolam, vel fabellam, refert de Epheſi conditoribus. Eſt verò planè alius à Creophylo Samio; qui Homerum aliquando hoſpitio excepit, atque ab eo accepit dono poëma de capta Oechalia: etſi Callimachus, Homeri quidem dici, ſed re verâ Creophyli eſſe, epigrammate quodam ſcribat. Sunt qui Homeri fuiſſe magiſtrum dicant: ſed alii illum honorem tribuunt Ariſteæ Proconneſio. Auctorem horum omnium habemus Strabonem lib. XIV. Suidas autem addit, Creophylum hunc fuiſſe filium Aſtyclis, &, quibuſdam Samium, quibuſdam Chium, credi; ac velle aliquos, Homeri generum fuiſſe; alios verò, ſolùm amicum: deinde ſubdit, quod & dixerat Strabo, credi, poëma de Oechalia ab Homero accepiſſe. Hæc antiquitatem Creophyli iſtius arguunt. Pauſanias in Meſſenicis citat Creophylum in Ἡρακλείᾳ, atque eum ait conſentire cum Theſſalis, & Eubœenſibus; qui urbem Oechaliam fuiſſe dicunt, ubi eſſet vicus, quem ætate ſuâ Eurytium vocarent. Hoc, puto, movit eos, qui appellant id poëma Heracleida, quaſi fuerit de capta Oechalia. Nam nemo, humanior paullo, ignorat, Oechaliam ab Hercule captam, everſamque; cùm rex ejus Eurytus filiam Iolen, quam Herculi priùs deſponderat, poſtea ei negâſſet. Sed aliud Heraclea ab Herculeide. Quare & aliud poëma de Heraclea, aliud de Oechalia.

Criſpinus exaravit vitam S. Parthenii, Epiſcopi Lampſaceni; quam habes apud Simeonem Metaphraſtem Latinè; item apud Surium T. I ad VII Febr.

Critias ἐν ταῖς πολιτείαις a citatur à Julio Polluce lib. VII cap. XIII. Egit eo opere de variis Rebuſp. Inter alia de Rep. Lacedæmoniorum: cujus libri bis meminit Athenæus lib. XI. Illuſtre hujus ſcriptoris teſtimonium adducit Clemens penè initio ſexti Στρωματέων. Puto &, eundem Critiam eſſe, cujus Plutarchus mentionem facit in Lycurgo, & Cimone. Eſt poëta quoque Critias, Callæſchri filius; cujus verſus recitant Plutarchus in Alcibiade, & Athenæus lib. I, X, & XIII.

a *Opere de Rebuſpublicis, atque imperiis.*

Critodemus quoque res veteres memoriæ prodidit. Plinius lib. VII Hiſt. Nat. cap. LVI: *E diverſo Epigenes apud Babylonios* DCCXX *annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor imprimis: qui minimum Beroſus, & Critodemus*, CCCCLXXX *annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus.* Valde vicinum eſt nomen Clitodemi; de quo antè dictum. Diverſos tamen cenſeo.

Critolaus ſe libris extulit rerum Epiroticarum; quorum tertiùm citat Plutarchus in Parallelis cap. VI. Vulgavit & libros φαινομένων b. Ex eorum quarto quædam adducit eodem libro Plutarchus cap. IX. Meminit Critolai Plutarchus in vita Periclis, & Verrius ſive Pompeius in *Salios*, & Gellius lib. XI. cap. IX: ubi illuſtrem ex eo hiſtoriam adfert de legatis Mileti, & Demoſthene oratore. Semel autem, interumque hoc loco, & rurſum initio capitis, ἁπλῶς Critolaum vocat. At lib. IX cap. V. meminit Critolai Peripatetici: & lib. VII cap. XIV narrat, ut Critolaus Peripateticus unà cum Diogene Stoico, & Carneade Academico, legatus fuerit ad Senatum populumque Romanum. Quæ etiam verbis iiſdem legas apud bonorum ſcriptorum lavernam Macrobium lib. I Saturn. cap. V. Si idem eſt hiſtoricus ille, qui Peripateticus Critolaus, (ut aliquos video putare) ſatis de ætate liqueat. Nam legatio illa incidit in annum Urbis IↃXCVIII, regnante in Ægypto Ptolomæo Philometore. Sed mihi nihil hoc tempore occurrit, unde, eundem eſſe, colligi poſſit. Et ſcio, plures fuiſſe ejus nominis ſcriptores. Eoſque inter grammaticum: cujus meminit Etymologus c in Ἡδύς.

b *Eorum, quæ in cælo viſuntur.*

c *Col. 416. edit. Sylburgianæ.*

Criton, hiſtoricus Pieriotes (eſt autem Pieria Macedoniæ oppidum) reliquit Pallenica, Syracuſarum originem, Perſica, Sicula, Syracuſarum deſcriptionem, & de principatu Macedonum: quæ ignorare non ſivit nos Suidas. Meſſenia ejus celebrat Julius Pollux lib. X cap. XVII. Præterea autem Getica conſignâſſe, ex Stephano diſcimus in Γεσία: imò & Suida in Γέσον: ubi, ni fallor, Q. Crito vocatur. Γέσον d, ὅπλον, ἢ κόντος, μακρόθεν κεντῶν. Κυίντος Κρίτων ἔγραψεν ἐν τοῖς Γετικοῖς. Quanquam aliter hoc de loco Æmilius Portus. Vide, quæ ad eum locum annotavit.

d *Geſa, telum vel contus longe feriens, ut Quintus Crito in Geticis ſcripſit.*

Cteſiæ ſunt duo: unus Cnidius, alter Epheſius. Utriuſque meminit Plutarchus libro de Flum. Ac Cnidio quidem tribuit libros περὶ ὀρῶν e; quorum è ſecundo teſtimonium promit in Caico; ut & Stobæus facit ſermone περὶ f νόσου, &c. Eſtque hic nobilis ille hiſtoricus, qui Artaxerxis tempore vixit: de quo diximus lib. I. cap. V. Epheſio autem, cujus ætas neſcitur, idem Plutarchus adſcribit libros de Perſeo illo, qui Meduſam interemit, Καθὼς g ἱστορεῖ Κτησίας Ἐφέσιος ἐν α' Περσηΐδος. Meminit & eodem libello librorum Cteſiæ περὶ ποταμῶν h; unde

e *De montibus.*

f *De morbo.*

g *Ut refert Cteſias Epheſius in primo Perſeidis.*

h *De fluminibus.*

unde ſecundum citat. Sed utrius ſint, non addit. Equidem argumentum ſimile facit, ut ejuſdem eſſe putem, libros de montibus, & de fluminibus: nec video, quid impulerit doctum virum, ut, in notis ad eum ſcriptorem, contrarium opinaretur. Sanè eâdem operâ adſignare etiam Epheſio licebit librum περὶ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν φόρων; quem Cteſiæ ἁπλῶς tribuit Athenæus lib. x. Item περίπλων libros, quorum primum Stephanus citat ἐν Σίγυνος. Sed ſi libri ὀρῶν, καὶ ποταμῶν *b*, Cnidii ſint Cteſiæ: cauſſa nulla eſt, cur περίπλων libros (quorum pars erat περίπλους Aſiæ, Harpocrationi memoratus *c*) Epheſii eſſe putemus. Neque multo magis ratio eſt, cur ambigamus de opere alio, quo hoc egit, ut ne regionum quarumque Aſiæ tributa neſcirentur. Nam omne hoc argumentum ei conveniebat, qui terrarum orbem nôſſet, & deſcribere poſteris vellet.

*a De Aſiæ tributis.*
*b De montibus, & fluviis.*
*c In Συεννέσις.*

Cteſiphontis librum tertium rerum Bœoticarum Plutarchus teſtem adducit Parallelorum minorum cap. xii. Fortaſſe idem eſt, cujus de plantis, & arboribus, libros Plutarchus citat libro de Flum.

Cteſippus Scythicas res expoſuit. Plutarchus de Flum. Ὡς *d* ἱστορεῖ Κτήσιππος ἐν β΄ Σκυθικῶν.

Cydippus Mantineus inter eos eſt, qui tractarunt de rerum inventoribus. Clemens Alexandrinus lib. i. Στρωμ. Κύδιππος *e* Μαντινεὺς, ἔτι τε Ἀντιφάνης, καὶ Ἀριστόδημος, καὶ Ἀριστοτέλης, πρὸς τούτοις δὲ Φιλοστέφανος, ἀλλὰ καὶ Στράτων ὁ περιπατητικὸς, ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν.

*d Ut refert Cteſippus in ſecundo Scythicorum.*
*e Cydippus Mantinenſis, ac præterea Antiphanes, & Ariſtodemus, & Ariſtoteles, & præter iſtos Philoſtephanus, ſed & Strato Peripateticus, in ſuis de rerum inventione libris iſta tradiderunt.*

Cyrus ſcriba literis eſt perſecutus vitam Sanctorum Martyrum Leontii, & ſociorum: quam habes apud Simeonem Metaphraſtem, & Surium Tom. iii, die xviii Junii.

DAlion, ſive, ut in aliis libris eſt, Dallon, de gentibus prodidiſſe aliqua videtur. Sanè apud Plinium legas lib. vi. cap. xxx: *Ab eâ verò parte Nili, quæ ſupra Syrtes majores, Oceanumque meridianum protenditur, Dalion vocatos eſſe dicit, pluviâ tantùm aquâ utentes, Ciſoros, Longoporos.* Sed ab eodem in Elencho auctorum libri xx, xxi, xxii, & xxiii, reponitur Dalion inter medicos. Et lib. xx. cap. xxvii, *herbarius* vocatur. Puto, eundem eſſe. Nec enim prohibet quicquam, quo minùs idem, & herbas tractaret, & operi hujus, vel alterius argumenti, quædam de gentibus admiſceret, vel ſeorſim etiam de iis ageret.

Damas memoriæ prodidit vitam Eudemi: ut ait Simplicius in comm. Phyſ. Eudemus is Rhodius fuit, diſcipulus Ariſtotelis, pro quo perperam *Menodemus* legitur apud Agellium lib. xiii. cap. v.

Damocritus, Δαμόκριτος, hiſtoricus, famam ſibi paravit gemino opere: uno, de inſtruendis aciebus; altero, de Judæis: in quo prodidit, Judæos ſolitos adorare caput aſini: etiam ſeptimo quoque anno peregrinorum aliquem, quem cepiſſent, ſacrificâſſe, carne ejus minutatim diſſectâ. Auctor Suidas.

Damon Cyrenæus de philoſophis monumentum ingenii ſui conſignavit: ut conſtat ex Laërtio in Thalete. Athenæus lib. x. nominat Damonem, ſed patriam non addit: eum autem tractâſſe dicit περὶ *f* Βυζαντίου. Ἁπλῶς etiam Plutarcho laudatur in Theſeo, & Numa. Item Plinio lib. vii. Hiſtor. Natural. cap. ii. ubi ait: *Haut diſſimile in genus Pharnacum in Æthiopia prodidit Damon, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat.* Meminit & ejus Ariſtophanis ſcholiaſt. *g*

*f De Byzantio.*
*g Pag. 97.*

Damoſtratus quibus operibus nomen ſuum immortalitati commendare ſtuduerit, Suidæ hæc verba oſtendunt: Δαμόστρατος *h* ἱστορικὸς ἁλιευτικὰ ἐν βιβλίοις εἴκοσι, καὶ περὶ τῆς ἐνύδρου μαντικῆς, καὶ ἕτερα σύμμικτα, ἐχόμενα ἱστορίας. Demoſtrati ἁλιευτικῶν etiam meminit Ælianus lib. xiii, cap. xxi. Item lib. xv, cap. iv, & ix. adhæc cap. xix ejuſdem libri. ubi & de eo ſic ſcribit: Καὶ ὁ λέγει Δημόστρατος, ἀνὴρ ὃς καὶ τοῦτο λέγει τῆς ἐκ τῆς Ῥώμης τῆς βουλῆς γενόμενος· καὶ ἔτι πρὸ ὀλίγου τούτων ἤδη πεπαυμένος ἱκανός· δοκεῖ δέ μοι ἐπιστήμης τῆς ἁλιευτικῆς ἐς ἄκρον ἐλάσαι, καὶ ὅσα ἔγνω, εἰπεῖν καλῶς. Addit deinde, fortaſſe & alia edidiſſe illuſtris ingenii, ac doctrinæ ſuæ, documenta.

*h Damoſtratus hiſtoricus halieutica, ſive de re piſcatoria libros viginti ſcripſit. Item de divinatione per aquam, & alia miſcellanea, ad hiſtoriam proxime accedentia.*
*i Atque ait Demoſtratus: ſenator is Romanus fuit: nos propterea tamen fide in hac re dignior: ſed videtur mihi conquiſitam ſibi piſcatoriæ rei notitiam comparâſſe, ac, quæcunque ſciret, oratione pulchrè enarrâſſe.*

Daniel monachus literis prodidit vitam Joannis Climaci. Ea præfigitur opuſculis Climaci. Habes & apud Surium Tom. ii, ad diem xxx Mart.

Dectadas à Parthenio laudatur in Eroticis: ubi ex eo narrat illa de Harpalyce *a*.

*a Cap. 13.*

Deilochi apud ſcholiaſtem Apollonii mentio fit, cùm alibi ſæpe: tum libro ſecundo, ubi citatur Δηΐλοχος *b* ἐν πρώτῳ περὶ Κυζίκου. Hoc facit, ut apud Stephanum in Λαμψακὸς legendum putem, Δηΐλοχος ὁ Κυζικηνὸς. Ubi vulgò Δηΐχορος. Nam cur Stephani potiùs locum emendari putem debere, facit, quòd uno in Stephani loco proclivior fuerit lapſus, quàm ſcholiaſtæ Apollonii tam multis.

*b Deilochus libro primo de Cyzico.*

Demagoras laudatus Dionyſio Halicarn. lib. i. antiquit. Rom. ubi & ille, & Agathyllus, de tempore conditæ Romæ conſenſiſſe dicuntur cum Cephalone Gergithio. Is autem Cephalo tradiderat, Romam ſecundâ poſt Trojanum bellum ætate conditam eſſe ab uno filiorum Æneæ, nomine Romo. Sed Demagoras iſte, utrùm poëta, an hiſtoricus fuerit, non liquet. Sanè Agathyllus, cui eum hoc loco jungit, poëta erat. Nam apud Dionyſium alibi eopſe libro legas; Ἀγάθυλλος *c* Ἀρκὰς ὁ ποιητής. Quædam etiam ex elegiaco ejus carmine ibidem citat. Demagoræ meminere veterum & alii complures: è junioribus quoque Michaël Apoſtolius Centur. ii. Proverb. li: & Euripidis ſcholiaſtes *d* in Phœniſſas.

*c Agathyllus Arcas poëta.*
*d P. 271. edit. Pauli Steph.*

Demaratus, Δημάρατος, libros in publicum edidit, cùm de Phrygia, tum de fluminibus. E priori opere quartum, ex altero tertium librum adducit Plutarchus in commentariolo de fluminibus. Adhæc res Arcadicas ingenii ſui luce illuſtravit. Ex ſecundo ejus operis teſtimonium petit Plutarchus in parallelis minoribus cap. xvi, & Stobæus ſermone de patria. Inſuper reliquit Τραγῳδούμενα *e*. Hæc erant hiſtoria μυθικοῦ *f*, ſive ἡρωικοῦ *g* temporis: ut de bello Trojano, vel Thebano, & ſimilibus: unde tragœdiarum argumenta ab antiquis peti ſolent. Secundum librorum iſtorum memorat Clemens Alexandrinus in προτρεπτ. Etiam ex tertio hiſtoriolam recenſet Stobæus, ſermone, quem dixi. Quin & terni verſiculi Demarati leguntur lib. i. Ἀνθολογίας. Et ſcholiaſtes Apollonii in lib. i. teſtem adhibet Demaratum. Denique Plutarchus in Ageſilao ſcripta memorat Demarati Corinthii. Sed hujus Corinthii an cetera quoque ſint, vel quæ ejus ſint, quæ alterius, haut proclive eſt dicere.

*e Tragœdiarum argumenta.*
*f Fabuloſi.*
*g Heroici.*

Demetrius Byzantinus de poëtis, & poëmatis, libros edidit complures. Athenæus lib. x: Ὥς *h* φησι Δημήτριος ὁ Βυζάντιος ἐν τετάρτῳ περὶ ποιητῶν. Idem lib. xii. ab eo citatur ἐν *i* τῷ περὶ ποιημάτων. Idem lib. xii. ἐν τετάρτῳ *k* περὶ ποιήματος. Fuere autem Demetrii Byzantii duo: unus, philoſophus peripateticus; alter, hiſtoricus, qui volumina condidit de Gallorum ex Græcia in Aſiam tranſitu, & Ptolomæi, atque Antiochi rebus geſtis, & Libyæ ſtatu. Auctor Laërtius. Uter ab Athenæo intelligatur, non ita facile dictu puto. Magis tamen eò inclino, ut de peripatetico loqui credam: cujus Laërtius nullum nominat ſcriptum. Atque idem, exiſtimo, ſignatur à Laërtio, cùm in Socratis vita quædam ex Demetrio Byzantio de philoſopho hoc adfert.

*h Ut ait Demetrius Byzantius in quarto de poëtis.*
*i Libro de Poëmatis.*
*k In quarto de poëmate.*

Demetrii Callantiani, Δημητρίου τοῦ Καλλαντιανοῦ, meminit Dionyſius Halicar. lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. & Stephanus in Ἀντίκυρα. Scripſit libros xx de Aſia, & Europa; ut ex Laërtio conſtat. Semel, iterumque ejus mentionem facit Marcianus Heracleota in περιηγήσει. At corruptum hoc nomen apud Lucianum in Longævis; ubi eorum, quæ de Hierone, Syracuſanorum rege, dixit, autor perhibetur Δημήτριος ὁ Καλλιστιανός. Reſcribe Καλλαντιανός.

Demetrius Cyzicenus à Jo. Curopalate, & Georgio Cyziceno, utroque in procemio, dicitur de ſui ævi rebus aliqua prodidiſſe.

Demetrius Erythræus ſextus ex Demetriis illuſtribus, quos, præter Phalereum, fuiſſe Laërtius ait lib. v: Ἕκτος *l* Ἐρυθραῖος, ποικιλογράφος ἄνθρωπος, καὶ ἱστορικὰ, καὶ ῥητορικὰ πεποίηκε βιβλία.

*l Sext. Erythræus, varius ſcriptor; qui hiſtoricos, & oratorios conſcripſit libros.*

Demetrius ab Odeſſo, Ponti civitate, commentarium fecit de urbe patria. Eo teſte utitur Stephanus in Ὀδησσός.

Demetrius quidam librum divulgavit de Judæorum regibus: in quo & aliqua de gentis ejus captivitate retulit. Hic eſt, quem ſignat B. Hieronymus in catalogo Illuſtr. Script. cap. XXXVIII. Ubi eum memorari ait à Clemente Alexandrino. Signat autem hunc locum lib. I Στρωματ. Δημήτριος δέ φησιν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων, τὴν Ἰούδα φυλὴν, καὶ Βενιαμὶν, καὶ Λευὶ, μὴ αἰχμαλωτισθῆναι ὑπὸ τοῦ Σενναχηρείμ· ἀλλ' εἶναι ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ταύτης εἰς τὴν ἐσχάτην, ἣν ἐποιήσατο Ναβουχοδονόσορ ἐξ Ἱεροσολύμων, ἔτη ἑκατὸν εἰκοσιοκτὼ, μῆνας ἕξ. ἀφ' οὗ δὲ αἱ φυλαὶ αἱ δέκα ἐκ Σαμαρείας αἰχμάλωτοι γεγόνασιν, ἕως Πτολεμαίου τετάρτου, ἔτη πεντακόσια ἑβδομήκοντα τρία, μῆνας ἐννέα· ἀφ' οὗ δὲ ἐξ Ἱεροσολύμων, ἔτη τριακόσια τριακονταοκτὼ, μῆνας τρεῖς. *Demetrius verò libro eo, quem de Judaæ regibus ſcripſit, ait, tribum Juda, & Benjamin, & Levi, non fuiſſe abductam in captivitatem à Senacherib: ſed eſſe ab hac captivitate uſque ad ultimam, quam Nabuchodonoſor fecit ex Hieroſolymis, annos* CXXVIII *a*, *menſes ſex. Ex quo autem decem tribus abductæ fuerunt captiva ex Samaria, uſque ad Ptolemæum quartum, annos* DLXXIII *b*, *novem menſes. Ex quo c tempore verò ab Hieroſolymis abducta, eſſe annos* CCCXXXVIII, *menſes tres.* Cùm autem videamus hoc loco, Demetrium illum tempora numeràſſe uſque ad Ptolomæum quartum: ſatis liquet, Phalereum ſaltem intelligi non poſſe, qui ſub Philadelpho obiit.

Democritus Epheſius libros edidit περὶ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ ναοῦ *d*. Ex cujus operis libro primo quædam de Epheſiorum in veſtitu mollitia ac luxurie narrat Athenæus libro XII. Quartus hic è ſex Democritis eſt Laërtio. qui ait: τέταρτος *e* περὶ τοῦ ἱεροῦ, τοῦ ἐν Ἐφέσῳ, γεγραφὼς, καὶ τῆς πόλεως Σαμοθρᾳκης. Unde & de Samo Græcè ſcripſiſſe cognoſcimus.

Demodocus, Δημόδοκος πρώτῳ Ἡρακλείας *f*, citatur à Plutarcho de Flumin. Solutâ oratione, an carmine, ſit uſus, non ſatis liquet.

Demoſthenes Bithynus compoſuit libros de rebus Bithyniacis; quorum quartum, nonum, decimum, & duodecimum, citat Stephanus. Bithynum fuiſſe, cognoſcimus ex eodem in Ἡραία. Scripſit quoque κτίσεις *g*; quarum idem meminit in Ὀλιζών. Alius ab eo eſt Demoſthenes Thrax: qui, Suida teſte, præterea, quibus Iliada Homeri, & Θεογονίαν Heſiodi, illuſtrare conatus eſt, etiam Damageti Heracleotæ compendium fecit, & librum περὶ διθυραμβοποιῶν. Eo libro videri poſſit expoſuiſſe duntaxat vitam poëtarum dithyrambicorum. Sed veriſimilius fit, de eorum inſimul poëmatis diſſeruiſſe, lucemque attuliſſe locis obſcuris.

Demoteles unus eſt ex duodecim iſtis, quos de pyramidibus Ægyptiis compoſuiſſe Plinius dicit lib. XXXVI. Hiſt. Nat. cap. XII. Vide ſuperiùs *Ariſtagoras*.

Demus de rebus Atticis commentatus ſit; ſi vera eſt lectio apud Athenæum lib. XIV: ἐν τῇ *h* τῷ πρώτῳ τῆς Ἀτθίδος Δῆμος. Verùm Caſaubonus legere jubet Κλείδημος. Sanè Clidemus Atthidem deſcripſit; ut ex eodem Athenæo ſuperiùs oſtenſum. Fortaſſe tamen & Demetrius quiſpiam hanc materiem tractavit: eoque ex nomine hoc nomen fuerit corruptum; uti factum apud Dionyſium Halicarn. in judicio de Dinarcho; ubi citatur Δῆμος ὁ Μάγνης; qui omnino eſt Δημήτριος *i* ὁ Μάγνης, ut dictum lib. I. cap. XV.

Dercyllus literis explicuit κτίσεις *k*; quarum librum primum advocat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XVII. Item Italica; quorum tertium citat ibidem cap. XXXVIII. Item Ætolica; quorum teſtimonio utitur Plutarchus de Fluminibus cap. de Acheloo. Item Argolica. Athenæus lib. III: Ἀγίας δὲ *l* καὶ Δέρκυλος (Δέρκυλλος) ἐν Ἀργολικοῖς. Atque ab eodem etiam libri ejus περὶ Σατυρικῶν *m*, item περὶ ὀρῶν *n*, & περὶ λίθων *o*, nominantur. Meminit & Etymologus in Εὔιος, & Euripidis ſcholiaſtes in *p* Phœniſſas.

a *Alii* CCCXXXVIII: *ſed præter fidem Græci codicis.*
b *Apud Hervetum biennio minus eſt in editione, quam recognovit, & commentariis illuſtravit. Prodiit ea Pariſ. an.* 1612.
c *Hæc vertere Gentianus neglexit.*
d *De templo Dianæ Epheſiæ.*
e *Quartus eſt, qui de templo Dianæ Epheſiæ ſcripſit, & civitate Samothrace.*
f *Demodocus lib. I. de Heraclea.*
g *Origines urbium, ac locorum.*
h *Demus autem in primo de Atticâ libro.*
i *Demetrius Magneſius.*
k *De locorum origine.*
l *Agias vero, & Dercyllus, in Argolicis.*
m *De Satyricis.*
n *De montibus.*
o *De lapidibus.*
p *P.* 271.

Didymarchus Διδύμαρχος *a* Μεταμορφώσεων γ' citatur ab Antonio Liberale narratione XXIII, quæ eſt de Batto. Sed ab interprete ſcriptores, ex quibus ea hauſta eſt narratio, prætereuntur.

Dieuchidas Megarenſis (Διευχίδας ὁ Μεγαρεὺς, ut Clementi dicitur lib. VI Στρωματ.) prodidit hiſtoriam Megaricam; ut non uno Harpocrationis loco conſtat: ſed interdum corruptè apud eum legas, Δαϊχίδας. At fœdiùs etiam corruptum id nomen apud ſcholiaſtem Apollonii in primum Ἀργοναυτ. ubi legitur, Διηρχίδας *b* ἐν Μεγαρικοῖς ἱστορεῖ. Pluribus libris id opus conſtabat. Nam Harpocrationi in Ἀγυιᾶ adducitur ἐν τρίτῳ Μεγαρικῶν *c*. Clementi Alexandrino lib. I. citatur Διευχίδας ἐν τετάρτῳ Μεγαρικῶν *d*, & Laërtio in Solone ἐν πέμπτῳ *e*. Meminit & Dieuchidæ Stephanus in Σκίρφαι.

Dinarchus Delius Cretenſes fabulas collegit; ut cognoſcimus ex Dionyſio Halic. in Dinarcho; ubi, ex Demi, vel potiùs Demetrii libro de ejuſdem nominis viris, quatuor Dinarchos recenſet. Videtur idem ſignari ab Euſebio lib. I. Chronicorum *f*; ubi, de Bacchi geſtis loquens, ait, Ὥς *g* φησι Δείναρχος ὁ ποιητὴς, οὐχ ὁ ῥήτωρ.

Dinias ſcriptis ſuis res Argolicas comprehendit. Apollonii ſcholiaſtes lib. II: Δεινίας *h* ἐν πρώτῳ Ἀργολικῶν. Mentionem quoque Diniæ facit Plutarchus in Arati vita, & Eurip. ſchol. in Oreſt. Meminit & Sophoclis Scholiaſtes in Electr. *i* qui ἑβδόμον τῶν Ἀργολικῶν *k* citat.

Diocles Peparethius primus è Græcis memoriæ prodidit originem urbis Romæ, urbiſque res præcipuas. Hoc indicat Plutarchus in Romulo, Τὸ δὲ *l* πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα, καὶ πλείστους μάρτυρας, τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος *m*· ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκεν. Et aliquanto pòſt: Πεπαρήθιος *n* Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν. Etſi autem ex iſtis ætas Peparethii cognoſci nequit: tamen, cùm ea, quæ Diocles ille de origine Romanæ urbis prodidit, ſecutus dicatur Fabius Pictor; qui tempore belli Annibalici vixit: ſatis liquet, hunc hiſtoricum Græcum floruiſſe ante tempora Ptolomæi Philopatoris; cujus anno tertio, qui & tertius erat Olympiadis CXL, bellum Annibalicum cœpit. Idem Plutarchus in Quæſtionibus Græcis ait, Dioclem feciſſe περὶ *n* ἡρώων σύνταγμα: atque inde refert edictum Tanagræorum de iis, quæ Clidamus renunciaſſet. Sed fortaſſe is eſt Diocles Rhodius, cujus Αἰτωλικὰ citat Plutarchus de Flum. Flavio Joſepho lib. Antiquit. cap. XI. (quod in tralatione Rufini eſt XIII.) citatur Διοκλῆς ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Περσικῶν *o*. Sed apud Rufinum pro eo legas, *Diocles in ſecundo Coloniarum*: quomodo non ſolùm in editis reperio; ſed etiam Rufino meo Mſo. Et coloniarum librum ſecundum citat Freculphus, Tom. I, lib. III, cap. XVII. Etiam Dioclis libri περὶ ἐπιδρομῆς *p* Laërtio memorantur in Epicuro. Ac apud eundem Laërtium in Xenophonte adducitur Diocles ἐν τοῖς βίοις τῶν φιλοσόφων *q*, ſive, ut apud eundem legitur in Ariſtippo, ἐν τῷ περὶ βίων φιλοσόφων. Atque ex his libris ſunt, quæ ex Diocle narrat in Antiſthene, Diogene, Cratete, Menippo, Menedemo, & alibi. Alius eſt Diocles Eleates, Muſicus: item Diocles Athenienſis, aut Phliaſius, Comicus, Athenæo non ſemel memoratus: de quorum utroque Suidas. Item alius, Diocles Caryſtius. de quo ſic Plinius lib. XXVI, cap. II: *Hippocratis certè, qui primus medendi præcepta clariſſimè condidit, referta herbarum mentione invenimus volumina: nec minus Dioclis Caryſtii, qui ſecundus ætate, famâque, extitit.* Dioclem medicum appellat lib. XXI, cap. XI. At ἁπλῶς Dioclem vocat lib. XX, cap. III, V, VI, IX, XIII, XX, & XXIII. Item lib. XXI, cap. XXXI, nec non lib. XXIII, cap. I, & lib. XXIV, cap. XIX. Meminere etiam Cenſorinus, Athenæus, Plutarchus, ſcholiaſtes Nicandri: imprimis medici; ut Dioſcorides, ac Galenus paſſim. Alius ab eo eſt Diocles Caryſtius rhetor Auguſtæi ævi; de quo M. Seneca Controverſ. I.

Diodorus Periegetes terras deſcripſit; ut ex cognomine ipſo colligimus. Idem de monumentis tractavit. Plutarchus

a *Lib.* 3. *transformationum.*
b *Dieuchidas in Megaricis refert.*
c *In tertio Megaricorum.*
d *In quarto Megaricorum.*
e *In quinto*
f *Pag.* 23. *Theſaur. Tempor. verſ.* 17.
g *Ut Dinarchus loquitur, non ille orator, ſed poëta.*
h *Dinias in primo rerum Argolicarum.*
i *Pag.* 95.
k *Septimo Argolicorum.*
l *Ceterùm hiſtoriæ, quæ plus fidei invenit, ac plures teſtes, præcipua quæque apud Græcos edidit Diocles Peparethius; quem in plurimis ſequutus Fabius Pictor.*
m *Peparethii Dioclis, qui primus videtur edidiſſe quædam de origine Urbis Romæ.*
n *De ſocculis, quæ heroibus ſunt facta.*
o *Libro ſecundo rerum Perſicarum.*
p *De incurſione.*
q *In vitis philoſophorum.*

chus in Themiſtocle: Διόδωρος a δ᾽ ὁ περιηγητὴς ἐν τοῖς περὶ τῶν μνημάτων εἴρηκεν. Meminit & idem hujus ſcriptoris in Theſeo, & Cimone. Videtur ejus eſſe liber περὶ σταθμῶν b, qui in bibliotheca Vaticana adſervatur.

a *Diodorus, qui terras deſcripſit, ait in opere de monumentis.*
b *De manſionibus.*

Diogenes Cyzicenus reliquit libros de VII patriæ ſuæ inſulis; teſte Stephano in Βέσβικος. Qui & primum ejus operis citat in Ἀδράστεια, tertium in Ζέλεια. Planè cenſeo eundem eſſe, de cujus nomine ambigit Suidas, utrùm *Diogenes*, an *Diogenianus* vocetur. Movet me, quòd dicat, ſuis commendâſſe monumentis inſtituta patriæ ſuæ Cyzici. Addit, præterea tractâſſe de literis; deque notis, quarum uſus in libris; atque item de poëtica.

Diogenes Sicyonius res Peloponneſiacas literis mandavit; teſte Laërtio, cui hic inter quinque ejus nominis ſecundo loco memoratur. Primus verò Laërtio nominatus eſt Diogenes Apolloniata, phyſicus, Anaxagoræ æqualis; de quo Clemens Alex. in προτρεπτ. & in παιδαγωγῷ libro priori, & Στρωμ. lib. I; item Suidas. Quid de venis ſenſerit, docet Ariſtoteles lib. III. Hiſt. Animal. cap. II. Tertius ei eſt Diogenes Seleucienſis, qui, ob vicinitatem loci, Babylonius vocabatur. Hujus libros de nobilitate teſtes adducit Athenæus lib. IV. Ac mentio ejus quoque fit apud Tullium lib. I. de Natura Deorum. ubi ait: *Diogenes Babylonius, in eo libro qui inſcribitur Minerva, partum Jovis, ortumque virginis, ad phyſiologiam traducens, disjungit à fabula.* Et Quinctilianus lib. I, cap. I: *Siquidem Leonides, Alexandri pædagogus, ut à Babylonico Diogene traditur, quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, & jam maximum regem, ab illâ inſtitutione puerili ſunt proſecuta.* Quartus eſt Diogenes Cynicus. Quinctus Diogenes Tarſenſis, qui opere quodam complexus fuit quæſtiones poëticas, atque eas ſolvere eſt conatus. Meminit & lib. X. in Epicuro: Διογένης c ὁ Ταρσεύς, ὁ τὰς ἐπιλέκτους σχολὰς συγγράψας. Mirum verò, omitti à Laërtio Diogenem Cyzicenum: de quo antè dictum. Fortaſſe & alius ab illis quinque eſt, qui Perſica ſcripſit: quorum primum adducit librum Clemens ἐν προτρεπτ. Et, credo, diverſus eſt etiam, qui Palleniaca edidit. Parthenius Erot. VI: Διογένης d, καὶ Ἡγήσιππος, ἐν Παλληνιακοῖς. Ubi Παλληνιακὰ videntur ad utrumque referri; cùm hiſtoriam ibi narret Parthenius de Pallene, Sithonis, Hodomantum regis, filia. Alius eſt quoque Diogenes Smyrnæus, philoſophus, Metrodori Chii auditor, Anaxarchi præceptor: de quo Clemens lib. I Στρωμ. At Diogenes, ex cujus tragœdia verſum unum alterum citat Clemens lib. II Στρωματέων, non eſt alius à Cynico philoſopho. Nam ex Laërtio cognoſcimus, ſeptem ei tragœdiolas tribui ſolere: quas Satyrus eſſe dicebat Philiſci Æginenſis, Diogenis diſcipuli. Obſcurum autem, quis ſit ille Diogenes, qui in literas retulit τὰ ὑπὲρ e Θούλην ἄπιστα. Laudat ea Malchus, ſive Porphyrius, in vita Pythagoræ.

c *Diogenes Tarſenſis, qui ſelectas conſcripſit ſcholas.*
d *Diogenes, & Hegeſippus, in Palleniacis.*
e *Incredibilia de Thule.*

Diogenetes (niſi rectum eſt *Diogennetus*, vel *Diogenes*) Erythræus memoratur Hygino in poëtico aſtronomico. ubi, de Piſcium ſigno loquens, ita ſcribit: *Diogenetes Erythræus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem veniſſe, & eodem loco repente Typhona giganta, de quo ſuprà diximus, apparuiſſe: Venerem autem cum filio in flumen ſe projeciſſe, & ibi figuram piſcium formâ mutâſſe: quo facto, periculo eſſe liberatos. Itaque poſtea Syros, qui his locis ſunt proximi, deſtitiſſe piſces eſitare, quòd vereantur eos capere; ne ſimili cauſſa, aut Deorum præſidia impugnare videantur, aut eos ipſos captare.* Sed ambigo, an potiùs Grammaticis ſit accenſendus.

Dionyſius Argivus itidem an hiſtoricus fuerit, diſpiciendum ſit. Quid hic de Ilii capti tempore prodiderit, legere potes apud Clementem Alex. lib. I Στρωμ.

Dionyſius Byzantius ἀνάπλου f Βοσπόρου citatur à Stephano in Χρυσόπολις. Ac videri poſſit idem eſſe, ac Dionyſius, cujus περιήγησιν g habemus. Præſertim quando Suidas eum fuiſſe Byzantium colligit ex Rhebæ fluminis laude. Sed corruptum eum eſſe locum, proque Βυζάντιον, Βιζυνὸν eſſe legendum, oſtendimus lib. II. cap. III. Quare omnino alius eſt ille, cujus περιήγησις exſtat, ab eo, qui navigationem per Boſphorum deſcripſit. Meminit Dionyſii Byzantii, ac dicti operis, etiam Suidas; prætereaque panxiſſe ait Threnos, poëma epicediis refertum. Ex opere hoc de Boſporo Thracio fragmentum habeo Græcum à filio Iſaaco deſcriptum è bibliotheca Florentina. Sed integrum opus habuit Petrus Gyllius, qui multa hoc è libro citat; ac, initio operis, eum *antiquiſſimum Boſporici Scripti ſcriptorem* vocat; & conqueritur, *tot jam annis in cæcis tenebris jacere.*

f *Navigatione per Boſporum.*
g *Orbis deſcriptionem.*

Dionyſius Chalcidenſis Κτίσεις, ſive Origines civitatum, complexus eſt libris quinque; teſte Marciano Heracleota in περιηγήσει a. Celebratur hoc opus etiam à Suida in Χαλκηδών. Ex primo ejus libro teſtimonium promit Apollonii ſcholiaſtes in lib. III. Ex tertio idem facit Harpocration in Ἡφαιστία: ex quincto idem in Ἡραῖον τεῖχος. Meminit quoque Ariſtophanis ſcholiaſtes in Nubes, & Etymologus in Προκόννησος: ſed corruptè ibi pro Χαλκιδεὺς b ſcriptum Ἀθηναῖος c, proque κτίσεις d, legitur κτήσεις e; ut Caſaubonus obſervat in Addendis ad Animadverſiones Athenæi, atque ex eo Mauſſacus ad Harpocrationem in Ἡφαιστία. Bene antiquum eſſe Dionyſium hunc, illud indicio eſſe poteſt, quòd eo teſte utatur Dionyſius ipſe Halicarnaſſenſis lib. I. Antiquitatum; ubi varias de Romæ origine ſententias appendit, & expendit.

a *Pag. 5. edit. Aug. Vindel.*
b *Chalcidenſis.*
c *Athenienſis.*
d *Origines.*
e *Poſſeſſiones.*

Dionyſius Mytilenæus, poëta epicus, qui σκυτοβραχίων f, & σκυτεὺς g, vocatus eſt, præter Bacchi, & Minervæ expeditionem, etiam Argonautica libris ſex ad Parmenonem ſcripſit oratione ſolutâ; ut apud Suidam legitur. Pleniùs verò de eo Diodorus Siculus lib. III h: ubi eum vocat Διονύσιον τὸν συνταξάμενον τὰς παλαιὰς μυθοποιΐας. *Dionyſium, qui opus contexuit de priſcis fabulis.* Ac deinde ſubjungit: Οὗτος τά τε περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰς Ἀμαζόνας, ἔτι δὲ τοὺς Ἀργοναύτας, καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον πραχθέντα, καὶ πολλὰ ἕτερα συνέταξε, παρατιθεὶς τὰ ποιήματα τῶν ἀρχαίων, τῶν τε μυθολόγων, καὶ τῶν ποιητῶν. *Is Bacchi, & Amazonum, hiſtoriam, & Argonautarum expeditionem, reſque ad Ilium geſtas, & multa id genus veterum mythologorum, & poëtarum, carminibus adjunctis contexuit.* Ex hoc opere complura deinde Diodorus refert. Meminit & ejuſce Dionyſii Scholiaſtes Apollonii in lib. III. & IV. A quibuſdam creditur auctor hiſtoriæ Lydiacæ, Xantho tributæ; ut dicemus lib. IV.

f *Coriaceum habens brachium.*
g *Coriarius.*
h *P. 200.*

Dionyſius, Muſonii filius, ſacerdos templi Solis, nonnullis Samius, aliis Rhodius fuiſſe exiſtimatur; teſte Suida: quia autor eſt, compoſuiſſe hiſtorias τοπικὰς i libris ſex, orbis deſcriptionem, & hiſtoricæ inſtitutionis libros decem.

i *Locorum.*

Dionyſius Perſicus memoratur Tullio lib. I. de Divinat. *Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati ſunt, ex Dionyſii Perſicis libris proferam? Nam cum dormienti ei ſol ad pedes viſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra appetiviſſe manibus, cùm ſe convolvens Sol elaberetur, & abiret: ei magos dixiſſe, ex triplici appetitione Solis, XXX annos Cyrum regnaturum eſſe, portendi.*

Dionyſius Siculus de rebus Siculis ſcripſit: argumentum autem deſumſit ex Ariſtidis Mileſii rerum Sicularum libris. Autor Plutarchus in Parallelis minoribus cap. I. Sed ubi in Græco eſt, Διονύσιος ὁ Σικελιώτης, ibi apud interpretem eſt, *Diodorus Siculus.*

Diophantus Lacedæmonius condidit libros Antiquitatum XIV; teſte Fulgentio lib. I. Μυθολογικῶν. Idem ſcripſit de ſacris Deorum: unde quædam idem Fulgentius adducit in Expoſitione ſermonis antiqui, voce *Nefrendes.* Quamquam ibi quidem non tam Diophantum nobis advocat, quàm, ut ſolet nugator ille, interpretem ejus. Nec Diophanti apud melioris notæ ſcriptores nulla mentio eſt. Nam Agatharcides de mari rubro cap. XXXI auctor eſt, deſcripſiſſe eum terras ſeptentrioni ſubjectas. Et Stephanus eundem nominat in Ἄβιοι. Ac ab eodem in Λιβυστῖνοι adducitur Διόφαντος k ἐν πολιτικοῖς. At alius eſt Diophantus Syracuſanus, philoſophus Pythagorêus, cujus de mundi ortu ſententiam adfert

k *Diophantus libro de re civili.*



Theo-

Theodoretus Therapeutices lib. IV, qui eſt de materia, & mundo.

Dioſcorides nomen illuſtravit ſuum libris de Rep. Lacedæmoniorum: ut conſtat ex quarto Athenæi; ubi ſecundus ejus operis citatur: item Plutarcho in Lycurgo; qui & ſcriptoris hujus meminit in Ageſilao. Dubium verò, idemne, an alius ſit, cujus epigrammata in Ἀνθολογίᾳ leguntur. Item is, cujus mentionem facit ſcholiaſtes Apollonii in lib. I; ubi ex ejus ſententia tradit, Amphionem lyram accepiſſe ab Apolline: quam eum à Muſis habere, voluerunt Armenidas lib. I, & Pherecydes in decimo. Item, cujus è νομίμοις citat Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Aves *a*, necnon Suidas in Σκυτάλη, verbis planè iiſdem.

a Pag. 60.

Dioxippus, Διώξιππος, poëta eſt Comicus: ſed ejus hoc loco meminimus, quia inter dramata illius fuit etiam Ἱστοριογράφος. Amphicli eam fabulam Dalechampius tribuit; nempe turbatis Athenæi *b* verbis deceptus. Ita enim Dioxippi ἐν ἱστοριογράφῳ verba apud eum legi debent, ut duo trochaici ſint:

b Lib. 3.

*Τῇ δὲ στοᾷ διεξέπεμψεν Ἀμφικλῆς, μιῆ τέας δυό*
*Κρεμαμένας δοκίμας. Εἰ κάθεν πέμπε, φησίν, ἐὰν ἴδῃς.*

c Per porticum vi ſibi adiſtum fecit Amphicles, vulvis duabus, quas geſtabat, oſtenſis. Illum ad me mitte, inquit, ſi videris.

Eſſe verò drama illud Dioxippi, præter Athenæum etiam teſtatur Suidas: à quo quatuor ejus fabulæ recenſentur, Ἀντιπορνοβοσκός, Φιλάργυρος, Ἱστοριογράφος, Διαδικαζόμενοι: ut quidem Mediolanenſis vetus editio habet. Nuper autem illa, quæ cum Porti tralatione, & notis, prodiit, *Hiſtoriographi* nomen negligenter omiſit. Suſpicor, Dioxippum hac fabulâ fabuloſos ſtilo hiſtoricos. Alius ab eo eſt *Dioxippus Hippocraticus, vetus medicus, & nobilis*; ut de eo ſcribit Gellius lib. XVII, cap. XI.

Diphilus Theſei geſta panxit: ſed carmine choliambico. Oſtendit hoc ſcholiaſtes Pindari in Olymp. od. x. Ejus verba apponam, ut legi oportet: Ὥς φησι Δίφιλος ὁ τῆς Θησηΐδος ποιητής, ἐν τοῖς ἰάμβοις, οὕτω·

*Τρέψας δὲ πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος,*
*Ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν παρ' Ἀλφειῷ.*

*Ut Diphilus ait, qui Theſeida fecit. Sic autem ſcribit:*
*Alenſque pullos, Mantinenſis ut Semus,*
*Primus agitator curruum prope Alpheum.*

d Comicus inſignis, & ſententiis affluens.

Alius, ut puto, ab eo eſt Diphilus Sinopenſis, κωμικὸς ποιητὴς *d* ὁ γνωμικώτατος; ut à Clemente Alexandr. & Euſebio Pamphili vocatur. Notus vel ex Terentiano Adelphorum prologo. Alius quoque Diphilus Caryſtius, item Diphilus Siphnius, adhæc Diphilus Laodicenſis; quorum trium meminit Athenæus. Poſtremus ille auctor fortaſſè eſt ſcholiorum Nicandri: quod ex eodem Athenæo videtur colligi poſſe.

Dius celebrabatur opere de rebus Phœnicum. Ex ea hiſtoria fragmentum de Salomone, & Hiramo, conſervavit nobis Fl. Joſephus lib. I. contra Apionem.

e At Diyllus Athenienſis, à ſacrilegio hoc hiſtoriæ ſuæ XXVII libros auſpicatus, res Græciæ, & Siciliæ, his temporibus geſtas, recenſet.

Diyllus Athenienſis quibus ſibi nomen pepererit, docet Diodorus Siculus lib. XVI. ubi, cùm dixiſſet, Calliſthenem hiſtoriam ſuam perducere uſque ad templum nefario Philomeli ſcelere captum; continuò addit: Δίυλλος *e* δ' ὁ Ἀθηναῖος ἦρκται τῆς ἱστορίας ἀπὸ τῆς ἱεροσυλήσεως, καὶ γέγραφε βίβλους εἴκοσι ἑπτά, συμπεριλαβὼν πάσας τὰς ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις γενομένας πράξεις περί τε τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὴν Σικελίαν. Et poſt multa: Δίυλλος *f* δ' ὁ Ἀθηναῖος τῆς δευτέρας συντάξεως ἀρχὴν πεποίηται τὴν Ἐφόρου ἱστορίας τὴν τελευτήν, καὶ ἑξῆς πράξεις συνείρει τάς τε τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν βαρβάρων, μέχρι τῆς Φιλίππου τελευτῆς. Etiam ex Diyllo hoc memorat Athenæus in XIII, ut Demetrius Phalereus amicam ſuam, patriâ Samiam, Λαμπιτὼ appellârit, cùm priùs Χαριτοβλέφαρος *g* nominaretur. Hæc quidem Athenæus dicit, ſi locus eſt ſanus. Sed apud Laërtium ex Didymi συμποσιακοῖς *h* refertur, Demetrium ipſum Λαμπιτώ, & Χαριτοβλέφαρον, vocatum. Ut omnino accedam Caſaubono, qui apud Athenæum emendat, ἑαυτὸν Λαμπιτὼ προσαγορεύοντα: ubi δὲ αὐτὴν perſcriptum eſt in vulgatis. Idem Caſaubonus Diylli nomen reſtituit Athenæo in IV: ubi antè legebatur, Δίυλλος *i* δ' ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῇ ἐνάτῃ τῶν ἱστοριῶν. Similiter Sylburgius Etymologo in Κόμαρα, ubi nunc Θύαλος ſcriptum: & Mauſſacus Harpocrationi in Ἀγρίαν; ubi priùs erat Τίαλος. Cùm autem non tantùm hiſtoriam ſuam uſque ad Philippi Magni obitum pertexat: ſed etiam de Phalereo ſcribat: ſaltem Ptolomæo Philadelpho antiquior eſſe non poteſt. Fuit & Diyllus ſtatuarius; cujus opera commemorat Pauſanias in Phocicis.

f Diyllus verò Athenienſis alterum opus exorditur inde, ubi Ephorus hiſtoriam finierat, ac Græcorum, & Barbarorum geſta exinde uſque ad Philippi obitum contexit.
g Decòra ſuperciliorum gratiâ.
h Convivalibus.
i Diyalus (leg. Diyllus) Athenienſis in nono hiſtoriarum.

Domitius Calliſtratus, Δομίτιος Καλλίστρατος, de Heraclea libros compoſuit: quorum quartum citat Stephanus in Ἀγχιρόη, & Μόκαζα; ſextum in Ὀδησσόπολις; ſeptimum in Ὀλύμπη. Varios Calliſtratos ſuperiùs memoravimus.

Dorotheus ἐν ἕκτῃ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἱστοριῶν *a* citatur ab Athenæo initio libri ſeptimi. Etiam, ſeu idem, ſeu alius Dorotheus, in primo rerum Sicularum adducitur à Stobæo, Loco de vituperio tyrannidis; & à Michaële Apoſtolio, Centur. XX, Prov. XIII. Uterque refert ex eo, ut Phalaris Perillum, ſeu Perilaum, fabrum, æreo tauro incluſerit. Etiam Dorotheus in quarto teſtis laudatur à Plutarcho minorum parallelorum cap. XX: ubi narrat, ut Marius, bello Cimbrico victus, ſomnioque monitus, Calpurniam filiam ſacrificârit. Eundem librum nominat Clemens Alex. ἐν προτρεπτ. Idem Clemens lib. I Στρωματ. eum citat ἐν πρώτῳ παιδικῶν, atque inde de Mopſo quædam tradit. Plutarchus Parall. cap. XXV. citat Dorothei librum I Transformat. Atque his in locis ἁπλῶς fit Dorothei mentio. At eſt, ubi (dubium, idemne, an diverſus) Dorotheus Aſcalonita laudetur. Ut apud Athenæum extremo lib. VII; ubi ex ejus opere, quod inſcribebatur τῆς λέξεως συναγωγὴ *b*, citatur liber CVIII. Item libro XIV; ubi idem dicitur ediſiſſe περὶ Ἀντιφάνους, καὶ περὶ τῆς παρὰ τοῖς μεταγενεστέροις κωμικοῖς ματτύης. Quem locum non intellexit Dalechampius interpres. Nam vertit, *Antiphane, & Mattya, ſcriptoribus comœdiæ, quam mediam vocant*: cùm dicere deberet, *de Antiphane, & eâ quæ media comœdia ſcriptoribus Mattya vocatur*. Aſcalonita ille grammaticus fuit; ut diſertim dicit Stephanus in Ἀσκάλων. Idem Athenæus lib. XI meminit Dorothei Sidonii: qui unus veterum Græcorum apoteleſmata verſibus ſcripſit. Sequuntur eum, Manilius ex Latinis; ex Arabibus, Omar, Meſſalla, & Alcabicius ſcriptor. Etiam à Phlegonte, de rebus Mirabilibus cap. XXVI, laudatur Δωρόθεος *c* ὁ ἰατρὸς ἐν ὑπομνήμασιν; atque ex iis refertur, ut Alexandreæ in Ægypto cinædus pepererit: ac fœtus conditus, miraculi cauſſâ, adſervetur.

a Libro ſexto hiſtoriarum de rebus geſtis Alexandri.
b Collectionis vocabulorum.
c Dorotheum medicus in commentariis.

Doſiades de rebus Creticis libros edidit. Ex iis tradit Plinius lib. IV. cap. XII, Cretam ita dictam *à Creta nympha, Heſperidis filiâ*. Τετάρτην τῶν Κρητικῶν *d* citat Athenæus lib. IV. Fortaſſe idem eſt, ac Doſidas; ex quo à Clemente ἐν προτρεπτ. quiddam adfertur de Lesbiorum ſacrificiis.

d Librum quartum rerum Creticarum.

Doſitheum ſæpius teſtem adhibet Plutarchus in Parallelis minoribus. Nam cap. XIX. tertium adducit librum rerum Sicularum: cap. XXX, tertium Lydiacorum: cap. XXXIII, in Pelopidis: cap. XXXIV librum tertium rerum Italicarum; quem & capite citat XXXVII. Uti primum ejus operis cap. XL. Alius eſt Doſitheus aſtrologus: cujus mentio fit apud Plinium lib. XVIII. cap. XXXI.

ECHEMENES, Ἐχεμένης ἐν τοῖς Κρητικοῖς *e* adducitur Athenæo in XIII. Fortè idem nomen reſtituendum Fulgentio lib. I. Mythologicorum: ubi Euxemenes in primo θεολογουμένων teſtis adhibetur. Sed nihil certò ſtatuere auſim.

e Echemenes in Creticis.

Egeſidemus utrùm hiſtoriam, an aliud ſcripſerit, adhuc quæro. Hiſtoricum quidem eſt, cujus cauſſâ laudatur Plinio lib. IX. cap. VIII: *In eâdem urbe Iaſſo, Egeſidemus ſcribit, & alium puerum, Hermiam nomine, ſimiliter maria perequitantem, cùm repentinæ procellæ fluctibus exanimatus eſſet, relatum: delphinumque, cauſſam leti fatentem, non reverſum in maria, atque exſpiraſſe.* Eadem refert, ac Egeſidemum autorem ſimiliter laudat Solinus cap. XVIII.

Eleutis Ἐλεῦσις *f* ἐν τῷ περὶ Ἀχιλλέως teſtis à Laërtio citatur in Thaletis vita.

f Eleuſis libro de Achille.

Empo-

Empodus commentarios reliquit, hiſtoricos, ut puto. Athenæus lib. IX, cùm citaſſet Eupolis illud ἐν Βάπταις, Νὴ α μὰ τὴν κράμβην: ſubjungit deinde; Ἐδόκει δὲ Ἰωνικὸς εἶναι ὁ ὅρκος. καὶ οὐ παράδοξον, εἰ κατὰ τῆς κράμβης τινὲς ὤμνυον, ὅπου καὶ Ζήνων ὁ Κιτιεὺς, ὁ τῆς στοᾶς κτίστης, μιμούμενος τὸν κατὰ τῆς κυνὸς ὅρκον Σωκράτους, καὶ αὐτὸς ὤμνυε τὴν κάππαριν, ὡς Ἔμποδος φησὶν ἐν Ἀπομνημονεύμασιν. *Videbatur autem eſſe Ionicum juramentum. Nec mirum eſt, per braſſicam juraſſe quoſdam; cùm Zeno Cittienſis, Stoicæ ſectæ conditor, imitans Socraticum juramentum per canem, & ipſe capparim juràrit; ut ait Empodus in commentariis.* Fortaſſe tamen locus eſt corruptus. Sanè Caſaubonus *b* pro Ἔμποδος malit Περσαῖος. Interim ſatendum, hoc à vulgata lectione multum abire.

a Per braſſicam ita eſt.

b Lib. 9. Animadv. cap. 2.

Enomides videtur ſcripſiſſe de Deorum nominibus, naturâ, & geſtis. Etymologici magni ſcriptor: Ἐνομίδης *c* δὲ ὁ τὰ θεῖα γράψας, καὶ τοὺς Τελχῖνας ἐτυμολογήσας, &c.

c Enomides, qui ſcripſit de rebus divinis, & unde Telchines nomen acceperint, expoſuit.

Epaphus de Delphico templo quædam tradidit: ſeorſum, an in alio opere, haut ſat ſcio. Servius in verſum illum III Æn.

*Da pater augurium, atque animis illabere noſtris: Traditur*, inquit, *à pluribus, (inter quos etiam Epaphus, vir peritiſſimus,) Delphis quodam tempore eveniſſe, ut templum, religioſum ante, & intactum, ſpoliatum incenſumque ſit: ac poſt, multas Corinthii urbes ſoli, vicoſque proximos, terræmotu hauſtos. Delon neque antea, neque poſtea, hoc incommodo vexatam.* Ita corruptiſſimum locum non incommodè emendaveris. Vel potiùs pro *ſinguloſque proximos* (ut eſt apud Servium) lege, *inſulaſque proximas*: quemadmodum eſt apud Macrobium lib. III Sat. cap. VI: ubi hic locus ex libro decimo ſeptimo Epaphi dicitur deſumptus. Etiam pro illis, *ac poſt, multas Corinthii urbes*: ibi legas, *& adjicit*, (puta Epaphus) *multas circa Corinthum urbes*. Denique poſt *vexatam*, ibi adjungitur, *ſed ſemper eodem manere ſaxo*.

Epigenes, aſtrologus, & hiſtoricus fuit quantum videre poſſum. Cum Beroſo, & Critodemo, jungitur Plinio lib. VII cap. LVI. *E diverſo Epigenes apud Babylonios* DCCXX *annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor imprimis: qui minimum, Beroſus, & Critodemus*, CCCCLXXX *annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus.* Mentio quoque illius fit cap. XLIX ejuſdem libri: & cap. III lib. XXXI. Alius eſt Epigenes Sicyonius, poëta non quidem Comicus, ut Suidas putavit, ſed tragicus, ut rectè eſt apud Michaelem Apoſtolium Chil. XV Prov. XIII; ubi dicitur, proverbium illud, Οὐδὲν *d* πρὸς τὸν Διόνυσον, ab eo originem cepiſſe. Nam, inquit, Ἐπιγένους *e* τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν ποιήσαντος, ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο. ὅθεν ἡ παροιμία. Varia ejus Athenæus citat; & ex eo Suidas.

d Nihil ad Bacchum.

e Cùm Epigenes Sicyonius tragœdiam de Baccho feciſſet: quidam illud acclamarunt, unde paræmia.

Epimenides (præter Cretenſem illum, qui Olympiade XLV, Solonis æqualis, vixit) tres fuerunt; duo quidem, qui genealogias ſcripſere: ac tertius, qui Doricè Rhodi hiſtoriam condidit: ut ſcimus ex Laërtii lib.

Ergias Rhodius librum reliquit de Rhodo. Athenæus lib. VIII: Ἐργίας *f* ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς περὶ πατρίδος.

f Ergias Rhodius in iis, quæ de patria ſua ſcripſit.

Erxias Κολοφωνιακὰ *g* literis mandavit; teſte Athenæo lib. XIII. Niſi *Ergias* legendum, ut Geſnerus putat. Sanè in alterutro nomine peccatum videtur.

g Opus de rebus Colophoniacis.

Euagoras Lindius condidit hiſtoriam, regna Ægyptiorum complexam: item vitam Timagenis, aliaque. Suidam adi. Diverſus eſt Euagoras Thaſius: qui inter eos eſt, ex quibus Plinius librum X hiſtoriæ naturalis contexuit. Ac fortaſſe idem nomen reponendum apud eundem Plinium in ſcriptoribus externis libri XVII; ubi vulgò eſt *Euagone Thaſio*. Sanè, ut in natura animalium ex *Euagora Thaſio*: ita in plantarum natura ex *Euagone Thaſio*, ſe profeciſſe dicit. Patria eadem, ac ſimilitudo nominum, & non abſimile argumentum, faciunt, ut eundem tractaſſe utrumque argumentum putem.

Eualces Ἐφεσιακὰ prodidit: ut cognoſcimus ex Athenæi lib. XIII.

Euanoridas Eleus ſcripſit de iis, qui Olympiis ludis vicerant. Pauſanias lib. VI: Εὐανορίδᾳ *a* δὲ Ἠλείῳ πάλης ἐν παισὶν ὑπῆρξεν ἐν τε Ὀλυμπίᾳ καὶ Νεμέᾳ νίκη. Γενόμενος δὲ Ἑλλανοδίκης, ἐγέγραψε καὶ οὗτος τὰ ὀνόματα τῶν Ὀλυμπίᾳ νενικηκότων.

a Euanoridas Eleus, puerilis luctæ victoriam Olympiæ, ac Nemeæ, adeptus, cùm unus de ludorum præfectis eſſet, ipſe etiam eorum omnium, qui ludis Olympiis vicerant, nomina conſcripſit.

Euanthis non incelebre nomen. Ex quo quædam refert Plinius lib. VIII cap. XXII: *Euanthes*, inquit, *inter autores Græciæ non ſpretus, tradit, Arcadas ſcribere, ex gente Antæi cujuſdam ſorte familiæ lectum ad ſtagnum quoddam regionis ejus duci, veſtituque in quercu ſuſpenſo, tranare, atque abire in deſerta, transfigurarique in lupum, &c.* Euanthis ἐποποιοῦ hymnum in Glaucum citat Athenæus lib. VII. Etiam Euanthis meminit Apollonii ſcholiaſtes in lib. I. Sed fuere tres Euanthes, unus Mileſius, alter Samius, tertius Cyzicenus. Mileſii meminit Diogenes in Thalete. Samii ex Hermippo mentio fit apud Plutarchum in Solone: Cyzicenum celebrat B. Hieronymus lib. II adverſus Jovinianum: *Euanthes Cyzicenus, & Aſclepiades Cyprus, ætate, quâ Pygmaleon in Oriente regnabat, ſcribunt, eſum carnium non fuiſſe.*

Eubulides Εὐβουλείδης librum de Diogene ſcripſit: ex quo de philoſopho hoc quædam refert Laërtius in ejus vita. Etiam in Socratis vita quædam de ejus condemnatione narrat, ſanè digna ſcitu. Ac propterea puto, etiam Socratis vitam memoriæ prodidiſſe.

Eubulus hiſtoriam Mithræ conſignavit. B. Hieronymus lib. II adverſus Jovinianum: *Eubulus quoque, qui hiſtoriam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat, apud Perſas tria genera Magorum: quorum primos, qui ſint doctiſſimi, & eloquentiſſimi: exceptâ farinâ, & olere, nihil ampliùs in cibo ſumere.* Hoc ex opere ſunt ea, quæ de Mithra commemorat Porphyrius in commentario de Nympharum antro: ubi Eubulum eorum laudat auctorem.

Euctæus videri poſſit deſcripſiſſe tertiam orbis partem. Athenæus extremo lib. IX: ὡς *b* καὶ Εὐκταῖος δηλοῖ, ὁ γεγραφὼς τὰς περιηγήσεις ἐν τῇ Ἀσίᾳ διαγεγραμμένας. Ita enim & in Aldina, & Baſileenſi, editum eſt; ac ſimiliter eſt apud interpretem. Meritò autem, rectène ita legatur, ambigit Geſnerus in bibliotheca. Omnino enim corrigi debet, Ἑκαταῖος; prout in poſtrema editione rectè eſt expreſſum.

b Ut & Euctæus oſtendit, vel quiſquis ille, qui orbem deſcripſit, libro, qui Aſia inſcribitur.

Eudemus condidit hiſtoriam Aſtrologicam. Eâ docuiſſe cenſeo, quid in re aſtrologica quiſque obſervàrit. Hoc de opere en Clementis verba in primo Stromat. Θαλῆν *c* δὲ Εὔδημος, ἐν ταῖς ἀστρολογικαῖς ἱστορίαις, τὴν γενομένην ἔκλειψιν τοῦ ἡλίου προειπεῖν φησι, καθ' οὓς χρόνους συνῆψαν μάχην πρὸς ἀλλήλους Μῆδοί τε καὶ Λυδοί· βασιλεύοντος Κυαξάρους μὲν, τοῦ Ἀστυάγους πατρὸς, Μήδων· Ἀλυάττου δὲ, τοῦ Κροίσου, Λυδῶν. Idem tradit Diogenes Laërtius in Thalete, ubi hoc volumen ſimiliter vocat τὴν περὶ τῶν ἀστρολογουμένων ἱστορίαν. Sed Proclus in IV primi Euclidis refert, Thaleti hoc ab Eudemo tribui ἐν *e* ταῖς γεωμετρικαῖς ἱστορίαις. Verùm potuit idem utroque in opere dixiſſe. Cenſet Geſnerus in biblioth., hunc eſſe Eudemum illum, quem de angulo, & Geometricarum enarrationum, commentarios reliquiſſe, auctor eſt idem Proclus eoſe libro. Sanè utrumque opus ei convenit, qui ſcientias mathematicas profiteatur. Etiam apud Clementem in VI Στρωματ. memoratur Eudemus Naxius, quem hiſtoriam edidiſſe ait: ſed eam ex Meleſagora tranſcripſiſſe. Porrò vel ignoratur hujus ætas: vel idem eſt, ac Eudemus Parius: quem ante bellum Peloponneſiacum vixiſſe, conſtat ex Dionyſio Halicarnaſſenſi. Mihi quidem idem videtur. Nempe vicinitas loci (utraque enim, & Naxos, & Paros, inter Cycladas eſt) fecerit, ut alii Naxium, alii Parium vocarent. Sed de hoc quiſque judicet, ut volet. Varias etiam hiſtoriolas ex Eudemo, neſcio quo, narrat Ælianus in hiſtoria animalium. Ut lib. III cap. XXI, de leone leænaque, urſam mirificè ulciſcentibus ob catulorum cædem. Item lib. IV cap. VIII, de ſupplicio, quod pullus ſumſit de

c Eudemus verò, in hiſtoriis aſtrologicis, refert, ut Thales prædixerit eclipſin ſolis, quibus temporibus commiſſa eſt pugna inter Medos, & Lydos; Medis quidem Cyaxare, patre Aſtyagis; Alyatte autem, Crœſi patre, Lydis imperante.

d Hiſtoriam eorum, quæ ad aſtrologiam pertinent.

e In geometricis hiſtoriis.

de equiſone, quia equam iniiſſet. Et ejuſdem libri cap. XLV, de leone ulciſcente canis, contubernalis ſui, cædem ab urſa patratam. Et cap. XLIII, de feris Libycis undecimam quamque prædæ partem relinquentibus intactam. Et cap. LVI, de vitulo marino, qui amore exarſit hominis ſpongias piſcantis. Et lib. V cap. VII, de ſimia à ſummæ arboris ramo dependente, atque ita ſe tuente adverſus feles.

Euemeridas Cnidius hiſtorica aliqua videtur divulgâſſe. Plutarchus lib. de Flum. in Marſya: Εὐημερίδας *a* ὁ Κνίδιος ἱστορίας μέμνηται ταύτης.

*a Euemeridas Cnidius hiſtoriam hanc memorat.*

Euelpis Caryſtius, Εὔελπις ὁ Καρύστιος, memoratur Porphyrio lib. II de abſtinentia; ubi ex eo narrat, ut in Chio τῷ Ὠμαδίῳ Διονύσῳ *b* ſoleat immolari homo vivus membratim diſcerptus; atque ut idem mos in Tenedo obtinuerit.

*b Baccho Omadio, q. d. crudis gaudenti.*

Eugamon Cyrenæus librum edidit de Theſprotis: at Muſæo eum ſuffuratus fuit: ut Clemens ait lib. VI. Στρωμ., & Euſebius Præpar. Euang. lib. X *c*. Sed qui in Clementis codd. Εὐγάμων ὁ Κυρηναῖος, is in Euſebianis appellatur Εὐγράμμων ὁ Κυρηναῖος.

*c P. 271.*

Eumachius Neapolitanus, Athenæo teſte, ſcripſit ἱστορίας *d* τῆς περὶ Ἀννίβαν.

*d Hiſtorias rerum Annibalicarum.*

Eumachus, Εὔμαχος *e*, ἐν Περιηγήσει citatur à Phlegonte de rebus mirabilibus cap. XVIII: ubi ex eo refert, ut Karthaginenſes, foſſam agentes circa provinciam ſuam, in arcis repererint δύο σκελετοὺς *f*, ac uni magnitudo fuerit cubitorum XXIII, alteri XXIV. Fortaſſe autem idem eſt Eumachius Neapolitanus, quem res geſtas Hannibalis conſignâſſe dicebamus. Sanè hic res ſcripſit ducis Karthaginenſis: &, quod Phlego narrat, ad Karthaginenſes pertinet. Niſi veriſimile magis ſit, intelligi Eumachum, Siculum Muſicum; quem Plinius reponit *g* inter ſcriptores, ex quibus librum IV. Hiſt. Nat. concinnavit. Dicat aliquis, hunc Muſicum vocari. Sed hoc leve eſt; quando Plinius eo libro, non de Muſicis, ſed de variis gentibus tractat. Et Ariſtoxenus Tarentinus quoque Muſicus fuit; qui tamen illuſtrium ſcriptorum vitas, & præterea hiſtoriam variam reliquit.

*e In orbis deſcriptione.*
*f Duas ex humano corpore reliquias univerſorum oſſium ſtructuras.*
*g In auctoribus externis lib. 4.*

Eumolus, Εὔμολος, ἐν *h* τῇ πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν adducitur à Laërtio in Ariſtotelis vita. Dubito autem, legine debeat Εὔμηλος, an Εὔμολπος. Sanè Eumolpus Corinthius Græcorum reditum ſcripſit. Pindari ſcholiaſtes in Olymp. od. XIII: Τοῦτο *i* δὲ, διὰ τὸν Εὔμολπον, ὄντα Κορίνθιον, καὶ γεγραφότα νόστον τῶν Ἑλλήνων. Lilius tamen Gyraldus in poëtarum hiſtoria dialogo III *Eumelus* hìc corrigere jubet; quod mihi minùs placet. Nam aliquanto pòſt *k* ſequitur, Εὔμηλός τις ποιητὴς ἱστορικός. Ubi & verſus ejus hexametros octo refert. Puto autem, non diverſimodè adeò interpres ſcriptorem eundem deſignâſſet, & quidem ſcholiis in eandem odam. Quare diverſos cenſeo Eumolpum Corinthium, & Eumelum Corinthium: ille ſcripſit de reditu Græcorum: hic autem Corinthiaca. unde apud Apollonii ſcholiaſtem legas in lib. I: Εὔμηλος ἐν Κορινθιακοῖς *l*. Vide, quæ de eo diximus lib. I, cap. I. Fuit & Eumolpus grammaticus; ex quo, quid Κισσύβιον ſit, Athenæus docet in XI.

*h In quinto hiſtoriarum.*
*i P. 113. edit. Paulli Steph.*
*k P. 117. edit. ejuſd.*
*l Eumelus in Corinthiacis.*

Euphemius, incertum an Aphrodiſius, auctor libri fuerit de patria ſua. Docent hoc verba illa Stephani in Ἀφόρμιον: Ἀφροδίσιος *m*, ἤτοι Εὔφημος, ἐν τῷ περὶ πατρίδος. Fortaſſe eſt idem Εὔφημος, quem ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς *n* citat Pollux lib. X cap. XXVII: ac cujus meminit Ammonius lib. de vocum differ. in Γέθι.

*m Aphrodiſius, ſive Euphemius, libro quem de patria ſua ſcripſit.*
*n In Coronariis.*

Euphorus, Εὔφορος, ὁ ἐν τοῖς εὑρήμασι citatur ab Athenæo lib. IV. Nec lectio ea mutanda in Ἔφορος. Nam omnino diverſus eſt ab nobili illo hiſtorico. Ex opere hoc de rerum inventione ſunt illa, quæ Clemens tradit in primo Στρωματέων, ubi ſic ſcribit: Κάδμος *p* δὲ Φοῖνιξ ἦν, ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετής, ὥς φησιν Εὔφορος. Inter hiſtoricos reponit idem poſtea eopſe libro. Verba ejus ſunt: Εὔφορος *q* δὲ, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν, καὶ ἔθνη, καὶ γλώσσας, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι. Meminit & Euphori Laërtius in Thalete. Imò & Etymologo, in Ἐπιχαρμίδην, citatur Εὔφορος ἐν τῇ Εὐρώπῃ *a*. Sed legendum ibi Ἔφορος. Nam Ephorus Cumanus, Theopompi æqualis, ſignatur: cujus quartus hiſtoriarum liber *Europa* inſcribebatur; ut didici ex ſeptimo Strabonis libro.

*o Euphorus libro de inventis.*
*p Cadmus verò Phœnix erat, qui apud Græcos literas invenit, quemadmodum ait Euphorus.*
*q Euphorus verò, & alii multi ex hiſtoricis, dicunt, eſſe ſeptuaginta quinque & gentes, & linguas.*
*a Euphorus in Europa.*

Eupolemus inter hiſtoricos ſemel iterumque numeratur à Flavio Joſepho lib. I contra Apionem. Scripſiſſe de Judæorum regibus, conſtat ex Clementis lib. I Στρωματ. Ac Clementem ejus meminiſſe, etiam Hieronymus ait in Illuſt. ſcript. cap. XXXVIII, quod eſt de Clemente. Etiam teſtis adducitur ab Euſebio lib. IX præparat. Euangel. *b* & auctore Chronici Alexandrini *c*; ubi ab eo proditum ait, Moſem primùm literas reperiſſe, ac Judæis tradidiſſe; ab his accepiſſe Phœnices; à Phœnicibus Græcos. Item alibi *d*; ubi ex Eupolemo refert, ut Vaphres, Ægypti rex, Salomoni ad templi ſtructuram miſerit μυριάδας η'; quod interpres vertit, LXXX *millia operarum*. Eupolemi Tactica celebrat Ælianus lib. περὶ τάξεων, cap. I.

*b P. 265. edit. Rob. St.*
*c P. 148. edit. Monach.*
*d P. 214.*

Euſthatius Syrus, orator inſignis, à Nicephoro Calliſti, in prooemio, inter eos refertur hiſtoricos, ex quibus ſuam conſarcinârit hiſtoriam Euagrius Scholaſticus. Sed non alius hic eſt, quàm Euſtathius Epiphanienſis; de cujus ætate dixi lib. II, cap. XXI.

Euthymanes, Εὐθυμάνης ὁ Μασσαλιώτης *e*, geographica edidit: ut conſtat ex epitome Artemidori Epheſii. Niſi fortè apud eum legi debet *Euthymenes*: de quo nunc dicam.

*e Euthymanes Maſſilienſis.*

Euthymenes Chronica condidit. Ex eo de Homeri ætate ſic prodidit Clemens lib. I Stromat. Εὐθυμένης *f* δὲ ἐν τοῖς χρονικοῖς φησι, συνακμάσαντα Ἡσιόδῳ ἐπὶ Ἀρχίππου ἐν Χίῳ γεγονέναι περὶ τὸ διακοσιοστὸν ὕστερον τῆς Ἰλίου ἁλώσεως.

*f Euthymenes verò in Chronicis ait, floruiſſe Homerum unà cum Heſiodo, natumque in Chio, docentis circiter annis poſt Troiæ excidium.*

Euxenus priſca ac fabuloſa Italorum tempora carmine eſt perſecutus. ut oſtendunt hæc verba Dionyſii Halic. lib. I: Εὔξενος *g* ὁ ποιητὴς ἀρχαῖος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἰταλικῶν μυθογράφων, & quæ deinceps ſequuntur. Nam quod nonnulli pro Εὔξενος legunt Ἔννιος, id aliquid eſſet, niſi multos Græcorum conſtaret priſcas res Italicas tradidiſſe. Nec Ennius in Annalibus fabulas tractare ſibi propoſuit; ſed hiſtorias de horridis Romanorum bellis; ut ipſe initio carminis ſui cecinit.

*g Euxenus, vetus poëta, & alii quidam, qui Italicarum rerum fabulas narrârunt.*

GEorgius (neſcio cujas) περὶ *h* τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν commentarium reliquit: ut locuples teſtis eſt Athenæus in quinctodecimo.

*h De ſacrificiis Rhodiis.*

Georgius Chumnus, Byzantinus, rythmicam concinnavit hiſtoriam, ab orbis creatione orſam, inque Salomonis regno deſinentem. Ea cum figuris MSA extat in bibliotheca Conſtantinopolitanâ illâ, quæ fuit Joannis Suzii, ut narrat Antonius Verderius in ſupplemento bibliothecæ Geſnerianæ.

Georgius Codinus Curopalates παρεκβολάς, ſive excerpta, edidit de originibus Conſtantinopolitanis. Scripſit idem librum de officialibus palatii Conſtantinopolitani, & officiis magnæ Eccleſiæ. Prius opus primùm in lucem prodiit beneficio Georgii Duzæ: alterum, ſoceri mei, Fr. Junii: quorum uterque interpretationem Latinam, hic & notas, adjecit. Sed prima Junii editio, quæ anno CIƆ IƆLXXXVIII prodiit, ac ſenatui dicata Francofortenſi, pro Juniano nomine habuit Hebræum Nadabi Agmonii. Poſtea idem Junius, adjutus codicibus bibliothecæ Palatinæ, & alio Raphaëlis Seileri, qui eum deſcripſerat ex Auguſtanæ bibliothecæ exemplari, paginas aliquot priori addidit editioni, quibus complures lacunæ explerentur. Et quia Marquardi Freheri beneficio codices iſtos accepiſſet, eidem hanc editionem, quodammodo novam, dicavit. Non pauca in utraque hac opera improbavit Jacobus Gretzerus, Societatis Jeſu Theologus: ut liquet ex ſecundo ejus Tomo de Cruce; illis item ad Codinum notis, quas cum Ethicis Mureti divulgavit: adhæc faculâ Codini, additâ Commentario Mureti in Tacitum: ſed imprimis ex Codini editione, cum ejus tralatione, & tribus Commentariorum, Obſerva-

vationum, & Emendationum libris. Multa in iis ſunt, quibus etiam doctiſſimos doceat. Nec pauca tamen, quæ pro Junio poſſim reponere. Sed hic eruditorum morbus eſt epidemicus: ut non tam cogitent, quantum boni aliquis præſtiterit: quale eſt hic, quòd primus eum ſcriptorem Junius ſuâ linguâ ediderit, Latinè verterit, etiam illuſtrârit Notis; in quibus humani aliquid ſubinde, in tam arduo negotio, perpeſſum fuiſſe, nec ipſi negamus. Sed, ut dici ſolet, inventis aliquid ſuperaddere; vel, quando omnes ſumus homines, etiam errores obſervare, non eſt uſque adeò difficile. Equidem ſic ſum, ut ſi non amplius præſtitiſſet Gretzerus, illi acturus fuerim gratias. Interea bene eſt, quòd poſteriorum curis, literarum ſtudia magis & magis ſuccreſcunt. Hæc, ut cum Publio Laberio loquar, *lutus eſt publica*. Et Junius ipſe jam novam moliebatur editionem: quæ magnam partem eripuiſſet occaſionem Gretzero ſic in Junium (venia ſit verbo) debacchandi. Quâ de re aliquid etiam me dicere commemini præfatione operis de Hiſtoricis Latinis. Ad Codinum redeo. Præter ea, quæ diximus, ſuperſunt ejus opuſcula, de ſchematologia Urbis Conſtantinopolæ tempore Byzantis, Conſtantini Magni, & Theodoſii Junioris: de ſtructura templi S. Sophiæ: de ſtatuis & ſpectaculis: de ædificiis: de imperatoribus, & patriarchis. Quæ omnia cum aliis aliorum ad antiquitates Conſtantinopolitanas pertinentibus Petrus Lambecius cum tralatione ſua, ac notis, editurus eſt in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, quod typis Regis excudere jam ſunt aggreſſi. Atque idem Lambecius in eodem corpore Codinum de originibus Conſtantinopolitanis, cujus antea meminimus, auctiorem, & meliorem exhibebit ex codicibus Mſsis Jacobi Sirmondi, avunculi ſui, Lucæ Holſtenii, & aliorum; Etiam in Codini iſtis relucebit opera Reverendi Iacobi Goar, Ord. Prædicat. Romæ in bibliotheca S. Mariæ in Vallicella habes, *collecta eſt Chronico Cordini*: ut eſt apud Poſſevinum in Appendice ad Apparatum Sacrum. Ubi pro *Cordini* ſine dubio legendum *Codini*.

Glaucippus de ſacris Athenienſium ſcripſit; teſte Macrobio Saturnal. lib. I cap. XIII. Glaucippum, Hyperidis filium, auctorem laudat Plutarchus in Phocione.

Glaucus antiquitates Arabiæ prodidit. Id opus Stephanus nunc vocat Ἀραβικὴν ἀρχαιολογίαν a, ut in Γέα, & Σαλμηνοί; nunc Ἀραβικὰ, ut in Ἄϊλαιον; ubi tertium ejus operis adducit. Apud Plutarchum libro de Muſica fit mentio Glauci Itali, quem tractâſſe ait de poëtis, ac muſicis antiquis. Idemne, an alius ſit, quis ſpondere auſit? cùm multi adeò hujus nominis fuerint. Nam præter Glaucum Rheginum, de quo libro IV dicam cap. II, fuit & Glaucus Locrus, qui ab Athenæo in duodecimo refertur inter ὀψαρτυτικὰ συνθέντας b. Ac meminit quoque ejus lib. IX. Item Julius Pollux lib. VI. cap. X: ubi itidem recenſetur inter ὀψοποιητικῆς c πραγματείας σοφιστάς.

a *Hiſtoria antiquarum Arabicarum.*

b *Eos, qui de reculinaria ſcripſerunt.*

c *Coquinariæ rei doctores.*

Eſt præterea Glaucus Athenienſis, cujus epigramma in Bacchæ icona habes in quarto Ἀνθολογίας. Nec dubium, quin ejuſdem ſint epigrammata, quæ alibi eodem in opere Glauco tribuuntur.

Gorgias Athenienſis ſcripſit περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων d, teſte Athenæo lib. XIII; ubi & de eodem argumento tractâſſe ait Ariſtophanem, Apollodorum, & Antiphanem. Floruit verò Gorgias poſt Ariſtophanem; qui Byzantius fuit. Nam cùm is recenſuiſſet ſcorta Attica CXXXV: Gorgias, multa omiſiſſe teſtatus, longè plura enumeravit; eorumque aliqua refert Athenæus poſtea eodem libro.

d *De ſcortis Atticis.*

Harmodius Lepreates Ἁρμόδιος ὁ Λεπρεάτης περὶ τῶν ἐν e Φιγαλείᾳ νομίμων citatur ab Athenæo lib. X, & XI.

e *Libro de legibus in Phigalia.*

Harpocration, qui Ælius vocabatur, profeſſione ſophiſta, præter alia, commentatus de iis, quæ à Rhetoribus ignorantur; adhæc de agminum ordinibus, qui apud Xenophontem; item librum, quòd ementita ſit Herodoti hiſtoria, ſive, ut Græca retineam, περὶ τῆς καταψευδῆ τῆς Ἡροδότου ἱστορίαν. Auctor Suidas: qui quatuor Harpocrationes ponit: unum Argivum, philoſophum Platonicum; è quo Stobæum eclogas ſuas congeſſiſſe, Photius teſtatur in bibliotheca: alterum, prænomine Caium; tertium, Ælium; de quo dictum: quartum Valerium, rhetorem Alexandrinum, auctorem lexici in decem oratores.

Hegemon carmine tractavit hiſtoriam belli ejus, quod, Epaminonda duce, à Thebanis geſtum eſt. Stephanus in Ἀλεξάνδρεια: Ἡγήμων a ἐποποιὸς, ὃς ἔγραψε τὸν Λευκτρικὸν πόλεμον τῶν Θηβαίων, καὶ Λακεδαιμονίων. Hegemon quoque Dardanica literis mandavit. Ex iis commemorat Ælianus hiſtoriam de dracone paſtorem Theſſalum amante. Vide eum lib. VIII Hiſt. Animal. cap. XI. Alius eſt ab Hegemone Thaſio: qui gigantomachiam, & priſcam comœdiam, & parodias, & alia, reliquit: de quo plura Athenæus, & Suidas.

a *Hegemon, poeta epicus, qui ſcripſit bellum Leuctricum, inter Thebanos, & Lacedæmonios, geſtum.*

Hegeſagoras, Ἡγησαγόρας b ἐν τοῖς Μεγαρικοῖς, citatur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. I: ubi ex eo memorat, Boream, qui Orithyam rapuit, fuiſſe Strymonis filium.

b *Hegeſagoras in Megaricis.*

Hegeſander Delphicus (Ἡγήσανδρος ὁ Δελφὸς) ὑπομνήματα c ſcripſit, quorum mentio apud Athenæum lib. II, III, XI, XII, & alibi. Plures fuiſſe libros indicat, quòd lib. VI eum citat ἐν ἕκτῳ ὑπομνημάτων d. Libro nono ex commentariis ejus refert, ut principatu Antigoni regis Gonatæ tanta leporum in Aſtypalæa fuerit copia, ut propterea ejus oppidi cives oraculum conſuluerint; quibus Pythia reſpondit, alendos eſſe canes venaticos; poſteaque unius anni venatione capta eſſe leporum ſex millia: ac tantæ multitudinis cauſſam fuiſſe Anaphæum quendam, qui, cùm Aſtypalæa antea lepores non haberet, binos in eam intuliſſet. Antigonus iſte Gonatas, cujus hìc mentio fit, Macedoniæ rex eo tempore fuit, quo Philadelphus in Ægypto imperabat; ut Hegeſander Philadelpho antiquior eſſe non poſſit. Meminit Hegeſandri commentariorum etiam Suidas in Ἀλκυόνιος, & Michaël Apoſtolius Centur. II. Proverb. LI.

c *Commentarios.*

d *In ſexto commentariorum.*

Hegeſianax Alexandrinus autor fuit Troicorum, quæ Cephalæonis nomen præferebant. Teſtis Athenæus lib. IX: Ὁ e δὲ τὰ Κεφαλαίωνος ἐπιγραφόμενα Τρωικὰ συνθεὶς Ἡγησιάναξ ὁ Ἀλεξανδρεύς. Nec falli Athenæum, colligo ex duodecimo Strabonis, ubi ex Hegeſianacte refert, ut, cùm Galli ex Europa in Aſiam trajeciſſent, locoque iis munito opus foret, Ilium ſint profecti: ſed citò inde receſſerint, quòd hæc muris Urbs careret. Iſta quin ex Troicis ſint, nemo ſanus dubitet. Porrò vel ea, quæ de Gallis hìc retulit, liquidò oſtendunt, Troica illa non fuiſſe auctoris adeò antiqui, ac perſuaſum iſtis fuit, qui opus hoc Cephalæoni tribuerunt. Diſpiciendum præterea, idemne, an alius, ſit Hegeſianax ille, ex cujus tertio rerum Libycarum quædam adducit Plutarchus in parallelis cap. XXIII: item is, cujus quinque verſus recitat idem libro de facie in orbe Lunæ; ubi Ageſianax vocatur. Mentio quoque Hegeſianactis fit apud Julium Hyginum in poëtico aſtronomico, ubi de ſidere Engonaſin, atque iterum, ubi de Aquario tractat. Sunt autem ex φαινομένοις, quæ Hegeſianactem ſcripſiſſe, autor eſt Anonymus in vita Arati. Fortaſſe Hegeſianax hic Alexandrinus, ut alii multi, dictus fuit, quia civis ejus urbis eſſet: licet revera in Troade natus foret. Hoc cur ita ſentiam, illud facit, quòd ſatis veriſimile ſit, Hegeſianactem, Troicorum ſcriptorem, eundem eſſe, ac Troadis civem. De hoc ita Stephanus in Τρωιάς: Τρωιὰς f ἡ χώρα τῆς Ἰλίου, ἡ ἐκαλεῖτο Τευκρὶς, καὶ Δαρδανία, καὶ Ξάνθη. Τὸ Ἐθνικὸν, Τρωαδεύς. Ἐντεῦθεν ἦν καὶ Ἡγησιάναξ γραμματικὸς, γράψας περὶ τῆς Δημοκρίτου λέξεως βιβλίον ἕν, καὶ περὶ ποιητικῶν λέξεων. ἦν δὲ Τρωαδεύς.

e *Hegeſianax Alexandrinus, ſcriptor Troicorum, quæ Cephalæoni inſcribuntur.*

f *Troas, regio Ilienſis, quæ Teucria, & Dardania vocabatur, & Xanthe. Gentile autem eſt Troas. Inde erat & grammaticus Hegeſianax, qui de Heracliti dictione librum ſcripſit, deque vocibus poëticis. Erat autem Troianus.*

Hegeſigonus Ἡγησίγονος aliqua conſignavit de mirificis hominum in India formis: quemadmodum cognoſcimus ex Tzetze Chil. VII hiſtor. CXLIV. Meminit & ejus Chil. I Hiſt. XVIII.

Hegeſinous de rebus terræ Atticæ poëma condidit. Pauſanias in Bœoticis: Καὶ g Ἡγησίνους ἐπὶ τάδε ὁ ἐν Ἀτθίδι ἐποίησεν. Citat deinde ex eo poëmate verſus quatuor:

g *Etiam Hegeſinous in carmine, quod de terra Attica fecit.*

tuor: ſed agnoſcit, eos ſe legiſſe in Calippi Corinthii hiſtoria de Orchomeniis: nam ipſam Hegeſinoi nunquam ſibi viſam ait: ut quæ ante tempora ſua interciderit. Unde videmus, jam multis abhinc ſeculis, cùm res ſtaret Romana, & in pretio forent Græci ſcriptores, nequiiſſe eos Libitinam effugere, qui æternum ſperarant decus ex ingenio doctrinæque monumentis.

Hegeſippus reliquit volumen de Pallene. Ea, ut Dionyſius tradit in primo antiquitatum Romanarum, Thraciæ peninſula fuit, habitata Cruſæis barbaris; in quam Æneas, Troià profugus, conceſſit. Et Hegeſippus hic auctor ſanè vetus: quippe qui etiam Dionyſio Halicarn. antiquus vocetur lib. 1 ἀρχαιολογ. ubi ſic ſcribit: ὧν *a* ἐστι Κεφάλων τε Γεργίθιος, καὶ Ἡγήσιππος ὁ περὶ Παλλήνης γεγραφὼς, ἄνδρες ἀρχαῖοι, καὶ λόγου ἄξιοι. Παλληνιακὰ Hegeſippi etiam Stephanus citat in Παλλήνη, & Μηκύβερνα. Item Parthenius Eroticôn cap. VI. Qui & cap. XVI advocat librum primum Hegeſippi de rebus Mileſiorum. Idemne, an alius ſit, haut temerè dixero. Sed alius ſaltem ab hoc eſt Hegeſippus Tarentinus; cui, ut Suidas teſtatur, cognomentum Κρώβυλος erat: nempe à capillis plexis, inque acumen retortis. Fuit hic poëta Comicus. Fabula ejus Φιλέταιροι citatur ab Athenæo lib. VII, & Suida. Ἀδελφοὺς ejus adducit Athen. lib. IX; imò & VII, juxta certiſſimam emendationem Caſauboni *b*, ubi nunc vulgò Hegeſandri Delphi laudantur. Fuit & tertius Hegeſippus, Demoſthenis æqualis, & ejus in legatione collega: cujus eſſe creditur oratio de Haloneſo, quæ vocatur Philippica Demoſthenis ſeptima. Sanè Hegeſippi potiùs eſſe cenſet Ulpianus in argumento ejus orationis, & rationes adfert. Photius tamen in μυριοβίβλῳ, codice CCLXV, negat ſe audere hanc quæſtionem dirimere, utrùm ſit Demoſthenis, an Hegeſippi. Vide & Etymologum in Ἡγήσιππος. Fuit præterea quartus Hegeſippus ὀψοποιητικῆς πραγματείας σοφιστὴς *c*: cujus mentionem facit Jul. Pollux lib. VI cap. X. Etiam Ὀψαρτυτικὰ *d* Hegeſippi memorat Athenæus lib. XII: quod idem opus. Ut mittam Hegeſippum, actuum Eccleſiaſticorum ſcriptorem; de quo ſuperiori libro dicebamus.

Heliodorus περὶ μνημάτων *e* libros ſcripſit: quorum tertius laudatur à Plutarcho lib. de X rhetoribus, in vita Hyperidis.

Heliodorus ὁ περιηγητὴς *f*, ἐν πρώτῳ περὶ ἀκροπόλεως, citatur ab Athenæo lib. IX. Quindecim libris id opus conſtitiſſe, idem in VI auctor eſt. Meminit quoque Harpocration in Θετταλὸς, Νίκη, & Προπύλαια. Nec dubium, quin idem ſit, qui innotuit opere de anathematis Athenienſium: ut cognoſcimus ex elencho auctorum apud Plinium lib. XXXIII, & ſeqq. duobus. Imò fortaſſe idem priori opus erat, integraque inſcriptio fuerit, περὶ *g* τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει: quomodo opus ſuum inſcripſerat Polemo, teſte Strabone lib. IX. Alius, puto, fuerit, qui poëma Proteſilaum fecit; unde verſum hexametrum citat Stephanus in Φυλάκη. Etiam Heliodorus carmen condidit de ſpectaculis Italicis: unde decem & ſex heroicos adducit Stobæus ſermone de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Vide quæ de Heliodoro poëta ex Galeno refert Lilius Gyraldus lib. III. dial. III. Ἡλιόδωρος ὁ Στωικὸς numeratur inter veteres Arati interpretes. De Heliodoro, Æthiopicôn ſcriptore, libro IV dicam.

Heraclides Cumanus γεγραφὼς *h* Περσικὰ ἐν πέντε βιβλίοις memoratur à Laërtienſi Diogene, tertio inter XIV Heraclidas loco: ubi addit, fuiſſe & alterum Heraclidem Cumanum, ſed ῥήτορα, τέχνας γεγραφότα *i*. Icciroo Athenæus, priorem non contentus *Cumanum* dixiſſe, addit *Perſicorum ſcriptorem*. Locus eſt lib. IV: Ἡρακλείδης *k* δ' ὁ Κυμαῖος ὁ τὰ Περσικὰ συγγράψας. Continuò ibidem ſubjungit: ἐν *l* τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιγραφομένων παρασκευαστικῶν. Cenſeo, eum hos libros præmiſiſſe hiſtoriæ ſuæ Perſicæ, quo ad eam munirent viam. Diximus obiter de Heraclide hoc quoque lib. 1 cap. XX. Ubi & actum de Heraclide Lembo, ac Magneſio. Uti de Heraclide Pontico lib. 1 cap. IX. Cùm autem multi adeò hujus nominis hiſtoriam tractarint: difficile dictu videtur, quem ſignet Dionyſius Halic. lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. ubi Heraclidem inter hiſtoricos recenſet, nec cognomen adjungit. Ille verò, quem Solinus ſignat cap. 1, omnino eſt Heraclides Lembus: ut conſtat ex Feſto in *Romam*.

*a E quibus ſunt Cephalo Gergithius, & Hegeſippus, qui de Pallene ſcripſit, ſcriptores veteres, & fide digni.*

*b In Athen. lib. 7. cap. 11.*

*c Rei culinariæ doctor.*

*d De re culinaria opus.*

*e De monumentis.*

*f Qui urbem deſcripſit, in libro primo de arce Athenarum.*

*g De donariis, quæ in arce Athenienſi.*

*h Qui Perſica quinque libris tractavit.*

*i Oratorem, qui artes rhetoricas ſcripſit.*

*k Heraclides Cumanus, qui Perſica ſcripſit.*

*l In ſecundo eorum libro, quos præparaſcenaſticos, ſive præparatorios, inſcripſit.*

Heraclitus Lesbius Macedonicam fecit hiſtoriam; teſte Laërtio; cui quartus eſt ex quinque illuſtribus Heraclidis. Unde liquet, eſſe diverſum ab illo nobili Epheſio, philoſopho, ὅς *a* παρ' Ὀρφέως τὰ πλεῖστα εἴληφε: ut Clemens ait VI Στρωμ. Iis verò Heraclitis, quos memorat Laërtius, adde Heraclitum Sicyonium; cujus ſecundum de lapidibus librum laudat Plutarchus de flum. cap. de Scamandro.

Hermeias Methymnæus res Siculas ſcripſit; quarum librum tertium citat Athenæus lib. X. Hoc de opere ſic Diodorus Siculus lib. XV. Ἑρμείας, *b* ὁ Μηθυμναῖος συγγραφεὺς, τὴν τῶν Σικελικῶν σύνταξιν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστρεψε, γράψας βίβλους δέκα· ὡς δέ τινες διαιροῦσι, δώδεκα. Quæ verba, more ſuo, exſcripſit ad verbum Anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CI ann. 1. Etiam Ἑρμείας περιηγητὴς *c* à Stephano adducitur in Χαλκίς. Citatur etiam ἐν *d* τῷ δευτέρῳ τῶν περὶ τοῦ Γρυνείου Ἀπόλλωνος ab Athenæo *e*.

Hermeſianacti quintam & vigeſimam ſecundam hiſtoriam debet Parthenius in Eroticis. Meminit Athenæus lib. XIII; ubi falli in eo docet, quòd Sappho Anacreonti fuiſſe coævam putet; cùm ea ſub Alyatte, Crœſi patre, vixerit. Paullo antè idem eum Colophonium vocat, & Leontium amicam habuiſſe dicit, & ejus gratiâ ſcripſiſſe tres elegiarum libros; ac è tertio quoque longè plurimos citat verſus, quibus eos complexus fuit, qui vehementiùs amârint. Ea propter apud Parthenium cap. V, ubi eſt, ἱστορεῖ *f* Ἑρμησιάναξ Λεόντι, malim legere Λεοντίῳ: cujus gratiâ elegias iſtas ſcribit. Et ſanè, hanc veram eſſe lectionem, oſtendit Antoninus Liberalis Metamorphoſ. cap. XXXIX; ubi legas, Ἱστορεῖ Ἑρμησιάναξ Λεοντίῳ β'. Ex Iliacis Pauſaniæ diſcere eſt, Colophonium hunc poëtam filium Agonei fuiſſe, ac publicis Colophoniorum ſumtibus ei ſtatuam poſitam eſſe. Sed vide, quæ de Hermeſianacte hoc, & altero ejus nominis, itidem Colophonio, Nicandri in Theriaca interpres, & ex eo Gyraldus tradit in libris de Poëtis. Ubi alterum eorum Perſica ſcripſiſſe ait. Quod quia hiſtorici eſt argumenti, putavi aliquem etiam locum ei hìc deberi. Præterea autem fuit Hermeſianax Cyprius; qui rerum Phrygiarum hiſtoriam dedit. Plutarchus de Fluminibus cap. de Sagari, Phrygiæ fluvio: καθὼς *g* ἱστορεῖ Ἑρμησιάναξ Κύπριος ἐν β' Φρυγιακῶν. Meminit & idem hujus ſcriptoris cap. de Iſmeno: Ἑρμησιάναξ *h* δὲ ὁ Κύπριος ἱστορίας μέμνηται ταύτης. Et cap. de Tigride: Ἑρμησιάναξ *i* ὁ Κύπριος ἱστορίας μέμνηται τοιαύτης.

Hermogenis meminit Flavius Joſephus lib. 1. contra Apionem; ubi eum & Judæorum ait non obiter feciſſe mentionem. Scripſit περὶ Φρυγίας *k*, ut teſtatur Apollonii ſcholiaſt. in lib. II.

Herodorus commentarium reliquit de Macronibus, gente Pontica, Scythinis, ſive Scythenis, finitimâ. Unde Apollonii ſcholiaſtes in lib. 1: Πρῶτοι *l* δὲ (οἱ Μακρῶνες) τὰ πολεμικὰ ἔργα ἐσκηκότες, ὡς ἱστοροῦσι Φιλοστέφανός τε, καὶ Ἡρόδωρος, οἱ τὰ περὶ τῶν βίων αὐτῶν γεγραφότες. Pluribus autem libris hoc opus conſtitit: ut cujus ſecundus ab eodem citetur. Præterea ſcripſit de Heraclea. Idem ſcholiaſtes in lib. II: Ἡρόδωρος *m* ἱστορεῖ ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας. Eo magis cenſeo, Herodorum, hunc eſſe, quem Heracleotem vocat Athenæus lib. XI: quemque Ponticum appellant Plutarchus in Romulo, & Tzetzes Chil. II. Hiſt. XXXVI. Ita libri illi fuerint περὶ πατρίδος *n*. Cùm autem Heraclea ab Hercule nomen acceperit, atque hunc Deum præcipuè coluerit: nihil mirum, ſi idem de Herculis geſtis libros fecerit: imò & apud Athenæum fortaſſe περὶ Ἡρακλέους legendum. Sanè ex eo refert ibi, ut Jupiter, quando cum Alcmena congrederetur, donârit ei τὸ *o* ποτήριον τὸ καρχήσιον. Et de Hercule quoque eſt, quod Tzetzes loco dicto commemorat: nempe ut qua-

*a Qui plurima ab Orpheo accepit.*

*b Hermeias, Methymnæus, rerum Sicularum hiſtoriam in eum annum terminavit, ſcriptis libris decem, vel, juxta alios, diviſionem duodecim.*

*c Hermeias in deſcriptione orbis.*

*d In ſecundo de Apolline Gryneo.*

*e Lib. IV.*

*f Memorat Hermeſianax elegiâ ad Leontium.*

*g Ut Hermeſianax Cyprius refert in ſecundo rerum Phrygiarum.*

*h Hermeſianax Cyprius hujus hiſtoriæ meminit.*

*i Hiſtoriam hanc Hermeſianax Cyprius narrat.*

*k De Phrygia.*

*l Erant vero Macrones in rebus bellicis exercitati; ut narrant Philoſtephanus, & Herodorus, qui vitam eorum deſcripſere.*

*m Refert Herodorus in iis, quæ ſcripſit de Heraclea.*

*n De patria.*

*o Poculi genus, quod carcheſium vocatur.*

quatuor cubitos, ac præterea unum pedem, fuerit longus. Opus illud de Hercule pluribus conſtabat libris. Nam in Stephano in Κιμμερικὸν citatur Ἡρόδωρος ἐν δεκάτῳ τῶν καθ' Ἡρακλέα. Athenæus autem extremo lib. IX. narrat ex Herodori lib. XVII, ut Eunomo nomen fuerit puero illi, quem Hercules talitro interfecit, eò quòd, dum aquam parat affundere manibus Herculis, paullum aberraſſet. Hellanicus Archiam vocatum dixerat, ac propter cædem eam abiiſſe Herculem Calydone. Sed Diodorus Siculus lib. IV. bibliothecæ appellat Eurynomum. Meminere fabellæ etiam Euſebius ex Diodoro, Demetrius is, qui vulgò dictus Phalereus, lib. περὶ ἑρμηνείας, Apollonii ſcholiaſtes, ſcriptor argumenti in Sophoclis Trachinias, & Suidas in Κονδυλίζειν. Sed locus Euſebii corruptus eſt; quem ex Diodoro corrigit Leopardus lib. II. Emendat. cap. IX. Nec dubium, quin ex iiſdem de Hercule libris ſit illud, quod ex Herodoro Plutarchus adfert in quæſtionibus Romanis. Eſt autem hujuſmodi: quòd Romani vulturibus maximè in auſpiciis utantur, hoc ab Hercule didiciſſe: ſi verum ſit, quod Herodorus tradidit; Herculem in capiendis auſpiciis maximè iis delectatum, quia inter aves carnivoras cenſeret has juſtiſſimas eſſe: ſic verò opinatum eſſe duabus de cauſſis: priorem eſſe, quòd vultures nihil animatum tangant, aut necent; contrà quàm aquilæ, & accipitres, atque aves nocturnæ, facere ſolent: ſed è ſolis cadaveribus victum petant: alteram autem cauſſam eſſe, quòd cadaveribus abſtineant, quæ avium ſint ſui generis ac naturæ.

*a Herodorus in decimo de Hercule.*

Herodotus ſcripſit de pubertate Epicuri; teſte Laërtio lib. XI: unde alium eſſe colligo ab Halicarnaſſenſi, qui penè quinquaginta Olympiadibus junior fuit Epicuro. Fortaſſe idem eſt ὁ περὶ νυμφῶν, καὶ θεῶν χάλφας *b*, laudatus Stephano in Ὀλόφυξος. Videri poſſit patriâ Mileſius fuiſſe, propter verba illa Hygini in poëtico aſtronomico, qui loco de Arcto minore tractat: *Thales enim, qui diligenter de his rebus exquiſivit, & hanc primus Arcton appellavit, natione fuit Phœnix; ut Herodotus Mileſius dicit.* Sed puto, *Mileſii* cognomen, turbato ſcripturæ ductu, in alienum commigrâſſe locum. Sic quippe ſcripſiſſe conjicio: *Thales enim Mileſius*, & mox ἁπλῶς, *ut Herodotus dicit.* Neque inficias iverim, priùs illud conſtanter legi in editt. cunctis: etiam veteri Venetâ *c*, & optimâ Morellii. Sed majoris momenti videtur, quòd nemo veterum Mileſii Herodoti meminerit; atque illud, quod Hyginus dicit ab Herodoto proditum eſſe, puta Thaletem fuiſſe Phœnicem, hoc non malè conveniat cum iſtis Herodoti Halicarnaſſenſis verbis, Κλειοῖ. Αὕτη γνώμη Θαλέω ἀνδρὸς Μιλησίου ἐγένετο, ἀνέκαθεν γένος ἐόντος Φοίνικος. Quæ vertere neglexit Valla interpres; uti &, qui tralationem ejus recognovit, H. Stephanus. Nam tantùm habet, *Verùm Thaletis quoque ſanum illud conſilium.* Cùm Græca ſonent: *Hæc ſententia Thaletis, viri Mileſii; ſed qui generis origine eſſet Phœnix.* Hoc nempe vult, Mileti fuiſſe ortum; ſed è Phœnicia oriundum. Herodotus, rhetoris Brysonis pater, citatur Ariſtoteli lib. VI. Hiſt. Animal. cap. V: ubi narrat, putâſſe eum, vultures advolare ad nos ex orbe incognito; ac eo adductum, quòd nidum illorum vidiſſet nemo. Sed rectè ei occurrit Ariſtoteles, ut is non ſæpe ſit viſus, viſum tamen aliquando. Amplius dicam: multi viderunt nidificantes in montibus excelſis, & altiſſimis rupibus: ut commemorat Ulyſſes Aldrovandus in tertio Ornithologias *d*.

*b Qui de nymphis & Diis ſcripſit.*

*c Anno 1512.*

*d P. 241.*

Heron, Ἥρων, Cotyos filius, orator Athenienſis, præter alia fecit epitomen hiſtoriarum Heraclidis: adhæc opus elaboravit de antiquis oratoribus, & orationibus, quibus, inter ſe certantes, alii alios vicerunt: item divulgavit commentarios in Herodotum, Thucydidem, & Xenophontem. Auctor Suidas.

Hiceſius hiſtoricum opus reliquit de myſteriis. Clemens in Προτρεπτ. Σκυθῶν *e* δὲ οἱ Σαυρομάται, ὥς φησιν Ἱκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσι. Plinius lib. XXVII. cap. IV. meminit Hiceſii, *non parvæ*, ut inquit, *autoritatis medici.* Item lib. XX. cap. V, & lib. XXII. cap. XVI. De vino hic ſcripſit. Idem Plinius lib. XIV. cap. XIX: *Verùm & de apparatu vini dixiſſe conveniat, cum Græci privatim ea præcepta condiderint, artemque fecerint: ſicut Euphronius, & Ariſtomachus, & Comades, & Hiceſius.*

*e Sauromatæ, populus Scythiæ, colunt acinacem; ut Hiceſius ait libro de myſteriis.*

Hierocles libros edidit, nomine Φιλίστορες, quaſi *hiſtoria amantes* dicas. Stephanus in Βραχμᾶνες, & Ταρκυνία. Item Tzetzes Chil. VII. Hiſt. CXLVI; ubi ait, Ἱεροκλῆς *a* ἐν τοῖς φιλίστορσιν ἐν λόγοις. Hinc commemorat Tzetzes, ut Hierocles in iis narret, ſemel oculis ſuis vidiſſe in regione torridâ, atque exuſtâ, homines nudos, ac tecto carentes: quorum aliqui (ἀτολίκους vocant) auribus caput inumbrent: aliqui item (qui σκιάποδες dicuntur) pedes in altum extollentes, totum corpus, quaſi umbraculo, contegant. Addit, Hieroclem dicere, ab aliis etiam referri homines capite deſtitutos, (ἀκεφάλους vocant) item qui decem capita, quique quatuor manus, & pedes totidem haberent: ſed ſe eos, quod injurato etiam credimus, videre nondum potuiſſe. Alius Hierocles videtur is eſſe, de quo Stephanus in Ὑλλάριμα: ubi cùm dixiſſet, Hyllarima eſſe Cariæ oppidum ſupra Threſtonitiam, addit, eam fuiſſe patriam Hieroclis, qui philoſophus factus eſt ex athleta: τῷ ἀπὸ ἀθλήσεως εἰς φιλοσοφίαν ἀχθέντος. Non ex poëta, ut apud Simlerum eſt in Geſneri argumento. Hujus Hyllarimenſis, cùm philoſophus fuerit, erit, credo, Hieroclis Oeconomicus: cujus particulæ hæ erant, De *b* amore fraterno, &, Quomodo *c* utendum ſit cognatis; & ſimiles. Puto &, auctorem fuiſſe libri *d* de juſtitia. Niſi pro *Hieroclis* apud Stobæum *Hieracis* legi debet: cujus liber de juſtitia alibi ab eodem citatur non ſemel *e*. Ejuſdem Hieroclis fuerit commentarius, qui exſtat in Aurea Pythagoræ carmina. Nec obſtat, quòd ab Suida vocetur philoſophus Alexandrinus. Nam ita dici potuit, quia Alexandriæ philoſophatus fuit; Suida ipſo teſte. Idem ſit, qui Apollonium Tyanenſem impiè comparabat Servatori noſtro Chriſto: cui ſacro ejus ac horribili libro reſpondit Euſebius Pamphili. Etiam Hyllarimenſem ſignari ſuſpicor à Michaële Apoſtolio Centuriâ VIII, Proverb. XX: ubi citatur ἐν *f* δευτέρῳ φιλοσοφουμένων περὶ τῶν φιλοσόφων. At alius videtur Hierocles, ex quo Athenæus lib. XIV refert, quid ſit πλυς: nempe liquor, (vinum puta, aqua, vel alius) ſartagini affuſus, cum melle, ſeſamo, & caſeo. Etiam Hierochs excerpta habemus in Mulomedicinæ ſcriptoribus. Fuit & Hierocles orator, patriâ Alabandenſis; ſed qui Rhodum commigrârit; ut Strabo teſtatur lib. XIV. Quando is vixerit, quem fratrem habuerit, & quo uterque uſus ſit ſtylo; Cicero nos docet in Bruto, cùm ait: *Genera Aſiaticæ dictionis duo ſunt: unum ſententioſum, & argutum, ſententiis non tam gravibus, & ſeveris, quàm concinnis, & venuſtis; qualis in hiſtoria Timæus; in dicendo autem,* PUERIS NOBIS, *Hierocles Alabandeus; magis etiam Menecles, frater ejus, fuit; quorum utriuſque orationes ſunt imprimis, ut Aſiatico in genere, laudabiles.*

*a Hierocles ſimiliter libris, qui Philiſtores dicuntur.*

*b Stobæus ſermone, qui inſcribitur, Honeſtiſſimum eſſe amorem fraternum, &c.*
*c Ibidem.*
*d Serm. de timiditate.*
*e Serm. de juſtitia: item de temperantia.*
*f Lib. ſecundo de iis, qui à philoſophis in ſapientiæ ſtudio inſtituuntur.*

Hieron, ſive Alexandrinus, ſive is Epheſius, Ἱέρων ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ἢ Ἐφέσιος, commemoratur Phlegonti Tralliano de Mirab. cap. II: ubi ex eo de Polycriti ſpectro, ac capite monſtroſi pueri à capite avulſo, diraque Ætolis comminante, longos texit logos.

Hieronymus poëtarum hiſtoriam condidit: ut cognoſcere eſt ex Athenæo in XIV; ubi citatur ἐν τῷ περὶ *g* κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐστὶ πέμπτον περὶ ποιητῶν. Commentarii de tragœdiarum ſcriptoribus, quem ejuſdem operis partem fuiſſe ſatis liquet, meminit Suidas in Ἀναγνώσιμος. Verba ejus: Γράφει *h* δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τραγῳδοποιῶν. Fortaſſe idem eſt Hieronymus Rhodius; de quo dictum nobis lib. I, cap. IX.

*g Libro de citharœdis, qui eſt quintus de poëtis.*
*h Refert autem hoc libro de iis, qui tragœdias fecere.*

Hippagoras famam ſibi peperit opere de Carthaginenſi Republica. Athenæus lib. XIV: Ἱππαγόρας *i* ἐν πρώτῳ περὶ τῆς Καρχηδονίων πολιτείας.

*i Hippagoras libro primo de Carthaginenſium Rep.*

Hippias Elienſis breviarium Olympionicarum edidit: admodum incertis fultum argumentis; teſte Plutarcho in Nicia.

a Hippias Erythræus, de Erythris Ioniæ urbe, earum, quæ in Bœotiâ ſunt coloniâ hiſtoriam reliquit. Athenæus lib. VI: Ἱππίας ὁ δ' ὁ Ἐρυθραῖος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τῆς πατρίδος ἱστοριῶν. Narrat deinde eo ex opere, ut Cnopus, quem oraculum Delphicum Mercurio doloſo ſacrificare juſſerat, ab adulatoribus ſuis in mare ſit projectus; imperiumque ejus invalerit Ortyges; ſed & ipſe poſtea ab Hippota, fratre Cnopi, regno ſit exutus.

Hippo Rheginus, Ἵππων ὁ Ῥηγῖνος, librum partim phyſicum, partim hiſtoricum, condidit περὶ b τῶν λεγομένων τόπων φθείρειν τὰ ἐμπίπτοντα. Meminit Antigonus Mirabil. cap. CXXXIII. ubi ex eo refert, in Palecis, vel potiùs Palicis, fuiſſe ſtructuram, in qua quis ſine periculo quidem obambularet, ſed, ſi ſe reclinaret, moreretur. Fortaſſe tamen legendum Ἵππυς. Qua de re libro proximo dicemus.

Hippobotus ἐν c τῷ περὶ αἱρέσεων à Laërtio citatur in Ariſtippo: unde ſectarum hiſtoriam ſcripſiſſe cognoſcitur. Nec dogmata ſolùm tradidiſſe, ſed & vitas, inde ſcimus, quia idem ἐν d τῇ τῶν φιλοσόφων (ſeu idem hoc opus, ſeu diverſum) ab eodem Laërtio celebratur in Thalete. Ac imprimis illud liquet ex iis, quæ idem ex Hippoboto narrat in vita Heraclidis, Cratetis, Menedemi, Zenonis, Pythagoræ, & ſæpius in Empedocle. Etiam Malchus, ſive Porphyrius, meminit ejus in Pythagoræ vita.

Hippoſtratus genealogias Siculas expoſuit. Pindari ſcholiaſtes in Pyth. od. VI: Ἱππόστρατος e ὁ τὰ περὶ Σικελίας γενεαλογῶν. Puto, ex eo opere eſſe, quod refert in Nem. Od. I: Οὕτως f οὖν ὁ Κυναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐρραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐνάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν. Quod eodem ex Hippoſtrato memorat Anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ g ad Olympiad. LXIX. Minois quoque res Hippoſtratus conſignavit. Phlego Mirabil. cap. XXX. Ἱππόστρατος h δέ φησιν ἐν τῷ περὶ Μίνω, Αἴγυπτον ἐκ μιᾶς γυναικὸς Εὐρυόπης, τῆς Νείλου, πεντήκοντα υἱοὺς γεννῆσαι. Etiam Hippoſtratus inter eos, qui de mirificis hominum in India formis ſcripſerint, à Tzetze refertur Chil. VII. Hiſt. CXLIV. Abarim, Hyperboreorum legatum, tertiâ vixiſſe Olympiade, idem prodidit, ut Harpocratio ait in Ἄβαρις.

Hiſtiæus Mileſius res Phœnicum conſignavit; teſte Joſepho lib. I. antiquit. Judaic. cap. III, ſive juxta veterem diſtinctionem, VIII: ubi eum cum Mocho, & Hieronymo Ægyptio, conjungit. Etiam cap. proximo ejuſdem fragmentum adfert de loco Senaar, ubi Babylon condita, deque primis gentium coloniis. Quod Euſebius reponit lib. I i Chronicorum: ubi diſertim Ἱστιαῖος vocatur. Primum rerum Phœniciarum citat Stephanus in Βηρυτός: Ἱστιαῖος k ἐν πρώτῃ, τὴν ἰσχὺν βηρυτὶ Φοίνικας ὀνομάζειν. Aliis tamen is Ἑστιαῖος dicitur. Atque ita etiam in Joſepho editum eſt. Nec nuperam eſſe eam lectionem, vel illud oſtendit, quòd pro *Heſtiæus*, vel *Eſtiæus*, ſemper *Eſtius* legas apud Joſephi interpretem Ruffinum. Neque in editis modò codd. ſed etiam Mſo meo, ſic conſtanter reperio.

Hyperochus pleriſque auctor creditus fuit hiſtoriæ Cumanæ carmine contextæ. Athenæus lib. XII: Ὑπέροχος l, ἢ ὁ ποιήσας τὰ εἰς αὐτὸν ἀναφερόμενα Κυμαϊκά. Et ſanè ita quoque ſenſit Pauſanias in Phocicis: ubi, cùm de Herophile fatidicâ dixiſſet, hæc ſubjungit: Τὴν m δὲ ἐπὶ ταύτῃ χρησμοὺς κατὰ ταὐτὰ εἰποῦσαν, ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικοῖς εἶναι, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δημώ, συνέγραψεν Ὑπέροχος, ἀνὴρ Κυμαῖος.

Hypſicrates Phœnicum res linguâ hujus gentis perſcripſit: eas Græcè interpretatus Ἄσιτος, ſeu, ut in aliis codicibus legitur, Χαῖτος. Auctor Tatianus orat. ad gentes, & ex eo Euſebius n lib. X. præparat. Evangel. Alius ſine dubio eſt Hypſicrates grammaticus; cujus mentio eſt apud Varronem, lib. IV. de L. L. Stephanum in Αἰθίοψ, & Gellium lib. XVI. cap. XII: ubi, compoſuiſſe, ait, *libros ſanè nobiles ſuper his, quæ à Græcis accepta ſunt.*

*a Hippias verò Erythræus in ſecundo hiſtoriarum de patria ſua.*
*b De locis, quæ perdunt, quicquid inciderit.*
*c Libro de ſectis.*
*d In commentario de philoſophis.*
*e Hippoſtratus, qui Siculas genealogias ſcripſit.*
*f Hic ergo Cynæthus primus Syracuſis recitavit Homeri carmina, Olympiade ſexageſima nona: ut Hippoſtratus ait.*
*g In deſcriptione Olympiadum.*
*h Hippoſtratus verò in iis, quæ retulit de Minoë, ait, Ægyptum unâ ex conjuge, nomine Euryopâ, Nili filiâ, genuiſſe filios quinquaginta.*
*i Pag. 11. Theſauri Temp.*
*k Auctor eſt Hiſtiæus in primo, Phœnices robur vocare beruti.*
*l Hyperochus, vel quiſquis fecit Cumaica, quæ ad eum referuntur auctorem.*
*m Jam eam, quæ poſt illam fatidica ipſa etiam fuit, Cumis, quæ ſunt in Opicis, natam eſſe, & Demo nomine fuiſſe appellatam, Hyperochus, vir Cumanus, ſcripſit.* *n Pag. 289. edit. Rob. Steph.*

Jacobus Monachi, præter ſermonem in a εὐαγγελισμὸν a beatæ Mariæ, etiam condidit hiſtoriam XII tribuum; ut Poſſevinus in Apparatu narrat. Atque addit, Mſtum extare Græcè in bibliothecâ Vaticanâ.

Iambulus Ἰάμβουλος de mirificis hominum formis in India quædam tradidit; teſtante Tzetze Chil. VII. Hiſtoriar. CXLIV.

Jaſon Byzantinus innotuit opere de Tragicis; quo vel de poëtis tragicis egit, vel de argumentis, quæ tragici tractant. Plutarchus de Flumin. Καθὼς b ἱστορεῖ Ἰάσων Βυζάντιος ἐν τοῖς Τραγικοῖς. Vir eruditus in notis ad eum locum eſſe eundem ſuſpicatur, quem Ἑλλάδος βίον c in literas retuliſſe, auctor eſt Stephanus in Ἀλεξάνδρεια, & Τῆλος. Sed fallitur. Nam Jaſon is non Byzantius, verùm Argivus grammaticus fuit; ut teſtatur Suidas in Ἰάσων. Puto, Byzantium ſignari ab Etymologo in Ἄψ.

Joannes Antiochenus inter eos, qui de Cleopatra, & Pharo fuerint commentati, memoratur à Tzetze Chil. II. Hiſtor. XXXIII. Dicitur autem ibidem, vixiſſe poſt Georgium Chronicum. Ubi Georgium quidem Chronicum planè cenſeo eſſe Georgium Syncellum. Joannem verò Antiochenum eſſe alium ab illo Antiocheno Joanne, quem ſub Heraclio floruiſſe monuimus ſuperiori libro cap. XXIII, exinde colligitur, quòd Tzetzes eum poſtremò nominet, ac Georgio poſteriorem dicat. Potiùs igitur intelligendus videtur Joannes Malela; de quo nunc dicam. Niſi hoc obſtare putandum, quòd nuſquam ille *Antiochenſis* vocetur. Quid ſi igitur, quem Tzetzes ſignat, is non ſit diverſus ab Ἀρχαιολογίας d ſcriptore: hic verò non ſub Heraclio vixerit, ſed incertæ ſit ætatis; hactenus tamen ut conſtet, fuiſſe poſt Georgium Syncellum, quo eum Tzetzes juniorem facit; ante autem Tzetzem, ut qui ejus meminerit. Intervallum inter eos eſt annorum quaſi CCLX. Nam Syncellus claruit tempore Irenes, & Caroli Magni: Tzetzes verò tempore Manuelis Comneni, & Friderici Barbaroſſæ.

Joannes Malela, ſive Meleles, temporum ſcriptor, Ἰωάννης Μελέλης χρονογράφος, citatur à Joann. Tzetze Chil. V. Hiſt. XXIX, & XXX. Ubi ex eo refert, tempore belli Trojani fuiſſe, tum Siſyphum Coum, Teucri ſcribam, (γραμματέα) tum Dictyn Cretenſem, qui Idomenea ſequebatur. Ac illum quidem Iliada primùm vulgâſſe, Dictyn item conſignâſſe res ad Ilium geſtas: atque ex iſtis Homerum poſtea hauſiſſe, quæ cecinit. Ex hujus Joannis Malelæ Chronicis (ἐξ e Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Μαλέλα χρονικῆς) excerpta quædam ſunt in priore de Virtutibus, & Vitiis libro, qui erat collectaneorum Conſtantini Auguſti Porphyrogenneti. Habuit Henricus Valleſius, cur verò omiſerit, cùm in lucem ederet excerpta Polybii, Diodori, Nicolai Damaſceni, triumque aliorum, hanc ipſe rationem adfert in præfatione ſua: *Joannem Malelam (nequis fortè eum hìc deſideres) conſultò miſſum feci, eò quòd præter tres quatuorve fabulas de Minoë, Antiopa, ac Bellerophonte, eaſque illepido ſermone textas, nihil bonæ frugis contineret.*

Joannes monachus Alexandrini magni vitam ſcripſit: quæ, Angelum Coſpum Bononienſem nacta interpretem, pleriſque Curtii editionibus f præmittitur. Hujus eò meminimus, quia incertæ ætatis credunt, qui eundem eſſe, ac Zonaram, neſciunt: de quo dictum nobis lib. II. cap. XXVII. Alios, Zonaræ eſſe, haut fugit: ſed, eum, præter hiſtoriarum compendium, ſeorſum Alexandri vitam ſcripſiſſe, arbitrantur. Qui ſententiam mutabunt, ſi hanc vitam conferant cum iis, quæ de Alexandro ſcribit Zonaras Tom. I: unde fragmentum eſt excerptum: quod neſcio cur in præfatione ſuâ monere neglexerit Coſpus interpres. Non eſt igitur, quòd adoleſcentia, lecto Zonara, eo Monachi opuſculo terendum ſibi tempus putet. At alius ab hoc eſt Joannes Monachus, Lydus; de quo in Juſtiniani temporibus ſuperiori libro diximus. Sed idemne, an alius, cujus Expoſitio de S. Barlaam, & Joſaphat, Scoriaci eſt in bibliotheca Hiſpaniarum regis?

Joannes Nicomedienſis presbyter exaravit vitam S. Baſilii,

*a Conceptionem.*
*b Ut refert Jaſon Byzantinus in Tragicis.*
*c Vitam Græciæ.*
*d Antiquitatum.*
*e Ex chronicis Joannis cognomento Malelæ.*
*f In Antverpienſi Belleri an. 1586.*

ſilii, Amaſeni Epiſcopi: quæ eſt apud Simeonem Metaphraſtem, item Surium Tom. II, ad XXVI April.

Joannes Stauratius orationem reliquit de B. Demetrio; quæ Mſa exſtant in bibliotheca Cæſarea Viennæ; teſte Poſſevino in apparatu.

Joſephus Geneſius inter eos, qui de ſeculi ſui rebus aliqua conſignarunt, refertur à Joanne Curopalate, in hiſtoriæ ſuæ procemio. Aliis *Joſephus Byzantius* appellatur.

Iſidorus Characenus, ἐν α τῷ περὶ Παρθίας περιηγητικῷ, citatur ab Athenæo lib. III. Hujus ſcriptoris σταθμοὺς Παρθικοὺς *b* primus in lucem protraxit David Hœſchelius. Citatur à Plinio in Hiſt. Nat. lib. II, cap. ult. lib. IV, cap. IV, XVI, & XXIII; lib. V. cap. VI, IX, XXX, XXXI, & XXXII. Malè autem vir eruditus *c* eum confundit cum C. Cæcilio Claudio Iſidoro; qui, ut idem Plinius ait lib. XXXIII. cap. X, *teſtamento ſuo edixit, quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum* XVI, *juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia: in numerato* HS DC. *Funerari ſe juſſit* HS XI. Alius quoque eſt Iſidorus; ex cujus phyſicorum ſive naturalium libris Cæſar Germanicus quiddam refert de corvo, Apollinis alite; qui, exſpectans in itinere dum ficus maturuiſſent, aquam diis ferre diſtulerat, ac propterea pœnas dedit: ſed poſtea inter ſidera relatus eſt.

*a In deſcriptione Parthiæ.* b *Manſionum Parthicarum.* c *Andr. Schott.*

Iſigonus Citienſis memoratur à Cyrillo adverſus Julianum lib. III. Refert autem ex eo, in Rhodo, inſula Solis, taurum ſermonis humani non fuiſſe ignarum.

Iſigonus Nicæenſis à Gellio lib. IX. cap. IV. reponitur inter ſcriptores veteres non parvæ auctoritatis; quorum libri miraculorum, fabularumque pleni, rerumque inauditarum & incredibilium. Quædam ex eo refert Plinius lib. VII. Hiſt. Nat. cap. II: *Priores anthropophagos, quos ad ſeptentriones eſſe diximus, decem dierum itinere ſupra Boryſthenem amnem, oſſibus humanorum capitum bibere, cutibuſque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti, prodidit Iſigonus Nicaenſis. Idem in Albania gigni quoſdam glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim canos, qui noctu, pluſquam interdiu, cernant. Idem, itinere dierum* X *ſupra Boryſthenem Sauromatas tertio die cibum capere ſemper.* Et aliquanto pòſt: *In eâdem Africâ familias quaſdam effaſcinantium, Iſigonus, & Nymphodorus, tradunt: quarum laudatione intereant probata* d, *areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe ejuſdem generis in Triballis, & Illyriis, adjicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque, quos diutius intueantur; iratis præcipuè oculis; quod eorum malum faciliùs ſentire puberes. Notabilius eſſe, quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant.* Sed imprimis adi Sotionis excerpta τῶν e [illegible] περὶ ποταμῶν, καὶ κρηνῶν, καὶ λιμνῶν παραδοξολογουμένων: in quibus perſæpe Iſigonus hic advocatur, inter alia bis terve ἐν δευτέρῳ f ἀπίστων.

Iſtomachus laudatur Sorano in vita Hippocratis; ubi ex ejus τῷ πρώτῳ g τῆς Ἱπποκράτους αἱρέσεως refert, Hippocratem fuiſſe natum primo octogeſimæ Olympiadis anno.

d *Utrùm* προβάτων, *h. e. oves; an* probâta, *pro commendata vehementius? qualia faſcino obnoxia credebantur.* e *Collectaneorum admirabilium de fluviis, fontibus, & lacubus.* f *In ſermone de rerum incredibilium.* g *Lib. 1. de ſecta Hippocratis.*

LÆtus Λαῖτος ἐν Φοινικικοῖς *h* citatur à Clemente Alexandrino lib. I Στρωματ. ubi ex eo quædam refert de Menelai in Phœnicen adventu.

Lamiſcus Samius, & Meliſſus, conjunguntur à Palæphato, initio eorum, quæ de incredibilibus prodidit. Vocat autem eos συγγραφέας; quod interpres tranſtulit *hiſtoriarum ſcriptores.* Poſſis tamen hic generatim *deſcriptores* intelligere; &, ut puto, meliùs. Vide, quæ de Meliſſo inferius dicemus.

Leander, vel Leandrius, patria Mileſius, de Mileto, & Mileſiis, commentarium reliquit. Diogenes Laërtius in Thalete: Ταῦτα i δὴ ὁ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἰάμβοις ἄλλως ἱστορεῖ, παρὰ Λεανδρίου λαβὼν τοῦ Μιλησίου. Deinde ex eo narrat, ut Bathycles Arcas, phialam relinquens, eam dari juſſerit ſapientiſſimo: ea autem data primùm fuerit Thaleti; ab hoc alteri; ab illo alii, & inde alii, atque alii; uſque dum in orbem rediens reddita ſit Thaleti; qui illam miſerit Apollini Didymæo, cum hiſce, juxta Callimachum, verſiculis:

Θαλῆς με τῷ μεδέοντι Νειλέω δήμου
Δίδωσι, τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον.

Quos Latinè ſic puto exprimi poſſe:

*Me Neleo, quoi ſubdita omnis eſt plebes,*
*Indeptus hoc bis præmium Thales donat.*

Laudat & Clemens in Προτρεπτ. Λεάνδριος a δὲ, Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ, φησίν. Et Στρωματ. lib. I: Ἀλλὰ b ὁ Θαλῆς, ὡς Λέανδρος, καὶ Ἡρόδοτος, ἱστοροῦσι, Φοῖνιξ ἦν. ὡς δέ τινες ὑπειλήφασι, Μιλήσιος. Item Στρωματ. lib. VI. eum conjungit cum Hellanico, Hecatæo, Androtione, & aliis, qui ei exſcriptores potiùs, quàm ſcriptores, videntur. Meminit quoque Euſebius præparat. Evangel. lib. II *c*: Theodoretus Therapeutices ſerm. I, qui eſt de fide, & VIII, ſive de martyribus: è Latinis item Arnobius lib. VI. Verba eorum mitto, qui Clementem pariter exſcripſere. Præterea Apollonii citat ſcholiaſtes in lib. II. Niſi is eſt Λέανδρος ὁ Νικάνωρ, qui μετονομασίας *d* conſignavit, ac patriâ Cyrenæus fuit; ut oſtendimus lib. II, cap. XII. Quem ipſum ſignari puto ab Etymologo in Ἦλις.

a *Leandrius verò Clearchum Mileti in Didymæo templo ſepultum eſſe ait.* b *Sed & Thales, ut Leander, ac Herodotus referunt, Phœnix erat: ut verò aliqui exiſtimant, Mileſius.* c *Pag. 45. edit. Rob. Steph.* d *Ea, quæ nomen mutarunt.*

Leo, Alabandenſis orator, præter artem de Statibus, compoſuit Caricorum libros IV, & totidem Lyciacorum, teſte Suida: qui & ſcripſiſſe ait ſacrum bellum Phocenſium, & Bœotorum. Equidem id negare non auſim. Sed tamen fieri poſſit, ut eos ſecutus ſit Suidas, qui confuderint Leonem Alabandenſem cum Leone Byzantio; quem de bello ſacro ſcripſiſſe, paullo antè ipſe dixerat Suidas. Alteruter etiam res Ægyptiacas literis mandavit. Hyginus in poëtico aſtronomico, quo loco de arietis ſigno tractat: *Sed de Hammonis ſimulachro Leon, qui res Ægyptias conſcripſit, ait: Cùm Liber Ægyptum, & reliquos fines, regno teneret, & omnia primus hominibus oſtendiſſe diceretur: Hammonem quendam ex Africa veniſſe, & pecoris multitudinem ad Liberum adduxiſſe; quo faciliùs & ejus gratiâ uteretur, & aliquid primus inveniſſe diceretur. Itaque pro beneficio ejus Liber exiſtimatur agrum dediſſe, qui eſt contra Thebas Ægyptias. Et qui ſimulacra faciunt Hammonis, capite cornuto inſtituunt; ut homines memoriâ teneant, eum primum oſtendiſſe. Qui autem Libero factum voluerunt aſſignare, quòd non petierit ab Hammone, ſed ultro ad eum ſit adductus, Liberi cornuta ſimulacra fecerunt, & arietem memoriæ cauſſâ inter ſidera fixum dixerunt.* Sed fortaſſe Leo iſte, qui res Ægyptiacas literis prodidit, Ægyptius ipſe fuerit. Nam ad cujuſdam Leonis Ægyptii ſcripta provocat Tertullianus lib. de Corona militis cap. VII: ubi eos memorat, qui de coronis aliqua elaborârint. Fuit & *Leo Pellæus*, qui Deorum naturam, & geſta, videtur expoſuiſſe. Arnobium adi in quarto contra gentes.

Leo Aſianus, ſive Leo è Caria, laudatur Joanni Curopalatæ, & Georgio Cedreno, utrique in procemio. Meminere autem inter illos, qui de ſui ævi rebus egere. Vide, quæ in temporibus Andronici ſenioris de Leone Grammatico diximus.

Leocrines contra mentem omnium geographorum, & περιηγητῶν, (qui cenſent, Κίῤῥα, Κίρσα, promiſcuè dici, ut Χεῤῥόνησος, & Χερσόνησος,) falsò tradidit, δύο e εἶναι πόλεις, ἄλλην τὴν Κρίσαν, καὶ ἄλλην τὴν Κίῤῥαν. ὅθεν ἱστορίαν δίδωσι διεψευσμένην: ut ait Etymologici magni auctor in Κρίσα.

Lepidus fecit epitomen hiſtoricam. Stephanus in Τεγέα: Λέπιδος *f* ἐν ἱστορικῆς ἐπιτομῆς πρώτῳ. Meminit & Lepidi in Βουθρωτός.

Leucus Λεῦκος ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν citatur à Malcho, ſive Porphyrio libro de vita Pythagoræ.

Linus Oechalienſis citatur Stephano in Οἰχαλία; ubi ait, Λῖνος *g* γὰρ ὁ ἱστορικὸς Οἰχαλιεύτης ἦν.

Lobon Argivus librum de poëtis elaboravit: ut ait Laërtius in Epimenide; qui & ejus meminit in Thalete.

h *Libro de rebus Phœniciis.* i *Iſta Callimachus in Iambis aliter tradit, accepta à Leandro Mileſio.*

e *Duas eſſe civitates, aliam Criſam, aliam Cirſam; unde & hiſtoriam exhibet ementitam.* f *Lepidus in hiſtoriæ epitomes lib. primo.* g *Linus verò hiſtoricus erat Oechalienſis.*

Lucillus Tarrhæus, Λούκιλλος ὁ Ταῤῥαῖος, citatur a ἁπλῶς à Stephano in Καλλιπόλει. In Τάῤῥα legas Λούκιος α δ' ἦν ἀπὸ Τάῤῥας, τῆς Κρητικῆς πόλεως. Fortaſſe ſcribendum Λούκιλλος. Condidit hiſtoriam urbis Theſſalonicenſis. Idem Stephanus in Θεσσαλονίκη: Λούκιλλος b ὁ Ταῤῥαῖος περὶ Θεσσαλονίκης βιβλίον ἔγραψε, &c. Contexuit quoque ſcholia in Argonautica Apollonii; ut ex præfatione anonymi Græci conſtat. Edidit & adagia. Sanè Zenobius in inſcriptione indicat, ſe collegiſſe proverbia ſua ex Tarrhæo, ac Didymo. Et utriuſque horum meminit etiam Tzetzes Chil. VIII. hiſtor. CLIX. Eorundem, & aliorum, mentionem facit Stephanus in Τάῤῥα. ubi de eo ſic ſcribit: Φέρεται c δὲ τούτου τὰ περὶ παροιμιῶν τρία βιβλία ἄριστα, καὶ περὶ γραμμάτων, καὶ τεχνικὰ γλαφυρώτατα.

Lyceas Naucratita Αἰγυπτιακὰ d conſignavit; ut cognoſcimus ex Athenæi lib. XIV. Meminit & Lyceæ Plinius in Elencho eorum, quos ſequitur libro XXXVI.

Lycon Iaſenſis Pythagoræ vitam memoriæ tradidit. Athenæus lib. X: Λύκων e ὁ Ἰασεὺς ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου.

Lyſaneas περὶ ἰαμβοποιῶν f teſtis adhibetur ab Athenæo lib. VII.

Lyſimachus Alexandrinus Θηβαϊκὰ g ſcripſit oratione ſolutâ: ex quorum decimotertio luculentum de Oedipi ſepultura locum adfert Sophoclis ſcholiaſtes in Oedipum Colonæum h. Idem ἐν πρώτῳ τῶν νόστων i adducitur ab Apollonii ſcholiaſte lib. I, & Michaële Apoſtolio Centur. XVII. Proverb XXV. E tertio τῶν νόστων teſtimonium petit Athenæus lib. IV. Puto, eſſe eundem, cujus utroque adverſus Apionem libro meminit Joſephus: & unde priori libro citat fragmentum de Judæis mendaciorum plenum. Eſt id fragmentum ex hiſtoria ejus Ægyptiaca. Sed præterea de agricultura commentatus fuit; cujus operis ſæpiùs meminit Plinius in Hiſtor. Natur. Alius verò eſt Lyſimachus Hippocratius, cujus meminit ſcholiaſtes Nicandri in Alexipharm.

a *Lucius erat e Tarrha, civitate Cretica.*
b *Lucillus Tarrhæus librum ſcripſit de Theſſalonica.*
c *Circumferuntur ejus proverbiorum libri optimi: item de literis, & quæ ad artis præcepta pertinent, ſane polita.*
d *Res Ægyptias.*
e *Lycon Iaſenſis libro de Pythagora.*
f *De iamborum ſcriptoribus.*
g *Res Thebanas.*
h *P. 274 edit. Henr. Steph.*
i *Primo reditu̅um libro.*

M Acareus Μακαρεὺς Κῳακὰ k edidit; ut videre eſt ex Athenæi VI, & XIV.

Malacus Σιφνίων ὅρους l prodidit: ut eſt apud Athenæum in ſexto.

Manuel Byzantius à Joanne Curopalate in hiſtoriæ procemio recenſetur inter illos, qui aliqua ſignarunt de rebus ſui ævi. Unde de ætate haut aliud colligere licet, quàm viguiſſe ante annum CIↃC. Etiam fuit Manuel Chryſoloras, & Manuel Malaxus: de quorum ætate dicimus alibi.

Marcianus Heracleota fecit περιήγησιν m verſu jambico. Item περίπλουν n maris externi, tam Eoi, quàm Occidentalis, & maximarum inſularum, quæ in eo ſitæ ſunt. Utrumque opus primùm in lucem prodiit beneficio Davidis Hœſchelii. Sæpe verò Marciani hujus meminit Stephanus περὶ πόλεων o. Alius eſt Marcianus Smyrnæus, qui de ſimplicibus effectibus egit: ut eſt apud Plinium lib. XXIV. cap. IV.

Megacles περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν p, teſtis adhibetur ab Athenæo lib. X.

Melanthius de rebus Atticæ libros reliquit. Harpocration in Γεννήται: Μελάνθιος q ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος. Etiam Μελάνθιος r περὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων laudatur Athenæo lib. VII. Alius eſt Melanthius ille, quem inter clariſſimos pictores numerat lib. XXXV. cap. VII. Quem & de arte ſuâ ſcripſiſſe, diſco ex illis Laërtii verbis in Polemone: Καὶ s ὅλως ἦν τοιοῦτος, οἷόν φησι Μελάνθιος ὁ ζωγράφος ἐν τοῖς περὶ ζωγραφικῆς. Alius quoque Melanthius, poëta Tragicus, qui Cimonis, Athenienſium ducis, æqualis fuit. Meminit ejus Ariſtophanes in Avibus, ubi ſcholiaſtem ejus vide: qui non ab Ariſtophane modò; ſed etiam Platone, & Callia, itidem Comicis, exagitatum docet. Vide etiam Plutarchum in Cimone; ubi duos ejus verſus hexametros adfert. Item Suidam in Μελάνθιος.

Meliſſeus, Μελισσεὺς ἐν Δελφικοῖς t Jo. Tzetzæ memoratur Chil. VI. Hiſt. XC.

k *De rebus Coorum.*
l *Librum de finibus Siphniorum.*
m *Deſcriptionem locorum, quæ per eorum ſingula ducat lectorem.*
n *Circumnavigationem.*
o *De urbibus.*
p *De viris illuſtribus.*
q *Melanthius libro ſecundo de Attica.*
r *Melanthius de myſteriis Eleuſiniis.*
s *Ac omnino talis erat Polemo, qualem fuiſſe ait Melanthius pictor in iis, quæ de pingendi arte ſcripſit.*
t *Meliſſeus libris de rebus Delphicis.*

Meliſſus inter hiſtoricos fortaſſe locum meretur. Sanè apud Palæphatum initio belli περὶ ἀπίστων a hæc legas: Ἀεὶ δ' ἔγωγε ἐπαινῶ τῶν συγγραφέων, Μέλισσον, καὶ Λαμίσκον τὸν Σάμιον, ἐν ἀρχῇ λέγοντας, Ἔστιν ἃ ἐγένετο, καὶ b νῦν ἔσται. Quæ ita vertit interpres, Philippus Phaſianinus: *Quamobrem ipſe ſanè Meliſſum, & Lamiſcum Samium, hiſtoriarum ſcriptores, laudo, in principio, quicquid olim fuerit, & nunc quoque eſſe, atque futurum deinceps, aſſeverantes.* Attamen arbitror, vocem συγγραφέων hoc loco non preſſè pro hiſtoricis accipi; ſed laxè, ut quoſvis ſcriptores ſonet. Sanè Palæphato propoſitum erat, docere, illa, quæ à poëtis traduntur, fidem non mereri: quando non alia antiquorum temporum ratio fuit, quàm nunc ſit: ac proinde, quod temporibus noſtris minimè fit, id neque olim factum videatur. Hoc fine auctoritate utitur Meliſſi, qui idem initio operis ſui dixerat. Unde colligo, Meliſſum ſimile tractaſſe argumentum, atque oſtendiſſe, ſæpe ſub poëtarum figmentis occultari aliquod naturæ myſterium; ſæpe item hiſtoriam veram à poëtis in fabulam eſſe converſam, quo magis admirationi foret. Hoc ita eſſe, fidem etiam fecerit Fulgentius libro ſecundo Mythologicôn, cap. de Cygno & Leda. ubi ſcribit: *Jupiter in cygnum converſus dicitur, quòd ferant phyſiologi, quàm maximè Meliſſus Euboicus, qui omnium phyſiologorum ſententias diſputavit, hujus generis avem ita canoris eſſe plenam, ut, ipſâ ave clamante, reliquæ aves taceant, quæ præſtò fuerint.* Quare cùm Palæphatus, & Fulgentius, ſimile argumentum tractent; eundem utrobique Meliſſum ſignari puto: nempe Euboicum, qui multas poëtarum fabulas ad naturæ ſcientiam retulit. At alius eſt Meliſſus, Parmenidis auditor, patriâ ſeu Samius, ut Laërtius ait; ſeu Mileſius, ut inquit Theodoretus in Therapeuticis. Alius quoque Meliſſus ille, ex quo Plinius profeciſſe ſe fatetur, dum conſcriberet lib. VII, X, XI. Nam hunc inter Romanos ſcriptores reponit in elencho librorum, quos diximus.

Melito de familiis Athenienſium commentarium fecit. Harpocration in Κάθετος: Μελίτων c ἐν πρώτῳ περὶ τῶν ἐν Ἀθήνησι γενῶν.

Menander Epheſius in literas retulit actus regum apud Græcos, & Barbaros: eos autem collegit ex libris provinciæ cujuſque, quò magis hiſtoriæ fides conſtaret. Auctor Joſephus lib. I. contra Apionem: ubi & egregium ejus fragmentum de Hiramo, Phœnicum rege, & Salomone, adducit. Meminit ejuſdem ſcriptoris Tertullianus in Apologetico cap. XIX, & Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. III; ubi ex Menandro hoc eadem, quæ Joſephus, narrat. Sed Tyriorum regum ſeries in Theophilo mendoſior eſt, quàm apud Joſephum. Nonnullos quoque reges præterit. Operæ etiam eſt videre Joſephum Scaligerum appendice librorum de emendatione temporum: qui notis ſuis illuſtrat geminum Menandri ejuſce fragmentum περὶ d τῶν ἐν Τύρῳ βεβασιλευκότων: item Petavium lib. IX. cap. LXII. Forſitan ſingularem etiam librum de geſtis Ithabali, Tyriorum regis, condidit. Citat eum Joſephus Antiquit. Judaic. lib. VIII, cap. XIII; & ex eo, vel interprete Rufino, Freculphus Tom. I. lib. III. cap. VII: *Meminit autem hujus ſiccitatis Menander in geſtis Nalthiorum regis.* Ubi pro *Nalthiorum* ex Joſepho emenda *Ithabali Tyriorum.*

Menander Pergamenus quoque de rebus Phœniciis egit: ut cognoſcere eſt ex orat. Tatiani adverſus gentes: item his verbis Clementis Alexandrini lib. I. Στρωματ. Εἴραμος e τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Σολομῶντι δίδωσι, καθ' οὓς χρόνους μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν Μενελάου εἰς Φοινίκην ἄφιξις, ὥς φησι Μένανδρος ὁ Περγαμηνός, καὶ Λαῖτος ἐν τοῖς Φοινικικοῖς. Sed de iſto quidem, & Lætum, & Menandrum, ratio prorſus fugit: cùm inter Troiæ excidium, & Salomonis imperium, ſit intervallum annorum quaſi CLX.

Menecles Barcæus hiſtoriam prodidit; teſte Athenæo. Et fortaſſe eſt is ipſe, cujus meminit Harpocration in Ἐχαιρίμενος· ubi opus de Athenienſibus dicitur condidiſſe

a *De incredibilibus.*
b *Puto ſcripſiſſe, ἔστι νῦν, καὶ ἔσσεται, καὶ ἔσται.*
c *Melito libro primo de familiis Athenienſium.*
d *De iis, qui Tyri regnarunt.*
e *Iramus filiam ſuam Salomoni uxorem dedit, quibus temporibus poſt Troiæ excidium Menelai in Phœnicem adventus fuit; ut ait Menander Pergamenus, & Lætus in rebus Phœniciis.*

diſſe Μενεκλῆς *a*, ἢ Καλλίςρατος, ἐν τῷ περὶ Ἀθηνῶν. Vides, dubitari, uter ſit operis illius auctor, Menecles, an Calliſtratus. Eodemque modo loquitur Suidas in Ἑρμαῖ: imò & ante eum in eâpſe voce Harpocration. Ac propterea apud Ariſtophanis quoque ſcholiaſtem in Aves *b* legendum puto: Ὡς *c* Μενεκλῆς, ἢ Καλλίςρατος, ἐν τοῖς περὶ Ἀθηνῶν συγγράμμασι, φασι. Ubi vulgò eſt, Μενεκλῆς *d*, καὶ Καλλίςρατος. Alius, puto, eſt Menecles orator, patriâ Alabandenſis; ſed qui Rhodum poſtea conceſſerit; ut ſcribit Strabo lib. XIV. Priorem, vel tertium aliquem, ſignare arbitror Pindari ſcholiaſtem in Pyth. od. IV: ubi ex eo quædam refert de Batto, Cyrenarum conditore; & oraculum recitat, quod Batto datum fuit. Ac ſimiliter Tzetzes in Lycophronem *e*.

Menecrates Xanthius literis fuit perſecutus Lyciæ res. Antonius Liberalis ex Menecratis Λυκιακοῖς *f*, uti & ex Nicandro, narrat, quâ occaſione Latona Xanthum fluvium Apollini ſacrârit; terræ, quæ *Trimilis* dicebatur, *Lyciæ* nomen fecerit; paſtoreſque ad Meliten fontem in ranas converterit. Puto, eundem, cujus mentionem facit Pindari ſcholiaſtes in Olymp. od. II. Item in Iſth. Od. IV. ubi ait: Ἡρόδωρος *g* δὲ καὶ δίς φησι μανῆναι τὸν Ἡρακλέα· ἐκκαθαρθῆναι δὲ ὑπὸ Σικάλου, ὥς φησι Μενεκράτης· λέγων αὐτῷ ὀκτὼ υἱοὺς εἶναι ὀκτώ· καὶ καλεῖσθαι οὐχ Ἡρακλείδας· οὐδέπω γὰρ Ἡρακλῆς ὠνομάζετο· ἀλλ' Ἀλκαΐδας. Idem quoque Menecrates volumen emiſit περὶ Νικαίας; quem librum Tzetzes in Lycophronem *h* citat, omiſſa patriâ. Verùm eundem eſſe, ex ſcholiaſte Pindari colligo. Similis enim argumenti locum ex eo quoque Tzetzes refert his verbis: Μενεκράτης *i* δὲ ὁ περὶ Νικαίας συγγεγραφὼς Ἀλκαῖόν φησι πρότερον καλεῖσθαι τὸν Ἡρακλέα, ὁπότε τοὺς ἐκ Μεγάρας αὐτῷ γεγεννημένους ὀκτὼ παῖδας, καὶ οὐ τέσσαρας, ἀνεῖλεν. Atque ut his locis de Herculis liberis ſermo eſt; ita ex eodem Menecrate de Hercule ipſo, Iolen amante, fragmentum adfert Sophoclis interpres in Τραχινίαις *k*. Nec alium arbitror illum Servio nominatum in verſum hunc VI Æn.

*Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoia regna.*

Ubi ſic ſcribit: *Menecrates Dædalum, occiſo patruele fratre, Cretam petiſſe dicit: Icarum, filium ejus ꝗ ab Atticis pulſum, dum patrem petit, naufragio periſſe; unde mari nomen.*

Menelaus Anæus (Anæa autem Cariæ civitas eſt) hiſtoricus ſummus vocatur Stephano in Ἀναία. ubi ait: Ἐντεῦθεν *l* ἦν Μενέλαος ὁ Περιπατητικὸς φιλόσοφος, καὶ μέγας ἱςορικός. Geſnerus pro Μέγας legit Μέλας, unde & ei Melas hiſtoricus in bibliotheca memoratur. Diverſus ab eo eſt Menelaus poëta; qui patriâ Ægæus fuit, & Thebaidem libris XII, atque alia, Suida teſte, ſcripſit. Primum Thebaidos librum citat Stephanus in Τέμμιξ, librum IV in Τρωάς. Meminit & ἁπλῶς in Ἀμφισσα, & Εὔτρησις. Sed fortaſſe iſtic hiſtoricus intelligitur.

Menetor Μενήτωρ opus fecit περὶ ἀναθημάτων *m*, teſte Athenæo lib. XIII; ubi quiddam ex eo refert de Bacchide, & Plangone, ſcortillis.

Menippus Pergamenus, geographus, laudatur in epitome Artemidori Epheſii; quæ cum Marciano Heracleota edita eſt. Menippi hujus periplum τῶν δύο πόντων *n* citat Stephanus in Ἑρμώνασσα, Χαδίσιοι, & Χαλδία. Idem ejus periplum Bithyniæ advocat in Χαλκηδών. Item periplum Paphlagoniæ in Τίος. Atque idem periplus ſignatur in Ἀρμένη: quippe quæ vicus Paphlagoniæ eſſe dicatur. Alius ab hoc eſt Menippus Comicus: alius item Menippus Cynicus: alius quoque Menippus Gadarenſis, ὁ σπουδογέλοιος *o*, de quo Strabo lib. XVI. Alius denique Menippus Stratonicenſis, diſertiſſimus ſui temporis in Aſia orator; ut Cicero in Bruto ait. Plutarchus Carem vocat; nempe quia Stratonice Cariæ urbs eſt; teſte Plinio lib. V cap. XXIX, & Strabone lib. XIV; ubi Menippum hunc *Catocam* ait vocatum. Addit, à Cicerone, in quopiam librorum ſuorum, ex Aſiaticis oratoribus, quos audivit, maximè laudari. Deſignat nempe Ciceronis Brutum; ut liquet ex iis, quæ paullo ante dicebamus.

a *Menecles, vel Calliſtratus, libro de Athenis.*
b *P. 560. edit. Aureliam.*
c *Ut Menecles, aut Calliſtratus, in commentariis de Athenis, ait.*
d *Menecles, & Calliſtratus.*
e *P. 128. edit. Operis.*
f *Lyciacarum rerum libris.*
g *Herodorus ait, bis inſaniiſſe Herculem: purgatum autem fuiſſe à Sicalo; ut ait Menecrates; qui auctor eſt, octo ei liberos fuiſſe; ac nomen iis fuiſſe, non Heraclidis quidem (necdum enim Hercules hoc nomen habebat) ſed Alcaidis.*
h *Pag. 97.*
i *Menecrates verò, qui de Nicæa ſcripſit, ait, eum, qui poſt eſt Hercules vocatus, prius eſſe dictum Alcæum, quando, quos ex Megara genuerat, octo liberos, & non ſolùm quaternos, ſuſtulit.*
k *P. 343. edit. H St.*
l *Inde, hoc eſt, ex Anæa, fuit Menelaus, peripateticus philoſophus, & magnus hiſtoricus.*
m *De donariis.*
n *Duorum pontorum.*
o *Qui ſeria jocoſe ſolet exprimere.*

Menodotus Samius operis auctor fuit, quod inſcribebatur τῶν *a* κατὰ Σάμον ἐνδόξων ἀναγραφή. Teſtis Athenæus in XV. Idem ſuperiori libro citârat Menodotum hunc Samium περὶ *b* τῶν κατὰ τὸ ἱερὸν τῆς Σαμίας Ἥρας. Menodotum, fortaſſe alium, de Theodoro, Athenienſi pictore, ſcripſiſſe, ait Diogenes Laërtius in Ariſtippo. Alius quoque Menodotus Nicomedienſis, medicus Empiricus, Antigoni Laodicenſis auditor, Laërtio eidem celebratus in Timone.

Menologium Græcorum, cujus ſit fœtus, ignoratur. Nec de ætate ſatis liquet. Vetuſti eſſe auctoris, apertum eſt. Latinè tranſtulit Cardinalis Sirletus: ex cujus bibliotheca habuit Andreas Schottus. Is verò Caniſio tranſmiſit. Qui publici juris fecit Tom. II Antiqu. Lect.

Metrodorus in primo περὶ ἱςορίας *c* citatur à ſcholiaſte Apollonii in lib. IV. Sed num is ſit Chius, de quo actum à nobis lib. I cap. VI; an alius; difficile dictu eſt. Nam fuit præterea Metrodorus Sceptius: ex quo Plinius lib. III cap. XVI tradit, Pado flumini inde nomen eſſe, quia adſitæ ſint multæ piceæ, quæ Gallicâ linguâ *pades* dicuntur. Videndum autem, uter περιήγησιν *d* ſcripſerit. Nam apud Placidum Lutatium in III Thebaidos Metrodori periegetici mentio fit ad illud poëtæ:

*—— patrioque æqualis honori*
*Branchus.*

Puto, & hunc eſſe illum Metrodorum, ex quo Plinius lib. V cap. XXXI refert, Chion inſulam antiquo nomine *Chiam* vocatam: item ex quo lib. VIII cap. XIV narrat, *circa Rhyndacum amnem in Ponto, ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſupervolantes, quamvis alte ſublimiterque, alites, hauſtu captas, abſorbeant.* Item cujus librum quartum citat Stephanus in Τύαννις. Ubi ex eo dicit, fontem quempiam amarum fluere in Hypanim; atque efficere, ut aqua fluvii ejus potabilis non ſit. Fuit quoque Metrodorus Athenienſis, ſectâ Epicureus; de cujus libris Laërtium vide in X. Item alius philoſophus, & medicus: cujus ſimul & ætatem, & inſignem peritiam, cognoſcere eſt iſtis ex Plinii verbis lib. XXXV cap. XI: *Heraclides Macedo initio naves pinxit, captoque rege Perſeo, Athenas commigravit: ubi eodem tempore erat Metrodorus pictor, idemque philoſophus, magnæ in utrâque ſcientiâ autoritatis. Itaque cum L. Paullus, devicto Perſeo, petiſſet ab Athenienſibus, ut ſibi quàm probatiſſimum philoſophum mitterent, ad erudiendos liberos; itemque pictorem, ad triumphum: Athenienſes Metrodorum elegerunt, profeſſi, eundem in utroque deſiderio præſtantiſſimum: quod ita quoque Paullus judicavit.* Item eſt Metrodorus, inſignis grammaticus, Anthemii Tralliani machinarum ſtructoris frater: de quorum utroque Agathias Scholaſticus hiſt. ſuæ lib. V.

Meryllus in primo Bœoticorum citatur à Plutarcho Parall. min. cap. XIV. item in tertio Italicorum cap. XXVI.

Metrophanes Sophiſta, natus Eucarpiæ, civitate Phrygiæ, præter commentarios in Hermogenem, & Ariſtidem, item volumen de ſtatibus, deque ideis, ſcripſit quoque libros duos de Phrygia. Teſtis Suidas. Ac meminit ejuſdem Stephanus, his verbis: Εὐκαρπία *e*, δῆμος τῆς Φρυγίας. Ἱςορεῖ Μητροφάνης, τὸν βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὥστε ἅμαξαν ἀπ' αὐτοῦ ςρεβλοῦσθαι κατὰ μέσον. Sunt & duo alii ejus nominis; de quibus Suidam vide.

Michaël Antiochenus condidit hiſtoriam omnigenam: de qua Poſſevinus in Apparatu ſacro.

Michaëlis Sicidotis hiſtoria Græca adſervatur in bibliotheca Vaticana; ut monet Geſnerus Tom. I Bibliothecæ. Meminit quoque Rob. Conſtantinus in Nomenclatore. Reverendus, ac clariſſimus Phil. Labbæus, præter eos, qui codicem videre Mſtum, diſputandum putat, an non hic, qui *Michaëlis Cicidotæ* nomine appellatur, ſit dicendus *Siceliotes*. Ut nempe idem ſit, ac Michaël Glycas Siculus: qui ſub Joanne, & Manuele Comnenis vixit; uti dictum lib. II cap. XXVII.

a *De excellentibus in Samo.*
b *De iis, quæ pertinent ad templum Junonis Samiæ.*
c *De hiſtoria.*
d *Orbis deſcriptionem.*
e *Eucarpia, civitas Phrygiæ. Refert Metrophanes, racemum iſtic in tantam excreſcere magnitudinem, ut pondere ſuo medium etiam currum diſrumpat.*

Mneſimachus ὁ Φασηλίτης ἐν Διακοσμήσει *a* memoratur ab Apollonii ſcholiaſte lib. IV. Mneſimachi librum primum idem citat ſcholiis in lib. II. ac eodem libro ex eo tradit, Ἁμαδρυάδας *b* Νύμφας ita dici, διὰ *c* τὸ ἅμα ταῖς δρυσὶ γίνεσθαι. Alius ab eo eſt Mneſimachus Comicus, cujus fabulas iſtas ab Athenæo laudari dicit Suidas, Ἱπποτρόφον, Βούσιριν, καὶ Φίλιππον *d*. Mirum omittere Δύσκολον *e*, cujus apud Athenæum mentio lib. VIII. Ὁ *f* δὲ παρὰ Μνησιμάχῳ, ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι, Δύσκολός φησι. Sed fortaſſe id nomen apud Suidam excidit librarii incuriâ.

Mochus Phœnix Phœniciâ linguâ conſignavit res patrias. Meminit Athenæus lib. III: ubi Cynulcus ita Ulpianum Tyrium compellat, Παρὰ τοῖς *g* τὰ Φοινικικὰ συγγεγραφόσι, Σαγχουνιάθωνι, καὶ Μώχῳ, τοῖς ἰδίοις πολίταις. Caſaubonus lib. III Animadverſ. in Athenæum cap. XXXVI, *Mochum*, inquit, *alibi invenire non memini: & fortaſſe* Μῶχος, *aut* Μόσχος, *alicujus Tyrii nomen eſt, qui apud ſuos vocabatur* משה *Moſche, vel, ut ſcribi obtinuit, Moſes.* Hæc vir πολυμαθέστατος. Et ſanè Moſchum eſſe Phœnicium nomen, etiam didici ex Strabonis lib. XVI; ubi meminit Moſchi Sidonii, atque eum auctorem eſſe ait dogmatis de atomis, & antiquiorem eſſe ipſo bello Trojano. Nec propterea quicquam mutandum apud Athenæum. Nam, quod ſummo viro non occurrebat, non ſemel hujus autoris apud Eccleſiaſticos ſcriptores mentio fit. Ut apud Joſephum lib. I Antiqu. cap. VIII; vel, juxta alios, quinto: ubi legas, Καὶ Μανέθων *h* ὁ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενος ἀναγραφὴν, καὶ Βηρωσὸς ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ συναγαγὼν, καὶ Μῶχός τε, καὶ Ἑστιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος, οἱ τὰ Φοινικικὰ συνταξάμενοι, συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις. Ubi *Mochus* quoque legitur apud interpretem Ruffinum, etiam in Mſo meo: ut Freculphum Tom. I lib. I, cap. XXVI. Illuſtris quoque de eo eſt Tatiani locus orat. adverſus gentes *i*: qui ab Euſebio etiam adducitur lib. X de præparatione Evangelica *k*. Georgius Cedrenus quoque, Joſephum exſcribens, ſimiliter eum inter Phœnicios hiſtoricos reponit, penè initio *l* compendii hiſtorici.

Molpis Lacon deſcripſit Λακεδαιμονίων πολιτείαν *m*: ut videre eſt ex quarto Athenæi.

Myron Prienenſis Meſſeniaca condidit: hoc eſt, hiſtoriam belli, quod à Lacedæmoniis, eorumque ſociis, cum Meſſeniis, & populis iis, qui auxilio iis venere, geſtum fuit: à clade autem Meſſeniorum Meſſeniacum potiùs, quàm Lacedæmonium, eſt appellatum. Ex ſecundo ejus operis teſtimonium petit Athenæus lib. VI, & XVI. Illuſtris eſt eo de opere, & ejus argumento, locus apud Pauſaniam in Meſſeniacis: Τοῦτον *n* δὲ τὸν Μεσσηνίων τὸν πόλεμον Ῥιανός τε ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν ὁ Βηναῖος, καὶ ὁ Πριηνεὺς Μύρων. λόγος δὲ πεζὸς Μύρωνός ἐστιν ἡ συγγραφή. Addit deinde, neutrum integrè id bellum perſcripſiſſe; ſed partem ejus ſuſcepiſſe tractandam. Ac ad Myronem quidem quod attinet, eum ab Amphea everſione ordiri; deſinere autem in morte Ariſtodemi. Plura inibi vide.

Myronianus Amaſtrianus reliquit ἱστορικῶν ὁμοίων κεφάλαια *o*: quorum primum Laërtius citat in Xenocrate, item in Theophraſto. Idem opus ſignatur in Epimenidis, & Platonis vita, ubi ἁπλῶς vocatur ὅμοια *p*: Epicuro autem ἱστορικὰ κεφάλαια *q* dicitur, appellatione ὁμοίων *r* omiſſâ.

Myrſilum Lesbium, ſi inſcriptioni fides, de origine Italiæ, ac Tyrrhenorum, edidit Io. Annius Viterbienſis, & commentariis ſuis illuſtravit. Sed Myrſilus ille eſt ipſius Annii proles. Ex genuino autem Myrſilo Lesbio de Pelaſgis quædam τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι *s* retulit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. Aliqua etiam ex eodem adfert Strabo lib. XIII. Nec alium intellexit, vel Antigonus Caryſtius cap. V, XVIII, & CXXIX; ubi citat Μυρσίλον *t* ἐν ἱστορικοῖς παραδόξοις; vel Plinius lib. III. Nat. Hiſt. cap. VII, cùm ait, *Sardiniam ipſam Timæus Sandaliotin appellavit, ab effigie ſoleæ, Myrſilus Ichnuſam, à ſimilitudine veſtigii.* Item lib. IV, cap. XII: *Ipſam* (Andron) *Myrſilus Cauron, deinde Antandron cognominatam tradit.* Arnobius autem lib. III, & IV, eum, qui aliis, etiam Clementi, quem exſcribere ſolet, Myrſilus vocatur, ipſe *Myrtilum* appellat. Et ſimiliter nominat Phrynichus in παρασκευῇ; atque etiam apud Apollonii ſcholiaſtem in primum Ἀργοναυτ. legas, Μυρτίλος *a*, ἐν πρώτῳ Λεσβιακῶν. Puto, eundem eſſe Μυρτίλον, ex quo Arati ſcholiaſtes tradit, Ὑάδας *b* fuiſſe Κάδμου *c* θυγατέρας. Etiam Myrſili Lesbii meminit Strabo in XIII. Ait, Mytilenen circa eadem tempora habuiſſe Alcæum poëtam, Sappho poëtriam, Pittacum unum è ſeptem ſapientibus, qui & tyrannidem in urbe tenuit; ac Myrſilum, qui & ipſe in tyrannis fuerit: unde eum quoque inſectetur Alcæus, ne ipſe quidem purus ſtudii omnis rerum novandarum. Si iſte eſt Myrſilus, Mytilenæus hiſtoricus, de quo dicebamus; vixerit ætate Solonis, circa Olymp. XLVI. Quod parùm fit veriſimile. Puto enim, tam antiquus ſi foret, à Dionyſio Halicarn. libro περὶ Θουκυδίδου χαρακτῆρος inter eos memoraretur, qui ante bellum Peloponneſiacum vixere. Imò ab aliis quoque è vetuſtate prædicaretur. Fuit & Myrtilus Comicus, cujus meminit Pollux lib. VI cap. VII. Suidam de eo vide.

NIcænetus Abderites, vel Samius fuit; ut ait Athenæus lib. XIII; ubi citat ejus τὸν γυναικῶν κατάλογον *d*. Lilius Gyraldus, Poëtarum hiſtoriæ libro III, *e*, ait, etiam hiſtoriam indigenam, h.e. Abderiticam, vel potiùs Samiam, condidiſſe. Sed non hoc dicit Athenæus lib. XV. Tantùm ait, hiſtoriam ſecutum ſuæ gentis. Verba ejus ſunt *f*: Νικαίνετος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι, ποιητὴς ἐπιχώριος, καὶ τὴν ἐπιχώριον ἱστορίαν ἠγαπηκὼς ἐν πλείοσι. *Nicænetus, poëta epicus, in epigrammatis, cùm ejus gentis eſſet poëta, & gentis ſuæ hiſtoriam ut plurimùm ſequi amaret.*

Nicander Alexandrinus libro innotuit de Ariſtotelis diſcipulis, teſte Suida in Ἀλεξεῖνος.

Nicander Chalcedonius ſcripto prodidit Προυσίου συμπτώματα *g*, teſte Athenæo in XI; ubi quartum ejus operis librum laudat.

Nicephorus Diaconus Phryx inter eos, qui de ſui ævi rebus aliquid prodiderunt, memoratur à Joanne Curopalate, & Georgio Cedreno, utroque in hiſtoriæ procemio.

Nicetam Paphlagonem hiſtoricum aliquid ſui temporis contexuiſſe, non obſcurè indicant Joannes Curopalates, & Cedrenus, uterque itidem initio operis.

Nicias Maleotes hiſtorias, vel fabulas, videtur reliquiſſe. Meminit Plutarchus in Parall. min. cap. XIII.

Nicias Nicenus conſignavit philoſophorum hiſtoriam, ac ſucceſſiones. Φιλοσόφων ἱστορίαν *h* vocat Athenæus lib. IV. Διαδοχὰς *i* appellat lib. VI, & X. Pleniùs habes inſcriptionem lib. XIII; ubi eum ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς *k* laudat. Fortaſſe nec alius eſt Nicias, quem Ἀρκαδικὰ *l* literis prodidiſſe, idem libro XIV auctor eſt. Etiam Niciam ἐν τοῖς περὶ λίθων *m* teſtem adhibent, Plutarchus de fluminibus, & Stobæus ſermone de morbis, ac moleſtiarum in eis ſolutione.

Nicomachus περὶ ἑορτῶν Αἰγυπτίων *n* libros concinnavit: quorum è primo teſtimonium adducit Athenæus in XI.

Nicomedes περὶ Ὀρφέως *o* tractavit: cujus operis librum primum citat Athenæus in XIV.

Nilus hiſtoricus Græcè extare dicitur à Rob. Conſtantino in Nomenclatore ſuo. Scripſit de hiſtoriis regum: atque extare ajunt in Vaticana: imo etiam Bononiæ apud S. Salvatorem: ſed initio mutilum: interim nobilem Italum habere principio integrum, verùm deinceps defectu laborantem: ut codicum uterque ex altero ſuppleri queat. Alius citra dubium eſt Nilus, Chryſoſtomi diſcipulus: de quo libro ſecundo.

Nymphodorus Amphipolites de Aſiaticorum legibus, & ritibus, libros compoſuit. Ex eorum tertio quædam de Api, Ægyptiorum Deo, adfert Clemens Alexand. lib. I Στρωματέων: Νυμφόδωρος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης, ἐν τρίτῳ Νομίμων Ἀσίας, φησὶ, τὸν Ἆπιν, τὸν ταῦρον, τελευτήσαντα, καὶ ταριχευθέντα εἰς σορὸν, κατατεθῆναι τῷ ναῷ

a Patriâ Phaſelites, è Lycia, vel Pamphylia, in opere de conſtitutione, vel rectâ gubernatione.
b Hamadryades Nymphas.
c Quæ ſimul cum quercubus naſcantur.
d Equiſonem, Buſiridem, & Philippum.
e Moroſum.
f Moroſus in fabula Mneſimachi, ejuſdem nominis, inquit.
g Juxta cives ſuos, Sanchoniathonem, & Mochum, qui res Phœnicias ſcripſerunt.
h Etiam Manetho, Ægyptiarum rerum ſcriptor, & Beroſus, Chaldaicarum; adhæc Mochus, Heſtiæus, Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicum res proſecuti ſunt, nobiſcum conſonant.
i P. 217. in Orthodoxogr.
k P. 289. edit. Rob. St.
l Pag. 10.
m De Rep. Lacedæmon.
n Hoc bellum Meſſeniacum ſcripſere, Rhianus Benæus verſibus, & Prienenſis Myro, qui ſolutâ oratione id fecit.
o Hiſtoriarum ſimilium capitula.
p Similia
q Hiſtorica capitula.
r Similium.
s Iiſdem verbis.
t Myrſilum in hiſtoriis mirabilibus.

a Myrtilo in primo rerum Leſbicarum.
b Hyadas.
c Cadmi filias.
d Mulierum catalogum.
e P. 130. edit. Baſil. Thomæ Guarini.
f P. 673. edit. Lugd. 1612.
g Ea, quæ Pruſiæ contigerunt.
h Philoſophorum hiſtoriam.
i Succeſſiones.
k Libris de ſucceſſionibus philoſophorum.
l Res Arcadicas.
m Lib. de lapidibus.
n De feſtis Ægyptiorum.
o De Orpheo.

τιμωμένου δαίμονος. κἀντεῦθεν Σορόαπιν κληθῆναι καὶ Σάραπιν, συνηθείᾳ τινὶ τῶν ἐγχωρίων, ὕστερον. *Nymphodorus verò Amphipolites, in tertio de legibus, & ritibus Aſiæ, dicit, Apim taurum, mortuum, & conditum loculo, qui σορὸς Græcè dicitur; fuiſſeque repoſitum in templo dæmonis, qui colebatur & hinc appellatum fuiſſe Sorapin; & poſtea quadam eorum, qui illic habitabant, conſuetudine, Serapin.* Eidem Clementi, ἐν προτρεπτ. πρὸς Ἕλληνας, citatur Νυμφόδωρος *a* ἐν νομίμοις βαρβαρικοῖς. Ubi ex eo refert, ut Sauromatæ ignem divino colant honore. Quanquam verò non addat Clemens patriæ nomen: tamen, quin Amphipolites intelligi debeat, dubium non eſt. Nam cùm Aſiatici longè maximam partem inter barbaros ſint; & Amphipolites ille de inſtitutis Aſiæ ſcripſerit: quis ambigat, quin idem ſignetur, cùm citatur Nymphodori liber de barbaricis inſtitutis? Imò mihi quidem idem utrobique liber intelligi videtur: vel ſiquid diſcriminis ſit, ille de Aſiaticis inſtitutis pars fuerit operis de inſtitutis barbaricis. Neque de alio volumine capere oportet verba illa ſcholiaſtæ Apollonii in lib. II, & IV: Ὡς *b* ἱστορεῖ Νυμφόδωρος ἐν ποιν νόμοις: ſive ἐν τοῖς νομίμοις *c*, ut corrigit Ja. Rutgerſius lib. IV Var. Lect. cap. XX. Ridiculè verò Angelus Politianus, qui epiſtolâ ad Pomponium Lætum, quæ libro primo legitur, pro eo dicit, *Nymphodorus in Tiſinomis*. Quem errorem & alii *d* poſtea ſecuti fuerunt. Compluribus libris hoc opus conſtitiſſe, colligere licet ex Sophoclis interprete in Oedipum Colon. ubi advocatur Νυμφόδωρος *e* ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ τῶν βαρβαρικῶν.

*a Libris de legibus, & ritibus barbaricis.*
*b Ut refert Nymphodorus in Legibus quibuſdam.*
*c In Legibus.*
*d In his Ludovicus Carrio.*
*e Nymphodorus in decimotertio rerum barbaricarum.*

Nymphodorus Syracuſius, Νυμφόδωρος Συρακούσιος *f*, ἐν τῷ Ἀσίας περίπλῳ citatur Athenæo lib. VI, VII, & XIII. item περὶ *g* τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ab eodem Athenæo lib. XIII. Pro quo ſimpliciùs alii, ἐν τῷ περὶ Σικελίας *h*. Quamquam verò Ælianus lib. XI de animalibus cap. XX, ubi Nymphodorum laudat, patriam non addat: tamen, ut hoc de mirandis Siciliæ opus ſignari credam, facit argumentum capitis. Nam exponit, ut in Adrano *i*, Siciliæ civitate, inſigne ſit Adrani dæmonis templum: atque ut canes dæmoni ei ſacri ſint non pauciores, quàm mille: & hi, quaſi ſecretam à numine vim acceperint, cùm indigenas, tum peregrinos, templum de die ingredientes, blandè excipiant: noctu etiam ebrios, & titubantes, optimi duces, & comites, ſuam quemque domum deducant: at in protervos, & petulantes, inſiliant, veſteſque eorum lacerent: quin fures, & prædones, etiam diſcerpant. Videri autem poſſit, etiam de mirabilibus Sardiniæ ſcripſiſſe. Sanè idem Ælianus, lib. XVI de animal. cap. XXXIV, ex Nymphodoro hoc narrat, ut in Sardinia indigenæ utantur caprarum pellibus, quarum pili cubitum ſint longi: pilos iſtos, cùm frigida eſt tempeſtas, corpori ait admoveri: at æſtivo tempore inverti, ut pili conſpicui ſint: ita earumdem pellium beneficio, & hiberno tempore incaleſcere incolas, & æſtivo refrigerari.

*f Nymphodorus Syracuſius in Aſiæ periplo.*
*g Libro de mirabilibus Aſiæ rebus.*
*h Libro de Sicilia.*
*i Perperam aliqui libri, Adriano. Sanè & Diodoro, Plutarcho, Stephano, Ἀδρανὸν vel Ἀδρανὸν, vocatur.*

Nymphodorum etiam, ſeu hunc, ſeu Syracuſium, ſeu utrumque, Plinius inter eos reponit, quos ſequitur auctores lib. III, V, VII, XXXIII, XXXIV, & XXXV. Citat & Tertullianus de anima cap. LVII, ac Stephanus in Ἀδύρας. Item Harpocration, & Heſychius, uterque in Αἰγίς.

Orthagoras de rebus Indiæ volumen condidit. Ælianus lib. XVI de natura animal. cap. XXXV: Τί δὲ *k* Ὀρθαγόρου μνήμης ἄμοιρον ἐάσωμεν; ὥσπερ ἐν Ἰνδοῖς λόγοις φησί. Idem lib. XVII cap. VI narrat ex eodem, atque item ex Oneſicrito, circa Gedroſiam, Indiæ regionem, eſſe cete, quæ longitudine dimidiatum ſtadium adæquent: ac pro ea proportione etiam latæ ſint: ac, quando naribus exſpirant, tantum marinorum fluctuum in ſublime jactare, ut ea res imperitis tempeſtatis ſpeciem præbeat. Ex eodem Orthagora, & Nearcho, refert Strabo quædam de ſitu inſulæ Tyrinæ, deque ſepulcro Erythræ regis, & nomine maris Erythræi. Vide eum lib. XVI. Orthagoram quoque de Rubro mari egiſſe, indicat Philoſtratus de vita Apollonii lib. III de Rubro mari cap. XV. in epiſtola Apollonii ad Jarcham.

*k Quid autem Orthagoram ſilentio prætereamus memoratu planè dignum? Qui in Indicorum libris ait.*

Pæon Amathuſius, ſive, ut interpretes vertêre, Pænon, utrùm hîc locum habeat, nondum liquet. Memoratur Plutarcho in Theſeo; ubi cùm locutus eſſet de Theſeo, & Ariadnâ, ſubjungit: Ἴδιον δέ τινα περὶ τούτων λόγον ἐκδέδωκε Παίων Ἀμαθούσιος *a*.

*a At peculiarem de hoc ſententiam edidit Pæon Amathuſius.*

Palæphatus, grammaticus Ægyptius, vel, juxta alios, Athenienſis, ἔγραψε *b* ἱστορίαν ἰδίαν, Suida teſte. Ex quo etiam edidiſſe cognoſcimus Ægyptiam philoſophiam, & argumenta in Simonidem, & μυθικῶν *c* librum unum, & λύσεις *d* τῶν μυθικῶς εἰρημένων. Quorum poſtrema duo idem poterant volumen credi; niſi apertè diſtingueret Suidas. Præterea Troica (quorum præter alios meminere Stephanus in Χαλκιδικῆ, & Suidas in Μακροκέφαλοι) à nonnullis grammatici hujus eſſe credebantur. Compluribus id opus libris conſtitiſſe, indicat, quòd Harpocration in Δυσαύλης laudet Palæphatum ἐν πρώτῳ Τρωικῶν *e*; atque idem in Μακροκέφαλοι citet *f* ἐν ἑβδόμῃ Τρωικῶν. Alii alterius eſſe exiſtimarunt. Incerta eo res eſt, quia quatuor fuere Palæphati. Unus erat poëta epicus Athenienſis: alter Parius, vel Prienenſis: tertius hiſtoricus Abydenus: quartus grammaticus iſte Ægyptius, vel Athenienſis. Trium priorum ætas à Suida indicatur. Nam Athenienſem ἐποποιὸν *g* ſupparem fuiſſe Phemonoæ ait, vel fortaſſe etiam antiquiorem: Parium vel Prienenſem refert ad tempora Artaxerxis: Abydenum ad ætatem Alexandri magni: quarti autem tempus ignoratur. Ex quatuor iſtis primus in conſiderationem non venit hoc loco. Quodſi quis nôſſe volet, quæ carmine ſcripſerit, adeat Suidam. De tertio autem, Abydeno nempe hiſtorico, actum nobis lib. I cap. IX. Superſunt ſecundus, quartuſque: quorum ille Parius, aut Prienenſis: hic Ægyptius, vel Athenienſis fuiſſe, dicitur à Suida. Priori tribuit quinque libros ἀπίστων *h*; ſed addit, à quibuſdam eos adſcribi Palæphato Athenienſi: ac hunc quoque illud argumentum tractâſſe. Verùm cùm poſtea refert, quæ ſcripſerit Athenienſis Palæphatus, non nominat libros ἀπίστων: ſed λύσεις *i* τῶν μυθικῶς εἰρημένων. Exſtat hodieque Palæphati operis fragmentum; quo poëticæ fabulæ explicantur. Id Parii Palæphati arbitrantur Cælius Rhodiginus lib. XXX Antiq. Lect. cap. XXXIV, & Lilius Gyraldus dial. II hiſtoriæ Poët. Quam & ſententiam ipſi primitus ſecuti fuimus: ſed poſtea mutavimus. Movit Theo in Progymnaſmatis capite περὶ ἀνασκευῆς *k*, καὶ κατασκευῆς. ubi hunc in modum loquitur: Παλαιφάτου *l* τοῦ περιπατητικοῦ ἐστὶν ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον. Ac ſimiliter inſcripſit autor librum, quem habemus. Siquidem illum eo pacto orditur: Τάδε περὶ *m* ἀπίστων συγγέγραφα. In Theonis autem verbis conſiderandum, quòd ἀπίστων *n* ſcriptorem appellet Philoſophum Peripateticum. Imò & Joannes Tzetzes, qui ſæpius citat Palæphati μυθολογικὰ *o*, nunc eum vocet φιλόσοφον Στωικὸν *p*, ut Chil. IX Hiſtor. CCLXXIII: nunc ἄνδρα ἐκ περιπάτου *q*, ut Chil. X Hiſtor. XX. Quorum ſi alterutrum verum ſit; diverſus fuerit à Pario illo, ſive Prienenſi, qui ſub Artaxerxe vixit. Nam Zeno, Stoicæ ſectæ conditor, demum floruit everſo jam Perſarum imperio ab Alexandro Magno; imò Rege hoc jam exſtincto, & ſucceſſoribus ejus inter ſe de imperio decertantibus. Nec Parius ille Peripateticus rectè dicatur; cùm appellatio ea conveniat nulli, qui Ariſtotele ipſo antiquior ſit. Sic igitur ſtatuo: ſi Palæphatus, quem habemus, eſt unus ex illis Suidæ memoratis, eſſe illum incertæ ætatis, Ægyptium, ſive Athenienſem; quem & ipſum περὶ ἀπίστων tractâſſe, ibidem dicitur. Tantùm metuo, ne Suidas nobis duos confundat Palæphatos; quorum unus fuit Ægyptius, alter Athenienſis; unus grammaticus, alter philoſophus. Nam ſcriptor ille Suidæ vocatur Grammaticus; Theoni philoſophus Peripateticus, Tzetzæ nunc Peripateticus, nunc Stoicus: ut vidimus. Cùm autem Tzetzes ſibi parum conſtet; & Theo lon-

*b Peculiarem hiſtoriam ſcripſit.*
*c Fabuloſorum.*
*d Solutiones eorum, quæ fabuloſe dicuntur.*
*e In primo Troicorum.*
*f In ſeptimo Troicorum.*
*g Poëtam epicum.*
*h Incredibilium.*
*i Solutiones eorum, quæ fabuloſe dicuntur.*
*k De deſtructione, & aſſertione.*
*l Exſtat totus Palæphati liber, qui de incredibilibus inſcribitur.*
*m Hæc veró de incredibilibus conſcripſi.*
*n Incredibilium.*
*o Interpretationes fabularum.*
*p Philoſophum Stoicum.*
*q Hominem peripateticum.*

longè ſit antiquior: potiùs peripateticum fuiſſe cenſeo. Etſi Joſephus Scaliger, in poëmate, quod Ciris inſcribitur, Stoicum & ipſe nuncupet: nempe à Tzetze, ut puto, deceptus. Palæphati ejus libri περὶ ἀπίστων a, de quo diximus, meminit quoque Virgilius, ſive alius, in Ciri:

*Infamem tali meritò rumore fuiſſe,*
*Docta Palæphatiâ teſtatur voce papyrus.*

Priorem ſic verſum reſcripſi, Paullum Leopardum ſecutus, lib. x Miſcell. cap. xxiv. Ubi in vulgatis perperam eſt *meritorum more.* Poſteriori verſu retineo ſcripturam vulgarem: licet minimè me fugiat, non Georgium Fabricium modò, ſed Joſephum quoque Scaligerum, pro *papyrus* reponere *Pachynus.* Mentio ejus præterea eſt apud Probum in III Georgicôn; Euſebium in Chronicis ad numerum DCCLVII, ubi de Tyodari libris, & alibi; Oroſium lib. I, cap. XIII.

Palamedes etiam locum aliquem inter hiſtoricos ſibi vindicat: ſi credimus ei, qui Etymologicum magnum congeſſit, in Ἁρμάτειον μέλος. ubi legere eſt: Παλαμήδης b ἱστορικός, ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών. Sed rectiùs Suidas, cui vocatur Ἐλεάτης c γραμματικός. Ac, ne diverſum hunc putes, ſcripſiſſe ait κωμικὴν d, καὶ τραγικὴν λέξιν. Uti quoque ὀνοματολόγον e, καὶ ὑπόμνημα εἰς Πίνδαρον τὸν ποιητήν. Quæ & ipſa hominis ſunt Grammatici.

Palladii hiſtoriam de Brachmanis exſtare Mſtam, in Nomenclatore ſuo ait Robertus Conſtantinus.

Pallas hiſtoricum volumen condidit de myſteriis Mithræ. Eo Pallantis opere inter alia illud referebatur, Hadrianum Imperat. per orbem ſuſtuliſſe penitùs morem humanas mactandi victimas: atque ita in Mithriacis etiam ſacris deſiiſſe ἀνθρωποθυσίαν f; quæ uſque ad illud tempus obtinuerat. Porphyrius de abſtinentia ab animalibus lib. II: Καταλυθῆναι g δὲ τὰς ἀνθρωποθυσίας σχεδὸν τὰς παρὰ πᾶσι, φησὶ Πάλλας, ὁ ἄριστος τὰ περὶ τοῦ Μίθρα συναγαγὼν μυστήρια, ἐφ' Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος.

Pamphilus Amphipolita, aut Sicyonius, aut Nicopolita (nec enim de patria convenit) inter alia illuſtrium pictorum hiſtoriam ſcripſit: ut ex Suida dicebamus lib. I, cap. VIII; ubi addebamus, eum à Suida vocari Pamphilum philoſophum: unde opinari quis poſſit, eſſe Pamphilum Platonis diſcipulum. Sed hæc ſuſpicio non ſatis firma eſt. Compoſuit quoque libros tres de re Ruſtica; quorum, præter Suidam, etiam meminere Geoponica Conſtantino dicata. Antonius Liberalis narrationem XXIII, quæ de Batto eſt, exſcripſit ex lib. I Pamphili cujuſdam, & iis, quos Pamphilus ſecutus erat. Etiam Athenæus lib. XIII refert ex quodam Pamphilo, Abydi eſſe templum Ἀφροδίτης h πόρνης. Fortaſſe is eſt Pamphilus Alexandrinus, cujus meminit bis lib. II, bis item lib. III, ac rurſum in VIII, & iterum in IX; ubi & auctoris, & operis titulus, integrè legitur: Πάμφιλος i ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ ὀνομάτων, καὶ γλωσσῶν.

Paradius fortaſſe ab aliquo inter hiſtoricos referatur, propter illa B. Hieronymi verba in Chronico Euſebiano, ad annum DCCLXV: *Minos mare obtinuit, & Cretenſibus leges dedit; ut Paradius memorat.* Sed, ut bene Scaliger in Animadverſionibus obſervat, Hieronymi eſt error. Nam apud Euſebium eſt: Καὶ Κρησὶ παρὰ Διὸς ἐνομοθέτει. hoc eſt, *& Cretenſibus à Iove acceptas leges dabat.*

Parmeniſcus fabulatem de ſideribus hiſtoriam videtur tractâſſe. Vide, quæ ex eo Hyginus refert in aſtronomico poëtico; quo loco de Arcto minore, & iterum, ubi de Heniocho, ſive Auriga, agit. Credo, ſunt hæc ex iis, quæ in Arati φαινόμενα commentatus fuit. Nam inter Arati interpretes numeratur. Sed & alia illius memorantur. Fragmentum ejus citat ſcholiaſtes Euripidis in Medeam: Παρμενίσκος k, inquit, γράφει κατὰ λέξιν οὕτως· ταῖς δὲ Κορινθίαις οὐ βουλομέναις ὑπὸ βαρβάρου, καὶ φαρμακίδος γυναικὸς ἄρχεσθαι, αὐτήν τε ἐπιβουλεῦσαι, καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀνελεῖν, ἑπτὰ μὲν ἄρρενα, ἑπτὰ δὲ θήλεα. Quod fragmentum eò adſcripſi, quia hiſtoricum eſt. Videtur tamen Parmeniſcus magis ad grammaticorum numerum pertinere. Meminit ejus & Etymologus in Ἀρτεμ: imò & Varro lib. IX. de L. L. Ubi pro, *Neſtocles Parmeniſcus*, legendum cenſeo, *Neſtocles, & Parmeniſcus.*

a *De incredibilibus.*
b *Palamedes hiſtoricus, qui comicam dictionem collegit.*
c *Eleates grammaticus.*
d *Comicam, & tragicam dictionem.*
e *Nomenclaturam, & commentarium in Pindarum poëtam.*
f *Hoſtias humanas.*
g *Pallas autem, optimus eorum, qui collegere Mithræ myſteria, ait, Hadrianum Imperatorem prope omnes humanæ hoſtiæ mactationes ſuſtuliſſe.*
h *Veneris meretricis.*
i *Pamphilus Alexandrinus libro de nominibus, & gloſſis, ſeu vocibus peregrinis, atque aliis, quæ lectorem minus peritum remorantur.*
k *Parmeniſcus ad verbum hoc pacto ſcribit: cùm Corinthiæ mulieres imperium (Medeæ) barbaræ, & veneficæ mulieris, detrectarent; conſilium cepiſſe illam de tollendis liberis ſuis; ſeptem quidem maſculis, ſeptem item ſequioris ſexus.*

Panteleus carmine bellum Perſicum conſignavit; cujus nunc laudare teſtem nequeo veterem. Sed lego id apud Ianum Douzam, præfatione eâ, quam præmiſit Hiſtoriæ ſuæ metricæ, de priſcorum Hollandiæ Comitum geſtis.

Patæcus, Πάταικος, an hiſtoricus ſit, videndum. Hiſtoriam ex eo de Solone Hermippus retulit; ex Hermippo autem Plutarchus in Solone; ubi & ait, hunc eſſe Patæcum illum, qui Æſopi ſe animam habere dicebat. Hiſtoriam non refugiam apponere, interpretis verbis: *Cum profectus eſſet Miletum ad Thalem Solon, ajunt, mirum ſibi eum dixiſſe videri, quòd nuptias, & ſobolis procreationem, omnino negligeret. Thalem autem in præſentia quidem tacuiſſe; aliquot verò dierum intervallo ſubornâſſe peregrinum quendam, qui modò decimo die ab Athenis profectum ſe diceret. Quærente Solone, num quid Athenis novi; hominem, quæ diceret, edoctum, nihil reſpondiſſe aliud, niſi ſanè, quòd adoleſcens efferretur, & proſequeretur funus tota civitas. Nam erat, ut ferebatur, (inquit) clari viri filius, virtute inter cives primi: nec aderat ille, ſed longo jam ſpatio dixerunt eum peregrè eſſe. O hominem infortunatum! dixiſſe Solonem. Quodnam ferebant ejus nomen? Audivi equidem, inquit, nomen, bone; ſed excidit mihi: tantum memini multam habitam mentionem ejus ſapientiæ, & juſtitiæ. Ita ſcilicet admoto ad ſingulas interrogationes metu, Solonem jam tandem commotum ipſum hoſpiti ſuggeſſiſſe nomen, ac requiſiſſe, Solonis ne ille defunctus eſſet filius. Quo annuente, cœpiſſe eum caput cædere, aliaque & facere, & dicere, quæ mœrore oppreſſi aſſolent. Tum Thalem, repreſſo Solone, ridentem dixiſſe: At hæc me, Solon, à connubio deterruerunt, & à liberis tollendis, quæ te etiam infringunt, virum conſtantiſſimum. Te verò nihil hic nuncius moveat: hæc enim ficta ſunt. Atque hæc quidem Hermippus Patæcum, qui Æſopi ſe ferebat animam habere, ſcribere refert.*

Patrocles terrarum hiſtoriam condidit. Eratoſthene ſaltem antiquiorem fuiſſe, cognoſcimus inde, quòd eum hic teſtem laudavit: ut docet Strabo lib. XI. Patriam non addit Strabo. Sciri alioquin poſſet, idem, an alius, ſit Patrocles Thurius: de quo Clemens in Προτρεπτικῷ. Πατροκλῆς a ὁ Θούριος, καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις, ἱστορεῖτον τὼ Διοσκούρω πέρι. Etiam Patroclis, neſcio cujus, ſenarii aliquot leguntur apud Stobæum ſermone de inſpiratis eventibus.

Pauſanias, alius ab illo Cæſarienſi Grammatico, celebratur à Suida his verbis: Παυσανίας b, Λάκων ἱστορικός, περὶ Ἑλλησπόντου, Λακωνικά, Χρονικά, περὶ Ἀμφικτυόνων, περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι ἑορτῶν.

Pauſimachus Samius inter eos, qui terrarum hiſtoriam literis fuerint perſecuti, à Ruſo Avieno refertur in deſcriptione oræ maritimæ:

*Pauſimachus ille, priſca quem genuit Samos.*

Medius autem collocatur inter Scylacem Caryandenſem, & Damaſten Sigenſem, ſcriptores vetuſtiſſimos.

Perſeus Λακεδαιμονίων c πολιτείαν conſignavit, auctore Athenæo lib. IV.

Petellides Gnoſius hiſtorias compoſuiſſe dicitur Hygino in poëtico aſtronomico, quo loco de arctophylace tractat: *Hermippus, inquit, qui de ſideribus ſcripſit, ait, Cererem cum Jaſione, Thuſci filio, concubuiſſe: quamobrem fulmine percuſſum, complures cum Homero dixerunt. Ex his, ut Petellides Gnoſius, hiſtoriarum ſcriptor, demonſtrat, naſcuntur filii duo, Philomelus, & Plutus.*

Phanodemi qui meminerit, antiquiſſimus, ut puto, eſt Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I: ubi memoriæ mandâſſe eum dicit τὴν Ἀττικὴν d ἀρχαιολογίαν. Laudat hunc ſcriptorem etiam Plutarchus in Themiſtocle, & Cimone. Item Proclus comment. in Timæum; ubi à Calliſthene, & Phanodemo, proditum ait, Athenienſes eſſe parentes Saitarum: cùm Theopompus, uti & Diodorus Siculus, contrà

a *Patrocles Thurius, & Sophocles junior in tragœdiis tribus, referunt de Dioſcuris.*
b *Pauſanias, Lacon hiſtoricus, de Helleſponto, Laconica, Chronica, de Amphictyonibus, de feſtis Laconicis, edidit.*
c *Lacedæmoniorum Rempublicam.*
d *Atticæ antiquitates.*

trà prodant, Athenienſes eſſe Saitarum colonos. Atque hoc ſine dubio multis partibus verius eſt. De quo nemo ambiget, qui antiquitatem Ægyptiorum è Scripturis, & externis ſcriptoribus, ſciat: ac cogitet, ex Oriente, & locis maximè vicinis, veniſſe homines in Occidentem: adhæc Græcos literas ipſas à Cadmo Phœnice accepiſſe; item ſacra, ritúſque, partim à Phœnicibus, partim Ægyptiis: qui ſacris multùm conveniebant, ac ſtudio navigandi & colonias ducendi. Secundum τῆς Ἀτθίδος Phanodemi citat Athenæus lib. IX: ex ſeptimo quoque teſtimonium petit. lib. III: inque nono Ἀτθίδος *a* citatur ab Harpocratione in Λεωκόρειον: ἐν *b* πρώτῃ Δηλιακῶν eidem in Ἑκάτης νῆσος. Niſi iſtic pro Φανόδημος, legendum Φανόδικος, quem Δηλιακὰ ſcripſiſſe, mox docebo. Ἀπλῶς Phanodemi meminit Stephanus in Ἰκός, & Etymologus in Ταυρόπολον, ac Τελμησσεῖς; & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Σφῆκας; qui & in Ὄρνιθας quartum Phanodemi librum citat. Meminit quoque Lycophronis ſcholiaſtes *c*: item Michaël Apoſtolius Centur. VIII. Proverb. XLII.

*a Rerum Atticarum.*
*a In primo Deliacorum.*
*c Pag. 39.*

Phanodicus Deliaca ſcripſit. Quorum librum IX citat Apollonii ſcholiaſtes in lib. I. Meminit & Phanodici Laërtius in Thalete, & Biante. Corrigendus Servius in illud Virgilii VII Æn. *Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoia regna:* ubi *Panoticus* Deliacon ſcriptor memoratur.

Pharnuchus Aſibenus Perſicam hiſtoriam condidit. Autor Stephanus in Ἀντιόχεια. ubi, cùm dixiſſet, eſſe & in Meſopotamia urbem, nomine *Antiochiam*, quæ aliter *Mygdonia*, & ab incolis *Aſibe* vocetur; adjungit hæc verba, Ὅθεν *d* Ἀπολλοφάνης, ὁ Στωϊκὸς φιλόσοφος Ἀσιβηνὸς, καὶ Φαρνοῦχος, Περσικὰς ἱστορίας συγγραφεύς.

*d Unde Apollophanes Stoicus philoſophus Aſibenus, & Pharnuchus, Perſicæ hiſtoriæ ſcriptor.*

Phaſgon librum fecit de longævis; ſi credimus vulgatis codicibus Laërtii in Epimenide. Sed in aliis Φλέγων legi, teſtantur H. Stephanus, & Jo. Sambucus. Atque ea ſine dubio vera lectio eſt; ut etiam cenſet Caſaubonus.

Pherecydes memoratur Sorano in Hippocratis vita: ac genealogiam Hippocratis dicitur conſignaſſe. At Hippocrates floruit tempore belli Peloponneſiaci: natus anno primo Olymp. LXXX; ut idem ait, eoque annis XI Thucydide, annis XXIV junior fuit Herodoto. Hinc liquet, eſſe diverſum, tum ab illo Syrio, tum ab Athenienſi; quorum uterque Herodoto grandior. At Pherecydes, de quo nunc ſermo eſt nobis, Eratoſthene junior videtur. Hoc partim inde colligo, quòd Eratoſtheni eum ſubjungit Soranus: partim quòd Eratoſthenes duos tantùm Pherecydes novit; nempe Syrium, & Athenienſem; ut ex Laërtio in Pherecyde conſtat. Ipſum adi.

Pherenicus Heracleota, fabuloſa magis, quam hiſtorica, cecinit. Athenæus in III narrat ex eo Hamadryadum ortum. Idem inter eos, qui verſu de monſtroſis ac fabuloſis hominum formis tractarint, teſtis adducitur à Tzetze Chil. VII. Hiſt. CXLIV. Ac mox ex eo duos de Hyperboreis verſus heroicos recitat.

Philaretus hiſtoricus à Simlero memoratur in Geſnerianæ bibliothecæ augmento. Qui ejus meminiſſe ait Plutarchum in Vitis, & Apollonium Dyſcolon in hiſtoria commenticia. Sed utroque in ſcriptore conſtanter ſcriptum Φύλαρχος. Ut verò hic ex Phylarcho *Philaretum* fecit Simlerus: ita idem, contrario planè errore, Philarchum ibidem vocat ſcriptorem de pulſibus, qui Geſnero tamen *Philaretus* rectè vocabatur.

Phileas, Φιλέας, geographus, quàm antiquus fuerit, argumento eſt, quòd memoratur Dicæarcho in fragmento de Græciæ deſcriptione ad Theophraſtum, Ariſtotelis diſcipulum, ſuum verò condiſcipulum. Atque idem teſtis adducitur in epitome Artemidori Epheſii. Eſtque is, qui ἐν περίπλοις citatur à Stephano in Ἀρδεία. Meminit hujus Phileæ & in Ἄβυδοι, Ἀμβρακία, & Ἄνθεια. item Etymologus in Ἀγαρηθιόν. Divulgavit quoque librum de Aſia. Macrobius lib. V. Saturn. cap. XX: *Nec Ephorus ſolus, ſed etiam Phileas, vetus ſcriptor, in eo libro, qui inſcribitur Aſia, ita meminit:* Μετὰ *e* τὴν Ἄσσον πόλις ἐστὶν ὄνομα Γάργαρα. ταύτης ἔχεται Ἀντανδρος. At planè alius eſt beatus martyr Phileas, epiſcopus Themuitarum in Ægypto; de quo Hieronymus in ſcriptoribus illuſtribus, & Nicephorus Hiſtor. Eccleſ. lib. VII. cap. IX; ubi eorum facit mentionem, quæ emiſit de martyribus Alexandrinis. Nempe fuere iſta ex libro ejus de martyrum laude; ut ex Hieronymo liquet.

*e Poſt Aſſum ſita urbs, nomine Gargara. Huic proximum eſt oppidum Antandros.*

Philemon, alius à Comico, teſtis laudatur Plinio lib. IV. cap. XIII: *Philemon Morimaruſam* (tradit) *a Cimbris vocari, hoc eſt, mortuum mare, uſque ad promontorium Rubeas: ultrà deinde Cronium.* Idem lib. XXXVII. cap. II: *Philemon* (dixit, ſuccinum) *foſſile eſſe, & in Scythia erui duobus locis: candidum, atque cerei coloris, quod vocaretur electrum: in alio loco fulvum, quod appellaretur ſualternicum.* Et poſt pauca: *Philemon negavit, flammam ab electro reddi.* Videtur fuiſſe ſcriptor Solino, cujus Polyhiſtora habemus, non abſimilis.

Philetas Ἀττικὰ *a* tradidit literis, quæ Athenæus citat lib. XI. Item Ἀτακτα *b*, quorum idem meminit lib. III, XI, XIV. Ex eodem ad Hermen citat hiſtoriam ſecundam Parthenius in Eroticis. Meminit & Stephanus in Ἴχναι, & Φλιοῦς, & Etymologus in Νη, & Πραξινόης, & Ἀῷος, & Θερμοπύλαι. Sed videndum, ſitne hic Philetas Cous, poëta, qui Philippi, Alexandri, & Ptolomæi Lagi temporibus vixit, Suida teſte; qui & Philadelphi fuiſſe præceptorem indicat, & epigrammata feciſſe, & elegias, atque alia. Sanè cùm alia etiam ſcripſiſſe dicat, & addat, fuiſſe grammaticum Criticum; facile credo, eorum quoque eſſe auctorem, quæ ex Athenæo, & Parthenio, dicebamus. Ex pægniis hujus poëtæ quædam adducit Stobæus ſermone eo, qui continet παραμυθητικά *c*. Templum ejuſdem memorat ſcholiaſtes Apollonii in lib. IV. Imò librum de diæta, Hippocrati vulgò tributum, ejuſdem eſſe, ab aliis judicatur; ut ex Galeno Geſnerus obſervat.

*a Res Atticas.*
*b Indigeſta.*
*c Conſolatoria.*

Philippus Amphipolites hiſtoricus fecit libros Rhodiacos novendecim: fuere autem planè obſcœni: item Coanos libros duos, etiam duos de ſacrificiis, & alia, ut ait Suidas.

Philippus, Caricarum rerum ſcriptor, à Strabone laudatur in XIV. Eſt is Philippus Theangellenſis, quem ἐν *d* τῷ περὶ Καρῶν καὶ Λελέγων Athenæus citat in VI.

*d Libro de Caribus, & Lelegibus.*

Philippus Megaricus memoratur à Laërtio in Stilpone; ubi nobile ejus fragmentum adfert; quo refertur, ut Stilpo à Theophraſto Metrodorum, & Timagoram Geloum; ab Ariſtotele Cyrenaico Clitarchum, & Simmiam; atque à philoſophis aliis alios avocârit: imò præſtantiſſimi quique è reliqua Græcia ad Stilponem ſe Megara contulerint. At difficile ſit dicere, utrùm alius, an aliquis iſtorum, ſit Philippus iſte, qui Orum Apollinem ex Ægyptio fecit Græcum. Multi adeò ejus nominis fuerunt. Et eos inter Philippus Abucara; cujus ſcholia ſunt, quæ in Hephæſtionem leguntur. Item Philippus Chalcidenſis, Plutarcho memoratus in Alexandro.

Philiſtides geographicum tractavit argumentum. Plinius lib. IV. cap. XII. tradit ex eo, & Cratete Mallote, Cretam priùs Aëriam, deinde Curetim eſſe dictam. Atque idem cap. XXII docet, Gades ab eo, & Ephoro, *Erythiam* vocari. Emendandus Servius in Eclogam primam; ubi corruptè *Philiſthenes* vocatur.

Phillis Delius περὶ αὐλητῶν *e* Athenæo citatur lib. XIV. Uti eodem libro ἐν *f* δευτέρῳ περὶ μουσικῆς. Fortaſſe liber, quo claros memoraret tibicines, pars operis de Muſica fuit. Nihil interim impedit, quo minùs ſeorſum de Muſica, ac Muſicis, egerit.

*e De tibicinibus.*
*f In ſecundo de muſica.*

Philyllius Φιλύλλιος à pleriſque creditus eſt auctor jamborum de urbibus: ut cognoſcimus ex Athenæo lib. III, IV, & IX. In tertio legas; Φιλύλλιος *g* δ', ἢ Φρύνιχος, ἢ Ἀριστοφάνης ἐν πόλεσιν. In quarto item, Ἀριστοφάνης *h*, ἢ Φιλύλλιος, ἐν ταῖς πόλεσιν. In nono autem, Φιλύλλιός τε *i*, ἢ ὁ ποιήσας τὰς πόλεις. Citat deinde ex eo jambicum ſenarium cum dimidio. Etiam Φιλύλλιος ἐν πόλεσι à Polluce adducitur lib. VII. cap. XXIV, & XXV. item lib. X. cap. XIV, & XXVIII. Celebratur quoque Suidæ. Quin apud Stephanum in Γαλεῶται, ubi vulgò eſt, Φύλλιος Αἰγεῖ, Φιλύλλιος legere malit Xylander. Citat & eum Lyco-

*g Philyllius, ſive Phrynichus, ſeu Ariſtophanes, in Urbibus.*
*h Ariſtophanes, aut Philyllius, in Urbibus.*
*i Philyllius, vel quiſquis carmen fecit de Urbibus.*

phænis ſcholiaſtes; ubi corruptè legitur Φιλαίλιος ὁ Κορίνθιος, pro Φιλύλλιος.

Philo, ſcriptor Eratoſthene antiquior, literis prodidit navigationem in Æthiopiam. Strabo lib. II: Τὸ μὲν οὖν κατὰ Μερόην κλίμα (ὁ Ἵππαρχός φησι) Φίλωνα τὸν συγγράψαντα τὸν εἰς Αἰθιοπίαν πλοῦν ἱστορεῖν, ὅτι πρὸ πέντε καὶ τετταράκοντα ἡμερῶν τῆς θερινῆς τροπῆς κατὰ κορυφήν γίνεται ὁ ἥλιος· λέγειν δὲ καὶ τοὺς λόγους τοῦ γνώμονος πρός τε τὰς τροπικὰς σκιὰς καὶ τὰς ἰσημερινάς· αὐτόν τε Ἐρατοσθένη συμφωνεῖν ἔγγιστα τῷ Φίλωνι. *Ac Meroës quidem clima* (ait Hipparchus) *à Philone eo, qui navigationem in Æthiopiam conſcripſit, obſervatum fuiſſe illud, quod* XLV *diebus ante æſtivum ſolſtitium ei loco ſol ſupra verticem immineat: ab eodem etiam rationes gnomonis ad umbras ſolſtitiorum & æquinoctiorum tradi. & ipſum Eratoſthenem proximè ad Philonis ſententiam accedere.* Non dubium autem, quin Antigonus Caryſtius hunc ipſum Philonem ſignet in Collectaneis Hiſtor. Mirabil. cap. CLX: ubi, cùm ex Cteſia retuliſſet, eſſe in Æthiopia fontem, cujus aqua inſtar cinnabaris rubeat, & pota faciat vecordes; addit iſta, Τοῦτο a δ' ἱστορεῖ καὶ Φίλων, ὁ τὰ Αἰθιοπικὰ συγγραψάμενος. At non æquè apertum eſt, idemne, an alius Philo, ſignetur à Flavio Joſepho lib. I. adverſus Apionem; ubi eum non obiter meminiſſe Judæorum ait. Vocatur autem iſtic Φίλων b ὁ πρεσβύτερος credo ut diſtinguat à Philone Alexandrino, qui Caligulæ & Claudii temporibus vixit. Saltem Philo Byblius eſſe nequit, qui demum floruit Nervæ, Trajani, & Hadriani temporibus: ut is junior fuerit Joſepho. Propterea nec aſſentio c viris doctis, quibus placet, Byblium illum ſignari à Clemente Alexandrino, cùm lib. I. Στρωματ. ait: Φίλων d δὲ καὶ αὐτὸς ἀνέγραψε τοὺς βασιλεῖς τοὺς Ἰουδαίων, διαφώνως τῷ Δημητρίῳ. Neque enim dubitandum, quin de eodem loquatur, ac Joſephus. Qui ſimiliter eum cum Demetrio jungit. Nam cùm dixiſſet, multos è gentium ſcriptoribus eo in rebus Judaicis aberrâſſe, quia non legiſſent codices ſacros; interim eos gentis antiquitatem ſatis teſtari: ſubjicit hæc verba e, Ὁ μέντοι f, Φαληρεὺς Δημήτριος, καὶ Φίλων ὁ πρεσβύτερος, καὶ Εὐπόλεμος, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον. Fuit & Philo Thebanus, quo Plutarchus teſte utitur in Alexandro: item Philo Metapontinus, αὐλητὴς g, καὶ ποιητής, Stephano laudatus in Μεταπόντιον: item Philo, qui librum ſcripſit de armamentario Athenis à ſe exſtructo, opere planè admirando; quod à Sylla fuiſſe incenſum Plutarchus teſtatur in Sylla, & Appianus de bello Mithridatico. De eo ſic Vitruvius in præfatione lib. VII: *Philo ſcripſerat de ædium ſacrarum ſymmetriis, & de armamentario, quod fecerat Piræei portu.* Idem puto eſt Philo ὁ μηχανογράφος h, Tzetzæ memoratus Chil. II. Hiſtor. XXXV. Item alii, vel ſuperiori libro dicti, vel ad inſtitutum nihil pertinentes.

Philocrates edidit Θεσσαλικὰ i: quorum librum ſecundum Athenæus citat in VI.

Philodemus περὶ k τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθίων memoratur ab Athenæo lib. X. Haut ſcio, an alius à Philodemo Epicureo, natione Gadarenſi; qui à Strabone lib. XVI. inter celebres Gadaræ viros refertur. Is vixit Ciceronis ætate, ac fortaſſe etiam Horatii: de quo loquimur in hiſtoria Græcorum poëtarum.

Philogelos non verum, puto, nomen fuit; ſed fictum. Nempe ſe ita vocavit, quia libro ſuo ridiculas eſſet narrationes complexus. Unam earum refert Tzetzes Chil. VIII, Hiſtor. CCL.

Philomneſtus, Φιλόμνηστος l, περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθείων, ab Athenæo laudatur in III. Utrùm dicemus, & Philodemum, & Philomneſtum, hoc argumentum tractâſſe? an veriſimilius, alterutro Athenæi loco ſcriptoris nomen eſſe corruptum?

Pleſimachus Πλησίμαχος ſcripſit Νόστους, hoc eſt, reditum Græcorum in patriam, ſive à Troia, ſive è Colchide, ab expeditione Argonautica, ſive aliunde. Πλησίμαχον ἐν β΄ Νόστων m citat Plutarchus in Flumin. cap. de Inacho. Niſi fortè Λυσιμάχου legendum, ut ſuſpicatur Mauſſacus. Sanè Λυσιμάχου Νόστοι ſæpiùs à veteribus laudantur: Πλησιμάχου, quod ſciam, non item.

Polemon (ut Euergeti filius, de quo dictum nobis lib. I. cap. XVIII: ſed alius, eo recentior) celebratur à Phrynicho in Ecloga dictionum Atticarum in Κεφαλαιωδέστερον. ubi ait: Τοῦτο a τοὔνομα εὗρον ἐν ἀρχῇ τοῦ Πολέμωνος τοῦ Ἰωνικοῦ σοφιστοῦ ἱστοριῶν, κατὰ τὸ προοίμιον. καὶ θαυμάζω Σεκούνδου τοῦ γραμματικοῦ, πῶς ὢν δεξιὸς ἐπὶ λέξιν, καὶ ἐπανορθῶν τὰ συγγράμματα τοῦ σοφιστοῦ, τοῦτο παρεῖδεν, ἀδόκιμον ὄν.

Polyænum Athenienſem hiſtorica quædam reliquiſſe, ſuſpicari licet propter iſtum Euſebii locum lib. II Chron. b Οὗτος c Ἀμένωφις ἐστιν, ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος, καὶ φθεγγόμενος λίθος, ὃν λίθον χρόνοις ὕστερον Καμβύσης ὁ Περσῶν τέμνει, νομίζων εἶναι γοητείαν ἐν αὐτῷ, ὡς Πολύαινος ὁ Ἀθηναῖος ἱστορεῖ. Quis verò iſte Polyænus fuerit, etiam Scaliger conſtare ſibi negat, notis in eum locum.

Polyanthus Cyrenæus librum reliquit de ortu Aſclepiadarum. Sextus Empiricus lib. I. adverſus Mathematicos cap. XII: Πολύανθος d ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως. Eo opere à Polyantho proditum refert, Æſculapium iccirco de cœlo tactum eſſe, quòd ſanâſſet filias Prœti. Verba ejus ſunt: Ὅτι τὰς Προίτου θυγατέρας κατὰ χόλον Ἥρας ἐμμανεῖς γενομένας ἰάσατο. Vide, quàm ineptè hæc in interpretatione Gentiani Herveti: *Quoniam eos medicatus eſt, qui ira Junonis in filias furore erant perciti:* cùm verti deberet, *quoniam Prœti filias medicatus eſt, quæ, irâ Junonis, furore erant percitæ.* Addit deinde, alteram à Panyaſe cauſſam adferri. Πανύασιος δὲ, διὰ τὸ νεκρὸν Τυνδάρεω ἀναστῆσαι. Ubi legendum, Πανύασις δὲ. Quem cùm minùs noſſet interpres, vel is ſaltem non occurreret, vertit, *Parrhaſius autem, propterea quod ſuſcitavit cadaver Tyndari.* Panyaſis iſte quis fuerit, Suidas docebit, & alibi de eo dictum nobis. Cæterùm ex Sexto Empirico corrigendus eſt Euripidis ſcholiaſtes in initium Alceſtidis: ubi vulgò legitur, Πολύαρχος e ὁ Κυρηναῖος, διὰ τὸ τὰς Κροίσου θυγατέρας αὐτὸν Ἀσκληπιὸν ἰάσασθαι, κεραυνωθῆναί φησιν. Nam qui Sexto eſt Πολύανθος, hic ſcholiaſtæ eſt Πολύαρχος. Nec tamen cum eo ferram reciprocare velim, qui ex ſcholiaſte Sextum malit corrigere. At ille error planè ſpiſſus, cùm ſcribitur, Κροίσου f θυγατέρας pro Προίτου g. Quomodo reponi debere, ita manifeſtum eſt ex trecentis ſcriptoribus, ut, probare id velle, hominis ſit ſuo, & alieno otio invidentis.

Polycharmus Λυκιακὰ h literis commiſit: ut cognoſcere eſt ex Athenæi octavo, & Stephano in Σύρα. Qui ejus ſcriptoris etiam meminit in Φελλός.

Polyclitus Lariſſæus hiſtorias condidit; quarum octavum citat Athenæus lib. XII. Meminit & Polycliti Julius Pollux in Onomaſtico lib. II. cap. IV. tmem. XXXI, quod eſt de manibus. Strabo quoque lib. XI. dicit, argumentis eum comprobâſſe, Hyrcanum mare paludem eſſe, quia & ſerpentes educet, & aquam habeat dulcem. Idem lib. XV. eodem tradit, Suſa muris caruiſſe, ac habuiſſe ducentorum ſtadiorum ambitum. Ælianus quoque lib. XVI. de natura animal. cap. XLI. eum laudat autorem de variegatâ Indicorum ſerpentium pelle.

Polycritus Mendæus nomen peperit hiſtoriâ Dionyſii tyranni. Laërtius in Æſchine: Φησὶ i Πολύκριτος ὁ Μενδαῖος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Διονύσιον, ἄχρι τῆς ἐκπτώσεως συμβιῶναι αὐτὸν (Αἰσχίνην) τῷ τυράννῳ, καὶ ἕως τῆς Δίωνος εἰς Συρακούσας καθόδου. Interpres vocat Polycritum Mendeſium: ſed peccat. Nam à Μένδαι, & Μένδη, eſt Μενδαῖος: à Μένδης autem eſt Μενδήσιος. Stephanus: Μένδαι k, πόλις Σικελίας, ἐγγὺς Παλικῶν. Ἀπολλόδωρος ἐν β΄ Χρονι-

a *Hoc ipſum & Philo refert, qui Æthiopica conſcripſit.*
b *Philo antiquior.*
c *Simlero in bibliot. Geſner. auctario.*
d *Philo & ipſe librum ſcripſit de Judæorum regibus; in quo à Demetrio diſſentit.*
e *Lib. I. contra Apionem pag. 931. edit. Baſil.*
f *Phalereus quidem Demetrius, & ſenior Philo, & Eupolemus, non multum à veritate aberrarunt.*
g *Tibicen, & poëta.*
h *Qui de machinis ſcripſit.*
i *Res Theſſalicas.*
k *De Sminthiis in Rhodo habitantibus.*
l *Philomneſtus de Rhodiis Sminthiis.*
m *Pleſimachum in ſecundo Reditnum.*

a *Nomen hoc reperi initio hiſtoriarum Polemonis, Ionici ſophiſtæ, in exordio, & admiror, cur Secundus grammaticus, cùm in aliis, quæ ad dictionem pertinent, excellat, & corrigat libros ſophiſtæ, hoc neglexerit, quod inuſitatum eſt.*
b *Pag. 25. Theſaur. Temp.*
c *Hic Amenophis eſt ille, qui Memnon credebatur, & lapis reſonans; quem lapidem poſtea Cambyſes, Perſarum rex, ſecuit, quòd præſtigiis, ac latenti arte, id fieri putaret: ut Polyænus Athenienſis narrat.*
d *Polyanthus Cyrenæus libro de origine Aſclepiadarum.*
e *Polyarchus Cyrenæus ait, Æſculapium eſſe fulmine percuſſum, quòd medicâ manu ſanâſſet Crœſi filias.*
f *Crœſi filias.*
g *Prœti.*
h *Res Lyciacas.*

i *Ait Polycritus Mendæus libro I. de Dionyſio, vixiſſe Æſchinem cum tyranno, uſque dum ille tyrannide excideret, & Dio Syracuſas rediret.* k *Mendæ, urbs Siciliæ, juxta Palicos; Apollodorus in ſecundo Chronicorum. Gentile eſt Mendæus, ut à Lyca Lycæus. Mende urbs Traciæ, à Mende muliere ita dicta. Apollodorus eam vocat Mendin. Gentile, ut, Mendæum vinum. Mendes Ægypti urbs, juxta Lycopolim. Strabo in decimo ſeptimo: Et Lycon oppidum, (ſive Lycopolis,) & Mendes, ubi Pana colunt, & Hircum. Civis dicitur Mendeſius, & in muliebri genere Mendeſia. Dicitur & Mendites.*

χωρικῶν. Τὸ ἐθνικὸν Μενδαῖος, ὡς Λύκιος Λυκαῖος. Μένδη, πόλις Θρᾴκης, ἀπὸ Μένδης γυναικός. Ἀπολλόδωρος Μένδην αὐτὴν φησι. τὸ ἐθνικὸν, Μενδαῖος οἶνος. Μένδης, πόλις Αἰγύπτε, περὶ τὴν Λύκων πόλιν. Στράβων ιζ´ καὶ Λύκων πόλις, καὶ Μένδης· ὅπε τὸν Πᾶνα τιμῶσι, καὶ τὸν τράγον. ὁ πολίτης Μενδήσιος, καὶ Μενδησία θηλυκόν. λέγεται καὶ Μενδίτης. Quare interpres Laërtii, cùm Polycritum, qui Mendæus eſt, Mendeſium appellat, ex Siculo, vel Thrace, Ægyptium nobis facit. Cùm autem Dionyſius; cujus res Polycritus à Laërtio ſcripſiſſe dicitur, Siciliæ fuerit tyrannus: planè idem erit Polycritus, quem res Siculas carmine heroico panxiſſe, narrat Ariſtoteles lib. de mirabilibus auditu perceptis. Πολύκριτος a, inquit, ὁ τὰ Σικελικὰ γεγραφὼς ἐν ἔπεσιν. Unde diſcimus, hiſtoriam ejus fuiſſe poëma hiſtoricum. At fortaſſe alius eſt Polycritus, memoratus Plutarcho in Alexandri vita: item Plinio in Elencho ſcriptorum: ex quibus librum XII Hiſtoriæ Nat. qui eſt de arboribus, conſarcinâſſe ſe fatetur. item Antigono Caryſtio in Mirabilium hiſtoriarum collectaneis cap. CL; ubi ex eo tradit, juxta Solos, Ciliciæ urbem, fontem eſſe, qui olei vicem expleat. Quod etiam Plinius refert Hiſtor. Nat. lib. XXXI. cap. II. Sed hic ejuſce rei auctorem laudat Polyclitum: corruptè, ut videtur.

a *Polycritum, qui heroico verſu ſcripſit res Siculas.*

Polyhiſtor hiſtoricus à Plinio reponitur inter eos, è quibus contexuit librum VIII hiſtor. naturalis. Poterat idem videri ac Alexander Polyhiſtor: ſed apertè ab eo Plinius ipſe diſtinguit: quem in elencho auctorum vide.

Polyſtephanus inter alios laudatur à ſcholiaſte Apollonii in lib. I, & Gellio lib. IX. cap. IV: qui eum reponit inter Græcos ſcriptores non parvæ auctoritatis; ſed quorum libri contineant res inauditas, & fidem penitùs excedentes.

Polyzelus Rhodius, Πολύζηλος ὁ Ῥόδιος, celebratur Plutarcho in Solone: ubi quædam ex eo de Solone narrat. Scripſit inter alia etiam Ῥοδιακὰ b; quæ citat Athenæus lib. VIII. Ejuſdem Μουσῶν γοναὶ c citantur ab eo lib. IX. & Etymologo in Ἐπώνυμος Ζεύς. Item Διονύσου γοναὶ d à Polluce lib. XV. cap. XXI. Et ἐν μίμῳ Τυνδάρεῳ e ab eodem, lib. X. cap. XXI. Meminit & Julius Hyginus in poëtico aſtronomico, quo loco de Ophiucho tractat. Verba adferam: *Polyzelus autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonſtrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuiſſe demonſtratur. Nam cùm eorum inſulam, ſerpentium multitudine occupatam, cives Ophiuſam appellaſſent; &, in ea multitudine ferarum, draco fuiſſet ingenti magnitudine, qui plurimos eorum interfeciſſet; & patriâ denique desertâ carere coëgiſſet: dicitur Phorbas, Triopa filius, ex Hiſcylla,* (al. Hiocla) *Myrmidonis filiâ, natus, eo tempeſtate delatus, omnes feras, & eum draconem interfeciſſe: qui cùm maximè Apollini dilectus eſſet, locatus inter ſidera dicitur, ut, interficiens draconem, laudis & memoriæ cauſſâ videretur. Itaque Rhodii, quotieſcunque à litore longiùs prodeunt claſſes, priùs ſacrificant Phorbantis adventui, talis ut illis eventus inopinata virtutis accidat civibus, qualis inſcium Phorbanta futura laudis ad ſidera gloria pertulit caſus.* Hæc Hyginus; quæ abſque dubio ſunt ex Polyzeli Rhodiacis.

b *Res Rhodiacas.*
c *Muſarum partus.*
d *Bacchi partus.*
e *In mimo, cui nomen eſt Tyndáreus.*

Poſidippus (non Comicus ille, qui mox poſt Menandrum vixit, ſed alius) librum ſcripſit de Cnido, ſemel iterumque memoratum Clementi ἐν προτρεπτ. ubi quædam ex eo de Praxitelis Venere, deque lapidea Venere in Cnido, refert. Eum librum & Arnobius ſignat lib. VI: quippe qui Clementem exſcribat. Verba Arnobii ſunt: *Quis Praxitelem neſcit, Poſidippi ſi relegas, ad formam Cratina meretricis, quam infelix perditè diligebat, os Veneris Cnidia ſollertiarum coëgiſſe certamine?* Hunc etiam Poſidippum intelligit Tzetzes Chiliad. VII. Hiſtor. CXLIV: ubi ex eo tradit, in capitibus Libycorum draconum lapides inveniri, nomine Δρακοντίας, in quibus naturâ, non arte, inſculptam videre ſit vel currûs, vel alius rei figuram; nec figuram tamen in lapide conſpici, ſed in cerâ, ubi lapidem impreſſeris. Hoc enim volunt verba illa, Μὴ φαίνεσθαι τὸ γλύμμα δὲ, πρὶν τυπωθῇ κηρίοις, ubi corruptè vulgò κηρίοις legitur. Mox octo verſus ipſius Poſidippi ſubjungit: qui perperam vulgò editi ſunt: ſic autem corrigi debent:

> Οὐ a ποταμὸς κελάδων ἐπὶ χείλεσιν, ἀλλά δρακοντος
> Εἶχέ ποτ᾽ εὐπώγων τόνδε λίθον κεφαλή
> Λευκὰ φαληριόωντα. τὸ δ᾽ ἢ γλυφὶν ἅρμα κατ᾽ αὐτό,
> Τοῦθ᾽ ὑπὸ Λυγκείου βλέμματος ἐγλύφετο.
> Ψεύδει χειρὸς ὅμοιον ἀποπλασθὲν γὰρ ὁρᾶται
> Γλύμμα. κατὰ πλάτεος δ᾽ οὐκ ἂν ἴδοις προβολήν.
> Ἧ καὶ θαῦμα πέλει μόχθου μέγα, πῶς ὁ λιθεργὸς
> Τὰς ἀτενίζειν οὐκ ἐμόγησε κόρας.

a *Non fluvius reſonans in labris, ſed draconis habuit quondam bene barbatum caput lapidem colore albo ſplendentem: qui verò currus eſt inſculptus, hunc ſculpſerat lyncius viſus. Mendaci enim manui ſimilis efficta conſpicitur ſculptura: in latitudine autem non adſpicias prominentiam. Certe magnum eſt laboris miraculum, quomodo lapicida non laborârit oculis intentis, atque immotis.*

Quædam Poſidippi epigrammata ejus in Ἀνθολογίᾳ leguntur. Ac ſeu hujus, ſeu alterius Poſidippi, meminit quoque Stephanus in Βάρις, & ſemel iterumque in Ζέλεια.

Poſſis Magneſius, Πόσσις ὁ Μάγνης, Amazonum hiſtoriam condidit. Ἐν b τρίτῳ Ἀμαζονίδος eum citat Athenæus lib. VII. Idem lib. XII. teſtimonium petit ex eo ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν c: unde etiam conſignâſſe res patriæ cognoſcimus.

b *In tertio Amazonidis.*
c *In tertio de Magneticis.*

Praxiphanis hiſtoriam citat Marcellinus in vita Thucydidis. Meminit & Laërtius in Platone diatribæ ejus inter philoſophum hunc, & Iſocratem: Ὃ δ᾽ d οὖν φιλόσοφος καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν. καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν, γενομένην ἐν ἀγρῷ, παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.

d *Hic igitur philoſophus Iſocrate amico utebatur. Ac Praxiphanes deſcripſit diſſertationem de poëtis, inter Platonem & Iſocratem habitam rure, cùm apud Platonem Iſocrates divertiſſet.*

Procles Carthaginenſis celebratur Pauſaniæ in Meſſeniacis; ubi judicium ejus refert de Alexandro Magno, & de Pyrrho. Atque item in Corinthiacis; ubi ex eo hiſtoriolam adfert de Meduſa: Καρχηδονίῳ δὲ ἀνδρὶ Προκλεῖ τῷ Εὐκράτους ἕτερος λόγος ὅδε ἐφαίνετο εἶναι τοῦ προτέρου πιθανώτερος. Λιβύης ἡ ἔρημος καὶ ἄλλα παρέχεται θηρία ἀκούσασιν οὐ πιστὰ, καὶ ἄνδρες ἐν ταύτῃ ἄγριοι, καὶ ἄγριαι γίγνονται γυναῖκες. ἔλεγέ τε ὁ Προκλῆς ἐξ αὐτῶν ἄνδρα ἰδεῖν κομισθέντα ἐς Ῥώμην. Εἴκαζεν οὖν, πλανηθεῖσαν γυναῖκα ἐκ τούτων, καὶ ἀφικομένην ἐπὶ τὴν λίμνην τὴν Τριτωνίδα, λυμαίνεσθαι τοὺς προσοικοῦντας, ἐς ὃ Περσεύς ἀπέκτεινεν αὐτήν. Ἀθηνᾶν δὲ οἱ συνεπιλαβέσθαι δοκεῖν τοῦ ἔργου, ὅτι οἱ περὶ τὴν Τριτωνίδα ἄνθρωποι ταύτης εἰσὶν ἱεροί. Hoc eſt, *At Procli Carthaginenſi, Eucratis filio, alia narratio priori magis veriſimilis videbatur, hac nempe: Lybia deſertum feras etiam alias nutrire, quæ fidem exſuperent: eſſeque ibidem agreſtes viros, ac feminas: ipſe etiam ſe Procles virum inde Romam deportatum vidiſſe dixit. Conjiciebat ideo, unam ex feminis illis fuiſſe Meduſam, quæ, cùm aberrâſſet à ſuis, ac veniſſet ad paludem Tritonidem, accolas malè mulctârit, uſque dum occiſa à Perſeo ſuit. Pallada verò iccirco adjuviſſe eo in opere videri, quod, qui ſtagnum illud homines accolunt, Minervæ ſacri ſunt.*

Promathidas Heracleotes citatur Athenæo lib. VII, Προμαθίδας e ὁ Ἡρακλεώτης ἐν Ἡμιάμβοις. Ubi ex eo tradit, Glaucum fuiſſe natum è Polybo, Mercurii filio, & Eubœâ, Larymni filiâ. Egit præterea de rebus patriæ ſuæ. Scholiaſtes Apollonii lib. I. Προμαθίδας f ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας λέγει. Ita enim lego; ubi vulgò, Προμαχίδας. Nam quin idem ſit, de quo Athenæus, minimè ambigo; quando Heraclienſem de Heraclia ſcripſiſſe eſt veriſimile. Et omnem ſcrupulum tollit locus ille ejuſdem ſcholiaſtæ in lib. II: Ἡρόδωρος g ἱστορεῖ ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας, ὡς Προμαθίδας φησι. Ubi Προμαθίδας, qui Athenæo Προμαθίδας.

e *Promathidas Heracleota in Hemiambis.*
f *Promathidas, opere de Heraclea, ait.*
g *Herodorus refert opere de Heraclea, ut Promethidas dixit.*

Promathion condidit res Italiæ. Plutarchus in Romulo: Ταῦτα h μὲν οὖν Προμαθίων τις, ἱστορίαν Ἰταλικὴν συντεταγμένος, εἴρηκε.

Protagoras de monſtroſis quorundam Indorum formis prodidiſſe quædam dicitur à Tzetze Chil. VII. Hiſt. CXLIV. Etiam Marcianus Heracleota initio peripli, meminit τῆς Πρωταγόρου i τῶν σταδίων ἀναμετρήσεως, ἣν τῇ οἰκείᾳ τῶν γεωγραφίας βίβλοις προσέθηκεν. Veriſimile eſt, quod Tzetzes tradit, fuiſſe in ejus geographicis.

h *Hæc Promathion quidam in hiſtoria retulit, quam de Italicis rebus fecit.*
i *Operis Protagoræ de dimenſione ſtadiorum, quod appoſuit ſuis geographiæ libris.*

Prota-

Protagorides Cyzicenus libros compoſuit de ludis, qui in Daphne, vico juxta Antiochiam, quotannis ab Antiochenſibus, & finitimis, fiebant. Athenæus lib. IV: Τίνα *a* δ' ἦν τὰ Αἰγύπτια δεῖπνα, Πρωταγορίδης ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Δαφνικῶν ἀγώνων διδάσκει ἡμᾶς. Idem eopſe libro: Πρωταγορίδης *b* δ' ὁ Κυζικηνὸς ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐπὶ Δάφνῃ πανηγύρεων φησιν. Idem edidit hiſtoriam earum rerum, quæ ad comœdias pertinent. Athenæus lib. III: Πρωταγορίδης *c* ἐν δευτέρῳ τῶν κωμικῶν ἱστοριῶν: ac mox refrigerandæ aquæ artificium quoddam ex eo exponit.

Protarchus Trallianus laudatur Macrobio lib. I. Saturn. cap. VII. *Regionem*, inquit, *iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit; qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſecutus, tradit, cum Cameſe, æquè indigenâ, terram hanc ita participatâ potentiâ poſſidebat, ut regio Cameſene, oppidum Janiculum, vocitaretur.*

Proxenus commentarios fecit de Republ. Lacedæmoniorum. Eorum librum II citat Athenæus lib. VI. Item περὶ *d* ἠπείρων Σικελικῶν; cujus primum nominat Stephanus in Γέλα. Simpliciter meminit idem in Χαονία; & ſcholiaſtes Apollonii lib. I; ubi ex eo refert, Alconem fuiſſe Erechthei filium. Adhæc Michaël Apoſtolius Centur. XI. Prov. LXXVI: ubi ex eo tradit, boves quoſdam Latinos ab Hercule fuiſſe relictos Jovi Dodonæo.

Pyrander, Πύρανδρος, emiſit Peloponneſiacorum libros: quorum è quarto narratiunculam promit Plutarchus in Parallelis minoribus cap. XXXVII.

Pyrgion celebratur libris de inſtitutis Cretenſium. Athenæus lib. IV: Πυργίων *e* δ' ἐν τρίτῳ Κρητικῶν νομίμων φησί. Affert deinde morem, quem Cretenſes obſervant in συσσιτίαις *f* ſuis.

Pyron Annales condidit; ut Glycas teſtatur parte Annalium primâ; ubi & error ejus iſte refellitur, quòd putârit, Adamum poſt XL demum dies ingreſſum eſſe paradiſum.

Pythænetus Πυθαίνετος libros compoſuit περὶ Αἰγίνης: quorum è primo teſtimonium petit Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV. è tertio idem facit Athenæus lib. XIII.

Pythagoras, non ille Samius philoſophus, ſed alius, cujus patria neſcitur, res Dorienſium tractavit. Laërtius lib. VIII: Καὶ *g* ἕτερον (Πυθαγόραν) Δωρικὰ πεπραγματευμένον, ὡς Διονύσιος ἱστορεῖ. Planè fit veriſimile, eundem eſſe, qui de rubro mari ſcripſit. Meminit ejus Athenæus lib. IV: Πυθαγόρας δ' ὁ *h* γεγραφὼς περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, τοὺς Τρωγλοδύτας φησὶ κατασκευάζειν τὴν πανδοῦραν ἐκ τῆς ἐν τῇ θαλάσσῃ φυομένης δάφνης. Similiter libro XIV, ubi de ſambuca. Etiam Ælianus ejuſdem operis mentionem facit lib. XVII de natura animal. cap. VIII; ubi de animali κῆπῳ.

Pythermus Epheſius hiſtorias compoſuit: quarum librum octavum Athenæus citat in VII. Ac in eclogis Sotionis de aquis mirabilibus ex Pythermo refertur, ſiquis ſcyphum immittat in Strymonem, invenire eum in palude juxta Apolloniam.

Pythocles nomen ſibi aliquod paravit libris Italicorum: è quibus tertium memorat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XIV: quartum verò advocat Clemens Alexand. in primo Στρωματ. ubi Samius appellatur, ὁ Σάμιος *i* Πυθοκλῆς ἐν τετάρτῳ Ἰταλικῶν. Ac ſimiliter vocatur Plutarcho in parallelis cap. XLI: ubi tertius ejus liber de re ruſtica citatur. Πυθοκλῆς *k* Σάμιος ἐν τρίτῳ γεωργικῶν. Sed & Clemens in προτρεπτ. πρὸς Ἕλλ. celebrat tertium Pythoclis librum περὶ ὁμονοίας *l*.

a Quæ fuerint cœnæ Ægyptiæ, id nos docet Protagorides, libro primo de certaminibus Daphnicis.
b Protagorides Cyzicenus in ſecundo de ludis ſollemnibus in Daphne ait.
c Protagorides in ſecundo hiſtoriarum Comicarum.
d De Siculis itineribus.
e Pyrgion in tertio de legibus, & moribus Cretenſium, ait.
f Publicis conviviis.
g Et alium Pythagoram, qui Dorica tractavit; ut Dionyſius refert.
h Pythagoras verò, qui ſcripſit de rubro mari, ait, Troglodytas panduram fabricare ex lauro ea, quæ in mari naſcitur.
i Samius Pythocles in quarto Italicorum.
k Pythocles Samius in tertio de re ruſtica.
l De concordia.

Rufus ſcripſit dramaticam, & muſicam hiſtoriam: quæ erat de comicis, tragicis, dithyrambicis, & ſcriptoribus epithalamiorum, hymenæorum, ac carminum, quæ in choreis canerentur: item de aulœdis, cytharœdis, ſaltatoribus, aliorumque in theatris Græcorum uſitatis certaminibus: adhæc de poëtis epicis, & feminis vaticinandi arte claris, & aliis ejus generis. Atque ex iſtis Rufi libris multa hauſerat Sopater Apameenſis in eclogis ſuis variæ doctrinæ. Auctor Photius; quem vide num. CLXI.

SAon hiſtoricus celebratur Dionyſio Hal. lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. ubi & de ſtylo ejus judicium fert. Viri eruditi ſuſpicantur, eundem eſſe, qui Σαῖος dicitur Athenæo lib. IV; ubi eum citat ἐν *a* τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ.

Sæus cur inter hiſtoricos à quibuſdam referatur: ex iis liquet, quæ proximè diximus.

Satyrus peripateticus vitam Philippi elucubraſſe dicitur ab Athenæo lib. VI. Philippus iſte ſine dubio Alexandri Magni parens erat. Fuitque ea vita pars majoris operis, quod βίους *b* inſcripſerat: atque idem Athenæus memorat poſtea eopſe libro; uti & lib. XII. Sed iſtic ἁπλῶς Satyrum appellat, omiſſo *Peripatetici* cognomento. Meminit quoque B. Hieronymus in præfatione libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ubi Satyrum hunc virum doctum appellat. Item lib. II. adverſus Jovinianum: *Refert*, inquit, *Satyrus, qui illuſtrium virorum ſcribit hiſtorias.* Quæ ipſa verba Joannes Saresberienſis, more ſuo, exſcripſit lib. V. de Nugis Curialium cap. XVII. Porrò videmus, ab utroque Vitas etiam inter Hiſtorias reponi. Et profectò, ob hæc, & ſimilia, quæ dicam, συγγραφεὺς *c* vocatur à Plutarcho in Vitis X rhetorum; ubi ex eo commemorat, ut Demoſthenes, hauſto è calamo veneno, mortuus ſit. Credo, id tradiderat in Demoſthenis Vita. Laudat & Satyrum hunc Laërtius in vita Socratis, Empedoclis, & alibi. Nec dubito, quin univerſa fuerint ex Vitarum commentariis. Operis ejus epitomen fecit Heraclides: ac ejuſce compendii meminit idem Laërtius in Zenone Eleate. Ac, puto, eſt iſte Heraclides idem illi Heraclidi, quem epitomen ſucceſſionum Sotionis ſcripſiſſe Laërtius ait in Demetrio Phalereo. Etiam hiſtoricum fuerit Satyri opus de populis Alexandriæ. Theophilus, ſextus epiſcopus Antiochenus, ad Autolycum lib. II: Ἀλλὰ *d* καὶ Σάτυρος, ἱστορῶν τοὺς δήμους Ἀλεξανδρέων, ἀρξάμενος ἀπὸ Φιλοπάτορος τοῦ καὶ Πτολεμαίου προσαγορευθέντος, τοῦτον μηνύει, Διόνυσον ἀρχηγέτην γεγονέναι. Ex quibus verbis liquet, Satyrum illum fuiſſe juniorem Philopatore, vel ſaltem minimè antiquiorem; ut quamquam Peripateticus eſſet; non propterea fuerit è diſcipulis Ariſtotelis, qui ſeculo toto anteceſſit. Nec veras modò hiſtorias Satyrus conſignavit; ſed & fabuloſas. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. Antiquit. Σάτυρος *e* ὁ τοὺς ἀρχαίους μύθους συναγαγών. Niſi is alius Satyrus fuit. Sanè fuit & Satyrus Olynthius, qui hiſtrio erat, & Pamphilam reliquit: cujus operis meminit quoque Athenæus lib. XII. At, puto, non inconveniens philoſopho Peripatetico argumentum fuit περὶ χαρακτήρων: unde aſoti hominis characterem refert Athenæus lib. IV. Hoc argumenti fuerit Ethici. At Phyſici erat liber Satyri de gemmis, ac lapidibus, Plinio memoratus lib. XXXVII. cap. II, VI, VII. Præterea de Mauſoleo librum citat Vitruvius lib. VIII de Architectura: qui, credo, partim hiſtoricus, partim Mathematicus fuerit.

Scamon Mytilenæus, Σκάμων ὁ Μυτιληναῖος, librum edidit de rerum inventione: qui citatur à Clemente Alex. lib. I. Στρωματ. Item ab Athenæo lib. XIV, Σκάμων *f* ἐν πρώτῳ περὶ εὑρημάτων. Aliquanto pòſt legas apud eundem, Σκάμωνι *g* ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων. Sed Σκάμων probat etiam Suidas, cùm ait Σκάμων *h*, ὄνομα κύριον.

Scymnus Chius compluribus libris orbem deſcripſit. Stephanus in Πάρος: Ἔστι *i* καὶ ἄλλη Πάρος, νῆσος Λιβυρνῶν, ὥς φησι Σκύμνος ὁ Χίων (ſcr. Χῖος) ἐν πρώτῃ περιηγήσεως. Partes illius operis à variis citantur. Ut Ἀσία ejus ab eodem Stephano in Ἄρεος νῆσος: Εὐρώπη in Ἀγάθη. Apollonii quoque ſcholiaſtes in librum IV, ex utraque hac parte teſtimonium depromit. Planè autem adſentio eximio viro, Joanni Meurſio; qui apud Apollonium Dyſcolon, Hiſtoriæ commentitiæ cap. XV, pro Σκύθινος ὁ Χῖος, legit Σκύμνος ὁ Χῖος. Nam Scythinus non Chius, ſed Teius erat; ut mox dicam.

Scythinus Teius librum ſcripſit, quem *hiſtoriam* inſcripſit. Athenæus lib. XI: Μνημονεύει *k* δὲ αὐτῶν καὶ Σκύθινος ὁ Τήιος, ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ ἱστορίῃ. Etiam jambos feciſſe, diſco ex Diogene Laërtio in Heraclito, & Stephano in Τέως; quorum utrique ἰάμβων ποιητὴς *l* voca-

a Libro de Republ. Spartana.
b Vitas.
c Hiſtoricum.
d Sed & Satyrus, qui tradidit populos Alexandrinus, ortus à Ptolemæo Philopatore, originem generis eò à Baccho eſſe indicat.
e Satyrus, qui priſcas fabulas collegit.
f Scamon lib. I. de rebus inventis.
g Scamoni in iis, quæ de inventione rerum ſcripſit.
h Scamon, nomen proprium.
i Eſt & altera Paros, Liburnorum inſula, ut ait Scymnus Chius libro primo voluminis, quo orbem deſcripſit.
k Meminit autem eorum Scythinus Teius, in libro, qui Hiſtoria inſcribitur.
l Poëta jamborum.

a Ex iis, quæ Scythinus de Natura ſcripſit.
b Piſcatoriorum.

vocatur. Etiam ἐκ ᾱ τ͂ Σκυθίνȣ περὶ φύσεως quædam adfert Stobæus in Eclogis phyſicis lib. 1 cap. xi.

Seleucus, Emeſenus grammaticus, Suida teſte, compoſuit Parthicorum libros duos. Carmine fortaſſe, quando & Ἁλιευτικῶν *b* libros iv fecit verſibus. Quamquam de auctore Halieuticorum diſſentire videtur Athenæus lib. viii; ubi eorum ſcriptor Seleucus Tarſenſis vocatur. Eſt præterea Seleucus, Alexandrinus Grammaticus, cognomento Homericus; quem in omnes penè poëtas commentatum eſſe, ait Suidas. Quod ſi eſt, fortaſſe etiam ejus fuere commentarii in Lyricos; etſi illos poſtea tribuat Seleuco Amaſeno. Multa Seleuci hujus Alexandrini adfert Suidas. Sed nihil in iis hiſtoricum, niſi forte περὶ *c* τ͂ ψευδῶς πεπισευμένων. Verùm hic quoque titulus non minùs convenit refellenti errores circa vocabula, quàm res geſtas. Puto, ejuſdem eſſe gloſſas, quarum Athenæus bis meminit libro ſecundo, bis in tertio, ſemel in xiv: ac cujus librum περὶ Ἑλληνισμȣ͂ *d* citat lib. ix: uti & quinctum ejus operis lib. viii. Item quem ἐν συμμίκτοις *e* laudat Apollonii ſcholiaſtes lib. ii. Præſertim cùm Suidas dicat, ſcripſiſſe καὶ *f* ἄλλα σύμμικτα. Item cujus mentio apud Etymologum in Ἀΐδη, Βρεχέθηλα, Εἴρω, Ἐπίδα, Λαχμῶ, Μοριαν, Παυσανία. Alius eſt Seleucus Babylonius, cujus mentionem facit Strabo lib. i. Alius item Seleucus ὁ θεολόγος, de quo Porphyrius lib. ii περὶ ἀποχῆς.

c Deiis, quæ falsò creduntur.
d De proprietate ſermonis Græci.
e In miſcellaneis.
f Etiam alia miſcellanea.

Semeronius Babylonius Perſa, (Σεμηρώνιος ὁ Βαβυλώνιος Πέρσης) citatur à Chronici Alexandrini auctore *g*: qui ex eo refert, ut Perſeus, Danaës filius, occiderit magnum illum Sardanapalum, regnoque ab Aſſyriis ablato, Perſarum nomen impoſuerit genti.

g Pag. 88.

Semus, Σημὸς vel Σῆμος, Eleus grammaticus, ſcripſit octo libros Deliacos, libros duos periodorum, unum de Paro, unum de Pergamo, item de pæanibus; ut auctor eſt Suidas. Primi operis, hoc eſt Δηλιάδος *h*, liber quartus citatur ab Athenæo libro iv; quinctus penè initio libri xiv; uti ſextus ab eodem initio libri octavi; octavus autem libro tertio. Opus περὶ παιάνων *i* idem celebrat lib. decimoquarto; ubi Delius vocatur. Σῆμος *k* ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ παιάνων φησί. Apud eundem libro iii legas: Σῆμος *l* ὁ Δήλιος ἐν δευτέρῳ νησιάδος. Unde veriſimile fit, inſcriptionem integri operis fuiſſe, *De inſulis*: at librum de Paro, cujus meminit Suidas, fuiſſe ejus operis partem. Fragmentum Deliacorum adfert Stephanus in Τέγυρα, his verbis: Σῆμος *m* ὁ Δήλιος· Τὴν Ἀπόλλωνος γένεσιν, οἱ μὲν ἐν Λυκίᾳ, οἱ δ' ἐν Δήλῳ, οἱ δ' ἐν Ζωστῆρι τ͂ Ἀττικῆς, οἱ δ' ἐν Τεγύρᾳ τ͂ Βοιωτίας φασίν. Celebrat & Semum hunc Apollonii ſcholiaſtes lib. i. Apud Etymologum quoque in Βίβλινος legitur quidem vulgò: Σῆμος *n* ἐν τῇ ἕκτῃ τ͂ Ἰλιάδος, ἐν Νάξῳ φησὶ ποταμὸν Βίβλινον, ἀφ' ȣ͂ καλεῖσθαι οἶνον Βίβλινον. Sed legendum, Σῆμος *o* ἐν τῇ ἕκτῃ τ͂ Δηλιάδος; ut jam Sylburgio obſervatum.

h Operis de Deli inſulæ rebus.
i De pæanibus.
k Semus Delius libro de pæanibus ait.
l Semus Delius libro ſecundo de inſulis.
m Semus Delius: Apollinis, inquit, genus, aliqui in Lycia, alii in Delo, nonnulli in Zoſtere, iſthmo Atticæ, quidam in Tegyra Bœotiæ eſſe ajunt.
n Semus in ſexto Iliados ait, in Naxo eſſe fluvium Biblinum; à quo & vinum Biblinum vocant.
o Semus in ſexto Deliadis.

Serapio terrarum orbem deſcripſit. Cicero lib. ii ad Att. epiſt. vi: *A ſcribendo prorſus abhorret animus. Etenim γεωγραφικὰ, quæ conſtitueram, magnum opus eſt. Ita valde Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione, & ab Hipparcho, reprehenditur.* Eſt is Serapio Antiochenſis. Eo enim ſcriptore uſum ſe profitetur Plinius in Elencho ſcriptorum libri iv Hiſt. Nat. quo gentes, oppida, maria, locaque alia, exponit. Alius eſt Serapio Aſcalonita, qui de interpretatione ſomniorum ſcripſit. Fulgentius lib. i Mytholog. fab. de Daphne ſive lauro: *Amica Apollinis ob hanc rem vocitata eſt, quia illi, qui de interpretatione ſomniorum ſcripſerunt, ut Antiphon, Philocrus, & Artemon, & Serapion Aſcalonites, promittant in libris ſuis, laurum ſi dormientis ad caput poſuerit, vera ſomnia eſſe viſuros.*

Silenus etiam celebratur Dionyſio Halic. lib. i Antiquit. ubi non debitâ curâ ac diligentiâ, ſed ex fortuitis rumoribus, hiſtoriam dicitur compoſuiſſe. Res verò enarraſſe Romanas, non obſcurè ex eodem cognoſcimus. Meminit & Livius lib. xxvi: *Scorpiones majores, minoreſque, ad* lx *captos ſcripſerim; ſi auctorem Græcum ſequar, Silenum.* Sermo eſt de rebus ab Africano majore in Hiſpania geſtis. Neque cauſſam video, cur alius exiſtimetur Σιληνὸς *a* ὁ συγγραφεὺς, cujus meminit Strabo lib. iii; ubi ait, eum juxtà, ac Artemidorum, ignoraſſe cauſſam, cur Gadibus fons in templo Herculis contrario planè modo affectus ſit, ac mare. Nam aqua ejus fontis, exundante mari, deficit; defluente mari, augetur. Calatianum fuiſſe, deque rebus Siculis ſcripſiſſe, cognoſcere eſt ex iſtis Athenæi verbis lib. xii: Σιληνὸς *b* ὁ Καλλατιανὸς ἐν τρίτῳ Σικελικῶν. Ac perſuaſum habeo, idem opus intelligi à Laërtio in Anaxagoræ vita; ubi è tertio hiſtoriarum Sileni teſtimonium adducit. Nec alius eſt, cujus librum ſecundum de Ætna Stephanus laudat: aut quem de Aphrodiſiade inſula teſtem producit Plinius lib. iv cap. xxii. At non æquè apertum, an ejuſdem fuerint Gloſſæ, quarum Athenæus mentionem facit lib. xi, & xiv: item Apollonii ſcholiaſtes in lib. i. Contexuit & fabuloſas hiſtorias, teſte Tzetze *c* in Lycophr.

a Silenus hiſtoricus.
b Silenus Calatianus libro tertio de rebus Siculis.

Simmeas, vel Simmias, τ͂ οἰκουμένης περίπλουν *d* compoſuit: ut cognoſcimus ex epitome undecim librorum Artemidori Epheſii. Alius eſt à Simmia Rhodio poëta, de quo alibi dictum.

c P. iii.
d Orbis univerſi periplum.

Socrates ἐν *e* τῷ πρώτῳ τ͂ Διαδοχῆς celebratur Laërtio in Diogene. Etiam Σωκράτης ἱστορικὸς *f* περιήγησιν Ἄργους γεγραφὼς laudatur à Laërtio in Socrate, & ſemel iterumque à Plutarcho in Quæſtionibus Romanis. Ac ab eodem Plutarcho in Parallelis cap. xviii citatur Socrates in ſecundo de Thracibus. Ariſtophanis ſcholiaſtes teſtimonium petit ex Socratis duodecimo Creticorum. Sed fortaſſe quædam horum ſunt Socratis Rhodii; de quo dictum lib. i. cap. v. Alius eſt ὁ γραμματικὸς *g* Σωκράτης, Etymologo laudatus in Εὔβοια. Et fortaſſe is ſignatur ab Apollonii ſcholiaſte in lib. iv. Fuit & Socrates Cous, quem indigitamenta, hoc eſt preces, quibus Dii invocantur, feciſſe, autor eſt Laërtius. Et placet opinio eorum, qui hujus putant eſſe librum περὶ ὁσίων *h*, Plutarcho memoratum lib. de Iſide, & Oſiride.

e Libro primo de ſucceſſione philoſophorum.
f Hiſtoricus, qui Argos diligenter deſcripſit.
g Socrates grammaticus.
h De ſanctis.

Sophænetus, Σοφαίνετος, memoriæ tradidit Κύρȣ ἀνάβασιν *i*, quam Stephanus in Καρδȣ͂χοι, & alibi, citat.

i Cyri expeditionem.

Sophis chronologus nominatur Io. Tzetzæ Chil. v, initio hiſtoriæ primæ.

Sorani, profeſſione medici, tres fuerunt. Primus Epheſius, Menandri, & Phœbes filius, Alexandriæ etiam verſatus; quem & Romæ medicinam feciſſe ſub Trajano, & Adriano, multaque erudita de arte ſua literis mandaſſe, ex Suida cognoſcimus. Eſtque is, cujus meminit Galenus libro de ſectis. Alter item Epheſius, ſed ætate junior; qui Γυναικείων *k* libros quatuor reliquit; eodem Suida teſte. Unde hodieque fragmentum ſupereſt περὶ μήτρας *l*. καὶ γυναικείου αἰδοίου; quod unà cum Rufo Epheſio edidit Adrianus Turnebus. Tertius eſt Cilix, cognomento Mallotes: quem ex antiquioribus poſt Hippocratem maximè probabat Aſclepiodotus, philoſophus idem, & medicinam edoctus; ut idem Suidas docet. Iſagoge medica, quæ ſub Sorani Epheſii nomine Baſileæ à Cratandro edita eſt, Sorani Cilicis eſſe creditur à nonnullis: ut ab Lonæo Boſcio, Matheſios, & Medicinæ profeſſore Ingolſtadienſi, orat. de medicinæ auctoribus. Sed nullius eſt ex tribus iſtis; verùm Latini ſcriptoris; ut in Originum libris oſtendimus. Cæterùm Soranus Epheſius junior, etiam Suida teſte, reliquit βίους *m* ἰατρῶν, καὶ αἱρέσεις; qua de cauſſa & de Sorano ſuperiora diximus. Ex eo Vitarum libro exſtat vita Hippocratis; quæ Coo huic ſeni ſubjungi ſolet. Etiam pluſcula ex ea refert Tzetzes Chil. viii, Hiſtor. clv.

k Muliebrium.
l De matrice, & muliebri pudendo.
m Medicorum vitas, & ſectas.

Soſander Indica conſignavit. Σώσανδρος *n* ὁ κυβερνήτης τὰ κατὰ τ͂ Ἰνδικὴν γράψας, ut eſt in epitome Artemidori Epheſii, quæ cum Marciano Heracleota in lucem prodiit.

n Soſander gubernator, qui res Indicas ſcripſit.

Soſicrates libros reliquit de rebus Cretenſibus. Athenæus lib. vi: Σωσικράτης *o* ἐν δευτέρῳ Κρητικῶν. Meminit ejuſdem operis Michaël Apoſtolius Cent. vii Prov. xxxvii. Idem ſignat Strabo lib. x, ubi de Creta, agere incipit. Athenæus lib. xi ejuſdem Φιλάδελφος, citat. Scripſit quoque de philoſophorum ſucceſſione. Idem Athe-

o Soſicrates Creticorum ſecundo.

Athenæus lib. IV. Σωσικράτης ἐν τρίτῳ φιλοσόφων διαδοχῆς *a*. Meminit & Laërtius, cùm alibi *b*, tum in Myſone; ubi legas, Σωσικράτης ἐν διαδοχαῖς *c*. Fuiſſe Rhodium, colligo ex eodem Laërtio in Ariſtippo; ubi à Soſicrate Rhodio proditum ait, nihil literis mandâſſe Ariſtippum. Nam etſi non ignoro, fuiſſe & Soſicratem Phanagoritem, cujus Oἶοι citantur ab Athenæo lib. XIII: ac præterea Soſicratis Cyciceni meminerit Fulgentius in Mythologia: tamen iſta ex διαδοχαῖς *d* Soſicratis à Laërtio adferri, ſatis eſt manifeſtum. Mentionem etiam Soſicratis cujuſdam facit Fulgentius Planciades in expoſitione ſermonis antiqui, voce *Neſrendes*. Verba ejus ſunt: *Diophantus Lacedæmonius, qui de ſacris Deorum ſcripſit, ait; apud Athenas Marti ſolere ſacrificari ſacrum, quod* ἑκατομφόνια *appellatur. Siquis enim centum hoſtes interfeciſſet, Marti de homine ſacrificabat apud inſulam Lemnum: quod ſacrificatum eſt à duobus, Ariſtomene Gortynenſi, & Theocle Elæo; ſicut Soſicrates ſcribit.*

*a Soſicrates in tertio de ſucceſſione philoſophorum. b Ut in Anacharſide. c Soſicrates in Succeſſionibus. d Succeſſionibus.*

Soſimus, Σώσιμος, peperit famam volumine περὶ χρόνων *e*. Athenæus lib. XIV exinde refert, Καρνείων feſtum eſſe inſtitutum Olympiade XXVI.

*e De temporibus.*

Soſthenes Cnidius, Σωσθένης ὁ Κνίδιος, laudatur Plutarcho de Fluviis cap. de Eurota; ubi & addit, Hermogenem ab eo ſumſiſſe argumentum: longeque diligentiùs ab hoc Soſthene tractari, quæ dixerat de Eurota. Scripſit Soſthenes hic res quoque Ibericas: quarum decimum tertium librum idem Plutarchus citat cap. de Nilo.

Sozimus Priſcus, orator inſignis, inter eos eſt hiſtoricos, ex quibus ſuam decerpſit hiſtoriam Euagrius Scholaſticus: ut teſtatur Nicephorus Calliſti in proœmio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Stamis de Lesbo commentatus eſt. Brevium ſcholiorum autor in Homer. *f* Il. Γ: Στάμις ἐν τῷ περὶ Λέσβου φησί.

*f Pag. 67. edit. Herwag.*

Staphylus Naucratita memoratur in ſcholiis Apollonii Rhodii in Argon. lib. I. Scripſit de rebus Theſſalicis; unde apud eundem in IV lib. legas, Στάφυλος *g* ἐν τρίτῳ τῶν περὶ Θεσσαλίας ἱστορεῖ, &c. Similiter Harpocratio in Πενέσαι. Στάφυλος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Θετταλῶν. Nec Theſſalica ſolùm, ſed etiam Æolica, & Attica conſignavit; quod ex Harpocratione diſcimus. Item Arcadica. quæ citat Sextus Empiricus adverſus Mathematicos lib. I. cap. XII: ubi eo in opere à Staphylo proditum ait, Æſculapium propterea percuſſum eſſe fulmine, quòd curaſſet Hippolytum, fugientem è Trœzene. Meminere Staphyli hujus etiam Athenæus lib. II, Plinius Hiſtor. Nat. lib. V. cap. XXXI, ac ſcholiaſtes Homeri.

*g Refert Staphylus libro tertio de rebus Theſſalicis.*

Stephanus ἐν *h* τῷ περὶ Κύπρου citatur ab Etymologo in Σφήκεια: ubi ex eo refert, Cyprum aliter Σφήκειαν eſſe appellatam, quia inhabitarint illam, qui Σφῆκες vocarentur. Fortaſſe idem eſt, ac Stephanus Byzantinus: de quo dictum nobis lib. II, cap. XXII.

*h Libro de Cypro.*

Stephanus, Hieropolitanus Epiſcopus antiquior, in literas retulit vitam Golauduch martyris; teſte Euagrio lib. VI. cap. XIX, & Nicephoro lib. XVIII, cap. XXV. Golauduch ille, à Magis Perſis variis excruciatus tormentis, martyris coronam accepit anno DXCIII; ut eſt apud eoſdem, ac Theophylactum in Hiſtor. Mauritii Imperat. lib. V cap. XII.

Steſiclides Athenienſis, Στησικλείδης *i* ὁ Ἀθηναῖος, ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων, καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ, laudatur à Laërtio in Xenophonte.

*i Steſiclides Athenienſis in deſcriptione prætorum, & Olympionicarum.*

Sunius à Stephano teſtis adducitur in Κάρνανα. Conſignavit Ἀργολικά; quorum librum quartum citat idem in Ἐδυμαῖοι.

Syagrus, Σύαγρος, primus bellum Trojanum carmine cecinit; ut Ælianus ait Var. Hiſtor. lib. XIV cap. XXI. Sed incertum puto, utrùm fide id hiſtoricâ egerit; an, ut ab Homero poſtea eſt factum, fabulosè.

TElesarchus, Τελέσαρχος *k* ἐν Ἀργολικῷ, citatur Sexto Empirico lib. I adverſus Mathematicos cap. XII. ubi tradere eum ait, Æſculapium fuiſſe fulmine percuſſum, propterea quòd aggreſſus eſſet ſuſcitare Orionem. Atque idem refert ex eodem Teleſarcho Euripidis ſcholiaſtes in initium Alceſtidis.

*k Teleſarchus in opere de rebus Argolicis.*

Teucer Cyzicenus, Suida teſte, edidit volumen de terra aurifera, alterum de Bizantio, item Mithridaticarum rerum libros V, de Tyro totidem, totidem rerum Arabicarum; adhæc hiſtoriæ Judaicæ libros VI; præterea de ratione, quâ ephebi ſe Cyzici exercerent, libros tres; & alia. Meminit Stephanus in Βυθρωτός: Ὥς *a* φησι Τεῦκρος ὁ Κυζικηνός. Item Etymologus in Βυθρωτός; quam Epiri eſſe civitatem ex eo, quem dixi, tradit.

*a Ut ait Teucer Cyzicenus.*

Teupalus, Τεύπαλος *b* ὁ γράψας Ἰλιακά, Stephano in Ἄνδεια memoratur.

*b Teupalus, qui Iliaca ſcripſit.*

Thallum, & Caſtorem, Syriacam hiſtoriam diligenter tractâſſe, autor eſt Africanus apud Euſebium lib. X Evangel. præparat. cap. III, & Euſebius lib. I. χρονικῶν *c*. Meminere & Thalli Juſtinus Martyr cohortatione ad gentes, Tertullianus in Apologet. cap. X, & XIX. Minutius Felix in Octavio, Lact. lib. I. cap. XIII, & XXIII &c.

*c Pag. 14. Theſ. Temp.*

Theagenes Carica & Macedonica prodidit. Illorum mentionem facit Stephanus in Καρικά: horum in Ἄλκος, Βάλλα, & Ἐλδόθρειος. Theagenis meminit & Etymologus in Βεβαιοῦ. Sed is grammaticus fuit: credo Θεαγένης *d* ὁ εἰς Ὅμηρον γράψας, ut Suidæ vocatur in Ῥηγῖνος. Pro quo ſcholiaſtes Ariſtophanis in Aves, Θεαγένης *e* ὢν μὲν ὁ περὶ Ὁμήρου γράψας.

*d Theagenes, qui in Homerum ſcripſit. e Theagenes, unus eorum, qui in Homerum ſcripſere.*

Themiſon in Pallenide citatur ab Athenæo lib. VI. Cenſeo, alium eſſe à nobili medico, cujus ſæpius meminit Plinius in hiſtoria naturali.

Themiſtagoras auctor fuit Aurei libri. Ita enim inſcripſit. Hiſtoricum, ex parte ſaltem, opus id fuiſſe, conjecturâ ducor, propter ea, quæ inde narrat Etymologus in Ἀστυπάλαια. Verba apponam: Πάτροκλος, καὶ Τεμβρίων, ἀποικίαν στείλαντες εἰς Σάμον, πρὸς τοὺς ἐνοικοῦντας Κᾶρας κοινωνίαν θέμενοι, ᾤκησαν παρὰ τὸν Σχήσιον ποταμόν, καὶ εἰς δύο φυλὰς τὴν πόλιν διείλοντο. ὧν τὴν μὲν Σχησίαν ὠνόμασαν, ἀπὸ τοῦ Σχησίου ποταμοῦ παρακειμένου τῇ πόλει· τὴν δὲ, Ἀστυπάλαιαν, ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἄστεος ὄντος αὐτόθι. οὕτω Θεμιστάγορας ἐν τῇ Χρυσῇ βίβλῳ. *Patrocles, & Tembrio, coloniis miſſis in Samum, initâque ſocietate cum Caribus, qui eam inhabitabant, domicilium habuere propter Schesium fluvium, inque tribus duas urbem ſunt partiti quarum illam quidem Scheſiam nominarunt, à Scheſio fluvio prope urbem ſito: hanc verò dixere Aſtypalæam, ab urbe veteri, quæ ibi erat. Atque ita Themiſtagoras in Aureo libro.*

Theochreſtus, Θεόχρηστος *f*, ἐν πρώτῳ Λιβυκῶν, teſtis laudatur ab Apollonii interprete in lib. IV. Ac meminit quoque ejus Plinius in elencho ſcriptorum, quibus uſus in concinnando libro ultimo Hiſtoriæ Naturalis.

*f Theochreſtus libro primo rerum Libycarum.*

Theocritus quiſpiam inter hiſtoricos recenſetur à Fulgentio Μυθολογικῶν lib. I cap. de Perſeo, & Gorgone; ubi ait: *Theocritum antiquitatum hiſtoriographus refert, Phorcum fuiſſe regem, qui tres filias locupletes reliquit.*

Theodorus Daphnopates, Θεόδωρος ὁ Δαφνοπάτης, hiſtoriam ſui temporis emiſit in lucem: ut conſtat ex Cedreno, in proœmio; item Joanne Curopalate, itidem in præfat. Sed apud hunc *Theodotus* legas.

Theodorus ὁ Σίδης *g*, & Theodorus Σεβαστείας *h*, ibidem Cedreno & Curopalatæ, inter hoc ſcribendi genere claros recenſentur. Curopalatæ, (quem exſcripſit Cedrenus, ut alibi *i* dictum) verba ſunt iſta: Θεόδωρος *k* ὁ τῆς Σίδης γενόμενος πρόεδρος, καὶ ὁ τούτου ἀνεψιός, καὶ ὁμώνυμος, ὁ τῆς ἐν Σεβαστείᾳ καθηγησάμενος ἐκκλησίας. Quæ oſcitanter vertit Xylander, ut monitum Labbæo *l*. Nam priorem putavit *Sidâ oriundum*; poſteriorem verò *Auguſtum* nuncupat, quia *Auguſtus* Græcis Σεβαστός. Atqui clarè dicitur Sidæ in Pamphylia fuiſſe πρόεδρος *m*, quod idem eſt ac προεστὼς *n*, ſive ἐπίσκοπος. Alterum autem refertur præfuiſſe Eccleſiæ Sebaſtenæ. Sermo enim eſt de Sebaſte civitate, quam Latinè *Auguſtam* dixeris.

*g Sidæ. h Auguſtalis profeſſus. i Lib. 1. cap. 16. k Theodorus, qui Sidæ præſes, ſive epiſcopus fuit, eodem et ille avo natus, cognomineſque, qui Sebaſtenæ præfuit Eccleſiæ. l In declinat. Appar. ad Corpus Hiſt. Byz. pag. 51. m Præſes. n Antiſtes.*

Theodoros viginti refert Laërtius. Eorum quinctus de legiſlatoribus ſcripſit, à Terpandro initium ſumens: ſeptimus res Romanas expoſuit: decimus ſeptimus de poë-

poëtis egit. In Ariſtippo autem meminit item Theodori libri περὶ αἱρέσεων a. Apud Plutarchum in parallelis cap. XXII citatur Theodorus in Transformationibus. Ubi ex eo narrat fabellam de Cinyra, & Myrrha. Quam ipſam ex Theodoro hoc ſe hauſiſſe profitetur Stobæus ſerm. de Vituperio Veneris. Apud Athenæum quoque lib. X mentio fit Theodori Hierapolitæ, quem compoſuiſſe ait librum περὶ b ἀγώνων, unde refert, ut Milo Crotoniates viginti carnis libras, & totidem panis ederit; tres autem vini congios biberit. Alius eſt Θεόδωρος c ὁ Παναγής, qui ἐν d τῷ πρώτῳ περὶ Κηρύκων γένους citatur ab Etymologo in Ἡμεροκαλλές. Erant verò Κήρυκες iſti familia quædam Athenis, haut aliter ac Eumolpidæ: atque ut hi genus ducebant ab Eumolpo, qui τὴν μύησιν, ſive initia, invenit: ita Κήρυκες ortum habuere à Ceryce Mercurii filio. Scholiaſtes anonymus Homeri in Iliad. A. e: Ἑρμῆς f μιγεὶς Πανδρόσῳ, τῇ Κέκροπος θυγατρὶ, ἔσχεν υἱὸν ὀνόματι Κήρυκα, ἀφ᾽ οὗ τὸ τῶν Κηρύκων γένος, ὡς ἱστορεῖ Πτολεμαῖος. Hic quidem Ptolomæum; at Phaniam ejuſce rei laudat auctorem Heſychius; quem vide in Κήρυκες. Prætereà Suidam adi in Εὐμολπίδαι.

Theodorus Samothrax memoratur Ptolomæo, Hephæſtionis filio: qui ex eo retulit, Jovem natum riſiſſe ſeptem continuos dies, indeque cœpiſſe ſeptenarium haberi pro perfecto. Ita Photius in biblioth. cod. CXC. Et fortaſſe idem eſt Theodorus, ex cujus libro XXI quædam de tempore, quo Luna cœpit, refert Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV Ἀργοναυτικῶν. Niſi placet, eſſe Theodorum Colophonium, cujus poëma citat Pollux lib. IV cap. VII. Fuit & Theodorus Gadarenſis, orator: quem ſua vixiſſe ætate, Strabo ait lib. XVI. Sed omnes referre longum foret.

Theodotus memoriæ tradidit res Phœnicum; ſed linguâ Phœniciâ: at Græcè eas, ſive Χαῖτος, ſive Ἄσπος (variant enim codices) tranſtulit; teſte Tatiano orat. ad gentes, & Euſebio lib. X præparat. Euangel. Meminit & Theodoti Joſephus lib. I contra Apionem: ubi eum reponit inter gentium ſcriptores, qui Judæorum quoque meminerint in libris ſuis. Alius, puto, ab hoc is eſt Theodotus, cujus quartum adverſus Epicurum librum citat Laërtius lib. X. Alius item ὁ γραμματικὸς g Θεόδοτος, memoratus Etymologo in Ὀρίγανον.

Theognis (alius, ut arbitror, tam ab tragico, quàm eo, cujus γνώμας h habemus) volumen compoſuit περὶ i τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν: cujus ex operis ſecundo libro teſtimonium petit Athenæus lib. VIII.

Theophilus literis mandavit Italica, & Peloponneſiaca: ut conſtat è Parallelis minoribus Plutarchi: qui tertium Italicorum citat cap. XIII; ſecundum Peloponneſiacorum cap. XXXII. Etiam Theophili (ejuſdem, an alterius, non ſat ſcio) librum I περιηγήσεως advocat Stephanus in Παλική. Theophilum inter eos hiſtoricos, qui & Judæorum meminerint, reponit quoque Flavius Joſephus libro primo contra Apionem.

Theotimus in ſecundo rerum Italicarum teſtis adducitur à Plutarcho in parallelis min. cap. VIII.

Theſeus hiſtoricus illuſtrium virorum vitas conſignavit libris V: item Corinthiacorum libros tres; quo in opere Iſthmiorum ludorum inſtitutionem oſtendit. Auctor Suidas. Θησεὺς k ἐν Κορινθιακῶν τρίτῳ citatur Etymologo in Ἄργη. Etiam Theſei ex ſcriptis narratiunculam adfert Stobæus ſermone de Fortitudine.

Thomaidis, virginis ſacræ, opus eſt, Vita, & martyrium, S. Febroniæ virginis; quam habes apud Simeonem Metaphraſtem, & exinde apud Surium Tom. III, die Jun. XV.

Thoromachus Chronica reliquit: unde duo deſcripti ſunt collectionis Chronologicæ libri, qui auctorem habent Gallum quendam Caroli M. æqualem. Habes verò apud Caniſium lib. II Antiquæ Lectionis.

Thraſybulus memoratur brevium in Homerum ſcholiorum auctori, in Iliad. Π l. Ubi cùm egiſſet de Epiro, & Jove Dodonæo, ſubjungit, Δωδώνην m τὴν χώραν περιοικούντων. Ἱστορεῖ Θρασύβουλος. Niſi Θρασύλλος legendum: de quo dicam libri ſequentis cap. XVI.

a De feſtis.
b De contaminibus.
c Theodorus Panages.
d Libro primo de genere Cerycum.
e Pag. 16. edit. Baſil.
f Mercurius, ex concubitu cum Pandroſo, filia Cecropis, habuit Ceryca, à quo Cerycum genus, teſte Ptolemæo.
g Theodotus grammaticus.
h Sententias.
i De ſacrificiis Rhodiis.
k Theſeus in tertio Corinthiacorum.
l P. 276. edit. Baſil.
m Dodonam regionem appellarunt. Rem narrat Thraſybulus.

Timagenes Syrus res Gallicas prodidit; inque eo opere multa mutuatus eſt à Calliſthene Sybarita. Plutarchus de Flum. cap. de Arari: Καθὼς a ἱστορεῖ Καλλισθένης ὁ Συβαρίτης ἐν ιγ´ Γαλατικῶν, παρ᾽ οὗ τὴν ὑπόθεσιν εἴληφεν Τιμαγένης ὁ Σύρος. De iſtis Gallicarum rerum commentariis locum etiam illuſtrem habemus apud Ammianum Marcellinum lib. XV. *Ambigentes ſuper origine primâ Gallorum ſcriptores veteres, notitiam reliquere negotii ſemiplenam: ſed poſtea Timagenes, & diligentiâ Græcus, & linguâ, quæ diu ſunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cujus fidem ſecuti, obſcuritate dimotâ, eadem diſtincte docebimus, & aperte.* Caſaubonus in lib. IV Strabonis, & Paullus Merula, Coſmographiæ ſuæ part. II lib. III cap. I, videntur putâſſe, diſſentire Ammianum à Plutarcho, quia hic Græcum, ille Syrum vocet. Sed Ammianus Græcè quidem ſcripſiſſe dicit; origine autem Græcum fuiſſe, minimè addit. Interim non dubium, quin ille, Straboni in IV memoratus, ſit hic Gallicarum rerum ſcriptor. Nam loquitur de theſauris Toloſæ in Galliis à Cæpione inventis; quos partem eſſe pecuniarum dicit, à Gallis ablatarum Delphis. Alius ab hoc Timagene Syro eſt Timagenes Mileſius, hiſtoricus, & orator, ut eum vocat Suidas. Hunc potiùs ſignat Strabo lib. XV; ubi ex Timagene quiddam de Hyperboreis refert. Nihil enim illud ad res Gallicas pertinet; ſed ad Periplum, quem deſcripſit Timagenes alius. Vide quæ dicebamus lib. I cap. XXIV.

Timochares, Τιμοχάρης b ἐν τοῖς περὶ Ἀντιόχου citatur Euſebio lib. IX c de præparat. Euangel. ubi ex eo Hieroſolyma deſcribit. Pluribus libris volumen id conſtitiſſe, oſtendit, quòd ibidem ex primo ejus operis libro teſtimonium petit. Alius, puto, Timochares eſt ſcholiaſtæ Arati laudatus; quo loco octo ab eo ſtatui Lyræ ſtellas docet.

Timolaus Phrygiaca edidit, teſtante Plutarcho de fluminibus, cap. de Mæandro.

Timomachus in Κυπριακοῖς d citatur ab Athenæo lib. XIV.

Timonax Τιμώναξ e ἐν πρώτῳ περὶ Σκυθῶν citatur Apollonii ſcholiaſtæ in lib. IV, & eopſe libro, Τιμώναξ f ἐν πρώτῳ τῶν Σικελικῶν.

Timotheus Athenienſis volumine claruit de vitis. Laërtius in Platone: Ἰσχνόφωνος g ἦν (ὁ Πλάτων,) ὡς καὶ Τιμόθεος φησὶν ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ Βίων. Idem in Ariſtotele: Οὗτος h γνησιώτατος τῶν Πλάτωνος μαθητῶν, τραυλὸς τὴν φωνὴν, ὥς φησι Τιμόθεος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ Βίων. Meminit & ejus operis in Zenone. Item in Speuſippo, ubi patriæ nomen reticet. Planè autem puto, non alium eſſe à Timotheo illo, cujus Ἀργολικὰ i citat Plutarchus de Flum. cap. de Inacho: item undecimum de fluminibus, cap. de Hebro. Nec alium cenſeo, qui memoratur Dionyſio in Euſtathii περιήγησιν. At omnino diverſus Timotheus, gentilis Theologus, de quo Arnobius lib. V: *Apud Timotheum, non ignobilem Theologorum virum, nec non alios æquè doctos, ſuper magnâ Deorum matre, ſuperque ſacris ejus, origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatque) myſteriis.* Inde bene longam ex eo narrationem texit de Jove, matre Berecynthiâ, Alceſti, aliiſque ad Phrygiorum Deorum hiſtoriam pertinentibus: ex quibus, cujuſmodi cætera Theologi iſtius fuerint, non difficile eſt conjectare. Eſt & alius Timotheus Chronographus, homo Chriſtianus, qui de initio rerum, ac Deo, præclarè ſcripſit: ut cognoſcimus ex iis, quæ inde refert Georgius Cedrenus in Hiſtorico compendio. Claudit verò præclarum illum locum his k verbis: Ταῦτα l Τιμόθεος συνεγράψατο ὁ χρονογράφος, λέγων, τὸν Ὀρφέα πρὸ τοσούτων χρόνων εἰρηκότα, τριάδα ὁμοούσιον δημιουργῆσαι τὰ πάντα. Alius quoque eſt Timotheus Gazæus; de quo lib. II cap. XXI.

Timoxenus ἐν τῷ περὶ λιμνῶν m laudatur ab Æſchyli ſcholiaſte in Perſas n. Sed legendum περὶ ο λιμένων.

a Ut refert Calliſthenes Sybarita lib. decimatertio rerum Gallicarum; à quo argumentum accepit Timagenes Syrus.
b Timochares volumine, quod de Antiocho rebus ſcripſit.
c P. 265. edit. Rob. St.
d Cypriacis.
e Timonax in primo de Scythis.
f Timonax in primo de rebus Siculis.
g Vox Platonis erat gracilis, ut ait Timotheus Athenienſis in opere de vitis.
h Hic, præcipuus Platonis diſcipulus, voce gracili fuit, ut in libro de vitis ait Timotheus Athenienſis.
i Res Argolicas.
k Pag 47.
l Hæc ſcripſit Timotheus chronographus, qui ait, ante ſecula tam multa Orphea dixiſſe, Trinitatem conſubſtantialem creâſſe univerſa.
m De paludibus, ac ſtagnis.
n P. 139.
o De portubus.

Triſi-

*a De opidis conditis.*

Triſimachus condidit κτίσεων *a* libros; quorum tertium citat Plutarchus in Parallelis min. cap. VI.

Trophilus reliquit Collectanea mirabilium narrationum: ex quibus quatuor loca excerpſit Stobæus ſerm. de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Etſi autem iſtæ ad naturæ hiſtoriam pertineant: tamen inſcriptio facit, ut, alias etiam eo opere complexum eſſe, veriſimile fiat.

ULpianus Arabica ſcripſit, quorum meminit Stephanus in Τάηνοι. Sed, quis ſit iſte Ulpianus, haut facile dictu eſt. Nam & fuit ejus nominis Antiochenus ſophiſta, qui Conſtantini imper. temporibus vixit; & alter Emeſenus; & alius, Gazæus, & præterea Iſidori frater: quos quatuor Suidas refert. Ut de Ulpiano Tyrio, uno ex collocutoribus Athenæi, & de Domitio Ulpiano JC. nihil nunc dicam.

Uranius in Αἰακιδῶν ſecundo teſtis adducitur à Stephano in Αἰαμλών. Compoſuit præterea Arabica; quorum primum idem laudat in Αὔαθα, ſecundum in Αἰαvῖνε, & Τάηνοι, tertium in Α᾿βασlωοl, & Α᾿τεραμῖται. Tertium quoque ejuſdem operis citat Io. Tzetzes Chil. VII. Hiſt. CXLIV. Ubi ex eo refert, calamos in Arabia eſſe tantæ magnitudinis, ut in iis reges, eorumque uxores, & liberos, condiant unguento, iiſque pro ſepulchro utantur. Meminit & Uranii Euſtathius in παρεκβολαῖς Dionyſii ad verſum XXXVIII: Φησὶν *b* ὁ ὑπὸ ... τοῦ γράψαντι τὰ ἐθνικά, Οὐράνιός τις ὀνομαζόμενος, ὅτι τὰ παρακείμενα ὄρη δεινῶς ἐρυθραίνεται.

*b Ait ille, qui in Ethnicorum ſcriptorem commentarium edidit (Uranius is nominatur) adjacentes montes admodum eſſe rubros.*

Varinus, & Armenius, ab oblivione vindicarunt martyrium SS. Chryſanthi, & Daræ. Habes apud Simeonem Metaphraſtem, & exinde apud Surium Tom. V. die XXV Oct.

XEnagoras hiſtoricus celebratur à Dionyſio Halicarnaſſenſi lib. I. Antiqu. Rom. quo loco de Urbis origine tractat. Scripſit Chronicon. Harpocration in Κεραμικεῖς: Ξεναγόρας *c* ἐν τετάρτῳ χρόνων ἱστορεῖ. Ubi in quibuſdam libris περὶ χωμῶν: ac dubitat Mauſſacus, an non ea lectio debeat præferri. Sed omnino rectum eſt χρόνων. Nam ſimiliter Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV: Καὶ *d* Ξεναγόρας ἐν πρώτῳ χρόνων. Opere iſtoc traditum ait non Phrygas, ut Herodotus voluit, ſed Ægyptios, eſſe omnium antiquiſſimos; primaſque fuiſſe conditas Thebas in Ægypto. Quæ & Leandri Nicanoris Cyrenæi, & Archemachi, & aliorum fuiſſe ſententia ibidem dicitur. Memoratur quoque Macrobio lib. V. Saturn. cap. XIX: *Sed & Xenagoras in tertia hiſtoria ſua de loci divinatione ita ſcribit:* Καὶ οἱ Σικελοὶ τῆς γῆς ἀφορούσης ἔθυσάν τινι ἥρωι, προστάξαντος αὐτοῖς τοῦ ἐκ Παλικῶν χρηστηρίου, καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλικῶν ἐνέπλησαν. Eorum verborum mentem ſic paullo antè expreſſerat Macrobius ipſe: *Cum Siciliam ſterilis annus areſeciſſet, divino Palicorum reſponſo admoniti Siculi heroi cuidam certum ſacrificium celebraverunt: & revertit ubertas; quâ gratiâ Siculi omne genus frugum congeſſerunt in aram Palicorum.* Unde ait liquere, cur Maro dicat in nono:

*c Refert Xenagoras libro quarto de temporibus.*

*d Et Xenagoras in primo de temporibus.*

—— *Pinguis ubi, & placabilis ara Numici.*

In Vaticana bibliotheca exſtare dicitur liber Xenagoræ de inſulis. Imò Ξεναγόρας *e* ἐν τῷ περὶ νήσων citatur ab Etymologo in Σφήκεια. Hoc ex libro abſque dubio erit, quod Xenagoræ acceptum refert Plinius lib. V. cap. XXXI. nempe Cyprum inſulam priùs fuiſſe dictam, & Aſpeliam, & Amathuſiam, & Macariam. Idem ejus meminit in elencho ſcriptorum, è quibus confecit librum IV, & VII. Nec dubium, quin idem opus Stephanus ſignet in Καρπασία, & Χυτροί. Utraque enim eſt Cypri civitas. Etiam inde eſſe puto, quòd Apollonii ſcholiaſtes in I Α᾿ργοναυτ. refert, Sicinum, ſive Sicenum, maris Ægæi inſulam, hoc nomen accepiſſe à Sicino, Thoantis, & Neidis nymphæ, filio. Ante enim à vini copia dicebatur Οἰνόη, ut apud Plinium ſcriptum invenitur lib. IV Hiſt. Nat. cap. XII, & Stephanum in Σίκινος. Metri cauſâ Οἰνοίην

*e Xenagoras in libro de inſulis.*

appellat Apollonius lib. I Α᾿ργον. Nec ex alio, quàm iſtoc de inſulis opere fuerit, quod Michaël Apoſtolius Centur. XI Proverb. XXIV à Xenagora ſcriptum teſtatur, Tyrrhenicis inſulis, nomine Pithecuſis, id nomen inditum eſſe à Pithecis, qui aliter Cercopes dicuntur.

Xenſon, Ξενίων, Cretica conſcripſit. Citat Stephanus in Α᾿ρκάδες, & Δρέρος: item Etymologus in Α᾿ρκίσιον. ubi legas: Οὕτω *a* Ξενίων ἐν τοῖς περὶ Κρήτης. Idem Italica condidit. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. IX: *Xenon* (leg. Xenion) *primo Italicôn tradit, Ianum in Italia primum dîs templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum: ideo eum in ſacrificiis præfationem meruiſſe perpetuam.*

*a Sic Xenion libro de Creta.*

Xenocrates chronica edidit. Etymologus in Α᾿συρία: Τὸ μὲν *b* πρῶτον ἐκαλεῖτο Εὐφράτις, ὕστερον δὲ Χαλδαία· τὸ τελευταῖον δὲ ἀπὸ Α᾿σσύρου τοῦ Σύρου Α᾿συρία. Quis iſte Xenocrates fuerit, haut conjecturâ aſſequi poſſum. Nam præter Chalcedonium (de quo vidimus lib. I cap. VIII.) fuit & Xenocrates Epheſius; cujus meminit Plinius lib. XXXVII cap. II: *Mirum & , quod Xenocrates tradit Epheſius, aratro in Aſia, & Cypro, excitari cryſtallum. Non enim inveniri in terreno, nec niſi inter cautes, credum fuerat. Similius vero eſt, quod idem Xenocrates tradit, torrentibus ſæpe deportari.* Hunc Neronis, & Veſpaſiani ætate vixiſſe, cognoſcimus ex iſtis, quæ aliquanto pòſt eodem capite ſcribit: *Theophraſtus (credit) Oceano exæſtuante ad Pyrenæi promuntorium ſuccinum ejici: quod & Xenocrates credidit; qui de iis nuperrimè ſcripſit.* Fuit & Xenocrates Aphrodiſienſis; qui de animalibus commentatus eſt, &, quâ re unumquodque eorum ſanetur, prodidit. Auctor Artemidorus lib. IV Oneirocriticôn cap. XXIV. Fuit & Xenocrates inſignis pingendi, & cælandi artifex; de quo Plinius lib. XXXIV cap. VIII: *Xenocrates, Tiſicratis diſcipulus, aut, ut alii, Euthycratis, vicit utroſque copiâ ſignorum, & de ſuâ arte compoſuit volumina.* Quo ex loco ejus ætatem ſimul cognoſcimus. Nam Tiſicrates ille diſcipulus fuit Lyſippi; ut eodem capite dicitur. Lyſippus autem Alexandri M. fuit æqualis. Ergò Xenocrates hic vixerit temporibus Ptolomæi Philadelphi. Commentatum eſſe de arte pingendi, idem Plinius repetit lib. XXXV cap. X: *Hanc Parrhaſio gloriam conceſſere Antigonus, & Xenocrates, qui de picturâ ſcripſere.*

*b Primùm vocabatur Euphratis, poſtea Chaldæa, ac poſtremo Aſſyria ab Aſſuro, Sýri filio: ut Xenocrates ait lib. primo Chronicorum.*

Xenophon Athenienſis, ſed alius ab nobili illo Grylli filio, frater Pythoſtrati ejus, qui Theſeidos poëma compoſuit, inter cætera Epaminondæ, ac Pelopidæ quoque vitam conſignavit; teſte Laërtio in Xenophonte.

Ab eodem Laërtio & alter Xenophon commemoratur, qui Annibalis hiſtoriam literis tradiderit.

Item alius fuit μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένος *c*, eodem teſte.

*c Qui de prodigiis fabuloſis tractârit.*

Suidæ etiam commemoratur Xenophon Antiochenus, hiſtoricus, qui Babylonica condidit. Sunt autem amatoria. Item Xenophon Epheſius hiſtoricus, qui Epheſiaca compoſuit. Sunt hi decem libri amatorii de Habrocoma, & Anthia. Adhæc opus reliquit de urbe Epheſiorum, & alia. Item Xenophon Cyprius hiſtoricus, cujus ſunt Cypriaca. Et hæc amatoria fuere de Cinyra, & Myrrha, & Adonide.

Præter tres iſtos Laërtio, & tres Suidæ memoratos, eſt etiam Xenophon Lampſacenus, geographus, ut videtur. Plinius lib. IV, cap. XIII: *Xenophon Lampſacenus à littore Scytharum tridui navigatione inſulam eſſe immenſæ magnitudinis Baltiam tradit.* Et lib. VI cap. XXXI: *Contra hoc promontorium (quod vocavimus* Ἑσπέριον κέρας*) Gorgates inſulæ narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui navigatione diſtantes à continente; ut tradit Xenophon Lampſacenus.* Meminit quoque Solinus cap. XXII: ubi idem ex eo de Baltia narrat. Item cap. LX. ubi ait: *Prodidit denique Xenophon Lampſacenus, Hannonem, Pœnorum imperatorem, in eas* (Gorgonum inſulas) *permeâſſe; repertaſque ibi feminas alitis pernicitate; atque ex omnibus, quæ apparuerant, duas captas, tam hirto atque aſpero corpore, ut ad argumentum ſpectanda rei duarum*

*rum cutes, miraculi gratia, inter donaria Junonis ſuſpenderit: quæ duravere uſque ad tempora excidii Carthaginenſis.* Quæ & ipſa ex Hannone refert Plinius, loco, quem proximè dicebamus.

Xenophon etiam, neſcio quis, περίπλουν a in literas retulit: unde de longiſſimâ ætate Latmiorum regis quiddam refert Plinius lib. VII. cap. XLVIII. Vide de eo & Salmaſium in Solinum b initio cap. III, ſive veteris diſtinctionis cap. I: ubi de diviſione anni agere incipit.

*a Maris circumnavigationem.*
*b Pag. 17.*

Zeneus Chius de Chio inſula volumen edidit. Athenæus lib. XIV: Ζήνις c, ἢ Ζηνόδις φησὶν ὁ Χῖος ἐν τῷ περὶ τῆς πατρίδος συγγράμματι.

Zenodotus Trœzenius Umbricam hiſtoriam condidit. Dionyſius Halic. lib. II. Antiq. Ζηνόδοτος δ' ὁ d Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους. Suſpicari autem liceat, eundem eſſe, ex quo Solinus cap. VIII tradit, Præneſte ita dici à Præneſte, Latini filio, Ulyſſis nepote: quam nominis ejus cauſſam etiam legere eſt apud Stephanum in Πραίνεστος, & Martianum Capellam lib. VI. Alius eſt Zenodotus Ætolus, Cæſari Germanico memoratus penè initio commentarii in Arates Phænomena. Item Zenodotus Theophilus; ex quo de Phalange, & Arachne, quædam narrat Nicandri interpres in Theriaca. Alius quoque eſt Zenodotus Epheſius: item alius Zenodotus Alexandrinus. De utroque Suidam adi.

*c Zenis, vel Zenonis Chius, ait in commentatione de patria.*
*d Zenodotus autem Trœzenius, qui Umbricæ gentis hiſtoriam ſcripſit.*

Zenothemis à Tzetze Chil. VII. Hiſt. CXLIV. inter eos citatur, qui carmine aliqua tradidere de mirificis ac fabuloſis hominum formis in terris remotis. Ac mox ejus περίπλουν laudat, indeque duos adfert verſus hexametros. Meminit quoque Plinius lib. XXXVII. cap. II: ubi ab eo proditum ait, ſuccinum vocari *langurium*, quia fiat ex urina beſtiarum circa Padum, quæ *langa* vocentur. Idem ejuſdem libri cap. VI, tribus in locis, eum teſtem citat ſuper ſarda, & onyche. Adhæc Ælianus lib. XVII. de natura animal. cap. XXX. narrat ex eo, ut in palude Mæonide ſint piſces, quibus etiamnum palpitantibus boves non minùs lubenter veſcantur, quàm fœno: ſed ab iis mortuis planè dicit abhorrere.

Zopyrion is, qui Flavio Joſepho celebratur lib. I. contra Apionem, ubi & Judæorum meminiſſe ait, hiſtoricus fuiſſe videtur. At grammaticus is erat, qui partem principem fecerat Prati vocabulorum: nempe illam ab A uſque ad E. Nam ſequentia Pamphilus collegerat: ut ex iis conſtat, quæ in frontiſpicio Suidæ legere eſt.

Zopyrus Byzantius hiſtorias ſcripſit: quarum lib. tertium citat Plutarchus in parallelis minoribus cap. XXXVI. Idem, puto, eſt Zopyrus, cujus meminit Marcellinus in vita Thucydidis. At alius eſt Zopyrus Heracleota, cujus craterem eſſe ferunt, Orpheo inſcriptum; ut ex Clemente Alexand. diſcimus. Meminit & Zopyri oratoris Laërtius in Timone, qui æqualis fuit Timoni; ut Ptolomæi Philadelphi temporibus vixerit. Mentio item fit Zopyri, neſcio cujus, apud Stephanum in Ἀφροδισιάς; ubi ex Zopyro ait, ab Alexandro Polyhiſtore proditum eſſe, Aphrodiſiada, Ciliciæ civitatem, nomen hoc ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης a accepiſſe. Etiam Harpocrationi in Ἑρμῆς citatur Ζώπυρος b ἐν τοῖς περὶ ποταμῶν. Ac Suidas in Ψιθυριστοῦ tradit ex Zopyro, templa à Theſeo fuiſſe erecta Mercurio Ψιθυριστῇ c, & Amori, ac Veneri, poſtquam deprehendiſſet, calumnias eſſe, quæ mariti auribus adverſus Hippolytum inſuſurrâſſet Phædra.

*a A Venere.*
*b Zopyrus in libris de Fluviis.*
*c Suſurroni.*

Zoroaſtres magus collectanea ſacra ſcripſit rerum Perſicarum, memorata Euſebio extremo libro primo Præparat. Euangelic. Καὶ d Ζωροάστρης δὲ ὁ μάγος ἐν τῇ ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν Περσικῶν φησὶ κατὰ λέξιν. Subjicit deinde verba Zoroaſtris de Deo. Videtur id opus de ſola Perſarum religione egiſſe; atque idcirco vocatum ἱερὰ e συναγωγή. Quin Zoroaſtres autem hic ſive quiſquis hoc nomine eum inſcripſit librum, longè recentior ſit Bactrianorum rege, mago & ipſo, quicum poſtremum Ninus bellum geſſiſſe dicitur; minimè mihi dubium eſt. Olim tamen de eo dubitatum videtur; ut ex his Plinii verbis liquet lib. XXX. cap. I: *Magia ſine dubio orta in Perſide à Zoroaſtre. Sed unus hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatis conſtat.* De junioris Zoroaſtræ ſcriptis aliis, ſeu veris, ſeu fictis, Suidam adi; qui eum cum antiquo confundit.

*d Et Zoroaſtres magus in ſacra collectione Perſicorum ſic ait ad verbum.*
*e Sacra collectio.*

FINIS LIBRI TERTII.



Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS GRÆCIS
# LIBER IV.

## Caput I.

*Novum initium de iis, qui ante bellum Peloponneſiacum fuerunt. Siſyphus Cous. Corinnus. Dares Phrygius. Dictys Cretenſis. Judicium de ſcriptoribus, qui duorum horunce nomina ementiuntur. Simmias Rhodius. Eumelus Corinthius. Bugonia ejus. Cadmus Mileſius. Epimenides Cretenſis. Bion Proconneſius. Anacharſis Scytha. Archetimus Syracuſanus. Polyzelus Meſſenius.*

Expoſui meliorem eorum partem, quos hiſtoricum tractâſſe argumentum comperiſſem. Sed cùm primùm hunc auſpicarer laborem, carptim quidem de illis aliquid dicere ſtatueram, qui ante Herodotum vixiſſent, hiſtoricorum, quos habemus, antiquiſſimum: de iis autem accuratiùs tractare animus erat, qui poſtea floruerunt: nec de omnibus tamen; ſed iſtis duntaxat, quorum opera, ſi non omnia, at aliqua, ad nos perveniſſent; vel luculenta ſaltem fragmenta, doctorum virorum induſtriâ collecta, ſupereſſent. Sed poſtquam provehi paullùm cœperam, conſultius judicavi, ſi nec eos præterirem omnino, quos penitùs nobis temporum invidiſſet injuria. Quare mox longè plurimos adjunxi, quorum præter nuda nomina, & operum titulos, nihil nobis reliquum foret. Sed ne tum quidem nimis anxiè hoc ſtudui, nequem omitterem alicubi lectum mihi, aut obſervatum. Nam reminiſci omnium, aut cuncta, quæ aliquando annotâſſem, luſtrare, per occupationes graves non licebat: & eo me ſolabar, quòd extremo de iis loco agi à me poſſet, qui ſe antea minimè obtuliſſent. Hoc animo non omnino ſegniter progreſſus ſum in iis contexendis, quæ attuli tribus ſuperioribus libris. Nunc reliquum, quod occurrit, pertexam; ac priùs dicam, paullo curatiùs, de iis, qui Herodoto ſuperiores, vel pares fuerunt: exinde eorum, qui poſt Herodotum fuerunt, non paucos referam, antea indictos mihi.

Tempus illud, quod Peloponneſiacum bellum (quouſque Herodotus pertigit) anteceſſit, commodè in partes quatuor diſpeſcimus. Primum eſt, quod Olympiadas præcedit. Alterum à primâ ſe Olympiade uſque ad Cyrum, & Crœſum, extendit. Tertium producitur uſque ad initium belli Perſici. Poſtremum hinc fluit uſque ad bellum Peloponneſiacum.

Quatuor iſti ad Trojana tempora referuntur, Siſyphus Cous, Corinnus, Dares Phrygius, & Dictys Cretenſis. Siſyphus Cous, ut ajunt, Teucri ſcriba fuit, ac res ad Ilium geſtas primus literis conſignavit: ex eo autem, & Dictye Cretenſi, Homerus hauſit, quæ cecinit; ſi credimus Joanni Meleli chronographo; ex quo id refert Joa. Tzetzes Chil. v. Hiſt. xxix.

Ab aliis autem primus dicitur Corinnus, Palamedis diſcipulus, durante etiamnum bello Trojano, Iliadem carmine modulatus, atque id literis Doricis à Palamede inventis. Dardani quoque pugnam adverſus Paphlagonas expoſuerit, omneque poëſios ſuæ argumentum ex eo hauſerit Homerus, ut ajunt. Autor Suidas in Κόριννος.

Dares Phrygius, ſacerdos Trojanus, ab Homero celebratur Iliad. E. Ejus Phrygiam Iliadem ſuâ etiamnum ætate exſtitiſſe, ait Ælianus lib. xi. Var. Hiſt. cap. ii. De eodem ſic Photius Patriarcha in biblioth. cod. cxc: ubi excerpta adfert ex Ptolomæi Hephæſtionis nova ad variam eruditionem hiſtoria: Ἀντίπατρος [a] δέ φησιν ὁ Ἀκάνθιος, Δάρητα πρὸ Ὁμήρου γράψαντα τὴν Ἰλιάδα, μνήμονα γενέσθαι τοῦ Ἕκτορος, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἀνελεῖν ἑταῖρον Ἀχιλλέως.

[a] *Antipater Acanthius refert, Daretem, qui ante Homerum Iliadem conſcripſit, monitorem fuiſſe Hectoris, auctoremque ne Achillis ſocium interimeret.*

Etiam Dictys Cretenſis bello Trojano Idomenea ſequebatur, ac præter Italica, Suida teſte, libris novem conſignavit bellum Trojanum: Homerus autem eum in poëmate ſuo eſt ſecutus: ut quidem auctor eſt Tzetzes Chiliad. v. Hiſtor. xxx.

Porrò ex Dictye, & Darete, depromtum eſſe cenſet Scaliger, quod, contra Homeri, & aliorum auctoritatem, perſcriptum eſt in Chronico Euſebii ad an. ↄccclxii, Hectoris filios Ilium recepiſſe, expulſis Antenoris poſteris, Helenâ ſubſidium ferente.

Quin hodieque exſtant anonymi duo de bello Trojano; qui conſignarunt libros, unum ſub nomine Dictys Cretenſis, alterum verò Daretis Phrygii. Quod commentum ut colore aliquo callidiùs falleret, finxit prior quendam Q. Septimium Romanum, qui per literas ſignificaret Q. Arcadio, ut in Creta inſula, cùm vi tempeſtatis terra deſediſſet, in hiatu illo apparuerit Dictyis ſepulchrum, atque in eo à paſtoribus inventa ſit arcula plumbea, librum Dictyis continens de Bello Trojano, qui literis ſcriptus eſſet Phœniceis. De Darete autem Phrygio tale auctori placuit figmentum. Cornelium Nepotem inducit ſcribentem ad Criſpum Salluſtium, ut Athenis eſſet repertus αὐτόγραφος [b] liber Daretis, quem dixi: atque ut hunc Latinâ togâ donârit, & amicitiæ hoc monumentum muneris loco Salluſtio mittat. Sed exſtat genuini Cornelii Nepotis liber de Attici vita; item, quem ſcripſit de Imperatoribus externis. Quid his libris purius, elegantiuſque? Quid ad iſta tralatio Daretis? Nempe, ut dici ſolet, aliter catuli olent, aliter ſues. Rectè igitur ſenſit Ludovicus Vives in quincto de tradendis diſciplinis; cùm ait, & Daretem, & Dictyn iſtum, (quorum tamen hic aliquanto eſt cultior, & elegantior,) eſſe *figmenta eorum, qui de bello famoſiſſimo voluerunt ludere*.

[b] *Ipſius auctoris manu ſcriptus.*

Atque iſti quidem, quos dixi, vixiſſe dicuntur tempore belli Trojani. A Trojæ autem excidio uſque ad primam Olympiada anni ſunt quadringenti & ſeptem.

Ac circa quidem Olympiadum initium fuerit Simmias, ortu Rhodius, ſed è Samo oriundus. Siquidem à bello Troja-

Trojano annis tantùm quadringentis & ſex diſtabat; ut Suidas tradit. Ex quo etiam diſcimus, ſcripſiſſe eum Samiorum ἀρχαιολογίαν, ſive antiquitates horum, atque origines. Ex poëmate ejus, quod Apollo inſcribebatur, tredecim verſus περὶ τῶν ἡμιμιχώνων a refert Tzetzes Chil. VII. Hiſt. CXLIV. Alius, eoque junior, eſt Simmias grammaticus, itidem Rhodius; de quo Strabo in XIV.

Nec multo pòſt fuit Eumelus Corinthius. Nam Olympiade III floruiſſe, legimus in Chronico Hieronymiano: ſed poſtea, alios ſecutus, vixiſſe ait Olymp. IX. anno ultimo. Sanè & nonâ vixerit, juxta Cyrillum initio librorum contra Julianum. Cui & præivit Clemens Alexandrinus in primo Στρωματέων, ut alibi oſtendimus. Genuinum Eumeli opus erat προσόδιον b ἐς Δῆλον: ex quo Pauſanias quædam adducit. Tribuebatur ei quoque hiſtoria Corinthiaca. Unde idem Pauſanias initio Corinthiacorum: Εὔμηλος δὲ ὁ Ἀμφιλύτου τῶν Βακχιαδῶν καλουμένων, ὃς καὶ τὰ ἔπη λέγεται ποιῆσαι, φησὶν ἐν τῇ Κορινθίᾳ συγγραφῇ, (εἰ δὴ Εὐμήλου γε ἡ συγγραφή) Ἐφύραν, Ὠκεανοῦ θυγατέρα, οἰκῆσαι πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. *Nam Eumelus, Amphilyti filius, è gente Bacchiadarum, qui carmina dicitur feciſſe, in Corinthiacâ hiſtoria (ſi modò Eumeli illud opus eſt) ſcriptum reliquit, Ephyren, Oceani filiam, primam in iis finibus conſediſſe.* Ex quibus etiam verbis genus Eumeli vetuſtiſſimum cognoſcimus. Non dubium autem, quin hujus in primis operis ratione hiſtoricus poëta vocetur ab Iſaacio Tzetze commentario in Lycophronem: qui & aliquot ejus verſus adducit. Præterea à nonnullis ei adſcribebatur Τιτανομαχία. Quod indicat locus iſte Athenæi lib. VII: Ὁ c τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἢ ὅς τις δή ποτε χαίρει ὀνομαζόμενος, ἐν τῷ δευτέρῳ οὕτως εἴρηκεν. Etiam Βουγονίας, & Εὐρωπίας, auctor credebatur. Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum MCCL: *Eumelus poëta, qui Bugoniam, & Europiam; & Arctinus, qui Æthiopida compoſuit, & Ilii Perſin; agnoſcuntur.* Prius Eumeli opus etiam nominat Varro lib. II. de re Ruſt. cap. V: *Sed bono animo es. Non minùs ſatisfaciam tibi, quam qui Bugoniam ſcripſit.* Erat id opus de apibus, quæ Græcis βουγόνοι d, & βουγενεῖς dicuntur. Εὐρωπίας volumen, ſive Εὐρώπης, ut Pauſanias vocat, erat de Europa, Agenoris filia, vel de tertiâ orbis parte. Sanè pro Εὐρώπη etiam Εὐρωπείαν, vel Εὐρωπίαν dixiſſe Euripidem, & Sophoclem, oſtendit Scaliger ad Euſebii locum allatum. Verſus duos ex Εὐρωπίᾳ adducit Clemens Alexandrinus. Meminit & anonymus Homeri ſcholiaſtes in Iliad. B e. Fortaſſe & Græcorum reditum compoſuit. Id putat Gyraldus dial. III. hiſt. poët. qui *Eumelum Corinthium* legit apud Pindari ſcholiaſtem, ubi vulgò *Eumolpus*. Verba ſunt ſcholiaſtæ in Olymp. Od. XIII: Διὰ f τὸν Εὔμολπον, ὄντα Κορίνθιον, καὶ γράψαντα νόστον τῶν Ἑλλήνων. Si eo non Græcorum ab Ilio reditus, ſed Argonautarum è Colchide intelligendus: pars fuerit Corinthiacorum, quæ ad uſque reditum Argonautarum perduxit. Sed quid ſibi vult, quod apud Clementem Alexandrinum VI Στρωμ. eſt: Τὰ g Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν, Εὔμηλός τε, καὶ Ἀκουσίλαος, οἱ ἱστοριογράφοι. Meminere quoque Eumeli, Scholiaſtes Apollonii in extremum lib. III, Euripidis interpres in Medeam, atque alii.

Eumelo hoc junior fuit Cadmus Mileſius, ſi ſolùm puſillo fuit tempore ante expeditionem Perſicam: quod Joſephus ſentire videtur lib. I. contra Apionem. Ut omnino errent, qui paullo tantùm Orpheo ipſo juniorem fuiſſe arbitrantur; quod apud Suidam legere eſt. Sed Suidas duos facit Cadmos Mileſios: quorum unus Pandionis fuerit filius, alter Archelai: antiquiorem illum, hunc juniorem fuiſſe arbitratur. De ætate junioris nihil adferre poſſumus. Propterea de eo quoque diximus libro III. Sed vetuſtior ille ſaltem præceſſit Bionem Proconneſium; ut mox parebit. Inter Eumelum igitur fuerit, & Pherecydem Syrium: cujus Bion iſte æqualis erat. Meminit ejus Cadmi quoque Strabo libro primo: ubi tres iſtos ſolutâ oratione primos ſcripſiſſe ait, Cadmum, Pherecydem, & Hecatæum.

a *De hemimibus canina habentibus capita.*

b *Hymnus ſupplex venientis in Delum.*

c *Is qui Titanomachiam fecit, ſive is Eumelus eſt Corinthius, ſive Arctinus, ſive quiſquis ejus operis auctor laudari gaudet, in ſecundo ſic inquit.*

d *Heſychius in Βουγενεῖς.*

e P. 121.

f *Propter Eumolpum Corinthium, qui Græcorum reditum ſcripſit.*

g *Heſiodi opera pedeſtri ſermone expreſſere, proque ſuis edidere, Eumelus, & Acuſilaus, hiſtoriographi.*

Hoc enim ordine eos collocat: quia Hecatæus Pherecyde eſt junior, Pherecydes Cadmo: quem icirco primum proſâ feciſſe libros, ait Plinius lib. V. cap. LVI, his verbis: *Nec Miletus fraudanda cive Cadmo; qui primus proſam orationem condere inſtituit.* Poſſit tamen alius videri, propterea quòd idem Plinius lib. VII. cap. LVI. hunc in modum narret: *Proſam orationem condere Pherecydes Syrius inſtituit, Cyri regis ætate: hiſtoriam, Cadmus Mileſius.* Hæc ſic reconciliari poſſe arbitror, quòd, cùm antea ingenii doctrinæque monumenta nonniſi carmine relinquerent, primus Cadmus Mileſius, jam Halyattis tempore, res geſtas proſâ conſcripſerit: poſteaque tempore Crœſi, ac Cyri, primus in philoſophia idem egerit Pherecydes Syrius. de quo ſic Laërtius in ejus vita: Τοῦτόν φησι a Θεόπομπος πρῶτον περὶ φύσεως καὶ θεῶν Ἕλλησι γράψαι. Hunc Κάδμον b τὸν παλαιὸν vocat Clemens Alexandrinus lib. VI. Στρωματέων. Scripſit origines Mileti, & totius Ioniæ, libris IV; ut ait Suidas. Sed non videri genuina, quæ ſub ejus nomine circumferebantur, auctor eſt Dionyſius Halicarn. in judicio ſuo de Thucydide. ubi ſic ſcribit: Οὔτε γὰρ c διασώζονται τῶν πλειόνων αἱ γραφαὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων. οὔθ' αἱ διασωζόμεναι, παρὰ πᾶσιν, ὡς ἐκείνων οὖσαι τῶν ἀνδρῶν, πιστεύονται. ἐν αἷς εἰσιν αἵ τε Κάδμου τοῦ Μιλησίου, καὶ Ἀρισταίου τοῦ Προκοννησίου, καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις.

Epimenidis Cnoſii ætatem cognoſcimus inde, quòd Athenas à Cylonio ſcelere expurgârit Olymp. XLIV, ut eſt apud Suidam; vel XLV, ut docet Euſebius in Chronicis. Etiam Laërtius floruiſſe dicit Olymp. XLVII; ejuſque ad Solonem epiſtolam recitat, quam exaravit, cùm Piſiſtratus Athenis dominaretur. Varia, quæ reliquit, recitat Laërtius in ejus vita. Sunt autem iſta: Curetum, & Corybantum generatio, & theogonia; ad quinque millia verſuum; item Argûs navis apparatus, & ſtructura, & Jaſonis in Colchon navigatio, ad ſexies mille, & quingentos verſus. Proſâ præterea egit de ſacrificiis & rep. Cretenſium. Adhæc de Minoë, & Rhadamantho, verſus quater mille. Sed præter iſta etiam expiandi ritum carmine tradidit. Euſtathius in Dionyſium: Ἐξ αὐτῆς d (de Gortyna, Cretæ civitate, ſermo eſt) ἦν Ἐπιμενίδης, ὁ ποιήσας δι' ἐπῶν καθαρμούς. Celebrat & Suidas, qui ſcripſiſſe ait μυστήρια e, καὶ καθαρμοὺς, (leg. καθαρμοὺς,) καὶ ἄλλα αἰνιγματώδη. Imò & Telchiniacæ hiſtoriæ auctor quibuſdam credebatur. Oſtendit hoc iſte Athenæi locus lib. VII: Ὁ μὲν f τὴν Τελχινιακὴν ἱστορίαν συνθεὶς, εἴτ' Ἐπιμενίδης ἐστὶν ὁ Κρὴς, ἢ Τηλεκλείδης, εἴτ' ἄλλος τις, ἱεροὺς φησὶν εἶναι ἰχθύας δελφῖνας, καὶ πομπίλους. Plura de Epimenide Plato lib. de Legibus, Maximus Tyrius ſerm. XXII, & XXVIII, Pauſanias in Corinthiacis, Suidas in Epimenides, ac imprimis Laërtius in vita ejus. Meminere etiam Ariſtoteles in IV Φυσ. ἀκρ. atque ibi Simplicius. item ex Ariſtotele Themiſtius, ex Theopompo Valerius Maximus lib. VIII Memorabilium cap. XIII, Plinius lib. VII. Nat. Hiſt. cap. XLVIII, Plutarchus in Solone, Apollonii ſcholiaſtes in lib. II, & IV, atque alii multi. E junioribus conſulendus Lilius Gyraldus in hiſt. poët. dial. II.

Circa eadem tempora fuit Bion Proconneſius: quippe æqualis Pherecydis Syrii: ut Laërtius nos docet in Bione: ubi & addit, duos ejus libros ferri. Cadmo autem Mileſio juniorem eſſe, argumento eſt illud, quòd hiſtoriæ ejus capita ſeu ſummaria exſcripſit. Clemens Alexandrin. lib. VI Στρωμ. Ὁ g Προκοννήσιος Βίων τὰ Κάδμου τοῦ παλαιοῦ μετέγραψε, κεφαλαιούμενος.

Bias Prienenſis, unus è ſeptem ſapientibus, poëma fecit de Ionia; teſte Laërtio. Ex quo etiam ſcimus, Halyattis tempore vixiſſe; hoc eſt, circa tempora Pherecydis Syrii, & Epimenidis.

Anacharſis quoque Scytha, Solonis æqualis, conceſſit Athenas Olympiade XLVII; ut Laërtius dicit. Qui etiam teſtatur, præter nongentos verſus de re bellica, ſcripſiſſe de legibus Scytharum, & de iis, quæ apud Græcos vidiſſet ad vitæ frugalitatem utilia.

His quoque temporibus floruit Archetimus Syracuſanus.

a *Hunc ait Theopompus primum de natura, & Diis, ſcripſiſſe Græcis.*

b *Cadmum veterem.*

c *Maximæ enim partis ſcripta ad noſtra tempora non pervenerunt: aut, ſiqua ad hanc diem ſervata ſunt, non omnes eſſe illorum, quibus tribuuntur, exiſtimant. ut ſunt illa, quæ Cadmo Mileſio, quæque Ariſtæo Proconneſio, & ejuſmodi aliis, adſcribuntur.*

d *Ex ea oriundus erat Epimenides; qui verſibus expiationes ſcripſit.*

e *Myſteria, & luſtrationes, & alia ænigmatica.*

f *Qui Telchiniacam hiſtoriam compoſuit, ſive Cretenſis Epimenides fuerit, ſive Teleclides, ſive alius quiſpiam, ſacros eſſe piſces dicit delphinas, & pompilos.*

g *Bion Proconneſius veteris Cadmi libros tranſcripſit, inque compendium redegit.*

nus. Prodidit Thaletis, & aliorum ſapientum cum Cypſelo congreſſum; eique ſe interfuiſſe dicit, teſte Laërtio in Thalete. Videtur alius ab Archetimo, Arcadicorum ſcriptore; de quo lib. III dictum.

Circa Olympiadem L fuit Polyzelus Meſſenius, hiſtoriographus. Nam creditur fuiſſe pater Ibyci, poëtæ Lyrici; qui eo tempore floruit, quo apud Lydos Crœſus, apud Samios Polycrates tyranni pater imperabat, circa Olympiad. LV. Auctor Suidas in Ἴβυκος.

Floruit & tum Mimnermus. Natus autem Olympiade XXXVIII. Hic, ut Pauſanias in Bœoticis refert, ἐλεγεῖα a εἰς τὴν μάχην ἐποίησε τὴν Σμυρναίων πρὸς Γύγην τε καὶ Λυδούς. Non igitur res ſui ævi deſcripſit: ſed priſci. Nam Gyges ille proavus Halyattis, abavus Crœſi, fuit.

a *Elegias fecit de pugna Smyrnæorum adverſus Gygen, & Lydos.*

## Cap. II.

*Ariſteæ Proconneſii ætas pluribus, quàm libri primi initio, excuſſa. In Suidæ loco conjectura. Ariſteæ hujus Arimaſpia fabulis referta; imò, Dionyſii judicio, ſuppoſititia. Fabella de anima Ariſteæ, quoties vellet, oberrante extra corpus, ac denuò ſeſe ei inſinuante. Refelli eos temporum ratione, quibus Ariſteas creditur Homeri fuiſſe magiſter. Xenophanes Colophonius. Falſò tributam Pythagoræ Samio hiſtoriam de Samiorum bello cum Cyro rege. Ne quidem B. Hieronymi ætate Pythagoræ quicquam exſtitiſſe. Quis aureorum carminum auctor ſit. Suidas emendatus. Item correctus ſcholiaſtes Euripidis. Acuſilaus Argivus. Diagoras, cognomento Athei, ſermones Phrygii. Democritus Abderita. Glaucus Rheginus. An ætate Ariſtotelis ſuperfuerint Perſica Empedoclis.*

PAullo hoc junior Ariſteas Proconneſius, Democharidis, aut Cauſtrobii filius, fuit. Siquidem γέγονε a κατὰ Κροῖσον, καὶ Κῦρον: ut eſt apud Suidam. Addit autem, floruiſſe Ὀλυμπιάδι ν' b. Sed hoc non bene convenit cum eo, quod dixerat, claruiſſe tempore Crœſi, & Cyri. Nam Cyrus regnare demum in Perſia cœpit Olympiad. LV. Ac Crœſus, juxta quoſdam, eapſe Olympiade, juxta alios, ſuperiori, imperare Lydis cœpit. Quare cenſeo ſcribendum, Ὀλυμπιάδι c νε'. Nempe excidit E propter E ſequens. Sequitur enim, ἔγραψε d δ' οὗτος. Vel dicendum, Suidam, aut alium, cùm legiſſet apud nonnullos, Ariſteam floruiſſe Olymp. L; apud alios autem inveniſſet, claruiſſe temporibus Crœſi, & Cyri: utrumque parùm cautè conjunxiſſe. Sanè apud Anonymum quoque ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ Olympiadis L annum I legere eſt: Ἀριστέας e Δημοχάριδος ἢ Καυστροβίου, Προκοννήσιος, ἐποποιός, ὁ τὰ Ἀριμάσπεια καλούμενα ἔπη πεποιηκώς, ἐγνωρίζετο. Ac tum clareſcere cœpiſſe, veriſimile eſt. Sed majus ſine dubio nomen ejus fuit Cyri, & Crœſi temporibus. Quare nec diſpliceret apud Suidam, Γέγονε f δὲ Ὀλυμπιάδι ν', καὶ κατὰ Κροῖσον καὶ Κῦρον. Ariſteas hic καταλογάδην, hoc eſt, oratione ſolutâ, ſcripſit Θεογονίαν g, verſibus circiter mille. Item carmine compoſuit hiſtoriam Hyperboreorum Arimaſporum; quæ libris tribus conſtabat. Auctor horum quoque Suidas. Hiſtoriæ de Arimaſpis meminit cùm anonymus ille in Olympiadum deſcriptione, quem dixi: tum Herodotus lib. IV. item Strabo lib. I. Idem lib. XIII ait, Ἐντεῦθεν h ἐστὶν Ἀριστέας, ὁ ποιητὴς τῶν Ἀριμασπείων καλουμένων ἐπῶν, ἀνὴρ γόης, εἴ τις ἄλλος. Item Tatianus orat. ad gentes: Ἀριστέα i τοῦ Προκοννησίου, τοῦ τὰ Ἀριμάσπεια συγγράψαντος. Pauſanias quoque in Corinthiacis refert ex Ariſtea hoc gryphes cum Arimaſpis, qui ſupra Iſſedones ſunt, auri cauſſâ aſſiduè pugnare. Ac in Eliacis tradit, potuiſſe Ariſteam de Hyperboreis planè cognoſcere ab Iſſedonibus; ad quos, Herodoto etiam teſte, ſe aliquando profectum fuiſſe, carminibus prodidit. Quin & verſus aliquot ex Arimaſpiis Ariſteæ citant Longinus libro περὶ ὕψους, & Tzetzes Chil. VII. Hiſtor. CXLIV. Meminit ejus quoque Pollux lib. IX. cap. V. E Latinis eum Gellius lib. IX. cap. IV. reponit inter ſcriptores, miraculorum, fabularumque, plenos. Et hoc antiquior Plinius ſic ſcribit lib. VII. Nat. Hiſt. cap. II: *Sed & juxta eos, qui ſunt ad Septentrionem verſi, haud procul ab ipſo Aquilonis exortu, ſpecuque ejus dicto, quem locum Geſclithron* (γῆς κλεῖθρον, ut rectè Turnebus a legit, hoc eſt, terræ clauſtrum) *appellant, produntur Arimaſpi, quos diximus, uno oculo in fronte media inſignes: quibus aſſiduè bellum eſſe circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgò traditur, cruente ex cuniculis aurum, mirâ cupiditate, & feris cuſtodientibus, & Ariſmaſpis rapientibus, multi, ſed maximè illuſtres, Herodotus, & Ariſteas Proconneſius ſcribunt.* Hæc mera eſſe Græculorum commenta, ſatis indicant, qui proximis ſeculis Septentrionem deſcripſerunt. Etſi autem tot veterum Ariſteæ Arimaſpia laudent: minimè tamen genuinum, ſed ſuppoſiticium opus fuiſſe, ſententia erat Dionyſii Halicarn. in judicio ſuo de Thucydide. Fabulantur de hoc Ariſtea, animam ejus corpore, quoties vellet, exiiſſe, atque idem poſtea ingreſſam. Vide Herodotum lib. IV, Apollonium in Hiſt. Mirab. cap. II, Plinium lib. VII. cap. III, Maximum Tyrium diſſertat. XXII, & XXVIII, Origenem contra Celſum lib. III, Heſychium Illuſtr. περὶ σοφῶν, Æneam Gazæum in Theophraſto, Tzetzem Chil. II. Hiſt. L. Satis autem mirari non poſſum eorum opinionem, qui (ut Strabo auctor eſt in XIV) Ariſteam iſtum putarunt fuiſſe magiſtrum Homeri: quem honorem alii Creophylo tribuere maluerunt. Nam etſi de Homeri ætate (quem non multo ante primam Olympiada vixiſſe putamus) admodum diſcrepantes ſint veterum ſententiæ: tamen extra controverſiam illud eſt, ſaltem ſeculo toto Ariſtea fuiſſe grandiorem. Niſi quis tam ſtultè ſapiat, ut credat, revixiſſe annis, poſtquam obiiſſet, CCXL, ut fabulantur, teſte inter alios Tzetze b. Sed de Ariſtea ſatis: præſertim quando & initio operis aliquid de eo diximus.

Xenophanes Colophonius, qui circa LX Olympiada vixit, præter alia ἐποίησε c Κολοφῶνος κτίσιν, καὶ τὸν εἰς Ἐλέαν τῆς Ἰταλίας μετοικισμόν: ut eſt apud Laërtium in vita ejus. Plura de eo diximus in Poëtis Græcis.

Eâpſe Olympiade, eodem Laertio teſte, floruit Pythagoras, nobilis ille philoſophus Samius. Hiſtoriam hic ſcripſit belli inter Cyrum, & Samios geſti; ſi Cedreno credimus. Ejus verba ſunt: Περὶ d δὲ τοῦ πολέμου Κύρου καὶ Σαμίων Πυθαγόρας ὁ Σάμιος συνεγράψατο. ὃς καὶ εἶπεν, αὐτὸν ἐκεῖ τεθνάναι εἰς τὸν πόλεμον. Sed omnino fallitur Cedrenus. Siquidem, ut Lucianus e ait, ὁ θαυμάσιος f Πυθαγόρας μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον καταλιπεῖν τῶν αὐτοῦ ἠξίωσε. Sane nullum eorum, quæ ei tribuebantur, controverſiâ carebat. Unde Joſephus lib. I. Antiquitatum Judaicarum: Πυθαγόρου g μὲν οὐδὲν ὁμολογεῖται σύγγραμμα. Itaque cùm beatus Hieronymus ſe Pythagoræ autoritate tueretur: Ruffinus, eum refellens, negabat, quicquam hujus philoſophi exſtare. Nec aliter ſe tueri potuit beatus presbyter, quàm ſi diceret: *De dogmatibus, non de libris, locutum ſum: quæ potui in Cicerone, Bruto, ac Seneca, diſcere.* Quorundam tamen alia eſt ſententia. Sanè, ut Diogenes Laërtius in vita ejus philoſophi ſcribit, Γέγραπται h τῷ Πυθαγόρᾳ συγγράμματα τρία, παιδευτικόν, πολιτικόν, φυσικόν. Quod autem ad ἔπη χρυσᾶ i, etſi Proclus quoque libro III in Timæum eorum πατέρα Pythagoram vocet, ea tamen non Pythagoræ erant, ſed Pythagorici alicujus: nempe Philolai, vel Lyſidis. Unde continuò ſubjungit Laërtius: Τὸ δὲ k φερόμενον, ὡς Πυθαγόρου, Λύσιδός ἐστι τοῦ Ταραντίνου Πυθαγορικοῦ, φυγόντος εἰς Θήβας, καὶ Ἐπαμεινώνδα καθηγησαμένου. Porrò Laërtii locum exſcripſit Suidas: ſed mala manus acceſſit, quæ eum corrupit. Nam vulgò legitur, Συνέγραψε δὲ ὁ Πυθαγόρας μόνα τρία βιβλία, παιδευτικόν, πολιτικόν. τὸ δὲ φερόμενον τρίτον, ὡς Πυθαγόρου, Λύσιδός ἐστι τοῦ Ταραντίνου, μαθητοῦ αὐτοῦ γενομένου, καὶ φυγόντος εἰς Θήβας, καὶ καθηγησαμένου Ἐπαμεινώνδα· τινὲς δὲ ἀνατιθέασιν αὐτῷ καὶ τὰ χρυσᾶ ἔπη. *Scripſit autem Pythagoras tria volumina de inſtitutione, de morali doctrina. Tertium verò, quod Pythagoræ nomine circumfertur, eſt Lyſidis Tarentini, diſcipuli ejus, qui Thebas fugit, & Epaminondam docuit. Quidam verò Pythagoræ* etiam

a *Fuit temporibus Crœſi & Cyri.*
b *Olymp. quinquageſima.*
c *Olymp. quinquageſima quinta.*
d *Edidit enim hic.*
e *Ariſteas Democharidis, vel Cauſtrobii filius, Proconneſius, poëta epicus, auctor carminis, quod Arimaſpia vocatur, hoc tempore claruit.*
f *Fuit autem Olympiade quinquageſima, at porrò, Crœſi, & Cyri temporibus.*
g *Deorum originem.*
h *Inde (puta è Proconneſo) fuit Ariſteas, auctor carminum, quæ Arimaſpia dicuntur, præſtigiis nemini ſecundus.*
i *Ariſteæ Proconneſii, qui Arimaſpia conſcripſit.*

a *Lib. 24. Adverſ. cap. 42.*
b *Chil. 2. Hiſt. 50.*
c *Fecit poëma de origine Colophonis, item de migratione in coloniam Eleam, quæ in Italia eſt.*
d *Quæ de bello Cyri & Samiorum Pythagoras Samius hiſtoriam ſcripſit. qui & ait, ipſum (regem Cyrum) eo in bello eſſe interfectum.*
e *Lib. de lapſu in ſalutatione.*
f *Divinus Pythagoras nullam doctrinæ ſuæ partem relinquere ipſe literis à ſe conſignatam dignatus eſt.*
g *Pythagoræ nihil eſt, quod certò ejus eſſet conſtet.*
h *Tria Pythagoras volumina ſcripſit, de inſtitutione, de doctrina civili, & de rerum natura.*
i *Aurea carmina.*
k *Quod verò Pythagoræ nomine circumfertur, eſt Lyſidis Tarentini, qui Thebas fugit, & Epaminondam inſtituit.*

*etiam tribuunt aurea carmina.* Qui locum hunc ita pervertit, non vidit, apud Laërtium dici, tria verè eſſe Pythagoræ: cui repugnaret, ſi tertium Lyſidis eſſet. Non igitur ea Laërtii mens fuit: ſed hoc voluit, præter tria genuina quoddam eſſe opus, quod falsò circumferatur Pythagoræ nomine. Opus illud non nominat Laërtius, quia vel pueris notiſſimum erat, aurea carmina vulgò tribui Pythagoræ. Is, qui interpolavit Suidam, contentus eſt nominare duo opera Pythagoræ: tertium, nempe τὸ φυσικὸν, præterit: ſed, qualecunque ſit, Lyſidis eſſe ait: denique addit, præter duo genuina, & tertium Lyſidis, etiam à nonnullis aurea carmina credi Pythagoræ: quaſi non hæc ipſa ſint, quæ tribus genuinis malè addi Laërtius dixerat.

At dubium, utrùm Cyri, & Cambyſis, an potiùs Darii temporibus, floruerit Acuſilaus Argivus. Saltem paullò anteceſſit expeditionem Perſicam; ut libro primo cap. I oſtenſum ex Fl. Joſepho *a*. Meminit ejus idem lib. I Antiquit. Jud. extremo cap. IV. Adhæc Apollodorus lib. II bibliothecæ. Item Strabo lib. X; quo loco ex eo refert, ut ex Vulcano, & Cabirâ, natus ſit Camilus, ex Camilo tres Cabiri, ex Cabiro nymphæ Cabirides. Etiam à Clemente in primo Στρωματέων laudatus Ἀκουσίλαος ὁ Ἀργεῖος τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς *b*. Celebrat quoque eum Apollonii ſcholiaſtes in lib. II: ubi de nomine ejus agit, ex qua quatuor, vel, juxta Epimenidem, quinque liberos genuit Phryxus. Idem lib. IV ex eo refert quædam de Endymione. Uti & aliquantò pòſt, de origine Phæacum. Eo ipſe libro citatur Ἀκουσίλαος ἐν τῷ περὶ γενεαλογιῶν *c*. Ἀκουσίλαος *d* ἐν τρίτῃ advocatur Harpocrationi in Ὁμηρίδαι. Meminit & Nicandri interpres in Theriaca. De Cœo, Latonæ parente, autorem eum laudat Etymologus in Κοῖος. Stylo ſcripſit ſimplici, ac ſine ullis ornamentis: ut dicit Tullius lib. II de Oratore. Commentaria in eum edidit Sabinus ſophiſta; qui ſub Hadriano Cæſ. vixit, teſte Suida.

*a Lib. I. contra Apionem.*

*b Acuſilaus Argivus in ſeptem ſapientibus.*

*c Acuſilaus libro de genealogiis.*

*d Acuſilaus lib. 3.*

Venio ad eos, quos Darii temporibus vixiſſe, ſatis eſt manifeſtum. Talis eſt Diagoras philoſophus. Nam fuit, juxta Euſebium, Olymp. LXXIV, & deinceps. Puto, eundem eſſe Diagoram Athenienſem, qui reliquit ſermones Phrygios. Tatianus contra Græcos: Διαγόρας *e* Ἀθηναῖος ἦν· ἀλλὰ τοῦτον, ἐξορχησάμενον τὰ παρ᾽ Ἀθηναίοις μυστήρια, τετιμωρήκατε· καὶ τοῖς Φρυγίοις αὐτοῦ λόγοις ἐντυγχάνοντες, ἡμᾶς μεμισήκατε. Phrygios ſermones fuiſſe arbitror hiſtoriam eorum, quæ ad Cybellen, ſive matrem Phrygiam, & ejus ſacra, pertinerent: atque ab eo eſſe fine hoc conſcriptam, ut à ſacris illius homines averteret. Vide Suidam in Διαγόρας. Ἄθεον dictum, præter Suidam, referunt Cicero lib. I de Nat. Deorum, Lactantius lib. I de falſa relig. cap. II; & de ira Dei lib. I cap. IX, Theodoretus Therapeut. cap. VI, atque alii plurimi.

*e Diagoras Athenienſis erat: ſed quòd myſteria Athenienſium effutiiſſet, affeciſtis pœna: eumque Phrygios ejus ſermones legatis ipſi, nos odiſtis.*

Vixit tum quoque Democritus Abderita, ſive, juxta alios, Mileſius. Quippe floruit Olym. LXXVII; ut Thraſylus in eo retulit libro, qui erat de legendis Democriti libris: vel Olympiade LXXX, juxta Apollodorum in Chronicis. De utroque autor Laërtius. Ex quo etiam diſcimus, Democrito huic tribui ſolere librum de ſacris in Babylone literis, de his, quæ ſunt in Meroë, de Oceani navigatione, de hiſtoria Chaldaica, & Phrygia. A Strabone etiam, in ipſo operis ingreſſu, in philoſophorum iis reponitur, qui primi poſt Homerum attigerint Geographiam.

Tum quoque fuit Glaucus Rheginus: utpote Democriti æqualis, ut diſcere eſt ex Laërtii lib. IX *f*, qui ex eo narrat, Democritum Pythagoricorum quopiam magiſtro uſum eſſe. Sub Glauci Rhegini nomine exſtabat olim liber de poëtis. Sed pleriſque videbatur potiùs eſſe Antiphontis: ut ſcriptum eſt apud Plutarchum in vitis X Rhetorum. Hujus operis mentio quoque fit apud eundem Plutarchum libro de Muſica; ubi liber is vocatur Glauci Itali de poëtis & muſicis antiquis. Nec dubito, quin idem intelligatur ab Laërtio in Empedocle; ubi ex hoc quædam de Empedocle, philoſopho inſimul, & poëta, adducit. Item ab Harpocratione in Μουσαῖος, quando inter alios Glaucum de Muſæo ſcripſiſſe ait. Nam quantum Muſæi inter poëtas fuerit nomen, vel è ſexto Maronis omnes ſciunt.

*f In vita Democriti.*

Empedocles Agrigentinus Pythagoræ, & Parmenidis diſcipulus fuit, ac circa Olym. LXXXIV vixit; ut auctor eſt Laërtius. Ab eo Rhetoricen eſſe repertam, uti Logicen ab Zenone Eleate, tradidit Ariſtoteles in Sophiſta; ut & Laërtius in Empedocle, & Zenone Eleate. Lucretius libro I mirificè eum extollit; ubi de eo, & Sicilia, patriâ ejus, ſic canit:

*Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,*
*Nec ſanctum magis, & mirum, clarumque videtur:*
*Carmina quin etiam divini pectoris ejus*
*Vociferantur, & exponunt præclara reperta,*
*Vt vix humanâ videatur ſorte creatus.*

*Doctum virum* vocat Cicero in Lælio. Præter Phyſica, & alia, etiam carmine tractavit Περσικά, ſive τὴν τοῦ Ξέρξου διάβασιν *a*. Sed cùm ea reliquiſſet imperfecta, ſoror, aut filia, combuſſit: quemadmodum ex Hieronymo tradit Laërtius in vita ejus. Sed ſi combuſta iſthæc fuere: quomodo meminiſſe eorum poteſt Ariſtoteles? Cujus hæc verba in Problematis Sect. XXI Problem. XXII: Ὥσπερ *b* καὶ Ἐμπεδοκλῆς μετήνεγκεν ἐν τοῖς Περσικοῖς, εἰπών·

Ἄλφιτον ὕδατι κολλήσας ——

An dicemus, locum eſſe corruptum, legendumque videri, ἐν τοῖς Φυσικοῖς? quod placet doctiſſimo Io. Meurſio *c*. Sanè ex Φυσικοῖς ejus idem hemiſtichium citat in Μετεωρολ. lib. IV cap. IV. Alioqui dici poſſet, fuiſſe, qui Perſicorum opus imperfectum deſcripſiſſent, aut partem meliorem exſcripſiſſent, priuſquam flammis traderetur: vel ne flammis quidem abſumtum fuiſſe, ſed ita vulgò ab Empedoclis hæredibus fuiſſe dictitatum, ut deſcribendi copiam honeſtiùs aliis negarent: at tandem quomodocunque in manus hominum veniſſe.

*a Expeditionem Xerxis.*

*b Quemadmodum & Empedocles retulit in Perſicis; ubi ait, Farra cum aqua ſocians.*

*c Notis ad Chalcidium.*

## CAP. III.

*Simonides Ceus. Hecatæi complures. Hecatæi Mileſii ætas curatiùs adſerta, quàm à Suida, & anonymo Olympiadum ſcriptore, & Joſ. Scaligero, factum erat. Ejus ſcriptoris varia. Emendantur Rufinus presbyter, & Freculphus epiſcopus. In Flavio Joſepho conjectura. Dionyſius Mileſius. Hippys Rheginus, & inde Myis compendium. Athenæus, & Euripidis ſcholiaſtes, correcti. Charon Lampſacenus.*

AT, tum ante expeditionem Perſicam, tum ejus tempore, fuit Simonides, Leoprepis filius, Ceus. Nam Olympiade natus LVI, florere cœpit circa Olymp. LXVII, & demum Olymp. LXXVIII obiit, cùm annorum foret LXXXIX. Hic Doricâ dialecto deſcripſit Cambyſis, & Darii imperium, & Xerxis prœlium navale cum Græcis, & pugnam ad Artemiſium; atque hæc quidem verſibus elegiacis. Sed pugnam Salaminiam carmine Lyrico panxit. Alia quoque multa fecit: de quibus Suidam conſule, & anonymum ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. LXXII. ann. II. Sed imprimis operæ eſt videre, quæ de poëta hoc Lilius Gyraldus congeſſit dialog. IX hiſtor. de poëtis. Ea quid hìc loci ignobili labore reponere attineat, planè non video. Præſertim quando & ipſi non negligenter de eo egimus libro de Poëtis Græcis, quem propediem juris publici facere animus eſt. Inde igitur, qui volet, petet cætera.

Tum quoque fuit Hecatæus, tertius eorum, quos primos oratione ſolutâ ſcripſiſſe Strabo *a* autor eſt. Sed ut de Eretrienſi Hecatæo nihil dicam, cujus Plutarchus meminit in Alexandro: ut item Thaſium prætercam, cujus hexaſtichon legitur in tertio Ἀνθολογίας: duo præcipuè ab antiquis Hecatæi celebrantur, unus Mileſius, alter Abderita. Utriuſque meminit Ælianus lib. XI de natura animal. cap. I. Mileſium laudat Pauſanias in Laconicis; ubi refert, quid de infero cane tradiderit: item in Meſſenicis; ubi, quid de Oechalia ſenſerit, docet. Eundem advocat Apollonii ſcholiaſtes in lib. IV. At Abderitam celebrat Stephanus in Ἐλίξοια, & Καρμβύκαι. Mileſius (de quo jejuniùs dictum initio libri primi, nunc verò fuſior erit ſermo nobis) Suidæ vixiſſe dicitur Olymp. LXV. Ac ſimiliter

*a Lib. I.*

ter anonymus in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. LXV: Ἑκαταῖος ὁ Ἡγησάνδρου Μιλήσιος ἱστορικὸς ἐγνωρίζετο. Ac ſequitur eandem ſententiam Joſephus Scaliger, elencho orationis Chronologicæ Paræi. ubi ſic loquitur b: *Hecatæus Mileſius Cyri, & Cambyſis geſta ſcripſit, initio imperii Hyſtaſpide. Itaque floruit ſub Cyro, & toto imperii Cambyſæ tempore.* Sanè Darius cœpit regere anno IV, Olymp. LXIV. Sed omnino junior aliquanto eſt, ſi diſcipulus eſt Heracliti; quod Laërtius ſcribit. Siquidem philoſophus iſte, ut idem Laërtius ait, Olymp. floruit LXIX. Et quid opus multis? Res ſatis aperta eſt ex iis, quæ de Hecatæo hoc narrat Herodotus lib. V. Nam bellum dicitur diſſuaſiſſe Ariſtagoræ adverſus Perſas: & eoipſe poſtea libro exponitur, quid conſilii Ariſtagoræ dederit. Ac ne alium hunc Hecatæum putes, diſertim vocatur Ἑκαταῖος c ὁ Ἡγησάνδρου, ὁ λογοποιός. Ac hiſtorias ejus advocat lib. VI, cùm ait, Ἑκαταῖος d ὁ Ἡγησάνδρου ἔφησε ἐν τοῖσι λόγοισι λέγων. Idem meminit ejus lib. II: ubi ejus genus adfertur ex Hecatæo ipſo. Vocatur autem Ἑκαταῖος e ὁ λογοποιὸς γενεηλογήσας αὑτόν. Videntur, quæ ibi narrat, eſſe ex libris γενεαλογιῶν. Ejus operis librum primum Stephanus adducit in Ἀμφάναι: item in Μέλια, & alibi. Secundum nominat Harpocratio in Ἀδελφίζειν: Καὶ f Ἑκαταῖος τῷ Μιλησίῳ ἐν β΄ γενεαλογιῶν. Tertium memorat Athenæus lib. IV: ubi ex eo, de Arcadum cœna agens, veſci illos ait mazâ, & ſuillis carnibus. Quartum autem laudat idem Stephanus in Μύγισος, Τρεμίλη; aliiſque locis. Etiam Aſiæ deſcriptionem reliquit. Stephanus in Ἀδαρος: Ἑκαταῖος g ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει. Idem opus citat in Γαῦλος. Nec Aſiam tantùm deſcripſit; ſed, puto, etiam Libyam, atque Europam. Nam argumenti ſimilitudo facit, ut idem videatur is, de quo Stephanus in Ἐλίνεος: Ἑκαταῖος h περιηγήσει Λιβυκῶν. Idem in Αἰθάλη: Ἑκαταῖος i Εὐρώπη. Atque eadem citatur in Αἰζικά, Ἀμπελος, & alibi ſæpe. Europæorum pars erant Æolica; niſi ſeorſum de his egiſſe malis. Stephanus in Ἀμαζόνιον: Ἑκαταῖος k ἐν τοῖς Αἰολικοῖς. Idem apud eum legas in Μιλήτου κόλπος. Sed fortaſſe alius is Hecatæus fuit. Imò ne illud quidem ſatis erat certum, an περιήγησις l Mileſii foret: quia Callimachus in eo libro, qui inſcribebatur Πίναξ παντοδαπῶν συγγραφέων m, tribuebat alteri Hecatæo, quem appellabat hominem inſularem. Sic enim ſcribit Athenæus lib. II: Ἑκαταῖος n ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει, εἰ γνήσιον τοῦ συγγραφέως τὸ βιβλίον. Καλλίμαχος γὰρ αὐτὸ ἀναγράφει νησιώτου. Satis iſtis ex verbis liquet, περιήγησιν tribuiſſe nec Mileſio, nec Abderitæ; ſed tertio cuidam, homini inſulari. Quod ſi jam olim Hecatæos iſtos non ſatis diſtinxere: quàm id difficile hodie ſit, omnes intelligunt. Itaque nec liquet; cujus fuerint hiſtoriæ, quas ſignat Stephanus in Οἶνη, cùm ait, Ἑκαταῖος ο ἱστοριῶν πρώτῳ. Ac ſimiliter, cùm Apollonii ſcholiaſtes inquit, Ἑκαταῖον ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν egiſſe περὶ p Θετταλικῆς Ἰτωνίας. Hecatæi, præter eos, quos dixi, ſcriptores, meminit quoque, è Latinis Solinus cap. XXII, & XLIII ac Ammianus Marcellinus lib. XXII: è Græcis Diodorus Siculus lib. I: ubi eum, ut & Cadmum, & Hellanicum, aliosque priſcos, multùm ad fabulas declinare, ait: item Dionyſius Halic. περὶ Θουκυδίδου χαρακτῆρος: & Strabo lib. VI; ubi de Inacho fluvio tractat: & lib. VII; ubi, ab Hecatæo Mileſio traditum ait, barbaros in Peloponneſo ante Græcos habitaſſe. Et lib. VIII; quo in loco ex eodem ſcriptore refert, Eleos ab Epeis diverſos eſſe. Et lib. XII; ubi Henetam ait Hecatæo Mileſio eſſe Amiſum. Item Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride; qui ex eo commemorat, ut reges Ægyptii, quia & ipſi eſſent ſacerdotes, certâ menſura biberint ex ſacrarum literarum præſcripto. Adhæc Julius Pollux lib. I cap. V; qui auctor eſt, Hecatæum non refugiſſe voces χειρογάστορες q, & χειρώνακτες. Etiam Erotianus meminit in Κυρβασίαν. Et Euſtathius in περιήγησ. Dionyſ. verſum DLVIII; ubi, ex ſecundo Arriani libro de expeditione Alexandri, vocatur λογοποιός. Eâ autem appellatione ſignatur ab eo hiſtoricus, non verò fabulator; etſi multa admodum fabuloſa libris

*a Hecatæus, Hegeſandri filius, Mileſius hiſtoricus claruit.*
b Pag 74.
*c Hecatæus, Hegeſandri filius, hiſtoricus.*
*d Hecatæus, Hegeſandri filius, ait in hiſtoriis.*
*e Hecatæus hiſtoricus ſui ipſius genus referens.*
*f Et Hecatæo Mileſio in ſecundo genealogiarum.*
*g Hecatæus Mileſius in deſcriptione Aſiæ.*
*h Hecatæus in deſcriptione Libyæ.*
*i Hecatæus in Europa.*
*k Hecatæus in Æolicis.*
*l Orbis deſcriptionis.*
*m Tabula omnis generis ſcriptorum.*
*n Hecatæus Mileſius in Aſiæ deſcriptione, ſi germanus ejus ſcriptoris is liber eſt: nam Callimachus eum tribuit inſulari.*
*o Hecatæus libro primo hiſtoriarum.*
*p De Itonia Theſſalica.*
*q Artifices, qui manu ventre proſpiciunt.*

ſuis intexuit; ut ex Pauſania etiam, & aliis, cognoſcitur. Nec enim aliter λογογράφον vocat, quàm lib. VI, ubi cum Herodoto conjungit. Hecatæum Ionicè ſcripſiſſe, ait Phrynichus; atque inde eſſe, quòd σκεπάζεσθαι uſurparit pro σκεδάννυσθαι, quomodo Attici loqui malunt. Fortaſſe tamen & aliqua ex dictis intelligi debent de Hecatæo Abderita; de quo lib. I cap. X agimus; aut etiam Teio, vel alio. Sanè quis non putaret, Apollonii ſcholiaſten, quando ait, Hecatæum de gentibus Hyperboreis tractaſſe, de Mileſio, περιηγήσεως auctore, locutum eſſe; niſi non Mileſium, ſed Abderitam, de ea gente egiſſe, clarè diceret Ælianus lib. XI de natura animal. cap. I.

Hecatæi Mileſii æqualis fuit Dionyſius Mileſius; ut diſertim ait Suidas in Ἑκαταῖος: ac Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, ad Olymp. LXV, cùm de Hecatæo Mileſio dixiſſet, ſubjungit, Τότε a καὶ Διονύσιος ἦν ὁ Μιλήσιος. Sed quod ait, vixiſſe Olymp. LXV, id minùs commodè dictum. Saltem alteriùs multo ætate eſt progreſſus. Siquidem Darius obiit Olymp. LXXIII. At Dionyſius hic ſcripſit τὰ b μετὰ Δαρεῖον ἐν βιβλίοις ε΄: ut Suidas ait in Διονύσιος. Alia quoque ejus nominat; quæ libro primo cap. II protulimus. Argonautica etiam feciſſe, cognoſcimus ex Apollonii interprete: qui in librum III citat ejus πρώτον c τῶν Ἀργοναυτικῶν: ac in lib. IV ſimiliter legas, Διονύσιος d ὁ Μιλήσιος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν. Meminit & hujus ſcriptoris alibi non ſemel.

Iiſdem temporibus vixit Menecrates Elaita: ut clarè docet Strabo lib. XIII: Ἐπαινεῖ e δὲ μάλιστα τὴν Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου, καὶ Μενεκράτους τοῦ Ἐλαΐτου, τῶν Ξενοκράτους γνωρίμων ἀνδρῶν, δόξαν. Utrumque indicat fuiſſe diſcipulum Xenocratis: non illius, qui Platonis diſcipulus, & in Siciliam proficiſcenti itineris comes fuit: ſed alius ἀρχαῖος f σφόδρα, καὶ συγγενὴς ἅμα καὶ πολίτης τοῦ προειρημένου φιλοσόφου. Scripſit Menecrates hic Ἑλλησποντιακὴν περίοδον g; unde de Halizonibus quiddam refert ibidem Strabo. Eoipſe poſtea libro, ex Menecrate Elaita, itemque Xantho Lydo, tradit, Myſos ita dici ab ὀξύη arbore, quæ Lydorum linguâ μυσὸς vocatur, ac copioſa creſcit juxta Olympum.

Hipys ſeu Hippys, Ἵπυς ἢ Ἵππυς, Darii, & Xerxis, temporibus fuit. Hic, præterquam quòd parodiam, & choliambum, & alia, invenit, primus etiam res Siculas memoriæ tradidit; quas poſtea Myes in compendium redegit. Fuere autem libri rerum Sicularum quinque. Idem condidit Chronica libris V, & κτίσιν, ſive origines Italiæ. Adhæc Ἀργολογικῶν, ſive otioſarum orationum libros III; ut vulgò quidem apud Suidam exaratum: vel Ἀργολικῶν, ut jam olim legit Gyraldus dialog. X hiſt. poët. vel etiam ἀστρολογικῶν: quod ſi placet, apud Arati ſcholiaſtem, quo loco de Hyadibus Hippiam laudat auctorem, fortè *Hippyn* corrigi oportebit. Meminit hujus ſcriptoris Ælianus lib. IX. hiſtoriæ animalium cap. XXXIII. Ex Plutarcho de oraculorum defectu diſcimus, à Phania Ereſio proditum eſſe, Petronem, juxta Hippyn Rheginum; ſtatuiſſe mundos CLXXXIII. De eodem Stephanus in Ἀρκάς: Ἵππυς h ὁ Ῥηγῖνος λέγεται πρῶτος καλέσαι προσελήνους τοὺς Ἀρκάδας. At apud Athenæum in I corruptè vocatur Ἱππίας ὁ Ῥηγῖνος. Etiam apud Euripidis ſcholiaſtem in Medeam, ubi vulgò editum, Περὶ ἦς i εἰς Κόρινθον μετοικήσεως, Ἵππυς ἐκτίθεται, καὶ Ἑλλάνικος: legendum puto Ἵππυς. Fortaſſe & idem eſt Ἵππων ὁ Ῥηγῖνος, Antigono Caryſtio memoratus, de quo diximus lib. III.

Charon quoque Lampſacenus Xerxi æqualis erat. Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. LXXV: Χάρων k Λαμψακηνὸς, υἱὸς Πυθοκλέους, ἱστορικὸς ἐγνωρίζετο. Nec antiquior eſſe poteſt, cùm Perſica, hoc eſt bellum, quod Darius & Xerxes cum Græcis geſſere, duobus ſignârit libris; ut ex Suida conſtat. Itaque paullò priorem fuiſſe Herodoto, etiam Tertullianus commemorat libro de anima, cap. XLVI. Ut valde fallatur Lilius Gyraldus dial. IX l de Poëtis, quando ei Charon Lampſacenus, hiſtoriarum ſcriptor, familiaris fuiſſe dicitur Apollonio

*a Tunc & Dionyſius Mileſius erat.*
*b Res poſt Darium geſtas, libris quinque.*
*c Lib. I. Argonauticorum.*
*d Dionyſius Mileſius in ſecundo Argonauticorum.*
*e Imprimis autem laudat Hecatæi Mileſii, & Menecratis Elaitæ opinionem, qui familiares erant Xenocratis fuere.*
*f Antiqui admodum, & ſanguine conjunctus, & civis Xenocratis ejus, de quo dixi.*
*g Circuitionem Helleſponti.*
*h Hippys Rheginus dicitur primus Arcades vocaſſe antelunares.*
*i Ut Medea Corinthum profecta ſit, exponit Hippys, & Hellanicus.*
*k Charon Lampſacenus, Pythoclis filius, hiſtoricus claruit.*
l Pag. 13.

ſonio Rhodio, Callimachi diſcipulo; quorum hic Ptolemæi Philadelphi, alter Euergetæ claruit temporibus. Sanè hæc non conveniunt Lampſaceno; niſi duos fuiſſe ejus nominis dicamus, ætate admodum diſpares. Ex Perſicorum opere fuit, quod Ælianus narrat lib. 1 Var. Hiſtor. cap. xv, circa Athon viſas eſſe columbas, cùm ibi triremes Perſarum perirent. Etiam literis & memoriæ mandavit Æthiopica; adhæc Græca libris iv, deque Lampſaco libros ii, Libyca, de finibus Lampſacenorum libros iv; Prytanes, ſive principes Lacedæmoniorum, quæ Chronica ſunt; origines urbium libris duobus; Cretenſia libris tribus; ubi & refert leges à Minoë latas. item edidit navigationem extra columnas Herculis. Autor nobis omnium iſtorum Suidas. Athenæus ἐν ὅροις *a* ab eo proditum ait, ſuâ quoque ætate apud Lacedæmonios monſtrari ſolere pateram, quam Jupiter Alcmenæ donâſſet, cùm ſe in faciem vertiſſet Amphitryonis. Fortaſſe eſt ex libro, quem inſcripſerat ὅρος *b* Λαμψακηνῶν. Meminit hujus quoque ſcriptoris Plutarchus, libro de virtutibus mulierum, & Apollonii ſcholiaſtes in ſecundum Ἀργοναυτ.

*a In finibus, ſive limitibus.*

*b Fines Lampſacenorum.*

## Cap. IV.

*Pherecydes Syrius theologus. Euſtathii locus corrigitur. Primus Pherecydes iſte ſolutâ oratione memoriam ſui poſteris reliquit. Pherecydes Athenienſis, hiſtoricus. Ejus ætas, libri, & mortis genus. Fusè excutitur, reéctene Suidas Pherecydem Lerium diſtinguat ab Athenienſi. De Luciani loco conjectura. Tzetzes emendatur.*

PHerecydem hiſtoricum Herodoto antiquiorem eſſe, ſatis convenit: ſed quanto vetuſtior ſit, non æquè apertum eſt. Nam veteres ipſi non ſatis hanc rem explicant: imò aliqui planè confundunt Pherecydem hiſtoricum, cum Pherecyde phyſico, & theologo. Poſterior hic fuit è Syro, Cycladum unâ: quemadmodum teſtantur, Strabo lib. x, Appuleius lib. ii Floridorum, Heſychius Illuſtris, & Suidas, uterque in Φερεκύδης; item Euſtathius in Odyſſ. O *a*, his verbis: Φησὶ *b* γοῦν ὁ γεωγράφος (Strabonem ſignat) ὅτι ἡ Σῦρος μηκίστην τὴν περίοδον συμβάλλει. ἣν Συρίαν λέγει ὁ ποιητὴς ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βαβυλώνιος. Sed quomodo Babylonius hic dicitur, ſi Syrius erat? Omnino locus eſt corruptus: quod & vidit Jacobus du Breul notis in Iſidori Origin. lib. ii, cap. xxxviii; ubi pro Βαβυλώνιος legit Βάβυ υἱός. Sed omnino ſcribendum ex Strabonis x, ἐξ *c* ἧς Φερεκύδης ὁ Βάβυος ἦν. Etiam apud Suidam, ubi vulgò Φερεκύδης Βάβιος Σύριος, malim ὁ Βάβυος. Uti & apud Anonymum ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. xlv. Sanè υἱὸν Βάβυος vocat Laërtius, idque ex Androne Epheſio. Pherecydes hic à Strabone ſignatur in primo, cùm ait, Cadmum, Pherecydem, & Hecatæum, primos oratione ſolutâ ſcripſiſſe: quod quomodo intelligi debeat, pleniùs ibidem explicatur. Et ſanè Porphyrius etiam, Suida teſte, Pherecyden illum ſtatuebat ἀρχηγὸν ξυγγραφῆς *d*; neque alterum ejus nominis quemquam antiquiorem agnoſcebat. Similiter è Latinis Appuleius in Floridis: *Quin etiam Pherecydes Syro ex inſula oriundus, qui primus, verſuum nexu repudiato, conſcribere auſus eſt paſſivis verbis, ſoluto locutu, liberâ oratione.* Nec aliter Iſidorus lib. i Orig. cap. xxxvii, vel Anonymus ἐν ἀναγραφῇ Ὀλυμπιάδων ad Olymp. xlv. ubi legas: Φερεκύδης *e* Βάβιος Σύριος ἐτέχθη. ὃν πρῶτον συγγραφὴν ἐξενεγκεῖν πεζῷ λόγῳ τινὲς ἱστοροῦσιν. Atque hinc etiam non difficilis eſt conjectatio, quando floruerit. Nempe vixit regnante Servio Tullio. Tullius Cicero i Tuſcul. Quæſt. *Pherecydes Syrus primùm dixit, animos hominum eſſe ſempiternos. antiquus ſanè. fuit enim meo regnante gentili.* Ubi gentilem ſuum Servium Tullium appellat. Freculphus *f* quoque Pherecydem hiſtoricum Servii Tullii tempore floruiſſe ait. Etiam ætatem inde cognoſcimus, quòd magiſter fuit Pythagoræ; ut ibidem ait. item Appuleius lib. ii Florid., Jamblichus de vita ejus, Lactantius lib. vii, cap. viii, Euſtathius *a* in Odyſſ. O, atque alii. Item quòd Thaletis Mileſii præceptor erat, ut Tzetzes ait Chil. ii Hiſt. lv: ubi & vixiſſe dicitur temporibus prædivitis Crœſi, primuſque inveniſſe eclipſes, ac periodos Lunæ. Quin & ipſe etiam auctor eſt, vixiſſe circa Olymp. lix; non lxix, ut eſt apud interpretem. Primus omnium de natura, & de diis, ſcripſit; ut ex Theopompo idem Laërtius refert. Conſtabat autem Θεογονία ejus libris decem. Iis deorum ortum, & ſucceſſionem, complectebatur; ut eſt apud Suidam. Morbo obiit pediculari; ut teſtantur, Ariſtoteles extremo lib. v de hiſtor. Animalium, Heraclides lib. de Rebuſpublicis, Plutarchus in Sylla, Appuleius lib. ii Florid., Ælianus lib. iv Var. Hiſt. cap. xviii, & lib. v, cap. ii, Pauſanias in Atticis, Malchus ſive Porphyrius, item Jamblichus, uterque in vita Pythagoræ. Plura de eo apud Laërtium vide in vita ejus. Accedo ad alterum Pherecydem, hiſtoricum; qui Athenienſis erat. Meminit ejus Germanicus in Aratea, quo loco agit de Tauro: *Hyades Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ vocantur.* Et in Pleiadibus: *Dicit Pherecydes Athenæus, ſeptem ſorores fuiſſe, Lycurgi filias, ex Naxo inſula. Pro eo, quòd Liberum educaverunt, à Iove inter ſidera ſunt relatæ.* At aliis aliquot locis patriam omittit. Ut & Hyginus facit in poëtico Aſtronomico. Admodum autem antiquum eſſe, oſtendit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. i Antiqu. Rom. Ubi inquit, ἄνδρα *b* τῶν ἀρχαίων συγγραφέων Φερεκύδην, τῶν Ἀθηναίων γενεαλόγων οὐδενὸς δεύτερον. Ex ejus hiſtoriarum primo de genere Miltiadis fragmentum citat Marcellinus in vita Thucydidis. Quod ad ætatem, vixit Darii Hyſtaſpidæ temporibus. Aliter tamen Euſebius. Nam eâ vixiſſe ætate dicit, quâ Thales, ac Pythagoras. Sed omnino Pherecydem Syrium cum Athenienſi confundit. Multo enim Pherecydes hiſtoricus Syrio illo junior fuit. Quod cùm negari non poſſet, duos Euſebius Pherecydas poſuit, quorum uterque eſſet hiſtoricus. Hunc Euſebii errorem etiam Scaliger obſervavit ad annum Chronici Euſebiani mcccclxxviii. Nec difficile eſt videre, quid impoſuerit Euſebio. Nam cùm legiſſet, & Pherecydem Lerium hiſtoricum fuiſſe, & vixiſſe puero Socrate: planè exiſtimavit, duos Pherecydas hiſtoriam ante bellum Peloponneſiacum ſcripſiſſe. Sanè Anonymus, ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, idque ſine dubio ex antiquis χρονογράφοις, ſcribit ad Olym. lxxiv: Φερεκύδης *c* Λέριος ἱστορικὸς ἤκμαζεν. Iccirco & Suidas duos facit Pherecydas hiſtoricos: quorum uterque Herodoto ſit antiquior. Unum vocat Athenienſem, alterum Lerium. Athenienſem illum collegiſſe Orphei ſcripta dicit; ac ſcripſiſſe Αὐτόχθονας *d*; quod opus decem libris Atticæ antiquitates complectebatur. Meminit operis ejus etiam Etymologus in Βοηδρομιών. Atque inde eſſe videtur, quod de Theſei voto, cùm in Cretam ad Minotaurum duceretur, ex Pherecyde citat Macrobius lib. i Saturn. cap. xvii. Lerium autem ſcripſiſſe idem Suidas ait de Lero, de Iphigenia, de Bacchi feſtis, & alia. Ætate idem duos hos diſtinguit. Nam Lerium natum putat paullo ante Olymp. lxxv. At Athenienſem ait antiquiorem credi ipſo Pherecyde Syrio; quem natum dicit circa Olym. xlv. Satis cum iſtis conveniunt, quæ Euſebius prodit. Nam qui natus erat circa Olymp. xlv, florere potuit Olympiadis lxii anno ii; ad quem Pherecydem, hiſtoricum primum refert Euſebius. Quippe natus paullo erat ante Olymp. lxxv; hic potuit innotuiſſe Olympiadis lxxxi anno i; ad quem Euſebius iſta verba annotavit: *Pherecydes, ſecundus hiſtoriarum ſcriptor, agnoſcitur.* Aliorum igitur errorem ſecutus eſt Euſebius, cùm duos faceret Pherecydas hiſtoricos; ac alterum eorum referret ad Pythagoræ ætatem; quâ & Pherecydem Syrium vixiſſe conſtat. Nam, ut diximus, duo quidem Pherecydæ ante Herodotum vixere: ſed ſolùm alter eorum, junior nempe, hiſtoricus fuit. Illi autem duo, quos Suidas agnoſcit, puta Athenienſis, & Lerius, ſunt unus idemque Pherecydes. Hoc ne temerè dixiſſe videamur, argumentis firmandum no-

*a Pag. 1787. edit. Rom.*

*b Ait geographus, Syrus habere prorem porrectam. pro quo Syria dicit poëta: unde erat Pherecydes Babylonius.*

*c Ex qua erat Pherecydes, Babyos filius.*

*d Auctorem orationis ſolutæ.*

*e Pherecydes, Babyis filius, Syrus, naſcitur; quem primum ſolutâ oratione ſcripſiſſe quidam narrant.*

*f Tom. i. lib. 3. cap. 17.*

*a Pag. 1786. edit. Rom.*

*b Scriptorem antiquum Pherecydem Athenienſem, nulli ſecundum in texendis genealogiis.*

*c Pherecydes Lerius hiſtoricus florebat.*

*d Indigenas, &c. ut ita dicam, Atticos Aborigines.*

nobis. Ac illud primò conſiderandum, quòd antiquus, & eruditiſſimus ſcriptor Eratoſthenes duos tantùm Pherecydas agnovit, Laërtio teſte: unum Syrium, θεολόγον; alterum Athenienſem, τὸ γενεαλόγον: Lerium ab Athenienſi diverſum nullum agnoſcit. Quis autem perſuadere ſibi poſſit, tantum virum, tam antiquum ſcriptorem, (ſub Ptolomæo enim Euergete floruit) non noviſſe eos, qui primi hiſtoriam ſolutâ oratione ſcripſiſſent? Accedit alterum, quòd veteres unum tantùm hiſtoricum Pherecydem laudant: quem Athenienſem appellant. Sanè Laërtius, ubi omnes ejus nominis ſcriptores recenſet, tamen duos quidem ait Syrios ab Androne Epheſio tradi, unum aſtrologum, alterum theologum: ſed unum tamen hunc quoque hiſtoricum agnoviſſe, Athenienſem γενεαλόγον, diſertim dicit. Etiam graviſſimus, & doctiſſimus Strabo, duos ſolùm nominat. Sic enim ſcribit libro x: Σῦρος *a* δ' ἐστὶ μνημονεύεται τῶν πρώτων συγγραφέων, ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βάβυος ἦν. νεώτερος δ' ἐστὶν ὁ Ἀθηναῖος ἐκείνου. Supereſt, ut oſtendam, quid alios impulerit, ut duos facerent Pherecydas hiſtoricos; quorum unus Lerius, alter Athenienſis, diceretur. Athenienſes, ut omnium diſciplinarum inventores haberi volebant, ita non facilè patiebantur, hanc laudem alterius gentis civi attribui, quòd primus ſolutâ oratione ſcripſiſſet. Ergò, incolis Syriis Pherecyde ſuo gloriantibus, Athenienſes viciſſim objectabant Pherecydem τὸ γενεαλόγον, quem Syrio antiquiorem eſſe dicebant: falsò illi quidem, ut Strabo fatetur, & Porphyrius etiam agnovit; qui, ut eſt apud Suidam, nullum ejus nominis ſcriptorem Syrio eſſe antiquiorem contendebat: ſed tamen cauſſa non deerat, cur aliis hoc perſuaſum eſſe cuperent Athenienſes. Nam inventæ hiſtoriæ laudem, ut dixi, Athenienſes ſibi vendicabant. Cui altera etiam cauſſa acceſſit, quia iſte γενεαλόγος libris decem, ut jam retuli, expoſuerat τὰς Ἀττικὰς ἀρχαιολογίας *b*, iiſque libris Athenienſes eſſe αὐτόχθονας *c* oſtenderat, atque inde hoc etiam fecerat libris nomen. At quis non videt, multùm adeò ad Atticæ gentis gloriam pertinuiſſe, ut ſcriptor ille quàm antiquiſſimus, ipſoque Syrio vetuſtior, haberetur? Quod autem idem, & Lerius, & Athenienſis, diceretur, mirum videri non debet; cùm ſimile aliis multis uſu venerit. Sic Dionyſius, cognomento Thrax, patriâ erat Alexandrinus: & tamen Rhodius vulgò dictus; ut teſtatur Strabo lib. XIV. Quis iſtius ignarus, non tres inde Dionyſios faceret? Thracem unum, alterum Alexandrinum, tertium Rhodium. Similiterque Apollonius, qui Argonautica ſcripſit, Alexandrinus patriâ fuit; ſed Rhodius eſt vocatus, quia Rhodi viveret; ut ibidem dicitur à Strabone. Apion quoque, cùm ex Oaſi urbe eſſet; tamen Alexandrinus vocabatur, quia habitaret Alexandriæ, & jus ejus civitatis haberet. Et poſſemus multa alia ejus generis exempla adferre. Quid ſi igitur ſimile contigerit Pherecydi hiſtorico; ut Lerius diceretur, quia eſſet in Lero inſula natus; Athenienſis verò creditus ſit, quia apud hos viveret? Et ſanè, niſi Pherecydes Athenienſis, vel in Lero natus fuiſſet, vel ſaltem genus inde duxiſſet: non, puto, honore eo dignatus eſſet obſcuram inſulam, ut de hac ſola librum conderet. Nunc quia & hic natus, & illic honeſtè habitus eſſet, utriuſque, & Athenienſibus, & Leriis ſuis, gratum ſe voluit præſtare. Nec dubium, quin, ob nobile Atticarum antiquitatum opus, magno apud Athenienſes fuerit in honore. Iſta igitur fecerint, ut Athenienſis paſſim diceretur. Sic igitur concludimus, ut Andron Epheſius ex uno Pherecyde Syrio, qui & theologus, & aſtrologus eſſet, malè, etiam Eratoſthenis judicio, duos fecit Syrios, unum theologum, aſtrologum alterum: ita alios, ex Pherecyde hiſtorico, qui & de Lero, & de Athenienſibus, ſcripſerat, falsò duos fabricâſſe, Lerium unum, alterum Athenienſem. Propter iſta ſemper Pherecydem Athenienſem intelligimus, quoties Pherecydis hiſtoriæ advocantur. ut apud Ciceronem lib. II de Orat. qui ſimplici uſum ſtylo ait. & Macrobium lib. V Satur. cap. XXI; & ſcholiaſtem Euripidis in initium Alceſtidis; ac Apollonii interpretem, qui decimi, & duodecimi meminit Pherecydis hiſtoriarum libri; item Origenem, qui lib. I contra Celſum advocat Φερεκύδου τὴν γενεαλογίαν; quod interpres Gelenius *Pherecydis hiſtoriam* vertit; & apud Pollucem, Stephanum, Etymologum, atque alios multos, ut ad eos enumerandos face & viatico opus eſſe videatur. Mirari autem ſubit, Lucianum, libello de Macrobiis, (ubi diſtinctè primùm de longævis philoſophis, exinde de hiſtoricis longævis, tractat) Pherecydem Syrum inter hiſtoricos referre. Sanè Pherecydem hiſtoricum veteres quidem, nunc Lerium, nunc Athenienſem, vocant: ſed Syrium, vel Syrum, nemo. Quare ſi loquitur de Syrio, inter hiſtoricos erat numerandus: ſin de hiſtorico agit, Syrus nominari non potuit. An dicemus, Syrum origine fuiſſe: ſed habitâſſe in Lero, atque Athenis? Sanè hoc ſi eſt, nihil mirum, ſi conterraneum ſuæ genti vendicet Syrus ipſe Lucianus. Et profectò apud Tzetzem quoque Chil. II Hiſtor. LV legas, Ἀσσύριον *a* μαθητὴς ἐπάγων Φερεκύδης. Sed, ut puto, corruptè. Omnino enim τὸ Σύριον ſcripſiſſe videtur. Nempe ut apud Euſtathium ex ὁ Βάβυος ἦν factum Βαβυλώνιος, ita apud Tzetzem ex ὁ Σύριος factum Ἀσσύριος; unde opinio orta, Babylonium, vel Aſſyrium, fuiſſe.

*a Syrus verò, quando prior ſyllaba eſt porrecta, eſt inſula ea, in qua natus Pherecydes, Babyis filius. Eo autem poſterior eſt Pherecydes ille Athenienſis.*

*b Antiquitates Atticas.*

*c Indigenas.*

*a Aſſyrii qui diſcipulus erat Pherecydes.*

## Cap. V.

*Hellanici duo, Lesbius unus, alter Mileſius. Lesbii ſcripta. In Fulgentio Planciade conjectura. Damaſtes Sigeenſis. Xanthus Lydus. De ætate Dionyſii, qui* Scytobrachion *nuncupatus.*

QUemadmodum autem duo Pherecydæ, ita & Hellanici duo fuerunt: unus Mitylenæus, qui annos vixit LXXXV; ut in Macrobiis teſtatur Lucianus: alter autem Mileſius. Prior annis duodecim Herodoto grandior fuit; ut ex Pamphila oſtenſum nobis lib. I cap. I: alterius ætas non ſatis cognita eſt. Junior hic, Suida teſte, ſcripſit περίοδον *a* γῆς, καὶ ἱστορίαν. Nec propterea cenſet, omnes hiſtorias, Hellanici nomine citatas, Mileſii eſſe: quando mox alterum vocat Μιτυληναῖον ἱστορικόν. Quare ibidem dicebamus ubi patriæ nomen haut additur, difficile omnino dictu eſſe, quæ hiſtoriæ Hellanici Mitylenæi ſint, quæ contra Mileſii. Quamquam cùm Suidas ἁπλῶς dicat, Mileſium ſcripſiſſe ἱστορίας, videri poſſit ἁπλῶς fuiſſe is operis titulus. Sanè Athenæus extremo lib. IX, ubi ſermo eſt de puero, quem Hercules talitro interfecerat, in hunc modum loquitur: Ἑλλάνικος *b* ἐν ταῖς ἱστορίαις Ἀρχίαν φησὶ καλεῖσθαι, δι' ὃν καὶ ἐξεχώρησε Καλυδῶνος. Quod ſi iccirco Hellanicum Mileſium intelligi placet; idem Hellanicus Phoronidos fuerit auctor. Nam continuò ſequitur: Ἐν *c* δὲ τῷ δευτέρῳ Φορωνίδος Χερίαν αὐτὸν ὀνομάζει. Sed hoc falſum eſt. Nam Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I Rom. Antiq. Phoronidos auctorem diſertim vocat Ἑλλάνικον τὸν Λέσβιον. Ibidem ex Phoronidis opere citat: Τοῦ Πελασγοῦ τοῦ βασιλέως αὐτῶν, καὶ Μενίππης τῆς Πηνειοῦ, ἐγένετο Φράστωρ. τοῦ δὲ, Ἀμύντωρ. τοῦ δὲ, Τευταμίδης. τοῦ δὲ, Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος, οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν. καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον. καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι τὴν νῦν καλουμένην Τυρσηνίαν ἔκτισαν. *Pelaſgi, regis eorum* (qui Pelaſgi dicuntur) *& Menippes filiæ Penei, Phraſtor fuit filius, hujus verò Amyntor; hujus deinceps Teutamides; & hujus Nanas. hoc regnante Pelaſgi ab iis, qui Hellenes dicebantur, expulſi ſunt: relictiſque ad Spinetem fluvium in Ionio ſinu navibus, Crotonem ceperunt, urbem mediterraneam: eâque belli ſede uſi, conſtituerunt quam nunc vocant Tyrrheniam.* Meminit idem Dionyſius diſertim Hellanici Lesbii, eoque in libro duobus locis. Semel quidem, quando ex eo narrat, ut vetuſti Italiæ incolæ, cùm ſe Pelaſgorum, & Aboriginum populo, fore bello impares viderent, Italiâ ceſſerint, inque Sicaniam, duce Siculo, rege ſuo, (unde inſula poſtea *Siciliæ* nomen accepit) trajecerint, tertiâ ante bellum Trojanum ætate. Iterum id facit, ubi de Italiæ nomine agit. Mytilenæum quo-

*a Ambitum terræ; & hiſtoriam.*

*b Hellanicus in hiſtoriis Archiam vocatum eſſe ait, eumque di cauſſam Calydone receſſiſſe.*

*c Idem in ſecundo Phoronidis libro eum Cheriam appellat.*

quoque intelligere, judicio meo, convenit, cùm Ἑλλάνικος a ἐν τοῖς Τρωικοῖς citatur ab eodem Dionyſio lib. I; ubi præ illis, quæ alii de Æneæ fugâ memoriæ prodiderunt, fide imprimis digna videri ſcribit, quæ Hellanicus de iis tradidit in Troicis. Eam narrationem, quia præclara planè eſt, hoc loco repeteremus, niſi eſſet longior. Quare apud Dionyſium legi malumus. Eo autem adducor, ut ibi Mytilenæum intelligam, quòd cùm hiſtoriam illam ex Hellanico attuliſſet Dionyſius, ſubjungat, eum eſſe τῶν παλαιῶν συγγραφέων b. Et alium ſi ſignâſſet ab eo, cujus antè meminerat, cognomento diſtinxiſſet. Ἑλλάνικον c ἐν πρώτῃ Τρωικῶν citat & Harpocratio in Κεφαλλῆνες. Quod ſi Lesbius ille Troicorum auctor fuit: neque dubium erit, quin idem deſignetur à Strabone libro XIII; ubi Hellanicum ait, ut Ilienſium gratiam, more ſuo, captet, affirmare, muros Ilii, quos alii uno ore dicunt multo poſt excidium Ilii exſtructos fuiſſe, eoſdem eſſe, ac antiquos. Meminere verò & Troicorum Hellanici alii non pauci. Atque eos inter Stephanus in Φοίνιξ. Sed numerum non addit. At primum ejus operis laudat in Βατίεια. Secundum puto ſignari in Ἀγάμεια: etſi Τρωικῶν nomen ibi deſideretur. Eidem Atticam hiſtoricam tribuo; quia Thucydides ipſe ſcriptorem ejus inter antiquos hiſtoricos reponat. Ubi & judicium de eo volumine fert. Sanè inter alia inquit: Τούτων δὲ ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε, καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς, ἐπεμνήσθη. Ejus operis mentionem quoque facit Juſtinus Martyr paræneſi ad Græcos: Καὶ e οἱ τὰ Ἀθηναίων ἱστοροῦντες, Ἑλλάνικός τε, καὶ Φιλόχορος. Adhæc meminit Harpocratio in Ἐρυθραῖοι. Idem in Ἀλόπη citat eum f ἐν δευτέρῳ Ἀτθίδος. Celebrantur & Ægyptiaca ejus. Athenæus lib. XI: Ἑλλάνικος g ἐν Αἰγυπτιακοῖς οὕτως γράφει. Meminit & Arrianus lib. II. Diſſertat. Epicteti: atque ex eo Gellius lib. I. Noctium Attic. cap. II. Et veriſimile ſatis eſt, eo ex opere eſſe, quod Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride, tradit, ab Hellanico *Hyſirin* pro *Oſiride* poſitum eſſe. Imò neque illud à vero abludit, operis hujus vel partem, vel appendicem, fuiſſe Ἀνάβασιν εἰς Ἄμμωνος h, eidem memoratam Athenæo. Adhæc Περσικῶν α´ citat Stephanus in Ἀρταία, & Χαλδαῖοι. Item Σκυθικά in Ἀμάδοκοι, & Ἀμυργιον. Item περὶ Λυδίας i in Ἀζειώτης. Et k Λεσβιακῶν α´ in Μαλόεις. Λεσβιακῶν β´ l in Νάπη. Κυπριακά in Καρπασία. Ariſtophanis ſcholiaſtæ in Aves m memoratur Ἑλλάνικος n ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς. Apollonii etiam ſcholiaſtes crebrò Hellanici mentionem facit: ac primo quidem libro citat ἐν ο τῷ περὶ Ἀρκαδίας. Æolicorum primum citat Iſ. Tzetzes in Lycophronem p: Τὰ δὲ q περὶ τῆς ἀποικίας Λέσβου, Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιος ἱστορεῖ ἐν πρώτῃ Αἰολικῶν. Hellanici Aſopis citatur à Marcellino in vita Thucydidis. Ejuſdem fuere κτίσεις ἐθνῶν, καὶ πόλεων: hoc eſt, *libri de origine gentium, & urbium conditoribus.* Ita enim loqui malo, quàm ut gentes, ac regiones, condi dicam; etſi non ignorem, apud Hieronymum in Chronico Euſebiano legi: *Bithynia condita à Phœnice.* Quòd Græcè eſſet ἐκτίσθη. Ejus Hellanici operis, quod proximè dixi, mentionem faciunt Athenæus in X, & Stephanus in Χαλαμάτη. Ac cenſeo, inde depromptum eſſe, quod ſcholiaſtes Apollonii lib. I. de Lariſſæ origine refert. Inde etiam ſint, quæ de Chiorum origine memorat Lycophronis ſcholiaſtes r: καθὼς s ἐν τῷ περὶ Χίου κτίσεως Ἑλλάνικος ἱστορεῖ. Scriptæ ab eodem ἐθνῶν t ὀνομασίαι quarum apud Athenæum mentio fit in undecimo. Ac, puto, idem opus ſignat Apollonii ſcholiaſtes in IV Argonaut. u ubi verba ejus adducit è libro περὶ ἐθνῶν. Item νόμιμα x βαρβαρικά Hellanico tribuit Etymologus in Ζάμολξις; ubi & quædam eo ex opere de Zamolxide memorat. Præterea Hellanicum ἐν ἱερείαις Καρνεονίκαις teſtem advocat Athenæus lib. XIV. Item ἐν y πρώτῃ Δευκαλιωνείας citat lib. X. Ut & Stephanus facit in Ἀχάρνα, Ἀστυρὸς, & Θηγώνιον; & Apollonii ſcholiaſtes in libro III. Denique & ἱερῶν z libros ſcripſit. Quorum primum laudat Stephanus in Νικαία, & Σίνδοι: ſecundum in Φελίσιον, Χαιρώνεια, & Χαλκίς: tertium in Χαονία. Apud Fulgentium quoque lib. I. Mytholog. citatur Hellanicus in Διὸς πολυπτυχίᾳ: atque inde refertur, Junonem ab Jove vinctam catenis aureis, & degravatam incudibus ferreis. Sed pro Διὸς πολυπτυχία fortean legendum πολυτοκία a, ſeu πολυτεκνία. Præter dicta autem loca etiam alia longè plurima occurrunt, quibus Hellanici mentio fiat. Conſulatur Cicero lib. II. de Oratore: Diodorus Siculus lib. I; ubi jungit cum Cadmo, & Hecatæo, multaque hos fabuloſa ſcripſiſſe ait: Dionyſius libro περὶ b τῶ Θουκυδίδου χαρακτῆρος: Strabo lib. I, VIII, IX, X, XI: Valerius Maximus lib. VIII. cap. XIII: & Plinius lib. VII. cap. XLVI. Uterque ex eo narrat, in Ætolia quoſdam Epiorum gentis annos explere ducentos. Item Pauſanias in Corinthiacis gemino loco, & Cephalæon apud Euſebium lib. I. χρονικῶν c. Adhæc Photius in biblioth. cod. CLXXVI; ubi de Theopompo agit: atque alii. E Latinis quoque Grammaticis Donatus in Eunuchum Act. I. Sc. II: *Eunuchos à Perſis inſtitutos putant ex captivis. A Babylonii enim Hellanicus auctor eſt id habuiſſe.*

Hellanico Mileſio æqualis erat Damaſtes Sigeenſis hiſtoricus: cujus meminere Dionyſius lib. I. Antiquit., Strabo lib. XIV, Valerius Max. lib. VIII. Memorab. cap. XIII. Plinius in indice libri IV; ubi corruptè in quibuſdam libris eſt *Damaſcenus*: item indice lib. V, VI, VII. ad hæc libro VII, cap. XLVIII. nec non Plutarchus in Camillo, & Stephanus in Ὑπερβόρεοι. Eſt & Rufi Avieni in ora maritima; ubi varios recenſet hiſtoricos, ex quibus, quæ ad terrarum ſitum pertinent, hauſerit:

*Quin & Damaſtes nobili natus Sige.*

Et alibi:

*—— Stadia ſeptem vix ait*
*Damaſtes eſſe.*

Tum quoque fuit Xenomedes Chius; ut dictum lib. I. cap. II. Item Xanthus hiſtoricus. Is patriâ Lydus fuit, teſte Stephano in Ἀσκαλών, & Λάμετος. Ac propterea inter ſcriptores, quos Aſia nobis dedit, unà cum Hecatæo, Herodoto, Theopompo, & Ephoro, reponitur à Solino cap. XLIII. Scripſit Lydiaca. Strabo lib. XII: Ὁ d δὲ τὰ Λυδιακὰ συγγράψας Ξάνθος, διηγησάμενος οἵας μεταβολὰς κατέσχον πολλάκις ἡ χώρα ταύτην. Secundum Lydiacorum Xanthi citat Stephanus in Ἀδραμύτειον, & Στρόγγυλαι: quartum in Ἀσκαλών, Ἀσπεία, & Ἀταλάντη. Meminit & ejus operis Parthenius in Eroticis cap. XXXIII, & Hephæſtio in Enchiridio. Nec aliud ſignat Plinius lib. XXIII. cap. II: ubi *Xanthus, hiſtoriarum auctor, in prima earum* citatur. Sed ut Cadmi Mileſii, Ariſteæ Proconneſii, & aliquot aliorum ex antiquis illis ſcriptoribus; ita etiam Xanthi hujus hiſtoria ſuppoſititia credebatur. Athenæus lib. XII: Γράφει e Ξάνθος ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων. Dionyſius iſte Σκυτοβραχίων f, qui & Σκυτεὺς g dicebatur, Suida teſte, vixiſſe à nonnullis creditus pauſſo ante tempora Ciceronis, & Cæſaris. Tranquillus in illuſtribus Grammaticis: *Marcus Antonius Gnipho inſtitutus Alexandria, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionyſii Scytobrachionis. quod equidem non temerè crediderint; cùm temporum ratio vix congruat.* Negat Suetonius, conſentaneum vero eſſe, quod ajunt, Gniphonem, Ciceronis & Cæſaris æqualem, in contubernio vixiſſe Dionyſii Scytobrachionis. Nempe antiquiorem putavit Dionyſium iſtum, quàm ut cum eo vixerit Gnipho. Et ſanè id veriſimile eſt. Nam cæteroquin nimis ſpiſſus foret error eorum, qui hujus eſſe putarent Lydiaca Xanthi, ſcriptoris Herodoto ipſo antiquioris. Sed utcumque hoc eſt, pro genuino præter alios, quos diximus, habuiſſe, etiam is videtur, qui non multo Gniphone junior fuit: Dionyſius, inquam, Halic. qui lib. I. Antiq. Rom. Xantho tribuit, & præclarum ejus elogium addit: Ξάνθος h δὲ ὁ Λυδὸς, ἱστορίας παλαιᾶς, εἰ καί τις ἄλλος ἔμπειρος ὢν, τῆς δὲ πατρίδος

a Hellanicus in Troicis.
b Unum ex antiquis ſcriptoribus.
c Hellanicum in primo Troicorum.
d Ex horum autem (veterum hiſtoricorum) numero eſt & Hellanicus, qui in Attica hiſtoria hæc attigit, & breviter, & temporibus non accuratè diſtinctis.
e Quique Athinienſium geſta prodiderunt, Hellanicus, & Philochorus.
f In ſecundo rerum Atticarum libro.
g Hellanicus in Ægyptiacis ita ſcribit.
h Profectionem ad templum Jovis Ammonis.
i De Lydia.
k Lib. I. Lesbiacorum.
l Lib. 2. Lesbiacorum.
m P. 606.
n Hellanicus in Cranaicis.
o Lib. de Arcadia.
p P. 171.
q Illa verò, quæ Hellanicus Lesbius de Lesbiorum colonia narrat in primo Æolicorum.
r Pag. 45.
s Sicut de Chii origine narrat Hellanicus.
t Gentium appellationes.

a Multi liberi.
b De Thucydidis ſtylo.
c Pag. 30. Theſaur. Temp.
d Is qui res Lydiæ conſcripſit, Xanthus, exponens cujuſmodi mutationes ſæpe ea in regione ſint factæ.
e Refert Xanthus Lydus, ſive is, qui ei tributas hiſtorias conſcripſit, Dionyſius Scytobrachion; ut ait Artemo Caſſandreus, opere, quo ad auctores genuinos libri referuntur.
f Coriaceum habens brachium, vel potius brachium debile in corio geſtans.
g Sutor.
h At Xanthus Lydus antiquitatum peritus, ſiquis alius; patriæ verò hiſtoriæ auctor nemini inferior habitus.

u Pag. 189. edit. H. Steph. x Leges barbaricas. y Libro primo de Deucalione. z De ſacrificiis.

καὶ βεβαιωτὰς ἀειδέους ἀποδείξειεν νομισθεῖς. Præter Lydiacam hiſtoriam etiam μαγικὰ in literas retulit. Clemens Alexandrinus lib. III Στρωματ. Ξάνθος *a* ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις Μαγικοῖς, Μίγνυνται δὲ, φησὶν οἱ μάγοι μητράσι. Nec dubium, quin eo ex opere ſint, quæ de magis Xanthum hunc tradidiſſe, refert Diogenes Laërtius in præfatione. Idem Laërtius, de Empedocle librum ſcripſiſſe, teſtatur. Nam cùm in vita ejus retuliſſet, regnum ſibi oblatum conſtanter renuiſſe, addit, καθάπερ *b* Ξάνθος ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λέγει. Clemens Alexandrinus in primo Στρωμ. quiddam etiam ex eo commemorat de Leiche Lesbio; ut fortaſſe de pluribus illuſtribus viris commentarium confecerit. Quam & ſententiam eſſe video viri optimè de bonis literis meriti Joannis Meurſii.

*a Xanthus verò in opere, quod Magica inſcribitur, Commiſcentur, inquit, magi cum matribus, & filiabus.*
*b Sicut Xanthus refert, in iis, quæ de Empedocle ſcripſit.*

## Cap. VI.

*Diſſenſus veterum ſuper Panyaſis patriâ, patre, ætate. Ejuſdem ſcripta, & ſtylus. Alter Panyaſis. Teleclides Telchiniacæ hiſtoriæ autor creditur quibuſdam. Simonides ὁ γενεαλόγος. Herodici ætas ex Ariſtotele oſtenſa; item patriâ Athenienſem, profeſſione fuiſſe hiſtoricum, ex interprete Ariſtotelis indicatur.*

PRoximus iſtis fuiſſe videtur Panyaſis; qui antiquitates Græciæ ſcripſit; ſed carmine. Hic cujas fuerit, & quo ſatus ſit parente, ne inter veteres quidem conveniſſe, Suidas teſtis eſt. Duris fuiſſe Samium tradidit, ac Dioclis filium. Alii Halicarnaſſenſem dixere, & filium Polyarchi: quem ei patrem fuiſſe, etiam Pauſanias in Phocicis refert. Similiter Anonymus ἐν ἀναγραφῇ Ὀλυμπιάδων ad Olympiad. LXXVIII: Πανύασις *a* Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεὺς ποιητὴς, ἐγνωρίζετο. Etiam aliud eſt, ſuper quo ſententiis diſcrepent. Nam quidam eum Herodoti avunculum, quidam patruelem eſſe, exiſtimarunt. Ne de ætate quidem conveniunt. Aliquibus dicitur fuiſſe Olympiad. LXXVIII. At juxta alios antiquior erat. Fuit aruſpex, ſive, ut Suidas ait, τερατοσκόπος *b*: unde & Artemidorus ejus teſtimonio utitur in Ὀνειροκριτικοῖς. Nobilis præterea poëta fuit, ac Heracleida, ſive de Herculis laboribus, poëma ſcripſit, idque verſibus novies millenis. Item Ionica edidit verſu pentametro. Ea erant de Codro, Neleo, & Ionicis coloniis, verſus circiter ſepties mille. Poſterius hoc opus magis hiſtoricum fuit, quàm Heracleis; in quo non pauca fabulæ propiora fuiſſe, quàm hiſtoriæ, indicat locus iſte Macrobii lib. v. Saturn. cap. XXI: *Eſt etiam hiſtoria non adeò notiſſima, nationem quandam hominum fuiſſe prope Heracleam, ab Hercule conſtitutam Cylicranorum compoſito nomine* ἀπὸ τῆς κύλικος*: quod poculi genus nos, unâ literâ immutatâ*, calicem *dicimus. Poculo autem Herculem vectum, ad* Ἐρύθειαν*, Hiſpaniæ inſulam, navigâſſe, & Panyaſis egregius ſcriptor Græcorum dicit, & Pherecydes auctor eſt: quorum verba ſubdere ſuperſedi, quia propiora ſunt fabulæ, quàm hiſtoriæ.* Conſtabat Heracleis, Suida teſte, libris XIV. Quorum primum citat Athenæus lib. XI. Eundem in primo, & undecimo Ἡρακλείας, citat Stephanus in Βέμβινα, & Ἀσπίς. Etiam quinque ejus verſus hexametros adducit in Τρεμίλη. Ex Heracleâ quoque ejus aliqua narrat, tum Cæſar Germanicus in Aratea phænomena, tum Hyginus in poëtico aſtronomico, uterque ubi de ſidere Engonaſin tractat. Referunt autem eo ex opere quiddam de dracone ſemper vigili Heſperidum cuſtode, & Hercule cum eo decertare parato. Meminit & Avienus in Engonaſin: de quo dicimus Phyſices Chriſtianæ, deque origine & progreſſu Idololatriæ, lib. II. cap. XXXVI. Eodem ex opere eſt, quod de Hercule adfert Germanicus in ſidere Cancro. Nec dubium, quin eodem ex libro ſint, quæ citat Apollonii ſcholiaſtes lib. IV: ubi inquit, Πανύασις *c* (lege Πανύασις) δέ φησιν, ἐν Λυδίᾳ νοσήσαντα Ἡρακλέα τυχεῖν ἰάσεως ἀπὸ Ὕλλου τοῦ ποταμοῦ. ὅς ἐστι τῆς Λυδίας. Διὸ καὶ τὼ δύο υἱὼ αὐτοῦ Ὕλλους ὀνομασθῆναι. Meminit quoque Pauſanias in Bœoticis, Proclus in Χρηστομαθείαις à Photio excerptis, ſcholiaſtes Euripidis in Alceſtidem, Etymologus in Βηλὸς, &c. Cujuſmodi ejus ſtylus fuerit, Fabius nos docet lib. X. ubi, cùm de Heſiodo, & Antimacho, proximè egiſſet, iſta adjungit: *Panyaſin, ex utroque mixtum, putant, in eloquendo neutrius æquare virtutes: alterum tamen ab eo materiâ; alterum diſponendi ratione, ſuperari.* Occiſus eſt à Lygdamide, tertio Halicarnaſſi tyranno; Suida teſte. Alius eſt, ac junior, Panyaſis ille, quem de ſomniis duos ſcripſiſſe libros, idem Suidas docet. Atque is eſt, cujus ſomniorum interpretamenta citat Artemidorus in ὀνειροκριτικοῖς. Nam ratio fugit doctiſſimum Gyraldum, cùm ſuperiorem intelligit Panyaſin, Hiſtor. de poët. dial. III.

*a Panyaſis, filius Polyarchi, Halicarnaſſenſis poëta, inclaruit.*
*b Prodigiorum ſpeculator, atque interpres.*
*c Panyaſis verò ait, Herculem, cùm in Lydiam profectus eſſet, ſanitatem eſſe conſecutum à fluvio Hyllo, qui in Lydia eſt, ac propterea filiis duobus nomen Hylli feciſſe.*

Apertius eſt, quando vixerint Teleclides, & Simonides. Teleclides, Τηλεκλείδης, poëta Comicus, Suida teſte, fuit; ac varias ejus fabulas nominat Athenæus. Floruit circa Olymp. LXXXIV. Quippe Plutarchus teſtatur, æqualem fuiſſe Periclis; cujus ductu, hac Olympiade, Samus in Athenienſium poteſtatem vênit. Aliqui tamen Ariſtophani Comico æqualem faciunt. Meminimus autem Teleclidis hoc loco, quoniam nonnulli fuiſſe ejus crediderunt Telchiniacam hiſtoriam, carmine ſcriptam epico, atque ab aliis Epimenidi Cretenſi tributam. Auctor Athenæus lib. VII.

Simonides Ceus ex filia nepos fuit Simonidis Lyrici, cognomento Melicertæ; qui memoriæ artem inveniſſe dicitur. Ac avus quidem vixit temporibus belli Perſici adverſus Darium Hyſtaſpidem, & Xerxem, uſque ad Olympiad. LXXVIII: qua obiit annos natus LXXXIX. Nepos autem circa Olympiadem LXXXII vixit. Hoc & Suidas confirmat, cùm floruiſſe dicit ante bellum Peloponneſiacum, quod Olympiade cœpit LXXXVII. Junior hic Simonides, eodem Suida teſtante, ſcripſit εὑρημάτων *a* libros tres. Item libros tres genealogiarum: unde & Σιμωνίδης ὁ γενεαλόγος vocatur ab Apollonii ſcholiaſte in librum II. Fuere & alii ejus nominis; de quibus inferiùs dicemus.

Periclis etiam ætate vixit Herodicus: ut inde cognoſcimus, quòd æqualis fuit Thraſymacho Chalcedonio, & Polo Agrigentino, clariſſimis ſophiſtis. Oſtendit hoc Ariſtoteles lib. II. Rhetor. cap. XXIII. Nam inter alluſiones ad nomen reponit exemplum Herodici ad Thraſymachum, Ἀεὶ *b* θρασύμαχος εἶ: & ad Polum, Ἀεὶ *c* σὺ πῶλος εἶ. Ad hunc autem locum ita vetus interpres: Ὁ *d* δὲ Ἡρόδικος, Ἀθηναῖος ἱστορικός.

*a Inventorum rerum.*
*b Semper tu Thraſymachus, h. e. audax bellator es.*
*c Semper tu polus, h. e. pullus es.*
*d Herodicus autem, Athenienſis hiſtoricus.*

## Cap. VII.

*Steſimbroti Thaſii ætas. Chœrili patria. Metrum Chœrileum. Ætas Chœrili. Super hoc Horatii memoria lapſus. Et fortaſſe alter ejus error de poëta ipſo. Egiſſe de victoriis Græcorum adverſus Darium, & Xerxem. Antiochus, Xenophanis filius, antiquiſſimus rerum Italicarum ſcriptor. Feſtus emendatur. item duo tres alii. Xenophanes. Cratippus. Antipho Rhamnuſius.*

ATque his, quos proximè diximus, æqualis fuit ὁ *a* θαυμασιώτατος, καὶ μελίγηρυς Ἡρόδοτος, ut Athenæo *b* vocatur. Nam Herodotum uſque ad bellum Peloponneſiacum pertigiſſe, alibi *c* nobis ex Dionyſio dictum. Nunc de iis videamus, qui belli Peloponneſiaci tempore claruerunt. Uti ſunt Steſimbrotus, Chœrilus, Antiochus Xenophanis filius, Cratippus, & Antipho Rhamnuſius.

*a Admirandus, & melliſluus Herodotus.*
*b Lib. 3.*
*c Lib. 1. cap. 2.*

Steſimbrotus patriâ Thaſius fuit. Artaxerxe is primo grandior eſſe non poteſt: ut ex iis conſtat, quæ Plutarchus ex hoc de Themiſtocle, Cimone, & Pericle, narrat in horum vitis: nec juniorem eſſe, partim liquet ex accurata notitia, quam habuit de tribus ducibus iſtis Athenienſibus: partim quòd Plutarchus in Cimonis vita diſertim dicat, Στησίμβροτος *d* ὁ Θάσιος, περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς. Meminit hujus hiſtorici etiam Tatianus orat. ad gentes, & ex eo Euſebius præparat. Euang. lib. X *e*.

*d Steſimbrotus Thaſius, Cimoni ferè coætaneus.*
*e P. 289. edit. Rob. Steph.*

Men-

Mentionem quoque injicit Apollonii ſcholiaſtes in lib. I. Ac apud Etymologum quoque, in Ἰδαῖοι, ex Steſimbroti περὶ τελετῶν a libro refertur, Idæos Dactylos eſſe filios Jovis, & Idæ nymphæ. Interpretem Steſimbroti Thaſii (ut in Græcis ſcriptoribus ſolet) teſtem laudat Fulgentius Planc. lib. de antiquo ſermone, voce *Sandapila*. Ubi in MSſis quibuſdam Fulgentii libris *Theſimbrotus Staſius* invenias. Etiam *Staſius* in Hervagii editione Baſileenſi legas. Sed rectè editiones poſtremæ: *Sicut Steſimbrotus Thaſius de morte Polycratis, Samiorum regis, ſcripſit.*

a De initiis.

Poëta hiſtoricus erat Chœrilus, patriâ Samius, juxta Heſychium Mileſium b; Jaſenſis, ex mente Stephani c; Halicarnaſſenſis, ſecundùm Suidam d. Samo profugiſſe ajunt, ac παιδικὰ e fuiſſe Herodoto; quod paullo juniorem fuiſſe arguit. Ab hoc nomen accepit Χοιρίλειον f μέτρον; de quo Suidas, Marius Victorinus, & Photius, in iis, quæ de re metricâ reliquerunt. Carmine victoriam deſcripſit, quam Græci à Xerxe retulerunt, atque ab Archelao, Macedoniæ rege. Pro quoque ejus poëmatis verſu aureum retulit ſtaterem; ut ab Heſychio Mileſio, & Suida, traditum eſt. Memoria feſellit Horatium, cùm ſcribit epiſt. I. lib. II:

b In Χοιρίλος. c In Ἴασος. d In Χοιρίλος. e In deliciis. f Metrum Chœrileum.

*Gratus Alexandro regi Magno fuit ille*
*Chœrilus, incultis qui verſibus, & malè natis,*
*Retulit acceptos regale numiſma Philippos.*

Nec enim, qui honos ab Archelao habitus bono poëtæ, is & apud Alexandrum contigit Chœrilo, poëtæ malo. Nimirum duos Chœrilos confudit. Quos rectè etiam Lilius in Poëtarum hiſtoria diſtinguit. Poſteriorem etiam ſignat Horatius in Arte: -

—— —— *ſit Chœrilus ille,*
*Quem bis, terque bonum cum riſu miror* ——

At prioris verſus nobili poëtâ dignos eſſe, non ex fragmentis modò liquet, quæ apud Ariſtotelem in Rhetoricis, ejuſque interpretem, item Strabonem lib. VII, Joſephum lib. I. contra Apionem, & alios, ſuperſunt: ſed etiam ex eo, quòd Lyſander illum in comitatu habere ſolet, ut celebraret res à ſe geſtas: quemadmodum Plutarchus ſcribit: & imprimis, quòd antiquitas ſtatuit, ut verſus ejus cum Homericis recitarentur; quemadmodum autor eſt Suidas. Ex quo etiam cognoſcimus, ſcripſiſſe Lamiaca, & alia poëmata. Inter ea, quæ Suidas innuit potiùs, quàm indicat, fuit carmen de victoria adverſus Darium. Nam ut verſus illi à Joſepho adducti ſunt è carmine de victoriâ à Xerxe relatâ: ita, quos citat Strabo in VII, ſunt de victoriâ à Dario reportatâ. Quod non obſcurè oſtendunt hæc ejus ſcriptoris verba: Καλεῖ g δὲ Χοιρίλος οἱ πάντα ἐν τῇ διαβάσει τῆς σχεδίας, ἣν ἔζευξε Δαρεῖος.

g Citat quoque Chœrilum hac dictione in tranſitu ratis, quā Darius mare junxit.

Antiochus Syracuſanus floruit Olympiade XC, ſive Urbis Romæ CCCXXX. ut mirum non ſit, ſi à Dionyſio h Halicarnaſſ. vocetur συγγραφεὺς i πάνυ ἀρχαῖος. poſteaque οὐ τῶν k ἐπιτυχόντων τις, οὐδὲ νέος συγγραφεύς. Sanè antiquiorem eſſe Timæo, qui & ipſe de rebus Siculis ſcripſit, liquet ex Joſephi lib. I. contra Apionem. Nec antiquiorem tamen eſſe, quàm dixi: argumento eſt locus Diodori Siculi lib. XII. ubi cùm retuliſſet, ut Xerxi II Sogdianus, & mox Darius Nothus ſucceſſiſſet, addit: Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος τὴν τῶν Σικελικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστρεψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ Κωκάλου τοῦ Σικανῶν βασιλέως, ἐν βίβλοις ἐννέα. *Cum hoc anno nobilis Siculorum rerum ſcriptor, Antiochus Syracuſanus, hiſtoria ſua finem impoſuit; quam libris IX à Cocalo, rege Siculorum, deduxit.* Darius autem iſte, in cujus anno primo deſiiſſe Antiochum ait, imperare cœpit Olympiadis LXXXIX, anno primo. Nimiùm ejus ætatem produxit princeps Geographus, Italiæ ſuæ lib. I. cap. I: quo loco ait, Antiochum hunc Ariſtotele eſſe ſuperiorem annis propè ducentis. Idem quoque repetit lib. III. cap. II. Atqui diſcipulus Ariſtotelis Alexander Magnus imperare cœpit Olympiadis CXI anno I. Intervallum eſt Olympiadum XXII; hoc eſt, annorum tantùm LXXXVIII. Vel, ſi addere lubet Olympiades tres, quibus imperavit Alexander, conſient anni centum. Meminit ejus Pauſanias quoque lib. X: Ἀντίοχος a ὁ Ξενοφάνους Συρακούσιος ἐν τῇ Σικελιώτιδι συγγραφῇ φησι. Etiam de Italia ſcripſit; ut teſtatur Dionyſius Halicarn. lib. I: ubi & verba ipſa Antiochi adferuntur, quibus eum ſe hiſtoriam hauſiſſe dicit ex monumentis vetuſtis, & fide digniſſimis. Appellatur autem & ibi Xenophanis filius. Apud Strabonem quoque in ſexto legas: Φησὶ b δ᾽ Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι. De terrâ τῶν Βρεττίων c loquitur. Atque idem ex Antiocho prodit Stephanus in Βρέττος, his verbis: Ἀντίοχος δὲ d τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν, εἶτα Οἰνωτρίαν. Apud Heſychium quoque legas: Χώνην τὴν Ἰταλίαν ἔλεγον, ὥς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ξενοφάνους ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας. *Chonen antiquitus Italiam dixere; ut ait Antiochus, Xenophanis filius, libro de Italia.* Ex Italica ejus hiſtoria eſt, quod Strabo lib. V. refert de Campaniâ ab Opicis, ſive Auſonibus, inhabitatâ: quodque lib. VI. de Tarentinæ urbis origine adfert. Apud Feſtum in *Romam* citatur *Antigonus Italicæ hiſtoriæ ſcriptor*. Quod & Scaliger retinet. Sed ex iis, quæ diximus, certum eſt, emendari debere *Antiochus*. Diverſus ab hoc eſt Antiochus Laodicenus, philoſophus Scepticus; cujus mentio apud Laërtium in Pyrrhone. Diverſus item Antiochus Alexandrinus, qui ab Athenæo lib. XI citatur ἐν e τῷ περὶ τῶν ἐν μέσῃ κωμῳδίᾳ κωμῳδουμένων ποιητῶν: ubi ſermo de Ephippo, Chœremonem, & Euripidem quendam, perſtringente. Diverſus item Antiochus Aſcalonenſis, profeſſione philoſophus, qui paullùm anteceſſit Strabonem. Nam lib. XVI de eo inquit, μικρὸν f πρὸ ἡμῶν γεγονώς. Sed liquidiùs tempus ejus oſtendit, quòd Cicero eum audierit anno V.C. DCLXXIV: ut ipſe ſcribit in Bruto, & lib. I. de natur. Deorum. item Plutarchus in Cicer. Scripſerat de Academica ſecta acutiſſimè; ut eſt in Cicer. Lucullo. Stoicos putabat à Peripateticis diſcrepare verbis, re convenire; ut eſt lib. I. de nat. Deorum. Libri ejus de Diis Plutarchus meminit in Lucullo; ſcriptoris verò Stephanus in Ἀσκάλων; ubi vocatur Ἀντίοχος ὁ Κύκνος, interque illuſtres Aſcalonitas reponitur, ac profeſſione Stoicus fuiſſe philoſophus dicitur.

h Lib. Antiq. i Scriptor valde antiquus. k Nec vulgaris aliquis, nec recens ſcriptor.

a Antiochus, Xenophanis filius, in Siciliensi hiſtoria ait. b Antiochus in opere, quod de Italia ſcripſit, ait, hanc Italiam vocari. c Brutiorum. d Antiochus ait, Italiam priùs dictam Brutiam, inde Oenotriam. e Libro de poëtis, qui in media comœdia perſtringuntur. f Qui paullò ante nos fuit.

Cratippus hiſtoricus, Thucydidis æqualis, ea, quæ à Thucydide omiſſa erant, complexus fuit; teſte Dionyſio Halicarn. in judicio de Thucydidis hiſtoria; ubi inter alia inquit, Ὡς g Κράτιππος, ὁ συνακμάσας αὐτῷ, καὶ τὰ παραλειφθέντα ὑπ᾽ αὐτοῦ συναγαγών, γέγραφεν. Cratippi hujus meminit quoque Marcellinus in vita Thucydidis.

g Quemadmodum Cratippus, qui & ejus fuit æqualis, & quæ ipſe omiſerat, in unum collegit, ſcriptum reliquit.

Etiam Antipho Rhamnuſius eâ ætate fuit: quippe qui occiſus ſit à XXX tyrannis; ut quidem, Plutarcho h teſte, ſcripſerunt Lyſias oratione pro Antiphontis filia, & Theopompus Philippicorum lib. XV. Hujus Antiphontis eſſe credebatur liber de poëtis, qui Glauci Rhegini nomine inſcriptus fuit: ut idem Plutarchus i teſtatur. Qui &, de Herodoto librum feciſſe, ait. Imò apud Laërtium in Pythagora advocatur Ἀντιφῶν k ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων. Tertullianus libro de anima cap. XLVI. Antipho iis memoratur, qui de divinatione è ſomniis ſcripſerunt.

h In vitis X Rhetorum. i Ibidem. k Antipho libro de iis, qui virtute excelluerunt.

## CAP. VIII.

*Themiſtogenes. Timæus Locrus. Ariſtippus Cyrenaicus. Occaſio operis, quod ſcripſerat de veterum luxu. Theocritus Chius. Dinonis Perſica. Corruptè in plerisque libris Dionem horum vocari autorem.*

ARtaxerxis Μνήμονος tempore claruit Themiſtogenes: quippe Xenophonti, & Cteſiæ, æqualis. Nam nec grandior iis fuit, cùm bellum deſcripſerit, cui Xenophon, & Cteſias, interfuerunt: nec junior, cùm ejus meminerit Xenophon, initio tertii Ἑλληνικῶν: Ὡς μὲν δὴ Κῦρος στράτευμά τε συνέλεξε, καὶ τοῦτ᾽ ἔχων ἀνέβη ἐπὶ τὸν ἀδελφόν, καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο, καὶ ὡς ἀπέθανε, καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν, Θεμιστογένει τῷ Συρακουσίῳ γέγραπται. *Quemadmodum verò Cyrus exercitum collegerit, ac contra fratrem pugnaverit, tandemque occubuerit,*

*buerit, Græcique ſalvi ad mare rurſum pervenerint; à Themiſtogene Syracuſano ſcriptum eſt.* Mentio ejus quoque fit apud Suidam; qui præterea quædam de patriâ ſuâ prodidiſſe addit.

Tum quoque floruit Timæus Locrus, philoſophus Pythagoricus, utpote Platonis æqualis. Hic præter mathematica, & volumen de natura, etiam περὶ a τοῦ Πυθαγόρου βίου librum reliquit. Photius in bibliotheca meminit & Timæi, qui commentatus ſit περὶ b τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων. Facit quoque mentionem Photius in bibliotheca. Eſſe eundem ac Locrum illum, minimè fit veriſimile: ſed vel fuerit Timæus Tauromenita, de quo dictum lib. 1; vel (quod verius cenſeo) alius ab utroque, atque iis junior.

His quoque temporibus erat Ariſtippus Cyrenaicus, Socratis diſcipulus. Varia ſcripſit, quorum tituli apud Laërtium legi poſſunt. Inter ea fuere tres libri hiſtoriæ Libycæ: quos Dionyſio, Siciliæ tyranno, nuncupavit. Fortaſſè autem & hiſtoricum opus erat, quod, Laërtio teſte, compoſuerat ἐπὶ c τῇ Διονυσίου θυγατρί. Idem Laërtius in Periandro citat Ariſtippum ἐν d πρώτῳ περὶ παλαιᾶς τρυφῆς. In Socrate item citat ἐν τετάρτῳ e περὶ παλαιᾶς τρυφῆς. Sitne ejuſdem Ariſtippi, ambigit Geſnerus. Ego planè ejuſdem cenſeo. Nam Ariſtippus iſte malè audiebat, quòd lautiùs convivaretur, & veſtiretur; quodque cum Laide conſueviſſet. De Laide reſpondebat, Ἔχω f Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. Ubi τὸ ἔχειν uſurpatur, ut in illo Terentii in Andria g, *Quis heri Chryſidem habuit?* Exprobrantem verò lautiores cibos ita compeſcebat: Tu, inquiebat, iſta tribus obolis non emeres? Fatente illo, Ergò, dicebat, non ego magis voluptati ſtudeo, quàm tu avaritiæ. Itidem Laërtius refert, quid reſponderit Charondæ, ſeu Phædoni, carpenti quòd unguentis eſſet delibutus. Hoc igitur, quòd perpetui eſſent adverſarii in deliciis ei exprobrandis, fecit, ut ſcriberet, Πρὸς h τοὺς ἐπιτιμῶντας, ὅτι κέκτηται οἶνον παλαιὸν, καὶ ἑταίρας. Item Πρὸς i τοὺς ἐπιτιμῶντας, ὅτι πολυτελῶς ὀψωνεῖ. Ita enim libri iſti inſcribuntur in titulis librorum Ariſtippi in vita ejuſce philoſophi. Ex opere hoc περὶ παλαιᾶς τρυφῆς k ab eodem Laërtio narrantur amores Crateæ, matris Periandri: item in Socrate; ubi ex eo commemorat, ut Socrates ipſe Alcibiadem amârit. Nempe volumen hoc conſtabat exemplis antiquorum, qui amoribus, & genio indulſiſſent.

Artaxerxis Ochi, & Philippi, Amyntæ filii, temporibus vixit Theocritus, orator Chius: uti oſtendit Strabo lib. XIV; ubi inter illuſtres Chios reponit duos iſtos, Theopompum hiſtoricum, & Theocritum ſophiſtam: atque addit, ὥστε l δὲ ἀντεπολιτεύσαντο ἀλλήλοις. Idem tradit Suidas: & auctor eſt, diſcipulum fuiſſe Metrodori ejus, qui Iſocratem audierat. Hæc, Theopompi, & Ephori, æqualem fuiſſe, oſtendunt. At Theopompus claruit circa Olymp. XCIV: ut eſt apud Anonymum ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ. Scripſit Theocritus, Suida teſte, epiſtolas admirabiles; ac præterea hiſtoriam Libycam. Puto, eundem eſſe Theocritum, quem *antiquitatum hiſtoricum* vocat Fulgentius Mythologicôn lib. 1. fabulâ de Perſeo, & Gorgone.

Tum quoque claruit Dinon; qui Græcè nunc eſt Δίνων, nunc Δείνων. De tempore quod dixi, vel inde conſtat, quòd pater fuerit Clitarchi, qui Alexandri Magni tempore, & poſt eum, vixit, ut poſtea dicemus. Plinius lib. X. cap. XLIX: *Nec Sirenes impetraverint fidem: licet adfirmet Dino, Clitarchi, celebrati autoris, pater, in India eſſe; mulcerique earum cantu, quos gravatos ſomno lacerent.* Meminit hujus ſcriptoris etiam Plutarchus in Alexandro, & Ælianus lib. XVII de animalibus cap. X, ac Variæ hiſtoriæ lib. VII. cap. I. Ejus πέμπτην m τῶν ἱστοριῶν adducit Laërtius in procemio. Erant autem libri iſti de rebus Perſicis. Athenæus lib. II: Δείνων n ἐν τῇ Περσικῇ πραγματείᾳ. Cornelius Nepos in Cononis vita: *Contra ea Dinon hiſtoricus, cui nos plurimùm de Perſicis rebus credimus, effugiſſe Cononem ſcribit.* Diogenes Laërtius in Protagora citat Dionis Perſica. Sed *Dinonis* planè legendum eſſe,

a De vita Pythagoræ.
b De verbis Platonicis.
c De Dionyſii filia.
d Libro primo de antiquis deliciis.
e Libro quarto de veteri luxu.
f Habeo Laidem, non habeor.
g Act. 1. ſc. 1.
h Ad vituperantes, quod veteri vino uteretur, & ſcortis.
i Ad vituperantes, quòd magnificè inſtrueret menſam.
k De veterum luxu.
l Hi quidem etiam de rep. gerenda certaverunt inter ſe.
m Lib. 5. hiſtoriar.
n Dino in opere, quo de rebus Perſicis tractavit.

liquet ex iis, quæ monuimus. Uti & apud Plutarchum in Themiſtocle: etſi apud Cruſerium interpretem ſit *Dio*, repugnante contextu Græco, ubi eſt Δείνων. Ex Perſicis Dinonis etiam ſunt, quæ de Ocho narrat Plutarchus libro de Iſide & Oſiride, ubi rectè Δείνων dicitur. Inde quoque eſt, quod Lucianus in Macrobiis refert de Artaxerxe Memnone, Cyri fratre; quem perveniſſe ſcripſit ad annum XCIV.

## CAP. IX.

*Ariſtotelis varia ſcripta hiſtorica. Craterus. Cyrſilus Pharſalius. Medius Lariſſæus. Baton. Diognetus. Demophilus. Androſthenes. Artemidorus Epheſius corrigitur. Ephippus Olynthius. Alius ab eo Ephippus Comicus.*

SUb Philippo Magno, filioque ejus Alexandro Magno, floruit magnus Ariſtoteles: non philoſophus modò ſummus, ſed idem de rhetorica, & poëtica, & hiſtoria, bene meritus. Inter hiſtorica, quæ reliquit, fuere Πυθιονικῶν ἀναγραφαί a: unde memorat Plutarchus b, Amphictyones, Solone auctore, arma cepiſſe adverſus Cirrhæos pro defenſione templi Delphici. Laërtio is liber dicitur Πυθιονικῶν ἔλεγχοι, vel potiùs ἔλεγχος; ubi ἔλεγχος non *redargutio* eſt, ſed *deſcriptio*. Etiam Ὀλυμπιονῖκαι ab eo ſcripti fuere, eodem teſte Laërtio. Item de poëtis libri tres. Quorum & meminit Athenæus lib. XI, & Macrobius Sat. lib. V. Et puto, apud Laërtium in Socrate, ubi citatur Ἀριστοτέλης, ἐν τῷ τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, legi debere περὶ ποιητῶν. Nam duos tantùm de re poëtica libros fecerat; ut idem Laërtius teſtatur. Adhæc ſub ejus nomine exſtat opus περὶ c θαυμασίων ἀκουσμάτων: quamquam hoc alterius eſſe, etiam Eraſmo d videtur. Edidit præterea νόμιμα βαρβαρικὰ e: unde Apollonius ἐν ἱστορίαις θαυμασίαις cap. XI refert, in Caria naſci ſerpentes, qui peregrinos, ſi feriant, non admodum lædant: indigenas autem confeſtim occidant. Etiam Athenæus lib. XII. inde ait deſumtam eſſe hiſtoriam illam de mirabili Alciſthenis veſte. Meminit & ejus operis Stephanus in Ethnicis non uno loco, & Stobæus ſermone de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Ac fortaſſe etiam apud Varronem lib. VI de L. L., ubi vulgò editum, *Ariſtotelis nomina barbarica*, νόμιμα βαρβαρικά legi debet. Nam de barbarorum nominibus ſeorſum ab Ariſtotele actum fuiſſe, nemo veterum prodidit. At νομίμων βαρβαρικῶν pars fuiſſe videntur νόμιμα f Τυῤῥηνικά. Athenæus lib. XII: Ἀριστοτέλης g ἐν νομίμοις Τυῤῥηνῶν· Τυῤῥηνοὶ δειπνοῦσι μετὰ τῶν γυναικῶν, ἀνακείμενοι ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ. Magnâ ex parte hiſtoricum quoque opus erat περὶ πολιτειῶν. de quo præter Laërtium Cicero in quincto de Finibus: *Omnium ferè civitatum, non Græciæ ſolùm, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas; à Theophraſto etiam leges, cognovimus.* In eo opere egit de Rep. Agrigentinorum, Himerenſium, Orchomeniorum, Sicyoniorum, & Tarentinorum: de quibus teſtis Pollux variis Onomaſtici ſui locis. Uti & de illa Orchomeniorum, collector proverbiorum ex bibliotheca Vaticana h: Ἀριστοτέλης i ἐν Ὀρχομενίων πολιτείᾳ δὶς τεθάφθαι φησὶ τὸν Ἡσίοδον. Addidit deinde de hoc vetus epigramma. Reliquit & Remp. Athenienſium: cujus rei nobis Harpocration auctor eſt in Ἀγορανόμοι, Ἀδύνατοι, Ἀντιγραφεὺς, Ἀποδέκται, Ἀποστολεῖς, Ἀστυνόμος, Γραμματεὺς, Διαιτηταὶ, Δήμαρχος, Διαιτηταὶ, Διαμεμετρημένη ἡμέρα; Δωροξενίας, Εἰς ἐμφανῶν, Ἑλληνοταμίαι, Ἐπὶ Δελφινίῳ, Ἐπιμεληταὶ, Ἐπὶ Παλλαδίῳ, Ἐπιστάτης, Εὔθυναι, Ἐχῖνος, Ἱππεῖς, &c. Item Ariſtophanis ſcholiaſtes in Plutum. Adhæc Cyrenenſium; ut eſt apud eundem Scholiaſtem in Plutum k. Inſuper Ithacenſium, teſte eodem in Aves l. Unde (niſi numeri fallunt) librum XLII citat Suidas in Σκυτάλη. Sed & Metonenſium; de quo Athenæus lib. VI: & Croniatarum; de quo idem lib. XII: & Laconum, cujus operis meminit Pindari ſcholiaſtes ad Iſth. od. VII: &

Cierno-

a Pythionicarum breviarium.
b In Solone.
c De mirabilibus rebus auditu perceptis.
d Epiſt. ad Joannem Morum de Ariſtotelis ſcriptis.
e De legibus, moribus, & ritibus apud barbaros.
f De moribus, & inſtitutis Tyrrhenorum.
g Ariſtoteles in legibus ac ritibus Tyrrhenis: Tyrrheni capiunt cum uxoribus cibum ſuper eodem ſtragulo recumbentes.
h P. 315.
i Ariſtoteles in Orchomeniorum Rep. ait, bis ſepultum fuiſſe Heſiodum.
k P. 92. ed. Aurel.
l P. 601.

by Google

Cianorum, nec non Samothraciæ; de quibus ſcholiaſtes Apollonii in lib. I. Ἀργοναυτ. item Tegeatarum; quâ de re idem in lib. IV: item Ambraciotarum, Epirotarum, Tenediorum; de quibus Stephanus in Ethnicis: adhæc Elienſium; de quo idem Harpocratio in Ἑλλανοδίκαι: Opuntiorum, eidem in Ἀμφιάρα; Cypriorum, eidem in Ἄνακες: aliorumque, quos Caſauboni induſtria collegit. Apud Laërtium legas, compoſuiſſe etiam Pythionicas muſici certaminis. Quod opus diſtinguit ab Recenſione Pythionicarum, de qua antè dictum. Item ait, edidiſſe victorias Dionyſiacorum certaminum. Idem à libris de Poëtis, quorum ex eo meminimus antè, diſtinguit Διδασκαλίας ejuſdem: quamquam & hæ de poëtis erant. Nam opere iſto primus, ut videtur, expoſuit Ariſtoteles poëtarum omnium ætatem, & quod argumentum tractaſſent, & quo fabulas eventu docuiſſent. Meminere etiam Harpocratio, Ariſtophanis ſcholiaſtes in Aves, & Suidas in Ὄνου σκιᾶ. *a* Etiam Ariſtoteles inter eos, qui περὶ εὑρημάτων *b* ſcripſere, refertur à Clemente Alex. lib. I Στρωματέων.

*a Aſini umbra.* *b De rerum inventione.*

Craterus inter eos fuit, qui cum Alexandro militarunt, ac qui ejus juſſu Orientis varia luſtrarunt loca: ut ex Curtio, Arriano, & aliis, notum eſt. Hic epiſtolâ complexus fuit miranda, quæ in itinere ſuo vidiſſet. De ea ſic Strabo lib. XV: Ἐκδίδοται *c* δέ τις καὶ Κρατεροῦ πρὸς τὴν μητέρα Ἀριστοπάτραν ἐπιστολή, πολλά τε ἄλλα παράδοξα φράζουσα, καὶ οὐχ ὁμολογοῦσα οὐδενί. Ac mox ex eo adfert quædam de rebus Indicis. Sed &, ſemel iterumque poſtea, eopſe libro, quædam de Cratero hoc, ejuſque itinere, refert. Fortaſſe idem eſt ille Craterus Macedo, de quo inter incertæ ætatis ſcriptores dictum fuit libro tertio. Meminit & Crateri ψηφισμάτων Harpocration voce Ἄνδρων.

*c Edita eſt & epiſtola quædam Crateri ad matrem Ariſtopatram, quæ cùm alia multa incredibilia narrat, tum cum nullo concordat.*

Duos quoque alios, qui itidem cum Alexandro militaverint, ſuggerit idem Strabo lib. XI his verbis: Τούτῳ *d* φασὶν ἐπωνύμους τὴν Ἀρμενίαν οἱ περὶ Κύρσιλον (Mss Κίρσυλον) τὸν Φαρσάλιον, καὶ Μήδιον τὸν Λαρισαῖον, ἄνδρες συνεστρατευκότες Ἀλεξάνδρῳ. Hinc quædam ex iis narrat de antiquitate gentis Armeniæ.

*d Aiunt, ab hoc nomen accepiſſe Armeniam Cyrſilum Pharſalium, & Medium Lariſſæum, qui Alexandri caſtra ſecuti fuerunt.*

Bæton etiam vixit ætate Alexandri M. cujus σταθμοὺς *e* ſcripſit Athenæus lib. X: Βαίτων *f* ὁ Ἀλεξάνδρου βηματιστής, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ, Σταθμοὶ τῆς Ἀλεξάνδρου πορείας. Ubi eo ex opere refert, Tapyrorum gentem uſque adeò eſſe vino deditam, ut unguento haut alio utatur, quàm vino. Vixit tum quoque Diognetus. Utrumque junxit Plinius in indice libri VI, & libro VI cap. XVII. ubi ait: *Verùm, ut terrena demonſtratio intelligatur, Alexandri M. veſtigiis inſiſtamus. Diognetus, & Bæton, itinerum ejus menſores, ſcripſere, à portis Caſpiis Hecatompylon Parthorum, quot diximus, millia eſſe,* &c. Bætonis idem meminit lib. VI. cap. XIX. *Septentriones eo* (Indiæ) *tractu ſemel in anno apparere, nec niſi quindecim diebus, Bæton auctor eſt; hoc idem pluribus India fieri, Megaſthenes.* Similiter Solinus cap. LV. *Septentriones in eo tractu in anno ſemel, nec ultra quindecim dies, apparent; ſicuti autor eſt Bæton; qui perhibet, hoc in pluribus India locis evenire.*

*e Stationes.* *f Bæton, dimenſor itinerum Alexandri, in libro, quem inſcripſit, Stationes expeditionis Alexandri.*

Androſthenes quoque tum vixit. Siquidem Alexander eum exploratum miſit cum nave XXX remorum; ut apud Arrianum lego lib. VII. Ac Strabo quoque lib. XVI auctor eſt, navigâſſe cum Nearcho: de quo dictum lib. I. cap. X. Strabo ibidem Θάσιον appellat. Unde emendanda epitome Artemidori Epheſii; ubi Ἴασιος fuiſſe dicitur. Deſcripſit terrarum orbem, ut in eapſe Artemidori epitome legas. Mentionem quoque ejus reperias apud Theophraſtum lib. II de cauſſis Plantarum cap. VII. ubi ex eo prodit, moris eſſe in Tylo, rubri maris inſula, ut agricolæ poſt imbrem ſata abluant aquis ſalſis fluentibus, quæ magis, quàm imbres, juvent arbores, & plantas alias. Videtur de eo dubitare Theophraſtus. Nam, inquit, εἰ δ' ἀληθὲς ὃ λέγει Ἀνδροσθένης, id eſt, *ſi hoc verè ab Androſthene proditum fuit*: in cauſſa erit, quòd τὸ ἔθος ὥσπερ φύσις γέγονε, hoc eſt, *quòd conſuetudo in naturam abierit*: nempe quia raræ illis locis pluviæ; ſalſæ verò aquæ in terras defluant crebrò; atque ita omni tempore ad nutriendum idoneæ ſint. Ac mox concludit, Ταῦτα μὲν ἂν ἐξ ὑποθέσεως εἰρήσθω. quaſi dicat, *& hæc ratio fuerit, poſito conceſſoque eo, quod Androſthenes dicebat.* Alius, ac junior hoc, eſt Androſthenes Cyzicenus, Polybio memoratus in excerptis ex undecimo hiſtoriarum libro.

Demophilus etiam Alexandri M. tempore fuit. Quippe Ephori hiſtorici filius. Quod hiſtoriæ ejus fuerit argumentum, docet Diodorus Siculus lib. XVI, quique cum more ſuo ad verbum exſcribit Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. CV an. IV. Δημόφιλος *a* ὁ Ἐφόρου τοῦ ἱστοριογράφου υἱὸς τὸν παραλειφθέντα πόλεμον τοῦ πατρὸς, ὀνομασθέντα δὲ ἱερὸν, συντεταγμένος ἐντεῦθεν, ἦρκται ἀπὸ τῆς καταλήψεως τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ καὶ τῆς συλήσεως τοῦ μαντείου ὑπὸ Φιλομήλου τοῦ Φωκέως. Apud Suidam in Ἔφιππος legas, Demophilum hunc fuiſſe Ephippi filium; ſed corruptè. Nam pro Ἔφιππος, ibi legendum Ἔφορος: ut ſuperiùs oſtenſum: ac allatus quoque Diodori, & anonymi locus, non obſcurè arguunt.

*a Demophilus, Ephori hiſtoriographi filius, bellum à patre omiſſum, quod Sacrum vocatur, hinc componere eſt aggreſſus: nempe à quo tempore Philomelus Phocenſis templum Delphicum occupavit, & oraculum exſpoliavit.*

Ephippus quoque Olynthius, quantum videre poſſum, Alexandri M. tempore, & poſtea, vixit. Librum edidit Περὶ *b* τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Ἡφαιστίωνος μεταλλαγῆς: ut eſt apud Athenæum lib. IV. Ubi ex eo refert, ut Alexander quotidie cœnæ cum familiaribus, qui LX, aut LXX, eſſe ſolerent, non ampliùs, quàm centum impenderit drachmas. Meminit idem & lib. X: ubi pro μεταλλαγῆς *c* eſt ταφῆς *d*: ut lib. XII τελευτῆς *e*. Ut integra videatur inſcriptio fuiſſe, de Alexandri & Hephæſtionis mortibus, & ſepultura. Fuit & Ephippus, Athenienſis comicus; cujus fabulas complures Athenæus citat; duoſque ejus ſenarios adducit lib. II. Ac, puto, diverſus ab utroque eſt Ephippus ille, quem ſe Plinius ſequi profitetur in iis, quæ de plantis ſcribit lib. XII, & XIII.

*b De Alexandri, & Hephæſtionis obitu.* *c Obitu.* *d Sepultura.* *e Morte.*

## CAP. X.

*Theodectes Phaſelites junior. Clitus Ariſtotelicus. Epicurus. Zeno Cittieus. Iſidori Characeni ætas. Timocrates, & Apollodorus* Κηποτύραννος, *diſcipuli Epicuri. Dionyſius Heracleota, Zenonis auditor, unde* Metathemenus *vocetur.* Tranſpoſitorem *perperam nuncupari.*

PTolomæi Lagi temporibus vixit Theodectes Phaſelites junior, filius ejus Theodectis Phaſelitæ, qui Platonem, Iſocratem, & Ariſtotelem audivit, & Olymp. CIII cum Naucrate, Iſocrate, & Theopompo, funebrem orationem habuit in laudem Mauſoli, Artemiſiæ hortatu; atque ab oratoriâ arte ad ſcribendas ſe tragœdias contulit: ex cujus item tragœdiis Athenæus in decimo verſus adducit, quibus ruſticus literas neſciens ex ductibus ſive figura nomen Theſei deſignârit. Hujus, inquam, filius Theodectes ſcripſit oratoriæ artis libros VII, encomium Alexandri Epirotæ, hiſtorica item, & inſtituta barbarica, & alia; ut Suidas perhibet.

Hac quoque ætate fuit Clitus Ariſtotelicus, Κλεῖτος ὁ Ἀριστοτελικός. Is librum reliquit de Mileto. Ex eo Athenæus lib. XII quædam refert de luxu Polycratis Samii. Non dubito autem, quin *Ariſtotelicus* ſit vocatus, quia Ariſtotelis diſcipulus fuerit.

Epicurum eodem tempore fuiſſe, ſatis liquet. Nam natus fuit Olymp. CIX anno III: ut eſt apud Anonymum ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ. Epicurus inter alia tam multa (nam πολυγραφώτατος *a* erat, imò omnes multa ſcribendo exſuperabat) etiam reliquit libros quatuor περὶ βίων *b*, Laërtio teſte lib. X.

Zeno quoque Cittieus, Stoicæ auctor ſectæ, Ptolomæi Lagi tempore floruit. Ejus verò hiſtoricum nihil reperio, præter volumen Πολιτείας Λακωνικῆς *c*, Laërtio memoratum in vita ejus. Quod ipſum fortaſſe deſignat Origenes lib. I contra Celſum *d*: ubi ἁπλῶς laudatur Ζήνων *e* ὁ Κιτιεὺς ἐν τῇ πολιτείᾳ. Nam aliud ſi volumen foret, puto, diſtinxiſſet Laërtius, ubi ejus libros enumerat.

*a Admodum multa ſcribens.* *b De vitis.* *c De rep. Lacedæmoniorum.* *d Pag. 6.* *e Zeno Cittienſis libro de Rep.*

Iſidorus Characenus & hiſtoriam ſcripſit, & Ptolomæi ejuſdem tempore floruit. Utrumque nos docet Lucianus in Macrobiis: qui gemino ejuſce opuſculi loco mentionem facit, inque altero ſic ſcribit: Ἀρταξέρξης, ἕτερος Περσῶν βασιλεὺς, ὃν φησιν ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἑαυτοῦ Ἰσίδωρος ὁ Χαρακηνὸς συγγραφεὺς βασιλεύειν, ἔτη τρία καὶ ἐνενήκοντα βιοὺς, ἐπιβουλῇ τἀδελφοῦ Γωσίθρου ἐδολοφονήθη. *Artaxerxes alter Perſarum rex, quem patrum ſuorum memoriâ Iſidorus Characenus hiſtoricus regnâſſe tradit, cùm annos tres & nonaginta vixiſſet, inſidiis fratris Goſithræ clàm occiſus eſt.* Quod de ætate dixi, ita hoc ex loco comprobatur. Egerat Lucianus de Artaxerxe Mnemone, Cyri fratre. Subjicit de altero Artaxerxe, qui non eſt Μνήμων, ſed Ochus. Hunc quippe veneno necatum, conſtat ex Diodori Siculi lib. XVI. Et grandem natu ad imperium acceſſiſſe, veriſimile eſt; cùm pater ejus Artaxerxes Μνήμων, cui ſucceſſit, annos vixerit LXXXVI; vel, ut Dinon ſcripſit, XCIV; quod ibidem refert Lucianus. Ergò Iſidorus eò Artaxerxem vocat τὸν *a* ἐπὶ τῶν πατέρων, ut diſtinguat ab duobus ejus nominis, qui antiquiores erant. At ultimus Artaxerxes, cognomine Ochus, vivere deſiit initio Olympiadis CX, imperante apud Macedonas Philippo, Alexandri patre. Iſidorus igitur fuerit circa Olympiadem CXX, vel CXXII; hoc eſt, extremis temporibus Ptolomæi Lagi. Iſidorus hic Characenus Parthiam deſcripſit; ut oſtendebamus libro tertio. Sed tum, quæ de ætate ejus nunc allata ſunt nobis, in mentem minimè veniebant.

Timocrates, Metrodori frater, Epicuri diſcipulus fuit; Laërtio teſte in X; unde eum liquet vixiſſe extremis temporibus Ptolomæi Lagi, & primis Philadelphi. Eopſe libro citatur Τιμοκράτης *b* ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις εὐφραντοῖς. Ac, puto, hic ipſe eſt, qui ſcripſit librum de Dione: ex quo idem Laërtius in Zenone docet, quos philoſophus hic habuerit præceptores. Patriâ fuerit Adramyttenus, ſi eundem ſignat Stephanus, cùm ait: Βέρεξ *c*, ἔθνος μεταξὺ Ἰνδίας, καὶ Αἰθιοπίας, ὡς Τιμοκράτης ὁ Ἀδραμυττηνός.

Apollodorus quoque ex Epicuri diſcipulis fuit, cognomento Κηποτύραννος; ut teſtatur Laërtius lib. X. ubi eum addit ultra quadringenta emiſiſſe volumina. Neque dubium, quin idem ſit, quem eopſe libro Apollodorum Epicureum appellat: ac alibi, ſed eodem libro, de Epicuri vita ſcripſiſſe, oſtendit his verbis, Ἀπολλόδωρος *d* ὁ Ἐπικούρειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ Ἐπικούρου βίου.

Adhæc quoque tempora referendus Dionyſius Heracleota Metathemenus. Siquidem Zenonem audivit, ut Laërtius narrat lib. VII. Etſi autem diſcipulus eſſet tanti viri: tamen, cùm in oculorum dolorem incidiſſet, nec eum conſtanter perferre poſſet; à Stoicis, qui dolorem inter ἀδιάφορα *e* reponunt, defecit ad Cyrenaicos; atque inde dictus Μεταθέμενος, hoc eſt, *immutatus*. Plura de eo Laërtius *f*: ex quo etiam diſcimus, inter alia egiſſe, περὶ *g* ἀρχαίων βασιλέων: item περὶ βαρβαρικῶν ἐθῶν *h*. Præter ea autem, quæ ibi commemorat, alibi *i* indicat, dubitatum eſſe, utrùm ejus, an Spinthari, Parthenopæus foret. Meminit Dionyſii hujus Athenæus lib. VII: item in X; ubi docet, Antigonum Caryſtium literis mandâſſe vitam τοῦ Διονυσίου *k* τοῦ Ἡρακλεώτου ἐπικληθέντος Μεταθέμενος. Dalechampius Μεταθέμενον perperàm vertit *Tranſpoſitoris*: cùm ſit ab ea notione verbi μετατίθεσθαι, quâ ſignificat retractare, atque immutare ſententiam: ut apud Platonem in primo de Legibus, & alibi, ſumitur. Mentionem quoque hujus Dionyſii invenies apud Euſtathium in Odyſſ. Α *l*. Citatur & Dionyſius Heracleotes ἐν *m* β΄ Ἡρακλείας ab Ariſtophanis ſcholiaſte *n*.

## Cap. XI.

*Cineæ hiſtoria fabuloſa. Cineæ, & Pyrrhi regis, de re militari libri, Demetrius Byzantius. Alter ejuſce nominis, & patria. Pytheas Maſſilienſis.*

Cineas, Κινέας, etiam hiſtorica quædam prodidiſſe videtur; ſed quibus & fabulæ eſſent inſperſæ. Sanè μυθώδηστον *a* quiddam ab eo relatum prodidit Strabo in VII. Quodſi is eſt Cineas Theſſalus, Demoſthenis auditor, Pyrrhi legatus, de quo multa Plutarchus in Pyrrho: vixerit & ille temporibus Ptolomæi Lagi, Philadelphi, & quibus Tarentinum Romæ bellum gerebatur. Cineas iſte, uti & Pyrrhus rex, ſcripſere de re militari. Unde Cicero lib. IX epiſt. XXV ad Papirium Pœtum: *Summum me ducem literæ tuæ reddiderunt. Plane neſciebam, te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cineæ, video lectitâſſe.* Ælianus Τακτικῶν cap. I: Ἐξηγήσαντο δὲ *b* τὴν θεωρίαν, Αἰνείας τε ἀρχὰ πλείονων, καὶ στρατηγικὰ βιβλία ἱκανὰ συνταξάμενος· οὗ ἐπιτομὴν ὁ Θετταλὸς Κινέας ἐποίησε. Πύῤῥος τε ὁ Ἠπειρώτης τακτικὰ συνέγραψε.

Demetrius Byzantius ſeptimo loco à Diogene Laërtio *c* ponitur in viginti Demetriis: atque ab eo tredecim libris tradidiſſe dicitur Gallorum ex Europa in Aſiam tranſitum: item octo libris Antiochi & Ptolomæi geſta, & ut eorum tempore res Libycæ ſe habuerint. Satis autem veriſimile eſt, vixiſſe iis temporibus, quibus Galli ex Græcia in Aſiam trajecere: hoc eſt, Olymp. CXXV anno II, Ptolomæi Philadelphi anno VI, Antiochi Soteris V. Præter hunc & alter Demetrius Byzantius fuit, Philoſophus Peripateticus; ut idem Laërtius teſtatur. Atque eum, ni fallor, Laërtius ſignat in Socratis vita; ubi ex eo refert, ut à Critone ob ingenium adamatus, atque inſtitutus ſit, & ut moralem philoſophiam naturali prætulerit, tanquam utiliorem vitæ humanæ: item quibus inter diſputandum moribus fuerit, & quàm patienter contemtum ſui pertulerit. Vide &, quæ de Demetrio Byzantio lib. III dicimus.

Pytheas quoque Maſſilienſis Ptolomæi Philadelphi ætate vixit, vel certè proximus huic tempori fuit. Sanè antiquiorem eſſe Eratoſthene Cyrenæo, oſtendimus lib. I cap. XVIII: ubi obiter aliquid de eo attingebamus. Etiam meminit ejus Hipparchus lib. I ad Aratum *d*. Πυθέας *e* ἐν γῆς περιόδῳ citatur à ſcholiaſte Apollonii in lib. IV. Pars ejus operis ſit Thyles hiſtoria: ex quâ aliqua adducit Strabo lib. I: ubi & ἄνδρα *f* ψευδίστατον vocat. Etiam lib. II ex eo affert aliquid de Britannicis inſulis circa Thulen: atque iterum, tertioque, mendacii arguit. Adhæc mendacii & futilitatis accuſat lib. III, IV, & VII: ubi de Oceani ora mentitum ait. Inter ejus mendacia abſque dubio quoque repoſuerim, quod Plinius tradit lib. XXXVII cap. II. *Pytheas inquit, Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æſtuarium Oceani, Mentonomon nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: ab hoc diei navigatione inſulam abeſſe Abalum: illò vere fluctibus advehi ſuccinum, & eſſe concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximiſque Teutonis vendere.* De eodem ſic Geminus Iſagoge εἰς φαινόμενα: Ἐπὶ δὲ τοὺς τόπους τούτους δοκεῖ καὶ Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης παρεῖναι. φησὶ γοῦν ἐν τοῖς περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ πεπραγματευμένοις αὐτῷ, ὅτι ἐδείκνυον ἡμῖν οἱ βάρβαροι, ὅπου ὁ ἥλιος κοιμᾶται. συνέβαινε γὰρ περὶ τούτους τοὺς τόπους, τὴν μὲν νύκτα παντελῶς μικρὰν γίνεσθαι, ὡρῶν οἷς μὲν β΄, οἷς δὲ γ΄· ὥστε μετὰ τὴν δύσιν, μικροῦ διαλείμματος γινομένου, ἐπανατέλλειν εὐθέως τὸν ἥλιον. *Videtur autem ad hæc etiam loca Pytheas Maſſilienſis acceſſiſſe. Ait ille iis in libris, quibus de Oceano tractavit: Monſtrabant nobis barbari, ubi Sol cubaret. Accidebat enim circa hæc loca, ut nox parva omnino eſſet, his quidem duarum, illis autem trium horarum; ut exiguo poſt occaſum intervallo ſol ſtatim oriretur.*

## Cap. XII.

*Charon, Apollonii familiaris. Iſter Callimachius. Iſter Alexandrinus. Iſter Calatianus. Ariſtophanis Byzantii ætas.*

Charon junior vixit tempore Ptolomæi Euergetæ, ac familiaris fuit Apollonii Argonautica explicuit; non univerſa quidem, ſed quæ ab hiſtoria penderent. Docet hoc nos Apollonii ſcholiaſtes lib. II Ἀ᾽γεταιντ. Οὕτω *a* δὲ ...

---

a *Qui patrum ævo vixit.*
b *Timocratis libro, qui Læti, ſive Voluptarii, inſcribitur.*
c *Berex, populus inter Indiam, & Æthiopiam; ut ait Timocrates Adramyttenus.*
d *Apollodorus lib. I. de vita Epicuri.*
e *Indifferentia*
f *In Zenonis vita.*
g *De antiquis regibus*
h *De barbaricis moribus.*
i *Lib. 5. in Heraclidis vita.*
k *Dionyſii Heracleotæ, cognomento Metathemeni: h. e. immutati.*
l P. 1680. edit. Rom.
m *In ſecundo de Heraclea.*
n P. 583.

a *Fabuloſum.*
b *Scientiam vero eam tradiderunt Æneas pluribus, qui plurbus libris rem militarem copioſe expoſuit: cujus epitomen Cineas Theſſalus fecit. Sed & Pyrrhus Epirota de inſtruenda acie ſcripſit.*
c *In Demetrio.*
d P. 199. edit. Petav.
e *Pytheas in ambitu terræ.*
f *Virum mendaciſſimum.*

a *Hæc ei appellat quoque Seleucus in Miſcellaneis, & Charon, Apollonii familiaris libris hiſtoriis Apollonii.*

αὐτὸς ὀνομάζει, καὶ Σιλλόκκος ὁ συμμάχης, ὡς καὶ Χάρων, αὐτὸ Α᾽πολλωνὶς γεγραμμένος, ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τῆς Α᾽πολλωνίας. Eundem citari arbitror, cùm antè diceret: Χάρων ὁ δέ φησι, καὶ τὴν Λαμψακηνῶν χώραν πρότερον Βεβρυκίαν καλεῖσθαι. Sed minimè hinc conſequitur, ſcriptorem hunc fuiſſe Lampſacenum. Atque, ut Lampſacenus eſſet, alius tamen ſit ab nobili illo rerum Perſicarum ſcriptore, de quo lib. I dicebamus. Sanè inter eos intervallum eſt amplius quam L Olympiadum. An autem hic non ſit Charon Naucratites, de quo ex Suida alibi agimus, ex aliis diſcere malo. Mihi quidem non liquet.

Euergetæ regis ætate etiam fuit Iſtrus, ſive Iſter: non quidem ſervus, quod præfatione ſuâ in Æthicum Joſias Simlerus putavit; ſed diſcipulus Callimachi; unde Καλλιμάχειος vocatus, ut apud Athenæum lib. XI, ubi legas, Ἴστρος ὁ Καλλιμάχειος ἐν πρώτῳ Πτολεμαΐδος τῆς ἐν Αἰγύπτῳ πόλεως. Quo ex loco eum de Ptolomaide libros feciſſe vidêmus. Sed alia quoque hujus ab eodem Athenæo celebrantur. Nam lib. ſexto legas: Τίμαιος δ᾽ ὁ Ταυρομενίτης οὐκ εἶναι ἔφη σύνηθες τοῖς Ἕλλησι δούλους κτᾶσθαι. αὐτὸς εἰπὼν ὁ Ἐπιτίμαιος. οὕτως δ᾽ αὐτὸν καλεῖ Ἴστρος ὁ Καλλιμάχειος ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν ἀντιγραφαῖς. Unde, adverſus Timæum ſcripſiſſe, cognoſcimus. Harpocrationi in Θεοίνιον advocatur Ἴστρος ἐν πρώτῳ συναγωγῶν. Eidem in Ἐπενεγκεῖν laudatur Ἴστρος ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν Ἀτθίδων; deque Procride, & Cephalo, quiddam inde adfertur. Puto, non alia ab hoc opere eſſe Attica; quæ Athenæus citat lib. III. Idem lib. XIV provocat ad ejus operis librum XIII; quod & Plutarchus facit in Theſeo. Idem volumen laudat Michaël Apoſtolius Centur. XVI Prov. I, & Cent. XVIII, Prov. LXXVII. Ac puto, ex eodem eſſe, quod refert ejuſdem Centuriæ Proverb. XXIII. Ἀργολικὰ ejuſdem memorat Athenæus lib. XIV. Item Ἀποικίας Ægypti advocat Stephanus in Αἰγιαλὸς, & Ὤλενος, ut & Clemens lib. I Στρωματ. Idem in Φύτειον citat librum IV Ἠλιακῶν, vel potiùs Ἠλιακῶν. Clemens Alexandrinus lib. III. Στρωμ. quiddam ex eo promit de Ariſtotele Cyrenæo, quod prodidiſſe ait ἐν τῷ περὶ ἰδιότητος ἀθλων. Scholiaſtes Sophoclis in Oedipum Colonæum adducit ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἀτάκτων, uti Suidas ἐν τρίτῳ ἀτάκτων. Porphyrius lib. II de abſtinentia ab animatis ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν Κρητικῶν θυσιῶν. Ubi ex opere eo narrat, pueros antiquitus Saturno immolari ſolere. Ἁπλῶς Iſtri meminit Hyginus in poëtico Aſtronomico, quo loco de cane; & iterum, ubi de hydra tractat. Item Plutarchus in Alexandro, Laërtius in Xenophonte, *Euſtathius in Dionyſium, Stephanus in Ἀρκάς, & Ἀπία, & aliis in locis, Anonymus in vita Sophoclis, Pindari ſcholiaſtes in od. I Olymp. ac plures alii. Nec tamen contendere auſim, quæcunque Iſtro hactenus tribuimus, ea eſſe Iſtri Callimachii. Nam duos minimùm Iſtros fuiſſe, vel inde liquet, quòd apud Plutarchum in Quæſtionibus Græcis legas, Ἴστρος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ὑπομνήμασι προείρηκεν. Et Stephanus in Κάλατις meminit quoque Iſtri Calatiani, his verbis: Ἴστρος Καλατιανὸς περὶ τραγῳδίας γράψας καλὸν βιβλίον. Videndum item, quis ſit Iſter ille, cujus Coſmographiam de Græco vertit B. Hieronymus; ſi credimus Rabano Mauro, libello de inventione linguarum. Hoc de opere plura afferam in Hiſtoricis Latinis.

Ariſtophanes Byzantius Eratoſthenis diſcipulus fuit, ac ſub Ptolomæo Euergete, & Philopatore, floruit; ut diximus lib. I cap. XVIII. Hic ab Athenæo lib. XIII refertur inter eos, qui ſcripſere de ſcortis Atticis: nempe eorum nomina, genus, amatores illuſtres, dictaque faceta. Scio, iſtic loci non vocari Byzantium; ſed Ariſtophanem ἁπλῶς. Verùm Byzantium intelligi, ex eo liquet, quòd poſtea eopſe libro dicit, Ariſtophanem Byzantium centum triginta quinque ſcorta Attica recenſuiſſe. Alium eſſe ab Ariſtophane comico, ſatis liquet: ſeu ætatem ſpectes; cùm is Socratis fuerit æqualis: ſeu patriam, quia is fuit Naucratita: ut Heliodorus Athenienſis tradit apud Athenæum in VI.

*a Seleucus in Miſcellaneis. b Charon vero ait, Lampſacenorum regionem prius eſſe vocatam Bebryciam. c Iſter Callimachius libro de Ptolemaide, Ægypti civitate. d Timæus Tauromenita negat, moris fuiſſe Græcis, ut ſervos habeant. quod cùm tradit, vere eſt Epitimæus: prout eum appellat Iſter Callimachius libris iis, quibus Timæo contradicit. e Iſter in primo collectionum. f Iſter in collectione rerum Atticarum. g Calatian. h De proprietate certaminum. i In collectione ſacrificiorum Cretenſium. k Iſter Alexandrinus in commentariis retulit. l Iſter Calatianus, qui de tragœdia pulcrum librum ſcripſit.*

## Cap. XIII.

*Hannibalis libri de geſtis Vulſonis. Philenius. Soſilus, ſive Soſilus. Simonides Magneſius. Alii ejuſce nominis. Simonidis neſcio cujus hiſtoria Æthiopica. Dionyſius Halicar. Polybii æqualis. Numerius Fabius Pictor, qui Dionyſio perperam Quinctus vocatur. Lucius Cincius Alimentus.*

PHilopatoris, & Epiphanis ætate, fuit Hannibal, nobilis ille Karthaginenſium dux. Hunc non modò ſcribenda feciſſe, ſed facta quoque ſcripſiſſe, his verbis docet Cornelius Nepos in vita ejus: *Atque hic tantus vir, tantiſque bellis diſtrictus, nonnihil temporis tribuit literis. namque aliquot ejus libri ſunt Græco ſermone confecti: in his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulſonis in Aſia rebus geſtis.* Vulſo iſte conſulatum geſſit cum M. Fulvio Nobiliore anno V.C. DLXV, Olympiadis CXLVII anno IV. Meminit ejus & Livius libro XXXVIII.

Tum quoque fuit Simonides Magneſius, Sipyli filius: quippe æqualis Antiochi Magni; cujus res geſtas carmine prodidit, & imprimis bellum cum Galatis, in quo equitatus Antiochi cum elephantis profligatus fuit. Alius eſt Simonides, qui Dionis, ac Bionis, res geſtas ad Speuſippum in literas retulit; ut diximus lib. I cap. VIII. Fuit & Simonides Crinei Amorginus; cujus meminere Strabo extremo lib. X, & Euſtathius comm. in Dionyſium. Tradit uterque, ex Cycladibus unam eſſe Amorgum, patriam Simonidis, Jamborum ſcriptoris, qui inde dictus ſit Amorginus. Eſt hic, quem ἐν δευτέρῳ ἰάμβων citat Athenæus lib. II; & ἁπλῶς ἐν ἰάμβοις lib. VII; uti & initio lib. XI. Fuit inſuper Simonides Caryſtius, vel Eretrienſis, poëta, qui Græcorum conventum in Aulide reliquit, & trimetrorum libros duos, & de Iphigenia unum. Auctor Suidas. De Simonide Ceo, Lyrico, & altero ejus nominis, Lyrici ex filia nepote, ſuperiùs nobis dictum. Apud Plinium etiam legas lib. VI cap. XXIX: *Simonides minor, quinquennio in Meroë moratus, cùm de Æthiopia ſcriberet.* Quis iſte ſit, diſpiciendum.

*a Jamborum libro ſecundo.*

Ptolomæi Epiphanis, & Philometoris tempore, fuit Dionyſius Halicarnaſſenſis; non ille cujus libros habemus Antiquitatum Romanarum, qui ſub Auguſto demum floruit; nedum alter, hiſtoriæ Muſicæ ſcriptor, qui ſub Hadriano fuit: ſed alius ab utroque; ut temporum ratio docet. Laudat Polybius lib. XIV; ubi de Halicarnaſſo, Cariæ civitate, ſic ſcribit: Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἐξ αὐτῆς, Ἡρόδοτός τε ὁ συγγραφεὺς, ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας· καὶ Ἡράκλειτος ὁ ποιητὴς, ὁ Καλλιμάχου ἑταῖρος· καὶ καθ᾽ ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς. *Nati ſunt ibi viri illuſtres; Herodotus, hiſtoriæ ſcriptor; qui deinde Thurius eſt appellatus, quòd ſocium ſe deducendæ in Thurios coloniæ præbuiſſet; tum Heraclitus poëta, Callimachi ſocius; & noſtrâ ætate Dionyſius, hiſtoriæ conditor.*

Æqualis huic fuit Numerius Fabius Pictor. Ut omnino alius ſit ab eo, qui conſul fuit anno poſt Romam conditam CCCCLXXXVII; cujus anni coſſ. in antiquis monumentis vocantur: N. FABI. C.F.M.N. PICTOR, & D. JUNIUS D.F.D.N. PERA. Numerius hic frater fuit C. Pictoris; ut oſtendit Valerius Max. lib. IV cap. III: ubi Caius Numeriuſque, Fabii Pictores, unà cum Q. Fabio Gurgite, & Q. Ogulnio, legati ad Ptolomæum Philadelphum miſſi dicuntur. Quod ſeptennio priùs contigit; hoc eſt, anno CCCCLXXX, novennio ante bellum Punicum primum. Multo igitur ætate anteceſſit ejuſdem nominis hiſtoricum. Condidit is annales Græcos; ut oſtendunt hæc Ciceronis verba lib. I de Divinat. *Sint hæc, ut dixi, ſomnia fabularum: hiſque adjungatur etiam Æneæ ſomnium; quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis Annalibus ejuſmodi eſt, ut omnia, quæ ab Ænea geſta ſunt, quæque illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei ſecundùm quietem viſa ſunt.* Sed apud Dionyſium Halic. lib. I is, qui Græcè ſcripſit annales, Quinctus Fabius vocatur. Verba adferam, quia

quia & ætatem ejus nos docent, & hiſtoriæ argumentum, & ſcribendi modum. Ὁμοίας δὲ τούτοις, καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας, καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν· ὧν εἰσι πρεσβύτατοι, Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους· τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε. *Nec abſimiles hiſtorias ediderunt, quotquot Romani homines urbis ſuæ res antiquas Græco ſermone ſcripſerunt; quorum vetuſtiſſimi, Q. Fabius, L. Cincius, ambo æquales bellis Punicis. horum uterque ea, quibus ipſe interfuit, ut probè ſibi cognita, diligenter mandavit literis. quæ verò olim poſt urbem conditam conſecuta ſunt, contentus fuit ſummatim percurrere.* Atque idem cognoſcimus ex Annibalicis Appiani; ubi is, qui Annibalis contexuit hiſtoriam, Quinctus Fabius vocatur, ac ſtatim à prœlio Cannenſi Delphos miſſus dicitur. Nec propterea à duobus Fabiis Pictoribus Annales Græcè ſcriptos arbitror: ſed in prænomine inſolenti, vel Dionyſius, & Appianus, aberret; vel librarii peccarint; vel Ciceronem deceperit memoria, vel fortaſſe de annalibus Græcis diſſenſus erat, utrùm Qu. Fabii, an Numerii, forent. Quod imprimis veriſimile fit. Quanquam profectò nec pertinaciter negare auſim, duos ejuſdem gentis Græcos reliquiſſe Annales. Meminit Annalium Fabii Pictoris Polybius quoque lib. I, & III. ubi legas; Φάβιος a ὁ Ῥωμαϊκὸς συγγραφεύς. & poſtea; Ἐμνήσθην b Φαβίου, καὶ τῶν ὑπ᾽ ἐκείνου γεγραμμένων. Item Strabo lib. V: Φησὶ c δ᾽ ὁ συγγραφεὺς Φάβιος, Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου κατέστησαν κύριοι. De Sabinorum gente loquitur. Memoratur & Suidæ in Φάβιος.

a *Fabius Romanus hiſtoricus.*
b *Mentionem feci Fabii, & eorum, quæ ſcripſit.*
c *Fabius hiſtoricus ait, Romanos tum demum ſenſiſſe divitias, cùm eam gentem ſibi ſubjeciſſent.*

L. Cincius Alimentius, qui *Alimentus* aliis in libris vocatur, Fabii Pictoris æqualis fuit; atque uti ille, ita hic quoque, annales Græcè ſcripſit; ut Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I Antiquit. teſtatur. Verba ejus adduximus, cùm de Fabio Pictore ageremus. Meminit & poſtea eopſe libro; ubi vocatur, Λεύκιος d Κίγκιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου. Item libro ſequenti, quo loco refert, de Tarpeiæ proditione quid ſenſerit. Item Livius. cujus verba hæc adſcribi merentur è XXI: *L. Cincius Alimentus, qui captum ſe ab Annibale ſcribit, maximus auctor, moveret me, niſi confunderet numerum, Gallis, Liguribuſque, additis; cùm his ſcribit octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam; (magis affluxiſſe veriſimile eſt; & ita quidam auctores ſunt) ex ipſo autem audiſſe Annibale, poſtquam Rhodanum tranſierit, triginta ſex millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum, amiſiſſe in Taurinis: quæ Gallis proxima erant in Italiam digreſſo.* Is locus, & de ætate, & de captivitate, nos docet, & quid ex Annibale ipſo audierit, & præterea luculentum ejus elogium continet. Laudat & lib. VII: *Volſiniis*, inquit, *clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ, Hetruſcæ Deæ, comparere, diligens talium monumentorum auctor, Cincius, adfirmat.* Ex quarto annali Cincii quiddam citat ſcriptor de origine gentis Romanæ. Meminit & Solinus cap. II.

d *Lucius Cincius, vir ordinis Senatorii.*

## Cap. XIV.

*Jaſon Cyrenæus. Scipio Africanus, majoris filius. Nicandri parens, patria, ætas, ſcripta. Suidas corrigitur, & Apollonii ſcholiaſtes. Unde Nicander dictus Ætolus, qui Colophonius foret. Athenæi vetus lectio defenſa adverſus Caſaubonum. C. Julius, ſenator. Cn. Aufidius.*

JAſon Cyrenæus floruit ſub Ptolomæo Philometore, Olympiade CL, & poſt. Hic geſta Aſmonæorum, ſive Maccabæorum, quinque libris eſt complexus. Eos in compendium redegit ſcriptor ſecundi Maccabæorum libri: cujus cap. II, 24, ſic legas: Τὰ ὑπὸ Ἰάσωνος τοῦ Κυρηναίου a δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων πειρασόμεθα δι᾽ ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν.

a *Ab Jaſone Cyrenæo quinque libris expoſita tentabimus uno parvo volumine conſtringere.*

Eodem tempore fuit P. Cornelius Scipio Africanus, filius Africani majoris, pater adoptivus Scipionis Æmiliani. Hic inter hiſtoricos à nobis refertur, propter hæc Ciceronis verba in Bruto: *Ipſum Scipionem accepimus non infantem fuiſſe. Filius quidem ejus, is qui hunc minorem Scipionem à Paullo adoptavit, ſi corpore valuiſſet, imprimis habitus eſſet diſertus. Indicant, cum oratiunculæ, tum hiſtoria quædam Græca ſcripta dulciſſimè.*

Hiſtoricum etiam argumentum tractavit egregius ille grammaticus, poëta, & medicus, Nicander, Xenophanis filius; ut eſt apud Suidam; vel Damnæi, ut cenſet anonymus in vita ejus; patriâ Ætolus, ut ex Dionyſio Phaſilete idem anonymus refert; vel potiùs, ut alios velle Suidas dicit, Colophonius; quomodo, præter Græcos ſcholiaſtes, etiam Cicero vocat in libris de Oratore, & Macrobius lib. V Saturn. cap. XXI. Quod ad ætatem, Suidas, ac anonymus in vita ejus, vixiſſe aiunt temporibus Attali, poſtremi Pergamenorum regis, hoc eſt, circa Olymp. CLX: quo tempore in Ægypto regnabat Ptolomæus ſeptimus, cognomento Phyſco, ſeu Euergetes II. Imò Attalum hunc etiam in verſibus ſuis compellâſſe, idem anonymus autor eſt. Hodie nihil ejus exſtat, præter Θηριακὰ b, & Ἀλεξιφάρμακα c. Sed diverſumne è Theriacis opus, quod ejus ſignat ſcholiaſtes d, cùm eum in Ὀφιακῷ laudat? Idem & citat ἐν ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ e. Ac præter iſta, Suida teſte, ſcripſit ἑτεροιουμένων βιβλία πέντε f. Atque ex eorum ſecundo teſtimonium petit Apollonii ſcholiaſtes lib. I. Sed legendum, ἑτεροιουμένων g, ut eſt apud Stephanum in Ἀσπαλάθεια; ubi primus ejus operis liber adducitur. Imò & ex eo opere verſus adferuntur apud Antonium Liberalem, Tzetzem, alios: ex quibus cognoſcimus, tractâſſe iis libris de corporibus in novas formas immutatis, uti ab Ovidio poſtea factum. His adde ἰάσεων συναγωγὴν h, & προγνωστικὰ i δι᾽ ἐπῶν, quæ ex Hippocratis prognoſticis deſumta erant. Meminit idem Suidas. Præterea etiam Georgica reliquit. Cicero lib. I. de Orat. *Si conſtat inter doctos, hominem ignarum aſtrologiæ, ornatiſſimis atque optimis verſibus, Aratum, de cælo, ſtelliſque dixiſſe: ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum, Nicandrum Colophonium, poëticâ quâdam facultate, non ruſticâ, ſcripſiſſe præclarè: quid eſt, cur, &c.* Meminit eorundem Athenæus quinquies lib. II; ubi & ſecundum γεωργικῶν citat. Item initio epitomes libri tertii; adhæc lib. IV ter, & lib. IX bis. Ac pertinuere huc etiam μελισσουργικὰ k, quæ idem nominat lib. II. Multa quoque commentatus, quæ ad terrarum hiſtoriam pertinerent. Ut Αἰτωλικά; quorum primum advocant Macrobius lib. V Saturn. cap. XX, & Athenæus lib. VII, & XI. De rebus Ætolicis verò optimè ſcribere potuit; qui, ut Anonymus in vita ait, diu in Ætolia egit; uſque adeò, ut etiam inde Ætoli nomen referret, quemadmodum antè diximus. Adhæc ejus Βοιωτιακὸν memorat idem extremo lib. VII. Librum primum Οἰταϊκῶν citat Apollonii ſcholiaſtes lib. I: ſecundum autem Athenæus lib. VII, & extremo lib. IX. Nec externa ſolùm celebravit, ſed etiam res patrias. Nam tertium Κολοφωνιακῶν citat Athenæus lib. XIII. ubi ex eo refert. Solonem exſtruxiſſe templum Πανδήμου Ἀφροδίτης, quam *Vulgivagam Venerem* cum Lucretio appellare poſſumus. Denique ex Nicandri περὶ ποιητῶν, ni fallor, libro Parthenius hiſtoriam recitat de Oenone. Præter verò hæc, quæ diximus; præter item gloſſas ſæpius Athenæo memoratas, etiam condidit Θηβαϊκά, ex quibus librum tertium laudat ſcholiaſtes Θηριακῶν l. Fortaſſe tamen idem opus fuit ac Βοιωτιακά. Ab eodem ſcholiaſte memoratur ἐν m Σικελίᾳ; cujus operis decimum citat Stephanus in Ζάγκλη. Præterea apud Athenæum advocatur ἐν τρίτῳ Εὐρωπίας. Id corruptum putat doctiſſimus Caſaubonus, ac legit ἑτεροιουμένων n. Nam, inquit, Nicandri Europiaca nuſquam nominantur. Nempe ſummo viro non obverſabatur locus Stephani in Ἄθως, ubi mo-

b *De venenatis beſtiis.*
c *De remediis contra venena.*
d *Pag. 11. edit. Morell.*
e *Pag. 19.*
f *De iis, qui vitam viverent meretriciam.*
g *Transformatorum.*
h *Remediorum collectionem.*
i *Prognoſtica verſibus tradita.*
k *Scripta de melliſicio.*
l *Pag. 14. edit. Morell.*
m *Idem ſcholiaſtes pag. 11.*
n *Transformatorum.*

memoratus Εὐπορείας. Quare nihil apud Athenæum mutandum. Hiſtoricum quoque opus erat id, cujus Suidas meminit περὶ [a] χρηστηρίων πάντων βιβλία τρία. Ex hæc quidem Nicandro tribuuntur. Quod ſiquis aliqua alterius eſſe Nicandri arbitrabitur, non admodum repugnem.

a *De oraculis omnibus libri tres.*

Eâdem ætate, hoc eſt, circa Olympiadem CLX, ſive annum Urbis conditæ IↃCVIII, floruit C. Julius, hiſtoricus. De quo ex Livii lib. LIII ita refertur in epitoma ejus: *C. Julius Senator Græce res Romanas ſcripſit*: ſive, ut in vett. bbb. eſt, *ſcribit*.

Cn. Aufidius, civis Romanus, fuit Olymp. CLXX; extremis nempe Ptolomæi Lathyri temporibus, cùm Romæ bellum eſſet civile inter Marium, & Syllam. Innotuit hic nobis beneficio Ciceronis. Ejus hæc verba in Tuſcul. V: PUERIS NOBIS *Cn. Aufidius, prætorius, & in ſenatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in literis.* Ubi *videbat* retineo; etſi & *vivebat* legere poſſis. Sed prius malo; quia cæcorum duntaxat exempla referuntur. Unde & Steph. Pighius annal. Tom. III. ad an. Urbis IↃCXXXIV, cenſet, poſt *prætorius* deeſſe verba illa, *licet cæcus*. Meminit quoque hujus Aufidii Plinius lib. VI. Natur. Hiſtor. cap. IX: *Univerſæ* (Armeniæ) *magnitudinem Aufidius centena millia prodidit.* Aufidium in epitomis citat ſcriptor de origine gentis Romanæ. Ubi ait: *Aufidius ſane, & Domitius lib. I,* (Aremulum Sylvium) *non fulmine ictum, ſed terræmotu prolapſum, ſimul cum eo regiam, in Albanum lacum, tradunt.* Fortaſſe idem eſt Cn. Aufidius, qui quæſtor fuit anno Urbis IↃCXXXV, Cæcilio Metello, & Cotta Coſſ. quique anno IↃCXL, Balbo, & Catone Coſſ., fuit tribunus plebis; & à quo lex Aufidia lata, ut liceret Africanas advehere in Italiam circenſium gratiâ; cujus legis Plinius meminit lib. VIII. cap. XVII. Nec diffitendum tamen, duos fuiſſe Cn. Aufidios; unum prætorium, ut eum Cicero vocat Tuſcul. V; alterum conſularem, quem prior ille adoptârat. Adoptivi ejus, pariterque adoptantis, mentio etiam eſt apud Ciceronem orat. pro domo: *Non ætas ejus, qui adoptabat, quæſita eſt; ut in Cn. Aufidio, & M. Pupio: quorum uterque noſtrâ memoriâ ſummâ ſenectute, alter Oreſtem, alter Piſonem adoptavit.*

## CAP. XV.

*Luculli hiſtoria belli Marſici. Ut excuſârit, quòd fortaſſe aliqua minus Græce dixiſſet. Ciceronis commentaris de conſulatu ſuo. Terſa eorum, & florida dictio. Attici de eodem conſulatu commentarius ſtylo ſcriptus ſimplici. Ganſius. Olympus. Adelphius, ſive potius Dellius.*

PTolomæo Auletæ æqualis fuit L. Lucullus, vir eloquens, & utraque linguâ exercitatus, ita ut Sylla commentarios de rebus à ſe geſtis ei dicârit, conditione eâ, ut illos digereret, ac poliret: quemadmodum Plutarchus narrat nobis in Lucullo. Ex quo etiam diſcimus, Lucullum ipſum ſcripſiſſe Græcè hiſtoriam belli Marſici. Verba adjungam: Περὶ μὲν οὖν τῆς φιλολογίας αὐτοῦ φασὶ Ὁρτήσιον τὸν δικολόγον, καὶ Σισένναν τὸν ἱστορικὸν, ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν προελθόντος, ὁμολογῆσαι, προθέμενον ποίημα καὶ λόγον Ἑλληνικόν τε καὶ Ῥωμαϊκὸν, εἰς ὅ, τι ἂν λάχῃ τούτων, τὸν Μαρσικὸν ἐνθήσειν πόλεμον. καί πως ἔοικεν εἰς λόγον Ἑλληνικὸν ὁ κλῆρος ἀφικέσθαι. διασώζεται γὰρ Ἑλληνική τις ἱστορία τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου. *De varia ejus eruditione, præter ea, quæ diximus, illud etiam refertur; Apud Hortenſium oratorem, & Siſennam hiſtoricum, cum juvenis etiamnum foret, è joco in ſerium ſermonem delapſum, profeſſum, ſe vinctâ oratione ac ſolutâ, Græcâ pariter ac Latinâ, utram earum ſors dediſſet, bellum eſſe Marſicum ſcripturum. Ac videtur ei ſorte obtigiſſe, ut Græce ſcriberet. Nam exſtat hiſtoria belli Marſici Græce exarata.* De his Luculli commentariis Græcis illuſtris quoque mentio eſt apud M. Tullium lib. I. epiſt. XVI. ad Attic. Verba ejus mox adferam.

Tum quoque floruere ſummi duo viri, & inter ſe conjunctiſſimi, M. T. Cicero, & T. Pomponius Atticus. Ciceroni autem hìc quoque locum eſſe, nemo negabit, qui ſciat, commentarium de conſulatu ſuo Græcè condidiſſe. Hoc non tantùm è Plutarcho cognoſcimus, qui in Cæſare citat Ciceronem ἐν [a] τῷ περὶ ὑπατείας; ſed imprimis ex ipſo Tullio, cujus hæc verba lib. I. epiſt. XVI. ad Att. *Commentarium conſulatus mei Græcè compoſitum miſi ad te.* Sedulò in eo operam dediſſe, ut pura, terſaque dictio foret, oſtendunt ea, quæ ſubjungit: *In quo ſiquia erit, quod homini Attico minus Græcum eruditumque videatur: non dicam, quod tibi (ut opinor) Panormi Lucullus de ſuis hiſtoriis dixerat, ſe, quo facilius illas probaret Romani hominis eſſe, idcirco barbara quadam, & σόλοικα, diſperſiſſe* [b]*: apud me ſi quid erit ejuſmodi, me imprudente erit, & invito.* Sed imprimis egregiè idem lib. II. epiſt. I. ad Attic. *Tuus puer mihi literas abs te, & commentarium conſulatus mei Græce ſcriptum reddidit: in quo lætatus ſum, me aliquanto ante de iiſdem rebus Græce item ſcriptum librum L. Coſſinis ad te perferendum dediſſe.* Mox de ſtylo ſuo ita ſubjungit: *Meus autem liber totum Iſocratis* μυροθήκιον, *atque omnes ejus diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta, conſumſit.* Et paullo pòſt: *Quem tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lentè, ac faſtidioſe probaviſſem. quamquam ad me reſcripſit jam Rhodo Poſidonius, ſe, noſtrum illud* ὑπόμνημα *cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet, miſeram, non modò non excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam planè perterritum. Tu, ſi tibi placuerit liber, curabis, ut & Athenis ſit, & in cæteris oppidis Græciæ. Videtur enim poſſe aliquid noſtris rebus lucis adferre.*

a *In libro de conſulatu.*

b *Alii, aſperſiſſe.*

Titus quoque Pomponius Atticus de conſulatu Ciceronis Græcè hiſtoriam condidit: ut Cornelius Nepos in Attici hujus vita teſtatur; & Cicero ipſe lib. II. epiſt. I. ad Att. Verba ejus attuli paullo antè. Stylo ſimplici, & minimè fucato, uſum eſſe, oſtendunt hæc Ciceronis verba, quæ ibidem legas: *Tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incomta, viſa ſunt. ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant: &, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.*

Partim Ptolomæi Auletæ, partim Ptolomæi Dionyſii, & ſororis Cleopatræ temporibus, vixiſſe videtur Canuſius, ſive Ganuſius, Γανύσιος; pro quo Geſnerus in bibliotheca perperàm habet Caliſius. Citatur à Plutarcho in vita Cæſaris: ubi ex eo narrat, ut, Senatu decernente ſupplicationem ob res à Julio Cæſare in Galliis bene geſtas, Cato pro ſententia dixerit, Cæſarem barbaris eſſe dedendum, ad civitatem à crimine violati juris gentium expiandam, atque piaculum vertendum in auctorem.

Olympi ætatem ſatis indicat, quòd fuit medicus Cleopatræ, Julii prius, pòſt Antonii, amaſiæ. De eo ſic Plutarchus in vita Antonii: Ἦν δὲ ἰατρὸς αὐτῇ (Κλεοπάτρᾳ) συνήθης Ὄλυμπος, ᾧ φράσασα τἀληθὲς, ἐχρῆτο συμβούλῳ καὶ συνεργῷ τῆς καθαιρέσεως, ὡς αὐτὸς ὁ Ὄλυμπος εἴρηκεν, ἱστορίαν τινὰ τῶν πραγμάτων τούτων ἐκδεδωκώς. *Medicus verò ei* (Cleopatræ) *familiaris erat Olympus; quo, veritate ei indicatâ, conſiliario & adjutore utebatur ad tabem ſibi inducendam: ut ipſe ait Olympus, qui rerum earum hiſtoriam edidit.*

Iiſdem temporibus Adelphius ſcripſit expeditionem Parthicam Antonii Triumviri. Strabo lib. XI: Ὥς [c] φησιν Ἀδέλφιος, ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους στρατείαν αὐτοῦ, ἐν ᾗ παρῆν, ἡγεμονίαν ἔχων. Quamquam non diſplicet conjectura Caſauboni, legentis ὁ Δέλλιος. Ita ſanè appellant Plutarchi codices in vita M. Antonii. Ubi hæc legas: Πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες ἐξέβαλον, τὰς παροινίας καὶ βωμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας· ὧν καὶ Μάρκος ἦν Σιλανὸς, καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός. οὗτος δὲ καὶ δεῖσαί φησιν ἐπιβουλὴν ἐκ Κλεοπάτρας, Γλαύκου τοῦ ἰατροῦ φράσαντος αὐτῷ. Προσέκρουσε δὲ Κλεοπάτρᾳ, παρὰ δεῖπνον εἰπὼν, αὐτοῖς μὲν ὀξίνην ἐγχεῖσθαι, Σάρμεντον δὲ πίνειν ἐν Ῥώμῃ Φαλερῖνον. ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦ-

c *Ut Adelphius ait, Antonii comes, qui Parthicam ejus expeditionem deſcripſit: oculatus teſtis, & qui ipſe etiam partem exercitus duceret.*

καλῶν. *Complures præterea alios illius amicos expulere Cleopatræ adulatores, quòd contumelias, & procacitatem eorum, non ſuſtinerent. In quibus M. Syllanus fuit, & Dellius hiſtoricus. Hic inſidias quoque timuiſſe ait ſe à Cleopatra, ſeque à Glauco medico monitum eſſe. Offendit Cleopatram, quòd in cœna jactâſſet, acidum ipſis infundi, Sarmentum verò bibere Romæ Falernum. Erat Sarmentus puer, quem habebat in deliciis Cæſar.* Dioni quoque ſimiliter vocatur. Ex quo & prænomen ejus diſcimus. Nam Q. Dellium appellat. Vide, quæ de eo prodidit lib. XLIX, & L. Sed M. Senecæ Suaſoriâ I dicitur *Deillius*. Uti & L. Senecæ lib. I de Clementia, cap. X. Quamquam ibi vulgò ſit *Duillius*. Sed *Dellius* legi debere, jamdudum Lipſio obſervatum ad primum Annalium Taciti. Etiam Horatii lib. II. od. III. ad Dellium ſcripta eſt: imò in pleriſque diſertim legas *Q. Delium*; ut illâ, quæ ante ſeculum Baſileæ, cum Acronis commentariis, prodiit. At nimis audaciter pro eo Cruquius, contra omnium codicum fidem, *L. Gellium* reponit.

## CAP. XVI.

*Lyſimachidæ ætas, ex Cæcilio Rhetore; Cæcilii, ex ætate Dionyſii Halicarnaſſei, collecta. Diodorus Sardianus. Theodorus Gadarenus. Thraſyllus. Claudius Cæſar. Polianus Sardianus. Telephus, grammaticus Pergamenus.*

NUnc de iis videamus, qui fuere, poſtquam imperium illud, quod Alexandri tenuerant ſucceſſores, in Romanorum totum ceſſit poteſtatem. Eò referendus videtur Lyſimachides: qui ad Cæcilium de Atticis Rhetoribus edidit commentarium. Ammonius libello de vocum differentiis in Θεωρός: Λυσιμαχίδης a ἐν τῷ πρὸς Καικίλιον περὶ τῶν ᾿Αττικῶν ῥητόρων. Idem alia quoque ad res Atticas itidem pertinentia expoſuit. Nam Harpocrationi in Μαιμακτηριών, & Μεταγειτνιών citatur ἐν b τῷ περὶ τῶν ᾿Αθήνησι μηνῶν. Meminimus autem Lyſimachidæ hoc loco, quia opus illud de Atticis Rhetoribus videtur non abſimile fuiſſe libello Plutarchi de vitis decem Rhetorum. Fortaſſe tamen de ſtylo eorum duntaxat egit: uti ab Halicarnaſſenſi de pleriſque factum ſcriptoribus. Nam hoc magis Rhetoris erat, & ad Rhetorem ſcribentis. Siquidem Cæcilius ille, cui librum de Rhetoribus nuncupavit, puto, Rhetor ille Siculus fuit, nobiliſſimis Rhetoribus laudatus; Fabio dico, Longino, & ante utrumque Dionyſio Halicarnaſſenſi, æquali ſuo: quod Cæcilii, ac ſimul Lyſimachidæ nobis ætatem indicat. Nam Dionyſius c Romam ſe veniſſe teſtatur, confecto bello civili inter Auguſtum, & Antonium, circa mediam Olympiadem CLXXXVII. Et, ne corruptos eſſe numeros putes, ſimiliter eſt apud Anonymum ἐν d ᾿Ολυμπιάδων ἀναγραφῇ. Ac apud eundem hoc de Dionyſio legas, Olympiade CXCII anno IX aggreſſum fuiſſe ſcribere Romanas antiquitates.

a *Lyſimachides libro ad Cæcilium, qui erat de decem Atticis Rhetoribus.*
b *In opere de menſibus Atticis.*
c *In præfatione Antiquitatum Romanarum.*
d *In deſcriptione Olympiadum.*

Sed quicquid eſt de Cæcilio, ſaltem ſub Auguſti principatu, atque, ut cenſeo, Tiberii item temporibus, fuit Diodorus Sardianus, rhetor, poëta, & hiſtoricus. Quippe qui Strabonis fuerit amicus: ut oſtendunt hæc geographi ejuſce verba lib. XIII; quo loco de illuſtribus Sardianis tractat: Ἄνδρες e δ' ἀξιόλογοι γεγόνασι τῶν αὐτῶν γένους, Διόδωροι δύο οἱ ῥήτορες· ὧν ὁ πρεσβύτερος ἐκαλεῖτο Ζωνᾶς· τῷ δὲ νεωτέρῳ, φίλῳ ἡμῖν γενομένῳ, καὶ ἱστορικὰ συγγράμματά ἐστι, καὶ μέλη, καὶ ἄλλα ποιήματα.

e *Hinc etiam genus diſcunt viri memoratu digni, Diodori rhetores duo: quorum ſenior Zonas vocabatur: junior autem, qui amicus nobis, & hiſtorici exſtant commentarii, & odæ. & poëmata alia.*

Theodoretus quoque Gadarenus extremo Auguſti principatu, item ſub Tiberio, floruit: cujus & præceptor fuit. Certamen ei erat cum Polemone, & Antipatro. Sub Adriano Cæſare filius ejus factus eſt ſenator. Fecit autem librum de hiſtoria, item de Cœleſyria; & alia, de quibus Suidas.

Thraſyllus ſimiliter Auguſti, & imprimis Tiberii temporibus, vixit: quemadmodum liquet ex iis, quæ de eo narrant Suetonius Tranquillus in Auguſto cap. XCVIII, & Tiberio cap. XIV, Tacitus in VI Annalium, Dio lib. LV, & LVIII, Themiſtius orat. XII, & Juvenalis ſcholiaſtes in Sat. VI. cujus verba adſcribere contentus ero: *Thraſyllus, multarum artium ſcientiam profeſſus, poſtremò ſe dedit Platonicæ ſectæ, ac deinde matheſi: quâ præcipuè viguit apud Tiberium; cum quo ſub honore ejuſdem artis familiariter vixit: quem poſtea Tiberius in inſula Rhodo præcipitare voluit in pelagum, quaſi conſcium promiſſæ dominationis. Quem dolum cùm præſenſiſſet, fugit.* Thraſyllus hic patriâ Mendeſius fuit, & inter alia de lapidibus ſcripſit. Plutarchus lib. de Flum. Καθὼς a ἱστορεῖ Θράσυλλος ἐν γ' περὶ λίθων. Sed præterea hiſtoriam Ægyptiacam literis prodidit. Idem eopſe libro: Καθὼς b ἱστορεῖ Θράσυλλος ἐν τοῖς Αἰγυπτιακοῖς. Ex eo opere locum adducit Stobæus ſermon. de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione. Item edidit, niſi is alius eſt, de lectione librorum Democriti. Laërtius in Democriti vita: Ὥς c Θράσυλλος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Περὶ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων. Meminit & ejuſdem alibi non ſemel. Uti & Clemens Alexandrinus lib. I Στρωματ. ubi refert, de Idæ incendio quæ ſcripſerit. Item Nicomachus Geraſenus enchiridii harmonici lib. I. Porphyrius in vita Plotini, Achilles Tatius ad Aratum, & Demophilus in Ptolomæi Tetrabiblum: atque è Latinis Plinius in hiſtoria Naturali: ex cujus non uno loco, conſignâſſe ad rem medicam pertinentia, cognoſcimus. Quamquam metuo, ne alius is ſit ab mathematico, & Ægyptiacæ hiſtoriæ auctore.

a *Sicut Thraſyllus refert lib. tertio de lapidibus.*
b *Sicut refert Thraſyllus in Ægyptiacis.*
c *Ut Thraſyllus in eo libro, qui inſcribitur, De legendis Democriti libris.*

Claudius Cæſar, ut in vita ejus ait Tranquillus d, *& Græcas ſcripſit hiſtorias, Tyrrhenicôn XX, Carchedonicôn VIII. Quarum cauſſâ veteri Alexandriæ Muſæo additum ex ipſius nomine; inſtitutumque, ut quotannis in altero Tyrrhenicôn libri, altero Carchedoniacôn, diebus ſtatutis, velut in auditorio, recitarentur toti à ſingulis per vices.* De eodem ſic Plinius lib. XII. Hiſt. Nat. cap. XVII: *Petunt igitur in Helimæos arborem brutam, cupreſſo fuſæ ſimilem, exalbidis ramis, jucundi odoris, accenſam, & cum miraculo hiſtoriis Claudii Cæſaris prædicatam.* Citat eundem Plinius lib. V. cap. X, & lib. VI. cap. IX. Joannes Antiochenus ſimpliciter dicere eſt contentus e: Ὅτι Κλαύδιος ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων τὴν μὲν ψυχὴν οὐ φαῦλος ἐγεγόνει ἐν παιδείᾳ τε ἤσκητο, ὡς καὶ συγγράψαι τινά. *Quod Claudius Imperator Romanus ingenio fuit non malo; diſciplinis etiam excultus erat, ita ut quoque libros ſcripſerit.*

d *Cap. 42.*
e *In Excerptis ab Henrico Valeſio editis pag. 805.*

Claudii hujus, ac Caji Caligulæ temporibus, claruit Polienus Sardianus, Sophiſta; quem Suidas ait compoſuiſſe tres libros de triumpho Parthico. Fortaſſe autem, cùm ſophiſta fuerit, & in cauſſis dicendis ſe exercuerit, quæ de triumpho Parthico edidit, non tam fuere commentarii hiſtorici, quàm orationes panegyricæ. Alius eſt à Polieno Macedone ſcriptore VIII librorum de Stratagematis, qui ſub Divis fratribus in pretio erat: ut dictum lib. II. cap. XIV.

Telephus, Τήλεφος, grammaticus Pergamenus, multæ exſtimationis fuit tempore Hadriani Cæſaris. Ut cognoſcimus ex Julio Capitolino in vita Veri, (niſi is potiùs Spartianus;) qui refert, Verum Cæſarem in Latinis uſum grammatico Scauro; in Græcis, Telepho: quem non alium eſſe à Pergameno, planè adſentio ſummo viro, Claudio Salmaſio. Multa is edidit ad hiſtoriam patriam pertinentia. Ut Pergami deſcriptionem: item de Pergameno Auguſtali libros II: adhæc de regibus Pergamenis libros V. Idem res Atticas illuſtravit, tum opere de Athenienſium legibus, & moribus: tum altero περὶ f τῶν ᾿Αθήνησι δικαστηρίων. Adhæc literis mandavit vitas Comicorum, & Tragicorum. Alia quoque multa producit, quorum elenchum apud Suidam videre eſt. Meminit & Telephi Ariſtophanis ſcholiaſtes in Plutum.

f *De potentiis Athenienſium.*

## CAP. XVII.

*Crator. Julius Caſſianus. Encratitarum ut is dogma defenderit. Ptolomæus geographus. Geminus Strou lapſus. Ptolomæi laus apud Stephanum, & Marcianum*

*tianum Heracleotam. Iamblichi Babylonica. Adrianus Sophiſta. Julius Pollux Commodi Imper. æqualis. Alter ejuſce nominis, ſed junior. Alexander Severus. Bardeſanes Babylonius. Judas theologus. Arrianus junior. Callicrates Tyrius. Theoclius. Zenobia.*

VEnio ad ſcriptores, qui fuere ſub Divis, ut vocant, fratribus; M. Aurelio Antonino philoſopho, & L. Aurelio Vero. Princeps eſt Crator: qui M. Aurelii Veri libertus fuit. Scripſit de Romanorum temporibus. Auctor Theophilus ad Autolycum lib. III. propè extremo: ubi nomina conſulum, prætorum, ædilium, hoc ex ſcriptore petere jubet. Præcipuè adſcribi merentur hæc verba: Κράτωρ *a*, ἀπελεύθερος γενόμενος Μ. Αὐρηλίου Οὐήρου, ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης, μέχρις τελευτῆς τοῦ ἰδίου πάτρωνος αὐτοκράτορος Οὐήρου, σαφῶς πάντα ἀνέγραψε, καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τοὺς χρόνους.

*a Crator, libertus M. Aurelii Veri, ab urbe condita, uſque ad obitum patroni ſui Veri, maniſeſte exacteque annotavit omnia, ſeu nomina, ſeu tempora, ſpectes.*

Æqualis Cratoris erat Julius Caſſianus: quem Geſnerus ait annales temporum rationes conſcripſiſſe. Id quo veterum adſtrui ſolidè poſſit, non video. Etſi apud Clementem in primo Στρωματ. lego, ab Caſſiano hoc ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἐξηγητικῶν eſſe oſtenſum, πάσης *b* σοφίας ἀρχαιοτέραν εἶναι τὴν κατὰ Ἑβραίους φιλοσοφίαν. Fuit Valentini hæreſiarchæ diſcipulus, ac Encratitarum dogma eſt ſecutus: quod propugnavit libro, quem inſcripſit περὶ *c* ἐγκρατείας, ἢ περὶ εὐνουχίας. Eo conjugium deteſtabatur, ac perperam interpretabatur Geneſin, per lignum vetitum intelligens matrimonium: per pelliceas tunicas, humanam carnem. Etiam tuebatur ſe verbis, ut videri volebat, ipſius Chriſti ad Salomen, ex evangelio ſecundùm Ægyptios productis. Vide Clementem in tertio Στρωματέων.

*b Quàvis alterum ſapientiâ antiquiorem eſſe philoſophiam Hebræorum.*
*c De continentia, vel caſtitate.*

Claudius etiam Ptolomæus, Alexandrinus philoſophus, temporibus vixit M. Aurelii imperatoris, teſte Suida: ut omnino ſpiſſus ſit error, ſive Servii, ſive alius, qui Servium interpolavit, ad illud Eclogæ III:

*In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter?*

Ubi grammaticus is per alterum intelligi ait Aratum, Ptolomæum, aut Eudoxum: cùm Ptolomæus duobus floruerit ſeculis poſtquam eclogas ſuas Virgilius ſcripſiſſet. Quemadmodum & in eo errat, quòd ſermonem putat eſſe de Conone, Athenienſi duce, Peloponneſiaco bello æquali, cujus vitam Cornelius Nepos ſcripſit. Intelligi enim debet Conon Aſtrologus, quem Catullus celebrat carmine de coma Berenices, quod ex Callimacho tranſtulit. Scripta Ptolomæi in omnium manibus verſantur. Sed præter ea, quæ habemus, alia quoque recenſet Suidas. Et ſunt, quæ etiam Suidas præterit: ut eſt περίπλους: cujus meminit Stephanus in Λούγδουνα, ubi eam eſſe ait πόλιν *d* Κελτογαλατίας, auctoremque laudat Πτολεμαῖον *e* ἐν περίπλῳ. Niſi periplum vocet Geographiæ libros: quos idem Stephanus in Χαράκμωβα citat: nec modò citat, ſed etiam laudat. Sic enim ait: Πτολεμαῖος *f* ἐν γεωγραφικοῖς, ἐν πέμπτῳ βιβλίῳ, ἐν τοῖς Ἀραβικοῖς. ἀξιόπιστος δ' ἀνὴρ περὶ τὰ τοιαῦτα. σπουδὴν γὰρ ἔθετο ἱστορῆσαι ἀκριβῶς τὰ τῆς Ἀραβίας. Egregia quoque ejus laus apud Marcianum Heracleotam initio peripli; ubi quiddam refert, (ut verba ejus reſervem) ἐκ *g* τῆς γεωγραφίας τοῦ θειοτάτου καὶ σοφωτάτου Πτολεμαίου. θειότατον *h* quoque aliquanto pòſt appellat. Errant autem, qui putant, Ptolomæum Alexandrinum fuiſſe, cùm fuerit Peluſiota. Quod ſatis conſtat ex Arabibus, à quibus appellatur Ptolomæus *Elfeluſi*. Et ſanè in Mss. Græcis ejus tetrabibli repertum eſt, Πτολεμαίου Πηλουσίου τετράβιβλος. Ut minimè dubitandum ſit, quin natus fuerit Peluſii: quamvis jam à multis retro ſeculis error hic invaluerit, eum Alexandriæ natum fuiſſe. Quod nulla alia de cauſſa evênit, quàm quòd ibi obſervationes ejus factæ ſint; ut non uno loco patet ex magno ejus de conſtructione opere.

*d Urbem Galliæ Comatæ.*
*e Ptolomæum in deſcriptione circuitus navigatione luſtrati.*
*f Ptolomæus in geographicis libro quincto, in Arabicis ſane fide dignus: quippe qui ſedulò hoc egerit, ut accuratè Arabica traderet.*
*g Ex geographia diviniſſimi, & ſapientiſſimi Ptolomæi.*
*h Diviniſſimum.*

Ex Photii bibliotheca *i* diſcimus, iiſdem temporibus, & aliquanto ante tempora Antonini philoſophi, fuiſſe Iamblichum, alium à Syro philoſopho, Porphyrii diſcipulo, è ſervis, ut ajunt, natum. Babylonica hic condidit, quibus de Rhodanis, & Sinonidis amoribus libris egit undequadraginta: ut Suidas teſtatur, & pluribus exponit Photius; qui compendio Babylonica ejus conſtrinxit. Quin hodieque Iamblichi Babylonica extant in bibliotheca Eſcuriaca. Ac, ejus licet rei neſcius, fragmentum quoque edidit Leo Allatius in Excerptis Græcorum Rhetorum, ac Sophiſtarum *a*. Sed quòd Adriani Rhetoris putavit, id aliter eſt. Neque enim hic declamationis quicquam ſimile eſt, ut in tribus prioribus, quæ verè ſunt Adriani Sophiſtæ. Inque bibliothecæ Florentinæ codice, unde exſcripſit filius meus Iſaacus, apertè eſt, Ἐκ τῶν Ἰαμβλίχου ἱστορικῶν Βαβυλωνιακῶν *b*. Inſcribitur id Iamblichi fragmentum, Περὶ *c* προόδου τοῦ Βαβυλωνίων βασιλέως. Utinam verò non ulteriùs eruditi Hiſpaniæ viri invideant Reip. literariæ ipſam Iamblichi hiſtoriam Babyloniam: quam dicebam extare in Scoriaca, ſive S. Laurentii bibliotheca. Ita enim didici ex edito ejus bibliothecæ indice, concinnato à Martino, Abbate Laſarinæ, Philippo IV Hiſtoriarum Regi à ſacris domeſticis, ac conſiliis. Non dubium verò, quin apud Priſcianum Medicum, ubi mentio fit amatoriarum Amblii fabularum, pro *Amblio*, *Iamblichus*, debeat reponi; ac ſermo ſit de amoribus Rhodanis, ac Sinonidis; de quibus in Babylonia hiſtoria tractabat.

*i Cod. 94.*
*a Edita Romæ an. 1641.*
*b Ex Iamblichi hiſtoria Babyloniaca.*
*c De progreſſu Regis Babyloniorum.*

Sed narrationes iſtæ Iamblichi, ſi non veræ, at veriſimiles fuere; non item μεταμορφώσεις, quas inter alia conſignavit Adrianus ſophiſta, Herodis diſcipulus, Ariſtidis æmulus: unde, M. Antonini, & filii ejus Commodi tempore vixiſſe, cognoſcimus. Plura de eo Suidas.

Julius Pollux vixit temporibus Commodi Cæſaris, cui & Epithalamium fecit. Exſtat ejus onomaſticum ad eundem Commodum. Multa quoque alia edidit. Ea inter fuiſſe librum De Arcadia lego in Geſneri bibliotheca. Sed apud Suidam eſt Ἀρκαδικόν; quo ſignificatur oratio de Arcadicis. Meminit hujus Pollucis præter alios Jo. Tzetzes Chil. VII. Hiſt. CXLV. Porrò & Julii Pollucis Chronicon, Ἰουλίου Πολυδεύκους χρονικόν, exſtat in bibliotheca Bavaricâ: ac jam ante hos viginti annos ſcripſit Jacobus Gretſerus *d*, ſperare ſe, fore, ut propediem prodeat in lucem. Chronicon verò illud exorditur à condito orbe, ac pertexit tempora uſque ad imperium Valentis. Stultum igitur ſit, multis monere, hunc non eſſe illum Julium Pollucem, cujus onomaſticum habemus. Nam & gentilis is fuit, ut ab orbe condito non potuerit ordiri: &, ut diximus, ſub Commodo vixit.

Alexander Severus Imp. ut in vita ejus Ælius Lampridius refert, *vitas principum bonorum verſibus ſcripſit*. Græcè puto, quando paullo antè præceſſit, *Facundiæ fuit Græcæ magis, quàm Latinæ, nec verſu invenuſtus*. Et initio vitæ dixerat; *In Latinis non multum profecit, nec valde amavit Latinam facundiam*. Principes, quos ſignat Lampridius, octo fuere numero; ut ex Vopiſco oſtendimus in poëtis Græcis.

*d Tom. 2. de Cruce, in notis ad orat. Alexandri de inventione Crucis, p. 580. edit. Ingolſtad. an. 1600. Meminere etiam Poſſevinus in Appendice Apparatus Sacri p. 82, & Jacobus Pontanus annotat. ad præfat. Georgii Franzæ.*

Bardeſanes Babylonius Alexandri Severi temporibus floruit: de quo Porphyrius de abſtinentia lib. IV: Ὡς *e* Βαρδησάνης, ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἐπὶ τῶν πατέρων ἡμῶν γεγονώς, ἀνέγραψεν. Egit de Brachmanibus, & Samanæis, Indorum philoſophis, quos Græci Gymnoſophiſtas vocant. Vide, quæ de iis ibidem Porphyrius ex Bardeſane exſcribit. Idem opus ſignat B. Hieronymus lib. II. contra Jovinianum: *Bardeſanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos gymnoſophiſtas dividit: quorum alterum appellat Brachmanas; alterum Samanæos; qui tanta continentia ſint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publico oryzæ, vel farinæ alantur cibo: & cùm rex ad eos venerit, adorare illos ſolitus ſit, pacemque ſuæ provinciæ in illorum precibus arbitrari ſitam.* Quæ fuſiùs exponit Porphyrius: unde ea Hieronymus hauſit.

*e Ut Bardeſanes Babylonius, qui parentum noſtrorum temporibus fuit, ſcripto conſignavit.*

Judas hiſtoricus, & theologus, de ſeptuaginta apud Danielem hebdomadibus pleniſſimè diſputavit: & chronographiam ſuperiorum temporum uſque ad decimum Severi perduxit annum: ut tradit Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſtic. lib. VI. cap. VI, ac Nicephorus lib. IV. cap. XXXIV.



è Lati-

è Latinis item Hieronymus in Catalogo ſcript. illuſtr. nec non Honorius, ac Sigebertus Gemblacenſis. Hos Popelierius, in ſuâ hiſtoriâ Gallicè ſcriptâ, laudare potiùs debuerat auctores, quàm Sabellicum, & Platinam. Sed peccant hac parte multi; & non poſſunt non peccare, qui rivos juniorum magis, quàm vetuſtatis fontes, ſectantur.

Arrianus Maximini tempore, vel paullo pòſt, fuit. Capitolinus in Maximino juniore: *Sanè, quod nullo in loco tacendum eſt; cùm & Dexippus, & Arrianus, & multi alii Græci ſcripſerint, Maximum, & Balbinum, imperatores contra Maximinum factos; Maximum autem cum exercitu miſſum, & apud Ravennam bellum paraſſe; Aquileiam autem, niſi victorem, non vidiſſe; Latini ſcriptores, non Maximum, ſed Pupienum, contra Maximinum apud Aquileiam pugnaſſe, dixerunt, eundemque viciſſe. qui error unde natus ſit, ſcire non poſſum; niſi forte idem eſt Pupienus, qui & Maximus.* Idem in tribus Gordianis: *Gordiani, non, ut quidam imperiti ſcriptores loquuntur, duo, ſed tres fuerunt; idque docente Arriano, ſcriptore Græcæ hiſtoriæ.* Aſſentio autem Claudio Salmaſio, viro nunquam ſatis laudato; qui arbitratur, & apud eundem, initio Maximi & Albini, legi oportere: *Et Dexippus, & Arabianus, Maximum & Balbinum dicunt electos contra Maximinum poſt Gordianos.* Ubi vulgò pro *Arriano* eſt *Arabiano*. Etſi & fuere, qui Arabiani dicerentur. Ut Flavius Arabianus, annonæ ſub Aureliano præfectus: ad quem epiſtola Aureliani exſtat apud Vopiſcum in hujus Cæſaris vita. Apud Glandorpium in Onomaſtico Romano reperias, Arrianum, qui Maximini, & Gordianorum vitas poſteris tradidit, fortaſſe eſſe Arrianum Juriſconſultum, Ulpiano memoratum. Sed quomodo is potuit ſcribere Maximini, & Gordianorum vitas, qui Ulpiano memoratur? Nam Ulpianus fuit ſcriniorum magiſter, imperante Alexandro.

Aureliani tempore, & paullo pòſt, vixit Callicrates Tyrius: qui vitam imperatoris hujus in literas retulit. De eo ſic Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Matrem quidem ejus Callicrates Tyrius, Græcorum longè doctiſſimus ſcriptor, ſacerdotem templi Solis, in eo vico, in quo habitabant parentes, fuiſſe dicit. Habuiſſe quin etiam nonnihilum divinationis: adeo ut aliquando marito ſuo jurgans ingeſſerit, cùm ejus & ſtultitiam increparet, & vilitatem, En imperatoris patrem. Ex quo conſtat, illam mulierem ſciſſe fatalia. Idem dicit, auſpicia imperii Aureliano hæc fuiſſe. Primùm pueri ejus pelvim ſerpentes plerumque cinxiſſe, neque unquam occidi potuiſſe. Poſtremò ipſam matrem, quæ hoc viderat, ſerpentem, quaſi familiarem, occidere noluiſſe. His accedit, quod ex palliolo purpureo, quod Soli ſui temporis imperator tulerat, ſacerdos mulier crepundia filio feciſſe perhibetur. Addit etiam illud, quòd vinctum faſciola Aurelianum aquila innoxiè de cunis levaverit, & in aram poſuerit, quæ juxta ſacellum fortè ſine ignibus erat. Idem autor eſt, vitulum matri ejus natum miræ magnitudinis, candidum, ſed purpurantibus maculis, ita ut haberet in latere uno avem, in alio coronam. Multa ſuperflua in eodem legiſſe memini: quippe qui aſſeverat, etiam roſas in ejuſdem mulieris corte, nato Aureliano, exiſſe purpureas, odoris roſei, floris aurei.*

Theoclius quoque Aureliani vixit ætate, vel ſanè proximè poſt eam. Conſignavit vitas Cæſarum. Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Refert Theoclius, Cæſarianorum temporum ſcriptor, Aurelianum manu ſuâ bello Sarmatico uno die quadraginta & octo interfeciſſe.* Sed quod ad ſcriptoris nomen attinet, veriſimilis eſt ſententia doctiſſimi Caſauboni, cui Theoclytus, vel Theo Chius, dictus videtur; vel Theocles, quâ formâ dicitur Diocles. Græcè eum ſcripſiſſe, etiam cognoſcimus inde, quòd, cùm ridiculos quoſdam in Aurelianum verſus retuliſſet, ſubjungat iſta verba: *Hæc video eſſe perfrivola: ſed quia ſupraſcriptus auctor ita eadem, ut ſunt Latinè, ſuis ſcriptis inſeruit, tacenda eſſe non credidi.* Neque enim erat, cur diceret, verſus eos Latinè eſſe operi inſertos, niſi aliâ is linguâ hiſtoriam condidiſſet.

Satis conſtat, tum quoque vixiſſe Zenobiam, Odenati viduam, Palmyrenorum reginam: ut de qua Aurelianus triumphârit. Hæc Ægypti, & Orientis hiſtoriam, in epitomen redegiſſe credita eſt: Græcè videlicet; ut videtur oſtendere is locus Trebellii Pollionis in XXX tyrannis: *Ipſa Latini ſermonis non uſquequaque ignara; ſed, ut loqueretur, pudore cohibita: loquebatur & Ægyptiace ad perfectum modum. Hiſtoriæ Alexandrinæ, atque Orientalis, ita perita, ut eam epitomaſſe dicatur. Latinam autem Græcè legerat.* Sed, credo, epitomen ſiquam fecit, juvandæ ſuæ memoriæ ſcripſerat, non in uſus publicos.

## CAP. XVIII.

*Onaſimus. Palladius Methonæus. Vita Antonii, auctore Athanaſio. Calliſtus. Diodorus Monachus. Pappus Alexandrinus. Helladius. B. Epiphanius. Euſebius ſcholaſticus. Ammonius poëta. Lucianus presbyter. Anaſtaſius Theopolita. Priſcus Panites. Flavianus Conſtantinopolitanus. Lachares Athenienſis. Leontius Byzantius. Georgius Alexandrinus.*

COmpectar nunc, qui floruere ſub imperatoribus Conſtantinopolitanis, à Conſtantino M. uſque ad Conſtantinum Leonis filium, & matrem Irenen: quorum tempore Carolus M. imperium in Occidente inſtauravit.

Onaſimus Conſtantini Imp. temporibus vixiſſe, fuiſſeque Cyprius, aut Spartanus hiſtoricus, dicitur à Suida: qui & compluria ejus ſcripta refert, ſed ad oratoriam artem pertinentia; ut qui & ſophiſta fuerit; quemadmodum idem ille auctor eſt.

Eodem ſub imperatore nomen ſibi peperit Palladius, Palladii filius, Methonæus. Hic præter orationes, & diſputationes varias, etiam hiſtoricum ac philologicum opus contexuit de feſtis Romanorum; ut è Suida cognoſcimus.

Athanaſius Conſtantini, filiorumque ejus, item Juliani, ac Valentis tempore fuit. Scripſit vitam B. Antonii monachi: ut teſtis B. Ephræm ſerm. in illud, *Attende tibi ipſi*, cap. X, Nazianzenus orat. in laudem B. Athanaſii, B. Hieronymus in catalogo ſcriptor. Eccleſ. Rufinus Eccl. Hiſtor. lib. I. cap. VIII, Palladius in Lauſiacis cap. VIII, Socrates Eccleſ. Hiſtor. lib. I. cap. XXI, & Honorius libro de luminaribus Eccleſiæ, ubi de Athanaſio; & iterum, ubi de Antonio; quo loco illud *inſigne volumen* vocat. Eam vitam ante annos duodecim primus in lucem protraxit vir optimè de ſtudiis meritus, David Hœſchelius. Sanè, ut genuinam, multis propugnat Roſweidus notis in lib. I. de vitis Patrum: ubi & Hoſpiniani, & Sculteti argumentis occurrit. Vide etiam Barthium Adverſar. lib. LVII. cap. I. Penes lectorem judicium eſto. Eidem Athanaſio VII Syn. Oecumen. Act. IV. tribuitur libellus de paſſione Jeſu Chriſti; quem Surius Tom. VI, die IX Novembris, ex ea Synodo exſcripſit.

Juliani Imper. tempore vixit Calliſtus; qui & in expeditione eum comitabatur. Cecinit heroico carmine res geſtas Juliani, domini ſui; ut teſtatur Nicephorus Hiſtor. Eccleſ. lib. X, cap. XXXIV.

Diodorus monachus, Juliani & Valentis temporibus, Tarſi in Cilicia, fuit epiſcopus. Meminere ejus Theodorus Anagnoſtes, & Nicephorus in hiſtoria Eccleſiaſtica. Compoſuit, cùm alia multa, tum Χρονικὸν a διορθούμενον τὸ σφάλμα Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου περὶ τῶν χρόνων, ut ait Suidas. Etiam Socrates meminit Hiſt. Eccl. lib. VI, cap. III.

Pappus Alexandrinus Theonis philoſophi, qui in Ptolomæi canonem commentatus, æqualis fuit. Nam uterque Theodoſii ſenioris temporibus vixit, Suida teſte: ex quo, præter alia, Pappum ſcripſiſſe cognoſcimus χωρογραφίαν b οἰκουμενικήν: item ποταμοὺς c τοὺς ἐν Λιβύῃ.

Helladius, B. Baſilii diſcipulus, & in Pontificatu ſucceſſor, de præceptoris ſui Baſilii vita librum reliquit; ex quo locum adducit Damaſcenus orat. I. de imaginibus.

Epiphanius Salamine in Cypro epiſcopus, qui ſub Valente, & Gratiano, imprimis verò ſub Theodoſio Magno floruit,

a Chronicon, quod errorem Euſebii Pamphili de temporibus corrigit.
b Univerſalem orbis deſcriptionem.
c Fluvios Libyæ.

floruit, opus de LXXX hæreſibus reliquit: quod non hiſtoricum minùs, quàm theologicum eſt. Geſnerus meminit libri di vita Mariæ, & temporibus ejus, Epiphanio tributi. Sed puto, eſſe Epiphanii alterius. Vitam quoque S. Hilarionis expoſuiſſe dicitur. Sed ea non exſtat. Eidem tribuitur vulgò hiſtoria de prophetarum vitis. Attamen ejus libelli veteres non meminerunt; nec ſatis Epiphanio dignus videtur.

Ejuſdem Theodoſii, ac filii ejus Arcadii temporibus, claruit Heliodorus, qui Æthiopica condidit. Verùm ea non hiſtoria eſt; ſed quiddam dramati ſimilius. Argumentum operis eſt apud Photium cap. LXXII; ubi & ſtyli elegantiam commendat. Phœnicem fuiſſe, ex eodem diſcimus, codice XCIV. Scripſit opus hoc in adoleſcentia, ut teſtatur Socrates lib. V, cap. XXI. unde & Triccæ, Theſſaliæ civitate, epiſcopum poſtea factum cognoſcimus. Idem quoque teſtatur Nicephorus lib. XII cap. XXXIV. Qui etiam refert, cùm ſynodus provincialis ſtatuiſſet, ut vel libelli illi abſumerentur igni, vel eorum ſcriptori epiſcopatus abrogaretur, maluiſſe epiſcopatu cedere, quàm ut ſcripta ſupprimeret. Sanè videtur ſynodus ea ſeveriùs aliquanto, quàm opus erat, judicium tuliſſe: cùm caſti planè ſint amores illi, quos deſcripſit, ut etiam Photius agnoſcit *a*. Theodoſii fuiſſe filium, ac patriam ei fuiſſe Emeſum, Phœniciæ civitatem, ipſe indicat poſtremis libri decimi verbis. Anonymus, ut Geſnerus teſtatur, initio adſcripſerat, cùm Phœnix foret, Arabem tamen vocatum; quia vicinæ adeò gentes facilè confundantur. Unde ſuſpicio oboriri poſſit, eundem eſſe Heliodorum Arabem, cujus vitam expoſuit Philoſtratus lib. II de ſophiſtis. Hoc ſi placet, vixerit paullo ante tempora Macrini; hoc eſt, circa annum Chriſti ducenteſimum, vel aliquanto antè. Sed Æthiopicorum ſcriptor Syneſii æqualis fuit, ac Theodoſii temporibus, (ut & Raphaël Volaterranus vidit) & filii ejus Arcadii, vixit.

a *Cod.* 72. & 94.

Arcadio, & Theodoſio juniore imperantibus, vixere Euſebius Scholaſticus, & Ammonius; quorum uterque carmine deſcripſit bellum contra Gainam, Gothorum regem. De his duobus ſic Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. XIII cap. VI. *Siquis accuratiùs, pleniuſque, res eo bello geſtas cognoſcere velit, eum Gaineum librum legere jubemus. Quem Euſebius ſcholaſticus compoſuit, Troici ſophiſtæ ſectator. Qui, cùm rebus gerendis ſpectator ipſe belli interfuiſſet; in quatuor libellis heroico verſu id luculenter expoſuit. quod ſcriptum, propter rei novitatem, in magna admiratione fuit. Sed & Ammonius, poëta alter, qui idem bellum carmine compoſuit, præclarus proximo imperio, ſedecimo junioris Theodoſii conſulatu, quem cum Fauſto geſſit, (tum enim poëma id publicavit) habitus eſt.* Quæ ad verbum exſcripſit ex Socratis lib. VI cap. VI.

Lucianus, presbyter Hieroſolymitanus, ſcripſit Græcè revelationem de inventione S. Stephani. Eam Avitus, presbyter Hiſpanus, Latinè tranſtulit. Claruit anno CCCCX. Auctor Gennadius in catalogo *b*, & Mattheus Weſtmonaſterienſis ad annum CCCCXVIII. Habes Latinè apud Surium Tom. IV, die III Auguſt. Obſervat Caſaubonus Exercitatione XIII, num. XXXII, multa in eo libello graviter peccari. Inter alia illud, quòd *Capharmagala* interpretatur *Villa Gamalielis*; cùm ſit *Villa Cameli*, Καμηλοκώμη.

b *Cap.* 46. & 47.

Anaſtaſius Theopolita, Cyrilli æqualis, compoſuit Perſica, ſive quæ in Perſide contigerunt, ſuper Dionyſaro, & Philippo hiſtoriographis, inter Chriſtianos, & paganos. Ea exſtant Mſa in bibliotheca Electorali Palatina, ac Bavarica Auguſtana.

Theodoſii Junioris ætate vixit Priſcus Panites, ſophiſta; ut Suidas perhibet. Qui & auctor eſt, eum præter epiſtolas, & declamationes, etiam condidiſſe hiſtoriam Byzantinam, & Attalicam, libris VIII. Porrò quia Suidæ *Panites* vocatur, aliqui putarunt eſſe Ægyptium: quaſi idem ſit *Panites*, & *Panopolites*. Sanè Panopolis Ægypti eſt urbs, patria Nonni poëtæ; ut ex Agathia, & Suida, conſtat. At *Panium*, ac *Panites*, eſt regio ſupra Hæmum Thraciæ montem: ut ex quarto Laonici cognoſcere eſt. Nec alia, quàm Heraclea Thraciæ, intelligenda eſt, cùm Suidas ait, Panium eſſe prope litus in finibus Heracleæ. Idcirco Priſcus etiam *Thrax* vocatur: ut ab auctore Chronici Alexandrini ad annum Theodoſii XLII, ubi bellum illud adverſus Attilam deſcripſiſſe narratur ὁ σοφώτατος Πρίσκος ὁ Θρᾷξ. Hæc etiam movent, ut certiſſimam eſſe cenſeam conjecturam Philippi Labbæi, quando *Priſcus Thrax* pro *Perſicus Thrax*, reponit apud Theophanem in Chronico; ubi de Baſiliſco loquitur, fratre Imperatricis Verinæ, atque infelici ejus expeditione adverſus Genſericum, Vandalorum in Africa Regem. Priſcum Rhetorem appellat Euagrius lib. V cap. ult. Atque ait, prodidiſſe res poſt Honorium, & Arcadium conſecutas. Videtur autem hodieque exſtare. Sanè citat eum Baptiſta Fulgoſus in Memorabilium libris: inque bibliotheca Vaticana eſſe, auctor eſt Raphaël Volaterranus lib. XIII Anthropologiæ. Supereſſe etiamnum ait in Nomenclatore ſuo Rob. Conſtantinus. Fortaſſe eſt idem Priſcus, quem Stephanus adducit in Σάλωνα. Ejus excerpta de Legationibus, & fragmentum ex hiſtoria Gothica, habes in Legationum eclogis, quas Græcè primus edidit David Hœſchelius *a*; ac vertit Cantoclarus, libellorum ſupplicum magiſter. Sanè Priſcum de rebus Gothicis multa conſignâſſe, liquet ex Jornande de rebus Geticis cap. XXIV. *Gothorum*, inquit, *natio ſæva, ut Priſcus hiſtoricus refert, in Mæotide palude ulteriorem ripam inſedit, venatione tantùm, nec alio labore, experta.* Meminit & cap. XXIV: *Ad quem in legationem remiſſus à Theodoſio juniore, Priſcus, tali voce inter alia refert.* Vide etiam cap. XXXV, XLII, & XLIX. Imò luculentum ex hiſtoria Priſci Gothicâ fragmentum habemus in Excerptis legationum ab Davide Hœſchelio Græcè editis *b*, Latinè autem redditis à Car. Cantoclaro *c*, libellorum Supplicum magiſtro. Meminit etiam Priſci hujus Euagrius lib. II cap. I, V, & XVI; item lib. V cap. ult. Adhæc Stephanus in Σάλωνα. Theophanes in Chron. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Nicephorus in præfat.

a *Ann.* 1603 *Auguſtæ Vindel. Pariſ. an.* 1609.

b *Auguſtæ*

c *Anno* 1609.

Flavianus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, præter epiſtolas ad Leonem Pontificem, etiam Acta ſcripſit cum Eutyche presbytero, & librum de ejus erroribus. Unde, Marciani Imp. & concilii Chalcedonenſis temporibus vixiſſe, ſatis liquet. Epiſtolæ ejus ad Leonem Papam Rom. exſtitere olim in biblioth. Veneta B. Antonii.

Lachares, Lacharis filius, Athenienſis ſophiſta, Heracleonis diſcipulus, floruit Marciani & Leonis imperatorum temporibus: atque inter alia reliquit ἱστορίαν *d* τὴν κατὰ Κόρινθον. Plura de eo apud Suidam vide.

d *Hiſtoriam ſecundùm Corinthum.*

Leontius advocatus, Byzantius, egit de ſectis hæreticorum, & ſynodo Chalcedonenſi. Ejus Act. V perducit ſeriem epiſcoporum Conſtantinopolitanorum uſque ad S. Eulogium: qui fuit tempore Gregorii M. unde, iiſdem Leontium vixiſſe temporibus, colligitur. Cùm autem tum quoque fuerit Leontius Salaminius, de quo dicebamus lib. II cap. XXIII, ſanè idem videri poſſit. Nempe ut patriâ quidem fuerit Byzantius, ac primùm profeſſione advocatus; poſteaque Epiſcopus Cyprius.

Georgius, Alexandrinus Epiſcopus, vitam deſcripſit B. Chryſoſtomi. Ex hac excerpta dedit Photius, cod. XCVI. Integrè autem, ex Palatino, & Bavarico codice, edidit Græcè Henricus Savilius Tom. ult. operum B. Chryſoſtomi. Negat Photius, certò ſe poſſe adfirmare, quis hic Georgius ſit. Sed placet, quod doctiſſimus And. Schottus ibidem adnotavit, illum videri, qui B. Joanni Eleemoſynario ſucceſſit, circa annum IↃCXX. Eadem mens Coccеii in catalogo ſcriptorum. Imò accuratè ſatis id comprobat in notis ſuis Savilius. Jure autem in eo Photius deſiderat, ut linguâ purior foret, & magis ſtudioſus veritatis. Ex eo tamen pleraque ſua de vita Chryſoſtomi hauſere Leo Imperator, anonymus, & Simeon Metaphraſtes: quos tres de vita Chryſoſtomi idem Savilius exhibuit.

## Cap. XIX.

*Ignatius diaconus. Gregorius presbyter de vita Gregorii Nazianzeni. Item de Patribus Concilii Nicæni I. Petrus Siculus. Euſtathius Theſſalonicenſis. Joannes Cinnamus de geſtis Joannis, & Manuelis, Comnenorum. Manuel Chryſoloras. Anonymus ex Ducarum familia, de geſtis Græcorum adverſus Turcas, & captâ Conſtantinopoli. Leonardus Chienſis. Theodorus Gaza. Joannes Argyropylus. Anonymi hiſtoria Politica. Joannis Malaxi hiſtoria Patriarchalis.*

SUperſunt aliquot, qui vixere ſub imperatoribus Conſtantinopolitanis, poſt imperium in Occidente inſtauratum; hoc eſt, poſt annum partæ ſalutis octingenteſimum.

Ignatius diaconus, & cuſtos vaſorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Metropolitanus Nicææ, floruit tempore Irenes, & Nicephori Logothetæ: atque ad poſteritatis memoriam conſignavit vitas patriarcharum, Taraſii, & Nicephori; ut Suidas teſtatur; qui & alia ejus laudat. Eſt autem is Taraſius, qui præfuit concilio Nicæno ſecundo: Nicephorus verò, qui ei in patriarchatu ſucceſſit. Vide Cedrenum. Taraſii vitam ab Ignatio ſcriptam Latinè habes apud Surium Tom. I ad XXV Febr. Sed ibi Ignatius monachus vocatur, qui Suidæ eſt διάκονος a, καὶ σκευοφύλαξ.

a *Diaconus, & vaſorum cuſtos.*

Petrus Siculus fuit tempore Baſilii Imp. & filiorum ejus, Conſtantini, ac Leonis: nempe circa annum IↃCCCLXX. Ab imperatoribus, quos dixi, legatus fuit Tibricam, civitatem Armeniæ, ut de captivorum permutatione ageret: ac negotium hoc, cùm novem Tibricæ menſes egiſſet, feliciter confecit; ut ipſe narrat. Exſtat ejus hiſtoria de Manichæorum ortu, progreſſu, & occaſu: quæ, ex Bavaricæ bibliothecæ codice Mſo, egregio Matthæi Raderi beneficio, prodiit. Eſtque idem ſcriptor, quem Lucam Siculum vocat Baronius in annalibus Tom. IX, ad annum IↃCCXII § I, & IↃCCCX § IV. Quod non ſatis attendit Poſſevinus in Apparatu ſacro. At Petrum Siculum nominat Tom. VIII ad an. IↃCLIII § XIV: ubi ait, Latinè eum redditum eſſe à Jacobo Sirmundo Pariſienſi, Soc. Jeſu Theologo.

Circa annum IↃCCCCXL, temporibus nempe Conſtantini Porphyrogenneti, Romani junioris, & Nicephori Phocæ, quibus in Occidente imperium tenuit Otto Magnus, vixit Gregorius presbyter: qui literis prodidit vitam Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi. Græcè operibus Nazianzeni præmittitur. Primus, ſed barbarè, vertit Anaſtaſius quiſpiam. Latinè verò, & eleganter, expreſſit Jacobus Billius. Utile verò ſit, cum hac conferre vitam Nazianzeni, quam ipſe ſcripſit Theologus jambicis ſenariis. Planè autem cenſeo, Gregorium presbyterum, de quo dixi, eſſe Gregorium presbyterum Cæſarienſem in Cappadocia, cujus exſtat oratio de CCC XVIII Patribus Synodi Nicænæ, ac Conſtantino Imper. Habes apud Simeonem Metaphraſtem, & exinde apud Surium ad X Jul.

Circa annum ∞XX vixit ille, qui in literas retulit vitam præceptoris ſui, ſanctiſſimi Patris Nili. Eam ex codice monaſterii Cruptæ Ferratæ eruit, Latineque vertit, Fredericus Metius, Epiſcopus Thermulatum. Ac pleraque ſe inde hauſiſſe in Annalibus ſuis profitetur Baronius ad ann. IↃCCCCLXXVI.

Euſtathius, Theſſalonicenſis epiſcopus, cujus in Homerum, & in περιήγησιν Dionyſii, commentarium habemus, auctor quoque creditur ſex librorum de Iſmeniæ, & Iſmenes amoribus. Vixit Manuelis Comneni temporibus, circa annum IↃCCL; item ſub Alexio Comneno, & improbo illo Andronico; ut conſtat ex Niceta Choniate: cui Euſtathius hic vocatur, nunc ὁ πολὺς καὶ μέγας b ἐν λόγοις, nunc autem ἀρετῇ c διαβεβοημένος ἁπανταχῇ, ac à prudentia item ſingulari, & doctrinâ multijugâ, celebratur. Sed quod Euſtathium amorum horuncce auctorem eſſe aiunt, id planè incertum; quando in libris nonnullis Eumathius vocatur. Cujus rei mirum non meminiſſe doctiſſimum Gaulminum; qui primus eum edidit ſcriptorem. Eumathius is in codice Mediolanenſi Macrembolita Protonobeliſſarius nuncupatur. Neque, ſi opus hoc Eumathii ſit ut arbitror, (ſanè minùs hoc conveniens epiſcopo argumentum) eo nullus fuerit hic locus Theſſalonicenſi Euſtathio, cùm ejus ſit commentarius in Dionyſii περιήγησιν, in quo terrarum explicat hiſtoriam. Spiſſus verò eſt error ille Marquardi Freheri, quando, in Chronologiâ Juri Orientali præmiſsâ, ait, Euſtathium hunc vixiſſe anno CIↃ XVII, atque ex Archipresbytero magnæ Eccleſiæ factum eſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum ordine LXXIV.

b *Eloquentiſſimus.*
c *Virtute celeberrimus ubique.*

Anno Chriſti CIↃCLXXX claruit Joannes Cinnamus, Regius, ut ſe ipſe vocat, Grammaticus. Is literis eſt perſecutus res geſtas Joannis Comneni, imperatoris Conſtantinopolitani, filiique ejus Manuelis Comneni; qui patri ſucceſſit an. CIↃCXLII, atque annis imperavit XXXIX. Sed geſta patris Joannis brevi compendio conſtrinxit; ut ipſe in præfatione agnoſcit: vitam autem filii Manuelis fuſiùs, quàm alius, deſcripſit: nec, ut ipſe prædicat, meliùs quiſquam nôſſe eam poterat; ut cujus rebus geſtis ipſe interfuerit. Sed omnino modum exceſſit in ſuo laudando principe; quem etiam, ubi vincitur, ut victorem, nobis deſcribit. Sed illud quàm vanum, quòd eum ſolum inducit pugnantem adverſus totum Sarracenorum exercitum! Dictio ejus purior eſt, terſiorque, quàm aliorum eſſe Græculorum ſolet. Imò Xenophontis ipſius, quem in præfatione laudat, æmulus eſt. Pars major ejus operis exſtat in bibliotheca Vaticana, &, quia lucem meretur, exſcripſit inde Iſaacus, filius meus; atque ubi occaſio feret, juris faciet publici. Niſi fortaſſe (nec intercedo) hanc ejus operam prævertat alius. Ut fore omnino non levem inde capio conjecturam, quòd Cinnami tralationem promittat clariſſimus, deque tot Græciæ ſcriptoribus præclarè meritus, Leo Allatius. Sic enim ſcribit diſſertatione de Pſellis a: *In Joanne Cinnamo vertendo illuſtrandoque diu me exerceo; ſperoque, laborem hunc meum, propter pulcherrimam hiſtoriam, ad hunc diem cum vetuſtate luctantem, meis vigiliis, & amicorum operâ, è ſcopulo in tranquillum illatam, hiſtoricæ veritatis ſtudioſis non ingratum futurum.* Subdit deinde quædam ex ejus Hiſtoriæ Romanæ libro IV de rebus geſtis Manuelis Comneni: ubi de Richardo, Antri Domino, loquitur. Imò intelligo, præter Allatium, etiam Pariſienſes ſub manibus habere Cinnamum cum tralatione, & notis Petri Poſſini. Nempe palma in medio propoſita eſt omnibus. Ad Allatium redeo; qui, præfatione Græcorum Rhetorum ad Sophiſtarum excerpta, primò à ſe edita b, luculentum inde fragmentum promit ad controverſiam pertinens, utrùm, ſi dicatur, Chriſtum non modò Deo Patri ſe obtuliſſe victimam, ſed etiam ſibi ipſi, quatenus ὁ Λόγος c eſſet Deus, inde conſequatur, duas in Chriſto eſſe perſonas; uti è Neſtorii dictis rectè colligebant Catholici, Neſtorio interim contendente, ſeſe duas quidem naturas agnoſcere in Chriſto, ſed unam perſonam: quemadmodum ex Actis Concilii Epheſini cognoſcere eſt, modò quis legerit ea animis, oculiſque minimè conturbatis. Cinnami codex exſtat Mſus in bibliothecâ Vaticanâ, num. CCC XIX. Inſcriptio Græca eſt ejuſmodi: Ἐπιτομὴ τῶν κατορθωμάτων τῷ μακαρίτῃ βασιλεῖ, καὶ Πορφυρογεννήτῳ κυρίῳ, κυρίῳ Ἰωάννῃ τῷ Κομνηνῷ, καὶ ἀφήγησις τῶν πραχθέντων τῷ ἀοιδίμῳ υἱῷ αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ, καὶ Πορφυρογεννήτῳ κυρίῳ Μανουὴλ τῷ Κομνηνῷ, ποιηθεῖσα Ἰωάννῃ βασιλικῷ Γραμματικῷ Σινάμῳ. *Compendium rerum præclarè geſtarum à beatæ memoriæ imperatore, inque purpura nato, domino Joanne Comneno: nec non enarratio eorum, quæ egit venerabilis ejus filius, inque purpura natus, Dominus Manuel Comnenus; conſignatum à Joanne, regio Grammatico Sinnamo.* Ubi videmus *Sinnamum* vocari, literâ ſibilante. Sed malo iis adſentire, qui per C ſcribunt; præſertim quando id nominis etiam à Martiale, & aliis, ſic videas exaratum.

a *Pag. 14.*
b *Romæ an. 1641.*
c *Verbum.*

Nec

Nec movet codex Vaticanus, quia à recenti ſit manu. Nam qui eum eſcripſit, vivebat obſeſsâ à Turcis Conſtantinopoli; ut ipſe ad calcem operis annotavit. Facilè autem adſentio doctiſſimo Philippo.

Anno clↄ cccc xl, ac deinceps, floruit Manuel Chryſoloras, Franciſci Philelphi ſocer. Tam eum laudat, quàm Philelphum vituperat Poggius, primâ in Philelphum Invectivâ. Inſtituit Chryſoloras comparationem Veteris, & Novæ Romæ. Quam in Bibliothecis exſtare, aiunt Geſnerus Tom. 1 Bibliothecæ, & Robertus Conſtantinus in Nomenclatore. Etiam epiſtolæ ejus ſuperſunt Florentiæ in bibliotheca Medicea. Tum comparationem, quam dixi, tum duas ejuſdem argumenti epiſtolas, in corpore Byzantinæ Hiſtoriæ Georgio Codino ſubtexet egregius adoleſcens, Petrus Lambecius.

Quando Conſtantinopolis à Mahomete II. Turcarum rege capta eſt, eaque illis imperii eſſe ſedes cœpta fuit, (quod erat anno Chr. clↄ cccc liii, Hegiræ autem Iↄ ccc lvii) vivebat anonymus ille ex inclyta Ducarum familia, qui de geſtis Turcarum adverſus Græcos, & ſubacta Conſtantinopoli, commentarium reliquit. Græcè eum, ex bibliotheca regis Chriſtianiſſimi, unà cum tralatione ſua, editurus eſt V. Cl. Iſmaël Bullialdus, in corpore hiſtoriæ Byzantinæ; quod avidè deſiderat omnis Reſp. literaria.

Etiam Leonardus Chienſis, archiepiſcopus Mytilenus, de capta Conſtantinopoli epiſtolam ad Nicolaum V, Pontificem Romanum, Chii exaravit xv Aug. an. clↄ cccc liii.

Mox à calamitate ea Conſtantinopoleos claruit vir ſeculi ſui doctiſſimus, Theodorus Gaza, Theſſalonices: ut vel inde conſtat, quòd Hiſtoriam Animalium, Latinè à ſe redditam, Xiſto iv dedicavit. Sub quo ipſo obiit anno clↄ cccc lxxviii. Scripſit de menſibus, quem Latinè reddidit Jo. Perellus. Etiam de Turcarum origine extat apud Leonem Allatium.

Quo tempore ſubacta eſt Conſtantinopolis, & poſtea imprimis, floruit quoque Ioannes Argyropylus Conſtantinopolitanus. Qui, præterquam quòd Ariſtotelis quædam Latinè tranſtulerit, etiam monodiam ſcripſit, & conſolationem ad Imp. Conſtantinopolitanum, & librum de regno: item (quo nomine hìc refertur) comparationem inter principes antiquos, & novi imperii. Superſunt ea in bibliotheca Chriſtianiſſimi regis.

Quòd ſi ulteriùs etiam provehi animus ſit, locum quoque habeat hic Anonymi hiſtoria Politica; quæ exſtat initio Martini Cruſii Turcogræciæ. Orditur ea à Manuele Palæologo ii, ſive anno clↄ ccc xci: deſinit verò in anno clↄ Iↄ lxxviii. Ut centum & vigintiquinque annis progrediatur ultra in poteſtatem Turcorum redactam Conſtantinopolim. Idem Cruſius Latinè vertit, & annotationibus illuſtravit.

Anno clↄ Iↄ lxxviii Joannes Malaxus Conſtantinopoli vivebat. Hic Patriarchalem Κωνσταντινουπόλεως ſcripſit hiſtoriam: quam in corpore Byzantinæ hiſtoriæ Typis Regiis exhibebit Philippus Labbæus, Societatis Jeſu Theologus. Quàm miſere vixerit, arguunt iſta Conſtantinopoli à Gerlachio eopſe anno exarata ad Martinum Cruſium: *Eſt is* (Malaxus) *admodum ſenex: pueros, & adoleſcentulos Græcos, ſub Patriarcheio, in parvula, & miſera caſa docet; piſces ſiccatos in ea ſuſpenſos habet; quibus veſcitur, ipſe coquens; libros precio deſcribit; vino, quicquid lucratur, inſumit; pinguis, & robuſtus eſt.* At triennio poſt eidem Cruſio perſcripſit Gerlachius, Malaxum jam defunctum eſſe.

Anno clↄ Iↄ lxxxi Theodoſius Zygomala Protonotarius epiſtolam ſcripſit ad Martinum Cruſium, Tubingenſis Academiæ Profeſſorem, de Conſtantinopoleos obſidionibus, & ejus expugnatione, ac hodiernæ Græciæ rebus. Habes in ejuſdem Cruſii Turcogræcia: qui & annotationes adjunxit. Meminit etiam Duza præfatione ad Georgii Acropolitæ Chronicon.

# LIBRI QUARTI
## PARS ALTERA.

### Cap. XX.

*Acceditur ad alios antea indictos: ac primùm quidem memorantur, qui vixere, vel ſtante veteris Romæ imperio: vel deſito, at necdum inſtaurato à Karolo Magno. Ad priora tempora hi pertinent. Hippolytus martyr de canone temporum, & circulo Paſchali. Nicoſtratus ſophiſta de geſtis Philippi Cæſaris, Decii, Galli, & Valeriani, uſque ad eum Imp. à Perſis captum. Thalaſſius Arrianus de ſui temporis geſtis. Libanius ſophiſta, inter alia, narrationum fabuloſarum ſcriptor. Sabinus Macedonianus de variorum Conciliorum Actis. Theodorus Mopſveſtenus de Magis Perſarum. Paulus Silentiarius de ſitu, & commenſu templi Conſtantinopolitani. Joannes Rhetor de geſtis Juſtini junioris, Tiberii Anicii, & Mauricii.*

Sperabam hîc ſaltem abrumpere mihi licere hiſtoriam Græcorum hiſtoricorum, ætatem quorum ſcirem. Ea, ut video, opinio me fefellit. Multi adeò, dum prælum ſuperioribus ferveret, ſeſe obtulere, partim vetera meditanti, partim nunc hoſce, nunc illos verſanti ſcriptores, prout otium permitteret. Quare ſi grave non duxi, eos memoriæ meæ cauſsâ annotare; confido nec moleſtum fore aliis, inſpicere hanc etiam partem; quæ & ipſa conſummatiorem reddet laborem ſolius publici boni amore à me ſuſceptum. Antiquiora tamen tempora, quia non incurioſè ea mihi videor perſecutus, nunc miſſa faciam: initiumque futurum à temporibus Severi Alexandri, Mammeæ filii: idque vel propter Hippolytum, celebratiſſimum martyrem, Origenis ἐργοδιώκτην; qui quàm multa & ipſe ſcripſerit, cognoſcere eſt ex Hieronymo in catal. cap. LXI; quæ & Honorius exſcripſit. Inter alia erant temporum canones, ac
a Sedecennalis circulus. ἑκκαιδεκαετηρὶς a Paſchalis; periodus nempe annorum ſexdecim; de qua abundè Scaliger lib. II de Emendatione Temporum. Cujus loci Hippolytus fuerit epiſcopus, nec Hieronymus ſcivit; ut ipſe agnoſcit. Sed ex Gelaſio lib. I contra Eutychen cognoſcere eſt, fuiſſe Arabum metropolitanum.
b Tom. 2. bibliothecæ SS. PP. edit. 2. Germanus Conſtantinopolitanus b mentionem facit Hippolyti de Roma: Nicephorus item Hippolyti Portuenſis meminit, qui illi Πόρτου c τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπίσκοπος.
c Portûs veteris Romæ epiſcopus. Eſt is diverſus ab epiſcopo martyre. Niſi fortè, qui priùs fuit Arabum metropolitanus, in Italiam ſit profectus, atque ita factus eſt epiſcopus Portuenſis: quod non puto veriſimile. Valde autem ratio fugit Centuriatores Magdeburgenſes, cùm Hippolytum Portuenſem vocant Oſtienſem. Nam qui Latii ſitum novit, ſcit, diverſa eſſe oppida *Oſtiam*, & *Portum Urbis*, qui & *Auguſti* dicitur. At ſine dubio planè eſt diverſus Hippolytus Thebanus; de quo ſuo loco agam.

Sub Claudio, & Aureliano, vixiſſe videtur Nicoſtratus Sophiſta ex Trapezunte. Is res geſtas Philippi Arabis, qui Gordiano in imperio ſucceſſit, literis mandavit: Decii quoque, Galli, & Valeriani, filiique Gallieni, res fuit perſecutus, uſque ad Odenatum Palmyrenum, Zenobiæ maritum, & expeditionem Valeriani Imp. adverſus Saporem, Perſarum regem, à quo Valerianus captus fuit, anno Chr. CCLIX. Vide de eo Euagrium lib. V Hiſtoriæ Eccleſ. cap. ult.

Conſtantii imperatoris, ac Juliani Apoſtatæ temporibus claruit Thalaſſius, ille quem Comitem fuiſſe ait Athanaſius epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes: præfectum prætorio vocat Ammianus lib. XIV; ubi & addit, ingenii fuiſſe arrogantis. Ac lib. XXII ait, inſidias ſtruxiſſe Gallo, fratri Juliani. Apud Conſtantium Imp. valuiſſe auctoritate, & gratiâ, narrat Zoſimus lib. II. Nec mirum, cùm, uti Imperator, ita & Thalaſſius, fuerit Arrianus. Itaque & ab eo ad fratrem Conſtantem fuit Petobionem miſſus: ut liquet ex Athanaſii Apologia ad Conſtantium. Imò & auctoritate hujus imperatoris interfuit Sirmienſi Synodo, & diſputationi Baſilii cum Photino; ut eſt apud Epiphanium hæreſ. LXXI. Atque eo argumento Henricus Valleſius a a Notis in Ammian. lib. 14. pag. 7.
rectè refellit ſententiam Cæſaris Baronii, ſynodum eam rejicientis in an. CCCLVII. Quo tempore jam exceſſerat Conſtantius Imp. Thalaſſium hunc aliqua exaraſſe de ſui temporis rebus, liquet ex Suida in Θεόφιλος: ubi inde narrat quiddam de Theophilo illo, qui ſub Conſtantino ab Abiadenis, Indiæ populo, obſes fuerat miſſus in ditionem Romanam; ubi Chriſtianam didicit religionem, ſed Arrianâ religione infectam. Fuſiùs de iſto Nicephorus lib. IX cap. XVIII, & XIX; ac Baronius ad an. CCCLIV, num. XI, XII, XIII, XIV, XV. Diverſus verò ab hoc eſt Thalaſſius monachus, cujus ad Paulum presbyterum quatuor hecatontades de ſincera charitate, ac verâ continentiâ; nec non de regimine mentis, leguntur in bibliotheca Patrum Tom. V edit. II b. Eum in Africa vixiſſe b P. 539.
anno IↃCL, ait Jodocus Coccius in Indice Auctorum, quem præmiſit theſauro ſuo Catholico. Mſus Græcè extat in bibliotheca Vaticana. Inſcriptio vocat Africanum abbatem: proque *regimine mentis* Græcè eſt τὸ κατὰ νοῦν πολιτείας.

Sub eodem Juliano, qui Apoſtatæ cognomento notior eſt, apud imperatorem, & gentes, in pretio fuit Libanius Sophiſta; qui aliquem ſibi locum depoſcere hîc videbatur propter undequadraginta hiſtorias fabuloſas de gentium Diis. Eas, nec non ἐκφράσεις, ſive deſcriptiones VII, è bibliotheca Vaticana publici juris fecit c, Latinam c Romæ an. 1641.
etiam tralationem addidit, Leo Allatius in Excerptis Græcorum Sophiſtarum. De hoc Libanio agit Julianus Imp. in epiſtolis. Adhæc Eunapius, Photius, Suidas, alii. Vide quæ attulit Fredericus Morellus Tomo Libanii primo, & Leo Allatius præfatione in Excerpta, quæ dixi.

Extremis Theodoſii Magni temporibus vixiſſe puto Sabinum Macedonianum, Heracleæ in Thracia epiſcopum. Is variorum Conciliorum Acta collegit atque edidit; ut refert Socrates Scholaſticus lib. I Hiſtoriæ Eccleſ. cap. V. Sanè, qui Macedonii hæreſin eſt ſecutus, is non videtur eſſe antiquior concilio Conſtantinopolitano Oecumenico; quod an. Chr. CCCLXXXI Macedonii hæreſin damnavit, imperante Theodoſio Magno. Nec, cujus hiſtoria reprehenditur à Socrate, junior fuerit Socrate; qui ſub liberis Theodoſii ejuſce effulſit. Nihil verò mirum, ſi, qui Macedonium ſequeretur, concilium Nicenum improbârit, tanquam à fide devium; ut pluribus ibidem Socrates narrat.

Sub Arcadio magni pendebatur Theodorus Mopſveſtenus epiſcopus, Neſtorii magiſter; ut eſt apud Euagrium lib. I cap. II. ac ob dogma idem longè poſt mortem damnatus fuit ab Synodo Oecumenica quincta. ut conſtat ex Act. IV, & ſeqq. item Gregorio Magno lib. VI epiſt. LXXI. & Liberati diaconi breviario cap. IV. Hic de Magia Perſarum reliquit libros tres; ut conſtat è Photii bibliotheca cap. LXXXI.

Atque hi fuere, dum vetus ſtaret imperium Romanum. Nunc unum alterum dabo, qui, illo deſito, vixerit; ante tamen illud inſtauratum in Karolo Magno.

Sub Juſtiniano Magno in pretio erat Paulus Cyrus Flori Silentiarius, ita dictus, quòd Regiorum Silentiariorum foret primicerius. Vir fuit genere illuſtris, & opibus relictis à parentibus clarus: ſed clarior doctrinâ, & eloquentiâ: ſicut de eo teſtatur Agathias lib. v. Addit, multum laudis retuliſſe poëmatis ſuis. In his fuit carmen, quo templi Conſtantinopolitani ſitum, & συμμετρίαν *a* affabrè deſcripſit. Meminit quoque Suidas in Agathia; deque illo etiam dicimus in Poëtis Græcis.

*a Partium inter ſe competentia.*

Sub Tiberio, Anicio, & Mauricio, imperatoribus non exiguæ exiſtimationis, fuit Joannes ille, quem Euagrius lib. v. cap. ult. civem, ac cognatum ſuum, appellat. Unde, cùm Euagrius fuerit Antiochenſis, hunc quoque Antiochenſem fuiſſe, per eſt veriſimile. Ibidem ait, eum digeſta à ſe tempora expoſuiſſe ab Juſtiniano Magno, in quo deſierat Procopius, uſque ad Choſroën juniorem, à Mauricio imperatore regno reſtitutum: quod fuit anno Chr. IↃXCI. Ex hujus hiſtoria etiam ſunt, quæ Euagrius lib. III. cap. X, & XXVIII, ſe hauſiſſe profitetur ab Joanne Rhetore. Ita enim utrobique vocat. Scio, *Rhetoris* appellationem uno duntaxat loco exprimi. Sed altero ſubdit Agathiæ, quem *Rhetorem* nuncupat; ut Ἀσιανοῦ in Joanne idem vocabulum voluerit intelligi.

## Cap. XXI.

*De hiſtoricis Græcis, qui claruere, tranſlato Occidentis imperio ad Karolum Magnum. Ut ſunt iſti. Joannes Siculus. Leontius Byzantius, vel alius, qui vitam ſcripſit Leonis Armenii, ac quatuor ſequentium imperatorum. Sethus Magiſter. Michaël Attaliates. Nicephorus Baſilacius. Prætor Græciæ, hiſtoriæ LX annorum ſcriptor. Leo Grammaticus, qui idem videtur ac ille, qui nonnullis Aſianus.*

DEinceps ad eos me conferam ſcriptores, qui, poſt imperium in Occidente inſtauratum, memoriam nobis temporum reliquerunt. In iis eſt Joannes Siculus: qui Chronicon condidit, uſque ad tempus, quo Michaëli, Theophili filio, ſucceſſit Baſilius Macedo. Id erat anno Chriſti IↃCCCLXVI. Ex Poſſevini in Sacrum Apparatum appendice, nec non Sylburgii in Saracenica *a* præfatione, videre eſt, olim fuiſſe in bibliothecâ Electorali Palatinâ: ut dubium minimè videatur, quin Romæ nunc ſit in Vaticana. In fine additum, Ἕως ὧδε τὰ Χρονικὰ Γεωργίου τοῦ Λογοθέτου. Qui neceſſe eſt diverſus ſit ab Joanne Logotheta Acropolite. Nam is demum cœpit Chronicon ſuum ab anno cIↃCCIII: uti dictum lib. II. cap. XXVIII. Videndum, idemne an alius fuerit hic Joannes Siculus, & Σικελιώτης διδάσκαλος, Scylitzæ, & Cedreno, in prologis memoratus. Id alibi ſe explicaturum promittit clariſſimus Labbæus, in delineatione apparatûs ad corpus hiſtoriæ Byzantinæ *c*.

*a Edita an. 1595.*
*b Uſque ad Chronica Georgii Logothetæ.*
*c Pag. 44.*

Sub Conſtantino Porphyrogenneta, Leonis filio, Theophanem continuabat anonymus; quem aliqui Leontium Byzantium nuncupant. Hic vitas ſcripſit Leonis Armenii, Michaëlis ex Amorio, ſive Balbi, & hujus filii Theophili, & ex Theophilo, ac Theodora nati Michaëlis, qui cum matre imperavit, & Leonis Sapientis, cui Conſtantinus Porphyrogennetus ſucceſſit. Hic ex bibliotheca eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini Pariſiis prodibit typis Regiis in corpore Byzantinæ hiſtoriæ; quod jam excudi cœptum. Diverſus eſt à Leone Byzantio, auctore operis de ſectis hæreticorum: de quo dixi libri hujus IV. capite XVIII.

Sethus Magiſter vulgari Græcorum linguâ elucubravit Hiſtoriam Chronicam; quæ à creatione mundi perducitur uſque ad imperium Conſtantini Ducæ: ut non quidem certum ſit, at veriſimile tamen, Conſtantino huic parem, vel ſupparem fuiſſe. Is verò imperare cœpit anno CCLVIII.

Anno Chriſti cIↃLXXI imperium accepit Michaël VII Ducas Parapinaceus; ad quem Michaël Attaliates miſit Pragmaticam ſuam; quæ eſt Tom. II. Juris Græco-Romani, Ioannis Leunclavii curâ editi. Hic memoratur, quia ſcripſerit Chronicon à Michaële Balbo uſque ad hunc ipſum Michaëlem Ducam. Eſt ea Scodriaci in Bibliotheca Regis Hiſpaniarum: ut Poſſevinus refert in Appendice Sacri Apparatus *a*. Sed ſicut alia multa ibi legas corruptè, librarii, ut credo, vitio; ita illud quoque, quòd Michaël *Calieta* ſcribitur pro *Attaliata*.

*a P. 102. edit. Colon. an. 1608.*

Sub Alexio Comneno, qui patri Manueli ſucceſſit anno cIↃCLXXXI, claruit Nicephorus ὁ Βασιλάκης, ſive Βασιλάκιος, Rhetorices Conſtantinopoli profeſſor. De quo Nicetas Choniates lib. VII. geſtorum Manuelis Comneni, & Ioannes Cinnamus lib. IV. Hiſtoriæ Romanæ, & ex hiſce Leo Allatius in præfatione, quam præmiſit excerptis Heracliti, Libanii, hujuſce Nicephori, & aliorum; quos primus Græcè edidit *b*, Latineque vertit. Ac Baſilacæ quidem ſunt iſta; μῦθοι, διηγήματα, & ἠθοποιΐαι *c*.

*b Romæ an. 1641.*
*c Fabulæ, narrationes, & ethopœia.*

Anno cIↃCCLXX, temporibus Michaëlis Palæologi, claruit Prætor Græciæ, qui hiſtoriam condidit annorum quaſi LX; exorſus ab eo tempore, quo Balduinus Flander Conſtantinopolim cœpit; quod fuit anno Chriſti cIↃCCV; ac deſinentem in eâdem à Michaële Palæologo, Venetorum, & Genuenſium ope, receptâ; quod evênit anno cIↃCCLXI. Hunc ſe Mſtum habere refert Ioannes Leunclavius in Pandecte Hiſtoriæ Turcicæ. Clariſſimus Philippus Labbæus *d* ſuſpicatur, hunc Græciæ Prætorem eſſe eundem ac Georgium Acropolitam: quod inde conjectat, primùm quia Ephræmus in Chronico ſuo metrico Acropolitam hunc appellet σοφὸν τε τιμηθέντα τῇ Πραίτορος ἀξίᾳ *e*. Deinde quia congruant tempora, cùm uterque à Theodoro Laſcare ſit exorſus, idemque argumentum tractarint. Sed omnia erunt liquidiora, ubi Acropolitam publicaverit Leo Allatius.

*d In Delineatione ad Apparatum Hiſtoriæ Byzantinæ pag. 40.*
*e Atque Prætoriâ dignitate decoratum.*

Extremis Andronici ſenioris temporibus fuerit Leo Grammaticus; qui hiſtoriam Theophanis Confeſſoris, deſinentem in Nicephoro Logotheta, additis ſeptem ſequentium Imperatorum vitis, continuavit uſque ad tempora Conſtantini Porphyrogennetæ. De ætate argumento eſt Mſtus codex in Chriſtianiſſimi Regis bibliothecâ: in cujus calce adſcriptum eſt, opus id eſſe abſolutum mundi ἔτει ϛʹ ϡκαʹ, hoc eſt, anno Chriſti cIↃCCCXXI. Græcis enim natalis Chriſti incidit in annum mundi milleſimum, centeſimum, & nonageſimum nonum: cui numero ſi addas cIↃCCCXXI, conficet is annus Chriſti, quem dicebamus. Niſi placeat, hæc non eſſe ſcripta ab auctore, ſed adſcripta à librario. Summæ doctrinæ vir Philippus Labbæus *f*, etſi non auderet certò quid ſpondere, eò tamen inclinabat, Leonem hunc Grammaticum haut alium eſſe ab illo, qui Ioanni Curopalatæ nuncupatur *Leo Aſianus*; quomodo Georgio Cedreno *Leo ὁ Caria* vocatur; ſicut dictum eſt nobis lib. III.

*f In Apparatu ad corpus Byzantinæ Hiſtoriæ, pag. 45.*

# LIBRI QUARTI

## PARS TERTIA.

EXpoſitis illis, quorum nota ſunt tempora, perſequar eos, quorum vel incognita eſt ætas, vel nunc ſaltem non occurrit mihi. Eorum ſylvulam adferam, atque, uti feci libro ſuperiori, ita nec alium hic ordinem, quàm κατὰ στοιχεῖον a, obſervabo.

a *Secundùm literas.*

ACHæi hiſtorici, Ἀχαιοῦ ἱστοριογράφου, meminit Pindari ſcholiaſtes in od. VII Olymp. Videndum, an idem ſit Ἀχαιὸς, quem cum Pherecyde jungit Arati ſcholiaſtes, quo loco de Hyadibus tractat, atque, Achæum quatuor Hyadas ſtatuiſſe, ait. At alius, puto, Ἀρχαῖος, cujus hiſtoricum opus celebrat Nicandri ſcholiaſtes in Theriaca b. Niſi magis placet, alterutro loco eſſe librarii vitio peccatum.

b *Pag 29. edit. Morell.*

Agathus Dæmon Alexandrinus Mechanicus delineavit orbem univerſum ex Ptolomæi Γεωγραφουμένοις: ſicut dixi libro de Mathematicis diſciplinis cap. XLII.

Agias res Argolicas memoriæ mandavit. Athenæus lib. III Ἀγίας δὲ, καὶ Δέρκυλος, ἐν Ἀργολικοῖς.

c *Agias, autem, & Dercylus, in Argolicis.*

Alcimus Siculus Italica conſignavit. Athenæus lib. X: Ἄλκιμος δ' ὁ Σικελιώτης ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ τῶν βιβλίων Ἰταλικῇ, πάσας φησὶν ἐν Ἰταλίᾳ γυναῖκας μὴ πίνειν οἶνον ἀπὸ ταύτης αἰτίας. Meminit quoque lib. XII; uti & Feſtus Pompejus in *Romam*.

d *Alcimus Siculus eo in libro, quem Italicum inſcripſit, hac de cauſſa omnes in Italia mulieres vino abſtinere, ait.*

Alcmæon in Delphorum commentariis, Ἀλκμαίων ἐν τοῖς τῶν Δελφῶν ὑπομνήμασι citatur à Plutarcho in Solone. Alius eſt ab Alcmæone Crotoniata, qui primus Phyſica ſcripſit; ut diſcimus ex Clemente Alexandr. lib. I. Στρωματέων.

Alexander Trallianus libros quinque compoſuit de rebus Turcarum; ut apud Geſnerum lego. Alius omnino eſt ab nobili illo medico, cùm is vixerit non multo poſt tempora Juliani Cæſaris: quo tempore Turcorum nomen propemodum ignotum erat. Quare hunc cenſeo vixiſſe paucis abhinc ſeculis.

Alexandrides Delphicus teſtis adducitur à Plutarcho in Lyſandro. Apud Scholiaſtem Ariſtophanis in Plutum e ἁπλῶς vocatur Ἀλεξανδρίδης. Reſtituendum id nomen Euripidis ſcholiaſtæ in Alceſtidis initium, ubi citatur Ἀναξανδρίδης ὁ Δελφὸς, atque ex eo refertur, ut Apollo mercede ſervierit Admeto, eo quòd Pythonem ſerpentem interemiſſet. Niſi & apud Plutarchum malis Ἀναξανδρίδης.

e *Pag. 45. edit. Baſil.*

Amorrio Hiſtoriam Eccleſiaſticam condidit: ut conſtat ex catalogo manuſcriptorum in Regia bibliotheca, quæ eſt Scodriaci; ſicut apud Ant. Poſſevinum legas in Appendice Apparatus Sacri *f*.

f *P. 131.*

Ammonius, ἐν τῷ γ περὶ βωμῶν, καὶ θυσιῶν, citatur ab Harpocratione in Ἀμαζόνιον. Uti & voce Ἐσχάρα. Ἐν h πρώτῳ περὶ θυσιῶν ab Ammonio lib. de differ. voc. in Βωμός. Ubi & Λαμπτρεὺς i fuiſſe dicitur: ut Geſnerus falsò Alexandrinum vocet. Eidem Harpocrationi, in Θόλος, citatur Ammonius ἐν k τετάρτῳ περὶ κωμῶν. Quæ lectio ſi ſana eſt, egerit de κώμαις, ſive vicis illis, in quos Athenarum urbs erat diſtributa; uti regio ipſa in δήμους, ſive populos. Sed veriſimilius eſt, pro κωμῶν, etiam hìc βωμῶν l legi oportere.

g *Libro de aris, & ſacris.*
h *Lib. I. de ſacris.*
i *Lamprienſis.*
k *In quarto de vicis.*
l *De aris.*

Amyntas fecit volumen, quod Σταθμοὺς, ſive *Manſiones* inſcripſit, multaſque ei hiſtorias inſeruit. Meminit Athenæus lib. X, & XII; ubi ex tertio ejus operis quædam adfert de Sardanapali ſepulchro, & elogio ejus ſaxeis in pilis literis inſculpto Chaldaicis, à Chœrilo autem verſo. Æliano quoque, lib. XVII de animalibus cap. XVII, memoratur Ἀμύντας a ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις αὐτοῦ Σταθμοῖς. ac deinde mira quædam ex eo referuntur de muribus Caſpiis, & avibus eas votantibus.

a *Amyntas in iis, quæ ipſe inſcripſit Manſiones.*

Anaxilides de philoſophis tractavit. Laërtius in Platone: Ἀναξιλίδης b ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ φιλοσόφων. Narrat deinde ex eo, ut Perictiona, Ariſtonis conjux, ex Apolline Platonem concepiſſe credita ſit.

b *Anaxilides libro ſecundo de philoſophis.*

Anaxis Bœotus hiſtoriam ſuam perduxit uſque ad Olympiad. CIV, ac imperium Philippi Amyntæ filii. Diodorus Siculus extremo lib. XV: Τῶν δὲ c συγγραφέων Διονυσόδωρος καὶ Ἄναξις οἱ Βοιωτοὶ τὴν τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατεστρόφασι τὰς συντάξεις.

c *Ad hunc uſque annum ex hiſtoricis Dionyſodorus, & Anaxis, Bœoti, rerum Græcarum narrationem ſuam perfecerunt.*

Andreas Panormitanus edidit, quæ in quibuſque Siciliæ oppidis memorabilia contigiſſent. Athenæus lib. XIV: Ἀνδρέας d ὁ Πανορμίτης ἐν τῷ τριακοστῷ τρίτῳ τῶν Σικελικῶν τῶν κατὰ πόλιν. Hiſtoricum etiam fuiſſe opus videtur neſcio cujus Andreæ de origine artis medicæ: ex quo Soranus in Hippocratis vita narrat, natum eſſe Hippocratem, regnante Abriade, menſis Agriani ſexto & vigeſimo die: quo &, ſuâ ætate, Coos Hippocrati parentare, idem Andreas prodidit; quemadmodum ibidem legere eſt.

d *Andreas Panormitanus in trigeſimo tertio rerum in quibuſque oppidis Siciliæ memorabilium.*

Andronicus Alipius memoratur B. Hieronymo, præfatione in prophetam Danielem, his verbis: *Ad intelligendas extremas partes Danielis multiplex Græcorum hiſtoria neceſſaria eſt. Sutorii videlicet, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Poſidonii, Claudii Theonis, & Andronici cognomento Alipii: quos & Porphyrius ſecutum ſe dicit.*

Anianus, monachus Ægyptius, & chronographus, memoratur Georgio Syncello. Jam Clariſſimo Philippo Labbæo obſervatum, diverſum eſſe ab Aniano, qui Chryſoſtomi quaſdam homilias Latinè reddidit. Is ſub Alarico, Viſigothorum in Galliis & Hiſpania rege, vixit, circa annum IↃVI, propè toto ſeculo poſt Romam ab Alarico captam.

Anonymus περὶ ἀπίστων e, exemplo Heracliti, ſed multo poſt eum, ſcripſit. Utrumque cum Libanii Sophiſtæ narrationibus, atque aliis nonnullis, publico bono emiſit V. Cl. Leo Allatius *f*.

e *De incredibilibus.*
f *Romæ an. 1641.*

Anonymus vulgari Græcorum linguâ Chronica condidit, quæ primò fuere illuſtris viri, Michaëlis Cantacuzeni, anno CIↃIↃLXXXVIII juſſu Amurathis III in patria ſua ab Anchialo interemti. Poſtea poſſedit Martinus Cruſius. Atque hic inde anno CIↃIↃLXXXIV edidit Hiſtoriam de nuptiis Theophili, & Theodoræ.

Anonymi ſuperſunt Collectanea Mſa de antiquitatibus Conſtantinopolitanis: quæ juris publici faciet ornatiſſimus juvenis Petrus Lambecius.

Anonymi hiſtoria generalis à mundi exordio uſque ad Nicephorum Botoniatam (qui an. imperabat CIↃLXXVIII, & duobus ſeqq.) exſtat Scodriaci in biblioth. Regis Hiſpaniarum: ut eſt apud Poſſevinum in Appendice Apparatus Sacri *g*. Suſpicor, quia in Botoniate deſinit, vel tum, vel proximo vixiſſe imperatore. Nihil interea certi ſpondeo, qui non viderim.

g *P. 101. edit. Colon. an. 1606.*

Anonymus de geſtis Græcorum adverſus Turcas, & expugnatione Conſtantinopoleos, ſupereſt in Bibliotheca regis Galliarum. Vertit eum Iſmaël Bulialdus. Non poteſt hæc conſignaſſe ante annum CIↃCCCLIII, cùm deſcribat captam Conſtantinopolim. Sed quanto poſt vixerit, dicere nequeo.

Anonymus de XII laboribus Herculis, Græcè editus, Latineque tranſlatus, exſtat in Excerptis Græcorum Rhetorum, ac Sophiſtarum, Romæ h editis à Leone

h *An. 1641.*

Alla-

Allatio ; qui cenſet, ſcriptorem eſſe utilem, ac bonum, etſi plurimum debeat Apollodoro de diis gentium. Vide quæ inferiùs dicam de Joanne Pedaſimo Chartophylace.

Anonymus Theophanis hiſtoriam continuavit ; cumque ille deſinat in Nicephoro Logotheta, à quo Irene eſt imperio dejecta anno Chriſti IↃCCCII ; hic Michaëlem Rancabe, Nicephori Logothetæ generum, & ſucceſſorem, addidit, ac porrò ſecutos Imperatores uſque ad Nicephorum Botoniatem ; cui anno CIↃLXXXI ſucceſſit Alexius Comnenus. Eſt hoc intervallum annor. CLXXIX : intra quod, qui fuere, imperatorum vitas compendio conſtrinxit. Ac ſuſpicari propterea liceat, vixiſſe temporibus Alexii ; nec ulteriùs in hiſtoria progreſſum, quia nollet ſcribere res imperatoris ſuperſtitis. Sed enim infirmum eſt id argumentum, cùm multi non pertexant opus, quod cœperant, ſive quòd eos vita antè deſtituat, ſive quoniam aliquid voluntatem cogat mutare, ſive etiam, quia & initio nonniſi partem prodere ſibi propoſuerant. Exſtat anonymus ille in bibliotheca doctiſſimi Philippi Labbæi, Societatis Jeſu Theologi.

Anonymi item Turcicarum rerum hiſtoria vulgari linguâ exarata adſervatur in bibliotheca eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini.

Antenor Cretica eſt literis complexus. Ælianus lib. XVII. de animalibus cap. XXXV : Ἐν *a* λόγοις Κρητικοῖς Ἀντήνωρ λέγει. Narrat deinde ex eo, ut Rhaucienſes urbem ſuam deſeruerint, coacti ab apibus, acerbè pungentibus ; urbemque novam, in prioris memoriam, Rhaucum appellarint. item, ut in Ida, monte Cretæ, pauculæ apum illarum reliquiæ ſint, quæ etiamnum hominibus multum moleſtiæ faceſſant. Antenor iſte cognominabatur Delta. Qua de re ſic Photius Bibliothec. cod. CXC, ex Ptolomæo Hephæſtionis lib. V : Ἀντήνωρ ὁ τὰς Κρητικὰς γράψας ἱστορίας Δέλτα ἐκαλεῖτο, διὰ τὸ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ φιλόπολις· οὕτω γὰρ Κρῆτας τὸ ἀγαθὸν δέλτον καλεῖν φασιν. *Antenor is, qui Cretenſium hiſtoriam ſcripſit, vocabatur Delta ; quia bonus foret, & civitatis amans. Ajunt enim, bonum à Cretenſibus dici* delton.

Antiochus *b* ἐν δευτέρῳ τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν citatur à Ptolomæo Hephæſtionis lib. V. hiſtor. IX, & ex eo à patriarchâ Photio in biblioth. cod. CXC.

Antiphanes Bergæus multa in libros retulit mendacia, fabulator veriùs, quàm hiſtoricus : unde eum Strabo lib. I. jungit cum Euemero Meſſenio, qui hiſtoriam de diis contexuit. Verba ejus ſunt : Ὁ δὲ *c* Ἐρατοσθένης, Δαμάστῃ χρώμενος μάρτυρι, οὐδὲν διαφέρει τοῦ καλοῦντος μάρτυρα τὸν Βεργαῖον, ἢ τὸν Μεσσήνιον, καὶ οὕτω ἄλλους, ὡς αὐτὸς εἴρηκε, διαβάλλων τὴν φλυαρίαν. Etiam lib. II. ait, Οὐ *d* πολὺ οὖν ἀπολείπεται ταῦτα τῶν Πυθέου, καὶ Εὐημέρου, καὶ Ἀντιφάνους ψευσμάτων. Pytheas iſte fabuloſa multa geographiæ ſuæ inſeruit. Lilius Gyraldus *e* putavit, Antiphanem in comœdiis ſuis multa parùm convenientia finxiſſe. Sed Strabonis loca innuunt, eum Pytheæ, & Euemeri inſtar, in alio opere quopiam, fabellas pro verâ hiſtoriâ venditâſſe. Nec tamen inficias iverim, comœdias etiam feciſſe, quando hoc ſeu verè, ſeu falsò, dicit Stephanus : cujus illuſtria ſunt verba hæc in Βέργη. Βέργη *f* πόλις Θρᾴκης, πρὸς τῇ Χερρονήσῳ. τὸ ἐθνικὸν, Βεργαῖος. Στράβων δὲ κώμην αὐτὴν λέγει, ἐξ ἧς ὁ Βεργαῖος Ἀντιφάνης, ὁ κωμικός. Ἄπιστα δὲ οὗτος συνέγραψεν, ὥς φασιν· ἀφ᾽ οὗ ἡ παροιμία Βεργαΐζειν, ἀντὶ τοῦ μηδὲν ἀληθὲς λέγειν.

Apollonides ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ *g* περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας laudatur anonymo in vita Arati. Alius eſt Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς, Harpocrationi nominatus in Γάν. De quo lib. III dictum.

Apollonius Acharnenſis περὶ τῶν ἑορτῶν *h* egit. Meminit Harpocration in Πέλανος.

Apollonius Aphrodiſienſis, ἀρχιερεὺς *i*, καὶ ἱστορικὸς, ut Suidæ vocatur : qui ſcripſiſſe ait Καρικὰ *k*, Περὶ Τραλλέων, Περὶ Ὀρφέως, καὶ τῶν τελετῶν αὐτοῦ. Caricorum ejus meminit ſæpiùs Stephanus. Librum eorum quartum citat in Βάργασα, ſeptimum in Χρυσαορεὺς, decimumſextum in Ἄσκυρα, decimumoctavum in Χαλκὸν τεῖχος. Etiam Etymologus adducit ſextumdecimum in Ἄρπασος.

*a Antenor in libris rerum Creticarum ait.*
*b Libro ſecundo de fabulis, quæ in quaque civitate feruntur.*
*c Eratoſthenes autem, Damaſte utens teſte, nihil diſtat ab eo, qui teſtem advocat Bergæum, vel Meſſenium Euemerum, atque alios, quos ipſe nominat, eorum traducens futilitatem.*
*d Hæc non multum abſunt à Pytheæ, Euemeri, & Antiphanis mendaciis.*
*e Dialogo ſexto de poëtis.*
*f Berge Thraciæ urbs, juxta Cherroneſum : unde gentile Bergæus. Strabo autem vicum eſſe dicit. Inde fuit Antiphanes Comicus. Multa is parùm credibilia ſcripſit, ut ajunt : à quo proverbium ortum, ut* Bergiſſare *diceretur, qui nihil diceret veri.*
*g Cepheus libro octavo hiſtoriæ emenitæ.*
*h De feſtis.*
*i Summus ſacerdos, & hiſtoricus.*
*k Carica, & de Trallibus, & de Orpheo, ac ſacris ipſius.*

Apollonius Aſcalonites hiſtoricus vocatur à Stephano in Ἀσκάλων : ubi inter illuſtres Aſcalonitas eſſe dicuntur ἱστορικοὶ, *a* Ἀπολλώνιος, καὶ Ἀρτεμίδωρος. Alius eſt Ἀπολλώνιος *b* γεωμέτρης, qui refertur inter τοὺς περὶ τῶν Ἀράτου συντεταγμένους *c*. Item Ἀπολλώνιος *d* ὁ Χαίρωνος, citatus Ariſtophanis ſcholiaſtæ in Veſpas. Alios quoque Apollonios adduximus lib. I. cap. XXII.

Aratus Cnidius condidit hiſtoriam Ægyptiacam. Diverſus eſt, non tantùm ab Arato, poëta Solenſi, cujus Φαινόμενα habemus : ſed etiam ab Arato Sicyonio ; de quo dictum nobis lib. I, cap. XVII. De utroque, & Cnidio, & Sicyonio, ita anonymus in Vita Arati poëtæ : Καὶ ἄλλοι δὲ πολλοὶ γεγόνασιν Ἄρατοι, ἄνδρες ἐλλόγιμοι ἱστοριογράφοι. ὥσπερ ὁ Κνίδιος, οὗ φέρονται Αἰγυπτιακὰ ἱστορικὰ συγγράμματα. καὶ τρίτος Σικυώνιος, οὗ ἐστιν ἡ πολύβιβλος ἱστορία ὑπὲρ τὰ λ´ βιβλία ἔχουσα. *Fuere & alii Arati, hiſtorici diſerti : ut Cnidius ille, cujus exſtant commentarii hiſtoriæ Ægyptiacæ : item tertius, Sicyonius ; cujus eſt hiſtoria illa multorum librorum ; ut qui pluſquam* XXX *numero ſint.*

Arignote recenſetur inter feminas præclaras à Clemente Alexandrino lib. IV Stromat. ac memoriæ prodidiſſe dicitur res geſtas à Dionyſio Tyranno : Ἀριγνώτη, ἡ τὰ περὶ Διονύσιον γραψαμένη.

Ariſtocrates ἐν *e* τετάρτῳ Λακωνικῶν adducitur ab Athenæo lib. III.

Ariſtonicus Tarentinus laudatur Ptolomæo Hephæſtionis in novâ hiſtoriâ : qui ex eo retulit, dimidium caput hydræ, quicum Hercules pugnavit, aureum fuiſſe. Auctor Photius in biblioth. cap. CXC. Meminit quoque Servius in illud Maronis III Æn.

*Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit.*

*Conſtat*, inquit, *ibi olim regem, nomine Campum, fuiſſe, & Epirum Campaniam vocatam : ſicut Alexarchus, hiſtoricus Græcus, & Ariſtonicus, referunt.* Etiam apud Cæſarem Germanicum in Aratea phænomena, & apud Hyginum in poëtico aſtronomico, fabella ex Ariſtonico adfertur de Orione : quæ lectio ſi vera eſt, (eam quidem ſecuti Janus Parrhaſius, & Geſnerus in Onomaſtico) idem fuerit, ac ille Ariſtonicus, Photio, Servioque memoratus. Sed in Aldinâ, quæ anno prodiit CIↃCCCCXCIX, *Ariſtomachus* invenio : eamque lectionem in editione ſuâ etiam ſecutus fuit Morellius.

Ariſtoteles Chalcidenſis de Euboea ſcripſit. Harpocration in Ἄργουρα : Ἔστι δὲ *f* πόλις τῆς Εὐβοίας ἐν τῇ Χαλκιδικῇ κειμένη· ὡς Ἀριστοτέλης ὁ Χαλκιδεὺς ἐν τῷ περὶ Εὐβοίας. Eum ſignat Apollonii ſcholiaſtes in lib. I : Σουίδας γὰρ *g*, καὶ Ἀριστοτέλης, οἱ περὶ Εὐβοίας πεπραγματευμένοι.

Artemidorus Aſcalonita Bithynicam compoſuit hiſtoriam : ut cognoſco ex Stephano in Ἀσκάλων : ubi inter illuſtres Aſcalonitas eſſe dicuntur ἱστορικοὶ *h*, Ἀπολλώνιος, καὶ Ἀρτεμίδωρος, ὁ τὰ περὶ Βιθυνίας γεγραφώς. Fortaſſe idem eſt, ac Artemidorus Ariſtophanius, qui de Doride ſcripſit ; ut dictum lib. I, cap. XX.

Aſclepiadæ, qui hiſtoricum tractarint argumentum, complures fuerunt. Nam, ut de Myrleano, & Tragilenſi, mittam ea, quæ alibi diximus, fuit præterea Aſclepiades, Arei filius, qui commentarium reliquit de Demetrio Phalereo. Athenæus lib. XIII : Ὡς *i* Ἀσκληπιάδης εἴρηκεν ὁ τοῦ Ἀρείου ἐν τῷ περὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως συγγράμματι. Patria ejus neſcitur. Fortaſſe eſt Aſclepiades Nicenus, Stephano memoratus in Νίκαια. Fuit & Aſclepiades Cyprius, quem Porphyrius laudat libro quarto περὶ *k* ἀποχῆς ἐμψύχων. Eſtque is, cujus inibi liber citatur περὶ *l* Κύπρου καὶ Φοινίκης ; ubi & nobile ex eo fragmentum adfertur. Eum Porphyrii locum expreſſit B. Hieronymus lib. II. adverſus Jovinianum : *Euanthes Cyzicenus, & Aſclepiades Cyprius, ætate quâ Pygmalion in Oriente regnabat, ſcribunt, eſum carnium non fuiſſe.* Ubi apud

*a Hiſtorici, Apollonius, & Artemidorus.*
*b Apollonius geometra.*
*c Arati interpretes.*
*d Apollonius Chæronis filius.*
*e In quarto Laconicorum.*
*f Argura eſt urbs Euboeæ Chalcidenſis ; ut Ariſtoteles Chalcidenſis in libro de Euboea refert.*
*g Suidas enim, & Ariſtoteles, qui de Euboea commentati ſunt.*
*h Hiſtorici, Apollonius, & Artemidorus, qui res Bithyniæ prodidit.*
*i Ut Aſclepiades, Arei filius, dixit in commentatione de Demetrio.*
*k De abſtinentia ab animalibus.*
*l De Cypro, & Phœnicia.*

Porphyrium: Προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, ὥς φησι Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς, καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Κύπριος, κατὰ Πυγμαλίωνα, τὸν γένει μὲν Φοίνικα, βασιλεύσαντα δὲ Κυπρίων, τὴν σαρκοφαγίαν παραδεχθῆναι ἐκ τῆς τοιαύτης παρανομίας. Verba deinde Aſclepiadis ſubnectit. Aſclepiadem Anazarbenſem περὶ ποταμῶν, aliaque, ſcripſiſſe, teſtis eſt Stephanus in Ἀνάζαρβα. Aſclepiades Alexandrinus συγγραφὴν κατὰ δῆμον ἀρχόντων conſignavit; ut autor eſt ſcholiaſtes Ariſtophanis in Nubes. Παντοδαπὰ cujus fuerint, incertum eſt. Decimum ejus operis citat Etymologus in Δίκερ. Similiter nec ſatis manifeſtus eſt ſcriptor hiſtoriæ Ægyptiacæ: cujus Athenæus libro III meminit: ut oſtendimus lib. XVIII. Sed quid ſi dicamus, ut Cyprius Aſclepiades de Cypro ſcripſit, ita de Ægyptiacis rebus egiſſe Aſclepiadem Ægyptium? Qualis, præter Alexandrinum, de quo dictum, fuit & alter, patriâ Mendeſius; ſi verum eſt, eum à Suetonio, de quo mox loquar, Mendetem vocari, pro Mendeſio, vel Mendita. Locus eſt libro II, cap. XCIV. ubi ex eo narrat, ut Atia ex Apolline, ſub draconis ſe figura occultante, conceperit Cæſarem Auguſtum. Verba Tranquilli ſunt: *In Aſclepiadis Mendetis* Θεολογουμένων *e libris lego, Atiam, cùm ad ſolemne Apollinis ſacrum mediâ nocte veniſſet, poſitâ in templo lecticâ, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormiſſe: draconem repentè irrepſiſſe ad eam, paulloque poſt egreſſum; illamque expergefactam quaſi à concubitu mariti, purificaſſe ſe, & ſtatim in corpore ejus exſtitiſſe maculam, velut depicti draconis: nec potuiſſe unquam eximi: adeò ut mox publicis balneis perpetuò abſtinuerit.* Meminit Theologumenôn Aſclepiadis Anonymus in Homeri Iliad. Η f. Dubium autem, utrùm Mendetem vocet Aſclepiadem Suetonius pro Mendita: an Mendetis hîc ſit urbis Ægyptiæ nomen: à qua Mendeſia præfectura nuncupatur. Si poſterius placet, opus Aſclepiadis vocabitur *Mendetis* Θεολογούμενα, quia eo agebat de diis Mendeſiis, & religionis Mendeticæ ritibus, & cauſſis. Sanè irreligioſa religio Mendetica peſſimè audiebat ob femineos cum hirco concubitus. Quare Aſclepiades, excuſaturus illud hoc opere, ajebat, etiam ſummos Græci, Romanique imperii heroes, ex dracone conceptos eſſe: velut Alexandrum Magnum, Scipionem Africanum, & Cæſarem Auguſtum. Ut autem Aſclepiades iſte non fuerit Mendeſius: tamen ſatis veriſimile eſt, eum, qui Mendeticam Ægyptiorum Theologiam tractavit, Ægyptium ſaltem fuiſſe.

Athenæus quid de Semiramide literis prodiderit, narrat eleganter Diodorus Siculus lib. II. Eamque hiſtoriam inde, ſed tacito Diodori nomine, exſcripſit Muretus lib. VI. Var. Lect. cap. XVII. Eſſe autem Athenæum hunc alium ab Naucratita, ſatis ex temporum ratione liquet. Nam Naucratita floruit ſub M. Aurelio: at Diodorus Siculus ſub Auguſto vixit.

Athenocles res Aſſyriacas prodidit. Agathias lib. II. hiſtoriæ ſuæ: Ἀλλὰ Βῆλον μὲν τὸν Δία τυχὸν, Σάνδην δέ τινα τὸν Ἡρακλέα, καὶ Ἀναΐδα τὴν Ἀφροδίτην, καὶ ἄλλως ἄλλους ἐκάλουν, ὥς τινι Βηρωσῷ τε τῷ Βαβυλωνίῳ, καὶ Ἀθηνοκλεῖ, καὶ Σιμάκῳ, τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγεγραφηκόσιν, ἱστόρηται. *Sed Belum quidem, qui fortaſſe non alius eſt ac Jupiter, & Sandem Herculem, Anaitida Venerem, aliosque alios vocabant; ut alibi Beroſus Babylonius, & Athenocles, & Simacus, qui antiquiſſimas Aſſyriorum, & Medorum res conſcripſerunt, teſtantur.*

Athenodorus Eretrienſis, Ἀθηνόδωρος ὁ Ἐρετριεὺς, ſcripſit Ὑπομνημάτων g libros; ex quorum octavo quædam de Thetidis, & Medeæ, in Theſſalia ſuper pulchritudine certamine retulit Ptolomæus Hephæſtionis, cognomento Chennus, in novæ ad variam eruditionem hiſtoriæ libro V; & inde Photius cod. CXC.

Bathon, ſive Baton Sinopenſis rerum Perſicarum commentarios condidit: cujus rei auctor nobis Strabo in duodecimo. Ubi, de Sinope loquens, ait, Ἄνδρας h ἐξήνεγκεν ἀγαθούς· τῶν μὲν φιλοσόφων, Διογένη τὸν Κυνικὸν, καὶ Τιμόθεον τὸν Πατρίωνα· τῶν δὲ ποιητῶν Δίφιλον τὸν κωμικόν· τῶν δὲ συγγραφέων, Βάτωνα τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικά. Idem de Theſſalia, & Hæmonia, commentatus eſt. Athenæus lib. XIV: Βάτων a ὁ Σινωπεὺς ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ περὶ Θεσσαλίας καὶ Αἱμονίας σαφῶς ἐμφανίζει τὴν τῶν Σατουρναλίων ἑορτὴν Ἑλληνικωτάτην. Etiam librum edolavit περὶ b τοῦ Ἴωνος ποιητοῦ. cujus idem Athenæus meminit lib. X. Ion ille poëta fuit tragicus, & lyricus, ac philoſophus; teſte Suida. Vide de eo Leopardum lib. II. Emendat. cap. XX; ac imprimis, quæ de eo referimus volumine de Poëtis Græcis. Meminit & Batonis Sinopenſis Plutarchus in Agide, & Cleone: ex quo cognoſcimus, Agide, & Arato Sicyonio, fuiſſe juniorem. Item mentionem facit Suidas in Πυθαγόρας Ἐφέσιος.

Calatianus, ſive Callatianus, à Dionyſio Halicarnaſſ. lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. memoratur inter hiſtoricos illos, qui ſtructuram verborum neglexerint. Sequitur deinde Demetrius, interjectâ diſtinctione. Itaque Calatianum, & Demetrium, pro diverſis habet Latinus interpres, & alii, eum ſecuti. Sed omnino unus, idemque eſt. Demetrius enim ille Καλατιανὸς, vel Καλλατιανὸς, dicitur ab urbe patria, quæ dicta Κάλατις, vel Κάλλατις. Nihil igitur repetere opus, quæ de hoc Demetrio diximus lib. III, in iis hiſtoricorum, qui à quarta litera inchoant.

Callipidas, Καλλιπίδας, Straboni memoratur in XII; ubi dicitur, ſtatuiſſe τὰς c ἐν Σκύθαις Ἀμαζόνας· jungiturque Hellanico, Herodoto, & Eudoxo, quos φλυαρίας d arguit.

Cercops hiſtoriam fabularem concinnavit. Meminit Apollodorus lib. II. biblioth. ubi ſic loquitur: Ἥρα e δὲ αἰτησαμένη παρὰ Διὸς τὴν βοῦν, φύλακα αὐτῆς κατέστησεν Ἄργον τὸν Πανόπτην. ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν, Ἀρέστορος λέγει υἱόν· Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου· Κέρκωψ δὲ, Ἄργου, καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός. Fuit patriâ Mileſius, & pleriſque auctor creditus eſt ejus poëmatis, quod Αἰγίμιος vocabatur. Athenæus lib. XI: Καὶ f ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας, εἴθ' Ἡσίοδός ἐστιν, ἢ Κέρκωψ ὁ Μιλήσιος. Ubi addit, aliquos Heſiodum putâſſe auctorem. In re incerta maluit & Apollonii ſcholiaſtes in lib. III. ſic loqui, Ὁ τὸν g Αἰγίμιον ποιήσας. Fortaſſe autem idem eſt Cercops ille Pythagoricus, de quo Clemens lib. I Στρωματ. Ἐπιγένης δὲ h ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως, Κέρκωπος εἶναι λέγει τοῦ Πυθαγορικοῦ τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν, καὶ τὸν Ἱερὸν λόγον.

Chæreas, hiſtoricus, vel nugator veriùs fuit; uti & Soſilus: de quorum utroque ſic Polybius lib. III. Hiſt. Περὶ μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων, οἷα γράφει Χαιρέας, καὶ Σώσιλος, οὐδὲν ἂν δέοι πλείω λέγειν· οὐ γὰρ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἐμοί γε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν, καὶ δύναμιν. *Verùm de hujuſmodi ſcriptis, uti ſunt Chereæ, & Soſili, nihil attinet ampliùs dicere. nam mihi quidem, non pro hiſtoriis videntur haberi debere; ſed pro fabulis, ex officina alicujus tonſoris, aut vulgi fæce, profectis.*

Chronographus magnus in Chronico Alexandrino, ſive Faſtis Siculis, citatur, quo loco agit de Mauricio Imperatore.

Cimon Athenienſium, & Amazonum, pugnam deſcripſit. Arrianus lib. VII. de expeditione Alexandri: Καὶ i γέγραπται ἡ Ἀθηναίων καὶ Ἀμαζόνων μάχη πρὸς Κίμωνος, οὐ μεῖον ἤπερ ἡ Ἀθηναίων καὶ Περσῶν. Incertum, utrùm idem ſit ille, de quo hæc Suidas in Ἄψυρτος: Ἔγραψε k δὲ Κίμων Ἀθηναῖος ἱπποσκοπικὸν βιβλίον θαυμάσιον.

Claudii Theonis hiſtoria Græca memoratur B. Hieronymo præfat. in Danielem: ubi prodeſſe dicitur ad extremas Danielis partes intelligendas; eſſeque inter eas, quas ſecutum ſe ait Porphyrius, cùm contra prophetam Danielem librum ſcriberet duodecimum.

Cleoxenus, & Democlitus egere de Perſis. Eorum autem hiſtoriam Polybius, ut ipſe refert, exornavit. Auctor Suidas in Κλεόξενος.

Cleo-

a Procedente autem tempore, ut ait Neanthes Cyzicenus, & Aſclepiades Cyprius, circa Pygmalionis ætatem, genere quidem Phœnicis, Cypriis verò imperantis, carnium eſum fuiſſe admiſſum ex prævaricatione iſtiuſmodi.
b De fluviis.
c Populi Attici cujuſque prætores.
d Variæ doctrinæ libri.
e Rerum Theologicarum.
f P. 147.
g Memorabilium.
h Viros protulit præſtantes; è philoſophis quidem Diogenem Cynicum, & Timotheum Patrionem, è poëtis Diphilum comicum; ex hiſtoricis Bathonem, qui Perſica compoſuit.

a Baton Sinopenſis rhetor libro de Theſſalia, & Hæmonia, clarè oſtendit, Saturnalium feſtum eſſe maximè Græcum.
b De Ione, ſive in Ionem poëtam, commentarius.
c Scythas Amazonas.
d Nugacitatis.
e Juno autem petiit à Jove vaccam, ac cuſtodem ei addidit Argum Panoptem, ſeu omnividum. quem Aſclepiades quidem Areſtoris, Pherecydes autem Inachi, at Cercops Argi & Iſmenæ Aſopidis filium fuiſſe dicunt.
f Quinam fecit Ægimium, ſive is Heſiodus, ſeu Cercops Mileſius.
g Ægimii poëmatis auctor.
h Epigenes autem in iis, quæ ſcripſit de poëmatis Orphei tributis, ait, Deſcenſum ad inferos, & Sermonem ſacrum, eſſe Cercopis Pythagorici.
i Scriptaque à Cimone eſt Athenienſium, & Amazonum pugna, non minus accurate, quàm illa Athenienſium, & Perſarum.
k Scripſit & Cimon Athenienſis de equis librum præclarum.

Cleodemus Malchus hiſtoriam fecit ad imitationem Moſaicæ, quâ de re apud Joſephum *a* ſic loquitur Alexander Polyhiſtor: Κλεόδημός φησιν ὁ προφήτης, ὁ καὶ Μαλχὸς, ὁ ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ Μωυσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ τῆς Χατούρας Ἀβραάμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί. λέγει δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα, ὀνομάζων τρεῖς, Ἀφέραν, Σουρείμ, Ἰάφραν. Ἀπὸ Σουρεὶμ μὲν τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. Ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφέρα τε, καὶ Ἰάφρα, πόλιν τε Ἀφρὰν, καὶ τὴν χώραν Ἀφρικὰν, ὀνομασθῆναι. τούτους γὰρ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον *b*. Γήμαντά τε τὴν Ἀφρᾶ θυγατέρα Ἡρακλέα γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δίδωρον *c*. τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα, ἀφ᾽ οὗ τοὺς βαρβάρους Σόφακας *d* λέγεσθαι. Hoc eſt: *Cleodemus propheta, cognomine Malchus, qui ad imitationem Moſis legiſlatoris Judæorum hiſtoriam contexuit, narrat, Abrahamum è Chatura aliquot filios ſuſcepiſſe, tres nominatim recenſens, Apheram, Surim, Japhram: à Suri appellatam Aſſyriam: ab Aphera vero, & Japhra, urbem Aphram, & regionem Aphricam, nominatas: hos enim ductu Herculis militâſſe contra Libyam, & Antæum. Herculem etiam ex Aphra filia genuiſſe filium Dedorum; ex hoc Sophonem prognatum, à quo Sophaces barbari habent nomen.*

*a Lib. 1. Antiquitatum Judaicarum cap. 16. ſecundùm Græcum cod. aliis 15. aut 22.*
*b Lege Ἀνταῖον. Vid. Diodorum lib. 4.*
*c Malim, Δίδωρον. || Σόφακας.*

Clodius compoſuit indicem temporum. Plutarchus initio vitæ Numæ. Κλώδιός τις *e* ἐν ἐλέγχῳ χρόνων. Ubi ex eo refert, vetuſta Romanorum acta, cùm Galli Urbem incenderent, fuiſſe abolita: quæ verò manibus terebantur, eſſe confecta in gratiam quorundam, qui hoc agebant, ut nobiliſſimâ ſtirpe prognati crederentur. Etſi autem, utrâ linguâ ſcripſerit Clodius, non referat Plutarchus: & Romanum nomen facere poſſit, ut Romanum ſcriptorem putemus: ac fortaſſe Clodium Licinium; ex cujus tertio Romanarum rerum libro quædam de Pleminio refert Livius lib. XXIX: tamen nec minùs veriſimile fit, eſſe hunc Sextum Clodium, qui de Diis ſcripſit, atque id Græcè. Arnobius lib. V adverſus nationes: *Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, tranſeamus: quam myrteis caſam virgis, quòd marito neſciente ſeriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat ſexto de diis Græco.* Ita enim eſt in vett. libris; non *Græcorum*, ut edidit Fulvius Urſinus. Lactantius lib. I de Falſa Religione cap. XXII: *Sextus Clodius in eo libro, quem Græcè ſcripſit, refert, Fauni hanc* (Fatuam) *uxorem fuiſſe.* Suſpicor autem, Clodium hunc fuiſſe origine Græcum, & ſervum: ſed ita eſſe vocatum, quia aliquis è gente Clodia eum manumiſiſſet. Etiam παρὰ Κλωδίῳ *f* lectum, Pythagoricos, cùm ſacrificarent, non penitùs abſtinuiſſe animatis: ut autor eſt Porphyrius lib. I περὶ ἀποχῆς. Sed fortaſſe is alius eſt.

*e Clodius quidam in Temporum Indice.*
*f Apud Clodium.*

Coſmas Veſtitor (Κοσμᾶς ὁ Βεστίτωρ) inter eos, qui vitam Chryſoſtomi literis, & memoriæ mandarint, recenſetur ab Anonymo, in catalogo, qui Georgio Alexandrino de vita Chryſoſtomi præmittitur. Eum reperies indicem in Savilianâ ejuſce B. Patris editione Tom. VIII *g*. Ac Coſmam ipſum habuit Savilius. Sed negat, tanti ſe putâſſe, ut eum cum aliis, qui vitam Chryſoſtomi conſignaſſent, in lucem ederet. Inſcriptio *h* eſt: Τοῦ ἐν μακαρίᾳ Κοσμᾶ τοῦ Βεστίτωρος εἰς τὴν ἐπάνοδον τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου. Initium tale: Ἤγγισται *k* πάντας ὑμῖν, ὦ φιλόχριστοι ποίμνης, καὶ φιλάγιον ἄθροισμα.

*g P. 293.*
*h In notis Savilii ad tom. 8, pag. 944.*
*i B. Coſmæ Veſtitoris, repertatio reliquiis Sancti Patris noſtri Joannis Chryſoſtomi.*
*k Penitus certoque audistum vobis, ô Chriſti amans populi cœtus, & ſancti amans congregatio.*

Cteſiphon, dubium, utrùm Cteſiphon, an Chreſiphon, (variant enim Vitruvii codices editi, imò in Mſſis eſt Chryſippon) *de Ionica æde Epheſi, quæ eſt Dianæ, edidit volumen:* ut narrat Vitruvius in præfatione libri VII. Sed videtur ſolùm ea perſecutus, quæ architecti obſervant: uti, credo, & fecit Carpion in lib. de *æde Dorica, quæ eſt Athenis in arce:* de qua ibidem edidiſſe volumen dicitur.

DAes Colonienſis hiſtoriamne ſcripſerit, diſpiciendum. Suſpicionem eam injicit Strabo lib. XIII φησὶ δὲ *l* Δάης ὁ Κολωνεύς, ἐν Κολωναῖς ἱδρύσασθαι πρῶτον τὸ ἐκ τῆς Ἑλλάδος πλεύσαντα Αἰολέα τὸ τοῦ Κιλλαίου Ἀπόλλωνος ἱερόν.

*l Daes Colonenſis ait, Cillæi Apollinis templum primùm Colonis fuiſſe poſitum ab Æoleuſibus è Græcia advectis.*

Demarchus, Δήμαρχος ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων citatur Ariſtophanis ſcholiaſtæ in Aves *a*.

Diodorus Epheſius vitam Anaximandri, ac cujuſmodi ejus philoſophia fuerit, memoriæ prodidiſſe videtur. Laërtius in vita Empedoclis: Διόδωρος δὲ *b* ὁ Ἐφέσιος περὶ Ἀναξιμάνδρου γράφων, φησίν, ὅτι τοῦτον ἐζηλώκει.

Diodorus neſcio quis de populis Atticæ reliquit commentarium. Hinc Διόδωρος *c* ἐν τῷ περὶ δήμων citatur Harpocrationi in Ἕρμος, qui δῆμός *d* ἐστι τῆς Ἀκαμαντίδος. Item in Ἐροιάδαι, qui δῆμός ἐστι τῆς Ἱπποθοωντίδος: adhæc in Ἐρχιάσιν, & Εὐωνυμεῖς & in Θορεῖς, qui δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος· & Θορικός, qui δῆμός ἐστι τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς· & in Θυμοιτάδαι, qui δῆμος Ἱπποθοωντίδος, ἀπὸ Θυμοίτου τοῦ Ἥρωος ὀνομασθείς· & in Ἰκαριεῖς, qui δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος.

*a P. 606. edit. Amſtel.*
*b Diodorus Epheſius de Anaximandro ſcribens, ait, eum hujus fuiſſe æmulum.*
*c Diodorus libro de populis.*
*d Populus eſt Atticæ.*

Dionyſiodorus Bœotus hiſtoriam rerum Græcarum edidit, uſque ad imperium Philippi, patris Alex. M. Diodorus Siculus extremo lib. XV: Τῶν δὲ *e* συγγραφέων Διονυσιόδωρος καὶ Ἀναξὶς οἱ Βοιωτοὶ τὴν τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατεστρόφασι τὰς συντάξεις. Hic, ut refert Laërtius in Socrate, pæana, qui Socrati à pleriſque tribuebatur, alterius eſſe prodidit.

Dionyſius, Diogenis filius, terrarum dimenſionem deſcripſit. Marcianus Heracleota ἐν περίπλῳ: Οὕτω δὲ *f* ὁ Διονύσιος ὁ τοῦ Διογένους ἀναμεμέτρηκεν. Dubium verò, idemne, an alius ſit Dionyſius Corinthius, qui reliquit περιήγησιν τῆς οἰκουμένης δι᾽ ἐπῶν *g*: ut eſt apud Suidam.

EUripus de Iſocratis diſcipulis reliquit volumen: ut cognoſcere eſt ex Harpocratione in Ἴσαιος: ubi ait: Ἴσαιος *h*, εἷς ἐστι τῶν δέκα ῥητόρων, τούτου μαθητὴς δὲ ἦν Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους, Ἀθηναῖος τὸ γένος, καθά φησιν Εὔριπος ἐν δευτέρῳ περὶ Ἰσοκράτους μαθημάτων. Ubi pro μαθημάτων legendum μαθητῶν *i*, ut ſummo viro Joanni Meurſio in lectionibus Atticis obſervatum.

Euſebius hiſtoriam reliquit: quam orſus ab Octaviano imperatore; pertexuit verò uſque ad mortem Chari; ut auctor eſt Evagrius lib. V cap. ult.

*e Rerum Græcarum hiſtoriam finiunt in hoc anno hiſtorici duo, Dionyſiodorus, & Anaxis, Bœoti.*
*f Similiter autem & Dionyſius, Diogenis filius, dimenſus eſt.*
*g Deſcriptionem terræ, carmine.*
*h Iſæus unus eſt decem rhetorum, diſcipulus autem Iſocratis fuit, præceptor Demoſthenis, genere Athenienſis; quemadmodum ait Euripus in ſecundo de Iſocratis ſtudiis.*
*i Diſcipulis.*

GAbinii, hiſtorici Romani, ſed qui Græcè, ut puto, ſcripſerit, meminit Strabo in XVII. Ubi hæc prodit: Καὶ Γαβίνιος δὲ, ὁ Ῥωμαίων συγγραφεὺς, οὐκ ἀπέχεται τῆς τερατολογίας τῆς περὶ τὴν Μαυρουσίαν. πρὸς γὰρ τῇ Λίγγι Ἀνταίου μνῆμα ἱστορεῖ, καὶ σκελετὸν πηχῶν ἑξήκοντα, ὃν Σερτώριον γυμνῶσαι, καὶ πάλιν ἐπιβαλεῖν γῆν. Καὶ τὰ περὶ τῶν ἐλεφάντων μυθώδη. φησὶ γὰρ τ᾽ ἄλλα μὲν θηρία φεύγειν τὸ πῦρ, τοὺς δ᾽ ἐλέφαντας πολεμεῖν, καὶ ἀμύνεσθαι, διότι τὴν ὕλην φθείρει. πρὸς δὲ τοὺς ἀνθρώπους διαμάχεσθαι, κατασκόπους προπέμποντας· καὶ ὅταν ἴδωσιν ἐκείνους φεύγοντας, καὶ αὐτοὺς, ἐπειδὰν τραύματα λάβωσιν, ἱκετηρίους προτείνειν κλάδους, ἢ βοτάνην, ἢ κόνιν. *Sed nec Gabinius, Romanarum rerum ſcriptor, in deſcribenda Mauritania fabulis prodigioſis abſtinet. Scribit enim, apud Lingen Antæi ſepulturam eſſe, & compagem oſſium cadaveris abſumti, cubitorum ſexaginta; eamque à Sertorio detectam, & iterum humatam. Addit etiam de elephantis fabuloſa quædam: cæteras feras ignem fugere; elephantes ei reſiſtere, ac repugnare, propterea quòd ſylvam conſumat: eos cum hominibus certare, exploratoribus præmiſſis; quos ubi viderint, fugere: item, ſi vulnera accepiſſent, ramos, vel herbam, vel pulverem, ſupplices prætendere.*

Geneſius Byzantius inter hiſtoricos Byzantinos memoratur Joanni Curopalatæ in prooemio. Ubi & Joſephus Geneſius, ſed, ut diverſus à priori, refertur inter eos, qui de ſeculi ſui rebus ſcripſerint.

HAnno Carthagienſis quoque aliquod nomen meretur inter hiſtoricos propter periplum; quo perſecutus eſt Africæ ambitum, & terras in Atlantico Oceano à ſe inventas. Librum iſtum ipſe Punicè ſcripſerat, ſed Græcè eſt tranſlatus: nec aliâ linguâ exſtat, niſi quæ de Græco verſa ſit. Propterea ſeu ei, ſeu interpreti, aliquem ſanè etiam inter ſcriptores Græcos locum demus. Quis Hanno

no iſte fuerit, diſputatur. Ego cenſeo, nec eſſe eum, de quo Trogus lib. xx; aut de quo Plinius lib. VIII cap. XVI, & Plutarchus in civili inſtitutione: neque iſtum factionis Barchinæ, de quo Livius libro de bello Punico ſecundo: ſed opinor, eſſe ducem iſtum, quem Carthaginenſes adverſus Agathoclem miſere; ut Trogus narrat lib. XXII. Nam Carthaginenſium ducem vocat Plinius. Et dicit, floruiſſe florentiſſimis Carthaginenſium rebus. At viguere illæ quàm maximè temporibus Agathoclis, ac Hannonis ejus, qui adverſus Agathoclem mittebatur. Ut paullo fuerit ante bellum Tarentinum: poſt quod paullatim eorum res, tribus bellis Punicis cum Romanis, primùm attritæ, ac tandem everſæ, fuerunt. Verba, quæ dixi, Plinii ſunt iſta lib. V Nat. Hiſtor. cap. I: *Fuere & Hannonis, Carthaginenſium ducis, commentarii, Punicis rebus florentiſſimis explorare ambitum Africæ juſſi: quem ſecuti plerique è Græcis, noſtriſque, ad alia quædam fabuloſa; & urbes multas ab eo conditas ibi prodidere; quarum nec memoria ulla, nec veſtigium exſtat.* Locus iſte præterea oſtendit, ut Hannonis περίπλους *a* minimè invenerit fidem apud prudentiores. Imò natum inde proverbium fuit, ut iis, qui rei parùm veriſimili facilè fidem accommodarent, diceretur, poſſe hos eâdem operâ credere Hannonis periplo. Hoc oſtendunt Athenæi iſta libro III.

*a Circumnavigatio.*

> Εἰ μή τι τοιοῦτον Ἰόβας ἱστορεῖ,
> —— χαιρέτω
> Λιβυκαῖσι βίβλοις, ταῖσί τ᾽ Ἄννωνος πλάναις.
> *Siquid ejuſmodi Juba refert,*
> *gaudeat*
> *Libycis libris Hannonis ac erroribus.*

Planè audiendus non eſt vir doctiſſimus Conradus Geſnerus; qui eò reſpici putabat, quòd iſtis Hannonis libris *inuſitata quædam Græcis vocabula continerentur.* Quiddam inde refert Ariſtoteles libello περὶ *b* θαυμασίων ἀκουσμάτων. ubi ait: Λέγεται δὲ καὶ τὰ ἔξω στηλῶν Ἡρακλείων καίεσθαι τὰ μὲν, διὰ παντὸς τὰ δὲ, νύκτωρ μόνον· ὡς ὁ Ἄννωνος περίπλους ἱστορεῖ. *Ferunt, extra columnas Herculis alia quidem jugi flammâ, alia noctu ſolùm ardere: ut prodit Hannonis periplus.* Quod ſi liber is genuinus foret, omnino antiquior fuerit Hanno, quàm dicebamus. Minimùm enim Philippi M. temporibus vixerit. Sed libellus ille lectu quidem eſt digniſſimus; magno autem Ariſtotele minùs dignus videtur. Quodſi nihilominus genuina eſt inſcriptio, junioris credo Ariſtotelis erit. Fuit enim & Ariſtoteles Ponticus, Minutio Felici memoratus in Octavio. Imò octo ejus nominis recenſet Laërtius in Ariſtotele. Sed redeo ad Hannonem. Cujus inter periplorum ſcriptores etiam mentio fit in epitome Artemidori Epheſii: ubi vocatur Ἄννων *c* ὁ Καρχηδόνιος. E Latinis meminit Mela lib. III. cap. X: *Hanno Carthaginenſes exploratum miſſus à ſuis, cùm per Oceani oſtia exiſſet, magnam partem ejus circumvectus, non ſe mari, ſed commeatu defeciſſe, memoratum retulerat.* Et mox: *Super eos grandis litoris flexus grandem inſulam includit: in quâ tantùm feminas eſſe narrant, toto corpore hirſutas, & ſine coitu marium ſuâ ſponte fecundas, adeò aſperis efferiſque moribus, ut quaſdam contineri, ne reluctentur viris, vix vinculis poſſint. Hoc Hanno retulit; & quia detracta occiſis coria pertulerat, fides habita eſt.* Plinii de eo locum ſuperiùs adduximus. Mentionem quoque facit Solinus cap. XXVII: *Hæc de Atlante, quem Mauri Dirin nominant, & Hannonis Punici libri, & noſtri annales, prodiderunt.*

*b De auditionibus admirandis.*
*c Anno Carthaginenſis.*
*d P. 583. edit. Aurel.*
*e Quis vero hic Deus fuerit, Heracleotes refert in duodecimo de Heraclea.*

Heracleotes res tradidit Heracleenſium. Ariſtophanis ſcholiaſtes in Aves *d*: Τίς δὲ ἐστιν *e* οὗτος θεὸς, ὁ Ἡρακλεώτης περὶ Ἡρακλείας ἐν τῷ ιβ´ φησί.

Heraclides Cretenſis libro inclaruit περὶ *f* τῶν ἐν Ἑλλάδι πόλεων: cujus meminit Apollonius Hiſt. Mirab. cap. XIX. Argumenti ſimilitudo facit, ut eundem eſſe ſuſpicer, cujus περὶ νήσων *g* librum citat Laërtius initio vitæ Empedoclis. Quamquam ibi in utrâque Stephanicâ fit νόσων *h*. Sed νήσων etiam legit interpres; qui, *de Inſulis*, vertit.

*f De civitatibus Græciæ.*
*g De inſulis.*
*h Morbis.*
*i De incredibilibus.*

Heracliti περὶ ἀπίστων *i* liber ex bibliotheca Vaticana Græcè prodiit operâ Leonis Allatii: qui & Latinam tralationem ſuam adjunxit; ac ejuſdem argumenti anonymum; item Libanii Sophiſtæ narrationes fabuloſas, aliaque *a*. Idem Allatius cenſet, videri poſſe eundem auctorem, ac Heraclides ille, allegoriarum Homericarum ſcriptor, de quo dixi lib. I cap. IX.

*a Edita Romæ an. 1641.*

Hermodorus Νόμιμα *b* tradidit; quorum mentio eſt apud Athenæum lib. II. Iis retulit leges variarum gentium.

*b Opus de legibus.*

Heſtiæa Alexandrina diſſertationem edidit, utrùm, quæ Homerus de bello circa Troiam geſto cecinit, hiſtoria, an fabula, ſint. Quam rem pleniùs Strabo nos docet in XIII, his verbis: Παρατίθησι δ᾽ ὁ Δημήτριος καὶ τὴν Ἀλεξανδρινὴν Ἑστιαίαν μάρτυρα, τὴν συγγράψασαν περὶ τῆς Ὁμήρου Ἰλιάδος, πυνθανομένην εἰ περὶ τὴν νῦν πόλιν ὁ πόλεμος συνέστη, καὶ τὸ Τρωϊκὸν πεδίον, τὸ μεταξὺ τῆς πόλεως, καὶ τῆς θαλάττης, ὃ ποιητὴς φράζει· τὸ γὰρ πρὸ τῆς νῦν πόλεως ὁρώμενον, πρόχωμα εἶναι τῶν ποταμῶν ὕστερον γεγονός. *Demetrius etiam Heſtiæam Alexandrinam teſtem adducit, quæ de Homeri Iliade aliquid conſcripſit, & quæſtionem hanc tractavit, an circa eam, quæ nunc eſt, urbem fuerit bellatum, & an Troianus ſit poëtæ campus, qui inter urbem, & mare eſt. Etenim, quod nunc ante urbem viſitur, id aggerem eſſe terræ, inferioribus temporibus à fluviis convectæ.* Iliad. Γ *c*: Ἑστιαῖα δ᾽ ἡ γραμματική φησιν, ὅτι πεδίον ἐστὶ χρυσοῦν καλούμενον, ἐν ᾧ χρυσῆν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ εἶναι οὕτως χρυσῆς Ἀφροδίτης ἱερόν. *Heſtiæa Grammatica ait, eſſe campum, qui aureus vocatur. Coli iſtic Auream Venerem, atque ita eſſe Aureæ Veneris delubrum.* Aliqui *Hiſtiæam* vocant. Nempe ut ἱστία, & ἱστίη, dicitur.

*c Pag. 61. edit. Baſil.*

Homerus, quod ſatis mirari nequeo, à Sidonio Apollinari non ſolùm hiſtoricus creditur, ſed etiam inter ſeveræ hiſtoriæ ſcriptores refertur. Sic enim ille, ſi vulgatis codd. credere licet, hendecaſyllabis ad Conſentium in laudem Narbonis:

> *Aut cùm ſe hiſtoria dabat ſevera,*
> *Primos vix poterunt locos tueri,*
> *Terrens Herodotus, tonans Homerus.*

Vitiatum eſſe Sidonium, & nomen principis alicujus hiſtorici reponi debere, cenſet Barthius Adverſar. lib. LIV cap. VIII. Mihi ſanus eſſe locus videtur, nec quicquam mutandum. Siquidem ſolùm ea mens Sidonii eſt, laudare Creſcentium à ſuavi pariter, ac grandi dictione, quâ Herodotum, & Homerum referat. Præterea non debemus à poëta, qualem nunc Sidonius agit, exigere illud, ut ἀκριβῶς *d* diſtinguat inter hiſtoriam, qualis eſt ejus, qui propriè hiſtorici nomen poſſidet, & illam, quæ eſt epici, vel etiam tragici, qui argumentum ſumere ſolet ex vero, ſed fabulas intermiſcet: unde, quæ pangit, potiùs *mythiſtoriæ* nomen merentur. Planiora hæc fient ex iis, quæ, de argumento poëtæ epici, & tragici, diſſerimus in opere de re Poëtica lib. II cap. XXIII, & lib. III cap. V.

*d Accuratè.*

Hierocles Grammaticus edidit Συνέκδημον, ſive Notitiam imperii Conſtantinopolitani: puta patriarchatuum, metropoleon, & civitatum parentium imperio Conſtantinopolitano. Hanc in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, à Pariſienſibus edendo typis regiis, ex duobus Codd. Mssis exhibebit V. Cl. Lucas Holſtenius. Edidit poſt Geographiam ſacram Carolus à S. Paulo, Epiſcopus Abrincatenſis: ſed XV provinciarum eſt defectus.

Hypermenes ſcripſit librum περὶ Χίου *e*: ex quo Ptolomæus Chennus in ſexto hiſtoriæ novæ retulit, Scindapſum, Homeri famulum, mille drachmis fuiſſe multatum à Chiis, eo quòd herum mortuum non exuſſiſſet. Auctor Photius in biblioth. cod. CXC.

*e De Chio.*

Hypſicrates Amiſenus memoratur Luciano, ultimo loco inter hiſtoricos longævos. Verba ejus ponam: Ὑψικράτης *f*, ὁ Ἀμισηνὸς συγγραφεὺς, διὰ πολλῶν μαθημάτων γενόμενος, (βεβίωκε) ἔτη δύο καὶ ἐνενήκοντα. Videtur alius ab eo, de quo dictum lib. III. Neque enim, puto, homo Galata, aut Ponticus, Phœniciâ linguâ hiſtoriam ſcripſiſſet: uti ab illo factum, de quo tum dicebamus. At Amiſenum illum eſſe arbitror, ex quo Polybius libro VII refert, Iſthmum peninſulæ ad Mæotidem CCCLX ſtadia longum,

*f Hypſicrates, Amiſenus hiſtoricus, vir in multis verſatus diſciplinis, annos duo & nonaginta vixit.*

gum, ab Aſandro docto muro munitum eſſe, denis in ſingula ſtadia turribus conſtitutis. Ex quo item lib. XI tradit, Amazones Gargarenſibus confines habitaſſe in radicibus montium Caucaſiorum, quà Septentrioni obvertuntur, & Ceauniorum nomen obtinent.

JOannis Eubœi oratio hiſtorica in Chriſti nativitatem eſt Scoriaca in bibliotheca Regis Hiſpaniarum.

Joannes, Lector Magnæ Eccleſiæ, compoſuit Romæ hiſtoriam; nec non vitam Conſtantini Magni ἱστορικῶς a. Fuit in codd. Mſsis Joannis Suzi: ut narrat Antonius Verderius, dominus Vallis Privatæ, in bibliothecæ Geſnerianæ Supplemento.

*a Paris Apoſtolis.*

Joannes Pediaſimus τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς, & totius Bulgariæ, fuit χαρτοφύλαξ, ſive patriarchalis ſigilli cuſtos: ut eſt apud Geſnerum Tom. I Bibliothecæ. Ibidem quædam ejus memorat. In epitome verò Simleri legas, etiam reliquiſſe librum de XII laboribus Herculis. Atque exſtare is dicitur Venetiis in bibliotheca S. Antonii: Bononiæ autem in bibliotheca S. Salvatoris. Credo, idem eſt, quem ſine auctoris nomine Leo Allatius Græcè cum tralatione ſuâ b edidit in Excerptis Græcorum Rhetorum, ac Sophiſtarum. Atque hæc ipſius etiam Allatii ſuſpicio eſt.

*b Anno 1641. Romæ.*

Iſaacius Porphyrogennetа librum compoſuit de Prætermiſſis ab Homero: quorum extremo agitur de characteribus, ſive lineamentis, Græcorum, & Trojanorum, qui ad Trojam convenerant. Poſteriorem hanc partem ex inclyta Amſtelodamenſium bibliotheca ante annos circiter XL exſcripſit Ampliſſimus, & amiciſſimus Janus Rutgerſius, ac cum tralatione ſuâ, & notis, edidit lib. V Variarum Lectionum cap. X. Sed poſtea, puta ante annos VII, integrum Iſaacium publici juris Romæ fecit V. CL. Leo Allatius in Excerptis Græcorum Rhetorum ac Sophiſtarum. Non ambigo, quin hic ſit Iſaacius Comnenus. Sed cùm in familia Comnena plures fuerint ejuſce nominis, inque purpura natiꝫ certò nihil nunc ſpondere de ætate auſus ſui.

LEucius Charinus, teſte Photio in Bibliotheca, reliquit Petri, Joannis, Andreæ, Thomæ, Pauli, περιόδον, h. e. iter per varias terræ regiones. Quod opus inter apocrypha N. T. in antiquo etiam codice recenſetur.

Longus Sophiſta Ποιμενικὰ c reliquit: quibus venuſtè, ac ſuaviter, fabulam tractat de Daphnide, & Chloë, libris IV. Latinè reddidit, notiſque illuſtravit, Gothofredus Jungermannus; eamque operam ſuam dicavit conſobrino ſuo Ludovico Camerario, tum Electori Palatino à conſiliis, poſtea Sereniſſimi Sueciæ Regis Legato ad fœderatos Belgas. Jam ante annos CLXX heroico carmine reddidit Laurentius Gambara: ſed liberè adeò, ut ſæpe vix Longum agnoſcas. Adeò multa addit, demit, mutat: ut taceam, quod ſæpe nec mentem Longi fuerit aſſecutus: quippe poëta melior, quàm Græcè intelligentior.

*c Paſtoralia.*

Lucius Patrenſis memoriæ tradidit μεταμορφώσεις d, dictione quidem purâ, & ſuavi; ſed narrationibus fabuloſis, & planè prodigioſis. De ætate ejus non liquet; niſi quòd antiquior credatur Luciano: quippe qui inde compilâſſe videatur Lucium, ſeu aſinum ſuum: uti ex Luciano poſtea aſinum ſuum aureum exſcripſit Appuleius. Niſi is potiùs ex eodem Lucii fonte ſua hauſit. Et hoc ſanè veriſimilius eſt. Nempe ut Lucium in epitomen redegit Lucianus: ita paraphraſin Lucii ſcripſit Appuleius: ſed ille Græcè, hic Latinè. Unde initio operis ait: *Fabulam Græcanicam incipimus. Lector, intende; lætaberis.* Vide de Lucio hoc Photium cod. CXXIX, & Salmaſium Prolegomenis in Solinum.

*d Transformationes.*

MÆandrius quis ſit, adhuc quæro. Ex eo Polybius lib. XII refert, Henetos, è Leucoſyris profectos, Trojanis in bello ſuppetias tuliſſe: hinc cum Thracibus avectos, poſuiſſe ſedes juxta Adriatici ſinûs angulum: eos Henetos, qui non interfuiſſent expeditioni, Cappadoces eſſe factos.

Manuel Malaxus Patriarcharum contexuit hiſtoriam. Cujus ætatem nunc dicere nequeo. Sed potero fortaſſe, ubi corpus hiſtoriæ Byzantinæ ediderit Clariſſimus Labbæus; ſicuti Pariſienſes promittunt.

Marcellus in Æthiopicis (Μάρκελλος ἐν Αἰθιοπικοῖς) laudatur à Proclo commentarii in Timæum lib. I a: ubi ex eo refert quædam de inſulis extra columnas Herculis, ac imprimis omnium maximâ Atlantide, Neptuno ſacrâ.

*a Pag. 55. edit. Baſil. an. 1534.*

Meliſſeus rerum Delphicarum hiſtoriam condidit. Meminit Jo. Tzetzes Chil. VI cap. XC:

> Ἡ Πιερία b ὕστερον Λύγκος μετωνομάσθη.
> Ἧς τὴν ἀρχὴν, ὡς Μελισσεὺς ἐν Δελφικοῖς τι γράφει,
> Πρῶτος παῖς Ἠμαθίωνος Ἄτροπος ἴσχυσε.

*b Pieria poſtea dicta eſt Lyncus: cujus imperium, ut Meliſſeus in Delphicis alicubi ſcribit, primus tenuit Atropus, filius Emathionis.*

Eundem ejuſce rei auctorem laudat commentario in Heſiodi lib. I: Καὶ c ἡ μὲν Πιερία πρότερον ἀπὸ Πιέρου, τοῦ Μεθώνης ἀδελφοῦ, πατρὸς δὲ Λίνου, Πιερία ἐκέκλητο. ἧς καὶ τὴν ἀρχὴν ἔσχεν Ἄτροπος, ὁ πρεσβύτατος τῶν Ἠμαθίωνος παίδων καθὰ Μελισσεὺς φησιν, ὁ τὰ Ἀδελφικὰ συνταξάμενος. Ubi τὰ Δελφικὰ legi ſimiliter debere, & res clamat, & jamdudum amiciſſimo Meurſio ad Chalcidium eſt obſervatum. Cùm autem utrobique Μελισσεὺς dicatur: is, qui Palæphato, & Fulgentio, celebratur, utrobique Μέλισσος vocetur: diverſos omnino eſſe, planè mihi perſuadeo. Tamen & *Meliſſus* eſt apud Servium in IV Æn. ubi ab illo traditum ait, quos Maro vocat Agathyrſos, *eos ab Homero Achabas appellari, qui propter ſcientiam ſagittarum Apollini ſunt gregales, ficut Cretes.* Imò & Palæphatus initio operis nominat συγγραφέας, Μέλισσον, καὶ Λαμίσκον τὸν Σάμιον d. Vide, quæ de Meliſſo libro tertio dicebamus.

*c Ac Pieria quidem prius à Piero, Methones fratre, patre autem Lini, hoc nomine vocabatur: cujus & imperium obtinuit Atropus, maximus natu è liberis Emathionis, ſicut Meliſſeus ait, qui Adelphica (ſcribendum Delphica) compoſuit.*

*d Hiſtoricos, vel ſcriptores, Meliſſum, & Lamiſcum Samium.*

Miletus inter hiſtoricos refertur à Gervaſio Ricobaldo Ferrarienſi; qui (ut dixi in ſecundo de Hiſtoricis Latinis cap. LXI) vixit anno cIↄ ccc, ac Mſus exſtat in bibliotheca V. CL. Petri Scriverii. Gervaſius is in Pomario ſuo, quo loco de Conſtantino tractat, ſic ait: *Tradit Miletus in catalogo ſuo Auguſtorum, quòd hic, ultimis vitæ diebus ab Euſebio, Epiſcopo Nicomediæ, baptizatus, in Arrianum dogma delapſus eſt.* Atque idem in Juliani temporibus ad an. Ch. CCCLXV refert, quomodo, cùm Julianus conceſſiſſet Judæis, ut templum Hieroſolymis inſtaurarent, ignis eruperit è fundamentis, qui Judæos abſumſerit; ac nocte ſequenti in veſtibus omnibus apparuerit crucis ſignum. Addit verò, ita ſcripſiſſe Miletum, & Rufinum; qui de iſto agit lib. I cap. XXXVIII. Sed de Mileto nihil dicere habeo. Vir eruditiſſimus ſuſpicatus eſt, legendum *Miletius*, vel potiùs *Meletius:* qui epiſcopus fuit Antiochenus, ac claruit ſub Juliano, & imperatoribus conſecutis, uſque ad tertium Theodoſii Magni annum, quo Conſtantinopoli deceſſit. Id fuit anno Chr. CCCLXXXI. Adeantur de eo Baſilius epiſt. V; Gregorius Nyſſenus funebri in Meletium; cujus orationis etiam mentio eſt apud Socratem lib. V cap. IX. Item videndi Theodoretus lib. III cap. XIII, & lib. V cap. V; etiam Sozomenus lib. V cap. XI, & XII, & lib. VI cap. VII, Damaſcenus lib. II de imaginibus. E Latinis conſulatur Rufinus lib. I Hiſt. Eccleſ. cap. III, & Sigebertus Gemblacenſis, ad an. CCCLXXX; cujus verba apponam: *Meletius Antiochenus epiſcopus per hoc clarior, quòd Theodoſius in ſomnis pravidit, ſe ab eo indui chlamyde Imperiali, & diademate coronari.* Non magnopere huic conjecturæ repugnarem, ſi aliquis veterum occurreret, qui Meletianæ hiſtoriæ ante Ricobaldum meminiſſet; vel, quem ille Miletum vocat, Meletium eſſe, conſtaret.

Muſæus de Iſthmiis ſcripſit. Euripidis ſcholiaſtes in Medeam: Ὅτι e δὲ καὶ ἀθάνατος ἦν ἡ Μήδεια, Μουσαῖος ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων ἱστορεῖ. Fortaſſe eſt Μουσαῖος Ἐφέσιος ἐποποιὸς, qui Περσηΐδος ſcripſit libros; item εἰς Εὐμένη, καὶ Ἄτταλον, Suida teſte. Unde & regum iſtorum æqualem fuiſſe, veriſimile eſt. Alius fuit Muſæus ille antiquus, Orphei æqualis: item Muſæus Grammaticus, ſcriptor poëmatii de amoribus Leandri, & Herûs; qui ſub Cæſaribus vixit.

*e Fuiſſe immortalem Medeam, etiam à Muſæo refertur libro de Iſthmiis.*

Ne-

NEſtorianus, ut hiſtoricus, memoratur in Chronico Alexandrino.

Nicagoras Cyprius videtur Deorum naturam, & geſta, conſignâſſe. Arnobius lib. IV: *Poſſumus quidem hoc in loco, omnes iſtos, nobis quos inducitis, atque appellatis deos, homines fuiſſe, monſtrare, vel Agrigantino Euhemero replicato; cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, ſermonem in Italum tranſtulit: vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leone, vel Cyrenenſi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui ſcrupuloſa diligentia curâ in lucem res abditas libertate ingenuâ protulerunt. Poſſumus, inquam, ſi placet, & Iovis res geſtas, & Minervæ expromere bella virginis, ac Dianæ, quibus dolis Liber Indorum affectaverit regnum: cujus fuerit conditionis Venus, cujus opera, cujus quæſtus: matrimonium Magna cujus tenuerit Mater: quidnam ſpei, quid voluptatis ſpecioſo ab Atye conceperit: unde Serapis Ægyptius, unde Iſis, vel ex quibus cauſſis appellatio ipſa concinnata ſit nominum.* Nec de iis modò, ſed etiam de heroibus ſcripſit. Ut de Prometheo, qui hominem è luto formâſſe dicitur. Fulgentius lib. II Mythologicôn fab. de Prometheo: *Quamvis Nicagoras in Diſthemithea libro, quem ſcripſit, primum illum formâſſe idolum referat.* De Prometheo loquitur. Quare *Diſthemitea* corruptum puto ex Δεσμ. Προμηθέως *a*. Ut idem fuerit libri nomen ac tragœdiæ Æſchyli. Apud Antigonum Caryſtium Hiſtor. Mirab. cap. CLXXIII legas, à Nicagora traditum, in Citto, ſive Ciſſo, Macedoniæ monte, ſi terram paullùm effoderis, ſalem inveniri. Sed is fortaſſe eſt Nicagoras Sophiſta; de quo diximus lib. I cap. XVI.

a *De vinculis Promethei.*

Nicander Thyaterenus, Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς ἐν τῷ *b* περὶ τῶν Δήμων citatur Harpocrationi in Θυργωνίδαι. Eidem in Θύσιον teſtimonium petitur ἐκ *c* τῆ πρώτης Νικάνδρου τῶν Αἰτωλικῶν. Sed is eſt Colophonius; ut dictum cap. XIV hujus libri.

b *Libro de populis Atticis.*
c *Ex libro primo Nicandri Ætolicorum.*

Nicanor inter eos eſt, qui Alexandri M. Hiſtoriam prodiderunt. Lactantius lib. I de falſa religione cap. VI: *Primam* (Varro *Sibyllam* ait) *fuiſſe de Perſis, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit.* Fortaſſe eſt Leander Nicanor, Alexandrinus Grammaticus, quem de Alexandria commentatum dicebamus lib. I. cap. XII. Potuit enim idem & de urbe agere, & de conditore. Sed nec minùs veriſimile videtur, eſſe Seleucum, Syriæ regem, qui Νικάτωρ, ac, Macedonum lingua, Νικάνωρ dictus. Sanè cùm unus fuerit è ducibus Alexandri, haut alius meliùs res nôſſe potuit Alexandri. Nec cauſſa erat, cur minùs de eo ageret, quàm fecit Ptolomæus, Lagi filius, Ægypti rex; qui & ipſe è ducibus Alexandri fuit, ac argumentum hoc præclarè tractavit; ut ex Arriano cognoſcimus. Atque eò valde inclinaret animus, niſi ſcrupulum injiceret, quòd mentionem nullam tanti regis inter eos, qui Alexandri res geſtas celebrent, idem Arrianus faciat. Et quid ſi neutrius ſit? Nam fuit & Nicanor Samius, qui περὶ ποταμῶν *d* ſcripſit, teſte Plutarcho de Fluminibus, in Eurota. Alius item Nicanor Cyprius: qui Deorum naturam, & geſta, expoſuit; ut innuit Arnobius lib. IV. Niſi iſtic, *Nicagoras Cyprius*, legere malis; ut eſt in multis libris. Et ita nos paullo antè vocabamus. Nicanoris librum μετονομασιῶν citat Harpocration voce Ἄ.

d *De fluviis.*

NIcephorus, diaconus Phryx, inter eos qui de ſui ævi rebus aliquid divulgârint, laudatur à Joanne Curopalate, & Georgio Cedreno, utroque in Hiſtoriæ proœmio.

Nicoſtratus videtur reliquiſſe Muſici vitam. De hoc ita auctor fragmenti Cenſorino adnexi, & ei à multis tributi, cap. X. *Rhythmum creditur dictum à Rhythmonio, Orphei filio, & Idomenea, nympha Marica: ut tradit Nicoſtratus, libro, quem compoſuit de Muſico, fratre Rhythmonii.* Sed Muſici, & Rhythmonii nomina, videntur eſſe commentitia. Etiam Menander Rhetor lib. II de genere demonſtrativo, de ſtylo Nicoſtrati (ſed ambigo, an ejuſdem) judicium fert. Ait autem, dictionem Xenophontis, Nicoſtrati, Dionis Chryſoſtomi, & Philoſtrati ejus, qui Heroica, & imagines ſcripſit, ἀφελεστέραν εἶναι, καὶ ἀφελεστέραν *a*.

a *Simpliciorem eſſe, & ſinceriorem*

Nonnus Abbas de Narrationibus Græcorum extat Scodriaci in bibliotheca regis Hiſpaniarum: ut apud Poſſevinum lego in Appendice Apparatus Sacri *b*.

b *Pag. 22.*

ORientalis hiſtoriæ fragmenta de tempore Commenorum habes Romæ in bibliotheca S. Mariæ in Vallicella: ut eſt apud Poſſevinum ad Apparatum ſacrum *c*.

c *Pag. 22. edit. Colon. an. 1608.*

PÆanius, Sophiſta Græcus, Eutropii hiſtoriam Græcè vertit. Ejus μετάφρασις cum aliis Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus edita eſt à Frederico Sylburgio.

Paphnutius abbas ſcripſit vitam S. Onuphrii; quam de Græco Latinè verſam ab anonymo habemus in Vitis Patrum. Græcè exſtat in Boica bibliotheca.

Philones varios retuli lib. III, in ætatis incertæ ſcriptoribus. Eſt præterea Philo philoſophus, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam condidit: ut cognoſcimus ex Michaële Glyca parte IV Annalium; ubi de Leone agit Iſaurico. Etiam Philonis mentio fit à Conſtantino Porphyrogenneta de Thematibus Occidentis cap. IX; ubi de Epidamno, poſtea Dyrrachii nomen ſortitâ.

Eſt & Philo Byzantius. Is memoriæ hominum inſidet opere de ſeptem orbis miraculis. Sed ſolùm ſuperſunt illa de Memphiticis Pyramidibus, ſtatuâ Iovis Olympii, Coloſſo Rhodio, muris Babyloniis, priorque pars capitis de templo Dianæ Epheſiæ. Nam poſterior deperiit; ut & caput integrum de Mauſoli ſepulcro. Debemus hunc etiam ſcriptorem Leoni Allatio; qui & doctis eum ſcholiis illuſtravit *d*. Atque idem Notarum initio meminit diatribæ ſuæ de hoc, & aliis Philonibus. Sed utrùm jam publici juris fecerit, dicere nequeo.

d *Editus Romæ an. 1640.*

Phyteus de Mauſoleo edidit librum; ut teſtatur M. Vitruvius in præfatione ſeptimi libri. Niſi legendum Pythius; *qui Prienæ ædem Minervæ nobiliter eſt architectatus*; ut idem ait in præfat. lib. I. Sed fortaſſe non tam ea, quæ ad homines pertinerent, expoſuit, quàm quæ ſtructuram reſpiciunt. Idem putem de aliis, qui ibidem à Vitruvio referuntur. Atque ea eſt cauſſa, cur ferè à nobis præteriti ſint.

Polyænus Athenienſis memoratur Euſebio *f* lib. I Chronicorum. Οὗτος *f* Ἀμένωφις ἐστὶν ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος, καὶ φθεγγόμενος λίθος, ὃν λίθον χρόνοις ὕστερον Καμβύσης ὁ Περσῶν τέμνει, νομίζων εἶναι γοητείαν, ὡς Πολύαινος ὁ Ἀθηναῖος ἱστορεῖ.

e *Pag. 25. Theſ. Temp.*
f *Hic eſt Amenophis, qui Memnon eſſe creditus eſt, ac reſonans lapis; quem poſtea lapidem Cambyſes ſecuit, fuiſſe ratus incantationum, ac præſtigias quaſdam; ut Polyænus Athenienſis refert.*

Praxion res Megaricas condidit. Suidæ in Σκίρων citatur Πραξίων *g* ἐν β΄ Μεγαρικῶν. Similiter Ariſtophanis *h* Scholiaſtes: Πραξίων *i* ἐν δευτέρῳ Μεγαρικῶν, ἀπὸ Σκίρωνος, τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα.

g *Praxion lib. 2. Megaricorum.*
h *P. 725.*
i *Praxion in ſecundo Megaricorum, à Scyrone, qui Salamina condidit.*

RHeginus hiſtoricus citatur à Tzetze Chil. I Hiſtor. XVIII. qui ab eo proditum ait, oves alicubi aureas ferre lanas. Item Chil. VII Hiſt. CXIV. Ubi ex eo quædam adfert de mirificis nominum formis. Sed eſtne id proprium hiſtorici nomen? an potiùs ſignatur, vel Theagenes Rheginus, vel Hipys Rheginus? de quorum priori dixi lib. I cap. I; de altero lib. IV cap. III.

SAbinus Monachus reliquit *Epitomen omnium Synodorum univerſalium, & provincialium*: ut eſt in catalogo codicum Mſsorum, qui exſtare ſolent Conſtantinopoli; teſte Poſſevino in Appendice ad Apparatum ſacrum. Philippi Labbæi *k* ſuſpicio eſt (cui tamen nec ipſe multum tribuere videtur) pro *Sabino Monacho* eſſe reſcribendum *Sabinum Macedonianum*: ut ſignetur Heracleæ Thraciæ epiſcopus, de quo Socrates ſæpius libris prioribus, Sozomenus in præfatione, Nicephorus Calliſti lib. IX, X, atque aliis. Vide, quæ de eo diximus lib. II cap. XX.

k *In delineatione Apparatus ad Corpus hiſtoriæ Byzantinæ p. 50.*

Scylix, vel Scylex, hiſtoricus, Michaëli Calecæ, qui tempore Concilii Lugdunenſis vixit, memoratur libro quarto, adverſus gentes; idque gemino in loco *l*. Narrat verò ex eo, ut Michaël, patriarcha Conſtantinopolitanus,

l *P. 307. & 3126. edit. Ingolſtad.*

cogno-

cognomento Cerularius, propter azyma illum diptychis eraſerit. Hoc contigit tempore Papæ Leonis IX, circa annum MLIII. Quâ de re egimus diſſertatione de Symbolo Conſtantinopolitano. Fortaſſe igitur hic non alius ſit, quàm Joannes Scylitza, dignitate Curopalates: de quo dixi lib. II. cap. XXVI; ubi eum oſtendi ſcripſiſſe de imperatoribus Conſtantinopolitanis; quod etiam leges apud Raphaëlem Volaterran. lib. XXVI Anthropologiæ, & Geſnerum in Bibliothecâ.

Simachus, niſi *Symmachus* rectum nomen putes, res Aſſyrias, ac Medicas, tradidit. Agathias ſcholaſticus hiſtoriæ ſuæ lib. II: Ὡς ἄν τῳ Βηρωσσῷ τε τῷ Βαβυλωνίῳ, καὶ Ἀθηνοκλεῖ, καὶ Σιμάκῳ, τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγραψαμένοις, ἱστόρηται.

*a Ut alicubi Beroſus Babylonius, & Athenocles, & Simacus, referunt; qui Aſſyriorum, & Medorum, res antiquiſſimas conſignarunt.*

Simeon Magiſter, ac Rhetoricus Logothetes, opus Chronicum ex variis contexuit Chronicis, atque hiſtoriis; quod inter MSSos bibliothecæ Meſſanenſis codices recenſetur à Poſſevino in Appendice Apparatus Sacri. Item Simeon Magiſter (idem, an alius, non dixerim) ſcripſit de ædificatione templi S. Sophiæ, quod eſt Conſtantinopoli. Eum in corpore Byzantinæ hiſtoriæ Georgio Codino ſubjunget cum tralatione ſua, ac notis, Petrus Lambecius. Etiam Simeonis Theologi Hiſtoria apud Hiſpanos in Scoriacenſi biblioth. eſſe dicitur. Sed quid ego de ætate ſpondeam, qui non conſpexerim? Fortaſſe certiora afferet V. Cl. Leo Allatius: qui promiſit diatribam *De Simeonibus, qui Græcè aliquid ſcripſerunt: in qua eorum monumenta indicantur, &, in quibus Bibliothecis lateant, aperitur.*

THeodoſius Melittinus Chronicon condidit. Quod Stephanus Gerlachius Conſtantinopoli, quò, cum illuſtri viro, Davide Ungnadio, profectus erat, detulit ſecum Tubingam ad Martinum Cruſium. Exinde fragmentum de nuptiis Theophili Imper. & Theodoræ è Paphlagonia, ſubjungitur epitomæ Æthiopicæ Heliodori hiſtoriæ, Francofurti editæ anno cIↄIↄLXXXIV. De ætate meliùs dicent, qui viderunt.

Theophilus presbyter commentario illuſtravit Leonis Sapientis, Imperatoris, oracula de urbe Conſtantinopolitana. Ac videtur is ſignari à Poſſevino in Appendice Apparatus ſacri. ubi codex memoratur ſic inſcriptus: *Oracula, omnia cum figuris: puta, principium Methodii Epiſcopi Patarenſis; viſiones Danielis Prophetæ, & Choſroæ Regis Perſarum, & Theophili presbyteri Romani: tranſlata à Georgio Zigabeno: prætereaque Leonis Philoſophi, & Imperatoris.* Meminit *a* ejus quoque Philippus Labbe S. J. Theologus; deque eo ſe uberiùs, & accuratiùs, dicturum, in ſuo Syntagmate pollicetur.

*a In delineatione Apparatus ad Corpus hiſtoriæ Byzantinæ pag. 52.*

ZAcharias Rhetor Eccleſiaſticam fecit hiſtoriam: quæ needum prodiit; ſed fuit MSa Conſtantinopoli, tum in bibl. Conſtantini Barini, tum Joannis Suzi: ut auctor eſt Anton. Verderius in Biblioth. Geſnerianæ ſupplemento.

F I N I S.

# I N D E X

## Nomina Græcorum Hiſtoricorum, præcipuarumque mentionem rerum ſecundùm ſeriem literarum exhibens.

*Numerus paginam, littera* a, *primam*, b, *ſecundam columnam indicat.*

### A.


ABantias, quæ poſt Eubœa vocata, 75.a
Abas ſophiſta, 157.a
Abdala barbarus, Hiſpaniæ rex, 141.b
Abdias Babylonius de certamine Apoſtolorum, plane eſt ſuppoſititius: quod compluribus argumentis evincitur, 118 a
Abidenus, qui & Abydinus, 157.a
Abro Athenienſis. aliique hujus nominis, 157.a, b
Abron, 159.b
Abydeni hiſtoria Aſſyriaca, 70 b
Ἀβωδ@ nomen unde datum Sinopenſi ſcorto, 98.a
Acacius, Cæſarienſis Epiſcopus, 134.a. de eo Arriani dicti *Acaciani*, *ibid.*
Aceſander de rebus Cyrenaicis, 157.b
Aceſodorus Megalopolita, 157.b
Aceſtodoridis μυθικά, 157.b
Aceſtodorus, 157.b
Aceſtor, 157.b
Achæus hiſtoricus, 218.a
Achilles Tatius, Alexandrinus, 157.b. ejus ἐρωτικά, & dictio: item religio, 158.a
Achilleus fons Mileti, in quo ſe luſtravit ille heros cum Strambelum, Lelegum regem interemiſſet, 72.a
Achilochus quomodo Sapphûs amator à Diphilo inducatur, 56.b. ejus hodie nihil extat, *ibid.* ille Annii Viterbienſis ſuppoſititius eſt, *ibid.*
Achivi mille ἀνακεκλημένοι ſive φυγάδες, in quibus etiam Polybius, 93.a
C. Acilius, cujus annales tranſtulit Claudius, 90.a. de bello ſcripſit Annibalico, 90 b
acta Pauli & Theclæ, ſuppoſititia, 119.a
Acuſilaus Argivus, qua ætate vixerit, & quæ ſcripſerit, 56.a. Herodoto antiquior, 58.b. ejus ſtylus, 197.a
Adæus Mytilenæus, 158.a
Adelphius, ſive potius Dellius, 209.b
Adrani in Sicilia templum dæmonis fuiſſe, cui ſacri eſſent non pauciores, quàm mille canes, 283.a
Adrianus Sophiſta, 211.b
Ægias, 158.a
Ægyptii ne, an Phryges, vetuſtiores, 192.a
Ægyptiorum æræ Actiacæ initium, 106.a
Ægyptiorum vanitas circa Pyramides meritò reprehenſa, 162.a
Ægyptus quando in poteſtatem Perſarum devenerit, 83.a
Ægloſthenes, *vide* Aglaoſthenes, 158.b
Ælianus, *vide* Claudius Ælianus.
Ælius Severus Athenæus, qui Philonis librum περὶ πόλεων in epitomen redegit, 121.b
Æmilii Porti lapſus, 75.a. idem refellitur, 116 b
æra nova Ægyptiaca quoto Auguſti anno cœperit, 114.a
Æſchinis orationes tres, ac novem epiſtolæ, quibus nominibus ornatæ, 59.b
Æſculapius cur fulmine percuſſus, & à quo id proditum, 58.a. 186.b. 190.a
Æſopus de vita Alexandri Magni, 158.a
Æſopus Mithridatis anagnoſtes, de encomio Mithridatis, deque Helena, 101.a
Aëthlius Samius, 158.a
*Africa* dicta traditur ab Aphera, Abrahami ex Cætura nepote, 221.a
Agaclytus, 158.a
Agatharchides quando vixerit, 95.a. eundem videri, qui Samius dicitur, *ibid.* quam varia divulgarit, *ibid.*
Agatharchides Samius, 158.a
Agathias cur Scholaſticus vocetur, 141.a. ejus libri, ſtylus & religio, *ibid.*
Agathocles Babylonius, 158.a. Chius; Atracius; Samius; Mileſius, 158.b
Agathocles Siciliæ rex invidioſè à Timæo traductus, 80.b
Agathon Samius, 158.b
Agathonymus, 158.b
Agathoſthenes, 158.b
Agathus Dæmon, 218 a
Ageſilaus, rerum Italicarum ſcriptor, 58.b. 158.b
Agias, 218.a
Aglaoſthenes, 158.b
Agrigentum Siciliæ urbs, à Romanis ſpoliata, 90.b
Agriopas, 159.a
Agrœtas, 159 a
Ἀχὶς, cœnobium ſic dictum, 146.b
Agyrium (aliis Argyrium vel Angyrium) Siciliæ oppidum, 107.a
Ἀχιάλη poſtea *Tarſus* dicta, 113.a
Αἰγιμι@ poëma, ejuſque auctor. *vide* Cercops.
Alabarches vel Arabarches, Pompejus à Cicerone dictus, 101.a
A. Albini hominis Romani, de rebus Rom. hiſtoria Græcè ſcripta, 95.b. eum ut Cato feſtivè riſerit, qui tamen defenditur, *ibid.*
Albinus junior, poëta, 96.a. ejus tres verſus enarrati, *ibid.*
Albino unde nomen Porphyrii, 132.a
Alcetas, 159.a
Alcimus Siculus, 218.a
Alcmæon, alius à Crotoniata phyſico, 218.a
Alexander Cornelius Polyhiſtor, qui & Cotyæus: ejuſque ætas, captivitas, manumiſſio, mors miſera, & fœdum commentum de Moſo muliere, quæ leges tulerit Judæis, 100.a. varia ejus ſcripta. Elogium item ex Clemente, & Suida, *ibid.*
Alexander Epheſius, cognomento Lychnus, 159.a
Alexander Lychnus, *idem qui modò*, Epheſius.
Alexander Magnus quantum quotidie cœnæ cum familiaribus LX aut LXX impenderit, 205.b
Alexandri Magni hiſtorici ſyntrophi, ac comites, 70 b. 71.a
Alexandri Magni ætate nobiles hiſtorici, 204.b. 205.a
Alexander Monachus, de inventione Crucis, 159.a
Alexandri Severi Vitæ principum bonorum, 211.b
Alexander Trallianus, 218.a
Alexandria non Ægypti modò, aut Syriæ, ſed etiam Suſianæ civitas, 109.a
Alexandrides, 159.b
Alexandrides Delphicus, 218.a
Alexarchus, 159.a
Alexis Samius, 159.b
Alexon Myndius, 159.b
Amaſia quæ civitas, 113.a
Amazones ubi habitâſſe memorentur, 223 a
Ambryon de Vita Theocriti Chii, 159.b
Ameleſagoras Chalcedonius hiſtoricus, 58.a. qui & Meleſagoras Clementi Alexandrino, *ibid.* utro nomine rectiùs vocetur, in dubio eſſe, *ibid.*
Ammonius poëta, 213.a
Ammonius emendatur, 97.a
Amometus, de Attacorum gente, 159.b
Amonius, 218.a
Amorgus Simonidis patria, 207.b
Amorrio, hiſt Eccleſiaſticæ ſcriptor, 218.a
Amoſis, ſecundùm Ptolomæum Mendeſium, Pharao is, ſub quo Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi, 112.a
Amphicrates, 159.b
Amphilochium Iconienſem de Vita S. Baſilii, non eſſe genuinum, 135.b
Amyntas, 218.a
Amyntianus, 126.b
Anacharſis Scytha, 195.b
S. Anaſtaſiæ Vitæ ſcriptor, 147.b
Anaſtaſius de Vita præceptoris ſui Maximi, & utriuſque ætas, 111 b
Anaſtaſius interpres Gregorii presbyteri de vita Nazianzeni, 214.a
Anaſtaſius Theopolita, 213.a
Anaxarchi ætas, 79.b
Anaxilai tres, 159.b
Anaxilides, 218.b
Anaximandri Mileſii ætas, ac ſcripta, 61.b
Anaximandri philoſophi ætas, *ibid.*
Anaximenes Lampſacenus rhetor, Alexandri Magni comes, quæ ſcripſerit, 72.b. ejus videri Rhetorica ad Alexandr. quæ Ariſtoteli tribuuntur vulgo, *ibid.* quo tempore floruerit, 73.a. ut pulcherrimo dolo cives ſuos ſervârit, *ibid.* quâ arte ultus ſit Theopompum, *ibid.* Orationes ejus quædam prolixæ damnatæ, *ibid.*
Anaximenes Lampſacenus junior, quando claruerit, 75.b
Anaxis Bœotus, 218.b
Andreas Cretenſis, 142.b
Andreas quidam de itinere ſuo in terram ſanctam, 159.b
Andreas Panormitanus, 218.b
S. Andreæ paſſio à presbyteris Eccleſiarum Achaiæ ſcripta, cujus auctoritatis, 118.b
Andriſcus, 124.b
Androcottus Indiæ rex, ejuſque ætas, 78.b
Androetas Tenedius, 160 a
Andron Alexandrinus, 160.a. alii ab hoc, Epheſius; Halicarnaſſenſis; Teius, *ibid.* aliqui patriæ incertæ, *ibid.*
Andronicus Alipius, 160.a. alius Chryſoſtomi interpres, & ejus ætas, *ibid.*
Androſthenes, ejuſque ſcripta, 173.a
Androſthenes alius Cyzicenus, 173.a
Androtion, 160.a
Angeli Politiani error ſpiſſus, 183.a
anginam curari illito ſanguine hominis, quis auctor ſit, 162.b
Anianus chronographus, an ille ſit Anianus, qui Chryſoſtomi quædam tranſtulit, 136.b
Anianus monachus, 218.b
animum nihil eſſe Dicæarchus ſenſit, 69.b
Annæ Comnenæ genus, eruditio, hiſtoria, fides, 153.a
Anni Viterbienſis Archilochus ſuppoſititius, 56.b
Annius Viterbienſis eſt libelli de Æquivocis autor, non Xenophon, 61.b
Annii Viterbienſis impoſtura, & fœdus error, 76.b
Annii Viterbienſis Manetho rejicitur, 83.a
Annii Beroſus cujus farinæ: deque eo Dionyſii Gothofredi opinio rejecta, 82.a
anno, & menſi, in Gadibus ara conſtituta, 123.b
annum apud Græcos quis primus conſtituerit, 64.a
Anonymus de actis Pauli, & Theclæ; ſuppoſititius, 119.a
Anonymus de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis, 218.b


Ano-

Anonymus Chronographus, 218. b. ex eo hiſtoria de nuptiis Theophili, & Theodoræ, *ibid.*
Anonymus ex Ducarum familia, de geſtis Græcorum adverſus Turcas, & capta Conſtantinopoli, 215. b
Anonymus de geſtis Græcorum adverſus Turcas, & expugnatione Conſtantinopoleos, 218. b
Anonymus de XII laboribus Herculis, 218. b
Anonymus περὶ ἀπίστων, 218. b
Anonymus Theophanis hiſtoriæ continuator, 219. a
Anonymi Græciæ Prætoris hiſtoria annorum LX, 153. b
Anonymi Hiſtoria Politica, 215. b
Anonymi hiſtoria generalis à mundi exordio uſque ad Niceph. Botoniatam, 218. b
Anonymi Turcicarum rerum hiſtoria, 219. a
Antenor cognomine Delta, 219. a
Anticlides, 160. a
Antidamus Heracleopolites, 160. b
Antigenes, 160. b
Antigoni Caryſtii ætas, 79. b. de eo interpretis Laërtii lapſus, *ibid.* ejuſdem ſcripta, *ibid.*
Antileo, 160 b
Antilogus, ſive Antilochus, 160. b
Antimachus hiſtoricus, 160. b
Antimenides, 164. a
Antiochia quando & à quo Perſis, ſive Saracenis erepta, 127. b
Antiochi diverſi; *Laodicenus*; *Alexandrinus*; *Aſcalonenſis*; & hujus ætas ac ſcripta, 203. b. dictus is Antiochus Cygnus, & Stoicus fuit, *ibid.*
Antiochus περὶ τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν, 219. a
Antiochus Soter inter *ἐπιγόνους* Alexandri, 75. b. quando regnare cœperit, 81. b
Antiochus Syracuſanus, Xenophanis filius, antiquiſſimus rerum Italicarum ſcriptor, quando floruerit, 203. a
Antiochus Theus quando imperare cœperit, 81. b
Antipater, 160. b. quo nomine plures fuere, ab hoc diſtincti, *ibid*
Antipatri, ducis Alexandri, hiſtoria & auctoritas, 74. a
Antiphanes, 161. a
Antiphanes Bergæus, 219. a
Antipho Rhamnuſius, 203. b
Antiſthenes, Peripateticus, quo nomine & alii memorantur, 161. a
Antæi cadaver LX cubitorum prope Lingen, 221. b
B. Antonii Vita, auctore Athanaſio, 212. b
Antonii Diogenis ætas, & libri incredibilium in inſula Thule, 86. a
Antonii Guevaræ Antoninus Cæſar non eſt genuinus, ſed ſuppoſititius, planeque Guevaræ ipſius fœtus, 126. b
S. Antonini error de ætate Damaſceni, 145. a
Antonini Pii tempore qui vixerint hiſtorici, 125. a
Antoninus Liberalis, 161. a. diverſus ab eo Antonius Liberalis, Rhetor Latinus, 161. b
Anyclus Coſpus Bononienſis ex Zonara ſupplevit deperdita in Curtio, 178. b
Apamea, quæ priùs Myrlea, Bithyniæ civitas, 112. a
Apellas Cyrenæus, idem forte, qui Athenæo Apollas dicitur, 161. b
apes unde naſcantur, 162. a
apes cogere Rhancienſes, veteri relictâ, novam urbem condere, 219. a
Aphrodiſius, ſive Euphemius, 161. b
Apion Pliſtonices, quo tempore vixerit, quomodo à Tiberio Cæſare nuncupatus, 112. b
Apionis elogia, cognomina, πλειστονίκης & Μόχθος: à Tiberio idem *Cymbalum mundi* dictus, 115. a. Alexandrinorum adverſus Judæos cauſam apud Caligulam egit, *ibid.* quæ ſcripta ediderit, *ibid.* de iis Gellii judicium, *ibid.*
Apion unde dicatur; qua ratione non Appion ſcribendum, 114. b
*Apis Attica* dictus Xenophon, 61. b
apocrypha quædam Apoſtolis, vel eorum diſcipulis, tributa, cujus commatis reputanda, 118. a
apocrypha multa de Apoſtolis in uſu fuere veteribus hæreticis, 118. b
apocryphorum apud auctores mentio, quæ hodie non extant, 120. a
Apollas, 161. b
Apollinaris pater, & filius, 134. b
*Apollinaris* Latinis, qui Græcis *Apollinarius*; ut iis Heſychius *Illuſtris*, qui Græcis *Illuſtrius*, 134. b
Apollodorea ſecta, quæ Theodoreæ opponitur, à quo cœperit, 109. a
Apollodorus Artemita, Parthicus ſcriptor, 96. b
Apollodorus Artemita, 161. b
Apollodorus alius, 161. b. alii item complures, *ibid.*
Apollodorus Grammaticus, τραγιάμβων primus auctor. 96. a. quæ ſcripſerit, 96. b
Apollodorus Κωμῳδιογράφος, Epichari diſcipulus, 206. a
Apollonius Acharnenſis, 219. a
Apollonii Alexandrini, τοῦ Δυσκόλου, Γραμματικοῦ, 127. a. Suidæ vocatus ἱερεὺς ἐφθορμένος: non quia ſic nuncupârit auctor, ſed quod Chriſtianis talibus videretur, *ibid.*
Apollonius Aphrodiſienſis, 219. a
Apollonius Aſcalonites, 219. b
Apollonius Chæronis filius, 219. b
Apollonius Geometra, 219. b
Apollonius Nicæus, 219. b
Apollonius cur Rhodius dictus, qui ſit Alexandrinus: item ejus ætas, genus & ſcripta, 86. b. in Callimachum præceptorem ingratus animus, unde *Ibis* ab ipſo vocatus, *ibid.*
Apollonius Tyrius, 101. a
Apollonii, præter Tyrium, alii ſex, 101. b
Apollonii Tyanei ſceleſta ſchola, 128. b. ejus vitam ac res geſtas qui ſcripſerint, 120. b
Apollonium Tyaneum quanto in pretio habuerint ſtultæ nationes, inque iis Caracalla Imp. & Hierocles philoſophus, 129. a
Apollonii Scholiaſtes emendatur, 170. b. 187. b. 208. b
Apollonides Cepheus, 219. a
Apollonides Nicenus, 162. a
Apollothemus, 162. a
*Apoſtoli* vocabulum laxiùs acceptum, 134. b
Apoſtolorum multa apud Manichæos in pretio, 118. b
Appiani Alexandrini ætas, ſcripta, ſtylus, furta, 125. a. b
Appuleius unde hauſerit ſuam μεταμόρφωσιν, ſive de Aſino Aureo hiſtoriam, 223 a
aquilam in obſidione Nini bibiſſe, ab Herodoto ſcriptum, ſed ab Ariſtotele culpatum, 60. a
aquilam quando Jovi in auſpicio eſſe cœpiſſe fabulentur, 159. a
aræ in Gadibus quibus conſtitutæ olim, 123. b
Aratus Cnidius, 219. b
Aratus Sicyonius, 219. b
Arati Sicyonii ætas, geſta ac ſcripta, 88. b
Aratus Solenſis, 219. b
*arbitror*, verbum Ciceroni conſideratiſſimum vocatum, 128. b
Arceſilai ætas, 69. b
Archæus, *vide* Achæus.
Archelaus χωρογράφος, 74. a
Archelai diverſi, 127. a
Archemachus, 162. b. ejus patria, *ibid.*
Archeſtratus, 162. b
Archeſtrati vatis incredibilis tenuitatis corpuſculum, 92. b
Archetimus Syracuſanus, 195. b. 196. a
Archilochus Chronicorum ſcriptor, quando floruerit, 56. b
Archinus, 162. b
Architimus, 162. b
Archontum Athenienſium qui indicem conſcripſerint, 91. a. b
Aretates Cnidius, 162. b
Aretas, 163. a
aries in bello à quo repertus, 164. a
Ariethus Tegeates, 163. a
Arignote, fœmina præclara, 219. b
Arimaſporum forma fabuloſa, & pugna cum gryphis, 196. a
Ariſtæum de tranſlatione Legis per LXX interpretes, videri ſuppoſititium, 84. a
Ariſtagoras, 163. a
Ariſtander, 163. b
Ariſtarchus chronographus, 163. b
Ariſteas Proconneſius quæ ſcripſerit, & quo tempore floruerit, 76. b
Ariſteæ Proconneſii ætas pluribus excuſſa, 196. a. ejus Arimaſpia fabulis referta; imò Dionyſii judicio ſuppoſititia, *ibid.* de anima ejus, quoties vellet, oberrante extra corpus, ac denuò ſeſe ei inſinuante; fabella, 196. b. Eundem qui Homeri fuiſſe magiſtrum, credunt, temporum ratione refelli, *ibid.*
Ariſthus, 163. b
Ariſtides, Adrianenſis Sophiſta, 163. a
Ariſtides Mileſius, 163. a
Ariſtides Samius, 163. a
Ariſtippus, 163. b
Ariſtippus Cyrenaicus, 163. b
Ariſtippus Cyrenaicus; quæ ſcripſerit, 204. a. quæ ei occaſio Operis, quod de veterum luxu ſcripſerat, *ibid.* varia ejus apophthegmata, *ibid.*
Ariſtippum Cyrenaicum, Socraticorum primum mercedem pro inſtitutione exegiſſe, 70. a
Ariſto Alexandrinus, Peripateticus, quando vixerit, 111. b. hic & Eudorus alter alterum plagii inſimulant, *ibid.* eſt ſextus inter Ariſtones Laërtio recenſitos, *ibid.*
Ariſto Ceus, Peripateticus, 111. b. hic, & Ariſto Chius, Stoicus, ob ſimilitudinem nominis malè confunduntur, *ibid.*
Ariſto Chius, Stoicus, quid ſcripſerit, 111. b
Ariſto Pellæus, quando vixerit, 112. a
Ariſtobulus Caſſandrēus hiſtoricus, Alexandri Magni comes, 71. b
Ariſtobulus Judæus, philoſophus Peripateticus, 72. a
Ariſtocles Meſſenius, 163. b
Ariſtocles Rhodius, Grammaticus, 163. b
Ariſtocles Rhodius, Hiſtoricus, 107. a
*Ariſtoclis* nomen ſæpe corruptum legi apud ſcriptores, 107. a
Ariſtocrates, 219. b
Ariſtocreon, 164. a
Ariſtocritus, 164. a
Ariſtodemus Alexandrinus, 98. a
Ariſtodemus Elienſis, 98. a
Ariſtodemi Niſæi duo, 98. a. utriuſque ætas, *ibid.*
Ariſtomachus, *vide* Ariſtonicus, 219. b
Ariſtonicus Tarentinus, 219. b
Ariſtophanis Byzantii ætas, 92. a
Ariſtophanes Byzantinus, qui de ſcortis Atticis ſcripſit, quando floruerit, 207. a. alius ab Ariſtophane Comico, *ibid.*
Ariſtotelis diſcipuli aliquot memorantur, 67. b
Ariſtotelis fragmentum apud Euſeb. non eſſe ejus, ſed Ariſtoclis, oſtenditur, 107. a
Ariſtotelis locus à Gaza malè emendatus, 60 a
Ariſtotelis varia ſcripta hiſtorica, 204. b
Ariſtoteli tributus liber de admirandis auditionibus non videtur genuinus, 221. a
Ariſtotelem eo ritu uxori defunctæ feciſſe rem divinam, quo Athenienſes Cereri, figmentum adverſariorum videri, 163. b
Ariſtoteles Chalcidenſis, 219. b
Ariſtoxenus Selinuntius, poëta, 68. b
Ariſtoxenus Tarentinus Ariſtotelis auditor, erga præceptorem ingratus, 68. a. ejus Vitarum libri, 68. b. celebritas, ac ætas, *ibid.*
Ariſtus Salaminius, 74. a
Arius Tarſenſis, 164. a
Arrianus Nicomedienſis. Videri aliquibus eundem eſſe, cujus in Digeſtis fit mentio; ſed perperam, 122. b. dictus alter Xenophon, 123. a. ejus dignitas & opera, *ibid.* Indica ejus diverſum ſunt opus à




ized by G

ſeptem libris de expeditione Alexandri, *ibid.* Stylus Photio laudatus, 123. b
Arrianus junior, 212. a
Arrianum hiſtoricum qui ſub Gordiano vixiſſe ſentiunt, refelluntur, 123. a
Ἀρσινόητος ſive Ἀρσινόη Ægypti urbs, 131. a
Artapanus, qui & Artabanus, 164. a
Artemidorus Ariſtophanius, 92. a. 95. b. 99. b
Artemidorus Aſcalonita, 219. b
Artemidorus Cnidius, 99. b
Artemidorus Daldianus, quando vixerit: Ὀνειροκριτικῶν auctor, 101. b
Artemidorus Epheſius; ejus ætas ac terrarum deſcriptio, 99. b
Artemidorus Epheſius corrigitur, 173. a
Artemidorus Philoſophus, tempore Trajani, 99. b
Artemidorus Tarſenſis Grammaticus, 99. b
Artemon, & alter item Clazomenius, 164. a. alius quoque medicus, alius porro Caſſandreus, *ibid.*
Artemon in bello teſtudinem, & arietem invenit, 164. a
Artis, & Paupertatis ara apud Gaditanos, 123. b
Artuaſdes Armenius, rex & hiſtoricus, 103. a
L. Arunculeius Cotta, 104. a
arundinum ingens magnitudo apud Arabas, ex Uranio, 192. a
Ἀσκητικοὶ Philonis, non Chriſtiani, ſed Judæi, contrà quàm Euſebius, Rufinus. & alii putarunt, 115. a
Aſclepiades Ægyptius, cujus Ægyptiaca, non Myrleani, 100. a
Aſclepiades Ægyptius, 119. b. Alexandrinus. Anazarbenſis, *ibid.* Arei, *ibid.* Cyprius. Mendeſius. Nicenus, 220. a
Aſclepiades, Diotimi filius, atque ejus ætas, patria, ſcripta, 91. b
Aſclepiadis Myrleani ætas: ἐθνικῶν gentium Hiſpanarum, 100. a
Aſclepiades Tragilenſis, 92. a
Aſclepiadis Tragilenſis τραγῳδούμενα, 98. b
Aſclepiadis error de anima, 69. b
Aſclepiadis hiſtoria de rebus geſtis Alexandri Magni, 74. a
Aſiaticæ dictionis duo genera, 81. a
Aſiaticum dicendi genus quis primus induxerit, 80. a
Aſinius Pollio Trallianus, quæ ſcripſerit, 102. b. unde nomen id Aſinii Pollionis conſecutus ſit, 103. a
Aſinius Quadratus, ejuſque opera, 130. b
Aſpaſius Tyrius, ſophiſta, 164. a
aſteritis gemmæ ortus ac virtus fabuloſa, 101. a
Aſtynomus, 164. b
Aſtypalæa quam ferax fuerit leporum, 175. b
Athanadas, 164. b
Athanaſius de Vita B. Antonii monachi, 212. b
Athanis, 164. b
Athenæus in nomine Γαιαίας corrigitur, 198. b
Athenæi ἀναγραφὴ μουσικὴ, 103. a
Athenæi lectio vulgata ex Strabone defenſa, 96. b
Athenæi vetus lectio defenſa adverſus Caſaubonum, 208. b
Athenæi locus è conjecturâ correctus, 88. a
Athenæi Naucratitæ ætas & ſcripta, 128. a. hujus nominis alii etiam fuere ſcriptores, 128. b
Athenæus, alius à Naucratita, 210. a
Athenienſes gloriati ſe Scytharum progenitores, 67. b
Athenienſes potiùs Saitarum, quàm Saitas Athenienſium colonos videri, 184. b. 185. a
Athenocles, 210. a
Athenodorus, Tiberii, imò & Auguſti præceptor, nunc Alexandrinus, nunc Tarſenſis, vel Cananites vocatus, 112. b. quàm præclarè de Tarſenſibus meritus ſit, & gratus horum animus, 113. a. varia ejus ſcripta, *ibid.*
Athenodorus alter, itidem Tarſenſis, 113. a
Athenodorus Eretrienſis, 210. a
Atia, mater Auguſti, ex dracone dicta concepiſſe, 220. a
Attacorum gens, 159. b
Attica cur prius dicta ſit Mopſopia, 88. a
Attici de conſulatu Ciceronis commentarius, ſimplici Stylo Græcè ſcriptus, 209. b
Cn. Aufidius, prætorius, 209. a. alter etiam ita dictus fuit, ſed conſularis, à prætorio adoptatus, *ibid.*
Auguſtus Cæſar, proles draconis creditus, 220. a
Auguſti ævo quinam hiſtorici floruerint, 106. a. b
Aureliani imperii auſpicia ex Flavio Vopiſco, 212. a
M. Aurelii Antonini Vita ab Antonio Guevara Hiſpanicè edita, ſuppoſititia, ac ipſius editoris fœtus eſt, 126. b
M. Aurelii Antonini nomine duorum fuêre Imperatorum, Philoſophi, & Heliogabali, 129. b
Aurelii Opilii Muſæ, 59. b
Aurelius Victor, ſive ſcriptor de origine gentis Romæ emendatus, 90. b
Aulus Licinius Archias, poëta hiſtoricus, 103. a
Auſpicia Romanorum quibus maxime avibus fiant, & qua de cauſa, 177. a
Autocrates. 164. b

B.

BÆton ſταθμῶν Alexandri ſcriptor, 205. a
Balagrus, 164. b
Barbari hiſtorici, Græcis multo ſunt vetuſtiores, 55. a. b
Bardeſanes Babylonius, 211. b
Bardeſanes Syrus, quando vixerit, 119. b
Barnabæ Apoſtoli paſſio, liber ſuppoſititius, 120. b
Baronii error à Roſweido obſervatus, 143. b
Baronii de ætate Pſelli error refellitur, 150. a. b
Baronii de Sirmienſi Synodo opinio rejecta, 216. b
Barthii conjectura rejecta, 222. b
Bartholomæi nominis origo, 81. b
Baſilis, 164. b
B. Baſilius Cæſarienſis, 135. a. quando floruerit, 135. b
Baſilius Cilix, presbyter, 140. a
Baſilius Macedo invadit imperium, 147. b. ejus Novellæ, & alia, *ibid.*
Baſilius Seleucienſis, carmine Theclæ vitam ac certamina compoſuit, 145. b. non videri eorum auctorem, quæ proſâ ſub ejus nomine de Thecla leguntur, *ibid.*
Βασσάρας, *baccha*, 109. b
Baſſaricorum, ſive operis de geſtis Bacchi autor, quiſnam, 109. b
Bathon Sinopenſis, 220. a
Battiades poëtis, qui vulgò Callimachus, 83. b
Betus, 164. b
Bellarmini error de ætate Pſelli, 150. a
belli Tarentini & Numantini interſtitium, quantum, 104. a
bello Peloponneſiaco anteriores hiſtorici, 194. a
Bemarchius Cæſarienſis, 133. b
Βερζιβᾶζειν, pro *mentiri*, 219. a
Beroſus Babylonios ſequitur annales, 55. b
Beroſi Hiſtoria Babylonica ſeu Chaldaica, tribus conſtans libris, 82. a
Beroſi ſeu Beroſſi ætas, & nominis origo, 81. b
Beroſo ab Athenienſibus ſtatua inauratâ linguâ publicè in Gymnaſio poſita, 82. a
Beroſum ſub Ptolomæo Philadelpho vixiſſe demonſtratur; ac Beroſi ſuper eo error refellitur, 82. a
Beroſum hiſtoriam ſuam Antiocho ſive Soteri, ſive filio ejus Theo dicaſſe, 82. a
Beroſus Annii Viterbienſis, cujus farinæ, 82. a. de eo Dionyſii Gothofredi ſententia improbatur, *ibid.*
Βῆτα cur dictus Eratoſthenes Cyrenæus, 89. a
Bias Prienenſis, quando vixerit. 195. b
Biblia, quo procurante; & ſub Ptolomæo Lagide, an ſub Philadelpho ſint tranſlata, 77. b
bibliotheca Diodori Siculi, & ejus argumentum, 107. a
bigle, βίγλα, quid? 151. a. b
Bion Proconneſius, 195. b
Bion Solenſis, 164. b. duo alii hujus nominis, *ibid.*
Bionis Rhetorici Muſæ, 59. b
בירא Chaldæis, idem quod בר Syris, 81. b
Bodinus perperam de Diodori Siculi ſtylo judicium tulit, 108. a
Bodini de ætate Africani error, 129. b
Bolus, Democritêus philoſophus, 164. b
Bolus Mendeſius, Pythagoricus, 164. b
bombycum ortus, & texendi artificium, quomodo, & quando Græcis, ac Romanis, innotuerit, 142. b
Bona Dea, quæ, 221. a
bos, quem vix decem viri domarent, ſacerdos ſolâ aure prehenſum ad aram deducebat, 163. b
Botrys in Phrygia tantæ magnitudinis, ut currum medium diſrumpat, 181. b
Botthæus, 164. b
Brutius chronographus, 164. b
Bruttius Præſens, 165. a
Bucephala ſive Bucephalis, oppidum Indiæ, ab Alexandro conditum, 181. b
*burgi* in urbe Lugduno Batavorum vetuſtas, 167. b
Butas, 165. a
Butorides, 165. a

C.

CAbirus, & Cabirides nymphæ, 197. a
Cadmus Mileſius hiſtoricus de quibus ſcripſerit, 56. a. utrùm paullo junior Orpheo, ut quidam veterum putant, *ibid.* ejus vera ætas, ex Joſepho, *ibid.*
Cadmi Mileſii duo, 165. a. antiquioris ætas, 195. a. ſcripta, *ibid.*
Cæcilius Siculus qua urbe natus, & quando vixerit, 111. a. an religione fuerit Judæus, *ibid.* ejus celebritas & ſcripta, 111. b
Cæmaro, 165. a
Cæcilii rhetoris ætas, 210. a
Cæſaris Scaligeri de Pauſania judicium refellitur, 126. b. 127. a
Caianorum ſecta, 130. a
Calani ſpontaneum vivicomburium, 73. b
Calatianus, 220. b
Calatini, & Calactini, ſunt diverſi, 111. a
Callias Athenienſis, quæ ſcripſerit, 76. b
Callias Mitylenæus, 76. b
Callias Syracuſanus, ejuſque ætas, 76. a. ſuſpecta fides, *ibid.*
Callicrates Tyrius, 212. a
Callidemus, 165. a
Callimachus Cyrenæus. ejus genus, præceptor, ætas, ſcripta, 83. b. 84. a
Callimachus Cyrenæus alius, poëta ἐπικός, ex prioris ſorore natus, 83. b
Callinicus Sutorius, Sophiſta, quæ ſcripſerit, 126. a
Callipidas, 220. b
Callippus Corinthius, 165. a
Calliſthenes, Ariſtotelis diſcipulus & conſobrinus, hiſtoriam de rebus Alexandri ſcripſit, 67. b. Sed quæ hodie exſtat manuſcripta, omnino ſuppoſititia eſt, *ibid.*
Calliſthenis faſtus, & effrenis libertas, 67. b
Conſpiratio in Alexandrum, ob eamque ſupplicium, *ibid.* Scripta varia, quorum auctores meminerunt, *ibid.* ſtylus, *ibid.*
Calliſthenes Sybarita, 165. a
Calliſthenis Sybaritæ Γαλατικά, 67. b
Calliſtratus de rebus Samothraciis, & hoc nomine alii, 165. a
Calliſtus, 212. b
Callixenus Rhodius, 165. b
Camon de rerum inventionibus, 165. b
Candidus Iſaurus, 139. b
canes millenario numero ubi ſacri fuerint dæmoni, 183. a
Canuſius, ſive Ganuſius, 209. b

Capi-

Capito, poëta epicus, 165. b. alius item muſicus, ibid.
Capito hiſtoricus Lycius, 165. b
caprarum piloſis pellibus quomodo & æſtate & hyeme commodè fuerint uſi indigenæ Sardiniæ, 183. a
capras auribus ſpirare, non naribus, 162. b
capras in Lycia tonderi, prodidiſſe dicitur Calliſthenes Olynthius, 67. b
carbunculi fulgor qualis eſſe debeat ſecundùm Calliſtratum, 165. a
Cardia Thraciæ Cherſoneſi civitas, 75. a
Carminum aureorum auctor quis, 196. b
Carpion, 221. a
Caryanda, urbs Cariæ, patria Scylacis, Polybii æqualis, 93. b
Caryſtius Pergamenus, 165. b
Caſauboni de Ephoro error, 78. b. ejuſdem emendatio in Laërtio improbatur, 102. a. At aſſerta ejus correctio in Dionyſio Halic. ibid. ejuſdem in Athenæo conjecturæ occurritur, 182. a. lapſus in corrigendo loco Athenæi, 208. b
Caſaubonum decipi, dum Excerpta Polybii, quæ habemus, credit eſſe Compendium Bruti, 93. b
Caſſianus chronographus, 165. b
Caſtor, Dejotari gener, & accuſator, quis fuerit, 104. b
Caſtor Rhodius, Chronographus, 104. a. ejus duo cognomina Φιλορωμαῖος, & [illegible], 104. b. ejuſdem genus, fortuna & cædes, ibid.
caſtratio feminarum à quo primum facta, 58. b
Cato quomodo A. Albinum culpam ſcriptionis græcæ deprecantem riſerit. de quo auctoris noſtri judicium, 95. b
Cecropis ſepulcrum Athenis in arce, 160. b
Cedrenus, vide Georgius Cedrenus.
Cedrenus, hiſtoriam belli inter Samios & Cyrum geſti Pythagoræ Samio tribuens, refellitur, 196. b
Cedreni σύνοψις, 129. b
Centuriatores Magdeburgenſes male confundere oſtiam & Portum urbis, 216. a
Cephalæonis Muſæ; & faſtus, 59. b. 11?. a. à quo Cephalon alius; quos male confundit Suidas, ibid.
Cephalon Gergithius, 165. b
Cephiſodorus, belli Phocici ſcriptor, atque alii duo ejuſce nominis, 166. a
Cercops patriâ Mileſius, 220. b. Pythagoricus, ibid.
cete immanis vaſtitatis circa Gedroſiam Indiæ, 183. a
Chæreas hiſtoricus, 220. b
Chæremon Ægyptius, 106. b. ejus de ævo phœnicis ψεῦδος, ibid.
Chæremon, poëta Comicus, 107. a
Chamæleon Heracliota, 166. a
Charax Pergamenus, ſacerdos, & philoſophus, 166. a. ab hoc alius Charax Grammaticus, 166. b
Chares Mytilenæus ὁ εἰσάγγελος, 74. a
Charimandri qui dicitur de cometis liber fortaſſe idem eſt ac Chæremonis de cometis, 107. a
Charon, Apollonii familiaris; an Lampſacenus fuerit, 206. b
Charon, Carthaginenſis hiſtoricus, 166. b
Charon Lampſacenus hiſtoricus, quando floruerit, 57. b. 86. b. 198. b
Charon, Naucratites hiſtoricus, 166. b
Chercinon, vide Chæremon, 106. b
Chia inſula unde appellata, 97. b
Chœrili patria & ætas, 203. a. hiſtoria metrica de victoriis Græcorum adverſus Darium & Xerxen, ibid. ejus fama adverſus Horatium defenditur, ibid.
Chœrileum metrum, 203. a
Chonen antiquitus Italiam dictam, 203. b
Choſrois utriuſque ætas, 141. b
Chreſiphon, vide Cteſiphon.
Chreſtodemus, 166. b
Chriſtus quo anno mundi, ex computatione Græcorum receptâ, ſit natus, 149. a
Chriſti Natalis in quem principatus Auguſti annum incidat, 105. b. in quem annum mundi incidat Græcis, 217. b
Chriſtianorum veterum conſuetudo in mutando ſcriptorum gentilium titulo, quoties ſaperet impiam eorum pietatem, 127. a
Chriſtophori Perſonæ Procopius ineptè verſus, 141. a. ejuſdem lapſus in patria Agathiæ, ibid.
Chronici Alexandrini auctor, 143. b. cur vulgò Faſtos Siculos appellarint, ibid.
Chronographus magnus, 220. b
Chryſermus Corinthius, 166. b
Chryſerus, 166. b
Chryſippus, 166. b
Chryſippus Solenſis, 90. a. præter hunc quatuor alii hujus nominis, ibid.
Chryſippus pauca ſcripſiſſe dicendus, ſi aliena non veniant in cenſum, 96. b
Cicero quonam ex tribus Poſidoniis magiſtro uſus ſit, 104. a
Ciceronis commentarii Græcè ſcripti de Conſulatu ſuo: eorumque terſa ac florida dictio, 209. b. judicium de dictione Demetrii Phalerei, 78. a. lectio vulgata de Demetrii Magnetis libro περὶ ὁμονοίας, defenditur, 101. b. loco de Philiſto Siculo lux data, 63. a. de loco ſuper Acilio diſquiſitum, 90. b. ejuſdem de Timæo judicium, 81. a
Ciceroni pro Dejotaro lux, 204. b
Cimon Athenienſis, 220. a
L. Cincius Alimentius, qui Alimentus etiam aliis in libris, 208. a
Cineæ hiſtoria fabuloſa, 206. a. ejus, & Pyrrhi regis, de re militari libri, 206. b
Circuitus Joannis, liber apocryphus, 118. a
Claudii Cæſaris hiſtoriæ Græcæ, 210. b
Claudius Ælianus, atque ejus dictio, ætas, ſcripta, 113. b
Claudii Æliani ſtylus cur in Varia hiſtoria minus ſit elegans, quam in hiſtoria animalium, 113. b. ex opere ejus de Providentia quædam relata de aris ac templis Gaditanis, ibid.
Claudius Julius, ſive Jolaus, 166. b
Claudius Ptolomæus, 211. a
Claudius Theon, 221. a
Claudius Verderius de ætate Beroſi, refellitur, 81. b
Clauſerus, Theophili ad Autolicum interpres, reprehenſus, 162. a
Cleanthes Stoicus, 86. a. ejus Antiquitatum libri, & cætera ſcripta, ibid.
Cleanthi ſtatua à Romanis in urbe Aſſo poſita, 86. a
Clearchus Solenſis, Peripateticus, ejuſque ſcripta, 70. a
Clemens hiſtoricus, 166. b
Clementis Alexandrini ἀκρίβεια, 120. a
Clementis libri deperditi, 120. a
Clementis Romani Recognitionum libri, ſuppoſititii, 119. a. item epitome ad Jacobum, Hieroſolymorum epiſcop. de rebus geſtis Petri, &c. ſuppoſititia, 120. b
Cleobulus apophthegmatum collector: à quo diverſus Lyndius ille unus è VII Sapientibus, 166. b
Cleodemus Malchus, 221. a
Cleomenes de Heſiodo: à quo diverſus fortaſſe Cleomenes Rheginus, poëta dithyrambicus, 166. b
Cleon Magneſius, 167. a
Cleon Syracuſius. & alius Curienſis, 167. a
Cleopatra quot annis regnârit, 102. a
Cleoxenus, 221. a
Clidemus, ſive Clidamus, 167. a
Climachleon, corruptum nomen ex Chamæleon, 167. a
Clinias, 167. a
Clitarchus hiſtoricus, Alexandri M. comes, 72. a
Clitarchi dictio, & fides cujuſmodi? 72. b
Clitodemus, 167. a
Clitomachi ætas, ac liber de ſectis, 98. b
Clitonymus, 167. b
Clitophon Rhodius, 167. b
Clitus Ariſtotelicus, 72. b
Clodius, 221. a
Cnopi regis interitus, 178. a
Cnoſſus, 167. b
Coccejus ſive Coccejanus, idem qui Dio Caſſius, 130. a
Coi quando ſoleant parentare Hippocrati, civi ſuo, 218. b
Comitiali morbo lapſorum ora ſanguine ipſius hominis efficaciter illini, quis auctor ſit, 162. b
Conon de Heraclea, & alter fortaſſe de Italia, 167. b
Cononis ætas, commentatio, ſtylus, 105. b
Conradi Geſneri locus in Tatiani tralatione expenſus, 81. b. Ab eodem receſſum, quando duos confundens Alexandros, Beroſum toto ſeculo facit juſto minorem, 82. a. Vide porro Geſnerus.
Conſtantini Ducæ imperium, 150. a
Conſtantini M. ævo qui floruerint hiſtorici, 133. a. b
Conſtantini M. res geſtas qui ſcripſerint, 133. b
Conſtantinus Manaſſes, 153. a. prælatus Gualtero Philippo, 153. b
Conſtantini Pogonati Imperium, 144. b
Conſtantinus Porphyrogennetus, Imp. literarum, & literatorum, amans admodum, 149. b. ejus juſſu collecti LIII libri digeſtorum politicorum, & hiſtoricorum: & quantum damni ea res dederit Reipubl. literariæ, ibid.
Conſtantini Porphyrogenneti imperium, 146. a
Conſtantini VII. Caballini ſive Copronymi imperium, 145. a
Conſtantinopolis quando Turcici imperii ſedes eſſe cœperit, 182. b
Conſtantis Imperium, 144. b
Corinnus, ſecundùm aliquos, Iliadem primus carmine modulatus eſt, 194. b
Cornelius Balbus, ephemeridum Cæſaris ſcriptor, alius à Corn. Balbo Theophane, 101. a
Cornelius Gallus, Ægypti præfectus, & poëta nobilis, 106. a. quando Ægypto præeſſe cœperit, 114. a
Cornelius Nepos corrigitur, 90. b
Coſmas Veſtitor, 221. a
Coſme, 168. a
Cotyæum, civitas Phrygiæ, patria Alexandri Polyhiſtoris, 100. a
Craterus Macedo, 168. a
Craterus ſub Alex. M. 205. a
Crates quando vixerit, 98. a
Crates Mallotes, 168. a
Crates Pergamenus, 168. a
Cratippus hiſtoricus, 203. b
Crator, Aurelii Vari libertus, 128. a. 211. a
Creophylus, alius à Creophylo Samio, 168. a
Creſiphon, vide Cteſiphon.
Criſpinus de Vita S. Parthenii, 168. b
Critias, alius à Critia Poëta, 168. b
Critodemus, 168. b
Critolaus de rebus Epiroticis, 168. b. hujus nominis fuiſſe complures, ibid.
Criton, hiſtoricus Pieriotes, 168. b
crocodili XVII cubitorum ſacerdotis carmine è lacu educti, 159. b
Cruquii lapſus, 210. a
cryſtallus aratro excitata, teſte Xenocrate Epheſio, 192. b
Cteſias Cnidius quando vixerit, quâque occaſione rerum Perſicarum cognitionem acquiſierit, 62. a. à diverſis vanitatis arguitur, ibid.
Cteſiæ ambitioſa vanitas in redarguendo Herodoto, teſte Photio, 62. a. ejus Aſſyriaca, & Perſica, ac quouſque in Perſicis fuerit progreſſus, ibid.
Cteſiæ epitome à Pamphila ſcripta, 62. b
Cteſiæ ſcripta, quorum autores meminere, 62. b. eorum quædam Photius nobis conſervavit, ibid.
Cteſiæ duo: unus Cnidius, alter Epheſius, 168. b
Cteſibius hiſtoricus, 86. a. ejus longævitas, ibid.
Cteſibius junior, qui hydraulicas machinas invenit, 86. a
Cteſiphon, 169. a. 221. a

Cteſippus, 169. a
*Curopalates* qui diceretur, 151. b
Curtii duo primi libri deperditi à quo, & unde fuerint ſuppleti, 178. b
Cydippus Mantineus, 169. a
*Cymbalum mundi* Apion à Tyberio dictus, 112. b. 115. a
Cyprus, priùs Cryptos, & Colinia, 164. b. cur aliter Σφήκεια appellata, 119. a
Cyrilli de ætate Ariſtoxeni error, 68. b
Cyrillus Alexandrinus de vita Chryſoſtomi, 137. b
Cyrillus Monachus, de Vita præceptoris ſui Euthymii Archimandritæ, 139. a. ſomnii narratio, quo ad eam conſignandam fuerit inſtructus beneficio ipſius Euthymii, & Sabæ, *ibid.* idem & Sabæ & Joannis Sabæ ſilentiarii Vitas perſcripſit, *ibid.* ejus elogium, 139. b
Cyrilus Pharſalius, 138. a
Cyrus ſcriba de vita S S. Martyrum Leontii, & ſociorum, 169. a
Cyrus oppid. à Judæis, an à Cyro rege, conditum ſit, 137. b

D.

DAes Coloneuſis, 221. a
Daimachus Platæenſis, ejus ſcripta & fides, 78. b. de eo Strabonis judicium, *ibid.*
Dalecampius notatus, 111. a
Dalion vel Dallon, 169. a
Damas de Vita Eudemi, 169. a
Damaſcius Damaſcenus: ejus παράδοξα librorum argumentum, 142. a. alia ejus ſcripta, *ibid.*
Damaſtes Sigeenſis quis, & quæ ſcripſerit, 58. a. 201. b
Damis Aſſyrius, Apollonii Thyanei familiaris, 120. b
Damocritus hiſtoricus, 169. a. ejus de Judæis mendacium, *ibid.*
Damon Cyrenæus, 169. a
Damophilus, 126. b
Damoſtratus, 169. a
Daniel monachus de vita Joannis Climaci, 169. a
Darii imperium, 198. a
Darii temporibus qui vixerint hiſtorici, 197. a
Darius Phrygius, 195. b. alius nomen ejus ementiens, deque eo judicium, *ibid.*
David Hœſchelius Procopii editor laudatur, 141. a
Dauſqueii error, 61. a
Dectadas, 169 b
Deilochus, 169. b
Deïochus Proconneſius, hiſtoricus, 58. a
Deiotarus qua in cauſſa, & adverſus quem, defenſus à Cicerone, 104. b
Delechampius malè *mattyam* poëtæ Comici Athenæo eſſe nomen putavit, 172. b. ejus item error in vertenda voce ματτύην, 206. a
Dellius, 209. b
Demænetus, ſive Demetrius, λαμπαδηφόρος, poſtea Olympionica, 169. b
Demagoras, 169. b
Demaratus, 169. b
Demarchus, 169. b
Demeoclitus, 220. b
Demetrius Byzantius, ejuſque ætas, 206. b. & alter ejus nominis & patriæ, *ibid.*
Demetrii Byzantini duo, unus philoſophus peripateticus, alter hiſtoricus, 169. b
Demetrius Cyzicenus, 169. b
Demetrius Callantianus, 169. b
Demetrius Erythræus, 169. b
Demetrius Magnes, cujus libri περὶ ὁμονοίας mentio apud Ciceronem, 101. b. item περὶ ὁμωνύμων ſcripſit, 102 a. Uti & συνώνυμα, *ibid.*
Demetrius ab Odeſſo, 170. a
Demetrii Phalerei ætas ac dignitas, 77. b. ei CLX ſtatuæ poſitæ ab Athenienſibus, *ibid.* ejuſdem in Ægyptum fuga, & apud Ptolomæum Lagi honor. apud filium verò ejus Philadelphum fatum ſiniſtrum, & ejus cauſſa, *ibid.*
Demetrii Phalerei ſcripta: & liber de archontibus, 78. a. dictio ſeu ſtylus cujuſmodi, *ibid.*
Demetrium Phalereum Ptolomæi Philadelphi bibliothecæ præfuiſſe, bibliaque, eo procurante, eſſe Græcè tranſlata, qui autores teſtentur, & quomodo illi concilientur cum aliis qui tranſlationem illam tempore Ptolomæi Lagi factam ſcribunt, 77. b
Demetrius, qui de Judæorum regibus ſcripſit, 170 a
Demetrius Scepſius, 97. a. ejus Operis, quod Τρωικὸς διάκοσμος inſcripſit argumentum, *ibid.*
Demochares Rhetor, ejuſque ætas, 76. a. à Timæo accuſatus, à Polybio defenſus, *ibid.* ejus hiſtoria, ac ſtylus, *ibid.*
Democles Phygalcus, hiſtoricus, 57. b
Democritus Abderita, ſive, Mileſius, quando floruerit, 197. a
Democritus Epheſius, 170. a
Demodocus, 170. a
Demophilus, Ephori filius, 173. a
Demoſthenes Bithynus, 170. a. ab eo alius Demoſthenes Thrax, *ibid.*
Demoteles, 170. a
Demus, fortè corruptum ex Demetrio, 170. a
Dercyllus, 170. a
Deſiderii Heraldi conjectura in Arnobio improbata, 164. b
Dexippus Herennius, 131. a. ejus opera, fortitudo bellica, dictio, *ibid.*
Διάδοχοι, & ἐπίγονοι, malè confunduntur à viris ſummi nominis, 75. a. b
Diagoræ cognomento Athei, ſermones Phrygii, 197. a
Dianæ Epheſiæ templum, illâ abſente, conflagraſſe, exclamavit Hegeſias, & Timæus, 80. a
Διαφωνεῖν pro, extremam vocem edere, 65. a
Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, 69. a. ejus libri de rep. Spartana quanti fieri Lacędæmone ſoleant. Alii item Græciæ deſcriptionem complectentes, *ibid.* quæ ſcripſerit præterea, 69. b. ex quibus τριπολιτικόν, *ibid.*
Dicæarchi laus ex Cicerone, 69. b. fœdus ejus error de mente humana, *ibid.*
Dictys Cretenſis, de bello Trojano ſcripſit, 194 b. alius ejus nomen ementiens, qui hodieque ſupereſt, *ibid.*
Didymarchus, 170. b
Didymus, unde χαλκέντερος, & βιβλιολάθας vocatus, 105. a. quantum librorum numerum ſcripſerit, *ibid.* Σωζηλιακός cur appellatus, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* eum non videri auctorem Scholiorum in Odyſſeam, *ibid.*
Didymus alter, itidem Alexandrinus, 105. b. tertius, & ipſe Grammaticus, & Muſicus egregius, *ibid.*
Didymus Claudius, 105. b
Dieuchidas Megarenſis, 170. b
Digeſtorum politicorum, & hiſtoricorum libri LIII, Conſtantini Porphyrogenneti juſſu collecti: ac quanto id damno reipubl. literariæ factum ſit, 149 b
Dinarchi quatuor, 102. a
Dinarchius Delius, 170. b
Dinias, 170. b
Dinonis ætas, & libri de rebus Perſicis, 204. a. eorum auctorem apud nonnullos corrupte *Dionem* vocari, 204. b
Diocles Peparethius, 170. b
Diocles Rhodius, 170. b. A quo alius Athenienſis. alius Caryſtius medicus. alius Diocles Caryſtius rhetor, *ibid.*
Diodorus cur dictus Ariſtophanius, 95. b
Diodori Croni ætas, 87. b
Diodorus Epheſius, 221. b
Diodorus Periegetes, 170. b
Diodorus monachus, 212. b
Diodorus quidam, 221. b
Diodorus Sardianus, 210. a
Diodorus Sardianus, Strabonis amicus, quæ ſcripſerit, 114. a
Diodorus Siculus unde Aſſyriaca ſua hauſerit, [illegible] a
Diodori Siculi ætas & patria, 107. a. quare opus ſuum βιβλιοθήκην ἱστορικὴν inſcripſerit; & quodnam illius argumentum, *ibid.* ejus geminus lapſus, itemque παράχρημα, in Olympiadum annis; quo nomine ſæpe vapulat doctis, 107. b. labor diuturnus in bibliotheca conſarcinanda, *ibid.* quantum maximæ partis librorum ejus damnum fecerimus, *ibid.* ejuſdem βιβλίον τελευταῖον, *ibid.* quem plerique ſextum vocent Diodori, & qui id factum ſit, *ibid.* ejus fides defenditur adverſus Vivem, 108. a. ſtylus item, adverſus Bodinum, *ibid.*
Diodori Siculi eſſe fragmentum de Cleonnide, & Ariſtomene, 107. b
Diodori Siculi libri qui ſuperſint, 107. b
Diodori Siculi interpres notatus, 81. b
Diodori Siculi de Timæo Siculo judicium, 81. a
Diodotus Erythræus, 74. a
Diogenes Cyzicenus, 171. a. à quo diverſus eſt Diogenes Sicyonius: item Apolliata, Seleucienſis vel Babylonius, Cynicus, *ibid.* Tarſenſis, *ibid.* Smyrnæus, *ibid.* Eſt & qui de Thule ſcripſerit, *ibid.*
Diogenes Laërtius. frigidum de eo Keckermanni judicium refellitur, 125. b ejus ætas, *ibid.* fœminæ ſuum nuncupaſſe opus, *ibid.* ejus interpretis lapſus, *ibid.*
Diogenes Laërtius emendatur, 90. a
Diogenianus, vel Diogenes, Cyzicenus grammaticus, 124. b
Diogenianus Heracleota. ejus elogium, ac ſcripta, 124. b
Diogenetes, 171. a
Diognetus, 173. a
Dionis Caſſii patria, ætas, 130. a. dignitas, hiſtoria, ejuſque argumentum, & ſtylus, *ibid.* ejus inſectandi viros præſtantes κακοήθεια, notata, *ibid.*
Dionis Chryſoſtomi de Xenophonte elogium, [illegible]
Dionis Chryſoſtomi de dictione Theopompi judicium, 65. b
Dionyſiodorus Bœotus, 221. b
Dionyſius quomodo Theopompum mordacitatis ac negligentiæ circa dictionem exculet, 65. a. b
Dionyſius Alexandrinus, Chæremonis præceptor, quæ publica ſuſtinuerit munia, 106. b
Dionyſii duo, Alexandrini dicti, unus Thrax, alter Glauci filius, [illegible]
Dionyſius Argivus, [illegible]
Dionyſius Atticus, ſive Pergamenus, 109. a
Dionyſius Byzantius, [illegible]
Dionyſius Chalcidenſis, 171. b
Dionyſius, Diogenis filius, 221. b
Dionyſii Gothofredi ſententia de Annii Beroſo refellitur, 82. a
Dionyſius Halicarnaſſeus quos hiſtoriam ante bellum Peloponneſiacum ſcripſiſſe commemoret, 58. a. idem quando floruerit, 108. b. quanti temporis, ac quot librorum hiſtoriam conſignârit, *ibid.* an univerſis libris titulum ἀρχαιολογίας Ῥωμαϊκῆς fecerit, *ibid.* in obſervatione temporis, & explicatione rituum Romanorum, eſt accuratus, *ibid.* ejus ſtylus cujuſmodi, *ibid.* Scripſit ipſe hiſtoriæ ſuæ compendium, *ibid.* Opuſcula item Rhetorica ac Critica, quæ ſuperſunt, 109. a
Dionyſii Halicarnaſſ. locus, de natali Herodoti, expenſus, 59. a
Dionyſii Halicarnaſſenſis de ſtylo Hegeſiæ judicium, 80. a
Dionyſii Halicarnaſſenſis judicium de dictione Polybii, 91. b
Dionyſius Halicarnaſſenſis junior, ejuſque ætas & ſcripta, 116. a
Dionyſius Halicarnaſſenſis, non auctor ille Antiquitatum Rom., ſed alius, Polybii æqualis, 107. b
Dionyſius Heracleota, Zenonis auditor, unde *Metathemenus* vocetur, 206. a. Tranſpoſitorem perperam verti eam vocem, *ibid.*
Dionyſius Longinus Caſſius. ejus elogia, & ſcripta, 131. a. mors violenta, *ibid.*
Dionyſius Mileſius, ἀστυγενής, 109. b. 198 b

Dio-

Dionyſii Mileſii ætas & ſcripta, 58. b
Dionyſius Mytilenæus, 171. b
Dionyſius, Muſonii fil. 171. b
Dionyſius ὁ περιηγητὴς, 109. a. quando vixerit, accuratè oſtenſum, *ibid.* patria ejus ex Plinio indicata, *ibid.* de ea Suidæ conjectura refellitur, 109. b. ſcripſiſſe etiam eundem de lapidibus, *ibid.*
Dionyſius Perſicorum ſcriptor, 171. b
Dionyſius Philadelphenſis, Ὀρνιθιακῶν auctor, 109. b
Dionyſius Samius, cur Rhodius dictus, ipſe etiam περιηγητὴς, 109. b
Dionyſius, Scytobrachion nuncupatus, quando vixerit, 201. b
Dionyſii duo, Siciliæ tyranni, quæ ſcripſerint, 62. b. 63. a
Dionyſius junior, Siciliæ tyrannus, quando in exilium abierit, 68. b
Dionyſius Siculus, 171. b
Dionyſius Grammaticus, quomodo & Thrax, & Alexandrinus & Rhodius, dici potuerit, 101. a
Diophantus Lacedæmonius, 171. b. Syracuſanus, *ibid.*
Dioſcorides, 172. a
Dioxippus, 172. a. ab eo alius eſt Dioxippus Hippocraticus, medicus, *ibid.*
Diphilus, 172. a. alius ab eo Diphilus Sinopenſis, uti & Caryſtius, Siphnius, Laodicenſis, qui ſcholiorum Nicandri auctor videtur, *ibid.*
Diphilus quomodo Sapphûs amatores, Archilochum, & Hipponactem, in ſcenam induxerit, 56. b
Dius, 172. a
Diyllus Athenienſis, 172. a
Domitius Calliſtratus, 172. b
Domitii Piſonis dictum, *Theſauros ſcribi debere, non libros,* 126. b
Dorotheus Aſcalonita, 74. a
Dorotheus Aſcalonita. & alius Sidonius, 172. b
Dorotheus Tyrius, qui creditur auctor libri de vita & morte Prophetarum, Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti: in quo tamen non pauci notantur errores, 134. b
Doſiades, 172. b
Doſitheus, 172. b
dracontias lapis in capite Libycorum draconum invenitur, 187. a
drungi & drungarii vocabula quid ſignificent, 151. b
*dunum* quid notet, 167. b
Duris Samius, 85. a. quæ ſcripſerit, *ibid.* idem circa verborum collocationem negligens, *ibid.*
Duris ζωγράφος, alius à Duride Samio, 85. b

E.

Echemenes, 172. b
eclipſes, & periodos lunæ quis primus invenerit, 119. b
Elagabalus pro Heliogabalus, 129. b
Egeſidemus, 172. b
Ἔμυχος pro deſcriptione, 204. b
elephantorum indoles, 221. b
Eleuſis, 172. b
Eleuſius, ſive Georgius presbyter, de Vita S. Theodori, 144. a. b
Empedoclis Agrigentini ætas, & elogia, 197. a. ejus Perſica an ætate Ariſtotelis ſuperfuerint, 197. b
Empodus, 173. a
Empyli Brutus, ſive de nece Cæſaris libellus, 105. b
Endymion cur dicatur annos dormiiſſe xxx. 97. a
Enomides, 173. a
Epaphus, 173. a
Ephippus Cumanus in corruptis Suidæ codd. vocatur, qui Ephorus eſt, 66. b
Ephippus Olynthius. à quo diverſus Ephippus Comicus, 205. b
Ephori præter opus hiſtoricum ſcripta, 66. a. liber Ἐπιχώριος inſcriptus, *ibid.* fides ſuſpecta: idque aliquot exemplis oſtenditur, *ibid.* fœdus error de Iberis, quos unam civitatem eſſe putavit, *ibid.* quid de ejus ſtylo ſtatuerit Diodorus Siculus, Duris Samius, Dio Chryſoſtomus, & Suidas, 66. b
Ephori ingenua confeſſio de vetuſtate hiſtoriæ barbaricæ, 56. a
Ephorus Cumanus, 131. a. hic unà cum Theopompo Iſocratem audivit: qui de utriuſque ingenio diverſimodè judicavit. quot annorum hiſtoriam complexus ſit, *ibid.*
Ephorus Cumanus alter, priori longè recentior, & ejus ſcripta, 66. b
S. Ephræm, 134. b
Ephraëm, poëta hiſtoricus, 154. a
Epicurus plura Chryſippo ſcripſit, 96. b
Epicurus quando fuerit mortuus, 97. b
Epicuri ætas ac πολυγραφία, 205. b
Epicureos omnes præſtigias, ac vaticinia, & quicquid iſtiuſmodi eſt, ridere, 128. b
Epigenes aſtrologus & hiſtoricus, 173. a
Ἐπίγονοι Græcis qui, 75. a
Ἐπίγονοι Ἀλεξάνδρου, qui & διάδοχοι, 75. a. quomodo tamen utrique diſtinguendi, *ibid.*
Ἐπίγονοι τῶν ἐπὶ Θήβας, 75. a
Ἐπιλυτικοὶ qui vocati, 86. a
Epimenides tres, 173. a
Epimenidis Cnoſii ætas, & ſcripta, 195. a
Epiphania urbs ubi ſita, 139 b
Epiphanius Cyri Epiſcopus, 213. a
Epiphanius Salaminius Panario præclarè meritus de veteris Eccleſiæ hiſtoria: ſed liber de vita Prophetarum jure eſt ſuſpectus, 135. b
Epiphanii judicium de libro *Circuituum Petri* à Clemente conſcripto, 120. a
Epona, Fulvii Stelli filia, 158. b
Eponæ ſive Hipponæ deæ ortus, 58. b
Eraſiſtrati ætas, 95. b
Eratoſthenis Cyrenæi ætas & multijuga ſcientia, ob quam alter Plato, & πένταθλος dictus, 88. b. Βῆτα item eâdem de causâ, 89. a. ſcripta, *ibid.* & 89. b
Eratoſthenes primus *Grammatici* ſeu *Philologi* nomine appellatus, 86. a
Ἔρεσος civitas inſulæ Lesbi, 70. a
Ergias Rhodius, 173. a
Erxias, 173. a
Eſaias, de martyrio Ionæ, & Barachiſii, 133. b. 134. a
Etymologici magni auctor corrigitur, 70. a
Euagoras Lindius. à quo diverſus Euagoras Thaſius, 173. a
Euagrius Ponticus, de cujus curriculo brevis relatio. Pelagiani dogmatis ſemina eum jeciſſe teſtatur Hieronymus, 136. a. Vita ejus falsò Hieronymo tributa, *ibid.*
Euagrii locus emendatus, 130. a
Euagrii Scholaſtici libri, honores, ſtylus, 142. b
Eualces, 173. b
Euangelia quædam ſpuria, quæ nunc tamen non extant, ut Judæ, 120. a. ſecundùm Ægyptios: item ſecundùm Hebræos vel Nazaræos, *ibid.*
Euanoridas Eleus, 173. b
Euanthes tres; Mileſius, Samius, Cyzicenus, 173. b
Eubulides, præceptor Elephanti Olynthii, qua ætate vixerit, 66. b
Eubulides, 173. b
Eubulius B. Methodius appellatus, 132. b
Eubulus, 173. b
Euclides Megarenſis auditorem habuit Platonem, idem Demoſthenem docuit ę pronunciare, 66. b
Euctæus, 173. b. ſed is potiùs Hecatæus, *ibid.*
Eudemus Naxius, & Parius: utrumque verò eundem videri, 173. b
Eudemus Parius, hiſtoricus, 58. a
Eudoxiæ Cento Homericus, 152. a
Eudoxus Cnidius annum primus conſtituit apud Græcos, 64. a
Eudoxi Cnidii ætas & ſcripta, 63. b. 64. a
Eudoxus Cyzenius quando vixerit, 64. a
Eudoxus Rhodius, hiſtoricus, 64. a
Euelpis Caryſtius, 174. a
Euemeridas Cnidius, 174. a
Eugamon Cyrenæus, 174. a
Eugeon Samius, hiſtoricus ante bellum Peloponneſiacum, 57. b. ſeq.
Euhemeri ætas, peregrinatio, patria, hiſtoria ex inſcriptionibus ſacris contexta, & ab Ennio verſa, item ἀθεότης, 76. b. ſeq.
Eumachius Neapolitanus, 174. a
Eumachus, 174. a
Eumathius, 214. b
Eumelus hiſtoricus quando vixerit, & quid ſcripſerit, 56. b
Eumelus Corinthius quando floruerit, 195. a. ejus Bugonia; & alia ſcripta, *ibid.*
Eumenes Cardianus, 74. a
Eumolus, niſi potius *Eumelus*, vel *Eumolpus* debeat legi, 174. a
Eunapius Sardianus, pro quo Zoſimum habemus, qui illum propè deſcripſiſſe videtur, 135. a
Eunomii viſa ſunt Rufino quæ in Clementis Recognitionibus ex perſona B. Petri diſputantur, 119. b. 120. a
Eunomus, ſed aliis Eurynomus, dictus puer ab Hercule talitro interfectus, 174. a
Euphanti Olynthii ætas, ac ſcripta, 66. b
Ephemius, 174. a
Euphorion Cherroneſiota, ſive Chalcidenſis. ejus ætas & ſcripta, 87. b
Euphoriones duo alii, præter Chalcidenſem, 88. a
Euphorus, *vide* Ephorus, 174. a
Eupolemus, 174. b
Euripidis Scholiaſtes in voce Ἀμελησαγόρας corrigitur, 58. a. iterum corrigitur, 85. a. 186. b. 198. b
Euripus, 221. b
Εἴρωμος Tyri rex, Salomonis æqualis, 75. a
Euſebius, 221. b
Euſebius Cæſarienſis, cur Pamphili cognomen habeat, 133. a. Chronicorum ejus diviſio, atque argumentum, *ibid.* τῆς προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς libri quo fine ſcripti, *ibid.* quot olim libri ἀποδείξεως εὐαγγελικῆς, *ibid.* iſtud opus alicubi Arrianiſmum ſapere, *ibid.* Chronicorum ejus commendatio, 133. b. cæteri ejuſdem libri, *ibid.*
Euſebius corrigitur, 57. a. in eodem & Tatiano gemina conjectura, *ibid.*
Euſebii de Archilochi ætate error, 56. b. error de ætate Eudoxi, 63. b. error de ætate Pherecydis Athenienſis, 199. b
Euſebii illuſtre teſtimonium de Manethone, quis fuerit, quando vixerit, atque aliis, 83. a
Euſebius Scholaſticus, 212. a
Euſtathii locus corrigitur, 199. a
Euſtathius Epiphanienſis, 139. b
Euſtathius Syrus, 174. b
Euſtathius Theſſalonicenſis, 214. a
Euſtochius Cappadox, 133. b
Euthymanes Maſſilienſis, 174. b
Euthymenes, 174. b
Euthymius & Sabas Cyrillo monacho in ſomno apparentes ipſum inſtruunt ad ſcribendum, 139. a
Euthymii, archimandritæ in Palæſtina, Vita à Cyrillo monacho (non à Simone Metaphraſte) perſcripta, 139. a
Euthymii Zigabeni Saracenica, 152. b
Eutropius ſophiſta, 133. b
Eutychianus grammaticus, 133. b
Eutychianus junior, diverſus ab Eutychiano Grammatico, quis fuerit, 133. b
Euxenus, 174. b

F.

Fabularis hiſtoria ex hiſtoria quidem deſumitur, ſed fabulam admiſcet, 108. a
Falconillæ animam ab inferorum ſuppliciis liberatam precibus Theclæ, prodidit Damaſcenus, 145. b
Fauſtiniani transformatio fabuloſa, 119. b
Faſti Siculi, ſive Chronicon Alexandrinum, 143. b
Feſtus emendatur, 203. b
Flavius Conſtantinopolitanus, 213. b
Flavii Joſephi ſententia approbatur de Herodoto,

doto, errore potiùs decepto, quàm ſtudio alios decipiente, 59. b
*Florida*, vel *Laudabilia*, quæ veteres dixerint, 126. a
fœminæ in Gorgonum inſula, alitis pernicitate, & cute prorſus hirſuta, 192. b
fœminæ ubi ſponte fœcundæ; ut fabulantur, 222. a
fœminas quis primus caſtrârit, 58. b
fons inſipientes faciens, qui inde biberint, 111. b
fons Mileti dulcem & ſalſam aquam habens, 72. a
Franciſcus Junius, 138. b. adverſus Gretzerum defenditur, 174. b
Franciſci Horatii error, 137. b
Franciſci Patricii error de Strabone, 95. b
Freculphi Lexovienſis in complurium ſcriptorum nominibus emendatus, 71. b. iterum correctus, 95. b. 110. b. 180. b
Fulgentius Planciades emendatus, 224. a
Fulgentii Planciadæ mos, voces Latinas comprobare ex Græcorum interpretibus, 160. b. in loco conjectura, 161. b. ejuſdem locus è conjecturâ correctus, 201. b

G.

GAbinus, 221. b
Gades olim Erythia, 185. b
Gaditano in Herculis templo fons contrario affectus modo ac mare, 189. b
Galeni ætas, 126. a
Gallus Strabonis familiaris, uter fuerit, Cornelius, an Ælius, 114. a
Gellii error, 61. b
Gelaſius Cyzicenus, 138. b. ejus tranſlatio publico promittitur, *ibid.* ſtylus cujuſmodi: & an idem hic ſit Gelaſius, cujus libellus adverſus anomœos ſupereſt, 139. a
Gemiſti Plethonis epitome hiſtoriarum Siculorum, 155. b
Geneſius Byzantius, 221. b
Gentianus Hervetus ineptæ interpretationis notatus, 186. b
Georgius Acropolita putatur, qui Prætor Græciæ, hiſtoriæ LX annorum ſcriptor, 217. b
Georgius Alexandrinus, 213. b. ſua de Chryſoſtomi vita hauſit ex Cyrillo, 137. b
Georgius Ἁμαρτωλὸς, idem qui Georgius Monachus, 146. b
Georgius Cedrenus, unde ſuam Σύνοψιν hiſtoriarum compilârit, 150. a. quæ ille, & Joannes Curopalates iiſdem verbis tradiderint, 151. a. Plura in *Curopalates*.
Georgius Chumnus, Byzantinus, 174. b
Georgius Codinus Curopalates, 174. b
Georgius Gemiſtus, deque ejus ſtylo judicium Antimachi, 155. b
Georgii Logothetæ Acropolitæ Chronicon Conſtantinopolitanum, 153. b. ejus elogium ex Gregorio Cyprio; ſed immodicum, *ibid.*
B. Georgii martyrium, 132. b. ejus acta plane apocrypha, *ibid.*
Georgii Pachymeris dignitas, & hiſtoria, 154. a
Georgius Phranza, ejus dignitas, & quando hiſtoriam ad finem perduxerit, 155. b
Georgius Piſides, 143. b. ejus ſcripta, *ibid.*
Georgius presbyter, ſive Eleuſius, de vita S. Theodori, 144. a. b
Georgius quidam de ſacrificiis Rhodiis, 174. b
Georgius Syncellus: & cur Σύγκελλος dictus, 146. a. Euſebium exſcripſit, & caſtigavit: ſed nec rarò ipſe culpandus, *ibid.* ejus de Ptolomæi Aſtrologi, & Geographi, ætate ſpiſſus error, *ibid.* quando vixerit, *ibid.*
Georgius Theophanes; è quo ſua hauſit Anaſtaſius bibliothecarius, 146. b. videri eundem ac Theophanem presbyterum, cujus oratio de exilio S. Nicephori exſtat, *ibid.*
Geſnerus rectène cenſeat Hadrianum Cæſ. de re militari ſcripſiſſe, 122. b. idem deceptus de ætate Hippolyti Thebani, 149. a. iterum deceptus, 159. a
Geſneri error, duos Albinos confundentis, 95. b. alius error, 160. b. alius item, 122. b. ejuſdem alius lapſus, 69. a. opinio de hiſtoria philoſophica Damaſceni rejecta, 142. a
Glaucippus, 175. a
Glaucus de antiquis Arabiæ rebus: & Glauci alii nonnulli, 175. a
Glaucus Rheginus, 197. a
Glauci Rhegini liber creditus Antiphontis, 203. b
Godefredi Viterbienſis lapſus, 129. b
Gordianus de Vita Placidi monachi, 141. b. qua occaſione eam perſcripſerit, *ibid.*
Gorgias tempore Antonini Pii ſcripſit quatuor de figuris libros: quos Rutilius Lupus junior in compendium redegit, 126. a
Gorgias Athenienſis, 175. a
Gorgonum inſula continet fœminas alitis pernicitate, & cute prorſus hirſuta, 192. b
Gotthos vulgò Scythas dictos eſſe, 144. b
*Grammatici* nomine quis primus appellatus, 86. a
Grammatici κριτικοὶ qui dicerentur, 86. a
Grammatici Nyſæi quidam illuſtres, 98. a
Γραοσυλλέκτρια Timæus Siculus cur diceretur, 80. b
Gregorii Nyſſeni, ſanctorum quorundam Vitæ, 135. b
Gregorius presbyter, de Vita Gregorii Nazianzeni; item de patribus Concilii Niceni I, 214. a
Guilhelmi Stuckii lapſus, 123. a
Gyges, Lydorum rex, feminas primus caſtrâſſe traditur, 58. b
Gyraldus de ætate Charontis Lampſaceni refellitur, 86. b. ſeq. idem rectène Characem vocet Lampſacenum, 166. a
Gyraldi error de ætate Charontis Lampſaceni, 198. b. *vide etiam* Lilius Gyraldus.

H.

HAdriani Cæſaris æmulatio in eruditiores ſe, 122. a. eruditio multijuga, variaque ſcripta, 122. b. non videri de re militari ſcripſiſſe, quod Geſnerus putavit, *ibid.* libros de Vita ſua ſub Phlegontis nomine edidit, *ibid.*
Hamilcaris ſomnium eventu comprobatum, 158. b
Hammonis ſimulacra cur cornuta, 179 b
Hannibalis libri de geſtis Vulſonis, 207. b
Hanno Carthaginenſis, 221. b. ejus περίπλους apud prudentiores parum fidei invenit, *ibid.* quando floruerit, 222. a
Harmodius Lepreates, 175. a
Harpocration, Ælius vocatus, 175. a. & Harpocrationes alii quatuor, 175. b
Harpocration in Ἀἴτῳ corrigitur, 66. a
Harpocrationis liber, quo Herodoti hiſtoria ementita eſſe traducitur, improbatur, 59. b
Hecatæus Abderita, Alexand. M. σύγχρονος, 70. b. ejus liber de Judæis, 71. a. de eo judicium Herennii Philonis, *ibid.* eidem hiſtoria Ægyptiaca aſſeritur, *ibid.* item de gentibus Hyperboreis, *ibid.*
Hecatæus Mileſius alius ab Abderita, 71. a
Hecatæi Mileſii ætas, 57. a. 58. b
Hecatæi complures, imprimis celebrati Abderita & Mileſius, 197. b. *Mileſii* ætas curatius adſerta, quam à Suida, & anonymo Olympiadum ſcriptore, & Joſ. Scaligero, factum erat, 198. a. ejus ſcriptoris varia, *ibid.*
Hegemon, 175. b
Hegeſander Delphicus, 175. b
Hegeſagoras, 175. b
Hegeſianax Alexandrinus, 175. b. cur Alexandrinus dictus, cum natus eſſet in Troade, 175. b
Hegeſias Magneſius primus Aſiaticum induxit ſtylum, 80. a
Hegeſiæ Magneſii ætas, 79. b. ejus exclamatio de abſentia Dianæ, quando templum ejus conflagraret, à Plutarcho reprehenſa, quam eandem in Timæo Cicero probavit, 80. a. ejuſdem dictio damnatur à Cicerone, & Dionyſio Halicarnaſſæo, *ibid.* de ea Varronis judicium, *ibid.*
Hegeſias alter, cognomento πεισιθάνατος, 80. a
Hegeſionus, 175. b
Hegeſippus genuinus, ejuſque libri deperditi, 127. b. de eo Scaligeri cenſura, *ibid.*
Hegeſippus, 176. a. præter hunc alii tres Hegeſippi, *ibid.*
Hegeſippus ὑπομνημάτων, 127. b. quando vixerit, *ibid.* Fl. Joſephi exſcriptor & incruſtator, *ibid.*
Heliconius Byzantius, 136. a
Heliocorus περὶ μνημάτων, 176. a
Heliodorus ὁ περιηγητής, & alii etiam hujus nominis, 176. a
Heliodorus Phœnix, 213. a
Helladius de Vita B. Baſilii, 213. a
Hellanicus ut majores reprehendat, & viciſſim à junioribus reprehendatur, 57. a
Hellanici hiſtorici diverſi, Mileſius, & Lesbius, ſive Mytilenæus, 57. b. 200. b. Lesbyii ſcripta, 201. a
Hellanici Mytilenæi, Herodoti, & Thucydidis natales quantum diſtent, 57. a. ejus ſcripta, *ibid.*
Henetorum alii poſtea Veneti, alii Cappadoces, 213. a
Henrici Valeſii laus, 93. b
Heracleenſes Mithridatis auxiliares, 87. a
Heracleotes, 222. a
Heraclides Cretenſis, 222. a
Heraclides Cumanus, & alii ejuſce nominis, 176. a
Heraclides Lembus quando vixerit, 94. b. de patria ejus diſſenſus veterum. unde *Lembi* cognomen acceperit, *ibid.* an idem ille ſit Heraclides, qui ſex Succeſſionum libros, quique Sotionis & Satyri compendium ſcripſerit, *ibid.*
Heraclidis Lembi ætas, 114. b
Heraclidæ, præter Lembum, tres alii, Magneſius, Cumanus, Cretenſis, 95. a
Heraclides Paradiſus. qui liber & ſub Palladii nomine editus, & unde hoc factum, 136. a
Heraclidæ Pontici tres: unus philoſophus; alter hiſtoricus; tertius poëta, 69. a
Heraclides Ponticus, Platonis auditor, 67. a. & Ariſtotelis, 68. b. ejus ſcripta, & dictio, *ibid.*
Heraclitus Lesbius, 176. b
Heracliti ætas, 198. a
Heracliti περὶ ἀπίστων liber, 222. b
Hercules prius Alcæus vocatus, 181. a
Hercules ſcbere navigans in Erythiam, 159. a
Herculis longitudinem quantam fuiſſe prodat Tzetzes, 176. b
Hercules tres, Briareus, Tyrius, Græcus, 70. a
Hercyniæ ſylvæ meminiſſe Eratoſthenem, 89. a
Herennii Philonis Byblii ætas & ſcripta, 121. b. ejus judicium de Hecatæo Abderita, 71. a
Hermeias Methymnæus, 176. b
Hermias Sozomenus, ſcriptor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & cujuſmodi ejus ſtylus, 137. a. Gregorii M. de eo judicium: & an verum ſit, quod illum laudâſſe Theodorum Mopſveſtiæ dicit, *ibid.* extremam ejus hiſtoriæ partem injuriâ temporum intercidiſſe, *ibid.*
Hermeſianax, 176. b. & alter ejus nominis, *ibid.*
Hermeſianax Cyprius, 176. b
Hermippus Berytius, 87. a. ejus natales, facundia, hiſtoria ſomniorum, 124. a
Hermippus Comicus, 87. a
Hermippus Smyrnæus, & alter Berytius, qua ætate uterque vixerit, 78. a. Smyrnæi ætas, ac de Vitis liber, 87. a
Hermodorus, 222. b
Hermogenes, 176. b
Hermogenes Tarſenſis, 120. b
Hermolaus Byzantius, 141. b
Herodianus. ejus hiſtoria, ſtylus, ac fides, 130. a
Herodicus Crateteus, 98. a
Herodicus Hippocratis præceptor, non eſt ille Crateteus, 98. b

Herodici ætas, patria, profeſſio, ex Ariſtot. & interprete ejus oſtenſa, 202. b
Herodorus, 176. b
Herodotus Tullio hiſtoriæ parens, 59. a
Herodotus quando natus, 59. a. cur vocetur *Thurius*, qui ſit Halicarnaſſenſis, *ibid.* quo anno libros ſuos recitarit in Panathenæorum panegyri, *ibid.* trium Perſicorum regum temporibus eum vixiſſe, *ibid.*
Herodotus de pubertate Epicuri, 177. a. alius rhetoris Bryſonis pater, *ibid.*
Herodoti dictio cujuſmodi, 59. b. elogium ex Athenæo, 202. b
Herodoti hiſtoriarum epitomes autor an Theopompus Chius, 60. a. 64. b. à quo Theopompo ſit ſcripta, dubitatur, 60. a
Herodoti libri cur appellentur nominibus Muſarum, ſententia Ludovici Vivis refellitur, 59.[illegible]
Herodoto an rectè tribuatur liber de Homeri vita, 60. a
Herodotum etiam Aſſyriaca ſcribere decreviſſe, quæ tamen non extent, 60. a
Heron Athenienſis, 177. a
Heſtiæa Alexandrina, 222. b
Heſychius, 134. a
Heſychius Illuſtris Mileſius, ejuſque libri & ætas, 140. b. ſtylus ac fides, *ibid.*
Heſychius ὁ ταχυγράφος, 140. b
Hiceſius, 177. a
Hierocles, & alius Hierocles Hyllarimenſis, Philoſophus, 177. b. & alii adhuc duo, *ibid.*
Hierocles Grammaticus, 222. b
Hieron ſive Alexandrinus, ſive Epheſius, 177. b
Hieronymus Cardianus, hiſtoricus, 75. a. quando vixerit, 75. b
B. Hieronymus ex τοῦ Διὸς fabricavit nomen hiſtoriæ Paradiſi, 181. b
Hieronymi vulgata lectio corrigitur, 126. a
Hieronymus Phœnix, vel potiùs Ægyptius, Syriæ præfectus, 74. b. Phœniciarum fuit rerum ſcriptor; & quando is vixerit, *ibid.*
Hieronymi Rhodii ætas, & ſcripta, 69. b
Hieronymus Surita primus reperit in Sicilia Chronicon Alexandrinum, 143. b
Himerius quantam de filio ſuo Rufino ſpem concepiſſet, 121. a
Hippagoras, 177. b
Hippias Elienſis. & Hippias Erythræus, 177. b. 178. a
Hippo Rheginus, 178 a
Hippobotus, 178. a
Hippocrati à Cois quo menſe, ac die, ſoleat parentari, 218. [illegible]
Hippolytus martyr de canone temporum, & circulo Paſchali, 216. a
Hippolytus Portuenſis, 216. a
Hippolytus Thebanus, 149. a
Hipponæ ſive Eponæ deæ ortus, 58. b
Hippoſtratus, 178. a
Hippys Rheginus, 198. b. ejus inventa, & ſcripta, *ibid.*
Hiromus rex Phœniciæ, quando vixerit, 75. a
Hiſtiæus Mileſius, 178. a. aliis idem dicitur Heſtiæus, vel Eſtiæus, *ibid.*
hiſtoria Politica anonymi, 215. b
hiſtorici tot nobiles Græciæ ex qua cauſſa perierint, 149. b
hiſtorici bello Peloponneſiaco anteriores, 194. a
hiſtoricorum Græcorum quinam antiquiſſimi habiti, 56. a. & quanto recentiores ſint omnes bello Trojano, 56. b
hiſtoricorum, qui ſcripſerunt ante bellum Peloponneſiacum, ex Dionyſio claſſes duæ: una remotiorum ab illo, & hi quinam, 58. a. altera paulo propiorum, & quinam iſti, *ibid.*
hiſtoricorum, qui hodie extant, antiquiſſimus Herodotus, 59. a
hiſtoricorum cum Alexandro Magno nutritorum, sive operam locantium, catalogus, 70. b
hiſtoricis Græcis multo antiquiores ſunt Aſiatici, & Ægyptii, 55. b
Homerus, 222. b. quando vixerit, 132. a
Homeri ætatem antecedentes ſcriptores varii à Tatiano falsò commemorati, 57. a
Homeri vitam continens liber an rectè tribuatur Herodoto, 60. a
Homeri codicum qui ſint emendatiſſimi, ſecundùm Timonem, 125. b
Homeri verſiculus, quem Pompejo Magno ſemper in animo eſſe voluit Poſidonius, 103. b
hominem marinum, magnitudine quinque jugerum, in litus ejectum, ſe vidiſſe, Cleon Magnes auctor eſt, 167. a
Honorius in Luminaribus Eccleſiæ emendatus, 114. b
Horatii memoriæ lapſus, duos Chœrilos confundentis, 203. a
Humberti, epiſcopi Sylvæ Candidæ judicium de Itinerario Petri, & Canonibus Apoſtolorum, 119. b
hydræ caput, quicum Herculi pugnatum, dimidiâ ſui parte aureum fuit, 219. b
Hygini verba emendata, 177. a
Hypani fluvio amaritudo unde, 97. b
Hypermenes, 222. b
Hyperochus, 178. a
Hypſicrates. & alius, grammaticus, 178. a
Hypſicrates Amiſenus, 222. [illegible]
Hyrcanum mare paludem eſſe, quibus argumentis evincat Polyclitus, 186. b

I.

IAcobi Gualterii error de ætate Herodoti ridiculus, 59. a
Iacobus, Heliopolis diaconus, de Vita S. Pelagiæ, 138. b
Iacobus Monachi, 178. b
Iamblichus Platonicus, ejuſque de Vita Pythagoræ liber, 134. a. qui magna parte ex Porphyrio, quo præceptore uſus eſt, exſcriptus, 134. b. ſcripſit & Vitam Alypii, *ibid.*
Iamblichi, non Syri illius philoſophi, Babylonica, 211. a. b
Iambulus, 178. b
Iaſon, Argivus Grammaticus, quæ ſcripſerit, 125. a
Iaſon Byzantius. alius Argivus grammaticus, 178. b
Iaſon Cyrenæus, de geſtis Maccabæorum, 208. a
Iaſonis hiſtoria de geſtis Alexandri, 74. a
Ibis cur Apollonius à Callimacho vocatus, 87. b
Ibin Ovidius, Callimachi exemplo, ſcripſit, 87. [illegible]
Idomeneus Lampſacenus, quæ ſcripſerit, 76. b
Ignatius diaconus, 214. a
Ilium non integro decennio, ſed anno unico à Græcis oppugnatum, ex ſententia Herodici Cratetei, 98. b
Indiæ Sophiſtæ, Brachmanes, & Germanes, 73. b
Indicæ hiſtoricorum fabulæ, 79. a
Indorum gymnoſophiſtæ alii Brachmanes, alii Samanæi, 211. b
B. Ioannis Vita, cujuſmodi ſcriptum, 118. a
Ioannes Ægeates, Neſtorio addictus, 138. b
Ioannes Antiochenſis, *vide* Ioannes Rhetor.
Ioannis Antiochenſis Antiquitates, 144. a
Ioannes Antiochenus, 178. b
Ioannes Argyropylus, 215. b
Ioannes Baptiſta, Curopalatæ interpres notatus, 151. b
Ioannis Cantacuzeni dignitas; hiſtoria ſub ficto *Chriſtoduli* nomine edita; ejuſque fides, & utilitas, 155. a
Ioannes Chryſoſtomus de plurium vitis, & martyrio, 135. b
Ioannes Cinnamus de geſtis Ioannis, & Manuelis, Comnenorum, 214. b. operis ejus editio promittitur, *ibid.*
Ioannis Comneni imperium, 149. a
Ioannis Curopalatæ ætas, 150. b. hiſtoriam ejus Cedrenus exſcripſit, 151. a. eundem eſſe Ioannem Scylitzam, ac Ioannem Thraceſium, *ibid.*
Ioannis Damaſceni ætas, 145. a. de ea nonnullorum error refellitur, *ibid.* an is auctor ſit hiſtoriæ de Barlaam, & Joſaphat, *ibid.* de ejus fide Baronii, & Caſauboni judicia: ἀκρισία item in iſtis, quæ de Falconillæ, ac Trajani animis, conſignavit, 145. b
Ioannes, de S. Epiphanii vita, 136. [illegible]
Ioannis Eubœi Oratio hiſtorica in Chriſti nativitatem, 223. a
Io. Fabri, Pariſienſis Theologi, de Abdia Babylonio error, 118. a
Ioannes Hieroſolymitanus, de vita Ioannis Damaſceni, 145. b
Ioannes Lector Magnæ Eccleſiæ, 223. a
Ioannis Livineii error geminus refellitur, 151. a
Ioannes Lydus, 141. a
Ioannes Malela, ſive Meleles, 178. [illegible]
Ioannis Malaxi hiſtoria Patriarchalis, 215. [illegible]
Ioannes Monachus. à quo alius Ioannes Monachus Lydus, 178. b
Ioannes Moſchi Eviratus, auctor Viridarii, ſive Paradiſi, Sophronio ab Evirato dicati: & unde factum videatur, ut ab his Evirato, ab aliis Sophronio, adſcribatur, 144. a
Ioannes Nicomedienſis presbyter, 178. b. 179. a
Ioannes Pediaſimus, 223. a
Ioannes Rhetor de geſtis Juſtini junioris, Tiberii, Anicii, & Mauritii, 217. a
Ioannes Scylax Conſtantinopolitanus, 94. b
Ioannes Scyliza, idem qui Thraceſius, & Curopalates, 151. a. ejus interpres notatus, 151. b
Ioannes Sichardus ἀκρισίας notatur, 119. a. [illegible]
Ioannes Siculus, Chronici ſcriptor, 217. a
Ioannis Silentiarii Vita à Cyrillo monacho perſcripta, 139. a. cur Silentiarii cognomentum ipſi tributum, 139. b
Ioannis Sinaitæ hiſtoria Barlaami, 135. b
Ioanni Sinaitæ in Codd. quibuſdam tribuitur hiſtoria Barlaami, & Joſaphati: quæ ab aliis Damaſceni Chryſorrhoæ ſive Manſuris eſſe exiſtimatur, 145. a
Ioannes Stauratius, 179. a
Ioannis Tzetzæ varia hiſtoria, & ætas, 153. b
Ioannes Xiphilinus Patriarcha C. P. 152. a
Ioannis Zimiſcis imperium, 152. a
Ioannis Zonaræ ætas, honores, hiſtoria univerſalis, incuria, 152. b
Ioſaaphus Chriſtodulus, *vide* Ioannes Cantacuzenus.
Ioſippus Gorionis fil. alius à Fl. Joſepho, & longè recentior, imò impoſtor incautè mentiens, 117. a. cur dicatur Ioſippus Longus, *ibid.*
Ioſiæ Simleri ſententia de Ptolemæo Ageſarchi rejicitur, 91. b
Fl. Ioſephus quando & quibus parentibus natus, 116. a. ad Romanos legatus. Galilæorum poſtea dux, ab Romanis captus, *ibid.* oraculum de Chriſto adaptat Veſpaſiano, & Tito, *ibid.* quanto propterea in honore fuerit apud Titum, quamque præclarè idem de ejus hiſtoria Judaica ſenſerit; uti & rex Agrippa, 116. b. quæ præterea ediderit, *ibid.* ejus ſtylus cujuſmodi: deque fide illius diſcrepantes ſententiæ juniorum, *ibid.*
Ioſephi locus à corruptelis vindicatus, 71. b
Ioſephus ex [illegible]ufino emendatus, 74. b
Ioſephus Geneſius, 179. a. 221. b
Ioſ. Scaliger, qui ſint ἐπίγονοι, non ſatis perſpexit, 75. a
Iſaaci Comneni imperium, 150. a
Iſaacius Porphyrogenneta, 223. a
Iſidorus Characenus ſcripſit de longævis, ejuſque nomen reſtitutum apud Freculphum, 71. b
Iſidorus Characenus, 179. a. ab hoc alii quidam, *ibid.*
Iſidori Characeni ætas, 206. a
Iſigonus Cittienſis, 179. a
Iſigonus Nicæenſis, 179. a
Iſocratis de Theopompi & Ephori diſcipulorum ſuorum ingeniis, judicium, 66. a

Iſter Alexandrinus, 207. a. & alter Calatianus, *ibid.*
Iſter Callimachius, 207. a
Iſtomachus, 179. a
Itinerarium vel circuitus Petri, cujus fidei, vel commatis, 119. a. quis primus ediderit, *ibid.*
Iuba, Grammaticus Latinus, 107. b
Iubæ hiſtorici genus, captivitas, inſtitutio, regia dignitas, conjugium, libri, 110. a
Iudæ Iſcarioth Euangelium, 120. a
Iudas hiſtoricus & theologus, 211. b
Iulis, civitas in inſula Ceo, quorum patria fuerit, 111. b
Iulius Africanus, Chronologus Chriſtianus, 129 b. de ætate ejus Bodini error, *ibid.* eundem videri κεστῶν auctorem, contra quàm Scaliger putavit, *ibid.*
Iuliani Apoſtatæ parentes, & ſcripta, 134. a
Iulius Caſſianus quomodo Encratitarum defenderit dogma, 211. a
Iulius Pollux, Commodi Imperat. æqualis, 189. a
Iulius Pollux alter, ſed minor, 211. b. qui Chronicon ad Valentem Imper. perduxit, *ibid.*
C. Iulius Senator, 209. a
*Iunias* nomen viri Paulo ad Romanos, 134. b
Iuſtinus Martyr, cum Sibyllam Cumanam Beroſi filiam fuiſſe ſcribit, an ἀναχρονισμῷ peccarit, 82. b
Iuſtini lapſus in Tyri natali, 55. b
Iuſtiniani Rhinotmeti imperium, 210. b
Iuſtus Tiberienſis, ejus chronicon, ſtylus, cum Fl. Ioſepho inimicitia, ſcriptaque alia, 117. a. b

K.

Κ Αθ' ἡμᾶς quàm laxè uſurpare ſoleant Græci, 102. b
Καλλιάδης, ſeu Καλλιάδας, quæ, 111. a
Καλλατία urbs, & an ea ſit patria Heraclidis Lembi, 94. b
Καλλισθένης, liber Theophraſti, 68. a
Keckermanni ἀναχρονισμοὶ notata, 108. b. de Laërtio judicium refellitur, 125. b
Κήρυκες qui Athenis, unde ſic dicti, 191. a
Κίβηα, & Κίσσα, falsò pro diverſis habitæ à Leocrine, 179. b
Κύρου παιδείας à Xenophonte ſcriptam, qui pro vera hiſtoria habent, falli, 61. a. ejus ſcopus, *ibid.* de ea Eraſmi judicium, 61. b
Κῦρι quid? 83. b

L.

LAchares Athenienſis, 213. b
Laërtius autoritate Tullii refellitur, 78. a. in enumerandis Stratonibus paucis verbis mancus, 95. b. emendatus, 125. b. 174. a
Laërtii lapſus in auctore Λύκων Ὀργανικῶν, 62. b. ejuſdem lectio vulgata, de Demetrii Magnetis libro περὶ συνωνύμων, defenditur, 101. b
Laërtii interpres notatus, 186. b. 187. a. ejus lapſus de Eudoxi octaeteride, cujus primus annus nono quoque anno redibat, 63. b. alius lapſus, 79. a
Laërtius. vide etiam Diogenes Laërtius, 90. a
Lætus, 179. a
Lamiſcus Samius, 179. a
Lampriæ tabula, quæ Plutarchi libros indicabat, 121. b
Lampſaceni quo dolo Anaximenis contra minas Alexandri ſervati, 72. b
Langum, prænomen Sozomeni Ἑρμείαν malè interpretari *Mercurium*, pro, Mercurialem, 137. a
Laonicus Chalcocondylas, 155. b
Laonici & Nicolai nomen idem, 155. b
Lauſiacæ hiſtoriæ unde nomen, 135. b. prælegi certis diebus in hiſtoria ſolet, *ibid.*
Leander, vel Leandrius Mileſius, 179. a
Leander Nicanor, Hermiæ filius, Cyrenæus, cur Συγγενὴς vocaretur, 124. b. ejus libri Μεταμορφώσεις, *ibid.*
Leo, Alabandenſis orator, 179. b
Leo Aſianus, ſive Leo è Caria, 179. b
Leo Byzantius, Platonis diſcipulus, ejuſque ſcripta, 67. a
Leo Grammaticus, qui idem videtur ac ille, qui nonnullis, Leo Aſianus, 217. b
Leonis Iſauri imperium, 145. a
Leo Pellæus, 179. b
Leo Philoſophus, cum Leone Sapiente non confundendus, 148. a
Leonis VI, cognomento Philoſophi, imperium, & monumenta, 148. a
Leocrines, 179. b
Leonardus Chienſis, 215. a
Leonides diſcipulum Alexandrum vitiis quibuſdam imbuit, quæ jam regem maximum ſunt proſecuta, 171. a
Leontius Byzantius, 213. a. 217. a. alius item ejuſce nominis, *ibid.*
Leontius, Cyprius Epiſcopus, ejuſque ſcripta, 143. a. b
Lepidus, 179. b
leporum in Aſtypalea incredibilis feracitas & captura, 175. b
Leucius Charinus, 223. a
Leucius Manichæus apocrypha edidit complura de Apoſtolis, 118. b
Leucus, 179. b
Libanius Sophiſta, inter alia, narrationum fabuloſarum ſcriptor, 216. b
Liberi cur ſimulacra cornuta, 179. b
lib. i quot verſuum forent, facile olim erat dicere, etiam de proſâ exaratis: idque eo, quòd æquali charta uterentur, 83. b
Lilius Gyraldus duos Panyaſes confundit, 202. b
Lilii Gyraldi error, 219. a. *vide* Gyraldus.
Linus Oechalienſis, 179. b
Lini hiſtoriam de paſſione Petri & Pauli, commentitiam eſſe convincitur, 118. b
literæ ſalvi conductus Potamoni à Tib. impertitæ, 114. a
Livii vulgaris ſcriptura, de P. Rutilio, refellitur, veraque lectio indicatur, 99. a
Lobon Argivus, 179. b
Logice à quo reperta, 197. b
Λογοθέτου dignitas, 148. b
Longini de Timæo judicium, 81. a
Longus Sophiſta, 223. a
Lucas Siculus. *vide* Petrus Siculus, 214. a
Lucianus, Pherecydem Syrum inter hiſtoricos referens, quomodo intelligendus, 200. b
Lucianus, presbyter, 213. a
Lucianus Samoſatenſis. de cujus ætate unius atque alterius error refellitur, 128. a. quæ ſcripta reliquerit, 128. b. Apollonii vitam ab eo ſcriptam qui putant, refelluntur, *ibid.* à quibus præceptoribus impietatem ſuam hauſerit, *ibid.*
Lucianus Lucii Aſinum in epitomen redegit: alterutrius verò Aſinum Apulejus ἐκ τῶν Φερομένων in Latinam linguam transfudit, 223. a
Lucianus correctus, 169. b
Lucillus Tarrhæus, 180. a
Lucius Patrenſis, 223. a
L. Lucullus, belli Marſici hiſtoriam Græcè ſcripſit, 209. a
Ludovicus Vives deceptus de Philonis hiſtoriis Biblicis, 115. a
Ludovici Vivis ſententia, cur libri Herodoti appellentur nominibus Muſarum, refellitur, 59. b. ejuſdem lapſus de Cteſia, 62. a
Lugdunenſis Gallia, non à *Lugdo* fictitio, ſed à Lugduno urbe dicta, 82. b
Lugoduno, ſive, ut nunc dicitur, Lugduno, unde nomen ſit factum, 167. b
Lugduno Batavorum unde nomen fortè ſit, 167. b
lunæ periodos, & eclipſes, quis primus invenerit, 199. b
Lupercus Berytius, 131. a
Lyceas Naucratita, 180. a
Lycon Iaſenſis, 180. a
Lycophronis Alexandra, ſive Caſſandra, 78. b
Lycus Bytheras, hiſtoricus Rheginus, Demetrii Phalerei inſidiis petitus, 78. a
Lynceus Samius, 85. b
Lyſaneas, 180. a
Lyſimachus Alexandrinus, 180 a. ab hoc alius Lyſimachus Hippocratius, *ibid.*
Lyſimachidæ ætas, ex Cæcilio rhetore; Cæcilii, ex ætate Dionyſii Halicar. collecta, 210. a
Lyſis Pythagoricus, Epaminondæ præceptor, auctor carminum aureorum, quæ Pythagoræ dicuntur, 196. b

M.

MAcareus, 180. a
Macedoniani aliter dicebantur Semiariani, 138. a
Macrobius correctus, 191. b
Mæandrius, 223. a
Malacus, 180. a
Malchus, Hebr. מלך, id eſt, rex, 132. a
Malchus Sophiſta, 139. b
Malchus Syriorum linguâ, idem qui Græcè Porphyrius, 132. a
Manethonis fragmenta, totiuſque epitomen, quorum beneficio habeamus, 83. b
Manetho Annii Viterbienſis rejicitur, 83. a
Manethos annales Ægyptios exſcripſit, 55. b
Manethos quando floruerit, 82. a
Manethos Mendeſius, 83. b
Manethonis hiſtoria ſacra, & ejus argumentum, 83. a. dignitas, *ibid.*
Manethos Sebennyta, quis fuerit, quâque ætate vixerit, 83. a
Manichæorum ex Abdia fabula de homine à leone dilaniato, poſtquam illi maledixiſſet B. Thomas, 118. a. b
Manuel Byzantius, 180. a
Manuel Chryſoloras, 215. a
Manuel Malaxus, 223. b
Manutii lapſus, 63. a
Marci Antonini Philoſophi ἰδίου βίου διαγωγή, ſive τὰ καθ' ἑαυτόν, 126. a
Marcellinus Græcus hiſtoricus. ſitne idem ac Ammianus, Latinus hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptor, 135. a
Marcellus, 223. b
Marcianus Heracleota, 180. a
Marcus, diaconus Gazenſis, 136. b
Marinus Neapolitanus, de Vita præceptoris ſui Procli, 140. a
Marquardi Freheri error de ætate Euſtathii, 214. b
Marſyas Pellæus, & ejuſdem nominis duo alii, quæ ſcripſerint, 70. b
Martialis illuſtratus, 113. b
Mauricii imperium ac cædes, 142. b
Mauſacus haut rectè Alexandrum Cornelium, & Polyhiſtorem, diverſos facit, 100. a
Mauſaci conjectura rejecta, 73. b. ſententia refutata, 101. b
Maximus Ægienſis, Apollonii Thyanei ſcriptor, 120. b
Maximi Planudis opera in vertendis Julii Cæſaris commentariis de bello Gallico, 155. a
Medius Lariſſæus, 205. a
Meduſæ mythiſtoria ex Procle, 187. b
Megacles, 180. a
Megaſthenes rerum Indicarum ſcriptor, 76. b. fides ejus probata, *ibid.*
Megaſtheni fides derogata à Strabone, 78. b. ab Arriano tributa, 79. a
Melanthius. & alius. alius item, poëta Tragicus, 180. a
Μειλίχιον cur Bacchum appellent Naxii, 159. b
Meleſagoras idem ac Ameleſagoras, 58. a
Meletius Antiochenus, 223. b
Μελιγλωσσος vel μελίφθογγος Ælianus dictus, 123. b
Meliſſeus, 180. a. 223. b
Meliſſus, 180. b. Euboicum fuiſſe, *ibid.*
Melito, 180. b
Melitonis Sardenſis liber de Tranſitu B. Mariæ, ſuppoſititius, 127. a
Memnonis hiſtoria de Heraclea Pontica, 145. b. ejus laus, *ibid.*
Me-

Menæchmus Sicyonius, quando floruerit, & de qua re ſcripſerit, 75.b
Menæchmi diverſi, 75.a
Menander Epheſius, 180.b
Menander Pergamenus, 180.b
Menander Protector, 142.b
Mendæ, unde gentile Mendæus, urbs Siciliæ, 186.b. 187.a
Mende vel Mendis, unde Mendæus, urbs Thraciæ, 187.a
Mendes, cujus civis Mendeſius, vel Menditès, urbs Ægypti, 187.a
Menecles Barcæus. à quo alius Menecles Alabandenſis orator, 180.b
Menecrates quinque; Nyſæus, Syracuſius medicus, alius Comicus, Epheſius, Xanthius, 98.a
Menecrates Elaita, 198.b
Menecrates Xanthius, 181.a
Menelaus Æneus. à quo diverſus Menelaus poëta, patriâ Ægæus, 181.a
Menetor, 181.a
Menippus Pergamenus. ubi alii præterea Menippi, 181.a
Menodotus Samius, & alii cognomines, 181.b
Menologium Græcorum incerti auctoris, 181.b
Menon Ægyptius Græcorum Phoronæo vetuſtior, 160.b
mercedem pro inſtitutione quis Socraticorum primus exegerit, 70.a
meretrices Periclem ſecutæ, quantas ſibi opes pepererint, 159.b
Meryllus, 181.b
Μεταζήμιον vocabulum quid ſignificet, 106.a
B. Methodius martyr, 132.b. chronicon ei falſò tributum, *ibid.* Eubulius etiam vocatus, *ibid.*
Metrodorus, Chius, Sceptius, Athenienſis, aliique cognomines, 181.a
Metrodori Chii ætas, & ſcripta, 62.b
Metrodori Scepſii ætas & ſcripta, 97.a.b
Metrodori, præter Scepſium, tres alii; Chius, Lampſacenus, 97.b. & Athenienſis, *ibid.*
Metrophanes Sophiſta, 181.b
Michael Antiochenus, 181.b
Michael Attaliates, 217.b
Michaëlis Curopalatæ imperium, 146.b
Michaëlis Glycæ hiſtoria quadripartita, 153.a
Michaël monachus, de Vita Theodori Studitæ, 147.a
Michaël Sicidotes, 181.b
Michaëlis τραυλοῦ, ſive Balbi, imperium, 147.a
Michaëlis Pſelli elogium & ætas, 150.a. de ea Bellarmini, & aliorum errores, inprimis Poſſevini ἀλογία, refelluntur, *ibid.* Pſelli de rebus ævi ſui hiſtoria, 150 b. ſcriptaque alia, *ibid.*
Michaëlis III cum matre Theodora imperium, 147.b
Mileſiæ fabulæ, & narrationes, pro laſcivis, 163.a
Miletus, 213.b
Milo Crotoniates quantum ederit ac biberit, 223.b
Mimnermus, 196.a
Mitylenæis in gratiam Theophanis libertas à Pompejo reſtituta, 100.b
Mnaſeæ tres; Patrenſis, Berytius, Colophonius, 96.b
*Mnaſea* nomen Phœnicium, pro *Manaſſes*, 97.a
Mneſimachus Phaſilites. à quo alius Comicus, 182.a
Mochus Phœnix, 182.a
Mœragenes, ſcriptor rerum ab Apollonio Tyaneo geſtarum, 120.b
Molonis probrum in Platonem, 61.b
Molpis Lacon, 182.a
monſtroſæ hominum formæ in Africa, ex Hierocle, 177.b
Mopſopia cur dicta, quæ pòſt Attica, 88.a
mordacitas quorundam Scriptorum veteribus reprehenſa, 65.a
mortis ara apud Gaditanos, 223.b
Moſes cur fugerit ad Rhaguelem, ſecundum Artabanum, 164.a
Moſis ætas; interque ejus obitum, & excidium Trojanum, quantum intervallum, 55.b
Moſonem mulierem Hebræis leges tuliſſe, figmentum Alexandri Cornelii, 99.b
mundi circuitum quot ſtadiis definierit Eratoſthenes, 89.a
mundos CLXXXIII ſtatuiſſe Petronem, auctor Hippys Rheginus, 198.b
Murina, Agathiæ patria, 141.a
*Muſa Attica* Xenophon dictus, 61.b
*Muſarum* nomen qui libris ſuis impoſuerint, 59.b
Muſæus, alius ab antiquo, Orpheo æquali, nec non Muſæo Grammatico, 223.b
*Mutia* Græcorum feſtum, 99.a
*Μυρίνα* quæ civitas, 129.a
Myrlea eadem, quæ pòſt Apamea, 91.b
Myronianus Amaſtrianus, 182.a
Myron Prienenſis, 182.a
Myrſilus Lesbius, 182.a. qui & Myrtilus, *ibid.*
Mythologorum veterum diſconvenientia unde? 107.a


N.


NAbopolaſſar quis, 82.a
Naucratis Ægypti urbs, 86.b
Nautius nonnullis prænomen Rutilii Rufi, quod aliis Publius, 99.a
Neanthes Cyzicenus, ejuſque ſcripta, 85.b
Nearchus Alexandri comes, & hiſtoricus, 73.b
Nearcho fides à Strabone derogata, 78.b. ab Arriano tributa, & quare, 79.a
Neſtorianus, 214.a
Neſtoris Tarſenſis ætas, & ſcripta, 110.b
Neſtorii Larandenſis Ilias, cujus quiſque liber unâ deficeret alphabeti literâ: & alia ejuſdem, 110.b
Nicagoras, 130.b
Nicagoras Cyprius, 224.a
Nicander Alexandrinus, 182.b
Nicandri Alexandrini liber de diſcipulis Ariſtotelis deſideratur, 70.a
Nicander Chalcedonius, 182.b
Nicandri parens, patria, ætas, ſcripta, 208.b. idem unde Ætolus dictus, cùm eſſet Colophonius, *ibid.*
Nicander Thyaterenus, 214.a
Nicanor, 224.a
Nicanor Cyprius, 224.a
Nicanor, Hermiæ filius. *vide* Leander Nicanor.
Nicanor Samius, 224.a
Nicenætus Abderites, vel Samius, 182.b
Nicephorus Baſilacius, 217.b
Nicephori, Calliſti filii, Hiſtoria Eccleſiaſtica, 154.a. quouſque illam perduxerit, 154.b. de eo Bezæ judicium; ejuſque ſtylus, *ibid.* quæ alia ſcripſerit, *ibid.*
Nicephori Conſtantinopolitani libri, ſtylus, dignitas, 146.b. Obitus, ſolemnis dies, 147.a. alium eſſe à Nicephoro Chronologiæ auctore, *ibid.*
Nicephorus Conſtantinopolitanus junior, chronologus, 147.b
Nicephorus, diaconus Phryx, 182.b. 224.a
Nicephori Gregoræ hiſtoria. ac de ejus fide, ſtylo, & judicio, judicatum, 155.a
Nicephori Logothetæ imperium, 146.b
Nicephorus philoſophus, 149.b
Nicetas Acominatus, *vide* Nic. Choniates.
Nicetas an idem, ac ille cui Acominati cognomentum fuit, 148.a
Nicetas Choniates. ejus hiſtoriæ argumentum & ſtylus, 153.b
Nicetas David, ſive Paphlago, 147.b. 182.b
Nicetæ diverſi, 148.a
Nicias Maleotes, 182.b
Nicias Nicenus, 182.b
Nicoclis, Salaminiorum regis, & uxoris ejus, voluntarium fatum, 75.a
Nicodemi & Demonici nomen idem, 155.b
Nicodorus quando fuerit *Ἄρχων* Athenis, 72.a
Nicolai Damaſceni ætas, æſtimatio apud viros ſummos, vitæ genus, ſcripta, maxime hiſtorica, 110.b. hiſtoria univerſalis quot librorum fuerit, *ibid.*
Nicolai & Laonici nomen idem, 155.b
Nicolai Nancelii de Itinerario Clementis judicium, 119.b
*Nicolaorum* nomen quibus rebus tribuerit Auguſtus, & quare, 110.b
Nicomachus hiſtoricus, 131.a. 182.b
Nicomedes, 182.b
Nicoſtratus Sophiſta de geſtis Philippi Decii, &c. Imperatorum, 216.a. idem ejuſque ſtylus, 224.a
Nilus hiſtoricus, 182.b
Nilus Monachus, 137.a
B. Nili Vita, 214.a
Nonnoſus de legationis ſuæ hiſtoria, 142.a
Nonnus Abbas, 224.b
Nonnus Edeſſenus Epiſcop. Pelagiam convertit, 138.b
Numerius Fabius Pictor, annalium Græcorum ſcriptor, 207.b. Dionyſio perperam Quinctus vocatur, *ibid.* & 208.a
Nunneſii de auctore Vitæ Ariſtotelis à ſe editæ opinio improbata, 142.a
Nymphis Heracleota, ejuſque ſcripta, 87.a
Nymphodorus Amphipolites, 182.b
Nymphodorus Syracuſius, 183.a
Nyſæi Grammatici illuſtres quidam, 98.a


O.


OAſis, urbs Libyæ, quæ & Hyaſis, 132.b
Octaëteris Eudoxi egit de ratione conſtituendi anni; ſic dicta, quia tempus ejus octo annis vertentibus conſtaret: quo deceptus Laërtii interpres, 63.b
Oechalia urbs ab Hercule capta & everſa, 168.a.b
Olympi ætas, 209.b
Olympiodori hiſtoria quæ fuerit complexa, & quo ſtylo, 138.a
Onaſimus, 212.b
Oneſicratus Alexandri comes, 73.b. ejus hiſtoria, fides ſuſpecta, ſtylus elegans, *ibid.*
Oneſicrito in Indicis fides à Strabone derogatur, 78.b
Ophiogenes quale hominum genus, quâque virtute polleat adverſus venena ſerpentum, 168.a
orationes quando prolixiores, quando non debeant eſſe, judice Plutarcho, 73.a
Orientalis hiſtoriæ fragmenta, 214.b
*Origenes* nomen unde factum, 114.b
Origenes quot libros ſcripſerit, & à quo tamen ſuperetur, 105.a
Origenis de Hecatæo Abderita elogium, 71.a
Orphei ætas, 56.a
oſtium, & portum urbis, malè confundi, 216.a
Orthagoras, 183.a
oves Ponticæ, qui abſynthio paſcuntur, carent bile, 164.b
Ovidius, Callimachi exemplo, Ibin ſcripſit, 86.b. in Metamorphoſi quem imitandum ſibi propoſuerit, 106.a
Oxyrynchus Ægypti civitas, patria Heraclidis Lembi, ſi Suidam audimus, 94.b


P.


S. Pachomii Vita, incerto autore, 136.b
Pado flumini unde nomen, 97.b
Pæanius, Sophiſta Græcus, 224.b
Pæon Amathuſius, 183.b
Palæphatus Abydenus, Ariſtot. diſcipulus & amaſius, quæ ſcripſiſſe prodatur, 70.b
Palæphatus Ægyptius, vel Athenienſis, & alii hujus nominis tres, 183.b
Palamedes, 184.a
Palladius, 184.a
Palladii hiſtoria Lauſiaca, 135.b. ejuſdem amicitia cum Rufino: at idem Hieronymo inimicior, *ibid.* Dialogus ei tributus de Vita Chryſoſtomi, omnino eſſe alterius videtur, 136.a
Palladius Methonæus, 211.b
Pallas, 184.a

Pallene Thraciæ peninſula, 176. a
Pamphilæ Ægyptiæ hiſtoria miſcella, 115. b. de mariti ejus nomine nec ſecum convenit Suidas, ibid.
Pamphilus Amphipolita, aut Sicyonius, aut Nicopolita, 184. a
Pamphilus, philoſophus Platonicus, Epicuri præceptor, 67. a
Pampretius Ægyptius, 138. b
Pana, piſcem cetacei generis eſſe, in quo gemma aſterites reperiatur, quis fabuletur, 101. a
Panætius comes Scipionis Æmyliani, quando ad Ptolomæum Phyſconem legatus proficiſceretur, 103. a
Panodorus, monachus Ægyptius, 136. b
Panteleus, 184. b
Panyaſis. ſuper cujus patria, patre, ætate diſſenſus veterum, 202. a. b. ejuſdem vitæ genus, ſcripta, & ſtylus, ibid.
Panyaſis alter ac junior, 202. b
Paphnutius abbas, 214. b
Pappus Alexandrinus, 212. b
Paradius, fictitium hiſtorici nomen, 184. a
Parmeniſcus, 184. a
Parthenius emendatus, 176. b
Parthenius Chius, 106. b
Parthenius Dionyſii Grammatici diſcipulus. 106. b
Parthenius Nicenus, quando vixerit, & quæ ſcripſerit, 106. a. cum imitati Ovidius, & Tiberius Cæſar, ibid.
Parthenius Phocenſis, 106. b
Παρθένιν, 130. b
Paſicrates, 132. b
Patæcus, 184. b. hic ſe Æſopi animam habere dicebat, ibid. ejuſdem de Thalete, & Solone, lepida hiſtoria, ibid.
Patricii de Polybio ſiniſtra cenſura, 93. b
Patrocles, 184. b
Patroclis ætas, & cur à Strabone cæteris rerum Indicarum ſcriptoribus præferatur, 79 a
Pauli ἀναβατικὸν, liber ſpurius, 120. a
Pauli & Theclæ περίοδοι inter ſcripturas apocryphas computandæ, 119. a
Paullus Cyrus Florus, *vide* Paullus Silentiarius.
Paullus Laciſcus, Jo. Tzetzis interpres, notatus, 72. b
Paulus Silentiarius. de ſitu & commenſu templi Conſtantinopolitani, 217. a
Paupertatis ara in Gadibus, 123. b
Pauſanias Cappadox. ejus ætas, ſtylus, libri, 126. b. contra Scaligerum defenditur, 127. a
Pauſaniæ jam ætate interciderat Hegeſinous de rebus Atticis; manifeſto argumento, quàm incerta ſit nominis immortalitas ex ſtudiis literarum, 175. b. 176. a
Pauſanias, alius Cæſarienſi illo grammatico, 184. b
Pauſimachus Samius, 184. b
S. Pelagiæ Vita, 138. b
Περίοδος Petri idem opus ac Clementis Ἀναγνώσεις, 119. a
Peritia oppidum Indiæ, in memoriam canis ſui ab Alexandro extructum, 114. b
Periphi auctor, falsò creditus Arrianus quando vixerit, 115. b
*perperam ſcripta* Tertulliano. quæ Græcis παρακεχαραγμένα, 119. a
Perſeus, 184. b
Perſicas res qui & ante Herodotum ſcripſerint, 59. a
Petellides Gnoſius, 184. b
Petrarchæ judicium improbatum Plutarchum invidiæ accuſantis, 59 b
Petri Cunæi elogium, 134. a
Petri Damiani ætas, 118. b
Petrus Lucius Carmelita lapſus, duos Joannes patriarchas Hieroſolymitanos confundentis, 145. b
Petrus orator, legatus ad Choſroën, 141. b
Petrus Siculus, 214. a
Phanias ſive Phænias Ereſius, Peripateticus, quæ ſcripſerit, 70. a
Phanodemus, 184. b
Phanodicus, 185. a
Pharnuchus Aſibeaus, 185. a
Pharao, ſub quo Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi, Amoſis fuiſſe refertur a Ptolomæo Mendeſio, & Apione Polyhiſtore, 112. a
Phaigon, qui potiùs Phegon, 185. a
Phavorinus Arelatenſis, quando floruerit, 122. a. tria in ſe miranda quæ dixerit, ibid. quæ ſcripſerit, ibid.
Pherecydes, 185. a
Pherecydes Athenienſis, hiſtoricus, quando vixerit, 199 b. is idem eſt, quem Suidas Pherecydem Lerium vocat, & ab illo diſtinguit, ibid. cur idem & Lerius & Athenienſis ſit dictus, 200. a
Pherecydes hiſtoricus, & Pherecydes Philoſophus, diverſi, & quando uterque floruerit, 57. b
Pherecydes Syrius, quæ ad Deos, aut rerum naturam pertinent, primus è Græcis ſolutâ oratione tractavit, 57. a. idem phyſicus & theologus, 199. a. quando floruerit, 199. b. ejus Θεογονία, ibid. mortis genus, ibid.
Pherenicus Heracleota, 185. a
phiala primùm Thaleti, inde ſapientium aliis miſſa, donec à ſeptimo Thaleti remiſſa ab illo Apollini donata, 179. a
Philaretus, 185. a
Phileas, geographus. alius ab hoc Phileas Epiſc. martyr, 185. a
Philemon, alius à Comico, 185. b
Philetas, 185. b
Phillis Delius, 185. b
Philiſtides, 185. b
Philiſtus quo ſenſu Ciceroni puſillus Thucydides, 63. b. de eodem Timæi ac Ephori diverſum judicium, ibid. ejus dictio qualis fuerit, & quibus laudata, ibid.
Philiſti Syracuſani ætas, honores, exilium, reditus in patriam, pugna navalis pro Dionyſio juniore, mors ac monumenta, 63. a. opus rerum Sicularum bipartitum, ibid. de hoc Ciceronis elogium, 63. b
Philinus Agrigentinus, 90. b
Philippus Abucara, 185. b
Philippus Amphipolites, 185. b
Philippus Chalcidenſis, 185. b
Philippi Cluverii laus, 107. a
Philippus Caricarum rerum ſcriptor. 185. b
Philippus Gualtherus, 153. b
Philippi Imp. temporibus qui floruerint hiſtorici, 130. b
Philippi Labbæi elogium, 131. b. 140. b. 144. b
Philippus Megaricus, 185. b
Philippus Ori Apollinis interpres Græcus, 185. b
Philippus Sideta, 136. b
Philippus Theangellenſis, 185. b
Philo Alexandrinus. ejus facundia & legatio pro gente Judæa, 115. a. ſcripta item, ibid. ei tributæ Antiquitates biblicæ, ſuppoſititiæ ſunt, 115. b
Philo Byblius, Græcus Sanchoniathonis interpres, quando vixerit, 55. b
Philonis Byblii ætas & ſcripta, 121. b. idem eſt ac Herennius Philo, 122. a
Philo Byzantius, 222. b
Philo Heracleota, 122. a
Philo philoſophus, ſcriptor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, 122. a
Philo philoſophus, itemque alius, 221. b
Philones diverſi, 186. a
Philocrates, 186. a
Philochorus quando vixerit, 91. a. quæ ſcripſerit, ibid.
Philochorus ne Atticæ ſuæ hiſtoriæ compendium fecerit ipſe, quod dicit Suidas, an Aſinius Pollio? 103. a
Philodemus, 186. a
Philogelos, 186. a
Philomneſtus, 186. a
Philoſtephanus Cyrenæus, ejuſque ſcripta, 84. a. hujus, an Heraclidis foret de Inſulis liber, nec olim ſatis conſtabat, ibid.
Philoſtorgius Cappadox, 138. a. Eunomianus, ibid. ejus hiſtoriæ compendium, ibid.
Philoſtrati alterius ætas, & patria, de qua non convenit, 129. a. ejuſdem libri de Apollonii vita, quam ſe, Juliæ Auguſtæ, Severi Imper. uxoris, juſſu ſcripſiſſe dicit, ibid. ſtylus cujuſmodi, ibid.
Philoſtratus tertius, Vitæ ſophiſtarum auctor, 129. b. ejus nominis & quartus fuit, patriâ Ægyptius, ibid.
Philyllius, 185. b
Phlegon Trallianus, Hadriani libertus, Chronicon condidit, 123. b. falli, qui Auguſti libertum fuiſſe putant, ibid. ejuſdem de Longævis liber, 124. a. defenditur ejuſdem Chronicum adverſus Photium, ibid.
Phlegontis ſub nomine editi libri Hadriani Cæſ. de vita ſua, 122. b
Phœnicem quot annos vivere quidam aſſerant auctores, 106. b
Phœnicum linguam ab Hebræa dialecto ſolùm diſtare, 132. a
Phœniciæ hiſtoriæ ſcriptor Sanchoniathon, 56. a
Phorbantis erga Rhodios beneficium, & idcirco honor ei præſtitus, 187. a
Photius patriarcha, 147. b. ejus doctrina, μονοβίβλος, & dignitas, ibid.
Phryne ſcortum, qua conditione ſe Thebarum muros refecturam pollicita ſit, 180. a
Phrynæ famoſæ duæ, 98. b. cur altera earum dicta Seſtus, ibid.
Phurnuti, ſive Cornuti opus, quod vocatur περὶ Ἑλληνικῆς θεολογίας, ab auctore inſcribebatur περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, 127. a
Phylarchus cujas fuerit, incertum, 89. b. ejus ſcripta, ibid. ſtylus cujuſmodi, 90. a
Phyteus, 222. b
Pittacus dono miſſam à Crœſo pecuniam rejecit, 115. b
Placidi monachi mors, 141. b. de ejus Vita liber, ibid.
Plato cur Arcadum & Thebanorum Remp. noluerit conſtituere, 115. b
Platonis præceptor, & diſcipuli quidam, 67. a
Platonis de Ariſtotele & Xenocrate judicium, 66. a
Platoni quænam exprobrata à Xenophonte, 61. b
Pleias poëtarum, 78. b
Pleſimachus, 186. b
Plinius judicio Straboni multùm cedit, 79. a
Plinius correctus, 100. b
Plinii de hiſtoria Herodoti error, 59. a
Plutarchus Chæronenſis. ejus ætas, 120. b. laus, 80. a. dignitates & elogia, 121. a. ſtylus, multijuga ſcientia, ſcripta varia, 89. b. ei quædam tribui, quæ Plutarchi junioris videantur, ibid.
Plutarchus cur Herodotum accuſarit malignitatis, 59. b
Plutarchus, Juſtiniano à ſecretis, 141. b
Plutarchi locus correctus, 70. a
Plutarchi parallela minora non videri illius Chæronenſis, 90. a
Plutarchi ſcripta in tabula Lampria ejus filii indicari, 121. b
Plutarchi junioris quæ ſcripta videantur eſſe, 121. b
Poëtæ ſeptem, *Pleiadis* nomine vocati, 78. b
Polemon F. Euegeti, ejuſque ætas, 92. a. de patria ejus variæ urbes certantes, ibid. Ἑλλαδικὸς unde dictus, & Στηλοκόπας, ibid. varii ejus libri, 92. b
Polemon ſophiſta, alius ab Euegeti filio, 186. b
Politianus malè ambigit, ecquis fuerit Suidas, 152. a
Pollio, princeps, orator, & civis Plinio dictus, non eſt Aſinius Pollio Trallianus, ut vel patria hujus oſtendit, 103. a
Polyanthus Cyrenæus, 186. b
Polybius cujus filius, quando natus, ac denatus: quanto item in honore apud ſuos, & favore poſtea apud Romanos fuerit, 93. a. quouſque hiſtoriam ſuam perduxerit, ibid. cur eandem vocârit ἀποδεικτικήν, ibid. ejuſdem de bello Numantino hiſtoria, ibid. quo ambiguo cum elogio Livius ornet, ibid. quanti eandem M. Brutus fecerit, 93. b. ejus de ſtylo judicium,

ized b

ciam, *ibid.* adverſus eundem Scylacis liber, *ibid.*
Polyænus Athenienſis, 186. b. 224. b
Poliænus Macedo, ſcriptor laudatus, 126. b
Poliænus Sardianus, 126. b. 210. b
Polycharmus, 186. b
Polyclitus Lariſſæus, 186. b
Polycrates de Vita Timothei ſuppoſititius, 120. b
Polycratem falsò credi unum ex iis, qui Socratem coram Judicibus accuſarunt, 84. b
Polycritus Mendæus, 186. b
Polyhiſtor, alius ab Alexandro Polyhiſtore, 187. a
Polyſtephanus, 187. a
Polyzelus Meſſenius, 196. a
Polyzelus Rhodius, 187. a
M. Pompejus Theophanis Lesbii fil. Aſiæ procurator, 101. a
Pompeji Magni natalis, præceptor, 98. a
Pompejani belli initium, 98. a
Πορφυρογέννητοι qui & cur vocati, 132. a
Porphyrii ætas, & hiſtoria de vitis philoſophorum, 131. b. eundem & patriâ linguâ Malchum, & Græcâ Porphyrium dictum, 132. a. quæ præterea ediderit, *ibid.* eum primum fuiſſe Chriſtianum, dicente Auguſtino, in dubium vocatur, *ibid.* jam ſenem denuò Chriſtianum factum qui putant, refelluntur, 132. b. alium ab hoc eſſe, cujus Panegyricus exſtat, *ibid.* nec Euſebii tempore vixiſſe, *ibid.*
Porphyrii circa ætatem Sanchoniathonis error, 56. a. de ætate item Semiramidis lapſus, *ibid.*
Porphyriani interpretis Galli de nomine *Sanchuniathonis* error, 56. a
Poſidippus, alius à Comico, 187. a
Poſidippi verſus apud Tzetzem emendati, 187. b
Poſidonius Alexandrinus, 103. b
Poſidonius Apameenſis quando floruerit, 103. a. non fuiſſe eum comitem Scipionis Africani, cùm legatus iret Alexandriam, *ibid.* Quando Romam venerit, 103. b. reliquit libros LII, quibus Polybium continuavit, *ibid.* ſtylus ejus cujuſmodi, *ibid.* quomodo eundem ſui temporis ſcriptorem appellet Strabo, cùm hic ſeculo pòſt vixerit, 104. a
Poſidonius Olbiopolita, ejuſque ſcripta, 103. b
Poſidoniorum trium quonam uſus ſit magiſtro Cicero, 104. a
Poſſevini error annotatus à Roſweido, 145. a. ejuſdem in ætate Pſelli ἀλογισμία, & quid eum in errorem induxerit, 150. a. alius error refellitur, 134. a. ejus item opinio in loco Hieronymi improbatur, *ibid.*
Poſſis Magneſius, 187. b
Potamon Alexandrinus, philoſophus, conditor ſectæ Potamonicæ, 114. a
Potamon Mitylenæus, cujuſmodi literario viatico eum proſecutus ſit Tiberius Cæſar, 114. a
prælium Græcorum ad Mantineam qua Olympiade commiſſum? 73. a
Prætor Græciæ, hiſtoriæ LX annorum ſcriptor, 217. b
Praxagoras Athenienſis, quanti Conſtantinum M. fecerit, licet gentilis eſſet, 133. b
Praxion, 224. b
Praxiphanes, 187. b
Praxitiles Venerem Cnidiam effinxit ad formam Cratinæ meretricis, 187. b
Presbyter Aſiaticus ſub nomine Pauli quædam eſt commentus, ac propterea munere ſuo dejectus, 119. a. id factum ſuperſtite adhuc Joanne Euangeliſta, *ibid.*
Priſcus Panites, 213. a
Prochorus ſuppoſititius, de Vita B. Joannis, 118. a
Procles Carthaginenſis, 187. b
Procopius Cæſarienſis; ejus dictio, hiſtoriæ diviſio, 140. b. cur librum nonum vocarit ἀνέκδοτον, 141. a. cur in Juſtiniano damnet, quod in hæreticos capitalem ſtatuerit pœnam, *ibid.*
Promathidas Heracleotes, 187. b
Promathion, 187. b
Πρῶτος ἱστορίας quid ſignificet, 73. a
Protagoras, 187. b
Protagorides Cyzicenus, 188. a
Protarchus Trallianus, 188. a
Protoveſtiarii munus, 151. b
Proxenus, 188. a
Ptolomæi Auletæ tempore qui hiſtorici floruerint, 100. b. 101. a
Ptolomæi Euergetæ tempore quinam floruerint hiſtorici, 86. b
Ptolomæi Lagi hiſtoria de rebus Alexandri, 74. a. quantæ fidei Arriano viſa, *ibid.*
Ptolomæi Lathyri tempus tripartitum, 98. b
Ptolomæi Philadelphi in Demetrium Phalereum odium & perſecutio, ejuſque cauſa, 77. b
Ptolomæi Philopatoris, & Epiphanis ætate, qui floruerint hiſtorici, 91. a. b
Ptolomæi Philopatoris laudes, vitiaque, 91. b
Ptolomæo Dionyſio & Cleopatrâ regnante, qui hiſtorici floruerint, 102. a
Ptolomæus Ageſarchi, cur hiſtoriam Ptolomæi Philopatoris ſcripſerit, 110. b
Ptolomæus Alexandrinus, cognomento Chennus, 121. a. de ætate ejus conciliatus ſecum Suidas, *ibid.* excerpta ejus Photius conſervavit, 121. b
Ptolomæus geographus, 211. a. ejus ſcripta, laus, patria, *ibid.*
Ptolomæus Lagides inter διαδόχους Alexandri, 75. b
Ptolomæus Mendeſius, ſacerdos, de geſtis regum Ægyptiacorum ſcripſit, 112. a. ejus fortaſſe liber de Herode, *ibid.*
Ptolomæus Philadelphus inter ἐπιγόνους Alexandri, 75. b. quando obierit, 82. a
Ptolomæus Philopetor quando regnare cœperit, 86. b
Ptolomæus Physcon, qui & Euergetes & κακεργέτης, rex idem, atque hiſtoricus, 96. a
Publilius Optatianus Porphyrius, carminis panegyrici ad Conſtantinum Auguſtum auctor, 132. b
Publius Rutilius Rufus. ejus dicendi genus; orationes; libri de ſua vita; hiſtoria belli Numantini, Græcè ab eo ſcripta; exilium, 99. a. honor ab Aſiaticis illi habitus, ejuſdemque in exilio fortitudo, *ibid.*
Publius Rutilius à Theophane Lesbio per calumniam immeritò traductus, 101. a
purpura regum inſigne, 132. a
purpurea ſandalia cur geſtare juſſa Irene, fil. Alexii Comneni, 132. a
Pyrander, 188. a
Pyrgion, 188. a
Pyron: ac ejus error de ingreſſu Adami in paradiſum, 188. a
Pyrrhi & Cyneæ, de re militari libri, 206. a. b
Pyrrho philoſophus quando vixerit, 79. b
Pythænetus, 188. a
Pythagoras, diverſus à Samio illo philoſopho, 188. a
Pythagoræ Samii ætas, 196. b. falsò ei à Cedreno tribui hiſtoriam de Samiorum bello cum Cyro rege: cujus nec B. Hieronymi ætate quicquam exſtiterit, *ibid.* quæ verè ſcripſerit, *ibid.*
Pytheas Maſſylienſis Eratoſthene ætate prior, 89. a
Pytheas Maſſilienſis, 206. b. de eo Strabonis cenſura, *ibid.*
Pythermus Epheſius, 188. a
Pythocles Samius, 188. a

Q.

QUadratus, *vide* Aſinius Quadr.

R.

RAimundi Lulli de Polybio cenſura improbatur, 93. b
Ῥαψῳδοὶ qui dicantur, 75. a
Rhaucienſes ab apibus coacti urbem ſuam deſerere, 219. a
religionum omnium conſenſum eſſe, Aſclepiades oſtendere adnixus, 100. a
Rhebas qui fluvius, 109. b
Rheginus hiſtoricus, 224. b
Rhetorice à quo reperta, 197. b
Rhianus Benæus, poëta hiſtoricus, 89. b
Rhodus quare *Ophiuſa* appellata, 187. a
Rhodi inſulæ ſerenitas, 109. b
Robertus Capito Anglus, vetus Suidæ interpres, 152. a
Romæ conditæ annus in quam Olympiadem incidat, 72. a
Romanæ monarchiæ initium in Auguſto, 105. b
Rufinus corrigitur in vocabulis *Ecbatanus*, & *Eſſius.* 71. b
Rufinus, Joſephi interpres, emendatus, 95. b
Rufini judicium de libris Recognitionum Clementis, 120. a
Rufus, 188. a
Rutili Lupi, rhetoris ætas, 126. a
Rutilius Rufus, *vide* Publ. Rutil. Rufus.

S.

SAbæ Vita à Cyrillo monacho perſcripta, 139. a
Sabinus Macedonianus, de variorum Conciliorum Actis, 216. b
Sabinus Heracleenſis, 138. a. fuiſſe hunc Semiarrianum ſive Macedonianum, *ibid.*
Sabinus Monachus, 224. b
Sacri Codicis tranſlatio in linguam Græcam, qua veritate à quibuſdam ſcriptoribus ad Ptolomæi Lagi, ab aliis ad Philadelphi tempus referatur, 77. b
Sæus vel Saon, 188. b
Sais Ægyptia Athenarum metropolis, 184. b. 185. a
Σαλὼς quid ſignificet Syris, 143. b
Samos ut olim dicta ſit, 163. b
Sanchoniathon unde ſua hauſerit, & quando vixerit, 56. a. quâ linguâ & de quibus, ſcripſerit, *ibid.*
Saon hiſtoricus, 188. b
Saturnus, & Rhea, Jovis, & Junonis parentes, quare, & quomodo, à Phœnicibus culti, 56. a
Satyrus Olynthius, hiſtrio, 188. b
Satyrus Peripateticus, 70. a. 188. b
Savaronis error notatus, 101. a
Scaligeri judicium de libro Hecatæi Abderitæ de Judæis ſcripto, 71. a. opinio de ſcriptore τῆς Κοινῆς rejicitur, 130 a. ſententia, Hermippo nixa, de Demetrio Phalereo, rejicitur, 78. a
Scamon Mytilenæus, 188. b.
*Scepſius* ἁπλῶς pro Demetrio Sepſio, 97. a
Scepſis Trojadis urbs, patria Demetrii, & Metrodori, 97. a
Sciodapſus Homeri famulus, 222. a
*ſcholaſticus*, pro advocato, 141. a
ſcholiaſtes brevior Homeri fortaſſe emendatus, 191. a
Scipio Africanus, majoris filius, 208. b
Scipionis Æmyliani legatio in Ægyptum, quem in annum nobis inciderit, 103. a
Scorpios ex crocodilo enaſci, quis tradiderit, 162. a
Scripta quædam ſpuria, quæ nunc non extant, 120. a
Scriptores varii, quos ante Homerum vixiſſe Tatianus putarit, 57. a
Scylax Caryandenſis γῆς περιόδου auctor, quis, 94. a. tres videri fuiſſe Scylaces Caryandenſes, *ibid.*
Scylacis adverſus Polybium liber, 93. b. is an Caryandenſis ille Geographus ſit, ut Suidas vult, diſquiritur: & Suidam falli, convincitur, *ibid.* & 94. a
Scylitzes familiæ nomen videri, 151. a
Scylix vel Scylex, hiſtoricus, 224. b
Scymnus Chius, 188. b
Scythinus Teius, 188. b
Sebaſtiani Corradi conjecturæ in Livio approbata, 99. a
ſecta Philoſophorum nulla omnem habet veritatem, ſed omnis ex parte, 125. b
Seleucus Emeſenus, grammaticus, 189. a. & alius Tarſenſis: alius item Alexandrinus grammaticus, *ibid.* item Babylonius, & cui

cui cognomen Theologo, *ibid.*
Seleucus Nicator inter διαδόχους Alexandri, 75.b
Semeronius Babylonius Perſa, 189.a
Semiramidis ætas, & Trojana clades, quanto intervallo inter ſe diſtent, 56.a
Semus Eleus, grammaticus, 189.a
ſenectutis ara in Gadibus, 123.b
ſeptenarius unde pro perfecto haberi cœperit, 191.a
Septentrionalium formæ, ac mores fabuloſi, ex Iſigono, 179.a
Serapio Antiochenſis: & alius Aſcalonita, 189.a
Serapis cujuſmodi idolum, & unde dictum, 183.a
Serapis, & Iſis, iidem ac Pluto, & Proſerpina, 162.b
Sergius Confeſſor, 147.a. alius hujus nominis, 147.b
ſerpentes ex ſpinæ medulla, in nonnullis cadaveribus, enaſci, quis auctor ſit, 162.a
ſerpentes, quæ alites ſupervolantes hauſtu rapiant, 97.b. 181.b
ſerpentium in Caria mirabilis natura, 204.b
Serrarius Prochori auctoritatem improvide advocat, 118.a
Servius emendatur, 158.b. ejus lapſus geminus, 212.a. ejuſdem locus multifariam corrigitur, 273.a
Sethus Magiſter, 217.b
Severus epitomen fecit Philonis περὶ πίλων, 121.b
Severi Imperat. de vita ſua commentarii, 129.a
Sexti Empirici verba fidelius tranſlata, 186.b
Sibylla Cumana an Beroſi Babylonii filia vere dicatur à Juſtino Martyre, 82.b
Sibyllas diverſas Cumis vaticinatas fuiſſe, 82.b
Sicenus, ſive Sicinus inſula unde dicta, 191.a
Sidonii locus defenditur contra Barthium, 222.b
Sicilia unde nomen hoc acceperit, 201.a
Sicilia in triplex diviſa imperium, Romanum, Syracuſanum, & Punicum, 90.b
Sigiſmundus Gelenius refellitur, 108.b
Silenus hiſtoricus, 189.a
Simachus, 225.a
Simeon Magiſter, ac Rhetoricus Logothetes, 215.a
Simeon Metaphraſtes unde hauſerit, quæ de Vita Joannis Eleemoſynarii narrat, 143.a
Simeon Theologus, 225.a
Simlerus deceptus ambiguo ἡγουμένου vocabulo, 149.a
Simleri de Metaphraſte error, 148.b. 149.a
Simmeas, vel Simmias, 189.b
Simmias Rhodius quando fuerit, & quæ ſcripſerit, 194.b
Simoni Mago pœnitentia falsò affıcta, 119.b
Simonides hiſtoricus quando vixerit, quæque ſcripſerit, 66.b
Simonides Ceus quando vixerit, & quæ ſcripſerit, 202.b. ὁ [illegible] quare vocatus, *ibid.*
Simonidis Cei ætas, & ſcripta, 197.b
Simonides Magneſius: & alii ejuſce nominis, 107.b. quis ex illis hiſtoriæ Æthiopicæ auctor, non conſtat, *ibid.*
Simonidi in ſomnis gratia pro ſepultura relata, 163.a
Simonides Ceus, 197.b
Siſyphus Cous, res ad Ilium geſtas primus literis conſignavit, 194.a
Socrates ut donatam aream ad extruendam domum recuſârit, 115.b
Socrates in vocabulo τρόφιλος, emendatur, 228.a
Socrati qui litem intenderunt, quot & quinam? 84.b
Socrati falsò pæan tributus, 221.b
Socrates Rhodius, 112.b
Socrates Scholaſticus: deque ejus ſtylo, & in dogmatis Chriſtianis fide, 137.a
Socrates diverſi, 189.b
Socraticorum quis primus mercedem pro inſtitutione exegerit, 70.a
ſol quare Rhodi inprimis coleretur, 109.b
Solon quo figmento à Thalete deluſus, filium ſuum, quaſi mortuum, planxerit, 184.b
ſomnium Cyrilli, ſeu viſio, 139.a
Sopater Apamenſis vel Alexandrinus, 125.b. Conſtantini M. juſſu interfectus, 133.a. ejus ſcripta, *ibid.* multa hauſerat ex libris Rufi, 188.a
Sophænetus, 189.b
Sophis chronologus, 189.b
Sophronius de Vita Hilarionis, 136.a. pro quo ſæpe corrupte legitur *Sempronius*, 136.b
Sophronius patriarcha Hieroſolymitanus, 144.a. Heraclii tempore ſcripſit, ut diverſus ſit ab æquali B. Hieronymi, *ibid.* Eidem tributum Viridarium ſive Paradiſus Joannis Moſchi: & unde id ſit, *ibid.*
Sorani profeſſione medici tres, quorum medius etiam hiſtoricus, 189.b
Soſander, 189.b
Soſicrates Rhodius, 189.b. & alii hujus nominis, 190.a
Soſibus Lacon, quæ ſcripſerit, 86.a
Soſibii plures, 86.a
Soſilus Ilienſis, 90.b
Soſimus, 190.a
Soſthenes Cnidius, 190.a
Soſtratus Grammaticus, & alius Phanagorites dictus, 112.b
Soterichus Alexandrinus, Muſicus, 132.b
Soterichus Oaſites, ejus ætas & opera, 132.b
Sotionis Succeſſionum libri ab Heraclide Lembo in compendium contracti, 94.b
Sotiones duo, & utriuſque ætas, 114.b
Sozimus Priſcus, 190.a
Sozomenus. *vide* Hermias Sozomenus.
Speuſippus, 66.b
Sphærus, 87.b
Σφήκεια unde Cyprus appellata, 190.a
Σταῖς quid, 177.b
Stamis, 190.a
Staphylus Naucratita, 190.a
Stephanus in Τάῤῥα emendatus, 180.a
Stephanus Byzantinus, 141.b
Stephanus, fortè Byzantinus, 190.a
Stephanus Hierapolitanus Epiſc. 190.a
Steſiclides Athenienſis, 91.b. 190.a
Steſimbroti Thaſii ætas, 201.b
Συγγενίας unde Hermippo nomen, 124.b
Strabo Amaſenus, cujus ſectæ fuerit, 113.a. præter Geographiæ libros quæ extant, quæ alia ſcripſerit, 113.b. quo præceptore uſus, *ibid.* quando vixerit, quoque anno geographica ſua ediderit, *ibid.* & 95.b. laudatur, 79.a
Strabonis de Daimacho Platæenſi, & aliis quibuſdam, judicium, 78.b. judicium de Herodoto improbatum, 59.b
Stratones octo, ex Laërtio, 95.b. quorum quintus deeſt, qui videtur fuiſſe Strato geographus, *ibid.*
Strattis Olynthius, ejuſque ſcripta, 74.a
Strymoni injectus ſcyphus poſtmodo invenitur in palude juxta Apolloniam, 188.a
*Studium*, monaſterii nomen, 145.b
ſuccinum foſſile, quibus eruatur locis, 185.b
Sunius, 190.a
Suidas quando vixerit, 152.a. quæ ſcripſerit, *ibid.*
Suidas alter Strabone antiquior, 152.a
Suidas de marito Pamphilæ Ægyptiæ ſibi non conſtat, 115.b
Suidas gemino in loco emendatur, 58.b. item in voce Ἔφιππος, 66.a. in voce Δόξας, 85.a. iterum corrigitur, 85.b. 91.a.b. 94.b. 116.b. 130.b. 132.b. 173.a. 196.a.b. in voce Βάσσος, 199.a. denuo, 208.b
Suidæ error de numero Philippicorum Theopompi, 65.a. alius, & unde is ortus, 91.b. 92.b. alius de Scylace, 94.a. alius, dum duos Poſidonios, Apamenſem, & Alexandrinum, confundit, 103.b. alius, 115.b. dum Cephalonem & Cephalæonem confundit, 124.b. alius, 130.b. alius in diſtinguendis Pherecydis, Athenienſi & Lerio, 199.b. 200.a. ejuſdem in loco conjectura, 109.b
Suidæ locus de hiſtoricis quatuor Herodoto antiquioribus, 58.b. de patria Dionyſii τοῦ περιηγητοῦ conjectura refellitur, 109.a.b. quæ ejus mens, quum Eudoxum Cnidium dicit [illegible] Πλάτωνος, 63.b. ejus oſcitantia in Alexandro, cujus res Leo Byzantius deſcripſerit, 67.a
Syagrus, 190.a
Symeonis Metaphraſtæ encomion & dignitas, 148.a. ejus æſtimatio contra Hoſpinianum defenditur, *ibid.* quâ ætate vixerit, in qua pluribus aberratum, 148.b. qua occaſione Sanctorum vitas exarare ſit orſus *ibid.* quomodo dignitate ſit auctus à Leone philoſopho, *ibid.* cur dictus *Metaphraſtes*, *ibid.* non omnes Vitæ, quæ creduntur, Simeonis ſunt illius: ſed quædam à junioribus fuere additæ, 149.a. an idem hic ſit Symeon Metaphraſta, ac Symeon junior, ſeu novus Theologus dictus, cujus orationes ſuperſunt, *ibid.*
Symeon junior, novus Theologus dictus, 149.a
Symmachus, *vide* Simachus.
*Syncellus* quinam veteribus diceretur, 146.a
Syri cur piſcibus abſtineant, 171.a

T.

TArſenſium res quis ſcripſerit, 113.a
Tatiani ex Euſebio locus emendatur, 56.b. lapſus de ætate Ariſteæ Proconneſii, *ibid.* locus de Beroſo excutitur, 81.b
Teleclidis ætas, 202.b. eum Telchiniacæ hiſtoriæ auctorem quibuſdam credi, *ibid.*
Telephus, Grammaticus Pergamenus, 210.b
Teleſarchus, 190.a
*Τενθρηδὼν*, quale animalculum, 72.b
Tertulliani ἁμάρτημα μνημονικόν, 75.a
teſtudinis in bello inventor, 164.a
Teucer Cizicenus, 190.b
Teupalus, 190.b
Thalaſſius Arrianus de ſui temporis geſtis, 216.b
Thalaſſius monachus, 216.b
Thales quomodo nunc Mileſius, nunc Phœnix dicatur, 177.a. quomodo Solonem arguerit vitam ejus cœlibem improbantem, 184.b
Thallus hiſtoricus, 104.b. 190.b
Theagenes, 190.b
Theagenis Rhegini ætas, 56.b
Theclæ, & Pauli acta, cujus auctoritatis, 119.a
B. Theclæ precibus animam Falconillæ ex inferis liberatam fuiſſe, Damaſcenus fabulatur, 147.b
Themiſon, 190.b
Themiſtagoras, 190.b
Themiſtogenes Syracuſanus, 203.b
Theochreſtus, 190.b
Theoclius, Cæſarianorum temporum ſcriptor, 212.a
Theocritus hiſtoricus, 190.b
Theocritus Chius, 204.a. ejus ſcripta, *ibid.*
Theocriti Chii maledicum in Ariſtotelem epigramma, 159.b
S. Theoctiſtæ Vita à Symeone Metaphraſte perſcripta, 148.b
Theodectes Phaſelites junior, 205.b
Theodectem viſu fuiſſe orbatum, cum fabulis ſuis vellet inſerere aliqua ex divinis Scripturis, 65.b
Theodoretus Epiſc. Cyri, 137.b. ejus ſtylus, *ibid.*
Theodoretus Gadarenus, 210.a
Theodorus Anagnoſtes, 140.a
Theodorus Daphnopates, 190.b
Theodorus, diaconus Romanus, nonnullis auctor videtur dialogi de Chryſoſtomi vita Palladio tributi, 135.b
Theodorus Gaza, 215.a
Theodori Lectoris hiſtoria juſta, & ejus epitome aliena diſtinguenda, 140.b
Theodori Metochitæ ætas, ſcripta partim edita, partim inedita; eruditio varia, dictio, obitus, 154.b
Theodorus Mopſveſtenus, de Magia Perſarum, 216.b
Theodorus Panages. & alii hujus nominis, 190.b

Theo-

Theodotus Samothrax, 191. a
Theodorus Σιβαρίας, 190. b
Theodorus Sides, 190. b
Theodorus Studites de Vita S. Platonis, 145. b
Theodoſii M. ævo qui vixerint hiſtorici, 225. b
Theodoſii Zygomalæ epiſtola de Conſtantinop. obſidionibus & expugnatione, ac hodiernæ Græciæ rebus, 215. b
Theodoti tres, 191. a
Theognis, alius à tragico, & gnomographo, 191. a
Theologiam gentilem, & philoſophiam, quis Græcorum primus ſolutâ oratione tractârit, 57. a
Theophanes Byzantius, 142. a. 146. b
Theophanes Lesbius hiſtoricus quando vixerit, 100. b. quando patriæ fuerit ornamento; atque ut eidem libertatis fuerit cauſa, *ibid.* in quo culpari mereatur, 101. a
Theophanis Lesbii filius. M. Pompejus, Aſiæ procurator, 101. a
Theophanis pronepotibus apud Cæſarem obfuit proavi ſui memoria, 101. a
Theophanes presbyter, 146. b
Theophilus, 191. a
Theophilus Antiochenus, 128. a
Theophili imperium, 147. a
Theophilus Presbyter, 225. b
Theopompus Chius num epitomen Herodoti ſcripſerit, an alius hujus nominis, 60. a. 64. b
Theopompus Chius, diſcipulorum Iſocratis clariſſimus, quando floruerit, & quæ ſcripſerit, 64. a. ejus Orationes cujus generis: epiſtolæ item rectius ne *archaicæ*, an *Athaica* dicantur, *ibid.* ejuſne ſit Epitome Herodoti, an alius Theopompi, *ibid.*
Theopompus quo peſſimo Anaximenis artificio in odium Græcorum fuerit adductus, 73. a
Theopompi hiſtorici ætas, 204. a
Theopompi varia ſcripta, 64. b. Hiſtoriæ ejus laus, *ibid.*
Theopompi Philippicorum libri quot fuerint, & Suidæ ſuper eo error, 64. b. ſeq. Theopompi hiſtoriarum virtutes celebrantur, argumenti nobilitas, apta diſpoſitio, perſpicuitas & veritas, 65. a. dictio item laudatur, *ibid.* de ejus ſtylo judicium Dionis, & aliorum, 65. b
Theopompo quæ ſcripta falsò attribuantur, 65. b
Theopompum in quo veteres reprehendant, 65. a. ut in eo Dionyſius eum excuſet, in aliis itidem culpet, *ibid.*
Theopompum mente fuiſſe orbatum, cum vellet hiſtoriis ſuis inſerere quædam ex lege divina, 65. b
Theopompus Cnidius qua ætate vixerit, 60. a
Theopompus Sinopenſis, & alii duo ejus nominis, 60. a
Theophraſtus, magis licet philoſophus, quàm hiſtoricus, quædam tamen ſcripſit hiſtorica, 68. a. unde hoc nomen acceperit à Magiſtro, & ut prius fuerit dictus, *ibid.* ejus laus & longævitas, *ibid.* in eo veterum diſſenſus, *ibid.* ab Ariſtotele ſucceſſor ſibi delectus, *ibid.*
Theophraſtus Ereſius quàm graviter Calliſthenis, ſodalis ſui, cædem tulerit, 68. a
Theophraſti de Herodoto judicium ex Cicerone, 59. b
Theophylactus Simocattus. ejus patria, ætas, hiſtoriæ argumentum, ſtylus, aliaque præter hiſtoriam monumenta, 143. a
Theoſterictus, 147. a
Theotimus, 191. a
Theſauro ſcribi debere, non libros, Domitii Piſonis dictum, 126. b
Theſeus hiſtoricus, 191. a
Thomæ Apoſtoli maledictio eventu comprobata, in homine à leone devorato; ſecundum Manichæos, 118. b
Thomaidis, virginis ſacræ, opus de vita & martyrio S. Febroniæ virginis, 191. a
Thoromachus, 191. a
Thraceſium quæ regio, 151. b
Thraſybulus, 191. a
Thraſyllus Mendeſius quando vixerit, & quæ ſcripſerit, 210. b
Thucydidis ætas, & hiſtoriæ ejus dignitas, 60. a. b
Thucydidis libri non uno olim modo dividebantur, 60. b. fides & integritas laudata, *ibid.* dictio elogiis Tullii, & Fabii, commendata, & quantum à dictione Herodoti differat, *ibid.* obſcuritas unde exiſtat, *ibid.* octavi libri tenuitas, deque eo judicia veterum, *ibid.*
Thucydidem quid excitârit ad condendam hiſtoriam, 60. b
Thucydidem nos Xenophonti debere, 61. b
Tiberii Anicii imperium, 142. b
Timachidas gloſſographus, 88. b
Timæus Locrus, philoſophus Pythagoricus, 80. a. idem de vita Pythagoræ, 204. a
Timæus Siculus, ejus ætas & ſcripta, 80. b. ubi fidem ſit meritus, *ibid.* ut in Agathoclis hiſtoria undique malignum erga eum animum prodat, *ibid.* ejus dictio cujuſmodi? *ibid.* de eo judicium Ciceronis, 81. a. Diodori item Siculi, *ibid.* Longini, *ibid.*
Timæi Siculi maledicentia, unde Ἐπιτίμαιος dictus. longævitas, *ibid.*
Timagenes Alexandrinus, orator, 102. a
Timagenes Alexandrinus, rhetor, diverſus fuit à Timagene hiſtorico. quod collatione amborum oſtenditur, 182. b
Timagenes Mileſius, 191. b
Timagenes Mileſius, 102. a. quando vixerit, 102. b. quomodo Cæſaris amicitiâ exciderit, & ut ſe ultus ſit, *ibid.*
Timagenes Syrus, 102. b. 191. b
Timarchus, 88. a
Timochares geminus, 191. b
Timocrates, Epicuri diſcipulus, 186. b
Timolaus, 191. b
Timoleon ubi, honoris ergò, ſepultus, 164. b
Timomachus, 191. b
Timonax, 191. b
Timonis filii, 114. b
Timones duo, unus philoſophus, Philadelpho æqualis; alter Apollonides, qui ſua Tiberio Cæſari inſcripſit, 125. b
Timoſthenes Eratoſthene paullo prior, 98. a. quæ ſcripſerit, *ibid.*
Timotheus Athenienſis, 191. b. alius à Timotheo gentili, Theologo, *ibid.*
Timotheus, Chronographus Chriſtianus,
Timotheus epiſcopus Alexandrinus, de aliquot Sanctorum vitis, 136. a
Timotheus Gazæus, 139. b. ejus opera, 140. a
Timothei vita, liber ſuppoſititius, 120. b
Timoxenus, 191. b
Tragiamborum quis inventor, 102. b
Trajani Patricii ætas, & Chronicon, 145. a
Trajani animam precibus Gregorii M. ab inferis eſſe liberatam, fabulatus eſt Damaſcenus, 145. b
Trapezuntius notatus, 72. a
Τριπολιτικοῦ auctor genuinus quis, 69. b
Triſimachus, 192. a
Trithemius duos confudit Euagrios, Ponticum, & Antiochenum, 136. a
Tritthemii de ætate Theodoreti error, 137. b. alius item de ætate Joan. Damaſceni, 145. a
Troglodytarum velocitas, 168. a
Troja quo die capta, 67. b
Trojæ excidium quot annis primam Olympiada anteceſſerit, 194. b
Trojæ excidio omnes Græci hiſtorici ſunt multo recentiores, 55. b
Trophilus, 192. a
Tryphiodori Ægyptii Odyſſea λειπογράμματος, aliaque ejuſdem, 110. b
Tyrtamus, Ariſtotelis diſcipulus, cur poſtea à magiſtro ſit dictus Theophraſtus, 68. a
Tyrus quo tempore condita, 55. b
Tzetzis locus correctus, 200. b

## V.

VAlla, interpres Herodoti, taxatus, 177. a
Varinus & Armenius, 192. a
Varro emendatus, 184. a. b
Varronis judicium de dictione Hegeſiæ, à Cicerone improbatum, 80. a
Varronis locus correctus, 184. b. 204. b
veritas, judice Lactantio, non tota hauritur ex una quapiam ſecta; ſed pars ejus ex qualibet, 125. a
verſus olim etiam annumerati in libris proſa ſcriptis; & cur olim id fuerit facile, contra quam nunc ſit, 83. b
veſpæ unde naſcantur, 102. a
Veſpaſiano & Tito oraculum de Chriſto adaptatum à Joſepho, 116. a
Vincentii Bellovacenſis, aliorumque error de ætate Joannis Damaſceni, 145. a
Virgilii locus in Ciri à Leopardo correctus, 184. a
Vives refellitur eo, quòd dixerit, Diodoro Siculo nihil eſſe nugacius, 108. a
Ulpianus Arabs, & alii nonnulli, 192. a
Unnorum, qui Perſis Turcæ, auri abundantia & luxus, 143. a
Volaterrani lapſus de Cyro, cujus παιδείαν ſcripſit Xenophon, 61. b. error de Timæo, 81. a. error de ætate Joan. Damaſceni refellitur, 145. a
Uranius, 192. a
Vulſonis conſulatus, 207. b
vultures num ex orbe incognito advolent, an apud nos nidificent, 177. a
vulturibus cur Romani maxime utantur in auſpiciis, 177. a

## W.

WOlfangi Lazii ſpiſſus error, exiſtimantis, Lucam Euangeliſtam ſua exſcripſiſſe ex putidis Abdiæ Babylonii lacunis, 118. a

## X.

XAnthus Lydius, hiſtoricus, quando vixerit, & quæ ſcripſerit, 58. b
Xanthus Lydius, 201. b. ejus elogium à Dionyſio Halicar. *ibid.*
Xenagoras hiſtoricus, 191. a
Xenarchus Seleucienſis, Peripateticus, Strabonis præceptor, 113. b
Xenion, 192. b
Xenocrates Chalcedonius, ejuſque liber περὶ βίου, 67. a
Xenocrates Chronologus, 192. b. Xenocrates Epheſius, Neronis æqualis, *ibid.* Xenocrates Aphrodiſienſis. Xenocrates pictor, Ptolomæo Lagidæ par, *ibid.*
Xenomedes Chius, 58. b. 201. b
Xenophanes, 203. b
Xenophanes Colophonius, quando vixerit, 196. b
Xenophon quando vixerit, 61. a. quamobrem ſolum verterit, *ibid.* cur & qua ratione Lacedæmonis ſe gratum præſtiterit, *ibid.*
Xenophon *Muſa Attica*, vel *Attica apis*, cur dictus, 61. b
Xenophon Antiochenus, 192. b. item Epheſius: atque alius Cyprius, *ibid.*
Xenophon Athenienſis, & alii nonnulli hujus nominis, 192. b
Xenophon Lampſacenus, 192. b
Xenophon, Peripli auctor, 193. a
Xenophontis triplex gloria quænam, 61. a. Κύρου ἀνάβασις, & Ἑλληνικῶν argumentum, *ibid.* Κύρου παιδεία qui pro vera hiſtoria habent, quantopere fallantur, *ibid.*
Xenophontis meritum ob publicatum Thucydidem, 61. b
Xenophontis ſub nomine, libellus de Æquivocis, ſuppoſititius, 61. b
Xenophontis ſtylus cujuſmodi, & in quo à Julio Cæſare differat, 61. b
Xenophontis ſcripta quædam deperiiſſe, 61. b
Xenophontem inter, & Platonem, ſimultas, 61. b
Xerxis expeditio in Europam quo anno inſtituta, 59. a
Xylander, Strabonem Peripateticum fuiſſe autumans, refellitur, 113. a. b. iterum refellitur, 117. b

Xylandri error in loco Strabonis, *Syriaca*, pro, *Aſſyriaca*, legentis, 62. b
Xylocercus vel potiùs Xycercus, muri nomen Conſtantinopoli, 149. a

Z.

Zacharias Papa, tranſtulit Græcè Dialogos Gregorii M. 145. b
Zacharias Rhetor, 225.b
Zeneus Chius, 193. a
Zenobius, qui nonnullis Zenodotus, Salluſtium Græcè vertit, 124. a
Zenonis de Pyrrho hiſtoria, 87.b
Zenones duo alii, Sidonius, & Cittieus, 87.a
Zeno Κιτιεὺς quando claruerit, 103. b. Stoicæ ſectæ auctor, 205. b
Zenodoti tres, & ſingulorum ætas & ſcripta, 77. a. Tertius horum Salluſtii hiſtorias vertit Græcè: niſi is potius Zenobius dicendus, *ibid.*
Zenodoti diverſi, Trœzenius, Ætolus, Theophilus, Epheſius, Alexandrinus, 193. a
Zenothemis, 193. a
Zoilus Amphipolitanus, cur *Canis Rhetoricus* fuerit vocatus, 84. b. Homeromaſtix, *ibid.*
Zoili ſcripta, 84. b. de ætate ejuſdem variant antiqui, *ibid.* paupertas, & miſera mors, 85. a. de eo honeſtum judicium Dionyſii Halicarnaſſæi, *ibid.*
Zonaras quando vixerit, 151. a
Zopyrion, 193.b
Zopyrus Byzantius. & alius Heracleota, 193. b. aliique inſuper, *ibid.*
Zoroaſtres magus, 194. b
Zoſimus hiſtoricus, 137. b. ejus dictio cujuſmodi, *ibid.* an fides ejus omnimodo ſuſpecta eſſe debeat in rebus Chriſtianorum, *ibid.*
Zoſimus Alexandrinus, 138. a
Zoſimus Gazæus, 138. a

F I N I S.


Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

# HISTORICIS LATINIS

LIBRI III.




*AMSTELODAMI,*
Ex Typographia P. & J. BLAEU,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# GERARDUS JOANNES VOSSIUS
# BENIGNO LECTORI
## S A L U T E M.

QVod ante annos plus minùs ſeptuaginta, in poëtis Latinis pariter, ac Græcis, feliciter præſtitit doctiſſimus vir, Lilius Gyraldus Ferrarienſis: id in argumento, ſi non longè potiori, ſaltem nec utili, nec difficili minùs, utriuſque videlicet linguæ hiſtoricis, tentandum mihi exiſtimavi. Ac de Græcis quidem commentarios noſtros ante triennium publici juris feci. Eos nunc, utinam felicibus modò auſpiciis, conſequuntur hi de Hiſtoricis Latinis. Quorum cùm partem primorem traderem prælo, animus erat deſinere in temporibus Karoli Magni; uti facilè ex ingreſſu operis elucet. Nimirum ita mecum cogitabam, eos, qui conſecuti poſtea fuerunt, à pauciſſimis legi: ſive id propterea fiat, quia in ſeculis poſterioribus nequaquam eam conſpicere ſit, vel ſacrarum, vel humanarum rerum peritiam, quæ fuerat antea: ſive nauſeam gignat, quòd ſcriptores eorum temporum planè ruſtico ſermone, ac ſtribliginis ſitu ſqualleque obſiti ſint. Terrebar præterea immenſâ eorum copiâ, qui in tenebris iſtis rebus ſui temporis afferre lucem ſtuduiſſent: ac quorum plurimi, vel nunc demum exirent in publicum; vel in bibliothecis adhuc cum blattis tineiſque rixarentur. Poſtquam verò graviſſimi laboris pars exhauſta jam erat; conſilium repentè mutavi; noviſque animis ſumtis, deſpicere etiam cœpi de ſeculis ſequentibus. Nimirum in mentem veniebat, providentiam divinam, cujus ſpeculum eſſe hiſtoricam ſcirem, in omni ævo relucere: unde colligebam, etiam animum humanum, qui ad Dei imaginem factus eſt, debere per omne ſæculum diffundi. Nec ultrà movebar ſermonis impolitie, quia nôſſem, aliunde caſtimoniam verborum, hinc geſta nationum, ac res Eccleſiæ, peti oportere. Sciebam etiam, quos vulgò barbaros vocant, ingenio non caruiſſe: imò ſæpe iis, pro ævo, quo vixere, & eruditionem, & facundiam fuiſſe ſingularem. Atque hæc impulerunt; ut quemadmodum hiſtoriam de hiſtoricis Græcis pertexuiſſem uſque ad Conſtantinopolim à Muhammede captam: ita hanc de Latinis perducerem uſque ad tempora imperatoris Karoli v. Nec fore ignoro, ut in opere tam arduo induſtriam meam fugerint hiſtoricorum pluſculi. Verùm ſi rectè ajebat Varro, neminem reprehenſum eſſe, qui ſtipulam reliquiſſet ad ſpicilegium: potiùs in me ſpectari convenit, quantum hoc ſit, quod præſtiterim, quam ecquid præterierim. Præſertim cùm non eo hæc animo divulgem, quaſi in poſterum omnem operis noſtri curam deponere ſtatuiſſem: ſed potiùs, ut poſtquam iſta jam prodierint, amicorum præſtantium & judicio in commiſſis, & indicio in omiſſis, faciliùs fruar. Præterea ut primâ hac, & difficillimâ operis curâ defunctus, minori exinde negotio, & majori voluptate, legam, mediter, noſtra, aliena, & quæ curva deprehenderim, corrigam; quæ mutila, ſuppleam. Nam hactenus quidem, publicis muneribus, & propriis amicorumque negotiis occupatiſſimo, non licuit mihi in vaſto adeò mari eorum, qui rem hiſtoricam juviſſent, expiſcari omnia ex animi ſententia. Quod in cauſſa etiam fuit, cur, in aliquibus ſequioris ævi, contentus ſim indicare ætatem, & quæ memoriæ tradidiſſent, omiſſis interim, quæ, auctores eos legenti, de ipſis in mentem veniſſent. Nimirum pleraque crudiora adhuc videbantur, quàm ut ita apponi mererentur. Imò interdum quoque brevior ſum, quia putidius putarem, nimium



ized by Google

*mium diffundere ſe in iis, qui nondum in manus meas veniſſent. Atque idem de illis dictum velim, qui à me conſpecti lectique; ſed tales reperti, ut vix inter proletarios, vel etiam capite cenſos, reponi mererentur. Verùm ſiquid etiam deſideretur hâc parte; id omne ſpero, vel appendice novâ, vel editione alterâ, præſtabitur. Ac quia is animus mihi ſemper fuit, ut neminem honore ſuo fraudarem: planè fore confido, ut mei, vel potiùs publici boni amantes, ad inſtitutum illud noſtrum conferant ſymbolam ſuam. Uti jam facere ſunt aggreſſi præſtantiſſimi aliquot viri terræ Italiæ; idque duce & auſpice Illuſtriſſimo, ac excellentiſſimo, Dominico Molino, patricio & Senatore Veneto: cujus viri prudentiſſimis conſiliis, & animo ad tuendam Reip. libertatem fortiſſimo, æternùm Veneti debebunt. Nec minùs eidem, qui tractant Muſarum ſacra, devincti obſtrictique ſemper erunt, non in Italiâ modò ſuâ, verùm etiam trans Alpes: ut qui cunctos de liberalium doctrinarum ſtudiis præclarè merentes amore ſummo proſequatur; multoſque vel conantes illud (quos inter nomen profiteor meum) beneficiis ſuis ornare non ceſſet. Equidem, quando non unius eſt hominis luſtrare omnes omnium bibliothecarum forulos; fore confido, ut alii etiam imitentur tanti viri exemplum; præcipuè illi, à quibus me amari ſcio in Germania, Gallia, terris aliis, ante omnes in Britanniâ magnâ, quæ tot antiquis abundat bibliothecis, imò tot vivas etiam habet bibliothecas, viros nempe maximi nominis, qui cum Scripturarum ſtudio, Eccleſiaſticam antiquitatem, & omnigenam hiſtoriam, feliciſſimè conjunxerint. Quanquam autem non dubito, quin ſi Deus mihi vitam & valetudinem conceſſerit; deinceps etiam non paullò plura, partim obſervare ipſe, partim à viris præſtantiſſimis addiſcere poſſim: tamen, ſi ſummus ille imperator de ſtatione vocârit, priuſquam extremam iis, quæ deinceps accedent, manum admoverim; nolim illa temerè divulgari, ſolis his exceptis, quæ eò ſpectent, non tam ut auctius, quam ut emendatius ſit opus noſtrum. Nam pro exiguo duxerim delicto, ſi non omnia in argumento quopiam attulerim; hujuſmodi præſertim, ubi, ut homines, ita geſta eorum, atque uti geſta, ita ſcriptores ipſi creſcunt quotidie: imò ubi in illis etiam temporibus, quæ nos proſequimur, fortaſſe mortalium nemo jactare poſſit, omnes ſe obſervaturum, qui ab antiquioribus celebrentur; omnes, qui in bibliothecis adhuc deliteſcunt; omnes, qui lucem adſpexerint; quorum multi paucis ſæpe paginis conſtent, imò leviculum argumentum tractent, ſæpe etiam antehac ſemel duntaxat, idque ante ſeculum, vel amplius, prodierint in lucem, atque id terris longo hinc diſſitis intervallo; ut nihil ſanè mirandum ſit, ſi in oblivionem penè omnium venerint. Quamobrem, ut dixi, leve hic fuerit aliquos omiſiſſe. At grave omnino ſit, ſi chartis memoriæ ſolùm ergò commiſſa, cruda adhuc propellantur in publicum: in quibus placet Plinianum illud, pro non inceptis haberi, quæ non abſolveris. Longeque magis de iis illud monumentis noſtris dictum velim: quæ nunquam antea emiſerim in lucem. Multa enim multorum exempla, quorum opera poſthuma habemus, cautiorem me reddunt. Commemorare plurima cùm poſſim, exemplum unius afferre contentus ero: de quo agendi graves ſanè habeo cauſſas. Nec alienum planè ab inſtituto erit hoc noſtro, cùm de hiſtoricis agam, & ille, de quo loquar, inter hujus temporis hiſtoricos principem mereatur locum. Eſt is Jacobus Auguſtus Thuanus ὁ μακαρίτης, vir genere, doctrinâ, dignitate maximus, & cui aliquid humanitus patienti planè debeat ignoſci, partim ob graves occupationes, quæ ſingula adamuſſim expendere non patiebantur; partim etiam ob merita præclara erga Gallias ſuas, ac Remp. literariam. Maximus ille vir, quem dixi, (ſi opere poſthumo ſtare licet) ad annum* CIↃ IↃ C II *prodit ea de viro, & genere nobili, & eruditione clariori & pietate modeſtiâque longè maximo, Franciſco Junio Biturige; ex quibus vix guttam veri exprimi poſſe, nemo ſcio eorum, qui vivûnt, negare ſuſtineat. Eo enim, quo dixi, loco hæc de Junio legas:* Lugduno Batavorum, ubi diu profeſſus

eſt,

eſt, ob rerum novarum ſuſpicionem ab Ordinibus Belgii exactus, ſicuti ſuo loco diximus, & Altorfii ubi defecit, à Norimbergenſi Rep. honorifico ſtipendio invitatus. *Nempe, memoriâ deceptus, in errorem Tarteſſiâ muranâ grandiorem incidit vir ſummus: quod ita eſſe, ex ipſius verbis liquidò conſtat. Ait enim,* Sicuti ſuo loco diximus. *At nihil uſpiam tale retulerat de Junio: verùm de Hugone Donello, diſſuaſore quidem, attamen conſcio conſiliorum, quæ conjurati cœperant Lugduni anno* CIↃ IↃ LXXXVII. *Quâ de re ita ad annum hunc ipſe prodidit Thuanus:* Hugo Donellus juris ſcientiâ clarus, eamque diu Avarici Biturigum profeſſus, qui ob religionem Lugdunum conceſſerat, quòd conſilio participâſſe crederetur, à Senatu monitus, ut aliò migraret, Altorfium ſe contulit, ubi Norimbergenſis Reip. ſtipendiis ad mortem uſque docuit. *De Donello id, ut videmus, pronunciârat ipſe: de Junio ſe dixiſſe arbitrabatur. Nempe Gallus erat uterque: adhæc ille in Biturigum urbe jus profeſſus, hic natus ibidem: uterque etiam apud Batavos in Lugdunenſi docuerat Academiâ, neque id exiguâ cum gloriâ. Quid mirum igitur, ſi glaucoma iſthæc in ſcribendo objicere potuerint viro occupatiſſimo? Sed ut ſimiles hactenus fuerint, in iſto diſſimiles tamen, quòd Donellus eximius foret Juriſconſultus; Junius autem Theologorum, qui, iiſdem quidem caſtris, in hoc religionis per orbem diſſidio, militarent, nullo inferior haberetur. Quòd item Donellus in conſpiratione illâ quorundam adverſus illuſtres Hollandiæ Ordines, quam dicebam anno contigiſſe* CIↃ IↃ LXXXVII, *conſiliorum nefariorum conſcius fuiſſet; atque ea propter, auctoritate procerum, ſolum vertere ſit coactus: Junius autem iis temporibus docuerit Heidelbergæ: imò quinquennio demum pòſt, nempe anno* CIↃ IↃ XCII, *ex Palatinatu in Bataviam conceſſerit: nec unquam poſtea pedem extra eam poſuerit: atque adeò, quamdiu vixit, maximo in pretio fuerit apud illuſtriſſimum principem Mauritium, ac potentiſſimos Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines. Quòd denique Donellus extremâ vitâ Altorfii Noricorum jus profeſſus obierit anno* CIↃ IↃ XCI, *ætatis* LXIV: *Junius, qui altero demum pòſt anno in Lugdunenſem Academiam venerat, deceſſerit ibidem anno* CIↃ IↃ CII, *ætatis* LVII. *Itaque illius Altorphii, hujus Lugduni Batavorum monumentum ab omnibus viſitur. Quid pluribus de Junio opus in re, non urbi modò huic, ſed univerſæ cognitiſſima Bataviæ? Bataviæ verò? imò toti fœderatæ Belgicæ, atque adeò Galliis ipſis, & terris aliis, in quibus penè innumeri ſuperſunt, qui temporibus Junii, ſtudiorum cauſſa, in Academiam hanc confluxerant, oculati omnium teſtes, quæ diximus. Quare de iſto quidem tam aperto errore verbum ulteriùs non addam. Verùm quid prohibet, quò minùs, occaſione iſtius, etiam excutiamus hoc tempore, quæ Thuanus proximè ante allata verba præmiſerat?* Obiit, *inquit*, cùm annum tantùm LVII attigiſſet, vir deſultorio ingenio, qui multa conatus, an aſſecutus ſit, quod moliebatur, doctorum erit judicium. *Hæc de Junio Thuanus, à quo tamen multi egregiam laudem retulere, cùm nec alteram Junianarum virtutum partem poſſiderent. Nempe acerbè adeo ut ſummus vir pronuntiaret, fecit amicus ejus, vir cætera egregius; ſed, quod in aliis damnat, præfidens, planeque* ἰδιογνώμων, καὶ αὐθέκαστος, *ſæpe etiam turgens loliginis ſucco, ac ſi quis non per omnia aſſentiret, vehemens alieni nominis obtrectator: quo vitio non mediocriter fœdabat egregias, imò admirandas animi dotes. Non me ariolari hîc, ſed certiſſima promere, multis poſſim indiciis comprobare: ſed ea ſunt viri illius merita, ut quædam ſatiùs ſit honoris cauſſa taceri. Quòd ſiquis ambigat, indicia iſtorum aliqua reperiet in literis ejus hocce anno in urbe Lugdunenſi noſtra editis: ubi ille ne meris quidem calumniis abſtinuit: quibus, ſcio, facilè caviſſet, ſi vel per ſomnium veniſſet in mentem, fore, ut ea more malo poſt obitum quomodocunque divulgarentur. Ac ab eodem fonte hauſtum videtur, quod de Juniana inſtrumenti tralatione alibi judicat Thuanus.*

 *Sed*

*Sed utcunque ſe habeant iſta illud, tamen nemo laudaverit ſatis, quòd idem ille, cujus nomini parcendum putavi, licet pleriſque, dum viverent, minùs ſe æquum præberet; defunctis tamen iiſdem candidum ſe exhiberet virtutum præconem. Quo honore etiam memoriam Junii fuiſſe proſecutum, divini ejus verſiculi teſtantur. Itaque non ultrà ei immorabor: ſed potiùs ad rem ipſam me convertam. Quæro igitur, quid illud ſit, cur graviſſimus & conſtantiſſimus vir, Franciſcus Junius, deſultorii ingenii dici mereatur? Num quòd reſilierit à ſtudio juris civilis? Hoc enim à quibuſdam reſponderi audio. Equidem non diffiteor, in juris ſcientia ſummos audiiſſe magiſtros, Donellum dico, Duarenum, Contium, Ruſardum, Cujacium, alios: ſed factum id ajo ſolo adoleſcentiæ quinquennio, cujus partem etiam politiores ſibi literæ vindicarunt. Præterea id factum imperio patris, viri ut genere clari, ita ſummis dignitatibus à Rege Galliarum & Regina Navarrena aucti, plurimumque gratià apud eos pollentis. Qualis cùm pater foret, quid mirum ſanè, ſi ſtudia illa in filio prætulerit, quæ admirandæ indolis adoleſcenti ad honores maximos munirent viam? Atque illa tum fuere. Sed, defuncto parente, Dei Scripturarum, Religionis amor, uſque adeò filium inſlammarunt, ut, ſpretis ſeculi honoribus, ad S. Theologiam penitùs animum appelleret: nec conſilium hoc totis* XL *annis, quibus poſtea vixit, unquam mutavit. Ac quantum in ſacro hoc ſtudio præſtiterit interea, ex monumentis ejus judicium penes omnes eos eſto, quos in triſti hoc religionis per orbem diſſidio haut nimium abripit affectus. Verùm, conceſſerit aliquis, illud de jure putidiùs objectari, cùm idem fecerint alii, ſummi item ſacri ordinis viri: verùm, inquiat, ſi aliud quicquam, illud ſanè deſultorium potiùs videri, quòd, Theologum profeſſus, humaniorum attigerit literas, atque adeò etiam in ſcriptores nonnullos* κρίσιν *auſus ſit exercere. Quippe qui (ô crimen novum, atque inauditum!) epiſtolas M. Tullii ad Atticum, & Quinctum fratrem, item Manilii Aſtronomicon, contulerit cum MSSis Palatinis, ac variantes lectiones, & breves notas duobus ſit libellis complexus. Equidem factum non diffiteor. Inſtabant amici: & feriæ erant: impenſum igitur pauxillum temporis, dum ſe fritillo oblectant nonnulli, vel in litore conchas legunt. Quantillum igitur illud eſt, quod gravioribus ſtudiis deceſſerit, ut eapropter deſultorium ejus ingenium dici mereatur! Nec ſanè tum operam planè perdidit. Nam in illis Palatinis codd. (utcunque is, de quo antea etiam loquebar, id in Caſtigationibus diſſimulet) multa emendatius legebantur, quàm editis antea: multa perperàm quidem, attamen ejuſmodi, ut ſicubi Junio minùs liqueret, alios tamen, otio magis affluentes, ad loca ea integritati reſtituenda, Mercurii alicujus Euodii, vel Hegemonii inſtar, tanquam manu ducerent. Quod nunquam defugiam comprobare, ſi tanti illud eſſe aliis videatur. At, inquies, nonne Codinum idem tranſtulit è Græco, & illuſtravit notis? Quaſi non intereſſet ejus, qui Eccleſiaſticam amaret antiquitatem, Eccleſiæ nôſſe Conſtantinopolitanæ officia, quæ tradidit Codinus: aut quaſi nihil referret, utrùm utiliſſimus ſcriptor beneficio Junii è tenebris erutus in doctiſſimorum hominum manus veniret, an oblivione æternâ ſepeliretur. Sed enim, eum cùm ederet, unico duntaxat codice uſus fuit, eoque mutilo, & multis locis corruptiſſimo. Quaſi hic ulla ſit Junii culpa, ac non eo magis excuſandus ſit, ubi rem non acu tetigit. Et idem tamen variantes poſtea Palatinorum codicum MSSorum & Raphaëlis Serlejani lectiones nactus fuit. Etiam cùm in vocibus mixobarbaris, & officiis pleriſque imperii Orientalis, tum temporis quidem (nam nunc; ut dies diem docet, liquidiora hac parte ſunt omnia, cùm aliorum induſtriâ, tum doctiſſimi amici mei, Joannis Meurſii) cùm inquam, in iſtis ſpiſſæ forent tenebræ etiam hominibus eruditiſſimis, accuratiùs alios rerum Conſtantinopolitanarum ſcriptores contulit cum iis, quæ apud Codinum legiſſet. Hinc amplior lux Codino. Itaque editionem moliebatur*

*no-*

oogl

novam, non paullò & integriorem; & emendatiorem. Sed typographus differre eam maluit. Tantùm enim, bono non tam Iunii, aut publico, quam ſuo, illud egit, ut editio vetus, pauculis præmiſſis è ſecundis Iunii curis, exiret, atque ita ſcriptor, quo pauci, & non niſi doctiſſimi caperentur, ementiens faciem novam novos etiam conciliaret ſibi emptores. Sed exemplar, quod ſecundæ editioni Iunius deſtinarat, quamquam, ut puto, non tam confectum quam affectum, habeo ipſe: quod ſi videre contigiſſet editori Codini nupero, (viro ſanè eruditiſſimo, utinam candoris & æquitatis amantiori) genuinum, ut cenſeo, in Iunio haut tantopere fregiſſet. De Tertulliano quoque videamus, Eccleſiaſticorum è Latinis, qui ſuperſunt, antiquiſſimo, quem beatus martyr Cyprianus magiſtrum ſuum vocitabat. Hunc ſaltem nemo, credo, indignum dixerit Theologo, non lectore modò, ſed etiam interprete: utcumque illorum, quæ tenebras ei affundunt, maxima pars face philologicâ, aut criticâ, debeat diſpelli. Junius igitur auctumnalibus unius alteriuſque anni feriis, etſi ſibi non minùs, quàm cæteris, in otio tum vivere liceret, ne juventus tamen penitùs quieſceret, quædam graviſſimi ejus ſcriptoris enarravit publicè; poſteaque & alia ejus privatim, licet tum majoribus diſtineretur, adoleſcentibus aliquot explicavit. Editionem eorum poſtea, ut fit, flagitarunt, atque etiam extorſerunt nonnulli, qui curis virum aliò vocantibus, limam ulteriorem deſperabant. Equidem agnoſco, in difficili adeò, addo & corrupto ſcriptore, relicta ab eo eſſe multa, quæ vel Delio natatore, vel AEſculapio indigeant. Nec in iis, quæ vidiſſe ſe putavit, contendero ſemper Lynceum fuiſſe: cùm & Homerum quandoque dormitare prope omnium opinio ſit. Imò nec illud inficias iero, cùm longè plurima eorum, quæ in Tertulliano negotium faceſſunt, ab reconditâ interiorum literarum cognitione dependeant: multis in locis eum certiùs, & explicari, & reſtitui, potuiſſe ab aliquo minus aliis ſtudiis occupato, quique omni penè vitâ ſe dediſſet corrigendis, aut illuſtrandis ſcriptoribus antiquis. Verùm quid impedit, quo minùs talis nunc quoque exſurgat aliquis, qui ſcriptorem nobiliſſimum non paullò det nobis meliorem? Ceciderit prior: cadet fortè, qui ſequitur: laus erit publica: ut pauxillùm illud Laberii immutem. Procul ſòlùm eſto inſectatio omnis, ac canina facundia, ſine quâ plerique ſibi parùm diſerti videntur. Nam unde alioquin eſſe dicam, quòd ſi quid viderint, quod alteri inviſum putent, ilicet inimicè allatrent, atque arrodant: nec tam cogitent, quantum alius præſtiterit, quàm ubi alucinetur, immemores interim manticæ ſuæ, quàm errorum minimè vacuam geſtant in tergo. Sint ſane huic noſtro, ſint aliis quoque, iis in ſtudiis, de quibus nunc loquimur, ſua παροράματα, vel σφάλματα, vel etiam παρεγχειρήματα: quæ nemo doctiſſimorum hominum effugere ſemper potuit: nedum, cui τὰ ἔξωθεν præ ſacris πάρεργον forent. Attamen fateantur, favore nihilominus, non odio, dignam eſſe propenſiſſimam illam bene etiam de Rep. literariâ merendi voluntatem. Præterea ſi boni eſſe viri, & haberi velimus, non totum nos Junium metiri convenit, ex opera præſtita, cùm animum laboribus, ac curis prope obrutum, amœnitate literarum laxare paululum vellet. Quantò enim æquius eſt, ut eum potiùs æſtimemus ex illis, quæ elaboravit in ſcripturis ſacris vertendis, explicandis, & graviſſimis religionis controverſiis enarrandis! Hîc occurrat nobis, quàm præclara doctiſſimum quemque docuerit ille, cui nihil in more minùs foret, quàm exſcribere alios. Quod ſi in iſtis etiam, quæ nunc dicimus, aliquando, vel ingenii fiduciâ, vel humanâ imbecillitate, non vitiligatoribus modò, ſed candidis etiam hominibus, deceptus videatur: cogitemus, generoſi eſſe animi, malle, ubi gravioris nihil periculi ex lapſu metuitur, cadere interdum; quàm metu illo, ne labaris, ſemper humi jacêre. Cogitemus etiam, eum ſua pro oraculis haberi noluiſſe: longè aliter ac mos eſt illis, qui pene in omni ſtudiorum genere (quo jure non diſputo) dictaturam ſibi vindicant: nec eâ contenti, imperium (ſi tam molli id nomine vocandum) exercent aſperè in literas, ac falſis lacerant maledictis

viros

*viros doctrinâ haut inferiores, moribus etiam meliores. Cogitemus denique, haut alterum fortaſſe ad ſacra ſtudia tractanda attuliſſe plura majoraque tum adjumenta, tum ornamenta, quàm a Junio factum fuit. Quippe qui diligenter legiſſet jam puer Latinos, Græcos, grammaticos, oratores, poëtas, hiſtoricos, philoſophos: qui juris ſcientiam addidiſſet: qui Hebraicè, Chaldaicè, Syriacè eſſet doctiſſimus: qui tentâſſet etiam aliqua Arabicè; quanquam eo tempore, quo arduum eſſet reperire ulla ad linguam hanc ſubſidia, quæ poſtea divinâ bonitate ſuppeditarunt multa magnaque: adhæc qui tantâ curâ devoraſſet, & contoxiſſet doctores ſcholaſticos, Aquinatem & Scotum ante omnes: quique, ut recentes magni nominis interpretes legiſſet, ita aſſiduè penè verſaſſet SS. Patres; innumera ad eos obſervaſſet; in Græcis imprimis; cujus rei teſtimonia luculenta, tum in Nicæni concilii libris ab eo tranſlatis: tum in toto Joſepho, Clemente integro, ac pluribus aliis ab eo illuſtratis, correctiſque, oſtendere ipſi poſſumus, ac poſſunt item ſimilia alii in aliis. Sed quid his inſiſto? Sanè ingenium viri, & diffuſiſſimam eruditionem, multi faciliùs carpent; quàm æmulabuntur. Et quibuſdam obſtrigillantibus, non deerunt toto orbe viri docti, & clari, qui debito eum præconio ornent. Qualem mox ab exceſſu ſuo habuit etiam maximum virum, vereque literarum principem, Joſephum Scaligerum: qui verſibus hiſce defuncto parentavit:*

Juni, quem modò literis potentem,
Pleni Gymnaſii frequente cœtu,
Cingebat docilis corona pubis
Docto pendula diſſerentis ore:
At nunc, ô ſeries iniqua rerum,
Tactus ſidere peſtilentis auræ
Sol pallentibus occidis tenebris!
Te mœrens ſchola flet ſuum magiſtrum,
Orba Eccleſia te ſuum parentem,
Doctorem gemit orbis univerſus.
Flent, flent; non uti vulgus imperitus,
Quem morbus docet ipſe, quid valere eſt.
Quanti eſt filius, orbitate diſcit,
Qui nec denique quid potitus olim eſt,
Sed quid perdiderit, ſolet putare.
In te longè alia eſt viciſſitudo:
Nec quantus fueris, carendo diſcit,
Qui vivi meritum æſtimavit olim,
Et nunc conſcia publicæ querelæ
Poſtquam triſtia te tulere fata,
Et clarum jubar abſtulere mundo,
Nos quid perdidimus, quid & dolendum eſt.
Non ſcimus magis, at magis dolemus.

*Hæc Scaliger de defuncto, quo tempore nec gratiæ aucupium ſtimularet, ut nimis efferret Junium: nec æmulatio, vel ullus in ſtudiis diſſenſus, in cauſsâ eſſe poterat; ut detractum ei quicquam vellet. Hæc idem, ut verſiculis ſuis ipſe ſubſcripſit, in lectulo duabus poſt mediam noctem horis: quando mens humana, ſi unquam, ſua eſſe ſolet, nec affectibus abripitur. Hæc ille, cùm peſtilentia in Academia Lugdunenſi intra menſem unum ſummos duos viros, Junium, ac Trelcatium, abſtuliſſet: ac porrò ſtrages tantas totâ faceret Bataviâ: quæ mortalitatis cogitatio non patiebatur*

Digitized by Google

*batur Scaligero tum quicquam niſi ſincerum, ex ore, vel calamo exire. Quid quod ſcimus apud liberos defuncti, atque alios, longè etiam majoribus elogiis extuliſſe omnigenam illam Junii, ac imprimis rerum ſacrarum ſcientiam? Sed præconia illa, quia planè invidenda videantur, ne apponere quidem ipſe ſuſtineo. Nec obſtare tum potuerunt, quòd in nonnullis, etiam iis, quæ ex Scripturis de temporum ratione diſceptarentur, aliud Junio viſum fuiſſet. Nam utcumque Scaliger ægrè ferret diſſentientes: nec talibus (nempe homines omnes ſumus) æquum ſe arbitrum præbere ſoleat: tamen fere erga defunctos alius erat: imò ſubinde etiam, ſuperſtitibus illis, mens ei ad ſe redibat tandem. Poſt Scaligerum, ſi id requiri putarem, poteram ingentem referre copiam virorum præſtantium, qui magnis laudibus Junium extuliſſent. Atque in his etiam principes viros: quales ſui multos habuit, poteram dicere admiratores, malo amatores. Hos inter illum, quo nemo in principali faſtigio conſtitutus de ſtudiis meliùs potuit judicare. Quomodo cùm loquor, nulli obſcurum eſſe arbitror, intelligere me auguſtæ memoriæ, vereque maximum magnæ Britanniæ regem* JACOBUM *primum. Cujus affectum erga Junium ſuperſtitem non uno cognovimus indicio; & præclarum de mortuo judicium, cùm alia teſtabuntur, tum literæ, quas Rex tantus de religionis negotio ante novennium ad præpotentes fœderatæ Belgicæ Ordines miſit. Hæc fuſiùs ſum proſecutus, non tam propter Thuanum, virum nunquam ſatis laudatum: quàm ob malevolos quoſdam, alienis ſemper inſidentes papulis, unumque hoc agentes, ut quanto plus aliis detraxerint, tanto majores ipſi videantur. Quales Juniani ſeſe nominis decus infringere poſſe arbitrantur, partim poſthumis illis parùm candidis epiſtolis præſtantis viri, ſive dicti, ſive adhuc innominati nobis: partim etiam pauculis iſtis, quæ Thuano per errorem in vaſtiſſimo opere, ut fit, exciderunt; imò quæ emendaturus erat, ſi ſua ipſe in lucem edere potuiſſet. Quod ſi quis à me potiſſimum hæc pro Junio dicta eſſe mirabitur: is ſciat, & hoc, & majora me debere honori Academiæ noſtræ Lugdunenſis, cujus magnum ille, dum vixit, ornamentum fuit. Sciat quoque, id à me factum ſuaſu atque impulſu multorum præſtantium virorum; quorum hoc amori erga Junium non debui denegare. Sciat etiam, hoc privatim interfuiſſe mea; qui eo in adoleſcentia uſus ſum præceptore, & optimo, & amantiſſimo mei. Denique cui iſta non ſufficiunt, cogitet, me officio functum eſſe non mali generi: atque ita ut fieret, interfuiſſe totius Junianæ familiæ, tot etiam filiorum meorum: quibus nihil æquè exopto, quàm ut avitæ pietatis, doctrinæ, & modeſtiæ exemplum, nunquam ſibi ex animo effluere patiantur. Lugduni Batavorum, anno* CIↃ IↃ CXXVII. IV *Nonis Jun.*

---

THUCYDIDES:

Διαβολὰς οὐ σώφρον οὔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους, οὔτε ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.

# PETRI SCRIVERII
# ELEGIA,

*In laudem* V. Cl. GERARDI VOSSI, *poſt editos de Hiſtoricis Græcis libros, nunc Latinorum Hiſtoricorum Hiſtoriam evulgantis.*

VIdit ut Hiſtoricos Grajo ſermone locutos
  Roma; nec auctores cerneret illa ſuos:
Et tantùm annales numeraret Achaia chartas,
  Voſſiade fœtos excutiente ſinus:
Cumque manum tabulis prope jam ſubducere vellet
  Ipſe, parans aliud (quod quoque vivat) opus:
Diva tribunitiis venit comitata catervis,
  Atque oculos docti ſe tulit ante viri:
Cum bene de Græcis cœpiſti, nate, mereri,
  Inquit, an Auſoniæ dememiniſſe potes?
En ego, quæ totum ſeptem de montibus orbem
  Conſpicor, Imperii Roma Deûmque locus;
Tam verbi verique potens, quàm Græcia mendax;
  Quæque meis memini grata referre vicem;
Vel ſtatuâ, tituliſque colam, vel fronde coronem,
  Inter Trajani tot monumenta fori.
Quæ te cura coquit? nam non ceſſare putandum eſt.
  Inprimis hæc res digna labore tuo.
Hæc humeris libranda tuis. hæc ibit in ævum.
  Nobilius nomen vix aliunde feres.
Annales te tempus erat jam figere clavos;
  Jam decet auctores explicuiſſe meos.
Hoc age, jam numera: ne ſim minor ipſa Pelaſgis,
  Aut prælata meis pallia Græca togis.
Hoc age: ſic nunquam Latiæ te gloria linguæ
  Deſerat, aut Genius, docte Gerarde, meus.
Hoc age; & Imperii ſtantis pariterque cadentis
  Scriptores ſimili ſedulitate refer.
Ob tot ſervatos, vindex clariſſime, cives,
  Ob tot de Stygiis ſcripta reducta vadis;
Jam Capitolinam poſſum promittere quercum:
  Copia palmatæ mox facienda togæ.
Dixit, & excuſſis doctiſſima tempora pennis
  Raſit, Apollineas admonuitque comas.
Continuò pluteis mens indefeſſa reſumptis
  Conſuluit famæ, maxima Roma, tuæ.
Accipe Natales Scriptorum, Diva, tuorum;
  Voſſiade fœtos excutiente ſinus.
Accipe primævos, & iniquo tempore natos:
  Accipe, quos malles de meliore notâ.
Claudius haut ſemper, non ſemper Aſellio præſtò;
  Caſſius baud veniet, nec tibi Roma Macer.
Ah, deerit Siſenna tibi, dux ordinis ille,
  Teſte tulit ſummum qui Cicerone decus:
Hiſtoriæ miſcere jocos nec, ut antè, licebit;
  Clitarchum aut libris inſeruiſſe ſuis.
Illa oſtenſa ſemel ValerI non umbra recurret.
  Subtrahet annales Pictor & ipſe ſuos.
Sæpè ſolœciſmos, nec Frugi verba notabis;
  Varroneſque alios, Antipatroſque leges.
Ne tibi maturi promitte Catonis acumen,
  Quidquid & Auſonio Plinius ore ſonat.
Quod ſi fortè tibi generoſa poëtica cordi,
  Et cupis hiſtoricâ verba ligata fide:
Nævius haut ſemper tibi Punica bella ſonabit,
  Non Clio Ennipatris fortia facta canet.
Non etiam hibernas canâ nive conſpuet Alpes
  Furius, aut Hiſtris Hoſtius arma dabit.
Denique non Albinus erit, qui prælia Magni
  Concinat, & lauri cingat honore caput.
Heroumque loco ſuccedet barbara turba;
  Eheu, nominibus penè timenda ſuis.
Accidet exactas quandoque Tanuſius aures,
  Et VolusI implebit ſordida charta manum.
Cumque petes pelvim (ad pelvim te nauſea coget)
  Sæpe Feneſtellam cum Tuberone voles.
Nunc ubi CornelI, dices, monumenta Nepotis?
  Nunc ubi SalluſtI pagina prima mei?
Ergo ſilet Tacitus? tacet, heu, mihi Livius ingens?
  Prô dolor! & tantùm barbara verba crepant?.
Nunc ubi felices calami, cultique libelli,
  Nominaque in tabulis ſcripta Moneta tuis?
Quæ chorus omnis amet, relegatque venuſtior orbis;
  Ut queis facundo contigit ore loqui.
Et qui ſollertem Phœbo junxere Minervam,
  Temporis horrorem cætera turba trahit.
Offendas igitur Latiæ ſi crimina linguæ,
  Roma, nec exacto nomine cuſa typo,
Stridoremque ævi primo de flore cadentis,
  Da veniam, hoſque unà te voluiſſe puta.
At tanto reddes ſi præmia digna labore,
  Jam VoſsI medio ſtabit imago foro.
An tibi Tarpejâ melius ponetur in arce,
  Dulce Juventatis claudere juſſa latus?
Seu potiùs divi Cuſtodis more ſedebit?
  Convenit & meritis illius iſte locus.
Namque recenſendo tot debita nomina famæ,
  Per quæ Romanum ſurgit in aſtra decus;
Quottidieque magis juveneſcit gloria priſca;
  Cuſtodem hunc poteris jure vocare Jovem.
Quæque tibi periit concuſsâ rupe Juventas,
  VOSSI operâ templis eſt reparanda tuis.
Illius æternam conatibus auguror Urbem.
  Jam video ex omni parta tropæa mari.
Imperium terris, animos æquabit Olympo
  Rurſus, & antiquus reſtituetur honos.
Hi ſeptemgemini perrumpent æthera montes,
  Nec ſtabunt humiles in Jovis arce caſæ.
Cuſtodem patriæ ſanctum dixere Quirinum:
  Cuſtodem Romæ dI genuere novum.
Cum tenebræ obrepent, chartis lux ſurget ab iſtis;
  Erranti hic Helice eſt, & Cynoſura rati.
Non aliud ſaxum, lucumve, aut quærat aſylum;
  Hoc aſtrum in mediis naufragus optet aquis.
Termine, qui quondam te cedere velle negaſti,
  Cuſtodi huic tandem cedere diſce Jovi.

OPE-

# OPERUM

*Clariſſimi, Doctiſſimique Viri,*

# D. GERARDI JOANNIS VOSSII

## HEIDELBERGENSIS,

Eloquentiæ, Chronologiæ, ac linguæ Græcæ apud Batavos Profeſſoris celeberrimi,

## PANEGYRIS.

*FElices Nemetum populi, tuque optime Nicri*
*Accola, cui placidas veteri de ſede Camœnas*
*Diſpulit Auſtriaca furor implacabilis aula,*
*Cæſareaſque ciens aquilas, & nixus Iberûm*
*Intrepida virtute Ligur; tot damna viceſque*
*Imperii, & profugum mutato Principe Phœbum*
*Hoc uno ſolare viro: quem matre cadentem*
*Ipſe tuo fovit puerum Thymbræus in antro,*
*Vangionumque Dea. Jam deſine triſtior atros*
*Sollicitare dies, & quæ tibi ſecula currunt*
*Dura queri. ſparſæ rurſus coiêre ſorores,*
*Et reduces mens iſta capit. Permeſſus & omnis*
*Hac Helicon ſub fronte latet, ſociataque curas*
*Conglomerat Doctrina ſuas, & fundit ab uno*
*Pectore Romana quicquid facundia lingua*
*Grande loqui, aut Grajûm potuit ſapuiſſe vetuſtas.*
*Quo Batavus ſe iactet, habet; quo Gallus alumno*
*Surgat, & æternis inſcribant nomina faſtis*
*Hoſtiles Grudii. Latiis celebrata Camœnis*
*Scaligero Verona tumet, magnoque ſuperbum*
*Cæſare nomen habet. memores tibi* VOSSIUS *annos*
*Scribit, & ingentis pandens proſcenia famæ,*
*Clara Palatinæ reparat diſpendia terræ.*
*Oſtentare ſuos Memphis ſtudioſa labores,*
*Et Peluſiacâ potuit ſignare papyro*
*Arcanas veneranda notas, latuitque ſub umbris*
*Pallas, & Iſiaca ſtupuit ſacraria lena.*
*Cum Memphi jam Perſa ſilet, veteriſque Minervæ*
*Ignorat Chaldæus opes, nec barbarus artes*
*Medus, & Eoos ſurgens Aurora magiſtros,*
*Brachmanaſque colit. tepuit Sapientia, fervens*
*Quam latè ſpatiatur Arabs, & neſcia veri*
*Incubuit priſco gravis ignorantia mundo.*
*Cecropidum viguere lares, & docta Cleanthis*
*Porticus, & dulci ſapiens vicinus Hymetto.*
*Deſipit & Latium, numeroſque Oenotria tellus*
*Pythagoræ meminiſſe nequit, Druidumque loquaces*
*Conticuere ſcholæ. Tu prima Batavia Muſas*
*Colligis, & fracta tabulas ac fruſta carinæ*
*Naufragio ſubducta tenes. Tu cincta profundo,*
*Armorumque inter ſtrepitus, lituoſque tubaſque,*
*Tranquillum meditaris, opus, criticumque tribunal*
*Erigis, & Latiæ reſtauras jura loquelæ.*
*Adſpice Leida virum, quo judice victa fatiſcit*
*Barbaries, mordetque ſuas irata catenas:*
*Quique renaſcenti germana vocabula ſeclo*
*Sufficit. hic ille eſt Phœbei cenſor honoris,*
*Pegaſidum vindex, tot rerum ſcriptor, & ævi.*
*Quid dignum memorare ſuo primæva vetuſtas*
*Poſſit Atlantiade? qui culti vocibus oris*
*Pallentes nigris animas emancipat umbris,*
*Tutaturque reos, vel triſti merſit Averno*
*Damnatum ſub lege caput, cum dura clienti*
*Intonuit mediis victrix facundia roſtris,*
*Perſuaſitque Deus cauſas. Mentitur in illo*
*Fabula; nos alias,* VOSSI, *te Rhetore, leges*
*Accipimus, doctumque forum. quibus artibus aſtris*
*Invehat Auguſtum, vel magni Cæſaris arma,*
*Scipiadaſque orator ovans: qua voce furores*
*Increpites Catilina tuos, Syllamque ferocem,*
*Et Senonum furias, ſævique incendia Brenni.*
*Aut qua Suada togam clypeis, qua claſſica poſſit*
*Ignavis præferre togis; Aſiaque potentis*
*Pompejo decernat onus; quæ proxima morti*
*Colla levet, flectantque leves reſponſa Quirites,*
*Et victo trepidas eludant judice ſcalas.*
*Hæc Lyſias, Siculuſque Corax, hæc Antipho quondam*
*Accîdit præcepta ſcholæ: videre priores*
*Vile rudimentum, & teneræ cunabula linguæ*
*Verſavit tum Stoa gravis: mox aucta Lyceo*
*Gloria, dicendique labor: fluxere diſerti*
*Hermagoras, Grajuſque Molon, & conditor artis*
*Hermogenes, Phalereuſque loquens, & pagina Tulli,*
*Et Fabii clamantis opus, luſuſque Theonis.*
*Tu veterum cæcâ nitidam caligine lucem*
*Elicis, & ſcriptor priſcos irrumpis in annos;*
*Eloquiique decus, turbataque nomina rerum,*
*Et fandi formas, collapſaque jura reponis.*
*Tu Latium, voceſque ſuas formare Pelaſgos,*
*Argivoſque doces: geminis exordia pandis*
*Gentibus, & tantorum aperis elementa laborum,*
*Quemque legat primum titubans induſtria callem,*
*Diſcendique viam. faciles Scauroſque Caproſque*
*Ire facis, curiſque tuis reſpirat Apollo,*
*Et nova Palladiam ſolantur commoda gentem.*
*Cedite Grammatici, magno quibus ilia faſtu*
*Inconſulta tument, delapſaque littera ſede*
*Sufficit ad bellum, vel iniquum comma minaces*
*Exacuit calamos, & tanti ſcena paratur*
*Nominis. hoc cunctas abſolvite judice lites,*
*Et veſtros ſedet melior cenſura tumultus.*
*Hic Dictator erit. faſces ſubmittite tandem*
*Invidioſa cohors: dum vecta poëmata plauſtris,*
*Et tragicum caſtigat epos, veterumque cothurnos,*
*Mæſtaque Medea detergit fecibus ora.*
*Hippolyti properant alio temone quadrigæ,*
*Et Troas purgata nitet: ſua vita Iocaſtæ*
*Redditur, & Latio clamat ſermone Thyeſtes,*
*Adſpectatque diem pulſis orcheſtra tenebris.*
*Quælibet huic nota eſt propriis inſignibus ætas,*
*Seclorumque patent facies, diſtinctaque magnis*
*Nomina temporibus, ſeu cum puerile loquendi*



Digitized by Google

*Robur erat, traxitque rudem doctrina juventam,
Scipiadumque gravis totum ſe involveret armis
Ennius, & tenui Plautus veſtigia ſocco
Figeret, & vates Satyræ lutulentior iret:
Seu cum crevit honos linguæ, ſcabroſque fugavit
Majeſtas Romana ſonos, & adulta Catulli
Capta lepore fuit: ſeu cum labentibus annis,
Quo Latium, fato cecidit, Romaque ſenectâ
Symmachus Auſonias offendit durior aures.
Ingeniis diverſa placent: huic abdita pandit
Abſtruſos natura ſinus: hic floribus artes
Irradiat: lapſas alius reſtaurat Athenas:
Ille Cleanthea neglecta palatia turba:
Hic in Ariſtippi ſolum præcepta relapſus
Socraticas evolvit opes: hic ſcribere faſtos
Ad famam ſatis eſſe putat. Sed cuncta coërcet
*V o s s i u s*, atque omnes fecundo pectore Muſas
Parturit, & late titulos arceſſit honorum
Immortale caput. Non te veneranda ſilebo
Relligio, veterumque fides, & ſanctius ævum,
Huic perſpecta viro. quantis erroribus acta
Chriſtigenûm ſteterint acies, quo caſtra Pelagi
Vindice tuta diu fuerint: quibus occidat armis
Contemptrix natura Deûm, delapſaque cœlo
Gratia ſubnixos claris doctoribus Afros
Traxerit in partes, & grato fœdere perſtet
Libertas, Superûmque favor; ne crimina Divis
Imputet impietas, rectique ignara voluntas
Audeat audaces vultus opponere cœlo;
Ille docet, totumque pius propugnat Olympum.
Ac veluti tacito ſubterlabentia curſu
Flumina diffundit Nereus, hîc gignat Orontem,
Hic ſeptem gemino turgentem gurgite Nilum,
Non tamen ipſe minor, nec divitis indigus undæ
Uſque fluit, terriſque ingentibus ingerit æquor,
Atque alias largitur aquas: ſic ille perenni
Haurit fonte libros, & claris ſecula ditat
Muneribus, ſemperque novis, quæ donet, abundat.
Dumque ſibi variâ contexit fronde coronam
Mens aſſueta operi, per mille volumina ſolers
Ambulat, atque ſuos aliquid ſeponit in uſus.
Sic ubi Grajorum calamos, & prodita docto
Enumerat monumenta ſolo, momentaque ſcriptor,
Et rerum ſummas aperit, nunc abditus ævo
Anteit Olympiadum palmas, jam Perſica radit
Tempora, & Herodoto multum narrante ſuperbit,
Nec dulci Xenophonte minus. jam ficta Daretis
Pagina mentitur ſenium, jam Dictyos horret
Fabula: Pellæis vates arceſſitur annis
Chœrilus: hinc Phariis ſcriptus ſub regibus orbis,
Auſoniaque Ducum faſtis ſignata papyrus.
Conveniunt doctorum opera, Chaldæus & Aſſur,
Phœnicum labor, & calidi ſecreta Canopi,
Atque Arabum tabulæ, & victuri induſtria Perſæ,
Seraque grandiloquis turgens authoribus Hellas.
At non una tuas, doctor celeberrime, laudes
Terra capit, parti Latio dicuntur honores,
Geſtaque Romulidum, & magnorum fata Quiritum.
Non ego, ſi lympha madeam Permeſſide, vaſtos
Ire per annales, digeſtaque tempora poſſim,
Tantorumque queam titulos memorare laborum,
Victoriſque dies populi. Jam Roma renaſci
Incipit, atque ſua legit incunabula gentis,
Hiſtoriæque gradus numerat. Spectate Batavi
Terrarum, Belgique Deos, cantataque quondam
Bella Latinorum, magnique exordia regni,
Abdita Pontificum foliis. Veſtigia Nævi
Ponè premit Calabrûm vates, & carmine docto
Inſtruit armatas acies. Pictoribus Afer
Militat, & primi ſtudiis aſperrima belli
Carthago, Italiam contra. ſcripſere Catones,
Odryſiique rudis tunc formavere juventam;
Accepitque furor legem, rabieſque docentis
Admiſit præcepta viri. mox maxima Scauri
Fama fuit, Syllæque labor, Catulique Siſennæque,
Et clari Varronis opus. ſua prælia dictat
Cæſar, & ingenti fortem munimine Gallum
Exuit. agnoſco trabeas, Auguſtaque latè
Nomina, & Æmathiis diffuſa poëmata campis,
Et magni lituos Silli, contractaque Criſpi
Verba, gravem monitis Tacitum. tu Flore diſertum
Os aperis, vati propior. tu grandia Livi
Orſa legis, mediaque ferum deducis in Alpes
Hannibalem, Pharioque necas ſub Principe Pœnum.
Nec Meſſala latet, doctique Rabirius oris,
Non Tubero, Macetûmque audacia prælia narrans
Curtius. imperio donec languente fatiſcens
Victricem melius meminit ſe Roma locutam.
Hæc ſcribis, pariterque doces, tantique per orbem
Imperii faſtos celebras. veneratur honores
Belga tuos; poſcitque ſibi tam grande Britannus
Depoſitum. ſpatioſa tua Germania fama
Annuit, Euganeas tangunt tua nomina ſedes;
It cœlo ſublime decus. te Rhenus & Albis
Suſpicit, in Druidum doctas illaberis urbes,
Et cupiunt te poſſe frui. ſi Gallia plorat
Turnebos; Latium Alciatos, diſpendia fati
Tanta levas. toto mœſtas Helicone ſorores
Barbarie pulſa recreas. Tibi tempora debent,
Et rerum memores anni: luceſque renatæ,
Et lingua Latialis honos: te ſera loquetur
Poſteritas, te clara vehent præconia vatum,
Iſtaque venturi relegent monumenta nepotes.*

C a s p a r B a r l æ u s.

GERAR.

# GERARDI JOANNIS VOSSII

## DE

# HISTORICIS LATINIS

## LIBER I.

### CAPUT I.

*Operis hujus argumentum. Ætates, & claſſes eorum, qui rem Romanam expoſuerunt. Qui ſcriptores pueritiæ nomine cenſeantur. Primitus maximorum fuiſſe Pontificum, conſignare res populi Romani. Horum libri vocabantur* annales maximi, *vel* publici. *A Numæ imperio conſuetudo ea fluxit. Monumenta publica magnam partem incendio periiſſe, urbe à Gallis captâ. Idcirco laborare non rarò fidem eorum, quæ hoc tempus antecedunt. Nec tamen fidem ea nullam mereri, quod vir doctus perperam colligebat. Cujuſmodi dictio fuerit maximorum annalium. Ciceronis de eo locus leviter expenditur.*

POſtquam egi de hiſtoricis Græcis: nunc eos perſequi animus eſt, qui Latinis res geſtas literis condiderunt. Atque ad hoc non mediocriter me invitant, & allectant, quas nunc ferias habet Academia noſtra. Neque non in mentem venit, in communi otio mihi etiam otioſo eſſe licere: & magis fortaſſe, cùm ex re meâ, tum publicâ, fore, ſi diſcutiam hilaritate præſenti triſtitiam operæ prioris. Præclarè enim à Marco Seneca dictum fuit, *ingenii laſſitudinem non minorem eſſe, quàm corporis, ſed occultiorem.* Et ſatis conſtat, quemadmodum agri, ſi interquieſcant, fructuum plus ferunt: ita, ſi animi hominum relaxentur, vigorem in iis otio excitari: quod in nemine, quàm Porcio Latrone, manifeſtius fuiſſe, idem ſcriptor refert. Sed neſcio quomodo, quaſi animum remittere eum amittere foret, ita me laborem cœptum intermittere non ſinit cupido illa bene merendi de ſtudiis juventutis. Nec paucos literarum noſtrarum amantes promiſſi experior muneris flagitatores, ſi non aſſiduos, at acres tamen. Denique cogitatio de incerto vitæ humanæ, quæ noctes dieſque obverſatur, ſtimulare non ceſſat, ut colligere in literis pergam ſarcinulas meas; quò, iſtis expeditis, ſiquid benignitate numinis reliquum vitæ erit, id gravioribus omne ſtudiis conſecretur. Hæc me hortantur, atque incendunt, ut alteram debiti mei partem, quæ eſt de hiſtoricis Latinis, quàm optimâ poſſum, exſolvam fide. Atque eo alacrius lubentiuſque, etſi imbecillitatis meæ haut neſcius, quicquid iſtoc laboris eſt, ſuſcepi: quia multò hîc planior futura eſt via, quàm erat in hiſtoricis Græcis. Nam, ſi intra eos conſiſtamus, qui floruere, priuſquam Occidentis imperium ad Karolum Magnum transferretur; fatendum eſt, præ Græcis paucos ſupereſſe, quorum hiſtoriæ Latinè loquantur. Si quoque eorum numerum ineamus, qui deperierunt, pauciores multò è Latinis deſiderantur. Denique, contrà quàm in Græcis uſu venit, pauciſſimi ſunt, quorum non ætas exactè ſciatur.

Sed ut perſpicua magis ſit omnis hæc diſſertatio noſtra: imitabor eos, qui minutâ in tabellâ depingunt vaſta naturæ latifundia: atque, ut olim L. Seneca, & alter ex Annæa gente, in populo Romano fecit: ita ego numeroſum eorum cœtum, qui res geſtas poſteris prodiderunt, in ætates ſuas diſpeſcam. Nam habet hiſtoria quaſi pueritiam ſuam: habet adoleſcentiam: item ætatem ſtatam, quam Græci *ἀκμὴν* vocant: denique ſua ei quoque ſenectus fuit: nec minus ea gradibus ſuis diſtincta, quàm variare illam in hominibus videmus.

Pueritia, ſive infantia hiſtoriæ, ab annalibus cœpit. Nam, ut bene ait vetus Tullii interpres, Marius Victorinus *a*, *Primùm annales fuerunt: poſt hiſtoria facta ſunt.* *a In 1. Rhet. Cic.*
Nec tamen annales quoſvis infantiæ opus puto (nam quid Taciti annalibus perfectius?) ſed eos duntaxat, quibus pontifices maximi memoriam temporum conſervare voluerunt. Nec peccare mihi videor, qui commentarios ſummorum virorum, pueritiam, vel etiam infantiam, hiſtoriæ appellem. Quippe antiquiores iis ſcriptores non habuit hiſtoria Romana. Rudes etiam, & inconditi; imò, facundiam ſi ſpectes, planè infantes fuerunt. Accedit, quòd, ſicut pueritia domi ſolet contineri: ita annales illi à pontificibus adſervarentur domi: nec alibi hæc monumenta publica conſulendi copia populo foret. Cui potiùs hac parte credamus, quàm M. Tullio? Verba ejus ſunt libro ſecundo de Oratore: *Erat hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis pontifex maximus: efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Idem primo de legibus *annales pontificum maximorum* vocat. *Annales maximos* appellat quoque Gellius lib. IV. cap. V. *Ea hiſtoria de haruſpicibus, ac de verſu iſtoc ſenario, ſcripta eſt in annalibus maximis.* Item Macrobius lib. III. Saturn. cap. II: *Pontificibus permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi; & hos annales appellant maximos, quaſi à pontificibus maximis factos.* *Publicos annales* nominat Diomedes lib. III. *Annales*, inquit, *inſcribuntur, quòd ſingulorum ferè annorum actus contineant: ſicut publici annales, quos pontifices ſcribæque conficiunt de Romanis, quòd Romanorum res declarant.* Quod verò Tullius ait, conſuetudinem eam, ut pontifices maximi maximos ſcriberent annales, cœpiſſe *ab initio rerum Romanarum*, id reſtringendum paulùm videtur ex Vopiſco in Imperatoris Taciti vita; ubi ſcriptor is, non à Romuli, ſed Numæ imperio, originem arceſſit. *Poſt Romuli*, inquit, *exceſſum, novello adhuc Romanæ urbis imperio, penes pontifices ſcri-*

*benda hiſtoria poteſtas fuit.* Quod ſi pene ab incunabulis Urbis mos iſte obtinuit; nihil ſanè mirum, ſi annalibus illis, non modò res geſtæ à regibus; ſed ea etiam continerentur, quæ natalem Urbis anteceſſerunt: ut præter alia oſtendunt quæ exinde non ſemel refert Sex. Aurelius Victor, ſive quiſquis auctor eſt libri de Origine gentis Romanæ.

Ingens verò damnum hiſtoria Romana fecit, annalibus iis, aliiſque monumentis publicis, incendio magnâ parte abſumptis, poſt Urbem à Gallis captam, quod anno contigit CCCLXVI. Nam inde præcipuè eſt, quod claudicat ſæpe fides eorum, quæ ante hoc tempus geſta traduntur. Audiamus Livium lib. VI. *Quæ ab condita urbe Roma, ad captam eandem urbem, Romani, regibus primùm, conſulibus deinde, ac dictatoribus, decemviriſque, ac tribunis conſularibus, geſſere foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui: res cùm vetuſtate nimiâ obſcuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur: tum quòd perraræ per eadem tempora literæ fuere, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum, & quòd etiam, ſiquæ in commentariis pontificum, aliiſque publicis privatiſque erant monumentis, incensâ urbe pleraque interiere. Clariora deinceps certioraque ab ſecunda origine, velut ab ſtirpibus, lætius, feraciuſque renata Urbis, geſta domi militiaque exponentur.* Nec propterea audiri debet vir eruditus, qui, quæcunque de Regibus Albanis, Romaniſque, ac temporibus proximè conſecutis, ab Dionyſio, & aliis, etiam Livio ipſo, referuntur, ea pro otioſorum hominum commentis habet. Nam plumbeo eum pugione hic pugnare, arguit illud, quòd Livius contentus fuit dicere, pleraque Pontificum, & aliorum, monumenta periiſſe. Imò ut longè plura, atque adeò univerſa, incendio hoc abſumta forent: non propterea omnis antiquitatis Romanæ notitia periiſſet. Nec enim ejuſce temporis homines, memoriam uſque adeò omnem amiſerant; ut nec ipſi, penes quos, non modò legendi, ſed etiam ſcribendi ſervandique annales jus erat, non bona ex parte inſtaurare eoſdem poſſent. Et credibile eſt, vicinis etiam oppidis fuiſſe annales ſuos, qui multa cum Romanorum geſtis communia haberent. Ut interim nihil dicam de hominibus Græcis: præcipuè Diocle Peparethio, quem in plurimis ſecutus eſt Fabius Pictor; & Antiocho, Xenophanis filio, Syracuſano, qui ex antiquis Italiæ monumentis hiſtoriam compoſuerat: ut ex Halicarnaſſenſi Dionyſio ſcimus.

Supereſt videamus, cujuſmodi pontificum maximorum dictio fuerit. Id autem Cicero nos docet in ſecundo de Oratore: ubi, cùm de annalibus eorum egiſſet, iſta ſubjungit: *Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum, reliquerunt.* Ac mox de iis, qui annales maximos ſequerentur, ſic ait: *Neque tenent, quibus rebus ornetur oratio: modò enim huc iſta ſint importata, & dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant eſſe brevitatem. Non exornatores rerum; ſed tantummodo narratores fuerunt.* Quod ſi ejuſmodi ſint, qui ad ſimilitudinem maximorum annalium ſeſe componebant: ſanè quanto vetuſtas ſcribendi arte rudior fuit; tanto etiam exilior horridiorque erat dictio annalium maximorum, quàm Fabii, Catonis, & ſimilium; qui, etſi annalium eorum ſcriberent exemplum, tamen paullò ſaltem cultiori ſeculo vixere, quàm priores. Et hujuſmodi cùm annalium publicorum dictio foret; nihilominus propter fidem, quam merebantur, ac ſimplicem illam brevitatem, multùm etiam delectare antiquitatis amantes ſolent. Unde Cicero in primo de Legibus: *Poſt annales pontificum maximorum, quibus nihil poteſt eſſe jucundius.* Niſi pro *jucundius* legendum *jejunius:* quod Fulvio, Guilielmioque, viſum. Et ſanè impensè favet, quod continuò ſequitur: *Si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium, venias; quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam* Exile, *quàm iſti omnes?* Cuncti tamen MSSi conſtanter *jucundius* habent: quod non aliter accipere poſſumus, quàm dicebamus.

## CAP. II.

*Ad primam hiſtoriæ adoleſcentiam acceditur. Mos Romanum cuſtodes apponendi prætextatis. Fuſius ſuper Diomedis loco diſquiritur. Carmine heroico primus annales ſcripſit* Ennius. Nævius *Enniuſque uſi continenti ſcripturâ: ſed illius carmen Lampadio; hujus Vargunteius, in libros diviſit. Corrupto Gellii loco decipi, qui duodecim potius, quàm duodeviginti annalium libros, reliquiſſe Ennium arbitrantur. Nævius Saturnio verſu ſcripſit libros belli Punici primi. Ciceroni lux. Quando Nævius ſtipendia primùm fecerit, vel fabulam dederit, vel è vita exceſſerit. Quando Ennius obierit. Initium Næviani operis de bello Punico. Quale fuerit metrum Saturnium. Cur Nævius in carcerem conjectus ſit, & fabulæ, quas ibi ſcripſit, & Plauti de eo verſus. Interim de gloria Ennii, quòd primus metro heroo panxerit res Romanas. Ex Scipione Ennii verſus aliquot reſtituti. Etiam Latinè vertit Euhemerum, atque ejuſce operis argumentum, & fragmenta quædam.*

HIſtoriæ pueritiam excipit ejus adoleſcentia. Hanc ab iis auſpicamur, qui hiſtoriam primi in lucem ediderunt. Quippe jam conſilio ea, & ratione firmatior, præſtare incipiebat cultui ſuo curam: cumque antea à Pontificibus maximis cuſtodiri ſoleret, liberè tum prodibat: haut aliter, ac, moribus Romanis, pueritiæ quidem cuſtos apponebatur: ſed poteſtas dabatur adoleſcentiæ eundi, quò vellet. Quem morem Propertius tangit lib. III.

*Ut mihi prætexta pudor evelatus amictu,*
*Et data libertas noſcere Amoris iter.*

Et Perſius ſat. V.

*Cùm primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,*
*Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit;*
*Cùm blandi comites, totâque impune Suburrâ*
*Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.*

Qui autem hiſtoriam à ſe ſignatam exire, atque emanare in vulgus, primi juberent, poëtæ fuerunt. Atque hos inter princeps ſit Livius Andronicus; ſi rectè legitur apud Diomedem lib. III. *Epos Latinum primus dignè ſcripſit Livius, qui res Romanorum decem & octo complexus eſt libris; qui & Annales inſcribuntur, quòd ſingulorum ferè annorum actus contineant.* Ita hunc locum in editione ſua expreſſit Jo. Cæſarius, vir eruditus, ſed audax nimis Diomedis interpolator. De Livio ſanè nihil hujuſmodi veteres prodiderunt: ſed *qui res Romanorum decem & octo complexus eſt libris, qui & annales inſcribuntur,* is non alius eſt, quàm Ennius: ut omnino pro Livio legendum ſit *Ennius:* vel poëtæ nomen debeat præteriri: ut quod ſatis ex περιφορᾷ ſua cognoſcatur. Nec præterea putandum, primum eſſe Ennium, qui panxerit res Romanas. Nam, ut poſtea planum faciam, antiquior eo Nævius fuit: qui deſcripſit bellum Punicum primum: ut apertè Cicero teſtatur in Catone majore. Atque idem docent tot fragmenta eo ex opere adlata à grammaticis antiquis. Colligat hinc aliquis, apud Diomedem, non *Ennium*, ſed *Nævium*, reponi debere. Sed non ita eſt. Nam loquitur de eo Diomedes, qui duodeviginti reliquerit annalium libros: at Nævius ſcripſit *unico volumine, & continenti ſcriptura: Cujus autem Octavius Lampadio diviſit in libros* VII. ut Tranquillus ait libro de illuſtribus grammaticis. Nec diffiteor, Ennium quoque continenti uſum eſſe ſcripturâ: ac Q. Vargunteium annales ejus diviſiſſe in libros: quod Tranquillus ibidem teſtatur. Sed ſeptenis plures eos fuiſſe annalium libros, arguit illud, quòd ex undecim ſequentibus non pauca Grammatici adducunt. Et perplacet emendatio doctiſſimi, & amiciſſimi quondam, viri, Paulli Merulæ, qui apud Gellium ita legendum putabat lib. XVII. cap. XXI. *Q. En-*

*Q. Ennium, cùm ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duodevigeſimum Annalem ſcripſiſſe; idque ipſum Ennium in eodem libro dicere, tradit M. Varro in primo de poëtis libro.* Ubi vulgo *duodecimum* corruptè legitur pro *duodevigeſimum*. Vult hoc Gellius, extremam Annalium partem, quæ ex Vargunteji diviſione librum conſtituit duodevigeſimum, demum ab Ennio adjectam eſſe triennio ante obitum ſuum. Sed alterum etiam eſt, unde pateat, Nævium à Diomede intelligi non poſſe. Nec enim ille epico carmine, de quo Diomedi eſt ſermo; ſed Saturnio eſt uſus: ut teſtis eſt Feſtus in *Saturno*. Unde de eo ſic Ennius ipſe:

*—— —— —— Scripſere alii rem*
*Verſibu', quos olim Fauni, vateſque, canebant;*
*Cùm neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperârat,*
*Nec dicti ſtudioſus erat.*

Nam Nævium ab Ennio taxari, locuples auctor eſt Cicero in Bruto: *Tamen illius, quem in Vatibus, & in Faunis, enumerat Ennius, bellum Punicum, quaſi Myronis opus, delectat. Sit Ennius ſanè, ut eſt certè, perfectior: qui ſi illum, ut ſimulat, contemneret; nec omnia bella perſequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquiſſet: ſed ipſe dicit, cur id faciat*, Scripſere, *inquit*, alii rem Verſibus. *& luculentè quidem ſcripſerunt, etiamſi minus quàm tu* (Enni) *politè. Nec verò tibi aliter videri debet, qui à Nævio, vel ſumſiſti multa, ſi fateris; vel, ſi negas, ſurripuiſti.* Atque hæc etiam Nævium eſſe antiquiorem, oſtendunt. Fortaſſe autem aliquis Ciceroni Ciceronem ipſum obduxerit, qui in Tuſculana prima ſic loquitur: *Annis ferè* ccccxiv *poſt Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Clodio, Caci filio, M. Tuditano Coſſ. anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quàm Plautus, & Nævius.* Nam videtur hoc Cicero dicere, Ennium Plauto, Nævioque, natu eſſe majorem. Sed ſecus ſe res habet. Quippe provocabulum relativum, non Ennium reſpicit, ſed Livium. Ut ſententia ſit, Livium, non Ennio modò antiquiorem fuiſſe, de quo ſatis liquet: ut quem dixerit demum natum eſſe, cùm Livius jam primam fabulam docuiſſet: ſed ipſo etiam Plauto, Nævioque: de quibus minus erat apertum. Sanè Nævius ſtipendia fecit bello Punico primo: quod deſiit anno Urbis Iↄxiv. Anno Iↄxv primam fabulam dedit Livius. Anno Iↄxvi Ennius naſcitur. Quinquennio pòſt, hoc eſt anno Iↄxix, fabulam docet Nævius. De Livio vidimus ex Cicerone: nunc cætera firmabo idoneo auctore. Verba ſunt Gellii libro xvii. cap. ult. *Claudium, & Tuditanum, Conſules ſequuntur Q. Valerius, & Manilius: quibus natum eſſe Q. Ennium poëtam, M. Varro, in primo de poëtis libro, ſcripſit: eumque, cùm ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duodevigeſimum annalem ſcripſiſſe; idque ipſum Ennium in eodem libro dicere. Anno deinde poſt Romam conditam quingenteſimo undevigeſimo, Sp. Carvilius Ruga primus Romæ, de amicorum ſententiâ, divortium cum uxore fecit, quòd ſterilis eſſet, juraſſetque, apud cenſores, uxorem ſe liberûm quærendorum cauſsâ habere: eodemque anno Cn. Nævius poëta fabulas apud populum dedit: quem M. Varro, in libro de poëtis primo, ſtipendia feciſſe ait bello Punico primo: idque ipſum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello ſcripſit.* Atque, ut multò ante Ennium natus eſt Nævius: ita & multò antè deceſſit. Nam obiit Nævius anno Urbis Iↄxlix, M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano, coſſ. triennio ante pacem Pœnis datam condicionibus iis, quas Scipio Africanus dixit. Cicero in Bruto: *At hic Cethegus Conſul cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo. Quæſtorque his coſſ. M. Cato, modò planè annis* cxl *ante me conſulem.* Et mox: *His conſulibus, ut in veteribus commentariis ſcriptum eſt, Nævius eſt mortuus.* Et probè cum eo convenit, quod Hieronymus, in Chronico Euſebiano, Nævium ait mortuum Olympiadis cxv anno primo: meliùs ſanè, quàm ſi annum tertium dixiſſet, prout debuiſſe cenſet Sebaſtianus Corradus, eruditus Ciceronis interpres. Nec tamen diffiteor, Varronem ex eo, quòd Plautus viginti demum annis pòſt deceſſerit, colligere, Nævium quoque diutius vixiſſe. Id enim oſtendunt, quæ Cicero ſuperiùs allatis ſubjicit. *Quanquam Varro noſter, diligentiſſimus inveſtigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Nævii producit longiùs. Nam Plautus, P. Claudio, L. Porcio, viginti annis poſt illos, quos ante dixi, coſſ. mortuus eſt, Catone Cenſore.* Sed ut tam diu Nævius fuerit ſuperſtes: tamen ſic quoque obierit non paullò ante Ennium. Nam deceſſit Ennius totis xv annis poſt Plautum, Q. Marcio Philippo II, & Cn. Servilio Cæpione, conſulibus; ut in Bruto idem Cicero refert. De ætate, tam Nævii, quàm Ennii, ſatis dictum. Cujuſmodi fuerit Nævii dictio, non aliunde meliùs ſcire poſſumus, quàm ex fragmentis, quæ nobis grammaticorum induſtria reliqua fecit. Initium quidem operis de bello Punico primo, ejuſmodi erat; ut teſtatur L. Calpurnius Piſo in libro de continentia poëtarum:

*Quei terrai Latiai* (vel *Latiei*) *hemones tuſerunt*
*Vires frudeſque Poinicas fabor.* ——

Ita nobis reſtituit eum locum Guil. Merula, in erudito ad Ennium commentario. Juniores exhibuiſſent hoc pacto: *Qui terra Latia homines tuderint* vel fregerint *vires fraudeſque Punicas, fabor.* Sed ſic numeri perierint: qui ſunt jambici; ut in illo ejuſdem, quod Chariſius adducit:

*Marcus Valerius conſul partem exercitus*
*In expeditionem ducit.* ——

Unde liquet, non ſemper uſum eſſe carmine Saturnio: quod conſtat jambico dimetro acatalectico, & tribus trochæis. Ut ille Metelli,

*Dabunt malum Metelli Nævio poëtæ.*

Quo Metellus huic jambico Nævii reſpondit:

*Fato Romæ fiunt Metelli conſules.*

Fato, non virtuti, Metelli, tribuit Nævius, quòd non ſuo anno, vel poſtea, uti majores ejus: ſed ante ætatem lege annariâ præfinitam conſulatum eſſet adeptus. Nec ſemper vacavit Metellis verſum reponere verſui Næviano: ſed aliter de eo ſupplicium ſumſere. Nam à primoribus ob maledicentiam in carcerem eſt conjectus: quò reſpexit Plautus Milite Glorioſo:

*Nam os columnatum poëtæ ineſſe audivi barbaro,*
*Quoi bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.*

Sententia eſt, Nævium, quem, Græcanico more, barbarum, hoc eſt, Latinum poëtam, vocat, à duobus cuſtodiæ publicæ præfectis in Triumviralibus vinclis aſſervari, atque eum ibi brachium, velut columnam, ſuffulcire mento, dum fabulas ſcribit; Leontem puta, & Ariolum, quas in carcere feciſſe, Gellius eſt autor lib. iii. cap. v. Atque hinc etiam videmus, Nævium adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cùm Plautus Militem exhiberet Glorioſum. Quanquam autem, cùm petulantiam & maledicta novis in carcere fabulis diluiſſet, liberatus à triumviris capitalibus fuit: tamen & poſtea nobilibus, ac præcipuè Metello, inviſus erat. Imò horum odio Româ pulſus, Uticæ obiit: ut in Chronico Euſebiano Hieronymus prodit ad Olymp. cxliv.

Quemadmodùm autem ea eſt laus Nævii, quòd primus carmine ſignârit bellum Romanum; & *luculentè* quidem, ut ait M. Tullius, in Bruto p. 162: ita Ennio debemus, quòd non paullò id politiùs fecerit, & perfectiùs: idque, ut ſuperiùs cœpimus dicere, verſibus heroicis: ob quorum majeſtatem ita eum celebrat Lucretius in primo:

*Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno*
*Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.*

Et auctori panegyrici Maximiano Aug. dicti, vocatur *Romani carminis primus auctor*: ut rectè legunt viri eruditi. Neque, quia carmine ſcripſit, eò inter hiſtoricos illi non ſit locus. Nam hiſtoriam carmine ſignavit. Unde ipſe de ſe in Annalium primo:

*Horrida Romuleùm certamina pango duellûm.*

Item:

*Nam Latii populi res, atque poëmata noſtra,*
*Clarebunt.*

Et in Epitaphio ſuo ita Romanos compellat:

*Hic veſtrûm panxit maxima facta patrum.*

Nec

Nec fabuloſè, ſed hiſtoricâ fide, id feciſſe, indicat locus iſte Ciceronis in Bruto: *Quì verò exſtet, & de quo ſit memoria proditum, eloquentem fuiſſe, & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus; cujus eloquentia eſt auctor, & idoneus quidem meâ ſententiâ, Q. Ennius. Præſertim cùm & ipſe eum audiverit, & ſcribat de mortuo; ex quo nulla ſuſpicio, amicitiæ cauſſâ eſſe mentitum.* Idem cognoſcere eſt ex fragmentis ejus: quæ jam olim colligere in animo habuit Ludovicus Vives, ut ait ipſe in Auguſtini de civitate Dei lib. II. cap. I. ad Ennii illud,

*Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.*

Sed poſtea id tentatum Roberto Stephano: perfectumque partim ab Hieronymo Columna, partim amiciſſimo τῷ μακαρίτῃ Paullo Merula.

Videtur & poëma, cui nomen fecerat Scipioni, fuiſſe de rebus geſtis à P. Cornelio Scipione Africano. Conſtabat id verſibus trochaicis: quod ex iſtis cognoſcimus:

*—— Mundus cæli vaſtus conſtitit ſilentio.*
*Et Neptunus ſævus undis aſperis pauſam dedit.*
*Sol equis iter repreſſit ungulis volantibus.*
*Conſtitere amnes perennes, arbores vento vacant.*

Adducit Macrobius lib. VI. Sat. cap. II. Sed in vulgatis eſt *ſilentia* pro *ſilentio*: & *conſiſtere* pro *conſtitere*. Idem ejuſce libri cap. IV. citat ex Scipione Ennii:

*Sparſis haſtis longis campus ſplendet ac horret ——*

Ubi & pro *ac* vel *atque* ſcribi ſolet, modulo refragante. Etiam ex Scipione eſt:

*Quique propter Annibâlis copias conſederant.*

Citat Gellius lib. IV. cap. VII. idque ut doceat, veteres in *Annibâlis*, & ſimilibus, proximam ab ultima produxiſſe. Sed apud eum perperam *Qui* pro *& qui*, vel *quique*, legitur vulgò.

Cæterùm hoc poëmate imprimis meruit id honoris ab Africano; quod mox è Tullio, Livio, & aliis dicam. Idemque poëma præcipuè reſpexiſſe arbitror Saxonem Grammaticum lib. VI. ubi de Julii Cæſaris, & Scipionis Africani liberalitate erga eos agit, qui res eorum geſtas conſcripſiſſent: *Sed ne Africanus quidem*, inquit, *in rependendis operum ſuorum monumentis, munificentiâ Danos æquavit.*

Nec poëmatis hiſtoricis ſolùm; ſed altero etiam nomine præclarè de hiſtoria meritus eſt Ennius. Siquidem idem Euhemeri hiſtoriam de Diis tranſtulit. Lactantius lib. I. de falſa relig. cap. XI. *Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Meſſana, res geſtas Jovis, & cæterorum, qui Dii putantur, collegit, hiſtoriamque contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Jove, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua perſcripſit, ut monumenta eſſent poſteris rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius, & ſecutus; cujus hæc verba ſunt: Jupiter imperium Neptuno dat maris, ut inſulis omnibus, &, quæ ſecundum mare loca ſunt, omnibus regnaret.* Et paullò pòſt: *In Olympo autem Jovem habitâſſe, docet hiſtoria eadem, quæ dicit: Eâdem tempeſtate Jupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, & eò ad eum in jus veniebant, ſiqua res in controverſia erant. Item ſiquis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile eſſet, eò veniebat, atque Jovi oſtendebat.* Et poſt aliqua: *Ennius in ſacra hiſtoria, deſcriptis omnibus, quæ in vita ſua geſſit, ad ultimum ſic ait: Deinde Jupiter, poſtquam terram quinquies circuivit, omnibuſque amicis, atque cognatis ſuis, imperium diviſit: reliquitque hominibus leges, mores, frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortali gloriâ, memoriâque affectus, ſempiterna monumenta ſuis reliquit, ætate peſſum actâ, in Creta vitam commutavit, & ad Deos abiit; eumque Curetes, filii ſui, curaverunt, decoraveruntque eum: & ſepulchrum ejus eſt in Creta, in oppido Gnoſo: & dicitur Veſta hanc urbem creaviſſe; inque ſepulchro ejus eſt inſcriptum antiquis literis Græcis, Ο' Ζεὺς τοῦ Κρόνου, id eſt Latinè, Jupiter Saturni.* Item cap. XIII. *Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnâſſe Saturnum. Initio, inquit, primus in terris imperium ſummum Uranus habuit: is id regnum unà cum fratribus ſuis inſtituit, atque paravit.* Vide & luculenta ex eadem hiſtoria loca cap. XIV. Obiit Ennius ſeptuagenario major, anno Urbis IↃCLXXXV, Q. Marcio Philippo II, & Cn. Servilio Cæpione coſſ. ut Cicero in Bruto, & Catone majore, perhibet. Ac magnus ſanè ei honos habitus à ſuperiore Africano, & fratre Aſiatico, ſi in ſepulcro ſuæ gentis collocari voluerunt, & præterea poëtæ effigiem è marmore ſepulcro impoſuere. Sanè de eo apud Ciceronem pro Archia legimus: *In ſepulcro Scipionum putatur eſſe conſtitutus è marmore.* Et apud Livium lib. XXXVIII: *Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia poëtæ Q. Ennii.* Quod autem dubiè uterque illorum dicit: hoc aſſeveratè ait Ovidius in tertio de Arte:

*Ennius emeruit Calabris in montibus ortus*
*Contiguus poni, Scipio magne, tibi.*

Imò & Valerius Max. lib. VIII. cap. XV: *Superior Africanus Ennii poëtæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit.* Et Solinus polyhiſt. cap. VII: *Africanus prior Q. Ennii ſtatuam imponi ſepulcro ſuo juſſit.*

## CAP. III.

*De* Fabio Pictore, *qui primus Romanorum ſolutâ oratione hiſtoriam ſcripſit. Παρόραμα viri eruditi, pro uno habentis quatuor Fabios Pictores. Unde in Fabia gente Pictoris cognomen. Legatio Fabii Pictoris hiſtorici poſt cladem Cannenſem. Prænomen ei Quinctus. Diſtinguuntur Servius Fabius, & Fabius Servilianus; quorum uterque de jure pontificio ſcripſit. Seb. Corradus refellitur. Duo Numerii Fabii Pictores. Argumentum hiſtoriæ à Fabio Pictore ſcriptæ. Quid in ea Polybius culpârit. Cujuſmodi ejus dictio fuerit. Perperam Pighium colligere ex Sigonio, Fabium Pictorem adhuc ineditum Venetiis aſſervari. Annii Fabius rejicitur.*

A Poëtis venio ad eos, qui pedeſtri ſcripſere oratione, ac proprio quodam jure nomen ſibi hiſtoricorum vindicant. Ordior à Fabio Pictore, qui *ſcriptorum antiquiſſimus* à Livio dicitur lib. I, & *longè antiquiſſimus auctor* lib. II. De ætate ejus non pauci falluntur. Vir eruditiſſimus in Genealogicis ſcribit, Q. Fabium Pictorem conſulem fuiſſe cum Q. Ogulnio, anno Urbis cond. CCCCLXXXV; ædem Salutis pinxiſſe: antiquiſſimum eſſe hiſtoriæ Romanæ ſcriptorem: juris & literarum peritiſſimum à Cicerone dici. Atque ita ex quatuor Fabiis Pictoribus unum facit. Quod & factum Raphaëli Volaterrano Anthropologias lib. XVI. Etiam Rutilius in Juriſconſultorum vitis, tres Fabios Pictores in unum conflat. Nempe duo hi egregio Friſiorum Hiſtorico ad errorem eum prævivere. Nam alius eſt, qui Salutis ædem pinxit. Alius, qui cum Ogulnio erat conſul. Alius ille nobilis hiſtoricus. Alius, qui juris ſcientiſſimus Ciceroni dicitur. De primo ſic Plinius lib. XXXV. cap. I[illegible] *Apud Romanos quoque honos maturè huic* (pingend[illegible] *arti contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clariſſimæ gentis: princepſque ejus cognominis ipſe ædem Salutis pinxit anno* CCCCL: *quæ pictura duravit ad noſtram memoriam, æde, Claudii principatu, exuſtâ.* Eſt hic C. Fabius M. Filius, qui primus Pictoris nomen retulit. Filii ei duo. Unus eſt C. Fabius, C. F. M. N. Pictor: qui quæſtor militaris fuit anno CCCCLXXV: ædilis curulis anno CCCCLXXX: prætor CCCCLXXXIII: anno autem CCCCLXXXV conſulatum geſſit cum Q. Ogulnio Gallo: annis XXXV poſtquam Salutis ædem pater pinxerat. Filius alter Numerius Fabius Pictor, de quo pòſt dicam. Venio ad hiſtoricum. Is dictus Q. Fabius C. F. C. N. Pictor. Hic eſt, qui quæſtor provincialis fuit anno IↃXXXV; quique, poſt cladem Cannenſem, legatus Delphos ad Apollinem miſſus fuit,

ut

ut ſciſcitarentur, qui tandem finis tantarum eſſet cladium futurus: ac quibus ſupplicationibus placari à Romanis Dii poſſent. Sanè Appianus in Annibalicis, poſtquam expoſuiſſet Cannenſem cladem, ſubjicit: Ἡ δὲ βουλὴ Κόϊντον μὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς Δελφοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων. *Senatus Q. Fabium, qui & ipſe harum Annibalicarum rerum hiſtoriam conſcripſit, Delphos ad oraculum miſit ſciſcitaturum de præſenti rerum ſtatu.* Atqui clades Cannenſis contigit anno Iↄxxxviii, annis Liii poſt Fabii Pictoris conſulatum cum Ogulnio Gallo: ut hiſtoricus filius ejus fuerit, nepos autem illius, qui Salutis ædem pinxerat. Quippe Fabium hiſtoricum vixiſſe temporibus belli Annibalici, quod deſcripſit, clarè etiam ait Livius lib. xxi. *Hæc*, inquit, *nobilis ad Traſymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades: xv millia Romanorum in acie cæſa ſunt: x millia, ſparſa fugâ per omnem Etruriam, diverſis itineribus Romam petiere. Fabium, æqualem temporibus hujuſce belli, potiſſimum auctorem habui.* Supereſt Fabius Pictor, quem juris, & literarum, ſcientiſſimum fuiſſe, Cicero dicit. Sed hunc alium eſſe ab hiſtorico, vel prænomen indicio eſt. Hoc enim hiſtorico Quinctus erat; ut Appiani verba, quæ adduximus, oſtendunt. Idem liquet ex Dionyſio Halicarn. lib. i Antiq. Rom. ubi eorum, quæ de Amulio, & Romulo, Remoque, refert, auctor laudatur Κόϊντος Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος. At huic juris peritiſſimo cognomen Servius fuit. Verba enim Ciceronis ſunt illa, in Bruto: *Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore Oratores floruerunt. Nam & A. Albinus, is, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, & Ser. Fulvius, & unà Ser. Fabius Pictor, & juris, & literarum, & antiquitatis, bene peritus.* Eſt hic Ser. Fabius. Q. F. Q. N. Pictor. Pater, credo, ei Q. Fabius Q. F. Q. N. Flamen Quirinalis, atque idem prætor, anno Iↄlxv, quo Sardiniam ſortitus erat; ſed à P. Licinio Craſſo Pontifice prohibitus eſt ab Urbe diſcedere, ne à ſacris abeſſet. Autor Livius lib. xxxvii. Meminit ejus quoque lib. xlv, ubi perperàm in pleriſque codd. pro Quincto Marcus vocatur. Ac filius ejus, Servius Pictor, quæſtor provincialis anno fuit Iↄxcviii: prætor autem Iↄcviii, quo Carthago ab Africano juniore capta exciſaque. Propterea planè falli puto doctiſſimum virum, Sebaſtianum Corradum, qui apud Ciceronem pro *Servius* mavult *Servilianus.* Omnino enim hic alius eſt: nempe Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Servilianus: qui conſul eo anno, quo Servius Fabius, prætor fuit; uti & Cn. Servilius Cæpio, C. Valerius Tappus, & L. Poſtumius Tumpanus. Servilianus igitur non habuit Pictoris cognomen. Nam quòd Corradus inter majores ejus Fabium Pictorem reponit, planè fallitur. Siquidem Servilianus ille genus duxit, non à C. Fabio Pictore, ſed à Q Fab. Max. Gurgite. Atque hunc etiam de jure pontificio quædam ſcripſiſſe, diſcimus ex verbis iſtis Macrobii lib. i. Saturn. *Fabius Max. Servilianus, Pontifex, in libro undecimo negat, oportere atro die parentare.* Atque ex his liquet, etſi uterque de jure pontificio ſcripſerit, tamen, quoties Pictoris cognomen additur, non Q. Fabium Servilianum, ſed Ser. Fabium Pictorem, intelligi debere: ut in iis, quæ adducunt Gellius lib. i. cap. xii, & lib. x cap. xv. ac Nonius in *Picumnus*, & *Sale.*

Sed de prænomine Fabii hiſtorici ſcrupulum injicit locus Ciceronis lib. i de Divinat. *Hiſque adjungatur etiam Æneæ ſomnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis Annalibus ejuſmodi eſt.* Nunc alium hunc eſſe dicemus? Præſertim cùm hic Græcos nominet annales; nos de Latino hiſtorico loquamur? Sed adverſus hoc objici poteſt, Q. Fabium hiſtoricum, non Græcè minùs, quàm Latinè ſcripſiſſe. Nam Dionyſius Hal. lib. i. loquens de iis, qui veterum Romanorum geſta τῇ Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ ſcripſere, eorum vetuſtiſſimos eſſe ait, Q. Fabium, & L. Cincium. Ac, Latinè eundem hiſtoriam condidiſſe, locuples teſtis eſt M. Tullius in ſecundo de Oratore, & primo de Legibus. Quare videri poſſit Tullius in prænomine hiſtorici deceptus eſſe. Quamquam profectò, quid prohibet, quò minùs diverſos credamus? Sanè C. Fabio Pictori, quem cum Ogulnio conſulem fuiſſe dicebam, frater fuit Numerius Fabius C. F. M. N. Pictor. Atque hic eſt, qui quæſtor militaris anno erat ccccLxxviii; ædilis curulis anno ccccLxxxiii; prætor ccccLxxxvi; conſul autem ccccLxxxviii. Item filius huic Num. Fabius Pictor, qui anno Iↄx quæſtor provincialis erat. Horum alterum fortaſſe, ſed, ut arbitror, filium potiùs, Cicero ſignârit.

Quæ ex Fabii Pictoris annalibus veteres referunt, ea partim ſunt de antiquitatibus Italiæ, & Urbis initiis: partim de geſtis populi Rom. Utrùm autem ex Græco, an Latino ſint opere, non ſemper dicere poſſumus. Nec de eo anxiè diſquiri opus eſt, ſi utrâque linguâ idem ab eo opus tractatur. Ex Latinis, præter eos, quos diximus Pictoris annalium meminere Plinius lib. x Hiſt. Natur. cap. xxiv, & lib. xiv, cap. xiii, Quinctilianus lib. i, cap. x. Solinus cap. x, Aurelius Victor, vel quiſquis ſcriptor ille de origine gentis Romanæ; ut de Grammaticis, Gellio, Macrobio, Feſto, Nonio, & Victorino, nihil dicam. Eos, qui fragmenta Fabii hujus collegêre, fugit locus iſte Eutropii lib. ii: *Lucio Æmilio coſ. ingentes Gallorum copiæ Alpes tranſierunt: ſed pro Romanis tota Italia conſenſit: traditumque eſt Fabio hiſtorico, qui ei bello interfuit,* Iↄccc *millia hominum parata ad id bellum fuiſſe.* Itidem neglexere hoc Suidæ: Φάβιος Πίκτωρ, συγγραφεὺς Ῥωμαίων. Οὗτος λέγει ἄρχοντι Ῥωμαίων μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ σφετερίζεσθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ὁτιοῦν. *Fabius Pictor, hiſtoricus Romanus. Hic ait, nulli Romanorum magiſtratuum licere publici quidquam in uſus privatos convertere.*

In hiſtoria nimis ſtuduit Romanis: unde dum bellum Punicum deſcripſit, nec laudare ſcivit Carthaginenſes, ubi merentur; nec candidè expoſuit, ubi peccarunt. Quo nomine à Polybio reprehenditur lib. i. Vide & eundem lib. iii, ubi illum culpat in iis, quæ de cauſſis ſecundi belli Punici prodidit. Atque eò id ſe facere addit, ne quis ſine judicio omnibus habeat fidem, quia Romanus fuerit Senator, & ejus belli temporibus vixerit. Quod ad ſtylum attinet, Cicero in primo de Legibus, omnes, & iſtius, & proximi temporis ſcriptores, planè exiles eſſe ait. Illuſtris quoque de ejus, & Catonis, Piſoniſque, annalibus, locus eſt lib. ii de Oratore.

Certiora de fide, & dictione, fortaſſe afferremus, ſi exſtaret nobiliſſimus ille ſcriptor. Quod exiſtimabat Stephanus Pighius in Annalibus ſuis ad annum Iↄxxxiv. Ac ejuſce rei teſtem laudat Carolum Sigonium, qui Venetiis ſe apud Ludovicum Beccatellum ſæpius legiſſe dicat. Ac ſubjicit deinde: *Atque utinam faceſſant ſemel canes è Muſarum præſepio.* Locus, unde illud colligit Pighius, eſt in ſcholiis lib. xxiii Liviani. Nam, ubi Livius ait, Q. Fabium Pictorem legatum à Delphis Romam rediiſſe, annotat iſta Sigonius: *Hunc eundem illum eſſe, qui res Romanas ſcripſit, tradit Appianus in Annibalica hiſtoria, quam manuſcriptam ſæpius apud ornatiſſimum Ludovicum Beccatellum legi: cujus hiſtorici ſæpe, & in hoc bello, & in aliis, meminit Livius.* Sed loquitur Sigonius de Appiani codice Græco; qui, cùm iſta commentaretur Sigonius, necdum prodierat in lucem. Scio verba extrema non poſſe de Appiano intelligi, cùm Livius nequeat meminiſſe ejus, qui Trajani, Hadriani, & Antonini, temporibus vixit. Sed hoc non prohibet, quò minùs priora de Appiano capiamus, proxima de Pictore. Quod ut apertius foret, ſatius erat intermedia parentheſios notâ circumſcribere. Utcumque hoc exile fuerit, eò tamen monere non piguit, quia metus erat, ne quis cum Pighio ſperaret, è latebris Pictorem proditurum, ſimul ac Beccatellus, vel ejus hæres, deſiiſſet ſimilis eſſe cani Æſopico, fœnum invidentis equo, quo ipſe non capiatur: vel ne quis crederet, Sigonium, cùm ea ſcriberet, fucum voluiſſe facere lectori; uti poſtea, cùm libellum de Conſolatione pro germano Tullii fœtu obtrudere voluit orbi literato. Aut quemadmodum Annius Viterbienſis fecit, qui libellos

duos non magnæ rei, unum de aureo ſeculo, alterum de origine urbis Romæ, ac vocabulorum ejus; quos ipſe commentus erat; pro genuinis Fabii Pictoris divulgavit: digniſſimus profectò, ut fœno ſemper veſceretur; qui de cæteris malignè adeò ſenſerit, ut eos putaret, velut Arcadiæ pecuaria, inter mellita Fabii bellaria, & mucidum Annii fœnum, diſtinguere non poſſe.

## Cap. IV.

*L. Cincius Alimentus. Elogium ejus, ex Livio, & honores, quos geſſit. Item captivitas, & colloquium cum Hannibale. Refellitur Steph. Pighius, qui Cincium prætorem, legatumque, patrem hiſtorici fuiſſe cenſebat. Cincius de rebus Romanis Græcam; de Gorgia Leontino, Latinam condidit hiſtoriam. Quæ præterea ediderit.*

Æqualis Fabii Pictoris fuit L. Cincius Alimentius, ſeu Alimentus, qui in pleriſque libris corruptè *Mimantus* nuncupatur. Sæpius ejus mentio fit apud Livium. Prima eſt initio libri VII; ubi, cùm dixiſſet, *Volſiniis clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ, Hetruſca Dea, comparere:* teſtem laudat L. Cincium, eumque *diligentem talium monumentorum auctorem* appellat. Ab eodem *maximus auctor* dicitur lib. XXX. Nec dubito, quin hic ſit ille L. Cincius Alimentus, qui M. Claudio Marcello, & M. Valerio coſſ. prætor fuit cum P. Manlio Vulſone, L. Manlio Acidino, & C. Lectorio; ut idem ſcribit lib. XXVI: qui & aliquantò pòſt ejuſmodi Patrum decretum refert, *ut alteri conſulum Italia, bellumque cum Annibale, provincia foret: alter claſſem, cui T. Octacilius præfuiſſet, Siciliamque provinciam, cum L. Cincio prætore obtineret.* Item exponit, ut *L. Cincio Prætori ad obtinendam Siciliam Cannenſes milites dati ſint, duarum inſtar legionum.* Libro item proximo tradit, ut *Q. Fabio Maximo quinctùm, Q. Fulvio Flacco tertiùm coſſ. M. Valerio cum L. Cincio ſit in annum prorogatum in Sicilia imperium, & Cannenſis exercitus datus, eumque ſupplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii ſupereſſent, juſſi ſint.* Eopſe etiam libro commemorat, ut poſt cædem Marcelli conſulis, ad collegam ejus Criſpinum fuerint *tres miſſi legati, Sex. Julius Cæſar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Alimentus, cùm paucis antè diebus ex Sicilia rediiſſet.* Atque hæc, quanto in honore Cincius fuerit, oſtendunt. Poſtea autem ab Annibale captus fuit, cumque eo de rebus variis locutus eſt, quæ & in hiſtoriam ſuam retulit. Docet is nos idem Livius lib. XXI, his verbis: *L. Cincius Alimentus, qui captum ſe ab Annibale ſcribit, maximus auctor, moveret me, niſi confunderet numerum, Gallis, Liguribuſque, additis. Cum his ſcribit octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam* (*magis adfluxiſſe veriſimile eſt, & ita quidam auctores ſunt:*) *ex ipſo autem audiſſe Annibale, poſtquam Rhodanum tranſierat, triginta ſex millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum, amiſiſſe in Tauriniis.* Stephanus Pighius, in Annalibus ſuis, ad annum CCCCXXXIV, ſcribit, eum, qui prætor Siciliam obtinuit, atque ad Criſpinum conſulem legatus fuit, non hiſtoricum ipſum, ſed ejus filium, videri. Prora & puppis ſententiæ hujus eſt, quòd *Livius tradat, initio belli Punici ab Annibale captum fuiſſe: Senatus autem Romanus, & Cenſores, eo tempore omnes, qui arma hoſtibus tradidiſſent, in Siciliam, quamdiu Pœni in Italia eſſent, relegatos variis ignominiis, & gravi inſuper militiâ proculcabant: quemadmodum ex Livii hiſtoria manifeſtum eſt.* De conſuetudine eorum temporum non repugno. Sed unde colligit, initio belli Annibalici captum fuiſſe? Neque enim, quando captus fuerit, uſpiam prodit Livius. Quare, cùm & prætor, poſt Cannenſem cladem, Siciliam obtinuerit; &, poſt Marcelli conſulis cædem, legatus fuerit ad Criſpinum conſulem: poſtea potiùs in manus Hannibalis veniſſe arbitror. Confirmat me etiam, quòd Dionyſius Halicarn. lib. I. Fabium Pictorem, & L. Cincium, eodem dicat tempore floruiſſe, ac utrumque ea ſcripſiſſe addat, quibus interfuerit. Τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε. *Horum virorum uterque, res, quibus ipſe interfuit, eaque probè ſibi cognitas, diligenter ſcriptis mandavit.* Sanè verba hæc optimè conveniunt illi, qui bello hoc Punico magiſtratum ipſe ceperit: quale nihil de patre ejus legimus. Denique is, qui poſtea prætor Siculus fuit, jam ante Hannibalis in Italiam adventum, quæſturam geſſerat, M. Livio Salinatore, & L. Æmilio Paullo coſſ. quod non Pighius diffitetur. Hiſtoriam autem belli Annibalici non ſcripſit Cincius, niſi bello eo feliciter confecto. Quare ætas ipſa diſſuadet, quò minùs hiſtoriam illam conditam credamus, non ab quæſtorio hoc & prætorio viro; ſed parente ejus, qui poſt bellum hoc decrepitâ admodum fuerit ætate: imò fortaſſe multis jam annis ante bellum Annibalicum deceſſerit.

Etſi autem hiſtoricus hic homo Romanus eſſet: hiſtoriam tamen Annibalicam ſcripſit Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ: ut clarè ait Dionyſius Hal. lib. I. Neque adſerere auſim, Latinè eandem hominibus ſuis dediſſe. Nec propterea nullus ei fuerit in hiſtoricis Latinis locus. Quippe hiſtoriam quoque reliquit de Gorgia Leontino. Hanc Latinè ſcripſiſſe, ex eo colligitur, quòd Fulgentius Planciades, in explicatione ſermonis antiqui, hinc adſtruit, ſenes à Latinis ſilicernios vocari. Sic enim loquitur grammaticus is: *Silicernios dici voluerunt ſenes jam incurvos, quaſi jam ſepulcrorum ſuorum ſilices cernentes. Unde Cincius Alimentus, hiſtoria de Gorgia Leontino, ſcribit, dicens: Qui, dum jam ſilicernius finem ſui temporis exſpectaret, etſi morti non potuit, tamen infirmitatibus inſultavit.* Nec ignoro, quàm parùm fidei Fulgentio huic tribuant eruditi propè omnes. Sed hac quidem in re nihil video, cur fallere eum putemus. Nam, cùm Gorgias ille fuerit Siculus (Leontium enim Siciliæ oppidum eſt) potuit Cincio bella de eo ſcribendi occaſio ſe offerre; ipſeque etiam natalis locus ejus rei commonefacere; dum triennio Siciliam prætor obtineret. Nec qui Græcas adeò literas amaret, ut res etiam Romanas conſignaret Græcè: abhorrere poterat ab hiſtoria inclyti apud Græcos oratoris, à quo ſcitamenta quædam orationis Γοργίεια dicerentur; ipſum rhetoricari vocaretur γοργιάζειν; cujus item orationes lampadum appellatione inſignirentur; dies, quibus habitæ eſſent, feſti nuncuparentur: cui denique aurea ob facundiam Delphis imago conſtituta foret.

Idem Cincius, præter hiſtoriam hanc, alia etiam Latinâ linguâ ſcripſit. Atque inter ea, libros de re Militari: ex quorum tertio, quincto, & ſexto, quædam Gellius adfert lib. XVI cap. IV. Imo ex iis eſt, ex quibus Vegetius ſe agnoſcit ſuos de re militari commentarios conflâſſe; ſi ſequimur emendationes Barthii lib. XXVIII Adverſ. cap. XI. Etiam ex libro Cincii, quem de Faſtis reliquit, aliqua citat Macrobius lib. I Saturn. cap. XII. Multa quoque alia ejuſdem advocat Feſtus. Ut librum de verbis priſcis, in *Peremere, Reconducta, Rodus,* & *Scena:* librum de comitiis, in *Patricios:* librum de conſulum poteſtate, in *Prætor:* libros de officio juriſconſulti, in *Nuncupata:* myſtagogicôn libros, in *Trientem.* Meminit & Arnobius lib. III. his verbis: *Cincius* Novenſiles *numina peregrina novitate ex ipſâ appellata pronunciat. Nam ſolere Romanos, Deos omnes ſuperatarum urbium, partìm privatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare: ac, ne aliquid deorum multitudine, aut ignorantiâ, præteriretur; brevitatis, & compendii causâ, uno pariter nomine cunctos Novenſiles invocari.* Vide &, quæ de eo diximus lib. IV de Hiſt. Græcis cap. III.

## Cap. V.

*Tergemina Catonis Cenſorii laus: item iſta, quòd quater & quadragies accuſatus, ſemperque fuerit abſolutus. Ejus*

*Ejus ætas, & libri de re militari. Jam olim dubitatum, utrùm rectè libris ſuis Originum nomen fecerit. Livii erratum. Catonis Origines vocari & Hiſtoriarum libros. Coleri lapſus ſuper oratione de bello Carthaginenſi. Quando obierit Cato. De ſtylo ejus diſcrepans judicium ex Tullii Bruto. Quiſquilia Catonis ab Annio editi rejecta. Munatius Rufus de Catonis expeditione Cypriaca. M. Fulvii Nobilioris Faſti.*

AC. Cincius quidem vix, niſi propter illa, quæ de Leontino Gorgia literis mandârat, inter eos Romanorum referri meretur, qui res geſtas monumentis ſuis expoſuiſſent. At longè meliori jure hunc ſibi honorem depoſcit M. Porcius Cato Cenſorius, hiſtoricus eximius, & aliis quoque nominibus laudatiſſimus. Siquidem, ut Plinius ſcribit libri VII. cap. XXVII, *tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus Imperator, optimus Senator.* Atque hinc & *Cato orator* pro Majore, aut Cenſorio legas apud Juſtinum lib. XXXIII, ubi de filii ejus fortitudine loquitur. Ejuſdem illud proprium, ut ibidem à Plinio dicitur, *quater, & quadragies cauſſam dixiſſe; nec quemquam ſæpius poſtulatum, & ſemper abſolutum.* Vide & elogium ejus apud Valerium Max. lib. VIII. cap. VII. Vitam ejus ſcripſit Plutarchus. Nos ea ſolùm dicemus; quæ inſtituti noſtri magis ſunt propria. Florere tantus vir cœpit bello Punico ſecundo: in quo ſub Fabio Maximo militavit. Vitam autem produxit uſque ad bellum Punicum tertium, ad quod ille imprimis concitavit Romanos. Scripſit inter alia libros de re militari: ut præter Grammaticos teſtatur Plinius in præfat. Hiſtoriæ Natur. Ubi legas: *Catoni de militari diſciplina commentanti.* Item Flavius Vegetius lib. I. cap. VIII. Ejus verba ſunt: *Hæc neceſſitas compulit, evolutis auctoribus, ea me in hoc opuſculo fideliſſimè dicere, quæ Cato ille Cenſorius de diſciplina militari ſcripſit.* Plurimas quoque orationes reliquit. Item alia, de quibus nihil dicam: præterquam de Originum libris: quorum cauſſa ejus hic meminimus. Deſignat hoc opus Dionyſius Halic. lib. I. Antiqu. Rom. Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών. *Doctiſſimi verò Romanorum, atque in his Porcius Cato, qui Italicarum urbium origines accuratiſſimè collegit.* Ad inſcriptionem quod attinet, Verrii, & Feſti, judicium ejuſmodi fuit, minùs eam operi convenire: quippe majorem librorum partem, non Italicarum civitatum origines, ſed res geſtas populi Romani, exponere. Nec video, ut aliter defendi Cato poſſit; quàm ſi antiquiores dicamus, per *origines* συνεκδοχικῶς intellexiſſe *antiquitates.* Gloſſæ vett. *Origo*, ἀρχαιολογία. Sed Verrio ea in ſententia præivit Cornelius Nepos: cujus illuſtrem apponam locum ex fragmento, quod ſupereſt è poſteriori libro de vitis excellentium imperatorum. Faciam hoc eo lubentiùs, quia inde, præter alia, etiam argumentum Originum cognoſcere eſt. *In omnibus*, inquit, *rebus ſingulari fuit prudentiâ, & induſtriâ. Nam & agricola ſolers, & reipublicæ peritus, & juriſconſultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidiſſimus literarum fuit. Quarum ſtudium etſi ſenior arripuerat, tamen tantum progreſſum fecit, ut non facilè reperire poſſis, neque de Græcis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adoleſcentia confecit orationes: ſenex hiſtorias ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptem. Primus continet res geſtas regum populi Romani. Secundus, & tertius, unde quæque civitas orta ſit Italica: ob quam rem omnes* ORIGINES *videtur appellâſſe. In quarto autem, bellum Punicum primum: in quinto, ſecundum. Atque hæc omnia capitulatim ſint dicta. Reliqua bella pari modo perſecutus eſt, uſque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Luſitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, ſed ſine nominibus res notavit. In iiſdem expoſuit, quæ in Italia, Hiſpaniiſque, viderentur admiranda. In quibus multa induſtria & diligentia comparet, multa doctrina.* Hæc Cornelius Nepos, qui de cæteris relêgat ad librum, quem ſeparatim de eo fecit, rogatu T. Pomponii Attici. Sed neque is hodie exſtat. Scripſit Origines Cato ante conſulatum, quem geſſit cum L. Valerio Flacco anno Urbis cond. IↃLIX. Hoc inde colligimus, quòd anno eopſe C. Oppius, Tribunus Pl. in contentione [illegible], quæ eſt de cultibus matronarum deſingendis, ſic Conſulem Catonem alloquitur apud Livium lib. XXXIV: *Nam quid tandem novi matronæ fecerunt, quòd frequentes, in cauſſa ad ſe pertinente, in publicum proceſſerunt? nunquam ante hoc tempus in publicum proceſſerunt? Tuas adverſus te Origines revolvam. Accipe, quoties id fecerint, & quidem ſemper bono publico. Jam à principio, regnante Romulo, cum Capitolio à Sabinis capto, medio in foro, ſignis collatis dimicaretur, nonne intercurſu matronarum inter acies duas prælium ſedatum eſt?* &c. Quamquam, ſi iſta non tam ab Oppio ſint, quàm Livio, parùm ſanè validus fuerit aries iſte, quem intorſi. Et ſanè huc magis inclino, quia Nepos dicit, Catonem jam ſenem hiſtoriam ſcribere cœpiſſe. Quod Livius non ſatis videtur attendiſſe, dum ejuſmodi ſermonem Oppio tribuit, annis ante obitum Catonis XLVII. Operæ autem eſt conſiderare, quomodo Nepos Originum libros diſertim *Hiſtorias* appellet. Eoque fruſtra ſit, qui aliud opus intelligat apud Chariſium lib. II, ubi quædam adfert è *Catonis ſenioris ſecundo hiſtoriarum.* Chriſtophorus tamen Colerus, in notis ad primum hiſtoriarum Salluſtii, exiſtimabat, diverſam ab Originum libris hiſtoriam ſcripſiſſe: atque id colligebat ex eo, quod Nonius, in *Colliſcerunt*, citet *Catonem de bello Carthaginenſi.* Sed fuit ea non hiſtoria, verùm oratio: ut apertè vocat Gellius lib. IX. cap. XV: *Marcus*, inquit, *Cato in oratione, quam de bello Carthaginenſi compoſuit.* Atque ut hiſtoria foret, intelligi deberet pars ea Originum, in qua tractâſſet de primo, ſecundoque, bello Punico. Nam hiſtoriam tertii belli, quod quadriennium duravit, ſcribere non potuit: cùm altero obierit anno, ex quo ortum fuit. Illud tamen facilè crediderim, orationem eam fuiſſe Originum libris incluſam. Nam id feciſſe aliquoties Catonem oſtendit luculentus ille locus epitomes Livii lib. XLIX: *Cum L. Scribonius, tribunus plebis, rogationem promulgâſſet, ut Luſitani, qui, in fidem populo Romano dediti, à Sergio Galba in Galliam veniſſent, in libertatem reſtituerentur, M. Cato acerrimè ſuaſit. Exſtat oratio annalibus ejus incluſa.* Ubi videmus, ut Origines, quas Nepos vocat hiſtorias, Liviana epitome nominet Annales. Quomodo & Livius ſuas hiſtorias vocat Annales lib. XLIV, quas Plinius in præfat. Hiſtor. Natur. vocat Hiſtorias. Ac Seneca epiſt. XCVII. *annales Tanuſii* memorat. Ac Suetonius in Julio cap. IX. appellat hiſtorias. De ſtylo Catonis, quem potiùs audiamus, quàm M. Ciceronem, cujus hæc verba in Bruto: *Catonem quis noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis novit omnino? at quem virum, dii boni! mitto civem, aut Senatorem, aut Imperatorem: oratorem enim hoc loco quærimus. Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo ediſſerendoque ſubtilior? referta ſunt* ORATIONES *amplius* CENTUM QUINQUAGINTA, *quas quidem adhuc invenerim, & legerim, & verbis, & rebus illuſtribus. Licet ex iis eligant ea, quæ notatione, & laude digna ſint, omnes oratoriæ virtutes in iis reperiuntur. Jam verò* ORIGINES *ejus, quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? amatores huic deſunt, ſicuti multis jam antè ſeculis, & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucydidi. Nam ut horum concisis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis, cum brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione, atque altitudine, orationis ſuæ; quod idem Lyſiæ Demoſthenes: ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altiùs oratio. Sed & in noſtris inſcitia eſt, quod ii ipſi, qui in Græcis antiquitate delectantur, eâque ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non noverunt quidem. Hyperidæ volunt eſſe, & Lyſiæ. Laudo: ſed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapienter id quidem: atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam*

*ſanguinem. Gratum eſt tamen, quod volunt. Cur igitur Lyſias & Hyperides amatur, cùm penitùs ignoretur Cato?* Attici tamen longè aliud judicium fuiſſe videtur. Eum quidem Cicero ſic poſtea loquentem inducit: *Ego Catonem tuum, ut civem, ut ſenatorem, ut imperatorem, ut virum denique cùm prudentiâ, tum omni virtute, excellentem, probo: orationes autem ejus, ut illis temporibus, valde laudo: ſignificant enim quandam formam ingenii, ſed admodum impolitam, & planè rudem. Origines vero cùm omnibus oratoris laudibus refertas diceres, & Catonem cum Philiſto, & Thucydide, comparares; Brutone te id cenſebas, an mihi, probaturum? quos enim, ne è Græcis quidem, quiſquam imitari poteſt, iis tu comparas hominem Tuſculanum, nondum ſuſpicantem, quale eſſet copioſè, & ornatè, dicere?* Ad quæ ſic Tullius: *Longi ſermonis initium depuliſti, Attice; remque commoviſti novâ diſputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. Volvendi enim ſunt libri; cùm aliorum, tum imprimis Catonis: intelliges nihil illius lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem, & colorem, defuiſſe.* Utrùm autem iis, quæ Cicero in ſua dicit perſona, an quæ Atticum objectantem inducit, accedere oporteat: non aliunde meliùs conjecturam capere poſſumus, quàm ex luculentis aliquot fragmentis, quæ apud veteres leguntur: imprimis autem non uno Gellii in loco. At iſtis Originibus, quas pro Catonianis obtrudere nobis voluit Annius Viterbienſis, nihil profectò infacetius, Catoneque indignius. Eam impoſturam, non multò poſtquam in lucem prodierant, Sabellicus vidit Enneadis x. lib. II: item Faber Stapulenſis, Vives, B. Rhenanus, atque alii. Coætaneus Catoni fuit MUNATIUS RUFUS. Refertur is à Valerio Max. lib. IV. cap. III; ubi, cùm de abſtinentia Catonis Uticenſis, pecuniam à Cypro inſulâ Romam deportantis, locutus eſſet, ſubjicit iſta: *Atque id Munatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, ſcriptis ſuis ſignificat.* Unde Rufum hunc colligo Cypriacam Catonis expeditionem literis mandâſſe. Catoni etiam æqualis fuit M. FULVIUS NOBILIOR: qui anno Urbis IↃLXI prætor ſtrenuè rem geſſit in Hiſpaniâ ulteriori: atque anno IↃLXV conſul contra Ætolos miſſus, ſecum Ennium poëtam in Ætoliam duxit, Ambraciam cepit, inde novem Muſarum ſigna tranſtulit, ac conſecravit ſub Herculis tutela, ſuoſque Faſtos eo in templo collocavit. Operis ejus meminit Macrobius lib. I. Saturn. cap. XII: *Fulvius Nobilior in Faſtis, quos in æde Herculis Muſarum poſuit, Romulum dicit, poſtquam populum in majores junioreſque diviſit, ut altera pars conſilio, altera armis Remp. tueretur; in honorem utriuſque partis, hunc Majum, ſequentem Junium vocâſſe.* Idem ejuſce libro cap. XIII: *Fulvius id egiſſe Manium conſulem dicit ab Urbe conditâ anno quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, inito mox bello Ætolico.* Mentio quoque ejuſdem operis eſt apud Soſipatrum Chariſium lib. I, idque ex Cœlio, cujus hæc verba adfert: *Publicatos quippe Faſtos, & libros à Fulvio Nobiliori ſcripta a retuliſſe.*

a Fortè, ſcriptos.

## CAP. VI.

*Annales Libonis, & A. Poſtumii Albini. Calpurnia lex quâ de re, & quando, lata ſit. De Piſonis cognomento Frugi, & ejus conſulatu, ac cenſura, item annalibus, & exili earum dictione. Italia, & vituli, ἰταλοι. Plinius emendatus. Unde Piſo τιμητικὸς, & cenſorius, vocetur. Piſo alter, item hiſtoricus, ſed priori recentior.*

CAtone jam admodum ſene, florere cœpit L. Scribonius Libo: de quo ita Tullius in Bruto: *Quæ quidem Galbæ vis tum maximè cognita eſt, cùm Luſitanis à Ser. Galba Prætore, contra interpoſitam, ut exiſtimabatur, fidem, interfectis, L. Libone Tribuno Pl. populum incitante, & rogationem privilegii ſimilem ferente, ſummâ ſenectute M. Cato legem ſuadens in Galbam multa dixit.* Et poſt pauca: *Atque etiam ipſum Libonem non infantem video fuiſſe, ut ex orationibus ejus intelligi poteſt.* Meminit & lib. II de Orat. & lib. XII ad Attic. epiſt. v. Item epitome Liviana lib. XLIX, & Valerius Maximus lib. VIII. cap. I. Hunc eſſe Libonem illum putamus, quem annales ſcripſiſſe, auctor eſt Tullius lib. XIII ad Att. epiſt. XXX: *Sed in Libonis annali XIV annis poſt prætor factus eſt Tuditanus, quàm conſul Mummius.* Et epiſt. ſeq. *Eum video in Libonis, prætorem, L. Popillio, P. Rupilio coſſ. annis XIV antè, quàm prætor factus eſt.*

Sed apertior ætas A. Poſtumii Albini: qui anno IↃCIII conſul fuit cum L. Licinio Lucullo, biennio quaſi ante tertium bellum Punicum. Hic præter hiſtoriam Græcam (de qua in hiſtoricis Græcis diximus) etiam annales Latinos reliquit. In eorum primo hæc erant verba: *Eâ cauſſâ ſeſe ſtultum brutumque faciebat, groſſulos ex melle edebat.* Adducit ea Macrobius lib. II. Saturnal. cap. XVI, ut oſtendat, ficos, qui non matureſcunt, ac Græcè ὄλυνθοι vocantur, à Latinis groſſos appellari. Etiam Priſcianus in VII. tres verſus adducit ex Albini primo rerum Romanarum. Sed alius ille videtur, ut alibi dictum.

Satis etiam liquet, quâ vixerit ætate L. Calpurnius L. F. C. N. Piſo Frugi. Eſt enim hic ille, qui primus legem tulit de repetundis, quæ Calpurnia dicitur. Id autem quando factum ſit, docet Cicero in Bruto his verbis: *L. enim Piſo, Trib. Plebis, legem primus de pecuniis repetundis, Cenſorino & Manilio coſſ. tulit.* Conſulatum autem geſſere anno poſt V. C. IↃCV. Itaque idem Cicero libro II de Officiis ait: *Nondum centum & decem anni ſunt, cùm de pecuniis repetundis à L. Piſone lata lex eſt, nulla antea cùm fuiſſet.* Cognomen Frugi ei tribuit in Verrinâ VI *L. Piſo ille Frugi legem de pecuniis repetundis tulit.* Quo de cognomine (quod etiam in nummis ejus invenitur) ita Tullius in Tuſcul. III: *Reliquas etiam virtutes frugalitas continet; quæ niſi tanta eſſet, &, ſi iis anguſtiis, quibus plerique putant, teneretur; nunquam eſſet L. Piſonis cognomen tantopere laudatum.* Et oratione pro M. Fonteio: *Exſtat oratio hominis, ut opinio mea fert, noſtrorum hominum longè ingenioſiſſimi, atque eloquentiſſimi, C. Gracchi: quâ in oratione permulta in L. Piſonem turpia, ac flagitioſa, dicuntur. At in quem virum! qui tantâ virtute, atque integritate, fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cùm hominem invenire nequam neminem poſſes, ſolus tamen Frugi nominaretur: quem cùm in concionem Gracchus vocari juberet, & viator quæreret, quem Piſonem? quia erant plures; cogis me, inquit, dicere inimicum meum, Frugi.* Conſulatum cum P. Mucio Scævola geſſit anno Urbis IↃXX, quo occiſus fuit Tib. Gracchus. Cic. Verr. VI: *Cùm, Tiberio Graccho occiſo, magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderentur, P. Mucio L. Calpurnio coſſ. aditum eſt ad libros Sibyllinos.* Idem anno Urbis IↃXXIII cum Q. Cæcilio Metello Balearico Cenſor fuit. Annales ſcripſiſſe, oſtendit Cic. in Bruto, cùm poſt verba antè adducta continuò ſubjungit: *Ipſe etiam Piſo, & cauſſas egit, & multarum legum, aut auctor, aut diſſuaſor fuit: iſque & orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, & annales ſanè exiliter ſcriptos.* Item eruditâ epiſtolâ, quæ eſt XXII libri IX ad Papirium Pætum: *At verò Piſo ille Frugi in Annalibus ſuis queritur, adoleſcentes peni deditos eſſe.* Quòd autem exili ſtylo annales eos ſcriptos eſſe Cicero ait in Bruto, idem etiam primo de Legibus judicat. Nam cùm Fabium, Catonem, Piſonem, Fannium, & Vennonium, nominâſſet; ſubjungit, *Quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes?* Idem lib. II de Orat. *Græci ipſi initio ſic ſcriptitârunt, ut noſter Cato, ut Pictor, ut Piſo.* Et mox: *Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acuſilaus fuit, aliique permulti: tales noſter Cato, & Pictor, & Piſo: qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio. Modo enim huc iſta ſint importata, & dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant eſſe brevitatem.* Sed utcumque exilis fuerit dictio, tamen gravis auctor vocatur à Plinio lib. II. Hiſtor. Natur. cap. LIII. Imò ne dictionem quidem Gellius improbat. Nam lib. XI. cap. XIV.

Sim-

*Simpliciſſimâ*, inquit, *ſuavitate*, *& rei*, *& orationis*, *Lucius Piſo Frugi uſus eſt.* Ex annalibus ejus Varro in ſecundo a de R. R. docet, Italiam hoc nomen eſſe ſortitam, quia abundaret vitulis, quos Græci vocant ἰταλὰς, uti Æoles Fιταλὰς, ex quo eſt Latinum *vitulus*, ut pleraque alia ab Æolibus acceperunt. Eundem in IV de L. L. de lacu Curtio, deque porta Januali, laudat auctorem. De geminis à Rhea Sylvia editis teſtimonio ejus utitur Dionyſius Halic. lib. I Antiq. Idem in ſecundo, ubi de Tarpeia agit prodente Capitolium, mentionem ejus facit his verbis: Ὡς δ' ὁ Πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ: *Ut autem Piſo Lucius Cenſorius refert.* Etiam ſemel iterumque teſtem adducit lib. IV. Uti & faciunt Plinius, Plutarchus, Gellius, Cenſorinus, Arnobius, Lactantius, Macrobius, Servius in X Æneidos ubi de Pilumno: Auctor de origine gentis Romanæ, ac Priſcianus, qui lib. X opus ejus nunc *annales*, nunc *hiſtorias* appellat. Plinius lib. XIII Hiſtor. Nat. cap. XIII. de Numæ libris quiddam adfert ex *C. Piſonis Cenſorii commentariorum primo.* Fortè legendum *L. Piſonis.* Nam Cenſorii cognomen facit, ut eundem putem, qui Dionyſio Πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικός. Ἁπλῶς Piſonem Cenſorium appellat Cenſorinus de die natali cap. XVII. Ita autem Piſo dictus à cenſura, quam geſſiſſe, diximus ſuperiùs.

a Cap. I.

Piſo quoque alter fuit, quem Plutarchus ἄνδρα ἱστορικὸν vocat, deque Mario ſcripſiſſe ait: unde multò fuiſſe juniorem eo liquet, de quo dictum. Fortaſſe eſt is C. Calpurnius Piſo, qui cum M. Glabrione conſul fuit anno IƆ CLXXXVII. Cujus facundiam celebrat Cicero in Bruto his verbis: *C. deinde Piſo, ſtatarius, & ſermonis plenus orator, minimè ille quidem tardus in excogitando; verumtamen vultu, & ſimulatione, multò etiam acutior, quàm erat, videbatur.* Sed de hiſtoria verbum ibi nullum, ut idemne, an alius, ſit, dicere haut ſatis poſſim.

## CAP. VII.

*L. Caſſii Hemina annales.* Bellum poſterior, *pro* poſterius. *C. Fabius Maximus Servilianus. Nicolai Ciſneri de Ciceronis loco ſententia refellitur. C. Fannii duo, patrueles: eorum alter hiſtoricus, Lælii Sapientis gener. Cur iniquior fuerit erga ſocerum, atque ut hic ſe purgare ſolitus ſit. Ejus dictio cujuſmodi. Bruti epitome Fannianorum. Manutii error. Fannio veruſtatis laus à Salluſtio attributa. L. Attius quando natus, ac fabulas docuerit. Annales ejus carmine ſcripti.* Em, *vel* im, *pro* eum. Oſſum, *vel* oſſu, *pro* os. Alvus *virili genere uſurpatum. Corradi opinio rejecta. Attii Didaſcalica.* Διδάσκειν *dici poëtas, cùm fabula eorum aguntur.*

Redeo ad æquales Piſonis Cenſorii. E quibus eſt L. Caſſius Hemina, quem *vetuſtiſſimum annalium auctorem* vocat Plinius lib. XIII cap. XIII. Sed Guilandinus, & Dalecampius, pro *vetuſtiſſimus* legunt *veriſſimus*: idque, quia, ut ajunt vix LXX annis antiquior fuerit Plinio: ut qui Auguſto & Tiberio fuerit coævus, iiſque hiſtoriam ſuam dicârit. Verùm errant. Vixit enim ludis ſecularibus quartis, C. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Achaico coſſ. anno Urbis IƆCVIII, ut de eo teſtatur Cenſorinus cap. XVII. Ut ſpiſſus ſit error Simleri in epitome bibliothecæ Geſneri à ſe adauctâ; item Popelinieri, Simlerum hic, more ſuo, exſcribentis, in quincto de hiſtoricis; quando uterque ait, Caſſium Heminam hiſtoriam, atque annales ſuos, miſiſſe ad Mæcenatem, & Tiberium imperatorem. Nam imperare demum cœpit Tiberius anno Urbis IƆCCLXVII. Ut error ſit pluſquam ſeſquiſeculi. Video, quid impoſuerit utrique. Priſciani enim unius ſe auctoritate tuentur: qui libro VII citat *Caſſium ad Mæcenatem*; & lib. IX, *Caſſium ad Tiberium*. Sed is eſt Caſſius Severus; qui Auguſti, & Tiberii, ætate vixit, ut dicam cap. XXI; ubi oſtendam, ab aliis quoque duos hoſce Caſſios confundi. Ad Heminam redeo. Fecit annalium libros IV. Eorum quartus inſcribebatur, *Bellum Punicum poſterior*, ut Priſcianus auctor eſt lib. VII. Nempe ex veterum uſu, quibus exeuntia in *or* communia erant: ut pleniùs dictum in Animadverſionibus Grammaticis. Caſſium auſpicatum fuiſſe ab rebus Italis, quæ urbis natalem antecedunt: hinc, quæ ſub regibus contigerunt, exaráſſe: atque inde perduxiſſe hiſtoriam uſque ad ſua tempora: ſatis ex iis cognoſcimus, quæ ex illo adducunt, Plinius non uno loco, Gellius lib. XVII cap. XXI, auctor de origine gentis Romanæ, Servius cùm alibi, tum in VII Æn. ubi ex eo Cruſtumerii originem tradit: & in XII. ubi loquitur de Tarquinio Superbo, cruci affigente eorum corpora, qui, ne cloacas facere cogerentur, ſuſpendio ſe necâſſent. Adhæc Macrobius, Nonius, alii, ex quibus Diomedes in primo citat Caſſii Heminæ hiſtoriarum lib. II. Nec aliud ab annalibus opus intelligi, planè habeo perſuaſum.

Q. Fabius Maximus Servilianus pontifex maximus, tum Annales ſcripſit, ex quibus locum adducit Servius ad primum Æn. tum libros pontificii juris, ex quorum duodecimo locum adfert Macrobius lib. I. Saturn. cap. XVI. Eſt hic idem ille, qui cum L. Metello Conſul fuit anno V. C. DCXI; ac res in Hiſpania proſperè geſſit adverſus Viriatum. Meminere ejus Livius, Florus, Oroſius, & è Græcis Appianus: quamquam hic Æmilianum pro Serviliano vocare videtur. Corradus eum confundit cum Ser. Fabio. Sed, ut cap. III dicebamus, is eſt Ser. Fabius Pictor. Scio Nicolaum Ciſnerum I. C. præfatione in alteram partem operum Franciſci Duareni, putare, locum Ciceronis eſſe corruptum, proque *Servio*, *Quinctum* reponi debere: nempe quia Servii prænomen inſolens ſit in gente Fabia: ut etiam Corradus annotavit. Sed longè nimis abeunt literarum ductus. Gruterus obſervat in Palatinis codd. pro *Servius* eſſe *ſervis*; in Cujacii cod. erat *Serius*; unde Janus Guilielmius colligebat, *Sextus* legi debere. Quod ſanè veriſimilius, quàm illud *Quinctus*. Sed nihil temerè mutandum. Præſertim cùm pauci ex Pictorum familia noti ſint, ut, quod de inſolenti eo prænomine ajunt, planè infirmum videatur.

C. Fannius, M. F. M. N. quæſtor fuit Cn. Calpurnio Piſone, & M. Popillio Lænate coſſ. anno poſt V. C. IƆCXIV; atque ad præturam etiam pervenit, quam geſſit biennio pòſt. Sub Scipione Æmiliano militavit in Africa; ſub Fabio Maximo Serviliano, in Hiſpania: ut autores ſunt Plutarchus in Gracchis, & Appianus in Ibericis. Diverſus eſt à C. Fannio Strabone, eo, qui ab eloquentia celebratur Velleio Paterculo, lib. II; quique conſul erat cum Cn. Domitio Ahenobarbo anno V. C. IƆCXXXI. Nam iſte C. Fannius, non Marci, ſed Caii filius fuit. Erant autem patrueles. Marci filius gener fuit C. Lælii Sapientis; ſed erga eum iniquior erat, ob prælatum ſibi in auguratus petitione Q. Mucium Scævolam augurem. Scripſit hiſtoriam, quâ nomen ſibi imprimis peperit. Dicendi tamen genere durior erat patruele ſuo. Utriuſque C. Fannii meminit Tullius in Bruto: *Horum ætatibus adjuncti duo C. Fannii, Caji, Marcique, filii fuerunt: quorum Caji filius, qui conſul cum Domitio fuit, unam orationem de ſociis, & nomine Latino, contra Gracchum reliquit: ſanè & bonam, & nobilem.* Et poſt aliqua: *Alter autem C. Fannius M. F. C. Lælii gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior. is ſoceri inſtituto, (quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præſertim cùm ille Q. Scævolam ſibi, minorem natu generum, prætuliſſet: cui tamen Lælius ſe excuſans, non genero minori dixit ſe illud, ſed majori filiæ detuliſſe:) is tamen inſtituto Lælii Panætium audiverat. Ejus omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius non ineleganter ſcripta perſpici poteſt: quæ neque nimis eſt infans, neque perfectè diſerta.* Ejus annalium meminit quoque Cicero in primo de Legibus, & lib. II de Orat. Ubi ait, *In hoc genere Fannius in annalibus ſuis Africanum hunc Æmilianum dicit fuiſſe: etenim Græco verbo appellat* εἴρωνα. Item ad Atticum lib. XII. epiſt. V. ubi & in-

& indicat, à Bruto fuiſſe in compendium redactos. Vocat autem ibi *Bruti epitomen Fannianorum.* Non audiendus igitur doctiſſimus Manutius, cùm in commentariis ſuis exponit, *epitomen rerum à Fanniis geſtarum, vel, quæ in Fannia gente memoriâ digna acciderunt.* Utcunque verò exilis foret Fannii ſtylus: magna tamen illa ejus laus erat, quòd Salluſtius in primo hiſtoriarum, cùm de hiſtoricis judicium ferret, Catoni quidem brevitatem tribuit; Fannio autem veritatem: ut auctor eſt Marius Victorinus in primum Ciceronis de Inventione, capite eo, quo de Narratione tractat: *Hiſtoria*, inquit, *& brevis eſſe debet in expoſitione, & aperta, & probabilis. Ut Salluſtius ſibi omnia in Catilina tribuit, Quàm veriſſimè potero, paucis abſolvam: cùm alius hiſtoriographus ſingula tradidiſſet in libro primo hiſtoriarum: Catonis brevitatem, Romani generis diſertiſſimus paucis abſolvit: Fannio verò veritatem.* Ex primo C. Fannii Annalium lib. illuſtrem locum Priſcianus lib. XIII, atque idem lib. VIII refert, ut idem ſcriptor συνθετικῶς dixerit, *Hac adipiſcuntur*, nempe pro ἐπιτυγχάνονται. At Soſipater lib. I. quædam adducit ex Fannii Annalium lib. VIII.

Floruit iiſdem temporibus L. Accius, ſive, ut alii vocare malunt, Attius. Natus autem eſt (teſte Hieronymo in Chronico Euſebiano) A. Hoſtilio Mancino, & A. Atilio Serrano coſſ. hoc eſt anno Urbis IↃLXXXIV. Ac iiſdem ædilibus, ipſe ſcripſit, ſe fabulam egiſſe, quibus Paccuvius, cùm hic LXXX, ipſe XXX annorum foret: ut Cicero in Bruto teſtatur. Fuerit is annus Urbis IↃCXIV; quo in Hiſpaniis cœpit bellum Numantinum. Quas fabulas docuerit, non eſt hujus loci exponere. Nec enim hìc ejus meminimus propter fabulas, quas populo dedit: ſed propter annales, quos carmine confecit. Laudat eos Macrobius Saturnalium lib. I cap. VII; atque ex iis hos verſus refert:

*Maxima pars Grajûm Saturno, & maximè Athenæ*
*Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis;*
*Eumque diem celebrant: per agros urbeſque ferè omnes*
*Exercent epulis læti: famuloſque procurant*
*Quiſque ſuos: noſtrique itidem: & mos traditus illinc*
*Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.*

Verſu tertio in pleriſque libris pro *eumque* eſt *cumque*: & verſu ultimo interſerunt *tum* ante *epulentur*: prout & Rob. Steph. edidit in fragmentis poëtarum. Sed in *eumque* συνίζησις eſt: niſi malis *em*, vel *im*, ut veteres dixiſſe, alibi oſtendimus. Et hiatûs, qualis eſt verſu ultimo, multa ſunt apud veteres exempla. Eoſdem annales celebrat Priſcianus lib. VI: ubi, ut oſtendat veteres etiam in recto *oſſum*, & *oſſu*, dixiſſe, adfert illud ex Accii Annalibus:

*Fraxinus fiſſa ferox infenſa infinditur oſſis.*

Et eopſe libro, ut comprobet, *alvus* quoque virili genere inveniri, ex iiſdem annalibus adfert:

— *Ut quàm fragiliſſimus alvus.*

Cui ſimile, quod in primo Accii Annalium legi, idem dixerat lib. V:

*Maja nemus retinens gravido concepit in alvo.*

Imò Feſtus in *Metelli*, ut doceat ita vocari mercenarios milites, adfert hoc ex Accii Annal. XXVII:

*Calones, famulique, metellique, famulique.*

Ubi in ſexto pede enclitica ob cæſuram eſt porrecta: ut in illo, *Lappaque, tribulique*: etſi hic & altera ratio ſit, ob duas conſonas ſequentes. Multi, eoſque inter Glandorpius in Onomaſtico Romano, de Accii annalibus capiunt verba Ciceronis in primo de Leg. ſed hanc ſententiam inferiùs refellemus cap. X. Doctiſſimus vir, Sebaſtianus Corradus, Annales quoque intelligit in iſtoc Ciceronis in Bruto: *Accius iiſdem ædilibus ait ſe, & Paccuvium, docuiſſe fabulam. Nam*, inquit Corradus, *docuit fabulam, ut poëta: ſed ſe docuiſſe ſcribit, ut hiſtoricus. In fabulis enim nuſquam dicere poſſit, ſe docuiſſe: cùm poëtæ nuſquam in fabulis loquantur.* Sed quod inde colligit, annales ſcripſiſſe, valde infirmum eſt. Etſi enim verum eſt, quod poëtas ait nuſquam in fabulis loqui: non hoc tamen prohibet, quo minùs poëta aliquid de ſeſe in prologo dicat. Verùm leviculum iſtoc mittamus. Illud majoris momenti videtur, quòd Accium cenſet, iſtoc, quòd à Cicerone refertur, in Annalibus ſcripſiſſe. Nam omnino eſt illud è Didaſcalicis Attii: quorum toties meminere veteres. Eo enim opere tractabat de poëtis, qui διδάσκειν [a] dicuntur, cùm fabulam populo dant ſpectandam. Unde διδασκαλία, fabulæ actio. Διδασκαλικοὶ libri, quibus de poëtis, eorumque fabulis, tractabatur. Sanè hoc argumentum, non aliorum modò, qui διδασκαλίας ſcripſere: ſed etiam Attii fuiſſe, indicio ſunt hæc ipſius Attii verba lib. IX, à Chariſio adducta lib. I: *Quàm varia ſint genera poëmatorum, Bæbi, quamque longè diſtincta ab aliis, noſce.* Item quæ eo ex Attii opere, de Homeri & Heſiodi ætate refert Gellius lib. III cap. XI. & locus de Euripide, quem Nonius adfert in *Temerius.*

[a] Docent.

## Cap. VIII.

*C. Sempronii Tuditani ætas, progener, commentarii, ſtylus. L. Cælii Antipatri ætas variis argumentis comprobatur. Quod argumentum tractârit, & cujuſmodi dictione uſus ſit, & de epitome ejus à Bruto factâ. Pauli Manutii lapſus. Quanti Antipatrum fecerit Cæſar Adrianus. Cælium, & Cæcilium, hiſtoricos, perperàm à nonnullis confundi.* Sempronii Aſellonis *ætas, ac librorum multitudo. Conjectura ſuper Servii loco. Sempronius ab Annio divulgatus rejicitur. Ciceronis locus emendatur.* Sex. & Cn. Gellii. *Gellius correctus.* Clodius Licinius.

PRoximum his C. Sempronius Tuditanus, modò hiſtoriam ſcripſerit, depoſcit locum. Fuit enim conſul cum M. Aquilio, anno Urbis IↃCXXIV, quo Scipio Æmilianus, ſol alter, ſcelere ſuorum fuit exſtinctus. Filia ejus Sempronia ſocrus erat P. Clodii: ut teſtatur Aſconius in Milonianam; ubi eam, & Fulviam, Clodii uxorem, ultimas adverſus Milonem ait teſtimonium dixiſſe. Reliquit Sempronius Tuditanus commentariorum libros: quorum decimumtertium citat Plinius lib. XIII cap. XIII; & Gellius lib. XIII cap. XIV. Idem Gellius ex iis quædam refert lib. VI. cap. IV: ut Aſconius in oratione pro Cornelio, & Macrobius lib. I cap. XIII, & XVI: quorum priori loco tertium citat magiſtratuum librum. Quæcumque verò ex iis veteres laudant, ea ferè univerſa ad res geſtas pertinent: ut commentarii ejus, maximam ſaltem partem, hiſtorici fuiſſe videantur. De ſtylo ejus ita Cicero in Bruto: *Cujuſque Tuditanus, cùm omni vitâ, atque victu, excultus, tum ejus elegans eſt habitum etiam orationis genus.* Unde Tuditani cognomen ſit Ateio Philologo, docet Feſtus in *Tudites.*

Circa hæc tempora florere etiam cœpit L. Cælius Antipater; quippe *Fannio ætate conjunctus*, ut Cicero primo de Legibus ait: Siſennâ autem antiquior, ut diſertim Vellejus Paterculus ſcribit lib. II. Sed imprimis de ætate ejus illuſtris eſt locus Valerii Maximi, lib. I cap. VII: unde Gracchorum temporibus vixiſſe, ipſius Cælii teſtimonio comprobatur. Nam, cùm retuliſſet Valerius, ut C. Graccho in ſomno ſe obtuliſſet effigies Tiberii fratris, atque ei dixiſſet, nullâ ratione fatum illud vitare poſſe, quo ipſe, è Capitolio pulſus, occidiſſet: verba hæc ſubjungit: *Cælius, certus Romanæ hiſtoriæ auctor, ſermonem de eâ re ad ſuas aures, illo adhuc vivo, perveniſſe ſcribit.* Etiam ætatem ejus inde cognoſcimus, quòd L. Craſſi magiſter fuit, ut eſt apud Ciceronem in Bruto. Quòdque hiſtoriam ſuam ſcripſit ad L. Ælium Stilonem, Varronis magiſtrum. Cui & Lucillius ſatiras miſit, ut indicat verſus iſte apud Cornificium in IV ad Herenn.

*Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Æli.* Quodque pares, aut ſuppares, fuere Rutilius, & alii, quos Pomponius recenſet, his verbis, Tit. de origine Juris: *Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus, qui Romæ conſul, & Aſiæ proconſul fuit, Paullus Virginius, &*

Q. Tu-

*Q. Tubero ille Stoicus, Panetii auditor, qui & ipſe conſul. Etiam Sex. Pompejus, Cnei Pompeji patruus, fuit eodem tempore; & Cælius Antipater, qui hiſtorias conſcripſit: ſed plus eloquentiæ, quàm ſcientiæ juris, operam dedit.* Scripſit hiſtoriam belli Punici, ut ait Tullius in Oratore. De bello ſanè Annibalico egiſſe, ſatis ex fragmentis liquet. De dictione ejus variis in locis Tullius loquitur. Ut in Bruto: *L. Cælius Antipater, ſcriptor, quemadmodum videtis, fuit, ut temporibus illis, luculentus.* Idem in ſecundo de Oratore: *Paullum ſe erexit, & addidit hiſtoriæ majorem ſonum, vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater: cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt.* Et continuò pòſt: *Eſt*, inquit, *Catulus, ut dicis: ſed iſte ipſe Cælius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum; neque verborum collocatione, & tractu orationis leni, & æquabili perpolivit illud opus: ſed, ut homo, neque doctus, neque maximè aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, ſuperiores.* Item in Oratore: *Sed magnam exercitationem res flagitat, nequid eorum, qui genus hoc ſecuti, non tenuerunt, ſimile faciamus: ne aut verba trajiciamus apertè, quò meliùs, aut cadat, aut volvatur oratio: quod ſe L. Cælius Antipater, in proœmio belli Punici, niſi neceſſariò, facturum negat. O virum ſimplicem, qui nos nihil celat! ſapientem, qui ſerviendum neceſſitati putet! Sed hic omnino rudis.* Item lib. I. de Legg. *Fannii ætate conjunctus Antipater paullò inflavit vehementius, habuitque vires, agreſtes ille quidem, atque horridas, ſine nitore, ac palæſtrâ; ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratiùs ſcriberent.* Ex Cælio hoc Antipatro quædam refert Cicero lib. I. de Divinat. Livius lib. XXXI, XXXII, XXXVI, XXXVIII, XXXIX; item Gellius, Chariſius, Feſtus, Servius, Nonius, Priſcianus, Philargyrius; qui in ſecundum Georg. ex ſeptimo Cælii citat, *Conſuetudine uxoris, indulgitate liberûm.* Tanti autem hiſtoricum hunc fecit M. Brutus, ut in compendium redegerit. Cicero ad Atticum lib. XIII. epiſt. VIII: *Epitomen Bruti Cælianorum velim mihi mittas.* Paullus Manutius minùs aſſecutus eſt Ciceronis mentem, cùm intelligit librum de illuſtribus in Cælia familia viris. Vide eum in Cicer. lib. XII. ad Attic. epiſt. V. At Hadrianus Imperator Cælium etiam Salluſtio præferebat: nempe eodem jure, quo Ciceroni Catonem; Virgilio præpoſuit Ennium, antiqui ſermonis amator: ut de eo ſcribit Spartianus [a] in Hadriano. At cave Cælium hunc confundas cum Cecilio, itidem Romanæ hiſtoriæ ſcriptore, de quo Strabo lib. V. ait. Καὶ ὁ Κεκίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, τοῦτο τίθεται σημεῖον, τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν, Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ. *Et Cecilius, rerum Romanarum ſcriptor, eo argumento colligit, Romam à Græcis eſſe conditam, quòd Romani, Græco ritu, antiquo inſtituto, Herculi rem ſacram faciunt.* Vir eruditus, qui fragmenta veterum hiſtoricorum collegit, pro Κεκίλιος legit Κοίλιος, ac repoſuit hoc fragmentum inter ea, quæ ſunt L. Cælii Antipatri. Sed rectum eſt Καικίλιος. Intelligendus enim Καικίλιος ὁ ῥήτωρ, ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς, ὁ περὶ τῶν δουλικῶν πολέμων ἐκδεδωκώς. *Cæcilius, rhetor Calactianus, qui hiſtoriam edidit belli civilis.* Ut Athenæo vocatur in VI, & XI. Vide, quæ de eo in hiſtoricis Græcis diximus lib. II. cap. IV.

[a] *Sed corrupte ibi in pleriſque libris Cæcilium legas.*

Sempronius Aſellio quando vixerit, & quod argumentum tractârit, oſtendit Gellius lib. II. cap. XIII. Nam allaturus quædam, ex Sempronii Aſellionis quinto rerum geſtarum libro, hæc præmittit: *Is Aſellio ſub P. Scipione Africano Tribunus militum ad Numantiam fuit: reſque eas, quibus ipſe interfuit, conſcripſit.* Cœpit autem bellum Numantinum anno V. C. IↃCXIV, Q. Servilio Cæpione & C. Lælio Sapiente coſſ. Exciſa autem eſt Numantia anno IↃCXXI, P. Mucio Scævolâ & L. Calpurnio Piſone Frugi coſſ. Sed non paullò pòſt hiſtoriam demum ediſſe, arbitror: quandoquidem ſcripſit poſt Cælium Antipatrum: ut oſtendit hic Ciceronis locus in primo de Legibus: *Succeſſere huic Cælio belli, Clodius, Aſellio: nihil ad Cælium: ſed potius ad antiquorum languorem, & inſcitiam.* Dionyſius de eo honeſtè ſatis ſenſit. Nam lib. I. Antiquit. eum cum Catone Cenſorio reponit inter λογιωτάτους [a] τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων. Multos fuiſſe hiſtoriarum libros, indicat, quòd decimumquartum citat Gellius lib. XIII. cap. XX, & Chariſius lib. II. Imò eidem advocatur liber quadrageſimus rerum Romanarum. In Aſellionis fragmentis quædam emendat & illuſtrat Barthius Adverſarior. lib. XXXII. cap. II. Sed quid ſibi vult, quòd apud Servium in illud XII Æneid. *Pilataque plenis Agmina*, legas, *Aſellio hiſtoriarum tritarum*? ubi hæc ejus verba adferuntur, *Quartum ſignum accedebat, ſive pilatim, ſive paſſim, iter facere volebat.* Num Aſellio ſcripſit hiſtoriarum tritarum libros? An potius legendum hoc pacto: *Aſellio hiſtoriarum Romanarum quarto: Signum accedebat*, &c. Mihi quidem ſic videtur, licet in corruptâ lectione, & Fabricii, & P. Danielis editio, conſpirent. Extat C. Sempronii liber de diviſione Italiæ, & origine Urbis Romæ: ſed de eo idem cenſendum, quod de Beroſo, Catone, atque aliis Annii figmentis.

[a] *Romanorum hiſtoricorum diſertiſſimus.*

Antipatro qui prætereà ſucceſſerint, docet nos Cicero in primo de Legg. Nam cùm de Cælio Antipatro egiſſet, mox ſubjungit: *Ecce autem ſucceſſere huic belli, Clodius, Aſellio.* Ubi pro *belli* legendum cenſeo *Gellii*. Movet illud ejuſdem Ciceronis in primo de Divinatione: *Omnes hoc hiſtorici, Fabii, Gellii: ſed proximè Cælius.* Item hoc Dionyſii Halic. lib. I. Antiquitatum: Πόρκιός τε Κάτων, καὶ Φάβιος Μάξιμος, καὶ Οὐαλέριος Ἀντιὰς, καὶ Λικίννιος Μάκερ, Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι, καὶ Καλπούρνιοι, καὶ ἕτεροι πρὸς τούτοις συχνοὶ ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς. *Porcius Cato, & Fabius Maximus, & Valerius Antias, & Licinius Macer, & Ælii, & Gellii, & Calpurnii, atque alii multi ſcriptores non ignobiles.* Loqui autem de annalium ſcriptoribus, indicant ſequentia: ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν· εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι· ταύτῃ ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ. *Horum commentariis materiem ſuggerentibus, ſunt autem Græcorum chronographiis ſimiles, iſta ſcribere ſum aggreſſus.* Gellii verò iſti, quorum Cicero, & Dionyſius, meminere, ſunt Sextus Gellius, & Cn. Gellius.

Sextus Gellius in Origine gentis Romanæ memoratur ab Aurelio Victore, vel quiſquis auctor libelli de iſtoc à Schotto editi argumento. Refertur autem inter eos, qui Livio fuere priores.

Cn. Gellius memoratur Gellio lib. XIII. cap. XXI: ubi ejus citat annalem tertium. Item mentionem fecit in octavi libri cap. XIII, ut ex reſiduo liquet argumento. Imò libri XVIII. cap. XII, ubi in MSSis, & Stephanicâ editione, *Cn. Vellius in annalibus*, legitur, omnino *Cn. Gellius* reſcribendum videtur: ut Glandorpius putabat. Etiam Cneum nominat Cenſorinus cap. XVII. At parùm liquet, utrùm apud Nonium in *Bubo*, ubi vulgò legitur, *Agellius hiſtoriarum libro primo*; corrigi debeat *Aſellio*, quod Antonio Auguſtino placuit: an potiùs *Cn.* vel *Sextus Gellius*. Similiter cenſendum de Vopiſci loco in vita Probi. Nam ubi in vulgatis *Gellius*, ibi in MSo regio, inque uno Puteani, eſt *Agellius*. Item è Græcis mentionem Cn. Gellii facit Dionyſius lib. II; ubi Γναῖος Γέλλιος dicitur tradidiſſe, Sabinarum raptum quarto Romuli anno contigiſſe. Et eopſe libro extremo ex eodem narrat, à Numa unicam eſſe relictam filiam, ex qua poſtmodo natus ſit Ancus Martius. Sæpius autem ἁπλῶς Gellii meminit, præterito prænomine. Ut lib. II: ubi ex eo tradit, cùm Numa Fecialium collegium inſtitueret, exemplum eſſe mutuatum ab Ardeatibus. Et lib. III; cùm ex eodem docet, Tarquinium Priſcum primo Anci Martii anno Romam veniſſe. Et libro VI, ubi eum reprehendit, quòd inconſideratè ſcripſerit, Tarquinium in ultimo cum Romanis prælio jam nonagenarium ex equo pugnâſſe. Et initio ſeptimi, ubi eum culpat, quòd non ſatis habeat temporis rationem. Etiam prænomen omittunt Plinius lib. VII. Nat. Hiſtor. cap. LVI, Macrobius lib. I. Saturn. cap. XVI, Chariſius plurimis in locis. Fuiſſe autem grande opus, indicat, quòd Priſcianus in VII citat librum Gellii XXX, vel

potiùs

potiùs xxxiii: inde enim verba à Priſciano adducta citat Chariſius in primo. Imò idem Chariſius nonageſimum ſeptimum Gellii citat, modò locus mendâ vacat. Apud Gellium lib. xiv. cap. ii. mentio fit orationis, quam Cato pro *L. Turio contra Cn. Gellium dixit.* Puto ſignari hiſtoricum, de quo egimus.

Gelliis, uti vidimus, ſubjungit Tullius Clodium. Unde Clodii Licinii ætatem diſcimus. Niſi Cicero potiùs ſignat Claudium Quadrigarium. Uterque enim hiſtoriam ſcripſit. De Clodio Licinio auctor nobis Livius lib. xxix: *Hunc Pleminium Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanarum refert ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum conſul faciebat, conatum per quoſdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris, fugiendique haberet occaſionem: patefacto dein ſcelere, delegatum in Tullianum ex S.C.* Suſpicor, eundem ſignari a Nonio Marcello in *Patibulum*, ubi legas, *Licinius Rerum Romanarum lib. xxi: Deligat ad patibulos*, &c. Nam ſi Licinium Macrum intelligeret, puto potiùs *Annalium libros* advocâſſet. E quarto Clodii commentariorum quædam adducit Servius in illud i Æn. *Rapuitque in fomite flammam.* Videndum, idemne, an alius, is Clodius ſit. Uti & cùm ἀπλῶς quædam è Clodii commentariis adfert in illud i Æn. *Loca fœta furentibus auſtris.* Item, idemne ſit, qui indicem temporum ſcripſit; inque eo retulit, vetuſta Romanorum acta periiſſe, Urbe à Gallis Senonibus incensâ; ea autem, quæ vulgò haberentur, conficta eſſe in eorum gratiam, qui videri vellent nobili, & antiquâ, ſtirpe nati. Auctor Plutarchus in Numa, ubi vocatur Κλώδιός τις *a* ἐν ἐλέγχῳ χρόνων. Sed fortaſſe is potiùs fuerit Sextus Clodius, qui de Diis Græcè ſcripſit; ut ex Arnobio, Lactantioque, oſtendimus lib. iv. de Hiſtor. Græcis. Etiam P. Clodius à Saresberienſe citatur lib. viii. cap. xiii, & xiv. Sed adfert verſiculum P. Syri Mimi: ut pro *Clodius* omnino *P. Syrus* reponendum videatur.

*a Clodius quidam in temporum indice.*

## Cap. IX.

*Junius Gracchanus. Unde Gracchanus dictus. M. Æmilii Scauri libri de vita ſua à Cicerone valde commendati. P. Rutilii Rufi hiſtoria, & exilium. Q. Lutatii Catuli triumphus, mors, hiſtoria, verſus laſcivi. Hiſtoriam, quam de rebus à ſe geſtis ſcripſit Sylla; Epicadus, libertus ejus, perfecit; Lucullus autem recenſuiſſe videtur. Epicadi de metris, item de cognominibus, liber. L. Octacilius Pilutus primus libertorum ad hiſtoriam ſcribendam animum adjecit. Manilius ſenator, multarum literarum vir. Proſper ſuppoſititius de rebus Hetruſcis.*

JUnius Gracchanus æqualis fuit C. Gracchi, tribuni plebis, à quo & nomen accepit. Turbas is Gracchus in Republ. dedit anno Iɔcxxx: ab Opimio autem interfectus fuit anno Iɔcxxxiii. De ætate quod dixi, & ſimul hiſtorica quædam conſignâſſe, cognoſcere eſt ex iſtis Plinii verbis lib. xxxiii. cap. ii: *Quin etiam ipſum equitum nomen ſæpe variatum eſt; in his quoque, qui ab equitatu trahebantur. Celeres ſub Romulo Regibuſque appellati ſunt, deinde Flexumines, poſtea Troſſuli, cùm oppidum in Tuſcis citra Volſinios paſſuum novem millia, ſine ullo peditum adjumento, cepiſſent ejus vocabuli. Idque duravit ultra C. Gracchum. Junius certè, qui ab amicitiâ ejus Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit, his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea Troſſulos vocabant, nunc equites vocant: ideo, qui non intelligunt, Troſſulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari. Et cauſſam, quæ ſuprà indicata eſt, exponit: invitoſque etiamnum Troſſulos vocari.* Junius hic Gracchanus à Cenſorino cap. xx. inter eos refertur, qui tradidere, annum ab initio x menſium fuiſſe, uti Albanis erat; poſtea autem à Tarquinio menſium xii factum eſſe. Vide &, quæ de eâ re ex eodem refert cap. xxii. Nec alium ſignat Macrobius lib. i. Sat. cap. xiii, cùm ait: *Junius Servium Tullium regem primum intercalâſſe commemorat.*

Anno Urbis Iɔcxxxix conſul cum M. Cæcilio Metello fuit M. Æmilius M. F. M. N. Scaurus. Is, à quo nomen accepit via Æmilia, ut Strabo auctor eſt lib. v. Mores ejus Salluſtius deſcribit in Jugurtha. Vide & de eo Valerium Maximum non uno in loco: & Sextum Aurelium Victorem, ſive quiſquis ſcriptor ille de viris illuſtribus, qui Cornelius Nepos eò credi ſolet, quia Nepotis nobis ἐπιτομὴν dedit. Hominem fuiſſe ſapientem, & rectum gravitate multâ, & naturali quadam autoritate pollentem; Tullius eſt auctor in Bruto, ubi & hiſtoriam de vitâ ſuâ ſcripſiſſe ait ad L. Fufidium, quicum arcta ei amicitia erat. Verba ſunt Ciceronis: *Hujus & orationes ſunt, & tres ad L. Fufidium libri ſcripti de vitâ ipſius actâ: ſanè utiles, quos nemo legit. At Cyri vitam, & diſciplinam, legunt; præclaram illam quidem; ſed neque tam rebus noſtris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.* Meminit & Valerius Max. lib. iv. cap. iv: *M. Scaurus quantulam à patre hereditatem acceperit in primo libro eorum, quos de vita ſua ſcripſit, refert.* Plinius lib. xxxiv: *L. Fufidium, illum, ad quem Scaurus de vita ſua ſcripſit.* Tacitus initio libri de vita Agricolæ: *Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam, arbitrati ſunt. Nec id Rutilio, & Scauro, citra fidem, aut obtrectationi, fuit.* Item Servius in xii Æn. ad illud

*—— Pilataque plenis*
*Agmina ſe fundunt portis ——*

Ubi ex Scauro de vita ſua hæc verba refert: *In agrum hoſtium veni, pilatim exercitum duxi.* Ac *pilatim* interpretatur Servius, *ſtrictè & denſe.* Ex tertio Scauri de vita ſua adducit Diomedes lib. i. *Prælio non ſiris fieri.* Item, *Sagittis confictus*, pro *confixus*: item *poteratur*, pro *poterat*, quomodo Ennius dixit *poteſtur*, pro *poteſt*. Chariſius lib. i. adfert ex tertio Scauri libro (non dubito, quin idem opus ſignet) *Veſtigalium ſe minus fructos.* Nec ambigo, quin hoc opus intelligat Jul. Frontinus lib. iv. Strategematum cap. iii, ubi ſic ſcribit: *Univerſi quoque exercitûs notabilis ſæpe fuit continentia: ſicuti ejus, qui ſub M. Scauro meruit. Namque memoriæ tradidit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.*

Ejuſdem orationem contra Brutum de pecuniis repetundis, & actionem ſecundam contra Q. Cæpionem, citat idem Chariſius lib. i, & ii.

Anno Urbis Iɔcxlix conſul cum Cn. Mallio erat P. Rutilius Rufus: qui tum de vita ſua, tum Numantini belli hiſtoriam, ſcripſit. Prioris operis meminit Tacitus initio libri de vita Agricolæ; ubi (ut paullò antè etiam, de Scauro loquentes, dicebamus) ſic ait: *Plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam, arbitrati ſunt. Nec id Rutilio, & Scauro, citra fidem, aut obtrectationi, fuit.* De altero opere ita Athenæus ſub finem ſexti: Καὶ Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς: *Rutilius Rufus, qui patriam hiſtoriam ſcripſit.* Sed hiſtoriam rerum Romanarum Græcè ſignavit, ut ait idem Athenæus in iv. At vitam ſuam Latinè prodidit. Aliter ſi eſſet, non hujus operis laudarent auctorem Soſipater, & Diomedes, imò & Iſidorus lib. xx. Originum. Sed apud eum, ut rectè Juſto Lipſio *a* obſervatum, corruptè legas *Statilius* pro *Rutilius*. Sic enim eſt in vulgatis: *Lectica ſive plures lecti: de quibus Statilius Rufus de vita ſua: Primùm, inquit, conſuetudine imperatorum ipſe pro lectis lecticis utebatur.* Vir hic ſummus in jure P. Scævolam, & M. Manilium, audivit: in philoſophia Panætium. Exemplum innocentiæ fuit; neque in Urbe alter eo ſanctior, vel integrior erat, ut Cicero dicit. De eodem ſic gentilis ille apud Minutium in Octavio: *Quod ſi mundus divinâ providentiâ, & alicujus numinis auctoritate, regeretur: nunquam mereretur Phalaris, & Dionyſius regnum; nunquam Rutilius, & Camillus exilium; nunquam Socrates venenum.* Exulavit Smyrnæ:

*a Notis in vitam Agricolæ.*

næ: quò eum quoque Aurelius Opilius, dimiſsâ ſcholâ, ſecutus fuit: cumque Rutilio ibi conſenuit, teſte Suetonio de illuſtribus grammaticis. Laudant quoque Rutilium Livius lib. LXX, Valerius Maximus lib. II cap. V, & lib. VI. cap. IV, Vellejus lib. II, Plutarchus in Mario, Agellius lib. VII cap. XIV. Plura de eo diximus in Hiſtoricis Græcis. At fallitur Glandorpius, cùm hiſtoriam vitæ Rutilianæ ſcriptam opinatur, non ab hoc P. Rutilio M. filio Rufo: ſed à P. Rutilio P. F. P. N. Rufo, qui cum P. Popillio conſul fuit anno IↃCXXII. Quid enim ille memorabile adeò, ut ejus vitam ſeorſum tradi attineret. Vide de eo Cic. Tuſc. IV, Val. Max. lib. II cap. II, & lib. VI cap. X. Plin. lib. VII cap. XXXVI.

Rutilio quoque, ac Tuberoni, par fuit Q. Lutatius Catulus, qui Plutarcho Κάτλος Λυτάτιος. Hic bis repulſus, priuſquam ad conſulatum perveniret, geſſit eum honorem cum C. Mario IV conſule, anno poſt Romam conditam IↃCLI. Anno autem ſequenti, C. Mario V conſule, Cimbris validè per Alpes in Italiam irrumpentibus, caſtra deſerere eſt coactus, magnaque Romæ trepidatio erat: ſed Marius, adverſus eos miſſus, caſtra cùm ſuâ caſtris Catuli junxiſſet, adortus eſt Cimbros ingenti prælio, quo cæſa dicuntur CXL hoſtium millia, XL capta. Cimbricæ hujus victoriæ gloriam cum Catulo Marius communicavit: idque propterea, quia in ſuum uſque adventum impediiſſet, quò minùs Cimbri interiora Italiæ peterent: Catulus verò, peracto triumpho, exſtrui curavit ædem in prælio votam Fortunæ ejus diei, quo feliciter cum Cimbris pugnatum erat. Sed bello civili poſtea iratus Catulo Marius fuit: Catulus, cùm ad mortem quæreretur, ſeſe concluſit loco recens calce arenâque illito, inque eum cùm ignem intuliſſet, exitialem hauriens odorem, obiit; ut Plutarchus teſtatur: qui & ignem hauſiſſe addit; ut etiam Florus lib. III cap. I. De hujus Catuli hiſtorico opere, & ejus ſtylo, ita Cicero ſcribit in Bruto: *Jam Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus: multa litera; ſumma non vita ſolùm, atque natura, ſed orationis etiam, comitas; incorrupta quadam Latini ſermonis integritas; quæ perſpici, cùm ex orationibus ejus poteſt; tum facillimè ex eo libro, quem de conſulatu, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum molli, & Xenophonteio genere ſermonis, miſit ad A. Furium poëtam, familiarem ſuum.* Plura ibidem de Catulo vide. Quod autem A. Furio poëtæ, ut Cicero hîc ait, familiaris fuerit, nihil mirum: quando & ipſe poëta erat elegans. Sed verſus ejus magis venuſtatem ingenii, quàm morum gravitatem, arguebant: ut Ovidius, & junior Plinius, perhibent: & argumento huic rei etiam ſunt epigrammata bina, unum in Roſcium puerum, quod eſt apud Ciceronem primo de natura Deorum: alterum de Theotimo puero, quod Gellius refert in Noctibus Atticis.

L. Cornelius Sylla reliquit libros rerum geſtarum: quorum ex ſecundo aliquid adfert Gellius lib. I cap. XII; & lib. XX cap. VI; ex vigeſimo primo autem Priſcianus lib. IX. Is in libris de rebus ſuis egit; Plutarcho teſte in vita Syllæ. Nec abſolvere potuit, morte præventus. Sed quod non quivit Sylla, id fecit libertus ejus Epicadus. Suetonius in illuſtribus grammaticis: *Cornelius Epicadus, Lucii Cornelii Syllæ Dictatoris libertus, calatorque ſacerdotio augurali, filioque ejus Fauſto, gratiſſimus fuit: quare nunquam non utriuſque ſe libertum edidit. Librum autem, quem Sylla noviſſimum de rebus ſuis imperfectum reliquerat, ipſe ſupplevit.* Apud Plutarchum [a] ſemel iterumque lego, Syllam commentarios ſuos dicâſſe Lucullo, idque conditione eâ, ut is digereret, poliretque. Sed Epicadus, credo, fecit, quod potuit: hinc Lucullo obtulit, ut ſupremam is manum adderet. In iis Syllæ commentariis, ut idem Plutarchus monet, præceptum erat, *μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι, καὶ βέβαιον, ὡς ὅ, τι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων. Nequid tam fidele duceret, & firmum, ac illud, quod ei in ſomnis eſſet ſignificatum.* Scripſit & Epicadus de metris. Maximus Victorinus libello de carmine heroico; *Quippe Cornelius Epicadus in eo libro, quem de metris ſcripſit, Hexameter, inquit, verſus.* Idem, puto, eſt, qui ſcripſit de cognominibus. Chariſius lib. II: *Sibyllam Epicadus de cognominibus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primùm ſacrum fecit, deinde Syllam.* Item, de quo Macrobius in primo Saturnalium cap. XI, cùm ait: *Epicadus refert, Herculem, occiſo Geryone, cùm victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte, qui nunc ſublicius dicitur, ad tempus inſtructo, hominum ſimulacra pro numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluvium demiſiſſe: ut aquâ ſecundâ in mare devectâ pro corporibus defunctorum veluti patriis ſedibus redderentur, & inde uſum talia ſimulacra fingendi inter ſacra manſiſſe.*

a In Lucullo.

L. Otacilius Pilitus, ſive, ut in veteri eſt editione Mediolanenſi, *Octacilius Pilutus*, Marii Syllæque temporibus floruit. De hoc ita Tranquillus in grammaticis illuſtribus: *Lucius Otacilius Pilitus ſerviſſe dicitur, atque etiam oſtiarius, veteri more, in catena fuiſſe: donec ob ingenium, ac ſtudium literarum, manumiſſus, accuſanti patrono ſubſcripſit. Deinde Rhetoricam profeſſus, Cn. Pompeium Magnum docuit: patris ejus res geſtas, nec minus ipſius, compluribus libris expoſuit: primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, ſcribere hiſtoriam orſus, non niſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam.* Auctoris hujus nomen in Chronico Hieronymi corruptiſſimè exaratum eſt. Vocatur enim *Vultacilius Plotus*. Sed non dubium, quin *Vultacilius* ſit factum ex *L. Otacilius*. Ita enim malim, quàm cum Achille Statio *Octacilius* propter tot alios ex gente Otacilia. Notum & illud Martialis, lib. XII.

*—— cucumam fecit Otacilius.*

At num apud Euſebium pro Ploto *Pilutus*, aut *Piletus*: an potiùs apud Suetonium ex Euſebio *Plotus* reſtitui debeat, haut facilè dixerim.

Manilius hiſtoriæ, ac literaturæ, omnis indagator, floruit temporibus Marii, & Syllæ. Teſtem laudat Cicero orat. pro Q. Roſcio, quam habuit adoleſcens. Vocat autem T. Manilium; atque ordine Senatorem; ætate, grandem natu; naturâ, ſanctum & religioſum; copiis rei familiaris, locupletem & pecunioſum. Illuſtris ejus cum elogio locus eſt apud Plinium lib. X. Hiſt. Nat. cap. II: ubi de Phœnice ſic ſcribit: *Primus, atque diligentiſſimus togatorum; de eo prodidit Manilius, ſenator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo, neminem exſtitiſſe, qui viderit veſcentem; ſacrum in Arabia Soli eſſe, vivere annis* DCLX. *Seneſcentem caſiâ, thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori. Ex oſſibus deinde, & medullis ejus, naſci primò, ceu vermiculum: inde fieri pullum, principioque juſta funeri priori reddere & totum deferre nidum prope Panchajam in Solis urbem, & in ara ibi deponere. Cum hujus alitis vitâ magni converſionem anni fieri prodit idem Manilius; iterumque ſignificationes tempeſtatum, & ſiderum, eaſdem reverti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis ſol intraverit. Et fuiſſe ejus converſionis annum, prodente ſe, P. Licinio, M. Cornelio, conſulibus.* Ubi, pro *M. Cornelio*, ſcribendum *Cn. Cornelio*, ut in Chifletiano codice MSo legi, auctor eſt Dalecampius. Signat Plinius annum Urbis IↃCLVII, quo conſules fuere P. Licinius Craſſus, & Cn. Cornelius Lentulus. Eundem Manilium intelligo apud Varronem lib. IV de L. L. *Europa* (dicta) *ab Europa Agenoris filia, quam ex Phœnicia Manilius ſcribit taurum exportâſſe: quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit.* Et lib. VI: *Titanis dicta, quòd eam genuit Titanis filia, Latona*, ut ſcribit Manilius. Et eopſe libro hoc epigramma Manilii legas:

*Caſcum duxiſſe caſcam non mirabile eſt,*
*Quoniam canoras conficiebant nuptias.*

Sive, ut Scaliger mavult,

*Quoniam Caron eas ſanciebat nuptias.*

Ut *Caron* ſit *Charon*. Apud Arnobium quoque lib. III legitur: *Manilius* (Novenſiles putat) *deos novem, quibus*

*bus ſolis Jupiter poteſtatem jaciendi ſui permiſerit fulminis.* Et mox: *Manilius alieni fulminis jaculatores ſub iſtius vocaminis appellatione concludit.*

Proſper, Hetruſcarum Antiquitatum ſcriptor, vixerit temporibus Syllanis, ac Tullianis, ſi credimus fragmentis ex eo opere Scornelli prope Vulterram à Curtio Ingiramio inventis, ac Florentiæ nuper elegantiſſime editis. Sed omnino fragmenta illius pſeudo-Proſperi ſunt commentitia ad majorem gloriam laudatiſſimæ Hetruſcorum genti, ac præcipue Volaterranis conciliandam. Id ſatis oſtendunt, ſermo non ſat Latinus, Græcæ linguæ inſcitia, *αὐτογράφου* ipſius characteres diſpares vetuſtis temporibus: ut tot alia omittam argumenta, quæ ſuppoſiticium eſſe hunc fœtum non dicunt, ſed clamant. Pluribus id comprobarem, niſi factum eſſet ab homine doctiſſimo in obſervationibus de opere iſthoc in hac Amſtelodamenſium urbe editis anno CIↃ IↃ CXXXIX. Fuere qui fœtum crederent Guilielmi Poſtelli. Sed verus auctor eſt Thomas Fœdrus, qui vixit anno CIↃ CCCCXC.

## Cap. X.

L. Siſenna *quando vixerit, ſcripſeritque: fuiſſe è gente Cornelia: praturam ubi geſſerit: Attico fuiſſe familiarem: minus liberè ſcripſiſſe: hiſtoria ejus quid laudi datum, & in quo dictio culparetur: vertiſſe & fabulas Mileſiacas: commentarius ejuſdem in Plautum.* Q. Claudii Quadrigarii *ætas, & rerum Romanarum annales ſive hiſtoria. Annales Aciliani à Claudio verſi. Annales* Q. Valerii Antiatis. C. Licinius Macer, *Calvi poëtæ pater, in hiſtoriâ ſuâ multa ex linteis magiſtratuum libris hauſit. Subinde ἀπλῶς Licinius vocatur. Nomen ejus apud Ciceronem corruptum. Nonius correctus. Alius ab hoc Macro hiſtorico Æ*milius Macer, *poëta.* Pompilii Andronici *annales elenchi.*

PAr quoque ſuperioribus fuit L. Siſenna: ut cognoſcere eſt ex his Velleji Paterculi verbis lib. II: *Numantino bello* (Lucilius) *eques militaverat. Quo quidem tempore juvenis adhuc Jugurtha, ac Marius, ſub eodem Africano milit antes, in iiſdem caſtris didicere, quæ poſtea in contrariis facerent. Hiſtoriarum auctor jam tum Siſenna erat juvenis: ſed opus belli civilis Syllani poſt aliquot annos ab eo ſeniore editum eſt. Vetuſtior Siſennâ fuit Cœlius; æqualis Siſennæ Rutilius, Claudiuſque Quadrigarius, & Valerius Antias.* Etiam ætatem ejus Cicero nos docet in Bruto: *Inferioris*, inquit, *ætatis erat proximus L. Siſenna, interjectus inter duas ætates, Hortenſii, & Sulpicii.* Significat, grandiorem fuiſſe Hortenſio oratore: juniorem autem P. Sulpicio Rufo, qui magna ex parte cauſſa fuit belli civilis Mariani: ut docet Cicero non uno in loco, Liviana epitome libri LXXVII, Valerius Max. lib. VI. cap. V, Paterculus lib. II, & Plutarchus in Sylla. Qua ex gente fuerit, certò ſe ſcire poſſe, negat vir doctiſſimus Seb. Corradus *a*, eò quòd Siſennæ cognomen inveniatur, tum in Gabiniis, apud Valerium Max. lib. VIII cap. I. & Dionem lib. XXXI. tum in Corneliis apud Livium lib. XXXIX: tum in Statiliis apud Vellejum lib. II. Sed hiſtoricus hic è gente Cornelia fuit. Nam Cornelium vocat Feſtus in *Serupea.* Cujuſmodi fuerit orator, docet Cicero in Bruto: ubi vocatur, *doctus vir, & ſtudiis optimis deditus, bene Latinè loquens, gnarus Reip. non ſine facetiis; ſed neque laboris multi, nec ſatis verſatus in cauſſis.* Ibidem addit, nec conſequi potuiſſe Sulpicium: & neceſſe fuiſſe, ut cederet Hortenſio. Eundem deſcribit hoc modo oratione pro Cornelio: *Non denique homo illorum, & vitâ, & prudentiâ, longè diſſimilis; ſed tamen nimis in gratificando jure liber, L. Siſenna, bonorum Cn. Cornelii poſſeſſionem ex edicto ſuo P. Scipioni, adoleſcenti ſummâ nobilitate, eximiâ virtute prædito, dediſſet.* Ad quæ Ciceronis verba ita Aſconius Pedianus: *Hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit.* Fuit & in Sicilia Prætor. Ac ſatis veriſimilis eſt conjectura Stephani Pighii, qui in tertio Annalium Romanorum, Lilybetanum fuiſſe prætorem, colligit ex Ciceronis Verrinis. Vide eum ad annum IↃCLXVI. Poſtmodum autem Achajæ prætor factus. Familiaris erat Pomponio Attico: ut Cicero teſtatur in Bruto; ubi ſic de eo loquentem Atticum inducit: *Ille familiaris meus, rectè loqui putabat eſſe inuſitatè loqui.* Unde & Sebaſtianus Corradus putabat, lib. I de legg. ubi itidem Atticus loquitur, corrigi oportere, *Siſenna amicus meus.* Quo loco in vulgatis legi ſolet, *amicus ejus.* Nempe ut ad Accium referatur: quod fieri planè nequit, cùm Siſenna Accii eſſe amicus non poſſit, quia anno IↃCXIV jam triginta annorum erat Accius, fabulaſque eo anno cum Pacuvio docebat. At Siſenna erat æqualis Syllæ, qui dictator dictus anno Urbis IↃ CLXXII. Corruit tamen hoc argumentum, ſi pro *Accium* legi debet *Macrum*: qua de re mox dicam. Quod argumentum in hiſtoriâ ſua Siſenna tractarit, ex fragmentis ſatis cognoſcitur. Nam inde ab iis orſum liquet, quæ contigere poſt Urbem à Gallis captam; deſiiſſe autem in rebus Syllæ. Sed in his non liberè ſatis ſcripſit. Quod Salluſtius teſtatur in Jugurtha: *L. Siſenna optimè, & diligentiſſimè omnium, qui eas res dixere, perſecutus, parum mihi libero ore locutus videtur.* Omnes autem hiſtoricos, qui ante ſe fuere, vicit: quæ & cauſſa eſt, cur Varro librum ſuum de hiſtoria inſcripſerit *Siſennam.* Erat tamen, quod in dictione ejus requiri poſſet. Unde Cicero in Bruto: *Siſenna omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt: quæ cùm facilè omnes vincat ſuperiores; tum indicat tamen, quantum abſit à ſummo; quamque genus hoc ſcriptionis nondum ſit Latinis literis illuſtratum.* Et in primo de Legg. *Siſenna omnes adhuc noſtros ſcriptores, niſi fortè qui nondum ediderunt, de quibus exiſtimare non poſſumus, facilè ſuperavit. Is tamen neque orator in numero veſtro unquam eſt habitus, & in hiſtoria puerile quiddam conſectatur: ut unum Clitarchum, neque quemquam præterea, de Græcis legiſſe videatur. Eum tamen velle duntaxat imitari: quem ſi aſſequi poſſet, aliquantum ab optimo tamen abeſſet.* Vertit Siſenna etiam fabulas Mileſiacas Ariſtidis: ut diximus lib. III de Hiſtoricis Græcis. Meminit Ovidius lib. II Triſtium:

> *Vertit Ariſtidem Siſenna; nec obfuit illi*
> *Hiſtoria turpes inſeruiſſe jocos.*

Pluſcula autem ex iſtis Siſennæ Mileſiacis paſſim citat Chariſius lib. II. Laudat & Servius. Meminere etiam veteres Grammatici commentarii ejus in Plautum. Sed de eo agere non eſt hujus inſtituti. Solùm dicam, nihil mirum eſſe, ſi eo in ſcriptore enucleando operam poſuerit tantus antiqui ſermonis amator: qualem eum nobis deſcribit Cicero in Bruto.

Siſennæ æquales fuere Q. Claudius Quadringarius, & Q. Valerius Antias; ut Vellejus ait, cujus verba antea vidimus. Itaque de his nunc agemus.

Quæ Q. Claudius Quadrigarius ſcripſit, trifariam video à veteribus appellari. Nunc enim Annales, nunc Hiſtoriæ, nunc Romanarum rerum libri vocantur. Multa ex iis adducit Livius, longè plura Gellius, nec pauca Macrobius, Servius, Nonius, Priſcianus. Illuſtre quoque ex duodevigeſimo annalium eſt apud Senecam fragmentum lib. III de beneficiis cap. XXIII. Nonius in *Horrea* citat Claudii orationem in Quinctium Gallum. Meminit & hujus hiſtorici Joannes Sariſberienſis lib. V cap. VII. Ambigo autem, hicne, an alius ſit Claudius ille, qui annales C. Acilii Plutarcho etiam memoratos in Romulo, Latinè tranſtulit. Livius lib. XXV. *Ad triginta ſeptem millia hoſtium cæſa, auctor eſt Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit.* Apud Appianum etiam lib. de bellis Gallicis *a* Claudii Paulli Annalium, in quibus proditum dicitur, quomodo bello Cimbrico à Tigurinis cæſus ſit Piſonis exercitus, & Claudii ſub jugum miſſus. Addit ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ. *Ut in annalibus ſuis videtur*

a Comm. in Brutum.

a P. 754. edit. H. St.

*tur Paullo Claudio.* Non puto in gente Claudia fuiſſe Paullos, ſed in Æmiliis, Juliis, Sergiis. Quare locum cenſeo corruptum. Nec video quem ſignet Appianus, niſi Claudium Quadrigarium, vel Acilianorum Annalium interpretem.

Q. Valerius Antias Annales reliquit, grande opus. Nam librum eorum LXXIV citat Priſcianus in IX: LXXV autem Gellius lib. VII. cap. IX. Is quoque expoſuiſſe, quæ reges geſſerunt, ſatis oſtendunt, quæ ex Antiate hoc de Romulo narrat auctor de Origine gentis Romanæ: de Numa item Arnobius lib. V: deque Servio Tullio Plinius lib. XIII. cap. XIII. ac Plutarchus de Fortuna Romanorum. Præter iſtos multa ex eo refert Livius. Inter alia extremo lib. XXVIII. habes: *Eas naves Valerius, prædam Hetruſcam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem portantes, captas tradit.* Qui locus addendus fragmentis à Riccobono collectis. Nec parum debet ei Plinius, ut cognoſcimus ex indice lib. II, III, XIII, XXI, & XXVIII, item ex libri II. cap. CVII, lib. III. cap. V, lib. XXXIV. cap. VIII. Præterea meminere Pedianus, Cenſorinus, Gellius, Chariſius, Macrobius, Priſcianus. Facileque iis ſubſcribo, qui apud Arnobium lib. VI. legunt, *Quod ſi planum fieri teſtimoniis poſtulatis auctorum; Sammonicus, Granius, Valerius Antias, vobis, & Fabius, indicabunt, cujus Telus fuerit filius,* &c. Vulgo *Valerianus* pro *Valerius Antias* legitur.

Valde autem errat Glandorpius in Onomaſtico, cùm exiſtimat, hiſtoricum hunc bello Punico ſecundo militâſſe ſub Q. Fulvio Flacco, ac cuſtodiendis, avehendiſque in Urbem Macedonum legatis præfectum fuiſſe. Tuetur è verbis Livii lib. XXIII: qui hoc quidem de L. Valerio Antiate refert; ſed eum, cujus iſtic meminit, hiſtoriam ſcripſiſſe non dicit: at hiſtoriæ ſcriptorem Valerium Antiatem Siſennæ, Rutilii, & Quadrigarii fuiſſe æqualem, clarè dicit Vellejus. Unum hoc in eo ſcriptore notatur, quod omnia in immenſum prope augeat: quod immane in hiſtorico vitium eſt. Itaque ſæpe fidei omnino eſt ſuſpectioris. Quod Livius *a* non obſcure indicat, lib. XXXVI. Nam cùm magnitudinem victoriæ à Q. Minucio Proconſule reportatæ de Liguribus memoraſſet ex Valerio Antiate: ſubdit de ſcriptore iſto: *Ubi in numero ſcriptori parum fidei ſit, quia in eo augendo non alius intemperantior eſt: magnam tamen victoriam fuiſſe apparet, quod & caſtra capta ſunt.* &c.

*a* P. 171. edit. Lu.

Siſennæ etiam æqualis fuit C. Licinius Macer; ſi is eſt, qui quæſtor erat anno DCLXV, atque à Cicerone prætore accuſatus repetundarum, & damnationem metuens, voluntariâ morte periit: ut teſtantur Cicero lib. I. epiſt. ad Attic. Valerius Max. lib. IX. cap. XII, & Plutarchus in Cicerone. Habuit is filium Licinium Macrum Calvum, poëtam nobilem, atque, ut ibidem Valerius vocat, illuſtris ingenii oratorem, qui diu cum Cicerone iniquum de principatu eloquentiæ certamen habuit: ut auctor eſt Quinctilianus, vel quiſquis ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Sed ſi hujus Calvi parens eſt hiſtoricus iſte; mirum, annalium ejus non meminiſſe Ciceronem in Bruto; quo loco illum inter patronos reponit. Nec propterea de ætate ejus dubitandum. Nam eſt & Ciceronis locus, in primo de Legg. ubi Siſennam ejus amicum vocat; ſi recta eſt emendatio doctiſſimi Caroli Sigonii. Vulgò quidem ſic legitur: *Nam quid Accium memorem, cujus loquacitas habet aliquid argutiarum: nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, ſed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus & ineptus, ad ſummam impudentiam.* Continuò ſubdit: *Siſenna, ejus amicus, omnes adhuc noſtros ſcriptores facilè ſuperavit.* De Accio autem iſtic ſermo eſſe non poteſt: tum quia non de aliis loquitur Cicero, quàm qui oratione ſolutâ ſcripſerunt: tum quia, ut paullò antè oſtenſum, cùm de Siſenna loqueretur, temporum ratio refragatur, quò minùs Accius potuerit Siſennæ eſſe amicus. Porrò in quibuſdam codd. pro *Accium* eſt *Acrum.* Unde *Sigonius* legit *Macrum.* Imò & Fulvius Urſinus auctor eſt, *Macrum* ſe reperiſſe emendatum in libro, quem cum Mſo doctiſſimus vir contulerat. Ac legit eopſe modo Paullus Manutius. Nec, quin ita legi oporteat, ullus dubito. Scripſit Licinius Macer, ſive annales, ut Nonius vocat in *lues*, & *luculentum:* ſive *rerum Romanarum libros*, prout in *patibulum* nominat; ubi earum laudat librum XXI. Pluſcula ex iis adfert Livius: qui lib. IV auctor eſt, ab hoc Macro Licinio identidem citari linteos magiſtratuum libros, qui repoſiti erant in æde Monetæ. Etiam ſcriptoris hujus mentionem facit Dionyſius Antiqu. Roman. lib. II, IV, V, VI, & VII. quibus [illegible] Licinium vocat. Et hæc fortaſſe cauſa eſt, cur aliqua eorum prætererint fragmentorum collectores. Meminere & Cenſorinus, Macrobius, & ſcriptor de origine gentis Romanæ. Etiam Licinius Macer pro Thuſcis citatur à Priſciano lib. X. Adhæc ex Licinii Macri ad Senatum epiſtola teſtimonium petit Nonius in *Contendere.* Idem Nonius in *Profecta* ex Ornithogonia Licinii Macri adfert illud:

*—— Vulcani toſta vapore*
*Cum virgis profecta ferunt ——*

Sed legendum *Æmilius Macer:* quomodo Ornithogoniæ auctor vocatur à Diomede libro I. At facile Junio, Merceroque, aſſentio, cùm apud Nonium in *Clypeum*, pro *Licinius in Marte*, reponunt *Licinius Macer.* Ubi ex eo hæc verba promuntur: *Pars magna lævis clypea portant.* Fortaſſe autem etiam Macrum hunc intelligat aliquis apud Suetonium in illuſtribus Grammaticis, ubi laudat *C. Licinium, conſularem hiſtoricum;* atque ab eo Hyginum, Auguſti libertum, ſuſtentatum ait. Negat ad eum locum Elias Vinetus ſe quicquam de illo uſpiam legiſſe. Sed legendum ibi *C. Aſinium*, ut alibi à nobis dicitur. Ex Macro aliqua ad rerum naturam pertinentia adducit Plinius lib. XXXII. cap. I, & II. Mihi is potius Æmilius Macer videtur: qui ornithogoniam, ophiogoniam, & botanica, ſcripſit: unde Ovidius in Triſtibus:

*Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,*
*Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.*

Obiit is in Aſia anno Urbis DCCXXXVIII, triennio poſt Virgilium; ut ex Euſebiano Hieronymi Chronico cognoſcitur.

At Macer, qui vulgo circumfertur, Galeno eſt poſterior.

Iiſdem, ac Siſenna, Antias, Quadrigarius, ac Licinius Macer, temporibus vixit M. Pompilius Andronicus, Syrus. Æqualis enim M. Antonii Gniphonis: is autem, ut Suetonius in illuſtribus Grammaticis ait, in domo Julii Cæſaris adhuc pueri docuit: eumque Cicero docentem audivit, etiam cùm præturâ fungeretur. Scripſit Pompilius hic annales elenchos. De quo inibi ſic idem Tranquillus: *Cumas tranſiit, ibique in otio vixit, & multa compoſuit: verùm adeò inops, atque egens, ut coactus ſit præcipuum illud opuſculum annalium elenchorum ſedecim millibus nummûm cuidam vendere. Quos libros Orbilius ſuppreſſos redemiſſe dixit, vulgandoſque curâſſe, nomine auctoris.* In quibuſdam tamen libris eſt *annalium Ennii elenchorum.* Nec diſplicet.

## CAP. XI.

*Conjunctio Hortenſii, Attici, ac Ciceronis. Ejuſdem Hortenſii conſulatus, poëmata laſciva, annales, uxor, mollities, obitus, filius, diſerta filia, nepos. Annalium Attici argumentum, ejus de familiis libri, ac verſus ſubjuncti imaginibus doctorum virorum, item hiſtoria Græca de Ciceronis conſulatu. De faſtis Capitolinis ſententia Onuphrii refellitur. Faſti Verrii Præneſte ordinati. Corrupto Ciceronis loco decipi, qui Atticum de rerum naturâ ſcripſiſſe arbitrantur. Etiam Cicero de condenda Latinè hiſtoria cogitavit. De conſulatu ſuo idem Græcè tractavit. A Patricio, ac Manutio, receſſum. Latinè de conſulatu ſuo ſcribendi Luccejo argumentum ſuggeſſit. Græci de hoc argumento commentarii à Caleno apud Dionem traducuntur. Res Marii carmine ſignavit; in quo pleraque fide magis poëticâ,*

*quàm hiſtoricâ. Ciceronis chorographia. Etiam geographiam meditabatur. Brutus Ciceronis, opus partim rhetoricum, partim hiſtoricum.*

VIdendum nunc de tribus illis, Hortenſio, Attico, & Cicerone. Quos ut chartâ hac jungam, ipſa jubet conjunctio animorum, quæ inter eos fuit: ut oſtendit Cornelius Nepos in Attici vita, his verbis: *Utebatur* Atticus *intimè Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat; ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius. & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula.*

Q. Hortenſius Ortalus, nobilis ille orator, qui cum Q. Cæcilio Metello conſul fuit: ut Aſconius ſcribit, præter orationes, & laſciva poëmata, (quorum Ovidius in Elegiis meminit, & Gellius lib. XIX. cap. IX.) etiam annales edidit; quemadmodum indicant hæc Velleji Paterculi verba lib. II. *Cujus de virtutibus* (de Minatio Magio, Velleji atavo, ſermo eſt) *cùm alii, tum maximè, dilucideque Q. Hortenſius in Annalibus ſuis retulit.* Et videtur idem opus ſignare Cicero lib. XII. ad Attic. epiſt. V: *Conturbor epitome Bruti Fannianâ. In Bruti epitome Fannianorum* (fortaſſe legendum, *E Bruti epitome Fannianorum*) *ſcripſi, quod erat in extremo: idque ego, ſecutus hunc Fannium, qui ſcripſit hiſtoriam, generum eſſe ſcripſeram Lælii. ſed tu me γεωμετρικῶς refelleras: te autem nunc Brutus, & Fannius. Ego tamen de bono auctore Hortenſio ſic acceperam, ut apud Brutum eſt.* De hujus Hortenſii facundia, præter alios, Tullium vide in fine libri III de Oratore. item in Bruto, ubi & memoriam ejus celebrat. Quod & M. Seneca facit in præfatione controverſiarum. Ut Porcius Cato, conſentiente ſocero Philippo, ſuam ei uxorem, liberûm quærendûm gratiâ, dederit: legere potes apud Plutarchum in Catone. Quàm fuerit ſumtuoſus, ac in veſtitu mollis, docebunt, Varro lib. III. de R. R. cap. VI, & imprimis cap. ult. Plinius lib. IX. cap. LV, & lib. X. cap. XX, Gellius lib. I. cap. V, Macrobius lib. III. cap. XIII. Nihil igitur mirum, ſi, qui talis foret, conſulibus, ſumtuariam legem ferre volentibus, fuerit adverſatus: ut narrat Dio lib. XXXIX. Obiit L. Æmilio Paullo, & C. Claudio Marcello conſulibus; cùm è Ciliciâ Cicero Romam reverteretur; ut in Bruti procemio legimus. Filius ejus periit bello civili Brutiano; teſte Vellejo lib. II, & Plutarcho in Catone. De filia, paternæ eloquentiæ hærede, loquuntur Valerius Maximus lib. VIII. cap. III, Quinctilianus lib. I. cap. II, Appianus lib. IV. belli civilis. De nepote, Valerius lib. III. cap. V, Suetonius in Tiberio, Tacitus lib. II Annalium.

T. Pomponius Atticus, ſive, ut poſt adoptionem dicebatur, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus, annales condidit. Ita vocat Tullius ad eum ſcribens lib. XII. *Quibus coſſ. Carneades, & ea legatio Romam venerit, ſcriptum eſt in tuo annali.* Et Aſconius Pedianus annales Attici laudat in orat. pro Cornel. & in Piſon. Fuiſſe verò annales imperii Romani, liquet ex illis Cornelii Nepotis verbis in Attici vita: *Moris etiam majorum ſummus imitator fuit, antiquitatiſque amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ordinavit. Nulla enim lex, neque pax, neque res illuſtris pop. Rom. quæ non in eo ſuo tempore ſit notata. Et, quod difficillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines poſſimus cognoſcere.* Quibus ex verbis perſpicimus, duo iis fuiſſe libris complexum; temporum ſeriem, & originem familiarum. De priori ita Tullius quoque in Bruti penè initio: *Nempe eum dicis* (librum) *quo iſte* (Atticus) *omnem rerum memoriam breviter, &, ut mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus eſt.* Et paullò pòſt: *Habuit iſte liber Attici, & nova mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam: ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia viderem.* Illuſtrem quoque locum habemus Ciceronis hac de re in Oratore: *Cognoſcat etiam rerum geſtarum, & memoriæ veteris ordinem, maximè ſcilicet noſtræ civitatis: ſed & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium: quem laborem nobis Attici noſtri levavit labor; qui conſervatis, notatiſque temporibus, nihil cùm illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam uno libro colligavit.* Ex his verbis cognoſcimus, non res ſolùm Romanas tractaſſe; ſed etiam externas: etſi imprimis Romanas res voluerit illuſtrare. Sanè ſeptingentorum hic annorum meminit. At cùm iſta ſcriberet Cicero, annus erat ab V. C. IↃCCVII. Et hæc de præcipuo Annalium argumento. Quod verò Nepos ait, præterea de familiis eo egiſſe libro; id aſſeveranti credere debemus: ſed accuratiùs eam partem altero eſt opere perſecutus. De quo ſic idem Nepos: *Fecit hoc idem ſeparatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Juniam familiam à ſtirpe ad hanc ætatem, ordine enumeraverit, notans, qui, à quo ortus, quos honores, quibuſque temporibus, cepiſſet: pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum: Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi, de Corneliorum, & Fabiorum, & Æmiliorum quoque: quibus libris nihil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum.* Præterea edidit imagines doctorum virorum, & verſiculos unicuique imagini ſuos ſubjunxit. Idem Nepos: *Attigit quoque poëticen: credimus, ne ejus expers eſſet ſuavitatis. Namque verſibus, qui honore, rerumque geſtarum amplitudine, cæteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit: ita, ut ſub ſingulorum imaginibus facta, magiſtratuſque eorum non amplius quaternis, quiniſque verſibus deſcripſerit. Quod vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari.* Meminit & Plinius lib. XXXV. hiſtor. natural. cap. II: *Imaginum amorem flagraſſe quondam, teſtes ſunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine; & M. Varro,* &c. Denique, ut idem Nepos dicit, *Eſt etiam* (Attici) *liber Græcè confectus de conſulatu Ciceronis.* Stephani Pighii opinio eſt, faſtos Capitolinos, quorum fragmenta ante annos circiter quinquaginta magno hiſtoriæ Romanæ bono eruta ſunt, non tam à Verrio Flacco eſſe conſcriptos, quàm ab homine docto poſt Verrii tempora ex annalibus Attici eſſe ordinatos, confectoſque. Sanè ipſum Atticum eſſe faſtorum Capitolinorum auctorem, dicere non audet; nec veriſimile eſt, cùm Cornelius Nepos adeò nobilis operis nullus meminerit. Adde quod Tacitus in IV Hiſtor. ſcribit, Veſpaſiano iterum & Tito filio coſſ. faſtos eſſe renovatos correctoſque, annis centum poſt mortem Attici. Præterea, in fragmentis illis Capitolinis, unum eſt, ubi fiat mentio ludorum ſecularium, quos Domitianus inſtituit. Quare Atticus ἀπλῶς faſtorum eſſe auctor non poteſt. Tamen planè eſt, auctorem eorum potiſſimùm Attici libros ſecutum fuiſſe, cùm nemo accuratiùs digeſſerit Romanos conſules, magiſtratus, triumphos: ut conſtat ex iis, quæ diximus. Quod verò Onuphrius Panuinus Verrium Flaccum auctorem putavit, id inde evenit, quia Suetonius libello de claris Oratoribus dicat; *Statuam habet Præneſte in inferiori fori parte, contra hemicyclium; in quo faſtos à ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos, publicârat.* Sed marmora hæc *Præneſte* fuiſſe dicuntur; non Romæ. Quod opinionem Onuphrii penitùs evertit. At, inquit, ubi *Præneſte* eſt, fortaſſe ſcriptum fuit *prope Veſtæ.* Aliquid diceret, ſiqua ſtatua Verrii, vel ullum hemicyclium, in quo faſtos ordinârat, prope Veſtæ, ac juxta forum, inventum eſſet. Deinde fragmenta illa eruta planam habent figuram, non hemicyclii: quod ipſum quoque ei adverſatur ſententiæ. Ut omnino retinere oporteat *Præneſte:* quod antiquiſſimum Italiæ municipium fuit: eoque ſuos ac peculiares habuit faſtos, quos iis Verrius ordinârat.

Exiſtimare autem aliquis poſſit, Atticum etiam ſcripſiſſe de rerum natura: idque propter locum illum in Ciceronis Bruto, ubi ſic Atticus Ciceronem compellat: *Ut illos de Rep. libros edidiſti; nihil à te ſanè accepimus: eiſque noſmet ipſis ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus.* Sed lectioni huic

obſtat,

obſtat, quòd memoria rerum geſtarum potiùs, quàm naturalium eſt; niſi quatenus prodigia, aliaque miranda, etiam commemorari in hiſtoriis ſolent. Adde quod, ſi hac de re ſcripſiſſet Atticus, non prætermiſiſſet id Nepos. Quare iis aſſentiendum, qui pro *rerum naturalium*, legunt *veterum annalium*: vel, ut alii, qui propiùs ab veteri lectione abſunt, *rerum noſtrarum*, id eſt, Romanarum. Nam etſi res quoque externas complexus erat Atticus: tamen præcipuè ei propoſitum fuit illuſtrare imperium Romanum, quod annos jam ſteterat ſeptingentos. Pro qua ſententia etiam Ciceronis locus facit ex Oratore paullò antè allatus.

Ciceroni quoque in animo fuiſſe hiſtoriam ſcribere, non obſcurum eſt; cùm ex eo, quòd in ſecundo de Oratore, ſub Antonii perſona, opus hoc oratorium maximè dicat: tum ex illis in primo de Legibus, quæ Atticum ſibi dicentem inducit: *Poſtulatur à te jamdiu, vel flagitatur potius hiſtoria. Sic enim putant, te illam tractante, effici poſſe, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipſe ſentiam, non ſolùm mihi videris eorum ſtudiis, qui tuis literis delectantur, ſed etiam patriæ debere hoc munus; ut ea, quæ ſalva per te eſt, per te eundem ſit ornata. Abeſt enim hiſtoria literis noſtris, ut & ipſe intelligo, & ex te perſæpe audio. Potes autem tu profectò ſatisfacere in eâ: quippe cùm ſit opus, ut tibi quidem videri ſolet, unum hoc oratorium maximè.* Etiam eruditâ illâ epiſtolâ ad Lucceium, quæ eſt libro v. epiſt. ad familiares, ſignificat, niſi à Lucceio impetret, ut conſulatus ſui hiſtoriam ſcribere velit, ſeſe ſcripturum de ſe ipſo. Et Græcè id feciſſe, ſatis conſtat ex lib. I ad Att. epiſt. XVI, & lib. II ep. I, & Plutarcho in Cæſare. Latinè autem de conſulatu ſuo quidem ſcripſit; ſed carmine, idque libris tribus. In ſecundo de conſulatu Urania loquebatur; ut conſtat ex primo de divinatione: in tertio autem Calliope; ut liquet ex lib. II ad Att. ep. III. Meminit eorum & librorum epiſt. VI lib. I ad Att. ubi tertium poëma exſpectare jubet. Item Lactantius lib. III cap. XVII, & Nonius in *Eventus*. Aliter autem perſuadere mihi non poſſum, quàm eoſdem libros deſignari à Cicerone epiſt. ad Lentulum, quæ eſt nona libri primi ad famil. *Scripſi etiam verſibus tres libros de temporibus meis: quos jampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. Sunt enim teſtes, & erunt ſempiterni, meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis.* Andreæ tamen Patricio, uti & Paullo Manutio, diverſi videntur; quia libri de conſulatu, Afranio & Metello conſulibus, fuerint perfecti: hos autem de temporibus ſuis libros inter eos reponat, quos ſcripſerit poſt diſceſſum Lentuli in Ciliciam: at poſt eos conſules anno demum quarto Lentulus in provinciam eſt profectus. Eſt hoc ſanè alicujus coloris argumentum. Sed cui veriſimile fiat, Ciceronem bis de rebus à ſe geſtis ſcripſiſſe, idque verſibus, & totidem, tribus nempe, libris? Quare ita credere malo, eos quidem libros à Cicerone fuiſſe ante exilium ſcriptos; ſed non eſſe publici juris factos: poſt reditum autem ab exilio, ac imprimis poſt Lentuli diſceſſum, revocatos fuiſſe ad incudem, ut novi poſſent videri. Et ita de libris, quos verſibus Cicero de conſulatu ſuo ſcripſit, mihi quidem videtur. Proſâ autem non arbitror hanc materiem tractâſſe; ſi exceperis illa, quæ Lucceio miſit, ut ei ſubſidio eſſent in hiſtoria ſcribenda. Sic enim Tullius ad eum loquitur: *Si ſuſcipis cauſſam, conficiam commentarios rerum omnium.* Lucceium autem ſuſcepiſſe cauſſam, conſtat ex epiſt. VI lib. IV ad Att. Et veriſimile eſt commentarium de conſulatu ſignari, cùm idem epiſt. X lib. IV ad Att. ait, *Tu Lucceio noſtrum librum dabis.* Sed, ut ad priores redeam commentarios, immane quantum eos exagitat in XLVI Dionis Caſſii libro Q. Fufius Calenus. Verba ejus ſunt: καὶ ὅπως γε καὶ γελάσητε, ἀκούσατε τὴν σοφίαν αὐτοῦ· προθέμενος γὰρ πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι (καὶ γὰρ σοφιστὴς, καὶ ποιητὴς, καὶ φιλόσοφος, καὶ ῥήτωρ, καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται) οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο· ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν, ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται. *Sed ut videre poſſitis, attendite hominis ſapientiam. Cùm propoſuiſſet ſibi omnium hujus Urbis rerum hiſtoriam ſcribendam (nam & ſophiſtam, & poëtam, & philoſophum, & oratorem, & hiſtoricum ſe profitetur) non ab Urbe conditâ initium duxit, quod alii fecerunt: ſed à conſulatu ſuo: ut retro procedendo initium commentarii ſui conſulatum eum; finem verò regnum Romuli faciat.* Sed quis bonus adeò Tullio eſt infeſtus, ut audiendum putet maledicentiſſimum Calenum? imò vel Dionem ipſum, obtrectatorem, & Senecæ, & optimi cujuſque?

Etiam adoleſcens, cùm Mutio Scævolæ operam daret in jure civili, carmine ſcripſit res geſtas municipis ſui Marii. Meminit ipſe initio primi de Legibus, ubi Atticus ſic loquitur: *Lucus quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoſcitur, ſæpe à me lectus in Mario.* Et mox ait Quinctus: *Dum Latinæ loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur: eaque, ut ait Scævola de fratris mei Mario,*

*Caneſcet ſeclis innumerabilibus.*

Non omnia autem ad veritatis obruſſam exegiſſe: ſed aliqua, more poëtico, finxiſſe, colligi videtur ex iis, quæ ſubjungit. A. *Atqui multa quæruntur in Mario, fictane, an vera ſint; & à nonnullis, quod, & in recenti memoria, & in Arpinati homine, vel ſeveritas à te poſtulatur.* M. *Et me hercule ego me cupio non mendacem putari; ſed tamen nonnulli iſti, Tite, faciunt imperitè; qui in iſto opuſculo, non, ut à poëta: ſed, ut à teſte, veritatem exigunt.* Mentio quoque eſt lib. I de divinat. ubi Quinctus ita Marcum compellat: *Quid illo auſpicio divinius, quod apud te in Mario eſt? ut utar potiſſimùm te auctore.* Et ad Atticum lib. XII epiſt. XLVIII: *Heri quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata & literas attulerunt à C. Mario C. F. Eum multis verbis agere mecum, per cognationem, quæ mihi ſecum eſſet per eum Marium, quem ſcripſiſſem, per eloquentiam L. Craſſi, avi ſui, ut ſe defenderem.*

Scripſit & Cicero Chorographiam: unde Priſcianus in VI hæc verba adducit: *Ibi quercorum rami ad terram jacent, ut ſues, quaſi capræ, ex ramis glande paſcantur.* Etiam geographica ſcribere decrêrat: ſed à propoſito deſtitit. Cicero ad Att. lib. II epiſt. VI: *A ſcribendo prorſus abhorret animus. Etenim* γεωγραφικὰ, *quæ conſtitueram, magnum opus eſt. Ita valde Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione, & ab Hipparcho, reprehenditur. Quid cenſes, ſi Tyrannio acceſſerit? & hercule ſunt res difficiles ad explicandum, &* ὁμοειδεῖς: *nec poſſunt tam* ἀνθηρογραφεῖσθαι, *quàm videbantur.* Videtur tamen Atticus & poſtea ad geographiam eſſe adhortatus. Nam proximâ epiſtolâ ſic Attico reſpondet: *De geographiâ etiam atque etiam deliberabimus.*

Ex iis autem, quæ hodie ſuperſunt, nihil Ciceronis magis hiſtoricum dici meretur, quàm ejus Brutus, ſive de claris oratoribus liber: quem non immeritò hiſtoriam vocari, tum argumentum ſatis indicat: tum illa Attici, in extremo propè libello, verba oſtendunt: *In hiſtoria, quâ tu es uſus in omni ſermone, cùm qualis quiſque orator fuiſſet, exponeres.* Nec tamen mera eſt hiſtoria. Nam copiâ poſtea libro legas: *Sed quoniam omnis hic ſermo noſter non ſolùm enumerationem oratoriam,* (ſive potius *oratorum*, ut Corradus legit) *verùm etiam præcepta quædam deſiderat.*

## CAP. XII.

*Quinctus Lutatius auctor communium hiſtoriarum. Varronis Siſenna, ſive de hiſtoria liber: item annales ejuſdem, & antiquitatum libri, deque vita populi Romani, deque poëtis, & alii. Argumentum operis, quod Hebdomadas inſcripſerat. Ecquis* Nigidio Figulo *hic locus; ut Riccobonus credidit. Ælius Tubero. Riccoboni, Popmæ, & aliorum lapſus, qui*

*Tuberonem hiſtoricum Scipionis Africani junioris temporibus vixiſſe arbitrantur. Athenæum emendatum.* L. Lucceii *elogium ex Cicerone, libri ejus de bello Italico, ac civili, & opus de conſulatu Ciceronis. Annales* Tanuſii. *Corruptè eum vocari Ganuſium, Tamuſium, & Tamiſium. Tanuſii, &* Voluſii, *annales quàm malè audierint. Trebellii Pollionis vetus lectio defenſa, adverſus Hermolaum Barbarum. Ab eo* Procilium, & Proculum, *confundi. Annales* Furii *carmine epico conditi.*

QUincti Lutatii duo fuere. Uni cognomen erat *Catulus*: de quo dictum nobis lib. I cap. IX. Alter autem eo junior fuit. Atque ejus qui meminerit, antiquiſſimus eſt Varro in IX de L. L. ubi cum Ælio Stiloni ſubjungit. In quo ſi temporis ratio habita eſt, ut cenſeo; vixerit ætate Varronis. Verba ejus ſunt iſta: *C. Ælius, & Q. Lutatius, ſcribunt, eum locum* (lacum Curtium) *eſſe fulguratum, & ex ſenatuſconſulto ſeptum eſſe; idque factum eſſe à Curtio conſule, cui M. Genucius fuit collega.* Solinus cap. II tradit ex eodem, Romam eſſe conditam Olympiadis VII anno II. Servius in IX Æn. ex eo prodit, unde dictæ ſint Bajæ. Appellat autem ibi hoc opus Lutatii *communes hiſtorias.* Volumen illud in libros diviſum fuiſſe, indicat, quòd ſecundum, tertiumque Lutatii librum, citat auctor de origine gentis Romanæ: quartum autem Junius Philargyrius in extremum IV Georg. Vir eruditus, qui apud eundem de origine Romanæ gentis ſcriptorem pro *Lutatius* legere mavult *Vulcatius*; ſatis refellitur ſcriptoribus aliis, qui Lutatii non minùs, quàm *Vulcatii*, meminerunt. Quin planè aſſentio doctiſſimo Andreæ Schotto, qui Lutatii nomen quoque reponit apud Servium, quo loco à Livio relatum ait, ab Ænea eſſe proditam Trojam. Nuſquam enim id Livius dicit: ſed à Lutatio traditum eſt, *non modo Antenorem, ſed etiam ipſum Æneam, proditorem patriæ fuiſſe*: ut ait ſcriptor de origine gentis Romanæ.

M. Terentius Varro, vir undecunque doctiſſimus, ϰ̀ πολυγραφώτατος, inter alia tam multa, librum ſcripſit hoc titulo, *Siſenna, ſive de hiſtoria.* Unde verba quædam Gellius citat lib. XVI cap. IX. Item Annales reliquit: ex quorum tertio Chariſius lib. I refert, Servium Tullium primum fuiſſe, qui nummum argenteum conflaret; eumque fuiſſe quatuor ſcriptulis majorem, quàm Varronis foret ævo. Præterea res veteres Romanas explicuit in Antiquitatibus ſuis rerum humanarum divinarumque. Multa ex iis veteres citant. Dionyſius ἀρχαιολογίας appellat lib. I, ubi ex iis refert, Aboriginum urbes fuiſſe in agro Reatino; non longè ab Apenninis montibus. Alia quoque adfert, in quibus Varronem ſequi ſe ait. Etiam in iiſdem libris complexus fuit res à Jove in Italia geſtas: teſte Lactantio lib. I de falſa religione cap. XIII. ubi quinque iſtos jungit, *Diodorum, Thallum, Nepotem, Caſſium, & Varronem*, eoſque vocat *hiſtoriarum ac rerum antiquarum ſcriptores.* Fecit & libros de vita populi Romani, quos ad T. Pomponium Atticum ſcripſit. Item de gente populi Rom. Et puto, hujus partem operis ſignari à Fabio lib. I cap. VII, cùm ait: *Varro in eo libro, quo initia Urbis Romæ enarrat, lupum feminam dicit.* Item libris minimùm tribus egit de rebus urbanis. Adhæc de ſcenicis originibus: item de poëtis. Inſuper de vita ſua. Item de familiis Trojanis. Reliquit & hebdomades. Quorum omnium auctores laudaremus, niſi id feciſſent illi, qui fragmenta anquiſiverunt. Ceterùm hebdomadum opus, quod poſtremo loco referebam, continebat imagines doctorum virorum, eorumque elogia: ut ex Symmachi ad Auſonium epiſtolis rectè colligitur à viris doctis. Ita Demetrii Phalerei imagini adjectum erat elogium:

*Hic Demetrius æneas tot aptu'ſt,*
*Quot luceis habet annus abſolutus.*

Prout Nonii *a* verba legi debere, primus vidit Joſ. Scaliger *b*. Illuſtris hoc de Varronis opere eſt Plinii locus lib. XXXV Hiſtor. Nat. cap. II: *Imaginum amorem flagraſſe quondam; teſtes ſunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & Marcus Varro, benigniſſimo invento, inſertis voluminum ſuorum fœcunditati, non nominibus tantum ſeptingentorum illuſtrium, ſed & aliquo modo imaginibus; non paſſus intercidere figuras: aut vetuſtatem ævi contra homines valere; inventione muneris etiam Diis invidioſus; quando immortalitatem non ſolum dedit; verum etiam in omnes terras miſit; ut præſentes eſſe ubique, & claudi poſſent.* Meminit ejus Auſonius in Moſella, ubi nobiles aliquot architectos ex eo recenſet;

a *In luceis.*
b *In catalectis.*

*Forſan & inſignes hominumque operumque labores*
*Heic habuit decimo celebrata volumine Marci*
*Hebdomas.*

Ubi perperam Scaliger *Magi* pro *Marci* reponendum judicat. De eodem ſic Symmachus pater ad filium lib. I. epiſt. II: *Scis Terentium non Comicum, ſed Reatinum, illum Romanæ eruditionis parentem, hebdomadum libros, epigrammatum adjectione condidiſſe.* Ac meminit quoque ſequentibus literis Symmachus filius, quas primus in Emendationum libb. Lud. Carrio publici juris fecit. In iis literis aliquos recenſet, quos, inter alios, Varro ſuis elogiis decorârit: *Ille*, inquit, *Platonem, qui Deos eſſe perſuaſit: ille pauperem Curium, ſed divitibus imperantem: ille Severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem Senatum, parca laude perſcripſit.* Hoc etiam Varronis opus, item quæ de poëtis edidit, ſignari arbitror à B. Hieronymo præfatione libri de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, ubi cùm expoſuiſſet aliquos Græcorum, qui de claris viris egiſſent, adjungit deinde: *Apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.* Illuſtre imprimis elogium Varronis eſt apud Tullium lib. I. Academ. Quæſt. Ubi ſic eum Cicero compellat: *Nos in noſtra urbe peregrinantes, erranteiſque, tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui, & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, & locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti: plurimumque poëtis noſtris, omninoque Latinis & litteris luminis attuliſti, & verbis: atque ipſe varium & elegans omni fere numero poëma feciſti: philoſophiamque multis locis inchoâſti, ad impellendum ſatis, ad docendum parum.*

Poſt Varronem non alius collocari debuit, quàm Romanorum poſt eum doctiſſimus, P. Nigidius Figulus, ſi modò inter hiſtoricos ei eſt locus, quod putavit Antonius Riccobonus. Mihi alia mens. Nec aliud colligere licet ex fragmentis, quæ in Variis ſuis ſedulæ inſtar apis collegit, nec collegit modò, ſed etiam digeſſit atque emendavit, nobiliſſimus & clariſſimus Janus Rutgerſius. Aliud tamen ſtatuere oportet, ſi Annales ſcripſit: quod ait Popelinierus *a* lib. V hiſtoriæ de hiſtoricis. a *P.* 301. 302.

At planè hìc locum ſibi vindicet L. Ælius Tubero, Quincti Ciceronis in Aſia legatus: de quo ſic M. Tullius ad Quinctum fratrem lib. I epiſt. I: *Quanquam legatos habes eos, qui ipſi per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ: de quibus honore, & dignitate, & ætate præſtat Tubero: quem ego arbitror (præſertim cùm ſcribat hiſtoriam) multos ex ſuis annalibus deligere, quos velit, & poſſit imitari.* De hiſtoria ejus judicium fert Dionyſius Halicarn. lib. I Antiq. Rom. ubi vocatur δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής, *vir gravis, inque hiſtoria coagmentanda diligens.* Etiam ex eadem quædam adferunt Livius lib. IV, & X, Chariſius lib. II, & auctor de origine gentis Romanæ: ut Gellium, Nonium, & alios prætercam. Vix autem dici poteſt, quantopere Ælii Tuberones confundantur à doctiſſimis viris. Nunc tantùm de tribus dicemus, quorum ſcripta unius hominis creduntur, etiam à Riccobono, Popma, aliis, quos & ipſi perperam prius ſecuti ſumus. Primus eſt is,

de

de quo M. Tullius in Bruto: *Et quoniam Stoicorum eſt facta mentio, Q. Ælius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, ſed vita ſeverus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat, paullo etiam durior; qui quidem in triumviratu judicaverit, contra P. Africani, avunculi ſui, teſtimonium, vocationem augures, quo minus judiciis operam darent, non habere: ſed ut vita, ſic oratione durus, incultus, horridus. Fuit autem conſtans civis, & fortis, & imprimis Graccho moleſtus: quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando.* Hic Quintus Tubero filius fuit illius Q. Tuberonis, qui gener fuit P. Æmilii Macedonici: unde Ciceroni hic nepos vocatur Paulli, avunculus autem ejus fuiſſe dicitur P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus, qui naturâ filius erat P. Æmilii: ſed adoptatus à majoris Africani filio nomen mutavit. Vide Plutarchum in Æmilio, ubi & legas ut Paullus filiarum unam M. Catoni, Cenſorii filio, alteram autem Q. Tuberoni, ejus de quo Tullius loquitur parenti, dederit uxorem. Ex his ſatis liquet ætas Q. Tuberonis: uti & ex Cic. ad Att. epiſt. xv. lib. IV; ubi æqualem facit ejus P. Rutilii, de quo cap. IX. Philoſopho dies noctéſque operam dedit, ut idem ait lib. III. de Oratore. In oratione pro Muræna vocatur eruditiſſimus, item homo integerrimus, & civis optimus. Agit & de eodem Valerius Max. lib. VII. cap. V: & Seneca epiſt. XCV, & XCVIII, atque alibi, item Pomponius Tit. de origine juris, ubi & ipſe cum P. Rutilio jungit, & Stoicum appellat. Alter eſt L. Ælius Tubero hiſtoricus, quem Q. Ciceronis legatum in Aſia fuiſſe, ex Cicerone ſuperiùs oſtendimus: ut idem eſſe non poſſit ac ille Paulli Æmilii nepos, Rutilii æqualis. Idem proprætore Africam ſortitus ex S. C. & lege Pompeja: Sed cum Uticam veniret, portu atque oppido à Q. Ligario, & P. Atio Varo prohibitus eſt: qui ne quidem perpeſſi fuere, ut infirmum filium, de quo mox dicam, in terram exponeret. Tangunt eam rem inter alios Cæſar libro I. de bello civili, & Oroſius lib. VI. cap. XV. Tertius eſt Q. Ælius Tubero filius hiſtorici, qui multa ſcripſit in jure civili. De hoc ita Pomponius: *Poſt hos quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. Fuit autem Patricius, & tranſiit à cauſſis agendis ad jus civile, maxime poſtquam Quinctum Ligarium accuſavit, nec obtinuit apud Cajum Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius: qui cum Africa oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire: quo nomine eum accuſavit, & Cicero defendit. Exſtat ejus oratio pulcherrima, quæ inſcribitur pro Q. Ligario. Tubero doctiſſimus quidem habitus juris publici, & privati: & complures utriuſque operis libros reliquit: ſermone etiam antiquo uſus affectavit ſcribere: & ideo parum ejus libri grati habentur.* Hunc Q. Tuberonem Tullius initio Ligarianæ vocat *propinquum ſuum*: ac paullò pòſt patrem ejus appellat *virum omni laude* dignum. Cæterùm hiſtoricum non filium, ſed patrem eſſe, indicant verba Tullii ad Q. Fratrem, cùm ait, Tuberonem legatis cæteris præſtare honore, dignitate, & ætate. Sed cùm filius dicatur à Pomponio complura ſcripſiſſe de jure publico & privato, non dubito quin is ſignetur ab Agellio lib. XIV. cap. II. ubi laudat Tuberonis librum *de officio judicis*. Cùmque idem Pomponius dicat Tuberonem hunc affectaſſe ſermonem antiquum, plane eundem cenſeo, ex cujus ad Oppium libro Probus citavit hæc verba, *ſi generalis ſpecies occecurrit*: teſte Gellio lib. VII. cap. IX. Nempe ut veteres ad inſtar augmenti Græcorum *memordi*, quod poſtea *momordi*, ita ille *cecurri* uſurpavit pro *cucurri*. Eundem etiam deſignari cenſeo ab Athenæo lib. III: ubi de lege Fannia agit. Sed corruptè ibi legas Καικίλιος Τυβέρων. Nec enim Tuberoni nomen Cæcilius, ſed Ælius. Quare veriſimile fit, Καικίλιος corruptum eſſe ex καὶ Αἴλιος. Etſi paullo aliter de hoc doctiſſimus Caſaubonus. Multoque minus dubitandum de loco Suetonii in Julio cap. LXXXIII, ubi prænomine à patre clarè diſtinguitur. Nam ait: *Q. Tubero tradit, hæredem ab eo* (Julio Cæſare) *ſcribi ſolitum ex conſulatu ipſius primo, uſque ad initium civilis belli Cn. Pompeium, idque militibus pro concione recitatum.* Plinius in indice lib. XXXVI, & Tuberonem collocat inter eos, unde profecerit. Credo, hiſtoricum ſignant. Quod alter eſſe nequit, ſi libri fuerint inſcripti nomine Hiſtoriarum, vel Lucubrationum, vel Vigiliarum, quod eſt apud Populerium lib. V. *a* Vellem ut loca, unde id collegit, appoſuiſſet. *a Pag. 183.*

L. Lucceius Q. filius, quantus vir fuerit, & quæ ſcripſerit, ex Tullio diſcimus lib. V. epiſt. XII. quæ ad eum ſcripta: *Genus*, inquit, *ſcriptorum, etſi erat ſemper à me vehementer exſpectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem, quam celerrime res noſtras monumentis commendari tuis.* Et poſt aliqua: *Neque tamen, hæc cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſuſceptarum rerum, & jam inſtitutarum: ſed quia videbam, Italici belli, & civilis, hiſtoriam jam penè à te eſſe perfectam: dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deeſſe mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjunctène malles cum cæteris rebus noſtra conjungere, an, ut multi Græci fecerunt, Calliſthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis ſuis hiſtoriis, ea, quæ dixi, bella ſeparaverunt: tu quoque item civilem conjurationem ab hoſtilibus externiſque bellis ſejungeres.* Et poſt multa: *Quod mihi accederit optatius, ſi in hac ſententia fueris, ut a continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum eventorumque noſtrorum.* Ex his duo iſta colligimus: ſcripſiſſe Lucceium hiſtoriam belli ſocialis, quod & Marſicum, & Italicum appellatur: atque eâ elegantiâ hoc feciſſe, ut Cicero eum potiſſimùm elegerit, qui res in conſulatu ſuo geſtas literis mandaret. Suſcepiſſe autem hoc onus, cognoſcimus ex epiſt. VI. ad Attic. lib. IV: *Epiſtolam Lucceio quam miſi, quâ, meas res ut ſcribat, rogo, fac ut ab eo ſumas. Valde bella eſt: eumque, ut approperet, adhorteris: &, quod mihi ſe ita facturum reſcripſit, agas gratias.* Lucceius hic præturam geſſit. Cùm conſulatum peteret, prælatus ei Bibulus, qui minùs ex Cæſaris ſententia geſturus omnia credebatur. Bello civili ſecutus eſt Pompejum, cui, unà cum Theophane, deſerendæ Italiæ auctor fuit. Sed à Cæſare victore veniam meruit. Attico eum, poſt offenſam, quæ intervenerat, conciliare ſtuduit Cicero. Atque hæc ex Ciceronis epiſtolis, qui & ejus meminit oratione pro M. Cœlio, ubi & ſanctiſſimus teſtis dicitur; atque ab humanitate, ſtudiis, artibus, ac doctrina, laudatur.

Tanuſius Geminus, Ciceronis amicus, nec ſemel ei laudatus, celebratur quoque Suetonio lib. I. cap. X. ubi ait: *Meminerunt hujus conjurationis Tanuſius Geminus in hiſtoria, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus.* Et mox: *Tanuſius adjicit, Craſſum pœnitentiâ, vel metu, diem cætu deſtinatum non obiiſſe, & iccirco ne Cæſarem quidem, quod ab eo dari convenerat, dediſſe.* Codices Plutarchi in Cæſare corruptè vocant Γανύσιον, qui Τανύσιος eſt. Sed, ut Plutarchus è Latinis, ratione principis literæ, corrigi debet: ita rectè monet Caſaubonus, è Plutarcho emendari oportere Ciceronis iſtos, & Senecæ libros, in quibus *Tamiſius*, vel *Tamuſius* vocatur. Senecæ de hoc ſcriptore judicium tale eſt epiſt. XCIII: *Annales Tanuſii ſcis quam non decori ſint, & quid vocentur. æque eſt vita quorundam longa, & quod Tanuſii ſequitur annales.* Ex allatis Senecæ verbis liquet, fuiſſe annales Tamusi, quales illi Voluſi, qui eodem vixit tempore. De eo ſic Catullus,

*Annales Voluſi cacata charta.*

Et carmine in Smyrnam Cinnæ:

*At Voluſi annales apuam pergentur ad ipſam:*
*Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.*

Ita Scaliger legit, pro quo in vett. libris eſt, *Paduam portentur ad ipſam.* Unde Voluſium fuiſſe Patavinum conjectant. Facilius id crederem, ſi ſcriptum fuiſſet, *Patavi portentur ad urbem.* Nec enim Paduam pro Patavio veteres dixere.

Pro-

Procilius quoque his temporibus fuit. Meminit ejus Varro lib. IV. de L. L. *De lacu Curtio triplex hiſtoria. Nam & Procilius non idem prodidit, quod Piſo: nec, quod is, C. Ælius Stilo ſecutus. A Procilio relatum, in eo loco debiſſe terram, & ex ſenatusconſulto ad haruſpices relatum: eſſe reſponſum, deum manium poſtulionem poſtulare, id eſt civem fortiſſimum eodem mitti. tum quendam Curtium, virum fortem, armatum adſcendiſſe in equum, & à Concordia verſum, cum equo in eum præcipitatum. eo facto locum coiſſe, atque ejus corpus divinitus humâſſe, & reliquiſſe genti ſuæ monumentum.* Et poſt aliquam multa: *Intimus circus ad Murtium vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceis, quòd is locus eſſet inter figulos.* Hæc oſtendunt, non fuiſſe Varrone juniorem. Nec Pompejo grandiorem fuiſſe, docet locus iſte Plinii in Hiſt. Nat. lib. VIII. cap. II: *Romæ* (elephanti) *juncti primum ſubiere currum Pompeii Magni Africano triumpho: quod prius Indiâ victâ, triumphante Libero patre, memoratur. Procilius negat, potuiſſe Pompeii triumpho junctos ingredi portam.* Doctiſſimus Hermolaus Barbarus *a* etiam apud Trebellium Pollionem legere jubet Procilium, quo loco agit de Æmiliano. Vulgò legitur Proculo. Verba Pollionis, quia illuſtre elogium ejus ſcriptoris continent, apponam: *Fertur enim ad Memphim in aurea columna Ægyptiis literis ſcriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, cùm in eam veniſſent Romani faſces, & prætexta Romanorum: quod apud Proculum grammaticum, doctiſſimum ſui temporis virum, cùm de peregrinis regionibus loquitur, invenitur.* Quibus ex verbis etiam colligi poteſt, de peregrinis regionibus ſcripſiſſe. Niſi legendum ibi *religionibus*: quæ Caſauboni ſententia eſt. Sed hoc utcumque eſt, fallitur Hermolaus. Nam Proculus ſine dubio Pollioni eſt is, qui Capitolino in M. Antonino philoſopho nominatur Eutychius Proculus Siccenſis: ubi itidem grammaticus vocatur, atque ab Antonino ad conſulatum dicitur fuiſſe evectus: nempe ſeſquiſeculo, & ampliùs, poſt tempora Procilii.

*a Notis in Plinii indicem.*

Furius annales ſcripſit carmine. Ex quibus verſus aliquot Macrobius adfert lib. VI. Saturn. cap. I. Gyraldus dial. III. hiſtor. poëtic. cenſet, eum fuiſſe M. Furium Bibaculum, Cremonenſem, qui Ciceronis, ac Cæſaris æqualis erat. Cæteroquin fuit & A. Furius Antias, itidem poëta, ad quem Catulus de conſulatu ſuo librum ſcripſit, teſte Cicerone. Videtur tamen non ſatis ſibi conſtare Gyraldus. Nam ait eum, cujus Macrobius verſus citat, eſſe Furium Antiatem. Atqui iſti ſunt ex annalibus Furii. Quomodo igitur eidem Bibaculus annales ſcripſiſſe dicitur? Nec enim à duobus Furiis annales carmine ſcriptos eſſe, dixerit quiſquam; cùm id nec veriſimili conjecturâ nitatur.

## Cap. XIII.

*Julii Cæſaris dictio, genuini qui ejus libri, elogium ex Tullio & Hirtio. Floridi Sabini, & Lud. Carrionis ſuper iis judicium refellitur. In pleriſque, quæ de ſe ipſo ſcripſit, ſuſpectioris fidei eſſe. Unde fragmentum ſit, quod de rebus Cæſaris ſeorſim prodiit. De Julio Celſo, qui Cæſarem recenſuit, ac res à Cæſare geſtas ſignavit. A. Hirtius quæ reliquerit. Diverſum ab eo eſſe ſcriptorem belli Hiſpanienſis. Hunc videri Cornelium Balbum, vel C. Oppium, quorum hic vitas illuſtrium virorum, atque alia, prodidit. Amiciſſimum Cæſari fuiſſe. Alium ab eo Oppium Chares. Oppii nomen perperam invaſiſſe non ſemel Opilii locum. Quæ ediderit M. Brutus.*

CAius Julius Cæſar varia admodum ſcripſit: ex quibus ſola ſuperſunt, quæ in re hiſtorica reliquit. Nempe ſeptem libri de bello Gallico: quot Græcè tranſtulit ſive Planudes, ſive alius. Adhæc tres de bello civili. Scriptor eſt purus & elegans, inque verborum ſtructura accuratus, ac omnino placidi inſtar fluminis procurrens: interea πολιτικὸς, ac gravis in ſententiis: quo Xenophontem exſuperat: cæteroquin ei non diſſimilis multùm. Ciceronis de iis judicium eſt hujuſmodi in Bruto: *Commentarios ſcripſit valde quidem probandos. Nudi ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte, detracto: ſed dum voluit alios habere paratum, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam: ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volent calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit.* De eiſdem commentariis Hirtius ita prædicat, in præfatione libri VIII. de Cæſaris bello Gallico: *Adeò probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita, facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei major noſtra, quam reliquorum eſt admiratio. Cæteri enim, quam bene atque emendatè, nos etiam quàm facilè, atque celeriter, eos perſcripſerit, ſcimus.* Et tanta cum ſit commentariorum Cæſaris venuſtas: tamen Franciſcus Floridus Sabinus tres de bello civili libros Cæſari abjudicat libro I. ſubſicivarum lectionum cap. III; & imprimis lib. II. cap. II. Imò Ludovicus Carrio ne quidem VII libros de bello Gallico Cæſaris eſſe putat. Uti nec Ludovicus Caduceus, qui (ut Savaro prodidit notis in Sidonii lib. IX. epiſt. XIV.) opus illud Suetonii eſſe putabat: idque ob verba iſta Oroſii lib. VI. cap. VII. *Hanc* (de Cæſaris bello Gallico) *hiſtoriam Suetonius Tranquillus pleniſſimè expoſuit: cujus nos competentes portiunculas decerpſimus.* Sed quis non credere malit ipſi Suetonio Tranquillo, qui aliena à germanis jam olim diſcrevit? Sic enim ſcribit in Julio cap. LVI: *Reliquit & rerum ſuarum commentarios, Gallici, civiliſque belli Pompejani. Nam Alexandrini, Africique, & Hiſpanienſis, incertus auctor eſt. Alii enim Oppium putant; alii Hirtium: qui etiam Gallici belli noviſſimum imperfectumque librum ſupplevit.* Quod ſiquis non audit Tranquillum: at Tullio credat, Hirtioque; quorum verba Tranquillus continuò ſubjungit. Fidem item habeat Straboni, qui initio libri IV advocat ὑπομνήματα τοῦ Καίσαρος. Item Plutarcho, quando, *a* quæ ex Cæſaris de bello Civili commentariis citat, ea hodieque ibi leguntur. Adhæc veteribus credat grammaticis, qui ex commentariis iſtis quæ adducunt, Cæſari tribuunt, non alteri. Quare à Carrione quidem meritò diſſentit Lipſius lib. II. Epiſt. Quæſt. epiſt. II, & Modius in Novantiquis epiſt. XXX: à Sabino autem diſcrepat Camerarius initio Notatum in III de bello civili. Hæc eò dico, ne Carrionis, aut Floridi, aut alterius cujuſquam judicium ab lectione commentariorum Cæſaris abſterreat juventutem. Quæ, pro pudor, ſatis infrequens eſt in nobiliſſimo atque adeò divino hoc ſcriptore. Aut ſi quibus in manibus ſit, haut alio legunt fine, quàm ob eximiam Romanæ linguæ puritatem, verborumque proprietatem ſummam: ſuper quo ante nos non ſemel ſummi viri *b* ſunt conqueſti. Sanè ex eo haurire eſt maximarum & utiliſſimarum rerum copiam: quam qui verborum elegantiâ contenti negligunt, minùs etiam pueris ſapiunt, qui nunquam ita ſe arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant. Quod ſiquid in nobiliſſimo ſcriptore culpandum videatur, hoc unum illud fuerit, quòd in iis, quæ jure optimo verterentur ei vitio, Harpocratem agat, vel Sigalionem Ægyptium. Ita in tertio de bello civili (quemadmodum & apud Hirtium) altum de eo ſilentium eſt, quòd Cæſar in urbe Alexandrina adverſus cives pugnans, ut ſe tueretur, in naves juſſerit ignem immitti, quâ flamma & navalia combuſta, & vicina in Serapeo bibliotheca, quæ continebat ferme ſeptingenta *c* voluminum millia, inæſtimabilem theſaurum, Ptolomæorum vigiliis per ducentos & ampliùs annos collectum. At ut ſileat Cæſar, non ſilent Plutarchus, Dio, Ammianus, alii. Quid quòd in rebus ſuis non ſatis interdum veritati litaret. Sanè ſatis conſtat, L. Cæcilium Metellum ſanctius ærarium, cujus claves abſtulerant conſules, ſellâ tribunitiâ oppoſitâ, defendiſſe adverſus Cæſarem: hunc autem tantopere comminatum fuiſſe Metello, ut Urbe fugeret: poſtilla, effractis foribus, abſtuliſſe theſauros ſacros, qui poſt Urbem à Gallis captam iſtic depoſiti erant, atque ad extrema civitatis pericula reſervabantur. Sanè de clauſo perfractoque ærario

*a Commentarios divi Cæſaris.*

*b Eos inter Caſaubonus præfat. in Polyb. ad Henricum Magnum.*

*c Gell. lib. 6. cap. 17.*

rio clari teſtes Tullius ad Attic. lib. VII. epiſt. XII, & XV; Lucanus lib...... Florus lib. IV. cap. II. E Græcis Dio, Plutarchus, Appianus. At ipſe in commentariis *a* ſcribit, Lentulum à Pompejanis habuiſſe in mandato, ut pecuniam ex ærario omnem Pompejo mitteret in belli uſum: ſed cùm nuncius, quamquam vanus ille, ad aures pertigiſſet, Cæſaris milites jam eſſe in Urbe, fugâ ſibi quamprimùm conſuluiſſe, ac præ metu ærarium reliquiſſe apertum. Vir eruditus Philippus Rubenius Electorum lib. I. cap. XXIV, operam ſibi dandam putavit, ne Cæſar cum cæteris ſcriptoribus pugnaret. Itaque ubi vulgo legitur *aperto*, inſerta negatione legit *non aperto*. Nempe hunc in modum: *Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repentè terror invaſit, ut cùm Lentulus conſul ad aperiendum ærarium veniſſet, ad pecuniam Pompejo ex S.C. proferendam, protinus non aperto ſanctiore ærario ex urbe profugeret.* Sed profectò ſequentia refellunt. Nam quia mirum poterat videri, quòd relinqueret apertum ærarium profugiens, eo ſubjungit: *Cæſar enim adventare, jam jamque adeſſe ejus equites falſo nuntiabantur.* Et ſanè alia quoque, quæ non minùs abeant à vero, reperiet, qui cum Cæſaris commentariis contulerit Plutarchum in Pompejo, & Cæſare: item Dionem, Appianum, Zonaram, cæteroſque. Et memorabile eſt, quod ſuper eô æqualis Cæſaris, Aſinius Pollio, ſcripſit. Id quale ſit, docebit Tranquillus lib. I: *Pollio Aſinius parùm diligenter, parumque integrâ veritate* (commentarios eos) *compoſitos putat: cùm Cæſar pleraque, & quæ per alios erant geſta, temerè crediderit: & quæ per ſe, vel conſultò, vel etiam memoriâ lapſus, perperàm ediderit: exiſtimatque reſcripturum, & correcturum, fuiſſe.* Reliquit & Cæſar ephemeridem, ſive diarium rerum à ſe geſtarum. Servius in XI Æn. *C. Cæſar, cùm dimicaret in Gallia, & ab hoſte raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hoſtibus, qui eum nôſſet, & inſultans ait, Cecos Cæſar: quod Gallorum lingua, Demitte, ſignificat: & ita factum eſt, ut dimitteretur. Hoc autem ipſe Cæſar in Ephemeride ſua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem.* Imò Ephemeridem C. Cæſaris laudat & Symmachus, lib. IV. epiſt. XVIII. Ubi quidam Balbi intelligunt Ephemeridem Sidonio memoratam libro IX. epiſt. XIV. Nam Balbum res Cæſaris non curâſſe ſolùm quod Gellius refert lib. XVII. cap. IX: ſed etiam ſcripſiſſe auctor eſt Suetonius in Julio cap. LXXXI. Sed à Sidonio non aliud opus intelligitur quàm Commentarii Cæſaris de bello Gallico. Hæc enim ibidem Suetonius ſubjungit: *Hæc* (Ephemeris C. Cæſaris) *te origines, ſitus, pugnas, & quicquid fuerit in moribus, aut legibus Galliarum, docebit.* Quæ optimè conveniunt commentariis Cæſaris. Imò omnem ſcrupulum eximit, quòd in MSSis quibuſdam hæc verba ſubſcribantur, ultimo libro de bello Gallico: *C. Julii Cæſaris Pontificis Maximi Ephemeris rerum geſtarum belli Gallici lib.* VIII. *explicit feliciter.* Ut nihil peccet Paullus Merula, Coſmographiæ lib. II. cap. XVII: ubi jubet nos ea, quæ Cæſar novennio in Galliis geſſit, petere ex lib. VII. Ephemeridum ipſius Cæſaris. Nam non aliò reſpexit, quàm quò dixi. Etiam juſſu ejus ſcriptus eſt liber de ſitu orbis Romani. Æthicus in præfat. *Itaque Julius Cæſar, biſſextilis rationis inventor, divinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cùm conſulatus ſui faſces erigeret, ex ſenatuſconſulto cenſuit, omnem orbem jam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos viros, & omni philoſophiæ munere decoratos. Ergo à Julio Cæſare, & M. Antonio coſſ. orbis terrarum metiri cœpit*, &c. Baldericus, Noviomenſis & Tornacenſis epiſcopus, qui ante annos prope ſexcentos claruit, Chronici Cameracenſis, & Atrebatenſis lib. I. cap. III. *Liber, qui jubente Julio Cæſare ex Senatuſconſulto à prudentiſſimis de Coſmographia inſcribitur: ubi quidem totius orbis Romani nominis univerſa loca famoſa diſtinguit*, &c. Etiam Felix Malleolus Helvetius, qui floruit ante annos CLXX, mentionem ejus facit dialogo de Nobilitate. Puto autem idem eſſe opus, quod variè poſtea, partim à gentibus, partim à Chriſtianis, interpolatum, nunc ſub Antonini, & Æthici nomine legitur. Sed occaſio jubet, ut etiam adſcribamus, quid videatur nobis de fragmento iſto, quod ſcriptori de bello Hiſpanienſi in ſua Cæſaris editione ſubjecit Gothofredus Jungermanus. Dicit hoc repertum eſſe in codice Cujacii, non appoſito nomine: item in codice Petaviano, ſed nomine Petrarchæ adſcripto. Meminit ejuſdem Caſaubonus notis in Tranquilli lib. I. cap. LVI; ubi iſta invenias: *Eſt antiqua loci hujus depravatio. Reperimus enim vulgatam lectionem, non ſolùm in codd. Suetonii noſtris omnibus; ſed etiam in fragmento quodam rerum Julii Cæſaris, quod ex veteri libro deſcriptum, beneficio viri eruditiſſimi Jacobi Bongarſi, nacti ſumus. Continetur iis ſchedis belli Hiſpanienſis hiſtoria à fratre quodam cucullato ex Suetonio, Hirtio, aliiſque concinnata, planè μοναχικῶς, etſi non monachi prorſus ſtilo.* Non patiemur diutiùs hærere viros doctos in re leviculâ. Eſt fragmentum illud deſumtum ex Julii Celſi commentariis de vita Julii Cæſaris editis anno CIↃCCCCLXXIII. Eſt verò hic Celſus idem, qui Cæſarem recenſuit: unde multis Cæſaris codd. MSSis ſubjunctum legitur, *Julius Celſus Vir Clariſſimus & Comes recenſui.* Vel hoc pacto: *Julius Celſus Conſtantinus V.C. legi.* Aliquid etiam hoc de ſcriptore diximus lib. V. Inſtitut. Oratoriarum cap. III. Inter hiſtoricos refertur, & diligenter de Julii Cæſaris geſtis ſcripſiſſe, etiam dicitur à Gualtero Burlæo Anglico, Petrarchæ æquali: ut omnino valde errent, qui fragmentum antè memoratum ipſius Petrarchæ eſſe volunt. Sane ex iſtis Celſi libris, quorum à nemine ante nos mentionem factam miror, multa in Cæſare feliciter poſſunt reſtitui, quod aliquando, σὺν Θεῷ, oſtendemus. Cæterùm Oxoniæ, in Collegio Corporis Chriſti, habes Manuſcriptum cum hac epigraphe: *C. Julii Cæſaris, per Julium Celſum commentarii.* Utrùm Cæſaris, an Celſi ſint, meliùs dixerint qui videre. Extremo illud loco adtexam, apud Sextum Aurelium Victorem libro de Origine gentis Romanæ, quorundam ad hoc argumentum pertinentium auctorem laudari Cæſarem: cumque nunc ἁπλῶς Cæſarem, nunc C. Cæſarem, nunc Julium Cæſarem, nunc Lucium Cæſarem, nuncupari. Quare dubium, utrùm pro Lucio, *Cajus*; an pro Cajo, *Lucius*, debeat reponi. Facilis ſanè commutatio literæ C. & L. prout prænomina illa ſolent vulgari. Nec, ſi Lucius ſignetur, ſatis liqueat, quis ſignetur. Nam præter Lucium Cæſarem, Auguſti ex Julia nepotem; præter item atavum Cæſaris Dictatoris; fuit & atavi hujus pronepos eo prænomine, & pronepotis ejus filius, qui frater erat C. Cæſaris Strabonis oratoris: & ejuſdem nepos, qui avunculus erat Antonii Triumviri, à quo interemtus: & ejuſdem pronepos, quæſtor Catonis Uticenſis in Africa, qui Julii Cæſaris juſſu occiſus eſt. Nihil mirum autem, ſi vel Cajus, vel Lucius Cæſar, conſignârit originem gentis Romanæ; quando Julia gens ortum ſuum ducere credita eſt ab eodem Julio, ſive Aſcanio, à quo Urbis conditor Romulus genus traxit.

A. Hirtius, ſive, ut alii ſcribunt, *Hircius*, (ſed prius & lapp. antiqui, & Græca approbat conſuetudo *a*) auctor eſt libri VIII. de Cæſaris bello Gallico: ut Suetonius in Julio teſtatur cap. LVI. Sanè non eſſe ipſius Cæſaris, ſatis indicat præfatio ejus ad Balbum, quæ ſic incipit: *Coactus aſſiduis tuis vocibus, Balbe, cùm quotidiana mea recuſatio, non difficultatis excuſationem, ſed inertiæ videretur deprecationem habere: difficillimam rem ſuſcepi: Cæſaris noſtri commentarios rerum geſtarum Galliæ, non comparandos ſuperioribus, atque inſequentibus ejus ſcriptis, contexui.* Ejuſdem ſunt libri de bello Alexandrino, & Africano. Nam continuò ſequitur: *Noviſſimeque imperfecta ab rebus geſtis Alexandriæ confeci.* Et poſt aliqua, excuſatione ejuſmodi utitur: *Mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino, atque Africano bello intereſſem: quæ bella quamquam ex parte nobis Cæſaris ſermone ſunt nota: tamen aliter audimus ea, quæ rerum novitate, aut admiratione nos capiunt; aliter, quæ pro teſtimonio*

*a* Lib. I. de bello civili.

*a* Aldus in Orthogr.

*ſumus diſturi.* Dictionem meritò etiam commendat Juſtus Lipſius Taciti lib. II. Annal. a. *Hirtius*, inquit, *terſiſſimo belli Africi commentariolo.* Videtur tamen Hirtius non iſta ſolùm ſcripſiſſe, ſed quæcunque Cæſar poſt bellum Gallicum geſſiſſet uſque ad finem vitæ. Nam ibidem legas: *Noviſſimè imperfecta ab rebus geſtis Alexandriæ confeci, uſque ad exitum, non quidem civilis diſſenſionis, cujus finem nullum videmus; ſed vitæ Cæſaris.* Verùm puto, ſi libri de bello Hiſpanienſi ejuſdem eſſent auctoris: uti Gallici, Alexandrini, & Africani belli, ita Hiſpanienſis etiam disertim meminiſſet. Nec liber is aliud videtur, quàm ephemeris. Ut ſunt argumenta illa, *Eodem tempore, ejuſdem diei tempore*, ſimiliaque, quæ ibi occurrunt. Fortaſſe eſt Balbi.

a *Num. 121. ſive pag. 58.*

Sanè Cornelii Balbi ephemeridem laudat Sidonius libro IX. epiſt. XIV. *Quis*, inquit, *Balbi Ephemeridem fando adæquaverit?* Eum autem geſta Cæſaris ſignâſſe, indicat Suetonius in Julii vita cap. LXXXI: *Cujus rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris.* Atque olim exſtitere Cæſaris ad hunc Balbum epiſtolarum libri, familiaritatis iſtius indices: teſte Gellio lib. XVII. cap. IX.

Sed ſi Balbi Ephemeris non ſit, omnino auctor illius fuerit, C. Oppius ab nonnullis exiſtimatus auctor eorum, quæ Hirtio ab aliis tribuerentur: quemadmodum Suetonius in Julio docet cap. LVI. Quod inde proveniſſe putamus, quia alia Hirtium, alia Oppium haberent auctorem. Nos, ut dixi, Hirtium planè putamus ſcripſiſſe de bello Gallico, Alexandrino, & Africano: unius enim auctoris eſſe liquet: ſed de bello Hiſpanienſi, quod alius eſt auctoris, cui potiùs tribuamus, quàm Oppio, non video. Stylus ejus duriuſculus eſt, & ornatu carens: quæ cauſſa eſt, cur aliqui eum barbarum vocent: perperam profectò. Quam rem malo explicare verbis Joſephi Scaligeri, vel ob ſummi viri auctoritatem. Hic de eo ſic ſcribit prolegomenis in Manilium: *Quemadmodum aliud eſt ornatè loqui, aliud purè: ita aliud eſt βαρβαρίζειν, aliud inconditè loqui: quod quidem multis impoſuit, qui βαρβαρισμὸν vocant inconditum ſermonem. Illa anus, quæ in Theophraſti ſermone peregrinitatem notavit, magis Atticè, & minus ornatè, quam Theophraſtus, loqui potuit. Idem dicas de Livio: cujus dictio ornatior, quàm Latinior illi Critico videbatur, qui Patavinitatem in eo animadvertebat: & quidem fortaſſe juſtiùs, quàm ii, qui militem, qui ſcripſit diarium belli Hiſpanici, barbarum vocant: quum tamen eo ſcripto nihil Latinius concipi poſſit. Sed horridè loqui ullum militem, quem horridum vocant poëtæ, non tam mirum videri debet, quàm putare ideo barbarè loqui, quòd inconditè.* Hæc ſatis indicant, quid ſentiendum ſit de ſtylo anonymi hujus, quem fortaſſe Oppium eſſe, conjectabamus. Nec, ſi aliter ſit, icirco Oppio hìc non fuerit locus. Siquidem & vitas illuſtrium virorum condidiſſe, inde colligimus, quòd *in vita Caſſii* eum citat Chariſius. Item *in vita, & rebus Africani ſuperioris.* Unde & admiranda quædam Gellius narrat lib. VII. Attic. Noctium. cap. I. Etiam *de vita C. Marii* egiſſe, oſtendunt, quæ Plinius ex eo refert lib. XI. Hiſtor. Natural. cap. XLV. Item de vita Cn. Pompeji, unde quædam adducit Plutarchus in Pompejo, ſed in illis dubiæ eſſe fidei ait, nempe ob odium Pompeji, & gratiam Julii Cæſaris. Præterea librum compoſuit, *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat:* ut auctor eſt Suetonius in Cæſ. cap. LII. Dubium autem, eone, an altero, retulit libro, quod ſequitur capite ſeq. *Circa victum C. Oppius adeò indifferentem docet, ut quondam ab hoſpite conditum oleum pro viridi appoſitum, aſpernantibus cæteris, ſolum etiam largiùs dicat appetiſſe: ne hoſpitem aut negligentiæ, aut ruſticitatis, videretur arguere.* Hunc C. Oppium, & Cornelium Balbum, res abſentis Cæſaris procurâſſe, & epiſtolarum libros ad eos ſingularis notis edidiſſe, auctor eſt Gellius libro XVII. cap. IX. Itaque Καίσαρος ἑταῖρον b, Plutarchus in Pompejo, amicum Cæſaris vocat Suetonius lib. I. cap. LII. Atque hoc ipſum oſtendunt, quæ commemorat ejuſdem libri cap. LXXII: *Amicos tantâ ſemper facilitate indulgentiâque tractavit, ut C. Oppio, comitanti ſe per ſilveſtre iter, correptoque ſubitâ valetudine, & in diverſorio loco, quod unum erat, ceſſerit, & ipſe humi, ac ſub divo cubuerit.* Alius ab hoc eſt Oppius Chares, qui *in Gallia Togata grammaticen docuit ad ultimam uſque ætatem, & cum jam non greſſu modo deficeretur, ſed & viſu:* ut eſt apud Tranquillum in illuſtribus grammaticis cap. III. Hic videri poſſit Oppius, è cujus libro de ſilveſtribus arboribus aliqua Macrobius adfert lib. II. Saturnal. cap. XIV, & XV. Apud Feſtum quoque in *Ordinarius*, ex Oppio docetur, cur *ordinarius* pro *ſcurra* ponatur. Item in *Ratitum* advocatur *Oppius Aurelius.* Sed aſſentio iis, qui iſtic *Opilius* legunt. Nam Oppius grammaticus dictus Chares: at Opilius vocabatur Aurelius: ut vel ex Feſto ipſo in *Sedum* liquet. Imò nec diſplicet ſententia doctiſſimi Meurſii, legentis apud Macrobium *Opilius:* uti & apud Feſtum in *Ordinarius*, apud quem Opilii nomen integrè etiam remanſit in *Famices.* Nec enim, ecquid Oppius Chares ſcripſerit, ſatis conſtat.

b *Familiarem Cæſaris.*

Hic etiam locus eſto M. Bruto, quem Cæſar inter conjuratos videns, à quibus interimeretur, filium nominavit; & fortaſſe erat, quando cum matre ejus Servilia Cæſar conſueverat. Mentionem ejus hìc facimus propter epitomas hiſtoriæ Fannii, & Cælii Antipatri: de quibus ſuperiùs diximus, cùm de utroque hoc hiſtorico ageremus. Alia etiam ſcripſiſſe, certum eſt. Nam librum ejus de officiis Chariſius citat lib. I, & Priſcianus lib. VI. Ac libri de patientiâ meminit Diomedes libro I. Quo etiam libro teſtis adhibetur Brutus laudatione Appii Claudii. Ut nihil dicam de epiſtolis: quarum non uno loco mentionem faciunt Grammatici. Ac aliquæ etiamnum ſuperſunt; ſanè ingentis ſpiritus plenæ, inprimis illæ ad Tullium, & alteræ ad Atticum, quibus conqueritur de Tullio, quòd nimiùm evehendo Octavium puerum peſſimè conſulat publico. Quo nihil verius ſcribere, aut dicere potuit.

## Cap. XIV.

Cornelii Nepotis *ætas, patria, Chronicorum tres libri pro triplici tempore, indeque cognoſci, cur ut fabuloſi audirent. Libros ejus de viris illuſtribus partim de excellentibus fuiſſe imperatoribus; partim de ſcriptoribus claris. Refelluntur, qui vitas illuſtrium imperatorum tribuunt Æmilio probo. Vitam Catonis, quæ exſtat, videri particulam operis de illuſtribus ſcriptoribus. Ejuſdem Exemplorum libri. Item epiſtola. Libellum de illuſtribus viris Romanis, falsò tribui, vel Nepoti, vel Plinio, vel Suetonio, vel Tacito: è Nepote tamen ab Aurelio Victore excerptum videri. Hermolai Barbari, & Jani Parrhaſii, ſuper eo error: Vivis autem in hoc, quod Nepotem de Latinis egiſſe ducibus negâris: denique Mariæ Catanæi in illo, quòd Daretem, quem habemus, crediderit, de Græco fonte à Nepote eſſe translatum.*

CORNELIUS Nepos, & ante Cæſaris dictaturam, & eo dictatore, & poſtea vixit. Hieronymus in Chronico Euſebiano refert illum ad annum Auguſti quartum. Nec cuiquam repugnem, colligenti inde, tum demum divulgare ea cœpiſſe opera, quibus maximè inclaruit. Padi erat accola, teſte Plinio libro III. cap. XVIII: unde Catullo epigrammate primo Italus; Auſonio autem, epiſt. XXIV, Gallus vocatur. Nempe quia Italia Tranſpadana diceretur Gallia Togata. De urbe patria quicquam ſe habere comperti negat Elias Vinetus in Auſon. Idyl. VII. At Veronenſem fuiſſe, in Leandri Alberti Italia lego: uti & in Coſmographia optimi, atque amiciſſimi quondam viri, Paulli Merulæ. Imò ex Veronenſium Hiſtoricorum ſyllabo, (quem doctiſſimus ampliſſimuſque Alexander Becellus, Veronenſis urbis Cancellarius, fecit, ac illuſtriſſimus Comes,

Comes, Fernandus Nogarola, vir ut genere, ita literarum ſtudio nobiliſſimus, cum V. Clariſſ. Laurentio Pignorio, atque is mecum communicavit) intelligo, natum fuiſſe Nepotem in Hoſtilia: qui Veronenſium vicus eſt, Tacito, Plinio, Caſſiodoro, & Antonino in Itinerario memoratus, hodieque Eccleſiaſticæ Veronenſium juriſdictioni ſubditus. Hiſtoricus hic Ciceronis amicus familiaris à Gellio vocatur lib. xv. cap. xxviii. Chronica ſcripſiſſe, teſtis eſt idem Gellius lib. xxvii. cap. xxi. In his pro triplici tempore, a ἀδήλῳ, μυθικῷ, καὶ ἱστορικῷ, (de quibus ex Varrone, & aliis, libro de arte hiſtorica diximus) tres videtur ſcripſiſſe libros; ac ſingulis unius temporis narrationem eſſe complexus. Sanè tres libros feciſſe Nepotem, quibus omne ævum comprehenderit: liquidò teſtatur Catullus initio Hendecaſyllaborum. Nec hiſtoricum tempus ab eo ſolùm eſſe tractatum, indicio eſt illud Auſonii b, *Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quaſi alios apologos (nam & ipſa inſtar fabularum ſunt) ad nobilitatem tuam miſi.* Item ex eo, quod Tertullianus in Apologetico adverſùs gentes (ubi eum inter antiquitatum commentatores diſertim reponit) dicit, haut aliud Saturnum, quàm hominem, promulgâſſe. Quod etiam Lactantius tradit lib. i. cap. xiii. Reliquit præterea libros illuſtrium virorum, quorum Gellius meminit lib. xi. cap. viii, & Servius in i Æneid. Eorum librum i, xv, & xvi citat Chariſius. Ex his habemus viginti duos exterarum gentium imperatores. Cæteris libris egiſſe de Romanis, hæc ejus verba oſtendunt in extrema Hannibalis vita: *Sed nos tempus eſt hujus libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores: quò faciliùs, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi ſint, poſſit judicari.* Operis ejus genuina inſcriptio patet ex ultimis hiſce præfationis verbis: *Quare ad propoſitum veniemus, & in hoc exponemus libro* VITAS EXCELLENTIUM IMPERATORUM. Ac vel propter hoc opus hiſtoricis acceſeri meretur Nepos, etſi paullò aliter ſenſerit Deſiderius in Ciceroniano ſuo. Ubi de Æmilio, ſeu veriùs Nepote, ſic ſcribit: *Candidus eſt laudator omnium, quorum vitam deſcripſit, ut encomiaſten dicas veriùs, quàm hiſtoriographum.* Nam præter Imperatores ſeorſim exarâſſe etiam librum de Regibus, argumento hæc erunt, quæ Timoleontis vitæ ſubdit: *Hi ferè fuere Græciæ gentis duces, qui memoriâ digni videantur, præter reges. namque eos attingere noluimus, quòd omnium res geſtæ ſeparatim ſunt relatæ. neque tamen hi admodum ſunt multi.* Externi imperatores, quos habemus, Æmilii eſſe Probi à multis creduntur. Qui error inde provenit, quòd librario id fuerit nomen, qui vitas eas partim ſuâ, partim patris, & matris manu ſcriptas Theodoſio obtulit. Hoc ita eſſe, oſtendunt verſiculi, qui vitis iſtis præmitti in MSSis ſolent. Ac nec Æmilium, nec Theodoſiani ævi quemquam, eorum eſſe librorum auctorem, abundè arguit pura, & Romana dictio. Opinetur aliquis ut Trogus ab Juſtino, ita ab Æmilio, qui ſub Theodoſio vixit, in compendium eſſe redactum Nepotem. Sed aliud ſuadet operis concinnitas, & illa præfandi ratio, quæ eſt in Epaminondæ vita, ac in Pelopida imprimis, ubi brevitatem juſtam pollicetur. Attamen ſententia hæc, licet erronea, minus periculi habeat, dummodo extra controverſiam maneat, Æmilium omnia de puriſſimis Nepotis fontibus hauſiſſe. Sanè Tulliani eſſe ævi ſcriptorem, neque alium quàm Nepotem; tum veterum aliquot librorum indicio cognoſcitur; tum etiam, quòd ad Pomponium Atticum (cujus idem rogatu de vita Catonis librum fecit) vitæ iſtæ ſcribantur, utcunque id in quarto c Miſcellaneorum ſuorum neget Hieronymus Magius, qui ipſa Nepotis præfatione ſatis refellitur. Accedit & altera ratio; Nam his in libris ea legere eſt, quæ opus hoc ſcriptum eſſe clamant, quo tempore Pompejus, & Cæſar, plus poterant, quàm liberâ in Republicâ expediret. Ea Lambinus loca congeſſit, ut nihil attineat illa hìc reponere. Nec libris iſtis de viris illuſtribus ſolùm perſecutus eſt excellentes imperatores: ſed etiam commentationibus claros. Quod argumentum ſignat B. Hieronymus præfatione de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ubi Nepotem inter eos refert, quorum exemplo acturus ſit de iis, qui ſcribendo claruerunt. Egit autem Nepos tum de Græcis auctoribus, tum de Latinis. De Græcis, colligo inde, quòd in Dionis vita dicat, librum ſe feciſſe de illuſtribus hiſtoricis: in quo inter alia tractârit de Philiſto hiſtorico. De Latinis, argumento ſunt plurima: Nam de Terentio egiſſe, ex Suetonio ſcimus in Terentii vitâ Donato perperàm tributâ. Adhæc primum de vita Ciceronis librum Gellius citat lib. xv. cap. xxviii. Eoque ex opere fragmentum Hieronymus adfert epiſtol. ad Pammachium. Imò veriſimile eſt, inde eſſe, tum vitam T. Pomponii Attici, quæ exſtat: tum vitam Catonis, quam iſtis claudit verbis: *Hujus de vita, & moribus, plura in eo libro perſecuti ſumus, quem ſeparatim de eo fecimus, rogatu Titi Pomponii Attici. Quare ſtudioſos Catonis ad illud volumen relegamus.* Apertè indicat, eò nunc de Catone breviùs ſe agere, quia ſeparatim de eodem ſcripſerit. Ergo vita illa Catonis, quam paucis perſtrictam habemus, majoris pars eſt voluminis, in quo Romanorum complurium vitæ continerentur. Et ſanè in antiquiſſimo codice Oberti Giffanii ante vitam Attici legebantur hæc verba: *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Hiſtoricis.* Reliquit etiam Exemplorum libros, quos citant Gellius lib. vii. cap. xviii, & Chariſius lib. i. Alia quoque ejuſdem laudant veteres: ſed non item, quæ ad hiſtoriam pertineant. Nam ex epiſtola ejus ad Ciceronem quædam Lactantius adfert lib. iii. Inſtitut. Divin. cap. xv. Quemadmodum & Ciceronis ad Nepotem epiſtolæ meminit Tranquillus in Julio cap. lx. Ammianus Marcellinus initio lib. xxvi. ac Priſcianus lib. viii. Imò & ſecundum Ciceronis epiſtolarum librum & Nepotem Macrobius citat lib. ii. Saturn. cap. i. Quod ſiquis fragmenta omnia Nepotis deſideret, longè iis colligendis priorum vicit induſtriam Andreas Schottus. Hermolaus Barbarus, caſtigationibus in Plinii lib. xv. cap. xxix, cenſet libellum de viris illuſtribus, qui Plinio tribui ſolet, Cornelii Nepotis eſſe, haut Plinii: atque id veteribus codd. adſtrui poſſe, aſſeverat. Etiam Jani hæc Parthaſii ſententia fuit. Utrius ſit dubitari ait Vinetus, nec de ea re quicquam ſtatuere auſus eſt. Imò aliqui, aut Suetonium, aut Tacitum, eſſe auctorem putarunt: ut indicat Gyraldus dialogiſmo xxvi. Sed omnino ſunt Sexti Aurelii Victoris: ut ſatis nunc conſtat ex editione Andreæ Schotti. Non dubito interim, quin pleraque ex Nepote Victor deſumſerit. Nam quod Ludovicus Vives lib. v. de tradendis diſciplinis, Nepotem ait, de Græcis ſolùm ducibus ſcripſiſſe: id ſatis refellitur verbis Nepotis antea adductis. Vir doctiſſimus Jo. Maria Catanæus, commentario in Plinii librum iv. epiſt. xxviii, quæ ad Severum ſcripta eſt, etiam Daretem Phrygium à Nepote tranſlatum arbitratur. Nempe decepit eum vulgaris ἐπιγραφή. Attamen & hìc aqua hæret Vineto notis in Auſonii Idyl. vii. Negat eſſe, qui certi aliquid de tralatione hac auſit affirmare. Atqui omnes, quibus ullum in hiſce litteris judicium eſt, ſatis vident, nec Daretem illum eſſe genuinum: nec dictionem ejus Auguſtæam ſapere ætatem; ſed recentiorem multò. Nepotem autem Cæſaris Auguſti obiiſſe ævo Plinius teſtatur lib. ix. cap. xxxix, & lib. x. cap. xxiii. Atque hoc fortaſſe impulit Genebrardum, ut putaret, eum nato jam Chriſto ſuperſtitem fuiſſe: qui & Jacobum Gualterium, cùm primùm tabulas ederet Chronographicas, in eam ſententiam pertraxit. Sed Nepotem eouſque ætatem prorogâſſe, nemo temerè dixerit, qui tanti eum in litteris nominis jam Tullii, Attici, Catulli temporibus, fuiſſe cogitarit.

a Incerto, fabuloſo, & hiſtorico.

b Epiſt. ad Prob. Præf.

c Cap. 15.

## CAP. XV.

Criſpus Salluſtius *quando, & ubi, natus. Ejus tribunatus, & ut eum geſſerit. Ejuſdem adulterium, ſupplicium, & cur Clodianis ſtuduerit. Ut Senatu motus, poſteaque ſit dignitati reſtitutus. Prætura ejus, ac præ-*

*præfecturâ Numidicâ, & rapinâ, quibus ditatus. Ejuſdem ſcripta. Duas ad Cæſarem orationes quas vocant, an Salluſtii ſint, non ſatis apertum videri: interim antiquas eſſe, nec tamen orationes, ſed epiſtolas duntaxat. Orationem in Ciceronem potius Porcii Latronis videri, quàm Salluſtii. Dictio Salluſtii Attica magis, quàm Tulliana. Quæ in ea veteres culpârint. Quàm præclarè de Salluſtio judicatum ab antiquis. Græcè à Zenobio tranſlatus fuit. Aliter Criſpus Salluſtius, è prioris ſorore natus. Metallum Salluſtianum.*

C. Salluſtius Criſpus natus Olymp. CLXXIII, an. III. quem ad annum Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ hæc annotat: Σύλλας τὰς Ἀθήνας ἐξεπολιόρκησε μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος. Κρίσπος Σαλούστιος ἱστοριογράφος ἐγεννήθη. *Sylla Athenas expugnat ſecundo menſe hiberno. Criſpus Salluſtius hiſtoricus naſcitur.* Is eſt annus Urbis conditæ IↃCLXVIII. Ubi videmus, Græcos ſcribere Σαλούστιος. Et ſanè itidem in MSSis meis, & antiquioribus editionibus, vocatur SALUSTIUS. Sed ſcribendum SALLUSTIUS gemino LL, quomodo legitur in aliis MSSis, & lapidibus. Marmor effoſſum juxta rudera Salluſtianæ domus:

M. AURELIUS PACORUS<br>
ET M. COCCEIUS STRATOCLES<br>
ÆDITUI VENERIS HORTORUM<br>
SALLUSTIANORUM BASEM CUM<br>
PAIMENTO MARMORATO<br>
DEANÆ<br>
D. D.

Neque aliter lapis alius, cujus vide ſis inſcriptionem apud Aldum de Orthographia. Natus autem eſt Amiterni in Sabinis, anno uno poſt natum Veronæ Catullum, ut notat Euſebius ad annum MDCCCCXXXI: quadriennio autem ante bellum obiit Actiacum, ut idem ſcribit ad annum MDCCCCLXXX. Doctiſſimus Hieronymus Wolfius putabat, nomen ejus ſimplici L ſcribi oportere, quia vel à ſale ſit, vel ſalute. Sed ἔτυμον utrumque eſt incertum. Et cur non à ſale geminato LL æquè eſſe poſſit, ac ab eodem venit *ſallo*, unde *ſallitus*, pro ſalſo? Quare puto, non recedendum eſſe à libris antiquis, atque inſcriptionibus, in quibus L geminatur. Tribunus plebis erat quo anno Clodius à Milone occiſus fuit, puta anno IↃCCII, quo Cn. Pompejus Magnus, compluribus menſibus conſul ſine collega fuit. Tribunatu eo, quem nulla cum laude geſſit, ut Ciceroni, ita & Miloni, infeſtus admodum erat: idque quia in Fauſtæ, L. Syllæ filiæ, adulterio deprehenſus virgis à Milone eſſet cæſus, nec niſi pecuniâ datâ dimiſſus. Nempe iſtud in cauſſa eſt, cur Clodianis ſemper ſtuduerit adverſus Milonem. Vide Pedianum, Gellium, Servium, Horatii interpretes. item orationem ſub Ciceronis nomine jam Auguſtæo, vel Tiberii ævo, editam. Ex quibus etiam diſcimus, ob adulteria ac ſtupra ſenatu fuiſſe motum ab Appio Claudio Pulcro, & L. Calpurnio Piſone Cæſonino cenſſ. nempe anno Urbis IↃCCIII, ſive juxta alios IↃCCIV: quo conſules erant L. Æmilius Paullus & C. Claudius Marcellus. Ejus è Senatu ejectionis meminit & Dio lib. XL *a*. Ac ne alium Salluſtium ſignari putes, clarè ait id contigiſſe Σαλουστίῳ, τῷ τὴν ἱστορίαν συγγράψαντι *b*. Eo anno Milo jam exulabat: unde conſequitur, quod à Milone Tribuno pl. virgis cæſum dicebamus, id antea contigiſſe; non eopſe anno, ut vir eruditus putabat. Etiam diſcimus iiſdem ex ſcriptoribus, à C. Julio Cæſare, rerum potito, dignitatem Senatoriam recuperâſſe, quæſtoremque factum, & poſtea etiam præturam obtinuiſſe. Præturæ mentionem quoque invenio apud Hirtium penè initio libri de bello Africano: *Item C. Salluſtium Criſpum prætorem ad Cercinam inſulam verſus, quam adverſarii tenebant, cum parte navium ire jubet; quod ibi magnum numerum frumenti eſſe audiebat.* Item apud Dionem lib. XLII. *a* de hoc ipſo legas: Στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο *b*. Narrat ibidem, ut cùm in Campania Cæſaris milites, quos in Africam præmittere ſtatuerat, ſeditionem concitaſſent: ac Salluſtius prætor Romam contenderet, quò Cæſarem hujus rei faceret certiorem: propemodum fuerit occiſus à compluribus militum, qui eum inſequebantur, nec cuiquam parcebant, imò duos etiam ſenatores occiderant. Apud eundem lib. XLIII *c* refertur, ut Cæſar Numidiæ præfecerit Salluſtium; ille autem provinciam expilaverit: ac à Cæſare quidem fuerit abſolutus; ſed infamiam non effugerit; quòd qui in hiſtoria acerbus eſſet alienorum vitiorum caſtigator, turpiter ipſe in hoc munere ſe dediſſet. Ex hac autem præda Numidica ita ditatus fuit, ut in Quirinali monte forum emeret, quod Salluſtii vocatur, ubi nunc ædis S. Suſannæ: item hortos, qui hodieque Salluſtiani nominantur. Hæc oſtendunt, vitam ejus laudari à nemine poſſe. Nempe omnis ejus gloria à præclaris ſcriptis proficiſcitur. Sed vix ejus quicquam integrè ad nos pervenit, præter bellum Jugurthinum, & Catilinarium. Ita vulgo inſcribuntur. Sed poſterior genuina inſcriptio, DE CONJURATIONE CATILINARIA. Teſtis Salluſtius ipſe his verbis: *Igitur de Catilina conjuratione, quàm veriſſimè potero, paucis abſolvam.* At ex nobili hiſtoriarum opere, quo imprimis hiſtorici principis nomen meruit, nihil habemus præter quatuor oratiunculas, epiſtolas duas, & lacera aliquot fragmenta, quæ ex Grammaticis antiquis, atque aliis ſcriptoribus, collecta ſunt. Duæ verò ad Cæſarem orationes, ut vocant, de Rep. ordinanda, utrùm Salluſtii ſint, non convenit inter eruditos. Carrio Salluſtio abjudicat: & pro illo eſt, quòd veterum nemo, qui tantopere gaudent Salluſtium ad partes advocare, inde aliquid depromat. Diſſentit autem Duza, cui favent libri vett. & dictio ipſa, quæ, quicquid dicat Carrio, planè Salluſtium redolet. Sin genuinæ non ſint, negari tamen non poſſit, valde eſſe antiquas, & quidem Juliani, aut Auguſtæi ævi: ſaltem non infra Flavianum. Sed genuinas eſſe arbitror, non tamen ut orationes eſſe putem, ſed epiſtolas duntaxat. Nam poſterioris auctor bis ait, ſe illa ſcribere, ac diſertim literas appellat. Planeque veriſimile eſt, miſſas eſſe ad Cæſarem, cùm in Hiſpanias contra Petreium & Afranium proficiſceretur: quemadmodum jamdudum Ciacconius obſervavit. Illa verò in Ciceronem oratio, etſi à Fabio quoque tanquam Salluſtii laudetur: tamen, quod res indicat, omnino eſt alicujus declamatoris: credo Porcii Latronis, vel alterius alicujus ex illis, quos nominat M. Seneca in Suaſoriis, & Controverſiis. Fidem ejus valde commendant antiqui. Nam *certiſſimus auctor* dicitur Vibio Sequeſtri de Fluminibus. Item Hieronymo libro de locis Hebraicis, & exinde Iſidoro lib. XIII. Origin. cap. XXI. Adhæc *nobilitatæ veritatis hiſtoricus* nuncupatur ab Auguſtino lib. I. de Civitate Dei, cap. V. Avienus etiam in deſcriptione oræ maritimæ, dicit omnia illius dicta eſſe *præjudicatæ auctoritatis*: appellat quoque *expreſſorem efficacem ſtyli, & veritatis.* Objectant adverſus ea aliqui, quòd, pravo loliginis ſucco, pleraque ad Ciceronis laudem pertinentia, quæ apud alios legere ſit, prætexierit. Verùm ea potiùs neglexiſſe ego arbitror, vel ut falſa, vel ut incerta planè, vel ut exigua ac minuta. Quod ad dictionem Salluſtii attinet, omnes antiqui judicant, brevem ac nervoſam eſſe, & Thucydideæ æmulam. Sanè ſcriptor eſt planè Atticus, quâ laude Demoſtheni propior eſt, quàm Cicero ipſe: ut bene cenſet Turnebus in Adverſariis *d* ſuis. Sed ut Thucydidem non omnes probarunt, ita nec Salluſtii dictio omnibus probabatur. Nam Aſinius Pollio damnabat eam, tanquam obſcuram, & in tranſlationibus audacem: ut Tranquillus auctor eſt lib. de claris Grammaticis in Philologi vita. Imprimis verò reprehendi ſolet, quòd antiqua verba ex Catonis Originibus excerperet: cujus rei meminere Auguſtus apud Tranquillum in ejuſce Cæſaris vita, idemque Tranquillus lib. de claris Grammaticis in vita Lenæi, & Fabius ex antiquo epigrammate libro VIII. cap. III.

a P. 168. *edit H. St.*
b *Salluſtio, hiſtoriæ ſcriptori.*

a P. 236. *edit. H. St.*
b *Ut ſenatoriam dignitatem reciperaret, tum prætor factus erat.*
c P. 245. *& ſeq. edit. H. St.*

d *Lib. 18. cap. 22.*

Sed

Sed hæc impedire non potuere, quo minus à Tacito (at quanto viro!) *rerum Romanarum florentiſſimus auctor* lib. III. Hiſtoriarum diceretur. Imò juxta Martialem lib. XIV: *Criſpus Romana primus in hiſtoria* eſt. Auguſtino quoque lib. de vita beata vocatur *electiſſimus penſator verborum.* Imò Græci ipſi ejus hiſtorias tanti fecere, ut eas verterit Zenobius, ſophiſta is, qui Romæ docuit ſub Adriano Cæſare; quique epitomen proverbiorum Didymi, & Tarrhei ſcripſit; ut teſtis eſt Suidas in Ζηνόβιος. Atque inde eſt, quòd Salluſtii quoque meminit Stephanus in Ἄζιλις. Utinam verò exſtaret Aſper Grammaticus, Salluſtii interpres, teſte Hieronymo. Quædam ex eo citat Soſipater. Joannes Baptiſta Pius Annotationum Poſteriorum cap. LXXXIV, citat *antiquum auctorem, qui vitam Salluſtii ſcribit.* Eum non vidi. Sed ſcio vitam Salluſtii è veteribus reliquiſſe Aſconium Pedianum: ut cognoſcere eſt ex Acrone ad Horatii Sat. II lib. I. E junioribus idem conati Pomponius Lætus, & Petrus Crinitus. Sed his fides habenda, quatenus veterum ſcrinia compilârunt. Cave autem cum Salluſtio hoc confundas Criſpum Salluſtium, ad quem in odis ſcribit Horatius, hiſtorici hujus ſororis filium: Auguſti amicum: de quo Seneca lib. I de Clementia, & Tacitus lib. I. & III annal. A quo & metallum quoddam Salluſtianum eſſe dictum, Plinius auctor eſt lib. XXXIV cap. II.

## CAP. XVI.

Varronis Atacini *ætas, patria, libri belli Sequanici, item Argonautica, deque iis Fabii judicium. Ejuſdem Europa. Servius correctus.* Marſi *narrationes fabuloſæ. Ejus ætas.* Hoſtii *bellum Iſtricum. Filia ejus Propertii amica, quam ficto nomine Cynthiam vocat.* Æmilii Macri *varia. An annales reliquerit, parùm videri compertum.*

SAlluſtii æqualis fuit P. Terentius Varro Atacinus. Is quando, & ubi natus fuerit, cognoſcimus ex verbis iſtis B. Hieronymi in Chronicô Euſebiano, quæ ex Tranquilli deperdito de poëtis libro citra dubium exſcripſerat: *P. Terentius Varro vico Atace in provincia Narbonenſi naſcitur: qui poſtea* XXXV *annum agens Græcas literas cum ſummo ſtudio didicit.* Ea verò annotavit ad annum cIↄ Iↄ ccccxxx, ſive Olympiadis CLXXIV annum III. Floruit igitur Julii Cæſaris, & Triumvirorum temporibus. Valde autem falluntur, qui Varronem, cujus de L. L. & R. R. libros habemus, Atacinum fuiſſe, ex Hieronymo colligunt. Nam, illum Romanorum omnium doctiſſimum Romæ natum atque educatum fuiſſe, ſatis conſtat. At ei, de quo nunc ſermo nobis, patria fuiſſe Atax dicitur, Galliæ Narbonenſis vicus, cognominis fluvio vicino, qui & ipſe Atax vocatus; ut cùm ex Strabone, & Vibio Sequeſtre, notum; tum Plinio Hiſt. Nat. lib. III cap. IV. Atacini hujus meminimus inter hiſtoricos, propter Sequanici belli libros: ex quorum ſecundo à Priſciano *a* hic verſus adducitur:

a Lib. 10.

*Deinde ubi pelliciunt dulcis levis unda ſaporis.*

Sed magis celebratur Argonauticorum libris quatuor: quos ad Apollonii imitationem feciſſe, auctor eſt Valerius Probus *b*. Eorum meminere etiam Propertius, atque Ovidius: ut complures grammaticos mittam. Eundem ſignat Statius in genethliaco Lucani, verſu iſto:

b In I Georg. editus: Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem.

*Et qui per freta duxit Argonautas.*

Nec negat hoc Statii interpres, Emericus Crucejus: ſed in eo fallitur, quòd cenſet etiam intelligi poſſe Valerium Flaccum. Quippe is Lucano junior fuit, utpote Statii ipſius æqualis. At ſermo ibi eſt de poëtis prioribus, quorum gloriam ſuperaturus ſit Lucanus. Adde quòd Argonauticorum ſcriptor iſtic inter Lucretium, & Ovidium, medius reponatur; ut alius ab Ataceno intelligi non poſſit. In Argonauticis iſtis, alieni operis non aſpernandum egiſſe interpretem; verùm, ad augendam dicendi facultatem, parùm videri locupletem, Fabii ſententia eſt lib. X. Atacinum imitatus creditur Virgilius, cùm ſcripſit:

*Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes,*
*Alituum, pecudumque genus ſopor altus habebat.*

Qua de re ita M. Seneca Controverſ. XVI: *Montanus Julius, qui comes fuit, quique egregius poëta, ajebat Virgilii imitationem, bene ceſſiſſe, qui illos optimos verſus Varronis expreſſiſſet in melius:*

*Deſierant latrare canes, urbeſque ſilebant.*
*Omnia noctis erant placidâ compoſta quiete.*

Ovidius magis probabat, ſi Varro ſolùm dixiſſet, *Omnia noctis erant*, ultimâ verſus parte abſciſſâ. Sed, ut ibidem Seneca ſubjungit: *Varro, quem voluit, ſenſum optimè explicuit. Ovidius in illius verſu ſuum ſenſum invenit: aliud enim interciſus verſus ſignificaturus eſt, aliud totus ſignificat.* Varronem hunc in Europa citat Feſtus voce *Tutum.* Item Servius in illud X Æn.

*Semianimeſque micant digiti, ferrumque retractant.*

*De Ennio*, inquit, *ſublatum eſt. Ille enim ait,*

*Oſcitat in campis caput à cervice revulſum,*
*Semianimeſque micant oculi, lucemque requirunt.*

*Quem verſum ita, ut fuit, ad ſuum carmen tranſtulit Varro, & Tacenus.* Sic eſt in Servio P. Danielis. Sed pro *Varro & Tacenus* legendum *Varro Atacenus.*

Fortaſſe aliquis & Marſo hic locus erit, quia narrationes fabuloſas reliquit. Ex nono fabularum Marſi ſunt hæc verba, *Callum ſibi pectore quendam.* Quo Chariſius in primo comprobat, etiam *callum* dici genere virili. Ætas Marſi obſcura non eſt, ſi is eſt Domitius Marſus. Nam hic ante Orbilium, Horatii præceptorem, non fuit, quando iſte in eum Marſi verſus à Tranquillo citatur,

*Si quos Orbilius ferulâ ſcuticâque cecidit:*

Ac ne ante Virgilium, & Tibullum quidem, ut docent hi ejus verſus ex elegia quadam reliqui:

*Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,*
*Mors juvenem campos miſit in Elyſios,*
*Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,*
*Aut caneret forti regia bella manu.*

Nec Ovidio eſt junior, qui ejus meminit. De Amazonide Marſi non optimè ſenſit Valerius Martialis, quando ei præponit Perſii ſatiras. Meminit & Marſi Diomedes in primo.

Ad hæc quoque pertinebit Hoſtius, ſi is eſt, ut puto, cujus filiam Propertius amavit. Sanè, quam poëta Cynthiam vocat, vero nomine Hoſtiam dictam eſſe, auctor eſt nobis Appulejus. Panxit Hoſtius carmine bellum Iſtricum. Eumque interdum imitatur Maro: ut Macrobius obſervat lib. VI cap. III. Hoſtii quidem eſt illud,

—— *Non ſi mihi lingua*
*Centum, atque ora ſient, totidem voceſque liquatæ.*

Unde Maro hoc pacto:

*Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum.*

Alterum quoque Hoſtii fragmentum ex eopſe opere apud Macrobium reperies ejuſdem libri cap. V. Item aliud ex primo belli Iſtrici apud Feſtum in *Teſca.* Idem & ejus locum adducit in *Scævam*: ſed qui penè totus etiam in Pomponii Læti ſchedis deſideretur. Servius quoque affert aliqua in illud XII Æn.

—— *pilataque plenis*
*Agmina* ——

Etiam Æmilius Macer, de quo aliquid cap. X dicebamus, florere his temporibus, vel primo Auguſti principatu, cœpit. Nam Ovidio, qui Hirtio & Panſa conſulibus natus erat, ætate major fuit: ut clarè indicat Naſo in Triſtibus:

*Sæpe ſuas volucres legit mihi* GRANDIOR *ævo,*
*Quæque nocet ſerpens, quæ juvet herba, Macer.*

Unde &, quæ ſcripſerit, cognoſcimus. Opus de volucribus ὀρνιθογονία appellabatur. In ſecundo ejus hæc verba erant: *Cùm laude excellet omnes.* Citat Diomedes lib. I. Proximo verſu Ovidius ſignat Macri Theriaca, quæ Nicandri ſcripſerat exemplo. Ex quincto Theriacôn Macri ſunt iſta:

—— *Longo reſonantia ſibila collo.*

Quod eſt apud Soſipatrum in primo. Sed hæc nihil ad hiſtoriam. Nec multò plus eò facit Theogonia ejus: in cujus primo erat verſus iſte:

*Et nunc agreſtes inter Picumnus habetur.*

Ita eſt in MSSis quoque, & vett. editt. Propius ab rerum geſtarum hiſtoria abeſt, quod panxit παραλειπόμενα Homeri: ut indicant hæc Ovidii:

*Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,*
*Ne careant ſummâ Troica bella manu.*

Et in Amorum libb.

*Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,*
*Primaque juratis induis arma viris:*
*Nos Macer ignava Veneris ceſſamus in umbra.*

Ac ne ſic quidem ei inter hiſtoricos locus fuerit, niſi condiderit annales. Sanè à Priſciano lib. x ex Æmilii Macri (ut in MSSis quoque eſt, & editionibus vetuſtis) annalium libro xvi hæc verba adducuntur: *Omnium noſtrum neglegerit autoritatem.* pro *neglexerit.* Quid ergo? An Æmilius Macer etiam annales ſcripſit? an locus corruptus, proque Æmilio Macro legendum *Licinius Macer*? Mihi quidem poſterius hoc per fieret veriſimile: niſi verba iſta apud Diomedem in primo itidem Æmilio Macro tribuerentur. Sed ex annalibus eſſe, hoc Diomedes non dicit. Æmilium hunc Macrum Plinius in Indice lib. x & xi inter eos, è quibus profecerit, reponit. Nunc à poëtis ad illos, qui ſolutâ ſcripſerint oratione, redeamus.

## Cap. XVII.

*C. Aſinii Pollionis elogium, triumphus, hiſtoria de bello civili, infeſtus erga Ciceronem animus, cui tamen præclarum ejus elogium veritatis vis extorſerit. Alius eſt ab Aſinio Quadrato, hiſtorico item, ſed Græco. Telephus utrum inter hiſtoricos. Atteii Philologi breviarium, quod Pollioni ſuggeſſerat.* Tironis *libri de vita Ciceronis: item de ejus jocis, quos judicio non ſat magno congeſſerat.* Bibuli *commentarii de geſtis M. Bruti.* P. Volumnius de prœlio Cæſaris Octavii atque Antonii, cum Bruto & Caſſio. Anſer poëta de geſtis M. Antonii. Cornelius Alpinus de bellis Memnonis.

C. Aſinius Pollio, cujus ad Ciceronem epiſtola exſtat lib. x ad famil. cujus item nomini Maro inſcripſit Eclogam iv, *princeps orator, & civis*, vocatur à Plinio lib. vii cap. xxx. De Dalmatis triumphavit, ut conſtat ex Horat. lib. ii od. i, faſtis Capitolinis, Dione lib. xlviii, & Hieronymo in Chronico Euſebiano. Multa de eo M. Seneca præfat. lib. ii epitom. declamat. Præter quæ, vide &, quæ de eo L. Seneca ad Lucillium epiſt. lvi, & ci, item lib. i de Tranquillit. cap. xiv. Meminere item Vellejus Paterculus, Aſconius Pedianus in Cicer. orat. pro Scauro, Plinius lib. xxxv cap. ii. Fabius lib. vi cap. iv, & lib. x cap. i, & lib. xii cap. v. adhæc Tacitus lib. i Annalium, ſcriptor libri de cauſſis corruptæ eloquentiæ, Plinius alter lib. vi epiſt. ad Quadratum, Macrobius lib. ii Saturn. cap. iv. Præter orationes, & tragœdiam, reliquit quoque hiſtoriarum libros xvii, teſte Suida: qui & dicit, primum Latinorum fuiſſe, qui geſta Græcorum Latinè ſcriberet. Bellum civile conſignâſſe, ſatis conſtat. Quo de argumento ſic Horatius lib. ii Od. i.

*Motum ex Metello conſule civium,*
*Bellique cauſſas, & vitia, & modos,*
*Ludumque fortunæ, graveiſque*
*Principum amicitias, & arma*
*Nondum expiatis uncta cruoribus,*
*Periculoſæ plenum opus aleæ*
*Tractas, & incedis per igneis*
*Suppoſitos cineri doloſo.*

Planè errant, qui Horatium hic de tragœdiis loqui cenſent. Quid enim manifeſtius, quàm dicere poëtam eum nunc occupari in hiſtoriâ civili. Poſtea verò ſubjungit, fore; ut hoc opere abſoluto, ad tragœdiam accedat. Quod verba hæc clarè indicant:

*—— Mox, ubi publicas*
*Res ordinaris, grande munus*
*Cecropio repetes cothurno.*

Paullò pòſt iterum ad Hiſtoriam redit, cùm ait:

*Jam nunc minaci murmure cornuum*
*Perſtringis aureis: jam litui ſtrepunt:*

Et quæ porro ſubdit ad civile bellum pertinentia. Ex Latinis ſcriptoribus quædam ex hiſtoriis ejus referunt Valerius Maximus, M. Seneca, & Suetonius Tranquillus. Valerius quidem lib. viii cap. xiii de Arganthonio, Gaditano rege, ita ſcribit: *Aſinius Pollio, non minima pars Romani ſtyli, in tertio hiſtoriarum ſuarum libro, centum illum, & viginti, annos expleſſe ait, & ipſe nervoſæ vivacitatis parvum exemplum.* M. Seneca Suaſoriâ vi loquitur hoc pacto: *Quando in hanc ſuaſoriam incidimus, non alienum puto, indicare, quomodo quiſque ſe ex hiſtoricis adverſus memoriam Ciceronis geſſerit. Nam quin Cicero, nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium: nec tam ſtultus, ut exorari poſſe ſperaret, nemo dubitat, excepto Aſinio Pollione, qui infeſtiſſimus famæ Ciceronis permanſit: & is etiam occaſionem ſcholaſticis dedit. Solent enim ſcholaſtici declamatores ponere, An, promittente ſalutem Antonio, orationes ſuas comburat.* Aliquantò pòſt: *Pollio quoque Aſinius, qui Verrem, Ciceronis reum, fortiſſimè morientem tradidit; Ciceronis mortem ſolus ex omnibus malignè narrat: teſtimonium tamen, quamvis invitus, plenum ei reddit.* Hinc ex ejus hiſtoria adfert elogium, quod Ciceroni tribuit, licèt inimico. Mox ſubjungit: *Affirmare vobis poſſum, nihil eſſe in hiſtoriis ejus, hoc, quem retuli, loco diſertius: ut mihi tunc non laudâſſe Ciceronem; ſed certâſſe cum Cicerone videatur. Nec hoc deterrendi cauſsâ dico, ne hiſtorias ejus legere concupiſcatis: concupiſcite, & pœnas Ciceroni dabitis.* Suetonii ſunt iſta in Julio Cæſ. cap. xxx: *Quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalicâ acie cæſos profligatoſque adverſarios proſpicientem, hæc eum ad verbum dixiſſe referens: Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiſſem.* Et cap. lvi: *Pollio Aſinius* (Cæſaris Commentarios) *parum diligenter, parumque integrâ veritate compoſitos, putat: cùm Cæſar pleraque, & quæ per alios erant geſta, temerè crediderit: & quæ per ſe, vel conſultò, vel etiam memoriâ lapſus, perperam ediderit: exiſtimatque reſcripturum, & correcturum fuiſſe.* E Græcis ejus meminit quoque Plutarchus in Pompejo, his verbis: Στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους φησὶ πεσεῖν Ἀσίνιος Πολλίων, μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος. *Militum ſex millia tantùm cecidiſſe ait Aſinius Pollio, qui eo in prælio à partibus ſtetit Cæſaris.* Atque hæc quidem iſtius Aſinii eſſe, certum eſt, qui cum Cæſare Julio militavit. Non æquè evidens de iſtis Strabonis lib. iv Geograph. Φησὶ δὲ τὸ μῆκος αὐτοῦ (de Rheno loquitur) σταδίων ἑξακισχιλίων Ἀσίνιος. *Aſinius Rheno longitudinem adſignat ſtadiorum* Iↄↄ cIↄ. Et mox: Φησὶ δὲ καὶ δίστομον εἶναι, μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας. *Ait & duo habere oſtia, eos reprehendens, qui plura ſtatuunt.* Forcaſſe enim (de quo mox videro) hæc ſunt ex Aſinio Quadrato. Siquidem ſermo eſt de Rheno, Germaniæ termino. At Aſinius Quadratus res Germanicas ſcripſit, ut Agathias teſtatur lib. i Hiſtoriæ ſuæ: Εἴγε χρὴ Ἀσινίῳ Κοδράτῳ ἕπεσθαι ἀνδρὶ Ἰταλιώτῃ, καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγεγραμμένῳ. *Si ſequendus nobis Aſinius Quadratus, vir Italus, quique de rebus Germanicis accuratè tractavit.* Meminit & ejus ſcriptoris Stephanus in Γηλὺς, & Μεσσλιών, ubi vocatur Ἀσίνιος Κυάδρατος: item alibi ἁπλῶς Κυάδρατος: quo loco & Παρθικὰ ejus citat & Ῥωμαϊκά. Sed hæc ſententia eo refellitur, quòd Aſinii Quadrati meminiſſe non potuerit Strabo, cùm Quadratus demum vixerit Philippis imperantibus: hiſtoriamque ſuam perduxerit uſque ad annum Urbis mil-

milleſimum : unde & eam χιλιετηρίδα inſcripſit. Non dubium igitur, quin Aſinius Pollio ab Strabone intelligatur. Quod eò magis monere operæ duxi, quia doctiſſimus Caſaubonus in notis ad IV Strabonis librum ambigit, utrùm intelligat Aſinium Pollionem, an filium ejus Aſinium Quadratum. Vellem equidem, addidiſſet, unde colligeret, Aſinium Quadratum eſſe filium Aſinii Pollionis. Sanè ſi ſignatur auctor χιλιετηρίδος, filius eſſe non poteſt, cùm inter eos ſit CCL annorum intervallum. At magis etiam fallitur Glandorpius in Onomaſtico, cùm ait, qui pleriſque eſt Aſinius Pollio, eum Straboni Aſinium Quadratum vocari. Alium errorem errant Simlerus, atque idem Glandorpius, apud quos legas, ab Antiſtio Pollione deſcripta eſſe Julii Cæſaris geſta. Perperàm enim Antiſtium vocant, qui Aſinius eſt. Ambigo, an apponere etiam velim, ſuper eo liticulam fuiſſe duos inter viros mihi amiciſſimos, Philippum Cluverium, & Iſaacium Pontanum, τὸς μακαρίτας: quorum ille in procemio lib. I Germaniæ antiquæ refert, Strabonem in quarto τῶν γεωγραφουμένων meminiſſe Aſinii Quadrati: ex quo hæc ſic ſcripſerit Agathias lib. IV: Ἀλεμανοὶ ξυνήλυδές εἰσιν ἄνθρωποι, καὶ μιγάδες, καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία. *Alemanni convenæ ſunt, & miſcellanei, quod & appellatio ipſa ſatis indicat.* Ubi eò reſpicit, quod Germanis *Allemans* ſint, *omniviri*, h. e. viri ex omni gente convenientes. Atqui Strabonis ætate Alemannorum nomen Romanis erat ignotum. Saltem nemo meminit ejus vel proximæ ætatis. Quare ille Agathiæ memoratus, non idem eſt ac ille Strabonis. De quo etſi adſentiam Pontano, nimis tamen acerbè, quòd icciрco doctiſſimum Cluverium velut aſinum in Aſinia gente, locum mereri putârit. Sic enim in ſexto poëmatum inquit;

*Qui Pollionem, quem vocat Aſinium Strabo,*
*Illum eſſe Aſinium, qui Quadratus Agathiæ eſt,*
*Contendit, ipſe ſit Quadratus Aſinus.*

Sed humanæ iſta imbecillitati condonemus. Quando obierit Pollio, docet Hieronymus in Chronico Euſebiano Olymp. CXCV, imperii Auguſti XLVIII: *Pollio Aſinius orator, & conſularis, qui de Dalmatis triumphavit,* LXXX *ætatis ſuæ anno in villa Tuſculana moritur.*

Telephus fortaſſe etiam veteres hiſtorias ſignavit. Sanè ſic ad eum Horatius ſcribit lib. III. od. XIX.

*Quantum diſtet ab Inacho*
*Codrus, pro patria non timidus mori,*
*Narras, & genus Æaci,*
*Et pugnata ſacro bella ſub Ilio:*

Niſi potiùs hoc vult poëta, eum hiſtoriarum amantem uſque adeò fuiſſe, ut & in poculis tempora putaret, & vetera potiùs referret, quàm quæ illi loco convenirent.

Attejus Philologus, patriâ Athenienſis, ſed Grammaticus Latinus, duobus claris hiſtoricis, Salluſtio, & Aſinio Pollioni, familiaris fuit. Ac illum inſtruxit præceptis de arte dicendi: hunc breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret. Atque ejus potiſſimùm cauſsâ, videtur aliquis inter hiſtoricos ei locus deberi. Edidit & Hylen, quam omnis generis octingentos in libros coëgerat. Auctor Tranquillus in illuſtribus grammaticis. Puto ex iis libris unum fuiſſe, quem inſcripſerat, *An amaverit Didûn Æneas.* Teſtis Chariſius lib. I. Etiam πίνακων tertio adducitur alibi. Item liber gloſſematorum advocatur à Feſto in *Ocrem*: uti Collectanea ejus in *Orchitin*: etſi ibi corruptè *Actius*, pro *Attejo*, nominatur. Nec dubium, quin ex gloſſematis, aut collectaneis ſint, quæ citat in *Naucum*, *Stroppus*, *Tudites*, & *Vacerra*. Apud Priſcianum lib. VIII, ubi vulgò eſt *Alphius Philologus*, legendum puto, *Atteius*. Adducit autem ex eo hæc verba: *Themiſtocles, cùm à formoſo aſſectaretur.* Ubi Priſcianus obſervat, *aſſectaretur* paſſivè dixiſſe pro ἀκολουθοῖτο. Plura de eo apud Tranquillum vide.

Tullius Tiro ſcripſit libros de vita patroni ſui, Ciceronis. Aſconius Pedianus in Orat. pro Milone: *Legimus apud Tironem, libertum Ciceronis, in libro quarto de vita ejus, oppreſſum à Clodio L. Cæcilium prætorem.* Item de jocis Ciceronis. Macrobius lib. II Saturnal. cap. II *Cicero autem, quantum in eare* (de jocis loquitur) *valuerit, quis ignorat, qui vel liberti ejus libros, quos is de jocis patroni compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curavit?* Niſi quis Ciceronis ipſius eſſe malit, propter ea verba, *quos quidam ipſius putant eſſe.* Sanè dubitatum eſſe de auctore, indicat quoque Fabius lib. VI cap. II. Qui & teſtatur, non ſatis magno judicio in jocis congerendis uſum eſſe. Verba ejus ſunt: *Utinam Quintus, & libertus* (leg. Utinamque libertus) *ejus Tiro, aut alius quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent, & plus judicii in eligendis, quàm in congerendis, ſtudii adhibuiſſent, minus objectus calumniantibus foret.* Ex ridiculis iis multa ſuperſunt apud Quinctilianum lib. VI cap. VI. Plutarchum in Ciceronis vita, & Macrobium lib. II Saturn. Præclarum Tironis elogium vide apud Gellium lib. VII cap. III. Atque idem lib. XIII cap. IX, vocatur *adjutor in literis ſtudiorum Ciceronis.* Imò Tullio κανών eſſe ſcriptorum ſuorum ſolet: ut ipſe agnoſcit lib. XVI epiſt. XVII. Notas, quibus litera verbum facit, primus reperit. Eas primus in lucem dedit vir ſummus, & affinitate mihi conjunctus, Janus Gruterus. De eodem ſic Hieronymus in Chronico Euſebiano: *M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, qui primus notas commentus eſt, in Puteolano prædio, uſque ad centeſimum annum conſeneſcit.*

Bibulus, filius M. Calpurnii Bibuli, & Porciæ, Catonis Uticenſis filiæ, libellum ſcripſit de geſtis vitrici ſui M. Bruti: ex quo aliqua refert Plutarchus in vita M. Bruti.

P. Volumnius philoſophus, qui Bruti arma initio eſt ſecutus, conſignavit hiſtoriam prœlii, quod Brutus Caſſiuſque adverſus Cæſarem, & Antonium, geſſere. Latinè hominem Romanum ſcripſiſſe, veriſimilius eſt. Græcè tamen noviſſe, ſatis conſtat, vel inde, quòd Brutus, poſt cladem acceptam, eum Græcâ eſt linguâ allocutus, cùm communium ſtudiorum admoneret, atque oraret, ut trajecturo pectus ſuum gladio manum admoveret, & ictum adjuvaret. Auctor ejus rei Plutarchus in vita Bruti; ubi pluſcula ex Volumnio hoc narrat. Cæterùm etiam Volumnius dictus fuit judicum unus, cùm Cicero pro Cluentio diceret. Idemque prænomen erat Volumnio, Antonii fabrûm præfecto; de quo Nepos in vita Attici. Etiam P. Volumnius, eques Romanus, cognomen Eutrapelus, Ciceroni memoratur lib. VII epiſt. XXXII, & lib. IX epiſt. XXVI. Item ad Att. lib. V epiſt. XV. Ecquis autem eorum ſit idem, ac philoſophus ille, dicere non habeo.

Anſer poëta, amicus fuit M. Antonii triumviri, atque ejus geſta condidit: eoque nomine ab Antonio donatus eſt agro Falerno. Huc reſpexit Cicero Philipp. XIII: *Hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obſident, de Falerno anſeres depellantur*, &c. Virgilio infeſtus erat: qui icciрco eum taxat Eclogâ IX: ſed obliquè, uti & Tullius fecerat. Maronis quidem verſus hujuſmodi ſunt:

*Nam neque adhuc Varo videor, neque dicere Cinnâ*
*Digna: ſed argutos interſtrepere anſer olores.*

Ubi ſic Servius: *Alludit ad Anſerem quendam, Antonii poëtam, qui ejus laudes ſcribebat: quem ob hoc per tranſitum carpſit. De hoc etiam Cicero in Philippicis dicit: Ex agro Falerno anſeres depellantur. Ipſum enim agrum ei donârat Antonius.* Adi quoque Maronis vitam, quæ ſub nomine Donati prodiit. Meminit & Propertius lib. II eleg. ult.

*Nec minor his animis, aut ſi minor* a, *ore canorus* a Scal. nec ſe minor.
*Anſeris indocto carmine ceſſit olor.*

Et Ovidius lib. II Triſt.

*Cinna quoque his comes eſt, Cinnâq; procacior Anſer.*

Inter poëtas hiſtoricos à Popelinierio *b* etiam refertur Cornelius Alpinus. Horatio is σύγχρονος fuit, qui ejus meminit lib. I ſatir. X: b *In hiſtoria hiſtoricorum l. 5.*

*Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque*
*Defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,*

Ait poëta, ſe ſcribere iſta, dum poëtatur Cornelius Alpinus:

pinus: qui, ut Porphyrio inquit, *Memnonia verſibus hexametris deſcripſit.* Ibidem ſic Acro: *Alpinus hic Memnonis bella deſcripſit, & quia male, ideo ait jugulat; quaſi malis carminibus ipſum Memnona necat: vel Vivalium, quendam poëtam Gallum, tangit.* Ubi pro *Vivalium* in libris nonnullis *Vivalum* eſſe, Cruquius ait. Sed ipſe pro *Vivalium*, vel *Vivalum*, *rivalem* legit: perque Cornelium Alpinum intelligit C. Cornelium Gallum; eumque Alpinum vocari ait, quia fuerit Forojulienſis. Atque huc cenſet reſpexiſſe Maronem, cùm Gallum inducit ita conquerentem de Cytheride ſuâ Antonium ſecutâ;

*Tu procul à patria, (nec ſit mihi credere tantum)*
*Alpinas ah, dura, nives, & frigora Rheni*
*Me ſine ſola vides.*

Sed hæc quidem Alpinâ ſanè nive frigidiora mihi videntur. Nam quo pacto colligere ex eo eſt, poëtam ſignari juxta Alpes natum, quia dicatur, amicam ejus procul à patria Alpinas nives ſectari, & Rheni oſtia? Tum autem veriſimile non eſt, Gallum, poëtam nobilem, & Virgilio amiciſſimum, *turgidum* vocari ab Horatio: etſi non ignorem, eum duriorem Tibullo, & Propertio, cenſeri etiam à Quinctiliano lib. x. Adhæc Gallum quidem quatuor libros ſcripſiſſe Amorum de Cytheride amica, Volumnii libertâ (quam Maro Lycorida appellat) ex Servio didici: uti ex Probo, eum in ſcribendo ſequi colorem Euphorionis poëtæ Græci. Sed de Memnoniis ejus, nihil apud veteres legi arbitror. Interim nec Acroni (quem & Glandorpius in Onomaſtico ſequitur) accedo; qui eò ab Horatio dici putat jugulatum Memnona ab Alpino, quia *dum pugnam deſcribit inter Achillem & Memnonem, ita hoc facit, ut iterum videatur Memnona jugulare ſuis carminibus.* Potiùs enim *jugulare*, ſimpliciter expoſuero *jugulatum facere.* Ut Maro dixit Ecloga VI:

*Tum Phaëtontiadas muſco circumdat amaræ*
*Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.*

## Cap. XVIII.

*Cæſaris Auguſti libri de vita ſua. Tredecim fuiſſe eos, non* XXX *contrà quàm Torrentius credidit. Ejuſdem liber de memoria Druſi: atque alia. Vipſanio Agrippæ unde nomen, & quæ felicitatem ejus magnopere obſcurent, libri ejus de vita ſua, item de orbe terrarum. M. Valerii Meſſallæ natalis, dignitas, ſcripta, facundia, inque ſenectute omnium oblivio. Arruntii hiſtoria de bello Punico. Ejus* κακοζηλία, *dum Salluſtium æmulatur. Non videri ſeorſim de terrarum ſitu ſcripſiſſe, quod Lipſius putabat. Facundia ejus. Diverſus ab hoc Arruntius, captator teſtamentorum. Hiſtoria Sulpicii Galbæ, avi ejus Galbæ, qui Neroni in imperio ſucceſſit.*

Auguſtus Cæſar de vita ſua ſcripſit libros XIII. Auctor Suetonius in Auguſto cap. LXXXV: *Aliqua* (compoſuit) *De vita ſua, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultrà, expoſuit.* Ulpianus l. 1. D. De cadaveribus damnatorum: *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipſorum neganda non ſunt. & id ſe obſervâſſe etiam, Divus Auguſtus lib. x de vita ſua ſcribit.* Meminit & ejus operis Servius I Georg. & VIII Æn. Ac è Græcis Appianus lib. IV ἐμφυλ. & in Illyr. item Plutarchus in Antonio & Bruto, Dio lib. XLVIII, & Suidas in Αὔγουστος: qui & ipſe XIII libros fuiſſe dicit: ut omnino Torrentius peccet, qui in Suetonio XXX repoſuit, neſcio cujus codicis fidem ſecutus. nam aliter vett. editt. & MSSi. Illuſtre ex eo opere fragmentum habet Plinius lib. II Hiſt. Nat. cap. XXV. Nec quidem is dicit ex libris de Vita eſſe: ſed non aliunde depromi, cognoſcimus ex verbis Bæbii Macri apud Servium in I Georg. ubi rem eandem narrat, atque addit, *Hoc etiam Auguſtus in lib. II Memoria vitæ ſuæ complexus eſt.* Fecit & *indicem rerum à ſe geſtarum*, teſte Tranquillo. Ac luculentum ejus fragmentum ex lapide Ancyrano tranſcriptum ſupereſt. Hiſtoricum etiam opus fuit *memoria vitæ Druſi, quam pro ſe oratione compoſuit:* ut auctor eſt Suetonius in Aug. cap. XXVIII. Item *breviarium totius imperii*, de quo idem cap. CI. & fortaſſe etiam τὰ πρὸς Ἀγρίππαν a καὶ Μαικήναν ὑπομνήματα, ex quibus quiddam refert Plutarchus in Cic. *Ex breviario totius imperii* adferri videntur, quæ in fragmento legas Itinerarii Antonini Auguſti, à Simlero ſcholiis in Antoninum Aug. ſubjecti b. Eo in fragmento dicitur, *Divus Auguſtus totum terrarum orbem rectè diviſit*, *ubi ait:* ORBIS *totus dividitur in partes tres, Europam, Africam, & Aſiam; quæ ferè dupla eſt, ad quamlibet duarum.* Quàm multa, quàm varia, tanta ſuſtinens negotia ſcripſerit Auguſtus, non difficile eſt conjectare ex aureis reliquiis, quas undique collegit, notiſque illuſtravit, ſummus vir, Janus Rutgerſius, Sereniſſimi Suecorum Regis conſiliarius, quem vide lib. II Var. Lect. cap. XIX.

a *Commentaria ad Agrippam & Mæcenatem.*
b *In edit. Æthici, & Antonini, quæ Baſil. prodiit ann. 1575. pag. 252.*

M. Vipſanius Agrippa, Auguſti Cæſaris amicus, & gener, fuit. Unde Agrippæ nomen acceperit, Gellius oſtendit lib. XVI cap. XVI, & Plinius lib. VII cap. VIII: *In pedes*, inquit, *procedere naſcentem, contra naturam eſt: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quamquam is quoque adverſâ pedum valetudine, miſerâ juventa, exercito ævo inter arma morteſque, ad noxia ſucceſſu, infelici terris ſtirpe omni, ſed per utraſque Agrippinas maximè, quæ Cajum, & Domitium Neronem, principes genuere, totidem faces generis humani: præterea brevitate ævi, quinquageſimo uno raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, ſocerique prægravi ſervitio, luiſſe augurium præpoſteri natalis exiſtimatur.* Vide & de eo Tranquillum in Auguſto cap. LXIII, & duobus ſequentibus. Eò autem memoratur à nobis hoc loco, quia ſcripſit libros de vita ſua. Philargyrius in II Georg. *Agrippa in ſecundo vitæ ſuæ dicit excogitâſſe ſe, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verùm hujus gloria Auguſto ceſſit.* Item deſcripſit orbem terrarum. Plinius lib. III cap. II: *Agrippam quidem in tanta viri diligentia, præterque in hoc opere cura, cùm orbem terrarum urbi ſpectandum propoſiturus eſſet, erràſſe quis credat? & cum eo Divum Auguſtum? Is namque complexam eum porticum ex deſtinatione & commentariis M. Agrippæ à ſorore ejus inchoatam peregit.* Ex eo longitudinem, & latitudinem Narbonenſis provinciæ tradit Plinius ejuſdem libri cap. IV; Siciliæ circuitum cap. VIII; ambitum Italici, & Illyrici ſinus, cap. XXVI; intervallum ab ore Iſtri ad eos Ponti lib. IV cap. XI; à promontorio Cretico, quod κριοῦ μέτωπον vocatur, uſque ad promontorium Cyrenarum, cui nomen Phyconti, cap. XII; longitudinem oræ Germanicæ cum Rhætia, & Norico, cap. XIII; longitudinem, & latitudinem, univerſarum Galliarum inter Rhenum, & Pyrenæum, atque Oceanum, ac montes Gebennam, & Juram, quibus Narbonenſem Galliam excludit, cap. XVII; longitudinem Troglodytici ſinus Prolemaida uſque lib. VI cap. XXIX; Æthiopum terræ univerſæ cum mari rubro longitudinem, & latitudinem cum ſuperiori Ægypto cap. XXX; intervallum à freto Gaditano ad ſinum Iſſicum cap. XXXIII.

M. Valerius Corvinus Meſſalla eſt is, qui primus Auguſtum patrem patriæ ſalutavit: ut Suetonius tradit cap. LVIII. Natus eſt Olymp. CLXXX anno II, uti & T. Livius, teſte Hieronymo in Chronicis. Etiamnum adoleſcens Triumviris formidini fuit: ut teſtatur Appianus lib. IV de bello civili. Adi & Plutarchum in vita Bruti ſub finem, & Vellejum lib. II; ubi egregium ejus elogium addit. Sed, rebus compoſitis, etiam conſulatum ſub Auguſto eſt adeptus. Primus quoque Urbis præfectus fuit: ſed paucis diebus dignitatem eam exercuit, & ejuravit, ſive quaſi neſcius exercendi, ut Tacitus ait; ſive quia poteſtatem eam parùm civilem putaret: ut eſt apud Hieronymum in Chronico Euſebiano. Propterea Dioni Mæcenas primus fuiſſe Urbis præfectus dicitur. Exſtat ad eum Tibulli panegyricus. Scripſit de litera S.

Item

Item Amatoria, teſte Plinio lib. v. epiſtol. Adhæc libros de auſpiciis, ex quibus Gellius pluſcula adfert lib. XIII. cap. XIV. Atque idem opus ſignat, ut puto, Macrobius lib. I. Saturnal. cap. IX, ubi ſic ſcribit: *Marcus etiam Meſſalla Cn. Domitii in conſulatu collega, idemque per annos quinquaginta & quinque augur, de Jano ita inquit: Qui cuncta fingit, eademque regit, aquæ terræque vim ac naturam gravem atque pronam, in profundum dilabentem, ignis atque animæ levem, immenſum in ſublime fugientem, copulavit circumdato cælo: quæ vis cæli maxima duas vis diſpares colligavit.* Præterea jam ſenex de Romanis familiis librum ſcripſit. Atque hujus cauſſâ potiſſimùm hoc loco ejus meminimus. Eo ex opere Plinius locum promit lib. XXXIV. cap. XIII, & lib. XXXV. cap. II. Ac fortaſſe inde etiam ſunt, quæ idem adfert lib. XXXIII. cap. III. Et imprimis, quæ Suetonius refert in Auguſto cap. LXXIV: *Valerius Meſſalla tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo cœna, excepto Mena; ſed adſerto in ingenuitatem poſt proditam Sext. Pompeji claſſem.* Exſtat hodieque ſub Meſſallæ nomine de progenie Auguſti Cæſaris libellus, quem primus in lucem protraxit Jacobus Bedrotus Pludentinus: ut conſtat ex editione Moguntina anni CIↃIↃXL. Manuſcriptus verò cùm alibi exſtat, tum Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolnienſis. Sed eſt is ſcriptor planè ſuppoſititius. Veriſſimeque à Barthio proditum Adverſar. lib. XIX. cap. XIV. eſſe medii ævi fœtum. Nullo autem opere tantum laudis genuinus meruit Meſſalla, quàm orationibus, & declamationibus ſuis. Præclarè de eo M. Seneca Controverſiâ XII: *Fuit Meſſalla exactiſſimi ingenii in omnes ſtudiorum partes, Latini utique ſermonis diligentiſſimus.* Et Lucius Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει *diſertiſſimum virum* appellat. Imò Tacitus, ſive alius, in dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ, cenſet fuiſſe *Cicerone mitiorem, & dulciorem, & magis in verbis elaboratum.* Quinctilianus quoque lib. x. cap. I: *Meſſalla*, inquit, *nitidus, & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam.* Imò adhuc adoleſcens luculento elogio ornatus eſt à M. Tullio, epiſtolâ quadam ad M. Brutum. Id hîc quoque apponi meruit: *Meſſallam habes. Cave exiſtimes, Brute (quanquam non eſt neceſſe ea ad te, quæ tibi nota ſunt, ſcribere: ſed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo ſilentio præterire) cave putes, probitate, conſtantiâ, curâ, ſtudio reipub. quidquam illi eſſe ſimile: ut eloquentia, quâ mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. quamquam in hac ipſâ ſapientia plus appâret. Ita gravi judicio, multaque arte ſe exercuit in veriſſimo genere dicendi. Tanta autem induſtria eſt, tantumque evigilat in ſtudio, ut non maxima ingenio (quod in eo ſummum eſt) gratia habenda videatur.*

Tantus autem vir anno ætatis LXX, biennio ante mortem, omnium planè, etiam nominis proprii, fuit oblitus. Auctor Plinius Hiſt. Nat. lib. VII. cap. XXIV.

Aruntius, ſive Arruntius potiùs, (ut in Faſtis ea vox exaratur, & a Græcis) ſub Auguſto de bello Punico ſcripſit hiſtoriam ſtylo Salluſtiano, ſed non ſine κακοζηλίας. De eo ſic Seneca Epiſt. CXIV. *Hæc vitia unus aliquis inducit, ſub quo tunc eloquentia eſt: cæteri imitantur, & alter alteri tradunt. Sic, Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ, & verba ante exſpectatum cadentia, & obſcura brevitas, fuere pro cultu. Arruntius, vir raræ frugalitatis, qui hiſtorias belli Punici ſcripſit, fuit Salluſtianus, & in illud genus nitens. Eſt apud Salluſtium:* Exercitum argento fecit: *id eſt pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit: poſuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco:* Fugam noſtris fecere. *Alio loco*, Hiero, rex Syracuſanorum, bellum facit. *Et alio loco:* Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Guſtum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quæ apud Salluſtium raræ fuerunt, apud hunc crebra ſunt, & pene continua, nec ſine cauſſa. ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem, quid ſequatur, ubi alicui vitium pro exemplo eſt. Dixit Salluſtius:* Aquis hiemantibus. *Arruntius in primo libro belli Punici ait:* Repente hiemavit tempeſtas. *& alio loco, cùm dicere vellet frigidum annum fuiſſe, ait:* Totus hiemavit annus. *Et alio loco:* Inde ſexaginta onerarias leves, præter militem, & neceſſarios nautarum, hiemante Aquilone, miſit. *Non deſinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Salluſtius dicit:* Inter arma civilia æqui boni famas petit. *Arruntius non temperavit, quo minus primo ſtatim libro poneret:* Ingentes eſſe famas de Regulo. Hactenus Seneca. Eundem planè cenſeo eſſe Arruntio iſti, qui à Plinio refertur inter ſcriptores eos, ex quibus profecerit lib. III, & V. Sanè iſtis libris Plinius tractat ſitum terrarum, & marium. At dubium, quin Arruntius in libris ſuis de bello Punico deſcripſerit Hiſpaniæ, Africæ, aliaque loca, in quibus manum conſeruere Pœni cum Romanis. Juſtus Lipſius in eruditis ad Tacitum Notis cenſet Γεωγραφικὰ edidiſſe. Nempe propter iſtam Plinianam mentionem. Sed, ut arbitror, iſtud non ſcripſiſſet, ſi occurriſſent libri ejus de bello Punico. Arbitror autem hunc Arruntium eſſe illum L. Arruntium, qui cum M. Claudio Marcello Æſernino conſul fuit anno IↃCCXXXII. De quo ſic Tacitus in primo annalium: *Poſt quæ L. Arruntius, haud multum diſcrepans à Galli oratione, perinde offendit. Quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira. Sed divitem, promtum, artibus egregiis, & pari famâ, publice ſuſpectabat. Quippe Auguſtus ſupremis ſermonibus cum tractaret, quinam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem poſſent cuperentque: M. Lepidum dixerat capacem, ſed aſpernantem: Gallum Aſinium avidum, & minorem: L. Arruntium non indignum, &, ſi caſus daretur, auſurum. De prioribus conſentitur: pro Arruntio quidam Cn. Piſonem tradidere. omneſque præter Lepidum variis mox criminibus, ſtruente Tiberio, circumventi ſunt.* Aſſentio quoque Nicolao Fabro apud eundem lib. III. Annal. ubi vulgo eſt *T. Arruntius*, legenti *Lucius Arruntius*. Egregium autem oratorem fuiſſe, neceſſe eſt, quem vel Piſo ibi in periculo ſuo petat, vel Tacitus nominet ante Aſinium Gallum, & Marcellum Æſerninum. Etiam apud M. Senecam, præfat. libri VII. Controverſiarum, legas, quomodo Arruntius urſerit Albutium in judicio. Quod facit, ut idem videatur, ac patronus ille à Piſone expetitus, Tacito teſte. Sed ut his quidem locis unus Arruntius intelligi videtur: ita alius eſt is, de quo Seneca lib. VI. de Benefic. ubi Arruntius captator teſtamentorum fuiſſe dicitur. Nec enim hoc convenit cum eo, quem Tacitus, nunc artibus egregiis, nunc ſanctiſſimis fuiſſe, ait. Sed iſte captator teſtamentorum fuerit is, de quo Joſephus lib. XIX. ἀρχαιολογίας cap. I. Ἦν δ' εὔχαρις Ἀρρούντιος τῶν κηρυσσόντων τὰ πωλούμενα, καὶ δι' αὐτὸ φωνῆς τε μεγέθει χρώμενος, καὶ χρώματα ἀνειλημμένος ὅμοια τοῖς Ῥωμαίων πλουσιωτάτοις· δύναμίς τε αὐτῷ ἦν ἐφ' οἷς ἐθελήσειε πράσσειν κατὰ τὴν πόλιν, ἔν τε τῷ τότε, κἀν τοῖς ὕστερον. Quæ ſic vertit Rufinus: *Fuit igitur Arruntius quidam, gratus homo inter præcones rerum venalium, & propterea magnitudine vocis utebatur, indutus veſtibus diverſi coloris ad inſtar nobilium Romanorum: habebatque potentiam agendi, quæ vellet, in civitate, in his, quæ tunc, & poſtea gerebantur.* Ecce Arruntius iſte fuerat præco, & ſub Cajo magnus fuit: at ille prior vir erat conſularis, ſub Auguſto clarus, ac ſub Tiberio deceſſit: quod Tacitus primo Annalium indicat, & pluribus in tertio exponit.

Sulpicius Galba, avus imperatoris Galbæ, hîc etiam locum ſibi vindicat, etſi cujus rei hiſtoriam reliquerit, non ſatis ſciatur. Suetonius in Galba: *Avus* (Galbæ) *clarior ſtudiis, quàm dignitate: non enim egreſſus præturæ gradum, multiplicem, nec incurioſam hiſtoriam edidit.* Ætatem inde etiam cognoſcimus, quòd pater hujus hiſtorici (ut ibidem Tranquillus ait) *ob repulſam conſulatus infenſus Julio Cæſari, cujus legatus in Gallia fuerat, conſpiravit cum Caſſio, & Bruto: propter quod Pediâ lege damnatus eſt.* Non dubito autem quin idem ſignetur à Cornelio Nepote in vita Annibalis, ubi hæc legas: *Quibus*

*conſulibus interierat* (Annibal) *non convenit. Namque Atticus M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Coſſ. mortuum in annali ſuo ſcriptum reliquit. At Polybius L. Æmilio Paulio, & Cn. Bæbio Tamphilo. Sulpicius autem P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo.*

## CAP. XIX.

*T. Livius quando ſcripſerit, quando deceſſerit, quot hiſtoriarum libros fecerit, quouſque hiſtoriam perduxerit, an genuinus ſit liber* XLIII, *Fabii ac Caligula diſpar de Livio judicium, Patavinitas in eo ab Aſinio deprehenſa. Perperam illud à viro docto intelligi, uti & Senecæ de eo judicium. Annii, Scoppa, & Glareani de mala Livii fide judicium refellitur. Antonini itinerarium ab Annio editum, planè ſuppoſititium, & ineptiarum plenum. Trogi Pompeji pater quos honores geſſerit, atque unde Pompejus dictus ſit. Alius eſt à Quinctio Trogo, homine nefario. Cur Cicero orationes in Antonium Philippicas dixerit: curque Trogus hiſtorias ſuas Philippicas nominârit. Eo opere & mundi Origenes, ac terræ ſitus pertractâſſe. Liber ejus de animalibus. Vanitas cujuſdam, Trogum ipſum pollicentis. Ætas Feneſtellæ. Epitomen ejus Diomedi memoratam perperam ſuppoſititiam putari. Feneſtellæ error, alterque Gellii. Libellus de magiſtratibus, Feneſtellæ vulgo tributus, quem habeat parentem, ac ad quem ſcriptus fuerit: ac Robortellii, & Alciati ſuper eo lapſus.*

TItus Livius Patavinus, quin fuerit, nemo ambigit. Sed non æquè apertum, utrùm natus ſit in Apono vico, qui hodie *Abano*: ut eo modo dicatur Patavinus, quo Maro dictus Mantuanus, quia Andibus natus, qui vicus in agro erat Mantuano. Qui Aponenſem Livium faciunt, adferunt Martialis lib. I. ep. LXII:

*Cenſetur Apona Livio ſuo tellus.*

Et ſanè unus hic locus prora & puppis iis videtur, qui in vico eo natum fuiſſe Livium crediderunt. Qua in ſententia, ut intelligo ex Clariſſimo Pignorio, etiam eſt Guilielmus Ongatilius, hiſtoricus Patavinus nec dum editus. Sed ſi Livius Aponi natus à Martiale dicatur, idem dixiſſe credendus de Stella, & Flacco. Atqui obſtare videtur illud ejuſdem libri epigr. LXXVII:

*Flacce Antenorei ſpes & alumne laris.*

Ubi in Antenoreo, hoc eſt Patavino lare natum non obſcurè ait. Quare videndum, an non ab Apono fonte, qui celebratiſſimus erat inter aquas Patavinas, Aponam terram generatim dixerit pro Patavina: non pro Apono vico, cujus Martialis temporibus nullum fuiſſe nomen videtur. Eſtque in hac etiam ſententia ὁ μακαρίτης Cluverius noſter in Italia ſua. Scripſit Livius poſt quidem Auguſti triumphum de bello Actiaco, qui incidit in annum Urbis IϽCCXXV, ſive conſulatum Auguſti V: ante verò Cantabros ductu L. Antiſtii domitos, quod fuit anno IϽCCXXX, ſive conſulatu Auguſti X. Hoc liquet ex verbis illis ipſius Livii lib. I: *Bu deinde poſt Numæ tempora Janus clauſus fuit; ſemel T. Manlio Coſ. poſt Punicum primum perfectum bellum, iterum quod noſtræ ætati dii dederunt, ut videremus, poſt bellum Actiacum, ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra marique parta.* Satis conſtat ter ab Auguſto clauſum eſſe templum Jani, ſecundò quidem anno Urbis IϽCCXXX, Cantabris devictis. Tertiò autem anno ſequenti, ſive conſulatu Auguſti XI. Cùm verò Livius ſemel duntaxat ſua ætate clauſum dicat, quid apertius quàm ſcripſiſſe iſta, antequam ſecundò tertioque clauderetur. Quanquam verò ſub Auguſto quidem hiſtoriam ſuam edidit, ſed eo diutius vixit. Quarto enim obiit Tiberii anno, ætatis ſuæ LXXVI, quo & Ovidius deceſſit Tomis: ut de utroque Euſebius in Chronicis teſtatur. Scripſit hiſtoriarum libros CXL, vel potius CXLII, ut jam olim agnovit Petrarcha. Iis complectebatur res Romanas ab Urbi cond. uſque ad bellum in Germania geſtum à Druſo, ejuſque mortem. Ex illis ſoli ſuperſunt XXXV. Nam ſecunda periit decas, & quicquid ſequebatur librum quadrageſimum quinctum. Cæterorum nihil habemus, præter argumenta, quæ epitome Livianâ (ſi argumentum libri CXXXVI, & CXXXVII exceperis) continentur, ſive ejus Florus, ſive alius eſt auctor. Libri CIII meminit Serenus Sammonicus, quo loco agit de carboni medendo:

*Tertia namque Titi ſimul & centeſima Livî*
*Charta docet ferro talem candente dolorem*
*Exſectum, aut poto raparum ſemine pulſum,*
*Infecti dicens vix ſeptem poſſe diebus*
*Vitam produci, tanta eſt violentia morbi.*

At qui nuper, tanquam Livii genuinam, libri XLIII partem majorem è veteri, ut ait, bibliotheca, primus juris publici fecit; næ ille fucum fecit auritis Midis; non illis, quibus corculis eſſe datum eſt, & qui nórunt, quid æra lupinis diſtent.

Nihil hoc ſcriptore eſt grandius, atque uberius. Vir diſertiſſimus à Seneca in primo de ira vocatur. Lacteam quidem ubertatem ejus prædicat Fabius lib. X. cap. I. Ibidem arbitratur, ut Thucydidi Salluſtium, ita Herodoto Livium æquiparari poſſe. Quanto ille candidiùs, quàm Caligula Imperator, qui, Tranquillo teſte, verboſum vocabat. Sed de ſtylo etiam litem intentabat olim Aſinius Pollio. Patavinitatem *a* in eo animadvertere ſe ajebat, ut Fabius teſtatus lib. VIII. cap. I. Nimirum delicatum Romani hominis palatum videbatur ſibi aliquid ſentire, quod non uſquequaque ſaperet genium Romani ſermonis. At non audiendus eſt Keckermannus, quando hinc colligit, reprehenſum ab Aſinio eſſe ſublimem Livii ſtylum. Uti & cùm à Seneca propterea culpari putat lib. I. de Ira cap. ult. & de Tranquillitate cap. IX. Nam longè aliud & Fabium & Senecam velle, nemo diffitebitur, qui verba eorum attendat. Nec probare illa Lipſii poſſum, viri ab ingenii elegantia, & varia eruditione, quàm dictione laudatioris: *Nos quoque ſupinum eum alibi, aut frigidum, imo & ταυτολόγον agnoſcimus: derivaturi tamen libenter in exſcriptores hanc culpam.* Cui & ſubſcribere videtur Poſſevinus bibliothecæ ſelectæ lib. XVI. Uti & judicium eorum ſequitur improbantium, quòd ſuperſtitioſè referat prodigia tam multa: ut boves locutos, infantes ſemeſtres triumphum clamâſſe. Quæ ſanè in gentili laudem magis merentur, cùm qualemcunque numinis cultum ἀθεότητι oporteat præferre. Sed quid de iſtis dicemus, quibus ne bonæ quidem fidei videtur? Hi firmatum eunt ſententiam ſuam verbis Antonini Cæſaris in Itinerario ſuo, ubi hæc legas, *Fano Volturna, cujus claris geſtis invidit Livius.* Eum verò ad locum hæc annotavit Annius Viterbienſis: *Quid ſibi velit, quod ait, Cujus præclaris geſtis invidit Livius, equidem alii alia exiſtimant. Dicam & ipſe opinionem meam. Suetonius Tranquillus in vita C. Caligulæ ſcribit, paullulum abfuiſſe, quin ab omnibus bibliothecis ſtatuas & ſcripta Livii, deleret, qui illum, ut verboſum, & negligentem in hiſtoriâ, carpebat. Eſt autem negligens is, qui ſupprimit, quæ referenda ſunt; & verboſus, qui abſque probatione contradicit afferentis rationes, & auctores. Et his duobus peccavit Livius in multis, ut patet. Sed ex multis, quò ad fanum Volturnæ hæc exempla ſint. Cælius Thuſcus Lartes Fani juvit Romulum implorantem ab eo auxilium contra Ceninenſes, Cruſtuminos, & Latinos, & retulit triumphum. Et id idem fecit contra Sabinos Galeritus Lucumo. Et ob id ipſe primus poſuit Prætoria Romæ, &, diviſâ Româ, in tres tribus, impoſuit nomina, & tertiam partem dedit Thuſcis. Ut clarè tradunt Propertius in elegiâ ad Vertumnum, & alterâ paululum præcedente, & Varro in I de lingua Latina, & Fabius Pictor de origine urbis Romæ, & Dionyſius Halicarnaſſ. in II lib. & Mythici ſub fabula Jani ejaculantis aquas ſulphureas in Sabinos, ut Macrobius in I Saturnal. & Ovidius in I de Faſtis indicant. At lividus fuit Livius, ut hic notat Antoninus, qui, ut funditus extingueret Thuſcorum fulgorem, & triumphos obnubilaret, ab eis partos, non à Romulo geſtos; omnino*

etiam

*a Id eſt, quædam minus Romanè dicta, ut interpretatur Eraſmus in Ciceroniano.*

*etiam ſcribere unum verbum neglexit. Quod profectò inuidiſſimi hominis eſt officium, & negligentis veritatem in hiſtoria. Similiter fuit verboſus, quia abſque certo auctore, & probatione, dicit contra Varronem, quod Lucerum nomen incertæ originis. Fabius enim Pictor, antiquior eo, oſtendit ab hiſtoria eſſe Etruſcæ originis atque certiſſimæ. Rurſus Livio antiquior & doctior Varro in 2 de L. L. dicit eſſe certæ originis; à Lucumone Luceres dictos: idque probat vetuſtiſſimis auctoribus, Junio, & Tolumnio, Tuſcarum Tragœdiarum ſcriptore. Et item inexpugnabili argumento, quod Luceres eſt derivatio Etruſca à Lucumone, & non Latina à luco Aſyli, ut Pedianus, & Plutarchus in vita Romuli, turpiter in Grammaticâ Latinâ aberrantes, dicunt, quia lucus Latinè à luceo verbo per antiphraſim derivatur, & à luco Lucii, & Lucani, Latina derivatio eſt, & non Luceres, ut linguæ Latinæ peritiſſimus Varro oſtendit. Non eſt igitur mirum, ſi Cæſar excanduit irâ contra ſcripta Livii, negligentiæ, & ſupprimentiæ, quæ clariſſima erant: & eum appellavit jure verboſum, qui contra Varronem afferentem teſtes antiquiſſimos, & invincibilem rationem, verboſa ſolùm & anili loquacitate dixit, Lucerum nomen eſt incertæ originis. Et ideo, ut utamur regulâ B. Hieronymi, eâdem facilitate Livius, & omnes alii ſimiles, contemnantur, quâ ſine ratione, ac certo auctore, contra doctiores ſolâ verboſitate uſi proferunt. Quum verò conſtet Livium non ignorâſſe, quæ Varro, & Fabius Pictor, & alii, referunt, conſtat equidem illum non ignoratione ſcientiæ? ſed malignitate naturæ in hiſtoria neglexiſſe dicenda, & verboſe dixiſſe ſubticenda. Et ob id, uti Cajus, ita & Antoninus Cæſar, eum arguit invidiæ, dicens: Volturna præclaris geſtis invidit Livius.* Hactenus, nimis profectò patienter, latrantem audivimus caniculam iſtam. Cujus omnia ſingulatim refellere velle, planè ſit otio ſuo abuti. Sed mirari ſatis non poſſum, in ſententiam ſuam pertrahere potuiſſe viros aliquot eruditos: eoſque inter L. Joannem Scoppam Parthenopæum, qui Collectaneorum libro I. cap. XVIII, ſic ſcribit: *Livius, hiſtoricus luculentiſſimus, in primo ab urbe condita:* Eodem, inquit, tempore & centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt: Ramnenſes à Romulo: à Tito Tatio, Titienſes appellati; Lucerum nominis, & originis cauſſa incerta eſt. *Hæc Livius. Non quòd (ut mea eſt ſententia) Lucerum originem ignoraret; ſed perinde ac Gallus Ciſalpinus, & Hetruſcæ, Italiæque gloriæ invidens, conſcripſit: quod Antonius Cæſar in ſuo Itinerario his verbis arguit:* Vulturna, cujus claris geſtis invidet Livius. *Et Cajus Caligula, Tranquillo in Caligulæ vita ſcribente, paullum abfuit, quin ſtatuas & ſcripta Livii ab omnibus bibliothecis amoveret, tanquam verboſi & in hiſtoria mendacis. Scius ergo erat Livius, ſed ut invidus omiſit.* Hactenus Scoppa. Sed quid in mentem venit Scoppæ, ut ſe tueretur autoritate Cæſaris Caligulæ? quem ignorare non potuit ſimiliter de Virgilio ſenſiſſe: imò & Homerum contemſiſſe. Sunt enim iſta Tranquilli verba: *Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur enim ſibi non liceret, dicens, quod Platoni licuit, qui eum è civitate, quam conſtituebat, ejecerit? Sed & Virgilii, & T. Livii ſcripta, & imagines, paullum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit, quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ: alterum, ut verboſum in hiſtoria, negligentemque, carpebat.* Ex eodem ſcimus, quid de abolendis juriſconſultis ſæpe jactârit: ac quale ejus de L. Seneca fuerit judicium. Quamobrem ſanum neminem movebit auctoritas Caligulæ, qui, ut ejuſdem Tranquilli verbis utar, *non minore livore, ac malignitate, quàm ſuperbiâ ſævitiâque, penè adverſus omnis ævi homines graſſatus eſt.* Quod verò ad Antoninum imperatorem, quo & ipſo ſe tuetur Scoppa, nuſquam leguntur ea de Livio verba in genuino ſeu Antonii, ſeu Antonini, ſeu Æthici Itinerario, quod primùm edidit Joſias Simlerus; poſteaque ex antiquis codd. correxit, & commentario illuſtravit Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus. Sed ſunt ea verba in Itinerario iſto, quod Annius Viterbienſis commentus fuit, ac cunctis obeſæ naris, ut germanum, obtruſit. Sanè iſto ὑποβολιμαίῳ Antonini Itinerario nihil indoctius, atque inſulſius. Quod & res clamat, & ubertim oſtenſum ab eruditiſſimo, ac, dum viveret, amiciſſimo mihi, Philippo Cluverio in Italia ſua. Quare, cur vel propter Caligulam, vel ſuppoſititium Antoninum, ſuſpectior nobis ſit Livius, nihil ſanè cauſſæ eſt. Nec magis movere debet Henricus Glareanus, vir variæ eruditionis, cum a Livium bellicoſæ Gallorum gentis res geſtas odioſè tractare, virtuteſque eorum malignè elevare, conqueritur. Quod etiam Barthius facit Adverſariorum lib. LX. in Auguſtini de Civitate Dei lib. I. cap. VI. Quàm enim Livius veritati ſtuduerit, vel ex eo conjecturam capere poſſumus, quòd in deſcriptione belli civilis ne Auguſto quidem in tantum voluerit gratificari, ut aliter res narraret, quàm factum ſciret. Audiamus, quæ Cremutius Cordus apud Tacitum dicat Annalium libro IV: *Titus Livius, eloquentiæ ac* FIDEI *præclarus imprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Auguſtus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe ut inſignes viros nominat.* Verùm aliud alii telum intentant. Malevolentiæ enim eo reum agunt, quòd Polybium, quem κατὰ πόδα ſæpe exſcribit, non alio dignetur elogio, quam b *haudquaquam ſpernendi auctoris.* Quam frigidam ſanè laudationem eſſe Fulvius Urſinus c annotavit. Petrus Victorius eo putabat crimine liberari Livium, quòd parciores olim in tribuendis fuerint elogiis. Quod non negârim. Sed non id ſatis eo comparet, quòd putabat id etiam ex Appulejo parere in Apologia: ubi quæſtorem publicum, qui coram adorat, non *ornatiſſimum* appellat, ſed *virum ornatum* vocare eſt contentus. Fortaſſe, ut Scipio Gentilis putabat, ordinis & dignitatis habuit rationem, quia, ut notum omnibus, primus in Senatum veniendi gradus erat quæſtura. Livii verò locus omnino intelligi debet κατὰ λιτότητα, ut nequaquam aſpernandus auctor idem valeat, ac ſi ſcriptorem dixiſſet ſummæ fidei & auctoritatis. Cui rei probandæ multa adferrem: niſi fuſè hanc Livianorum eſſe verborum mentem docuiſſet Caſaubonus in collectis à ſe Polybii fragmentis. Eloquentiæ ſtudioſo, præſertim tenella ætate, magis Livium profore, quàm Salluſtium, Quinctiliani judicium eſt, lib. cap. ubi ait: *Livius à pueris magis legendus, quàm Salluſtius, & hic hiſtoriæ major is eſt auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit.* Quod Fabii judicium carpit Barthius Adverſarior. XLVIII. cap. XIX. Putat, Salluſtium dici majoris hiſtoriæ auctorem: cùm ea non ſit annorum XXV. Ergo, inquit, legendum, *ſit hic hiſtoria; major is eſt auctor.* Imò omnino τὸ *hic* ad Livium refertur. Et penè quæcumque eo capite adverſus Fabium diſſerit idem Barthius, ſanè ἄῤῥητα ἀμείνω. Quantum ejus fuerit nomen cùm viveret, etiam docent hæc Plinii verba lib. II. epiſt. III, ad Nepotem: *Nunquamne legiſti, Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriâque commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque ut viderat abiiſſe?* Nempe, ut hac ipſa de re B. Hieronymus ad Paullinum ait: *Quod ad contemplationem ſui Roma contraxerat, unius fama perduxit.* Ac poſtea idem ait: *Habuit illa ætas inauditum, & omnibus ſeculis celebrandum miraculum, ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.* At mirificus zelus fuit S. Gregorii, qui, ut S. Antoninus, & ex eo Jo. Heſſelius, ex utroque Raderus ad Martialem tradit, Livium propterea combuſſit, *quòd in ſuperſtitionibus, & ſacris Romanorum perpetuò verſetur.* Sepulcrum Livii, ut quidem Blondus, eoque ex auctore Leander refert, Patavii fuit, ubi olim Junonis templum, ac nunc monaſterium beatæ Juſtinæ, quod tenent nigri monachi Benedictini. At hodie oſſa

a *Præfat. in ea, quæ ad Livium annotavit.*

b *Lib.* 30.

c *Notis in Polybii legationes.*

Livii magno in honore aſſervantur ſublimi loco curiæ majoris, ſive prætorii ab Henrico Imper. exſtructi, ſed poſt incendium à Venetis ſplendidius refecti. Seorſim verò oſtenduntur lingua & maxilla ejus. Sed brachium alterum non item. Cujus cauſſam hæc inſcriptio ibidem oſtendit: *Inclyto Alphonſo Arragonum Regi; ſtudiorum fautori, Reip. Venetæ fœderato, Antonio Panormita poeta, legato ſuo orante, & Matthæo Victurio, hujus urbis prætore conſtantiſſimo intercedente, ex hiſtoriarum parentis T. Livii oſſibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium Patavi cives in munus conceſſere anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo,* XIV *Kal. Septembris.* Inſcriptiones quaſdam monumentorum, quæ Livius poſuit, apud eoſdem, Blondum dico, ac Leandrum, reperies.

Trogus quoque Pompejus tum vixit. Ipſe libro XLIII ſcripſit, patrem ſuum ſub C. Julio Cæſare militâſſe, epiſtolarumque, & legationum ſimul, & annuli curam habuiſſe: majores verò è Vocontiis, Galliæ Narbonenſis populo, originem ducere: avum ſuum Sertoriano bello civitate fuiſſe donatum à Cn. Pompejo: à quo & veriſimile eſt Pompeji nomen accepiſſe: quomodo Demetrius Megas, cùm ei P. Cornelius Dolabella civitatem impetrâſſet, Publii Cornelii nomen accepit: ut Cicero ad Atticum auctor eſt. Is videtur fuiſſe vir virtutibus inclytus: eoque planè alius erit Trogi pater à T. Quinctio Trogo, homine ſceleroſo, quem capitis accuſavit M. Sergius, Manii filius, quæſtor. Quo de Varro pluribus extremo lib. V. de L. L. Sed de patria diſſentiunt nonnulli. Nam Joannes Gerundenſis initio παραλειπομένων Hiſpaniæ, Trogum dicit Hiſpanum fuiſſe. Ei nos opponimus Juſtinum, ſive Trogum ipſum, qui ſe Gallum facit. Diſſenſus quoque eſt de ætate. Nam Genebrardus in Chronolog. eumque ſecutus in prima editione Tabularum Chronographicarum Jacobus Gualterius, retulit, Trogum floruiſſe iis temporibus, quibus Chriſtus Salvator. Verùm Auguſti quidem ætate fuit: ſed fortaſſe obierat jam ante natum Chriſtum. Philippus Bergomas in ſupplemento Chronolog. & ante eum Gualterus Burlæus in libro de vitis philoſophorum, tradidere, Trogum hunc fuiſſe præceptorem Juſtini, ac utrumque claruiſſe tempore Antonini Pii. Sed hoc ſomnium iis, quæ diximus, ſatis refellitur. Scripſit Trogus Philippicarum hiſtoriarum libros XLIV, quarum nunc epitomen ſolam à Juſtino concinnatam habemus. Philippicas autem appellavit exemplo Theopompi. Sanè etiam Cicero orationes ſuas Philippicas exemplo Demoſthenis vocavit, quòd, ut hic in Philippum, ita ipſe in Antonium inveheretur. Sed meliori jure Trogus, cujus libri prope omnes de imperio Philippico, hoc eſt Macedonico, agebant. Nam à libro ſeptimo uſque ad XLI, tractat de regno Macedonico, cujus dignitas principium ſuum debet Philippo Magno, patri Alexandri. Septem verò libros primos Bongarſius cenſebat eſſe *Mundi origines:* quas veterum librorum inſcriptio pollicetur: at *terræ ſitum*, quas iidem promittunt, jure arbitratur eſſe deſcriptiones regionum, quæ à Juſtino quidem omiſſæ, à Trogo verò non item: quod oſtendunt prologi ab eodem Bongarſio editi ex codd. MSSis. Trogum hunc diſertiſſimis viris in Probo annumerat Vopiſcus: Ut cauſſæ nihil ſit, cur fidem minùs habeamus Juſtino, cùm in præfatione ſuâ, eum *virum priſcæ eloquentiæ* appellat. *Severiſſimum auctorem* vocat eundem Plinius. Qui crebrò ejus meminit in Hiſtor. Natural. imprimis in indice auctorum, è quibus profecit. Ut omittam Chariſium qui ejus de animalibus libros citat, (unde pleraque Plinius hauſiſſe videtur: ut item præteream Servium P. Danielis in illud III Æn. *Rhœteas primum eſt advectus in oras:* adhæc Hieronymum præfatione in Danielem, & in cap. V. ejus prophetæ, item Auguſtinum, Oroſium, Priſcianum, Jornandem, & alios. Aldus Senior epiſtolâ eâ, quam Perotti Cornucopiæ, & veteribus tribus grammaticis præfixit, ſcribit ipſas Trogi hiſtorias exſtare apud amicum quendam doctum, ac ſpectatæ fidei, & ſperare, propediem in lucem edi poſſe. Verùm amicus iſte Aldo impoſuit. Sanè necdum prodiit; neque, puto, unquam prodibit.

Lucius etiam Feneſtella his temporibus vixit. Quando autem, & quot annorum deceſſerit, docet Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum MMXXXVI, qui textus eſt Tiberii Cæſaris, ubi ſic ſcribit: *Feneſtella, hiſtoriarum ſcriptor, & Carminum, ſeptuagenarius moritur, ſepeliturque Cumis.* Imò & ante Hieronymum, atque adeò Suetonium, quem exſcribere Hieronymus in Chronicis ſolet, ſic de eo Plinius lib. XXXIII. cap. XI, *Repoſitoriis argentum addi ſuâ memoriâ captum, Feneſtella dicit, qui obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu.* Reliquit annales, ut cognoſcimus ex Nonio in *Reticulum, Præſente, & Rumor*, ubi XXII librum annalium citat. Etiam Feneſtellam in Archaicis citat Fulgentius lib. III. Mytholog. fabula de Perdica. Sed legitur in plurimis editt. *Feneſtella Martialis ait ſive ſcribit:* unde Savaro in Sidonii lib. IX. epiſt. XIV. colligebat Feneſtellæ huic cognomen fuiſſe Martialis. Sed planè deceptus eſt vitioſis codd. quia pro *Martialis ait ſive* reponendum *in archaicis*, ut eſt in Manuſcriptis, quod ſecutus eſt in editione ſua Commelinus, vir bene de eo ſcriptore, & aliis multis meritus. Diomedes lib. I. teſtimonium adfert ex Feneſtellæ epitomis. Sed viri docti arbitrantur eas epitomas non fuiſſe genuinas, eò quòd in fragmento à Diomede allato ſit vox decollandi, quæ Feneſtellæ ævo fuerit ignota, ſaltem puriùs loquentibus. Verùm cùm Diomedes apertè dicat, quos veteres dixere *ſecuri cæſos*, eos Feneſtellæ vocari *decollatos*; magis fit veriſimile, jam Tiberii ævo vocem eam obtinuiſſe. Auctorem hunc Lactantius lib. I. de falſa religione cap. VI. vocat diligentiſſimum ſcriptorem. Meminere & ejus Plinius in hiſtoria Natur. lib. VIII. cap. VII, lib. IX. cap. XVII, & XXXV, lib. XV. cap. I, & lib. XXXI. cap. XI. Tranquillus in vita Terentii, quæ Donato tribui falſò ſolet, Gellius lib. XV. cap. XXVIII, ubi Feneſtellæ hujus errorem ab Aſconio Pediano obſervatum ait, de ætate Ciceronis, cùm pro Roſcio Amerino diceret. In quo jure quidem Feneſtella reprehenſus fuit: ſed nec leviùs ipſe errat Gellius. Nam à Q. Cæpione, & Q. Serrano, quibus conſulibus M. Cicero ante diem III Non. Jan. natus eſt, ad L. Syllam Felicem, & Q. Metellum Pium, conſules, quibus pro Roſcio dixit Cicero, anni ſunt, non ſeptem & viginti, ut Gellius putat: ſed ſex, & viginti. Quare ut uno anno minùs dicit Feneſtella, cùm ſexto & viceſimo anno pro Roſcio dixiſſe ait: ita & uno malè auget Gellius, cùm ſeptem & viginti annos natum fuiſſe arbitratur. Ac ſimiliter peccat, cùm quadriennium ſuppreſſiſſe dicit Nepotem, qui ſcripſerat Ciceronem tum annorum fuiſſe trium & viginti. Nam ſolum aberrat triennium, ut ex dictis paret. Καὶ τῶν περιέργων. Item Feneſtellæ fit mentio apud Senecam Epiſtola CVIII, Ulpianum l. I. ff. de Offic. quæſt. adhæc Cenſorinum, Macrobium, Priſcianum, alios Latinorum. Nec Græcis ignotus eſt. Nam Plutarchus eum celebrat in Craſſo: item in quæſtionibus Romanis, ubi ex eo refert, cognomina Suillorum, Bubulcorum, Porciorum, remanſiſſe ex eo, quòd Romani veteres vitam agerent paſtoralem. Exſtat hodieque ſub Feneſtellæ nomine liber de magiſtratibus Romanis. Quem germanum tanti viri fœtum putare, hoc verò deſipere ſit. Nam meminit in eo auctor, non Plinii tantùm, ſed & Gellii, qui Hadriani ævo fuit: imò epiſcoporum quoque, & archiepiſcoporum mentionem facit. Sed verus ſcriptor eſt Andreas Dominicus Floccus Florentinus, ſecretarius Pontificis Romani, & Canonicus Florentinus: quem hoc de argumento ſcripſiſſe, teſtatur Flavius Blondus in Hetruria ſua. Ac Lilius Gyraldus Hiſtoriæ de poëtis dialogo IV ait, habere ſe codices manuſcriptos, quorum iſtiuſmodi inſcriptio ſit: *Andreæ Dominici Flocci Florentini ad Brandam, Cardinalem Placentinum, de Romanis magiſtratibus liber.* Atque in iis erat præfatio, quæ in libris prælo excuſis deſiderabatur. Quare nec audiendus Franciſcus Robortellus,

qui

qui Poggii Florentini eſſe fœtum putavit: nec Alciatus, qui Pomponium Lætum ex variis collegiſſe auctoribus dicebat, atque id non ſemel ſe audiiſſe ajebat ex Jano Parthaſio, qui ſuam quoque in colligendo operam Pomponio ſe commodâſſe profitebatur. Primus verò libellum hunc cum genuino auctoris nomine, quod & ipſe in MSo ſuo invenerat, edi curavit Ægidius Witlius, I.C. Brugenſis: ſed opuſculum iſthoc Brandi, Cardinali Placentino, dicatum fuiſſe, ne in illius quidem editione invenias.

## Cap. XX.

*Cur Hyginus potiùs, quàm Higynus, ſcribi debeat. Hygini patronus, patria, quemque imitatus ſit: item vitæ genus, familiares, paupertas, libertus. In Tranquillo conjectura. Hygini libri de vita rebuſque illuſtrium virorum. Aſconius correctus. Hygini lib. exemplorum, deque urbibus Italicis, & genealogiis. Volaterrani ἀνιστορησία. Alia Hygini opera. Alter Hygenus, gromaticorum ſcriptor, ejuſque ætas, & Volaterrani in hoc lapſus. Julius Marathi patronus, ac libri de rebus Auguſti. Unde ſit, quòd Hyginus, & Marathus, Julii nomen habuere. Unde item, quòd leges ab Auguſto latæ, non Octaviæ, ſed Juliæ ſint appellatæ. Verrii Flacci ætas, & quæ ſcripſerit. Q. Vitellius Eulogius. Cilnius Mæcenas de geſtis Auguſti. Druſo, ſive Ruſo hiſtoricus ineptus.*

PRoximus eſt C. Julius Hyginus, pro quo corruptè vulgò *Higynus*, vel *Higinus* ſcribitur. Nam ut ex ὑγίεια κατὰ συγκοπὴν ὑγεία dicitur: ſic ex ὑγιεινός fuerit ὑγεινός. Hoc autem Latinè ſit Hyginus, vel Hygenus, prout in vett. Veronenſium monumentis id nomen exaratum invenitur. Quâ is conditione fuerit, & quando vixerit, exponit his verbis Suetonius Tranquillus, libro de illuſtribus Grammaticis: *C. Julius Hyginus, Auguſti libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & à Cæſare Romam advectum, Alexandriâ captâ. Studioſe, & avidè, imitatus eſt Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam* Polyhiſtorem *multi, quidam* Hiſtoriam *vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo ſecius plurimos docuit: fuitque familiariſſimus Ovidio poetæ, & Cajo Licinio, conſulari hiſtorico: qui eum pauperem deceſſiſſe tradit, & liberalitate ſuâ, quoad vixit, ſuſtentatum. Hujus libertus fuit Julius Modeſtus, in ſtudiis atque doctrinâ veſtigia patroni ſecutus.* Hactenus Tranquillus. Ubi quod de Polyhiſtoris cognomine ait, etiam ab Hieronymo proditum eſt in Chron. Euſeb. ad annum MMVIII. Cur C. Julius ſit dictus, ex eo videmus, quòd patronus ejus fuerit C. Julius Cæſar Auguſtus. Ac ſimiliter Modeſtus à patrono ſuo Hygino nomen retulit C. Julii. Eſt is, de quo Martialis lib. x:

*Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus;*
*Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?*

Reliquit confuſaneas quæſtiones, & librum de feriis, Fabio, Gellio, Diomedi memoratum. Sed quis iſte C. Licinius, conſularis hiſtoricus, qui, ut hic dicitur, Auguſti libertum ſuſtentavit? Equidem legendum puto *C. Aſinius*, qui cum Cn. Domitio Calvino conſul fuit anno Ↄ CCXIII: ac hiſtoriam condidit belli civilis, ut ſuo loco oſtendimus. Scripſit Hyginus vitas illuſtrium virorum. Gellius lib. I cap. XIV: *Julius Hyginus in libro de vita rebuſque illuſtrium virorum ſexto.* Narrat deinde, quid fecerit dixeritque C. Fabricius, cùm ei Samnites grandem pecuniam dono offerrent. Eadem refert, ac Hyginum ſimiliter auctorem laudat Joannes Sareſberienſis lib. V. de nugis Curialium cap. VII. Nec dubito, quin ex eodem opere ſint, quæ Gellius lib. VII cap. I. de Africano ſuperiore ex Hygino inter alios, *qui de vita & rebus Africani ſcripſerunt*, referre ſe dicit. Mentionem quoque operis hujuſce facit, tum Aſconius Pedianus in Piſonianam (ſed ibi corruptè vocatur *Lucius*, qui eſt *Julius*) tum B. Hieronymus præfatione operis de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Scripſit etiam Exemplorum volumen, unde de Theodecte quiddam adfert idem Gellius lib. X cap. XVIII. Item de urbibus Italicis tractavit: ut teſtatur Servius in lib. III Æn. *Caulon*, inquit, *mons eſt Calabriæ, in quo oppidum fuit à Locris conditum, quod ſecundum Hyginum, qui ſcripſit de ſitu urbium Italicarum, olim non eſt.* Et in lib. VII Æn. *De civitatibus totius orbis multi quidem ex parte ſcripſerunt: ad plenum tamen Ptolomæus Græcè, Latinè Plinius. De Italicis etiam Urbibus Hyginus pleniſſimè ſcripſit, & Cato in Originibus.* Item oſtendit hic Macrobii locus libro V Saturnal. cap. XVIII: *Hernicum quidem hominem, Pelaſgum, ducem Hernicis fuiſſe, Julius Hyginus in libro ſecundo Urbium non paucis verbis probat.* ex eopſe opere eſt locus Hygini, quem Macrobius ſignat lib. I Saturn. cap. VII, cùm ait: *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit: qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſecutus, tradit, cum Cameſe, æquè indigenâ, terram hanc ita participatâ potentia poſſidebant, ut regio Cameſene, oppidum Janiculum vocaretur.* Nec aliud opus ſignat Servius ad illud I Æn. *Romulus excipiet gentem.* Ubi ait, ne Hyginum quidem arcanum Urbis nomen enunciâſſe, cùm de Urbis ſitu loqueretur. Genealogiarum libros reliquit. Quorum primum memorat ipſe in poëtico Aſtronomico, quo loco de Perſeo tractat; *De quo*, inquit, *in primo libro Genealogiarum ſcripſimus.* Aſtronomicum iſthoc M. Fabio dedicavit. Quinctilianum hunc eſſe, putavit Raphaël Volaterranus lib. XVI Commentariorum. Ac eadem mens Populierii libro quinto de Hiſtoria: Sed tempora minimè conveniunt. Alia quoque multa literis prodidit Hyginus, ſed parùm facientia ad inſtitutum noſtrum. Nam commentarios ejus in Virgilium celebrat Gellius lib. I cap. VI, & lib. X cap. XVI. Etiam lib. XVI cap. VI. citatur quartus Hygini de Virgilio. Uti quinctus à Macrobio lib. VI. Saturn. cap. IX. Similiter Hyginum in Προπεμπτικῷ Cinnæ; ac librum ejuſdem ſecundum de Agricultura, Chariſius laudat lib. I. Adhæc libri ejus de Penatibus Macrobius meminit lib. III Sat. cap. IV. item ex libro de proprietatibus Deorum teſtimonium petit lib. III Sat. cap. VIII. Hodie nihil Hygini habemus præter poëticon aſtronomicon ad M. Fabium, & fabularem librum. Nam Gromatica, ſive de limitibus conſtituendis, quæ & ipſa Hygeni nomen præferunt, non hujus ſunt Hygeni, quod Raphaël Volaterranus loco antè dicto putavit: ſed alterius, qui Trajani ætate vixit: ut hæc ejus in gromaticis verba oſtendunt: *Nuper ecce quidam evocatus Auguſti, vir militaris diſciplinæ, profeſſionis quoque noſtræ capaciſſimus, cùm in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate imperatoris Trajani Auguſti aſſignaret: in ære, id eſt formis, non tantum modum, quem adſignabat, adſcripſit.*

Julius Marathus res Auguſti, patroni ſui, perſcripſit. Suetonius lib. II cap. LXXIX. *Staturam* (Auguſti) *Julius Marathus, libertus, etiam in memoriam ejus, quinque pedum, & dodrantis fuiſſe tradit: ſed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur, ut non niſi ex comparatione adſtantis alicujus procerioris intelligi poſſet.* Et ejuſdem libri cap. XCIV: *Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos, quàm naſceretur, menſes, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur, regem popul. Rom. Naturam parturire: ſenatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, quò ad ſe quiſque ſpem traheret, curâſſe, ne ſenatuſconſultum ad ærarium deferretur.*

Fortaſſe aliquis miretur, Hygenum & Marathum, qui non C. Cæſaris, ſed Octavii fuere liberti, Julios potiùs, quàm Octavios, dictos eſſe. Sed cauſſam ejus neſcire non poteſt, qui ſciat, cur non ſolùm lex agraria & ſumtuaria, ac quædam aliæ, à C. Cæſare latæ, dictæ ſint Juliæ: ſed etiam quas tulit Auguſtus, ut illa de adulteriis, & de pudicitia, deque maritandis ordinibus: item ſumtuaria, & lex ambitus, & aliæ complures. In cauſſa verò eſt, quòd

Octavius à Cajo Julio Cæſare teſtamento eâ lege ex parte dimidia fuerit inſtitutus hæres, ut nomen ejus ferret: quod tertium erat adoptionis genus. Ac ſenatus ipſe, poſtquam Panſâ & Hirtio, cæſis, Octavius ſe, & Pedium, in eorum locum conſules per vim feciſſet, adoptionem eam comprobavit. Itaque in faſtis Capitolinis, inque tabula Colotiana, in Panſæ locum ſuffectus dicitur C. Julius Cæſar, qui non alius eſt, quàm C. Octavius, qui poſtea appellatus eſt Auguſtus.

Verrius Flaccus, Grammaticus, conditione libertinus, ab Auguſto nepotibus ſuis, Cajo & Lucio, præfectus fuit, eoſque Romæ in palatio docuit: atque exactæ ætatis ſub Tiberio obiit, ut auctor eſt Tranquillus libro de claris Grammaticis. Inter alia ejus, quæ à veteribus referuntur, etiam fuere libri rerum memoriâ dignarum. Gellius lib. IV cap. V: *Ea hiſtoria de haruſpicibus, ac de verſu iſto ſenario, ſcripta eſt in Annalibus Maximis, & in Verri Flacci libro primo rerum memoriâ dignarum.* Eo ex opere videntur quoque eſſe hiſtorica, quæ commemorât Plinius lib. VII cap. LIII, & lib. VIII cap. VI, lib. IX cap. XXIII, lib. XVIII cap. VII, lib. XXVIII cap. II, lib. XXXIII cap. III, & VII. Item quæ adfert Macrobius lib. I Saturnal. cap. VI. Nec tamen res omni dubitatione caret. Nam titulus libri non additur iſtis locis: & ſcripſit Verrius alia quoque. Uti epiſtolas, libros de Verborum ſignificationibus, de obſcuris Catonis, Saturnum, Carmina item. Quorum omnium fragmenta viri docti collegerunt. Idem auctor eſſe creditur Faſtorum Capitolinorum: idque ob locum hunc Tranquilli in libello de illuſtribus grammaticis: *Statuam habet Præneſte in inferiore fori parte, contra hemicyclum, in quo faſtos à ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos, publicabat.* Qui locus ſi ita legatur, uti hic poſuimus, nihil quidem ad hoc evincendum valet, quod volunt: ſed jubent pro *Præneſte* legere *prope Veſta.* Verùm hanc ſententiam ſatis exploſimus ſuperiùs cap. IX.

Sub Auguſto Cæſare etiam fuit Q. Vitellius Eulogius, vel Eclogius, libertus Q. Vitellii, unde & nomen hoc accepit. Hic, ut patrono ſuo, qui Auguſti erat quæſtor, rem gratam faceret, libellum confecit de ſtemmate gentis Vitelliæ. Ejus argumentum fuſiùs tradit Suetonius in Vitellio: *Exſtat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Auguſti quæſtorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperâſſe. Horum reſiduam ſtirpem ex Sabinis tranſiiſſe Romam, atque inter patricios adlectam: indicia ſtirpis diu manſiſſe, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare uſque: item coloniam ejuſdem nominis, quam gentili copiâ adverſus Æquiculos tutandam olim depopoſciſſent: tempore deinde Samnitici belli præſidio in Apuliam miſſo, quoſdam ex Vitelliis ſubſediſſe Nuceriæ: eorumque progeniem longo poſt intervallo repetiiſſe Urbem, atque ordinem Senatorium.*

Cilnius Mæcenas ad poſteros tranſmiſit hiſtoriam Cæſaris Auguſti. Servius ad illud II Georg.

*Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto.*

*Conſtat*, inquit, *Mæcenatem fuiſſe literarum peritum, & plura compoſuiſſe carmina. Nam etiam Auguſti Cæſaris geſta deſcripſit. Quod teſtatur Horatius dicens: Tuque pedeſtribus Dices hiſtoriis prælia Cæſaris, Mæcenas, melius, ductaque per vias Regum colla minacium.* Quamquam hoc Servii argumentum admodum ſit infirmum. Neque enim ait Horatius, à Mæcenate deſcripta eſſe Cæſaris geſta: ſed illa meliùs ab eo poſſe celebrari, quàm à ſe; quia ipſe amoribus ludendis magis ſit idoneus. Sed quod parùm ſolidè colligit Servius, id planè fit veriſimile iſtis Solini verbis cap. XVIII: *D. Auguſto principe, in Campania delphinum puer fragmentis panis primo illexit, & in tantum conſuetudo valuit, ut alendum ſe etiam manibus ipſius crederet; mox, cùm proluſiſſet puerilis audacia, intra ſpatia eum Lucrini lacus evectitavit: unde effectum, ut à Baiano litore equitantem puerum Puteolos uſque veheret. Hoc per annos plurimos tamdiu geſtum eſt, donec aſſiduo ſpectaculo deſineret miraculum eſſe, quod gerebatur. Sed ubi obiit puer, ſub oculis publicis deſiderii mœrore delphin interiit. Pigeret hoc aſſeverare, ni Mæcenatis, & Fabiani, multorumque præterea eſſet literis comprehenſum.*

Druſo, niſi is Ruſo potiùs (variant enim codd.) Auguſtæo ævo hiſtoriam condidit, quam amabat, & admirabatur ipſe; ſed ſine rivali. Adeò enim indoctè compoſita erat, ut quibus eam legeret, pœnâ ſatis gravi affici ſibi viderentur. Jam hic induſtriam noſtram effugerat: ut habeat omnino, quod debeat ſummo, & nobis amiciſſimo viro, Jo. Iſacio Pontano; qui cùm Hardervico his diebus excurriſſet Lugdunum, noſque ſuavi juxta, ac erudito colloquio ſuo paſceret; memoriam ejus refricabat verſibus iſtis Horatianis libro I. Serm. ſat. III:

*Odiſti, & fugis, ut Druſonem debitor æris;*
*Qui niſi cum triſtes miſero venere Calendæ,*
*Mercedem, aut nummos, unde unde extricat, amaras*
*Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.*

Ubi ſic Acro: *Significat hunc Druſonem fœneratorem fuiſſe, & eundem hiſtoriæ malum ſcriptorem; qui ſolitus eſſet à debitoribus ſuis audientiam exigere.*

## CAP. XXI.

Ateji Capitonis *conſulatus. Falsò Atejum hunc à Riccobono in hiſtoricorum numero reponi. Maſſurium corruptè vocari, qui eſt* Maſurius. *Scripſiſſe eum non* memoralia, *ſed* memorabilia, *ac quid inter hæc duo interſit. Memoralia aliter etiam* memorias *appellari. Cornelii Severi de bello Siculo poëma, ac Fabii de eo judicium. Diverſus ab hoc ſcriptore T. Caſſius Severus, ejuſdem temporis orator. Quàm acerbè is alios conviciis proſcindere ſoleat, & cujuſmodi vitæ exitum ea propter ſortitus ſit. Lipſii, & aliorum, argumentis occurritur, qui exiſtimârunt, Severum hunc hiſtoriam reliquiſſe. Gloſſema ex Tertulliano ſublatum. Incertus de bello Punico. C. Rabirius. Rabirii, vel Rubrii, ſatira.*

PErtinet quoque ad ævum Auguſti Atejus Capito; ut quem ſub eo conſulatum geſſiſſe, Tacitus prodat in tertio Annalium, & Pomponius lib. I de Origine Juris. Ejuſce conſulatus mentio etiam fit in veteri lapide, qui Romæ adſervatur. In eo legas: C. Ateio Capitone, C. Vibio Poſtumo, coſſ. Incidit autem in annum Urbis IↃCCLIX: ut Onuphrius, & Marlianus, ac poſt eos Pighius, Lipſiuſque, rectè obſervant. Non meminere quidem, vel Dio, vel Caſſiodorus, qui conſules ejus anni vocant M. Æmilium, & L. Arruntium. Sed Atejus, & Poſtumus, ab Auguſto, ex Tribunitiæ poteſtatis anno, vel duodevigeſimo, vel undevigeſimo, ſuffecti prioribus fuerunt. Atejum hunc Riccobonus refert inter hiſtoricos, quorum fragmenta collegit. Sed perperàm, ut arbitror. Nam juriſconſultus vocatur à Suetonio libro de illuſtr. gramm. Dixerit aliquis, nihil prohibere, quo minùs qui juriſconſultus foret, idem etiam hiſtoriam relinquat. Non diffiteor. Sed non, quid fieri potuerit, in quæſtione eſt: verùm quo id argumento feciſſe colligatur. Sane ea ipſa, quæ à Riccobono ex Gellio, Macrobio, ac Feſto, citantur, è libris ſunt de judiciis publicis, de officio ſenatoris, de jure ſacrificiorum, deque pontificio jure: ut iidem ſcriptores indicant. Equidem nullam operis inſcriptionem hactenus reperi, quæ non ad jus civile, ac officium publicum, pertineret. Etiam Attejum hunc Capitonem; non autem Prætextatum, ſeu Philologum, intelligere oportet apud Plutarchum in Quæſtionibus Romanis: ubi Flamen Dialis, mortuâ uxore, dicitur ἀποτίθεσθαι τὴν ἀρχὴν a: ejuſque rei auctor laudatur Attejus. Sic enim legendum; ubi corruptè in Græco, ὁ Τήϊος. Ea veriſimile eſt eſſe è Pontificalibus Attei Capitonis, quorum librum ſextum Feſtus citat in *Mundus*. Meminere & ejuſdem Capitonis Plinius lib. XVIII cap. XI, Suetonius in Clar. Grammaticis, a *Decedere à flamonio.*

ubi

ubi de Attejo philologo, atque iterum in Pomponio Marcello, Dio lib. LVII, & alii.

Quod ſi quis nobilis juriſconſultus Auguſtei ævi locum ſibi aliquem inter hiſtoricos depoſcit: is fuerit Maſurius Sabinus, vir equeſtris ordinis: de quo Pomponius Tit. de Origine Juris. Corruptè vulgò Maſſurius vocatur, quomodo & ab H. Stephano in Gellio perpetuò editum eſt. Sed eam ſcriptionem ſatis refellit illud Perſii ſat. V:

*Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit.*

Ac apud Arrianum quoque Epicteti lib. IV cap. III, Μασούριος vocatur: item Athenæo in XIV, ubi legas, Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφὸς καὶ τῶν νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος, καὶ περὶ μουσικὴν ἐνδιατρίβων ἀεὶ, &c. *Maſurius vir longè optimus & ſapiens: quippe & interpres legum fuit nulli ſecundus, & muſicis ſemper vacavit*, &c. Meminit & Plinius lib. VII cap. V. & XLIII. atque alibi. Præter libros juris civilis, quò & illos *De indigenis* pertinuiſſe arbitror; præter item libros *Faſtorum*, quos Macrobius laudat lib. I Saturn. cap. IV; etiam ſcripſit libros *Memorabilium*; quorum primum citat Gellius lib. VI cap. VII; ſeptimum autem lib. IV cap. XX; undecimum denique lib. V cap. VI. Mentio eorundem fit L. CXLIV D. De verborum ſignificationibus. Sed ibi in Pandectis Florentinis *Memorialium* legitur. Quæ vox aliud ſignificat. Nam *memorialia* ſunt res veteres memoriâ proditæ. Græci vocant ἀπομνημονεύματα. At *memorabilia* dicuntur, quæ digna ſunt, ut memoriæ tradantur. Græcis ea ſunt ἀξιομνημόνευτα. Memoralium appellatio etiam apud Arnobium exſtat lib. VI adverſus nationes: *Ridetis, temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe, memoralia ut indicant ſcripta.* Ita enim malim legere, quàm *memoralia*. Memoralia enim, ut dixi, vocantur, quæcunque memoriâ prodita ſunt: unde eadem & *memoria* appellantur à Gellio, Tertulliano, Minutio, etiam Julio Firmico, qui lib. VI Matheſ. cap. XXVI appellat *antiquas lectionum memorias*. Inſcriptio autem Memorialium optimè convenit Sabini libris. Sanè hiſtorica ſunt, quæ inde variis locis Gellius promit: uti & pleraque à Plinio adducta. Quorum pars ad triumphorum hiſtoriam pertinet.

Cornelius Severus extremo Auguſti ævo bellum Siculum ſcripſit, ſed carmine. Fabius lib. X: *Cornelius Severus, etiamſi verſificator, quam poëta, melior, ſi tamen, ut eſt dictum, ad exemplar primi libri, bellum Siculum perſcripſiſſet, vindicaret ſibi jure ſecundum locum. Sed eum conſummari mors immatura non paſſa eſt: puerilia tamen ejus opera, & maximam indolem oſtendunt, & mirabilem; præcipuè in ætate illâ, recti generis voluntatem.* Vide de eo M Senecam Suaſor. VI. ubi & verſus ejus adfert, quibus mortem Ciceronis deplorat. Unde Joſephus Scaliger, Animadverſionibus Euſebianis num. MMXLVIII, conjectabat apud Fabium pro *Siculum* eſſe legendum *civile*: ut ſcripſerit bellum civile Cæſaris, & Pompeji, atque inde carmen in mortem Ciceronis ſit depromptum. Etiam poëmatis, quod Ætna inſcribitur, falſoque adſcribitur Maroni, Severus hic auctor eſt: ut colligitur è L. Senecæ epiſt. LXXIX. At non æquè apertum, idemne, an alius, ſignetur ab Ovidio lib. IV de Ponto eleg. ult. ubi ſui temporis poëtas recenſens, inter alia ait,

*Quique dedit Latio carmen regale Severus.*

Etiam interpres Horatii vetus hunc Severi verſum adducit:

*Pinea frondoſi dum murmurat Apennini.*

Alius ab hoc Severo poëtâ eſt T. Caſſius Severus, qui & ipſe extremis Auguſti temporibus, & ſub Tiberio, floruit. Is celebris orator vocatur à Plinio lib. VII cap. XII. ac ſimiliter Quinctilianus lib. X: ſed orationis acerbitatem ei tribuit. Sanè ex primo Annalium Taciti diſcimus, eum ſcriptis ſuis procacibus proſcidiſſe viros, feminaſque illuſtres: eâque re occaſionem dediſſe Auguſto, ut de libellis famoſis cognitionem ſuſciperet. Luculentum de hoc Caſſio locum ſuppeditat M. Seneca præfat. lib. III. epitomes declamat. item adi Plinium lib. XXXV cap. XII. Vide & egregium Caſſii dictum in adoleſcentem apud Fabium lib. VI cap. II. Alia quoque alibi de eo apud eundem reperies. Uti & inſignem Auguſti jocum in hunc apud Macrobium lib. II Sat. cap. IV. Videtur idem eſſe, ad quem ſcribunt Horatius Epod. VI. & Ovidius I de Ponto eleg. VIII. Citant & ejus ſcripta Chariſius, ac Diomedes. Quando, & quomodo obierit, ex Tacito cognoſcimus; qui ſub Tiberio in ſaxo Seriphio conſenuiſſe, auctor eſt. Item in Hieronymo in Chronico Euſebiano, ad annum IV Olymp. CCII, his verbis: *Caſſius Severus, orator egregius, qui Quinctianum illud proverbium luſerat, XXV exilii ſui anno ſummâ inopiâ moritur, vix panno verenda contectus.*

Quæcunque autem hactenus diximus, ea clarè quidem docent, alium eſſe Cornelium Severum, poëtam; alium Caſſium Severum, oratorem: (quos duos perperam in hiſtoria ſua Popelinierus confundit) ſed nondum liquet, utrùm, uti priori, ob bellum Siculum deſcriptum, aliquis inter hiſtoricos locus eſſe poteſt; ita & alter referri inter eos poſſit. Video ita videri viris doctis; atque eos inter Juſto Lipſio in IV Annalium Taciti. Ac vehementer eam ſententiam ſuadet locus hic Tertulliani in Apologetico cap. X: *Saturnum itaque, quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus; neque Caſſius Severus, aut Cornelius Nepos; neque ullus commentator ejuſmodi antiquitatum, aliud, quàm hominem, promulgaverunt.* Veniam poſtulo à lectore, ſi paullò ei audacior videatur conjectura de hoc loco noſtra: mihi quidem certa videtur. Omnino arbitror *Severi* nomen ex gloſſemate imperiti librarii irrepſiſſe. Id enim credere malo, quàm ut Tertullianus memoriæ errore, Caſſium Heminam, Caſſiumque Severum, confuderit. Omnino enim, qui de Saturno iſtud ſcripſit, eſt Caſſius Hemina. Quippe is hiſtoriam ſuam orſus fuit à priſcis Italorum rebus, quæ ante ipſos reges Romanos fuerunt. Hoc ita eſſe, oſtendunt, quæ ex Piſone eo adducunt veteres: ut Gellius lib. XVII cap. XXI ubi ex primo annalium ejus tradit, *Homerum, & Heſiodum, vixiſſe, Sylviis Alba regnantibus; annis poſt bellum Trojanum plus centum atque ſexaginta.* Item, quæ auctor libri de origine gentis Romanæ ex Hemina narrat de Recarano, ſive Hercule, & Caco, Euandri ſervo. Vehementer quoque ſententiam meam firmat, quòd Minutius Felix in Octavio de eadem re ſcribens, imò Tertullianum exſcribens, Severi cognomen omittit. Verba ejus ſunt: *Scit hoc Nepos, & Caſſius in hiſtoria.* Idem Lactantius lib. I cap. XIII: *Omnes non tantùm poëtæ, ſed hiſtoriarum quoque ac rerum antiquarum ſcriptores, hominem fuiſſe, conſentiunt, qui res ejus in Italia geſtas memoriæ prodiderunt: Græci, Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, Caſſius, & Varro.* Sed enim, ajunt, Caſſium Severum etiam hiſtoriam ſcripſiſſe arguit locus iſte Suetonii in Caligula cap. XVI: *T. Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi ſcripta, Senatuſconſultis abolita, requiri, & eſſe in manibus lectitarique permiſit: quando maximè ſua intereſſet, ut facta quæque poſteris traderentur.* Et aliter ejuſdem ſcriptoris in Vitellio cap. II. *Caſſius Severus, nec minus alii, eundem & ſutorem veteramentarium, cujus filius ſectionibus, & cognituris, uberiùs compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujuſdam furnariam exercentis filiâ, equitem Rom. genuerit.* Facilè his occurritur. Nam ſunt iſta, non ex hiſtoria Caſſii Severi, quam nemo veterum celebrat: ſed ex procacibus illis libellis, quibus primarios viros, & feminas, proſcindebat: ut ex Tacito antea retulimus. Poſtremò objici illud video, Caſſium hunc Severum à Plinio quoque cum Cornelio Nepote jungi lib. IV epiſt. ad Severum. Sed profectò jungit eos Plinius, non quia hiſtorici fuerint ambo; ſed quia ambo Severi municipes: eoque imagines amborum Severus haberet, vel ſaltem, qui haberent, noſſet. Sic enim Plinius ſcribit: *Herennius Severus, vir doctiſſimus, magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis, & T. Caſſii: petitque, ſi ſunt iſtic, ut eſſe credibile eſt, exſcribendas pingendaſque delegem.*

*Severo* poëtæ, quem Siculum bellum ſcripſiſſe, diximus,

mus, jungendus poëta alius, qui eodem tempore carmen panxit de bello Punico. Meminit Ovidius eleg. ult. libri IV de Ponto, hoc verſu:

*Quique acies Libycas, Romanaque prælia dixit.*

Sed quis iſte ſit, neſciri arbitror. Georgius Merula Alexandrinus Ennium intelligebat. Verùm ſatis apertum eſt, ab Ovidio elegiâ iſtâ poëtas non alios recenſeri, quàm ſui ævi.

Fortaſſe & locus hic erit C. Rabirio, de quo ſic ibidem Ovidius:

*Cum foret & Marſus, magnique Rabirius oris.*

Unde grandeloquum fuiſſe poëtam cognoſcimus. Deſcripſit bellum Actiacum inter Octavium Auguſtum & M. Antonium Triumvirum. Meminit ejus L. Seneca lib. VI de Benefic. c. III. *Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam tranſeuntem aliò videbat, & ſibi nihil relictum, præter jus mortis, id quoque ſi occupaverit, citò exclamare:*

*Hoc habeo, quodcumque dedi* ——

Illuſtre ejus elogium apud Vellejum lib. II: *Maximè noſtri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque.* Quinctilianus tamen in X jejunè ſatis laudat: *Rabirius, ac Pedo, non indigni cognitione, ſi vacet.* Citat Fulgentius Planciades è Rabirii Satira:

*Abſtemium merulenta fugit Methenia nomen.*

Ubi mirum ſecundam in *abſtemius* corripi: niſi placet *συνίζησιν* eſſe. Sed, credo, diverſus ille Rabirius. Imò fortaſſe ne Rabirius quidem. Nam in libris aliis pro *Rabirius* legitur *Rubrius.* Sed quis iſte Rubrius, æquè incertum. Unde aliqui *Rutilius* emendant. Quibus quo minùs ſubſcribam, in cauſſa illud eſt, quòd Rutilii ſatirographi veterum meminerit nemo.

## CAP. XXII.

*Cremutii Cordi ætas, ſcripta, mors, atque ejus cauſſa, libri, & ut eos cremari juſſerit Tiberius Cæſar, ſed filia Cremutia curâ fuerint ſervati. Baſſi Aufidei ætas, libri de bello Germanico, item alii de bello civili. Plinii locus explicatus. Aufidius Modeſtus, grammaticus. Julius Baſſus orator. Junius Baſſus cur dictus* aſinus albus. *Ejus ætas. In Quinctiliano conjectura. Caſius Baſſus. Quis poſt Ciceronem Aratea Latino carmine reddiderit: quis item commentariorum in ea auctor ſit. Gabius Baſſus. Perperam eum in codd. Macrobii pro Gabio dici Câjum: inque Fulgentii pleriſque libris malè eundem pro Gabio Galbium appellari. Gabii Baſſi ætas.*

A. Cremutius Cordus ſub Auguſto condidit hiſtoriam bellorum civilium, & res Auguſti. Sub Auguſto autem ſcripſiſſe, imò & Auguſto recitâſſe, colligere eſt ex Suetonio in Tiberio cap. LXI. In hiſtoria belli Philippenſis Brutum Caſſiumque laudârat, ut ultimos Romanorum. Hæc ei cauſſa mortis ſub Tiberio, vigente Sejano. De eo ſic Tacitus Annalium lib. IV: *Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippa coſſ. Cremutius Cordus poſtulatur, novo ac tum primùm audito crimine, quòd, editis annalibus laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum ultimum dixiſſet. Accuſabant Satrius Secundus, & Pinarius Natta, Sejani clientes. id perniciabile reo, & Cæſar truci vultu defenſionem accipiens. quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorſus eſt.* Sequitur hinc Cordi oratio. Poſtea ſcribit: *Egreſſus dein ſenatu, vitam abſtinentiâ finivit. libros per ædiles cremandos, cenſuere patres; ſed manſerunt occultati, & editi.* Eandem rem narrat Dio extremo lib. LVII. Sed graphicè imprimis ejus mortem deſcribit L. Seneca conſolat. ad Marciam cap. XXII. Ciceronis elogium ex hiſtoriarum ejus libris habes apud M. Senecam Suaſor. VI. Ex iiſdem libris quædam Plinius adfert lib. X cap. XXVI, & lib. XVI cap. XXVI. Item Suetonius in Auguſto cap. XXXV: *Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quemquam Senatorum, niſi ſolum, & prætentato ſinu.* Eundem, ut ex allato Taciti loco liquet, ſignat idem Suetonius in Tiberio cap. LXI, cùm ait, *objectum & hiſtorico, quòd Brutum, Caſſiumque, ultimos Romanorum dixiſſet.* Item in Caligula cap. XVI: *T. Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi ſcripta, Senatuſconſultis abolita, requiri, & eſſe in manibus, lectitarique, permiſit, quando maximè ſua intereſſet, ut facta quæque poſteris tradantur.* Libros eos Cremutii occultârat, poſteaque edidit Marcia, Cremutii filia. Unde illam ſic alloquitur L. Seneca in conſolatione, quam ad eam ſcripſit: *Ingenium patris tui, de quo ſumtum erat ſupplicium, in uſum hominum reduxiſti, & à vera illum vindicâſti morte, ac reſtituiſti in publica monumenta libros, quos vir ille fortiſſimus ſanguine ſuo ſcripſerat. Optimè meruiſti de Romanis ſtudiis: magna illorum pars arſerat. Optimè de poſteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori ſuo magno imputata: optimè de ipſo, cujus viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognoſci; quamdiu quiſquam erit, qui reverti velit ad acta majorum; quamdiu quiſquam, qui velit ſcire, quid ſit vir Romanus, quid ſubactis jam cervicibus omnium, & ad Sejanianum jugum adactis, indomitus ſit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum Reſp. ceperat, ſi illum ob duas artes pulcherrimas in oblivionem conjectum, eloquentiam, & libertatem, non eruiſſes. Legitur, floret; in manus hominum, in pectora receptus, vetuſtatem nullam timet.* Cremutium quoque laudat Plinius lib. X cap. XXVI his verbis: *Auctores ſunt omnibus annis advolare Ilium ex Æthiopia aves, & confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quincto quoque anno facere eas in Æthiopia circa Regiam Memnonis exploratum ſibi Cremutius tradit.* Idem prodit Solinus cap. XLIII. Sed apud eum in MSSis eſt *Crumentius*, librarii culpa, cum ex Plinio ſit corrigendus, quem more ſuo exſcripſit. Puto autem & iſta eſſe ex hiſtorico Cremutii opere.

Etiam Aufidius Baſſus Auguſti & Tiberii tempore fuit, æqualis M. Senecæ Rhetoris, ut ex ejus ſuaſoria VI cognoſcimus. Ibidem inter hiſtoricos refertur, qui elogiis ſuis Ciceronem fuere proſecuti. Reliquit autem belli Germanici libros: ut Fabius docet lib. X. Ubi & ejuſmodi de eo judicium apponit: *Servilius Novianus & ipſe à nobis auditus eſt, clari vir ingenii, & ſententiis creber, ſed minùs preſſus, quàm hiſtoriæ auctoritas poſtulat. Quam, paullùm ætate præcedens eum, Baſſus Aufidius, egregiè utique in libris belli Germanici præſtitit, genere ipſo probabilis in omnibus; ſed in quibuſdam ſuis ipſe viribus minor.* Etiam de bello civili ſcripſit: unde iſta ſunt, quæ M. Seneca de Cicerone refert. Ubi Aufidius deſiit, ibi cœpit Plinius Veronenſis. Hoc oſtendunt verba Plinii junioris lib. III epiſt. V; ubi inter alia ſcripſiſſe dicitur, *A fine Aufidii Baſſi triginta & unum.* Hoc viri docti [a] interpretantur de fine hiſtoriæ, quam ſcripſerat de bello civili. Id minus placet. Nam paullò antè dixerat Plinius, ſcripſiſſe de bello Germanico libros XX. Atqui libros, quos à fine Aufidii Baſſi cœpit, numero erant XXXI. Ergo verba allata de belli Germanici opere intelligi non poſſunt. Meminit & Aufidii hujus ſcriptor de cauſſis corruptæ eloquentiæ, & fortaſſe idem eſt, quem Plinius ſignat Hiſtor. Nat. lib. VI cap. IX cùm ait: *Univerſæ* Armeniæ *magnitudinem Aufidius quinquagies centena millia prodidit.* At non de hoc, puto, ſed de filio ejus loquitur L. Seneca epiſt. XXX. Ea incipit: *Baſſum Aufidium, virum optimum, vidi quaſſum, ætati obluctantem. Sed jam plus illum degravat, quàm quòd poſſit attolli. Magno ſenectus, & univerſo pondere incubuit. Scis illum ſemper infirmi corporis, & exhauſti, fuiſſe: diu illud continuit, &, ut veriùs dicam, concinnavit. ſubitò defecit.* Fortaſſe idem eſt P. Aufidius memoratus Priſciano lib. VIII: ubi eum docet *conteſtatur* paſſivè uſurpâſſe pro *συμμαρτυρεῖται*: nempe in verbis iſtis, *Siquis alio vocitatur nomine, tum cum his conteſtatur, atque olim vocitabatur.* Ac planè ab hoc Aufidio Baſſo alius eſt Aufidius Modeſtus, grammaticus nobilis, qui Maronem interpre-

[a] And. Schott. lib. de claris apud Senecam rhetoribus.

pretatus fuit. Celebrat Philargyrius in lib. II. Georg. *Aufidius Modeſtus legiſſe ſe, affirmabat, hunc morem eſſe Dacorum, ut, cùm ad bella proficiſcerentur, non prius rem capeſſerent, quàm de Iſtro certum modum haurientes ore in modum ſacri vini, jurarent, non ſe ad patria ſedem regreſſuros, niſi hoſtibus caſis. & idcirco Virgilium familiari ſibi hypallage uſum dixiſſe*, Iſtrum conjuratum, *apud quem Daci conjurare conſueverunt*. Idem in III Georg. [illegible] vocat Modeſtum: ubi in illo Maronis *tyrum tenus*, ait *tenus* pro *fine* accepiſſe. Quemadmodum autem Aufidius hic Baſſus cum Aufidiis aliis confundi non debet: ita quoque diſtinguendus hic Baſſus ab aliis Baſſis. Imprimis à Julio Baſſo, qui & ipſe Auguſti ævo fuit: & à Junio Baſſo, qui fuit temporibus Neronis, aut Veſpaſiani. Ex Julii Baſſi declamationibus plurima excerpta habemus apud M. Senecam. Qui & in præfatione lib. v. Controv. *hominem diſertum* vocat: ſed addit, *Cui demtam velim, quam conſectabatur, amaritudinem, & ſimulationem actionis oratoriæ. Nihil indecentius, quàm ubi ſcholaſticus forum, quod non novit, imitatur.* Junius Baſſus, homo erat dicaciſſimus, unde *aſinus albus* vocabatur: ut idem Fabius auctor eſt lib. VI. cap. III. de Riſu. Nempe *aſinus* quidem ob ineptias: ſed *albus* ob jucunditatem: ut Turnebus interpretatur lib. XXVIII. Adverſar. cap. XXXV. Hunc Veſpaſiani ævo, vel non multò antè, vixiſſe, colligo ex iſtis Fabii verbis, quæ eodem capite leguntur: *Id porrò, quod dicitur, aut eſt laſcivum & hilare, qualia Galbæ pleraque: aut contumelioſum, qualia* NUPER *Junii Baſſi: aut aſperum, qualia Caſſii Severi: aut lene, qualia Domitii Afri.* Fortaſſe tamen *Julius* reſcribendum. Is ſuperioris fuerit filius. Sanè apud Plinium lib. IV. epiſt. IX. lego: *Cauſſam per hos dies dixit Julius Baſſus, homo laborioſus, & adverſis ſuis clarus. Accuſatus eſt ſub Veſpaſiano à privatis duobus: ad ſenatum remiſſus, diu pependit: tandemque abſolutus, vindicatuſque eſt. Titum timuit: ut Domitiani amicus à Domitiano relegatus eſt.* Vide & quæ ſequuntur. Etiam lib. x. ep. LXIV: *Eſt enim adductus ad me in perpetuum relegatus à Julio Baſſo proconſule: ego, quia ſciebam acta Baſſi reſciſſa, datumque à ſenatu jus omnibus, de quibus ille aliquid conſtituiſſet, ex integro agendi duntaxat per biennium, interrogavi hunc, quem relegaverat, an adiiſſet, docuiſſetque proconſulem: negavit.* Fuit & Cæſius Baſſus, poëta Lyricus, quem ætate Neronis & Galbæ vixiſſe, tum inde liquet, quòd Perſius ad eum ſatiram ſcribit: tum ex verbis Fabii lib. x, ubi & de eo judicium ponit: *Lyricorum*, inquit, *Horatius fere ſolus legi dignus. Siquem adjicere velis, is erit Caſius Baſſus, quem nuper vidimus.* Diomedes lib. IV. ex Cæſio Baſſo citat hoc carmen Moloſſicum:

*Romani Gallis devictis ſunt victores.*

Quanquam in veteri quoque libro Celſius Baſſus vocetur; verſuſque is ſic concipiatur:

*Romani victores, Germanis devictis.*

Auctor Scoppius Suſpectarum Lect. lib. v. epiſt. XXII. De Celſi nomine planè diſſentio. Sed ut de Germanis Baſſus ſcripſerit, non diſplicet, quia iis temporibus bellum Romanis ſemper cum Germanis. Sunt quibus Cæſius Baſſus videatur auctor commentariorum in phænomena Arati à Germanico converſa. Fulvius Urſinus in I Georg. Calpurnium Baſſum appellat. Sed ipſum Cæſarem Germanicum auctorem eorum eſſe, Lactantius cenſet lib. I. de Falſa Relig. cap. XI; atque idem Politianus exiſtimat in Miſcellan. cap. XXVIII. Is verò Cæſar Germanicus fuerit, non quem Tiberius adoptavit, quæ Lilii Gyraldi ſententia erat: ſed Cæſar Domitianus: quem Arateorum interpretem eſſe, liquidò oſtendit Nobiliſſimus, ac Sereniſſimi Suecorum regis ad fœderatas Belgicæ provincias legatus, Janus Rutgerſius lib. II. Var. Lect. cap. IX. Sed ut de Arateis Latino carmine redditis ampliſſimo huic viro aſſentio (nam Firmicus, qui Julio Cæſari tribuit *a*, hac parte indignus, cujus
a Præfat. lib. 1.
ratio habeatur) ita de commentariis in Germanicum quo minùs Lactantio, ac Politiano ſubſcribam, non uno argumento compellor, ut alibi fuſiùs explicamus. Inſtitutum nunc proſequamur. Veſpaſiani quoque ævo erat Sallejus Baſſus, non ſemel memoratus Tacito, ſive alteri in dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Inter alia ſic audias Aprum loquentem: *Quis enim neſcit, neminem mihi conjunctiorem eſſe, & uſu amicitiæ, & aſſiduitate contubernii, quàm Sallejum Baſſum, cùm optimum virum, tum abſolutiſſimum poëtam?* Et Quinctilianus lib. x: *Vehemens, & poëticum ingenium Salleji Baſſi, nec ipſum ſenectute maturum.* Adhæc fuit & Gabius Baſſus; è cujus commentariis hiſtoriam de equo Sejano refert Gellius lib. III. cap. IX. Libros is de origine verborum & vocabulorum edidit: è quibus idem Gellius quædam adfert lib. II. cap. IV, lib. III. cap. XIX, lib. V. cap. VII, & lib. II. cap. XVII. quo uno in loco *Gavius* dicitur, qui alibi ei *Gabius*. Sed *Gavius* eſt & apud Macrobium. Ex quo diſcimus, etiam librum ſcripſiſſe de Diis. Locus eſt lib. I. Saturn. cap. IX: *Gavius Baſſus in eo libro, quem de Diis compoſuit, Janum bifrontem fingi ait, quaſi ſuperûm atque inferûm janitorem: eundem quadriformem, quaſi univerſa climata majeſtate complexum.* Idem lib. III. Sat. cap. VI, quo loco exponit, cur Herculi aperto capite ſacra fiant. inter alia inquit: *Hoc amplius addit Gavius Baſſus. idcirco enim hoc fieri dicit; quia ara maxima ante adventum Æneæ in Italia conſtituta eſt, quæ hunc ritum velandi capitis invenit.* Nec dubito, quin & eundem Baſſum, & idem de Diis opus, ſignet Lactantius lib. I. de falſa relig. cap. XXII: *C. Baſſus Fatuam nominatam tradit, quòd mulieribus fata canere conſueviſſet, ut Faunus viris.* Nec movet, quòd hîc, uti & apud Macrob. lib. III. cap. XVIII, C. Baſſus dicatur. Nam utrobique priùs fuit Gavius; unde librarius, quia Gavii nomen ignoraret, *Caius* effecit: eaque occaſio fuit, cur deinceps nota C. præfigeretur. Fulgentius Planciades in explicatione ſermonis antiqui citat Gavium ſeu Gabium Baſſum in ſatiris, indeque hæc verba depromit: *Vervinâ confodiende, non te nauci facio.* In ea editione, quam cum Nonio Hadr. Junius exhibuit, item illâ, quam antè cum Hygino, & aliis, Hervagius excudit, pro *Gabius* legas *Galbius*: ſed perperam, cùm nulla gens Galbia fuerit apud Romanos. At Gaviam fuiſſe, cognoſcimus ex P. Gavio, municipe Coſano, cive Romano, quem Verres Meſſanæ in crucem egit. Qua de re multa Cicero libro v. in Verrem. Gavius verò Baſſus, Gellio, aliiſque memoratus, vixerit Trajani temporibus, ſi (ut etiam Carrio exiſtimat lib. I. Emendat. cap. VII.) fuerit is Gabius Baſſus, qui Ponticæ oræ præfectus fuit: de quo Plinius lib. x. epiſt. XVIII, & XXXII, & Trajanus epiſt. amœbæa.

## CAP. XXIII.

*T. Labieni hiſtoria, dictio, maledicentia, à cujus rabie vocatus* Rabienus. *Labienus alius, qui à Cæſare ad Pompeium deſcivit. Item alius, qui Parthorum adverſus Romanos dux fuit. Tribus iſtis ſpiritus Pompejanus. Ex iis hiſtoriographus illam ingenii ſui pœnam primus perpeſſus fuit, ut monumenta ejus cremarentur. Memorandus viri exitus. Sed Cæſar Caligula poſtea illius libros requiri, ac legi, permiſit.*

TItus quoque Labienus, declamator, & hiſtoriographus, temporibus floruit Auguſti: utrùm verò ſub eodem, an Tiberio, perierit, minùs evidens eſt. Res apertior foret, ſi exitum ejus memorabilem non præteriiſſet Tranquillus, qui obiter ſolùm in Caligula mentionem tanti viri facit, ut poſt videbimus. Interim magis veriſimile fit, ſub Auguſto etiam deceſſiſſe. De hoc Labieno multa M. Seneca præfat. in lib. v. Controverſ. Inter alia inquit, *Color ei orationis antiquæ: vigor novæ. Cultus inter noſtrum, ac prius ſeculum, medius; ut illum poſſit utraque pars ſibi vindicare. Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet; ut, quia paſſim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur.* Fortaſſe aliquis exiſtimet, pro Labieno dictum Lanienum: atque ita hic legendum eſſe, eo quòd Seneca dicat, exinde προσωνυμίαν promanâſſe, quia

*ordines, hominesque, laniabat.* Sed nihil, invitis libris, mutare auſim. Præſertim quandò ἐμφαντικῶς eſt Rabieni appellatio: nempe ut ſit à laniandi rabie. Sequitur apud Senecam: *Animus per vitia ingens, & ad ſimilitudinem ingenii ſui violentus, & qui Pompejanos ſpiritus nondum in tanta pace poſuiſſet.* Unde aliquis colligat, hunc eſſe illum T. Labienum, qui Cæſaris in Galliis legatus; ut ipſe narrat Cæſar libris de bello Gallico, & primo de bello civili: quique poſtea Pompejanas partes eſt ſecutus, atque à Cæſare victus eſt bello Africano: ut conſtat ex illis, quæ Hirtius prodidit. Vir quidem doctiſſimus, qui notis Senecam illuſtravit, ait, cùm Seneca dicat, Pompejanos retinuiſſe ſpiritus; videri eundem illi, de quo dicebamus. Interea ſe, idemne, an alius, ſit, ἐπέχειν. Sed planè eſt diverſus. Nam ille, qui adverſus Cæſarem pugnavit, bello periit Hiſpanienſi. Quod abſque dubio ſcriptor belli Hiſpanienſis memoriæ prodiderat in ea libri parte, quæ injuriâ temporum periit. Nunc quidem id legas in Julio Celſo: qui cùm cladem Labieni narrâſſet, iſta ſubjungit: *Ita Labienus, Cæſaris deſertor ac transfuga, ſuique priſtini ducis hoſtis inexorabilis, cui parare perniciem quærebat, victoriam inſperatam; ſibi vero mortem peperit. Eo enim prælio & ipſe concidit, unaque Actius Varus, & cum eis* XXX *millia hominum cecidere.* De Celſo, unde hæc hauſimus, diximus ſuprà cap. XIII. De eodem Labieno loquitur Valer. Max. lib. VIII, cap. XIV. Fuit & alter Labienus, T. Labieni filius, qui à Bruti Caſſiique partibus ſtetit, atque ante Philippenſem pugnam miſſus fuerat ad Orodem, Parthorum regem, ut peteret auxilium: ac, clade ſuorum cognitâ, ibidem commoratus fuit; perſpectâque Antonii deſidiâ, Parthos inſtigavit adverſus Romanos, belloque eo contra Romanos dux, (unde & *Parthicus imperator* appellari voluit) Phœnicen, ac Ciliciam, urbeſque Aſiæ in continenti ſitas, pleraſque ſine bello, Mylaſſam autem, & Alabandam, vi occupavit: tandemque à P. Ventidio devictus, atque à Demetrio, Julii Cæſaris liberto, quem Antonius Cypro præfecerat, captus fuit. De quibus vide Strabonem lib. XIV; ac imprimis Dionem lib. XLVIII. Etſi verò & ille Pompejanarum fuerit partium: tamen & eum alium eſſe ab hiſtoriographo, arguunt illa, quæ de morte ejus ex Seneca mox adferam. V. Cl. Nicolaus Faber conjectabat, hiſtoricum nepotem ejus eſſe, qui, Cæſare deſerto, Pompeji partes ſecutus fuit: filium autem illius Parthici, ut ſe vocabat, imperatoris: μειρακίου ἐρεθιστοῦ, καὶ ἀνοίας πλήρους a: ut de eo loquitur Strabo.

a *Adoleſcentis irritabilis; ac ſtultitiæ pleni.*

Sed ut hoc planè incertum eſt; ita minimè dubium, quin eâdem ex familia fuerit, & ſpiritum eundem habuerit, quem tum ille Cæſaris transfuga, tum Parthicus imperator. Nunc porrò audiamus, quæ ſequuntur apud M. Senecam: *In hunc primum excogitata eſt nova pœna. Effectum eſt enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova, & inſueta, ſupplicia de ſtudiis ſumi. Bono hercule publico iſta in pœnas ingenioſa crudelitas poſt Ciceronem inventa eſt. Quid enim futurum fuit, ſi ingenium Ciceronis triumviris libuiſſet proſcribere?* Et poſt aliqua: *Di melius, quòd eo ſeculo iſta ingeniorum ſupplicia cœperunt, quo & ingenia deſierunt. Ejus, qui hanc in ſcripta Labieni ſententiam dixerat, poſtea viventis adhuc ſcripta combuſta ſunt: jam non malo exemplo, quia ſuo. Non tulit hanc Labienus contumeliam; nec ſuperſtes eſſe ingenio ſuo voluit: ſed in monumenta ſe majorum ſuorum ferri juſſit, atque ita includi: veritus ſcilicet, ne ignis, qui nomini ſuo ſubjectus erat, corpori negaretur: non finivit tantùm ſe ipſe, ſed etiam ſepelivit* b. *Memini aliquando, cùm recitaret* HISTORIAM, *magnam partem convolviſſe, & dixiſſe: Hæc, quæ tranſeo, poſt mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit? Caſſi Severi, hominis Labieno junctiſſimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore, quo libri Labieni ex* S. C. *urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.* De ejuſdem hiſtoria ita Suetonius in Caligula cap. XVI: *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi ſcripta, ſenatuſconſultis abolita, requiri, & eſſe in manibus, lectitarique permiſit: quando maximè ſuâ intereſſet, ut facta quæque poſteris tradantur.* Labienus hic mentis, quàm linguæ amarioris fuiſſe dicitur à M. Seneca in prologo epitomes; ſive excerptorum è libro IV controverſiarum. Ex Labieno hoc, ut *clipeus*, & *clipeum* differant; docet Charſius lib. I. Ejuſ Labieni orationem in Pollionem citat Quinctilianus lib. I. cap. IX: ſed ita, ut ambigat, utrùm ea non ſit Cornelii Galli. Et lib. IX. cap. III. locutionem adfert, quam in Labieno notavit Pollio. Utrobique autem capiendus C. Aſinius Gallus, C. Aſinii Pollionis hiſtorici filius, is qui libros ſcripſit de comparatione patris cum Cicerone: ut Plinius refert lib. VII. epiſt. IV. ad Pontium. Quemque Tiberius occidit: ut ſcribunt Tacitus in VI, Dio, Tranquillus, & Hieronymus in Chronico Euſeb.

b *Vit. lib. ſervit.*

## CAP. XXIV.

*Tiberii commentarii de vita ſua. Vellejus Paterculus. Vinicius quis, cui is hiſtoriam dicavit. Velleji dictio, fides, primus editor, prænomen. De fragmento Velleji, ut Lazius vocabat. Ex Abbate Urſpergenſi illud eſſe, vel alio, quem exſcripſerit Urſpergenſis: ſaltem multo eſſe Velleio recentius. Urſpergenſis ætas. Valerius Maximus. Poſt Sejani is cædem ſcripſit. Stylus ejus cujuſmodi. De ætate Valerii ſcrupulus, & injectus, & exemtus. Julius Paris, abbreviator Valerii. Idem Paris librum reliquit de nominibus Romanorum: quem in compendium redegit Titius Probus. Brutidii ætas, præceptor, fragmentum geminum de Cicerone: quid in Brutidio laudet, quidque culpet Tacitus, ejus ædilitas, & amicitia cum Sejano. Cornelius Thuſcus.* Ἀνιστορησίας *hic à Seneca reprehenſus. Aliquid allatum ad culpam hanc imminuendam potius, quam planè amovendam.*

Tiberius Cæſar de Vita ſua ſcripſit. Suetonius in Tiberio cap. LXI: *Etſi commentario, quem de vita ſua ſummatim breviterque compoſuit, auſus eſt ſcribere, Sejanum ſe puniſſe, quod comperiſſet, furere adverſus Germanici liberos, filios ſuos.* Item in Domitiano cap. XX: *Præter commentarios, & acta Tiberii Cæſaris, nihil lectitabat.* Tiberium Cæſ. Imp. inter ſcriptores, è quibus profecit, Plinius reponit in indice ſcriptorum lib. II.

Vellejus Paterculus primum tribunus militum in Thracia fuit, hinc præfectus equitum in Germania, exinde quæſtor, inque quæſtura, remiſſâ ſorte provinciæ, legatus Tiberii bello Pannonico, denique primo Tiberii anno cum fratre Prætor deſtinatus: quæ univerſa de ſe ipſo narrat Vellejus. Hoſce honores, & quos tum majores, & conſanguinei geſſerint, his verbis complecti ſtuduit Aventinus, eos referens, è quibus in primo Annalium ſcribendo profecit: *P. Vellejus Paterculus, homo militaris, ex celeberrimis Campanorum principibus prognatus, in Germania ſub Tiberio præfectus equitum fuit Tribunus antè caſtrorum, item quæſtor, & legatus in bello Pannonico. Scripſit ſexto imperii Tiberiani anno. Item majores ejus atavi, abavi, avi, patruus, pater Magius Celer, frater, diſciplinâ bellicâ, ac rebus civilibus clariſſimi extitere duces, prætores, judices, ſenatores, præfecti fabrûm, tribuni caſtrorum, legati imperatoribus Romanis fuerunt.* Hæc Aventinus. Hic Vellejus duos Hiſtoriæ ſcripſit libros ad M. Vinicium conſulem, progenerum Tiberii Cæſaris, Tacito etiam memoratum in ſexto annalium, qui illum patre & avo, conſularibus, ortum dicit: item Dioni libro extremo, ubi eum à Meſſallina docet interfectum, quòd caput cum ea collimare nollet. Vinucium aliqui appellant: ſed Dioni quoque eſt Οὐινίκιος. Librorum Velleji bona pars deperiit. Dictio ejus planè Romana, atque elegans. Quædam etiam habet, quæ haut alibi invenias. Sed in ſui ævi rebus nimis domui Auguſtæ, & Sejano, adulatur. Juſtiores commentarios promittit lib. II. *Harum præteritarumque rerum ordo, cùm juſtis aliorum voluminibus*

pro-

*promatur, tum, uti ſpero, noſtris explicabitur.* Ac poſtea: *Captum alterum, alterum deditum juſſu voluminibus ordine narrabimus, ut ſpero.* Si Beatum Rhenanum audimus, qui primus Vellejum in lucem protraxit, eſt idem ille, quem Tacitus vocat P. Vellejum. Nec alia mens, vel Jacobi Schegkii, vel Valentis Acidalii. Eamque ſententiam probant codice Burerii, ubi *Publius* appelletur, non *Gajus*, uti eſt in vulgatis. Sed nihil tale in variantibus Burerii lectionibus reperias. Eſt & tertia ſententia. Nam *Marcum* vocat Priſcianus libro VI. Ita enim habet, & antiquiſſima editio Veneta anni CIƆCCCCLXXVI, & recentiſſima Heliæ Putſchii: imò & optimæ notæ codex MSSus meus, ut omnino huic ſententiæ potiùs accedam.

Porrò & fragmentum quoddam Velleji, quod fruſtra in editis quæras, inveniſſe ſe ait Wolfangus Lazius lib. I. commentariorum Reip. Rom. cap. VIII. Inſcriptio illius erat: VELLEII EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA. Fragmentum ipſum iſtiuſmodi eſt: *Dum hæc circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus grave vulnus populus Romanus accepit. Quippe Germanorum gentes, quod Rhætias occupaverant, non longè ab Alpibus, tractu pari, patentibus campis, ubi duo rapidiſſimi amnes inter ſe confluunt, in ipſis Noricis finibus civitatem, non quidem muro, ſed vallo, foſſaque, cinxerunt: quam appellabant Ciſara, ex nomine deæ Ciſæ, quam religioſiſſimè colebant. cujus templum quoque ex lignis barbarico ritu conſtructum, poſtquam eò colonia Romanorum deducta eſt, inviolatum permanſit, ac vetuſtate conlapſum, nomen colli ſervavit. Hanc urbem T. Annius Prætor, ad arcendas barbarorum excurſiones, Kal. Sextil. exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partem, quæ ſola à continenti erat, Prætor ipſe, cum legione Martia, operoſiſſimè communivit: ad occidentem verò, quà barbarorum adventus erat, Avar, Bogudis regis filius, cum equitate omni, & auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen & vallum, loco caſtris parùm amplo, infelici temeritate extra flumen conſedit. Pulchra indoles, non minùs Romanis, quàm Græcis literis, inſtructa. Igitur LIX die, quàm eò ventum eſt, cùm is dies deæ Ciſæ celeberrimus, ludum & laſciviam magis, quàm formidinem, oſtentaret; immanis barbarorum multitudo ex proximis ſylvis repentè erumpens ex improviſo, caſtra irrupit. Equitatum omnem, &, quod miſerius erat, auxilia ſociorum delevit. Avar, cùm in hoſtium poteſtatem regio habitu vivus veniſſet, pecudis more mactatur. Oppidani vero, non minori fortunâ, ſed majori virtute, Prætorem in auxilium ſociis properantem, adoriuntur. Romani haut ſegniter reſiſtunt. Duo principes oppidanorum, Habbino, & Caccus, in primis pugnantes cadunt. Et inclinata jam res oppidanorum erat, ni maturaſſent auxilium ferre ſocii, in altera ripa jam victoriâ potiti. Denique coadunatis viribus caſtra irrumpunt. Prætorem, qui paullò altiorem tumulum fruſtra ceperat, Romanâ vi reſiſtentem obtruncant. Legionem divinam, ut ne nuncius ſupereſſet, funditus delent. Verres ſolus tribunus militum, amne tranſmiſſo, in proximis paludibus ſe occultans, honeſtam mortem ſubterfugit. Nec multò pòſt Siciliæ Proconſul immani avaritiâ turpem mortem promeruit.* Etiam lib. V. ejuſdem operis cap. V, & aliis aliquot locis, Vellejani hujus fragmenti meminit Lazius. Uti & Geſnerus in Bibl. & Rob. Conſtantinus in ſcriptorum Nomenclatore. Sed qui naſum habet, ſatis odoratur, ſtylum ejus ſapere ſcriptorem, qui ſeculis aliquot Vellejo junior ſit. Nec in re pauca ſunt, quæ peccentur. Ea adſerrem, niſi id cum cura feciſſet vir ſummus, Marcus Velſerus, in rerum Auguſtanarum Vindelicarum libris. Sed monere operæ pretium videtur, fragmentum hoc totum, paucis tamen inſertis, legi apud Conradum à Lichtenau, Abbatem Urſpergenſem: quem in Chronico vide poſt ea, quæ de anno MCLXVII expoſuit. Lemma

a P. 294. ed. Pernæ an. 1569. ejus capitis eſt a, *De Auguſta Vindelicorum, vel Rhætia.* Ætatem ejuſce Conradi inde cognoſcimus, quòd initio Pontificatus Innocentii tertii, hoc eſt, anno CIƆXCVIII, laicum ſe, atque adeò minorennem fuiſſe, dicat: anno autem CIƆCCXV referat ſe abbatem factum Urſpergenſem: hiſtoriam verò ſuam perducat uſque ad annum CIƆCCXXIX. Quare, aut ex Abbate Urſpergenſi id fragmentum fuerit: aut inde, unde ea hauſerat Urſpergenſis.

Vellejo ſuccedat Valerius Maximus, qui dictorum factorumque memorabilium libros IX reliquit. Poſt Vellejum ſcripſiſſe, inde cognoſcimus, quòd Vellejus tantopere aduletur Sejano. Scripſit igitur is ſuperſtite adhuc Sejano. At Valerius lib. IX. cap. XI, Sejanum, ſed exquiſito magis adulandi genere nomen ſupprimens, ob perfidiam & ambitionem horribiliter exagitat, ac tandem addit, cum *omni cum ſtirpe ſuâ populi Romani pedibus obtritum, etiam apud inferos, ſi tamen illuc receptus eſt, quæ meretur, ſupplicia pendere.* Scripſit igitur poſt Sejani cædem. Nempe extremis Tiberii temporibus. Stylus tamen vix ſapit tam bonum ævum. Unde Deſiderius Eraſmus ſic de eo ait in Ciceroniano: *Tam ſimilis eſt Ciceroni, quàm mulus homini, adeò ut vix credas, vel Italum fuiſſe, qui ſcripſit, vel hoc ætatis quod præ ſe fert vixiſſe: tam diverſum eſt totum dictionis genus. Afrum quempiam eſſe dicas, nec ullum elaboratius.* Ut cum in prooemio ait, *Mea parvitas eò juſtiùs ad favorem tuum decurrerit.* Vide & alia quædam è multis apud maximum virum, Janum Rutgerſium, lib. VI. Var. Lect. cap. XVI. Sententias quoque nimium affectat. Propterea exiſtimare aliquis poſſit, hunc potiùs eſſe illum M. Valerium Maximum, qui anno Chriſti CCLIV cum Voluſiano Imper. conſul Romæ fuit, iterumque conſulatum geſſit anno CCLVII. ut ex Onuphrio, & aliis, conſtat. Ita quod Valerius in præfatione ait, divinitatem ejus Imperatoris, cui opus ſuum dicat, paterno avitoque ſideri parem videri: id non de Julio, Auguſto, Tiberioque, accipi debebit; ſed de imperatoribus tribus Gordianis; quorum duos in Africa creatos imperatores Maximianus occidit; tertius verò prioris nepos, alterius filius fuit, qui imperare cœpit anno CCLXXXVIII. Quo de Gordiano ita Capitolinus in Maximo & Pupieno: *Neque unquam quiſquam in illa ætate ſic amatus eſt, merito avi, & avunculi, ſeu patris, ut quidam dicunt, qui pro populo Romano contra Maximum in Africa vitam finierant.* Sed cave hæc decipiant. Nihil enim verius, quàm hunc Memorabilium ſcriptorem multò eſſe antiquiorem; quandò & Gellius, qui ſub Hadriano vixit, ejus Memorabilium libros advocat lib. VIII. cap. I, & libro XII. cap. VII. Et Plutarchus in Bruto Valerium Maximum eorum teſtem laudat, quæ refert de Porcia Bruti uxore. Imò certum eſt ſub Tiberio vixiſſe: quandoquidem ipſe lib. II. cap. VI, ſe Aſiam cum Sexto Pompejo petiiſſe dicit. Deque amicitia inter eum & ſeſe agit libro IV. cap. VII. Eſt autem is Sextus Pompejus, qui cum Sex. Appulejo conſulatum geſſit, eopſe anno, quo Auguſtus Cæſar vitâ exceſſit, eique Tiberius ſucceſſit. Ac conſules iſti fuere, qui primi in Tiberii verba jurarunt; eoque nomine Tiberio fuere ſemper acceptiſſimi: ut ex Dione, Tacito, aliis, conſtat. Etiam ætatem oſtendit locus iſte lib. V. cap. VIII. *Marcus Antonius, avorum noſtrorum temporibus clariſſimus orator.* Item, quo Julio, & Auguſto, aſſentatur, oratio, lib. VII. cap. VI, & alibi. Item quòd in gratiam Tiberii Brutum vocat parricidam lib. VI. cap. VI. quemadmodum & lib. I. cap. VII. ait, *C. Caſſium nunquam ſine præfatione publici parricidii nominandum.* Nempe ita ſub Tiberio loqui neceſſe erat: quod illa etiam Cremutii Cordi querela oſtendit apud Tacitum Annal. lib. IV: *Titus Livius Cn. Pompejum tantis laudibus extulit, ut Pompeianum eum Auguſtus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones, & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe ut inſignes viros nominat.* Cremutius ille à Tiberio damnatus fuit, librique ejus per ædiles cremati: quòd *editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum ultimum dixiſſet*; ut ibidem Tacitus ait. Hæc ſatis docent, Valerium Tiberii vixiſſe ætate. Quod ſiquis objectet, mirum igitur eſſe, ſi is, qui Auguſtæi ævi con-

ſuli familiaris fuit, dictione utatur, qualis ſeſquiſeculi pôſt fuit: primùm dicam, nec illo ævo omnes terſè ſatis locutos. Nam & jam Cicero in Bruto conqueritur, quòd, receptis in civitatem tot exteris, corrumpi cœpiſſet nativus ille color ſermonis Romani. Quod ſi illud minùs ſatisfacit, quid ſi dicam, fortaſſe, ut non Trogum, ſed epitomen Trogi, habemus; ita nec Valerium exſtare, ſed epitomen ejus, quam Julius Paris concinnaverit. Nam videtur is feciſſe Valerii epitomen. Quod ſi & Valerius librum de Romanorum nominibus fecit; eumque Memorabilium libris ſubjecit: hujus quoque epitomen ſcripſerit. Sin nihil hujuſmodi (quod multò veriùs puto) Valerius ediderit: ipſe Paris, ut meliùs intelligeretur Valerius, librum hunc compoſuit: ejus autem epitomen fecerit C. Titius Probus. Aut ſi Probus auctor libri illius fuerit, epitome erit à Paride. Quid verius ſit, non aliunde odorari licet, quàm præfatione illâ, quæ eſt in libellum de prænominibus. Ea hujuſmodi eſt: *Decimus atque ultimus hujus operis liber, ſeu ſtudioſorum inertiâ, ſeu ſcriptorum ſegnitiâ, ſeu alio quovis caſu, ætati noſtræ perditus eſt. Verùm Julius Paris, abbreviator Valerii, poſt novem libros explicitos, hunc decimum ſub infrà ſcripto compendio complexus eſt: per quod de nominibus, prænominibus, cognominibus, atque agnominibus, fuiſſe eundem à Valerio compoſitum, conjectare licet.* Sed hoc, quod adfert, argumentum valde eſt infirmum. Potuit enim Paris librum de nominibus ſubjungere, non ut Valeriani unius libri compendium: ſed ut omnium Valerii librorum facem ac commentarium. Quare ſic ſtatuere malim, Valerium ipſum Memorabilia ſcripſiſſe: horum epitomen edidiſſe Paridem: eundem reliquiſſe librum de nominibus: hujus libri compendium feciſſe Probum. Quod etiam arguunt iſta, quæ ibidem continuò ſequuntur: *Verba quidem Julii Paridis hæc ſunt: Liber decimus de prænominibus, & ſimilibus.* Sequitur deinde: *Decimi hujus operis libri per C. Titium Probum epitome.* Porrò hunc, non alium libellum, intellexit Alciatus lib. IV Diſpunctionum cap. I. cùm habere ſe opuſculum ait Valerii Maximi de nominibus Romanorum. Cæterùm non deſunt, qui Valerium hunc Mediolani natum dicant: eumque & ſacerdotem, & aſtrologum fuiſſe, arbitrentur: uti Leander, qui Lombardiam Transpadanam deſcribens, hæc adſtruere nititur, ex antiquo marmore, quod Mediolani exſtet. Ejus inſcriptio eſt talis: M. VALERIUS MAXIMUS SACERDOS D.S.I.M. STUD. ASTROLOGIÆ SIBI ET SEVERIÆ APR. UXORI H.M.H.N.S. Exſtat id monumentum in æde S. Simpliciani. Unde Pighius exſcriptum Smetio tranſmiſit. Habes in Gruterianâ collectione pag. CCCXIII. numero IV. Sed potuit is eſſe M. Valerius Maximus, quem cum Voluſiano imp. conſulatum geſſiſſe, ſuperiùs dicebamus. Vel alius fortaſſè ex eâdem fuerit familiâ.

Brutidius Niger, ſcholaſticus idem, & hiſtoricus, poſt Sejani necem & ipſe ſuperfuit, ut poſtea liquebit. Diſcipulus fuit Apollodori; ut eſt apud M. Senecam Controverſ. IX. ubi & excerpta invenies ex ejus declamat. Inter hiſtoricos, qui elogio proſecuti ſint M. Tullium, ab eodem reponitur Suaſoriâ VI, ubi & verba ejus iſta ex hiſtoria refert: *Elapſus interim alterâ parte villæ Cicero lecticâ per agros ferebatur: ſed, ut vidit, appropinquare notum ſibi militem, Popillium nomine, memor defenſum à ſe, lætiore vultu adſpexit. at ille, victoribus id ipſum imputaturus, occupat facinus, caputque deciſum, nihil in ultimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat, oblitus ſe paullò antè defenſum ab illo.* Item hæc Brutidii ſunt ibidem allata: *Ut verò juſſu Antonii inter duas manus poſitum in Roſtris caput conſpectum eſt; quo toties auditum erat loco: dato gemitu & fletu maximo viri inferia a, nec, ut ſolet, ita depoſiti in roſtris corporis concio audivit, ſed ipſa narravit. Nulla non pars fori aliquo actionis inclytæ ſignata veſtigio erat. Nemo non aliquod ejus in ſe meritum fatebatur: hoc certè publicum beneficium palàm erat, illam miſerrimi temporis ſervitutem ac aleam delatam in Antonium.* Partim laudat, partim culpat Tacitus, lib. III Annalium: *Brutidium*, inquit, *artibus honeſtis copioſum, &, ſi rectum iter pergeret, ad clariſſima quæque iturum, feſtinatio extimulat, dum æquales, dein ſuperiores, ſuaſmet poſtremò ipſe ſpes, anteire parat. quod multos etiam bonos peſſum dedit; qui ſpretis, quæ tarda, cum ſecuritate, præmatura, vel cum exitio, properant.* Ædilem fuiſſe, paullò antè dixerat Tacitus. Idem videtur, quem Juvenalis ſignat ſat. X:

*—— —— —— Pallidulus mi*
*Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.*

Quippe ait, Brutidium, occiſo Sejano, pallidulum proceſſiſſe, quia metueret ſibi & ipſe à Tiberio, propterea quòd Sejano fuiſſet amicus. Hanc loci ejus mentem eſſe, ſatis liquet ex illis, quæ apud poëtam conſequuntur.

Tiberii quoque temporibus fuit Cornelius Thuſcus, declamator, atque hiſtoricus ineptus, & ob *ἀνιστορησίαν* notatus à M. Seneca Suaſoriâ II: *Sed ſi vultis*, inquit, *hiſtoricum quoque vobis fatuum dabo. Thuſcus ille, qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exſtincta eſt, majeſtatis reum fecerat, homo, quàm improbi animi, tam infelicis ingenii, cùm hanc Suaſoriam declamaret* (quâ trecenti Lacones ad Thermopylas adverſus Xerxem miſſi, deliberabant, an ipſi fugiant) *dixit, Exſpectemus, ſi nihil aliud, hoc effecturi, ne inſolens barbarus dicat*, VENI, VIDI, VICI, *cùm hoc poſt multos annos Divus Julius, victo Pharnace, dixerit.* Sanè Thuſci patrocinium ſuſcipere difficile eſt, cùm aperta ſit alluſio ad dictum Cæſaris; nec ante eum illud quiſquam uſurpârit. Tamen video, quid impoſuerit Thuſco. Non neſciebat, tanto poſt Laconas illos Cæſarem fuiſſe: ſed cogitabat, crebras eſſe *συμπτώσεις*, tum eorum qui diverſis temporibus, tum qui ſimul vixerint: imò, ut Comicus ait nullum dictum eſſe, quod non dictum ſit prius. Eoque nihil abſurdi credebat, ſi tale quid in mentem veniret Perſis ſubitò vincentibus Græcos; ac poſtea venit Cæſari. Pharnace devicto. Porrò non temerè, quem Thuſcum *ἁπλῶς* appellat Seneca, eum nos Cornelium Thuſcum vocabamus. Cornelium enim (ut Lipſio quoque obſervatum) eundem nominat Tacitus in VI Annal. ubi de Servilio, & Cornelio, Scauri Mamerci accuſatoribus, ſcribit. Meminit & Thuſci cujuſdam Plinius in Hiſtoria Natur. ac Glandorpio in Onomaſtico hic vocatur Clodius Tuſcus; imò & præſtantiſſimo viro, Andr. Schotto, libello de claris oratoribus. Verùm non dubito, quin planè alius à Cornelio Thuſco ſit Clodius Thuſcus, Sinnii, ſeu Aſinii Capitonis æqualis; ex cujus ad Capitonem hunc literis ſolœciſmi definitionem adducit Gellius lib. V, cap. XX.

## CAP. XXV.

*Cn. Lentuli Gætulici ætas, pater, dignitas, accuſatio, defenſio, clementia, cædes, hiſtoria, error, poëmata. Agrippina de vita & caſibus ſuorum commentarius. Agrippinam Claudii perperam cum Agrippina Germanici confundi. Claudii Cæſaris hiſtoria, & de vita ſua libri. L. Senecæ tempora percurſa. Regiones deſcripſit. De compendio hiſtoriæ Romanæ quæſtio rejecta. Fabii Ruſtici hiſtoria, & eloquentia. Domitii Corbulonis dignitas, virtus, hiſtoria.* Pomponius Mela de ſitu orbis. C. Balbilli, *ſeu Babilli, libri de itinere ſuo, ac rebus Ægyptiis. Corruptè eum Babilium vocari.*

CN. Lentulus Gætulicus Tiberii & Caji Caligulæ temporibus vixit. Pater ejus fuit Cn. Lentulus Coſſus Gætulicus, qui cum L. Calpurnio Piſone conſulatum geſſit anno Urbis IↃCCLII. Hujus mortem Tacitus refert lib. IV. annalium. Ibidem & filii meminit, quem conſulatum geſſiſſe ait cum C. Calviſio Sabino, anno nempe IↃCCLXXVIII. Eo anno Tiberius Imp. Româ cum modico comitatu in Campaniam abiit: nec Romam poſtea reverſus fuit, ut præter Tacitum auctor eſt Suetonius in Tiberio cap. XXXIX. & Dio lib. XLVIII. Anno autem proximo

*a Locus corruptus. Vide ſuper eo interpretum conjecturas.*

mo hic ipſe Gætulicus in Germania ſuperiore cum proconſulari fuit imperio. Quincto imperii ejus anno occiſus eſt Romæ Sejanus. Tum accuſatus quoque Gætulicus, quòd Sejani filium ſibi generum deſtinâſſet. Sed animoſâ ſatis epiſtolâ ſe defendit, ac tantum effecit, ut delator urbe exigeretur: quâ de re vide Tacitum lib. VI Annalium. Dum ſuperioris Germaniæ legiones curat, ut ibidem legere eſt, *mirum amorem adſecutus erat, effuſa clementia, modicus ſeveritate, & proximo quoque exercitui per L. Apronium ſocerum non ingratus.* Sed benevolentia iſta militaris eum poſt Tiberii obitum Cajo ſuſpectum reddidit. Nec aliâ de cauſsâ occiſus ab eo fuit. Docet hoc nos unus Dio Caſſius lib. LIX. *Γαιτυλικὸν Λεντῦλον, τά τε ἄλλα δόκιμον ὄντα, καὶ τῆς Γερμανίας δέκα ἔτεσιν ἄρξαντα, ἀπέκτεινεν, ὅτι τοῖς στρατιώταις ᾠκείωτο. Lentulum Gætulicum, cùm aliis rebus illuſtrem, tum adminiſtratâ per decennium Germaniâ, occidi juſſit, eo quòd militum ſibi benevolentiam parâſſet.* Hiſtoriam ſcripſit, cujus meminit Tranquillus in Caligula cap. VIII: *Cn. Lentulus Gætulicus* (Caligulam) *Tiburi genitum ſcribit.* In quo tamen fallit Gætulicus. Nam, ut Tranquillus mox ſubjungit, *Gætulicum refellit Plinius, quaſi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis, glorioſique principis, aliquid etiam ex urbe Herculi ſacrâ ſumeret: abuſumque audentius mendacio, quòd ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipſe C. Cæſar: de cujus amabili pueritiâ immaturoque obitu, ſuprà diximus.* Poëmatis etiam claruit. Hinc Martialis præfatione lib. I: *Sic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Gætulicus.* Meminit & Probus Grammaticus in Virgil. Georg. I. ubi tres ejus hexametros adfert. Adhæc Sidonius lib. II. Epiſt. X. ubi nomen amicæ ejus Cæſenniæ fuiſſe ait. Et carm. IX ait,

*Non Gætulicus hic tibi legetur.*

Imò & ejus eſſe Epigrammata videntur, quæ lib. III, & VI Antholog. leguntur ſub nomine Γετουλίου, vel, quod malim, Γαιτυλικοῦ.

Etiam inter eos, qui res geſtas prodidere, locum ſibi depoſcit Agrippina, Cæſaris Germanici, laudatiſſimi principis, & Agrippinæ, M. Agrippâ natæ, filia, Auguſti Cæſaris proneptis, conjux verò Cn. Domitii Ahenobarbi, & ex eo mater Cn. Domitii Neronis imperatoris. Auctor de ea nobis Tacitus lib. IV Annalium: *Id ego, à ſcriptoribus annalium non traditum, reperi in commentariis Agrippinæ filiæ: quæ Neronis principis mater, vitam ſuam, & caſus ſuorum poſteris memoravit.* Plinius item lib. VII Hiſt. Nat. cap. VIII. *Neronem quoque paullò antè principem, & toto principatu ſuo hoſtem generis humani, pedibus genitum, parens ejus ſcribit Agrippina.* Idem in indice auctorum, è quibus profecit libro ſeptimo, vocat eam Agrippinam Claudii. Nempe quia primùm quidem Cn. Domitii Ahenobarbi, poſtea autem Criſpi Paſſieni, ac denique patrui ſui Claudii Imperatoris fuerit uxor. Quod ſi hæc proneptis fuit Auguſti, ut, quæ diximus, oſtendunt: ſatis liquet, errare virum eruditum, quando de eâ intelligit locum hunc Tranquilli in Auguſto cap. LXXXVI: *Et quadam epiſtolâ Agrippinæ ingenium collaudans: Sed opus eſt, inquit, dare te operam, ne moleſtè ſcribas, aut loquare.* Nam hæc non proneptis, ſed neptis vocatur Auguſti, eoque mater erat ejus Agrippinæ, de qua nunc loquimur.

Claudius Cæſar juſtam etiam hiſtoriam inſtituerat: qua de re ſic Suetonius in Claudio cap. XLI: *Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio; Sulpicio verò Flavio etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt. In principatu quoque, & ſcripſit plurimùm, & aſſiduè recitavit per lectorem. Initium autem ſumſit hiſtoriæ poſt cædem Cæſaris Dictatoris. Sed & tranſiit ad inferiora tempora, cœpitque à pace civili: cùm ſentiret, neque liberè, neque verè, ſibi de ſuperioribus tradendi poteſtatem relictam, correptus ſæpe, & à matre, & ab avia. Prioris materiæ duo volumina; poſterioris, unum & quadraginta reliquit. Compoſuit & de vita ſua octo volumina, magis ineptè, quàm ineleganter.* Ex quarto hiſtoriarum Claudii fragmentum citat Priſcianus lib. VI; ex octavo autem, Diomedes lib. I. Ea inter fragmenta Q. Claudii Quadrigarii retulerunt viri docti. Caſaubonus verò, notis ad ſuperiorem Suetonii locum, cenſet eſſe Tiberii Claudii Cæſaris. Ac movet eum, quòd Quadrigarii libri *annales*, non *hiſtoriæ* vocari ſolent. Fortaſſe id verum eſt. Sed interdum tamen ſcriptores laxiùs hiſtoriæ voce utuntur, ut annales comprehendat. Puto ex Annalibus etiam Claudii Cæſaris eſſe, quod Plinius ſcribit lib. VIII cap. III: *Claudius Cæſar ſcribit, hippocentaurum in Theſſalia natum eodem die interiiſſe.* Barthius Adverſ. lib. VII cap. I cenſet etiam libros de Analogia ſcripſiſſe. Atque hoc colligit ex iſtis verbis Joannis Sariſberienſis, lib. VIII Policratici, cap. X: *Sed & in his quæ palam dicentur, fideliter exſequendum erit: quod in primo libro de Analogia ſcripſit Claudius Cæſar, vir excellentis ingenii, magnæque prudentiæ.* Sed quis Claudium, cujus ſtuporem veteres omnes narrant, credat dici poſſe virum excellentis ingenii, magnæque prudentiæ. Mirum ſanè, Barthium ex his verbis colligere, fuiſſe inter veteres, qui Claudium prudentiæ ſapientiæque nomine commendârint. Nam quis veterum ante Sariſberienſem ſic de eo ſcripſit? Sed neque Sariſberienſem hæc ſcripſiſſe eſt credibile: verùm potiùs legendum *Caius Cæſar*, qui eſt Julius dictator. Hic enim libros de Analogia compoſuit, quorum meminere Quinctilianus, Suetonius, Gellius, Chariſius, Priſcianus, alii.

L. Annæus Seneca Cordubenſis, M. Senecæ, cujus ſuaſorias & controverſias habemus, filius, Lucani poetæ patruus, decimoquincto, vel circiter, anno ante Auguſti exceſſum Romam perductus fuit, adhuc infans: ac cometam quidem, qui abitum ejus principis anteceſſit, viſum ſibi ipſe teſtatur lib. I Natur. Quæſt. cap. I. Sub Tiberio dubium, an ſub Cajo, quæſturam geſſerit. Sub Cajo certè periclitatus multùm, cùm, principe eo præſente, diſertè cauſſam egiſſet. Sed periculum evaſit, cùm mulier quæpiam, quicum Cajus conſueverat, principi dixiſſet, Senecam tabe laborare, nec diu ſupervivere poſſe. Primo Claudii anno in Corſicam eſt relegatus, accuſante Meſſallinâ, principis libidinoſiſſimâ uxore; quæ inter Juliæ, Germanici filiæ, adulteros nomen ejus referebat. Sed octennio pòſt, operâ Agrippinæ, quæ poſt cædem Meſallinæ, patruo ſuo Claudio nupſerat, ab exilio eſt revocatus, ac præturâ etiam ornatus, adhæc præfectus eſt ſtudiis Neronis, quem ex primo habebat marito, Cn. Domitio Ahenobarbo. Sub Nerone conſulatum: ſed extraordinarium, geſſit cum Trebellio Maximo: cujus rei mentionem facit Ulpianus ad S. C. Trebellianicum. Duodecimo autem Neronis anno, P. Silio Nerva, & C. Julio Attico Veſtino coſſ. jubente Nerone, periit, venis inciſis, & veneno hauſto. Inter tam multa, quæ commentatus fuit, erant & deſcriptiones regionum. Uti Indiæ. De qua auctor Plinius lib. VI cap. XVII: *Seneca etiam apud nos, tentatâ Indiæ commentatione,* LX *amnes ejus prodidit, gentes duodeviginti centumque. Par labor ſit montes enumerare.* Item Servius in IX Æn. *Ganges fluvius Indiæ eſt, qui ſecundùm Senecam in ſitu Indiæ, novem alveis fluit.* Item deſcripſit Ægyptum, cujus non ſitum modò, ſed & ſacra tradidit. Servius in VI Æn.: *Seneca ſcripſit de ſitu & de ſacris Ægyptiorum. Hic dicit, circa Syenem, extremam Ægypti partem, eſſe locum, quem Philas, hoc eſt Amicas vocant, ideo quòd illic eſt placata ab Ægyptiis Iſis, quibus iraſcebatur, quòd membra mariti Oſiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inventa poſtea cùm ſepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutiſſimum locum, quem tranſitu conſtat eſſe difficilem. limoſa enim eſt, & papyris referta, & alta.* Vir ſummus, Juſtus Lipſius, in vita Senecæ cap. X, etiam hiſtoriam, aut compendium rerum Romanarum, ſcripſiſſe colligit ex verbis Lactantii lib. VII cap. XV; ubi is, ut Seneca per ætates imperium Romanum diſtinxerit, docet. Sed quæ hoc de loco ſententia ſit noſtra, dicemus, cùm in Trajani temporibus ad Julium Florum fuerit deventum. Senecam fuiſſe Chriſtianum, qui-

dam cenſent. Quos refellit Modius in Novantiquis, epiſt. xxi.

Fabius Ruſticus Claudii ac Neronis temporibus floruit: quippe Senecæ amicus: ut oſtendit Tacitus lib. xiii Annal. ubi & quædam ex ejus hiſtoria refert. Verba Taciti ponam: *Fabius Ruſticus auctor eſt, ſcriptos eſſe ad Cacinam Thuſcum codicillos, mandatâ ei prætoriarum cohortium curâ: ſed ope Senecæ dignationem Burrho retentam. Plinius, & Cluvius, nihil dubitatum de fide præfecti, referunt: ſanè Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitiâ floruit.* Unde, ſui temporis hiſtoriam ſcripſiſſe, cognoſcimus. Uti & ex iſtis lib. xiv: *Fabius Ruſticus non Agrippinæ, ſed Neroni cupitum id memorat, ejuſdemque libertæ aſtu disjectum.* Item lib. xv: *Tradit Fabius Ruſticus, non eo, quo venerat, itinere reditum; ſed flexiſſe ad Fenium præfectum, & expoſitis Cæſaris mandatis, an obtemperaret, Senecam interrogaviſſe: monitumque ab eo, ut exſequeretur, fatali omnium ignaviâ.* Quanti ejus dictionem fecerit Tacitus: oſtendunt hæc illius verba in Agricola: *Livius veterum, Fabius Ruſticus recentium eloquentiſſimi ſcriptores.*

Etiam ſub Claudio, & Nerone potiſſimùm, floruit Cn. Domitius Corbulo, vir conſularis, dux bello inſignis; & à quo in Batavia dicta foſſa Corbulonis. Hujus dictum erat, hoſtem dolabrâ eſſe vincendum. Quo aſtu, cùm Caligulam epigrammate offendiſſet, conſulatum tamen ab eo ſit conſecutus, Dio docebit. Factum id eſt anno Urbis Iɔccxci. Sub Claudio anno Iɔccxcix procul in Germania inferiore fuit, ſtrenueque rem geſſit adverſus Chaucos, & juſſus militem cis Rhenum in præſidiis ſiſtere, ne is otio ſegneſceret, foſſam inter Rhenum, & Moſam duxit, ut docet Dio lib. lx. Sub Nerone anno Iɔcccv. proconſul in Armenia Vologeſem excedere provinciâ, & obſides dare coëgit. Anno autem Iɔcccxiii Syriam morte Vinidii Quadrati vacuam cœpit regere. Nec minùs hominem tum ſtrenuum præbuit. Sæpe memoratur Tacito: ut Annal. lib. iii, xi, xiii, xiv, xv, & Hiſt. lib. iii. Quibus parentibus genitus ſit, docebit Plinius lib. vii cap. v. Loca deſcripſiſſe, in quibus militavit, colligo ex eodem Plinio, qui eum laudat in indice libri quincti, & ſexti: quibus terrarum ſitus exponitur. Imò apud eundem legas lib. ii cap. lxx, notâſſe eum ſolis defectum, qui anno fuit Iɔccx: ac in Armenia quidem conſpectum pridie Kal. Maji, inter horam diei decimam, & undecimam; in Campania autem eodem die inter horam diei ſeptimam, & octavam. Ejuſdem verba ſunt lib. v cap. xxiv: *Oritur Euphrates in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidit ex iis, qui proximè videre, Domitius Corbulo, è monte Aba.* Idem lib. vi cap. viii: *Peracta eſt interior ora, omneſque accolæ: nunc reddantur gentes mediterraneo ſinu: in quo multa aliter, ac veteres, proditurum me, non eo inficias, anxiâ perquiſita curâ, rebus nuper iri eo ſitu geſtis à Domitio Corbulone, regibuſque inde miſſis ſupplicibus, aut regum liberis obſidibus.* Loquitur Plinius de temporibus iis quibus Corbulo pugnaret adverſus Parthos, qui Armeniam infeſtabant. Nec terras ſolùm deſcripſit, ſed & res geſtas: ut indicat hic Taciti locus lib. xv Annal. *Cæterùm obſeſſis adeò ſuppeditaviſſe rem frumentariam, conſtitit, ut horreis ignem injicerent: contraque prodiderit Corbulo, Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe.* Tantus in ſtudiis & arte militari vir, cùm præclarè res, & Claudii tempore adverſus Chaucos, & ſub Nerone in Oriente adverſus Parthos, qui Armeniam Syriamque invaſerant, geſſiſſet, ob virtutem ſuſpectus eſſe cœpit Neroni. Qui propterea ſub honoris ſpecie in Achajam evocavit; ſed immiſſis percuſſoribus; à quibus juſſu tyranni in itinere mori eſt compulſus, anno Urbis Iɔcccxix. Auctor Xiphilinus ex Dione.

Pomponius Mela, natione Hiſpanus, Claudii temporibus fuit; ut rectè primus adſtruxit Vadianus: quem iccirco & Vinetus ſequitur, & Schottus. Inde eſt, quòd & ipſe meminit Cornelii Nepotis, ut recentis ſcriptoris: & ad partes à Plinio advocetur in Hiſtoria Naturali; qui Veſpaſiani temporibus claruit. Scio eſſe, qui arbitrentur, vixiſſe temporibus Julii Cæſaris; idque propterea, quia lib. iii cap. vi loquatur hoc pacto: *Britannia qualis ſit, qualeſque progeneret, mox certiora, & magis explorata, dicentur. Quippe tam diu clauſam aperit ecce principum maximus, nec indomitarum modò ante ſe, verùm ignotarum quoque gentium victor; qui propriarum rerum fidem, ut bello affectavit, ita triumpho declaraturus portat.* Verùm hæc verba uni conveniunt Claudio: ut liquet ex Suetonio de imperatore eo cap. xvii. At nunquam de Britannis triumphavit Julius. Quid quòd Melæ libro primo mentio fit Cæſareæ? quæ, cùm prius Jol diceretur, nomen Cæſareæ ab Cæſare Auguſto accepit. Cæterùm etiam de patria ejus liticula eſt. Siquidem Mellariæ, Bæticæ oppido, quod nunc eſt in ditione ducum Methymnæ, & Sidoniæ, natum eſſe, Hermolaus Barbarus arbitrabatur: imò ajebat ex eo Melæ, vel, ut ipſe ſcribere maluit, *Mellæ* nomen accepiſſe. Sed inde *Mellarius*, aut *Mellarienſis* potiùs diceretur. Et ſatis ex aliis conſtat, *Mela*, non patriæ, ſed gentilitium eſſe nomen. Alii igitur Cingeterati, (quod, MSSorum Melæ codicum fidem ſecuti, itidem Bæticæ oppidum ſtatuunt) natum fuiſſe veriſimilius putant: atque id è ſecundo ejus libro colligunt: ubi, de Bæticæ oppidis loquens, ait ipſe: *Atque, unde nos ſumus, Cingenteratum, Mellaria, & Bello.* Ubi Hermolaus *cingente freto* legebat, ut Mellarienſem faceret. Vinetus maluit *Tigentera*, quod in ſuis repererat libris Pincianus voce *Cingenteratum*, tanquam nihili planè ejecta legebat: *Atque unde nos ſumus Mellaria.* Schottus corrigebat: *Atque unde nos ſumus ex gente ea. Tum Mellaria.* Eam verò emendationem acceptam ferebat Franciſco Sanctio Brocenſi: uti ille Petro Ciacconio Toletano. Anteceſſerat autem proximè apud Melam oppidi Carteja, ſeu Tarteſſi mentio: quam iccirco patriam Melæ fuiſſe arbitratur. Caſaubonus commentario & caſtigationibus in tertium Strabonis emendat hoc pacto, *Atque unde nos ſumus Tingi contraria Mellaria.* Vel *Tingi è regione ſita Mellaria.* Solet enim Mela meminiſſe locorum, quæ ex adverſo ſita. Ergo, ſi MSSis codicibus ſtandum patria Melæ erit Cingeteratum, vel Tigentera. Sin emendationem ſequimur, quæ placuit Schotto, fuerit Cartejus, ſive Tarteſſius. At juxta correctionem Barbari, Pinciani, &, quæ imprimis placet, Caſauboni, Mellarienſis erit. Utcumque ſe habet civitatis nomen, Bæticum fuiſſe Melam, ſatis indicant verba illa, *unde nos ſumus.* Inclaruit Mela libris iii *de Chorographia*; ut eſt in pleriſque libris: ſive potiùs, ut in aliis vocantur, *de orbis ſitu.* In iis, & perſpicua eſt brevitas, & mira elegantia. Imò, ut Strabo ab eruditione, à diligentia Plinius, ita ab arte commendatur Mela: quod judicium eſt Alfonſi Garſiæ Matamori in commentario de doctis Hiſpaniæ viris, atque ejuſdem Academiis a. Nomen hujus ſcriptoris corruptum eſt apud Servium in ix Æn. ubi à Melone dici ait, ſeptem eſſe Gangis oſtia: quod apud Melam legas lib. iii cap. vii. Valde autem ridiculus eſt Claudius Verderius b, cum dictionem Melæ, elegantiſſimi ſanè ſcriptoris, culpare non veretur. Objectat, quòd dixerit, *Britanniam feris ſcatere.* Quaſi non expreſſum hoc ſit de iſto Lucretii lib. v c:

*—— Ita ad ſatiatem terra ferarum*
*Nunc ſcatit ——*

At, inquit ille, *ſcatere* eſt à σκατὸς d: unde idem alibi e *ſcatere* vocat latrinarum verbum. At nos ſcimus שתת Chaldæis & Syris notare *fudit*: unde שתי, *fundens.* Hinc *ſcateo*, quod iccirco dicitur de terra liquorem fundente: uti etiam indicant derivata, *ſcatebra*, & *ſcaturire*: & Plautinum illud in Aulularia:

*Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,*
*Corinthienſem fontem Pirenen poteſt.*

C. Balbillus Neronis ætate Ægypti præfectus fuit: ut Tacitus indicat in xiii Annal. Fuit id anno Urbis Iɔcccix, Q. Voluſio Saturnino, & P. Cornelio Scipione coſſ. uti

a Habet T. II ſcriptorum Hiſpaniæ illuſtratæ.
b Cenſura in auctores pene omnes.
c Verſ. 40.
d Steren.
e Pag. 27.

don-

conſules ii etiam in antiqua inſcriptione vocantur, quæ Neapoli exſtat. De itinere ſuo, ac rebus Ægyptiis, quædam conſignavit. Seneca lib. IV Natur. Quæſt. cap. II: *Balbillus, virorum optimus, in omni literarum genere rariſſimus, auctor eſt, cùm ipſe præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum à mari occurrentium & crocodilorum à flumine adverſum agmen agentium, velut pro partibus prælium: crocodilos ab animalibus placidis, morſuque innoxiis, victos.* Ex eodem opere eſt, quod refert Plinius in proœmio lib. XIX. *Galerius à freto Siciliæ Alexandriam ſeptimâ die pervenit; Babillus ſextâ, ambo præfecti.* In vulgatis Senecæ libris eſt Babillus, in Plinianis *Babilius.* Sed Balbillus dicitur Tacito: atque ita legi oportere, probat Lipſius ex veteri inſcriptione T. Julius Balbillus, Sacerdos Solis. Addere potuit & hanc: Soli Alagabalo Julius Balbillus Aquila. Sanè ἀναλόγως, à cognomento *Balbus* fit *Balbulus*, hinc *Balbillus.* Tamen ecce *Babilla* in inſcriptione alia: Pro Salute Sabiniani & Juliæ Babillæ Vindona Mater.

## CAP. XXVI.

*Suetonii Paullini ætas, conſulatus, res geſta in Africa, & Britannia, deque iis hiſtoria, quæ in Africa is geſſerat. Locus de eadem ex Plinio, ſed emendatior. Error Mureti, confundentis Suetonium Paullinum cum Suetonio Lene. Perperàm cognomen Paullini à Græcis arceſſi. Thraſeæ Pæti elogium, deque Catonis vita commentarius. M. Servilii hiſtoria, laus, mors. Cornuti patria, profeſſio, exitus, & quantum ei diſcipulus Perſius legârit, libri ejuſdem, & laus. Cornutos duos à Suida male unum credi. Lucanum, etiam de opinione veterum, hiſtoricis rectiùs, quàm poëtis, accenſeri. Pharſaliam ejus poſt cædem demum Neronis editam videri. Illius eſſe Panegyricum, qui ſcriptus in Piſonem, & quis ille Piſo. Ejuſdem* Lytra Hectoris, Orpheus, de Urbis incendio, Iliacon, *& alia. Locus in Lucani vita emendatus: item alter, in quo à Scaligero receſſum. Quæ, ſi vera hæc lectio,* fabulæ ſalticæ *dicantur.*

C. Suetonius Paullinus anno Urbis IↃ CCXCIV, C. Cæſare IV, & Cn. Sentio Saturnino coſſ. Numidium obtinuit C. Cæſaris proprætor, ac Mauros uſque ad Atlantem montem perdomuit: ut Plinius indicat lib. V cap. I; ac imprimis Dio lib. LX. Idem, anno Urbis IↃ CCCI, conſulatum geſſit cum L. Pontio Teleſino. Suffectus autem fuit Neroni, cujus conſulatus tantùm quadrimeſtris erat, ut Tranquillus ſcribit. Sanè *conſulem* diſertim Plinius vocat, ut Tacitus *vetuſtiſſimum conſularium.* Proconſul Britanniam obtinuit, ubi (ut Tacitus in vita Agricolæ refert) *biennio proſperas res habuit, ſubactis nationibus, firmatiſque præſidiis: quorum fiduciâ Monam inſulam, ut vires rebellibus miniſtrantem, aggreſſus, terga occaſioni patefecit. Namque, abſentiâ legati remoto metu, Britanni, Voadicâ, regii generis feminâ, duce, ſumſere univerſi bellum: ac ſparſos per caſtella milites conſectati, expugnatis præſidiis, ipſam coloniam invaſere, ut ſedem ſervitutis. Quod niſi Paullinus, eo cognito motu, propere ſubveniſſet; amiſſa Britannia foret: quam unius prælii fortunâ veteri patientiæ reſtituit.* Vide & de eo Tacitum lib. I, ac II Hiſtor. item quæ ex Dione refert Xiphilinus. Scripto conſignâſſe, quæ in Africa geſſerat, diſcimus ex iſtis Plinii verbis lib. V cap. I: *Suetonius Paullinus, quem conſulem vidimus, primus Romanorum ducum tranſgreſſus quoque Atlantem aliquot millium ſpatio, prodidit de excelſitate quidem ejus, quæ cæteri: imas radices denſis altiſque repletas ſylvis, incognito genere arborum; proceritatem ſpectabilem eſſe enodi nitore; frondes cupreſſis ſimiles; præterque gravitatem odoris tenui eas obduci lanugine; quibus, additâ arte, poſſe, quales è bombyce, veſtes confici. Verticem altis, etiam æſtate, operiri nivibus. Decumis ſe eò perveniſſe caſtris, & ultra ad fluvium, qui Niger vocatur, per ſolitudines, nigri pulveris eminentibus interdum velut exuſtis cautibus. Loca inhabitabilia fervere, quamquam hiberno tempore, experitum* a. *Qui proximos inhabitent ſaltus, refertos elephantorum ferarumque, & ſerpentium omni genere, Canarios appellari. Quippe victum ejus animalis promiſcuum his eſſe, & dividua ferarum viſcera.* Muretus in Variis ſuis *b* credidit, Suetonium hunc fuiſſe Suetonii illius patrem, cujus de XII Cæſaribus libros VIII habemus. Sed, ut rectè Juſto Lipſio *c* obſervatum, iſte, qui Tacito, Plinioque, memoratur, vocatus eſt Paullinus: alter dictus Tranquillus, aut Lenis: ille dux belli fuit, ut conſtat ex Plinii verbis adlatis: ejus, qui Cæſareas vitas edidit, parens ſub Othone etiamnum anguſticlavius, hoc eſt, necdum Senator erat. Ipſum audi lib. VIII in Othone de pugna Bedriacenſi: *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiadecimæ legionis tribunus anguſticlavius.* Sicco Polentonus, in ſeptimo de Illuſtribus ſcriptoribus libro, vitam Suetonii Tranquilli tradidit *d*; inque ea ſimiliter ſtatuit, illum, qui conſul cum Teleſino fuit, patrem fuiſſe illius Suetonii, qui vitas Cæſarum ſcripſit. Sed is non *Tranquillus*, aut *Lenis*, vocabatur: verùm *Paullinus.* Objectant *e*, quòd *Paullinus* ejuſdem ſit ſignificationis, à Græca voce deductum. Sed iſtud verum non eſt. Nam, ut à *Juſtus* eſt *Juſtinus*, à *Marcellus Marcellinus*, ab *Auguſtus Auguſtinus*, à *Longus Longinus*: ita à *Paullus* (quod parvum notat) venit *Paullinus.* Apud Geſnerum in Bibliotheca legitur, Suetonium Lenem (intelligit autem hunc Paullinum, quem & patrem fuiſſe Suetonii Hiſtorici putavit) ſcripſiſſe vitam Othonis Imperatoris. Idemque proditum à Popeliniero lib. V Hiſtoriæ de Hiſtoricis, quam Gallicè procudit. Sed hoc, nec à Suetonio hiſtorico, nec veterum ullo, proditum invenitur.

Suetonio hoc Paullino, & Pontio Teleſino coſſ. à crudeliſſimo Nerone, delatore Marcello Eprio, mori juſſus eſt L. Thraſeas Pætus, ingens Patavinorum, imò orbis Romani iis temporibus decus. *Magnum* Martialis lib. I, *conſtantem* lib. IV appellat. *Maximum* vocat Plinius lib. VIII epiſt. XXII. Vide & de ejus laudibus Tacitum, qui *virtutem ipſam* lib. XVI Annal. cap. XXI appellat; item Arrianum, Dionem, alios. Quin de eo ipſe Nero dicebat: Ἐβουλόμην ἂν Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστιν. *Vellem me Thraſeas tàm amaret, quàm integer eſt judex.* Auctor Plutarchus lib. πολιτικῶν παραγγελμάτων. Nec præteriri meretur quod de eo refert Tranquillus in Domitiani vita cap. X; ubi de imperatore hoc ait: *Interemit Junium Ruſticum, quod Pæti Thraſeæ, & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos ſanctiſſimos viros.* Meminimus Thraſeæ hoc loco, quia vitam ſcripſit Catonis Uticenſis: ex qua ſemel, iterumque, aliqua adfert idem Plutarchus in Catonis minoris vitâ.

Quos Thraſeæ potiùs ſubjungam, quàm eos, quibus itidem Neronis crudelitas noxæ fuit? Ii ſunt M. Servilius, Cornutus, ejuſque diſcipulus Lucanus.

De M. Servilio ſic Tacitus in XIV Annal. *Sequuntur virorum illuſtrium mortes, Domitii Afri, & M. Servilii, qui ſummis honoribus, & multâ eloquentiâ viguerant. Ille orando cauſſas; Servilius diu foro, mox* TRADENDIS REBUS ROMANIS, *celebris: quem & elegantia vitæ clariorem effecit: ut par ingenio, ita morum diverſus.* Unde diſcimus, Servilium hunc ſummos geſſiſſe honores, hiſtoriam rerum Romanarum conſignâſſe, virum fuiſſe facundum, & elegantis vitæ, denique à Nerone fuiſſe ſublatum; quod contigit, ut idem auctor eſt, C. Viſpanio Aproniano, & C. Fonteio Capitone coſſ. anno Urbis IↃ CCCII.

Cornuti ætatem, patriam, profeſſionem, atque exitum, paucis indicat Suidas his verbis, Ὁ Κορνοῦτος Λεπτίτης φιλόσοφος. Ἡ δὲ Λεπτὶς, πόλις Λιβύης, γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸ αὐτοῦ, ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ. *Cornutus Leptites, philoſophus. Leptis autem Africæ eſt civitas. Ac fuit Romæ ſub Nerone, & ante eum.*

a *Sic corrige. In vulgatis perperam locus diſtinguitur, preque expertum eſt experto. In Mſo, & veteri Parmenſi anni* 1476. *eſt* expertus. *Sed obſtat, quod* prodidit *anteceſſit: cæteraque infinito modo efferuntur.*

b *Lib* 15. *cap.* 11.

c *Notis ad Taciti lib.* 2. *Hiſt.*

d *Eam apud Pighium reperies in Annalibus ad annum octingenteſimum duodevigeſimum.*

e *Pighius ibidem.*

*eum. Interfectus verò cum Muſonio.* Quod philoſophum appellat, convenit cum Tranquillo, ſive alio, qui Perſii vitam ſcripſit. is philoſophum Stoicum vocat. Etiam philoſophum nominat Euſebius: ſed non morte, verùm exilio multatum ſcribit. Sic enim ille in Chronicis ad annum MM LXXXIII: *Nero, cum cæteris viris inſignibus, & Octaviam uxorem interfecit, Cornutumque philoſophum, præceptorem Perſii, in exilium fugat.* Sed fortaſſe hæc conciliari poſſunt, quia priùs in exilium egiſſe, poſteaque interemiſſe poteſt. Ex Perſianæ eo vitæ auctore, quem diximus, illud etiam cognoſcimus, inter auditores ejus fuiſſe & Lucanum poëtam, & Aulum Perſium: atque hunc, adoleſcentulum adhuc, tanti feciſſe præceptorem ſuum, à quo in philoſophia inſtituebatur, ut nunquam ab illius latere recederet, atque ut moriturus, anno nempe ætatis undetrigeſimo, legârit Cornuto, cùm ſeptingentorum librorum bibliothecam, tum etiam argenti facti pondo viginti: ſed Cornutum ait, libris contentum, pecuniam ſororibus Perſii reliquiſſe. Poſt ea, quæ antea adduximus, ſubjicit continuò Suidas: Ἔγραψε δὲ πολλὰ φιλοσοφά τε καὶ ῥητορικά. *Scripſit multa & philoſophica, & rhetorica.* Sed videtur etiam fuiſſe nobilis Grammaticus, & veterum poëtarum interpres. Nihil enim cauſſæ video, cur hunc alium putem ab illo Cornuto, quem Gellius lib. II cap. VI refert inter *Grammaticos ævi ſuperioris, haut ſanè indoctos, neque ignobiles, commentariaque in Virgilium compoſuiſſe* dicit. Præſertim cùm idem lib. IX cap. X teſtetur, feciſſe libros *de figuris ſententiarum*: quod bene convenit cum eo, quòd Suidas ῥητορικὰ ſcripſiſſe ait. Commentariorum in Virgilium meminit & Macrobius lib. V cap. IX. ubi eum vocat *virum magnum, & Græcarum literarum doctiſſimum.* Chariſius citat hæc decimo Cornuti libro ad Silium Italicum cùm de Virgilio: *Jamque exemplo tuo etiam principes civitatium* & poëtæ incipient ſimilia fingere. Hunc autem philoſophum, rhetorem, grammaticum, etiam hiſtoricum fuiſſe, teſtis eſt Suidas, qui diſertim ἱστορικὸν appellat: atque addit, æmulationem fuiſſe inter eum, & Livium Patavinum; longeque plures audiiſſe Cornutum: ſed Livio fuiſſe auditores, & ingenio, & eruditione, præſtantiores. Tamen, ut verè dicam, quod ſentio, videre non poſſum, ut hoc temporum ratio patiatur. Nam Livius Patavinus, uti & Meſſalla Corvinus orator, nati ſunt Olympiadis CLXXX anno ſecundo, quarto anno à conſulatu Ciceronis; teſte Hieronymo in Chronico Euſebiano. Eſt is annus Urbis Iↄ CXCV. Idem Hieronymus deceſſiſſe ait Olympiadis CXCIX anno I, Tiberii anno IV, qui fit Urbis annus Iↄ CCLXX, Livii autem annus LXXV. Cornutus verò in exilium à Nerone ejectus eſt Olympiadis CCXI anno III, ut idem Hieronymus ait. Eſt is annus Urbis Iↄ CCCXX. à deceſſu Livii annus quinquageſimus. Minùs autem veriſimile fit, Livium, jam decrepitâ ætate docendis aliis vacâſſe: ſed, ſiquid tale factum, potiùs evenerit illud Livio quinquagenario, vel antè. At tum fortaſſè necdum natus erat Cornutus. Utcunque hoc eſt, planè alius ille hiſtoricus Cornutus fuiſſe videtur, qui Auguſtæo ævo cum Livio Patavino docuit: fortaſſe eſt pater ejus, qui Perſii præceptor fuit. Saltem hoc temporibus magis congruit. Sed quia eundem facit Suidas, nos, ſub ambiguo nomine, de utroque hîc dicere voluimus.

Inter hiſtoricos etiam locum damus M. Annæo Lucano, Cordubenſi. Quippe qui poëma ſuum, de bello civili Cæſaris & Pompeji, fide hiſtoricâ ſcripſerit. Quo nomine à Petronio Arbitro in Satirico reprehenditur, his verbis: *Ecce belli civilis ingens opus quiſquis attigerit, niſi plenus literis, ſub onere labetur. Non enim res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longè melius hiſtorici faciunt: ſed per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus; ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Sane non ab omnibus Lucanum poëtam habitum eſſe: oſtendit & illud Martialis de eo lib. XIV:

*Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poëtam:*
*Sed, qui me vendit, bibliopola putat.*

Ac apud Servium legas in illud I Æn. *Matre Deâ monſtrante viam:* —— *Hoc loco per tranſitum tangit hiſtoriam, quam per legem artis poëticæ apertè non poteſt ponere. Lucanus namque ideo in numero poëtarum eſſe non meruit, quia videtur hiſtoriam compoſuiſſe, non poëma.* Quæ omnia mentem Martialis ſatis aperiunt. Ut audiendus non ſit doctiſſimus Barthius Adverſ. lib. IX, ubi cenſet, poëtam hoc velle, cùm facilè libri Lucani diſtrahantur, non vilem aliquem, ſed bonum vatem haberi. Videtur autem hoc poëma mortem demum in lucem prodiiſſe. Nec enim Nero, vel tam clemens erat, ut ferret multa adeò pro libertate dicentem: vel adeò ſtultus, ut non intelligeret ſchemata, quibus, dum laudari videtur, omnino vituperaretur. Exempla aliquot ſuppeditabit ſummus vir, vereque Muſarum & Charitum μέγ' ἄγαλμα, Daniel Heinſius, in laudatione Aſini, ſcripto, ut genii, ita penitiorum literarum, ac civilis prudentiæ pleniſſimo. Lucani quoque eſt panegyricus ad Calpurnium Piſonem, cujus initium: *Unde prius cœpti ſurgat mihi carminis ordo?* Sanè in veteri ſcheda MSa reperit Scaliger ejuſmodi inſcriptionem, *Lucani catalecton de laude Piſonis.* Piſo verò hic eſt is, qui adverſus Neronem conſpiravit, ac conjurationis ſocium adlegit inter alios Lucanum, ſatis antè infeſtum Cæſari, quem gloriæ ſuæ ſciret invidere. Vulgò Ovidio id carmen tribuitur; etiam à Carolo Sigonio in tertio de Judiciis cap. XXVIII; ubi, ut Ovidianos, citat hos verſus:

*Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,*
*Et firmare jubet centeno judice cauſſam.*

Lucano nullâ omnino ratione adſcribi ait Barthius Adverſar. lib. XLIX cap. VII. Sed eum refellunt quæ diximus.

At longè plurima, quæ ſcripſit Lucanus, deperierunt. Primum Hectoris Lytra. De qua ſic apud Statium Papinium in Genethliaco Lucani Calliope poëtam naſcentem compellat:

*Ac primùm teneris adhuc in annis*
*Ludes Hectora, Theſſaloſque currus,*
*Et ſupplex Priami potentis aurum.*

Adhæc Orpheum fecit, quò pertinet verſus proximus:

*Et ſedes reſerabis inferorum.*

Eo ex poëmate Grammatici citant:

—— *gaudent à luce relictam*
*Eurydicen, iterum ſperantes Orphea manes.*

Paullò pòſt ſequitur apud Papinium:

*Dices culminibus Remi vagantis*
*Infandos domini nocentis ignes.*

*Remi culmina* vocat Romam: *domini ignes*, incendium Urbis procuratum à Nerone; qui & illud *è turri* ^a^ *Mæcenatiana proſpectans, lætuſque flammæ, ut ajebat, pulcritudine,* ἅλωσιν *Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit.* Poëma hoc Lucani dicebatur *catacauſmus*: pro quo corruptè *cataſcomos* legas in vita Lucani, quam ex antiquiſſimo commentario Britannicus primus edidit. Diverſum ab eo opus Iliacon. Ex quo Placidus Lutatius in III Thebaidos citat: *Atque Helena timuiſſe Deos.* Idem Lutatius in VI Theb. ſic ſcribit: *Lucanus de Phaëtonte in libro, qui inſcribitur Iliacon, ita:*

a Sueton. in Ner.

*Haut aliter raptum tranſverſo limite cœli*
*Flammati Phaëtonta poli videre, Deique;*
*Cùm vice mutatâ totis in montibus ardens*
*Terra dedit cœlo * naturaque verſa.*

Apud Scaligerum verſu primo ſecundoque legas,

—— *Anheli Flammatum Phaëtonta p. v.*

Sed vera ſine dubio lectio eſt, quam ex Lutatio expreſſimus. Idem Scaliger unum poëma facit *catacauſmon*, & *Iliacon.* Unde vocat *catacauſmon Iliacum.* Sed vitæ is ſcriptor, quem dixi, diſertim: *Extant ejus & alii complures: ut Iliacon, Saturnalia, Cataſcomon.* Ubi *catacauſmon* diximus reſcribendum. Quare nec recedo à Crinito, qui diſtincta opera facit, *De incendio Urbis*: &, *De incendio Trojæ cum Priami calamitate.* Imò in anti-

antiquo illo vitæ ſcriptore, etiam *orationem de incendio Urbis pro Octavio Sagitta* feciſſe, legimus. Item Lutatius in IX Theb. citat è Lucani *cathegonio* (ita eſt in MSo cod.) hos verſus:

*Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi*
*Rector, Luciferum ter juſſerat Heſperon eſſe.*

Ubi pro *Cathegonio* Scaliger legit *catalogo*. Cenſet enim Heroidum catalogum reliquiſſe inſtar Heſiodi, qui ἠοίας ſcripſit, & κατάλογον. Verùm, puto, ſi Lucanus hujus nominis opus reliquiſſet, meminiſſet illius vitæ ejus vetus ſcriptor. Atqui apud eum de Lucani ſcriptis, præter poëma de bello civili, non alia legas, quàm iſta: *Exſtant ejus & alii complures, ut illa, Conſaturnalia* (rectè clariſſimus & κελτπωίκατος Scriverius emendabat, *ut, Iliacon, Saturnalia*) *Catascomon* (diximus legendum *Catacauſmon*) *Silvarum* X, *Tragœdia Medea imperfecta, Saltica fabulæ* XIV, *& Hippamata proſâ oratione in Octavium Sagittam, & pro eo de incendio Urbis, Epiſtolarum ex Campania. Non faſtidiendi quidem omnes: tales tamen, ut Belli Civilis videantur acceſſio.* Quare ejus ſententiæ ſum, ut *cathegonio* corruptum putem ex *catacauſmo*. Sanè non longiùs ab illo abit, quàm *catalogo*: quod Scaligero placebat. Et de κατακαυσμοῦ, ſive incendio Urbis, Lucanum ſcripſiſſe, ſatis ex allatis Statii verſibus conſtat: de catalogo verò Heroidum, ne γρῦ quidem reperias apud veterum quemquam. Sed quid ſunt *ſaltica fabulæ* a, quæ ab Lucano ſcriptæ dicuntur? Crinitus, cùm id non intelligeret, contentus fuit dicere, ſcriptas ab eo fuiſſe fabulas complures. Puto à *ſaltus* formatum eſſe *ſalticus*, ut dicimus *calicus, aſtricus, civicus, hoſticus, genticus*, quod apud Tacitum eſt. Ita *fabulæ ſaltica* ſint, quæ res narrant ad ſaltus pertinentes: ut de amoribus Satyrorum, & nympharum; quæ Apollonio Rhodio ἀλσηΐδες νύμφαι: & ſimilia his alia. De morte poëtæ ſic Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum X Neronis: *M. Annæus Lucanus, Cordubenſis poëta, in Piſoniana conjuratione deprehenſus brachium ad ſecandas venas medico præbuit.* Sed pleniùs de eo Tacitus in XV Annal. & Tranquillus in fragmento, quòd è vita Lucani ſupereſt. Romæ in templo B. Petri inſcriptio in marmore iſtiuſmodi eſt:

a *Ita non modo eſt in Lucani vita, quam ex vetuſtiſſimo cod. edidit Jo. Britannicus: ſed etiam apud Pomponium Fortunatum in ejuſdem Lucani vita.*

MANNÆO LUCANO
CORDUBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

Citat & Sulpitius Verulanus in vita Lucani. Eò autem pertinet inſcriptio, quòd Nero non tulerit edictum, quo poëmata Lucani ex omnibus bibliothecis eximerentur. Huc etiam reſpexit Juvenalis, cùm ait: *Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis.* Notum eſt, quàm præclarè de eo ſcripſerint Auctor Dialogi: de cauſſis corruptæ eloquentiæ: item Statius, Fabius, Martialis, Sidonius. Etiam *optimus poëta* dicitur Oroſio proœmio lib. VI; ubi hemiſtichium adducit ex libro primo. Nicolao Clomange epiſtola V dicitur *egregius bellorum civilium deſcriptor, aſtrorum quoque & philoſophiæ doctiſſimus.* Laudat & Gulielmus Brito initio Philippeidos:

*Non his ſufficeret fama Lucanus amator.*

Sed omnes, qui ejus cum laude meminere, præſertim illos poſterioris ævi, longiſſimum eſſet referre.

## Cap. XXVII.

*Perperàm plurimis in libris* Mutianus *per* T *ſcribi. Licinii Muciani res geſta, atque ejuſdem hiſtoria. Aſconii Pediani ætas, hiſtoria, cæcitas. Alius ejuſdem nominis; ſed hoc antiquior. Inepta eorum calumnia, qui Vallæ elegantias Aſconii eſſe dictitabant. Servilius Novianus. M. Cluvii Rufi dignitas, hiſtoriaque. Alter hujuſce nominis; ſed Juliani ævi. Julii Secundi ætas, deque Julii Aſiatici vita commentarius, ac dictio ejuſdem. Vipſanius Meſſalla, cui frater diſſimilis Aquilius Regulus.*

Sequitur M. Licinius Craſſus Mucianus. Sic enim, per C, Muciani nomen ſcribendum, cùm & ita in veteri lapide inveniatur, & Græcè ſit Μυκιανός, & à Mucius veniat Mucianus, ut ab Æmilius Æmilianus, à Licinius Licinianus. Mucianus hic cum quatuor legionibus Syriam obtinuit anno Neronis ultimo. Idem, Galbâ interempto, legiones ſacramento adegit Othonis. Verùm, ut de bello inter Othonem ac Vitellium certior factus fuit, Veſpaſianum hortatus eſt ad imperium capeſſendum; ipſeque Romam præmiſſus ad opprimendum Vitellium. Sed ante adventum Muciani jam à Flavianis oppreſſus erat Vitellius. Res tamen turbatas Romæ pacavit Mucianus, unà cum Veſpaſiani filio, Domitiano. Ac propter merita iſtæc à Veſpaſiano conſors imperii vocatus fuit. Vide Tacitum in II Hiſtor. Suetonium in Veſpaſian. cap. VI, & XIII, item Zonaram, Xiphilinum. Ter fuit conſul; eoque elogio ab aliis Mucianis diſtinguit eum Plinius lib. II. cap. CIII, lib. III. cap. V, lib. VIII. cap. III, lib. XII. cap. I, & lib. XIII. cap. XIII. Scripſit hiſtoriam luculentam, ex qua multa ad locorum ſitum pertinentia, ac res miras ei viſas, præcipuè in Orientali expeditione, variis in locis Plinius refert. Ita lib. III. cap. V. habes: *A Circejis palus Pomptina eſt, quem locum viginti trium urbium fuiſſe, Mucianus ter conſul refert.* Item lib. IV, cap. XII: *Ipſaque longè clariſſima Cycladum media templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata, ut proditur, ſola motum terræ non ſenſit ad M. Varronis ætatem. Mucianus prodidit bis concuſſam.* Et poſt pauca: *Syros, quam circuitu patere* XX *millia paſſuum, prodidere veteres, Mucianus* CLX. Et lib. V. cap. IX: *Inter Arſinoiten autem, ac Memphiten, lacus fuit circuitu ducentorum, & quinquaginta millia paſſuum: aut, ut Mucianus tradit, quadringentorum, & quinquaginta millium.* Similiter lib. V. cap. XXIV: *Oritur Euphrates in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proximè viderunt, Domitius Corbulo, è monte Aba; Licinius Mucianus, ſub radicibus montis, quem Capotem appellant, ſupra Simyram* XII *millia paſſuum, initio Pyxiratus nominatus.* Item cap. XXXI: *Et jam dicta Arados, inter quam, & continentem,* L *cubita alto mari, ut auctor eſt Mucianus, è fonte dulcis aqua tubo coriis facto uſque à vado trahitur.* Item lib. VII. cap. IV, ubi ait: *Licinius Mucianus prodidit, viſum eſſe à ſe Argis Areſcontem, cui nomen Areſcuſa fuiſſet; nupſiſſe etiam; mox barbam, & virilitatem, proveniſſe, uxoremque duxiſſe.* Quæ verba ex eo & Gellius adducit lib. IX. cap. IV. Meminit quoque idem Plinius ejuſdem VII libri cap. XLVIII, & LIV. item lib. IX. cap. VIII, XXV, XXX & LIX. adhæc lib. IX. cap. XXXVII, & lib. XXXI. cap. II. prius ubi de fonte Liberi in Andro, atque iterum ubi de fonte cupidinis Cyzicenos. Præterea lib. XXXII. cap. VI, ubi ipſa ejus verba adfert, & lib. XXXVI. cap. VIII.

Veſpaſiani etiam ævo floruit Aſconius Pedianus: ut cognoſcimus ex Hieronymo in Chronico Euſebiano ad annum MMXCI, qui Veſpaſiani annus eſt ſeptimus: *Q. Aſconius Pedianus, ſcriptor hiſtoricus, clarus habetur, qui* LXXII *ætatis ſuæ anno captus luminibus,* XII *poſtea annis in ſummo omnium honore conſeneſcit.* Tria hinc diſcimus. Primum eſt, Aſconium Pedianum jure à nobis inter hiſtoricos cenſeri. Alterum eſt, floruiſſe eum ſeptimo Veſpaſiani anno, hoc eſt hiſtorias tum in lucem edidiſſe. Tertium eſt, poſtea XII vixiſſe annis, luminibus captum, hoc eſt, uſque ad annum Domitiani ſeptimum. Ergo planè alius eſt ab Aſconio illo, qui in liberorum ſuorum gratiam ſcripſit annotationes in Ciceronis orationes: cujus operis quantulacunque pars ſupereſt. Nam ille in orationem pro Cornelio ſic ſcribit: *Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant; inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liviuſque noſter.* Ubi cùm Livium vocat ſuum, ſatis indicat, eo ſe uſum familiariter. Atqui obiit Livius anno Tiberii quarto. At enim dixerit aliquis, ſuum vocare, quia conterraneus fuerit: ut ſi hodieque Batavus quiſpiam dicat,

*Eraſmus noſter.* Sed Aſconium fuiſſe Patavinum, unde adſtruent? Et alia quoque argumenta ſunt, è quibus colligi poſſit, vixiſſe Auguſti ævo. Siquidem Virgilium vidit. At is annis XVI obiit ante natum Chriſtum: ſanè apud Janum Philargyrium in Eclog. III, quo loco exponit verba illa, *Dic quibus in terris*, &c. legas iſta, *Aſconius Pedianus ait, ſe audiſſe Virgilium dicentem, in hoc loco ſe grammaticis crucem fixiſſe.* Quæ iiſdem verbis Servius ibidem refert. At à Virgilii obitu, uſque ad ſeptimum Veſpaſiani annum, ſunt anni amplius centum. Hiſtoricus autem Pedianus annis ſolùm vixit LXXXV. Quomodo igitur audire ex Virgilio potuit id, quod Philargyrius, & Servius, dicunt? Nec dubium igitur, quin ſenior ille Pedianus ſit, quem idem locutum ait cum Aſinio Gallo, fratre Salonini, filio Aſinii Pollionis. Verba ejus in Ecl. IV. ſunt iſta: *Aſconius Pedianus à Gallo audiſſe ſe refert, hanc eclogam in honorem ejus factam.* Etiam in vita Virgilii legas iſta, *Vulgatum eſt conſueſſe Virgilium cum Plotia Aleria, ſed Aſconius Pedianus affirmat ipſum poſtea majorem natu narrare ſolitum, invitatum quiden ad communionem ſui, verùm pertinaciſſimè recuſaſſe.* Non dubium autem, quin Aſconius ea ex Plotiâ audierit ipſe. Quanquam locus ille aliquantò aliter legitur in vitâ Maronis à Donato ſcripta, prout legitur in Fabricii editione. Sed tamen ſic quoque ſtatuendum, ea Aſconium æqualibus Virgilii accepiſſe. Alia etiam in vita illa à Donato exarata invenias. At hiſtoricus Pedianus ſignatur à Plinio, in auctoribus, è quibus profecerit lib. VII. quo gentium mirabiles figuræ continentur. Item à Suida in Ἀπίκιος, & Ἀσκώνιος, ubi legas, Aſconium à Junio Blæſo, ad convivium eunte, comitem eſſè aſſumtum, licet invocatum; quales vocare *umbras* ſolent. Is autem Junius Blæſus omnino eſt ille, qui Galbæ, & Vitellii, temporibus fuit, de quo Tacitus primo, ſecundo, tertioque Hiſtoriæ. 'Apud Suidam ſcribitur Παιδιανὸς, quaſi foret à παιδίον, vel παιδιά. Sed eſt à Pedio: cujus prima apud Perſium eſt corrupta. Uti prima in *Pedianus* apud Sillium. Ac in veteri lapide ſimplici vocali hæc vox exaratur. Obſervat hoc Scaliger quoque in animadverſionibus ad Euſebium; ut pleraque alia eorum, quæ diximus hoc de ſcriptore. Sed vereor, ne in uno alteroque me deceperit ſummi viri auctoritas. Nam poſtquam iſta ſcripſiſſem, incidi in locum hunc Aſconii in orat. pro Scauro: *Poſſidet eam* (Scauri domum) *nunc Longus Cæcina, qui conſul fuit cum Claudio.* Ubi non dubium, quin *Largus*, pro *Longus*, reſcribi debeat. Nam C. Largus, qui in fragmento inſcriptionis Neapolitanæ vocatur C. Cæcina Largus, fuit cum Imperatore Claudio conſul anno Urbis IↃCCXCIV. Hæc autem referre de domo illâ non tam ei convenit, qui Auguſti ævo, quàm qui ſub Nerone, & Flaviis vixerit. Nec difficile eſt probatu, cùm Aſconius dicit *Livius noſter*, reſpexiſſe, non eò quidem, quò Scaliger putabat, quia familiariter Livio uſus ſit, (nam Livio junior fuit, ut jam vidimus) ſed quia Patavinus eſſet. Quod colligo ex Sillio Italico, quando more poëtarum in eo, quem antiquis fuiſſe temporibus comminiſcitur, celebrat familiarem atque amicum hunc ſuum. Verba Sillii ſunt iſta lib. XII:

*Polydamanteis juvenis Pedianus in armis*
*Bella agitabat atrox, Trojanaque ſemina, & ortus,*
*Atque Antenoreo ſeſe de ſtirpe ferebat,*
*Haud levior generis fama, ſacroque Timavo*
*Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.*
*Huic pater Eridanus, Venetaque ex ordine gentes,*
*Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,*
*Seu Muſas placidus, doctaque ſilentia vitæ*
*Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,*
*Non ullum dixere parem, nec notior alter.*

Quæ non in alius gratiam finxit, quàm, ut dixi, amici ſui Aſconii. At Pediano ei, quemadmodum vidimus, apertè patriam tribuit Patavium, Antenoris opus. Unde & paulò pòſt ait,

*—— Macte ô virtutis avitæ,*
*Macte Antenoride.*

Itaque cùm extra controverſiam ſit, Livium eſſe Patavinum; & vel ex iſtis Sillii verſibus, Patavinum etiam Pedianum eſſe, videamus: ne illud quidem dubium erit, qui cùm Aſconius dicit, *Livius noſter*, communem, ut ajebam, patriam reſpexit. Quare nunc ſic ſtatuere malo, duos quidem fuiſſe Aſconios Pedianos, ut benè obſervat Scaliger: unum, qui Virgilii ætate vixerit: alterum, qui ſub Nerone, & Veſpaſiano, claruerit: at poſteriorem hunc, contrà quàm Scaliger opinabatur, non tantùm hiſtorias condidiſſe: ſed & commentariorum in Ciceronis orationes eſſe auctorem. Admodum autem perfrictæ frontis fuiſſe neceſſe eſt, qui, cùm Laurentii Vallenſis Elegantiarum libros in honore eſſe dolerent, in vulgus ſparſere, eos jam olim in Germania fuiſſe repertos, quòdque ſcripti eſſent literis fugientibus ac fatiſcentibus, vix certis cognitum indiciis tandem fuiſſe, Aſconii Pediani eſſe opus: cujus calumniæ meminit Mariangelus Accurſius in diatribarum ſuarum defenſione, cui *Teſtudo* nomen fecit.

Servilius Novianus Veſpaſiani ætate vixit. De eo ſic Fabius lib. X. in judicio de hiſtoricis: *Immortalem illam Salluſtii velocitatem, diverſis virtutibus* Livius *conſecutus eſt. Nam mihi egregie dixiſſe videtur Servilius Novianus, pares eos magis, quàm ſimiles: qui & ipſe à nobis auditus eſt, clari vir ingenii, & ſententiis creber; ſed minus preſſus, quàm hiſtoriæ auctoritas poſtulat.*

Fuit tum quoque M. Cluvius Rufus, vir conſularis, ut à Tranquillo vocatur in Nerone cap. XXI. item à Xiphilino. Incidit verò conſulatus ejus in annum nonum Claudii, quo conſules ex Kal. Jan. fuere M. Vinicius II, & M. Statilius Corvinus. Sed ex Kal. Jul. ſuffecti M. Cluvius Rufus, & Pompejus Silvanus: quos conſules Claudius appellat epiſtolâ ad Hieroſolymitanos, apud Joſephum lib. XX. Antiquit. Idem Cluvius anno Urbis IↃCCCXXI, quo Nero occiſus, Ser. Galbæ Cæſ. Aug. pro conſul obtinuit Galliam Tarraconenſem. Atque ibidem à Galba relictus. Anno ſeq. Vitellium poſt Bedriacenſem victoriam ſecutus, & comitatui ejus additus, Hiſpaniam, L. Arruntii exemplo, abſens rexit: qua de re vide Tacitum lib. I, & II. Hiſtoriar. ubi ſæpius memoratur; ſed ſemel ei prænomen Marco datur. Res ſcripſit Neronis temporibus geſtas. Hiſtoriæ ejus meminit Tacitus in XI Annal. his verbis: *Plinius, & Cluvius, nihil dubitatum de fide præfecti* (Burrhi) *referunt.* Item penè initio XIV Annal. *Tradit Cluvius, ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eò uſque provectam, ut medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comtam, & inceſto paratam. Jamque laſciva oſcula, prænuncias flagitii blanditias, annotantibus proximis, Senecam contra muliebres blanditias ſubſidium à fœmina petiviſſe: immiſſamque Acten libertam, quæ ſimul ſuo periculo, & infamiâ Neronis anxia, deferret, pervulgatum eſſe inceſtum, gloriante matre: nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Ruſticus, non Agrippinæ, ſed Neroni, cupitum id memorat; ejuſdemque libertæ aſtu disjectum. Sed quæ Cluvius, eadem cæteri quoque auctores prodidere, & fama huc inclinat.* Idem eſt Cluvius, de quo Plinius lib. IX. epiſt. XIX, quæ ad Ruſonem: *Ipſe ſum teſtis, familiariter ab Virginio Rufo dilectus probatuſque, ſemel omnino, me audiente, provectum, ut de rebus ſuis hoc unum referret, ita ſecum aliquando Cluvium locutum: Scis, Virgini, quæ hiſtoriæ fides debeatur: proinde ſiquid in hiſtoriis meis legis aliter, ac velles, rogo ignoſcas. Ad hoc ſic illum, Cluvine, tu ignoras, ideo me feciſſe, quod feci, ut eſſet liberum vobis ſcribere, quæ libuiſſet?* Apud Plutarchum in Othone corruptè legitur Κλαύδιος Ῥοῦφος, ut Lipſius ad Tacitum obſervat. Alius, ut temporum ratio oſtendit, eſt ille M. Cluvius Rufus, qui quæſtor fuit anno Urbis IↃCXCII, M. Pupio Piſone Calpurniano, & M. Valerio Meſſalla Nigro coſſ. Ejus meminit Cicero epiſt. ad famil. lib. XIII. epiſt. LV, & ad Attic. lib. VI. epiſt. II.

Julius Secundus eſt is, quem loquentem inducit ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: unde tum Veſpaſiani

ſiani ætate floruiſſe, cognoſcimus. Tum enim dialogus ille ſcriptus; ut præter alia docent hæc verba: *Cur antiquis temporibus potius adſcribatis Ciceronem, quàm noſtris, non video. Nam Hirtio & Panſa conſulibus, ut Tiro, libertus ejus, ſcripſit, VII Id. Decembr. occiſus eſt, quo anno divus Auguſtus, in locum Panſæ & Hirtii, ſe & Q. Pedium Coſſ. ſuffecit: ſtatue VI & L annos, quibus mox divus Auguſtus Remp. rexit: adjice Tiberii tres & viginti: & prope quadriennium Caji, ac bis quaterdenos Claudii & Neronis annos: atque ipſum Galbæ, & Othonis, & Vitellii unum annum: ac ſextam jam felicis hujus principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Rempubl. fovet, C & XX anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas.* Ut autem Julio Secundo, inter Vitarum ſcriptores, locum dem; facit hic locus in eodem dialogo: *Itaque, hercule, non minus probari video in te, Secunde, quòd Julii Aſiatici vitam componendo, ſpem hominibus feciſti plurium ejuſmodi librorum.* De dictione ſic idem initio dialogi: *Venerunt ad eum M. Aper, & Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori noſtri. —— Quamvis malignè plerique opinarentur, nec Secundo promptum eſſe ſermonem; & Aprum ingenio potiùs, & vi naturæ, quàm inſtitutione, & literis, famam eloquentiæ conſecutum. Nam & Secundo purus, & preſſus, &, in quantum ſatis erat, profluens ſermo non defuit: & Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potiùs literas, quàm neſciebat.*

Vipſanius quoque Meſſalla Veſpaſiani ævo floruit: quod inter alia liquet ex dialogo, ſeu Fabii, ſeu alterius, qui eſt de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Quo in dialogo præcipuæ ſermonis partes tribuuntur huic Meſſallæ. Nec enim alium eſſe indicat, quòd ibidem disertè Vipſanius dicitur. *Vixdum*, inquit, *finierat Maternus, concitatus, & velut inſtinctus, cùm Vipſanius Meſſalla cubiculum ejus ingreſſus eſt.* Meminit & Tacitus in III Hiſtor. ubi ſermo de bello inter Vitellianos, & Flavianos; *Legioni*, inquit, *tribunus Vipſanius Meſſalla præerat, claris majoribus, egregius ipſe, & qui ſolus ad id bellum artes bonas attuliſſet.* Atque hæc inter alia ætatem ſatis docent. Ut autem etiam res geſtas conſignâſſe, credam: facit locus iſte Taciti lib. III. Hiſtoriar. *Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaque auctore Vipſanio Meſſalla, tradam.* Et poſt aliquammulta: *Hormine id ingenium, ut Meſſalla tradit: an potior auctor ſit C. Plinius, qui Antonium incuſat, haud facilè diſcreverim.* Hinc etiam intelligi puto à Plutarcho in Bruto, ubi de viri ejus vita non ſemel quædam refert ex Meſſalla. Vir hic tantus fratrem habuit diſſimilem, Aquilium Regulum, Tacito etiam memoratum lib. IV. Hiſtor. *Vipſanius Meſſalla auſus pro fratre Aquilio deprecari.* Quæ ibidem ſubdit de ſubverſâ Craſſorum & Orphiti domo, oſtendunt eundem eſſe, atque ille, de quo in epigrammatis Martialis, & Juvenalis ſat. I. quemque Modeſtus *bipedum nequiſſimum* veriſſimè dixerat: ut ait Plinius lib. I. epiſt. V. Ubi eum ſuis coloribus depingit. Vide & eundem Plinium lib. II. epiſt. XX, & lib. IV. epiſt. II, & VII, & lib. VI. epiſt. II.

## Cap. XXVIII.

*De Curtii ætate quadruplex ſententia adfertur, & expenditur: ſed fusè imprimis oſtenditur, non vixiſſe Trajani ævo, verùm Veſpaſiani. Dubitatum de vita ejus conditione. Dictio ejuſdem commendatur.*

Curtius Rufus Alexandri Magni res geſtas perſcripſit libris X, quorum duo primi deſiderantur. Integri, nec ſuppleti aliunde, exſtitiſſe feruntur Viennæ, in bibliotheca Wolphangi Lazii: de quo fides eſto penes auctorem. Ætas ejus unde colligi poſſit, princeps eſt locus iſte Curtii ipſius lib. X: *Sed jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam & inſociabile eſt regnum, & à pluribus expetebatur. Primùm ergo collegêre vires; deinde diſperſerunt. Et cùm pluribus corpus, quàm capiebat, oneraſſent; cætera membra deficere cœperunt. Quodque imperium ſub uno ſtare potuiſſet, dum à pluribus ſuſtinetur, ruit. Proindè jure meritoque populus Rom. ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur; cui noctis, quam penè ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit. Hujus, hercule, non Solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo; cùm ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum exſtinxit faces! quot condidit gladios! Quantam tempeſtatem ſubitâ ſerenitate diſcuſſit! Non ergo revireſcit ſolùm; ſed etiam floret imperium. Abſit modò invidia, excipiet hujus ſæculi tempora ejuſdem domus, utinam perpetua! certè diuturna poſteritas.* Sed de mente hujus loci parùm convenit inter eruditos. Placuit P. Pythœo, eumque ſecuto Bongarſio *a*, novum ſidus, quod illuxiſſe Curtius dicit, eſſe Auguſtum Cæſarem; de quo & Horatius lib. I. od. XII:

*—— micat inter omnes*
*Julium ſidus, velut inter ignes*
*Luna minores.*

*a Notis in Juſtinum.*

Et ſanè Catanæus *b* in epiſtolam Plinii ad Suram, quæ eſt lib. VII, hæc ſcribit: *Lego in fide digno exemplari, hiſtoriam de geſtis Alexandri compoſitam à Q. Curtio Rufo c: qui imbi fatetur, fuiſſe ſub Auguſto, & Tiberio.*

Sed huic ſententiæ adverſantur verba iſta, *Quot ille tum exſtinxit faces! quot condidit gladios! quantam tempeſtatem ſubitâ ſerenitate diſcuſſit!* Quippe Auguſtus, ubi ad imperium venit, non gladios in vaginam condidit; ſed vaginâ edidit; nec ſubitâ ſerenitate tempeſtatem diſcuſſit; verùm annis XIII bellum civile geſſit. Jure igitur ſententiam hanc improbat Juſtus Lipſius in XI Annal. Taciti. Qui & altero argumento opinionem eam jugulat. Nam lib. III. de urbe Tyro Curtius ait: *Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen, longâ pace cuncta refovente, ſub tutela Romana conſuetudinis acquieſcit.* Nam longam pacem agnoſcit, ea autem longa eſſe non potuit, cùm principatum adipiſceretur Auguſtus: quia fuerat bellum annorum undeviginti. Altera ſententia ipſius Lipſii eſt, atque item Barnabæ Briſſonii lib. I. de regio Perſarum principatu. His novum ſidus eſt Claudius; priora autem referunt ad C. Caligulæ cædem, & confuſionem, quæ inde conſecuta eſt. Sed hanc opinionem rectè impugnat dignitate pariter ac doctrinâ eximius, ac cujus amicitia unicè gaudeo, gloriorque, Janus Rutgerſius, Variarum Lectionum lib. I. cap. XIX. Nec enim poſt Caji cædem regnum à variis fuit expetitum, aut laceratum bellis civilibus, inſtar Macedonici, cujus cauſſâ iſtæc à Curtio dicuntur. Tertia ſententia Ampliſſimi ipſius Rutgerſii eſt, cui novum ſidus eſt Veſpaſianus Cæſar: priora autem referuntur ad bella civilia poſt Neronis cædem, dum imperator certus non eſt, à Galba, Othone, & Vitellio, geſta: nox verò, cujus mentio ibidem fit, eſt illa, quâ Vitellium devicit Antonius Primus, Flavianarum partium dux. Huic ſententiæ quàm aptè omnia conveniant, mox pleniùs videbimus. Quarta eſt opinio viri præclari nominis, & variæ raræque eruditionis; ſed alibi potiùs, quàm hac parte, quâ ab eo cogimur diſſentire, nominandi nobis. Is ad Trajani eum tempora refert, propterea quòd Curtius dicat, *Non ergo revireſcit ſolùm; ſed etiam floret imperium.* Verba enim iſta Trajani potiùs, quàm Veſpaſiani temporibus, convenire, exiſtimat. Atque id præcipuè, his Flori in præfatione verbis, comprobat: *A Cæſare Auguſto in ſeculum noſtrum ſunt non multò minùs anni CC: quibus inertiâ Cæſarum quaſi conſenuit, atque decoxit: niſi quòd ſub Trajano principe movet lacertos, &, præter ſpem omnium, ſenectus imperii, quaſi redditâ juventute, revireſcit.* Ecce, inquit, intelligendus eſt Curtius, de temporibus, quibus imperium revireſcat. At Florus clarè ait, reviruiſſe ſub Trajano: ſub Veſpaſiano planè negat: hunc quippe inter Cæſares refert, quorum inertiâ imperium conſenuerit. Similiaque leguntur apud Plinium in panegyrico, quem Trajano dixit. Ac Aurelius quoque Victor in vitâ Trajani ita de hoc imperatore ſcribit: *Quæ omnia eo majora videbantur, quoniam per multos, atque atro-*

*b Neſcio cur Glandorpius in Onomaſtico dicat, Catanæum putare, Curtium ſub Veſpaſiano vixiſſe. Mihi quidem is Catanæi locus nondum ſe obtulit.*

*c Ita eſt in editione Mediolanenſi. Videtur poſt exemplari, excidiſſe alicujus non ignobilis ſcriptoris nomen: qui reſpexerit illud relativum* qui.

*atroces tyrannos, perdito atque proſtrato ſtatu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus; uſque eo, ut adveniens imperium ejus pleraque mirifica denunciaverint. In quibus præcipuum, cornix e faſtigio Capitolii Atticis ſermonibus effata eſt*, καλῶς ἔσται. En, hic ante Nervam, ac Trajanum, imperâſſe audimus multos atque atroces tyrannos: poſt Domitianum verò felicia tempora proveniſſe: atque id cornix etiam prædixiſſe dicitur: unde illud diſtichon apud Tranquillum:

*Nuper Tarpejo quæ ſedit culmine cornix,*
EST BENE, *non potuit dicere, dixit*, ERIT.

Imò, ut ibidem Tranquillus ſubjungit, *Ipſum Domitianum ferunt ſomniâſſe, gibbam ſibi pone cervicem auream enatam: pro certoque habuiſſe, beatiorem poſt ſe lætioremque portendi ſtatum Reip. Sicut ſanè evênit, abſtinentiâ, & moderatione inſequentium principum.* At principum eorum, ſub quibus beatior lætiorque ſtatus fuit Reip. poſt brevem Nervæ principatum primus fuit Trajanus. Unde doctiſſimus ille vir colligebat, Trajanum eſſe, qui longo moderatoque imperio, pulſâ temporum antecedentium nocte, novum quaſi ſidus illuxerit, &, veluti ſol exortus, lucem caliganti reddiderit mundo, faces exſtinxerit, gladios condiderit, ſuâque ac ſubitâ ſerenitate tempeſtates circumquaque Romani imperii feliciter diſcuſſerit. Atque eodem referebat Curtii verba lib. III, ubi de Tyro loquens agnoſcit *longam pacem cuncta refoventem.* Quod optimè cenſet convenire cum Suetonii verbis de læto illo poſt Domitianum Reip. ſtatu, ac moderatione & abſtinentia inſequentium principum. Nunc iſta excutiamus, tum veritatis, tum Curtii cauſſâ. Primum negamus, quod Florus de ſuis, hoc eſt, Trajani temporibus dicit, id non potuiſſe de ſuis, hoc eſt, Veſpaſiani temporibus, dicere Curtium. Sanè ſimilia & alii de ſuis temporibus ſcripſere. Ut Prudentius, qui lib. II. contra Symmachum, ita Romam loquentem inducit:

*O clari ſalvete duces, generoſa propago*
*Principis invicti, ſub quo ſenium omne renaſcens*
*Depoſui, vidique meam flaveſcere rurſum*
*Canitiem.*

Quàm hæc gemina iſtis apud Florum: *Senectus imperii, quaſi redditâ juventute, revireſcit.* Et tamen de Trajani hic, ille de Honorii loquitur temporibus, inter quæ plusquam ſeſquiſeculi eſt intervallum. Nihilo magis advertantur, quæ de florente ſub Trajano imperio Victor, & alii, prodiderunt. Nam ut poſt Domitiani tyrannidem Trajanus, ita poſt tyrannidem Neronis Veſpaſianus feliciter rexit imperium. Laudatior ſanè Trajanus: ſed non eò illaudatus Veſpaſianus. Nec in tyrannis reponitur à Victore Veſpaſianus: qui (ut Tranquillus ait) *ab initio principatus uſque ad exitum, civilis, & clemens fuit.* Imò, ut idem ſcribit, *ſola eſt, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas.* Quin verò, ut poſtea ſubjungit, *ſunt qui opinentur ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum, ſummâ ærarii fiſcique inopiâ: de qua teſtificatus ſit initio ſtatim principatus: profeſſus, quadringenties millies opus eſſe, ut reſp. ſtare poſſit. Quod & veriſimilius videtur, quando & male partis optimè uſus eſt.* Itaque Veſpaſianus inter optimos imperatores jure reponitur à Vopiſco in Aureliano, *Ab Auguſto*, inquit, *in Diocletianum, Maximianumque, principes, quæ ſeries purpuratorum ſit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipſe Auguſtus, Flavius Veſpaſianus, Titus Cocceius Nerva, divus Trajanus*, &c. Quare cùm Victor loquitur de multis, & atrocibus tyrannis; non Veſpaſianum ſignat, (quem ipſe ait, *exanguem diu feſſumque terrarum orbem brevi refeciſſe*: ſed Tiberium, Caligulam, Neronem, Domitianum, ut de Vitellio nihil dicam. Neque, quæ de inertiâ imperatorum conqueritur Florus, ad Veſpaſianum pertinent quicquam: qui ſub Claudio (ut ait Tranquillus) *duas validiſſimas gentes, ſuperque XX oppida, & inſulam Vectem, Britanniæ proximam, in deditionem redegit.* Notæ quoque res ab eo, filioque, in Oriente geſtæ, rebellantibus Judæis.

Atque hæc clarè docent, nihil cauſſæ eſſe, cur de Veſpaſiani temporibus Curtii verba poſſe accipi, negemus. Nunc oſtendemus, nec aliter, quàm de Veſpaſiano capi, vel debere, vel poſſe. Primùm cogitemus, Curtium verbis antè allatis dicere, uti apud Græcos, dum plures imperare expetunt, diſperſæ fractæque fuerunt imperii vires, quod ſub uno ſtare potuiſſet: ſimiliter parum abfuiſſe, quin Romanum rueret imperium, dum plures de eo armis decertant: ac contrà ſalutare fuiſſe, quòd res ad unius pervenerit poteſtatem: quòd enim non, ut antè, diſcordia trepident membra, hoc inde eſſe, quia unus nunc cuncta ſuſtineat. Quàm aptè hæc Flavio Veſpaſiano conveniunt, de quo ſic Tranquillus *a*: *Rebellione trium principum, & cæde, incertum, & quaſi vagum imperium ſuſcepit firmavitque tandem gens Flavia.* Et poſtea *b*: *Proculcatam atque deſertam Remp. civili perturbatione in tutelam Veſpaſiani perveniſſe.* Ac pertinet eodem Plinii lib. II. Nat. Hiſtor. cap. VII: *Hac* (juvandi mortales viâ) *nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector, Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens.* At Trajani temporibus aptari verba Curtii non poſſunt, quia nulli ſub Domitiano, aut Nervâ, de principatu certarunt, nec civile ullum bellum fuit. Præterea meminit Curtius noctis, quâ Vitelliani cum Flavianis pugnavere. De ea ſic Tacitus in tertio Hiſtor. *Prælium totâ nocte varium, anceps, atrox, his, rurſum illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem proviſu juvabant. Eademque utrâque acie ſigna*, &c. Curtium verò per noctem non intelligere caliginoſum Reip. ſtatum; ſed propriè loqui; tum illud argumento eſt, quòd noctem eam, qua atrox, & exitiabile illud, ut Tacitus vocat, prælium commiſſum fuit, penè extremam habuiſſe Romanos ait: tum autem, quòd αἰνιγ[illegible] hujuſmodi ſubdit: *Hujus, hercule, non Solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo.* Ubi non de nihilo eſt, quòd Solis meminerit. Nam in longa illa pugna nocturna, prius, ut Tacitus ait, *neutrò inclinabat fortuna, donec, adultâ nocte, luna ſurgens oſtenderet acies, falleretque.* Tum Flavianis, ut ait idem, Luna à tergo æquior fuit. Poſt Antonius laudavit tertianos, prætorianos increpavit. Hinc, ut ibidem ſubjungit, *undique clamor, & orientem Solem (ita in Syria mos eſt) Tertiani ſalutavere.* Sole jam orto, Antonius callido commento ſparſit rumorem de Muciani cum exercitu adventu; quo novum ardorem Flavianis addidit; Vitellianos prorſus fugavit. Propter iſta poterat quis utrumque iſtoc Soli tribuere, quòd & noctis tenebras diſpulerit, & lucem inſimul reddiderit imperio. At noluit Curtius ſe continere intra unius diei fortunam: ſed progreſſus eſt ad cætera, quæ victoriam hanc conſecuta fuerunt. Ut ſententia ſit, multùm quidem populum Romanum debere Soli, qui tenebras triſtiſſimæ illius noctis diſcuſſit: ſed ampliùs tamen debere principi Veſpaſiano, qui virtute ſuâ *tot exſtinxit faces, tot condidit gladios.* Atque hæc quoque verba novum nobis præbent argumentum. Nam reſpicit illud Curtius, quòd Vitelliani ſimul, & facibus, & gladiis, rem egere. Nam Vitellius, ut Suetonius *c* refert, *Sabinum, & reliquos Flavianos, nihil jam metuentes, vi ſubitâ in Capitolium compulit; ſuccenſoque templo Jovis Opt. Max. oppreſſit, cùm & prælium, & incendium, è Tiberianâ proſpiceret inter epulas.* Ac meminit quoque alibi *d*: fuſeque rem narrat, ac deplorat, Tacitus in tertio Hiſtoriar. Refert & Dio fine libro LXV. Veſpaſianus autem is eſt, qui templum hoc inſtauravit; ut ex Suetonio & aliis conſtat: unde lucem capit illud Auſonii in Urbibus, ubi de Narbena agit:

*Tanta molis erat quantam non ſperneret olim*
*Tarquinius, Catuluſque iterum, poſtremus & ille,*
*Aurea qui ſtatuit Capitoli culmina Cæſar.*

At quod nocturnum prælium, quod triſte incendium, Trajani imperium proximè anteceſſit? Denique nec domui Trajani, qui ſine liberis deceſſit convenire poteſt, quod Curtius aſſeveratè adeò ait, *excipiet hujus ſeculi tempora ejuſdem domus, utinam perpetua! certè diuturna poſſeſſio.* At ea dici potuere Veſpaſiano, non parenti modò, ſed

a In Veſp. cap. 1.
b Cap. 5.
c In Vitel. cap. 15.
d In Dom. cap. 1.

ſed jam ævo. Sanè ſimilis Curtiano iſti eſt locus Sillii Italici lib. III. ubi Jupiter ſic Veſpaſiani hujus filium compellat:

*Tunc, ô nate Deûm, divoſque dature, beatas*
*Imperio terras patrio rege. tarda ſenectam*
*Hoſpitia excipient cœli, ſolioque Quirinus*
*Concedet, mediumque parens, fraterque locabunt.*
*Siderei juxta radiabunt tempora nati.*

Clarè Domitianum, non Divi modò filium, appellat; ſed etiam Divos daturum ait. Nec aliter Papinius in primo Silvarum ad eundem Domitianum:

*Salve magnorum proles, genitorque Deorum.*

Item in lib. IV.

*Salve dux hominum, & parens Deorum.*

Quare palpus iſte Curtii optimè convenit Veſpaſiano; non item Trajano ἀνανδ*ι*. Denique quanto melius Veſpaſiano, quàm Trajano, aptantur verba antè allata de *longâ pace cuncta reſovente*. Sub Veſpaſiano enim longa pax: atque adeò is templum Pacis prope forum exſtruxit: ut præter Suetonium, Plinium, Victorem, etiam Joſephus, & Dio, ſunt auctores. Ac apud Goltzium, & alios, legas in Veſpaſiani nummis, PACI ORBIS TERRARUM. Quare, ut optimè nobiliſſimus Rutgerſius primus perſpexit, omnia ad amuſſim Veſpaſiani tempori reſpondent. Veſpaſiani igitur ævo hiſtoriam ſuam ediderit Curtius. Sed porrò quæritur, quâ is vitæ conditione fuerit. Apud Tacitum quidem in XI Annal. legimus de Curtio Rufo, qui, gladiatore licet genitus, à Tiberio Cæſare præturam ſit conſecutus, ac poſtea etiam conſul factus, & Africæ proconſul. De quo & Plinius lib. VII epiſt. ad Suram. Fortaſſè hunc aliquis credat eſſe hiſtoricum illum, quem, Veſpaſiani ævo, hiſtoriam edidiſſe, oſtendimus. Sanè ad grandem perveniſſe ætatem, indicant Taciti verba, qui poſt præturam ei tribuit *longam ſenectam*. Sed præterea fuit Q. Curtius Rufus, de quo in Rhetorum illuſtrium vitis egit Suetonius; ut ex catalogo cognoſcimus, quem in principio utriuſque manuſcripti ſui reperit Achilles Statius. Hunc Tiberii Claudiive ævo inter rhetoras nomen profeſſum eſſe, non abſurdè mihi inde colligere videor, quòd in eo catalogo, ubi ætatis ratio habetur, proximè ſequitur L. Cæſtium Pium, & M. Porcium Latronem; qui ſub Auguſto fuere: ipſe autem conjungitur cum L. Valerio Primano, & Virgilio Flavo: hos verò tres conſequuntur duo illi L. Statius Urſulus, & P. Clodius Quirinalis; qui ſub Claudio, Neroneque, viguerunt. Quare fuerit inter rhetoras extremo Tiberii anno: ab eo autem ad Veſpaſiani imperium ſunt anni XXXII. Non hoc tantum eſt intervallum, ut non poſſit idem ſub Veſpaſiano jam ſenex hiſtoriam ſcripſiſſe. Siquis tamen Rhetoris ejuſce, vel etiam Africani proconſulis, filium eſſè malit, equidem fatebor non tanti eſſe, ut propterea vadimonium deſerere velim. Rhetore ſanè illuſtri, vel Rhetoris filio, digniſſima hæc hiſtoria eſt. Uſque adeò auctor is verborum eſt eligens, nec perſpicuè minùs, quàm tersè ſcribit; acutus etiam eſt in ſententiis, inque orationibus mirè diſertus. Imò vel Auguſtæo ævo digna eſt dictio; vel proximè abit. Ut hinc quoque argumentum capere poſſimus, non vixiſſe tempore Trajani; quod, pluſculâ affectatione acuminis, & anxiâ brevitatis curâ, ab nativâ illâ aurei ævi ſimplicitate magis receſſit, ut ex Plinio juniore, Floro, & aliis, non obſcurè videmus.

## CAP. XXIX.

*Plinii majoris libri de geſtis Neronis, de vita Pomponii Secundi, de bellis Germanicis, & alia ejuſdem. Herennii Senecionis de vita Helvidii Priſci, liber, qui Herennio, mortis; Fanniæ, exilii cauſſa fuit. Conſtantia Fanniæ. Junii Ruſtici liber de Thraſea, & Helvidii, laudibus, ac mors ejuſdem. Sillius Italicus quem in materie, quem item in forma operis, ſit ſecutus. Quando poëtari cœperit, ac libros ſuos ediderit. Dominus fuit villæ, quæ fuerat Ciceronis: item tumuli Maronis, quem religioſè, haud aliter ac templum, frequentabat. Poëma Sillii Petrarcha periiſſe credebat; eaque cauſſa erat, cur egregius ille vir idem argumentum tractare fuerit auſus. Vibii liber de vita Dionyſii Areopagitæ.*

C. Plinius naturalis hiſtoriæ ſcriptor, Neronis ævo clareſcere cœpit: imprimis autem Veſpaſiani, & Titi temporibus floruit. Patria fuit Veronenſis: ut rectè docet Onuphrius Panvinus commentario in faſtos ad annum IↃCCCLIII. Quanquam infirmum id argumentum ex inſcriptione, in agro Veronenſi reperta. Nam & alibi inventæ inſcriptiones, in quibus Plinii nominantur. Novocomenſem facit B. Hieronymus in Chronico Euſebiano. Sed duos Plinios confudit. At Hieronymus deceptus à ſcriptore vitæ Plinianæ, quæ Suetonio Tranquillo perperam tribuitur vulgò. Nam nihil certius, quàm majorem quidem Plinium fuiſſe Veronenſem: ſed juniorem Novocomenſem. Reliquit eximium ac nunquam ſatis laudatum opus Hiſtoriæ Naturalis. Cujus epitome à Rainaldo quodam ſcripta exſtat Oxonii in bibliothecâ Collegii Balliolenſis. Quando opus hoc ſcripſerit Plinius, ipſe indicat in præfatione. Ait enim ab V.C. exſpiraſſe annos octingentos triginta. Nec triennio ſupervixit. Adhæc Symmachus lib. IV epiſt. XVIII: *Enitar, ſi fors votum juvet, etiam Plinii ſecundi Germanica bella conquirere.* Unde colligo, jam Symmachi ætate opus hoc non uſque adeò obvium fuiſſe. Tacitus Annal. lib. I: *Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum ſcriptor*, (Agrippinam) *ſtetiſſe apud principium pontis, laudes & grates reverſis legionibus habentem.* Tamen nunc quoque multa ſcripſit alia, quæ tempora nobis inviderunt. Inter ea quoque rerum geſtarum hiſtoriæ fuerunt: ut teſtatur ſororis filius, Plinius Novocomenſis lib. V epiſt. VIII, quæ ad Capitonem, vel, juxta alios, Tacitum: *Avunculus*, inquit, *meus, idemque per adoptionem pater, hiſtorias, & quidem religioſiſſime ſcripſit.* Quæ iſtæ ſint hiſtoriæ, ipſe in Hiſtoria naturali nos docet lib. II cap. LXXXIII, & CIII, ubi res geſtas Neronis à ſe congeſtas eſſe, teſtatur. Indeque quiddam refert Tacitus lib. XIII Annalium. Præterea Veſpaſiani, ac filiorum, geſta prodidit: ut ipſe in prologo Hiſtoriæ Nat. indicat. Atque addit, cœpiſſe ſe inde, ubi deſierat Aufidius Baſſus; quod etiam à Plinio juniore traditum eſt. Adhæc libros duos edidit de vita Pomponii Secundi: ut ipſe indicat lib. XVI cap. IV. Præterea ſcripſit libros XX de bellis omnibus, quæ Romani geſſere cum Germanis. Auctor de his quoque eſt Plinius Novocomenſis epiſt. V lib. III, quâ de lucubrationibus avunculi agit. item Suetonius Tranquillus, ſive alius, in Plinii hujus vita: *Bella*, inquit, *omnia, quæ unquam cum Germanis geſta ſunt, viginti voluminibus comprehendit.* Libros iſtos Auguſtæ Vindelicorum exſtare, credidit Conradus Geſnerus: qui, alicubi id legiſſe ſe, ait. Sed fucum ab aliquo per epiſtolam ei factum arbitror. Ex hiſtoriis ejus quiddam refert idem Tranquillus in Caligula cap. VIII. Libros quoque de grammatica citat ipſe prologo Hiſt. Nat. Item librorum de jaculatione equeſtri meminit libro octavo ejuſce operis cap. XLII. Etiam geographiam reliquiſſe, colligat aliquis ex illo Servii in VII Æn. *De civitatibus totius orbis multi quidem ſcripſerunt: ad plenum tamen Ptolomæus Græcè, Latinè Plinius.* Sed ſignat eos geographiæ libros, qui intexti ſunt operi Hiſtoriæ Naturalis. Electorum verò commentarii, quos eum Plinius junior reliquiſſe auctor eſt, nihil aliud fuere, quàm excerptorum ex variis ſcriptoribus: quæ Græcis ἐκλογαὶ, παρεκβολαὶ, ἀνθηρὰ, χρήσιμα, χρηστομάθειαι, σημειώσεις; Latinis laudabilia, florida, & poſteriori ævo deflorationes. Libri dubii ſermonis, quorum itidem fit mentio, opus erant grammaticum, quo expoſuit, quo modo efferre oporteret, uti etiam eruditi hæſerant, uti quo genere, quâ declinatione, quâ ſignificatione, atque ita in aliis. E.g. Gibbus & gibber pro vitio ſit dicendum, num Clypeus & Clypeum, Baltheus & Baltheum promiſcuè ſumantur, an mare pro mari dicatur, & ſimilia apud Chariſium & alios. Ut omnino erret vir Eruditus, qui putavit iis libris agi περὶ τȣ͂ λόγȣ [illegible].

Herennius Senecio ſub Domitiano à Mettio Caro accuſatus, & Cæſaris juſſu interfectus fuit, quòd libros ſcripſiſſet de vita Helvidii Priſci. Fecerat id rogatu Fanniæ, quæ Helvidii uxor, Thraſeæ Pæti filia erat. Eaque Fanniæ fuit exilii cauſſa. Docet id nos Plinius lib. VII epiſt. ad Priſcum: *Cum Senecio reus eſſet, quod de vita Helvidii libros compoſuiſſet, rogatumque ſe à Fannia in defenſione dixiſſet; quærente minaciter Mettio Caro, an rogâſſet? reſpondit, rogavit: an commentarios ſcripturo dediſſet? dedi: an ſciente matre? neſciente. Poſtremo nullam vocem procedentem periculo emiſit. quin etiam illos ipſos libros, quamquam ex neceſſitate & metu temporum abolitos, Senatuſconſulto publicatis bonis ſervavit, habuit, tulitque in exilium exilii cauſſam.* Meminit & ſcriptor de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Nos innocenti ſanguine Senecio perfudit.* Proximè ibi antecedit de Ruſtico, qui eſt L. Junius Arulenus Ruſticus. Quemadmodum enim Senecionem, ob libros de Helvidii vita ſcriptos; ita & hunc Junium Ruſticum, ob Helvidii laudes, idem Domitianus occidit. Suetonius in Cæſaris ejus vita cap. X: *Occidit item Junium Ruſticum, quod Pæti Thraſeæ, & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellâſſetque eos ſanctiſſimos viros.* Vide de eo Plinium lib. I epiſt. V, & XIV. ac Plutarchum de curioſitate. Etiam Cæſar Antoninus in primo de vitâ ſua ejus epiſtolam intexuit. Meminit & ſemel iterumque Tacitus in Agricola: item lapis vetus, in cujus baſi eſt: L. JUNII RUSTICI PHILOSOPHI STOICI. L. JUNIUS L. L. MYRINUS P. P. Helvidius autem, cujus Ruſticus laudes, Senecio vitam ſcripſerat, quantus vir fuerit, oſtendit Tacitus lib. XII, & XVI Annal. & in IV Hiſtor. Arrianus in diſſertationibus Epicteti, Plinius in epiſtolis non ſemel.

Etiam C. Sillius Italicus locum hîc ſibi poſcit. Nomen ei ab Italicâ, Hiſpaniæ urbe, ſi Petro Crinito credimus. Quem & ſequitur Alphonſus Garſias Matamorus lib. de doctis Hiſpaniæ viris, & ejuſdem Academiis. Sed jure diſſentit Joa. Camers ſchol. in Florum, item Hieronymus Surita notis in Itinerarium Antonini. Nam ab Italia quidem fit *Italicus*: ſed ab Italica *Italicenſis* diceretur: quod legas apud ſcriptorem belli Alexandrini, & Gellium lib. XVI cap. XIII. Deſcripſit bellum Punicum ſecundum, quod Hannibalicum dicitur: carmine quidem,

*Obligat hiſtoricâ ſed ſua verba fide.*

Eo in poëmate imprimis Livium, & Polybium, ſequitur. Nec ſolùm iſtis prodeſt, quæ hoc de bello refert: ſed vel imprimis iis, quæ narrat de Xantippo, Regulo, Duillio, aliiſque ad bellum Punicum primum pertinentibus: cujus hiſtoria in Livio deperiit. Idem etiam adſpergit, quæ aliis geſta ſunt temporibus: ut de Scævola, Clælia, Camillo, trecentis Fabiis, & bello Macedonico primo. Item libro tertio encomia inſerit Veſpaſiani, Titi, Domitiani. Ex iis autem, quæ de rebus à Domitiano geſtis refert, ſub Domitiano poëma hoc feciſſe cognoſcimus. Fuit quidem conſul eo anno, quo Nero periit. Sed uſque ad illud tempus cauſſis magis vacavit. Poſt conſulatum verò ad poëſin demum animum appulit: atque, ut antea Ciceronem, ita tum Virgilium imprimis, ſibi imitandum propoſuit. Hinc de eo Martialis lib. VII epigr. LXII:

*Sacra cothurnati non attigit antè Maronis,*
*Implevit magni quàm Ciceronis opus.*
*Hunc miratur adhuc centum gravis haſta virorum,*
*Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.*
*Poſtquam biſſenis ingentem faſcibus annum*
*Rexerat, adſerto qui ſacer orbe fuit:*
*Emeritos Muſis, & Phœbo, tradidit annos;*
*Proque ſuo celebrat nunc Helicona foro.*

Multas poſſedit villas: inter eas unam, quæ Ciceronis fuerat. Idem dominus erat loci, in quo tumulus Maronis. Hinc idem Martialis lib. XI epigr. XLIX:

*Sillius hæc magni celebrat monumenta Maronis,*
*Jugera facundi qui Ciceronis habet.*
*Hæredem dominumque ſui tumulique, Lariſque,*
*Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.*

Vide & epigr. LI. Raderus *a* ait, multas poſſediſſe villas, ante omnes eam, quæ fuerat Maronis, atque hoc ait dicere Plinium lib. III epiſt. VI. Sed fallitur. Nam de Marone nihil aliud ille præter iſta, *Venerabatur Virgilii imaginem ante omnes, cujus natalem religioſiùs, quàm ſuum, celebrabat; Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum, ſolebat.* Nec allato ex Martialis epigrammate aliud colligere eſt, quàm fuiſſe dominum loci, in quo Maronis erat monumentum. Agelli tamen nomen locus is mereatur, ſi rectè aliqui emendant epigr. LIX:

*Sillius Andino tandem ſuccurrit agello.*

Ubi *Andinus agellus* ſit, quem poëta Andinus, hoc eſt, Maro, poſſederat. Saltem veriſimilius illud, quàm quod libri vulgati; ubi ineptè eſt *Arpinus*, cùm de Tullio ſermo non ſit. Sed utrique lectioni prætulerim, quod in MSis Gruterus, Scriverius, alii, repererunt:

*Sillius optata ſuccurrere cenſuit umbra.*

Etſi autem ad Maronis ſe exemplum componeret, nihil tamen ille ad divini vatis majeſtatem: imò carminum gloriâ etiam vincitur, non à Lucano modò; ſed etiam Papinio, Valerio Flacco, & juniorum aliis. Nempe, ut de eo Plinius judicat, *ſcribebat carmina majore curâ, quàm ingenio.* Tum illud etiam cogitare oportet, non à prima ſe adoleſcentia huic ſtudio dediſſe: ſed jam annis gravem, atque ætate langueſcentem: ita ut difficile omnino foret, tum demum diſcere, quo pacto liber præcipitandus ſit ſpiritus, ſic ut quodammodo furenti animo vaticinari videaris. Et tamen laudabilis induſtriæ ſic quoque ſucceſſus non infelix fuit. Nec enim planè ei adulatur Martialis, cùm os ei tribuit magnum facundumque. Quod ſi de puritate etiam, ſermoniſque Romani caſtimoniâ, certare lubeat; nulli illorum cedat, quos ea, vel proxima, vidit ætas. Imò potiùs eos exſuperet univerſos. Ac tantus cùm foret, tamen cum blattis tineiſque miſerè conflictatus eſt uſque ad tempora concilii Baſileenſis, quibus demum in Germania, ſed ſqualle ſituque miſerè obductus, è latebris prodire in lucem cœpit. Quod ſi cognitus fuiſſet ætate Franciſci Petrarchæ, non ſummus ille vir, &, ſi non unicus, ſaltem præcipuus iis temporibus literarum aſſertor ac vindex, laborem ſumſiſſet idem argumentum tractandi novem illis libris, quibus Africæ nomen dedit. Nam profectò quid ille ad Sillium? etſi ea temporum potiùs culpa eſt, quibus vixit, vir ſanè nunquam ſine honore nominandus. Huic Sillio dicaverat Annæus Cornutus Perſii poëtæ præceptor commentarios ſuos de Virgilio, ex quo decimo Chariſius quædam ad Sillii hujus laudem pertinentia. *Jamque exemplo tuo etiam principes civitatum & poëtæ, incipient ſimilia fingere.* De exitu Sillii vide Plin. lib. III epiſt. VI ad Caninium.

Ad Domitiani quoque tempora ab nonnullis refertur Visbius, qui ſcripſit martyrium Dionyſii Areopagitæ, teſte Hilduino, epiſtolâ ad Ludovicum Pium Imperat. ubi ait; *Præcipuè tamen conſcriptio Visbii, quæ in tomo ſatis ſuperque abdito, Pariſiis, divino nutu, inventa inter alia memoranda, ſicut in ea legitis verba Domini noſtri ad eum prolata, quando ſacra myſteria perageret, illi cunctis videntibus apparentis, continere dignoſcitur.* Et epiſtolâ ad omnes Catholicos: *Visbii conſcriptionem perquirat, & relegat. Ibique diſcere poterit, quis iſte Dionyſius fuerit, & qualiter per martyrii palmam ad Chriſtum pervenerit.* Matthæus Galenus Veſtcappellius, Theologus Lovanienſis, annotavit *a*, Visbium hunc oculatum eſſe teſtem, & præconem eorum, quæ de Dionyſio ſcripſit: Dionyſium autem eum beati Paulli eſſe diſcipulum, pro certiſſimo habet. Ac Surius quoque, cùm ederet Vitas Sanctorum, id ſimiliter *b* credidit. Quare Visbius ille temporibus fuerit Domitiani, quibus paſſus creditur Dionyſius. Sed id credere non ſuſtinet animus: nec quicquam pro ea ſententia vel veriſimiliter adferri poſſe arbitror. Latinum autem ſcriptorem potiùs eſſe, quàm Græcum, propterea arbitror, quia Hilduinus eum cum Ariſtarcho conjungens, Ariſtarchum quidem Græcum eſſe chronographum ait: de Visbio autem, qua linguâ Dionyſii vitam ſcripſerit, tacet; eumque Pariſiis repertum, dicere eſt contentus.

*a* Ad Martial. lib. II. epigr. 49.

*a* Ad eam epiſtola Hilduini.

*b* In margine ejuſdem epiſt. Hilduini.

CAP.

## Cap. XXX.

*Taciti ætas, ac dignitas. Priùs hiſtoriarum libros, quàm Annales, fecit. Quando vitam ſoceri ſui ſcripſerit. Quo tempore compoſitum ſit incerti, ſed diſerti ſcriptoris dialogus de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Rejecta opinio de relicto à Tacito facetiarum libro. Alciati, ac Ferreti judicium de Taciti dictione caſtigatur. Quanti eum ob dictionis elegantiam, ac imprimis prudentiam ſummam, tum Tacitus imperator, tum Coſmus, Florentiæ dux, fecerit. Perperàm* Plinio juniori *tribui à pleriſque librum de viris illuſtribus. Hiſtoriam idem Plinius ſcribere decrêrat.* Pompejus Saturninus. C. Fannius. Titinius Capito. Cæſaris Trajani *hiſtoria Dacica.* Flori *ætas. De loco ejus in prologo diſquiſitum. Dictionis venuſtas; ſed in temporum ratione oſcitantia. Quatuor ejus libros non eſſe epitomen Livii. Alium eſſe, ex quo Lactantius ætates recenſet populi Romani; quem Senecam appellat. Quod ſi non Flori modò, ſed etiam Senecæ nomen, ut libri aliqui vocant, habuerit, alterum horum videri adoptione accepiſſe. Florus alter, hiſtorico hoc antiquior.*

C. Cornelius Tacitus (cui perperàm Publio prænomen in pleriſque editionibus) ad Trajani potiſſimùm tempora pertinet. Nec ignoro, ſub Veſpaſiano rationes Galliæ Belgicæ procurâſſe: quod nos docet Plinius lib. VII Hiſt. Natur. cap. XVI. Sed demum poſt Nervæ obitum hiſtorias orſus eſt: ut qui initio earum ſic ſcribat: *Quod ſi vita ſuppeditet, principatum divi Nervæ, & imperium Trajani, uberiorem ſecurioremque materiam, ſenectuti ſepoſui.* Nervam enim divum vocat; Trajanum non item; quia illo ſcriberet defuncto, hoc imperante. Atqui priùs hiſtorias condidit: inde annales. Unde & XI Annalium nos remittit ad libros, *quibus res geſtas Domitiani compoſuit:* eas autem tractârat in Hiſtoriis. Annalibus, qui ab exceſſu Auguſti fuere ad finem Neronis, extremum Neronis biennium deeſt. At ex hiſtoriarum libris pars longè maxima deperiit. Nam quinque libris, qui ſuperſunt, unius anni, vel præter propter, res perſequitur. A Galba autem uſque ad Nervam, quouſque extenderat ſe hiſtoria, anni ſunt viginti, & unus. Fuere primò in univerſum libri XXX, ut auctor eſt B. Hieronymus quinto commentariorum in Zachariam prophetam cap. XIV, ubi, cùm de excidio Hieroſolymitano eſſet locutus, addit iſta: *Hæc omnia pleniſſimè Joſephus, qui Judaicam ſcripſit hiſtoriam, eo multo majora, quàm legimus in Prophetis, eos ſuſtinuiſſe commemorat Cornelius quoque Tacitus, qui poſt Auguſtum, uſque ad mortem Domitiani vitas Cæſarum XXX voluminibus exaravit.* Præter hiſtorias & Annales reliquit librum de ſitu, moribus, & populis Germaniæ. Item de vitâ Soceri ſui, Julii Agricolæ. Quem, Trajano imperante, ſcriptum eſſe, hæc in præfatione verba oſtendunt: *Quanquam, primo ſtatim beatiſſimi ſeculi ortu, Nerva Cæſar res olim diſſociabiles miſcuerit, principatum, ac libertatem. augeatque quotidie facilitatem imperii Nerva Trajanus.* Etiam dialogum de cauſſis corruptæ eloquentiæ Tacito adſcriptum eunt veteres libri, & hos ſequutus Pomponius Sabinus in Carmen de obitu Mæcenatis. Sed ſtylus abnuit: qui Fabium magis ſapit. Et ſi is grandior, quàm ut conveniat ei, quod auctor hic ait ſexto Flaviani imperii anno hunc habitum ſermonem, eique ſe interfuiſſe admodum juvenem. Quare Lipſio accedo, qui de ſcriptore negat liquere. Atque in hac etiam ſententiâ confirmat, quod auctor libri clarè ait, ſe Romæ quæſturam, tribunatum, præturam accepiſſe, cùm de Quinctiliano nemo aliud prodiderit, quàm eum intra privatam conſtitiſſe fortunam, ac inſtitutioni ſemper juventutis vacâſſe. Sed quiſquis eſt, auctor eſt elegans, diſertus, & ſani omnino judicii. Quod autem Fulgentius Planciades etiam *Taciti facetias* citat, hoc inficeto adeò grammatico planè dignum eſt, qui etiam Plauti euciſton, & ſimiles laudet nugas. Glandorpio id in Onomaſtico *a* impoſuit. Primi quinque Annalium libri *b* Corbejæ, quod ad Viſurgim monaſterium eſt, à quæſtore Pontificio fuere inventi; qui eos ad Leonem X detulit, ac ἀντιδώρου loco quingentos accepit aureos. Dictio Taciti floridior uberiorque in hiſtoriarum eſt libris; preſſior ſtrictiorque in annalibus. Nimirum in Hiſtoria rem proſequitur ordine, nec eam intercidit rebus aliis. In Annalibus ſtylum accommodat annis ac conſulibus. Eaque cauſa eſt, cur in hiſtoria cauſſas accuratiùs tractet: in annalibus eas breviùs proponat: cur item in hiſtoriâ uberior ſit dictio, conciſior in annalibus. Interim gravis utrobique & diſerta. Id optimè perſpexit Plinius Novocomenſis, qui lib. XI epiſt. I eloquentiſſimum fuiſſe ait, & hoc eximium habuiſſe, quòd σεμνῶς diceret. Et tamen doctiſſimus vir Raimundus Lullus lib. V de orat. cap. IV ait, ſcriptorem eſſe magis torvum Juſtino. Imò & Alciatus, vir ſanè egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus, præ illa Paulli Jovii, eſſe ſenticeta. Condonemus tale judicium tanto viro & cogitemus, ex amore Jovii proficiſci. Et quale illud, quod idem, & Æmilius Ferretus, ajunt, eum non Latinè ſatis ſcribere? Quàm hoc inſubidum! quàm inſulſum! Quis enim non videt, dictio Taciti quàm ſit elegans, quàm terſa, & limata? Et tamen major eſt laus iſta, quòd nihil eo ſcriptore vel cogitari poſſit prudentius. Ac propterea imperator M. Claudius Tacitus tanti eum fecit, ut imaginem illius in omnibus collocaret bibliothecis: libros ejus decies quotannis deſcribi, inque archivis publicis collocari juberet, ne deperirent. Sed hoc eò factum putare aliquis poſſit, quòd ex familia eâdem genus duceret. Verùm quid de eo dicemus, quòd non alium hiſtoricum æquè lectitaret Coſmus Medices, Hetruriæ Dux, vir, ſiquis alius, civilis prudentiæ intelligentiſſimus, planeque ad imperandum factus? Quod de eo Muretus *c* alicubi teſtatur.

Uti autem Tacitus, ita &, cùm antè, tum ſub Trajano imprimis, fuit C. Plinius Cæcilius Secundus, Novocomenſis, C. Plinii Veronenſis ſororis filius, Quinctiliani, ut de ſe ipſe *d* teſtatur, diſcipulus. Hic à multis auctor creditus eſt libri de viris illuſtribus. Sed ejus quidem nomine ab Aldo, & aliis, editus fuit. Ac ſimiliter MSi: inter alios qui Oxonii eſt in bibliothecâ collegii corporis Chriſti: atque iterum in collegio Lincolnienſi. Ubi & MSæ ejus epiſtolæ, & libellus ei præmiſſus cum hâc epigraphe: *Brevis animadverſio de duobus Pliniis Veronenſibus oratoribus ex multis hinc inde collecta per Joannem Manſionarium Veronenſem.* Incipit, *Plinii duo.* Sed quod ad opuſculum de viris illuſtribus, illud eſſe Sex. Aurelii Victoris, diximus ſuperiùs, cùm de Cornelio Nepote ageremus. Videtur interim ſcripſiſſe, ſaltem cogitâſſe de hiſtoria condenda. Sic enim loquitur epiſt. VIII lib. V: *Suades, ut hiſtoriam ſcribam, & ſuades non ſolus. Multi hoc me ſæpe monuerunt; & ego volo; non quia commodè facturum eſſe confido (id enim temere credas, niſi expertus) ſed quia mihi pulcrum imprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum ſua extendere.* Et paullò pòſt: *Me verò ad hoc ſtudium impellit domeſticum quoque exemplum. Avunculus meus, idemque per adoptionem pater, hiſtorias, & quidem religioſiſſimè, ſcripſit. Invenio autem apud ſapientes, honeſtiſſimum eſſe majorum veſtigia ſequi, ſi modò recto itinere præceſſerint.* Item poſt aliqua: *Nunc cogita, quæ potiſſimum tempora aggrediamur. Vetera, & ſcripta aliis? parata inquiſitio; ſed oneroſa collatio. Intacta, & nova? graves offenſæ, levis gratia.* Denique claudit epiſtolam his verbis: *Illud, peto, præſtruas, ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi, jam ſcribere parato, alia rurſus cunctationis & moræ juſta ratio naſcatur.* Novocomi legitur inſcriptio hujuſmodi: *C. Plinio Cæcilio Secundo, qui conſulatu, auguratu, militiæ geſtis, orandis cauſſis, poëmatibus & hiſtoriis conficiendis, Cæſare Trajano Auguſto luculentiſſimè laudando, afficiendoque immensâ liberalitate patriam ſuam, eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comenſis concivi ſuo deſiderabili,* hono-

a In Cornelius Tacitus.

b Lipſius comm in V Annal. Tac.

c Orat. quam habuit Tacitum enarraturus.

d Lib. 2. epiſt. 14. ad Maximum.

*honore accepto* monumenta poſuit. MCCCCLXXXIIX. Cal. Maji.

Æqualis hujus fuit Pompejus Saturninus, de cujus eruditione, ac laudibus, multa idem Plinius lib. I epiſt. XVI. Inter alia autem, *Idem tamen in hiſtoria magis ſatisfaciet, vel brevitate, vel luce, vel ſuavitate, vel ſplendore etiam, & ſublimitate narrandi.*

Æqualis quoque C. Fannius, cujus obitum Plinius luget lib. V epiſt. V. De tribus ejus libris ſic Plinius ibidem: *Quamvis agendis cauſſis diſtringeretur; ſcribebat tamen exitus occiſorum, aut relegatorum à Nerone: & jam tres libros abſolverat, ſubtiles, & diligentes, & Latinos, atque inter ſermonem hiſtoriamque medios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur.* Narrat deinde, ut antè etiam præſenſerit, in quarto ſe, & ſcribendi, & vivend. finem facturum. Atque addit: *Quod me recordantem miſeratio ſubit, quantum vigiliarum, quantum laboris, exhauſerit fruſtra.* Ita profectò eſt. Nam, ut alibi *a* de alio loquitur Plinius, *Omnia illa cum ipſo ſine fructu poſteritatis obierunt.*

*a Lib. 5. epiſt. 9.*

Non abſimile argumentum tractâſſe iiſdem temporibus videtur Titinius Capito; de cujus laudibus multa idem Plinius ad Minutianum lib. VIII epiſt. XII. Referam pauca, quæ ad ſcribendi imprimis materiem pertinent: *Si illi nullam vicem, nulla quaſi mutua officia deberem: ſollicitarer tamen, vel ingenio hominis pulcherrimo, & maximo, & in ſummâ ſeveritate dulciſſimo; vel honeſtate materia. Scribitur exitus illuſtrium virorum in iis quorundam mihi chariſſimorum.*

Sed qui hiſtoricos commemoramus, Trojano æquales, qui ſine piaculo prætereamus ipſum Nervam Trajanum Cæſarem? Dacica enim ſcripſit. Ex quorum primo citat Priſcianus in VI: *inde Berzobin, deinde Aixi proceſſimus.* quo Grammaticus is probat, barbara quædam inveniri in I, ut hic *Aixi*; uti apud Livium *illiturgi.*

Sub Trajano vixit Caninius, qui aggreſſus carmine ſcribere bellum contra Deos à Domitiano Cæſare geri cœptum; à Trajano autem confectum. Vide de eo Plinium lib. VIII epiſt. ad hunc ipſum Caninium, quem ad progrediendum in inſtituto hoc plurimùm hortatur. Utrùm verò hoc opus abſolverit, inque hominum manus venerit, dicere non habeo.

Extremis verò Trajani temporibus floruit L. Annæus Florus, qui rerum Romanarum quatuor perſcripſit libros. MSus ejus codex cùm alibi exſtat; tum apud Cantabrigienſes in bibliotheca collegii S. Benedecti, & Oxonii in bibliothecâ Bodlejanâ. De ætate quod dixi, ſatis apparet ex præfatione operis, cùm ait: *A Cæſare Auguſto in ſeculum noſtrum ſunt non multò minus anni ducenti: quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit, atque decoxit: niſi quod ſub Trajano movet lacertos, &, præter ſpem omnium, ſenectus imperii, quaſi redditâ juventute, revireſcit.* Viri eruditi quidam, eoſque inter Joannes Camers, malunt *movit*, pro *movet.* Nec diffiteor, ſic eſſe in quibuſdam MSis. Sed rectum eſſe, *movet*, oſtendit, tum quod antecedit, *in ſeculum noſtrum*: tum quod ſequitur, *revireſcit.* Sed, inquiunt, Florus ab Auguſto eſſe ad ſua tempora, ait annos prope CC. Ab Auguſti autem principatu, uſque ad Trajani imperium, ſunt anni tantum CXXIV: ſive, ſi putes uſque ad exceſſum Trajani, anni erunt CXLIII. Sed jam dudum hæc mihi meditata. Verùm legendum puto apud Florum, *anni* CL. Nam quiſquis Mſſos Flori codd. verſavit, ſcit, quantopere in annis variet prologus iſte. Nec tamen ſolius Trajani ævo arbitror vixiſſe: ſed etiam Hadriani. Planè enim idem videtur, cujus in Hadrianum verſiculos, & in quem verſus Hadriani, Spartianus refert: quemque Annæum Florum Chariſius vocat, & ex cujus ad Divum Hadrianum epiſtolâ gemino in loco citat illa verba, *Poematis delector.* Cujus item hæc ad eundem verba adfert:

*Quaſi de Arabe, aut Sarmata manubias.*

Sanè quod poëmatis delectari ſe ait, id non abhorret ab hujus compendii ſcriptore, quando ſtylus ejus in hiſtoria eſt declamatorius, ac poëtico propior, adeò ut etiam Virgilii hemiſtichia profundat. Et tamen ea potiſſima eſt Flori noſtri laus, quòd ſcriptor eſt elegans, & diſertus, &, ſi paucula exceperis, quæ frigidiùs dicta videntur, verè floridus. Sed latæ eſt culpæ reus, quòd in temporum ratione uſque adeò negligens ſit; ita ut non poſſit non ſæpiùs alucinari, qui hunc ducem ſequi velit. Valde autem falluntur, qui eum putant in hiſtoria ſua epitomen nobis Livii dare voluiſſe. Siquidem crebrò à Livio recedit. Nec facilè dixerim, idemne, an alius ſit, qui ſingulorum ferè Livii librorum argumenta reliquit: quæ hodieque exſtant, etiam librorum, qui deperierunt. Sed, ecce, de nomine etiam ſcriptoris litem movent viri eruditi. Scrupulum iis injicit, quòd Lactantius lib. VII Inſtitut. Divin. Senecam appellet. Siquidem, inquiunt, antiquiorem hoc hiſtorico habemus neminem, qui populum Romanum diviſerit per quatuor ætates. At Senecam ejus rei auctorem laudat is, quem diximus, Lactantius, his verbis: *Non inſcitè Seneca Romanæ urbis tempora diſtribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe; à quo & genita, & quaſi educata ſit Roma: deinde pueritiam ſub cæteris regibus; à quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus, inſtitutiſque formata: at verò, Tarquinio regnante, cùm jam quaſi adulta eſſe cœpiſſet, ſervitium non tuliſſe; &, rejecto ſuperbæ dominationis jugo, maluiſſe legibus optemperare, quàm regibus: cumque eſſet adoleſcentia ejus fine Punici belli terminata; tum denique confirmatis viribus cœpiſſe juveneſcere. Sublatâ etenim Carthagine, quæ tam diu æmula imperii Romani fuit, manus ſuas in totum orbem terrâ marique porrexit: donec regibus cunctis, & nationibus ſubjugatis, cum jam bellorum materia deficeret, viribus ſuis malè uteretur, quibus ſe ipſa confecit. Hæc fuit prima ejus ſenectus: cùm bellis lacerata civilibus, atque inteſtino malo preſſa, rurſus ad regimen ſingularis imperii recidit, quaſi ad alteram infantiam revoluta. Amiſſa enim libertate, quam, Bruto duce, & auctore, defenderat, ita conſenuit, tanquam ſuſtentare ſe ipſe non valeret, niſi adminiculo regentium uteretur.* Hactenus Lactantius. Ea autem exſcripſiſſe ajunt ex prologo Flori: ubi hæc legas: *Si quis ergo populum Rom. quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit: quatuor gradus proceſſuſque ejus, inveniet. Prima ætas ſub Regibus fuit, prope* CCL. *per annos, quibus circum ipſam matrem ſuam cum finitimis luctatus eſt. Hæc erit ei infantia. Sequens, à Bruto, Collatinoque conſulibus, in Appium Claudium, Quinctumque Fulvium, conſules,* CC *annos habet; quibus Italiam ſubegit. Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum. Ideo quis adoleſcentiam dixerit. Dehinc ad Cæſarem Auguſtum* CCL *anni: quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipſa juventa imperii, & quaſi quædam robuſta maturitas. A Cæſare Auguſto, in ſæculum noſtrum, ſunt non multò minùs anni* CC: *quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit, atque decoxit, niſi quod ſub Trajano principe movet lacertos, &, præter ſpem omnium, ſenectus imperii, quaſi redditâ juventute, revireſcit.* Hæc Florus. Utrumque autem locum integre adſcripſimus, ut omnes videant, quàm infirmo tibicine nitantur, qui ex Lactantio colligunt, ſcriptorem compendii illius, non Florum, ſed Senecam dici oportere. Ajunt, diviſionem eam, cujus Lactantius Senecam laudat auctorem, apud Florum in prologo legi. In quo manifeſtus eorum eſt error. Nam Seneca adoleſcentiam extendit uſque ad finem ultimi belli Punici: Florus duntaxat ad primum bellum Punicum. Adhæc Seneca incipit ſenectam à bello civili Pompejano: Florus autem à principatu Auguſti. Unde colligo, Florum quidem imitatum fuiſſe Senecam: at aliter tamen, quàm Senecam, diviſiſſe. Atque eò magis arriſit Floro ſimilitudo ea, quia non totam alteri deberet; ſed eſſet, quod ſibi vindicaret. Sanè toto ad eam opere reſpicit. Nempe ſuum cuique pulcrum, quod dici ſolet. Nec propterea negâro, Florum hunc fuiſſe ex Senecarum familia. Seneca enim vocatur in pleriſque veteribus libris. Adhæc Senecæ ſunt ex Annæâ gente. At Florus, uti in pleriſque libris Julius,



Digitized by Google

ſed Annæus in vett. vocatur libris, etiam antiquâ ac principe, quam habeo, editione. Adhæc Hiſpanum fuiſſe, unde Senecæ domo erant, veriſimile facit luculenta ejus terræ laudatio, quæ eſt lib. II. cap. XVII, & lib. III. cap. XXII. Dictio quoque hanc domum ſapit. Nam ea eloquentiæ, & poëſios laude, inclyta fuit. At dictio hiſtorici hujus, uti antè dictum, eſt diſerta, & poëticæ propior. Imò opus ipſum vix aliud, quàm declamatio eſt. Fortaſſe igitur Senecæ etiam nomen fuit. Sed, ut hoc demus, non eo conſequitur, haut aliter, quàm Senecam, vocari oportere. Nec enim facilè adeò fides eſt deroganda multò maximæ parti librorum, & quidem melioris notæ, ubi Florus vocatur. Et quid prohibet, quo minùs, ut L. Annæi Senecæ philoſophi frater, non tantùm L. Annæus Novatus dicebatur: ſed etiam Junius Gallio (quod nomen habuit, poſtquam à Junio Gallione erat adoptatus) ita hiſtoricum hunc credamus, adoptione nomen mutâſſe: atque inde eſſe, quòd idem dictus ſit L. Annæus Seneca, & L. Annæus Florus: vel, ut in nonnullis libris legere eſt, L. Julius Florus? Quod ſi eſt, fortaſſe etiam hiſtorici hujus ſit Octavia Senecæ tributa. Nam L. Senecæ philoſophi vero eſſe, ſatis eſt apertum: Sed nihil obſtat, quo minùs credatur eſſe hiſtorici hujus. Qui quod Annæus Seneca diceretur, in cauſſa fortaſſe fuit, cur inter Senecæ tragœdias referretur.

Alius verò ab hoc eſt Julius Florus, vir itidem diſertus, qui ſub Tiberio vixit. De hoc ita M. Seneca Controv. XXV. *Ipſe audivi Florum quendam, auditorem Latronis, dicentem, non apud Latronem: neque enim illi mos erat, quemcumque audire declamantem. declamabat ipſe tantum: & aiebat, ſe non eſſe magiſtrum, ſed exemplum. Nec ulli alii contigiſſe ſcio, quàm apud Græcos, Nicetæ; apud Romanos, Latroni; ut diſcipuli non audiri deſiderarent; ſed contenti eſſent audire.* Paullò pòſt excerptum ex Flori declamatione ponit. De eodem, ut puto, ſimulque fratris filio, ſic Fabius lib. X: *Quæ de re memini narrâſſe mihi Julium Secundum, illum æqualem meum, atque, ut notum eſt, familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum. Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos diſertus, & dignus illâ propinquitate. Is cùm Secundum, ſcholæ adhuc operam dantem, triſtem fortè vidiſſet, interrogavit; Quæ cauſſa frontis tam adductæ? nec diſſimulavit adoleſcens, tertium jam diem eſſe, ex quo omni labore materiæ ad ſcribendum deſtinatæ non inveniret exordium: quo ſibi non præſens tantùm dolor, ſed etiam deſperatio in poſterum fieret. Tum Florus arridens, Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quàm potes? &c.* Nec abſurda ſit conjectura, ſi quis opinetur, hiſtoricum eum, de quo fuſè diximus, (modò is Julius Florus rectè in libris quibuſdam vocetur) ex eâdem ſtirpe, imò fortaſſe filium fuiſſe aut nepotem Julii Flori, viri hujus diſerti, de quo M. Seneca & Quintilianus loquuntur. Saltem id eſt veriſimilius, quàm ut Fabius de hiſtorico noſtro loquatur: uti Popelinierus perperam cenſet libro VI operis Gallici, quod Hiſtoriam Hiſtoricorum inſcripſit *a*. Sed hæc, & alia, quæ antea de Senecæ cognomento diximus, velut incerta, in medio relinquamus.

a P. 364.

## CAP. XXXI.

*Suetonii Tranquilli dignitas. Vitam Plinii majoris perperam tribui Suetonio. Falſo Terentii vitam credi Donati, cùm Suetonii hujus ſit. Errores Siconis Polentoni in Tranquilli vitâ. Lactantio, ac Macrobio, vera adſeritur Scriptura. Tarquitii libri de rebus divinis. Fabius Marcellinus, & cujuſmodi ejus dictio.*

C. Suetonius Tranquillus vixit temporibus Trajani, & Hadriani, ſub quo epiſtolarum magiſter fuit; ut ex Spartiano ſcimus in Hadriani vitâ. Ubi & illud narrat, eo excuſſum honore, quia ſe familiariùs coërceret cum principis uxore. Natus circa initium imperii Veſpaſiani. Quippe ultimo capite Neronis ait, ſe annis XX ab exceſſu Neronis fuiſſe adoleſcentem. Patrem habuit Suetonium Lenem, tribunum militum legionis XIII. eumque anguſticlavium: ut ipſe in Othone cap. X. ſcribit: non Suetonium Paullinum, virum conſularem: quam opinionem XXVI refellebamus. Videmus autem hinc, ut cum pater vocaretur Lenis, quod Tranquillus dici maluerit: quod idem notat. Unde Gaſpar Sanctius in primum caput Actorum Apoſtolicor. colligit, Actorum Scriptorem, qui Lucas eſt, poſſe dici Lucium, quem Apoſtolus jubet ſalutari ad Rom. cap. XVI. Patris exemplo, & ipſe tribunus militum fuit, ſed honorem eum mox in alium transtulit: ut eſt apud Plinium lib. III. cap. VIII. Liberos habuit nullos, ſed jus trium liberorum ei Plinius impetravit, ut eſt lib. X. epiſt. Plinii. Quàm amico uſus ſit Plinio Novocomenſi, ex multis hujus epiſtolis ſatis liquet. Cumque is Ciſalpinus fuerit, & Suetonium fuiſſe Ciſalpinum liceat ſuſpicari. Hanc amicitiam cogitanti minus veriſimile ſit, vitam Plinii Veronenſis, quæ Suetonii nomen præfert, eſſe genuinam. Nimis illa jejunè, & perfunctoriè exarata, quàm ut de amici tanti avunculo eam ſcripſerit Suetonius. Ac ne dictio quidem Suetonii eſt; ſed omninò alicujus multò junioris. Nec Suetonius neſciiſſet Plinium hunc fuiſſe Veronenſem. At ille Novocomenſem facit. Nempe duos Plinios confudit: uti & Hieronymus in chronico Euſebiano. Et veriſimile eſt, hunc ſcriptorem ab Hieronymo. Ex genuinis quæ edi petit Plin. lib. V. ep. XI. Libitinam evitare atque effugere potuerunt vitæ XII Cæſarum, quas, ſi codd. ſtandum, libris VIII perſcripſit, & pari libertate ac ipſi vixerunt: ut rectè cenſet B. Hieronymus. MSus codex exſtat Oxonii in bibliotheca collegii Novi: item in collegio Lincolnienſi. Etiam pervenere ad noſtra tempora illuſtres ejus Grammatici, & aliquot Rhetores. Nam melior pars ejus operis deperdita eſt. Uti & penè omnis liber de poëtis. Nam nihil ejus habemus præter vitam Terentii, quæ non Donati, ſed Tranquilli eſt, uſque ad illa verba, *Hæc Suetonius Tranquillus.* Item vitam Horatii, quam ei etiàm tribuit Porphyrio interpres *a*. Adhæc fortaſſe, tum vitam Lucani; tum illam Perſii, quæ veteribus gloſſis præfigitur. Præterea condidit libros tres de regibus, teſte Auſonio epiſt. XIX. De his dicemus in Paullino Nolano. Multa quoque alia reliquit: ut librum περὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν: cujus meminit Suidas. Adhæc libros ludicræ hiſtoriæ: quorum primum Gellius citat lib. IX. cap. VII. Puto, ejus operis partem fuiſſe παιδιὰς Ἑλλήνων, quas Tzetzes laudat Chil. VI. Hiſt. LXXXV. item Suidas in Τράγκυλλος, ubi & laudat ejus opus *De Romanorum ſpectaculis, & certaminibus.* Item στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων: ſive *opus de illuſtribus familiis Romanorum.* Item alia edidit, quorum Servius, Priſcianus, Suidas, & Etymologus Græcus, meminere. Auctor eſt, Vopiſci judicio, *emendatiſſimus, & candidiſſimus, & cui familiare ſit, amare brevitatem.* Ludovico Vivi lib. V. de tradendis diſciplinis dicitur eſſe *Græcorum, & Latinorum ſcriptorum, diligentiſſimus, atque incorruptiſſimus.* Verè quidem, ſi de Vitarum ſcriptoribus loquamur. Nam qui iccirco eum Livio, Salluſtio, Tacito, præponere velit, inſignitâ, meo judicio, injuriâ adficiat tantos ſcriptores. Vitam Suetonii hujus ſcripſit Sicon Polentonus. Sed ea vix aſſis eſt: etſi doctiſſimus Pighius non veritus ſit illam, emblematis inſtar, annalibus ſuis inſerere. Penè enim quicquid dicit, pertinet ad Suetonium Paullinum; quem, cum Mureto, falſò credidit eſſe Suetonii hujus patrem. Atque ut, quæ Tacitus de Suetonio refert, perperam accommodat hiſtorici hujus parenti: ita & falſò putavit, eum ſignari à Plinio in hiſtoria naturali, ubi ex Paullino quædam refert de Africa, & Canariis inſulis. Similis error, cùm libros de inſtitutione officiorum, de illuſtribus ſcriptoribus, deque hiſtoria ludicra, non à Tranquillo hoc, ſed à patre ejus, ſcripta fuiſſe, arbitratur. Qui error ab eodem fonte, unde priores, dimanat.

a In lib. IV. od. I.

Dubitant viri eruditi, an non Tranquilli nomen debeat reponi apud Lactantium lib. I. cap. X. ubi legas: *Æſculapius & ipſe, non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit*

*aliud divinis honoribus dignum, niſi quòd ſanavit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quod à Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius, de illuſtribus viris diſſerens, ait, incertis parentibus natum, expoſitum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didiciſſe medicinam: fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri moratum.* Hic Xyſtus Betulejus, in editione ſuâ, pro *Tarquitius* repoſuit *Tranquillus*; quòd eum de illuſtribus viris ſcripſiſſe conſtaret. Sed egit ille de Romanis: quos inter nullus eſt Æſculapio locus. Adhæc cur *Tarquitium* rectum videatur, facit, quòd non tantùm ita ſit in codd. MSSis, item editione Aldinâ; eâque, quam Michaël Thomaſius recenſuit: ſed illud quoque, quòd hic ſermo ſit de Æſculapio fulmine percuſſo: & Tarquitius de fulguritis, & omni augurum, atque aruſpicum, diſciplinâ egerit in libris ſuis de rebus divinis. Ammianus Marcellin. lib. XXV: *Confeſtim itaque ante lucis primitias Hetruſci aruſpices arcesſiti, conſulti quid aſtri ſpecies portenderet, novandum eſſe, cautiſſimè reſponderunt, nequid tunc tentaretur: ex Tarquitianis libris, in titulo* DE REBUS DIVINIS, *id relatum eſſe demonſtrantes, quòd, face in cælo viſâ, committi prælium, vel ſimile quidquam, non oporteat.* Atque hinc etiam liquet, cur Tarquitium, inter eos, è quibus profecit, reponat Plinius in indice libri ſecundi, proximeque ſubjungat eum Cæcinæ, quem de Hetruſca diſciplina ſcripſiſſe dicit. Vide & quæ de Tarquitio hoc notavit Petrus Pithœus Subſecivorum lib. I. cap. XX. ubi docet, pro Tarquinio Priſco ἁπλῶς *Tarquitium* legi debere apud Macrobium lib. II. Saturn. cap. XVI. Quod Tarquitii nomen remanſit lib. III. Saturn. cap. VII. etſi ibi vir eruditus, in Notis ſuis, ex veteri libro *Tarquinium* malit. Sed mihi *Tarquitium* magis placet propter ea, quæ diximus. Etiam in Schedis Feſti quæ apud Pomponium Lætum exſtabant, ubi ſolùm *Tarqui....* exaratum erat, perperam Scaliger fecit *Tarquinius*: nempe quia de rege actum ſuſpicatus eſt. Sed in ſchedis, quas dixi, pag. LXXX, clarè eſt, *Tarquitius in libro, quem inſcripſit de.....*

## CAP. XXXII.

*M. Junianus* Juſtinus. *Antonini imper. ætate vixit, non autem poſtquam imperium Conſtantinopolin translatum fuit. Juſtini locus emendatus. Error Martiani Poloni, Junianum Juſtinum, & Juſtinum Martyrem confundentis.* Neonem *de tergeminorum vita ſuppoſititium videri.* Eluanus Avalonius *in dubium vocatus.*

JUſtini, qui Trogi epitomen fecit, nec nomen, nec ætas, dubitatione caret. In Ant. Arnoldi libro nominabatur Juſtinus Frontinus. At in codice bibliothecæ Mediceæ dicitur M. Junianus Juſtinus. Atque hoc verius cenſeo, ob libri ejus antiquitatem: cujus argumentum non leve eſt, quòd literis Longobardicis ſcriptus ſit. Quod verò ad ætatem, Trogi ejus, cujus epitomen ſcripſit, filium fuiſſe tradit Gualterus Burlei Anglicus lib. de vitâ philoſophorum, qui anno, CIↃ CCCC LXXII editus ab Arnoldo Terſſornen. Sed hoc ſeculo illi condonemus, quo vixit. Ac eruditiſſimos etiam viros video eſſe, qui ſuſpicentur, vixiſſe, poſtquam imperium tranſlatum fuit Conſtantinopolim: idque ob verba illa lib. VIII: *Græciam etiam* NUNC, *& viribus, & dignitate, orbis terrarum principem.* Sed NUNC iſtic non ſignat tempus, quo Juſtinus ſcribit; ſed de quo ſcribit. Quomodo idem paullò pòſt ait: *Et hæc potiſſimum facere Thebanos, Lacedæmonioſque, antea inter ſe imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos.* Ubi NUNC itidem valet, *hoc tempore, quod exponimus.* Planè verò vixiſſe arbitror ſub Antonino Pio, atque huic epitomen ſuam dicâſſe. Id colligo ex verbis iſtis præfationis, *Quod ad te, imperator Antonine, non tam cognoſcendi, quàm emendandi cauſſâ, tranſmiſi.* Ita enim habent editiones antiquæ, quæ, quin MSSorum fidem ſecutæ fuerint, nullus dubito. Sed objiciunt, in optimis libris legi: *Quod ad te non tam cognoſcendi magis, quàm emendandi cauſſâ, tranſmiſi.* Quam MSSorum lectionem etiam Bongarſius retinuit. Sed nihil manifeſtius, quàm non ita ſcripſiſſe Juſtinum. Nec enim TAM & MAGIS ſatis conveniunt. Quid ergo? num dicemus MAGIS, tanquam ſuperfluum, tolli oportere? Atqui non videtur de nihilo eſſe, quod in optimis libris legitur. Quare puto, ſcriptum primò fuiſſe, *Quod, Antonine im. non cognoſcendi magis, quàm emendandi cauſſâ tranſmiſi.* Nempe ex *Antonine im.* fecere *ad te non.* Ac quia ſic *non* geminabatur, librarii hunc errorem exiſtimantes, alterum omiſere. Et ſanè Juſtinum hunc ſub Antonino vixiſſe, ante ſeculum Philippus Bergomas *a*, ac Joa. Aventinus *b*, tradidere: imò idem jam ante annos CCC in chronico ſuo ſcripſit Martinus Polonus: ſed quod idem Juſtinum hunc cum Juſtino martyre confudit, fœdus error eſt, cùm hic, qui epitomen ſcripſit, in iis, quæ lib. VI, & XXX, de Moſe, Joſepho, & Iſraëlitis, tradit, planè Scripturis adverſetur: unde liquet, hominem fuiſſe gentilem: aperteque inter eos ab Oroſio numeratur. Ut de eo nihil dicam, quòd beatus martyr nihil Latinè ſcripſiſſe videtur: item quòd Euſebius, Hieronymus, Photius, nuſquam hiſtoricam hanc epitomen inter martyris illius ſcripta reponunt. Nec tamen ea ignota fuit B. Hieronymo, qui illius meminit proœm. in Danielem. Uti quoque Auguſtinus facit lib. IV. de civit. Dei cap. VI, & Oroſius lib. I. cap. VIII, & X. qui & Juſtinum paſſim exſcribit. Poſt quos ejuſdem mentionem fecere, Iſidorus, Jornandes, alii. Etiam quæ Lupus Ferrarienſis abbas ep. XX. ad Alcuinum ex Trogo Pompejo citat deque Mithridatis excellentiam portenderit apud Juſtinum, ad verbum ex Juſtini lib. XXXVII. Sed apud Lupum nunc paulò comptiùs leguntur. Ut & Juſtino debeant emendari. Eſt Juſtinus ſcriptor *terſus & elegans*: ut de eo ſcribit Raimundus Lullus lib. VII. de orat. cap. IV. Quàm turpiter autem in rebus Judaicis aberrârit, oſtendit Benedictus Pererius in Danielem cap. XL. MSus exſtat in bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigienſis, & Oxonii in collegio corporis Chriſti. Ac neſcio quid ibi, velut quod (ut eſt apud Th. James) Oxonii in bibliothecâ Collegii Novi exſtare dicatur, *Epitome hiſtoriarum per Trogum Pompejum libb. IV.*

*a* Lib. X. Supp. in temporibus Antonini Pii.

*b* In iis, quæ de ſcriptoribus primo annalium præmittit.

Neon vixit ſub M. Aurelio Imp. ac vitam ſcripſit tergeminorum fratrum, Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi. Acta ea extant apud Surium Tom. I. die XVII Jan. Adjecta autem iis ab alio ſunt hæc verba: *Neon quoque, textor hiſtoriæ hujus atque ſcriptor, tradens Turboni codicem, inter medias turbas perſecutorum ingreſſus, cupiens ſanctorum Tergeminorum militia beatiſſima ſociari, Chriſti nomen confeſſus, tantiſper ictibus mactatus, ut vita temporali ſpoliatus, martyrii palmâ continuò meruerit coronari.* Nec eſt, quòd aliquis putet, Neonem vixiſſe ſub Aureliano, ut in Actis iſtis nominatur Cæſar, ſub quo paſſi Tergemini: nam *Aurelio* legi debere, non Surius modò, & Baronius, exiſtimant: ſed res ipſa clamat, cùm tergemini iſti fuerint diſcipuli Polycarpi, qui ſub M. Aurelio paſſus fuit. Sed diſpiciendum, utrùm acta ea Neon Latinè ſcripſerit, an Græcè. Hodie quidem tantùm habemus Latinè: eaque à Warhario deſcripta, & Ceraunio Papæ Pariſiaca in Urbe dicata, ut prologus ipſius Warharii indicat. Saltem non ita Neon ediderat, uti reperit Surius. Nam hoc ſi eſſet, non ævo illo barbarè adeò ſcripta fuiſſent, ut Surium paſſim mutare ſtylum opus eſſet. Quare aut acta ea poſterioribus ſeculis ex bonis Græcis fuere facta Latina non bona, aut fuerint ſuppoſititia, utcumque germana appellet Annalium Eccleſiaſticorum conditor *c*.

*c* Ad annum Chriſti 179. §. 37.

Eluanus Avalonius, cujus & Radulphus Niger in Chron. meminit, vixiſſe dicitur temporibus Antonini Philoſophi Imperatoris, filiique Commodi, & Eleutherii, epiſcopi Romani. Ajunt quoque doctrinam ab Apoſtolorum diſcipulis acceptam Britannis prædicaſſe, librumque ſcripſiſſe de origine eccleſ. Britannicæ: de quibus fides eſto penes Balæum. Multum enim metuo, ne, ut in pleriſque aliis antiquioris ævi ſcriptoribus, ita hac etiam parte fucum faciat lectori.

FINIS LIBRI PRIMI.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS LATINIS
## LIBER II.

### CAPUT I.

*Tranſitur ad hiſtoriæ ſenectutem. Deperditis ſcriptoribus hodieque nos juvari, ut eorum etiam memoria non debeat nobis eſſe injucunda. Julii Titiani ætas. Ejuſdem provinciarum libri. Symmacho lux. Titiani chorographia, ſive chronographia potius. Servius emendatus.* Unimammiæ. *Rhetorica Titiani, & controverſia ex Marone, & de re ruſtica libri. Diomedes corrigitur. Apologi Titiani. Cuſpinianus, & Onuphrius, item Jacobus Breulius, refelluntur.*

POſt Antoninos magis magiſque, ac penè præcipiti gradu, imminui hiſtoriæ, ac omnis propè literarum honos cœpit. Sub Trajano enim Tacitum vidimus, hiſtoricum nulli ſecundum. Sub eodem, ac item Hadriano, literarum amantiſſimo principe, præter alios Suetonius vigebat, quo Latinorum nemo vitas elegantiùs ſcripſit. Sub Antoninis, quorum alter etiam Philoſophi nomen meruit, fuit Juſtinus, quo non alius tot imperiorum tempora meliùs perſtrinxit. Qui deinceps autem ſequuntur, ab horum gloria nimium quantum abſunt. Ut hinc hiſtoriæ ſenectam meritò ordiamur. Mirum verò, ne unum quidem ex tam multis, qui ſeculo toto, ab Antonini philoſophi exceſſu uſque ad Diocletiani imperium, hiſtoriam Latinè tractarunt, hodie ſuperesse. Quod etſi temporum injuriæ tribui imprimis debet: non tamen culpâ omni vacare ipſi ſcriptores videntur. Si enim ad priorum gloriam adſpiraſſent: ſaltem, puto ex tanto numero ſex ſeptem ob magnitudinem nominis, & operis utilitatem, moviſſent poſteros, ut ne ad unum omnes intercidere paterentur. Interim negare non poſſumus, bene & illos de nobis meritos eſſe: quando iis debemus, quòd ſeculi ejus tempora non penitùs neſcimus. Utcunque enim ipſi perierint, non periere tamen, qui eos ſecuti ſunt duces, atque earum rerum, quæ de ſeculo iſtoc tradunt, iſtos advocant teſtes. Propterea nos quoque eorum hìc rationem habere æquum eſt: ut ne ſilentio quemquam prætereamus ſcientes, cui hiſtoria debeat Romana, imò quiſquis hiſtoriam amat.

Agmen autem horum ducat is, qui Commodi, Pertinacis ac Severi temporibus floruit, Julius Titianus, pater Titiani ejus, qui præceptor junioris Maximini fuit. Deſcripſit provincias imperii Romani. Locuples iſtorum teſtis nobis Julius Capitolinus in Maximino juniore: *Uſus eſt oratore Titiano, filio Titiani ſenioris, qui Provinciarum libros pulcherrimos ſcripſit, & qui dictus eſt ſimia temporis ſui, quòd cuncta imitatus eſſet.* Ubi in pleriſque libris *Tatianus* legitur. Sed corruptè, ut jam aliis viſum, & res clamat. Valde autem fallitur doctiſſimus Savaro, cùm arbitratur, Provinciarum opus à Sidonio intelligi, quando ait, ſub nominibus illuſtrium feminarum quædam edidiſſe. Ait, heroinarum nomina provinciis impoſuiſſe; eoque ſub nominibus illuſtrium feminarum rectè provinciarum opus intelligi. Sed unde colligit, ejuſmodi nomina provinciis à Titiano impoſita fuiſſe? Sidonius quidem non aliud, quàm hoc, dicit lib. 1. epiſt. 1: *Nam de M. Tullio ſilere in ſtylo epiſtolari melius puto; quem nec Julius Titianus ſub nominibus illuſtrium feminarum dignâ ſimilitudine expreſſit.* Quorum ea verborum ſententia eſt, In epiſtolis compono me ad Plinii, & Symmachi, ſtylum. At cur non Ciceronis? Nempe tanta ejus viri gloria eſt, ut ſit ſupra omnem imitationis ſpem conſtitutus. Et quid Sidonius ego adſpirem ad Tullii gloriam, cùm Titianus, tantus profectò orator, planè fruſtra fuerit in epiſtolis iis, quibus præfixerat nomina illuſtrium feminarum: ferè ut Ovidius in heroidum epiſtolis fecit. Sed Ovidius carmine epiſtolas ſuas effinxit: Titianus autem, pedeſtri oratione, & ad Ciceronis ſtylum expreſſa: feliciter fortaſſe, ſi ipſi de ſe credimus: at infeliciter admodum, judicio ſectæ ejus, quæ Cornelium Frontonem æmulari, quàm Tullium, malebat. Sanè ab his *ſimia temporis ſui* audiebat, teſte Capitolino: nempe iccirco, ut ibidem dicitur, *quòd cuncta imitatus eſſet*, etiam Tullii ſtylum epiſtolarem. Satis ex his liquet, per ea, quæ *ſub nominibus illuſtrium feminarum* ſcripſerat, provinciarum opus intelligi non poſſe. At fortaſſe verius eſt, provinciarum opus etiam chorographiæ nomine ſignari apud Servium in illud IV Æn.

—— *Lateque furentes Barcæi:*

*Hi*, inquit, *ſecundùm Titianum in chronographia, Phœnicen navali quondam vicere certamine.* Verùm pro *chorographia* malim ego *chronographia*: idque propterea, quòd ita in MSS. reperiatur: &, quæ ex Titiano adducuntur, ferè ad vetuſti temporis hiſtoriam pertineant. Ut quod hìc Servius refert, de Barcæis vincentibus Phœnices, penes quos maris imperium antiquitus fuit. Item quòd etiam egit de Amazonibus, quas *unimammias* vocabat, teſte Servio in XI Æn. & Iſidoro lib. IX. Orig. cap. II. Item quod de frugum legumque inventione Pomponius Sabinus ex eo adfert in illud Maronis IV Æn. *Legifera Cereris.* Et ſanè nullum prope erat ſtudii genus, in quo non aliquid tentâſſet Titianus. Ita præter provincias, & epiſtolas, de quibus jam diximus, laudari à veteribus videmus Rhetorica Titiani. Iſidorus lib. II. Orig. cap. II: *Hæc diſciplina à Græcis inventa eſt, Gorgia, Ariſtotele, Hermagora: & tranſlata in Latinum, à Tullio videlicet, Quinctiliano, & Titiano: ſed ita copioſè, ita variè, vel pro ſcientia, vel pro loquacitate verborum, ut eam lectori admirari in promtu ſit, comprehendere impoſſibile ſit.* Item reliquit controverſias, ſive themata ex Virgilio: de quibus ſic Servius in X Æn. verſ. XVIII: *Et Titianus, & Catulinus,*

*qui themata omnia de Virgilio elicuerunt, & adformaverunt, ad dicendi uſum, in exemplo controverſiarum has duas poſuerunt adlocutiones, dicentes, Ventrem agere ſtatu abſolutivo, cùm dicit Junoni; cauſſa fuiſti periculorum his, quibus Italiam fata conceſſerant: Junonem vero niti ſtatu relativo, per quem oſtendit, non ſuâ culpâ Trojanos laborare, ſed Veneris.* Adhæc Titianus libros compoſuit de re ruſtica. Ex cujus libro primo Diomedes hæc in primo citat: *Patrem familias vendacem magis, quam emacem, expedit eſſe. nam id melius emitur, quam venditur.* Ubi prò *id* malim *quid.* Ut mens ſit, Eo ſatius eſt quid vendere, quia qui prudenter vendit, lucratur, quandoquidem viliori emerat. Siqua tamen horum, quæ diximus, non fuerint patris Titiani, ſanè filii erunt. Alterutrius quoque, filii puto, apologi fuere Auſonio memorati epiſt. III. ad Probum, præfectum prætorio, cui ſe miſiſſe ait Titiani apologos, & Nepotis Chronicon, quaſi alteros apologos. Carmine etiam, quod epiſtolæ ei adtexuit, hæc legas:

*Apologos en miſit tibi,*
*Æſopiam trimetriam,*
*Quam vertit exili ſtylo,*
*Pedeſtre concinnans opus,*
*Fandi Titianus artifex.*

Laudatur & Auſonio in gratiarum actione pro conſulatu ad Gratianum. Valde enim errat Cuſpinianus, eumque ſecutus Onuphrius, cùm arbitrantur, intelligi Titianum illum, qui, ut Proſper quoque in Chronicis teſtatur, cum Aurelio Symmacho conſul fuit anno Urbis CCCXCI. Nam apertè ait Auſonius, velle ſe eorum exempla adducere, qui vixiſſent ante Conſtantinum Magnum: at ille Symmachi collega temporibus demum Theodoſii ſenioris conſul fuit. Imò nec eſt, unde colligi poſſit, Titianum eum Cæſaris liberos erudiiſſe, ut proptereà ſit ad conſularem evectus dignitatem. Atqui hoc eſt, propter quod Titianus iſtic celebratur. Similem errorem errat Jacobus du Breul, qui in Iſidori Originum lib. II. cap. I. annotavit, Titianum, cujus ibi mentio fit, eſſe illum, de quo hæc Hieronymus ad Euſebianum numerum MMCCCLXI, ſive annum Chriſti CCCXLVI. *Titianus, vir eloquens, præfecturam prætoriam apud Gallias adminiſtrat.* Nam is eſt Tiberius Fabius Titianus, qui cum Feliciano conſul fuit anno Urbis CIↃXC, ſive Chriſti CCCXXXVII, quo Conſtantinus M. deceſſit. Cujus Titiani etiam Zoſimus meminit. Atqui his quæ diximus refelli ſatis arbitror quæ de Titiano & Sidonii loco annotavit Barthius Adverſar. lib. XLVII. cap. IX.

## CAP. II.

*Severi imper. de vita ſua commentarius: dubium, utrùm ſemper ſidei bonæ, cùm in iis, quæ de hoſtibus ſuis prodit, affectui ſubinde videatur indulgere. Sereni Sammonici duo, pater, filiuſque; quorum hic eſt, qui ampliſſimam Gordiano bibliothecam legavit: ille eſt, qui reconditarum rerum libros compoſuit. Ælius Maurus quâ vitæ conditione fuerit, atque utrâ linguâ de Severo ſcripſiſſe videatur. Lollius Urbicus. Vita bonorum principum ab Alexandro Severo verſibus perſcripta. Aurelius Philippus. Encolpius. Gargilius Martialis.*

PRoximus eſto Severus Imp. qui hiſtoriam vitæ ſuæ condidit. Julius Capitolinus in vita Clodii Albini: *Ad imperium* (Albinus) *venit natu jam grandior, & major Peſcennio Nigro; ut Severus ipſe in vita ſua teſtatur.* Spartianus in vita Severi: *Uxorem tunc* (Severus) *Martiam duxit, de quâ tacuit in hiſtoria vitæ privatæ.* Et ibidem: *Vitam ſuam privatam, publicamque, ipſe compoſuit ad fidem: ſolum tamen vitium crudelitatis excuſans.* Idem in Peſcennio Nigro: *In vita ſua Severus dicit, ſe, priuſquam filii ſui id ætatis haberent, ut imperare poſſent, ægrotantem id in animo habuiſſe, ut, ſiquid fortè ſibi accidiſſet, Niger Peſcennius eidem, & Clodius Albinus; ſuccederent; qui ambo Severo graviſſimi hoſtes exſtiterunt.* Et mox: *Si Severo credimus, fuit glorìæ cupidus Niger, vitâ fictus, moribus turpis, ætatis provectæ, cùm imperium invaſit: ex quo cupiditates ejus incuſat, perinde quaſi Severus minor ad imperium venerit, qui annos ſuos contrahit, cùm decem & octo annis imperârit, & octogeſimo nono perierit.* Non hoc ſatis convenit cum eo, quòd in Severi vita dixerat, vitam ſuam ad fidem compoſuiſſe. Et ſanè quid mirum, ſi de Nigro, hoſte ſuo, ſecus ſcripſerit, quàm res haberet: qui nec minùs in hoſte Albino veritatem neglexit? Unde ex Dione Xiphilinus, ubi Severi cruentam de Albino victoriam refert, inquit, Λέγω γὰρ οὐχ ὅσα ὁ Σεβῆρος ἔγραψεν, ἀλλ' ὅσα ἀληθῶς ἐγένετο: *Refero enim, non uti Severus ſcripſit; ſed ut re verâ contigit.*

Severi hujus ætate claruit Serenus Sammonicus. Uti diſcere eſt ex iſtis Macrobii verbis in II Saturn. cap. XII: *Temporibus Severi principis, qui oſtentabat duritiam morum, Sammonicus Serenus, vir ſeculo ſuo doctus, cùm ad principem ſuum ſcriberet, faceretque de hoc piſce ſermonem, verba Plinii, quæ ſuperius poſui, præmiſit, & ita ſubjecit.* Hiſtoricis autem annumeratur etiam à Sareſberienſe lib. VIII. de Nugis Curialium cap. XVIII. Idem fecere, quibus labor fuit acquirere veterum hiſtoricorum fragmenta. Sed, quod non ſatis perſpexit Riccobonus *a*, *a In fragmentis vett. hiſt.* duo ejus nominis fuerunt, parens unus, alter filius. De filio ſunt hæc verba Capitolini in Gordiano juniore: *Sereno Sammonico, qui patri ejus amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus & charus, uſque adeò, ut omnes libros Sereni Sammonici, patris ſui, qui cenſebantur ad* LX *& duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem, tantæ bibliothecæ copia, & ſplendore, donatus, in famam hominum literatorum decore pervenit.* Hic ecquid ſcripſerit, haut ſat ſcio. Sed, cujus libri ad Antoninum Caracallam laudantur, is pater eſt: de quo ſic Spartianus in Geta: *Sereni Sammonici libros familiariſſimos habuit, quos ille ad Antoninum ſcripſit.* Et in Antonino Caracalla: *Occiſique nonnulli etiam cœnantes: inter quos etiam Sammonicus Serenus, cujus libri plurimi ad doctrinam exſtant.* Reliquit autem, præter alia, libros rerum reconditarum: quos Macrobius citat lib. III. Saturn. cap. IX, XVI, & XVII. Ac propter eos in Hiſtoricorum numerum à Riccobono refertur. Sanè ex iis, quæ inde adducuntur, ſatis liquet, magna ex parte expoluiſſe antiquitates Romanas. Itaque, puto, idem etiam opus ſignat Arnobius lib. VI, cùm ait: *Quod ſi planum fieri teſtimoniis poſtulamus auctorum: Sammonicus, Granius, Valerianus, & Fabius, vobis indicabunt, cujus Tolus fuerit filius*, &c.

Ælius Maurus quoque Severi, ac Caracallæ, temporibus vixit. Libertus fuit Phlegontis ejus, qui Hadriani fuit libertus. Scripſit quædam de Severo. Spartianus in Severi vita: *Legiſſe me apud Ælium Maurum, Phlegontis Tralliani libertum, memini, Septimium Severum, moderatiſſimè, cùm moreretur, lætatum, quòd duos Antoninos pari imperio reip. relinqueret.* Sed non ſat ſcio, utrùm Maurus hic Latinè ſcripſerit, an potiùs Græcè, idque exemplo patroni ſui, hominis Græci. Sanè pueritiam in Africa etiam Græcis Latiniſque literis imbui ſolere, ex Capitolini Albino liquet. Sed de Ælio tamen, conditione ſervo, id aſſeverare non auſim. Quare Latinè ſcripſiſſe, potiùs credo: præſertim cùm non addatur eſſe Græcum ſcriptorem; quod facere ferè ſolent Hiſtoriæ Auguſtæ auctores. Quod ſi doctiſſimum Andream Schottum, nec fuerit Ælius Maurus. Quippe lib. II. obſervationum Humanarum cap. XIX. locus ille Spartiani ſic legi debet: *Apud Ælii Adriani libertum Phlegontem Trallanum.* Sed alia mihi mens. Nec enim veriſimile fit Phlegontem: qui jam nomine aliquo tempore Hadriani erat, LXXIV annis poſt patroni ſui mortem iſta de Severo ſcripſiſſe. Tantum enim eſt intervallum inter Hadriani & Severi mortem. Quare credibilius eſt illud de Severo, à ſe Phlegontis liberto eſſe ſcriptum. Et favent Palatini codd. in quibus clarè eſt Ælium Maurum. Solùm in anno eſt *Phlegontis Adriani*,

pro

pro Phlegontis Trallani: quod nihil nobis adverſatur, cùm à patrono potuerit Adriani nomen adſumere.

Lollius Urbicus, hiſtoricus, vixit temporibus Macrini, & Heliogabali. Hoc inde cognoſcimus, quòd Lampridius in Antonino Diadumeno referat, ut hujus Diadumeni quædam ad matrem epiſtola, ex qua appareret, quàm futurus eſſet aſper, ſi diutius vixiſſet, per notarium fuerit prodita: atque ut epiſtola ea multùm illi puero obfuiſſe apud milites credatur. Hæc temporè Urbici contigiſſe, argumento illud eſt, quòd ibidem dicatur, ſcripſiſſe Urbicum Hiſtoriam SUI TEMPORIS, indeque hoc depromi.

Exiſtimet quis, etiam Alexandro Severo hìc locum aliquem tribui oportere, quia, ut in vita ejus Lampridius teſtatur, *vitas principum bonorum verſibus ſcripſit*. Sed veriſimilius videtur, Græcè eos compoſuiſſe. Cauſſam adduximus in quarto de hiſtoricis Græcis. Nequis tamen ignarus hujus exiſtimaret, cum nos locum fugiſſe: hìc quoque meminiſſe illius voluimus.

Temporibus Alexandri hujus, atque etiam poſtea, fuit Aurelius Philippus. De quo ſic Lampridius in vita Alexandri Severi: *In prima pueritia literatores habuit, Valerium Cordum, & L. Veturium, & Aurelium Philippum, libertum patris, qui vitam ejus poſtea in literas miſit.* Ubi vitam Alexandri Severi reliquiſſe dicitur, non patris ejus, Vari Marcelli Syri, Mammeæ mariti; qui privatus obiit, nec quicquam hiſtoriâ dignum præſtitit.

Eandem eodem tempore conſignabat Encolpius: de quo ſic idem Lampridius in eapſe vita: *Referebat Encolpius, quo ille familiariſſimo uſus eſt, illum, ſi unquam furem judicem vidiſſet, paratum habuiſſe digitum, ut illi oculum erueret.* Et poſtea: *Contra autem & Septimius, & Acholius, & Encolpius, vitæ ſcriptores, cæterique de hoc talia prædicaverunt: quod ideo addidi, nequis vulgi magis famam ſequeretur, quàm hiſtoriam.*

Gargilius quoque Martialis tum claruit: ac vitam ejuſdem Alexandri reliquit. Lampridius in Alexandro: *Habuit quotidie milii ſine pipere ſextarios quatuor, cum pipere duo: & ne ſit longum omnia inſerere, quæ Gargilius Martialis, ejus temporis ſcriptor, ſingulatim perſecutus eſt, omnia illi ad modum & rationem ſunt præbita.* Quod ad ſtylum ejus attinet, Vopiſco in Probo refertur inter ſecundæ notæ hiſtoricos, qui imperatorum vitas, *non tam diſertè, quàm verè, memoriæ tradiderunt.* Etiam Gargilii Martialis libros de re hortenſi memorant Palladius, Serviuſque. Sed idemne, an alius ſit, non ſatis liquet.

## CAP. III.

*Marius Maximus quorum vitas ſcripſerit, & ut diſſimile de eo judicium fuerit veterum. Anterus papa per notarios ſuos acta mandari martyria juſſit. Cenſorini ætas, ac aureolus de die natali libellus, item opuſculum de accentibus. At fragmentum, quod annecti ſolet libro de die natali, alterius videri. Ælius ſive Junius Cordus ob λεπτολογίαν reprehenſus. Ælius Sabinus. Gordiani Antoniniias. Vulcatius Terentianus. Curii Fortunatiani hiſtoria, item Rhetorica ſcholica. Dionyſius hiſtoricus diaconus.*

PRoximè etiam poſt Severi Alexandri tempora fuit, quantum videre poſſum, Marius Maximus. Priorum enim vitas compoſuit: eorum, qui conſecuti, ut arbitror, neminis. Vitam edidit Trajani, ut teſtis eſt Lampridius. Videtur ex ea eſſe, quod de damnatione Palfurii conſularis vetus Juvenalis ſcholiaſtes refert in Satiram IV. Etiam vitam ſcripſit Hadriani, ut tribus quatuorve locis Spartianus in Adriano, & Lampridius in Alexandri Severi vita, indicat. Item vitam Ælii Veri, ut ex eodem conſtat Spartiano. Item Antonini Pii, ut auctor Capitolinus, & vitam Marci Antonini Phil. uti Vulcatius in Caſſii vita teſtatur: qui ſemel iterumque *ſecundum de vita Marci Antonini* librum advocat. Item Commodi, teſte Lampridio in hujus vita. Et Pertinacis, teſte Capitolino in vita ejus. Et Severi, ut auctor Spartianus in vita illius: item Capitolinus in Albino, his verbis: *Quæ qui diligentius* (de Severo) *ſcire velit, legat Marium Maximum, de Latinis ſcriptoribus: de Græcis, Herodianum; qui ad fidem pleraque dixerunt.* Iterum Spartianus in Geta, ubi legas: *De Getæ vita, & moribus, in vita Severi Marius Maximus primo ſeptenario ſatis copioſe retulit.* Item vitam Heliogabali ſcripſit, quod diſertim in monſtri hujus vita Lampridius ait: & Alexandri Severi, ut idem in Severo dicit. De eodem ſic Vopiſcus in quatuor tyrannis: *Marius Maximus Avidium Marci temporibus, Albinum & Nigrum, Severi, non ſuis propriis libris, ſed alienis innexuit.* Et mox: *Marius Maximus, homo omnium verboſiſſimus, & mythiſtoricis ſe voluminibus implicavit.* Unde videmus, Vopiſcum haut magni hunc Maximum feciſſe. Alii tamen, ut nomine, ſic re ipſa, maximum eſſe, arbitrabantur: ut oſtendit locus iſte Ammiani Marcellini lib. XXVIII: *Quidam deteſtantes, ut venena, doctrinam, Juvenalem, & Marium Max. curatiore ſtudio legunt, nulla volumina, præter hæc, in profundo otio contrectantes.* Sed Vopiſco credere malumus, præſtantis judicii ſcriptori, quàm iſtis, qui eruditionem venenum putarent.

Anterus, natione Græcus, qui, temporibus Maximini imperatoris, anno Chr. CCXXXVII, Romanus eſt factus epiſcopus, eo Eccleſiæ hiſtoriam juvit, quòd per notarios curavit res martyrum deſcribi, actaque ea in Eccleſiæ Romanæ archivis repoſuit. Cujus rei non alium è veteribus laudare teſtem poſſumus, quàm Damaſum, ſive potiùs Anaſtaſium bibliothecarium. Ejus hæc ſunt in Anteri vita: *Hic geſta martyrum diligenter à notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit, propter quod à Maximo præfecto martyrio coronatus eſt.*

Cenſorinus è gente Martia fuiſſe videtur. Saltem multi in eâ Cenſorini. Hic anno primo Gordiani, qui Chriſti erat CCXXXVIII, ſcripſit de die natali libellum pereruditum, ac chronologis utiliſſimum; quippe quo in rebus gentilium potiſſimas ætas egregiè connectat. Laudat eum quoque Sidonius Apollinaris epiſt. ad Polemium, quæ Carminum libro inſerta: *Sed noverint diſcrepantia ſentientes, ſententiam meam ſine M. Varrone, ſine Sereno, non Septimio, ſed Sammonico, ſine Cenſorino, qui de die natali illuſtre volumen confecit, non poſſe damnari.* Dicavit eum libellum Q. Cærellio, ut etiam teſtatur Caſſiodorus libello de Muſica, atque iterum libello de Geometria. Præterea librum de Accentibus edidit: cujus mentio fit apud eundem Caſſiodorum; item Priſcianum, à quo & libro primo *doctiſſimus grammaticæ artis* appellatur. Fragmentum verò illud, quod libri de die natali pars antè habebatur; à Ludovico autem Carrione ab eo ſejunctum, & auctius emendatiuſque editum fuit; Cenſorini eſſe non videtur, cùm pleraque, quæ eo continentur, etiam ipſo de die natali libello tradantur. Saltem, ſi diverſo opere repetere illa fuiſſet animus Cenſorino, alterutro dixiſſet, eâdem de re alibi quoque ſe egiſſe.

Cordus, qui nunc Ælius Cordus, nunc Junius Cordus, nunc ἁπλῶς Cordus vocatur, vixit ſub Maximinis, & Gordianis. Capitolinus in vita Clodii Albini: *Hæc atque alia ſigna imperii futuri* (*Albino*) *fuere: quæ qui volet noſſe, Ælium Cordum legat, qui frivola ſuper hujuſmodi omnibus cuncta perſequitur.* Ac poſtea: *Guloſum eum Cordus, qui talia perſequitur in ſuis voluminibus, fuiſſe dicit.* Hinc & alia pluſcula ex eodem commemorat. Meminit & idem in Maximinis duobus, ubi ex eo refert, Maximinum *bibiſſe ſæpe in die vini Capitolinam amphoram; comediſſe & LX libras carnis.* Item fuiſſe *magnitudine tantâ, ut octo pedes digito videretur egreſſus: pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Etiam narrat, cujuſmodi literas, victâ Germaniâ, ſcripſerat ad Senatum. Mentionem quoque facit in Maximino juniore: ubi inter alia ex eo teſtatur, Maximinum fuiſſe pedum octo & prope ſemis; caligam ſive calciamentum

ejus fuiſſe pede majus hominis veſtigio; ac pependiſſe in luco inter Aquilejam, & Arziam; & inde vulgò tractum eſſe, quod de longis, & ineptis hominibus dicitur *caliga Maximini*. In ejuſdem vita legas: *Longum eſt omnia perſequi: quæ qui ſcire deſiderat: is velim (ut ſæpe dixi) legat Cordum, qui hæc omnia uſque ad fabellam ſcripſit.* Idem in Gordianis aliquoties meminit. Inter alios eſt hic locus: *Cordus dicit, in omnibus civitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos ſcenicos & juvenalia edidiſſe.* Item iſte: *Hæc de Gordiano juniore digna memoratu comperimus: non enim nos talia dicere voluimus, quæ Junius Cordus ridiculè ac ſtultè compoſuit de voluptatibus domeſticis, cæteriſque infimis rebus; quæ qui velit ſcire, ipſum legat Cordum; qui dicit, & quos ſervos habuerit unuſquiſque principum, & quos amicos, & quot penulas, quotve chlamydes: quorum ſcientia nulli prodeſt. Siquidem ea debent in hiſtoria poni ab hiſtoriographis, quæ aut fugienda ſint, aut ſequenda.* Idem Capitolinus in Maximo & Albino: *Cordus verò tam multa, ut etiam pleraque & minus honeſta perſcripſerit.* Item in Opilio Macrino: *Et Junio quidem Cordo ſtudium fuit eorum imperatorum vitas edere, quos obſcuriores videbat: qui non multum profecit. Nam & pauca reperit, & indigna memoratu, aſſerens ſe minima quæque perſecuturum: quaſi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco, ſciendum ſit, quoties proceſſerit, quando cibos variaverit, & quando veſtem mutaverit, & quos quando promoverit: quæ ille omnia exequendo, libros mythiſtoriis replevit talia ſcribendo, cùm omnino rerum vilium aut nulla ſcribenda ſint, aut nimis pauca, ſi tamen ex his mores poſſint animadverti, qui revera ſciendi ſunt: ſed ex parte, ut ex ea cætera colligantur.* Ex quibus diſcimus, Cordum hunc nimis minutias conſectatum fuiſſe, quales Græci λεπτολόγους appellant.

Ælius Sabinus ſub Pupieno & Balbino fuit, quantum videre poſſum ex verbis iſtis Capitolini in Maximino juniore: *Scribit Ælius Sabinus, tantam pulcritudinem oris fuiſſe in filio, ut etiam caput ejus mortui jam nigrum, jam ſordens, jam maceratum, defluente tabo, velut umbra pulcherrima videretur.* Quæ ſanè referre ex Sabino videtur, tanquam ejus ætatis ſcriptore, qua cædes Maximini patrata eſt.

Gordianus ſenior in pueritia carmine panxit vitam Pii & Marci Antoninorum: & proſa etiam complexus eſt laudes aliorum Antoninorum, qui ante ſe imperaſſent. Docet hoc nos Capitolinus in tribus Gordianis: *Scripſit etiam ille Antoniniada, hoc eſt, Antoninum Pium, & Antoninum Marcum, verſibus diſertiſſimis, libris* XXX, *vitam illorum, & bella, & publicè privatimque geſta perſcribens.* Et poſt aliqua: *Scripſit & laudes ſolutâ oratione omnium Antoninorum, qui ante eum fuerunt.*

Vulcatius Terentianus ſub Gordianis vixit, ac vitam eorum ſcripſit. Julius Capitolinus in Gordiano juniore: *Sanè quod prætermittendum eſſe non cenſui, quia mirabile viſum eſt, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui & ipſe hiſtoriam ſui temporis ſcripſit, in literas miſi: Gordianum ſeniorem Auguſti vultum ſic repræſentâſſe, ut & vocem, & morem, & ſtaturam ejuſdem, oſtentare videretur; filium verò, Pompejo ſimillimum viſum, quamvis Pompeius obeſi corporis fuiſſe denegatur.* Ita is locus legendus ex Caſauboni, & Salmaſii membranis.

Curius Fortunatianus vixiſſe videtur temporibus Gordiani, & Philippi Arabis. Scripſit vitam Maximi, qui & Pupienus dicitur: Ajunt, hodieque opus illud exſtare in bibliotheca Imperatoris. Id verene proditum ſit, an ſecus, meliùs alii norint, qui bibliothecam eam luſtrarint curioſè. Meminit Capitolinus in Maximo & Balbino: *Sed priùs, quàm de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus, atque genere: non eo modo, quo Junius Cordus eſt proſecutus omnia: ſed illo, quo Suetonius Tranquillus, & Valerius Marcellus: quamvis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc hiſtoriam perſcripſit, pauca contigerit.* Ut quidem locus is legitur in prima editione, & membranis, teſtante & probante ſummæ, & fidei, & eruditionis viro, Claudio Salmaſio. Idem ibidem, *Sed Fortunatiano credamus, qui dicit, Pupienum dictum nomine ſuo, cognomine verò paterno Maximum.* Quæ tamen verba, nec in prima editione, nec in MSo Palatino longè optimo, inveniuntur: ut idem Salmaſius teſtatur. Extant hodie Curii Fortunatiani Conſulti, quem eundem putamus, artis Rhetoricæ ſcholicæ libri tres, opus eruditum, in quo Hermagoræorum doctrinam plenè expreſſit.

Hujus quoque loci ſit Dionyſius hiſtoricus, ſi Latinè ſcripſit. Sanè videtur Galli, & Voluſiani, tempore vixiſſe, propter verba illa Jornandis de rebus Geticis cap. XIX: *Defuncto tunc Decio, Gallus, & Voluſianus, regno potiti ſunt, quando & peſtilens morbus penè iſtius neceſſitatis conſimilis, ut nos ante hos novem annos experti ſumus, faciem totius orbis fœdavit, ſupra modum quoque Alexandriam, totiuſque Ægypti loca devaſtans, Dionyſio hiſtorico ſuper hanc cladem lachrymabiliter exponente: quam & noſter conſcripſit venerabilis martyr Chriſti, epiſcopus Cyprianus, in libro, cujus eſt, De Mortalitate.*

Valeriani & Gallieni temporibus fuit Pontius diaconus: cujus aureolum habemus libellum de vita & paſſione B. martyris Cypriani. De eo ſic B. Hieronymus in catalogo ſcript. Eccl. cap. LXVIII: *Pontius, diaconus Cypriani, uſque ad diem paſſionis ejus, cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ & paſſionis Cypriani reliquit. Similiter Honorius in Luminaribus Eccleſiæ.* Natalis ejus Carthagine celebratus VIII Id. Mart. ut eſt in veteri Martyrol. Romano. Item apud Bedam, Uſuardum, Adonem. Alius eſt à Pontio martyre, qui in Galliis paſſus eſt ſub Valeriano, & Gallieno. Similiter Honorius in Luminaribus Eccleſiæ.

## CAP. IV.

*Mæonius Aſtyanax. Palfurius Sura. Cæleſtinus. Acholius. Julius Aterianus. Gallus Antipater. Aurelianus Feſtivus. Cornelius Capitolinus. Suetonius Optatianus. Gellius Fuſcus. Theoclius. Politiani πιστογρὰ geminum. Oneſimus. Fabius Cerilianus. Aurelius Apollinaris. Fulvius Aſprianus.*

MÆonius Aſtyanax tempore Gallieni fuit, ac quædam de Macriano, & filiis, edidit. Trebellius Pollio in Macriano, tyranno XI: *Verba Baliſtæ (quantum Mæonius Aſtyanax, qui conſilio interfuit, aſſerit) hæc fuerunt.* Refert deinde, & Baliſtæ præfecti ad Macrianum verba, & Macriani ad Baliſtam: & quid poſt iſta, & ille huic, & hic illi, dixerit.

Palfurius Sura ſub Gallieno Cæſ. vixit, ac vitæ ephemeridas compoſuit. Ad eas lectorem ſuum remittit Trebellius in Gallieno. Geſnero Calpurnius Sura nominatur: ſed corruptè.

Cæleſtinus Valeriani & Gallieni Impp. temporibus vixit; atque in literas vitam eorum retulit: ut ex Pollione in Valeriano juniore cognoſcimus.

Acholius ætate floruit, tum Valeriani, filiique Gallieni; tum Claudii quoque, ac Aureliani, qui Claudio ſucceſſit. Libris aliquot Acta Valeriani ſcripſit. Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Et quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixeram poſiturum, quæ ad tantum principem pertinerent: quaſi ne odioſior verboſiorve eâ re videar: quam fidei cauſsâ inſerendam credidi ex libris Acholii, qui magiſter admiſſionum Valeriani principis fuit, libro Actorum ejus nono.* Idem contexuit Alexandri Severi vitam. Lampridius in vita ejus imperatoris: *Contrà autem, & Septiminus, & Acholius, & Encolpius, vitæ ſcriptores, cæterique de hoc* (Alexandro Severo) *talia prædicaverunt: quod ideo addidi, nequis vulgi magis famam ſequeretur, quàm hiſtoriam, quæ rumore utique vulgi verior reperitur.* Et poſt multa: *Scio ſanè, pleroſque negare,*

tunc

*benè à ſenatu Cæſarem appellatum eſſe, ſed à militibus, qui virum prorſus ignorant: dicere præterea, non hunc fuiſſe conſobrinum Heliogabali: qui, ut nos ſequantur, hiſtoricos ejus temporis legant, & maximè Acholium, qui & itinera hujus principis ſcripſit.* Idem antea dixerat: *Nimius ardor ſcelerum, & dimius innuentibus gravis, & divinaſſe mentis frequentiſſima; rerum memoria ſingularis, quam nemo, niſi Acholius, ferebat adjutam.*

Julius Aterianus, quantum diſpicere poſſum, tempore XXX tyrannorum, vel paullò pòſt vixit, & de iis aut ſaltem de Victorino tyrannorum uno, quædam conſignavit. Trebellius Pollio in Victorino, tyrannorum quincto, hæc ejus ex libro tranſcripſit: *Victorino, qui Gallias poſt Junium Poſthumium rexit, neminem exiſtimo præferendum. Non in virtute Trajanum, non Antoninum in Clementia, non in gravitate Nervam, non in gubernando ærario Veſpaſianum, non in cenſura totius vitæ, ac ſeveritate militari, Pertinacem, vel Severum. Sed omnia hæc, libido, & cupiditas mulieraria voluptatis ſic perdidit, ut nemo audeat virtutes ejus in literas mittere, quem conſtat omnium judicio meruiſſe puniri.*

Gallus Antipater, ſive Antipater Gallus, vitam Aureoli, ſeu Cæſaris, ſeu tyranni, ſcripſit; ſed fide non bonâ, & admodum ineptè. Trebellius Pollio in Divo Claudio: *Gallus Antipater ancilla honorum* (ita in membranis ſuis Caſaubonus, & Salmaſius invenere) *& hiſtoricorum dehoneſtamentum, principium de Aureolo ſic habuit,* VENIMUS AD IMPERATOREM NOMINIS SUI. *Magna ejus videlicet virtus, ab auro nomen accipere.*

Aureliani ævo fuit Aurelianus Feſtivus, Cæſaris ejuſce libertus, qui vitam Firmi tyranni in literas retulit. Vopiſcus in Firmo: *Hæc nos de Firmo cognoviſſe, ſcire debuiſti, ſed digna memoratu. Nam ea, quæ de illo Aurelianus Feſtivus, libertus Aureliani, ſigillatim retulit, ſi vis cognoſcere, eundem oportet legas: maximè, cùm dicat, Firmum eundem inter crocodilos unctum crocodilorum adipibus natâſſe, & elephantum rexiſſe, & hippopotamos ediſſe, & ſedentem ingentibus ſtruthiocamelis vectum eſſe, & quaſi volitâſſe.*

Ejuſdem Cæſaris ætate vivebat Cornelius Capitolinus. Laudatur à Trebellio Pollione in Odenato, ubi ex eo tradit, Zenobiam fuiſſe mulierum orientalium non nobiliſſimam modò, ſed etiam ſpecioſiſſimam.

Suetonius Optatianus, ſive, ut in aliis libris vocatur, Actacianus, vixit tempore Taciti imperatoris, vitamque ejuſce Cæſaris fusè tradidit. Flavius Vopiſcus in Tacito: *Quod ſiquis omnia de hoc viro cupit ſcire, legat Suetonium Optatianum, qui ejus vitam affatim ſcripſit.*

Circa hæc tempora etiam fuit Gellius Fuſcus: ex quo de Tetrico juniore quiddam refert Trebellius Pollio in tyranni ejus vita. Simlero in bibliothecâ, & Popelinero in Hiſtoria Hiſtoricorum, perperam Dagelius nuncupatur.

Tum etiam, vel paullò pòſt, floruit Theoclius ut vocatur in vulgatis codd. Vopiſci, ubi & *Cæſarianorum temporum ſcriptor* nominatur. Sed Θεόκλιος Græcum non eſt, verùm Θεοκλῆς. Quare aut *Theocles* ſcribendum, aut *Theo Chius*; ut Caſaubono obſervatum, atque item Salmaſio placitum. Ejus meminimus, quia Angelus Politianus Theoclium, externâ in Suetonium præfatione, Latinos inter hiſtoricos recenſet. Uti & Alexandrum Severum, qui principum vitas carmine tradidit: ut cap. II dicebamus. Sed utrumque non Latinè ſcripſiſſe, verùm Græcè: oſtenſum nobis lib. IV de hiſtoricis Græcis cap. XVII.

Oneſimus Probi vixit ætate, ac diligenter vitam ejus Cæſaris expoſuit. Vopiſcus in Caro imp. *Oneſimus, qui diligentiſſimè vitam Probi ſcripſit, dicit, Romæ illum, & natum, & literis eruditum: ſed Illyricianis parentibus fuiſſe, contendit.* In ea Probi vita de Bonoſo tyranno quoque egiſſe, oſtendunt hæc verba Vopiſci: *Ipſe* (de Bonoſo loquitur) *quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus, & ſobrius: &, ut Oneſimus dicit, ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior.* Nec de Bonoſo modò, ſed de Proculo tyranno, egit. Nam in Proculo idem Vopiſcus ait: *Horeantibus Lugdunenſibus, qui & ab Aureliano graviter contuſi videbantur, & Probum vehementiſſimè pertimeſcebant, in imperium* (*Proculus*) *vocitatus eſt ludo penè & joco, ut Oneſimus dicit: quod quidem apud nullum alium reperiſſe me, ſcio.*

Fabius Cerilianus (ut Vopiſcus in Caro ait) *tempora Cari Carini, & Numeriani, ſolertiſſimè perſecutus eſt.* Horum autem ætate vixiſſe, ſatis ex temporum ratione liquet. Nam quomodo multo pòſt fuerit, quem teſtem advocat Vopiſcus? Vopiſcum enim ſub Maximiano Cæſare floruiſſe, argumento eſt, quòd, in ejuſdem Cari vita, fore ſperat, ut liceat *per ſacratiſſimum Cæſarem Maximianum Perſas vincere, atque ultra eos progredi.*

Aurelius Apollinaris fuit temporibus imperatoris Cari, ac filii ejus Numeriani. Vopiſcus in Numeriano: *Numerianum, Cari filium, Aurelium Apollinarem, jamborum ſcriptorem, qui patris ejus geſta in literas retulit, iiſdem, quæ recitaverat, editis, veluti radio ſolis obtexit.*

Fulvius Aſprianus fuit tempore Cari filiorumque, item Diocletiani, & Maximiani. Carini autem Imp. vitam ſcripſit ita, ut nec minutiſſima præteriret. Vopiſcus in Carino: *Qui oſtiatim cupit noſſe, legat etiam Fulvium Aſprianum, uſque ad tædium, geſtorum ejus univerſa docentem.*

## CAP. V.

*Aſclepiodotus de vita Diocletiani. Claudius Euſthenius de vita quatuor imperatorum. Quas ſcriptas à Spartiano vitas habeamus, & quas præterea in literas ſtatuerit referre. Vulcatii Gallicani ætas, ac propoſitum. Argumentis occurritur, quæ ſcrupulum injiciunt de auctore vitæ Avidii Caſſii.*

ASclepiodotus ſub Diocletiano claruit. Hic vitam ejus imperatoris in literas miſiſſe videtur: idque ob iſta Flavii Vopiſci verba, quæ in Aureliano legere eſt: *Verconius Herennianus, præfectus prætorio Diocletiani, teſte Aſclepiodoto, ſæpe dicebat, Diocletianum frequenter dixiſſe, cùm Maximiani aſperitatem reprehenderet, Aurelianum magis ducem eſſe debuiſſe, quàm principem. Nam ejus nimia ferocitas eidem diſplicebat.* Continuò ſequitur: *Mirabile fortaſſe videtur, quòd compertum Diocletiano Aſclepiodotus Celſino conſiliario ſuo dixiſſe perhibet. Sed de hoc poſteri judicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem, utrùm apud ejus poſteros permaneret: tum illas reſpondiſſe, dixit, Nullius clarius in Rep. nomen, quàm Claudii poſterorum, futurum.*

Claudius Euſthenius Diocletiano ab epiſtolis fuit, ac quatuor imperatorum vitas tradidit, Diocletiani, Maximiani, Galerii, & Conſtantii. Flavius Vopiſcus in vita Carini: *Poſt quos Diocletianum, & Maximianum, principes dii dederunt, jungentes talibus viris Galerium, atque Conſtantium: quorum alter natus eſt, qui acceptam ignominiam Valeriani captivitate deleret: alter, qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor ſanè principes mundi, fortes, ſapientes, benigni, & admodum liberales, unum in Republica ſentientes: præterea ſenatui Rom. moderati, populo amici, poteſtate graves, religioſi, & quales principes ſemper oravimus: quorum vitam ſingulis libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco dixi, ne quis à me tantam rem quæreret, maximè quum vel vivorum principum vita non ſine reprehenſione dicatur.*

Ælius quoque Spartianus imperatoris Diocletiani temporibus floruit: atque ad eum vitam miſit Adriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Severi, & Peſcennii Nigri. Ab eodem quoque traditam habemus vitam Antonii Caracalli: ſed cui ea miſſa fuerit, libri non exprimunt. Item exſtat vita Antonii Getæ, quæ Conſtantino Auguſto nuncupatur. Verùm eorum etiam vitas ſcripſiſſe, qui ante Adria-

num

num imperarunt, liquet ex initio vitæ Ælii Veri, ubi ait: *In animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot principum maxime, non ſolùm eorum, qui principem locum in hac ſtatione, quam temperas, retentarunt, ut uſque ad divum Adrianum* FECI: *ſed illorum etiam, qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec principes, aut Auguſti fuerunt; vel quolibet alio genere, aut in famam, aut in ſpem principatus venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Ex quibus verbis etiam, quid ſibi propoſuerit, cognoſcimus. De quo & in fine illius Auguſti ſcribit: *Mihi propoſitum fuit, omnes, qui poſt Cæſarem dictatorem, hoc eſt divum Julium, vel Cæſares, vel Auguſti, vel principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel imperatorum filii, aut parentes, Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere.* Verùm non perfeciſſe, quod in animo habebat, argumento illud erit, quòd is, qui paullò junior eſt, Fl. Vopiſcus, auctor eſt, Aureliani vitam ſcriptam eſſe à nemine. Cæterùm ſummus vir, Claud. Salmaſius, teſtatur, in optimæ notæ excerptis Spartiani, quæ e Palatina habuerat bibliotheca, etiam Spartiano tribui, tum vitam Antonini Pii, Antonini Philoſophi, Veri imper. Pertinacis, Clodii Albini, & Opilii Macrini: quæ vulgò Capitolini creduntur: tum vitam Avidii Caſſii, quæ Vulcatio Gallicano adſcribi ſolet: tum Commodi, Antonini Diadumeni, Heliogabali, & Alexandri Severi, quæ Lampridii creduntur. De illis Vulcatio, & Lampridio, tributis quid ſtatuam, inferiùs exponam. De illis verò, quæ Capitolini putantur, ita cenſeo, propter ſola illa excerpta, eum, qui hactenus vitarum illarum auctor creditur, antiquâ poſſeſſione deturbari non debere. Nec movet, quòd hic ſinguli imperatores ſingulis exponantur libris: Capitolinus verò dicat, ſe hunc morem ſervaturum, ut ſicubi poſſit, duos pluresve imperatores uno volumine comprehendat. Nam non ſemper ſimiliter ſenſiſſe: ſed, cùm priùs libros ſingulos ſingulis deſtinaſſet, poſtea conſilium mutâſſe, liquet ex initio vitæ Gordianorum. Qua de re plura in Capitolino dicam. De ſtylo res nota, uti & aliorum, qui cum Spartiano conjungi ſolent. Ut ſunt Gallicanus, Trebellius Pollio, Julius Capitolinus & alii. De quibus ſic Eraſmus in Ciceroniano: *In his vix eſt quod probes, præter hiſtoriæ fidem. Nam ægre tuentur ſermonis Latini caſtimoniam.*

Vulcatius Gallicanus V. Cl. (eos autem clariſſimos dixere, qui dignitatis eſſent Senatoriæ) quid ſcribere propoſitum habuerit, & qua ætate vixerit, hæc ejus verba oſtendunt: *Propoſui, Diocletiane Auguſte, omnes qui imperatorum nomen, ſive juſte, ſive injuſtè, habuerunt, in literas mittere, ut omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres.* Sed hodie nihil ejus habemus, præter vitam Avidii Caſſii; unde verba iſta depromſi. Imò nec omnium tradidiſſe vitas, certum eſt: quandoquidem ante Vopiſcum vitam Aureliani prodidit nemo: ut initio illius Auguſti locuples ipſe teſtis eſt. Vopiſcum autem paullò poſt Vulcatium ſcripſiſſe, ex eo colligo, quòd Trebellii Pollionis meminerit initio Aureliani; Julii autem Capitolini, & Ælii Lampridii, initio Probi. Atqui iſti ætate Vulcatii vixere. Sed nec illud memoratu indignum, in optimis, & antiquiſſimis Spartiani excerptis, quæ fuere in bibliotheca Palatina, illam Avidii Caſſii vitam tribui Spartiano: ut doctiſſimus Salmaſius obſervavit. Qui & tandem eò inclinat, ut eum genuinum eſſe auctorem arbitretur: idque propter tam multa, quæ conveniunt; uti ætas, dictio, etiam propoſitum; quia, ut Lampridius ait, ſtatuiſſe ſe omnes, qui poſt Julium Cæſarem vel Auguſti, vel Cæſares, vocati eſſent, ſingulis explicare libris: ita & apud ſcriptorem vitæ Avidii Caſſii legas, propoſuiſſe eum, *omnes, qui imperatorum nomen, ſive juſte, ſive injuſte, habuerunt, in literas mittere*; uti antè etiam audivimus. Adde quòd, ut Lampridium conſtat, non præſtitiſſe, quod propoſuerat: ita nec ſcriptor vitæ Caſſianæ id fuit executus. Nam Vopiſcus negat quemquam ante ſe Aureliani vitam literis ſignâſſe. Atque idem Vopiſcus planè præterit Vulcatii nomen, etiam ubi occaſio ejus memorandi optima: ut cùm in tradendis principum vitis imitari ſe ait *Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæteroſque, qui hæc, & talia, non tam diſerte, quam vere, memoriæ prodiderunt.* Verùm ſic dicere poſſumus. Vulcatium hic inter *cæteros* illos comprehendi. Nomen verò ejus non exprimi hoc loco, quòd etſi propoſuiſſet de omnibus Imperatoribus ſcribere, idque fortaſſe æmulatione aliquâ Spartiani compulſus: tamen paucorum admodum vitam, imò fortean non aliam, quàm illam Avidii, in lucem edidiſſet. Et, ſi ea Avidii vita à Vulcatio ſcripta non eſt, unde factum dicemus, ut non tam Spartiani, Lampridii, aut Capitolini nomen; in quo proclivis fuiſſet error in miſcella iſtac hiſtoria, ubi nunc hoc, nunc illud, nunc iſtud nomen inſcribitur: quàm nomen legatur Vulcatii Gallicani, quod non alibi occurrit, nec tamen a librariis temere præſcriptum videtur.

## CAP. VI.

*De Trebellii nomine. Quæ Trebellius Pollio ſcripſerit, ac quæ ſola ſuperſint. Cur librum inſcripſerit de* XXX *tyrannis. Reprehenſus, quòd alieni temporis tyrannos miſcuiſſet, ut numerum tricenarium expleret. Excuſatus, quod etiam feminas addiderit. De duplici editione, tum ejus operis, tum vitæ Claudianæ. Vita Valeriani mutila: & unde fit, quòd in codd. nonnullis Capitolino tribuatur. Eam ad Conſtantium Cæſarem, non ad Conſtantinum, ſcriptam eſſe.*

PRoximus eſt Trebellius Pollio. Is in principe editione, quæ Mediolani prodiit, *Trevellius* dicitur: uti & Joanne Aventino in ſcriptoribus, quos ſecundo Annalium præmittit: ſed perperam. Nam in antiquis inſcriptionibus conſtanter legas, *Trebellius Pelidianus, Trebellius Marinus proc. Trebellia Tyche*, aliaque id genus. Adde quòd *Trebellius* factum eſt è *Trebius*: quod in iiſdem inſcriptionibus crebrum. Uti, *Trebius Germanus, C. Trebius Longus, Trebia C. F. Filumena*, ac ſimilia. Imò in membranis hic ipſe ſcriptor *Trebius Pollio* nominatur, ut Salmaſio monitum. Pollio hic, ut Flavius Vopiſcus in Aureliani vita ſcripſit, *à duobus Philippis uſque ad Divum Claudium, & ejus fratrem Quintillum, imperatores, tam claros, quàm obſcuros, memoriæ prodidit.* Sed non habemus hodie vitam Philipporum, vel Decii, qui Philippis ſucceſſit, vel Galli, & Voluſiani, qui poſt Decium imperarunt. Quin è vita Valeriani patris, qui poſt Gallum, & Voluſianum, imperium tenuit, extrema ſolùm ſuperſunt. Ac præterea habemus vitam Valeriani filii, item Gallienorum duorum, & XXX tyrannorum, qui Gallieni temporibus imperium occuparunt. Adhæc divi Claudii. Quòd verò volumen ſuum de XXX tyrannis inſcripſit, eò reſpexit, quòd, Athenis à Lyſandro captis, XXX tyranni imperarunt. Bellum videbatur, ſi totidem tyranni, Valeriani ac Gallieni temporibus, imperâſſe viderentur. Verùm non plures reperit, quàm XXIX. Itaque, ut numerum rotundum impleret, adjecit Valentem ſuperiorem, alieni temporis tyrannum; ut quem ipſe Decii temporibus rebellâſſe, fateatur. Hoc verè eſt, quod Græci dicunt, [illegible] τῇ στάθμῃ, ac, Leſbiorum more, in ſtructura uti plumbeâ regulâ, quâ fit, ut non paries normæ, ſed norma parieti accommodetur. Sanè ſi extra Valeriani, & Gallieni, tempora ire licuit, quot alios adjicere potuit tyrannos! Sed ut in eo Pollionem excuſare non poſſumus: ita in illo culpari non meruit, quòd duas addidiſſet feminas, Zenobiam, & Victoriam. Viri quidem docti, qui in templo Pacis convenire, deque literis tractare ſolent, illud in Pollione reprehendebant, quòd, XXX tyrannos pollicitus, immiſcuiſſet duas, ut ſic dixerim, tyrannas, vel, ut Græci mallent τυραννίδας. Verùm ea parte planè injurii fuerunt. Nam, quòd feminas vulgò non vocamus tyrannos, haut magis mirandum, quàm quòd nec tyrannæ appellantur. Nempe id rei magis inſolentiâ, quàm vocabuli vitio fit. Cur enim non eam tyrannum æque, ac furem,

furem, aut homicidam, dicere liceat? Atque ut non aliter, quàm tyrannam vocitare liceret: ſanè ſic quoque ſub tyrannorum nomine, velut ſub digniori genere, rectè tyrannas complectamur; haut aliter ac qui poëtas laudet, etiam poëtrias intelligat. Pollio nihilominus, monitus ab amico, propterea ſe vapulare, quòd, pollicitus XXX tyrannos, tyrannas immiſceret, ſecundâ editione XXX illis tyrannis duos adjecit, ut, ſi feminæ non viderentur tyrannorum nomen mereri, ſaltem, duobus illis additis, juſtus expleretur numerus. Atque hoc oſtendunt verba illa, quæ adjecit poſt editionem primam: *Hæc ſunt, quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in unum volumen idcirco contuli, ne, ſi de ſingulis ſingula quæque narrarem, naſcerentur indigna faſtidia, & ea, quæ ferre lector non poſſet. Studioſè in medio feminas poſui ad ludibrium Gallieni, quo nihil prodigioſius paſſa eſt reſp. Romana. Duos etiam nunc tyrannos, quaſi extra numerum, quòd alieni eſſent temporis, addituro: unum, qui fuit Maximini temporibus; alterum, qui Claudii: ut tyrannorum XXX viri hoc volumine tenerentur. Quæſo, qui expletum jam librum acceperas, boni conſulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego, quemadmodum Valentem ſuperiorem huic voluminis, ſic poſt Claudium, & Aurelianum, his, qui inter Tacitum, & Diocletianum, fuerunt, addere deſtinaveram. Sed errorem meum major hiſtoria diligentia tuæ eruditionis avertit. Habeo igitur gratiam, quod titulum meum prudentia tua benignitas implevit. Nemo in templo Pacis dicturus eſt, me feminas inter tyrannos, cum riſu & joco, tyrannas videlicet, & tyrannides, ut ipſi de me ſolent jactare, poſuiſſe. Habent integrum numerum ex arcanis hiſtoriæ in meas literas datum. Titum enim, & Cenſorinum, quorum unus, ut dixi, ſub Maximino, alter ſub Claudio fuit, ambo ab iiſdem militibus, à quibus purpurâ velati fuerant, interemti ſunt.* Hactenus Pollio. Atque ita ille quidem explevit numerum triginta virorum, qui tyrannidem invaſiſſent: ſed, ſi demas Zenobiam, & Victoriam, ſolùm XXVII erunt, qui Valeriani & Gallieni temporibus fuerint. Quantopere verò, uti ajebam, tyrannorum numerus excreſcere poterat, ſi alieni etiam temporis tyrannos addere licebat! Nec ſolùm de triginta tyrannis, ſed etiam de Claudii vita, iteratam dedit editionem. Eâ pleraque de Claudio recoxit: & quia reprehendebatur, quaſi, in gratiam Conſtantii Cæſaris, virtutem Claudii, à cujus fratre Conſtantius genus ducebat, nimis extuliſſet: ſubinde iſtiuſmodi obtrectationibus occurrit. Ut cùm ait, *Dicat nunc, qui nos adulationis accuſat, Claudium minùs eſſe amabilem.* Item: *Vera dici fides cogit: ſimul ut ſciant hi, qui adulatores nos exiſtimari cupiunt, id, quod hiſtoria dici poſtulat, nos non tacere.* Addamus aliquid de vita Valeriani patris. In pleriſque enim membranis, quas & Robertus à Porta ſecutus fuit, vita ea tribuitur Julio Capitolino. Qui error unde provenit, quia codex ille, unde omnes promanarunt, mutilus erat: ut in quo, præter alia, deſideraretur, quomodo per annos LXX vitâ laudabili in eam gloriam conſcendiſſet. Hoc fusè Pollio tractârat, quòd nunc verbulo tantùm attingitur. Prior igitur, ut dicebamus, pars vitæ Valeriani deperiit, & unà vitæ inſcriptio. Unde factum, ut reſidua pars crederetur eſſe Capitolini, cujus liber de Maximi, & Balbini vita proximè anteceſſerat. Credat aliquis, vitam Valeriani integram haberi, quia à genere Imperatoris ejus incipit. Sed initium iſtoc in melioribus membranis deſideratur, ut omnino, velut ſtatuæ cuidam, caput hoc appoſitum ſit Pollioni. Quàm ineptè autem hoc fecerint, patebit conſideranti, quomodo vita illa legatur in codd. MSSis, quorum fidem optimè in eruditiſſimis ſuis caſtigationibus ac notis Salmaſius expreſſit. Vita Claudii, quod ætatem Pollionis clarè docet, ſcripta ab eo eſt, non quidem ad Conſtantinum Cæſarem; ut eſt in vulgaris codd. ſed, quod jam viris doctis obſervatum, ad patrem ejus Conſtantium, ut hæc verba docent: *Quæ idcirco poſui, ut ſit omnibus clarum. Conſtantium, divini generis virum, ſanctiſſimum Cæſarem, & Auguſta ipſum familia eſſe, & Auguſtos multos de ſe daturum, ſalvis Diocletiano, & Maximiano Auguſtis, & ejus fratre Galerio.* Etiam initio ejus vitæ legas: *Feliciter ventum eſt ad principem Claudium, qui nobis intuitu Conſtantii Cæſaris cum cura in literis digerendus eſt.* Et ſatis liquet, *Conſtantii*, non *Conſtantini*, legi deberi in Gallienis: *Contra Poſthumium igitur Gallienus cum Aureolo, & Clodio duce, qui poſtea imperium obtinuit, principe generis Conſtantii Cæſaris noſtri, bellum incepit.* Ac aliquantò pòſt: *Is enim eſt Claudius, à quo Conſtantius, vigilantiſſimus Cæſar, originem ducit.* Atque hæc ſimul indicant tempore Conſtantii claruiſſe. Quicum illud convenit, quod dicat avum ſuum fuiſſe familiarem Tetrico juniori. Scriptoris hujus diligentiam Vopiſcus commendat initio Firmi ſui. Nec, ſi ætatem cogitemus, quâ vixit, laude caret dictio ejus. De qua non admodum refrager Geſnero, qui, tom. I. Bibliothecæ, eam terſam eſſe ait, paulloque altiùs adſurgere, qualis hiſtorico convenit. Sin comparemus eum cum Auguſtæo ævo, longiſſimè abeſt. Unde Petrus Bembus lib. IV. epiſtolâ primâ earum, quæ ad Fredericum Fregoſium, Archiepiſcopum Salernitanum ſcriptæ ſunt, *in Pollione multa ineptè eſſe* ait: ut inter alia, cum *decennales ludos* vocat *decennia*, quaſi *decennia* dicatur ut *Floralia, Rubigalia.*

## Cap. VII.

*Julii Capitolini ætas, ac Vita, & cur, cùm ſingulis imperatoribus ſingulos libros antè deſtinâſſet, conſilium poſtea mutâris. Lactantii Firmiani Itinerarium. Quorum vitas Lampridius in literas miſerit. Tatius, ſeu Statius Cyrillus, interpres potiùs, quàm hiſtoricus. Flavii Vopiſci Vita, atque ætas, & à quo imperatore ſcribendi feceris initium: item ut bono cuncta ordine conſignet: adhæc ut impii Apollonii Tyanei vitam glorioſis literarum monumentis ſignare ſtatuerit. Fabium Soſianum perperàm hiſtoricis accenſeri.*

JUlius Capitolinus ad Diocletianum Auguſtum vitam ſcripſit Antonini Pii. Etiam vitam conſignavit M. Antonini philoſophi; ſed non exprimunt libri, cui eam nuncupârit. Item Veri Imperatoris, quæ eidem dicata Diocletiano. Niſi illa potiùs Spartiani eſt. Adhæc vitam Pertinacis. Tum autem Clodii Albini, quæ conſecrata Conſtantino Auguſto: non Diocletiano, quod putabat Caſaubonus initio notarum in Spartianum. Præterea vitam Opilii Macrini, quæ ad eundem miſſa eſt Conſtantinum. Uti & duorum Maximinorum, & Gordianorum trium. Ejuſdem quoque habemus Maximum, & Balbinum: ſed cui eos miſerit, ignoratur. Reliqui, quos ſcripſerat, imperatores perierunt. Cæterùm non eandem in vitis iſtis perſcribendis inſtitit viam. Primùm enim ſingulis imperatoribus librum ſuum deſtinârat. Poſtea conſilium id diſplicuit. En verba ipſius Capitolini, initio vitæ Gordianorum: *Fuerat quidem conſilium, venerabilis Auguſte, ut ſingulos quoſque imperatores, exemplo multorum, libris ſingulis ad tuam clementiam deſtinarem, (nam id multos feciſſe, vel ipſe videram, vel lectione conceperam) ſed improbum viſum eſt, vel pietatem tuam multitudine diſtinere librorum, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare.* Ubi non tantùm ſe mutâſſe ſententiam dicit: ſed etiam, & prioris, & poſterioris conſilii cauſſam exponit: prioris quidem, quòd multi ſic facere ſolent; quorum exemplo purgat factum prius, de quo tum omnibus ſatis conſtabat: poſterioris autem, quia ſi poſthac plures jungat imperatores; & ſibi, ſcribendo; & Auguſto, legendo; minùs creaturus ſit moleſtiæ ac laboris. Hunc in modum præfari voluit, ut omnes cognoſcerent, cur non eandem nunc viam iniret, quam antea inſtitiſſet.

Lactantius, cui patria Firmum Picenum (Φίρμιον corruptè vocatur in codd. Ptolemæi) Diocletiani temporibus docuit Rhetoricen Nicodemiæ, ac ſenectute extremâ inſtituit Criſpum, filium Conſtantini Magni: quem pater

poſtea interemit. Plus elocutioni quàm eruditioni, ſtuduiſſe, judicium eſt Antonii Galatei libro de Iapygiæ ſitu. Inter alia ὁδοιπορικὸν hexametris condidit ab Africa Nicodemiam uſque: ut B. Hieronymus refert in catalogo ſcript. illuſtr. cap. LXXX. & Honorius in luminaribus Eccleſiæ. Carmen hoc deperiit; ejuſque loco Lactantio tribuuntur poëmatia quædam, quæ partim ſunt Venantii Fortunati, partim incerti ſcriptoris. Sanè nec Hieronymus eorum meminit, nec in vett. libris Lactantio adſcribuntur. Phœnix verò nec hominis eſt Chriſtiani; ut Lactantius ſcripſiſſe non poſſit; niſi fortè cùm adhuc gentilium erroribus captus detineretur. Quod ſi Phœnix alterius eſt, ut arbitror: ne inde quidem conjectare licebit, quàm ſolertem poëtam diſertiſſimus ille orator in ὁδοιπορικῷ ſuo ſe comprobârit.

Ælius Lampridius inter eos eſt, quos, in vitis principum perſcribendis, imitari ſe dicit Vopiſcus in Probo ſuo. Scriptas ab eo habemus vitas quatuor iſtorum, Commodi Antonini, Antonini Diadumeni, Antonini Heliogabali, & Alexandri Severi: quarum duæ poſteriores dicatæ ſunt Conſtantino Auguſto. Dubitari tamen poſſit, utrùm vita illa Alexandri Severi auctorem habeat Lampridium. Vulgò quidem ei, etiam in principe editione Mediolanenſi, adſcribitur. Sed Spartiano adſignat optimus Palatinæ quondam bibliothecæ codex: uti & Robertus à Porta Bononienſis. Quin excerpta Spartiani, quibus ex capſe bibliotheca Salmaſius uſus fuit, non ei hanc modò vitam tribuunt; ſed etiam illas trium Antoninorum, quas antè referebam. Sed hoc ſi verum eſt, nihil amplius Lampridii ſuperſit. Verùm non ego plus autim fidei tribuere unis illis excerptis, quàm ipſis codicibus Spartiani, & MSSis, & excuſis. Aut ſi excerptis illis fidem derogari duriùs videtur: dixero eundem mihi Ælium Spartianum, atque Ælium Lampridium videri. Auſonii iſtoc notum,

— *Tria nomina nobiliorum.*

Porrò, præter tres quatuorve iſtas, aliorum quoque vitas reliquerat Spartianus: eaſque inter Marci Antonini, cujus ipſe meminit initio vitæ Commodi. Non tamen pertexuiſſe omnium vitas uſque ad Conſtantinum, vel etiam Diocletianum: imò ne Aureliani quidem vitam edidiſſe: clarè colligitur ex Auguſti ejus vita à Vopiſco ſcripta.

Sub Conſtantino etiam vixit Tatius, ſive, ut MSSi vocant, Statius Cyrillus; qui imperatorum Romanorum vitas ex Græco vertit Latinè. Julius Capitolinus, in duobus Maximinis: *Ne faſtidioſum eſſet clementiæ tuæ, Conſtantine maxime, ſingulos quoſque principes, vel principum libros, per libros ſingulos legere: adhibui moderationem, qua in unum volumen duos Maximinos, patrem filiumque, congererem. Servavi deinceps ordinem, quem pietas tua etiam à Tatio Cyrillo, clariſſimo viro, qui Græca in Latinum vertit, ſervari voluit: quod quidem non in uno tantùm libro; ſed etiam in plurimis deinceps reſervabo: exceptis magnis imperatoribus, quorum res geſtæ plures atque clariores longiorem deſiderant textum.*

Flavius Vopiſcus Syracuſius edidit vitam Aureliani Imp. Item Taciti Imper. & fratris ejus Floriani. Adhæc Probi, quam ad Celſum ſcripſit: nempe Rufum Celſum, ut in Firmo vocat. Edidit item quadrigam tyrannorum, Firmi, Saturnini, Proculi, & Bonoſi. Præterea trigam imperatorum, Cari puta, Numeriani, & Carini. Neque præter iſta, quæ hodie exſtant, quicquam, vel ab ipſo auctore, vel ab alio ſcriptore, citatur. Quâ vixerit ætate, non uno colligere eſt argumento. Avum enim ſuum interfuiſſe dicit concioni, cùm Aper manu occideretur Diocletiani. In Carino autem quatuor hoſce principes laudat, Diocletianum, Maximianum, Galerium, & Conſtantium: atque horum, ſingulis libris, vitam eſſe proditam ait ab Claudio Euſthenio, qui Diocletiano ab epiſtolis erat: atque hoc iccirco à ſe dici, nequis rem tantam à ſe petat, *maximè cùm vel viventium principum vita non ſine reprehenſione dicatur.* Unde liquet, vixiſſe poſt obitum Conſtantii Chlori, qui Conſtantini Magni pater fuit. Et tamen in Aureliano ait: *Et eſt quidem jam Conſtantius Imp.* Sed, puto, ab Aureliano ſcribendi initium fecit. Carinum verò in literas miſit poſt obitum Conſtantii. Vel hoc verum eſt, vel ſcribi debet, *jam Conſtantinus imper.* Vel intelligendus Conſtantius, Conſtantini filius. At omnino verius, quod primo loco dicebam. Nam Aurelianum multò ante alios editum fuiſſe, verba hæc oſtendunt in Probo: *Sed non patiar ego ille, à quo* DUDUM SOLUS *Aurelianus eſt expetitus, cujus vitam, quantum potui, perſecutus, Tacito Florianoque jam ſcriptis, non me ad Probi facta conſcendere: ſi vita ſuppetet, omnes, qui ſuperſunt, uſque ad Maximianum Diocletianumque dicturus.* In Vopiſco, præter eruditionem, illud etiam laudamus, quòd omnia ordine narrat meliori, quàm factum fuit à Spartiano, Capitolino, atque aliis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, in quibus pleraque valde turbata. Ceterùm decrêrat quoque memoriæ tradere vitam Apollonii Tyanei, plani illius, cujus magicas fraudes veris Chriſti miraculis opponebant gentiles. Hunc impoſtorem Vopiſcus in Aureliano appellat *celeberrimæ famæ auctoritatiſque ſapientem, veterem philoſophum, amicum verum deorum, ipſum etiam pro numine frequentandum.* Et poſt aliqua de eodem ait: *Quid enim illo viro ſanctius, venerabilius, antiquius, diviniuſque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, Ille multa ultra homines & fecit, & dixit: quæ qui velit nôſſe, Græcos legat libros, qui de ejus vita conſcripti ſunt.* Ex his cognoſcere eſt, ut Vopiſcus magnis follibus propudioſa fuerit mendacia ſpiraturus, ſi ſcripſiſſet vitam Apollonii, quam continuò pòſt promittit, his verbis: *Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, atque ipſius viri favori uſquequaque placuerit, breviter ſaltem tanti viri facta in literas mittam: non quò illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant, ſed ut ea, quæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur.*

Fabius Soſianus etiam à Geſnero inter hiſtoricos refertur, ac vitam Firmi in literas retuliſſe dicitur: ſed argumento id colligit planè infirmo. Nec enim aliud habet, quod pro ſe adferat, quàm illum Flavii Vopiſci locum in Firmo: *Scis enim, mi Baſſe, quanta nobis contentio proximè fuerit cum amatore hiſtoriarum M. Fonteio, cùm ille diceret, Firmum, qui Aureliani temporibus, Ægyptum occupaverat, latrunculum fuiſſe, non principem: contrà ego, mecumque Rufus Celſus, & Cejonius Julianus, & Fabius Soſianus contenderent, illum & purpurâ uſum, & percuſſâ monetâ Auguſtum eſſe vocitatum.* Sermone enim, non ſcripto, velitatio hæc inſtitui potuit. Atque idem judicium eſt de duobus aliis hic memoratis, nempe CEIONIO JULIANO, & RUFO CELSO: etſi & iſti in bibliothecæ Geſnerianæ compendio Simleri, & exinde à Popeliniero in Hiſtoricorum Hiſtoria, inter eos referantur, qui vitas imperatorum poſteris reliquerunt.

## CAP. VIII.

*Aurelii Victoris ætas, dignitas, tenuis origo, libri duo genuini. Sed liber de Origine gentis Romanæ, alterius eſt; qui & de Origine gentis Patavinæ egerit. Religione prior ille gentilis. Duo alii Aurelii Victores, unus hoc antiquior, alter eo junior. Eutropii breviarium, ætas, militia. Refelluntur varii, qui diſcipulum eſſe Auguſtini tradiderunt. Stylus cujuſmodi, ac tralatio Græca Pæanii. Alius ab eo, tum Eutropius grammaticus, tum Eutropius medicus. Sexti Rufi breviarium ad Valentinianum. Ejuſdem vel alius ejuſdem nominis, eſſe deſcriptionem Romæ, quæ creditur P. Victoris. Hilarii Pictavienſis liber de Synodo Ariminenſi, & Seleucienſi. Aquilii Severi ὁδοιπορικόν. Pontificum vitæ non Damaſi ſunt, ſed Anaſtaſii bibliothecarii.*

SExtus Aurelius Victor, qui beneficio Cl. Viri, Andreæ Schotti, prodiit in lucem, ætate vixit Conſtantii & Juliani imperatorum. Siquidem in M. Antonino Philoſopho

pho ait, *Conſtrata terræmotu noſtrâ ætate Nicomedia, Cereali conſule.* At Neratius Cerealis poſt ix Conſtantii conſulatum conſul fuit. Adhæc in Julio Philippo inquit, *Noſtrâque quoque ætate, poſt mille, centeſimus, conſule Philippo, exceſſit, nullis, uti ſolet, ſollemnibus frequentatus.* Denique in Conſtantino ait: *Ac memoriâ meâ Conſtantinum* (malim cum Schotto Conſtantium) *quanquam cæteris promtum virtutibus, ad uſque aſtra votis omnium ſubvexere.* Quare nec dubium, quin hic ſit ille Aurelius Victor, qui cum Valentiniano conſul fuit anno Urbis cIↃcxxii. Ac longè minùs ambigo, quin idem ſit Victor, de quo ſic Ammianus Marcellinus lib. xxi; *Imperator* (Conſtantius) *revertitur Naſſum, coproſum oppidum: quò inde expeditè cuncta diſponeret ſuis utilitatibus profutura: ubi Victorem apud Sirmium viſum, ſcriptorem hiſtoricum, exinde venire præceptum, Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit, & honoravit æneâ ſtatuâ, virum ſobrietatis gratiâ multilaudum, multò poſt Urbi præfectum.* Atque eo ex loco ſimul cognoſcimus, quò virtute, & honeſtarum artium ſtudiis, pertigerit, licet *rure ortus, tenuique & indocto patre*, ut ipſe de ſe Victor in Severo ſcribit. Exſtant hujus Victoris libri duo. Prior eſt de Viris Illuſtribus à Proca uſque ad Julium Cæſarem; qui vel Cornelio Nepoti, vel Plinio Novocomenſi, vel Suetonio etiam falsò tribui ſolet. Alter continet vitas Cæſarum uſque ad Juliani tertium conſulatum. His libellis præmittitur *Origo gentis Romanæ.* Sed cur commentatiuncula iſtæc minùs credatur ejuſdem eſſe Victoris, veriſimile facit titulus ejus: quando iſtic legas, ex fontibus illis petitum eſſe, ex quibus ſua hauſere juniores ipſi, Livius, & Victor Afer. Quis enim ſit Victor ille Afer, ſi non eſt hiſtoricus ille Ammiano memoratus, ac cujus duo ſunt libelli, quos dicebamus? Nec obſtat Afri cognomen. Nam Aurelium Victorem natione fuiſſe Afrum, à vero non abhorret, quandoquidem multus eſt in ea laudanda, ac alicubi appellat *terrarum decus.* Quamobrem ita colligimus, libellum illum de Origine gentis Romanæ congeſtum eſſe ab aliquo, qui fuerit poſt Aurelium Victorem. Atque idem ſcripſit *De origine gentis Patavinæ:* ut ipſe initio libelli de origine gentis Romanæ teſtatur. Victorem fuiſſe hominem gentilem, vel inde conſtat; quòd in Hadriani vita eò inclinat, ut Antinoi ſacrificium res fuerit pia religioſaque. Alius ab hoc ſcriptore eſt Aurelius Victor, cognomento Primus, de quo ſic Julius Capitolinus in Opilio Macrino: *Verba denique Aurelii Victoris, cui Primo cognomen erat, hæc fuerunt: Macrinum, libertinum hominem, proſtibulum* [a] *ſervilibus officiis occupatum*, &c. Nam Julius Capitolinus miſit eam Macrini vitam ad Diocletianum Auguſtum: ut hiſtoricum iſtum laudaſſe non potuerit, qui breviarium ſuum perduxit uſque ad tempora Juliani. Adde quod ea de Macrino neutiquam in hoc Victoris breviario legantur. Alius quoque eſt Sex. Aurelius Victor, cujus extat opuſculum de vita & moribus imperatorum Romanorum uſque ad Theodoſii exceſſum: de quo poſtea dicemus. Imò nec ſemper ſatis convenit inter hoſce Victores hiſtoricos: ut cùm ille Schotti duos tantùm; alter autem tres agnoſcit Gordianos.

Eutropius, ſophiſta Italus, ut eum vocat Suidas, cùm alia quædam, eodem teſte, tum breviarium ſcripſit rerum Romanarum ab Urbe conditâ uſque ad Flavium Valentem Auguſtum, cui & opus ſuum dicavit. Militâſſe ſe ait ſub Juliano, atque expeditioni ejus in Perſas interfuiſſe. Quò & pertinent verba Georgii Codini [b] in Selectis de Originibus Conſtantinopolitanis, ubi ſic ſcribit [c]: Εὐτρόπιος ὁ σοφιστὴς, ὁ τῷ ἀποστάτῃ Ἰουλιανῷ συμπαρὼν ἐν τῇ Περσίδι. Laudat verò eum teſtem in rebus Conſtantini Magni, quæ oculis ſuis vidiſſe eum ait. Atque ex his patet error Ptolemæi, & hujus ſe autoritate [d] tuentis Raphaëlis Volaterrani, qui Eutropium hunc fuiſſe putarunt diſcipulum B. Auguſtini. Quæ & ſententia eſt Philippi Bergomatis in Supplement. Chron. ad annum cccc xxix. Item Geſneri, & Eiſingrinii, & Theodori Zuingeri Theatri ſui volumine vi. lib. ii: adhæc Poſſevini in Apparatu ſacro, atque aliorum. In errorem omnes eos impulit, quòd Gennadius in illuſtrium virorum catalogo Eutropium quendam referat, de quo hunc in modum apud eum legitur: *Eutropius presbyter ſcripſit ad duas ſorores, ancillas Chriſti, quæ ob devotionem pudicitiæ, & amorem religionis, exhæredatæ ſunt à parentibus, epiſtolas in modum libellorum conſolatorias, eleganti & aperto ſermone duas, non ſolum ratione, ſed etiam teſtimoniis Scripturarum munitas.* Meminit autem ejus Gennadius poſt Auguſtinum, Oroſium, alios. Hunc illi eſſe breviarii ſcriptorem crediderunt. Sed tempora repugnant, cùm auctor breviarii, Conſtantini, ejus liberorum, Juliani, Joviani, & Valentis temporibus vixerit: at non item Gratiani, aut Theodoſii; ſaltem non Arcadii, & Honorii: ut Auguſtino eſſe junior non poſſit. Adhæc ille Gennadio memoratus presbyter erat: at hic an Chriſtianus fuerit, ambigitur, cùm reticeat Chriſtianorum perſecutiones x, ac in Joviano apertè ſuadeat perfidiam. Scio eſſe, qui Chriſtianum fuiſſe colligant exinde, quòd de Juliano ſcribat: *Religionis Chriſtianæ inſectator, perinde tamen ut cruore abſtineret.* Sed ita quoque ſcribere potuit gentilis, ſaltem qui in confinio tenebrarum ac lucis conſtitutus, nec gentilem religionem probaret, nec Chriſtianæ tamen nomen dediſſet: quales ſeculum illud habuit multos. Sed utcumque hoc eſt, tempora, ut vidimus, eos refellunt, qui Auguſtino Eutropium faciunt juniorem. Ac mirum in iſto etiam aberraſſe virum temporum bene gnarum Stephanum Pighium Campenſem in Annal. Roman. ad annum Urbis IↃcxxviii, ubi ſua de atroci Africæ peſtilentiâ ex locuſtis coorta exſcripſiſſe ait Eutropium ex Oroſio: qui demum ſcripſit poſt Romam ab Alaricho captam. Ubi & alter error. Nihil enim de eo Eutropius. Credo dicere voluit Paulum ſive Joannem Diaconum: in cujus hiſtoriâ Miſcella eadem ex Oroſio tranſcripta legere eſt. Stylum ſi ſpectes parum eſt concinnus: ſed hoc ætati, quâ vixit tribuamus. Res verò ipſas compendio ſatis commodo conſtrinxit. Sanè quanti à Græcis fieri ſoleat, vel argumento illud erit, quòd Capito, hiſtoricus Lycius, epitomes Eutropii μετάφρασιν ſcripſerit Græcè: ut Suidas docet in Καπίτων. Imò & Simlerus, in Appendice Bibliothecæ Geſneri, teſtatur, in bibliotheca P. Pithœi exſtare Παιανίου μετάφρασιν Romanæ Eutropii hiſtoriæ. Ac video quædam ex Pæanio hoc citari à Scaligero. Compendio Eutropii Paullus Diaconus, malo ſanè exemplo, ſua inſerſit; ut liquet ex undecim primis hiſtoriæ miſcellæ libris: de quibus dicemus, cùm ad Paullum Diaconum deventum erit. Meminit & Eutropii Beda Hiſtor. Anglic. lib. i. cap. xi, &, qui ſeculo toto Bedâ junior eſt, Hincmarus Rhemenſis, opuſculo ad Hincmarum Laudunenſem cap. xvi: ubi de Caſtello Lauduno loquens ait: *Quod ſicut Eutropius, antiquus hiſtoriographus, dicit, auctore Macrobio prætore conditum, ab exordio ſui in paganiſmo inter civitates, & provinciales ſedes, nomen & locum non habuit.* Facit & mentionem Flodoardus Pontif. Rom. lib. i. cap. i, & Leo Oſtienſis (qui Alexii & Henrici Imperatorum temporibus fuit) Chronici Caſinenſis lib. i. cap. xvii. Manuſcriptus ſemel iterumque exſtat in publica Cantabrigienſis Academiæ bibliotheca. Item apud eoſdem in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti. Item Oxonii in bibliothecâ Collegii Novi, & in Collegio Ballionenſi. De Eutropio hoc ſatis: à quo diverſus eſt Eutropius grammaticus, quem de literis teſtem laudat Priſcianus lib. i. Item Eutropius medicus, memoratus Marcello Empirico præfat. operis de medicamentis. Quanquam de hoc quidem non magnopere adverſor Jano Cornario, qui præfatione in Marcellum Empiricum ſuſpicatur, eundem fuiſſe medicum & hiſtoricum. Sanè tempora conveniunt. Nam Marcellus vixit Theodoſii ſenioris temporibus: ipſe autem Eutropium medicum (uti & Julium Auſonium, patrem Auſonii poëtæ) refert inter eos qui paulò ante ſua tempora, medicâ arte magnum honorem ſunt conſecuti.

a *Ita hunc locum diſtingue, ut dicat, non* hominem proſtibulum, *quod ſummus vir cenſet: ſed* proſtibulum occupatum.

b Pag. 10.

c *Eutropius ſophiſta, qui Juliano deſertori in Perſia ſimul aderat.*

d *Lib* 15. *Anthropologiæ.*

Sextus Rufus, vir Conſularis, ſcripſit rerum geſtarum pop. Rom. epitomen, quæ inſcribitur, de conſulari & imperiali dignitate atque acceſſione Rom. Imperii. Eum libellum Valentiniano dedicavit. Cùm verò corruptiſſimè antè legeretur, collatione variorum codicum correxit eum, & eruditis ſcholiis illuſtravit Joannes Cuſpinianus. Manuſcriptus exſtat Oxonii in bibliotheca collegii corporis Chriſti. Volaterranus nomen ei fuiſſe ait Feſto Rufo: quod ſi eſt, idem fuerit ac Feſtus Rufus Avienus. Tradit Blondus, & ex eo Marlianus in Topographia Urbis Romæ lib. IV. cap. XXI, Sextum Rufum conſignâſſe deſcriptionem Urbis Romæ: vixiſſeque temporibus Diocletiani. Hos ſi audimus, alius ſit à breviarii auctore is, qui Romam deſcripſit. Deſcriptionem autem urbis, quæ P. Victoris nomen præfert, non ejus eſſe, ſed Sexti Rufi: prodit Philander in Vitruvii lib. VII. cap. III. quo loco de latrinis diſceptat. In eum P. Victorii, vel potiùs Sex. Rufi libellum, commentarium edidit Guido Pancirolus, qui notitiæ utriuſque imperii ſubjungitur. Sed omnino ſunt diverſi; cùm multa habeat Rufus, quæ deſideres in Victore, multa Victor, quæ deſint in Rufo. Primus Rufum edidit Onuphrius Panuinus, cùm Victorem multò ante Aldus Manutius excudiſſet. Utriuſque verò, & Rufi, & Victoris, ob inſignem in deſcribenda urbe diligentiam, non parum eſt gratiæ habendum. Plurimùm item de utroque meritus Panuinus in commentariis ſuis de Rep. Romana, quibus utrumque inſeruit, & eruditè illuſtravit. Alii dicunt diverſas eſſe deſcriptiones Victoris & Rufi. Et ita eſſe liquet ex editione Onuphrii.

Hilarius, Pictavienſis in Aquitania epiſcopus, Conſtantii imper. temporibus, ac deinceps floruit. Valentiniano autem, ac Valente, imperantibus, mortuus eſt. Præter alia, quæ beatus pater compoſuit, etiam eſt hiſtoria Ariminenſis & Seleucienſis Synodi: cujus ſanctus Hieronymus meminit in catal. ſcript. Eccleſ. item epiſt. VI, quæ ad Florentium, & XLI, ubi refert, ſe, peregrinantem cum Bonoſo in Galliis, volumen hoc Treveris manu ſua deſcripſiſſe. Mentionem ejuſdem facit Honorius in Eccleſ. Lumin. & Matthæus Weſtmon ad an. CCCLXI. Eoque ex opere luculenta quædam ſuperſunt fragmenta: quæ primus edidit P. Pithœus. Chronica etiam ſcripſiſſe, à Tritthemio dicitur: ſed apud Hieronymum nihil de eo opere lego; uti nec Græcum interpretem, Sophronium.

Iiſdem Aquilius Severus Hiſpanus, qui in nonnullis MSSis *Achilius*, vel *Acilius*, vocatur, tempore vixit Valentiani. De eo ſic Hieronymus in catalogo ſcript. ill. *Aquilius Severus in Hiſpania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epiſtolarum ſcribuntur libri, compoſuit volumen, quaſi ὁδοιπορικὸν, totius vitæ ſuæ ſtatum continens, tam proſâ, quàm verſibus; quod vocavit καταστροφὴν ſive πεῖραν: & ſub Valentiniano principe obiit.* Meminit & Honorius in Catalogo.

Etiam Valentiniani & Valentis temporibus floruit Damaſus, Antonii filius, Hiſpanus, qui annis XXII Romanæ præfuit Eccleſiæ. De eo ſic B. Hieronymus *a*, *Damaſus, Romanæ Urbis epiſcopus, elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia opuſcula heroico metro edidit, & prope octogenarius ſub Theodoſio principe mortuus eſt.* Non meminit Hieronymus operis, quod inſcribi ſolet, *Pontificale* ſive *de geſtis ſummorum Pontificum*; ac Damaſo quoque tribuitur à Tritthemio in catalogo ſcript. Imò & à Platina, qui ſic ſcribit: *Damaſus ocio literario delectatus, vitas pontificum omnium, qui ante ſe fuere, conſcripſit, eaſque ad Hieronymum miſit.* Sed præterquam quòd Hieronymus ejus non faciat mentionem, etiam phraſis Tritthemio reclamat, quæ hîc rudis & inculta, contrà quàm de Damaſo teſtatur Hieronymus. Præterea multa in eo opere falſa occurrunt, nec ullius gravis ſcriptoris auctoritate ſubnixa. Quare Damaſi neutiquam eſſe, agnoſcunt etiam Bellarminus, Baronius, Poſſevinus, Binnius, & multi alii. Eſt autem is fœtus Anaſtaſii bibliothecarii: de quo infrà dicemus. Planè enim eadem dictio eſt priorum, & eorum, quæ Damaſi vitam conſequuntur. Nec tamen primus hic erravit Tritthemius. Nam & jam olim Martinus Polonus *Chronicon Damaſi Papæ de geſtis Pontificum* repoſuit in præfatione inter ea, unde Chronicon ſuum congeſſerat.

*a In Catalogo ſcript. Eccl.*

## CAP. IX.

Ammiani Marcellini *ætas, libri, patria, militia, laus, dictio.* Philaſtrii *ætas adſtruitur. Idem emendatus. Cenſura ejuſdem. Tranſlatio vitæ Athanaſii perperam adſcripta* B. Hieronymo. *Quando eam verterit Evagrius.* Avienus *ſive* Avianus *quando vixerit, & quæ ſcripſerit. Macrobii ætas.*

Ammianus Marcellinus floruit ſub Gratiano ac Valentiniano: ac libros ſcripſit XXXI: ex quibus tredecim primi deperierunt. Cujus fuerit nationis, & qua profeſſione; unde item hiſtoriam cœperit; & quouſque ſit progreſſus: verba iſta in epilogo hiſtoriæ oſtendunt: *Hæc ut miles quondam, & Græcus, à principatu Cæſaris Nervæ exorſus, aduſque Valentis interitum, pro virium explicavi menſura.* Et ſanè Græcum fuiſſe, non hoc ſolùm ex loco patet: ſed eo etiam, quòd lib. XXII, ubi pyramides ita dici ait, quòd ſpeciem habeant ignis, addat, τῦ πυρὸς, *quemadmodum nos dicimus.* Nempe nos Græci. Eſt verò hic ſcriptor veritatis ſtudioſiſſimus, & prudens, gravis planè, ac ſerius, & dignus qui ab omnibus, ac Germanis præcipuè, ametur. Mirificè enim illuſtrat veteris Germaniæ ſitum. Eoque majorem hac parte fidem meretur, quia in hac ſtipendia ipſe meruerit adverſus Germanos. Dictio horridior eſt. Sed virtutes hujus ſcriptoris ſunt tantæ, ut hoc in rationem venire non debeat. Et quid mirum, ſi duri militis phraſis quoque duriuſcula ſit, homoque Græcus Græcanicas ſapiat loquendi formas? quo pacto ſe ipſe excuſat, ut paullò antè vidimus. Meminit Ammiani Priſcianus quoque lib. IX. Vide & quæ diximus in hiſtoricis Græcis lib. II. cap. XVIII. ubi de Marcellino nobis ſermo. Non malè de hiſtorico hoc meritus eſt Mariangelus Accurſius: qui quinque eum libris auxit à ſe inventis, ac præterea (ſi ipſi de ſe credimus) quinque mendarum millibus eum purgavit. Prodiit ea Accurſii editio Auguſtæ Vindelic. anno CIƆ IƆ XXXIII. Quantò tamen emendatior ſit illa, quam Rob. Stephanus, itemque Seb. Gryphius, poſtea dedit; & imprimis, quam doctiſſimus Lindenbrogus ad MS. & veterum codd. fidem recenſuit; apertiùs eſt, quàm ut dici mereatur.

Sub Theodoſio Magno claruit Philaſtrius, Brixienſis epiſcopus: quippe quem cum B. Ambroſio ſe vidiſſe Mediolani dicat B. Auguſtinus, initio libri de hæreſibus ad Quod vult Deus. Apud Margarinum de la Bigne, in Indice Chronologico bibliothecæ PP. adnexo, legas, Philaſtrium vixiſſe anno IƆXXX. Sed error, ut arbitror, eſt typothetæ, pro 330 reponentis 530. Saltem propiùs hoc à vero abeſt. Ubi & quod Philaſtrius ipſe hæreſi LXIII dicit, *Inde à Domino uſque nunc anni* CCCCXXX: ut vulgò quidem legitur. Sed leviculâ mutatione reſcribo, CCCLXXX: ut nota quinquagenarii exciderit. Sanè hoc optimè convenit cum eo, quod de viſo eo ab Auguſtino dicebam. Scripſit Philaſtrius librum de hæreſibus ad ſua uſque tempora. Sed multa in eo inter hæreſes refert, quæ hæreſes non ſunt: ſed vel erronea duntaxat, vel etiam vera. Vide Sixtum Senenſem lib. V. Biblioth. ſanctæ, Annot. XXVII, Bellarminum in ſcriptoribus Eccleſ. & lib. IV de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati cap. XI, item Poſſevinum in Apparatu ſacro.

Iiſdem temporibus floruit Evagrius, Antiochenus epiſcopus: qui, presbyter etiamnum, cùm alia ſcripſit, tum Athanaſii vitam Latinè reddidit, teſte Hieronymo, & Honorio: qui & acris ac ferventis ingenii fuiſſe ajunt. Tralatio ea Evagrii miſſa eſt ad Innocentium, hodieque exſtat: etſi à nonnullis, imò Gelaſio ipſo *a*, Hieronymo tribuatur. Cùm autem exarata ſit ab Evagrio presbytero:

*a Diſt. 15. cap. Sancta Rom. Eccl.*

tero: conſequitur ſcriptam eſſe ante annum ccclxxxix, quo is epiſcopus factus eſt: ut conſtat ex Theodoreto lib. v cap. xxiii, Socrate lib. v cap. xv, Sozomeno lib. vii cap. xv, atque è Latinis Ambroſio epiſt. lxxxviii. Euagrii hujus ſæpius in epiſtolis meminit Hieronymus: idem in vita Malchi *Euagrium Papam neceſſarium ſuum* appellat. Memorat & in Chron. ad an. Chriſt. cclxxii, qui ſecundus eſt Aureliani imperatoris. Eſtque idem Euagrius, quem B. Baſilius cum Euſebio Vercellenſi epiſcopo in Occidentem fuiſſe profectum refert. At alius ab hoc eſt Euagrius Ponticus, monachus: alius item Euagrius Scholaſticus: de quibus in hiſtoricis Græcis diximus.

Avienus totum Livium jambis expreſſit: ut ait Servius in Maronis illud lib. x,

*Hinc Helenum petiit, & Rhœti de gente vetuſtâ*
*Anchemolum.*

Credo eundem eſſe Rufum Feſtum Avienum, Arateorum interpretem, cujus præterea inſignes atque eruditi libelli duo hodie verſibus exarati exſtant: nempe περιήγησις, ſive orbis deſcriptio, & περίπλους, ſive de orâ maritimâ. De quo ſic Barthius Adverſar. lib. xlvi cap. xvi, *Rufus Avienus ſcriptor luculentiſſimus, poëta verò adeò excellens, ut nonnunquam ſeſe ipſum vix videatur capere.* Etiam lib. xliv ait eſſe *magni oris poëtam, ſed durum omnino, & ſe ipſum vix uſpiam capientem.* Beatus Hieronymus commentario in Titum, meminit ejus, ut nuperi ſcriptoris. Unde Theodoſii Imp. ætate vixiſſe, colligimus. Præſertim cùm nec Probus ille, cui poëmatium de orâ maritimâ ſacravit, alius videatur, ac conſularis ille Probus, ad quem ſcribit Claudianus. Ut omnino erret Crinitus, quando Avienum hunc Diocletiani æqualem facit. Exſtat Æſopicarum fabularum liber elegiaco carmine factus, ſive ab Aviano, ut in meis quoque MSSis vocatur: ſive Aniano, ut nominatur in codicibus Proverbiorum, quæ Bedæ tribuuntur. Idemne is, an alius ſit, non ita apertum eſt. Alium ut credamus, ſuadet, quòd ille Avienus; hic Avianus, ſive Anianus, nominatur. Sed tanta eſt hîc nominum vicinitas, ut facilis in iis fuerit error. Et omnia, quæ hactenus attulimus, ſapiunt unius hominis genium, qui gauderet aliorum inventa Latinis numeris reddere. Adhæc fabularis ille ſcriptor ſuum libellum dicat Theodoſio. Et Theodoſius Macrobius in Saturnalium libris loquentem inducit Avienum. Quare Theodoſius, cui Avianus, ſive Avienus, fabulas dicat, videri poſſit haut alius eſſe à Saturnalium ſcriptore: nec Avienus, quem loquentem inducit Macrobius, alius fortaſſe ſit ab editore fabularum. Ætas quidem probè convenit. Nam & Macrobium Theodoſii imp. ætate floruiſſe, jam aliis eſt obſervatum ex codice Theodoſiano lib. vi. Tit. viii. de præpoſitis ſacri cubiculi. Accedit quòd (ut ex initio lib. v Saturn. ſatis liquet) æqualis fuerit Symmachi ejus, cujus epiſtolæ exſtant, ac adverſus quem Ambroſius, & Prudentius, ſcripſere. Quod autem Genebrardus in Aniceto, & Thevetus lib. ii de viris illuſtribus cap. xli, retulere ad ſecundum à nato Chriſto ſeculum: aut quòd in indice bibliothecæ Vaticanæ refertur ad ſeculum x: id utrumque ſanè ejuſmodi eſt, ut nec unius aſſis cenſeri mereatur.

## Cap. X.

*Prudentii ætas, honores, carmina de paſſionibus ſanctorum. Dextri pater. Eundem videri Dextrum, cujus in catalogo ſcriptorum meminit Hieronymus: ac illum, cui catalogum illum dicavit. Obviam itum argumento, quod adverſari huic ſententiæ videbatur. Dextri dignitas. Vigilii Tridentini libri, & quando martyrii coronam acceperit. Falluntur, qui Vigilium hunc confundunt cum eo, cujus libri exſtant adverſus Eutychen, & alios hæreticos.*

Theodoſii ſenioris, filiorumque ejus temporibus, claruit Aurelius Prudentius Clemens, Hiſpanus, miles Palatinus, & poſtea Urbis præfectus, imò, ut Aldus, & Lilius, autumant, etiam conſul: quem honorem ſi geſſit, neceſſe eſt, in defuncti locum fuerit ſuffectus. Nec enim in Faſtis conſularibus ejus nomen legitur. Hiſtoriam Chriſtianam juvit iis, quæ, inter alia, de variorum martyrum paſſionibus ſcripſit: carmine quidem; ſed ex quo tamen petere rei geſtæ veritatem ſoleant, qui hanc materiem proſâ proſequuntur. Nec ita demum ſeculo fit noſtro: ſed jam olim aliqui ſic fecere. Quemadmodum quidam (ut verbis utar venerabilis Bedæ ex præfatione ejus in vita S. Felicis) *martyrium beati Caſſiani de metrico opere Prudentii in commune apertumque omnibus eloquium tranſtulit.* Atque is apud Surium exſtat a. d. xiii Aug. Plura de poëta hoc Gennadius in catalogo, Aldus Manutius in ejus vita, Lilius Gyraldus in poëtarum hiſtoria.

Æqualis Prudentio erat Dexter, filius Paciani ejus, qui Barcilonenſis epiſcopus fuit, & ſub Theodoſio magno admodum ſenex mortuus eſt. De Dextro hoc ita B. Hieronymus in Illuſtr. Scrip. cat. *Dexter, Paciani, de quo ſuprà dixi, filius, clarus apud ſeculum, & fidei deditus, fertur ad me omnimodam hiſtoriam texuiſſe; quam necdum legi.* Meminit & in catalogo ſuo Honorius. Diſpiciendum, utrùm Dexter hic ille ſit, cui B. Hieronymus dicavit libellum de viris illuſtribus. Ita cenſet Baronius ad ann. ccclxxxviii. Nec mihi alia mens. Sed enim dixeris, ſi is tam amicus ac familiaris fuiſſet B. Hieronymo, ut ei dicaret hunc illuſtrium ſcriptorum librum, non ejus nomen inter eccleſiaſticos ſcriptores ita retuliſſet, ut, num referri debeat, dubitaſſe videatur. Nam quid aliud verba hæc indicant, *fertur hiſtoriam texuiſſe, quam necdum legi?* Hæccine ſatis conveniant amico, cui librum illum conſecres, quo iſta ſcribas? Non difficulter hic nodus ſolvitur. Nec enim dicit Hieronymus, *fertur texuiſſe:* ſed *fertur texuiſſe ad me:* hoc eſt, intelligo eum non ſolùm compoſuiſſe, ſed etiam mihi dicaſſe: dicare ſaltem velle. Nempe Dexter opus hoc nondum perfecerat: ſaltem nondum ediderat. Sed Hieronymus, ubi ex amicis, qui id opus viderant, cognôrat, ſuo hoc nomini inſcriptum iri: tam eam rem gratam habuit, ut non contentus viri, ac libri necdum lecti, aut viſi ſibi, meminiſſe, etiam prævertere Dextrum voluerit affectus ſui teſtimonio, quod eſſe voluit dicationem hujus libelli de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Ita mihi quidem videtur. Fuit autem hic Dexter præfectus prætorio. Ut cognoſcere eſt ex Sophronio, interprete Græco, qui vertit, Ἱερωνύμου ἐπιστολὴ πρὸς Δέξτρον, ἔπαρχον πραιτωρίου.

Floruit eo tempore quoque Vigilius, Tridentinus epiſcopus, ac martyr, cujus ad Simplicianum, Mediolanenſem epiſcopum, libellus, ſive epiſtola exſtat [a] de martyrio Siſinnii, & ſociorum. Alia quoque compoſuit. Gennadius in ill. ſcr. cat. cap. xxxviii: *Vigilius epiſcopus ſcripſit ad quendam Simplicianum in laudem martyrum libellum: & epiſtolam continentem geſta ſui temporis apud barbaros martyrum.* Honorius quinque libros in laudem martyrum feciſſe ait. Vigilius hic Honorii temporibus, Stilicone conſule, martyr obiit. De quo ſic Uſuardus ad d. vi Kal. Jul. *Apud Tridentinam urbem S. Vigilii epiſcopi, qui ſub Stilicone conſule pro Chriſti nomine, magno imbre lapidum percuſſus, martyrium implevit.* Fuit autem Fl. Stilico conſul cum Aureliano anno Chriſti cccc: atque iterum cum Anthemio anno ccccv. Alterutrum in annum incidit Vigilii martyrium. Quare vehementer errant, qui Vigilium hunc vixiſſe dicunt temporibus Zenonis & Anaſtaſii imperatorum: cùm inter Vigilii martyrium, & Zenonis imperium, ſint anni lxx. In hunc errorem eos impulit, quòd Vigilii martyris eſſe arbitrarentur quinque libros illos, qui pro Chalcedonenſi concilio ſcripti fuere adverſus Eutychem. Atqui temporum ratio arguit, ſcriptorem hunc à martyre illo planè alium eſſe. Imò nec illud certò dicere poſſumus, hunc etiam Vigilium epiſcopum fuiſſe Tridentinum. Fortaſſe enim librarii, cùm non alium noſſent Vigilium, quàm Tridentinum epiſcopum, hoc digni-

[a] *Apud Surium a. d. 19 Maji.*

gnitatis nomen adjecerunt. Optandum autem erat, ut vita Vigilii, quæ præmittitur operibus ejus in editione Lipſienſi, atque etiam in bibliotheca Patrum *a*, quæque eſt apud Surium in ſupplemento Hiſtoriæ Sanctorum, ita eſſet edita, prout in MSSis legebatur. Nunc interpolator ejus vitæ vitam illi pene evitavit, dum errori ſuo indulgens ex duobus Vigiliis, qui ſeculo penè diſtiterunt, unum nobis, ſomnians potiùs, quàm vigilans, concinnat.

*a Tom. 4. edit. 2.*

## Cap. XI.

*Hieronymus quid præſtiterit in Euſebiano Chronico. Quas Patrum vitas idem, ut genuinas, agnoſcat. Quo tempore catalogum ſcriptorum ediderit Eccleſiaſticorum. Librum de nativitate B. Virgin. omnino alterius eſſe. Quanto in pretio Rufinus prius fuerit, etiam apud Hieronymum: & quid ab eo abalienârit. Paullini judicium de Rufino. Quæ Rufium verterit è Græco. Tralationum ejus, ac præcipuè Euſebianæ hiſtoriæ, cenſura. Gelaſius, Rufini interpres Gratus.*

THeodoſii quoque, ſed imprimis Honorii & Arcadii tempore, floruit B. Hieronymus, qui præclarè meritus eſt de hiſtoria transferendo Euſebii Chronicon, multaque addendo. Sic enim ſcribit *a* ad Vincentium, & Gallienum: *Sciendum etenim, me eſſe, & interpretis, & ſcriptoris ex parte officio uſum: quia & Græca fideliſſimè expreſſi, & nonnulla, quæ mihi intermiſſa videbantur, adjeci; in Romana maximè hiſtoria; quam Euſebius, hujus conditor libri, non tam ignorâſſe, utpote eruditiſſimus; quàm, ut Græcè ſcribens, parùm ſuis neceſſariam, perſtrinxiſſe mihi videtur. Itaque à Nino, & Abraham, uſque ad Trojæ captivitatem, pura Græca tranſlatio eſt. A Troja, uſque ad vigeſimum Conſtantini annum, nunc addita, nunc mixta, ſunt plurima; quæ de Tranquillo, & cæteris illuſtribus hiſtoricis, curioſiſſimè excerpſimus. A Conſtantini autem ſupradicto anno, uſque ad Conſulatum Auguſtorum Valentis ſexies, & Valentiniani iterum, totum meum eſt.* Satis ex his liquet, B. Hieronymum non ſolùm Euſebii Chronicon vertiſſe; ſed multa etiam inſeruiſſe: adhæc inde, ubi deſierat Euſebius, continuâſſe: nempe ab Vicennalibus Conſtantini M. Nicodemiæ factis, & ſequenti anno Romæ editis (qui Chriſti annus eſt CCCXVII) uſque ad obitum Valentis, atque Gratiani cum fratre Valentiniano imperium: qui Chriſti annus eſt CCCLXXIX. Res verò geſtas à Gratiano, & Theodoſio, latiori ſe ſtylo reſervâſſe, ait in eâdem Chronici præfat. *Non*, inquit, *quòd de viventibus timuerim liberè ac verè ſcribere (timor enim Dei timorem hominum expellit) ſed quoniam, debacchantibus adhuc in terra noſtra barbaris, incerta ſunt omnia.* Verùm non videtur hiſtoriam eam condidiſſe. Chronicon hoc Euſebianum emendârat Vaſæus: ſed morte præventus edere non potuit. Verba ejus ſunt in Chron. Hiſp. cap. V: *Euſebius Cæſarienſis, cujus Chronicon multis mendis, quibus ſcatebat, repurgatum, & lectioni ſinceræ reſtitutum, ex veterum codicum, & præcipuè Alcobacienſis collatione, propediem in lucem dabimus, ſimul cum Chronico D. Hieronymi, & Proſperi Aquitanici.* Sed quod Vaſæus ob mortem præproperam minùs potuit, id poſtea præſtitere magnâ curâ, Arnoldus Pontacus, epiſcopus Vazatenſis, & Joſephus Scaliger: cujus in hoc Chronicon commentario nihil excellentius, aut ſimile etiam, interiores habent literæ. Idem B. Hieronymus compoſuit & vitas Sanctorum: ut Pauli, primi eremitæ, & B. Hilarionis, ac captivi monachi: quarum trium ipſe meminit in catalogo illuſtr. ſcript. cap. ult. Chronicon Hieronymi MSum habes & apud Cantabrigienſes in collegio S. Benedicti. His addunt aliqui vitam Malchi: qui ignorant, Malchum eſſe illum captivum monachum. quippe quem, cùm monaſterio eſſet egreſſus, Saraceni ceperint. imò nec aliud ferè vita ea Malchi continet, quàm ut ille in captivitate pudicitiam ſervârit, inque fuga à Deo fuerit conſervatus. Quare falluntur, qui putant Captivum fuiſſe proprium monachi nomen: quos & Sophronius refellit, cùm vertit αἰχμαλώτου μοναχοῦ. Sed præter trium vitas, quos dixi, ſcripſit & vitas Romanarum trium viduarum; Fabiolæ, Paullæ, ac Marcellæ. Alias quoque ei tribui ſcio: ſed eæ partim ſunt Evagrii Pontici, de quo Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem, & Gennadius in catalogo: partim etiam aliorum. Hiſtoricum quoque opus eſt liber de illuſtribus Eccleſiæ viris: quem Sophronius Græcè vertit. Eum ſe decimoquarto Theodoſii imper. anno compoſuiſſe, teſtatur ipſe in libelli ejus fine, ubi commemorat, quæ ad eum uſque diem ediſſet. Commendat autem hoc opus Caſſiodorus de divinis lect. cap. XVII, quod eſt de Hiſtoricis Chriſtianis. Miretur fortaſſe aliquis, præteriri à nobis librum de nativitate Mariæ ad Chromatium & Heliodorum epiſcopos: quo, ut de ortu B. Mariæ, ita etiam de Soſpitatoris noſtri nativitate, & infantia, tractatur. Sed profectò fœtus iſte non eſt beati Patris; verùm planè ſuppoſititius: quod non dictio modò clamat, ſed etiam res ipſa: imò vel inde fraus apparet, quòd Iſſacharem pontificem comminiſcitur: qui ſi Mariæ temporibus fuiſſet, meminiſſet ejus Flavius Joſephus, qui in Antiquitatum, deque bello Judaico libris, ſummos pontifices recenſet. Et ſunt alia id genus, quæ non minùs fucum factum eſſe arguunt. Ut nec ſani eſſe hominis videatur, recedere hac parte ab Eraſmo, Sixto Senenſe, Cano, Baronio, Poſſevino, aliis: qui Hieronymo planè abjudicant. Videtur & hic locus deberi B. Hieronymi libro de locis Hebraicis, ut qui ad terrarum hiſtoriam pertineat. Sed nec iſte Hieronymi eſt: ut cujus mentio fiat, ubi agit de Smyrna.

*a Præfat. Chron.*

Rufinus, Aquilejenſis Eccleſiæ presbyter, apud multos olim magno loco habebatur. Caſſiano lib. VII de incarnat. cap. XXVII vocatur *Chriſtianæ philoſophiæ vir, haut contemnenda Eccleſiaſticorum doctorum portio.* Imò & B. Hieronymus, ut ex epiſtolâ ejus V ad Florentium conſtat, ſummis hujus ſanctimoniam laudibus extulit. Sed iſtoc fecit, antequam Rufinus Romam rediens, tranſlatione librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, errores ſuos detexiſſet. Poſtea ſanè mens longè alia beato patri fuit; ut adverſaria amborum ſcripta oſtendunt. Atque hoc in cauſſa eſt, cur Palladius *a* quoque, qui Rufino erat addictior, iniquior ſit Hieronymo. Sed pro Hieronymo ſtat Gelaſius, & concilium Romanum LXX epiſcoporum: quo ſtatuitur, multa in Rufino ad arbitrii libertatem pertinentia notata eſſe à B. Hieronymo: in quibus Hieronymi ſententiæ ſubſcribere conveniat. Imprimis Rufinus, ob utriuſque linguæ, ac hiſtoriarum peritiam, magni fieri ſolet. Itaque & cùm Severus Sulpitius rogâſſet Pontium Paullinum, ut participem ſe eorum faceret, quæ de antiquis temporibus obſervâſſet: negavit hic, ſe eorum eſſe intelligentem; Rufinumque Sulpitio, ut eorum multis partibus peritiorem, commendavit. Sic enim inter alia ad Severum ſcribit epiſt. nonâ: *Quod de me non habui, de fratris unanimi* b *opulentiore theſauro petivi; & ipſam adnotationem, quam commonitorii vice miſeras, literis meis inditam direxi ad Rufinum presbyterum ſanctæ Melaniæ, ſpiritali viâ comitem, verè ſanctum, & piè doctum, & ob hoc intimâ mihi affectione conjunctum. Si ille has, quæ meritò te permovent, de annorum, ſive regnorum, non congruente calculo, hiantis hiſtoriæ cauſſas non ediderit; qui & ſcholaſticis, & ſalutaribus literis, Græcè juxta, ac Latinè, dives eſt: vereor ne apud alium, in his regionibus, fruſtra requiramus.* Multum ſanè operæ contulit Rufinus ad hiſtoriam illuſtrandam. Nam inter alia, quæ Gennadius, & ex eo Honorius commemorat, Clementis Romani Recognitiones, & Flavium Joſephum, Latinè tranſtulit. Item decem libros Euſebii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quod ad Joſephum, verſio illius, ut Caſauboni verbis utar ad Apparat. Annalium ſect. ult. *multis locis eſt ad inſaniam uſque inepta.* Sed addit hoc, inde proveniſſe, partim *quod corruptiſſimos nactus eſſet codices*, partim quod *judicio critico deſtitutus, quicquid inveniret, exprimeret.* In Euſebio quoque nimium profectò libertate

*a In Lauſiacis cap. 78. ſive, juxta aliorum diſtinctionem 72.*

*b Fort. unanimis.*

in

in vertendo uſus fuit. Sanè Euſebiana tranſlatio ne paraphraſis quidem dici poſſit: ſed proprium opus, in quo tamen Euſebium plurimùm exſcripſerit. Multa adeò addit, multa demit, multa mutat. Dimidium octavi libri omiſit: decimum vix attingit. Atque hoc pacto ex libris decem Euſebii fecit novem: quibus duos de ſuo adjecit: ſed quibus non ſemper habenda ſit fides, ſi Socrati credimus. Sanè futiliſſimum auctorem vocat etiam Joſephus Scaliger, appendice operis de emendatione Temp. Duorum, quos dixi, Rufini librorum, etiam Gennadius meminit. Græcè verò eos vertit, & præfationem ſuam iis addidit Gelaſius, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus; non ille Cyzici natus, qui de concilio Nicæno ſcripſit; ſed alter eo antiquior, qui Cyrillum Hieroſolymitanum avunculum habuit: ut Photius teſtatur умем. LXXXIX. ubi omnino adi, quæ hoc de Gelaſio annotavit vir doctiſſimus, Andreas Schottus. Video autem à Melchiore Goldaſto Rufino etiam tribui vitam S. Eugeniæ. Quod facere arbitror MSSorum fide ſubnixum. Saltem ſtylus non abnuit. In editis auctor non adſcribitur. Uti nec in multis aliorum Sanctorum Vitis: quarum Rufinum eſſe interpretem, partim ex Hieronymo, partim ex dictione, cognoſcitur. Vide quæ ſuper ea re ad vitas SS. Patrum Roſweidus annotavit Proleg. IV. & V. Satis autem mirari non poſſum jam tempore Caſſiodori dubitatum fuiſſe, utrùm Ruffinus, an alius, vertiſſet libros de bello Judaico: imò creditum eſſe, tranſlationem eorum librorum non exſtare: ita ut Caſſiodorus eos verti curârit ab amicis. Vide de eo ipſum Caſſiodorum lib. de divinis lectionibus cap. XVII, quod de Hiſtoricis agit Chriſtianis.

## CAP. XII.

*Severus Sulpitius, B. Martini familiaris, & Sulpitius, Bituricenſis epiſcopus, perperam confunduntur. Severi Sulpitii elogia, libri, amici familiares, error, dictio, ac pro eo apologia. Paullini Aquitanici dignitas, in pauperes liberalitas, ac commigratio in urbem Nolanam, quò melius cum uxore Chriſto inſerviret.* Tanaquil *pro uxore marito imperante. Paullini epiſcopatus, ac compendium librorum Suetonii de regibus, item libri de vita B. Martini, & libri VII in natalem B. Felicis, oratione ſcripti legatâ, quos in pedeſtrem ſermonem Beda convertit. Julii Hilarionis ætas. Locus ejus corrigitur.*

Hieronymi, ac Rufini æqualis fuit Severus Sulpitius Nitiobrix: ubi *Sulpitius* eſſe cognomen clarè ait Gennadius, & id nomen poſtponit Gregorius Turonenſis lib. I. de miraculis S. Martini cap. I. & lib. X Hiſt. Franc. cap. XXXI. Obſtare interim videtur, quod *Sulpitium Severum* ſe vocet, in inſcriptione epiſtolæ ad Aurelium Diaconum, item ad Baſſulam Socrum. Sed ſæpe prænomen poſtponi comprobat Franciſcus Sylvius Progymnaſmatum centuria II cap. XLVI. De patria cognoſcimus partim ex dialogo I. cap. XX, ubi ſe Aquitanum agnoſcit, atque idem Gennadio proditum: partim ex lib. II Hiſtor. Sacræ, ubi Phæladium ſuum vocat Epiſcopum: cum verò Aginni (quod in Nitiobrigibus) epiſcopum fuiſſe clarè ait Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Malè verò Carolus Sigonius, Petrus Galeſinus, & Victor Giſelinus Sulpitium hunc, cum Sulpitio, epiſcopo Bituricenſi, confundunt: ut rectè notatum Joſepho Scaligero in prolegom. libb. de Emendat. Temp. item Baronio ad ann. CCCCXXXI, & P. Fabro in opuſculis poſtumis, ſchediaſmate de Dionyſio Areopagita; ubi Severum hunc ait fuiſſe monachum Primuliacenſem. Sanè nunc vixit Primuliaci, nunc Eluſone, ut cognoſcere eſt Paulini epiſt. VI, XI, XII. Sed & Toliſæ habitaſſe videmus ex epiſtola ejus ad ſocrum Baſſulam. Sed monachum fuiſſe non legi apud Veteres, verùm presbyterum: de quo nobis auctor Gennadius. Qui epiſcopum fuiſſe ajunt, falli planè exiſtimandi. *Vir fuit doctrinâ & ſapientiâ pollens*, ut eum Auguſtinus vocat ep. CCV. *vir genere & literis nobilis* dicitur à Gennadio, & Honorio. *vir ſummus* appellatur ab Idacio, penè initio Chronici. Inter alia duos compoſuit libros de ſacra hiſtoria; quos, à mundi initio exorſus, perduxit uſque ad conſulatum Stiliconis, & Aureliani: hoc eſt annum quadringenteſimum. Scripſit & vitam B. Martini, quo familiariter uſus fuit: uti & B. Paullino; qui quanti Severum fecerit, ſatis laudes luculentæ in ejus epiſtolis oſtendunt. Adhæc tres ejus epiſtolæ exſtant: una eſt adverſus æmulos B. Martini: altera agit de obitu & apparitione ejus: tertia refert, quomodo B. Martinus ex hac vita mortali tranſierit ad immortalem. Item exſtant dialogi tres, quorum primus narrat virtutes & miracula monachorum orientalium; duo poſteriores exponunt virtutes B. Martini, libro primo prætermiſſas. Pro Sulpitii libellis de B. Martino apologiam ſcripſit Guibertus Martinus, abbas Gemblacenſis, qui MSus exſtat Gemblaci, & Lovanii ad S. Martinum. In dialogis, quibus Poſtumianus, & Gallus, loquuntur, ſequitur Sulpitius errorem millenariorum: ut & monet Hieronymus in Ezech. cap. XXXVI. Unde apud Gelaſium quoque legas in Concil. Rom. LXX. epiſcop. *Opuſcula Poſtumiani, & Galli, apocrypha.* Dictione utitur terſâ, & eleganti, adeò ut *Eccleſiaſticorum puriſſimus ſcriptor* vocetur à Joſepho Scaligero opere de Emendat. Temp. Salluſtii imprimis æmulus eſt. Unde Chriſtianum Salluſtium vocat Barthius Adverſ. lib. XLIX cap. IV. Et alia quædam de Severo ſuppeditabunt Gennadius, ac Honorius in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Ado in Chronicis, item Baronius Tom. V. Annal. ad ann. CCCCXXXI. In eo tamen à Baronio diſſentio, quod Gennatium parum cautè vocat Severi æqualem: cùm Gennatius poſt Severum floruerit annis plus minus LXX. Nam dicavit librum ſuum de fide, (ut ipſe ait) Gelazio Papæ, qui demum Epiſcopus Romanus factus eſt anno CCCCXCII. Valde autem Sulpitii ſanctimoniam commendat, quod in Romano Martyrologio ejus memoria celebretur ad IV Kal. Februarias.

Itidem Theodoſii ſenioris, ac imprimis filii ejus Honorii temporibus, vixit Paullinus Aquitanicus: qui cùm dignitatis ſenatoriæ foret, divenditis ſuis, uxore etiam adhortante, Nolam conceſſit, ut ibi Chriſtianæ magis religioni vacaret. Quâ de re ſic B. Ambroſius lib. VI epiſt. I ad Sabinum: *Paullinum, ſplendore generis in partibus Aquitaniæ nulli ſecundum, venditis facultatibus, tam ſuis, quàm etiam conjugalibus, in hos ſe induiſſe cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipſe pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi ſarcinâ, domui, patriæ, cognationi quoque, valedicat, quò impenſius Deo ſerviat. Elegiſſe autem ſecretum affirmatur Nolanæ Urbis, ubi tumultum fugitans ævum exigat. Matrona quoque virtuti, & ſtudio ejus, proximè accedit; neque à propoſito viri diſcrepat. Denique transſcriptis in aliorum jura ſuis prædiis, virum ſequitur, & exiguo illic conjugis contenta ceſpite, ſolatur ſe religionis, & charitatis divitiis. Soboles eis nulla, & ideo meritorum poſteritas deſiderata. Hæc ubi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illâ familiâ, illâ proſapiâ, illâ indole, tantâ præditum eloquentiâ, migraſſe à Senatu?* Quia autem uxor in hoc inſtituto conſenſerat Paullino, eò Auſonius perſuaſum habuit, feciſſe uxoris hortatu, cui obnoxius foret: unde & Tanaquilem appellat epiſt. XXXIV, quæ eſt ad Paullinum hunc:

*Si prodi, Paulline, times, noſtræque vereris*
*Crimen amicitiæ; Tanaquil tua neſciat iſtud.*

Nomen uxori erat Theraſia: ut eam Idatius appellat. Item Sigbertus in Chronicis. Sed Tanaquil vocatur, quaſi cujus inſtinctu pleraque ageret Paullinus, haut aliter ac Tarquinius Priſcus ſolet obſecundare conſiliis Tanaquilis ſuæ. Ideo Paullinus reſpondet,

—— *Nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia conjux.*

Cæterùm Paullinus, aliquanto poſtquam Nolam ſe receperat, Nolanus epiſcopus factus fuit: vir non Ambroſio modò, ſed etiam Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Eucherio, aliiſque, laudatus. Varia ab eo carmine edita re-

recenſet Gennadius. Inter alia fuit, quod non nominat Gennadius, poëma de regibus, in quo libros Suetonii in compendium redegit. Auſonius epiſt. xix. quæ eſt ad Paullinum: *His longe iucundiſſimum poëma ſubdideras: quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coëgit, tantâ elegantiâ, ſolus ut mihi videare aſſecutus, quod contra rerum naturam eſt, brevitas ut obſcura non eſſet.* Iis libris, ut mox exponit Auſonius, inter alia egit de Carano, primo Macedonum rege; de Nechepſo, & Seſoſtre, regibus Ægypti; de Vonone, Parthorum rege, de Avele, rege Numidico, &c. Atque iſti verſus quos adducit Auſonius, ipſius ſunt Paullini, unicum ex hiſtorico illo poëmatio fragmentum. Sed neque meminit Gennadius quatuor librorum de vita B. Martini, epiſcopi Turonenſis. Exſtant hi in biblioth. patrum edit. II Tom. VIII. Ac mentio eorum quoque fit apud Gregorium Turonenſem libro primo miraculorum Martini cap. I, his verbis: *Paullinus quoque beatus, Nolanæ Urbis epiſcopus, poſt ſcriptos verſu de virtutibus ejus, quas Severus complexus eſt, quinque libros, illa comprehendit miracula, quæ poſt ejus geſta ſunt tranſitum, id eſt in ſexto operis ſui libro.* Et Turonenſis æqualis Venantius Fortunatus initio libri primi de eapſe hiſtoria:

*Stemmate, corde, fide, pollens Paullinus, & arte*
*Verſibus explicuit Martini dogma Magiſtri.*

Niſi hoc opus unum eſt Paullini Nolani quod Barthius cenſet lib. XLIV Adverſar. cap. V. Ubi & obſervat, ut Franciſcus Juretus alio priorem, alio poſteriorem ſententiam ſequatur. Turonenſis tamen, ut vidimus, clarè tribuit Nolano. Et elogia à Venantio tributa Paullino facilè oſtendunt Nolano id opus tribuiſſe. Etiam Paullinus libris ſeptem celebrat natalem B. Felicis, non quo editus in lucem, ſed quo (ut Paullini ipſius verbis utar)

*—— corpore terris*
*Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in aſtris,*
*Cæleſtem nactus ſine ſanguine martyr honorem.*
*Nam confeſſor obit, pœnas non ſponte lucratus,*
*Accipiante Deo fidam pro ſanguine mentem.*

Meminit ejus operis quoque Sigebertus lib. de illuſtr. ſcriptor. cap. XIV. Ex eo proſâ vitam S. Felicis contexuit venerabilis Beda: ut ipſe in præfatione teſtatur his verbis: *Feliciſſimum beati Felicis triumphum, quem in Nola, Campaniæ civitate, Domino adiuvante, promeruit, Paullinus ejuſdem civitatis epiſcopus, verſibus hexametris pulcherrimè ac pleniſſimè deſcripſit: qui quia metricis potiùs, quàm ſimplicibus, habiles ſunt lectoribus, placuit nobis ob plurimorum utilitatem, eandem ſancti Confeſſoris hiſtoriam planioribus dilucidare ſermonibus.* Libellum etiam ſuum ita claudit: *Explicit liber de vita & confeſſione ſancti Felicis: quem ego famulus Chriſti Beda de metrico opere beati epiſcopi Paullini ſimplici ſermone tranſtuli.* Martyrium quoque ſcripſit S. Geneſii Arelatenſis epiſcopi: quod apud Surium eſt Tom. IV die XXV Auguſti. De Paullino hoc vide & quædam in Chronico Burdegalenſi Gabrielis Lubæi ad ann. CCCXCIV. Elogia Paullini ſedulo ex veteribus collegit Barthius Adverſ. lib. LX in Auguſt. lib. I. de civit. Dei cap. X. col. 2971. & ſeq. Ex iis teſtimoniis, & vitam Paullini, & quantus vir fuerit, cognoſcere cuivis licebit. Fuſiſſimè autem Paullini vitam ab amico Romæ perſcriptam, unà cum Paullini operibus, ſuiſque & Frontonis Ducæi in eum notis edidit Heribertus Rosweidus, edit. Plantin. an. 1622.

Sulpitio, Paullinoque, ſociari optat Q. Julius Hilario, qui Chronologiam, ſive de mundi duratione libellum ſcripſit. Extat in Tom. VII biblioth. PP. primuſque edidit Pythœus. In frontiſpicio MSi exaratum erat: *Hunc librum Rudolphus lucratus eſt S. Bonifacio anno Domini* CIↃ CCCLX. Quare ducentis ſexaginta annis codex ille fuerit antiquior. Ipſe verò Hilario quando vixerit, non video unde colligi poſſit, præterquam hiſce ipſius verbis: *A paſſione domini in conſulatu Cæſaris, & Attici, die* IX *April. anni tranſierunt* CCCLXIX. Ubi legendum cenſeo, *Cæſarii, & Attici*; qui conſules fuere anno CCCXCVII. Sed à paſſione Chriſti, uſque ad id tempus, anni ſunt CCCLXIV. Et ſanè ita puto Hilarionem ſcripſiſſe. Proclivi enim lapſu x potuit pro v poni. Sed ſi tam vetuſtus eſt ſcriptor, mirum, neminem antiquorum ejus meminiſſe. Chiliaſtam fuiſſe, liquet ex libelli extremo.

## Cap. XIII.

*Cur S. Auguſtinus vitam ſuam, non ita uti vulgò Vitæ ſcribi ſolent, tradere voluerit: ſed prout ab eo factum videmus in Confeſſionum libris. Illa de hæreſi Neſtorii, & Eutychis, libro Auguſtini de hæreſibus ab alio ſunt aſſuta. Primaſius, qui anno claruit* IↃXL, *tres libros huic Auguſtini operi addidit. Paullinus, quo hortante, ac quando, vitam Ambroſii in literas miſerit, & unde ei cum Auguſtino amicitia. Refelluntur, qui Paullinos duos, unum presbyterum Mediolanenſem; alterum epiſcopum Nolanum confundunt: deque diverſo utriuſque ſtylo. Maximus Taurinenſis. Honorii locus emendatus.*

B. Aurelius Auguſtinus, Hipponenſis antiſtes, Arcadii & Honorii temporibus vitam ſuam XIII Confeſſionum libris complexus fuit. Hoc prætulit ſcribendi genus, ne laudum ſuarum buccinator videretur: ſimul ut lectorem magis ad Dei laudationem excitaret. Itaque ipſe Auguſtinus hoc de opere ſic loquitur Retractat. lib. II cap. VI. *Confeſſionum mearum libri tredecim, & de malis, & de bonis meis, Deum laudant juſtum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum, & affectum. Interim, quod ad me attinet, hoc in me egerunt, cùm ſcriberentur, & agunt, cùm leguntur.* Nec ad hiſtoriam minùs, quàm Fidem, pertinet de Hæreſibus liber, quem etiam Poſſidii indiculus agnoſcit. In eo Pelagianam hæreſin recentiſſimam ſtatuit. Quæ igitur de Eutyche, & Neſtorio, ibi leguntur, poſt exceſſum beati antiſtitis adjecta fuere. Atque hoc etiam annorum ratio clarè evincit. Quæ verò, morte præventus, præſtare hoc opere non potuit Auguſtinus, tribus libris perſecutus fuit PRIMASIUS, itidem Africanus epiſcopus: ſed ſeculo toto junior: de quo Iſidorus in catal. cap. IX, & ex eo Honorius Auguſtodunenſis.

Eodem tempore fuit Paulinus presbyter: qui vitam B. Ambroſii ſcripſit ad B. Auguſtinum. Hortatu ſe Auguſtini eam conſignaſſe, ipſe initio Vitæ profitetur. Nec ſtatim ab obitu Ambroſii id feciſſe, ſed aliquanto pòſt, illud docet, quòd, cùm iſta ſcriberet, non Simplicianus, qui Ambroſio ſucceſſerat anno CCCXCVII, deſieratque vivere anno CCCC: ſed Venerius epiſcopalem Mediolani ſedem obtinebat. Sic enim Paullinus: *Defuncto tamen Ambroſio, non alius illi ſucceſſit, niſi is, quem ille bonum trinâ voce ſignaverat. Cui Simpliciano Venerius ſucceſſit.* Amicitia, quæ Paullino fuit cum Auguſtino, contracta eſſe potuit, partim Mediolani, cùm iſtic ageret Auguſtinus; partim in Africa; ubi quoque fuiſſe, hæc oſtendunt verba in extremo Vitæ ejus: *In urbe etiam Carthaginenſi, cùm apud Fortunatum diaconum, fratrem venerabilis viri Aurelii epiſcopi, ad convivium veniſſem unà cum Vincentio, Coloſſitano epiſcopo; Murano etiam, epiſcopo Bolitano; ſed & aliis epiſcopis, & diaconibus: Murano epiſcopo, detrahenti ſancto viro, retuli exitum presbyteri ſuperius memorati.* Loci, in quo hæc ſcripſerit, meminit iſtis verbis: *Nos tamen ea Mediolani poſiti, ipſo Maſcezele referente, cognovimus. Nam & in hac provincia, in qua nunc poſiti hæc deſcribimus, pluribus hoc ipſum retulit ſacerdotibus.* Hoc de ſcriptore ita Iſidorus Hiſpalenſis in illuſtribus viris cap. XVII: *Paullinus presbyter explicuit in benedictionibus patriarcharum triplici intelligentiæ genere librum ſatis ſuccinctâ brevitate compoſitum. Idem etiam, petente Auguſtino, conſcripſit Ambroſii vitam ſignis florentem, atque doctrinis.* Eademque habemus apud Honorium. Confundit eum cum Paullino Nolano Sigebertus. Sed Sigebertum tuetur, in notis

ad

ad Iſidorum, vir doctus, Jacobus du Breul, monachus S. Germano à Pratis. Sic enim ſcribit: *Fruſtra multi noſtrâ ætate, Honorium Auguſtodunenſem ſecuti, Paullinos duos faciunt, unum Nolanum epiſcopum; alterum, presbyterum Mediolanenſem, auctorem vitæ ſancti Ambroſii; cum ipſe Paullinus in epiſtola ad Alypium ſcribat, ſe, licet in Hiſpania ordinatum fuerit presbyter à Lamprio, epiſcopo Barcinonenſi; tamen, beneficio ſancti Ambroſii, aſſecutum eſſe, ut, ubicumque terrarum degeret, Ambroſii presbyter diceretur.* Nobis ſecus planè videtur. Idque duabus de cauſſis. Nam dictio in vita Ambroſiana nequaquam ſpirat elegantiam ac venuſtatem, quam omnia habent Paullini Nolani: imò longiſſimè ab ea abeſt. Adhæc tempora, ut idem ſit, minimè ferunt. Nam, Ambroſio ſuperſtite, jam in Nolanum agrum conceſſerat Paullinus: ut ipſe teſtatur Ambroſius epiſtolâ XXXVI. Verba ejus antea adduximus, cùm de Nolano Paullino ageremus. At hic Paullinus, moriente Ambroſio, erat ei à manu, ac minoris ordinis clericus ſub curâ Caſti diaconi agebat Mediolani. Sic enim ipſe in vita Ambroſii inquit: *Ante paucos verò dies, quàm lectulo detineretur, cùm quadrageſimum pſalmum dictaret, me, & excipiente, & vidente, ſubito, in modum ſcuti brevis, ignis caput ejus cooperuit, atque paullatim per os ipſius, tanquam in domum, habitator ingreſſus eſt, & facies ejus facta eſt velut nix; poſtea verò reverſus eſt vultus ejus ad ſpeciem ſuam. Quod cùm fieret, ſtupore perculſus obrigui; nec potui ſcribere, quæ ab illo dicebantur; niſi poſteaquam viſio ipſa tranſibat. Dicebat enim in eo tempore teſtimonium ſcripturæ, quod ego optime retinebam. Nam ſcribendi, vel dictandi, ipſo die finem fecit. Sed quidem ipſum pſalmum explere non potuit. Ego verò id, quod viſum à me fuerat, honorabili viro Caſto diacono, (ſub cujus curâ degebam) ſtatim retuli.* Unde cognoſcimus, Paullinum hunc notarium fuiſſe; qui diacono ſuberat, & res Eccleſiæ ſignabat.

Æqualis his Maximus Taurinenſis Epiſcopus, qui, ut de eo Gennadius catal. cap. XL ait, *fecit duos de S. Euſebii, Vercellenſis epiſcopi, & confeſſoris vita tractatus: & de ſanctorum, Cypriani, & Laurentii, martyrio*, multaque alia: quæ Romæ prodierunt anno CIↃIↃLXIV. Quædam tamen ex iis homiliis etiam reperiuntur inter illas de Temporibus, aut Sanctis, quæ ſub Auguſtini nomine leguntur: uti & quædam earum eſt apud Ambroſium, & Auguſtinum de verbis Apoſtolorum. Qua de re vide Criticum Sacrum clariſſimi collegæ mei, doctoris Theologi in antiquis Theologis egregiè verſati, Andreæ Riveti. Cæterùm ſermonem de Canto, Cantiano, & Cantianilla, qui apud Ambroſium eſt LXXV, Maximi eſſe, cenſet Surius, qui eum refert ad XXXI Maji. Moritur Honorio, & Theodoſio juniore, regnantibus: ut ibidem legitur. Eademque apud Honorium reperias. Sed corruptè in hoc legas, *ſub Theoderico* clariiſſe. ubi *Theodoſio* reponendum videtur ex Gennadio. Niſi magis placet ex Honorio emendari Gennadium. Sanè, ut bene Baronius obſervat, non poteſt ſub Honorio mortuus eſſe, ſi in Concilio fuit Mediolanenſi, quod ſub Marciano celebratum eſt: aut ſi Concilio Romano epiſcoporum XLVIII interfuit anno CCCCLXV. & poſt Urbis epiſcopum primus ſubſcripſit. Quid ſi igitur utrobique legendum dicamus, *Moritur Odoacro & Theoderico regnantibus.* Sanè prior horum Italiæ dominium invaſit anno CCCCLXXVI: alter in Italiam irruit anno CCCCLXXXIX, ac paullò pòſt inſidiis Odoacrum, regni ſocium, ſuſtulit.

## CAP. XIV.

*Oroſii ætas, ac quâ occaſione hiſtoriam ſcripſerit. Diſquiſitum, unde hiſtoriæ huic* Hormeſtæ *nomen impoſitum ſit. Unde item Propertius* Nautæ, *Martialis autem* Coqui *acceperit cognomen. De Oroſio judicium. Cujus ſit commentarius in Cantica Oroſio tributus. Liquidò oſtenſum, in apologia Oroſii de libero arbitrio octodecim capita legi ex libello Auguſtini: nec ea ab Oroſio eſſe ex magno illo antiſtite exſcripta: ſed dum chartæ manuſcriptæ utriuſque ſcriptoris incompactæ habentur, incuriâ quadam pluſcula ex Auguſtino folia fuiſſe Oroſianis permixta: quod nec ab editore fuerit animadverſum.* Euodius Uzalenſis, *ac* Severus Minoricenſis, *de miraculis per Stephanum protomartyrem factis. Luciani liber de reliquiis S. Stephani, tranſlatus ab* Avito presbytero.

PAullus Oroſius, Hiſpanus patriâ, domo (ut Joannes Gerundenſis a tradit) Tarraconenſis ſub Arcadio, & Honorio, vixit: ut Proſper in Chronicis ait. Hic cùm Româ ab Alaricho, Gothorum rege, captâ, gentiles, & hujus, & omnium calamitatum cauſſam, in Chriſtianos conjicerent, compoſuit, hortatu B. Auguſtini, ſeptem hiſtoriarum libros: quibus oſtendit, ab orbe condito, uſque ad tempus, quo illa ſcriberet, (id ſpatium ipſe dicit annorum eſſe quinquies mille ſexcentorum & duodeviginti) maximas ſemper, atque atrociſſimas, per orbem calamitates contigiſſe. Opus illud *Hormeſtam* appellari video, cùm in ſpeculo Vincentii Bellovacenſis, tum Trithemio, Geſnero, aliis. Imò apud Balæum, Cent. II. cap. XXVI, legas, Alphredum Magnum, regem Anglorum doctiſſimum, qui anno obiit nongenteſimo primo, *Hormeſtam Paulli Oroſii in linguam Anglicam tranſtuliſſe.* Cur verò liber iſte *Hormeſta Oroſii* dicatur, divinare difficile eſt. Proximè quidem *Hormeſta* accedit ad *Hormeſta*, ſive *Hormenta:* ὁρμιδευτὴς autem piſcatorem ſignificat, Heſychio teſte. Num ergo putabimus, Oroſio piſcatoris hæſiſſe nomen, uti Propertio *nautæ* cognomentum apponitur in MSSis, ac veteri, quam habeo, editione ejus poëtæ, Regii Lepidi procuratâ anno CIↃCCCCLXXXI: aut quomodo Martialis *coquus* vocatur à Jacobo Magno Toletano in Sophologio, & aliis ejuſce ſeculi ſcriptoribus, ac pleriſque codd. MSSis? Sed unde natum ſit utrumque hoc cognomen, jam viri docti acutè perſpexerunt. Nempe Propertio nautæ nomen adhæſit ex eo, quòd in corruptis poëtæ ejus codd. exaratum eſſet, *Quamvis navita dives eras:* ubi nunc rectè legitur, *non ita dives eras.* Martialis autem coqui nomen accepit exinde, quòd apud Lampridium legeretur jam olim, *ut Martialis coci epigramma ſignificat:* pro, *ut Martialis quoque epigramma ſignificat.* Satis hæc aperta. Sed unde Oroſio ὁρμιδευτῇ ſive piſcatoris nomen datum ſit, non æquè facile dictu eſt. Imò nec tam Oroſius vocatus Hormeſta, quàm hiſtoria ejus. Quid ſi dicamus, non *Hormeſtam*, ſed *Hormathum* ſcribi debere? Nam Chronicon nihil eſt aliud, quàm catenata temporum ſeries: ὁρμαθὸς autem catenam, aut ſeriem notat: unde in veteri verbo, ὁρμαθὸς κακῶν. Sed hoc commentum ne mihi quidem placet: nedum aliis me illud probaturum ſperem. Potiùs cenſeam, dominum libri in frontiſpicio ejus, ut fieri ſolet, nomen ſuum adſcripſiſſe. Hoc fuiſſe *Hormiſda*, vel ſimile: id poſtea inſcriptionis factum eſſe partem ab imperito librario. Vel, quod imprimis placet, dicendum, *Hormeſta* corruptum eſſe ex *hominum miſeria:* quæ voces non integrè, ſed compendio quodam literarum erant exaratæ: ut in veteribus Manuſcriptis crebrò fit. Inde igitur occaſio fuerit erroris. Sanè eruditus ſcriptor προλεγομένων in Tom. Hiſtoriæ Orientalis ait, in codicem ſe Oroſii incidiſſe, qui inſcriberetur, *De miſeria hominum.* Et valde convenit is titulus cum propoſito auctoris, & argumento operis: ut liquet ex occaſione ea, qua hiſtoriam hanc conditam eſſe antè dicebamus. Tædet pluribus inſiſtere rei tam incertæ, & voci planè nihili. Nec enim id nomen, vel ſcriptores veteres, vel melioris ævi codd. agnoſcunt. Venio ad ea, quæ majoris ſunt momenti. Eſt Oroſius ſcriptor planè utilis: ſed qui ſcriptores Græcos non legerit: imò Græcarum literarum expers fuerit. In temporibus etiam crebrò fallitur. Ut vel illa oſtendunt, quæ in eo caſtigavit Scaliger in animadverſionibus Euſebianis. Sæpius etiam vulgares ſectatur opiniones, quam hiſtoricum. Perquirat, cujus eſt omnia ad veritatis trutinam expendere. Ita videmus eum

a *Initio* παραλειπομένων *Hiſp.*

libro VII. tradere Druſum à Tiberio extinctum veneno, quam opinionem vulgi refellit Tacitus in IV Annal. Juſtus Lipſius commentario ad eum locum, culpat hoc nomine Oroſium, & aſperiùs aliquanto quàm vellem ſubtexit: *At me non valde movent ejuſmodi ſcriptores legitimæ hiſtoriæ, (dicam iratis quorundam auribus) dehoneſtamenta.* Item in lib. V, cùm queſtus eſſet de magno hiſtoriæ hiatu (nam triennii ferè geſta deſiderantur) ſubjungit mox: *Adeò bonis illis patribus cura otiumque fuit deſcribere Oroſios, & Vopiſcos, & hujuſmodi quiſquilias præ* (Taciti) *auro.* Nec immeritò ſanè. Haut inutilis Oroſius. Sed Tranquillus ad Tacitum. Caſauboni etiam judicium apponam ex I Exercit. ad Apparatum Annalium ſect. XII: *Oroſium, ex quo multa in hoc ſcriptore deſcribit, ſcriptorem alioqui optimum, & zelodomus Dei plenum, ſi injuria facilitatis in talibus credendis poſtulaverimus; non deerunt viri præſtantiſſimi, & veri amantiſſimi, quorum exemplo factum tueamur; rationes validiſſimæ, quibus ſanctum virum πεχυπεῦθίας, & injuria credulitatis reum peragamus.* Et ſanè Baronius quoque non ſemel fidem Oroſio detrahit propter nimiam credulitatem. Vitam Oroſii Gennadius breviter conſignavit. Aliquid de hoc quoque Honorius. At fuſiùs de eo nos lib. I. Hiſtoriæ de Pelagio cap. XVII. Verùm quod tum putavimus, commentarium in Cantica, qui Oroſii nomine citatur, Origeni priùs fuiſſe tributum, planè falſi ſumus, cùm Honorii ſit; ut poſtea ab clariſſimo, dumque viveret, amiciſſimo viro, Geverarto Elmenhorſtio, didicimus. Sed genuinus planè Oroſii fœtus eſt Apologia ejus de Arbitrii libertate. Quo in opere obſervavi quiddam, quod planè operæ pretium hoc loco exponere videatur; etſi ad hiſtoriam minimè pertineat. Animadverti, ut huic libello, (qui Oroſii hiſtoriæ ſub-
a Colon. apud Matern. Cholinum. an. 1572. jectus eſt in editione ea *a*, quam Franciſcus Fabricius emendavit) inſerta ſint ſeptem integra Auguſtini folia cum parte octavi, quæ ex opuſculo illo planè debeant furcillari. Auguſtini illa, quæ dixi, incipiunt ab iſtis verbis
b P. 750. edit. Col. quam diximus. *b*: *Hanc eſſe intentionem legis arguentis, ut propter illa, quæ perperàm fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miſerentis:* quæ habemus cap. XII. Auguſt. de Nat. & Grat. Porrò ſequuntur reliqua ejuſce capitis. Item Auguſtini cap. XIII,
c P. 758. XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, uſque ad illa verba *c*: *Medico indiget, quia ſana non eſt.* Exinde habes Auguſtini cap. III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI, & partem duodecimi, uſque ad iſta: *Sicut Apoſtolus ait, Numquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit, quid me finxiſti ſic?* Dixerit aliquis, Oroſium iſta ex Auguſtino eſſe mutuatum. Sanè hoc ſenſiſſe videtur Joannes Molanus, Theologus Lovanienſis, in Bibliothecâ materiarum: ubi inter eos, qui de arbitrii libertate ſcripſerunt, Oroſium ponit, atque addit, librum ejus potius eſſe collectaneum ex Auguſtino. Sed huic ſententiæ multa adverſantur. Primùm quod in
d P. 752. panno aſſuto legas hæc verba *d*: *In libris, quos ad Marcellinum inſcripſi, ſicut potui, explicare curavi.* Atqui ſi ex Auguſtino centonem farcire voluiſſet Oroſius, eumque venditare pro ſuo, ſaltem leviter hæc immutâſſet, aut planè prætериiſſet verba iſta. Auguſtinus enim eſt, quem ad Marcellinum ſcripſiſſe ſcimus de peccatorum meritis,
e P. 760. & remiſſione. Nec magis Oroſio conveniunt verba illa *e*, *Quanto majore zelo accenſus eſt libri hujuſce, quem miſiſtis, conditor.* Hæc ſane qui ſcribere potuit Oroſius, cùm intelligatur ab Auguſtino Pelagii liber de naturâ, quem Jacobus & Timaſius, adoleſcentes, miſerant Auguſtino, ut eum refelleret. Atqui Oroſius, non Jacobum, & Timaſium, alloquitur; ſed patres Palæſtinos, ut ex Apologetici, & ingreſſu, & epilogo, conſtat. Illud quoque quantivis pretii argumentum eſt, quòd ſi ſeptem, quæ dixi, folia, unà cum octavi parte, eximantur, aptè omnia cohærent; non item, ſi relinquantur ea, quæ alienum nunc fundum occupant. Nam antè iſta ex Auguſtino aſſu-
f P. 750. ta, proximè hæc Oroſii antecedunt *f*: *Mea ſententia eſt, quia & in hoc quoque peccamus, qui cùm infirmi ſumus, de infirmitate conquerimur.* Poſt verò Auguſtini pannum
g P. 765 continuò ſequuntur iſta *g*: *Sicut dicit Apoſtolus, Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me finxiſti ſic? Infirmitatis ei querela, propria virtutis ambitio eſt: quoniam occultè adjutorium Dei faſtidit, quia peculiarem fortitudinem quærit.* Atque ex his quoque liquet, non tantùm ab Oroſio minimè eſſe inſerta, quæ diximus: ſed ne quidem ab aliquo, ad pleniorem explicationem eorum, quæ Oroſius ſcripſerat, fuiſſe adjecta. Sunt enim, quæ iſtic nunc leguntur, planè aliena à propoſito. Caſu igitur factum putamus, ut quis Auguſtini aliquas pagellas, eaſque inverſas & trajectas, permiſcuerit Oroſianis. His verò ſemel incuriâ aliquâ admiſſis, & cum Oroſianis poſtea compactis, factum fuit, ut tanquam Oroſiana legerentur à lectore parùm attento, & in Auguſtini lectione non multùm verſato. De Oroſii hiſtoria ſatis. Niſi hoc addi placet, Manuſcriptum ejus exemplar cum inſcriptione Ormeſtæ extare etiam Oxonii in bibliothecâ Balleolenſi, ut ait Thomas Jameſius. Qui & auctor eſt, Cantabrigiæ in bibliotheca Collegii S. Benedicti manuſcriptum eſſe exemplar Oroſii de viris illuſtribus. Quale opus videre nondum contigit. Sed ſanè metuo ne non Oroſii, verùm Honorii illud ſit. Quæ nomina in manuſcriptis quandoque confunduntur.

Hujus temporibus etiam Euodius fuit, Uzalenſis epiſcopus, ad quem Auguſtini literæ exſtant, unus ex quinque illis Africæ epiſcopis; quorum literas habemus ad Innocentium primum. Hic conſignavit miracula facta per reliquias ſ. Stephani, quas ex Palæſtina in Occidentem primus tulerat Oroſius. Teſtis Auguſtinus de civit. Dei lib. XXII. cap. VIII. ubi cùm dixiſſet, nondum biennium eſſe, ex quo apud Hipponem Regium cœpiſſet eſſe memoria Stephani protomartyris; & jam haberi LXX fermè libellos, qui miracula facta teſtificarentur: ſubjicit iſta, *Calamæ verò, ubi & ipſa memoria prius eſſe cœpit, & crebrius* (libelli) *dantur, incomparabili multitudine ſuperant. Uzali etiam, quæ colonia Uticæ vicina eſt, multa præclara per eundem martyrem facta cognovimus: cujus ibi memoria longè prius, quàm apud nos, ab Epiſcopo Euodio conſtituta eſt.* Sigebertus in illuſtr. ſcriptor. cap. XV. *Euodius epiſcopus ſcripſit librum de miraculis in Africa oſtenſis per reliquias Stephani protomartyris noviter inventas, quas detulit in Africam Oroſius, Auguſtini diſcipulus.*

Similiter circa hæc tempora Severus, minoris inſulæ Balearis epiſcopus, circularem ad omnes eccleſias epiſtolam miſit de Judæorum eâ in inſulâ converſione, aliiſque miraculis ibidem factis per reliquias ſancti Stephani, quas Oroſius, quia in Hiſpaniam à Gotthis obſeſſam tranſmittere non poſſet, iſtic reliquerat. Ex Vaticana eam bibliotheca edidit Baronius in Annal. Eccleſiaſt. ad annum CCCCXVIII.

Ætate eâdem fuit, ſimilique in argumento verſatus eſt, Avitus presbyter, natione Hiſpanus. Nam librum Luciani presbyteri, de inventis reliquiis Stephani martyris, è Græco Latinè vertit, epiſtolaque ſuâ præmiſſâ, occidentalibus per Oroſium tranſmiſit. Gennadius auctor in catalogo cap. XLVII. & Matthæus Weſtmonaſterienſis in Florilegio ad annum CCCCXVIII. Alius verò ab eo eſt Alcimus Avitus, epiſcopus, qui circa annum floruit quingenteſimum. De eo Iſidorus in catal. cap. XXIII.

## CAP. XV.

*Aurelii Victoris junioris ætas, & unde ſua excerpſerit. Geſneri παρόραμα. Victoris hujus lapis vetus: niſi hiſtorico potius Victorio, aut Victorino, nomen fuit. Rutilii Claudii dignitas, carmen, cui id dicârit quando ſcripſerit, cujuſmodi dictio, ejuſdem virulentia erga religionem & Judaicam, & Chriſtianam.*

SExtus Aurelius Victor itidem vixit temporibus Arcadii, & Honorii: ac de vitis imperatorum Romanorum epitomen fecit: eamque ad Theodoſii uſque exceſſum perduxit. Contexta hæc epitome eſt, cùm ex Tranquillo, Eutropio, Ammiano, aliis: tum etiam Sexto illo Aurelio Victo-

Victore, de quo ſuperiùs dictum. At non audiendus doctiſſimus Geſnerus, cùm in priori Bibliothecæ ſuæ tomo ait, Eutropium ex hoc ſcriptore potiſſimùm hauſiſſe, quæ refert. Nam Eutropius claruit tempore Juliani; ut Victor hoc ſit vetuſtior. Suſpicor autem hiſtoricum noſtrum eum eſſe, cujus inter inſcriptiones veteres hoc fragmentum habemus:

....IERUM PRINCIPUM CLEMENTIAM
....ANCTITUDINEM MUNIFICENTIAM
SUPERGRESSO
D.N. FLAVIO THEODOSIO PIO VICTORI
SEMPER AUGUSTO
SEX. AURELIUS VICTOR V.C. URBI PRÆF.
JUDEX SACRARUM COGNITIONUM
D. N. M. Q. E.

Sanè tempora conveniunt; cùm Theodoſii ætate vixerit; nec multò poſt Theodoſium & ipſe vitâ exceſſerit; ut qui in Theodoſii morte deſinat, uti diximus. Alius tamen fuerit, ſi hiſtoricus noſter non Victor dicebatur: ſed Victorius, aut Victorinus. Quod poſterius in tribus Aurelii hujus codicibus manuſcriptis ſe reperiſſe ſcribit V. Clariſſ. Andreas Schottus. Sanè in Aurelia gente fuiſſe non Victores modò, ſed & Victorios, liquet ex antiquo lapide, quem Romæ J. Lipſius exſcripſit, ubi legas, M. AURELIUS VICTOR IV. Mentio hujus hiſtorici fit apud Paullum Diaconum de geſtis Longobardorum libro II. cap. XVIII. his verbis: *Sunt qui Alpes Cottias, & Apenninas, unam dicunt eſſe provinciam: ſed hos Victoris revincit Hiſtoria, quæ Alpes Cottias per ſe provinciam appellat.* Locus Victoris, quem ſignat, eſt iſte in Nerone: *Pontum in jus provinciæ, Polemonis reguli permiſſu, redegit, à quo Polemoniacus Pontus appellatus eſt: itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo.* Sed veteres edit. in Paulli loco pro *Victoris*, ut eſt in manuſcriptis, habent *Victorini*. Ut nec ex hoc loco liqueat de vero ejus hiſtorici nomine.

Ad hæc etiam tempora pertinet Claudius Rutilius, ſive Rutilius Claudius Numatianus Gallus, qui Ὁδοιπορικὸν ſive Itinerarium ſcripſit libris duobus. Sed poſterioris libri pars melior deperiit. Fuit vir conſularis, præfectorius Urbis, tribunus militum, & prætorio præfectus. Dignitatum earum meminit ipſe his verbis:

*Si non diſplicui, regerem cùm* JURA *Quirini;*
*Si colui ſanctos,* CONSULUIQUE *patres:*
*(Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum,*
*Non ſit* PRÆFECTI *gloria, ſed populi)*
*Sive datur*, &c.

Et poſt multa:

*Officiis regerem cùm regia tecta magiſter,*
*Armigeraſque pii principis excubias.*

Dedicavit poëma ſuum Venerio Rufio. Quia verò carmen heroicum reſpuit Venerii nomen; ut in quo tres primæ ſint correptæ: eò maluit hoc pacto ejus indicium facere:

*Optarem verum complecti carmine nomen:*
*Sed quoſdam refugit regula dura pedes.*
*Cognomen verſu,* VENERI *cariſſime* RUFI,
*Illo te dudum pagina noſtra canit.*

Ubi *Veneri* & vocandi caſus eſſe poteſt à recto *Venerius*, ut *Virgili* eſt à *Virgilius*: & dandi caſus à recto *Venus*, ut Rufius Divæ Veneri cariſſimus dicatur. Perperam autem, qui *Rufius* eſt, à quibuſdam *Rufus* vocatur: quod allatus verſus indicat: atque item iſte:

*Rufius Albini gloria viva patris.*

Cujas ille Rufius fuerit, & quos geſſerit honores, oſtendunt ea, quæ Rutilius continuò ſubjungit. Scriptum eſt hoc poëma poſt cædem Stiliconis, ac Romam ab Alaricho Gotho captam: quod ſatis ex poſterioris libri reliquiis cognoſcitur. In eo carmine ſitum locorum attentiùs conſideranti, verſus quoſdam loco ſuo trajectos eſſe, non erit obſcurum. Carmen eſt elegans, etiam ſupra ætatem, qua poëta vixit. Sed in quo, jure optimo, culpes iniquum, ac planè virulentum animum, tum erga Chriſtianos, imprimis monachos Capraris, & Gorgoniæ inſulæ: tum Judæos, quorum ſabbatha homini, in pietatis ac religionis negotio, planè cæco, videatur eſſe

—— *laſſati mollis imago Dei.*

## CAP. XVI.

*Vita B. Auguſtini à Poſſidio ſcripta. Honorius Auguſtodunenſis emendatur. Patricius, primus Hibernorum epiſcopus, quæ hiſtorica ſcripſiſſe dicatur. Conſtantinus de vita B. Germani. Oranius, ſive Uranius, de vita B. Germani. Paratus carmine argumentum idem tractare decrêrat. Hilarius Arelatenſis de vita Honorati. Petronius de vita monachorum in Ægypto. Honorius iterum correctus. Petronius de ſanctorum Patrum apophthegmatis. Acta Petronii ubi exſtent; & quem habeant auctorem.*

VAlentiniani tertii ætate fuit Poſſidius Afer, Calamenſis epiſcopus, qui B. Auguſtini vitam, ſcriptorumque indiculum reliquit. Hodieque ea exſtant. Meminere autem etiam Iſidorus, & Sigebertus, in ſcriptoribus illuſtribus. Imò & Honorius. Sed apud eum corruptè vocatur *Poſſidonius*.

Etiam ſub Valentiniano tertio fuit Patricius, qui Hibernorum dicitur Apoſtolus. De eo ſic Sigebertus ad ann. Chriſt. CCCCXXXII: *Cæleſtinus Papa ad Scotos in Chriſtum credentes Palladium mittit primum epiſcopum. Poſt quem ad eoſdem ab eodem Cæleſtino miſſus eſt ſanctus Patricius, genere Brito, filius Conches, ſororis ſancti Martini Turonenſis; qui in baptiſmo quidem dictus eſt Suchat, à ſancto Germano Magonius, à Cæleſtino verò Patricius: à quo Archiepiſcopus Scotorum ordinatus, per LX annos ſignis, ſanctitate, doctrinâ excellens, totam inſulam Hiberniam convertit ad Chriſtum.* Pleraque ex his etiam habes apud Marianum Scotum ad eundem annum. Baronius ad annum CCCCXXXI annotavit, vitam ejus à Probo, & aliis, prodi: atque etiam ſcripta ejus recenſeri. Ad oram verò remittit nos ad Balæi centuriam primam. Et ſanè centuriæ iſtius capite XLIII plurima ei tribuuntur, illaque inter hiſtorica hæc, De antiquitate Avalonica, Ὁδοιπορικὸν Hiberniæ, Hiſtoria Hiberniæ ex Ruano. De quibus nihil dicere habeo. Unum ſcio, in priorum ſeculorum ſcriptoribus non rarò Balæi fidem claudicare. Idem de Joanne Pitſeo dictum velim, qui exſcribere Balæum ſolet, præterquam in iis, quæ ad diſſidium in ſacro religionis negotio pertinent: ubi nihil mirum, ſi pugnantiſſima hi duo habeant.

Tum quoque claruit Conſtantinus epiſcopus, qui beati Germani vitam contexuit, ut ait Iſidorus de illuſtr. Eccleſ. ſcript. cap. IV. Obiit autem B. Germanus anno CCCCXXXV. Exſtat hoc Conſtantii opus libris duobus in Collectione Suriana a. d. XXXI Jul. Manuſcriptum verò Oxonii ſupereſt in bibliothecâ Bodlejana. Ubi & liber MSus de tranſlatione & miraculis ejuſdem Germani.

Æqualis his etiam Uranius, ſeu Uraninus, qui in libris nonnullis Oranius, vel etiam Oſanius vocatur. Deſcripſit obitum Paullini, presbyteri ejus, qui librum reliquit de vita B. Ambroſii. Auctor Iſidorus in illuſtr. ſcript. cap. IV. Exſtat ea hiſtoria apud Surium ad Jan. XXII. Manuſcripta verò, ut Poſſevinus ait, adſervatur in bibliotheca Medicæa. Inter alia refert, adfuiſſe ſe morienti, quod ætatem Uranii ſatis docet. Dicavit autem hunc libellum PARATO, qui vitam ejus verſibus deſcribere ſtatuerat: ut ex præfatione diſcimus. Sed utrùm id Paratus præſtiterit, ignoratur. At quatuor ſeculis pòſt, temporibus nempe Caroli Craſſi, quinque id libris fecit Hericus Altiſſiodorenſis: de quo ſuo loco dicemus.

Æqualis his etiam fuit Hilarius, diſcipulus B. Auguſtini, qui in Arelatenſi epiſcopatu ſucceſſit Honorato, ac librum de vita deceſſoris ſui edidit, ut Gennadius teſtatur de eccl. ſcript. cap. LXIX. & ex eo Iſidorus, ac Honorius. Vita hæc ante annos XII ex MSSis Lerinenſibus edita eſt à Vincentio Barrali, monacho Lerinenſi. Ejuſdem

ſermo de miraculo B. Geneſii martyris exſtat apud Surium a. d. xxv Auguſti. Obiit anno x Leonis Papæ, qui Chriſti fuit cccc xlix. Epitaphium ejus è tabula marmorea parieti infixa apud eundem Vincentium Barrali reperies. Plura de Hilario hoc Gennadius, ac nos lib. i. hiſtoriæ de controverſiis Pelagianis cap. xix.

Tum quoque Petronius, Bononienſis epiſcopus, (ut Gennadii verbis utar) *vir ſanctæ vitæ, & monachorum ſtudiis ab adoleſcentia exercitatus, ſcripſiſſe putatur vitas Patrum monachorum Ægypti: quas velut ſpeculum, ac normam profeſſionis ſuæ, monachi amplectuntur. Moritur, Theodoſio, Arcadii filio, & Valentiniano, regnantibus.* Eadem apud Honorium legas, ſed corruptè ibi ſcriptum, *floruiſſe ſub Theodorico:* ubi *Theodoſio* reponendum. Nec enim Theodoricus Gothus unà cum Valentiniano iii imperavit: ſed is demum duodequadraginta poſt ejus obitum annis, Odoacre dejecto, creatus Italiæ rex fuit. Alphonſus Ciacco, tractatu de B. Hieronymi Cardinalitio, adducit hæc ex MSo codice Petronii de Selectis SS. Patrum apophthegmatis: *Hieronymus, vir in omni doctrinarum genere abſolutiſſimus, S. R. E. presbyter Cardinalis, cùm ab æmulis ſuis accuſaretur, ex voluminibus Origenis innumera in ſua tranſtuliſſe opera, dixit: Laus, quæ debetur Origeni efferri, maxima eſt: & cùm illum in meis operibus imitatus ſum, illum imitari propoſui, quem nobis, & omnibus prudentibus, placere, minimè vereor.* Opus hoc à priori diverſum eſt. Nam in illo de ſolis Ægyptiis monachis actum fuit: in hoc univerſè de SS. Patribus, etiam B. Hieronymo, ut verba adlata arguunt. Tum autem in hoc ſola ſunt apophthegmata: in priori alia etiam, quæ ad vitam eorum pertinerent. Simile tamen argumentum facit, ut eundem Petronium credam. Quod ſi Ciacco fucum non fecit lectori: ſpero tandem aliquando fore, ut Petroniana hæc ſanctorum patrum apophthegmata adſpiciant lucem. Acta Petronii Bononiæ exſtant, cujus urbis epiſcopum fuiſſe diximus. Continentur autem ea Officio, quod ibidem octavâ D. Petronii recitatur, atque ante hos lx annos conſcriptum fuit à Gabriele Palæoto, Cardinale, & Epiſcopo Bononienſi, viro doctiſſimo. Meminit Petronii hujus Eucherius, Lugdunenſis epiſcopus, epiſtolâ ad Valerianum: *Hilarius nuper, & in Italia nunc antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima, ut ajunt, mundana poteſtatis ſede, unus in religionis, alius in ſacerdotis nomen aſcendit.* Patrem quoque in ſummo honore fuiſſe, indicat Gennadius; qui ait, fuiſſe prætorio præfectum, virumque eloquentiſſimum, & ſecularibus literis excultiſſimum.

## Cap. XVII.

Jo. Caſſiani *ætas, ac libri. Honorius emendatus. Caſſiani adverſarius* Proſper, *Auguſtini propugnator, ejuſque poſtrema de gratia Dei ſententia ſubſcriptum. Diſtinguuntur* duo Eucherii Lugdunenſes, *quos viri etiam ſummi pro uno eodemque habent. Eucherii libelli duo ſpiritualis intelligentiæ. Refelluntur, qui commentarios in Regum libros eſſe Eucherii putant. Gloſſema, quod in Iſidori contextum irrepſit.* Proſperi *Aquitanici Chronicon. In Beda conjectura.* Paſchaſius Sicilienſis. *Iſidorus correctus. Paſchaſius, & ante ſynodum Chalcedonenſem, ejus ſynodi ergò, legatus fuit ad Imperatorem: & in ea præſedit, nomine Leonis Papæ: & poſt eam, acta hujus ſynodi concinnavit.* Idacius, ſeu Itacius Lemovicenſis. *Quouſque Chronicon ſuum perduxerit. Sigeberti in eo lapſus. Trithemii error cum hoc Idatio confundentis illum, qui Priſcilliani æqualis, & adverſarius infeſtiſſimus fuit. Idatii liber adverſus Varimadum. Ætas* Antonii ejus, qui vitam Simeonis Stylitæ deſcripſit.

Etiam Joannes Caſſianus Scytha, qui priùs diaconus Conſtantinopoli, poſtea Maſſiliæ presbyter fuit, ejuſdem Valentiniani tempore claruit: ut vel indè cognoſcimus, quòd ſeptem ejus libri de incarnatione Chriſti ſcripti fuerint rogatu Leonis archidiaconi, qui poſtea epiſcopus Urbis fuit. Præterea verò edidit libros iv de inſtitutis monachorum: opus hiſtoricum pariter, ac dogmaticum: cui libros viii de vitiis principalibus, eorumque remediis, ſubjunxit. Adhæc ſcripſit Collationes cum patribus Ægyptiis habitas, quas libris xxiv complexus eſt. Earum etiam meminere Gennadius, ac Honorius: ſed apud hunc perperam pro *Collationes* editum *Collectiones.* Mentionem etiam facit Antoninus, archiepiſcopus Florentinus, part. ii. Hiſtor. Tit. x. cap. x. § ii. ubi opus hoc appellat *vitas patrum in Ægypto commorantium.* Eas anno ſcripſit cccc xxxii, ut ad hunc annum Conradus à Lichtenaw, qui vulgò dicitur Urſpergenſis abbas, annotavit. Manuſcriptum exemplar exſtat Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi: ubi (ut eſt apud Tho. James) inſcriptio iſtiuſmodi: *Sanctorum Patrum Collationes, auctore Joanne Monacho Bethlehemitico, qui etiam Caſſianus dictus eſt.* Eloquentiſſimum Scriptorem appellat Barthius Adverſ. lib. xliv. cap. iii. Quanti autem Caſſianum fecerit B. Fulgentius, atque ut, ejus lectione accenſus, Ægyptum petere ſtatuerit: cognoſcere eſt ex Fulgentii vita ab diſcipulo ejus ſcripta: ubi inter alia legas: *Subitò B. Fulgentius, Ægyptiorum monachorum quidem admirabiles legens,* INSTITUTIONUM *ſimul, atque* COLLATIONUM, *ſpiritali meditatione ſuccenſus, … moratas terras navigio petere ſtatuit, &c.* Quædam tamen ei inſperſa à Caſſiano fuere, quibus neceſſariò gratia in dubium vocaretur. Itaque adverſus Collatorem, hoc eſt, Caſſianum, ſcripſit B. Proſper. Ea forſitan fugerint aciem Fulgentii adhuc adoleſcentis. Vel ſi etiam … jam tum poſſet diſcernere, non propterea negligenda putabat, quæ ad augendam vitæ pietatem ac ſanctimoniam præclarè ab eo dicerentur. Sed hoc certum eſt, alterum poſtea epiſcopus Proſpero, non Caſſiano, adhæſit. Quod ſatis indicant libri, quos habemus. Et pleniùs cognoſcere licet ex iis, quæ de gratia, & libero arbitrio, ſcripſêre adverſus Fauſtum Rhegienſem: ut epiſcopi Africani in Sardinia exulantes epiſtolis ſuis ſynodicis teſtantur: item diſcipulus Fulgentii in vita magiſtri: atque etiam Iſidorus in viris illuſtr. cap. xiv. Nempe celeberrimi quique occidentalis eccleſiæ doctores ſequebantur Auguſtinum & Proſperum: cujus de gratia & libero arbitrio, prædeſtinationeque divina, doctrinam ipſe etiam ſequor, & probo. Ut omnino ſententiam meam hanc ſatis declarem, ſiqui exiſtimare me arbitrentur, poſtremæ Auguſtini ſententiæ, quâ prædeſtinationem fide, & perſeverantia, priorem facit, tamquam impiæ, vel etiam falſæ, obduci poſſe ea, quæ ante ſeptennium in opere de controverſiis à Pelagio, & Maſſilienſibus, excitatis, de priori Auguſtini ſententia retuli; vel etiam, quæ addidi ex libris, ſeu Latinorum, ſeu Græcorum Patrum, qui ſcripſerunt ante Pelagii hæreſin exortam. Nec enim, judicio meo, B. Auguſtinus prioribus Patribus repugnat: ſed quod de Prædeſtinatione priores ferè Patres præteribant, hoc addidit: atque ubi illi de gratia incautius eſſent locuti, hæc explicat. Sed de iſto fuſiùs, ſpero, alibi nobis commodior dabitur agendi locus.

Eucherius, Lugdunenſis epiſcopus, Thebæorum paſſionem proſâ conſcripſit, eamque dicavit Sylvio epiſcopo. Auctor Sigebertus in catal. cap. xlix: ubi Marbodeum Gallum ait, Eucherii hujus veſtigiis inſiſtentem, idem argumentum carmine excoluiſſe. Cenſeo autem ejus hoc Eucherii opus eſſe, quem Valentiniani, & Marciani, temporibus obiiſſe, Gennadius in Catalogo, atque Ado in Chronicis, teſtantur. Præter quem alter etiam ejus nominis, itidem epiſcopus Lugdunenſis, fuit: qui concilio Arauſicano ii ſubſcripſit anno Io xxix. Tunc enim id celebratum fuiſſe, oſtendimus lib. i. Hiſtoriæ de controverſiis Pelagianis cap. liii. Hoſce duos Eucherios Lugdunenſes confundunt multi: etiam annalium Eccleſiaſticorum conditor. Apud Gennadium legas, *Eucherium diſſeruiſſe etiam ad perſonam filiorum Veranii & Salonii,*

*poſteà*

*poſtea Epiſcoporum, obſcura quaque ſanctarum capitula Scripturarum.* Extſtat hic libellus in operibus Eucherii editis Baſileæ. Etiam Flacius illum ſubjunxit operi ſuo, quod Clavem Scripturæ nuncupavit: ac Vincentius Barrali Salernus, monachus Lirinenſis, inſeruit eum Chronologiæ ſanctorum, & abbatum, aliorumque illuſtrium virorum inſulæ Lirinenſis. Ubi & Eucherii epiſtolam parænetiçam reperies ad Valerianum ſuum. Item opuſculum de laude eremi ad Hilarium, Arelatenſem epiſcopum, ſolitudinis deſerta petentem. Cujus opuſculi Iſidorus meminit in viris illuſtribus. Commentarios in Geneſin, & libros Regum, eſſe ejus Eucherii, qui Caſſiani æqualis fuit, cenſet Dionyſius Faucherius, monachus Lirinenſis *a*. Sed eum fefellit, quòd comment. in libros Regum lib. III cap. XVIII. citatur Caſſiodorus ſenator in Pſalmorum expoſitione. Item quòd ejuſdem libri cap. XXII refertur, ut Gregorius Magnus Auguſtinum, & alios, in Britanniam miſerit ad Evangelium prædicandum. Nec movere debent verba ea, quæ adducit Dionyſius ex Iſidori de viris illuſtribus cap. XV. Ubi is, cùm opuſculi de laude eremi meminiſſet, hæc ſubjungit: *Scripſit alia in multos ſacros libros commentaria, non minus neceſſaria, quàm utilia, præcipuè verò in Geneſin, & libros Regum ad Salonium, & Veranum, fratres epiſcopos, opus prolixum & doctiſſimum.* Quippe hæc verba, (quæ & præfiguntur commentariis iſtis in editione Eucherii Baſileenſi) planè alius addidit Iſidoro. Sanè in MSSis melioribus non reperias: uti nec editione ea Iſidori, quam Coloniæ Suffridus Petri, vel Pariſiis dedit Jacobus Breulius. Deinde quid illud eſt, quod Eucherius etiam *alia in ſacras literas commentaria* ſcripſiſſe dicitur? Atqui non antecelſerat mentio ullorum in Scripturam commentariorum. Nempe priùs ſcriptum fuerat *aliàs*: prout editum in Baſileenſi editione. Atque ea particula hanc vim habet, unum quidem tantùm de ſolitudine edidiſſe libellum, qui tantopere laudetur ab Iſidoro: cæterùm, ſi ratio ineunda ſit omnium, quæ ſcripſerit Eucherius, nec præteriri debuiſſe commentarios iſtos in Scripturam. Hoc ſibi voluit, qui iſtæc ad oram allevenerat, quæ in contextum poſtea ſunt admiſſa.

a Præfat. præmiſſa Eucherii ad Hilarium epiſtolæ in Chronologia ſanctorum inſulæ Lirinenſis.

Ejuſdem Valentiniani temporibus fuit B. Proſper Aquitanus, quem Burdigalenſem appellat Joannes Aventinus de ſcriptoribus agens, è quibus ſecundum Annalium ſcribens profecit. Leonis Papæ primùm notarius, ac pòſt epiſcopus Rhegienſis fuit. Ut fortaſſe *Proſper Rhegienſis* legi debeat apud Bedam hiſtor. Eccl. lib. I cap. X, ubi nunc exaratum *Proſper rhetor.* Inter alia Chronicon ſcripſit à primo homine uſque ad Urbem ab Genſerico, Vandalorum rege, captam: quemadmodum Honorius tradit, ac ante eum ſcriptores duo, temporibus Proſperi vicini, Gennadius in Illuſtr. ſcr. cap. LXXXIV: ac Caſſiodorus libro de divinis lect. cap. XVII. Ex Chronicis iſtis nunc pars ſolùm exſtat, ab obitu Valentis, qui incidit in annum Chriſti CCCLXXIX, uſque ad Valentinianum VI, & Nonium, coſſ. hoc eſt Chr. an. CCCCXLVII. Cæterum triplex exſtat editio Chronici Proſperi. Prima antiqua eſt, quæ in vett. editt. B. Hieronymi Chronico ſubjungi ſolet. Altera planè ab eâ eſt diverſa, Proſpero Tironi Aquitano inſcripta; quam debemus Petro Pithœo, viro præclarè de antiquitate merito. Tertia expreſſa eſt ex MSo codice Auguſtano monaſterii SS. Afræ, & Udalrici; ubi auctor ejus itidem *Tiro Proſper* appellatur. Atque hæc, ut cum antiquâ in multis convenit; ita in nonnullis eſt dilutior: in nonnullis item, imprimis circa finem, auctior eſt. Hanc exhibuit Henricus Caniſius Tom. I. Antiq. Lect. ſed ita, ut & duas priores adjungeret, quò facilius cuivis eas ſit conferre. Præfatione in Chronicon ait, quanquam Gennadius dicat, exorſum fuiſſe à primò homine; tamen incepiſſe, ubi deſierat Hieronymus: ſed impoſuiſſe Gennadio, quòd in fine Proſperi vidiſſet collectionem annorum ab orbe condito, uſque ad ea tempora, ubi ipſe deſiſteret. Atque ita ibi ille: ſed in notis opinionem eam meritò retractat. Movent nempe aperta verba Gennadii, ubi dicit, *Chronica nomine illius prætitulata legi continentia à primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem, uſque ad obitum Valentiniani.* En, legiſſe ſe ait id Chronicon: & nos vidiſſe eum negemus? Præterea MSus codex Ulricianus Proſperi habet: *Incipit ex Chronicis Tironis Proſperi, Chronicorum Euſebii temporibus prætermiſſis.* Quid liquidius? Adde his, quòd idem ac Gennadius etiam dicat Caſſiodorus, loco eo, quem antè commemoravimus. Habes & MSum Chronici cod. apud Cantabrigienſes in colleg. S. Benedicti. Plura de Proſpero ſi voles, adi, quæ de eo diximus libro primo *a* hiſtoriæ, quam de controverſiis a Pelagio motis edidimus. a Cap. 18.

Fuit tum quoque Paſchaſinus, qui Iſidoro *b* perperam Paſchaſius, Lilybæi in Sicilia epiſcopus. Scripſit hic ad Leonem, Urbis epiſcopum, epiſtolam de quæſtione paſchali, & fontis miraculo: quæ inter Leonis epiſtolas invenitur, eſtque numero LXIII. Meminere ejus epiſtolæ præter Iſidorum, de quo dixi, etiam Honorius in viris illuſtribus, & multò ante eum Ado in Chronicis, poſtquam de capta à Vandalis Carthagine dixerat: hoc eſt, ad annum CCCCLIV. Etiam Paſchaſinus hic unà cum Lucentio, Aſculano epiſcopo, & Bonifacio, Urbis diacono, ſcripſit epiſtolam de damnatione Dioſcori, Alexandrini antè epiſcopi: quæ etiamnum exſtat *c*. Imò tres hi in Chalcedonenſi concilio primo loco leguntur; nomineque Leonis Papæ ei ſubſcripſere: ut ex Actis hujus concilii cognoſcimus. Atque iidem etiam fuerant inter legatos, quos Leo ad Marcianum Imp. miſerat poſtulatum, ut ſynodus differretur: quemadmodum ex Leonis epiſt. XLIII conſtat. Meminimus autem Paſchaſini hoc loco, quia acta Concilii Chalcedonenſis conſignavit: ut Trithemius tradit: quem & ſequitur Geſnerus. Sanè id ſatis veriſimile eſt, cùm nomine domini Leonis in ſynodo præſederit.

b In illuſt. vir. c. 11.

c Tom. 2. concil edit. Colon. Binnii p. 141.

Extremis Valentiniani III temporibus, ac deinceps, fuit Itacius, ſeu Idacius, vel ut nonnullis codd. legas Hydatius, quaſi ἀπὸ τοῦ ὕδατος ſit) Lemicenſis in Gallæcia epiſcopus. Hic Chronicon ſcripſit, quod incipit ab obitu Valentis, ubi Euſebianum Hieronymi Chronicon ſiſtit: deſinit autem in anno Chriſti CCCCXC, ut ait Sigebertus in Chronico ad eum annum: è junioribus item Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ cap. IV. Vel in octavo Leonis imp. anno, ut eſt apud Iſidorum de viris illuſtribus cap. IX. Quod verius puto. Quomodo enim potuit progredi aduſque annum CCCCXC, ſi verum eſt, quod ait Iſidorus, obiiſſe eum ſub Leone, qui deceſſit anno Chriſti CCCCLXX. Et ſanè in Leonis temporibus terminatur quoque illud Idacii Chronicon, quod ex veteri codice exſcripſit Fredericus Lindenbrogius, ac Chronico Euſebiano Scaliger ſubjunxit. Fortaſſe exinde Sigeberti error manavit, quòd in codicem incidiſſet, ubi Idacio quædam ab altero adjecta forent. Atque eò hoc veriſimilius eſt, quia collector Chronologus, Karoli Magni æqualis, quem habes apud Caniſium Tom. II. Antiq. Lect. libro tertio, quo Idacium exſcribit, ad ulteriora etiam tempora pertingit: uti & facit Idacii editio, quam integriorem & emendatiorem illâ à Scaligero, & Caniſio procuratâ exhibuit Andreas Schottus Tom. IV Hiſpaniæ illuſtratæ. Itaque niſi ex Iſidoro conſtaret, Idacium Leonis tempore deceſſiſſe: exiſtimare aliquis poſſet, vixiſſe eum temporibus Juſtiniani; quia liber ille, quo in ἐπιγραφῇ collector ſe Idacium exſcribere profitetur, ad ea uſque, quæ dixi, tempora producitur. Utcunque eſt, ex his liquet, longè alium eſſe, tum ab Ithacio, Soſſubenſi epiſcopo, ſive ut Garſias, cumque eo Sigonius *d*, & Mariana *e* cenſet, Oſſonobenſi; tum ab altero epiſcopo, nomine Idacio, qui duo interfuêre concilio Cæſaraugustano; atque à Severo etiam Sulpitio propterea reprehenduntur, quòd in expugnanda Priſcilliani hæreſi magis affectui obſecundarint, quàm in ſancto hoc ſtudio oporteret. Vixêre enim illi tempore Gratiani, anno CCCLXXXVIII. Hoſce duos confudit Trithemius. Quæritur, uter ſit Idacius memoratus Leoni Papæ in fine epiſtolæ XCI ad Thuribium; ubi auctor eſt, ut, ſi minùs generale Galliciæ concilium celebrari poſſit; ſaltem ſacerdotes conveniant, atque iis præ-

d Notis in Sulpitium.

e Annal. Hiſp. lib 4. cap. 20.

præſint duo hi, Idacius & Cepotius? Mihi Idacius hic planè videtur ille Chronici ſcriptor. Nam Gallicia concilium, quod Leo Papa exoptat, celebratum non multò poſt fuit: puta anno CCCCXLVII, annis XXXIV ante Leonis imp. annum octavum, in quo deſiit Chronicon Idacii. Non hoc tantum eſt intervallum, ut ſcrupulum ulli injicere debeat; quandoquidem Idacius, ut de eo prodit Iſidorus, *ultimâ penè ſenectute* deceſſit. Præterea ſcripſit Idacius Faſtos conſulares à J rato & Tarquinio, uſque ad alterum Conſulatum Athenii Auguſti: Sed ex iis Faſtis partem magnam, quæ & ipſa in MSo exſtabat, in editione ſuâ præteriit Sirmondus. Nam orditur ab initio imperii Aureliani, ac deſinit in Honorii exceſſu. Opus hoc Faſtorum eo nomine commendatur à Barthio Adverſ. lib. LI cap. IV, *quod dies ipſos multarum præclararum actionum deſignet.* At non item liquet, ejus, an alterius Idacii, ſit opus adverſus Varimudum, Arrianæ ſectæ diaconum, quod legitur in bibliotheca patrum Tom. IV. Nam Iſidorus ſeniori quidem Idacio tribuit apologeticum adverſus Priſcillianum: juniori autem chronicon: ſed de opere iſto adverſus Varimudum, apud eum altum eſt ſilentium. Imò cùm auctor in præfatione dicat, iſta ſe ſcripſiſſe Neapoli, Campaniæ urbe, conſtitutum: plane metuo, ne diverſus ſit ab duobus illis epiſcopis Hiſpanis, de quibus antè dictum nobis. Idacium Chronologum non exiguo olim in pretio fuiſſe, ex eo agnoſcimus, quod ejus jam temporibus Caroli Magni meminerit auctor Chronologiæ univerſalis à Caniſio editæ Tom. II. Sylloges ſuæ; uti & Magiſter Rigordus, Philippi Galliarum Regis Chronologi.

Antonius is, qui vitam ſcripſit Simeonis Stylitæ, fuit temporibus Leonis Imperatoris. Siquidem ex Cedreno conſtat, Simeonem Stylitem Seniorem, qui & ὁ θαυμαςὸς dicitur, jam centenarium obiiſſe anno Leonis Imp. quarto, qui Chriſti eſt CCCCLX. At Antonius ille Leonis hujus diſcipulus fuit: ut oſtendunt in vita eâ hæc ipſius verba cap. VII. *Quidam autem juvenis adſtitit ei, Antonius nomine, qui vidit, & ſcripſit hæc.* Aſſentio autem iis, qui Antonium hunc ſignari exiſtimant ab Evagrio lib. I hiſt. Eccl. cap. XIII. ubi legas: Τούτου τὰς θεοσημείας γέγραφε μὲν καί τις τῶν αὐτοπτῶν γενομένων· γέγραφε δὲ, καὶ λογίως ἐξέθετο καὶ Θεοδώρητος ὁ τῶν Κυρεστῶν ἐπισκοπήσας. *Hujus res geſtas, quæ omnino divinæ virtutis ſigna erant, ſcripſit aliquis ex iis, qui oculis conſpexerant. Scripſit etiam, facundeque expoſuit, Theodoretus, Cyrenſis epiſcopus.* Vita ea Stylitæ utraque, & illa, inquam, quæ ſcripta eſt ab Antonio, & altera, quæ Theodoretum auctorem habet, hodie ſupereſt. Fortaſſe autem, uti Theodoretus, ita & Antonius ſcripſerat Græcè. Sed cùm nomen Antonii in libris omnibus, non ut interpretis, ſed ut auctoris, præponatur: ſine gravi ſatis cauſâ ab libris, & receptâ ſententiâ, recedendum non putavi.

## CAP. XVIII.

*Victor Uticenſis. Honorati Maſſilienſis ætas, & commentatio de vita Honorati: hanc illam eſſe, quæ nunc quoque ſupereſt, oſtenditur. Duo alii ejuſce nominis. Sidonius tranſtulit vitam Apollonii Tyanæi. Hiſtoriam orſus fuit: ſed non pertexuit. Homilia Fauſti de vita S. Maximi. Spiſſus error illorum, qui eam tribuunt Euſebio Emiſſeno. De Ennodii vero nomine, epiſcopatu, anno dieque mortuali, ſive natali potiùs: item de operibus, quæ reliquit. Gennadii ætas, presbyterium, libri. Dinamii tractatus de vita S. Maximi. Eugippii ætas, deque vita S. Severini liber, & præfectura ejus monaſtica. Sigeberti, & Aventini, ſuper ætate Eugippii; aliorum ſuper nomine ejuſdem, error.*

ACcedo nunc ad eos, qui, deſito Occidentis imperio, viguerunt; nempe quo tempore in Oriente primùm Zeno, hinc Anaſtaſius, tum Juſtinus, exinde Juſtinianus fuit: in Occidente autem imperavit, primùm Odoacer, hinc Theodoricus, exinde Athalaricus, pòſt Theodatus, Vitiges, Totilas, Teias.

S. Victor Uticenſis, epiſcopus Africanus, reliquit libros tres de perſecutione Vandalica, quæ B. Auguſtini ætate, in Africa fuit ſub Genſericho, & Hunericho, Vandalorum regibus. Vixit Zenone imperante, ut ex iis videre eſt, quæ ſcribit lib. III.

Ejuſdem Zenonis temporibus, floruit Honoratus, Maſſilienſis epiſcopus: de quo pluſcula Gennadius in catalogo cap. penult. Inter alia inquit, *S. Papa Gelaſius, Romæ Urbis Pontifex, per Scripturam agnoſcens ejus fidei integritatem, reſcripto ſuo probatam judicavit. Sanctorum patrum Vitas ad ædificationem poſterorum coaptat ipſe legendas: præcipuè meritoris ſui Hilarii, Arelatenſis epiſcopi.* Obiit autem Hilarius ille, Aſterio, & Protogene, conſulibus: qui Chriſti annus erat CCCCXLIX, Leonis Papæ decimus. Gelaſius verò, qui Honorati ſcripta approbavit, epiſcopus Urbis factus fuit anno Chr. CCCCXCII. Quare is, de quo loquitur Gennadius, & ante Gelaſium Papam, & ejus temporibus vixerit. Exſtat hodieque vita S. Hilarii Arelatenſis, quam ex antiquo codice membranaceo monaſterii Lerinenſis, in Chronologia ſanctorum, & abbatum, illuſtriumque ejus monaſterii virorum, in lucem edidit Vincentius Barrali Salernus. Etſi autem in MSo non addatur nomen auctoris: non dubitandum tamen, quin is ſit Honoratus, epiſcopus Maſſilienſis. Nam ſcriptor hujus vitæ exſequiis B. Hilarii interfuit: ut verba iſta oſtendunt: *Hebræam concinentium linguam in exſequiis honorandis audiſſe me recolo. Nam noſtros ita mœror obſederat, ut ab officio ſolito impatiens doloris inhibuerit magnitudo.* Seque præfuiſſe aliis, idem ſemel, iterumque, non obſcurè indicat. Eſt autem vita hæc Hilarii mendoſiſſimè edita. Vide quæ in ea emendat Barthius Adverſ. lib. LVIII. cap. V. Cæterùm Honoratus hic, qui Maſſilienſis epiſcopus fuit, & Hilarii Arelatenſis epiſcopi vitam compoſuit, confundi non debet cum Honorato, Arelatenſi epiſcopo, cujus vitam in literas retulit Hilarius Arelatenſis. Uti nec cum tertio Honorato, Conſtantinæ, Africæ civitatis, epiſcopo: qui & ipſe circa hæc tempora vixit. Gennadium de hoc vide cap. XCV, & Honorium in ſcriptoribus ex Gennadio ſect. XCV.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Arvernorum epiſcopus, ſub Leone, ac imprimis Zenone claruit, Gennadio ac Honorio, teſtibus. Qualemqualem hic ſibi is locum depoſcit, quia vitam Apollonii à Taſcio Victoriano (qui in nonnullis libris Roſcius vocatur) Græcè ſcriptam, in Latinam tranſtulerit linguam. Eam ad Leonem, Eurigis, Gothorum regis, conſiliarium tranſmiſit. Vide epiſtolam III Sidonii lib. VIII. Ab eodem Leone rogatus, ut miſſa epiſtolari curâ ad ſcribendam hiſtoriam ſe appelleret, callidè retorſit, atque ab Leone ipſo, ut magis idoneo, id popoſcit. Adi libri IV epiſtolam XXII, ad Leonem. Aliquando tamen Sidonius & hiſtoriam ſcribere orſus fuit: quæ erat de Aureliano ab Attila, Hunnorum rege, obſeſſo; deque ejus militibus, dum urbem diriperent, ab Aëtio patricio, Meroveo, & Theodorico, Gothorum rege, qui ſupervenerant, fugatis. Sed difficultate operis territus, à propoſito hoc Sollius deſtitit. Vide ejuſdem libri epiſt. XV, quæ ad Proſperum ſcripta eſt.

Zenonis quoque, &, ut videtur, Anaſtaſii etiam tempore in pretio habebatur Fauſtus, abbas Lerinenſis, ac Maximi in epiſcopatu Rhegienſi ſucceſſor. Hic homiliam ſcripſit de vita hujus Maximi: quæ exſtat inter homilias Euſebio Emiſſeno adſcriptas, ex curâ Jo. Gagneji, Pariſienſis Theologi, Lovanii editas. Perridiculum autem eſt, quòd homilia iſta Emiſſeno tribuitur, qui ſub Conſtantio vixit. Nam eo tempore necdum erat monaſterium Lirinenſe, cujus poſt Honoratum Hilarius, poſt Hilarium Maximus, poſt eum Fauſtus, abbas fuit. At Maximus abbas eſt creatus anno CCCCLXVI, quo tempore Leo imperabat. Nec diu præfuiſſe cœnobio, arguit, quòd

Fau-

Fauſtus jam ex abbate Lirinenſi Regienſis epiſcopus erat temporibus Sidonii Apollinaris; ut conſtat ex lib. IX epiſt. III. Atqui Sidonius, Zenone imperante, deceſſit: ut ex Gennadio, Honorioque, cognoſcitur. Quare Savaroni aſſentio, qui in notis ad epiſtolam, quam dixi, & item ad carmen Euchariſticum, homiliam de vita S. Maximi tribuit Fauſto. Sanè, quiſquis eſt, Maximi ſe ætate vixiſſe, ſatis indicat, his verbis: *Sub nudo axe cæli trium dierum, ac trium noctium imbribus, verberatur: ſicut & ipſe ſum teſtis.* Imò & diſcipulum Maximi fuiſſe, hæc verba oſtendunt: *Hujus ergo tanti, ac præclari, quæſo ut nos, & diſcipulos meminerimus, & filios. Rapiat unuſquiſque, quod poſſumus, de bonis inteſtati parentis.* Atque hoc etiam Molanus vidit notis in Uſuardum a. d. XXVII Nov. De Fauſto ſatis: imò pro opuſculo minuto, cujus ergò ejus meminimus hoc loco, pluſquam ſatis. Cætera de eodem perſequimur in Hiſtoria, quam ante ſeptennium de Pelagianis controverſiis publici juris fecimus.

Zenonis, & Anaſtaſii ætate, magnum Ennodii nomen fuit: qui corruptè nonnullis Euodius vocatur: eoſque inter Platinæ, Lazio, Surio. Epiſcopus Ticinenſis, ſive, ut nunc vocant, Papienſis creatus eſt anno CCCCXC. Legato eo uſus eſt Hormiſda Papa ad Anaſtaſium imper. quod anno contigit ꝹXV. Obiit anno proximo XVI Kal. Sept. ut conſtat ex epitaphio, quod Papiæ legitur ad D. Michaëlis: teſte Bernardino Sacco Hiſtoriæ Ticinenſis lib. VIII cap. I. Id epitaphium latuit Baronium: quæ cauſſa fuit, cur anno pòſt obiiſſe arbitraretur. Exſtant ejus epiſtolarum lib. XII, orationes ac declamationes XXX, panegyricus dictus Theodorico, Gothorum regi, apologeticus pro IV Synod. Rom. ſub Symmacho Papa, poëmatia ſacra: & (propter quæ hic memoratur) vita Epiphanii, Ticinenſis epiſcopi, cui ſucceſſerat: item vita B. Antonii Cyri, monachi Lerinenſis. Prior & in Orthodoxographorum altero volumine Baſileæ excuſa eſt, & Coloniæ in collectione Suriana Tom. VII, a. d. XXII Jan. ſed duplo auctior Tornaci prodiit, cum cæteris Ennodii operibus, curâ V. Cl. Andreæ Schotti. Illa verò Antonii Cyri, cùm in iiſdem Ennodii operibus legitur; tum apud Surium a. d. XXI Jan. & in Chronologia ſanctorum Lirinenſium, quam Vincentius Barrali congeſſit, ac notis quibuſdam illuſtravit.

Gennadius, Maſſilienſis presbyter, vixit tempore Anaſtaſii imp. & Gelaſii Papæ: cui & opus *de Fide* dicavit. Epiſcopum vocat Sigebertus: uti & Platina in Symmacho facit. Sed presbyter dicitur à Walafrido Strabone de divinis officiis cap. XX. Imò ipſe ſic ſe appellat in fine libelli de illuſtr. ſcript. Ut veriſimile ſit, à Sigiberto eum confundi cum altero Gennadio, Conſtantinopolitano, qui Leonis ſenioris temporibus floruit; ut ex Maſſilienſi hoc Gennadio cognoſcimus: item è Nicephoro lib. XV cap. XXII, & XXIII. Maſſilienſis Gennadii duo libri extant: unus eſt de dogmatibus Eccleſiaſticis; quem falſò tribui Auguſtino, jam ante annos octingentos monuit Eccleſia Lugdunenſis in iis, quæ de Godſcalci cauſſa adverſus Joannem Erigenam Scotum ſcripſit. Alter liber, cujus unius cauſsâ hic ejus meminimus, eſt is, quem conſcripſit de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus. Eum & Caſſiodorus commendat libro de divinis lect. cap. XVII. MSus exſtat in Bibliotheca publica Academiæ Cantabrigienſis, & bibliotheca collegii S. Benedicti, eadem urbe. Reliqui Gennadii perierunt. Plura de eo diximus lib. I Hiſtor. Pelagianiſmi cap. X.

Etiam, Anaſtaſio imperante, claruit Dinamius patricius, qui B. Maximi, abbatis Lirinenſis, poſteaque epiſcopi Rhegienſis, vitam tradidit: atque illam dedicavit Urbico, qui in epiſcopatu Rhegienſi ſucceſſerat Fauſto: ut ex præfatione Dinamii conſtat. Habemus eam vitam apud Surium Tom. VI a. d. XXVII Nov. item in Chronologia ſanctorum inſulæ Lirinenſis à Vincentio Barrali ex variis opuſculis contexta. Etiam Marii Bobienſis vitam ſignaſſe, oſtendit his verbis Sigebertus in catal. cap. CXV: *Dinamius, vir illuſtris ac patricius, ſcripſit plenam virtutibus vitam S. Marii, qui fuit abbas Bobacenſis cœnobii.* Dinamii hunc librum illuſtrat Barthius Adverſ. lib. LIX cap. XII.

Ejuſdem imperatoris temporibus floruit Eugippius, ſeu Eugipius, vel Eugepius, vel etiam Eugypius. Variè enim id nomen ſcribitur. De ætate, tum ex eo ſcimus, quòd Gelaſii Papæ diſcipulus fuit: tum quòd nonnullæ ad eum epiſtolæ exſtent B. Fulgentii Ruſpenſis. Scripſit vitam S. Severini, abbatis ejus, qui Noricorum apoſtolus vocatur, atque anno obiit CCCCLXXXII, aut circiter. Hæc vita apud Surium legitur Tom. I, ad VIII Jan. Miſit illam ad Paſchaſium, Romanæ Eccleſiæ diaconum, eum, cujus miraculum narrat Gregorius Magnus in dialogis. Epiſtolam verò Eugippii ad Paſchaſium, quam vitæ Severini præmiſerat, apud Caniſium reperies Tom. VI Antiquæ Lect. Fuit Eugippius hic cœnobiarcha: ut hæc ejus verba oſtendunt in eo, de quo diximus, opuſculo: *Marcianum monachum, qui poſtea presbyter effectus, monaſterio* ANTE ME *præfuit, ad Noricum* (Severinus) *reduxit.* Qui locus etiam ætatem Eugippii indicat. Uti & ille circa libelli finem: *Illuſtris femina Barbaria poſt obitum Severini venerabilem presbyterum noſtrum Marcianum miſit.* Elogium Eugippii habes apud Caſſiodorum de divinis lect. cap. XXIII. Meminere etiam Iſidorus, & Sigebertus, ut juniores mittam. Sed Sigebertus fallitur, cùm eum refert ad tempora ſecundi Pelagii, & imperatoris Tiberii Conſtantini: hoc eſt, annum ꝹLXXX. Meliùs Iſidorus, qui claruiſſe ait poſt conſulatum Importuni junioris, Anaſtaſio imperante. Conſulatus autem Importuni incidit in annum Anaſtaſii XIX, Chriſti verò ꝹVIII: unde & error dilucet Joannis Aventini *a*, qui vixiſſe putat tempore Attilæ. In quibuſdam Iſidori libris pro *Importuno* legas *Mavortium*, qui decimo octavo poſt Importunum anno conſul fuit. Sed *Importuno* rectiùs legi arguit, quod de Anaſtaſio adjicitur. Mavortius quippe non ſub Anaſtaſio conſulatum geſſit; ſed quo anno Juſtinus, Juſtiniano priùs imperatore creato, è vivis exceſſit. Honorio abbas hic Egippius dicitur, corruptiuſque Philippo Bergomati Egeſippus nominatur: quem errorem Platina, & Sabellicus, ſequuntur.

*a In ſcriptoribus, à quibus profecit in ſecundo annalium.*

## Cap. XIX.

*Datius, Mediolanenſis epiſcopus. Epiphanius Scholaſticus. De ætate ejus, & ſententia aliorum refellitur, & vera comprobatur. Caſſiodori ætas, dignitas, Chronicon, deque eo judicium. item hiſtoria ejus Gothica, & hiſtoria Tripartita, & Vitæ quædam, & collectanea de Orthographia, quæ extremâ ſenectute edidit. Dionyſius, abbas Romanus. Genebrardi lapſus in ejus ætate. Leunclavii error in ætate illius, qui jam olim vertit Nyſſeni libellum. Quis primus auctor vulgaris æræ Chriſtianæ. Scriptor vitæ B. Fulgentii. Marcellini Comitis ætas, dignitas, Chronicon, ac Conſtantinopoleos, & Hieroſolymorum deſcriptio.*

Sequuntur nunc illi, quos ultra Anaſtaſii tempora vitam ſuam produxiſſe conſtat. Qualis eſt Datius, ſive Dacius, Chronici ſcriptor, epiſcopus Mediolanenſis: qui ſub Juſtino Imp. ſeniore vixit: ut cognoſcimus ex Gregorii Magni lib. III dialog. cap. IV.

Item tum erat Epiphanius Scholaſticus, qui Theodoreti, Socratis, & Sozomeni, hiſtoriam Eccleſiaſticam Latinè vertit: teſte Caſſiodoro præfat. in Hiſtoriam Tripartitam, & Sigeberto in catalogo cap. XII. Ac tres quidem illi, quos tranſtulit, vixêre temporibus Valentiniani III, & Theodoſii junioris. Imò Sozomenus, ut in præfat. ipſe ſcribit, perduxit hiſtoriam ſuam uſque ad ſeptimumdecimum conſulatum Theodoſii junioris, hoc eſt, annum CCCCXXXIX. Caſſiodorus autem, qui ex tranſlatione Epiphanii hiſtoriam tripartitam contexuit, temporibus fuit Juſtini, & Juſtiniani, qui anno ꝹXXVII, pari poteſtate imperarunt. Inde colligunt aliqui, Epiphanium intermedio tempore fuiſſe: ut qui nec antiquior iis eſſe poſſit, quos vertit; nec junior eo videatur, qui ex tranſlatione illius no-

novam hiſtoriæ faciem confecit. Sed cùm intermedium tempus annorum ſit LXXVIII; credere malunt, proximè poſt tres illos, quos tranſtulit, vixiſſe: idque propterea, quòd Sigebertus eum continuò illis ſubjungat: imò Paullino, Euodio, & Poſſidio, qui partim Auguſtini ætate, partim poſt obitum ejus, claruerunt, etiam præmittat. Sed profectò ſunt hæc planè ficulna. Quid enim manifeſtius, quàm Sigebertum, in digerendis ſcriptoribus, ſæpius negligere temporum ſeriem? Proinde aliunde ætas ejus ruſpanda, non ex tam incertis. At quanto certiùs ætatem ejus arguit, quòd Caſſiodori poſtulato tres illos Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores verterat? Hoc ipſe teſtatur Caſſiodorus libro de Divinis Lect. cap. XVII, quod eſt de hiſtoricis Chriſtianis. Verba ejus ſunt iſta: *Poſt hiſtoriam Euſebii apud Græcos Socrates, Sozomenus, & Theodoretus ſequentia conſcripſerunt: quos à viro Epiphanio diſertiſſimo in uno corpore duodecim libris fecimus, Deo auxiliante, transferri: ne inſultet habere ſe facunda Græcia neceſſarium, quod vobis judicet eſſe ſubtractum.* Quare vixit Epiphanius tempore Caſſiodori: de quo nunc dicendum.

Magnus Aurelius Caſſiodorus jam Anaſtaſii temporibus in honore fuit: imò anno Chr. IↃXIV, (poſt quem Anaſtaſius triennium, & menſes aliquot, ſupervixit) ſolus geſſit conſulatum. Sed imprimis tamen claruit ſub ſucceſſore ejus Juſtino Thrace: atque exinde etiam ſub Juſtiniano: cujus temporibus eum fuiſſe, teſtis eſt Paulus diaconus de geſtis Longobardorum lib. I cap. XXV. ac Aimoinus lib. II de geſtis Franc. cap. IX: ubi & συγχρόνους fuiſſe dicunt, Caſſiodorum hunc; Dionyſium abbatem, cognomento exiguum, qui cyclum paſchalem ſcripſit; item Aratorem, qui actus Apoſtolicos exaravit carmine; adhæc B. Benedictum; & præterea Priſcianum grammaticum. Hoc etiam Caſſiodori ætatem clarè arguit, quòd ab epiſtolis fuit Theodorico, Gothorum regi; ac Chronicon breve, ab orbe condito, ad hunc uſque regem, perduxit; atque eidem dicavit. Inſcriptio ejus Chronici, item Variarum, quantæ vir is fuerit dignitatis, paucis indicat. Sic autem habet: *Magni Aurelii Caſſiodori, Senatoris, V. Cl. & inluſtris exquæſtoris ſacri palatii, exconſulis ordinarii, ex magiſtri officiorum, præfecti prætorio, atque patricii, in Chronicon ad Theodoricum regem præfatio.* Chronicon iſtoc ad codices MSSos caſtigavit Guil. Fornerius, anteceſſor Aurelianenſis. At eruditis idem commentariis jam ante ſeculum illuſtravit Joannes Cuſpinianus, qui & Caſſiodori vitam præmiſit. Eſt illud Chronicon non inutile quidem propter conſulum annos, quos digeſſit; ut & Sigebertus annotavit in catalogo cap. XL: ſed tamen nec nimis eſt magnæ rei. Sanè penè nunquam ei cum Euſebio convenit. Sed Caſſiodori chronicon tantùm farrago eſt, quam temulentiæ comparat Onuphrius Panvinus, approbante etiam Ioſepho Scaligero in Animadverſ. Euſebianis. Profectò inſanum ſit non longè præferre faſtos Capitolinos. Nam antiquiores ſunt multò, longeque florentioris ævi: adhæc non conſules modò, ſed etiam cenſores, & dictatores, nominant, cum ſuis equitum magiſtris: præterea prænomina exactè magis ponunt, quorum ignorantia facit, ut perſonæ ſæpius confundantur, magnaque in hiſtoriis oriatur obſcuritas. Utinam tantùm faſti illi non ad nos mutili perveniſſent. Præter Chronicon & alia ſcripſit Caſſiodorus. Ut libros XII de rebus geſtis Gothorum: quorum ipſe meminit in præfatione Variarum. Eos Jornandes in epitomen redegit. Idem Caſſiodorus, poſtea monachus factus, edidit hiſtoriam tripartitam: quæ ita vocatur, quia confecta eſt ex tribus illis, Socrate, Theodoreto, & Sozomeno: quos Epiphanius Scholaſticus Latinè converterat: ut ipſe Caſſiodorus teſtatur in præfat. & ex eo Sigebertus. Tribuuntur & ei Paphnutii, Spiridionis, aliorumque ſanctorum vitæ illæ, quæ apud Aloyſium Lipomanum leguntur libro primo. Atque hæc omnia gravioris operæ ſunt. At cui non mirum videatur, tantum virum, laborem, quem pueris dignum putes, jam anno ætatis XCIII, quemadmodum ipſe *a* ait, & ex eo Sigebertus prodidit, ſuſcipere voluiſſe, ut librum ſcriberet de Orthographia? quem ex XII Grammaticis collegit, atque, ut ipſe loquitur, deſloravit.

*a Præfat. lib. de Orthogr.*

Dionyſius, cognomento Exiguus, natione Scytha, ſed abbas Romanus, ſcripſit cyclum paſchalem an. IↃXXVII: quo Juſtinus deceſſit, cùm eoipſe anno Juſtinianum imperii conſortem feciſſet. Ut omnino fallatur Genebrardus Chronologiæ ſuæ libro III, ubi Dionyſium hunc cenſet claruiſſe temporibus Leonis Papæ, atque ei miſiſſe Proterii tralationem. Nam Proterius, quem vertit, non interpres ejus, ad Leonem ſcripſit. Multa etiam alia tranſtulit, eaque inter & Nyſſenum de conditione hominis, ut planè fallatur Leunclavius, qui interpretem ejus quatuor abhinc ſeculis vixiſſe credebat. Item vertit Canones Eccleſiaſticos. Sed nihil iſta ad inſtitutum noſtrum. Quòd verò ejus hic meminerimus, propterea ſit, tum quòd de temporibus, altero Hiſtoriæ lumine, præclarè meritus ſit: (nam primus morem induxit numerandi annos à nativitate Chriſti, cùm antè Diocletiani æra obtineret) tum quòd etiam tranſtulerit vitam S. Pachomii abbatis: ut Sigebertus teſtatur. Vita ea hodieque exſtat. Præfatio Dionyſii in eam fruſtra in Lipomano, ac Surio, quæratur. Sed reperitur in vitis SS. Patrum, etiam illis ab Roſweido editis. Plura de Dionyſio hoc ſi voles, omnino Caſſiodorum adi de Divinis lect. cap. XXIII. Meminere & veterum plurimi: hos inter Beda de ratione temp. cap. XLV. & Hiſtoriæ Eccleſ. lib. V. cap. XXII.

Quo anno Dionyſius hic cyclum paſchalem edidit, eo obiit B. Fulgentius, Ruſpenſis epiſcopus: cujus vitam ſcripſit diſcipulus ejus. Habes eam apud Surium a. d. I Jan. Eſt qui *a* ſuſpicetur, auctorem ejus vitæ eſſe Fulgentium Ferrandum, Carthaginenſis eccleſiæ Diaconum, qui breviarium canonum compoſuit ex bibliotheca Eccleſiæ Tricaſſinæ editum Lutetiæ *b*, ac codici Canonum veteris Eccleſiæ Rom. ſubjectum. Movet eum, quòd Ferrandus ille, libello regularum ad Reginum comitem, meminerit Ruſpenſis Fulgentii, ut nuper vita functi. Certiora omninò afferremus, niſi Sigebertus in ſcriptoribus Eccleſ. cap. XXIX dicere contentus eſſet, *ſcripſiſſe ad Reginum comitem librum de VII regulis innocentiæ, & alia nonnulla.*

*a In præfat. Fulgentii Ferrandi breviario præmiſſa.*
*b Anno 1609.*

Marcellinus, Comes Illyricianus, qui cancellos egit Juſtiniani etiamnum patricii, Chronicon poſtea condidit, orſus illud à tempore Valentis, ubi deſierat Hieronymus, ac finiens in quarto Juſtiniani conſulatu: qui eſt imperii ejus octavus, Chriſti IↃ XXXIV. Vide de eo Caſſiodorum, divinarum lectionum cap. XVII. & item XXV, ubi etiam dicitur *Conſtantinopolitanam civitatem, & urbem Hieroſolymorum, quatuor libellis minutiſſimâ narratione conſcripſiſſe.* Primus edidit Antonius Schonhovius Belga, poſtea alii, in his Joſephus Scaliger in Theſauro temporum. Caſtigatiſſimè omnium Jacobus Sirmondus S. I. Presb. Pariſ. 1619.

Paulus Florus vixit temporibus Imperatoris Juſtiniani: ut ait Nicolaus Alemannus Prolegomenis in Procopii ἀνέκδοτα, ſive Hiſtoriam Arcanam. Ac veriſimile id facit, quòd ſit carmine complexus res geſtas Juſtiniani. Refertur à Cuſpiniano, in opere de Imperatoribus, inter eos, quibus aliqua in hiſtoria ſua referat accepta. A pleriſque autem (ut Balæus auctor eſt cent. XIV) idem putatur, ac Florus ille, quem calamum ſtrinxiſſe contra Joannem Mailroſium Scotum, teſtatur Simeon Dunelmenſis in Chronicis. Sed valde eum ratio fugit. Nempe iſtud eſt, quod eum impulit in errorem. Fuit Florus quidam, qui laudem ſibi paravit opere ſuo contra Ioannem Scotum. Sed eſt is, non Paullus Florus, de quo ſermo eſt nobis: verùm alius tribus ſeculis junior. Nempe, non, ut aliquibus videtur, Ioannes Mailroſius Scotus, quem Carolus Magnus Benedictinorum cœnobio præfecit anno IↃ CCXCII: verùm Ioannes Erigena Scotus, qui claruit temporibus Caroli Calvi. Matthæus Weſtmonaſterienſis ad ann. IↃ CCCLXXXIII: *Eodem anno venit in Angliam magiſter Joannes, natione Scotus, vir perſpicacis ingenii, & facundiæ ſingularis.* Et aliquantò pòſt: *Scripſit contra*

*eum quidem Florus: qui & ejus ſcripta depravando damnavit.* Eſt is Florus, (ut alibi diximus) cujus exſtat expoſitio Miſſæ Tom. VI. bibliothecæ SS. Patrum. Ac quem Sigebertus in catal. cap. XCIV. ait Paulinas epiſtolas Auguſtini verbis expoſuiſſe. Nec mirum, ſi tantus Auguſtini amator ſe oppoſuerit Joanni Erigenæ Scoto, planè πλαγιαρίζοντι: qua de re ſatis dictum nobis lib. VII. parte IV. operis noſtri de controverſiis, quæ cum Catholicis fuere Pelagio, & Semipelagianis. Sed hæc nihil ad Paullum Florum.

## Cap. XX.

*Jornandis, ſive Jordani, parens, avus, dignitas: Geticam ejus hiſtoriam compendium eſſe Geticorum Caſſiodori: & quo anno epitomen hanc ediderit. Quomodo librum, quo res Romanas præcipuè tractat, inſcripſerit, & quem imprimis exſcripſerit. Liberati diaconatus, ac breviarium, & unde id confectum, & ut ſenſerit Liberatus de Theodoro Mopſueſteno. Liber ſeptimus de vitis Patrum à Paſchaſio tranſlatus; item Paſchaſii hujus ætas collecta ex ætate abbatis ſui, Martini Dumienſis. Pelagius, trium pontificum diaconus, ac pòſt ipſe pontifex, idem ille videtur, qui vitas Patrum de Græcis Latinas fecit. Commentatio Cypriani, Meſſiani, & Stephani, de vita Cæſarii Arelatenſis, ad Cæſariam ejus ſororem, mutilè à Surio, ſed integrè edita à Vincentio Barrali. Scriptor vitæ Launomari abbatis. Hiſtorici duo, ſed ſuſpectæ fidei, Telieſinus, & Melkinus Avalonius. Gordianus de vita B. Placidi.*

Etiam alii complures claruere Juſtiniani temporibus. Quos inter non infimum nomen Jornandis fuit, ſive Jordani, ut etiam Sigebertus appellat. Is filius erat Alanowamuthis, filii Peria: atque ex notario Gotthorum factus eſt epiſcopus Ravennæ: ut ipſe indicat libro de rebus Geticis cap. L. Qui liber Lutetiæ Pariſiorum ex veteri exemplari P. Pythœi emendatior prodiit unà cum Caſſiodoro à Fornerio recenſito. Eſt verò Jornandes eo complexus, quæ Caſſiodorus fusè erat perſecutus libris XII ejuſdem argumenti. Scripſit illum anno Chriſti IↃLII. Quod cognoſcitur ex cap. XIX, ubi dicit, novennio antequam iſta ſcriberet, peſtilentiam crudeliter eſſe graſſatam per terrarum orbem. At conſtat Jornandem vixiſſe ſub Juſtiniano Imperatore, eamque peſtilentiam ſecundo fuiſſe anno poſt coſ. Baſilium, anno autem Chriſti IↃXLIII. Cæterùm hoc non injuriâ in Jornande culpâris, quòd omnia Scytharum geſta ſuis tribuat Gothis: item quòd præterit, quæ offuſcare gloriam ſuæ gentis viderentur: qualis victoria de Gothis reportata à Claudio ſecundo, quam Trebellius Pollio narrat. Vide omnino de hac re
a Pag. 38. Bonfinium Hungaricarum rerum lib. I *a*. Scripſit & librum de geſtis Romanorum, ut quidem appellat Tritthemius. At non de ſolis agit Romanis, verùm etiam de Aſſyriis, Medis, Perſis, Græcis. Quare rectiùs in vulgatis codd. vocatur, *De regnorum, & temporum ſucceſſione.* Veram autem inſcriptionem puto, quæ eſt in manuſcriptis, *Jordani epiſcopi liber de origine mundi, & actibus Romanorum, cæterarumque gentium.* Manuſcriptum ejus codicem habes & Oxonii in bibliothecâ Collegii Balliolenſis. In hoc opere res Romanas à Romulo uſque ad Auguſtinum planè exſcripſit è quatuor libris Annæi Flori: unde multa in Floro, ex Jornande; in hoc item, è Floro poſſunt emendari. Sed mirari ſatis nequeo, hominem Gothum nuſquam eum mentione ſuâ dignari, per quem tantopere profeciſſet. Quemadmodum & cùm exſcribit alios, qui poſt Florum fuere. Valde enim fallitur, ſi ſperavit, vitam ſe evitaturum Floro, & aliis. Atque ut hoc conſecutus eſſet, fraus latere non poſſet. Nam ubi veteres deſcribit, Romanus ſcriptor videtur: ubi ſuis utitur verbis, facilè Gothum agnoſcas. Ut quando narrat res ſuis temporibus proximas.

Liberatus, archidiaconus eccleſiæ Carthaginenſis, eodem tempore fuit, ac breviarium collegit cauſſæ Neſtorianorum, & Eutychianorum, quod capitibus conſtat XXIV, ac Tom. II. Concil. invenitur. Unde hiſtoriam eam hauſerit, ipſe in præfat. teſtatur: *Ex Eccleſiaſtica hiſtoria nuper de Græco in Latinum tranſlata, & ex geſtis ſynodalibus, vel ſanctorum patrum epiſtolis, hoc breviarium collegi, nectens temporum curricula, quæ in Græco Alexandria ſcripto accepi, vel graviſſimorum hominum didici narratione fideli.* Etſi autem errores, qui Theodoro Mopſueſteno tribuantur, improbaret: de viro tamen eo bene ſenſiſſe videtur: ut videre eſt ex iis, quæ ſcribit cap. III. x, & XXIV. Vide de eo & Baron. Tom. V. ad an. CCCCXXXV, & Bellarminum Tom. I. Controv. III. lib. IV. de Rom. pont. cap. X. item in ſcript. Eccleſ. ad an. IↃLX.

Juſtiniani etiam tempore floruit Paſchaſius, Romanæ Eccleſiæ diaconus. Hic ſeptimum vertit librum, qui eſt de Vitis Patrum. Fecit hoc rogatu abbatis ſui, Martini Dumienſis. Hinc Sigebertus in catalogo cap. CXVIII: *Martinus epiſcopus tranſtulit, per manum Paſchaſii diaconi, interrogationes, & reſponſiones plurimas ſanctorum Ægyptiorum Patrum, in Dumienſi cœnobio.* Nec diverſum eſſe opus, quod habemus, præfatio indicat, cujus inſcriptio eſt: *Domino Venerabili patri Martino presbytero, & abbati, Paſchaſius.* Hinc orditur epiſtolam hoc pacto: *Vitas patrum, Græcorum (ut cætera) facundiâ ſtudiosè conſcriptas, juſſus à te, ſanctiſſime pater, in Latinum transferre ſermonem, in inſolito, ſi licuiſſet, opere renuiſſem.* Paſchaſii igitur ætatem non aliunde meliùs diſcamus, quàm ex ætate Martini Dumienſis. De eo autem ſic Iſidorus in catal. cap. XXII: *Martinus Dumienſis, monaſterii ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans in Galliam venit; ibique, converſis ab Arriana impietate ad fidem Catholicam Suevorum populis; regulam fidei, & ſanctæ religionis, conſtituit, eccleſias informavit, monaſteria condidit.* Et mox: *Floruit regnante Teudummiro* a, *rege Suevorum, temporibus illis, quibus Juſtinianus in Republica, & Anatagildus* b *Hiſpanus, imperium tenuere.*

a *Al. Theudimiro.*
b *Al. Atanagildus.*

Ejuſdem imperatoris temporibus, Pelagius, trium Romanorum pontificum, Agapeti, Sylveſtri, & Vigilii, diaconus, fuit: ac poſt Vigilii obitum ei in Epiſcopatu Urbis ſucceſſit. Sed videndum, ſitne hic Pelagius ille, qui, cùm diaconus eſſet Eccleſiæ Romanæ, è Græco Latinè vertit librum quinctum de vitis Patrum. Græcè quis eum librum ſcripſerit, incertum eſt. Nam ne nomen quidem expreſſit Photius, qui Græcè legit, & argumentum, diviſionem, ac utilitatem operis retulit in bibliotheca ſua, cod. CXCVIII. Interpretis nomen eſt in MSSis. Imò & apud Sigebertum in catal. cap. CXVI, his verbis: *Pelagius, diaconus Romanæ Eccleſiæ, tranſtulit de Græco in Latinum, de vita, & doctrina, & de perfectione ſanctorum Patrum, libros ſedecim.* Ac ſingulorum deinde librorum argumentum exponit. Ut, quin ille Sigeberto memoratus idem ſit, ac quem hodie habemus, minimè ambigi poſſit.

Præterea his temporibus claruere tres diſcipuli Cæſarii Arelatenſis; Cyprianus, qui priorem ſcripſit librum de vita magiſtri ſui Cæſarii; & Meſſianus presbyter, ac Stephanus diaconus; qui ab adoleſcentia Cæſario ſervierant, atque alterius libri de vita Cæſarii ſunt auctores. Opus hoc de Cæſario, (qui anno obiit IↃLIV) dicatum eſt Cæſariæ, Cæſarii Arelatenſis ſorori. Surius Tom. IV. a. d. XXVII Auguſti, multò maximam partem prioris edidit libri. Cui iſta ſubjecit: *Hoc loco deſunt nonnulla in duobus MSSis codd. quæ ſola habuimus.* Sed Vincentius Barrali Salernus, integriores nactus codices, & priorem librum ſupplevit, & ſecundum adjecit. Integrum ſi opus voles, Chronologiam adi illuſtrium Lirinenſis inſulæ virorum, quam Vincentius hic ex variis ſcriptoribus, bono publico, conſarcinavit *c*.

c *Edita Lugduni an. 1613.*

Tunc etiam fuit ille, qui ſcripſit vitam æqualis ſui S. Launomari, abbatis, & confeſſoris: quam vitam à Surio paraphraſticè redditam habes Tom. I. a. d. XIX Jan.

Teliesinus Helius, qui aliis Thelesinus, Britannus, iisdem temporibus, nempe circa annum claruit Iↄ xl, regnante in Britannia Arturo: & Latinè, Britanniceque, cùm proſà, tum carmine, ſcripſit compluria, interque alia, Acta regis ſui Arturi, & hiſtoriam vaticinalem; ſi Balæo credimus cent. 1. cap. liv. Quem & ſequitur Pitſeus.

Atque idem Balæus centuriæ ejuſdem cap. lvii, Melkinum Avalonium paullò pòſt, ſub rege Vortiporio, circa annum Iↄ l, floruiſſe auctor eſt: ſcripſiſſeque De rebus Britannicis, De Arturi menſa rotunda, & Antiquitates ſuæ gentis. Sed culpat, quòd quædam falſa immiſcuerit; ut cùm in opere Antiquitatum ait: *Avalonia funerum avida, millia dormientium accepit: inter quos Joſeph ab Arimathia dictus, ſomnum ſub marmore diuturnum cœpit*, &c. Nec minùs fabuloſa ait adferre de Arvirago, Lucio, Conſtantino, Arturo, &c.

Gordianus, famulus B. martyris Placidi, juſſu imperatoris Juſtiniani magni ſcripſiſſe dicitur vitam, & paſſionem beati martyris Placidi, diſcipuli S. Benedicti: item martyrium Placidi fratrum, Victorini, & Eutychii, ſororiſque ejus Flaviæ virginis: adhæc Donati, Firmati diaconi, ac Fauſti, & aliorum xxx monachorum: qui Meſſanæ in Sicilia à Manucha pirata necati fuere, anno Juſtiniani xiii, Chr. autem Iↄ xxxix. Habes apud Lipomanum Tom. iv, & apud Surium Tom. v, die v Octobr. Baronius in Martyrologio Romano operis hujus ita meminit, ut inſcriptionem ejus videatur ſuſpectam habere. Sic enim inquit, *Acta à Gordiano conſcripta, ut ferunt, juſſu Imp. Juſtiniani.* Sanè ſcrupulum illud injicere poſſe videatur, quòd clarè de Gordiano in Actis iſtis legas: *His quoque diebus Gordianus quidam, natione Romanus, literis Græcis apprimè eruditus, ad venerabilem patrem Benedictum pervenit, ſeque ejus magiſterio ſubdidit.* Quæ auctorem eum de alio potiùs, quàm de ſe ipſo referre, mihi quidem minimè obſcurum videtur. Sed utcunque ſit de nomine ſcriptoris: aut fucum auctor ille fecit lectori; aut ea, quorum oculatus teſtis erat, juſſu Juſtiniani Imp. ſcripſit. Quod hæc ejus verba indicant: *In hujus itaque martyris paſſione explicandâ, cujus ad juſſum agere orſus ſum, promam. Divus enim Juſtinianus triumphator, invictus Æneades, dum agnoviſſet, qualiter jam dictus martyr domini Placidus triumphalem lauream ſuſcepiſſet; illico* NOSTRAM *exiguitatem advocans, præcepit, ut paſſionem illius, atque miracula, prout* OCULIS IPSE PERSPEXERAM, *exerens, Sanctæ Eccleſiæ filius ad legendum morigerarer. Cujus ſacratiſſimo imperio parens, ad tanti martyris paſſionem deſcribendam animum dedi.*

## Cap. XXI.

Gildæ *Sapientis præceptor, profeſſio, libelli: item quo anno natus ſit. Bellarmini de ætate ejus ſententia refutatur, ac non unus Buchanani error arguitur. Quæ Gildæ falsò tribuantur. Refellitur Balæus duos Gildas ponens, quos inter* lxxx *annorum fuerit intervallum. Querulus Gildæ.*

JUſtiniani etiam temporibus, atque ultrà, claruit Gildas, cognomento Sapiens, Iltuti Morganenſis diſcipulus, & Bannochorenſis cœnobii monachus, atque abbas. Cujus tum libellum de excidio Britanniæ habemus: tum reprehenſionem acrem in Britanniæ clerum. Priorem commentationem ipſe epiſtolam vocat: eâque ſe eſſe complexum ait hiſtoriam ſui ævi. Quando natus fuerit, ex ipſo cognoſcimus, cùm ſic ſcribit memorato antè libello de Britanniæ excidio: *Ex eo tempore, nunc cives, nunc hoſtes, vincebant, ut in iſta gente experiretur Dominus ſolito more præſentem Iſraëlem, utrùm diligat, an non; uſque annum* OBSESSIONIS BADONICI *montis, noviſſimaque ferme de furciferis non minimæ ſtragis, quique* QUADRAGESIMUS QUARTUS, *ut novi, orditur annus, menſe jam uno emenſo:* QUI ET MEÆ NATIVITATIS EST. Ecce, natum ſe ait anno eo, quo Britanni vicere Saxones ad Badonicum montem: eum annum ait fuiſſe xliv à primo Saxonum adventu. Atqui Saxones advenere in Britanniam anno Chriſti ccccxlix; ut diſertim ſcribit Beda hiſtoriæ Angl. lib. 1. cap. xv. Ergo, cùm naſceretur Gildas, annus Chriſti erat ccccxciii. Atque hinc refellitur ſententia Bellarmini, in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Jacobi Gualterii in tabulis Chronographicis, qui Gildam referunt ad annum gratiæ ccccxcv. Quo tempore Gildas tantùm biennis erat. Item hinc diluitur multiplex error Georgii Buchanani, in quincto hiſtoriæ Scoticæ libro. Primùm cùm ait, Gildam vixiſſe, partim temporibus Congalli, vigeſimi ſecundi Scotorum regis, quem anno Iↄ i defunctum ait: partim fratris ejus Gorani, quem dicit anno obiiſſe Iↄ xxxv. Nam quomodo potuit clarere ſub Congallo, qui octennio ſolo ante obitum Congalli natus fuit? Præterea ſcribit, Gildam, & Merlinum, etſi moribus fuerint diſpares, fuiſſe tamen ætate pares: ut ex ætate unius de altero ſtatui, juxta eum, poſſit. Merlini verò ætatem inde cognoſci putat, quòd prius quidem in Vortigerni, deinde autem in Uterii fuerit clientela. Hæc quoque ἄῤῥηκτα αἱμαῖνα. Siquidem Vortigerius multò ante natum Gildam deceſſerat: Uterius verò, quemadmodum ipſe ſcribit Buchananus, imperare cœpit anno quingenteſimo, quo tempore Gildas erat ſeptennis. Ut ſenectus Merlini incidat in pueritiam Gildæ. Nec Uterius ampliùs, quàm ſeptendecim annis, rexit. Ut, eo obeunte, Gildas annorum fuerit xxiv. Sed tum, aut è vivis exceſſerat Merlinus: aut admodum decrepitæ fuerit ætatis. Denique nec ullo colore defendi poteſt, quod ait Buchananus, Gildæ patronum fuiſſe Aurelium Ambroſium, virum, & probitate, & virtute bellicâ, præſtantem. Siquidem fatetur ipſe, obiiſſe Ambroſium hunc anno quingenteſimo. Quod ſi Matthæum Monaſterienſem audimus, triennio antè mortuus ſit: quo tempore Gildas annorum erat tantùm quatuor. Quomodo igitur verum eſſe poteſt, quod ait idem ille ſummus vir (qui, cùm à me reprehenditur, ſæpius nominari non debet) Gildam poſt obitum Ambroſii, ubi tanto ſe patrono orbatum vidit, ſeceſſiſſe in Avalloniam: atque ibi diem ſuum obiiſſe? Altero etiam argumento, eoque nihilo infirmiori, opinionem iſtam refellimus. Nam Gildas apertè ſe refert, non ad Ambroſii tempora; ſed nepotum ejus, quos ab avita gloria multùm ait deſciviſſe. Verba Gildæ ſunt: *Tempore igitur interveniente aliquanto, cùm receſſiſſent domum crudeliſſimi prædones, roborata à Deo reliquiæ, (quibus ſe conjungunt undique de diverſis locis miſerrimi cives tam avidè, quàm apes procellâ imminente) ſimul deprecantes cum toto corde, &c. ut dicitur, onerantes æthera votis, ne ad internecionem uſque delerentur, duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, (qui, ſolus fortè Romanæ gentis, tantæ tempeſtatis colliſione occiſis in eâdem parentibus, purpurâ nimirum indutus, ſuperfuerat: cujus* NUNC *temporibus* NOSTRIS *ſoboles magnopere* AVITA *bonitate degeneravit) vires capeſſunt victores ad prælium: quibus victoria, Domino annuente, ceſſit.* Ex his non tantùm, quando floruiſſe falsò credatur: ſed etiam, quando claruerit Gildas, utcunque cognoſci poteſt: tamen nequis ſcrupulus porrò ſuperſit, alia etiam adferam, quæ ejus ætatem clarè nobis ob oculos ponant. Quale illud eſt, quòd Conſtantinum, Aurelium Conanum, Vortiporium, Cuneglaſum, & Maglocunum, tantopere hortatur, ut reſipiſcant, ne iram Dei graviùs in ſe concitent. Unde conſequitur, Gildam exarâſſe iſta, cùm quinque illi rerum in Britannia potirentur. Ac de Conſtantino quidem ita ſcribit: *Cujus tam nefandi piaculi non ignarus eſt immundæ leænæ Damnoniæ tyrannicus catulus, Conſtantinus: qui* HOC ANNO, *poſt horribile juramenti ſacramentum, quo ſe devinxit, —— in duarum venerandis matrum ſinibus, eccleſiæque carnalis ſub ſancto abbate Amphibalo, latera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duûm, totidemque nutritorum, inter ipſa, ut dixi,* ſacro-

*ſacroſancta altaria, nefando enſe, haſtâque, pro dentibus, laceravit.* Nunc cum iſtis conferamus, quæ de eodem Matthæus Weſtmonaſterienſis narrat, his verbis: *Anno gratiæ* IↃXLII *duo filii Merdredi inſurrexerunt in regem Britonum Conſtantinum, volentes patrem vindicare, qui Saxonibus confœderati prælia plurima commiſerunt. Quos tandem Conſtantinus in fugam pulſos perſequens, unum Wintoniæ, in Eccleſia ſancti Amphibali, ante altare trucidavit. Alterum verò Londoniæ, in quorundam fratrum cœnobio abſconditum, crudeli morte damnavit.* Hæc ille, poſtquam dixerat, Conſtantinum ſuperiori, hoc eſt IↃXLII anno, imperium fuiſſe adeptum. Ut ſi Weſtmonaſterienſis Matthæus exactè ſatis tempora numerat, planè conſequatur, Gildam hanc epiſtolam ſcripſiſſe ſecundo Conſtantini regis anno: qui Chriſti erat IↃXLIII. Hoc enim indicant allata illa verba Gildæ cædem regiorum liberorum in locis ſacris patratam narrantia, HOC ANNO *poſt horribile juramenti ſacramentum*, &c. Venio ad Aurelium Conanum: quem ſic increpat Gildas: *Quid tu quoque, ut propheta ait, catule leonine, Aureli Connane, agis? nonne eodem, quo ſupradictus, ſi non exitiabiliore, parricidiorum, fornicationum, adulteriorumque cœno, velut quibuſdam marinis irruentibus tibi voraris feraliter undis? Nonne pacem patriæ, mortiferum ceu ſerpentem, odiens, civiliaque bella, & crebras injuſtè prædas ſitiens, animæ tuæ cœleſtis portas pacis, ac refrigerii, præcludis?* At de eodem Weſtmonaſterienſis ad annum IↃXLV: *Succeſſit Aurelius Conanus, miræ probitatis juvenis, & Conſtantini nepos, per omnia diademate dignus, niſi civilis belli fuiſſet amator. Nempe avunculum, qui poſt Conſtantinum regnare debuerat, incarceravit, duobuſque filiis peremptis, regnum obtinuit.* Unde cognoſcimus, cur Conanum parricidii Gildas accuſet, & excitati belli civilis. Sequitur Vortiporius, ſeu Vortiperius. Quem his verbis alloquitur Gildas: *Quid tu quoque pardo ſimilis moribus, & nequitiis diſcolor, caneſcente jam capite, in throno dolis pleno, & ab imis vertice tenus diverſis parricidiis, & adulteriis, conſtuprato, boni regis nequam fili, ut Ezechiæ Manaſſes, Demetarum tyranne, Vortipori ſtupide, riges?* De eodem ſic Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum IↃLXXVIII. *Eo anno, defuncto rege Britonum, Aurelio Conano, Vortiperius ſucceſſit, tribus annis: qui Saxonibus infeſtus, multoties de eis laudabiliter triumphavit.* De Cuneglaſo autem tacet Matthæus. Ut, eo miſſo, ſolus ſuperſit Maglocunus: quem ſic alloquitur idem Gildas: *Quid tu etiam, inſularis draco, multorum tyrannorum depulſor, tam regno, quàm etiam vitâ; ſupradictorum noviſſime in noſtro ſtylo, prime in malo; major multis potentiâ, ſimulque malitiâ; largior in dando, profuſior in peccato; robuſte armis, ſed animæ fortior excidus, Magoclune; in tam vetuſto ſcelerum atramento, veluti madidus vino, de Sodomitana vite expreſſo, ſtolide volutaris? Quare tantas peccaminum regiæ cervici ſponte, ut ita dicam, ineluctabiles celſorum ceu montium innectis moles? Quid te non ei regum omnium regi, à quo cunctis penè Britanniæ ducibus, tam regno, factus es, quàm ſtatu lineamento, editior, exhibes cæteris, moribus meliorem; ſed verſâ vice deteriorem?* Regem vocat, & Sodomitici criminis accuſat: ut idem ſit, de quo ſic Matth. Weſtmonaſterienſis ad annum IↃLXXXI: *Vortiperio ſucceſſit Malgo, vir pulcherrimus, armis robuſtus: ſe Sodomiticâ peſte diſſolutus, Deo, & hominibus, ſeſe exhibuit odioſum.* Nec objici debet, hìc non de Maglocuno, ſed Malgone, agi. Nam loquitur de eo, qui Connano ſucceſſerit. At eum veteres quoque Britanniæ annales Magoclunum vocitant: uti & eorum exemplo Polydorus facit lib. III. hiſtor. Anglicæ, cùm ait: *Conſtantinum ſecuti ſunt, Aurelius Conanus, Vortiporius, Maglocunus.* Ut qui integrè vocatur *Maglocunus*, per συγκοπὴν etiam *Maglo*, & κατὰ μετάθεσιν *Malgo* dictus videatur. Niſi magis placet, librariorum vitio eo in nomine jam olim peccatum eſſe.

Sed hìc non levis oboritur difficultas, quomodo omnes eos, ſeu reges, ſeu regulos, vel duces, unâ epiſtolâ increpare potuerit Gildas: cùm Conſtantinus (ſi Weſtmonaſterienſem audimus) imperârit ab anno IↃXLII uſque ad IↃXLV: exinde Conanus uſque ad ann. IↃLXXVIII: hinc Vortiperius uſque ad ann. IↃLXXXI: quo Magoclunus cœpit rerum potiri.

Hoc telum, ut ego quidem conjecto, biſariam exire poſſumus. Primùm, ſi dicamus, temporibus Conſtantini etiam Conanum, Vortiperium, & Maglocunum, imperâſſe: ſed terris diverſis. Pro qua ſententia eſt, quòd Gildas Conſtantinum, Damnoniæ; Vortiporium autem Demetarum tyrannum appellat. Eoque minùs mirandum, ſi plures eodem tempore in eâdem gente imperâſſe credamus: quòd tunc omnia plena fuerint diſſenſionis civilis: quam poſt bellum externum conſecutam fuiſſe, etiam Gildas refert. Nihil verò impedit, quo minùs eorum, qui priùs diverſis terris rexerint, alios alii poſt obitum in imperio ſucceſſerit.

Præterea dicere liceat, falli Weſtmonaſterienſem, cùm ſingulis horum, quale vidimus, imperii ſpatium præfinit: atque errorem iſtum natum exinde videri, quòd in monumentis antiquis, ſeu Matthæus, ſeu priores, quos ille ſecutus fuit, hoc ordine res ab iis geſtas legiſſent. Atqui nihil obſtabat, quo minùs, ubi varii partem imperii occuparent, mentio unius reguli, actorumque ejus fieret, necdum eo defuncto, de quo prius actum erat. Sanè aut alterum horum verum eſt: aut ſtatuere oporteat, Gildam, cùm priori operis hujus editione de ſolo Conſtantino, aut fortaſſe etiam Conano, ſcripſiſſet: poſt obitum horum, imperantibus aliis, alia adjeciſſe.

Utcunque eſt, ſatis ex his liquet, ſecundo Conſtantini anno, hoc eſt, anno gratiæ IↃXLIII ſcripſiſſe Gildam: ac ſi poſtea ab eo illa de aliis, inprimis Maglocuno, ſint addita, ſuperfuiſſe etiamnum anno IↃLXXXI; quo, ut Weſtmonaſterienſis ait, Malgo, ſeu Maglocunus, cœpit imperare. Ac poſterius hoc non malè convenit cum ſententia Polydori Virgilii, Joannis Balæi, & Geſneri, qui epiſtolæ illius ſcriptorem floruiſſe ajunt anno IↃLXXX. De ætate Gildæ ſatis.

Nunc ad alia venio. Sanè ut ſummæ eruditionis vir, ita fidei, ac ſanctimoniæ præcellentis fuit. Nec movere debent ridicula illa, atque inepta oracula, Gildæ tributa. Planè enim ſunt nugatoris cujuſdam commentum, qui auctoritatem aliquam quiſquiliis ſuis Gildæ nomine voluit comparare. At verè ſcripſit Gildas librum antè memoratum, ſive, ut ipſe vocat, epiſtolam de excidio, & conqueſtu Britanniæ. In qua refert, quàm atrocia ſit perpeſſa Britannia à Saxonum adventu uſque ad tempus illud, quo iſta traderet. Is liber primùm operâ Cutheberti Tonſtalli, Londinenſis epiſcopi, in lucem protractus, ac cum præfatione Polydori Virgilii editus fuit. Meminit hujus libelli etiam venerabilis Beda hiſtoriæ Anglic. lib. I. cap. XXII, item Guilielmus Neubrigenſis in præfationem. Brevis eſt in hiſtoria: multus autem in caſtigandis Britannorum vitiis. Antequam is lucem adſpexiſſet, imponi ſimplicioribus ſolet libello alio Gildæ nomen ementiente. De quo operæ eſt audire judicium Polydori Virgilii hiſtoriæ Anglicæ libro primo: *Exſtat item alter libellus, ut tempeſtivè lectorem nefariæ fraudis admoneamus, qui falſiſſimè inſcribitur,* GILDÆ COMMENTARIUM, *haud dubiè à quopiam peſſimo impoſtore compoſitum ad corroborandum cujuſdam novi hominis commentum. Sanè is nebulo, longè poſt homines natos impudentiſſimus ſummatim illud ex ejuſmodi novi auctoris farinâ dealbavit, crebrò factâ Bruti mentione, id quod Gildas nunquam ſomniavit: &, ut callidiùs legentes falleret, quædam ex ſuo addidit: quò vel duos fuiſſe Gildas, vel hunc libellum Gildæ prioris opuſculi compendium crederes. Quorum tamen utrumque tantùm abeſt, ut à doctis recipiatur, ut etiam unuſquiſque mediocriter eruditus, id doli facilè deprehendat, ac pro impoſtura habeat. Sed ut nemo homo in iſtiuſmodi errore*

*in poſterum tempus verſaretur nos nuper ipſum Gilda opus divulgandum curavimus.* Ab errore hoc non ſatis ſibi cavit Joannes Balæus, dum duos Gildas facit, unum Albanium, qui vixerit ſub Uthetio, anno IↃxII: alterum Badonicum, cognomento Sapientem, qui ſub Magocluno claruerit, anno IↃLXXX. A priori autem edita hæc eſſe ait, Regum Britannorum hiſtoriam, librum de victoria Aurelii Auguſtini, & acta ſanctorum, Germani & Lupi. Ac hujus vitam ſcriptam eſſe dicit à Caradoco Laucarbanenſi, qui eum hoc elogio ornârit:

*Hiſtoria veteris Gildas luculentus arator*
*Hæc retulit, parvo carmine plura notans.*

A Badonico autem inter alia ſignatam idem ait Hiſtoriam quandam, item epiſtolam de excidio Britanniæ, quæ & Gildæ Badonici nomen præfert in manuſcripto codice Oxonienſis bibliothecæ: ut indicat in Catalogo ſuo Thomas James. Ac ibidem legas exſtare inibi Gildam Albanium. Vide eum pag. 68. Nempe hæc ſunt quæ impoſuere Balæo. Addit denique, *Quæ alter Gildas ventura prænunciavit, hic oculis præſens, non ſine cordis dolore, adimpleta vidit.* Sed ex iis, quæ diximus, liquet, oracula, ac Britannicam hiſtoriam, quæ Gildæ credita fuere, eſſe ſomnia impoſtoris cujuſdam. Quare commentum illud de duobus Gildis, Albanio, & Badonico, planè explodi meretur. Quod ſiquid Gildæ, præter epiſtolam, de qua diximus, ac invectivam in clerum Britanniæ, tribui debet, id fuerit Querolus; ſive Aulularia illa, quæ cum Plauti nomine falsò prodiit. Sanè Gildæ adſignant codices quidam manu exarati: nec ſtylus refragatur: niſi quòd ille in Gildæ epiſtola ſit impeditior, intricatiorque, quàm in Querolo. Memoratum de excidio Britanniæ opus ſæpe lucem vidit: ac manuſcriptum adſervatur Cantabrigiæ in bibliothecâ publicâ, & Oxonii in bibliothecâ Collegii Mertonenſis. Etiam vita Gildæ hujus manuſcripta dicitur ſupereſſe Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Variaque ex ea vitâ fragmenta refert Joannes à Boſco in libro, quem ex veteribus membranis Floriacenſis bibliothecæ collegit.

## Cap. XXII.

*Venantii Fortunati patria, domicilium, ætas, libri de vita S. Martini, & quâ occaſione eos ſcripſerit: item aliorum vitæ ab eodem exaratæ. Bandoninia de vita S. Radegundis. Gregorii Turonenſis, patria, opera, ſimplicitas ejuſdem quæcunque de miraculis accepiſſet albâ lineâ ſignantis. Fredegarii liber XI. Radulphus de geſtis Francorum. Exploditur Hunibaldus Francus. Ætas eorum, qui S. Domnoli, & S. Auſtregiſili vitas ſignarunt.*

VEnantius Honorius (qui aliis Honoratus) Clementianus Fortunatus, Italus, natus fuit loco non longè diſſito ab urbe Tarviſina, qui Duplabilis vocatur. Sed Ravennæ liberalibus fuit artibus excultus. Ac non multò antè, quàm Longobardi invaſere Italiam, domicilium habuit Pictavis. Atque hic cùm proſâ, tum carmine, geſta prodidit ſanctorum: ibidem etiam epiſcopus tandem eſt factus: hodieque corpus ejus inibi requieſcit. Imperium eo florente erat penes Juſtinum juniorem: ad quem, uti & uxorem ejus, Sophiam, Hodœporicon exaravit. Poëta, prout tempora illa erant, nobilis fuit: atque inter alia, carmine epico quatuor libris, complexus fuit vitam & miracula B. Martini. Occaſionem ſibi ſcribendi eo præbitam refert, quòd cùm ipſe, ac inſimul ſocius ſuus Felix, vehementi oculorum dolore vexaretur, uterque ope B. Martini hoc morbo fuerit liberatus. Sic enim ſcribit:

*Quà mea Tarviſus reſidet, ſi molliter intras,*
*Illuſtrem ſocium Felicem, quæſo, require;*
*Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.*

Recepiſſe autem ſe, & Felicem, viſum ait, cùm oculos inunxiſſent oleo lampadis: ut indicant hæc verba:

*Tignus adeſt, cujus vitreâ natat ignis in urnâ,*
*Huc ego dum propero, valido torquente dolore,*
*Diffugiente gemens oculorum luce feneſtra:*
*Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,*
*Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,*
*Et præſens medicus blando fugat unguine morbos.*

Præterea vitam S. Hilarii, Pictavorum epiſcopi, duobus libris perſcripſit: quam apud Surium reperies Tom. I, die XIII Jan. Item S. Albini, Andegavenſis epiſcopi: qui obiit circa annum IↃL. Habes apud Surium Tom. II, I Mart. Item S. Germani, Pariſienſis epiſcopi: quæ eſt apud Surium Tom. III, die XXVIII Maji. Adhæc vitam S. Medardi: quam offendes Tom. III, die VIII Junii. Item vitam S. Radegundis, quæ eſt Tom. IV, XIII Auguſti. & S. Maurilii, quæ creditur eſſe illa apud Surium XIII Sept. Apud Poſſevinum perperam pro eo, *S. Mauritii* editum eſt. Item vitam S. Remigii, quæ eſt Tom. V, I Octob. & S. Marcelli; quæ ſcripta ad S. Germanum, Pariſienſem epiſcopum. Habes Tom. VI, die I Novemb. Videtur & ejus eſſe vita S. Amantii, epiſcopi Rutenenſis, quæ eſt Tom. VI, IV Nov. Ex his de Remigii vita auctor quoque nobis Hincmarus, Rhemenſis Archiepiſcopus, in Remigii vita: ubi ſic ſcribit: *Sicut à ſenibus, & jam ætate provectâ viris religioſis (qui tempora Tilpini, urbis hujus præſulis, adhuc vivebant, quando in ſervitium iſtius S. Eccleſiæ, auctore Deo, fui electus, atque provectus; & poſtea per aliquot annos vixerunt) fideli ratione didici* a, *à ſuis majoribus audierunt narrari, eos vidiſſe librum maximæ quantitatis, manu antiquariâ conſcriptum, de ortu, ac vita, & virtutibus, atque obitu beati Remigii, ſanctiſſimi patroni noſtri: qui hac occaſione deperiit, quoniam Ægidius, poſt B. Remigium quartus iſtius civitatis epiſcopus, quendam virum religioſum, Fortunatum nomine, metricis verſibus inſignem, (qui à multis potentibus & honorabilibus, in his Gallicis & Belgicis regionibus, per diverſa loca tunc vita ac ſcientia ſua merito invitabatur) petiit de eodem libro, cothurno Gallicano dictato, aperto ſermone aliqua miracula, quæ in populo recitarentur, excipere, quatenus ea ſine tædio audire, & mente recondere, atque per ea ad amorem, & honorem, atque devotionem Dei, & ipſius protectoris ſui, idem populus excitari valeret.* De eodem Fortunato ſic Aimoinus lib. III. de geſtis Francorum cap. XIII: *Ejus tempore Fortunatus, qui in rhetoricâ, metricâque arte, famoſus habebatur, ab Heſperia in Galliam tranſiens, Pictavis epiſcopus ordinatur. Hic multorum vitas paſſioneſque Sanctorum, partim proſâ, partim metro, compoſuit. Ad amicos quoque ſingula diſticha elegans orator conſcripſit. Unde præfato Regi elegiacum miſit carmen, congratulans ei in nuptiis Brunichildis. Quem cùm quidam conſors librum, ad diverſos ab eo ſibi familiares conſcriptum, manibus intuliſſet meis: in eo fecunditatem viri, dulcemque affabilitatem, ſatis admiratus ſum.* Meminit & cap. XVI. item Beda lib. I. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. VII. & Hildiwinus epiſtolâ ad Ludovicum Pium Imper. ubi Fortunatum hunc vocat *virum prudentem, & ſcholaſticiſſimum*: atque ab eo hymnum ait ſcriptum de glorioſiſſimo martyre, Dionyſio Areopagita. Vide & de eodem Hincmarum præfat. in vitam S. Remigii, Sigebertum in catalogo cap. XLV, & Matthæum Weſtmonaſterienſem in Florilegio ad annum IↃLXIII.

a Fortaſſe leg. quod iis à

Iiſdem temporibus fuit Bandoninia: quæ cùm Fortunatus epiſcopus de vita S. Radegundis reginæ librum ſcripſiſſet, alterum ei librum addidit, quo complectebatur, quæ prætererat Fortunatus. Fuit Bandoninia alumna S. Radegundis: ut ipſa in præfat. teſtatur. Obiit autem S. Radegundis anno Chriſti IↃXC. Habes hoc opuſculum apud Surium Tom. IV, ad XIII Aug.

Æqualis Venantio, & Bandoniniæ fuit, Gregorius, Turonenſis, ſive, ut in MSis pleriſque vocatur, Turonicus epiſcopus undevigeſimus: quippe qui præſens interfuerit luctui immenſo ſanctimonialium ob luctum S. Radegundis reginæ, de qua proximè dictum: ad quem item plura

Fortu-

Fortunatus ſcripſerit; ut Hilduinus epiſtolâ ad Ludovicum Pium ait: ubi & ejus *contemporalem* (ſic loquitur) appellat. Patriâ fuit Arvernus, ut genere, ita virtute, nobilis. Patrem habuit Florentium, & Armentariam, ut Fortunatus teſtatur. Patruum autem Gallum epiſcopum. In epiſcopatu Turonenſi ordinante Ægidio Rhemenſe, ſucceſſit Euphronio: quod anno contigit DLXXII: ut ad eum annum Matthæus Weſtmonaſterienſis annotavit. Sed ipſum potiùs audiamus Turonenſem de miraculis S. Martini cap. I: *Anno* CLXXII *poſt tranſitum S. Martini Antiſtitis, Sigeberto, glorioſiſſimo rege* XII *anno regnante, poſt exceſſum S. Euphronii epiſcopi, onus epiſcopale ſuſcepi.* Obiit autem S. Martinus anno DLXII. Eoque Turonenſem epiſcopatum adeptus ſit Gregorius triennio pòſt, quàm tradidit Weſtmonaſterienſis. Scripſit libris X hiſtoriam Francorum: quibus poſtea à FREDEGARIO, undecimus eſt adjectus. Perducit autem hiſtoriam Gregorius ad ſua uſque tempora. Appendix verò, ſeu liber undecimus, definit in Karoli Magni obitu. In fine libri X commemorat Gregorius & alia, quæ in literas retulit. Verba ejus ſunt: *Decem libros Hiſtoriarum, ſeptem miraculorum, unum de vitis patrum ſcripſi: in pſalterii tractatum librum unum commentatus ſum: de curſibus etiam eccleſiaſticis unum librum condidi.* Subjicit quædam deinde, quibus adjurat librarium, atque alios, nequid libris ſuis, etſi ſtylo ruſtico ſcriptis, demant, vel in iis immutent. Octo inſuper alios compoſuit libros, quos hodieque habemus. Eorum argumentum ponit præfatione libri de gloriâ Confeſſorum: *Inprimo*, ait, *libello inſeruimus aliqua de miraculis Domini, ac ſanctorum Apoſtolorum, reliquorumque Martyrum, quæ hactenus latuerunt, quæ Deus ad corroborandum fidem quotidie dignatur augere. In ſecundo poſuimus de virtutibus S. Juliani. Quatuor verò libellos de virtutibus S. Martini. Septimum de quorundam felicioſorum vita. Octavum hunc ſcribimus de miraculis confeſſorum.* Etiam ſcripſit de virtutibus Senoch Abbatis, quas is erga infirmos exercuerat: item de vita S. Nicetii: item vitam Caluppæ recluſi: item Patrocli recluſi: item de mirabilibus Medardi: item de vita Hillydii, Avernorum epiſcopi: item de virtutibus Quintiani: item de vita abbatis Abrahæ: quorum omnium mentionem Gregorius ipſe facit variis in locis. Ex quibus ſola Medardi vita non exſtat. Præterea Sidonii de Miſſis libro addidit præfationem: cujus meminit Hiſtoriæ Franc. lib. II cap. XXII. Apud Sigebertum *a* autem lego, etiam epitomen feciſſe de rebus Francorum: quam pluribus poſtea libris tractârit. Ea epitome conſpicitur in corpore *b* veteris & ſinceræ Hiſtoriæ Francorum. Adhæc Chronicon Eccleſiaſticæ hiſtoriæ compoſuiſſe, idem teſtatur. Virum ait fuiſſe magnæ, ut nobilitatis, ita & ſimplicitatis. Et ſanè judicium non immeritò requiras, dum albâ lineâ miracula omnia ſignat, quæ in Apocryphis legerat, vel ab aliis acceperat. Neque noſtrum ſolùm hoc judicium eſt: ſed etiam Sigeberti, imò jam ante ſecula prope octo idem ſcripſit Hilduinus epiſtolâ ad Ludovicum Pium Imper. Verba ejus ſunt: *In quibuſdam, nec ſenſu, nec orationis tenore, poterant ſociari: quod manifeſtum eſt hujus venerabilis, & antiquiſſimi patris* (Dionyſii Areopagitæ) *vetuſtâ longinquitate, & ignota atque peregrina lingua,* (Græcam ſignat) *ubi de eius notitia maximè ſcriptum erat, inſcitiâ, ſeu devotione fidelium accidiſſe: qui non ſtuduere ad priſcas hiſtorias pro cognitione eius recurrere; ſed ea, quæ auditu collegerunt, (ut Gregorius Turonenſis, non votivo errore fallens) videntes inſignia magnifica, atque innumerabilia, per eum fieri, prout unicuique ſenſus abundavit, curaverunt ſcriptis committere.* Et paullo pòſt: *Cæterùm parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi, Gregorii, Turonenſis epiſcopi; qui multa aliter, quàm ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis, ac ſimplicitatis voto, literis commendavit.* Celebrat hiſtoricum hunc quoque Hincmarus præfatione in vitam Remigii. Nam perperam Surius putabat, ſignari iſtic Gregorium M. quia is ſcripſerit dialogorum libros.

*a* In catal. cap. 49.

*b* Hanoviæ prodiit anno 1613.

Meminit & Aimoinus de geſtis Francorum lib. I. c. XVIII. his verbis: *Verùm in Chronicâ, quæ dicitur Gregorii (& putatur eſſe Turonenſis epiſcopi) refertur, quod quidam rex Sigebertus filium ſuum Chlodericum ad Clodoveum principem direxerit, Francorum auxilium contra Gothos laturum. Memorat etiam idem Chronicus, eoſdem, videlicet patrem cum filio, fraude Francorum eſſe interemtos, regnumque eorum, ac theſauros à Francis occupatos. Sed quia codex, in quo hæc digeſta invenimus, vitio ſcriptorum erat depravatus, ad liquidum inveſtigare nequivimus, cujus gentis rex fuerit, vel quæ juſta necis hujus cauſſa extiterit. Tantummodo narrat, regnum ejus, opeſque à Clodoveo pervaſas.* Refert ea Aimoinus ex Gregorii Annalium Francicorum lib. II cap. XXXVII, & XL. Finit Gregorius annales anno DXCVI. Atque obiit anno eodem, XV Kal. Decembr. Feſtum ejus habes & apud Bedam, & exinde in Molani additionibus ad Uſuardum & in Martyrologio eo Romano, quod Baronius notis illuſtravit. In catalogo *a* MSorum Angliæ codd. Gregorio quoque tribuitur Libellus de paſſione Domini: quem ipſe *Geſta Pilati* videtur nominâſſe lib. I cap. XXIII. Habes in Orthodoxographis Baſileæ *b* editis. Error iſte mihi ex eo videtur obortus, quòd codici fuerit Gregorii Turonenſis à nonnemine ſubjectus. Sanè Tritthemius non agnoſcit. Cætera pete è vitâ Gregorii hujus, à Turonenſis clerico exaratâ; quæ apud Aloyſium eſt T. III, & Surium T. VI die XVII Nov. item è Tritthemii catalogo, & de illuſtribus viris ordinis Benedictini lib. III cap. X, & LI. item lib. IV cap. XL. item iis, quæ à Savarone paſſim dicuntur opere de originibus civitatis Claromontanæ. Ad eadem tempora à Suffrido Petri in Chronologiâ ad oram additâ, à Sigeberto *c* refertur Rudolphus ſive ut in aliis libris eſt, RADULPHUS, quem & ipſum Sigebertus hiſtoriam Francorum ſcripſiſſe ait: ſed addit, *à ſuo tempore*, ut videatur ſui ſæculi res ſolùm conſignâſſe.

*a* P. 127.

*b* Anno 1569. Pag. 643.

*c* Cap. 50.

Itidem ad junioris Juſtini tempora pertinêre putatur Hunibaldus Francus. Hic, ut Tritthemius in *Compendio*, & Simlerus in Geſneri appendice, tradunt, ex carminibus, & ſcriptis flaminum ſuæ gentis, continuavit Waſthali hiſtoriam per annos D CCCCXXVI, uſque ad Clodovei, cujus tempore vixiſſe dicitur, annum ultimum, qui Chriſti erat, non quidem DXIV, ut eſt apud Simlerum, ſed DLXIV; ut temporum ratio clarè evincit. Ac primis quidem ſex libris tractat res Trojanas uſque ad mortem Antenoris. Hinc ſex aliis libris progreditur uſque ad Waramundum regem. Sequentibus verò pertingit uſque ad tempora Clodovei. Duodecim ultimos Hunibaldi libros redegit Tritthemius in compendium: quod in operum ejus volumine compâret: imò non paullo erat hoc Annio, & indoctior, & impudentior. Verùm Hunibaldus iſte nec treſſis ſcriptor eſt. Imò nihil illo ineptius, ſtultiuſque. Sanè quicquid de antiquis Germanorum temporibus Romanis indictum prodit; id omne comminiſcitur. Nec enim veteres Germani geſta ſua mandabant literis, quas neſciebant. At ille ferrei oris, plumbei cordis, Hunibaldus, non modò promit his indicta, ſed planè repugnantia: ut fidem ei habere non poſſimus, niſi inſimul Romanis omnibus detrahamus. Vide de hoc pluſcula apud Illuſtrem, Doctiſſimumque Hermannum Comitem Nuenarium, diſſertatione de origine, & diſſertatione priſcorum Francorum; item apud Hadrianum Junium Bataviæ ſuæ cap. IX. Cui Janus Duza ſubſcribit notis ad elegiam ſuam Annalibus Batavis præfixam. Scaliger etiam de emendatione temporum, lib. VI imperitiæ ſeculi pag. 496 tribuit, quod impunè ei fuerit Marrucinis illorum temporum probare. Nec minus rejicit Cluverius Antiquæ Germaniæ lib. III cap. XX. Idem facit Iſacius Pontanus in Originibus Francicis, & notis ad ſua poëmata. Ubi refellit Joannem Dilenum Juriſconſultum Lovanienſem, & Jacobum de Charron, Regi Chriſtianiſſimo à Cubiculis: quibus Hunibaldus ille in pretio erat. Quare Hunibaldus eo loco habendus, quo Beroſus Annii, & ſimilis farinæ nugatores. Inter cæteras ejus ineptias eſt,



quod

quod Roterodamum novitium Bataviæ noſtræ oppidum ait conditum eſſe à Rothero Rege Francorum, circa annum Chriſti LXXXIX. Qui Rex nunquam fuit.

Juſtini quoque, ac Tiberii Anicii temporibus, is fuit, qui S. Domnoli, Cenomanenſis epiſcopi, vitam, juſſu Haduini præſulis, conſcripſit. Siquidem ejus auctor opuſculi, quod ipſe non obſcurè indicat, Domnoli amicus ac familiaris fuit. Domnoli verò ætatem vel indè cognoſcimus, quòd, ut ibidem legas, B. Germani, Pariſienſis epiſcopi, ſummus fuerit amicus. Is autem obiit anno Iↄ LXXIX. Vita hæc Domnoli legitur apud Surium in Hiſt. Sanct. Tom. III a.d. XVI Maji. Sed Haræus in epitome ſuâ eam rejecit ad I Dec.

Eorundem imperatorum ætate vixit ille, qui vitam compoſuit æqualis ſui B. Auſtregiſili, archiepiſcopi Bituricenſis. Habes apud Surium ad XX Maji. Quod autem de ætate ejus ſcriptoris dixi, id cognoſcere eſt ex iſtis verbis: *Dixit igitur* (Auſtregiſilus) *amico ſuo Marculpho, id temporis lectori,* NUNC *verò abbati ejus baſilicæ, ubi corpus ejus humatum eſt*, &c. Atqui obiit Auſtregiſilus circa annum Iↄ LXXXI. Vide quæ in epitome ſanctorum Haræus annotavit ad Sulpitii, & Auſtregiſili vitas. Magis enim ea probantur, quàm quæ Baronius de obitus ejus tempore retulit ad annum Chr. Iↄ CXI.

## Cap. XXIII.

*Gregorius Magnus ex præfecto urbis factus monachus, hinc diaconus, exinde Papa. Error abbatis Urſpergenſis. Gregorius hic à quibus auctor agnoſcatur dialogorum de ſanctorum miraculis. Idem quantopere Romanis fuerit exoſus, qui & defuncti ſcripta comburere fuere aggreſſi. Dialogorum libri à Zacharia Papa Græcè tranſlati. A Cedreno crediti eſſe Gregorii* II. *Falli eos, qui Photio eandem opinionem tribuerunt. An dialogus Græcolatinus de vita Benedicti poſſit eſſe hujus Gregorii. Beulanus presbyter de genealogiis gentium. Scriptor vitæ S. Eugendi. Elvonii Probi hiſtoria Brittannica. Aſaphus Venedota de vita Kentigerni. Chronicon Joannis Biclarienſis, ſive Gerundenſis. De origine rerum Hiſpanicarum epiſcopi Gerundenſis liber. Scriptores vitarum S. Ebrulphi, & S. Eparchii.*

GRegorius Magnus anno Chriſti Iↄ LXXXI, qui Juſtini junioris erat ſextusdecimus, Urbis præfectus erat. Anno Chr. Iↄ LXXXII, Tiberii imp. ſecundo, monachus S. Equitii eſt factus. Ut valde fallatur Conradus, abbas Urſpergenſis, cùm eum jam anno Iↄ LVIII, monachum fuiſſe arbitratur. Nec diu in eo vitæ genere permanſit: ſed mox à Pelagio Papa ſeptimus fuit Levita deſignatus. Anno Chr. Iↄ XC, qui Mauritii fuit quinctus, ex diacono eſt creatus Papa. Atque obiit anno ſecundo Phocæ Imp. qui Chriſti erat Iↄ CIV. Hic, ut verba Sigeberti retineam, *librum dialogorum, quem cum Petro, diacono ſuo, de miraculis ſanctorum ſui temporis habuit, Tendelinda* a, *Longobardorum regina, pro munere miſit.* De Petro iſtoc, quicum dialogi fuere habiti à Gregorio, mirificam ibidem rem narrat Sigebertus, his verbis: *Scripſit & alia, quæ à Romanis poſt mortem ejus combuſta ſunt, qui & omnia opera ejus combuſſiſſent, niſi Petrus, diaconus ejus, interveniens confirmâſſet jureiurando, ſe vidiſſe Spiritum S. quaſi columbam ſuper caput Gregorii tractantis ſedentem, roſtrum ſuum ori illius inſerentem: & hoc ipſum Petrus hac conditione fecit, ut, ſi ipſe poſt factum jusjurandum ſtatim moreretur, Romani à libris Gregorii comburendis ceſſarent: ſi non moreretur, ipſe etiam combuſtoribus librorum manus daret. Sic Petrus inter verba juramenti exſpiravit, & Romanorum inſania ceſſavit.* Dialogos autem Gregorii Papæ ſeſquiſeculo pòſt Græcè reddidit Zacharias Papa, ut idem teſtatur cap. LXXXVIII; & ante eum ſcripſerat Petrus diaconus lib. IV. de vita Gregorii Magni. Præter eos alii quoque multi meminere horum dialogorum: eoſque inter Leo Oſtienſis Hiſtoriæ Caſinenſis cap. I. Imò planè hoc Gregorii opus ſignat Beda lib. I Hiſt. Angl. cap. XIV. Atque adeò ipſe etiam Gregorius lib. II epiſt. LXXXIX. cap. L. cùm ait: *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omnimodo me compellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere.* Non deſunt tamen viri eruditi, qui dialogos eos eſſe arbitrentur Gregorii II, vel III; quorum ille anno Iↄ CCXV, hic anno Iↄ CCXXXI ſedere cœpit. Sanè ſubnixa eſt hæc ſententia auctoritate Cedreni: qui Gregorium dialogorum auctorem vixiſſe a temporibus Conſtantini, & Leonis impp. ac à lucubratione iſtac *Dialogi* accepiſſe cognomen. Ajunt & in eâdem ſententia Photium eſſe, cujus major ſanè apud me auctoritas foret, quàm Cedreni. Nam & emunctioris eſt naris, & majoris eruditionis, atque induſtriæ, &, quod non minoris duco, Gregorianis temporibus propior multò. Verùm de Photio falluntur, cùm ille inter tempus, quo Gregorius dialogos ſcripſit, & illud, quo Zacharias eos vertit, annos dicat interjectos CLXV: quod convenire neutiquam poteſt Gregorii II, vel III. temporibus: quia Gregorio ſecundo Gregorius III, huic autem Zacharias ſucceſſit. Quare primo tribuiſſe Gregorio, ſatis eſt manifeſtum: utcunque pauciores aliquanto anni ſint inter Gregorium I, & Zachariam, quàm Photius, (niſi librarii is error) exiſtimavit. Nec movere debet, quòd is Zachariam dialogorum conditoris διάδοχον appellet. Nam ſucceſſiſſe ei, dicit: ſed ἀμέσως ſucceſſiſſe, non dicit: nec dicere voluit, qui ſesquiſeculi inter eos intervallum ponit. Nec ſolùm diſſenſus eſt de dialogorum auctore: ſed etiam de eorundem fide. Quâ de re adi querimoniam Melchioris Cani, epiſcopi Canarienſis, Locorum Communium lib. XI cap. penult. quæque adverſus Canum diſſerit Baronius notationibus in Martyrologium Rom. ad XXIII Decembris. Extremo illud loco addam, in Cæſarea bibliotheca, quæ eſt Viennæ, exſtare codicem MSum Gregorii hujus nomen præferentem: continet autem dialogum Græcolatinum de vita B. Benedicti. Is ſi genuinus, Latinè quidem ſit à Gregorio; (ſanè eum id argumentum tractâſſe, dicit Sigebertus b) ſed tranſlatio ab alio fuerit: fortaſſe à Zacharia Papa, vel aliquo, qui juſſu Zachariæ verterit; vel ab Anaſtaſio, Antiocheno epiſcopo, qui Paſtoralia in Græcum ſermonem transfudit. Sanè Gregorii eſſe nequit, cùm ipſe epiſtolâ ad Euſebium, epiſcopum Theſſalonicenſem, ſe Græcè neſcire, ingenuè fateatur.

[a Alii, Tradelinde, vel Teodelinde.]

[a P. 375.]

[b in catal. cap. 33.]

Beulanus, presbyter Anglus, Nennii præceptor: iiſdem, quibus Gregorius Papa, temporibus vixit. Hic ſedulò inquiſivit Angloſaxonum, qui Britanniam ſeſquiſeculo antè ingreſſi fuerant, origines: atque adeò, ex qua poſt diluvium gente prognati eſſent. Ex iis verò, quæ iſta meditans, collegerat, librum fecit De genealogiis gentium; ut ex Balæo cognoſcimus.

S. Eugendi, Abbatis Jurenſis, diſcipulus vitam ſcripſit præceptoris ſui. Ea apud Surium exſtat T. I. a.d. I Jan. In vitæ ejus extremo pollicetur auctor etiam Inſtituta monaſterii Agaunenſis, in quo vivebat. eaque à ſe ſcripta eſſe ait juſſu S. Marini presbyteri, inſulæ Lirinenſis abbatis. At S. Marinus, ut ex vita ejus videmus, fuit tempore Childerici Francorum regis, Clotharii filii, cùm imperator foret Tiberius. Quare ſub Tiberio hoc, vel ſucceſſore ejus Mauritio, claruerit vitæ ejus ſcriptor.

Sub Mauritio quoque, fugatis in Cambriam Britannis, vixit Eluodugus Probus, Bannochorenſis cœnobii monachus, Nennii itidem præceptor: ut præter Nennium ipſum in Chronicis ſuis Gualterus Coventrius, & Rogerius Ceſtrius, teſtantur. Condidit Britannicam hiſtoriam, quam, ope hiſtoriæ Romanæ, à multis priorum fabulis purgavit.

Aſaphus Venedota itidem tempore Mauritii, claruit, quo in Britannia imperabat tyrannus Carentius. Scripſit vitam præceptoris ſui Kentigerni; à quo, dum viveret, monaſterio Elguenſi, ſive Eluienſi, fuerat præfectus; atque

in

ſin epiſcopatu, conſentiente plebe, ſucceſſor conſtitutus. Ab hoc diœceſis, cui præfuit, veteri nomine deperdito, S. Aſaph cœpit nominari.

Claruit & tum Joannes Abbas, Gothis oriundus, ſed Scalabi in Luſitania natus, conditor Biclarienſis monaſterii, ac poſtea epiſcopus Gerundenſis: unde & nunc Joannes Biclarienſis, nunc Ioannes Gerundenſis, vocari ſolet. Hic continuavit Chronicon, ubi Victor Tununenſis deſierat: nempe ab initio imperii Iuſtini imperatoris, qui Iuſtiniano ſucceſſit, uſque ad octavum Mauritii annum, & quartum Reccaredi, regis ſui, qui Chriſti annus eſt IↃXCIV. Eum primus in antiquis ſuis lectionibus divulgavit Henricus Caniſius. Vide de eo Iſidorum lib. de viris illuſtribus cap. XXXI, item Trithemium in Catal. Baronium Tom. VII ad an. IↃLXXXIV, & Ioannem Marianam rerum Hiſpanicarum lib. V cap. XIII, & XV. Fortaſſe verò & hujus ſit Gerundenſis epiſcopi de origine rerum Hiſpanicarum liber. Eum Poſſevinus ait MSum exſtitiſſe in bibliotheca Vincentii Pinelli, quæ poſt obitum ejus Patavio Neapolim eſt tranſlata.

Etiam Maurini temporibus fuit ille, qui vitam S. Ebrulphi confeſſoris conſignavit. Nam æqualem fuiſſe S. Ebrulpho, indicant hæc de eo verba in vitæ initio: *Ebrulphus vir nobilis, parentes habuit illuſtres. Nutritus eſt autem in aula regis Franciæ, tantamque præ ſe tulit modeſtiam, & humilitatem, ut in palatio magnum obtineret locum, quemadmodum* IPSE NOBIS *dicere conſuevit.* Et poſt multa ait: *Cùm jam vir ſanctus octogeſimum ætatis annum exceſſit, ſicut ab* IPSO DIDICIMUS, *cupiebat diſſolvi.* Obiit autem S. Ebrulphus, (ut in eâdem vitâ dicitur) *temporibus Rodoberti, epiſcopi Sagienſis, anno duodecimo Childeberti regis:* Ubi Childebertus ſignatur, Auſtraſiæ rex, Sigeberti, & Brunechildis filius, qui patri ſucceſſit anno IↃLXXVIII, ut duodecimus ejus annus ſit Chriſti annus IↃXC. Extat ea Ebrulphi vita in Suriana Sanctorum hiſt. T. VI die XXIX Dec.

Circa eadem tempora fuit, qui exaravit vitam S. Eparchii. Nam prope æqualem fuiſſe, indicant hæc verba: *In hac S. Eparchii vita, nemo quicquam putet commentitium, aut ſupervacaneum, recitari: quandoquidem ea, quæ dicturus ſum, multorum poſſunt, qui coram intuiti ſunt, teſtimoniis confirmari.* At obiit Eparchius anno IↃLXXXIII. Habes eam vitam apud Surium Tom. IV. Kal. Iul.

## CAP. XXIV.

*Scriptores ſex, qui temporibus vixerint imperatoris Phocæ. Puta Fauſtus Caſſinenſis de vita S. Mauri: anonymus de vita B. Arnulphi: Elboldus Britannus de geſtis ſui temporis: Marcus Caſſinenſis de vita S. Benedicti: Maximus Cæſarienſis de rebus Hiſpanicis tempore Gothorum: & Secundus de geſtis quibuſdam Longobardorum.*

FAuſtus, Caſſinenſis monachus, S. Benedicti diſcipulus, floruit tempore Phocæ imperatoris. Vitam ſcripſit S. Mauri abbatis, condiſcipuli ſui: qui anno obiit IↃLXXXIV, tertio anno imper. Tiberii, quadrageſimo primo anno, ex quo in Galliam venerat: ut Fauſtus teſtatur in Mauri vita (habes apud Surium ad XV Ian.) in cujus extremo legas, eum *oblatum fuiſſe B. Benedicto, cùm duodecim eſſet annorum: habitâſſe cum eo* XX *annis: commoratum eſſe in monaſterio ſuo, quod ipſe ædificavit, annis* XL, *diebus* XIV. *Qui ſimul fiunt anni* LXXII, *dies* XIV. Scripſit autem ea Fauſtus poſt obitum Mauri annis amplius XX. Quod oſtendunt verba iſta in præfatione: *Denique hoc opuſculum beatiſſimo Papæ Bonifacio oſtendi. Quod ipſe ſanctiſſimus pontifex approbans, laude dignum duxit, ſuâque ſanctâ autoritate roboravit.* At is, qui primus Pontificum poſt Pelagium II, ſub quo S. Maurus obiit, Bonifacii nomen habuit, fuit Bonifacius III, qui ſedere cœpit anno IↃCVI, & uni anno proximo Bonifacius IV: quorum alterum quin Fauſtus ſignet, dubitare non poſſumus. Sed tertium vocat Leo Oſtienſis Chronici Caſinenſis lib. I cap. III. ubi hæc reperies: *Tertio interea Bonifacio Apoſtolicæ ſedi præſidente, memoratus Fauſtus, qui cum beato Mauro ad Gallias perrexerat, ad prædictum Lateranenſe cœnobium rediit: atque à beato Theodoro (qui tunc poſt ſanctæ memoriæ Valentinianum tertius eandem congregationem regebat) rogatus, atque compulſus, hiſtoriam de vita beati Mauri ſignatâ veritate conſcripſit: quam idem Papa Bonifacius approbans, ſuâ auctoritate roboravit.* Meminerat & idem cap. I. ubi de B. Benedicto ait: *Nihil moratus beatum Maurum illuc direxit, atque unà beatum Fauſtum, qui ejus poſtmodum hiſtoriam pleniter ſcripſit.* Vide & Sigebertum in catal. cap. XXXII.

Anonymus ille, qui vitam tradidit B. Arnulphi, Metenſis epiſcopi, (ea apud Surium exſtat a. d. XVI Aug.) iiſdem quibus Arnulphus temporibus fuit. Siquidem penè initio ejus vitæ ſic loquitur: *Hujus ego res memorabiles, & laude dignas nonnullas, ab ejus familiaribus didici: pleraque per memet ipſum cognovi.* Et in eâdem vitâ: *Quod nos audientes, celeri greſſu imus ad domum beati viri,* &c. Sermo ibi eſt de Arnulpho hoc. Is autem familiaris fuit Clothario, ſecundo ejus nominis Francorum regi: ut ex eadem vita conſtat. Quare Phocæ, & Heraclii temporibus, vixiſſe, ſatis eſt apertum. Videtur autem hoc eſſe opus illud, quod ſignat Paullus Diaconus de Longobardorum geſtis lib. I cap. XVI, ubi ait: *De cujus* (Arnulphi) *mirabilibus apud Metenſem eccleſiam, ubi epiſcopatum geſſit, liber exſtat, ejuſdem miracula, & vitæ abſtinentiam, continens.*

Eâdem ætate fuit Elbodus Britannus, Venedotarum in Anglia Archiepiſcopus. Hic à bonarum literarum peritiâ Lelando laudatur: ac, præter librum de ratione paſchæ, etiam hiſtoriam ſui temporis reliquit: ut Balæus teſtatur.

Marcus, Caſſinenſis monachus, eodem tempore fuit. De eo ſic Sigebertus cap. XXXIII: *Marcus poëta, familiaris Benedicti Caſſinenſis, vitam ejus à Gregorio deſcriptam deſloravit heroico breviloquio, & pauca ſuperaddidit.* Hoc carmen Marci, cùm diu delituiſſet, in monaſterio B. Benedicti Mantuani inventum, ac Romæ, cum tertio Proſperi Martinengi poëmatum libro, anno CIↃ IↃ XC excuſum fuit.

Vixit iiſdem temporibus Maximus, Cæſarauguſtanæ civitatis epiſcopus, qui *hiſtoriolam de his, quæ temporibus Gothorum in Hiſpania acta ſunt, hiſtorico, & compoſito ſermone, ſcripſit:* ut ait Iſidorus in catal. cap. ult. ubi eum adhuc vivere, multaque componere, dicit. Meminit & Honorius. Item Tritthemius, qui librum eum appellat *inſigne volumen, & opus amœnum, de geſtis Gotthorum in Hiſpaniis.* Intercidiſſe arbitratur Vaſæus in Chron. rerum Hiſp. cap. IV. Mihi quidem hactenus eſt inviſum.

Phocæ quoque tempore, ac primo Heraclii quinquennio, Clothario II in Galliis imperante, fuit Secundus, de quo Paullus Longobardus lib. III de geſtis Longob. cap. XXIX. *Tantaque ibi ſtrages facta eſt de Francorum exercitu, quanta nuſquam alibi memoratur. Mirandum ſanè eſt, cur Secundus, qui aliqua de Longobardorum geſtis ſcripſit, hanc tantam eorum victoriam præterierit, cùm hæc, quæ præmiſimus de Francorum interitu, in eorum hiſtoria iiſdem ipſis penè verbis exarata legantur.* Item lib. IV cap. XLII: *Sequenti menſe Martio defunctus eſt apud Tridentum Secundus, ſervus Chriſti, de quo ſæpe jam diximus: qui uſque ad ſua tempora ſuccinctam de Longobardorum geſtis compoſuit hiſtoriolam.* Mox ſubjungit, ut eodem tempore Theudebertus, Francorum rex, in prælio ceciderit. Quod anno contigit IↃCXV. Ut ergo eo anno mortuus ſit Secundus: quem ut ab aliis diſcernamus, Tridentinum vocare poſſumus ob verba Paulli proximè prolata.

CAP.

## Cap. XXV.

*Sequuntur tempora Heraclii, quibus Euſtaſius iter S. Columbani, Nennius res Britannicas, literis mandavit: quibus item fuit Iſidorus Hiſpalenſis. Atque hujus indicatur genus, ac dignitas. Diſtinguitur idem ab Iſidoro ſeniore, & alio, Pacenſi epiſcopo. Locus ex Chronicis Iſidori ab alio ejuſdem Originum libris inſertus. Quamopere idem rem hiſtoricam juverit. Quibus conciliis præfuerit. Oſtenditur alium eſſe ab hoc, qui canones Eccleſiaſticos conſarcinavit: ſive ei Mercator cognomen, ſeu ipſe peccatorem ſe modeſtiæ cauſſâ nominavit. Obiter aliquid de Redemto Clerico. Braulionis, epiſcopi Cæſaraugustani, liber de vita Æmiliani monachi. Samuelis Beulani hiſtoria itineraria.*

PRimis annis imperatoris Heraclii (qui imperare cœpit anno Iↄ cx, ac annis rexit xxxi) claruit Euſtaſius, diſcipulus Columbani. Hic magiſtri ſui iter deſcripſit. Quicquid verò de magiſtro prodidit Euſtaſius, hoc hiſtoriæ ſuæ de vita Columbani inſeruit Jonas: de quo poſtea dicemus.

Temporibus ejuſdem imperatoris, circa annum Iↄ cxx, ſub Cadroano, duce Britanno, vixit Nennius Anglus; Elvodugi Probi, ac poſtea Beulani presbyteri, diſcipulus; Elbodi ejus, de quo diximus, familiaris; ac tandem Bannochorenſis cœnobii antiſtes. Hiſtoriam condidit de origine Britannorum, cui Samuel Britannus addidit notas. Exſtare eam in Norduicenſi Carmelitarum bibliotheca, auctor eſt Balæus. Qui & ſcripſiſſe teſtatur librum de Urbibus Britannicis, elogium Britanniæ, apologiam quandam, coſmographiam, item additiones Gildæ. His addit Pitſeus collectiones hiſtoriarum, librum de mirabilibus, ac Chronicon. Ex iis verò, quæ retulimus, elogium quidem Britanniæ ait ſupereſſe in bibliotheca baronis Lumlejani: Chronicon autem Cantabrigiæ haberi in Collegio S. Benedicti. Hiſtoriam verò de origine Britannorum, non Nordvici ſolùm exſtare, ut Balæus ait; ſed etiam Cantabrigiæ in eodem Benedicti collegio, atque item in bibliothecâ publicâ ejus urbis Academiæ.

Utroque hoc longè celebratior eſt Iſidorus Hiſpalenſis. Stirpe Gothicâ natus fuit. Pater erat Severianus, Urbis Carthaginenſis præfectus. Fratres habuit epiſcopos duos, Leandrum Hiſpalenſis, & Fulgentium Carthaginenſis Eccleſiæ epiſcopus per annos fuit xl; ut de eo auctor eſt nobis Lucas Tudenſis. Idem eſt, qui *Iſidorus Junior* in multorum Codd. inſcriptionibus vocatur: uti & à Sigeberto, Tritthemio, & aliis. Nempe ſic dictus, ut diſtinguatur ab Iſidoro Cordubenſi, qui Honorii temporibus vixit: hoc eſt circa annum gratiæ cccc. Atque hic ille ſit, qui, ut quidem Tritthemius prodidit, commentarios in libros regum edidit: eoſque dicavit Oroſio, presbytero Hiſpano, B. Auguſtini diſcipulo. At Hiſpalenſis Iſidorus claruit imprimis circa annum Iↄ cxx, ſcriptoribus Heraclii Imp. & Suinthilani, Gothorum in Hiſpania regis: ut conſtat ex iis Iſidori verbis, quibus & Chronicon ſuum incipit, & quinctum Originum finit: niſi potiùs alius ex Chronicis in Originum libros tranſtulit: quod verum puto: etſi Bellarminus credat, Chronicon ex quincto Originum eſſe decerptum. Sed contrà factum eſſe, inde colligo, quòd in vett. meis optimæ notæ manuſcriptis, extrema iſta libri quincti verba, quæ in Breulianâ editione legas, deſiderantur. Nec ſemper tamen per Iſidorum juniorem Hiſpalenſis ſignatur: ſed interdum & Pacenſis, itidem Hiſpanus, qui Hiſpalenſi ipſo junior fuit. De Pacenſi hoc poſtea dicemus. Ingenium atque eruditionem ſuam poſteris teſtatam fecit Hiſpalenſis, multis ad literaturam, multis item ad ſacras literas pertinentibus: de quibus nunc non agimus. Hiſtorica verò ejus ſunt iſta, quæ hodieque exſtant. Chronicon deſcripſit ab initio mundi uſque ad quinctum annum Suinthilani regis, qui Chriſti fuit Iↄ cxxvi. Hujus operis meminit in fine quincti Originum: ſi appendix ea ipſius fuerit Iſidori, de quo antè ſatis dictum. Condidit quoque hiſtoriam de origine Gothorum, regno Suevorum, & Wandalorum. Cujus operis meminit Braulio, epiſcopus Cæſaraugustanus, in præfatione eâ, quæ Iſidoro præmittitur. Etiam opuſculum compoſuit de xlvi viris illuſtribus; quod MSum exſtat Cantabrigiæ in bibliothecâ Collegii S. Benedicti, & Oxonii in Collegio Mertonenſi. Adhæc Philippus Bergomas in ſupplemento ſuo Chronico ad annum Iↄ cxv, ait, eum conſignâſſe vitas quorundam ſanctorum, quod ipſum Sigebertus prodit in catal. cap. lv: ſed hic explicatiùs paullò loquitur: quia egiſſe ait *de ortu, vitâ, & obitu ſanctorum patrum, qui in Scripturis laudibus efferuntur.* Joannes Vaſæus Chronici Hiſpaniæ cap. iv ſcribit, incidiſſe ſe & in Chronicon quoddam Iſidoro Hiſpalenſi adſcriptum, à ſuperiori autem Chronico diverſum: ſed quia illud in ultimo Thraſamundi, Vandalorum regis, anno deſinat, &, quod caput eſt, Vandalorum in Africâ potius, quàm Gothorum in Hiſpaniâ, rationem habeat: rectè cenſet alterius potiùs eſſe, ac quidem hominis Afri. Cujus ſuſpicionem illud confirmat, quòd de rebus Vandalorum alterum exſtet opuſculum Iſidori, quo res eorum perducit uſque ad Gilimeri caſum, & Vandalorum interitum. Anno Iↄ cxix præfuit ſynodo Spalenſi, quomodo vocatur ſynodus Hiſpalenſis: ut *Spalis* pro *Hiſpalis*, *Spania* pro *Hiſpania* dixere. Item præfuit nobili illi lxx epiſcoporum ſynodo Toletanæ: quæ anno habita Iↄ cxxxiii: ut ex MSSis antiquis Garſias Loaiſa obſervavit. Utrùm autem Hiſpalenſis hic ſit idem ille, qui pontificum epiſtolas, & conciliorum canones, collegit, adhuc in controverſia eſt. Sanè jam ante annos penè octingentos tribuit hæc ei Hincmarus, Rhemenſis archiepiſcopus, libro de Synodis: ut de Joanne Gerſone, & juniorum aliis, qui idem fecere, nihil nunc dicam. Sed ſi idem eſt, quid cauſſæ afferemus, cur Conciliorum collectori in libb. vett. apponatur cognomen Mercatoris? Per enim veriſimile eſt, hoc eo factum fuiſſe, ut ab Hiſpalenſi diſtingueretur. Verùm ad hoc reſponderi poſſe video, *Mercatoris* cognomen corruptum eſſe ex *Peccatoris*: quod nomen modeſtiæ cauſſâ ab antiquis ſæpius adſciſcitur. Equidem non repugno. Quare munitiori telo hic opus. Quale illud fuerit, quòd Iſidorus ille in Collectionis ſuæ præfatione quædam adferat ex concilio Toletano xi, quod celebratum eſt anno Iↄ lxxv: item quòd ibidem meminit Agathonis Papæ, qui ſedere cœpit anno Iↄ lxxviii. Atqui obiit Iſidorus (ut Redemptus Clericus, Iſidori diſcipulus, qui & morienti adſuit, teſtatur a) æra Iↄ clxxiv: hoc eſt anno Chr. Iↄ cxxxvi. quicum convenit, quòd eum primo Chintilæ anno deceſſiſſe, ſcribat Lucas Tudenſis: imò & antè memoratus Braulio, cui præ omnibus fides haberi debet. Eſt enim is Braulio, cui Iſidorus dicavit libros Originum: quos ipſos hujus ſcripſerat poſtulato, ut ex Hildephonſi viris illuſtribus conſtat. Quare quin ab Hiſpalenſi illo Iſidoro alius ſit, ſeu Mercator, ſeu Peccator Iſidorus, minimè dubitamus. Illuſtre Iſidori Hiſpalenſis elogium habemus in Concilio Toletano viii cap. ii. Vide & quæ de vita, ac morte Iſidori hujus, præter Redemptum antè memoratum, ſcribit Joannes Mariana lib. vi de rebus Hiſpaniæ cap. v. vi, & imprimis vii.

a *Epiſtolâ hiſtoricâ de obitu Iſidori, quæ operibus ejus præfigitur.*

Ipſe etiam Braulio proximè memoratus, hîc aliquem ſibi locum depoſcit. Concilio is Toletano quarto, quincto, ſextoque, interfuit: ut ex Actis videmus. De eodem ita in illuſtribus viris ſcribit Hildephonſus cap. xii: *Braulio, frater Joannis, in Cæſarauguſta decedentis adeptus eſt locum, vir ſicut germanitate conjunctus, ita non minimum ingenio minoratus. Clarus & iſte habitus canonibus, & quibuſdam opuſculis. Scripſit vitam Æmiliani cujuſdam monachi, qui & memoriam hujus, & virtutem illius ſancti viri, ſuo tenore commendat pariter, & illuſtrat. Habuit ſacerdotium fermè viginti annis; quibus expletis, clauſit diem*

*diem vitæ præſentis. Duravit in regimine temporibus Siſenandi, Chintilæ, Tulganis, Chindaſuinthi, regum.* Franciſco Taraphæ libro de rebus Hiſpanicis, reges hi dicuntur Siſinandus, Suintilla, Tulga, & Sindaſundus; quorum Siſinandus imperare cœpit an. IↃCXXVI, Sindaſundus autem an. IↃCXLVI. Vide & quæ de Braulione Baronius notat in Martyrologio ad XXVI Martii.

Extremis quoque Heraclii temporibus vixit Samuel Beulanus, Britannus, Beulani presbyteri, de quo ſuperiùs dictum, filius, Elbodi epiſcopi auditor. Hujus hodieque ſupereſt hiſtoria itineraria: ut teſtis eſt Balæus. Idem conſignâſſe dicitur facta Arturi apud Scotos: uti & in Nennium Annotationes. Bedæ tamen, ac Polydoro etiam, fuiſſe ignotus videtur. *Natus in Scotia. Anglum non nemo eum facit, quòd in Inſula Vecta Anglicæ ditionis provinciola fuerit educatus; cùm tamen ipſe ſe in Teudalia natum, in Berniciis ætatem exegiſſe ſcribat, atque in cœnobio Mailroſo. Florebat an.* IↃCXL.

## CAP. XXVI.

*Scriptores ſex, qui ætate Conſtantis, Heraclii filii, claruerint. Primus eſt Audoënus, cujus vita genus, & quando deceſſerit, exponitur. In Sigeberto conjectura. Scripſit Audoënus, tum S. Eligii, tum S. Remigii vitam. Sequuntur ſcriptor de vita S. Amati, & alius de vita S. Martini Papæ: hinc Elerius Cambrius de vita S. Wenefredæ: tum Hildephonſus, Toletanus archiepiſcopus, de viris illuſtribus: ac poſtremò Jonas Scotus abbas de vita S. Columbani, & præceptoris ſui Attalæ, item Euſtaſii, & Bertulphi, vitis.*

AB Heraclii temporibus accedo ad ea, quibus imperium tenuit filius ejus, Conſtans: qui anno IↃCXLI regere cœpit, deſiitque an. IↃCLXVIII. Ad hæc tempora referendus Odocius ſive Audoënus, prout in MSSis Sigeberti codd. vocatur, qui Tritthemio perperam *Audoënus*. De ætate quod dixi, inde cognoſcimus, quia, cùm priùs fuiſſet Dagoberto regi à conſiliis; poſtea Rothomagenſis epiſcopus creatus eſt: (ejus ſedis vigeſimumprimum fuiſſe, in tabulis Democharis legitur) in hac verò dignitate fuit ſub Clothario III, ac Theodorico; quorum ille tertiusdecimus, hic XIV Francorum rex erat. Cabilonenſi concilio interfuiſſe, conſtat. Obiit autem anno regis Theodorici ſexto, qui Chriſti eſt IↃCLXXVII. In vita S. Audoëni (quæ apud Surium legitur ad XXIV Aug.) corruptè pro eo editum eſt *anno Theodorici ſextodecimo*. Quod ſi plura de anno, dieque, quo deceſſit, nôſſe voles, adi Baronium in Annalibus anno IↃCLXXVII, inque Martyrologio ad XXV Aug. Retulit in literas Audoënus vitam æqualis ſui S. Eligii, quæ apud eundem Surium exſtat ad I Decembr. Eo de opere ſic Sigebertus: *Audoënus, qui & Dado, epiſcopus Rothomagenſis, ſcripſit ad Robertum, Pariſiorum epiſcopum, vitam Eligii Noviomenſis epiſcopi: duobus libris explicans miracula, quæ in vita, vel poſt mortem ejus, geſta ſunt: per eum tertio libro rhetoricè, & commaticè, totam vitam ejus recapitulans.* Ubi pro *per eum* legerem *verùm*: niſi ſimpliciùs videretur, diſtinguere hoc pacto: *quæ in vita, vel poſt mortem ejus, geſta ſunt per eum: tertio libro*, &c. Ex tribus Audoëni libris tertium omiſit Surius, quòd nonniſi priorum epitome foret: imò & operis prologum præteriit, multaque libro primo, & ſecundo, fuſiùs dicta paucioribus conſtrinxit. Mallem ego auctorem nobis edidiſſet, prout in MSo ſuo repererat. Cæterùm apud Helvetios in bibliothecâ S. Galli exſtat etiam Audoëni, Rothomagenſis epiſcopi, liber de vita S. Remigii. Planeque cenſeo hunc ipſum eſſe Audoënum illum, ad quem ſcripta eſt vita S. Aquilini, epiſcopi Ebroicenſis. Quod ſi eſt, ex Audoëni ætate de ſcriptoris illius temporibus ſatis liquebit.

Conſtantis etiam ætate vixit ille, cui debemus vitam S. Amati, presbyteri, & abbatis monaſterii Romani: quæ eſt apud Surium Tom. V, die XIII Septemb. Nam fuit auctor is æqualis S. Amato. Is autem deceſſit circa annum IↃCL.

Etiam his temporibus fuit, qui reliquit vitam S. Martini Papæ à Surio Hiſtoriæ Sanctorum ex MSSis codd. interſertam Tom. VI, die XII Nov. Siquidem æqualis, atque adeò comes Martini Papæ fuit: ut ipſe his verbis indicat: *Hæc in mente habens, humilis ego famulus veſter, quædam quidem exteriùs ſollicitudine multa addiſcens, plurimorum propriè* CONTEMPLATOR FACTUS, *judicavi literis reminiſci, & nota facere, claraque conſtituere omnibus Chriſti amatoribus: quatenus cognoſcentes mecum illum propheticum ſermonem proferant, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, &c. At obiit Martinus Papa Cherſonæ in Ponto anno Chr. IↃCLIV, XII die menſis Nov.

Ejuſdem imperatoris ætate circa annum IↃCLX claruit Elerius Cambrius, ac in literas retulit vitam S. Wenefredæ: ut dubium non videatur, quin pleraque ex eo hauſerit Robertus Salopienſis, qui annis pòſt prope quingentis ejuſdem ſanctæ virginis vitam compoſuit: quædam ei addens de ejus miraculis, deque tranſlatione ejuſdem in Salapianum monaſterium.

Tum quoque imprimis claruit Hildephonſus, vel Illephonſus, (qui niſi idem ſit nomen, perperam aliquibus Alphonſus) Toletanæ ſedis epiſcopus. Hic Iſidori, Hiſpalenſis epiſcopi, diſcipulus fuit: atque anno IↃCLIII in Concilio Toletano, cùm adhuc Agalienſis cœnobii abbas eſſet, quarto inter abbates loco ſubſcripſit: anno autem IↃCLVIII, vel, juxta alios, IↃCLXII, Eugenio II in Toletanæ ſedis epiſcopatu ſucceſſit: obiit verò an. IↃCLXVII, quarto anno regis Bambæ: ac ſucceſſorem habuit Quiricum, qui in Synodo Toletana XI præſedit. Hildephonſus hic inter alia, exemplo Hieronymi, Gennadii, & Iſidori junioris, ſcripſit de XIV illuſtribus viris librum unum: qui in Pariſina Iſidori Hiſpalenſis editione exſtat. Illis autem, quos deſcripſerat Hildephonſus, Hildephonſum ipſum adjecit Julianus Pomerius; Julianum autem Felix; uterque archiepiſcopus Toletanus. Præterea Hildephonſus Gothorum hiſtoriam contexuit: quam exorſus eſt ab anno quinto Suinthilanis regis, ubi deſierat Iſidorus. Produxit autem uſque ad finem Recceſuinthi regis. Ut indicant verba illa, quæ apud Lucam Tudenſem in fine proximè memorati regis legas: *Hucuſque Ildephonſus.* Inde enim conjectare eſt, uti in prioribus deſcripſit Iſidorum, ita in iis, quæ Iſidorum ſequuntur, exſcripſiſſe Hildephonſum. Neſcio autem, quid in cauſſa ſit, cur hujus operis non meminerit Julianus archiepiſcopus. De junioribus minùs mirum, quia poſtquam Hildephonſum complexus eſt Tudenſis, ſeorſum deſiit exſcribi. *Sequitur*, Videre *a* eſt de Hildephonſo quædam, &c. Vide & de Hildephonſo quædam priùs inedita apud Baronium in Martyrologio quidem ad XXIII Jan. in annalibus autem ad annum IↃCLXVII, §. V, & VI *b*. Sed quæ ex Vaticano codice hauſit Baronius, ea ipſa ſunt, quæ Julianum Hildephonſo addidiſſe dicebamus. Sanè aut Juliani Pomerii ſunt, aut, juxta codices alios, Felicis: ut obſervat Jacobus de Breul, monachus S. Germani. Qui illa de Hildephonſo & Juliano, in Pariſienſi editione Iſidori, ex codd. ſuis adjecit Hildephonſo. Etiam in opere de poëtis Latinis aliqua de hoc Hildephonſo diximus.

*a Ita rectè ſcribendum.*

*b Ita ſcribe pro IV, & V.*

Præterea tempore Conſtantis fuit egregius ætatis ſuæ ſcriptor, Jonas, patriâ Scotus (nam perperàm Anglum, vel Hibernum fuiſſe, putavit Bellarminus *c*) dignitate verò abbas congregationis Luxovienſis. Quæ ingenii ſui monumenta reliquerit, exponit Sigebertus cap. LXI: *Jonas ſcripſit vitam Columbani abbatis, & vitas Attalæ, & Euſtaſii, qui fuerunt diſcipuli, & ſucceſſores Columbani.* Leguntur hæ vitæ in collectione Surianâ; Columbani quidem die XXI Nov. Attalæ autem die X Martii. Euſtaſii verò die XXIX Mart. Quin & priores duas habes in Chronologia ſanctorum Lirinenſium collectâ à Vincentio Barrali. Euſtaſii vitam contexens, habuiſſe videtur itinerarium ab Euſtaſio ipſo deſcriptum: uſque adeò accuratè

*c In ſcript. Eccleſ.*

aſſignat, & quibus locis, & apud quos, beatus ille vir diverterit. Meminit & ejus Molanus additionibus ad Uſuardum, ubi ait, *Euſtaſii vitam Jonas Scotus, diſcipulus ejus ſcribit.* Ætatem ſuam ipſe nos docet, cùm in vitâ Columbani cap. XI. ait, *Pergentes ergo ſimul, adoleſcentem Sommarium, qui etiamnum ſupereſt, comitem ſibi adjungunt, & ad deſtinatum Eremi locum perveniunt, unius tantum panis alimoniâ contenti.* En clarè ait, Sommarium S. Columbani familiarem, ſuperſtitem fuiſſe, ſe iſta ſcribente. Atque in eadem vitâ refert quædam, quæ audierit, ex S. Gallo: qui & ipſe diſcipulus fuit Columbani. Mirum autem, Sigebertum non meminiſſe vitæ S. Bertulphi abbatis, Attalæ ſucceſſoris: quæ eſt apud Surium die XIX Aug. Nam & eidem Jonæ tribuunt vett. libb. & genuinam eſſe, ſatis liquet. Non deſunt, qui vitas à Sigeberto Jonæ tributas adſignent Bedæ. Sed eos temporum ratio ſatis refellit, ſive Jonas hic Columbani diſcipulus erat, quod Sigebertus, ut videmus, ac Trithemius quoque putavit: ſive, quod verius eſt, diſcipulus fuit vel Euſtaſii, quod ſenſit Molanus, ut jam dictum; vel Attalæ, qui Columbano in monaſterio Bobienſi ſucceſſit. Sanè ſub Attalo eum in monaſterio vixiſſe, ſatis ex ipſius Attalæ vita liquet. Imò idem cognoſcere eſt ex vita S. Walerici abbatis *a*, ubi legas: *Et de S. quidem Columbani virtutibus, & factis admirandis, ſi quis plura noſſe velit, ad eruditi diſcipulorum ejus diſcipuli, Jonæ abbatis, præclari ſanè viri, opuſculum legendum ſe conferat, quod ille de tanti patris vitâ conſcripſit.* Ubi per diſcipulos Columbani Attalam & Euſtaſium intelligi puto. Poſſit tamen & Sigeberti ſententia vera eſſe. Nam quid ſi Columbanum prius, inde ejus diſcipulos audierit? Quomodo multi qui Socratem audierant, poſt ejus obitum Platonem ſequebantur. Qua ratione iidem & condiſcipuli & Magiſtri dici poſſint.

*a Apud Sur. a. d. 1 April.*

## CAP. XXVII.

Scriptor vitæ Walerici abbatis. Eleutherius Dorceſtrius *de origine monaſterii Malmesburienſis. Quando* ſcriptæ ſint vitæ SS. Bathildis, Aquilini, & Siviardi. Julius Toletanus *de vita S. Hildephonſi, item de rebellione Paulli adverſus regem Wambam. Male cum Juliano hoc confundi Julianum Pomerium. Trithemii opinio de ætate Toletani Juliani refellitur.* Adamannus Scotus *de ſitu terræ ſanctæ, prout ex ore hauſerat Arculphi.* Illidius, & Gallus, Arvernorum epiſcopi, *de vita S. Boniti.* Eguvinus *de vita Aldhelmi.* Onno *ſive* Ouvo *de viſione, & morte regis Radbodi, & quando ſcriptor ille deceſſerit.*

QUemadmodum autem Jonas hic conſignavit vitam S. Columbani: ita paullò pòſt, nempe, ut videtur, Conſtantini Pogonati temporibus, alius literis mandavit vitam Walerici abbatis, qui S. Columbano, ejuſque diſcipulo, Euſtaſio, familiaris fuerat. Quod verò dicebam, non ita multo pòſt ſcripſiſſe, id ex hiſce ejus verbis cognoſcimus: *Quo fit, ut illas duntaxat virtutes, quas Deus per* (Walericum) *illum effecit, quotidieque efficit, huic lucubratiunculæ intexerimus, quas à viris fide dignis, & earum bene conſciis, aut peritis (quippe ab ipſo ſancto viro, & enutritis, & inſtitutis) auditione accepimus.* Habes Walerici vitam apud Surium Tom. II. a. d. I Apr. Sed Hareus in epitome ſuâ conſultò tranſtulit a. d. XII Dec.

Ejuſdem Pogonati temporibus, ſub Kentuino, Anglorum rege, claruit Eleutherius Dorceſtrius, Anglus, quartus Viſoſaxonum, ſeu Occidentalium Anglorum epiſcopus. Ingenii ſui monumentum eſſe voluit commentarium de origine monaſterii Malmesburienſis, quod primò dictum Maildulphesbery, ac muſæum fuit Maidulphi Scoti, viri doctiſſimi; poſteaque ingens monaſterium evaſit. Obiit Eleutherius anno DCLXXVI.

Claruit tum quoque Baudemundus, abbas tertius Blandinienſis, apud Gandavenſes in Flandriâ. Factus abbas (ut ex Chron. Blandinienſibus cognoſcitur) an. DCLVII. Tertio abinde anno deceſſit S. Amandus, cujus teſtamentum Baudemundus ſcripſit. Sed & vitam S. Amandi quam Surius publicavit, à Baudemundo exaratam eſſe ait Aubertus Miræus in Faſtis Belgicis, & Sweertius in Athenis Belgicis. Sanè Milonis Elnonenſis, cujus nomen præfert apud Surium, eſſe nequit, cùm ille non proſâ: ſed carmine vitam S. Amandi ſcripſerit, ut inferiùs dicemus.

Ab æquali etiam tum ſcripta eſt vita S. Bathildis, Francorum reginæ: quam ex codd. antiquis Surius repræſentat Tom. VII. a. d. XXVI Jan. Ejus verò, quod de ætate retuli, indicium nobis hæc verba faciunt: *Ad ſanctam matrem, dominam Bathildem, quæ noſtris effulſit temporibus, nec non & ad ejus merita glorioſa, quæ ipſi ab eà geſta novimus, & vidimus, recurrendum eſt.* Deceſſit autem Bathildis circa annum DCLXX.

Iiſdem temporibus vixit, qui, ut antea monitum nobis, expoſuit vitam B. Aquilini, Epiſcopi Ebroicenſis, qui Rothomagenſi ſynodo, an. DCLXXXII celebratæ, ſubſcripſit. Vita ea exſtat apud Surium a. d. XIX Octobr. ac dicata eſt Audoëno, epiſcopo Rothomagenſi. Minimùm autem quinquennio ante eam ſynodum ſcripſerit, quia Audoënus deceſſit anno DCLXXVII, ut ſuperiùs diximus.

Item tum in terris agebat de nomine ignotus nunc ſcriptor, qui vitam nobis dedit æqualis ſui S. Siviardi, abbatis Aniſolenſis. Quippe de eo loquens, *Noſtro*, inquit, *tempore exſtitit hæc nobis ſancta propago.* At diem ſuum obiit Siviardus anno DCLXXXV, qui ultimus erat Conſtantini Pogonati. Ea vita expreſſa eſt à Surio ad I Mart.

Ejuſdem Pogonati, ac imprimis Heraclii Juſtiniani temporibus, claruit Julianus, archiepiſcopus Toletanus: ad quod faſtigium anno pervenit DCLXXX. Hic inter alia memoriam ſui propagavit prodendo poſteris vitam S. Hildephonſi: cujus ſucceſſori Quirico ipſe in epiſcopatu ſucceſſerat. Eam mutilè Aloyſius; integriùs verò, perfectiusque edidit Surius: quem vide a. d. XXIII Jun. Præterea condidit hiſtoriam de Paulli, ducis Narbonenſis, rebellione in Wambam, regem Gothorum; cujus operis mentionem facit Felix, archiepiſcopus Toletanus, in appendice Hildephonſi. Jo. Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ cap. IV, ait, ſe id opus vidiſſe Salmanticæ in bibliotheca eccleſiæ Cathedrali. Ac vel lucem vidiſſe, vel propediem viſurum, ſpero; quandoquidem illud Jacobus du Breul, monachus S. Germani à Pratis, cum aliquot aliis veterum libellis promittit in annotationibus ad Hildephonſi viros illuſtres, quos unà cum Iſidoro Hiſpalenſi in publicum dedit. Obiit Julianus, eodem Felice teſtante, æra DCCXXVIII, hoc eſt anno Chriſti DCXC. Nam ſi ab æra, quam dixi, ſubtrahantur anni XXXVIII; remanet hic annus ſalutaris ἐνανθρωπήσεως. Atque hinc liquet, malè eum à multis confundi cum Juliano Pomerio, qui (ut ex Ennodio Ticinenſi conſtat) circa annum vixit quadringenteſimum nonageſimum: nempe annis ducentis ante hunc Julianum Toletanum; qui & Pomerii illius meminit non ſemel in prognoſtico ſuo futuri ſeculi. At omnium graviſſimus eſt error Trithemii, aliorumque; qui ajunt, vixiſſe circa annum CCCCL; eique B. Proſperum dicâſſe libros ſuos de vita contemplativâ. Nam Iulianus Pontifex, quem inſcriptio Proſperi librorum celebrat, eſt is, qui ſubſcripſit concilio Arauſicano I: ut diximus Hiſtoriæ de Pelagio lib. I. cap. XVIII. Aut hoc verum eſt, aut eorum librorum auctor non ſit Proſper Aquitanicus; ſed Proſper Aurelianenſis, qui Valenſi, & Carpentoractenſi concilio ſubſcripſit: Iulianus autem fuerit, qui tum eidem Carpentoractenſi, tum Arelatenſi III, & Arauſicano II interfuit: ut ſubſcriptio teſtatur. Vide quæ de tempore conciliorum iſtorum dicta nobis Hiſtoriæ noſtræ de controverſiis Pelagianis lib. I. cap. LIII.

Adamannus Scotus, qui Balæo Centur. XIV. ubi de illuſtribus ſcholis egit, Adamannus Coludius vocatur, presbyter, & abbas monaſterii, quod S. Columbanus in Huenſi inſula Scotiæ exſtruxit, ſub Iuſtiniano juniore claruit circa annum DCXC: ut Trithemius ait. Fuſè de hoc Adamanno agit Beda lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XVI. Ubi Adamna-

Adamnanus dicitur. Quæ autem pluribus dicit Beda, paucis complexus ſic Sigebertus; *Adamannus presbyter, & abbas Scotorum, ſcientiâ literarum nobilitatus, ſcripſit librum de ſanctis locis nativitatis, paſſionis & reſurrectionis, & adſcenſionis Jeſu Chriſti: & de monumentis ſanctorum Patrum.* De eodem ſic Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum Iↄcc i: *Floruit vir bonus, & literatus, Adamannus presbyter, & abbas monachorum, qui erant in inſula Hii. Hic miſſus ad Aelfridum regem gratiâ legationis, cùm videret ritus Eccleſiaſticæ inſtitutionis, & obſervantia faſti paſchalis, continuo trahitur ad conſenſum. Qui cùm domum rediſſet, curavit ſuos, qui erant in inſulâ Hii, ad callem perducere veritatis, nec valuit. Naviganſque in Hiberniam, pene omnes ad legitimum paſcha tempus obſervandum induxit. Scripſit idem vir Domini de locis Dominicæ nativitatis, paſſionis, & adſcenſionis; ſitumque terræ ſanctæ mirabiliter deſcripſit.* Hauſit verò iſta ex Bedæ lib. v. hiſtor. Angl. cap. xvi. Sed ex eo illud præterea cognoſcimus, libri hujus de locis terræ ſanctæ auctorem magis fuiſſe Arculphum, epiſcopum Gallicanum, quam Adamannum Scotum. Verba Bedæ ſunt iſta: *Scripſit idem* (Adamnanus) *de locis ſanctis librum legentibus multò utiliſſimum; cujus auctor erat docendo, ac dictando, Galliarum Epiſcopus, Arculphus; qui locorum gratiâ ſanctorum venerat Hieroſolymam; & luſtratâ omni terrâ repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, multaſque maris inſulas, adierat, patriamque navigio revertens, vi tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus eſt. Ac poſt multa ad memoratum Chriſti famulum Adamnanum perveniens; ubi doctus in Scripturis, ſanctorumque locorum gnarus eſſe, compertus eſt, libentiſſimè eſt ab illo ſuſceptus, libentiùs auditus; adeo ut, quæque ille ſe in locis ſanctis memoratu digna vidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille literis mandare curaverit. Fecitque opus (ut dixi) multis utile, & maximè illis, qui longius ab eis locis, in quibus Patriarchæ, & Apoſtoli erant, ſecreti, ea tantùm de his, qui lectione didicerint, norunt. Porrexit autem librum hunc Adamnanus Alfrido regi, ac per ejus eſt largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipſe multis ab eo muneribus donatus, in patriam remiſſus eſt. De cujus ſcriptis aliqua decerpere, ac noſtræ huic hiſtoriæ inſerere, commodum fore legentibus reor.* Hinc maximè memorabilia eo ex Adamnani opere excerpit; quibus cap. xvii, & xviii, deſtinavit. Præter illa, quæ diximus, edidit quoque libros tres de S. Columbano, presbytero, & confeſſore; qui circa an. Dom. Iↄ lxv floruit. Eos ex membranis monaſterii Windbergenſis in Bavaria, primus edidit Henricus Caniſius. Cæterùm qui Sigeberto, Tritthemioque ac in pleriſque memorati ſcriptoris codd. manuſcriptis, *Adamannus* vocatur, is in MSSis aliis eſt *Adamnanus*, vel *Adomnanus*: ut & ante nos Caniſius obſervavit. Nonnullis etiam, eoſque inter Baronio, Adamandus dicitur, ut de eo Poſſevinus ait. Quod nomen magis Romanum quid, quàm Scoticum, ſonat. Idem tamen Baronius Adamnanum vocat ad an. Iↄ c xcix, §. x, & xi.

Juſtiniani junioris tempore ille etiam fuit, qui vitam ſcripſit S. Boniti, Arvernorum epiſcopi. Nam æqualem ejus fuiſſe, non unus in ea vita locus arguit. item quòd fuerit ſcripta poſtulato Adelphii; de quo tam multa in ea vita. Bonitus autem, ut ibidem legitur, temporibus viguit Ariperti, Longobardorum regis: eique precibus ſuis victoriam impetravit anno Chr. Iↄ cc iv. Nec turbet, quòd ibidem mentio fit Pipini. Is enim non eſt pater Caroli Magni filius Caroli Martelli: ſed Martelli parens, Caroli Magni
a Tom. 1. proavus. Nomen ſcriptoris non exprimitur: ſed Surius a
a. d. teſtatur in prologo, ſe reperiſſe, Ililidium, & Gallum, Ar-
15 Jan. vernorum epiſcopos, ac confeſſores, luculento ſtylo Boniti vitam conſignaſſe.

Extremis Juſtiniani junioris temporibus, ac deinceps, claruit S. Eguvinus, ac vitam tradidit Althelmi. Anony-
b A. d. mus in Althelmi vita apud Surium b: *Ejus autem obitum*
15 Maji. *S. Eguvinus, qui vitam ejus conſcripſit, divinitus cognovit, ſicut ipſe in quodam ſuo ſcripto teſtatur, his ferè verbis: Poſt duos annos Althelmus, religioſus epiſcopus, migravit ad Dominum: quod ego per revelationem agnoſcens, convocatis fratribus, exceſſum venerandi patris eis aperui: concitoque gradu ad locum, ubi ſacrum corpus jacebat, quinquaginta ferè millibus ultra Meldunenſe monaſterium poſitum deveni, & ad ſepulturam adduxi, honorificeque ſepelivi: mandavique, ut quibuſcunque locis ſacrum corpus, dum aſportaretur, quieſceret, ſacra crucis ſigna ſtatuerentur.* Mox ibidem ſubjungitur, obiiſſe Althelmum anno Chriſti Iↄ cc ix, cùm abbas fuiſſet annis xxxiv, Epiſcopus autem annis iv. Unde ætas Eguini ſatis dilucet. Nonnullis Eugenius vocatur. A patria cognominatus eſt Wiccius: genere fuit nobiliſſimus, profeſſione monachus S. Benedicti, poſteaque epiſcopus Wicciorum, ſive, ut nunc vocant, Wigornienſis: ac præter illam Aldhelmi, etiam aliorum ſanctorum vitas deſcripſit: imò & librum fecit de primordiis ſui cœnobii, & alium de ſuis apparitionibus. Vitam Eguini in literas retulit S. Bercivaldus, archiepiſcopus Cantuarienſis.

Etiam tum fuit Onno, ſive Ouvo, Friſius, monachus in cœnobio Fontanellæ: qui viſionem Radbodi regis, atque horrendum ejus obitum, à poſteris noluit ignorari. Apud Suffridum Petri in ſcriptoribus Friſiæ refertur, edidiſſe eum iſtoc opuſculum *circa annum ſeptuageſimum decimum.* Sanè in Chronico Frodoardi, quod in Francorum annalibus edidit Pithœus, memini quidem me legere, *anno nongenteſimo quinquageſimo decimo*, pro *nongenteſimo ſexageſimo.* Sed Suffridus per *ſeptuageſimum decimum*, non *octogeſimum* dicere voluit: verùm *ſeptingenteſimum decimum.* Quod ſatis apud eum ſeries temporum docet. Neque hoc tanti erat, ut verbo attingeretur à nobis: niſi mirari ſubiiſſet, Poſſevinum, dum in Apparatu ſacro, more ſuo, Suffridum exſcribit, non correxiſſe illud leviculum: ſed ipſum etiam, ſanè nimis negligenter, ſcribere, Onnonem anno ſeptuageſimo decimo claruiſſe. Cæterum Onno, ſive Ouvo, vel Ovo hic, eſt ille, qui puer à Friſiis ſuſpenſus fuerat, ut diis ex more ſolenni offerretur: precibus verò S. Wulfranni miraculosè fuit liberatus: poſteaque baptizatus à Wulfranno, & Fontanellæ ſacris imbutus literis, exinde diaconus, & tandem ab Reginaldo, Rothomagenſi epiſcopo, presbyter eſt ordinatus. Quæ omnia pleniùs vide apud Jonam monachum in vita S. Wulfranni.

## Cap. XXVII.

*S. Willebrordus de peregrinatione ſuâ. Eulogius de Georgii diaconi, & quatuor aliorum, martyrio. Anonymus de vita, & miraculis, S. Huberti: & alter eo junior de tranſlatione S. Huberti. Beda genus, patria, & quando ſcripſerit hiſtoriam eccleſiaſticam. Vita quadam ei falſo attributa. Accas Hagulſtadenſis de paſſionibus ſanctorum. Heddius Stephanus de vita Wilfridi, Eata, & Tumberti. Collectanea Nothberti de Auguſtino monacho, poſtmodo Anglorum epiſcopo. Kumbertus Lindeſeius de Lindiſſana provincia rebus Eccleſiaſticis. Daniel Wentanus de rebus in Wentonienſi Eccleſia geſtis; atque alia ejuſdem. Anonymus de vita S. Auſtrebertha. Item alius de vita S. Wandregiſili. Jonas Fontanellenſis de vita S. Wulfranni. Felix Crolandienſis de vita Guthlaci recluſi, & geſtis abbatum Guthlandia. Verus de vita Eutropii epiſcopi. Humbertus, ſive Wibertus, de vita Ceolfridi abbatis.*

S. Willebrordus, primus Ultrajectenſium epiſcopus, claruit extimis Juſtiniani junioris temporibus, item Philippici, Anaſtaſii, & Theodoſii, ac imprimis Leonis Iſauri, qui imperare cœpit anno Iↄ cc xvi, atque annis xxiv imperium tenuit. Reliquit Willebrordus librum de peregrinatione ſuâ. Obiit anno Iↄ cc xxxviii, vii Eid. Nov. cùm annis xl Eccleſiam gubernâſſet. Vitam ejus fuſè Alcuinus, breviùs autem Joa. Beka perſcripſit.

Vide & de eo Joannem à Leidis Carmelitam lib. 11. Chronici Belgici, & Petrum Suffridi in ſcript. Friſ.

Etiam imperante Leone Iſauro, qui & Iconomachus vocatur, floruit Eulogius. Is martyrium ſcripſit æqualium ſuorum, Georgii Diaconi, Aurelii, Felicis, Nataliæ, & Liliolæ: qui martyrium paſſi circa annum Iↄcc xxv. Habes apud Surium Tom. iv, die xxviii Aug.

Eodem tempore erat ille, qui nobis dedit vitam S. Huberti, epiſcopi Leodienſis. Habemus apud Sur. Tom. vi, die iii Novemb. Sanè fuiſſe eum ſcriptorem familiarem S. Huberto ejuſdem, ac fortaſſe etiam diſcipulum; ſatis verba iſta indicant: *His dictis officium completoriis cecinimus, cubitumque ſeceſſimus.* Et poſtea: *Mihi quoque, qui hæc ſcripſi, in eodem naufragio tale quid accidit.* Atque iterum: *Juxta quod vir Dei ſuper ſepultura ſua celebratione ore præſago actitandum fore diſpoſuerat, nos fideliſſimi ac devotiſſimi ejus famuli flebiliter exſecuti ſumus.* Obiit autem S. Hubertus anno Iↄccxxxi. Cæterùm cùm vitam hanc antiqui adeò ſcriptoris, & Huberto ipſi familiaris, eſſe dicimus: id capiendum de vitâ eâ uſque ad cap. xxi. Nam epilogus capitis xx ſatis docet, iſtic deſinere veterem ſcriptorem: atque idem indicat annotatio iſta præmiſſa capiti xxi: *Hæc de vita, & mirabilibus beati Huberti, antiſtitis almi, & de his, quæ circa corpus ejus priſcis temporibus celebrata ſunt, fideli ſtylo ad nos ſcripta commearunt. Abhinc autem quomodo ſub piiſſimo, Deique amantiſſimo, Ludovico Imperatore, in transferendo ſanctiſſimi viri corpore, ſit actum, breviter, fideliterque, conſtat eſſe ſubnexum.* Inde incipit cap. xxi, hoc pacto: *Anno octingenteſimo undecimo Domini noſtri, exempto rebus humanis famoſiſſimo imperatore, Carolo,* &c. Inter alia verò ibi narratur, ut anno Chr. Iↄccc xxv, oſſa S. Huberti à Vulcano, Leodienſi epiſcopo, in eccleſiam S. Lamberti fuerint tranſvecta. Ut ante Ludovici Pii tempora appendix ea perſcripta eſſe non poſſit.

Etiam Leonis Iſauri ætas vidit Bedam, cognomento Venerabilem. Origine erat Angloſaxo, genere natus humili, patriâ de Jaru, ſive Girwicenſis. Girwicum autem pagus eſt exigui nominis. Hic in Wirmuthenſi ac Girwicenſi cœnobiis (quæ vix quinis diſtant milliaribus) ſub uno abbate omnem tranſegit vitam. Scripſit Eccleſiaſticæ Anglorum Hiſtoriæ libros quinque: quos ſe ait, auctore, & adjutore Albino abbate, feciſſe: alios etiam, qui operam ſuam contulerint, commemorat in præfatione ad Ceolwulphum, regem Northumbriæ; cui id opus dicavit, & apud quem magno in honore fuit. Incipit autem à Julii Cæſaris in Britanniam adventu, ac pertingit uſque ad annum Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimum trigeſimum primum: qui ab adventu Angloſaxonum in Britanniam fuit ducenteſimus octogeſimus quinctus: ut extremo hoc opere ipſe ait Beda. Manum admovere hiſtoriæ huic cœpit anno Iↄcc xxv: ut ait Matthæus Weſtmonaſterienſis in Florilegio. Manuſcriptus ejus Codex & Oxonii eſt in Collegio Lincolnienſi, & Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Fortaſſe idem opus eſt, quod *Chronica Bedæ* inſcribitur Oxonii in bibliotheca collegii Mertonenſis: ut eſt in catalogo Thomæ Jameſii. Egit præterea de temporum ratione, deque ſex mundi ætatibus. Quod opus manuſcriptum exſtat in publica Cantabrigienſis Academiæ bibliotheca, & apud eoſdem in Collegio S. Benedicti, &

*a Editum Coloniæ an. 1537.* alibi. Atque ante annos xc eruditis ſcholiis illuſtravit *a*, atque à Bedæ ætate, ſive anno ix imperatoris Leonis Iſauri, ad xxvi annum Karoli v, continuavit Joannes Bronchorſtius Noviomagus, parens clariſſimi viri, & collegæ amiciſſimi, Everardi Bronchorſtii, Juris in Academiâ Leidenſi profeſſoris. Adhæc varia reliquit de vitis ac martyriis ſanctorum: quæ ipſe Beda commemorat appendice eâ, quam de ſcriptis ſuis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ adtexuit: item Sigebertus, & Honorius, in catalogo. Inter ea eſt vita Cudberti, quam tamen primò non integrè eſt perſecutus: ſed quædam de ea poſtea adjecit in hiſtoria Eccleſiaſtica Anglorum lib. iv. cap. xxvii, xxviii, xxix, xxx. Quo capite hæc etiam legas: *E quibus aliqua in libro vitæ Cudberti olim memoriæ mandavimus. Sed & in hac hiſtoria quædam, quæ nos nuper audiſſe contigit, ſuper adjicere commodum duximus.* Acta Cudberti à Beda heroico carmine expreſſa primus edidit Caniſius Tom. v. Antiq. Lect. Præter eas vitas, quas ſcriptores hi memorant, hodie & aliæ vitæ adſignantur Bedæ in tertio operum tomo; ſed falſò: uti illa S. Patricii, quæ Probum habet auctorem: & S. Columbani, quæ eſt Jonæ: & S. Arnulphi, quæ à Paullo diacono ſcripta eſt. De vita, morte, ac ſepultura Bedæ, Matthæum Weſtmonaſterienſem adi ad annum Iↄcc xxxiv: quo & anno Beda obiit; ut quoque incertus, ſed antiquus ſcriptor, qui Bedam continuavit, teſtis eſt lib. 1. de geſtis Anglorum cap. vi. Unde & alia de Beda licebit haurire. Quamquam de anno, quo obiit, aliter alii. Vide annales Baronii, item Brianum Tuynum lib. ii. de Antiquitate Academiæ Oxonienſis *a*, qui Baronio quædam accuratiùs *a P. 172. uſque ad 179.* diſcuſſit. Adire poſſis & apparatum Poſſevini. Atque hic in appendice Tomi prioris etiam indicium faciet, quibus in bibliothecis lateant compluria Bedæ tributa, ſed adhuc inedita. Quòd ſi quis novam Bedæ editionem dare volet, juvabunt codices manuſcripti, qui ſuperſunt in bibliothecis Angliæ. Sanè liber de ſitu Jeruſalem & locis ſanctis, qui epitome erat ex Adamanno, reperitur in Cantabrigienſi collegio S. Benedicti, & privatâ bibliothecâ Gualtheri Copi. Liber de ſitu, & mirabilibus Britanniæ, eſt in eodem collegio S. Benedicti. At Oxonii in bibliothecâ publicâ ſupereſt vita SS. Cudberti, & Juliani. Eâdem in urbe collegium Mertonenſe habet vitam S. Gregorii Papæ 1. In privatâ Guilielmi Copi bibliotheca eſt volumen ingens de vita & virtutibus S. Auguſtini, Anglorum, ut vocant, apoſtoli. Liber de temporum ratione eſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Oxoniæ in collegio Magdalenenſi, & in privatâ Gualteri Copi. Chronicon, ſive opus de ſex ætatibus mundi, eſt Oxonii in Mertonenſi, atque etiam in Magdalenenſi collegio. Liber de imagine mundi eſt Cantabrigiæ in archivis Collegii Caji & Govellii, & Oxonii in Collegio Mertonenſi. Imò & hiſtoria ejus Saxonicè ſcripta Cantabrigiæ reperitur in bibliotheca Collegii S. Benedicti. Ac juvabit hac in parte etiam Thomas James in biblioth. Angl. pag. 72. *Depoſitum Bedæ Genuæ viſitur:* ut Volaterranus ait lib. xiv.

Accas, Hagulſtadenſis epiſcopus, fuit æqualis Bedæ, ad quem epiſtolam miſit Scripturis illuſtrandis. Præterea Officiarium Eccleſiæ edidit, & librum de paſſionibus Sanctorum: cujus operis ergò hoc loco ejus meminimus.

Temporibus iiſdem Heddius Stephanus, itidem Britannus, ſub Oſrico, Northumbriæ rege, in pretio erat. Monachus, ac presbyter fuit apud Cantios: in muſicis etiam excelluiſſe, cognoſcimus ex Bedæ lib. iv. cap. ii. de geſtis Anglorum: *Primus*, inquit, *excepto Jacobo, cantandi magiſter Nordan-Humbrorum eccleſiis, Eddi cognomento, Stephanus fuit, invitatus de Cantia à reverendiſſimo viro, Wilfrido.* Heddius hic reliquit vitam Wilfridi epiſcopi. Item vitas Eatæ, & Tumberti. Quas hortatu Accæ, Hagulſtadenſis epiſcopi, exarâſſe, auctor eſt Balæus. Quæ & cauſſa fuit, cur eum Accæ proximè jungeremus.

Etiam Nothbertus Londinenſis, quo tempore venerab. Beda condebat hiſtoriam Angloſaxonum, Romam fuit profectus, ac permiſſu Papæ Gregorii ii, ex Eccleſiæ Romanæ ſcriniis exſcripſit, quæ ad Auguſtini Anglorum, ut vocant, Apoſtoli, profectionem, atque acta, pertinerent: uti regulas, epiſtolas ad Auguſtinum à Pontifice miſſas, atque alia id genus. Ea verò certo à ſe ordine in commentarios redacta Bedæ tranſmiſit. Qui ἀντιδώρου loco ei dedicavit opus ſuum xxx quæſtionum in Regum libros. Obiit Nothbertus anno Iↄcc xxxix, temporibus Alrici, Cantiæ regis.

Cumbertus, ſeu Kimbertus Lindeſeius, illuſtri Anglorum familiâ prognatus, libro uno *Comprovincialium facta* collegit. Nec ſatis certò dicere auſim, idemne, an aliud opus ſignet Pitſeus, cùm ei tribuit Compendium annalium ſuæ gentis. Fuit Bedæ æqualis, qui & in præfatione

ad Ceolrulphum regem, ejus ſe operâ in tradendâ Anglorum hiſtoriâ adjutum fatetur. *In provincia*, inquit, *Lindiſſi, quæ ſint geſta erga Chriſti fidem, quæve ſucceſſio ſacerdotalis extiterit, vel literis reverendiſſimi antiſtitis Kimberti, vel aliorum fidelium vivâ voce, didicimus.*

Daniel Wentanus, ut olim locuti, hoc eſt Wintonienſis epiſcopus, Bedæ æqualis, condidit hiſtoriam ſuæ provinciæ: item auſtralium Saxonum geſta. Præterea prodidit res inſulæ Vectæ; adhæc vitam Ceddæ epiſcopi: item hiſtoriam ſignavit de obitu Adhelmi, & alia. Deceſſit ſub Sigeberto Viliſaxonum rege, anno epiſcopatus ſui XLII, Chriſti IↃ CCXLVI. Epiſtola ejus catechetica, de ratione inſtituendi infideles, ad S. Bonifacium, Anglorum Apoſtolum miſſa, apud Baronium legitur Tom. IX ad ann. IↃ CCXXIV.

Bedæ etiam ætate fuiſſe videtur is, à quo expoſita eſt vita S. Auſtrebertħæ virginis, primæ abbatiſſæ Pauliacenſis: quæ apud Surium eſt T. I. a. d. X Febr. Ea in vita hæc legas, quæ ætatem ſcriptoris indicant: *Dum hæc Chriſti famula die quadam in ordine vicis ſuæ in hoc opere laboraret: habebat ſecum unam tantùm adoleſcentulam, quæ apud eam fuerat educata, & hoc miraculum narrare conſuevit: quæ hucuſque vivit in corpore.* Obiit verò Auſtrebertha circa annum IↃ CXC: quo imperabat Heraclius Juſtinianus. Ut ſcriptorem eum Leonis III. Iſauri, qui Iconomachus dicitur, ac fortaſſe etiam Conſtantini Copronymi temporibus vixiſſe, per ſit veriſimile.

Etiam ad Leonis Iſauri ætatem referendus videtur, qui poſteris reliquit vitam prope æqualis ſui S. Wandregiſili abbatis, qui obiit anno IↃ CLXV. Eſt ea apud Surium ad XXII Jul.

Sed iſtoc non ſatis apertum. Magis autem liquet de ætate Jonæ, Fontanellenſis cœnobii monacho: à quo exaratam S. Wulfranni, Senonenſis archiepiſcopi, vitam, Sanctorum Hiſtoriæ Surius intexuit T. II. die XX Martii. Ætas ſcriptoris hoc pacto cognoſcitur. Wulfrannus cum bona venia Childeberti, Francorum regis, ac Pipini principis, Caroli Martelli patris, anno Chriſti IↃ CC profectus in Friſiam fuit, ut Chriſti gratiam huic genti prædicaret. Obiitque idem in cœnobio Fontanellenſi anno IↃ CCXX: ſed corpus inde in urbem Tarvennam tranſlatum fuit anno IↃ CCXXIX. Itaque & vitam Wulfranni dedicavit Jonas Baino, præſuli Tarvennenſi, & abbati Fontanellenſi. Quæ autem narrat, accepiſſe ſe ait ab Odone è Friſiis oriundo, uno eorum, quos Wulfrannus converterat. Ex his colligimus, quaſi iiſdem temporibus Jonam, ac Wulfrannum, vixiſſe: aliumque eſſe hunc ab Jona, Attalæ diſcipulo, de quo ſuperiùs diximus. Habes & aliqua in eâ Wulfranni vitâ de Radbodo, Friſiæ rege. Sed qui ſeorſum vitam Radbodi prodidiſſe, autumant; uti in Chronologia ſua opinari videtur Gualterius; planè falluntur.

Felix Crolandienſis, Anglus, monachus Benedictinus, claruit ſub Ethelbaldo, Merciorum in mediterraneâ Angliâ rege, anno IↃ CCXXX. Fuit rhetor, ac poëta pro temporibus illis non malus. Scripſit ad Ealſwaldum, Mæcenatem ſuum, vitam Guthlaci recluſi, deque ejuſdem miraculis, & tranſlatione ejus, & epitomen vitæ Guthlaci: item geſta abbatum Guthlandiæ. Epitome vitæ Guthlaci, quam dixi, videtur eſſe illa ipſa, quam apud Surium habemus a. d. XI Apr. Siquidem in MSo etiam adnotatum erat, eſſe *vitam abbreviatam, ſed veram.* Nec eſt, quòd quis potiùs credat, compendium eſſe vitæ Guthlaci, quam circa annum CIↃ CLXXVIII ſcripſit Guilielmus Rameſeye, itidem & Anglus, & Benedictinus. Nam Rameſejus, non proſâ, ſed carmine, vitam eam eſt proſecutus.

Iiſdem temporibus fuit Verus epiſcopus, qui, ut Sigebertus *a* inquit, *vitam Eutropii, epiſcopi Arauſicæ Galliarum urbis, illuſtrem virtutibus ac miraculis, deſcripſit luculento ſermone.*

a In catal. c. 73.

Ad eadem tempora pertinet Hunebertus Deirus, ſive, ut aliis dicitur, Wibertus Deirus, Anglus. Claruit enim & ipſe ſub Oſrico, Northumbriæ rege, circa annum IↃ CCXXX. Wirmuthæ, & Girwici monaſteriorum abbas erat: inque eo munere Ceolfrido Bernicio ſucceſſit. Sed jam ſenex S. Bonifacii famâ pertractus in Germaniam fuit: ubi Friteſlarienſe, & Ordorfienſe monaſterium reformavit. Scripſit vitam Ceolfridi abbatis, cujus ſucceſſorem fuiſſe, antea dicebamus. Corpus ejus in Hereſfeldenſi cœnobio adſervatur.

## CAP. XXIX.

*S. Bonifacii ætas, & libri. Poſſevino Winfridum, quem malè Wanefridum appellat, alium à Bonifacio hoc videri, ſed perperam. In M. Adamo locus correctus. Spiſſus Philippi Bergomatis error. Cuthbertus de vita venerabilis Bedæ. Iglacus de vita S. Siguvini. Unde videatur Ethelwolpho Anglo Latinum Lupi nomen datum. Ejus magiſtri, ac commentationes, & de ejuſdem poëſi judicium. Anaſtaſius Caſſinenſis de tranſlatione reliquiarum S. Benedicti, & Scholaſticæ. Aribo Friſingenſis de vita S. Corbiniani. Meginhartus de paſſione S. Ferrutii. Quo anno ſcripſerit anonymus ille, qui Gregorio Turonenſi librum XI addidit. Anſo Belga de vita S. Urſmari. In Ratherio Veronenſi conjectura. Willibaldi Devonii genus, dignitas, deque Bonifacio, ac Walpurga, liber. Judicium de verbis paſſioni S. Bonifacii ſubnexis. Utilem fore collationem eorum, quæ Willibaldus, quæque Ludgerus, prodiderunt de S. Bonifacio. B. Marcellinus de primis Euangelii præconibus in Friſia. Auberti opuſculum de monaſterio S. Vincentii, & quando is ſcriptor claruerit.*

S. Bonifacius, archiepiſcopus Moguntinus, floruit temporibus extremis Leonis Iſauri, & primis filii ejus, Conſtantini Copronymi. Literis, præter alia, mandavit vitam S. Lævini, quæ MSa ſupereſt in monaſterio Rubræ Vallis juxta Bruxellam: item in Carthuſia Lovanienſi, ac Bruxellenſi. Meminit quoque Tritthemius in Catalogo illuſtrium Germaniæ virorum. Ubi addit, præterea ſcripſiſſe de geſtis variis ſanctorum. Adhæc dicitur opus reliquiſſe de ſuis in Germania laboribus. Vita Lævini illa, ac martyrium ejus, ex MSo codice Aquicinctino edita ſunt à Nicolao Serrario, unà cum epiſtolis S. Bonifacii. Mejerus tamen dubitâſſe videtur, utrùm genuinus auctor Bonifacius eſſet: aut ſaltem, quia nondum vidiſſet, alienâ maluit fide referre. Nam in annalibus ad annum IↃ CXXXIII inquit: *Scripſit, ut tradunt, hujus eminentiſſimi martyris vitam Bonifacius, pontifex Moguntiacenſis.* De patriâ Bonifacii aliquis eſt diſſenſus. Natione Anglum fuiſſe ait M. Adamus, cujus verba inferiùs addam. Item Albertus abbas Stadienſis ad annum IↃ CCLV ait fuiſſe *de parentibus ex Angliâ non modicis exortum.* Similiter Molanus in Sanctis Belgiæ. Mejerus ad annum IↃ CCLIV. Atque idem ajunt Balæus, Pitſeus, imò & Tritthemius in catalogo illuſtrium Germaniæ virorum. Idem tamen in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & lib. II de viris Illuſtribus Ord. S. Benedict. cap. XXXIV, & lib. III cap. CLXI apertè Scotum dicit. Ac ſimiliter Geſnerus Tom. priori Bibliothecæ. Imò, ut antiquiores laudem, clarè Scotum vocat in Quirinalibus ſuis Metellus Tegerenſis; qui temporibus vixit Barbaroſſæ. Item Marianus Scotus lib. III ad ann. IↃ CCCCXXXVII: *Monaſteria S. S. Scotorum, S. Galli, & S. Bonifacii igne cremantur*; & ad ann. IↃ CCCXLIII, *Epiſtola Zachariæ Papæ ad Bonifacium Scotum Moguntienſem Archiepiſcopum.* Intelligo etiam ex V. Cl. Felice Oſio, librum eſſe editum à Thomâ Demſtero, in quo novem rationibus firmiſſimis comprobet, S. Bonifacium non Anglum fuiſſe, ſed Scotum. Poſſevinus pro diverſis habet, Bonifacium Anglum, Moguntinum Archiepiſcopum, & Bonifacium Wanefridum, monachum. Sed Bonifacius, priuſquam in Germaniam veniret ad Euangelium prædican-



ized by Google

candum, monachus in Angliâ ſuit. Nomen autem ejus tunc non *Wanefrid*, uti etiam eſt apud Sunlerum, quod nihili nomen eſt; verùm *Winfridus* erat, pro quo variante dialecto, alii *Winfredus*, item *Winfritus*, vel Winfrethus ſcribunt: At Boniſacii nomen accepit à Papa Gregorio, *cùm Moguntinenſis urbis paſtor pro pontificali benedictione Romam adſcenderet*: ut ait Johannes de Bekà in chronicis ſuis. Idem error eſt in vulgatis codd. Matthæi Weſtmonaſterienſis. Nam ad an. Iↄ CCLIII legas: *S. Boniſacius Moguntina urbis Epiſcopus cum aliis* LIII *in Friſia Martyrio.* Ac continuo ad an. Iↄ CCLIV additur: *S. Boniſacius, qui & Winfridus dicitur, Francorum Archiepiſcopus per Martyrium deceſſit.* Sed alteruter locus eſt expungendus. Vitam ejus diſcipulus Wilibaldus proſâ conſignavit; eandem carmine heroico Ruthardus, Rabani diſcipulus, conſtrinxit. De eodem ſic M. Adamus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. I. *Primus omnium, qui Auſtrales Germaniæ partes, idolorum cultui deditas, ad cognitionem divinæ ac Chriſtianæ Religionis adduxit, Vinifridus erat, natione Anglus, verus Chriſti philoſophus; cui poſtea cognomentum ex virtute erat, Boniſacius. Et quamvis alii ſcriptorum, vel Gallum in Alemania, vel Hemeranum in Beguaria, ſive Kilianum in Franconia, ſeu certe Willebrordum in Freſia, priores verbum Dei aſſerant prædicâſſe: hic tamen omnes alios, ut Paulus Apoſtolus, ſtudio, & labore prædicationis, antevenit. Ipſe enim (ut in geſtis ſuis legitur) Apoſtolicæ ſedis auctoritate fultus, legationem ad gentes ſuſcepit, Theutonumque apud populos, (apud quos nunc, & ſumma imperii Romani, & divini cultus reverentia, viget, ac floret) Eccleſias doctrinâ, virtutibuſque, illuſtravit. Quarum etiam provincias, ac epiſcopatus, diſtribuens, ſeorſum Francos cis Rhenum, Haſſones, ac Thuringos, qui Saxonum confines ſunt, primitivo quodam laboris ſui fructu, Chriſto, & Eccleſiæ copulavit. Tandemque à Freſonibus, quos jam antè ad fidem converterat, illuſtri martyrio coronatus eſt. Geſta ejus à diſcipulis plenariâ manu edita ſunt, quâ cum ferunt agonizâſſe cum aliis quinquaginta, & amplius, commilitonibus ſuis, anno ordinationis ſuæ* XXXVII. *Ipſe eſt annus Dominicæ incarnationis* DCCLV, *Pipini Junioris* XIIII. Ubi ut pro XIV legamus IV, aut V, temporum ratio ſuadet. Præterea in verbis adlatis, ubi in editis legitur, *Teutonumque populos*, reſcripſi, *Teutonumque apud populos*: quam emendationem facilè omnibus, qui loci ſententiam attendant, probaturum me confido. Nempe τὸ *apud* præteriit librarius, eo quòd poſt vocabulum proximum *apud* ſequatur. Vide de Boniſacio S. Wylibaldum presbyterum, qui vitam ejus deſcripſit, ut paullò ante dixi. Item Joannem à Leidis Carmelitam lib. III. Chronici Belgici: & quæ de eo ex bibliothecâ Schabenheimenſi Wicelius in Hagiologia refert: quæque Brouwerus in antiquitatibus Fuldenſibus. Quod ſicui tanti etiam is ſcriptor videatur: adire etiam poſſit Cornelium Kempium rerum Friſicarum lib. III cap. XXI. Sed non ſemel in hiſtoriâ hâc, more ſuo peccat, ut inter alia, cùm Boniſacium ait occiſum anno Iↄ CCLXXXII. Niſi forte ſcripſerat 752: unde proclivis error in 782. Sanè 752 occiſum prodidit etiam Rhegino: item Joannes à Leidis lib. III. cap. XV, & XVI. Sed uterque falſus. Nam demum anno Iↄ CCLIV. in Friſiâ à gentilibus eſt interſectus, ut conſtat ex annalibus Franciæ, à Pithœo editis, Mariano Scoto, Chronicis Sigeberti, & Matthæo Weſtmonaſterienſi. Quanquam apud hunc verba quædam irrepſere, quibus etiam priori anno martyrium ejus tribuatur. Sed omnino alteruter locus eſt expungendus, ut qui ab alienâ manu è margine in contextum ſit receptus. Et ſanè hanc de anno Iↄ CCLIV ſententiam ſequitur etiam Mejerus in ann. Fl. & Baronius in Martyrologio. Ad annum tamen proximum referunt, Lambertus Schafnaburgenſis, Gotfridus Viterbienſis, & Albertus Stadenſis. Eamque ſententiam ſequitur & Trithemius, tum in Catalogo illuſtrium Germaniæ virorum, tum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Item Molanus in Sanctis Belgii. Utcunque eſt, vel LIV, vel LV anno occiſus eſt: non LII, nedum LXXXII poſt Iↄ CC. In annal. Francorum à Pythœo, & Frehero editis dicitur martyrio affectus Junii die IV. Puto ſcripſiſſe *die* V. Nam Nonis ipſis occiſum eſſe, legere eſt apud Uſuardum & Adonem Viennenſem in martyrologiis. Item Marianum Scotum. Imò Joannes à Leidis hos verſiculos adducit lib. III cap. XVI.

*Junius in nonis feſtum venerabile nobis*
*Advenit; exultant fratres cum civibus in quod*
*Tunc quia cælorum meruit Boniſacius alta*
*Scandere perpetuam mercatus ſanguine vitam.*

Occiſus in oppido Friſiæ quod dicitur Dockum: ac priùs à Trajectenſibus ſepultus in templo S. Salvatoris. Sed poſtea S. Lulli rogatu delatus Moguntiam, ac ſepultus in monaſterio Fuldenſi. Anno autem Iↄ CCCXIX.

*Baſilica S. Boniſacii martyris in cœnobio Fuldenſi ab Heſtulpho Archiepiſcopo dedicata eſt in honorem Salvatoris, & omnium ſanctorum ejus: tranſlataque ſunt oſſa ſancti Martyris Kal. Novembris*: ut verbis iiſdem ſcribit anonymus in annalibus ſive geſtis Francorum in cœnobio Fuldenſi ſcriptus & continuatus, atque à Pithœo prius, poſteaque auctior editus à Frehero. At planè ineptum, quòd in Africa à Mahumedanis interemtum ait Philippus Bergomas Chronici Supplementi lib. X ad an. Iↄ CCXIV.

Cuthbertus, monachus cœnobii Girwicenſis, ejuſdem Copronymi tempore, claruit ſub Egberto, Northumbriæ rege; deque Bedæ, præceptoris ſui, vitâ, & obitu, librum reliquit.

Itidem Iglacus, Anglus, Benedictinus, gymnaſii rector, floruit anno Iↄ CCXL, ſub Egberto, Northumbriæ rege: ac vitam ſcripſiſſe dicitur Siguvini, abbatis S. Petri in finibus Berniciorum. Meminit ejus diſcipulus illius Ethelwolphus Bernicius, carmine de laudibus cœnobii ſui: atque è junioribus Lelandus, & Balæus.

Ethelwolphus Bernicius, cognomento LUPUS (niſi hoc potius proprii nominis *Ethelwolf*, quod *nobilem lupum* ſonat, Latina eſt interpretatio) temporibus ejuſdem imperatoris claruit anno Iↄ CCL, ſub Oſwulpho, rege Northumbriæ. Primùm in fano Petri, Lelando teſte, diſcipulus erat Eadfridi, ſive Eadferti ejus, qui poſtea Lindisfarrenſis epiſcopus creatus fuit. Exinde præceptore uſus eſt Iglaco; de quo proximè à me dictum. Carmine luſit ad Egbertum epiſcopum de origine fani B. Petri ad orientale Berniciorum litus: item opus meditatus eſt de illuſtribus monachis, atque alia. Pro tam barbaro ſeculo tolerabilis ſanè erat verſificator: ut vel fidem facient verſiculi iſti de præceptore ſuo Iglaco:

*Tempore quo lector, præclarus gaudia dicti*
*Accumulet patris, Iglacus nomine dictus;*
*De quo iamdudum perſtrinxi pauca relatu*
*Anglorum de gente, pios dum carmine quoſdam*
*Concinerem. Quondam fuit inclytus ille magiſter*, &c.

Etiam Conſtantini Copronymi tempore fuit Anaſtaſius, monachus Caſſinenſis, & Cardinalis, ac bibliothecarius Stephani II Papæ, qui anno ſedit Iↄ CCLIV. Scripſit hiſtoriam de tranſlatione partis reliquiarum S. Benedicti, & ejus ſororis, Scholaſticæ. Extat MS. Caſſini, & alibi. Si modò eſt genuinus. Sanè hiſtoria ejus in pleriſque ſuſpecta eſt: ut ait Arnoldus Wion Ligni Vitæ parte I, in catalogo abbatum Caſinenſium. Ab Adrevaldo quidem in quibuſdam diſſentit: qui argumentum idem tractavit, ut dicemus cap. XXXVIII.

Aribo quartus Eccleſiæ Friſingenſis epiſcopus fuit: atque honeſtiſſimum hoc onus ſuſcepit anno Chr. Iↄ CCLXI, anniſque ſuſtinuit XXIII. Scripſit vitam S. Corbiniani, qui primus fuerat epiſcopus Friſingenſis. Habes apud Surium T. V die VIII Sept. Diverſus ab eo eſt Aribo ille, qui interpretatus eſt XV pſalmos graduum: atque ad abbatem Bennonem bene longam epiſtolam exaravit. Nam ille undevigeſimus Moguntinorum Archiepiſcopus fuit, atque

quæ anno obiit cIↃxxxI. Vide de eo Philippum Bergomatem lib. xII Chron. Suppl. ad an. IↃ ccccLxxxII.

Quod ſi Poſſevinum audimus, etiam Conſtantini Copronymi ætate claruit Meginhardus, Fuldenſis monachus, Congregationis Luxovienſis: à quo ſignata exſtat Paſſio S. Ferrutii. Sed eum Caroli Calvi tempore vixiſſe, inferiùs oſtendam.

Item Copronymi temporibus claruit Anonymus, qui appendicem, ſive librum undecimum, adjecit Gregorii Turonenſis Hiſtoriæ Francorum. Deſinit ea appendix in morte Caroli Martelli: qui eſt annus Chriſti IↃ ccxLI. Sed cap. cIx ait, à paſſione Dom. uſque ad tempus, quo ea traderet, eſſe annos IↃ ccxxxv. Quare cùm Chriſtus, juxta æram vulgarem, ſeu Dionyſianam, paſſus ſit anno xxxIII: conſequitur, eum auctorem iſta ſignâſſe anno IↃ ccLxvIII; quo in Galliis regebat Pipinus, Caroli Martelli filius, Caroli M. parens.

Anſo Belga, monachus monaſterii Laubienſis, congregationis Floriacenſis, ac poſtea ſextus ejus monaſterii abbas, edidit vitam S. Ermini epiſcopi & abbatis Lobienſis. Præterea vitam S. Urſmari Epiſcopi ſcripſit: eamque dicavit monaſterii ſui abbati, Theodulpho; cui poſtea eo in munere ſucceſſit anno IↃ ccLxxvII. al. 776. Hanc Urſmari vitam, ab Anſone rudiùs expreſſam poſtea expolivit RATHERIUS, Veronenſis epiſcopus, qui & Anſonis in præfatione ſuâ meminit his verbis: *Epiſtolaris verò præfatio cujuſdam Anſonis, ſancti, ut credi poteſt, quamquam non adeò diſerti viri, quam eidem ſuo operi præpoſuit, omittenda viſa eſt omnino, ut ipſa quoque auctoris in eâ lateat omnimodis intentio.* Vitam eam ita expolitam habes apud Surium a. d. xvIII Aprilis. Sed quid eſt, quod Ratherius ait, eo ſe Anſonis præfationem penitùs reſecâſſe, quò, quid voluerit, penitùs ignoretur? Equidem planè ſuſpicor, tria hæc verba, *quippe obſcura adeò*, aut hæc, *utpote tam obſcura*, aut alia, quæ idem ſignent; à librario eſſe omiſſa. Nempe ut hunc, ſimilemve in modum, legamus: *Omittenda* (præfatio) *viſa eſt omnino: quippe tam obſcura, ut ipſa quoque auctoris in eâ lateat omnimodis intentio.* Obiit Anſo an. IↃ ccc.

Willibaldus Devonius, diſcipulus S. Bonifacii, & ex ſorore ejus natus, cum fratre Winebaldo, ſororeque Walburga, Germaniam, poſt avunculum, adiit: atque inibi primus Eyſtetenſis Eccleſiæ factus eſt præſul, & ſummus cancellarius. Ac hortatu Lulli, ſive Julii, natione Angli, ſed archiepiſcopi tunc Moguntini, vitam ſcripſit Winfridi Bonifacii, atque ejus ſororis Walburgæ. Eam Bonifacii vitam unà cum Bonifacii epiſtolis edidit Nicolaus
a Moguntiæ 1605.
Serrarius *a*. Verùm cùm vita hæc eleganter quidem, ſed obſcuriùs tamen ſcripta poſtea monachis quibuſdam Fuldenſibus videretur: alius illam rogatu eorundem, apertiùs tradere conatus eſt, idque libris duobus; quorum prior exponit, quæ egerit antequam Moguntinus fieret Epiſcopus; alter autem, quæ poſtea fecerit. Hoſce duos libellos habes apud Surium T. III d. v. Jun. Sed ſtylo ab eo pleriſque in locis, quòd rudior & impolitior foret, commutato. Ex Wilibaldo etiam ſua hauſit Wicelius in Hagiologia. Qui & iſta vitæ ejus ſubjecit è cod. ſuo: *Ego Wilibaldus epiſcopus, &c. vitam, & paſſionem Bonifacii conſcripſi primùm in ceratis tabulis ad probationem Lulli, & Megengandi. Poſt eorum examen in pergamenis reſcripſi. Atque hoc in loco, qui dicitur S. Victoris extra muros Moguntiæ, ubi Lullus, & Rabanus, vacabant orationibus*, &c. Sed iſta ab imperito, & audaculo aliquo, eſſe adjecta, ſatis evincit Rabani ætas: ut qui demum ſub Lothario, Ludovici Pii filio, ex abbate Fuldenſi factus ſit Epiſcopus Moguntinus: ac ſub Ludovico juniore obierit anno IↃ cccLvI. Dedicavit hoc opus Lullo antè memorato, & Megingozo, ſive Memingolo, aut Megingango, vel etiam Mayngugo, (variè enim nominatur) epiſcopo Herbipolenſi. Quod autem ad vitam S. Walpurgæ, eam à S. Willibaldo ſcriptam fuiſſe, auctoribus dixi centuriatoribus Magdeburgenſibus Centuriâ vIII, Balæo Centur. II ſcriptorum Britann. & epitome bibliothecæ Geſneri. Sed necdum ea in lucem prodiit: nec quibus in bibliothecis lateat, hactenus cognovi. Deceſſit verò Wilibaldus anno IↃ ccLxxxI, ætatis ſuæ LxxvI. Eyſtetæ ſepultus fuit: ſed reliquiæ ejus anno IↃ cccLxx per Balduinum Ferreum *a* a Molanus in Natalibus Sanctorum, & indiculo Sanctorum Belgii.
tranſlatæ ſunt Furnam, Flandriæ id oppidum eſt, patria doctiſſimi Paulli Leopardi, ſolum jucundæ mihi memoriæ, ob quadriennium, quod ibi cum chariſſimis parentibus, dum fata Deuſque ſinebant, puer admodum tranſegi. Vitam Bonifacii à Wilibaldo hoc traditam ſcriptor, qui eſt apud Surium T. Iv die v Jun. ſequi ſe profitetur. Initio ſanè prologi legas: *Tandem precibus veſtris, Fuldenſes fratres, pro ſcientia meæ exiguitate morem geſſi. Petiiſtis enim, ut ſancti patris noſtri, Bonifacii, vitam, eleganter quidem à S. Willibaldo olim conſcriptam; ſed pleriſque locis parùm eruditis adeò obſcuram, ut difficile ejus ſententiam poſſint aſſequi; ego ſermone apertiori, magiſque perſpicuo, ſcribendum ſuſciperem.* Et poſt aliquammulta: *Hoc in opere id mihi vel maximè ſtudio fuit, ut quæ prius ab alio dicta fuere, verbis apertioribus redderem, iis exceptis, quæ propter difficultatem, & obſcuritatem, ſatis aſſequi non potui. Nam quæ perſpicua ſatis viſa ſunt, ea interdum, nihil mutatis verbis, ſecutus ſum.* Continuò ſubdit: *Porrò autem hoc etiam dilectioni veſtræ notum eſſe velim, in libro illo, quem me explicatiùs reddere voluiſtis, permulta tum miracula, tum epiſtolas inſignes, deſiderari; quæ, ex aliis codicibus collecta, locis opportunis inſerere conatus ſum. Et fortaſſis ille venerandus vir, qui vitam ſancti Bonifacii primus ſcripſit, multas ejus, & virtutes, & epiſtolas, neſciens omiſit.* Non inutile verò ſit conferre cum hac Bonifacii vitâ acta à Ludgero ſcripta, immiſtaque vitæ S. Georgii, de qua in Ludgero diximus. Sunt enim aliqua, ubi diſſideant, & ubi ex Ludgero ſit corrigere ejus lapſus nonnullos.

Fuit iiſdem temporibus B. Marcellinus Brigantius, Britannus, unus eorum, qui cum Willebrordo, Suitberto, Lebuino, aliis, ab Egberto, archiepiſcopo Eboracenſi, miſſi fuere in Friſiam, ut eam à pagana religione ad Chriſtianam converterent. Scripſit vitam memorati S. Suiberti, qui eo in itinere deceſſit. Dicavit autem Gregorio, Trajectenſi epiſcopo. Habes apud Surium Tom. II. a. d. I Mart. Quibus autem in locis MSa exſtet, Pitſeus in Anglicis doctoribus docebit. Meminit ejus vitæ & Rixfridus, ſeptimus Trajectenſis epiſcopus, epiſtola ad S. Ludgerum, epiſcopum Monaſterienſem: item S. Ludgerus epiſtolâ ad Rixfridum, quâ dicit, S. Marcellinum ultra Lxx annos prædicationi in Friſia, ac gentilium converſioni, impendiſſe. Præter vitam S. Suiberti, etiam edolavit vitam S. Willibrordi. Sic enim ipſe ſcribit in vita S. Suiberti cap. vI: *Et ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc hiſtoriam, ſicut & ſancti Willibrordi, conſcripſi.* Adhæc ſignavit vitam S. Willeici, Canonici Trajectenſis, ac poſtea, in Werdenſi monaſterio, ſub S. Suiberto, coëpiſcopo S. Bonifacii: de quo plura Molanus in indiculo ſanctorum Belgicæ. Librum quoque de tyrannide Radbodi, Friſiæ regis, tribuunt eidem. Quibus autem locis Marcellinus præfuerit, docent hæc ejus verba: *Et ego Marcellinus, presbyter inutilis, à præfatis pontificibus miſſus ad partes Tranſiſulanas, locum Aldenſeel, Trentam, & Tuentam, & Coverdiam, & Daventriam rego, &, Dei providentiâ, totum fermè locum Chriſto prædicando lucratus ſum.* Poſſevinus ſeorſim agit de Marcellino Brigantio Anglo, monacho S. Salvatoris Trajecti, congregationis Gallicanæ Floriacenſis: & S. Marcellino Friſio, quem & Marchelmum à quibuſdam dici ait. Atque eſt hic unus idemque Marcellinus: qui patriâ fuit Brigantius Anglus: ſed quia S. Willibrordum in Friſiam comitatus eſt adoleſcens: atque ibi uſque ad decrepitam ætatem Euangelium prædicavit: inter Friſios à Friſiis refertur; uti à Suffrido Petri. Addit Poſſevinus, vixiſſe anno IↃ ccLxxx. Sed cùm ipſe Marcellinus *b* dicat, anno ſe IↃ cxc veniſſe in Friſiam: b In vita Suiberti cap. 6.
& Euangelium ibi annis non multo ampliùs, quàm Lxx, prædicâſſe; ut conſtat ex S. Ludgero: iis potiùs accedendum, qui obiiſſe ajunt circa annum IↃ ccLxvIII.

Etiam

Etiam ad hæc tempora referendus videtur Autbertus abbas, qui memoratur Paullo diacono lib. VI de geſtis Longobardorum cap. XL: *Monaſterii verò Vincentii martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem ſitum eſt, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc eſt Tato, Taſo, & Paldo, jam tunc ædificatum: ſicut viri eruditiſſimi Autberti, ejuſdem monaſterii abbatis, in volumine, quod de hac re compoſuit, ſcripta ſignificant.* Quod de exſtructo à tribus fratribus monaſterio S. Vincentii narrat, id contigit anno Chriſti Iↄ CCXX: ut conſtat ex Chronico Caſſinenſi lib. I cap. IV. Poſt id tempus Autbertum fuiſſe, ſatis eſt apertum. At Paullus diaconus claruit tempore Karoli M. qui regnare cœpit anno Iↄ CCLXVIII. Quare vel intermedio tempore floruerit, ut Paullo hoc aliquantillo antiquior ſit: vel Karolo regnante, ut æqualis ſit Paullo, qui ejus meminit.

## Cap. XXX.

*Flaccus Alcvinus Albinus ubi natus, quibus uſus magiſtris, quanto gaudeat diſcipulo: ejuſdem honos, eruditio, opera hiſtorica. Quis Eliphilus ille, qui primus prælo ſubjecit libros Karoli nomine ſcriptos de cultu imaginum. Paullus diaconus Longobardus quibus parentibus natus, quæ munera geſſerit, ut poſt captivitatem dimiſſus, poſteaque relegatus fuerit, deque fugâ ejus, & monachatu. An Athenienſis in vett. libb. vocetur pro Atrienſis. Opus ejus de epiſcopis Metenſibus: & alterum de Papienſibus. Quorum vitas ſcripſerit. Libri ejus de geſtis Longobardorum: atque ut eos continuârit Herbrechtus. Quid hiſtoria miſcella Eutropio, quid Paullo, quid Landulpho debeat: & unde hauſerit Landulphus, quæ Paullo adjecit. Geminum πρόγραμμα Henrici Caniſii. An Joannes diaconus rectè vocetur editor hiſtoriæ miſcellæ. S. Ludgeri patria, epiſcopatus, relatio de vitis S S. Marcellini, & Georgii Ultrajectini: deque Ludgero verſiculi Joſephi, & quando ſanctus vir deceſſerit.*

TEmporibus Pipini, & filii ejus Caroli Magni, Francorum regum, claruit Flaccus Alcuinus, cui cognomentum Albinus fuit: ut ait conditor annalium Francicorum à Pithœo editus ad an. Iↄ CCXCIV. Atque ita ex veteribus libris Pithœus inſcribit in Rhetoribus antiquis: *Albini Alcuini de arte Rhetoricâ dialogus.* Etſi autem obſtare videretur locus ille conditoris annalium Francicorum, (qui vixit temporibus Karoli Craſſi, ut poſtea dicetur) putem tamen, idem eſſe nomen Alcuini, & Albini: ſed Alcuinum, ſive, ut interdum ſcribitur, Alahvinum dictum Francicâ linguâ, quaſi *Al-win*, vel *alguin*: hoc eſt, omnia vincentem: ſed quia V & B confundi poſterioribus temporibus ſoleant, aſſumſiſſe pro barbaro nomen Latinum *Albinus*: tandemque factum, ut à nonnullis conjungerentur, qui idem eſſe nomen non cogitarent. Natione hic erat Anglus: à Beda primùm, hinc ab Egberto Archiepiſcopo, eſt inſtitutus. Docuit Carolum M. ac eidem poſtea ab eleëmoſynis, & ſanctioribus conſiliis, fuit. Etiam conſilio ejus Carolus inſtituit Academiam Pariſinam. Latinè, Græcè, Hebraicè, callebat: atque idem erat rhetor, philoſophus, mathematicus, & theologus nobilis. Chronica edidit, item lib. de vita, & virtutibus B. Martini; & acta diſcipulorum Gregorii: & vitam Vedaſti, epiſcopi Atrebatenſis; quæ apud Surium eſt a. d. VI Febr. item vitam Willebrordi, quæ ſcripta ad Beornradum Archiepiſcopum. Vide eam apud Sur. T. VI die VII Nov. Sed edidit ille tantummodo librum primum proſâ ſcriptum: at alia hujus argumenti, quæ in præfatione à ſe ſignata eſſe Alcuinus refert, primus divulgavit Caniſius T. VI Antiq. Lect. Ea ſunt, homilia de natali Wiliboldi, liber ſecundus de vita Wiliboldi carmine compoſitus hexametro, & de Wilgiſo, parente S. Wiliboldi. Quo ordine & ea Alcuinus in præfat. commemorat, & Caniſius in membranis MSis S. Galli repererat. Carmine etiam heroico egit de martyrio S. Bonifacii, Moguntini Archiepiſcopi, & de pago Doccumenſi; ut Pitſeus ait. Scripſit item vitam B. Richarii presbyteri; quæ dicata Karolo M. Habes apud Surium T. II a. d. XXVI April. Item geſta Karoli M. & alia multa; ſed ad Theologiam pertinentia; quæ apud Sigebertum vide de ſcript. illuſtr. cap. LXXXII. Sed nulla illic mentio librorum IV de imaginibus. In cauſſa eſt, quod ſcripti quidem ab Alcuino fuerint: ut indicat Rogerus Hovedenus in Annal. ad an. Iↄ CCXCII: & Weſtmonaſterienſis ad annum ſequentem: ſed editi tamen ſub nomine Karoli M. prælo eos primus divulgavit Eliphilus: hoc eſt, Joannes Tilius, Meldorum epiſcopus: qui cur nomen Eliphili aſſumſerit, pauci ſciunt. Nempe per priorem compoſiti hujus partem occultè ſignificabat, ſe quaſi ſpiritu *Eliæ*, imaginum cultum, hoc Karoli, ſeu Alcuini opere, oppugnatum ire velle: *Phili* autem ad *Eli* adjecit, quia vocaretur ipſe Tilius: nempe à tilia, quæ Græcè *philyra* nominatur. Barthius Adverſ. lib. XLV cap. XI, cenſet duos fuiſſe Carolos Albinos; unum Scotum, quem in Italiam Carolus miſit, & prope Papiam abbatem S. Auguſtini fecit: alterum Anglum, Bedæ diſcipulum, quem uſque ad finem vitæ detinuit ſecum. Probat autem hoc ex monacho Sangallenſi, qui res Karoli ſignavit. Atque ex horum diſtinctione cenſet multa poſſe conciliari, quæ de Albino ἐναντιοφανῆ veteres prodiderant. A nonnullis, (ut à Simlero in biblioth. quoque traditur) Alcuino tribuitur vita Karoli Magni, quæ Eginhartum auctorem habet. Eginharto enim, præter veteres libros, aſſignant eam Lupus in epiſtolis, poëta anonymus Arnulpho imp. σύγχρονος, Marianus Scotus, M. Adamus Bremenſis, Sigebertus, ſcriptor Chronici Suarzachenſis, atque alii. Et quàm parùm eſt veriſimile, ut Alcuini ſit, cùm in ea Alcuinus inter præceptores Caroli referatur!

Æqualis Alcuino erat Paulus, Warnefridi, & Theodolindæ filius, cognomento Winfrid, Longobardus: qui priùs diaconus fuit Aquilegienſis, & Deſiderii, ultimi Longobardorum regis, cancellarius: quod non attendit Raphaël Volaterranus. nam pro diverſis habet Paullum, hiſtoriæ Longobardicæ ſcriptorem, & Paullum, diaconum Aquileienſem. Hic, victo rege ſuo, inter nobiles captivos à Karolo, Francorum rege, abductus fuit: ac propter prudentiam, & eruditionem egregiam, magno aliquamdiu in honore erat: ſed ſuſpectior poſtea, in Diomedeam inſulam eſt relegatus: unde ad Arichim, Beneventanum principem, generum Deſiderii regis, profugit. Eoque defuncto, monachus eſt factus cœnobii Caſinenſis. Vir magnus, &, qui eum ſequitur, doctiſſimus Fridericus Lindenbrugius, putant & atrienſem fuiſſe: nempe priuſquam diaconus fieret; atque hoc inde colligunt, quia in veteribus gloſſis, ubi ſub ejus nomine adducuntur Feſti fragmenta, legatur *Paullus Athenienſis*; quod corruptum uterque arbitratur ex *Atrienſis*. Nolim pertinaciter contra hanc conjecturam pertendere. Attamen non paullò veriſimilior foret, ſi eam Paullus epitomen, cùm atrienſis foret, Karolo obtuliſſet. Verùm enimvero illam Karolo dicavit, non atrienſis, aut levita, ſeu diaconus: ſed poſtquam cum Deſiderio rege, cujus fuerat cancellarius, in Karoli venerat poteſtatem. Quàm varia ſcripſerit, docet Sigebertus cap. LXXX: *Paullus, monachus Caſinenſis cœnobii, natione Italus, propter ſcientiam literarum à Karolo Magno imperatore adſcitus, ſcripſit vitam primi Gregorii Papæ; ſcripſit geſta Pontificum Metenſium; ſcripſit miracula ſancti Arnulphi; qui primò major domus regis Francorum, poſtea Metenſium epiſcopus, eremiticam vitam expetiit. Hiſtoriam quoque Vinnulorum, qui poſtea nominati ſunt Longobardi, luculento, & plano ſermone ſcripſit.* Opus de epiſcopis Metenſibus hactenus mihi eſt inviſum a: ſed exſtare illud MSum, auctor eſt Molanus. Et Paullus ipſe hoc à ſe ſcriptum fuiſſe, indicat lib. VI. de geſtis Longobardorum cap. XVI: *Sed & ego, inquit, in libro, quem de epiſcopis ejuſdem Mettenſis civitatis conſcripſi, flagitante Angilramno, viro mitiſſimo, & ſan-*

a *Poſtea viſum in Corpore veterum Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum: quod edidit Marquardus Freherus. At tum quoque comperimus, plane inde eſſe fragmentum, quod à Surio, & Pithœo editum eſt, mox dicetur.*

*& ſanctitate præcipuo, præfatæ Eccleſiæ archiepiſcopo, de hoc ſacratiſſimo viro Arnulpho, quædam ejus miranda compoſui: quæ modo ſuperfluum duxi replicare.* Eoque ex opere videtur omnino eſſe illud fragmentum de Arnulpho, quod ex MSo codice Surius Arnulphi vitæ ſubtexuit: quodque teſtamento Karoli Magni ſubjunctum legas in annalibus Francorum à Pithœo editis. Nec tantùm de Metenſibus, ſed etiam de Papienſibus epiſcopis, commentatus dicitur. Imò id opus viſum ſibi ait Galeſinius. Mirum verò, Sigebertum mentionem quidem facere vitæ Gregorii Papæ, atque Arnulphi: at nec Cypriani martyris, quæ à Pamelio præmittitur operibus B. Cypriani: nec B. Benedicti, S. Mauri abbatis, & Scholaſticæ virginis: quæ ternæ cum poëmatis Proſperi Martinengii excuſæ fuerunt Romæ. Sanè vitæ Benedicti etiam Tritthemius meminit. Verſus quoque Paulli hujus de Scholaſtica virgine habes in Martyrologio Arnoldi Vioni ad x Febr. Operis verò de geſtis Longobardorum, poſtremo loco à Sigeberto memorati, etiam mentionem invenio apud Walafridum Strabonem libro de divinis officiis cap. xxviii. Opus verò hoc in editione Raphelengii, & iis, quæ antè prodiere, deſinit in hæc verba, *Francorum Avarumque pacem cuſtodiens.* Atque ita etiam plerique manuſcripti. Sed Fredericus Lindebrogius in editione Hamburgenſi, quæ ſexdecim annis poſt Raphelengianam prodiit, fragmentum attexuit luculentum ex manuſcripto Palatino, quod à Marquardo Frehero acceperat: idemque comparêre voluit Freherus in Corpore Hiſtoricorum Francicorum, quod curâ ejus Hanoviæ *a* excuſum fuit. Continuavit eam hiſtoriam Herberchtus. Leo Oſtienſis Chronici Caſinenſis lib. i. cap. x: *Dominus Herberchtus in hiſtoria, quam de Longobardorum gente poſt Paullum diaconum ſcripſit, ita refert.* Bonam etiam partem Paullo huic debet Hiſtoria Miſcella. Nam primi undecim libri iidem ſunt, ac decem libri Eutropii: niſi quòd aliqua ſubinde de ſua addat Paullus: quod ab eo juſſu factum eſt Adelbergæ, ſive Adhilbergæ, Beneventi ductrice: cui maritus erat Arichis; pater Deſiderius, ultimus Longobardorum rex. Exinde Eutropium continuat Paullus, cujus ſunt quinque libri ſequentes. Cæteri, nempe ſeptimusdecimus, & qui conſequuntur, à Landulpho Sagace additi ſunt, imprimis ex Theophane, ſive Anaſtaſio bibliothecario, qui Theophanem vertit. Atque hæc cauſſa eſt, cur Fronto Ducæus, notis in Gregorii Papæ librum de imaginibus *b*, quoties aliquid ex poſtremis octo libris citat, Theophanem, vel Anaſtaſium, non Paullum Diaconum, eorum, quæ adducit, dicat auctorem. Ut omnino injuriam ei faciat Henricus Caniſius *c*, cùm cenſet, ab notarum illarum ſcriptore totam hiſtoriam miſcellam Theophani, vel Anaſtaſio, adſcribi: cùm Ducæus de poſtremis duntaxat libris loquatur. Sed alterum etiam ejuſdem eſt Caniſii παρόραμα, cùm Baronium culpæ reum putat, propterea quòd in annalibus ejus iſtoc legiſſe ſibi videbatur. Nempe non attenderat verba, quæ præmiſit Baronius, ubi ait, ſe, uti Gregorii librum, ita interpretationem, ac notas, quas appoſuit, à Ducæo accepiſſe. Alphonſus Ciacconius in vitis Pontificum *d*: *Habet*, inquit, *auctor Miſcellæ Paullus, vel potius Joannes diaconus.* Ego fidem non auſim derogare tot codd. antiquis; ubi, qui primus Eutropium continuavit, Paullus, non Joannes, appellatur. Niſi fortè & Joannes diaconus poſt Paullum miſcellam adauxit; quod vulgò non alius, quàm Landulphus Sagax, creditur feciſſe. Eutropium cum additis à Paullo Diacono habes MSum Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi: item in biblioth. Collegii S. Magdalenæ. Quæ præterea ſcripſerit Paullus, ex Tritthemio, & aliis, cognoſces. Vide &, quæ de Paullo hoc refert Leo Oſtienſis Chronicorum lib. i. cap. xvii, & Petrus Diaconus de ſanctis montis Caſini, ac Tritthemius de viris illuſtribus ord. Bened. lib. ii. cap. xxx.

*a* Anno 1613. pag. 178.

*b* Ex editio Baron. Tom. ix. Annal. Eccl. ad an. 726.

*c* Præfat. ad lectorem, quæ eſt ante hiſtoriam miſcellam.

*d* In Leone pag. 125.

S. Ludgerus, ſive Ludigerus, Uſuardo etiam memoratus, natus fuit in Friſiæ pago juxta Doccomum, cui Virumo nomen erat. Hic circa annum Iↄccc ab Hildebaldo, Colonienſi epiſcopo, in Wirdino, ſeu Werthina, factus eſt primus epiſcopus Eccleſiæ Mimigardevenſis, ſeu Monaſterienſis in Weſtfalia. Scripſit Ludgerus poſt S. Marcellinum epiſtolam de vita, & miraculis S. Suiberti: quam miſit Rixfrido, ſeu Ritfrido, ſeptimo Trajectenſium epiſcopo. Legitur ea apud Surium ad i Mart. Item compoſuit vitam præceptoris ſui S. Gregorii, Ultrajectenſis epiſcopi, diſcipuli S. Bonifacii. Nec tamen vita ea ſolùm acta S. Gregorii exponit: ſed inſimul complectitur hiſtoriam prædicationis, ac paſſionis S. Bonifacii. Albrici etiam, ſeu Alberici vitam exarâſſe, ait Suffridus Petri, & ex eo Baronius Tom. ix, ad annum Iↄccc ix: item Poſſevinus in apparatu ſacro. Exſtat apud Ludgerum epiſtola Rixfridi. Ac Joſephi quoque, qui Alcuini diſcipulus fuit, hos ad eum verſiculos invenio:

*Frater amore Dei, cognato dulcior omni,*
*Et conſanguineis merito pretioſior ipſis,*
*Ludger, amate Deo, Chriſti te gratia ſalvet:*
*Vive tua gentis Freſonum a clara columna,*
*Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris,*
*Doctus in eloquio, prudens, & mente profundus.*
*Ipſe gradum meritis ornas, & moribus almus,*
*Et pueris ſenibuſque humili de corde miniſtras.*
*Tu germanus agis cunctis æqualibus ævo:*
*Utque parens pueris, vitæ documenta rependis.*
*In melius creſcendo mei memor eſto, ſacerdos:*
*Tu precibuſque tuis commenda quæſo Tonanti,*
*His brevibus, vatem, qui te laudavit in oris.*
*Si teretis baculi pro tali carmine donum*
*Munificus tribuas: ſors hæc mercedula vati*
*Concordat modico. Felix ſine fine valeto.*

*a* Alii, Phriſonum tu clara columna.

Quos verſus etiam, ſed non adſcripto nomine auctoris, præmiſere editioni vitæ Ludgeri, quæ ante annos cx edita fuit à Joa. Cincinnio, typis Quentelianis. Obiit Ludgerus anno Iↄccc ix; ut in vita Ludgeri, inque Chronicis Dithmari, legas. Ut minùs rectè Bellarminus in Eccleſiaſticis ſcriptoribus Ludgerum referat ad annum Iↄccc xii. Nam triennio antè exceſſit, ut vidimus. Adi de Ludgero Crantzium in Metropoli lib. i. cap. v. & in Saxonia lib. ii. cap. xiv, ac xvi; item vitam ejus ſcriptam à monachis S. Salvatoris Trajecti; quæ eſt in ſylloge Suriana ad diem xxvi Martii. Sed ibi ea monachis cœnobii Werthinenſis, ſeu Werdenenſis, perperam tribuitur. Item vide Joannem Leidenſem Carmelitam Chronici Belgici libro iv. cap. vi, & xvii.

## Cap. XXXI.

Adhemari, *ſeu* Autmari *commentarii de geſtis Francorum, quos Aimoinus ad verbum, ut ipſe fatetur, exſcribere ſolet: ac paſſum eſſe Adhemarum, quod fecerat: quippe cui priores ſimiliter exſcribere moris fuerit. Quàm variè* Uſuardi *nomen ſcribatur. Error Gaulterii, Baronium, ut ait, ſequentis ducem. Diſſenſum à Baronio, eundem Florum exiſtimantis, qui martyrologium Bedæ auxit; quique in Pauli epiſtolas commentatus fuit.* Haddonis, *ſeu* Haitonis, *epiſcopatus, legatio ad Orientis imperatorem, ὁδοιπορικόν, liber de viſionibus S. Wettini, ejuſdem ad monachatum tranſitus, & ubi, ac quando, deceſſerit.* Anonymus de tranſlatione corporis B. Germani. Paullus, diaconus Neapolitanus, *de vita Mariæ Ægyptiacæ; & tranſlatio eorum, quæ Theophanes tradidit de epiſcopis urbis Romanæ.* Hildeberti Cenomanenſis *carmen de Maria antè dictâ.*

PRæter eos, quos antea vidimus, alii etiam non pauci ætate eâdem rem hiſtoricam juverunt. Quos inter primus nunc ſe offert Adelmus Benedictinus monachus, ſive ut aliis vocatur Adhemarus, ſive Autmarus; qui Carolo Magno fuiſſe creditur à ſacris. Ejus quidem temporibus vixiſſe, ſatis conſtat. In literas hic retulit geſta Francorum: quæ perduxit uſque ad annum Chriſti octingenteſimum; quo imperium ad Francos tranſlatum fuit.

Ea Aimoinum exſcripſit: ut ipſe agnoſcit his verbis, extremo libro IV: *Porro quæ ſcripſi uſque ad tempora imperii Francorum, Adhemari, nobiliſſimi monachi, & devotiſſimi, relatione addidici, qui ei* (Carolo Auguſto) *coævus, & connutritus eſt.* Verbis quoque Adhemari plurimùm fuiſſe uſum, colligo exinde; quòd in præfatione dicat: *Dicent etiam, En noſter hiſtoriographus, novuſque auctor, qui aliorum verbis pro ſuis utitur. Hoc quidem me feciſſe, non nego; neque id me piget; ac deinde facturum autumo: habeo bonorum exemplum.* Nec propterea, quæcunque libris IV prioribus, vel etiam ſola, quæ quarto habes libro, Adhemari credi debent: ſed ut Aimoinus Adhemarum, ita Adhemarus exſcripſerat priores. Sanè quæ antecedunt caput quinquageſimum libri quarti, ea ab aliquo ſunt, qui Adhemarum anteceſſit. Quod chronologia iſta oſtendit, quæ legitur cap. LIV. Nam perducitur ad annum Chriſti Iↄccxxxv, Caroli Martelli XIX: qui anno hiſtoriam hanc auctor ſcribebat; ut ipſe indicat, cùm eum annum vocat præſentem, & deeſſe ait annos CCLXV, ut annus Chriſti milleſimus impleatur. Hujuſmodi profectò annorum collectio non ſolet inſtitui, niſi jam ſummum operi faſtigium imponatur. Atque hæc quidem dicta ſunto ex hypotheſi iſtâ, quâ minimùm quatuor primi libri creduntur eſſe Aimoini. Sed aliquantò aliter ſtatuere convenit, ſi Aimoinus deſiit in cap. XLI libri quarti: atque hinc alius quædam ſubjunxerit ex Anonymo de geſtis Francorum: mox alia ex Fredegario ſcholaſtico: cætera autem ex Adelmo, vel Adhemaro deſcripſerit; nempe geſta Pipini, Caroli Magni, & Ludovici Pii, per annos continuos LXXXVII deducta; quæ pars à cap. LVIII incipit, atque ad libri IV finem producitur. Hæc ſi ſententia placet, (& ſanè aliquantò veriſimilior eſt, ut infrà dicemus) non quidem Aimoinus exſcripſerit Adhemarum: ſed alius non paullò junior ex Aimoino, Adhemaro, & aliis, eam Hiſtoriæ Francicæ miſcellam compoſuerit.

Uſuardus, qui Sigeberto Huſuardus, Phil. Bergomati, & Trithemio, Iſuardus vocatur, natione fuit Gallus, monachus cœnobii Fuldenſis, ordinis Benedicti, auditor Alcuini. Hic juſſu Karoli Magni (ut Sigebertus teſtatur) edidit Martyrologium, in quo & Confeſſorum, aliorumque Sanctorum vitas, paucis inſeruit. Id hodieque exſtat, non exiguo ſanè hiſtoriæ Eccleſiaſticæ bono. Sed ſi Karoli Imperatoris poſtulato Uſuardus martyrologium ſcripſit: liquet, quàm ſpiſſus ſit error illorum, qui eum dicunt Bedæ temporibus vixiſſe. Eſt hæc ſententia Jacobi Gualterii S.I. in tabulis Chronographicis. Tuetur ille ſe auctoritate Baronii. Et ſanè apud eum in indice Tomi IX annalium legitur: *Uſuardus coætaneus Bedæ.* Sed ſi recurras ad ea, quæ Baronius dicit ad annum Iↄccxxxi, ſect. XXXII: ſatis liquebit, nec ab indicis auctore, nec à Gualterio, Baronium fuiſſe intellectum. Quin Uſuardum Karoli Magni συγχρονον fuiſſe, apertè Baronius, & in Annalibus, & in Martyrologio, profitetur. Niſi fortaſſe priores editiones aliud docuerunt: atque hoc iis, quos dixi, impoſuerit. Agit de Uſuardo & Papirius Maſſonus in Carolo Calvo, & Molanus, notis in Martyrologium. Quod ſi ætatem Uſuardi noviſſet Georgius Vicelius, non hunc in modum ſcripſiſſet in præfatione Hagiologii: *Sigebertum, ac Uſuardum, à quibuſdam toties citatum, eſſe neotericum, vel è nominibus liquere arbitror.* Sanè ſi paullò pòſt, Ruggerum Fuldenſem, quem anno cIↄcLVI claruiſſe agnoſcit, inter antiquos reponit, quomodo recentibus annumerabitur Uſuardus, qui tribus ſeculis, & quod excurrit, Ruggero antiquior eſt? At condonandum hoc Vicelio, viro ſanè erudito; ſed qui Uſuardum necdum vidiſſet. Quos ſecutus fuerit Uſuardus, docet ipſe his verbis: *Venerabilium, Hieronymi & Bedæ, presbyterorum, piis quamvis, & ſuccinctis, ſuper hoc provocabar deſcriptis: quorum prior brevitati ſtudens; alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis prætermiſiſſe neceſſaria: quos tamen ſecutus, cenſui &* Flori, *memorabilis viri, latiora jam in eo ipſo negotio ſequi veſtigia, præſertim in ſecundo ejus libro: ibi enim multa, quæ in priori omiſerat, & correxit, addidit: & ſiquid, præter quod ab illis accepi, hoc tempore auctum, vel mutatum eſt, ſagaci à me indagine id perquiſitum agnoſci poteſt.* Ex his cognoſcimus, martyrologium Romanum, quod Hieronymi nomen præferebat, à Beda fuiſſe auctum: Bedæ martyrologium fuiſſe adauctum à Floro: Flori itidem martyrologium ab Uſuardo. De Floro auctor quoque Ado Viennenſis in præfatione Martyrologii: *Primum fuit imperium, ac juſſio ſanctorum virorum, ut ſupplerentur dies, qui abſque nominibus martyrum in martyrologio* (*quod venerabilis Flori ſtudio in labore domini Bedæ accreverat*) *tantum notati erant.* Baronius in prolegomenis martyrologii Romani cenſet, hunc Florum eſſe eum, qui epiſtolas Paullinas verbis Auguſtini, hinc inde collectis, expoſuerat: ut Sigebertus ait in catalogo cap. XCIV. Mihi hæc ſententia minùs probatur. Nam planè cenſeo, Florum illum Sigeberto memoratum eum ipſe eſſe, qui Auguſtini de prædeſtinatione ſententiam defendit adverſus Joannem Erigenam, Scotum; ut Matthæus Weſtmonaſter. docet in Florilegio ad an. Iↄccclxxxiii. Valde enim veriſimile eſt, eum, qui tanti facere Auguſtinum ſolet, ut ejus potiſſimùm verbis, quæ hinc inde collegerat, Paullinas enarraret epiſtolas; etiam Auguſtinum adverſus Erigenam Scotum magnopere συναγωνίζοντα, (ut liquet ex commentationibus Lugdunenſis Eccleſiæ ante annos prope octingentos contra eum ſcriptis) ſeriò defendiſſe. Quare aliud mihi perſuadere non poſſum, quàm Florum illum Sigeberto memoratum claruiſſe temporibus Karoli Calvi; apud quem Erigena diu in honore fuit: eum verò, quem Bedæ martyrologio multa addidiſſe, Uſuardus ait, medio inter Bedam, & Uſuardum, tempore floruiſſe: vel ſaltem, nec Beda vetuſtiorem eſſe, nec recentiorem Uſuardo.

Hatto, ſive Haito, vel Hetto, epiſcopus Baſileenſis, unà cum aliis quibuſdam, juſſu Karoli Magni, ad Nicephorum imperatorem legationem obiit, anno gratiæ Iↄcccxii ut eſt in annalibus Francorum editis à Pithœo: item in vita Karoli Magni ab eodem è tenebris erutâ. Hac occaſione Ὀδοιπορικὸν, ſive Itinerarium, contexuit; quo iter à ſe Conſtantinopolin ſuſceptum expoſuit. Tradidit quoque viſiones S. Wettini monachi. Tandem, ætate gravis, vitam privatam epiſcopatui antepoſuit, atque Huldrico lampada tradens, ad monaſterium Augiæ majoris, in quo priùs fuerat abbas, reverſus eſt. Obiit anno Iↄcccxxxvi. Vide Chronicon Hermanni Contracti ad annum Iↄcccvi, & Iↄcccxi, & Joannem Stumphium lib. XII, cap. XXIII.

Caroli Magni ætate etiam fuit monachus ille, qui condidit hiſtoriam tranſlationis corporis B. Germani, epiſcopi Pariſienſis: quam apud Surium habemus Tom. VII, die XXV Jul. De ætate arguunt hæc verba auctoris: *Licet ipſe non viderim; tamen, multis, qui viderunt, narrantibus, cognovi. Ex quibus omnibus unum mihi in hoc opere excellentiſſimum auctorem ponere placuit; dominum videlicet Karolum, glorioſiſſimum Imperatorem; qui, tunc puer ſeptennis, operi pii genitoris interfuit; & ea, quæ ibi vidit, admirandâ memoriâ retinebat; nec non & admirandâ facundiâ diligentiſſimè fatebatur.*

Item tum fuit qui ſeu vero, ſeu ficto nomine dictus eſt Ferius Nelpericus. Reliquit heroico carmine hiſtoriam congreſſus Caroli Magni, & legionis Pontificis. Dixi de eo in opere de Latinis Poëtis.

Paullus, diaconus eccleſiæ Neapolios, tranſtulit vitam S. Mariæ, priùs Ægyptiæ meretricis, quam Sophronius, Hieroſolymitanus epiſcopus, ſcripſerat. Hæc verſio (unde ſua hauſit Wicelius in Hagiologia) integra nunc quoque, cum præfatione interpretis ad regem Karolum, apud Surium exſtat a. d. IX Apul. Eâ in præfatione idem Paullus teſtatur, ſe vicedomini, hoc eſt, Theophili, pœnitentiam; item *librum de venerandis conſtitutis, & geſtis præſulum Romanæ Eccleſiæ*; Latinam in linguam vertiſſe. Interpretem eum eſſe admodum antiquum, inde cognoſcimus, quòd Sigebertus ejus meminit; & ita meminit, ut Bedæ proximè ſubjungat; multiſque præmittat, qui ante annum octin-

oꝺingenteſimum vixere. Eoque aliud mihi perſuadere non poſſum; quàm Karolum, cui librum ſuum dicavit, eſſe, non Karolum Calvum, ſed Carolum Magnum. Verba Sigeberti ſunt in catalogo cap. LXIX: *Paulus, diaconus Neapolitanæ eccleſiæ, tranſtulit de Græco in Latinum vitam S. Mariæ Ægyptiacæ.* Hanc vitam poſtea carmine vertit *Hildebertus Cenomanenſis*: ut teſtatur Henricus à Gandavo in catalogo cap. VIII.

## CAP. XXXII.

*De ſcriptoribus aliquot ſuppoſititiis, vel commentitiis. Ac primùm exploditur opus ſtolidum, ac turpium mendaciorum plenum, quod* Turpini, *vel* Tilpini, *creditur. Hinc de* Solcone Fortenam, Sivardo Sapiente, Hancone Fortenam, Joanne Abgilli, Adele Adelingo. *Suffridus Petri refellitur. Unde ſit, quòd Abaſſinorum rex dicatur* presbyter Joannes. *Goldigni error de Seriphiorum appellatione, quâ Mauritaniæ reges cenſentur.*

TUrpinus, vel potiùs Tilpinus, aut Tulpinus priùs monachus fuit S. Dionyſii prope Lutetiam; poſtea, poſtulato Caroli Magni, ab Adriano Pontifice Max. archiepiſcopus factus eſt Rhemenſis. Vide, quæ de eo ſcribit Flodoardus lib. I. Hiſtoriar. cap. V. & imprimis lib. II. cap. XVII, ubi & XLVII epiſcopatus anno obiiſſe legitur, ac verſus referuntur, quos tumulo ejus inſcripſit Hincmarus. Quod ſi ſana eſt lectio Flodoardi, novennio peccat Joannes Chenu Biturix libro de epiſcopis Galliæ; qui Epiſcopum factum ait anno IↃCCLXXIII, atque obiiſſe anno IↃCCCXI. Huic Turpino vulgò adſcribitur, etiam à Tritthemio liber de geſtis Karoli Magni, ac Rolandino jam olim ab ſcriptore Hierarchiæ ſubcæleſtis lib. IV. cap. IX. conjungitur cum Gregorio Turanenſi, Richardo Cluniacenſi, atque aliis, quos vocat nobiles Galliarum hiſtoriographos. Sed rectè cenſet Hottomannus Francogalliæ ſuæ cap. V. eſſe fœtum hominis ſtolidi, atque imperiti, qui non vitam, ſed fabulas conſcripſerit. Nec mens eſt alia Papirio Maſſono in ſuis Galliæ Annalibus. Aut Duzæ in Annal. Batavicis, cui *a* dicitur *mendaciorum monſtris refertiſſimus.* Sanè non Hincmarus, Lupus, Flodoardus, vel ex tot aliis ejus, ac ſequentis ævi, ſcriptoribus, illarum ullus quiſquiliarum mentionem facit. Adde quod ſcriptor iſte cap. XXXII. meminit obitus Caroli Magni. At Turpinus ante Carolum Magnum defunctus fuit. Nam poſt deceſſum Turpini Rhemenſibus à Karolo archiepiſcopus datus eſt Vulfarius: ut teſtatur Flodoardus libro II. cap. XVIII. In manuſcripto Turpini codice, quem cum editis contuli, poſt cap. XXXI, quædam de pictura ſeptem liberalium artium adduntur. Item adjecta ſunt fini nonnulla de miraculo quodam ob preces Rolandi præſtito; quædam item de ipſo Turpino, & nonnulla alia. Quem codicem è bibliothecâ Amſtelodamenſi, ad me tranſmiſerat, egregio parente filius digniſſimus, Joannes Polyander junior, Juriſconſultus. Habes & manuſcriptum Turpini codicem apud Cantabrigienſes in Collegio S. Benedicti. Cujus inſcriptio eſt hujuſmodi: *Liber Turpini Archiepiſcopi Rhemenſis quomodo Carolus rex Francorum adquiſivit Hiſpaniam.* Hunc librum dicit Papa Calixtus eſſe authenticum, ut adjungit Thomas James: ut puto ex MSi operis inſcriptione, ſive nota ei addita. Fuere & alii poſtea, qui vitam Caroli Magni in literas retulere. Unius de eo vitam in Hagiologia, docti ſanè viri, Georgii Vicelii habes. Sed quàm ridiculum, quod addit, eam ſe vitam ex Plutarcho deſumſiſſe. Nempe ſefellit bonum virum, quòd Plutarchi vitis, in editionibus quibuſdam *b* ſubnexam reperiſſet.

*a Elegia operis ad ordines, ſive potius notas ipſius auctoris ad oram.*

*b Quæ etiam ſecuta Baſileenſis Iſengrinii an. 1550.*

Solco Fortenam, & Sivardus Sapiens, Friſii, vixiſſe dicuntur temporibus Pipini, & Caroli Magni; ſcripſiſſeque principum, ac regum Friſiæ, genealogiam, ac res geſtas. De quo fides ſit penes Suffridum Petri in ſcript. Friſ. dec. V. cap. IX, & X.

Uti & de Hancone Fortenam, Friſio: quem conſignâſſe ait expeditiones à ſe ſuſceptas ſub imperatore Græco, rege Scotiæ, Angliæque, & Karolo Magno. Vide dec. VI. cap. VI.

Etiam refert, Karoli Magni temporibus vixiſſe Joannem Abgilli, & Adelem Adelingum, Friſios; quorum priorem dicit commentarium ſcripſiſſe de expeditione Karoli Francorum regis in terram ſanctam: item de expeditione ſuâ in Indiam: adhæc de Indiæ ſitu, ac gentibus diverſis. Alterum verò egiſſe de monſtris Indiæ, de moribus Indorum, & eorundem religione. Idem ait, Joannem Abgilli fuiſſe filium regis Friſii: atque ob ſanctimoniam ſingularem *presbyteri* cognomen accepiſſe: eundem cum Orgero, Daniæ rege, duce Karolo Magno, profectum fuiſſe in Palæſtinam: ac captis Hieroſolymis, Karolum quidem in Germaniam eſſe reverſum: Joannem autem, unà cum Orgero, atque aliis, Indiam petiiſſe: ibi vaſtos occupaſſe terrarum tractus, ac condidiſſe imperium Abyſſinorum regis; quod ab hoc Friſio Joanne *presbyteri Joannis* vulgò nuncupetur. Addit, inter expeditionis Indicæ comites etiam fuiſſe Adelem Adelingum; regali itidem ſtirpe editum: atque ab hoc ſimiliter portui Abyſſino nomen *Adel* eſſe impoſitum. O hominem valde ſimplicem, ac prope dixerim inſipientem; qui vanis adeò, ac ſtultis commentis habuerit fidem! Et ſunt talia apud eum non pauca: ut parùm ſanè fidei mereatur tot antiquos Friſiæ ſcriptores nobis commemorans: quorum multos ut ipſe non ſit commentus; commentitios tamen eſſe, nemo non videt, niſi qui oculos in calcaneo habuerit. Quòd ſi non aliunde, ſaltem ex eo fraudem odorati oportuerat, quòd hic de captis à Karolo Magno Hieroſolymis dicitur. Cui enim veterum, vel per ſomnium, hoc in mentem venit? Nec appellatio *presbyteri Joannis* (quâ ante ſeſquiſeculum, non Africanus, ſed Aſiaticus rex, conſtanter vocabatur) indè profluxit, unde Suffridus nugatur: ſed ab errore vulgari, quo *preſtegianus* idem credebatur, ac *preſtre Jean.* Atqui *preſtegianus* vox eſt Perſica, ac notat *Apoſtolicum.* Quâ de re vide Joſephum Scaligerum lib. VII de emendat. tempor. capite eo, quod eſt de computo Eccleſiaſtico. Id ſi minùs probatur, per me licet, ſequaris opinionem Nicolai Godigni, libro primo de Abaſſinorum rebus cap. V. De cauſſa quidem, cur Abaſſinorum regi nunc id nomen detur, planè Godigno aſſentio. Nam cœpit ea appellatio à Petro Covillanio; idque occaſione iſtiuſmodi. Miſſus is erat à Joanne II, Luſitaniæ rege, ad exquirendum, quis potens ille Chriſtianus rex foret, qui vulgò *presbyter Joannes* vocaretur. Sed is, cùm in Aſia eſſet, neminem iſtic ejus nominis reperit; ac ne quidem, cui competerent, quæ vulgò de eo ferrentur. Quid mirum? Jam anno CIↃCLXXXVII deſierat id nomen: puta devicto Davide preſtegiano à duce ſuo Cinge: qui pro preſtegiano, vel presbytero Joanne, Joannes Ularcanus fuit nominatus. Verùm audierat Petrus in Africa agere regem Chriſtianum admodum potentem. Is Abaſſinorum rex erat. Quò ut vênit, convenire ei vidit pleraque eorum, quæ apud Europæos de presbytero Joanne ferrentur. Hinc factum, ut crederet eum eſſe ipſum, qui presbyter Joannes dici ſoleret. Ejus verò errorem alii hac parte ſecuti fuerunt. At planè fallitur Godignus, cùm ait, pari ratione regem illum Aſiaticum dictum fuiſſe presbyterum Joannem, ac olim Ægypti reges nominati *Pharaones*, & *Ptolomæi*: & hodie Mauritaniæ reges *Seriphii* vocantur. Nam appellatio ea regum Mauritanorum intra hos annos centum cœpit: nec aliud Seriphiorum nomen, quàm nobilem deſignat. Nempe ita vocantur nunc reges Mauritaniæ, quia è ſtirpe ſint Muhammedis: nec ſoli hoc nomine inſigniuntur; ſed quicunque è filia Muhammedis originem trahunt: quos inter non rarò etiam mendicabula quædam conſpicere eſt. Nempe utcunque egeſtate ſummâ premantur, tamen appellationem eam non deperdunt, cùm à Muhammede originem ducere negari non poſſit. Ut hic quoque locum habeat illud Venuſini vatis *a*; *Fortuna*

*a Lib. epod. od 4.*

*non mutat genus.* Sed hæc alius ſunt loci. Ad inſtitutum revertamur.

## Cap. XXXIII.

*Eginhardi ſeu Einardi ætas, ſocer, dignitas, liber de vita Karoli Magni, de dictione ejus, & fide judicium, alia ejuſdem. Othelgrimus de vita S. Ludgeri, præceptoris ſui. Walafridi Strabonis laus, liber ejus de vita S. Galli abbatis. Eundem eſſe Walafridum abbatem S. Galli, contrà quàm viſum Tritthemio, Surio, Bellarmino. Freculphi Chronicon bipartitum. Hilduinus abbas de vita præceptoris ſui S. Sturmionis. Thoganus de vita Ludovici Pii, & alter ejuſdem ætatis de eodem argumento.*

AD extrema Karoli Magni tempora, atque item ætatem Ludovici Pii, referendus eſt Eginardus, ſive Eginhardus, ſeu Einardus (prout in antiquiſſimis codd. ac vetuſto diplomate, vocatur) gener Karoli Magni, ac ejuſdem cancellarius: poſt verò deſerta ſeculi negotia monachus Benedictinus, atque abbas primus cœnobii Selgenſtadienſis, ſeu Salingeſtadienſis SS. Marcellini, & Petri. Eſt hic omnium Germaniæ hiſtoricorum vetuſtiſſimus. Eoque Germanis carior eſſe debet, præſertim Francis Orientalibus; ut cui nemus Ottonium natale fuerit ſolum. Vir inter primos ejus ſeculi annumeratus eſt: ut ait Baronius Tom. IX. ad annum IↃCCCCXXVI. Exſtat ejus liber de vita Karoli Magni, quem eâ ſcripſit dictionis puritate, atque elegantiâ, ut coætaneos longè ſuperet, planèque videri poſſit aliquot antè ſeculis vixiſſe. Quod imprimis dictum velim, ſi ita ſcripſit Eginhartus, uti nunc legitur. Sed etſi pro ætate ſuâ ſatis eleganter loquitur, (Suetonium ſibi imitandum propoſuiſſe, optimè obſervatum eſt Caſaubono) tamen nec prætereundum eſt, primùm Eginharti editorem, Hermannum, comitem Neuenarium, non inſtitiſſe antiquo codici, quem habebat: ſed in eo fuiſſe, ut paſſim floridiùs loquentem induceret. Quod ejus inſtitutum, nequid diſſimulem, probare neutiquam poſſim. Eoque magis diſplicet, quòd etiam, qui poſtea Eginhartum typis divulgarunt, hanc Neuenarii comitis editionem ſecuti fuerunt. Veruntamen, ut non ea fuerit dictionis elegantia, quâ nunc prodit; tamen ſic quoque Eginhartus non uno nomine laudem meretur. Nam ſaltem pro ævo ſuo omnino eleganter hanc vitam exaravit. Tanto autem meliori eam fide retulit, quanto familiarius Carolo adhæſit: ut & Sigebertus cenſet de ſcriptoribus illuſtribus. Meminit ejus operis idem in Chronicis ad annum IↃCCCXIV. his verbis: *Cujus* (Karoli Magni) *vitam Emardus deſcripſit.* Ita editiones vulgatæ *a* habent, quas videre contigit. Sed plane legendum *Einardus.* Quod & docet magiſter Adamus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. II. cap. IX. *De hujus*, inquit, *freti naturâ breviter in geſtis Caroli meminit Einhardus, cùm de bello diceret Slavonico.* Hæc ille ante annos quingentos, & amplius. Imò & Lupus Abbas ſic ad ipſum ſcribit Einhardum epiſt. I: *Venit in manus meas opus veſtrum, quo memorati imperatoris Caroli clariſſima geſta (liceat mihi abſque ſuſpicione adulationis dicere) clariſſimis literis allegaſtis.* Ut omnino fallantur, qui Albinum, aut Gintharum, vitæ ejus auctorem putant. Præterea reliquit (ut ex Aimoino & Chronico Laurishamenſi cognoſcitur) libros IV de inventione & miraculis SS. martyrum, Marcellini & Petri; quorum corpora Gandavi quieſcunt. Item librum unum de iis carmine. Et hunc, & illos, reperire eſt apud Surium Tom. VII, die II Jun. Ejus quoque epiſtolam habemus ad Lupum, Abbatem Ferrarienſis monaſterii: quæ inter illas Lupi ordine eſt tertia. Ajunt & hiſtoriam ſcripſiſſe de geſtis Germanorum, & Francorum. Quam non vidi. Uti nec epiſtolarum librum: aut quam pſalterio operam impendit. Hiſtoriam ſeu fabellam, ut juvenis, Caroli notarius, cum filia ejus conſueverit, atque ab ea per nivem ſit portatus, eamque poſtea uxorem acceperit, vide ſis in Chronico Laurishamenſis Cœnobii, ex archivis Palatinis in Germania edito inter rei Germanicæ ſcriptores.

a *Uti Francofurtenſis an. 1566. & altera an. 1583: item Pariſina, quæ exſtat in bibliotheca Patrum edit. ſec.*

Eginharto æqualis fuit Othelgrimus, familiariſſimus diſcipulus S. Ludgeri, cujus & vitam tradidit. Sed ex duobus de vita S. Ludgeri libris prior ſolùm videtur genuinus: poſterior autem junioris alicujus. Libellos eos Surius hiſtoriæ Sanctorum inſeruit Tom. II, die XXVI Martii. At poſtea eos integriùs ex MSo Fuldenſi repræſentavit Chriſtophorus Brouwerus.

Ludovici Pii temporibus claruit Walafridus Strabo. Fuit *vir doctus, & ſapiens, & literarum ſcientiâ ante alios illuſtris:* ut de eo judicat Iſo, monachus Sangallenſis, præfatione ſuâ in vitam S. Othmari. De eodem ſic Hermannus Contractus ad annum IↃCCCXLII: *Augiæ Walafridus Strabo vir doctus, abbas* XII, *præfuit, qui metro & proſa conſcripſit multa.* Præter gloſſas & librum de rebus Eccleſiaſticis, etiam, (ut Sigebertus ait) *vitam, & miracula ſancti* Galli *abbatis, primùm proſaicè, deinde metricè, compoſuit.* Eam libris duobus proſâ habes apud Surium Tom. V, die XVI Octobris. Carmine ſcriptam præteriit: quæ exſtat in manuſcripto codice S. Galli apud Helvetios: ſed adeò vitioſè exarato, ut ſolo ex eo in lucem dare, temeritatis potiùs, quàm diligentiæ eſſe, Henricus Caniſius *a* putârit. Præterea librum de vita edidit S. Othmari; quam uti & duos de ea Iſonis libros, apud eundem Surium reperies Tom. VI, Nov. XVI. Ille de vita S. Othmari exſtat in bibliothecâ S. Galli. Ac ſimiliter extrema S. Mammæ (ſeu Mamantis malis) monachi: quam Caniſius repræſentat Tom. VI. Antiq. Lect. uti & vitam, atque obitum S. Blaitmaic. Item ſcripſit vitam S. Leudegarii. Adhæc viſionem S. Wettini, epitaphium Werdonis abbatis, atque alia; quæ vide apud Caniſium Tom. VI. Antiqu. Lection. Etiam (ut Poſſevinus ait) condidit Chronicon Monaſterii Fuldenſis, quod exinde alii, atque alii, continuarunt. Trithemius vehementer errat, cùm Walafridum abbatem S. Galli, & Strabonem, monachum Fuldenſem, diverſos eſſe arbitratur: atque illum quidem vixiſſe temporibus Aſimari Tiberii, & Juſtiniani junioris, hoc eſt circa annum ſeptingenteſimum: hunc autem temporibus Ludovici imperatoris, anno IↃCCCXL. Nam Walafridus hic priùs monachus Fuldenſis fuit; poſtea decanus S. Galli; tandem & abbas Augiæ divitis, quæ vulgò *Richenaw:* ac cùm id munus ſeptennium ſuſtinuiſſet, anno obiit IↃCCCXLIX. Ideò magis monere operæ fuit, quia Trithemius etiam Laurentium Surium in hiſtoria Sanctorum, Bellarminum in catalogo illuſtr. ſcript. atque alios nonnullos, in errorem induxit.

a *Præfat. in poëmata Walafridi Strabonis, quæ expreſſit Tom. VI. Antiq. Lect.*

Freculphus, qui & nonnullis Treculphus, monachus priùs Fuldenſis, pòſt Lexovienſis Eccleſiæ in Lugdunenſi ſecundâ (nunc ea eſt Rothomagenſis provincia regionis Nortmannicæ) epiſcopus, quo in munere Launobodo ſucceſſit, ſucceſſoremque habuit Rogerium; quantum ex epiſcoporum Lexovienſium catalogo perſpicere licuit. Ubi & ab anno IↃCCCXXX, uſque ad annum IↃCCCXL, dicitur claruiſſe. Chronicon ſcripſit Sigeberto etiam celebratum in catalogo cap. XCI. Eſtque id opus bipartitum. Ejus parte priori ab initio mundi progreditur uſque ad nativitatem Chriſti: alterâ ab Servatore nato uſque ad Francorum, & Langobardorum regna. Poſteriorem partem dicavit Judithæ Auguſtæ, conjugi Ludovici Imperatoris, Caroli Magni filii. Commentarios ſuos in Geneſin Freculpho huic inſcripſit Rabanus Maurus, vir ætatis ſuæ doctiſſimus. Freculphum hunc inter præcipua Galliæ lumina numerandum eſſe, cenſet Demſterus Paralipom. in Roſini Antiquitates lib. I, cap. I. Prodiit non ſemel iterumque. At manuſcriptus exſtat Oxonii in Collegio Lincolnienſi.

Hilduinus, *abbas monaſterii S. Dionyſii*, celebratur anonymo annalium Francicorum conditori, à Pithœo edito, ad annum IↃCCCXXVI, quo ipſo dicitur *Romam miſſus, annuente precibus Eugenio, Apoſtolicæ ſedis tunc præſule, oſſa beati martyris Chriſti, Sebaſtiani, accepiſſe,*

*piſſe, & ea apud Sueſſonam civitatem in baſilica S. Medardi collocâſſe.* Eandem rem narrat Sigebertus in Chronicis ad an. IↃ CCCXXV; ubi etiam vocatur *ſacri palatii archicapellanus.* Meminit Hilduini quoque Nithardus, Caroli M. nepos, lib. I, ac II, de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii: ubi *ἁπλῶς abbas Eccleſiæ S. Dionyſii* nominatur. Monaſterium autem hoc S. Dionyſii duabus leucis diſtat Lutetiâ Pariſiorum. De eo ſic Sigebertus in catal. cap. LXXXII: *Hilduinus abbas S. Dionyſii Pariſienſis, ſcripſit ad Ludovicum imperatorem utroque ſtylo, id eſt proſaico, & metrico, vitam ipſius Dionyſii.* Vitam eam proſâ ab Hilduino ſcriptam, cum aliis opuſculis ejus argumenti, primus edidit Matthæus Galenus Veſtcapellius, Theologus Lovanienſis: poſteaque ſanctorum hiſtoriæ inſeruit Surius T. V. die IX Octob. At quatuor libri, quos de eo compoſuit carmine, MSSi aſſervantur in monaſterio Gemblacenſi. Hilduino huic dedicavit Rabanus Maurus commentarios ſuos in IV libros Regum. Operis ejus de paſſione Dionyſii meminit & Notgerus, epiſcopus Leodienſis, epiſtolâ ad Werinfridum abbatem: quæ vitæ S. Remacli à Notgero ſcriptæ præmittitur.

Ægil, ſive Aigil, ſeu Eigil (variè enim ſcribitur id nomen) Ludovici Pii favore, & totius congregationis conſenſu, quartus abbas Fuldenſis factus fuit anno Chriſti IↃ CCCXVIII. Scripſit vitam S. Sturmis, ſeu Sturmii, aut Sturmionis, Fuldenſis Eccleſiæ archimandritæ, & conditoris, ac S. Bonifacio perfamiliaris; qui & Sturmionem vocare ſuum eremitam ſolebat. Potuit autem Ægil Sturmionis acta optimè noſſe; quandoquidem ejus diſcipulus erat; & multorum, quæ refert, teſtis fuit oculatus: ut ipſe de ſe ſcribit. Dicavit hoc opus Angilthrudi virgini. Meminitque ejus quoque Candidus in vita Ægili, his verbis: *Lectionem libri illius, quem de vita ſupradicti* (Sturmionis) *abbatis, & origine monaſterii* (Fuldenſis,) *Chriſti largiente gratiâ, compoſuit, fratribus ad menſam recitari præcepit.* Hanc Sturmionis vitam è MSo cod. Bambergenſi primus in lucem protraxit Chriſtophorus Brouwerus, S. I. Presbyter. Obiit Ægil anno IↃ CCCXXII, cùm quadriennium fuiſſet abbas: ſucceſſoremque habuit Rabanum Maurum, ſummum virum, ut diximus: qui & epitaphium fecit Ægilo. Id apud Candidum habes in Ægili vita.

Theganus Francus, Trevirenſis Eccleſiæ chorepiſcopus, vixit ſub Ludovico Pio: deque rebus ab eo geſtis librum edidit; quem unà cum Francorum annalibus exhibuit Pithœus. Superſtite adhuc Ludovico editum eſſe, ſatis docent poſtrema hæc opuſculi verba: *Eodem anno, in ipſo itinere, obiit Berengarius, dux fidelis, & ſapiens; quem imperator cum filiis ſuis luxit multo tempore. Iſte eſt annus* XXIII *regni domini Ludewici, piiſſimi imperatoris; quem conſervare, & protegere diu in hoc ſeculo feliciter commorantem, & poſt hæc diſcurrentia tempora, perducere dignetur ad ſocietatem omnium ſanctorum ejus ille, qui eſt Deus benedictus in ſecula.* Ergo non attigit Theganus res poſtremi triennii: ſed deſiit anno Ludovici XXIII, qui Chriſti eſt IↃ CCCXXXVII. Cæterùm libellum hunc ſecuit Walafridus Strabo in partes LVIII; ac ſingulis caput ſuum, ſive titulum, vel argumentum, præpoſuit. Vide ejus præfationem libello additam: unde & cognoſces, Theganum hunc Straboni fuiſſe cognitum; fuiſſeque genere nobilem, ingenio acrem ac vehementem, amantem juſtitiæ atque imperatoris ſui, lectionis multæ; ſed docendâ, regendâque Eccleſiâ ſuâ, admodum diſtrictum; vereque magis, quàm eleganter, ſcripſiſſe.

Eſt & alter ejuſdem ætatis, qui itidem in literas retulerit vitam Ludovici Pii, atque in annalibus Francorum à Pithœo editis ſimiliter legatur. Ejus nomen neſcitur: ſed ætatem ſcriptoris clarè ex eo cognoſcimus, quòd, ut ipſe refert, cùm anno IↃ CCCXXXVI, III Id. Apr. cometes apparuiſſet per dies XXV, vel, ut alii dicunt, XXXIV; ab imperatore eo fuerit accitus, rogatuſque, quid ſidus hoc novum portendere putaret. Hic ſcriptor etiam extremam Ludovici vitam, mortemque ejus, quod Theganus non fecerat, exponit. Operæ autem fit cum Pithœanâ editione conferre illam, quam cum aliquot rerum Germanicarum ſcriptoribus Juſtus Reuberus divulgavit. Multùm enim editiones hæ variant. Inſcribuntur autem à Reubero, *Annales rerum geſtarum à Ludovico.* Eſtque proximus iis ante Turpinum locus. Præterea vide caput XIX libri quinti eorum, quæ tribuuntur Aimoino. Inſuper opus *Francica Hiſtoria* curâ Marquardi Freheri Hanoviæ editum. Ubi idem opus ex Palatinis MSis emendatius legitur.

## CAP. XXXIV.

*Nithardi liber de diſſidio filiorum Ludovici Pii, & quando eum ſcripſerit. Genus ejuſdem; item cui opus iſthoc dicârit, & cujus juſſu id compoſuerit. Candidus de vita abbatis Ægili, quam Rabani hortatu, & exemplo, deſcripſit. Idem de vita Bangulphi abbatis. Aimoini hiſtoria Francica, atque alia ejuſdem. Cum Aimoino Ammonium, ſeu Aumonium, malè confundi à Poſſevino, & aliis. Ætas Aimoini clarè oſtenſa. Alium videri ab hoc Aimoinum notarium, & capituli ſcribam: contrà quàm viro docto viſum. De ætate Aimoini lapſus, ſeu Poſſevini, ſeu librarii. Ab alio adjecta Aimoino videri, quæ libro quinto leguntur de Carolo Calvo, & ſeqq. impp. Hottemanni lapſus. Quis Abbo ille ſit, cui Aimoinus dedicavit hiſtoriam Francicam. An Aimoinus fuerit monachus Floriacenſis: ut Poſſevinus putabat. Aimoinus imaginum cultui adverſatus.* Scriptor de tranſlatione S. Viti. *Auctor vitæ Karoli M. editus à Pithœo.*

LUdovici Pii, atque item Lotharii tempore, claruit Nithardus: cujus ſunt libri quatuor de diſſidio filiorum Ludovici Pii Imper. Orditur ab exceſſu Karoli M. hoc eſt anno IↃ CCCXIV, & progreditur uſque ad annum IↃ CCCXLIII. Quo iſta in literas mittebat, ut docent hæc verba in extremo libri IV: *Temporibus bonæ recordationis magni Karoli, qui, evoluto jam penè anno* XXX, *deceſſit.* Penè trigeſimo, inquit, quia ab anno octingenteſimo decimoquarto, quo Carolus deceſſit, uſque ad octingenteſimum quadrageſimum tertium, cujus res geſtas exponit, ſolùm anni ſunt undetriginta. Edidit Nithardum Pithœus in Annalibus Francorum. Inſcriptio verò hujuſmodi eſt: NITHARDI, ANGILBERTI FILII, KAROLI MAGNI IMP. EX BERTHA FILIA NEPOTIS, &c. Rectè ſanè. Nam ipſe genus ſuum exponit lib. IV, his verbis: *Eademque die Angilbertus, vir memorabilis, Centulo tranſlatus, & anno poſt diſceſſum ejus* XXVIII, *corpore abſque aromatibus indiſſoluto repertus eſt. Fuit hic vir ortus eo in tempore haut ignotâ familiâ, Magdelhaudus autem, Richardus, & hic, ex una progenie fuere. Et apud magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex ejuſdem magni regis filia, nomine Bertha, Harnidum, fratrem meum, & me Nithardum, genuit.* Ubi *magnum regem* appellat Carolum M. cujus proximè mentio anteceſſit. Miſit Nithardus hoc opus ad fratrem Lotharii imperatoris: ſive is Hludarius, Germaniæ rex erat: ſive Carolus Calvus, tum temporis rex Neuſtriæ, ac poſtea imperator. Hoc arguunt iſta verba initio lib. II: *Explicitis, pro tempore ac viribus, diſſenſionum veſtrarum initiis, è quibus quique lector ſcire cupiens, quamobrem, poſt obitum patris veſtri, Lotharius vos, fratremque, perſequi ſtatuerit.* Imò & juſſu ejuſdem ſcripſiſſe, oſtendit initium hoc operis: *Cùm, ut optimè, mi domine, noſti, jam penè annis duobus illatam à fratre veſtro perſecutionem vos veſtrique hautquaquam meriti pateremini: antequam Cadhellonicam introiiſſemus civitatem, præcepiſtis, ut res veſtris temporibus geſtas ſtili officio memoriæ traderem.* De Nithardo placet judicium Barthii, quod iccirco ejus apponam verbis ex Adverſ. lib. XLVI cap. IX. *Nithardus*, inquit, *cordatus, prudens, proque iis temporibus diſertus ſcriptor qualem ſanè decuit virum tanto genere oriundum, tantâ rerum experien-*

*rientiâ ſubnixum. Nam legationibus inter filios Ludovici Pii functus eſt, & turmis nonnullis à partibus Caroli Calvi poſt imperatoris præfuit: ſatis cætera laudans, modò odium in Lotharium minus indulgeret ſuo. Sed quid faciemus illi? Homo utique & ſuis addictus fuit: atque ita cum fratribus ſuis egit Lotharius, ut bono cordatoque homini integrum ſit non illorum potius, quàm ipſius partibus favere, ſiquidem favore opus ſit: quem tamen in hiſtoriâ diſſimulamus potius, quam commendamus.*

Æqualis Nithardo erat Candidus, monachus Fuldenſis. Hic æternitati ſacravit vitam abbatis ſui Ægili, qui Fuldenſis monaſterii abbas electus eſt anno Iↄ ccc xviii. Nec proſâ ſolùm, ſed carmine etiam, vitam ejus prodidit. Utrumque opus ex MSo Fuldenſi, eoque codice pervetuſto, primus edidit Chriſtophorus Brouwerus. Magni illius Rhabani hortatu, atque exemplo, ea commentatum ſe fuiſſe, indicat ipſe initio ejus Vitæ, his verbis: *Anno præterito, dominus abbas Rhabanus, cum illi quererer, quia non haberem quenquam mecum conſociorum, cum quo, in divina lectione, diſputando, & legendo, proficere potuiſſem; tale mihi reſponſum referebat: Exerce, inquit, temetipſum legendo, & aliquid utilitatis adde, dictando. Nam dum ego ibidem, ubi nunc ipſe moraris, quondam commanerem: librum proſâ, & verſibus, in laudem ſanctæ Crucis, divinâ gratiâ inſpirante, incepi, atque fidelibus legendum ſtudioſo labore conſummavi. Hac igitur, frater, licentiâ fretus, duos libros de vita Aigili, abbatis noſtri; dictando, & ſcribendo, Dei dono, peregi: unum proſâ, alterum verò verſibus explicavi.* Antequam autem Ægili vitam concinnaret; jam, Ægili ipſius juſſu, exaràrat vitam Bangulfi abbatis: quod hæc ipſius Candidi verba oſtendunt: *Ex eo igitur tempore, quo me venerabilis pater Ægil vitam Bangulfi, cari Abbatis noſtri, jam de ergaſtulo corporis abſoluti, intimâ exhortatione perſuaſit literis explicare: ex eo me libuit benevolentiam, ſtudium, & gravitatem tanti patris, memoriæ commendare.*

Ad hæc quoque tempora referri debet Aimoinus monachus, egregius hiſtoriarum ſcriptor; ut eum vocat vetus auctor commentarii de regimine principatus lib. iii cap. xxi: quod opus vulgò, ſed falsò, tribuitur Thomæ Aquinati. Scripſit de geſtis Francorum. Qui libri ſæpius in lucem prodiere. Item libros duos de inventione & translatione S. Vincentii, Levitæ & Martyris. Qui primum lucem videre beneficio doctiſſimi Jacobi du Breul, monachi. Ad fidem huic operi conciliandam, pertinent iſta in eo verba: *Erat ſane alius in eodem monaſterio religioſus monachus, æque ſacerdos, & converſus, Audaldus nomine, ſpeciali ei familiaritate connexus, ac vita moribus, pene conſimilis: cujus* AB ORE, *quæ dicuntur, & multò etiam ampliora, nos in fide accepiſſe confidimus.* Adhæc de miraculis S. Germani egit libris duobus: quos apud Surium habemus T. vii. Addit Poſſevinus libros de miraculis S. Benedicti. Uti & Carolus Sauſſejus Aurelianenſis annal. lib. iv cap. x. Qui libros hoſce ait poſt Adrevaldum, & Adelardum, (Adelarium dicere voluit) compoſuiſſe. Atqui iſti multò poſt Aimoinum vixerunt: ut liquebit ex iis, quæ poſtea dicentur. Eſtque is primus error. Præterea de auctore fallunt, & falluntur. Sermo enim nobis eſt de libris Aimoini. Sed hi autorem habent Ammonium, ſeu Aumonium: qui, ut ſuo loco dicemus, vixit temporibus Ottonis iii, circa annum Iↄ ccccxc. At Aimoinus floruit temporibus Caroli Magni, Ludovici Pii, & Lotharii. De ultimis Caroli M. temporibus, ſatis apertum eſt ex verbis illis extremo lib. iv de geſtis Francorum; *Porrò quæ ſcripſi uſque ad tempora imperii Francorum, Adhemari relatione didici, qui ei* (Carolo Auguſto) *coævus & connutritus eſt. Poſteriora autem, quæ ego rebus interfui Palatinis, quæ vidi, & comperire potui, ſtylo contradidi.* Sub Ludovico Pio claruiſſe, indicant hæc, quæ libro v cap. xvii ſcribit de comete conſpecto ab imperatore Ludovico Pio: *Quem cum primùm imperator, talium ſtudioſiſſimus, conſpexiſſet, conſtitit: & antequam quieti membra committeret, accito quodam, itemque me, qui hæc ſcripſi, & qui hujus ſcientiam habere credebar, percontari ſtuduit, quid ſuper hoc mihi videbatur.* At cometes iſte fuit anno Ludovici xxiv, Chriſti Iↄ ccc xxxvi, iii Id. Apr. De Lotharii temporibus arguit exordium vitæ B. Germani; quod hujuſmodi eſt: *Anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Regis item præcellentiſſimi Caroli ſexto, cum regnum Francorum, poſt obitum Ludovici imperatoris, varias diviſum eſſet in partes*, &c. Atqui ſextus eſt Caroli regis, idem eſt ſextus Lotharii imperatoris: ut conſtat ex diviſione imperii inter liberos Ludovici Pii. Ulterius verò fuiſſe progreſſum, cognoſcimus ex libris de inventione, & tranſlatione corporis B. Vincentii Levitæ, & Martyris: quos hoc pacto orditur: *Anno octingenteſimo quinquageſimo quinto Domini noſtri Jeſu Chriſti, regnante orthodoxo Francorum principe Karolo, Ludovici imperatoris filio.* At quinquageſimus-quinctus Chriſti, eſt decimus-quinctus Lotharii. Atque hæc ſatis liquent. Cæterùm eruditiſſimus Jac. Breulius longiùs etiam vitam producit. Nam etiamnum vixiſſe ait anno gratiæ Iↄ ccc lxxii, qui Ludovici junioris imper. duodevigeſimus fuit. Probat hoc ex antiquis chartis, ubi ſe reperiſſe teſtatur: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Gozlinus, gratiâ Dei abbas monaſterii beati Vincentii martyris, ubi venerabilis confeſſor Chriſti, Germanus, corpore quieſcit, &c. Anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* Iↄ ccc lxxii; *regni verò Caroli* xxxii. Subſcriptio autem hujuſmodi erat: *Aimoënus notarius ... & monachus ſcripſit, & ſubſcripſit, prid. Non. Octobris.* Eſt autem is Gozlinus, qui poſtea ex abbate Pariſinus eſt factus epiſcopus, ac Pariſios defendit adverſus Normannos, urbem obſidentes: quod anno contigit Iↄ ccc lxxxv: vel, ut Guilielmus Nangiacus cenſet, biennio pòſt. Putat autem Breulius, Aimoinum, monachum, & capituli ſcribam, eundem eſſe ac hiſtoriographus ille, de quo dictum nobis. Eoque non dubitat, quin anno Chr. Iↄ ccc lxxii ſuperfuerit. Imò anno Iↄ ccc lxxxv, tempore obſidionis Pariſinæ, in vivis fuiſſe arbitratur. Quod ſi eſt, valde fuerit longævus. Equidem metuo, ne notarius iſte alius ſit ab hiſtoriographo. Quod ſi eſt, perperam ex duobus unum concinnat. Quicquid eſt, Poſſevinus audiri non debet, cùm claruiſſe Aimoinum ait anno Iↄ ccc xc. Scribere debuit Iↄ ccc xl. Sed fortaſſe & hæc librarii menda eſt pro 40 ſubſtituentis 90: qui proclivis admodum fuerit error. Imperitior aliquis exiſtimare poſſit, Aimoinum vixiſſe multò poſt annum milleſimum, propterea quòd liber quinctus de rebus geſtis Francorum producatur uſque ad nativitatem Philippi Auguſti: hoc eſt annum Chriſti cIↄ c lxv. Huic argumento facilè occurritur. Nam Aimoinus ſolùm partem eam libri quincti ſcripſit, quæ eſt de temporibus Karoli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, & Ludovici II. Quod ſi, ut Breulius opinatur, tempore obſidionis Pariſinæ ſuperfuerit, ſcripſiſſe etiam poſſit illa, quæ Carolo Calvo, Ludovico III, & Carolo Craſſo, imperantibus, evenerunt. Sed ulteriùs non poſſit: niſi penè Neſtoream illi ætatem affingamus, vel alicujus Joannis de Temporibus. Imò & conjectura mea eſt, libri quincti partem eam, quæ ab Aimoino eſt, fuiſſe olim partem libri quarti: ſed ab iis, qui ſequentes Galliæ reges Aimoino addiderunt, à quarto eſſe avulſam, quia putarent; meliùs novum inchoari librum ab imperio Karoli Magni. Sanè quatuor tantummodo libros promittit Aimoinus in præfatione hujus operis ad Abbonem Abbatem. Quæ res fecit, ut doctiſſimus Hottomannus, diſputatione de jure feudali cap. iii, locum adducens ex Aimoini lib. v cap. i, eam citaret ex appendice Aimoini. In quo falli liquet ex antè dictis. Dicere etiam poſſis, quatuor primùm libros duntaxat edidiſſe: ſed, cùm poſtea multos ſupereſſet annos, decreviſſe & ſuorum temporum hiſtoriam pandere. Ac tum extrema verba quarto eſſe libro adjecta, eamque quincti libri partem, quæ eſt de temporibus Aimoini.

Sed quis abbas iſte Abbo, cui ſuam Aimoinus hiſtoriam dicavit? num Floriacenſis collegii abbatem dicemus? Id putant, qui ex eo, quòd abbati Abboni hiſtoria iſta dedicetur, colligunt, Aimoinum fuiſſe monachum collegii Floriacenſis: in qua etiam ſententia eſt Poſſevinus. Atqui Abbo iſte ſeculo toto junior eſt Aimoino. Siquidem eſt S. Abbo martyr, qui trigeſimus eſt Floriacenſis abbas, atque anno claruit cIↄ. Nec, niſi fortè abbatis alicujus nomen interciderit, quiſquam ante eum iſtius nominis Floriacenſis abbas fuit: ut abbatum ejus monaſterii catalogus oſtendit apud Carolum Sauſſejum lib. IV Aurelianenſium Annalium cap. X. Et ſi Aimoinus fuiſſet monachus cœnobii Floriacenſis: omnino, ut rectè à Breulio obſervatum fuit, in hiſtoria ſua alicubi cœnobii ejus meminiſſet: nunc ſemel *a* cœnobii Floriacenſis facere mentionem eſt contentus: at ſedulò commemorat ordine Abbates cœnobii S. Germani à Pratis, ac præcipua ejus privilegia; quæ in archivis adſervari, nec cuivis patere, ſolent. Unde conſequitur, fuiſſe monachum cœnobii S. Germani. Et quid mirum, ſi ea privilegia patuerint Aimoino; ſi, ut Breulius quidem cenſet, notarius ejus collegii fuit? At enim, inquias, ſi cœnobii fuiſſet S. Germani monachus, cœnobii ejus abbati, non alterius dicâſſet: nunc alteri miſiſſe eſt manifeſtum, cùm nullus Abbo inter illos S. Germani ſit abbates. Huic argumento non ineptè occurrit Breulius. Fieri enim potuit, ut ad evitandum vitæ periculum aliquamdiu ſe recipere cogeretur in aliud cœnobium: ac ob beneficium acceptum cœnobii ejus abbati dicaret opus hoc hiſtoricum. In cujuſmodi periculo, præcipuè verſati fuere monachi cœnobii S. Germani, cùm Normanni Pariſios obſiderent: de qua obſidione antè dictum. Sanè ut ad illud uſque tempus vitam non produxerit Aimoinus, potuit tamen aliud periculum antea ſimilem fugam ſuaſiſſe. Interim omnino certiora pronunciaremus, ſi viſus nobis foret liber Aimoini de vitâ hujus Abbonis, qui ab eo ſcriptus eſt ad Hervæum clericum, atque incipit, *Quia, ſuperni gratiâ redemtoris*, &c. uti auctor eſt Carolus Sauſſejus Annal. Aurelian. lib. IV cap. X. Fuit Aimoinus ex iis, qui venerationi imaginum adverſarentur: ut hæc ejus ſcriptoris verba indicant lib. V cap. XXVIII: *In qua ſynodo de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi doctores ante definierant, ſtatuerunt, & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam, contra antiquos canones, & contra ipſam ſuam ſynodum, conſtituerunt; ſicut, qui eandem ſynodum legerit, patenter inveniet.* In editione Pariſinâ *b* hæc ſunt immutata contrariam in mentem. Quod unde ſit, quivis per ſe videt. Sed prout nos, ita & Baronius ea in Annalibus *c* refert. Qui & inde colligit, quod de Aimoino dicebamus.

*a* P. 223. edit. Pariſ. Wechel. in 8.

*b* Anni 1602.

*c* Tom. 10. ad ann. 869.

Atque hæc ubi de ætate, & ſententiâ Aimoini annotâram, ecce fortè fortunâ incidi in ea, quæ Guilielmus Ranchinus obſervavit lib. I. Variar. cap. XV; quæ item de Aimoino in literas retulit Marquardus Freherus. Ea res occaſionem præbuit accuratiùs iſta penſiculandi. Omninò autem nunc ita videtur, falli, & Baronium, & Breulium, & quicunque (uti & nos antè) hiſtoriam Francicam ſub Aimoini nomine editam, extendi putant ultra initium regni Pipini. Nam ipſe Aimoinus in præfatione ait, ſe eò uſque hiſtoriam producturum. Nempe propoſitum illi fuit, agere ſolùm de Merovingiis, ſeu Merovæo, & ejus poſteris: non item de Pipino, filioque ejus Karolo M. unde Pipiningiorum, ſeu Carolinorum ſeries incipit. Quid quòd, ſeu fato præreptus orbi, ſeu valetudine, vel negotiis impeditus, nec eouſque hiſtoriam perduxit, quo ſtatuerat? Nam poſt libri IV caput XLI hæc leguntur: *Hactenus liber Floriacenſis monaſterii ſupra Ligerim geſta Francorum recitat. Quæ verò ſequuntur, non Aimoini, verùm alterius cujuſdam hiſtoriographi ſunt: nec unius quidem tantùm, verùm duorum. Nam & obitus, ſepulturæque Dagoberti regis, & alia pleraque, præciſo nimium rudique ſtylo repetuntur. Et cùm ad Karoli Martelli geſta ventum eſt, politiori magiſque Latinâ oratione, tum illius, tum cæterorum geſta res explicantur.* Nec ulteriùs, quàm Floriacenſis codex, provehitur alius ante tria quatuorve ſecula exaratus; quo uſus eſt Claudius Fauchetus lib. IV Antiquit. Francicarum, cap. VI. Nempe, (ut Marquardo Frehero obſervatum fuit) conſarcinator horum quinque Franciçæ hiſtoriæ librorum, qui nunc Aimoini nomine circumferuntur, inde cœpit, ubi Aimoini codex deſinebat; eaque, quæ promiſerat Aimoinus, ſupplevit, partim ex opere, quod *Geſta Francorum* inſcribebatur, et in Corpore *a* veteris & ſinceræ Hiſtoriæ Franciçæ excuſum reperitur: partim verò ex Chronicis Fredegarii, quæ in eodem Corpore leguntur: è geſtis quidem memoratis à cap. XLI uſque ad dimidium capitis LII: à Fredegario autem inde, ubi prior pars finit, uſque ad cap. LVIII. Nihil mirum, ſi illa, quæ conſequuntur cap. XLI, rudiori ſtylo perſcripta dicantur, quàm eſt ille, quo Aimoinus utitur. A capite autem LVIII jam eſt alius auctor, uſque ad libri IV finem. Scriptor iſte complexus eſt geſta horum trium, Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii. Nomen auctori, vel Adhematus fuit, ut Pithœo placitum: vel Adelmus, ut cenſet Papirius Maſſonus. De quatuor libris vidimus. Agamus nunc de quincto, cujus prima pars continet vitam Ludovici Pii, conſcriptam ab æquali ejus, Aſtrologiæ perito. Eſt hic idem, ac ille, quem in Francicis Annalibus edidit Pithœus: quo de auctore dictum nobis cap. ſup. Pauca ſolùm, ubi viſum fuit, compilator reſecuit. Extenditur uſque ad illa verba cap. XIX, *Vertente autem anno*, &c. Supereſt judicium feramus de iis, quæ poſt caput XIX ſequuntur, uſque ad libri finem. Eſtque hiſtoria ea annorum CCCXX. Puta ab anno Iↄ CCC XLVI, uſque ad annum cIↄ CLXV. Sed ita, ut aliqui ſint hiatus: uti ſtatim in ipſo initio inter cap. XIX & XXI. Nam, ut bene Ranchino obſervatum, Lothatius ille, de quo cap. XXI, non eſt idem ac is, de quo in fine agitur capitis XIX, ſed ejus filius. Ut omninò intermedio cap. XX aliquot annorum acta ſint omiſſa. Nec pars iſta omnis uni debetur auctori, cùm ſtylus nunc rudior ſit, nunc floridior: ac nunc ad modum annalium, nunc in hiſtoriæ formam, decurrat. Quin etiam, quæ proximè excipiunt iſta de Ludovici Pii exceſſu, non ab eo profecta eſſe, qui ætati Ludovici Pii proximus ſit; ſed qui toto ſeculo, & fortaſſe ampliùs, poſterior fuerit; ſatis indicant hæc verba extremo cap. XIX: *Lotharius verò partem Franciæ ſibi vindicavit, quæ, uſque in hodiernum diem, ex ſuo nomine Lotharii regnum appellatur.* Compilator interim ſatis videtur antiquus: ſeu vixerit temporibus Ludovici, quadrageſimi Francorum regis: ſeu aliquantò pòſt. Quædam tamen ab aliquo longè recentiore ſunt inſerta: utpote in quibus non modò Saxonis Grammatici; ſed etiam Antonii Sabellici, & Rob. Gaguini, mentio fiat; quos anno cIↄ Iↄ vixiſſe omnes ſciunt.

*a* Hanoviæ an. 1613.

Sub Ludovico Pio etiam fuit ille, ex quo S. Viti tranſlationem Surius retulit in Hiſt. Sanct. T. VII die XV Jun. De ætate quod dixi, ex eo liquet, quòd auctor præſens interfuerit tranſlationi: ea autem contigerit anno Iↄ CCCXXXVI Indict. XIV; anno Ludovici Imp. XXIII.

Auctor quoque vitæ Karoli Magni, quæ beneficio Pythœi in annalibus Francorum compàret, eodem tempore, & fortaſſe ulteriùs, floruit. Argumento erunt hæc ejus verba de temporibus Karoli M. loquentis: *Quadam die, cùm bellum præpararent adverſus Francos, qui ipſum caſtrum cuſtodiebant: apparuit manifeſtè gladius ſupra Eccleſiam, quæ eſt infra ipſum caſtrum, videntibus cunctis, tam à foris, quàm deintus. Ex quibus* MULTI MANENT ADHUC, *qui dicunt,* VIDISSE SE, *inſtar duorum ſcutorum, colore rubeo, flammantium & agitantium ſupra ipſam Eccleſiam.* Monachus fuit cœnobii Egoliſmenſis S. Eparchii: ut ſatis arguunt, quæ de hoc cœnobio, deque S. Eparchio, gaudet inſpergere.

## Cap. XXXV.

*Venitur ad eos, qui vixere temporibus Lotharii Augusti.* Haymonis *epiſcopi opus de rerum Chriſtianarum memoriâ.* Rabani Mauri *martyrologium.* Παρόραμα *Poſſevini. Landulphus Sagax. Martyrologium* Wandelberti. *Videri hujus ephemerides, quæ vulgò tribuuntur Bedæ. Ejuſdem libri de vita, & miraculis S. Goaris.* Ruthardus *de vita S. Bonifacii. Ejus præceptores, vitæ genus, obitus.* Rudolphus de S. Lioba. Mago *de eâdem, quem nonnemo Mogonem malè appellat.* Lupi Servati *commentatio de vita S. Wigberti, & cui eam ſacrârit. Error, ſeu Poſſevini, ſeu potiùs librarii.* Altfridus. *Tres primi Monaſterienſium epiſcopi. Quorum fide nitatur Altfridus in opuſculo de vita Ludgeri.* Anaſtaſius bibliothecarius *quos honores geſſerit, quæ ex Græco expreſſerit, & quæ ipſe ſcripſerit. Amphilochii vita è Græco fonte ab* Urlo diacono *deducta.* Rampertus.

HAymo, ſive Haimo, aut Heimo, vel Hemmo, primò Fuldenſis, hinc Hirsfeldenſis monachus, deinde Halberſtadenſis epiſcopus, floruit tempore Lotharii, filii Ludovici Pii, ac ſedit annis XII, cui Hildigrin in epiſcopatu ſucceſſit. Tritthemium, qui & abbatem Hirsfeldiæ fuiſſe arbitratur, planè ratio fugit. Nam quo eum tempore abbatem fuiſſe putat, Bruno abbas erat: Haimo autem epiſcopus. Hic præter commentarios in utriuſque inſtrumenti libros, cùm alia reliquit, tum opus hiſtoricum de memoriâ rerum Chriſtianarum: quod Coloniæ primùm, ac poſtea cum notationibus Petri Galeſinii prodiit Romæ anno cIↃ IↃ LXIV. Ejus non meminit Sigebertus: qui de Haymone loquitur libro de viris illuſtr. cap. CXXXVI: ſed meminit Tritthemius in catal. At quod idem Tritthemius obiiſſe ait ſub Ludovico, Caroli M. F. anno IↃ CCCXXXIV: id vel refellitur eo, quòd interfuerit Synodo Moguntinæ, quæ anno IↃ CCC XLVIII, præſide archiepiſcopo Rabano Mauro, celebrata fuit: quâ de ſynodo ſatis dictum nobis libro ultimo Hiſtoriæ de controverſiis à Pelagio motis. Quare veriùs, quod legas in annalibus Francorum incerti ſcriptoris à Pithœo in lucem datis, ubi hæc verba: Anno IↃ CCC LIII. *Hemmo Haberenſis* (Halberſtadenſis) *epiſcopus V Kal. Sept. de hoc mundo tranſiens Folchardum ſucceſſorem reliquit.* Ac tanto magis annalium hic auctor fidem meretur, quòd eodem tempore vixerit.

Ex eodem ſcriptore cognoſcimus, triennio poſt Haimonem, puta anno IↃ CCC LVI, deceſſiſſe Rabanum Magnentium Maurum. Hic Albini Flacci auditor fuit, ac ex quarto cœnobii Fuldenſis abbate ſextus eſt factus epiſcopus Moguntinus. Præter doctiſſimos in Scripturam commentarios, inter alia compoſuit martyrologium: quod MSum in monaſterio S. Galli apud Helvetios adſervatur, atque exinde ab Henrico Caniſio editum eſt Tom. VI Antiq. Lect. Fortaſſe tamen non tam Rabanus id compoſuit, quàm, multò antè ſcriptum, tantummodo adauxit: quomodo, temporibus Othonis II, Martyrologium Rabani locupletavit Notgerus Balbulus, monachus S. Galli; quæ & Barthii ſuſpicio eſt lib. XXXIII Adverſ. cap. VIII. Liber ejus de vita Mariæ Magdalenæ MSus eſt Oxonii in bibliotheca Magdalenenſi. Ait Poſſevinus, carmine etiam conſignâſſe res geſtas Lotharii, Ludovici, & Caroli impp. Sed quo pacto Ludovici geſta panxerit, qui primo ejus anno cœlis receptus fuit? Ac quanto minùs tradiderit geſta Caroli Calvi, qui poſt annos XX Ludovico ſucceſſit? Vitam Rabani tribus libris complexus eſt Tritthemius: qui & deſcripſit tranſlationem ejus in Saxoniam è Monaſterio S. Albani prope Moguntiam, ubi fuerat ſepultus.

Landulphus Sagax vixit ejuſdem Lotharii temporibus. De quo diximus cùm de Paulli Diaconi operâ Eutropio continuando impenſâ ageremus. Cæſari Orlandio libro de urbe Senenſi *a* vocatur Landulphus de Columna Sagax, Canonicus Carnotenſis. Sed Landulphus de Columna Canonicus ab hoc alius eſt, quippe qui vixerit an. cIↃ CCC XIV, ut inferiùs dicemus. In ſyllabo qui Orlandio adjectus, legas in bibliothecâ Vaticana exſtare incertum authorem, qui ex Landulpho memorato collectanium excerpſerit. Atque is auctor vixiſſe dicitur anno cIↃ CCCC LVIII. Sed ad Syllab. ejus auctor (ſive is Cæſar Orlandius ſit, ſive doctiſſimus Andreas Scottus, cujus cura ſcriptor hic inter Italiæ Illuſtratæ auctores prodiit) Sagacem ac Columnam confundunt, ut colligere hinc quidem non poſſis, utrùm Sagacis, an Columnenſis ſit Epitome, quæ Romæ exſtat. Columnenſem autem intelligi debere, indicat, quod dicitur ab Orlandio, collectarium ſuum perducere uſque ad annum Chriſti cIↃ CCCC XXVIII. Nam Sagax, ut diximus, antiquior eſt annis penè ſexcentis.

*a In volumine quo continentur ſcriptores Italiæ illuſtratæ.*

Wandelbertus, diaconus, & monachus Prumienſis, itidem floruit tempore Lotharii imper. atque, ut Sigebertus teſtatur in catal. cap. CXXIX, & Tritthemius lib. de viris illuſtr. ordinis Benedicti cap. XXXVI, martyrologium heroico carmine concinnavit. Facilè autem Molano & aliis accedo, qui cenſent, eſſe hoc opus, quod inſcribitur *Ephemerides Bedæ*; inque primo legitur Bedæ tomo. Saltem Bedæ eſſe non poſſit, cùm referat aliqua, quæ poſt ejus tempora contigerunt. Tritthemius addit, etiam vitam S. Goaris presbyteri, ac librum de ejuſdem miraculis compoſuiſſe. Duo illi libri Wandelberti; quorum prior eſt de vita S. Goaris, alter de miraculis ejuſdem, ſcripti fuere ad Marcuardum abbatem: cumque præfatione auctoris apud Surium leguntur a. d. VI Jul.

Ejuſdem imperatoris temporibus claruit Ruthardus, monachus cœnobii Hirſaugienſis; qui cùm alia multa, tum carmine heroico vitam ſcripſit S. Bonifacii, libris duobus. Apud Molanum additionibus ad Uſuardum in V Jun. legas, fuiſſe diſcipulum Rabani & Mauri. Sed ſcripſerat, puto, Molanus Rabani Mauri & Strabi: uti eſt apud Tritthemium, quem teſtem citat. Vir erat undecunque doctiſſimus. Scholæ monachorum præfuit. Obiit anno XII Gerungi abbatis, Chriſti IↃ CCC LXV. Plura de eo ex Meginfridi, monachi Fuldenſis, chronicis refert Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi *a*. Planè autem falli cenſeo Poſſevinum, cùm, in apparatu ſacro, vitam hanc S. Bonifacii carmine ſcriptam tribuit Mauro, itidem monacho Hirſaugienſi: quem & ipſum obiiſſe auctor eſt anno IↃ CCC LXV. Credere ego malim Meginfrido, & Tritthemio, qui res cœnobii Hirſaugienſis perſpectiſſimas habuerunt. Conciliari tamen hæc poſſunt, ſi dictus fuit Ruthardus Maurus; uti præceptor ejus Rabanus Maurus. Sed quem veterum hujuſce rei laudabit auctorem?

*a Ad an. 863.*

Fuit & ſub Lothario Rudolphus, monachus Fuldenſis: qui vitam deſcripſit S. Liobæ virginis, & abbatiſſæ: cui Surius in Sanctorum hiſtoria locum dedit a.d. XXVIII Sept. In præfatione ait, venerabilem virum, MAGONEM, presbyterum, & monachum, familiarem fuiſſe quatuor virginibus, Liobæ diſcipulis; quarum nomina forent, Agatha, Thecla, Nana, & Eoliba: atque ex his pleraque eum, quæ ad Liobæ vitam pertinerent, didiciſſe, eaque ſchedis mandâſſe, fortaſſis ut aliquando accuratiùs illa exponeret. Sed jam quinquennium eſſe, quòd ad plures iverit: ac propterea ſe, juſſu abbatis ſui Rabani Mauri, hanc ſuſcepiſſe provinciam, ut, quæ partim ex confuſis illis, obſcuriſque Magonis ſchedis; partim ex relatione aliorum, didiciſſet; hæc fuſiùs, clariùs, & meliori ordine, tractaret: quod eruditè profectò, & graviter, exſecutus fuit. Poſſevinus in Apparatu ſacro, eum, qui Mago eſt, Mogonem malè appellat: qui librarii poterat error videri, niſi ſecundùm literarum ſeriem ſcriptores ſuos digeſſiſſet.

Eodem tempore, ſub rege Galliæ Karolo Calvo, in pretio erat Lupus Servatus, abbas monaſterii S. Petri in agro Senonenſi, cui nomen Ferraria, vel Bethlehem. De ætate quod dixi, partim ex eo colligitur, quòd itidem diſcipulus fuerit Rhabani Mauri: partim quòd IↃ CCC XLIII Sueſſionenſi ſynodo interfuit: item Moguntinæ anno IↃ CCC XLVIII, quæ adverſus Godſcalcum celebrata fuit.

fuit. Hic præter epiſtolarum librum, qui beneficio Papirii Maſſoni Lutetiæ primùm lucem adſpexit, ſcripſit vitam S. Wigberti confeſſoris, Fritzlarienſis cœnobii in Haſſia abbatis, & coætanei S. Bonifacii, archiepiſcopi Moguntini. Eam dicavit Bunoni, abbati Hirsfeldenſi, anno, ut in præfatione ipſe ait, IↃCCCXXXVI. Buno verò idem videtur ac Brun, vel Bruno: de quo Lambertus Schafnaburgenſis ad annum IↃCCCXXXVI hæc refert: *Brun, & Raban, abbates, fundamentum Eccleſiæ ſancti Wigberti foderunt VI Id. Jul. ſecundâ feriâ.* Quo ex loco non obſcurè perſpicimus, cur Lupus Servatus vitam S. Wigberti dicârit Bunoni, ſeu Brunoni abbati. Contigit hoc ante ſynodum Moguntinam, cui Lupum interfuiſſe dicebamus. Nam, ut idem Schafnaburgenſis ait anno IↃCCCXLVI, *Brun, abbas Herveldenſis, obiit, cui Brunvart ſucceſſit.* Vitam Wigberti, unà cum Hincmari epiſtolis, primus edidit Joannes Buſæus Noviomagus, S.I. presbyter. Idem Lupus à Poſſevino etiam Caroli Martelli geſta poſteritati conſecrâſſe dicitur: imò & Baronio Tom. IX, ad an. IↃCCXLI. Sed videre illa nondum contigit mihi. Apud eundem Poſſevinum, vulgò legere eſt, vixiſſe Lupum ſub Ludovico Pio anno 890. Sed fortaſſe hæc culpa eſt typographi, ita exprimentis perperàm, cùm in autographo foret 840. Nec tamen tam Cæſaris hujus ætate claruit, quàm filiorum ejus: quod non obſcurè docent epiſtolæ Lupi. In Surianâ collectione, die XXIX Maji, vitam habemus S. Maximini, epiſcopi Trevirenſis: eaque auctorem præfert Lupum, qui exarâſſe illam dicitur anno IↃCCCXXXIX. Sanè idem videtur, ac ille, de quo vidimus. Alia etiam edidit. Sigebertum adi in catal. cap. XCIV, & Tritthemium in Chronico Hirſaugienſi ad annum IↃCCCLII, quo Lupus vitâ exceſſit.

Lotharii quoque tempore in honore erat Altfridus, tertius Monaſterienſium in Weſtfaliâ epiſcopus. Primus enim S. Ludgerus erat; de quo ſuperiùs vidimus. Alter autem Gerfridus; qui nepos S. Ludgeri fuiſſe dicitur in vita ipſius Ludgeri cap. XXXV; item ab Altfrido, cujus verba mox ponam. Obiit autem Gerfridus, cùm annis ſediſſet XXX: nempe XII Sept. anno Chriſti IↃCCCXXXIX, Ludovici Pii penultimo: ut eſt apud Cincinnium de vita Ludgeri cap. L. Gerfrido huic Altfridus ſucceſſit: qui anno deceſſit IↃCCCXLIX, XXII April. Vide Cincinnium ejuſdem operis cap. LII. Eſtque Altfridus hic ſecundus eorum, qui Ludgeri vitam literis conſecrarint. Nam ſolus ei præierat Othelgrimus: qui non alius videtur ab Hildegrimo. Quamquam & aliorum Altfridus fide nitatur. Eos commemorat ipſe in præfat. his verbis: *Exempla, & actus S. Ludgeri, ideo plenè comprehendere nequeo, quia ea non viſu, ſed auditu didici, illis atteſtantibus, qui ab infantia illum noverant: Hildegrimo ſcilicet epiſcopo, fratre ejus; & Gerfrido epiſcopo, nepote ejus: ſed & ſanctimoniali feminâ, Herburgâ germanâ ejus: nec non venerabilibus, presbytero Alberio Attingo, atque Thiatbaldo. Virtutibus igitur è multis, atque ſignis, quæ per eum Dominus operatus eſt, ea ſola huic libello inſcribi feci, quæ unà vobiſcum viſu deprehendi, aut facta certò cognovi.* Præfatio ea vitæ Ludgeri præmittitur in editione, quam Quentelius anno excudit IↃIↃXV.

Iiſdem æqualis fuit Anaſtaſius, abbas Romanus ordinis S. Benedicti, presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, & bibliothecarius Gregorii IV; à Leone autem IV in Synodo Romanâ anno IↃCCCL exauctoratus, eò quòd contra canonum decreta Eccleſiam ſuam quinquennio deſeruiſſet. Multa de Græcis Latina fecit; eaque inter, vitam S. Dionyſii Areopagitæ; cujus tranſlationem ad Carolum Calvum Imperatorem miſit anno IↃCCCLXXVI. Opuſculum id deperiit, præfatione exceptâ: quam habemus apud Surium Tom. V, die III Octobr. *a* In eâ autem ait, ſe non *verbum verbo* vertiſſe omnia; ſed ſenſum tamen bonâ fide expreſſiſſe. Idem tranſtulit vitam SS. Joannis Eleëmoſynarii, & Demetrii martyris, & aliorum Patrum. Primæ etiam meminit Sigebertus in catalogo cap. CIV. *Anaſtaſius, jubente Nicolao Papâ, tranſtulit in Latinum vitam Joannis Eleëmoſynarii, ſcriptam Græcè à Leontio Epiſcopo.* Imò & Chronicon Georgii Theophanis vertit: ac cùm Theophanem, tum Anaſtaſii verſionem, beneficio ſe M. Velſeri, Duumviri Auguſtani, vidiſſe, imò utrumque lucem viſurum, ait Henricus Caniſius, præfatione, quam Hiſtoriæ Miſcellæ præmiſit *a*. Ac iſta quidem tranſtulit. At ipſe ſcripſit Pontificum vitas: quarum poſtrema eſt Nicolai I. Nam duæ ſequentes, Hadriani II, & Stephani VI, Guilielmum, itidem bibliothecarium, auctorem habent. Non deſunt, qui partem priorem, ad Damaſum uſque, ipſius eſſe Damaſi arbitrentur. Quam opinionem ſuperiùs refellebamus. Rudi ſtylo, imò ſemi-Græco, planeque barbaro, ſed fideliſſime tamen ſcribere, judicium eſt Baronii Tom. IX, ad annum Chr. IↃCCLII, & imprimis ad annum IↃCCXCIX. Cogitavit & de hiſtoria Eccleſiaſtica condenda: ut ait idem ad annum IↃCCCXIII. Ad hunc Anaſtaſium exſtat quoque epiſtola Photii patriarchæ. Uti & Anaſtaſii ad Hincmarum Archiepiſcopum; ex quibus, præter ea, quæ diximus, ætatem illius ſatis cognoſcimus. Tamen & manuſcriptus codex, qui in publica eſt Academiæ Cantabrigienſis bibliotheca, Damaſum authorem præfert. Inque eâdem bibliothecâ habes MSum Dionyſium de Hierarchia cum præfat. Anaſtaſii ad regem Karolum.

*a* In fine Areopagiticorum.

*a* Vide quæ de Theophane & tralatione ejus retuli in Hiſtoricis Græcis lib. 2. cap. 24.

Urſus, Eccleſiæ Romanæ diaconus, temporibus floruit iiſdem, quibus Anaſtaſius bibliothecarius. Hic vitam S. Baſilii ab Amphilochio Iconienſi, ut creditur, ſcriptam, Latinè tranſtulit. Ea verſio, cum præfatione interpretis, legitur in vitis SS. Patrum.

Etiam Lotharii imp. temporibus fuit Rampertus, trigeſimus nonus, vel, juxta alios, quadrageſimus Brixienſium epiſcopus. Celebratur hic tractatu ſuo de tranſlatione S. Philaſtrii, ſeptimi Brixienſium epiſcopi: qui MSus in perantiquo codice ſupereſt, in ſacrario Brixienſi: atque impreſſus exſtat apud Surium Tom. IV, ad XVIII Jul.

## CAP. XXXVI.

*Error Tritthemii de ætate Hincmari. Liber Hincmari de vita S. Remigii. Werembertus de rebus Sangallenſium. Meginhartus de actis, & tranſlatione S. Ferrutii. Poſſevini lapſus de ætate Meginharti. Almannus Gallus de vitis Nivardi, Sindulphi, & Helenæ reginæ. Paſchaſius Radbertus de vitis Adalardi, & Walæ: item de paſſionibus Rufini, ac Valerii. Poſſevinus iterum reprehenſus. Milo de vita S. Amandi. Hubaldus de vita SS. Ruſtridis, Aldegundis, Lebuini. Spiſſus admodum Poſſevini alius error. Joannes diaconus de vita Gregorii Papæ: idem de geſtis Papæ Clementis. Sigebertus correctus. Haimonus de miraculis Germani. Burchardus Dorceſtrins de vita Fremundi. Emericus de vita Magni abbatis. De Gilda Cambrio judicium.*

Hincmarus, qui & Ingumarus, vel Igmarus, Archiepiſcopus Rhemenſis, ſummo in pretio fuit extremis Lotharii temporibus; item ſub Ludovico juniore, Carolo Calvo, Ludovico III, & primis aliquot annis Caroli Craſſi. Tritthemius, cùm in ſcriptis ejus legiſſet nomina Caroli, & Ludovici, intellexit Carolum Magnum, & Ludovicum Pium: eoque non dubitavit aſſerere, vixiſſe eum anno IↃCCC, ac deinceps, ſub duobus, quos dixi, imperatoribus. Sed valde eum ratio fugit. Nam Ludovicus, cujus ætate florebat, partim eſt Ludovicus II, filius Lotharii; partim Ludovicus III, Caroli Calvi filius. Carolus autem, ſub quo claruit, tum eſt is, cui cognomen Calvus; tum qui dictus Craſſus; qui filius erat Ludovici, Caroli Calvi fratris. Hæc ita eſſe, non difficile ſit probatu. Nam anno IↃCCCXLV factus eſt Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, cùm ante foret monachus S. Dionyſii in Franciâ. Teſtis Flodoardus. At anno IↃCCCXLVIII Rabanus Maurus, atque alii concilii Moguntini patres, miſere Godeſcalcum monachum ad Hincmarum, Rhemen-

ſem archiepiſcopum; ut tradit, qui eâ ætate annales Francicos à Pithœo editos compoſuit. Anno IↃCCCLIX, juſſu Caroli Calvi regis, reſpondit Hincmarus capitibus ſynodi Valentinæ: ut indicat Flodoardus lib. III. cap. XV. Anno IↃCCCLXXVII Hincmarus ritu ſolemni coronavit Ludovicum Balbum, filium Caroli Calvi: ut refert Aimoinus, vel continuator ejus, lib. V. cap. XXXVI. Normannis verò Rhemos contendentibus, fugâ ſibi conſuluit: quod anno contigit IↃCCCLXXXII: ut idem narrat cap. XLI. Obiit verò, vel anno eodem; ut Flodoardus ait lib. III. cap. XXX: vel anno IↃCCCLXXXV; ut refert in Chronicis ſuis Sigebertus. Sed quid externos teſtes advoco, cùm domeſticum habeamus? ipſum nempe Hincmarum: qui apertè negat, quo tempore iſta ſcriberet, quemquam eorum ſuperfuiſſe, qui in palatio Ludovici Pii vixiſſent. Sic enim inquit, epiſtolâ III illarum, quas ex manuſcriptis edidit Buſæus: (ſcripta autem ea eſt ad epiſcopos quoſdam Franciæ) *De his, quos tempore Domini Hludovici Imperatoris vidi, palatii procuratores, & regni præfectos, neminem ſcio eſſe ſuperſtitem: ſcio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios; licet illorum mores, ac qualitates, ignorem.* Aliud quoque argumentum dabo. Literæ Hincmari exſtant ad Ludovicum Balbum, & Carolum Craſſum, impp. item Nicolaum Papam, atque alios ejus ævi: quarum aliquas ex bibliotheca Spirenſi Joannes Buſæus, Soc. Jeſ. presbyter: alias ex MSSis codd. ampliſſimi Jacobi Auguſti Thuani, bono publico divulgavit Joannes Cordeſius, Eccleſiæ Lemovicenſis presbyter, ac canonicus. Quàm multa ingenii ſui monumenta reliquerit Hincmarus; Flodoardus te docebit. Eſt inter hæc Notitia villæ Novilliacæ, quam à Carolo Calvo impetrârat. Eam ex Claudii Puteani bibliotheca edidit Sirmondus, ac Flodoardo ſubnexuit. Idem conſignavit vitam Remigii, Rhemenſis epiſcopi, quam in Collectione Surianâ habemus a. d. XIII Januarii. item encomium Remigii, quod in eâdem legitur a. d. primam Octobris. De eo ſic Sigebertus in Chronico ad annum IↃCCCLIV: *Hincmarus, Rhemorum Archiepiſcopus in Francis claret, qui vitam S. Remigii ſcripſit.* Et fuſiùs in catalogo cap. C. *Hincmarus ex monacho ſancti Dionyſii Pariſienſis, Archiepiſcopus Rhemenſis, vitam ſancti Remigii Rhemenſis, primò breviter deſcriptam, ex brevi in librum magnæ quantitatis augmentatam, ex magno libro abbreviatam ſtudio Fortunati epiſcopi, & poetæ: hanc, inquam, vitam Hincmarus deſcripſit, inſerens tamen ea, quæ in hiſtoriis majorum de ortu, vitâ, vel morte, ſancti Remigii invenit; quam ea, quæ in diverſis ſchedulis diſperſa collegit, &, ſecundùm legem hiſtoriæ, nec illa prætermiſit, quæ vulgatâ relatione didicit; nec teſtamentum ejus præteriit. Reſcripſit ad Eccleſiam Ravennatem ſub perſona magni Caroli Imperatoris.* Vitæ Remigii ab Hincmaro ſcriptæ meminit & Notgerus, epiſtolâ ad Werinfridum abbatem; quæ vitæ Remacli præmittitur. Plura de Hincmaro ſi voles, vide inprimis Flodoardum: è junioribus autem Baronium Annal. Tom. X: & quæ de controverſia inter eum, & Godſcalcum monachum, diximus in ſeptimo operis noſtri de controverſiis, quas Pelagius, & aſſeclæ ejus, moverunt.

Ad hæc tempora etiam ab Eiſengrinio refertur Werembertus Cyrienſis Germanus, ord. Bened. monachus Sangallenſis: qui, præter comment. in Apocalypſin, etiam hiſtoriam Sangallenſium ad ſua uſque tempora perduxiſſe dicitur. Sed eum videre nondum licuit.

Certiora proferre poſſumus de Meginharto, monacho Germano; qui ſermonem ſcripſit de actis, & tranſlatione corporis S. Ferrutii martyris. Hunc apud Surium ex antiquiſſimis codicibus expreſſum habes Tom. V, ad diem XXVIII Octobris. Poſſevinus in apparatu ſacro ait, fuiſſe monachum Fuldenſem congregationis Luxovienſis; vixiſſeque anno IↃCCLXX. Credo, ut ita ſentiret, fecit, quòd eo in ſermone legas, S. Ferrutii corpus à S. Lullo in Lætantium cœnobium, quod *Bleidenſtad* vocatur, magno cum honore fuiſſe tranſlatum. At Lullus ſucceſſit S. Bonifacio in archiepiſcopatu Moguntino anno Chriſti IↃCCLV, ac annis ſedit XXXII. Ut omnino verum dixerit Poſſevinus, ſi Meginhartus fuerit tempore tranſlationis ejus, quam refert. Sed obſtant verba illa, quæ paullò pòſt ſubdit: *Poſtquam autem domus ejus* (Lulli) *terreſtris habitationis hujus luteæ ſoluta eſt, ut non manufactam, ſed æternam, in cælis inhabitaret: pontificatûs illius pariter, & religionis, ſucceſſores, Richolfus, Haiſtolphus, & Rabanus, eâdem devotione locum ſanctum coluerunt*, &c. Ut Meginhartus ante Rabanum, quinctum archiepiſcopum Moguntinum, vixiſſe minime poſſit. Atqui Rabanus Richolpho ſucceſſit anno IↃCCCXLVII, ac novennio Eccleſiæ præfuit. Cùm autem Meginhartus in verbis allatis, epiſcopos referens Moguntinos, ultra Rabanum non progrediatur: paullò poſt exceſſum ejus vixiſſe, ſuſpicari licet. Obiit verò Rabanus anno ſecundo Ludovici II Imperator. Veriſimiliùs igitur Poſſevinus pro eo, quod Meginhartum ait in pretio fuiſſe anno IↃCCLXX, dixiſſet, anno claruiſſe IↃCCCLXX.

Æqualis huic fuit Florus ille, cujus expoſitionem miſſæ habemus Tomo VI bibliothecæ SS. Patrum; quemque Sigebertus in catalogo cap. XCIV. auctor eſt epiſtolas Apoſtoli Paulli expoſuiſſe verbis B. Auguſtini hinc inde collectis. De ætate quod dixi, colligo inde, quia æqualis fuerat Johannis Erigenæ Scoti, atque adverſus eum ſcripſerit: ut didici ex Matth. Weſtmonaſterienſi ad ann. IↃCCCLXXXIII, uti & monitum nobis hiſtoriæ Pelagianæ lib. VII. part. IV. a a P. 741.
Memoratur autem à nobis, quia, ut ait Franciſcus Sweertius in Athenis Belgicis, Martyrologium condidit: qui & addit, eum fuiſſe monachum Benedictinum Trudonopoli in epiſcopatu Leodicenſi.

Præterea temporibus Ludovici II Imp. & Caroli Calvi, Galliæ regis, eruditionis nomine magni fiebat Almannus Gallus; qui in pleriſque codd. etiam Almantius nuncupatur. De eo ſic Sigebertus in catal. cap. XCIX: *Almannus, monachus Altvillarenſis, ſcripſit vitam ſancti Nivardi* (al. Vinardi) *archiepiſcopi Rhemenſis, vitam Sindulphi, vitam Helenæ reginæ, & tranſlationem ejuſdem à Roma ad cœnobium Altvillarenſe. Et quia ſuo tempore Francia à Normannis vaſtabatur, exemplo Hieremiæ Prophetæ deſolationem Franciæ, & ſui cœnobii, quadruplici planxit alphabeto.* Ex his vita, tranſlatioque Helenæ, MSa exſtat in Rubra Valle, inque Benedictinorum Resbacenſi monaſterio diœceſis Meldenſis in Galliis.

Itidem temporibus Karoli Calvi claruit Paſchaſius Radbertus, qui perperàm aliquibus Paſchalis. Abbas erat Corbejenſis, ac Calvi auctoritate, & conſenſu, monaſterio Corbejenſi, hoc abbate, conceſſum fuit, *ut, ſecundùm antiquum morem, jam inde à principio cuſtoditum, electionis gratiam, & rerum ſuarum diſpenſationis libertatem, haberet, cum omni integritate.* Verbis utor privilegii, quod Radberto, anno IↃCCCLXVIII, firmarunt Hincmarus, Rhemenſis; Freculphus, Lexovienſis Eccleſiæ, præſules; cæterique Pariſienſis ſynodi patres. Cùm Paſchaſius monachus foret Corbejenſis, abbatem habuit S. Adalardum, conſanguineum Caroli Magni, fratrem tum Theodradæ, antiſtitæ ſacratarum virginum apud Sueſſionenſes; tum Walæ Comitis, qui poſt Adalardum Corbejenſis abbas fuit. Atque hujus Adalardi, & ejus item fratris Walæ, vitas conſcribillavit Paſchaſius: quæ, cùm in Surianâ ſylloge exſtant; tum in operibus Paſchaſii, Pariſiis primùm excuſis anno CIↃIↃCXVIII. Præterea paſſionem edidit SS. martyrum, Rufini, & Valerii: quam ibidem reperies. A Poſſevino, in apparatu ſacro b, auctor b Vide
hic vocatur *Ratbertus Paſchaſius*; qui nobis *Paſchaſius* Radbertus.
*Radbertus.* Et quem dicebamus *vitam S. Adalardi* compoſuiſſe, is *vitam S. Adelhardæ* retuliſſe traditur. Sed rectène, an ſecus, ſatis liquet, ex iis, quæ jam attulimus.

Tum quoque floruit Milo, Elnonenſis monachus Benedictinus: ac præter carmen de ſobrietate, quod dicavit Calvo imperatori, etiam ligato ſermone complexus eſt vitam S. Amandi; Meminit Sigebertus in catal. cap. CVI. Item in Chron. ad annum IↃCCCLXXIX, ubi ait: *Hoc tempore*

*clare-*

*clarebat Milo, monachus S. Amandi: qui vitam ſancti Amandi metrice compoſuit, & librum de ſobrietate ad Carolum Calvum ſcripſit.* Simlerus putabat *Milo* eſſe cognomen, *Gallus* prænomen: ut cui inter ſcriptores à G incipientes referatur GALLUS MILO. Puto, errorem obortum ex eo, quòd alicubi ſic vocatum legerat à patria: ut ſi dicam Arpinatem Tullium. Surius tribuit huic Miloni vitam S. Amandi, quæ eſt Tom. I, die VI Febr. Sed ea non metro, verùm proſa eſt exarata. Quare aliis, non Milonem, ſed Baudemundum auctorem eſſe, placet. Vide quæ diximus libri hujus cap. XXVII: carmine hexametro deſcripſit conflictum veris & hyemis. Etiam hexametrum duplex de S. Cruce in modum ſphæræ ingenioſè conſcripſit. Univerſa hæc Elnone ad S. Amandum habentur manuſcripta: ut auctor eſt Sandenus ac Tritthemius, etiam opus epiſtolarum ad diverſos reliquiſſe. Obiit anno IↃCCCLXXII, ſepultuſque in cœnobio ſuo, cum epitaphio hujuſmodi, quod & carminis de ſobrietate, ac vita S. Amandi commeminit:

*Milo poëta ſophus cubat hoc ſub marmore clauſus,*
*Carmine dulciloquus, qui librum ſobrietatis*
*Edidit, & ſanctum pulchrè depinxit Amandum,*
*Floribus exornans, metro proſaque venuſtans,*
*Tanti Pontificis palmam capit, atque coronam.*

Milone hoc jam ſene, ejuſdem Calvi temporibus, præclarum ſibi nomen parabat Hubaldus; qui aliis Hugbaldus, vel Hucbaldus dicitur. Iꝺem Elnonenſis monachus Benedictini ordinis fuit, ac antè memorati Milonis nepos. De eo ſic Sigebertus in Chron. ad an. IↃCCCLXXIX: *Sub hoc Milone adoleſcebat etiam nepos ejus, Hubaldus; qui, in ſeptem liberalium artium peritiâ clarus, egregiè, præter cætera, in Muſica claruit, & de multis ſanctis cantus dulci, & regulari modulatione, compoſuit.* Idem in catal. cap. CVIII. *Hubaldus, monachus S. Amandi, peritiâ liberalium artium ita inſignis, ut Philoſophis conferretur. Vitas multorum Sanctorum ſcripſit: & quia in arte Muſica præpollebat; cantus multorum Sanctorum, dulci & regulari melodiâ compoſuit. Scripſit etiam librum de arte Muſica, ſic contemperans chordas monochordi literis Alphabeti, ut poſſit quis per eas ſine magiſterio alterius diſcere ignotum ſibi cantum. Scripſit etiam ad imper. Carolum Calvum librum trecentorum verſuum in laudem Calvorum; cujus omnia verba incipiunt ab unâ literâ, id eſt C: ut,*

*Carmina clariſona calvis cantate Camenæ.*

Carmen id ſemel, iterumque, excuſum fuit Baſileæ. Sed cum auctario ante inedito idem repræſentat Barthius Adverſ. lib. XLVI. cap. XXI. Ex vitis iis ſanctorum, quas ſcripſiſſe eum auctor eſt Sigebertus, exſtat vita S. Rictrudis Martianenſis: dicataque ea Stephano, Epiſcopo Eboracenſi. Habes illam, ſed ſtylo mutato, apud Surium Tom. III, a. d. XII Maji. Optimâ fide ſcriptam eſſe, ait Baronius ad an. IↃCXXXII. § II. Item ejus eſſe Surius cenſet vitam S. Aldegundis, abbatiſſæ primæ Malbodienſis, quæ ibidem legitur die XIII Nov. Eidem à Tritthemio quoque tribuitur vita S. Lebuini, ſive Liadwini presbyteri: & confeſſoris Daventriæ: quam vitam plurimum commendat Petrus, archidiaconus Cameracenſis. Hæc in Collectaneis Surii locum ſibi vindicat ad XII Nov. Inſuper autem ſcripſit vitam, non quidem S. Madelbertii, ut apud nonnullos legas: ſed S. Madelbertæ, virginis abbatiſſæ Malbodienſis: item S. Ciliniæ, quæ mater erat S. Remigii. Meminit Hucbaldi etiam Chronicon Elnonenſe. Obiit anno IↃCCCCXXX. atque in avunculi atque Præceptoris ſui Milonis monumento ſepultus eſt. Epitaphium ejus, pro temporibus illis habet, hoc eſt, rude admodum. Eſt autem tale:

*Dormit in hâc tumbâ ſimplex ſine felle columba*
*Doctor, flos & honos, tam cleri, quam monachorum*
*Hucbaldus; famam cujus per climata mundi*
*Edita ſanctorum modulamina, geſtaque clamant.*
*Hic Cirici [a] membra pretioſa reperta Nivernis*
*Noſtris invexit oris, ſcripſitque triumphum.*

[a] *Alii, Quirici.*

Apud Poſſevinum legere eſt floruiſſe Hucbaldum temporibus Sergii Papæ, ac Bonifacii, archiepiſcopi Moguntini. Atqui Sergius Papa, & Bonifacius, non fuere συγχρόνοι: quia Bonifacius floruit temporibus Zachariæ, hoc eſt, anno IↃCCXLII, & deinceps. Sergius primus multò antè; nempe anno IↃCLXXXVIII, creatus eſt epiſcopus Rom. Sergius II multò pòſt, puta anno IↃCCCXLVIII, ad idem faſtigium pervenit. Mirum ad tantum annorum diſcrimen non attendiſſe Poſſevinum. Quid quòd, nec Bonifacii, nec alterutrius Sergii tempore, fuerit? Nam vita Lebuini dicata eſt Baldrico, Epiſcopo Trajectenſi; qui Radbodo ſucceſſit anno IↃCCCCXVIII, die XXIX Novembris, atque obiit anno IↃCCCCLXXVII, die VIII Jan. cùm ſediſſet annis LIX. Vide Chronicon Ultrajectinorum epiſcoporum, quod ante annos prope trecentos à Joanne de Beka contextum fuit; ut Barlandum, & juniorum alios, mittam. Cùm autem inter imperium Calvi, & epiſcopatum Baldrici, ſit intercapedo annorum XL, veriſimile ſit, poëma de calvis ad Calvum panxiſſe adhuc juvenem: ſenem autem edidiſſe vitam S. Lebuini. Quanto hæc veriſimiliora, quàm ut idem Bonifacii archiepiſcopi ſit æqualis, & vitam Lebuini dicârit Baldrico: inter quos intervallum eſt pluſquam ſeſquiſeculi!

Joannes diaconus, quem aliqui cum Paullo Diacono perperàm confundunt, vixit temporibus impp. Ludovici Junioris, & Caroli Calvi. De eo ſic Sigebertus in Chronico ad annum IↃCCCLXXIII: *Joannes Romanæ Eccleſiæ CV præſidet. Ad hunc Joannes, Romanæ Eccleſiæ diaconus, vitam primi Gregorii Papæ ſcribit, in quatuor libellis laudabiliter editam.* Item in Catal. cap. CVII: *Joannes, diaconus Romanæ Eccleſiæ, ad Joannem, VII hujus nominis Papam, ſcripſit urbano ſtylo quatuor libros de vita primi Gregorii Papæ. Et idem, petente Ganderico, Veliternenſi epiſcopo, ſcripſit etiam geſta Clementis Papæ.* Ubi pro *Joannem* VII, legendum *Joannem* VIII, qui ſedere cœpit an. IↃCCCLXXIII, ac deceſſit an. IↃCCCLXXXII. Alii IX vocant. At VII nemo. Libri illi Joannis diaconi de vita Gregorii exſtant MSSi in bibliotheca Vaticana: ex cujus MSSis antiquiſſimis eos expreſſit Surius in Collectione ſuâ Tom. II, a. d. XII Mart. Meminit ejus operis & Eckerhardus in vitâ Notkeri cap. IX; ubi Joannem hunc Romanæ ſedis archidiaconum appellat. Ante Joannem eum, ut ſuperiùs dictum, vitam Gregorii Magni ſcripſerat Paullus Diaconus. Sed illa Paulli an ſuperſit, non ſatis liquet. Suſpicari aliquis poſſit, eam Paulli eſſe, quam Caniſius exhibet Tom. VI. Antiquæ Lect. Sed Caniſius ipſe eò inclinat, ut potiùs alterius ſit. Monet idem, ſe in alio codice S. Galli reperiſſe & tertii ſcriptoris opus de vita Gregorii hujus: ſed uſque adeò fabulis refertum, ut edere qui volet, & chartâ ſit abuſurus, & otio lectoris.

Haimonus monachus eâdem ætate vixit. Memoriam ſui reliquit libris duobus de miraculis beati Germani: quos apud Surium habemus Tom. VII, die Jul. XXV. Eos juſſu Karoli regis ſe compoſuiſſe, ipſe in præfatione ait. Rex is non alius eſt, quàm Karolus Calvus.

Etiam Ludovici II temporibus Burchardus Dorceſtrius ſub Ethelredo, Anglorum rege, vigebat; quo tempore Dani Britanniam graviter vexabant, circa ann. IↃCCCLXX. Scripſit vitam Fremundi; qui cùm Algari, occidentalis Angliæ ducis, filius eſſet; ætate viridi, imperium, quòd à decrepitis parentibus acceperat, poſtquam id adminiſtrâſſet ſeſquiannum, ſponte reliquit, ut Chriſto totus vacaret.

Eluxit tum quoque Emericus, Germanus, monachus Elephantiacenſis monaſterii ad Jagiſtam, fluvium Franconiæ in Virguna. Scripſit vitam S. Magni abbatis.

Sed quid judicii feremus de Gilda Cambrio, monacho Benedictino, patre nato Hibernienſi? Sanè is debeat ad hæc tempora referri, ſi fidem iis habemus, qui ajunt, claruiſſe ſub Ethelberto, Ethelwolphi filio ſecundo: quem in Anglia regnâſſe conſtat anno IↃCCCLXII. Ab hoc auctore fuerit breviarium Gildæ: item liber de mirabilibus Britanniæ, & de primis habitatoribus, & de rege

Arturo, item de ſepulcro ejus incognito, & de Percevallo, & Lanceloto, item de Galguano, atque alia multa; ſi modò tituli non ementiuntur auctorem. Sanè, & hæc, quæ diximus, & alia ei tributa, anilibus commentis, ac prodigioſis mendaciis, ſcatent. Quare de Cambrio hoc Gilda (modò is unquam fuit, & non impoſtor aliquis hoc nomen aſſumſit) nihilo meliùs ſentire poſſumus, quàm de Gilda Albanio Bathonio, de quo diximus ſupra, cùm de genuino Gilda cognomento Sapiente ageremus.

## Cap. XXXVII.

*Quando annalium Franciсorum ſcriptor à Pithœo editus claruerit: quàm male ſenſerit de Karolo Calvo: vixiſſe in Germania, & quidem fuiſſe monachum Fuldenſem: extremam partem ab alio ſuperadditam videri. Rembertus, ſeu Rimbertus, de vita S. Anſgarii, atque alius de actis S. Rimberti. Adonis Viennenſis ætas, & Chronicon ſenûm partium pro ſex ætatibus. De Adone hoc error geminus ejus, qui editioni præfuit bibliothecæ SS. Patrum. Adonis martyrologium. Adonem Viennenſem, & Trevirenſem, à Lipemano, & Moſandro, malè eundem putari.*

NUnc judicium feramus de conditore annalium Francicorum: quem ab anno IↃCCCLXXV, uſque ad annum IↃCCCLXXXIII, princeps edidit Petrus Pythœus: ac poſtea, è libb. Marci Velſeri, tredecim annorum appendice adauxit Marquardus Freherus: atque idem in antè excuſis, Theſcium veterum codd. filum ſecutus, mutila non pauca ſupplevit, corruptaque reſtituit. De ætate hujus ſcriptoris (modò unus dicendus eſt operis univerſi auctor) ita mihi videtur, exarâſſe eum iſta paullò poſt annum IↃCCCLXXV. Quod adſtrui poſſe arbitror ex verbis hiſce ad annum, quem dixi: *Stella cometes* VIII *Id. Jul. in Aquilonari parte, primâ horâ noctis apparuit, plus ſolito ſcintillans, comaſque ſpargens, rem ſtupendam, imò lugendam; quæ citò ſecuta eſt, ſuâ apparitione demonſtrans: quamvis* ADHUC, *peccatis* NOSTRIS *exigentibus, graviora ſignificare* TIMEATUR. Exinde ſubjicit, anno eo deceſſiſſe Ludovicum II Imper. Lotharii filium. Ac paullo pòſt ſubjungit iſta: *Karolus verò, audito Karlomanni adventu in Italiam, primò clauſis Alpium ſe defendere nititur: ſed nihil proficit. Karlomannus etiam loca acceſſu difficilia cum ſuis præoccupavit. Ille autem, dum negotium ferro decernendum timuiſſet,* (EST *enim lépore timidior) ad calliditatem ſolitam convertitur.* EST inquit, non FUIT. Loquitur autem, de Karolo Calvo, qui poſtea imperator. Mox enim ſubjicit de eodem: *Juravitque, ſe de Italia citò exiturum, & Hludevici, fratris ſui, judicio illud regnum diſponendum ſervaturum, ſi Karlomannus inde diſcederet. Quo inde diſcedente, & promiſſionibus illius credente, ille, quæcunque pollicitus eſt, mentitur, & quantâ potuit velocitate Romam profectus eſt: omnemque ſenatum populi Romani, more Jugurthino, corrupit, ſibique ſociavit: ita ut etiam Joannes Papa, votis ejus annuens, coronâ capiti ejus impoſitâ, eum Imperatorem, & Auguſtum, appellare præcepiſſet.* Sequitur deinde: *Qualiter autem regnum illud poſtea cum ſuis diſpoſuerit; qualiterve cum theſauris, quos tulerat, in regnum ſuum redierit; quantaſque cædes, & incendia in itinere exercuerit; quia certum non* HABUI *latorem, ſcribere nolui.* Ecce, eo negat ſe iſta ſcribere velle, quia nondum nuncium ſatis certum habeat. Quæ & ipſa indicant, eodem tempore vixiſſe. Simul ex his videmus, quàm infeſto fuerit animo erga Carolum Calvum: quem & alicubi *Galliæ tyrannum*, imò & *novellum Senacherib* appellat. Verba apponam: *Hæc in* VIII *Id. Octobris contra novellum Senacherib geſta ſunt; ut qui priùs, propter mentis elationem, Deum cognoſcere noluit, modò victus, & confuſus, intelligat, quod non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt; & aliquando avaritiæ, & ſuperbiæ, modum imponat.* Iſta non conveniunt; niſi ſuperſtiti adhuc. Quare ſatis liquet, ſcripta hæc eſſe cùm Carolus Calvus Galliæ Italiæque imperium obtineret. Nec auſus quiſquam fuiſſet iſta proferre, ubi Carolus rerum potiretur: ut dubium non ſit, quin iſta exarata ſint in Germania, ubi, Calvo in Italia Galliaque imperante, regnum tenebat Ludovicus, Ludovici filius; eoque defuncto, filius junior Ludovicus, frater Carlomanni ejus, qui Bavariæ rex fuit. Quod etiam ex his verbis inter alia colligo. *Illi, inſtaurato exercitu, & amplificato numero equitum, ut plurima loca in regione* REGIS NOSTRI *vaſtaverunt: hoc eſt Cameracum, Trajectum, & pagum Habanicum, totamque Ripuariam, præcipua etiam in iis monaſteria: id eſt Prumiam, Indam, Stabulam, Malmundarium, & Aquenſe palatium: ubi in capella regis equis ſuis ſtabulum fecerunt. Præterea Agrippinam Coloniam, & Bonnam civitates, cum Eccleſiis, & ædificiis, incenderunt. Qui autem inde evadere potuerunt, ſive canonici, ſive ſanctimoniales; Mogontiacum fugerunt, theſauros Eccleſiarum, & ſanctorum corpora, ſecum portantes. Rex apud Franconofurt gravi infirmitate laborabat*, &c. Quæ Germanicum eſſe ſcriptorem, ſatis docent. Imò non dubium, quin fuerit monachus Fuldenſis: quod exinde colligitur, quia cum curâ tantâ præ aliis res Fuldenſes, & Moguntinas, exponat. Atque hæc eſt cauſſa, cur Freherus *Fuldenſes Francorum annales* inſcripſerit. Cæterùm in hiſce Annalibus deinceps traditur, ut poſt Carolum Calvum imperium pervenerit ad filium ejus Ludovicum III: ab eo autem ad Carolum III, cognomento Craſſum: quod anno contigit IↃCCCLXXXII. Ac in proximo quidem anno deſinunt ſchedæ Pithœanæ: ſed quas ſecutus eſt Freherus, porrò referunt res Caroli Craſſi; atque ut ei Arnulphus ſucceſſerit; Arnulpho item, Ludovicus IV: quod factum fuit anno IↃCCCC. Idemne verò, an alius, iſta de exceſſu Caroli Calvi, & iis, quæ XXIII annis conſecuta fuere, poſtea adjecerit; haut facile dictu puto. Sed credere tamen malo, adjecta eſſe ab eo, qui annalium ſcriptori in hoc munere fuerat ſurrogatus. Valde enim veriſimile eſt, in cœnobio Fuldenſi curam hanc ſemper penes unum quempiam fuiſſe, ut res memorabiles cujuſque anni conſignaret.

Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici III, & Caroli Craſſi temporibus, vitam carus multis agitabat Rembertus, ſeu Rimbertus Flander, vel potiùs Friſius, priùs monaſterii Turholtani monachus, poſtea ſecundus Archiepiſcopus Hamburgenſis; quem honorem tempore Nicolai Papæ conſecutus fuit à Lutperto, Archiepiſcopo Moguntino. Scripſit vitam deceſſoris ſui S. Anſgarii, qui Adoni in martyrologio celebratur III Febr. atque obiit anno Domini IↃCCCLXV, Indictione XIII: qui eſt Ludovici, II ejus nominis imperatoris, XXVI. Auctor nobis Adam, Canonicus Bremenſis, lib. I. hiſtor. ſuæ cap. XXXI: ubi & iſta legas; *Eâdem die, quâ ipſe* (Anſgarius) *commendatus eſt; Rimbertus, diaconus ejus, à clero ſimul & populo electus eſt. Qui etiam vitam S. Patris veridico ſermone deſcribens, more B. Joannis, quaſi de alio ſcribens, innuit ſe fideliſſimum ejus diſcipulorum, teſtimonium ejus perhibere ſanctitati, quam cognoverat in viro Dei. Hunc librum ille ad fratres direxit novæ Corbejæ, beatificans illos, quòd talem miſerint, & nobis congratulans, quòd talem ſuſcipere meruimus paſtorem.* Ut autem ipſe Anſgarii vitam ſcripſerat, ita & fuere, qui vitam Remberti conſignarent; ut poſtea dicemus. Atque ut Adamus multa adfert ex Rimberti opere de vita Anſgarii: ita & ex libro de Rimberti vitâ (de qua capite proximo dicemus) non pauca idem adducit. Qui & obiiſſe Rimbertum ſcribit anno IↃCCCLXXXVIII; ſucceſſoremque habuiſſe Adelgarium. Vide eum lib. I. cap. XXXVIII, & XXXIX. Ac imprimis adi Remberti vitam, quæ eſt apud Surium Tom. I, die IV Febr. Adhæc Tritthemium lib. IV. cap. LXXXIX, Albertum Crantzium in Saxonia, Joannem Molanum in indiculo Sanctorum Belgicæ, Meierum in Annal. Flandr. ad ann. IↃCCCXXXII,

&

& Iↄ ccc xxxvii (cujus verba cap. ſeq. adducimus) & Suffridum Petri in ſcriptor. Friſ.

Sub Carolo Calvo, imperante item Ludovico Balbo, atque etiam Caroli Craſſi temporibus, doctrinâ, pietate, induſtriaque, conſpicuus fuit Ado, Viennenſis archiepiſcopus. Non exiguum is ſibi nomen Chronico paravit: quod ab origine mundi continuavit uſque ad ſua tempora: id eſt, uſque ad regnum Ludovici, Francorum regis, cognomento Simplicis, annum Dom. Iↄ ccc lxxix. Diviſit verò hoc opus in ſex ætates; quarum prima eſt ab orbe condito uſque ad diluvium: altera à diluvio uſque ad Abrahami nativitatem: tertia ab Abrahamo uſque ad Davidem: quarta à Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonicam: quincta inde uſque ad Christum natum: ſexta, ſive ultima, omne illud tempus complectitur, quod deinceps conſequitur. Scriptor hic, & priùs ſeorſim editus eſt à Morellio: ac poſtea à Margarino de la Bigne, Theologo Sorbonenſi, inſertus eſt bibliothecæ PP. edit. ii. Sed planè putidum eſt, quod ibi in frontiſpicio Adonis, ſeu à Margarino, ſeu alio, adnonatur, Adonem Chronicon ſuum produxiſſe uſque ad annum cIↄ ccc liii *a*, qui annorum prope quingentorum error eſt. Nec verum eſſe poteſt, quod ſubjicitur inibi, feſtum hujus Adonis ab Uſuardo in martyrologio referri ad xvi Dec. Siquidem Uſuardus martyrologium ſuum conſcripſit juſſu Caroli Magni: eoque Adonem ætate anteceſſit. Video autem, quid anſam præbuerit errandi. Nempe impoſuit ei, quòd Joannes Molanus, vir doctiſſimus, Uſuardo adjecerit multa ex martyrologiis eccleſiæ Romanæ, aliarumque. Hoc dum opus verſat, cuncta pro genuinis Uſuardi habet. Nec ſatis attendit, Molanum additiones ſuas ab Uſuardi verbis typorum diverſitate diſcreviſſe: atque ejuſce rei monuiſſe lectorem in præfatione ſua. Scripſit Ado hic etiam Martyrologium: quod Aloyſius Lipomanus, Epiſcopus Veronenſis, primus edidit; partemque eſſe voluit Tomi iv de vitis SS. Poſtea quatuor MSSos codd. nactus Jacobus Moſander, Carthuſianus Colonienſis, aliquanto integriùs exhibuit; atque addidit Tom. vii Hiſtoriarum, quas Surius de Sanctorum vitis collegerat. Hinc Heribertus Roſweidus S. J. cùm aliis duobus codd. MSSis, tum imprimis Clariſſimi & doctiſſimi viri, Petri Scriverii, amici noſtri, antiquiſſimis & emendatiſſimis membranis (quæ ab eodem Roſweido, unà cum Victoris Uticenſis de Vandalicâ perſecutione libris, paris bonitatis, & vetuſtatis, adſervantur) multis partibus emendatiùs in lucem prodire juſſit: ac ſubjecit utrique martyrologio Romano; putà tum nupero illi, Gregorii XIII. juſſu edito; tum veteri, quod Ado martyrologio ſuo præmiſerat. Cæterùm præter libros, quibus hi uſi fuere, etiam MSus codex exſtat in bibliotheca Lirinenſi: cujus meminit Vincentius Barralus in Chronologia virorum illuſtrium inſulæ Lirinenſis *b*. Paullo antè memorati, Aloyſius Lipomanus, & Jacobus Moſander, martyrologii auctorem vocant Trevirenſem archipræſulem, atque eum aiunt in concilio Lateranenſi cum Bernardo diacono, & altero Bernardo, abbate Maſſitrenſi, legatum à latere ſediſſe, ad dirimendam controverſiam inter Henricum IV. Imp. & Rodolphum, Sueviæ ducem. Hujuſce rei auctores laudat Platinam, Naucleum, & Carolum Sigonium: quorum Adonem primus Odonem, alter Othonem, tertius Udonem appellat. Nempe, & Aloyſius, & Moſander, confudere Adonem, Chronici, & Martyrologii auctorem, cum Odone, ſeu Udone Trevirenſi: quorum ille anno Iↄ ccc lxx; hic cIↄ lxx, duobus nempe poſt priorem ſeculis, claruit.

*a* Librarii potius in Margarino error videri, C initio temere appoſitis, niſi barbarico numero 1353, ibidem exſtetur.

*b* Pag. 15.

## Cap. XXXVIII.

*Herici, ſive Erici Altiſſiodorenſis poëma de vita S. Germani. Notgerus Leodienſis de vita Landoaldi, & Remacli. De ætate ejus quorundam error refellitur. Opus Notgeri de vitis epiſcoporum Trajectenſium, & Leodienſium. Guidonis Ravennatis hiſtoria Gothica, & Pontificum vitæ. Monachus S. Galli de vita Karoli M. Hirsfeldenſis monachus de vita S. Winberchti. Poëma Abbonis Neuſtrii de obſeſſa à Nortmannis Lutetia, quod Gozlino præſuli dedicavit. Ætas Abbonis hujus. Anonymus de vita S. Rimberti. Acta de inventione Diodori, Mariani, aliorumque. Roberti monachi carmen de vita S. Albani. Alphredi, ſive Aelphredi, Anglorum regis, collectanea chronica, atque alia. Quando è vita migrârit. Adrevaldus, ſive Adelbertus, de miraculis S. Benedicti. Bonno, abbas Corbejenſis, de rebus ſui ævi.*

HEricus, ſeu Ericus, monachus Benedictinus, Altiſſiodorenſis, floruit ſub Carolo Craſſo an. Iↄ ccc lxxx, ac carmine ſex libros ſcripſit, quibus complexus eſt vitam B. Germani, Altiſſiodorenſis epiſcopi. Meminit & Sigebertus cap. cv. Sed apud eum in quibuſdam libris pro *Ericus* eſt *Liricus*, vel *Firicus*. Integrius id nomen exſtat apud eundem in Chronicis ad an. Iↄ ccc lxxvii, his verbis: *Henricus monachus vitam Germani Antiſſiodorenſis, heroico metro in ſex libellis luculenter exaratam, Karolo imp. obtulit.* Portò qui hic *Antiſſiodorenſis*, is vulgò *Altiſſiodorenſis*. Malim ego *Autiſiodorenſis*: ut eſt apud Frodoardum, & Nithardum. Sanè urbs ea Ammiano quoque eſt *Autiſiodorum*. Primus illum Lutetiæ an. cIↄ Iↄ xliii, in lucem protraxit Petrus Peſſelhærus, Altiſſiodorenſis monaſterii cœnobita, ac ejuſdem cœnobii abbati, illuſtri principi, Ludovico à Lotharingia, dicavit. Apud Poſſevinum lego, à Renato Benedicto, in vitis Sanctorum Galliæ, laudari Henricum, monachum Benedictinum, congregationis Luxovienſis; atque ex eo verſus citari Gallicè tranſlatos de vita S. Albani. Planè idem videtur; præſertim cùm addat, vixiſſe ſub Carolo Calvo.

Etiam claruit tempore Caroli Craſſi anonymus ille, qui duos reliquit libros de miraculis S. Remacli. Eos apud Surium reperies a. d. iii Sept. Initio lib. ii commemorat ut Dani in Gallias irruperint, multaſque incenderint civitates, ac quantarum fuerit ipſe calamitatum ſpectator: quæque miracula tum viderit. Refert autem hæc ad annum Iↄ ccc lxxxiii. Unde ætas Notgeri ſatis elucet. Etiam ex fine libri prioris cognoſcimus, ut Airicus abbas, priùs quidem per Lotharium imper. à Romana Eccleſiâ impetrârit reliquias Hermetis martyris: poſtea autem à Notgero hoc magnis precibus ſit conſecutus poculum quoddam; quod à fure erat ſublatum; ſed ab eodem, divinam conſpiciente vindictam, reſtitutum. Quod ipſum etiam argumento eſt, vixiſſe hunc ſcriptorem non ita multò poſt Lotharium, qui anno deceſſit Iↄ ccc lv. Vulgò hoſce libros tribuunt Notgero epiſcopo Leodienſi. Quod faciunt non Surius modò; ſed & Baronius ad an. Iↄ ccc lxxxii. Puto errorem ex eo obtigiſſe, quòd libri iſti de miraculis Remacli ſubjungi ſoleant iis, quæ Notgerus de S. Nemadi vita ſcripſiſſet. Utcunque hoc eſt, Notgeri ejus eſſe non poſſunt, quia is toto ſeculo pòſt vixit, ut inferiùs dicemus. Ac fuit ille epiſcopus Leodicenſis. Auctor horum librorum monachus fuit cœnobii S. Remacli: ut oſtendunt verba illa, *abbas noſter*, *noſtrum cœnobium*, & ſimilia. Non dubito, quin viri eruditi facilè ſubſcripturi ſint ſententiæ huic noſtræ.

Etiam cùm Carolus Craſſus imperii potiretur, puta anno Iↄ ccc lxxxvi, ingenii monumentis nomen ſuum diffundebat Guido Ravennas, presbyter. Cujus hiſtoria exſtat de bello Gothorum. Eundem vitas pontificum tradidiſſe, Volaterranus eſt auctor initio libri xxii urbanorum commentariorum: atque addit: vixiſſe ante annos ſexcentos. Floruit autem Volaterranus anno cIↄ cccc xc, ac deinceps. Unde inter alia de Guidonis ætate ſatis liquet. Meminit illius quoque Antonius Galateus, in deſcriptione Japigiæ, ubi ait de urbibus Italiæ ſcripſiſſe, ut erant cùm ipſe viveret. Nec credendum ei eſſe, niſi in iis, quæ ipſe vidit: in multis eum erraſſe, quòd non eſſet inſtructus literis Græcis, nec bonos legiſſet auctores, atque inde inter alia eſſet, quòd Ennium dicat Tarentinum, quem Rodium fuiſſe conſtat. Etiam Guidonis hujus idem mentionem facit, præfatione in deſcriptionem Calliopolis:

lis: ubi cum ait à junioribus in pleriſque teſtem adhiberi; lectum ſibi eſſe, verùm nec eſſe veterem, nec recentem ſcriptorem.

Iiſdem temporibus fuit Sangallienſis, ſeu S. Galli monachus, natione Teutonicus: ut ipſe *a* de ſe dicit. Libros duos jam ſenex & edentulus *b*, *de geſtis Caroli M. ſcripſit ad Carolum Craſſum, Imp.* Idque Imperatoris ejus poſtulato. Et ſtylus ſimplex eſt ac rudis, & adſperſæ ſunt fabulæ non paucæ. Interim multa ad id ævum pertinentia, ex eo diſcere eſt, quæ fruſtra alibi quæras: ut vel hoc nomine dignus fuerit, qui ederetur. Commendat eum atque illuſtrat Barthius Adverſ. lib. XLV cap. XI. Ipſum Sangallenſem invenies apud Caniſium Antiq. Lect. Tom. II: qui primus edidit è bibliotheca Monachienſi principis Bavariæ. Antea ſolum fragmentum habebamus, quod Pithœus legibus Carolinis, inter omiſſa ſubjecerat.

*a* *Lib.* I. *cap.* 32, & 36.
*b* *Lib.* 2. *pag.* 26.

Hirsfeldenſis monachus, qui nomen ſuum his literis ſignavit, HAD. TAC. CUN. & S. Winberchti vitam, proſâ à Lupo Servato ſcriptam, carmine expreſſit, vixit temporibus Caroli Craſſi, aut circiter: ut qui carmen hoc ſuum dicârit Brunwardo, Hirsfeldenſi abbati, cæteriſque præceptoribus (ita ipſe appellat) in cœnobio S. Winberchti degentibus. Brunwardus autem ille ſucceſſerat Bunoni abbati; cui Lupus, de quo antè diximus, vitam Winberchti ſacraverat. Hoc carmen in MSo codice ſuo Lupi opuſculo ſubjectum reperit Joannes Buſæus Noviomagus: ſed quia codex erat mutilus, & ſtylus ejus infrunitus, edere ſuperſedit, tria ex eo miracula, quæ ætate hujus verſificatoris contigiſſent, excerpere *c* contentus.

*c* *In edit. Mogunt. an.* 1602. *quâ Hincmari epiſtolis, vitam S. Winbrechti ſubjunxit.*

Tum quoque Abbo, monachus cœnobii S. Germani à Pratis, diſcipulus Aimoini, libros duos rudi poëmate contexuit de obſeſſâ à Nortmannis, ſive Danis Luteriâ. Dicavit hoc opus Gozlino, qui priùs abbas fuit ejuſdem cœnobii, poſteaque Pariſiorum eſt factus epiſcopus: eâque in dignitate urbem cum nepote ſuo Ebolo ſive Elbolo, egregiè contra Nortmannos eſt tutatus: ut ipſe de ſe carmine ſuo teſtatur. Neuſtrium ſe fuiſſe ait, ac ſerviſſe Lutetiæ eccleſiæ S. Germani, tempore Odonis comitis; qui poſtea Galliæ rex fuit: quod anno contigit Iↄ ccc XCI. Unde cognoſcimus, alium hunc eſſe ab Abbone, Floriacenſi abbate: qui toto eſt ſeculo recentior. Nam vixit is anno cIↄ. Hoc cùm etiam agnoſcat Carolus Sauſſeius annal. Aurelian. lib. IV cap. XII; mirum, eundem duos Abbones confundere libri ejuſdem cap. X: ubi eò inclinat, ut S. Abbonis martyris ſit carmen illud de bello Pariſiacæ urbis.

Caroli Craſſi, & Arnulphi tempore, viguit is, qui vitam ſcripſit æqualis ſui, Remberti, archiepiſcopi Bremenſis: quæ eſt apud Surium Tom. I die IV Febr. Meminit ejus, qui aliquot nos ſeculis anteceſſit, Magiſter Adamus lib. I cap. XXXII. *Sanctus Rembertus ſedit annos* XXII. *Annos, & obitum deceſſoris ſui, reperimus in quodam computo à Corbeia delato. Cæterùm vita ejus à fratribus ejuſdem cœnobii ad noſtros data, quis fuerit, & qualiter vixerit, breviter, & dilucidè, comprehendit.* Item Meierus in Chron. Flandr. ad annum Iↄ ccc LXXXVII; *Obiit divus Rembertus, archiepiſcopus Bremenſis, oriundus ab Toralto, cui idibus Juniis indictas invenio ferias. Vitam ejus unà cum vita divi Anſgarii Hamburgi conſcriptam, datamque ab Alberto Crantz, Jacobo Driſcho, antiſtiti Guiltelmitarum Brugenſium, in aliis lucubratiunculis noſtris edidimus; lyriciſque cum verſibus celebravimus.*

Item Caroli Craſſi, vel Arnulphi imp. tempore, contexta fuit hiſtoria de inventione ſanctorum Diodori, & Mariani, atque aliorum martyrum. Quam ex pervetuſtis codd. expreſſit Surius T. I. d. XVII Jan.

Ad hæc quoque tempora ab Eiſengrinio refertur Robertus, monachus ordinis Benedictini apud Moguntiam congregat. Luxovienſis. Hic præter homilias carmen reliquit, quo vitam retulit S. Albani martyris.

Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici Balbi, Caroli Craſſi, & Arnulphi temporibus fuit Alphredus, ſive Aelfredus, Anglorum rex. Qui non modò doctorum, eoſque inter Aſſerii Menevenſis, & Joannis Erigenæ Scoti colloquiis, mirè gaudebat: ſed ipſe etiam doctiſſimus erat: quotidie autem octo horas ſtudiis, & precibus impendebat: idem collectanea chronicorum Latinè reliquit: adhæc in gentis ſuæ linguam tranſtulit tum Oroſii hiſtoriam, quam Hormeſtam dixere; tum Bedam de geſtis Anglorum: alia quoque multa partim vertit, partim ipſe ſcripſit. Beda ab eo in Saxonicam tranſlatus linguam exſtat in publica Academiæ Cantabrigienſis bibliotheca, cum hiſce verſiculis:

*Hiſtoricus quondam fecit me Beda Latinum.*
*Aelred Rex Saxo, tranſtulit ille prius.*

Obiit anno Iↄ cccc, cùm annis regnâſſet XXIX, ac menſibus ſex: ut Matthæus Weſtmonaſterienſis tradit in floribus hiſtoriarum: ſive anno proximo, ut Florentius Wigornienſis in Chronicis refert. At parum aptè eum anno Iↄ ccccI floruiſſe ait Poſſevinus, qui poſt annorum quaſi XXX imperium, anno antè ſcribendi vivendique finem fecit, quàm ille claruiſſe arbitratur.

Adrevaldus, qui & *Adelbertus*, & *Albertus*, monachus cœnobii Floriacenſis, vixit viguitque temporibus Arnulphi imperatoris: hoc eſt circa annum Iↄ cccxc. De eo ſic Sigebertus in catal. cap. CI: *Adrevaldus, qui & Adelbertus, monachus Floriacenſis, ſcripſit hiſtoriam miraculorum; quæ oſtenſa ſunt per Gallias ſancti Benedicti, Caſſinenſis meritis, à tempore, quo corpus ejus tranſlatum eſt à monte Caſſino ad cœnobium Floriacenſe, uſque ad tempus Odonis, regis Francorum.* Incipit is liber, *Scriptoribus*: & conſtat XXX capp. Præterea librum reliquit de Tranſlatione corporis S. Benedicti, & S. Scholaſticæ, è Caſinenſi cœnobio in Floriacenſe monaſterium. Cujus initium, *Cum diu gens Longobardorum.* Operi Adrevaldi de miraculis Benedicti, appendicem addidit *Adelarius*, *Floriacenſis* monachus: cujus principium, *Mirabilis Domini noſtri virtus.*

Etiam imperante Arnulpho, Tritthemio teſte, claruit *Aurelianus*, clericus Rhemenſis. Muſicus excellens fuit, deque tonis opus edidit, cui nomen *Tonarius Regularis*. Dicavit illud Bernardo archicantori, qui poſtea epiſcopus fuit. Idem Barthio auctor videtur vitæ S. Martialis Lennoviceni: uti & epiſtolarum, quæ Martialem auctorem ementiuntur, atque unà cum Gennadio ab Elmenhorſtio ſunt editæ. Plura ſi voles adi Barthium Adverſ. lib. XLV cap. VII & XXI.

Hæc de Martiale ſunt augenda ex iis quæ edita ſunt in hiſtoricis Græcis lib. II cap. IX pag. 166 & ſeq. prioris editionis, ubi refero inter Græcos, cùm Latinè ſcripſerit. Perperàm ſanè. Ergo huc transferenda.

Carolo Craſſo, Arnulpho, & Ludovico IV, imperantibus, vitam cum honore traduxit *Bonno*, abbas Corbeienſis, S. Rimberti æqualis. Idem de poſteris bene ſtuduit mereri commentario de rebus ſui ævi. Meminit Adamus, Bremenſis canonicus, lib. I cap. XXXV: *Nec incongruum videtur, quoniam de perſecutione diximus, quæ tunc latè in Eccleſias efferbuit, grande miraculum per merita ſancti Rimberti Freſonibus oſtenſum tangere; quod ſcriptor geſtorum eius neſcio cur prætierit: Sed Bonno, Corbeienſis Abbas, de ſui temporis actis ſcribens, non reticuit, dicens:* CUM *modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni penè Francorum regno immaniter debacchabetur: contigit etiam eos divino judicio ad quendam Freſiæ pagum devolvi; qui in remotis ac mari magno vicinis locis ſitus eſt: Norduich appellant. Hunc igitur ſubvertere aggreſſi ſunt. Erat illic eo tempore venerabilis Epiſcopus, Rimbertus; cujus adhortationibus, & doctrinis confortati, & inſtructi Chriſtiani, congreſſi ſunt hoſtibus, & proſtraverunt ex eis* X *millia*, CCCLXXVII *pluribus inſuper, dum fugâ præſidium quærunt, in tranſitu fluviorum necatis. Hæc ille ſcripta reliquit: cujus rei miraculo, uſque hodie*

meri-

*merita S. Rimberti penes Freſones egregia, & nomen ejus ſingulari quadam gentis colitur deſiderio: adeò ut collis, in quo S. oravit, dum pugna fieret, perpetuâ ceſpitis viriditate notaretur.* Legas apud Poſſevinum, & alios, Bavonem, Germanum, abbatem S. Viti Corbeiæ in Saxonia, de actis memorabilibus ſui temporis volumen condidiſſe, imperante Ludovico IV. Planè eundem cenſeo, ſeu Bonno ex Bavone, ſeu Bavo ex Bonnone ſit corruptum.

## Cap. XXXIX.

*S. Adelberus, priùs abbas Elwangenſis, & Ludovici* IV. *præceptor, exinde S. Widgarii in Auguſtano epiſcopatu ſucceſſor, ſcripſit vitam S. Hariolphi. Quando Adelberus deceſſerit. Aſſerius Schyreburnenſis de vita, & geſtis Aelfredi, regis Angliæ, atque alia ejuſdem, & quando obierit. Radulphi Flaviacenſis hiſtoria Francica, ac Chronicon breve. Sigebertus Corbeienſis de vita S. Voymonis Bremenſis.* Rheginonis, Prumienſis *abbatis, Chronicon.* Stephanus, Leodienſis *epiſcopus, de vita S. Lamberti.* Anonymus de vita S. Liborii *Epiſcopi.* Radbodus, epiſcopus Ultrajectinus, *de vita, & miraculis S. Lebwini: item de S. Martino, S. Amalberga, atque aliis.* Cappidus Staurienſis *de rebus Friſiæ, & vitis* IV *ſanctorum.* Hilduinus, abbas Lobienſis, *de geſtis abbatum ſui cœnobii. Ut, Veronenſi idem epiſcopatu dejectus, ſit præſul factus Mediolanenſis.* Ratherii, Veronenſis *epiſcopi, nomen ſemel iterumque apud Sigebertum corrigitur. Ejus de S. Urſmari vitâ liber. Verſiculi ejuſdem de exilio ſuo, & alter, quem ſepulcro ſuo voluit inſcribi.* Odonis Cluniacenſis *ætas, ac ſcripta. Hiſtoria Francica* Conradi abbatis.

ARnulphi, Ludovici IV, Conradi I, & primis Henrici Aucupis temporibus, ingenti in pretio fuit S. Adelberus ſeu Adalberus. Sub Arnulpho quidem Elwangenſis abbas erat, ordine duodecimus. Quàm autem tum carus fuerit Arnulpho Cæſari; argumento illud erit, quòd ex anonymi cujuſdam ſchedis à Pantaleone proditum eſt, à Cæſare eo de rebus maximi ponderis conſuli ſolere: atque hujus potiſſimùm fidei, atque induſtriæ, educationem filii ſui Ludovici credidiſſe. Sed quod Pantaleo ſenſiſſe videtur, jam tum Adelberum fuiſſe epiſcopum Auguſtanum, id temporum ratione facilè refellitur. Nam cùm patri Arnulpho ſuccederet Ludovicus IV. (id fuit anno Iↄ ccc xc) epiſcopus Auguſtanus erat Wildgarius, ſive Widgarius, vel, ut aliis vocatur, Widogerius. Fuit is epiſcopus ejus loci duodevigeſimus: idem ille, qui Helvetios ad fidem convertit: unde & eorum Apoſtolus nuncupatur. Huic verò, eodem Ludovico imperante, ac, ut veriſimile eſt, commendatione hujus imperatoris, qui grato animo præceptoris ſui merita proſequebatur, ſurrogatus poſtea Adelberus fuit. Quo anno id factum ſit, non conſentiunt ſcriptores. Attamen Ludovici id temporibus contigiſſe, ſatis convenit. Locum autem hîc meruit S. Adelberus commentario ſuo de vita S. Hariolphi. Puto hoc opus exarâſſe, cùm etiamnum Elwangenſis abbas foret. Nam cùm S. Hariolphus fuerit primus abbas Elwangenſis: credibile eſt, quòd Adelberus vitam ejus literis traderet, hoc dediſſe amori atque honori illius, cujus ſucceſſor in præſentia foret. Poſtremo epiſcopatus ſexennio adjutorem habuit Hildinum, qui & Adelbero ſurrogatus: uti huic Huldricus, ſive Udalricus, Adelberi diſcipulus, is qui urbis Auguſtæ pomœria extendit, & templum S. Aſtæ ab Hunnis vaſtatum (in quo & Adelberus ſepultus erat) inſtauravit. Obiit Adelberus ſub Henrico Aucupe anno Iↄ cccc XXI.

Tum temporis claruit quoque Stephanus, decimus Leodicenſium epiſcopus, quinctus decimus abbas Lobienſis, Ord. S. Benedicti. Varia, teſte Sigeberto, ſcripſit. Inter alia etiam de inventione S. Stephani protomartyris. Epiſcopus factus an. Iↄ cccc IV: obiit anno Epiſcopatus XVIII, XIV Kalend. Jun. ac ſepultus in collegio S. Lamberti.

Temporibus Ludovici IV, qui imperare cœpit anno Iↄ cccc, atque annis rexit XII, claruit Joannes Aſſer, ſive Aſſerius, qui & Aſſerio vocatur. Natione Britannus erat, ac ex Menevenſi ſcribâ factus fuit epiſcopus Schyreburnenſis, ſive, ut nunc loquimur, Sariſburienſis. Is regis ſui Aelfredi, qui totius penè Angliæ imperium tenuit, vitam literis mandavit. Obiit verò anno Iↄ cccc IX, ut cognoſcere eſt ex ſcriptore veteri, qui paralipomena operi ejus adjecit. Aſſerius hic ex MSSis Anglicanis expreſſus, ac Tiguri excuſus primùm fuit anno cIↄ Iↄ LXXV. Atque anno cIↄ Iↄc II etiamnum in bibliotheca Baronis Luleiani MSus exſtabat. Præter res geſtas Aelphredi etiam annales Britanniæ, multaque alia ſcripſiſſe, auctor eſt Balæus. Atque (ut de eo ait Brianus Twynus lib. II. de antiquitate Oxonienſis Academiæ a) *tanta eſt fidei, atque auctoritatis ſcriptor, ut nemini unquam ſuſpectus fuiſſe dignoſcatur.* (a P. 143.) Et aliquantò poſtea refert, *tantum ſe ejus fidei tribuere, quantum auctori antiquiſſimo, graviſſimo, optimoque omnium.* Cæterùm, quòd ad ejus editionem à Matthæo Cantuarienſi procuratam attinet, vel imperfecto uſum fuiſſe exemplari, vel quædam fide non optimâ omiſiſſe, idem Twynus b conqueritur. Jurene, ac ſecus, meliùs dicent, qui MSum viderint. (b P. 144.)

Ejuſdem imperatoris temporibus circa annum Iↄ ccccx, vivebat Radulphus, ſive Rathulphus Flaviacenſis, monachus ordinis Benedictini. Hic cùm alia, quæ Sixtus Senenſis commemorat, tum etiam hiſtoriam Francorum reliquit, ac Chronicon breve. Radulphi hujus MSum codicem ſupereſſe Cantabrigiæ in bibliotheca domus S. Petri refert Thomas James. Sed utrum Chronica, an Commentarii in parabolas Ciceronis (quorum MSus codex eſt Cantabrigiæ in bibliotheca aulæ Pembrochianæ) an aliud ejus opus ſint, non addit. Inter diſertiſſimos Galliæ viros reponitur à Nicolao de Clemangiis epiſt. ad Galliotum de Petramala Cardinalem.

Ad hæc quoque tempora, ſi Eiſingrinio, & Poſſevino, credimus, pertinebit Sigebertus Corbeienſis; ut quem referant ad an. Iↄ ccccv. Scripſiſſe dicunt vitam S. Voymonis, Bremenſis archiepiſcopi. Sed in Bremenſium, vel epiſcoporum, vel archiepiſcoporum catalogo, nullum Voymonem reperio. Adde quòd primus Liemarus, qui ſedere cœpit anno cIↄ LXII, archiepiſcopi Bremenſis titulo fuit honeſtatus. Quamobrem hac quidem in re ampliandum cenſeo.

Ejuſdem Ludovici ætate, item Conrado Imp. (qui Ludovico ſucceſſit anno Iↄ cccc XII, ac ſeptennium imperavit) claruit Rhegino, abbas Prumienſis cœnobii in ditione Trevirenſi. Contexuit duos Chronicorum libros; quibus præcipuè tractat res Francorum. MSos habes Cantabrigiæ in bibliothecâ tum Academiæ, tum Collegii S. Benedicti, ut eſt apud Th. James. Sed ibi non Rhegino, verùm ἀνώνυμος abbas Prumienſis vocatur. De eo ſic Sigebertus in cat. cap. CXII: *Rhegino, Abbas Prumienſis, ſcripſit ad primum Alberonem, Metenſem epiſcopum, Chronicam continentem præcipua geſta Francorum; quam à nativitate Chriſti perduxit uſque ad annum nati Chriſti* Iↄ ccccVIII. Ubi malim annum unum adimi. Etſi & apud Tritthemium legas * 98. pro 908. Sanè ante annum Iↄ cccc VII hodieque apud Reginonem reperias hæc verba: *Huc uſque Rhegino.* Sed continuavit hæc Chronica alius uſque ad annum Iↄ cccc LXVII, vel potiùs uſque ad Othonem II, qui imperare cœpit anno Iↄ cccc LXXII. Compoſuit & de doctrina Eccleſiaſtica libros ex SS. Patrum & conciliorum generalium decretis. Hi MSSi adſervantur Viennæ in bibliothecâ Cæſarea. Error Tritthemii inde obortus, quòd apud Rheginonem in præfatione operis legatur, *Ea* (Chronica) *in duos libellos diſtinxi, exordium capiens à primo incarnationis Dominicæ anno, & conſummans cœptum opus, uſque in præſentem annum, qui computatur à præfatione Domini* Iↄ cccc VIII. Sed, librarii culpâ, anno auctiorem eſſe numerum, quàm convenit,

venit, ſatis liquet ex eo, quod dicebamus. Ita enim, uti retulimus, & in MSis invenitur, & in excuſis, tum veteribus, tum nuperis. Appendix verò ea Rheginonis, quam dixi, Romerium habere auctorem videtur: de quo poſtea dicemus.

Stephanus, qui poſt Franconem epiſcopus Leodienſis fuit, floruit tempore Ludovici IV, ac Conradi Impp. Prodidit vitam S. Lamberti, Tungrenſis epiſcopi, qui Taxandriæ Apoſtolus nuncupatur. Sigebertus cap. CXXVI: *Stephanus, ex clerico Metenſi Epiſcopus Leodienſis, vitam & paſſionem ſancti Lamberti, ſcriptam incultiùs à Godeſcalco clerico, ſcripſit urbanius ad Hermannum, Coloniæ archiepiſcopum.* Idem tradit in Chronico ſuo Amandus Zirixeenſis, uti & alii minorum gentium ſcriptores. Hermannus ille, cui dicebamus opus hoc dicari, eſt primus ejus nominis archiepiſcopus Colonienſis, cognomento Pius; qui electus anno ꟾↄ CCC XC, vivereque deſiit anno ꟾↄ CCCC XXIV. Plura de eo ibidem Sigebertus. Illam autem, quam dixi, vitam Lamberti à Stephano ſcriptam, ſtylo nonnihil mutato, expreſſit Surius Tom. V. die XVII Septemb.

Circa idem tempus vixiſſe exiſtimatur Padebornenſis ille, qui vitam exaravit Liborii, Cenomanenſis epiſcopi, & Confeſſoris: cujus obitus refertur ad annum CCC XCVI. Habes apud Surium Tom. IV die XXIII Jul.

Etiam utriuſque hujus imperatoris temporibus claruit Radbodus, decimus quartus præſul Ultrajectinus. Nam ab Arnulpho, rege Francorum, creatus eſt epiſcopus anno Chr. ꟾↄ CCCCI, atque annis XVII in gravi Danorum perſecutione Eccleſiam rexit: ut fuſiùs in Chronico Joannis de Beka legere licet. Radbodus hic carmine proſecutus eſt virtutes B. Lebwini presbyteri: atque etiam orationem de vitæ ejus hiſtoria reliquit. Habes utrumque opus in Surianâ Collectione T. VI ad XII Nov. Etiam ejuſdem liber de laudibus S. Bonifacii exſtat MSus. Meminit ejus Tritthemius. Uti & operis de laudibus S. Martini, & de S. Amalberga, & florum S. Willibrordi. Quorum etiam mentio eſt apud Suffridum Petri in ſcript. Friſ. Imò Guilielmus Iſengrinius addit, etiam hiſtoriam contexuiſſe ſanctorum epiſcoporum, martyrum, doctorum, & Romanorum Pontificum. Ipſius verò Radbodi vitam apud Surium habes T. VI ad XXIX Nov. Apud Poſſevinum in Sacro apparatu, voce *Radbodus Trajectenſis*, legas, vixiſſe anno 617. Malo credere librarii culpam eſſe, quàm Poſſevini, qui, puto, ſcripſerat 917. Quamquam nec iſtud examuſſim hiſtoricæ conveniat veritati. Nam eo anno deceſſit tertio Kal. Decembris. Quare rectiùs dixiſſet, floruiſſe anno ꟾↄ CCCC. Corpus ejus Daventriæ in S. Lebuini templo reconditum eſt. Vide de eo Tritthemium lib. II cap. XXXVIII, & lib. III cap. CCLV, item in ſcriptor. Eccleſ.

Cappidus Staurienſis, ſacerdos Friſius, Conradi Imp. & Henrici Aucupis temporibus fuit. Ejus opera incendio abſumta fuiſſe dicuntur, cùm Stauriæ conflagraret bibliotheca in templo Stavonis, quod B. Nicolao dicatum poſtea fuit. Cæterùm ex fragmentis, & iſtis, quæ ex eo alii adducunt, colligit Suffridus, ſcripſiſſe illum genealogias principum, ducum, ac regum Friſiæ: adhæc hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Friſiæ: item Vitas quatuor ſanctorum, Lebuini, Orgeri, Plechelmi, & Odulphi. Arbitratur autem, ſi ejus viri monumenta integra exſtarent, fore, ut nihil magnopere, quod ad antiquitates Friſicas pertineret, à quoquam poſſet deſiderari.

Etiam Conradi, & Henrici Aucupis tempore, fuit Hilduinus, ſeu Hildovinus, abbas Lobienſis: quo munere fungens, præter alia, ſcripſit geſta abbatum Lobienſium. Eſt autem id Cœnobium inſtituti Benedictini, duobus diſtans milliaribus à Binchio Hanoniæ oppido. Poſtea factus eſt epiſcopus Laudocienſis: exinde, epiſcopatu pulſus, Veronenſis epiſcopus creatus eſt ab Hugone, Italiæ rege, cui affinitate junctus erat: tandem verò Mediolanenſem epiſcopatum adeptus fuit. Ita quidem Tritthemius. Sed Arnoldus Wion illud de Laudocienſi epiſcopatu planè ignorat. Ait autem, cognomen ei fuiſſe Taſſo: (Taſſonium puto dicere voluiſſe) patriâ fuiſſe Flandrum; atque ab eo Hugonem Italiæ regem coronatum Mediolani in baſilica Ambroſiana: ſexennio fuiſſe Veronenſem præſulem: jam Mediolanenſem epiſcopum obiiſſe anno ꟾↄ CCCC XLI. Pluraque de eo Joſephus Ripamontius lib. IX hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis. Ubi & conſignaſſe ait B. Dionyſii peregrinationem & geſta apoſtolica. Sed multum metuo, ne duos confuderit Dionyſios; quorum prior, juxta Pariſiorum Lutetiam abbas fuit monaſterii S. Dionyſii: alter fuit abbas Lobienſis cœnobii, quod eſt inſtituti Benedictini, ſitum ad ſecundum lapidem à Binchio, Hannoniæ oppido. Inter eos ſeculi eſt intervallum. Prior ille juſſu imperatoris Ludovici Pii Areopagitica ſcripſit: ut indicat imperatoris ipſius epiſtola ad Hilduinum.

Ratherius quoque, de quo aliqua diximus cap. XXIX hujus libri, vixit temporibus Henrici I. Imp. De eo ſic Sigebertus in catal. cap. CXXVIII: *Batherius* (corrige Ratherius) *ex monacho Lobienſi epiſcopus Veronenſis, vir miræ ſimplicitatis, ſcripſit vitam S. Urſmari Lobienſis.* Habes eam apud Surium Tom. II die XVIII Apr. Etiam Chronographiam reliquit, quæ Gemblaci MSa ſupereſt. Item itinerarium Romanum. Et complura alia, inter quæ & ars erat Grammatica, ridiculè auctori nuncupata, *Sparadorſum:* quia præſtaret ut puerorum dorſis parceretur. Nam *Sparen* Germanis aut Belgis eſt *parcere.* Obiit anno ꟾↄ CCCC LXXIV. Quieſcit apud Lobienſes in æde S. Urſmari. Ejus eſt verſiculus iſte de ſe ipſo:

*Veronæ præſul, ſed ter Ratherius exul.*

Animo erat modeſto adeò, demiſſoque, ut ſepulcro ſuo inſcribi juberet:

*Conculcate pedes hominum ſal infatuatum.*

Alia quoque, quæ ad vitam, atque opera ejus, pertineant, apud Sigebertum vide, loco antè memorato, & in Chronico ad annum ꟾↄ CCCC XXVIII, & ꟾↄ CCCC XXXIII, ubi corruptè *Raberius* vocatur. Item adi Rotgerium in vita Brunonis apud Sur. Tom. V. XI Octobr. & acta Rhemenſia ſub Gerberto cap. XLIV. ac è junioribus Joſephum Ripamontium lib. IX hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis.

Odo primus, vel juxta alios (qui principem locum tribuunt Bernoni) ſecundus abbas Cluniacenſis, Remigii Antiſſidiorenſis monachi auditor, ſcripſit, circa annum ꟾↄ CCCC XX, vitam S. Gerardi, ſive potius Giraldi, Aureliacenſis Comitis; idque non uno libro, ut eſt apud Trittheminm, ſed libris IV. a, edidit: item Chronicon ſuccinctum. Chronicon hoc MSum exſtat apud Cantabrigienſes in bibliotheca Collegii S. Benedicti: ac libri fini admittuntur genealogiæ quorundam Regum; adhæc vitam S. Mauri: item vitam & tranſlationem S. Martini Turonenſis: nec non reverſionem B. Martini à Burgundia. Opuſculum de vita Martini habes in bibliotheca Patr. edit. II Tom. VII. Vitæ Mauri MSus codex exſtat in bibliotheca Vaticana. Obiit anno ꟾↄ CCCC XLII, juxta Frodoardum: cui, ut temporum iſtorum magis gnaro, potiùs eſt habenda fides, quàm Sigeberto; qui quinquennio antè deceſſiſſe arbitratur.

a *Excuſi ſunt Pariſiis cum aliis ſcriptoribus rerum Cluniacenſib.*

Etiam Conradus, Abbas Benedictinus, tum videtur fuiſſe. Sanè antiquior eſſe nequit, cùm ad annum uſque ꟾↄ CCCC XXII, qui Henrici Aucupis tertius fuit, hiſtoriam Francorum perducat. Ejus fragmentum, cum ſcriptoribus aliis de Francorum geſtis, prodiit Francofurti ad Mœnum.

## CAP. XL.

*Duo illuſtres genere archiepiſcopi, Bruno Colonienſis, & Hildebertus Moguntinus: quorum uterque ſanctorum aliquot vitas poſteris tradidit. Luithprandus diaconus quanto in precio fuerit apud viros principes: & cur opus ſuum ἀνταποδόσεως inſcripſerit. Sexti libri partem poſteriorem alterius videri ſcriptoris. Etiam Pontificum vitas falsò ejus nomen præferre. Odonis Severi patria, eruditio, dignitas, atque opus de Wilfridi vita. Fridegodus diaconus de eodem argumento: de quo*

*que vita Audoëni monachi. Surius refellitur. Uthonis Argentoratenſis commentatio de Arbogaſto, & Amando. Vita Nazianzeni ab Anaſtaſio verſa, ſed parùm Latinè. Gulielmi Moguntini genus, & quouſque hiſtoriam ſuam perduxerit: de quo Poſſevinus minùs rectè. Saliphilax de Britannicorum regum genealogia. Joannes Italus de vita Odonis. Unde ſit, quòd Odo, his primus, illis ſecundus Cluniacenſis abbas, nuncupetur. Flodoardi ſeu Frodoardi hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis, & Chronicon ejuſdem, & vitæ ſanctorum. Locus in Chronicis ejus corrigitur. Altera in eo conjectura. A nonnullis Flavaldum, ac Floaldum vocari. Eiſingrinii de Fabiano ἀνιστορησία. Reginaldus de vitis IV ſanctorum. Anonymus de S. Hunegunde. Alius de Epiphanii corpore in Saxoniam tranſlato. Theodoricus de S. Lutrude. Unwonus Britannus. Occonis Scharlenſis Origines Friſicæ, fabulis referta.*

ACcedo ad tempora Ottonis primi, qui imperare cœpit anno Iↄcccxxxvi; atque annis rexit xxxviii. Familiam hìc ducant duo illi, & generis, & muneris dignitate illuſtres, Bruno, ac Hildebertus. Quorum Bruno, archiepiſcopus Colonienſis, Henrici Aucupis imperatoris filius, Othonis primi Imper. frater fuit. Hic præter commentarium in Pentateuchum, qui à Sixto Senenſe laudatur, ac Bononiæ in Dominicanorum bibliothecâ exſtat, etiam vitas aliquot ſanctorum conſignavit. Obiit anno Iↄcccclxv. Coloniæque in monaſterio S. Pantaleonis ſepultus eſt.

At Hildebertus, Oſtrofrancorum dux, decimustertius archiepiſcopus Moguntinus, Conradi imperatoris frater erat: idemque anno Iↄcccxxxviii coronavit Othonem magnum; ſed cùm poſtea, unà cum Richardo, Argentoratenſi epiſcopo, diſcordiæ ſemina, inter Othonem, & fratrem Henricum, ſparſiſſet: uti Richardus Corbeiam, ita ipſe Fuldam in Haſſiam, vel, juxta alios, Hamburgum fuit relegatus. Scripſit & is vitas aliquot ſanctorum.

Eodem imperante, claruit Luithprandus, ſive Liuthprandus, ſive Litobrandus, qui in nonnullis codd. atque etiam à Tritthemio, Eutrandus, ſed perperam, vocatur. Ticinenſis priùs Eccleſiæ Levita, ſive diaconus, poſteaque Epiſcopus fuit Cremonenſis. Hic ad Raimundum, Liberitanæ Eccleſiæ in Hiſpania epiſcopum, hiſtoriam ſcripſit de rebus ſuo tempore in Europa geſtis. Orditur ab iis, quæ Arnulpho imperante acciderunt. Hiſtoriam ſuam ANTAPODOSIN (ut etiam Sigebertus a appellat) quaſi retributionem dicas, nominavit. Nempe quia hoc libro, ut par pari redderet, quaſi penicillo depinxit tyrannidem Berengarii, II ejus nominis Italiæ regis: à quo ſede ſuâ pulſus fuerat. Antequam id fieret, magno apud Berengarium in pretio erat. Nam ejus nomine ad Conſtantinum, imperatorem Byzantinum, legationem obiit: cujus rei locupletem magis teſtem dare non poſſumus, quàm Luithprandum ipſum lib. v. cap. I, & II. Atque imperator is quoque magni eum fecit. Sanè legati nomine miſit ad Nicephorum Phocam, qui, mortuo Romano, filio Conſtantini proximè memorati, imperium occupârat. Hæc igitur altera ejus legatio fuerat: cujus hiſtoriam ſeorſim exaravit. Eam ſibi à Marco Velſero tranſmiſſam (is verò acceperat à Chriſtophoro Brouwero, qui ex codice bibliothecæ Trevirenſis deſumſerat) primus in lucem dedit Henricus Caniſius. Si modò idem is Luithprandus, de quo vide quid idem ſcripſerit Caniſius præfat. in legationem Luithprandi. Redeo ad libros rerum ab Imperatoribus & Regibus Europæ geſtarum, cùm ſub Ottonis imperio viveret, quam dixi hiſtoriam Francofurti condidit. Ea ſex libris conſtat. Sed videtur liber ſextus deſinere in cap. v. ubi res in Græcia viſæ terminantur. Sexto enim capite novam auſpicatur hiſtoriam de rebus Othonis Auguſti. Ac in veteri editione Aſcenſianâ lego, ibi novum incipere librum: verùm qui ob brevitatem priori ſit adjunctus. Sed verior Baronii opinio eſt, ſequentia ab alio eſſe, qui, ut fieri ſolet, continuare voluerit Luithprandum. Etiam ſub Luithprandi hujus nomine editus eſt, ſæpiuſque à Centuriatoribus Magdeburgenſibus, priuſquam editus eſſet, citari ſolet, liber de Pontificum Romanorum vitis. Sed cujus inſcriptio non injuriâ ſuſpecta ſit, cùm liber is ex Anaſtaſio ſit excerptus: nec vel Sigebertus, vel Tritthemius, ejuſmodi opus tribuant Luithprando. Præterea opus hoc de Pontificibus terminatur in Formoſo qui exceſſit anno Iↄcccxcv. At Luithprandus ſi hiſtoriam ſcribere voluiſſet, eam ad ſua uſque tempora perduxiſſet. Vixit verò Luithprandus quinquaginta annis pòſt, intra quod ſpacium Pontifices xx fuerant. Accedit quòd in poſtremis Pontificibus quædam particulatim prodat ad Eccleſiam Oſnabrugenſem, Corbeienſem & Heriforden-ſem aliaſque ad Germaniæ Eccleſias pertinentia: quæ Germanum potius quàm Italum fuiſſe teſtantur. Etiam Pontificum eorum, qui ante Formoſum proximè fuerunt decreta adducit, quæ in Conciliorum Tomis non leguntur: ut iſta quoque eorum tempore fuiſſe, ac proinde Luithprando eſſe juniorem oſtendant. Ut non abſurda ſit opinio Editoris: qui ſuſpicatur fuiſſe monachum Corbeienſem, vel Hirsfeldenſem, ac partim ſub Pontificibus ante Formoſum circa annum Iↄccclx, partim ſub Formoſo claruiſſe. Quæ verò de Formoſo habes in fine operis, ea non ſunt ab illo ſcripta, ſed exſcripta ſunt ex Luithprandi lib. I. rerum per Europam geſtarum cap. VIII. Atque ibi quoque legas illud *Pater Sanctiſſime*. Sed alloquitur non Pontificem Romanum: ſed Raimundum Epiſcopum Hiſpanum, cui Antapodoſin ſuam, ut ſuperius diximus, dedicavit.

a In catal. c. 127.

Ottonis Magni tempore etiam fuit Odo Severus. Hic in Anglia natus, ſed ex Danis erat oriundus; vir Latinè Græceque doctus, & extemporali metro pro temporibus, quibus vivebat, pollens; primùm Sariſburienſis epiſcopus, poſteaque archiepiſcopus Cantuarienſis. Præter alia deſcripſit vitam Wilfridi Archiepiſcopi. Obiit temporibus Edgari, regis Anglorum, anno Chriſti Iↄcccclix, archiepiſcopatus ſui xiii.

Sub eodem rege Edgaro, claruit Fridegodus diaconus, Anglus, monachus Benedictinus, vir Græcè doctus; ut de eo Guilielm. Malmesburienſis teſtatur. Hic carmine complexus fuit vitas S. Wilfridi, & Audoëni monachi: idque poſtulato fecit Odonis Cantuarienſis, de quo proximè dictum. Nam cùm is, anno Iↄccclvi, horum duorum corpora Cantuariam tranſtuliſſet; à Fridegodo petiit, ut aliquid de utriuſque laudibus commentaretur. Vitam Audoëni Surius inſeruit Hiſtoriæ Sanctorum Tom. IV, die XXIV Aug. Eaque illi videtur eſſe illa ipſa, quam reliquerat Fridegodus. Surium in epitome ſuâ ſequitur Hareus. Sed obſtat huic ſententiæ, quòd Fridegodus carmine Audoëni vitam tradidit: illa, quæ apud Surium, proſâ eſt exarata. Nec hic fit, quod facere Fridegodus ſolet, ut Græca paſſim admiſceantur Latinis.

Anno Chriſti Iↄccccl Ruthario in Argentinenſi epiſcopatu ſucceſſit Utho, tertius ejus nominis in Epiſcopali hac ſerie, natus ex fratre Henrici II, Sueviæ ducis. Scripſit vitas ſanctorum Arbogaſti, & Amandi. Deceſſit anno Iↄcccclxv, ſucceſſoremque habuit Eckenbaldum.

Circa annum Iↄcccclx Anaſtaſius quidam vitam Gregorii Nazianzeni à Gregorio presbytero Græcè ſcriptam, Latinè tranſtulit: ut ſe in libro quodam Dionyſianæ bibliothecæ annotatum reperiſſe, prodidit doctiſſimus Jacobus Billius. Sed prorſus barbarè id fecerat: ut idem teſtatur.

Iiſdem temporibus magno in honore erat Guilielmus, Moguntinorum archiepiſcopus decimuſquinctus, Saxoniæ princeps, ac Othonis Magni Imperat. ex Editha, Angliæ reginâ, filius. Is chronicon de archiepiſcopis Moguntinis ad ſua uſque tempora deduxit. Fallitur Poſſevinus, cùm hiſtoriam pertexuiſſe ait uſque ad imperium Othonis III. Nam Guilielmus hic archiepiſcopus factus eſt anno Iↄccccliv: vivereque deſiit (ut ex Lamberto Schafnaburgenſi conſtat) an. Iↄcccclxviii. At Otho II imperare demum cœpit anno Iↄcccclxxiii: Otho III anno Iↄcccclxxxiv. Vide veteres rerum Germanicarum ſcripto-

ſcriptores: atque è junioribus Georgium Fabricium Originum Saxonicarum lib. II *a*.

*a P. 150. & 173.*

Saliphilax Britannus, ex antiqua Bardorum gente fuiſſe dicitur, ac ex chronologis, quos legiſſet, contexuiſſe genealogiam regum Britannicorum. Ætatem nec ſe cognoſcere potuiſſe, fatetur Balæus centur. II. cap. XXIX. Joannes Piſeus agnoſcit, nec ſe quicquam certi habere: ſed tamen conjecturæ ſi liceat indulgere, relaturum ad eadem Edgari tempora. Credo, non temerè ita ſuſpicatur. Interim vellem, ne ſiviſſet, nos expertes eſſe cauſſæ, cur ſic putaret: præſertim de eo ſcriptore, de quo ne illud quidem, an viderit, ſignificet; contra quàm facere in iis ſolet, quos haberet, legiſſetque.

Anno ⅠↃCCCCL vitam etiam degebat Joannes Italus, monachus Cluniacenſis. Qui memoriam ſui reliquit prodendo poſteris vitam S. Odonis, primi abbatis Cluniacenſis, juxta Bernardum *b*, & Sigebertum *c*; vel, juxta Odilonem *d*, & alios, ſecundi abbatis. Quæ diverſitas inde provenit, quia, ut ſuperiori capite verbo indicabamus, alii annumerant, alii omittunt Bernonem: qui ante Odonem cœperat exſtruere monaſterium Cluniacenſe, & jam aliquò uſque fuerat progreſſus, antequam ei Odo ſuccederet: quod anno contigit ⅠↃCCCCXII. Odone hoc in ſpiritualibus magiſtro Joannes iſte uſus fuerat: uti in ſecularibus Hildebrando eo, qui bis rogatus erat, ut abbas Cluniacenſis eſſe vellet; ſed obedire ſemper maluit, quàm præeſſe: ut apud Odilonem in Majoli vita legere eſt. Eorum verò quæ de Odone ſcribit Joannes, aliqua ex ore ipſius Odonis acceperat; alia ex Hildebrando hauſerat: ut teſtatur ipſe in præfatione ad fratres Salernenſes. Unde ſatis liquet de Joannis vita. Nam obiit Odo (ut ſuperiùs quoque dictum) anno ⅠↃCCCCXLII. Habes eam Odonis vitam in Surii Collectaneis Tom. VI, die XVIII Nov. Sed pleriſque omiſſis, & ſtylo mutato. Prout verò auctor ſcripſerat, ita in Bibliotheca Cluniacenſi edidit libris tribus Martinus Marrier, monachus Cluniacenſis.

*b Ad Gulielmum, abbatem Cluniacenſem. c In catal. cap. 125. d In vita Majoli apud Sur. d. 11 Maj.*

Neutiquam etiam prætereundus ejuſdem temporis hiſtoricus, Flodoardus, ſeu *Frodoardus*, presbyter, & canonicus Eccleſiæ Rhemenſis; prout in antiquis codd. vocatur. Hic libris IV condidit hiſtoriam Eccleſiæ Rhemenſis: quæ in lucem prodiit curâ Jac. Sirmondi. Item Chronicon reliquit ab anno ⅠↃCCCCXIX ad annum ⅠↃCCCCLXVI: quod reperies in Annalibus Franciæ à Pithœo editis. Videtur tamen Chronicon hoc altiùs exorſus: nempe ab anno ⅠↃCCCLXXVII: quo Carolus Calvus exceſſit. Indicium faciunt prima opuſculi verba, *Anno* DCCCCLXXVII, *& indictione* XII *Non. Octob. precellentiſſimus imperator Karolus*,&c. Ubi reſcribendum, *Anno* ⅠↃCCCLXXVII, *Indict.* XI, *Non. Oct.* Nam ut ſequentia docent, clarè loquitur de exceſſu Karoli ejus, qui Ludovici Pii filius, Karoli Magni nepos fuit. Poſt iſta de Karoli Calvi obitu, pluſcula deſiderantur uſque ad annum ⅠↃCCCCXIX. Joannes Bonderius, in Indice MSSorum codicum per Belgicam, auctor eſt, & vitas ſcripſiſſe ſanctorum. Nam ab eo iſta laudantur: *Flodoardus presbyter de triumphis Italicis martyrum, & confeſſorum, metricè libri XV MSSi Treviris in ſummo templo. De triumphis Chriſti, & ſanctorum Palaſtina, metricè libri* III *MSSi ibidem. De triumphis Chriſti, & Antiochia geſtis, metricè lib.* II *MSSi ibidem.* Quæ Trevirenſium beneficio lucem adſpectura, ſperamus. Cæterùm *Flodoardus* hic, ſeu *Frodoardus*, à Sigeberto vocatur *Flavaldus*: qui de eo ſic inquit cap. CXXXIII. *Flavaldus, monachus Remenſis, ſcripſit geſta pontificum Remenſium, orditus narrationem ſuam à conditione ipſius civitatis, quæ à qualitate civium, qui in bello erant duri cordis, primò nuncupata eſt ſibi nomen Cordurum.* Legendum puto *Durocortorum*: ut eſt apud Flodoardum. Subjungit deinde: *Poſtea milites Remi à Romulo, fratre ſuo, à facie Romuli fugientes ad eam profugerunt: eamque à nomine principis ſui Remi, Remum denominaverunt. Hic ſcriptor dignè ſcriptoribus ideo connumeratur, quia digreſſus ab opere ſuo memoriam faciens ſanctorum, martyrum, vel confeſſorum, quieſcentium in Eccleſiis Remenſi Eccleſia adjacentibus, vel ſubjacentibus, vitas vel paſſiones eorum legentibus notificavit.* Nonnullis & Floaldus nominatur. Cenſet Eiſingrinius, eundem *Fabianum* dici l. quoniam C. de Epiſcopis, & clericis. Monet idem Poſſevinus. Sed Fabianus iſte fuit epiſcopus ille Conſtantinopolitanus, de quo Euagrius Eccl. hiſt. lib. II. cap. IV. Et quomodo imperatores Valentin. & Martianus meminerit Flodoardi, qui ſeculis quatuor recentior eſt?

Reginaldus, Eiſtatenſis epiſcopus, vir Latinè, Græcè, Hebraicè doctus, ac Muſices egregiè peritus, claruit tempore Othonis I, & II. Nam anno ⅠↃCCCCLXV in epiſcopatu ſucceſſit Starhando, qui ab Ungaris ad Auguſtam cæſus erat. Cumque annis XXIV epiſcopatum geſſiſſet, ſucceſſorem habuit Meginſſum, S. Henrici cognatum. Conſignavit vitas SS. epiſcoporum, Wilibaldi, Nicolai, Blaſii, & Unnibaldi. Fortaſſe Reginaldi eſt illa Wilibaldi vita, quam Caniſius exhibet Tom. IV. Antiqu. Lect. Saltem Aiſtatenſis alicujus, vel epiſcopi, vel monachi fuit: ut indicio eſt, quòd, de Wilibaldo loquens, dicat, *Patronum noſtrum*: & eum alloquens ait, *Auxiliare tuis tibi à Chriſto collatis.* Nec primùm, ſed poſt alios plures, ſcripſiſſe, arguunt illa verba: *Prout Deus, & Dominus omnium, contulit legenda, in ſecula, pauca conſtruximus.*

Similiter Ottonis Magni ætate fuit epiſcopus ille, qui vitam deſcripſit S. Hunegundis virginis: quæ eſt apud Surium Tom. IV, ad XXV Auguſti. De ætate liquet ex his ſcriptoris verbis: *Anno Dominica incarnationis nongenteſimo ſexageſimoquarto, in ipſis feriis beata Hunegundis, in villa quæ dicitur Saſnulphi chors, meſſores frumenta ſecabant. Eos presbyter illorum Lantfridus crebrò reprehenderat, dicens, ſe interfuiſſe ſynodo, in qua Rodulphus, Noviomenſis epiſcopus, juſſiſſet ſancta Hunegundis feſtum devotiſſimè celebrari. At illi ſe excuſabant, quod vicinos ſuos cernerent laboribus inſudare. Itaque Roigildis puella, presbyteri hujus,* SICUT IPSE NOBIS RETULIT, *ex ſorore neptis, colligebat ſpicas, quas illi meſſores relinquebant*, &c.

Anonymus quoque, qui Epiphanii, Ticinenſis ſeu Papienſis Epiſcopi, tranſlationem ex Italia in Saxoniam ab Otwino epiſcopo, olim Augiæ monacho, factam deſcripſit, eâdem ætate vixit: proximus ſaltem ei tempori fuit, quo tranſlatio hæc contigit. Nam in præfatione ait, illa quæ narrat, ſe didiciſſe ab iis, qui tranſlationi interfuerant: ac potiſſimùm ab Thangwardone, venerabili presbytero; cujus præcipuè in eo officio opera enituit: quem & fratrem ſuum in Actis ipſis appellat: ut is quoque presbyter fuiſſe videatur. Facta autem tranſlatio eſt imperante Ottone I, anno ⅠↃCCCCLXIII, vel circiter: uti ſatis liquet ex memoratis Actis, quæ Brouwerius in lucem edidit.

Iiſdem temporibus Theodoricus, qui ex præpoſito Moguntino Trevirenſis archiepiſcopus creatus fuit, in literas retulit vitam S. Luttudis, virginis ſanctimonialis: quam ipſam, vel ſaltem epitomen ejus, apud Surium habes T. V. XXII Sept. Obiit Theodoricus hic anno ⅠↃCCCCLXX: ac ſucceſſorem habuit Echertum, fratrem Arnulphi, comitis Hollandiæ.

Eodem Ottone imperante, claruit Unwonus Britannus, presbyter. Nam vixit ſub Edgaro, rege Anglorum, anno ⅠↃCCCCLXX. Presbyter hic poſtulato Eadmeri, abbatis fani D. Albani, ejuſce Albani martyris vitam ac paſſionem deſcripſit. Alia quoque ingenii monumenta reliquit: quæ jam dictus abbas, poſt Unwoni obitum, ſeu invidiâ, ſeu quia indigna eſſe luce putaret, flammis tradidit: ut Lelandus annotavit.

Etiam Occo Schatlenſis, nepos ſororis Solconis Forteman, de quo ſuperiùs dictum, Ottoni Magni Imp. ætate par, aut ſuppar, fuiſſe creditur. Hic poſteris prodidit origines Friſiæ: ſi modò unquam fuit; nec titulus mentitur auctorem. Sanè fidei non plus meretur, quàm Hunibaldus Francus, aut Gaufredus Britannus, & ſimilis farinæ ſcriptores. Quod & doctiſſimi Ubbonis Emmii judicium eſt. Etſi aliter multò de hoc Suffridus Petri, vir bene doctus,

doctus, ſed qui in Friſiæ rebus, atque omni literaturæ laude, longè cedat Emmio. Atque idem judicium eſto de Bernardo Furmerio Leovardienſi, viro erudito, ſed qui in Annalium Friſiorum libris ſe Occonem hunc imprimis ſequi, ipſe agnoſcat.

## Cap. XLI.

Windichinus *de Saxonum geſtis, & Ottonis* I: *deque Paullo Eremitâ.* Lamfridus Wintonienſis *de S. Swithino.* Roſwitæ *poëma de geſtis primi Ottonis, deque Sanctis varia poëmatia. Ut viros eruditos, Poſſevinum ante alios, in fraudem induxerit Tritthemii locus à neſcio quo interpolatus.* Herigerus Lobienſis *de epiſcopis Leodienſibus, ac vitâ Urſmari. Opera utilis* Alberti, Gemblacenſis *abbatis, in deſcribendis ſanctorum vitis. Error quorundam proveniens ex loco Tritthemii perperam transſcripto.* Ethelwoldus Wentanus. Alphredus Malmesburienſis. *Quando* Abbo Floriacenſis *vixerit, quæ ſcripſerit, atque ut cum nonnullis ejuſdem nominis interdum confundatur.* Aumonium *perperàm nonnullis Ammonium vocari. Ejus liber de miraculis S. Benedicti. Aimoinum cum eo male confundi. Stephanus de inventione S. Maurini. Lethaldus Cœnomanenſis. Anonymus de Adalberto Pragenſi.* Item alter de eodem argumento. *Medelocenſes monachi de S. Adalberto. Dudo Neuſtrius de iis, quæ Normanni in Galliis geſſere: & quâ fide ſcripſerit: atque ut eum Gemeticenſis exſcripſerit. Wolſtanus Wintonienſis. Otholonus Fuldenſis. Utrùm ille vitam conſignârit S. Bonifacii. Uffingus Werthinenſis.*

COmplectar nunc eos, qui claruere temporibus Ottonum duorum, ſecundi, tertiique: quorum ille imperium ſuſcepit anno Iↄ cccc LXXII, ac integrum decennium geſſit: hic illud accepit anno Iↄ cccc LXXXIII, ac tenuit annis XVIII. Priori æqualis fuit Winduchindus, ſeu *Windichinus*; (nam in nomine variant codd. Sigeberti:) monachus fuit Corbeienſis cœnobii in Saxonia, ordinis S. Benedicti. Hic fideliter ſcripſit de geſtis Saxonum libros III: item de geſtis Ottonis primi. Utrumque opus miſſum ad Machthildim, filiam Ottonis primi. Unde ejus ætas cognoſcitur. Nam, ut Winduchindus ipſe ait, obiit Otto primus Nonis Maji, feriâ quartâ ante pentecoſten. Quod tantundem eſt, ac ſi dicat, obiiſſe an. Iↄ cccc LXXIII: ut faſtorum ratio cœleſtis docet. Etiam Theclæ paſſionem metro conſtrinxit. Item prodidit vitam Paulli Eremitæ. Auctor Sigebertus in catalogo cap. CXXX, & ex eo Tritthemius.

Ejuſdem Ottonis ætate Lamfridus Anglus, monachus Benedictinus, in Wintonienſi cœnobio veteri vitam agebat ſub rege Anglorum, Ethelredo, circa an. Iↄ cccc LXXX. Hic vitam & miracula Suithini epiſcopi mox ab ejus tranſlatione deſcripſit. In illuſtris baronis Lumleyani bibliotheca exſtat is liber MSus.

Roſwid, quoque ſive Hroſvith, Gandeshemenſis (quæ nonnullis Roſvita, aut Roſvida, vel Roſvitis, aut Roſvidis, nominatur) claruit temporibus Ottonis II: cujus juſſu non minùs, quàm Gerbergæ abbatiſſæ, heroico carmine hiſtoriam ſeu panegyricum reliquit de geſtis primi Ottonis, ſive, ut ipſa ſemper vocat, Oddonis. Præterea verſu elegiaco tradidit paſſionem S. Dionyſii epiſcopi, & martyris. Item carmine panxit paſſionem S. Pelagii, Hiſpani martyris. Etiam egit de laudibus B. Virginis, item S. Annæ, adhæc de S. Gangulpho, & aliis ſanctis. Quæ omnia prodiere Noribergæ anno cIↄ Iↄ I, procurante Conrado Celte, primo Germaniæ poëtâ laureato. Panegyricus verò Ottonis in Germania cum aliis aliquot rerum Germanicarum ſcriptoribus recuſus eſt, curâ Juſti Reuberi. Fuit virgo hæc, ut genere nobilis, ita pietate inſignis: nec Latino modò carmine pollens, ſed etiam Græcè docta. Apud Tritthemium in catalogo legas, fuiſſe *coætaneam Joannis Anglici, qui doctrinâ ſuâ papatum meruit.* Quæ ſi Tritthemius ſcripſit, exiſtimârit, vixiſſe circa annum Iↄ ccc LVI. Sed quomodo iis temporibus fuerit, quæ Ottonis primi geſta ſcripſit, idque Ottonis ſecundi juſſu; quæque tertii Ottonis ætate ex vitâ hac exceſſerit? Neque hoc neſcivit Tritthemius; qui in Chronico Hirſaugienſi eam refert ad annum Iↄ cccc LXXX. Quare facilè iis fidem habeo, qui iſtæc verba catalogo Tritthemii ab homine temporum parum intelligente aſſuta eſſe arbitrantur. Sed ut verba iſta auferamus, ſic quoque mirari ſatis non poſſim, eam à Tritthemio in catalogo, ſi ſeriem ſpectemus, inter illos recenſeri, qui poſt milleſimum & centeſimum annum floruere. Qui error priori omnino contrarius eſt. Nec diſſimulandus error doctiſſimi Humfridi, quando eandem Roſwidam eſſe putat, ac Hildam. Nam & locis, & temporibus, refellitur; cùm Hilda fuerit Angla abbatiſſa in monaſterio Herethew; atque anno deceſſerit Iↄ c LXXX, regnante in Northumbria Egfrido: quemadmodum conſtat ex Beda lib. IV. hiſtoriæ cap. XXIII.

Secundi, tertiique Ottonis temporibus, fuit quoque Herigerus, abbas Lobienſis. Scripſit cùm alia, tum Leodienſium epiſcoporum geſta: ut perhibet Sigebertus cap. CXXXVIII. Idem Sigebertus auctor eſt, carmine laudabili poſteris tradidiſſe vitam Urſmari. Alia quoque commemorat: ſed non hujus loci. Obiit anno Iↄ cccc XC: ut ait Philippus Bergomenſis Chron. ſuppl. lib. XII, ad annum Iↄ cccc LXXXII.

Vixit quoque ſub utroque illo Ottone Albertus, ſive, ut in aliquibus MSSis vocatur, *Olbertus*, monachus Lobienſis, ordinis S. Benedicti, ac pòſt Gemblacenſis monaſterii abbas, congregationis Cluniacenſis. De eo ſic Sigebertus in catal. cap. CXLIII: *Albertus ex monacho Lobienſi abbas Gemblacenſis, humana & eccleſiaſtica ſcientiæ ſtudio, & religionis fervore inſignis, nomen ſuum æternavit, vitas Sanctorum Patrum deſcribendo, cantus in honore ſanctorum componendo, & eo maximè, quòd Burchardus, Epiſcopus Wormatienſis, ejus magiſterio ad hoc eſt provectus, ut ita eccleſiaſticæ utilitati intenderet, & ejus ſtudio, ore, & manu, illud magnum Canonum volumen ad communem omnium utilitatem ederet.* Hæc Sigebertus. Etſi autem ambiguè ait, *vitas ſanctorum patrum deſcripſiſſe*: tamen Tritthemius, atque alii hoc ita maluere interpretari, ut compoſuiſſe ipſe dicatur, quàm ut amanuenſis, ſive librarii munus obierit. Ætatem ejus jam indicavimus. Sed apud Geſnerum, & Simlerum, legas, toto ſeculo antè vixiſſe. Etiam Poſſevinus ait, à Tritthemio quidem ad annum Iↄ ccc LXXX: ab aliis autem ad annum referri cIↄ. Video, quid doctis viris impoſuerit. In Tritthemio vulgò legitur, viguiſſe anno Iↄ ccc LXXX. Sed iſte librarii error eſt. Nam Tritthemium haut ita ſenſiſſe, ſatis arguit, tum quòd illum diſertim refert poſtremo loco eorum, qui inter nongenteſimum, & milleſimum annum vixere: tum quia ait, floruiſſe ſub Ottone II ejus nominis imper. tum quòd dicit, fuiſſe præceptorem Burchardi, epiſcopi Wormatienſis, quem vixiſſe mox refert an. cIↄ XX. imò inter Albertum, & Burchardum, ſolum interjicit Aribonem Moguntinum: quo præſide, anno cIↄ XXII, celebrata ſynodus Seleguſtadienſis: cui & Burchardus interfuit. Hæc Tritthemium quidem; at non eruditos illos viros, oſcitantiæ abſolvunt: minimè autem Poſſevinum.

Claruit tum quoque Notgerus, epiſcopus Leodienſis. Scripſit libris duobus vitam ac miracula ſancti Landoaldi, Eccleſiæ Romanæ presbyteri, & confeſſoris, qui deceſſit circa annum Iↄ c LXX. Habes apud Surium Tom. II. a. d. XIX Mart. Præterea conſignavit vitam Remacli qui obiit anno Iↄ c XCI. Habes ibidem ad diem III Septemb. Ac Surius, Haræus, Baronius, & alii, tribuunt eidem libros de miraculis Remacli. Quam ſententiam licet ipſe primùm ſim ſecutus, tamen attentiùs conferens ea, quæ libro de miraculis S. Remacli ſcribuntur, cum illis quæ habet Notgerus, cogor ſententiam mutare. Nam auctor de miraculis Remacli clarè indicat, ſe vixiſſe temporibus Lotharii, Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici & Caroli Craſſi imperatorum. Quod liquido oſtendimus cap. XXXVIII.

Notgerus verò epiſcopatum geſſit ab an. Chr. IↃcccc LXXI, uſque ad annum CIↃVII. Ac vitam S. Landoaldi ſcripſit an. Chr. IↃcccc LXXX, Ottonis imperatoris VIII, epiſcopatus ſui IX, ut ipſe diſertim teſtatur extremâ præfatione, quæ eſt ad Wgmarum, abbatem Gandenſem, item in calce ipſius opuſculi. Adde quod etiam in opuſculo anteceſſorem vocat *Euraclum*: pro quo perperam *Euradum* edidit Surius, nempe quia *cl* & *d* facilè confunduntur. Atqui certum eſt Euraclum, (quem alii Heraclium appellant, eoſque inter Placentius Dominicanus) epiſcopum fuiſſe Leodienſem ab an. IↃcccc LX, uſque ad ann. IↃcccc LXXI, quo ei Notgerus ſucceſſit. Cæterùm Notgerus non Remacli ſolùm (cujus vitam etiam conſignarunt monachi Stabulenſes prope Leodium) ſed aliorum etiam Trajectenſium, imò & Leodienſium epiſcoporum (Trajecto enim ſedes epiſcopalis Leodium fuit tranſlata) literis mandavit, ut hæc ejus verba oſtendunt epiſtolâ ad Weinfridum abbatem: *Non ejus modo, cujus meminimus, ſancti ſcilicet Remacli, verùm cæterorum noſtræ ſedis pontificum tempora, & geſta, quæ undecunque potuere corrodi, ad noſtra uſque tempora collegi: & cujus potiſſimum anhelabas deſiderio, vitam inde exceptam a votis tuis porrexi.* Atque hæc verba eadem oſtendunt auctorem hujuſce libri fuiſſe epiſcopum Trajectenſem. Nam ait, *noſtræ ſedis pontificum.* Ut inde etiam colligatur diverſum eſſe à monacho illo S. Remacli, qui de miraculis hujus ſcripſit. Nec qui de vitâ S. Remacli ſcripſit, alius eſt ab eo, qui egit de vitâ S. Landoaldi. Quod & Hatæus agnoſcit, cùm utriuſque auctorem facit Notgerum, epiſcopum Leodienſem. Quare parum conſideratè autorem quidem vitæ S. Landoaldi claruiſſe ait anno IↃcccc LXXX: ſed ſcriptorem vitæ S. Remacli anno IↃcccc L. Nec enim plures, ſed unus ejuſce nominis epiſcopus Leodienſis fuit.

a *Forte, excerpta.*

Eodem tempore ſub Ethelredo, Anglorum rege, vixit viguitque Ethelwoldus Wentanus, Anglus, monachus Gloſcanienſis, Dunſtani abbatis diſcipulus, primùm abbas Abindonienſis, ac poſtea Wintonienſis præſul. Librum edidit de abbatibus Lundisfarnenſibus *b*: & alterum de regibus, regnis, & epiſcopatibus totius Angliæ: alium item de tempore regum Britannorum. Exſtant hi libri MSSi in Cantabrigienſis Academiæ bibliotheca publica. De operâ ejus, adverſus presbyterorum conjugia, vide Vincentium Bellovacenſem, & Antoninum. Obiit Wintoniæ anno Chr. IↃcccc LXXXIV, epiſcopatus ſui XXIV.

b *Alii, Lindiſfarnenſibus, ut T. James.*

Temporibus Ottonis III imperatoris ſub eodem Ethelredo, Anglorum rege, circa annum IↃcccc XC, claruit Alfredus Anglus, monachus & abbas Malmeſburienſis, ordinis Benedictini, ac poſtea Criodunenſis, ſive, ut nunc vocant, Exceſtrienſis epiſcopus. Familiaris fuit Dunſtano, abbati Glaſconienſi. Præter opus de natura rerum, librum reliquit de rebus ſui cœnobii. De ſancto Aldhelmo multa opuſculis ſuis intexuiſſe, auctor eſt Guilhelmus Malmeſburienſis in opere de Pontificibus.

Ætate ejuſdem Ottonis III claruit & Abbo, qui Jacobo Philippo Bergomati lib. XII. Chronic. Supplem. *c* atque aliis, *Albo* perperam nuncupatur. Abbas fuit Floriacenſis: atque edidit excerpta de vitis Pontificum; quæ cum Luitprando de pontificum vitis conjunguntur. De ætate quod dixi, cognoſcere eſt ex eo, quòd Abbo apologeticum ſuum ſcripſit ad Hugonem Capetum, filiumque ejus Robertum, Galliarum reges. Nam hos, & Ottonem III, *συγχρόνες* fuiſſe, ſatis eſt apertum. Idem indicant epiſtolæ Abbonis complures ad Gregorium V Pontificem, atque alios: quæ etiamnum exſtant. Meminere Abbonis hujus, Sigebertus in catalogo cap. CXL, & in Chronico ad annum IↃcccc XC, & Senatus Bravonius in vita S. Oſualdi apud Surium ad XV Octob. Ex quo cognoſcimus, Dunſtani hortatu, etiam ſcripſiſſe paſſionem B. Edmundi regis, & martyris: quam apud Surium habemus Tom. VI, die XX Nov. Manuſcripta exſtat in bibliothecâ privatâ Lumlejana. Vide & Tritthemium in Chronico Hirſaugienſi, & Carolum Sauſſeyum, in annalibus Aurelianenſibus lib. IV. cap. VIII, ac imprimis adi annales Francicos Pithœi: ubi vitam Abbonis hujus ex veteri habes membrana; interque alia exponitur, ut ſeditione inter Vaſcones, & Francos, coortâ, lanceâ ſit interemptus: quod anno contigit CIↃIII, Idibus Novembris, natali die S. Briccii; qui dies & à monachis in honorem Abbonis celebratur. Atque hoc quoque ætatem ejus ſatis arguit. Quare omnino diverſus eſt ab Abbone illo, Aimoini diſcipulo; de quo ſuperiùs egimus. Item ab Abbone, cui Aimoinus libros de geſtis Francorum dedicavit.

c *Ad annum 982.*

Aumonius quoque, qui Tritthemio *Ammonius*, Gallus, monachus Floriacenſis, juxta eundem Tritthemium ſub Ottone antè memorato vixit circa annum IↃcccc XC. De eo ſic Sigebertus: *Aumonius, monachus Floriacenſis, hiſtoriam miraculorum S. Benedicti ab Adrevaldo inititam perfecit, perducens eam à tempore Odonis regis uſque ad tempus Roberti, regis Francorum.* Idem opus ei tribuit Tritthemius: ſed addit Sigebertus, etiam de geſtis Francorum ſcripſiſſe: quod præterit Tritthemius. Equidem puto, Tritthemium hoc in ſuo Sigeberti codice non reperiſſe. Nam quid aliud in cauſſa eſſe credamus, cur omitteret? Et ſanè videtur adjectum ab altero, qui confunderet Aumonium cum Aimoino, de quo ſuperiùs diximus. At diverſiſſimi ſunt, etſi viri eruditi pro eodem habeant. Nam Aumonius fuit monachus Floriacenſis, ſive S. Benedicti ad Ligerim: quod ex Sigeberto, & Tritthemio, ſcimus. At Aimoinus monachus fuit S. Germani à Pratis: quod ſuperiùs ſatis eſt oſtenſum. Item Aumonius à Tritthemio refertur ad tempora Ottonis III. At ſeculo ampliùs antiquiorem eſſe Aimoinum, ex ejus ſcriptis ſuperiùs comprobavimus.

Stephanus quoque, juſſu Chriſtiani abbatis, circa annum IↃcccc XC, conſignavit hiſtoriam inventionis S. Maurini abbatis, & martyris: quam apud Surium habes T. VII, die X Jun. Sed Hatæus eam in epitome ſuâ præteriit.

Iiſdem Lethaldus Gallus, Cenomanenſis monachus congregationis Cluniacenſis, ab Arnoldo Wion in Ligno Vitæ refertur ad annum IↃcccc XC. Literis mandavit vitam S. Juliani Cenomanenſis: quæ adverſari ſolet Ultrajecti in monaſterio Salvatoris.

Qui vitam tradidit S. Adalberti, ſecundi Pragenſis epiſcopi, & martyris, (quam apud Surium reperies ad diem XXIII Apr.) eodem tempore vixit, ac S. Adalbertus: ut verba hæc in ea vita oſtendunt: *Sed ad hæc, quod antè neſcivit, quærenti illi rectè abbas reſpondit, ut ipſe non ſemel ad nos dixit.* Atqui, ut in ea vita clarè narratur, vixit Adalbertus Ottonis II, & III temporibus: lanceaque perfoſſus anno occubuit IↃcccc XCVII.

Eodem tempore & alter ejuſdem Adalberti vitam exaravit: quam Caniſius edidit Tom. V. Antiq. Lect. Ætatem indicant verba hæc: *Erat autem iſtis diebus Romæ imperatrix Theophania, mater ejus, qui modò regnat* TERTIUS, *&, Deo juvante, maximus* OTHO.

Adhæc Cœnobitæ Medelocenſes circa ann. IↃcccc XC, tradidere vitam S. Adalberti Confeſſoris, & Levitæ, diſcipuli S. Willebrordi. In ejus extremo hæc legas: *Hæc de vita, & virtutibus celeberrimi Confeſſoris Chriſti, Adalberti, Medelocenſis cœnobii fratres conſcripſere, jubente ſupradicto eximio Præſule, Egberto, eius monaſterii domino, rerum ad divinum cultum facientium ſtudioſiſſimo procuratore.* Unde de auctoribus, & eorum ætate, quod dixi, ſatis cognoſcitur. Eam vitam, ſed immutato ſtylo, offendes apud Surium Tom. III, die Jun. XXV.

Ad hujus Ottonis quoque tempora pertinet Dudo Neuſtrius: qui res in Galliis à Normannis geſtas conſignavit uſque ad annum IↃcccc XCVI: ſed poëticâ magis, quàm hiſtoricâ fide. Uſque adeò multas fabulas infercit. Ex hoc tamen ſcriptore Guilhelmus Gemeticenſis tres primos de Normannorum geſtis libros collegit: ut hæc in præfatione oſtendunt: *Principium narrationis uſque ad Richardum II à Dudonis, periti viri, hiſtoria collegi: qui quod poſteris propagandum chartæ commendavit, à Rodolpho, Comite primo, Richardi fratre, diligenter exquiſivit.* Eodem ſpectant extrema hæc verba libri tertii:

*Hacuſque digeſta, prout à Rodolpho Comite, hujus Ducis* (Richardi) *fratre, magno & honeſto viro, narrata ſunt, collegi: quæ ſcholaſtico dictamine ſcripta relinquo poſteris.* Subjungit deinde, Richardum ducem obiiſſe anno Iɔ cccc xcvi: unde cognoſcimus ætatem Dudonis, qui argumentum hiſtoriæ ſuæ à Richardi hujus fratre acceperat. Exſtat MSus apud Cantabrigienſes in bibliotheca Collegii S. Benedicti, teſte Thomâ James, cui inſcribitur, *Libri xvi Hiſtoria Rom. & Normannorum per Dudonem.* Eſtque idem Dudo, qui *rerum Aquitanicarum ſcriptor* vocatur Saxoni Grammatico, initio libri primi.

Extremis Othonis III. temporibus, Wolſtanus, monachus Wintonienſis, vixit ſub Ethelredo, Anglorum rege: puta anno cIɔ: ac, præter librum de tonorum harmoniâ, etiam carmine prodidit Suithini epiſcopi tranſlationem, & miracula: quod paullo antè proſâ fecerat Lamfridus, ejuſdem cœnobii monachus. Præterea deſcripſit vitam Ethelwolphi regis: item vitam præceptoris ſui, Ethelwolphi, priùs monachi, ac poſtea epiſcopi Wintonienſis. Cujus epitomen ex MSo Surius, ſed mutato ſtylo, expreſſit Tom. iv, Kal. Aug. Guilelmi Malmesberienſis, lib. ii de geſtis Anglorum, ejuſmodi de Wolſtano judicium eſt, fuiſſe virum eruditum, bonæ vitæ, & eloquentiæ caſtigatæ.

Ad hæc quoque tempora pertinet Othlonus, Fuldenſis monachus. Memoriæ is tradidit vitam geſtaque S. Pyrminii; qui Meldenſis, vel, juxta alios, Metenſis fuit epiſcopus, familiaris S. Bonifacii, ac patrocinio Theodorici Calæ, & Caroli Martelli, uſus eſt in prædicando Evangelio: ut conſtat ex Othloni cap. i, & xiii; necnon iis, quæ commemorat Marcus Velſerus lib. v rerum Boicarum. Hujus vitam alii etiam ante Othlonum ſcripſere; ſed negligentiùs: quâ de re ſic in prologo conqueritur Othlonus: *Quæ fuerint Præſulis ab ineunte ætate rudimenta; quibus in adoleſcentia ſanctitatis rutilaverit floribus; vel quibus per omnem juventutem, uſque ad promotionem pontificatus, excreverit virtutum inſignibus; nimium culpanda ſcriptorum incuria notare neglexit. Pauca duntaxat, quæ ſub pontificatus tempore geſſit, obſcura exarata reperimus: ipſa, ſi Chriſtus opem dederit, evidentiùs, atque operoſiùs, exprimere ſtudebimus.* Dicavit eam vitam Liudolfo, Archiepiſcopo Trevirenſi: qui ex Goſlarienſi regali Eccleſia ad hoc faſtigium pervenerat anno Iɔ cccc xcix, atque anno deceſſit cIɔ viii: ut ex Hermanno Contracto cognoſcimus, qui & *virum doctum* appellat. In antiquis lectionibus Caniſii etiam vita S. Bonifacii Othlono adſcribitur. Eam, mutatis quibuſdam, & pleriſque omiſſis, ediderat Surius Tom. iii, die v Jun. Nomen quoque auctoris prætererat. At Caniſius T. iv Antiq. Lect. bonâ fide repræſentat ex codice MSo monaſterii Rebdorfenſis, prope Eichſtadium, ubi & Othloni nomen erat expreſſum. Sed ſtylus reclamat: ut monitum quoque Chriſtophoro Brouwerio: cujus beneficio, & Pyrminii, & aliorum illuſtrium Germaniæ virorum vitæ, cum notationibus, in lucem exierunt.

Etiam Uffingus, qui & *Uffo Friſius*, monachus Werthinenſis, à Suffrido Petri a claruiſſe dicitur circa annum milleſimum. Hic poſt Othelgrimum, familiarem S. Ludgeri diſcipulum; poſt item Altfridum, tertium Monaſterienſem epiſcopum; vitam deſcripſit S. Ludgeri: eumque ſecutus eſt quartus ejus vitæ ſcriptor, S. Bernardi σύγχρονος, qui carmine idem præſtitit: ut poſtea dicemus. Ex quatuor hiſce, ſancti ſe Ludgeri vitam concinnâſſe, agnoſcit Joannes Cincinnius in præfatione ſuâ ad monachos S. Ludgeri in monaſterio Werthinenſi, ubi & Uffingum hunc appellat *virum multæ eruditionis, & elegantiæ.* Is liber Coloniæ à Quentelio fuit excuſus ante annos centum, & quod excurrit. Inque eâdem editione reperio & Uffingi hujus carmen in laudem monaſterii Werthinenſis: cujus initium,

a Inſcript. Friſ. dec. 7. cap. 5.

*Singula de propriis ſi gaudent mœnia ſanctis.*

Scripſit & vitam S. Idæ, viduæ: quæ eſt apud Surium Tom. iv Sept. iv, atque item Tom. vii eopſe die. Cæterùm Suffridus Petri teſtatur, Uffingum etiam reliquiſſe hiſtoriam S. Lucii, Britanniæ regis: atque addit, ejus exſtare etiamnum codd. MSSos. Quos videre mihi hactenus non contigit.

## CAP. XLII.

*Mauri, Quinqueccleſienſis epiſcopi, ætas, ac libelli de vita Zoerardi, ſive Andreæ, & Benedicti, eremitarum. Theodericus, Trevirenſis monachus, de inventis S. Celſi reliquiis. Adelboldus, qui aliquibus Adelbero, de vita Henrici II. Imp. Utrùm hujus ſit vita, vel quam Divis ſuis Bambergenſibus inſeruit Gretzerus; vel quam primus edidit Caniſius. Meginfridi Chronicon de rebus monaſterii Fuldenſis, ac opuſculum de vita S. Emmerammi. Alphrici Angli Chronicon Saxonicon. Haimo Floriacenſis, ſive Eboracenſis. Reinerus Leodienſis. Andreas Leucander unde nomen acceperit, & quæ ſcripſerit.*

VEnio ad tempora Henrici II, cognomento Claudi, vel Sancti, qui aliis *primus* ejus nominis cenſetur, quia prior Henricus non fuerit à Pontifice coronatus; eoque, multorum judicio, tantùm Romanus rex fuerit: non imperator, vel Cæſar: de quo diſputare non eſt hujus loci. Imperare Henricus cœpit anno cIɔ ii, atque annis xxiii rexit.

Fuit ejus ætate Maurus, primùm monachus S. Martini in monte Pannoniæ: poſtea epiſcopus Quinqueccleſienſis. Cui eccleſiæ præfectus fuit à Stephano primo, filio Gayczæ: qui ex Hungaris primus rex Chriſtianorum fuit. Auctor Bonfinius rerum Hungaricarum decadis ii lib. i. Venit Maurus in poſteritatis memoriam gemino labore: ſed non ita difficili. Quippe duorum ſui temporis eremitarum vitas deſcripſit: ſed paucis. Uni eorum nomen Zoerardo, qui Andreas vocatus eſt, poſtquam monachus factus fuit. Hic confeſſor obiit. Alteri nomen Benedicto, qui à latronibus fuit interemtus. Zoerardum à ſe etiamnum puero literarium in ludum itante viſum ait: quæ autem narrat, ea didiciſſe ſe, partim à diſcipulo Zoerardi, ſive Andreæ, B. Benedicto; partim ab abbate Philippo: à quo Zoerardus monachi habitum acceperat. Zoerardum autem monachum dicit factum *tempore illo, quo ſub Chriſtianiſſimi Stephani regis nutu, nomen, & religio Deitatis, in Pannonia rudis adhuc pullulabat.* Quod oſtendit, non alium eſſe hunc Maurum ab illo, de quo Bonfinium loqui dicebamus. Vitæ iſtæ leguntur apud Surium Tom. iii a. d. i Maji.

Tum quoque, anno nempe cIɔ v, claruit Theodericus, S. Matthæi prope Treverim monachus eruditus: qui argumentum elegit ſui ævi, ſignando literis inventionem reliquiarum S. Celſi Confeſſoris. Comperies hunc ejus laborem apud Surium T. vii d. xxiii Febr.

Adelboldus, ſive Adelbodus, (quem Adalberonem vocat Baronius a) ex clerico Lobienſi factus eſt epiſcopus Ultrajectinus anno cIɔ viii, v Non. Maji: atque anno obiit cIɔ xxvii, v Kal. Decembris. Vitam ejus vide in Chronicis Joannis à Beka. Unde cognoſcas fuiſſe epiſcopum xix: pro quo perperam apud Valerium Andream epiſcopum fuiſſe xxix legas. Sigebertus in Chron. ad an. cIɔ xxiv, & catalogi cap. cxxxix, teſtatur, exarâſſe eum vitam Imperatoris ſui, Henrici II, cognomento Claudi: à quo & magno in pretio habitus fuerit. Etiam de Danis, Turoniam volentibus invadere, & alia quædam, edidit: etſi eorum nec Sigebertus, nec Tritthemius, faciant mentionem. Beka autem ne quidem vitæ meminit Henrici. Ea vita, ſed mutila, legitur in Divis Bambergenſibus à Gretzero editis: ubi ſubjungitur vitæ Othonis. Eſtque inſcriptio hujuſmodi, etiam in codice manu exarato: *Vita Henrici imperatoris ab Adelboldo, epiſcopo Trajectenſi, ut creditur, conſcripta.* Ubi nonnihil ſcrupuli adferunt adjecta hæc verba, *ut creditur.* Etiam in MSo doctiſſimi & amiciſſimi Arnoldi Buchellii, Juriſconſulti, ta-

a Ad an. 1024.



ized by Google

talis eſt inſcriptio: *Vita S. Henrici, imperatoris virginei, quam ſcripſit Adelboldus, Trajectenſis epiſcopus, ut legitur in ſpeculo hiſtoriali.* Unde colligas, vitam hanc primùm fuiſſe editam abſque nomine autoris. Alioqui enim non aliunde probato opus erat, quis ejus fœtus pater foret. Convenit autem codex ille Buchellii cum eo, quem primus exhibuit Henricus Caniſius Tom. VI. Antiq. Lect. Nam & in hoc deſiderantur bullæ Pontificum, & literæ Henr. Imp. item extremo opere miracula aliquot: quæ omnia in Gretzeri editione reperias. Non injuria autem in dubium vocatur, ſitne ea genuina Adelboldi vita, nec ne. Nam obiit Adelboldus anno cIↃ XXVII, ut ex Beka antè referebamus: quem in illuſtribus Germaniæ ſcriptoribus etiam Tritthemius ſequitur. At auctor ille Henricianæ vitæ narrat, ut imperator hic Henricus ſanctorum ordinibus adſcriptus fuerit ab Eugenio III anno cIↃ C LII. Quare, vel dicere convenit, vitam hancce à junioribus eſſe interpolatam; uti in aliis plurimis factum conſtat: vel putandum, non eſſe Adelboldi; verùm cujuſdam recentioris: fortaſſe, ut Gretzerus ſuſpicatur, Nonnoſii monachi: à quo etiam Henrici hujus, & Cunegundis uxoris vita, literis prodita fuit: ut colligere eſt ex Martini Hofmanni annalibus Bambergenſibus.

Tempore ejuſdem imperatoris, quà poterat, nomen ſuum diffundebat Meginfridus, ſeu Meginfredus. De eo, Henrici hujus imperium deſcribens, ſic Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi: *Claruit etiam his temporibus Meginfridus, monachus Fuldenſis, Chronographus; qui, velut roſa inter ſpinas, ita ſtudioſus & doctus inter deſides carnales, ignaroſque monaſterii ſui monachos, clarus emicuit. Is inter cætera ingenii ſui opuſcula, hiſtoriam ſui monaſterii ab origine diligenter complexus, abbates ſingulos ſecundum ordinem temporis ſibi ad invicem ſuccedentes inſeruit, & uniuſcujuſque geſta breviter annotavit; eorum quoque cœnobiorum, quibus vel monachos ex Fuldenſi miſſos novit, vel abbates, pari ratione meminit; quorum & ſucceſſiones abbatum, & memorabiliora facta, interſerendo, compendioſè deſcripſit. Ex cujus viri laboribus, multa me fateor, in hoc opere noſtro de Hirſaugienſi hiſtoria, neceſſariò commiſcuiſſe.* Ac meminit hujus ſcriptoris etiam aliis ejuſce operis locis. Item in vita S. Maximi, epiſcopi Moguntini, apud Surium, a.d. XXVIII Octobr. Ubi ſic de eo ſcribit: *Presbyter Maximus, in epiſcopatu ſuccedens, præfuit annis, ut Megenfridus refert in Chronicis, quatuor & viginti.* Inibi ad oram hæc annotantur; *Is Megenfridus fuit monachus Fuldenſis, ſub imperatore Ottone* II, & III; *ſcripſitque hiſtoriam libris* XXIV. Neque, quod hic de Ottone II, & III dicitur, adverſatur ei, quòd eum ad Henrici II. ætatem antea referebamus. Nam uti Ottonum tempore vixit, ita & Henrici II, qui Ottoni III. ſucceſſit. Cæterùm non Chronicis ſolùm gloriam meruit: ſed etiam vitâ S. Emmerammi. Quam apud Henricum Caniſium habes T. II Antiq. Lect. Unum tantummodò ſententiæ huic repugnare videtur, quòd Chronici auctor à Tritthemio dicatur fuiſſe monachus Fuldenſis; at is, qui vitam tradidit Emmerami, in epigraphe vocetur *præpoſitus Magdeburgenſis:* ſimiliterque, Græcâ appellatione, *Parthenopolitanus magiſter* nuncupetur ab Arnoldo Comite de Cham, & Vorburch, epiſtolâ ad Burchardum abbatem a. Sed, ut Caniſius inquit, potuit Fuldâ vocari ad præpoſituram Magdeburgenſem. Sanè tempora conveniunt, cùm & Magdeburgenſis ille præpoſitus vixerit anno cIↃ X.

a *Apud Caniſium T. 2. Ant. Lect.*

Iiſdem temporibus in pretio erat Alfricus, ſive *Elphricus*, cognomento *Grammaticus*, natione Anglus, Ethelwolphi diſcipulus, poſtea abbas Abindonenſis, exinde epiſcopus Wiltunenſis, ac tandem archiepiſcopus Cantuarienſis. Anno ætatis XXIII condidiſſe dicitur Chronica Saxonica: quæ imprimis agebant de Eccleſia Cantuarienſi. Hæc MSa ſuperſunt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Ubi & alia ejuſdem, itidem MSa, reperies. Eademque in urbe, in publicâ Academiæ bibliothecâ, ejus ſermones CLXXX antiquis literis Saxonicis MSi conſpiciuntur. Alia quoque ejuſdem ſuggeret in Britannicorum ſcriptorum catalogo Joannes Pitſeus. Obiit anno cIↃ XVI, ſub rege Anglorum Ethelredo.

Haymo Floriacenſis, Anglus, S. Benedicti monachus, in Eboracenſi cœnobio degebat anno gratiæ cIↃ XX. Hic memoriam ſui ad poſteros propagavit, ſignando martyrium S. Abbonis, abbatis Floriacenſis; item hiſtoriam à Juſtiniano imper. uſque ad Karolum M. cujus operis epitomen fecit Gulielmus Malmeſburienſis, ut alibi dicimus.

Æqualis huic Reinerus, monachus Leodicenſis cœnobii S. Laurentii. Nominis ſui memoriam reliquit ſcriptâ à ſe vitâ B. Laurentii, epiſcopi, & martyris. Item vitâ S. Woldobonis, epiſcopi Leodicenſis, quæ MSa Leodici adſervatur.

His comitem ſe addit Andreas Leucander, Anglus: qui & ipſe circa annum cIↃ XX clareſcebat, regnante apud Anglos Canuto Dano. Poſſevino vocatur *Lernander*: ſed corruptè; cùm non à Lerna id nominis acceperit: ſed planè exprimatur Græcum λευκάνδρος, quaſi Latinè *albivirum* nuncupes. Quippe linguâ patriâ *Whyteman* vocabatur: ut de conterraneo ſuo tres Angli tradidere: *Lelandus* dico, & ex eo Balæus, ac poſt utrumque Pitſeus. Monachus fuit, & tertius abbas Rameſienſis cœnobii apud Girvios. Adiit Hieroſolymam, ac *De ſuo itinere ſacro* librum perſcripſit. Item conſignavit vitam Joannis, ut Pitſeus vocat, ſeu, ut priores, Ivonis, epiſcopi nationis Perſicæ, in Britannia ſepulti: cujus corpus Ailwinus, Orientanglorum comes, quæſierat: ac poſtea Eadnotus, primus Rameſienſis cœnobii abbas, Slepiæ Girviorum repererat. Id argumentum, lecto Leucandri libro, elegantiùs poſtmodò tractavit Gotcelinus Bertinianus.

## CAP. XLIII.

*Tangmarus presbyter de geſtis Bernwardi epiſcopi, diſcipuli ſui, ad Sifridum epiſcopum. Quatenus ſit genuinus. Arnoldi Saxonis, Altahenſis monachi, ætas, atque opus de vita Godeharti, ad præceptorem ſuum Meghardum, juſſu ſcriptum Athelberti abbatis. Quâ fide opuſculum hoc exaratum, & quouſque ſit ipſius Arnoldi. Fulberti Carnotenſis ſtudium erga B. Virginem, atque ut miraculosè ſanatus dicatur. Fulberti hujus Legenda de nativitate B. Virginis, & liber de vita S. Autberti. S. Eberardus de vita S. Haruici. Warmanus de vita S. Pyrminis. Hiſtoria Alberti Metenſis de geſtis ſui temporis. Theodericus, S. Albani monachus, de vitâ & miraculis S. Benedicti. Bertrada ſeu Berta de S. Adelheide. Poſſevini de ætate ejus ſententia refellitur.*

TUm Henrici II, tum Conradi II ætate, in pretio erat Tangmarus presbyter, bibliothecarius, ac notarius Eccleſiæ Hildesheimenſis. Hic collegit geſta Bernwardi, tertiidecimi Hildesheimenſis Eccleſiæ epiſcopi; qui eò dignitatis provectus fuit anno Soſpitatoris noſtri IↃ CCCC XCIII: ac trigeſimo pòſt anno, Chriſti verò cIↃ XXIII, naturæ conceſſit. Fuit autem Tangmarus Bernwardi hujus præceptor: atque, ubi ille ad epiſcopale pertigerat faſtigium, in peregrinatione eum Italicâ eſt comitatus: imò & legatus ad Ottonem III, ac Sylveſtrum II. fuit: quod clarè eâ ex vita dilucet. Epiſtola igitur, quâ vita iſthæc nuncupatur Sifrido, planè alterius eſt. Nam Sifridus hic omnino eſt ille è nobili Quernevorde familia, priùs Magdeburgenſis Eccleſiæ decanus, ac canonicus: poſtea autem trigeſimus tertius Hildenheimenſis Epiſcopus, quem adeptus eſt honorem an. cIↃ CC LXXX. Nec tamen omnem Bernwardi vitam ſcripſit Tangmarus; ſi fidem ex iis, quæ habemus, fieri oportet. Nam deſinit in controverſia, quæ inter Bernwardum, & Aribonem, archiepiſcopum Moguntinum, de Gandesheimenſi erat controverſiâ. Iis expoſitis, in veteri codice, minimùm ejuſmodi, ut ſcriptus ſit ante annos CCC, diſertim legas, *Explicit Tangmarus.* Fortaſſe, eò uſque ubi pervenerat, è vivis exceſſit. Sal-

tem

tem alterius ſunt, quæ poſtea narrantur de conditâ ab eo abbatiâ, ſeu monaſterio S. Michaëlis: item de quinquennali ejus morbo, atque inſtituto monaſtico, & obitu. Cæterùm, cùm de vita loquimur Bernwardi, non eam intelligimus, quam Surius dedit a.d. xx Novembris (vix illa breviarii nomen meretur) ſed iſta, quam Brouwerus è codice Hildeneshemenſi in illuſtribus Germaniæ ſideribus edidit.

Arnoldus Saxo, Altahenſis, ſive Altachienſis monaſterii, in Bavaria ad Danubium ſiti, alumnus, poſteaque, ut videtur, canonicus Herveldenſis, eodem tempore vixit, ac S. Godehartus: qui anno ætatis xxxi ex clerico factus fuit monachus S. Benedicti, anno Chr. Iↄ cccc xc: abbas autem conſtitutus circa an. Iↄ cccc xcvii. Imperabat tum Otto III: epiſcopus verò Hildenesheimenſis erat S. Bernwardus, ſive Bernardus, jam ab anno Chriſti Iↄ cccc xciii. Huic Bernwardo poſtea in epiſcopatu ſucceſſit Godehartus, ac quartus-decimus ejus loci epiſcopus fuit. Præcipuè igitur claruit temporibus tum Henrici cognomento Claudi, vel Sancti: tum Conradi II; cujus anno xii obiit, anno Chriſti cIↄ xxxvii. Hujus Godeharti vitam ab Arnoldo ſcriptam eſſe, ſatis oſtendunt ea prologi verba: *Summa reverentia decore venerando domino meo, & magiſtro, Menghardo, toto ſemper devotionis ſtudio colendo, Arnoldus, ſpiritu, & corpore modicus, quicquid pro pluralis ſubjectionis debito iure proprius, hiſtoriam de vita & inſtitutione beatæ memoriæ patris ac paſtoris noſtri, Godeharti epiſcopi, ſcripturus*, &c. Cujus verò poſtulatu memoriæ eam tradiderit, paullò poſt ſubjungit his verbis: *Multiplici propria negligentia conſcientiâ, & metu territus, retrahebar; donec tandem præceptorum ac fratrum, maximeque beati viri, & veri Dei cultoris, Athelberti, abbatis noſtri, juſſis partim ſponte, partim invitus, obediens, tale faſtigium attingere tentavi: tuaque clementia, ô præceptor nobilis, ſecretiùs offerendum exiſtimavi.* Atque ex his ſimul, diſcipulum fuiſſe Menghardi, cognoſcimus. Poſtea ſubjungit: *Per adoleſcentia mea tempora, inter Herveldenſe & Altahenſe cœnobium, quaſi Oroſii more, diſcurſitavi.* Significat iis verbis, uti Oroſius olim inter Auguſtinum in Africa conſtitutum, & Hieronymum in Palæſtina agentem, commeabat: ita ſe ultro citroque itaſſe inter Altahenſe monaſterium, in quo ipſe vivebat, & Herveldenſe, cujus abbas erat Godehardus. Fidem autem libelli ſui adſtruit hoc pacto: *Dominum ergo, qui ſecreta cordium intuendo rimatur, teſtor, me nihil in ejus memoria laude deſcripturum, niſi quod aut ipſe, & vidi, & audivi; aut à verè veridicis, & etiam probatis, agnovi. Maximè tamen, cùm in Altaha, ſtudii causâ, exularem, cujuſdam veterani presbyteri, Reignoldi nomine, quem & tu meliùs noveras, familiaritate, & colloquio ſæpius utebar; &, ſi dominus quandoque dignaretur, ejus veriloquâ relatione ad hoc ipſum inſtruebar: qui certè ei ab ipſa infantiâ fideli miniſterio ſemper adhærebat, eumque ſacra eruditionis literâ inſtruebat; & omnia ejus dicta, & facta, uſque ad monachicam profeſſionem, & etiam ad pontificalem promotionem, ipſe meliùs noverat.* Ex quibus eandem diſcimus ætatem ejus Arnoldi, de quo nunc ſermo nobis. Vitam hanc Godeharti, ſive Gothardi, legas Tom. vii ſylloges Surianæ: ſed ſtylo mutato, & pleriſque redditis παραφραστικῶς: imò in prologo ab eo, & nomen omiſſum ſcriptoris, hoc eſt, Arnoldi: & ejus, cui dicâtat, hoc eſt, Menghardi. Denique agnoſcit ipſe Surius, deſiderata fuiſſe non pauca in eo exemplari, quo uſus fuit. At ipſius Arnoldi verbis prodierat Lipſiæ anno cIↄ Iↄ xviii ex bibliotheca S. Galli: integriuſque ex MSo Eccleſiæ Hildesheimenſis ante annos paucos edidit Chriſtophorus Brouwerus. Libellus verò de relatione in numerum ſanctorum, ſive, ut Brouwerus vocat, ἀποθέωσιν Gotharti, miraculiſque ſubſecutis, adjectus poſtea ab alio fuit, qui xc annis minimùm junior ſit. Nam initio opuſculi ejus legas: *Anno Dominicæ Incarnationis* cIↄ c xxviii, *obitus verò beati Godehardi nonageſimo, Bertholdus, vir venerandus, cathedra noſtra præſidebat*, &c.

Etiam ad Henrici II, & Conradi II. tempora referendus eſt Fulbertus, ſive *Fulpertus*, qui & *Umbertus*. Primùm (ut Choppinus ait lib. ii de dominio Franciæ T. ii) erat cancellarius Roberti, Francorum regis, filii Hugonis Capeti: poſtea autem Epiſcopus Carnotenſis; quem honorem adeptus anno cIↄ xvii juxta Democharem, vel potius cIↄ vii, ut Baronius comprobat in Annal. ad eum annum. Obiit autem anno cIↄ xxxi, vel, juxta alios, cIↄ xxviii, iv Id. April. Hunc primum ajunt in Galliis feſtum celebrâſſe nativitatis Virginis Mariæ. Eidem B. Virgini templum inſtauravit, rege Anglorum Canuto pecunias ſuppeditante, cùm univerſa civitas hujus Fulberti ætate fuiſſet combuſta: ut eſt apud Guilielmum Malmesburienſem lib. ii de geſtis Angl. *a*. Qui & lib. iii refert, a Ad an. 1031.
matrem Domini viſam Fulbertum ſanare lacte mamillarum ſuarum. Epiſtolæ Fulberti, item ſermones, & proſæ ac verſus in laudem ſanctorum, Lutetiæ primùm prodierunt an. cIↄ Iↄc viii. Eidem in antiquis annalibus tribuitur Legenda de Nativitate S. Mariæ. Etiam ſcripſit vitam S. Autberti, quæ eſt apud Surium a. d. xiii. Decemb. In MSo quidem auctoris nomen prætteritur. Sed apud Baldericum in Chronico Cameracenſi lib. i cap. lxxvii, cùm de S. Autberto egiſſet, hæc legas: *Quod ſiquis latiùs ſcire deſiderat, librum, quem Fulbertus, doctor clariſſimus, de vita S. Autberti, jubente domino Epiſcopo Gerardo, inſcripſerit, legas.*

Conrado II. imperatore, effulgebat S. Eberardus, diſcipulus S. Harvici, Salisburgenſis epiſcopi; qui anno primo obiit Conradi, Chriſti autem cIↄ xxiv. Hujus S. Harvici vita à S. Eberardo ſcripta reperitur apud Henricum Caniſium Tom. ii antiquæ lectionis. Meminit Baronius quoque lib. xi Annal. ad annum memoratum, ubi vitam viri ſancti ab æquè ſancto diſcipulo ſcriptam ait.

Temporibus ejuſdem Conradi, nempe circa annum cIↄ xxv, claruit *Warmannus*, Conſtantienſis epiſcopus, Germanus: à quo ſignata fuit vita S. Pirminis, epiſcopi Meldenſis. Atque hoc quidem fide Eiſingrinii dictum à nobis eſto.

Eodem imperante, anno cIↄ xxx, Tritthemio teſte, floreſcebat *Albertus*, monachus Metenſis, ordinis S. Benedicti. Condidit hiſtoriam de geſtis ſui temporis, *etſi brevem, tamen utilem*: ut de ea judicat Sigebertus in catal. cap. cxliv.

Videre eadem tempora Theodericum, S. Albani monachum, apud Moguntiam, Ordinis S. Benedicti: qui de vita & miraculis S. Benedicti ſcripſit: item de tranſlatione ejus in Galliam: ad hæc ſucceſſiones Moguntinorum epiſcoporum: atque alia. Apud Eiſingrinium legas, floruiſſe an. Iↄ cccc lxxxv. Sanè credibile eſt, eo quidem tempore vixiſſe. Sed claruit potiùs viginti, aut triginta annis pòſt. Nam vitam S. Benedicti dicavit Richardo I, abbati Fuldenſi: qui an. m xxiii abbas fuit, annoque obiit m xxxix: ut in Chronico ſuo teſtatur Lambertus Schafnaburgenſis. Aut hoc verum eſt, quod dixi: aut longævus, permultoſque annos ſcribendo intentus Theodericus fuit. Quicquid eſt, eos ratio fugit, qui illum ad annum referunt cIↄ cccc xl: quem lapſum non aliunde proveniſſe exiſtimo, quàm quòd ex 1040. effecerint 1440. Qui valde erat proclivis error.

Nec viris ſolùm celebratur imperium Conradi hujus: ſed ſequiore etiam ſexu: ante alias *Bertradâ*, ſive Bertâ, ſorore S. Wolfelmi, Abbatis Brunwilerenſis, virgine ſacrâ in cœnobio Vilecenſi: quæ libellum edolavit de vita S. Adelheidis, ſive Aleidis, primæ Abbatiſſæ Vilecenſis. Eum, ſed ſtylo mutato, exhibet Surius die v Febr. Prologum quoque Surius emiſit. In eo teſtatur ipſa, quæ refert, accepiſſe ſe ab aliis, quæ Adelheidis, in terra agentis, doctrinâ, atque exemplis, fuerant inſtitutæ. In vita ipſa commemorat, ut Adelheidis præfecta fuerit monaſterio S. Mariæ, atque id volente Heriberto, Colonienſi archiepiſcopo. Atqui obiit Heribertus anno octavo Henrici

ci II. Imper. qui Chriſti erat cIↃ XXI. Item ait, Henricum imp. nuper fuiſſe defunctum: ubi ſatis liquet, ſignari eundem Henricum: deceſſit is autem anno cIↃ XXIV. Ex his igitur Bertradam vixiſſe conſtat ſub Conrado II. Imp. qui Henrico II. ſucceſſit. Ut fallatur Poſſevinus, cùm ſub Othone ait claruiſſe: quomodo qui loquitur, primum ejus nominis videtur ſignare. Sed tertius Otho jam obierat anno cIↃ II. Inter autem Othonem III, & Conradum II, Henricus rexit annis XXII, ſub cujus ſucceſſore, Conrado II, eam vixiſſe dicebamus, Bertradæ meminit Conradus, Beuwelitenſis monachus (de quo pòſt dicam) in S. Wolphangi vita, his verbis: *Extiterat huic beatiſſimo viro frater germanus, Frumoldus nomine: ſorores ſanctimoniales duæ; quarum una, Oſwenda nomine, miræ ſimplicitatis, & innocentiæ fuit femina: altera verò, Berta nuncupata, literarum plurimùm enicuit ſcientia. Hæc vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecenſis Abbatiſſæ, eleganti ſatis ſtylo conſcripſit, & plurimum religionis, vel ſcientiæ ſuæ fructum, in eodem loco dereliquit.*

## Cap. XLIV.

Berno, *Augienſis abbas, de vita S. Vdalrici.* Rogerus *abbas de vita S. Brunonis.* Glabri Rodulphi *hiſtoria de geſtis ſui temporis. Opinio ejuſdem de poteſtate Papæ in diœceſi alienâ.* Everwinus *abbas de vita Simeonis Syracuſani ad Pepponem, archiepiſcopum Trevirorum: cujus poſtulato Simeo cælitum numero eſt adſcriptus. Idem Everwinus de geſtis Popponis hujus Trevirenſis.* Helgandus Floriacenſis *de vita & geſtis regis Roberti. Wippo presbyter de geſtis Conradi Saliqui imper. Joannes de Garlandia de miraculis B. Virginis Mariæ. Everhelmus de vita Popponis Stabulenſis. Odoranni Chronicon. Anonymus de vita Guidonis Pompoſiani. Olbertus Belga, cujus exſtat liber de vita S. Veroni, idem videtur, ac Alvertus Gemblacenſis, de quo antè dictum: falluntur verò, qui eum ad annum referunt* cIↃ XLVIII: *quo ut obiiſſe concedamus, tamen certum eſt, præceptorem fuiſſe Burchardi, qui annis* LII *ante id tempus jam Wormatienſis erat epiſcopus. Quàm illuſtri genere natus fuerit Hermannus Contractus: quæ cognominis cauſſa: quis Chronicon ejus continuârit: unde provenerit, ut S. Galli monachus crederetur, qui in Richenaw, ſeu Augia maiori, vixerit: ac quando morte vitam commutârit. S. Odilo de vita S. Majoli. Primordia ritus, quo* IV *Kal. Nov. commemorantur fideles defuncti. Itinerarium Leonis Papæ, auctore Anſelmo Rhemenſi. Anſelmus Legienſis, ſive Leodicenſis de geſtis epiſcoporum Leodicenſium. Haymo Cantuarienſis quæ ediderit, & quando diem ſuum obierit. Marbodi nomen quàm variè proferatur: & quæ prodiderit de vitis ſanctorum.*

QUo tempore imperium erat penes Henricum II, ac Conradum II, ac primo Henrici III. quinquennio, claruit Berno, priùs monachus S. Galli, poſtea abbas Augienſis. Coronationi ſe Henrici II. interfuiſſe, ait ipſe libro II de rebus ad Miſſam pertinentibus. At coronam ille accepit anno cIↃ XIV. Hincmari Rhemenſis archiepiſcopi, diſcipulum fuiſſe, indicio eſſe videtur epiſtola ipſius Hincmari ad Æneam, Pariſienſem epiſcopum; quam ex Vaticanâ bibliothecâ, occaſione junioris cujuſdam Bernonis, refert Baronius loco non ſuo; nempe demum ad annum IↃ CCCC XII. Quid in cantu Eccleſiæ præſtiterit, docebit Eckerhardus in vita B. Notgeri cap. X. Prodidit poſteris vitam S. Udalrici, epiſcopi Auguſtæ Vindelicorum: quæ apud Surium exſtat Tom. IV ad IV Jul. Deceſſit anno gratiæ cIↃ XLV, VII Id. Jan. cùm Augienſe monaſterium annis rexiſſet XXXIX.

*Trium, quos proximè diximus, imperatorum ætate, etiam fuit* Rogerus, *abbas cœnobii de cruce S. Leufredi in Britannia, ord. D. Benedicti, congregationis Cluniacenſis.* De eo ſic Sigebertus cap. CXXXI: *Rogerus ſcripſit vitam Brunonis*, Colonienſis archiepiſcopi, qui fuit dux, & frater Othonis imperatoris. Item in Chronicis ad an. IↃ CCCC LIII: *Mortuo Wigfrido, Colonienſium archiepiſcopatum ſuſcepit vir glorioſus Bruno, frater Ottonis imperatoris: qui quantus qualiſve fuerit apud Deum, & homines, lector ediſcat è vitâ ipſius, quam Rogerus* luculenter *ſcripſit.* Quæ verba & Ægidius exſcripſit in additionibus ad Anſelmum cap. XLIV. Legere eam etiam eſt apud Surium T. V die XI Oct. Ad hunc Rogerum Guimundus contra Berengarium ſcripſiſſe creditur.

Glaber Radulphus, ſeu Rodulphus, claruit temporibus Conradi II, & Henrici III. Hiſtorias ſui temporis complexus eſt libris V. nempe ab anno IↃ CCCC, ut ipſe ait lib. I cap. I: vel potiùs milleſimo (nam de præcedenti ſeculo pauca habet) uſque ad ſua tempora, hoc eſt, anno cIↃ XLV. Fuit primùm S. Germani Autiſiodorenſis, poſteà autem Cluniacenſis monachus: eoque & Odiloni, abbati Cluniacenſi, opus ſuum dedicavit. Hic, ut Baronius quoque ait ad annum IↃ CCCC XCVI, *nihil vult in alienâ diœceſi poſſe præſumere Romanum pontificem, pluſquam cæteros epiſcopos: quibus certis limitibus eſt definita diœceſis, & extra illam nihil penitùs agere poſſe.* Eoque nomine ibidem reprehenditur.

Circa annum cIↃ XL, quo Conrado II. Henricus III. ſucceſſit, clareſcebat *Everwinus* Germanus, monaſterii S. Mauritii abbas Doleienſis, ſive Toleienſis, in Trevirenſi agro, congregationis Cluniacenſis. Qui luculentè in literas retulit vitam S. Simeonis Syracuſani, monachi Trevirenſis: eamque Popponi, Trevirorum archiepiſcopo, dedicavit. Quàm gratam verò is habuerit operam Everwini, exinde non difficile eſt conjectu, quòd Popponis hujus poſtulato Benedictus Papa Simeonem illum, in numerum retulerit ſanctorum. Quemadmodum à Tritthemio in Hirſaugienſi chronico proditum eſt ad annum cIↃ XX. Eam vitam repræſentat Surius T. I die I Jun. Inſuper memorati Popponis geſta ab Everwino tradita fuere, eodem Tritthemio teſte.

Æqualis huic erat *Helgaldus*, ſive *Helgandus*, qui Poſſevino corruptè *Helgacidus*, monachus Floriacenſis. Hic literis mandavit vitam Roberti, Galliarum regis, filii Hugonis Capeti. Cui præmiſit teſtamentum Leodebodi, abbatis S. Aniani. Debemus eum P. Pithœo. Eſt autem ea Roberti vita nihil aliud, quàm compendium ex alterius monachi opere. Idem Helgaldus bonâ fide ſignavit vitam Abbonis, abbatis Floriacenſis. Unde unum alterumque locum adfert Baronius ad an. IↃ CCCC XCVIII.

Coætaneus ejuſdem Wippo presbyter: cujus nomen quòd necdum intercidit, facit, non ejus tetralogus tantùm, ſive carmen in laudem Henrici III, cujus ſacellanus erat, à Caniſio *a* editum: ſed etiam ſcripta ab eo vita Conradi Salici imp. quam Conradi hujus filio, Henrico III, dedicavit. Primus illam emiſit Jo. Piſtorius *b*.

*a* *T. 1. Antiqu. Lect.*

*b* *Tom. script. de German. rebus.*

Eodem tempore claruit Joannes de Garlandia, Anglus, anno nempe cIↃ XLI, ſub Haraldo primo rege Anglorum. Librum reliquit de miraculis B. virginis Mariæ. Item multa alia, quæ in catalogo ſuo Boſtonus retulit. Aliqua eorum MSa adſervantur in bibliothecâ Cantabrigienſi.

Tempore etiam hujus Henrici III. Imp. cognomento Nigri, fuit *Everhelmus*, ſeu potius *Everhelinus* primùm abbas Altimontenſis in Hannonia, poſtea autem in cœnobio Blandinienſi apud Gandavenſes in Flandria, abbas duodevigeſimus. Fusè hic vitam ſcripſit æqualis, imò cognati ſui S. Popponis, abbatis Stabulenſis; qui anno deceſſit cIↃ XLVIII. Habes eam apud Surium a. d. XXV Jan. Fuiſſe æqualem Popponi, ut dicebamus, arguit illud, quòd ei adfuit morienti: ut legere eſt vitæ ejus cap. XXIV. Popponem autem fuiſſe temporibus Henrici III, hoc eſt ejus, qui Othoni III. ſucceſſit, quippe ſucceſſorem habuit Conradum, indicant hæc verba cap. IX: *Erat interea viro Dei iter ad Henricum, Romani potentatus imperatorem poſt Othonem juniorem.* Et iſta cap. XV. *Accidit interea, Henricum imperatorem vivendi finem facere,*

*Conradumque in regno habere ſucceſſorem.* Ubi ſatis liquet, ſignari Conradum Saliquum, Henrici Nigri parentem. Videndum autem, ne cum hoc opere Everhelmi de vita Popponis Stabulenſis confundamus opus Everwini de vita Popponis Trevirenſis: de quo paullo antè loquebamur. Obiit Everhelmus anno cIↃ LXIX, cùm annis XI abbas fuiſſet Blandinienſis. Anno enim cIↃ LVIII Wichardo ſucceſſerat. Succeſſorem autem habuit Foliardum.

Odorannus, monachus S. Petri Vivi Senonenſis, claruit anno cIↃ XLV. Condidit Chronica rerum in orbe geſtarum: ex quo fragmentum habes in annalibus Francorum à Pythœo editis. Vide de eo quædam apud Baronium ad annum IↃ CCC LXXV.

Ejuſdem Henrici III temporibus fuit is, qui vitam ſignavit æqualis ſui S. Guidonis, abbatis ejus Pompoſiani, qui anno obiit cIↃ XLVI, ac cujus oſſa anno proximo ab Henrico Imp. Spiram fuere tranſlata, ubi hodieque ea cernere licet. Extat hæc vita apud Surium Tom. VII, ad diem XXXI Mart.

Eodem imperante, circa annum cIↃ XLVIII, ſi credimus Arnoldo Wion in ligno vitæ, Olbertus Belga, ex Lobienſi monacho abbas Gemblacenſis, congreg. Cluniacenſis, ad Raginerium, comitem Hannoniæ (de quo magnum Chronicon Belgicum ad ann. Chr. cIↃ XV) librum ſcripſit de vita S. Veroni confeſſoris. Is MSus exſtat apud Miræum Antverpiæ, & Bergis ſive Montibus Hannoniæ apud Franciſcanos in annalibus Jacobi Guiſiani. Equidem Olbertum hunc Belgam haut alium puto eſſe ab Alberto Gemblacenſi, de quo egimus cap. XLI. Sanè vitas eum ſanctorum deſcripſiſſe, diſertim ait Sigeber. Sed non exiguum ſcrupulum injicit, quòd ille multò junior videtur. Nam ante annum milleſimum claruit; ut argumento eſt, quòd, (ut idem Sigebertus monet) præceptor fuit Burchardi, epiſcopi Wormatienſis: qui anno IↃ CCCC XCVII præſul eſt factus ejus loci: ac, cùm annis XXIX eccleſiæ præfuiſſet, Leodii an. cIↃ XXV deceſſit. Veriſimiliùs igitur Poſſevinus, qui Olbertum, non dico claruiſſe; ſed obiiſſe ait anno cIↃ XLVIII. Sed hoc ſi eſt, admodum fuerit longævus. Nam annis totis LII vixerit, poſtquam diſcipulum ſuum jam præſulem viderat Wormatienſem. Attamen non tanta hæc fuerit ætas, ut propterea credamus, pugnare ſecum Poſſevinum; dum Olbertum præceptorem vocat Burchardi, atque eundem ait anno cIↃ XLVIII, annis XXIII poſt obitum Burchardi, deceſſiſſe. Nam facilè hæc conciliantur, ſi Burchardi fuerit præceptor annos XXV natus, vel XXX: octogenarius autem, aut nonagenarius, obierit. Sed utcunque ſit de ætate, iis aſſentire non poſſum, qui Olbertum Belgam, & Albertum Gemblacenſem, diverſos arbitrantur: uti nec illis, ſiqui putent, clareſcere cœpiſſe circa annum cIↃ XLVIII.

Henrici III ætate in pretio quoque erat Hermannus Contractus; qui ab Joanne Aventino appellatur *Hermannus Suevus:* interque eos reponitur, quorum operâ, in quincto annalium ſuorum concinnando, profecerit. Memorat & Honorius in catalogo. Ex illuſtri Vetingenſium Comitum ſanguine natus fuit: quippe Wolferadi, & Hiltrudis, Comitum, filius. Sed membris planè erat contractis: unde & *Contracti* nomen accepit. Et fortaſſe ea propter monachus factus fuit. Sed nobili adeò ſanguine cretus potiſſimùm Augiæ majoris cœnobium eſt ingreſſus; quo non alii recipi ſolerent, quàm principum virorum liberi, & omnino, qui illuſtri ſtemmate prognati forent. Multa conſcripſit; atque inter ea Chronicon de ſex mundi ætatibus uſque ad annum cIↃ L; quo floruit. Bertoldus verò Conſtantienſis, de quo mox dicam, continuavit illud uſque ad annum cIↃ LXV. Sæpius jam lucem hoc Contracti opus adſpexit: ſed auctius legitur in Germanicorum ſcriptorum tomo; qui fide, & ſtudio Chriſtiani Urſtiſii, prodiit: atque utroque pleniùs operâ Henrici Caniſii Tom. I. Lect. Antiqu. Hanc diverſitatem non tam ex eo eſſe arbitror, quòd Contractus ſæpius auxerit Chronicon ſuum: quàm quòd monachi nonnulli in privum uſum compluria adjecerint. Conferenti Contractum cum Beda parebit, Chronicon Bedæ totum penè ad verbum exſcripſiſſe: quod & Vaſæus [a] obſervavit. Vir fuit, non Latinè modò, ac Græcè; ſed Arabicè etiam doctus: ut auctor eſt Tritthemius. A quo cœnobita S. Galli nuncupatur: ſed perperam. Error inde profluxit, quòd codices illi, qui priùs haberi ſolent, exſcripti forent è codice Sangallenſi in Helvetia. Sed ipſe in majoris ſe Augiæ cœnobio vixiſſe, indicat ad annum cIↃ XLVIII. *Imperator*, inquit, *Augiam noſtram ingreſſus.* Atque ibidem: *Feſto S. Marci apud nos actô.* Item an. cIↃ LIII: *Werinharius, frater meus, Augienſis monachus.* De obitu ejus is, qui appendiculam Hermanno addidit, ita ſcribit ad annum cIↃ LIV: *Hermannus, Wolferadi Comitis filius, ab infantiâ omnibus membris contractus, ſed omnes tunc temporis viros ſapientiâ, & virtutibus præcellens, in Aleshuſan, prædio ſuo, defunctus, ac ſepultus eſt.* Hermanni Contracti liber de vita S. Magni, & alter, de vitâ S. Wiboradæ virginis MSi exſtant apud Helvetios in bibliothecâ S. Galli.

[a] *De rebus Hiſpan. cap. 5.*

Etiam tempore Henrici III, vel II, ut alii vocare malunt, S. Odilo, victuris mandabat chartis vitam S. Majoli; poſt quem abbas fuerat Cluniacenſis. Habes apud Surium Tom. III, ad XI Maji. Item in bibliothecâ Cluniacenſi. Scripta ab eodem eſt vita S. Adelheidis, quæ Ottonis I imperatoris uxor, Ottonis II mater, Ottonis III avia fuit. Meminit ejus vitæ Lupoldus Bebenburgenſis, qui claruit an. cIↃ CCXXV. Vide eum cap. XIII. libri de veterum principum Germanorum fide ac religione. Ubi & ait, eum libellum Odilonis in quibuſdam Germaniæ ac Burgundiæ Eccleſiis reperiri. Idemque ſcribit Molanus, in notis ad ea, quæ addidit Uſuardo XVI Dec. Tandem verò hæc Adelheidis imperatricis vita ex codice MSo, ſed non appoſito auctoris nomine, edita eſt à Caniſio Tom. V. Antiq. Lect. Et ex eo à Cluniacenſi monacho, Martino Marrier, in bibliothecâ Cluniacenſi; qui nomen Odilonis ex codice cœnobii Martiniani expreſſit. Ipſius verò Odilonis vita poſtulato Hugonis, qui Odiloni ſurrogatus, exarata fuit à Petro Damiani. Eam Surius repræſentat ad I Januarii. Ex hac inter alia diſcimus, Odilonem hunc primum præcepiſſe monachis ſuis, ut poſtr. Kal. Novembris celebrarent memoriam omnium defunctorum; quemadmodum pridie omnes agerent memoriam omnium ſanctorum. Ab Odilone verò exemplum ad varias tranſiit eccleſias: ac tandem etiam ritus hic auctoritate Papæ comprobatus, atque aliis ab Eccleſiis receptus fuit. Vide Sigebertum in Chron. ad annum IↃ CCCC XCVIII, & Martyrol. Rom. a.d. II Nov. Obiit anno cIↃ XLVIII, ætatis ſuæ LXXVII, cùm cœnobio ſuo præfuiſſet annis LVII. Quippe electus abbas fuerat anno IↃ CCCC XCII.

Anſelmus, Rhemenſis monachus, ordinis Benedictini, natione Gallus, floruit ſub eodem Henrico III, circa annum cIↃ L. Scripſit Leonis papæ IX itinerarium ex Urbe in Gallias; ubi etiam, quæ eo itinere in ſynodis, & conventibus, geſſerit, expoſuit. Vide Sigebert. in catal. cap. CLIII.

Anſelmus Legienſis clericus, ſive Leodienſis, ut vulgò loquimur, pro quo Karoli Magni ævo, & aliquot ſeculis pòſt, *Leodicenſis* dixere; uti urbem ipſam *Leodicum*, non *Leodium:* qua de re ſcitè Lipſius Poliorceticωv lib. I. dial. II. Decanus fuit Namurcenſis ad B. Virginis, & Canonicus ac Scholaſticus Leodicenſis in B. Lamberti: ut eſt apud Sweertium in Athenis Belgicis. Temporibus fuit Henrici III, quantum ex Sigeberto perſpicere licet: qui de eo agit inter Petrum Damiani, & Franconem Scholaſticum. Quæ reliquerit, idem docet his verbis: *Anſelmus, clericus Legienſis, ſcripſit geſta Pontificum Legienſium: & in eo libro vitam Guatonis epiſcopi veraciter ſibi notam plenè deſcripſit.* Tritthemius in catalogo eum omiſit: etſi aliter Suffridus Petri, & Poſſevinus, annotarunt.

Æqualis quoque his erat Haymo, Cantuarienſis archidiaconus: qui ſub Eduardo Simplice, Anglorum rege, vixit, an. cIↃ LIV. Ejus ſunt iſta, revelatio corporis S. Dionyſii: tractatus de martyribus quibuſdam: item libri X de memoria rerum Chriſtianarum: atque alia, quæ in catalogis ſuis commemorant Petrus Equilinus, & Boſtonus Burienſis. Obiit an. cIↃ LIV, ſub rege Eduardo Confeſſore.

Etiam Henrico hoc III in Germaniâ imperante, inque Anglia regnante Eduardo Simplice, eruditione ſuâ inclytum nomen reportabat Marbodus, (qui Sixto Senenſi Marbadus, aliis Marbodeus, vel etiam Marboldus) monachus priùs cœnobii Andegavenſis B. Albini, poſtea Redonenſis epiſcopus in Gallia Aremorica. Hic præter libellum de gemmis, & alia, etiam, ut Sigebertus in catal. ait cap. CLIX, *metricè ſcripſit paſſionem S. Laurentii.* Atque, ut ibidem inquit, *ſcripſit & metricè paſſionem Thebæorum; quaſi pedibus vadens in ſententiam Eucherii, Lugdunenſis epiſcopi; qui eam, urbanâ proſâ, ſcripſerat ad Sylvium epiſcopum.* Gallicè etiam librum compoſuit de vita S. Magnoboldi, epiſcopi Andegavenſis: quem Latinè reddidit Paſchalis Robinus. Obiit anno CIↃL. Vide de eodem Sylveſtrum Gyraldum Cambrienſem in Speculo Eccleſiæ lib. IV. cap. XVI, Lilium Gyraldum in ſyntagmat. poët. dial. V, Sixtum Senenſem biblioth. ſanctorum lib. IV, item Renatum Benedictum in vitis ſanctorum Galliæ, Gallicè ab eo ſcriptis; ſed Latinè redditis à memorato antè Paſchale Robino: ubi *Magnobaldus* vocatur. Cæterùm de ætate illud Marbodi diſſimulare non poſſum, etſi eum ad Henrici III Imp. & Eduardi Simplicis, Angliæ regis, tempora, hoc eſt, annum CIↃXL, referat Tritthemius; nec is modò, ſed etiam Balæus, & Pitſeus, uterque in hiſtoriâ ſcriptorum Britannicorum: diſſentire tamen Joann. Chenu Biturigem in chronologiâ epiſcoporum Galliæ, qui aliquantò juniorem facit. Nam ait, eum ab Urbano II Papâ, cum Turoni concilium celebraret anno CIↃXCVII, menſe Martio, creatum eſſe epiſcopum: rexiſſeque Eccleſiam Redonenſem annis XXVII, ac VII menſibus: poſtea abdicaſſe ſe epiſcopatu, ac monachum eſſe profeſſum in Eccleſia S. Albini Andegavenſis: atque inibi obiiſſe die XI Sept. an. CIↃCXXIII. Eaque ut veriora cenſeam, ſuadet Redonenſium epiſcoporum ſeries à Joanne Chenu tradita: quam ſeriùs nactus ſum, ſuggerente eam primùm conjunctiſſimo collegâ, Andreâ Riveto, Theologo, ut aliis laudibus ornatiſſimo, ita etiam hiſtoriæ veteris apprimè gnaro.

## CAP. XLV.

*Drogo, Morinorum epiſcopus, perperàm alius putatur à Drogone Geſtellenſi. Quæ ingenii ſui monumenta reliquerit. Anonymus de vita Theobaldi. Wibertus archidiaconus de vita Papæ Leonis IX. Petrus Damiani quorum vitas ſignârit. Vel duos fuiſſe ejus nominis, vel ſermonem de Chriſti nativitate falso Petri hujus nomen præferre. Scripta Pauli Gennenſis, viri ab infantia cæci. Guainerius, qui & Benedictus Salernitanus. Alphanus Salernitanus.*

TEmporibus Conradi II, Henrici III, & Henrici IV, (qui imperare occœpit an. CIↃLVII, & L annis rexit) conſpicuæ virtutis atque eruditionis erat Drogo, Flander, monachus monaſterii S. Winocii in Flandria, hinc Geſtellenſis paſtor, denique Morinorum epiſcopus: quo in munere Balduino ſucceſſit anno CIↃXXXVI: undecimo anno imperatoris Conradi II. Alii tamen referunt ad annum Chriſti CIↃXXXI. Interfuit concilio Rhemenſi quod à Leone VIII celebratum fuit anno CIↃL. Præfuit Morinis ſeu Therovanæ urbi annis XL. Obiit anno CIↃLXXVIII. Simlerus verò in Geſneriana appendice fallitur: cùm Dragonem ſacerdotem Geſtellenſem, & Morinorum epiſcopum, diverſos facit. Nominis ſui memoriam libellis aliquot extendit. Eos inter eſt vita S. Godolevæ virginis, & martyris: quæ eſt apud Surium Tom. IV, die VI Julii. In præfatione ait, *Quæ ſcripſimus, ea pro certo ſic ſe habere ab illis accepimus, qui hodieque ſuperſunt, & ſuis ea oculis conſpexere.* Quare, ut aliunde neſciremus Drogonis ætatem; tamen ex illis verbis ejus diſceremus. Nam Godoleva, de qua loquitur, circa annum CIↃLXX coronam martyrii accepit. Vide Meieri annales Flandriæ ad annum CIↃLXX; ubi & mentionem facit vitæ hujus à Drogone ſcriptæ. Præterea reliquit Drogo vitam S. Oſualdi, regis Northumbriæ. Adhæc miracula S. Levinæ virginis. Idem libro uni de vita S. Winocii alterum tertiumque adjunxiſſe dicitur. Manuſcriptum codicem exſtare, vel ſaltem exſtitiſſe Bergis S. Winoci, indicat Molanus ad Uſuardum, V Aug. Obiit Henrici IV anno XXII, Chriſti autem CIↃLXXIX, cùm annis ſediſſet XLIV: ut eſt apud Meierum lib. III. annal. Flandriæ, & imprimis apud Antonium Monchiachenum Democharem lib. II.

Henrici III, & IV temporibus vixit ille, qui vitam tradidit coætanei ſui B. Theobaldi, presbyteri, & eremitæ; qui obiit anno CIↃLXVII. Offendes in Surii Tom. VII, die XXX Jun.

Tum quoque claruit Wibertus archidiaconus; qui fuſè, & pro temporibus iſtis eruditè compoſuit vitam coætanei & familiaris ſui ſancti Leonis IX Papæ, Leucrorum antea epiſcopi. Ea ſtudio Jacobi Sirmondi Lutetiæ Pariſiorum prodiit anno CIↃIↃCXV. Notis illam illuſtrat Barthius Adverſar. lib. XLV. cap. XIX.

Etiam Folchardus Bertinienſis vixit extremis Henrici III temporibus circa ann. CIↃL. Monachus erat S. Bertini in Sithiu, qui olim vicus fuit in Arteſia percelebris monaſterio ſuo: hodie autem eſt oppidum S. Audomari, cujus ſancti corpus ibi quieſcit ex monaſterio tranſlatum in primarium templum. Folchardus hic auctor creditur vitæ S. Audomari, item S. Bertini, qui Audomaro ſucceſſit anno IↃCXCV; ac triennio pòſt, nempe ſecundo anno imperatoris Tiberii Apſimari, obiit. Utraque apud Surium legitur Tom. V. ſed ſtylo mutato. Manuſcripta autem utraque eſt in oppido S. Audomari; ut ad Uſuardi martyrologium Molanus annotavit.

Henrici III, ac præcipuè Henrici IV ætate, erat Petrus Damiani, ex monacho Benedictino epiſcopus Oſtienſis, & Eccleſiæ Romanæ cardinalis. Multa, eaque victura, chartis mandavit. Inter illa eſt vita Odilonis, abbatis Cluniacenſis; quam conſcripſit rogatu Hugonis, abbatis Cluniacenſis, qui Odiloni ſucceſſerat. Eam & Sigebertus agnoſcit in catal. cap. CLXIII. Habes apud Surium Tom. I, ad I Jan. Uti & in Chronologia virorum illuſtrium inſulæ Lirinenſ. atque etiam in bibliothecâ Cluniacenſi. Item vita S. Maurii, epiſcopi Cæſennatis; quæ in eâdem Collectione exhibetur Tom. VII, a. d. XX Jan. Item vita Eleuchadii, quæ ibidem die XIV Februar. Item Benedicti abbatis, inibi die XXI Mart. Adhæc Georgii martyris Tom. II, die XXV Apr. S. Marci Euangeliſtæ Tom. II, itidem die XXV Apr. Item de SS. Vitale, & Valeriâ, ejus conjuge, ib. die XXVIII Apr. Et vita S. Anthimi die X Maji: S. Romualdi, inſtitutoris Ordinis Camaldulenſium (qui anno milleſimo claruit) die XIX Junii: S. Rodulphi, epiſcopi Eugubini, & Confeſſoris Tom. VII, die XXVI Jun. S. Apollinaris tribus ſermonibus die XXIII Jul. S. Caſſiani XIII Aug. Tom. VII: Dominici Loricani a, Tom. V, die XIV Octobr. de martyrio S. Fidelis XXVIII Octob. S. Nicolai Tom. VII, VI Dec. Et S. Barbatiani XXXI Dec. Quin etiam de SS. Flora, & Lucilla, item de S. Bonifacio, librum compoſuiſſe, teſtis eſt Phil. Bergomas. Etiam ad Deſiderium abbatem ſcripſit tractatum de variis miraculis, Tritthemio quoque memoratum; quem in Collectione Surii, ac Moſandri Tom. VII, invenies. Etiam librum fecit de fundatione Vivarienſis cœnobii. Ex iis verò, quæ hactenus commemoravimus, quædam MSa exſtant in bibliotheca Sereniſſimi ducis Urbini, & bibliotheca Caſinenſi. Imò & aliqua in iis reperiuntur Surio, ac Moſandro, prætermita; ut in apparatu ſuo Poſſevinus oſtendet. Fortaſſe tamen non, quæcunque retulimus, Oſtienſis ſint epiſcopi de quo nunc ſermo nobis: ſed alterius Petri Damiani; cujus, ſi inſcriptio non fallit, oratio eſt de nativitate Domini; quam Surius repræſentat Tom. VI, Dec. XXV. Nam recentiorem eum eſſe hoc Oſtienſi epiſcopo, illud clarè arguit, quod ſermone eo S. Bernardi Claræ-vallenſis abbatis mentio fiat. At floruit ille anno CIↃCXXX, atque obiit anno CIↃCLIII, ætatis ſuæ LXIII. Hic verò Oſtienſis epiſcopus anno florebat CIↃL, & deinceps. Quippe familiaris fuit Leoni IX Papæ; cujus etiam epiſtolæ ad eum ſuperſunt: ac notitia quoque ei ſumma interceſſit cum Deſi-

a *Alii, Loruati.*

Deſiderio, abbate Caſinenſi, Rom. Eccleſ. Cardinale, ut cognoſcimus ex dialogorum ejus libro II. Obiit autem anno cIↃLXXII. Meminere hujus Petri Damiani quoque, Lambert. Schafnaburgenſis in rebus Germ. ad an. MLXIX. Leo Marſicanus in Chron. Caſinenſi lib. II. cap. penult. & poſt eos alii magno numero. Fuſè de eo tractat Baronius Annal. Eccleſ. Tom. XI, & Hieronymus Rubeus Hiſtor. Ravennatis lib. V, & Joa. Bapt. Signius lib. I. de ordine & ſtatu canonico cap. V.

Ultimis Henrici III, ac primis Henrici IV temporibus, Paullus Genuenſis, monachus Caſinenſis, florebat ſub abbate ſuo Deſiderio. Etſi autem ab infantia fuerit cæcus: egregiam nihilominus eruditionem ſibi comparavit. Commentarios ſanè ſcripſit in Pſalmos, item Hieremiam, aliosque prophetas: adhæc in Euangeliſtas IV, & epiſtolas Paulinas, & Apocalypſin. Etiam librum reliquit de altercatione Græcorum, ac Latinorum, tempore Paſchalis. Sed, quòd hoc loco ejus meminimus, facit ſcripta ab eo vita S. Ebizonis monachi. Tibure deceſſit, & ſepultus eſt.

Iiſdem temporibus Guaiferius (qui & Benedictinus Salernitanus vocatur) Caſinenſis cœnobii monachus ſub Deſiderio, abbate antè memorato, clareſcebat. Multa compoſuit, quæ MSa Longobardicis literis exſtant in bibliotheca Caſinenſi. In iis ſunt Paſſio S. Lucii Papæ, & vita S. Secundi, epiſcopi Trojani.

Eorundem ætate in pretio erat Alphanus, archiepiſcopus Salernitanus: qui verſu hexametro ad Roffridum ſcripſit vitam, & agona duodecim ſanctorum Beneventanorum. Habes apud Aloyſium Lipomanum Tom. IV. & Surium Tom. V, & iterum Tom. VII, die I Sept. Commentatus quoque eſt de aliis ſanctis: quæ Tritthemio prætetita Poſſevinus recenſet. Baronius ad an. cIↃCVII, commemorat epitaphium, quod fecit Bernardo, epiſcopo Præneſtino. Epitaphium itidem, quod Petro Leoni ſcripſit, ex MSo bibliothecæ Caſſinenſis codice refert ad annum cIↃCXI.

## CAP. XLVI.

*Folchardus Dorobernenſis de vita Joannis Beverlacii. Anonymus de vita Macarii ejus, cujus corpus adſervant Gandavenſes. Incertus auctor de vita S. Gudwali. Amati poëma quadripartitum de geſtis duorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli. Joannes monachus de vita B. Petri Damiani. Incerti nominis monachus Sigebergenſis, de vita S. Annonis. Conradus Bruwilerenſis de vita ac miraculis S. Wolphelmi. Hugo monachus Cluniacenſis de vita Hugonis abbatis. Ætas ejus oſtenditur. An idem vitam Odilonis deſcripſerit, quod credidit Poſſevinus. Lambertus de Legia, ſive Leodicenſis, de vita Matthiæ Apoſtoli, & S. Agricii. Ætas ejus. Oſmundus de vita Althelmi. Poſſevini de ætate ejus error. Liſiardus, vel, juxta alios codices, Hariulphus, abbas Flander, de vita S. Arnulphi. Stephanus monachus de miraculis S. Trudonis. Theudus de vita præceptoris ſui S. Joannis Gualberti. Quando Oſbernus vixerit, & quorum vitas ſcripſerit. Oſbernum malè eundem, ac Osbertum, putari. Joannes Barenſis de tranſlatione corporis S. Nicolai. Alberici Caſinenſis ætas, & quorum vitas ſignârit. Guntherus, monachus S. Amandi, de martyrio S. Cyriaci. Benno, qui malè nonnullis Bruno, de vita Hildebrandi, ſive Gregorii VII. Alexander abbas de vita B. Goſvini. Chartutius Ungarus de vita Stephani regis. Theofridus Epternacenſis abbas.*

ORſi ſumus telam illorum, qui Henrici IV temporibus vitas ſanctorum tradiderunt. Fuere autem & alii multi, qui eamſe materiam, hoc imperante, tractarint. Quos nunc complecti animus eſt. Poſtea ad illos accedam, qui tempore ejuſdem Henrici hiſtorias, vel annales, reliquerunt.

Primus ſe offert Folchardus Dorobernenſis, monachus in cœnobio Salvatoris Cantuariæ: qui floruit ſub Eduardo, regum Anglicanæ ſtirpis ultimo, anno cIↃLX. Hic ad Aldredum, Eboracenſem archiepiſcopum, Mæcenatem ſuum, exaravit vitam Joannis Beverlacii, archiepiſcopi Eboracenſis, & ejuſdem miracula poſt mortem.

Anno cIↃLXVII, juſſu Sigeri abbatis, ab anonymo tradita eſt vita S. Macarii, patriarchæ Antiocheni: qui anno obiit cIↃXII, ac Gandavi quieſcit. Habes eam vitam apud Surium, ſed ſtylo mutato, ad X April. Aliter eam nec antè editam, Sanderus habet Hagiologio Flandriæ, idque è Baronianæ bibliothecæ MSo.

Circa annum milleſimum ſeptuageſimum, juſſu abbatis Folcardi, ſcripta eſt vita S. Gudwali archiepiſcopi, & confeſſoris Britanni: qui vixit anno IↃCL, vel præterpropter. Corpus ejus priùs ad Caſtrum Monaſterioli in Francia quievit: anno autem IↃCCCCLVI Gandavum fuit delatum. Mentio ejus vitæ fit in vita S. Bertulphi abbatis cap. XXVII. quæ apud Surium exſtat Tom. I, die V Febr. Et fortaſſe eſt illa ipſa S. Gudwali vita, quam Surius Hiſtoriæ Sanctorum inſeruit Tom. III, die Jun. VI.

Eodem tempore fuit Amatus, monachus monaſterii Caſinenſis, poſteaque epiſcopus: ſed cujus ſedis, incertum eſt. De eo ſic Leo Oſtienſis lib. III. Chronici Caſinenſis cap. XXXIV: *Amatus quoque epiſcopus, & hujus monaſterii monachus, eodem tempore ſcripſit verſus de geſtis Apoſtolorum Petri & Pauli; quos in quatuor diſtinxit libros.*

Nec multò pòſt Joannes monachus, diſcipulus B. Petri Damiani (quem anno cIↃLXXII obiiſſe, ſuperiùs diximus) præceptoris ſui vitam conſignabat. Hæc ex duobus MSSis expreſſa octo libris epiſtolarum Damiani præmittitur.

His etiam temporibus vivebat monachus ille Sigebergenſis, qui libris tribus vitam perſcripſit æqualis ſui S. Annonis, Archiepiſcopi Colonienſis, anno defuncti cIↃLXXV. Exhibet Surius Tom. VI, die IV Dec. Juſſu Reginharti, cœnobii ſui abbatis, eam ſe retuliſſe in literas, auctor ipſe in præfatione nobis teſtatur. Itaque non accedo Baronio, qui eam ipſi Reginhardo tribuit Tom. XI, ad annum cIↃVI.

Tum quoque fuit Conradus, monachus Bruwilerenſis, ordinis Benedictini, qui vitam miraculaque deſcripſit ſancti Wolphelmi, abbatis Bruwelerenſis. Hoc opus dicavit, tum Everharto, ejuſdem cœnobii abbati, tum Herimanno, abbati monaſterii B. Pantaleonis apud Colonienſes; quorum juſſu, hoc quicquid eſt laboris, ſuſceperat. Wolphelmi fuiſſe æqualem, argumento erunt hæc verba in præfatione: *Igitur ſancti, ac beatiſſimi Wolphelmi abbatis vitæ ſeriem explicaturi, nihil aliud prorſus intendimus proſequi, quàm quod ab idoneis teſtibus contigit audiri; ſeu quod aliquot annis miniſtrantibus, vel adſtantibus ſibi, divina nobis gratia contulit intueri. De quibus ſi ullius haſitaverit fides; tot nobiſcum exſtant idonei teſtes, quot ex illius temporis collegio fratres nunc uſque manent ſuperſtites.* Wolphelmi autem ætatem ſatis indicant, quæ de Henrico IV Imperatore, & papa Hildebrando, atque aliis, inibi legas.

Hugo, Cluniacenſis monachus, prodidit poſteris vitam S. Hugonis, abbatis Cluniacenſis: quæ exſtat apud Surium ad diem XXIX Aprilis, & ex eo in bibliothecâ Cluniacenſi. Ait Surius ſcriptorem hunc eâdem vixiſſe ætate, quâ abbas Hugo. Hoc ſi eſt, fuerit temporibus Henrici IV Imperat. ac Papæ Alexand. II. Nam ea in vita refertur, ut Cluniaci abbatem Hugonem convenerit Hildebrandus, Roman. Eccleſ. diaconus; qui, poſtea pontifex factus, vocabatur Gregorius VII. Item dicitur tum Odo fuiſſe prior Cluniacenſis; qui, ubi Pontifex creatus, Urbani II nomen accepit. Item legere ibidem eſt, Hugonem, abbatem Cluniacenſem, & Anſelmum, archiepiſcopum Cantuarienſem, eodem tempore deceſſiſſe. Auctor eſt Poſſevinus, monachum hunc Cluniacenſem etiam ſignâſſe vitam Odilonis. In quo decipi arbitror. Nam Odilonis vitam deſcripſit Petrus Damiani, cardinalis Oſtienſis: atque id rogatu fecit Hugonis abbatis: ut oſtendunt hæc verba in præfatione ipſâ: *Hugo, Cluniacenſis monaſterii rector, & ſpiritualis militiæ dux, ac præcipuus informator, hoc mihi laboris*



Digitized by Google

*injunxit, ut vitam beati Odilonis, deceſſoris videlicet ſui, proprio ſtylo ſuccinctè perſtringerem*, &c. At ſi Petrus Damiani jam Odilonis vitam prodiderat; idque poſtulato Hugonis abbatis: quis credat, Hugonem monachum idem poſtea tentare auſum; præſertim cùm, & eruditione, & facundiâ, multò eſſet inferior?

Eodem Henrico IV imperante, fuit Lambertus de Legia, ſive Leodicenſis, vel, ut nunc corruptè efferimus, Leodienſis. Hic vitam, ac miracula B. Apoſtoli Matthiæ carmine deſcripſit libris duobus: ac totidem reliquit libros de vita S. Agricii. Error librariorum videtur, quòd nonnullis in codd. legitur, claruiſſe anno 1480: nam ſcribi debuit 1080. Quam ætatem ei tribuit Tritthemius tum in viris illuſtribus, tum in Chronico Hirſaugienſi. Quæ barbarico ſcripſi numero, ut faciliùs pateat, quàm proclivis fuerit error.

Anno cIↃLXXX claruit in Anglia Oſmundus. Nam in epiſcopatu Sarisberienſi ſucceſſerat Hermanno, primo Sarisberienſi epiſcopo: qui ex nobili Shyreburniæ pago, juxta decretum ſynodi, præſide Lanfranco Cantuarienſi, habitæ, ſedem epiſcopalem eò tranſtulerat. Auctor Polydorus extremo lib. IX. rerum Angl. Anno autem cIↃCCCCLVI, à Calliſto Pontifice divorum numero eſt adſcriptus: ut idem Polydorus ait lib. XXIII. Commentarios quoſdam Eccleſiæ reliquiſſe, ait Eiſingrinius. Qui iſti ſint, non addit. Sed Polydorus lib. IX auctor eſt, *eum horarias preces, hoc eſt divinum officium, quod vocant, primitus digeſſiſſe.* Atque addit, *Et has tota fere Anglia etiam nunc uſurpat.* Præterea idem (cujus cauſſa ejus hic meminimus) exaravit vitam Althelmi, ſive Adelmi Epiſcopi. Apud Poſſevinum in Apparatu ſacro legas, obiiſſe anno cIↃCXC. Qui error facilè ex iis refellitur, quæ ex Polydoro ſuperiùs retulimus.

Liſiardus, Sueſſionenſis epiſcopus, ſcripſiſſe dicitur ad Radulphum, Rhemenſem Archiepiſcopum, vitam ſancti Arnulphi; cui in epiſcopatu ſucceſſerat. Obiit autem Arnulphus anno Chr. cIↃLXXXVII, XVIII Kal. Sept. ut in ea vita legas cap. L. Habes vitam hanc in ſylloge Surii a. d. XV Aug. ubi apertè Liſiardo tribuitur. Sed eam non tam Liſiardi eſſe, quàm Hariulphi, oſtendemus inferiùs *a*. Arnulphi, quam diximus, vitam optima fide tradi, auctor eſt Barchius Tom. XI, ad an. cIↃLXXX. Nec illud prætereundum, Liſiardo huic, Sueſſionenſium epiſcopo, à Guiberto, abbate Monaſterii S. Mariæ Novigenti, dedicatos eſſe ſeptem eos Hieroſolymitanæ hiſtoriæ libros, qui hodieque ſuperſunt. Meminit Liſiardi & Meierus in Annalibus Flandricis.

*a Libri hujus cap 49.*

Stephanus, monaſterii S. Trudonis monachus, congregationis Cluniacenſis, eodem rerum potiente conſignavit miracula omnia, quæ in memorato cœnobio facta eſſent per S. Trudonem ab anno cIↃLV uſque ad an. cIↃLXXXII.

Circa hæc tempora etiam Theudus, abbas monaſterii S. Pauli de Radiolo, ac S. Joannis Gaulberti diſcipulus, præter commentarium in regulam S. Benedicti, etiam memorati proximè præceptoris ſui vitam ſcripſit: quæ MSa ſupereſt. Deceſſit anno cIↃXCV, VII Aug.

Osbernus, (prout rectè Molano *b* vocatur, qui Poſſevino *c* perperàm Osbertus, Sauſſejo *d* Obſernus, niſi typographi is lapſus) Doroberneṅſis, ſive Cantuarienſis Eccleſiæ præcentor, monachus Benedictinus, Lanfranci archiepiſcopi familiaris, floruit ſub Guilielmo notho, Anglorum rege anno cIↃLXXIV. Nam errat cum Surio Poſſevinus *e*, cùm refert ad annum cIↃXX. Niſi & ea librarii potius culpa videatur. Hic præter alia, (ut de eo Guilielmus Malmesburienſis inquit) *Romanâ ſcripſit eloquentiâ vitam S. Dunſtani, Cantuarienſis archiepiſcopi.* Repræſentat Surius die XIX Maji. Meminit Baronius ad annum IↃCCCXL, IↃCCCLV, IↃCCCLVII, IↃCCCLX. Sed auctorem ubique *Osbertum* vocat. Ego de nomine Anglici ſcriptoris malo credere Anglis; puta Lelando, Balæo, Pitſeo; quàm Surio, quem Baronius ſequitur. Vita quoque Odonis, itidem Cantuarienſis archiepiſcopi, ab eodem, tum proſâ, tum carmine, eſt comprehenſa. Inter MSSos exſtat Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Ibidem in volumine de vitâ, ac miraculis quorundam ſanctorum, quod à vitâ Martialis incipit, extremo loco reperias vitam regis Eduardi in epitomen contractam ex contractibus *D. Osberni Weſtmonaſt.* ut eſt apud Th. James. Item carmine tradidit vitam S. Elphegi archiepiſcopi: quæ apud Surium legitur die XIX April. ac Cantabrigiæ MSa ſupereſt in memorato collegio. Ubi & vita S. Martini, Odilonis Meiolæ, & aliorum. Apud Th. James lego, contineri in codice illo Cantabrigienſi vitam S. Dunſtani, Odonis, Odilonis, & Meiolæ, eodem autore. Illa Elphegi, quam dicebamus apud Surium reperiri, à nonnullis tribuitur Osberto: quemadmodum cognoſcere eſt ex iis, quæ ad oram idem Surius annotavit. Nempe confuderunt Osbernum hunc, & Osbertum, de quo inferiùs agemus.

*b Notis in Usuardum ad 7 Febr.*
*c In apparatu ſacro.*
*d Annal. Aurelian. lib. 4 c. 8.*
*e Miror Th. Jameſium lib. 2. de codd. MSS. maluiſſe hâc in re Poſſevinum ſequi, quàm Baleum.*

Joannes, archidiaconus Barenſis, juſſu Urſonis Barenſis, & Canuſini Archiepiſcopi, circa ann. Chr. cIↃLXXXVIII, ſcripſit S. Nicolai, Myrenſis epiſcopi in Lycia, tranſlationem ad Barum, ſeu Barium, oppidum Apuliæ. Habes apud Surium Tom. III. a. d. IX Maji: ſed ſtylo mutato, & nonnullis refectis.

Alberici, Caſinenſis monachi, & cardinalis, ætas ex eo ſatis cognoſcitur, quòd pro Papa Gregorio VII calamum ſtrinxerit adverſus Henricum IV. Vir diſertiſſimus, & eruditiſſimus vocatur à Leone Oſtienſi libro III. Chronici Caſinenſis cap. XXXIII: ubi & ſcripta ejus referuntur, interque ea, Vita S. Virginis Chriſti, Scholaſticæ: Vita S. Dominici abbatis: Paſſiones SS. Modeſti, & Cæſarii. Vide & de eo Petrum diaconum, auctorem quarti Chronicorum Caſinenſium libri, cap. LXVIII. Laudat & Platina in Nicolao Papa II. Alius ab eo eſt Albericus, monachus trium Fontium: qui Chronicon ſcripſit ab initio mundi uſque ad annum Chr. IↃCXXVI. Quod in Helvetia exſtat in bibliotheca S. Galli. Puto hunc eſſe Albericum, quem ſe paſſim ſequi profitetur Chronicon magnum Belgicum à Canonico regulari prope Nuſſiam ſcriptum.

Guntherus, monachus Elvonenſis, ordinis Benedictini, Tritthemio teſte, floruit tempore Henrici IV, circa annum cIↃXC. De eo ſic Sigebertus cap. CLXVII: *Guntherus, monachus S. Amandi, ſcripſit martyrium S. Cyriaci, metrico ſtylo.*

Benno à Clemente III Antipapa cardinalis fuit deſignatus. Scripſit autem vitam Hildebrandi, ſive Gregorii VII, qui deceſſit anno cIↃLXXXV. Sed ſuperfuiſſe Bennonem anno cIↃXCII, oſtendunt literæ eo anno exaratæ, quibus Hildebrandini fautores vocati ſunt ad audientiam. Uti illam Hildebrandi vitam, ita & literas iſtas, in Faſciculo rerum expetendarum inſeruit Orthuinus Gratius. Utrùm autem bonâ, an peſſimâ, an ambiguâ fide, ſcripſerit; nunc non diſputabo. Abbas Swarzahamenſis (is, quem Conradus, abbas Urſpergenſis, continuavit) meminit ejus in Chronico ad annum cIↃLXXV: ubi corruptè *Bruno* pro Bennone appellatur: in quo & aliis in codicibus non rarò eſt peccatum.

Alexander, abbas ſecundus monaſterii Salvatoris, quod eſt Aquiſcincti, congregationis Cluniacenſis, vixit circa annum cIↃC: ſucceſſit autem in abbatia B. Goſvino; cujus & de vita librum reliquit; qui in monaſterio eo MSus adſervatur. Idem eſt, qui Alexander Atrebas appellatur.

Circa eadem tempora fuit Chartuitius, ſeu *Chartuitus*, epiſcopus Ungarus. Hic in literas retulit vitam S. Stephani, primi regis Ungarorum, qui genti ſuæ ad religionem Chriſtianam præiverit. Eam dicavit octavo regi Ungariæ, Colomanno, qui imperare cœpit anno cIↃXCV; atque obiit anno cIↃCXIV. Habes hanc vitam in Surianis collectaneis ad XX Aug. Mentio ejus vitæ fit apud Baronium ad annum IↃCCCCLXXXIX. Sed rex is perperam vocatur Colonanus. Idem Chartuitius vitam conſcripſit S. Stephani, regis Hungarorum. Ejus opuſculi meminit Baronius ad annum cIↃII.

Claruit tum quoque Theofridus Epternacenſis abbas XXIV, ord. Benedict. Signavit vitam S. Willebrordi archiepiſcopi & abbatis Epternacenſis, quæ MSa ſupereſt.

Quatuor

Quatuor etiam libris fecit Epitaphium ſanctorum. Divulgavit cum notis Joannes Roberti *a* S. I. *a Luxemburgi 1619.*

## Cap. XLVII.

*Lanfrancus Cantuarienſis de geſtis Guilielmi Normanni, Britanniæ regis. Lamberti Schafnaburgenſis laus. Wenceſlaus, monaſterii præfectus. Haimeranus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Arnulphus. Marianus Scotus, chronographus. Locus ejus emendatus. Quos ſequatur. Ejuſdem putari Notitiam imperii Romani. Sulcardus monachus, chronographus. Anonymus de libello Henrici IV. adverſus Saxones. M. Adami Bremenſis hiſtoria Eccleſiaſtica. De ætate ejus, error Poſſevini. Bona ejus fides. Continuator Bedæ quando vixerit. Ingulphus abbas de vita & miraculis S. Guthlaci. Balderici Chronicon Cameracenſe. Brunonis monachi hiſtoria belli Saxonici. Ivonis Carnotenſis chronicon. Hugonis Floriacenſis chronicon. Elſwardi, ſive Ethelwerdi illuſtre genus, libri, dictio tumida. Warneri Homiliarii Faſciculus temporum. Gaufredus de geſtis ſui temporis. De Bertholdi Conſtantienſis ætate error Poſſevini: fides ejuſdem in dubium vocata. Guilielmus Pictavienſis de geſtis Guilielmi Conquæſtoris. De iiſdem carmen Guidonis Ambianenſis.*

VIſum fuit eos conjungere, qui, ætate Henrici IV, ſanctorum vitas, miracula, ac tranſlationes, prodiderunt. Nunc pariter ſociemus, qui, eodem imperante, res bello geſtas, aliaque, quæ universè Remp. aut Eccleſiam, ſpectent, annalibus, vel hiſtoriis, vel etiam carmine, fuere complexi.

Agmen ducat is, qui primis Henrici IV. temporibus claruit, Lanfrancus, Cantuarienſis archiepiſcopus, ſed natione Italus, ex Papienſi urbe. Hic, ut Sigebertus ait in catal. cap. CLVI inter alia *ſcripſit laudes, triumphos, & res geſtas Guilielmi, Normannorum comitis, qui regnum Anglorum primus invaſit.* Videndum autem, idemne, an alius Lanfrancus ſit, quem unà cum aliquot aliis temporum ſcriptoribus ex Oporini officina pollicetur Baſilius Jo. Heroldus, præfatione in Chronica Mariani Scoti, & Martini Poli.

Proximus eſto Lambertus Schafnaburgenſis, ſive Aſchaffenburgenſis (ut eſt apud Serrarium in Annal. Moguntinis) monachus *Hirsfeldenſis* in diœceſi Moguntina. Hunc Tritthemius in Chronicis ait conſcripſiſſe Chronicon cœnobii ſui Hirsfeldenſis; breve illud, ſed non inutile. Id videre nondum licuit: Imprimis autem nomen ſibi peperit hiſtoriâ Germanicâ, quam perducit uſque ad annum Chriſti CIↃ LXXVII: quo vivebat. Eum verò continuavit monachus quidam Erphordenſis uſque ad annum CIↃ CCCC LXXII. Juſti Lipſii in notis ad Polit. lib. I cap. IX hujuſmodi de Lamberto judicium eſt; & eum, in Germanicis; & Rodericum Toletanum, in Hiſpanicis, *bonos eſſe, quantum potuit in tali ævo.* Dictio ejus elegans eſt. De quâ ſic Barthius Adverſ. lib. XLIX cap. 4. *Lamberto Schafnaburgenſi nemo politius inter veteres res Germaniæ commiſit.* Eundem lib. XLV. cap. XXIII. *miræ ævo ſuo eloquentiæ ſcriptorem* vocat. Sed illuſtre imprimis elogium eſt Joſ. Scaligeri in libris de Emendatione temporum. *Equidem miror, in ſeculo tam barbaro tantam hominis, & in loquendo puritatem, & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in Chronologis noſtri temporis pudorem aliquem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent.* Vix tamen probare poſſum, quòd hiſtoriæ quædam admiſceat privata, poſteritatis memoriâ minùs digna. In rebus etiam pertinentibus ad controverſiam inter Henricum IV, & Gregorium VII, fidem ejus claudicare, multorum judicium eſt. Scriptore hoc ſe non parum adjutum ait Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi.

Wenceſlaus, Altaichienſis inferioris monaſterii antiſtes, ac Henrici IV. Imp. à conſiliis, eruditi, ac prudentis viri elogio ornatur à Jo. Aventino: qui & ejus libris ſe adjutum prædicat *a* in conſcribendis annalibus Bojorum. *a In ſcriptoribus præmiſſis lib. 5. annal.*

Haimeranus, Reginoburgenſis præpoſitus, vixit ſub Imperatore Henrico IV: deque ſcriptoribus Eccleſiaſticis librum reliquit: qui inter eos à Joanne Aventino refertur, è quibus profecit, cùm quinctum contexeret librum annalium Boicorum.

Floruit tum quoque Arnulphus, oriundus ex Vogburgenſibus regulis, ac Othonis Fruxinenſis æmulus: cujus operibus idem Aventinus in ſcribendo quincto annalium ſe agnoſcit adjutum.

Marianus Scotus, *vir ætate ſuâ admodum diſertus*, ut de eo Sigebertus ait in catalogo cap. CLXXIII, Chronicon perduxit uſque ad annum CIↃ LXXXIII. Sed Dodechinus, abbas S. Dyſibodi, continuavit illud uſque ad annum CIↃ CC. De hoc ita Sigebertus in Chronicis ad ann. CIↃ LXI: *Marianus chronographus claret; qui à Scotia in Gallias veniens, Coloniæ factus monachus primò; poſtea apud Moguntiam recluſus eſt.* Et ad annum CIↃ LXXXII: *Marianus Scotus Chronicam ſuam*, à Chriſti nativitate inchoatam, uſque ad hunc annum perduxit; *qui erat* ætatis *ſuæ annus quinquageſimus ſextus; multùm laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in cyclo Dionyſii; altrinſecus autem ſecundùm veritatem Euangelii.* In quo Sigeberti loco pro *quinquageſimus ſextus* lego *quinquageſimus quartus.* Exaratum erat LIV, unde librarius proclivi errore fecit LVI. Sanè Marianus ipſe ait in Chronico ad annum CIↃ XXVIII, hoc ſe annum natum fuiſſe. Unde clarè dilucet, quod dixi. Idem Marianus ad an. CIↃ LVI, ait, ſe tum factum monachum. Anno CIↃ LIX presbyterum ſe conſecratum perhibet. Anno CIↃ LXIX indicat ſe à Fuldenſi recluſione ad Moguntinam tranſiiſſe. Ex Aventino in ſcriptoribus, quos præmiſit quincto annalium libro, diſcere eſt, eum, Germaniâ luſtratâ, in Bavariam veniſſe Reginoburgum, atque ibi mathematicas docuiſſe diſciplinas; item interpretatum fuiſſe ſacras literas: victum verò ei ſuppeditatum hic fuiſſe à virginibus ſuperioris, & inferioris monaſterii. In Chronico ſuo ſequitur Marianus Caſſiodorum: uti Caſſiodorus Euſebium. Itaque, ubi Euſebius errat, etiam iſti errant. Interim utilitatis hoc adfert, quòd, cùm ſuo ævo meliores habuerit codices, quàm hodie ſuperſint; non pauca ex eo in Euſebio, Caſſiodoro, atque item Beda, & aliis, poſſunt emendari. Commentariis etiam illuſtravit pſalten regium. Imò & Mariano huic Scoto *Notitiam imperii Romani*, opus præclarum, adſcriptum it doctiſſimus Cujacius. Obiit Moguntiæ an. CIↃ LXXXVIII, ut Dodechinus ait: atque, ut Aventinus teſtatur, ſepultus eſt in templo B. Petri, extra urbem. MSum Mariani codicem optimum in Oxonienſi bibliothecâ exſtare, cognoſcimus ex libro *b* primo Briani Twyni de antiquitate Oxonienſis Academiæ. Atque idem lib. II *c*, provocat ad codicem MSum. Nam *impreſſum*, inquit, *editum quis diceret? qui multò plura occultat, quàm edit.* Cæterùm apud Pitſeum in Anglicorum ſcriptorum catalogo reperio, Anglum anonymum, collegii Mertonenſis in Oxonienſi Academiâ alumnum, inſignem chronologum, adverſus Marianum Scotum opus exarâſſe, quod Oxonii in memorato collegio adſervetur: atque id *calculationem de univerſali tempore* inſcribi, vel verbis eodem redeuntibus. *b Pag. 67.* *c P. 191.*

Robertus Herefordenſis opus de annis Domini, ſive Excerpta è Chronicis Mariani Scoti conſcripſit. Habes in bibliothecâ Gualteri Copi. Meminit & Pitſeus, ſed perperam appellat *excerpta de Chronica Mariæ in Scotiâ.*

Eodem etiam imperante, Sulcardus Anglus, Weſtmonaſterienſis, congregationis Cluniacenſis, ſub rege Angliæ, Guilielmo Conquæſtore, claruit, ac præter ſermones, & epiſtolas, Chronicon edidit. Deceſſit circa annum CIↃ LX: hodieque Weſtmonaſterii lapis in templo inſcriptum habet, *Sulcardus Monachus, & Chronographus.*

Anonymus carmine condidit libros tres de Henrici IV, Rom.

Rom. Imperatoris, bello contra Saxones: ac quamquam auctor ignoratur (nomen metu videtur non appoſuiſſe) tamen ſatis ſe indicat interfuiſſe ipſi Henrici comitatui, inque eo confeciſſe hiſtoriam iſtam: nempe anno cIↄ LXXV. Eum inter auctores, qui pro Henrico IV. ſcripſere, edidit Goldaſtus.

M. Adamus, Bremenſis Canonicus, hiſtoriam vulgavit Eccleſiaſticam de religione per diœceſin Bremenſem, & plagam Septentrionalem univerſam, propagatâ, à temporibus Karoli M. uſque ad Henricum IV. hoc eſt annis ampliùs trecentis. Poſſevinus ait, vixiſſe tempore Benedicti VII; qui anno Iↄ CCCC LXXXIV ad pontificatum eſt evectus. Sed fallitur. Uti &, cùm diverſum putat ab Adamo, vetere hiſtorico; qui in ſcriptis ſuis vitam retulit B. Anſgarii. Nam eam in Adamo hoc legas. Veram ætatem ejus cognoſcimus inde, quòd lib. IV cap. XVI referat, Bremam ſe veniſſe noviſſimis temporibus Adalberti Archiepiſcopi: quodque libro III cap. V ait, anno ejus XXIV, hoc eſt Chriſti cIↄ LXXVII, factum ſe Bremenſem canonicum, ſive, ut ipſe loquitur, indigniſſimum Eccleſiæ Dei matricularium. Alterum quoque ſuppetit argumentum. Quippe opus hoc dedicat Liemaro, qui Adalberto ſucceſſit. Liquet hoc, non ex præfatione duntaxat: ſed etiam verbis iſtis lib. III cap. I. *De cujus viri* (Adelberti) *geſtis, & moribus, cùm difficile ſit aliquid dignum ſcribere; ad ſcribendum ea nos cogit neceſſitas; quoniam promiſimus libelli hujus tenorem, ô venerande præſul Limare, uſque ad diem tui pontificatus extendere.* Item ex epilogo, quem carmine fecit ad Liemarum: ex quo & diſcimus, juvenem hoc opus luſiſſe. Sic enim inter alia ait:

*Ergo fave votis, parce & juvenilibus auſis.*

Meminit hujuſce ſcriptoris Helmoldus in Chronicis Slavorum lib. I cap. XIV: *Teſtis eſt magiſter Adam, qui geſta Hammenburgenſis Eccleſiæ Pontificum diſertiſſimo ſtylo conſcripſit: qui cùm commemoret Slaviam in duodeviginti pagos diſpertitam, affirmat, præter tres, omnes ad fidem Chriſti converſos.* Quæ apud Adamum legas lib. II cap. XVII. E recentioribus ejus ſæpe meminit Baronius: cui ad annum Iↄ CCCC LXXX vocatur *ſincerus chronographus:* item ad annum Iↄ CCCC LXXXIII, *probatæ fidei vetus chronographus:* ſimiliaque iſtis alibi habet.

Circa annum cIↄ LXXX Anonymus Britannus, Bedam continuans, libros tres emiſit de geſtis Anglorum; qui in rerum Britannicarum ſcriptoribus Heidelbergæ editis Bedæ proximè junguntur. Ætatem ejus locus iſte aperit lib. III cap. XXVII: *Reſponderunt Berengario libris, Lanfrancus Archiepiſcopus; ſed præcipuè, & fortiter, Guimundus, prius monachus de ſancto Leufredo Normanniæ, poſtea Epiſcopus Averſonus Apuliæ, noſtri temporis eloquentiſſimus.* At Guimundus ille vixit temporibus Gregorii VII; ut ipſe teſtatur initio lib. I de Euchariſtia. Gregorius autem defunctus fuit anno cIↄ LXXXVI. Anonymus verò hic deſinit initio Henrici regis, qui Guilielmo patri anno ſucceſſit cIↄ LXXXVII: ut veriſimile ſit, circa hæc tempora vivere deſiiſſe.

Circa eadem tempora fuit Ingulphus, qui perperam nonnullis *Indulphus*, Anglus, abbas Croilandienſis. Pater ejus fuit unus ex aulicis Eduardi, ultimi regum ſtirpis Anglicanæ. Ac meminit ipſe velitatiuncularum, quæ ſibi fuere in pueritiâ cum Edgithâ, Eduardi regis conjuge laudatiſſimâ. Primùm Weſtmonaſterii, poſtea Oxonii ſeſe ſtuduiſſe, inque philoſophiâ peripatetica æqualibus palmam præripuiſſe, itidem de ſe non vanus teſtis eſt. Fuit Guilielmo Normanniæ duci, à ſecretis. Cujus bonâ cum veniâ Hieroſolymam adiit, Conſtantinopolitanum imperatorem Alexium, & patriarcham Sophronium, ſalutavit. Reverſus in Normanniam, factus eſt monachus Benedictinus. Sed poſtquam Guilielmus dux regnum Angliæ adeptus fuit: Croilandienſis ab eo factus eſt abbas. Scripſit de vita, & miraculis, S. Guthlaci. Item hiſtoriam ſui monaſterii. Sunt, qui & aliorum Angliæ cœnobiorum hiſtoriam condidiſſe teſtentur: atque in eâ multa etiam referre ad reges pertinentia: inciperéque ab anno Iↄ CCLXIV: deſinere autem in anno cIↄ LXVI, quo imperare in Anglia cœpit Guilielmus. Obiit anno cIↄ CIX, regnante ibidem Henrico I. Suffectuſque in ejus locum eſt Joffridus, Prior monaſterii S. Ebrulfi. Prodiit Londini curâ V. Cl. Henrici Savilii, unà cum aliis rerum Anglicarum ſcriptoribus. Ἐπιγραφὴ hujuſmodi eſt: *Deſcriptio compilata per dom. Ingulphum, abbatem monaſterii Crotland, natione Anglicum, quondam monachum Fontanellenſem.* At appendix illa Ingulphi, quæ incerti ſcriptoris eſſe in codd. editis dicitur, auctorem habet Petrum Bleſenſem: ut exponemus, ubi ad Bleſenſem hunc deventum erit.

Eodem Cæſare Henrico IV. imperante, Baldericus, ſacellanus primò, & à ſecretis fuit Gerardi, primi ejus nominis Cameracenſis, & Attrebatenſis epiſcopi; qui anno obiit cIↄ XLIX. Hinc à ſecretis erat B. Liedberto; poſteaque Gerardo II; qui ſedere cœpit anno cIↄ LXXVI. Exinde creatus eſt Canonicus, & Cantor Eccleſiæ Morinenſis. Tandem Noviomenſis, & Tornacenſis Eccleſiæ, epiſcopus fuit: atque annis ſedit quindecim. Chronicon fecit Cameracenſis & Attrebatenſis Eccleſiæ, libris tribus: quod anno cIↄ Iↄ CXV in lucem Duaci prodiit, curâ Georgii Colvenerii, Theologi Duacenſis. Scripſit & Chronicon Morinenſe, quod MSum exſtat in monaſterio Benedictino apud Cenomanenſes. Epitaphium Balderico hujuſmodi eſt in choro cathedralis Eccleſiæ Morinenſis: *P. Baldericus, hujus Eccleſiæ cantor, & epiſcopus Noviomenſis, an. Verbi incarnati* cIↄ CXII, *prælationis ſuæ an. XV prid. Kal. Jun. obiit, meritis plenus, & chronico Cameracenſi illuſtris.*

Tum quoque Bruno monachus hiſtoriam belli Saxonici, ſuo tempore geſti, perſcripſit ad Werinherum, Epiſcopum Merſeburgenſem. Tractat hoc opere de adoleſcentia Henrici IV. Imp. ac bellis, quæ geſſit cum Saxonibus: item de Rudolpho, & Hermanno, regibus in ſchiſmate electis. Orditur ab anno cIↄ LXXIII: ac deſinit in anno cIↄ LXXXII. Quod ſi talis erat Henricus IV, qualem eum Bruno depingit; ſanè nihil eo fuerit ſceleratius. Sed multò aliter de eô tradidere veterum non pauci. Atque hoc in cauſſa eſt, cur Marquardus Freherus, cùm Brunonis hujus hiſtoriam primus ederet in lucem: velut antidoti loco ſubjecerit apolegeticum; quem de unitate eccleſiæ conſervandâ, & ſchiſmate inter Henricum ac Gregorium, animi atque affectus ſui monumentum apud omnes eſſe voluit, ſeu Venericus Vercellenſis, qui deceſſit an. cIↄ LXXVII: ſeu Walramus, vel Waltrabonus, Naumbergenſis epiſcopus, qui anno obiit cIↄ CXII: vel etiam, judicio quorundam, Conradus, epiſcopus Ultrajectinus, qui eſt defunctus anno cIↄ XCVIII. Librum eum è Fuldenſi bibliotheca primus in publicum dederat, ac Ferdinando, Archiduci Auſtriæ, dicârat, Ulricus Huttenus.

Iiſdem temporibus in pretio erat Gilbertus ſeu *Giſlebertus*, Flander, decanus Eccleſiæ S. Andreæ Elnonenſis, ſeu ad S. Amandum. Conſignavit hic librum de incendio Elnonenſi. Et Deportationem S. Amandi per Franciam, ac miracula, quæ fecit in via. Quod opus librorum eſt trium. Hæc MSa exſtant in bibliothecâ Eccleſiæ ad S. Amandum. Deceſſit Elnone anno cIↄ XCV: atque ibidem ſepultus in æde SS. Apoſtolorum. Epitaphium ejus tale:

*Hoc Giſlebertus ſub marmore pauſat opertus,*
*Dogmata diva ferens, & Chriſto totus inhærens,*
*Formam paſtoris noſtris qui geſſit in horis:*
*Tandem ſublatus terris petit aſtra vocatus.*

Quos verſus refert Chronicon monaſterii Elnonenſis. Meminit & ejus Molanus ad Uſuardum in VI Febr.

Nicolaus monachus S. Albani epiſtolâ ad Petrum abbatem S. Remigii, quæ inter epiſtolas Petri abbatis Cellenſis exſtat lib. IX, ac numero eſt nona. *Ivo, venerabilis Carnotenſium Epiſcopus in Chronicis ſuis ſcripſit duodecimo anno ætatis ſuæ Virginem ab Archangelo Gabriele ſalutatam, & à ſpiritu S. obumbratam.* Quem ad locum adnotat Jacobus Sirmondus, ea Ivonis Chronica non exſtare.

Ivo, Carnotenſis epiſcopus, floruit ſub Henrico IV; ut agnoſcimus ex Sigeberti chronicis ad an. cIↄ LXXVIII,

& cIↄ

& cIↄ xcII; quo epiſcopatum adeptus Carnotenſem; vel ſanè anno proximo; ut tradit Matthæus Paris in Hiſt. Angl. Obiit autem non anno cIↄ cxvII; ut idem Matthæus perhibet: ſed cIↄ cxv, ut legere eſt in Carnotenſis eccleſiæ martyrologio. Vide & de eo appendicem Sigeberti ad annum cIↄ cxIV, atque è junioribus, cùm Baronium Annal. T. xI, & xII; tum Antonium Loiſelium in commentariis rerum Bellovacenſium cap. vIII, quod eſt de illuſtribus viris Bellovacenſibus. Præter ea quorum Sigebertus meminit in catal. cap. cLxvIII; aut etiam quorum mentio eſt apud Tritthemium, Poſſevinum, alios; exſtat & breve Ivonis Chronicon de regibus Francorum: quod, ex P. Maſſoni J. C. codice, epiſtolis Ivonis Juretus ſubjungit in editione ſuâ Pariſinâ. Imò vidi & volumen ſatis amplum, quod inſcribitur: *Hiſtoria ſuccincta edita à venerabili Ivone, Carnotenſi epiſcopo, de geſtis quorundam regum Aſſyriorum, & de geſtis omnium Romanorum imperatorum, & ad ultimum de Carolo Magno, rege Francorum, & ipſius ſucceſſoribus.* Codicem eum MSum poſſidet cariſſimus mihi, magnæ eruditionis, majoriſque ſpei juvenis, Guilielmus Oomſius Amſtelodamenſis. Ac pars quidem ejus, ſed illa, quâ faciliùs carere poteramus, lucem jam adſpexit a principemque locum obtinet in Corpore veteris ac ſinceræ hiſtoriæ Francicæ: extenditur verò uſque ad annum ultimum Conſtantini imp. ac initium Licinii Cæſaris, & Conſtantini Magni. Cætera deſunt, vitio codicis MSi: unde malâ manu abrupta erant: ut conqueritur is, qui iſta in Germania divulgavit. Interea fore idem ſperat, ut alteri codex integer feliciter obtingat. Talis ſanè ille eſt Oomſii noſtri, qui provehitur uſque ad tempora Ludovici Pii. Eum ſimulac occaſio ſe offeret, publici juris facere idem Oomſius decrevit.

a Hanoviæ an. 1613.

Tum quoque claruit Hugo, Floriacenſis monachus; qui Chronica condidit libris ſex, eoſque Ivoni Carnotenſi dicavit. Crebrò operis ejus meminit Antoninus Florentinus in ſummâ hiſtoriæ: item alii, qui conſecuti fuerunt. Eoſque inter Cuſpinianus in imperatoribus ſuis. Ex opere hoc non ampliùs nunc ſupereſt, quàm uſque ad mortem Irenes imperatricis; qui tertius fuit annus imperii Caroli Magni; Chriſti autem Iↄ ccc III. Exſtat in Floriacenſi bibliotheca. Hugonem hunc cum aliquot aliis chronographis edere decreverat jam olim Baſilius Jo. Heroldus; ut ipſe teſtis eſt præfatione in Mariani Scoti Chronicon.

Circa annum cIↄ xc, ſub Guilielmo II, Anglorum rege, vixit *Elſwardus*, ſive potiùs *Etelwerdus*, Anglus patricius, conſul, & quæſtor; ut ipſe ſcribit: imò regio ſanguine editus; quia atavus ei erat Etheredus rex, Athelulphi regis filius quartus: ut de ſe refert lib. IV cap. II. Præter epiſtolas complures ad Mathildam conſobrinam, etiam hiſtoriam brevem quatuor libris conſcripſit. Ab origine mundi orditur, ac perducit uſque ad finem regni Edgari. Meminit ejus, præter Lelandum, & alios, etiam Guilielmus Malmesburienſis in prologo hiſtoriæ ſuæ de regibus: ſed hoc in eo culpat, quòd affectato, planeque turgido, & pompatico, utatur ſermone. Londini primùm prodiit curâ doctiſſimi Savilii.

Eodem tempore vivebat & in Anglia *Warnerus*; qui Weſtmonaſterienſis cœnobii monachus erat, cognomento *Homiliarius*: quomodo vocatus, quia eruditas reliquerit homilias. Præterea verò ſanctorum patrum deflorationes ſcripſit, & faſciculum temporum: ut teſtis eſt Boſtonus Burienſis. Arnoldus Wion in Ligno vitæ *Warmerum* appellat: ſed minùs rectè.

Gaufredus, monachus ordinis D. Benedicti, Hiſpanus, floruit anno cIↄ xcvII, ac ſui geſta temporis conſignavit: quæ Hieronymus Surita primus protraxit in lucem, & ſummo viro, Antonio Auguſtino, Tarraconenſi Archiepiſcopo, dicavit.

Æqualis huic fuit *Bertholdus*, ſive *Bernoldus*, Conſtantienſis presbyter, vir Tritthemio admodum laudatus; qui & ordinem Romanum ſcripſiſſe ait. Idem etiam Chronicon Hermanni Contracti annis xI auxit; hoc eſt ab anno cIↄ LIV, quo Contractus deceſſit, uſque ad annum cIↄ LXVI. Inſimul ſui temporis hiſtoriam condidit, ab anno cIↄ LIII, uſque ad annum cIↄ c: quo & obiiſſe creditur. Unde falli liquet Poſſevinum, cùm in Apparatu ſacro, ubi de Contracto agit, hunc, & Bertholdum, æquales fuiſſe ait. Primus Bertholdum in publicum emiſit Chriſtianus Urſtiſius volumine quodam, quo illuſtres aliquot rerum Germanicarum ſcriptores comprehendit. Si animum affectibus haut viſum fuerit mancipare: neceſſum erit, ſubſcribamus doctiſſimo Cuſpiniano; quando ait, *Bertholdum abundè de Henrico* IV. *ſcripſiſſe, ſed malè affectum.* Quid mirum? Nempe hic iſte eſt, cui à Pontifice in triſti iſthoc diſſidio inter Cæſarem, & Pontificem, impoſitum fuit, ut in Eccleſiæ gremium reciperet, quotquot à Cæſareis partibus ad Pontificias deficerent. Itaque Cæſari addictos, nunc Henricianos appellat, aut Guibertiſtas: nunc ſchiſmaticos, hæreticos, vel excommunicatos: è contrario, qui à partibus ſtarent pontificiis, ſolos catholicorum nomine dignatur: eoſdem S. Petri fideles, Chriſti milites, & Eccleſiæ vocat propugnatores. Imò ipſe in acie ſtetit Pontificiâ, cùm ea, ac Suevi imprimis, an. cIↄ LXXXVI victoriam ab Imperatore in Oſtrofrancis reportarent.

Etiam temporibus Henrici IV, & fortaſſe ulteriùs, claruere, *Guilhelmus Pictavienſis*, & *Guido Ambianenſis.* Uterque geſta ſcripſere Guilielmi Conquæſtoris, Angliæ regis; qui obiit an. cIↄ LXXXVII. Guilielmus Gemiticenſis lib. VI de geſtis Normannorum cap. XLIII: *Ad finem geſtorum Guilhelmi, regis Anglorum, & ducis Normannorum, de quibus, faſtidio lectorum compendioſè conſulentes, quædam perſtrinximus, veniamus. Siquis verò pleniùs illa nôſſe deſiderat, librum Guilhelmi Pictavienſis, Luxoviorum Archidiaconi, eadem geſta, ut copioſe, ita eloquente ſermone, affatim continentem, legat. Edidit præterea de eâdem materia opus non contemnendum Guido, Epiſcopus Ambianenſis, heroico metro exaratum.* De Guilielmi Pictavienſis hiſtoria actum fuit in bibliothecâ Collegii S. Benedicti: nunc verò (ut Th. James ait) *notam hujus* libri reperies, librum autem nuſquam loci.

## Cap. XLVIII.

*Leonis Marſicani, ſive Oſtienſis, libri tres Chronici Caſinenſis: quibus quartum addidit Petrus diaconus. Theodericus abbas de vitis Sanctorum. Alphredus Beverlacenſis. Anonymus de geſtis Henrici* IV. *imp. Stephanus, abbas Leodicenſis, de vita S. Modoaldi. Error quorundam de ætate Modoaldi, & alter Poſſevini de ætate ejus, qui vitam Modoaldi exaravit. Diethmarus abbas de tranſlatione Modoaldi. David Scotus de vita Henrici* V. *Eundem videri, qui regnum Scotiæ deſcripſit: etſi aliud Tritthemius putârit. Udalſcalcus de controverſiis inter Hermannum, epiſcopum Auguſtanum, & Eginonem abbatem; item de vitis quorundam. Sigeberti Chronica, & varia opuſcula de vitis ſanctorum. Turgotus Dunelmenſis, vir de Britannica hiſtoria præclarè meritus, variis operibus: ſed vernaculâ linguâ ſcriptis. Florentii Bravonii Chronicon, atque ejus continuatio. Alia ejuſdem Florentii. Rainaldus de vita Hugonis Cluniocenſis. Fabricius Thuſcus, (cognominis illi, quem Plinius laudat) de vita S. Adhelmi. Goccelinus Bertinianus de vitis plurium ſanctorum. Amandus de vita, atque obitu Odonis Cluniacenſis. Chronicon Rodulphi abbatis S. Trudonis. Gelaſius papa de paſſione S. Eraſmi. Vilco Jaerſma de geſtis nobilitatis Friſicæ in terra ſancta. Anonymi chronicon Hieroſolymitanum. Anonymus de tranſlatione S. Valentini. Calliſtus papa de vita atque obitu ſanctorum. Eadmerus Britannus quæ ſcripſerit, & an idem ſit, ac Emundus. Cantuariæ vetus nomen. Auctarium Galfrido Monamuthenſi additum à Gualthero Calenio. Joannes Pyke de*

*regibus Angloſaxonum, ac Danis, qui in Anglia regnarunt.* Nicolaus Sueſſionenſis de vita Godefridi Ambianenſis. Robertus monachus S. Remigii *de bellis contra Saracenos.* Munionis Mindonenſis, Hugonis Portugallenſis, *&* Gyraldi presbyteri, *hiſtoria Compoſtellana.*

HEnrico IV. jam ſene, & annis primis Henrici V. (qui imperium ſuſcepit anno cIↄ cvi) claruit Leo Marſicanus ex Caſinenſi monacho epiſcopus Oſtienſis. De ætate arguit, quòd epiſtolas ſcripſerit nomine Urbani II; teſte Petro diacono in Chronico Caſinenſi cap. xxxi: ac quòd idem, ubi intellexit Paſchalem in carcerem eſſe conjectum, habitu mutato in fugam ſe dederit; eodem teſtante cap. xl. Adde quòd idem, ejuſce Papæ temporibus, craticulam S. Laurentii, cum martyris ejus duabus ſanguinis ampullis, multorumque ſanctorum reliquiis, recondidit ſub novo altari; ipſeque altare illud dedicavit: ut ex veteribus inſcriptionibus Baronius adſtruit ad annum cIↄ cxii. Compoſuit Leo Oſtienſis tres priores libros Chronici Caſinenſis; qui incipiunt à B. Benedicto (defunctus is anno Iↄ xlii) deſinunt verò in obitu Papæ Victoris III, hoc eſt anno cIↄ lxxxvi. Quartus autem liber auctorem habet Petrum diaconum Caſinenſem: de quo inferiùs dicemus.

Itidem extremis Henrici IV, ac primis Henrici V. temporibus; nempe circa annum cIↄ c, ac deinceps; non exiguum nomen habuit Theodericus, abbas monaſterii S. Trudonis in diœceſi Leodienſi, congregationis Cluniacenſis. Hic poſteris prodidit vitam S. Rumoldi, archiepiſcopi, & martyris, quæ eſt apud Surium Tom. vii ad i Jul. & vitam B. Landradæ, virginis Belgicæ; quæ apud eundem Tom. iv ad viii Jul. Item vitam S. Bavonis Confeſſoris, quæ in T. v ad i Oct. Adhæc tranſlationem SS. Trudonis, & Eucherii, quæ ibidem legitur. Item vitam S. Amalbergæ virginis, quæ MSa exſtat in cœnobio Cameræ juxta Bruxellam. Præterea vitam S. Bavonis, confeſſoris, quæ in Sur. T. v die i Oct. item libros duos de vita S. Trudonis, quæ eſt T. vi die xxiii Nov. ubi & commemorata antè S. Trudonis tranſlatio reponitur. Aliqua horum etiam memorat Sigebertus in catal. cap. clxxi, his verbis: *Theodericus monachus, & abbas ſancti Trudonis, vitas ſanctorum Bavonis, Trudonis, & Rumoldi, urbaniori ſtylo melioravit, & eleganti ingenio multa, breviter quidem, ſed laudabiliter, metricè ſcripſit.* Reſpicit autem eò, quòd Veteris & Novi Teſtamenti hiſtorias ſcripſerit verſu heroico.

Tum quoque, ſub Henrico I, Anglorum rege, claruit Alphredus Anglus, Beverlacenſi in urbe, ubi & obiit, ſacerdos, ac collegii, ut nunc loquimur, theſaurarius. Reliquit deflorationes Galfridi libris v: de geſtis regum Britanniæ lib. i: hiſtoriam ampliorem lib. i: vitam S. Joannis Beverlacenſis, archiepiſcopi Beverlacenſis. Obiit Alphredus anno cIↄ cxxvi: quo & annales ſuos finiit. Meminit præter alios Joannes Wethamſted, ſive de loco Frumenti: qui &, unde annales ſeu chronicon ſuum ordiatur, exponit, & quæ potiſſimùm, ac quò uſque perſequatur. Nam ait, *Chronicon à Bruto, uſque ad tempora Normannorum, ſcripſiſſe: tractâſſe quoque de civitatum nominibus hinc inde ſeorſum in hoc regno fundatis: ac retuliſſe, quibus nominibus civitas Londonienſis, Cantuarienſis, Eboracenſis, aliæque urbes variæ, vocatæ fuerint temporibus illis, quibus Britannica geſſerunt vocabula, per Britoneſque inhabitatæ erant.*

Statim ab obitu imp. Henrici IV, (quem in annum cIↄ cvi incidere, antè diximus) quidam vitam ejuſce imperatoris in literas retulit; cujus nomen ignoratur, quia apponere ipſe auſus non fuit. Hæc primitus, unà cum vitâ Hildebrandi, ſive Gregorii VII, à Bennone ſcriptâ, lucem intueri cœpit in rerum expetendarum faſciculo, quem exhibuit Orthuinus Gratius. Poſtilla eandem alii iterum, atque iterum, divulgarunt. Perſtringit eum ſcriptorem Baronius T. xii, ad annum cIↄ cvi.

Sub imp. Henrico V. etiam vixit Stephanus; abbas Leodicenſis, ad S. Jacobum, ordinis Benedictini; qui libris tribus ad Thietmarum abbatem vitam ſcripſit S. Modoaldi, Trevirenſis archiepiſcopi. Apud Surium eam reperies Tom. iii ad xii Maji. Modoaldus ille (ut in præfat. dicitur) frater erat Ittæ, & Severæ: quarum prior mater fuit S. Gertrudis: ut omnino cœlo, ſeculoque toto, aberrent, qui claruiſſe tradunt anno Iↄ ccl. Sed ut illi non parum in Modoaldi ætate cæcutiunt: ita ſpiſſior eſt Poſſevini error in temporibus Stephani hujus: quem refert ad annum Iↄ cc xl. Fortaſſe impoſuere illi hæc præfationis verba: *Adorſi ſumus, auctore Deo, enarrare, quæ de vita & miraculis beati Modoaldi pontificis, tam ex antiquorum relatione, quàm ex antiquorum librorum lectione colligere potuimus.* Quomodo qui loquitur, innuere videtur nonnulla ſe accepiſſe à ſenibus; qui, ſi Modoaldum non noviſſent ipſi, ſaltem aliquando ſermonem habuerint cum iis qui Modoaldi ætate vixiſſent. Sed nulli hoc argumentum fucum fecerit, qui viderit, in libello ipſo agi de Carolo Magno *a*, Ludovico Pio, & Clothario impp. a Cap. 10,
atque adeò ibidem legerit *b*, poſt hos fuiſſe complures, 11, 12.
tum Carolos, & Pipinos; tum Clotarios, & Ludovicos; b Cap. 13.
alios quidem reges, alios & imperatores. Sed quid opus multis? Nihil manifeſtiùs arguit ætatem Stephani, quàm quòd æqualis fuerit Diethmari: quem Henrici V. temporibus fuiſſe, clarè indicio erunt, quæ nunc dicam.

Diethmarus, ſive Tiethmarus, Helmovardienſis, ſeu Helmardvicenſis cœnobii abbas, cùm à Stephano, Leodicenſi abbate, accepiſſet tres libros de vita S. Modoaldi; eidem ἀντίδωρον loco miſit ſcriptam à ſe ejuſdem Modoaldi tranſlationem. Ea autem ſancti corporis tranſlatio (ut in libelli illius fine refertur) facta eſt à Tiethmaro, anno gratiæ cIↄ cvii. Ubi & Tiethmarus hic dicitur fuiſſe ſecundus ejus nominis Helmovardienſis abbas: ſucceſſione autem ſextus. Unde, ut Thietmari, ita Stephani ætas, ſatis liquet. Cæterùm ex Poſſevino cognoſcimus, in codd. manu exaratis etiam adſcribi Thietmaro vitam, & miracula S. Remacli.

David Scotus ſocius erat Mariani Scoti. Fuit priùs ludimagiſter Wirtzeburgenſis: hinc in aulam eſt vocatus ab Henrico V imp. cujus & vitam libris tribus tradidit: ut ex Conrado à Liechtenaw, & Joanne Aventino, cognoſcitur. Arbitror, nec alium eſſe, qui de regno Scotiæ ſcripſit. Etſi Tritthemius diſtinguat, qui hunc Davidem presbyterum vocat. Sed, ut eundem putem, facit, quòd uterque Scotus, uterque Henrici V ætate vixiſſe, uterque Imperatoris ejus geſta dicitur ſcripſiſſe. Refertur hic David ab Aventino inter eos auctores, quorum induſtriâ fuerit adjutus, cùm ſextum annalium Boicorum librum componeret.

Temporibus quoque Henrici V. Imp. vivebat *Udeſcalcus*, ſive *Udalſcalcus*; cujus narratio de controverſiis inter Hermannum, comitem à Wietliſpach, epiſcopum Auguſtanum, & Eginonem, abbatem S. Udalrici, edita eſt ab Henrico Caniſio Tom. ii Antiq. Lect. Quando hoc opuſculum ſcripſerit, verba iſta in extremo libello indicant: *Quem defenſorem, ac propugnatorem ſperabamus, utpute gregis Dominici paſtorem,* AUGUSTENSEM *Epiſcopum, crudelem ſenſimus perſecutorem. Qui cùm à beata memoria Papa* PASCHALI, *pro diuturna inobedientia, in omni pontificali officio fuiſſet interdictus; atque à ſucceſſore ejus,* GELASIO *ſecundo; nec non à ſancto adhuc ſuperſtite Papa,* CALIXTO *ſecundo; abſque ſpe ejuſdem recuperandi officii ſit damnatus: ab ipſa Apoſtolica ſede hoc accepimus mandatum, hujuſmodi vitare, ut mortiferum. Nos tamen, ut minùs perfecti, non ſtatim ad hæc implenda convaluimus,* &c. Auguſtanus ille epiſcopus Hermannus, de quo hîc ſermo eſt, ſedere cœpit anno cIↄ xcvi, ac Eccleſiæ ſuæ præfuit uſque ad an. cIↄ cxxxiv, ſuccedente ei tum Walthero Palatino in Tubingen. Non dubium autem, quin idem ſit Udeſcalcus, qui in literas retulit vitam, cùm Mariæ Magdalenæ, atque Afræ; tum Udalrici, epiſcopi Auguſtani: quam

etiam

etiam prodidere, Gebhardus, Auguſtanus epiſcopus, & Berno, ſeu Bernardus Augienſis.

Sigebertus, monachus Gemblacenſis in Brabantiâ, Chronicon ſuum incipit ab anno ccclxxxi; quo poſt mortem Valentis regnare cœperunt Valentinianus minor, & Gratianus; ac perduxit, non quidem uſque ad annum cIↃcxxi, ut ait Raphaël Volaterr. initio lib. xxii; verùm uſque ad annum cIↃcxii, quo obiit. Sed Robertus, abbas Montis, adjecit, quæ ſubjunguntur uſque ad annum cIↃccx. Vetuſtus, &, ſi non αὐτόγραφος, at de eo ſaltem exſcriptus, Chronici hujuſce codex eſt in bibliotheca Gemblacenſi; in quo deſiderantur aliqua, quæ legas in pleriſque etiam MSis; aliqua etiam recentiori manu adjecta ſunt ad oram: ut auctor eſt, qui eum cum aliis codd. contulit, Aubertus Miræus, diſquiſitione SS. Virginibus Colonienſibus. Atque idem Miræus novam Sigeberti editionem Antwerpiæ dedit anno cIↃIↃviii, typis Verduſſii. In ea Sigebertum continuat Anſelmus, abbas Gemblacenſis viii, uſque ad annum cIↃcxxxvi. Hinc Auctarium Aquicinctinum producit uſque ad annum cIↃccxxv. Exſtat & Sigeberti Chronicon MSum in publicâ Cantabrigienſis Academiæ bibliothecâ, & apud eoſdem in Collegio S. Benedicti. Edidit Sigebertus præterea librum de eccleſiaſticis ſcriptoribus: in cujus extremo & alia, quæ divulgârit, recenſet. *Scripſi*, inquit, *vitam Theoderici epiſcopi, conditoris ipſius* (Gemblacenſis) *Eccleſiæ, & Abbatiæ; in qua etiam, per digreſſionem, laudem ipſius urbis heroico metro declamavi. Scripſi paſſionem Sanctæ Luciæ, quæ ibi requieſcit, Alcaica metro. Quibuſdam etiam reprehendentibus illam Sanctæ Luciæ prophetiam, Annuntio vobis pacem Eccleſiæ Dei datam, Diocletiano ejecto de regno ſuo, & Maximiano hodie mortuo: reſpondi, diligenter conſideratâ temporum ratione, & rerum veritate. Scripſi nihilominus ſermonem in laudem ipſius virginis, in quo tranſlationes ipſius à Sicilia in Corſinium, civitatem Italiæ, & à Corſinio in Metim, urbem Galliæ, ordinatâ temporum conſequentiâ digeſſi.* Sermo is MSus exſtat Gemblaci. Hinc ſubdit; *Scripſi vitam Sigeberti Regis, conditoris Eccleſiæ, & Abbatiæ Sancti Martini, extra civitatem Metenſem ſitæ.* Habes apud Surium Tom. vii, a. d. i Febr. Sequitur inde: *Regreſſus ad Monaſterium Gemblacenſe, ſcripſi paſſionem Thebæorum, patronorum noſtrorum, heroico carmine.* Conſtat id opus libb. tribus & MSum ſupereſt Gemblaci. Addit mox: *Scripſi vitam S. Guiberti Confeſſoris, fundatoris Eccleſiæ noſtræ Gemblacenſis; de qua excerpſi lectiones competenti ordine in ejus depoſitione.* Reperies apud Surium Tom. iii, ad xxiii Maji. Subjungit hinc: *Scripſi & geſta abbatum Gemblacenſium.* Hæc diſcipulus Sigeberti continuavit ad annum uſque cIↃccxxxvi. Addit *vitas ſanctorum Maclovi & Thedardi, urbaniore ſtylo melioravi.* Ex his illa Maclovi, ſeu Machuti, exſtat apud Surium Tom. vi, die xv Nov. Sequitur: *Vitam quoque S. Lantberti urbanè melioravi.* Supereſt MSa indeque fortaſſe appendix illa ad vitam Lantberti, ſeu Lamberti, à Stephano exaratam, quæ apud Surium Tom. v, die xvii Sept. Intelligo tranſlationem eam MSam adverſati, tum Gemblaci, tum etiam Lovanii in collegio Jeſuitico. De hoc ſcriptore ita monachus Auguſtinianus Nuſſienſis in magno Chronico Belgico ad annum cIↃcxiv: *Finitur hic Chronica Sigeberti, qui venerabilis monachus Gemblacenſis cœnobii, vir in omni ſcientia literarum incomparabilis ingenii, deſcriptor temporum,* iii *Non. Oct. obiit,* &c.

Vixit & tum Turgotus Dunelmenſis, Anglus, priùs monachus cœnobii Dunelmenſis, ac poſtea ab Henrico i Angliæ rege factus S. Andreæ in Scotia epiſcopus, & à rege Scotiæ ibidem receptus. Multa de hoc Rogerus Hovedenus part. i, ad annum cIↃlxxiii. Sed etſi præclarè de hiſtoria patria meritus ſit: tamen vix ei hic locus eſſe poteſt, quia Britannicâ linguâ ſcripſit; ut Hector Boëthius ait: nec, quod ſciam, interpretem Latinum hactenus eſt nactus: niſi quatenus eum Boëthius, atque alii exſcribunt. Cæteroquin reliquit commentarios de vita Malcolmi, regis Scotiæ: ejuſque conjugis Margaritæ, quibus à confeſſionibus erat. Item librum fecit de regibus Scotorum. Et annales ſui temporis. Chronica Dunelmenſia, quæ orditur ab anno IↃcxxxv, ac perducit uſque ad ann. cIↃxcvii. Septimo, ut ipſe refert, ætatis anno monaſterium ingreſſus eſt; undevigeſimo autem factus eſt diaconus, trigeſimo presbyter. Summâ fide ſcripſiſſe, judicium eſt Briani Twyni lib. ii. apologiæ de antiquitate Academiæ Oxonienſis. Obiit anno cIↃcxv.

Florentius Bravonius, Wigornienſis monachus, floruit florentiſſimè anno cIↃcx, totoque novennio poſt. Nam obiit anno cIↃcxix, regnante Henrico primo, Anglorum rege. Compoſuit Chronicon ex Chronicis ab initio mundi uſque ad annum Domini cIↃcxviii: quod alius ejuſdem cœnobii continuavit uſque ad annum cIↃclxiii. Atque id opus eò majoris duci convenit, quòd Latinè eâ inſerantur ſuis locis antiqui Anglosaxonum annales. Hoc Florentii chronicon, & continuatorem ejus, è bibliotheca ſuâ primus publicavit Guilielmus Howardus, nobilis Anglus. Scripſit præterea Florentius hic de regali Anglorum proſapia: item appendicem ad Marianum Scotum: item de rebus memorabilibus cœnobii ſui Wigornienſis. Liber de genealogiis regum manuſcriptus exſtat Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Dicere non poſſim, idemne, an alius ab eo, ſit ille de regali Anglorum proſapiâ liber. Balæus prioris ſolùm tituli meminit. Pitſeus autem diſtinguit. Florentium hunc laudant, ac ſequuntur, Gualterus Coventrienſis, Ranulphus Higdenus, & Joannes Roſſus.

Ad eadem tempora pertinet Rainaldus abbas, qui perperam nonnullis *Flaivaldus* vocatur. De eo ſic Henricus de Gandavo in catal. cap. iii: *Rainaldus, abbas Viceliacenſis, ſcripſit compendioſè vitam Domini Hugonis, Cluniacenſis abbatis.* Deceſſit autem hic Hugo anno Chriſti cIↃcix; ut ex Sigeberti Chronicis conſtat.

Faricius, ſeu Fabricius Thuſcus, Abbas Abindonenſis apud Anglos, congregationis Cluniacenſis, claruit anno cIↃcx. Conſignavit vitam S. Adelmi, ſive Aldelmi, ſive Anthelmi, Abbatis Scotici. Fuit & alter Fabricius Thuſcus, Plinio memoratus in indice ſcriptorum, è quibus profecit lib. iii, iv, vi. Imo, ut puto, ſolus hic verè id nomen poſſidet. Nam qui Adelmi vitam ſcripſit, is Lelando, Balæo, & in bibliotheca Geſneri à Simlero adauctâ, non Fabricius Thuſcus, ut uni Poſſevino; ſed Faritius Thuſcus nominatur.

Goccelinus, ſive *Gotzelinus Bertinianus*, qui aliis Gocelinus, Gallus, monachus primùm ad B. Bertini apud Andomaropolim Arteſiæ monachus Benedictinus fuit: poſtea cum Anſelmus Cantuarienſis epiſcopus, ob egregias animi dotes in Angliam evocavit: ubi monachus primò Cantuarienſis fuit, ac poſtea Ramuſienſis. Claruit anno cIↃcx. Signavit vitam S. Swithuni, Wintonienſis epiſcopi: quæ ipſa, vel ſaltem epitome ejus, exſtat apud Surium Tom. iv, Jul. ii. Item edidit vitam B. Auguſtini, Anglorum, ut vocant, Apoſtoli, libris ii. deque ejus miraculis librum i, & de tranſlatione ejus ad Anſelmum libros ii. Præterea vitas S. Laurentii archiepiſcopi Londinenſis, Grimbaldi abbatis, Erkenwaldi epiſcopi, Eedgithæ, Milpurgæ, & Witheburgæ. Item librum de origine S. Ivonis, ex Perſiâ in Angliam tranſlati, & alterum de tranſlatione ac miraculis ejus. Non confundendus autem hic Gocelinus, ſive Goccelinus, cum Gocelino, Pariſienſi epiſcopo, quem celebrat Regino Chronicorum de origine & geſtis Francorum lib. ii, ad annum IↃccclxxxvii, nec cum Gocelino, Wellenſi Canonico, cujus meminit Thomas Wiccius in hiſtoriâ Monaſterii B. Mariæ de Meritona. Baronio ad annum IↃccclxii dicitur *Gothzelinus Morinenſis*. Aliis monachus Bertinianus: quæ minimè cum ſuperioribus pugnant. Nam ex oppido S. Audomari in Angliam à B. Anſelmo fuit evocatus.

Anno cIↃcxiii clareſcebat Amandus, Prior monaſterii Aquicinctini, ordinis S. Benedicti, bis mille paſſibus diſſiti Duaco, inclyto Flandriæ oppido. Hic nominis memo-

memoriam reliquit epiſtolâ luculentâ, quâ vitam, & obitum deſcripſit. Odonis, epiſcopi Cameracenſis. Ea exſtat manuſcr. Aquicincti atque item Antverpiæ apud Miræum. Incipit hoc pacto. *Aquicinctenſis cœnobii humilis congregatio*, &c.

Anno cIↄcxv, vel circiter, orbi literato innotuit Rodulphus, ſive Radulphus, S. Trudonis abbas, Ord. S. Benedicti, in diœceſi Leodienſi, congregationis Cluniacenſis. Compoſuit Chronicon ad ſua uſque tempora, quod in cœnobio S. Trudonis adſervatur MSum. Item conſignavit inventionem, & tranſlationem S. Gereonis: quæ apud Surium Tom. vi, die xxiv Nov. Apud Poſſevinum, velut diverſos, legas, Rodolphum abbatem, & Rodulphum, S. Trudonis monachum. Quemadmodum eſt apud Sweertium in Athenis Belgicis. Sed eſt unus idemque. Obiit Coloniæ anno cIↄcxxxviii.

Is qui anno cIↄcvii S. Gervino, ſecundo abbati in Aldenburg, ſucceſſit, Gervini hujus vitam conſcripſit. Ejus epitomen habes apud Haræum in Sanctorum vitis ad xvii Aprilis.

Gelaſius ii Pontifex Max. fuit anno cIↄcxviii, inque literas retulit paſſionem S. Eraſmi epiſcopi, & martyris. Manuſcripta exſtat Caſini.

Eodem tempore clarniſſe dicitur Vilco Jacrſma, Friſius. Hic à ſecretis fuit Elconis à Liaucama: atque res ab eo, & aliis è Friſicâ nobilitate, geſtas in terra ſancta ſub rege Balduino, poſteritati prodidit. Auctorem hujuſce rei laudat Suffridus Petri Andream Cornelium in Hiſtoria Friſica, ex Solcone à Forteman, Occone Scharlenſi, & Joanne Ulieterpio, magnam partem contextâ, ſed necdum editâ: cujus MSum ſe, atque item alios, exemplar habere, ait idem Suffridus.

Chronici Hieroſolymitani, quod Reinerus Reineccius edidit, anonymus ſcriptor *a* incipit ab anno cIↄxcv; quo Urbanus ii celebravit concilium Claromontanum, in quo bellum ſacrum eſt decretum: deſinit verò in ſecundo anno Balduini de Burg, tertii Regis Hieroſolymitani; qui annus eſt Chriſti cIↄcxviii; ac veriſimile eſt, eo anno obiiſſe. Ipſe bello non interfuit: ſed dicit, ſe omnia habere ab iis, *qui præſentes adfuiſſent*. Videtur omnium, qui de Hieroſolymitano bello ſcripſere, eſſe antiquiſſimus. Quædam tamen, ab eo omiſſa, reperies apud Guilielmum Tyrium; de quo inferiùs dicemus.

*a Albertus Aquenſis is eſt, ut poſtea dicemus.*

Is cujus operâ innotuit nobis tranſlatio corporis S. Valentini, epiſcopi Patavini (habes eam apud Surium T. iv, die iv Aug.) circa annum claruit cIↄcxx. Incipit autem hoc pacto, prout quidem e MSSis duobus expreſſit idem Surius: *Noſtro ævo temporibus Calixti, Pontificis Max. anno Dominicæ incarnationis* cIↄxc, *Patavii inventum eſt corpus ſanctiſſimum venerandi confeſſoris Chriſti, & epiſcopi Valentini.* Sed annorum ratio iſta longiùs abit ab ætate Calixti. Planè enim ſcribi convenit cIↄcxix, quo Calixtus pontificalem adeptus dignitatem. Vel cIↄcxx, qui alter eſt annus pontificatus. Equidem ita cenſeo, proclivem magis errorem fuiſſe in numero, quàm in nomine pontificis.

Calliſtus ii, Guido antea dictus, Guilielmi, Burgundiæ Comitis, filius, primùm monachus monaſterii Fallerienſis in Gallia, congregationis Cluniacenſis, hinc archiepiſcopus Viennenſis in Gallia, ac denique, poſt Gelaſium ſecundum, papa Romanus, præter epiſtolas, ac decreta, reliquit librum de obitu & vita ſanctorum: ac ſeorſim librum de miraculis S. Jacobi Apoſtoli; qui prope integer exſtat in Vincentio Bellovacenſe Speculi Hiſtorici lib. xxvi. à cap. xxx uſque ad xlii. Sanè Calliſtus magno ſemper in honore habuit S. Jacobum Compoſtellanum: quod & indicant verba iſta Guilhelmi Malmesburienſis: *Nec quicquam in Calliſti pectore pecuniarum, vel habendarum ambitus, vel habitarum amor, operari bono abhorrens potuit. Adeò ut Anglos peregrinos magis ad ſanctum dictum, Jacobum Compoſtellanum videlicet, quàm Romam pergere, admoneret; pro via longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum, quod habent, qui ſemel Romam irent.* Idem MSus adſervatur Oxonii in Balliolenſi bibliothecâ, & Cantabrigiæ in Benedictinâ: ubi & liber ejus MSus ſuper tranſlationem S. Jacobi. Item ejuſdem liber MSus de inventione corporis Turpini.

Eadmerus, ſive Edmerus Britannus, Anſelmi archiepiſcopi auditor, Borobernenſis monachus ad fanum Servatoris, ac poſtea abbas ad Albani fanum, ac tandem beati Andreæ in Scotiâ Præſul, claruit ſub Henrico i Angliæ rege circa annum cIↄcxx. Compoſuit grande opus de libertate Eccleſiæ, in quo tractat de diſcordia inter Guilielmum Rufum; Anglorum regem, & Anſelmum archiepiſcopum. Item exaravit libros vi. de geſtis ſui temporis: ſive hiſtoriam novorum in Anglia, qui MSus Cantabrigiæ exſtat in Collegio S. Benedicti: Continet quæ contigere ſub Guilielmo i & ii. Item Henrico i. Nempe ab anno Chriſti cIↄlxvi, uſque ad ann. cIↄcxxii. Idem ſcripſit vitam Anſelmi archiepiſcopi: quæ ibidem MSa reperitur. Adhæc carmen de geſtis S. Anſelmi, & S. Elphegi, archiepiſcoporum. Item vitam Wulfridi archiepiſcopi. Anno Chriſti cIↄcxxi obiiſſe, teſtis eſt Simeon Dunelmenſis; qui annis xl poſt Eadmerum claruit.

Sed idemne, an (quod Joannes Pitſeus arbitratur) alius ab eo eſt Emundus? de quo ſic Henricus de Gandavo cap. vii: *Emundus, monachus Cantuarienſis, ſcripſit vitam Anſelmi, Cantuarienſis archiepiſcopi. Item ſcripſit illum librum de diſcordia inter Guilielmum, Anglorum regem, & eundem Anſelmum, archiepiſcopum.* Sanè ætas, magiſter, opera conveniunt: eoque eundem cenſeo. Exſtat hodieque vita Anſelmi duobus libris ab ejus convictore Anglo comprehenſa: quæ & Anſelmi operibus præmittitur, & apud Surium legitur Tom. iii, ad diem xxi Apr. Sed auctor ejus vitæ Edinerus vocatur. Fortaſſe idem nomen eſt *Edmundus*, & *Eadmerus*, vel *Eadnerus*: atque ut ex illo *Emundus*, (ſic & vocat Tritthemius) ita ex hoc *Edinerus* factum fuit. At dixent aliquis, omnino alium eſſe *Eadmerum*, alium *Eadmundum*: quia ille Dorobernenſis monachus fuit: hic Cantabrigienſis monachus ab Henrico de Gandavo appellatur: Sed iſte ſcrupulus neminem morabitur, niſi rerum Britannicarum planè ignarum. Nam ſatis convenit, quæ nunc *Cantuaria*, hanc Bedæ, aliiſque, *Dorobernam* vocari: nonnullis etiam *Durovernum* vel *Dorovernum*, vel *Darvenum*, Δαρύενον; quæ appellatio eſt apud Ptolomæum. Exſtat manuſcripta illa Anſelmi vita in bibliothecâ Collegii S. Benedicti apud Cantuarienſes: teſte Th. James, ubi ſic inſcribitur: *Vita S. Anſelmi, Archiepiſcopi Cantuarienſis apud Edmerum Dorobornenſem.* Quod ſententiam noſtram confirmat. Sed quid multis opus? Omnem eximit ſcrupulum tum Balæus & Pitſeus; tum præcipuè clariſſimus Seldenus: qui ex bibliothecâ Roberti Cottoni, Equitis & Baronetti Hiſtoriam Eadmeri libris vi edidit anno cIↄIↄcxxiii. Editionem eam, cùm ſuperiora ſcriberem, necdum conſpexeram. In hujus præfatione abundè oſtendit Seldenus, ejuſdem eſſe ſcriptoris, quæ Eadmero, quæque Edinero, ac Emundo tribuuntur. Eaque ex præfatione petat qui plura volet de Eadmero. Guilielmus Malmesburienſis Eadmerum appellat *ſuorum temporum hiſtoricum ſinceritate veritatis laudandum.* Idem ejus ſermonis celebrat *feſtivitatem & facundiam.* Nec ſanè in veteribus rerum Anglicarum ſcriptoribus à puro ſermone quiſquam propius abeſt hoc Eadmundo, & Malmesburienſi.

Gualterus Calenius, Britannus è Cambria, archidiaconus Oxonienſis, &, juxta nonnullos, tandem Oxonienſis epiſcopus, floruit tempore Henrici i, Anglorum regis, anno cIↄcxx. Hic Britannicæ hiſtoriæ, ab Galfrido Monemuthenſi ex Britannica lingua in Latinam tranſlatæ, auctarium ad ſua uſque tempora edidit. Eſt id auctarium annorum amplius quadringentorum, atque, ut Radulphus cenſet, ſermone ſcriptum eſt non ineleganti. Hiſtoriam ejus in compendium redegit Ponticus Viruunius Italus.

Joan-

Joannes Pyke, Anglus, floruit anno cIↃ c xx ſub Henrico, primo ejus nominis Anglorum rege. Scripſit de regibus Angloſaxonum: item de regibus Danis, qui in Anglia regnarunt. Quos libros poſtea in compendium redegit Guilielmus Horman, Etonenſis collegii prorector.

Nicolaus, Sueſſionenſis monachus, claruit an. cIↃ c xx: atque ad Rohardum, Sueſſionenſis Eccleſiæ decanum, tribus libris ſcripſit vitam æqualis ſui S. Godefridi, Ambianenſis epiſcopi: qui anno obiit cIↃ c xviii. Habes in Surii Hiſtoria ſanctorum Tom. vi, die viii Nov.

Etiam anno cIↃ c xx literis, & poſteritati, vacabat Robertus S. Remigii in diœceſi Rhemenſi (ut ipſe in præfatione de ſe teſtatur) monachus congregationis Cluniacenſis. Collegit acta conciliorum. Octo item libros compoſuit de bello principum Chriſtianorum, Gallorum præcipuè, contra Sarracenos; quod geſtum fuit anno cIↃ xcv. Prodiit Baſileæ apud Pernam anno cIↃ IↃ xxxiii. Atque etiam exſtat in ſcriptoribus iis rerum Germanicarum, quos in editione ſuâ falce uno complexus Juſtus Reuberus fuit. Item Tom. i. Orientalis hiſtoriæ, quæ inſcribitur, *Geſta Dei per Francos.* Sed in Reuberi editione libri ſunt viii:
a Some an. 1533. in Orientali Hiſtoria ſunt ix. Quod inde eſt, quia *a* in Baſileenſi ac Reuberianâ editione unus ſit liber, qui in Hiſtoria Orientali dividitur in ſeptimum, & octavum. Quod ſi Tritthemium audimus, fuerint libri x. Credo, in exemplar inciderat, ubi & alius liber in duos diſpeſceretur. Incipit Robertus à Concilio Claræmontano anni cIↃ xcv, cui interfuit, atque unde profectio illa in Orientem cœpit: deſinit in victoriâ de Ammirauſo Babylonis, quæ incidit in annum cIↃ xcix. Fuit ipſe expeditionis comes: quo majorem fidem meretur. Meminit Blondus ſæpius Dec. ii, lib. iv.

Temporibus quoque Henrici v, & papæ Callixti ii, quibus Didacus factus primus archiepiſcopus Compoſtellanus, claruere Munio, Mindonienſis epiſcopus, Hugo, Portugalenſis epiſcopus, & Giraldus presbyter: qui, juſſu Didaci archiepiſcopi, hiſtoriam Compoſtellanam duobus libris tradiderunt. De hoc opere ita Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ cap. iv: *Vide Salmanticæ in Bibliothecâ collegii S. Salvatoris, quod magno Reipublicæ bono inſtituit D. Didacus Miros, Ouetenſis epiſcopus, & Catholicis regibus à ſecretis, doctiſſimorum, atque integerrimorum fertilitate virorum celeberrimum, hiſtoriam Compoſtellanam in duos libros digeſtam, juſſu D. Didaci primi archiepiſcopi Compoſtellani; in quibus primordia, ſucceſſus, incrementa Eccleſiæ Compoſtellanæ latè deſcribuntur. In iis libris plurima ſcitu digna reperi, quæ ſuis locis ponentur. Prioris libri auctores fuiſſe dicuntur Munio Mindonienſis, & Hugo Portugalenſis epiſcopi: poſterioris, Giraldus quidam, presbyter, ut colligitur, & ejuſdem archiepiſcopi familiaris.* Alius ab hoc eſt Munio, itidem Hiſpanus; qui anno cIↃ cc lxxxv Ordinis prædicatorum ſeptimus eſt electus magiſter generalis: ſed Nicolaus iv Pontif. Max. ſeptimo pôſt anno eum hoc munere privavit: novennio pôſt à Pontif. Max. deſignatus eſt in Hiſpaniam epiſcopus Palentinus. At à Bonifacio viii honore hoc eſt dejectus. Ac tandem Romæ anno cIↃ cc xcix in cœnobio S. Sabinæ ex animi ægritudine obiit. Plura de eo Leander Albertus lib. i, de illuſtribus viris Ordinis Prædicator.

## CAP. XLIX.

*Hildebertus Cenomanenſis de vita Hugonis Cluniacenſis, item Mariæ Ægyptiacæ. Deceptum eſſe illuſtrem annalium conditorem, cùm ab Ivone putaret Hildeberto inuri impudicitiæ notam. Guilielmus Gemeticenſis de geſtis Normannorum, quo in opere fides ejus ſubinde laboret. Guigo de vita Hugonis Gratianopolitani. Rupertus Tuitienſis de vita Berengarii abbatis, Eliphii martyris, & Hereberti Colonienſis, atque idem de incendio Tuitienſi. S. Bernardus Claravallenſis de vita Malachiæ, abbatis Hibernici. Philippus, abbas Bonæ* ſpei, *de vitis, & paſſione ſanctorum quorundam.* Auctus Florentinus *de ſanctis aliquot.* Eckardi Urangienſis *Chronicon.* Hugonis de S. Victore *Chronicon.* Diemo de ſanctorum *vitis.* Anonymus de vita S. Norberti. Alius de vita Guilielmi Ciſtercienſis. Osbertus Clarentius *de vita Regis Eduardi; & quo incitatus fuerit ad eam deſcribendam; item alia ejuſdem.* Petri Oſtienſis liber iv *Chronici Caſinenſis: eundem videri ac* Petrus diaconus, *cujus varia referuntur.*

HEnrici iv, ac v temporibus, nec non Lotharii ii, qui imperii habenas cepit anno cIↃ c xxv, pretium eruditionis ſuæ tulit Hildebertus, Cœnobii Cluniacenſis monachus, Berengarii, atque item S. Hugonis abbatis diſcipulus, priùs ſcholæ magiſter, hinc archidiaconus, poſteaque in Hoëli locum epiſcopus factus Cenomanenſis, cui eccleſiæ præfuit annis xxii; ac tandem, in Guilleberti locum, anno gratiæ cIↃ c xxix, Turonenſis epiſcopus creatus ab Honorio Papa, qui ingenio ejus valde delectabatur. Rexit autem Turonenſem Eccleſiam annis vii, & menſibus vi. Obiit anno cIↃ c xxxvi, qui annus xi erat Lotharii ii. In annorum tamen ratione paullùm abeunt alii; qui Cœnomanenſi eccleſiæ præfuiſſe dicunt annis xxix, ac Turonenſem archiepiſcopum factum eſſe anno cIↃ c xxvii, ſediſſeque ibi annis ſex, ac totidem menſibus. Apud Ægidium Brii lib. iii. Hiſtor. Perticenſium & Alenzoniorum comitem legere eſt; ut Hubertus Capreolus, Rotroci Perticenſis dapifer, Nogenti (vulgò huic nomen *le Rotrou*) in vinculis eum detinuerit. Literis mandavit vitam præceptoris ſui S. Hugonis, abbatis Cluniacenſis. Eam Cluniaci manuſcriptam exſtare, auctor eſt Arnoldus Wion. Sed eadem, anno cIↃ DC xix, Lutetiæ edita eſt in bibliothecâ Cluniacenſi Martiani Martii. Idem carmine ſcripſit vitam Mariæ Ægyptiacæ, cujus exemplar manuſcriptum eſt penes Heribertum Roſweidum. Meminit Henricus de Gandavo in catal. cap. viii; *Hildebertus, ex Cenomanenſi epiſcopo archiepiſcopus Turonenſis, qui claruit tam proſâ, quàm metro, ſcripſit eleganti metro vitam Mariæ Ægyptiacæ.* Alia etiam, quæ poſteritati mandavit, ſubjungit. Vide & Tritthemium, atque alios. Baronius Tom. xi putabat, Hildebertum impudicitiæ notari ab Ivone Carnotenſi epiſtola cclxxvii. Sed planè fallitur. Siquidem in melioribus libris, uti eo, quem ex manuſcriptorum optimorum fide expreſſit Juretus, non *Hildeberto*, ſed *Aldeberto* legitur. Apud Guilielmum Malmesbur. etiam habes carmen in Berengarium, pro ætate, quâ auctor ejus vixit, ſanè luculentum. Quid mirum? Quando is inter eloquentiſſimos Galliæ viros etiam à Nicolao de Clemangiis refertur, epiſtolâ ad Galiotum de Petramala cardinalem. Et veteres in eum verſiculi iſti exſtant:

*Inclytus & proſâ, verſuque per omnia primus,*
*Hildebertus olet prorſus ubique roſam.*

Vide & elogium ejus apud Guilielmum Malmesburienſem libro iii. de geſtis Anglorum, atque adeò & apud S. Bernardum Claræ vallenſem epiſtol. cxxiii, & cxxv. Meminit & Ranulphus in Polychronico, & Guilielmus Gemeticenſis lib. v. de ducibus Normanniæ cap. ix. Vita Hildeberti hujus exſtat in Galliis, in pontificali Cenomanenſium libro. Complures ad eum epiſtolæ ſuperſunt, tum Yvonis Carnotenſis: tum Goffridi, Vindocinenſis abbatis; qui & eum appellat virum religioſum, & in provincia ſua primum poſt metropolitanum.

Temporibus iiſdem, hoc eſt Henrici iv, v, & Lotharii ii, claruit Guilielmus Gemeticenſis, Normannus, monachus Fiſcanenſis, qui & ἁπλῶς *Guilielmus Cœnobita* appellatur: puta ex eo, quòd in præfatione ſe Gemeticenſem cœnobitam vocet. Hic ſex libros reliquit de geſtis Normannorum: eoſque dicavit Guilielmo, Anglorum regi, & Normannorum duci, qui vulgò dicitur Conqueſtor; quia, cùm Normanniæ duntaxat dux foret, Angliæ regnum bello acquiſiverit. Annum indicant veteres verſiculi.

*Anno milleno ſexageno quoque ſeno*
*Anglorum meta flammas videre cometa.*

Cometes enim eam mutationem regni antecesserat. Obiit autem Rex ille Guilielmus anno clↄ lxxxvii. Hinc imperium adeptus eſt filius Guilielmus, qui deceſſit anno clↄ c. Exinde regnavit Henricus, qui fato ſuo anno clↄ xxxv functus fuit. Ac ſucceſſit ei Stephanus. Guilielmus Gemeticenſis vitam perduxit uſque ad Stephani tempora. Itaque poſtquam ſex eos ſcripſiſſet libros, de quibus diximus, ſeptimum adjecit: quo paucis de Guilielmo ii agit; fuſiuſque perſequitur res geſtas Henrici i; cujus & obitum narrat. Hoſce vii libros (ex quibus tres primi potius Dudonis dici merentur, ut ſuperiùs oſtenſum) ab interitu vindicavit Guilielmus Camdenus. Multæ verò in ſcriptore hoc fabulæ de Normannis leguntur: quod non inficiabitur, qui cum eo contulerit, quæ de ætate ſuâ in Chronicis ſuis retulit Flodoardus. Fragmentum hujus Gemeticenſis habes apud Cantabrigienſes in bibliothecâ ſancti Benedicti. Verùm & integer ibi adſervatur.

Guigo, ſeu Cuigo, qui nonnullis *Guido*, Gallus, patriâ Delphinas, quinctus Prior generalis primæ Carthuſiæ, floruit tempore Henrici v, & Lotharii Saxonis imperator. atque ad Innocentium ii Papam exaravit vitam S. Hugonis, Gratianopolitani epiſcopi, qui anno obiit clↄ c xxxii. Habes apud Surium Tom. ii, a. d. i April. Liber ejus de Contemplatione ineditus aſſervatur in primariâ Carthuſiâ; cujus præfectum fuiſſe, diximus. Mentio Guigonis fit & in vita B. Bernardi Clarævallenſis: imò & inter Bernardi epiſtolas duæ ad eum ſuperſunt: nempe undecima & duodecima. Utrobique autem, uti & vitæ jam memoratæ lib. iii. cap. i, Guido vocatur: qui Guibo eſt in inſcriptione vitæ S. Hugonis apud Surium, atque adeò in manuſcriptis, quos is ſecutus. Equidem ex auctoris potiùs operibus, quàm aliunde, verum nomen peti debet: etſi & Guidonem Baronius vocet ad annum clↄ c xxviii: Integrum autem nomen, juxta nonnullos, eſt Guido, vel potius Guigo de Ponte, vel juxta alios Guido de Castro Valentinianus. Deceſſit anno Chriſti clↄ c xxxvii, ab inſtitutione ordinis Carthuſiani liii, ætatis ſuæ l, monachatus ſui xxx, prioratus, ut vocant, xxvii, vel circiter: ut auctor eſt Sutorius lib. ii. de vita Carthuſ. cap. v. Præter quem & Arnoldum Boſtium vide de viris illuſt. Ordin. Carthuſ. cap. ii, & Petrum Dorlandum Chronic. lib. iv. cap. iii. Videndum autem, idemne, an alius, ille ſit, quem ſæpius ſe exſcribere profitetur auctor magni Chronici Belgici.

Etiam tum Henrici v tempore claruit, tum Lotharii ii, ſub quo deceſſit, Rupertus, abbas Tuitienſis cœnobii juxta Coloniam Agrippinam. Ætatis, præter alia, indicium faciunt commentarii de divinis officiis: quos anno ſe clↄ c xi elaboráſſe, ipſe auctor eſt operis ejus lib. v. cap. xiv. Eo autem tempore ſub Berengero, ſive Berengario abbate, in monaſterio S. Laurentii juxta Leodicum adhuc monachus degebat: ut de ſe teſtis eſt nobis præfatione in Geneſin. Obiit autem anno clↄ c xxxv, iv Non. Mart. Inter alia, quæ memoriæ prodidit, eſt hiſtoria S. Eliphii martyris; quæ à Surio inſerta eſt Tom. v, ad diem xvi Octobr. Ejus manuſcriptus codex Coloniæ exſtat. Item edidit vitam S. Hereberti, Archiepiſcopi Colonienſis. Ejus quidem non meminit Bellarminus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Ruperto hoc agit: ſed habes apud Surium Tom. ii, die xvi Mart. &, ut genuinam, agnoſcit Baronius Tom. x, ad annum Iↄ cccc xcvi. Quanquam non tam auctor ejus vitæ, quàm expolitor, fuit. Quod verba iſta præfationis indicant: *Quatenus ſancti archipræſulis vitam virtutibus ſplendidam, ſed prioris, ut tibi videbatur, ſtyli rubigine ſubobſcuram, novo reſcriberem ſtylo.* Etiam Coloniæ *a* prodiit liber ejus de incendio Tuitienſi, in quo corpus Dominicum à flamma circumfuſâ intactum remanſit. Cum opere hoc etiam connexa eſt vita Tuitienſis hujus Ruperti, ex quo cætera de eo pete. Item adi Sixtum Senenſem in bibliotheca: & imprimis Rupertum ipſum, præfatione ad Cunonem, priùs abbatem Sigembergenſem, tum epiſcopum Ratiſponenſem; quâ, quæ ſcripſerit, recenſet.

a Anno 1572.

Incerti nominis monachus Præmonſtratenſis vitam ſcripſit æqualis ſui Godefridi, comitis Cappenbergenſis, qui anno obiit clↄ c xxvi. Exſtat vita hæc apud Surium Tom. i, a. d. xiii Jan.

Circa annum clↄ c xxx, ac deinceps, ſanctimoniæ, atque eruditionis gloriâ, longè lateque effulſit S. Bernardus, abbas Clarævallenſis: obiit autem anno gratiæ clↄ c liii, ætatis ſuæ lxiii. Hic, inter tot aurea monumenta, etiam libro integro complexus eſt vitam B. Malachiæ, epiſcopi Hiberni. Manuſcriptus ejus codex adſervatur Cantabrigiæ in bibliothecâ Collegii S. Benedicti. Cæterùm apud nonnullos reperio, vitam Malachiæ hujus ad B. Bernardum ſcriptam fuiſſe à Congano, abbate Hibernico, ordinis Ciſtercienſis. Sed Bernardo ipſi tribuit & Godfridus, monachus Clarævallenſis, diſcipulus Bernardi, de vita ejus lib. iii. cap. ultimo. Item appendix Henrici de Gandavo cap. iv. Ut mittam Philippum Bergomatem in Supplem. Chron. lib. xii. ad ann. clↄ c xxx. Aliorum etiam ſanctorum vitas ex S. Bernardo hauſere. Nam ex ſerm. xxvi. in Cantica excerpta eſt vita S. Gerardi monachi; quæ apud Surium Tom. vii, die xiii Junii. Atque ex ſermone alio *a*, vitam S. Victoris in monaſterio Arremarenſi, quod eſt in Trecenſi diœceſi, quieſcentis, apud eundem Surium habes die xxvi Febr.

a *Col.* 1133. *& deinceps edit. Kerbergiana.*

B. Bernardo, abbati Clarævallenſi, familiaris fuit Philippus ab Eleemoſyna, cognomine ab Harveng, abbas ſecundus monaſterii Bonæ ſpei apud Binchium, Hannoniæ oppidum. Præter commentarium in Eccleſiaſten, qui in memorato cœnobio adſervatur, poſteris etiam reliquit vitam S. Auguſtini Hipponenſis. Etiam vitas prodidit horum trium, S. Amandi, Trajectenſis epiſcopi, Giſſeni epiſcopi, & S. Landelini abbatis. Adhæc paſſionem SS. martyrum, Cyrici, & Julittæ. Quibus in bibliothecis hæc exſtent MSa, docebit Poſſevinus. Prodiere autem opera ejus Duaci anno clↄ Iↄ c xx *b*.

b *Typis Joannis Kellami.*

Auctus Florentinus, monachus inſtituti Vallis Umbroſæ, ac generalis ſuæ congregationis abbas, iiſdem temporibus claruit. Nempe imperantibus Lothario Saxone, ejuſque æmulo Conrado Suevo. Auctus hic præter epiſtolas contexuit vitam Joannis Gualberti; qui congregationem memoratam inſtituerat. Item reliquit vitam Bernardi Uberti Cardinalis. Adhæc librum de tranſlatione capitis Jacobi Apoſtoli. Auctor Bernardus, ejuſdem inſtituti monachus, in Aucti hujus geſtis: atque exinde Michaël Pocciantius illuſtribus ſcriptoribus Florentinis.

Eckardus, primus abbas Urangienſis monaſterii in diœceſi Herbipolenſi, ordinis S. Benedicti, floruit ſub Conrado iii, anno clↄ c xxx, ac præter monachorum Lateranam, cujus ſolius Trithemius meminit, præterque ſermones, & epiſtolas, etiam Chronicon reliquit.

Floruit iiſdem temporibus Hariulphus, abbas S. Petri Aldeburgenſis in Flandriâ, ordinis Benedicti. In literas retulit vitam S. Arnolphi, Sueſſionenſium epiſcopi; quam Surius edidit ſub nomine Liſiardi; ſed ſub nomine Hariulphi integra extat in Urſicampo, ordinis Ciſtercienſis monaſterio apud Noviomum, Picardiæ oppidum. Initium ejus eſt hujuſmodi; *Lamberto Dei gratiâ Tornacenſi epiſcopo Hariulphus.* Sed Surius præfationem triplicem omiſit. Præterea ſcripſit Hariulphus vitam B. Gervini ii abbatis Aldeburgenſis, prædeceſſoris ſui. Deceſſit an. clↄ c xliii quemadmodum Meierus annotat lib. iv. Annal. his verbis; *Obiit vir venerabilis Hariulphus, abbas Aldeburgenſis; poſtquam* xxxviii *per annos ſingulari* prudentia eam rexiſſet domum, ſeque ſtrenuè, multaque cum laude Romæ apud Innocentium* ii *defendiſſet contra monachos Sueſſionenſes, qui incorporare Sueſſionenſe monaſterium ac in Prioratum, ut vocant, redigere conabantur: ſed cauſſa ceciderunt.*

Hugo de S. Victore, patriâ Saxo, ita dictus, quòd fuerit abbas S. Victoris, claruit temporibus beati Bernardi, anno clↄ c xxx, & deinceps. Ac, præter alia, Chronico memo-

memoratur, quod perduxit uſque ad annum cIↃ CXXXVIII; ut Matthæus Paris ad hunc annum auctor eſt in vita Henrici I. Hoc opus ejus paſſim, nec diſſimulato Hugonis nomine, exſcribit auctor Chronici magni Belgici, à Piſtorio editi ex codd. MSSis. Vitam Hugonis hujus concinnavit Thomas Garzonius *a*: qui & notis Hugonem illuſtravit.

*a Habes in editione Hugonis, quæ Venetiis prodiit an.* 1588.

Iiſdem temporibus fuit Diemo Germanus, monachus Benedictinus; qui, ſignando aliquot ſanctorum vitas, ſui memoriam poſteritati reliquit.

Ad hæc etiam tempora pertinet auctor vitæ S. Nodberti, patriarchæ Præmonſtratenſium, natione Germani, è municipio Xanctis: qui, uti & ſcriptor iſte, circa annum claruit cIↃ CXXXIV. Offendes apud Surium die VI Jun. Baronio T. XII, ad annum cIↃ CXXXIV, auctor hujus vitæ appellatur Hugo *archiepiſcopus*, ſucceſſor Nortberti. Sed ſcrupuli nonnulli injiciunt verba iſta in eâ vitâ cap. XII: *Anno igitur poſt incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo decimo octavo, menſe Junio, poſt comitum ſuorum ex hâc vita deceſſum, acceſſit ei dominus Hugo, jam dictus clericus, (hoc enim erat nomen ejus,) qui proximo poſt eum loco ſucceſſit in regimine Præmonſtratæ Eccleſiæ, pia & ſanctæ converſationis homo.* Quomodo de ſe minimè ſcripſiſſet. Sed dicere poſſumus, hæc poſtea à ſucceſſore, vel alio, eſſe adjecta.

Item tum fuit is, qui vitam conſcripſit æqualis ſui B. Guilhelmi, primùm abbatis ordinis Ciſtercienſis, poſt archiepiſcopi Bituricenſis, inque eâ dignitate defuncti anno plus minùs cIↃ CXXXVI: ut hæc in vitâ apud Surium legas T. I. die X Jan.

Osbertus Clarentius, ita dictus à Clarentiâ pago in comitatu Suffolcenſi, monachus, ac poſtea etiam, Lelando teſte, Prior Londinenſis in abbatia Weſtmonaſterienſi, ſub Stephano, Anglorum rege, (ut in catalogo majore Boſtonus Burienſis refert) anno claruit cIↃ CXXXVI. Opus contexuit de vita regis Eduardi, Ethelredi regis filii. Cujus compendium Cantabrigiæ exſtat in collegio S. Benedicti. Eam regi huic gratiam rependit Osbertus, quòd cœnobium, in quo monachus hic viveret, mirum in modum auxiſſet; primuſque in eo ſepeliri voluiſſet. Præterea reliquit vitam duorum Regum, Ethelberti confeſſoris, & Eadmundi martyris: item vitam B. Edburgæ virginis. Paſſio regis & confeſſoris S. Ethelberti ſeu Athelberti exſtat MSa in bibliothecâ Collegii S. Benedicti apud Cantabrigienſes. In nonnullis codd. etiam S. Elphegi vita ei adſignatur. Sed perperàm, cùm ſit Osberni; de quo ſuperiùs dictum.

Petrus, diaconus Oſtienſis, auctor eſt libri IV Chronici Caſinenſis; qui incipit, ubi Leo Oſtienſis deſierat: nempe ab obitu Papæ Victoris III, ſive anno gratiæ cIↃ LXXXVI. Deſinit autem in morte Petri Leonis antipapæ; quo defuncto, Innocentius Papa ab omnibus eſt receptus: quod anno contigit cIↃ CXXXVIII, anno nono Innocentii. Anno præcedenti, hoc eſt cIↃ CXXXVII, Petrus hic ab imperatore Lothario II. miſſus fuerat ad monachos Caſinenſes: ut ipſe ſcribit cap. CXX. Quod ætatem ejus ſatis arguit. Idem autem videtur, ac ille, de quo nunc dicam.

Petrus Diaconus, Ægidii filius, Romanus, monachus Caſinenſis (cui ordini quinquennis fuit conſecratus, anno cIↃ CXV) multa prodidit, quæ hiſtoriam Eccleſiæ illuſtrent. Ut ſunt iſta; De ortu, & vitâ juſtorum monaſterii Caſinenſis: De viris illuſtribus monaſterii Caſinenſis: Miracula Caſinenſium monachorum: De locis ſanctis: Supplementum hiſtoriæ Anaſtaſii monachi, & bibliothecarii, de raptu corporis SS. Benedicti, & Scholaſticæ: Paſſio S. Placidi abbatis, & ſociorum: Paſſio S. Marci, & ſociorum, ad Oderiſium abbatem: Miracula SS. martyrum, Marci, Nicandri, & Martiniani; Inventio S. Marci martyris: Vita S. Dariæ, uxoris S. Nicandri martyris: Vita S. Juliani confeſſoris: Vita S. Apollinaris abbatis ad Rainaldum abbatem: Vita SS. Guinizonis, & Januarii, monachorum, ad Richardum monachum: Vita S. Conſtantii epiſcopi, & confeſſoris ad Guarinum, Aquini epiſcopum: Vita S. Severi, epiſcopi Caſinenſis ad Seniorem Abbatem: Vita S. Leonis Papæ: Vita S. Mauri Abbatis, ad Rainaldum, ſubdiaconum Caſinenſem: Hiſtoria de everſione, & reſtauratione cœnobii S. Mauri: Tranſlatio S. Stephani protomart. Conſtantinopoli ad urbem Romam: Deſtructio, & reſtauratio Atinæ urbis: De conſulibus, dictatoribus, & imperatoribus Romanorum: Hiſtoria Trojanæ gentis ab exordio ad ſua tempora: De prodigiis, & portentis, ad Ptolomæum, conſulem Romanum: Abbreviatio Solini de mirabilibus mundi. Atque hæc omnia, & multò plura ejuſdem, MSa adſervantur in bibliotheca Caſini: ut auctor eſt Poſſevinus in Apparatu ſacro. Alius autem ab hoc Petro Caſinenſi diacono eſt Petrus ille, itidem Caſinenſis diaconus, qui vitam S. Athanaſii Neapolitani deſcripſit: ut libro proximo dicemus.

## CAP. L.

*Petrus Venerabilis. Guilielmus abbas S. Theoderici, de vita S. Bernardi. Anonymi compendium de epiſcopis Rhemenſibus. Sefridus, Thimon, Ebbo, & Herberdus, de vita S. Othonis. Robertus, diaconus Aſtrovandia, de vita S. Aiberti. Alius de S. Ludgero. Anſelmus Avelburgenſis de vitis ſanctorum. Rodulphus Gallus de vita Petri abbatis.*

NUnc eos conſideremus, qui vixere, poſtquam ad Cæſareum faſtigium evectus fuit Conradus Suevus; qui & Conradus III. vocatur; atque imperium tenuit ab anno cIↃ CXXXVIII uſque ad annum cIↃ CXLII. Primùm hîc ſe offert S. Petrus, cognomine *Venerabilis*, Arvernus, genere nobilis, Mauricii, & Raigardæ filius, unde & ipſe Mauricius vocatur: (Mauriacenum quaſi à Mauriaco, Arverniæ oppido, perperam vocat Papirius Maſſonus, ac pejùs alius Maturitium) abbas Cluniacenſis nonus, & generalis octavus. Qui ætate quidem Lotharii; ſed imprimis Conradi III. imp. & primis Frederici Barbaroſſæ temporibus, ob eruditionem, & ſanctimoniam, magni nominis fuit. Hic opus condidit de miraculis ſui temporis: de S. Marcello Papâ, & martyre: De vita S. Matthæi Albanenſis: ut de rhytmis, hymnis, VI libris epiſtolarum & *aliis*; quæ conjunctim in bibliothecâ Cluniacenſi leguntur. Deceſſit Cluniaci cIↃ CLVIII.

Nec leve ſub Conrado hoc III. nomen habuit Guilielmus, abbas S. Theoderici, poſteaque monachus Clarævallenſis ſub B. Bernardo. Hic orſus eſt in literas referre vitam B. Bernardi: ſed, morte præventus, (ante ipſum Bernardum deceſſit) abſolvere non potuit: ut ait Henricus de Gandavo cap. X. Et fortaſſe idem eſt, de quo Henrici appendix cap. X. Guilielmi hujus eſt liber primus de vita Bernardi; qui apud Surium legitur die XX Aug. Quatuor ſequentes ſibi vindicat Bernardus, Bonævallenſis abbas. Conjunguntur autem etiam cum operibus B. Bernardi. Alia ejuſdem Guilielmi commemorat Philippus Bergomenſis in Chronico Suppl. lib. XII, ac Trithemius in catal. Idem verò eſt Guilielmus abbas, & Guilielmus ex abbate monachus, & Guilielmus Clarævallenſis: de quibus diſtinctis locis *a* agit Poſſevinus.

*a P.* 697. 701, & 709.

Temporibus iiſdem fuit Anonymus, Remenſis Eccleſiæ canonicus, qui hiſtoriam Flodoardi de Eccleſiæ Remenſis præſulibus in compendium redegit. Nempe cùm archiepiſcopus eſſet Sanſon, qui ex Carnotenſi clerico factus eſt archiepiſcopus Remenſis, anno cIↃ CXXXIX, atque apud Igniacum ſitus eſt; ut Antonius Demochares tradit. Ex hoc ſcriptore appendiculam Flodoardo adjecit Jac. Sirmondus: quam deſcripſit ex cod. Igniacenſi.

Ejuſdem imperatoris temporibus concurrerunt quatuor hi ſcriptores vitæ S. Othonis, *Sefridus*, *Thimon*, *Ebbo*, & *Herberdus*. Nam tempore S. Othonis fuere: is autem in Pomeraniam ad prædicandum Evangelium profectus eſt anno cIↃ CXXIV, atque obiit anno cIↃ CXXXIX. Ex quatuor his *Sefridus*, ſive Sifridus, S. Othonis ſcriba, ſeu

notarius, fuit: ut Daniel Cramerus obſervat Chronici Pomeranici lib. I cap. XIV. *Ebbo* fuit monachus cœnobii S. Michaëlis prope Babepergam. Ac vitam Othonis retulit, prout eam ex ore accepit Udalrici, ſacellani S. Ægidii. Auctor Andreas abbas in præfatione, quam quatuor libris de vita Othonis præmiſit. *Thimon* verò, ut ex eodem abbate cognoſcimus, erat monachus genere illuſtris, & S. Othoni gratus acceptuſque: qui & quinquennis ejus fuiſſe mimulus creditur. *Herbordus* autem ibidem *Scholaſticus* vocatur: diciturque *vitam præfati Othonis in libello quodam dramatico, carmine, vel etiam proſâ luculentiſſimè perſudâſſe.* Ex tribus prioribus contexta eſt vita S. Othonis, quæ exſtat apud Henricum Caniſium lib. II Antiquæ Lect. Ex iiſdem quoque, atque item Herbordo, ſua ſe accepiſſe in præfatione fatetur Andreas abbas: cujus quatuor libri de vita Othonis exſtant in Divis Bambergenſibus à Gretzero editis. Habemus & vitam S. Othonis apud Surium T. IV. a. d. II Jul. Sed ejus auctor in MSo cod. non erat adſcriptus. Non dubium autem, quin eodem ex fonte ſua hauſerit, unde poſtea Andreas abbas. Sed ſcriptor iſte compendio omnia conſtrinxit: Andreas abbas fusè cuncta diduxit.

Ultimis quoque ejuſdem imperatoris temporibus vixit Robertus, archidiaconus Auſtrovandiæ. Hic vitam ſcripſit æqualis ſui S. Aiberti, monachi, & presbyteri Criſpinienſis monaſterii; qui obiit circa annum CIↃ CXL. S. Aiberto autem æqualem eſſe ejus vitæ auctorem, præfationis hæc verba oſtendunt: *Vitam S. Confeſſoris Chriſti Aiberti; quemadmodum à religioſis, & veridicis viris, maximè autem à domino Alulpho, religioſo monacho, qui ejus ſecreta præ cæteris meliùs noverat, accepi; pro mei ingenii mediocritate diligenter enarrare conſtitui.* Vide eam vitam apud Surium T. II. II Apr.

Anonymus, quartus ſcriptor vitæ S. Ludgeri, tempore vixit S. Bernardi, abbatis Clarævallenſis, circa ann. CIↃ CXLI. ut, teſte Chriſt. Brouwerio, in MSo cod. additum erat; ſed aliâ manu. Cùm verò priores tres, Othelgrimus, Altfridus, & Uffingus, proſâ eam materiem tractarint; hic idem carmine præſtitit. Quatuor iſtorum meminit quinctus ſcriptor vitæ Ludgeri, Joannes Cincinnius, in præfatione ſuâ: atque ex iſtis quatuor hauſiſſe ea ſe profitetur, quæ promit. Cincinnius ille prodiit Coloniæ ante annos centum, & decem, Quentelii typis.

Anſelmus, Avelburgenſis epiſcopus, in Marchia ad Avelum non longè ab Albi fluvio, floruit anno CIↃ CXLVI, ac cùm epiſtolas, tum ſanctorum aliquot vitas, reliquit.

Extremis Conradi III. temporibus Radulphus Gallus, monachus Cluniacenſis, vitam deſcripſit S. Petri abbatis. MSa exſtat Cluniaci.

Claruit tum quoque S. Eliſabeth Schonaugienſis, ſoror Ecberti Regis, abbatiſſa in Trevirenſi diœceſi, quæ intèr alia reliquit librum de origine, inventione, & nominibus virginum undecim millium. Ætatem arguit, quod ſcripſerat ad S. Hildegardim, Moguntinam: quam æqualem fuiſſe S. Bernardo Clarævallenſi, conſtat ex vita Hildegardis ſcripta ab abbate Theodoro.

## CAP. LI.

*Britanni aliquot ſcriptores. Nempe Turſtinus de origine cœnobii Fontanenſis. Guilielmus Rhievallenſis de geſtis Anglorum. Robertus Salopienſis de vita Wenefridæ virginis. Rodolphus Albanius de vita S. Albani: ejuſdem libri de geſtis Alexandri Magni; quos alii Gualteri Hemlingtoni eſſe, arbitrantur. Guilielmus Malmesburienſis de geſtis regum Angliæ, item epiſcoporum ejus, & quæ præterea tractârit. Henricus Huntingdonenſis quàm varia ingenii ſui opera de rebus Anglicanis ediderit. Caradocus Lancarvanenſis de ſucceſſionibus Britannorum, ſitu orbis, & vita Gildæ. Ealredus Rhievallenſis de vitis aliquot ſanctorum: item Chronica ejuſdem, & alia. Joannes Mercianus de Merciorum regibus. Simeon Dunelmenſis de regibus Angliæ, martyrio Ethelberti, atque Ethelredi, & aliis. Conganus abbas de S. Malachia Hiberno.*

SEd nefas fuerit præterire tot illuſtres Britanniæ viros, quos alter ille orbis, ejuſdem Conradi imp. temporibus, regnante in Angliâ Stephano, extulit.

Qualis Turſtinus, ſive *Truſtinus*, qui & *Turſtanus*, Eboracenſis archiepiſcopus, ac, poſteaquam jam ſenex eâ ſe dignitate abdicâſſet, monachus Ciſtercienſis apud Rippon, Eboracenſis agri oppidum, quod Fontanenſe, ſive de Fontibus dicitur. Hac occaſione ipſe, præter alia, de origine Fontanenſis cœnobii opuſculum poſteritati tranſmiſit. Obiit ſub rege Stephano, anno CIↃ C XL, vel proximo.

Tum item, quaſi ſidus, effulſit Guilielmus Rhievallenſis, Ciſtercienſis monachus in Rusheforde. Hiſtoriam hic Anglorum reliquit, quam dicavit Ealredo, Rhievallenſi abbati. Inter potiſſimos Angliæ ſcriptores habetur à Ricardo Hagulſtadenſi, Ranulpho Higdeno, & Guilielmo Hormanno. Obiit anno CIↃ CXL.

Robertus Salopienſis, ſive de Shrewisberii (teſte Joanne Capravio in catalogo ſanctorum Angliæ) floruit ſub eodem Stephano, Angliæ rege: ac, poſt Wenefridæ virginis è Cambria tranſlationem in Salopianum monaſterium, cujus antiſtes erat, opus de vita ejuſce virginis condidit, atque id Guarino, monachorum Wigornienſium præfecto, dicavit. Nempe occaſio hujus operis fuit, quòd ad ejus monaſterium, ut dixi, S. Wenefridæ oſſa tranſlata eſſent: quod anno factum CIↃ C XXXVIII. In codice MSo, quo uſus fuit Laurentius Surius, cùm breviùs aliquanto Wenefridæ vitam conſcriberet, aberat nomen auctoris. Sed planè cenſet, fuiſſe ipſius Roberti. Vide eum Tom. VI, Nov. III. Lubens autem ſubſcribo Surii conjecturæ: etſi nec fugiat me, ante hunc, alium fuiſſe, itidem Britannum; qui & ipſe Wenefridæ vitam qualecunque reliquerit ingenii ſui monumentum. Fuit is Elerius Cambrius, qui circa annum vixit IↃ C LX. Sed quæ in fine illius vitæ apud Surium leguntur, ſatis arguunt, Robertum, non Elerium, eſſe auctorem. Etſi Robertum ex Elerio pleraque exſcripſiſſe, ſatis ſit veriſimile.

Radulphus de S. Albano, abbas fani S. Albani in Anglia, floruit ſub eodem Stephano rege, ac vitam S. Albani carmine condidit. Præterea ex antiquis concinnavit hiſtoriam Alexandri Magni libris V. Memoratur & Joanni Frumentario in catalogo virorum illuſtrium, ac à Joanne Lelando quoque eruditionis nomine laudatur. Obiit anno CIↃ C LI.

Æqualis huic Gualterus Hemlingtonus, Anglus, monachus ad S. Albanum, & bibliothecarius ejuſdem cœnobii. Auctor à nonnullis putatur librorum V de geſtis Alexandri: qui ab aliis Radulpho Albanio, ut dixi, tribuuntur.

Guilielmus Malmesburienſis, cognomine Somerſet, atque aliter dictus Bibliothecarius, monachus Benedictinus, hiſtoriam Anglicanam quinque complexus eſt libris; qui MSi exſtant in bibliotheca Lunlejana. Incipit à primo Anglorum adventu aduſque annum CIↃ C XLII; quo & vixit. Ut omnino erret Poſſevinus, cùm ait, æqualem fuiſſe Berengarii illius, qui, auctore Sigeberto in Chronicis, circa annum CIↃ LI controverſiam movit de Euchariſtia. Reliquit & libros IV de geſtis pontificum ſeu epiſcoporum Angliæ. Quod opus in publicâ Oxonienſium bibliothecâ adſervatur. Imò alii quartum librum (qui in duas diviſus eſt partes, unde qui aliquibus quinctus dicitur, aliis quarti pars poſterior vocatur) negant ultimum ſtatui debere. Olim enim ſex fuiſſe, atque id colligunt ex prologo in primum de epiſcopis librum; ubi ait, *Primus liber continebit geſta archiepiſcoporum Cantuarienſium, & epiſcoporum Roffenſium: cæteri quinque ſuo ordine ſequentur.* Imo hoc de argumento libri LIX MSi ſupereſſe dicuntur Cantabrigiæ, tum in bibliotheca publicâ, tum in collegio S. Benedicti: necnon in privatâ illuſtris baronis Lunlejani. Adhæc hiſtoriam Novellam condidit: quæ MSa exſtat Cantabrigiæ in publica bibliotheca. In Epigra-

phe

plus ἀυλὸς vocatur *Gulielmus Monachus*: eſtque opus id exaratum ad Robertum comitem Glocestriæ. Præfatio incipit, *Dominus amantiſſimo*. Præterea egit de virtutibus ſanctorum. Etiam compoſuit itinerarium Joannis Abbatis; vitam Aldhelmi epiſcopi; librum de miraculis B. Andreæ; libros IV de miraculis S. Mariæ; genealogiam Henrici II; Chronicorum fragmenta; vitas S. Patricii, Dunſtani archiepiſcopi, & S. Indracti, ejus diſcipuli, & S. Beningni. Inſuper de imperatoribus epitomen fecit Haimonis Floriacenſis, quæ exſtat MSa Oxonii in Balliolenſi Collegio. Adhæc antiquitates Glaſconiæ collegit, quæ MSæ exſtant Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Hoc opus dicavit Henrico Bleſenſi, Wintonienſi epiſcopo; Theobaldi, Comitis Bleſenſis, fratri; Henrici I, & fratris regis Stephani (ut loquimur nunc) nepoti. Incipit autem hoc pacto: *Poſt Dominicæ reſurrectionis gloriam*, &c. Item antiquitates Malmesberiæ. Egit & de gente Vugdenorum, atque aliis. Magnam hiſtorici ſui Speculi partem ex Gulielmo hoc exſcripſit Vincentius Bellovacenſis. Quàm præclarè autem de Malmesburienſi ſenſerit editor ejus, doctiſſimus Anglus, Henricus Savile *a*; oſtendunt hæc ejus verba: *Inter rerum Anglicarum ſcriptores, & narrationis fide, & judicii maturitate, principem locum teneat Gulielmus Malmesburienſis, homo, ut erant illa tempora, literatè doctus; qui ſeptingentorum plus minus annorum res tantâ fide, & diligentiâ pertexuit, ut è noſtris prope ſolus hiſtorici munus explêſſe videatur.*

*a* *Præfat. in rerum Anglicarum ſcriptores.*

Henricus Hungtingtonenſis, Nicolai filius, priùs Lincolnienſis Eccleſiæ canonicus, & pòſt Hungtingdonenſis archidiaconus, ſub Stephano, Anglorum rege, claruit anno cIↄ CLVIII. Edidit ad Alexandrum, Lincolnienſem epiſcopum, hiſtoriam rerum Anglicarum libris X: qui MSi Cantabrigiæ ſuperſunt in bibliothecâ publicâ, & privata Lunleianâ, & Gualteri Copi. Adhæc Chronicon fecit, quod Cantabrigiæ MSum reperitur in collegio S. Benedicti. Hiſtoriam quoque breviorem uno libro comprehendit. item contexuit ſeriem regum orbis. adhæc ſeriem regum Britanniæ: quæ Cantabrigiæ MSa cuſtoditur in publica bibliotheca: apud Th. James lego, ea in bibliothecâ ſupereſſe epiſtolam MSam H. Hungtingtonenſis ad Warinum de regibus Britonum. Poſteaque leges apud eundem, apud Cantabrigienſes etiam in collegio S. Benedicti eandem epiſtolam exſtare. Idem opus videtur, ac quod vocabam ſeriem Regum Britannicorum. item egit de ſanctis Angliæ: quod opus MSum Antverpiæ exſtare fertur in bibliotheca ſocietatis Jeſu. Etiam expoſuit originem rerum Britannicarum. Bedam quoque proſecutus eſt, aliaque nonnulla ingenii & doctrinæ ſuæ reliquit documenta. *Hiſtoricus egregius* à Polydoro Virgilio; *probatus auctor* à Joanne Lelando appellatur. Etiam præclarè de illo ſenſit Henricus Savile, doctiſſimus Anglus; qui præfatione in rerum Anglicarum ſcriptores, eum, atque item Houedenum, vocat, *auctores comprimis bonos & diligentes, veriſſimosque ſuperiorum temporum indices*. Vide & de eo Matthæum Weſtmonaſterienſem ad an. cIↄ C XXXV.

Caradocus Lancarvanenſis, oriundus è Cambria, ſub Stephano, Anglorum rege, vixit anno cIↄ CL. Scripſit res geſtas regulorum Britanniæ, qui, Saxonibus cætera occupantibus, Cambriam, & Cornubiam, loca montana, & Saxonibus minùs aditu facilia, obtinebant. Operi huic nomen eſt, *Britannorum ſucceſſiones*. Ac MSum exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. De eo verſus veteres

*Hiſtoriam Britonum doctus ſcripſit Carodocus*
*Poſt Cadwalladrum regia ſceptra notans.*

Præterea edidit librum de ſitu orbis, vitam Gildæ Albanii, & commentarios in Merlinum. Vitam hujus Carodoci conſignaſſe fertur Sylveſter Gyraldus. Meminit & Carodoci hujus Gaufridus Monumetenſis, extremo operis: ubi eum *Karodocum Lancarbanenſem*, *contemporaneum ſuum*, appellat. Eumque cum Guilielmo Malmesburienſi, & Henrico Hungtingdonenſi, proximè antè memoratis conjungit.

Ealredus, ſeu *Ethelredus*, ſive *Elredus*, ſeu *Athelredus*, ſeu *Aelredus*, aut *Alredus*, monachorum Ciſtercienſium in Rhievalle Eboracenſis diœceſis abbas, floruit anno cIↄ CXLV; multaque in ſacris ad ſimilitudinem B. Bernardi edolavit: multa item ad hiſtoriæ lucem edidit: ut vitam Eduardi, Anglorum regis, & confeſſoris; quæ primùm à Capravio edita, & apud Surium legitur a. d. V Jan. MSa verò exſtat in bibliothecâ illuſtris Baronis de Lunleio, uti & Oxonii in bibliothecâ Bodleiana: Item vitam eam conſignavit Carmine cujus initium,

*Cum tibi, Laurenti, cogar parere jubenti.*

Item librum compoſuit de miraculis ejuſdem: qui prope Bruxellam Mſus eſt in Rubra Valle. Adhæc egit de vita, & moribus quorundam Angliæ regum. Quem Mſum adſervant, bibliotheca baronis de Lunleio, & illa Gualteri Copi. Item poſteris transmiſit libros duos de vita Davidis, regis Scotorum; cui in adoleſcentia fuerat perfamiliaris. Præterea vitam deſcripſit S. Niniani epiſcopi. Item vitam S. Margaritæ, reginæ Scotiæ: quam offendes apud Surium Tom. III a. d. X Junii. Inſuper fecit Chronica de bello Stantardi, quæ Mſa Cantabrigiæ ſuperſunt in bibliotheca publica. Ubi & ejuſdem libellus Mſus de quodam miraculo. Ibidem eſt & liber ejus Mſus de fundatione monaſteriorum S. Mariæ Eboracenſis, & de Fontibus. Condidit & Chronicon ab Adam uſque ad Henricum I. Item miracula conſignavit Hagulſtadenſis Eccleſiæ. Fecit & opuſculum de virtute Gualteri Eſpec. Graviſſimum ſcriptorem appellat Baronius ad an. Iↄ C X §. XII. Obiit Rhievalli regnante Henrico II, anno cIↄ C LXVI, pridie Idus Jan. Vita ejus Mſa reperitur in memoratâ antè Rubræ Vallis bibliotheca. Agunt & de eo Capgravius, Tritthemius, Sixtus Senenſis, alii.

Joannes Mercianus claruit ſub eodem Stephano, Angliæ rege: ac de Merciorum, ſive mediterraneorum Angloſaxonum regibus, præclarum opus condidit; atque id Euſtachio, Stephani regis filio, dedicavit. Inſignis chronographi elogio eum ornat Joannes Lelandus: ſæpiuſque à Joanne Roſſo, in opere de Wiccorum epiſcopis, teſtis laudatur.

Eodem tempore fuit Simeon Dunelmenſis, Britannus, monachus Benedictinus, & doctor Theologus Oxonienſis. Hic libris duobus de regibus Angliæ complexus eſt hiſtoriam annorum quadringentorum: quam incipit, ubi deſiit Beda; ac producit, uſque ad an. cIↄ C XXX. Hæc Mſa adſervatur Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti, teſte Th. James. Hiſtoriam annorum XXV ei poſtea addidit Johannes Hagulſtadenſis: quæ ibidem adſervatur. Præterea Simeon librum reliquit de Eccleſia Dunelmenſi: qui ibidem in bibliotheca publica Mſus reperitur. Item deſcripſit paſſiones duorum martyrum, Ethelberti, & Ethelredi. Præterea compoſuit librum de obſidione Dunelmi: & alium de archiepiſcopis Eboracenſibus: quem miſit ad Decanum Eboracenſem: item abbreviationes Malmesbērienſis: ut de epiſtolis ad Elmerum nihil dicam. Ad hunc Simeonem Gervaſius presbyter ſcripſit viſionem cujuſdam ſolitariam agentis vitam, cui Orni nomen erat.

Conganus, abbas Hibernicus Ciſtercienſis ordinis, B. Bernardi æqualis fuit. Hic, ut Simlerus in auctario bibliothecæ Geſneri, ac Poſſevinus in apparatus ſacri appendice, refert, ingenii ſui opus edidit de geſtis S. Malachiæ Archiepiſcopi. Attamen mirari ſubit, quo pacto hanc provinciam ſuſceperit, quam, eo depoſcente, acceperit B. Bernardus. Quippe hæc verba ſunt ipſius Bernardi præfat. in vitam Malachiæ. *Poſtremò tu id mihi, abba Congane, injungis, venerandus frater, & dulcis amicus meus, ac tecum pariter, ut ex Hibernia ſcribis, veſtra illa omnis eccleſia ſanctorum. Libens obedio: præſertim quòd non eloquium exigitis, ſed narrationem.*

## CAP. LII.

*Gaufridus Monemutenſis. Error Centuriatorum Magdeburg. de ætate ejus. Juvene idem ſubleſta fidei reus* ago-

*agatur. Henrici Utidonenſis hiſtoria Angliæ. Robertus de monte Michaëlis. Joannes Sariberienſis. Thomas Monemutenſis de Gulielmo puero à Judæis interfecto. S. Odo Cantianus. Joannes de Hexham. Laurentius Dunelmenſis. Joannes Serlo. Achardus Bridlingtonenſis. Anonymus, qui continuavit Florentium Wigornienſem. S. Godricus de vita, & viſione Orni. Nicolaus Dunelmenſis de vita S. Godrici. Guilielmus Albanienſis. Senatus Bravonius. Poſſevinus ſuper nomine, atque ætate ejus caſtigatus. Robertus Foliothus. Guilielmus Rameſeie. Coætanei quatuor ſcriptores vitæ Thomæ, archiepiſcopi Cantuarienſis: nempe Heribertus de Boſham, Eadmundus Gryme, Eduardus Cantuarienſis, & Benedictus Petroburgenſis. Poſſevinus ſuper annis Benedicti hujus corrigitur. Rogerus Ciſtercienſis. Richardus Hagulſtadienſis. Richardus Divisienſis. Gilbertus Foliotb. Guilielmus Stephanides. Nicolaus Walkington. Richardus Præmonſtratenſis. Petrus Ripponenſis.*

VIdimus, qui ætate Conradi Imperatoris, regnante in Anglia Stephano, rem hiſtoricam in Britannia juverint. At multis partibus plures claruere temporibus Friderici Barbaroſſæ: quibus in Anglia rerum potiebatur, priùs quidem Henricus II, cognomine Plantagenetа, ab anno cIↄ c LIV uſque ad annum cIↄ c LXXXIX: exinde autem Richardus, cognomine Leoninus, vel cor Leonis; qui rexit uſque ad annum cIↄ I XCIX.

Regnante Henrico II. vixit Gaufridus, ſeu Galfridus, Monemutenſis archidiaconus, ac pôſt Aſaphenſis epiſcopus. Nec ignoro, Centuriatores Magdeburgenſes æqualem putare Bedæ, atque etiam cardinalem ſtatui ab iiſdem. Verùm Lelando, Balæo, Anglorumque aliis, de Britannicis ſcriptoribus magis credendum. Edidit inter alia hiſtoriam Britannicam. Item vitam Merlini Caledonii, & geſta Arturi regis. Sed fides ejus à multis damnatur. Eoſque inter à Polydoro Virgilio (qui tamen crebrò ejus auctoritatem advocat in hiſtoria ſuâ) item Alano Copo, Joanne Molano, Baronio *a*, Antonio Poſſevino. Imò jam olim Guilielmus Neubrigenſis, qui paullò poſt Gaufridum vixit, hunc in modum de eo diſſeruit in præfatione hiſtoriæ rerum Anglicarum: *At contrà quidam noſtris temporibus, pro expiandis Britonum maculis, ſcriptor emerſit, ridicula de eiſdem figmenta confingens; eoſque longè ſupra virtutem Macedonum, & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus eſt, agnomen habens Arturii: pro eo, quòd fabulas de Arturo, ex priſcis Britonum figmentis ſumtas, & ex proprio auctas, per ſuperductum Latini ſermonis colorem, honeſto Hiſtoriæ nomine palliavit. Qui etiam, majori auſu, cujuſdam Merlini divinationes fallaciſſimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas, & immobili veritati ſubnixas prophetias, vulgavit.* Plura ibidem de eo legas. Sed meliùs de Gaufrido ſenſit Ponticus Virunnius, vir eruditiſſimus; qui ante annos vixit CXXX, ac Gaufridi libros, præteritis fabulis, in epitomen redegit; eumque elogio iſtiuſmodi ornavit: *Galfridus, hiſtoricus egregius, & cardinalis, magnæ vir auctoritatis apud Robertum Glawdiocestriæ ducem, Henrici regis filium, ac patriæ ſuæ curioſiſſimus fautor, ex ſumma philoſophia, atque archivis, hiſtoriam antiquiſſimam continuâ ſerie ab ipſis Trojanis collectam tranſtulit. Veriſſimas eſſe Britannorum hiſtorias, arguit regum occidentalium conſuetudo: quæ erat, ſecum ſemper habere eos, qui veritate præcipua eorum geſta notarent.* Etiam, adverſus Guilielmum Neubrigenſem, & Polydorum Virgilium, Gaulfridum tuetur Joannes Lelandus; ut in Neubrigenſi poſtea dicemus. Et ſanè multa quidem fabuloſa in eo reperias: ſed non tanta hîc Galfredi eſt culpa, quantam arbitrantur. Nec enim ipſe ea confinxit: ſed ab aliis conficta, ex adverſariis, quæ à Gualthero, archidiacono Oxenofordienſi, hoc eſt, *Oxenienſi, acceperat, de Britannico ſermone Latinè vertit:* ut ipſe extremo operis ſui refert. Eaque in re fuit *interpres fidus:* ut vocatur à Matthæo Pariſio ad an. cIↄ c LI. Hujus Galfredi pleraque Mſa ſuperſunt in Anglia: uti Cantabrigiæ in bibliotheca publica, & in collegio S. Benedicti, & in privata bibliotheca Gualteri Copi. Cæterùm ab iis, quæ diximus, abeunt nonnihil, quæ à recentiori quodam adſcripta ſunt Gaufridi Monemuthenſis codici, quem in Cantabrigienſis Academiæ bibliothecâ publicâ adſervari dicebamus. Verba ea iſtiuſmodi ſunt: *Ponticus Virunnius Italus hanc hiſtoriam Britannicam in epitomen redegit, quam Gaulfridus Arturus Monemuthenſis Archidiaconus, primo ſimpliciſſime tranſtulit è ſermone Britonum cum argumentis ſuſioribus nominum & capitum: & ſunt quatuor libri ejuſdem hiſtoriæ, ut hic habetur, & hic liber impreſſus non eſt. Poſtea Gualterus Oxonienſis archidiaconus, & ſynchronos ejus fortaſſis hanc hiſtoriam ſic tranſlatam edidit ampliorem, & ornatiorem: & hic liber communiter & vulgo in manibus hominum habetur: & eſt impreſſus per Badium Aſcenſium.* Titulus Mſi operis, cui hæc annotantur talis eſt, *Chronici vel Hiſtoriæ Britonum.* Præfatio incipit; *Deſcriptio quantitatis.* Annotator hic dubitare videtur, utrum Gaulfridus Monumethenſis, & Gualterus Oxonienſis Archidiaconus, fuerint σύγχρονοι. Sed ſcrupulum tollit liber à Gaulfrido Monumethenſi, ad Gualterum Oxonienſem ſcriptus. Meminit ejus Baleus, ut & Pitſeus.

Etiam Henricus Utidonenſis, ſub eodem rege Henrico II, aliquod ſibi nomen decuſque peperit ſuâ Anglorum hiſtoriâ: quam perduxit uſque ad obitum Stephani regis, cui Henricus II. ſucceſſerat.

Etiam Stephani & Henrici II. temporibus claruit Robertus de Monte Michaëlis, ita dictus, quia cœnobii hujus abbas fuerit. Patria erat Normannus, atque, ut Boſtonus Burienſis prodidit, reliquit geſta Walwani, adhæc geſta Marodoci: item Chronicorum opus, quod ut Thomas Rudburnus, & Jo. Lelandus, teſtantur, perduxit uſque ad annum cIↄ c LVIII. Diverſus eſt à Roberto Montenſi abbate, itidem Normanno; qui Sigebertum continuavit, ut ſuo loco dicemus.

Item tum eruditionis ſuæ pretium tulit Joannes Sariſburienſis, Roberti Pulli, ſeu Pulleni, & Simeonis Pexiacenſis in Theologicis Oxoniæ auditor, epiſcopus Carnotenſis ordine ſexageſimus quartus: quem honorem adeptus fuit anno cIↄ c LXIV. Fuit vir Græcè Latineque doctiſſimus, ac proſâ idem ac carmine pollens. Imò ut optimè Demſterus *a* cenſet, in eo multiplex lectio, acre judicium, &, ut illa ferebant tempora, Eloquentiæ ſatis. Hic, quemadmodum Philippus Bergomenſis, & alii teſtantur, in literas retulit vitam præceptoris ſui Thomæ archiepiſcopi Cantuarienſis, cognomento Becketi; cujus oculus & manus vocatur à Petro Bleſenſi epiſt. XXII, quæ eſt ſcripta ad ipſum Joannem. Vita ea ſupereſt in bibliotheca Vaticana. Item compoſuit vitam Anſelmi archiepiſcopi. Ut de noto, ſæpiuſque edito Policratici opere, atque aliis, nihil nunc dicam. Quin idem putatur auctor operis, quod ſuppreſſo nomine vero, architrenius inſcribitur. De quo judicium apponam doctiſſimi & elegantiſſimi amici noſtri Erycii Puteani, epiſt. ad Paelhemium *b*: *Dignus ille auctor, qui multorum manibus teratur. Nævi aliqui, ſed illius ævi ſunt: qui doctam ſcripti majeſtatem non impediunt. Atque mores noſtri ejuſmodi quoque cenſorem merentur.* Obiit anno cIↄ I LXXXII.

Thomas Monemutenſis, monachus, claruit ſub Henrico II. Anglorum rege, anno cIↄ c LX: atque ad Guilielmum de Turbes, epiſcopum Nordovicenſem, librum fecit de vita Guilielmi martyris: atque alterum de miraculis ad ejuſdem Guilielmi ſepulcrum factis. Eſt hic Guilielmus puellus ille, quem Judæi in Chriſti contumeliam occiderant: ob quod facinus, qui ex Judæis quidem ejus conſcii eſſent, cruci adfixi; cæteri autem urbe exacti fuerunt.

Eodem tempore erat S. Odo Cantianus, monachus Benedictinus Cantuariæ ad fanum Servatoris, ac pôſt abbas

Mo-

*a Annal. Tom. IV ad an 385 & in notis ad Martyrol.*

*a Paralip. in Reſin. Antiqu. lib 1. c. 1. & lib. 2. cap. 11.*

*b Cent. 2. epiſt. 84.*

Monaſterii de Bello. Reliquit librum de inventione S. Milburgæ, atque alia. Pleraque ejus MSa exſtant, partim Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti: uti Commentarii in pentateuchum, & parabolæ in laudem ejus, qui eſt A, & Ω: partim Oxonii in Collegio Balliocenſi: ut conciones morales in Euangelia.

Iiſdem Henrici II, Anglorum regis, tempore erat Joannes de Hexham, ſive *Hagulſtadenſis*, Britannus, monachus Benedictinus. Hic Simeonis Dunelmenſis operi de regibus Anglorum addidit hiſtoriam XXV annorum. Præterea deſcripſit bellum Scoticum. Alia quoque edidiſſe, ex Balæo cognoſces.

Laurentius, Dunelmenſis cœnobii præcentor, claruit ſub Henrico, II ejus nominis Anglorum rege, an. cIↄCLX. Multa & carmine, & proſa condidit: illaque inter etiam vitam Brigidæ: quam proſa exaravit. Item librum de S. Cudberto. Nonnulla hujus auctoris MSa ſuperſunt partim Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti: partim Oxonii in collegio Balliolenſi. Joannis Lelandi tale de eo judicium eſt, oratorem eſſe vehementem, nec aſpernandum poëtam.

Eodem Anglici moderante imperii habenas, an. cIↄCLX, fuit Joannes Serlo, qui & ἁπλῶς *Serlo Grammaticus* nominatur. Priùs Eboracenſi canonicatu gaudebat: exinde factus eſt Ciſtercienſis abbas Fontanus. Ac Grammatici quidem nomen à profeſſione ſuâ conſecutus fuit. Quippe multa eâ in arte poſteritati tradidit. eaque inter librum de differentiis verborum: qui Cantabrigiæ MSus ſupereſt in collegio S. Petri; Latinis idem rythmis deſcripſit bellum inter Scotiæ regem, & barones Angliæ. Manuſcriptum exſtat Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Ubi quoque adſervatur liber ejus MSus in orationem Dominicam. Item librum reliquit de morte Sumerledi, regis Manniæ. Præterea Hugoni de Kirkeſtede, monacho, dictavit monaſterii ſui Fontani res geſtas: item originem, & incrementum Bernardinæ ſectæ in Anglia. Alia quoque ejus commemorat Boſtonus Burienſis. Poëtam, ac rhetorem eſſe non contemnendum, judicium eſt Joannis Lelandi in catalogo illuſtrium virorum.

Sub eodem rege Henrico II claruit Achardus Bridlingtonenſis, canonicus Auguſtinianus, poſteaque abbas ad S. Victorem in ſuburbio Pariſienſi, ac tandem Abrincenſis epiſcopus in Normannia. Archardum perperam vocat Arnoldus de Wion in Ligno vitæ. Poſteritati reliquit vitam S. Gezelini monachi: cujus non meminit Balæus. Alia quoque ſuggerent Boſtonus, & Lelandus; ſed ad hiſtoriam non pertinentia. Vide de hoc ſcriptore Robertum, abbatem Montis S. Michaëlis, in continuatione chronici Sigeberti Gembl. ad annum cIↄCLXII.

Æqualis huic anonymus ille Anglus, qui Florentii Wigornienſis chronicon, monachus & ipſe Wigornienſis, nec fuſè nimis, nec ineleganter, continuavit, ab anno cIↄCXVII, uſque ad annum cIↄCLXIII, quo vixit.

Circa annum cIↄCLXIX non inglorium inter eremitas nomen erat S. Godrici: qui de vita & viſione Orni librum compoſuit. Vide de eo Matthæum Paris, & alterum Matthæum, Weſtmonaſterienſem dico.

Nicolaus, Dunelmenſis monachus, congregationis Cluniacenſis, circa idem tempus edidit vitam familiaris ſui S. Godrici, eremitæ; quam ipſe ei Godricus dictârat. Præterit Balæus: ſed meminit Arnoldus Wion in Ligno vitæ. Imprimis autem de eo vide Matthæum Paris circa finem temporum regis Henrici II.

Guilielmus Albanenſis, Benedictinus, monachus cœnobii Albani martyris, anno floruit cIↄCLXX, Latineque edidit, ſed de Anglica Latinam à ſe factam, B. Albani martyris paſſionem, eamque Abbati ejus loci dicavit.

Anno cIↄCLX in pretio erat Senatus, ſive Servatus Bravonius; qui Poſſevino perperam *Bracconius* dicitur:
a Lib. 4. cap. 8. Sauſſeio in Annalibus Aurelianenſibus *a* (niſi is librarii error, ut ſuſpicor) *Baronius* nuncupatur. Fuit Wigornienſium monachorum præfectus, congregationis Cluniacenſis. Meminit, præter Lelandum, etiam Polydorus Virgilius. Præter alia edidit vitas duorum ſuæ ætatis epiſcoporum, Oſuvaldi, & Wolſtani. Habes priorem apud Surium Tom. V, die XV Octobr. Poſterioris epitome putatur, quæ apud eundem exſtat Tom. I, XIX Jan. In poſterioris vita legas, annis jam centum Wolſtani corpus manſiſſe incorruptum. Quod bene convenit cum eo, quod de ætate Bravonii dicebam. Nam obiit Wolſtanus anno cIↄLXVII, cùm annos LXXXVII vixiſſet, annis XXXIV epiſcopatui Wigornienſi præfuiſſet.

Hiſce etiam temporibus vitam traduxit Robertus Foliothus, ſive Melundinenſis, Thomæ Becketi, Cantuarienſis archiepiſcopi, præceptor: cujus favore factus eſt primùm archidiaconus Oxonienſis, exinde epiſcopus Herefordenſis. Edidit librum excerptorum de chronicis Mariani Scoti: qui manuſcriptus exſtat in bibliotheca Gualtheri Copi. Conciones ejus de Sacramentis manuſcriptæ ſuperſunt in bibliotheca baronis de Lunleio. Vide de hoc Roberto Robertum abbatem Montanum, in additionibus Sigeberti.

Guilielmus Rameſeye, Benedictinus, ſub Henrico II, Anglorum rege, non pauca elucubravit. Nam & vitam D. Guthlaci, quam proſâ Felix prodiderat, carmine ipſe heroico cecinit: eamque dedicavit Henrico abbati, Guilielmi Longeſhampii, Elienſis epiſcopi, fratri. Idem vitam Eadmundi, Oſtroanglorum regis, ſimili verſus genere panxit. Uti & vitam Birini, Dorceſtrenſis epiſcopi. Idem vitam Noëti, tum carmine complexus eſt, tum proſâ: de tranſlatione ejuſdem quoque egit. Tradidit & vitam comitis Waldelfi: & geſta anteceſſorum ejus, deque paſſione Waldelfi: & miracula ejus: & de comitiſſa Juditha. Ad hæc de vitis Philoſophorum: atque alia.

Heribertus de Boſham, ſive Boſſenham, eodem tempore claruit: ut qui ab epiſtolis fuerit Thomæ Beckero, regni Anglicani priùs cancellario, vel archigrammateo, ſi malis; poſtea autem epiſcopo Cantuarienſi; exinde exuli, ac tandem in patriam revocato: ſed cùm adverſus regem Henricum tueri pergeret poteſtatem Papæ, ab iis, qui ſe rem gratam regi facturos ſperabant, interemto: quod anno contigit cIↄCLXXI. Hujus Thomæ, qui poſt obitum in ſanctorum numerum relatus fuit, vitam deſcripſit Heribertus. Id opus MSum exſtat in bibliotheca Vaticana: uti & Guilielmus Cantuarienſis, & duo alii ejuſdem argumenti ſcriptores: ut eſt apud Baronium in XII Annal. Præterea Herebertus de peregrinationibus ſuis librum condidit. Tandem factus eſt cardinalis. At non confundendus cum eo Herebertus, Anglus & ipſe, & ei Hereberto, de quo diximus, æqualis; ſed archiepiſcopus Cuſentinus: quem cum familiâ, & clero, civiumque multis, terræ motu abſorptum fuiſſe, Nicolaus Thrivetus in Chronicis refert.

Præter Heribertum, vitam Thomæ Cantuarienſis literis mandavit Eadmundus Gryme, qui ejuſdem individuus comes, ac cruciger fuerat.

Tum quoque clareſcebat Eduardus Cantuarienſis, monachus Benedictinus, familiaris Thomæ Cantuarienſis; cujus & de vita, ac morte, librum reliquit. Eum in compendium redegit Surius Tom. VI, XXIX Dec.

Item, ut Guilielmus Stephanides auctor eſt, de vitâ ejus ac miraculis poſt mortem, fecit commentarium Benedictus Petroburgenſis, ordinis Benedictini: qui primùm fuit Cantuarienſis Prior, ſeu Cœnobiarcha: poſtea abbas Petroburgenſis factus, anno cIↄCLXXVII. Scriptoris hujus gemino in loco meminit Poſſevinus: inter Benedictum de Accoltis, & Benedictum Ariam Montanum; ubi vocatur *Benedictus Anglus*; claruiſſeque dicitur anno cIↄXC: iterum inter Benedictum Bovium, & Benedictum Canophilum; ubi nominatur *Benedictus è Burgo Petri*; referturque ad annum cIↄCC. Utrobique autem, & abbas in Burgo Petri fuiſſe, & Thomæ Cantuarienſis vitam dicitur ſcriptis mandaſſe. Quare non poteſt vixiſſe anno cIↄXC, cùm Thomas ille demum interemtus ſit anno cIↄCLXXI. Sed fortè librarii culpâ centenarius è numero excidit. Nam eum, qui anno demum cIↄCLXXVII abbas

abbas eſt creatus, anno cIↃ cxc, atque etiam cIↃ cc ſuperfuiſſe, à vero non abhorret.

Sub eodem rege, circa annum cIↃ clxxx, Rogerus, Ciſtercienſis monachus, præter encomium B. Mariæ, etiam poſteritati conſecravit revelationes Eliſabethæ, Schonaugienſis abbatiſſæ: & libellum de xi millibus Colonienſium virginum.

Item Richardus, Haguſtadenſis cœnobii Prior, eodem regnante, aliquot ingenii induſtriæque fructibus nomen ſuum non paullo illuſtrius reddidit. Siquidem hiſtoriam condidit lvi annorum; quâ res geſtas Henrici ii ab oblivione, atque injuriâ temporum, ſtuduit vindicare. Signavit etiam hiſtoriam de geſtis Regis Stephani, & bello Standardi. Habes in collegio Benedictino Cantabrigienſium. Etiam compoſuit Chronicon parvum, quod à primo omnium noſtrum parente auſpicatur. Puto eſſe idem opus, brevem Chronicam ab Ada uſque ad Henricum Imperat. Supereſt ibidem. Nec dubito quin & hujus ſit liber MSus in publicâ Cantabrigienſis Academiæ bibliothecâ, qui inſcribitur: *Richardus de ſtatu & epiſcopis Hagulſtadenſis Eccleſiæ.* Etſi non meminerit Balæus.

Richardus Diviſienſis, Britannus, monachus Wintonienſis, contexuit epitomen rerum Britannicarum: Exſtat epitome rerum Britannicarum Cantabrigiæ in bibliothecâ Collegii S. Benedicti. item deſcripſit res geſtas temporibus Richardi, primi ejus nominis Anglorum regis, ſub quo vivebat.

Guilbertus Folioth, in Leiceſtrenſi cœnobio Canonicorum regularium abbas, ſub eodem Henrico claruit anno cIↃ clxxxvii, ac præter alia, vitas aliquot ſanctorum Angliæ literis commendavit.

Guilielmus Stephanides Cantuarienſis, monachus congregat. Cluniacenſis ſub rege Richardo floruit an. cIↃ cxc. Inter ingenii monumenta, quæ diligentiâ ſuâ peperit, eſt opus quoddam de vita & paſſione Thomæ, Cantuarienſis archiepiſcopi: item aliud de miraculis ejuſdem, & de viſionibus poſt ejus mortem. Poſſevinus loco tergemino de eo, ut diverſis, agit: ſemel in Guilielmo Anglo, Benedictino; iterum in Guilielmo Cantuarienſi, Cluniacenſi; ac tertiò in Guilielmo Stephanide. Sed eundem eſſe, & ætas, & opera oſtendunt. Ranulpho Hygdeno Polychronici capite xxv vocatur Stephanus, qui Stephani erat filius. Ex eo autem decerpſit, quæ de Henrico rege tradit.

Quibus temporibus rex Angliæ Richardus in Syria bellum gerebat: Nicolaus Walkington Britannus, monachus Ciſtercienſis, ſtudiis animum pavit in cœnobio Kirkeham: ac præter opus de virtutibus, & vitiis, etiam hiſtoriam compoſuit Gualteri Eſpec: ut auctor eſt Balæus.

Sub eodem Richardo rege, Richardus Præmonſtratenſis decus aliquod conſecutus fuit, cùm aliis monumentis, tum opere de vita B. Urſulæ.

Petrus Ripponenſis, Britannus, Canonicus ſecularis, eodem tempore claruit. Familiaris fuit Galfridi Plantagenetæ, qui Henrici ii, Angliæ regis filius nothus erat, Epiſcopus verò Eboracenſis: ac hujus rogatu deſcripſit vitam, & miracula Wilfridi; qui & ipſe archiepiſcopus fuerat Eboracenſis; inque Ripponenſi pago, ubi Petrus hic natus fuit, collegium inſtituerat ſacerdotum.

## Cap. LIII.

Otto Friſingenſis *genere perilluſtris, Neoburgenſis collegii primum antiſtes, poſt abbas Ciſtercienſis, tandem epiſcopus apud Noricos; ac ea in re Æneæ Sylvii lapſus. Inter primos fuit, qui Ariſtoteleum philoſophandi genus in Germaniam inveherent. Quanta apud principes viros auctoritatis fuerit. Quam bonâ fide Chronicon ſuum ſcripſerit. Tribui eidem hiſtoriam Auſtriacam. De ætate ejus, Trithemii error.* Egbertus Trevirenſis *de obitu S. Eliſabethæ Schonaugienſis.* *Richardus Cluniacenſis de geſtis ſuorum temporum. Alexander Celeſinus de geſtis Rogerii, Siciliæ regis. Rogerius Fuldenſis de ſanctorum vitis, & martyriis. Arvodulphus, & alter de ſanctis. Radevicus Friſingenſis de geſtis Barbaroſſæ. Gunteri Ligurinus, laudabile poema. Chronicon Richardi de S. Victore. Nicolaus Leodicenſis, de S. Lamberto. Cavenſis monachus de primis quatuor abbatibus Cavenſis monaſterii. Herimanni abbatis hiſtoria. Anonymus de vita ſancti Anthelmi. Petri Trecenſis, cognomine Comeſtoris, hiſtoria Scholaſtica. Rejicitur commentum eorum, qui fratrem Gratiani, ac Petri Lombardi, fuiſſe ajunt. Sicardus Cremonenſis de vitis Pontificum. Poſſevini ἀναχονιεμίς. Arnoldus Bonævallenſis de vita S. Bernardi. Burchardus notarius de victoria Barbaroſſæ adverſus Mediolanenſes. Chriſtianus Moguntinus de geſtis ejuſdem Barbaroſſæ. S. Hildegardis de vita SS. Diſibodi, Bertha, & Ruperti. Helmoldi presbyteri chronicon Slavorum. Anonymi chronicon Lauriſhamenſe. Gaufridus de Alta Tumba. Guilielmus Tyrius de bello ſacro. Utilem ejus collationem eſſe cum auctore hiſtoria Hieroſolymitana à Reineccio edita. Heinricus Stain de geſtis Henrici Bavari. Pandulphus Piſanus de vitis Pontificum. Anonymus de epiſcopis Salisburgenſibus. Locus ejus corrigitur. Anonymus de iis, quæ Eccleſiæ Salisburgenſi donata fuerunt. Theodericus Thuringus de S. Eliſabeth Ungarâ.*

Atque illi, imperatore Frederico Barbaroſſa; Henrico ii, & Richardo, Angliæ regibus; in Britannia claruerunt. Nunc curſum in orbem noſtrum relegamus, atque eos laudemus, qui iiſdem temporibus, nominis ſui famam, bene de re hiſtorica merendo, in gentibus aliis procuderunt.

Qualis Otto, Friſingenſis epiſcopus, qui Conradi quidem Suevi, ſed imprimis tamen ætate Frederici Barbaroſſæ, florebat. Genere admodum illuſtri prognatus fuit. Nam pater ei erat Leopoldus, ſive Lupoldus, Marchio Auſtriæ: mater verò Agnes, filia Henrici iv imperatoris. Ea bis nupta fuerat: priùs quidem Frederico ab Hohen-Stauffen, Sueviæ duci: poſtea verò Leopoldo, de quo dictum. Atque ex priori quidem connubio nati fuere, Conradus iii Imp. & Fredericus, dux Sueviæ, pater imperatoris Frederici Barbaroſſæ. Ex poſteriori autem progeniti ſunt, Leopoldus, dux Bajoariæ; Henricus, dux Auſtriæ; Gertruda, duciſſa Boëmiæ; Bertha, duciſſa Poloniæ; & Ita, marchioniſſa de Monte ferrato. Item Otto hic, & Conradus, natu minimi: quos pater Eccleſiaſticæ vitæ deſtinavit. Conradus, primùm Patavienſis, pòſt Salisburgenſis epiſcopus fuit. Ottonem pater Leopoldus præpoſuit collegio à ſe exſtructo Neoburgi in Auſtria, in quo & humari ipſe voluit cum uxore. Sed poſtea Otho Opoldum ſubſtituit in locum ſuum: ipſe autem profectus eſt Lutetiam Pariſiorum, ut uberiorem ibi caperet ingenii ſui cultum. Poſt annos aliquammultos, ordini monachorum Ciſtercienſium, (qui multum illuſtrabatur virtutibus inclytis B. Bernardi, abbatis Claravallenſis) in Morimundenſi Burgundiæ monaſterio cum xv viris, itineris ſociis, nomen dedit: ac, præpoſiti dignitate abdicatâ, loci ejus abbas eſt creatus. Sed anno ſalutis cIↃ cxxxviii, ab uterino fratre, Conrado iii Imper. Friſingenſi epiſcopatui, tum temporis vacanti, præfectus fuit: Eſt autem Friſinga in Noricis, ſive Bavaria; ne Æneæ Sylvio credas, qui, ſimilitudine vocum deceptus, Othonem Friſienſem, ſeu Friſium fuiſſe, putavit. Quemadmodum autem Otho hic primus epiſcoporum Germaniæ, vel ſaltem inter primos erat, qui literarum ſcientiâ, ac philoſophiæ Ariſtotelicæ ſubtilitate, imbuti forent: ita etiam primus fere in Germaniam hoc philoſophandi genus induxit: ut de eo prodit æqualis illius Radevicus libro ii. de geſtis Frederici i, cap. xi. Quantâ fuerit prudentiâ, oſtendit, quòd ejus conſilio imperatores, Conradus, ac Barbaroſſa, uſi ſint in rebus multò maximis: atque inter alias anno cIↃ clvi, in conventu Ratiſponenſi: ubi de Bavariæ ducatu

ducatu tranſactum fuit intèr Henricum Auſtriæ marchionem, fratrem Othonis, & Henricum Leonem, filium Henrici, Bavariæ ducis. Sed veniamus ad ea, quæ Otho ſcripſit. Octo libris complexus eſt Chronicon rerum ab initio mundi geſtarum uſque ad ſua tempora. Eos primus in lucem protraxit Joannes Cuſpinianus, magnum ſuo ævo hiſtoriæ lumen. Atque idem quoque primus produxit libros duos Othonis de geſtis Friderici primi, cognomento Ænobarbi, ſive Barbaroſſæ. In his, judicio Æneæ Sylvii, qui poſtea Pius Pontifex dictus, veritatis uſque adeò legem Otho ſervavit, ut, quamvis Frederici hujus patruus eſſet, non tamen cognatio obſtiterit veritati. Chronicon Ottonis ex manuſcripto codice quinquaginta & amplius capitibus auctius edidit Chriſtianus Urſtiſius *a*, in Baſileenſi Academia Matheſios profeſſor. Hiſtoria verò Auſtriaca ejuſdem, cujus codicem manuſcriptum Wolfangus Lazius dicitur habuiſſe, necdum lucem vidit: imò ne ſatis quidem, an eam ſcripſerit, dicere poſſim. Obiit Otho anno cIↄCLVIII, quâ de re vide Radevicum libro II. cap. XI. Atque ex his ſatis liquet, toto ſeculo aberrare Tritthemium, cùm eum floruiſſe ait imperio vacante, anno cIↄCCLX.

*a In Tom. illuſtr. German. hiſtor.*

Cæterùm præterire quiddam non poſſum, in quo erratur à multis. Verba enim Simleri in Geſnerianæ bibliothecæ epitome ſunt iſta: Othocus *Fruxinenſis myſta, deinde monachus Reginoburgenſis, ſuæ ætatis theologus & poëta præſtantiſſimus, ſcripſit hiſtorias ſub imperatore Henrico* IV *Aventinus.* Atque eam Simleri opinionem ſequuntur alii quoque; uti & nos feceramus lib. II. cap. LX. Perperam planè. Nam non alius eſt hic Otho, ſive, ut Simlerus vocat, Othocus, ut aliqui, Othocarus Fruxinenſis, quàm Otho Friſingenſis. Nam epiſcopalis Bavariæ civitas, quæ nunc *Frieſingen*, olim dicta eſt Fruxinum: ut Beatus Rhenanus obſervat; ac illud quoque arguit, quòd uti Othonem, ita & Radevicum *b*, pro Friſingenſi Fruxinenſem Aventinus appellet. Adde quòd Otho Friſingenſis patruus fuit Frederici Barbaroſſæ; uti diximus. At de hoc Fruxinenſi ita Aventin. lib. VI. annalium Bojorum: *Per idem tempus Otto Fruxinenſis, epiſcopus, hiſtoriographus, & patruus Auguſti, moritur.* Quod autem tempus deſignet, non priora tantùm, ſed ſequentia etiam indicant, cùm ait: *Hadrianus quoque pontifex maximus pridie Calendas Septembris fato raptus.* At deceſſit Hadrianus IV, de quo ibi ſermo eſt, anno cIↄCLX. Otho autem Friſingenſis obiit anno cIↄCLVIII, vel, ut Baronius ait, cIↄCLIX. Hæc tanti apud me ſunt, ut non poſſim aſſentire Simlero, & aliis, qui Fruxinenſem Othonem alium à Friſingenſi myſtâ arbitrantur. Sed quid eſt, quòd idem ait Othonem ex Fruxinenſi myſta factum eſſe monachum Reginoburgenſem? Metuo, ne errorem ſequatur alienum. Quale item, quòd Fruxinenſem dicat claruiſſe ſub Henrico IV, qui deceſſit anno cIↄCVI? Niſi fortaſſe intellexit Henricum V, qui obiit anno cIↄCXXV. Qui tolerabilis ſit error tamen, cùm Otho in Chronico ſuo etiam Henrici V, atque adeò Lotharii II, & Conradi III tempora exponat. In opere autem de geſtis Frederici Barbaroſſæ, res primo quinquennio ab eo geſtas refert. Quare non tam ſub Henrico IV, vel V, quàm ſub Lothario, ac imprimis ſub Conrado III, & primis Frederici I temporibus, claruerit.

*b Lib. 6. pag. 507.*

Echebertus, ſive Egbertus, patriâ Trevirenſis, primùm monachus Schonaugiæ, poſtea abbas S. Florini (uterque locus eſt in Trevirenſi diœceſi) claruit temporibus Conradi III, & Frederici Ænobarbi. Compoſuit ad cognatas ſuas librum de obitu ſororis ſuæ, S. Eliſabethæ, virginis Schonaugienſis. Hunc Jacobus Faber Stapulenſis in volumine trium virorum, & trium ſpiritualium virginum, (quod ab Henrico Stephano, Roberti parente, editum Pariſiis fuit anno cIↄIↄ) ſubjunxit quinque libris viſionum, ſermonum, & epiſtolarum S. Eliſabethæ. Vide & de Echeberto hoc, ſororeque ejus S. Eliſabethâ, Jac. Philippum Bergomatem ad annum cIↄCLVII.

Richardus, Cluniacenſis monachus, ſed patriâ Pariſienſis, præter libros τῶν ἀντικειμένων, de quibus Sixtus Senenſis in bibliotheca ſua, hiſtoriam condidit ſuorum temporum, *magis illiteratè, quàm ineptè*: ut Volaterranus lib. XX. Anthropologiæ, & ex eo Geſnerus, ac Poſſevinus, referunt. Conradi III, & Frederici Barbaroſſæ temporibus vixit: imprimis ſedente papâ Hadriano IV. Auctor Volaterranus ibidem, & Philippus Bergomas Supplement. Chron. lib. XII. ad annum cIↄCXLIX: qui & addit, multa ex eo hauſiſſe Vincentium Gallum Hiſtoricum. Deſignat autem eum, qui vulgò dicitur Vincentius Beluacenſis. Subcœleſtis hierarchiæ auctor lib. IV. cap. IX, Richardum hunc, & Vincentium conjungit, ac eos vocat nobiles Galliarum hiſtoriographos: uti & Gregorium Turonenſem, & aliquot alios. Martinus Polonus in præfatione ſui Chronici agnoſcit ſe ex Richardo hoc, uti & Vincentio aliiſque, congeſſiſſe hiſtoriam ſuam.

Alexander, Celeſini cœnobii monachus, & abbas, quatuor libris tradidit res geſtas Rogerii, Siciliæ Regis: qui ejus inſulæ principatum adeptus eſt anno Chriſti cIↄCII: poſteaque, cùm Apuliâ & Calabriâ eſſet auctus, rex ſalutatus eſt Italiæ, ac Siciliæ, anno cIↄCXXIX. Obiit autem anno cIↄCLIV. Huic cùm Alexander Celeſinus fuerit æqualis: illoque defuncto, regis ejus geſta ſignârit: ætatem auctoris ignorare non poſſumus. Omnino autem negligentior eſt in temporum ratione; quippe quorum ſeriem turbet: atque hoc eo latioris illum culpæ reum facit, quòd res narrat non longè à temporibus ſuis remotas; ſed ſui ævi, imò quibus arbiter ipſe interfuerit. Quare hoc nomine jure notari meruit à Dominico de Portonariis ab Urſinis: qui eum ſcriptorem, unà cum Gaufredo monacho de rebus Rogerii Comitis, primus è tenebris eruit, lucique donavit. Reperies Tom. III. ſcriptorum, qui Hiſpaniam illuſtrarunt.

Rogerius, ſeu Ruggerus, Foldenſis monachus, circa annum Chriſti cIↄCLVI deſudavit in conſcribendis ſanctorum vitis, ac martyriis: eaque ſex voluminibus complexus fuit. Apponam hac de re verba Georgii Wicelii in Hagiologii ſui præfatione: *Extra hæc, quod ego ſciam eſſe vetuſtum in hoc argumenti genere, codices illi Fuldenſis Bibliothecæ ſunt: e quibus ſex ingentia volumina compoſuit Ruggerus, pietate atque doctrina præſtantiſſimus monachus montis S. Mariæ ſub abbate Marquardo, anno humanæ ſalutis reſtitutæ* cIↄCLVI.

Par huic, aut ſuppar, Arvodulphus. item auctor librorum de Sanctis, qui in Eigelſtein adſervantur. De utroque hoc ſcriptore iſta continuò Wicelius ſubjungit: *Ante Ruggerum hunc, diligentiſſimum ſcriptorem, ſudârat in eodem lucubrandi ſtudio Arvodulphus, cœnobita facundiſſimus. Iiſdem fere temporibus, aut non ita multo poſt, exiſtimo ſcripta fuiſſe de Sanctis duo illa volumina Moguntiæ in monte S. Jacobi: qui mons olim, ſpecioſus, appellatus eſt, haut procul à vetuſtiſſima, atque famoſiſſima pyramide, vulgò dicta Eigelſtein: idque non à glande, ſed ab Eigil, principe gentili, cujus combuſti cineres aſſervantur in hac columna.*

Radevicus, Friſingenſis Canonicus, Othonis epiſcopi Friſingenſis, ſacellanus, ac familiaris fuit. Hic, cùm Otho, morte præventus, opus de Frederici Barbaroſſæ geſtis abſolvere non potuiſſet; quaſi acceptâ ab hoc ſcriptore lampade, reliquum ſpatium decurſurus, duobus ejus libris duos alteros de ejuſdem Frederici geſtis adjecit. Sed ne is quidem, quod cœperat, perficere potuit: ut qui & ipſe ante Fridericum deceſſerit. Itaque alius poſt obitum ejus XI annos addidit. Quæ appendix Radevico ſubjungitur, unà cum epiſtolâ de Aſiatica Frederici expeditione, atque obitu ejuſdem. Operæ autem ſit cum Radevico conferre epiſtolam Sidonii de Theodorico Gothorum Rege. Patebit enim, ut quæ ille de Theodorico refert, Radevicus pene omnia accommodet Frederico ſuo. Primus uti Ottonis, ita & Radevici libros, quos Viennæ in Scotorum monaſterio repererat, juris publici fecit Joannes Cuſpinianus.

Hos verò duos, Ottonem dico, & Radevicum, tanquam Theſeium filum, ſecutus eſt Guntherus in poëmate ſuo, quod, ſuperſtite etiamnum Ænobarbo, de rebus ab eo geſtis decem libris compoſuit: ac *Ligurinum* vocavit, quia Ænobarbo negotium imprimis fuerit cum urbe Liguriâ, hoc eſt Mediolano; cujus incolas Ligures ſemper appellat. Vulgò, atque adeò etiam Baronio ad ann. cIↄ c LX, Guntherus ipſe vocatur *Ligurinus*: ſed perperam. Eſt omnino poëta pro ſeculo illo magni ingenii, & ſpiritus, atque etiam elegans. Apollinarem hunc alitem à Conrado Celte in Franconiæ monaſterio repertum, primus Contadus Peutingerus, cum aliquot aliis nobilibus Auguſtanis, cœlum videre, perque omnes terrarum tractus volitare juſſit: ut princeps editio teſtatur. Scholiis eundem primus illuſtravit Jacobus Spigelius Seleſtadienſis. Multis verò locis reſtituit, luculentas quoque notas addidit, Conradus Ritterhuſius.

Richardus de ſancto Victore, monachus Auguſtinianus, qui Poſſevino dicitur *Richardus Anglicus*, præter plurima, quæ ſacram ſpectant Theologiam, Chronicum poſteritati reliquit: quod à primordiis ad ſua uſque tempora perduxit. Eum ſignat Matthæus Palmerius, cùm ad annum cIↄ c LIX ſcribit, *Richardus monachus, præſtabilis doctrina homo, & ſine ulla dubitatione acutiſſimus diſputator, Pariſiis clarus habetur.* Sepultus eſt Pariſiis in templo S. Victoris. Sepulcro luculentum in laudem ejus pentaſtichon inſcriptum eſt, quod refert Baronius ad an. cIↄ c XL. Vide & de eo catalogum Henrici de Gandavo, & Sixtum Senenſem in bibliotheca, & Balæum Cent. XIV. cap. XLVIII. Hunc ſe ſcriptorem ex Oporini officinâ editurum promiſerat Baſilius Joannes Heroldus, præfation. in Marianum Scotum.

Anno circiter cIↄ c XLVIII claruit Nicolaus, cathedralis Eccleſiæ Leodicenſis Canonicus & Scholaſticus: qui nomen ſuum ad poſteros propagavit prodendo vitam, martyrium, miracula, & tranſlationem S. Lamberti, Epiſcopi Leodicenſis. Item victoriam ac triumphum S. Lamberti in expeditione Bullienſi an. cIↄ c XLI, contra Rainaldum I comitem Barrenſem. Hæc è MSSis codd. brevi cum notis dicitur editurus Daniel Raimondus.

Circa annum cIↄ c LX, Cavenſis monachus, cujus nomen neſcitur, vitas ſcripſit quatuor primorum abbatum Cavenſis monaſterii juxta Neapolim. Abbates eos ordine recenſet in prologo, cùm ait: *Venerabilium patrum, Alferii videlicet, Leonis, Petri, atque Conſtabilis, Abbatum Cavenſium vitas, atque miracula, ſcribere propoſui: ut quia, auctore Deo, idem Cavenſe cœnobium: magnæ religionis eſt, jamque ejuſdem religionis ordo longè lateque diffunditur, ii, qui eorum ſequuntur inſtitutionem, exemplis atque miraculis accendantur.* Vitas iſtas habes in Surio. Alferii a. d. XII Aprilis. Leonis a. d. XII Julii. Petri a. d. IV Martii. Conſtabilis a. d. XVII Februar. Poſt Petrum abbas fuit Simeon; quem abbatem ſuum vocat in vita Petri: unde ætatem monachi hujus diſcimus. Uti & ex illo, quòd in vita Conſtabilis referre ea ſe ait, *quæ de ejus vita, atque miraculis, venerabiles monaſterii ſui ſenes ſoliti ſunt magnâ cum devotione narrare.* Obiit autem Conſtabilis anno cIↄ c XXXVIII.

Herimannus, abbas III cœnobii P. Martini apud Tornacenſes reliquit hiſtoriam inſtaurationis monaſterii ſui per Odonem, poſtea Cameracenſem epiſcopum, ab anno Chriſti cIↄ XCII ad annum uſque cIↄ c LXII, quo ipſe claruit. Extat in memorato monaſterio MSum. Multa in eo leguntur de Regibus Galliæ, ac comitibus Flandriæ, atque ut epiſcopatus Tornacenſis ſeparatus ſit à Noviomenſi. In Tornacenſi Chronico incerti auctoris legitur, ut Herimannus hic tertius fuerit abbas ejuſce cœnobii, ac illud paternis ditarit bonis: ipſe autem Herimannus deceſſit ſexagenarius.

Frederici Barbaroſſæ temporibus quoque fuit incerti nominis ſcriptor, qui memoriæ tradidit vitam coævi ſui, S. Anthelmi, primùm Carthuſiani Monachi, hinc Procuratoris, exinde Prioris, ac tandem Epiſcopi Bellicenſis: quo in honore obiit circa ann. cIↄ c LXXVI. Eam vitam Surius Sanctorum hiſtoriæ inſeruit Tom. III, die XXVI Jun.

Petrus, presbyter Trecenſis, cognomento Comeſtor, eodem imperante, præterquam quòd ediderit Sermones de ſanctis, atque alia, quæ in Chronicis Ordinis Canonicorum regularium commemorantur, etiam hiſtoriam ſacram in pauca contraxit. Multa interim ſacris Scripturis ex gloſſis, & profanis ſcriptoribus, interdum etiam, quæ incertæ planè fidei forent, inſeruit. Ætatem non modò ex Philippi Bergomatis lib. XII, & aliis, cognoſcimus: ſed ipſo etiam Comeſtore: ut qui opus ſuum dedicârit Guilhelmo, Archiepiſcopo Senonenſi: cui illud in mandatis ab Alexandro III Papa datum fuit, ut quandam Petri Lombardi ſententiam damnaret. Alexander autem ſedere cœpit anno cIↄ c LX. Planè autem accedo doctiſſimo Sirmondo, Petrum hunc intelligendo in illis verbis Petri Abbatis Callenſis lib. VII. epiſtol. XIX: *Si nova placent, ecce magiſtri Hugonis, ecce ſancti Bernardi, & magiſtri Petri ſcripta: in quibus nec roſa nec lilia deſunt.* Sepultus eſt Lutetiæ in S. Victoris; ubi ei tale Epitaphium:

*Petrus eram, quem petra tegit, dictuſque comeſtor.*
*Nunc comedor. Vivus docui, nec ceſſo docere*
*Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum:*
*Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.*

MSus extat in bibliothecâ Cantabrigienſis Academiæ: & ibidem in domo S. Petri bis, & S. Benedicti, & Caji, & Pembrochianæ bibl. & privata Lumleiana. Item Oxonii in bibliothecâ Collegii Novi ter, & Balliolenſi, & Mertonenſi bis. Paſſiva, ac vulgaris fabella eſt, Petrum hunc, & Magiſtrum ſententiarum, atque item Gratianum, canonum Eccleſiaſticorum collectorem, fratres fuiſſe uterinos: quod multimodis refelli poteſt: ac inter alia eo, quòd Comeſtor patriâ fuerit Trecenſis, Lombardus ſit Novarienſis, Gratianus verò Hetruſcus. Et ſanè commentum hoc etiam rejicit Antoninus parte III. Tit. XV. cap. VI. Hiſtoriam Comeſtoris compendio conſtrinxit Gualtherus Hunterus, Anglus: ut inferiùs dicemus.

Sicardus, Cremonenſis epiſcopus, Pontificum hiſtoriam deſcripſit: ut auctor eſt Raphaël Volaterranus initio Commentariorum libri XXII; ubi ſecundùm temporis ſeriem recenſet eos, qui vitas pontificum tradiderunt: ac Sicardum proximè collocat poſt Sigebertum, & Hugonem Florianum: Sicardo autem ſubjungit Godfredum Viterbienſem; qui claruit anno cIↄ c LXXXVI: ut omnino, ſi ſtandum ſit Volaterrano, vixerit Sicardus circa annum cIↄ c LX. Mirari autem ſatis non poſſum, Poſſevinum fateri, Volaterranum, uti & Lelandum, hujus Sicardi meminiſſe: & tamen addere, eſſe hunc illum Sicardum Cremonenſem, cui ſcholia ſua dicavit Laurentius Lauretus Carmelita. Nam ipſe alibi *a* agnoſcit, Laurentium [a] *Vide* Laurentius Lauretus.
iſtum in concilio Tridentino, poſteaque coram Pio IV, & Sixto V, orationes habuiſſe, ac à Gregorio XIV Adriæ in editione Venetâ factum epiſcopum. Atqui Volaterranus Urbanos ſuos Commentarios ſcripſit ante Tridentinum concilium annis amplius XL, ante Pium IV annis circiter LX, ante Sixtum V annis LXXX, ante Gregorium XIV annis XC, vel præterpropter. Quid quod multò ante Volaterranum Sicardo Cremonenſi commentarios de vitis Pontificum tribuit ineditus ſcriptor de hierarchiâ ſubcœleſti, qui in Cantabrigiæ, inque Pithœanâ exſtat bibliotheca; atque in Italiâ ſcripſit anno cIↄ ccc LXXXI. Vide eum lib. IV. cap. IX.

Arnoldus, ſive Ernaldus, abbas Bonæ-vallis, ordinis Ciſtercienſis, Tritthemio teſte, claruit imperante Frederico primo, ſcriptiſque mandavit vitam melliflui doctoris, B. Bernardi, abbatis Clarævallenſis primi. De eo ſic Henricus de Gandavo cap. XI: *Ernoldus, abbas Bonævallis, vitam S. Bernardi in quatuor libris, præter illum, quem abbas S. Theoderici Wilhelmus ſcripſerat, explicavit, multa hinc inde tangens, quæ ipſi pertinere videbantur ad materiam, quam ſcribebat.*

Burchardus, notarius imperatoris Frederici Barbaroſſæ, ad Nicolaum, abbatem Sigebergenſem, opuſculum,

lam, ſive epiſtolam potiùs, miſit de victoria ac triumpho imperatoris ſui, ac clade Mediolanenſium. Eam cum aliquot rerum Germanicarum ſcriptoribus primus edidit Freherus.

Chriſtianus, Frederici Barbaroſſæ archicancellarius, & archiepiſcopus Moguntinus, præter epiſtolas, atque orationes, reliquit librum de vita & geſtis imperatoris ſui, Barbaroſſæ.

S. Hildegardis, abbatiſſa, claruit temporibus Frederici primi: ac, juſſu Helengeri abbatis, ſcripſit vitam S. Diſibodi, epiſcopi, & confeſſoris: quæ eſt apud Surium ad Iul. VIII. Item vitam S. Berthæ, & S. Ruperti confeſſoris: quæ MSa ſupereſt, ac quædam exinde à Quentelio Coloniæ edita unà cum Hildegardis epiſtolarum libris. Meminit hujus Ruperti vitæ ab Hildegarde conſcriptæ etiam Iac. Phil. Bergomas in Chron. Suppl. lib. XII ad ann. clɔ c LVII. Ipſius Hildegardis vitam exorſus eſt Godefridus: ſed pertexuit eam, ac tribus libris comprehendit Theodericus, abbas Benedictinus; de quo inferiùs dicemus.

Lambertus Waterloſius. Canonicus regularis cœnobii S. Auberti apud Cameracenſes, reliquit hiſtoriam Cameracenſium Epiſcoporum, à temporibus Odonis epiſcopi, uſque ad annum Chr. clɔ c LX: quo vivebat. Supereſt Cameraci MSa.

Helmoldus, presbyter in Buzoën, territorii Lubecenſis vico, ad aliquod nominis decus pervenit Chronico Slavorum. Quod procudit temporibus Barbaroſſæ: uti oſtendunt verba illa in præfatione: *Nec ad hoc opus temeritas impulſat, ſed præceptoris mei venerabilis, Geroldi epiſcopi, adduxit perſuaſio; qui primus Lubecenſem Eccleſiam fecit inſignem, cathedrâ ſimul, & clero.* At anno clɔ c LXIII contigit, ut epiſcopatus Aldenburgenſis, conſentiente duce Henrico Leone, Lubecum transferretur; primuſque Epiſcopus crearetur Geroldus; quem magiſtrum ſuum fuiſſe Helmoldus ait. Orditur Chronicon ſuum à Carolo M. ac Saxonum, & vicinarum gentium per eum converſione: perducit autem uſque ad annum clɔ c LXVIII: quo & claruit. Inde verò incipit Arnoldus abbas; de quo poſtea agemus.

Temporibus quoque Frederici Barbaroſſæ, vixit auctor Chronici Lauriſhamenſis. Incipit illud ab anno Chriſti Iɔ cc LXIV; Pipini verò, Francorum regis, anno XII; quo Cancor, comes pagi Rhenenſis, cœnobium Lauriſhamenſe exſtruxit. Definit autem in anno Chriſti clɔ c LXXIX, qui fuit XXVIII Frederici Barbaroſſæ. Hoc Chronicon ex vetuſto, ac peregregio codice cœnobii Lauriſhamenſis, primus edidit Marquardus Freherus *a*, vir egregiè doctus, ac, dum viveret, conſiliarius Electoris Palatini ad Rhenum.

*a In Tomo ſcriptorum de rebus Germanicis.*

Ænobarbi tempore etiam Gaufridus, abbas Altæ tumbæ, nomen ſibi acquiſivit exarando vitam S. Petri, Tarentaſienſis epiſcopi. Hoc in opere deſudando, paruit mandatis Ciſtercienſium, & Claræ vallenſium abbatum: quibus iſthoc negotii dederat Lucius Papa, tertius ejus nominis, ut eam vitam literis mandari curarent. Habes apud Surium Tom. III a. d. VIII Maji. MSus codex ſupereſt Oxonii in Bibliothecâ Bodleianâ: ubi & MSæ literæ de Canonizatione hujus Petri. At Petrus ille Tarentaſius, cujus vitam conſcripſit, obiit anno clɔ c LXXI.

Guilielmus, archiepiſcopus Tyrius, ſive Tyrenſis, (pro quo *Tyrenenſis* corruptè editum eſt apud Joannem Sariſberienſem epiſt. ccc XXV.) condidit hiſtoriam belli per Occidentis principes Chriſtianos in Terrâ Sanctâ, totâque Syriâ, geſti, uſque ad imperium Balduini quarti, per annos LXXXIV. Complexus verò eam eſt libris XXIII: ſed poſtremum tantùm inchoavit: at Joannes Heroldus perfecit, qui Tyrio addidit ſex libros. Incipit Guilielmus anno clɔ XCV: deſinit autem anno clɔ c LXXX: quo ipſo Manuelem imperatorem è vitâ deceſſiſſe, fidem fecerit idem Guilielmus, uti & Nicetus. Fuerit autem commodum ac fructuoſum, ſi auctorem eum conferamus, cum ſcriptore anonymo Chronici Hieroſolymitani ab Reinero Reineccio editi. Nam non pauca narrat Chronico iſti intacta: & Chronicon item habet, quæ Guilielmus Tyrius præterierit. Sed videtur Tyrius ea omiſiſſe, quia ex Chronico Hieroſolymitano peti poſſent. Illum verò defectum Tyrius compenſat, tum iis, quæ paſſim interſerit: tum quia, cùm Chronicon deſinat anno clɔ c XVIII, Tyrius hiſtoriam producat ulteriùs totis annis LVIII.

Satis autem ex hoc opere liquet, ſcriptorem eſſe modeſtum, prudentem, acris judicii, veri amantiſſimum, &, pro ætate, quâ vixit, doctum, atque elegantem. Præterea autem deſcripſit *Geſta Occidentalium principum*, ſive *hiſtoriam de principibus Occidentis in Oriente, & eorum actibus:* cujus ipſe operis meminit lib. I. cap. III, & lib. XIX cap. XV, & XXI. Orſus fuit à pſeudopropheta Muhammede, ac deſiit in anno clɔ CLXXXIV: ut complexus ſit annos Iɔ LXX, vel ſeptem amplius: ut liquet ex lib. I cap. III, & lib. XIX cap. XXI. Adhæc de ſynodo Lateranenſi opus condidit: ut videre eſt ex libri XXI cap. XXVI. Vitam Guilielmi deſcripſit Henricus Pantaleo, vel alius: præfixa autem eſt editioni Baſileenſi Henrici Petri. Is, credo, quia Germanus eſſet, Guilielmum Germanum eſſe tradidit. At Franciſcus Balduinus I. C. cùm Gallus eſſet, Gallis ſuis eum tribuit. Verùm Syrum fuiſſe, alii ſcriptores Gallici agnoſcunt; etiam auctor eruditus παραλειπομένων in Tom. Hiſt. Orientalis: eaque ſententia quoque firmatur verbis auctoris lib. XIX cap. IV.

Henricus Stain, Utinenſis præpoſitus, juriſconſultus, iiſdem claruit temporibus. Hic memoriæ prodidit res geſtas ab Henrico XII, Bojorum regulo. Ejus operâ Aventinus ſe adjutum profitetur, cùm ultimum Annalium librum conſignaret.

Circa annum clɔ c LXXXIV Pandulphus Piſanus, Cardinalis, Pontificum vitas ab Eiſengrinio dicitur in literas retuliſſe. Puto planè eundem eſſe, qui epitome Felini de Siciliæ & Apuliæ regibus, ad Alexandrum VI Pontif. Max. exarata, vocatur *Pandulphus Hoſtiarius Lateranenſis Eccleſiæ:* ac ſcripſiſſe dicitur *additiones ad Chronica Damaſi Papæ.* Ibidem verba ejus adducit è vitâ Leonis IX. item Gregorii VII.

Hoc tempore etiam vixit auctor libri de Epiſcopis Salisburgenſibus, qui apud Caniſium exſtat Tom. II Antiquæ Lect. In eo, præter aliorum epiſcoporum geſta reperias vitam, & miracula, S. Ruperti; qui priùs epiſcopus erat Wormatienſis: poſtea autem cum diſcipulis XII ad Bojos profectus fuit, eoſque ad fidem convertit, ac Iuvavenſi in urbe, quæ nunc Salzburgum vocatur, ſepultus eſt, anno Iɔ CXXIII. Item ibidem invenies vitam, & miracula S. Virgilii; qui Karinthios convertit, atque anno obiit Iɔ cc LXXX. Præterea S. Hartvici, qui anno Iɔ cccc XV Frederico in epiſcopatu Salisburgenſi ſucceſſit. Adhæc Geboharti Suevi, qui ſacerdos factus eſt anno clɔ LV; epiſcopus autem clɔ LX. Item S. Eberharti, qui (ut in ejus vita legas) *naturæ conceſſit anno epiſcopatus ſui* XVIII, *menſe ſecundo: anno ab incarnatione Domini* clɔ c LXIV: *ab ordinatione Papæ Alexandri, ſexto; & imperatoris Frederici*, XIII. Auctor operis fuit diſcipulus S. Eberhardi: ut ipſe initio vitæ ejus oſtendit: ubi ſe inter eos reponit, quibus S. Eberhardus notus fuerit convictu, ac benè de ſe meritum dicit; magiſtrum etiam nuncupat; ſeque ad ejus vitam tradendam impulſum ait, *non tam ſcientia, quàm dilectionis præſumtione:* metuere enim ſe, ne ab aliis omittantur, ac ſilentio præſentium in oblivionem tandem veniant: quippe caritatem omnia ſperare, ſed de incertis vereri. Hæc non obſcurè oſtendunt ætatem ejus ſcriptoris. Sed nihil apertius eſt verbis iſtis in vita S. Ruperti; ubi etiam, quo Chriſti anno iſta prodiderit, oſtendit: *Computamus*, inquit, *annos de tranſitu Rudberti ab anno* Iɔ c XXIII *Dominicæ incarnat. Sunt autem à tranſitu ejus, uſque ad præſentem annum, qui eſt Dominicæ incarnationis annus milleſimus octogeſimus ſextus, anni* Iɔ LXXIII. *Ipſe eſt annus* XXXVI 9 *regni Frederici Imperatoris.* Ita editum à Caniſio, qui codd. MSſos ſecutus eſt. Sed temporum ratio docet annum Chriſti clɔ c LXXXVI eſſe Frederici XXXIV. Nempe facili errore ex IV fecere VI.



Poſtea

Poſtea aliis, errore eo animadverſo, barbarico numero adſcripſit, pro 6 reponendum 4: numerus item iſte, ob figuræ ſimilitudinem, converſus ab imperito in 9. Quare, inductâ eâ nota, reſcribendum hoc pacto; *Ipſe eſt annus* XXXIV *regni Frederici Imp.*

## Cap. LIV.

*Sylveſtri Giraldi Cambrienſis ætas, dignitas, opera varia, fides ſuſpecta. Gualterus Mapes. Tageno Patavinus, & alter ignoti nominis; quorum uterque tradidit expeditionem Barbaroſſæ in Syriam. Magni Richobergenſis Chronicon. Anonymus de vita S. Hugonis Lincolnienſis. Lambertus Parvus. Elimandi Chronicon. Tres ſcriptores de Richardi, Angliæ regis, profectione in Syriam: nempe Gualterus de Conſtantiis, Guilielmus Peregrinus, & Richardus Canonicus. Godefridi Viterbienſis* XL *annorum peregrinatio, & plurimarum linguarum peritia: & cur idem hiſtoriam ſuam* Pantheon *vocârit. Anonymus de vita S. Gilberti Confeſſoris. Sibrandus Friſius de vita Frederici Præmonſtratenſis.*

EXtremis Frederici Barbaroſſæ temporibus, atque imperante Henrico VI, (qui imperii clavum anno CIↃ C XCI, ac proximo ſeptennio, tenuit) clarebat Sylveſter Giraldus Cambrienſis, à patria Cambria ita dictus. Prognatus fuit è nobili familiâ principum Walliæ. Primùm à ſecretis erat Henrico II. Angliæ regi, ac poſtea tutor filii ejus Joannis; quicum in Hiberniam miſſus, antiquitates ejus regionis, ac gentis, inquiſivit; librumque condidit, quem *Topographiam Hiberniæ* inſcripſit. Prima ejus pars agit de ſitu regionis, ac loci naturâ: altera de mirabilibus, ac miraculis, quæ ibi contigerunt: tertia de incolis, eorumque geſtis. Huic tripartito volumini triennium ſe impendiſſe, ipſe ait *a*. Habes MSos ejus codd. Cantabrigiæ, unum in bibliothecâ domus S. Petri: alterum in Collegio S. Benedicti apud Cantabrigienſes: teſte Th. James: qui & Notam hanc apponit: *Hic liber recognitus eſt per auctorem, & multis in locis fuſior eſt, quàm in pleriſque exemplaribus: unde videtur Auctor Giraldus tanquam ſupremam manum hic impoſuiſſe.* Præterea fecit libros duos *de expugnatâ ab Anglis Hiberniâ.* Huic operi biennio ſe intentum fuiſſe, idem refert. Adhæc libros duos reliquit hoc lemmate, *Itinerarium Cambriæ*; ſive *laborioſa Balduini Cantuarienſis per Walliam legationis.* Ea legatio contigit anno primo poſt ereptam Chriſtianis Hieroſolymam à Saladino, Damaſcenorum, & Ægyptiorum rege, anno Chriſti CIↃ C LXXXVIII: quo epiſcopus Romanus erat Urbanus III; imperator, Fredericus Barbaroſſa; Angliæ rex, Henricus II: ut initio operis pleniùs Sylveſter ipſe exponit. Exemplar ejus operis MSum habes in eâdem Collegii S. Benedicti bibliothecâ: ſed exaratum manu recentiori, ut auctor eſt T. James. Item edidit Cambriæ deſcriptionem: quam, uti & Cambriæ itinerarium, dicavit Stephano, Cantabrigienſi archiepiſcopo. Scriptor eſt mirè fabuloſus, ut pleri que alii hujus ævi. Eum debemus duobus eruditis Anglis, Davidi Powello, & Guilielmo Cambdeno. Ex Balæo autem cognoſcimus, præterea compoſuiſſe topographiam Britanniæ primæ, vitam Henrici II, Acta regis Ioannis, hiſtoriam vaticinalem libris tribus, geſta laborioſa Giraldi, deſcriptiones magnorum virorum, coſmographiam mundi, chronographiam ejuſdem, certamina Galfridi Eboracenſis, vitas Ethelberti martyris, David Menevenſis, & Hugonis Carthuſiani, itinerarium Balduini, mirabilia terræ ſanctæ, atque alia, &c. Quorum pleraque habemus in pub. Cantabrig. Acad. biblioth. Mirum verò præteriri à Balæo, Chronicon Anglorum, atque opus de regibus Vuiſaxonum. Quorum utrumque agnoſcunt Geſnerus, Poſſevinus, Piſeus. Etiam Cantabrigiæ in biblioth. publica ſupereſt MSus liber illius de Mona inſula. Item ejus MSus alius de vita Patricii. Item dialogus ejus MSus de ſede Menevenſi, & Landavenſi. Qui etiam eſt in Cantabrigienſi collegio S. Benedicti. Inque eodem collegio aſſervantur dialogi illius de eccleſia Menevenſi. Videri poſſit idem hoc opus, ac prius. Verùm diſtinguit Piſeus.

a Præf. in deſcript. Cambr.

Gyraldo æqualis fuit Gualterus Mapes, ſive *Mapus.* Primùm vixit in aula regis Anglorum, Henrici II. Eo defuncto, clericus ac familiaris fuit Joannis; cujus tum tutorem fuiſſe Gyraldum, diximus. Poſtea Gualterus factus eſt canonicus Sariſburienſis. Exinde præcentor Lincolnienſis. Anno autem CIↃ C XCVII, qui Richardi regis fuit octavus, creatus eſt archidiaconus Oxonienſis. Multa luſit adverſus Papæ, & cardinalium mores: quæ repeziuntur inter Poëmata veterum de corrupto Eccleſiæ ſtatu. Ab eruditione ſingulari, & curialibus facetiis, commendat eum Sylveſter Gyraldus: qui & ei dicavit libros ſuos de proœmiis operum ſuorum, deque ſymbolis electorum. Hoc loco autem commemoratur à nobis propter *Topographiæ compendium* ab eo editum. Item ob alterum opus, quod *Epitome Cambriæ* inſcribitur.

Vivebat & tum Laurentius Leodicenſis, monachus cœnobii S. Laurentii, apud Leodicenſes. Conſignavit geſta Epiſcoporum Verdunenſium, & abbatum S. Vitoni, ab anno CIↃ XLVIII ad annum uſque CIↃ C XCVII. Supereſt id opus MSum, tum in S. Vitoni cœnobio, tum Leodici in Monaſterio S. Laurentii.

Iiſdem temporibus effulſit Tageno, Decanus Patavinus; qui expeditionem Cæſaris Barbaroſſæ in Palæſtinam deſcripſit. Patavinus autem, vel potiùs Pataviensis, dictus eſt à Patavio Germanico, civitate epiſcopali inferioris Bavariæ inter Danubii & Oeni confluentes. Fidem autem eo majorem hic ſcriptor meretur, quòd expeditioni Aſiaticæ cum Diepoldo epiſcopo interfuerit: ut Gaſpar Bruſchius refert lib. II de Laureaco. De eo ſic Aventinus in annalibus Bojorum lib. VII *a*: *Theobaldi juſſu, ejus decurio* *Tageno expeditionem hanc æternitati literarum conſecravit; quam ego Reicherſpergis inveni; eamque Conrado Adelmanno, myſtæ Auguſtenſi, ut illam publicandam curaret, ſuperiore anno miſi. Quamobrem is tam diu rem differat, neſcio.* Hæc Aventinus. Sed quod myſtes ille Auguſtenſis non fecit, id poſt annos demum ſeptuaginta, vel circiter, præſtitit Marquardus Freherus; qui hunc Tagenonis librum volumini ineditorum de rebus Germanicis ſcriptorum adtexuit.

a P. 513. edit. Porna.

Tum quoque erat alter ille, ſed anonymus, qui & ipſe literis mandavit Aſiaticam Frederici Barbaroſſæ expeditionem, à Caniſio editam Tom. V Antiq. Lect. Deſinit in morte Barbaroſſæ. Cujus ætate vixiſſe, præfatio indicat. Eum cum Tagenone conferre, nec inutile ſit, nec injucundum.

Magnus Richobergenſis Noricus, flamen Auguſtinianus, fuit temporibus Henrici VI. Chronica condidit; quibus ſe adjutum profitetur Jo. Aventinus in ſcribendo lib. VI annal. Bojorum. Videtur hoc eſſe Chronicon illud Monaſterii Reicherſpergenſis, quod primus Monachii an. CIↃ IↃ VI edidit vir nobilis Chriſtophorus Gewoldus, J. C. & Maximiliano, Bavariæ duci, à conſiliis.

Æqualis huic erat is, qui libris quinque complexus eſt vitam S. Hugonis, epiſcopi Lincolnienſis. Quippe ſcriptor ille familiariter Hugone hoc uſus fuit. Deceſſit autem Hugo anno CIↃ C XCIV. Ex auctore hoc alius, maximâ ex parte, excerpſit vitam illam Hugonis, quam Surius, ſed ſtylo fere mutato, exhibet T. VI die XVII Nov.

Item tum vivebat Lambertus Parvus, Leodicenſis monachus Cœnobii S. Iacobi ord. S. Benedicti. Tradidit res geſtas epiſcoporum Leodicenſium ab an. IↃ CCCC LXXXVIII ad annum uſque CIↃ C XCIV: quo vivere deſiit.

Elymandus, ſeu Elimandus, Frigidi montis monachus, in agro Belvacenſi claruit temporibus Henrici VI, ac Chronicon contexuit libris XLVIII, quibus omne ævum ab orbe condito ad ſua uſque tempora complexus fuit. Alia quoque ejuſdem commemorat Iac. Phil. Bergomas Chr. Suppl. lib. XII ad an. CIↃ C XCIX. Multa ex hoc Elimando, adſcripto auctoris nomine, referuntur in magno iſtoc Chro-

Chronico Belgico, cujus canonicus Regularis ordinis S. Auguſtini prope Nuſſiam auctor eſt.

Ad hæc tempora quoque pertinet Gualterus de Conſtantiis, Britannus, priùs epiſcopus Lincolnienſis, poſteaque archiepiſcopus Rothomagenſis: quem honorem conſecutus eſt an. clↃ c LXXXIV. Idem regem ſuum Richardum in Palæſtinam proficiſcentem comitatus fuit: deque ejus peregrinatione librum inter alia conſcripſit.

Non alter Gualterum hunc melius comitetur hic, quàm Guilielmus Peregrinus, genere Anglus; Richardi, Angliæ regis, itidem in itinere Palæſtino, ac Syriaco, comes. Hic carmine heroico panxit Hodœporicon regis ſui, Richardi: in quo depingit, quæcunque eo in itinere vidiſſet. Carmen id Huberto, archiepiſcopo Cantuarienſi, & Stephano Turnehamo, militum præfecto, viro ſcientiæ militaris ſcientiſſimo, dedicavit.

Eâdem de cauſâ his jungendus Richardus, Canonicus Londinenſis, vir ob eruditionem Richardo, regi ſuo, cariſſimus; ac ſimiliter peregrinationis, in Palæſtinam, ac Syriam ſuſceptæ, comes. Qui & ipſe inter alia itinerarium, ac geſta ejus regis, conſcripſit. Exſtat MSus Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Cæterùm non tantùm ſub Richardo floruit: ſed etiam ſub rege Joanne.

Godefridus, Viterbienſis presbyter, à ſacris ſcriniis fuit Conrado III, & Frederico I. Peregrinatione XL annorum, in qua bibliothecas omnes excuſſit, magnam ſibi eruditionem paravit, non rerum modò, ſed etiam linguarum: quippe & vulgares ſciebat complures; & Latinè, Græcè, Hebraicè, ac Chaldaicè, doctus fuit. Hic nominis ſui famam longè diffudit Chronico univerſali; quod partim proſà, partim carmine, condidit. Hoc, quia omnium principum hiſtoriam continet, atque hi appellantur Dii in Scripturis, *Pantheon* nuncupavit. A nonnullis citantur hoc titulo, *Memoria Sanctorum*; ut à Pignorio accepi. Orditur illud ab initio mundi: & perducit uſque ad Pontificatum Urbani III: cui & opus hoc dicavit. Reponitur à Martino Polono inter eos, è quibus Chronicon ſuum congeſſit. Hiſtoricus non indiligens dicitur doctiſſimo Garciæ de Loaiſa, notis in Chronicon Iſidori. Primus in lucem emiſit Baſilius Joannes Heroldus.

B. Giſberti, ſive Gilberti Confeſſoris vita (quæ ex Mso cod. in epitome Sanctorum ab Haræo expreſſa eſt) auctorem habet æqualem Giſberti: is verò obiit anno clↃ c LXXXIX.

## CAP. LV.

*Theodericus, abbas Benedictinus, de viſionibus, & miraculis S. Hildegardis. Stephanus Hiſpanus de miraculis S. Rodoſindi. Chronicon Roberti, monachi S. Mariani. De Saxonis Grammatici fide, ac dictione. Dodechinus abbas de peregrinatione in terram ſanctam, & appendix ejuſdem ad Marianum Scotum.* Joannes Nuſcenſis *de vita S. Guilielmi.* Weingartenſis monachi *Chronicon geminum.* Reinerus, Prior Leodienſis Helinaldi Galli *Hiſtoriarum libri*; *idem de variorum martyriis.* Engelhardus abbas *de S. Malchthilde.* Ottonis Sanblaſiani *appendix ad Ottonem Friſingenſem: ejuſdem Chronica prima.* Guntheri *hiſtoria Conſtantinopolitana.* Monachi Egmondani *Chronicon Belgicum.* Roberti Montenſis *appendix ad Sigeberti Chronicon.* Arnoldi Hildeſemenſis *appendix ad Chronicon Helmoldi; deque ætate ejus, ac fide.* Albertus Bohemus.

CIrca annum clↃ cc, quo Henricus VI. imperare deſiit, atque habenas imperii ſuſcepit Philippus, qui annis prope novem rexit, claruit Theodericus, abbas Benedictinus. Hic cùm Godefridus orſus fuiſſet vitam S. Hildegardis, nec perfeciſſet: operi ejus, cui princeps jure datus eſt locus, duos adjecit libros; unum de viſionibus S. Hildegardis; alterum de miraculis, quæ Deus per eam feciſſet. Tres hoſce libros, cum epiſtolis S. Hildegardis, Coloniæ edidit Quentelius: ac Surius quoque eos habet in Hiſtoria Sanctorum Tom. V die XVII Sept. At Theodericus, abbas S. Trudonis, ab hoc eſt diverſus: ut qui vixerit circa annum clↃ c: ut ſuprà dictum.

Tum quoque Stephanus Hiſpanus, monachus congregat. Cluniacenſis cœnobii Cellæ Novæ, in Hiſpania degebat. Conſcripſit miracula S. Rodoſindi, epiſcopi, & monachi. Opus hoc in dicto Cellæ Novæ monaſterio adſervari MSum, locuples teſtis eſt Ambroſius Morales Hiſtor. ſuæ lib. XVI cap. XXXVI.

Item hoc imperatore claruit Robertus, monachus S. Mariani. Hic Chronicorum opus elaboravit; quod Trecis editum, & Pariſiis ex officina Nivelliana, anno clↃ IↃ c IX.

Saxo, Grammaticus Sialandicus, Rotſchildenſis in Dania Eccleſiæ præpoſitus, ad Andream, Daniæ epiſcopum, hiſtoriam ſcripſit libris XVI: in qua non pauca ſunt fabuloſa: ut haut cuncta recipi debeant ἀβασανίστως. Quo nomine & à Scaligero culpatur in opere de emendatione temporum *a*. *Impunè* inquit *fuerit imperito ſeculo Hunibaldo cuidam, & Saxoni Grammatico, renaſcentibus autem literis Annio Monacho Viterbienſi fabulas ſuas Marrucinis illorum temporum probare.* Nec tamen tantus eſt fabulator, ac nonnullis videtur; qui eum nullo habent loco. Inter hos eſt Goropius Becanus: de quo minùs eſt mirandum, cùm argumentum tractet, non παράδοξον modò, ſed etiam ἄδοξον. Rejicit igitur, non quicquid debet, ſed quicquid obeſt cauſſæ ſemel ſuſceptæ. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus eſt elegantia, ut ætatis illius captum planè excedat, imò cum antiquiorum, & noſtri ſeculi plurimis, certet. Unde Eraſmus in Ciceroniano ſuo ſic de eo ſcribit: *Dania nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui ſuæ gentis hiſtoriam ſplendidè magnificeque contexuit.* Quibus ſubjungit: *Probo vividum & ardens ingenium, orationem nuſquam remiſſam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, ſententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem, ut ſatis admirari non queam, unde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi ſuppetierit.* De eodem ita Janus Douza pater præfatione altera Annalium Bataviconum, quos carmine contexuit. *Sed neque Saxonem cognomento Grammaticum, ſeculi ſui vel barbaries, vel impolitia deterruit, quo minus multifaria metrorum genera oblatâ an quæſitâ Excurſuum occaſione feſtiviſſimus Chronicorum ſuorum ornamentis decenter intermiſceret, quibus in fortium virorum laudes, ceu pleno quodam redundans alveo illam fœcundi pectoris luxuriem, illud exuberantis ingenii flumen paſſim per totum hiſtoriæ ſuæ corpus, longè lateque diffunderet.* Perduxit hiſtoriam ſuam uſque ad tempora Philippi Cæſaris; ſub quo non inglorius vivebat. Mentio ejus fit ab eo, qui Saxonem in Dania, aut vidit, aut videre potuit: diſcipulo dico S. Guilhelmi, Roſchildenſis in Dania abbatis; apud quem in præceptoris vita hæc legas: *Mittit itaque in Gallias Saxonem, præpoſitum Roſchildenſem, virum honeſtum; qui ab S. Genovefæ collegio petat dominum Wilhelmum, cum aliis tribus fratribus, mitti in Daniam*, &c. Cæterùm etſi Saxo vixerit temporibus Voldomari, ſeu potiùs Waldemari, quem & in præfatione operis ſui compellat: non tamen ad eum uſque hiſtoriam ſuam perducit: ſed deſinit in S. Canuto, Waldemari avo, qui interemptus eſt anno Chriſti clↃ C XXXI.

a P. 496. edit. Raphel. 1598.

Dodechinus, ſeu Dudechinus, Germanus, monachus, & abbas Cœnobii S. Dyſibodi, reliquit hiſtoriam ſanctam, ſive de peregrinatione in Palæſtinam. Idem Chronicis Mariani Scoti appendicem adjecit ab anno clↃ LXXXIV, uſque ad an. clↃ cc: quo tempore vixit. Quamquam Trithemius claruiſſe dicat ſub Conrado III, anno clↃ c XL: quod verum eſſe nequit, ſi appendix univerſa ſit Dodechini.

Circa annum clↃ cc etiam erat Joannes Nuſcenſis, monachus montis Virginis. Hic vitam deſcripſit S. Guilielmi, ordinis ſui inſtitutoris. Etiamnum hanc exſtare, auctor eſt Joannes Coſta in vita S. Donachi monachi; atque ex illo idem tradit Arnoldus Wion; ex Arnoldo autem Poſſevinus.

Eo

Eo quoque tempore vitam egit Altorfenſis, ſive Weingartenſis monachus ad S. Martinum, auctor Chronici de Welphis principibus. Terminatur illud in anno cIↄ c LXXXI, Frederici imp. XXIX. Idem monachus (nomen ignoratur) reliquit Chronicon imperatorum Romanorum, ab Julio Cæſare, uſque ad mortem Henrici V; quæ incidit in annum cIↄ cc. Utrumque Chronicon, ex codice MSo Auguſtano monaſterii SS. Afræ, & Udalrici, in lucem dedit Henricus Caniſius T. I Antiq. Lect.

Reinerus, Prior monaſterii S. Jacobi Leodicenſis ab anno cIↄ c XCIV, uſque ad annum cIↄ cc XXX, condidit hiſtoriam Leodicenſem, quæ Leodici in memorato cœnobio ſupereſt MSa.

Eodem tempore vitæ ſuæ curriculum decurrebat Helinaldus Gallus, monachus Frigidi Montis. Condidit hiſtoriarum opus libris XLVII; quos ab orbe condito orditur. Præterea conſcripſit martyrium S. Gereonis, & ſociorum: item Victoris, Caſſii, Florentii, & aliorum. Habes apud Surium T. v. die x Octob. De Helinaldo hoc Vincentium Bellovacenſem adi Speculi Hiſtorialis lib. XXX cap. CVIII: & S. Antonium Chron. Par. III. Tit. XVIII cap. v. Sæpius eum exſcribit, nec nomen diſſimulat, magni Chronici Belgici auctor.

Circa hæc tempora etiam fuiſſe videtur Engelhardus, abbas in Lanchaim, qui calami ſui penicillo depinxit nobis vitam ſanctæ virginis Mechthildis, principis Berchtoldi, Comitis de Andechs, & domini in Dyengen ad Iſaram, filiæ, Frederici I. imperatoris cognatæ, abbatiſſæ in Damaſia ſeu Diſſen, poſteaque in Edelſteten ſeu Oetilſtetten; quod monaſterium non longè eſt ab Urſpergen, inter Auguſtam & Ulmam. Vitam eam repræſentat Caniſius T. v Antiquæ Lect.

Henrico VI, Philippo, & Ottone IV, imperantibus, vixit Otto Sanblaſianus, ſive de S. Blaſio: quomodo vocatus à monaſterio S. Blaſii: quod ordinis eſt Benedictini, ac in diœceſi eſt Conſtantienſi juxta Albam, fluvium Hercyniæ ſylvæ; primamque originem debet imperatori Ottoni Magno. Ab hoc Sanblaſiano eſt appendix illa Chronici Ottonis Friſingenſis: quam incipit ab an. cIↄ c XLVI, & perducit uſque ad annum cIↄ cc x: qui tertius erat annus Ottonis IV, ſive à coronatione ejus ſecundus. Simlerus, in appendice Conradi Geſneri, ait, hiſtoriam ſuam perduxiſſe uſque ad tempora Rodulphi Habſpurgenſis: qui imperare cœpit an. cIↄ cc LXXIII. Sed plane fallitur Simlerus, ſi integer is eſt Sanblaſii liber, quem inter alios rerum Germanicarum auctores edidit Chriſtianus Urſtiſius. Mentionem hujus ſcriptoris facit Nauclerus lib. II generatione XXXIX: quo loco de Hugone agit, comite Palatino Tubingenſi à Guelfone Bavaro in vincula conjecto; deque victoria, quam archiepiſcopus Moguntinus ab Romanis retulerat. Etiam Otto ille *Chronica prima* compoſuit: quibus genealogias omnes ſacræ hiſtoriæ, uſque ad Timotheum, & Titum, Pauli diſcipulos, complexus fuit. Quod opus MSum exſtat Baſileæ.

Philippi Imp. tempore floruit & Guntherus, priùs ſcholaſticus, poſtea monachus in cœnobio Pariſienſi; non inclytæ Galliarum urbis; ſed alio, ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Baſileenſi. In notitiam poſteritatis pervenit hiſtoriâ ſuâ Conſtantinopolitanâ de iis temporibus, quibus ſtrenuè rem geſſit Balduinus. Ait ipſe, ea ſe, quæ tradit, ex ore illius Martini abbatis accepiſſe, qui expugnationi Conſtantinopolis interfuit. Ex quo, ut ætatem ſcriptoris, ita &, quantæ fidei ſit, intelligimus. Edidit eum Caniſius T. v. Ant. Lect.

Eodem imperante, præclarum induſtriæ ſuæ monumentum reliquit monachus Egmondanus, qui Chronicon Belgicum, & potiſſimùm Hollandiæ, condidit. Incipit ab anno Chriſti Iↄ c XLVII. Deſinit in an. cIↄ cc v: quo vixit; ut ex operis extremo ſatis liquet. Scriptor hic, ex bibliotheca V. Cl. Andreæ Schotti, prodiit Francofurti in lucem, unà cum Joanne à Leidis, Carmelita, & Reinero Snoio, Goudano. Sed à typographis peſſimè eſt habitus, magno rei hiſtoricæ, & Batavicæ imprimis, damno. Uſque adeò multa in eo, vel prætereita ſunt, vel corrupta, planè etiam perturbatâ temporum ratione. Quod partim ex antiquo cœnobii Egmondani codice membranaceo; partim ex ingenio, deprehendit, & occaſione primâ publico teſtatum faciet, vir ſummus, Petrus Scriverius. Qui & continuatorem ejuſce chronici hactenus ineditum, longeque fuſiùs cuncta proſequentem (quippe qui ultra Florentii v. tempora provehatur) comitem ei dabit ex codice paris vetuſtatis. Ei nomen *Gulielmo Procuratori*; de quo inferiùs accuratiùs dicemus. Quod autem ad Chronicon Egmondanum attinet, ejus auctorem eſſe monachum Egmondanum, non tam ex vulgatis elicias libris, quàm membranis ejuſdem Scriverii. Nam vulgò quidem legitur ad an. cIↄ c LXXVI: *Hoc ex ejus relatione dictum ac certificatum ſit, qui ejus peregrinationi interfuit, & idem mortis periculum timuit. Poſtea moritur.* Ubi in Scriverii MSo eſt: *timuit, poſtea monachus noſter.* Ætatem autem clarè cognoſcas ex verbis iſtis extremo Chronico, puta ad an. M CC V: *Ecce longam geſtorum ſeriem qualicunque ſtylo exaravimus. Alia præter hæc ſi fortè ſupervenient, quæ ad præſens negotium ſpectant, alteriùs executioni committimus.*

Imperante Ottone IV, qui Philippo ſucceſſit anno cIↄ cc VIII fuit Robertus Montenſis, abbas Normannus Gallus. Unde & in quibuſdam MSSis vocatur *Robertus abbas de Normannia*, uti in eo qui in bibliothecâ publicâ Cantabrigienſis Academiæ. Aliis a quoque vocatur Robertus Normannus, *abbas Montis Navalis*, vel ſimpliciter, *Robertus, abbas montis Navalis* b. Continuavit is Chronicon Sigeberti uſque ad an. cIↄ cc x. Item edidit librum de ſuis temporibus, atque alterum de vita Henrici, primi ejus nominis Anglorum Regis. Adhæc acta conciliorum. Nempe ipſe interfuerat concilio tum Romano, tum Toleſano: quæque viderat, literis mandavit. Præterea libros VII de bello ſacro Chriſtianorum principum: quod opus prodiit Baſileæ. A Joanne Lelando, quem & Poſſevinus ſequitur, traditum eſt, continuaſſe ab eo Chronicon Sigeberti uſque ad annum cIↄ c LVIII: atque ipſum tum temporis claruiſſe. Sed duobus, & quinquaginta annis, ulteriùs proceſſiſſe, nemo negabit, qui appendicem eam inſpexerit. Idem Poſſevinus conſignaſſe ait tum geſta Marodoci, tum etiam Waluwani. Nimirum confudit duos Robertos Montenſes Normannos: quorum uterque abbas, ſed unus cœnobii S. Michaëlis, idque temporibus Stephani regis & Henrici II: alter abbas Abrincenſis, idque temporibus Henrici II, Richardi I. & Joannis Regis. Qui ad hæc tempora pertinet.

a *Miræo in Chron ord. Præmonſtr, pag. 16.*
b *Mejero in Annal. Fland. ad an. 1147.*

Arnoldus, Hildeſemenſis Præpoſitus, vixit tempore Othonis IV, ac Chronico Slavorum, quod Helmoldum, presbyterum Buzovienſem, auctorem habet, ſupplementum addidit: atque id opus dicavit Philippo, Raceſburgenſis Eccleſiæ antiſtiti. Præfationem ſic orditur: *Quia bonæ memoriæ Helmoldus Sacerdos hiſtorias de ſubactione, ſeu vocatione Slavorum, & geſta Pontificum, quorum inſtantiâ Eccleſia harum regionum invaluerunt, debito fine, ut voluit, non conſummavit: Deo cooperante, huic operi, vel labori, inſiſtere decrevimus.* Lib. IV cap. XIX refert epiſtolam à Carolo Cancellario ad ſe miſſam. In inſcriptione ejus appellatur Hildeſemenſis præpoſitus. Sed pòſt Abbatem fuiſſe Lubecenſem, colligere eſt ex MSo Pucheniano; ubi ita vocari, Reineccius auctor eſt. Qui & eodem pertinere exiſtimat, tum quæ de Lubecenſibus adfert: tum crebras monaſticæ vitæ laudes. Deſinit Arnoldus in temporibus Ottonis IV. Quamquam aliqua in fine deſiderantur. Sed multò pòſt vixiſſe non poteſt. Siquidem ex memoratâ epiſtolâ liquet, familiarem fuiſſe Conrado Cancellario: qui cùm, reſignato epiſcopatu Hildesheimenſi, Herbipolenſis, ſeu Wirzeburgenſis factus eſſet epiſcopus; dum ſe illis opponit, qui Eccleſiæ res invaſerant, in Herbipolenſi ab iis civitate occiſus eſt. Factum id temporibus Cæſaris Philippi, ac regis Romani Ottonis: ut cognoſcimus ex Arnoldi hujus libro VII cap. II. In rebus Slavonicis fide dignus eſt: non iis item, quæ

quæ de Italiæ, Siciliæ, Græcorumque rebus, adnectit: in quibus ſatius ſit alios audire, qui ex profeſſo de iis tractarunt.

Diſpiciendum verò, utrùm & hîc locum mereatur Albertus Bohemus, decurio, & archidiaconus Laureacenſis. Ottoni IV is à conſiliis fuit, atque, ut verba retineam, quibus ſe ipſum nuncupat, executor ſententiarum ſedis Apoſtolicæ generalis per totam Alemaniam, & judex delegatus contra Imp. Fredericum II hæreticum. Sic imperatorem appellat. Hujus commentariis autographis in membrana ſcriptis adjutum ſe ait Io. Aventinus, cùm conderet ſeptimum, eundemque ultimum librum annalium Bojorum. Sed mihi nec apographum eorum cernere contigit.

## CAP. LVI.

*Joannis Oxfordii hiſtoria Anglicana, atque opus de itinere ſuo Siculo. Idemne Scala Chronici ſit auctor. Rogeri Houedeni annales Anglicani, ac commentarii de regibus Northumbriæ. Joſephus Devonius, ſive Iſcanus, auctor poematis de bello Trojano, quod Cornelii Nepotis nomen ementitur. Idem explicatus, & correctus. In dubium vocatur ſententia Piſei, exiſtimantis, Iſcanum tandem factum eſſe Burdigalenſem archiepiſcopum, idque favore Balduini Cantuarienſis. Colmannus Sapiens. Gervaſius Tilberienſis. Rogerus Crolandienſis. Gervaſius Dorobernenſis. Gilbertus de Hoilandia. Guilielmus Litle, ſeu Parvus, ſive Neuburgenſis, quâ fide ſcripſerit. Radulphus, vel, juxta alios, Richardus de Diceto. Joannes de Forda. Jocelinus Brakelonde. Joannes Graye. Adamus Barkingenſis. Hugo Candidus. Stephanus Langtonus. Alanus Teukesburienſis.*

QUo tempore Philippus, atque Otto IV, imperium Rom. tenuere: eo in Anglia regnavit Joannes. Nam Philippus quidem, qui Barbaroſſæ filius erat, ſucceſſit Henrico VI, anno CIↃCXCIX. Huic eodem anno oppoſuere alii Ottonem IV, Saxonem. Anno CIↃCCVIII Bambergæ occiditur Philippus. Exinde ſolus imperat Otto. Anno CIↃCCXII, excommunicato à Pontifice Ottone, eligitur Fredericus II, Barbaroſſæ nepos. An. CIↃCCXVIII moritur Otho imperator, ac ſolus rerum potitur Fredericus II. At omni penè hoc tempore regnavit in Anglia Joannes primus. Nam anno CIↃCXCIX, quo dicebamus, ab his Philippum, ab aliis Othonem, imperatores creatos, in Anglia regnare cœpit Joannes. Ac biennio ſolo ante Ottonem deceſſit: anno puta CIↃCCXVI. Itaque eos nunc ſeorſim (pluſculi enim ſunt) complecti viſum, qui, temporibus regis Joannis, monumentis ſuis hiſtoriam in Britannia illuſtrarunt.

Princeps eſto Joannes Oxfordius, ſive de Oxonio, decanus Collegii Sariſburienſis. Hic poſteris tranſmiſit hiſtoriam Anglicam: quæ quanto in honore à pleriſque ſoleat haberi, argumento illud erit, quòd ei proximus poſt Gualterum Monemutenſem tribuatur locus. Vide Hectorem Boëthium in præfatione hiſtoriæ Scoticæ ad Jacobum V Scotorum regem. Librum etiam reliquit de itinere ſuo in Siciliam: quò ad regem Guilielmum miſſus fuerat ob ſponſalia Joannæ, Henrici II, regis Anglorum filiæ; regum, Richardi, & Joannis, ſororis. Idem Lelando auctor videtur voluminis, cui nomen *Scala chronici*. Sed hunc eo refellit Balæus, quòd hoc in chronico citetur Otterburnus Minorita. Imò nec iſtud ſatis ſcio, rectène nomen operis extulerit. Suſpicor enim potiùs illud vocari *Scotochronicon*, quia Scotorum tempora perſequatur. Quomodo opus ſuum inſcripſit Joannes de Forda: ut mox dicemus. Sed de hoc aliquid quoque afferemus, ubi ad Thomam Grajum deventum erit.

Claruit & tum Rogerius de Hoveden, Britannus. Inter domeſticos fuerat Henrici II, Anglorum regis: ut in annalibus ſuis tradit Gualterus Coventrienſis. Poſt obitum verò ejus, præter alia, elucubravit libros duos Annalium Anglicanorum; quos, ubi Beda deſiit, auſpicatur; ac perducit uſque ad Joannem regem; qui regnare cœpit anno CIↃCXCIX, uti antè diximus. Manuſcriptum id opus Cantabrigiæ adſervat bibliotheca, quæ eſt in collegio S. Benedicti. Thomas James a in bibliotheca ea S. Benedicti exſtare ait *excerptiones de Chronicis Roberti de Houeden*. Uti quoque privata baronis Lunlejani, atque alia Gualteri Copi. Condidit & hiſtoriam regum Northumbriæ. Ejus commentarios Eduardus, primus hujus nominis Angliæ rex, ſedulò juſſit acquiri, cùm ei de titulo regni Scotici controverſia eſſet: ut auctor eſt Ranulphus lib. VII. cap. XXXIX. V. Cl. Henricus Savile, præfatione in ſcriptores Angliæ à ſe editos Londini, vocat eum *auctorem cum primis bonum & diligentem, veriſſimumque ſuperiorum temporum indicem*. Primarium fuiſſe Theologiæ profeſſorem in Academiâ Oxonienſi; totamque Thomæ Becketi vitam ſcripſiſſe; teſtes ſunt Robertus Parſons in Admonitione, controverſiâ II. cap. X, & Bryanus Twynus lib. II. de Antiq. Acad. Oxon.

a Pag 74.

Etiam Henrici II, Richardi, & Joannis, Angliæ regum, temporibus, claruit Joſephus Devonius, ſive Iſcanus, vel Exceſtrienſis. Natus eſt in Devonia, quæ citerior Dunmoniorum, ſeu Damnoniorum regio eſt. Sed educatus eſt Iſcæ, civitate Cornwalliæ, ſeu Cornubiæ; quæ eſt altera pars Damnoniorum. Atque hinc liquet, unde nunc *Devonius*, nunc *Iſcanus*, dicatur. Vir fuit Latinè, Græceque doctus: & admodum diſertus: imò poëtarum Britannicorum ſuo ævo princeps. Patronum habuit Balduinum, Cantuarienſem archiepiſcopum. Cui & dedicavit, tum libros ſex de bello Trojano; tum Antiocheidem ſuam: præter quæ & panegyricum in Henricum II edidit, & librum de inſtitutione Cyri, & nugas amatorias, & epigrammata, & carmina varia: ut auctor eſt Balæus. Libri ſex de bello Trojano prodiere Baſileæ, primùm divulgante Albano Torino. In eo opere expreſſit Iſcanus hiſtoriam, quæ Daretis Phrygii nomen præfert. Initium operis hujuſmodi eſt:

*Iliadum lacrymas, conceſſaque Pergama fatis,*
*Prælia bina ducum, bis adactam cladibus urbem,*
*In cineres querimur.*

Poëticas fabulas ſegregat, veritati hiſtoriæ inſiſtens, quantum licet. Hoc volunt verba iſta:

*Quos ſuperos in vota vocem? mens conſcia veri*
*Proſcripſit longè ludentem ficta poëtam.*

Negat ſe Homerum ſectari, qui multa mentitur. Id cùm non ſatis perſpiceret Albanus Torinus, vir eruditus, pro *conſcia veri*, putavit legendum, *æmula veri*: quod menti poëtæ adverſatur. Uti & ſequentia oſtendunt:

*Quin te Cecropii mentita licentia pagi,*
*Et lædant figmenta, pater, quo præſide floret*
*Tantia, & in priſcas reſpirat libera leges.*

Ubi *Cecropium pagum* appellat poëtas Græculos, homines gentiles, ſive pago deditos, ut Prudentius loquitur. Quod ſatis oſtendit, non eſſe poëtam gentilem, nedum Cornelium Nepotem. Cæterùm pro *Tantia* idem Albanus Torinus legendum putabat *Pontia*, ſed perperam. Rectum eſt *Cantia*. Quippe alloquitur Mæcenatem ſuum Balduinum, archiepiſcopum Cantuarienſem: quem & alibi ſic compellat:

*In numerum jam creſcit honor, te tertia poſcit*
*Inſula, jam meminit Wigornia, Cantia diſcit,*
*Romanus meditatur apex, & naufraga Petri*
*Ductorem in mediis exſpectat cymba procellis.*

Ubi Balduino optat atque ominatur ſummi pontificis dignitatem. Meminit Joſephi hujus & Guilielmus Faſtregicus libro de rerum originibus. Joannes Piſeus, opere de ſcriptoribus Angliæ, refert, favore & gratiâ Balduini, cujus antè meminimus, tandem factum eſſe archiepiſcopum Burdigalenſem. Quod unde hauſerit, neſcio. Nihil quidem de eo Lelandus, aut Balæus. Planeque erroneum cenſeo. Sanè apud Gabrielem Lurbeum, in Chronico rerum Burdigalenſium, lego, anno quidem CIↃCLXXXI, Eliam quendam fuiſſe archiepiſcopum; Guilielmum autem

tem anno cIↄ cc xxiv: de Joſepho hoc ibi ne γρῦ quidem; uti nec apud Democharem, in catalogo Burdigalenſium epiſcoporum, aut Joannem Chenu in hiſtoriâ epiſcoporum Galliæ. Et ſane quàm parum credibile eſt, tantum gratiâ apud Gallos valuiſſe Cantuarienſem præſulem, ut, ejus poſtulato, hominem Anglum facerent archiepiſcopum Burdigalenſem.

Tum quoque Colmannus Sapiens, Britannus, in pretio habebatur. Compoſuit Chronicon rerum geſtarum, catalogum regum Angliæ, dialogum de bellis Danicis. Item Angliam deſcripſit. Eſt hic inter præcipuos rerum Britannicarum auctores: ac crebrò ejus auctoritate ſe tuetur Joannes Hardingus in Chronicis, imprimis libro II.

His ſe ſocium addit ejuſdem temporis hiſtoricus Gervaſius Tilberienſis: qui Poſſevino minùs rectè *Tilgerienſis* dicitur; cùm oppidum, unde nomen traxit, vocetur Tilburia, vel Tilberia; quod in Anglia, in litore Thameſino, ſitum eſt. Henrici II, Anglorum regis, nepos, atque Arelatenſis ditionis mareſchallus fuit. Illuſtravit hiſtoriam Britannicam Galfridi Monemutenſis. Præterea condidit hiſtoriam terræ ſanctæ. Item ſcripſit originem Burgundionum, & mirabilia orbis: præterea Chronicon, cui titulus, de otiis imperialibus. Hoc dedicavit Othoni IV imperatori. Ac MSum reperitur Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Adhæc reliquit tripartitam Angliæ hiſtoriam, quam Balæus digeſſit in tres, ut vulgò vocant, columnas: atque inde *Tricolumnium* inſcripſit. Quo ex opere cognoſcere eſt, quis ſtatus Angliæ fuerit ſub Henrico, II ejus nominis Anglorum rege. Idem creditur auctor libri Nigri, ſive dialogi de Scaccario, de quo ambigere videtur Seldenus Notis ad Eadmerum *a*. a P. 216.

Rogerus Crolandienſis monachus, ac pòſt cœnobii Friſconienſis Prior, ſeptimus eorum fuiſſe dicitur, qui vitam ſignarint Thomæ, Cantuarienſis archiepiſcopi. Eam Henrico Crolandienſi dedicavit. Edidit hoc opus an. IV regis ſui Joannis: ſub quo claruit anno cIↄ cc xiv. Non toto ſeculo antè, ut vulgò apud Poſſevinum legitur.

Gervaſius Dorobernenſis, ſive Cantuarienſis, qui & Gervaſius de Melkelaya, monachus Benedictinus, ſub eodem rege floruit. Hiſtoriæ patriæ fuit intelligentiſſimus. Condidit hiſtoriam gentis Anglicæ; in qua Britannorum originem, item Saxonum, & Normannorum res geſtas perſecutus eſt. Vitas quoque deſcripſit Cantuarienſium Archiepiſcoporum, ab Auguſtino uſque ad Hubertum, σύγχρονον regis Joannis. Quod opus MSum adſervatur Cantabrigiæ in bibliotheca Collegii S. Benedicti. Ubi & *Mappa mundi* ab eodem auctore. Idem de Regionibus Britanniæ egit: item de ſedibus Pontificiis, & monaſteriis conſtructis: ut auctor eſt Balæus.

Temporibus iiſdem vivebat Gilbertus de Hoilandia, Anglus, priùs monachus Ciſtercienſis ſub B. Bernardo Claravallenſi, poſtea abbas Suinſetenſis in Lincolnienſi agro. Ab inſigni eruditione commendat eum Tritthemius. Multa ingenio, ac induſtriâ, peperit; quæ in catalogo ſuo Boſtonus Burienſis commemorat. Inter ea eſt vita B. Bernardi; ſub quo monachus fuerat, ut diximus. Eſtque idem Gilbertus, cujus XL ſermones in Cantica ſubjici commentariis Bernardi in eundem librum ſolent: nempe quia iſtic Gilbertus cœpit, ubi deſierat B. Bernardus.

Sub Richardo rege, ac Joanne, etiam claruit Guilielmus Litle, qui & *Parvus*, ſive Gallico cognomento *Petit*. Imò nec alius eſt Guilielmus Neubrigenſis, quomodo vocatus, quia Novoburgenſis monaſterii prope ſylvam Cuculinam canonicus, ac doctor Theologus, fuerit. Hic, præter alia, edolavit libros duos de regibus Anglorum: item hiſtoriam de geſtis Anglorum libris quinque. Qui MSSi ſuperſunt Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Th. James ait eos manu recentioris ſcriptos quibuſdam in locis eſſe reſtitutos & perfectos. At primus eos in lucem protulit Guilielmus Sylvius. Orditur ab anno cIↄ LXVI; quo Guilielmus, cognomento Nothus, dux Normanniæ, Haraldo, regi Anglorum, bellum intulit: hinc autem paucis omnia perſtringit, uſque ad annum cIↄ c xxxv, quo ſe natum fuiſſe ſcribit: inde verò fusè omnia perſequitur, uſque ad annum cIↄ c xcvII. Polydoro Virgilio *veridicus auctor* nuncupatur. At à Guilielmo Lelando non injuriâ reprehenditur, quòd modum non tenuerit in culpando Galfredo Monemutenſi. Nam etſi multa fabuloſa in eo ſint: tamen non tam multa, quàm ille videri vult. Nec ipſe effugere potuit Neubrigenſis, quin fabulas multas hiſtoriæ ſuæ infercirct. Interea diſſimulare non poſſumus, longè majori judicio, ac delectu, in ſcribenda hiſtoria Neubrigenſem uſum eſſe, quàm Galfredum.

Sub eodem Joanne non parùm gloriæ conſecutus fuit Radulphus de Diceto: qui in codd. Thomæ Walſinghami *a*, ſed perperàm, *Radulphus de Luceto*; nonnullis etiam *Richardus Dicetenſis* vocatur. Fuit Londinenſis ecclesiæ ad ædem Pauli decanus. Præclareque omnino de hiſtoria meritus eſt. Tranſmiſit poſteritati opus de temporibus mundi, chronica, hiſtoriarum imagines, continuationes Roberti de Monte, abbreviationes Chronicorum, librum de præclaris ſcriptoribus, alium de adventu Saxonum, geſta Normannorum, origines Hibernorum, & Scotorum, volumen de regibus Anglorum, item de mirabilibus Angliæ, aliaque. Hujus etiam opera ex bibliothecis perquiri juſſit Eduardus primus, rex Angliæ; cùm certamen ei foret de titulo regni Scotici. Meminere ejus quoque, Jac. Baconthorpius in prologo IV Sentent. quæſt. XII, Ranulphus Higdenus lib. VII. cap. XXXIX, atque alii. Plurimas Eadmeri paginas expilaſſe, obſervatum Seldeno præfatione in Eadmerum. Cæterùm in Collegio S. Benedicti apud Cantabrigienſes habes annales Stephani archiepiſcopi: quorum initium, *Res geſta*. His, ut Th. James monuit, adſcriptum illud veteri manu: *Liber de Dorobernenſibus Archiepiſcopis directus à Radulpho de Diceto Londonienſis Eccleſiæ decano*.

a Adam. 1292.

Joannes de Forda, vel *Fordeham*, vel *Fordon*, Britannus, Fordenſis cœnobii abbas Joanni regi ab auriculari confeſſione erat, anno cIↄ cc x: præter alia ſcripſit vitam Wolfrici presbyteri. Item acta Joannis regis. Et Scoti chronicon, quod MSum ſupereſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Liber eſt à muribus mirè arroſus, magnâque ex parte abſumptus. Incipit, *Debitor ſum fateor*.

Jocelinus Brakelonde, Anglus, monachus Benedictinus cœnobii Burienſis, claruit anno cIↄ cc xIV. Elucubravit accuratum Chronicon monaſterii ſui Burienſis. Item librum compoſuit ſuper electione Hugonis. Et vitam Roberti martyris.

Joannes Graye, Nordovicenſis in Anglia epiſcopus, & regi Joanni percarus, ſcripſit hiſtoriarum ſive Chronicorum volumen. Obiit anno cIↄ cc xvI.

Adamus Barkingenſis, Britannus, vixit extremis temporibus Joannis regis, ac, præter alia, opere de ſerie ſex ætatum, memoriam ſui propagavit.

Extremis quoque regis ejus annis florebat Hugo Candidus, alias *Whyte*, Anglus ordinis Benedictini in monaſterio ſuo Petroburgenſi. Scripſit hiſtoriam Petroburgenſem: in qua de monaſterii ſui origine, variâque fortunâ, accuratè tractat. Sanè luculentus rerum geſtarum ſcriptor vocatur à Jo. Lelando: deque primitiva Merciorum eccleſia quædam adfert Bedæ ipſi indicta.

Imprimis etiam temporibus Joannis regis, & aliquot annis pòſt, claruit Stephanus Langtonus, Anglus. Qui primùm gymnaſii Pariſienſis magiſter fuit in Theologia, & ſecularis canonicus ad ædem B. Mariæ: exinde à Papa Innocentio III creatus eſt presbyter cardinalis Tit. S. Chryſogoni; ac tandem in patria archiepiſcopus factus Cantuarienſis: quâ in dignitate admodum ſenex obiit anno ſalutis cIↄ cc xxvIII, nono regis Henrici III anno, epiſcopatus ſui xxI: ut eſt apud Polydorum Virgilium Hiſtor. Anglic. lib. xvI. Sæpius ejus meminit Thomas Waldenſis in Doctrinali. Quo nomine Joanni, Angliæ regi, fuerit inviſus: docebit ibidem Polydorus Hiſtoriæ ſuæ lib. xv. Longè plurima ingenio, ac ſtudio, peperit: interque ea librum de factis Muhammedi: alterum item de vita regis Richardi, uti & de tranſlatione ejus. Manu exara-

exaratus is Romæ adſervatur in bibliotheca Vaticana, num. ɔcc xxii. Adhæc annales elaboravit archiepiſcoporum Cantuarienſium; qui MSSi ſuperſunt Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Ibidem MSSi repeꝛiuntur libri ejus quinque de Thomæ Cantuarienſis (quem in ſanctorum numerum relatum fuiſſe, non ſemel diximus) vitâ, paſſione, ac tranſlatione; quam Langtonus ipſe ingenti cum pompâ procurârat.

Tum quoque lucis fruebatur uſurâ Alanus Anglus, Teukesburienſis monaſterii, ad confluentiam Avonæ & Sabrinæ ſiti, abbas. Qui, cùm Cantuariæ ædituus foret fani ejus, quod Servatoris dicitur; familiaris valde erat memorato antè Thomæ Becketo, Archiepiſcopo Cantuarienſi. Unde & pro eo, ſuaſu Stephani Langtoni, edidit Acta Clarendonenſia; ac commentarios de exilio, & vita hujus Thomæ. Opus id tribus libris conſtat, ac manuſcriptum ſupereſt in bibliothecâ Vaticanâ, Baronio teſte in xii Annal. ad annum cɔcclxii. Alia etiam compluria edidit: quorum aliqua MSSa exſtant, partim Cantabrigiæ in bibliotheca S. Benedicti: partim Lovanii in bibliotheca Joannis Fenni, Angli.

## Cap. LVII.

Conradi Scheurenſis, *philoſophi*, *Chronicon*. Lambertus Leodienſis *de vita Hereberti archiepiſcopi*. Anonymus de vita S. Guilelmi Roſchildenſis: *ac de ejus ætate error quorundam*. Hugo Floreffienſis *de S. Jueta*. Vincentius Cadlucus. Honorii Auguſtodunenſis *Summa hiſtoriarum*, *deque luminaribus Eccleſiæ liber*. Henricus, comes à Calwe. Conradi Scyrenſis *hiſtoria Spirenſis*. Eckerhardus, decanus S. Galli, *de vita S. Notkeri Balbuli*. Jordanus Saxo *de origine ordinis Prædicatorum: atque obitus ſcriptoris*. Gillo Gallus *de vita Hugonis Cluniacenſis*. Cæſarius Heiſterbacenſis *de vita S. Engelberti*, *atque ejuſdem libri* xii *de illuſtribus miraculis*, & *quando hoc opus ſignârit*. Rigoldi Galli *annales de geſtis Philippi Auguſti*. Ludolphus Bebenbergius. Oldonius *de vita Rodoſindi*. Conradi à Lichtenau, *abbatis Urſpergenſis*, *chronicon*, *deque eo judicium*. Thomas Cellanus *de S. Franciſci vita*, & *miraculis*. Joannes Gallus *de vita S. Vulfranni*. Jacobus Fornerius *de vita S. Joannis Gualteri*. Blaſius Melaneſius *de eodem*. *Item* Hieronymus Florentinus *de miraculis ejuſdem*. *Vita S. Ludovici regis*, *auctore* Gaufredo de Bello Loco. Anonymus de vita S. Hermanni, *ſive Joſephi Præmonſtratenſis*. Albertus Patavinus *de vita Beatricis Ateſtinæ*, & *Aldegundis*. *Anonymus de vita S. Antonii Ulyſſiponenſis*. *Variorum judicium de hiſtoria* Roderici Ximenes, *Toletani archiepiſcopi*; *quis primus eam ediderit*; & *quæ præterea ſcripſerit*. *Conradus à Marburg de vita S. Eliſabeth Ungaræ*. *Lucæ Tudenſis Chronicon quale*. *Annales Godefridi*, *monachi Colonienſis*. *Jacobi de Vitriaco hiſtoria Orientalis*, & *vita S. Mariæ Oegniacenſis*. *Guilielmi Galli hiſtoria tripartita*. *Bartholomæi Brixiani Chronicon de urbibus Italiæ*. *Godefridus Calvus de vita S. Guilelmi Briocenſis*. *Guilielmus Turnonenſis de vita S. Eleutherii*, & *Chronicon ejuſdem*.

Deventum nunc ad annos Frederici ii Imperatoris; qui, Ottone iv defuncto, ſolus imperii habenas tenuit, anno cɔccxviii; atque imperavit uſque ad annum cɔccxlv.

Primis Imperatoris hujus temporibus fuit Conradus philoſophus, primarius monachus in Scheurn. Condidit Chronicon, cujus αὐτόγραφον in Scheurn ſervatur. Ubi & multa alia ejus manu deſcripta. Tantæ enim induſtriæ fuit, ut pluſquam quinquaginta ingentia deſcriberet volumina: quemadmodum de eo teſtis eſt Joannes Aventinus: qui & Chronico ejus, ut ipſe profitetur, adjutus eſt, cùm ultimum conderet annalium ſuorum librum.

Ad hæc quoque tempora ab Arnoldo Wyon, in Ligno Vitæ, Franciſco Sweertio in Athenis Belgicis, & aliis, refertur Lambertus Leodienſis, monachus ordinis Benedictini in cœnobio S. Laurentii Tuitienſi, congregationis Cluniacenſis: quem aliqui prope ſeculo antiquiorem; alii, pluſquam duobus ſeculis, recentiorem eſſe, arbitrantur. Sed omnino hujus loci eſt, ſi vixit ſub Werimbaldo, iii abbate, ut Valerius Andreas in bibliotheca Belgicâ refert. Sed multùm metuo, ne & iſti, & cum illis Arnoldus Wion aberret. Nam Tritthemius, tum in viris illuſtribus, tum in Chronico Hirſaugienſi, refert eum ad annum cɔlx: & auditorem fuiſſe ait Adelmi grammatici, epiſcopi Brixienſis. Facilè hanc controverſiam decident, qui integram Brixienſium epiſcoporum ſeriem habent: imprimis Brixienſes ipſi: quos inter non poſſum non honoris causſâ nominare doctiſſimum, & alibi etiam memoratum hoc opere, Octavium Rubeum. Nobis verò cùm iſta ſcriberemus, neſcio quo infortunio, ſolùm de hoc argumento Demochares ad manum erat. Apud eum autem fragmentum tantùm de epiſcopis Brixienſibus invenimus: idque ab anno ccclxxx, uſque ad annum ɔccc xxxviii. Redeo ad Lambertum. Hic poſt Rupertum, abbatem Tuitienſem, ſcripſit vitam Hereberti, archiepiſcopi Colonienſis: qui terris exceſſit anno cɔxxi. Hymnos etiam, & epigrammata, ingenii ſui monumentum, idem Lambertus reliquit.

Iiſdem temporibus vixit is, qui vitam tradidit præceptoris ſui, S. Wilhelmi, priùs canonici ſecularis, hinc canonici regularis S. Genovefæ Pariſ. ac tandem Roſchildenſis in Dania abbatis: qui anno obiit cɔcc ii, viii Id. April. ut in ejus vita legere eſt. Vita ea integrè ſupereſt MSa in Rubeâ valle. Sed Surius in Sanctorum hiſtoriâ redegit in epitomen. Exſtat ea apud Surium Tom. ii, ad vi April. At, vel Poſſevini, vel librarii, ſpiſſus eſt error; quando in Apparatu ſacro ſcriptorem hunc refert ad annum cɔc. Nam quomodo tum vitam prodiderit Guilielmi abbatis, cùm abbas ille toto pòſt ſeculo demum deceſſerit? Et ſanè, ut hoc neſciremus, eà in vitâ mentio fit Papæ Eugenii tertii; uti & Garini, abbatis S. Genovefæ, qui Odonis, primi abbatis ab Eugenio iii conſtituti, ſucceſſor fuit; item Saxonis Grammatici, & aliorum, quos recentiores eſſe, ſatis conſtat.

Hugo Floreffienſis, canonicus ordinis non Benedictini, ut putabat Arnoldus Wion, eumque ſequutus Poſſevinus: ſed Præmonſtratenſis, ut ſcribunt Valerius Andreas, Franciſcus Sweertius, & Ioan. Bollandus, floruit temporibus Frederici ſecundi. Scripſit vitam S. Iuittæ, viduæ & recluſæ apud Hoyum in Leodicenſi territorio, quæ obiit anno cɔccxxii. Supereſt ea vita MSa Leodii: à Ioanne Bollando edita eſt in vitis Sanctorum. Hugo verò Iuittæ, cujus vitam ſcripſit, non σύγχρονος ſolùm fuit, ſed & familiaris, quemadmodum ipſe non uno loco indicat.

Vincentius Cadlubcus priùs fuit præpoſitus Sendomirienſis: ac Epiſcopus Cracovienſis factus eſt anno cɔccvi, atque anno obiit cɔccxxvi. De eo hunc in modum refert Ioannes Herbuitus de Fulſtin, regni Polonici Senator lib. vi. hiſtoriæ Polonicæ cap. v. *Annus quo hæc acta ſunt fuit poſt Chriſtum natum* cɔccvi. *Inſequenti verò anno Fulco, ſeu Pelca, epiſcopus Cracovienſis vita exceſſit: cui Magiſter Vincentius Cadlubcus, vir pius, & eo tempore doctus, qui primus Polonorum hiſtoriam conſcripſit, ſucceſſit*. De eodem ſic ſcribit cap. viii: *Vincentius Cracovienſis Epiſcopus, cùm multa Cracovienſi baſilica contuliſſet, ultrò epiſcopatu ſe abdicavit, ne quidquam adverſante principe, ac diſſuadente collegio ſacerdotum: & in Andreovienſi monaſterio reliquos quinque vitæ annos religioſè exegit, cùm decem annos epiſcopus fuiſſet*. De hiſtoriâ ejus ſic idem indicat in præfatione operis ſui: *Primus quod ego ſciam, Vincentius Cadlubcus rudi ac impolito ſtylo res Polonorum adnotavit veriùs, quàm deſcripſit*.

Honorius Auguſtodunenſis, qui Tritthemio presbyter, aliis verò monachus, & abbas dicitur, gloriam ſibi, & publico

blico fructum, quæſivit volumine, quod Summa hiſtoriarum, vel magnum Chronicorum opus, nuncupatur. Nec prætereundus eſt liber ejus de luminaribus Eccleſiæ: quo illa, quæ priores hoc de argumento tradidiſſent, in epitomen redegit, & præterea ſcriptores aliquot adjecit. Vixit anno cIↃ CC XX.

Henricus, comes à Kalwe, abbas Augiæ divitis, quæ vocatur *Reichaw*, claruit anno cIↃ CC XX; ac vitam reliquit S. Pirminii, primi Augienſis abbatis, poſteaque Meldenſis epiſcopi: ut teſtantur Eiſingrinius, & Arnoldus Wion.

Eodem tempore, & famam ſcribendo extendere, & bene de ordine ſuo mereri, ſtudebat Conradus, Germanus, Prior cœnobii Scyrenſis in Bavaria, congregationis Cluniacenſis. Qui, inter alia, Scyrenſem hiſtoriam, ac res geſtas omnium monaſterii ſui abbatum, poſteris tranſmiſit. Multùm autem metuo *a*, ne hic idem ſit, ac Conradus monachus in Scheurn; de quo initio capitis dictum nobis.

a *Imò planè ita non ſtatuo.*

Item tum fuit Eckerhardus, decanus S. Galli, auctor libri de vita B. Notkeri, cognomine Balbuli: qui exſtat apud Caniſium Tom. VI. Ant. Lect. Ætatem arguunt hæc verba cap. XVIII: *Bene hic ponendum eſt, quod* NOSTRIS *temporibus evenit. Venerabilis abbas S. Galli, Udalricus piæ memoriæ, hujus nominis ſextus, in legatione regis Friderici II, poſtea Cæſaris, venit Romam ad Innocentium Papam III miſſus*, &c. Cenſeo, & eundem eſſe Eckerhardum, qui vitam S. Galli à Ratperto ſcriptam ex Germanica lingua Latinè tranſtulit. Ea in vetuſto codice ſupereſt in monaſterio S. Galli.

Anno Chriſti cIↃ CC XXI B. Dominico ſucceſſit Jordanus, Saxo, Theologus Pariſienſis, qui librum fecit de origine ordinis ſui. De hoc ſic Theodoricus Appoldienſis in præfatione octo librorum de Dominici vita: *Sciendum, quod venerabilis pater noſter, beatus Jordanus, ſecundus noſtri ordinis magiſter, ſucceſſor S. Dominici digniſſimus, libellum de initio ordinis compoſuit; in quo primorum patrum, & fratrum ſanctorum geſta glorioſa, & mirabilia opera, conſcripſit; ne in oblivionem venirent patres tam excellentes, eorumque exempla tam eximia ſanctitatis. De quo libello prima ſancti Dominici legenda conſcripta eſt.* Prodiit is liber Romæ anno cIↃ IↃ LXXXVII, cum notis M. Antonii Maſſari Salernitani. Jordanus hic, Hieroſolyma tendens, naufragio cum duobus ſociis, multiſque aliis, periit anno Chriſti cIↃ CC XXXVI. Vitam ejus ſignavit Albertus Leander, quam apud Surium habes Tom. VII, a. d. XIII Febr. Vide & de eo Jacobum Bergomatem in ſupplemento Chronicorum lib. XIII, ad annum cIↃ CC XL, Raphaëlem Volaterranum lib. XXI, & Ferdinandum, Ord. Prædic. Centuria I.

Circa annum cIↃ CC XXII Gilo Gallus, monachus Cluniacenſis, poſtulato abbatis ſui Pontii, in literas miſit vitam S. Hugonis, abbatis Cluniacenſis: quam MSam ſupereſſe, auctor eſt Arnoldus Wion in Ligno vitæ.

Iiſdem temporibus Cæſarius Heiſterbacenſis Ordinis Ciſtercienſis, ac dein Prior Villarienſis monaſterii in Brabantia, inter alia ſcripſit de vita S. Engelberti, Archiepiſcopi Colonienſis, libros tres; qui apud Surium exſtant Tom. VI. de vitis Sanctorum, die VII Nov. Dicavit eos Henrico Archiepiſcopo, S. Engelberti ſucceſſori. Obiit verò Engelbertus anno cIↃ CC XXV. Præcipuè autem nomen conſecutus eſt Cæſarius XII libris illuſtrium miraculorum, & hiſtoriarum mirabilium: in quibus ſiqua aliter retulerit, quàm geſta ſint, iis eſſe imputandum ait, à quibus iſta accepit. Quando opus hoc condiderit, clarè aperit lib. X. cap. XLVIII, ubi ait: *In anno præſenti, qui eſt milleſimus ducenteſimus vigeſimus ſecundus ab incarnatione Domini, duæ civitates in Cypro terræmotu corruerunt.* Volumen hoc deſignat Tritthemius, cùm ait, feciſſe opus prolixum de miraculis, & viſionibus diverſis ſuo tempore in Germania factis; quod ad imitationem S. Gregorii Papæ prænotârit.

Etiam tum floruit Rigoldus Gallus. Nam phyſicus fuit Philippi Auguſti, Galliarum regis: ac temporibus filii ejus Ludovici, compoſuit annales, quibus Philippi Auguſti geſta eſt complexus. At Ludovicus patri ſucceſſit an. cIↃ CC XXIV, ac triennium regnavit. Atque huic Ludovico opus ſuum dicavit Rigoldus. Prodiit illud in Germania *a*, ex bibliothecâ Petri Pithœi. Ubi auctor ejus operis dicitur *Rigordus, Chronographus regius.* Meiero ad annum cIↃ C LXXX vocatur *Rigotus, clericus D. Dionyſii Pariſienſis.* Inibi addit, annales ejus in compendium fuiſſe redactos à Guilielmo, Aremorico presbytero.

a *Francof. an.* 1596.

Ludolphus Bebenbergius, qui nonnullis Lupoldus, Juris utriuſque profeſſor, ab Eiſingrinio traditur vixiſſe circa annum cIↃ CC XXV. Hujus ad Rudolphum, Saxoniæ ducem, libellus editus eſt Lutetiæ apud Foucherium anno cIↃ IↃ XL: quo conſtantem, ut ſcribunt, veterum Germaniæ principum, ac regum Galliæ in amplificandis religionis Chriſtianæ finibus induſtriam comprobat. Sed nondum in manus meas pervênit. Atque hæc cùm aliquot antè dies ſcripſiſſem, ecce, inviſens clariſſimum & amiciſſimum collegam, Joannem Polyandrum, primarium Lugdunenſis Academiæ Theologum, incidi fortè apud eum in Scriptores de poteſtate Imperiali ac Eccleſiaſticâ; quos uno volumine *b* complexus erat Simon Schardius J.C. In his verò offendi etiam Ludolphi Babenpergii librum antè memoratum: uti & alterum ejuſdem de jure regni & imperii. Quos avidè poſtea per otium voravi. Quanquam autem interdum in hiſtoriâ peccet, (imprimis iis, quæ ex Euſebii, ut videri vult, Chronicis de Francorum origine depromit *c*) tamen reperi non pauca, quæ lucis aliquid afferrent controverſiæ de poteſtate imperiali. Dubitat Simlerus in bibliothecâ, utrùm opuſculum illud de jure regni idem ſit ei, quod agit de zelo veterum Germanorum. Nempe nondum eos libellos viderat. Porrò quod ad illum de zelo Germanorum, eum è Spirenſi bibliotheca primus eruit Marcus, Cardinalis Romanus, ac patriarcha Aquileienſis: poſtea, anno nempe cIↃ CCCC XCVII, à Jacobo Berchmanno de Olpe Baſileæ editus eſt, ac à Jacobo Wimphelingo dicatus Frederico Camerario de Dalburge, equiti aurato. Quæ tam minuta non adderem, niſi viderem, poſteriores editiones iſta præterire; atque ita quodammodo perire iis inventi gloriam, qui primi è tenebris in lucem protulerunt.

b. *Baſileæ apud Oper.* 1566.

c *Cap.* 1. *lib. de jure regum & imp. Rom.*

Anno cIↃ CC XXVII vixit Oldonius, monachus Hiſpanus, ac Prior monaſterii Cellæ novæ, Congregationis Cluniacenſis. Hic tum rationale divinorum Officiorum, tum vitam Rodoſindi epiſcopi, & monachi, exaravit. Utrumque opus in Hiſpania exſtare MSum, teſtis eſt Ambroſius Morales. Ætatem arguunt hi verſiculi, Rationali præmiſſi:

*Oldonius librum per Chriſtum conficit iſtum,*
*Bis denis annis ſeptem ſupra mille ducentis.*

Ad hæc tempora etiam pertinet Conradus à Lichtenaw, vir nobilis, IX Abbas Urſpergenſis, ordinis Præmonſtratenſis ad Mindulam in Auguſtana diœceſi, ſive ab Averſpergen, ut in Auſtriâ ſuâ ſæpius appellat Cuſpinianus. Hic gloriam invenit Chronico ſuo; quod exorditur à Belo, primo Aſſyriorum rege: deſinit in anno nono Frederici II Imperatoris, hoc eſt anno Chriſti cIↃ CC XXIX. Eſt vero cento ex variis conſarcinatus: imò videtur abbas Conradus Chronicon jam ante ex variis collectum expilaſſe, & quædam in parte extremâ de ſuis temporibus addidiſſe. Sed illud mirari ſatis non poſſum, quòd, ubi prior aliquis in primâ loquitur perſonâ, non converterit in perſonam addito ejus nomine qui iſta ſcripſiſſet. Ut cum auctor anno cIↃ XCIX ait ſe interfuiſſe expeditioni Godefridi Bullionis in Palæſtinâ. Item anno cIↃ CII ſe ait fuiſſe Romæ, cum Paſchalis II excommunicabat Henricum V. Anno item cIↃ CVI de cometa ait à ſe viſo. Similiaque habes anno ejus ſæculi XVII, & XXV. Hæc ſanè immutare debuerat Abbas: cum de ſe ſcribere hæc non potuerit, qui ſeculo pòſt floruerit. Ut qui ſcribat ſe anno cIↃ CC II presbyterum factum: triennio vel quinquennio poſt religionem ingreſſum: anno autem cIↃ CC XV fuiſſe abbatem Urſpergenſem. Ubique de ſe in primâ loquitur perſona, Ego accepi, Ego veni, &c. Quid quod poſt mortem etiam

Con-

Conradi abbatis aliqua videntur inſerta ab ejus amico. Ut ad ann. cIↄ c xcviii. ubi de morte agens Henrici filii Frederici Barbaroſſæ; ſic ſcribit: *Audivi ego id ipſum à P. Conrado, qui poſtmodo fuit abbas Pramonſtratenſis, & tunc in ſeculari habitu conſtitutus in camerâ imperatoris exiſtit familiariſſimus.* Ubi non alius intelligi poteſt, quàm Conradus abbas Urſpergenſis, cùm Urſperga ſit monaſterium ordinis Præmonſtratenſis. Utcunque iſta ſint, eſt opus non aſpernandum. In rebus quidem Aſſyriis, Perſicis, Græcis, Romaniſque, fontes ipſos adire multò ſatius ſit. Sed in rebus Germanicis ſui ævi, & ſeculorum, quæ proximè antecedunt, habèt, quæ magno cum fructu legantur. Præterea libris xii complexus eſt vitas Sanctorum: ut ipſe refert initio Chronici ſui. Hic cùm monaſterio, quod inſtaurârat, & egregiâ ornârat bibliothecâ, annis xiv præfuiſſet; vivere deſiit anno cIↄ cc xl.

Tum quoque erat Thomas de Cellano Ord. Min. Provinciæ Pendenſis. Hic libellum reliquit de vita & miraculis S. Franciſci: quem Gregorius IX, Pont. Max. approbavit. Hanc vitam imitatus poſtea eſt Thomas de Ceperano, Notarius pontificis Romani: qui vitam S. Franciſci ſcripſit juſſu Creſcentii Æſini, Gener. Ord. ſui.

Anno cIↄ cc xxx Joannes Gallus, monachus, & abbas Fontanellæ erat. Memoriam hic ſui reliquit tradendo poſteris vitam S. Vulframni, Archiepiſcopi Senonenſis; quæ exſtat apud Surium T. ii d. xx Mart.

S. Sibrandus, Friſius abbas Horti Mariæ (qui Friſiis Mariegarde) ordinis Præmonſtratenſis, eodem an. cIↄ cc xxx abbas factus eſt loci memorati, ac octennio poſt deceſſit. Inter alia reliquit vitam S. Siardi, quincti abbatis loci ejuſdem. Item vitam S. Frederici Præmonſtratenſis, paſtoris primi in pago Hallemo, ac conditoris, primique abbatis Horti Mariæ. At Sibrandus, à ſe juvenem viſum, cui Fredericus, dum viveret, vitam conſervaſſet. Obierat autem S. Fredericus anno cIↄ c lxxv: annis xlv, priuſquam Sibrandus fieret abbas.

Jacobus Fornerius, ſeu Furnius, Toloſanus, doctor Theologus, priùs abbas erat Montis Frigidi Ord. Ciſtercienſis; poſtea Avenione ab avunculo ſuo Joanne xxii, Cardinalis factus fuit Sanctæ Priſcæ; atque an. cIↄ cc xxxiv creatus eſt Pontifex Romanus, vocatuſque Benedictus XII, qui aliis Benedictus X, vel XI. Varia elucubravit, quæ in Chronico Ciſtercienſi referuntur. Cæterùm à Poſſevino eidem tribuitur vita S. Joannis Gualberti; qui an. cIↄ xl claruit, ac ordinem Vallis Umbroſæ primus inſtituit. Sed conſtat, hujus Gualberti vitam quoque ſcriptam fuiſſe à Blaſio Melaneſio, qui generalis fuit Ordinis Vallis Umbroſæ. Præterea Hieronymus Florentinus, ejuſdem Ordinis monachus, miracula Gualberti literis mandavit. Vitam Gualberti apud Surium habemus T. iv. a. d. xii Jul. Sed nomen auctoris in MSo deſiderabatur. Quare, utrùm Fornerii, an Blaſii ſit, haut facilè dixerim. Sed magis eò inclinat animus, ut monachi Vallis Umbroſæ minùs ſiverint perire vitam fundatoris ſui ordinis, à monacho ſcriptam ejuſce loci, quàm ab abbate Montis Frigidi.

Gaufredus de Bello Loco, confeſſarius S. Ludovici, Francorum regis (qui patri Ludovico, ut antè dixi, ſucceſſit anno cIↄ cc xxvii) mandavit literis regis hujus vitam. Ex ea, judicio Surii, excerpta eſt illa, quam exhibet ipſe Tom. iv ad xxv Aug.

Circa annum cIↄ cc xxx obiit B. Hermannus, ordinis Præmonſtratenſis; qui & appellatus eſt Joſeph. Hujus vitam. (quæ apud Surium exſtat, Tom. vii. a. d. vii April.) ab æquali ſcriptam eſſe, ex iſtis verbis liquet: *Coram tuis enim oculis, hoc non timeo proteſtari, qui es teſtis in cælo fidelis, me ex propoſito nihil fictum deſcribere: ſed ea, quæ à ſuis familiariſſimis, vel ab ejus ore, cognovi,* &c.

Albertus, monachus Patavinus, & prior Montis Vinearum Patavii, congregationis Cluniacenſis, anno floruit cIↄ cc xxx. ac vitam compoſuit B. Beatricis Ateſtinæ, & S. Algundis ſacrarum virginum: item vitam S. Amandi.

Iiſdem temporibus anonymus conſignavit vitam S. Gerlaci, quam in compendium redegit Guilielmus Cripius, filius Guilielmi Cripii, Geldriæ Cancellarii. Prodiit ea epitome Coloniæ an. cIↄ Iↄc vii.

Tum etiam vixit ille, qui vitam exaravit S. Antonii Ulyſſiponenſis, Minoritæ, vulgò nuncupati à Padua: quam habes apud Surium Tom. iii, Jun. xiii. De ætate, quod ajebam, adſtruunt verba iſta: *Tantâ autem ſe inediâ maceravit, ut, quemadmodum teſtantur ii, qui id viderunt, ſeipſum interdum ſuſtentare non poſſet.* Accepit igitur iſta ab iis, qui S. Antonium vidiſſent. At defunctus ille an. cIↄ cc xxxi.

Anno cIↄ cc viii Rodericus Ximenes, Navarrus, factus eſt archiepiſcopus Toletanus. Obiit autem an. cIↄ cc xlv. Multum gloriæ comparavit libris ix de rebus Hiſpaniæ; quas exorditur ab Herculis in eas terras adventu; ac perducit uſque ad tempora Ferdinandi III. Id brevi, ſed ſuavi eloquio facere, ſententia eſt Roderici Sanctii, epiſcopi Palentini. Joannes, Gerundenſis epiſcopus, ſic cenſet *a*, in rebus Hiſpanicis laudabiles eſſe, Trogum Pompejum, Oroſium, & Iſidorum Hiſpalenſem: tolerabilem, Rodericum Toletanum: cæteros ſomnia contexere.

a *Initio* παραλειπ.

Juſtus Lipſius, notis in Politicorum libros *b*, ait *eſſe bonum, quantum potuit in tali ævo.* Præclarum quoque de eo judicium eſt Joannis Marianæ: quem vide Hiſtoriæ de rebus Hiſpaniæ lib. xi cap. xxi, & lib. xxiii cap. v. Nobilis hic auctor, MSi codicis culpâ, multis mendis obſitus in lucem primùm datus fuit à Xantho, Antonii Nebriſſenſis filio. Vide Vaſæum in Chr. Hiſp. cap. ii. Ac imprimis illuſtris apud eum locus eſt cap. iv: ubi & alia ejus monumenta commemorat. Verba ejus ſunt: *Rodericus Ximenes Navarrus, Archiepiſcopus Toletanus, res in Hiſpania geſtas novem libris complexus eſt. Quibus ſubjunxit Oſtrogothorum, Suevorum, & Alanorum, ac Vandalorum compendioſam hiſtoriam. Quod opus Xanthus Nebriſſenſis, vir, ut apparet, eruditiſſimus, & patris doctiſſimi ſtudium in juvandis ſtudiis referens, in lucem edidit: ſed, vel exemplarium penuriâ, vel temporum injuriâ, mirè vitiatum. Et tamen qualecunque dedit, non minimam meretur induſtriæ laudem, qui, quod potuit, in publicam utilitatem depromſit. Eos libros ſi quis exemplarium collatione mendis expurgatos, atque emaculatos, evulgaret; non adeò aſpernandum haberet Hiſpania rerum ſuarum monumentum, tantiſper dum alius delicatiore Minervâ provinciam eam aggrediatur. Scripſit præterea Rodericus iſte hiſtoriam Arabum, ab exordio & origine Mahometis: quam ex bibliotheca reverendiſſimi Cardinalis, & ſereniſſimi principis ac domini mei, D. Henrici, ſum conſecutus.* Hactenus Vaſæus, cujus votum implevit V. Cl. Andreas Schottus. Quippe contulit Rodericum cum Mſsis Eccleſiæ Toletanæ membranis: ac tum novem illos rerum Hiſpanicarum libros; tum cætera, quæ Vaſæus enumerat, opuſcula, multis partibus caſtigatiùs edidit. Habes ea Tomo ii ſcriptorum, qui Hiſpaniam illuſtrarunt. Rodericum hunc, ut idem Vaſæus annotavit, ſequitur in pleriſque auctor Chronici de Hiſpaniæ rebus Hiſpanicè ſcripti juſſu Alphonſi X, cognomento Sapientis, ejus, qui tabulis Alphonſinis locum illuſtrem meritus eſt in eruditorum choro.

b *In lib.* 1. *cap.* 9.

Magiſter Conradus à Martburg, ſive, ut in codd. aliis exaratum, *à Marbuch*, concionator fuit S. Eliſabeth, Andreæ, Hungariæ regis, filiæ, quæ an. obiit cIↄ cc xxxi. Viduæ hujus ſanctæ vitam, mortem, & miracula, idem Conradus poſteris tranſmiſit: atque opus hoc dicavit Gregorio Papæ. Meminit, præter cæteros, Theodericus Thuringius, præfatione libelli ſui de eâdem S. Eliſabeth: ubi & inter alios ſe Conradum hunc ſequi profitetur.

Lucas, Tudenſis epiſcopus, patriâ, ut videtur, Legionenſis, claruit an. cIↄ cc xxxv: quippe Papæ Gregorio IX. familiaris. Hic, præterquam quòd adverſus Albigenſes ediderit libros tres, (quos ſe Mſos in bibliotheca ſua habere ait Garzias de Loaiza, notis in Iſidori Chronicon: ac fortaſſe non alius is codex fuerit ab illo, quem à Mariana ac-

acceptum Schottus Gretzero tranſmiſit, qui primus divulgavit) præter, inquam, hoc opus etiam reliquit Chronicon ab origine mundi uſque ad Eram clɔ cc LXXIV. Primus illud Andr. Schottus divulgavit Tom. IV Hiſpaniæ illuſtratæ. Rationem eam iniit Tudenſis, ut multa in Iſidori Chronico mutaret, multa adderet, ac præterea illud ad ſua uſque tempora perduceret. Hoc antequam ejus aliquid lucem vidiſſet, jam à Franciſco Penna, Rotæ auditore, deſcriptum habuit Baronius, ut de ſe in Annalibus refert. Compoſuit chronicon hoc Tudenſis (ut in præfatione ipſe teſtatur) juſſu Berengariæ, Hiſpaniarum reginæ. Quo tempore & diaconum ſe fuiſſe, indicat ibidem. Opus eſt *pro ſuo ſeculo non pœnitendum: ſed vel temporum, vel ſcriptorum vitio, ita depravatum, ut non facilè queat à quovis intelligi*: prout de eo judicat Vaſæus in Chron. Hiſp. cap. IV. Sepultus eſt in urbe Tudenſi, idque (uti teſtamento juſſerat) juxta monumentum Petri Gonſalvi Dominicani; quem ſuperſtitem, & norat, & magno ſemper in pretio habuerat.

Tum quoque Godefridus, monachus ad S. Pantaleonem inter muros Coloniæ Agrippinæ, non indiligentem operam impendit concinnadis annalibus ab an. clɔ c LXII, uſque ad annum clɔ cc XXXVII; qui vigeſimus eſt Frederici II. Imp. Primus eos è tenebris in lucem produxit Marquardus Freherus *a*.

*a In Tomo ſcriptorum de rebus Germanic.*

Eodem imperante, nominis ſui famam longè diffudit Jacobus de Vitriago, Guilielmi Tyrii ſuffraganeus, epiſcopus Acconenſis, ſive, ut quidam ſcribunt, Achonenſis, poſteaque Eccleſiæ Rom. cardinalis, & epiſcopus Tuſculanus, ac Papæ in Imperio, Galliis, & Terra ſancta, legatus. Præter homiliarum grande volumen, quod ex Antverpienſi bibliotheca, curâ Damiani à Ligno, erutum, & in eâdem urbe ante annos L excuſum fuit: etiam condidit hiſtoriam Orientalem, ſive Hieroſolymitanam: cujus MSum exemplar Oxonii in bibliothecâ Collegii Mertonenſis. Eo de opere ſic Henricus Gandavenſis c. XXXVII: *Jacobus de Vitrejo, Epiſcopus Anconitanus, ſcripſit hiſtoriam, quam vocavit Orientalem; in quâ multa expreſſit de rebus ibi geſtis, ex quo Occidentales loca illa primò armis vindicare cœperunt.* Meminit & Antoninus part. III Tit. XXIV. cap. VII. §. I. Nec res ſolùm Hieroſolymitanas, vel Orientales; ſed Occidentales etiam tradidit. Tripartitam enim hiſtoriam contexuit: quod ut meliùs intelligatur, auctoris ipſius verba referam ex præfatione ejus, quæ eſt apud Caniſium Tom. VI Antiq. Lect. *Pro tribus igitur minutis, præſens opus tribus concluſi libellis. In primo libro, hiſtoriam Hieroſolymitanam breviter perſtringendo, de his, quæ in partibus Orientis Dominus operatus eſt, diſſerui, deſcribens diverſa inhabitantium genera: civitates etiam, & alia loca, de quibus frequentius in divinis ſcripturis mentionem fieri reperio: diverſas etiam rerum proprietates, ac naturas. In ſecundo libro, modernam Occidentalium hiſtoriam ſub compendio pertranſiens, de his, quæ Dominus in partibus Occidentis diebus iſtis noviſſimis operatus eſt, & præcipuè de diverſis, tam regularium, quàm ſecularium, Ordinibus, pertractavi: de ordine, & religione, cruce ſignatorum, utilitateque peregrinationis, in fine pleniùs ediſſerens. In tertio libro, ab Occidente in Orientem regrediens, de his, quæ poſt generale concilium Lateranenſe Dominus in populo ſuo, & in exercitu Chriſtianorum, uſque ad captionem Damiatæ operari dignatus eſt, ſicut propriis oculis vidi, tractare cœpi.* Sed ex tribus hiſce libris duo tantùm ſuperſunt: Imò ne in Mſsis quidem tertium reperiri arbitror. Nam qui tertius creditur, alterius eſſe videtur. Siquidem in eo Acconenſis epiſcopi, hoc eſt Vitriaci, mentio fit. Præterea, quæ hic de Saphadini libris, ac locis Terræ Sanctæ, dicuntur, ea exſtant Gallicè, atque auctorem præferunt patriarcham Hieroſolymitanum. Denique bona pars hujus libri legitur in epiſtolâ Oliveri Colonienſis. Sed enim dixerit aliquis. Vitriacum ſui meminiſſe, ut multi fecere ex antiquis: & per patriarcham Hieroſolymitanum ſignari fortaſſe eundem Vitriacum; quia ab Alphonſo Ciacconio proditum eſt, eum temporibus Gregorii IX. ex epiſcopo Acconenſi creatum fuiſſe patriarcham Hieroſolymitanum: ſed Pontificem Romanum, quòd ſatius exiſtimaret, ut in Italiam tevocatus operâ ſuâ Romanæ inſerviret Eccleſiæ, Canonicis in Oriente ejus loco Nannetenſem obtuliſſe epiſcopum. Quodque ad Oliverum attinet, fortaſſe is ſua potiùs ex Vitriaco exſcripſit. Sed hæc licet veriſimiliter dici poſſint: judicio tamen meo verior ſit ſententia prior. Interim ſentiat de eo quiſque, quod volet. Libri hi primum an. clɔ Iɔ XCVII prodiere Duaci, curâ Andreæ Hoii Brugenſis, Græcæ linguæ in Academiâ eâ profeſſoris. Poſtea Tomo primo Orientalis Hiſtoriæ, Vitriaci liber primus, tertiuſque (modò tertius ejuſdem eſt ſcriptoris) recuſi fuere Hanoviæ, an. clɔ Iɔ c XI: ſed è Mſsis codd. non paullò facti ſunt emendatiores. Secundus autem præteritus eſt, quia ad Orientalem hiſtoriam nihil pertineret: eoque ex Duacenſi hiſtoria peti jubetur. Incipit liber primus ab errore pſeudoprophetæ Muhammedis: inde progreditur ad Petri Eremitæ peregrinationem: ac deſinit in coronatione regis Joannis de Brenna; quæ incidit in annum clɔ cc X. Tertius autem liber terminatur in an. clɔ cc XVIII, quo obſeſſa, captaque eſt Damiata. Idem Vitriacus in literas miſit vitam Mariæ de Oignies: quam apud Surium quidem habes T. III d. XXIII Jun. ſed ſtylo nonnihil mutato. Meminit vitæ ejus, & inſimul auctoris, S. Antoninus Chronicorum Tit. XIX. cap. XII. ubi & ſummatim vitam Mariæ hujus ex Jacobo de Vitriaco reperies. Jacobus Bergomas in Suppl. & Tritthemius in catal. auctores ſunt, etiam opus reliquiſſe de ſanctis mulieribus Leodienſibus. Legas de Vitriaco hæc in Chronicis Brabantiæ: *Fuit venerabilis magiſter, Jacobus de Vitriaco, qui ante fuerat in villa, prope Lutetiam Pariſiorum, Argentolio presbyter creatus. Hic, auditâ celebritate famæ virginis devotiſſimæ, Mariæ de Oignies, progenitæ ex civitate Nivella, valedictis ſtudiis Theologicis, ad ipſam acceſſit. Quæ illum benignè excepit, ſummiſque ab eo precibus obtinuit, ut fratribus ibidem religioſè viventibus commanere ac cohabitare non detrectaret. Quo facto, ſeculoque abnegato, in monaſterio Oigniacenſi factus eſt Canonicus regularis. Cujus itidem parochiæ cura cùm ei commiſſa eſſet: eidem Mariæ in eâdem parochiâ converſanti, propter vitæ ipſius ſanctitatem valde familiaris effectus eſt*, &c. Vide de eodem Vincentium Speculi Hiſt. lib. XXX. cap. X. Agit & de illo hiſtoria Comitum Toloſæ, quæ MSa exſtat Cantabrigiæ in bibliothecâ Collegii S. Benedicti. Obiit Vitriacus anno clɔ cc LX: ut eſt apud auctorem chronici Belgici magni à Piſtorio editi.

Guilielmus Gallus, monachus S. Dionyſii Pariſienſis, ordinis S. Benedicti, claruit temporibus ejuſdem Froderici II: ac præter alia, quibus nomen ſibi peperit, etiam reliquit Hiſtoriarum volumen tripartitum: ut tradidit Jac. Phil. Bergomenſis Chron. Suppl. lib. XIII ad an. clɔ cc XL. ac Tritthemius in Cat.

Circa annum clɔ cc XL inſigne nomen conſecutus fuit Bartholomæus Brixianus, vir & literarum, pro illis temporibus, non imperitus, & juris intelligentiſſimus. Itaque & commentarios de jure elaboravit: & quàm luculente hiſtoriarum notitiâ inſtructus foret, non obſcurè oſtendit chronico de Urbibus Italiæ: quo magnopere gloriam ſuam ad poſteros tranſmiſit. Volaterranum adi lib. XXI penè extremo, ubi de juriſconſultis loquitur: item Tritthemium in catalogo de ſcript. Eccleſiaſt. Præcipuè autem de Brixia, & Bergomo, egiſſe, auctor eſt Philippus Bergomas Chronici Supplem. lib. XII ad an. clɔ cc XL. Celebratur quoque Leandro in Italia ſua, ubi Brixiam deſcribit. Cæterùm ex literis, quas Brixiâ ad me dedit ſummæ, & doctrinæ, & humanitatis vir, Octavius Rubeus J.C. didici eum originem duxiſſe ex nobiliſſimâ Advocatorum familiâ: patre eſſe natum Othone, Brixianæ civitatis bis conſule, ſemel anno clɔ c LXXXIV, atque iterum clɔ c LXXXVII: jus publicè docuiſſe: familiariſſimum fuiſſe Gregorio Papæ IX, unum item ex comitibus B. Dominici, cùm Brixiam veniret: atque an. clɔ cc LVIII, patriâ

ab

ab Acciolino tyranno occupatâ, pro libertate fortiter occubuiſſe, anno ætatis octuageſimo quarto.

Godefridus Calvus, Bituricenſis archiepiſcopus, eâdem enituit tempeſtate. Hic ab interitu nomen ſuum vindicavit referendo vitam S. Guilhelmi, epiſcopi Briocenſis in minore Britannia. Quam apud Surium invenias T. IV die XXIX Jul.

Quantum etiam videre poſſum, non alia etiam ad tempora referri debet Gerardus Mauriſius, Judex & civis Vincentinus, cujus nullam à Ioanne Baptiſt. Paiarino mentionem factam, non immeritò aliquis mirari poſſit. Condidit enim hiſtoriam Vincentinam, quam ab anno orditur cIↃ C LXXXIII, ac perducit ad annum uſque cIↃ CC XL: quemadmodum ſuis me literis edocuit V. Cl. Felix Oſius, Oratoriæ in Gymnaſio Patavino Interpres. Supereſt MSus Vincentiæ apud Comites Thienæos, atque id vetuſto admodum charactere. Fragmentum ejus tranſmiſſum ad eundem Oſium fuit, in quo mentio fiebat B. Ioannis de Seledo Vincentini, monachi Dominicani, qui non abſque ſingulari divini numinis gratiâ creditus eſt ſedaſſe tumultus in Marchiâ Tarviſinâ excitatos circa annum cIↃ CC XXX, inter Albericum, & Eccelinum patres de Romano, Comites S. Bonifacii, & Marchiones Eſſenſes: quemadmodum & alia per eum effeciſſe dicitur, quæ naturæ vires excederent. Eoque facile ſubſcribo doctiſſimo Oſio acutè conjectanti pro Pariſio *Mauriſium* reſcribi debere apud Carolum Sigonium in libb. de regno Italiæ, cùm ſic ſcribit: *Nam multa etiam ab eo in Chriſti nomine edita miracula* Pariſius *auctor eſt.* Quippe Mauriſium quidem iis vixiſſe temporibus, & cum curâ ſignaſſe miracula, quæ à Vincentino Ioanne prodita accepiſſet, ſatis ex fragmento illo liquet: de Pariſio verò eorum ſcriptore, non apud alios modò, ſed nec apud Vincentinos ſcriptores, vel vola, vel veſtigium comparet.

## CAP. LVIII.

*Radulphi Nigri Chronicon geminum, variaque ejus de regibus Angliæ monumenta. Alexandri Eſſebienſis hiſtoria Britannica, & belli de trium ſanctorum vitis. Richardus Elienſis de geſtis cœnobii Anguillariani. Hugo Kirkeſtedus de monaſterio Fontanenſi: item de monachis Ciſtercienſibus. Gualteri Coventrienſis de rebus Angliæ triplex volumen. Petri Henhami Chronica. Radulphi Coggeshalis Chronicon, & ad memoratum antè Radulphum Nigrum appendix. Guilielmus Langtonienſis de vita Roberti Betunenſis. Petrus Canonicus, Gallici operis de terra ſancta interpres. Cornelii Hiberni Chronicon. Et aliud Rogerii de Windeshora, ſive de Windover. Roberti duo, Richius, & Baconus, uterque de vita S. Eadmundi. Alexander Halenſis de vita Thomæ archiepiſcopi, ac regis Richardi, & Muhammedi. Quâ fide, vel Matthæus Paris hiſtoriam ſcripſerit, vel juniores eam typis divulgarint: atque ut Paris priori ipſe editioni multa addiderit, & iſtis plura alius adjecerit. Ejuſdem Hiſtoria minor, & Additamenta, & pluſcula alia. Michaelis Blaunpaini hiſtoria Normannica. Guilielmus Ruisbrok de Tartarorum geſtis, & ejuſdem itinerarium in Orientem. Albericus Verus de vita Oſithæ, & monaſterii Oſithæ huic dicati antiquitatibus. Incertum videri, utrùm hiſtoria Martiniana ſit Martini Scoti, monachi Ciſtercienſis; an Martini Dominicani, epiſcopi. Joannes Novoburgenſis de bello Galliarum regis cum Margareta Flandrica. Joannis Gualenſis collectanea hiſtorica, & itinerarium, deque Muhammede liber. Radulphus Bockynge, ſive Ciceſtrenſis, de vita S. Richardi, epiſcopi Ciceſtrenſis. Heliæ Trickyngami annales Britannici. Eliæ Eueshami Chronica.*

CUm Fredericus II. teneret imperium Romanum: rerum in Anglia potiebatur Henricus III, Ioannis filius. Quo rege, ibidem multi res geſtas literis prodiderunt. Uti Rodulphus ſive Radulphus Niger, Anglus, Sudovolgius: qui primis hujus regis temporibus claruit: ab eodem etiam, perduellionis reus, in exilium fuit ejectus. Propagavit nominis ſui famam Chronico majori, quod ab orbe condito incipit: item altero Chronico, quod ſuccinctum, diſcriminis cauſsâ, vocatur; atque à Chriſto nato producitur uſque ad annum cIↃ CC XIII. Utrumque Cantabrigiæ MSum extat ſemel iterumque in Collegio S. Benedicti. Item in Collegio Caji & Gonellii, ut in opere de bibliothecis Anglicanis refert Th. James. Atque addit, *Hæc eadem habentur in Chronica magnâ Matthæi Pariſienſis ann.* cIↃ C XCIX. *Incipit, Victorioſiſſimo Anglorum.* Idem explicuit res geſtas regum Angliæ abuſque rege Guilielmo Conquæſtore. Seorſim quoque tradidit res geſtas regis Ioannis, qui Richardo ſucceſſerat. Item initia regis Henrici III, qui poſt Ioannem imperavit. Reliquit quoque volumen de triplici viâ peregrinationis Hieroſolymitanæ. Quod MSum ſupereſt Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana. Ubi & opus ejus MSum de re militari conſpicere licet.

Alexander Anglus, domo Somerſetenſis, vel juxta alios, Staſfordienſis, cœnobii *Eſſebienſis*, quod canonicorum regularium B. Auguſtini erat, præſes, ſive, ut vulgò appellant Prior, floruit paullò poſtquam imperare in Anglia cœpiſſet Henricus III. Quare perperam Geſnerus, & Poſſevinus, claruiſſe cenſent anno cIↃ CCC LX. Multa, cùm proſâ, tum carmine, divulgavit: eaque inter hiſtoriæ Britanniæ epitomen, quam MSam Cantabrigiæ habet Collegium S. Benedicti. Adhæc in literas retulit vitam S. Agnetis, vitam Bertellini eremitæ, vitam Cungari eremitæ: item opus de ſacris diebus, in quo feſta celebria totius anni, ac ſanctorum vitas, carmine elegiaco deſcripſit. Quod, Alexandri exemplum ſecutus, poſtea fecit Baptiſta Mantuanus. Utrique autem, ſed in gentili religione, præiverat Naſo in Faſtis.

Item Richardus Elienſis, qui aliis Eligenſis, vitam tranſegit ſub eodem Anglorum rege, anno cIↃ CC XX: ac cùm aliis monumentis inclaruit; tum opere de geſtis ſui cœnobii; quod in inſula Elienſi, ſive Anguillariâ erat. Auctor Boſtonus Burienſis in catalogo ſuo; atque ex eo Balæus, & Pitſeus.

Eodem tempore Hugo Kircoſtallenſis effulſit; qui aliis *Kirkeſtedus*. Hic ad Joannem, abbatem cœnobii Fontanenſis, exaravit librum de ejuſce monaſterii origine. Idem compoſuit volumen de rebus à monachis Ciſtercienſibus in Anglia geſtis.

Sub eodem Gualtherus Coventrienſis circa annum vixit cIↃ CC XXVI. Natus, & educatus eſt in urbe Warwicenſi. Edidit Chronicon Britanniæ, libro uno. Præterea Chronicon Angloſaxonum, itidem libro uno. Inſuper Annales Angliæ, vel Memoriale: in quo præcipuè ſequitur Galfridum Monæmuthenſem, Rogerum Houedenum, & Henricum Huntyngtonium: ſed ita, ut non pauca addat bonâ fide, quæ illi prætereierant. Annales ſeu Memoriale hoc MSum ſupereſt ſemel iterum in bibliothecâ Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ. Etiam Oxonii in bibliothecâ Bodlejana ſupereſſe MSum hujus Gualteri Chronicon, annotavit Th. Jameſius. Sed utrum Britanniæ an Angloſaxonum ſit non adjecit.

Petrus Henhamus, Anglus, monachus Waldenſis, anno cIↃ CC XXIV, in patria floruit. Hic Chronicis ſuis res Anglicas exorſus eſt à temporibus Hengiſthi Saxonis. Pertingit autem ad ſuam uſque ætatem. Vetus ejus exemplar, Balæo teſte, in Waldenſi olim bibliotheca ſervabatur: ex quo ſatis apertum erat, meliori fide ſcripſiſſe, quàm facundiâ. Verùm hoc temporibus tribuamus, quibus vixit.

Inter eruditos Angliæ viros ſub eodem Henrico III, Joannis filio, circa annum cIↃ CC XXVIII, habebatur quoque Radulphus Coggeshale, Ord. Ciſtercienſis monachus, Coggeshalenſis in Eſſexia abbas. Qui, cùm Chronicon terræ ſanctæ condidit; tum etiam ad Radulphi Nigri Chronicon appendicem addidit, ab anno cIↃ C XIII, uſque

uſque ad annum XI Henrici III; ſub quo vivebat, ut diximus.

Guilielmus, Langtonienſis cœnobii in Cambria, quod Canonicorum regularium erat, præſes, non ultimo loco ponebatur anno cIↄ cc xxx. Ac ne de eo poſteri conticeſcant, conſecutus fuit tradendo vitam Roberti Betunenſis, Lanthonienſis monaſterii in Brecaniæ montibus cathedralibus præſidis, ac tandem Herefordenſis epiſcopi. Dicavit opus hoc Reginaldo, Wenlocenſis monaſterii moderatori.

Æqualis huic Petrus Canonicus Londinenſis, eruditiſſimus Theologus, ut eum Lelandus appellat. Varia ſuæ doctrinæ, ac induſtriæ, monumenta edidit: in quibus non infimum meretur locum opus de adventu Meſſiæ adverſus Judæos. Hiſtoricum verò nihil reperio, præterquam quòd de terra Palæſtina commentarium è Gallico fecerit Latinum. Claruit ſub eodem rege Anglorum ann. cIↄ cc xxx.

Cornelius, patriâ Hibernus, circa annum cIↄ cc xxx, Chronicon edidit: quod cùm in manus meas necdum pervenerit, aliis, qui viderunt, relinquere de eo judicium ſatius puto.

Rogerius de Windeshora, Anglus, monachus fani ejus, quod S. Albani erat, vivebat ſub Henrico III. an. cIↄ cc xxxv; quo uſque & contextum à ſe Angliæ Chronicon perduxit. Meminit Matthæus Weſtmonaſterienſis. Item vetus catalogus ſcriptorum ſecundùm ſeriem literarum, & ex hoc Balæus centuria XII, atque ex illo Io. Pitſeus. Diligentiam ejus in indagandis rebus geſtis commendat Stoüs, ſive Stowus; qui in pretio erat tempore concilii Baſileenſis, eidemque interfuit. Sed huic vocatur *Rogerus Windoverus.* Quo deceptus Pitſeus, pro diverſis habet, Rogerum de Windover, & Rogerum de Windeshora. Nonnullis & *Rogerus de Windelesher*, aut *de Windore* nuncupatur.

Sub eodem rege, nominis ſibi decus peperere, Robertus Richius, Abindonenſis, Pontaniaci monachus Ciſtercienſis, & Robertus Baconus, Oxonienſis Academiæ doctor: quorum utriuſque Matthæus Pariſius: poſterioris & Nicolaus Trivetus, in Chronicis mentionem facit. Misère autem in literas vitam, & tranſlationem S. Eadmundi, archiepiſcopi Cantuarienſis: qui obiit ann. cIↄ cc xl. De ætate ſcriptorum inde liquet: quòd prior fuerit Eadmundi hujus frater: alter verò diſcipulus ejus: qui octennio poſt Eadmundum deceſſit. Habes eam vitam, ſed ſtylo plurimùm mutato, apud Surium T. VI die XVI Nov. Hujus Baconi *labores in comparandis undique doctiſſimorum hominum monumentis, inque ſapientum amicitiis Oxoniæ, & Pariſiis acquirendis*, laudat Bryanus Twynus *a* lib. III de Antiquitate Acad. Oxon. Idem *b* primarium Oxoniæ virum vocat: atque ait, ab eo excitatum fuiſſe papam Clementem IV, ut in Concilio Viennenſi Clementinam quandam ederet de magiſtris, hoc eſt, de profeſſoribus linguarum; non item artium liberalium, uti perperàm interpretatur Iac. Middendorpius lib. II de Academ.

a P. 345 346.
b P. 359.

Eodem regnante, nominis ſui famam in ſecula cuncta diffundebat Alexander de Hales, Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ, præceptor, vulgò dictus *doctor irrefragabilis.* Hic præter commentarios in Scripturas, & quæ ad ſcholaſticam theologiam, aut jus canonicum, pertinent; (quæ ſcripta Balæus recenſet:) etiam, Eiſingrinio teſte, evulgavit vitam Thomæ, Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui ſanctorum numero eſt inſertus: item vitam Richardi, Anglorum regis: adhæc volumen de factis Muhammedi, atque alia. Diſceſſit è vitâ an. cIↄ cc xlv, VI Kal. Septembris.

Atque hi in Britannia fuere primis XXXIX annis Henrici III, Anglorum regis. Deſinunt ii in anno Chr. cIↄ cc xlv, quo Fredericus II. imperator à papa excommunicatus, & imperio privatus fuit. Nunc, ne tempora hujus regis interrumpam, priuſquam aliò me conferam, ſubnectam tres quatuor Anglos: qui, ſub eodem rege, proximis XVII annis (nam rexit annis LVI) rem hiſtoricam ſcribendo auxerunt.

Matthæus Paris, ſive Pariſius, (familiæ id cognomentum eſt) patriâ Anglus, cœnobii Albanenſis monachus, congregationis Cluniacenſis, cùm aliquantò antè, tum imprimis in pretio erat poſt annum cIↄ cc xlv, uſque ad annum cIↄ cc lix: quo migravit è vita. Hic ab oblivione nomen ſuum abundè vindicavit hiſtoriâ majori: quam ferè omnes cenſent fuiſſe olim bipartitam. Prior pars, ut ajunt, ab Adamo erat, uſque ad Guilielmum, Normanniæ ducem, Angliæ regem, cognomine Conquæſtorem. Addunt, eandem exſtare in bibliotheca Sidnejana. Verùm pars iſta, utrùm fuerit Matthæi Paris, an alterius, viderint, qui viderunt. Altera autem pars, quam hujus eſſe Matthæi, certò conſtat, Cantabrigiæ adſervatur in collegio S. Benedicti: uti & in bibliotheca baronis de Lumlejo: ac primùm Londini, pòſt Tiguri, typis divulgata fuit: atque id fide bonâ, ut Mssi, quos dixi, codices cuivis fidem fecerint. Quanquam ſcrupulum injicere videatur Brianus Twynus lib. III. de Antiquit. Acad. Oxon. *a* ubi aliquot ſibi locos in editione hujus Matthæi à Matthæo Cantuarienſi, viro non doctrinæ minoris, quàm dignitatis, procuratâ, plurimùm ſuſpectos eſſe ait: nec ſtatuere aliquid de iis velle, priuſquam ſecundùm optimorum exemplarium MSSorum fidem eos examinaverit. De hoc auctore tale eſt judicium Baronii ad annum Iↄ ccc xcvi: *Quàm fuerit animo infenſiſſimo in Apoſtolicam ſedem, quivis facile poterit intelligere: niſi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit. Quæ ſiquis demat, aureum ſane dixeris commentarium: utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur.* Incipit hic ſcriptor à conquiſitione Angliæ per Guilielmum, Normanniæ ducem: deſinit autem in anno Chriſti cIↄ cc l: ubi hæc *b* legas; *Hic terminantur fratris Matthæi Pariſienſis, Monachi S. Albani, Chronica.* Subjicit autem verſus hoſce:

a P. 283.
b P. 780. edit. Tigur.

*Virginis à partu jam mille volumina Phœbus*
*Cum bis centenis & quinquaginta peregit*, &c.

Cæterùm, quia annus iſte jubilæus eſſet, & tali anno Iſraëlitæ ab agricultura quieſcerent, Deoque agerent annum ſanctum: verſiculis iſtis opus ſuum concluſit:

*Terminantur hic Matthæi*
*Chronica. Jam jubilæi*
*Anni diſpenſatio*
*Tempus ſpondet requiei.*
*Detur ergo quies ei,*
*Hic, & cæli ſolio.*

Item hiſce:

*Siſte tui metas ſtudii, Matthæe, quietas:*
*Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.*

Sed etſi hìc prius Chronicis ſuis finem feciſſet: nihilominus illa poſtea continuavit, uſque ad annum cIↄ cc lix; quo vivere deſiit, ut ex Balæo diximus. Quæ igitur exinde conſequuntur, uſque ad annum ultimum Henrici III, hoc eſt annum gratiæ cIↄ cc lxxiii: ea ab alio addita fuerunt: quem pleríque arbitrantur fuiſſe Guilielmum Riſhanger, in eodem fano Albanenſi monachum. Hoc ſi vidiſſet Arnoldus Wion: non ſcripſiſſet, Matthæum vixiſſe uſque ad annum cIↄ cc lxx. Præterea compoſuit hiſtoriam minorem: quâ preſsè, & ſuccinctè, omnia eſt perſecutus, quæ fuſiùs prodiderat in hiſtoria majori: ſic tamen, ut nonnulla inſerat haut aſpernanda, quæ prætereat in hiſtoria fuſiùs ſcripta. Hujus minoris hiſtoriæ exemplum, antiquo charactere exaratum, exſtat in bibliotheca comitis Arundelii. Item Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Ac luculentum inde locum Flacius adducit in opere *c* quod *Veritatis teſtes* inſcripſit. Compoſuit quoque Paris hic opus Additamentorum: ad quæ ſæpius provocat Matthæus Weſtmonaſterienſis in Florilegio ſuo: imò & ipſe lectorem eò relegat in hiſtoria ſua ad. an. cIↄ cc xix, atque ea ad S. Albani repoſita eſſe, teſtatur ad annum cIↄ cc lii. Sed neque liber ille hactenus lucem adſpexit. Etiam deſcribendi orbis laborem ſuſcepit. Tum autem nomen exor-

c P. 366.

navit

navit ſuum hiſtoriâ rerum Hibernienſium, ac Chronicis majoribus cœnobii Albani, & geſtis XXII Albanenſium abbatum, à Viligodo primo uſque ad Guilhelmum, ſui temporis abbatem. Illuſtrior etiam redditus eſt, ſcriptis mandando vitas BB. Guthlaci, Wolſtani epiſcopi, & Eadmundi archiepiſcopi. Adhæc gloriâ eum auxère, quæ de BB. Albani, atque Amphiboli paſſione edolavit: & alia nonnulla.

Circa annum CIƆCCL vitam non ingloriam vivebat Michaël Blaunpainus, Cornubienſis, poëta ſuperioribus ſeculis magni nominis: quem Raviſius Textor in Cornucopia ſua ſæpius allegat, ac *Michaelem Anglicum* appellat. Hic autem ejus meminimus, quia & Hiſtoriam Normanniæ literis mandavit.

Sub eodem rege Henrico III circa annum CIƆCCLIII claruit Gulielmus de Risbroucke, vel Ruisbroske, qui & nonnullis *Rubrokus*: ſed perperam. Reliquit opus de geſtis Tartarorum. Item itinerarium in partes Orientales: quod MSum Cantabrigiæ exſtat, tum in Collegio S. Benedicti, tum in privata bibliotheca baronis de Lumlejo. Sed hunc ſcriptorem alii Belgis accenſent. Sanè Brabantum fuiſſe, ac ordinis Minorum monachum, auctor eſt Sweertius in Athenis Belgicis.

Albericus Verus, Anglus, canonicus ordinis B. Auguſtini, anno Chriſti CIƆCCL in honore magno erat. Quippe tum illuſtri Oxonienſium, ac Claranorum Comitum ſtirpe ortus: tum eruditione non minùs conſpicuus. Præter librum de Euchariſtia, vitam Oſithæ monumentis commendavit ſuis. item antiquitates cœnobii ſui, cui ab Oſitha nomen erat. Compluria in his de Oſtroſaxonum gente invenias. Meminere Lelandus, & Balæus. Vitam eam Oſithæ habes apud Surium Tom. IV, die VII Octobr.

Martinus Scotus, Ciſtercienſis ordinis profeſſor, vitæ ſpatium circa annum CIƆCCLII decurrebat. Hic auctor pleriſque creditur brevis hiſtoriæ, quæ ab auctore *Martiniana* nuncupata fuit. Sed qui Ordinis ſunt Prædicatorum, ſcriptorem ejus libri eſſe ajunt Martinum epiſcopum, Ordinis ſui antea monachum. Auctor Jacobus Bergomas lib. XIII. Chron. Supplem. Sed quæ brevis iſta hiſtoria, quam, ſi Bergomati credimus, Martinianam dixere? An quæ Tritthemio vocatur *Chronica ſuccincta*; atque, ut idem ait, ſic incipit, *Quoniam ſcire tempora ſummorum pontificum?* Quod ſi eſt, Martinus hic non fuerit alius à Martino Polono, Pontificis Pœnitentiario: de quo inferiùs dicemus. Favere huic ſententiæ videtur Tritthemius. Nam de Martino Pœnitentiario locutus, ſubjungit, *Sunt alii, qui Ciſtercienſis Ordinis collegio eum exiſtiment aggregandum: quos aut ignorantia rerum obfuſcavit, aut livor.* Addit ibidem, quòd Scotum vocarint, inde proveniſſe, quia confunderent cum hoc Chronicorum ſcriptore Marianum Scotum. Tempora tamen diſconvenire videntur. Nam Bergomas Martinum Scotum refert ad an. CIƆCCLII. Tritthemius Martinum Pœnitentiarium ad ann. CIƆCCCXX. Verùm unde is diſſenſus obortus videatur, melius intelligetur ex iis, quæ infrà de Martini Poloni ætate exponemus. Nec in Martini hujus patriâ, & ordine ſolùm errаſſe nobis Bergomas videtur: ſed illo etiam, quòd, ut dixi, opus, cui nomen vulgò foret Martiniana, cenſet fuiſſe hiſtoriam brevem. At veriora docet nos Leander lib. de viris illuſtr. Ord. Præd. qui apertè auctor eſt, Martinum Pœnitentiarium, præter Chronicon de Pontificibus Max. & Imperatoribus, reliquiſſe etiam ſummam juris Pontificii, ſecundùm ordinem alphabeticum, cognomento Martinianam. Ut omnino Martiniana ſumma à Chronicis ſit diverſa.

Tum quoque ab interitu nomen ſuum vindicabat Joannes de Novoburgo, qui & *Joannes Canonicus*, Anglus. Omnis autem, aut potiſſima ei fama, ab hiſtoria belli, quod inter Gallos, & Flandros, geſtum fuit temporibus Margaritæ, Flandriæ Comitiſſæ. Vide de hoc ſcriptore Matthæum Pariſium ad annum CIƆCCLVII.

Joannes Gualenſis, Anglus, profeſſione Franciſcanus, magni nominis in Pariſienſi ſchola theologus, de quo multa habet Bartholomæus Piſanus in Conformitatibus Franciſci, ſcripſiſſe dicitur duodeviginti magna volumina: quod cùm in memorato Conformitatum, ut vocant, opere: tum apud Jacobum Bergomatem legas. Inter ea volumina etiam ſunt hiſtoriarum collectanea, & itinerarium, & liber de origine, progreſſu, ac fine Mahometi. Floruit anno CIƆCCLX.

Radulphus Bockinge, Anglus Ciceſtrius è Suthſexiæ comitatu, ordinis Prædicatorum, ſub Henrico III, Angliæ rege, circa annum CIƆCCLXX, tum Sermonibus poſteritati tradendis, nomen ſuum honeſtabat: tum etiam publici juris faciendo, quam elaborârat, vitam S. Richardi, epiſcopi Ciceſtrenſis: qui ſummum obiit diem anno CIƆCCLV. Vitæ hujus alius epitomen fecit: quam apud Surium habes Tom. II, die III April.

Etiam coævus huic fuit Helias Trickyngham, Anglus, monachus Benedictinus cœnobii Petroburgenſis. Annales Britannicos reliquit, ab anno IƆCXXVI uſque ad annum CIƆCCLXX, quo vivebat.

Ad eadem tempora referunt Heliam de Eveshamo, Wigornienſem, monachum Benedictinum, qui Chronicorum opus reliquit. Meminit & ejus Lelandus.

## Cap. LIX.

Vincentii Belluacenſis *ſeu Bellovacenſis ſpeculum hiſtoricum. Geſneri, Volaterrani, & Wicelii lapſus.* Rufinus Sipius, & Conſtantinus Verberetanus, *ille de S. Franciſci, hic de S. Dominici vita.* Magiſter Rogerus. Gualterus Philippus. Godefridus Bugletius *de vita S. Ludovici.* Engelbertus abbas *de vita S. Hidwigis.* Conradi epiſcopi *Chronicon Moguntinum.* Alberti Stadenſis abbatis, *Chronicon.* Thomas Lentinus *de vita S. Petri martyris. Chronicon* Udalrici, *ſeu* Herici Herlingeri. Joannis Columnæ *Mare hiſtoriarum. Tritthemii, Bergomatis, ac fortean Poſſevini etiam error.* Anonymus de vita S. Claræ. Humbertus Vienenſis *vita S. Dominici ab Jordano ſcripta non pauca addidit.* M. Juſtinus Lippienſis. Gerardus de Fracheto Lemovicenſis *de origine ac libris illuſtrium virorum ordinis Prædicatorum. Hoc opus à nonnullis tribui Humfredo: & unde is error profluxerit. Idem volumen eſſe, quod dixere* vitas-fratrum. *Et unde promanârit conſuetudo ea, ut* vitas-patrum, *ac* vitas-fratrum, *ἄλλως eſſe, putarent.* Guilhelmus Haſligemenſis *de viſionibus cujuſdam virginis ſacra, deque vita ſancti Ludgardis.* Richardi Pictavienſis *Hiſtoriarum volumen.* Anonymus de vita B. Godebertæ. Stephani Mediolanenſis *chronicon, deque Mediolanenſium geſtis opus.* Wiberti Tornacenſis *ἐδοιπορικόν. Anonymi* Chronicon, *quod* M. Alberto *præponitur.* Monachus Patavinus incerti nominis de geſtis in Inſubribus, & Euganeis.

NUnc è Britanniis revertamur in orbem noſtrum: & quia antè diximus de iis, qui, Frederico II imperante, claruerunt: porrò de illis videamus, qui fuere inter Fredericum II, & Rodolphum Habſpurgenſem. Quod ſpatium annorum eſt duodetriginta. Ac primis undecim annis mirè fluctuavit imperium in Henrico, Landgravio Haſſiæ; Guilielmo, comite Hollandiæ: Conrado IV, Frederici II Imp. filio; & Richardo, Cornubienſi comite; quo in Angliam reverſo (id contigit anno CIƆCCLVII) imperium annis XVII vacavit.

Ordiar à Vincentio Gallo, natione Burgundo, monacho Ordinis Prædicatorum, & poſtea Bellovacenſi ſeu Beluacenſi epiſcopo. Hic temporibus Papæ Innocentii IV, imperio in memoratis antè imperatoribus fluctuante, longè lateque nomen ſuum diffundebat. Obiit verò anno uno ante Richardi Imperat. è Germania diſceſſum: ut mox liquebit. Vincentius hic, ſumtus ſuppeditante Francorum rege, B. Ludovico, ſpeculum quadruplex concinnavit. *Doctrinale*, quod de omnibus ſcientiis tractat, à Grammatica ordiens, ac in Theologia definens: *Hiſto-*

riale, quod hiſtorias complectitur, ab orbe condito uſque ad annum cIↄ cc XLIV: *Naturale*, quod eſt de natura rerum, ſitu locorum, & ratione temporum: *Morale*, quod eſt de affectibus, de lege & gratia, & de virtutibus ac vitiis. In naturali ſpeculo, ubi de temporibus agit, ſcribere ſe iſta dicit anno cIↄ cc XLIV. Quinquennio verò pòſt obiiſſe, tradit Vaſæus, & ex eo Antonius Senenſis in bibliotheca ordinis Prædicatorum. Ut vel hinc refellatur Conradus Geſnerus; qui Tom. I. bibliothecæ ſuæ, hiſtoriam perduxere ait uſque ad annum cIↄ cc LX. Debuerat ſcribere anno cIↄ cc XLIV. Sed in errorem induxit Geſnerum Volaterranus lib. XXI. Itidem lapſus Wicelius in præfat. Hagiologii, qui vixiſſe ait circa annum cIↄ cc XC. De Vincentio hoc, ſed necdum ſibi viſo, ita Henricus à Gandavo cap. XLVI: *Vincentius ejuſdem ordinis* (fratrum prædicatorum) *dicitur ſcripſiſſe quoddam opus magni ingenii, & laboris, quod prætitulavit triplex ſpeculum, hiſtoriale, allegoricum, & morale. Ipſum hiſtoriale non ſolùm per ſanctarum ſcripturarum ſeriem; ſed etiam per ſecularium hiſtoriarum ordinem, uſque ad ſua deducens tempora, multaque hincinde inſerens ſtudioſis lectoribus profutura.* Etiam à Martino Pœnitentiario, ſeu Polono, inter eos recenſetur, è quibus Chronicon ſuum compoſuit. Vide & Jac. Phil. Bergomatem Chron. Supplem. lib. XIII. ad annum cIↄ cc LII, Leandrum Albertum lib. IV. de viris illuſtribus ord. Prædicat. & Sixtum Senenſem lib. IV. bibliothecæ ſanctæ. Hiſtoriale ejus ſpeculum MSum habes & in biblioth. publicâ Academiæ Cantabrigienſis: Item Oxonii in bibliotheca Collegii Novi.

Circa annum cIↄ cc XLVI vixit Rufinus Sipius, Ordinis Min. & ſanguine junctus S. Claræ. Hic mandato Creſcentii Æſini, Ordinis ſui Generalis, cum duobus aliis operam jungens, compoſuit acta miraculaque S. Franciſci.

Anno itidem cIↄ cc LVIII Conſtantinus Verberetanus vitam traducebat. Qui ut ne à poſteritate neſciatur, facit vita S. Dominici: quam monumentis ſuis commendavit. De hoc ita Leander Albertus lib. IV. de viris illuſtribus: *Conſtantinus, digniſſimus Verberetanus præſul, juſſu Joannis Teutonici, generalis magiſtri quarti Ord. Prædicat. Officium, quod in laudibus devi parentis Dominici exſolvitur, cum ipſius Vita egregiè edidit, ſtylo tamen mediocri.*

Magiſter Rogerius, circa annum MCCL, hiſtoriam ſcriptis mandavit hoc titulo, *Epiſtola in miſerabile carmen ſuper deſtructione regni Hungariæ per Tartaros factâ, ad Reverendum dominum Joannem, Peſtbenienſis eccleſiæ epiſcopum.* In præfatione ait, ea ſe referre, quæ vel vidiſſet ipſe, vel ab iis accepiſſet, qui præſentes fuiſſent. Subjici verò ſolet Chronicis Hungaricis Joannis Turocii.

Etiam tum claruit Gualterus Philippus Caſtellionius, patriâ inſulenſis Flander. Hic reliquit carmine, ac quidem libris IX expreſſit geſta Alexandri Magni. De eo ſatis diximus libris de poëtis Latinis.

Circa eumpſe annum Godefridus, ſeu Geofridus, Beaglerius literis ſignavit vitam S. Ludovici, Francorum regis: cui ab eleemoſynis, & annis XX à confeſſionibus, fuerat. Lutetiæ Pariſiorum MSa adſervatur in regio collegio Navarreno.

Engelbertus Abbas, ordinis Ciſtercienſis, floruit anno cIↄ cc L. In literas retulit vitam S. Hedwigis, Duciſſæ, ut vulgò loquimur, & ſanctimonialis. Legitur ea apud Surium Tom. V, die XV Octobr. ut quidem Poſſevinus ait in Apparatu ſacro. Sed ſcriptor ejus libri in præfatione ait clarè, ſe concinnâſſe eam vitam, partim ex geſtis ejus Pontifici Max. oblatis, & in Trebnicienſi cœnobio aſſervatis; partim ex illis, quæ frater Engelbertus, ordinis Ciſtercienſis monachus, de hac ſanctâ ſcripſiſſet.

Imperio vacante, Conradus epiſcopus nomen ſuum ab interitu vindicabat Chronico rerum Moguntinarum: quod incipit ab anno cIↄ C XL, ac deſinit in anno cIↄ cc L. Fortaſſe hic eſt Conradus ille, de quo in eodem Chronico iſta legas ad annum cIↄ cc XLIX: *Fratres eccleſiæ Moguntinenſis concorditer in venerabilem virum, dominum Conradum, Colonienſem archiepiſcopum, vota ſua transtulerunt, poſtulantes à ſede Apoſtolica, ipſum ſibi præfici in paſtorem: ſed, heu, heu, hoc non poterat obtinere: non eſt hæc poſtulatio admiſſa, ſed electio capitulo reſtituta. Et ne archiepiſcopus Colonienſis ægrè ferret ſuum deſiderium non completum, ipſi legationis dignitas eſt commiſſa.* Primus hoc Conradi Chronicon prelo ſubmiſit Hervagius Baſileæ anno cIↄ Iↄ XXXV, ac XL annis pòſt Chriſtianus Urſtiſius a, Mathematices apud Baſileenſes profeſſor. Exinde & Juſtus Reuberus J. C. & Electoris Palatini conſiliarius. Reprehenditur autem à Baronio ad annum cIↄ C LIII. Apud Eiſengrinium legere eſt, Conradum, Bavariæ ducem, & Cardinalem Sabinum, condidiſſe Chronicon rerum Moguntinarum. Poſſevinus eundem ſuſpicatur. Sed obſtare videtur, quòd prior ille *epiſcopus* vocetur.

a *In Tom. illuſtr. German. hiſtor.*

Albertus, monachus Benedictinus, & abbas Stadenſis cœnobii, ac poſtea, relictâ abbatiâ, Franciſcanus, ac denique miniſter generalis totius ordinis, itidem floruit anno cIↄ cc L, & deinceps: ac dum abbas eſſet, ingenii, & doctrinæ ſuæ ſignificationem Chronico dedit: quod ab initio mundi auſpicatur, & claudit anno cIↄ cc LVI. Quanquam verò ad eum uſque annum perduxit Chronicon ſuum, tamen primùm decrêrat tantum proſequi hiſtoriam uſque ad annum cIↄ cc XL, quod hæc verba oſtendunt, non longè ab initio: *Tempora verò multa, ſunt hæc: Milleſimus ducenteſimus quadrageſimus annus gratiæ jam effluxit. In ſede Petri Gregorius IX jam XIII annis ſedit. Negotia imperii Fredericus II hujus nominis LXXXIX ab Auguſto XX annis gubernavit.* Et quæ porrò ſequuntur. Sed poſtea XVI annos adjecit. Factus eſt abbas Stadenſis anno cIↄ cc XXXII. Anno cIↄ cc XXXVI bullam à Gregorio Papâ impetravit, ut cœnobium ſuum in Ciſtercienſem ordinem commutaretur. Atque ut id effectum ſuum ſortiretur, ſæpius Archiepiſcopum ac Decanum commonefecit. Sed toto triennio operam luſit. Itaque ann. cIↄ cc XL factus eſt Minorita. Horum omnium auctor ipſe eſt in Chronicis. Non meminere hujus ſcriptoris Tritthemius, Geſnerus, Simlerus. Sed non ignotus fuit Alberto Crantzio, qui in Saxonia ſua, & Metropoli multa ex eo tranſcripſit. *Auctorem doctum & diligentem* judicat Thomas Demſterus paralip. ad Roſini Antiquit. lib. I. cap. I. Prodiit Helmenſtadii ex bibliothecâ Henrici Ranzovii, curâ Reineri Reineccii. Hetruſcum quidam faciunt, videlicet Piſanum: at Germanum cenſet Arnoldus Wion lib. II, Ligni vitæ cap. LXII.

Thomas Lentinus, patriarcha Hieroſolymitanus, vitam ſcripſit æqualis ſui S. Petri Martyris ex ordine prædicatorum: qui cum fratre ſocio trucidatus eſt anno cIↄ cc LII. Legitur ea vita in Surii Hiſtor. Sanctor. Tom. II, ad diem XXIX April.

Circa annum eumpſe vixit Udalricus (qui nonnullis Henricus) Herlinger à Wurmberg, Benedictini ordinis abbas: qui Chronicon monaſterii ſui pertexit ad annum uſque cIↄ cc XXIX: uti Eiſingrinio obſervatum.

Joannes Columna, Romanus, Ord. Præd. archiepiſcopus Meſſanenſis, floruit anno cIↄ cc LV, quo ipſo legatus Pontificis Alexandri IV fuit, & Tauromenii oppidi cum Jacobo de Ponte præfectus. Vide Thomam Fazellum rerum Siculorum poſterioris decadis lib. VIII. Et ſanè ab Leandro Alberto quoque in III de viris illuſtribus Ordin. Prædicator. traditum eſt, anno illo cIↄ cc LV epiſcopatum Meſſanenſem ab Alexandro Papa IV fuiſſe huic Columnæ commiſſum. Hoc cùm ignoraret Tritthemius, cautè quidem ætatem omittit, ſed non rectè recenſet inter eos ſcriptores, qui quinquaginta annis pòſt, puta Ludovici Bavari temporibus, lucis hujus uſurâ fruerentur. Nempe eâ parte errantem ſequitur ducem, Philippum Bergomatem; qui, lib. XIII. ſupplem. Chronici, illum ad annum refert cIↄ ccc XIII. Ab alterutro etiam deceptus videtur Joannes Rioche Minorita; ut qui de eo loquatur poſt Bernardum quem vixiſſe ait anno cIↄ ccc XXV. Quantus vir foret, declaravit libris decem, quos *Mare hiſtoriarum* inſcripſit.

Eo

Eo ex opere multa in ſuis Chronicis excerpſit Antonius Senenſis. Poſſevinus diverſos facit Joannem, & Jacobum, Columnas, utrumque ord. Prædic. utrumque hiſtoricum: atque addit, B. Antoninum plura ex Jacobo derivâſſe in Hiſtoriam ſuam. Puto falli. Sanè Antoninus Joannem Columnam teſtem advocat, cùm alibi, tum Tit. XIX. cap. I, ubi ſermo ei de Innocentio III, qui priùs Lotharius vocabatur. At Jacobum Columnam hiſtoricum, quantum meminiſſe poſſum, planè neſcio: nec fuiſſe ejus nominis hiſtoricum cenſeo. Chronici Ioannis Columnenſis meminit & Leander Albertus lib. IV. de illuſtribus viris Ord. Præd. Imò & ab inedito auctore operis de Hierarchia ſubcœleſti, (qui in Italiâ ſcripſit anno CIƆCCCLXXXI, ac MSus Cantabrigiæ, & in Pithœi bibliotheca exſtat) Ioannes hic de Columna inter Italos eos reponitur, qui Pontificum hiſtoriam conſignarint.

Anno CIƆCCLV, juſſu Alexandri IV Pont. Max. literarum monumentis tradita eſt vita S. Claræ, virginis Aſſiſiatis: quam apud Surium legere eſt die XII Aug. In præfatione auctor ipſe vocat Legendam S. Claræ.

Circa annum CIƆCCLX non exiguum nomen erat Humberti Viennenſis. Quinctus is fuit generalis Ordinis Prædicatorum: de quo Leandrum Albertum vide ſæpius memorati operis libro I a. Ubi vocatur Humbertus Burgundus. Hic *vita* S. Dominici ab Iordano, generali ejus Ordinis, atque à fratre Conſtantino, exaratæ, multa adjecit: ut eſt apud Theodoricum de Apoldia in præfatione quinque librorum de vita S. Dominici. Idem creditur libris V prodidiſſe vitas ſui Ordinis: de quo quid ſentiam, mox exponam.

a *Fol.* 37. & 38.

Tum quoque erat M. Iuſtinus Lippienſis, qui carmine elegiaco, pro temporibus quibus vixit, eleganti ſanè condidit Lippiflorium Chronicon, ſive Lippenſe. Agit in eo de primordio comitatus Lippienſis, ac exponit aliquot comitum Lippienſium geſta, imprimis verò Bernardi comitis, qui poſt bella fortiter geſta monachus factus eſt. Prodiit Francofurti *b* unà cum Chronico Hermanni Lerbecii. Dicavit hoc Lippiflorium ſuum Simoni, primo ejus nominis epiſcopo Paderbornenſi, qui anno obiit CIƆCCLXXIV, ut eſt apud Gaſparem Bruſchium. Primus hunc ſcriptorem in lucem protraxit Henricus Memboniús Lemgovienſis.

b 1620.

Iiſdem temporibus Gerardus Fracheto, qui & à patria Gerardus Lemovicenſis vocatur, profeſſione Dominicanus, in Galliis Provinciæ Prior erat. Hic ne nullius honoris ac nominis foret, aſſecutus eſt libro *de origine ac viris illuſtribus ordinis Prædicatorum*: quem & VITAS-FRATRUM inſcripſit. Exſtat manuſcriptus in monaſterio Rubræ Vallis apud Bruxellam. Item Duaci, atque alibi. Necdum Dominicanorum cura typis eſſe divulgatum, jure optimo miratur Miræus in Chronico ad annum MCCLVII: quo anno Geſardo huic, ut hoc opus conderet, impoſitum fuit Humfredi, quincti generalis, ac concilii totius, mandato. Theodericus de Apoldia, qui vixit anno CIƆCCC, ipſi eum librum tribuit Humberto. Sic enim ſcribit in præfatione librorum octo de vita S. Dominici: *Succedens ſanctus pater Humbertus, magiſter ordinis quinctus, ex prædictis* (B. Iordano, & Fr. Conſtantino) *tertiam conſtans Legendam, multis ſuperadditis, non modicum ampliavit. Qui etiam librum, qui Vitas-fratrum dicitur, ſuâ devotione, & diligentiâ, compilavit.* Ac ſimiliter Antonius Senenſis in bibliotheca ſcriptorum ſui Ordinis. Item Iacobus Philippus Bergomas Chronicor. Supplement. lib. XIII, ad annum CIƆCCLII. Nempe videntur Humfredo hoc opus adſignâſſe, quia, ut dixi, Humfredi juſſu ſcriptum ſit; qui & ſuâ præfatione illud decoravit. Inſcribebatur autem liber iſte VITAS-FRATRUM, ad exemplum ejus, qui dictus VITAS-PATRUM. Nam ex manuſcriptis codicibus ſatis conſtat, ἀκύρως ita vocari eos codices ſolere: pro quo antiqui, & elegantiores, VITÆ-PATRUM, & VITÆ-FRATRUM, dixerint. Non dubium verò, quin vitioſa ea conſuetudo, vel inde profluxerit, quòd ſcribi ſoleat, VITÆ S. PATRUM: VITÆ S. FRATRUM: vel quòd imperitiores, dum ſæpius incuſandi caſu laudari audiunt VITAS-PATRUM, VITAS-FRATRUM, ubique, ac ſemper, ſic dici poſſe arbitrentur.

Etiam Guilhelmus, Hafligemenſis cœnobii monachus, ordinis S. Benedicti, & aliquamdiu Prior, vitam ducebat anno CIƆCCLX. Præter alia, literis perſecutus eſt *viſiones* cujuſdam *ſanctimonialis*: item *vitam S. Ludgardis*: quæ Hafligemi exſtat MSa. Meminit & Trithemius.

Inter homines quoque his temporibus agebat Richardus Pictavienſis, monachus ordinis Cluniacenſis: qui, præter Epiſtolas ad varios, etiam Hiſtoriarum volumen reliquit.

Circa idem tempus vixit quoque ille, qui literis commiſit vitam B. Godebertæ virginis; quæ obiit circiter annum IƆCLXXX. Eam ex MSo codice, ſed ſtylo mutato, deſcripſit Surius a. d. XI April.

Stephanus Mediolanenſis, ſive de Mediolano, Ordin. Prædic. utrâque facundiâ ſe exercuit: ac Chronicon proſâ, opus de geſtis Mediolanenſium carmine condidit. Claruiſſe circa annum CIƆCCLXII, proditum eſt à Iacobo Suzato, & Alberto Veneto, atque ex his à Poſſevino in Apparatu ſacro.

Vacante imperio, fuit & ille Anonymus, cujus Chronicon habemus, vel ſaltem hiſtoricum fragmentum, quod M. Alberto Argentinenſi præmitti ſolet; atque ab anno incipit IƆCXXXI; quo Dagobertus trium populorum rex factus eſt, Burgundionum, Auſtraſiorum, & ſuperiorum Francorum. Deſinit autem in anno CIƆCCLXVII; quo Conradinus, Conradi IV Imp. filius, Frederici II Imper. nepos, dum Siciliam repetit, victus, in fuga captus, & Neapoli, totâ dolente Germaniâ, capite multatus fuit. Primus, cum aliis aliquot ineditis Germaniæ hiſtoricis, in publicum emiſit Chriſtianus Urſtiſius.

Itidem, cùm imperium vacaret, vitam egit Monachus Paduanus incerti nominis: qui tribus complexus eſt libris res ſuis temporibus geſtas in Inſubribus, & Euganeis, hoc eſt Lombardia, & vicina Marchia Tarviſina. Orditur ab anno CIƆCCVII, quo Azo, marchio Eſtenſis, ab Monticullis, favente his Ecelino, Veronâ ejectus fuit. Finemque imponit, ubi perventum ad annum CIƆCCLXX; quo Chriſtiani principes in Africam tranſeuntes Carthaginem cepere, & Tunetanam urbem obſederunt. Prodiit typis Wecheli.

## CAP. LX.

*Anonymi annales Dominicanorum Colmarienſium: in quibus, ut induſtria laudi datur, ita vitio vertitur, quòd ſubinde minuta nimis adſpergantur. De Martini Poloni patriâ. Quouſque Chronicon ſuum perduxerit: ſuperque eo Volaterrani, Coccii, atque adeo Suffridi Petri error. Thomas Cantipratenſis de vita Chriſtinæ virginis, & S. Ludgardis, & miraculis ſui temporis. Guilielmus Tripolitanus de ſtatu Saracenorum. Petrus Argentoratenſis de bello patrio. S. Bonaventura de vita S. Franciſci. Gerardus, monachus S. Quinctini. Godeſcalcus Leodicenſis diaconus. Conradus à Mure. Hermannus, Altaichii inferioris monachus, de rebus Bavaricis. Salimbeni de Salimbenis hiſtoria rerum ſuo tempore in Italia geſtarum. Anonymus Pruſeningenſis de vita, & miraculis, S. Erminoldi. Henricus Goedhals, ſive Bonicolli, Gandavenſis, de viris illuſtribus. Guilielmi de Samuco Chronicon. Guilielmi de Bongevilla Chronicon. M. Paullus Venetus de regionibus Orientalibus. Brocardus, ſive Burgardus Argentoratenſis de terra ſancta. Guidonis de Columna Chronicon, & hiſtoria Anglicana, deque bello Trojano liber. Jacobi de Voragine, vel potius de Viragine, Chronica Genuenſium, & Legenda aurea, deque hac judicium. Petrus Clodienſis Gerardus Dominicanus de quibuſdam geſtis S. Dominici. Balduinus Ninivenſis. Theodericus Thuringius de S. Eliſabeth Ungarâ.*

PArtim vacante imperio, partim cùm poteſtas ſumma foret penes Robertum Habſpurgenſem, qui præeſſe rebus cœpit anno cIↄcc LXXIII, imperiumque annis tenuit XIX; vivebat Monachus ille Ordinis Prædicatorum; qui primus ſcribere aggreſſus fuit annales Dominicanorum Colmarienſium, à Chriſtiano Urſtiſio editos cum aliis quibuſdam ſcriptoribus rerum Germanicarum. Orditur ab anno MCCXI: qui decimus eſt ante natalem ejus: ut docent hæc verba ad annum MCCXXXVIII: *Intravi ordinem Prædicatorum, natus anno* MCCXXI. Erat igitur tum annorum XVII. Ad annum MCCLXI annotat, *Fui Pariſiis.* Tum fuerit quadragenarius. Ad annum MCCLXV ait, *Mappam mundi deſcripſi in pelles duodecim pergameni.* Ad annum MCCLXVIII, *Fui in Urania, feſto Gordiani, & Epimachi.* Ad annum MCCLXXIV, *Feſto Martini tectum ejus vidimus conſummatum.* Sermo eſt de cœnobio Clingental, quod Baſileæ eſt. Ad annum MCCLXXVI: *Fragma comedi in aſſumtione beatæ Virginis.* Quo tempore annorum erat LV. Videtur autem annalium iſtorum auctor non ſatis percepiſſe hiſtoriæ naturam, cùm res adeò minutas paſſim adſpergat: ut de gallo, ſub cujus ventre tranſiret gallina, de porcis Colmarienſibus ſubulcum diſcerpentibus, de ovis habentibus duos vitellos, & alia id genus permulta. Interim diligentia ejus laude non eſt indigna. Ubi verò ille deſierit, aliique eum cœperint continuare, eo in Chronico exprimitur nuſpiam. Perducitur autem uſque ad annum cIↄccc II.

Etiam imperio vacante, ſed præcipuè Rodolphi Habſpurgenſis temporibus, bene de poſteris mereri ſcribendo ſtuduit Martinus Polonus. Hic cùm Polonus nuncupetur; tamen, ſi Raphaëlem Volaterranum audimus, patriam habuit Carſulam, ſive Calcinam, in Umbriâ ſitam. Nec deſunt, qui Scotum fuiſſe tradiderint. Mihi quin Polonus fuerit, dubium non eſt. Nam & ita Leander vocat lib. IV. de viris illuſtribus Ordin. Præd. Scotum autem nominâſſe videntur, decepti eo, quòd animo obverſaretur Marianus Scotus, qui & ipſe Chronica ſcripſit. Nec magis audiendus eſt ineditus auctor operis de hierarchiâ ſubcœleſti, qui lib. IV. cap. IX. eum refert inter nobiles Galliarum hiſtoricos. Credo, quia de patriâ paucis conſtabat, aliæ etiam gentes eum ſibi vindicabant. Carſulanus autem, de quo infrà dicam, hoc junior fuit; ſi verum eſt, quod ajunt, Carſulanum vixiſſe tempore Joannis XXI, ſive, ut alii volunt, XXII; hoc eſt, anno cIↄccc XX: ad quæ tempora etiam Martinum hunc Joannes Rioche Minorita refert in compendio ſuo hiſtorico. Fuit Archiepiſcopus Conſentinus, ac pœnitentiarius Innocentii IV Pontificis: qui deceſſit anno cIↄcc LIV. Sanè hæc ſententia videtur defendi poſſe tot codd. ubi in epigraphe *Conſentinus* nominatur. Alii tamen Beneventanum fuiſſe epiſcopum autumant. Equidem apud antiquiores neutrum reperio. Sed Gneſnenſem archiepiſcopum in Polonia à Papâ fuiſſe conſtitutum, conſtat ex diplomate Pontificio, & Chronicis Poloniæ. De quo mox dicam. Præter alia cùm libello, qui inſcribitur *Memorabilia Romæ:* tum præcipuè memoratur Chronico *a* de ſummis pontificibus, & imperatoribus, à Chriſto, & Cæſare Auguſto, uſque ad Clementem papam IV, ſive anno cIↄcc LI. In nonnullis tamen libris, (quos & Suffridus Petri ſequitur in editione eâ, quam, ocellus typographorum, Plantinus dedit) producitur hoc Chronicon uſque ad annum cIↄcc LXXVII. Nempe quatuor Pontificibus additis, Gregorio X, Innocentio V, Adriano V, & Joanne XXI. Sed aberant hi à perantiquo codice MSo, quem poſtea in Colonienſi *b* editione ſuâ expreſſit Joannes Fabricius Cæſar, Canonicus Gladbachenſis. In editione Baſileenſi *c*, additur ex Fuldenſi MSo appendix uſque ad annum cIↄcccXX, quo Joannes Papa, qui aliquibus XXI, aliis XXII vocatur, in ſanctorum numerum retulit Thomam Erfordenſem. Hæc res impoſuit omnino Volaterrano, cùm lib. XXI ait, Martinum vixiſſe tempore Joannis XXII. Nempe in codices inciderat, ubi appendix ea legeretur. Eodem in errore hæſit Coccius; ut qui in Catal. ſcriptorum, quem Theſauro ſuo præmiſit, floruiſſe eum dicat anno cIↄccc XX. Mirum autem, & Suffridum Petri appendicem eam, ut Martinianam, agnoſcere. Quàm parùm enim veriſimile eſt, Martinum, qui Innocentii IV anno cIↄcc L pœnitentiarius erat, ſuperſtitem fuiſſe anno cIↄccc XX! Quare nihil certius, quàm deſiiſſe Martinum in Clemente Papa IV: vel ſi primæ editioni, ut fieri ſolet, quædam poſtea adjunxerit, ſaltem non proceſſiſſe ultra tempora Joannis XX, ſive, ut alii vocant, XXI. Quod autem eum anno cIↄcc L Innocentii IV fuiſſe pœnitentiarium paullò antè ajebam, id Bellarminus quoque prodit in Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sed fortaſſe aliquis idoneum ejus requiret auctorem. Fortiori igitur telo pugnemus. Quale illud, quod diplomate Pontificio, & Chronicis Poloniæ ſubnixum eſt. Cum enim in Poloniæ regno ob archiepiſcopatum Gneſnenſem diu inter electos contentio duràſſet: Nicolaus Papa III Fr. Martinum Polonum Ord. Præd. Pœnitentiarium ſuum, creavit epiſcopum Gneſnenſem: quod factum Viterbii anno cIↄcc LXXVIII, X Kal. Jul. Sed cùm jam itineri ad eccleſiam Gneſnenſem ſe accinxiſſet, ecce Bononiæ eopſe anno moritur: atque inibi in templo S. Dominici, ante aram majorem juxta ſacellum S. Thomæ, ſepelitur. Monumenti inſcriptio talis fuit, HIC JACET MARTINUS POLONUS, ORDIN. PRÆD. ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS. Quemadmodum ab Abrahamo Bzovio Polono in Annalibus Eccleſiaſticis proditum eſt ad annum cIↄcc LXXVIII. Quia autem Gneſnenſis epiſcopatus Polonis notior eſſet, quàm Italis: factum videtur, ut ſæpius ἁπλῶς archiepiſcopus, loco non expreſſo, vocaretur. Inde occaſio item data, ut alii eum Conſentinum, alii verò Beneventanum archiepiſcopum fuiſſe, dicerent. Et potuit occaſio ei rei inde etiam præberi, quòd vulgò ſyllabam *con* ſcribere ſoleant tanquam *g*, hoc pacto ꝯ. Quare qui *gneſnenſis* quid eſſet, neſcirent, ex *conſentinus* id eſſe corruptum exiſtimarunt. Utrùm autem in Clemente IV, an Joanne XXI deſierit, apertius foret, niſi tantopere diſcreparent codd. & MSi, & editi. Sua tamen ad Joannem XXI producere ſaltem voluiſſe, fateri convenit ob verba illa ipſius Martini in præfatione operis: *Ego frater Martinus, Domini Papæ pœnitentiarius, & capellanus, ex diverſis chronicis, & geſtis ſummorum Pontificum & Imperatorum, præſens opuſculum uſque ad Joannem* XXI *papam deduxi incluſivè.* Joannes XXI, de quo ſe egiſſe ait, obiit anno cIↄcc LXXVII: quo ipſo ei ſucceſſit Nicolaus III: anno uno ante exceſſum Martini Poloni. At Joannes XXII, (quem aliqui XXI vocant) intelligi nequit; quia is Pontifex factus anno cIↄccc XVI, annis XXXVIII poſtquam Martinus Polonus jam eſſe deſiiſſet. Unum contra hæc objici poteſt: quòd Martinus Polonus in præfatione, inter eos, è quibus profecerit in Chronico ſuo concinnando, reponat Gervaſium: qui videtur non alius eſſe, quàm Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis. Atqui certum eſt, Ricobaldum vixiſſe anno cIↄccc. Quomodo igitur Polonus ejus operâ proficere potuit, ſi tanto antè exceſſerat? Huic argumento ita occurrimus. Putamus, à Martino intelligi Gervaſium Tilberienſem; qui circa annum cIↄcc X vixit, ac Chronicon conſcripſit, cui titulus erat, *De otiis imperialibus.* Unde colligimus, eo in opere non tam de Pontificibus, quàm Imperatoribus, egiſſe. Et hæc videtur cauſſa, cur Martinus ἁπλῶς dicat, *ex Chronicis Gervaſii:* non autem, *ex Chronicis Gervaſii de geſtis utrorumque:* hoc eſt Imperatorum, & Pontificum; uti locutus erat paullò antè de Chronicis Pauli, & Gilberti. Hoc verò Gervaſii Tilberienſis Chronicon ſatis celebre erat: ut qui illud dicâſſet Ottoni IV Imperatori. Quanquam, ut fateremur, Ricobaldum intelligi à Martino; non tamen deeſſet, quo nos expediremus. Nam quid ſi dicamus, Ricobaldum bis hiſtoriam ſuam edidiſſe? Nempe priùs ante ann. Chr. cIↄcc LXXVIII; quouſque pertingit in Chronico Martinus Polonus: iterum anno cIↄcc XCVIII, in quo deſinit; vel ſaltem ante annum cIↄccc III, quo exceſſit Bonifacius VIII. Nam Bonifacii hujus geſta quidem exponit Ricobaldus; non tamen ea, quæ poſtremis egit annis: ac multò minùs mortem ejus

*a Habet MSum ſemel iterumque in bibliotheca Collegii S Benedicti apud Cantabrigienſes.*
*b Anno 1616.*
*c Anno 1559.*

ejus refert. Hoc ſi magis placet, vixerit Ricobaldus annis viginti, & paullò ampliùs poſt Martinum; ac editioni priori, quâ uſus erat Martinus, ſequentium temporum hiſtoriam adjecit.

Thomas de Cantiprato, Brabantus, Ord. Præd. Alberti M. diſcipulus, priùs canonicus regularis S. Victoris in monaſterio Cantipratano, quod in Arteſia eſt juxta Cameracum; poſteaque Ord. Prædicatorum, ac tandem Cameracenſis diœceſis epiſcopus ſuffraganeus, Rudolpho imperante floruit, teſte Tritthemio. Atque idem cognoſcere eſt ex his ejus verbis lib. II Apum cap. III num. IX: *Ego (inquit Thomas) fidelium noviſſimus, antequam piiſſimus Ludovicus Francorum Rex, anno ab Incarnat.* cIↄ CC XLVI, *crucem tranſmarinam ſuſciperet, crucem in cælo ex clariſſimo & ſydereo lumine vidi. nec recolo me decentius & operoſius formatam crucem unquam ſub aliquà materià vel figurà vidiſſe.* In hiſce duobus libris de apibus myſticis (inſcripſit eos *Bonum* univerſale) exponit miracula & exempla ſui temporis. Edidit ac notis illuſtravit Georgius Colvenerius Duaci an. cIↄ Iↄc VII. Præterea ſcripſit vitam Chriſtinæ virginis, quæ Mirabilis vocata, ac Mariæ Oegniacenſis æqualis fuit. Habes apud Surium T. III die XXIII Junii. Etiam libris tribus memoriæ tradidit vitam S. Ludgardis: quæ ejus ætate vixit: ſanè ann. cIↄ CC XLVI deceſſit. Vita hæc MSa quidem apud Aub. Miræum, edita verò apud Surium extat T. III a. d. XVI Jun. Meminit hujus operis, uti & vitæ Chriſtinæ, Henricus de Gandavo cap. LI: *Thomas ordinis prædicatorum Lovanii habitans, ſcripſit vitam cujuſdam ſanctæ mulieris in Habania, quæ vocabatur Chriſtina. Scripſit etiam vitam cujuſdam monialis de Aquiria* a, *Dominæ ſcilicet Lutgardis.* Atque ea verba impulere Poſſevinum, ut Thomam hunc vocaret Lovanienſem, vel Lovanii commoratum: eumque à Cantipratenſi, de quo antè egerat, diverſum putaret. Sed ſententia hæc ſatis refellitur iis, quæ diximus. Nec Lovanienſem fuiſſe, ſed Cameracenſem, ab aliis proditum eſt. A quibuſdam etiam ei tribuitur B. Margaretæ Iprenſis: quæ anno cIↄ CC XXXVII deceſſit. MSa hæc vita Lovanii extare dicitur ad S. Martinum. Duaci autem in lucem prodiit anno cIↄ Iↄ XVIII, curâ Hyacinti Choquetii. Creditur & hujus eſſe Latina Ariſtotelis tralatio, quæ in Scholis ſolet obtinere. Quando obierit non ſatis liquet. Nonnulli ajunt diſceſſiſſe anno cIↄ CC LXXX.

a *Al. è Aquino: ſed Aquiria reperi in Mſa Ludgardis vita.*

Guilielmus Tripolitanus, Acconenſis cœnobii in terra ſancta monachus, Ord. Prædic. vixit circa annum cIↄ CC LXX, deque Saracenorum ſtatu librum ſcripſit ad Theobaldum Placentinum, qui poſtea eſt factus Pontifex Max. dictuſque fuit Gregorius X. Opus hoc MSum extat Oxonii in bibliothecâ Collegii Æneonaſenſis.

Eodem tempore erat Petrus Argentoratenſis Germanus, Carmelita. Memoriam ſui peperit hiſtoriâ ubere de bello Argentinenſi ſub epiſcopo Gualtero.

S. Bonaventura, Balneoregienſis, ordinis S. Franciſci miniſter generalis, poſteaque epiſcopus Albanenſis, & à Gregorio X. in cardinalium numerum cooptatus, anno cIↄ CC LXXIV concilio interfuit Lugdunenſi: inque illo obiit eopſe anno. Ab eo habitum ſuum accepere Minoritæ. Nam antea paſtorali ſchemate utebantur. Idem literis tradidit vitam S. Franciſci: quæ apud Surium eſt T. V. d. IV Oct. & in operibus S. Bonaventuræ, mandato Sixti V. Pont. Max. operâ Cardinalis Sarnani, è Vaticana Romæ prodiit bibliotheca: atque iterum Antverpiæ, curâ Henrici Sedulii Minoritæ: qui & commentarios addidit. Bonaventuræ quidem id opus tribuit S. Antoninus Hiſtor. Part. III Tit. XXIV cap. VIII. Item Bernardinus de Buſtis, & Raphaël Volaterr. lib. XXI Anthropol. A Xiſto IV. in Sanctorum numerum eſt relatus. Libros ejus in compendium redegit Guilielmus Fulginas, ejuſdem ordinis monachus.

Gerardus, monachus cœnobii S. Quirini in Inſula, juxta Tritthemium, vixit ſub Rodulpho imper. an. cIↄ CC LXX. De eodem ſic Henricus Gandavenſis in cat. cap. LII: *Gerardus, Monachus ſancti Quinctini in inſula, ſcripſit tranſlationem venerandarum reliquiarum crucis, & coronæ Dominicæ à Conſtantinopoli Pariſios* a: *quas reliquias pia memoria Dominus Ludovicus, rex Francorum, ſibi ab imperatore Conſtantinopoleos acquiſivit. Scripſit etiam plurima miracula, quæ Beata Eliſabeth de Thuringia poſt mortem ſuam dicitur fuiſſe operata.*

a *Deeſt* tranſmiſſæ: *vel ſimile.*

Claruit iiſdem temporibus Godeſcalcus Leodicenſis Eccleſiæ diaconus & canonicus: qui poſtulatu Agilfridi, epiſcopi ſui, vitam deſcripſit S. Lamberti Leodicenſis Epiſcopi.

Conradus à Mure, primus Eccleſiæ Tigurinæ cantor, & canonicus, circa annum cIↄ CC LXXIII, præter libellum de ſacramentis, edidit cathedrale Romanum, catalogum Romanorum Pontificum & imperatorum, paſſionem ſanctorum martyrum, Felicis, Regulæ, & Exuperantii.

Tempore Rodulphi II. Imperatoris, Hermannus, Altaichii inferioris (quod cœnobium Benedicto eſſe dicatum, alibi diximus) antiſtes, atque idem Ottonis, Bavariæ ducis, & filii ejus Henrici à conſiliis, ſcriptis celebravit ſuis res Bavaricas. Commentariis ejus multùm ſe adjutum fuiſſe, agnoſcit Joannes Aventinus *b*. Sed etſi iis uſus ſit Aventinus; tamen omnem nunc iis poſteritatem carere, conqueritur Chriſtophorus Gewoldus, præfatione in Chronicon Monaſterii Reicherſpergenſis.

b *Inſcrip. lib. 3. annal. præmiſſa.*

Circa annum cIↄ CC LXXX Salimbenus de Salimbenis, Parmenſis, Ord. Min. res ſuo tempore in Italia geſtas literis committebat, pleriſque etiam admixtis, quæ ad religionis ſtudium pertinerent.

Iiſdem temporibus, incerti nominis monachus Pruſeningenſis duos compoſuit libros de vita, & miraculis, S. Erminoldi, nobilis Suevi, monachi Hirſaugienſis, abbatis Lorſacenſis, poſteaque primi abbatis cœnobii S. Georgii in Pruſeningen, ſeu Brunfeningen; quod juxta Ratiſponam S. Otto, Bambergenſis epiſcopus, exſtruxerat. Volumen hoc, ſed mutato ſtylo, & multis compendio conſtrictis, edidit Surius, ſive Moſander potiùs, T. VII a. d. VI Jan. At bonâ fide ex MSo cod. repræſentat Caniſius T. II Lect. Antiq. De ſcriptoris ætate, quod dixi, ſatis indicant hæc præfationis verba: *Animat nos præterea venerabilis pater, dominus Ulricus, ſextus-decimus abbas Pruveningenſis Eccleſiæ: qui, anteceſſoris tanti virtutibus coëxultans, anno incarnationis Dominicæ* cIↄ CC LXXXI, *primo anno ſui regiminis, onus hoc Atlanticum nobis, tanquam Pygmæis, impoſuit.*

In hæc tempora quoque incidit Henricus Bonicolli, ſeu Græcâ appellatione, Eutrachelos, vel gentis nomine *Goedhals*; qui & à patria, *de Gandavo*, vocatur, archidiaconus Tornacenſis. Marchantius in deſcriptione Flandriæ, ubi de Gandavo agit, *Heinricum Mudanum*, vocat, atque ait fratrem habuiſſe Joannem Mudanum, qui familiaris fuerit Philippo pulchro Galliarum Regi. Quantum ſibi nomen in Theologia, & Philoſophia, ſcribendo acquiſierit: indicio erit, quod vulgò dicatur *doctor Solemnis*. Præter verò opera ea, quæ in ſupplemento ſuo Chronico Jac. Ph. Bergomas recenſet ad an. cIↄ CCC, etiam librum compoſuit de viris illuſtribus, ut eum appellat Poſſevinus in apparatu, ſive, ut Sanderus appellat, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: in quo mirum non meminiſſe operum Thomæ Aquinatis. Suſpicor id dediſſe Scoto, à quo Henricus ob inſignem doctrinam commendatus fuit. Præterea reliquit vitam S. Eleutheri, Tornacenſium epiſcopi. Deceſſit poſtremo an. Rodolphi imper. qui Chriſti erat cIↄ CC XCIII: ejuſque ſepulchrum apud Nervios conſpicitur in Deiparæ æde primariâ. Appendicem operi Henrici de viris illuſtribus, attexuit Sillebertus, cognomento Univerſalis. Apud Valerium Andream legas obiiſſe an. cIↄ CCC XCIII. Sed ſeculo toto aberrat.

Guilhelmus de Samuco, Gallus, montis Carmeli Minorita, vixit temporibus Rodolphi imper. an. cIↄ CC LXXX. Hic Saracenorum vi ex Achonenſi urbe pulſus, Cyprum fugit, atque ibi Chronicon conſignavit de amiſſione mo-

naſteriorum terræ ſanctæ: & de multiplicatione ſui ordinis per Europam, atque alia.

Guilielmus de Bongevilla, patriâ Neuſtrius, ſed in Anglia diu peregrinatus, monachus Beccenſis, Chronicon ex variis Angliæ hiſtoricis concervatum reliquit ab anno milleſimo uſque ad cIↃ cc LXXX. quo ipſo inter homines vitam agebat.

Temporibus iiſdem præclarè de eruditis, licet ipſe parùm eruditus, merebatur Marcus Paullus Venetus, filius Nicolai Paulli, V. Cl. Nicolaus ille, cùm triennio, & quod excurrit, Orientem luſtrâſſet, comite tum uſus fratre ſuo, Matthæo Paullo, in Italiam rediit: nec multò pòſt iterum in Orientem profectus eſt, aſſumto filio hoc ſuo, Marco Paullo: anniſque multis in aula permanſit magni Cham Cublai. Hac occaſione Marcus filius tot Orientis terras vidit: nec vidiſſe ipſe contentus, etiam bonâ fide deſcripſit: ſed, in gratiam popularium, linguâ Italicâ. Interim bene eſt, quòd non defuit eâdem ætate, qui ſaltem, ut poſſet, Latinè verteret; hoc eſt ſemibarbarè, ut iſtoc ſeculo ſolent. Sunt qui fidei ejus detractum eunt: quia multa habet miranda. Sed quæ incredibilia prius videbantur, ea quotidie magis ac magis firmantur ab iis, qui Orientem luſtrant. Quod & de eo tradit Gulielmus Sciekardus lib. de Regib. Perſicis a.

a P. 187. edit. Tubing. an. 1618.

Brocardus Argentoratenſis, Ord. Prædic. qui Sixto Senenſi lib. IV bibliothecæ *Burgardus*, aliis *Burchardus* vocatur anno cIↃ cc LXXXIII in notitiam hominum venit deſcriptione terræ Sanctæ. Hoc in opere illa ſedulò explicuit, quæ oculis ſe obtuliſſent, dum eo in ſolo verſaretur. Diligentiſſimum ſcriptorem vocat doctiſſimus Maſius comment. in Joſuæ cap. x. verſ. 38. Bonæventuræ habuit prænomen. Sanè in Poſſevino & Simleto lego Pariſiis à Poncotte le Preux, editam Bonæventuræ Brocardi Palæſtinam. Quam editionem non vidi. Eum, ſed mutilè in lucem edidit Caniſius Tom. VI Antiq. Lect. in bibliothecâ crucigerorum Coloniæ MSum illius exemplar eſſe ſolet: quo in Hieroſolymæ, ac ſuburbanorum deſcriptione, uſum ſe ait Chriſtianus Adrichomius Delphius. Eundem Brocardum eſſe arbitror, cujus annales de geſtis Frederici in terra Sanctâ fuere apud Wolphangum Lazium; ut Simlerus ait in epitome & auctario bibliothecæ Geſneri.

Ejuſdem imperatoris ætate, anno cIↃ cc LXXXVII, fuit Guido de Columna, natione Siculus, patriâ Meſſanenſis: qui cum Eduardo I, Angliæ rege, ex bello Aſiatico revertente, in Angliam ſe contulit: ut Boſtonus Burienſis in catalogo refert. Hic nomen ſuum poſteris commendavit Chronico magno, quod librorum eſt XXXVI. Item multa tradidit de regibus, & rebus Anglorum: eſtque id opus inter ea, ex quibus ſua hauſit Robertus Fabianus, Anglus. Præterea hiſtoriam condidit de rebus Trojanis. Cujus MSus codex Cantabrigiæ eſt in biblioth. domus S. Petri, & Oxonii in bibl. Collegis Balliolenſis. Sed & in bibliothecâ meâ antiquum exemplar habeo manu exaratum. Incipit illud: *Licet cottidie vetera recentibus obvient*, &c. Inſcriptio operi eſt nulla: ſed auctor nomen ſuum in præfatione promit: etiam conſilium ſuum exponit. nam ait, Daretem Phrygium, & Dictyn Cretenſem, primos hoc argumentum tractâſſe, atque ita tractâſſe, ut probè conſentirent: hos Latinè eſſe tranſlatos à quodam, cui nomen eſſet Cornelius Romanus: fuiſſeque eum magni Salluſtii nepotem (quod commentum alibi refellimus) cæterùm hoc unum in iſtis culpari poſſe, quòd non pauca prætererint, quæ multùm allicere poſſent animos legentium: atque iſtoc in cauſſa eſſe, cur idem argumentum ſibi fuſiùs exponendum putârit. Iterum nominat ſe in epilogo; ubi & illud addit, hanc ſe hiſtoriam condidiſſe poſtulato Matthæi de Porta, archiepiſcopi Salernitani, viri doctiſſimi.

Anno cIↃ cc xc claruit Jacobus de Viragine, Ligurum oppido, qui vulgo de Voragine appellatur. Præſul fuit Genuenſium: eſtque is, cui Bonifacius Pontifex, loco verborum iſtorum, *Cinis es, & in cinerem reverteris*: verba illa occinebat, *Gibellinuſes, & cum Gibellinis tuis ad nihilum reverteris*. Ut quidem Blondus teſtatur, & ex eo Philippus Bergomas lib. XIII ad an. cIↃ cc XCI. At nihil de eo Leander Albertus; qui aliquantò fuſiùs ejus vitam perſequitur lib. IV de viris illuſtrib. Ord. Præd. Unde cetera peti poſſunt, quæ nos prætermimus. Nonnullis vocatur *Jacobus Genuenſis*: ut Chriſtiano Maſſæo ad an. cIↃ cc LXXV; quo cum anno claruiſſe ait. Hujus laus eſt, quòd primus omnium ſacra biblia in Italicam transfuderit linguam: ut Sixtus Senenſis teſtatur. Etiam inter alia reliquit Chronica Genuenſium, quorum teſtimonio, cùm alibi utitur Philippus Bergomas in Chr. Suppl. tum lib. XIII ad an. cIↃ CXLVI; ubi ex eo tradit, circa illud tempus primùm Genuenſibus fuiſſe conceſſum, ut pecuniam auream, & argenteam cuderent, eamque Cæſaris imagine inſignirent, cùm Ticinenſi antè monetâ uterentur. Idem auctor eſt hiſtoriæ Longobardicæ, quæ vulgò *Legenda aurea*, vel *Speculum Sanctorum* appellatur. Sed, ut Wicelius in Hagiologii ſui præfatione agnoſcit, iſtoc opere, ob tam multa incerta, atque etiam fabuloſa, haut optimè de Eccleſia meritus eſt: atque id ait, vel cæco parere: & propterea apud omnes cordatos tantum in contemtum veniſſe: ac nimis ſanè patientes eo cathedras auctore perſonuiſſe, inſuper habitis actis antiquiorum, quibus majori cum religione, & fide, vita, martyriaque ſanctorum tradebantur. Imò Ludovicus Vives dicere non dubitat, Legendam illam auream (ita enim vocari diximus) ſcriptam eſſe ab homine oris ferrei, cordis plumbei. Ut omnino ſatis laudari non poſſit eorum induſtria, qui ex antiquiorum fontibus, quàm talium lacunis, vitas ſanctorum, & haurire ipſi, & propinare aliis malunt. MSum hujus auctoris codicem ſemel iterumque invenies Cantabrigiæ in bibliothecâ domus S. Petri: item Oxonii in Collegii Balliolenſis bibliothecâ. Vitas ſanctorum quos Jacobus de Viragine prætererat, conſignavit Petrus Clodienſis; ut eſt apud Volaterranum lib. XXI.

Etiam imperante Rodolpho, comite Habsburgenſi, fuit Gerardus, Prior Dominicanus: per quem vitæ S. Dominici ab Jordano generali, fratre Conſtantino, & Humberto, vel potiùs Gerardo de Fracheto, ſcriptæ, luculenta acceſſio facta eſt. De eo ſic Theodoricus Appoldienſis in præfatione librorum de S. Dominico: *Tandem dilectus pater noſter, F. Gerardus, Prior provincialis Teutonicæ, rediens de generali capitulo in Luca celebrato, detulit quædam præclara geſta ſancti Dominici de Bononia; quæ ex ore ſororis, Cæcilia Romana, quam beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conſcripta ſunt. Quæ ſicut vidit, & audivit plenâ fide ſynceriſſime enarravit: ac quæ uſque ad annum Domini milleſimum ducenteſimum nonageſimum, religioſiſſimam & honeſtiſſimam vitam duxit.*

Tum quoque (ni fallor) claruit Balduinus Ninivenſis Flander, Canonicus ordinis Præmonſtratenſis. Reliquit Chronicon breve ab nato Chriſto ad an. cIↃ cc XCIV, quod MSum ſupereſt in Ninevenſi S. Cornelii abbatia apud Flandros. Non parum ei debet Ant. Miræus in Chronico ſuo Præmonſtratenſi.

Extremis quoque Rodulphi Habſpurgenſis temporibus, Theodericus, ſive *Dietricus Thuringus* edidit libros VIII, de S. Elizabeth, Andreæ, Ungarorum regis, filiâ, uxore Ludovici Pii, Thuringiæ, & Haſſiæ, Landgravii quincti. In præfatione refert, eos ſe libros ſcribere cœpiſſe an. Chriſti cIↃ cc LXXXIX. Addit, hunc fuiſſe annum LIX à tranſitu B. Elizabeth, quam an. cIↃ cc XXXI, III Kal. Dec. deceſſiſſe, auctor eſt Tritthemius. Ibidem ait, ſe jam pluſquam ſexagenarium eſſe, & annos XLII in ordine ſuo compleviſſe. Quos etiam ſecutus ſit auctores, enarrat. Habes apud Caniſium T. V. Antiq. Lect. MSus ſupereſt in monaſterio S. Galli.

## Cap. LXI.

*Anglici ſcriptores undecim: puta Thomas Spottus, ſeu Sprottus, cujus hiſtoriam de rebus Cantuarienſium Gu-*

*Guilielmus Thornus exſcripſit: Petrus Ickehamus, ſeu Yckehamus, qui genealogiam regum Britannicorum explicuit: Joannes de Hayda, qui de paſſione S. Laurentii, & vita S. Malchi, egit: Rogerus Baconus, clarus coſmographiâ, deſcriptione Palæſtinæ, & libro de rerum miraculis. Joannes Burienſis, Joannes Rufus, Thomas Wiccius, & Gregorius de Wintonia, annalium, vel chronicorum, conditores. Sigeardus de vita S. Albani. Nicolaus Falcon. Gualterus Exceſtrienſis de vita S. Guidonis. Joannis Caſtorii Chronicon. Quid poſteriori ævo* bebrum, *ac* bebrinas pelles *dixerint.*

ATque iſti coætanei quidem fuere Rodulphi Habſpurgenſis; ſed orti terris, quas dixi: quos verò nunc ſubjungam, domo Britanni, hiſtoriam publicis ornavere monumentis.

Ut Thomas Spottus, vel Sprottus, Anglus, monachus Benedictinus, ad fanum B. Auguſtini. Claruit ann. cIɔ cc LXXIV, ſub Eduardo primo. Memoriam ſui propagavit hiſtoriâ Cantuarienſium, ac vitis abbatum Benedictinorum ſui cœnobii, ab adventu Auguſtini, Anglorum, ut vocant, Apoſtoli, uſque ad annum gratiæ cIɔ cc LXXII. MSum ejus exemplar habet bibliotheca Gualteri Copi. Idem argumentum poſtea tractavit Guilielmus Thornus, ejuſdem Benedictinorum cœnobii monachus. Hic pleraque omnia exſcripſit, pauca de ſuo adjicere contentus, quæ Spottum fugiſſent.

Ad eadem tempora à Lelando refertur Petrus Ickehamus, ſive de Yckeham, Anglus: qui cùm Lutetiæ Pariſiorum ageret, poſtulato Philippi, Academiæ tum temporis Cancellarii, elucubravit genealogiam regum Britanniæ. Sed Gallicè, quia in Galliis degeret. Eam orditur à fabuloſi illius Bruti in inſulam adventu, atque ad Eduardum, primum, poſt Conquæſtorem, ejus nominis regem, perducit. Alio etiam opere exſecutus eſt Reges Angliæ. Aliqua etiam ejus exſtare dicuntur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quâ linguâ, non ſatis ſcio.

Joannes de Hayda creditur ſub Eduardo primo vixiſſe an. cIɔ cc LXXX. Cùm alia ſcripſit, tum paſſionem S. Laurentii, & vitam S. Malchi monachi.

Rogerus Baconus, Anglus, Franciſcanus, claruit ſub rege Angliæ, Eduardo primo: eodemque regnante, obiit anno cIɔ cc LXXXIV. Permulta ſunt, quibus nomen ſuum poſteritati tradidit: interque ea eſt Coſmographia, ſive liber de regionibus mundi. Qui MSus habetur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item eſt alter de locis ſacris, ſive de ſitu Palæſtinæ. Alius præterea de rerum miraculis. Hic eſt Rogerus ille, ad quem S. Bonaventura opuſculum ſuum miſit de tribus Minoritarum capitibus, paupertate, manuum labore, & legendi ſtudio: qui & ſuper iis Bonaventuræ reſpondit.

Joannes Burienſis, Anglus, abbas ad Eadmundi fanum, claruit an. cIɔ cc LXXX ſub Eduardo rege. Sanè anno cIɔ cc LXXIX Romam profectus fuit, ut à Nicolao III. confirmaretur: quemadmodum Joannes Euerifdenus in temporum ſerie refert. Compoſuit gentis ſuæ annales: in quibus, ut Lelandus teſtatur, locupletiùs chronographis aliis expoſuerat rem geſtam inter Groſſeteſtum ſeu Capitonem, & pontificem Innocentium IV.

Joannes Rufus, Anglus, qui aliàs Keade, monachus Dominicanus, floruit an. cIɔ cc XC, aut circiter. Condidit autem annales Britanniæ: item Chronica de imperatoribus, & pontificibus Romanis: quæ Nordovici in Carmelitarum collegio fuiſſe, auctor eſt Lelandus.

Thomas Wiccius, ſive *Wycke*, Anglus, Oxonii Canonicus regularis de Oſneye, itidem ſub Eduardo primo, Angliæ rege, clareſcebat. Reliquit Chronicon, in quo recenſet res Britannicas à Guilielmo Notho, ſive an. cIɔ LXVI, uſque ad ſenectutem ſuam, ſive poſtremos Eduardi regis annos. Item librum compoſuit de abbatibus ab Oſneye, quos à prima monaſterii ſui fundatione exorditur, ac perducit uſque ad annum cIɔ cc XCI, quo floruit.

Coætaneus eidem fuit Gregorius Cairguent, ſive de Wintonia, Anglus. Hic in notitiam hominum pervenit annalibus cœnobii Glonceſtrienſis, Benedictinorum regulam profeſſi, cujus monachus factus fuit an. cIɔ cc XXXVII. Annales hi annos Iɔ LVIII fuere complexi. Nam orſus eſt ab anno Iɔ C LXXX, & deſiit in an. cIɔ cc XCI. Ut ſatis liqueat, annis minimùm LIV in cœnobio Gloceſtrienſi vixiſſe.

Addam his tres Anglos, qui ejuſdem quidem Eduardi I. temporibus claruerint, ſed defuncto jam imperatore Rodulpho: qui aliquot annis ante Eduardum deceſſit.

Anno cIɔ cc XCVII Sigeardus, monachus cœnobii S. Albani, literis mandavit vitam S. Albani martyris: ut Tritthemius teſtatur in epiſtola ad Albertum Moguntinum. Videtur eſſe ea ipſa, quam Caniſius edidit T. v. Antiq. Lect.

Quartodecimo ſeculo inchoante, fuit Nicolaus Falcon cujus codex MSus Oxonii in bibl. Collegii Mertonenſis exſtat, cum ejuſmodi Epigraphe: *Liber hiſtoriarum partium orientis, quem ego Nicolaus Falcon ſcripſi primùm Gallico Idiomate, & de Gallico tranſtuli anno* cIɔ ccc. Uti in verò non fallamur conjectura, qui eum inter Brittannos referamus, melius dicent, qui legêre.

Item tum claruit Gualterus Exceſtrenſis, Anglus, monachus ordinis Prædicatorum; qui libro uno complexus eſt vitam Guidonis, inclyti comitis Warwicenſis: ut eſt apud Balæum Cent. x. Hoc opus cùm in Cornubia ageret apud S. Carocum, edolavit rogatu Balduini, Ciceſtrenſis civis, an. cIɔ ccc I.

Quinquennio pòſt diffundebat in Anglia nomen ſuum Joannes, ſeu Caſtorius, ſeu Fiberius, ſeu Beverius. Variè enim vocabatur, ſed re eodem redeunte: quia qui Germanorum, & Anglorum linguâ, *bever*, is Latinis dicitur, & *caſtor*, & *fiber*: ex quo Germanicum *bever*: imò & exinde *pelles bebrinæ*: hoc eſt Ponticæ, ut vetus Juvenalis ſcholiaſtes in Sat. II ait. nempe à bebro, ſeu fibro, qui aliter canis Ponticus. Sanè fibrum quoque dici bebrum, ait idem ſcholiaſtes ad ſat. XII. Caſtorius hic monachus fuit Weſtmonaſterienſis ſub Benedicto Burſino. Famam ſibi peperit Commentario de rebus Weſtmonaſterienſibus. Item Chronicis ſuis: quamquam iſtud in iis illaudatum, quòd à fabuloſi illius Bruti in Britanniam adventu ordiatur. Pertexit illa uſque ad annum cIɔ ccc VI.

## CAP. LXII.

*Theodericus Appoldienſis de vita S. Dominici. Falsò ejus putari vitam S. Eliſabeth Ungaræ. Aitoni, ſive Haitoni, de Tartaris, itinereque in Palæſtinam, liber, à Nicolao Sulcone, juſſu Papæ Clementis quinti, è Gallico Latinè verſus. Conradus Germanus, monachus ordinis Præd. de vita S. Dominici. Stephanardi, monachi Dominicani, Chronicon carmine expoſitum. Quæſitum, utrùm ſit idem, ac Stephanardus Flamma, qui carmine prodidit hiſtoriam de inſidiis Ottoni vicecomiti paratis ab epiſcopo Comenſi. Engelberti, Admontenſis abbatis, diſſertatio de ortu, & fine imperii Romani. Heinrici à Clingenberg, Conſtantienſis, hiſtoria de comitibus Habſburgenſibus. Bernardi Guidonis Chronicon, aliaque ejuſdem. Petrus Calo de vitis Sanctorum. Gervaſii Ricobaldi Pomærium, ejuſdem argumentum, ſpeſque facta editionis à Petro Scriverio. Egilwardus de vitâ S. Burchardi. Petrus Pictavienſis de itinere ſuo ad Aiam inſulam. Spiſſius ἀνωνυμος χρονολόγος chronologi, qui à Pictavienſi hoc elaboratam hiſtoria ſacra ἀποσπασμ edidit. Henrici Steronis annales, cum Ulrici, & Conradi Wellingorum appendice. Eberhardi Altahenſis annales ex Steronis, ut videtur, fontibus toti penè derivati. Duplex Chronicon Guilielmi de Nangiaco, ſuperque ſcriptoris ejus cognomine error quorundam.*

*dam. Suffridi, Miſnenſis presbyteri, chronicon.*

TEmporibus imperatoris Rodolphi, comitis Habſpurgenſis, item Adolphi Naſſovii, & Alberti Auſtriaci; quorum ille ſexennio, hic decennium imperavit, claruit in Germania Theodericus de Appoldia, Erfordienſis, Dominicanus, qui libris VIII vitam S. Dominici ſcripſit ad Nicolaum, magiſtrum generalem ordinis Prædicatorii. Habet Surius Tom. IV die V Aug. Unde verò eam compilârit: ex præfatione ipſius Theoderici cognoſces. Ait Poſſevinus, atque adeò etiam Leander Albertus lib. IV de illuſtribus Ord. Præd. viris, ab eodem exaratam eſſe Legendam Elizabethæ, filiæ regis Ungariæ. Sed ejus auctor eſt Theodericus Thuringius, de quo alibi.

Æqualis Theoderico de Appoldia erat Aitonus, ſive Haitonus, Armenius, quo cognomento etiam appellatur à Schickardo libro de Regibus Perſicis *a*. Fuit Aitoni, Armeniæ regis, nepos, monachus ordinis Præmonſtratenſis in Cypro; ut ipſe indicat cap. XLVI: Nec alius ab eo eſt Antonius Curchinus. Nam pro *Aitonus* poſtquam eſt factus monachus dictus eſt Antonius. At *Curchinus*, vel *Curgginus* (uti obſervatum à Leonclavio Pandecta Turcica cap. III.) corruptum ex *Georgianus*. Sanè Georgiani Armeniæ vicini à S. Georgii veneratione putantur hoc nomen conſecuti. Porrò Aitonus non alio nomine qualem qualem hic ſibi locum depoſcit, quàm quia librum de Tartaris Gallicè Pictavii, ex mandato Clementis V, dictârit Nicolao Salconi: qui eum deinde, eodem Pontifice mandante, anno cIɔ CCC VII tranſtulit Latinè: ſed ſeculi illius more, quo tantopere barbaries regnabat. In extremo verò hoc opere etiam deſcribit iter, ſive, ut interpres Nicolaus vertit, paſſagium terræ ſanctæ.

a Pag. 17.

Coætanei quoque his erant, Conradus, Germanus, & Stephanardus è Vicomercato, Italus, patriâ Mediolanenſis: uterque monachus ordinis Prædic. De his ita Leander Albertus lib. IV de viris illuſtr. Ord. Præd. *Intuere illum Germanum, olim provincia Germanica præfectum, Conradum nomine, portantem* VITAM *parentis* DOMINICI, *claro, & non ineleganti ſtylo ab ſe editam circa annum Domini* cIɔ CC XC: *& cum eo pariter incedentem Stephanardum ex Vico Mercato Mediolanenſem, virum doctrinâ clarum, deferentem* CHRONICAM *metricè ab ſe ſcriptam. Qui primus ex ordine Prædicatorum Theologiam in domicilio Mediolanenſi publico ſtipendio docere cœpit circa annum ſalutis* cIɔ CC XCII. Meminit ejus, tam ſcriptoris, quàm operis, Boſtonus quoque Burienſis in catalogo ſcriptorum Eccleſiæ. MSum verò Chronicorum Stephanardi exemplar eſt apud V. Cl. Laurentium Pignorium. Inſcribitur autem, *Manipulus florum*, ipſe etiam *Stephenardus* vocatur per ſecundam vocalem ſyllabâ ſecundâ. Quod inde eſt, quia, qui Italis aliis eſt *Stephano*, is Mediolanenſibus eſt *Stefen*: uti & Germanis, ac ſimiliter Belgo-Germanis, *Steven*. Ex eodem Pignorio intelligo, verſus integros ex hoc Stephanardo excerptos legi apud *auctorem Chronici de geſtis Turrianæ gentis*: quem chronographum ait videri vixiſſe circa annum cIɔ CCCCXLVI.

Diſpiciendum, an non idem ſit Stephanardus Flamma. Nam præterquam quòd nomen convenit: etiam metro hiſtoriam tractabat: nec ætas diſconvenire videtur, ut mox liquebit. Hic carmine hiſtoriam comprehendit de inſidiis Ottoni vicecomiti, Papâ, ut à plerìſque creditum eſt, conſcio, ab epiſcopo Comenſi ſtructis. Jovius in vita Othonis Vicecomitis: *Refert Stephanardus Flamma, qui eam hiſtoriam carmine conſcripſit, Pontificem ipſum (quod vix credibile eſt) nefarii conſilii conſcium fuiſſe: quod fortaſſe pro falſo eſſet omittendum, niſi & tum, & poſtea, quantum vita ſuperfuit, Othoni animum hoſtilem, & quo letaliùs noceret, inſidioſis honeſtorum verborum coloribus convelatum, oſtendiſſet.* Obiit Otho is anno cIɔ CC XCV, ut oſtendunt verſiculi iſti Mediolani in templo maximo inſcripti ſepulcro:

*Mille ducenteno quinto, noviesque deceno,*
*Quarto hic Auguſti bis liquit gaudia mundi.*

Eodem autem tempore, ac Otho, claruiſſe Stephanardum, planè ſit veriſimile. Et fortaſſe hæc hiſtoria à Jovio memorato tantùm portio aliqua eſt Chronicorum, de quibus paullò antè ex Leandro vidimus. Certiora omnino adferemus, ſiquando felicitas eadem, quæ fuit Leandro, ac Jovio, obtigerit etiam nobis: putà ut non tam ex illis, quàm Stephanardo ipſo, ſapiamus.

Engelbertus, abbas Admontenſis monaſterii (quod in Styria eſt ad Amaſum amnem ultra Perium montem) innoteſcere orbi cœpit temporibus Rodolphi Habſpurgii imp. cujus electionem carmine heroico celebravit: at imperante Adolpho Naſſovio, anno cIɔ CC XCVII, abbas eſt electus. Compoſuit multa, quæ memoratum monaſterium ſedulò ſervat. Atque inter ea eſt liber à Gaſpare Bruſchio ante LXX annos publici juris factus. Is inſcribitur, De ortu & fine imperii Romani. Ex parte quidem eſt hiſtoricus; ſed in quo multùm philoſophetur de fine ejus imperii, quem & mundi finis ſit excepturus.

Henricus à Klingenberg, quinquageſimus primus Conſtantienſium epiſcopus, dignitatem eam adeptus eſt anno cIɔ CC XCIX, atque annis ſeptem tenuit: ut in illuſtribus Germaniæ viris tradidit Pantaleo. Præter quæſtionem de angelis, etiam Hiſtoriam condidit Comitum Habſpurgenſium: cujus meminit Eiſingrinius.

Bernardus Guidonis, Lemovicenſis, Dominicanus, Epiſcopus Laudonenſis, claruit anno cIɔ CCC: ac reliquit Speculum ſanctorum libris II; Chronicum Cæſarum, & Pontificum, libris itidem II; Chronica regum Francorum libro I; Chronica comitum Toloſatium lib. I; Geſta Prædicatorum lib. I.

Petrus Calo, Clugienſis, Venetus, Ord. Min. circa annum cIɔ CCC fusè ſanctorum vitas perſcripſit. Laudat eum Leander Albertus lib. IV de viris illuſtribus Ord. Præd. & Wicelius in præfat. ſui Hagiologii. Idem Leander opus ſuum de Italia claudit his verbis. *Petrus Calatius ordinis Prædicatorum monachus, admodum exactè ingentia duo volumina de vitis divorum ſcripſit: quæ in bibl. Dominicanâ Bononiæ ſervantur.*

Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis vitas Romanorum Pontificum perduxit uſque ad annum cIɔ CCC; quo vixit, teſte Raphaële Volaterrano initio libri XXII commentariorum Urbanorum. Meminit ejus his verbis Hieronymus Rubeus Ravennatis Hiſtoriæ lib. II: *Ricobaldus Ferrarienſis, Ravennatis Eccleſiæ Canonicus cardinalis, graviſſimus hiſtoriarum ſcriptor, eo libro, quem Pomerium inſcripſit: In adventu Attilæ, inquit, de Ravenna ſic legi in commentario Pontificio ejus urbis*, &c. Item lib. III: *Miror Ricobaldum, Eccleſiæ Ravennatis Canonicum cardinalem, & Blondum, diligentiſſimos ſcriptores, putare*, &c. Pleniuſque idem de eo lib. VI, ad annum cIɔ CC XCII: ubi hæc legas; *Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis, Canonicus Ravennas, hoc tempore rerum Romanarum Ravennæ ſcripſit hiſtoriam: illiuſque alio libro Epitomen: in qua cùm nonnulla tractet de Eccleſia, urbeque Ravennati, illi titulum ob id fecit, Pomerium Ravennatis Eccleſiæ: adſcribuntur autem ad calcem Ravennatum nomina archiepiſcoporum: iſque hodie liber in bibliotheca Vaticana manuſcriptus habetur.* Sanè quod in Vaticana exſtare bibliotheca hîc dicitur, idem quoque monitum ei, qui Gratianum cum gloſſis edidit Venetiis ex Juntatum officina an. cIɔ Iɔc XV. Præterea verò MSum codicem in Batavia habet Clariſſimus doctiſſimuſque Petrus Scriverius. Is, Gervaſii nomine prætermiſſo, inſcribitur hoc pacto: *Ricobaldi Ferrarienſis Pomerium Eccleſiæ Ravennatis.* Incipit autem, *Inſtantia tua, venerande pater, ac domine Michaël, ſanctæ Eccleſiæ Ravennatis archidiacone, abnuere nequeo.* De ætate ſcriptoris, quod ex Volaterrano, & Rubeo, dicebam, id his Ricobaldi ipſius verbis idem amicus noſter liquidò adſtruebat: Anno cIɔ CC XCV,

*Adul.*

*Adolfus Comes, Alamannus genere, Rex Alamaniæ, Imperator eligitur, qui hodie regnat.* Cur Pomerium inſcribatur, hæc ejuſdem Ricobaldi in præfatione verba oſtendunt: *Feci, ut qui ex multis pomeriis potiora eligendo unum conſevit: ſic tandem ex pomeriis virorum præſtantium iſta delegerim. Ajo ex pomeriis Hieronymi, Proſperi, Mileti, Iſidori, Eutropii, Paulli Diaconi, Rufini, Petri Trecenſis, Paulli Oroſii, & T. Livii Patavini: quorum celebre nomen habetur.* Quibus in verbis Scriverius ubique *pomarium* reſcribit: quemadmodum & opus ipſum *Pomarium* cenſet vocari oportere. Et ſanè ratio, quæ à Ricobaldo adſertur, pomano, vel pometo convenit. *Pomerium* autem Latinum non eſt. *Pomœrium* Latinum quidem, ſed hìc locum non habet. Magis tamen eò inclinat animus, ut Ricobaldi, quàm librarii, culpam putem. Nam cùm iſtoc ſeculo, quo Ricobaldus vivebat, paſſim *pomerium* pro *pomœrium* ſcriberetur: *pomerium*, & *pomarium*, ejuſdem, & originis, & notionis eſſe exiſtimarunt. Atqui *pomarium* quidem dixere veteres, ubi pomi feruntur; qui locus, Charſio teſte, etiam *pometum* vocatur: at *pomœrium* ex eo nuncupatum, quia *poſt muros*, hoc eſt muros, foret. Eſt autem Ricobaldi opus in ſex digeſtum partes. Prima ab orbe condito ad diluvium progreditur: inde ad Abrahæ nativitatem, & antiquiſſimos reges, eorumque ſucceſſores, qui juxta temporis ſeriem referuntur. Altera eſt ab nativitate Abrahæ uſque ad conditam Romam. Tertia ab Urbe condita uſque ad natalem Chriſti. Quarta continet hiſtoriam Cæſarum Romanorum; ſed ita ut ſubinde alia admiſceat. Quincta deſcribit orbem terrarum. Sexta tum ſucceſſiones, & geſta Pontificum Romanorum exponit: tum Pontifices recenſet quatuor illuſtrium Eccleſiarum, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Alexandrinæ, & Ravennatis. Cur autem Archiepiſcopos Conſtantinopolis prætereat, hanc adfert cauſſam, quòd non ab Apoſtolorum ætate, ſed à temporibus demum cœperint Conſtantini Magni. Atque hæc periocha eſt totius operis; quod, ſpero, aliquando beneficio Scriverii lucem videbit. Omnino enim eâ dignior eſt, quàm alii multi ejuſdem, & proximi ſeculi ſcriptores. Eoque, præſtantiſſimus ille vir, quem dixi, jamdiu mente concepit editionem ejus, unà cum Reginone, Sigeberto, atque aliis melioris notæ chronologis: ac, quamquam annalibus patriæ, aliiſque multis diſtentus, tamen necdum animum illum abjecit.

Ad hæc etiam tempora refertur Egilwardus Germanus, monachus cœnobii S. Burchardi, Wirceburgenſis, ſeu Herbipolenſis epiſcopi; cujus & vitam conſcribillavit. Quæri poſſit, utrùm Egilwardi ſit ea brevicula Burchardi vita, quæ eſt apud Caniſium Tom. IV. Antiqu. Lectionis: an illa fuſior apud Surium Tom. V, die XIV Octobris. Sed planè ei tribuerim eam, quæ apud Surium exſtat: uti & facit Baronius Tom. IX. Annal. ad annum IↃ CC XLVIII. Qui hoc in Egilwardo ibidem requirit, quòd in Burchardi vita non ſatis tempora diſtinxerit. Vixit Burchardus ille ætate S. Bonifacii, Moguntini archiepiſcopi. At Egilwardus ſeculis V, ac dimidio, junior eſt: quippe qui poſt annum claruerit cIↃ ccc; ut etiam Poſſevinus arbitratur. Is qui in literas miſit vitam S. Kiliani à Caniſio repræſentatam, pollicetur & vitam S. Burchardi. Itaque Caniſio videtur idem, & auctor vitæ S. Kiliani, & S. Burchardi. Sed, ut ego quidem cenſeo, nihil hinc certi colligere poſſumus, quia plures vitam Burchardi edidere: imò ne hoc quidem ſatis liquet, an ſcriptor ille vitæ Kiliani præſtiterit iſtoc, quod promiſit.

Circa annum milleſimum trecenteſimum claruit item magiſter Petrus Pictavienſis, monachus, & Prior major clauſtralis monaſterii ſanctorum Petri, & Pauli Cluniacenſis. Scripſit de itinere ſuo ad Ajam inſulam. Item Panegyricum S. Gelaſii II Papæ, ſepulti Cluniaci. Item alia complura, quæ à Poſſevino commemorantur, ac Cluniaci manuſcripta exſtant. Præter quæ etiam contexuit *ſummam hiſtoricam biblia*: ut quidem appellavit ipſe. Id opuſculum Huldricus Zuinglius junior cum chronologia ſua à Julio Cæſare uſque ad noſtra tempora Baſileæ in lucem edidit: ſed inſcripſit, genealogiam & chronologiam ſanctorum patrum. Idem præfatione ad lectorem refert, in autographo legi, opus iſtud an. cIↃ cccc LX fuiſſe deſcriptum à Laurentio Wammer, cui de Vrach cognomen fuit: atque inde ſe colligere, auctorem ejus vixiſſe anno trecenteſimo, aut quadringenteſimo (*poſt milleſimum* addere debuit) eodemque tempore floruiſſe magiſtrum ſententiarum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, atque alios. Quæ ſanè parùm convenienter à chronologo hoc dicuntur. Nam magiſter ſententiarum floruit anno cIↃ c XL: Thomas Aquinas natus eſt anno cIↃ cc XXIV, atque obiit anno cIↃ cc LXXIV. quo ipſo & denatus Bonaventura. Ut profectò iſti ὁμήλικες eſſe non poſſint Petro Pictavienſi; quem nos quidem referimus ad annum milleſimum trecenteſimum: ille autem fortè etiam toto ſeculo pòſt, cùm claruit Petrus ab Alliaco, archiepiſcopus Cameracenſis, (nam & eum, ut contemporaneum nominat) vixiſſe profitetur.

Rodolphi Habſpurgii, Adolphi Naſſovii, & primis Alberti Auſtriaci temporibus, floruit Henricus Stero, in Altaich inferiore monachus, ſub abbate Hermanno, atque ejuſdem Capellanus: ut de ſe ipſo teſtatur. Poſtea abbatem fuiſſe in Piburg, nonnullorum ſuſpicio eſt: atque id colligunt ex quodam ipſius Steronis loco, vel alterius, qui de ſuo aliquid Steroni inſeruerit circa operis finem. Annales eos condidit Stero ab anno cIↃ c LII, quo imperare cœpit Fredericus Barbaroſſa, uſque ad annum cIↃ cc LXXIV, quo Rodolphus Habſpurgius imperium eſt conſecutus. Primus hoc opus inter aliquot ineditos rerum Germanicarum ſcriptores divulgavit Marquardus Freherus: poſtea autem multis partibus auctius edidit Henricus Caniſius Tom. II. Antiqu. Lect. Præterea Stero, ſeu primus, ſeu poſt Eberhardum, de quo mox dicam, hiſtoriam contexuit de rebus Rodolphi Habſpurgii: item Adolphi Naſſovii, & quibuſdam geſtis Alberti Auſtriaci, uſque ad ann. cIↃ ccc. Appendicem verò uſque ad annum cIↃ ccc XXXV addidere ei Ulricus, & Conradus Wellingi fratres, monachi cœnobii S. Udalrici, & Afræ Auguſtæ; ordinis S. Benedicti. Et illa Steronis poſt annum cIↃ cc LXXII, & Wellingorum appendicem de annis XXXIV proximè conſecutis, reperies in ſcriptoribus rerum Germanicarum editis à Frehero.

Steroni æqualis fuit Eberhardus Altahenſis, archidiaconus Eccleſiæ Ratiſponenſis; cujus & Geſnerus in bibliotheca ſua meminit. Annales ſcripſit de ducibus Auſtriæ, Bavariæ, Sueviæ, annorum CXXXII: nempe ab anno cIↃ cc LXXIII, (quo Rudolphus Habſpurgius cœpit imperare) uſque ad annum cIↃ ccc V. Primus, è codice manuſcripto monaſterii ſanctorum Afræ & Udalrici, quod eſt Auguſtæ Vindelicorum, divulgavit Henricus Caniſius Tom. I. Antiquæ Lect. Etſi autem non pauca habeat Steroni, de quo proximè loquebamur, indicta: convenit tamen in multò plurimis, ſeu res, ſeu verba etiam ſpectes: uſque adeò, ut aliud dicere non poſſimus, quàm vel ex Eberhardo Steronem, vel, quod potiùs ſuſpicor, è Steronis horreis ſuas Eberhardum cumeras immenſum quantum ditâſſe.

Guilhelmus de Nangiaco, ſive Nangius (qui Poſſevino perperam Nannius, Baronio *a* Mangius monachus fuit Benedictinus, S. Dionyſii; inque notitiam poſteritatis duplici pervenit chronico. Unum eſt ab orbe condito uſque ad annum cIↃ ccc I; quo vivebat. Atque hoc duo viri religioſi ejuſdem, in quo Nangius egerat, monaſterii, produxere uſque ad annum cIↃ ccc LXVIII: MSum autem reperitur in monaſterio S. Germani. Alterum eſt chronicon regum Galliæ: unde eſſe videtur Frodoardi continuatio, uſque ad annum cIↃ ccc I: quæ legitur in annalibus Francorum à Pithœo editis. Etiam geſta ſcripſit S. Ludovici, Francorum regis. Item geſta filii ejus, Philippi III, cognomento Audacis, fratris Roberti ejus, qui Borboniæ familiæ auctor fuit. Utrumque opus ex ejuſdem Pithœi bibliothecâ prodiit in Germaniâ *b*.

*a Ad an. 987.*

*b Francof. an. 1596. Typis Wechelii.*

Siſridus, presbyter Miſnenſis, Chronologus, vixit tempore Alberti Auſtriaci imperatoris. Orditur ab orbe condito, ac progreditur uſque ad annum cIↃcccvii. Sed Georgius Fabricius reſecuit omnia illa, quæ præcedunt annum gratiæ ccccLviii, atque ex ſequentibus quoque plurima præterit. Nempe ſatis ei viſum fuit, ſi haberemus, quæ alii, vel neglexiſſent, vel breviùs, aut obſcuriùs dixiſſent. At hiſtorias ſacras ex ſacro fonte, eccleſiaſticas ſanctorum hiſtorias ex antiquioribus, qui eas ornatiùs, & fuſius, & fide minus ambiguâ, tractaſſent, utiliùs nos hauſuros arbitrabatur. Epitomen eam Suffridi ſubjunxit Fabricius hiſtoriæ ſuæ Saxonicæ: ac eandem in ſcriptoribus rerum Germanicarum à ſe editis comparere voluit Piſtorius.

## Cap. LXIII.

Volcomarus Furſtenfeldenſis *de rebus Boicis. Joannes Diaconus Veronenſis. Anonymus, auctor Chronici de ſeptem ætatibus. Annales Pontificum Max. & Impp. compoſiti* à Bernardo de caſtris S. Vincentii. Robertus Beſtonus *de obſidione Strivelinenſi, & bellis Scoticis, atque ut ab hoſtibus captus celebrare eos coactus ſit.* Thomæ de La-Moore *Angli commentarius de vita ac morte regis ſui, Eduardi* ii.

Sub imperatore hoc Alberto Auſtriaco, qui an. cIↃcccix deceſſit; atque item Henrico vii, qui poſt eum quinquennio imperavit, non infimum in choro eruditorum locum obtinebat Volcomarus, qui à conſiliis fuit Ludovico, parenti Ludovici ejus, qui Henrico vii anno cIↃcccxv ſucceſſit. Præfuit cœnobio Furſtenfeldenſi, ac res Boicas conſignavit, ab irruptione Bojorum in provincias Romanas, uſque ad annum Chriſti cIↃcccxiv: quo in terris agere deſiit. Ac præſtitit hoc non infeliciter; ut de eo judicat Joannes Aventinus: qui & ejus ſe induſtriâ plurimùm fuiſſe adjutum fatetur in Bojorum annalibus contexendis. Vide illum in ſcriptoribus præmiſſis libro iii annalium. Pleniuſque idem de eo lib. vii, ad annum cIↃcccxiv: *Volcmarus*, inquit, *tum obiit, Furſtenfeldenſium antiſtes; qui Ludovico* ii, *Rudolpho, & Ludovico* v, *& Machthilda, principibus noſtris, à conſilio fuit; annaleſque Bojorum, qui autographi exſtant, ab irruptione eorum in provincias Romanas, hoc eſt ab anno Chriſti* Iↄviii *ad annum* cIↃcccxiv, *quo obiit, deduxit. Suâ memoriâ res geſtas, quibus etiam interfuit, accuratè perſcripſit.* Chriſtophorus Gewoldus præfatione ſuâ in Chronicon Reicherſpergenſe, (quod ante quadringentos annos ſcriptum erat) conqueritur. Conradi hoc opus, quo necdum integro ante ſeculo uſus eſſet Aventinus, ſuo jam tempore nuſquam ampliùs comparêre.

Ejuſdem Alberti & Henrici vii temporibus, fuit Joannes Diaconus Canonicus Veronenſis, qui hiſtoriam condidit ab Julio Cæſare, uſque ad Imperator. Henricum vii Luccenbergenſem, ut reperi in indiculo ſcriptorum Veronenſium exarato ab Alexandro Becello, Cancellario Veronenſi.

Temporibus quoque Henrici vii vivebat anonymus auctor Chronici de ſeptem ætatibus: cujus tale initium: *Cum relictâ non ſponte genitalis ſoli dulcedine in urbe Ravenna relegatus degerem, & cum canonicis Eccleſiæ majoris in choro, ac eorum laribus, converſarer*, &c. Exinde refert, ut hoc in opere ſequatur B. Hieronymi Chronicon Euſebianum: & quia illud non procedat ultra Honorii tempora; ipſe cætera (ut verba ejus retineam) *ex aliis commentariis, & libris hiſtoriarum addiderit, uſque ad tempus Henrici Auguſti; qui obſeſſâ Brixiâ eam obtinuit. Quod fuit anno milleſimo trecenteſimo duodecimo.* Utrùm autem hoc anno & ipſe vixerit, non auſim aſſeverare. Manuſcriptum hujus operis exemplar, Ivonis Carnotenſis Hiſtoriæ conjunctum, habet virtute doctrinâque ornatiſſimus, & mihi amiciſſimus juvenis, Gulielmus Oomſius Amſtelodamenſis.

Claruit quoque, Alberti Imperatoris ætate, Bernardus de Caſtris S. Vincentii, ejuſdem cœnobii præfectus. Hic, ut Leander Albertus ait lib. iv. de illuſtribus viris Ordin. Prædicatorum: *Chronica ſcripſit ordin. prædicator. uſque ad annum* cIↃccciv. *Cujus archetypus in Bononienſis cœnobii bibliotheca in membranis ſepoſitus eſt adeò incomtus, (ut puto, ſcriptoris incuriâ) ut quandoque vix de narratis elici ſententia poſſit accommodata. Contexuit is venerandus pater etiam annales Pontificum Max. & Imperatorum, uſque ad Joannem* xxii. *Item tractatum de ſynodis generalibus, ſeu conciliis, à primo concilio, ab eccleſia celebrato, uſque ad ſua tempora. Hoc opuſculum Hieronymus Albertinus Bononienſis in Annalibus ſuis ſe aliquando vidiſſe in bibliotheca Papæ in Palatio S. Petri affirmat. Floruit circa annum* cIↃcccv. Hactenus Leander.

Complures verò, imperante Henrico vii, floruere in Anglia ſub Eduardo ii, qui poſt parentem ſuum Eduardum i, anno cIↃcccviii, regni habenas tenebat.

Sanè ſub utroque hoc Eduardo, haut aliter ac Luna inter minores, ut poëta loquitur, ignes, micabat Robertus Beſtonus, qui aliis Baſton, nobilis Britannus, Scardeburgenſis Carmelitarum cœnobii monachus, rhetor, & poëta laureatus. Primum nominis ſibi decus peperit poëmate de obſidione Strivelinenſi: in qua, quæ geſta eſſent, coram viderat. Nam rex Eduardus i, ad obſidionem eam ſe accingens, poëtam comitari juſſerat, ut quam de Anglis jam animo victoriam ipſe concepiſſet, carmine hanc ille conſecraret. Contigit hoc anno cIↃcccix. Sed profectò,

*Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ.*

Nam bonus poëta ſequenti anno capitur à Scotis: & quæſtionis cruciatibus a Roberto Bruſſio, cujus magna tum potentia erat, eò adigitur, ut, argumento in contrarium mutato, victoriam celebret, quam illo Scoti anno de Anglis reportaſſent. Egit & de aliis Scotorum bellis, ſive, ut ipſe inſcripſit, guerris. Horum auctores habemus, Hectorem Boëthium lib. xiv. Hiſtoriæ Scoticæ, Joannem Majorem Chronic. lib. v. cap. iii & v, Joannem Balæum in ſcript. Britann. centur. iv. cap. xcii. Præter quos & Boſtoni hujus meminit Nicolaus Thriveth: de quo inferiùs dicemus. Adi quoque Petrum Lucium in catalogo de Carmelitis.

Etiam Thomas de La-Moore Anglus ſub primo ſecundoque Eduardo, ut equeſtri dignitate conſpicuus erat: ita à voluntate bene merendi de poſteris non minùs laudari dignus fuit. Commentarium enim ſanè luculentum elucubravit de vita ac morte Eduardi ii. Fidemque eò magis meretur, quòd regi intimus fuerit, ac ſub ejus auſpiciis & ductu adverſus Scotos ſtipendia fecerit. Ac ille quidem Gallicè ſcripſerat. Sed, auctoris ipſius poſtulato, opus hoc Latinè vertit Gualtherus Baker, Canonicus Oſneienſis. Ea tranſlatio, beneficio Gulielmi Camdeni, prodiit in lucem.

## Cap. LXIV.

Vincentius, & Martinus *Carſulani*, Landulphus *de Columna*, ac Sozomenus Piſtorienſis, *de vitis Pontificum. Matthæus Vindocinenſis. Gulielmus Paſtrengus. Antonius de Godis.* Joannes Docreus *de Dionyſio Areopagita.* Philippus Eyſtetenſis *de vita S. Walpurgis.* Albertinus Muſatus *de geſtis Henrici* vii. *Ptolomæi de Luca Annales, & hiſtoria Eccleſiaſtica.* Siberti de Beka *hiſtoriarum flores. Odericus de peregrinatione ſuâ, & ritibus mundi.* Annibaldus Ceccanus *de vitis SS. Petri, & Paulli. Ludolphus Saxo de vita Chriſti. Gulielmi Procuratoris Chronicon Egmondanum. Ludovicus Marchentus. Udalricus à Lentzburg de vitis Papæ Lucii, & Amiſonis. Univerſalis hiſtoria auctore Conrado S. Udalrici. Wilbertus Alemannus de Terra Sancta. Gulielmi de Baldenſel ὁδοιπορικόν. Garinus de vita Margaritæ Hungariæ.*

*Galvani Flammæ Chronicon imperatorum, & civitatis Mediolanenſis. Bartholomæi de Oſa hiſtoria de imperatorum & pontificum vitis.*

TEmporibus Henrici VII, & Ludovici IV Bavari (qui ab anno cIↄCCCXIV imperium tenuit, uſque ad annum cIↄCCCXLVI) claruere, tum Vincentius Carſulanus, & Martinus Carſulanus (eſt autem Carſula, quæ hodie Caſſina, Umbriæ oppidum) tum Landulphus de Columna. De his tribus ita Raphaël Volaterranus initio Commentar. Urb. lib. XXII: *Pontificum Romanorum, ſeu temporum eorum hiſtorias, ſcripſere Vincentius, & Martinus Carſulanus, ordinis ambo Prædicatorum, Joannis XXII tempore. Cui Landulphus de Columna, Canonicus Carnotenſis, opus etiam de his dedicavit.* Atque ex iſtis verbis liquet, cur tres hoſce æquales ſtatuamus. De primo eorum nihil ultrà occurrit. Uti nec de altero, hoc eſt, Martino Carſulano; niſi is eſt Martinus Polonus, Papæ pœnitentiarius: de quo antea dictum. Quod ſi eſt, perperàm eum vixiſſe ait anno cIↄCCCXX, qui anno obiit cIↄCCLXXVII. Poſtremum iſtorum, Landulphum, haut diu poſt Vincentium Bellovacenſem ſcripſiſſe, ait Volaterranus. Quod verum eſt, quando, ut idem hic ait, opus ſuum dedicavit Joanni XXII. Nam Vincentius obiit anno cIↄCCLVI. At Papa Joannes XXII ſedere cœpit anno cIↄCCCXVI. Ut quaſi LX annorum inter eos ſit intervallum. Scio, in numero Paparum, quibus Joannes nomen fuit, variare non paucos. Verùm ſcrupulum omnem tollit, quòd Volaterranus ipſe eodem ſe poſtea libro explicat. Nam vigeſimum ſecundum ejus nominis ſtatuit illum, qui imperatorem Ludovicum Bavarum anathemate feriit. Ut omnino iſtos ratio fugerit, qui Landulphum hunc Frederici III, & Maximiliani I temporibus claruiſſe, arbitrantur. Illuſtris hoc de ſcriptore locus eſt apud auctorem breviarii hiſtorialis, æqualem Sigiſmundi anno cIↄCCCCLXXIX. Verba ejus in præfatione ſunt iſta: *Hoc fine exiſtimo motus fuit* Landulphus de Columna, *Canonicus Carnotenſis, cùm ex dictis Pompeji Trogi: qui Babylonica totiuſque Orientis in quadraginta quatuor voluminibus geſta deſcripſit: ac Titulivii,* (leg. Titi Livii) *qui Romanas, & Occidentis, imo totius Orbis magnificas ſcripſit hiſtorias: ac Oroſii, qui Africani, & Macedonici imperii facta recenſuit: ac Joſephi, Hegeſippi, & interdum Moyſis, aliorumque plurium hiſtoricorum, codicem edidit, & Breviarium hiſtoriarum nominavit. In quo, à primi hominis creatione, uſque ad Joannem natione Anglicum, qui, ut legitur, femina fuit, hiſtorias abbreviare curavit: à quo codice, & ab aliquibus aliis, præſens collectarium eſt excerptum.*

Sozomenus Piſtorienſis eodem tempore, aut paullò poſt vixit: ac Pontificum vitas itidem poſteris tradidit. De quo ſic idem Raphaël Volaterranus initio libri XXII commentariorum Urbanorum: *Poſt hos* (Pontificum Romanorum hiſtoriam ſcripſit) *Sozomenus, presbyter Piſtorienſis, longum volumen,* (quod auſpicatur) *ab initio mundi.* Supple ex iis, quæ anteceſſerunt, tractaſſe eum hoc argumentum poſt Damaſum, Anaſtaſium, Paullum Diaconum, Guidonem Ravennatem, Ugonem Florianum, Sicardum Cremonenſem, Godfridum Viterbienſem, Vincentium, & Martinum, Carſulanos, & Landulphum Columnam. Meminit idem lib. XX: *Sozomenus Piſtorienſis hiſtoria univerſalis immenſum edidit volumen.* Grande hoc opus etiam Ptolomæo Lucenſi memoratur in Chronicis: erat autem tripartitum: cujus pars prima, mutila tamen, (ut ex doctiſſimo Laurentio Pignorio intelligo) Patavii exſtat MSa in bibliothecâ inclytæ nationis Germanicæ. Habet autem inſcriptionem iſtiuſmodi: *Sozomeni, presbyteri Piſtorienſis, ac Florentiæ educati, Chronici incipit præfatio feliciter.*

Matthæus Vindocinenſis ſcripſit carmine elegiaco, pro temporibus, quibus vixit, non invenuſte, hiſtoriam Tobiæ ſenioris, & junioris. Vixit autem anno cIↄCCCXV. Ex barbaro ævo, meminere Alanus in poëtarum floribus, & Sparanus in Roſario. Complures etiam hujus ſeculi, in quibus Epo Boëthius, & Barthius; quorum ille etiam edere decrêrat, hic verò initium in Adverſariis retulit. Primus verò publici juris anno cIↄIↄCXLII. fecit Johannes Heringius JC. & Verdenſis Syndicus.

Etiam Henrici VII ac Ludovici IV temporibus vixit Gulielmus Paſtrengus Veronenſis: qui originum librum reliquit, ut eſt in indiculo hiſtoricorum Veronenſium, quem fecit Alexander Becellus, Cancellarius urbis Veronenſis.

Item tum fuit Antonius de Godis, quem Jo. Bapt. Pajarinus initio hiſtoriæ ſuæ refert inter Vicentinæ hiſtoriæ ſcriptores, quos in commentario ſuo ſequatur duces. Verba Pajarini referemus quo loco agimus de Felice de Cerloza, & Adoto de Raynone. Idem lib. VI. ſic de eo ſcribit: *Anno in nativitate Chriſti* cIↄCCCXIII *fuit Antonius de Godis. qui Vicetinorum res geſtas, atque urbis deſolationem ſcripſit; cujus hiſtoriam vidi, multaque ab ea excerpſi, quæ huic noſtræ lucubratiunculæ adjeci.* Hæc Pajarinus, quæ mihi ſuggeſſit Felix Oſius V. Cl.

Joannes Docreus, qui anno cIↄCCCXVIII vitam egit, opere innotuit de vita, paſſione, ac ſepultura Dionyſii Areopagitæ. Eiſingrinium vide, ac Poſſevinum.

His quoque temporibus effulſit Philippus Eyſtetenſis, nobilis Alſatus à Rodſamshauſen, ſacrarum literarum doctor, abbas Pariſienſis ordinis Ciſtercienſis, ac poſtea Eyſtetenſis ſive Aichſtadianus epiſcopus XXXIX: quo honore à Papa Clemente V ornatus fuit anno cIↄCCCV, cùm Romam ab Alberto Auſtriaco miſſus foret: ut auctor eſt Bruſchius in catalogo epiſcoporum Eyſtetenſium. Ut nunc quoque in memoria hominum vivat, conſecutus eſt vitâ S. Walpurgis virginis, abbatiſſæ Heidenheimenſis: quam Caniſius exhibet Tom. IV. Antiqu. Lection. Obiit anno cIↄCCCXXII, XXV Febr. Ex hoc Philippi commentario, (quem ſcripſit rogatu Annæ, Hungariæ reginæ, Alberti Rom. regis filiæ) epitomen quandam poſtea alius concinnavit; quam Ingolſtadii in lucem prodire juſſit Petrus Stevartius. Anonymus ille hoc compendium fecerat juſſu ſanctimonialium S. Walpurgis: quæ &, ob Latini ſermonis rudes, Germanicâ linguâ hoc opus conſcribi mandarunt: ut liquet ex præfatione, quam ipſæ operi præmiſerunt. Eaque tranſlatio Germanica apud epiſcopum Philadelphiæ, & proëpiſcopum Eyſtetenſem, exſtare dicitur ab eodem Stevartio.

Eadem ætate fuit Albertinus Muſatus Patavinus: qui præter Priapeia, Ecelinum, librumque de Fato, etiam opus reliquit de geſtis imperatoris Henrici VII. Cum honore ejus meminit Petrarcha. Obiit Clodii exul pr. Kal. Jun. anno cIↄCCCXXIX. Sed cadaver poſtea Patavium relatum fuit.

Ptolomæus de Luca, ſive Lucenſis, claruit itidem temporibus Henrici VII, & Ludovici Bavari. Hic opere gemino nomen ſibi illuſtre peperit. Unum eſt Annalium, quibus breviter, tum ſacra, tum civilia eſt perſequutus ab anno cIↄLX uſque ad annum cIↄCCCIII; quo tempore imperium erat penes Albertum Auſtriacum. Opus hoc Lugduni in Galliis prodiit anno cIↄIↄLXIX. Alterum eſt hiſtoria Eccleſiaſtica, quam pertexit uſque ad annum cIↄCCCXLII, quo Papa factus Clemens VI, quinquennio ante obitum Ludovici Bavari. Opus hoc manuſcriptum ſupereſt in bibliotheca Vaticana num. 3766. Dicavit illud auctor Gulielmo Petri Godivo Bajonenſi Vaſconi, prius ordinis prædicatorum Theologo, & ex provinciali Tholoſano Lectori ſacri Palatii, poſtea autem presbytero Cardinali tit. S. Cæciliæ, quâ dignitate à Clemente V ornatus eſt anno cIↄCCCXII. Tomo III Scriptorum, qui Hiſpaniam illuſtrarunt, habes ex hoc Ptolomæo Lucenſi, genealogiam Roberti Guiſcardi. Sed opus iſthoc continuarunt alii ad annum cIↄCCCLXX. Meminere & Ptolomæi hujus Blondus libro XIII, Platina in vita Lucii III, & Raphaël Volaterranus initio lib. XXII commentariorum Urbanorum, ubi inter eos reponit, qui Pontificum vitas ſcripſere: item lib. XVIII, ubi

ubi breviter ab eo annotatos dicit viros doctrinâ illuſtres, qui Pontificis cujuſque vita claruerunt. Etiam Cuſpinianus refert inter auctores, quorum operâ in deſcribendis Imperatoribus profecerit. Memorat & Paullus Langius pene initio Chronici Citizenſis, & Meierus lib. XI. Annal. quo loco ex eo Henricum VII Imp. veneno à monacho Dominicano necatum probat.

Sibertus de Beka, Geldrus, Carmelita, Provincialis inferioris Germaniæ, philoſophus peripateticus, & juris Canonici peritus, claruit anno clↄ ccc xx, ac præter alia Faſciculum edidit, quo complexus eſt Hiſtoriarum flores. Meminere Tritthemius in catalogo, & Philippus Bergomas in Chron. ad annum clↄ ccc xx. Cui vocatur *Sibertus Teutonicus.*

Temporibus quoque Ludovici IV, anno clↄ ccc xx nomen adeptus eſt Odericus, è portu Naono oppido fori Julii ordinis fratrum minorum, qui inter alia condidit hiſtoriam peregrinationis ſuæ per varias Aſiæ regiones. Habes in vitis Sanctorum editis à Bollando ad XIV Jan. Manuſcriptus ſemel iterumque exſtat Cantabrigiæ in bibliothecâ Collegii S. Benedicti, vocaturque: *Itinerarium* fratris Oderici, ut eſt apud Th. James. Præterea librum ſcripſiſſe dicitur de diverſis ritibus & conditionibus hujus mundi. Sed is liber non alius eſt ab eo, quem dixi: ut facile videbit qui legerit. A Waddingo Num. XIV. liber de mirabilibus mundi appellatur. Vitam ejus habes in Sanctorum vitis à Bollando editis. Ea & quæ annotavit Bollandus, facile deſiderium explebunt, plura ſi quis de hoc ſcriptore expetit.

Annibaldus Ceccanus, Romanus, primùm Archiepiſcopus Neapolitanus, hinc epiſcopus Cardinalis Tuſculanus fuit, ac anno floruit clↄ ccc XXVII. Carmine panxit vitas Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Sub Ludovico IV anno clↄ ccc xxx vixit Ludolphus Saxo, (qui perperam nonnullis, Landulphus) Carthuſianus Prior Argentinenſis. Hic vitam Chriſti ex variis conflavit: atque ei commentarios addidit, & preces, quæ capiti cuique accommodatæ forent. Sæpius id opus, tum Pariſiis, tum Venetiis, prodiit. Laudat illud impenſè Hartmannus Schedelius Norimbergenſis in Chronico ſuo. Multa tamen admiſcet, quæ apud Euangeliſtas non leguntur: ut omnino in iſtis fides ejus claudicet. Cæterùm cum hoc opere connexa etiam eſt vita B. Annæ, & laudes B. Joachim.

Iiſdem temporibus ſub Guilielmo Hannonio, Hollandiæ comite, cognomento Bono, floruit quoque Guilielmus Procurator: quod nomen adeptus eſt à curâ cœnobii Egmondani. Hic continuavit Chronicon Egmondanum. Itaque incipit ab Adæ principis, & Ludovici Comitis de Lone infelicibus nuptiis, hoc eſt ab an. clↄ cc V, ubi Chronicon Egmondanum terminari diximus cap. LV hujuſce libri. Deſinit autem in anno clↄ ccc XXXII. Eo in Chronico ipſe, ad annum clↄ ccc XXIV, ait, ſe monachum fuiſſe Egmondanum, & quondam Capellanum in Brederode. Atque eodem pertinent hæc verba ad annum clↄ ccc XXI: *Capellaniam meam locum, Brederode videlicet, duxi attollere, & modis omnibus honorare.* Ad annum autem clↄ ccc xxx hæc annotat: *Ego Wilhelmus, Procurator ut nunc Eccleſiæ Egmondenſis* a, *ſatis adſui, ea quoque experientiâ didici.* Annis verò XII, aut ampliùs, fuerit ſcribendo huic Chronico intentus: ſi rectè legitur in Florentio ad annum M CC LXXXVII: *Sicut per eandem hactenus poſſidetur, ſcilicet anno* clↄ ccc XXII. Sed, ut ſuſpicor, denarius excidit. Sanè veriſimile eſt ſignâſſe annum, in quo deſiit: is autem annus eſt, ut dixi, clↄ ccc XXXII. Chronicon hoc minimè pœnitendum, ex optimo, & antiquiſſimo codice membranaceo, in lucem propediem dabit vir præcellentis doctrinæ, & ſummus patriæ antiquitatis aſſertor ac vindex, Petrus Scriverius. Qui eum ſcriptorem comitem adjunget Anonymo monacho Egmondano, antea quidem edito à clariſſimis & doctiſſimis viris, Andrea Schotto, & Franciſco Sweertio: ſed plurimis nunc à ſe mendis repurgato. Atque idem Scriverius de hoc Guilielmo Procuratore capit iſta, quæ apud eum legere eſt a de Guilielmo, ut ibi vocatur, Diſpenſatore:

*Egmonda monachis, quibus aſſunt omnia pacis,*
*Ante Thomæ feſtum lux terna locum dat honeſtum:*
*Atque Chori gratâ propter nova tecta negata* b
*Menſe quaſi deno ſit honor, ſit copia pleno*
*Cornu Willelmo; cujus labor explicuit almo*
*Tegmine conſtructo. Diſpenſator fuit iſte*
*Cuncta, Deo teſte, diſpenſans ordine recto:*
*Sique Thoma dubites hyemis* c *vice ſubtraho lites,*
*Quis fuga ſit noſtris per eum qui præſides aſtris,*
*Sive polis ſtellis, decor Egmondæ domicellis.*

Manuſcriptus exſtat Oxonii in Collegio Corporis Chriſti. Sed αὐτόγραφον eſt in Carthuſia Moguntiæ, teſte Boſtio in viris illuſtribus cap. XI. Meminit viri ut ſanctimoniæ inſignis Philippus Bergomas in ſupplemento Chronico lib. XIII.

a Hoc eſt, præfatis, ſive antedictis.

a Fol. 117.

b Sententia judicio meo requirit tributa, aut recepta, vel ſimile quid.

c Etiam hæc vel Æſculapo egent, vel Delio natatore.

Ludovicus Marchentus, Veronenſis, carmine heroico panxit hiſtoriam Stephani Contareni Claſſis Venetæ præfecti ſuper lacu Benaco, contra Philippi Mariæ Vicecomitis Duces. Fuit anno clↄ cccc xxx; ut indicio mihi eſt indiculus Veronenſium hiſtoricorum, ante hac etiam mihi memoratus.

Anno clↄ ccc XXXII, juxta Eiſingrinium, terras incoluit Udalricus à Lentzburch, Germanus, priùs anachoreta, poſtea Curienſis epiſcopus. Hic memoriam ſui propagavit prodendo Pontificum duorum vitas, Lucii, & Amiloni. Cæteroquin bello illuſtrior fuit. Obiit anno clↄ ccc LV.

Anno clↄ ccc XXXIV vixiſſe videtur Conradus S. Udalrici. Sanè huc uſque univerſalem hiſtoriam perduxit.

Anno clↄ ccc XXXVI vivebat Wilbertus Alemannus, qui, teſte Arnoldo Boſtio, ad Talayrandum, Comitem Petrigorium, ſive, ut alii nuncupant, Petragoricenſem, Cardinalem Eccleſiæ Romanæ, hiſtoriam de partibus Terræ Sanctæ exaravit.

Itidem Guilielmus de Baldenſeel, eques auratus Hieroſolymitanus, anno clↄ ccc XXXVII, rogatu Thalayrandi Petragoricenſis, Eccl. Rom. uti dictum, Cardinalis, ſcripto ſignavit ὁδοιπορικὸν ad Terram Sanctam: quod MSum ſupereſt in bibliotheca S. Galli: typis verò excuſum prodiit curâ Henrici Caniſii Tom. V. Antiq. Lect.

Fr. Garinus, S. Theologiæ doctor, Ord. Prædic. vitam Margaritæ, filiæ regis Hungarorum, quam ab juratis teſtibus acceperat, in compendium redegit Avenione anno clↄ ccc XL. Exſtat apud Surium Tom. I, a. d. XXVIII Jan.

Galvanus Flama Mediolanenſis Ordin. Prædicator. anno fuit, clↄ ccc XL, ac Chronicon condidit imperatorum, & civitatis Mediolanenſis, ad ſuam uſque ætatem. Manuſcriptus codex eſt apud Franciſcum Ellium, patricium Mediolanenſem, atque is optimæ notæ. In cujus fine, ut ex clariſſimo Laurentio Pignorio accepi, hæc verba reperies, *Scripſi anno* clↄ ccc XXXVI.

Bartholomæus de Oſa, vel Oſſanus, Bergomenſis, floruit ſub Ludovico IV, anno clↄ ccc XL, ac inſigne hiſtoriarum opus libris XVI edidit, in quo Imperatorum & Pontificum Rom. vitas exponit. Meminit & J. Philippus Bergomas in Chron. Suppl. ad annum clↄ ccc XXXIV, ac Leander in Italia ſua, inter illuſtres Bergomates.

## CAP. LXV.

*Nicolai Thriveti opera varia, quibus hiſtoriam, atque Anglicanam imprimis, illuſtravit. Thomæ Caſtelforde res Ponfretenſes, & idem de cœnobii ſui geſtis. Thomæ Langforde Chronicon. Stephanus Eyton de geſtis Eduardi II. Guilhelmi Askeile hiſtoria tripartita de rebus Beverlacenſibus, & vita, ac miraculis Joannis Eboracenſis. Thomæ Haſilwode Chronicon. Joannes Tanathenſis de vitis aliquot ſanctorum. Martini Alnewyck Chronicon. Joannes Everiſdenus de feriis temporum: item regibus, & epiſcopis Angliæ. Gualteri Burlei liber de vitis philoſophorum, atque ejus fœda, & multiplex δυσφημία. Rogeri Ceſtrii Policra-*

Google

*[illegible]raticon. Adamus Carthuſianus de vita S. Hugonis Lincolnienſis. Guilhelmus Hemmyngforde de geſtis Eduardi* III, *atque ejuſdem hiſtoria Anglicana. Rogerus Lyceſtrienſis de computo, & ratione temporum. Anglicani annales Joannis Burgenſis. Thomæ Eckleſton hiſtoria de fratribus ord. Min.*

MOderante imperium Romanum Ludovico IV. Bavaro, in Anglia regnavere Eduardus II, & III: quorum prior Eduardo I. ſucceſſit anno cIↄ ccc VIII: alter Eduardo II, anno cIↄ ccc XVII. Eduardi primi, ac ſecundi temporibus floruit *Nicolaus Threveth*, ſeu *Thriveth*, Anglus Dominicanus. Obiit verò, Balæo teſte, penè ſeptuagenarius, anno Chriſti cIↄ ccc XXVIII. Ut (niſi à librario peccatum credere malimus) fallatur Geſnerus, & qui eum ſequitur, Poſſevinus, cùm ajunt, claruiſſe anno cIↄ ccc LX. Nempe quinquagenarii notam eximi oporteat. At ſpiſſior is multò eſt error, quando apud Sixtum Senenſem legitur, floruiſſe anno cccc. Sed ſine dubio ſcripſerat Sixtus II ccc. Quo tempore Thrivetus jam quadragenarius erat. Plurima prodidit in vulgus, quæ Balæus indicabit. Inter ea eſt Hiſtoria, quam *Annotationes temporum à mundi origine* inſcripſit: ac dicavit Hugoni de Engoliſma, Cantuarienſi archidiacono. Nec dubito quin idem opus ſignet Leander Albertus, ubi Thriveti hujus opera recenſens, inter ea commemorat *Annales ab orbe condito uſque ad Chriſtum Salvatorem.* Compoſuit quoque annales à Chriſto uſque ad ſua tempora: item hiſtoriam ſex Angliæ regum, qui liber MSus ſupereſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item catalogum regum Anglo-Saxonum durante heptarchiâ. Habetur MSus Oxonii in Mertonenſi Collegio. Præterea annales regum Angliæ, qui à Comitibus Andegavenſibus originem ducunt juxta ſtirpem maſculam. In bibliothecâ Collegii S. Benedicti exſtare apud Cantabrigienſes, Th. James auctor eſt. Item Oxonii in Collegio Mertonenſi. Adhæc appendicem ad Chronica, qui in baronis Lumleiani bibliotheca adſervatur. Imò & Gallicè librum reliquit de geſtis imperatorum, regum, apoſtolorum: qui MSus Oxonii exſtat in collegio Magdalenenſi.

Etiam Eduardi II. temporibus, claruiſſe Balæus cenſet Thomam Caſtelforde, Britannum, Ponfretenſis cœnobii monachum. Scripſit is Hiſtoriam Ponfreti, ſive Pontisfracti; & geſta ſui cœnobii. Orſus autem fuit ab Askeo Saxone, nobili viro, qui loci poſſeſſor fuerat: ac perduxit uſque ad illud tempus, quo declinante Laceiorum nomine, hereditatem adiere comites Lancaſtrienſes. Agnoſcit Lelandus, ſupra ſpem ſuam ſe profeciſſe ex eo, atque hoc ſe monſtraturum ait, quando civilem hiſtoriam in lucem dabit.

Thomas Langforde, qui Poſſevino minùs rectè vocatur Languefrodius, Anglus, Ord. Prædicat. ſub eodem Eduardo rege floruit, ac condidit Chronicon univerſale, opus etiam laudatum Leandro Alberto Bononienſi lib. IV de illuſtribus viris Ord. Prædicat.

Tum quoque erat Stephanus Eyton, ſive *Edonus*, Britannus, canonicus regularis Warottenſis cœnobii, quod non longè à Crago, Eboracenſis provinciæ caſtello, abeſt. Literis bonâ fide commendavit res geſtas regis ſui Eduardi II, cognomento Arvonii.

Itidem ſub hoc rege in pretio fuiſſe dicitur Guilhelmus Asketle (qui Simlero in appendice Geſneri eſt *Askelte*, ſed perperam) ſcriptor Britannus, clericus fani S. Joannis apud Beverlacenſes. Hic compoſuit opus tripartitum; cujus parte primâ tractat de rebus Beverlacenſibus. Orſus eam ab adventu Guilielmi Normanni, ubi Folchardus Dorobernenſis deſierat. Altera pars continebat res geſtas ab Joanne, archiepiſcopo Eboracenſi, Beverlacenſis Eccleſiæ patrono. Tertia agebat de ejus virtutibus; ac miraculis.

Thomas Haſilwode, qui aliis *Haſilwolde*, Anglus, Canonicus regularis ordinis S. Auguſtini, ſub eodem Eduardo rege fecit Chronicon parvum. Hujus & in Collectaneis ſuis meminit Guilhelmus Botonerus: qui circa annum cIↄ ccccLX vivebat.

Joannes Thanatenſis, Anglus, monachus Benedictinus, & Cantuarienſis eccleſiæ ad Servatoris ædem præcentor, præter opus de officiis Cantuarienſis eccleſiæ, etiam librum elucubravit de quorundam ſanctorum vitis. Claruit, ut videtur, ſub Eduardo III, Anglorum rege, anno cIↄ ccc XXX.

Martinus Alnewyck, Anglus, Franciſcanus, præter commentarios in Magiſtrum Sententiarum, ac varias diſputationes, reliquit opus Chronicorum. Obiit anno Chr. cIↄ ccc XXXVI, regnante in Anglia Eduardo III.

Circa annum cIↄ ccc XXXVI Joannes Everiſdenus, Britannus, monachus Burienſis ad fanum Eadmundi, orbi, ac præcipuè Anglis ſuis innotuit tradendo ſeriem temporum: opereque altero de regibus, & epiſcopis Angliæ: item aliis nonnullis.

Gualterus Burley, Anglicus, anno Chr. cIↄ ccc XXXVII annum agebat ſexageſimum ſecundum. In juventute audivit Pariſiis M. Joannem Scotum, condiſcipulumque habuit Guilielmum Occamum. Sed, in patriam reverſus, vehementiſſimè doctorem ſuum Scotum impugnavit. Fuit ſacerdos, & Theologus Oxonienſis, è ſocietate Collegii Mertonenſis. Plurima in philoſophia ſcripſit: quæ MSa ſuperſunt in bibliothecis Cantabrigienſibus, & Oxonienſibus. Hiſtoricum etiam opus reliquit: ſed à profeſſione ſua non alienum. Eſt id de vitis, & moribus philoſophorum: quod MSum Ratiſponæ ſupereſt in bibliotheca Dominicanorum: ut monuit Simlerus in appendice Geſneri. Imò excuſum ejus exemplar habeo, quod, naſcente demum typographiâ, nec anno, nec editoris nomine appoſito, typis ſanè admodum rudibus, ut tum fieri ſolet, prodiit in lucem. Poſtea autem in alterum incidi per Conradum de Homberg, circa eadem tempora editum, & à Colonienſi tunc Academiâ approbatum. Quanta autem imperitia nobilis hujus philoſophi fuerit in rebus iſtis, quæ ad hiſtoriam & temporum rationem pertinerent: argumento erit, quòd Horatium, poëtam Venuſinum, eundem putat, ac Horatium Pulvillum, qui mox à regibus exactis floruit Romæ. Item quòd eundem cenſet Livium Andronicum, poëtam Tragicum, qui claruit ſecundo bello Punico, & Livium, Patavinum hiſtoricum, qui ſub principatu Auguſti vivebat. Itidem eundem eſſe arbitratur Plinium Veronenſem, Hiſtoriæ naturalis conditorem, & Plinium Novocomenſem, epiſtolarum & panegyrici ſcriptorem: qui ex prioris ſorore natus, atque ab eo adoptatus fuit. Et quàm parum in literis ſapiebat, qui, ut genuinum Ovidii opus, agnoſcit tres libros de vetula? Nihil enim iis eſſe inſulſius, ſciunt, qui legerunt exemplar anno cIↄ Iↄ XXXIV prelo excuſum. Similiter Porcium Catonem poëtam appellat. Credo propter diſtichorum libellos, quos ejus eſſe putavit. Quid quod idem, & Salluſtium, & Quinctilianum, poëtarum loco habet? Qui in Latinis ſcriptoribus tantopere cæcutit: quid eum vidiſſe putemus in auctoribus Græcis; de quibus multò plura eo in opere conſignavit? Nempe nuſquam non penè cucurbitas lippit: quod tamen non ingenio, quo plurimùm valuit; ſed ſeculi attribuendum eſt infelicitati, quo literæ diſpretæ ubivis jacebant.

Rogerus Ceſtrius, Anglus, monachus Benedictinus, effulſit ſub Eduardo III, ac rogatu epiſcopi, patroni ſui, elaboravit Policraticon, quo ab orbe condito incipit, ac hiſtoriam imprimis Anglicanam tradit, uſque ad annum cIↄ ccc XXIV. Sed poſtea illud, additis annis XV, uſque ad annum cIↄ ccc XXXIX perduxit. Cæterùm qui Balæo *Rogerus Ceſtrius*, is Th. Jameſio *Robertus*. Nam Mſſorum qui ſunt in bibliotheca Collegii S. Benedicti apud Cantabrigienſes, inter eos commemorat *Polycraticon temporum per Rob. Ceſtrium.* Mirum verò, Pitſeum in appendice illuſtrium Angliæ ſcriptorum centuriâ quartâ ſcribere, Robertum Ceſtrium reliquiſſe Polycraticon temporum: id in bibl. Collegii S. Benedicti exſtare: nec de eo ſcriptore aliud ſe habere quicquam. Nam eſt hic idem ac *Rogerus Ceſtrius*, quem in ſcriptoribus ætatis decimæ quartæ Eduardi III. temporibus claruiſſe, ac polycratica temporum libris VII ſignaſſe, jam retulerat ipſe. Videtur autem verum nomen

eſſe *Rogero.* A quo diverſus ſit Robertus Ceſtrius, qui, Lelando teſte, Richardi II. temporibus de Aſtrolabio librum condidit. Nempe vicinitas nominum errorem hunc peperit. Chronica Ceſtrenſis (idem opus ſignari puto, ac Ceſtrii Polycraticon) habes & MSa Oxonii in bibliothecâ Collegii Novi.

Adamus Carthuſianus, Britannus, clareſcebat anno cIↃ ccc xl: ac, præter alia, exaravit Vitam S. Hugonis, epiſcopi Lincolnienſis. Quod argumentum etiam toto ante ſeculo tractârat Sylveſter Giraldus Cambrenſis. Imò & tertius videtur hanc provinciam ſuſcepiſſe. Nam apud Carthuſianos ſuperſunt libri quinque de Hugonis hujus vita. De quibus ſic Petrus Sutorius lib. ii vit. Carthuſ. Tract. iii cap. v: *Peculiariùs, ac latiùs, hujus admirabilis viri geſta omnia proſequi, nec inſtituti, nec animi quoque noſtri eſt. Præſertim cùm ea ipſa voluminibus multis, maximè in eo, quod archidiaconus Lincolnienſis de ſanctis mirandiſque actibus, ac miraculis ejus, confecit, contineantur.* Auctor iſte, nec Adamus fuit, nec Sylveſter. Non Adamus quidem, quia vitæ ejus ſcriptor æqualis fuit illius, cujus vitam exaravit. Hoc ſatis iſta procemii verba oſtendunt: *Quæ de viro beatiſſimo, Hugone, Lincolnienſi præſule, audivi, & certiùs cognovi, ad ſubſidium memoriæ literis commendare ſtatui.* At Hugo Lincolnienſis, regnante in Anglia Joanne, anno Chr. cIↃ cc vii diem ſuum obiit: qua de re vide, inter alios, Polydorum Virgilium Hiſt. Anglic. lib. xv. Adamus autem vixit tempore Eduardi III, anno cIↃ ccc x: quemadmodum præter Balæum, & Piſeum, Molanus agnoſcit notis in Uſuardum ad xvii Nov. & Theodorus Petreius in bibliotheca Carthuſiana. Sed enim, dixerit aliquis, ut non ſit Adamus ejus operis conditor, non propterea tertium quempiam ſtatui oportere. Nam ſi S. Hugo deceſſit anno cIↃ cc vii: & Sylveſter Giraldus claruit anno cIↃ cc x: nihil prohibere, quo minùs Sylveſtro illa tribuantur. Sed cogitare oportet, auctorem eorum librorum à Sutorio vocari archidiaconum Lincolnienſem: Sylveſter autem, non Lincolnienſis archidiaconus fuit; ſed vel Landavenſis, ut quidam aiunt; vel potiùs Brechaniæ, ac Meneviæ, ut accuratiores tradiderunt.

Gualterus Hemmyngforde, Anglus, regularis Canonicus cœnobii Gisburnenſis, floruit ſub Eduardo III. Ingenii atque induſtriæ ſuæ monumentum nobis dedit, Chronicon Eduardi III, itemque hiſtoriam Anglorum, ab Guilielmo Normanno, hoc eſt anno cIↃ lxvi, uſque ad tempora Eduardi II. hoc eſt anno cIↃ ccc viii. Quod opus MSum Cantabrigiæ adſervatur in Collegio S. Benedicti. Liber eſt chartaceus, nec valde antiquus. Incipit, *Ne faſtidioſus.* Gisburniæ in cœnobio ſuo defunctus eſt anno cIↃ ccc xlvii. Hunc autorem exſcribere ſolet hiſtoricus monaſterii de Abbingtone, ut obſervat is qui præfatur in Matthæum Florilegum.

Robertus de Lyceſtria Anglus, Franciſcanus, inter alia librum de computo, ut vocat, Latinorum, & alterum opus de Hebræorum computo compoſuit: item librum de ratione temporum. Deceſſit Lychelfeldiæ anno cIↃ ccc xlviii, imperante in Anglia Eduardo III.

Joannes Burgenſis, Anglus, abbas monaſterii Petroburgenſis, claruit non quidem anno cIↃ cc, uti Poſſevinus in Apparatu ſacro tradidit: ſed cIↃ ccc xl, regnante eodem Eduardo III. Vir fuit eruditus ac difertus, bonoque ordine Anglorum annales digeſſit. Quo nomine & à Lelando laudatur.

Æqualis ei fuit Thomas Eckleſton, qui Geſnero, & Poſſevino, *Ecleſon*, Anglus, Franciſcanus. Hic hiſtoriam ſui ordinis ſcripſit, in qua primo de B. Franciſco, & primis Ordinis ejus exordiis, agit: deque adventu Agnelli a Piſani, qui primus in Anglia Franciſcanorum Ordinem inſtituit. Perduxit autem id opus uſque ad ſua tempora, quibus Guilielmus Nortyngamius, Franciſcanorum in Anglia erat magiſter generalis. Dicavit verò amico ſuo, Simoni Eſſebio, Ordinis ſui profeſſori. Etiam librum edidit de impugnatione ejuſdem Ordinis per Dominicanos.

a Al. Agneli.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERAR.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# HISTORICIS LATINIS
# LIBER III.

## CAP. I.

*Ab longa hiſtoriæ ſenectute ad ea tranſitur tempora, quibus (ut rerum omnium circuitus ſuus) literarum etiam, & eloquentiæ honos cœpit revireſcere. Atque initium ejus ætatis ducitur à Franciſco Petrarcha: de quo, ubi, & quando, tum natus, tum denatus, fuerit, exponitur: & quæ ad hiſtoriam pertinentia, ſignârit. Ut æqualis ejus, Joannes Boccacius, plagii à quibuſdam incuſetur: item ut de hiſtoria veteri non malè, at præclariùs de ſermone patrio meritus ſit, Petrus Coreſinus de vitis pontificum. Porcellis poëma de geſtis Frederici, Urbinatium ducis: deque eo judicium Volaterrani, ac Gyraldi. Philippus Macerius de vita Petri Thomæ Carmelitæ. Rodolphi Frawensbergii itinerarium. Joannis de Vineta Chronicon: atque idem de tribus Mariis. Paſtor Gallus de memorabilibus ſui temporis. Henricus Erfordienſis de factis memoratu dignis omnis ævi. Albertus Comes, ſive Friſingenſis, de vitis trium ſanctorum. Henricus Claſnerus de rebus Argentinenſibus. Amalrici Augerii Chronicon Pontificale. Joannis Hildesheimenſis Chronicon, & liber ejuſdem de corporibus trium magorum tranſlatis.*

REcenſuimus ingentem eorum turbam, penes quos, jam inde ab exceſſu Antonini Philoſophi, uſque ad imperium Caroli IV, undecim & ampliùs ſeculis, hiſtorica res ſteterit in Occidente. Conſtituunt autem illi hiſtoriæ quaſi ſenectutem: ſed ita, ut ipſi quoque gradibus quibuſdam diſtinguantur: atque alii pertineant quaſi ad primam, hoc eſt, crudam viridemque ſenectutem; qualem Charonti tribuit divinus poëta: alii ad ultimam, hoc eſt, decrepitam planè, & capularem ſenectam: alii quaſi in confinio amborum, & magis illis, & minùs his, vietam quandam, & tardigemulam, habeant eloquentiam. Deinceps verò agendum eſt nobis de temporibus non paullò felicioribus Caroli IV. Imp. qui regere cœpit anno cIↃ ccc XLVI, atque imperium annis tenuit XXXII. Sanè cùm extremâ Ludovici Bavari ætate; tum præcipuè ſub hoc Carolo, ſtudiorum humaniorum, & diſertæ orationis honos, inſtaurari cœpit. Laus ea imprimis debetur eximio viro, *Franciſco Petrarchæ:* qui literas à multo ævo miſerè ſepultas è Gothicis tumulis excitavit: ut jure optimo de eo ait Paullus Jovius in elogiis doct. vir. Idemque judicium eſt Leandri in Italia, Scaligeri in arte Poët. & cujus non? Nec exiguum ad eam rem momentum paullò pòſt attulit Joannes Grammaticus, inſignis orator; quem Leonardus Aretinus dictitabat (ut apud eundem Leandrum in ejus, quæ nunc Romanula dicitur, deſcriptione legitur) *primum in Italia ſtudium eloquentiæ reparâſſe, unà cum imperii majeſtate prorſus ferè deperditum.* Eſt Joannes hic auctor ὁδοιποριϰῶ, quo ad facundiam ſternere viam, ut potuit, ſtudebat. Ejuſque de progenie fuit Nicolaus Ferrettus; ex cujus ſchola, ut idem Leander teſtis eſt, plurimi eruditione clari in Ciſalpina Gallia, (ut cum Italis eam ſic vocemus) prodierunt. Sed quod Aretinus ajebat primum in Italia fuiſſe Joannem Grammaticum, qui, ad bene ſperandum de literis facundiâque, ſignum tolleret: id non ſine aliquâ depreciatione Petrarchæ dictum videtur. Eoque longè juſtiùs, & auſpicatiùs, à Petrarcha novum quaſi revireſcentis ætatis initium hoc loco capiemus.

Tantus vir cui *excellens ingenium, & exquiſitam doctrinam* etiam tribuit Joan. Franc. Poggius Florentinus *a*, circa Anciſam, ſeu Inciſam, Florentini agri vicum, majorum Petrarchæ ſedem, ut Boccacius *b* ait, patre Florentino exul denatus fuit XIII Kal. Sextil. anno cIↃ ccc IV: non anno cIↃ cccc XL: ut ineptè editum eſt apud Gualterum Burlæum libro de vitis philoſophorum. Etſi is profectò error Burlæo vitio verti nequit; qui ipſe ſeculo ante id tempus floruit, ac Petrarchæ æqualis fuit. At claruit Petrarcha anno cIↃ ccc XL, & proximis annis XXXIV. Quàm varia in literas retulerit, nemo paullo humanior neſcit. Inter alia condidit libros IV rerum memorandarum, opus hiſtoricum, exemplis cùm antiquis conſtans, tum recentioribus. Adhæc viros illuſtres epitome quadam complexus fuit. Item bellum Punicum carmine expoſuit: quo de opere dictum nobis, cùm libro primo de Sillio Italico ageremus. Opus hoc MSum exſtat Cantabrigiæ in bibliotheca Aulæ Pembrochianæ. Eademque in urbe bibliothecâ collegii S. Benedicti adſervat MSum Petrarchæ librum de Gualthero Marchione & Gryſilda ejus uxore. Oxonii autem in bibliotheca Collegii Novi MSum exſtat Itinerarium Petrarchæ ad ſepulchrum Domini. Atque ibidem in Collegio S. Magdalenæ eſt Petrarchæ tractatus MSus de Florentia. Vitam Petrarchæ paucis retulit Raphaël Volaterranus Anthropologiæ lib. XXI, & Jacobus Bergomenſis Chron. Suppl. lib. XIII ad an. cIↃ ccc XLI, ubi eum cœleſtem virum meritò appellat. At fusè ejus vitam deſcripſit, imò librum penè integrum illi impendit Xicco Polentonus. Obiit in Arquato, ſive, ut alii vocant, Arquada, agri Patavini pago. Ubi & magnificum habet ſepulchrum: quippe quatuor porphyreticis columnis ſubnixum. imò quantum quantum eſt, eo lapide conſtans. Plura de ſummo hoc viro dicam libro de Poëtis Latinis.

a *Hiſtoria diſceptationis de Avaritia.*
b *Initio lib. de flum. in* Arnus.

Iiſdem temporibus Joannes Boccatius Certaldenſis ingenti in pretio erat. Auditor fuit Franciſci Petrarchæ, quod præfatione operis de genealogia Deorum indicat his verbis: *Præclariſſimi viri, Fr. Petrarchæ jamdiu ego auditor ſum.* Unde liquet, cùm hoc opus ſcriberet, ſuperſtitem fuiſſe Petrarcham. Etiam alibi ſimilia legas eodem opere. Etiam lib. XV, cap. XVI, ubi eum vocat *venerandiſſimum præcepto-*

*ceptorem, patrem, & dominum ſuum.* Fuit & diſcipulus Andalotii Nigri, quem curioſum aſtrologum Leander vocat in Italia ſua. Magnam eruditionis, & induſtriæ laudem retulit opere memorato, quod genealogiam Deorum vocat, & inſcribit Hugoni, Hieroſolymorum, & Cypri regi. In eo paſſim eorum, quæ adducit, teſtem laudabat Theodontium: per quem quis deſignetur diſcere eſt ex operis ejus quinctodecimo cap. VI: ubi ſic loquitur: *Paullum Peruſinum, graviſſimum virum cæteris immiſceo; qui & ætate provectus & multarum rerum notitia doctus fuit, diu magiſter, & cuſtos bibliothecæ Roberti, Hieruſalem, & Siciliæ regis inclyti. Et ſi uſquam curioſiſſimus fuit homo in perquirendis juſſu etiam principis peregrinis undecumque libris, hiſtoriis, & poëticis operibus, iſte fuit. Et ob id ſingulari amicitia Barlaa junctus, quæ à Latinis habere non poterat, eo medio innumera exhauſit à Græcis. Hic ingentem ſcripſit librum, quem collectivum titulaverat: in quo inter cætera, quæ multa erant, & ad varia ſpectantia, quidquid de Diis Gentilium non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos inveniri poteſt, adjutorio Barlaæ arbitror collegiſſe. Nec dixiſſe verebor ego juvenculus adhuc, longè antequam tu in hoc opus animum meum traheres ex illo multa avidus potiùs, quàm intelligens, ſumſi: & potiſſimum ea, quæ ſub nomine Theodontii appoſita ſunt. Quem librum maximo hujus operis incommodo, Biellæ, impudicæ conjugis, crimine eo defuncto cum pluribus aliis ex libris ejuſdem deperditum comperi. Puto igitur eo tempore, quo mihi primo cognitus eſt, neminem illi in talibus æquiparandum fuiſſe.* Ex his colligere eſt, unde opinio illa originem cœperit, Boccacium hoc opus ſuum exſcripſiſſe è Paullo Peruſino J.C. æquali ſuo, qui & ipſe de Græcorum Latinorumque Diis commentarium fecerit. Meminit ejus opinionis Leander in deſcriptione Italiæ. Nec modò huic Paullo Peruſino debere ſe multum fatetur, ſed etiam Barlaamo: de quo ibidem hæc paullo antè legas: *Traho præterea aliquando Barlaam, Baſilii Cæſarienſis monachum, Calabrum, hominem olim corpore puſillum, prægrandem tamen ſcientia, & Græcis adeò eruditum, ut imperatorum, & principum Græcorum, atque doctorum hominum privilegia haberet teſtantia, nedum his temporibus apud Græcos eſſe, ſed nec à multis ſeculis citra fuiſſe virum tam inſigni, tamque grandi ſcientia præditum. Nonne ergo huic, & potiſſimum in rebus ad Græcos ſpectantibus, ego credam.* Hæc de Barlaamo eo lubentiùs appoſui, quia video doctiſſimos viros dubitare de ætate Barlaami, cujus de principatu Papæ liber Græce exſtat cum tralatione Viri clariſſimi, & amiciſſimi Salmaſii. Ex his enim quæ diximus ſatis liquet, fuiſſe æqualem Petrarchæ: uti & ex præfatione, ubi utrumque eorum, quos dixi, Paullum Peruſinum, & Barlaam monachum, ut æquales ſuos laudat. Ejuſdem libri XV loco memorato cognoſcere licet, quis ille Leontius fuerit, quem toties ad partes advocat. Sic enim de eo ſcribit: *Poſt hos & Leontium Pylatum Theſſalonicenſem, &, ut ipſe adſerit, prædicti Barlaæ auditorem, perſæpe deduco: qui quidem adſpectu horridus eſt, turpi facie, barba prolixa, & capillitio nigro, & meditatione occupatus aſſiduâ, moribus incultus, nec ſatis urbanus: verum, uti experientia notum fecit, literarum Græcarum doctiſſimus, & quodammodo Græcarum hiſtoriarum & fabularum archivum inexhauſtum, etſi Latinis non ſatis adhuc inſtructus ſit. Hujus ego nullum vidi opus, ſed quidquid ex eo recito, ab eo viva voce percepi.* Non dubium profectò, quin in iis, quæ ad Græcorum fabulas pertinent, multa & à Barlaamo, & auditore ejus Leontio (ut de altero auditore, Paullo Peruſino nihil dicam) multa diſcere potuerit Boccacius, quæ nunc fruſtra quæramus in Græcorum monumentis. Gloriam quoque meruit Boccacius compendio hiſtoriæ Romanæ: item libris de illuſtribus viris, de claris mulieribus, de bellis imperatorum, de Florentinorum bellis, de capta Conſtantinopoli, atque aliis, commemoratis à Jacobo Bergomate ad an. cIↄ CCC LXV. Horum pleraque MSa exſtant in bibliotheca publica Academiæ Lugdunenſis, apud Batavos. Libri ejus novem de caſibus illuſtrium virorum MSSi adſervantur Oxonii in bibliotheca Collegii Novi, teſte Thoma Jameſio. Qui & Oxonii in bibliotheca collegii S. Magdalenæ, tum & Lincolnienſi, exſtare ait Boccacium de caſibus illuſtrium virorum: ſed neutro loco, opus illud quot librorum ſit, addit. Ac quemadmodum Petrarcha eloquentiam in poëſi Hetruſca à cive & magiſtro ſuo, Dante Aligerio, inchoatam, perduxit ad maturitatem: ita iiſdem temporibus Boccacius pedeſtrem eloquentiam in ſermone patrio, (ut Jovii de eo judicium eſt) ſimul & inchoavit, & abſolvit. Obiit anno ætatis LXII, Chr. cIↄ CCC LXXVI, uno poſt Petrarcham anno; ut eſt apud Matthæum Palmerium, & Maſſæum Chronici ſui lib. XVIII [illegible] Sepulchrum ejus cum marmorea effigie Certaldenſis hujus in templo maximo cernere eſt.

Eàdem, ac Petrarcha, & Boccacius, ætate in honore fuit Petrus Coriſinus, Florentinus, ac urbis patriæ epiſcopus, Eccleſiæque Rom. Cardinalis. Inclaruit vitis aliquot Pontificum à ſe editis.

Item tum vitam egit Porcellius poëta, Neapolitanus quidem, ſed qui Romanus dici vellet. Admirabatur eum, atque adeò geſta ſua ab eo celebrari voluit Fredericus, Urbini dux: qui ſuo tempore habitus fuit imperatorum Italiæ facilè princeps: ut Machiavellus cenſet lib. VII rerum Florentinarum. Sed profectò judicium hoc tanti principis magis ornat Porcellium, quam is principis geſta. Nam, ut de poëta illo, vel poëtaſtro potiùs, judicat Volaterranus, *vir erat abſque labore, & doctrina: in ſcholis eadem quotannis fere & lectitabat, & vernaculâ linguâ enarrabat: tantum carmina, quibus omnia referſit, naturâ faciebat, non tam bona, quam facilia, & pene extemporalia.* Gyraldus ſimiliter in ſyntagmate de poëtis *a*. *In omni* inquit, *Porcellii verſu naturam potius, quam induſtriam, laudaverim.* Porcellii, item Baſini, & Thebani verſus excuſi ſunt Pariſiis à Colinæo. Obiit Romæ admodum ſenex. In epiſtolis Philippi una exſtat ad Porcellium anno ſcripta cIↄ CCCC LVI: ſed alium ut putem, temporum ratio facit. a Dial. I. de poët. ſui ætat.

Eodem tempore ſub Petro rege, magna in dignitate erat Philippus Maccrius, Siculus, ſummus regni Cypri cancellarius. Hic duobus libris comprehendit vitam Petri Thomæ Carmelitæ, patriarchæ Conſtantinopolitani.

Facius *b* de Ubertis Florentinus operam ſuam impendit Geographiæ: eàque non vulgarem peperit laudem. Hujus ex opere aliqua depromit, ac citat, Annius Viterbienſis Antiquitatum Variarum lib. XVII quæſt. XV. Ibidem eum vocat optimum, atque eruditiſſimum coſmographum. Ac paullò pòſt de eo ſic loquitur: *Fatius Florentinus illuſtrior Blondo fuit: ut qui ingenio Thuſco excelluerit, & explorata loca melius, & certius, tenuerit.* Etiam inter eos, qui patriæ ſcribendo attulerint decus aliquod, reponitur à cive ſuo, Franciſco Albertino diſſertatione ad Julium II, quæ eſt de laudibus Florentiæ, & Saonenſis civitatis. Meminit &, Florentinus alius, Ugolinus Verinus lib. II Florentiæ illuſtratæ: b Al. Fatius.

*Fatius Hetruſco eſt inſignis carmine vates,*
*Fatius Ubertæ non ultima gloria gentis.*

Celebrat quoque eundem Leander Albertus in Italia ſua, quo loco doctos recenſet Florentinos, ubi legas: *Facius Vbertus, inſignis geographus, & poëta laureatus, Dittamundi auctor.* Suſpicor vixiſſe temporibus Pii II, aut paullò pòſt: ſed nihil habeo ſatis explorati.

Ab Italis, quibus Siculum unum comitem dedimus, venio ad tranſalpinos. Quo anno Carolus IV. habenas imperii accepit: eo Rodolphus de Frameinſperg, nobilis Bavarus, exorſus eſt iter ſuum in Palæſtinam, ad montem Sinai, & in Ægyptum: quod & ipſe deſcripſit. Itinerarium hoc, ſed mutilum, primus divulgavit Henricus Caniſius T. VI. Antiquæ Lect.

Etiam Joannes de Beka, nequa nominis famam delere dies poſſit, conſecutus fuit Chronico ſuo. Eo res Eccleſiæ Ul-

Ultrajectinæ, cujus clericus erat, in literas miſit. Ac dicavit illud ejuſdem eccleſiæ epiſcopo, & Guilhelmo, Hollandiæ comiti. Nec tantùm perſequitur geſta Ultrajectinorum pontificum; ſed etiam comitum Hollandiæ. Orditur à primo ejus Eccleſiæ epiſcopo, S. Willebrordo: ac pertexit uſque ad annum cIↃ ccc xlvi: quo & ipſe in terris morabatur. Meminit Tritthemius in viris illuſtribus item Jacobus Meierus in Hiſt. Fland. anno cIↃ ccc xiii, & alibi. Eum ad tres codices MSos correxit Suffridus Petri Leovardienſis. At in lucem primus protraxit Bernardus Furmerius, itidem Leovardienſis. Quorum utrique hoc nomine non parùm debent omnes hiſtoriæ amantes: imprimis Ultrajectini, ac poſt eos Hollandi, & Friſii. Hauſit verò Beca hiſtoriam ſuam potiſſimum (quemadmodum ipſe profitetur) ex bibliotheca monaſterii Egmondani: ubi acta publica Hollandiæ, & vicinarum provinciarum ſedulò aſſervabantur. Sed opus hoc Joannis de Beca ita corruptè editum eſt Furmerio (etſi id cum tribus codicibus à Suffrido Petri, & cum quarto à ſe collatum dicat) ut penè ſatius fuerit ab edendo abſtinere, quàm vitioſè adeo in lucem dare. Sed integrum ab innumeris erroribus repurgavit præſtantiſſimus, & nobis amiciſſimus Arn. Buchellius Ultrajectinus: qui ne novam ejus ſcriptoris editionem diutius publico invideat, omnino intereſt, qui hiſtoriæ Belgicæ ſunt amantes.

Circa annum cIↃ ccc xlviii fuit Joannes de Vineta, Aremoricus, Carmelitarum Provincialis in Gallia. Hic Chronicon condidit ſui ordinis. Item deſcripſit vitas trium Mariarum. Et præterea alia quædam reliquit.

Ægidius Muiſius Benedictini cœnobii abbas Tornacenſis ad S. Martinum, compoſuit Chronicon à nato Chriſto uſque ad annum cIↃ ccc xlviii: quo vivebat. Exſtat manuſcriptus Lovanii in cœnobio S. Martini.

Claruit & tum Joannes Honſemius, ſive ut aliis vocatur Hoxſemius. Natus Hutgardiæ in diœceſi Leodienſi anno cIↃ cc lxxvii. Leodici canonicus fuit, & ſcholaſticus ad S. Lambertum. Pro juriſdictione Leodicenſi varias obiit legationes ad Papam, Galliæ regem, & ducem Brabantiæ. Reliquit hiſtoriam, & res geſtas epiſcoporum Leodicenſium ab anno cIↃ cc xlvii, uſque ad ann. cIↃ ccc xlviii. Quæ cum aliis hujus argumenti ſcriptoribus à Joanne Chapeavillio in lucem edita eſt anno cIↃ IↃ c xiii.

Circa annum cIↃ ccc l, Eiſingrinio teſtante, Paſtor Gallus, provincialis Ord. Min. & Cardinalis, literis mandavit opus de geſtis ſui temporis in Eccleſia memorabilibus.

Circa annum cIↃ ccc lv, Henricus de Erfordia, monachus Saxo, Mindenſis, Ord. Prædicat. nomen ſibi peperit opere de factis illuſtribus ab orbe condito uſque ad annum, quem dixi, cIↃ ccc lv. Exinde aliqua adfert auctor magni Chronici Belgici ad annum cIↃ c lii. Alia quoque ejuſdem, ſed alterius generis, recenſent Leander Albertus lib. iv. de viris illuſtribus Ordin. Prædicat. & Poſſevinus in Apparatu ſacro.

Albertus Comes ab Hohenberg, primùm Herbipolenſis, deinde Friſingenſis epiſcopus, edidit vitas SS. Kiliani, Colomanni, & Tornani a. Friſingæ in Bavaria deceſſit anno Chriſti cIↃ ccc lix.

a *Al. Chiliani, Columbani, & Rotnani. Sed minùs rectè.*

His etiam temporibus Henricus Rebdorfienſis monachus annales edidit, orſus ab anno cIↃ cc xcv, ac deſinens in anno cIↃ ccc lxii, quo vivebat. Opere eo complectitur res geſtas Adolphi, Alberti, Friderici, Ludovici Bavari, & Caroli iv, Impp. Sed imprimis ſe diffundit in geſtis Ludovici Bavari: nempe quia illa, ut ſui ævi, optimè nôſſet, &, imperatore eo jam defuncto, tutiùs ſcriberet. Hunc quoque primus edidit Freherus.

Tum item vixiſſe videtur Fridericus Cloſnerus: qui res Urbis Argentinenſis, à Rodulpho Habſpurgenſi exorſus, perducit iidem uſque ad annum gratiæ cIↃ ccc lxii.

Carolo eodem imperante, eopſe anno cIↃ ccc lxii, quo ſedere cœpit Urbanus v, clareſcebat Amalricus Augerii: qui *Chronicon Pontificale* edidit; ſed novâ ratione. Nec enim temporis rationem habet: ſed pontifices ſecundùm literarum ſeriem diſponit. Itaque primùm de iis agit, quibus nomen fuit, Anacletus, Alexander, Anicetus, Anterus, &c. Poſtea de his, qui vocati, Bonifacius, Benedictus, Clemens, Calixtus, &c. Atque ita omnes ejuſdem nominis conjungit. Præfationem ſic orditur: *Beatiſſimo patri in Chriſto, & ſuo vicario glorioſo* (*ejus vicario* dicere voluit) *ac domino noſtro præcipuo, domino Urbano, Divinâ Dei providentiâ papæ* v, *veſter devotus capellanus, Amalricus Augeris de Beuvus* a, *Prior veſtri monaſterii S. Mariæ de Apriano* b, *ordinis S. Auguſtini Elnenſis diœceſis*, &c. Eadem in præfatione ait, ſe opus ſuum compilaſſe ex ducentis ac novem ſcriptoribus, qui geſta pontificum tradidiſſent. Ac perducere ſe hiſtoriam inquit, uſque ad papam Joannem xxii. Intelligit autem illum, qui epiſcopatum Urbis adeptus eſt anno cIↃ ccc xvi, vivereque deſiit anno cIↃ ccc xxxiv. Alii vocant Joannem xxi: nempe quia non accenſent eum, qui femina fuiſſe, ac Joannis viii nomine vocatus dicitur. At aliter hic ſcriptor. Apud quem legas: *Joannes dictus Anglicus, natione magnanimus, poſt dominum Leonem papam in Romanum pontificatum fuit aſſumtus: & poſt B. Petrum apoſtolum ponitur papa centeſimus decimus.* Ubi diſpiciendum, utrùm pro *magnanimus* legere oporteat *Moguntinus*: an contrà illud, quod Moguntinum vulgò faciunt ex corrupta lectione originem habeat: & quæ doctiſſimi P. Scriverii ſuſpicio eſt, legere, trajectis vocibus, oporteat, *Joannes, dictus Magnanimus, natione Anglicus.* Vel ſic, *Joannes, natione Anglicus, dictus Magnanimus.* Cur autem ei *Magnanimi* nomen indi potuerit, obſcurum nulli eſſe poteſt, ſi ſupra ſexum maſculos uſque adeò animos geſſit, ut per varios honorum gradus ad pontificatum adſcenderet. Nam, ut ibidem hic Amalricus ait, *femina fuit.* Attamen, tanquam in re dubiâ, addit, *prout communiter aſſeritur.* Poſtea alia quoque eò pertinentia adjungit: ſed cautione hac, *ut creditur*: item, *ut dicitur.* De re ipſa diſputare, non eſt hujus loci. Cæterùm Amalrici hoc opus hactenus ineditum eſt: ſed MSum ejus codicem, quo uſus ſum, in divite bibliotheca ſua habet is, cujus antè meminimus, Petrus Scriverius, vir egregiè de literis meritus, ac porrò ſibi poſteritatem omnem devincturus, dum fata, & Deus ſinent.

a *Fort. de Beunis. hoc eſt, Bonnienſis.* b *Fort. Apuano, vel Aprutiano.*

Petrus Paſſerinus Utinenſis Diarium ſcripſit rerum Foro-Julienſium: ſed ſatis barbarè. Orditur ab an. cIↃ cc lviiii & pertingit uſque ad annum cIↃ ccc lvi. Supereſt manuſcriptus. Indicium mihi ejus ex Indiculo hiſtoricorum Utinenſium tranſmiſſo Venetiis ab illuſtriſſimo Senatore Dominico Molino.

Joannes Hildeshemenſis, Saxo, profeſſione Carmelita, ſcripſit de trium regum corporibus tranſlatis Coloniam. Etiam Chronicon edidiſſe, Tritthemius teſtatur: uti & Joannes Rioche Minorita c: quod excuſumne ſit, ambigo. Vixit circa annum cIↃ ccc lxx.

c *In compendio hiſtor.*

## Cap. II.

*Radulphi Hygdeni polychronicon. Ioannes Malvernæus continuator Polychronici. Richardi Ciceſtrii quinque Chronicorum libri. Ioannis Olnei de miraculis B. Mariæ. Guilielmi Coventrii annales breviores, atque idem de adventu Carmelitarum in Angliam. Galfridus Hardeby de geſtis ordinis S. Auguſtini. Bartholomæi Glanvyle chronicon de Sanctis. Ioannis Tinmouthenſis hiſtoria aurea, & alia. Ioannes Graunſon de vitis ſanctorum; ejuſdem martyrologium, & liber de miraculis Thomæ Cantuarienſis. Ranulphi Strodi itinerarium. Ioannis Mandevyle itinerarium annorum* xxxiv, *atque idem de ſitu terræ Sanctæ. Auctor epitomes de bellis geſtis pro recuperanda terra Sancta.* Thomæ Stubs ſive Stobæi *Chronicon de Archiepiſcopis Eboracenſibus. Matthæi Weſtmonaſterienſis Flores hiſtoriarum.*

QUo tempore in Germania imperabat Carolus iv, in Anglia rexit Edwardus iii. Sed Caroli primus fuit

annus Eduardi vigeſimus: Caroli trigeſimus ſecundus, & ultimus: Eduardi quinquageſimusſecundus, atque itidem poſtremus. Quare cùm de primis viginti annis Eduardi hujus antea viderimus: nunc agemus de reſiduis annis XXXII, qui Germanico Romano Caroli IV imperio reſpondent.

Familiam horum ducat is, qui tam prioribus XX annis Eduardi, quàm XXVI ſequentibus, clarniſſe dicendus eſt, Ranulphus Hygden, vel Hygeden, vel Hikeden, Anglus, Ord. Bened. Gloriam hic non minimam reportavit Mappâ mundi: item Polychronico, quod opus ſex conſtat libris, pro numero tum ſex dierum, quibus operatus eſt Deus, tum ſex ætatum, in quas univerſa mundi hiſtoria diſpeſcitur. Ab orbe creato exorſus procedit uſque ad annum CIↃCCCXLIII. Exſtat hoc opus manuſcriptum in bibliotheca publica Academiæ Cantabrigienſis: idque ſemel iterumque. Item ibidem in bibliotheca Caji & Gonellii. Item Oxonii in bibliotheca Collegii Novi: atque ibidem in bibliotheca Ædis Chriſti. Jam ætate confectus obiit anno Eduardi regis XXXVII, Chriſti CIↃCCCLXIII, cùm annos LXIV monachus fuiſſet Benedictinus. Polychronicon hoc, juſſu domini ſui de Barkeley, Anglicè tranſtulit Joannes Treviſa, atque illud, additis LV annis, continuavit, uſque ad ann. CIↃCCCXCVIII, quo claruit. Etiam in hoc Chronicon tabulas concinnavit Joannes Rochefort, circa annum CIↃCCCCVI.

Radulphi hujus ætate vitam quoque traduxit Joannes Malvernæus, ſive Milvernæus, Anglus, monachus Wigornienſis, ordinis Benedictini. Hic præter opus de viſionibus ſuis Anglicè proditum, (quod ad exitum perduxit anno CIↃCCCXLII) Latino ſermone continuavit & ipſe Polychronicon. Exſtat appendix ea MSa Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti.

His etiam temporibus Richardus Cicestrius Anglus, monachus Weſtmonaſterii Benedictinus, multum induſtriæ poſuit in rebus Angloſaxonum colligendis: quas quinque Chronicorum libris comprehendit. Aliis vocatur *Richardus de Cirenceſtria*, opuſque ejus dicitur *Speculum hiſtoriale*. Opus illud inchoat ab Hengiſti Saxonis in Britanniam appulſu: qui in annum incidit CCCCXLVIII. Exinde, per novem ſeculorum ſeriem progreſſus, ad annum pertingit CIↃCCCXLVIII, hoc eſt, ſecundum & vigeſimum annum regis ſui Eduardi III. Eſt opus hoc bipartitum. Pars prior incipit, *Poſt primum inſulæ Britanniæ regem*, &c. Atque hæc ab auctore vocata eſt, *Speculum Hiſtoriæ*; & complectitur libros quatuor. Altera pars dicitur *Anglo-Saxonum Chronicon*: eſtque continuatio partis prioris. Codex is manu exaratus apud Cantabrigienſes reperitur in bibliotheca publica. Atque apud eoſdem, ſed in Collegio S. Benedicti, manuſcripta conſpicitur Chronicorum epitome, quæ & ipſa Richardum hunc auctorem in titulo præfert.

Sub eodem Eduardo, anno CIↃCCCL, inter Carthuſianos monachos vitam degebat Joannes Olnei, Anglus. Qui prætterquam quòd *meditationes ſolitarias* ex ſe promſit, etiam *quinque libris B. Mariæ miracula* comprehendit. De eo quoque loquitur Theodorus Petreius in ſua Carthuſianorum bibliotheca.

Sub rege hoc etiam anno CIↃCCCLX inter Carmelitas agebat Guilielmus Coventrius, qui aliquibus *Conventre*, cognomento Claudus, Anglus. Laudem cùm aliis quæſivit, tum annalibus brevioribus: necnon commentario de Carmelitarum in Angliam adventu.

Eodem tempore Galfridus Hardeby, Anglus, monachus ordinis S. Auguſtini, regi Anglorum Eduardo III à confeſſionibus, & conſiliis fuit. Nominis aliquid peperit ſibi opere de ordinis ſui geſtis, & quibuſdam aliis. Sed inprimis illis commendabatur, quæ de perfectione Evangelicæ paupertatis diſſeruit adverſus Armacanum.

Rege eo imperium in Anglia habente, circa annum CIↃCCCLX, etiam Bartholomæus Glanvyle, cognomento Anglicus, (Henrico Willoto pro *Granvyle* perperam *Granvviſius* vocatur) tum nataliũm ſplendore, tum doctrinæ nomine, gloriam inſignem conſecutus fuit. Nam ſeu familiam ſpectes, prognatus erat genere comitum Sudvolgiorum: ſeu præclara literarum ſtudia attendas; præter volumen de rerum varietate, quod duodeviginti libris conſtat; præter item opus de rerum accidentibus, deque mundo & cœleſtibus, poſtillas item, & ſermones; etiam chronicon condidit de Sanctis. Apud Pitſeum in catalogo ſcriptorum Angliæ lego, librum quoque edidiſſe adverſus Laurentium Vallam: ac Vallam pro ſe apologiam compoſuiſſe. Utrumque opus MSum ſupereſſe Oxonii in Collegio Balliolano. Idne ita ſit, rectiùs ſcient, qui Oxonii degunt. Apud Balæum quidem de iſtoc opere Bartholomæi Glanwijle altum ſilentium eſt. Fortè confudit Bartholomæum Glanduyle Anglum, & Bartholomæum Facium Ligurem. Nam Bartholomæus Facius orationem invectivam compoſuit adverſus Vallam: ac Valla ei quatuor Recriminationum libris reſpondit. Quicquid eſt, multum metuo ne Pitſeus erret. Nam Valla annis circiter L claruit poſt Bartholomæum Glanwijle: nempe temporibus Eugenii IV.

Eduardi III ætate circa annum CIↃCCCLXVI floruit & Joannes Tinmouthenſis, Anglus ex oppido Tinmouth, in epiſcopatu Dunelmenſi. Fuit monachus S. Benedicti ad S. Albanum. Quàm varia literarum monumentis tradiderit, Boſtonus Burienſis docebit. Inter ea ſunt iſta, Hiſtoriæ aureæ libri III. Item Supplementum ejus hiſtoriæ. Utrumque opus MSum ſupereſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Adhæc compoſuit Sanctilogium majus, ſanctilogium minus, & appendices martyrologii: Hiſtoriam ejus auream quondam Wilhelmus Winderhul, S. Albani monachus, deſcribi, inque uſum monachorum, ſui cœnobii bibliothecæ inferri curavit: quemadmodum ait, qui præfatus eſt in Matthæum Weſtmonaſterienſem: atque addit, Tinmouthe *eum ordinem, & modum ſcribendi*, quem in Polychronico ſervat Ranulphus, *ſollicitè admodum exprimere; quamvis alicubi fuſius, alicubi contractius*.

Joannes Graunſon, ſive Grandiſonus, ut eum Joannes Lelandus appellat, Eduardo III primùm à ſacellis fuit: ac tandem ab eo factus eſt epiſcopus Exonienſis. Præter conciones, opus reliquit de vitis ſanctorum. Item Ordinale, vel Martyrologium Exonienſe: quod MSum exſtat Cantabrigiæ in bibliotheca collegii S. Benedicti, & Oxonii in bibliotheca publica. Edidit hoc opus auctor circa annum CIↃCCCXXXVII. Adhæc librum fecit de vita & miraculis Thomæ Cantuarienſis. Quod opus itidem Cantabrigiæ in Benedictino collegio manuſcripum ſupereſt. Obiit anno CIↃCCCLXIX, ut Thomas Walſyngham in auctario Polychronici teſtatur.

Sub eodem Eduardo, circa annum CIↃCCCLXX Ranulphus Strodus, Anglus, variis ingenii induſtriæque monumentis eluxit, eaque inter Itinerario terræ ſanctæ. Tanquam eximium Anglorum poëtam memorat eum in fine Troili ſui Galfredus Chaucerus, ipſe etiam Anglus poëta; qui linguam patriam magnâ ingenii ſollertiâ ac culturâ plurimùm ornavit; interque alia, cùm Joannis Mone poëma de arte amandi Gallicè tantùm legeretur, Anglico illud metro feliciter reddidit.

Joannes Mandevyle, Anglus, vir ordinis equeſtris, cupidine ductus exteras terras videndi, amplo viatico inſtructus anno CIↃCCCXXXII peregrinari cœpit: ac Africam, & Aſiam, permenſus, poſt annos XXXIV domum rediit, & totidem annorum Itinerarium edidit: in quo refert, quæ miranda apud Ægyptios, Arabas, Perſas, Græcos, Illyres, Tartaros, multaſque alias gentes, vidiſſet. Ejus operis MSum exemplar fuiſſe apud Matthæum Gelnerum, auctor eſt Conr. Geſnerus in bibliotheca ſua. Nec illud Latinè duntaxat compoſuit: ſed etiam Anglicè explicuit, Galliceque. Anglicè chirographum ejus exemplar ſuppetit Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, & in bibliotheca baronis Lumleiani. De Latina verſione ſequor Anglos duos, Balæum, & Pitſeum. Pitſeus Itinerarium Jo. de Mandevile exſtare ait Cantabrigiæ in bibliotheca collegii S. Benedicti. Sed qua lingua non addit. Unde Latinam

nam ſignare arbitror. Quibus quidem Anglis, de Anglo fidem habendam putavi. Eâ tamen linguâ non vidi, ſed vidi, de quo illi tacent, Italicè. Imò & Belgicè, ac Germanicè etiam, exſtare ſcio. Vide, quæ infrà dicemus de Joanne à Montevillâ. Adhæc Latinis commiſit literis Situm terræ ſanctæ. Qui liber ibidem MSus reperitur. Nec minimam conſecutus eſt laudem deſcribendo regiones, vel opere de re medicâ. Obiit Leodici. Ubi ſepulcro ejus hæc ſunt inciſa: *Hic jacet vir nobilis, dominus Joannes de Mandevil, aliàs dictus de Barbam, dominus de Campoli, natus in Anglia, Medicinæ profeſſor, devotiſſimus orator, & bonorum ſuorum largiſſimus pauperibus erogator, qui, toto quaſi orbe luſtrato, Leodii vita ſua diem clauſit anno Domini* cIↃ CCC LXXII, *menſis Novembris die* XVII. De eodem hunc in modum ad ann. cIↃ CCC XXX ſcribit Wernerus Rolevinck in faſciculo temporum: *Joannes de Mandevil Doctor in medicinis, & miles in armis, natione Anglicus, fuit circa hæc tempora, & mirabilem peregrinationem quaſi totius mundi perfecit: & ſcripſit ad eam tribus linguis.*

His quoque temporibus literis commiſſa eſt Prior pars epitomes de bellis iis, quæ ad recuperandam terram ſanctam Chriſtiani principes ſuſceperant. Scriptorem eum cum blattis tineiſque rixantem publici juris fecit Henr. Caniſius Tom. VI. Antiqu. Lect. De ætate quod ajebam, arguunt hæc verba *a*: *Sequitur ex præmiſſis, quod a principio hujus religionis, uſque ad tempus ſcripturæ præſentis libelli, ſcilicet milleſimo treceenteſimo ſeptuageſimo quarto, fluxerunt anni ducenti triginta quatuor.*

a P. 271.

Thomas Stubs, ſive Stubæus, vel Stobæus (ut eum Leander Bononienſis nuncupat) patria fuit Eboracenſis, ordine Dominicanus, S. Theologiæ doctor. Varia ſcripſit, atque inter ea Chronicon de Archiepiſcopis Eboracenſibus, quod MSum exſtat in bibliotheca Collegii S. Benedicti, apud Cantabrigienſes. Orditur à S. Paulino, & producit hiſtoriam ad annum cIↃ CCC LXXIII, quo vivebat, regnante apud Anglos Eduardo III. Celebrant Stobæum Leander in vitis Prædicatorum lib. IV, & Antonius Senenſis in bibliotheca de prædicatoribus, Seldenus notis ad Eadmerum *b*, inde appoſuit literas Thomæ Archiepiſcopi Eboracenſis ad Lanfrancum, Cantuarienſem, & hujus ad Thomam reſponſum.

b P. 201.

Circa annum cIↃ CCC LXXVI vigere fama cœpit Matthæi Weſtmonaſterienſis: qui hiſtoriarum flores collegit ab exordio mundi uſque ad annum Domini cIↃ CCC VII. Inde vulgò dictus eſt *Florilegus*. In iis ſequitur imprimis hiſtoriam Matthæi Paris majorem. Poſtea autem, adjectis LXX annis, laborem hunc perduxit ad an. uſque cIↃ CCC LXXVII. Quòd, effractis bibliothecarum repagulis, nunc per manus omnium volitat, Matthæi Parkeri, Cantuarienſis antiſtitis, beneficium eſt. Nec hic induſtria Weſtmonaſterienſis Matthæi ſtetit: ſed præterea duplici chronico nomen ſuum extulit: uno quidem patrio, ſeu Weſtmonaſterienſi: altero autem fani B. Eadmundi. Porrò Florilegi hujus veſtigiis inſtitit Chronicon Roffenſe; imò vix quicquam in eo legas Florilego intactum; ſi exceperis, quæ propriè monaſterium Roffenſe ſpectant.

## CAP. III.

*M. Alberti Argentinenſis Chronicon, ac liber de geſtis Bertholdi à Buckecke: Lobardus Sirichius Patavienſis de viris illuſtribus. Urbanus* VI *papa de epiſcopis Barienſibus. Benevenutus de Rambaldis Imolenſis de vitis Cæſarum. Philippus Riboti Carmelita de geſtis, & viris claris ſui ordinis. Marius Georgius Venetus de geſtis Philippi Bencii Florentini. Raimundus Capuanus de vitis SS. Catharinæ Senenſis, & Agnetis è monte Politiano. Joannes Aylinus Maniacus de bello Foro-Julienſi. Thomas Diaconus Flander. Johannis de Heſe Itinerarium Indiæ. Jacobi Guſſi Annales. Joannis de Bele Leodienſis Chronicon. Conradus Alpendorp de doctore Cyrillo. Henricus Calkarienſis, cognomine Æger. Guilelmi Thorne Chronica, atque alia ejuſdem. Guilielmus Pachentonus de geſtis quinque regum. Richardus Lanynhal de primordiis ordinis Carmelitici, & tribus magis. Radulphi Marhami manipulus Chronicorum. Henricus Knyghton de geſtis Anglorum. Stephanus Brickingtonus de epiſcopis Cantuarienſibus, & Elienſibus. Joannes Gaſcoinus de vita S. Hieronymi. Adami Muremuthenſis Chronicon duplex. Anonymus de vita Joannis Bridlyngtonii. Joannis Goueri Chronicon, ſive Vox clamantis in deſerto, aliaque ejuſdem. Guilielmus Gillyngham de ſcriptoribus ordinis S. Benedicti. Guilielmus Starnefeldus de cœnobio Newendenenſi. Galfridi Linge Chronicon. Ioannes Staffordius de geſtis Anglorum.*

Temporibus Karoli IV, & filii ejus Wenceſlai, (qui patri in imperio ſuffectus eſt anno cIↃ CCC LXVIII, atque annis imperavit XXII) floruit M. Albertus Argentinenſis, qui vulgò *De Argentina*. Hic Chronicon bonâ fide condidit à Rodolpho primo Habſpurgenſi, ſive an. cIↃ CC LXX, uſque ad exceſſum Karoli IV Imperatoris, qui incidit in annum cIↃ CCC LXXVIII. In opere hoc multa aliis indicta, vel non adeò planè pleneque ab iis explicata, reperias. Sæpius illius in Auſtria ſua meminit Cuſpinianus: qui & ejus fragmentum edidit *a* cum conſulibus Romanis. Nempe exemplaria duo nactus erat: ſed quorum prius præ carie legi non poſſet: alterum à priori multum differret; ſed planè laceratum eſſet, ac mutilum. Ut gratia non levis debeatur Chriſtiano Urſtiſio, qui cum aliquot eum Germanicarum rerum ſcriptoribus integrè divulgavit. Apud Simlerum in appendice Geſneri legas, claruiſſe an. cIↃ CC L. Sed librarii is lapſus videtur. Nam addit ipſe, ſub Ludovico Bavaro vixiſſe. Et rectè quidem, Siquidem Albertus hic, de rebus agens Ludovici IV, refert ſe ab Argentinenſi epiſcopo ablegatum fuiſſe ad Papam, quo Imperatorem eum purgaret, ac Papam faceret certiorem de Ludovici per Germaniam decreto: cujus hæc ſumma eſſet, nihil pontifici juris eſſe in exauctorando imperatore. Attamen multis quoque annis poſtea ſuperfuiſſe Albertum, ſatis arguit, quòd Chronicon ſuum perducit uſque ad annum cIↃ CCC LXXVIII: quo parenti ſuo Carolo IV Wenceſlaus in imperio ſucceſſit. Præter Chronicon hoc alia etiam ſcripſerit; ſi rectè auctor creditur commentarii de rebus geſtis Bertholdi à Buchecke, epiſcopi Argentinenſis. Quem idem Urſtiſius primus è manuſcriptis codd. in lucem edidit.

a Excuſſit Baſ. Opor. an. 1553.

Æqualis huic erat Lobardus Sirichius Patavienſis, Petrarchæ diſcipulus. Hic, cùm Petrarcha, poſtulato Franciſci, Carrarienſis principis, orſus eſſet epitomen de viris illuſtribus, ſed, antequam abſolveret, deceſſiſſet: ſupplementum operi iſti addidit, eidemque principi dicavit. Prodiit *b* Baſileæ. Plura de eo vide apud Bernardinum Scardeonium lib. II. rerum Patavinarum claſſe X: ubi *Lombardus Sericus* vocatur. Quique in editione Germanicâ *c* Petrarchæ, quam dixi, *Patavienſis* nuncupatur, is *Patavinus* dicitur in antiquâ editione operum Petrarchæ, anni cIↃ IↃ III: item editione opuſculorum Petrarchæ, quæ prodiere anno cIↃ IↃ LXXI: &, quod caput eſt, etiam in ſepulchri inſcriptione apud Patavinos; ut ex Pignorio accepi. Hoc adjeci, ne quis eum Pataviâ, ſeu Patavio Germanico ortum putaret.

b Apud Henricum Petri an. 1562.
c P. 558.

Tum quoque epiſcopatu urbis inſignis erat Urbanus VI: qui Barienſium epiſcoporum hiſtoriam ad ſua uſque tempora deduxit: ut auctor eſt Eiſingrinius. Fuerat autem Urbanus ipſe archiepiſc. Barienſis: unde an. cIↃ CCC LXXVIII, extra ordinem cardinalitium, abſens à Romanis papa eſt creatus, ac Urbanus dictus, cùm prius Bartholomæus vocaretur.

Benevenutus de Rambaldis Imolenſis de viris Cæſarum edidit libellum, qui dicitur Auguſtalis. Dicavit eum Nicolao, Principi Ateſtino. Argentorati prodiit an. cIↃ IↃ V. Etiam Petrarchæ operibus conjungitur. Quando vixerit, extremâ ipſe libelli vitâ oſtendit. Nam cùm de Carolo IV egiſſet,

egiſſet, ſubjungit: *Venezeſlam, ſupradicti Caroli filius, vivente adhuc patre electus eſt imperator. Hodie regnat hic juvenis, robuſtus venator. Quid facturus ſit, ignoro, cùm minetur ſe venturum ad Italiam. Sed non venias precamur te, ſi non vincis laude genitorem tuum. Quamquam aliud in te ſperamus*, &c.

Temporibus Wenceſlai imperatoris claruiſſe etiam videtur Philippus Riboti, Carmelita, Prior provincialis Cataloniæ. Hic præter alia De peculiaribus geſtis fratrum Carmelitarum libros x compoſuit: item librum de illuſtribus viris Ordinis Carmelitarum.

Anno cIↃ ccc LXXXI effulſit Marius Georgius, Venetus, Ord. Serv. philoſophus, & theologus: qui cùm libros duos de libertate eccleſiaſtica adverſus Simoniacos edolavit: tum etiam carmine hexametro vitam panxit Philippi Bencii Florentini.

Æqualis huic erat Joannes de Kikelew: de quo nunc nihil addo: verùm infra *a* de eo dicemus occaſione Joannis Turocii, qui illum operi ſuo totum inſeruit.

*a* Cap. 6.

Etiam his temporibus in pretio fuit Raimundus Capuanus, S. Theologiæ doctor, & ordinis prædicatorii magiſter generalis, & à confeſſionibus S. Catharinæ Senenſis: quæ obiit anno cIↃ ccc LXXX. Unde ætatem quoque Raimundi liquidò cognoſcimus. Conſcripſit antè memoratæ B. Catharinæ vitam: cujus compendium apud Surium habes Tom. II, a. d. XXIX April. Item in literas retulit vitam B. Agnetis è monte Politiano. Uti teſtis eſt Andreas Piſanus in appendice vitæ Agnetis hujus, quam ex Italica Latinam fecit. Mortuus eſt Raimundus Norbergæ anno cIↃ ccc XCIX: ſed corpus ejus inde Neapolin tranſlatum, atque in æde Dominici conditum eſt.

Joannes Aylinus Maniacus Notarius hiſtoriam brevem condidit de bello Foro-Julienſi ſui temporis uſque ad annum cIↃ LXXXVII. Stylo utitur ab omni elegantia alieno. Supereſt manuſcriptus: Indicium mihi horum ex Syllabo Utinenſium hiſtoricorum: quem Venetiis ad me humaniſſimè tranſmiſerat maximus & illuſtriſſimus Dominicus Molinus.

Thomas Diaconus Flander monachus Bergæ S. Winoci, inter eos fuit, quos Galli cœpere anno cIↃ ccc XXXIII, cùm urbem eam à ſe captam, ac cœnobium quoque diriperent. De eo, & opuſculo ejus ſic Lac. Meyerus lib. XIII: *Thomas Diaconus Bergis oriundus, ac monachus divi Winoci, qui de hac calamitate ſcriptum reliquit libellum, in nocte illa Natalis B. Mariæ, primum à Normannis, iterum ab Burgundis captus, ac Bruchurgum ductus, per Ludovicum Comitem liberatur: ſed dum fanum petit Odomari, ab aliis Gallis rurſus capitur, trans Somonam, & ad Abbavillam, Hiſdinumque trahitur, ubi prope divinitus, ut ipſe ait, evadit, & ad Abbam Blangiacenſem pervenit, tandemque domum reſtituitur.* Meminit & Marchantius lib. I. deſcriptionis Flandriæ, ubi de Berga S. Winoci agit.

Joannes de Heſe presbyter Trajectenſis, deſcripſit iter ſuum ab Hieruſalem in Indias, quæque mirabilia obſervavit, donec Hieroſolymam rediret. De ipſis enim Hieroſolymis ſcribere ſe velle negat, quia alii multi hoc præſtitiſſent. Initio opuſculi ait, ſe iter hoc ſuſcepiſſe anno Domini cIↃ ccc LXXXIX: unde ætatem liquidò vidimus. Prodiit initio naſcentis typographiæ; cum literis Soldani ad Pium Papam: & hujus reſponſo: item Joannis presbyteri Imperatoris Æthiopici epiſtola, & quibuſdam aliis: ſed ut tum fieri amabat, nec anno, nec typographi, vel urbis nomine appoſito.

Æqualis quoque erat Jacobus Guiſius Montenſis Hannonius, monachus Franciſcanus, ac doctor Theologiæ. Hic regeſtis urbium, & bibliothecis cœnobiorum luſtratis, atque excuſis Latino ſermone annales, ſive Chronica contexuit, quæ tribus voluminibus membranaceis MSa continentur Montibus Hannoniæ in bibliotheca Franciſcanorum: ubi ea ſibi cum fructu eſſe lecta ait Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis; dignaque judicat quæ viri principis cura in lucem exeant, utcumque ea, quæ ad Romanorum imperium pertineant, caſtigationis egeant. Epitome Guiſii Gallicè prodiit Pariſiis. Deceſſit anno cIↃ ccc XLVIII. Tumulus ejus marmoreus eſt Valencenis in B. Franciſci.

Joannes de Bele, Leodienſis, Canonicus ad B. Lambertum, & Joanni, Hannoniorum principi, à conſiliis, floruit anno cIↃ ccc XC, ac præter alia Chronicon condidit, teſte Froſſardo.

Conradus Alpendorp, Germanus, ordinis Carmelitarum, & Arotenſis epiſcopus, doctoris Cyrilli hiſtoriam ſignavit circa annum cIↃ ccc XC.

Etiam tum claruit Henricus Kalkarienſis, cognomine Æger, patria Clivius, Theologus Pariſienſis, monachus Carthuſianus. Scripſit de ortu ac progreſſu Ordinis Carthuſienſis: opus hactenus ineditum; ſed laudatum Arnoldo Boſtio de Illuſtr. viris ordinis Carthuſ. cap. XII. Plura de eo Theod. Petrejus in bibliotheca ſua. Obiit octogenarius anno cIↃ cccc VIII.

Cum iis, quos hactenus commemoravimus, non difficile erit conferre, qui iſtis in Anglia σύγχρονοι fuerunt. Nam quo anno cœpit imperare Wenceſlaus, (is gratiæ annus fuit cIↃ ccc LXXVIII) eodem ad regale faſtigium in Anglia pervenit Richardus II: ac quo anno exauctoratus fuit Wenceſlaus (is Chriſti milleſimus quadringenteſimus erat) eo vitâ exceſſit idem Richardus.

Guilielmus Thorne, Anglus, monachus Benedictinus ad fanum Auguſtini, claruit ſub Richardo hoc II, atque memoriæ prodidit res geſtas regum Cantianorum. Item vitas quorundam ſanctorum. Adhæc Chronica de comitatibus, epiſcopatibus, & abbatiis per totam Angliam: quod opus Cantabrigiæ MSum adſervatur in Collegio S. Benedicti. Item geſta abbatum Cantuarienſium a primordiis uſque ad annum cIↃ ccc LXXV. Ut vel hinc liqueat error Geſneri; uti & ejus, qui illum, ſed tacito auctoris nomine, exſcribere ſolet, Poſſevini dico: quorum uterque Thorneum floruiſſe ait cIↃ ccc XXXIV.

Guilhelmus Pachentonus, Anglus, Acta quinque regum Angliæ literis mandavit: nempe ab Joanne rege, uſque ad tempora Richardi II, ſub quo vivebat. Item, ſed lingua Gallicâ, quam in Galliis accuratè didicerat, conſignavit geſta principis ſui, Eduardi nigri, Eduardo III geniti: cujus ſcriba fuit, ac, ut nunc loquimur, theſaurarius.

Richardus Lauynhal, Anglus, anno cIↃ ccc LXXXI, Richardo II, Anglorum regi, à confeſſionibus erat. Cùm alia multa, partim ad philoſophiam, partim ad theologiam pertinentia, compoſuit: tum etiam librum de initiis ordinis Carmelitici: ac hiſtoriam trium magorum. Capitis ſupplicio affectus eſt cum Simone, archiepiſcopo Cantuarienſi, & Roberto Haleſio, Joannitarum magiſtro. Vide Polydor. Virgil. Hiſt. Angl. lib. XX.

Radulphus Marham, Anglus, monachus Auguſtinianus, claruit ſub eodem Richardo II, ac Manipulum Chronicorum libris VII, & in eum amplos indices reliquit. Orditur ab orbe condito, ac ad annum cIↃ ccc LXXX progreditur. Vide de eo Joſephum Pamphilum Veronenſem, epiſcopum Signinum, in Chronico de iis, qui eruditione aut ſanctimoniâ illuſtrarunt Ordinem fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Anno cIↃ ccc LXXX ſub eodem Richardo vivebat Henricus Knyghton, Anglus: qui gentis ſuæ geſta poſteritati ſacravit; ut Lelandus refert ex Joanne Roſſo Warwicano.

Stephanus Brickingtonus, Anglus, ordinis Benedicti monachus in monaſterio Cantuarienſi, à Pitſeo refertur ad annum cIↃ ccc LXXX. Gemino opere memoratur: uno de Cantuarienſibus epiſcopis ad Guilielmum Curtenum: altero, quod Elienſium epiſcoporum catalogum inſcripſit. Aliis dicitur Bytchingtonus. Archiepiſcoporum Cantuarienſium, deſinit in Guilhelmo Courtneji.

Etiam, hoc Richardo II regnante, in pretio erat Joannes Gaſcoinus Anglus. Erat inter eos, qui conſtituti fuere, ut de doctrina Joannis Wiclefi cognoſcerent. Præterea, quæ compoſuit adverſus Wiclefum, edidit quoque vitam S. Hieronymi.

Ejuſdem

Ejuſdem regis temporibus, Adamus Muremuthenſis canonicus erat Eccleſiæ Paullinæ, quæ eſt Londini: atque, ut ex Lelando Balæus refert, de Anglorum rebus, & iis, quæ in Romana curia, ac Gallia quoque, contigerunt, duplex chronicon fecit: unum ab an. Chr. cIↄ ccc II, uſque ad annum cIↄ ccc XLIII: alterum inde uſque ad an. cIↄ ccc LXXX, quo vivebat. In univerſum igitur hiſtoriam reliquit annorum LXXVIII.

Eodem rege, Anglus quidam, cujus nomen neſcitur, victuris mandabat chartis vitam Joannis Bridlyngtonii, Angli, patrii cœnobii antiſtitis: quam hiſtoriæ ſanctorum Surius inſeruit T. v. die x Oct. De ætate cognoſcimus ex his verbis: *Ut quidem ad nos perlatum eſt ab ejus condiſcipulis fide dignis.* Abobiit Bridlyngtonius temporibus Richardi, Anglorum regis, an. cIↄ ccc LXXIX.

Etiam Richardi hujus ætate in pretio erat Joannes Cowerus, ſeu Goverus, nobilis Anglus ordinis equeſtris, ac poëta laureatus. Hic nomen ſuum extulit, partim iis, quæ & Gallicè eleganter, & elegantiùs Anglicè elaboravit (ſanè is, & Gualterus Chancerus, primi Anglicam linguam expolire cœperunt) partim illis, quæ nec ineleganter Latino ſermone tranſmiſit: uti Chronico VII librorum, cui titulus, Vox clamantis in deſerto. Hoc MSum habet Oxonii Collegium omnium animarum: item bibliotheca Lumlejana. Adhæc memoriam ſui reliquit Chronico Richardi II, & Commentario de rege Henrico IV, & Chronici tripartiti libris tribus: qui & ipſi in eodem omnium animarum collegio adſervantur. Ætate confectus, & jam cæcus, Londini deceſſit an. cIↄ cccc II, ac magnificè ſepultus fuit in æde S. Mariæ de Overes: ſtatua quoque eidem erecta eſt cum torque aureâ, quæ equitis aurati indicium eſt, & coronâ hederaceâ roſis intermiſtis, quæ poëtam arguit laureatum.

Circa annum cIↄ ccc xc fuit Guilhelmus, cognomine Giſlynham à natali loco, S. Benedicti monachus Cantuarienſis ad ædem Servatoris. Librum collegit de ſcriptoribus ſui ordinis. Item de rebus Cantuarienſium.

Arbitretur autem quiſpiam, eundem eſſe, quam aliqui vocant Guilielmum Starneſeldium. Uſque adeò multa conveniunt. Nam & is Anglus dicitur monachus, & Cantius, & anno claruiſſe cIↄ ccc xc, & præterea ſcripſiſſe hiſtoriam monaſticam. Sed omnino ſunt diverſi. Nam Starneſeldius Carmelitarum in Newendenienſi cœnobio antiſtes fuit, ac præter conciones, non de ſcriptoribus ordinis S. Benedicti, ſed Newendenienſis cœnobii ſui hiſtoriam compoſuit.

Galfridus Linge, Anglus, Ord. Min. Chronicon reliquit ab orbe condito uſque ad an. cIↄ ccc xc: quo terras incoluit. Meminere Guilielmus Botonerus in Antiquitatibus ſuis, & Henricus Willotus in ſuis Franciſcanorum Athenis.

Etiam de Anglorum gente, geſta ejus prodendo, bene mereri voluit Joannes Staffordius, Anglus, Minorita: quem in Antiquitatibus ſuis laudat Joannes Roſſus, Warvicenſis hiſtoricus. Sed de ætate ejus nec Balæo conſtat. Pitſeus refert ad tempora Richardi II: quem nunc ſequi viſum. Vellem tamen opinionis ejus cauſſam appoſuiſſet.

## CAP. IV.

*Joannis Froſſardi libri de laudibus Philippæ reginæ, ac Chronica ejuſdem, atque in ſui ævi rebus fides. Joannis Weentii Epitaphia. Jacobus Kongelshofius de rebus Argentinenſibus, ac quouſque eam hiſtoriam perduxerit. Nicolai Nicolii libelli coſmographici, atque alii antiquitatem ſpectantes. Hermanni de Lerbeke Chronicon. Theoderici à Niem hiſtoria univerſalis, & Nemus unionis. Paulli Boneti viridaria duo. Joannes Rocheſordi flores hiſtoriarum, aliaque excerpta. Boſtonus Burienſis de rebus cœnobii ſui: item opus laboris plenum de ſcriptoribus eccleſiæ. Thomas Otterburne de ſucceſſione comitum Northumbriæ: ac ejuſdem hiſtoria Anglicana.*

Exauctorato Wenceſlao, anno, ut diximus, cIↄ cccc, ſucceſſit Rupertus Palatinus. Imperavit decennium. Magni eſſe nominis, hoc imperante, cœpit Joannes Froſſardus. Valentinianis hic ad Scaldim in Hannonia natus eſt: ac canonicus & theſaurarius fuit in principatu Chimacenſi, Croyæ gentis apud Hannonios oppido. Præcipuum nominis decus retulit partim laudibus Philippæ reginæ, quas complexus eſt libris duobus: partim Chronico ſui temporis: quod incipit ab an. cIↄ ccc XXVI, & extenditur uſque ad annum cIↄ ccc XCIX. Eò autem magis fidem meretur, quia diu ſectatus eſt regum, principumque familias; imprimis Philippæ, Guilhelmi Boni, Hannonienſis & Hollandiæ comitis filiæ, & Eduardi III, Anglorum regis, uxoris; cujus antè laudes ſcripſiſſe diximus. Nempe vel coram ea vidit, quæ refert: vel ex iis accepit, qui vidiſſent. Nomina tamen propria quandoque male exprimit: quod & Mejerus ait videri ad an. cIↄ ccc XXVII. Auctoris hujus codicem MSum optimæ notæ, ac locis plurimis ab eo, qui Lutetiæ quondam prodiit, differentem, vidi apud amiciſſimum Georgium Ratallerum Dubletium, juvenem ut genere nobilem, ita & juris utriuſque ſcientia, & omni diſciplinarum genere præclarè excultum. Habeo & ipſe hiſtorici hujus tranſlationem Belgicam ſatis antiquam, & hactenus ineditam. Porro ex Froſſardi voluminibus Joannes Sleydanus memorabilia excerpſit, Latineque vertit, ac Ioanni Bellaico dicavit, epiſcopo Pariſienſi.

Ioannes Weentius, vigeſimus octavus Egmondanus abbas apud Hollandos, cùm annis XIX eo munere functus eſſet, tædio ejus abdicavit ſe Romæ per procuratores an. cIↄ cccc IV, paullo ante mortem. Scripſit epitaphia eorum, qui ante ſe Egmundanæ hujus abbatiæ antiſtites fuiſſent. Ipſe epitaphium hujuſmodi eſt ſortitus:

*Infortunatus jacet hic* JAN *abba vocatus:*
*Cui* WEENT *cognomen: à ploratu dedit omen.*
*Nomine ſtipatus, ni Salvatore juvatus;*
*Quem ſancto cœli Rex aſſociet Michaëli.*

Æqualis huic, quantum videre poſſum, fuit Iacobus Kongelshovius. A quo conſignatæ ſuperſunt res Argentinenſium. Orditur ab origine ejus urbis. Progreditur verò, non modò uſque ad initium ſeculi à nato Chriſto decimiquarti, uti ſcribunt: ſed uſque ad exitum ejus, hoc eſt, annum cIↄ cccc. Germanicâ linguâ opus ſuum contexuit. Sed ſententiam, qua exauctoratus fuit Wenceſlatus imp. ex eo Latinè tranſlatam habemus in Tomo illuſtrium Germaniæ ſcriptorum, quos Urſtiſio debemus.

Etiam an. cIↄ cccc claruit Nicolaus Nicolius, patricius, ac medicus Florentinus; quem inter Florentiæ lumina quoque Leander Albertus *a* recenſet. Opuſcula quædam reliquit ad coſmographiam, philoſophiam, & antiquitatem pertinentia. Ea putantur exſtare Florentiæ in bibliotheca S. Marci, quam liberalitate ſua inſtruxit. Hoc quoque de illo proditum eſt, ſolere ejus domum frequentari à doctis, non tam bibliothecæ cauſſa, quàm ipſius: ut quem ſui ævi homines vivam ducerent bibliothecam. Exſtant ad eum epiſtolæ Philelphi, una anni cIↄ cccc XXVIII, altera anni cIↄ cccc XXXVIII. Ea exprobras ei, quòd gloriæ ſibi duceret, quòd expulſiſſet Florentia viros aliquot doctos, uti Chryſoloram, Guarium Veronenſem, & Ioannem Veronenſem: quodque in eo eſſet, ut etiam expelleret Philelphum, inſtigante vulpecula illum Carolo Aretino. Obiit eadem in urbe cœlebs anno ætatis ſuæ LXXIII an. Chr. cIↄ cccc XXX, Prid. Non. Febr.

Hiſce etiam temporibus claruit Hermannus de Lerbeke Dominicanus S. Pauli apud Mindenſes, qui condidit Chronicon Comitum Schauwenburgenſium. Incipit ab ann. cIↄ VI à primo Schauwenbergenſi comite Adolpho, qui an. deceſſit cIↄ XLII, ac deſinit in Ottone Schauwenburgenſi, quem fatis conceſſiſſe narrat an. cIↄ cccc XIV. Primus hunc ſcriptorem edidit, ac notas ſuperaddidit Henricus Meibomius *b*.

Hujus quoque Ruperti temporibus claruit Theodoricus à Niem, Pontificius ſcriba primùm, pòſt Epiſcopus Verdenſis.

a *In deſcript. Italiæ.*

b *Prodiit Francofurti an.* 1610.

denſis. Hiſtoriam is annorum XXXVIII complexus fuit libris IV: quorum tres priores ſunt *de ſchiſmate univerſali*: quartus verò inſcribitur *nemus unionis*. Iſtud, quod deſcribit, Eccleſiæ vigeſimum ſecundum ſchiſma erat: ac incepit circa an. cIↄ CCC LXXVIII: idque inter Urbanum VI. Papam, & Clementem antipapam. Perducit autem hiſtoriam ſuam uſque ad annum cIↄ CCCC X: quo obiit Alexander V, ac Papa creatus eſt Joannes XXIII, ſive, ut aliis vocatur, XXII. Nec difficile fuit Theodorico accuratè res eas nôſſe, quas refert, quia jam inde à Gregorio XI, univerſo iſtoc tempore, cujus res geſtas prodit, variorum pontificum ſcriba fuit: eoque ex actis ipſis cognoſcere omnia potuit. Primus eum Baſileæ, an. cIↄ Iↄ LX, publici juris fecit Simon Schardius, LL. doctor.

Ejuſdem Ruperti temporibus, ac poſtea quoque, fuit Paullus Bonetus Narbonenſis, Carmelita; qui præter conciones ad populum, tum viridarium mundi condidit: tum alterum viridarium, de ortu & floribus ſui ordinis.

Imperante Ruperto, an. cIↄ CCCC, regere cœpit in Anglia Henricus IV. Sub quo, an. cIↄ CCCC VI, clareſcebat Joannes Rocheſordus, nobilis Anglus, ac tandem eques auratus. Hic, cùm lectione imprimis hiſtoriarum caperetur, flores earum collegit ex Matthæo Weſtmonaſterienſi. Quod opus rarò inveniri, ait Brianus Twynus lib. II de academia Oxonienſi: Oxonii autem adſervari illud in Collegio omnium animarum: uti & eſt apud Thomam Jameſium. Idem Rocheſordus geminam epitomen fecit: unam antiquitatum Flavii Joſephi; alteram è polychronico Radulphi.

Boſtonus Burienſis, Anglus, in comitatus Sudovolgiorum cœnobio ad Eadmundi fanum monachus, gloriam non exiguam adeptus eſt temporibus ejuſdem regis an. cIↄ CCCC X. Hic præter cœnobitarum Speculum, etiam de rebus cœnobii ſui volumen reliquit. Sed imprimis nomen ſibi paravit commentario, cui titulus, Catalogus ſcriptorum Eccleſiæ. Quod ſanè opus magno ei labore, multoque ſudore ſtetit. Quippe univerſas Angliæ Academias, earumque bibliothecas luſtravit, ſcriptores ſecundùm literarum ſeriem digeſſit, ætatem etiam ac vitam addidit, & quibus in cœnobiis monumenta eorum invenirentur. Quædam etiam ex Caſſiodoro, Iſidoro, Beda, Burchardo Wormatienſi, Hugone de S. Victore, Gratiano, Vincentio, aliiſque, de ſcriptoribus authenticis, & apocryphis adjecit.

Thomas Otterburne, Anglus, Franciſcanus, innotuit commentario de ſucceſſione comitum Northumbriæ: item hiſtoriâ rerum Anglicarum: cujus & mentio fit in prologo Scalæ Chronicorum. Sed de ætate nec Lelando, nec Balæo, liquebat. Interim in temporibus Henrici IV, Anglorum regis, locum ei aſſignat Balæus. Nec hac eum parte ſequi dubitat Pitſeus. Vellem uterque ſuſpicionis iſtius cauſſas appoſuiſſet. Meminit & Ottoburnii hujus Wiltonus.

## Cap. V.

*Joannis Saxonii hiſtoria rerum Germanicarum. Theodorici Uric de geſtis concilii Conſtantienſis hiſtoria, eo opere comprehenſa, quod inſcripſit de conſolatione philoſophiæ. Petri de Alliaco liber de vita S. Petri Cæleſtini. Johannis de Schonhovia Chronicon. Poggii Florentini dignitas, lingua intemperans, præceptor, hiſtoria, inque ea dubia fides: item ejuſne, an Joannis Phreæ, ſit interpretatio quinque librorum Diodori: deque invento ab eo Fabio, Aſconio, Sillio, ac quibuſdam Tullii libris. Balduini Padebornenſis hiſtoria univerſalis. Andreæ Reginoburgenſis, ſeu Ratiſbonenſis, Chronicon de ducibus Bavariæ. Andreæ Bilii Mediolanenſis hiſtoria Longobardica, & alia ejuſdem. Brandonis Joannis Chronodromus, & chronicon de prælatis Dunenſibus. Corrigitur Adrianus Dunenſis, qui Ægidii à Roia diſcipulus fuit. Anonymi appendix de bellis ſacris. Anonymi breviarium hiſtoricum ex Landulpho de Columna præcipue excerptum. Anonymi Chronicon S. Petri Vivi Senonenſis. Leonardus Juſtinianus de vita S. Nicolai, & vita, quas tranſtulit è Plutarcho. Petri Paulli Vergerii hiſtoria principum Carrarienſium, & Mantuanorum, ac tranſlatio Arriani. Emundi Dinteri hiſtoria Ducum Brabantiæ, & genealogia Ducum Burgundiæ & Brabantiæ. Michaelis Ruperti hiſtoria omnis ævi. Joannes Lopez de vita S. Vincentii Valentini. Erycus Daniæ Rex. Anonymus de laude Brabantiæ: quo in opere & multæ ſunt ſanctorum vitæ. Bartholomæi Facii tranſlatio Arriani: atque ejuſdem hiſtoria de geſtis Alphonſi. Ambroſii Camaldulenſis, ſeu Florentini, præceptor, dignitas, peritia, Chronicon, opus de geſtis à ſe abbate, aliaque. Leonardi Aretini natales, laus, præceptor, dignitas, libri de bello Punico, & hiſtoria Gothorum, & ut in illis Polybium, in his Procopium exſcripſerit: item hiſtoria Florentina, & quod ea minus liberè ſcripta ſit. Robertus Maſchal de legationibus ſuis. Richardus Graſdale de mundi ætatibus. Thomæ Rudburni Chronicon. Alani de Lynna indices in varios hiſtoricos. Joannis Langdeni Chronicon Angliæ. Gulielmi Lindwodi catalogus Cantuarienſium archiepiſcoporum. Joannes Polus de vita ac miraculis S. Walpurgis. Joannis Louve hiſtoria temporum. Nicolai Cantilouve hiſtorica epitome, appendices hiſtoricæ, & encomium ordinis Carmelitici. Thomas Dando de geſtis regis Arturi. Joannis Langtoni hiſtoria Anglicana.*

RUperto imperatori ſucceſſit Jodocus marchio an. cIↄ CCCC X. Sed cùm is menſibus ſex imperaſſet, deceſſit: ac ſurrogatus ei Sigiſmundus, Ungariæ rex: quòd an. factum cIↄ CCCC XI. Tenuit hic imperium annis XXVI.

Joannes Saxonius floruit hoc imperatore, anno cIↄ CCCC XII; atque, ut eſt in Chronicis Ord. Serv. præter commentarios in Jeſ. atque homil. in pſalmos, etiam Germaniæ hiſtoriam condidit.

Conſtantienſis concilii tempore vivebat Theodoricus Uric, qui ad Sigiſmundum imperatorem volumen, partim carmine, partim proſâ, contexuit de conſolatione philoſophiæ, quo, majori ex parte, concilii Conſtantienſis geſta comprehendit. Meminit Paullus Langius in Chronico Citizenſi.

Temporibus Sigiſmundi Imp. claruit itidem Petrus ab Alliaco, Gerſonis præceptor, Archiepiſcopus Cameracenſis, & Cardinalis, quam dignitatem ab Joanne XXIII Papa adeptus fuit an. cIↄ CCCC XI. Deceſſit Avenione ann. cIↄ CCCC XXVI. Sed corpus Cameracum eſt relatum; ubi ſepulchrum, ac epitaphium ejus videre eſt, in templo Cathedrali. Præter alia, compoſuit vitam S. Petri Cœleſtini; qui ſummus Pontifex creatus fuit an. cIↄ CC XCIV: ſed eopſe anno dignitate illâ ſe exuit, atque ad monaſterium reverſus eſt. Habes eam vitam apud Surium Tom. III ad XIX Maji. Nonnulli arbitrantur vitam hanc ſcriptam eſſe ab altero Petro de Alliaco, qui Gymnaſii Navarrici archididaſculus fuit. Sed hæc ſententia eo refellitur, quòd ſcriptor ejus vitæ ſe, non gymnaſii præfectum, verùm eccleſiæ epiſcopum vocet. Sic enim in præfatione ait: *Sane ſcribere præſumo Petrus de Petro, epiſcopus, de epiſcopo; ſed parvus de maximo, infimus de ſummo*, &c.

Joannes de Schonhovia fuit Canonicus regularis monaſterii S. Auguſtini, juxta Bruxellam, quod vulgo *Groenendal*, hoc eſt *viridis vallis* nominatur. Reliquit Chronicon ordinis Canonicorum regularium. Item ſermonem in capitulo Windeshemenſi habitum anno cIↄ CCCC XIII, cùm ei unirentur monaſteria regularium Brabantiæ. Atque alia. Obiit anno cIↄ CCCC XXXI.

Poggius Brandolinus uti vocat Poſſevinus in Apparatu ſacro: vel Brandolinus, ut nuncupat Franciſcus Albertinus a, civis Poggii, vel Bracciolinus, Florentinus originem debet Terrænovæ, agri Aretini oppido. Fuit hic, ut de eo Jovius in elogiis inquit, *Pontificius* *ſcri-*

a *Orat. II. ad Julium II de laudibus civitatis Florentinæ & Saonenſis.*

*ſcrinii ſub Eugenio, & Nicolao, præfectum: æquato ſcilicet honore ſummis viris, qui in eo munere fidelis eruditique ingenii operam præſtitiſſent: in his fuere Leonardus Aretinus, Maphæus, & Joannis Auriſpa.* Invectiva ſecunda in Vallam a gloriatur, quod *quinquaginta fere ita ſit verſatus in Curia, ut abſque alterius offenſione charus: octo Pontificibus continuo in honore & dignitate fuerit: quadraginta ferme ſecretarius.* Vide an Poggii liber de varietate Fortunæ non hiſtoricus ſit. Sanè pluſculas hiſtorias inde adducit Felinus libro de regibus Siciliæ, & Aragoniæ. Cum penè omnem ætatem in Romana curia conſumſiſſet, anno ætatis LXXII Florentiam accitus eſt, ut Reip. patriæ à ſecretis foret. Vir omnino erat gravis conſilii, & facetus: ſed, ut apud Jovium inibi legas, *erat adeò intemperans objurgator, ut cùm in theatro Pompeii, loco & die celebri, ubi bullatorum diplomatum cenſura habebatur, Georgio Trapezuntio malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur.* Jure igitur de illo Ugolinus Verrius lib. II Italiæ illuſtratæ:

a Fol. 86.

*—— nimis ab rabidas exarſit in iras.*

Ubi alioquin illum inſigni elogio ornat. Nam ei dicitur fuiſſe

*—— Nulli ſplendore ſecundus*
*Eloquii.*

Græcè didicit ab Emanuele Chryſolora, ut Philippus Bergomas ait ad annum cIↄ ccc XCVIII. Hiſtoriam ſcripſit Florentinam: in qua hoc à Machiavello merito culpatur, quòd pleraque ea omiſerit, quæ ad civiles diſcordias pertinent. Nimis & patriæ favet: quò reſpexit Actius Syncerus epigrammate iſtoc,

*Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem:*
*Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.*

Ex Poſſevino cognoſco, & alia multa ſcripſiſſe, interque ea librum unum de ſitu regionis Indiæ: cujus initium ſit, *Scribendi Indiæ hiſtoriam.* Præterea tranſtulit Xenophontis Cyri-pædiam. Ejuſdem nomen præfert vetus tranſlatio quinque librorum Diodori Siculi. Atque arbitror, hoc opus ſignari ab Ugolino Verino lib. II Florentiæ illuſtratæ cùm de Poggii ſcriptis loquens, ait,

*Barbara traduxit veterum miracula regum.*

Sed fortaſſe eorum interpres eſt Jo. Phreas, Britannus, Balliolenſis collegii ſocius, qui medicinam Ferrariæ, aut Patavii, docuit. Nam, ut Brianus Twynus ait lib. III de antiquitate Academiæ Oxonienſis b, *extat adhuc archetypon in bibliotheca Collegii Ballolenſis, ipſius (Jo. Phreæ) manuſcriptum, multò antequam Poggii nomine divulgaretur.* Sed argumentum infirmum. Diu enim fortaſſe Poggius verterat antequam divulgaret. Eraſmi de Poggio judicium eſt iſtiuſmodi in Ciceroniano ſuo: *Natura ſatis erat, artis & eruditionis non ita multum; interim impuro ſermonis fluxu, ſi Laurentio Valla credimus.* Eſt adverſus fœdiſſimos ejus mores VII ſatyra lib. V. Hecatoſtichorum Franciſci Philelphi, & ſat. X. lib. VI, & lib. VIII hecatoſt. V. Interim Poggii hujus laus eſt, quòd, ut Rap. Volaterranus teſtatur lib. XXI, Quinctilianum, & Aſconium, invenerit in concilio Conſtantienſi; quod celebratum anno cIↄ cccc XV, & ſequentibus duobus. Ac Quinctilianum quidem in ſalſamentarii taberna reperit: ut eſt apud Jovium in elogiis. Illud verò alibi me legiſſe non recordor, unà cum Aſconii parte inveniſſe Argonauticorum Valerii Flacci librum I, II, III, & partem quarti. Quod cognoſcere eſt è codice MSo clariſſimi, & ob eximiam eruditionem, atque humanitatem mihi cariſſimi viri, Laurentii Pignorii. Eo in codice hæc leguntur:

b P. 371.

*C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum eſt in monaſterio S. Galli prope Conſtantiam XX millibus paſſuum, unà cum parte Q. Aſconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum. Nos, quod potuimus, egimus.*

*Poggius Florentinus.*

Nec pervulgatum illud, Sillium quoque Italicum eidem deberi: uti Scriverio noſtro obſervatum ex verſibus iſtis Ugolini Verini lib. II de viris illuſtribus Urbis Florentinæ:

*Quin etiam ſollers Germanis eruit antris*
*In Latium altiloqui divina volumina Sili,*
*Integer Orator nobis, Fabiuſque relatus, &c.*

Quod autem de integro Oratore ait, exinde lucem capit, quòd *Ciceronis libros de Finibus, & de Legibus, à ſe in Germania deſcriptos, in Italiam primus attulit:* ut eſt apud Iovium in elogiis. Plura ibidem de Poggio vide: uti & apud Bergomatem in Chr. Suppl. ad an. cIↄ cccc XVI. Sed quod hic facetiarum ejus librum vocat pulcherrimum, qui non infacetiſſimus modò, ſed etiam impuriſſimus, & planè flammis dignus eſt: ſanè rem facit ordini ſuo Eremitico, quem profitebatur, indignam.

Balduinus Parochus Padebornenſis fuit circa annum cIↄ cccc XVIII, atque ad hunc uſque annum hiſtoriam univerſalem reliquit.

Itidem Sigiſmundi Imp. temporibus clareſcebat Andreas, presbyter Ratiſponenſis. Qui Chronicon compoſuit de ducibus Bavariæ. In lucem id prodiit Ambergæ. Meminit quoque Ioannes Aventinus lib. VII hiſtoriæ Bojorum: ubi cùm retuliſſet, quanta fuerit induſtria Ratiſponenſium ſive Reginoburgenſium bello Bohemico; continuò ſubjungit: *Hæc diligenter, & accuratè Andreas Reginobergenſis, myſta Aurelianus, literis & memoria commendavit. Iccirco eundem cives ſui Titum Livium cenſent.*

Andreas Bilius, Mediolanenſis, ordinis Auguſtini, floruit anno cIↄ cccc XX, librum ſcripſit de propagatione ordinis Auguſtiniani: commentarium hiſtoricum de detrimento fidei Orientis, ſive de origine Turcarum: adhæc hiſtoriam Longobardorum: item hiſtoriam Mediolanenſium: pluraque alia.

Brando Ioannes Hontenenſis oriundus in Dunenſi Flandriæ cœnobio, quod ordinis Ciſtertienſis fuit, claruit ab an. cIↄ ccc LX uſque ad annum cIↄ cccc XXVIII: quo deceſſit, ut Mejerus obſervat rerum Flandricarum libro ſextodecimo. In præfatione Fr. Adriani Dunenſis, quæ præmittitur Ægidio de Roja legas deceſſiſſe anno cIↄ cccc LXXVIII, ubi quinquagenarii nota eximi debet. Scripſit hiſtoriarum triplex volumen, quod Chronodromon appellavit. Perducit vero ab orbe condito uſque Chr. cIↄ cccc XIV. Hoc opus in compendium redegit Ægidius à Roja: imò in temporibus ab eo deſcriptis, nec alios conſulit ſcriptores, plane confiſus, Brandonem omnia bonâ fide ex fontibus ipſis hauſiſſe: quemadmodum ipſe agnoſcit in præfatione Annalium Belgicorum, quos ante ſeſquiſeculum contexuit. Multum quoque ei debet is, quem diximus, Mejerus. Id Brandonis Chronicon MSum, cùm Dunis, tum etiam Gandavi in Blandinio, extitiſſe, auctor eſt in indice ſuo Bunderius. Apud Sanderum legas eundem ſcripſiſſe & Chronicon de geſtis prælatorum Monaſterii Dunenſis. Quod nec ipſum prodiit hactenus.

His temporibus etiam fuit is, qui epitomæ bellorum ſacrorum poſteriorem partem addidit. Prior enim ſcripta anno cIↄ ccc LXXIV: ut ſuprà dictum. Poſterioris tempus extrema hæc verba indicant: *Nam prætorium Pilati, domus divitis, domus Zachariæ, & multa area incorrupta cum cancellis ad hunc diem, & annum* cIↄ cccc XXII, *ſicut vidi, perſeverant.* Edidit utramque epitomes partem (ſi modò duæ, & non plures ejus ſunt partes) Caniſius T. VI. Antiquæ Lect.

Sigiſmundi etiam ætate vixit auctor operis, quod inſcribitur, *Breviarium hiſtoriale, ut homines bonis præteritis diſcant vivere, & malis exemplis ſciant prava vitare.* Incipit autem, *Decet viros virtuoſos*, &c. Gallum ſe fuiſſe, alicubi prodit. Inque præfatione opus ſe ſuum excerpſiſſe ait ex Landulpho de Columna, aliiſque. Hinc ſubjicit: *Eſt quoque colligentis, & excerpentis intentio, per diſtinctionem ſex ætatum ſeculi, ſuccinctè geſta deſcribere: ut cuilibet ætati ſua geſta propria tribuantur, & faciliùs commodiuſque diſtincta per partes commendentur.* Ætatem ſcriptoris hæc ejus verba in operis extremo oſtendunt: *Idem Sigiſmundus imperator, anno præſenti* cIↄ cccc XXVIII, *menſe Auguſti, prælium aſperrimum iniit cum ini-*

*inimicis fidei Chriſtianæ: ubi facta eſt cædes maxima, fuitque tellus multo veſtita cruore: Deo tamen cooperante, millia multa Turcorum, Valachorum, & Tartarorum, accubuerunt.* Liber iſte Pictavii, in ædibus canonici Eccleſiæ B. Hilarii, typis eſt editus, anno cIɔ cccc LXXIX. Nec operis ejus hactenus exemplar aliud videre contigit, quàm quo uſus ſum è bibliotheca clariſſimi Theologi, & collegæ conjunctiſſimi, Antonii Thyſii.

Auctor incertus antiquioris Chronici S. Petri Vivi Senonenſis vixit anno cIɔ cccc XXIX. Supereſt MSum. Ac quædam inde inter teſtimonia de monaſterii Cluniacenſis fundatione, deque S. Odone, Majolo, Odilone, & Hugone, leguntur *a* in bibliotheca Cluniacenſi. Quod autem hoc antiquius Chronicon appello, ex eo eſt, quia cœnobium illud & alterum habet Chronicon, itidem MSum, ſed recentius: ex quo etiam in eadem *b* bibliotheca Clun. quædam adferuntur.

*a Col. 8. 60. 304. 341. 471.*

*b Col. 60.*

Anno cIɔ cccc XXX magno in pretio erat Leonardus Juſtinianus, patricius Venetus, & eques auratus, Leonardi Juſtiniani, clariſſimi oratoris, non filius quidem, ut Philippus Bergomas tradidit; ſed, ut bene apud Volaterranum eſt, nepos; at Bernardi Juſtiniani ex Quirina filius, ac frater Laurentii Juſtiniani, primi Venetiarum patriarchæ. Ex Laurentio Pignorio intelligo, prætorem fuiſſe Patavinum, an. cIɔ cccc XIII: quo anno reperta eſt arca T. Livii ac ſtatua ejuſdem, impoſita eſt foribus palatii publici, addita inſcriptione, cujus Juſtinianus hic auctor creditur: ut cognoſcere eſt ex Guilhelmo Ongarellio in T. Livio. Non ſemel eum laudat in Conviviorum libris Philelphus. Idem præterquam quòd orationem funebrem in Carolum Zenum edidit, etiam ſcripſit, vel potiùs, velut paraphraſtes, ex ſcriptoribus Græcis conſarcinavit vitam S. Nicolai, Myrenſis epiſcopi: quæ eſt apud Sur. T. VI Dec. X: item Wicelium in Hagiologia: ſed in Wicelio finis deſideratur. Idem è Plutarcho Cimonis, & Luculli vitas Latinè tranſtulit *c*. Vide de eo Iac. Bergomatem lib. XIII ad an. cIɔ cccc XXVIII, & Raphaëlem Volaterr. lib. XXI.

*c Habet in tranſlatione Vitarum, quæ Baſileæ prodiit an. 1540.*

Petrus Paullus Vergerius Iuſtinopolitanus, vir non Latinè modò doctus, ſed & Græcè; qua in lingua auditor fuerat Emanuelis Chryſoloræ; atque item philoſophus, juriſconſultus, & orator, claruit an. cIɔ cccc XXX. Magna in gratia vixit Patavii apud principes Carraſienſes: ut de eo Volaterranus teſtatur, cui & juriſconſultorum ſuo tempore eloquentiſſimus, & eloquentium juriſconſultiſſimus vocatur. De eodem ſic Andreas Divus Iuſtinopolitanus præfatione in Iliada Homeri à ſe Latinè tranſlatam quam juniori Petro Paulo Vergerio dicavit: *Imitaris videlicet majores tuos, imprimiſque doctiſſimum, ac eloquentiſſimum virum, Petrum Paulum Vergerium, cujus tu & nomen, & virtutem refers. Fuit autem ille vir clariſſimum ætatis ſuæ lumen, & ornamentum minimè vulgare. Claruit in concilio Conſtantienſi centeſimum abhinc annum, liberalium omnium diſciplinarum bene peritus, ut ejus ſcripta, quæ permulta edidit, teſtantur. Pontificibus ejus ætatis gratiſſimus fuit, itemque Sigiſmundo Imp. apud quem etiam deceſſit, ut à doctiſſimis viris proditum video.* Hic hiſtoriam condidit principum Carrarienſium: Item aliam Principum Mantuanorum. Prius opus exſtat apud illuſtrem & Reverendum Albertinum Papafebam, epiſcopum Hadrianenſem: à quo & copiam ejus ſibi crebro eſſe humaniſſimè factam literis ad me ſuis Patavio perſcripſit clariſſimus Laurentius Pignorius. Primus quoque Arrianum tranſtulit de geſtis Alexandri: quod poſtea non paullò feliciùs præſtitit V. Cl. Bonaventura Vulcanius, præceptor quondam meus in Græcis. Alia quoque reliquit, interque ea & invectivam adverſus Malateſtam, quòd Virgilii ſtatuam in foro Mantuano poſitam dejici juſſerat. Item librum de ingenuis moribus ad Ubertinum Carrarienſem: qui cum commentariis Ioannis Bonardi Veronenſis, & aliis aliorum de puerorum educatione opuſculis Venetiis anno prodiit cIɔ Iɔ II: ac in Germania poſtea recuſus fuit. Vide & de eo Iac. Bergomatem Chron. Suppl. lib. XV.

Æqualis ei fuit Magiſter Emundus de Dynter ſive *Dinterus*, qui quatuor Brabantiæ ducibus à conſiliis ac ſecretis fuit, Antonio I, filiiſque ejus Joanni IV, & Philippo I, ac denique Philippo Bono. Poſtea, aulicæ vitæ pertæſus, factus eſt Lovanii Canonicus B. Petri. Condidit hiſtoriam ducum Brabantiæ quæ MSa exſtare ſolet apud Antverpienſem epiſcopum, Ioannem Miræum, ac nunc eſt apud Aubertum Miræum decanum Antverpienſem: uti & alterum exemplar apud V. & Caſparum Gevartium. Multa ex eo, expreſſo Emundi nomine, exſcribit auctor magni Chronici Belgici, qui paulo fuit junior Dyntero. Etiam breviculam genealogiam ducum Burgundiæ, & Brabantiæ conſignavit, quam edidit, ac vitam Philippi à Burgundia addidit Georgius Noviomagus, pauculis ad continuandam Genealogiam de ſuo adjunctis. Obiit Bruxellis an. cIɔ cccc XLVIII, ac ſepultus ibidem in monte Palatino ad B. Iacobi, ubi & ejus imago viſitur.

Michael Rubertus, Zenobii filius, Florentinus, anno floruit cIɔ cccc XXX. Alumnus fuit Mariæ Salviatæ, matris magni ducis Coſmi Medicis. Hiſtoriam conſcripſit ab orbe condito uſque ad ſua tempora. Ac cum cura docet, imperiorum & Rerumpubl. mutationes judicio divino ob ſcelera hominum provenire.

Circa annum eundem erat Ioannes Lopez, ſive, ut ab Antonino Senenſi vocatur, *Joannes Lupus*. Scripſit vitam B. Vincentii Valentini, cognomento Ferrarii, profeſſione Dominicani: qui an. obiit cIɔ cccc XVIII.

Ericus Daniæ Rex ejus nominis X. (qui aliis VII.) filius Wratiſlai VII. Pomeraniæ Ducis, regnare cœpit an. cIɔ cccc XI, regnoque fugit an. cIɔ cccc XXXIX. obiit an. cIɔ cccc LIX. Hic reliquit hiſtoricam narrationem de origine gentis Danorum, & de regibus ejuſdem gentis, deque eorundem geſtis. Initium ejus, *Dani, ut teſtantur veteres Hiſtoriographi.* Pertingit uſque ad annum cIɔ cc LXXXVIII. Habes Tom. I. Chronici Chronicorum Politici Ioannis Gualterii.

Eodem tempore, & aliquanto pòſt, vixit auctor anonymus hiſtorici operis De laude Brabantiæ, quod duobus conſtat libris. Prior inſcribitur de etymologia Brabantiæ. In eo oſtendit, quot literis conſtat nomen regionis, totidem eſſe ejus laudes. B, innuere Brabantiam eſſe beatam; R, regalem, A, antiquam, B, bonam, A, audacem, N, nobilem, C (nam per C Brabanciam ſcribit) charitate commendabilem, vel, ut ipſe loquitur, caritativam, I, juſtam, A, abundantem. Ac ſingula horum exemplis illuſtrat. Alter liber eſt de genealogia ducum Brabantiæ, in quo non principum modò, ſed etiam multorum Brabantiæ ſanctorum, vitas enarrat. Siquidem explicat vitas SS. Remigii, Martini, Hilarii, Vincentii, Clodoaldi, Gildardi, Medardi, Radegundis, Bathildis, Arnulphi, Wandregiſili, Pipini, Ittæ ſeu Idubergæ, (quæ S. Pipini uxor fuit) Gertrudis, Gudilæ, Rainildis, (quæ ſoror erat S. Gudilæ) Beggæ, Amelbergæ, Pharaildis, Dypnæ virginis & martyris, Gummari, Caroli M. Veronæ, Ludovici ejus, qui Ludovici tertii filius, Philippi nepos fuit, Guidonis confeſſoris, Arnulphi, Bonifacii, Mariæ Oegniacenſis. Itidem adfert quædam pertinentia ad vitas Luidgardis, Thomæ Cantipratenſis, ord. præd. Mariæ martyrio affectæ juxta Bruxellam, fr. Ioannis Eeger, prædicatoris, Ioannæ ducis Brabanticæ, frat. Ioannis à Ruysbroeck, atque item alia. Exiſtimet aliquis, vixiſſe anno cIɔ cc XXX, quia agat de morte S. Idæ, quæ anno deceſſit cIɔ cc XXXI; & multo poſt eam vixiſſe non poſſit, qui ipſe, quo loco de quincta Brabantiæ beatitate agit, ſic loquatur: *Nuper circa an. Dom.* cIɔ cc, &c. Sed laxius eo ſeculo adverbio NUPER utebatur: ut nihil certi inde colligi poſſit. Vixiſſe autem ea ætate, quâ ante retulimus, liquidò colligimus ex verbis hiſce prioris libri, ubi de antiquitate Brabantiæ diſſerit: *Sic factum conſtat temporibus* NOSTRIS *in civitate Bruxellenſi circa annum Domini* M CCCC XXX. Libro etiam ſecundo agit de morte S. Idæ, quam incidiſſe ait in annum cIɔ cccc XXXI. Denique deſinit in temporibus Philippi II, cognomento Boni, XXXVI ducis Brabantiæ, qui Philippo I, Antonii filio ſucceſſit. De quo ſic orditur, *Huic ſuccedit in principatu Dom. Philippus hujus mo-*

*minis ſecundus, qui* USQUE HODIE *feliciſſimè præeſt.* Quibus verbis quid apertius eſt? Atqui imperare cœpit Philippus ille anno Chriſti cIↄ cccc xxx: & anno deceſſit cIↄ cccc LXVII, imperii ſui XXXVII. Satis iſta arguunt ætatem ejuſce ſcriptoris, hactenus, ut arbitror, inediti; quem ante paucos demum menſes reperi in bibliotheca Amſtelodamenſi, deducente eò optimo & doctiſſimo viro, Joanne Polyandro juniore, Juriſconſulto: cùm apud eum ad dies aliquot ob veterem amicitiam divertiſſem.

Bartholomæus Facius, Genuenſis, Laurentii Vallæ æmulus, præterquam quòd Arrianum de geſtis Alexandri, ejuſque Indica, vertit Latinè; etiam libros decem compoſuit de rebus ab Alphonſo I, rege Neapolitano, geſtis. Hi primùm in lucem protracti fuere à Jo. Michaele Bruto. Contexuit quoque commentarios de Genuenſium rebus adverſus Venetos geſtis: ſed fide parum bonâ, ſi hoſtis de eo, Vallæ dico, judicio ſtare licet. Vide, quæ de eo in elogiis refert Jovius cap. XCIX. Mortem ejus ægerrimè tulit Alphonſus Aragonius Neapolitanus rex: ut præter alios Jo. Mariana ait lib. II. de regis inſtitut. cap. VI. Reliquit & librum de humanæ vitæ felicitate ad Alphonſum Aragonum ac Siciliæ regem: quem è MSSis codd. primus in lucem produxit Marquardus Freherus *a*.

*a Hanov. an. 1611.*

Ambroſius Camaldulenſis, cui patria Porticus, oppidum Flaminiæ non procul Florentiâ, unde & Florentinus vocatur, anno claruit cIↄ cccc L. Græcè didicit ab Emanuele Chryſolora. Generalis abbas fuit, ut in Chronico Citizenſi Paullus Langius ait. Eſt idem quem Philelphus *Ambroſium monachum* vocat, ac ſalvere jubet epiſtola Florentiam ſcripta ad Nicolaum Nicolium anno cIↄ cccc XXVIII. ad quem etiam Florentiæ ſcribit anno cIↄ cccc XXXIII, & Senæ anno cIↄ cccc XXXVIII. Eſtque de eo ad Manettum Satyra VII lib. II. Hecatoſtichôn. Ab Eugenio IV ad concilium Baſileenſe orator eſt miſſus. Græcè orationem habuit Ferrariæ coram Emanuele Imperatore, atque Orientis proceribus, & epiſcopis. Coſmo Medici acceptiſſimus erat ob eruditionem, ac pietatem: atque eidem quoque opera ſua dicavit. Compoſuit Chronicon montis Caſſini: item libros duos earum rerum, quas geſſit, cùm generalis abbas foret ordinis Camaldulenſium: item vitam S. Eugeniæ virginis, vitam SS. Proti, & Hyacinthi. Idem è Græco vertit vitam Palladii à Chryſoſtomo ſcriptam, vitas monachorum, & Gregorii Nazianzeni, vitas SS. Patrum Ægypti, Diogenem Laërtium de vitis philoſophorum, & Joannem Climacum. Tranſtulit Latinè Græcum opus Manuelis Calecæ, libris quatuor conſtans, contra errores Græcorum. Primus tralationem eam edidit Petrus Stevartius *b*. Poſſevinus, Tritthemius, alii, eum ipſum ajunt ſcripſiſſe de Spiritu Sancto. Sed alieni operis verſione decepti videntur. Quæ præterea, vel de ingenii fonte promſerit, vel de Græcis tranſtulerit; ſuggeret Jacobus Bergomas in Chronic. Supplem. ad annum cIↄ cccc XLIX, ac Raphaël Volaterranus lib. XXI. De moribus ejus ſic Jovius in elogiis: *Fuit hic vir, quod raro evenit, ſine oris triſtitiâ ſanctus, ſemper utique ſuavis, atque ſerenus: ita procul à livore, contentioneque, ut, cum Valla Poggium reconciliare conaretur, eos neque planè literatos, neque item Chriſtianos videri diceret, qui inductâ ſimultate ſacroſanctum literarum decus probroſis libellis importunè deſœdarent.* Obiit Conſtantiæ. Defunctum funebri oratione decoravit diſcipulus ejus, Poggius Florentinus.

*b Ingolſtad. an. 1608.*

Eâdem ætate Leonardus Aretinus *felici quodam & fecundiſſimâ ingenii vi atque bonitate, eloquentiaque pollebat:* ut de eo loquitur Philelphus lib. I Conviviorum. Etiam epiſtola ad eum ſcripta anno cIↄ cccc XXXVI vocat eruditiſſimum, & optimum virum, atque ejus cauſſa ait libenter ſe Florentiæ vixiſſe. Etiam Poggio Florentino ſecunda in Philelphum invectiva dicitur vir doctiſſimus, atque omnium eloquentiſſimus. Idem invectiva prima in Vallam refert, à Valla habitum ſuæ ætatis doctiſſimum, proximum locum tribuiſſe Guarino Veronenſi, uti tertium ſibi. De eodem ſic Floridus Sabinus apologia adverſus calumniatores Linguæ Latinæ: *Leonardus Aretinus, multis nominibus commendandus, vir in philoſophicis rebus non infeliciter verſatus, in hiſtoricis pro temporum ratione minime aſpernandus, & facilis cujuſdam naturæ ſcriptor: plurimis tamen rebus interim deſtituitur, & quandoque eum parum Latinè locutum contendas: quod ſanè non eſt mirandum. Namque ut nihil ſimul & repertum, & abſolutum; ita unius opera Latinitas & reſtitui, & exactè excoli non potuit:* A plurimis vocatur *Leonardus Brunus:* ut cùm aliis, quos mox dicam, tum etiam Franciſco Albertino opuſculo ad Julium II papam de laudibus civitatis Florentinæ, & Saonenſis. Item ab Ugolino Verino lib. II. Florentiæ illuſtratæ; ubi & pleraque ejus ſcripta refert, quæ infrà commemorabimus. Quando natus ſit indicat Matthæus Palmerius Florentinus cùm ad annum cIↄ cccc LXX, annotat, *Leonardus Brunus, hiſtoricus, Aretii naſcitur.* At Leander Albertus in deſcriptione Italiæ: *Aretii natum præterea Leonardus Brunus, Græcè Latineque doctiſſimus, ut opera, quæ vel ipſe fecit, vel è Græco in Latinum vertit, abunde probant. Diem functus eſt anno poſt Chr. N.* cIↄ cccc XL *a*, *ætatis ſuæ* LXXIV, *Florentiæ, cum illi Reip. diu à ſecretis fuiſſet: & ſucceſſorem in eo munere habuit Carolum, item Aretinum, & Græcis Latiniſque literis eruditiſſimum: qui ipſe etiam quædam de Græcis Latina fecit.* Hujus Leonardi ea laus propria eſt, quòd *primus Græcarum literarum decus à multis ſeculis barbarorum immani tyrannide proculcatum erexit, atque reſtituit:* ut de eo in elogiis doctorum virorum Paullus Jovius refert. Ea autem in lingua audivit Emanuelem Chryſoloram: qui ſedente papa Bonifacio IX in Italiam venerat, ac tum Venetiis, tum Florentiæ docuit. Fuit Aretinus priùs Papæ Innocentii VII brevium magiſter, poſt Florentinorum ſcriba: qua & in civitate obiit, anno cIↄ cccc XLIII, annos natus LXXIV: ut arguit, quod de anno nativitatis dictum, & teſtis eſt Raphaël Volaterranus; qui addit, prædio locuplete relicto, *ἄπαιδα* deceſſiſſe: nec uxorem unquam ducere voluiſſe, unico avaritiæ vitio obnoxium. Idem, atque etiam Philippus Bergomas in Chron. Suppl. teſtantur, Andronici Theſſalonicenſis, (qui Græcæ linguæ peritiâ par Gazæ, vel etiam ſuperior, habebatur) tale de eo judicium fuiſſe, feliciter adeò Græca transferre, ut unus eſſet verus & fideliſſimus interpres: cæteri potiùs forent paraphraſtæ. Vertit autem è Plutarcho vitas Paulli Æmilii, Tib. & C. Gracchorum, Pyrrhi, Sertorii, Demoſthenis, & Antonii. Idem ajunt, Græcè libellum ſcripſiſſe de Republica Florentinorum; ut Latini hominis, non admodum inelegantem. Compoſuit quoque de bello Punico libros III; quorum primus, ac ſecundus eſt de bello Punico primo, quod apud Livium deſideratur: tertius verò eſt de ſeditione militis conductitii, & populorum Africæ à Carthaginenſibus defectione; item bello Illyrico, & Gallico: quæ ipſa etiam in Livio perierunt. Ferè autem, quicquid habet, Polybio debet: unde eſt, quod in editione Pariſienſi, quam ante ſeculum Badius Aſcenſius dedit, Polybii nomen in titulo exprimatur utcunque in præfatione ipſe neget, merum ſe interpretem egiſſe. Præterea contexuit hiſtoriam Gothorum: ſed in qua nihil adferat, quod non è Procopio deſumſerit: ut ejus veriùs paraphraſtes videatur. Ea res occaſionem præbuit Chriſtophoro Perſonæ Agathiam vertendi. Quod, ut Jovius ait, *fecit non dubiâ in Leonardum Aretinum conflatâ invidiâ: qui, ſuppreſſo Græci auctoris nomine, Gothicam hiſtoriam, tanquam è variis ſcriptoribus decerptam, pro ſua, Juliano Cæſarino Cardinali, qui ad Varnam ab Amurathe cæſus periit, nullo pudore nuncupârat.* Præterea Aretinus etiam commentarium fecit de rebus ſuo tempore in Italia geſtis: qui ſæpius jam lucem vidit. Orditur à ſchiſmate, quod Urbani, & Clementis Pontificum tempore fuit: deſinit autem in victoria, quam Florentini obtinuere juxta Anglare oppidum an. cIↄ cccc XL. Præterea ad Angelum Acciolum, equitem Florentinum, ſcripſit commentarium rerum Græcarum: quem auſpicatur à temporibus Callicratidæ, Lacedæmoniorum præfecti; item Theramenis, & Thraſybuli, qui

*a Imò potius 1443. ut mox dicam.*

qui Athenienſium duces erant: finit autem in Epaminondæ obitu. Adhæc hiſtoriam Florentinam condidit lib. XII: Meminit & Antoninus part. III. Hiſt. Tit. XXII. cap. II. Hoc opus ex ſuo, & Palatinis manuſcriptis, expreſſum prodire in lucem juſſit *a* Sixtus Bruno, JC. & Reip. Naumburgenſis conſul. Idem etiam argumentum tractavit Poggius Florentinus. Sed ambo in illis, quæ Florentini foris geſſere, ita ſilentio prætereunt magnam eorum partem, quæ pertinent ad inteſtina odia, civileſque diſcordias, & mala, quæ inde ſunt conſecuta. Nempe, uti videtur, quia offenſam metuerent eorum, quorum majores reprehendere cogerentur. In quo neglexere hiſtorici boni officium. Atque hanc vel potiſſimam ſibi cauſſam fuiſſe, dicit Nicolaus Machiavellus, cur, poſt utrumque illorum, hiſtoriam ſcribens Florentinam (quam octo libris Hetruſcâ abſolvit linguâ) non à Medicum principatu inciperet: ſed ab ipſis urbis incunabulis. Elogium Aretini defuncti eſt apud Æneam Sylvium epiſt. LI. Magnum eum Hetruriæ ſplendorem appellat: nec dicere veretur, neminem illo poſt Lactantium Ciceroni proximiorem fuiſſe. Subjungit autem, gaudere ſe, quòd ejus in locum ſucceſſerit Poggius: quod adverſari videtur Leandro Alberto; ut qui Carolum Aretinum ſucceſſiſſe dicat: quemadmodum ſuperiùs vidimus. De ſtylo ejus ſic Eraſmus in Ciceroniano: *Facilitate dictionis, ac perſpicuitate ſatis accedit ad Ciceronem: ſed nervis, aliiſque virtutibus aliquot deſtituitur: alicubi vix tuetur Romani ſermonis caſtimoniam: alioqui vir doctus juxta, ac probus.* Sed de Leonardo hoc ſatis. Nunc venio ad Britannos.

*a Argentinæ anno 1610.*

Ex annis illis XXVI, quibus imperio Romano præfuit Sigiſmundus, primo triennio in Anglia rexit Henricus IV: proximo novennio Henricus V: reliquo tempore Henricus VI.

Sub rege Henrico IV, & V, floruit Robertus Maſchal, Anglus, Carmelita. Anno ccccx ab Henrico V, cui ob eruditionem cariſſimus erat, ad Conſtantienſe concilium miſſus fuit. Cùm alia ſcripſit, tum librum de legationibus ſuis. Deceſſit Ludloviæ anno ccccXVII.

Etiam ſub Anglorum rege Henrico IV claruit Richardus Graſdale, Anglus; cujus & Thomas Waldenus in faſciculo zizaniorum Wiclevi, mentionem facit. Hic librum condidit de ætatibus mundi: item de regnis & civitatibus, atque alia. Progreditur autem in hiſtoria ſua uſque ad annum cccxc.

Thomas Rudburne, vel Radburnus, Anglus, archidiaconus Sudberienſis, poſteaque Menevenſis epiſcopus, in pretio erat tempore Henrici IV regis, imò & Henrici V. Præter epiſtolas ad Thomam Waldenſem, atque alios, etiam inſigne Chronicon reliquit: ſive, ut aliàs dicitur, Hiſtoriam majorem: cujus MSum codicem habes Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti.

Alanus de Lynna, Anglus, Carmelita, indices in plurimos ſcriptores fecit: eoſque inter in antiquitates Joſephi, in miracula Mariæ, in Chronicon Rogeri Houeden, in Ribotum de geſtis Carmelitarum, & in hiſtoriam Lombardicam. Claruit ſub rege Anglorum Henrico V anno ccccxx.

Æqualis eidem Joannes Langdenus, Anglus, monachus ordinis Benedictini in cœnobio Cantuarienſi, atque unus ex iis, quibus judicium commiſſum de doctrina Wiclefi, ac tandem epiſcopus Roffenſis. Reliquit Chronicon Angliæ ex variis ſcriptoribus congeſtum uſque ad annum ccccxx. Ejus auctoritatem ſæpius advocat Thomas Rudburnus junior, ſeu Wintonienſis, in Annalibus ſuis. Vide & de eo Waldenum in Faſciculo zizaniorum.

Guilhelmus Lindwodus, Henrico V Angliæ regi ſecreti ſeu privati ſigilli cuſtos erat, ac ejuſdem nomine ad Caſtiliæ, atque item ad Luſitaniæ regem orator miſſus fuit. Poſtea ab Henrico VI factus eſt epiſcopus Menevenſis. Præter ea, quorum meminit Balæus, etiam catalogum edidit quorundam Cantuarienſium archiepiſcoporum, qui hodieque exſtat. Obiit Londini anno ccccXXIII.

Joannes Polus, Anglus ſacerdos, claruit an. ccccxxv, ſcripſit vitam ac miracula S. Walpurgis virginis, S. Bonifacii æqualis: quo in opere etiam tradit, vaſtum illud templum Antverpienſe, quod Virgini Deiparæ ſacrum eſt, ab Walpurge hac primùm fuiſſe exſtructum. Habes & S. Walpurgis vitam apud Surium Tom. VII. ſed in cod. manuſcripto auctoris nomen aberrat: ſtylum quoque Surius mutavit. Et conſtat multò antè Walpurgis vitam fuiſſe ſcriptam à *Wolfango*, monacho *Haſſerenſi*. Sed cujus illa Suriana ſit, non ſatis liquet. Fortaſſe particula eſt ex opere Wolfangi.

Joannes Louve, Wigornienſis Anglus, monachus Auguſtinianus, Henrico, VI ejus nominis Anglorum regi charus, floruit anno ccccXXXVI, interque alia temporum hiſtorias condidit.

His etiam temporibus fuit Nicolaus Cantilouve, aliàs *Cantilupus*, (non Cantilepus, ut eſt apud Balæum, & alios,) Anglus, Carmelita in cœnobio Briſtolienſi, ac tandem Northamtoniæ Prior. Inter alia ſcripſit epitomen Chronicorum, appendices hiſtoriarum, ordinis ſui encomium, cujus partem priorem viſam ſibi refert Brianus Twyne in apologia Academiæ Oxonienſis: ſed omnia replere ait miris ac ſtupendis fabulis. Contexuit quoque hiſtoriam Cantabrigiæ: ex qua de origine Urbis quiddam citat Polydorus Virgilius lib. V. Hiſtoriæ Angl. Sed non videtur opuſculo, quo uſus, nomen fuiſſe adſcriptum. Alioqui enim non vocaret incertum auctorem. Deceſſit Northamtoniæ, anno ccccXLI.

Æqualis his Thomas Dando, prout appellat Balæus, qui Pitſeo Dando. Fuit Monachus Anglus Carmelita in comitatu Wilcheriæ, & Prior conventus Marleburgenſis. Reliquit opus de vita, & rebus geſtis Arturi magni, Viſiſaxonum regis.

Item tum, (juxta Pitſeum) fuit Joannes Langtonus, monachus Londinenſis Carmelita, & doctor Theologus Oxonienſis: qui præter alia volumen condidit hiſtoriarum de rebus Angliæ. Langtoni quidem, at non operis hujus, meminere Lelandus, ac Balæus. Interfuit concilio Baſileenſi. Atque obiit anno ccccXXXIV.

## CAP. VI.

*Arnoldi Arlœmii, ſeu Kiveti exemplorum opus. Iacobus Suedericus de origine religioſorum. Stephanus Iuliacus de vita Coletæ. Iacobi Clerici Diarium. Ioannis Stabularii Chronicon Leodicenſe. Oliverius Longus de vita B. Coletæ virginis. Theodericus Paulli de miraculo S. Barbaræ. Joannes Loſſenſis. Ægidii Aurifabri opus exemplorum. Nicolaus Cuſanus. Joannes Brugmannus de vita S. Lydwinæ. Aniani Caſſelenſis Chronicon univerſale. Anonymus de moribus Turcarum. Guilielmus Abſelius. Joannis Longini, ſive Dugloſſi liber de vita S. Staniſlai, atque ejuſdem Chronicon rerum Polonicarum. Anonymus de geſtis Flandrorum. Vitus Arenpeckius de rebus Bojorum. Adrianus Barlandus. Rudolphi Agricolæ epitome de quatuor monarchiis: item carmen de vita S. Annæ. Miracula Roſarii, auctore Alano de Rupe. Henricus Arnoldi de diverſis ſanctis: item Chronica domus Carthuſienſis. Petri Ranzani annales, & particula earum de rebus Hungaricis: & an idem auctor ſit vitæ S. Vincentii Valentini. Guilhelmus de Berchem. Griphonis Flandri Itinerarium terræ ſanctæ. Coriolanus Cepio de vita Petri Mocenici. Arnoldus de Buſco. Henricus de Zoemeren. Anonymi Chronicon magnum Belgicum. Georgii Hugonis de viris illuſtr. & S. Anna. Joannis Tucheris Itinerarium. Anonymi Chronicon Salisburgenſe. Andreas Abbas S. Michaëlis de vitis Pontificum, atque aliorum ex ordine Benedictino. Wernerus Rolevinc de origine Friſonum: atque ejuſdem Faſciculus temporum. Appendix Joannis Linturii. Felicis Fabri peregrinatio Hieroſolymitana: item Bernhardi Breidenbachii. Adrianus de veteri Buſco Chroni-*

*von Leodicenſe. Sigiſmundi Groſſenbrot, & Udalrici monachi S. Afræ, Chronicon Auguſtanum Eccleſiaſticum. Vlrici & Conradi Wellingorum appendix ad Chronicon Henrici Steronis. Henrici de Geilenhuſen carmen de vita S. Benedicti.* Ioannis Duſſeldorpienſis *itinerarium terræ ſanctæ. Conradi Molitoris acta.* Theodorus Trevirenſis *de vita S. Landrudis.* Petri Dorlandi *Chronicon Cartuſienſe, & opuſcula de vitis aliquot ſanctorum.* Iodocus Beiſſelius *de geſtis Flandrorum.* Ioannis Turocii *Chronicon rerum Hungaricarum.* Ioannes de Kikillew *opus de geſtis Ludovici, regis Poloniæ, & Hungariæ.* Hubertus Leonardus *de geſtis nobilium Francorum.* Henrici Friſonis *Chronicon ordinis Cartuſienſis.* Ioannis Palæonydori, *ſeu* de Aqua-veteri, *ſive, ut alii vocant, Mechlinienſis, faſciculus temporum tripartitus.* Hartmanni Scedelii *Chronicon Norimbergenſe.* Marinus Barletius *de geſtis Georgii Caſtrioti, cognomento Scanderbegi: deque oppugnatione Scodræ: & Iovii in ejus nomine error.*

ANno cIↃ cccc xxxvIII Sigiſmundo, ſocero ſuo, ſucceſſit Albertus II Auſtriacus. Qui biennio non toto imperavit. Huic anno cIↃ cccc xL ſurrogatus eſt Fredericus III Auſtriacus: atque imperium is tenuit annis LIII. Eo rerum potito, imprimis poſt captam à Turcis Conſtantinopolim, magis magiſque cœperunt literæ in Occidente reviteſcere. Itaque magna undique eorum ſeges proveniebat, qui, ut ſtudia cætera, ita & hiſtoriam tractarent. In hac copia non abs re erit, ſi primùm recenſeamus, Germanos, & vicinos Belgas: ac ſociemus illis aliquot Noricos, Dalmatas, Pannonios, Sarmatas.

Extremâ Sigiſmundi, item Alberti junioris, & Frederici III ætate fuit Albertus Athemius, qui & *Arnoldus Kruct*, monachus Carthuſianus in inſula dicta Regina cœli, apud Weſalienſes. Hic opus compoſuit, quod inſcripſit, *Referendarium exemplorum.* Conſtat illud partibus vII. Colligit & ſui ævi exempla. Adſervari liber hic MSus ſolet Ruremundæ in cœnobio Crucigerorum: cujus antiſtes ante hos annos xx erat, & doctrinâ & aliis animi dotibus præſtantiſſimus, Chriſtophorus Calenius, avunculus meus magnus. Obiit Albertus Kivetius jam octogenarius, anno Chriſti cIↃ cccc xLIV, cùm Lx annis in Carthuſiano ordine tranſegiſſet.

Anno cIↃ cccc xxxIx floruit Iacobus Suedericus, Germanus, Ordinis Minorum, cuſtos Miſnenſis, qui de origine religioſorum librum reliquit. De ætate verò auctores ſequor Simlerum in bibliotheca, & Poſſevinum in Apparatu; qui idem ab Henrico Wiot proditum ait. Non paullò tamen junior ſit, ſi anno ipſe cIↃ Ↄ xxv codicem eum in lucem emiſit: ut à viro docto accepi, ſi rectè ejus mentem aſſequor. Sed de opere nondum conſpecto difficile mihi eſt certi quicquam ſtatuere.

Stephanus Iuliacus æqualis fuit Coletæ, Picardæ virgini, reformatrici ordinis S. Claræ; cujus & vitam in literas retulit. Reperies eam apud Surium Tom. vII, a. d. vI Mart. Obiit autem Coleta anno cIↃ cccc xLvII.

Anno cIↃ cccc xLv, & deinceps fuit Iacobus Clericus, ſive *de Clerq*, Arteſienſis, Dominus de Beauvoir. Vitam aulicam vixit, intentus obſervandis Principum vitis, imprimis Principis ſui Philippi Boni, Burgundiæ Ducis. Reliquit commentaria, ſive diarium eorum, quæ apud Atrebates, ac locis finitimis, contigere. Manuſcripta adſervantur in bibliotheca Vedaſtina: ut ait Sweertius in Athenis Atticis: ſed utrum, Latinè, an Gallicè ſcripſerit, non addit.

Claruit & tum Ioannes Stabularius monachus cœnobii S. Laurentii apud Leodicenſes. Condidit Chronicon Leodienſe à S. Materno ad annum Chriſti cIↃ cccc xLIx: quo ipſo obiit. Edidit hoc Chronicon nuper Ioannes Chapeavillius.

Oliverius Longus, Prior ad S. Bavonem Gandavi, ordinis S. Benedicti, claruit circa annum cIↃ cccc xLIx, præter alia quæ Gandavi, & Lovanii MSa exſtant, etiam ſcripſit vitam B. Coletæ virginis Gandavenſis. Molanum adi in Natalibus Sanctorum Belgicæ.

Theodericus Paulli Gorcomenſis floruit eodem tempore. Hic conſignavit miraculum S. Barbaræ; quod contigit anno cIↃ cccc xLvIII. Ætatem indicat, quòd eidem præſens interfuit. Habes in Collect. Surii Tom. vI, Iv Dec.

Claruit tum quoque Ioannes Loſſenſis, abbas Leodicenſis in cœnobio S. Laurentii ad urbis muros, quo in munere Ioanni Stabulario ſucceſſit anno cIↃ cccc xLIx. Deſcripſit res geſtas Epiſcoporum Leodicenſium ab anno cIↃ cccc xI, uſque ad annum cIↃ cccc LIx. Exſtat id opus in memorato cœnobio MSum.

Frederici III ætate, claruit quoque Ægidius Aurifaber, monachus Cartuſianus, vicarius domus montis Sion in Zelandia juxta oppidum Ziriзæam. Præter ſermones de tempore & ſanctis, reliquit etiam opus exemplorum. Obiit anno cIↃ cccc LxvI. Vide Sutorem lib. II. vitæ Cartuſ. cap. vII.a & Arnoldum Boſtium lib. de viris illuſtr. ordin. Cartuſ. cap. xxvI, vel illum, qui poſt eos ſcripſit, Theodorum Petrejum in bibliotheca Cartuſiana.

[a] P. 572. edit. Lovan.

Eodem imperante claruit Nicolaus Cuſanus. Natus is in diœceſi Trevirenſi. Primùm fuit decanus S. Florini, hinc Brixinenſis epiſcopus: denique idem Cardinalis S. Petri ad Vincula creatus eſt à papa Nicolao v. Quantus vir fuerit, ſi non ex monumentis ejus, at ex luculento, notoque Fabri Stabulenſis elogio ſciretur. Quæ ſcripſerit Trithemius oſtendet. Quamquam præter ea, quæ ille commemorat, alia compoſuiſſe, operum ejus volumen Baſileæ primùm editum clarè docet. Moſcoviam etiam deſcripſiſſe, ſed tantùm ea ſignaſſe, quæ relatu alieno acceperat, tradit Sigiſmundus Liber Baro in Herbeſtain, præfat. in rerum Moſcovitarum commentarios. Obiit annos natus LxII, Chriſti anno cIↃ cccc LxIv.

Joannes Brugmannus, Belga, Franciſcanus, Theologiæ in Audomarenſi monaſterio profeſſor, anno claruit cIↃ cccc LvI. Scripſit vitam S. Liduinæ, virginis Hollandiæ, cujus nomen Hollandis *Lydwii*, ſed integrè ſit *Lydwyt*, quaſi dicas *læta patientia.* Deceſſit ea anno Chriſti cIↃ cccc xxxIII, xvIII Kal. Maji, ſub Burgundiæ & Hollandiæ principe Philippo. Exſtat hujus vitæ codex MSus Lovanii in Cœnobio fratrum ord. Minor. Epitomen ejus edidit Franciſcus Haræus in vitis Sanctorum ad xIv Apr.

Anianus Flander Caſſelenſis, monachus Bergis S. Winoci ordinis S. Benedicti & abbas S. Petri Oudeburgenſis, congregationis Cluniacenſis, vivebat an. cIↃ cccc L. Conſignavit *Chronicon univerſale* (ita inſcribitur) ab orbe condito uſque ad ſua tempora. Id manuſcriptum exſtabat in æde Benedictinorum, quam inſtaurârat Anianus ille anno cIↃ cccc LvII. Sed anno cIↃ IↃ LxxvIII, dum bello omnia ardent, inde ſublatum eſt: nec compertum habeo, utrùm perierit, an in bibliotheca cujuſquam deliteſcat. Meminere & Gazejus in bibliotheca, & Joannes Cognatus lib. Iv. cap. xLII. hiſtoriæ Tornacenſis.

Anonymus iiſdem temporibus in literis retulit ritus & mores Turcorum, quos miſer, experientiâ magiſtrâ, edoctus erat. Quippe ab iis anno cIↃ cccc xxxvI captus fuit, & divenditus: detentuſque uſque ad annum cIↃ cccc LvIII. Naſcente demum typographiâ editus eſt in lucem, ſed ſine nomine editoris, vel loci. Vidi nuper in publica Amſtelodamenſium bibliotheca, deducente tum eò doctiſſimo, & amiciſſimo, Joanne, Joannis filio, Polyandro, Juriſconſulto.

Claruit tum quoque Guilhelmus Abſelius, Bredanus Cartuſianus, ac poſtea Brugenſium Prior, vir ut genere nobilis, ita ſcriptis iis temporibus clarus. Inter alia B. Ægidii vitam rhytmo expoſuit. Deceſſit anno quo Dionyſius Rykelius nempe cIↃ cccc LxxI.

Ioannes Longinus, qui & Dugloſſus, vel *Dugloſchus*, vel *Dlugoſſus* vocatur, Canonicus fuit Cracovienſis, & poſtmodo Leopolienſis epiſcopus. Nomine Caſimiri III, Polonorum regis, varias obiit legationes, ac liberorum quoque ejus fuit præceptor. Anno cIↃ cccc Lxv,



vitam

vitam S. Staniſlai, epiſcopi Cracovienſis & martyris, tribus tractatibus complexus fuit, ſed Surius ſtylum mutavit, inque compendium redegit, prologos etiam omiſit. Habes Tom. III, ad diem VIII Maji. Scripſit quoque commentarium rerum Polonicarum, qui manuſcriptus exſtat Romæ in bibliotheca S. Mariæ in Vallicella. Meminit ejus operis Cromerus lib. XXIX. rerum Polonicarum. Et Joannes Herburtus de Folſtin, Polonici regni Senator, præfatione in Chronicon, ſeu Hiſtoriæ Polonicæ compendium; ubi uſum ait *diligentia ac fide in perſcribenda hiſtoria ſingulari.* Atque idem teſtatur de Joanne Miechovienſi: ſed addit, *non eo ordine, ac verborum, ſententiarumque gravitate uſos, ut ad externorum optimis literis exculta ingenia purgataſque & teretes aures, ſcripta illorum penetrare poſſent.* Perduxit Dugloſſus chronicon ſuum uſque ad annum CIↃ CCCC LXXX, quo ipſo deceſſit, IV Kalend. Jun.

Eodem tempore vivebat anonymus, qui ſcripſit de geſtis Flandrorum. Incipit ab anno IↃ LXXX, ac finit in anno CIↃ CCCC LXII. Initium operis eſt, *Temporibus Clotharii, Childerici, ac Theoderici*, &c. Definit autem hoc pacto, *de quorum ſpoliis ditatus eſt.* Necdum in lucem prodiit: ſed habeo ejus codicem manuſcriptum: qui olim fuit V. Cl. Adriani van der Burchii, ac neſcio, num ejus, an ab alterius cujuſdam manu recentiori ſit hæc inſcriptio, *Chronica Comitum, & Reip. Flandriæ.* Vetus autem ἐπιγραφὴ non aliud indicat, quàm eſſe id opus congeſtum exceptumque *ex geſtis Flandriæ.*

Vitus Arenpeckius, ſacerdos, Landshutâ oriundus, ab Joanne Aventino ſæpius commemoratur inter domeſticos hiſtoricos, qui res Bojorum poſteris tranſmiſerint. Teſtatur eum parentum ſuorum memoria ſub duce Georgio claruiſſe; deque Bojis, & Latinâ, & Germanicâ linguâ, diligentiſſime egiſſe. Inque bibliotheca Fraxinenſium Pontificum ſervari, monet idem initio libri primi.

Adrianus Butius Hulſtenſis, monachus Dunenſis apud Flandros, vixit anno CIↃ CCCC LXVIII. Meminit ejus Meierus annalium Flandriæ lib. XVI, ubi ſic ſcribit: *Quarto Idus Maias Hadrianus, Vorholtenſis, præfectus Saefingiæ, Hulſtum cum ſuis profectus, ut confirmaret id oppidi in fide Principis, cum Gandenſibus fortuito occurrentibus pugnare cogitur: adeoque caſus eſt, ut cum ſeptem omnino ex* CCCC *vix evaſerit. Cum eo ſalvatus eſt, per aquam tranans Iacobus But, germanus Hadriani But, Dunenſis Hiſtorici.*

Rudolphus Agricola Jacobo Bergomati in Chronicis vocatur *Rodolphus à Groningen*, nempe quia in Baflon, pago juxta Groningam, principem Friſiæ urbem, natus fuit: quod contigit circa annum CIↃ CCCC XLII. Puer Lovanii in Gymnaſio Falconenſi Philoſophiæ operam dedit. Et cùm Theologiæ rudimenta deguſtârat, in Gallias abiit, indeque in Italiam; ubi Theodorum Gazam audivit. Poſtquam domum rediit Syndicus factus eſt Reipublicæ Groninganæ, ob cujus negotia miſſus in aulam Cæſaris Maximiliani, ubi cùm ſemeſtri hæſiſſet, voti compos Groningam reverſus eſt. Exinde à variis, eoſque inter Antverpienſibus ad Scholæ præfecturam depoſcebatur. Sed prætulit profeſſionem Heidelbergæ, ubi philoſophiam triennium docuit, ac Græcas literas tota Germania excitavit. Vir fuit Latinè, Græcè, & Hebraicè doctiſſimus, philoſophus ſummus, atque idem admodum diſertus, imò, & Muſicæ, picturæ, aliarumque artium ſtudioſiſſimus. Quæ ſcripſerit, Bergomas, Tritthemius, & alii dicent. Inter alia, in gratiam Philippi, Electoris Palatini, contexuit epitomen hiſtoricam de quatuor monarchiis, in qua & civilia monita admiſcuit. Præterea conſignavit vitam Franciſci Petrarchæ. Idem vitam S. Annæ carmine fuit complexus. Quod poëmation etiam Gyraldo laudatur, dialogo priori de ſui temporis poëtis. Transferendo Dionyſio Areopagitæ intentus, obiit Heidelbergæ anno CIↃ CCCC LXXXV. atque in habitu Franciſcani, apud Minoritas ibidem, ut præceperat, ſepultus fuit. Epitaphium ei hoc condidit Hermolaus Barbarus:

*Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum*
*Agricolam, Friſii ſpemque decuſque ſoli.*
*Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis*
*Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.*

Viglius Zuichemus, Friſius & ipſe, hæc adjunxit:

RUDOLPHI FRISII AGRICOLÆ
MEMORIÆ POSUIT VIGLIUS
ZUICHEMUS. DEPONENTI
ANATHEMA: RELINQUENTI
BENEDICTIO.

Luculentum etiam Agricolæ hujus elogium exſtat apud Eraſmum in Ciceroniano ſuo: item in adagione, *Quid canis cum balneo.* Sed elogium illud in editione Paulli Manutii non comparet. De eodem ita Petrus Bembus lib. VI. Epiſtol. ad Eraſmum: *Rodolphi Agricolæ ſcripta maximè omnium, qui ætate noſtra ſcripſerunt, mihi quidem probantur.*

Alanus de Rupe, monachus ordinis Prædic. in cœnobio Zuollenſi, ſcripſit cùm alia, tum de miraculis Roſarii: mortuus autem eſt in cœnobio ſuo anno CIↃ CCCC LXXV.

Henricus Arnoldi, Saxo, prius in Baſileenſi concilio, quod cœpit anno CIↃ CCCC XXXI, notarius, poſtea monachus Cartuſienſis, inter alia fecit hiſtorias de diverſis ſanctis, item Chronica domus Cartuſienſis, quæ erat Baſileæ. Obiit, Tritthemio teſte, anno CIↃ CCCC LXXXVII.

Hic quoque locus eſto Petro Ranzano, non quia patriam ejus ſatis ſciamus; ſed quoniam apud Matthiam Corvinum, Hungariæ regem, triennium legatus fuit. Ranzanus ille de omnium penè gentium rebus, Annalium libros ſcripſit LXI: ex quibus ultimum duntaxat, atque id Sambuci beneficio, habemus inter Hungaricarum rerum ſcriptores. Dividitur verò in indiculos XXXVI. Nam quæ poſt indiculum XXXVI ſequuntur, non Ranzani ſunt, ſed Sambuci. Definit autem Ranzanus in bello inter Matthiam Corvinum, & Cæſarem Fredericum III. Eoque tempore vixiſſe, ſatis docent verba iſta *a*: *Ubi* a In ſuo indicul. 36.
*tandem animadvertiſſet* (Matthias à Frederico Imperat.) *ſibi verba dari: nihil ulterius protelandum ratus, ſumtis armis, Auſtriam, quæ regno eſt Ungariæ contermina, invaſit, belloque diuturno perdomuit: & HODIE, nemine reluctante, tranquilliſſime poſſidet.* Idem quoque fine indiculi XXVII ait ſe interfuiſſe exequiis Joannis Corvini, quæ incidunt in annum CIↃ CCCC LVI. Ex iiſdem autem fontibus hauſit ſua, unde Bonfinius. Nempe ex indicibus regum, quos Viennæ acceperat à regina Beatrice. Nec minùs eum brevitas commendat, quàm Bonfinium, quòd uberior ſit, & tam multa adjungat de rebus externis. Quæri poſſit, utrùm idem ſit Petrus ille Ranzanus, cui libri V de vita B. Vincentii Valentini, cognomento Ferrarii, adſcribuntur in Suriana collectione Tom. II, ad diem III April. Tempora ſanè conveniunt. Nam vita ea exarata eſt, poſtquam Calixtus III Vincentium retuliſſet in numerum ſanctorum: quemadmodum liquet ex præfatione, atque item fine libri V. Calixtus autem ſedere cœpit anno CIↃ CCCC LV; atque anno deceſſit CIↃ CCCC LVIII: quo ipſo Matthæus Corvinus (ad quem legationem obiit Ranzanus) electus eſt Hungariæ rex: ſexennio nempe antequam coronam regiam aſſumeret. Quod ſi hic idem fuerit, ut videtur; de patria, ac vitâ omni, ſatis liquebit. Fuit enim hic patriâ Siculus, domo Panormitanus, epiſcopus Lucerienſis. De eo ita Leander Albertus lib. IV. de viris illuſtribus ordinis Prædicatorum *b*: *Petrus* b Fol. 125.
*Ranzanus orator inſignis, Siciliâ oriundus, præſul digniſſimus, Divi Vincentii Valentini vitam tribus libris diſtinctam ab ſe edidit.* Sed de annalibus, quibus potiſſimùm meritus ſit celebrari, ſi idem ſit auctor, ne γρῦ quidem ille. Uti nec in Italia ſua, quo loco de Luceria *c* tractat, c P. 385. edit. Col.
ac valde Raſſanum hunc celebrat: quem admodum ſenem obiiſſe ait anno Chriſti CIↃ CCCC XCII. Meminit ibidem Leander Siciliæ ſuæ, in qua, ubi de Panormo agit, referre ſe ait, quæ ingenii monumenta reliquerit Ranzanus. Sed hoc Leandri opus, unde decidi res tota poſſet, lucem nunquam vidit.

Guiliel-

Guilielmus de Berchem, Geldrus, Niellenſis Eccleſiæ paſtor, & canonicus S. Stephani, & Eccleſiæ Noviomagenſis pronotarius, compoſuit compendium Chronicorum Gelriæ, ac perduxit uſque ad annum clɔ cccc LXVI, quo vivebat.

Griphon, Flander, monachus ordinis fratrum minorum, & S. Theologiæ Profeſſor apud Pariſienſes, reliquit itinerarium terræ Sanctæ. Fuerat autem à Papa Sixto III. in Palæſtinam miſſus, ut Maronitas montis Libani Romanæ Eccleſiæ adjungeret: atque idem à Calixto III. Orientalium Eccleſiarum Patriarcha fuit nuncupatus. Obiit anno clɔ cccc LXXV.

Eodem Friderico imperante, floruit Coriolanus Cepio Dalmata, qui Scodræ (ea Albaniæ regionis caput eſt) degebat anno clɔ cccc LXXVIII, cùm illam, ſed irrito conatu Muhammedes obſideret. Deſcripſit libris tribus res geſtas Petri Mocenici Veneti imperatoris, ejus, qui poſtea ſeptuageſimus Venetorum princeps fuit, cùm anno uno, menſibus duobus Remp. gubernâſſet, anno obiit clɔ cccc LXXV. Meminit & operis hujus Cuſpinianus in hiſtoria de Imperatoribus. Baſileæ autem prodiit anno clɔ Iɔ XLIV.

Arnoldus de Buſco, ſive Buſchius, monachus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in pretio erat Frederico III. imperante: ac cùm alia reliquit, tum librum de viris illuſtribus ordinis ſui, & monaſterii Windesheimenſis: item de laudibus S. Annæ. Devotum, ac eloquentiſſimum theologum vocat Paullus Langius in Chronico Citizenſi.

Anno clɔ cccc LXX vivebat Henricus de Zoemeren Brabantus doctor Theologus Lovanienſis, & decanus Antverpienſis. Hic fecit epitomen primæ partis Occani idque poſtulato Beſſarionis, cardinalis Nicæni, qui tum temporis Papæ per Germaniam ac Belgicam legatus erat. Etiam de capta Conſtantinopoli ſcripſit: ut quoque de hæreticis, quemadmodum videre eſt apud Simlerum in epitome bibliothecæ. Obiit Romæ temporibus Sixti IV. Pontificis.

Temporibus Frederici III. Imp. canonicus regularis ordinis S. Auguſtini prope Naſſiam, ſcripſit, vel potius ex variis collegit *Chronicon magnum Belgicum*, quod incipit ab anno gratiæ LIV, ac deſinit in obſidione Nurſienſi, quæ anno contigit clɔ cccc LXXIV. Eo autem tempore vixiſſe, indicant vel poſtrema operis verba: *Et tanto bombardarum fragore aer pertonuit, quòd vix etiam obturatis auribus tolerare potuit.* Primus hunc ſcriptorem ex bibliotheca ſua in lucem prodire juſſit Joannes Piſtorius.

Georgius Hugo, philoſophus, & curator inferioris Altaichii (id cœnobium eſt dicatum B. Benedicto) ab Jo. Aventino refertur inter domeſticos ſcriptores, qui parentum memoria hiſtoriam condiderint. Latinè, idque juſſu ducis Georgii de Boiis, ſcripſiſſe, idem auctor *a* eſt.

*a Inſcript. quas præmittit l. 2. annal.*

Joannes Tucherus Norimbergenſis anno clɔ cccc LXXIX deſcribebat profectionem Hieroſolymitanam, atque Ægyptiam: Germanicè ille quidem, ſed poſtea prodiit Latinè.

Eodem tempore, quantum conjecturâ aſſequi licet, fuit anonymus auctor Chronicorum Saliſburgenſium, quæ ab an. Iɔ LXXX ordiuntur: ac deſinunt in anno clɔ cccc LXXV. Ea ex bibliotheca Alberti Hungeri edidit Caniſius T. VI Ant. Lect.

Iridem Andreas, S. Michaëlis Bambergæ Benedictinus Abbas, Germanus, anno floruit clɔ cccc LXXXIII, ac, præter librum de conceptione virginis Deiparæ, ſcripſit opus ingens de eorum Pontificum, Archiepiſcoporum, Antiſtitum, Abbatum & Abbatiſſarum geſtis, qui ex ordine Benedicti fuere in ſanctorum numerum relati.

Wernerus Rolevinc de Laer, Cartuſienſis domus S. Barbaræ Coloniæ Agrippinæ, natione Weſtfalus, inter alia reliquit librum de origine Friſonum: item calendarium ac martyrologium: &, quo maximè inclaruit, faſciculum temporum ab initio mundi ad ſua uſque tempora. Primùm quidem deſiiſſe videtur in anno clɔ cccc LXX, qui penultimus Paulli II. Sanè MSus noſter non ulterius producitur. Exinde pauculis additis pertigit uſque ad annum clɔ cccc LXXIV: qui erat Sixti IV. annus tertius. Ad Sixti tempora perduxiſſe ait Boſtius in viris illuſtribus Carthuſianis capite ultimo. Atque hic finit vetuſtiſſima, quam habeo, editio, Lovanii procurata anno clɔ cccc LXXVI. Nomen auctoris æque ibidem, ac in MSo, deſideratur. Solùm dicitur opus iſtoc *propriis cujuſdam devoti Carthuſienſis, & viri hiſtoriarum ſtudioſiſſimi manibus, ab initio mundi uſque ad Sixti Papæ IV. tempora, contextum eſſe: ſed Joannem Veldner ſummâ diligentiâ, majorique impenſa, nonnullis additis imaginibus, ad finem uſque deduxiſſe.* Poſtremo autem pertexuit auctor opus ſuum uſque ad annum clɔ cccc LXXX, quo ait papam factum Innocentium VIII. Atque hic recentiſſimæ etiam editiones deſinunt. Exinde Chronicon hoc continuavit *Joannes Linturius*, uſque ad annum clɔ Iɔ XIV. Linturius ille Hoffienſis in Voitlandia paſtor fuit: atque iſtud in cauſſa eſt, cur ita res alias deſcribat, ut Voitlandiam tantopere, maximeque Hoffienſem ſpectet eccleſiam. Aliam ejuſdem Werneri ſuggeret Jacobus Bergomas lib. XVI, item Tritthemius in Catal. qui virum vidit, & ex ore ejus didicit, quæ ſcripto ſignâſſet. Idem Arnoldus Boſtius opere ante memorato. Obiit Wernerus anno clɔ Iɔ II.

Frederici etiam temporibus in honore aliquo erant Germani duo, Felix Fabri, & Bernhardus Breidenbach. *Felix Fabri* anno clɔ cccc LXXXIII, ac deinceps, in conventu Ulmenſi monachus egit Ordinis Prædicatorii. Innotuit opere de peregrinatione ſua, atque item Bernardi ejus, quem dixi, & de quo proximè pluribus agendum.

Bernhardus à Breitenbach vir nobilis auctor eſt Itinerarii, ſive, ut ipſe vocat, paſſagii in terram ſanctam: in cujus initio indicat, ſe fuiſſe camerarium, ut loquuntur, & decanum Eccleſiæ Moguntinæ. Dicavit autem opus hoc Bertholdo, principi Hennenbergenſi, ac tum temporis archiepiſcopo Moguntino; quem honorem adeptus is erat anno clɔ cccc LXXXIV, atque annis geſſit XXI. Scripſit autem ea Breitenbachius quorum erat αὐτόπτης. Anno clɔ cccc LXXXIII iter in terram Sanctam eſt aggreſſus, unà cum Fratre Felice, Lectore, & Prædicatore Ulmenſi. Ac Hieroſolyma, monte Sinai, Cairo luſtratis domum rediit anno proximo menſe Januario. Unde error dilucet Poſſevini, cùm in Apparatu ſacro hunc Itinerarii ſcriptorem ſuâ dicit ætate vixiſſe. Sanè Poſſevinus poſt archiepiſcopum hunc deceſſit totis annis CVI. Obiit enim Poſſevinus anno clɔ Iɔc XI; anno LI, ex quo ſocietatem Ieſu complexus eſſet. Nempe confudit Bernhardum Bredenbachium cum Tilmanno Bredenbachio, qui Poſſevini æqualis fuit. Tilmannus enim anno clɔ Iɔ LXXXIV Coloniæ confarcinabat ſacrarum Collationum libros. Puta annis XCVI, poſtquam prior Bredenbachius jam Itinerarium ſuum publicâſſet: idque & Latinâ, & Germanicâ linguâ. Sanè exemplar ejus operis habeo lingua Germanico-Belgicâ Moguntiæ editum anno clɔ cccc LXXXVIII. Excudit illud Magiſter Ecardus Rewijck, Ultrajectinus, quem antea Bredenbachius itineris ſui in Palæſtinam adſumſerat comitem, quò, in urbibus, ac portibus, ſcitè depingendis, opera ejus uteretur: quemadmodum Bredenbachius ipſe penè initio Itinerarii ſui refert.

Adrianus de Veteri Buſco, Belga, monachus cœnobii S. Laurentii, juxta Leodicum, condidit Chronicon Leodicenſe, ab anno clɔ cccc XLIX, quo deſinit Ioannes Stabularius monachus ejuſdem cœnobii: deſinit autem in an. clɔ cccc LXXXIII.

Sigiſmundus religioſus Chronicon Auguſtanum Eccleſiaſticum ſcripſit, ac abbati Ioanni de Giltlingen dicavit an. clɔ cccc LXXXIII. Primus illud in publicum, cum aliquot aliis rerum Germanicarum ſcriptoribus, in lucem emiſit Io. Piſtorius. Apud Conradum Geſnerum reperio, Viennæ in bibliotheca Wolphangi Lazii exſtitiſſe Chronicon Auguſtanum: quod operas ſuas jungentes compoſuiſ-

ſent duo iſti, Udalricus, monachus S. Afræ, & Sigiſmundus Goſlenprot: ſive, ut idem alibi, & ex eo, in ſcriptorum Nomenclatore, Rob. Conſtantinus vocat, Groſſenbrot. Unde diſcimus cognomen Sigiſmundi; nec ſolum auctorem ejus Chronici fuiſſe, ſed adjutum ab Udalrico. Videri poſſit hic eſſe ille Udalricus, ſive Ulricus Wellingus, qui cum fratre ſuo Conrado Wellingo, Chronico Henrici Stetonis appendicem addidit ab anno clɔ ccc uſque ad annum clɔ ccc xxxv. Verùm ſcrupulum injicit, quòd, ſi idem foret, potiùs perduxiſſet appendicem eam uſque ad annum clɔ cccc lxxxiv: quò uſque in Chronico ſuo Auguſtano provectum dicebamus. Eoque, etſi & Chronici, & appendicis auctor, Udalricus dicatur, ac monachus S. Udalrici & Afræ apud Auguſtanos: tamen eò magis inclinat animus, ut diverſos putem.

Henricus de Geilnhuſen, monachus monaſterii S. Martini Spanheimenſis, congregat. Brunsfeldenſis, prodidit cùm alia multa, quæ ex Tritthemii Germanicis ſcriptoribus cognoſcere eſt; tum vitam S. Benedicti carmine panxit elegiaco: uti & à Marco, Caſſinenſi monacho, factum erat verſibus heroicis. Obiit anno clɔ cccc lxxxviii.

Circa annum clɔ cccc lxxxv floruit Joannes à Duſſeldorp, Carmelita, Argentinenſis Cœnobii Prior. Præter alia compoſuit itinerarium Terræ Sanctæ, quam ipſe luſtrarat. Deceſſit anno clɔ cccc xciv. Sepultus eſt Argentinæ.

Conradus Molitor, notarius, anno clɔ cccc lxxxix, acta variorum temporum digeſſit. Quo opere MSo ſe uſum profitetur is, qui abbati Urſpergenſi παραλειπόμενα adjecit.

Theodorus, Trevirenſis Archiepiſcopus, anno vixit clɔ cccc xc, ac præter librum de laudibus B. Virginis, etiam deſcripſit vitam S. Landrudis.

Petrus Dorlandus Prior Carthuſiæ in Zeelhem prope Dieſt in Diœceſi Leodicenſi fuit anno clɔ cccc xc. Hic in hominum notitiam venit Chronico ſuo Carthuſienſi: quod primus edidit, & notis illuſtravit Theodorus Petreius, Campenſis, Carthuſiæ Colonienſis profeſſor. Item ſcripſit dialogum de S. Cæcilia, cur phœnici comparetur; dialogum de S. Urſula, & ſodalibus ejus; de inventione & paſſione S. Laurentii martyris; de S. Vincentio Ferrarienſi, Ord. Præd. Vitam S. Romani militis, & martyris; de variis S. Antonii abbatis tentationibus; de vita & converſatione B. Catharinæ virginis, & martyris; vitam B. Annæ libris quinque, atque alia. Obiit anno clɔ Iɔ vii, xxv Aug.

Item claruit his temporibus Jodocus Beiſſelius Teutonicus, Aquenſis patricius. Is præter dialogum Platonico more ſcriptum, quem Hermolao Barbaro dicavit; præter item orationes, carmina, & alia; etiam opus condidit de geſtis Flandrorum. Plura de eo Bergomas, & Tritthemius.

Magiſter Joannes Turocius, ſive de Thwrocz, Pannonius, (quem & Cuſpinianus ſe in imperatoribus ſequi profitetur) famam ac nomen meruit Chronico ſuo rerum Hungaricarum: quod Matthæi Corvino, Hungariæ ac Bohemiæ regi, dicavit. Incipit verò ab gentis ortu, ac rege Attila, & perducit uſque ad annum m ccc xlii, quo in Karoli regis locum Ludovicus ſucceſſit. Hinc ſequitur Joannes archidiaconus de Kikellew, in Eccleſia Tranſſylvana vicarius Strigonienſ. in ſpiritualibus generalis. Is res Ludovici regis ſcripſit uſque ad obitum ejus, qui incidit in annum m ccc lxxxii. Fuerat autem Ludovico regi notarius à ſecretis: ut res ejus ſatis habuerit exploratas. Poſt hanc partem Joannis de Kikellew (quam hiſtoriæ ſuæ Turocius inſeruit) agit idem Turocius de miſerabili caſu Karoli cognomento Parvi, qui poſt Ludovicum imperavit. Atque inde pergit uſque ad coronationem Matthiæ, quæ incidit in annum clɔ cccc lxiv.

Etiam circa annum clɔ cccc xc fuit Hubertus Leonardus, Carmelita. E Germania originem ducebat, Tritthemio teſte: ſed Pariſiis Theologiæ profeſſor fuit, ac tandem epiſcopus Darienſis, & inquiſitor hæreticæ pravitatis. Reliquit inter alia opus de genealogia nobilium Francorum, & eorum geſtis.

Iiſdem temporibus vixit Henricus Friſo, Cartuſienſis. Condidit Chronicon ſui ordinis. Obiit anno clɔ Iɔ. Meminit Jacobus Wimphelingus in rerum Germanicarum epitome, & Suffridus Petri in Friſiæ ſcriptoribus.

Anno clɔ cccc xcii, & aliquot annis pòſt, claruit Ioannes Palæonydorus, ſive de *aqua veteri*. Natus in Hollandiæ oppido, cui nomen *Oude water*. Id Latinis ſit Veteres aquæ: Græcis παλαιὸν ὕδωρ. Itaque cùm vocari poſſet *Oude-vatrins*, aut *Veteraquinus*, tamen prætulit ferè Græcum *Palaonydorus*, quod corruptè ſcribunt *Paleonidorus*: prout & apud Hieronymum Rubeum eſt exaratum lib. v Hiſtor. Ravennatis *a*: quo loco ab hoc Batavo illud quoque proditum ait, Eliſei corpus Ravennam fuiſſe tranſlatum, juſſu Theodoſii Cæſaris. Fuit hic ſcriptor monachus, Ordinis Carmelitani, cœnobii Mechlinienſis, unde à Poſſevino in Apparatu ſacro alicubi Ioannes Mechlinienſis nuncupatur. Edidit libros tres hoc titulo, *Faſciculus temporum tripartitus*. Quo agit de origine, ſtatu, & profectu ſui ordinis Carmelitici. Idem pro Tritthemio quædam conſcripſit adverſus Wigandum. Deceſſit anno clɔ Iɔ vii, annos natus lxxiv.

a *P. 214. edit. an. 1589.*

Æqualis eidem fuit Hartmannus Scedel, Norimbergenſis. Qui breviter deſcripſit, & velut in tabella ob oculos poſuit ſeriem Pontificum, Cæſarum, Regum, & aliarum rerum memorabilium, ab origine mundi uſque ad annum clɔ cccc xcii, quo vivebat. Opus hoc vulgò *Norimbergenſe Chronicon* appellatur, quia Norimbergæ an. clɔ cccc xciii prodiit, auſpiciis quidem Sebaldi Schreier, & Sebaſtiani Kamermaiſter: cura autem Antonii Koberger. Meminit ejus & Paullus Langius in Chronico Citizenſi, quo loco tractat de Guidone Bonato: item ubi de Ioa. Huſſo, & Hieronymo Pragenſi agit.

Ultimis etiam Frederici temporibus claruit Marinus Barletius, Dalmata, Scodrenſis ſacerdos, ac poſtquam Scodra in manus Turcarum venit, Brixienſis profeſſor: qui & Marinus Becichemus nuncupatur. Pro eo in quibuſdam codd. Iovii *b* *Barinus* editum eſt: ſed typographi errore. Hic tredecim libris eleganter deſcripſit vitam ac geſta Georgii Caſtrioti *c*, Epirotarum principis: qui ab Amurathe ob præſtantia facinora vocatus eſt *Scanderbegus*: eo ſignificatur *Alexander dominus*, hoc eſt, Alexander Magnus: ut eſt apud Volaterranum lib. viii. Eos libros dicavit Donferando Caſtriotto, qui nepos erat Scanderbegi. Ad fidem pertinent illa in præfatione: *A majoribus diligenter relata, & à quibuſdam etiam qui interfuerunt, viſa, memoria mandavi.* Obiit autem Scanderbegus anno clɔ cccc lxvi, xvi Kal. Febr. ut apud Barletium eſt in fine operis. De ſcriptore eo hujuſmodi eſt Iovii judicium: *Ab hoc Dalmata, non inſulsè Latino, Georgii Caſtrioti Scanderbechi admirabiles res bello geſtas, quanquam inuſitatis exceſſibus perſcriptas, legimus. Æquavit enim hic vir, amore patriæ, & barbarorum odio, à ſide procul abductus, Epirota reguli virtutem antiquis heroibus, ita ut juſtam egregiè factorum gloriam, dum ſupra aquum in laudes prorumpit, ſuſpicione mendacii elevaſſe cenſeatur.* Idem Barletius etiam libros tres reliquit de expugnatione urbis Scodræ: ut ipſe ait extremo libro xiii. Video hunc ſcriptorem Iovio in Elogiis doctorum Virorum vocari Marinum Becichemium Scodrenſem. Sed duos Marinos Scodrenſes Barletium, & Becichemium confudit. Quorum Becichemius Brixienſis profeſſor fuit, Raphaëlis Regii, Ioannis Caſpurnii, Georgii Vallæ, & aliorum ejus ævi æqualis. Ac literis mandavit panegyricum Leonardo Lauretano, principi Veneto, atque Urbis ejus Senatui dictum: item centuriam epiſtolicarum quæſtionum, caſtigationes in varios ſcriptores, & opuſcula quædam oratoria: quæ omnia in Italia anno clɔ Iɔ vi in lucem prodierunt: poſteaque in Germania magna ex parte fuerunt recuſa. Vide de eo Riccobonum lib. i de Gymna-

b *Ut illa, quæ excuſa Baſileæ à Perna an. 1578.*

c *Argentorati Cratone Mylius excudit an. 1537.*

Gymnaſio Patavino, ubi refert, qui humaniores literas ſint profeſſi anno cIↄ Iↄ xx. Sed fuſiùs, accuratiuſque de eo tractavit in ejuſdem argumenti opere V. Cl. Felix Oſius.

## C a p. VII.

*Matthæus Palmerius Florentinus. Io. Baptiſta Pajarinus Vincentinus. Ludovicus Marchentus Veronenſis. Renatus Andegavenſis. Carolus Aretinus. Hieronymus Vallis de geſtis Patrum. Joannes Marchanova Patavinus. Alphonſus Toſtadus de terra ſancta. Joannes Tortellius de vita Athanaſii. Cujus & fortaſſe eſt vita S. Zenobii. Laurentius Valla de geſtis Alphonſi, Arragoniæ regis. Anonymus, auctor Chronici Patriarchalis. Benedictus Morandus. Benedictus de Accoltis. Andreas Dominicus Floccus de Romanis magiſtratibus. Jannotius Manetus. Bartholomæus Veronenſis. Anonymus de vita S. Bernardini Senenſis. Franciſcus Contarenus Venetus. Joannes Antonius Campanus de vita Pii II. Pontificis, deque geſtis Andreæ Brachii Peruſini. Petrus Candidus December de vita Philippi, vicecomitis Mediolanenſis. Horatius Romanus. Guarinus Veronenſis. Blondus Flavius. Alphonſus à Carthagena de regibus Hiſpaniæ. S. Antoninus, Florentinus præſul. Joannes Hagen, ſive de indagine. Ambroſii Contarenus Itinerarium in Perſiam. Platina, deque ejus prænomine. Nicolaus Perottus de laudibus Frederici III. Franciſci Philelphi Sfortias, & vita Nicolai Papæ V. Antonii Panormitæ libri IV de dictis, geſtiſque regis Alphonſi. Æneas Sylvius, ſive Pius ſecundus. Nicolaus Segundinus. Leodriſius Cribellus de Sfortiis, patre, filioque. Jacobi Ticinenſis commentarii de geſtis ſuorum temporum. Ludovicus Vicentinus de vita S. Bernardini Senenſis. Antonius Tudertinus. Franciſcus Caſtilionenſis de vita S. Antonini, & aliorum. Rodericus Santius de rebus Hiſpanicis.*

ACcedo ad Italos, quorum multi, inprimis imperante Frederico III, ſcribendo adluxere temporibus ſuis facem. Quid mirum? quando literæ tum magis, & magis, revireſcere cœperunt, curâ potiſſimùm Papæ Nicolai V, cui eo nomine multum hodieque debet orbis literatus. Acceſſit alterum quoque, quia, captâ Conſtantinopoli, eruditiores inde in Italiam ſe præcipuè contulerunt, Græcaſque huc literas intulere. Unde, quantum ibi incrementum ſtudia ceperint, apertiùs eſt, quàm ut dici mereatur. Nec tamen ſolos nunc Italos conſiderabimus, ſed etiam vicinos Siculos: atque adeò Gallos quoque, & Hiſpanos: partim quia in his gentibus hiſtoricum aliquid pauciores elaborarunt, quàm ut ſeorſum de iis agere attineat; partim quia inter eas illa eſt linguæ communio, ut ab unâ matrice, Latinâ dico, profluxiſſe univerſas, obſcurum eſſe nemini poſſit.

Primis Frederici III. temporibus claruit Matthæus Palmerius Florentinus, vir longè doctiſſimus; ac eorum unus, quorum nomen reperias inter illos, ad quos epiſtolas ſuas ſcribit Jacobus Picolominæus, Cardinalis Papienſis. Interfuit concilio Florentino; quod Ferrariæ inchoatum eſt anno cIↄ cccc xxxviii, at Florentiæ finitum anno ſequenti. Præter libros IV de vita civili (quorum & meminit Leander in deſcriptione Italiæ) compoſuit vitam V. Cl. Nicolai Acciaoli. Item librum de bello Piſano. Præterea Chronicon Proſperi, quod deſinit in anno cccc xlviii, mille annis additis continuavit uſque ad annum cIↄ cccc xlix.

Quod tamen cautè accipi debet. Nempe eo modo, quo Proſper, etſi ab orbe condito exorſus fuit, tamen vulgò dicitur continuâſſe Chronicon B. Hieronymi: putà, quia reſectis prioribus temporibus, ſolùm id Chronico Hieronymiano appingi ſolet, quod tempora ea conſequitur, ubi deſiit Hieronymus. Eadem conditio Palmerii fuit, ſi editos quidem codd. ſpectemus. Sed, ſpero, meliore ſuo totus vivet Palmerius, quàm Proſper, cujus prior ac melior operis pars planè deperiit. Quippe integrum Palmerii Chronicon MSum habet antiquitatis omnis, & amantiſſimus, & intelligentiſſimus, Laurentius Pignorius Patavinus. Fuit is codex olim Joannis Aretini Tortellii, de quo paullò pòſt loquemur. Venio ad ipſum Palmerium. Hic, cùm revocare ea nollet, quæ libro de Angelis ſcripſiſſet, flammis exuſtus fuit; ut Joannes Tritthemius quidem in catalogo refert, atque ex eo Genebrardus. Video, miror-que, ſilere hoc Philippum Bergomatem, cùm ejus vitæ curſum exponit in Chron. Suppl. ad annum cIↄ cccc xxxix. Mirum quoque, tacere Raphaëlem Volaterranum Comm. Urb. lib. xxi. ubi Palmerium hunc ait maximâ rerum cognitione, ac prudentiâ valuiſſe: atque ad ultimam perveniſſe ſenectutem. Poterat tamen ea res, utpote in Italia geſta, notior eſſe hominibus Italis, quàm Tritthemio Germano. Sed fortaſſe cauſſas ſuas habuere, & Bergomas, & Volaterranus, cur ſilentio mallent præterire, quòd hominis eruditi, beneque meriti de literarum ſtudiis, nomen ac gloriam labe non exiguâ aſpergere videretur. Aut fortaſſe Tritthemio impoſuit fama, quæ inventis gaudet addere. Sanè Paullus Jovius dicere eſt contentus, *cùm de divinis perperam incautè locutus, in hæreſis Arrianæ ſuſpicionem incidiſſet, librum ejus ex Theologorum ſententia damnatum crematumque.* De auctore autem combuſto, nihil addit. Uti nec alter Italus, & quidem civis ejus, ac coætaneus, Ugolinus Verinus lib. II illuſtratæ Florentiæ, ubi, dum æquales ſuos recenſet, ita canit:

> *Te quoque, Palmeri, quamquam te cœperit error*
> *Spirituum, haut parvo tamen es celebrandus honore.*

Quomodo ſanè locutus non eſſet, ſi ob hæreſin combuſtus foret. Horum igitur ſententiæ penitus accedimus. Tritthemium tamen, ut aliàs ferè, ita hac etiam parte ſequi maluit Joannes Rioche, Minorita, in compendio hiſtorico. Quid mirum in eo, qui non tam inter ſcriptores, quàm exſcriptores, qualemcumque mereatur locum.

Iiſdem primis Frederici III. temporibus floruit Jo. Baptiſta Pajarinus Vincentinus, qui (ut ex Felici Oſio accepi) ſex Vicentinæ hiſtoriæ libros reliquit. Quorum primus ab V. C. exorſus, pertingit uſque ad annum cIↄ cccc IV. Proximus progreditur ad annum uſque cIↄ cccc xxxv: qui liber, priori longè brevior, *De Fidelitate* Vicentinorum inſcribitur. Tertius tractat de ambitu & ſitu Urbis, atque agri ubertate. Quartus refert urbis Vicentinæ viros illuſtres, ſeu literis, ſeu armis. Quinctus eſt de familiis exſtinctis; vel quorum vix memoria ſuperſit. Poſtremus eſt de nobilibus familiis. Quamvis autem hiſtoriam ſuam non perduxerit ultra annum cIↄ cccc xxxv: tamen certum eſt minimum xxiii annis poſt ſuperfuiſſe. Ut oſtendunt quæ de temporibus ſuis refert extremo libro II, deque Oratione in laudem Bartholomæi Pajarini à Franciſco Diedo habita anno cIↄ cccc lviii.

Eodem imperante, nempe circa annum cIↄ cccc xxx vivebat Ludovicus Marchentus Veronenſis. Hic carmine Hexametro deſcripſit, ac celebravit pugnam & victoriam Stephani Contareni, claſſi Venetæ præfecti ſuper lacu Benaco contra Philippi Mariæ Vicecomitis duces. Opus hoc lucem necdum vidit: Sed ejus mihi indicium fuit ex hiſtoricorum Veronenſium indiculo, quem exarârat Alexander Becellus, Veronenſis cancellarius.

Renatus Andegavenſis, Siciliæ & Neapolis rex, filius Ludovici II, rexit anno cIↄ cccc xxxiv. Deſcripſit Andegavenſem comitatum, & Provinciam, Galliæ regiones. Auctor hujus Franciſcus Crucemanius in bibliotheca ſua Gallica.

Carolus Aretinus *vir omni laude præſtantiſſimus* vocatur Poggio Florentino, initio hiſtoriæ diſceptativæ, Utrum vocans, an vocatus ad convivium gratias agere debeat. Ac ſimiliter extollitur ab eo ſecunda in Philelphum invectiva. Malè voluit Philelpho, qui de inſidiis ab eo hono-

honori ſui ſtrictus conqueritur epiſtola ad eum exarata anno cIↃ cccc xxxIII. Epiſtola etiam ſequenti, quæ eſt ad Nicolaum, vocat eum verſutam, & maleficam vulpeculam; item hominem perditiſſimum, ac depravati, corruptique judicii. Hic Aretinus non inter oratores modò, ſed hiſtoricos etiam, reponitur ab eo, qui natales, & emortuales dies, in Germania nuper non aſpernanda induſtriâ collegit. Atque obiiſſe ait anno cIↃ cccc xLIII, ætatis LXXIV.

Hieronymus Vallis, Patavinus medicus, orator, ac poëta, claruit anno cIↃ cccc xLIII, ac præter alia, verſu geſta Patrum condidit: quemadmodum indicat ipſe, cùm ait,

*Te duce, geſta patrum cantavi; te duce, feci*
*Vivere perpetuâ poſteritate viros.*

Laudat Geſnerus in bibliotheca ſua. Legatus à Senatu Veneto Romam miſſus, non ſine veneni ſuſpicione obiit anno cIↃ cccc xLIII. Effigiem ejus ad vivum expreſſam Patavii in æde Eremitarum videre eſt, Scardeonio teſte libro III rerum Patavinarum.

Circa annum cIↃ cccc xLV claruit Ioannes Marchanova Patavinus, Philoſophus, medicus, ac poëta. Opus is reliquit de antiquitatibus: quod MSum ſupereſt Patavii in bibliotheca Canonicorum regularium S. Ioannis in Viridario: ubi & omnis penè ejus ſuppellex libraria adſervatur, & effigies quoque in pariete depicta comparet. Præterea, ut ipſe indicat, egit de dignitatibus Romanorum, & de triumpho, & rebus militaribus. Vide Scardeonium lib. II cap. II.

Alphonſus Toſtadus, Hiſpanus, epiſcopus Abulenſis, ac præterea Hiſpaniarum regis conſiliarius, item major referendarius (quæ triplex dignitas, nec antè, nec poſtea, unum in hominem collata fuit) floruit anno cIↃ cccc xL, ac, præter vaſtos illos in Scripturas commentarios, varia etiam opuſcula edidit, interque ea deſcriptionem terræ Sanctæ. Etiam commentariis in Geneſin paſſim meminit commentariorum ſuorum in Chronica Euſebii. Sed eos patriâ dicitur linguâ exaráſſe. Hujus Toſtadi luculentum exſtat elogium apud Alphonſum Garſiam Matamorum Hiſpalenſem *a*: *Ex tam infinita doctorum hominum multitudine, quantam hæc ætas habuit, nemo citra controverſiam ad Alphonſi Toſtadi, epiſcopi Abulenſis, laudem adſpiravit: cui ſi alio, quàm ſuo ſeculo, vivere contigiſſet: neque Hipponi Auguſtinum, neque Stridoni Hieronymum, nec alium quempiam ex illis proceribus Eccleſiæ antiquis, nunc invideremus. Excellentis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ; divina etiam ſapientia, & antiquitatis peritiſſimus: dignus fortaſſe, qui poſt quatuor Eccleſiæ doctores, cum Iſidoro, & Thoma, de quinto loco certaret. Quod ſi purior quædam, ſplendidiorque conſuetudo loquendi ſuis temporibus fuiſſet: non dubito, quin poſteriores omnes; in ſui admirationem eſſet converſurus.*

*a* *Libro de Hiſpaniæ claris viris, atque Academiis: quos leges T. 2. Hiſpan. illuſtr.*

Ioannes Aretinus, cognomento Tortellius, Caroli Aretini, qui poſt Leonardum Aretinum ſcriba Florentinorum fuit, frater, Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus apud Eugenium IV, poſtea Nicolao V. à cubiculi cura & conſiliis, præter grande de Orthographia volumen, etiam Athanaſii vitam, ex variis, Eugenii poſtulato, conſarcinavit: ut, præter Iovium, auctor eſt Volaterranus lib. XXI Anthropol. ubi & hoſce Aretinos fratres *nobilia illius temporis ingenia* appellat. Habes eam Athanaſii vitam apud Wicelium in Hagiologia. Præterea Appianum prope ad verbum Latinè interpretatus fuit, ut monet Iacobus Bergomas Chron. Suppl. lib. xv ad ann. cIↃ cccc xLIX. Planè autem cenſeo, eundem eſſe Ioannem, archipresbyterum Aretinum, qui conſignavit vitam S. Zenobii, epiſcopi Florentini, B. Ambroſii æqualis. Præter cætera quippe ætas optimè convenit. Nam ipſe in extremo ejus vitæ refert, ſe præſente factam eſſe tranſlationem corporis S. Zenobii anno Chr. cIↃ cccc xxxIx. Exſtat apud Surium ad xxv Maji.

Ioanni Tortellio ſummus ejus amicus jungatur Laurentius Vallenſis, Canonicus, ac patritius Romanus, qui Tortellio huic ſex Elegantiarum libros dicavit. Meminimus ejus hoc loco, non modò quia Herodotum, & Thucydidem, Latinè verterit: ſed etiam quia fecerit libros III de rebus geſtis à Ferdinando, Aragonum rege; qui cùm Pariſiis prodiere, tum in Germania Tom. I Hiſpaniæ illuſtratæ. Sed, ut bene judicat Iovius, *opus hoc eo ſtyli charactere perſcripſit, ut ejus minime videri poſſit, qui cæteris elegantiarum præcepta tradiderit.* Plura de eo ibidem Iovius. Eraſmus de eo ſic in Ciceroniano: *Valla propius accedit ad curam & ſubtilitatem Quinctiliani, quam ad illaboratam Ciceronis facilitatem; etſi cæteris* (Aretino, Poggio, aliis, de quibus proximè dixerat) *elimatior, puriorque.* De eodem ita Floridus Sabinus apologia adverſus calumniatores linguæ Latinæ: *Laurentio Vallenſi quemnam in hac arena præponamus, non video: nemo melius, conſtantiuſque graſſantem extinxit barbariem. Atque ut aliqui illum ſtyli elegantia vicerint, qui tamen Latinam linguam æque juverit ad hæc tempora non exſtitit.* Plura de eo legere ibidem poteris adverſus viri inſectatores. Ab rege Arragonum ejectum veniſſe Romam ait Poggius ſecundâ in eum Invectivâ. Idem *a* exprobrat ei, quòd Neapoli ab hæreticæ pravitatis inquiſitoribus igni fuerit adjudicatus: ſed eum Regis miſericordia liberatum, tum operâ doctiſſimi viri Vernandi Cordubenſis. Et ſanè à Franciſco Philelpho etiam commonitus eſt ſatyra luculenta, ut niſi vitæ ſuæ ſatur ſit, abſtinere velit à perſtringendis ſacri ordinis viris, ac ſimilibus ſcribendis, uti illa adverſus Donationem Conſtantinam. Satyra ea exſtat Hecatoſtichorum lib. II, ſat. IV. Obiit Romæ, ac ſepultus in ſancti Joannis templo in Laterano, ubi ejuſmodi legitur inſcriptio *b*: *Laurentio Valla, harum ædium ſacrarum canonico, Alphonſi regis, & Pontificis Max. ſecretario, Apoſtolicoque ſcriptori, qui ſua ætate omnes eloquentia ſuperavit, Catharina mater filio pientiſſimo poſuit. Vixit annos L. Obiit anno* M cccc LXV *Auguſti Cal.*

*a* *Fol.* 87. *b.* & 93. *a.*

b *Apud Fabricium in Roma pag.* 183.

*Laurens Valla jacet, Romanæ gloria linguæ;*
*Primus enim docuit qua decet arte loqui.*

Adhæc etiam tempora pertinet auctor incertus Chronici Patriarchalis, quod MSum apud Utinenſes exſtat. Orditur à Chriſto nato, & pergit uſque ad annum cIↃ cccc LXXXVII. Quemadmodum indicio mihi ſyllabus Utinenſium hiſtoricorum, Venetiis tranſmiſſus, ab Illuſtriſſimo, & Ampliſſimo Dominico Molino.

Benedictus Morandus refertur à Leandro Alberto inter illuſtres hiſtoricos Bononienſes. Condidit pro Bononia ſua opus adverſus Senenſes. Etiam adverſus Laurentium Vallenſem duas edidit invectivas, quibus Valla reſpondit.

His etiam temporibus fuit Benedictus de Accoltis, patria Aretinus. Natus fuit anno cIↃ cccc xv. Libros emiſit IV de bello à Chriſtianis contra barbaros geſto, pro Judæa, & ſancto Chriſti ſepulchro recuperando. Editi ſunt in Germania à Roberto Wintero, ac iterum Florentiæ, anno cIↃ c xxIII. At diverſus ab hoc Benedictus de Accoltis, itidem Aretinus, ſed archiepiſcopus Ravennas: qui à Clemente VII. anno cIↃ IↃ xxvII, Cardinalis eſt creatus tit. S. Euſebii; vir & ipſe doctiſſimus, cujus luculentum elogium habes apud Lilium Gyraldum de poëtis ſui temporis. Ac Leander Albertus in Italia ſua cum iſta ſcriberet (edidit autem opus hoc ſuum anno cIↃ IↃ L) ſupereſſe etiam ait: atque addit, avum ei fuiſſe Petrum de Accoltis Aretinum, qui epiſcopus Anconitanus fuit, atque à Papa Julio II, an. cIↃ IↃ xI creatus eſt Cardinalis itidem tit. S. Euſebii. Hæc duos Benedictos Accoltos Aretinos temporibus differre ſatis indicant.

Tum etiam claruit Andreas Dominicus Floccus Florentinus. Erat is diſcipulus Emanuelis Chryſoloræ, & inter eloquentes ſui ævi viros numeratus fuit: ut eſt apud Raphaëlem Volaterranum lib. xxI Comment. Urban. Interque eos, qui Florentiam eruditione ſua illuſtrarint, reponitur quoque à Leandro in deſcriptione Italiæ. Scripſit ad Brandem, Cardinalem Placentinum, libros duos de poteſta-

Digitized by Google

teſtatibus Romanorum: qui ſub Feneſtellæ nomine excudi ſolent. Sed Andreæ Dominici Florentini nomen præfert & manuſcriptus codex Oxonii in bibliotheca Lincolnienſi, ut eſt in catalogo Thomæ Jameſii. Nimis ſeverum cenſorem agit Thomas Demſterus paralipomenis in Roſini lib. III, cap. II, ubi ait opuſculum id eſſe æternis tenebris ſuo judicio damnandum. Nam pro ſeculo, quo ſcriptor vixit, eſt libellus bonus. Atque utinam nunc quoque deteriores nulli prodirent libri. Plura de eo diximus lib. I. cap. XIX.

Jannotius Manettus, ſive, ut eum Leander Albertus vocat, *Janetus Manetus*, diſcipulus erat Emanuelis Chryſoloræ, condiſcipulus Dominici Flocci. Senator fuit Florentinus. Equeſtri dignitate ornatus eſt à Nicolao V. Legationes varias ad reges, principeſque, atque etiam Pontificem Max. obiit. Vir erat trium linguarum peritus: ut qui ex Hebræo Pſalterium, ex Græco Iſagogen Porphyrii, & Ariſtotelis categoriarum librum verterit. Multa etiam alia illi debemus: interque ea libros VI de illuſtribus longævis; de vita Nicolai V Pont. Max. libros IV, qui Romæ in bibliotheca Vaticana, & Piſauri in ſereniſſimi Ducis bibliotheca, adſervantur; hiſtoriam de rebus Genuenſibus lib. II; laudationem Genuenſium, quæ MSa Oxonii exſtat in bibliotheca Collegii Novi; hiſtoriam Piſtorienſium lib. III, quam edidit, cum Reipubl. Florentinæ nomine Piſtorium gubernaret; vitam Alphonſi regis, quam non abſolvit. Item vitam Socratis, Senecæ, Plutarchi, Dantis, & Bocacii: quarum duæ primæ exſtant Cæſenæ in bibliotheca Franciſcana. De eo ſic canit Ugolinus Verinus lib. II. Florentiæ illuſtratæ:

*Eſt quoque* JANNOCTI *celeberrima fama trilinguis,*
*Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit*
*In Latium, & noſtris dedit hæc noſcenda* MANETUS.

Ubi pro *Jannocti*, uti Pariſina habet editio, malim *Jannotti*, cùm Italis ſit *Giannotto:* unde verum nomen ſit *Jannottus*, vel *Jannotius:* ut fortaſſe etiam apud Leandrum in Thuſciæ deſcriptione *a* ubi *Jannetus* vocatur, *Jannotus*, vel *Jannotius*, debeat reponi. Natus eſt Florentiæ anno CIↃCCCXCVI, IX Kal. Jul. Obiit Neapoli anno CIↃCCCCLIX.

a Pag. 70. ed. Colon. an. 1567.

Bartholomæus Veronenſis, Abbas monaſterii S. Nicolai de litore Venetiarum, congregationis S. Juſtinæ de Padua, claruit circa annum CIↃCCCCXL. Hic locum meruit Chronico monaſterii ſui, ab ejus primordiis ad ſua uſque tempora perducti: quod in monaſterii ejus archivis ſervatur.

Imperante Frederico III Auſtriaco, vixit quoque ille, qui in literas retulit vitam æqualis ſui S. Bernardini Senenſis, ord. S. Franciſci, quam habes apud Surium ad XX Maji. Obiit autem Bernardinus anno CIↃCCCCXLIV.

Etiam eodem imperatore, imprimis Nicolai V, Calliſti III, Pii II, Pontificum temporibus, latè nomen ſuum diffundebat Franciſcus Contarenus, Venetus, vir, ut natalium ſplendore, ita variâ admodum eruditione, ac præterea rebus geſtis, maximus. Philoſophiam in inclyta Patavinorum Academia, magnâ cum laude profeſſus fuit. Etiam Venetiis miſſus eſt legatus ad Pium II Papam. Ac in diſſidio Senenſium cum Florentinis, Venetæ Reipublicæ legatus, exercitum duxit in Hetruriam, ut opem Senenſibus ferret; quorum libertas virtute ejus aliquamdiu ſtrenuè eſt defenſa. Quemadmodum plenius cognoſcere licet ex libris tribus, quos ipſe compoſuit de rebus adverſus Florentinos, ac Ildibrandinum Urſinum, Comitem Petilianenſem, à Senatu Veneto, rege Alphonſo, & Senenſibus in Hetruria præclarè geſtis. Orditur inde, ubi Bartholomæus Facius deſierat in commentariis ſuis de rebus geſtis Alphonſi, regis Neapolitani. Eaque eſt cauſſa, cur Joannes Michaël Brutus, cùm prius Facii illud volumen ediddiſſet, poſtea etiam egregium hoc Contareni opus, propemodum jam oblivione ſepultum, publici juris fecerit. Plura de eo ſi voles, adi Elogia Contarena, quæ ſcripſit clariſſimus & doctiſſimus amicus noſter, Balthaſar Bonifacius, ac illuſtriſſimo inſcripſit, Dominico Molino, viro egregiè de me, ac pluribus hominibus eruditis, & merito, & merenti: quem verè Palladium Muſarum, ac præſidium, & tutelam omnis doctrinæ dixeris.

Joannes Antonius Campanus, quem mater ruſtica, opere feſſa, in agro ſub lauro peperit, primùm ovibus paſcendis à patre deſtinatus erat: poſtea, æditúo ſacerdotis famulans, ſe Latinis exercuit literis, exinde pueri nobilis Neapoli pædagogus, poſtilla Peruſinæ ſcholæ præfectus fuit, atque ab iiſdem civitate donatus: ac tandem Epiſcopus Aretinus in conventu Ratiſponenſi coram Frederico III, & principibus Germaniæ, oratione luculenta ſuaſit bellum adverſus Turcas. Unde ætas ejus ſatis liquet. Uti & inde, quòd in funere Calliſti Papæ III orationem habuit, quæ exſtat: quodque à Pio II Epiſcopatus honorem eſt adeptus: ac à Paullo II ditatus, atque à Sixto IV in exilium ejectus eſt. Sub quo prope quadragenarius juxta Senas, ſibi ob memoriam Pii II gratiſſimas, anno obiit CIↃCCCCLXXVII. Præter epiſtolas, (quarum aliquæ reperiuntur in volumine epiſtolico Jacobi Picolominæi, Cardinalis Papienſis, ubi ſe ſimpliciter Campanum appellat: nec aliter à Picolominæo vocatur in literis ad eum exaratis) præter, inquam, eas, & alia quædam, ſcripſit vitam Pii II Pontif. Maxim. quæ ejus Papæ operibus præmittitur. Item compoſuit libros ſex de vita, & rebus geſtis Andreæ Brachii Peruſini, fortiſſimi ducis. In quibus illud culpat Jovius, *quod rerum geſtarum fidem poëticâ adulatione corrumpat.* Vide de eo Raphaëlem Volaterranum lib. XXI Anthropologiæ. Lilium Gyraldum dialog. I. de poëtis ſui temporis, & Paullum Jovium in elogiis: quorum hic Interamnatium fuiſſe epiſcopum ait; ille autem Prætutinorum, ſive Prætutianorum: nempe ſedes epiſcopalis fuit Interamnii Prætutianorum oppidi, quod vulgò à circumfluo Nare fluvio Terami, vel Terani vocatur.

Etiam hic locus fuerit Petro Candido Decembri: qui, poſtulato regis Alphonſi, Latinè vertit Appianum Alexandrinum. Quamquam, ſive ob Græci exemplaris vitium, ſive alia de cauſſa, parum ei feliciter hoc negotium ſucceſſerit: ut omnino jure Sigiſmundus Gelenius novam interpretationem fuerit aggreſſus. Feliciùs idem deſcripſit vitam Philippi, Vicecomitis Mediolanenſis: in qua tamen ipſa quid jure requiratur, Jovius in Elogiis docebit. Papæ Nicolai V Magiſter brevium fuit: ut de eo auctor eſt Volaterranus. Exſtat ad eum Philelphi epiſtola anno ſcripta CIↃCCCCXLV: ubi vocat Petrum Candidum Leucum Decembrem. Quod miror, cùm λευκὸς idem ſit, ac *candidus.* Idem Philelphus epiſtolâ ad Georgium Platum anni CIↃCCCCXLIX ait, hunc Decembrem eſſe hominem naturâ maledicum, & inimiciſſimum bonis viris, & eruditis omnibus. Nempe inter Philelphum & Candidum ſimultas interceſſit. Opibus non mediocriter à Franciſco Sfortia auctus, obiit Mediolani octogenarius.

Fuit iiſdem temporibus Horatius Romanus, ſive, ut MSus codex habet, *Oratius poeta.* Hic ille eſt qui precibus à Nicolao V Pontifice exoratus primus Iliada Homeri tranſtulit Latinè. Idem poëma condidit libris II, cui nomen Porcaria. Eſt id de conſpiratione Stephani Porcarii, ſive Porcii adverſus Nicolaum V Pontificem. Quam conſpirationem & Sabellicus deſcribit Hiſtor. Ven. lib. XXVII. Dedicavit hoc poëma ipſi pontifici Nicolao. Præfatio gemina eſt, proſa una eſt, altera ad pontificem verſu elegiaco. Poëma ipſum ſic incipit,

*Inſidias patriæ qui ſtruxit, & arma parenti,*
*Ipſe parens refer, & ſceleri ſi Roma nefando*
*Annueris: tenues nam ſi fragor impulit auras,*
*Romulios iterum formidat curia raptus.*
*Tu potes obſcuris fulgorem, & lumina cæcis,*
*Incertiſque fidem, levibus dare pondera rebus.*

Etiam elegiam reliquit, cujus titulus *Venus aurea.* Item aliam ad Franciſcum Sfortiam ducem Mediolanenſem: quæ incipit,

*Dive virûm lapſura Italis qui ſceptra tueris,*
*Quo duce fulgorem Cæſaris orbis habet.*

Scriptor eſt non aſpernandus plane: ſed qui ſordidi aliquantum trahat ab ævo quo vixit. Manuſcripto ejus codice uſus ſum ex bibliothecâ doctiſſimi, & amiciſſimi Viri, Arn. Buchellii J.C. Ultrajectini.

Tum quoque claruit Guarinus, ſive, ut aliis dicitur, *Varinus*, Veronenſis. In Græcis auditor fuerat Emanuelis Chryſoloræ. Prius Venetiis, hinc Ferrariæ, (unde & Ferrarienſis quibuſdam nuncupatur) magno cum auditorum applauſu humaniores literas docuit. Scripſit vitas Platonis & Ariſtotelis: quæ ſubjunguntur tranſlationi vitarum Plutarchi editæ Baſileæ ab Michaële Iſengrinio anno cIↃ IↃ L. In eodem opere habes vitas varias à Guarino Latinè verſas: puta Fabii, Marcelli, Philopœmenis, T. Quinctii Flaminini, Lyſandri, Syllæ, C. Marii, Eumenis, Niciæ, M. Craſſi, Alexandri Magni, Dionis, M. Bruti, & Euagoræ. Item vertit Plutarchi parallela minora, quam verſionem cum nonnullis Leonardi Aretini Aſcenſius excudit. Etiam, æmulatione æqualis ſui Gregorii Tiphernatis, (qui ea, quæ de Aſia ſcripſerat Strabo, Latinè verterat) ipſe illa, quæ de Europa idem prodiderat, tranſtulit. Elogium ejus habes apud Leandrum in deſcriptione Veronæ. Eloquentiſſimum virum appellat Philelphus Epiſtola ad Flavium Blondum anni cIↃ cccc L. Poggio Florentino ſecundâ in Philelphum invectiva judicatur *vir doctiſſimus, atque humaniſſimus: cujus ſtudia, & præſtans doctrina, plurimum Italis profuerint.* Valla quoque, ut eſt apud eundem Poggium primâ in Vallam invectivâ, eum & Leonardum Aretinum ſui temporis doctiſſimos ajebat. Obiit Ferraræ anno cIↃ cccc LX, die IV Decemb. Vide & de eo Ja. Philippum Bergom. lib. XV. ad annum cIↃ cccc XIX. Et Trithemium in Catalogo. Filium virtutis paternæ æmulum reliquit: ut Jovius in Elogiis teſtatur.

Blondus Flavius, Forojulienſis, Eugenii IV, pluriumque Pontificum Romanorum ſecretarius, ſcripſit Romæ triumphantis libros X; quod opus dedicavit Pio II Pontifici: adhæc Romæ inſtauratæ libros III, quos inſcripſit Eugenio IV: item Italiæ illuſtratæ lib. VIII. Tum autem hiſtoriarum decades tres ab inclinato Romanorum imperio, hoc eſt anno cccc, uſque ad annum Chr. cIↃ cccc XL: non autem cIↃ cccc, ut eſt apud Davidem Chytræum, Genebrardum, & Bellarminum. Agit enim poſtremo libro de ſchiſmate Felicis Antipapæ contra Eugenium, quod incidit in annum cIↃ cccc XXXIX. Aliquot annis pòſt demum commentarios ſuos edidiſſe, arguit, quòd meminit mortis Calliſti III, qui anno obiit cIↃ cccc LV. MSus exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Oxonii in bibliotheca Balliolenſi eſt MSus *Blundius de Coſmographia Italia.* Blondus, an alius, ſignetur, melius dicent, qui videre. Ad honorem Blondi non parum pertinet, quòd ſcripta illius in epitomen contrahere dignatus ſit Pius pontifex. Dictione eſt non admodum cultâ: ut etiam Volaterranus agnoſcit: ſed de antiquitate tamen, utcumque interdum aliquid humani patiatur, ſanè pro ætate, qua vixit, optimè meretur. De eo ſic Jo. Gobellinus Commentariorum Pii II Pont. Max. lib. XI. *Pridie nonas Junias hujus anni* (ſignat autem cIↃ cccc LVIII) *Blondus Flavius obiit, hiſtoriarum ſcriptor egregius, natione Forolivienſis; qui diu apud Pium II. PP. ſecretarium Apoſtolicum geſſit, & Eugenio IV Pont. Max. acceptiſſimus fuit. Ab Arcadio Honorioque Cæſaribus (quo tempore inclinâſſe Romanum Imperium memorant) uſque ad ætatem ſuam, univerſalem ſcripſit hiſtoriam, opus certè laborioſum, & utile; verùm expolitore, emendatoreque dignum. Procul Blondus ab eloquentia priſca fuit: neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, examinavit: non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curam habuit. Siquis aliquando vir doctus, ſcribendi peritus, opera ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris adferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis. Extant & alia Blondi opera non parvæ utilitatis, quamvis cautè legenda ſunt, ne falſa pro veris accipias: in pluribus enim erraſſe deprehenditur. Scripſit Italiam illuſtratam, Romam inſtauratam, & eandem triumphantem: quam paullò ante obitum abſolvit. Mortuus eſt Romæ pauper, ut philoſophum decuit. Patrimonium, quod habuit tenue, dotium cauſſa inter fœminas diviſit: maſculis, præter doctrinam, bonoſque mores, nihil reliquit, id morienti ſat fuit, ejus ætatis filios dimiſiſſe, qui ſibi ipſis conſulere poſſent.* Reprehenditur à Georgio Merula lib. X. hiſtoriæ Vicecomitum. *Hæc in parte*, inquit, *neſcio indiligentia ne Blondum, an magis invidia arguam.* De eodem ita Floridus Sabinus apologia adverſus L. L. calumniatores: *Blondi Flavii Forolivienſis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſunt, qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant, alioqui non paucis etiam luculentius fluere viſus eſt.* Romæ obiit, Jovio teſte, jam ſeptuagenarius, (imò ultra, ut mox patebit) inque Capitolio juxta Deiparæ templum ſepultus eſt. Nempe in ara cœli ante introitum templi, ubi tale ejus epitaphium, ut eſt in Fabricii Roma: *Blondo Flavio Forolivienſi, hiſtorico celebri, multorum pontificum Romanorum ſecretario, Blondi quinque filii patri bene merenti unanimes poſuere. Vixit annos* LXXV. *Obiit prid. Non. Junii, anno ſalutis Chriſtianæ* cIↃ cccc LXIII, *Pio Pont. Max. ſibi, natiſque favente.* Quos reliquit quinque filios, omnes, ut Leander teſtatur, egregie fuere literis eruditi.

Item tum clareſcebat Alphonſus, Carthaginis in Hiſpania epiſcopus: quem genuerat antequam eccleſiaſtici ordinis pars factus eſſet, Paullus Burgenſis, cognomento de S. Maria, ex Judæo Chriſtianus, poſteaque Epiſcopus Carthaginenſis, ac tandem Burgenſis. Condidit ἀνακεφαλαίωσιν rerum Hiſpanicarum, Romanorum imperatorum, ſummorum Pontificum, & regum Francicorum. De hoc opere ita Vaſæus Chronici Hiſpaniæ cap. IV: *Alphonſus à Carthagena, Epiſcopus Burgenſis, Paulli Burgenſis epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, & in epiſcopatu ſucceſſor, præter alia opera ſcripſit ἀνακεφαλαίωσιν regum Hiſpaniæ, cum Roderico Toletano nuper impreſſam.* Non ineptè hanc hiſtoriam ſcripſiſſe, judicium eſt Alphonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis [a]. Prodiit in lucem typis Wechelianis Tom. I. Hiſpaniæ illuſtratæ.

[a] Lib. de Hiſpan. viris claris, atque Academiis, quæ eſt Tom. 4. Hiſpaniæ illuſtratæ.

Antoninus Florentinus, in patria Urbe Archiepiſcopus, qui in ſanctorum numerum ab Adriano VI, anno cIↃ IↃ XXIII relatus fuit, claruit imprimis ſub Coſmo Medice, ac Reip. Florentinæ nomine legationes ſæpe obiit ad Nicolaum V, Calixtum III, & Pium II: præter ſummam Theologiæ, Chronicon ſcripſit tripartitum: cujus archetypon Florentiæ in bibliotheca monaſterii S. Marci adſervatur. Pars prima eſt ab orbe condito uſque ad Conſtantinum Magnum, & Sylveſtrum Pont. Max. altera inde uſque ad Henricum VI, & Innocentium III, hoc eſt, anno Chriſti cIↃ c XCVIII: tertia hinc uſque ad Fredericum III, & Pium II, hoc eſt, anno cIↃ cccc LIX: quo ipſo, VI Non. Maji obiit, ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Vitam hujus Antonini ſcripſit F. Vincentius Mainardus Geminianenſis, Procurator ordinis prædicatorum: qui an. claruit cIↃ IↃ XXIII. ut verba iſta oſtendunt: *Quid impedit, ne dicam, in Coſmianam domum pro uno præſulatu, pontificatus duos maximos rediiſſe? Jam tum, cùm tot religioſas ædes, ac templa, à fundamentis excitabatur pronepotum tiaras præſagire: qui Leoni X, qui* TIBI *etiam,* CLEMENS VII, *Eccleſias, Eccleſiæ principibus parabat.* Exſtat ea vita apud Surium quoque Tom. III, ad II Maji. Carmine autem vitam ejus prodidit Ugolinus Verinus, Petri Criniti præceptor. Vide & de eo Franciſcum Caſtell. lib. III. de viris illuſtr. Ord. Præd. & Jo. Gobelinum in comment. rerum memorabilium, quæ temporibus Pii II Pap. acciderunt.

Tumulo ejus hi verſiculi inſcripti ſunt:

*Hic eſt ille tuus paſtor, Florentia, pro quo*
*Non ceſſas mœſtas ſpargere rore genas.*
*Patribus haut priſcis pietate Antoninus impar,*
*Qui ſcripſit quicquid litera ſacra docet.*

*Gravis*

Digitized b

*Gravis auctor* vocatur ab Hieronymo Plato lib. II de bono ſtatus religioſi, cap. XXIV. In rebus tamen Mediolanenſium haut fidei nimium tribuiſſe ei videtur Georgius Merula Alexandrinus. Nam id niſi eſt, quid attinebat in ſyllabo eorum, è quibus in ſua Vicecomitum hiſtoria profecerit, hunc commemorare iſtum in modum *Antonino Archiepiſcopo, quando varia non jactat.* Cum alios ſimpliciter nominare ſit contentus. Nempe eò ſpectavit, quòd Mediolanenſium res non ſatis bona fide conſignârit. Quo pertinent & verba illa libro ſeptimo: *Parum verè Antoninus Archiepiſcopus per factiones depugnatum ſcribit, & Gibellinos à Gradenico duce ſtetiſſe: contra verò Teupolos, atque Quirinos, adjunctis Guelphis, totis viribus, ut principatu illum dejicerent, innixos eſſe. Nam ſi certamen aut ordinum, aut factionum, & non pro libertate patriæ fuiſſet*, & quæ ſequuntur.

Ioannes Hagen, ſive de Indagine, anno circiter CIↃ CCCC XI., ipſe annos natus XXV Erphordiæ Cartuſianus monachus factus eſt. Prior fuit, tum prope Stetinum in domo Gratiæ Dei: tum prope Iſenacum in Thuringia, in domo S. Eliſabethæ. Longè plurima ingenii peperit monumenta: quæ non videntur viſa Arnoldo Boſtio. Adeò jejunè de eo tractat de Viris illuſtribus Ord. Carthuſ. cap. XXVIII. At accuratè recenſet Theodorus Petreius in bibliotheca Cartuſiana. Inter ea eſt Chronicon triplex. Primum ab orbe condito uſque ad ann. CIↃ CCCC LXXI. Alterum eo brevius. Tertium breviſſimum. Obiit circa annum CIↃ CCCC LXXV, anno monachatus ſui XXXV. Alius ab hoc eſt Joannes de Indagine, cujus chiromantia, phyſiognomia, & aſtrologia judiciaria exſtant. Nam ille opus ſuum anno CIↃ IↃ XXII dicavit Alberto, archiepiſcopo Moguntino, & Cardinali Tit. S. Angeli.

Ambroſius Contarenus, qui ab illuſtri Venetorum Rep. ad Uſuncaſſanum, Perſiæ regem, legatus fuit, ſcripſit itinerarium in Perſiam. Eo complexus fuit, quæcunque memoratu digna contigiſſent à primo die Quadrageſimæ anni CIↃ CCCC LXXIII. quo Venetiis diſceſſit, uſque ad XXIV Febr. anni CIↃ CCCC LXXVII, quo Venetias eſt reverſus. Ex Italico Latinè vertit Jacobus Geuderus. Inter Perſicæ verò hiſtoriæ ſcriptores Latinos reperitur.

Fuit & tum B. Platina, qui utrùm Baptiſtæ, an Bartholomæi prænomen habeat, non ſatis convenit: Baptiſtam vocat Jac. Bergomas in Suppl. Chr. & Albertus Leander in deſcriptione Lombardiæ Tranſpadanæ, item Floridus Sabinus apologia contra calumniatores L. L: at Bartholomæum appellat Raphaël Volaterranus lib. XXI, comm. Urb. item Arnoldus Boſtius in illuſtribus Viris ordinis Carthuſiani cap. XXI. Atque his planè fidem habemus, non quidem ob majorem dicentium auctoritatem; ſed quia epiſtola ejus ad Jacobum Piccolominæum, Cardinalem Papienſem, ſic inſcribitur, *Barth. Platina Jac. Cardinali Papienſi.* Ac Piccolominæi ad Platinam epiſtola (quæ Senæ exarata anno CIↃ CCCC LXIX) itidem habet, *Barth. Platina.* Patriâ fuit Cremonenſis: atque, ut de eo Volaterranus ſcribit, *cum F. Gonzaga Cardinale Mantuam venit; deinde factus Xyſti Pont. contubernalis, ſimul ab eo opibus auctus, ædes ſibi in Quirinali paravit: ubi & deceſſit ſexagenarius.* Cùm alia poſteris prodidiſſe, tum libros tres de rebus urbis Mantuæ, & familia Gonzagæ, auctor eſt Conr. Geſnerus. Sed imprimis innotuit opere de vitis pontificum uſque ad Paullum II: à quo (quod Volaterrano prætermitum miror) in carcerem conjectus, & totis quatuor menſibus detentus fuit, cùm Pomponii Læti, aliorumque eruditorum cauſſam (qui conjuràſſe adverſus eum dicebantur) defendendam ſuſcepiſſet. Opus verò ſuum dedicavit Xyſto, ſeu Siſto IV, à quo præfectus erat bibliothecæ Vaticanæ. Ab hoc Sixto Pontifice, Pontificum XIV hiſtoriam uſque ad Pium V, Platinæ adjecit Onuphrius Panvinius. Obiit Platina Romæ peſtilentiâ anno CIↃ CCCC LXXXI, uti idem Bergomas, & Maſſæus in Chronicis, teſtantur. Fuiſſe tum ſexagenarium, præter Volaterranum etiam Leander tradit loco antè memorato. Ubi & eum ab eloquentia, & doctrina ſingulari, commendat. Volaterrani de eodem judicium hujuſmodi eſt, *virum fuiſſe gravem, & procul mendacio, eoque admiratione digniorem, quòd jam provectâ ætate, ac tirocinio poſito, quod totum militiæ primùm tradiderat, literas didicit.* Eraſmus de eo ſic ſcribit in Ciceroniano ſuo: *In hiſtoria valiturus erat, ſi nactus fuiſſet argumentum felicius. In optimo cive, & panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, ſed tanto intervallo, ut hoc nomen non promereatur eruditorum calculis: alioqui vir doctus, facundus, &, ni fallor, bonus.* Floridi Sabini opere, quo ante dixi, tale judicium eſt; *Summorum pontificum vitam eleganter ſcripſiſſe, eoque immortalem ſibi gloriam peperiſſe.* Mirum autem, poſt Pontificum vitas de re culinaria ſcribere voluiſſe. Quod epigrammate quodam feſtivè ridet Actius Syncerus.

Nicolaus Perottus, natus Saxoferrati (quæ & Bartoli J. C. patria fuit) archiepiſcopus Sipontinus, vir Græcis Latiniſque literis pereruditus; ut de eo judicat Leander, & monumenta ejus teſtantur, claruit anno CIↃ CCCC LX. Diſertiſſimum virum nominat Philelphus epiſtola ad Albertum Zancarium anni CIↃ CCCC LIII. Laudes Frederici III. complexus fuit. Item poſtulato Nicolai Pontificis primos quinque Polybii libros vertit Latinè. Eam tranſlationem excudit Aldus. Inimicitias unà cum Angelo Sabino exercuit adverſus Domitium Calderinum; atque Angelum, cùm adverſus Calderinum ſcriberet, adjuvit. Ac Domitius quidem, cùm in ſcriptis ſuis utrumque reprehendit, Perottum Fidentini, Angelum autem Brothei nomine deſignat: ut eſt apud Gyraldum dialogo de poëtis ſui ſeculi. Quid vero in eo laudabile, quid culpandum ſit, optimè dicet Caſaubonus præfatione ad lectorem, quam Polybio ſuo de prioribus hiſtorici hujus interpretibus præmiſit. Inter alias culpas eſt, quòd ſæpe Livium exſcribens dicat, quæ Polybius non dicit. Senex juxta Sentinum in villa, cui à ſecuro otio Fugicuræ nomen dederat, curare ipſe res deſiit humanas. Plura de eo Jacobus Bergomas lib. XV ad an. CIↃ CCCC LIV, Raphaël Volaterranus Urbanorum Comm. lib. XXI, & Paullus Iovius in elogiis doctorum virorum.

Franciſcus Philelphus Anconitanus, eques auratus, & poëta laureatus, Emanuelis Chryſoloræ gener, Palæologi imperatoris Conſtantinopolitani ad Pontificem, & Italos principes, legatus. Gener fuit Emanuelis Chryſoloræ, ut ipſe ait Philelphus hecatoſtichorum lib. IX, ſat. VIII, & epiſtola ad Nicolaum ann. CIↃ CCCC XXXVIII. Nomen conjugi Theodora Chryſolorina: quæ deceſſit Mediolani anno CIↃ CCCC XLI: ut ipſe ſcribit ad filium Ioannem Marium. Latinas Græcaſque literas docuit (ut Leander in Piceni deſcriptione ait) Bononiæ, Romæ, Mediolani, Florentiæ, Patavii, & Mantuæ. Bononiam venit anno CIↃ CCCC XXVIII, ac facultatem oratoriam & moralem philoſophiam ſalario aureorum CCCC L: quorum trecenti ſolvebantur ex ære publico: centum & quinquaginta ab Lodovico Alamando, Cardinale Alatenſi, Pontificis legato: ut ipſe auctor eſt Philelphus epiſtola ad Io. Auriſpam. Florentiam ivit anno CIↃ CCCC XXIX, extremo menſe Martio, ut indicat epiſtola ejus eo anno Florentiæ ſcripta ad Antonium Luſcum Pontificis ſecretarium. Salarium hic ei aureorum quingentorum, ut liquet ex epiſtola ad Ioannem Lamolam. Mediolanum profectus anno CIↃ CCCC XL menſe Ianuario, ut ait epiſtola ad Bornium Salam: eo, ut refert ad Honorium Strozam, à duce inclito Philippo Maria vocatus erat, ac ſub tribus etiam ducibus, qui poſtea rexere, eo in genere vitæ perſeveravit. Præter duos conviviorum libros (quos etiam Ludovicus Vives ab hiſtoriæ, & antiquitatum, atque item philoſophiæ cognitione, impenſe laudat) reliquit Sforciados libros, quibus *æquat dicta factis, & de rebus bellicis canit quodammodo bellicum*: ut eo de opere ad Philelphum ipſum

in epiſtolis ſuis loquitur Jacobus Picolominæus, cardinalis Papienſis. In iis ſcribendis verſabatur jam anno clↄ cccc LII, ut cognoſcimus ex literis ad Xenophontem Tolium miſſis eo anno. Primùm octo tantum fuere, quibus nonum adjecit poſtea. Eum anno ediſiſſe clↄ cccc LXXIII, cognoſcimus ex ejuſdem Piccolominæi alia ad hunc Philelphum epiſtola. Ipſius Sfortiæ juſſu hoc opus ſcripſiſſe, Jovius auctor eſt in Sfortiæ elogio. Præterea in literas retulit vitam Nicolai Papæ V, ut Thritthemius ait, pro quo apud Geſnerum legas, S. Nicolai Pontificis: at apud Poſſevinum ἁπλῶς S. Nicolai. Tranſtulit quoque Xenophontis Cyropædiam: item Plutarchi Theſea, Othonem, & Galbam. Etiam poſtulato Gerardi Landriani, Cardinalis Comenſis, tranſtuliſſe videtur Philonem de vita Moſis; ut indicat epiſtola ab eo ad Landrianum hunc exarata Mediolani an. clↄ cccc XL. Quæ præterea reliquerit, cognoſces ex Chron. Suppl. Jac. Bergomatis lib. XV, & Tritthemio in Catal. Vide præterea de eo Volaterranum lib. XXI. Multa etiam de vita ſua ipſe refert Philelphus epiſtola ad Piccolominæum, quæ incipit, *Poſteaquam præſtanti Archiepiſcopo Mediolanenſi.* Illud ſane ridiculum, quod de eo à Paullo Jovio proditum eſt. Cùm de modulo ſyllabæ contentio ei foret cum Timotheo Græculo: atque ita conveniſſet, ut ſi vinceretur, pecuniâ ipſe lueret errorem: ſin vinceret adverſarius, barbam ſibi totam ſineret recidi: victor uſque adeò fuerit inexorabilis, ut barbam eâdem redimi pecuniâ minimè pateretur: ſed miſello Timotheo, non ſine ludibrio, eam novaculâ abradi totam neceſſe foret. Tres ei teſtes fuiſſe, proditum eſt, ut ait Cœlius Rodiginus Antiq. Lect. lib. XVII cap. XII. Exſtant in eum tres invectivæ Poggii Florentii, quibus & genus, & mores mirè exagitat, ac perſuadere conatur, fuiſſe nequiſſimum, & plurimis vitiis contaminatum. Luculentum Philelphi elogium exſtat apud Alexandrum ab Alexandro. Quid etiam de eo ſenſerit Eraſmus, ex Ciceroniano ejus cognoſcere potes. Eidem in vita B. Hieronymi operibus ejus præfixâ, dicitur *vir quidem eruditus, ſed interdum plus ſatis* φίλαυτος. Floridus Sabinus hunc in modum de eo ſcribit apologia in calumniatores Linguæ Latinæ: *Franciſcus Philelphus multa ſcripſit, ut orator, & poeta: de cujus epiſtolis, dialogis, & orationibus, aliiſque ſolutæ orationis monumentis, diverſa ſunt doctorum ſententiæ. Plurimi enim judicium ei defuiſſe volunt: alii tumidum eum, plerumque; alicubi exilem, perſæpe aridum, jejunumque arbitrantur, licet ſibi vel maximè placentem: doctus tamen fuit, & magna auſus.* Florentiæ, vel, ut alii volunt, Bononiæ, non quidem nonagenarius, ut nonnulli prodidere; ſed tamen octogenario major deceſſit. Nam natus fuit anno clↄ ccc XCVIII, VIII Kal. Sept. at obiit an. clↄ cccc LXXXI: ut etiam eſt apud Chriſtianum Maſſæum Chronici ſui lib. XIX. Filium habuit vehementis ingenii grammaticum, Marium Philelphum, quem ſtudiorum cauſſa Conſtantinopolim miſit pater: ſed conqueſtus evaſiſſe indoctiorem, quam venerat: ut cognoſcimus ex epiſtola ad eum Conſtantinopolim ſcriptâ anno clↄ cccc XLI. Idem Venetias honorificè vocatus ad docendum ibi Oratoriam, ac philoſophiam, quod anno contigiſſe clↄ cccc LX, conſtat ex literis patris ad Petrum Eutychium. Poſtea, ut apud alios lego, Mantuam vocatus à Frederico Gonzaga, literarum ibi ſtudia profeſſus fuit, atque inibi reliquit aliquot ingenii ſui monumenta: atque anno uno ante patrem terris exceſſit. Fallitur enim Jovius, qui poſt parentem diem ſuum obiiſſe arbitratur. Filium hunc rhytmis, ac cantilenis inclaruiſſe, à Paullo Langio refertur in Chronico Citizenſi. Etiam alterius filii, cui nomen Xenophonti, meminit epiſtolâ ad Franciſcum Patricium, & altera ad Antonium Michaëlem: utraque anni clↄ cccc LI: item aliis ad alios eopſe anno, & ſeqq. exaratis. Imò ternas ad ipſum Xenophontem literas habemus anni clↄ cccc LII; binas anni clↄ cccc LVI, & alias deinceps miſſas. Meminit & filiæ Angelæ, ejuſque deſponſatæ. Habuit & alterum filium, nomine Cyrum, Lilio Gyraldo notum; ut apud eum eſt dialogo de poëtis ſui ſeculi. Uterque filius ei natus fuit ex Chryſoloræ, doctiſſimi hominis Græci, filiâ: ut ibidem legas. Ubi & reperies, quid de Philelphi patris πολυγραφίᾳ, & filii Marii ingenio, judicârit.

Antonius Panormita, Siculus, vir Philippo Mediolanenſium principi gratiſſimus, publicè octingentis aureis annuis docuit ſtudia literarum. Poſtea, ut quoque eſt apud Raphaëlem Volaterranum, Alphonſo regi epiſtolarum magiſter fuit: deque ejus dictis ac factis edidit libros IV. Eos verò Æneas Sylvius, qui iiſdem temporibus vixit, commentariis illuſtravit. In quibus dicta, factaque Alphonſi memorabilia ſigillatim comparat, cum Cæſarum, Principumque Germanorum, & aliorum apophthegmatis. Utrumque opus, ſeorſim antea excuſum ἀδεσπότως, atque emendatius in Germania a prodiit cura Marquardi Freheri, V. Cl. Panormita hic à Bartholomæo Facio initio lib. de humanæ vitæ felicitate *poeta, atque eques præclarus* nominatur: & mox, *clarus & ſingularis poeta, & juriſconſultus.* Ac paullò pòſt ait Sigiſmundo Imp. laurea donatum corona, more majorum, quæ res uſque ad id tempus contigiſſet nemini. Exſtat ad eum Philelphi epiſtola anno ſcripta clↄ cccc XL, & alia anni clↄ cccc LVIII. Elegantiarum pater vocatur à Joviano Pontano, qui & eleganti carmine mortui memoriam eſt proſecutus. Vide & quæ de eo in elogiis ſuis retulit Jovius.

a Hanoviæ an. 1611.

Æneas Sylvius, Piccolominæus, qui poſtea vocatus eſt *Pius ſecundus*, patria Senenſis, ſcripſit longè plurima, quæ recenſent Platina in ejus vita, & Jac. Phil. Bergomas lib. XV ad an. clↄ cccc LIV, ut alios mittam. Inter ea, quæ hiſtoriam ſpectant, eſt liber de rebus à ſe geſtis. Item hiſtoriola de amoribus duorum, quos fictis nominibus Euriaлum ac Lucretiam appellat. Eam paucis quoque refert is, quem dixi Jac. Bergomas ad an. clↄ cccc XXXIV. Item Coſmographiam reliquit, in qua non modò ſitum locorum ob oculos ponit; ſed etiam de regibus, ac principibus agit, qui in orbe claruerunt. Europam idem luculento depingit commentario, atque in hac narrat res memorabiles ſui ævi. Aſiam quoque in pontificatu ſuo deſcribere aggreſſus fuit, ut idem Bergomas refert: ſed minorem ſolùm abſolvit. Deſcripſit quoque urbem Viennenſem. Conſignavit & acta concilii Baſileenſis; cujus ſingulis conventibus, adhuc clericus ceremoniarum, ut vocant, interfuerat. Ea in faſciculo rerum expetendarum primus edidit Orthuinus Gratius; dicavitque Joanni Helmando, nepoti ejus Helmandi, qui & ipſe ſynodo illi interfuerat; quem ſenem admodum à ſe viſum idem Orthuinus refert. Fecit etiam, ut Platina ait, *rerum ſui temporis in Italia geſtarum libros* XII; *quod opus nondum abſolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, niſi emendaretur.* Denique condidit quoque Æneas (quâ præcipuè memorari hic debet) hiſtoriam Boëmicam. Ea definit in anno clↄ cccc LVIII: quo ipſo Romanus fuit Pontifex factus. Quibus autem gradibus eò pervenerit, vide apud ipſum epiſt. CCI. In adoleſcentia biennium audivit Philelphum; ut ipſe ait Philelphus epiſtolâ ad Nicolaum Arcimboldum ſcriptâ anno clↄ cccc XXXI. Et commendat eum ab ingenii acrimonia, dicendi lepore, ac moribus urbanis, & cultis. Floridi Sabini apologia adverſus L. L. calumniatores, tale de eo, ſed adulto, judicium eſt: *In hiſtoria eſt nonnullis ex recentioribus ordine poſtponendus, orator argutus, vehemens, candidus, poëta iidem non vulgaris.* Obiit anno clↄ cccc LXIV, anno LXIII.

Nicolaus Segundinus, ſeu Secundinus b, *Turcarum genealogiam à ſe Latino ſermone conſcriptam Pio Papæ dicavit*: ut ait Paullus Jovius c opere de vitis Turcicorum Impp. Ac meminit quoque ipſe Pius in Aſiæ deſcriptione cap. XXIX. ubi ſic de eo loquitur: *Nicolaus Segundinus, multâ eruditione præditus, Græcas ac Latinas literas apprimè callens, de Turcis ad nos ſcribens, Aſiaticos Scythas illos eſſe fatetur.* Laudat & Jo. Cuſpinianus, in Impp. Romanis. Item libro de origine Turcorum. Quæ verba apponi merentur: *Nicolaus Euboicus Segundinus, qui ab aliis Segundinus dicitur, vir Græcè & Latinè peritiſſimus, qui Florentiæ ſub Eugenio quarto, ubi Græcorum*

b Al. Segundinus.

c In vita Calebini Turcici Imp.

*cauſâ concilium agebatur, eruditiſſimè diſputationes Græcorum interpretabatur, ac illuſtre nomen fidi interpretis conſecutus eſt; ad Æneam Sylvium, Senenſem tum præſulem, libellum ſcripſit terſiſſimum de origine, & familia Ottomannorum.*

Leodriſius Cribrellus Franciſco Philelpho, & Æneæ Sylvio, æqualis fuit, ac tum proſâ, tum vorſâ oratione claruit in Italia. Philelphi ad eum epiſtola ſcripta anno CIↃ CCCC LI. Sfortiæ, ac filii ejus Franciſci hiſtoriam condidit, ut Paullus Jovius teſtatur, in Sphortiæ elogio, cui *Leodoris* vocatur. Ex Græco vertit epiſtolam B. Chryſoſtomi ad Cyriacum epiſcopum, exulem: ut ipſe de ſe refert epiſtolâ ad Æneam Sylvium. Meminit & ejus cum honore idem Æneas extremo capite undequinquageſimo hiſtoriæ de Europa. Exſtat & ad eum Jacobi Picolominæi, cardinalis Papienſis, epiſtola, qua epigramma ejus commendat.

Jacobus, cognomine quidem Ticinenſis, verùm patriâ Volaterranus, obſcuro loco natus erat, ſed virtutis ergo à Papa Pio in Cardinalium ordinem allectus fuit. Hic præter epiſtolarum libros, etiam ſuorum temporum commentarios edidit. Atque, ut de eo judicat Leander in deſcriptione Italiæ, *ſupra ſuavitatem ſtyli, hanc vulgarem oſtendit eruditionem, ut non minus juvet, quàm delectet.* Mirum autem, ut idem obſervat, non meminiſſe popularis ſui, Raphaëlis Volaterrani, cùm mentionem faciat complurium, qui eruditione non paullò eſſent inferiores.

Circa hæc tempora claruit & Antonius Tudertinus, cui patria Tuder, Umbriæ oppidum. Hominem Latinè, Græceque doctiſſimum appellat Leander Albertus in Italia. Varia tranſtulit è Græco Latinè, ut ibidem dicitur, interque ea vitas Plutarchi haſce, Pompeji, Timoleontis, Agidis, & Cleomenis. Meminit & Eraſmus in Ciceroniano ſuo. Oxoniæ in bibliotheca Collegii Novi habes duos Tudertini hujuſce codices MSos. Unum eſt conſolatio ad monachum quendam de obitu Cardinalis. Alterum verò in laudem Florentiæ.

Ludovicus Vicentinus erat vicarius generalis Ordinis Min. quem honorem Auximi in concilio ſui ordinis conſecutus fuit anno CIↃ CCCC LXI. Hic præterquam quòd Ordinis ſui Conſtitutiones breviùs conſtrinxit, & melius digeſſit, etiam ad Cardinalem Agrienſem ſcripſit vitam S. Bernardini Senenſis.

Iiſdem temporibus vivebat Franciſcus Caſtilionenſis, presbyter, & canonicus S. Laurentii Urbis Florentinæ. Exſtat ad eum epiſtola Marſilii Ficini. item ſuperſunt literæ ejus ἀμοιβαῖοι, & Jacobi Picolominæi, cardinalis Papienſis. Octennium, & ultrà, vixit in ædibus B. Antonini, Florentini archiepiſcopi. Cujus & vitam poſtea in literas retulit. Obiit autem B. Antoninus anno CIↃ CCCC LIX. Quod inter alia ætatem Caſtilionii ſatis indicat. De hoc verba ejus ſunt iſta præfatione in vitam Antonini: *Vitam ſanctiſſimi viri, Antonii, Florentini præſulis, qui* HOC ANNO *ex vita migravit, literis memoriæque mandare conſtitui. Quamquam enim plures ſint alii docti viri in noſtra civitate, quibus & doctrinâ, & ingenio facile cedam; qui rem hanc poſſent ſententiis, & amplitudine orationis illuſtrare: tamen quia apud eum virum ſui & domi ſua ultra* OCTAVUM *annum; geſtaque ejus ſingula, aut bonam partem, propriis oculis vidi, auribuſque hauſi: ad me potiùs hoc onus officii, quàm ad quemvis alium, meritò deferri, ac pertinere, ſum arbitratus.* Poſtea autem etiam conſignavit martyrium Antoninianum, hoc eſt, Antonii de Ripolis Pedemontani, monachi Dominicani, qui B. Antonini, Florentini præſulis, diſcipulus fuit. Antonius iſte de Ripolis: à Tunetanis captus, veritatem religionis Chriſtianæ abnegârat: hinc quatuor menſes in Mahometi fide permanſit: exinde, cùm nihil ſani in Alcorano reperiret; & de recenti obitu præſulis quondam ſui, B. Antonini, ejuſque miraculis, cognoſceret: pœnitudine ductus ad Chriſtianam religionem redit: cumque ab ea nullis barbari regis minis revocari ſe pateretur, lapidibus obrutus Chriſto ſpiritum commendavit. Atque hæc ex Conſtantini Cyprii, qui præſens adfuerat, & ore, & epiſtolâ, ſe hauſiſſe, Caſtilionius profitetur. Porrò & illam Antonii ſeu Antonini archiepiſcopi vitam, & deſcriptionem iſtam martyrii Antonii de Ripolis, operi ſuo de illuſtribus viris Ord. Præd. intexuit Leander Albertus. Archetypa autem reperiuntur in bibliotheca abbatiæ Florentinæ. Poſſevinus auctor eſt, ibidem & alia ejuſdem Caſtilionii archetypa ſupereſſe. Uti ſermonis de vita S. Marci Papæ in qua de dignitate tractet S. Laurentii, & ſanctorum reliquiis in eo adſervatis. Adhæc vitas S. Vincentii, S. Petri Veronenſis martyris, & S. Thomæ Aquinatis. Primum metuebam, ne de auctoribus trium vitarum falleretur, & falleret. Sanè in Leandri opere vita Vincentii eſt ab Jo. Antonio Flaminio; S. Petri vita à Joanne Garzone, uti & illa Thomæ Aquinatis. Parùm autem veriſimile fiebat, Flaminium, & Garzonem, actum agere voluiſſe. Verùm poſtea in volumine epiſtolarum Jacobi Picolominæi, Cardinalis Papienſis, reperi Franciſci hujus Caſtilionæi epiſtolam ad Piccolominæum, in qua ſe hiſtoriam S. Vincentii conſignaſſe, ac Piccolominæo mittere, ipſe ait. Vitam Caſtilionii hujus tradiderunt Orlandus Bonardus, Archiepiſcopus Florentinus, & Chriſtophorus, archipresbyter Bononienſis. Meminit & Antonius Benivenius libro de abditis morborum cauſſis cap. LXII: ubi ait ſe ſub præceptore Franciſco Caſtilionenſi religioſo viro, literis Græcis operam dediſſe. Etiam paullo poſt vocat virum doctum, & in philoſophia ſatis eruditum.

Anno CIↃ CCCC LXVIII claruit Rodericus Santius de Arevalo, utriuſque juris, & artium profeſſor, epiſcopus Palentinus, Hiſpanus; Henrici IV, Caſtellæ, & Legionis regi, capellanus, auditor, & conſiliarius; Caſtri S. Angeli, quod eſt Romæ, Paullo II. Papæ Caſtellanus. Scripſit ingens volumen de rebus Hiſpanicis. Meminit Volaterranus quoque. Ac Vaſæus in Hiſp. Chron. cap. IV ait, vidiſſe illud ſe in bibliotheca Colonica, cùm ei præeſſet: poſteaque reperiſſe Valliſoleti in bibliotheca collegii Cardinalis Petri Gonſalis Mendozii. Primùm in Italia excuſum fuit: poſtea in Germania recuſum eſt typis Wechelianis Tomo III Hiſpaniæ illuſtratæ. Diſpiciendum eſt, idemne, an alius ſit, *Alphonſus à Palentia*, quem Latinè res Hiſpanicas prodidiſſe, legas in catalogo virorum illuſtrium, qui adjungitur hiſtoriæ Joannis Caſtellæ. Sed Vaſæus inibi agnoſcit, nullius Palentini epiſcopi, cui nomen Alphonſo fuerit, de rebus Hiſpanicis opus in manus ſuas veniſſe: ac ne quidem ſe incidiſſe in ſcriptorem quemquam, qui ejus meminerit. Ut ſuſpicio eorum non de nihilo ſit, qui eundem hunc, ac Rodericum de Palentia, arbitrantur. De hoc Roderico Palentino, atque inſimul antiquioribus duobus, Luca Tudenſi, & Roderico Ximenio Toletano, tale judicium eſt Alphonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis, Rhetoris Complutenſis a, *cùm non ad voluptatem aurium, ſed ad memoriam, & judicium poſteritatis ſcripſiſſent; cùm à deliciis longiſſimè, tum ab ineptiis, & mendacio, procul abfuiſſe.*

a *Libro de doctis viris, & Academiis Hiſpaniæ.*

## CAP. VIII.

*Georgius Trapezuntius de Andrea Chii martyrio. Michaël Carrarienſis de vita patris ſui Guidonis. Petrus Natalis, ſive Equilinus, de vitis Sanctorum. Alexandri Benedicti diarium belli Carolini. Paullus Lulmius de vitis quatuor ſanctarum. Palladii Fuſci hiſtorica, & geographica. Franciſcus Diedus de S. Rocho. Georgii Merulæ Alexandrini Hiſtoria ducum Mediolanenſium. Feus Belchamus de vita B. Columbani. Jacobus Piccolominæus de vitis pontificum, item de geſtis ſui temporis. Auguſtinus Patricius de actis in conventu Ratiſponenſi temporibus Papæ Paulli II. Joſephi Barbari itinerarium geminum, ad Tanaim unum, atque alterum in Perſiam. Jacobus Zenus de Pontificum vitis. Guilielmi Pariſienſis Nanceis, ſive poëma*

*de clade Caroli Audacis. Joannes Nicolaus Euboicus de origine & geſtis Turcarum. Chriſtophorus Perſona, Agathia, & Procopii interpres. Jacobus Poggius, ſeu Brandolinus, de geſtis Piponis Spani Florentini. Bernardus Juſtinianus de vita Laurentii Juſtiniani patriarchæ: deque origine Venetiarum, & corpore Marci Evangeliſtæ Venetias tranſlato. Ambroſii Corani vita. Joannes Matthias de martyrio pueri à Judæis necati. Ægidii de Roja annales Flandrici. Octavius de Martinis Sueſſanus de vita S. Bonaventuræ. Felix Petantius de ratione aggrediundi Turcam: item de genealogiis Turcicis. Matthiæ Palmerii ad Chronica Euſebii poſt Proſperum, & Matthæum, appendix. Jovianus Pontanus de bello regis Neapolitani cum duce Andegavenſi. Alexandri ab Alexandro Dies geniales. Annii Viterbienſis ſcriptores ſuppoſititii. Aurelius Brandolinus Lippus de Sanctis compluribus. Thomas Baſinus de geſtis ſui temporis. Joannes Dominicus Spazzarinus de rebus Patavinis. Alamannus Rinucinus, Philoſtrati interpres. Guilielmus Courſinus de obſidione Rhodi. Hieronymi Forolivienſis fragmentorum hiſtoricorum collectio. Franciſcus Patavinus de vita S. Leopoldi. Baptiſtæ Fulgoſi libri Memoralium conſcripti ad exemplum Valerii Maximi. Salvus Caſſetta de vita S. Vincentii Valentini. Antonii Geraldini Faſti, aliaque poëmata hiſtorica. Ioannis Margarini Gerundenſis paralipomena Hiſpaniæ. Julii Pomponii Læti compendium hiſtoriæ Romanæ de magiſtratibus libellus, & de antiquitatibus Romanis. Eundem videri Virgilii interpretem, qui vocatur Julius Pomponius Sabinus. Bartholomæi Scalæ Hiſtoria Florentina. Jacobus Bracellus de bello inter Hiſpanos, & Genuenſes. Carolus Verardus de expugnatione Granatæ, deque rebus Bæticis dialogi ejuſdem. Bernardini Corii Chronicon Mediolanenſe. Antonii Galatei deſcriptio Japygiæ, & Callipolis, & villa Laurentii Vallæ. Nicolaus Dathus de vita Auguſtini Dathi. Joannes Maria Politianus de B. Alberto Drepanenſi. Ponticus Virunnius de rebus Britannicis ex Gaulfrido Monamutenſi. Philippus Callimachus Experiens de Tartaris & Perſis adverſus Turcas concitandis: deque Attila, & geſtis Vladiſlai. Paullus Attavantius de origine Ord. Servorum B. Mariæ, & B. Franciſco Senenſi, & Philippo Flor. Donati Boſſii chronicon, deque epiſcopis Mediolanenſibus liber. Hermolaus Barbarus de ſcribenda hiſtoria. Ioannes Antonius Panthens. Donatus Acciaolus de vita Karoli, & vita ab eo ex Plutarcho tralata. Ioannes Simoneta de Franciſci Sfortiæ geſtis. T. Alexander Corteſius. Bonifacius Simoneta de perſecutionibus Chriſtianorum, & vitis Pontificum. Ugolinus Verinus de illuſtratione urbis Florentinæ, aliaque ejuſdem poëmata hiſtorica. Antonius Cornazanus de vita Bartholomæi Colonei. Hieronymi Albertucii Burſelli, ſive Bononienſis, Chronicon, variaque de monachis Ord. Prædic. Angeli Politiani tranſlatio Herodiani, & liber de conjuratione Pacciana. Pacifici Maximi Aſculani poëmata hiſtorica.*

HI in Italia, Sicilia, Gallia, Hiſpania, vixere, imperante Frederico III; pontificibus Eccleſiæ Romanæ, Eugenio IV, Nicolao V, Caliſto III, & Pio II. Hoc eſt, primis XVII annis Frederici Imp. Proximis verò XXXVI ejuſce imperatoris annis, cùm eidem Eccleſiæ præſiderent Paullus II, Sixtus IV, Innocentius VIII, & Alexander VI, terris illis claruere ii, quos deinceps referam.

Nec tamen dubitabo unum iis præmittere, qui, puto, minimè indignabitur, ſi, domicilii ratione, Italiæ accenſeatur. Eſt is Georgius Trapezuntius, vir in Cretâ natus; ſed qui à Trapezunte, Cappadociæ civitate, nomen ſibi impoſuerat, quia ad eam genus paternum referret. Natus fuit prid. Non. April. anno cIɔ CCC XCVI. At temporibus Eugenii Papæ ejus nominis IV, Romam venit; atque ibi gymnaſio præfectus annos multos Rhetoricam ac philoſophiam docuit: poſteaque à Nicolao V, Eugenii ſucceſſore ſcriba Pontificius factus fuit. Multa hic è Græcis vertit, nec pauca ipſe Latinè ſcripſit; eaque inter etiam B. Andreæ de Chio martyrium, quod paſſus eſt Conſtantinopoli an. cIɔ CCCC LXV, XXIX die Maji; cujus ipſius anni menſe Novembri Trapezuntius Conſtantinopolim ſe veniſſe ait, initio ejus vitæ. Habes apud Surium Tom. III ad XXIX Maji. Pro quo XIX perperam apud Surium eſt editum. *Virum egregiè doctum, deque re literariâ pulchrè meritum*, vocat eum Eraſmus in Ciceroniano: ſed addit abſolutiorem hoc fuiſſe Theodorum Gazam; quod veriſſimum eſt. Cum hoc tamen magna ſimultas ei fuit: cujus cauſa inde promanavit, quod hic ſcripſiſſet in præfatione Hiſtoriæ Ariſtotelis de animalibus ſeſe in iis libris Latinè reddendis à nullo adjutum, nec cum iis qui priores vertiſſent, certare velle, quos vincere nullum eſſe negotium. Id ægerrimè tulit Trapezuntius, qui eos libros verterat prior, ac tralatione ea, multorum judicio non exiguam laudem reportárat. Etiam ſimultas ei cum epiſcopo Alerienſi, cujus cauſam aperit in præfatione Strabonis promiſſa. Exoſus quoque Trapezuntio fuit Joannes de Regio Monte, quia is librorum Ptolomæi περὶ μεγάλης πραγματείας tranſlationem, ac commentarios, à Trapezuntio factos reprehendiſſet iis libris, quibus Theonem Alexandrinum defendit. Hoc tam ægrè latum, ut cùm Regiomontanus Romam ſe contuliſſet, propterea à Trapezuntii filiis veneno exſtinctus tradatur à nonnullis. Obiit Romæ anno cIɔ CCCC LXXXVI, idque admodum ſenex, & literarum penitus oblitus: unde & ſolus per urbem, baculo nixus, incedere malebat; ut de eo ſcribit Raphaël Volaterranus lib. XXI; qui & ante hanc immemoriam jam ſenem puer audierat docentem. Filium reliquit Andream Trapezuntium, qui patris defenſionem ſcripſit adverſus Theodorum Gazam: ac præfationem ad Sixtum Pontificem præmiſit tranſlationi paternæ Ptolemaici operis de magna conſtructione. Ea in præfatione narrat, ut pater ſuus Roma ob æmulorum invidiam conceſſerit Neapolim, comiterque habitus ſit ab Alphonſo, etiam publicè ab eo cum liberis altus ſtipendio, ſed morte præventum non potuiſſe perficere opus, quod ſub manibus haberet. De oblivione verò prorſus tacet, quod dediſſe honori Parentis credibile eſt. Andreæ filia nupſit Fauſto Magdalenæ, Romano poëtæ, qui Leoni pergratus erat, atque anno cIɔ Iɔ XVII, Româ ab exercitu Karoli V. captâ, ac direptâ, Jovio teſte, periit. Atque hæc de homine Græco ſed ſcriptore Latino: qui ſi ad Occidentis ſcriptores minùs pertinere videatur, at de iis ſcrupulus erit nullus, quos deinceps ſubnectam.

Qualis eſt Michaël Carrarienſis, filius inſignis philoſophi, ac medici, Guidonis Carrarienſis. Deſcripſit is vitam patris ſui. Quæ præterea in lucem emiſerit, Philippus Bergomas docebit ad annum cIɔ CCCC LXIX.

Petrus de Natalibus, Epiſcopus Equilinus, circa annum cIɔ CCCC LXX quaſdam ſanctorum hiſtorias edidit: in quibus brevitatis, atque item veritatis ſtudioſior, ac omnino diligentior eſt, quàm Jacobus de Voragine: ut etiam judicat Wicelius in Hagiologii ſui præfatione. Interim Petrum hunc quoque *in aliquibus cum judicio legi* debere, meritò cenſet Vaſæus in Chronico Hiſpan. cap. V. Argentinæ eum excudit Martinus Flach anno cIɔ Iɔ II.

Alexander Benedictus Veronenſis, Medicus & Philoſophus, reliquit diarium belli Carolini. Vixit tempore belli Tarrenſis, circa annum cIɔ CCCC LXXIV: ut cognovi ex indice Veronenſium ſcriptorum, ex Italia ad me tranſmiſſo cura clariſſimi Pignorii.

Paullus Lulmas, ſeu Lulmius, Bergomenſis, monachus Auguſtinianus, præter ſpirituale viridarium ſponſarum Chriſti, edidit & vitam, ac miracula beatæ Mariæ de Genua; item vitam B. Monicæ; adhæc vitam, ac miracula beatæ Magdalenæ de Como, & B. Helenæ de Utino, atque alia, quæ Jacobus Bergomas lib. XV Chronici, &

Trit-

Tritthemius in Cat. recenſet. Obiit Cremonæ, anno cIↄ cccc LXXXIV.

Palladius Fuſcus, ſive Niger, Patavinus, claruit circa annum cIↄ cccc LXX. Luculentum ejus elogium habemus apud Antonium Sabellicum De linguæ Latinæ reparatione, ubi legas, *Nec eſt, ut Palladium Nigrum ſileam, per quem proximis annis Romana in ea terra litera in antiquum ſunt ſtatum reſtituta.* Præter commentarios in Catullum, etiam reliquit quædam de bello Turcico: item fecit libros de Inſulis: adhæc ſcripſit de ſitu & ora Illyrici: præterea collectanea rerum non vulgarium compoſuit ad imitationem Gellii. Juſtinopoli, quæ Iſtriæ civitas eſt, in cathedra docens, apoplexia correptus, ac domum à diſcipulis portatus, nec multò pòſt mortuus eſt: ut apud Scardeonium legas lib. III claſſe x.

Franciſcus Diedus, nobilis patricius Venetus, philoſophus, ac juris utriuſque intelligens, præter epiſtolas, ac orationes, ſcripſit vitam S. Rochi Confeſſoris: cujus operis epitomen habes apud Haræum die XVI Aug. At opus ipſum integrum reperies in monumentis ſanctorum Veronæ; quæ Venetiis ſunt edita anno cIↄ Iↄ LXVI. Cum laude hujus viri meminit Joannes Baptiſta Pajarinus extremo lib. II hiſtoriæ Vicentinæ; ubi cùm quædam de conſtanti Vicentinorum amore erga Venetum Senatum retuliſſet, ſubjungit iſta: *unde & Franciſcus Diedus, patricius Venetus, & eloquentiſſimus vir, in oratione, quam habuit de laudibus Bartholomæi Pajarini, Patavii anno* cIↄ cccc LVIII, *id ipſum optimè demonſtravit.* Veronæ, ut Tritthemius ait, mortuus eſt, tempore Frederici III. anno cIↄ cccc LXXXIII.

Fuit & tum Georgius Merula Alexandrinus, ab aquis Statiellis: unde & Statielatem ſe vocavit; ut ipſe indicat lib. IX. Hiſtor. Vicecomitum: & Hermolaus Barbarus in Plinio, Leander item in deſcriptione Lombardiæ Ciſpadanæ. Vir erat, & ingenio, & eruditione præſtans, atque, ut Jovio, in elogio Galeotti Martii, vocatur, *Grammaticorum exactiſſimus.* Florido etiam Sabino apologia adverſus calumniatores L. L. vocatur *vir doctiſſimus, & in ſcribendo maximè accuratus.* Quadraginta annis, partim Venetiis, partim Mediolani, docuit juventutem: multaque in literas retulit, quibus lucem adferret ſcriptoribus antiquis. Atque idem magnam rerum notitiam erat conſecutus: iiſque magis, quàm ſtylo, vacarat: ut de eo judicat Volaterranus lib. XXI. At Eraſmus in Ciceroniano de eo ſic ſcribit: *Georgium Merulam Alexandrinum eſſe, ſcio, an Græcus fuerit, neſcio,* (ex Italica Alexandria fuiſſe, diximus jam) *vir in reddendis Græcis ſplendidus, & elegans, ut cum veteribus multis conferri queat.* Præter philologica etiam libris decem, ad Ludovicum Sfortiam ſcripſit Antiquitates Vicecomitum, ſive de geſtis ducum Mediolanenſium. Excuſi ſunt Romæ. Etiam ab Aldo impreſſa eſt Montis Ferrati deſcriptio, & conflagratio Veſevi montis. Tranſtulit è Græco, quæ Dio de Trajano tradidit. Admodum ſenex, tonſillis fauces infeſtantibus, obiit Mediolani anno cIↄ cccc XCIV: non admodum dolente Politiano. Quippe in cujus centuriam miſcellaneam ſe cohortes jactâſſet emiſſurum, quarum impetum non poſſet ſuſtinere: uti è Politiani ipſius epiſtolis diſcimus. Fuit mirè malignus, ac magnus eorum obtrectator, qui in eâdem palæſtra ſecum deſudarent: quemadmodum ex iis conſtat, quæ adverſus Domitium Calderinum ad Martialem annotavit: item ex præfatione Cornelii Vitellii Corynthii præfixâ operi pro Plinio, & Calderino, adverſus Merulam ſcripto: ubi inter alia refertur, ut nec præceptori Philelpho pepercerit; ſed ſumma cum inſolentia in eum, tamquam lenonem impurum, fuerit invectus: quæ cùm Philelphus legiſſet, bonus ſenex, jam octogenarius, tanto dolore affectus fuit, ut intra triduum vitam exhalârit. Merito igitur ab Ægidio Maſerio Comment. in lib. VII Argonaut. in Valerii Flacci, illud *Neſcias, atque meum non oderit illa parentem* pro exemplo impietatis in præceptorem adducit hunc Merulam, quem vocat *ingratorum diſcipulorum principem, imò viliſſimum vexillarium:* nec dubitat ibidem cum eo conferre diſcipulorum illos, à quibus Joannes Scotus eſt graphiis occiſus. Intelligendus autem non Ioannes Duns; qui vulgò *magiſter ſubtilis:* ſed Ioannes Erigena, deliciæ Caroli Calvi: de quo nos multa in ultimo Hiſtoriæ Pelagianæ. Hunc concitati ab aliis occidere diſcipuli, quia in dogmate de S. Euchariſtia non ſequeretur ſententiam communem.

Feus Belchamus, ſive, ut aliis nuncupatur, *Belcharius*, Florentinus, anno claruit cIↄ cccc LXX, ac cùm aliis ſibi nomen paravit, tum vitâ B. Columbani, qui ordinem inſtituit Ieſuatorum. Anno deceſſit cIↄ cccc LXXXIV.

Iacobus Piccolominæus, Lucenſis, præceptores in eloquentiæ, ac poëſios ſtudio, habuit adoleſcens Carolum, & Leonardum Aretinos. Temporibus Papæ Nicolai V. Romam venit, ac ſecretarius factus eſt Cardinali Firmano. Mox ab obitu Nicolai V. idem Calliſto III. Papæ à ſecretis adſcitus fuit. Eodemque in honore eum apud ſe eſſe voluit Pius II, cùm Calliſto ſuccederet. Biennio pòſt præfectus à Pio eſt Eccleſiæ Papienſi: ac vigeſimo pòſt menſe presbyter cardinalis eſt deſignatus Tit. S. Chryſogoni. At proximo ante obitum biennio titulo eſt ornatus eccleſiæ Tuſculanæ. Atque hæc quidem partim de eo prodidit Iacobus Volaterranus *a*, Piccolominæi hujus ſecretarius, atque, ut loquuntur, protonotarius Apoſtolicus: partim ipſe de ſe Picolominæus refert lib. II commentariorum eorum, de quibus mox dicam. In literas retulit Pontificum vitas. Sed opus hoc Iacobus Volaterranus, quem antè laudavi, jam ſuo tempore, vel ab æmulis eſſe abolitum, vel alicubi, amicis ignaris, latitare, conqueritur. Item libris ſeptem reliquit quinquennii hiſtoriam geſta ſui temporis continentem. Eos commentarios, ſanè luculentos, orditur exinde, ut Pius II. expeditionem adverſus Turcas parans, Anconam profectus ſit. Deſinit autem in obitu Ioannis Carvagiali, Cardinalis S. Angeli. Præterea condidit grande epiſtolarum opus; quæ & elegantiæ nomine laudem merentur; & quòd multæ adeò de rebus graviſſimis tractent. Nec enim tam otii, quàm negotii cauſsâ, illas conſcripſit. Sunt eæ numero Iↄ cc LXXXII, quæ exaratæ ab anno cIↄ cccc LXII uſque ad annum cIↄ cccc LXXXIX, VI Eid. Aug. poſt quod tempus vix ultra menſem ſupervixit. Et illud commentariorum, & hoc epiſtolarum opus, primus Mediolani Alexander Minutianus typis divulgavit an. cIↄ Iↄ VI. Ad Vulſinienſes profectus in S. Laurentii opp. deceſſit III Eid. Septemb. anno ætatis LVII. Romæ in æde Auguſtinienſium, ex Papæ, & cardinalium decreto, marmoreo conditus eſt ſepulchro. Sed, quemadmodum ex teſtamento ejus, quod epiſtolarum volumini ſubjungitur, cognoſcere eſt, optârat ipſe ſepeliri in æde S. Petri ad dexteram Pontificis Pii: à quo ut magnopere dilectus, ita ſummo honore affectus erat. Atque hujus animi ſui teſtimonium reliquit: quod tabellæ marmoreæ juxta ſepulcrum ſuum inſcribi petierat. Eſt hoc iſtiuſmodi:

*a Præfatione quam præmiſit epiſtolis Picolom.*

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria: nomen,*
*Dum vixi Jacobus: mens bona pro genere.*
*Papa Pius ſedem Papienſem detulit: idem*
*Cardineo ornavit munere, gente, domo.*
*Quem colui vivens, non linquo mortuus. Hîc ſum,*
*Et prope ſancta patris filius oſſa cubo.*
*Vivite qui legitis, cæleſtia quærite. noſtra hæc*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

Auguſtinus Patricius, Franciſci Picolominæi, Cardinalis Senenſis, à Paullo ſecundo P. M. ad conventum Ratiſponenſem legati, ſecretarius, ea, quæ conventu illo acta ſunt, conſcripſit: opuſque id Iacobo Picolominæo, Cardinali Papienſi, dicavit Romæ anno cIↄ cccc LXXI. Initium ejus eſt, *Poſt captam à Turcis Conſtantinopolim.* Pars illius inter epiſtolas Piccolominæi prodiit Mediolani an. cIↄ Iↄ VI. Auguſtinum hunc ſimiam Ciceronis ob ſtudium ornandæ dictionis appellat Campanus epiſtolâ quadam inter eas Piccolominæi, quas diximus.

Io-

Ioſephus Barbarus, patricius Venetus, fecit librum de itinere ſuo, quod anno cIↄ cccc xxxvi inſtituit ad Tanaim; circa quæ loca annos moratus eſt ſexdecim. Item de itinere ſuo in Perſiam, cùm anno cIↄ cccc lxxi à Rep. Veneta legatus eſſet miſſus ad Aſſambejum, Perſiæ regem. Tranſtulit hæc de Italico Latinè Jacobus Geuderus: ac Perſicæ hiſtoriæ ſcriptoribus adjungitur. In quorum volumine *a*, tum in frontiſpicio, tum etiam in epigraphe hujus itinerarii, conſtanter Ioſephus nuncupatur. Vero tamen nomine dictus eſt *Joſaphat*, ſive *Joſaphas*; prout ſemper eum nominat Callimachus Experiens in hiſtoriâ eorum, quæ a Venetis tentata fuere ad Tartaros ac Perſas contra Turcos concitandos. Ex quo ſcriptore etiam diſcas, natum eſſe patre Antonio Barbaro, ac fuiſſe linguæ Perſicæ gnarum. item alia, unde cognoſcas ad legationem ejus pertinentia; qualia vel ex Callimacho, vel Ioſepho ſive Ioſaphato ipſo, peti malo.

*a Edit. Francofurti an. 1601.*

Iacobus Zenus, patricius Venetus, epiſcopus Patavinus, inter alia prodidit vitas ſummorum Pontificum. Ex quibus ea, quæ ad donationem Conſtantini, & curationem lepræ pertinent, petere jubet Hieronymus Paulli Catthalanus, canonicus Barcinonenſis, Iuris utriuſque Doctor, & cubicularius Alexandri Sexti, in libello, qui inſcribitur Practica Cancellariæ Apoſtolicæ. Iac. Bergomas lib. xv teſtis eſt, obiiſſe Zenum Patavii anno gratiæ cIↄ cccc lxxvi. Mirum ejus auctoris à Scardeonio non factam eſſe mentionem in ſcriptoribus Patavinis. Nonnullis pro Zeno, Renus, ſed perperam, appellatur.

His etiam temporibus, & aliquanto pòſt, fuit Guilielmus Pariſienſis, Nanceidos auctor: unde non ſemel, hiſtoriæ cauſsâ, verſus aliquot adducit Mejerus, lib. xvii Annal. Flandriæ: qui & ſcriptorem hunc appellat *b* poëtaſtrum Pariſienſem. Nanceis opus illud vocatur à Nancejo: eſt id præcipuum Lotharingiæ oppidum, celebre clade Burgundicâ anni cIↄ cccc lxxiv, quam poëta hic deſcribit.

*b P. 371.*

Iiſdem temporibus fuit Joannes Nicolaus Buboicus, Epiſcopus Saguntinus, qui anno cIↄ cccc xcvi Neapoli edidit in lucem librum de origine, & rebus geſtis Turcarum. Excuſus una cum Chalcondyla, & aliis rerum Turcicarum ſcriptoribus.

Chriſtophorus Perſona, qui & *Porſena* vocatus (ita poſt Geſnerum, & alios, nominat Robertus Conſtantinus in ſuo Nomenclatore) S. Balbinæ prior, Græcam linguam in Græcia didicit, exinde cùm alia tranſtulit, tum Agathiam, & Procopium, hiſtoricos Græcos. Obiit peſtilentiâ Romæ an. cIↄ cccc lxxxvi: ut Jac. Bergomas in Chron. teſtatur.

Iacobus Bracciolinus, ſeu Brandolinus, vel *Blandolinus*, nobilis oratoris Poggii Florentini filius præterquam quòd hiſtoriam Florentinam à patre Latinè compoſitam, in Hetruſcum convertit ſermonem; etiam geſta Piponis Spani Florentini Latinè deſcripſit. Iacobus hic (ut de eo Iovius in elogio Poggii ait) *jam defuncto patre, ex Pactiano ſcelere ſtrangulatus; in prætorii feneſtra cum cæteris pependit.* Idem tradit Politianus in hiſtoria conjurationis Pactianæ: ubi *Jacobum Poggium* appellat. Accidit hoc anno cIↄ cccc lxxviii. Alius igitur ab hoc eſt, quem Leo X. amavit. De quo ſic in pontificis hujus vita idem Iovius lib. iv. *c. Mirè quoque ſavit Pogio ſeni, Pogii hiſtorici filio, Moro nobili à gulæ intemperantia, Bandino equiti, Marianoque ſannioni cucullato, faceti ſſimis helluonibus, & in omni genere popinalium deliciarum eruditiſſimis.*

*c Pag. 98 Edit. Florent. an. 1549.*

Bernardus Iuſtinianus, Leonardi antè memorati filius, patricius Venetus, qui Urbis ſuæ nomine, anno cIↄ cccc lxxi ad Sixtum Pontificem legatus fuit, ſcripſit vitam patrui ſui Laurentii Iuſtiniani, protopatriarchæ Veneti: qui anno deceſſit cIↄ cccc lv. Ea tum operibus Laurentii hujus Baſileæ editis præfigitur: tum etiam apud Surium exſtat in Sanctorum hiſtoria T. i. die viii Ian. Item de origine Venetiarum egit: idque, ut Iovii quoque judicium eſt, eleganter. Adhæc ſcripſit vitam Marci Evangeliſtæ, & de corpore ejus Venetias tranſlato. Quin Gothicam etiam hiſtoriam, ac præclarè quidem condidiſſe, autor eſt Iac. Bergomas in Suppl. Chron. quem vide ad annum cIↄ cccc lxxi. tit & Trithemium in Catal.

Ambroſius Coranus, qui aliis *Coriolanus*, Prior generalis ordinis Dominicani, varia edidit; & inter ea opus de vita, & laudibus B. Auguſtini: atque de viris illuſtribus ordinis S. Auguſtini: item de vita B. Chriſtinæ Spoletanæ: adhæc de laudibus urbis Romæ. Obiit Romæ an. cIↄ cccc lxxxv.

Ioannes Matthias Tiberinus, liberalium artium, & medicinæ doctor, anno Chr. cIↄ cccc lxxv deſcripſit Tridenti martyrium Simonis, innocentiſſimi pueri, à Iudæis crudeliter necati. Habes apud Surium a. d. xxiv Mart.

Ægidius de Roya, Gallus, S. Theologiæ Pariſiis profeſſor, & abbas monaſterii B. Mariæ de Regali Monte in Francia fuit: ac poſtquam monaſterium illud ſex annis rexiſſet, anno cIↄ cccc lx Dunas in Flandriam profectus eſt; ubi ſub Ioanne, abbate Dunenſi, Brandonis volumina, de quibus ſuperius nobis dictum eſt, legit: iiſque mirè adjutus, annales Belgicos concinnavit; qui ab anno Chr. Iↄ cc xci inſpicantes, deſinunt in an. cIↄ cccc lxxx, quo & obiit Ægidius. Hos, ex Dunenſi Flandriæ abbatia, primus eruit, Andreas Scottus, publici autem juris fecit Franciſcus Sweertius Antverpianus, qui eos Johanni à Leidis, & Reinero Snojo ſubjunxit. Cæterum hiſce annalibus duo præſtitit Ægidius. Nam & Brandonem in compendium redegit: & inde ubi Brando deſierat exorſus, cætera eſt perſecutus, nempe lxv annos ſequentes. Deſierat enim Brando anno cIↄ cccc xix. Superfuit quidem uſque ad annum cIↄ cccc xxviii. Sed non videtur extrema ætate par fuiſſe hiſtorico labori. Quippe qui jam anno cIↄ ccc lx clari fuiſſe nominis dicatur. Sanderus ait Ægidium addidiſſe Brandoni hiſtoriam annorum duodeviginti. Non dubium, quin deſignet tempora ab anno cIↄ cccc lx, quo Dunas venit, uſque ad annum cIↄ cccc lxxviii, quo fatis conceſſit. Sed etiam intermedios lxi annos deſcripſiſſe, ſatis ex hiſtoria ejus apparet. Et Adrianus Dunenſis, qui ejus diſcipulus fuit, clarè ait, in præfatione ſuâ, Ægidio præmiſsâ, *eum tempora, ubi Brando finem fecit, proſecutum.* Sed non ſatis capio, quòd idem Adrianus teſtetur, magiſtrum ſuum obiiſſe anno cIↄ cccc lxxviii, cùm Ægidius narret etiam hiſtoriam totius anni ſequentis. Quare omnino putem aliqua ab alio eſſe Ægidio adjecta.

Octavianus de Martinis Sueſſanus oratione quadam, quam coram Pontifice Sixto IV habuit in conſiſtorio, complexus eſt vitam S. Bonaventuræ Cardinalis, & epiſcopi Albanenſis. Exſtat apud Surium Tom. iv ad xiii Iul.

Felix Petantius claruit anno cIↄ cccc. lxxx, ac deinceps. Ejus meminit Ioannes Cuſpinianus in fine operis de Turcorum origine, religione, & tyrannide, his verbis: *Felicis Petantii commentarium, quibus itineribus Turci ſint aggrediendi, veluti corollarium ſubjungo. Quicum magna olim mihi fuit familiaritas, cùm oratorem Cæſaris Maximiliani Budæ agerem. Hic enim, & ad Bajazethem ſecundum, & Zelymum, aliquoties ivit orator, & planè multa Turcorum novit, quæ oculis vidit.* Opuſculi autem, quod deinceps ſubjungit, talis eſt inſcriptio: *Felicis Petantii, cancellarii Segniæ, Quibus itineribus Turci ſint aggrediendi, ad Uladiſlaum, Ungariæ & Boemiæ regem.* Exſtat quoque libellus hic inter ſcriptores rerum Hungaricarum. Præterea conſignavit Petantius genealogias Turcicas: quo in libro retulit imperatorum Turcicorum liberos, dignitates, matrimonia. Fuit in bibliotheca Ioannis Cuſpiniani: qui & Petantium inter eos reponit, ex quibus profecerit in ſuo de imperatoribus opere.

Matthias Palmerius Piſanus ea, quæ Matthæus Palmerius Florentinus Proſpero ad annum uſque cIↄ cccc xlix adjecerat, continuavit uſque ad an. cIↄ cccc lxxxi: quo claruit. Vertit & hiſtoriam Ariſteæ de lxxii interpre-

pretibus. Atque eo nomine celebrat illum Gaſpar Bruſchius carmine ad Wolfangum comitem à Solm, epiſcopum Patavienſem. Attamen non pauca ſunt, quæ interpres ille minùs fuerit aſſecutus. Atque hoc in cauſſâ eſt, cur poſtea Matthias Garbitius, Græcæ linguæ in Tubingenſi academia profeſſor, denuo vertendi provinciam ſuſceperit: ſed demum poſt obitum viri tralatio ea prodiit, curâ Simonis Schardii J. C.

Ioannes Iovius Pontanus Cereti in Umbriâ natus, parente à factioſis civibus interempto, Neapolim juvenis, & egenus, venit: atque ibi Antonio Panormitæ, regii ſcrinii magiſtro, gratus acceptuſque fuit: eidemque mortuo in hoc munere, gratiâ ac favore Ferdinandi regis, ſucceſſit. Literarum gloriâ florere cœpit circa annum cIↄ cccc LX: obiit autem ætatis ſuæ LXXVIII, Chriſti cIↄ Iↄ V, eopſe menſe, quo papa Alexander VI deceſſit. Inter tam multa præclara etiam edidit libris ſex hiſtoriam belli, quod Ferdinandus, rex Neapolitanus, ſenior, contra Ioannem, Andegavenſem ducem, geſſit. Vir omnino ſummus fuit. Oratorem maximum, ac regium conſiliarium appellat Felinus Sandeus extrema epitome de regibus Siciliæ, & Apuliæ ad Alexandrum VI Pont. Max. Eraſmus de eo in Ciceroniano ſic ſcribit: *Non ſum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear Pontanum multis egregiis ingenii dotibus virum fuiſſe ſummum. Ac me quoque rapit placido quodam orationis lapſu: verborum dulce quiddam reſonantium amœno tinnitu demulcet aures, demum ſplendore quodam dignitas, ac majeſtas orationis.* Et paulò pòſt vocatur, *vir extra controverſiam in literis inter præcipuos numerandus.* Quid verò in eo requirat, ibidem legere potes. Doctiſſimum, & ſapientiſſimum appellat Camerarius in Progymnaſmatis capite de Expoſitionibus & deſcriptionibus. Sebaſtianus Foxius lib. I. de Imitatione ſive ratione ſtyli *a*, *Lactantium*, inquit, *& Jovianum Pontanum ego maximè Ciceronianos puto.* Idem Foxius ejuſdem operis lib. II *b*, ait Italiam hoc Pontano centum proximis annis non habuiſſe doctiorem. Hæc ille jam ante annos XC. Nec invidia caruiſſe argumento eſt calumnia illa, quam prodit Mariangelus Accurſius in diatribarum ſuarum defenſione, cui *Teſtudo* nomen eſt. Ubi, ut oſtendat, quantopere maligni homines rodere ſoleant viros eximios, ait, ſparſum à nonnullis fuiſſe, *Jovianum Pontanum quædam Ciceronis volumina in Caſinatis montis non incelebri bibliotheca repeiſſe: quæ mox paullum, ſed (quod neceſſe fuit) in deteriorem partem commutata, ut ab ſe compoſita, ediderit.* Miror quid tanto Viro in mentem venerit, ut etiam falſas inſcriptiones obtruſerit pro veris: qua de re Antonium Auguſtinum vide dialogo XI. Nempe ut ait ille, *Quiſque ſuos patimur manes:* nec quidquam undique beatum. Judicium Gyraldi de Pontano reperies apud illum, dialogo priori de poëtis ſui ævi. De dictione autem ejus, & alia quædam de ſummo hoc viro, vide apud elegantiſſimum Floridum Sabinum lib. III. Subſecivarum Lect. cap. VI. ubi cum curâ iſtis, quæ Eraſmus objecerat, reſpondet. Superſtes etiamnum verba hæc monumento ſuo juſſit inſcribi: *Sum Joannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Muſæ, ſuſpexerunt viri probi, honeſtaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis ſim, aut qui potiùs fuerim. Ego verò te, hoſpes, noſcere in tenebris nequeo: ſed te ipſum ut noſcas, rogo. Vale.* Monumenta quæ uxori ſuæ Hadrianæ Saxonæ, item liberis ſuis ſtatuit, apud Nathanem Chytræum in itinerum deliciis reperies inter inſcriptiones Neapolitanas.

a Fol. 27. 6.

b Fol. 43. 4.

Alexander ab Alexandro, Juriſconſultus, Neapolitanus, reliquit Genialium dierum libros VI. Libros hoſce multiplici doctrina eſſe refertos, ſcriptoremque eſſe longè meliorem Philelpho, judicium eſt Floridi Sabini apologia adverſus calumniatores L. L. Rectè ſanè; ſunt enim libri illi, promptuarium antiquitatis, veteriſque hiſtoriæ; etſi nec pauca in eo ſint ad verborum proprietatem, aliaque ſtudia, pertinentia. Fuiſſe Joviani Pontani æqualem, ſatis liquet ex primis operis verbis. Atque alibi indicat, ſe in adoleſcentiâ Philelphum jam ſenem audiiſſe Tuſculanas Ciceronis quæſtiones enarrantem. Item refert, ætate ſuâ Nicolaum Perottum, & Domitium Calderinum, Martialis apophoreta magnâ contentione Romæ prælegiſſe juventuti. Item Georgii Trapezuntii, Theodori Gazæ, Hermolai Barbari, Raphaëlis Volaterrani, ac Paulli Corteſii, ut æqualium meminit. Unum autem hoc meritò in hiſce præclaris commentariis improbari ſolet, quòd eorum, unde profeciſſet, diſſimularet auctores. Sed huic vitio medicinam fecit doctiſſimus Tiraquellus, qui, digitum ad fontes intendens, unde quæque hauſta eſſent, indicavit.

Jo. Annius Viterbienſis natus eſt anno cIↄ cccc XXXVII, V Jan. Ordinis fuit Prædicatorum, ſacri palatii magiſter, vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè eruditus, atque inſuper totius antiquitatis ſtudioſiſſimus; ut de eo tradit Leander in Italiâ ſuâ. Scripſit varia, quæ apud eundem Leandrum, uti & Geſnerum, ac Poſſevinum, legere potes. Inter alia autem reliquit XVII Antiquitatum libros: in quibus ſunt Fabius Pictor de aureo ſeculo, Myrſilus Lesbius de Tyrrhenis, Catonis Origines, Sempronius de Italia, Archilochus de Temporibus, Metaſthenes, (ita eum ineptè vocat, qui eſt Megaſthenes) Philo, Beroſus, Manetho: quæ omnia ſuis commentariis illuſtravit. Secuti hac parte eum Joannes Nauclerus, Jo. Driedo, Valerius Anſelmus, Jo. Lucidus, Michaël Medina, Sixtus Senenſis, alii. Imò, ut de nationibus cæteris taceam, nulla Hiſpanicæ gentis hiſtoria poſt Annium exſtitit, quæ non & Beroſi, & Annii fide nitatur. Verùm (quicquid Albertus Leander nugetur, qui hoc, quod dicam, calumniam vocat) ſunt ſcriptores iſti conficti ab ipſo Annio: ut monent Joſephus Scaliger lib. V. de emendatione temporum cap. de initio Merodachi, Genebrardus Chronolog. lib. I. Melchior Canus lib. XI. Locor. commun. cap. VI. Benedictus Pererius in Danielem, Franciſcus Ribera in Zachar. cap. I. num. XXV. Franciſcus Suarez in part. III. Summ. S. Thomæ diſp. I. Sect. II. Antonius Auguſtinus Antiquitatum (quas ex Hiſpanicis Latinas fecit And. Schottus) dialogo XI, Varrerius cenſurâ in Pſeudoberoſum, Poſſevinus lib. XVI. bibliothecæ Selectæ, Torrentius præfatione, quam Joanni Becano præmiſit, & imprimis ipſe Becanus in Chronicorum exordio, itemque initio lib. I. Hiſpanicorum, & Octavianus Ferrarius libro de Origine Romanorum. Imò Annium Viterbienſem in commentariis ſuis pleraque impudentiſſimè confinxiſſe, jam ante ſeculum aſſeruit Petrus Crinitus de Honeſta Diſciplin. lib. XXIV. cap. XII. Etiam Raphaël Volaterranus lib. XIV. Anthropologiæ in voce *Beroſus*, negat ſe ſatis credere libello, qui ſub hoc nomine divulgatus. Idem Sabellici judicium eſt. Nec apertè minùs de Annianis iſtis auctoribus ſcribit Ludovicus Vives lib. V. de tradendis diſciplinis *a*. *Libellus*, inquit, *circumfertur Beroſi Babylonii titulo: ſed commentum eſt, quòd indoctis & otioſis hominibus mirè adlubeſcit: cujuſmodi ſunt Xenophontis æquivoca, tum Archilochi, Catonis, Sempronii, & Fabii Pictoris fragmenta, quæ eodem ſunt libro ab Annio Viterbienſi conferruminata, commentiſque reddita magis ridicula: non quin inſint quædam in illis vera, (nam alioqui frontem non haberet narratio) ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitium eſt; nec illius, cujus titulum mentitur. Manethon Ægyptius, & Metaſthenes Perſa ex Euſebio ſunt deſumti.* Atque idem judicium fert commentariis in libros Auguſtini de Civitate Dei. Nec aliter Gaudentius Merula, de antiquitat. Galliæ Ciſalpinæ lib. III, cap. V. Qui & idem ſenſiſſe Alciatum oſtendit ex ejus ad ſe literis. Hos tam multos attuli propter Leandrum; qui, ut dixi, velut genuina Catonis, Sempronii, & aliorum, quibus tribuuntur ea, defendit in Italia ſua, imprimis ubi Veronam deſcribit. Atque ut res omnis apertior ſit, quid prohibet adferre hiſtoriolam illam, quæ eſt apud Ant. Auguſtinum Dial. X. Antiquit. Romanarum, Hiſpaniarumque. Sic verò ille: *Mihi Latinus Latinius Viterbienſis, vir doctus, bonaque fidei, de Joanne Annio, Viterbienſi monacho, narrare jucundè ſolebat, lapidi inſculpendas curaſſe literas; quem vinea infodi juſſerat*

a P. 507.

*non procul à Viterbio. Cumque fodienda eſſet vinea, ad lapidem uſque ut fodiendo pervenirent juſſit; narrans in libris ſe reperiſſe, templum ibi orbis terrarum antiquiſſimum latere. Terrâ jam effoſſa, primus qui lapidem invenit vinitor accurrit: paullatim detegi ſarcophagum imperat. Hic ſtupens lapidis antiquitatem, & literas à ſe confictas admiratus, ad Urbis Senatores latus confugit, & civitatis honori fore perſuadet, in ampliſſimo publicè ſpectari loco. Viterbii enim urbis originem contineri, quæ bis mille annis Romana eſſet urbe, à Romulo conditâ, longè antiquior, utpote ab Iſide, & Oſiride condita. Fabulas hic ſuas, quibus abundabat, venditavit, factumque ut ille juſſerat.* Hæc ille. Obiit Annius Romæ, tempore pontificis Alexandri VI: cumque Petro Antonio, epiſcopo Signano, cive ſuo, in Minervæ fano ſitus eſt.

Aurelius Brandolinus, cognomine Lippus, Florentinus, Ordinis Auguſtiniani monachus, floruit extremis Frederici III, ac primis Maximiliani primi temporibus. Cùm alia multa conſignavit, tum hiſtoriam eorum, quæ narrantur in veteri Teſtamento, item multas ſanctorum hiſtorias. Mortuus eſt Romæ anno cIↄ CCCC XCVIII.

Thomas Baſinus, Lexovienſis epiſcopus, circa annum vixit cIↄ CCCC LXXX. Ex ejus hiſtoria de Ludovico XI Gall. rege, & Carolo Burgundiæ duce, ſæpius aliqua ad verbum, non diſſimulato Thomæ nomine, exſcribit Iac. Meierus Annal. lib. XVII. Iuris fuiſſe peritiſſimum, atque id in ſchola Lovanienſi fuiſſe profeſſum, auctor eſt Robertus Gaguinus in hiſtor. Francorum: quem vide ad annum cIↄ CCCC LXV.

Ioannes Dominicus Spazzarinus Patavinus, ac Reipubl. ejuſdem à libellis, claruit anno cIↄ CCCC LXXX ac deinceps. Conſignavit res Venetorum: quas ad ſua uſque tempora perduxit. Opus hoc ab elegantia, ac Salluſtiana brevitate, commendat Scardeonius lib. III. rerum Patavinarum: ubi & addit, cladem Patavinam anni cIↄ Iↄ V, cui ex muneris ratione interfuerat, adeò accuratè ab eo deſcribi, ut cæterorum facilè exſuperet induſtriam. Obiit nonagenarius anno cIↄ Iↄ XIX. Plura de eo Scardeonius ſuppeditabit.

Fuit tum quoque Alamannus Rinucinus, qui hiſtoriam, vel mythiſtoriam potiùs Philoſtrati de Apollonio Tyaneo Latinè vertit. Tranſlationem eam caſtigavit, ac Baptiſtæ, Ioannis Galeacii Mediolanenſis comitis filio, dicavit Philippus Beroaldus. Etiam ad Græcum codicem emendavit, & notas ad oram addidit *a* Gybertus Longolius Ultrajectinus. Inter eruditos viros, quos Florentia extulit, reponitur ab Alberto Leandro in deſcriptione Italiæ. Laudat & Zenobius Acciolus Florentinus: civemque ſuum linguæ utriuſque ſtudioſum vocat epiſtolâ ad Laurentium Medicem, quam tranſlationi opuſculi Euſebiani adverſus Hieroclem præmiſit.

*a Colon. ed. 1532.*

Claruit iiſdem temporibus Guilielmus Courinus, qui perperam aliis *Coaſinus*, vel *Coaverſinus*, dictur. Duacenus fuit, Equitum Rhodiorum procancellarius. Hiſtoriam ſcripſit de obſidione Rhodi, quæ anno contigit cIↄ CCCC LXXX. Item deſcripſit contentionem Bajazethæ, & Silymi, fratrum duorum. Operis de Rhodia obſidione meminit Cuſpinianus in volumine Impp. Ulmæ eſt excuſum. Ex Latina autem lingua in Germanicam tranſtulit Jo. Adolphus Argentinus. Prodiit ea verſio Argentinæ, anno cIↄ Iↄ XIII.

Anno cIↄ CCCC LXXXIV vivebat Hieronymus Forolivienſis Ord. Prædicat. Qui præter ſermones de Sanctis, etiam hiſtorica quædam fragmenta digeſſit, aliaque edidit opuſcula, quæ Forojulii MSa ſuperſunt in cœnobio ejuſdem ordinis; teſte Antonio Senenſi. Meminit & Leander, tùm lib. IV. de viris illuſtr. ordin. Prædic. ubi dicitur fuiſſe, *vir doctus, & orator clariſſimus*: tum in Italia ſua Romanulam deſcribens; ubi Hieronymus hic vocatur *optimus theologus, nec pejor hiſtoricus.*

Franciſcus Patavinus advocatus conſiſtorialis, anno cIↄ CCCC LXXXIV, XII Kal. Dec. in publico conſiſtorio, præſente non modò Innocentio VIII, ſed etiam imperatore Frederico III, orationem habuit hiſtoricam de vitâ & moribus S. Leopoldi, Auſtriæ marchionis, & confeſſoris: quæ in Italia ſeorſim prodiit, ac apud Surium legitur Tom. [illegible] die XV Nov.

Baptiſta Fulgoſus, (quem Volaterranus *Baptiſtinum Frigoſum*, Leander in deſcriptione Italiæ, *Bapt. Fregoſum*, aliqui etiam *Campofulgoſum* appellant) cùm eſſet dux Genuenſis, principatu à patruo ſuo dejectus fuit anno Chriſti cIↄ CCCC LXXXIII. Quò verò exilii dolorem levaret, totum ſe ſtudiis dedit, atque ad filium Petrum ſcripſit libros IX factorum, & dictorum memorabilium, opus eximium, ut Albertus Leander appellat. *In hoc ſcribendi genere ita egregiam navaſſe operam, ut exemplorum copia, & novitate, cæteros vicerit.* Zuingeri judicium eſt in Theatri ſui Proſceniis. Addit etiam ex Fulgoſi fontibus uberrimis & Sabellicum, & Baptiſtam Egnatium agros ſuos irrigaſſe. Eundem Fulgoſus ordinem, quem Valerius Maximus init, ſervavit: ſed exemplis uſus eſt non rarò quidem illorum, quæ Valerius ſeu ſciens, ſeu inſciens prætermiſſet: imprimis verò eorum, quæ poſt ætatem ejus contigiſſent. Eum ex Italico Latinè tranſtulit Camillus Gilinus Mediolanenſis, vir doctiſſimus, ut Leandro vocatur; Franciſci Sfortiæ ad Carolum V Imp. legatus. Niſi quis credere malit, patris (nomen ei fuit Jacobo Gilino) eſſe hanc tranſlationem; quam ſuſpicionem Jovius *a* injecit. Meminit & Meierus extremo lib. XIII, ubi ex Fulgoſo refert ad verbum hiſtoriam de victoria, quam Gandenſes reportarunt de Comite ſuo Ludovico Maleano.

*a In elogiis Camilli Gilini.*

Salvus Caſſetta (qui Poſſevino perperam *Caſteta*) Siculus Panormitanus, Ord. Prædic. Romæ an. cIↄ CCCC LXXXI, V Id. Iun. Sixto IV pontifice procurante, ex magiſtro ſacri palatii factus eſt ordinis Præd. magiſter generalis. Ab eodem pontifice in Germaniam legatus eſt miſſus ad Fredericum III imperat. ac Coloniæ Agrippinæ cùm foret, juſſit aperiri ſepulcrum Alberti Magni; atque ex ejus corpore lacertum Romam tulit; qui in Bononienſi nunc templo adſervatur. Conſcripſit vitam S. Vincentii Valentini, qui ipſe Ordinis prædicatorum fuit. Deceſſit Caſſetta anno cIↄ CCCC LXXXIII, XVII Kal. Oct. ut eſt apud Leandrum lib. I. de vir. illuſtr. ord. prædic.

Antonius Geraldinus, protonotarius ſedis Romanæ, ſuperſtes erat anno cIↄ CCCC LXXXVI: eoque anno, nomine Ferdinandi Regis, & Elizabethæ, Hiſpaniæ reginæ, Romæ habuit orationem coram Innocentio VIII Pont. Max. Cùm alia compoſuit, tum Faſtos carmine elegiaco, in quibus tractat de martyrum, ſanctorumque vitis. Item vario carminum genere egit de geſtis Hiſpaniæ regum.

Joannes Margarinus, Gerundenſis epiſcopus, παραλειπόμενα Hiſpaniæ complexus eſt libris decem, ab adventu Herculis in Hiſpaniam uſque ad Theodoſium ſeniorem, & filios ejus, Arcadium, atque Honorium; quorum temporibus, Gothi in Hiſpanias fuere ingreſſi. Sed in decimo non pauca deſiderantur. Παραλειπόμενα inſcripſit, non quia dicat antiquis indicta: ſed quia referat prætermiſſa proximorum ſeculorum hiſtoricis. Dicavit hoc opus Ferdinando, & Iſabellæ, Caſtellæ, & Aragoniæ regibus. In principe editione præteritur nomen auctoris, non item in alterâ, quam habemus Tom. I. Hiſpaniæ illuſtratæ. Et ſanè ex iis, qui epiſcopos enumerant Gerundenſes, ſatis evidens eſt, Gerundenſi illi epiſcopo, quem Ferdinandi Catholici tempore vixiſſe, & res ab eo geſtas prodidiſſe, dicebamus, id nominis fuiſſe, quod antea poſuimus.

Iulius Pomponius Lætus iiſdem temporibus claruit. Exiguæ eruditionis fuiſſe, ait Ludovicus Vives. At Angelus Politianus in Miſcellaneis cap. LXXIII. virum vocat antiquitatis, & literarum conſultiſſimum. Atque idem Lilii Gyraldi judicium eſt in Hiſtoriâ poëtarum dial. IV: ubi de Statio Papinio eſt ſermo. Florido Sabino in apologia adverſus calumniatores L. L. *dicitur in ſcribendo infra neminem recentiorum purus, candiduſque.* De eodem ſic Eraſmus in Ciceroniano: *Pomponius Lætus elegantiâ Romani ſermonis contentus, nihil affectavit ultra.*

Qui-

Quibus verbis non ei Antiquitatum Romanarum peritiam abnuit, ſed aliarum laudum, quæ præter elegantiam ſermonis exiguntur, ut quis inter Ciceronianos referatur. Sanè puræ erat dictionis amator, & hiſtoriæ veteris ſcrutator diligens. Neque hoc negat Vives: ſed ait, totam ejus celebrem diligentiam, circa verba, & hiſtorias aliquot, tum ſaxa eruta, & monumenta diruta, conſumtam eſſe. Idem erat linguæ Græcæ planè ignarus; Chriſtianæ etiam religionis contemptor. Ac linguam quidem Græcam, ut Vives ait, propterea attingere auſus non fuit, nequà peregrinitate Latinam contaminaret. Quod etiam refert Eraſmus in vita B. Hieronymi. Romanæ autem vetuſtatis tantus erat admirator, ut, cùm è ſalario diſcipulorum agellum, & domunculam, in Quirinali ſibi paraſſet, atque ibidem, ut ipſe vocabat, SODALITIUM LITERATORUM (hoc in aditu adſcriptum conſpicere erat *a*) conſtituiſſet: in ea natalem Urbis coleret, & Romulum: ut à Volaterrano quoque proditum eſt. Idem, quoties marmor aliquod effoderetur ex Urbis ruinis, illachrymabatur; ac, cauſſam rogatus, addebat, *Admonitu meliorum temporum ploro.* Vergente tamen ætate, Chriſtianam ei religionem curæ eſſe cœpiſſe, à quibuſdam traditum eſt. Sed hoc utcumque eſt, mirum ſanè ab animo ſuo impetrare potuiſſe, ut falſas inſcriptiones obtrudere literatis vellet pro veris: quale teſtamentum illud, de quo V. Clar. Antonius Auguſtinus Romanarum & Hiſpanicarum Antiquitatum dial. XI. Cùm Pontifex foret Pius II, Academiam Romanam nominis ſui famâ ornabat. Quo tempore & Baptiſta Platina, & Philippus Gallimachus, ibidem claruere. Sed poſt obitum Pii apud Paullum II, (qui literis, & literatis, minùs favebat) exiguo in loco fuit. Et creditus ipſe eſt unà cum Platina in Pontificem conjuraſſe: ac propterea, ut periculum evitaret, Venetias confugit. Cætera, quæ ad vitam ejus pertinent, petere licebit è diſcipulo ejus Sabellico, qui illius vitam deſcripſit. Aliqua etiam de eo Paullus Jovius in elogiis. Edidit, præter alia, compendium Hiſtoriæ Romanæ, ab interitu Gordiani uſque ad Juſtinum III, in quo Heraclii defecit imperium. Dicavit verò Franciſco Borgiæ epiſcopo, & pontificalis ærarii præfecto. In hiſce Cæſaribus legas, quæ apud hiſtoricos non reperias. Ea verò hauſit magnam partem ex panegyricis vett. Scripſit & librum de Mahomete. Item libellum de magiſtratibus Romanis; quem dicâſſe M. Pantagatho, indicat Sabellicus ſcholis in Suetonii Auguſt. cap. XXXVI. Item ſignavit Antiquitates urbis Romæ: quamquam has memoriæ tantùm cauſſâ conſcribilaſſe videtur; non, ut publici eas juris faceret. Nec enim ea eſt dictionis puritas, quæ in aliis ejus ſcriptis elucet: uſque adeò ut B. Rhenanus penè arbitretur, alterius eſſe auctoris. Etiam ad Gaſparem, Blondi filium, vitam ſcripſit Statii poëtæ, uti & patris ejus. Utramque Gyraldus Hiſtoriæ ſuæ de poëtis inſerit; ſed ita ut, ubi erret, eum emendet. Plura Pomponii haberemus, niſi pleraque intercidiſſent direptione domus in ſeditione civili ſub Pontifice Xyſto. Aliqua tamen eorum non tam periere, quàm perdita creduntur. Uti vita Quinctiliani, & quorundam in eo capitum enarratio: item gloſſarium medicum: adhæc argumenta in epigrammata Martialis. Quæ omnia MSa, ac fortaſſe ipſius Læti manu exarata, ſuperſunt in bibliotheca doctiſſimi ac amiciſſimi Pignorii. Non malè omnino de Criſpo, & Livio, meritus eſt. Nam benè dicere non poſſum. Sanè quicquid penè adverſus veterum codd. fidem in Salluſtio immutatum eſt, id Pomponio huic tribui debet. Septuagenarius deceſſit, cùm frigidæ potu ventriculi calorem exſtinxiſſet. Fuit adeò egens, ut, morbo premente, neceſſe eſſet in Xenodochium deferri; cumque ibi vitâ exceſſiſſet, periculum fuerit, ne ſepulturâ careret, niſi amicorum impenſis elatus eſſet: quemadmodum Pierius Valerianus refert lib. II. de infelicitate literatorum. Succeſſit Pomponio huic in cathedra Romæ Auguſtus Baldus, ſeu Valdus, qui XL annis Latinas Græcaſque literas docuit juventutem; nec multò poſt direptionem Urbis à milite Borboniano vitâ exceſſit, mœrore potiſſimùm ob opes à Cæſarianis direptione eâ amiſſas: ut Scardeonius pluribus narrat.

*a Verba ipſa, quæ in aditu domus Pomponius adſcribi curârat, hujuſmodi ſunt; ut poſtmodo ex literis Pignorii, oculati teſtis, percepi:* POMPONI LÆTI, ET SODALITATIS ESCUILINAI. *Nempe* Eſculinài *ἀρχαΐζων poſuit pro* Eſquilinæ.

Julius Pomponius Sabinus, Virgilii interpres, commentario in I Georg. meminit Itinerarii ſui Scythici: ut eſt in epitome bibliothecæ Geſnerianæ editâ & adauctâ, à Simlero. Sed Pomponius Sabinus planè, judicio meo, idem eſt ac Pomponius Lætus, de quo dictum. Sanè examuſſim ei conveniunt, quæ in præfatione ſua Daniel Cajetanus anno CIↃ CCCC LXXXVI Cremonæ ſcribebat, *Adeſt*, inquit, *Pomponius Sabinus, vir noſtri temporis doctiſſimus.* Et mox, *Sabinus hic unus eſt, qui in præclariſſimâ Pii Pontificis II Academiâ optimas è ſitu literas in lucem cœpit aſſerere.* Item, *Nec adhuc ceſſat notas in æs & marmor inciſas ſcrutari.* Addit etiam, multa in manibus habere, quæ propediem ſint lucem viſura. Unum objici poſſe video, Pomponium Lætum natum fuiſſe Amygdalariæ, magnæ Græciæ oppido: ut eſt apud Leandrum in Italiæ deſcriptione. Sed facilè ei occurritur. Nam quia è nobili quidem familia, ſed illegitimè natus foret, *Sabinus* fortaſſe dici voluit, ut tegeret natales ſuos: quomodo & *Pomponius* dici maluit, quàm *Petrus*, etſi id nomen in ſacro baptiſmate accepiſſet.

Bartholomæus Scala natus eſt Florentiæ anno CIↃ CCCC XXIV, atque anno ibidem obiit CIↃ CCCC XCVII, ætatis LXXIII. Philelphi ad eum epiſtolam habemus anni CIↃ CCCC LV, ut fuerit tum annorum XXXI. Vexilliferatus honore inſignis fuit, ut de eo Paullus Jovius ait. *Vir erat doctus, ut potiùs Muſarum alumnus, quàm inter rotas molarum natus videretur:* quemadmodum de eo ſcribit Albert. Leander in Italia ſua: quo loco de Florentia tractat. De certamine, quod ei cum longè majori viro, Angelo Politiano, erat, res ſatis nota eſt ex utriuſque epiſtolis. Unde Eraſmus in Ciceroniano; *Scala ſibi videbatur Tullianus, Politiano ne Latinus quidem videtur, adeò ut ne ſenſum quidem communem illi tribuerit.* Condidit lib. XX Hiſtoriam Florentinam ab origine Urbis uſque ad annum Chriſti CIↃ CCCC L. Sed morte præventus quinque tantùm libris extremam manum impoſuit. Incipit, *Fama eſt, & quidem pervulgata, à Feſulanis Florentiam primùm habuiſſe originem.* Signat hoc opus Ugolinus Verinus lib. II illuſtratæ Florentiæ;

*Scala quoque hiſtorias, & Lydia geſta leonis*
*Explicat Hetruſci.*

Etiam literis commiſit vitam Vitaliani Borromæi, quam Petro Medici inſcripſit. Adhæc orationem reliquit ad papam Innocentium VIII. Habuit filiam Latinis Græciſque literis excultam, nomine Alexandram: quæ nupſit celebri poëtæ, Michaëli Marullo, Tarchaniotæ, natione Græco, ſed carmine Latino non minùs pollenti: *viro ſanè docto*, ſed de *religione Chriſtiana* (ut Leander in Italia ſua inquit) *haud ſanè ſentiente:* qui in Cæcina flumine per agrum Volaterranum in mare defluente ſubmerſus fuit. Exſtant Politiani verſus Græci in laudem Alexandræ: item Alexandræ ſimiles verſus, quibus Politiano reſpondit. Obiit Alexandra anno CIↃ IↃ VI.

Jacobus Bracellus Genuenſis, vir eruditus, quinque libris non ineleganter bellum deſcripſit, quod inter Hiſpanos, & Genuenſes, ſeculo ſuo geſtum fuit. Hi Haganoæ *a* unà cum VI libris Pontani de bello Neapolitano prodierunt: poſteaque *b* Romæ recuſi, atque à Bartholomæo Gorla dicati Joanni Baptiſtæ Barcellio, epiſcopo Sarzanæ, cujus Jacobus Barcellius proavus fuerat. Orditur Bracellius ab anno CIↃ CCCC XII, quo Ferdinandus alterius Hiſpaniæ Rex, Siciliæ regnum fuit adeptus. Deſinit in anno CIↃ CCCC XLIV, quo Genuenſes pacem fecere cum Alphonſo rege, Ferdinandi filio. Idem Bracellius reliquit librum de illuſtribus Genuenſibus, ad Ludovicum Piſanum, qui ordinis erat Prædicatorii. Item oræ Liguſticæ deſcriptionem ad Blondum Flavium, qui Pontifici Maximo à ſecretis fuit. Atque utrumque hoc opus in Romana editione cum belli Hiſpanienſis libris prodiit. Habes & utrumque in Italiæ illuſtratæ ſcriptoribus viginti tribus: qui Andreæ Schotti cura in Germania prodierunt.

*a Anno 1530.*
*b Anno 1579. apud heredes Antonii Bladi.*



Digitized by Google

Meminit Bracellii hujus inter illuſtres Genuenſes Leander Albertus in Italia ſua, ubi eum ſitum, locaque ditionis Genuenſis deſcripſiſſe ait. Nempe reſpicit oræ Liguſticæ deſcriptionem ante memoratam. Jovii in elogio Alphonſi tale de eo judicium eſt, eum bellorum Alphonſi *hiſtoriam non illepide ſcripſiſſe*. Sed præclarè imprimis de eo Bartholomæus Gorla in præfatione ſua ad Sarzanienſem epiſcopum: *Equidem*, inquit, *probè novi quàm longè abſim ab hac ſcribendi facultate: nec mihi tantum arrogo, ut de tanta re meum judicium in medium adferre audeam: verumtamen doctiſſimorum pariter & graviſſimorum virorum teſtimonio niti ſi velim, contendere poſſim, auctorem hunc noſtrum admirabili quadam laude ita ſe inter ſcriptores ſuorum temporum extuliſſe, ut poſt oppreſſam, atque vaſtatam à barbaris Italiam, everſamque uſque eo eloquentiam, ut Latinè deſitum eſſet plane loqui, primus omnium iſtius generis ſcriptionem non modo jacentem excitaſſe; verum etiam obſcuram penitus illuſtraſſe, & in priſtinum ſplendorem, quaſi vindicaſſe videri poſſit. Sed hoc ex librorum ejus lectione clarius apparebit.* Hactenus ille.

Carolus Verardus, Cæſenas, cubicularius Pontificius, floruit ſub Innocentio VIII, anno CIƆCCCCLXXXIV, & deinceps. Scripſit de expugnatione regni Granatæ. Idem hiſtoriam Bæticam dialogis compluribus eſt complexus. Eos dicavit Raphaëli Riario, diacono cardinali S. Georgii.

Bernardinus Corius Mediolanenſis, cùm & patriæ ſuæ amans, & gloriæ propriæ avidus foret, rudi illâ quidem, & impolitâ dictione, attamen, ut potuit, magno ſanè labore Chronica rerum Mediolanenſium perſcripſit: inque rebus ſui temporis bonâ fide non ſolùm voluit res conſignare, ſed etiam potuit; ut cui in aulâ verſanti archiva ſecretiora paterent. Id opus, ut Jovius ait, à typographis illuſus, ſpe lucri, ſed magno rei familiaris damno, propriis excudi ſumptibus curavit. Idem edidit Imperatorum vitas ab Julio Cæſare, uſque ad Fredericum Barbaroſſam. Ac vitas etiam poëtarum, ac illuſtrium mulierum promiſit: quas an emiſerit, haut ſcio. Geſnerus ait, etiam hiſtoriam Cæſarum condidiſſe. Cùm Galli anno CIƆCCCCXCIX, Mediolanum cepiſſent; caſu, tum ducis Ludovici Sfortiæ, proditione capti (qui in Galliam eſt abductus, ubi & vitam finiit) tum etiam Aſcanii cardinalis, nondum quadragenarius deceſſit. De ætate quod dixi, ex eo liquet, quod an. CIƆCCCCLXXXV (ut in præf. ad Cardinalem Aſcanium Sfortiam ſcribit ipſe) tantum annorum fuerit XXV. Cæterum non me fugit Corium hunc Italicè ſcripſiſſe: attamen dicere haut poſſim, nihilne ejus vel Latine ab illo exaratum, vel ab interprete tranſlatum ſuperſit, propter quod Simlero memoretur. Neutrum ſi erit, præteriri debuit, quia de Latinis me ſcriptoribus acturum receperam.

Eâdem ætate clareſcebat Antonius Galateus, qui natus fuit Galatinæ, Salentinorum oppido. Erat philoſophus, medicus, atque idem poëta, & coſmographus; cujus tabulas à ſe viſas laudat Raffanus, & ex eo Leander in Italiâ ſuâ. Sanè quantus vir fuerit, ſcire poſſumus ex hendecaſyllabis illis, quibus eum celebrat Jovianus Pontanus: item ex eo, quòd ſummus vir, Hermolaus Barbarus, dicârit illi paraphraſin Themiſtianam octo librorum φυσικῆς ἀκροάσεως Latinè à ſe converſam, quam anno edidit CIƆCCCCLXXX. Præter carmina Hetruſca, & quæſtiones Phyſicas, etiam compoſuit commentarium de ſitu Japygiæ, opus, judicio Jovii, cum antiquis comparandum. Sanè eo magis meretur fidem, qui patria ei fuerit Japygia, quæ eadem ac Σαλεντία, ſeu Sallentina. Nam Japygiæ oppidum eſt Galatina, ubi ſe natum eſſe, ait ipſe eo, quo dixi libello. In quo etiam refert, ſe prima literarum fundamenta hauſiſſe Neriti, quod & ipſum Japygiæ eſt oppidum. Etiam refert ibi avum, & progenitores ſuos fuiſſe ſacerdotes Græcos, Græcarum literarum, & Theologiæ minimè ignaros, ſanctitate vitæ celebres. Item deſcriptionem edidit Callipolis, urbis ſitæ ad Summontium. Adhæc villæ Laurentii Vallæ: quem libellum dicarit Accio Syncero Sannazario. Prætera reliquit epicedium, ſeu orationem in obitum Alphonſi regis. Laudationem etiam podagræ, feſtivum opuſculum, jam podagricus, dolori leniendo conſcripſit. Librum inſuper compoſuit de optimo genere philoſophandi, ex quo quædam adfert Joannes Bernardinus Bonifacius, Oriæ Marchio epiſtola ad Vorſium Gengium, patritium Venetum, qua ei Galatei Japygiam dicat. Etiam cum Belliſarii Aquivivi, Neratinorum ducis, operibus conjungitur, & Galatei ad Belliſarium epiſtola, & Belliſarii ad eundem reſponſum.

Extremis temporibus Frederici III erat Nicolaus Dathus filius Auguſtini Dathi. Hic præter ea, quæ de ſtudio eloquentiæ, & officio ſcribæ, edolavit, etiam in literas retulit vitam patris ſui Auguſtini, quæ operibus ejus præmittitur.

Joannes Maria Politianus Carmelita, itidem claruit anno CIƆCCCCXC, ac ſcripſit vitam B. Alberti Drepanenſis, & miracula ejuſdem. Atque alia, quæ ſimul Venetiis edita fuere. Habes & eam Alberti vitam apud Surium ad VII Aug.

Ponticus Virunnius, ſeu Virunnius, (qui Trithemio *Virinius*) Tarviſinus, ſub Ludovico Sfortia floruit anno CIƆCCCCXC. Varios poëtas commentariis illuſtravit; inque gratiam Badoeræ familiæ, claræ apud Venetos, atque à Britannis oriundæ, è decem Gaulfridi, Monumæthenſis archidiaconi, ac pòſt Aſaphenſis epiſcopi, libris, ſex priores in compendium redegit *a*. Vide de eo Jac. Bergomatem lib. XVI, & Trithemium in Catal. Quorum neutrum dicti operis meminiſſe miror. *a Excuſ. Auguſt. 1534 & 1542. Heidelb. cum Beda, aliiſque.*

Philippus Callimachus Experiens Florentinus, odio Paulli II papæ (à quo in carcerem conjectus, & tormentis fuerat excruciatus) conceſſit in terras, ut cum poëta dicam, alio calentes ſole. Nam in Poloniam abiit; ubi à Caſimiro rege Alberto filio præceptor datus, factuſque Caſimiro ipſi à ſecretis Moldavicæ cladis auctor eſt habitus, quaſi ſuaſiſſet ut nobilitas hoſti ob contumaciam objiceretur. Idem his terris libellum exaravit de his, quæ à Venetis acta ſunt, quò Tartaros, & Perſas, contra Turcas concitarent. Habes eum in Commentariis rerum Perſicarum. Signavit etiam hiſtoriam de Attilâ, qui Bonfinii Hungaricæ Hiſtoriæ adjungi ſolet. Item libros tres condidit de rebus ab Uladiſlao, Poloniæ, atque Hungariæ rege, geſtis. Quem itidem reperies inter ſcriptores de rebus Hungaricis. Id opus non dubitat Jovius dicere adeò eleganter, atque exactè compoſitum eſſe, *ut omnes, qui à Cornelio Tacito, per tot ſecula id ſcribendi genus attigerint, ſuo judicio ſuperârit.* Atque hæc quidem, de rebus Hungaricis ſcripſit pellectus munificentia Matthiæ Haniadis, Ungariæ regis. Alia quoque quæ ediderit, apud Trithemium vide ad annum Chriſti CIƆCCCCXC. Meminit ejus & Raph. Volaterranus lib. VII: ubi Callimachum Geminianenſem, familiarem ſuum, vocat, ac literis, & ingenii ſolertiâ, ex paupere divitem factum ait. Geminianenſem verò appellat, quia ortus Sangeminiano, Hetruriæ oppido, quod Deſiderius, ultimus in Italia Longobardorum regum, condidit. Trithemius, uti & Funccius, & alii, vocant Florentinum, quia oppidum id, etſi antea in Senenſium fuerit poteſtate, tum tamen Florentinæ ditionis erat. Vitam Callimachi perſtrinxit Cromerus lib. XXX. rerum Polonicarum: cui magis credi debet, quàm Iovio: ut qui multa à vulgo potiùs haurire, quàm rerum gnaros conſulere ſoleat. Sed & vide, quæ refert Gyraldus dialogo primo de poëtis ſui temporis, & Ioannem Michaël Brutus, in vita, quam Callimachi de Uladiſlao hiſtoriæ præmiſit. Obiit Cracoviæ anno CIƆCCCCXCVI, IV Kal. Novembris. Epitaphium ejus ejuſmodi:

*Exuvias præter pellemque, atque oſſa Latini*
*Nil hic Callimachi terra Polona tegit.*
*Illa Boryſthenides rapuere, tenentque Camenæ,*
*Quarum primus amor, gloria prima fuit.*
*Hoc perfecturus, ſi copula longa fuiſſet,*
*Veniſſetque ſuo juſta propago toro,*
*Sarmatide è nympha; ne barbara terra videri*
*Poſſet, Romana vel minus apta toga.*

Sed

*Sed mors invidit: qua nil odioſius. atqui*
*Qua feritas tacito non caret opprobrio?*
*Æneus eſt tumulus, mors anea, & aneus ille*
*Qui legit hac ſiccis triſtia verba oculis.*

Paullus Atayantius Florentinus, Ord. Serv. B. Mariæ, inter alia contexuit dialogum de Origine Servorum; atque eum dicavit Petro Medici, Coſmi F. Archetypon ejus operis eſt in bibliotheca Medicæa. Etiam conſignavit vitam B. Franciſci Senenſis, Ord. Serv. Item librum de laudibus Philippi Florentini, inſtauratoris ordinis Servorum. Deceſſit anno Chriſti cIↃ CCCC XCIX, ætatis ſuæ LXXX.

Donatus Boſſius, civis Mediolanenſis, edidit chronicon ab initio mundi uſque ad ſua tempora. Item de epiſcopis, & archiepiſcopis Mediolanenſibus uſque ad annum cIↃ CCCC LXXXIX, quo vixit. Prodiit Mediolani anno cIↃ CCCC XCII. Meminit & Tritthemii appendix.

Celſus Maphæus Veronenſis, Canonicus regularis Lateranenſis, edidit libellum de vita B. Tuſculanæ anno cIↃ CCCC LXXIV, cujus mihi indicium ex Veronenſium ſcriptorum ſyllabo antehac etiam memorato.

Hermolaus Barbarus, patricius Venetus, natus fuit anno cIↃ CCCC LIV, XXI Maji. Franciſci Barbari, viri doctiſſimi, filius erat, Zachariæ Barbari nepos; ut quidem Philippus Bergomas ſcribit. Sed ab eo abit Volaterranus, qui Franciſcum Barbarum ejus patruum fuiſſe ait: unde & alibi Hermolaum vocat Franciſci neceſſarium. At non alterum tutius hac in re ſequi poſſumus, quàm Andream Brentium Patavinum. Ejus verba hæc ſunt in epiſtolâ ad Zachariam Barbarum, quæ mihi Pignorius ſuggeſſit: *Nimirum in te omnia Franciſci Barbari patris virtutum lumina eluceſcunt. cui certè multùm Latina lingua debet, tot tantiſque ab eo libris, partim compoſitis, partim converſis. à quo minimè degeneras Hermolaus filius, te tanto patre non indignus.* Puto eundem eſſe Franciſcum Barbarum ad quem exſtat epiſt. Philelphi anno ſcripta cIↃ CCCC XXXVII, & cIↃ CCCC XXXVIII ſemel, iterumque, & cIↃ CCCC XLI, & cIↃ CCCC XLIII, cIↃ CCCC XLIV; quem & virum clariſſimum vocat epiſtola ſcripta ad Victorium Feltrenſem, ubi ſe Conſtantinopoli ad Barbarum hunc miſiſſe ait Ariſtotelis Rhetorica ad Theodectem. Primùm Hermolaus legatus fuit Venetus, hinc patriarcha Aquileienſis, ac ut aliqui referunt (eoſque inter Joannes Rioche Minorita in compendio hiſtorico) tandem factus eſt Eccleſiæ Romanæ Cardinalis.

Qua de re adſcribam longiuſculum Petri Bembi locum ex hiſtoriæ ejus Venetæ libro primo: *Eo mortuo Innocentius Patriarchatum (ſic enim appellant) Aquileenſium, quem is multos annos obtinuerat, Hermolao Barbaro, legato apud ſe Veneto attribuit. quod ubi civitas intellexit, tametſi Hermolaus ad Senatum ſcripſerat, coactum ſe à Pontifice veſtem ſenatoriam mutaviſſe: quoniam tamen ſacerdotiis cooptari cives Veneti, qui legati Roma eſſent, lege prohibebantur, graviter tulit auſum illum contra patrias leges facere. Auxit ejus rei magnopere invidiam quod antea ex Hermolai litteris, quas ad Senatum de Bardi morte dederat, more inſtitutoque majorum comitiis ſenatoriis prajudicium patres fecerant, cujus ipſi civis nomen ad id adipiſcendum ſacerdotium Innocentio commendarent: itaque deceptos in ſeſe ac propè deluſos querebantur. Erat omnino Hermolai propter ejus ſummam in literarum, atque optimarum artium ſtudiis praſtantiam, magnum apud exteras nationes nomen, apud ſuos quidem certè maximum: nam ad doctrina ſingularem opinionem etiam vita perpetuam innocentiam adjunxerat: ſimul ii multùm patris opibus, & gratia, qui ſummo proximum in civitate magiſtratum gerebat, multum clientelis, neceſſitudinibus, propinquitatibuſque pollebat, quibus tamen in rebus ſatis ſibi praſidii non habuit, cum pluris à patribus una legum charitas, majeſtaſque, quàm ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas, atque claritas fieret. Decemviri enim literas ad eum ſeverè ſcriptas dederunt morâ omni excuſationeque ſublatâ, ſacerdotium repudiaret: id ſi non faceret, patrem magiſtratu remoturos, & bona ejus publicaturos pra ſe tulerunt. At pater perſpectâ civitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cùm jam eam flecti & lenire poſſe diffideret, agritudine animi eſt mortuus. Filius non multo poſt Roma, editis Plinianis caſtigationibus, immenſi propè laboris opere, privatus plebeio morbo periit. Eum vita finem Hermolaus habuit, omnium ex ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinorum & Gracorum literis planè doctiſſimus.* Ab anno ætatis duo vigeſimo ſcribere orſus fuit: cumque alia multa edidit, quæ doctorum manibus verſantur: tum etiam Plinii Veronenſis (non Novocomenſis, uti apud Jovium eſt) Hiſtoriam Naturalem accuratè caſtigavit. Idem librum reliquit de conſcribendâ hiſtoriâ, quem dicavit M. Antonio Sabellico, hiſtoriographo. Alia etiam inedita hactenus parabat, quæ cujuſmodi fuerint, cognoſcere eſt ex præfatione ejus Caſtigationum in Melam. Proprietatis vocabulorum in utraque linguâ curioſus erat, moribus caſtiſſimis, adeoque à faſtu alienus, ut ſæpe, ſicubi dubitatio oborta eſſet, proximos, ac familiares conſuleret, atque adeò à quovis diſcere paratus eſſet: quemadmodum de eo Volaterranus teſtatur. Eraſmi in Ciceroniano tale de eo judicium eſt. Vocat *verè magnum, ac divinum hominem, ſed in dicendo Ciceroni diſſimillimum, & ipſo, pene Fabio, Plinioque elaboratiorem, cujus eloquentia nonnihil offecerit philoſophia ſtudium.* Petrus Bembus lib. VI, epiſtola ad Danielem Barbarum (qui fratris filius erat) vocat Hermolaum *doctiſſimum, praſtantiſſimumque omnibus in diſciplinis virum, ſanctiſſimumque hominem.* Vide & laudationem ejus apud eundem Bembum initio libri de culice: quo Barbarum hunc, & Pomponium Lætum (cujus Barbarus fuerat ſectator) colloquentes inducit. Sepultus eſt Romæ ad S. Mariam de populo: ubi talis inſcriptio legitur:

*Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,*
*Barbarus hic ſitus eſt; utraque lingua gemit.*
*Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma;*
*Non potuit naſci clarius, atque mori.*

Obiit XII Kal. Jun. anno Chriſti cIↃ CCCC XCIII, ætatis ſuæ XXXIX. Volaterranus ait deceſſiſſe mœrore, quòd à Senatu Veneto miſſus orator, præter auctoritatem Senatus ſui, ab Innocentio factus eſſet patriarcha Aquileienſis. Sed aliter Petrus Crinitus lib. I. de hon. diſc. cap. VII. ubi peſtilentiâ Romæ exſtinctum refert: ac Pici Mirandulæ officium erga morbo hoc affectum exponit. Atque idem etiam legas apud Iovium in elogiis. Mirum ſanè hæc fugiſſe Volaterranum, qui neſcio quæ de magnopere mœrentis contumaciâ, atque exilio, φλυαρεῖ. Uti & illud in eo reprehendit, quòd Plinium caſtigandum ſuſceperit, opus, ut ait, impar dignitati, & vitæ ſuæ inſtituto. Utinam ſic à multis ejus dignitatis, atque inſtituti, peccaretur. Et ſanè cogitare debuerat Volaterranus, jam antequam ad Epiſcopatum provectus eſſet, parata majori ex parte habuiſſe, quæ ad iſtud opus pertinerent. Neque propterea Epiſcopale munus, quod ſeu volens, ſeu invitus ſuſceperat, neglexit. Aliud ſanè inter cætera arguunt conciones ejus, quæ Patavii MSSæ exſtant apud Eremitas. Aliquantò poſtquam iſta exaraſſem, in manus meas venit elegans opuſculum Ioannis Pierii Valeriani, quo agit de literatorum infelicitate. Id unà cum aliis non paucis ſcriptoribus, qui proximis hiſce annis in Venetorum ditione prodiiſſent, illuſtriſſimus Dominicus Molinus, ut munificè, ita percommodè tranſmiſerat. Eo quippe in libello inter alia, quæ de triſti doctorum virorum exitu paucis cognita exponit, etiam offendi, quæ veriſſima eſſe docerent, tam illa, quæ de exilio ac mœrore Hermolai prodiderat Volaterranus; quàm quæ de peſtilentiæ morbo Crinitus, & Iovius, retuliſſent. Hunc quippe in modum Pierius eo in opuſculo rem narrat: *Hermolaus Barbarus, Venetus Senator optimus, vir, quod omnes fatentur, atate ſuâ literatiſſimus, eo ipſo tempore, quo aliquam ſtudiis ſuis quietem ſe adſecutum arbitrabatur; dum Roma apud Alexandrum Sextum, Pontificem Maximum, Veneta nobilitatis nomine Oratorem agit; ſummiſque vigiliis intermortuam bonarum literarum, neque non & diſciplinarum gloriam ſuſcitat; ob ſuſceptum,*

*inconſulto Senatu ſuo, Aquilegienſe ſacerdotium exul factus, & de poſſeſſione ejectus, vitam inopem aliquamdiu traxit Alexandri Pontificis ſummi ſportulâ quodammodo ſuſtentatus: paucis verò pòſt menſibus peſtilentiâ contactus, deſertus ab omnibus, infeliciſſimo mortis genere oppreſſus eſt; quique laudatione, & eloquentiâ ſuâ innumeros ætatis ſuæ homines illuſtraverat, & funere, & honore ſepulchri ita defraudatus eſt, ut ubi ſepultus, quove hominis cadaver conte*tum fuerit, ignoretur.*

Hermolao Barbaro à ſecretis fuit Ioannes Antonius Pantheus, Veronenſis, qui de Pliniorum patria ſcripſit, ac tridui confabulationes de thermis Calderianis; quod opus Vincentiæ primùm anno cIↃ CCCC LXXXVIII prodiit, poſteaque cum ſcriptoribus aliis de balneis Venetiis eſt recuſus anno cIↃ IↃ LIII. Libros ejuſdem de urbe Verona citat Torellus Sarayna. Sed eos videre nondum contigit: nec Italicè, an Latinè eos ſcripſerit, ſat ſcio.

Circa idem tempus florebat Donatus Acciaiolus (qui Leandro Alberto Accievolus) Neri filius, ab antiquâ ſtirpe Florentinus; vir in Republ. occupatiſſimus, nec tamen ſtudiorum veterum planè deſertor. Nam, præter alia, Plutarchi Hannibalem, Scipionem, Alcibiadem, ac Demetrium, convertit. Ipſeque compoſuit vitam Karoli M. De hoc, quæ adfert, hauſit ex Eginhardo, genero Karoli Magni: de quo dictum nobis libro ſuperiori. Hoc Donati opus de vita Karoli cum Plutarchi vitis conjungi ſolet: unde, (ut etiam monitum nobis, cùm de Turpino ſuperiùs ageremus) ſpiſſus ille error obortus eſt Wicelio in Hagiologio *a*, ut ſcriberet, ſe Karoli vitam ex Plutarcho deſumſiſſe; cùm ſatis conſtet, Karolum annis ampliùs ſexcentis vixiſſe poſt Plutarchum. Exſtat Philelphi epiſtola anni cIↃ CCCC LI ad Donatum Actiolum. Puto eundem. Quanti eum fecerit Jacobus Picolominæus, cardinalis Papienſis, ex ejus ad Donatum hunc epiſtolis compluribus ſatis liquet. Præclarum quoque ejus elogium eſt apud Ugolinum Verinum, Donati æqualem, lib. II. Florentiæ illuſtratæ; ubi ſic canit:

*a Fol. 178*

*Quis ſcripto, quis te, Donate, diſertior ore,*
*Accarole b fuit? quamquam tua clara propago eſt,*
*Tu tamen huic veros cumulaſti laudis honores.*

*b Acciaolo.*

Meminit & in Ciceroniano ſuo Eraſmus. Fuit Donatus hic auditor Joannis Argyropoli Byzantini. Imò commentaria illa in Nicomachia Ariſtotelis multi arbitrantur non ipſius eſſe Acciaoli; ſed prælectiones eſſe Argyropoli; ab Acciaolo autem deſcriptas, inque lucem emiſſas. Nihil tale tamen de eo Volaterranus. Qui inter alia: *Donati*, inquit, *ſtylo nil dulcius optatur; cujus & lenitas, & ornatus, mores ejus ſuaviſſimos refert.* Et mox: *In hoc præter literas, & vitæ caſtitas, & juſtitia laudatur. Deceſſit in legatione, patrimonio filiis non amplo ob abſtinentiam relicto. Filiæ verò ob ejus in Remp. merita, haud aliter, quàm Paulli Æmilii, aut Ariſtidis, ære publico nupſerunt.* Apud Paullum Jovium legere eſt, ut, cùm ad opem à Gallis adverſus Xyſtum Pontificem poſcendam profectus eſſet; Mediolani in itinere mortuus ſit; atque inde Florentiam relatus, in Carthuſiano ibidem templo fuerit ſepultus. Contigit id anno cIↃ CCCC LXXIII, menſe Auguſto. Eſt in obitum ejus hujuſmodi Politiani carmen: quod & Florentiæ in Carthuſiano legitur:

*Donatus nomen, patria eſt Florentia, gens mî*
*Acciaola domus, clarus eram eloquio.*
*Francorum ad regem patriæ dum orator abirem,*
*In ducis anguigeri mœnibus occubui.*
*Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum*
*Inter majorum nunc cineres ſepelit.*

Etiam Campani in laudem ejus verſiculos reperies in Gentilis Urbinatis literis: quæ leguntur inter epiſtolas Jacobi Piccolominæi, Cardinalis antè memorati.

Joannes Simoneta, Calaber, ſcripſit de rebus geſtis Franciſci Sphortiæ, Mediolanenſium ducis, libros XXXI. Eos verò dicavit nepoti Franciſci hujus, Joanni Galeatio Mariæ Sphortiæ, duci Mediolanenſi. Quam bonâ autem fide ea ſcripſerit, ipſe in præfatione indicat verbis iſtis: *Hoc ipſum bellum, & re maximum, & memoriâ digniſſimum, cui, dum gereretur, aſſidue interfui, paullo diligentius ſcribere opera pretium duxi. Equidem omnia in commentarios, & eo ordine, quo gerebantur indies ſingula, celeri ſtylo deprompſi: ſi minus eleganter, minuſque ornatè; at verâ, & incorruptâ fide. Nihil non à me ſcriptum eſt, quod vel non ipſe viderim, & contemplatus fuerim; vel a locupletiſſimis teſtibus auctoribuſque, vel etiam ab ipſo Franciſco, dum ille de ſe modeſtiſſimè loquens aliquando præteritorum temporum pericula, reſque per omnem fortunam, non tam ab ſe, quam ab aliis, geſtas recenſeret, acceperim: quod aliis haud quaquam contigit; ſi qui fortaſſe reperiantur earundem rerum ſcriptores, etiam eruditiores.* Etiam ad operis calcem, & argumentum pleniùs indicatur, & ſimiliter ad fidem pertinentia afferuntur. Verba ea ſunt: *In commentariis ab primo Alphonſi in Italiam adventu, & ab quarto & viceſimo ſupra quadringenteſimum & milleſimum anno à natali Chriſtiano, ad ſextum ſexageſimum uſque annum, non divi Franciſci Sphortiæ ſolum, ſed omnium Italicorum populorum, regum, & rerumpublicarum facta domi foriſque continentur; tantâ fide, religione, literis prodita, ut nihil gratiæ atque adulationi datum eſſe conſtet: quæ eo certiora habenda ſunt, quòd, qui ſcripſit, rebus ferè omnibus interfuit. Ea nunc, regnante Joanne Galeacio VI, Mediolani ducis auſpiciis, & juſſu illuſtriſſimi Ludovici Sphortiæ, Antonius Sarotus impreſſit Mediolani, IX Kal. Octobres cIↃ CCCC LXXXVI.* Simonetam hunc Franciſcus Philelphus epiſtolâ, quam ad eum ſcripſit anno cIↃ CCCC LXXIX, vocat *ducalem ſecretarium: commentarios* verò ejus *diſertiſſimos* appellat. *Inſignis hiſtoriæ* nuncupatur à Iovio in elogio Franciſci Sphortiæ. Operæ autem eſt ſcire, quam pro tali opera gratiam retulerit. Galeacio à conjuratis occiſo acerba in eum, ac fratrem Cichum, quæſtione fuit inquiſitum: ac fratri quidem præciſæ cervices: Ioannes autem poſt tormenta quomodocumque evaſit: idque, ut Iovius ait, *valido apud tyrannum pudore, ne videretur ingratè ſublatum, qui patrem, ſummæ virtutis principem, ne unquam interiret, beneficio literarum immortalem effeciſſet.* Ex memorato Simonetæ opere luculentam mentionem de expeditione Papæ Pii adducit Meierus in annal. Fland. ad annum cIↃ CCCC LXIII *a*.

*a P. 233. & 234.*

T. Alexander Corteſius carmine epico panxit laudes bellicas Matthiæ Corvini, Hungariæ regis. Iungitur Hungariæ Bonfinii hiſtoriæ. De eo ſic Ianus Duza pater præfat. altera annalium Batavicorum, quos carmine reliquit: *Poſt quos aliquot ſeculis interjectis natus Alexander Corteſius, vel hoc ipſo commendandus, quod intermiſſam res geſtas verſibus ſcribendi conſuetudinem nova laude reparavit, in illius regis virtutibus celebrandis, cujus magnitudo maximorum Poetarum vires facile exhaurire potuerit.*

Bonifacius Simoneta abbas fuit monaſterii Cornu; quod Placentini tractus oppidum eſt: Patruus ejus fuit Ioannes Simoneta, is quem Sfortiæ geſta edidiſſe, proximè diximus. Bonifacius hic poſteris tranſmiſit perſecutionum Chriſtianarum, & pontificum hiſtoriam: ſed eam non continuo filo tractavit; verùm in epiſtolarum ſex libros novo invento diſcerpſit; multaque iis ad rerum naturam pertinentia admiſcuit: ſcriptor non exiguæ lectionis, ſed qui, quantum videre poſſum, nihil habeat, cæteris indictum, ut carere eo tutò poſſit hiſtoriæ ſtudioſus. Vixit anno cIↃ CCCC XC. ut vel argumento eſt prima epiſtola, quæ eſt ad Karolum VIII, Galliarum regem.

Circa annum cIↃ CCCC XC claruit Hugolinus, ſeu Ugolinus Verinus. Præceptorem ſuum vocat Chriſtophorum Landinum *b*.

*b Lib. 1. illuſtratæ Florentiæ.*

*Quo, Landine, tuas percurram carmine laudes,*
*Præceptor venerande?*

At diſcipulum habet Petrum Crinitum:

*Diſcipulique mei Criniti carmina Petri*
*Æternum vivent.*

Patet

Pater fuit Michaëlis Verini, optimi, & caſtiſſimi adoleſcentuli; qui, relictis diſtichis piis, anno ætatis ſuæ XVII obiit. Notus de eo Politiani verſiculus,

*Noſſe pòlluerei, maluit ille mori.*

Et pater ipſe Ugolinus Michaëlem deplorat his verſibus:

*Quid referam nati Michaëlis funus acerbum?*
*Exſtat opus, prohibetque pudor narrare, quid ille*
*Scripſerit. Ingenii teſtes ſua diſticha reſtant,*
*Quæ ſenſa oſtendunt anguſtis grandia gyris.*

Panxit Ugolinus libros tres de illuſtratione Florentiæ: unde verſus eos exſcripſimus. Primo eorum agit de laudibus veteris Florentiæ. Altero exponit inſignes civitatis viros, & res ejus geſtas. Tertius tractat de genealogia illuſtrium urbis familiarum. Hoc poëma primùm Lutetiæ typis Rob. Stephani junioris prodiit anno CIↃ IↃ LXXXVIII: idque è bibliotheca Germani Audeberti Aurelii: qui & aliquot MSi codicis lacunas ſupplevit, & depravata, aut vetuſtate exeſa, reſtituit. Conſcripſit & Carliados opus, quod erat de Carolo Magno. Itidem heroico metro conſignavit vitam B. Antonini Florentini. Adhæc deſcripſit carmine expugnationem Granatæ, & laudationem Philippi Benitæ, & opus de rebus cœleſtibus, atque alia. De exceſſu Ugolini ita refert is, qui poëmatibus quædam de vita ejus præmiſit: *Cæterùm Verinum hunc, annos cùm peregiſſet LXXV, aut plures, perhibent fato functum anno ſalutis CIↃ CCCC XC: qua tempeſtate Leo X urbem Florentiam ingreſſus eſt: cùm ibi jam antea, adhuc juvenis, talem hunc virum ſibi habuiſſet præcipuum ad linguam Latinam ducem, atque magiſtrum.* Quibus non poſſum penitùs aſſentiri. Nam Ugolinus lib. II Florentiæ ſuæ, deplorat obitum diſcipuli ſui Criniti, quem deceſſiſſe ait undecimâ trieteride: hoc eſt anno trigeſimo primo, vel alterutro eorum, qui proximi conſequuntur. Atqui Crinitus libros ſuos de Honeſta diſciplina Florentiæ edidit anno CIↃ IↃ IV: ut ex præfatione auctoris conſtat ad Bernardinum Caraffam Neapolitanum, epiſcopum Antiochenſem. Non dubium igitur, qui poſtea Ugolinus ſuperfuerit.

Antonius Cornazanus, Placentinus claruit anno CIↃ CCCC XC. Carmine comprehendit vitam, & obitum beatæ virginis Deiparæ: proſâ autem vitam Bartholomæi Colonei, imperatoris Venetorum. Vide Jacobum Bergomatem in Suppl. Chron. lib. XVI. & Tritthemium in catal. ut juniores mittam. Uterque illorum Cornazanum Ferrarienſem facit: uti & Simlerus. Sed Leander in Italia *a* recenſet eum inter viros eruditos Placentiâ ortos: ubi & illud addit, Latinis ac vernaculis carminibus excelluiſſe. Omnem autem dubitationem tollit editio vetus an. CIↃ CCCC LXXII: quæ apud Pignorium, & alios, adhuc invenitur. Titulus ejus hujuſmodi eſt: *Ad ſereniſſimum Venetorum dominum, ejuſque civitatis principem clariſſimum de fide & vita Chriſti Antonii Cornazani, Placentini vatis, liber incipit.*

*a In deſcriptione Lombardiæ Ciſp. pag. 379. edit. Colon.*

Hieronymus Albertucius Burſellus, qui & à patriâ *Hieronymus de Bononia* appellatur, Ordinis Præd. circa idem tempus Chronicon condidit ab origine mundi, uſque ad annum CIↃ CCCC XCI. Item confecit annales conventus Dominicani Bononienſis ab inſtauratione vitæ regularis ad ſua uſque tempora. Præterea poſteris profuit ſignando annales Fratrum Ord. Dominic. Et tabulas duas, unam de magiſtris generalibus Ord. Domin. alteram de ejuſdem ordinis illuſtribus viris. Obiit pleuritide Bononiæ anno CIↃ CCCC XCVII, VII Kalend. Decemb. Vide Leandrum Albertum de illuſtribus viris Ord. Præd. lib. IV: qui & ejus meminit in Italia ſua, ubi Romanulam deſcribit.

Angelus Baſſus, qui notior altero nomine Politiani: quomodo, vocatus à Monte Politiano, Hetruriæ oppido; ubi an. CIↃ CCCC LIV prid. Idus Quinctiles natus erat. In Græcis diſcipulus fuit Andronici Theſſalonicenſis: qui peritiâ ejus linguæ proximus à Gaza erat, &, judicio aliquorum, etiam præſtabat; etſi Latinâ multùm cederet. Inſtituit liberos Coſmi Medicis; eoſque inter Joannis Medicis, qui Pontificatum adeptus vocabatur Leo X. De politie ſtyli ejus res notior eſt, & vivente etiamnum erat quàm ut dicere de eo quicquam ſit opus. Ac ſedulò operam dabat, ne hac parte gloriam partam amitteret. Unde de eo ſic Volaterranus lib. XXI: *Mihi ſolebat epiſtolas, cùm Græcas, tum Latinas, ſcribere: ſed ſermone vernaculo plures: quod frequenter faciebat occupatus, ne naſus aliquis ſtylo offenſus impræmeditato, præjudicata jam de eo opinioni officeret.* Fuit ſacerdos, & canonicus Florentinus, ac illuſtris viri Laurentii Medicis alumnus, Joannis Pici Mirandulani ſtudiorum ſocius individuus. Latinas Græcaſque literas annis XI Florentiæ docuit: ac, præter alia, Herodiani hiſtoriam luculentè vertit; etſi æmuli ſparſerint, laborem eum fuiſſe Gregorii Tiphernatis. Qua de re ita Jovius in elogio Tiphernatis: *Famâ quoque fertur, Herodiani hiſtorias ejus ingenio, laboreque fuiſſe tranſlatas: quaſi eas morienti ſubtraxerit Politianus, vir in literario negotio ſæpe convictus furti. Sed vix credibile videtur, ut vir in omni dicendi facultate opulentiſſimus idem, atque promtiſſimus, ex alieni ingenii labore famam probro & calumniâ redundantem quæſiſſe voluerit.* Idem Politianus condidit brevem hiſtoriam, ſeu commentarium de conjuratione Jacobi Paccii, equeſtris ordinis viri, & aliorum ejuſdem familiæ, & quorundam è Salviatorum gente, adverſus Laurentium, & Julianum, & univerſam domum Medicæam. Hanc hiſtoriam Latinè ornatiſſimeque perſcripſiſſe, etiam Pauli Jovii in doctorum virorum elogiis judicium eſt. Pluraque de ejus virtutibus, & vitiis, apud eundem Jovium vide. Aliaque aliorum de eo videre poſſis in opere noſtro de Poëtis Latinis, & apud Barthium Adverſariorum lib. XLVII. cap. V. & diſpliceat, quod Petrus Bembus eum pene initio diſſertationis de imitatione vocat doctum & ingenioſum, ſed non multum prudentem. Nolim tamen de eo contendere, quòd candori ejus non multum tribuit Guilhelmus Budæus Annot. in Pandectas *a*, ubi ſic ſcribit: *Plutarchus in eo libro, quem de Homero compoſuit: qui liber nondum Latinus ex profeſſo factus eſt, licet Politianus, vir ille quidem excellentis doctrinæ, ſed animi non ſatis ingenui, ex eo libro rerum ſummas ad verbum tranſcribens, quaſique flores præcerpens, non erubuit id opus, pro ſuo edere, in quo nullam, præterquam tranſcribendi, ac vertendi operam novaverat.* Deceſſit Florentiæ VIII Kal. Octobr. XL ſolùm, ut eſt apud Volaterranum; non, ut eſt apud eundem Iovium, annos natus XLIII. Fuit id Chriſti anno, non CIↃ IↃ IX, ut complures, eoſque inter Eberus in Faſtis, & Elias Reuſnerus in diario hiſtorico, tradunt; ſed CIↃ CCCC XCIV, eopſe quo deceſſere Hermolaus Barbarus Venetus, & Ioannes Picus Mirandulanus: ut de tribus his teſtatur ille, qui *b* Matthiam Palmerium continuavit. Quòd ſi ejus teſtimonium haut ſufficit, at omnem ſcrupulum eximet Marſilius Ficinus, epiſtola ad Germanum de Ganai, ubi cùm de obitu Ioannis Pici Mirandulani egiſſet, ſubjungit, *ut nota ſit tibi reliqua literarum iactura hoc auctumno Florentiæ facta; Angelus Politianus noſter, Latina, Græcaque lingua doctiſſimus Septembri proximo ante Pici obitum migravit è vita quadrageſimo ætatis anno.* At Picus deceſſit an. CIↃ CCCC XCIV, ut inter omnes convenit. Præter alios, Petrus Crinitus ei epitaphium ſcripſit: in quo iſta legas:

*Fovit benigno me ſinu Flora, & illic*
*In fata ceſſi, Parthenopeos reges*
*Cum Gallica arma irruerent minabunda,*
*Tu vale, & hoc ſis meriti memor noſtri.*

Sed hæcne, vel Politiano ſunt digna, vel Politiani diſcipulo, Crinito? Quid enim apertius eſt, quàm σκάζοντας iſtos præter metri legem, ita claudicare, ut plura in metro vitia ſint, quàm verſus? Quod non retuliſſem, niſi verſiculi illi, & in duodecimo Epiſtolarum Politiani libro (qui ferè adoptivis Epiſtolis conſtat) adſerrentur, & Iovius eos tanti duxiſſet, ut in doctorum eos elogiis referret. Vulgò fertur, obiiſſe Politianum, fœdi amoris impatientiâ capite in parietem illiſo. Sed id fabulam eſſe à malevolis confictam, ait Pierius Valerianus lib. II *c* de literatorum infelicitate. Cenſet autem, deceſſiſſe mœrore, eò quòd inclina-

*a P. 281. edit. Rob. Steph.*

*b In edit. Euſeb. Baſil. Henr. Petr.*

*c Pag. 70. 71.*

*Dive virûm lapſura Italis qui ſceptra tueris,*
*Quo duce fulgorem Cæſaris orbis habet.*

Scriptor eſt non aſpernandus plane: ſed qui ſordidi aliquantum trahat ab ævo quo vixit. Manuſcripto ejus codice uſus ſum ex bibliothecâ doctiſſimi, & amiciſſimi Viri, Arn. Buchellii J.C. Ultrajectini.

Tum quoque claruit Guarinus, ſive, ut aliis dicitur, *Varinus*, Veronenſis. In Græcis auditor fuerat Emanuelis Chryſoloræ. Prius Venetiis, hinc Ferrariæ, (unde & Ferrarienſis quibuſdam nuncupatus) magno cum auditorum applauſu humaniores literas docuit. Scripſit vitas Platonis & Ariſtotelis: quæ ſubjunguntur tranſlationi vitarum Plutarchi editæ Baſileæ ab Michaële Iſengrinio anno cIↃIↃL. In eodem opere habes vitas varias à Guarino Latinè verſas: puta Fabii, Marcelli, Philopœmenis, T. Quinctii Flaminini, Lyſandri, Syllæ, C. Marii, Eumenis, Niciæ, M. Craſſi, Alexandri Magni, Dionis, M. Bruti, & Euagoræ. Item vertit Plutarchi parallela minora, quam verſionem cum nonnullis Leonardi Aretini Aſcenſius excudit. Etiam, æmulatione æqualis ſui Gregorii Tiphernatis, (qui ea, quæ de Aſia ſcripſerat Strabo, Latinè verterat) ipſe illa, quæ de Europa idem prodiderat, tranſtulit. Elogium ejus habes apud Leandrum in deſcriptione Veronæ. Eloquentiſſimum virum appellat Philelphus Epiſtola ad Flavium Blondum anni cIↃCCCCL. Poggio Florentino ſecundâ in Philelphum invectiva judicatur *vir doctiſſimus, atque humaniſſimus: cujus ſtudia, & præſtans doctrina, plurimum Italis profuerint.* Valla quoque, ut eſt apud eundem Poggium primâ in Vallam invectivâ, eum & Leonardum Aretinum ſui temporis doctiſſimos ajebat. Obiit Ferrariæ anno cIↃCCCCLX, die IV Decemb. Vide & de eo Ja. Philippum Bergom. lib. XV. ad annum cIↃCCCCXIX. Et Trithemium in Catalogo. Filium virtutis paternæ æmulum reliquit: ut Jovius in Elogiis teſtatur.

Blondus Flavius, Forojulienſis, Eugenii IV, pluriumque Pontificum Romanorum ſecretarius, ſcripſit Romæ triumphantis libros X; quod opus dedicavit Pio II Pontifici: adhæc Romæ inſtauratæ libros III, quos inſcripſit Eugenio IV: item Italiæ illuſtratæ lib. VIII. Tum autem hiſtoriarum decades tres ab inclinato Romanorum imperio, hoc eſt anno CCCC, uſque ad annum Chr. cIↃCCCCXL: non autem cIↃCCCC, ut eſt apud Davidem Chytræum, Genebrardum, & Bellarminum. Agit enim poſtremo libro de ſchiſmate Felicis Antipapæ contra Eugenium, quod incidit in annum cIↃCCCCXXXIX. Aliquot annis pòſt demum commentarios ſuos ediduſſe, arguit, quòd meminit mortis Caliſti III, qui anno obiit cIↃCCCCLV, MSus exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Oxonii in bibliotheca Balliolenſi eſt MSus *Blundius de Coſmographia Italiæ.* Blondus, an alius, ſignetur, melius dicent, qui videre. Ad honorem Blondi non parum pertinet, quòd ſcripta illius in epitomen contrahere dignatus ſit Pius pontifex. Dictione eſt non admodum cultâ: ut etiam Volaterranus agnoſcit: ſed de antiquitate tamen, utcumque interdum aliquid humani patiatur, ſanè pro ætate, qua vixit, optimè meretur. De eo ſic Jo. Gobellinus Commentariorum Pii II Pont. Max. lib. XI. *Pridie nonas Junias hujus anni* (ſignat autem cIↃCCCCLVIII) *Blondus Flavius obiit, hiſtoriarum ſcriptor egregius, natione Forolivienſis; qui diu apud Pium II. PP. ſecretarium Apoſtolicum geſſit, & Eugenio VI Pont. Max. acceptiſſimus fuit. Ab Arcadio Honorioque Cæſaribus (quo tempore inclinâſſe Romanum Imperium memorant) uſque ad ætatem ſuam, univerſalem ſcripſit hiſtoriam, opus certè laborioſum, & utile; verùm expolitore, emendatoreque dignum. Procul Blondus ab eloquentia priſca fuit: neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, examinavit: non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curam habuit. Siquis aliquando vir doctus, ſcribendi peritus, opera ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris adferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis. Extant & alia Blondi opera non parva utilitatis, quamvis cautè legenda ſunt, ne falſa pro veris accipias: in pluribus enim erraſſe deprehenditur. Scripſit Italiam illuſtratam, Romam inſtauratam, & eandem triumphantem: quam paullò ante obitum abſolvit. Mortuus eſt Romæ pauper, ut philoſophum decuit. Patrimonium, quod habuit tenue, dotium cauſſa inter fœminas diviſit: maſculis, præter doctrinam, bonoſque mores, nihil reliquit, id morienti ſat fuit, ejus ætatis filios dimiſiſſe, qui ſibi ipſis conſulere poſſent.* Reprehenditur a Georgio Merula lib. X. hiſtoriæ Vicecomitum. *Hac in parte*, inquit, *neſcio indiligentia ne Blondum, an magis invidia arguam.* De eodem ita Floridus Sabinus apologia adverſus L. L. calumniatores: *Blondi Flavii Foroliuienſis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſunt, qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant, alioqui non paucis etiam lutulentus fluere viſus eſt.* Romæ obiit, Jovio teſte, jam ſeptuagenarius, (imò ultra, ut mox patebit) inque Capitolio juxta Deiparæ templum ſepultus eſt. Nempe in ara cœli ante introitum templi, ubi tale ejus epitaphium, ut eſt in Fabricii Roma: *Blondo Flavio Foroliuienſi, hiſtorico celebri, multorum pontificum Romanorum ſecretario, Blondi quinque filii patri bene merenti unanimes poſuere. Vixit annos LXXV. Obiit prid. Non. Junii, anno ſalutis Chriſtianæ* cIↃCCCCLXIII, *Pio Pont. Max. ſibi, natiſque favente.* Quos reliquit quinque filios, omnes, ut Leander teſtatur, egregie fuere literis eruditi.

Item tum clareſcebat Alphonſus, Carthaginis in Hiſpania epiſcopus: quem genuerat antequam eccleſiaſtici ordinis pars factus eſſet, Paullus Burgenſis, cognomento de S. Maria, ex Judæo Chriſtianus, poſteaque Epiſcopus Carthaginenſis, ac tandem Burgenſis. Condidit ἀνακεφαλαίωσιν rerum Hiſpanicarum, Romanorum imperatorum, ſummorum Pontificum, & regum Francicorum. De hoc opere ita Vaſæus Chronici Hiſpaniæ cap. IV: *Alphonſus à Carthagena, Epiſcopus Burgenſis, Paulli Burgenſis epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, & in epiſcopatu ſucceſſor, præter alia opera ſcripſit ἀνακεφαλαίωσιν regum Hiſpaniæ, cum Roderico Toletano nuper impreſſam.* Non ineptè hanc hiſtoriam ſcripſiſſe, judicium eſt Alphonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis *a*. Prodiit in lucem typis Wechelianis Tom. I. Hiſpaniæ illuſtratæ.

*a Lib. de Hiſpan. viris claris, atque Academiis, qui eſt Tom. 4. Hiſpaniæ illuſtratæ.*

Antoninus Florentinus, in patria Urbe Archiepiſcopus, qui in ſanctorum numerum ab Adriano VI, anno cIↃIↃXXIII relatus fuit, claruit imprimis ſub Coſmo Medice, ac Reip. Florentinæ nomine legationes ſæpe obiit ad Nicolaum V, Calixtum III, & Pium II: præter ſummam Theologiæ, Chronicon ſcripſit tripartitum: cujus archetypon Florentiæ in bibliotheca monaſterii S. Marci adſervatur. Pars prima eſt ab orbe condito uſque ad Conſtantinum Magnum, & Sylveſtrum Pont. Max. altera inde uſque ad Henricum VI, & Innocentium III, hoc eſt, anno Chriſti cIↃCXCVIII: tertia hinc uſque ad Fredericum III, & Pium II, hoc eſt, anno cIↃCCCCLIX: quo ipſo, VI Non. Maji obiit, ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Vitam hujus Antonini ſcripſit F. Vincentius Mainardus Geminianenſis, Procurator ordinis prædicatorum: qui an. claruit cIↃIↃXXIII. ut verba iſta oſtendunt: *Quid impedit, ne dicam, in Coſmianam domum pro uno præſulatu, pontificatus duos maximos rediſſe? Jam tum, cùm tot religioſas ædes, ac templa, à fundamentis excitabatur pronepotum tiaras præſagire: qui Leoni X, qui TIBI etiam, CLEMENS VII, Eccleſias, Eccleſiæ principibus parabat.* Exſtat ea vita apud Surium quoque Tom. III, ad II Maji. Carmine autem vitam ejus prodidit Ugolinus Verinus, Petri Criniti præceptor. Vide & de eo Franciſcum Caſtell. lib. III. de viris illuſtr. Ord. Præd. & Jo. Gobelinum in comment. rerum memorabilium, quæ temporibus Pii II Pap. acciderunt.

Tumulo ejus hi verſiculi inſcripti ſunt:

*Hic eſt ille tuus paſtor, Florentia, pro quo*
*Non ceſſas mœſtas ſpargere rore genas.*
*Patribus haut priſcis pietate Antoninus impar,*
*Qui ſcripſit quicquid litera ſacra docet.*

*Gravis*

*Gravis auctor* vocatur ab Hieronymo Plato lib. II de bono ſtatus religioſi, cap. XXIV. In rebus tamen Mediolanenſium haut fidei nimium tribuiſſe ei videtur Georgius Merula Alexandrinus. Nam id niſi eſt, quid attinebat in ſyllabo eorum, è quibus in ſua Viecomitum hiſtoria profecerit, hunc commemorare iſtum in modum *Antonino Archiepiſcopo, quando varia non jactat.* Cum alios ſimpliciter nominare ſit contentus. Nempe eò ſpectavit, quòd Mediolanenſium res non ſatis bona fide conſignârit. Quo pertinent & verba illa libro ſeptimo: *Parum vere Antoninus Archiepiſcopus per factiones depugnatum ſcribit, & Gibellinos à Gradenico duce ſtetiſſe: contra verò Teupolos, atque Quirinos, adjunctis Guelphis, totis viribus, ut principatu illum dejicerent, innixos eſſe. Nam ſi certamen aut ordinum, aut factionum, & non pro libertate patria fuiſſet*, & quæ ſequuntur.

Ioannes Hagen, ſive de Indagine, anno circiter cIↄ cccc XL, ipſe annos natus XXV Erphordiæ Cartuſianus monachus factus eſt. Prior fuit, tum prope Stetinum in domo Gratiæ Dei: tum prope Ienacum in Thuringia, in domo S. Eliſabethæ. Longè plurima ingenii peperit monumenta: quæ non videntur viſa Arnoldo Boſtio. Adeò jejunè de eo tractat de Viris illuſtribus Ord. Carthuſ. cap. XXVIII. At accuratè recenſet Theodorus Petreius in bibliotheca Cartuſiana. Inter ea eſt Chronicon triplex. Primum ab orbe condito uſque ad ann. cIↄ cccc LXXI. Alterum eo brevius. Tertium breviſſimum. Obiit circa annum cIↄ cccc LXXV, anno monachatus ſui XXXV. Alius ab hoc eſt Joannes de Indagine, cujus chiromantia, phyſiognomia, & aſtrologia judiciaria exſtant. Nam ille opus ſuum anno cIↄ Iↄ XXII dicavit Alberto, archiepiſcopo Moguntino, & Cardinali Tit. S. Angeli.

Ambroſius Contarenus, qui ab illuſtri Venetorum Rep. ad Uſuncaſſanum, Perſiæ regem, legatus fuit, ſcripſit itinerarium in Perſiam. Eo complexus fuit, quæcunque memoratu digna contigiſſent à primo die Quadrageſimæ anni cIↄ cccc LXXIII. quo Venetiis diſceſſit, uſque ad XXIV Febr. anni cIↄ cccc LXXVII, quo Venetias eſt reverſus. Ex Italico Latinè vertit Jacobus Geuderus. Inter Perſicæ verò hiſtoriæ ſcriptores Latinos reperitur.

Fuit & tum B. Platina, qui utrùm Baptiſtæ, an Bartholomæi prænomen habeat, non ſatis convenit: Baptiſtam vocat Jac. Bergomas in Suppl. Chr. & Albertus Leander in deſcriptione Lombardiæ Tranſpadanæ, item Floridus Sabinus apologia contra calumniatores L. L: at Bartholomæum appellat Raphaël Volaterranus lib. XXI, comm. Urb. item Arnoldus Boſtius in illuſtribus Viris ordinis Carthuſiani cap. XXI. Atque his planè fidem habemus, non quidem ob majorem dicentium auctoritatem; ſed quia epiſtola ejus ad Jacobum Piccolominæum, Cardinalem Papienſem, ſic inſcribitur, *Barth. Platina Jac. Cardinali Papienſi.* Ac Piccolominæi ad Platinam epiſtola (quæ Senæ exarata anno cIↄ cccc LXIX) itidem habet, *Barth. Platina.* Patriâ fuit Cremonenſis: atque, ut de eo Volaterranus ſcribit, *cum F. Gonzaga Cardinale Mantuam venit; deinde factus Xiſti Pont. contubernalis, ſimul ab eo opibus auctus, ædes ſibi in Quirinali paravit: ubi & deceſſit ſexagenarius.* Cùm alia poſteris prodidiſſe, tum libros tres de rebus urbis Mantuæ, & familia Gonzagæ, auctor eſt Conr. Geſnerus. Sed imprimis innotuit opere de vitis pontificum uſque ad Paullum II: à quo (quod Volaterrano præteritum miror) in carcerem conjectus, & totis quatuor menſibus detentus fuit, cùm Pomponii Læti, aliorumque eruditorum cauſſam (qui conjurâſſe adverſus eum dicebantur) defendendam ſuſcepiſſet. Opus verò ſuum dedicavit Xyſto, ſeu Siſto IV, à quo præfectus erat bibliothecæ Vaticanæ. Ab hoc Sixto Pontifice, Pontificum XIV hiſtoriam uſque ad Pium V, Platinæ adjecit Onuphrius Panuinus. Obiit Platina Romæ peſtilentiâ anno cIↄ cccc LXXXI, uti idem Bergomas, & Maffæus in Chronicis, teſtantur. Fuiſſe tum ſexagenarium, præter Volaterranum etiam Leander tradit loco antè memorato. Ubi & eum ab eloquentia, & doctrinæ ſingulari, commendat. Volaterrani de eodem judicium hujuſmodi eſt, *virum fuiſſe gravem, & procul mendacio, eoque admiratione digniorem, quòd jam provectâ ætate, ac tirocinio poſito, quod totum militiæ primo tradiderat, literas didicit.* Eraſmus de eo ſic ſcribit in Ciceroniano ſuo: *In hiſtoria valiturus erat, ſi nactus fuiſſet argumentum felicius. In optimo cive, & panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, ſed tanto intervallo, ut hoc nomen non promereatur eruditorum calculis: alioqui vir doctus, facundus, &, ni fallor, bonus.* Floridi Sabini opere, quo ante dixi, tale judicium eſt; *Summorum pontificum vitam eleganter ſcripſiſſe, eoque immortalem ſibi gloriam peperiſſe.* Mirum autem, poſt Pontificum vitas de re culinaria ſcribere voluiſſe. Quod epigrammate quodam feſtivè ridet Actius Syncerus.

Nicolaus Perottus, natus Saxoferrati (quæ & Bartoli J. C. patria fuit) archiepiſcopus Sipontinus, vir Græcis Latiniſque literis pereruditus; ut de eo judicat Leander, & monumenta ejus teſtantur, claruit anno cIↄ cccc LX. Diſertiſſimum virum nominat Philelphus epiſtola ad Albertum Zancarium anni cIↄ cccc LIII. Laudes Frederici III. complexus fuit. Item poſtulato Nicolai Pontificis primos quinque Polybii libros vertit Latinè. Eam tranſlationem excudit Aldus. Inimicitias unà cum Angelo Sabino exercuit adverſus Domitium Calderinum; atque Angelum, cùm adverſus Calderinum ſcriberet, adjuvit. Ac Domitius quidem, cùm in ſcriptis ſuis utrumque reprehendit, Perottum Fidentini, Angelum autem Brothei nomine deſignat: ut eſt apud Gyraldum dialogo de poëtis ſui ſeculi. Quid vero in eo laudabile, quid culpandum ſit, optimè dicet Caſaubonus præfatione ad lectorem, quam Polybio ſuo de prioribus hiſtorici hujus interpretibus præmiſit. Inter alias culpas eſt, quòd ſæpe Livium exſcribens dicat, quæ Polybius non dicit. Senex juxta Sentinum in villa, cui à ſecuro otio Fugicuræ nomen dederat, curare ipſe res deſiit humanas. Plura de eo Jacobus Bergomas lib. XV ad an. cIↄ cccc LIV, Raphaël Volaterranus Urbanorum Comm. lib. XXI, & Paullus Iovius in elogiis doctorum virorum.

Franciſcus Philelphus Anconitanus, eques auratus, & poëta laureatus, Emanuelis Chryſoloræ gener, Palæologi imperatoris Conſtantinopolitani ad Pontificem, & Italos principes, legatus. Gener fuit Emanuelis Chryſoloræ, ut ipſe ait Philelphus hecatoſtichorum lib. IX, ſat. VIII, & epiſtola ad Nicolaum ann. cIↄ cccc XXXVIII. Nomen conjugi Theodora Chryſolorina: quæ deceſſit Mediolani anno cIↄ cccc XLI: ut ipſe ſcribit ad filium Ioannem Marium. Latinas Græcaſque literas docuit (ut Leander in Piceni deſcriptione ait) Bononiæ, Romæ, Mediolani, Florentiæ, Patavii, & Mantuæ. Bononiam venit anno cIↄ cccc XXVIII, ac facultatem oratoriam & moralem philoſophiam ſalario aureorum cccc L: quorum trecenti ſolvebantur ex ære publico: centum & quinquaginta ab Lodovico Alamando, Cardinale Alatenſi, Pontificis legato: ut ipſe auctor eſt Philelphus epiſtola ad Io. Auriſpam. Florentiam ivit anno cIↄ cccc XXIX, extremo menſe Martio, ut indicat epiſtola ejus eo anno Florentiæ ſcripta ad Antonium Luſcum Pontificis ſecretarium. Salarium hic ei aureorum quingentorum, ut liquet ex epiſtola ad Ioannem Lamolam. Mediolanum profectus anno cIↄ cccc XL menſe Ianuario, ut ait epiſtola ad Bonium Salam: eo, ut refert ad Honorium Strozam, à duce inclito Philippo Maria vocatus erat, ac ſub tribus etiam ducibus, qui poſtea rexere, eo in genere vitæ perſeveravit. Præter duos conviviorum libros (quos etiam Ludovicus Vives ab hiſtoriæ, & antiquitatum, atque item philoſophiæ cognitione, impenſe laudat) reliquit Sforciados libros, quibus *æquas dicta factis, & de rebus bellicis canis quodammodo bellicum*: ut eo de opere ad Philelphum ipſum in

in epiſtolis ſuis loquitur Jacobus Picolominæus, cardinalis Papienſis. In iis ſcribendis verſabatur jam anno cIↄ cccc LII, ut cognoſcimus ex literis ad Xenophontem Tolium miſſis eo anno. Primùm octo tantum fuere, quibus nonum adjecit poſtea. Eum anno edidiſſe cIↄ cccc LXXIII, cognoſcimus ex ejuſdem Piccolominæi alia ad hunc Philelphum epiſtola. Ipſius Sfortiæ juſſu hoc opus ſcripſiſſe, Jovius auctor eſt in Sfortiæ elogio. Præterea in literas retulit vitam Nicolai Papæ V, ut Thritthemius ait, pro quo apud Geſnerum legas, S. Nicolai Pontificis: at apud Poſſevinum ἁπλῶς S. Nicolai. Tranſtulit quoque Xenophontis Cyropædiam: item Plutarchi Theſea, Othonem, & Galbam. Etiam poſtulato Gerardi Landriani, Cardinalis Comenſis, tranſtuliſſe videtur Philonem de vita Moſis; ut indicat epiſtola ab eo ad Landrianum hunc exarata Mediolani an. cIↄ cccc XL. Quæ præterea reliquerit, cognoſces ex Chron. Suppl. Jac. Bergomatis lib. XV, & Tritthemio in Catal. Vide præterea de eo Volaterranum lib. XXI. Multa etiam de vita ſua ipſe refert Philelphus epiſtola ad Piccolominæum, quæ incipit, *Poſteaquam præſtantis Archiepiſcopo Mediolanenſi.* Illud ſane ridiculum, quod de eo à Paullo Jovio proditum eſt. Cùm de modulo ſyllabæ contentio ei foret cum Timotheo Græculo: atque ita conveniſſet, ut ſi vinceretur, pecuniâ ipſe lueret errorem: ſin vinceret adverſarius, barbam ſibi totam ſineret recidi: victor uſque adeò fuerit inexorabilis, ut barbam eâdem redimi pecuniâ minimè pateretur: ſed miſello Timotheo, non ſine ludibrio, eam novaculâ abradi totam neceſſe foret. Tres ei teſtes fuiſſe, proditum eſt, ut ait Cœlius Rodiginus Antiq. Lect. lib. XVII cap. XII. Exſtant in eum tres invectivæ Poggii Florentii, quibus & genus, & mores mirè exagitat, ac perſuadere conatur, fuiſſe nequiſſimum, & plurimis vitiis contaminatum. Luculentum Philelphi elogium exſtat apud Alexandrum ab Alexandro. Quid etiam de eo ſenſerit Eraſmus, ex Ciceroniano ejus cognoſcere potes. Eidem in vita B. Hieronymi operibus ejus præfixâ, dicitur *vir quidem eruditus, ſed interdum plus ſatis φίλαυτ&.* Floridus Sabinus hunc in modum de eo ſcribit apologia in calumniatores Linguæ Latinæ: *Franciſcus Philelphus multa ſcripſit, ut orator, & poeta: de cujus epiſtolis, dialogis, & orationibus, aliiſque ſoluta orationis monumentis, diverſa ſunt doctorum ſententiæ. Plurimi enim judicium ei defuiſſe volunt: alii tumidum eum, plerumque; alicubi exilem, perſæpe aridum, jejunumque arbitrantur, licet ſibi vel maximè placentem: doctus tamen fuit, & magna auſus.* Florentiæ, vel, ut alii volunt, Bononiæ, non quidem nonagenarius, ut nonnulli prodidere; ſed tamen octogenario major deceſſit. Nam natus fuit anno cIↄ ccc XCVIII, VIII Kal. Sept. at obiit an. cIↄ cccc LXXXI: ut etiam eſt apud Chriſtianum Maſſæum Chronici ſui lib. XIX. Filium habuit vehementis ingenii grammaticum, Marium Philelphum, quem ſtudiorum cauſſa Conſtantinopolim miſit pater: ſed conqueſtus evaſiſſe indoctiorem, quam venerat: ut cognoſcimus ex epiſtola ad eum Conſtantinopolim ſcriptâ anno cIↄ cccc XLI. Idem Venetias honorificè vocatus ad docendum ibi Oratoriam, ac philoſophiam, quod anno contigiſſe cIↄ cccc LX, conſtat ex literis patris ad Petrum Eutychium. Poſtea, ut apud alios lego, Mantuam vocatus à Frederico Gonzaga, literarum ibi ſtudia profeſſus fuit, atque inibi reliquit aliquot ingenii ſui monumenta: atque anno uno ante patrem terris exceſſit. Fallitur enim Jovius, qui poſt parentem diem ſuum obiiſſe arbitratur. Filium hunc rhytmis, ac cantilenis inclaruiſſe, à Paullo Langio refertur in Chronico Citizenſi. Etiam alterius filii, cui nomen Xenophonti, meminit epiſtolâ ad Franciſcum Patricium, & altera ad Antonium Michaëlem: utraque anni cIↄ cccc LI: item aliis ad alios eopſe anno, & ſeqq. exaratis. Imò ternas ad ipſum Xenophontem literas habemus anni cIↄ cccc LII; binas anni cIↄ cccc LVI, & alias deinceps miſſas. Meminit & filiæ Angelæ, ejuſque deſponſatæ. Habuit & alterum filium, nomine Cyrum, Lilio Gyraldo notum; ut apud eum eſt dialogo de poëtis ſui ſeculi. Uterque filius ei natus fuit ex Chryſoloræ, doctiſſimi hominis Græci, filiâ: ut ibidem legas. Ubi & reperies, quid de Philelphi patris πολυγραφία, & filii Marii ingenio, judicârit.

Antonius Panormita, Siculus, vir Philippo Mediolanenſium principi gratiſſimus, publicè octingentis aureis annuis docuit ſtudia literarum. Poſtea, ut quoque eſt apud Raphaëlem Volaterranum, Alphonſo regi epiſtolarum magiſter fuit: deque ejus dictis ac factis edidit libros IV. Eos verò Æneas Sylvius, qui iiſdem temporibus vixit, commentariis illuſtravit. In quibus dicta, factaque Alphonſi memorabilia ſigillatim comparat, cum Cæſarum, Principumque Germanorum, & aliorum apophthegmatis. Utrumque opus, ſeorſim antea excuſum ἀνωμάλως, atque emendatius in Germania a prodiit cura Marquardi Freheri, V. Cl. Panormita hic à Bartholomæo Facio initio lib. de humanæ vitæ felicitate *poeta, atque eques præclarus* nominatur: & mox, *clarus & ſingularis poeta, & juriſconſultus.* Ac paullò pòſt ait Sigiſmundo Imp. laurea donatum corona, more majorum, quæ res uſque ad id tempus contigiſſet nemini. Exſtat ad eum Philelphi epiſtola anno ſcripta cIↄ cccc XL, & alia anni cIↄ cccc LVIII. Elegantiarum pater vocatur à Joviano Pontano, qui & eleganti carmine mortui memoriam eſt proſecutus. Vide & quæ de eo in elogiis ſuis retulit Jovius.

a Hanoviæ an. 1611.

Æneas Sylvius, Piccolominæus, qui poſtea vocatus eſt *Pius ſecundus*, patria Senenſis, ſcripſit longè plurima, quæ recenſent Platina in ejus vita, & Jac. Phil. Bergomas lib. XV ad an. cIↄ cccc LIV, ut alios mittam. Inter ea, quæ hiſtoriam ſpectant, eſt liber de rebus à ſe geſtis. Item hiſtoriola de amoribus duorum, quos fictis nominibus Eurialum ac Lucretiam appellat. Eam paucis quoque refert is, quem dixi Jac. Bergomas ad an. cIↄ cccc XXXIV. Item Coſmographiam reliquit, in qua non modò ſitum locorum ob oculos ponit; ſed etiam de regibus, ac principibus agit, qui in orbe claruerunt. Europam idem luculento depingit commentario, atque in hac narrat res memorabiles ſui ævi. Aſiam quoque in pontificatu ſuo deſcribere aggreſſus fuit, ut idem Bergomas refert: ſed minorem ſolùm abſolvit. Deſcripſit quoque urbem Viennenſem. Conſignavit & acta concilii Baſileenſis; cujus ſingulis conventibus, adhuc clericus ceremoniarum, ut vocant, interfuerat. Ea in faſciculo rerum expetendarum primus edidit Orthuinus Gratius; dicavitque Joanni Helmando, nepoti ejus Helmandi, qui & ipſe ſynodo illi interfuerat; quem ſenem admodum à ſe viſum idem Orthuinus refert. Fecit etiam, ut Platina ait, *rerum ſui temporis in Italia geſtarum libros* XII; *quod opus nondum abſolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, niſi emendaretur.* Denique condidit quoque Æneas (quâ præcipuè memorari hic debet) hiſtoriam Boëmicam. Ea deſinit in anno cIↄ cccc LVIII: quo ipſo Romanus fuit Pontifex factus. Quibus autem gradibus eò pervenerit, vide apud ipſum epiſt. CCI. In adoleſcentia biennium audivit Philelphum; ut ipſe ait Philelphus epiſtolâ ad Nicolaum Arcimboldum ſcriptâ anno cIↄ cccc XXXI. Et commendat eum ab ingenii acrimonia, dicendi lepore, ac moribus urbanis, & cultis. Floridi Sabini apologia adverſus L. L. calumniatores, tale de eo, ſed adulto, judicium eſt: *In hiſtoria eſt nonnullis ex recentioribus ordine poſtponendus, orator argutus, vehemens, candidus, poëta itidem non vulgaris.* Obiit anno cIↄ cccc LXIV, anno LXIII.

Nicolaus Segundinus, ſeu Secundinus b, *Turcarum genealogiam à ſe Latino ſermone conſcriptam Pio Papæ dicavit:* ut ait Paullus Jovius c opere de viris Turcicorum Impp. Ac meminit quoque ipſe Pius in Aſiæ deſcriptione cap. XXIX. ubi ſic de eo loquitur: *Nicolaus Segundinus, multâ eruditione præditus, Græcas ac Latinas literas apprimè callens, de Turcis ad nos ſcribens, Aſiaticos Scythas illos eſſe fatetur.* Laudat & Jo. Cuſpinianus, in Impp. Romanis. Item libro de origine Turcorum. Quæ verba apponi merentur: *Nicolaus Euboicus Segundinus, qui ab aliis Segundinus dicitur, vir Græcè & Latinè peritiſſimus, qui Florentiæ ſub Eugenio quarto, ubi Græcorum conſ-*

b Al. Segundinus.
c In vita Celebini Turcici Imp.

*cauſſâ concilium agebatur, eruditiſſimè diſputationes Græcorum interpretabatur, ac illuſtre nomen fidi interpretis conſecutus eſt; ad Æneam Sylvium, Senenſem tum præſulem, libellum ſcripſit terſiſſimum de origine, & familia Ottomannorum.*

Leodriſius Cribrellus Franciſco Philelpho, & Æneæ Sylvio, æqualis fuit, ac tum proſâ, tum verſâ oratione claruit in Italia. Philelphi ad eum epiſtola ſcripta anno cIↃ CCCC LI. Sfortiæ, ac filii ejus Franciſci hiſtoriam condidit, ut Paullus Jovius teſtatur, in Sphortiæ elogio, cui *Leodoriſius* vocatur. Ex Græco vertit epiſtolam B. Chryſoſtomi ad Cyriacum epiſcopum, exulem: ut ipſe de ſe refert epiſtolâ ad Æneam Sylvium. Meminit & ejus cum honore idem Æneas extremo capite undequinquageſimo hiſtoriæ de Europa. Exſtat & ad eum Jacobi Picolominæi, cardinalis Papienſis, epiſtola, qua epigramma ejus commendat.

Jacobus, cognomine quidem Ticinenſis, verùm patriâ Volaterranus, obſcuro loco natus erat, ſed virtutis ergo à Papa Pio in Cardinalium ordinem allectus fuit. Hic præter epiſtolarum libros, etiam ſuorum temporum commentarios edidit. Atque, ut de eo judicat Leander in deſcriptione Italiæ, *ſupra ſuavitatem ſtyli, haut vulgarem oſtendit eruditionem, ut non minus juvet, quàm delectet.* Mirum autem, ut idem obſervat, non meminiſſe popularis ſui, Raphaëlis Volaterrani, cùm mentionem faciat complurium, qui eruditione non paullò eſſent inferiores.

Circa hæc tempora claruit & Antonius Tudertinus, cui patria Tuder, Umbriæ oppidum. Hominem Latinè, Græceque doctiſſimum appellat Leander Albertus in Italia. Varia tranſtulit è Græco Latinè, ut ibidem dicitur, interque ea vitas Plutarchi haſce, Pompeji, Timoleontis, Agidis, & Cleomenis. Meminit & Eraſmus in Ciceroniano ſuo. Oxoniæ in bibliotheca Collegii Novi habes duos Tudertini hujuſce codices MSos. Unum eſt conſolatio ad monachum quendam de obitu Cardinalis. Alterum verò in laudem Florentiæ.

Ludovicus Vicentinus erat vicarius generalis Ordinis Min. quem honorem Auximi in concilio ſui ordinis conſecutus fuit anno cIↃ CCCC LXI. Hic præterquam quòd Ordinis ſui Conſtitutiones breviùs conſtrinxit, & melius digeſſit, etiam ad Cardinalem Agrienſem ſcripſit vitam S. Bernardini Senenſis.

Iiſdem temporibus vivebat Franciſcus Caſtilionenſis, presbyter, & canonicus S. Laurentii Urbis Florentinæ. Exſtat ad eum epiſtola Marſilii Ficini. item ſuperſunt literæ ejus ἀμοιβαῖαι, & Jacobi Picolominæi, cardinalis Papienſis. Octennium, & ultrà, vixit in ædibus B. Antonini, Florentini archiepiſcopi. Cujus & vitam poſtea in literas retulit. Obiit autem B. Antoninus anno cIↃ CCCC LIX. Quod inter alia ætatem Caſtilionii ſatis indicat. De hoc verba ejus ſunt iſta præfatione in vitam Antonini: *Vitam ſanctiſſimi viri, Antonii, Florentini præſulis, qui* HOC ANNO *ex vita migravit, literis memoriæque mandare conſtitui. Quamquam enim plures ſint alii docti viri in noſtra civitate, quibus & doctrinâ, & ingenio facile cedam; qui rem hanc poſſent ſententiis, & amplitudine orationis illuſtrare: tamen quia apud eum virum fui & domi ſua ultra* OCTAVUM *annum; geſtaque ejus ſingula, aut bonam partem, propriis oculis vidi, auribuſque hauſi: ad me potius hoc onus officii, quàm ad quemvis alium, meritò deferri, ac pertinere, ſum arbitratus.* Poſtea autem etiam conſignavit martyrium Antoninianum, hoc eſt, Antonii de Ripolis Pedemontani, monachi Dominicani, qui B. Antonini, Florentini præſulis, diſcipulus fuit, Antonius iſte de Ripolis: à Tunetanis captus, veritatem religionis Chriſtianæ abnegârat: hinc quattuor menſes in Mahometi fide permanſit: exinde, cùm nihil ſani in Alcorano reperiret; & de recenti obitu præſulis quondam ſui, B. Antonini, ejuſque miraculis, cognoſceret: pœnitudine ductus ad Chriſtianam religionem rediit: cumque ab ea nullis barbari regis minis revocari ſe pateretur, lapidibus obrutus Chriſto ſpiritum commendavit. Atque hæc ex Conſtantini Cyprii, qui præſens adfuerat, & ore, & epiſtolâ, ſe hauſiſſe, Caſtilionius profitetur. Porrò & illam Antonii ſeu Antonini archiepiſcopi vitam, & deſcriptionem iſtam martyrii Antonii de Ripolis, operi ſuo de illuſtribus viris Ord. Præd. intexuit Leander Albertus. Archetypa autem reperiuntur in bibliotheca abbatiæ Florentinæ. Poſſevinus auctor eſt, ibidem & alia ejuſdem Caſtilionii archetypa ſupereſſe. Uti ſermonis de vita S. Marci Papæ in qua de dignitate tractet S. Laurentii, & ſanctorum reliquiis in eo adſervatis. Adhæc vitas S. Vincentii, S. Petri Veronenſis martyris, & S. Thomæ Aquinatis. Primum metuebam, ne de auctoribus trium vitarum falleretur, & falleret. Sanè in Leandri opere vita Vincentii eſt ab Jo. Antonio Flaminio; S. Petri vita à Joanne Garzone, uti & illa Thomæ Aquinatis. Parùm autem veriſimile fiebat, Flaminium, & Garzonem, actum agere voluiſſe. Verùm poſtea in volumine epiſtolarum Jacobi Picolominæi, Cardinalis Papienſis, reperi Franciſci hujus Caſtilionæi epiſtolam ad Piccolominæum, in qua ſe hiſtoriam S. Vincentii conſignaſſe, ac Piccolominæo mittere, ipſe ait. Vitam Caſtilionii hujus tradiderunt Orlandus Bonardus, Archiepiſcopus Florentinus, & Chriſtophorus, archipresbyter Bononienſis. Meminit & Antonius Benivenius libro de abditis morborum cauſſis cap. LXII: ubi ait ſe ſub præceptore Franciſco Caſtilionenſi religioſo viro, literis Græcis operam dediſſe. Etiam paullo poſt vocat virum doctum, & in philoſophia ſatis eruditum.

Anno cIↃ CCCC LXVIII claruit Rodericus Santius de Arevalo, utriuſque juris, & artium profeſſor, epiſcopus Palentinus, Hiſpanus; Henrici IV, Caſtellæ, & Legionis regi, capellanus, auditor, & conſiliarius; Caſtri S. Angeli, quod eſt Romæ, Paullo II. Papæ Caſtellanus. Scripſit ingens volumen de rebus Hiſpanicis. Meminit Volaterranus quoque. Ac Vaſæus in Hiſp. Chron. cap. IV ait, vidiſſe illud ſe in bibliotheca Colonica, cùm ei præeſſet: poſteaque repeniſſe Valliſoleti in bibliotheca collegii Cardinalis Petri Gonſalis Mendozii. Primùm in Italia excuſum fuit: poſtea in Germania recuſum eſt typis Wechelianis Tomo III Hiſpaniæ illuſtratæ. Diſpiciendum eſt, idemne, an alius ſit, *Alphonſus à Palentia*, quem Latinè res Hiſpanicas prodidiſſe, legas in catalogo virorum illuſtrium, qui adjungitur hiſtoriæ Joannis Caſtellæ. Sed Vaſæus inibi agnoſcit, nullius Palentini epiſcopi, cui nomen Alphonſo fuerit, de rebus Hiſpanicis opus in manus ſuas veniſſe: ac ne quidem ſe incidiſſe in ſcriptorem quemquam, qui ejus meminerit. Ut ſuſpicio eorum non de nihilo ſit, qui eundem hunc, ac Rodericum de Palentia, arbitrantur. De hoc Roderico Palentino, atque inſimul antiquioribus duobus, Luca Tudenſi, & Roderico Ximenio Toletano, tale judicium eſt Alphonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis, Rhetoris Complutenſis [a], *cùm non ad voluptatem aurium, ſed ad memoriam, & judicium poſteritatis ſcripſiſſent; cùm à deliciis longiſſimè, tum ab ineptiis, & mendacio, procul abfuiſſe.*

[a] *Libro de doctis viris, & Academiis Hiſpaniæ.*

## CAP. VIII.

*Georgius Trapezuntius de Andrea Chii martyrio. Michaël Carrarienſis de vita patris ſui Guidonis. Petrus Natalis, ſive Equilinus, de vitis Sanctorum. Alexandri Benedicti diarium belli Carolini. Paullus Lulmius de vitis quatuor ſanctarum. Palladis Fuſci hiſtorica, & geographica. Franciſcus Diedus de S. Rocho. Georgii Merulæ Alexandrini Hiſtoria ducum Mediolanenſium. Feus Belchamus de vita B. Columbani. Jacobus Piccolominæus de vitis pontificum, item de geſtis ſui temporis. Auguſtinus Patricius de actis in conventu Ratiſponenſi temporibus Papæ Paulli II. Joſephi Barbari itinerarium geminum, ad Tanaim unum, atque alterum in Perſiam. Jacobus Zenus de Pontificum vitis. Guilielmi Pariſienſis Nanceis, ſive poëma*

*de clade Caroli Audacis. Joannes Nicolaus Euboicus de origine & geſtis Turcarum. Chriſtophorus Perſona, Agathiæ, & Procopii interpres. Jacobus Poggius, ſeu Brandolinus, de geſtis Piponis Spani Florentini. Bernardus Juſtinianus de vita Laurentii Juſtiniani patriarchæ: deque origine Venetiarum, & corpore Marci Evangeliſtæ Venetias tranſlato. Ambroſii Corani vita. Joannes Matthias de martyrio pueri à Judæis necati. Ægidii de Roja annales Flandrici. Octavius de Martinis Sueſſanus de vita S. Bonaventuræ. Felix Petantius de ratione aggrediundi Turcam: item de genealogiis Turcicis. Matthiæ Palmerii ad Chronica Euſebii poſt Proſperum, & Matthæum, appendix. Jovianus Pontanus de bello regis Neapolitani cum duce Andegavenſi. Alexandri ab Alexandro Dies geniales. Annii Viterbienſis ſcriptores ſuppoſititii. Aurelius Brandolinus Lippus de Sanctis compluribus. Thomas Baſinus de geſtis ſui temporis. Joannes Dominicus Spazzarinus de rebus Patavinis. Alamannus Rinucinus, Philoſtrati interpres. Guilielmus Courſinus de obſidione Rhodi. Hieronymi Forolivienſis fragmentorum hiſtoricorum collectio. Franciſcus Patavinus de vita S. Leopoldi. Baptiſtæ Fulgoſi libri Memoralium conſcripti ad exemplum Valerii Maximi. Salvus Caſſetta de vita S. Vincentii Valentini. Antonii Geraldini Faſti, aliaque poëmata hiſtorica. Ioannis Margarini Gerundenſis paralipomena Hiſpaniæ. Julii Pomponii Læti compendium hiſtoriæ Romanæ de magiſtratibus libellus, & de antiquitatibus Romanis. Eundem videri Virgilii interpretem, qui vocatur Julius Pomponius Sabinus. Bartholomæi Scalæ Hiſtoria Florentina. Jacobus Bracellus de bello inter Hiſpanos, & Genuenſes. Carolus Verardus de expugnatione Granatæ, deque rebus Bæticis dialogi ejuſdem. Bernardini Corii Chronicon Mediolanenſe. Antonii Galatei deſcriptio Japygiæ, & Callipolis, & villa Laurentii Vallæ. Nicolaus Dathus de vita Auguſtini Dathi. Joannes Maria Politianus de B. Alberto Drepanenſi. Ponticus Virunnius de rebus Britannicis ex Gaulfrido Monamuthenſi. Philippus Callimachus Experiens de Tartaris & Perſis adverſus Turcas concitandis: deque Attila, & geſtis Vladiſlai. Paullus Attavantius de origine Ord. Servorum B. Mariæ, & B. Franciſco Senenſi, & Philippo Flor. Donati Boſſii chronicon, deque epiſcopis Mediolanenſibus liber. Hermolaus Barbarus de ſcribenda hiſtoria. Ioannes Antonius Pantheus. Donatus Acciaolus de vita Karoli, & vitæ ab eo ex Plutarcho tralatæ. Ioannes Simoneta de Franciſci Sfortiæ geſtis. T. Alexander Corteſius. Bonifacius Simoneta de perſecutionibus Chriſtianorum, & vitis Pontificum. Ugolinus Verinus de illuſtratione urbis Florentinæ, aliaque ejuſdem poëmata hiſtorica. Antonius Cornazanus de vita Bartholomæi Colonei. Hieronymi Albertucii Burſelli, ſive Bononienſis, Chronicon, variaque de monachis Ord. Prædic. Angeli Politiani tranſlatio Herodiani, & liber de conjuratione Pacciana. Pacifici Maximi Aſculani poëmata hiſtorica.*

HI in Italia, Sicilia, Gallia, Hiſpania, vixere, imperante Frederico III; pontificibus Eccleſiæ Romanæ, Eugenio IV, Nicolao V, Caliſto III, & Pio II. Hoc eſt, primis XVII annis Frederici Imp. Proximis verò XXXVI ejuſce imperatoris annis, cùm eidem Eccleſiæ præſiderent Paullus II, Sixtus IV, Innocentius VIII, & Alexander VI, terris illis claruere ii, quos deinceps referam.

Nec tamen dubitabo unum iis præmittere, qui, puto, minimè indignabitur, ſi, domicilii ratione, Italiæ accenſeatur. Eſt is Georgius Trapezuntius, vir in Cretâ natus; ſed qui à Trapezunte, Cappadociæ civitate, nomen ſibi impoſuerat, quia ad eam genus paternum referret. Natus fuit prid. Non. April. anno cIɔ ccc XCVI. At temporibus Eugenii Papæ ejus nominis IV, Romam venit; atque ibi gymnaſio præfectus annos multos Rhetoricam ac philoſophiam docuit: poſtea que à Nicolao V, Eugenii ſucceſſore ſcriba Pontificius factus fuit. Multa hic è Græcis vertit, nec pauca ipſe Latinè ſcripſit; eaque inter etiam B. Andreæ de Chio martyrium, quod paſſus eſt Conſtantinopoli an. cIɔ cccc LXV, XXIX die Maji; cujus ipſius anni menſe Novembri Trapezuntius Conſtantinopolim ſe veniſſe ait, initio ejus vitæ. Habes apud Surium Tom. III ad XXIX Maji. Pro quo XIX perperam apud Surium eſt editum. *Virum egregie doctum, deque re literariâ pulchrè meritum*, vocat eum Eraſmus in Ciceroniano: ſed addit abſolutiorem hoc fuiſſe Theodorum Gazam; quod veriſſimum eſt. Cum hoc tamen magna ſimultas ei fuit: cujus cauſa inde promanavit, quod hic ſcripſiſſet in præfatione Hiſtoriæ Ariſtotelis de animalibus ſeſe in iis libris Latinè reddendis à nullo adjutum, nec cum iis qui priores vertiſſent, certare velle, quos vincere nullum eſſe negotium. Id ægerrimè tulit Trapezuntius, qui eos libros verterat prior, ac tralatione ea, multorum judicio non exiguam laudem reportârat. Etiam ſimultas ei cum epiſcopo Alerienſi, cujus cauſam aperit in præfatione Straboni promiſſa. Exoſus quoque Trapezuntio fuit Joannes de Regio Monte, quia is librorum Ptolomæi περὶ μεγάλης πραγματείας tranſlationem, ac commentarios, à Trapezuntio factos reprehendiſſet iis libris, quibus Theonem Alexandrinum defendit. Hoc tam ægrè latum, ut cùm Regiomontanus Romam ſe contuliſſet, propterea à Trapezuntii filiis veneno exſtinctus tradatur à nonnullis. Obiit Romæ anno cIɔ cccc LXXXVI, idque admodum ſenex, & literarum penitus oblitus: unde & ſolus per urbem, baculo nixus, incedere malebat; ut de eo ſcribit Raphaël Volaterranus lib. XXI; qui & ante hanc immemoriam jam ſenem puer audierat docentem. Filium reliquit Andream Trapezuntium, qui patris defenſionem ſcripſit adverſus Theodorum Gazam: ac præfationem ad Sixtum Pontificem præmiſit tranſlationi paternæ Ptolemaici operis de magna conſtructione. Ea in præfatione narrat, ut pater ſuus Roma ob æmulorum invidiam conceſſerit Neapolim, comiterque habitus ſit ab Alphonſo, etiam publico ab eo cum liberis altus ſtipendio, ſed morte præventum non potuiſſe perficere opus, quod ſub manibus haberet. De oblivione verò prorſus tacet, quod dediſſe honori Parentis credibile eſt. Andreæ filia nupſit Fauſto Magdalenæ, Romano poëtæ, qui Leoni pergratus erat, atque anno cIɔ Iɔ XVII, Româ ab exercitu Karoli V. captâ, ac direptâ, Jovio teſte, periit. Atque hæc de homine Græco ſed ſcriptore Latino: qui ſi ad Occidentis ſcriptores minùs pertinere videatur, at de iis ſcrupulus erit nullus, quos deinceps ſubnectam.

Qualis eſt Michaël Carrarienſis, filius inſignis philoſophi, ac medici, Guidonis Carrarienſis. Deſcripſit is vitam patris ſui. Quæ præterea in lucem emiſerit, Philippus Bergomas docebit ad annum cIɔ cccc LXIX.

Petrus de Natalibus, Epiſcopus Equilinus, circa annum cIɔ cccc LXX quaſdam ſanctorum hiſtorias edidit: in quibus brevitatis, atque item veritatis ſtudioſior, ac omnino diligentior eſt, quàm Jacobus de Voragine: ut etiam judicat Wicelius in Hagiologii ſui præfatione. Interim Petrum hunc quoque *in aliquibus cum judicio legi* debere, meritò cenſet Vaſæus in Chronico Hiſpan. cap. V. Argentinæ eum excudit Martinus Flach anno cIɔ Iɔ II.

Alexander Benedictus Veronenſis, Medicus & Philoſophus, reliquit diarium belli Carolini. Vixit tempore belli Tarrenſis, circa annum cIɔ ccccLXXIV: ut cognovi ex indice Veronenſium ſcriptorum, ex Italia ad me tranſmiſſo cura clariſſimi Pignorii.

Paullus Lulmas, ſeu Lulmius, Bergomenſis, monachus Auguſtinianus, præter ſpirituale viridarium ſponſarum Chriſti, edidit & vitam, ac miracula beatæ Mariæ de Genua; item vitam B. Monicæ; adhæc vitam, ac miracula beatæ Magdalenæ de Como, & B. Helenæ de Utino, atque alia, quæ Jacobus Bergomas lib. XV Chronici, &

Trit-

Tritthemius in Cat. recenſet. Obiit Cremonæ, anno cIↃ CCCC LXXXIV.

Palladius Fuſcus, ſive Niger, Patavinus, claruit circa annum cIↃ CCCC LXX. Luculentum ejus elogium habemus apud Antonium Sabellicum De linguæ Latinæ reparatione, ubi legas, *Nec eſt, ut Palladium Nigrum ſileam, per quem proximis annis Romana in ea terra litera in antiquum ſunt ſtatum reſtituta.* Præter commentarios in Catullum, etiam reliquit quædam de bello Turcico: item fecit libros de Inſulis: adhæc ſcripſit de ſitu & ora Illyrici: præterea collectanea rerum non vulgarium compoſuit ad imitationem Gellii. Juſtinopoli, quæ Iſtriæ civitas eſt, in cathedra docens, apoplexiâ correptus, ac domum à diſcipulis portatus, nec multò pòſt mortuus eſt: ut apud Scardeonium legas lib. III claſſe X.

Franciſcus Diedus, nobilis patricius Venetus, philoſophus, ac juris utriuſque intelligens, præter epiſtolas, ac orationes, ſcripſit vitam S. Rochi Confeſſoris: cujus operis epitomen habes apud Haræum die XVI Aug. At opus ipſum integrum reperies in monumentis ſanctorum Veronæ; quæ Venetiis ſunt edita anno cIↃ IↃ LXVI. Cum laude hujus viri meminit Joannes Baptiſta Pajarinus extremo lib. II hiſtoriæ Vicentinæ; ubi cùm quædam de conſtanti Vicentinorum amore erga Venetum Senatum retuliſſet, ſubjungit iſta: *unde & Franciſcus Diedus, patricius Venetus, & eloquentiſſimus vir, in oratione, quam habuit de laudibus Bartholomæi Pajarini, Patavii anno* cIↃ CCCC LVIII, *id ipſum optimè demonſtravit.* Veronæ, ut Tritthemius ait, mortuus eſt, tempore Frederici III. anno cIↃ CCCC LXXXIII.

Fuit & tum Georgius Merula Alexandrinus, ab aquis Statiellis: unde & Statielatem ſe vocavit; ut ipſe indicat lib. IX. Hiſtor. Vicecomitum: & Hermolaus Barbarus in Plinio, Leander item in deſcriptione Lombardiæ Ciſpadanæ. Vir erat, & ingenio, & eruditione præſtans, atque, ut Jovio, in elogio Galeotti Martii, vocatur, *Grammaticorum exactiſſimus.* Florido etiam Sabino apologia adverſus calumniatores L. L. vocatur *vir doctiſſimus, & in ſcribendo maximè accuratus.* Quadraginta annis, partim Venetiis, partim Mediolani, docuit juventutem: multaque in literas retulit, quibus lucem adferret ſcriptoribus antiquis. Atque idem magnam rerum notitiam erat conſecutus: iiſque magis, quàm ſtylo, vacarat: ut de eo judicat Volaterranus lib. XXI. At Eraſmus in Ciceroniano de eo ſic ſcribit: *Georgium Merulam Alexandrinum eſſe, ſcio, an Græcus fuerit, neſcio,* (ex Italica Alexandria fuiſſe, diximus jam) *vir in reddendis Græcis ſplendidus, & elegans, ut cum veteribus multis conferri queat.* Præter philologica etiam libris decem, ad Ludovicum Sfortiam ſcripſit Antiquitates Vicecomitum, ſive de geſtis ducum Mediolanenſium. Excuſi ſunt Romæ. Etiam ab Aldo impreſſa eſt Montis Ferrati deſcriptio, & conflagratio Veſevi montis. Tranſtulit è Græco, quæ Dio de Trajano tradidit. Admodum ſenex, tonſillis fauces infeſtantibus, obiit Mediolani anno cIↃ CCCC XCIV: non admodum dolente Politiano. Quippe in cujus centuriam miſcellaneam ſe cohortes jactâſſet emiſſurum, quarum impetum non poſſet ſuſtinere: uti è Politiani ipſius epiſtolis diſcimus. Fuit mirè malignus, ac magnus eorum obtrectator, qui in eâdem palæſtra ſecum deſudarent: quemadmodum ex iis conſtat, quæ adverſus Domitium Calderinum ad Martialem annotavit: item ex præfatione Cornelii Vitellii Corynthii præfixâ operi pro Plinio, & Calderino, adverſus Merulam ſcripto: ubi inter alia refertur, ut nec præceptori Philelpho pepercerit; ſed ſumma cum inſolentia in eum, tamquam lenonem impurum, fuerit invectus: quæ cùm Philelphus legiſſet, bonus ſenex, jam octogenarius, tanto dolore affectus fuit, ut intra triduum vitam exhalârit. Meritò igitur ab Ægidio Maſerio Comment. in lib. VII Argonaut. in Valerii Flacci, illud *Neſciat, atque meum non oderit illa parentem* pro exemplo impietatis in præceptorem adducit hunc Merulam, quem vocat *ingratorum diſcipulorum principem, imò vitiſſimum vexillarium:* nec dubitat ibidem cum eo conferre diſcipulorum illos, à quibus Joannes Scotus eſt graphiis occiſus. Intelligendus autem non Ioannes Duns; qui vulgò *magiſter ſubtilis:* ſed Ioannes Erigena, deliciæ Caroli Calvi: de quo nos multa in ultimo Hiſtoriæ Pelagianæ. Hunc concitati ab aliis occidere diſcipuli, quia in dogmate de S. Euchariſtia non ſequeretur ſententiam communem.

Feus Belchamus, ſive, ut aliis nuncupatur, *Belcharius*, Florentinus, anno claruit cIↃ CCCC LXX, ac cùm aliis ſibi nomen paravit, tum vitâ B. Columbani, qui ordinem inſtituit Ieſuatorum. Anno deceſſit cIↃ CCCC LXXXIV.

Iacobus Picolominæus, Lucenſis, præceptores in eloquentiæ, ac poëſios ſtudio, habuit adoleſcens Carolum, & Leonardum Aretinos. Temporibus Papæ Nicolai V. Romam venit, ac ſecretarius factus eſt Cardinali Firmano. Mox ab obitu Nicolai V. idem Calliſto III. Papæ à ſecretis adſcitus fuit. Eodemque in honore eum apud ſe eſſe voluit Pius II, cùm Calliſto ſuccederet. Biennio pòſt præfectus à Pio eſt Eccleſiæ Papienſi: ac vigeſimo pòſt menſe presbyter cardinalis eſt deſignatus Tit. S. Chryſogoni. At proximo ante obitum biennio titulo eſt ornatus eccleſiæ Tuſculanæ. Atque hæc quidem partim de eo prodidit Iacobus Volaterranus a, Piccolominæi hujus ſecretarius, atque, ut loquuntur, protonotarius Apoſtolicus: partim ipſe de ſe Picolominæus refert lib. II commentariorum eorum, de quibus mox dicam. In literas retulit Pontificum vitas. Sed opus hoc Iacobus Volaterranus, quem antè laudavi, jam ſuo tempore, vel ab æmulis eſſe abolitum, vel alicubi, amicis ignaris, latitare, conqueritur. Item libris ſeptem reliquit quinquennii hiſtoriam geſta ſui temporis continentem. Eos commentarios, ſanè luculentos, orditur exinde, ut Pius II. expeditionem adverſus Turcas parans, Anconam profectus ſit. Deſinit autem in obitu Ioannis Carvagiali, Cardinalis S. Angeli. Præterea condidit grande epiſtolarum opus; quæ & elegantiæ nomine laudem merentur; & quòd multæ adeò de rebus graviſſimis tractent. Nec enim tam otii, quàm negotii cauſsâ, illas conſcripſit. Sunt ex numero IↃ CCLXXXII, quæ exaratæ ab anno cIↃ CCCC LXII uſque ad annum cIↃ CCCC LXXXIX, VI Eid. Aug. poſt quod tempus vix ultra menſem ſupervixit. Et illud commentariorum, & hoc epiſtolarum opus, primus Mediolani Alexander Minutianus typis divulgavit an. cIↃ IↃ VI. Ad Vulſinienſes profectus in S. Laurentii opp. deceſſit III Eid. Septemb. anno ætatis LVII. Romæ in æde Auguſtinienſium, ex Papæ, & cardinalium decreto, marmoreo conditus eſt ſepulchro. Sed, quemadmodum ex teſtamento ejus, quod epiſtolarum volumini ſubjungitur, cognoſcere eſt, optârat ipſe ſepeliri in æde S. Petri ad dexteram Pontificis Pii: à quo ut magnopere dilectus, ita ſummo honore affectus erat. Atque hujus animi ſui teſtimonium reliquit: quod tabellæ marmoreæ juxta ſepulcrum ſuum inſcribi petierat. Eſt hoc iſtiuſmodi:

a Præfatione quam præmiſit epiſtolis Picolom.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria: nomen,*
*Dum vixi Jacobus: mens bona pro genere.*
*Papa Pius ſedem Papienſem detulit: idem*
*Cardineo ornavit munere, gente, domo.*
*Quem colui vivens, non linquo mortuus. Hîc ſum,*
*Et propè ſancta patris filius oſſa cubo.*
*Vivite qui legitis, cæleſtia quærite. noſtra hæc*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

Auguſtinus Patricius, Franciſci Picolominæi, Cardinalis Senenſis, à Paullo ſecundo P. M. ad conventum Ratiſponenſem legati, ſecretarius, ea, quæ conventu illo acta ſunt, conſcripſit: opuſque id Iacobo Picolominæo, Cardinali Papienſi, dicavit Romæ anno cIↃ CCCC LXXI. Initium ejus eſt, *Poſt captam à Turcis Conſtantinopolim.* Pars illius inter epiſtolas Piccolominæi prodiit Mediolani an. cIↃ IↃ VI. Auguſtinum hunc ſimiam Ciceronis ob ſtudium ornandæ dictionis appellat Campanus epiſtolâ quadam inter eas Piccolominæi, quas diximus.

Io-

Ioſephus Barbarus, patricius Venetus, fecit librum de itinere ſuo, quod anno cIↄ cccc xxxvi inſtituit ad Tanaim; circa quæ loca annos moratus eſt ſexdecim. Item de itinere ſuo in Perſiam, cùm anno cIↄ cccc LXXI à Rep. Veneta legatus eſſet miſſus ad Aſambejum, Perſiæ regem. Tranſtulit hæc de Italico Latinè Jacobus Geuderus: ac Perſicæ hiſtoriæ ſcriptoribus adjungitur. In quorum volumine *a*, tum in frontiſpicio, tum etiam in epigraphe hujus itinerarii, conſtanter Ioſephus nuncupatur. Vero tamen nomine dictus eſt *Joſaphat*, ſive *Joſaphas*; prout ſemper eum nominat Callimachus Experiens in hiſtoria eorum, quæ à Venetis tentata fuere ad Tartaros ac Perſas contra Turcos concitandos. Ex quo ſcriptore etiam diſcas, natum eſſe patre Antonio Barbaro, ac fuiſſe linguæ Perſicæ gnarum, item alia, unde cognoſcas ad legationem ejus pertinentia; qualia vel ex Callimacho, vel Ioſepho ſive Ioſaphato ipſo, peti malo.

*a Edit. Francofurti an. 1601.*

Iacobus Zenus, patricius Venetus, epiſcopus Patavinus, inter alia prodidit vitas ſummorum Pontificum. Ex quibus ea, quæ ad donationem Conſtantini, & curationem lepræ pertinent, petere jubet Hieronymus Paulli Catthalanus, canonicus Barcinonenſis, Iuris utriuſque Doctor, & cubicularius Alexandri Sexti, in libello, qui inſcribitur Practica Cancellariæ Apoſtolicæ. Iac. Bergomas lib. xv teſtis eſt, obiiſſe Zenum Patavii anno gratiæ cIↄ cccc LXXVI. Mirum ejus auctoris à Scardeonio non factam eſſe mentionem in ſcriptoribus Patavinis. Nonnullis pro Zeno, Renus, ſed perperam, appellatur.

His etiam temporibus, & aliquanto pòſt, fuit Guilielmus Pariſienſis, Nanceidos auctor: unde non ſemel, hiſtoriæ cauſâ, verſus aliquot adducit Mejerus, lib. XVII Annal. Flandriæ: qui & ſcriptorem hunc appellat *b* poëtaſtrum Pariſienſem. Nanceis opus illud vocatur à Nancejo: eſt id præcipuum Lotharingiæ oppidum, celebre clade Burgundicâ anni cIↄ cccc LXXIV, quam poëta hic deſcribit.

*b P. 371.*

Iiſdem temporibus fuit Joannes Nicolaus Buboicus, Epiſcopus Saguntinus, qui anno cIↄ cccc XCVI Neapoli edidit in lucem librum de origine, & rebus geſtis Turcarum. Excuſus una cum Chalcondyla, & aliis rerum Turcicarum ſcriptoribus.

Chriſtophorus Perſona, qui & *Porſena* vocatus (ita poſt Geſnerum, & alios, nominat Robertus Conſtantinus in ſuo Nomenclatore) S. Balbinæ prior, Græcam linguam in Græcia didicit, exinde cùm alia tranſtulit, tum Agathiam, & Procopium, hiſtoricos Græcos. Obiit peſtilentiâ Romæ an. cIↄ cccc LXXXVI: ut Jac. Bergomas in Chron. teſtatur.

Iacobus Bracciolinus, ſeu Brandolinus, vel *Blandolinus*, nobilis oratoris Poggii Florentini filius præterquam quòd hiſtoriam Florentinam à patre Latinè compoſitam, in Hetruſcum convertit ſermonem; etiam geſta Piponis Spani Florentini Latinè deſcripſit. Iacobus hic (ut de eo Iovius in elogio Poggii ait) *jam defuncto patre, ex Pactiano ſcelere ſtrangulatus; in prætorii feneſtra cum cæteris pependit.* Idem tradit Politianus in hiſtoria conjurationis Pactianæ: ubi *Jacobum Poggium* appellat. Accidit hoc anno cIↄ cccc LXXVIII. Alius igitur ab hoc eſt, quem Leo X. amavit. De quo ſic in pontificis hujus vita idem Iovius lib. IV. *c. Mirè quoque favit Pogio ſeni, Pogii hiſtorici filio, Moro nobili à gulâ intemperantia, Bandino equiti, Marianoque ſannioni cucullato, facetiſſimis helluonibus, & in omni genere popinalium delitiarum eruditiſſimis.*

*c Pag. 98 Edit. Florent. an. 1549.*

Bernardus Iuſtinianus, Leonardi antè memorati filius, patricius Venetus, qui Urbis ſuæ nomine, anno cIↄ cccc LXXI ad Sixtum Pontificem legatus fuit, ſcripſit vitam patrui ſui Laurentii Iuſtiniani, protopatriarchæ Veneti: qui anno deceſſit cIↄ cccc LV. Ea tum operibus Laurentii hujus Baſileæ editis præfigitur: tum etiam apud Surium exſtat in Sanctorum hiſtoria T. I. die VIII Ian. Item de origine Venetiarum egit: idque, ut Iovii quoque judicium eſt, eleganter. Adhæc ſcripſit vitam Marci Euangeliſtæ, & de corpore ejus Venetias tranſlato. Quin Gothicam etiam hiſtoriam, ac præclarè quidem condidiſſe, autor eſt Iac. Bergomas in Suppl. Chron. quem vide ad annum cIↄ cccc LXXI. uti & Trithemium in Catal.

Ambroſius Coranus, qui aliis *Coriolanus*, Prior generalis ordinis Dominicani, varia edidit, & inter ea opus de vita, & laudibus B. Auguſtini: atque de viris illuſtribus ordinis S. Auguſtini: item de vita B. Chriſtinæ Spoletanæ: adhæc de laudibus urbis Romæ. Obiit Romæ an. cIↄ cccc LXXXV.

Ioannes Matthias Tiberinus, liberalium artium, & medicinæ doctor, anno Chr. cIↄ cccc LXXV deſcripſit Tridenti martyrium Simonis, innocentiſſimi pueri, à Iudæis crudeliter necati. Habes apud Surium a. d. XXIV Mart.

Ægidius de Roya, Gallus, S. Theologiæ Pariſiis profeſſor, & abbas monaſterii B. Mariæ de Regali Monte in Francia fuit: ac poſtquam monaſterium illud ſex annis rexiſſet, anno cIↄ cccc LX Dunas in Flandriam profectus eſt; ubi ſub Ioanne, abbate Dunenſi, Brandonis volumina, de quibus ſuperius nobis dictum eſt, legit: iiſque mirè adjutus, annales Belgicos concinnavit; qui ab anno Chr. Iↄcc XCI auſpicantes, deſinunt in an. cIↄ cccc LXXX, quo & obiit Ægidius. Hos, ex Dunenſi Flandriæ abbatia, primus eruit, Andreas Scottus, publici autem juris fecit Franciſcus Sweertius Antverpianus, qui eos Iohanni à Leidis, & Reinero Snojo ſubjunxit. Cæterum hiſce annalibus duo præſtitit Ægidius. Nam & Brandonem in compendium redegit: & inde ubi Brando deſierat exorſus, cætera eſt perſecutus, nempe LXV annos ſequentes. Deſierat enim Brando anno cIↄ cccc XIX. Superfuit quidem uſque ad annum cIↄ cccc XXVIII. Sed non videtur extrema ætate par fuiſſe hiſtorico labori. Quippe qui jam anno cIↄ cccc LX clari fuiſſe nominis dicatur. Sanderus ait Ægidium addidiſſe Brandoni hiſtoriam annorum duodeviginti. Non dubium, quin deſignet tempora ab anno cIↄ cccc LX, quo Dunas venit, uſque ad annum cIↄ cccc LXXVIII, quo ſatis conceſſit. Sed etiam intermedios LXI annos deſcripſiſſe, ſatis ex hiſtoria ejus apparet. Et Adrianus Dunenſis, qui ejus diſcipulus fuit, clarè ait, in præfatione ſuâ, Ægidio præmiſsâ, *eum tempora, ubi Brando finem fecit, proſecutum.* Sed non ſatis capio, quòd idem Adrianus teſtetur, magiſtrum ſuum obiiſſe anno cIↄ cccc LXXVIII, cùm Ægidius narret etiam hiſtoriam totius anni ſequentis. Quare omnino putem aliqua ab alio eſſe Ægidio adjecta.

Octavianus de Martinis Sueſſanus oratione quadam, quam coram Pontifice Sixto IV habuit in conſiſtorio, complexus eſt vitam S. Bonaventuræ Cardinalis, & epiſcopi Albanenſis. Exſtat apud Surium Tom. IV ad XIII Iul.

Felix Petantius claruit anno cIↄ cccc LXXX, ac deinceps. Ejus meminit Ioannes Cuſpinianus in fine operis de Turcorum origine, religione, & tyrannide, his verbis: *Felicis Petantii commentarium, quibus itineribus Turci ſint aggrediendi, veluti corollarium ſubjungo. Quicum magna olim mihi fuit familiaritas, cum oratorem Cæſaris Maximiliani Budæ agerem. Hic enim, & ad Bajazethem ſecundum, & Zelymum, aliquoties ivit orator, & planè multa Turcorum novit, quæ oculis vidit.* Opuſculi autem, quod deinceps ſubjungit, talis eſt inſcriptio: *Felicis Petantii, cancellarii Segniæ, Quibus itineribus Turci ſint aggrediendi, ad Vladiſlaum, Ungariæ & Boëmiæ regem.* Exſtat quoque libellus hic inter ſcriptores rerum Hungaricarum. Præterea conſignavit Petantius genealogias Turcicas: quo in libro retulit imperatorum Turcicorum liberos, dignitates, matrimonia. Fuit in bibliotheca Ioannis Cuſpiniani: qui & Petantium inter eos reponit, ex quibus profecerit in ſuo de imperatoribus opere.

Matthias Palmerius Piſanus ea, quæ Matthæus Palmerius Florentinus Proſpero ad annum uſque cIↄ cccc XLIX adjecerat, continuavit uſque ad an. cIↄ cccc LXXXI: quo claruit. Vertit & hiſtoriam Ariſteæ de LXXII interpre-

pretibus. Atque eo nomine celebrat illum Gaſpar Bruſchius carmine ad Wolfangum comitem à Solm, epiſcopum Pataviensem. Attamen non pauca ſunt, quæ interpres ille minùs fuerit aſſecutus. Atque hoc in cauſſa eſt, cùr poſtea Matthias Garbitius, Græcæ linguæ in Tubingenſi academia profeſſor, denuo vertendi provinciam ſuſceperit: ſed demum poſt obitum viri tralatio ea prodiit, curâ Simonis Schardii J. C.

Ioannes Iovius Pontanus Cereti in Umbriâ natus, parènte à factioſis civibus interempto, Neapolim juvenis, & egenus, venit: atque ibi Antonio Panormitæ, regii ſcrinii magiſtro, gratus acceptuſque fuit: eidemque mortuo in hoc munere, gratiâ ac favore Ferdinandi regis, ſucceſſit. Literarum gloriâ florere cœpit circa annum cIↃ CCCC LX: obiit autem ætatis ſuæ LXXVIII, Chriſti cIↃ IↃ V, eopſe menſe, quo papa Alexander VI deceſſit. Inter tam multa præclara etiam edidit libris ſex hiſtoriam belli, quod Ferdinandus, rex Neapolitanus, ſenior, contra Ioannem, Andegavenſem ducem, geſſit. Vir omnino ſummus fuit. Oratorem maximum, ac regium conſiliarium appellat Felinus Sandeus extrema epitome de regibus Siciliæ, & Apuliæ ad Alexandrum VI Pont. Max. Eraſmus de eo in Ciceroniano ſic ſcribit: *Non ſum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear Pontanum multis egregiis ingenii dotibus virum fuiſſe ſummum. Ac me quoque rapit placido quodam orationis lapſu: verborum dulce quiddam reſonantium amœno tinnitu demulcet aures, demum ſplendore quodam dignitas, ac majeſtas orationis.* Et paulò pòſt vocatur, *vir extra controverſiam in literis inter præcipuos numerandus.* Quid verò in eo requirat, ibidem legere potes. Doctiſſimum, & ſapientiſſimum appellat Camerarius in Progymnaſmatis capite de Expoſitionibus & deſcriptionibus. Sebaſtianus Foxius lib. I. de Imitatione ſive ratione ſtyli *a*, *Lactantium*, inquit, *& Jovianum Pontanum ego maximè Ciceronianos puto.* Idem Foxius ejuſdem operis lib. II *b*, ait Italiam hoc Pontano centum proximis annis non habuiſſe doctiorem. Hæc ille jam ante annos XC. Nec invidia caruiſſe argumento eſt calumnia illa, quam prodit Mariangelus Accurſius in diatribarum ſuarum defenſione, cui *Teſtudo* nomen eſt. Ubi, ut oſtendat, quantopere maligni homines rodere ſoleant viros eximios, ait, ſparſim à nonnullis fuiſſe, *Jovianum Pontanum quædam Ciceronis volumina in Caſinatis montis non incelebri bibliotheca reperiſſe: quæ mox paullum, ſed (quod neceſſe fuit) in deteriorem partem commutata, ut ab ſe compoſita, ediderit.* Miror quid tanto Viro in mentem venerit, ut etiam falſas inſcriptiones obtruſerit pro veris: qua de re Antonium Auguſtinum vide dialogo XI. Nempe ut ait ille, *Quiſque ſuos patimur manes:* nec quidquam undique beatum. Judicium Gyraldi de Pontano reperies apud illum, dialogo priori de poëtis ſui ævi. De dictione autem ejus, & alia quædam de ſummo hoc viro, vide apud elegantiſſimum Floridum Sabinum lib. III. Subſecivarum Lect. cap. VI. ubi cum curâ iſtis, quæ Eraſmus objecerat, reſpondet. Superſtes etiamnum verba hæc monumento ſuo juſſit inſcribi: *Sum Joannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Muſæ, ſuſpexerunt viri probi, honeſtaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis ſim, aut qui potiùs fuerim. Ego verò te, hoſpes, noſcere in tenebris nequeo: ſed te ipſum ut noſcas, rogo. Vale.* Monumenta quæ uxori ſuæ Hadrianæ Saxonæ, item liberis ſuis ſtatuit, apud Nathanem Chytræum in itinerum deliciis reperies inter inſcriptiones Neapolitanas.

a Fol. 27. 6.

b Fol. 43. a.

Alexander ab Alexandro, Juriſconſultus, Neapolitanus, reliquit Genialium dierum libros VI. Libros hoſce multiplici doctrina eſſe refertos, ſcriptoremque eſſe longè meliorem Philelpho, judicium eſt Floridi Sabini apologia adverſus calumniatores L. L. Rectè ſanè; ſunt enim libri illi, promptuarium antiquitatis, veteriſque hiſtoriæ; etſi nec pauca in eo ſint ad verborum proprietatem, aliaque ſtudia, pertinentia. Fuiſſe Joviani Pontani æqualem, ſatis liquet ex primis operis verbis. Atque alibi indicat, ſe in adoleſcentiâ Philelphum jam ſenem audiiſſe Tuſculanas Ciceronis quæſtiones enarrantem. Item refert, ætate ſuâ Nicolaum Perottum, & Domitium Calderinum, Martialis apophoreta magnâ contentione Romæ prælegiſſe juventuti. Item Georgii Trapezuntii, Theodori Gazæ, Hermolai Barbari, Raphaëlis Volaterriani, ac Paulli Corteſii, ut æqualium meminit. Unum autem hoc meritò in hiſce præclaris commentariis improbari ſolet, quòd eorum, unde profeciſſet, diſſimularet auctores. Sed huic vitio medicinam fecit doctiſſimus Tiraquellus, qui, digitum ad fontes intendens, unde quæque hauſta eſſent, indicavit.

Jo. Annius Viterbienſis natus eſt anno cIↃ CCCC XXXVII, V Jan. Ordinis fuit Prædicatorum, ſacri palatii magiſter, vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè eruditus, atque inſuper totius antiquitatis ſtudioſiſſimus; ut de eo tradit Leander in Italiâ ſuâ. Scripſit varia, quæ apud eundem Leandrum, uti & Geſnerum, ac Poſſevinum, legere potes. Inter alia autem reliquit XVII Antiquitatum libros: in quibus ſunt Fabius Pictor de aureo ſeculo, Myrſilus Lesbius de Tyrrhenis, Catonis Origines, Sempronius de Italia, Archilochus de Temporibus, Metaſthenes, (ita eum ineptè vocat, qui eſt Megaſthenes) Philo, Beroſus, Manetho: quæ omnia ſuis commentariis illuſtravit. Secuti hac parte eum Joannes Nauclerus, Jo. Driedo, Valerius Anſelmus, Jo. Lucidus, Michaël Medina, Sixtus Senenſis, alii. Imò, ut de nationibus cæteris taceam, nulla Hiſpanicæ gentis hiſtoria poſt Annium exſtitit, quæ non & Beroſi, & Annii fide nitatur. Verùm (quicquid Albertus Leander nugetur, qui hoc, quod dicam, calumniam vocat) ſunt ſcriptores iſti conficti ab ipſo Annio: ut monent Joſephus Scaliger lib. V. de emendatione temporum cap. de initio Merodachi, Genebrardus Chronolog. lib. I. Melchior Canus lib. XI. Locor. commun. cap. VI. Benedictus Pererius in Danielem, Franciſcus Ribera in Zachar. cap. I. num. XXV. Franciſcus Suarez in part. III. Summ. S. Thomæ diſp. I. Sect. II. Antonius Auguſtinus Antiquitatum (quas ex Hiſpanicis Latinas fecit And. Schottus) dialogo XI, Varrerius cenſurâ in Pſeudoberoſum, Poſſevinus lib. XVI. bibliothecæ Selectæ, Torrentius præfatione, quam Joanni Becano præmiſit, & imprimis ipſe Becanus in Chronicorum exordio, itemque initio lib. I. Hiſpanicorum, & Octavianus Ferrarius libro de Origine Romanorum. Imò Annium Viterbienſem in commentariis ſuis pleraque impudentiſſimè confinxiſſe, jam ante ſeculum aſſeruit Petrus Crinitus de Honeſta Diſciplin. lib. XXIV. cap. XII. Etiam Raphaël Volaterranus lib. XIV. Anthropologiæ in voce *Beroſus*, negat ſe ſatis credere libello, qui ſub hoc nomine divulgatus. Idem Sabellici judicium eſt. Nec apertè minùs de Annianis iſtis auctoribus ſcribit Ludovicus Vives lib. V. de tradendis diſciplinis *a*. *Libellus*, inquit, *circumfertur Beroſi Babylonii titulo: ſed commentum eſt, quòd indoctis & otioſis hominibus mirè adlubeſcit: cujuſmodi ſunt Xenophontis æquivoca, tum Archilochi, Catonis, Sempronii, & Fabii Pictoris fragmenta, quæ eodem ſunt libro ab Annio Viterbienſi conferruminata, commentiſque reddita magis ridicula: non quin inſint quædam in iis vera, (nam alioqui frontem non haberet narratio) ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitium eſt; nec illius, cujus titulum mentitur. Manethon Ægyptius, & Metaſthenes Perſa ex Euſebio ſunt deſumti.* Atque idem judicium fert commentariis in libros Auguſtini de Civitate Dei. Nec aliter Gaudentius Merula, de antiquitat. Galliæ Ciſalpinæ lib. III, cap. V. Qui & idem ſenſiſſe Alciatum oſtendit ex ejus ad ſe literis. Hos tam multos attuli propter Leandrum, qui, ut dixi, velut genuina Catonis, Sempronii, & aliorum, quibus tribuuntur ea, defendit in Italia ſua, imprimis ubi Veronam deſcribit. Atque ut res omnis apertior ſit, quid prohibet adferre hiſtoriolam illam, quæ eſt apud Ant. Auguſtinum Dial. X. Antiquit. Romanarum, Hiſpaniarumque. Sic verò ille: *Mihi Latinus Latinius Viterbienſis, vir doctus, bonæque fidei, de Joanne Annio, Viterbienſi monacho, narrare jucundè ſolebat, lapidi inſculpendas curaſſe literas; quem vineæ infodi juſſerat*

a P. 507.

*non procul à Viterbio. Cumque fodienda eſſet vinea, ad lapidem uſque ut fodiendo pervenirent juſſit; narrans in libris ſe reperiſſe, templum ibi orbis terrarum antiquiſſimum latere. Terrâ jam effoſſa, primus qui lapidem invenit viniti͡or accurrit: paulatim detegi ſarcophagum imperat. Hic ſtupens lapidis antiquitatem, & literas à ſe confictas admiratus, ad Urbis Senatores latus confugit, & civitatis honori fore perſuadet, in ampliſſimo publicè ſpectari loco. Viterbii enim urbis originem contineri, quæ bis mille annis Romana eſſet urbe, à Romulo conditâ, longè antiquior, utpote ab Iſide, & Oſiride condita. Fabulas hic ſuas, quibus abundabat, venditavit, factumque ut ille juſſerat.* Hæc ille. Obiit Annius Romæ, tempore pontificis Alexandri VI: cumque Petro Antonio, epiſcopo Signano, cive ſuo, in Minervæ fano ſitus eſt.

Aurelius Brandolinus, cognomine Lippus, Florentinus, Ordinis Auguſtiniani monachus, floruit extremis Frederici III, ac primis Maximiliani primi temporibus. Cùm alia multa conſignavit, tum hiſtoriam eorum, quæ narrantur in veteri Teſtamento, item multas ſanctorum hiſtorias. Mortuus eſt Romæ anno clↃcccc XCVIII.

Thomas Baſinus, Lexovienſis epiſcopus, circa annum vixit clↃcccc LXXX. Ex ejus hiſtoria de Ludovico XI Gall. rege, & Carolo Burgundiæ duce, ſæpius aliqua ad verbum, non diſſimulato Thomæ nomine, exſcribit Iac. Meierus Annal. lib. XVII. Iuris fuiſſe peritiſſimum, atque id in ſchola Lovanienſi fuiſſe profeſſum, auctor eſt Robertus Gaguinus in hiſtor. Francorum: quem vide ad annum clↃ cccc LXV.

Ioannes Dominicus Spazzarinus Patavinus, ac Reipubl. ejuſdem à libellis, claruit anno clↃcccc LXXX ac deinceps. Conſignavit res Venetorum: quas ad ſua uſque tempora perduxit. Opus hoc ab elegantia, ac Salluſtiana brevitate, commendat Scardeonius lib. III. rerum Patavinarum: ubi & addit, cladem Patavinam anni clↃ Ↄ V, cui ex muneris ratione interfuerat, adeò accuratè ab eo deſcribi, ut cæterorum facilè exſuperet induſtriam. Obiit nonagenarius anno clↃ Ↄ XIX. Plura de eo Scardeonius ſuppeditabit.

Fuit tum quoque Alamannus Rinucinus, qui hiſtoriam, vel mythiſtoriam potiùs Philoſtrati de Apollonio Tyaneo Latinè vertit. Tranſlationem eam caſtigavit, ac Baptiſtæ, Ioannis Galeacii Mediolanenſis comitis filio, dicavit Philippus Beroaldus. Etiam ad Græcum codicem emendavit, & notas ad oram addidit *a* Gybertus Longolius Ultrajectinus. Inter eruditos viros, quos Florentia extulit, reponitur ab Alberto Leandro in deſcriptione Italiæ. Laudat & Zenobius Acciolus Florentinus: civemque ſuum linguæ utriuſque ſtudioſum vocat epiſtolâ ad Laurentium Medicem, quam tranſlationi opuſculi Euſebiani adverſus Hieroclem præmiſit.

*a Colon. ed. 1532.*

Claruit iiſdem temporibus Guilielmus Courinus, qui perperam aliis *Coaſinus*, vel *Coaverſinus*, dicitur. Ducenus fuit, Equitum Rhodiorum procancellarius. Hiſtoriam ſcripſit de obſidione Rhodi, quæ anno contigit clↃ cccc LXXX. Item deſcripſit contentionem Bajazethæ, & Silymi, fratrum duorum. Operis de Rhodia obſidione meminit Cuſpinianus in volumine Impp. Ulmæ eſt excuſum. Ex Latina autem lingua in Germanicam tranſtulit Jo. Adolphus Argentinus. Prodiit ea verſio Argentinæ, anno clↃ Ↄ XIII.

Anno clↃcccc LXXXIV vivebat Hieronymus Forolivienſis Ord. Prædicat. Qui præter ſermones de Sanctis, etiam hiſtorica quædam fragmenta digeſſit, aliaque edidit opuſcula, quæ Forojulii MSa ſuperſunt in cœnobio ejuſdem ordinis; teſte Antonio Senenſi. Meminit & Leander, tùm lib. IV. de viris illuſtr. ordin. Prædic. ubi dicitur fuiſſe, *vir doctus, & orator clariſſimus*: tum in Italia ſua Romandiolam deſcribens; ubi Hieronymus hic vocatur *optimus theologus, nec pejor hiſtoricus*.

Franciſcus Patavinus advocatus conſiſtorialis, anno clↃ cccc LXXXIV, XII Kal. Dec. in publico conſiſtorio, præſente non modò Innocentio VIII, ſed etiam imperatore Frederico III, orationem habuit hiſtoricam de vitâ & moribus S. Leopoldi, Auſtriæ marchionis, & confeſſoris: quæ in Italiâ ſeorſim prodiit, ac apud Surium legitur Tom. VI, die XV Nov.

Baptiſta Fulgoſus, (quem Volaterranus *Baptiſtinum Frigoſum*, Leander in deſcriptione Italiæ, *Bapt. Fregoſum*, aliqui etiam *Campofulgoſum* appellant) cùm eſſet dux Genuenſis, principatu à patruo ſuo dejectus fuit anno Chriſti clↃcccc LXXXIII. Quò verò exilii dolorem levaret, totum ſe ſtudiis dedit, atque ad filium Petrum ſcripſit libros IX factorum, & dictorum memorabilium, opus eximium, ut Albertus Leander appellat. *In hoc ſcribendi genere ita egregiam navaſſe operam, ut exemplorum copia, & novitate, cæteros vicerit.* Zuingeri judicium eſt in Theatri ſui Proſceniis. Addit etiam ex Fulgoſi fontibus uberrimis & Sabellicum, & Baptiſtam Egnatium agros ſuos irrigaſſe. Eundem Fulgoſus ordinem, quem Valerius Maximus init, ſervavit: ſed exemplis uſus eſt non rarò quidem illorum, quæ Valerius ſeu ſciens, ſeu inſciens prætériiſſet: imprimis verò eorum, quæ poſt ætatem ejus contigiſſent. Eum ex Italico Latinè tranſtulit Camillus Gilinus Mediolanenſis, vir doctiſſimus, ut Leandro vocatur; Franciſci Sfortiæ ad Carolum V Imp. legatus. Niſi quis credere malit, patris (nomen ei fuit Jacobo Gilino) eſſe hanc tranſlationem; quam ſuſpicionem Jovius *a* injecit. Meminit & Meierus extremo lib. XIII, ubi ex Fulgoſo refert ad verbum hiſtoriam de victoria, quam Gandenſes reportarunt de Comite ſuo Ludovico Maleano.

*a In elogiis Camilli Gilini.*

Salvus Caſſetta (qui Poſſevino perperam *Caſſeta*) Siculus Panormitanus, Ord. Prædic. Romæ an. clↃcccc LXXXI, V Id. Iun. Sixto IV pontifice procurante, ex magiſtro ſacri palatii factus eſt ordinis Præd. magiſter generalis. Ab eodem pontifice in Germaniam legatus eſt miſſus ad Fredericum III imperat. ac Coloniæ Agrippinæ cùm foret, juſſit aperiri ſepulcrum Alberti Magni; atque ex ejus corpore lacertum Romam tulit; qui in Bononienſi nunc templo adſervatur. Conſcripſit vitam S. Vincentii Valentini, qui ipſe Ordinis prædicatorum fuit. Deceſſit Caſſetta anno clↃcccc LXXXIII, XVII Kal. Oct. ut eſt apud Leandrum lib. I. de vir. illuſtr. ord. prædic.

Antonius Geraldinus, protonotarius ſedis Romanæ, ſuperſtes erat anno clↃcccc LXXXVI: eoque anno, nomine Ferdinandi Regis, & Elizabethæ, Hiſpaniæ reginæ, Romæ habuit orationem coram Innocentio VIII Pont. Max. Cùm alia compoſuit, tum Faſtos carmine elegiaco, in quibus tractat de martyrum, ſanctorumque vitis. Item vario carminum genere egit de geſtis Hiſpaniæ regum.

Joannes Margarinus, Gerundenſis epiſcopus, Παραλειπόμενα Hiſpaniæ complexus eſt libris decem, ab adventu Herculis in Hiſpaniam uſque ad Theodoſium ſeniorem, & filios ejus, Arcadium, atque Honorium; quorum temporibus, Gothi in Hiſpanias fuere ingreſſi. Sed in decimo non pauca deſiderantur. Παραλειπόμενα inſcripſit, non quia dicat antiquis indicta: ſed quia referat prætérita proximorum ſeculorum hiſtoricis. Dicavit hoc opus Ferdinando, & Iſabellæ, Caſtellæ, & Aragoniæ regibus. In principe editione præteritur nomen auctoris, non item in alterâ, quam habemus Tom. I. Hiſpaniæ illuſtratæ. Et ſanè ex iis, qui epiſcopos enumerant Gerundenſes, ſatis evidens eſt, Gerundenſi illi epiſcopo, quem Ferdinandi Catholici tempore vixiſſe, & res ab eo geſtas prodidiſſe, dicebamus, id nominis fuiſſe, quod antea poſuimus.

Iulius Pomponius Lætus iiſdem temporibus claruit. Exiguæ eruditionis fuiſſe, ait Ludovicus Vives. At Angelus Politianus in Miſcellaneis cap. LXXIII. virum vocat antiquitatis, & literarum conſultiſſimum. Atque idem Lilii Gyraldi judicium eſt in Hiſtoriâ poëtarum dial. IV: ubi de Statio Papinio eſt ſermo. Florido Sabino in apologia adverſus calumniatores L. L. *dicitur in ſcribendo infra neminem recentiorum purus, candiduſque*. De eodem ſic Eraſmus in Ciceroniano: *Pomponius Lætus elegantiâ Romani ſermonis contentus, nihil affectavit ultra.*

Qui-

Quibus verbis non ei Antiquitatum Romanarum peritiam abnuit, ſed aliarum laudum, quæ præter elegantiam ſermonis exiguntur, ut quis inter Ciceronianos referatur. Sanè puræ erat dictionis amator, & hiſtoriæ veteris ſcrutator diligens. Neque hoc negat Vives: ſed ait, totam ejus celebrem diligentiam, circa verba, & hiſtorias aliquot, tum ſaxa eruta, & monumenta diruta, conſumtam eſſe. Idem erat linguæ Græcæ planè ignarus; Chriſtianæ etiam religionis contemptor. Ac linguam quidem Græcam, ut Vives ait, propterea attingere auſus non fuit, nequâ peregrinitate Latinam contaminaret. Quod etiam refert Eraſmus in vita B. Hieronymi. Romanæ autem vetuſtatis tantus erat admirator, ut, cùm è ſalario diſcipulorum agellum, & domunculam, in Quirinali ſibi paraſſet, atque ibidem, ut ipſe vocabat, SODALITIUM LITERATORUM (hoc in aditu adſcriptum conſpicere erat a) conſtituiſſet: in ea natalem Urbis coleret, & Romulum: ut à Volaterrano quoque proditum eſt. Idem, quoties marmor aliquod effoderetur ex Urbis ruinis, illachrymabatur; ac, cauſſam rogatus, addebat, *Admonitu meliorum temporum ploro.* Vergente tamen ætate, Chriſtianam ei religionem curæ eſſe cœpiſſe, à quibuſdam traditum eſt. Sed hoc utcumque eſt, mirum ſanè ab animo ſuo impetrare potuiſſe, ut falſas inſcriptiones obtrudere literatis vellet pro veris: quale teſtamentum illud, de quo V. Clar. Antonius Auguſtinus Romanarum & Hiſpanicarum Antiquitatum dial. XI. Cùm Pontifex foret Pius II, Academiam Romanam nominis ſui famâ ornabat. Quo tempore & Baptiſta Platina, & Philippus Gallimachus, ibidem claruere. Sed poſt obitum Pii apud Paullum II, (qui literis, & literatis, minùs favebat) exiguo in loco fuit. Et creditus ipſe eſt unà cum Platina in Pontificem conjuraſſe: ac propterea, ut periculum evitaret, Venetias confugit. Cætera, quæ ad vitam ejus pertinent, petere licebit è diſcipulo ejus Sabellico, qui illius vitam deſcripſit. Aliqua etiam de eo Paullus Jovius in elogiis. Edidit, præter alia, compendium Hiſtoriæ Romanæ, ab interitu Gordiani uſque ad Juſtinum III, in quo Heraclii defecit imperium. Dicavit verò Franciſco Borgiæ epiſcopo, & pontificalis ærarii præfecto. In hiſce Cæſaribus legas, quæ apud hiſtoricos non reperias. Ea verò hauſit magnam partem ex panegyricis vett. Scripſit & librum de Mahomete. Item libellum de magiſtratibus Romanis; quem dicaſſe M. Pantagatho, indicat Sabellicus ſcholiis in Suetonii Auguſt. cap. XXXVI. Item ſignavit Antiquitates urbis Romæ: quamquam has memoriæ tantùm cauſſâ conſcribilaſſe videtur; non, ut publici eas juris faceret. Nec enim ea eſt dictionis puritas, quæ in aliis ejus ſcriptis elucet: uſque adeò ut B. Rhenanus penè arbitretur, alterius eſſe auctoris. Etiam ad Gaſparem, Blondi filium, vitam ſcripſit Statii poëtæ, uti & patris ejus. Utramque Gyraldus Hiſtoriæ ſuæ de poëtis inſerit; ſed ita ut, ubi erret, eum emendet. Plura Pomponii haberemus, niſi pleraque intercidiſſent direptione domus in ſeditione civili ſub Pontifice Xyſto. Aliqua tamen eorum non tam periere, quàm perdita creduntur. Uti vita Quinctiliani, & quorundam in eo capitum enarratio: item gloſſarium medicum: adhæc argumenta in epigrammata Martialis. Quæ omnia MSa, ac fortaſſe ipſius Læti manu exarata, ſuperſunt in bibliotheca doctiſſimi ac amiciſſimi Pignorii. Non malè omnino de Criſpo, & Livio, meritus eſt. Nam benè dicere non poſſum. Sanè quicquid penè adverſus veterum codd. fidem in Salluſtio immutatum eſt, id Pomponio huic tribui debet. Septuagenarius deceſſit, cùm frigidæ potu ventriculi calorem exſtinxiſſet. Fuit adeò egens, ut, morbo premente, neceſſe eſſet in Xenodochium deferri; cumque ibi vitâ exceſſiſſet, periculum fuerit, ne ſepulturâ careret, niſi amicorum impenſis elatus eſſet: quemadmodum Pierius Valerianus refert lib. II. de infelicitate literatorum. Succeſſit Pomponio huic in cathedra Romæ Auguſtus Baldus, ſeu Valdus, qui XL annis Latinas Græcaſque literas docuit juventutem; nec multò poſt direptionem Urbis à milite Borboniano vitâ exceſſit, mœrore potiſſimùm ob opes à Cæſarianis direptione eâ amiſſas: ut Scardeonius pluribus narrat.

a *Verba ipſa, quæ in aditu domus Pomponiana adſcribi curārat, hujuſmodi ſunt; ut poſtmodo ex literis Pignorii, oculati teſtis, percepi:* POMPONI LÆTI, ET SODALITATIS ESCUILINAI. *Nempe* Eſculinâi *ἀρχαΐζων poſuit pro* Eſquilinæ.

Julius Pomponius Sabinus, Virgilii interpres, commentario in I Georg. meminit Itinerarii ſui Scythici: ut eſt in epitome bibliothecæ Geſnerianæ editâ & adauctâ, à Simlero. Sed Pomponius Sabinus planè, judicio meo, idem eſt ac Pomponius Lætus, de quo dictum. Sanè examuſſim ei conveniunt, quæ in præfatione ſua Daniel Cajetanus anno CIↃ CCCC LXXXVI Cremonæ ſcribebat, *Adeſt*, inquit, *Pomponius Sabinus, vir noſtri temporis doctiſſimus.* Et mox, *Sabinus hic unus eſt, qui in præclariſſimâ Pii Pontificis II Academiâ optimas è ſitu literas in lucem capit aſſerere.* Item, *Nec adhuc ceſſat notas in æs & marmor inciſas ſcrutari.* Addit etiam, multa in manibus habere, quæ propediem ſint lucem viſura. Unum objici poſſe video, Pomponium Lætum natum fuiſſe Amygdalariæ, magnæ Græciæ oppido: ut eſt apud Leandrum in Italiæ deſcriptione. Sed facilè ei occurritur. Nam quia è nobili quidem familia, ſed illegitimè natus foret, *Sabinus* fortaſſe dici voluit, ut tegeret natales ſuos: quomodo & *Pomponius* dici maluit, quàm *Petrus*, etſi id nomen in ſacro baptiſmate accepiſſet.

Bartholomæus Scala natus eſt Florentiæ anno CIↃ CCCC XXIV, atque anno ibidem obiit CIↃ CCCC XCVII, ætatis LXXIII. Philelphi ad eum epiſtolam habemus anni CIↃ CCCC LV, ut fuerit tum annorum XXXI. Vexilliferatus honore inſignis fuit, ut de eo Paullus Jovius ait. *Vir erat doctus, ut potiùs Muſarum alumnus, quàm inter rotas molarum natus videretur:* quemadmodum de eo ſcribit Albert. Leander in Italia ſua: quo loco de Florentia tractat. De certamine, quod ei cum longè majori viro, Angelo Politiano, erat, res ſatis nota eſt ex utriuſque epiſtolis. Unde Eraſmus in Ciceroniano; *Scala ſibi videbatur Tullianus, Politiano ne Latinus quidem videtur, adeò ut ne ſenſum quidem communem illi tribuerit.* Condidit lib. XX Hiſtoriam Florentinam ab origine Urbis uſque ad annum Chriſti CIↃ CCCC L. Sed morte præventus quinque tantùm libris extremam manum impoſuit. Incipit, *Fama eſt, & quidem pervulgata, à Feſulanis Florentiam primùm habuiſſe originem.* Signat hoc opus Ugolinus Verinus lib. II illuſtratæ Florentiæ;

*Scala quoque hiſtorias, & Lydia geſta leonis*
*Explicat Hetruſci.*

Etiam literis commiſit vitam Vitaliani Borromæi, quam Petro Medici inſcripſit. Adhæc orationem reliquit ad papam Innocentium VIII. Habuit filiam Latinis Græciſque literis excultam, nomine Alexandram: quæ nupſit celebri poëtæ, Michaëli Marullo, Tarchaniotæ, natione Græco, ſed carmine Latino non minùs pollenti: *viro ſanè docto*, ſed de *religione Chriſtiana* (ut Leander in Italia ſua inquit) *haud ſanè ſentiente:* qui in Cæcina flumine per agrum Volaterranum in mare defluente ſubmerſus fuit. Exſtant Politiani verſus Græci in laudem Alexandræ: item Alexandræ ſimiles verſus, quibus Politiano reſpondit. Obiit Alexandra anno CIↃ IↃ VI.

Jacobus Bracellus Genuenſis, vir eruditus, quinque libris non ineleganter bellum deſcripſit, quod inter Hiſpanos, & Genuenſes, ſeculo ſuo geſtum fuit. Hi Haganoæ a unà cum VI libris Pontani de bello Neapolitano prodierunt: poſteaque b Romæ recuſi, atque à Bartholomæo Gorla dicati Joanni Baptiſtæ Barcellio, epiſcopo Sarzanæ, cujus Jacobus Barcellius proavus fuerat. Orditur Bracellius ab anno CIↃ CCCC XII, quo Ferdinandus alterius Hiſpaniæ Rex, Siciliæ regnum fuit adeptus. Deſinit in anno CIↃ CCCC XLIV, quo Genuenſes pacem fecere cum Alphonſo rege, Ferdinandi filio. Idem Bracellius reliquit librum de illuſtribus Genuenſibus, ad Ludovicum Piſanum, qui ordinis erat Prædicatorii. Item oræ Liguſticæ deſcriptionem ad Blondum Flavium, qui Pontifici Maximo à ſecretis fuit. Atque utrumque hoc opus in Romana editione cum belli Hiſpanienſis libris prodiit. Habes & utrumque in Italiæ illuſtratæ ſcriptoribus viginti tribus: qui Andreæ Schotti cura in Germania prodierunt.

a *Anno* 1530.
b *Anno* 1579. *apud heredes Antonii Bladii.*

Meminit Bracellii hujus inter illuſtres Genuenſes Leander Albertus in Italia ſua, ubi eum ſitum, locaque ditionis Genuenſis deſcripſiſſe ait. Nempe reſpicit oræ Liguſticæ deſcriptionem ante memoratam. Jovii in elogio Alphonſi tale de eo judicium eſt, eum bellorum Alphonſi *hiſtoriam non illepidè ſcripſiſſe*. Sed præclarè imprimis de eo Bartholomæus Gorla in præfatione ſua ad Sarzanienſem epiſcopum: *Equidem*, inquit, *probè novi quàm longè abſim ab hac ſcribendi facultate: nec mihi tantum arrogo, ut de tanta re meum judicium in medium adferre audeam: verumtamen doctiſſimorum pariter & graviſſimorum virorum teſtimonio niti ſi velim, comendere poſſim, auctorem hunc noſtrum admirabili quadam laude ita ſe inter ſcriptores ſuorum temporum extuliſſe, ut poſt oppreſſam, atque vaſtatam à barbaris Italiam, everſamque uſque eo eloquentiam, ut Latinè deſitum eſſet plane loqui, primus omnium iſtius generis ſcriptionem non modo jacentem excitaſſe; verum etiam obſcuram penitus illuſtraſſe, & in priſtinum ſplendorem, quaſi vindicaſſe videri poſſit. Sed hoc ex librorum ejus lectione clarius apparebit.* Hactenus ille.

Carolus Verardus, Cæſenas, cubicularius Pontificius, floruit ſub Innocentio VIII, anno cIↃ CCCCLXXXIV, & deinceps. Scripſit de expugnatione regni Granatæ. Idem hiſtoriam Bæticam dialogis compluribus eſt complexus. Eos dicavit Raphaëli Riario, diacono cardinali S. Georgii.

Bernardinus Corius Mediolanenſis, cùm & patriæ ſuæ amans, & gloriæ propriæ avidus foret, rudi illâ quidem, & impolitâ dictione, attamen, ut potuit, magno ſanè labore Chronica rerum Mediolanenſium perſcripſit: inque rebus ſui temporis bonâ fide non ſolùm voluit res conſignare, ſed etiam potuit; ut cui in aulâ verſanti archiva ſecretiora paterent. Id opus, ut Jovius ait, à typographis illuſus, ſpe lucri, ſed magno rei familiaris damno, propriis excudi ſumptibus curavit. Idem edidit Imperatorum vitas ab Julio Cæſare, uſque ad Fredericum Barbaroſſam. Ac vitas etiam poëtarum, ac illuſtrium mulierum promiſit: quas an emiſerit, haut ſcio. Geſnerus ait, etiam hiſtoriam Cæſarum condidiſſe. Cùm Galli anno cIↃ CCCCXCIX, Mediolanum cepiſſent; caſu, tum ducis Ludovici Sfortiæ, proditione capti (qui in Galliam eſt abductus, ubi & vitam finiit) tum etiam Aſcanii cardinalis, nondum quadragenarius deceſſit. De ætate quod dixi, ex eo liquet, quod an. cIↃ CCCCLXXXV (ut in præf. ad Cardinalem Aſcanium Sfortiam ſcribit ipſe) tantum annorum fuerit XXV. Cæterum non me fugit Corium hunc Italicè ſcripſiſſe: attamen dicere haut poſſim, nihilne ejus vel Latinè ab illo exaratum, vel ab interprete tranſlatum ſuperſit, propter quod Simlero memoretur. Neutrum ſi erit, præteriri debuit, quia de Latinis me ſcriptoribus acturum receperam.

Eadem ætate clareſcebat Antonius Galateus, qui natus fuit Galatinæ, Salentinorum oppido. Erat philoſophus, medicus, atque idem poëta, & coſmographus; cujus tabulas à ſe viſas laudat Raffanus, & ex eo Leander in Italiâ ſuâ. Sanè quantus vir fuerit, ſcire poſſumus ex hendecaſyllabis illis, quibus eum celebrat Jovianus Pontanus: item ex eo, quòd ſummus vir, Hermolaus Barbarus, dicârit illi paraphraſin Themiſtianam octo librorum φυσικῆς ἀκροάσεως Latinè à ſe converſam, quam anno edidit cIↃ CCCCLXXX. Præter carmina Hetruſca, & quæſtiones Phyſicas, etiam compoſuit commentarium de ſitu Japygiæ, opus, judicio Jovii, cum antiquis comparandum. Sanè eo magis meretur fidem, qui patria ei fuerit Japygia, quæ eadem ac Σαλλεντία, ſeu Sallentina. Nam Japygiæ oppidum eſt Galatina, ubi ſe natum eſſe, ait ipſe eo, quo dixi libello. In quo etiam refert, ſe prima literarum fundamenta hauſiſſe Neriti, quod & ipſum Japygiæ eſt oppidum. Etiam refert ibi avum, & progenitores ſuos fuiſſe ſacerdotes Græcos, Græcarum literarum, & Theologiæ minimè ignaros, ſanctitate vitæ celebres. Item deſcriptionem edidit Callipolis, urbis ſitæ ad Summontium. Adhæc villæ Laurentii Vallæ: quem libellum dicarit Accio Syncero Sannazario. Præterea reliquit epicedium, ſeu orationem in obitum Alphonſi regis. Laudationem etiam podagræ, feſtivum opuſculum, jam podagricus, dolori leniendo conſcripſit. Librum inſuper compoſuit de optimo genere philoſophandi, ex quo quædam adfert Joannes Bernardinus Bonifacius, Oriæ Marchio epiſtola ad Voiſium Gengium, patritium Venetum, qua ei Galatei Japygiam dicat. Etiam cum Belliſarii Aquivivi, Neratinorum ducis, operibus conjungitur, & Galatei ad Belliſarium epiſtola, & Belliſarii ad eundem reſponſum.

Extremis temporibus Frederici III erat Nicolaus Dathus filius Auguſtini Dathi. Hic præter ea, quæ de ſtudio eloquentiæ, & officio ſcribæ, edolavit, etiam in literas retulit vitam patris ſui Auguſtini, quæ operibus ejus præmittitur.

Joannes Maria Politianus Carmelita, itidem claruit anno cIↃ CCCCXC, ac ſcripſit vitam B. Alberti Drepanenſis, & miracula ejuſdem. Atque alia, quæ ſimul Venetiis edita fuere. Habes & eam Alberti vitam apud Surium ad VII Aug.

Ponticus Virunnius, ſeu Virummius, (qui Tritthemio *Virinius*) Tarviſinus, ſub Ludovico Sfortia floruit anno cIↃ CCCCXC. Varios poëtas commentariis illuſtravit; inque gratiam Badoeræ familiæ, claræ apud Venetos, atque à Britannis oriundæ, è decem Gaulfridi, Monumæthenſis archidiaconi, ac pòſt Aſaphenſis epiſcopi, libris, ſex priores in compendium redegit [a]. Vide de eo Jac. Bergomatem lib. XVI, & Tritthemium in Catal. Quorum neutrum dicti operis meminiſſe miror.

[a] *Excuſ. Auguſt. 1534. & 1542. Heidelb. cum Beda, aliiſque.*

Philippus Callimachus Experiens Florentinus, odio Paulli II papæ (à quo in carcerem conjectus, & tormentis fuerat excruciatus) conceſſit in terras, ut cum poëta dicam, alio calentes ſole. Nam in Poloniam abiit; ubi à Caſimiro rege Alberto filio præceptor datus, factuſque Caſimiro ipſi à ſecretis Moldavicæ cladis auctor eſt habitus, quaſi ſuaſiſſet ut nobilitas hoſti ob contumaciam objiceretur. Idem his terris libellum exaravit de his, quæ à Venetis acta ſunt, quò Tartaros, & Perſas, contra Turcas concitarent. Habes eum in Commentariis rerum Perſicarum. Signavit etiam hiſtoriam de Attilâ, qui Bonfinii Hungaricæ Hiſtoriæ adjungi ſolet. Item libros tres condidit de rebus ab Uladiſlao, Poloniæ, atque Hungariæ rege, geſtis. Quem itidem reperies inter ſcriptores de rebus Hungaricis. Id opus non dubitat Jovius dicere adeò eleganter, atque exactè compoſitum eſſe, *ut omnes, qui à Cornelio Tacito, per tot ſecula id ſcribendi genus attigerint, ſuo judicio ſuperârit.* Atque hæc quidem, de rebus Hungaricis ſcripſit pellectus munificentia Matthiæ Haniadis, Ungariæ regis. Alia quoque quæ ediderit, apud Tritthemium vide ad annum Chriſti cIↃ CCCCXC. Meminit ejus & Raph. Volaterranus lib. VII: ubi Callimachum Geminianenſem, familiarem ſuum, vocat, ac literis, & ingenii ſolertiâ, ex paupere divitem factum ait. Geminianenſem verò appellat, quia ortus Sangeminiano, Hetruriæ oppido, quod Deſiderius, ultimus in Italia Longobardorum regum, condidit. Tritthemius, uti & Funccius, & alii, vocant Florentinum, quia oppidum id, etſi antea in Senenſium fuerit poteſtate, tum tamen Florentinæ ditionis erat. Vitam Callimachi perſtrinxit Cromerus lib. XXX. rerum Polonicarum: cui magis credi debet, quàm Iovio: ut qui multa à vulgo potiùs haurire, quàm rerum gnaros conſulere ſoleat. Sed & vide, quæ refert Gyraldus dialogo primo de poëtis ſui temporis, & Ioannem Michaël Brutus, in vita, quam Callimachi de Uladiſlao hiſtoriæ præmiſit. Obiit Cracoviæ anno cIↃ CCCCXCVI, IV Kal. Novembris. Epitaphium ejus ejuſmodi:

*Exuvias præter pellemque, atque oſſa Latini*
*Nil hic Callimachi terra Polona tegit.*
*Illa Boryſthenides rapuere, tenentque Camenæ,*
*Quarum primus amor, gloria prima fuit.*
*Hoc perfecturus, ſi copula longa fuiſſet,*
*Veniſſetque ſuo juſta propago toro,*
*Sarmatide è nympha; ne barbara terra videri*
*Poſſet, Romana vel minus apta toga.*

Sed

*Sed mors invidit: qua nil odioſius. atqui*
*Qua feritas tacito non caret opprobrio?*
*Æneus eſt tumulus, mors ænea, & æneus ille*
*Qui legit hæc ſiccis triſtia verba oculis.*

Paullus Atayantius Florentinus, Ord. Serv. B. Mariæ, inter alia contexuit dialogum de Origine Servorum; atque eum dicavit Petro Medici, Coſmi F. Archetypon ejus operis eſt in bibliotheca Medicæa. Etiam conſignavit vitam B. Franciſci Senenſis, Ord. Serv. Item librum de laudibus Philippi Florentini, inſtauratoris ordinis Servorum. Deceſſit anno Chriſti cIↄ cccc xcix, ætatis ſuæ lxxx.

Donatus Boſſius, civis Mediolanenſis, edidit chronicon ab initio mundi uſque ad ſua tempora. Item de epiſcopis, & archiepiſcopis Mediolanenſibus uſque ad annum cIↄ cccc lxxxix, quo vixit. Prodiit Mediolani anno cIↄ cccc xcii. Meminit & Tritthemii appendix.

Celſus Maphæus Veronenſis, Canonicus regularis Lateranenſis, edidit libellum de vita B. Tuſculanæ anno cIↄ cccc lxxiv, cujus mihi indicium ex Veronenſium ſcriptorum ſyllabo antehac etiam memorato.

Hermolaus Barbarus, patricius Venetus, natus fuit anno cIↄ cccc liv, xxi Maji. Franciſci Barbari, viri doctiſſimi, filius erat, Zachariæ Barbari nepos; ut quidem Philippus Bergomas ſcribit. Sed ab eo abit Volaterranus, qui Franciſcum Barbarum ejus patruum fuiſſe ait: unde & alibi Hermolaum vocat Franciſci neceſſarium. At non alterum tutius hac in re ſequi poſſumus, quàm Andream Brentium Patavinum. Ejus verba hæc ſunt in epiſtolâ ad Zachariam Barbarum, quæ mihi Pignorius ſuggeſſit: *Nimirum in te omnia Franciſci Barbari patris virtutum lumina eluceſcunt. cui certè multùm Latina lingua debet, tot tantiſque ab eo libris, partim compoſitis, partim converſis. à quo minimè degenerat Hermolaus filius, te tanto patre non indignus.* Puto eundem eſſe Franciſcum Barbarum ad quem exſtat epiſt. Philelphi anno ſcripta cIↄ cccc xxxvii, & cIↄ cccc xxxviii ſemel, iterumque, & cIↄ cccc xli, & cIↄ cccc xliii, cIↄ cccc xliv; quem & virum clariſſimum vocat epiſtola ſcripta ad Victorium Feltrenſem, ubi ſe Conſtantinopoli ad Barbarum hunc miſiſſe ait Ariſtotelis Rhetorica ad Theodectem. Primùm Hermolaus legatus fuit Venetus, hinc patriarcha Aquileienſis, ac ut aliqui referunt (eoſque inter Joannes Rioche Minorita in compendio hiſtorico) tandem factus eſt Eccleſiæ Romanæ Cardinalis.

Qua de re adſcribam longiuſculum Petri Bembi locum ex hiſtoriæ ejus Venetæ libro primo: *Eo mortuo Innocentius Patriarchatum (ſic enim appellant) Aquileenſium, quem is multos annos obtinuerat, Hermolao Barbaro, legato apud ſe Veneto attribuit. quod ubi civitas intellexit, tametſi Hermolaus ad Senatum ſcripſerat, coactum ſe à Pontifice veſtem ſenatoriam mutaviſſe: quoniam tamen ſacerdotiis cooptari cives Veneti, qui legati Romæ eſſent, lege prohibebantur, graviter tulit auſum illum contra patrias leges facere. Auxit ejus rei magnopere invidiam quod antea ex Hermolai litteris, quas ad Senatum de Bardi morte dederat, more inſtitutoque majorum comitiis ſenatoriis præjudicium patres fecerant, cujus ipſi civis nomen ad id adipiſcendum ſacerdotium Innocentio commendarent: itaque deceptos in ſeſe ac propè deluſos querebantur. Erat omnino Hermolai propter ejus ſummam in literarum, atque optimarum artium ſtudiis præſtantiam, magnum apud exteras nationes nomen, apud ſuos quidem certè maximum: nam ad doctrinæ ſingularem opinionem etiam vitæ perpetuam innocentiam adjunxerat: ſimul is multum patris opibus, & gratia, qui ſummo proximum in civitate magiſtratum gerebat, multum clientelis, neceſſitudinibus, propinquitatibuſque pollebat, quibus tamen in rebus ſatis ſibi præſidii non habuit, cum pluris à patribus una legum charitas, majeſtaſque, quàm ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas, atque claritas fieret. Decemviri enim literas ad eum ſeverè ſcriptas dederunt morâ omni excuſationeque ſublatâ, ſacerdotium repudiaret: id ſi non faceret, patrem magiſtratu remoturos, & bona ejus publicaturos præ ſe tulerunt. At pater perſpectâ civitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cum jam eam flecti & lenire poſſe diffideret, ægritudine animi eſt mortuus. Filius non multo poſt Romæ, editis Plinianis caſtigationibus, immenſi propè laboris opere, privatus plebeio morbo periit. Eum vitæ finem Hermolaus habuit, omnium ex ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinorum & Græcorum literis planè doctiſſimus.* Ab anno ætatis duo vigeſimo ſcribere orſus fuit: cumque alia multa edidit, quæ doctorum manibus verſantur: tum etiam Plinii Veronenſis (non Novocomenſis, uti apud Jovium eſt) Hiſtoriam Naturalem accuratè caſtigavit. Idem librum reliquit de conſcribendâ hiſtoriâ, quem dicavit M. Antonio Sabellico, hiſtoriographo. Alia etiam inedita hactenus parabat, quæ cujuſmodi fuerint, cognoſcere eſt ex præfatione ejus Caſtigationum in Melam. Proprietatis vocabulorum in utraque linguâ curioſus erat, moribus caſtiſſimis, adeoque à faſtu alienus, ut ſæpe, ſicubi dubitatio oborta eſſet, proximos, ac familiares conſuleret, atque adeò à quovis diſcere paratus eſſet: quemadmodum de eo Volaterranus teſtatur. Eraſmi in Ciceroniano tale de eo judicium eſt. Vocat *vere magnum, ac divinum hominem, ſed in dicendo Ciceroni diſſimillimum, & ipſo, pene Fabio, Pliniòque elaboratiorem, cujus eloquentiæ nonnihil offecerit philoſophiæ ſtudium.* Petrus Bembus lib. vi, epiſtola ad Danielem Barbarum (qui fratris filius erat) vocat Hermolaum *doctiſſimum, præſtantiſſimumque omnibus in diſciplinis virum, ſanctiſſimumque hominem.* Vide & laudationem ejus apud eundem Bembum initio libri de culice: quo Barbarum hunc, & Pomponium Lætum (cujus Barbarus fuerat ſectator) colloquentes inducit. Sepultus eſt Romæ ad S. Mariam de populo: ubi talis inſcriptio legitur:

*Barbariem Hermolaos Latio qui depulit omnem,*
*Barbarus hic ſitus eſt; utraque lingua gemit.*
*Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma;*
*Non potuit naſci clarius, atque mori.*

Obiit xii Kal. Jun. anno Chriſti cIↄ cccc xciii, ætatis ſuæ xxxix. Volaterranus ait deceſſiſſe mœrore, quòd à Senatu Veneto miſſus orator, præter auctoritatem Senatus ſui, ab Innocentio factus eſſet patriarcha Aquileienſis. Sed aliter Petrus Crinitus lib. i. de hon. diſc. cap. vii. ubi peſtilentiâ Romæ exſtinctum refert: ac Pici Mirandulæ officium erga morbo hoc affectum exponit. Atque idem etiam legas apud Iovium in elogiis. Mirum ſanè hæc fugiſſe Volaterranum, qui neſcio quæ de magnopere mœrentis contumaciâ, atque exilio, φλυαρεῖ. Uti & illud in eo reprehendit, quòd Plinium caſtigandum ſuſceperit, opus, ut ait, impar dignitati, & vitæ ſuæ inſtituto. Utinam ſic à multis ejus dignitatis, atque inſtituti, peccaretur. Et ſanè cogitare debuerat Volaterranus, jam antequam ad Epiſcopatum provectus eſſet, parata majori ex parte habuiſſe, quæ ad iſtud opus pertinerent. Neque propterea Epiſcopale munus, quod ſeu volens, ſeu invitus ſuſceperat, neglexit. Aliud ſanè inter cætera arguunt conciones ejus, quæ Patavii MSSæ exſtant apud Eremitas. Aliquantò poſtquam iſta exaraſſem, in manus meas venit elegans opuſculum Ioannis Pierii Valeriani, quo agit de literatorum infelicitate. Id unà cum aliis non paucis ſcriptoribus, qui proximis hiſce annis in Venetorum ditione prodiiſſent, illuſtriſſimus Dominicus Molinus, ut munificè, ita percommodè tranſmiſerat. Eo quippe in libello inter alia, quæ de triſti doctorum virorum exitu paucis cognita exponit, etiam offendi, quæ veriſſima eſſe docerent, tam illa, quæ de exilio ac mœrore Hermolai prodiderat Volaterranus; quàm quæ de peſtilentiæ morbo Crinitus, & Iovius, retuliſſent. Hunc quippe in modum Pierius eo in opuſculo rem narrat: *Hermolaum Barbarum, Venetum Senator optimum, vir, quod omnes fatentur, ætate ſuâ literatiſſimum, eo ipſo tempore, quo aliquam ſtudiis ſuis quietem ſe adſecutum arbitrabatur; dum Romæ apud Alexandrum Sextum, Pontificem Maximum, Venetæ nobilitatis nomine Oratorem agit; ſummiſque vigiliis intermortuam bonarum literarum, neque non & diſciplinarum gloriam ſuſcitat; ob ſuſceptum,*

*inconſulto Senatu ſuo, Aquilegienſe ſacerdotium exul factus, & de poſſeſſione ejectus, vitam inopem aliquamdiu traxit Alexandri Pontificis ſummi ſportulâ quodammodo ſuſtentatus: paucis verò pôſt menſibus peſtilentiâ contactus, deſertus ab omnibus, infeliciſſimo mortis genere oppreſſus eſt; quique laudatione, & eloquentiâ ſuâ innumeros ætatis ſuæ homines illuſtraverat, & funere, & honore ſepulchri ita defraudatus eſt, ut ubi ſepultus, quove hominis cadaver conjectum fuerit, ignoretur.*

Hermolao Barbaro à ſecretis fuit Ioannes Antonius Pantheus, Veronenſis, qui de Pliniorum patria ſcripſit, ac tridui confabulationes de thermis Calderianis; quod opus Vincentiæ primùm anno cIↄ ccccLXXXVIII prodiit, poſteaque cum ſcriptoribus aliis de balneis Venetiis eſt recuſus anno cIↄ Iↄ LIII. Libros ejuſdem de urbe Verona citat Torellus Sarayna. Sed eos videre nondum contigit: nec Italice, an Latinè eos ſcripſerit, ſat ſcio.

Circa idem tempus florebat Donatus Acciaiolus (qui Leandro Alberto Accievolus) Neri filius, ab antiquâ ſtirpe Florentinus; vir in Republ. occupatiſſimus, nec tamen ſtudiorum veterum plane deſertor. Nam, præter alia, Plutarchi Hannibalem, Scipionem, Alcibiadem, ac Demetrium, convertit. Ipſeque compoſuit vitam Karoli M. De hoc, quæ adfert, hauſit ex Eginhardo, genero Karoli Magni: de quo dictum nobis libro ſuperiori. Hoc Donati opus de vita Karoli cum Plutarchi vitis conjungi ſolet: unde, (ut etiam monitum nobis, cùm de Turpino ſuperiùs ageremus) ſpiſſus ille error obortus eſt Wicelio in Ha-
a Fol. 178 giologio *a*, ut ſcriberet, ſe Karoli vitam ex Plutarcho deſumſiſſe; cùm ſatis conſtet, Karolum annis ampliùs ſexcentis vixiſſe poſt Plutarchum. Exſtat Philelphi epiſtola anni cIↄ ccccLI ad Donatum Actiolum. Puto eundem. Quanti eum fecerit Jacobus Picolominæus, cardinalis Papienſis, ex ejus ad Donatum hunc epiſtolis compluribus ſatis liquet. Præclarum quoque ejus elogium eſt apud Ugolinum Verinum, Donati æqualem, lib. II. Florentiæ illuſtratæ; ubi ſic canit:

*Quis ſcripto, quis te, Donate, diſertior ore,*
b Acciaolo. *Accarole* b *fuit? quamquam tua clara propago eſt,*
*Tu tamen huic veros cumulaſti laudis honores.*

Meminit & in Ciceroniano ſuo Eraſmus. Fuit Donatus hic auditor Joannis Argyropoli Byzantini. Imò commentaria illa in Nicomachia Ariſtotelis multi arbitrantur non ipſius eſſe Acciaoli; ſed prælectiones eſſe Argyropoli; ab Acciaolo autem deſcriptas, inque lucem emiſſas. Nihil tale tamen de eo Volaterranus. Qui inter alia: *Donati*, inquit, *ſtylo nil dulcius optatur; cujus & lenitas, & ornatus, mores ejus ſuaviſſimos refert.* Et mox: *In hoc præter literas, & vitæ caſtitas, & juſtitia laudatur. Deceſſit in legatione, patrimonio filiis non amplo ob abſtinentiam relicto. Filiæ verò ob ejus in Remp. merita, haut aliter, quàm Paulli Æmilii, aut Ariſtidis, ære publico nupſerunt.* Apud Paullum Jovium legere eſt, ut, cùm ad opem à Gallis adverſus Xyſtum Pontificem poſcendam profectus eſſet; Mediolani in itinere mortuus ſit; atque inde Florentiam relatus, in Carthuſiano ibidem templo fuerit ſepultus. Contigit id anno cIↄ ccccLXXIII, menſe Auguſto. Eſt in obitum ejus hujuſmodi Politiani carmen: quod & Florentiæ in Carthuſiano legitur:

*Donatus nomen, patria eſt Florentia, gens mî*
*Acciaola domus, clarus eram eloquio.*
*Francorum ad regem patria dum orator abirem,*
*In ducis anguigeri mœnibus occubui.*
*Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum*
*Inter majorum nunc cineres ſepelit.*

Etiam Campani in laudem ejus verſiculos reperies in Gentilis Urbinatis literis: quæ leguntur inter epiſtolas Jacobi Piccolominæi, Cardinalis antè memorati.

Joannes Simoneta, Calaber, ſcripſit de rebus geſtis Franciſci Sphortiæ, Mediolanenſium ducis, libros XXXI. Eos verò dicavit nepoti Franciſci hujus, Joanni Galeatio Mariæ Sphortiæ, duci Mediolanenſi. Quàm bonâ autem fide ea ſcripſerit, ipſe in præfatione indicat verbis iſtis: *Hoc ipſum bellum, & re maximum, & memoriâ digniſſimum, cui, dum gereretur, aſſiduè interfui, paullo diligentius ſcribere operæ pretium duxi. Equidem omnia in commentarios, & eo ordine, quo gerebantur indies ſingula, celeri ſtylo deprompſi: ſi minus eleganter, minuſque ornatè; at verâ, & incorruptâ fide. Nihil non à me ſcriptum eſt, quod vel non ipſe viderim, & contemplatus fuerim; vel à locupletiſſimis teſtibus auctoribuſque, vel etiam ab ipſo Franciſco, dum ille de ſe modeſtiſſimè loquens aliquando præteritorum temporum pericula, reſque per omnem fortunam, non tam ab ſe, quàm ab aliis, geſtas recenſeret, acceperim: quod aliis haud quaquam contigit; ſi qui fortaſſe reperiantur earundem rerum ſcriptores, etiam eruditiores.* Etiam ad operis calcem, & argumentum pleniùs indicatur, & ſimiliter ad fidem pertinentia afferuntur. Verba ea ſunt: *In commentariis ab primo Alphonſi in Italiam adventu, & ab quarto & viceſimo ſupra quadringenteſimum & milleſimum anno à natali Chriſtiano, ad ſextum ſexageſimum uſque annum, non divi Franciſci Sphortiæ ſolum, ſed omnium Italicorum populorum, regum, & rerumpublicarum facta domi foriſque continentur; tantâ fide, religione, literis prodita, ut nihil gratiæ atque adulationi datum eſſe conſtet: quæ eo certiora habenda ſunt, quòd, qui ſcripſit, rebus ferè omnibus interfuit. Ea nunc, regnante Joanne Galeatio* VI, *Mediolani ducis auſpiciis, & juſſu illuſtriſſimi Ludovici Sphortiæ, Antonius Sarotus impreſſit Mediolani,* IX *Kal. Octobres* cIↄ ccccLXXXVI. Simonetam hunc Franciſcus Philelphus epiſtolâ, quam ad eum ſcripſit anno cIↄ ccccLXXIX, vocat *ducalem ſecretarium: commentarios* verò ejus *diſertiſſimos* appellat. *Inſignis hiſtoricus* nuncupatur à Iovio in elogio Franciſci Sphortiæ. Operæ autem eſt ſcire, quam pro tali opera gratiam retulerit. Galeacio à conjuratis occiſo acerba in eum, ac fratrem Cichum, quæſtione fuit inquiſitum: ac fratri quidem præciſæ cervices: Ioannes autem poſt tormenta quomodocumque evaſit: idque, ut Iovius ait, *valido apud tyrannum pudore, ne videretur ingratè ſublatus, qui patrem, ſumma virtutis principem, ne unquam interiret, beneficio literarum immortalem effeciſſet.* Ex memorato Simonetæ opere luculentam ἐκτύπωσιν de expeditione Papæ Pii adducit Meierus in annal. Fland. ad annum cIↄ ccccLXIII *a*. a P. 233. & 234.

T. Alexander Corteſius carmine epico pinxit laudes bellicas Matthiæ Corvini, Hungariæ regis. Iungitur Hungariæ Bonfinii hiſtoriæ. De eo ſic Ianus Duza pater præfat. altera annalium Batavicorum, quos carmine reliquit: *Poſt quos aliquot ſeculis interjectis natus Alexander Corteſius, vel hoc ipſo commendandus, quod intermiſſam res geſtas verſibus ſcribendi conſuetudinem nova laude reparavit, in illius regis virtutibus celebrandis, cujus magnitudo maximorum Poetarum vires facile exhaurire potuerit.*

Bonifacius Simoneta abbas fuit monaſterii Cornu; quod Placentini tractus oppidum eſt: Patruus ejus fuit Ioannes Simoneta, is quem Sfortiæ geſta edidiſſe, proximè diximus. Bonifacius hic poſteris tranſmiſit perſecutionum Chriſtianarum, & pontificum hiſtoriam: ſed eam non continuo filo tractavit; verùm in epiſtolarum ſex libros novo invento diſcerpſit; multaque iis ad rerum naturam pertinentia admiſcuit: ſcriptor non exiguæ lectionis, ſed qui, quantum videre poſſum, nihil habeat, cæteris indictum, ut carere eo tutò poſſit hiſtoriæ ſtudioſus. Vixit anno cIↄ ccccXC. ut vel argumento eſt prima epiſtola, quæ eſt ad Karolum VIII, Galliarum regem.

Circa annum cIↄ ccccXC claruit Hugolinus, ſeu Ugolinus Verinus. Præceptorem ſuum vocat Chriſtophorum Landinum *b*. b Lib. 2. illuſtratæ Florentiæ.

*Quo, Landine, tuas percurram carmine laudes,*
*Præceptor venerande?*

At diſcipulum habet Petrum Crinitum:

*Diſcipulique mei Criniti carmina Petri*
*Æternùm vivent.*

Pater

Pater fuit Michaëlis Verini, optimi, & caſtiſſimi adoleſcentuli; qui, relictis diſtichis piis, anno ætatis ſuæ XVII obiit. Notus de eo Politiani verſiculus,

*Neſſe polluerет, maluit ille mori.*

Et pater ipſe Ugolinus Michaëlem deplorat his verſibus:

*Quid referam nati Michaëlis funus acerbum?*
*Exſtat opus, prohibetque pudor narrare, quid ille*
*Scripſerit. Ingenii teſtes ſua diſticha reſtant,*
*Quæ ſenſa oſtendunt anguſtis grandia gyris.*

Panxit Ugolinus libros tres de illuſtratione Florentiæ: unde verſus eos exſcripſimus. Primo eorum agit de laudibus veteris Florentiæ. Altero exponit inſignes civitatis viros, & res ejus geſtas. Tertius tractat de genealogia illuſtrium urbis familiarum. Hoc poëma primùm Lutetiæ typis Rob. Stephani junioris prodiit anno CIↃ IↃ LXXXVIII: idque è bibliotheca Germani Audeberti Aurelii: qui & aliquot MSi codicis lacunas ſupplevit, & depravata, aut vetuſtate exeſa, reſtituit. Conſcripſit & Carliados opus, quod erat de Carolo Magno. Itidem heroico metro conſignavit vitam B. Antonini Florentini. Adhæc deſcripſit carmine expugnationem Granatæ, & laudationem Philippi Benitæ, & opus de rebus cœleſtibus, atque alia. De exceſſu Ugolini ita refert is, qui poëmatibus quædam de vita ejus præmiſit: *Ceterùm Verinum hunc, annos cùm peregiſſet LXXV, aut plures, perhibent fato functum anno ſalutis CIↃ CCCC XC: qua tempeſtate Leo X urbem Florentiam ingreſſus eſt: cùm ibi jam antea, adhuc juvenis, talem hunc virum ſibi habuiſſet præcipuum ad linguam Latinam ducem, atque magiſtrum.* Quibus non poſſum penitùs aſſentiri. Nam Ugolinus lib. II Florentiæ ſuæ, deplorat obitum diſcipuli ſui Criniti, quem deceſſiſſe ait undecimâ trieteride: hoc eſt anno trigeſimo primo, vel alterutro eorum, qui proximi conſequuntur. Atqui Crinitus libros ſuos de Honeſta diſciplina Florentiæ edidit anno CIↃ IↃ IV: ut ex præfatione auctoris conſtat ad Bernardinum Caraffam Neapolitanum, epiſcopum Antiochenſem. Non dubium igitur, qui poſtea Ugolinus ſuperfuerit.

Antonius Cornazanus, Placentinus claruit anno CIↃ CCCC XC. Carmine comprehendit vitam, & obitum beatæ virginis Deiparæ: proſâ autem vitam Bartholomæi Colonei, imperatoris Venetorum. Vide Jacobum Bergomatem in Suppl. Chron. lib. XVI. & Tritthemium in catal. ut juniores mittam. Uterque illorum Cornazanum Ferrarienſem facit: uti & Simlerus. Sed Leander in Italia *a* recenſet eum inter viros eruditos Placentiâ ortos: ubi & illud addit, Latinis ac vernaculis carminibus excelluiſſe. Omnem autem dubitationem tollit editio vetus an. CIↃ CCCC LXXII: quæ apud Pignorium, & alios, adhuc invenitur. Titulus ejus hujuſmodi eſt: *Ad ſereniſſimum Venetorum dominum, ejuſque civitatis principem clariſſimum de fide & vita Chriſti Antonii Cornazani, Placentini vatis, liber incipit.*

*a In deſcriptione Lombardiæ Ciſp. pag. 379 edit. Colon.*

Hieronymus Albertucius Burſellus, qui & à patriâ *Hieronymus de Bononia* appellatur, Ordinis Præd. circa idem tempus Chronicon condidit ab origine mundi, uſque ad annum CIↃ CCCC XCI. Item confecit annales conventus Dominicani Bononienſis ab inſtauratione vitæ regularis ad ſua uſque tempora. Præterea poſteris profuit ſignando annales Fratrum Ord. Dominic. Et tabulas duas, unam de magiſtris generalibus Ord. Domin. alteram de ejuſdem ordinis illuſtribus viris. Obiit pleuritide Bononiæ anno CIↃ CCCC XCVII, VII Kalend. Decemb. Vide Leandrum Albertum de illuſtribus viris Ord. Præd. lib. IV: qui & ejus meminit in Italia ſua, ubi Romanulam deſcribit.

Angelus Baſſus, qui notior altero nomine Politiani: quomodo, vocatus à Monte Politiano, Hetruriæ oppido; ubi an. CIↃ CCCC LIV prid. Idus Quinctiles natus erat. In Græcis diſcipulus fuit Andronici Theſſalonicenſis: qui peritiâ ejus linguæ proximus à Gaza erat, &, judicio aliquorum, etiam præſtabat; etſi Latinâ multùm cederet. Inſtituit liberos Coſmi Medicis; eoſque inter Joannis Medicis, qui Pontificatum adeptus vocabatur Leo X. De politie ſtyli ejus res notior eſt, & vivente etiamnum erat, quàm ut dicere de eo quicquam ſit opus. Ac ſedulò operam dabat, ne hac parte gloriam partam amitteret. Unde de eo ſic Volaterranus lib. XXI: *Mihi ſolebat epiſtolas, cùm Græcas, tum Latinas, ſcribere: ſed ſermone vernaculo plures: quod frequenter faciebat occupatus, ne naſum aliquis ſtylo offenſus impræmeditato, præjudicata jam de eo opinioni officeret.* Fuit ſacerdos, & canonicus Florentinus, ac illuſtris viri Laurentii Medicis alumnus, Joannis Pici Mirandulani ſtudiorum ſocius individuus. Latinas Græcaſque literas annis XI Florentiæ docuit: ac, præter alia, Herodiani hiſtoriam luculentè vertit; etſi æmuli ſparſerint, laborem eum fuiſſe Gregorii Tiphernatis. Qua de re ita Jovius in elogio Tiphernatis: *Famâ quoque fertur, Herodiani hiſtorias ejus ingenio, laboreque fuiſſe tranſlatas: quaſi eas morienti ſubtraxerit Politianus, vir in literario negotio ſæpe convictus furti. Sed vix credibile videtur, ut vir in omni dicendi facultate opulentiſſimus idem, atque promtiſſimus, ex alieni ingenii labore famam probro & calumniâ redundantem quæſiſſe voluerit.* Idem Politianus condidit brevem hiſtoriam, ſeu commentarium de conjuratione Jacobi Paccii, equeſtris ordinis viri, & aliorum ejuſdem familiæ, & quorundam è Salviatorum gente, adverſus Laurentium, & Julianum, & univerſam domum Medicæam. Hanc hiſtoriam Latinè ornatiſſimeque perſcripſiſſe, etiam Pauli Jovii in doctorum virorum elogiis judicium eſt. Pluraque de ejus virtutibus, & vitiis, apud eundem Jovium vide. Aliaque aliorum de eo videre poſſis in opere noſtro de Poëtis Latinis, & apud Barthium Adverſariorum lib. XLVII. cap. V. & diſpliceat, quod Petrus Bembus eum pene initio diſſertationis de imitatione vocat doctum & ingenioſum, ſed non multum prudentem. Nolim tamen de eo contendere, quòd candori ejus non multum tribuit Guilhelmus Budæus Annot. in Pandectas *a*, ubi ſic ſcribit: *Plutarchus in eo libro, quem de Homero compoſuit: qui liber nondum Latinus ex profeſſo factus eſt, licet Politianus, vir ille quidem excellentis doctrinæ, ſed animi non ſatis ingenui, ex eo libro rerum ſummas ad verbum tranſcribens, quaſique flores præcerpens, non erubuit id opus, pro ſuo edere, in quo nullam, præterquam tranſcribendi, ac vertendi operam novaverat.* Deceſſit Florentiæ VIII Kal. Octobr. XL ſolùm, ut eſt apud Volaterranum; non, ut eſt apud eundem Iovium, annos natus XLIII. Fuit id Chriſti anno, non CIↃ IↃ IX, ut complures, eoſque inter Eberus in Faſtis, & Elias Reuſnerus in diario hiſtorico, tradunt; ſed CIↃ CCCC XCIV, eopſe quo deceſſere Hermolaus Barbarus Venetus, & Ioannes Picus Mirandulanus: ut de tribus his teſtatur ille, qui *b* Matthiam Palmerium continuavit. Quòd ſi ejus teſtimonium haut ſufficit, at omnem ſcrupulum eximet Marſilius Ficinus, epiſtola ad Germanum de Ganai, ubi cùm de obitu Ioannis Pici Mirandulani egiſſet, ſubjungit, *ut nota ſit tibi reliqua literarum jactura hoc auctumno Florentiæ facta, Angelus Politianus noſter, Latina, Græcaque lingua doctiſſimus Septembri proximo ante Pici obitum migravit è vita quadrageſimo ætatis anno.* At Picus deceſſit an. CIↃ CCCC XCIV, ut inter omnes convenit. Præter alios, Petrus Crinitus ei epitaphium ſcripſit: in quo iſta legas:

*Fovit benigno me ſinu Flora, & illic*
*In fata ceſſi, Parthenopeos reges*
*Cum Gallica arma irruerent minabunda,*
*Tu vale, & hoc ſis meriti memor noſtri.*

Sed hæcne, vel Politiano ſunt digna, vel Politiani diſcipulo, Crinito? Quid enim apertius eſt, quàm σκάζοντας iſtos præter metri legem, ita claudicare, ut plura in metro vitia ſint, quàm verſus? Quod non retuliſſem, niſi verſiculi illi, & in duodecimo Epiſtolarum Politiani libro (qui ferè adoptivis Epiſtolis conſtat) adſerrentur, & Iovius eos tanti duxiſſet, ut in doctorum eos elogiis referret. Vulgò fertur, obiiſſe Politianum, fœdi amoris impatientiâ capite in parietem illiſo. Sed id fabulam eſſe à malevolis confictam, ait Pierius Valerianus lib. II *c* de literatorum infelicitate. Cenſet autem, deceſſiſſe mœrore, eò quòd inclina-

*a P. 282. edit. Rob. Steph.*

*b In edit. Euſeb Baſil. Henr. Petr.*

*c Pag. 70. 71.*

clinare jam videret fortunam Petri Medices, quem literis imbuerat.

Pacificus Maximus patriâ Aſculanus, præter invectivam in Ang. Politianum, etiam carmine condidit libros duos de Lucretia, quæ vim paſſa à Tarquinio manus ſibi attulit: item libros totidem de Virginia à patre Virginio interempta, cùm eam Appius Claudius ſtupro deſtinaſſet. Dicavit autem Angelo Colotio Æſinati. Adhoc fecit carmine libros ſeptem de bello Cyri, regis Perſarum, de bello Syllæ & Marii libros XI, de bello ſervili Spartacio lib. VI, atque alia: quæ partim anno CIↃ IↃ, partim circa hoc tempus, in lucem prodierunt. Ordine equeſtri natus fuit, ac viginti luſtris vixit; ut Camillus Damianus refert in epitaphio ejus, quod ſubjicitur Lucretiæ, ac Virginiæ, in poëmatis editione Fanenſi anni CIↃ IↃ VI: unde & ante id tempus deceſſiſſe Pacificum cognoſcimus.

## Cap. IX.

*Thomæ Scrope, ſeu Brandley, compendium hiſtoricum, aliaque. Variorum vitæ, atque acta, auctore Joanne Lydgate. Thomæ Walſinghami hypodigma Neuſtriæ, Polychronici auctarium, & de Henrico* VI. *liber. Joannis Stouvi acta concilii Baſileenſis. Nicolai Bungei, ut vocat, adunationes Chronicorum. Joannes Whethampſtedus, ſeu Frumentarius, de S. Amphibalo, viris illuſtribus, terra ſancta, & geſtis ſuis. Joannes Blacuejus de mundi ætatibus. Rogerius Albanus de progenie regum Britannicorum. Anonymus de vita regis Henrici* V. *Joannis Amundisham de vita Joannis Frumentarii. Thadæi excerpta de aliquot ſanctorum vitis. Joannis Capgrave Chronicon, & alia. Nicolai Montacutii reges Angliæ, ſcala temporum, epiſcopi Angliæ, pontifices Romani. Thomæ Gaſcoigne de vita B. Hieronymi. Joannes Chaundeler de geſtis, ac laudibus variorum. Guilielmus Botonerus de antiquitatibus Anglicanis, & actis Joannis Faſtolphi. Joannis Hardinge Chronicon & Scotiæ chronographia, deque jure regum Angliæ in Scotiam. Roberti Balei opera varia. Joannis Phreacoſmographia, & tranſlatio Xenophontis, ac Diodori. Joannes Stonus. Nicolaus Kenton de vita Cyrilli. Guilielmi Grenai hagiologium Carmeliticum. Thomas Wigenhale de rebus monaſterii Dieramenſis, & miraculis matris virginis. Gualterus Hunte, ſeu Venantius, de geſtis concilii Florentini, ac plura ejuſdem ſcriptoris. Guilielmi Elphinſtoni Chronicon de rebus Scoticis. David Morganius de antiquitatibus Cambriæ. Thomæ Rudburne geminum Chronicon: atque idem de rebus cœnobii Hidenſis. Guilhelmi Caxtoni Chronicon, aliaque. Georgii Riplay vita, & liber de doloribus Mariæ, quos ea, patiente Chriſto, perpeſſa eſt. Joannes Roſſus.*

VEnio nunc, ſi ita cum poëta loqui licet,

*Ad penitus toto diviſos orbe Britannos.*

Apud hos, temporibus Frederici III, Angliæ imperium tenuit, primùm quidem Henricus VI, uſque ad annum CIↃ CCCC LXI: hinc Eduardus IV, uſque ad annum CIↃ CCCC LXXXIII: tum Richardus III. biennio: ac deinceps Henricus VII.

Horum omnium temporibus vixit Thomas Scrope, aliàs Brandley, nobilis Anglus, priùs Carmelita in monaſterio Horwicenſi: exinde, conſenſu Papæ Eugenii IV, Dromorienſis in Hiberniâ epiſcopus, & ad Rhodienſes legatus. Hic non tantùm ex Latino Anglicè vertit Philippi Ribori Catalani librum de geſtis Carmelitici ordinis: ſed Latinè quoque compoſuit compendium Hiſtoriarum, & juris libros IX. item librum de ſectarum introitu in Angliam, & alium de profectione ſuâ ad Rhodios. Propè centenarius obiit anno CIↃ CCCC XCI.

Venio ad alios minùs longævos, quantum quidem ex iis conſtat, quæ veteres de iis prodiderunt. Anno CIↃ CCCC XL ſub Henrico VI. jam ſexagenarius vixit Ioannes Lydgate Anglus, Burienſis cœnobii monachus ad ſancti Edmundi. Scripſit vitas S. Eadmundi regis, S. Ethelſtani, S. Fremundi principis, S. Mariæ, (quæ MSa Oxonii eſt in bibliotheca publica) B. Albani martyris: adhæc acta Guidonis Warwicenſis: librum de Guidone, & Colbrando, & alia quæ Balæus recenſet. Etiam ex Ioanne Boccacio, & aliis, tranſtulit libros IX de caſibus virorum illuſtrium: item de bello Thebano, de capta Troja, atque alia.

Claruit eodem tempore Thomas Walſingham Norfolcienſis, monachus ad S. Albani, Anglorum protomartyris. Hic regi ſuo dedicavit hiſtoriam ſuam, quam Græco nomine *Hypodigma Neuſtriæ* inſcripſit, eo quòd regionis hujus res geſtas oſtendat, atque enarret. Incipit eam à Rollone, primo duce Normannorum, eorumque irruptione in Britanniam, quæ contigit circa annum Chr. IↃ CCC XCVII: ac perducit uſque ad annum ſextum Henrici V: qui Chriſti eſt CIↃ CCCC XVII. Præterea Chronicon edolavit de rebus Anglicis: quod ab Henrico III, in quo Matthæi Pariſii hiſtoria deſiit, perducit uſque ad annum XI Henrici V, Chriſti CIↃ CCCC XXII. Hic auctor MSus quidem Cantabrigiæ eſt in Collegio S. Benedicti: at anno CIↃ IↃ LXXIV in lucem protractus fuit à Matthæo Parkero, Archiepiſcopo Cantuarienſi. Præter hæc autem etiam Polychronici, ab Ranulpho, Ceſtrenſi monacho, concinnati, auctarium reliquit; quod incipit ab an. CIↃ CCCC XLII, ac terminatur an. CIↃ CCCC XVII. Denique & acta compoſuit Henrici VI, Britanniæ, Galliæque regis; cujus temporibus vivebat.

Ejuſdem regis ætate, circa annum CIↃ CCCC XL erat Joannes Stouvus, monachus Benedictinus Nordvici ad S. Servatorem, & Theologiæ doctor Oxonienſis. Interfuit concilio Baſileenſi: interque alia, ejus Acta perſcripſit. Meminit Robertus Talbotus, atque ex eo Balæus Centur. XI.

Item tum vixit Nicolaus Bungey, patriâ Nordovolgius, ſub Londinenſi epiſcopo clericus, eidemque à ſacellis. Contexuit opus, quod *Adunationes Chronicorum* inſcripſit. Mentio ejus eſt apud Nicolaum Brigamum, atque exinde apud Balæum cent. XI. Item apud Guilielmum Botonerium, & ex hoc apud Pitſeum in Ætate XV.

Joannes Whethampſtedus, qui & Frumentarius, Anglus, ſub eodem rege claruit circa annum CIↃ CCCC XL, ac in Papienſi, & Senenſi conciliis, tempore Martini V. Pont. Rom. orationem habuit. Idem multa ſcripſit, atque inter hæc, hiſtoriam B. Amphibali, librum de viris illuſtribus, & de ſitu terræ ſanctæ, item de rebus à ſe geſtis. Vitam etiam S. Albani vertit.

Joannes Blacuejus, vel Blakeney, Norfolcenſis, circa annum CIↃ CCCC XLVII vivebat: ac cùm aliis nomen invenit, tum opere de mundi ætatibus.

Circa idem tempus fuit Rogerius Albanus, Anglus, Hartfordienſis ex oppido S. Albani, Carmelita. Præter compendium hiſtoriæ Biblicæ opus reliquit, quo progeniem regum Britanniæ complexus eſt.

Anonymus Anglus conſcripſit vitam regis Henrici V, eamque Henrico VI. regi dedicavit. Idem eſt, qui T. Livium Anglicè tranſtulit. Meminit Pitſeus.

Joannes Amundisham, Anglus, ad fanum Albani monachus, floruit ſub Henrico VI. ejus nominis Anglorum rege, anno Chr. CIↃ CCCC L. Scripſit acta abbatis Joannis Frumentarii: quem & vivum magni fecit, & mortuum pari affectu eſt proſecutus.

Anno Chriſti CIↃ CCCC LVII, Thadæus, qui aliis Tatheus, abbas Scotorum Ratisbonæ, poſtulato Conradi, præpoſiti in Ilminſter, excerpſit ex Chronicis Scotorum fragmentum de S. Kiliano, S. Virgilio, S. Lullo, atque aliis: quod repræſentat Caniſius Tom. IV Antiq. Lect. Diſpiciendum autem, an non idem ſit Thadæus Romanus, qui res Frederici I. carmine ſcripſit; ac à Cuſpiniano in opere de imperatoribus refertur inter eos, quorum operâ ſit uſus. Sanè ætas convenit.

Joannes Capgrave, vel *Capgrave*, Anglus Cantianus, mo-

monachus Auguſtinianus, & Theologiæ doctor Oxonienſis, ac tandem Ordinis ſui provincialis, vir longè doctiſſimus, præter commentarios in Scripturam, cùm alia conſignavit, tum de nobilibus Henricis, catalogum ſanctorum Angliæ, de illuſtribus viris Auguſtinianis, & vitam Humfredi, Gloceſtriæ ducis, Mæcenatis ſui: item Chronicon, quod MSum ſupereſt Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Obiit Lynnæ, Nordovolgiæ oppido, anno cIↃ cccc LXIV, cùm Richardus III Angliæ regnum invaſiſſet.

Nicolaus Montacutius, quem aliqui Monacutium dicunt, Anglus, claruit ſub rege Anglorum Henrico VI, ac ſcripſit opus de regibus Anglorum: item ſcalam temporum à nato Chriſto, adhæc de epiſcopis Anglorum, item de Pontificibus Romanis. Hæc omnia MSa habentur in bibliothecâ Hetonenſis collegii à prædicto rege conſtituti: poſtrema autem duo MSa etiam ſuperſunt in bibliothecâ baronis Lumlejani.

Thomas Gaſcoigne, nobilis Anglus, doctor Theologus, & Academiæ Oxonienſis Cancellarius, claruit circa annum cIↃ cccc LX: nec modò plurimorum librorum theſauro bibliothecas ditavit; ſed ipſe etiam aliqua compoſuit, & inter alia vitam B. Hieronymi Stridonenſis; cujus ſummus erat amator, & admirator.

Joannes Chaundeler, ſive Candelarius, Anglus, Fontanenſis ſeu Wellenſis Eccleſiæ Cancellarius, floruit anno cIↃ cccc LX: ac præter alia edidit geſta Guilhelmi Wickami: item librum de laudibus Thomæ Beckingtoni, Bathonienſis & Wellenſis epiſcopi, quo familiariter fuerat uſus. Item laudes Bathoniæ, ac Welliæ; atque alia. Ejus ſcriptorum archetypi ſuperſunt in bibliotheca Fontanenſi, iique auro, ac minio, & ſerico villoſo, inſignes.

Guilielmus Botonerus, nobilis Anglus, Briſtolienſis, equeſtris dignitatis, idem mathematicus, & hiſtoricus, & medicus, annorum erat XLV, anno cIↃ cccc LX; quo inter Henricum, & Eduardum reges, acre bellum erat. Scripſit antiquitates Anglicas: & acta Joannis Faſtolphi. Falli puto Brianum Twinum lib. II. de Antiquitate Academiæ Oxonienſis; ubi Balæo eundem eſſe ait Guil. Botonerum, & Guil. Worceſtrium: de quo poſtea dicetur. De Botonero quidem agit ille: ſed de Worceſtrio apud eum ſilentium eſt.

Joannes Hardinge, Anglus, primùm adverſus Scotos militavit, poſtea Chronicon condidit. A fictitio Bruto exorditur. Ac uſque ad regem Henricum IV refert, quæ ab aliis jam tradita erant. Sed LXI annis, quos adjecit, narrat res ſuæ ætatis, magnâque parte ſibi viſas. Præterea edidit brevem chronographiam Scotiæ. Item librum, quo exſequitur, ut Scotiæ reges ſe regibus Angliæ ſubmiſerint. Vide, quæ de hoc Balæus adfert Cent. VIII. cap. XXX. Floruit jam ſenex ſub Eduardo IV, anno cIↃ cccc LXI.

Robertus Balæus ſenior, Juriſconſultus, ſub eodem Eduardo claruit anno cIↃ cccc LXII, ac reliquit Alphabetum ſanctorum Angliæ, geſta regis Eduardi III, Chronicon urbis Londinenſis, ac inſtrumenta libertatis ejus urbis, deque ejus præfectis, & conſulibus.

Eodem regnante, anno cIↃ cccc LXV, vivebat Joannes Phreas, ſeu *Phreus*, Londinenſis. Hic Coſmographiam compoſuit, cujus MSum exemplar aſſervatur Oxonii in Collegio Balliolenſi. Idem Xenophontis aliqua, ac Diodori Siculi partem, aliaque, vertit Latinè. Papa Paullus II uſque adeò capiebatur tranſlatione ſibi dicatâ, ut eum deſignaret epiſcopum Bathonienſem. Sed Phreas, priuſquam inauguraretur, è vita exceſſit, anno cIↃ cccc LXV. Veneno à competitore exſtinctum fuiſſe, ſuſpicio erat.

Iiſdem temporibus in pretio erat Joannes Stonus, vel Stonæus, Anglus monachus ordinis S. Benedicti, apud Cantabrigienſes (Cantuarenſes ſcribit Pitſeus) ac præter Decreta quædam, & ſententias Patrum ſpeculativas de fide, ſpe, charitate, etiam grande opus condidit de obitibus, & aliis memorabilibus ſui cœnobii. Quod volumen in lucem emiſit anno Chriſti cIↃ cccc LXVII, monachatus ſui quinquageſimo. Opera ejus omnia MSa Cantabrigiæ adſervantur in collegio S. Benedicti.

Tum quoque erat aliquo in honore ejuſdem Anglicæ gentis ſcriptor Nicolaus Kenton, ſive, ut Sixto Senenſi vocatur, *Chenton*, Carmelita, & doctor Theologus: qui vitam compoſuit Cyrilli, ejus puto, qui epiſcopus fuit Alexandrinus. Item alia reliquit, quæ Balæus recenſet. Obiit ſub Eduardo IV, anno cIↃ cccc LXVIII.

Guilhelmus Grenæus, ſeu *Viretus*, ſub Eduardo IV, Angliæ rege, vitam agitavit: cumque monachus foret B. Mariæ de monte Carmeli, *Carmelitarum hagiologium* potiſſimùm contexuit.

Thomas Wigenhale, Præmonſtratenſis, natione Anglus, claruit ſub rege ſuo Eduardo IV, anno cIↃ cccc LXX, ac hiſtoriam fecit monaſterii ſui, quod Derami apud Nordovolcas fuerat. Et quia cœnobium illud dicatum erat B. Mariæ, etiam librum edidit de miraculis B. Virginis Mariæ.

Eodem tempore floruit Gualtherus Hunte, qui & Venantius vocabatur. Anglus erat, ac profeſſione Carmelita. Quanti nominis fuerit, argumento erit, quòd univerſæ Angliæ nomine miſſus fuerit ad ſynodum, quæ Ferrariæ primùm, ac pòſt Florentiæ habebatur: ubi Græcos Latinoſque diſputantes audivit. Deſcripſit, quæ utrobique acta eſſent. Etiam Comeſtorem idem in compendium redegit, ac duodecim chronicorum excerpta (non exceptiones, ut pro eo Geſnerus, & ex hoc Poſſevinus ait) edidit: item epitomen fecit hiſtoriarum; longeque plura commentatus eſt de controverſiis Theologicis. Obiit decrepitâ ætate, anno Chriſti cIↃ cccc LXXVIII, temporibus Eduardi IV. Meminit ejus & Petrus Lucius in bibliothecâ Carmelitarum.

Guilielmus Elphinſton, Scotus genere, & doctrinâ illuſtris, epiſcopus Aberdonenſis, regni Scotici cancellarius, & regii ſignaculi cuſtos, claruit anno Chriſti cIↃ cccc LXXX, temporibus regis Jacobi III. Præter conciliorum ſtatuta, etiam Scotorum chronicon reliquit: in quo præ aliis, imò uſque adeò, ut majorem iis hiſtoriæ ſuæ partem debeat, duos hoſce ſequitur, Veremundum, fani B. Andreæ archidiaconum, & Joannem à Campobello: ut agnoſcit ipſe, ac præterea auctor eſt nobis Hector Boëthius in hiſtoriæ ſuæ Scoticæ præfatione.

David Morganius, ex Cambria oriundus, innotuit ſub Eduardo IV Angliæ rege anno cIↃ cccc LXXX. Prodidit antiquitates Cambriæ: item claruit ejuſdem regionis deſcriptione, in qua præcipuè patriam ſuam Morganiam illuſtrat.

Thomas Rudburne, Anglus, alius à Rudburno, Menevenſi epiſcopo, de quo ſuperiùs dictum, quippe monachus Wintonienſis, geminum Chronicon de rebus gentis ſuæ exaravit: unum majus; alterum, quod breviarium Chronicorum vocavit. Item conſignavit res cœnobii Hidenſis. Floruit anno cIↃ cccc LXXX, regnante Eduardo IV. Eum teſtem advocat, atque etiam viſum ſibi ait, Joannes Roſſus; de quo poſtea dicam.

Guilhelmus Caxtonus, Anglus, præterquam quòd varia hiſtoricorum opera ex Gallica, vel Latina lingua Anglicè tranſtulerit, etiam ipſe Anglicè compoſuit plurima; quorum nonnulla à Latinis ſcriptoribus ſint tranſlata. Edidit Chronicon libris VII, quod *Fructus Temporum* inſcripſit. In eo à gigantibus auſpicatur; quos primos Angliam incoluiſſe autumat. Progreditur autem uſque ad annum XXIII Eduardi quarti: hoc eſt, annum Chriſti cIↃ cccc LXXXIII. Etiam hiſtoriam contexuit Arturi regis, item vitam Eduardi Confeſſoris, adhæc Britanniæ totius deſcriptionem. Idem continuavit appendicem, quam Joannes Treviſa Polychronico addiderat. Hujus Caxtoni Chronicon in opere ſuo Latinè tranſtulit Joannes Scotus; ſed refectis, quæ improbaret. Nec enim pauca ſunt, ubi judicium requirat. Unde hiſtoriæ ſuæ Scoticæ lib. IV. cap. III, cùm narrâſſet, ut Joannes rex à monacho quodam cœnobii Swyneſheid, hoc eſt, capitis porcini, veneno eſſet ſublatus, ſubjungit hæc verba: *Caxtonum, Anglum hiſtoricum, in hac parte ad literam imitor: ſolùm linguam noſtram Britannicam in Latinam interpretor.* Idem cap. XIII:

*Circa hanc materiam Caxtonus hiſtoricus Anglus ſic recitat.* Ac poſtquam majorem capitis ejus partem ex Caxtono exſcripſiſſet, addit: *Ecce Caxtoni Angli hiſtoriam, quam de lingua Anglicana in Latinam convertimus. Non ſolùm improbabilia, ſed ſibi haut cohærentia, vir iſte cudit. Omni enim probabilitate vacat, ut duos reges, ſuperiorem, & inferiorem, ei ſubjectum Scoti eligerent, peterent, aut caperent.* Item cap. XXI: *Ecce, quonam pacto res geſtas illius temporis Anglus hiſtoricus, quem ſequimur, recitat, paucis verbis improbabilibus à me rejectis, & reprobatis.* Item lib. V. cap. XVII: *Poſtea invectivam in Robertum, & Davidem Bruſeos Caxtonus facit, quot verba, tot mendacia aſſumens.* Caxtonum hunc Simlerus, uti &, qui eum ſequi ſolet, Poſſevinus, vixiſſe arbitratur anno CIↃ IↃ XXXVIII. Sed falli eos, ſatis arguunt, quæ diximus. Quamquam verò Anglus foret, tamen magnam ætatis partem, puta annis XXX, in Flandria egit apud Margaritam, Burgundiæ ducem, regis ſui Eduardi ſororem.

Georgius Riplay, Anglus, priùs Bridlingtonæ Canonicus regularis, ac poſtea in fano S. Botulphi Carmelita, præter compendium alchymiæ (quod MSum ſupereſt in bibliotheca baronis Lumlejani) aliaque multa, etiam literis commiſit vitam Botulphi abbatis, item vitam Joannis Bridlingtoni, adhæc hiſtoriam, ut vocat, compaſſionis Mariæ, & quædam alia, quæ ſuggeret Balæus. Vivere deſiit ſub rege Henrico VII, anno CIↃ CCCC XC.

Joannes Rowſe, aliàs Roſſus, Anglus Warwicenſis, ſcripſit antiquitates Warwicenſes, & Chronicon Warwicenſe, item de comitibus Warwicenſibus. Adhæc de Academiis Britannicis, à quo diverſus non videtur liber, qui de regibus inſcribitur; ut obſervat Brianus Twynus lib. I apolog. Academiæ Oxonienſis; atque idem lib. II oſtendere nititur. Hiſtoria Joannis Rous MSa exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti: ut eſt apud Th. James.

## Cap. X.

*Maximiliani Cæſaris commentarii de geſtis ſuis. Nicolaus Simonius de vitis variorum, ac ejuſdem hiſtoria Carmelitica. Philippi Wielani hiſtoria Flandriæ, Brabantiæ, & Cameracenſium Principum ac Epiſcoporum. Jacobus Reimolanus de vita S. Joachim. Jacobi Wimphelingi epitome rerum Germanicarum, ac liber de vita Dietheri. Ægidii Aurifabri Carmelitæ hiſtoria Brabantiæ, ac Chronicon ſui ordinis. Rodulphus Langius de Hieroſolymis, & obſidione Noviſionenſium. Folkeri Simonis Chronicon Friſiæ. Sebaſtiani Brant vita, Chronicon, alia. Arnoldus Boſtius de illuſtribus Carmelitis, & Cartuſienſibus. Conradus Celtes Protucius de ſitu Germaniæ, & vita S. Sebaldi. Joannis Gerbrandi de Leidis Chronicon Hollandiæ, & Zelandiæ: item abbates Egmondani, & hiſtoria Carmelitica. Philippus Comminæus de geſtis Ludovici* XI, *& Karoli* VIII. *Andreas abbas de vita S. Odonis. Joannis Reuchlini epitome hiſtorica. Paulli Langii Chronicon Citizenſe. Matthæi, Udalrici filii, annales ſui generis. Anonymus, qui reliquit Speculum exemplorum ex diverſis libris in unum collectum. Joannis Trittenhemii catalogus ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Germanicorum, Benedictinorum, chronicon Hirſaugienſe, & Spanheimenſe, Francica, Bavarica, vita, itinerarium. Joannes Mauburnus de viris illuſtribus ſui ordinis. Eraſmus Vitellius de victoria Sigiſmundi regis. Joannis Naucleri Chronicon. Anonymus de vita S. Cuneræ. Alberti Krantzii hiſtoria Eccleſiaſtica, Saxonica, Vandalica, Septentrionalis. Jacobus Drieſchus de vita S. Remberti Epiſcopi Bremenſis, & S. Auſgarii Hamburgenſis.* Guilhelmus Hermannus Hollandus *ſive* Guilhelmus à Gauda, *de Bello Olandiæ & Gelriæ, & alia ejuſdem. Anſelmus monachus de terra Sancta. Zachariæ Benedicti carmen de vita S. Brunonis. Henrici Bebelii opuſcula varia de Germania, atque Imperatore. Henrici Thaboritæ hiſtoria à Chriſto uſque ad ſua tempora. Eligius Houcarius de vitis SS. Lavini Martyris, & Bertulphi confeſſoris. Eraſmus Stella de antiquitatib. Boruſſiæ. Joannis Marii Belgæ ſcripta varia. Felix Malleolus de vita S. Gebhardi. Petrus Blomenvenna, domo Leidenſis, de vita S. Brunonis. Conradus Vecerius de geſtis Henrici* VII, *ac geminâ ſeditione Siciliæ. Idſardi Gravii Chronicon Friſiæ. Franciſci Irenici deſcriptio Germaniæ. Hieronymus Balbus de coronatione. Jacobi Manlii Chronicon Conſtantienſe. Joannes Cuſpinianus de Romanis conſulibus, & imperatoribus: ejuſdemque Auſtria, item alia. Conradus Peutingerus de migrationibus gentium. Joannes Cincinnius de vita B. Ludgeri. Beatus Rhenanus de vita Joannis Geileri, & alia ejuſdem. Joannis Placentii catalogus Epiſcoporum Tongarorum & Trajectenſium. Matthæus à Michau de utraque Sarmatia. Gerardi Noviomagi Batavica, atque alia. Joannis Aventini annales Bojorum. Guilhelmi ab Heda Chronicon, & genealogia Caroli* V.

SUperſunt tempora Cæſaris Auguſti Maximiliani Auſtriaci; qui parenti ſuo Frederico III. ſucceſſit anno CIↃ CCCC XCIV; atque imperavit annos XXV. Hic non modò res magnas geſſit; ſed earum etiam commentarios ſcripſit: quod omnibus eſſe notum, ait Simon Schardius, LL. doctor, epiſtolâ eâ, quam Theodorico à Niem præmiſit. Sed quâ linguâ id fecerit, non addit. Uti nec Joannes Bertelius, abbas Epternacenſis in hiſtoria Luxemburgenſi, qui contentus eſt dicere, eum Julii Cæſaris exemplo res à ſe geſtas deſcripſiſſe. Aggreſſum ſcribere ait Reinerus Reineccius præfat. Tom. prioris de familiis. Temporibus ejus varii variis locis illuxere hiſtorici. In iis digerendis ordinem illum ſequemur, quem in temporibus Friderici III. inſtitimus. Auſpicabimur igitur à Germanis, & iis nationibus, quas Germanis antè jungebamus.

Nicolaus Simonis, Hollandus, Carmelita, & Provincialis ſui Ordinis, in pretio erat extremis temporibus Frederici III. Imp. ac ſub Maximiliano Imp. Inclaruit diſputatione quadam, quæ Venetiis prodiit anno CIↃ CCCC LXXXVII: item commentario in Decretalia, quæ Mediolani excuſa anno CIↃ IↃ V. Alia quoque ejuſdem complura Tritthemius adfert, atque ex eo Geſnerus. Hiſtorica ſunt iſta: Chronicon temporum, vita B. Annæ, vita B. Cyrilli, vitæ ſanctorum patrum, de ſacris mulieribus liber, item hiſtoria ordinis Carmelitici. Deceſſit ſenex Harlemi anno CIↃ IↃ XI.

Etiam extremis temporibus Frederici, ac omni eo tempore, quo Maximilianus rexit, claruit Philippus Wielanus vir nobilis, Landeghemii Toparcha. Idem Conſiliarius Parlamenti Mechlinienſi factus an. CIↃ CCCC LXXVII. Poſtea ſimilem in Flandria dignitatem obtinuit. Ibidem conſilii præſes eſt factus, an. CIↃ CCCC XXXVIII. Hinc tranſlatus iterum Machliniam in concilium, ſeu Parlamentum magnum à Philippo Caſtellæ rege inſtitutum anno CIↃ IↃ IV, ubi magiſter fuit libellorum ſupplicum. Eoque in munere deceſſit anno CIↃ IↃ XIX. Cumque tantas dignitates ſuſtinuerit, tamen in multa nihilo ſegniùs ſtudia vacabat: ſed legebat, & ſtudebat in multam noctem: ac antelucanas operas antevertebat. Inter alia Hiſtoriam Flandriæ Latinè condidit. Item Hiſtoriam Brabantiæ, ac Cameracenſium Principum, ac Epiſcoporum. Hujus ſcriptoris lectio multum profuit Mejero, Ondegeerſio, Marchantio, rerum Flandricarum ſcriptoribus. Meminit Mejerus in vita Margaretæ Moleanæ ad an. CIↃ CCCC LXXXI, atque alibi non ſemel. Plura de eo vide apud Sanderum lib. III de Gandavenſibus ſcriptoribus.

Jacobus Reimolanus Flander, Gandavenſis cœnobii Carmelita, idem mathematicus, rhetor, & poëta, vitam S. Joachimi: item odas de eodem, atque alia edidit. Laudatur à Gaguino, Tritthemio, & Jodoco Badio. Obiit Romæ CIↃ IↃ VIII.

Ja-

Jacobus Wimphelingus Sletſtadienſis, presbyter Eccleſiæ Spirenſis, longè plurima literis mandavit. Interea autem eſt epitome imperatorum, ac rerum in Germania geſtarum. Item vita Dietheri, archiepiſcopi Moguntini. Poëmata ejus laudat Lilius Gyraldus dialogo ſecundo de poëtis ſui temporis. Floruit apud Nemetes circa annum cIↄ cccc xciv. Vide de eo Paulum Langium in Chronico

a P. 886. Citizenſi *a*.

Ægidius Aurifaber Bruxellenſis, monachus ordinis Carmelitani, Theologiæ Doctor Lovanienſis, eccleſiaſtes mirè diſertus, præter alia condidit Hiſtoriam Brabantiæ: & Chronicon ſui ordinis. Magno loco habebatur ab imperatore Maximiliano. Deceſſit Bruxellis anno cIↄ ɔ vi.

Rodulphus Langius, Weſtphalus, Monaſterienſis eccleſiæ Canonicus, vivebat anno cIↄ cccc xciv, ac, præter alia, ad Hermannum Langium, ejuſdem Eccleſiæ Decanum, duos compoſuit libros de urbe Hieroſolymæ: item exaravit librum de obſidione Nuſienſis, ſeu Noviſionenſis civitatis. Non defugit eum referre inter temporis ſui poëtas Gyraldus dialogo II.

Æqualis his Folkerus Simonis, Friſius, primùm Snecanæ ſcholæ rector, deinde urbis ibidem conſul. Latinè Friſiæ chronicon condidit: cujus meminit Supplementum Germanicum ad Vorperum de Rynſina Geelt ad annum cIↄ cccc xcvi. Vide Suffridum Petri de ſcript. Friſ. decad. ſect. VIII.

Sebaſtianus Brant ſive Titio, Argentinenſis, in literas retulit vitam ſanctorum Onuphrii, & Bernardi, multaque in laudem variorum ſanctorum compoſuit. item de captivitate egit regis Maximiliani. adhæc Chronicon condidit Germaniæ, imprimis Alſatiæ, & urbis Argentoratenſis, pluraque alia. Orator, poëta, utriuſque juris doctor, Cæſaris conſiliarius, & Argentinenſis urbis archicancellarius fuit: ut de eo refert Paulus Langius in Chro-

b P. 886. nico Citizenſi *b*. Mentionem ejus facit quoque Gyraldus inter poëtas ſui temporis, opere antè memorato.

Arnoldus Boſtius, ſive Boſchus, vel Boſcius *c* ut aliis vocatur, Carmelita cœnobii Gandavenſis, claruit an. cIↄ ɔ, ac præter alia, quæ Jac. Bergomas, & alii, recenſent, etiam innotuit libro de illuſtribus ſui ordinis viris *d*. item libris duobus de claris viris Carthuſienſibus. Cum honore ejus meminit Ludovicus Guicciardinus in deſcriptione urbis Gandavenſis. Robertus Gaguinus dicavit ei poëma ſuum de Conceptione B. Mariæ contra Vincentium de Caſtronovo Ord. Præd. Mentionem & facit Eraſmus in epiſtolis. Fuit amiciſſimus Joanni Tritthemio, cujus & literæ ad eum complures ſcriptæ. Obiit Gandavi anno cIↄ ɔ xix, prid. Non. April.

*c Jacobo Marchantio lib. I. rerum Flandricarum in deſcriptione Gandavi.*

*d Coloniæ primùm prodiit an. 1609. curâ Theodori Petrejï.*

Conradus Celtes Protucius, quem Joannes Camers, in epitaphio ejus, *rhetora, & hiſtoricum* appellat, in pretio erat temporibus Frederici Imperat. à quo ſuaſu Frederici, Saxoniæ ducis, laureâ poëticâ eſt ornatus, anno ætatis XXXII. Primus autem Germanorum hoc titulo decoratus fuit. Atque eo nomine Cæſari Frederico gratias ipſe agit, od. I. lib. I. Sed præcipuè claruit regnante Frederici filio, Maximiliano Imperatore. Meminit Conradi hujus inter temporis ſui poëtas Lilius Gyraldus dialogo II. Natus fuit honeſtâ apud Francos familiâ Suinforti ad Mænum haut longè ab Herbipoli, Kal. Februar. anni cIↄ cccc LIX: quo ipſo Maximilianus Cæſar natus, ſequentibus Idibus Martiis. Heidelbergæ auditor fuit Rodolphi Agricolæ, aliorumque in aliis Germaniæ Academiis. Item in Italia, Patavii quidem audiit Joannem Calpurnium Brixienſem, Ferrariæ Guarinum, Bononiæ Philippum Beroaldum, Florentiæ Marſilium Ficinum, Venetiis Antonium Sabellicum, Romæ Pomponium Lætum. Cætera ad vitam ejus pertinentia perſcripſit Sodalitium literarium Rhenanum; cujus de vita ejus libellus præmittitur poëtæ hujus odarum libris Argentorati excuſis anno cIↄ ɔ XIII. Inter alia hiſtoriam reliquit de ſitu Norimbergæ, de ſitu & moribus Germaniæ, de ſilva Hercinia, & vita S. Sebaldi: unde ipſe ſic ferè *e* canit od. XI. lib. III.

*e Unam alteramque voculam metri cauſa mutavimus.*

*Nam longâ bene lucubratione*
*Deſcripſi Hercinia vagos receſſus,*
*Urbem cum populo, illiuſque mores,*
*Artes, mœnia, porticus, & ædes*
*Privatas, ſuperiſque dedicatas,*
*Et quis publicus uſus intereſſet.*

Ac paullo pòſt:

*Divus quin etiam fuit Sebaldus*
*Noſtris carminibus polo locatus.*

Pro tanto labore conqueritur ſe exiguum præmium reportâſſe. Ait enim:

*Bis denos mihi Noricus Senatus*
*Parvi ponderis aureos dicavit,*
*Quos miſſos meritis meis recepi.*

Quid in cauſſa fuerit, inſcriptio ejus odæ indicat, quæ habet: *Ad Senatum Noricum, cùm octo aureos pro hiſtoriâ ſcriptâ decreviſſet, ſuggeſtione Scribæ, quem Veſpillonis epigrammate notaverat.* Nempe actuarium u. bis in carmine quodam perſtrinxerat: qui iratus hanc ei gratiam apud Senatum Noribergenſem rependit. Præterea Celtes heroico verſu exorſus eſt Theodericeida: quod poëma fuiſſet de Theoderico, Gothorum rege, ac rebus Germaniæ. Obiit annos natus XLIX, dies tres: anno Chriſti cIↄ ɔ v, II Non. Febr. Situs eſt Viennæ in æde B. Stephani.

Etiam ſub Maximiliano imper. claruit Joannes Gerbrandi de Leidis, Carmelitani conventus in Harlemenſi cœnobio Prior. Is vivet Chronicorum de Comitibus Hollandiæ & Zelandiæ libris XXXII: qui V. Clar. Franciſci Sueertii Antverpienſis beneficio ante quadriennium in lucem prodiere. Etiam condidit hiſtoriam abbatum Egmondanorum: item Carmelitani ordinis hiſtoriam Eccleſiaſticam lib. X. In Chronico paſſim ſequitur Joannem de Beka, ſæpe etiam ad verbum exſcribit.

Philippus Cominæus ex illuſtri Cominæa apud Flandros gente natus, eques aurei velleris, dominus Ruſcurii, vir formæ elegantis, ſtaturæ proceræ, octennium vixit in aulâ Caroli Audacis, Burgundiæ ducis, atque Principi ſuo perfamiliaris fuit. Sed pretio corruptus, transfugit à domino ſuo, ad Ludovicum XI, Franciæ regem: ut eſt apud Iacobum Mejerum Balliolanum libro XVII Annal. Flandric. unde & ab eodem ſæpius, ut transfuga, & proditor, inceſſitur. Ludovico interim gratiſſimus erat: cujus & res geſtas celebravit, orſus ab anno Chriſti cIↄ cccc LXIV. Etiam prodidit res geſtas filii ejus, Karoli VIII. Etſi autem non uno loco Mejerus dicat, in pluribus falli: tamen hiſtoricus eſt verax, ac prudens: cujus præclarum elogium vide apud Juſtum Lipſium, notis in I. Polit. ſuorum: & Scævolam Sammarthanum lib. II. operis, quo elogia Gallorum doctrinâ illuſtrium perſcripſit. Hic tantus vir cavere non potuit, quo minùs, mortuo rege Ludovico, perfidiæ accuſatus in carcerem conjiceretur: ubi triennium detentus fuit. Ipſe etiam pro ſe capitis cauſſam dicere cogebatur. Nec enim inveniebatur, qui patrocinium ejus ſuſcipere auderet. Tandem tamen innocens eſt repertus. Obiit in Pictonibus anno Chriſti cIↄ ɔ IX, XVI Kalend. Novembr. ætatis LXIII. Reliquit filiam unicam, Joannam, quæ nupſit Renato, Pentebriæ in Britannia comiti: eoque ex matrimonio nati complures: unde eſt, quòd hodieque multæ illuſtres familiæ in Galliâ originem maternam à Cominæo ducant. Philippi Cominæi & uxoris ejus imaginem expreſſam habes Lutetiæ in ſacello à Philippo ipſo exſtructo in templo S. Auguſtini ad Sequanam: ubi & filia ejus Ioanna ſepulta eſt. Cujus tale epitaphium ibidem legitur:

*Quingentis annis bis ſeptem & mille peractis*
*In lucem quartam poſt idus Martias ibat,*
*Octavamque parens Phœbus properabat ad horam,*
*Communia occubuit generoſa à ſtirpe Joanna,*
*Penthebriæ Comitis Britanni ſponſa Renati,*
*Atque Argentorii domino prognata Philippo,*
*Chambeaque Helena, mens hic in pace quieſcat.*

Scripſit Cominæus Gallicè: nec enim Latinè ſciebat: ſed Latinè loquentem fecit Io. Sleidanus; qui & vitam adjecit,

cit, ita uti eam à domeſtico Cominæi, Matthæo Atrebate, viro probo, atque erudito, acceperat. Vide &, quæ de Cominæo refert Jacobus Marchantius lib. I. commentarior. de Flandria capite eo, quo de oppido Cominio tractat. Item Miræus in elogiis Belgicis.

Andreas, abbas monaſterii S. Michaëlis extra Bambergam, quatuor libris comprehendit vitam S. Odonis ſeu Othonis, qui Euangelium primus Pomeranis prædicavit. Fuit Andreas is monaſterii ſui abbas XXXVI; eumque honorem adeptus eſt anno Chriſti cIↃ CCCC LXXXIII. Libris de vita Othonis finem impoſuit anno cIↃ CCCC XCIX; ut ad calcem codicis MSi erat additum. Primuſque eos libros Gretzerus in Divis Bambergenſibus publicavit.

Maximiliani etiam ætate effulſit Joannes Reuchlinus, ſive Capnio: quod nomen, ex Germanico factum Græcum, Hermolaus ei Barbarus impoſuerat, cùm à Maximiliano imperatore Romam miſſus eſſet. Natus eſt Phorcemii anno cIↃ CCCC LIV, V Kal. Januar. In gratiam Philippi, principis Palatini, epitomen hiſtoricam contexuit: in qua res Aſſyrias, ac Perſicas ex Herodoto, & Thucydide, expreſſit: Græcas verò, cùm ex iiſdem adnexuit, tum ex aliis, qui poſtea floruere, uti & res Romanas. Præcipua ejus laus eſt, quòd Hebrææ linguæ ſtudium in Germania ſuſcitârit: quo nomine quàm multa variaque pertulerit, non eſt hujus loci enarrare. Obiit anno cIↃ IↃ XXI, prid. Kal. Sextil. anno ætatis LXVII. Ἀποθέωσιν ejus habes in Colloquiis Eraſmi. Cætera ex vita ejus petantur, quam apud Melchiorem Adamum Sileſium reperies, in opere de literatis Germaniæ viris.

Tum quoque claruit Paulus Langius, monachus, ac presbyter Germanus, Zwiccavii in Voitlandia natus. Anno cIↃ CCCC LXXXVII ingreſſus eſt monaſterium ordinis Benedictini, Bozau, juxta Zizam. Nominis ſui famam extendit Chronico Citizenſi, quo præcipuè Eccleſiæ Citizenſis primordia, præſules, ac res geſtas, exponit, ab anno cIↃ CCCC LXVIII, uſque ad annum cIↃ IↃ XV: quo ipſo cum Ioannes Tritthemius, abbas cœnobii B. Iacobi Herbipolenſis, ad monaſteria Germaniæ mitteret, ut undecunque conquireret, deſcriberet, atque ad ſe tranſmitteret, quæ ad hiſtoriam rerum Germanicarum illuſtrandam, aut catalogum ſcriptorum Eccleſiæ augendum, pertinerent. Chronicon iſthoc Langii edidit Piſtorius in Tomis hiſtoricorum Germaniæ.

Matthæus Udalrici filius, Germanus Mareſchalcus de Bappenheim, Iuriſconſultus, & Canonicus Auguſtenſis, condidit annales ſui generis: ex quibus ſe Wolphangus Lazius, quæ de nobili Mareſchalcorum ſtemmate adfert, hauſiſſe profitetur lib. VIII *a* de gentium migratione, qui eſt de Suevis. Idem Matthæus ex Chronicis Auſtralibus excerpta dedit, ab anno IↃ CCC LII, uſque ad annum cIↃ CCC XXVI: & ex Chronicis Auguſtenſibus, ab anno IↃ CCCC LXXIII, uſque ad annum cIↃ IↃ IV: & ex Chronicis Elwangenſis monaſterii, ab anno cIↃ XCV, uſque ad annum cIↃ CCCC LXXVII. Hæc omnia primus edidit Marquardus Freherus in volumine eo, quo aliquot antè ineditos rerum Germanicarum ſcriptores complexus fuit.

*a P 574 edit. Operum.*

Eodem tempore agebat is, qui reliquit *Speculum exemplorum ex diverſis libris in unum laborioſè collectum.* Conſtat libris, ſive, ut auctor maluit vocare, diſtinctionibus decem. Novem primis retinet verba auctorum, quos exſcripſit. In decima ſuis utitur verbis, ubi non tam refert, quæ hauſerat è libris, quàm aliorum acceperat relatu. Prodiit Argentinæ anno cIↃ CCCC XCV.

Ioannes Trittenhemius, priùs abbas Spanheimenſis, pòſt abbas Wirciburgenſis ad S. Iacobum, natus fuit Kal. Febr. anno cIↃ CCCC LXII in pago Trittenheim ad Moſellam. Præter alia catalogum contexuit de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus: in quo eum nongentos & ſeptuaginta auctores complexum fuiſſe; quorum & opera, & conditionem ſciret, à Genebrardo proditum eſt. Item librum reliquit de illuſtribus Germaniæ viris. Et alium de illuſtribus viris ordinis S. Benedicti. Præterea condidit Chronicon monaſterii Hirſaugienſis; quod incipit ab anno IↃ CCC XXX; & deſinit anno cIↃ CCC LXX. Sed hoſce annales an. cIↃ IↃ XIV ad incudem revocavit, atque ita adauxit, ut duo magna ſint volumina, & quadruplum conficiant primæ editionis: quæ ſola hactenus prodiit. Ex hoc opere manuſcripto Marquardus Freherus *a* ſeorſim edidit vitam Friderici Palatini, primi ejus nominis, cognomento Victorioſi. Quemadmodum & ex eodem opere additiones ac notas ad vitam hanc adjecit. Utinam totum opus aliquando videat lucem. Item compoſuit Chronicon monaſterii Spanheimenſis ad annum cIↃ IↃ II: ex quo fragmentum de [illegible]aunshamenſis cœnobii alium in ſtatum converſione ſub Friderico II Imperatore factâ, unà cum ſcriptoribus aliquot rerum Germanicarum, primus divulgavit Marquardus Freherus. Sed poſtea idem in volumine operum Tritthemii chronicon hoc integrum edidit. Orditur illud ab anno Chr. cIↃ XLIV. ac perducit uſque ad annum cIↃ IↃ XI. Extrema ab alio ſunt, qui aliqua adjecit de anno cIↃ IↃ XXVI, anno VII ultra Tritthemii exceſſum. Et ſanè pleraque etiam, quæ ad vitam Tritthemii in opere eo pertinent, alium habere auctorem, ſatis eſt evidens. Adhæc tomos tres condidit de origine, geſtis, & regibus Francorum, ab anno Chriſti CCCC XXXIII, uſque ad XXII Maximiliani: itidem eorundem epitomen. Adhæc egit de ducibus & epiſcopis Francorum: item de ſucceſſione ducum Bavariæ, & comitum Palatinorum, ac Spanheimenſium ad Philippum Palatinum Principem Electorem, cujus & juſſu id opus conſcripſit. In catalogo operum, qui ejus polygraphiæ præmittitur, dicitur & ſcripſiſſe de Origine, Regibus ac Ducibus Batavorum, ſimul & comitum Palatinorum, & Spanheimenſium libros IV ad Joannem Comitem Palatinum, & in Spanheim apud Symeren reſidentem. Sed ipſe Tritthemius epiſt. LI. ad Rogerium Sicambrum, ubi opera ſua recenſet, non meminit hujus operis. Nempe in eo deceptus is, qui catalogum texuit polygraphiæ præmiſſum, quod hiſtoria hæc de ſucceſſione ducum Bavariæ primum prodierit Francofurti anno ∞ IↃ XLIV cum præfatione ad Joannem Comitem Palatinum, & in Spanheim. Hanc ille Tritthemii eſſe præfationem putavit, ſed falsò, cùm editor loquatur de hiſtoria hac tanquam aliena, & præfatio ſcripta ſit anno ∞ IↃ XLIX, annis XXX poſt obitum Tritthemii. Scripſit præterea Tritthemius etiam de vitâ ſancti Maximi, epiſcopi Moguntini, quæ ab eo exarata juſſu Alberti, epiſcopi Moguntini. Idem expoſuit vitam S. Herminæ, filiæ Dagoberti regis, & primæ abbatiſſæ in horreo Trevirenſi: item miracula S. matris Annæ, & miracula S. Mariæ apud Dittelbach præſtitis: adhæc vitam Rabani Mauri libris III, & tranſlationem ejuſdem ex urbe Moguntina in Saxoniam. Inſuper vitam S. Maximi, epiſcopi Trevirenſis: quæ eſt in Suriana collectione Tom. VI, die XVII Nov. Imò & vitas ſanctorum in compendium redegit poſtulato Joachimi, principis Electoris. Adhæc poſteris tranſmiſit libris duobus itinerarium vitæ ſuæ ad fratrem ſuum, Jacobum Tritthemium. *Accuratus & diligens ſcriptor* vocatur Hieronymo Plato lib. II, de bono ſtatus religioſi cap. XXIX.

*a Heidelbergæ an. 1602.*

Joannes Mauburnus, qui aliis Maulbornus, & Maubenus, ſed perperam: vulgo à patria *Joannes de Bruxellis*, canonicus regularis Ordin. Aug. claruit anno cIↃ IↃ, atque primùm vixit in cœnobio Montis S. Agnetis Trajectenſis diœceſis. Exinde egit in Gallis, ac regalis abbatiæ B. Severini juxta caſtrum Nantonis collapſam reſtituit diſciplinam. Hinc in Livriacenſi monaſterio, ubi itidem in pejus omnia abierant, conſtituit canonicos regularis obſervationis: ac cùm aliquandiu apud eos abbatis munere functus eſſet, deceſſit. Dum viveret *Joannes Temporalis* voluit nominari. Ac, præter Roſetum ſpiritualium exercitationum, etiam librum compoſuit de ſui Ordinis illuſtribus viris.

Eraſmus Vitellius librum reliquit de victoria Sigiſmundi, regis Poloniæ, adverſus Turcas: eumque Maximiliano Imp. I dicavit.

Joannes Nauclerus, nobilis Suevus, fuit filius Joannis Vergæ, vulgo *Vergeham*, quod nautam notat; unde Nauclerus

cletus Græcâ appellatione vocatus: quomodo diſcipulus ejus Ioannes Reuchlinus ab Hermolao Barbaro Græco nomine dictus Capnio, & Philippus, cujus familia à nigro ſolo vocatur, Græcum Melanchthonis nomen à Reuchlino accepit, & retinuit. Cùm Iuris ſtudio Theologiam conjunxerat, ac novâ ab Wirtembergenſi Comite Academiâ Tubingæ erectâ, primus ejus rector fuit, anno Chr. cIↄ cccc LXXVII. Scripſit Chronicon ab initio mundi uſque ad annum cIↄ Iↄ. Sed priuſquam ederetur, Philippus Melancthon (ut in vita ejus Camerarius *a* teſtatur) *partim diſponendo, partim augendo, partim etiam retexendo id præſtitit, ut lectio libri iſtius à plurimis expeteretur, & fructu voluptateque non careret.* Chronico huic Naucleri appendicem XIV annorum addidit *Nicolaus Baſelius*, Monachus Hirſaugienſis.

a Pag. 16.

Etiam ineunte ſeculo decimoſexto, vixit ſcriptor vitæ S. Cuneræ; quæ claruit circa annum cccc LIII; atque una fuit ex ſociabus S. Urſulæ; ac circiter ccL poſt obitum annis à S. Willibrordo tranſlata, in diœceſi quieſcit Ultrajectinâ. Compendium auctorum ejus apud Haræum habes in epitome Sanctorum XII Iun.

Albertus Krantzius Hamburgi Theologiæ profeſſor, & ejus Collegii decanus fuit. Unde nonnullis *Albertus Hamburgenſis* vocatur: ut Mejero in annal. Fland. an. cIↄ cLX. Scripſit Metropolim, ſive hiſtoriam Eccleſiaſticam de Eccleſiis Caroli M. ætate conſtitutis, vel inſtauratis: item hiſtoriam Saxonicam lib. XIII, hiſtoriam Vandalicam lib. XIV, & Chronicon aliarum rerum Septentrionalium, puta Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ. Orditur à Karoli M. temporibus, ac progreditur uſque ad annum cIↄ Iↄ IV. Obiit VII Eid. Decembris anni cIↄ Iↄ XVII. Eoque corrigendus Zuingerus, cùm ait, claruiſſe anno cIↄ Iↄ XX. Præclarè etiam de eo judicat Gerardus Geldenhaurius Noviomagus præfatione in Germaniæ illuſtratæ ſcriptores *b*: *Unus fere Albertus Crantzius ſemper mihi viſus eſt præ aliis hiſtorici nomine dignus: quem ſui temporis res geſtas verè, liberè, & ad poſteritatis utilitatem, ſcripſiſſe adparet.* Diligentiam Krantzii commendat Georgius Fabricius lib. I Saxoniæ ſuæ. Vide &, quæ de eo Pantaleo notavit Part. II illuſtrium Germaniæ ſcriptorum.

b *Edit. Marpurgenſis an. 1542.*

Alberto Kranzio æqualis fuit Iacobus Drieſchus, ut cui is dedicarit Vitam S. Remberti, Epiſcopi Bremenſis, & S. Auſgani Hamburgenſis: quas vitas edidit Mejerus. Fuit Flander, rector Guilielmitarum Brugenſium: Chronicon Flandriæ reliquit: ex quo quiddam Mejerus refert lib. V. Annal. ad an. cIↄ c XXXVIII. Aliquibus *Jacobus Dieſthius* vocatur: ſed perperam, ut puto.

Eodem imperante Maximiliano, cùm filius ejus Philippus, ductâ Joannâ, Ferdinandi, & Iſabellæ Arragoniæ, & Caſtiliæ regum filiâ, in Hiſpania ageret, vixit Guilhelmus Hermannus Hollandus, ſive, ut ſcribit ipſe, Olandus Gaudanus. Canonicus B. Auguſtini. Alius vocatur Guilhelmus à Gauda. Hic deſcripſit *Olandiæ Gelriæque bellum.* Ita enim librum inſcripſit. Eſt id bellum, (cujus ipſe ſpectator fuit) Hollandis illatum à Carolo, Gelriæ duce anno Chriſti cIↄ Iↄ IV, ac ſequenti. In præfatione ſic ſcribit: *Animi, cauſſæque rerum penes principes ſunto. Ea quæ palam noſtris objecta ſunt oculis, ut nemo aſpicere, itidem narrare prohibet nemo. Hæc præfatus fuero, quòd aliquando totam Olandiæ Hiſtoriam edere conſtitui. Nunc ea tantùm exponam, quæ jam à Carolo Gelro aliquot annis geſta fuerunt.* Fato præventus videtur, quo minus & univerſæ Hollandiæ hiſtoriam ederet in lucem. Hiſtoriæ belli illius Gelrici ſubjunxit *Elegiam Weſopicam*: qua Fortuna Weſopica loquens inducitur: ac deinde Amſterdamum reſpondet. Prodiere ea Amſterdami adhuc vivo Carolo duce; quæ cauſſa fuit, cur nihil auſus fuerit de belli ejus cauſſis: ac fortaſſe Comitem Philippum, & Hollandos, putavit ab omni culpa immunes. Idem ſcripſit & Hymnos de bello Gelrico. Ejuſdem odarum ſylvæ jam anno cIↄ cccc XCVII Pariſiis prodierant. Etiam reliquit Hiſtoriam vitæ, ac paſſionis B. Hieronis, carmine panxit Heroico. Sed & carmine deſcripſit Hiſtoriam B. Bavonis: ut auctor eſt Eraſmus, cujus in ſtudiis multos annos contubernalis fuit. Idem de eo ſic ſcribit ad Nicolaum Wernerum cœnobii præfectum: *Guilhelmum animæ meæ partem, quæſo ut tua pietas foveat. Ejus nomen in hac Pariſienſi Academia adoratur, colitur, & meritò. Dignus autem ille eſt, quem univerſus orbis miretur, ametque: etſi inter notos, doctrina ſingularis, præter invidiam nihil reportat.* De hoc ſcriptore hujuſmodi judicium eſt Hadriani Junii Bataviæ ſuæ cap. XVI. *Dedit Gauda Guilhelmum Hermannum, infelici ſæculo non infelicem ſcriptorem, ac poëtam, luxu ante diem ereptum: quem laude ſua fraudandum non duxi, quòd ut ſummis admiratio, ita inferioribus merita laus debeatur.*

Anſelmus, monachus Franciſcanus, iiſdem temporibus deſcripſit terram ſanctam. Habes apud Caniſium Antiq. Lect. T. VI. Profeſſionem vitæ hanc indicant verba auctoris: *In choro*, inquit, *prædictæ Eccleſiæ eſt ſepulchrum beatæ virginis Mariæ, adinſtar ſepulchri; ubi* FRATRES MINORES DE OBSERVANTIA *quolibet ſabbatho legunt Miſſam nocte de aſſumtione glorioſæ virginis Mariæ. Ad hanc Eccleſiam Chriſtiani acceſſum non habent liberum, niſi pro quæſtu. Nam Maurus cuſtodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, niſi accepto pretio: ſoli* FRATRES NOSTRI *habent acceſſum liberum, & ingreſſum.* Alibi quoque ſimiliter loquitur. Ætatem autem arguunt iſta in eodem libello: *Ibique ad x paſſus pedum, ut credo, fuit lapis poſitus pro charactere, ubi Petrus abſcidit auriculam ſervo principis. Adhuc illum lapidem vidi, quando in terram ſanctam veni anno* cIↄ Iↄ V *verſus finem anni prædicti, & poſtquam receſſi de Jeruſalem anno Dom.* cIↄ Iↄ VIII *verſus finem anni, lapis effoſſus ille, & abſconditus à Saracenis, extra projectus demonſtratur.* Ut Polonum fuiſſe ſuſpicer, & fortaſſe Cracovienſem, facit, quòd alicubi ſic loquatur: *Habendo reſpectum ad Dominicam paſſionem, videbimus primùm ductum à Caipha ad domum Pilati: & eſt diſtantia ad novem ſtadia: id eſt, quantum diſtat à ſancto Bernhardino Cracoviæ, uſque ad Eccleſiam S. Spiritus; tantum diſtat domus Pilati à domo Caiphæ.*

Zacharias Benedictus, natione Italus, patriâ Vicentinus, in Cartuſia B. Andreæ prope Venetias monachus vixit anno cIↄ Iↄ VIII. Carmine hic heroico panxit vitam B. Brunonis. Ea ſubjicitur operibus Brunonis in veteri editione, quam Aſcenſius exhibuit.

Maximiliano quoque imperante, magno in pretio erat Henricus Bebelius Juſtingenſis. Eſt autem Juſtinga Sueviæ pagus. Anno cIↄ cccc XCVII Tubingæ cœpit profiteri literas humaniores. Librum edidit de amplitudine, ac potentia imperii Germanici. Item alium de laude, antiquitate, imperio, victoriis, rebuſque geſtis veterum Germanorum. Adhæc orationem ad Maximilianum I, de ejus ac Germaniæ laudibus. Item libellum, quo oſtendit, Germanos eſſe indigenas. Itidem alium de Imperatoris, & imperii Germanici præ aliis excellentia. Item alium, quo docet, Imperatori jure optimo tribui poſſe Chriſtianiſſimi cognomen. Quos omnes etiam in Politicis ſuis imperialibus comparere juſſit Melchior Goldaſtus. Præterea idem opuſcula fecit de magiſtratibus Romanorum, de pagis Suevorum, & flumine Neccaro, de proditione ducis Mediolani, de mendaciis quorundam hiſtoricorum, aliaque. Vide de eo plura apud Schardium Tom. I ſcriptorum Germaniæ, Cruſium in annalibus Suevicis, Geſnerum in bibliotheca, &c.

Henricus Thaborita, Friſius, (cui Thaboritæ nomen datum à Thabor, monaſterio Friſiæ juxta Snecam) hiſtoriam ingentem collegit ex variis à nato Chriſto uſque ad annum cIↄ Iↄ VIII: quo vivebat. Vide de eo Suffridum Petri.

Eligius Houcarius Gandavenſis ſtudiis operam dedit Pariſiis in collegio montis acuti, cùm ei præeſſet Natalis Beda, ac anno cIↄ Iↄ IV eruditionis lauream conſecutus ab Ludovico Coronello Hiſpano. Exinde Gandavi modera-

tor ludi fuit, ac hypodidaſcalum habuit Georgium Caſſandrum, ut ait Sanderus. Elegiaco carmine deſcripſit *vitas* S. S. Levini martyris, & Bertulphi Confeſſoris. Poëma in Coletam virginem. Uti & dialogum Charitis, & Gandæ, cùm Carolus V. electus eſſet imperator.

Eraſmus Stella Libanothanus, præter ea, quæ de gemmis ſignavit, etiam de antiquitatibus Boruſſiæ, duos libros reliquit *a*: quos Frederico, Saxoniæ duci, dedicavit. Illorum prior tractat de veteribus incolis, eorum propagatione, & incremento, nominibus, moribus. Alter exponit reges antiquos, ac eorum ſucceſſionem in Boruſſia. Sequi autem ſe ait annales Boruſſiæ, item Jornandem de Gothis, Helmoldum de Sclavis, nec non Albertum Magnum, qui Boruſſiam peragravit, atque alios. Hoc Stellâ dictante, Joannes Garzo, de quo inferiùs dicemus, conſcripſit annales ſuos Miſnenſes: ut ait Georgius Fabricius lib. VI originum Saxonicarum. Non pauca in iis reperias junioribus indicta: cujus cauſſam ibidem exponit Fabricius. Verba ejus adferre non pigebit: *Eam rem late proſequitur Joannes Garzon Bononienſis, qui, Eraſmo Stellâ dictante, ſcripſit hiſtoriam Miſnenſem. Cùm autem Annales Miſnenſes, & Turingici, res meminerint tantùm, nec narrationem integrè exponant: lectorem ad Garzonem, ſeu Stellam, remittimus; qui fortaſſe meliores libros invenerunt. Nam bello civili, & proximo tumultu ruſtico, nondum fuerunt incenſa ac vaſtata, cùm in Turingia, tum in Miſnia, cœnobiorum bibliotheca.*

*a* *Editi Baſil. apud Froben. an. 1518.*

Joannes Marius Belga hiſtoricus fuit Ludovici XII, Galliarum regis; uti & poſtea Margaretæ Auſtriacæ, quæ pro Carolo V. Belgicam gubernavit. Hic de ſchiſmatum & conciliorum Eccleſiæ univerſalis differentia hiſtoriam confecit. Opus eſt tripartitum, Gallicè quidem ab auctore conſcriptum, ſed Latinè verſum ab Simone Schardio J. C. atque una cum Theodorici à Niem quatuor libris editum. Idem Marius hiſtoriam de Venetis conſignavit: cujus meminit ipſe libri ante memorati part. I. cap. I. Edidit & alia, ſed Gallicè: ut illuſtrationes Galliæ: ſacram profectionem Chriſtianorum Principum ad terram ſanctam, librum de principe Sophy, & alia.

Felix Manilius anno Dom. CIↃ IↃ XI libris duobus tradidit vitam S. Gebharti, ſecundi Conſtantienſis epiſcopi, conditoris monaſterii, quod dictum olim baſilica S. Georgii; nunc autem *Petri-domus*, ſeu *Peters-huſen* appellatur. Primus ex chartis MSSis edidit Henr. Caniſius T. VI Antiquæ Lect.

Petrus Blomenvenna, qui & à patria dicitur Leidenſis, (perperam enim duos ex uno fabricat Poſſevinus) Colonienſem Carthuſ. ingreſſus eſt an. CIↃ CCCC LXXXIX. Annis XXIX fuit Prior, ac Viſitator provinciæ Rhenenſis. Præter commentarios in quinque Moſis libros etiam literis commiſit vitam S. Brunonis, ordinis ſui fundatoris. Obiit anno CIↃ IↃ XXXVI, ætatis LXX. Vide de eo fusè loquentem Theodorum Petrejum in bibliotheca Carthuſ. Inter illuſtres Germaniæ inferioris viros reponitur quoque à Gerardo Geldenhaurio Noviomago in Hiſtoriâ Batavorum.

Conradus Vecerius, Maximiliano imp. à ſecretis, libellum reliquit de rebus geſtis Henrici VII. Imper. qui anno CIↃ CCC XIII, ac proximo quinquennio, imperium tenuit. Habes cùm alibi, tum in hiſtoricis Germaniæ, quos edidit Urſtiſius. Idem Vecerius condidit hiſtoriam de duabus ſeditionibus Siciliæ, quæ ortæ fuere anno CIↃ IↃ XVII.

Idſardus Gravius, Friſius, ſacerdos, inclaruit Chronico ſuo Friſiæ, ab anno IↃ CC LXIII, perducto uſque ad annum CIↃ IↃ XIV, quo vixit. Inſiſtit imprimis veſtigiis Joannis Becani Ultrajectini: ſed ita ut, ubi deſinit Becanus, eum ſuppleat ad modum illum, quo Eutropium ſupplevit Paullus Diaconus. Vide de eo Suffridum Petri in ſcript. Friſ. Dec. IX cap. VII.

Maximiliano imperante, etiam clareſcebat Franciſcus Irenicus, Ettelingiacenſis; qui libris XII Germaniæ deſcriptionem edidit. Primùm Haganoæ prodiit in lucem.

Hieronymus Balbus floruit ætate Maximiliani, & aliquanto pòſt. Fuit epiſcopus Gorienſis ſeu Gurenſis in Carinthia; qui unus eſt ex IX ſuffraganeis archiepiſcopi Juvavenſis, ſeu Salisburgenſis. Carolo V. in Maximiliani locum imperatoriam ad dignitatem evecto, elegans opuſculum, maximáque ex parte hiſtoricum, fecit *De coronatione*; quod Carolo ipſi dicavit. Etiam de rebus Turcicis ad Clementem VII. ſcripſit, item opus de civili & bellica fortitudine, atque alia Romæ edita. Ejuſdem vaticinium de ſucceſſibus Caroli V. eventuris prodiit Argentorati *a*.

*a* *Anno 1624. typis Rihelianis.*

Tempore Maximiliani imp. etiam claruit Jacobus Manilius, Brigantinus doctor; qui nomen ſibi peperit Chronico epiſcopatus Conſtantienſis. Abſolvit illud Brigantiæ anno CIↃ IↃ XIX, die XIX. Aug. Quo ipſo anno Maximilianus imp. è terris exceſſit. Chronicon hoc, cum appendice uſque ad annum CIↃ IↃ C VII, cumque illuſtribus Epiſcoporum familiis, in lucem primus edidit Io. Piſtorius.

Nec prætereundus nobis Ioannes Cuſpinianus Sueinfurtenſis, poëta, ac medicus, & orator Maximiliani Auguſti, idemque ſolers antiquitatis indagator. Hic de Conſulibus Romanis, atque item de Cæſaribus & imperatoribus, inſignem commentarium condidit. Auſtriam quoque deſcripſit, quo in opere exponit omnes ejus marchiones, duces, archiduces, & res præclarè ab iis ad ſua uſque tempora geſtas. Exſtat & liber ejus de Turcorum origine, religione, & in Chriſtianos tyrannide. Item oratio ejus ad principes imperii Germano Romani: qua eos non ſolùm adhortatur ad bellum adverſus Turcas capeſſendum: ſed etiam deſcribit conflictum Hungaricum, quo periit rex Ludovicus. item viam, qua Turca Solemet Albâ Græcâ Budam uſque pervenerit, & quàm præclaris dotibus ornata ſit Hungaria. Vitam Cuſpiniani expoſuit Nicolaus Gerbelius I. C. quæ cum Cæſaribus Cuſpiniani conjungitur.

Conradus Peutingerus Auguſtanus I. U. D. epitomen edidit de migrationibus gentium. Etiam ſermonibus convivalibus multa exponit, quæ pertinent ad Germaniæ antiquitates. De hoc ita Nicolaus Baſelius in appendice Naucleri, quam ad annum CIↃ IↃ XIV perduxit: *Conradus Peutingerus Auguſtenſis, antiquitatis amantiſſimus, hiſtoriis veterum Germanorum lumen adhibuit: cæterùm magnificentiâ eá in literis verſatur, ut quaſi patronum communem ipſa ſibi Muſa Gratiaque delegiſſe videantur.* Inclaruit & chartâ provinciali, à Celte in veteri bibliothecâ repertâ, ſed à Peutingero poſtea ſedulò adſervatâ Auguſtæ Vindelicorum, quæ, edente & explicante M. Velſero, in lucem ante annos XXXV, prodiit Venetiis: Meminit Peutingerianæ hujus chartæ jam olim B. Rhenanus lib. I rerum Germanic. Iac. Spigelius ei anno CIↃ IↃ XX dedicavit epigrammata Sapidi: ubi Peutingerum vocat conſiliarium Karoli V. imperatoris.

Ioannes Cincinnius: Lippienſis presbyter ex variis anno CIↃ IↃ XCV collegit vitam B. Ludgeri, cujus ſacrum corpus in Werthinenſi monaſterio apud Ruram flumen requieſcit: atque hunc ſuum laborem monachus B. Ludgeri in Werthina dedicavit. In præfatione verò antè ſe ſcripſiſſe ait quatuor iſtos: Othelgrinum, Ludgeri diſcipulum, Altfridum, tertium Monaſterii epiſcopum; Uffingum, Werthinenſem monachum, virum multæ & eruditionis, & elegantiæ, & quartum quendam ſub abbate Bernardo, qui ſtylo ſcripſerit rhytmico. Coloniæ anno CIↃ IↃ XCV primùm prodiit, typis Quentelianis.

Beatus Rhenanus, filius Antonii Bildii, (qui poſtquam Rhenaco Seleſtadium commigrârat, à patria Rhenaco pro Bildio Rhenanus vocari cœpit) Seleſtadii natus fuit anno CIↃ CCCC LXXXV. Vitam ejus fusè, nec inelegantèr, deſcripſit Ioannes Sturmius. Ei verò in temporibus Maximiliani locum dedimus, quia novennio toto ante obitum ejuſce imperatoris, anno puta CIↃ IↃ X, natus ipſe annos XXV, vitam edidit Ioannis Geileri, Theologi Argentoratenſis. Deinceps quoque ſub eodem imperatore, ſed imprimis ſub Carolo V, uti alios ſcriptores, eoſque inter Tertullianum,

num, & Plinium; ita & Hiſtoricos complures, partim primus edidit, partim caſtigavit, & illuſtravit notis. Quales Livius, Vellejus Paterculus, Tacitus. Anno cIↃ IↃ XXXI emiſit luculentos illos rerum Germanicarum commentarios. Obiit Argentorati XIV Kal. Iun. anno cIↃ IↃ XLVII *a*, ætatis LXII.

*a Al. 1542. ut Nathan Chytræus in itinerum deliciis.*

Etiam tum fuit Ioannes Placentius Trudonenſis Dominicanus cœnobii Trajectenſis ad Moſam. Scripſit catalogum epiſcoporum Tongrenſium, ſive ut ipſe vocat, Tongarorum, & Trajectenſium. Incipit à B. Materno, qui Apoſtolorum temporibus vixit. Et deſinit in Erardo à Marca, qui antiſtes creatus an. cIↃ IↃ VI. Cujus laudes quia adhuc ſuperſtes ſit, negat ſe velle perſcribere, ne videatur adulari. Multa in hoc ſcriptore fabuloſa, ſed imprimis culpari meretur, quod nullam temporum rationem habuit: ſed ea paſſim confundit. Ut in ipſo operis ingreſſu. Sic enim incipit, *Divus Maternus Longobardus, patre comite prognatus primo Trevirenſium, deinde Colonienſium, poſtremo Tungarorum fuit antiſtes. Succeſſit quippe clariſſimis viris Euchario, & Valerio: quos, ut fidei ſymmyſtas habuit, ita æmulâ utrumque virtute, non dubitavit exprimere, ſed inuſitata, planeque inuſitata de hoc narrant hiſtoria. Factum anno nati Servatoris* LXXI, *dum Romæ Simo Petrus Apoſtolorum Petrus hos tres in Gallias penitiores delegaſſet*, &c. At quis tam ignarus hiſtoriæ Romanæ, ut non temporibus Apoſtoli Petri, ſed poſtquam deſierat Occidentis imperium, idque opera Narſetis, Longobardos ſciat in Italiam veniſſe. Hujuſcemodi in temporibus errores multi in Placentio occurrunt. Condidit & carmen heroicum in porcorum laudem: cujus literæ ſingulæ à literâ P. incipiunt. Item dialogos edidit duos: equitem clericum, & Luciani aulicum carmine Phaleucio.

Extremis ejuſdem imperatoris annis vivebat Matthias à Michou *b*, artium, & medicinæ doctor, canonicus Cracovienſis. Hic libros reliquit duos; quorum prior eſt de Sarmatia Aſiatica, alter de Europæa. Eos quando ſcripſerit, indicant hæc verba lib. I. cap. ultimo: *Poſtquam Occas, inſignis ſervus & miles magni Cham, habens* XXX *filios, occiſus eſt; filii ſeceſſerunt à capitali horda Zavolhenſium, & juxta caſtrum Sarai degere cœperunt, ante* HUNC *annum Chriſti milleſimum quingenteſimum decimumſeptimum*. Prodiere Lutetiæ *c* cum aliquot aliis, qui deſcripſerunt novum orbem. Idem ad Sigiſmundum, Poloniæ regem, Chronica ſcripſit Polonorum, quæ à gentis origine perducit uſque ad annum cIↃ IↃ IV.

*b Al. Matthias de Michovia.*

*c Anno 1532.*

Gerardus Noviomagus, Gerardi Geldenhaurii filius, Cæſari Carolo V. à ſacris erat. Batavorum hiſtoriam conſarcinavit: quam edidit quidem demum an. cIↃ IↃ XX: ſed in præfatione ad Nicolaum Buſcoducenſem refert, eam ſe compoſuiſſe aliquot annis antè; idque adjutore Conrado Vecerio Lucemburgenſi, qui Carolo V. à ſecretis fuit. Item præfat. in rerum Germanicarum ſcriptores, quæ exarata eſt anno cIↃ IↃ XLI, ait, ea ſe de Bataviâ congeſſiſſe ante annos XXX. Et diu his meditandis fuiſſe intentum, indicio ſunt literæ Petri Montani de urbis Noviomagi antiquitate exaratæ anno cIↃ IↃ IV ad Gerardum hunc Noviomagum. In hiſtoria ejus Batavicâ etiam habes epiſtolam de civitatibus infra Coloniam Agrippinam. Scriptæ illæ ſunt ad Thomam Zegerum, Mathematices profeſſorem in academia Marpurgenſi apud Heſſos. Alia quoque ad Bataviam pertinentia ab eodem auctore ſuperſunt: quæ reperies in Batavia illuſtrata, ſive variis illis de Batavia ſcriptoribus à V. Cl. Petro Scriverio editis. Ubi & epiſtola eſt hujus Gerardi Noviomagi de Zelandiæ ſitu: item catalogus, & hiſtoria epiſcoporum Trajectenſium ab eadem manu. Sed, quam non tam ſcripſerit, quàm è linguâ vernaculâ Latinam fecerit: ut eſt in primâ editione *d*. Idem ex Joannis Marii Belgæ libro II illuſtrationum Gallicarum, & Trojanarum, Latinè *e* ea tranſtulit, quæ ille de miranda regum Germaniæ antiquitate prodiderat. Scribit idem in præfatione opuſculorum illuſtratæ Germaniæ Marpurgi editorum *f*, ut in familiâ Philippi à Burgundiâ multis annis vixerit. Addit hinc de eodem, *Voluit ille per me notari, ſiquid in ſuâ ditione, aut in finitimis regionibus, memoratu dignum actum eſſet: ſed eâ conditione, ut ſingulis menſibus, quæ annotâram, ipſi & à conſiliis prælegerem: quod cùm facerem, admonebant, ſiquid perperam, ſiquid parùm conſideratè ſcriptum audiſſent, id mutarem.* Philippus ille à Burgundia quem dixi, filius fuit Philippi Boni, frater Caroli Audacis, ac Davidi fratri in Epiſcopatu Ultrajectino ſucceſſit, atque anno obiit cIↃ IↃ XXIV. Hujus epiſcopi vitam fide optima idem Noviomagus conſignavit: eam verò dicavit Margaritæ Auſtriacæ, Belgicæ Gubernatrici: cujus Philippus ille erat avunculus magnus. Excudit Egenolphus Argentorati anno cIↃ IↃ XXIX. In Epiſtola ad Margaritam promittit VII hiſtoriarum ſuæ ætatis libros, quos jam ſe ad incudem revocaſſe refert, ac ſub Margaritæ auſpiciis in publicum ait prodituros. Inque memorato antè de Philippi epiſcopi vita libello, remittit lectorem partim ad epiſtolam, qualem ad Paludanum ſcripſerat, partim ad librum primum hiſtoriarum ſui temporis. Etiam commemorat ut Philippus Epiſcopus, hiſtoricos Latinos, quotquot exſtarent, ſe prælectore, attentiſſime audierit. Vitæ iſti ſubjecit verſiculos ſcriptos honori Maximiliani imperat. atque addit imperatori eos ita placuiſſe, ut propterea auctorem poëtica dignum laurea pronunciarit: actum id Thenis, Brabantiæ oppido, anno cIↃ IↃ XVII. Obiit Marpurgi, ubi juxta eum conditur Andreas Hyperius; ut inſcriptio teſtatur.

*d Exſtant in opere hiſtoriarum Baſileæ edito ann. 1541.*

*e Marpurgi procurato ann. 1542.*

*f Habes in opere Hiſtoriarum Baſileæ edito, ac paullò ante memorato.*

Joannes Aventinus, Bojus, Aventini, ſive Abuſinæ, anno cIↃ CCCC LXVI, natus fuit: ac cùm alia multa, tum annales Bojorum libris VII reliquit: quos ex authenticis codd. reſtituit, & auxit, Nicolaus Ciſnerus. Terminatur ejus hiſtoria anno cIↃ IↃ XXXIII. Atque obiit anno ſequenti, annos natus LXVIII. Quod verò ejus meminimus nihilominus, id inde eſt, quia extremis Maximiliani temporibus jam cœperat hiſtoriam ſuam ſcribere auſpiciis & liberalitate fruens Guilielmi & Ludovici, Bavariæ ducum, qui patri ſuo Alberto ſucceſſerant anno cIↃ IↃ VIII. Unde error dilucet Genebrardi, atque eum ſequentis Gualterii, cùm hunc ſcriptorem claruiſſe tradunt anno cIↃ CCCC LXVI. Nam toto pòſt ſeculo demum natus fuit: ut vidimus. Cæterùm lib. IV *a* etiam publicatæ à ſe hiſtoriæ Utinenſium meminit. Alia quoque compluria ſuggeret Geſnerus. Quam malè de eo ſentiat Baronius, liquebit ex T. IX. ad annum IↃ CC LXXII. Vitam Aventini ſcripſere Henricus Pantaleo extremâ parte ſecundâ de illuſtribus Germaniæ viris, & Hieronymus Ziglerus, cujus de eo commentatio præmittitur Aventino ipſi.

*a P. 236.*

Fortaſſe & aliquis locus hîc ſit Guilhelmo ab Heda, ut, qui Maximiliani primi legatus fuerit, & Philippi Hiſpaniarum regis à ſecretis. Fortaſſe obſtat, quòd Chronicon Hollandiæ, & Epiſcoporum Ultrajectinorum anno demum cIↃ IↃ XXI cœperit: nempe ſecundo anno imperii Caroli V, in cujus anno quincto Chronicon ſuum terminat. Reliquit & genealogiam Caroli ex familia Habſpurgica, fabulis refertam. Natus eſt in pago Alphen, juxta Leidam: præpoſitus fuit Arnhemienſis in Gelriâ: poſtea decanus Ultrajectinus ad S. Joannem. Anno cIↃ IↃ XXVI obiit Antverpiæ, ubi & canonicus fuit. *Accuratiſſima diligentia ſcriptor* vocatur à Jano Duza Annalium Batavicorum præfatione poſteriore, quæ eſt de poëticæ & hiſtoriæ ſocietate.

## CAP. XI.

*Hieronymi Paulli Barchinonenſis commentationes variæ. Vita Plutarchi ab Dario Tiberto redacta in compendium. Baptiſta Ferrarienſis hiſtoria Florida, Chronicon, alia. Ælius Antonius Nebriſſenſis de geſtis Ferdinandi, atque Iſabellæ: item de bello Novarienſi. Antonii Bonfinii hiſtoria Hungarica, & de Græcis tranſlata. Bartholomæus Fontius. Laurentius Burellus de viris illuſtribus ordinis Carmelitici. Galeotus Martius Narnienſis de jocosè dictis, ac factis, Mat-*

*thias*

*thia Corvini. Joannes Franciſcus Picus de vita atque obitu Ioannis Pici Mirandulani. Felini Sanderi epitome de regibus Siciliæ & Apuliæ. Sigiſmundus de Fulgineo. Aſiæ deſcriptio à Gregorio Tiphernate ex Strabone verſa. Bernardus Rucellarius. Ioannes Stella de vitis Pontificum. Ioannes Pinus de vita Catharinæ Senenſis, & Philippi Beroaldi. Ioannes Carolus Florentinus de vitis illuſtrium virorum ordinis Dominicani. Iacobi Philippi Bergomatis Supplementum Chronicum, deque claris mulieribus liber. Robertus Gaguinus de geſtis Francorum. Petrus Iacobus Montefalchius. Baptiſta Spagnoli Mantuani poëmata hiſtorica. Petrus Marcellus de vitis Principum & geſtis Venetorum. Hieronymus Atheſtinus de geſtis Atheſtinorum: atque opus de origine Patavina. Ioannes Laziardi Cæleſtini epitome hiſtoriæ univerſalis. Marinus Sanutus de Venetis Magiſtratibus, ac principum vitis, deque bello Gallico. Auguſtini Ticinenſis Chronicon, ac Vita. Michaël Ritius Neapolitanus de regibus Franciæ, Hiſpaniæ, Hieroſolymæ, Neapolis, Siciliæ, Hungariæ. Philippi Beroaldi Mythica. Alberti Caſtellani Chronicon, ac catalogi doctorum, & ſanctorum.*

VEnio ad Italos, Gallos, Hiſpanos. Ex his, primis Maximiliani temporibus, eruditionis ſuæ pretium tulit Hieronymus Pauli Barcinonenſis, qui præerat emendationi literarum Pontificis M. Vir antiquitatis peritiſſimus vocatur libro I ab auctore *a* indicis rerum, quas Arragoniæ reges geſſere. Edidit Eccleſiarum omnium Provinciale: quod MSum adſervatur non longè a Patavio in bibliotheca Monaſterii S. Mariæ de Pratales, Ord. S. Bened. Idem de fluminibus, & montibus Hiſpaniæ, librum edidit. Eum dicavit Roderico, epiſcopo Portuenſi, cardinali Valentino, Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario; qui poſtea factus eſt Pontifex Romanus, & nuncupatus Alexander VI. Idem, cùm Barcinone ageret anno CIↃ CCCC XCI, Ferdinando II, Caſtellæ & Arragoniæ rege, commentariolum edidit de urbe Barcinonenſi. Utrumque hoc Hieronymi opuſculum exſtat Tom. II ſcriptorum, qui Hiſpaniam illuſtrarunt.

*a T. 3. ſcriptorum de rebus Hiſp.*

Æqualis huic erat Darius Tibertus, poëta, & eques Cæſenas. Hic anno CIↃ CCCC XCII concinnavit epitomen vitarum Plutarchi: quæ Ferrariæ primùm prodiit anno CIↃ IↃ I: ſed vitiis multis inquinata. Poſtea autem accuratiùs exiit ex Oporini caſtigatione.

Baptiſta Ferrarienſis cognomento Panætius, Carmelita, & Theologiæ profeſſor, atque idem à ſecretis conſiliis Herculis primi, Ferrariæ ducis II, vir Latinè Græceque eruditus; ac, ut de eo Paulus Langius in Citizenſi Chronico teſtatur, hiſtoricus peritiſſimus, inter alia ſcripſit hiſtoriam à Chriſti nativitate ad ſua uſque tempora, quam Floridam inſcripſit. Adhæc de ruina imperii Romani. Item Chronicon Ferrarienſium. Inſuper de monte Sina. Item vitam Machthildis. Meminit omnium Trithemius. Sed editane ſint, non ſat ſcio. Sed ſermonum ejus libri Bononiæ editi à Benedicto, & Baptiſtæ Mantuano dicati, anno CIↃ IↃ VI. Floruit circa annum CCCCC XCIV.

Ælius Antonius Nebriſſenſis, inter literatos ingenti in pretio ſtetit anno CIↃ CCCC XCIV, ac deinceps. Quid mirum? Hic ille eſt, qui bonas literas primus in Hiſpania excitârit. Idem ex Grammatico, & Rhetore regio, factus eſt Hiſtoriographus regius. Reliquit decades duas de rebus geſtis à Ferdinando Catholico & Iſabella, ſeu Eliſabetha, vel, ut ipſe mavult declinare, Eliſabe conjuge. Edolabat hoc opus Compluti anno CIↃ IↃ IX. Atque habes id T. I illuſtratæ Hiſpaniæ. Sed ex priori decade, culpâ plagiariorum, tres poſtremi libri; ex poſteriori, pars quarti, & ſex ſequentes, perierunt. Præterea condidit libros duos de bello Novarienſi: qui ſubjiciuntur decadum volumini antè memorato. Hiſtoriam ejus tanto viro dignam cenſet Vaſæus in Chronico ſuo Hiſpanienſi cap. IV. Variæ omnino eruditionis vir erat: eoque illum nomine etiam Eraſmus laudat in Ciceroniano ſuo. Præclarum quoque de eo judicium eſt Alphonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis: ſed ita, ut in dictione illius hiſtoricâ nonnihil requirat. Sic enim ſcribit libro de eruditis Hiſpaniæ viris, atque Academiis ejuſdem: *Hoc toto tempore, quod longiſſimum à Boëthio fuiſſe videmus, altiſſimas egerat barbaria radices, & nemo ex tot hominum millibus fuit, qui immane hoc, & ferale monſtrum, aut domi privatis ſtudiis auderet conficere, aut à finibus Hiſpaniæ pellendum tentaret, donec tandem, poſt multa ſæcula, natus eſt feliciſſimis fatis, in Bætica, Antonius Nebriſſenſis; qui literis, ac diſciplinis omnibus, quibus eo tempore florebat Italia; tanquam ex longâ ſiti avidiſſimè hauſtis, atrox, quoad vixit, & crudele bellum cum barbaris geſſit. Quod ſi propter inſitas, inveteratasque mentibus hominum perſuaſiones, conficere omnino non potuit: magnâ certe ex parte fregit, ac debilitavit. Hic quidem fuit magnus Hiſpaniæ Ariſtarchus, præclarus orator, multæ & variæ lectionis: ſed hiſtoriam, quam de geſtis à Ferdinando, auguſtiſſimo rege, conſcripſit, tenui, ac dejecto quidem ſtylo, parumque diligenter eſt proſecutus; ſive quòd magni viri ſit (ut ait Cicero) hiſtoriam conſcribere, ſive quod Ferdinandi Pulgaris, (quod negare equidem non poſſum) in ſermone Hiſpano eloquentiſſimi, interpretem (ut fama eſt) perfunctoriè egerit. Oppreſſit eum* (ut Paullus Jovius ait) *repentina paralyſis, cum ad ſeptuageſimum ſeptimum ætatis annum perveniſſet, tanto quidem corporis ingeniique vigore, ut nihil de ſtudiorum labore omnino remitteret; &, ut naturâ mulieroſus, ad ſupremum uſque diem Veneris uteretur.* Obiit anno CIↃ IↃ XLIV. Moriens opera ſua caſtiganda teſtamento reliquit Ario Barboſæ, Luſitano, Politiani diſcipulo, qui primus literas Græcas in Hiſpaniam intulit, ac bonas literas viginti annis Salamanticæ publicè docuit: ut eſt apud Gyraldum dialogo priori de poëtis ſui temporis.

Antonius Bonfinius Aſculanus, præter Hermogenem, etiam Philoſtratum & Herodianum, Latinè vertit. Matthiæ Corvini, Hungariæ regis, impulſu, confecit Hungaricarum rerum commentarios. Sunt ii decadum IV cum dimidia: ac pertingunt uſque ad annum CIↃ CCCC XCV. Sed diu fuit, quòd tres tantùm decades exſtitere; quarum ſummam *Michaël Ritius* complexus eſt duobus libellis, qui de rebus Ungaricis inſcribuntur: ut poſtea dicemus. Ac tres quidem decades, quas dixi, ex Budenſis exemplaris *αὐτογράφοις*, ſed mendoſè deſcriptos, multiſque in locis à ſe reſtitutos, anno CIↃ IↃ XLIII in lucem emiſit Martinus Brennerus Biſtricienſis Transſylvanus. Anno autem CIↃ IↃ LXVIII eoſdem ex collatione codd. MSorum emendatiores cum decade quarta, & quinctæ dimidio publici juris fecit Joannes Sambucus Tirnavienſis. E cujus bibliotheca poſtea etiam Sympoſion Beatricis prodiit, ſeu dialogorum de virginitate & fide conjugali libri III: quibus multa ad laudem Matthiæ Corvini, & reginæ Beatricis. Simul ex iis quanto in loco apud eos fuerit Bonfinius ſatis elucet. Sambuci in dialogorum præfatione tale de Bonfinio judicium eſt, ingenio ad omnes res arduas, & laudabiles excelluiſſe: ſtyloque uti idoneo non ad hiſtoriam minùs, quàm philoſophiam, vel orationes.

Bonfinium ſequatur Bartholomæus Fontius, ejuſdem regis Corvini familiaris, & augendæ ejus bibliothecæ, de qua multa adeo Braſſicanus præfatione in Salvianum, ſtudioſiſſimus. Reliquit vitam Pauli Chiacceti, quæ ante annos paucos *a* cum aliis ejus opuſculis in lucem prodiit.

*a Francfurti an. 1621.*

Laurentius Burellus Divionenſis, monachus Carmelita, eodem vivebat tempore: multaque, & proſâ, & carmine, pangebat: inter hæc Heliaden; hoc eſt, opus in laudem Heliæ, Carmelitarum, ut appellat, patriarchæ. Adhæc librum compoſuit de viris illuſtribus ſui ordinis.

Galeotus Martius Narniæ genitus fuit: unde à Franciſco Bellafino, opuſculo, quod ante annos XC de Bergamo ſcripſit *b*, dicitur *Galeotus Narnenſis*. Ibidem eum virum eruditiſſimum appellat. Primùm in Italia Bononiæ bonas literas docuit; hinc in Pannoniæ privatis ſcholis idem egit. Pòſt Matthiæ Corvini, Hungariæ regis, domeſti-

*b Prodiit Venetiis an. 1532.*

cas

cus factus, atque epiſtolarum magiſter: idemque, ut videtur, præfuit ſtudiis filii ejus, Joannis Corvini. Præfectus etiam fuit bibliothecæ Budenſi. Acriùs in eum ſtylum ſtrinxit Franciſcus Philippus: ſed Joa. Pannonio, Quinqueeccleſiarum epiſcopo, cariſſimus erat, jam ab eo tempore, quo in Italia eadem ſtudia ſequebantur. Exſtant Galeoti hujus, cùm alia, tum liber de jocoſè dictis, ac factis Regis Matthiæ Corvini; quem filio ejus Joanni conſecravit. Invenies eum in volumine illorum, qui de Hungariæ rebus commentati ſunt. Leander in Italia ſua vocat excellentem oratorem, & philoſophum: ſed hoc in eo culpat, quòd, dum plura, quàm par eſt, ſcire laborat, à fide Orthodoxâ in quibuſdam declinârit. *Nempe* (ut Paulli Jovii a de eo verba retineam) *ſcripſit etiam, & malo quidem infortunio, quadam in ſacra, moralique philoſophia. Nam ex ea lectione, cùm omnibus gentibus integrè, & pariter, veluti ex juſta natura lege, viventibus, æternos cæleſtis auræ fructus paratos diceret: à cucullatis ſacerdotibus accuſatus, damnatuſque eſt. Sed eum periculo celeriter exemit Xyſtus pontifex, qui in minori Fortuna ejus fuerat auditor, non ſine gravi tamen contumelia. Nam in foro Veneto ad geminas columnas ad tribunal perductus eſt, ut, impetratâ veniâ, ſe falſa ſcripſiſſe fateretur. Sed accidit, ut id judicium exortus in turba riſus everteret, falſè ac repentino Galeoti dicterio excitatus. Nam cùm fortè non ignobilis Venetus, è turba proximus, ſtrigoſâ proceritate, & impudica uxoris probro inſignis, traductum ludibrio propinguem porcum appellaſſet, extemplo Galeotus, renidentique ore, Pinguis, ait, porcus, quàm macer hircus, eſſe malo. Erat enim Galeotus uſque adeò tumenti abdomine, ut cùm ſub vaſto obeſi corporis pondere, vel prægrandia jumenta fatiſcerent, rhedâ curuli veheretur: ac demum ſenex, ad montem Annianum circa Ateſte, arvinâ ſuffocatus interiret.* Apud Scardeonium lib. II. rerum Patavinenſium claſſ. x. quo loco de nepote hujus, Stephano Galeoto, tractat, legas, Galeotum *à ruina ſuffocatum interiiſſe.* Sed omnino reſcribendum *arvina:* uti eſt apud Jovium, quem ſe exſcribere Scardeonius fatetur. Quomodo autem arvina, & grave ventris pondus, exitio ei fuerit, aliter aliquanto narrat Joannes Pierius Valerianus lib. I. de literatorum infelicitate; ubi ſic loquitur: *Galeottus Narnienſis, ſuis clarior lucubrationibus, & magnorum principum familiaritate magis celebris, quàm ut noſtro poſſit clareſcere teſtimônio; cùm à Francorum rege Ludovico ejus nominis undecimo accerſitus ex Pannoniis, ubi Matthiæ Regis liberalitate deliciabatur, Lugdunum ad ſalutandum Gallum regem ſe conferret: fortè illi factus ex itinere ante urbis portas obviam, dum magnâ vir corporis habitudine, pinguedineque, & obeſi ventris mole gravis, ab equo ſe demittere ad terram vellet, id ſcilicet honoris Principi habiturus, ſuo ipſius tractus pondere ita corruit, ut alliſo terra capite, ſtatim expirârit.*

a In elogiis doctorum virorum.

Iiſdem temporibus in admiratione erat Joannes Franciſcus Picus. Luculentè is deſcripſit vitam, atque obitum patrui ſui, verè ſui ſeculi Phœnicis, Ioannis Pici, Mirandulæ & Concordiæ principis, qui Florentiæ anno obiit cIↄ cccc xciv. Etiam hiſtoriam ſuorum temporum univerſalem conſignâſſe, Geſnerus, atque ex eo Poſſevinus refert. Quæ necdum lucem adſpexit, ſive quia opus illud nondum perfeciſſet: ſive quòd in eo liberiùs quædam dicerentur, quàm illorum temporum ratio ſineret.

Felinus Sanderus Ferrarienſis Iuriſconſultus, atque (ut Michaële Ferino Mediolanenſi epiſtola ad ipſum Felinum vocatur) Rotæ auditor, utriuſque Referendarius Palatinus clariſſimus, de regibus Siciliæ & Apuliæ, & in his nominatim de Alphonſo rege Aragonum epitomen ſcripſit ad Alexandrum VI Pontif. Max. Quæ cùm ſæculum & amplius latuiſſet, in lucem protracta eſt beneficio Marquardi Freheri b. Eſt autem nihil aliud quàm centones ex Pandulpho Hoſtiario, Ottone Friſingenſi, Antonino, Pio II, Blondo, Poggio, Platina, Matthæo Palmerio, Bernardo Iuſtiniano, Leonardo Aretino, Philippo Bergomate. Quorum & nomina excerptis ſingulis ſubjungit.

b Hanoviæ prodiit Wecheliana.

Ejuſdem temporibus fuit Sigiſmundus de Fulgineo. Ex quo aliqua adducit Felinus epitomes ſuæ cap. XXXIX, atque addit, *ut ex hiſtoria moderni clariſſimi hiſtorici Sigiſmundi de Fulgineo videri poteſt.* Quæ ætatem clarè docent.

Gregorius Tiphernas, etſi medicinam profiteretur, plus tamen honoris politiori literaturâ conſecutus eſt: teſte Gyraldo dialogo I. poëtis ſui temporis. Ubi & judicium fert de poëmatis ejus. Sanè, ut Leander ait, magno patriæ ſuo Tipherno fuit ornamento, vir Latinè Græceque doctiſſimus: uti arguunt, quæ Latinè vertit, præcipue Aſia Strabonis. Præceptor fuit civis ſui, Lælii Tiphernatis; qui Philonem Iudæum tranſtulit Latinè.

Bernardus Rucellarius iiſdem vivebat temporibus. Inter eruditos Florentinos reponitur ab Alberto Leandro in deſcriptione Italiæ: atque *inſignis hiſtoricus* ibidem vocatur.

Joannes Stella, ſacerdos Venetus, monumentum reliquit de vita ac moribus ſummorum pontificum: quod perduxit uſque ad Julium II; id eſt, annum cIↄ Iↄ III. Interim, ut ipſe in præfatione ad Antonium Surianum, patriarcham Venetum, agnoſcit, multa de induſtria prætermiſit, præſertim noviſſimis temporibus, eò quòd ſine nota quorundam committi literis non poſſent.

Joannes Pinus Tholoſanus, Rivorum Epiſcopus, floruit anno cIↄ Iↄ, ac præter librum de vita aulica, vitam ſcripſit Catharinæ Senenſis. Item vitam Philippi Beroaldi. Utraque Bononiæ prodiit, anno cIↄ Iↄ V. Etiam ejus quædam de laudibus Codri Urcei unà cum Codri operibus edita ſunt. De eodem ſic Eraſmus in Ciceroniano ſuo: *Poſſet Joannes Pinus inter huius laudis* (de Ciceronianæ dictionis laude loquitur) *competitores numerari, niſi & hunc negotiorum tumultus, & eccleſiaſtica dignitas à ſtudiis avulſiſſent. Olim certè præclarum ſui ſpecimen dedit, cùm Muſarum ſacra coleret. Nunc epiſcopum audio factum. Fieri poteſt, ut plus acceſſerit eruditionis, quàm dignitatis.*

Joannes Carolus Florentinus Ord. Prædicator. ſignavit vitas illuſtrium aliquot ſui ordinis virorum. Nempe Joannis Dominici, qui, ex ejuſce ordinis monacho Rom. Eccl. Cardinalis factus à Gregorio XII, ac epiſcopus Raguzæus, Budæ apud Hungaros obiit. Item vitam edidit Simonis Saltarelli Florentini, qui antiſtes erat Oriveti, ac monachus Ordin. Prædicator. Utramque habes lib. III operis, ab Alberto Leandro editi, de viris Illuſtr. Ordin. Prædicator. Item ab eodem auctore profectam vitam Aldobrandini Cavalcantis Florentini, epiſcopi Urbevetani, eodem lib. invenies. Uti & vitam Angeli Acciaoli, ſeu Accievoli, qui Florentinæ eccleſiæ epiſcopus fuit anno cIↄ ccc XL. Etiam lib. V. habes ab eodem exaratam vitam B. Joannis Salernitani, ſocii S. Dominici. Hunc Vitarum auctorem libro IV. tali elogio ornat: *Adeſt cum Joanne Caroli Florentino, viro uſquequaque erudito, portante vitas plurium patrum priſcorum cœnobii Florentini elegantiſſimo ſtylo deſcriptas. Certè ſcriptor accuratus, & floridus fuit.* Iidem in Italia, quo loco agit de iis, qui patriam Florentiam ſcribendo illuſtrarint, *candido jucundoque ſtylo* uſum teſtatur. Deceſſit in urbe patria anno cIↄ Iↄ V.

Jacobus Philippus Bergomas, qui Paullo Langio in Chronico Citizenſi *Jacobus de Pergama* dicitur, fuit ex nobili Foreſtorum familia, quæ hodieque Bergomi floret & Comitis titulo, & Soldii dominio gaudet. Ipſe erat ordinis eremitarum; ſcripſit Chronicon, quod Supplementum ſupplementi inſcripſit; atque incipit ab orbe condito, & deſinit, non in anno cIↄ cccc LXXXVI, ut eſt apud Poſſevinum; ſed in priori quidem Bergomatis hujus editione Brixienſi, in anno terminatur cIↄ cccc LXXXV; in alterâ autem Venetâ, anno cIↄ Iↄ III. Videri poſſit eo in opere nonnihil adjutus ab Ambroſio Calepino, qui

de Venetiis agens ſic ſcripſit, *De hujus civitatis laude quoniam apud Jacobi Philippi Chronica à nobis latè congeſtum eſt, duximus omittendum.* Niſi hoc voluit potiùs, Bergomatis Chronico quædam à ſe adjecta, quæ lucem nondum viderint. Annus is, quem dixi, cIↄ Iↄ III, Philippi hujus natalis erat LXIX; ut ipſe ait in fine Chronici ſui. Unde liquet annorum tantummodo XVII fuiſſe, cùm monachus fieret. Nam alibi ait, adoleſcentibus, quos Joannes Rochus conventui ſuo Bergomenſi aggregaverat, Chriſtoque mancipârat, anno ſe cIↄ CCCC LI fuiſſe ſociatum. Præterea verò librum edidit de claris mulieribus Chriſtianis; quem dicavit Beatrici Arragoniæ, Hunnorum, & Boëmorum reginæ. Eo de opere tale eſt judicium Wicelii in præfatione Hagiologii, nihil dicere aliis indictum; ſed paullò cultiùs narrare, quàm barbari priorum ſeculorum ſoleant; multumque adlaborare, ut & opus, & operam ſuam, reginæ probet Beatrici. Vir eſt multæ lectionis, & judicii non vulgaris: ſed qui in rebus antiquis ſæpe codicum vitio, quibus uſus fuit, nomina immutet. Latinitatis autem non ſatis erat gnarus: uſque adeò, ut num *præter princeps*, an *principem* dicat, nihil penſi habeat. Cujuſmodi apud eum plurima occurrunt.

Robertus Gaguinus (qui Tritthemio *Rupertus*) natus èſt in vico Callina, qui eſt in Arteſiæ finibus ad Liſam fluvium: ut omnino erret Guicciardinus, qui Duacenſem eſſe putavit. Quanquam & eum ſecutus Miræus in elogiis Belgicis, & Sanderus lib. III, de ſcriptoribus Flandriæ. Puer ingreſſus eſt monaſterium Prævinenſe, non longè ab Mano-villa, ac factus eſt cœnobita S. Trinitatis. Inde Lutetiam, ſtudiorum gratiâ, profectus fuit; ubi vixit apud ſodales, quos appellant Maturinos. Ibidem titulum accepit Doctoris utriuſque juris. Ac tandem factus ordinis ſui miniſter. Tantaque prudentiæ ejus fama erat, ut regum nomine ſæpius miſſus ſit legatus in Italiam, Germaniam, Britanniam. Ludovicus XII præfecit eum bibliothecæ regiæ, ac ingentem pecuniæ vim tribuit, ut libris eam variis locupletaret. Magni quoque illum Eraſmus fecit: ſi judicium faciendum, ex ejus epiſtola ad Gaguinum ſcripta, quæ ejus hiſtoriæ ſubjungitur. Imò Paullus Malleolus dicavit ei notas ſuas in Terentium, ac Fauſtus Andrelinus eidem inſcripſit Octavii Cleophili poëma de cœtu poëtarum. Edidit ipſe varia, quæ Tritthemius indicabit: uti & Ferreolus Locrius in Chronico Belgico. Memoratur autem hoc loco propter libros XI *a* de geſtis Francorum: quibus hiſtoriam complectitur annorum cIↄ CC, ac pertingit uſque ad annum cIↄ Iↄ. Etſi verò communi multorum hiſtoricorum vitio laboret, ut in rebus patriis, & imprimis ſuorum temporum, affectui aliquantum indulgeat; quo nomine de eo conqueritur Ludovicus Vives: non tamen audiendus eſt Jacobus Mejerus Balliolanus lib. XVII rerum Flandricarum; ubi ſcriptorem frivolum appellat. Sed gravius illud, quòd univerſè de hiſtoricis Gallicis addat, *Res ſuas Galli non majori ſolent ſcribere fide, quàm gerere.* Nempe nimius patriæ amor fecit, ut, dum ſuos à Francis hiſtoricis accuſatos purgare nititur, minùs rectè de præſtantiſſimâ, ſed inimicâ, Francorum gente judicaret. Unde etiam eſt, quòd idem paullò antè Ludovicum, Galliæ regem, non dubitet diabolicum omnium diſcordiarum ſatorem nuncupare. Nec tamen in rebus externis nimium Gaguino tribuendum videtur. De quo ita Jovius in elogiis: *De fide* (in rebus Gallicis) *illi viderint, quorum intereſt incorruptam rerum memoriam ad poſteros tranſmitti. Nam in his, quæ ad Italiam pertinent hujus tempeſtatis, uſque adeo inſolenter, & pingui ſtylo, cæcutire ſolet, ut, qui nulla orationis ornamenta in eo conſpiciunt, paſſim ejus impudentiam ſtomachentur.* Dicitur & Chronicon ſui Ordinis feciſſe. Juſſu quoque Karoli VIII, Galliarum regis, Julium Cæſarem cum Anto. Hirtio, item geſta Caroli magni vertit Gallicè. De ſtylo ejus ſic Eraſmus in Ciceroniano ſuo: *Robertus Gaguinus ita pridem habitus fuit magni nominis, dictione tamen, quàm ſcriptis vendibilior.* No. *Verùm ſuo ſeculo, nunc vix inter Latinè loquentes reciperetur.* Obiit Lutetiæ XXII Jul. *a* anno, non cIↄ Iↄ I, ut aliqui tradidere *b*, ſed ſequenti: ut eſt in Chronicis Ferreoli Locry. Fauſtus Andrelinus (quem ex Italia in Galliam adduxerat ad regem Carolum VIII) hujuſmodi epitaphium conſcripſit:

*Illuſtris Gallo nituit qui ſplendor in orbe,*
*Hic ſua Robertus membra Gaguinus habet.*
*Si tanto non ſæva viro Libitina pepercit,*
*Quid ſperent docti cætera turba chori?*

*a Sanderus, XII ait lib. edidiſſe, uti & Swertius. Primùm tàm prodiit libri erant X. Sed lib. undecimus acceſſit editione Pariſienſi an 1511.*

Etiam anno cIↄ CCCC XCVII claruit Petrus Jacobus Monteſalchius: qui tum opus reliquit de Vicentinis: tum etiam de cognominibus Deorum egit: atque item de ſacris celebritatibus. Habet eum ſcriptorem Pignorius.

Baptiſta Spagnolus Mantuanus, XV Kal. Maji anno vel cIↄ CCCC XLIX, vel potiùs quadriennio pòſt, è gente honeſta, ſed, ut Iovius in Elogiis ait, damnato fuit coitu natus, quod tamen negat Petrus Lucius Belga in Carmelitana bibliotheca. Ordinis Carmelitarum Prior generalis ut vocant. Fuit autem creatus Romæ generalis anno cIↄ Iↄ XIII. Sed exinde anno quarto, ut invitus honorem ſuſceperat, ita ſpontè depoſuit, partim quòd imparem ſe oneri putaret, partim ut melius ſacris ſtudiis vacaret. Carmen ſcripſit de capta Granata, regnoque toto Mauris erepto à rege Ferdinando, & Elizabeth regina: quod anno contigit cIↄ CCCC XCII. Item carmine eſt vitam Ludovici Morbioli complexus. Adhæc carmine tradidit vitas Dionyſii Areopagitæ, Baſilii, Georgii, Agathæ, Catharinæ, Luciæ, Apolloniæ, atque aliorum ſanctitatis nomine celebrium. Nempe ex parte præſtitit, quod promittit lib. II. Carm.

*Si tranquilla quies, & triſtibus otia curis*
*Libera me ſinerent ſanctos inviſere fontes,*
*Et totos Helicona dies conſumere circum:*
*Prima ſalutiferi repetens exordia Chriſti.*
*Ad ſuprema meum veniſſet tempora carmen:*
*Actaque tentâſſem majori ſingula verſu*
*Texere, & annales melioribus edere chartis.*

Ut verò de iis quæ proſa ſcripſit taceam, quàm multa ſcripſerit carmine, argumento eſt, quod verſus reliquerit ſupra quinquagies quinquies millenos. Valde eum epiſtolis ſuis celebrant Iovianus Pontanus, Picus Mirandula, & Philippus Beroaldus. Obiit Mantuæ temporibus Leonis X, anno Chriſti cIↄ Iↄ XVI, ætatis ſuæ vel LXXII, vel potiùs LXVIII. Etſi Iovius octogenario majorem fuiſſe dicat. Sed planè fallitur. Natus enim anno cIↄ CCCC XLVIII, temporibus Nicolai V Pontificis, ut ipſe de ſe ſcripſit in vitæ ſuæ epitome. Obiit autem anno Chriſti cIↄ Iↄ XVI, quarto anno Leonis X, XI Kalend. Aprilis, feſto Cœnæ Dominicæ. Idem Iovius & illud ait, *Fredericum principem marmoream effigiem ei cum laurea poſuiſſe: quæ in arcu lapideo juxta Virgilii Maronis ſimulacrum, pià profectò, ſi non ridendâ comparatione, conſpicitur.* Hoc judicium ſatis concoquere non poteſt Carmelitanus Petrus Lucius Belga *c*. Qui Baptiſtam utpote Chriſtianum, gentili poëtæ etiam præferri putat oportere. Sed non religionem nunc ſpectamus verùm artem poëticam. In qua profectò quid Carmelita hic ad Maronem? Attamen (ut de eo ſcribit Lilius Gyraldus *d*) *juvenis laudabilior poeta fuit. Cùm verò ei deſedit calor ille, & fervor juvenilis; tanquam amnis ſine obice extra ripas ſordidè defluens, coërceri non potuit. Vix enim ea legere poſſumus, quæ longiùs ille ætate provectus carmina ſcripſit.* Nempe, ut ibidem inquit, *Eſt ferè naturâ comparatum, ut, qui minùs judicio valent, & nimio plus ſibi placent, eos indies deflorèſcere, & ſenes flacceſſere, videamus. nam & his indies aliquid ſemper ingenium deteret.* Et ſanè verſus ejus ſcabioſos eſſe, atque ita ruri natos, ut nihil ſapiant urbanum, etiam Cæſaris Scaligeri judicium eſt in ſexto Poëtices.

Petrus Marcellus, Antonii filius circa hæc quoque tempora claruit. Reliquit librum de vitis principum & geſtis Venetorum. Eum à primo principe producit uſque ad Augu-

*a Niſi verius Natham Chytræus in itinerum deliciis, & Sanderus, qui cum XI Kal. Jun. hoc eſt XXII Maji dicunt obiiſſe.*

*b Eos inter Miræus in elogiis Belgicis, & Sanderus lib. 3. de ſcript. Flandr. item Swertius in Athenis Belgicis. Item Nathan Chytræus in itinerum deliciis.*

*c Carmel. biblioth.*

*d Dial. I. de poëtis ſui ſeculi.*

ad Auguſtinum Barbadicum LXXIV quarti Ducis mortem: quæ in annum incidit cIↄ Iↄ II. Ætas hujus ſcriptoris exinde colligitur, quòd de Leonardo Lauretano (is Barbadico ſucceſſit) hunc in modum ſcribat: *Ob cujus ſingularem ſapientiam, maximum in Reipubl. benegerendæ ſtudium, æquabilem in omnes juſtitiam, egregiam liberalitatem, eximiam denique vitæ ſanctimoniam, omnia proſpera Reipublicæ eventura ab omnibus ſperanda ſunt. Quem utinam immortalis Deus, pro Reip. commodo fortunet, & quam diuturnum eſſe velit. Si qua deinceps memoratione digna contingent: ſi in vivis erimus libenti animo ſubjungemus* a.

a Habet eum in Chronico] Chronicor.

Iiſdem temporibus, ac deinceps, floruit Hieronymus Atheſtinus, Patavinus ſacerdos. Carmen condidit de geſtis Atheſtinorum; quod Venetiis prodiit anno cIↄ Iↄ V. Præterea reliquit hiſtoriam brevem de Origine urbis Patavinæ. Sed ſententiam ejus hac de re improbat Scardeonius in rebus Patavinis; ubi plura de hoc Atheſtino. Obiit Patavii circa annum cIↄ Iↄ XXX.

Fr. Joannes Laziardus Cœleſtinus conſcripſit Hiſtoriæ univerſalis epitomen, jam olim typis Joannis Pratenſii editam, procurante Emondo Le Feure: ut omnino ejus mirer non meminiſſe vel Geſnerum, vel Simlerum, vel Poſſevinum. Præfationis initium eſt, *Quæ in terris gignuntur*, &c. Opus autem ipſum ſic incipit, *Deum eſſe, univerſi pulchritudo, atque diſpoſitio, teſtatur.* Magnam operis ſui partem exſcribit ad verbum ex Gallo quodam auctore Breviarii hiſtorici, de quo ſuperiùs diximus. Sed mirificus ille, penè dixerim, ſtupor hominis, quòd ne illa quidem verba immutârit: *Sigiſmundus imperator anno præſenti* cIↄ CCCC XXVIII, *cum inimicis fidei Chriſtianæ conflixit*, &c. quæ apud hunc legas cap. CCLXIII. Ille breviarii auctor ita ſcribere potuit, quia tum vivebat: Laziardus non potuit, cùm hiſtoriam producat uſque ad annum cIↄ Iↄ III: quo Alexandro VI Pius III ſucceſſit, ac poſtquam diebus XVI pontificatum adminiſtrâſſet, naturæ conceſſit. Quæ verò ſequuntur uſque ad annum V Franciſci I, Galliarum regis, (qui Chriſti eſt cIↄ Iↄ XIX) addita ſunt ab Huberto Velleio Sabatenſi.

Marinus Sanutus junior, Leonardi filius, patricius Venetus, cui Aldus Manutius opera Politiani à ſe edita dicavit, ſcripſit librum de magiſtratibus Venetis, ab urbe condita, uſque ad ſua tempora. Item de vitis principum Venetorum, adhæc de bello Gallico. Ingenioſè & eruditè ſcripſiſſe ait ibidem Aldus. Etiam cum honore ejus meminit Franciſcus Modeſtus Ariminenſis Venetiados ſuæ libro X: ubi eum, qui accuratè vetera novaque omnia imperii Veneti requirat, Marini hujus ad ſcripta remittit: ut quibus fuſè tradantur omnia, quæ ipſe vellicatim ac ſtrictim exponat. Vide & de eo Bergomatem Chronicorum lib. XVI.

Auguſtinus, Ticinenſis Canonicus, congregationis Lateranenſis, vixit anno cIↄ Iↄ, & deinceps. Poſteris reliquit ingens Chronicon, vitam B. Monicæ, Elucidarium Chriſtianarum religionum, ſive religioſorum ordinum; in quo ubertim agit de ordine Auguſtinianorum, deque B. Auguſtini vita, moribus, doctrina, aliiſque. Item regulam ſanctiſſimi patris Auguſtini: in qua & vita S. Guarini, Epiſcopi Præneſtini, & Cardinalis. Eſt is liber in monaſterio Canonicorum regularium Bononiæ. Guarini autem vitam habes apud Surium Tom. VII, ad diem VI Februar. Cuncta Auguſtini hujus, Chronico excepto, prodiere Brixiæ, anno cIↄ Iↄ XI.

Michaël Ritius Neapolitanus, Juriſconſultus, & Ludovico XII, Galliarum regi, à conſiliis, edidit Romæ anno cIↄ Iↄ V libros tres de regibus Francorum; eoſque Guidoni, regni Cancellario, dedicavit. Idem libros tres fecit de regibus Hiſpaniæ; quos perducit uſque ad Philippum, Caroli V parentem. Adhæc compoſuit librum unum de regibus Hieroſolymorum. Deque regibus Neapolis, & Siciliæ, lib. IV. Item de regibus Hungariæ lib. II: qui cum Bonfinii hiſtoria conjunguntur. Stylus purus eſt, ac terſus; ut in epiſtola operi præmiſſa judicat Janus Parrhaſius, ac Vaſæus in Chron. Hiſp. cap. IV.

Philippus Beroaldus natus fuit Bononiæ anno cIↄ CCCCL, Id. Novemb. Inclaruit Frederici, & Maximiliani temporibus. Mythicas hiſtorias duas, unam de Giſippo, & Tito, alteram de Galeſo Cymone, è Joanne Bocacio Latinè tranſtulit, ac Mino Roſcio, Senatori Bononienſi, dicavit. Prodiere Baſileæ cum aliis Beroaldi opuſculis anno cIↄ Iↄ XIII. Fuit è ſummis ſui ſeculi viris, lectionis penè infinitæ; ſed in quo ſubinde judicium deſideres. Indignus tamen, qui *maximè garrulus, & verboſiſſimus interpres* dicatur à Florido apologia adverſus L. L. calumniatores. Sepultus Bononiæ, ubi talis ei inſcriptio: *Philippo Beroaldo ſeniori, civi Bononienſi, viro omnium quos ætas ſua tulit eruditiſſimo, atque eloquentiſſimo, eidemque humaniores literas Parmæ, Lutetiæ, atque in patria ſumma cum ingenii laude, atque audientium admiratione profeſſo, Phil. & Vinc. filii hæredes ex ipſius teſtament. P. P. Vixit annos* LI, *menſ.* VIII. *Obiit anno* cIↄ Iↄ IV. Ex filiis hiſce Philippus poëta fuit patre melior; ut Lilii Gyraldi judicium eſt priori dialogo de ſui ſeculi poëtis. Et Eraſmus in Ciceroniano ſuo cùm patrem dixiſſet *hominem de literarum ſtudiis præclarè meritum*, juniorem, tamen (ut inquit) *in Ciceronianorum catalogum citius receperit, quamquam is perpauca miſit in literas.* Sanè filius non tantus erat ſectator reconditorum verborum: unde ipſe in phaleuciis, quos epiſtolis Plinii à parente ſuo emendatis ſubjunxit, ita ait:

> —— *Haut ſequaris iſtos,*
> *Qui portenta vomunt reconditorum*
> *Verborum: mage qui videntur eſſe*
> *Docti inter ſciolos: apud diſertos*
> *Nil inſulſius eſt, ineptiuſque.*

Non dubito autem, quin imprimis taxet Joannem Baptiſtam Pium Bononienſem: cui tamen hac parte prælerat ſenior Beroaldus. Vide quæ de utroque hoc, Beroaldo, inquam, ac Pio, annotavit elegantiſſimus ſcriptor Floridus Sabinus Lectionum Subciſivarum lib. II. cap. IX, & XIX. Vitam etiam, atque obitum junioris Beroaldi, paucis complexus eſt Pierius Valerianus libro I. de infelicitate literatorum. De juniore etiam apud Paullum Iovium lib. III a de vita Leonis X, legas ab hoc pontifice præfectum fuiſſe bibliothecæ Vaticanæ, inque ſcribendis odis Horatiana jucunditate præcelluiſſe.

a Pag. 67. edit. Flor. an. 1549.

Albertus Caſtellanus, Venetus, Ordin. Prædicatorum, anno vixit cIↄ Iↄ, ac inter alia Chronicon condidit: præterea catalogum fecit illuſtrium ſui ordinis virorum. Idem catalogum Sanctorum Petri de Natalibus recenſuit, ac purgavit.

## CAP. XII.

*Marci Antonii Sabellici Enneades, exempla, res Venetæ, alia. Jocundi Veronenſis Inſcriptiones veteres. Petri Martyris decades de novo orbe. Aloyſius Cadamuſtus de terris novis. Americus Veſputius Florentinus de navigationibus ſuis. Franciſcus Albertinus de mirabilibus Romæ, ac laudibus Florentiæ, & Saonæ. Raphaëlis Volaterrani commentarii urbani. Petrus Crinitus de honeſta diſciplina, & illuſtribus poëtis, grammaticis, hiſtoricis. Pandulphi Collenutii compendium rerum Neapolitanarum. Franciſcus Delbenius de familiis Veronenſibus. Bartholomæus Blanchinus de vita Philippi Beroaldi. Roberti Gouletti compendium de ſex ætatibus. Ludovicus Vartomannus de peregrinatione ſua in Ægypto, ac variis regionibus Orientis. Paullus Æmilius de geſtis Francorum. Joannis Leonis deſcriptio Africæ. Franciſcus Ferrarienſis de vita beatæ Oſannæ Mantuanæ. Sylveſter Prieras de beatâ Virgine Deiparâ, & beatâ Magdalenâ. Franciſcus Puteanus de vita S. Brunonis. Nicolai Leonici Varia hiſtoria. Matthæus Bandelius de vita Vincentii Bandelli, & aliorum. Marcellus Palonius de*

*clade Ravennati. Marcus Antonius Michaël de urbe Bergomo. Deſiderius Spretus de Ravenna. Andreas Aſſaracus. Joannes Baptiſta Egnatius de Cæſaribus Romanis. Polydori Virgilii hiſtoria Anglicana. Richardi Bartholini Auſtriados libri. Ambroſius Leo de urbe Nola. Sebaſtianus Flaminius de vita Ambroſii Senenſis. Leander Albertus de viris illuſtribus. Antonius Maius de ſpiritibus, qui in Garda apparuerant. Andreas Fulvius de antiquitatibus Urbis. Auguſtini Juſtiniani hiſtoria Genuenſis. Stephanus Niger. Valerandus Varanius. Nicolaus Canuſſinus. Jo. Antonii Flaminii Vita. Item Vita Joannis Garzonis. Aymarus Rivalius de Jure Civili & Pontificio. Julianus Haſartus. Jo. Maria Catanæi poema de expeditione ad bellum ſacrum. Zacharias Zachius de memorabilibus ſtatuis, aliiſque rebus antiquis. Benedictinus Burdonius Patavinus de inſulis.*

IIſdem Maximiliani temporibus vivebat Marcus Antonius Sabellicus, qui Coccius in ſepulcrali monumento nominatur. Huic ſuum de ſcribendæ hiſtoriæ præceptis commentarium Hermolaus Barbarus dedicavit. A Jovio quidem fabri ferrarii filius; ab aliis autem natus dicitur è nobili Coccejorum familiâ. Æquicolas *a* ortu ſuo nobilitaſſe, ait Leander in Italia ſua. Pomponii Læti, & Domitii Veronenſis, fuit diſcipulus: bonarumque literarum apud Venetos profeſſor. Maximè celebratur hiſtoriâ Enneadum XI ab orbe condito uſque ad annum CIↃ IↃ IV; poſt quem annum triennio ſuperfuit, teſte Leandro. Item compoſuit exemplorum libros decem. Adhæc de ſitu Venetiarum fecit lib. III: deque Venetis magiſtratibus lib. I. Propter quæ à Venetis ei ſalarium diu præbitum publicè fuit. His adde, quæ commentatus eſt de vetuſtate *b* Aquileiæ, de Vicentiæ ortu & vetuſtate, de Italiæ tumultu, & quædam alia, tomo uno, Venetiis olim comprehenſa, atque a Leandro in Italia ſua, ubi Æquicolas deſcribit, & à Jacobo Philippo Bergomate recenſita Supplem. Chron. lib. XVI: ubi luculentum ejus elogium reperies. De eodem, & Nauclero ita ſcribit Ludovicus Vives lib. v. de tradendis diſciplinis: *Principio legendus aliquis, qui ab ultimis temporibus ad noſtram memoriam, aut ei proxima, hiſtoriam tenore uno contexat, ut ſummâ quâdam proponantur omnia. Is ſit ſanè: vel Nauclerus, vel hoc copioſior, & purior, & diligentior, adde etiam doctior, Antonius Sabellicus.* Idem lib. III. de tradend. diſciplin. dixerat: *Marcus Antonius Sabellicus fluit quidem plenus; ſed lutulentus quandoque, ac ſimilis ei autori, ex quo res deſumit; ut colorem videatur mutare cum ſolo, per quod omnino tanquam fluvius occurrit.* Eraſmus benigniùs in Ciceron. ſuo: *Antonium Sabellicum agnoſco natura facundum, nec artis expertem, nec infeliciter rhetoricatur interdum. In hiſtoria ſat ſplendide verſatus, ſed in hac tantum, quæ ſummum dicendi genus deſiderat.* Etiam Bembus, ſed in epiſtolà *c* ad ipſum ſcripta, vocat, *doctiſſimum, eloquentiſſimum, optime de Rep. meritum:* atque addit, *Septem hiſtoriarum enneadibus quas nuper edidiſti, uberrimum fructum propoſitum video laudis, & gloriæ ſempiternæ.* Florido Sabino apologia adverſus L. L. calumniatores vocatur *fervida cujuſdam* uberiſque eloquentiæ ſcriptor. Multus verò eſt Sabellicus in rebus Venetis. Inde autem, ubi deſierat Sabellicus, res Venetas ordiendi ex S. C. cura fuerat demandata Andreæ Naugerio: ut Leander ait in Venetiarum deſcriptione. Sed, eo in legatione Gallica vitâ functo, decemvirorum Venetorum poſtulato præſtitit hoc Petrus Bembus *d*; qui libros XII hiſtoriæ Venetæ reliquit. Quatuor ſuos epigrammatum libellos Sabellico dicavit Domicus Palladius Soranus. Obiit Sabellicus XIV Kalend. Majas anni CIↃ IↃ VI *e*. Jovius ait, prope ſeptuagenarium deceſſiſſe morbo Gallico, quem vulgivaga Venere contraxiſſet. Atque eodem pertinent, quæ Pierius Valerianus refert lib. I *f* opuſculi ſæpius memorati, quod de infelicitate literatorum inſcribitur, à Funebri oratione proſecutus eum fuit Baptiſta Egnatius: quemadmodum auctor eſt Petrus Bembus lib. IV, epiſt. IV; quæ eſt ad Philippum Beroaldum juniorem. Vitam ejus conſignavit Petrus Georgius Chalcedonius.

*a Ad vicum Varronis in via Valeria natum, lego in ſyllabo Utinenſium hiſtoricorum.*

*b Hæc cum Utini publicè doceret, ſcripſit, ut eſt in ſyllabo hiſtoricorum Utinenſium.*

*c Lib. 2. epiſt.*

*d Bembi initio Hiſtor. Venet.*

*e Bembus lib. 4. epiſt. 4. ad Beroaldum, & alia eodem lib. ad Alexandrum Cribellum in ſyllabo Utinenſium hiſtoricorum dicitur ſcripſiſſe uſque ad an. 1513 Sed perperam. Nam Bembus epiſtola gemina an. 1506. de morte ejus agit.*

*f Pag. 38.*

Fuit eodem tempore Jocundus Veronenſis, qui bis mille amplius inſcriptiones veteres in unum corpus redegit. Politiano Miſcellan. cap. LXXVII dicitur, *vir unus titulorum, monumentorumque veterum ſupra mortales cæteros, non diligentiſſimus ſolum, ſed etiam ſine controverſia peritiſſimus.* Budæo in libb. de eſſe *antiquariorum diligentiſſimus.* Debemus ei editionem accuratiorem Cæſaris: uti & Vitruvii, & Frontini.

Petrus Martyr ab Angleria Mediolanenſis, Ferdinandi & Iſabellæ, Hiſpaniæ regum, à conſiliis, in poſteritatis notitiam pervenit libris XXX de navigatione Oceani, & terris ſuo tempore repertis. Hæc, ut ipſe libro II teſtatur, in literas referebat anno CIↃ IↃ II. Regiorum fuiſſe liberorum magiſtrum, prodidit Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ cap. IV. Idem addit, quædam in ejus decadibus culpari, quaſi minùs convenientia cum Eccleſia Romana. Magnopere vereor, ne confundat duos Petros Martyres; quorum prior Mediolanenſis, alter non paullò junior, Florentinus fuit. Sanè de priori nec ſuſpicionem ejuſmodi in elogio ejus injicit Paullus Jovius; qui id neutiquam prætermiſſet: ut qui nec tacendum putârit, qualis de jam ſene Fabro Stapulenſi, in religionis negotio, ſuſpicio fuerit concepta.

Aloyſius Cadamuſtus, patritius Venetus, vivebat anno CIↃ IↃ IV. Hic conſignavit navigationem ad terras Novas: quæ Latinè exſtat beneficio Archangeli Madrignani.

Hic etiam locum ſibi jure ſuo vindicat Americus Veſputius Florentinus: qui quatuor ſuas navigationes (poſtrema earum finem habuit anno CIↃ IↃ IV) literarum monumentis ad poſteros tranſmiſit. Opus hoc dicavit Renato, Siciliæ regi, Lotharingiæ duci.

Franciſcus Albertinus Florentinus claruit anno CIↃ IↃ, ac deinceps. Fuit unus è capellanis cardinalis Tit. S. Sabinæ. Reliquit opuſculum de mirabilibus novæ & veteris Romæ: in cujus præfatione refert, priùs ſe de ſtationibus, & reliquiis urbis, ad Imperatorem Maximilianum ſcripſiſſe: atque eâ ſe occaſione à cardinale Galeoto monitum eſſe, ut Mirabilia Romæ, quæ imperfecta, & fabulis referta forent, corrigeret: hunc laborem propterea Galeoto deſtinatum fuiſſe: ſed, illo defuncto, ſe Julio II Pontifici Maximi eum dedicare. Idem opuſculo huic ad eundem Julium adjecit tractatum brevem de laudibus civitatum Florentiæ, & Saonæ: quem Romæ ille quidem concinnabat anno CIↃ IↃ IX; attamen necdum vidi vetuſtiorem editionem eâ, quam Jacobus Mazochius Romæ procurabat anno CIↃ IↃ XV, quo annum jam tertium Leo X urbis erat epiſcopus. Atque idem opus celebrat Onuphrius Panuinus *a* inter eorum ſcripta, qui Romam deſcripſere. Dicitur *b* idem antiquorum epitaphiorum opuſculum divulgaſſe.

*a Præfatione commentariorum de Rep. Rom.*

*b Simlerus.*

Raphaël Volaterranus vir multæ erat, doctrinæ, & induſtriæ: ſed qui tamen non ſatis magnam Græcæ linguæ notitiam fuerit adeptus: quod multa adeò perperam ab eo verſa oſtendunt: ut omnino aberret Iovius, cùm ab eo Procopium de bello Perſico & Vandalico ſincerè potiùs, quàm ſplendidè, converſum ait. Præterea condidit Urbanorum commentariorum libros XXXVIII: quos Iulio II pontifici inſcripſit, atque urbanos vocat, quia in Urbe Roma conſcripſit. Ex mille amplius utriuſque linguæ auctoribus eos ſe congeſſiſſe, ipſe ait. Tribus verò tomis diſtinxit; quorum primus geographiam veterem continet: alter anthropologiam, ſive viros illuſtres: tertius philologiam, ſive artium rudimenta. Itaque in præfatione ad Iulium, opus hoc πανδοχεῖον appellat, quaſi quo omnia comprehendantur. Diſtinebatur in componenda anthropologia anno CIↃ IↃ V. Cæterùm parùm magnificè Iovius hoc de opere judicavit. Quippe ait, *quæ de principibus ætatis ſuæ ſcripſit, tanquam timido ore carptim enarrata, rerum ſuperiorum haud dubiè fidem elevare:*

*re: oſtendereque, ea omnino certâ veritatis luce carere, quæ inter adulationem, & metum, nec præſentis, nec futura ſpe laudis; intempeſtivè publicantur.* Imò nec primam, alteramque commentariorum illorum partem magno habuit loco. Siquidem dicit, *diſciplinas omnes in acervum conjeciſſe, utili potius in aliena deſidiâ, quàm ad explicata doctrina decus nobili opere. non multo enim cum ſale, & ſine ornamento Latinæ orationis, cuncta adſtricto ordine ita digeſſiſſe, ut alibi quærenda legentibus indicare videatur.* De eodem ita Floridus Sabinus apologia adverſus L. L. calumniatores. *Bona eruditorum pars ei deſert mediocrem eruditionem, cùm nihil, quam aliena, hinc inde in ſua immenſa volumina tranſtulerit: in Græcis vertendis vel pueriliter perſæpe lapſus.* Ex eo tamen pleraque ſua deſumſit Raviſius Textor. Nempe hujuſmodi ſcriptores magis rivos ſectantur, quàm fontes. Videtur autem idem eſſe Raphaël ille Regius, cujus commentarii exſtant in Fabium Quinctilianum. Sanè Ulyſſi Aldrovando Raphaël Regius Volaterranus dicitur lib. 1. de Quadrupedibus biſulcis *a*.

*a* P. 341.

Petrus Crinitus Florentinus; præter libros de honeſta diſciplina, etiam ſcripſit vitas poëtarum Latinorum: in quorum epilogo pollicetur ſimile opus de grammaticis, & poëtis: ac brevi illud in lucem ait proditurum. Etiam in hiſtoricis idem feciſſe, colligi inde poteſt, quòd in antiquis Salluſtii editt. vita ejuſce ſcriptoris deſumta eſſe dicitur ex Criniti de hiſtoricis opere. Sed opus iſtud hodie non exſtat. Fortaſſe eſt inter inedita, quæ Ferrariæ apud Eſtenſes principes aſſervari ait Geſnerus. Idem Geſnerus Tom. II bibliothecæ Tit. VII par. VI ait eum exarâſſe vitam F. Fulgentii. Quam nondum vidi. Politiano præceptore defuncto, nobiles adoleſcentes erudiebat: ſed ita ut familiariùs aliquanto cum iis verſaretur. Ea res, ut Jovius narrat, morti cauſſam præbuit. Nam poſt cœnam, dum jocosè rixatur, cantharo frigidæ à petulanti convivâ perfuſus, obriguit, doloreque contumeliæ in ἀκμῇ ætatis deceſſit. Obitum ejus deplorat Ugolinus Verinus quo præceptore uſus erat. Sic enim inquit ille lib. II Illuſtratæ Florentiæ:

*Diſcipulique mei Criniti carmina Petri*
*Æternum vivent.* Mox autem de eo ſubjicit:
*Ab nimium ante diem undecimâ trieteride raptum.*

Sed Lilius Gyraldus haut admodum præclarè de eo ſenſit. Hunc enim in modum loquitur lib. I de poëtis ſui ſeculi: *Reliquit & varii generis verſus Petrus Crinitus Florentinus, non illepidos quidem; ſed certè tales, quales ſunt, quæ ſoluta oratione reliquit. Multa is ubique polliceri videtur, quæ non adeò præſtat: omniſque Criniti oratio, non ut aures, ita animum implet. Prope enim dixerim, nugæ canoræ.* Eruditionem ejus amplecti ſe ait Eraſmus in Ciceroniano. Sed reconditam ei tribuiſſe, non arbitror. Nihil enim in eo non mediocre, multa etiam infra mediocritatem.

Pandulphus Collenutius, Piſaurenſis Juriſconſultus, & eques, Ferrarienſium ducis ad Maximilianum Imp. legatus, præterquam quòd Plinium adverſus Leonicum defendit; præter item libellum de vipera, qui Venetiis prodiit anno CIↃ IↃ VI; ac præter dialogum facetum capitis, & pilei; aliaque nonnulla; etiam Latinè conſtrinxit compendio hiſtoriam Neapolitanam. Idem libris VI hiſtoriam ejuſdem populi perſecutus eſt, ſed Italicè in gratiam Herculis Ateſtini, Ferrarienſium ducis: Latinè autem tranſtulit Joannes Nicolaus Stupanus Rhætus *b*. Præclarum hujus Pandulphi elogium habemus apud Politianum lib. VII, epiſtola ad ipſum Pandulphum miſſâ: item apud Lilium Gyraldum dial. II de poëtis ſui temporis. Meminit & Leander in Italia *c*, ubi virum appellat Latinis, & Græcis literis pereruditum: atque inter alia etiam ſcripſiſſe ait de inventione machinæ bellicæ, quam bombardam vocant. A Joanne Sfortia Piſaurienſium tyranno, ut Jovius ait, in carcerem eſt conjectus, atque ibidem ſtrangulatus, vir ejuſmodi morte indignus. Atque idem à Pierio Valeriano traditum eſt lib. II *d* de literatorum infelicitate. Ac puto non alium ſignari ab Ugolino Verino cùm lib. II Florentiæ illuſtratæ ait:

*b* Excudit Baſileæ Perna an. 1572.

*c* P. 443. edit. Col.

*d* Pag 79.

*Si non eloquii gravitate Coluccius omnes*
*Exſuperat: cujus, ſeu fulmina, dicta tyrannus*
*Bebriacus timuit. tantum terroris habebant.*

Franciſcus Delbenius Veronenſis J.C. ad modum Chronicorum reliquit opus de familiis Veronenſibus circa annum CIↃ IↃ VIII, ac ſupereſſe adhuc MSum, lego in indiculo mihi tranſmiſſo Venetiis ab illuſtriſſimo Dominico Molino.

Bartholomæus Blanchinus iiſdem temporibus vixit. Debemus huic vitam Philippi Beroaldi, qui Bononiæ deceſſit anno CIↃ IↃ X. Item vitam Codri Urcei, quæ & ipſa Bononiæ prodiit, ac poſtea Baſileæ.

Robertus Goullettus, Gallus, Theologus Pariſienſis, præter alia, de quibus Poſſevinus, compendio explicuit ſex mundi ætates; quas perduxit uſque ad annum CIↃ IↃ XIII.

Ludovicus Vartomannus, Bolonienſis, Patricius Romanus, Maximiliani temporibus navigavit in Æthiopiam, Ægyptum, Arabiam, Perſidem, Syriam, Indiam intra & extra Gangem: atque hanc peregrinationem ſuam ſex libris complexus eſt: quos Latinè tranſtulit Archangelus Madrignanus.

His etiam temporibus in Galliis ætatis curſum ſub Ludovico XII, & Franciſco I, agebat Paullus Æmilius Veronenſis, Pariſinus in æde Deiparæ Canonicus. Magnum is ſibi nomen paravit opere inclyto de rebus geſtis Francorum: cui annos XXX impendiſſe dicitur *a*. Ac libros quidem novem perfecit: decimum, morte præventus, reliquit imperfectum. Sed eum propinquus illius, Daniel Zavariſius Veronenſis, ex ſchedis diſperſis, multâque liturâ obductis, collegit, ac digeſſit ita, uti nunc legitur. Deſinit Æmilius in anno quincto Karoli VIII, qui Chriſti eſt CIↃ CCCC LXXXVIII. Laconicam ei brevitatem tribuit Paullus Jovius. In hiſtoria tamen belli ſacri, duce geſti Godefrido Bullionio, luculentiùs ſe diffundere, mediamque ait vitam inſiſtere. Sed quicquid de cæterorum Laconiſmo dicat Jovius, omnino ſcriptor eſt elegans, ac diſertus. Meliori quoque fide hiſtoriam ſcribere, quàm Gaguinus fecit, qui adfectus ſuos miſcuit, etiam Ludovici Vivis ſententia eſt. Eraſmi etiam de eo hujuſmodi eſt judicium in Ciceroniano ſuo: *Paulli Æmilii & reconditam eruditionem, & diligentiam, & vitæ ſanctitatem, & ſummam in hiſtoria fidem exoſculor. Tullianam dictionem nec affectavit, nec habet.* Sed præclarum imprimis elogium ejus vide apud Juſtum Lipſium, notis in lib. I Polit. cap. IX. ubi inter alia ita cenſet, ſi vel leviter, eaque pauca reſingantur, virum fore ſupra omnem noſtri ævi notitiam, & planè ad priſcam laudem. At Claudii Verderii *b* judicium non moramur, qui ut olim Herodotus Plutarchum, ita Æmilium ipſe maligni animi reum agit. Et quo argumento? nempe quia vulgata illa de oleo ad reges inungendos cœlitus demiſſo, deque liliis, præterire maluerit, quàm ut ſententiam de eo ſuam apponere inſimul cogeretur. Obiit CIↃ IↃ XXIX, III Non. Quinctil. Ac ſepultus Lutetiæ in æde B. Virginis, cujus Canonicum fuiſſe dicebamus.

*a* Reinerus Reineccius.

*b* In cenſione auctorum.

Joannes Leo Granatenſis, patriâ ab regibus Hiſpaniarum Ferdinando & Eliſabeth occupatâ, in Mauritaniam profugit: unde & Afer habitus. Itaque facetè narrat lib. I de Africa cap. ult. ut inſtar aviculæ amphibiæ, quæ, cùm inter aves tributum exigeretur ab avium rege, ſe reciperet in aquas: cùm poſceretur idem ab aquatico, ſe reciperet in aëra: ſic ubi male audiunt Afri, ſe Granatenſem profiteri; ubi Granatenſibus maledicitur, profiteri Afrum. Porrò in Africa Feſſæ operam Arabicæ linguæ dedit. Hinc partim ſpontè, partim principum nomine ſæpius legationis munere fungens, cùm bonam partem Europæ, & minorem Aſiam, tum omnem prope Africam luſtravit; ejus ſitum, intervalla, loci & incolarum naturam, obſervavit, & Arabicè conſcripſit. Cujus operis αὐτόγραφον fuiſſe intelligo apud V. Cl. Joannem Vincentium Pinellum. Tandem juxta inſulam Zerbi captus à piratis, Leoni X. donatus eſt; qui eum ob egregiam eruditionem honeſtè admodum habuit; & cùm, Mahumedicâ religione deſertâ, fieret

ret Chriſtianus, ei in baptiſmo à ſe nomen impoſuit Joannis Leonis: nempe quia idem ante papatum *Joannes Medices*, & poſtea *Leo* X vocatus fuit. Cùm verò Romæ linguam didiciſſet Italicam; deſcriptionem Africæ, quam Arabicè compoſuerat, Italicè vertit. Sed anno demum cIɔ Iɔxxvi, ut ipſe extremo opere ſcribit, *Hac*, inquit, *ſunt, quæ memoranda, & cognitione digna ego Joannes Leo in Africa tum vidi, tum obſervavi, quam penitus omni ex parte circumdedi: & quidquid in ea memoratu dignum obtigit, ut vidi, ita diligenter in ſcripta retuli, & quæ non vidi, à viris fide digniſſimis, qui ea conſpexerant, mihi ad plenum declaranda procuravi, ac deinde occaſionem nactus has meas vigilias in unum volumen redegi.* Subjicit deinde, *Romæ* M D XXVI. V *Idus Mart.* Eam autem deſcriptionem poſtea Latinè tranſtulit Joannes Florianus. Scriptorem ſibi non infidum videri ait Libertus Fromundus, Meteorologicorum lib. V. cap. III. Art. II. Mirum autem non meminiſſe ejus Jul. Cæſarem Scaligerum in opere ſubtilitatum adverſus Cardanum: ubi tam multa invenias ex hoc ſcriptore hauſta. Factum nollem. Grati enim animi eſt agnoſcere per quem profeceris. Alius ab hoc eſt Joannes Leo, in montibus natus Mutinenſibus, cognomento Poëtinus, quia poëticam præcipuè excoleret: de quo plura Lilius Gyraldus priori de ſui temporis poëtis dialogo.

Franciſcus Ferrarienſis, Ord. Prædic. Generalis magiſter quadrageſimus, claruit an. cIɔ Iɔ. Priùs docuit in Bononienſi gymnaſio. Præterea ea, quæ in Ariſtotelem, & B. Thomam, commentatus fuit; etiam deſcripſit vitam B. Oſannæ Mantuanæ ejuſdem Ordinis: quæ in ſex libros diſtincta eſt, ac Mediolani prodiit anno cIɔ Iɔ XIII. Luculentum hujus viri elogium habemus apud Leandrum Al-

a *Fol.* 141. b. bertum lib. IV *a* de viris illuſtribus Ord. Prædic. Obiit anno cIɔ Iɔ XXVIII.

Sylveſter de Prierio, ſive *Prieras*, Bononienſis, Ordinis fratrum Præd. claruit anno cIɔ Iɔ, ac deinceps. Vitam ejus paucis perſequitur Leander Albertus lib. IV de viris illuſt. ord. præd. atque inter alia docet, reliquiſſe libellum hiſtoriæ B. Virginis, & alterum hiſtoriæ B. Magdalenæ, item dialogum de eadem.

Etiam ſub Maximiliano imp. floruit Franciſcus Puteanus, ſive de Puteo, Lugdunenſis Gallus, J.C. primùm Gratianopolitani epiſcopi in ſpiritualibus vicarius, hinc Carthuſianus, ac denique hujus ordinis Generalis. Præterquam quòd auream nexuit Catenam in pſalmos Davidicos, etiam literis commiſit vitam S. Brunonis, Carthuſianorum patriarchæ: ſed eam fuſiùs poſtea proſecutus fuit Petrus Blomevenne, Carthuſiæ Colonienſ. Prior. Ex utroque autem unam concinnavit Laurentius Surius Tom. V. die VI Octobr.

Etiam Maximiliani temporibus, ac deinceps inprimis, longè lateque nominis ſui radios ſpargebat Nicolaus Leonicus Thomæus, vir Latinè Græceque eruditus; quodque abundè dialogi, aliaque ejus ſcripta, teſtantur, puri ſermonis amator, & bene peritus interiorum literarum, pariterque Platonicæ, & Peripateticæ gnarus philoſophiæ; quam florentiſſimè annos multos docuit Patavii. Inter alia quoque reliquit Variæ hiſtoriæ libros tres: quos, ut ipſe ait, *juvenis admodum multiplici cum Græcorum, tum Latinorum lectione confeceras, ſepoſueratque.* Cæterùm demum eos anno cIɔ Iɔ XXXI in lucem emiſit: nempe, (quemadmodum ibidem ait) *ut quando maturioris ætatis pleraque jam à ſe de omnimoda philoſophia exiiſſent opera, ex academicorum, peripateticorumque fontibus hauſta: hæc quoque juvenilia ſtudia ſuâ aliquando mercede non defraudarentur.* Pleraque è Pauſania deſumſiſſe obſervat Zuingerus in Theatri ſui proſceniis. Eraſmi tale de eo judicium in Ciceroniano ſuo: *Leonicus in adytis philoſophiæ, præſertim Platonicæ, ſemper religioſè verſatus, ad Platonis ac Ciceronis dialogos effingendos ſeſe compoſuit, & præſtat eloquentiæ tantum, quantum fas eſt hodie à tali philoſopho requirere. Ciceronianum appellari nec ipſe cupiat, ni fallor: adhuc enim ſupereſt vir non minùs integris moribus, quàm eruditione recondita.*

Circa annum cIɔ Iɔ. vivebat Matthæus Bandellus è Caſtro novo Ord. Prædicatorum. Hic cùm alia multa in lucem emiſit; tum Egeſippi hiſtoriam Italicè vertit; Plutarchi vitas in compendium redegit; vitam patrui ſui, Vincentii Bandelli, & aliorum aliquot illuſtrium virorum, in literas retulit: quemadmodum teſtatur Leander Albertus virorum illuſtr. ord. præd. lib. IV. ubi & eum à dictionis elegantia, & præclaris animi dotibus, egregiè commendat. Præcipuè tamen laudem meruiſſe ait oratione eâ, quâ anno cIɔ Iɔ XIII Senatui populoque Firmano gratias egit. Oratione iſtâ originem civitatis, atque ejus res geſtas narrat: idque fusè adeò, atque eleganter, ut Firmani ejus exemplum in archiva ſua quamprimum æternæ memoriæ ergò retulerint.

Vixit tum quoque Marcellus Palonius, qui carmine epico duos libros fecit de clade Ravennati à Gallis acceptâ anno partæ ſalutis cIɔ Iɔ XII. Prodiere ii Romæ anno ſequenti. De auctore, atque opere, ita ſcribit Hieronymus Rubeus Hiſtoriæ Ravennatis libro octavo: *Ejus etiam Marcellus Palonius meminit, patricius Romanus, qui & prælio interfuit, & per illos dies, unà cum Trojolo Sabello, apud quem militaverat, Ravennæ fuit, & elegantiſſimo carmine cladem hanc Ravennatem deſcripſit.*

Marcus Antonius Michaël, patricius Venetus, & generis, & non contemnendæ eruditionis ergò, anno cIɔ Iɔ XVI, ac deinceps, in honore fuit. Patrem habuit Victorem, urbis Bergomenſis præfectum. Anno cIɔ Iɔ XVI hiſtoriam agri, & urbis Bergomatis, ſtylo ſuo depinxit. Eam deſcriptionem ſuo ejuſdem argumenti libro ſubjunxit Franciſcus Bellafinus, auctore penè invito, qui ſupprimere illam decrêrat; ut ipſe Bellafinus in præfatione agnoſcit. Prodiit utrumque opuſculum Venetiis anno cIɔ Iɔ XXXII, annis circiter XV, ex quo ſuum jam Michaël papyro commiſerat.

Deſiderius Spretus Ravennas iiſdem temporibus innotuit: de quo ſic Albertus Leander in Italia ſua: *Genuit etiam urbs hæc* (Ravenna) *Deſiderium Spretum, æqualem noſtrorum temporum, non inſulſum ſcriptorem: uti ex libris ejus de amplitudine, deque vaſtatione, & inſtauratione urbis Ravennæ patet.*

Andreas Aſſaracus carmine elegiaco dialogi formâ comprehendit res geſtas à noviſſimis temporibus Franciſci Sfortiæ, uſque ad Franciſcum, Francorum regem, Mediolani ducem. Prodiit Mediolani an. cIɔ Iɔ XVI.

Jo. Baptiſta Egnatius, ſacerdos Venetus, & in patria bonarum literarum profeſſor, Cæſarum hiſtoriam ſignavit, à C. Cæſare, uſque ad Maximilianum I, quo imperante vixit. Scripſit quoque tractatum exiguum de origine Turcarum, qui impreſſus cum aliis Turcicarum rerum ſcriptoribus apud Ioannem Oporinum an. 1556. Pervenit ad magnam ſenectutem. Nam refert Geſnerus eum ſe Venetiis vidiſſe an. cIɔ Iɔ XLIII. Plura de illo ſi voles, adi omnino Sebaſtianum Corradum in præfatione præmiſſâ Quæſturæ ſuæ, ſive operi de vitâ Ciceronis, & aliis eò ſpectantibus.

Polydorus Virgilius Urbinas egit de rerum inventoribus libris VIII: quos primùm edidit an. cIɔ CCCC XCIX: ut præfatio Urbini ſcripta arguit. Ac anno cIɔ Iɔ XXVI Londini librum de prodigiis emiſit in lucem. Edidit poſtea quoque hiſtoriam Anglicanam lib. XXVI: quam Henrico VIII dedicavit anno cIɔ Iɔ XXXIII. Fidem ejus in dubium vocat Paullus Iovius. Objectat enim, quòd *Scotis, & Gallis, ſæpe reclamantibus, alieno potius arbitrio, quàm ſuo, intexuiſſe multa in gratiam gentis exiſtimetur: quodque in recenſendis minorum ducum nominibus, nunquam gloriæ avidis, nimium indulſerit.* Sed neque Anglorum doctioribus ſuam ſatis operam comprobavit. Verba adferam Viri Cl. Henrici Savilii præfat. in rerum Anglicarum ſcriptores ad Eliſabetham, Angliæ reginam: *Polydorus, ut homo Italus, & in rebus noſtris hoſpes, &, quod caput, neque in Rep. verſatus, nec magni alioqui, vel judicii, vel ingenii; pauca ex multis delibans, & falſa plerumque pro veris amplexus, hiſtoriam nobis reliquit, cùm cætera men-*

*mendoſam, tum exiliter ſanè, & jejunè conſcriptam.* Poſtea hiſtoriam Anglicanam ex Anglis potiùs ſcriptoribus petere jubet: imprimis Guilielmo Malmesburienſi: item Huntindonienſi, Houedeno, & aliis. Fuit Polydorus Romani Pontificis in Anglia quæſtor, & Wellenſis archidiaconus: ut ipſe lib. v hiſtoriæ ſuæ teſtatur. Corollarium ſequentium regum adjecit Polydoro Georgius Lilius. Plurimos Polydori hujus errores detegit Jo. Lelandus in declaratione antiquarum dictionum, quæ occurrerent in genethliaco illuſtriſſimi principis Eadverdi: ut de Armore,
a Pag. 1. a. b. & Armorica regione *a*, de Mona inſula *b*, &c.
b Pag. v. 3. b.

Ricardus Bartholinus Peruſinus reliquit Auſtriados libros XII. Id poëma decennio elaboravit. Agit autem de bello Norico, ſive ducum Bavariæ, & principum Palatinorum. Dicatum id Maximiliano Imp. Primus edidit Joachimus Vadianus Helvetius anno cIↄ Iↄ XV. Scholiis verò illuſtravit Jacobus Spigelius Seleſtadienſis. Recuſum eſt nuper cum aliis aliquot rerum Germanicarum ſcriptoribus curâ V. Cl. Juſti Reuberi. Judicium tale de eo eſt Jani Dou-
c Præfat. ſecunda annalium Batavicorum quos carmine ſcripſit. zæ *c*: *ut minus ſufficerit operi, cui ſe parem credidit, laudandus tamen vel hoc ipſo, quod officium ſuum in glorioſiſſimo principe decantando requiri paſſim non fuerit.*

Anno cIↄ Iↄ XVII, ac deinceps, non exiguæ eruditionis nomen reportavit Ambroſius Leo Nolanus, vir Latinè Græcèque doctiſſimus, philoſophus idem, ac medicus inſignis. Hic præterea, quæ a Simlero memorantur, reliquit libros tres de Nola non incurioſè perſcriptos: quorum ſæpius meminit Leander Albertus in deſcriptione Italiæ; imprimis quo loco agit de Nola.

Eodem tempore ad nominis honorem contendebat Sebaſtianus Flaminius Forocornelienſis, artium profeſſor. Edidit vitam B. Ambroſii Senenſis Ord. Præd. Quam habes inter vitas illuſtrium Dominicanorum à Leandro Alberto Bononiæ editas anno cIↄ Iↄ XVII.

Anno Chr. cIↄ Iↄ XVI non parvis paſſibus ad nominis claritatem graſſabatur Leander Albertus Bononienſis, Ord. Præd. auctor librorum VI de viris illuſtribus ſui ordinis. Quaſdam tamen vitas inſerit exaratas à Joanne Flaminio, Sebaſtiano Flaminio, Ioanne Garzone, Nicolao Bagnatorio, Franciſco Caſtilionenſi, Ioanne Caroli, & alio, qui literis iſtis *B. Mor.* deſignatur. Opus hoc Bononiæ prodiit cIↄ Iↄ XVII. Quod addo, ne quis exiſtimet, perperam eum à nobis referri ad tempora Maximiliani. Poſtea tamen longè plura edidit. Quæ ex Geſnero, & Poſſevino, peti malo. Sanè multis poſtmodo annis intentum fuiſſe cudendis ingenii ſui monumentis, arguit illud, quòd Italiæ deſcriptionem ſuam Henrico II, Galliarum regi, dicarit anno cIↄ Iↄ L: atque adeò ephemeridas etiam ab Lodovici, Galliæ regis: adventu producat uſque ad an. cIↄ Iↄ LII. Eſt hoc opus illud, quod Ephemerides Latinas appellat Leander in Italiâ ſuâ; quo loco decimam quartam Italiæ regionem Romanulam, ſeu, ut vulgus appellat, Romandiolam orationis ſuæ penicillo depingit. Nullo verò ſibi majus conciliavit nomen quàm Italia ſua opere magnæ induſtriæ: in quo nihil æquè dolet, quàm quòd paſſus ſit ſibi imponi ab Annio Viterbienſi, de quo alibi dicimus. Adeò multa ex ejus nugis inſercit commentariis, quæ ſi reſecarentur, melius ſe opus hoc haberet.

Antonius Maius Brixienſis, Veronæ anno cIↄ Iↄ I, hiſtoriolam parvi, ut ego quidem cenſeo, momenti conſcripſit de ſpiritibus, qui apparuerant in Garda, Veronenſis diœceſios villa. Ea, cum epiſtola quadam philologica ejuſdem auctoris, prodiit Brixiæ anno cIↄ Iↄ V.

Andreas Fulvius Præneſtinus, edidit illuſtrium virorum, & mulierum, imagines Romæ è numiſmatis à Jacobo Mazochio expreſſas anno cIↄ Iↄ XVII, temporibus nempe Leonis X: quibus acceſſio facta eſt ſub Clemente VII, atque iterum ſub Paullo III. Hoc de opere judicium Antonii Auguſtini vide dial. XI. Idem Fulvius etiam antiquitates urbis Romæ libris V complexus eſt: quod opus, cum aliis ejuſce libellis, itidem Romæ, ſed anno demum cIↄ Iↄ XLV, à M. Valerio Dorico excuſum fuit. Meminit quoque Onuphrius Panuinus præfat. in commentarios ſuos de Rep. Rom. *Patrum*, inquit, *memoriâ Andreas Fulvius multis libris carmine, & ſolutâ oratione, Urbem celebravit.*

Tum quoque Italiam, atque adeò orbem terrarum, implere nominis ſui famâ cœpit Auguſtinus Juſtinianus. Patriâ is Genuenſis erat, Ordinis Præd. ut eſt apud Leandrum in deſcriptione Italiæ; Nebienſis in Corſica epiſcopus; vir πολύγλωττος; quippe Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè, doctus; præclareque imprimis de Eccleſiâ meritus pſalterio octaplo: quod Leoni X. dicavit anno cIↄ Iↄ XVI. Idem Italicè ſcribere aggreſſus fuit hiſtoriam Genuenſium: ſed parùm ad eam rem idoneus, *præcipitata editionis* (ut Iovius ait) *male audiendo pœnas dedit.* Etiam inſulam Corſicam deſcripſit, inque tabulam redegit: ut ipſe in Genuenſi hiſtoria tradit. Eumque in Italiâ ſuâ exſcribit Leander, de Corſicâ tractans. Interfuit Romæ concilio Lateranenſi: quod anno celebrari cœpit cIↄ Iↄ XIV, ac deſiit anno cIↄ Iↄ XVII. Anno cIↄ Iↄ XXX Genuâ in Corſicam ſolvit, ad Eccleſiam ſuam profecturus: nec ex eo tempore unquam viſus eſt. Utrùm tempeſtate obrutus fuerit: an in prædonum manus venerit, non conſtat.

Tum etiam claruit Stephanus Niger, qui Philoſtrati heroica Latinè vertit, ac dialogum conſcripſit, quo complexus eſt, quicquid memorabile de Græciæ rebus Pauſanias prodidiſſet. Opus id anno cIↄ Iↄ XVII dedicavit Ioanni Grolierio; qui Franciſco I, Galliarum regi & Mediolanenſium duci, a ſecretis erat, & Inſubrium quæſtor primarius. De Stephano ita Pierius Valerianus lib. II de infelicitate eruditorum: *His tertium addemus, Stephanum Nigrum Cremonenſem, Græcarum literarum ſtudio nobilem; quas Mediolani per annos multos docuerat. Incidit is in eam temporum calamitatem, quâ nulla multis abhinc annis illi urbi ærumnoſior accidit. Eâ enim ab Hiſpanis oppreſſa, bono cuique viro illic eſſe miſerrimum fuit. Nam in ſumma gladiorum impunitate, omnia ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure, ſine fide, relicta erant direptionibus, & incendiis. Tam miſero igitur tempore, & ſalariis, & alia omni Minervali mercede defraudatus, ad extremam redactus eſt paupertatem. Eâ temporum perturbatione; cum turbulentis tot, tantiſque rebus urgeretur; neque ullâ ex parte allevationem ullam ſperaret; in lacrymis, & ſordibus infeliciſſimè defecit.*

Valerandus Varanius Gallus, anno cIↄ Iↄ XVI emiſit in lucem libros IV verſu heroico ſcriptos *de geſtis Joannæ virginis Francæ, egregiæ bellatricis.* Ita enim habet inſcriptio. Dicavit opus ſuum Georgio Ambaſiano, Rothomagenſi archiepiſcopo. Inter alia præfatione ad eum ſcribit. *Sanè & in hanc uſque diem ſuperſtites ſunt pluſculi; qui virginem viderunt inter viros agentem. Obiit enim Rothomagi* cIↄ CCCC XXXI, *cùm urbi & toti penè provinciæ præeſſent Angli. Elapſus ſubinde quatuor & viginti annis* Calixtus III, *Romanus Pontifex Rhemenſem Archiepiſcopum, Pariſienſem, & Conſtantienſem Epiſcopos deſtinat indices: qui priori lite (quâ puella auctoribus Anglis damnata eſt) diligenter recenſita, & fideliter ultro citroque diſcuſſa; tandem innocentem, & probam virginem fuiſſe definiunt. Si quempiam delectet pleniùs hiſtoriam noſſe: ex cœnobio S. Victoris librum repetat: quem aliquot dies mutuatus ſum: ubi abundè, & ex fori judiciarii ordine, omnia, quæ transſcripſi digeruntur.* Pro temporibus illis non ineleganter ſcripſit, magiſque laudem, quàm culpam meretur. Initium poëmatis apponam, guſtus ergo:

*Orditur auguſta titulos & geſta puellæ,*
*Quæ ſexus egreſſa modum longæva diremit*
*Prælia, & ambiguas lites: dum freta potenti*
*Robore, Brutiadas Gallis exegit ab oris.*
*Lex niſi conſtituat non ſuccenſere clientem*
*In dominas: veſtram ſacra Libethrides auſim*
*Accuſare moram. Semperne indicta manebit*
*Nympha, cothurnata cui debent carmina Muſæ?*
*Pierus, Eurotas, Helicon, Aſopus, & omnis*
*Aonia tractus, Phœbei numinis olim*

Do-

*Deliciæ ſtagnant Agarenis hoſpita portis,*
*Tandem iſtinc migrate Deæ. Jam Pallas Athenis*
*Ceſſit, & in Francâ regnat celeberrima gente*, &c.

Miſsum non meminiſſe hujus ſcriptoris Geſnerum, aut Simlerum. Prodiit tamen non ſemel: primùm Lutetiæ anno cIↄ Iↄ xvi, curâ Ioannis de Porta: qua editione uſus ſum beneficio doctiſſimi & amiciſſimi Arn. Buchellii I.C. iterum eâdem in urbe ex officina Stephani anno cIↄ Iↄ xxix.

Nicolaus Canuſſinus Cividalenſis res patrias uno eſt complexus volumine: quod *De patria reſtitutione* inſcripſit. Eſtque quaſi apologeticus adverſus Sabellicum. Scribebat Canuſſinus circa annum cIↄ Iↄ xvi. Supereſt MSus. Multaque ac imprimis fabulam de vidua Luitprandi regis, mutuatus ex eo eſt Ioannes Candidus Utinenſis I. C. in ſuis de Aquileja commentariis, quos perduxit, uſque ad annum cIↄ Iↄ xxi. Atque horum indicium debeo Utinenſium hiſtoricorum Syllabo, quem illuſtriſſimus Dominicus Molinus, ut non humanitate minus, quàm dignitate præcellit, Venetiis ad me tranſmiſit.

Io. Antonius Flaminius Forocornelienſis, parens ſummi viri, M. Antonii Flaminii, anno cIↄ Iↄ xvi ſignavit vitam Alberti Magni; eamque dicatum ivit Leandro Alberto Bononienſi. Item tum prodidit vitam B. Vincentii Valentini Ord. Præd. quam miſit Franciſco Bentivolo, Bononienſis Eccleſiæ canonico. Ad hæc in literas miſit vitam B. Iacobi Veneti Ord. Præd. quæ dicata Fr. Matthæo Bandello Ord. ejuſdem. Item vitam B. Mauritii Pannonii, quam nomini ſacravit Andreæ, Bentivoli Comitis. Inſuper vitam B. Venturini Bergomenſis, Dominicanus: quæ dicata Vincentio Vincentino, Theologo itidem Prædic. Ord. Ac denique B. Iacobi Alemani, Ord. Præd. quæ miſſa ad Thomam Coſpium Bonon. Ord. ejuſdem. Reperies autem has vitas in opere Leandri de illuſtribus ſui Ordinis viris. Qui & extremo libro v auctor eſt, illam Iacobi Alemani vitam expreſſiſſe ex æquali ſuo Ambroſio Soncinate, qui eam priùs Italicè deſcripſerat. Præterea, ut idem Leander lib. iv hujus operis teſtatur, compoſuit Flaminius hiſtoriam de Impp. Romanis. Ut nihil dicam de duobus Sylvarum libris, & tribus epigrammatum libellis, Bononiæ excuſis anno cIↄ Iↄ xv: item tragœdia, quæ *Priamus* dicitur, ac tribus libris de harmonica inſtructione, & epiſtolarum acervo. Omnium horum ibidem meminit Leander ac luculentas Flaminii laudes adjungit. Uti & in ſua Italiæ deſcriptione facit non uno in loco. Quo in opere, Lombardiam Tranſpadanam deſcribens, ait, eum & poſteris prodidiſſe vitam B. Joannis Boni, ex ordine Eremitarum: in quo ei præiverat *Franciſcum Sylvim, Ferrarienſis monachum, ac poſtea magiſter ſodalitatis Prædicatorum.* Idem Leander, quo loco nobis Romanulæ ſitum ob oculos ponit, Bononiæ eum ait diu ludum habuiſſe, atque inibi deceſſiſſe anno cIↄ Iↄ xxxvi: ac ſepultum eſſe in porticu B. Dominici: hujuſmodi autem inſcriptionem eſſe monumenti: *Joannis Antonii Forocornelienſis, viri de utraque lingua B. M. oſſa.*

Joannes Garzo, ſeu Garzonius, Bononienſis, memoratur Leandro in Romanulæ deſcriptione, atque alibi: imò, quo loco Latium nobis depingit, eum præceptorem ſuum appellat. Hic in literas retulit vitam S. Dominici: eamque dicavit Vincentio Bandello Theologo, ac poſtea generali magiſtro xxxvi. Item vitam B. Petri Veronenſis, martyris: quam dedicavit Fr. Jo. Torphanio Bonon. Ord. Prædic. Adhæc vitam B. Thomæ Aquinatis: quam miſit ad Leandrum Albertum Bononienſem. Habes in Leandri opere de illuſtribus viris Ord. Præd. Idem compoſuit libros duos de rebus Saxoniæ, Turingiæ, Libonotriæ, Miſniæ, & Luſatiæ, ad Fredericum Saxoniæ ducem. Opus hoc, cum præfatione Eraſmi Stellæ, Baſileæ à Frobenio excuſum fuit anno cIↄ Iↄ xviii *a*. Ejuſdem Bononienſem hiſtoriam in Italia ſua Leander laudat: ubi Romanulam deſcribit. Item agens de Bononia, refert illum inter urbis ejus illuſtres hiſtoricos, atque etiam ab elegantia eum ſtyli commendat. Sepultus eſt in Italiâ Bononiæ, in templo B. Dominici *b*; uti & Flaminius is, de quo proximè dictum.

a *Ubi & Baſil. apud Weſthemerum an.* 1541.
b *Leander in Romanula.*

Extremis etiam Maximiliani temporibus ac deinceps claruit Aymarus Rivallius Allobrox, ſeu Delphinenſis, Juriſconſultus eruditus & eloquens. Qui libris v condidit hiſtoriam Iuris civilis: atque iis librum ſingularem addidit de hiſtoria Iuris Pontificii. Hoſce libros in præfatione ait ſcriptos, dum Italiam peragraret. Ac libro v. indicat, ſe xxv annorum fuiſſe cùm eos ederet. Sic enim ſcribit: *Dum Jureconſulti iſtius* (Papiniani) *opera cogitabundus perſpicio, exemplo Cæſaris apud magni Alexandri imaginem ingemiſco, quaſi ingenii qualitatem pertæſus: quod in ætate qua jam Papinianum magnam, ut ejus vita brevitas docet, ſuorum librorum partem conſcripſiſſet, nihil in juris diſciplina memorabile egerim. Annum enim quintum & vigeſimum ago, & conſultores nullos adhuc admiſit, proh dolor: nec reſponſis humanam ſocietatem juvi.* Filius fuit Guigonis Rivalli Iuriſconſulti: ut ipſe indicat extremo lib. v, ubi & meminit librorum ſuorum de Orthographia, quos à ſe ſcriptos ait in adoleſcentia. Dicavit hiſtoriam ſuam Antonio de Praet, Galliæ Cancellario. Primum Lutetiæ *a*, poſt ſemel *b*, iterumque *c*, ac recognita, Moguntiæ prodiit.

a *Charactere Gallico, ſed non appoſito anno.*
b *Anno* 1533.
c *Anno* 1539.

Fuit tum quoque Iulianus Haſartus, Hannonius, Augienſis Carmelita, varia edidit, quædam etiam ad Baptiſtam Mantuanum Carmelitam. Hic autem memoratur propter Chronica Hannoniæ, Flandriæ, Zelandiæ, Hollandiæ, Friſiæ, Brabantiæ, Gelriæ, aliarumque partium inferioris Germaniæ. Deceſſit Augiæ anno cIↄ Iↄ xxv.

Ioannes Maria Catanæus Novariæ natus fuiſſe dicitur à Leandro in Lombardiæ Tranſpadanæ deſcriptione. Hic præter eruditos in Plinii epiſtolas, & panegyricum, commentarios (qui primùm Mediolani prodiere anno cIↄ Iↄ vi) etiam *verſu heroico Chriſtianorum expeditionem ad bellum ſacrum panxit:* ut ibidem Leander ait. De eodem Lilius Gyraldus dialogo priori de ſui temporis poëtis: *Nonnihil & Io. Mar. Catanæus in poëtica facultate promovit, id quod planè ejus Genua declarat, & ingens illa quidem, quam diu parturit, Gothofredi & Boemontis expeditio, quâ Chriſti ſepulcrum è barbarorum manibus aſſertum eſt.*

Zacharias Zachius, magni nominis ſtatuarius, ut arguunt opera ejus, tum Romæ, tum Bononiæ, non modò artis hujus intelligens, ſed etiam hiſtoriæ, & rerum antiquarum peritus admodum fuit, ac quæ in patria urbe, puta Volaterris, memorabilia forent, literis ſignavit: velut ſtatuas, numiſmata, aquas medicatas, & alia; quæ ex eo ſe haurire Albertus Leander in deſcriptione Italiæ fatetur. Atque addit, filium reliquiſſe Ioannem, & arti ſtatuariæ, & bonis literis deditum: eum Bononiæ ſtudiis vacâſſe, ſed Romæ deceſſiſſe paucos ante annos, quàm iſta à ſe ſcriberentur.

Benedictus Burdonius Patavinus (ut de eo Leander ait) *maximus geographus, & coſmographus, figuram Italiæ pictâ meliori formâ reſtituit, & inſuper libros inſularum apud paucos latitantes protulit in lucem. Obiit anno* cIↄ Iↄ xxxi. Sed hæc Italicè ſcripſit.

## CAP. XIII.

*Humfredus Gilbertus de navigatione in Catajam, atque itineraria ejuſdem. Roberti Balæi junioris annales ordinis Carmelitici. Roberti Fabiani Chronicon, & alia ejuſdem. Henrici Bradshavi Chronicon, & de vita Werburgæ liber. Galvini Duglaſſii aurea narrationes, item res Scotica. Thomas Morus de vita Richardi* III, *& Eduardi* V. *Joannis Majoris Scoti hiſtoria majoris Britanniæ. Hectoris Boëthii hiſtoria Scotica.*

MAximiliano moderante imperium Romanum, in Anglia regnavit, priùs quidem Henricus VII, uſque ad annum cIↄ Iↄ ix: exinde autem Henricus VIII.

Sub Henrico VII. ætatem egit Humfredus Gilbertus, Anglus, atque opus de navigatione ad terram Catajam; & itineraria multa conſcripſit. Eoque magis fidem meretur, quòd

quòd juſſu, & ſumptibus regis, quem diximus, in terras ignotas iter ſuum ſuſceperit.

Æqualis eidem erat Robertus Bale, ſeu Balæus Junior, Nordovolgus, ſeu Nordwicenſis monachus, Ordinis B. Mariæ Semper-virginis Prior. Hic præter hiſtoriam Eliæ prophetæ, & Officium B. Simonis Angli, etiam reliquit Ordinis ſui Carmelitici annales. Deceſſit Burnhamiæ anno cIↃ IↃ v.

Robertus Fabyan, Londinenſis, alter ex patriæ urbis conſulibus ſeu tribunis, magno labore ex variis Chronicon condidit; quod incipit à commentario illo Bruto, Britannorum, ut ajunt, rege: deſinit autem in Henrico II. Vocat ipſe *hiſtoriarum concordantias*. Præterea hiſtoriam prodidit, quæ orditur à Richardo I, à quo Londinum privilegiis multis ornatum auctumque fuit: ac terminatur in Henrico VII, qui anno cIↃ CCCC LXXXV regnum eſt adeptus. Denique & hujus Henrici VII tempora breviter conſtrinxit. Etiam edidit catalogum brevem regum Anglicorum. Item annales Londinenſium, & librum de ejuſdem Urbis prætoribus. Obiit Londini anno cIↃ IↃ XII, regnante Henrico VIII.

Henrico Bradshaus, Anglus, & ad D. Werburgam monachus Benedictinus, varia partim Latinè, partim metro Anglicano compoſuit. In his librum de antiquitate, & magnificentia urbis Ceſtriæ: item Chronicon, & vitam Werburgæ, virginis. Poſſevinus perperam vocat Henricum Brundshaw. Valde etiam fallitur, cùm anno cIↃ CCCC XLVI, vel circiter, ſcripſiſſe eam vitam arbitratur. Nam anno obiit cIↃ IↃ XIII, ut ex Balæo conſtat cent. XIV. Meminit & Arnoldus Wion in ligno Vitæ.

Nec prætereundus nobis Galvinus Douglaſſius, qui aliis eſt Gavinus Douglas, Scotus: qui ob familiæ ſplendorem, doctrinamque, in pretio fuit anno cIↃ IↃ X, rerum Scoticarum potiente Jacobo IV: ad quem & Scoticis metris quædam perſcripſit. Edidit præterea aureas narrationes, item de rebus Scoticis libros, atque alia, ut Balæus indicat. De hoc ita Polydorus Virgilius lib. III. hiſtor. Anglicæ, *Nuper Gavinus Douglas, Dunkeldenſis epiſcopus, homo Scotus, virque ſummâ nobilitate, & virtute, neſcio ob quam cauſſam in Angliam profectus, ubi audivit, dediſſe me jampridem ad hiſtoriam ſcribendam, nos convênit amicitiam fecimus. Poſtea multis precibus rogavit, ne hiſtoriam, recens à quodam ſuo Scoto divulgatam, ſequerer in rebus Scoticis explicandis: pollicitusque eſt, ſe intra paucos dies miſſurum commentariolum de his nequaquam negligendum. Id quod & fecit. Primùm, in eo erat origo ejus gentis pervetuſta hujuſmodi*, &c. Et aliquantò pòſt: *Verum non licuit diu uti fruı amico; qui eo ipſo anno, qui fuit Salutis humanæ* MDXXI, *Londini peſtilentiâ abſumptus eſt.* Qui annus erat nonus Jacobi V, Scotorum regis.

Thomas Morus, Anglus, circa annum cIↃ IↃ XIII, quo tempore erat vicecomes civitatis Londinenſis, conſignavit hiſtoriam Richardi III, Angliæ Regis; quæ in operibus ejus Lovanii editis reperitur. Sed uſuſe perſequitur, quibus ſceleribus ille ad regnum pervenerit: ita quomodo id geſſerit, non exponit. Nempe omnino opus eſt imperfectum: ac nec eâ parte, quam habemus ultimam manum accepit. Elegantiâ quidem Latini ſermonis ab aliis ejuſce viri operibus longè vincitur. Sed Anglicano ſermone ab eodem quàm elegantiſſimè exarata integrè in volumine, quod Anglica ejus opera continet, invenitur. Vitam præterea Eduardi V ſcripſit, teſte Balæo. Britannorum doctiſſimum vocat Scævola Sammarthanus in elogiis a Gallorum vitâ illuſtrium. Præclarè etiam de eo judicat Lilius Gyraldus dialogo priori de poëtis ſui temporis. Et profectò vir omnino eruditus fuit; quicquid in ſuo Antimoro dicat Germanus Brixius. Objectat quidem non pauca, quæ eum fugerint, pleraque ſanè minuta. Sed quis ea non condonet lubens viro omni penè vitâ publicis muneribus diſtento, & tandem per varios gradus ad cancellarii munus evecto? Unde ſic de eo Eraſmus in Ciceroniano ſuo: *Fateor ingenium feliciſſimè natum, & quod nihil non potuiſſet efficere, ſi totum his ſtudiis vacare licuiſſet. Cæterum ille puero vix tenuis odor literaturæ melioris demigrarat in Angliam, deinde parentum auctoritas ad leges ejus gentis diſcendas, quibus nihil illiteratius adegit, mox in cauſis agendis exercitatus, hinc ad Reipub. munia vocatus: vix ſucciſivis horis reſpicere potuit ad eloquentiæ ſtudia. Tandem in regiam pertractus & regni regiorumque negotiorum undis immerſus magis amare poteſt ſtudia quàm colere*, &c. Hic dum regis ſui Henrici VIII conſiliis adverſari non dubitat: in carcerem conjectus, & poſtquam in propoſito perſiſteret, ſecuri percuſſus fuit, anno cIↃ IↃ XXXV, regis ſui XXVII.

a In elogio Germani Brixii.

Extremis Maximiliani temporibus, regnante in Anglia Henrico VIII, in Scotia Jacobo V, claruit Joannes Major Hadingtonenſis, Scotus. Primùm Cantabrigiæ, poſt Pariſiis, ſtudiis operam navavit. Cumque Theologus Pariſienſis foret; in gymnaſio Montis acuti compoſuit, & regi Jacobo V dicavit, Hiſtoriam majoris Britanniæ; ac ſub eodem rege in patriam reverſus, ſenex deceſſit. Deſinit in Henrici VIII, Angliæ regis, connubio cum filia Ferdinandi, Arragonenſis regis; quæ priùs conjux fuerat fratris ejus Arturi. Edidit eum Pariſiis Aſcenſius. Pluſcula de illo Balæus centur. XIV. Meminit & Georgius Buchananus Hiſt. Scoticæ lib. VI, in vita regis Kennethi, ejus nominis tertii. Etiam hic Joannes Major Caxtoni, Chronographi Angli, hiſtoriam ex lingua Anglicana convertit Latinè: ut ipſe refert lib. IV. hiſtor. Scoticæ cap. XIII. Quod quo pacto præſtiterit, cognoſcere eſt ex iis, quæ de Caxtono ſuperiùs diximus.

Hector Boëthius, Deidonanus Scotus, doctor Aberdonenſis gymnaſii, an. cIↃ CCCC XCVII, eodem, quo Eraſmus, tempore, Lutetiæ Pariſiorum ſtudiis operam dedit, atque alter altero etiam familiariter uſus fuit: ut Eraſmus in Epiſtolis agnoſcit. Extremis autem Maximiliani temporibus ſcribebat hiſtoriam Scoticam lib. XVII: ſed demum imperante Karolo V edidit. Hoc opus poſtea continuavit Joannes Ferrerius Pedemontanus. Præterea Boëthius catalogum regum Scoticorum divulgavit. Adhæc regnum Scoticum deſcripſit. Etiam Aberdonenſium pontificum vitas tradidit. Vir fuit, ut de eo cenſet Buchananus extremo libro II rerum Scoticarum, *non ſolùm artium liberalium cognitione, ſuprà, quàm illa ferebant tempora, inſignis: ſed etiam humanitate, & comitate ſingulari præditus*. Paullus quoque Jovius de eodem, *Scotorum*, inquit, *hiſtoriam diligenter perſcripſit, paſſim veteris chronographiæ memor, & moderata libertatis nuſquam oblitus: ita ut magnopere miremur, extare de remotis ab orbe noſtro Hebridum, & Orcadum inſulis, mille ampliùs annorum memoriam; cùm in Italia altrice ingeniorum, tot ſeculis poſt ejectos Gothos, ſcriptores omnino defuerint.* Sed fabulas multas hiſtoriæ immiſcuit: eoque nomine exagitatus eſt epigrammatis aliquot aculeatis, quæ Lelandus refert. Aſperè etiam ſatis de eo, uti & de Polydoro Virgilio, judicavit Humfredus Lhuyd Cambro-Britannus in commentarioli Britannicæ deſcriptionis fragmento, quod Abrahamo Ortelio dicavit a. Nam, ut de Polydoro conqueritur, quòd *nominis Britannici gloriam non ſolùm obfuſcare; ſed etiam Britannos ipſos mendaciſſimis ſuis calumniis infamare, totis viribus conetur*: ita Hectorem Boëthium culpat, *quod, dum Scotos ſuos è tenebris eruit, quicquid unquam, aut Romani, aut Britanni, laude dignum in hac inſula geſſere, hoc totum illis attribuat, inſulſiſſimus ſcriptor.* Verum Humfredus, ut culpandi Boëthium ſanè habuit cauſſam, ita in eo non ſatis tenuit modum.

a Prodiit Colon. 1572.

# LIBRI TERTII
# PARS ALTERA;
Quæ eſt
# DE HISTORICIS
## INCERTÆ ÆTATIS.

HActenus in eo operam inſumſi, ut ſecundùm temporis ſeriem referrem ſcriptores rerum geſtarum; quorum ætas, vel nota vulgo, vel à doctiſſimis jam pridem hominibus obſervata, vel recens à nobis eruta eſſet. Inque his ipſis eam inſtiti viam, ut non contentus exponere majorum gentium hiſtoricos, comites iis dederim, quos putarem, quomodocumque in hiſtoricorum grege tueri nomen ſuum poſſe. Imò etiam aſſeclas hic videre eſt minutos aliquos, qui profectò longiùs etiam abeſſent ab hiſtoricæ rei principibus, quàm à diis conſentibus diſtare ii olim credebantur, quos patellarios dixere. Neque in eo peccâſſe mihi vel minimùm videor. Siquidem ita ſemper animus fuit meus, ut ubique veritas grata eſſet, & accepta: eoque, ut eos imprimis æſtimo, qui & multa, & eleganter, de rebus antiquis prodiderunt; ita nec eos aſpernari ſoleo, qui minora, ut potuere, modò ſciri ea ullo modo intereſſet, in literas retuliſſent. Quod conſilium meum optimo me cuique probaturum penitùs confido. Quare iſtis, ut in tantis occupationibus licuit, enarratis, ad cætera nunc tranſeo. Jamdudum enim oculos in me conjectare, ſimilemque à me depoſcere operam videntur hiſtoricorum alii; quorum ætas, vel in obſcuro adhuc latet; vel non ſatis, à me quidem, ſit animadverſa. Quod tamen non ita accipi velim, quaſi de nullis eorum, quos afferre eſt animus, conſtare poſſit, quo ſeculo vixerint. Perpauci enim ſunt, quorum ætas tantis ſit tenebris involuta, ut ſeculum ipſum neſciatur. Sed eò ſeorſum hos exponere viſum eſt, quia non exactè poſſem definire, quorum ætate & ipſi ætatem egiſſent. Nec aliò enim me ſpectâſſe, res ipſa, non loquitur, ſed clamat. Nam quomodo magnopere falli aliquis in tempore ejus poſſit, quem, ut Romanæ gentis ſcriptorem, Varro ipſe advocârit? Aut qui toto ſeculo aberret quiſpiam in illo, à quo Tranquillus alicujus ex Auguſtis vitam fuiſſe ſignatam, teſtis ſit? Aut quo pacto ullus magnopere decipiatur in eo, qui laudetur à Spartiano, Vopiſco, vel alio, qui Diocletiani ætate vixerit; modò eum ſciat literarum monumentis vitam Imperatoris prodidiſſe, qui non toto ſeculo præceſſerit? Quod cùm de illis dico; idem de poſterioris ævi ſcriptoribus; ſeu virorum principum, ſeu doctrinâ, aut ſanctimoniâ præcellentium, facta ſignarint; intelligi volo. Neque enim antiquior eo fuerit quiſquam, cujus vitam narrat: neque junior illo, qui ex fonte ejus aliqua ſe in agellos ſuos derivâſſe agnoſcit. Sed enim non deſunt, de quibus aſſeri ne illud quidem poſſit, hocne, an altero, vel tertio pòſt ſeculo, vixerint. Equidem non illud penitùs inficias iero. Attamen, ſiqui ſunt iſtiuſmodi, ſaltem, ut cum poëta ſic dicam,

*Occurrunt rari nantes in gurgite vaſto.*

Ac ne tales quidem prætèrire omnino viſum fuit; partim quia nihilominus in nonnullis eorum fides clarè elucet; partim quia in iis etiam, quorum nobis ſuſpecta eſt fides, non neſciremus, aliud aliis videri, quibus nihil præſcribere voluimus operâ hâc noſtrâ. Sed de iſto ſatis verborum fecimus. Tandem, atque id juxta literarum ſeriem, in medium prodeant, quorum de ætate nihil nos certi habere agnoſcimus.

### A.

Ablavius a Gothorum hiſtoriam compoſuit. Jornandes de rebus Geticis cap. IV: *Ablavius, deſcriptor Gothorum gentis egregius, veriſſima adteſtatur hiſtoria.* Et cap. XIV: *Ablavius enim hiſtoricus refert, quia ibi ſuper limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere; pars eorum, qui Orientalem plagam tenebant, eiſque præerat Oſtrogotha (incertum, utrùm ab ipſius nomine, an à loco orientali) dicti ſunt Oſtrogothæ.* Item cap. XXIII. *Nam prædicta gens, (Ablavio hiſtorico referente) juxta Mæotica paludes habitans in locis ſtagnantibus, quas Græci ἕλη vocant, Heruli nominati ſunt.* Video Ablabium Gothum etiam laudari ab Antonio Sebellico lib. III. de vetuſtate Aquilejæ. Ubi quædam ex eo refert quæ apud Jornandem leguntur libro de rebus Geticis. Credo quia veriſimile eſt hauſiſſe illum ex Ablabio. Video & à Pantaleone recenſeri inter auctores, quibus uſus ſit in ſcribendâ priori parte operis de illuſt. Germaniæ viris. Puto tamen, alienâ fide citare. Meminit & Raphaël Volaterranus lib. XIII. Anthropol. ubi Ravennæ ait educatum. Sed quem ſequatur auctorem, non addit.

a *Aliis, Ablabius.*

M. Actorius Naſo memoratur Suetonio lib. I. cap. IX: *Idem Curio, ſed & M. Actorius Naſo, auctores ſunt, conſpirâſſe eum etiam cum Cn. Piſone adoleſcente: cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provincia Hiſpania ultra extra ordinem data ſit: pactumque, ut ſimul foris ille, ipſe Romæ, ad res novas conſurgerent, per Lambranos, & Tranſpadanos: deſtitutum utriuſque conſilium morte Piſonis.* Idem intelligendus cap. LII ejuſdem libri: *Dilexit & reginas, inter quas Eunoën Mauram, Bogudis uxorem: maritoque ejus plurima, & immenſa, tribuit; ut Naſo ſcripſit.* Suſpicor Julii Cæſaris temporibus vixiſſe, vel ſummum Auguſti ac Tiberii. Nec abnuo, quo minùs apud Junium Phylargyrium, notis in Virgil. Eclog. III, ubi exponitur ænigma de cœlo tres ulnas patenti, ac vulgò legitur, *Oledius Naſo*, reponatur, *Actorius Naſo:* quemadmodum & ibidem pro, *cælum Mantuanum*, planè puto legendum, *Cælium Mantuanum:* eaque emendatio ſatis firmatur illis, quæ Servius ad eundem poëtæ locum annotavit.

Ægidius Leodicenſis in ducatu Leodicenſi vallis aureæ, Ciſtercienſis ordinis monachus fuit. Hiſtoriam reliquit Epiſcoporum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodicenſium, à S. Materno primo Tungrenſium epiſcopo, uſque ad annum CIↃCCLI. Ex hac lucem vidit vita & martyrium S. Alberti, Cardinalis, & epiſcopi Leodicenſis, editore Auberto Miræo.

Æmilius Parthenianus, (pro quo *Paternianus* perperàm eſt apud Simlerum, & Populierium) de iis, qui tyran-

tanidem affectaſſent, hiſtoriam reliquit. Auctor Vulcatius Gallicanus in vitâ Avidii Caſſii: *De hoc multa gravia contra militum licentiam facta inveniuntur apud Æmilium Parthenianum, qui affectatores tyrannidis jam inde à veteribus hiſtoria tradidit.* Cùm autem inter alios egerit de Avidio Caſſio, qui Antonini philoſophi temporibus fuit; hoc eſſe antiquior non poteſt: cumque à Vulcatio Gallicano, qui Diocletiani tempore claruit, teſtis laudetur; eo haut juniorem eſſe conſequitur. Sed cùm inter Antoninum hunc, & Diocletianum, ſeculum interſit; ſub quo Cæſare floruerit, haut facilè dixerim.

Æmilius Sura ſcripſit de annis populi Romani: ut legere eſt apud Vellejum Paterculum lib. I. cap. VI: ubi nobile hoc fragmentum eo ex opere laudatur: *Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti ſunt. deinde Medi, poſtea Perſæ, deinde Macedones. exinde duobus regibus, Philippo, & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haut multò poſt Carthaginem ſubactam, devictis, ſumma imperii ad populum Romanum pervênit.* Quanquam viris doctis magis placet, eſſe hæc verba ex gloſſemate. Nec enim ſolere ajunt Vellejum in epitome ſuâ adducere aliorum verba. Quaſi non ſemel facere poſſis, quod ſæpius nolis. Aut quaſi ſtatuere queas, quid alibi quiſpiam in hiſtoria fecerit, cujus melior pars deperiit. Nec verum eſt, quod ajunt, verba illa nihil facere ad præſens inſtitutum. Nam eò adducuntur, ut cognoſcatur Aſſyrii populi vetuſtas, de quo dictum erat. Eoque & retinere hæc verba jubet Joſephus Scaliger lib. III. Canonum Iſagogicorum. Nec ſolùm non ſurcillare hunc locum; ſed neque mutare nomen auſim autoris, præter omnium codicum fidem: etſi ſciam, ſuſpicari aliquos, legendum, non *Æmilius Sura*; ſed *Manlius*, aut *Manilius Sura*; qui à Plinio in indice laudatur inter eos, è quibus profecit lib. VIII, X, XVII, XVIII, & XIX.

Æthicus Iſter, ſive is potiùs eſt Julius orator, Caſſiodoro etiam memoratus, cui in vetuſtis codd. tribuitur, coſmographiâ ſuâ nunc qualecumque nomen habet. In eâ ſe gemina orbis deſcriptio offert. Sed poſterior, quæ aliquammulus & ipſa paginis conſtat, eadem eſt, ac illa Oroſii lib. I. cap. II. ſive Æthico ea ſit aſſuta ab aliquo: ſive Æthicus ab Oroſio mutuatus ſit: ſive Oroſius ex Æthico deſcripſerit. Scriptor eſt junior Conſtantino: nam meminit Conſtantinopolis. At antiquior eſt Frodoardo, qui Æthicum hunc laudat lib. I. Hiſtoriæ Rhemenſis Eccleſiæ cap. I. Vixit autem Flodoardus anno IↃCCCCLX. Caſpar Barthius lib. XLV. Adverſariorum cap. XIII, conjectat, æqualem fuiſſe Symmachi, & Rutilii Numatiani; qui Theodoſiano ævo vixere. Unde autem hanc capiat conjecturam, ibidem legere potes. Sed quid Flodoardum dico, cum memoretur Rhabano Mauro, qui ſeculo toto Flodoardum anteceſſit. Locus eſt in libello de inventione linguarum. *Litera enim Æthici philoſophi, coſmographi natione Scytica, nobili proſapia invenimus, quos venerabilis Hieronymus presbyter ad nos uſque cum ſuis dictis explanando, perduxit.* Quæ ſi vera, Rhabanus antiquior ſit B. Hieronymo: ut non Oroſium Æthicus, ſed Æthicum Oroſius exſcripſiſſe ſit dicendus. Ut cum illud eſt, ſaltem non Rhabanum modo, ſed Iſidorum etiam præceſſerit: qui claruit anno ſexcenteſimo, trigeſimo. Quippe ejus meminit lib. XIV. Originum cap. V, & lib. XIX. cap. X. Utrobique enim pro *Hiſtoria*, *Hiſter* ſcribendum, ut res clamat, & obſervatum doctiſſimo Martino Opitio in notis ad Antonini rhytmos Teutonicos de S. Annone a, Colonienſi Archiepiſcopo. Quod ſi Græcè ſcripſit Hieronymus vertit; ut ait Rabanus Maurus: diſpiciendum ecquis ſit ex tribus illis Iſtris; de quibus loquimur in Hiſtoricorum Græcor. Hiſtoria. Proſa ſcripſiſſe certum eſt: ut neſciam, quid in mentem venerit Antonio Poſſevino, quando lib. XVII. Æthicum hunc, ob libellum de Coſmographia inter poëtas refert lib. XVII. *Selectæ Bibliotheca.* Mirum verò hanc Coſmographiam eſſe tributam Julio Cæſari. Sanè Albertus Magnus id facit, eumque ſecutus Valerius Faventinus, Academicus Venetus libro de montium origine a; ubi ſic ſcribit, *Hic mons, ut refert Albertus, eſt Atlas, quoniam eſt in meridie: ſicut in Coſmographia Julii Cæſaris habetur.* Multa in Æthico hoc legas admodum inepta: ut cùm Rhenum cenſet alicubi Bicornium proprio nomine dici, alibi autem Ararim; aliaque id genus æque ridicula. Quædam tamen librariorum potiùs culpæ adſcribenda videntur. Admodum enim corruptè editus eſt. Sed eum ex antiquiſſimis ſchedis (credo Codicibus biblioth. Thuaneæ, & P. Danielis) auctiorem, & emendatiorem, quàm hactenus prodiit, pollicetur ingens illud literarum columen, Claudius Salmaſius, in ſuis ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores commentariis: quos verè dixeris κέρας Ἀμαλθείας.

a Pag 28. & 29. editionis Damiſc.

a Venetiis excuſus an. 1561. fol. 15. a

Albertus monachus de vitis Pontificum egit: atque à Cuſpiniano inter eos recenſetur, è quibus imperatores Romanos deſcribens profecit. Meminere etiam Geſnerus, & Poſſevinus. Vide autem, aliuſne ſit ab Alberto monacho, & abbate Stadienſi, ac poſtea monacho ordinis minorum: qui Chronicon ſcripſit ab initio orbis ad ſua uſque tempora; uti dictum lib. II. cap. LIX.

Albertus Bibius Patavinus opus multiplicis hiſtoriæ condidit, ac imprimis de noviſſima origine Marchiæ Tarviſinæ, cui olim nomen Venetia fuit. Meminit Scardeonius in ſecundo rerum Patavinarum: ſed addit, nondum ſe in ſcripta ejus incidiſſe; nec ſatis, an adhuc exſtent, ſcire.

Albertus à Bonſtetten, ut Simlerus in Geſneri appendice teſtatur, reliquit vitam Nicolai Tollentini, ordinis Eremitici, qui complures annos cibi expers vixiſſe creditur, atque anno obiit CIↃCCCVI, IV Idus Sept. inque ſanctorum numerum relatus eſt anno CIↃCCCCXLVI. Hujus Nicolai vita reperitur apud Surium a. d. X Sept. Sed nomen auctoris non exponitur: eoque, num ea ſit Alberti à Bonſtetten, an alterius, non facilè dixerim.

Albertus S. Remigii, monachus in diœceſi Rhemenſi, inter nobiles Galliarum hiſtoriographos refertur ab auctore inedito Hierarchiæ ſubcœleſtis lib. IV. cap. IX. Niſi locus eſt corruptus, legendumque, *Rupertus S. Remigii*: qui deſcripſit bella geſta in terra ſancta, ac temporibus Henrici V claruit anno CIↃIↃXX. Ea conjectura noſtra ſi diſplicet, ut ait ille, *cicum non interduim.*

Alphius Avitus (alius ab Avito, poëta Chriſtiano) circa Severi tempora, vel aliquanto pòſt, vixiſſe videtur. Scripſit carmine vitas virorum excellentium. Meminit Terentianus Maurus, æqualis ejus, ut hæc verba oſtendunt:

*Ut pridem Avitus Alphius*
*Libros poeta pluſculos,*
*Uſus dimetro perpeti,*
*Conſcripſit Excellentium.*

Inter alia retulit, ut *Furius Camillus, vir ſanctus, & ſapiens, Faliſcis, cùm obſiderentur, ludi-magiſtrum, urbis proditorem, cum his, quos adduxerat, pueris, vinctum ultro remiſerit*: ut verba retineam Flori b. Aviti ea de re ſunt iſta:

b Lib. I. cap. 12.

*Tum literator creditus*
*Ludo Phaliſcûm, liberos*
*Cauſſatus in campi patens,*
*Extraque muri ducere;*
*Spaciando paullatim trahit*
*Hoſtilis ad valli latus.*

Alios quoque ejuſdem verſus, tum idem adducit, tum Priſcianus rei Grammaticæ lib. VIII, XII, & XVIII. Propterea conſignavit hiſtoriam belli Karthaginenſis. Uti indicat Feſtus in *Mamertini*. Partem verborum adducere contentus ero: *Meſſanenſibus auxilio venerunt ultro, eoſque ab eo liberarunt provinciales: quod ob meritum eorum, ut gratiam referrent, & in ſuum corpus, communionemque agrorum, invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini, quod, conjectis in ſortem duodecim deorum nominibus, Mamers fortè exierat, qui linguâ Oſcorum Mars ſignificatur. Cujus hiſtoria auctor eſt Alſius libro primo belli Carthaginenſis.*

Ambroſius Mediolanenſis fecit prolixum admodum Chronicon Ordin. Prædicat. idque *maximis vigiliis laboribuſ-*

*ribuſque*: ut de eo ait Leander Albertus lib. IV. de viris illuſtribus Ordin. Prædicator. Qui ex ejus ſcriptoris fontibus ſe agellos ſuos irrigâſſe, ibidem fatetur. Atque etiam Baptiſta Fulgoſus inter eos reponit, quos in Collectaneis ſuis ſequitur auctores.

Andreas Hornus, Anglus, Claudioceſtrenſis, civitatis Claudioceſtriæ chronicon reliquit: quemadmodum Guilielmus Botonerus tradidit in Anglicarum antiquitatum opere: & ex eo Balæus, atque ex utroque Pitſeus. Sed de ætate ſcriptoris necdum conſtat.

Andreas Marchianenſis, monachus Flander Ordin. Benedict. atque ut Sanderus ait, Prior, poſteros ſtuduit demereri libris tribus de origine & geſtis Francorum: qui MSi Tornaci exſtare dicuntur apud S. Martinum. Etiam in Marchianenſi, atque Hemnacenſi, juxta Duacum monaſteriis ſupereſſe MSum ex Valerio prodit idem Sanderus. Sæpius eos laudat Mejerus in Annalibus Flandriæ. Dicavit opus ſuum Petro, Atrebatenſi epiſcopo. Atque hinc, niſi plures ejus nominis fuiſſent, non difficile eſſet ſtatuere de ætate auctoris, etiam opere necdum viſo.

a *Domnochari eſt Aubertus.* Angradus monachus ſcripſit vitam S. Aſberti *a*, Epiſcopi Rhotomagenſis, qui anno vixit ⅠↃCLXXXV, ut ea in vita legitur. Dedicavit illam Hilberto, abbati Fontanellenſi: unde alius fortaſſe de ætate certi aliquid diſpiciet. Habes apud Surium Tom. I, a. d. IX Febr.

Annius Fœcialis inter annalium ſcriptores refertur à Ludovico Dorleans initio notarum in Taciti Annales. Sanè cum Piſone Annalium ſcriptore, eum conjungit Plinius lib. XXXIV. cap. VI. ubi quiddam ex eo refert de ſtatua Clæliæ.

Antonini Auguſti itinerarium hodie exſtat. Dubium, utrùm Antonini Pii, an philoſophi, vel alius; quando & aliquot, qui conſecuti imperatores: boni ominis cauſſâ, Antonini nomen adſumſere. Sanè Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus referebat ad Antoninum, Severi Cæſar. filium, propterea, quæ de Britanniæ locis hoc in opere leguntur. In pleriſque libris eſt *Antoni*. Nempe *Antonius*, & *Antoninus*, uti Conſtantius, & Conſtantinus non rarò confunduntur. Sed longe aliter alii. Sanè in ſyllabo ſcriptorum qui ſubjicitur Cæſari Orlando de urbe Senenſi legas auctore libelli, qui itinerarium Antonini inſcribitur, vixiſſe anno Chriſti CCCXXXVII. Ioſias Simlerus præfatione, quam Æthici itinerario præfixit, arbitratur, Æthici, & Anton. Auguſti itinerarium, unius eſſe hominis opus. Nempe eò, quòd ex Æthico citet Frodoardus, quæ in Antonino leguntur. Eadem mens eſt ejus, qui ſuppreſſo nomine diſſertationem edidit de regionibus ſuburbicanis, *b*, cap. IV. Sed impoſuit fortaſſe Flodoardo, quòd Æthicus & Antoninus ſoleant conjungi. Quamquam nec video cur abſurdè opinemur, operis ejus auctorem eſſe Antoninum Æthicum, vel Æthicum Antoninum: aut cur dicere non liceat, alterum alterius opus opere ſuo eſſe complexum? ut nempe pars Æthici ſit Antoninus: uti opinio eſt Barthii lib. XLV. cap. VIII. Vide &, quæ ſuperius de Æthico diximus. Itinerarium Antonini MSum exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

b *Pag.* 24.

Antonius Iulianus Iudaicam videtur hiſtoriam conſignâſſe. Minutius Felix in Octavio: *Scripta Judæorum relege, vel, ſi Romanis magis gaudes, ut tranſeamus veteres, Flavii Joſephi, vel Antonii Juliani, de Judæis require. Jam ſcies, nequitiâ ſuâ hanc eos meruiſſe fortunam: nec quicquam accidiſſe, quod non ſit his, ſi in contumacia perſeverarent, antè prædictum.*

Antonius Pacinus, Anglus, vitam Matii conſcripſit: quæ manuſcripta Oxonii ſupereſt in Collegio S. Mariæ Magdalenæ.

Archangelus Neapolitanus, monachus S. Trinitatis Cavæ, ſive, ut alio nomine dicitur, S. Iuſtinæ de Padua, componere aggreſſus fuit hiſtoriam monaſterii Cavenſis: ſed abſolvere non potuit. Liber is MSus in Cavenſi monaſterio adſervatur.

Arlotus de Raynone Vicentinus vir genere, virtute, doctrinaque præſtans, ſcripto conſignavit, quæ Vicentini adverſus Patavinos fortiter egiſſent. Illuſtris de eo locutus eſt, apud Joannem Baptiſtam Pajarinum in ipſo Vicentinæ hiſtoriæ ingreſſu. Verba ejus mihi ſuppeditavit V. Cl. Felix Oſius, Oratoriæ in Patavino Gymnaſio interpres diſertiſſimus. Atque eo juſtius apponi hic merentur, quia & alios hiſtoricos commemorat, quorum opera in ſcribenda hiſtoria uſus ſit. Verba quidem Pajarini ſunt iſta: *Secutus enim ſum in hoc opuſculo brevi Magiſtrum Coperium, antiquiſſimum rerum Vicentinarum ſcriptorem, Ferretum Vicentinum, Benevenutum Campeſanum: Policum de Cuſtoza, Magiſtrum Leoninum de Porta S. Petri, & Antonium de Godis, omnes hujus civitatis* (Vicentiæ) *antiquitatum ſcriptores. Antonius enim de Godis anno* II, *uſque ad* MCCCXIII, *Vicentinorum antiquitates ſcripſit: & Arlotum de Raynone, virum, & nobilitate ſanguinis, opibus, ingenio, & quadam dicendi innatâ eloquentiâ clarum. Qui cum Vicentini populi res contra Patavos fortiter, ſtrenueque geſtas ſoluta oratione, & eleganti ſtylo ſcripſiſſet; fidem conſtantiamque populi Vicentini erga Cæſarem, & ſuorum civium virtutem mirum in modum laudâſſet; odio, & rancore Gibellinæ partis ab iiſdem ex S.C. in exilium miſſus eſt, & magna ejus hiſtoriæ pars combuſta, capitaliſque pœna, & legentibus, & ſcribentibus impoſita eſt. Erat enim de præſtantioribus noſtræ urbis familiis ortus. Patavi verò Guelfam, Vicentini Gibellinam fovebant partem. Is ſuper & Patavorum, & Veronenſium, & Marii, & Felicis, noſtrorum civium, qui libertatem noſtræ urbis diſturbarunt, Chronicas vidi, & multa memoratu digna ab eis excerpſi.* Hæc Pajarinus: qui poſtremo, ut vidimus, loco etiam Marium & Felicem Vicetinos commemorat, atque utrumque eorum Chronicon Vicetinum ſcripſiſſe teſtatur. Sed utrum Latina id, an patria præſtiterint lingua, dicere non habeo.

Arlunus Bernardinus, qui aliis *Bernardinus Arlunus*, reliquit hiſtoriarum ſectiones tres, ab origine urbis Mediolanenſis, ad ſua uſque tempora. Hoc opus habuit, cumque præfatione Antonii Majoragii ſe editurum promiſerat Oporinus. Sed necdum prodiiſſe arbitror. Meminit Geſnerus in biblioth. & ex eo, cùm Rob. Conſtantinus in ſuo ſcriptorum Nomenclatore, tum Zuingerus in Theatro ſuo.

Auguſtinus Eucadius ſtylo ſuo depinxit vitam octo Imperatorum: item Danubium fluvium. Manuſcriptus extat in bibliotheca Cæſarea.

Aurelius Verus reliquit vitam Alexandri Severi: ut poſt eum vixiſſe liqueat. Memoratur autem Lampridio, qui Diocletiani ætate claruit, ut eo junior eſſe haut poſſit. Verba Lampridii ſunt iſta in vitâ Alexandri Severi: *Neque*, inquit, *in vitâ ejus id expoſuit Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens, qui omnem ejus vitam in literas miſerunt.*

## B.

Barnabas Celſanus Vicetinus librum condidit de viris illuſtribus Vicetinis. Laudant eum Joannes Baptiſta Pajarinus in Georgio Corbetta: ut ex Felice Oſio accepi.

Bartholomæus Neocaſtrenſis Siculus poëma condidit verſibus hexametris, quod libris conſtat XV. Id *Meſſana* inſcribitur. De hoc ſic Hieronymus Surita ad Antonium Auguſtinum *a*: *Propiùs nihil, quàm ut his Normannicarum rerum ſcriptoribus, Bartholomæi Neocaſtrenſis Siculi, vetuſti ſcriptoris, poëticum opus, cui Meſſanæ nomen indidit, & XV libris hexametris verſibus compoſuit, adnecterem: tametſi non aliquo ſagacis, aut bonæ mentis inſtinctu, aut artificioſâ conſtructione; ſed enormi, & pingui contextu, de rebus à Petro, Aragoniæ rege, in Sicilia, adverſus Carolum, ejus nominis primum Siciliæ regem, opus id fuerit conſtitutum. Adeò mihi prorſus perſuaſum eſt, verborum jacturam tolerabilem eſſe, cognitionis verò rerum, cauſſarum, & eventorum, inæſtimabilem.* Suſpicor, vixiſſe temporibus Rudolphi imperatoris, circa annum ⅭⅠↃCCLXXVII. nempe ut æqualis fuerit Petri Magni, tertii ejus nominis Aragoniæ regis, & Caroli

a *Præfat. in Gaufredum monachum Tom.* 3. *Hiſpaniæ illuſtratæ.*

toli primi, Ludovici noni, Francorum regis, filii, utriuſque Siciliæ regis. Interim, opere necdum viſo, nihil certi ſpoſponderim.

Bercharius presbyter quæ literarum monumentis ſignarit, oſtendit auctor vitæ S. Paulli Virdunenſis, quæ apud Surium eſt ad diem VIII Febr. In ea hæc legas: *Bercharius, rogatus à Dadone, Virdunenſi epiſcopo, omnium ſuperiorum antiſtitum ejus eccleſiæ nomina, & res geſtas quatenus nôſſe potuit, mirâ brevitate conſcripſit.* Exinde ex eo ἀπόσπασμα recitat, ut oſtendat, Paullum Virdunenſem fuiſſe fratrem B. Germani, epiſcopi Pariſienſis.

Bernardus abbas, ut eſt in libris quibuſdam; ut in aliis, *Arbertus monachus*; conſcripſit vitam S. Glodeſindis virginis; quæ temporibus effulſit Childerici, Francorum regis, circa annum IↃCXV. Exſtat apud Surium Tom. IV, die Iul. XXV. Fortaſſe eſt hic Bernardus Guidonis, qui vixit anno CIↃCCC, ut ſuprà dictum.

Bernardus *Noricus*, monachus in Chremſmunſter, reliquit hiſtoriam de rebus Bojorum; cujus meminit Aventinus.

Bernardus, cognomento Sapiens, natione Anglus, opus condidit de Urbe Hieruſalem, & locis vicinis. Quod manuſcriptum exſtat Oxonii in Collegio Lincolnienſi.

Brutius hiſtoricus memoratur B. Hieronymo in Chronico Euſebiano ad annum MMCXII: *Scribit Brutius plurimos Chriſtianorum ſub Domitiano feciſſe martyrium: inter quos & Flaviam Domitiam, Flavii Clementis ex ſorore neptem, in inſulam Pontiam relegatam, quoniam ſe Chriſtianam teſtata ſit.* Brutii hujus ætas ſatis ſit aperta, ſi fuit is *Brutius Præſens*, qui cum Imperatore Antonio Pio conſul fuit anno Chr. CXXXIX; atque iterum cum M. Antonio Rufino annis XIV poſt. Etiam eo anno Antoninus philoſophus exceſſit, eique ſucceſſit Commodus, conſules erant Brutius Præſens, & S. Quinctilius Condianus. Sed credo is filius prioris. Uter verò, an alius ex eapſe gente, difficile eſt dictu. Præſertim quando in veteribus inſcriptionibus etiam L. Brutius Celer, & L. Brutius Primitivus, qui à Brutio Præſente diverſi, memorentur. Eoque (ut ab Scaligero ad Euſebium eſt obſervatum) apud Sex. Rufum, & P. Victorem in II Regione Urbis, reſcribendum *Domus Brutiana Præſentis*; nempe ut ab aliis Brutiis diſtinguatur. Vulgo ibi editum, *Præſentis* voce trajectâ: *Domus Brutiana. Summum choragium. Prætura præſentiſſima.*

## C.

Carminius memoratur libro de Italia. Macrobius lib. V. Saturn. cap. XIX: *Sed Carminii curioſiſſimi, & docti, verba ponam: qui in libro de Italia ſecundo ſic ait:* PRIUS *itaque & Tuſcos aneo vomere uti, cùm conderentur urbes, ſolitos, in Tageticis eorum ſacris invenio; & in Sabinis ex ære cultros, quibus ſacerdotes tonderentur.* Fortaſſe idem eſt, qui De Elocutionibus egit. Servius in illud V Æn.

*Ni palmas ponto tendens utraſque Cloanthus.*

*Diximus ſuprà, antiquum hoc eſſe. Carminius tamen dicit (qui de Elocutionibus ſcripſit) per naturam vitioſam eſſe hanc elocutionem: & ſive utramque palmam, ſive utraſque palmas, dixerimus, eſſe in aliquo uſurpationem.* Meminit quoque idem in VI Æn.

Cicardi Abbatis Chronicon MSum eſt in bibliotheca monaſterii S. Galli in Helvetia.

Cogitoſus nomen ſibi peperit libro de miraculis S. Brigidæ, virginis Scotæ. Edidit Caniſius Tom. V. Antiq. Lect. Nominat ipſe ſe in fine operis his verbis: *Orate pro me Cogitoſo, nepote culpabili.* Unde quidam ſuſpicantur, ipſius Brigidæ nepotem fuiſſe. Quod ſi eſt, de ætate ejus obſcurum non erit. Nam obiit Brigida temporibus Juſtini ſenioris anno IↃXXIII. Sed fortaſſe, ob adoleſcentiam luxurioſè tranſactam, *culpabilem* ſe *nepotem* vocat: ut Horatius dixit *diſcinctum nepotem*: à qua notione apud Senecam, & Tertullianum, *nepotari* dicuntur, qui ſua inutiliter profundunt. Quicquid eſt, valde antiquum eſſe ſcriptorem, ex non uno loco cognoſcitur.

Conradus, Sereni montis prope Halim Saxoniæ presbyter, reliquit Chronica: item librum de fundatione Lauterbergii: & alium de primis Marchionibus Miſnenſibus. Cùm autem hic de Lauterbergii fundatione ſcripſerit: ſuſpicor eundem eſſe, qui Georgio Fabricio lib. IV. originum Saxonicarum vocatur Conradus Lauterbergius: ubi ex Conrado hoc collectum eſſe Chronicon Veterocellenſe ait.

Cornelius Bocchus inter Romanos ſcriptores refertur à Plinio in indice eorum, è quibus aliqua tranſtulerit in XVI librum Hiſtor. Natural. Meminit autem ejuſce libri cap. XL: *Et in Hiſpania Sagunti ajunt* (eſſe) *templum Dianæ à Zacyntho advecta cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojæ, ut auctor eſt Bocchus; infraque oppidum ipſum id haberi.* Idem lib. XXXVII. cap. VII. *Maſſiliâ quoque importari* (carbunculos) *Bocchus, & Olyſſipone, ſcripſit, magno labore, ob argillam ſole adustis ſaltibus.* Et libri ejuſdem cap. IX. *Bocchus auctor eſt, & in Hiſpania repertas* (hyacinthos) *quo in loco cryſtallum dicit ad libramentum aquæ, puteis defoſſis, inde rutam; & cryſolithum XII pondo à ſe viſam.* Solinus cap. VI: *Polymneſtor, Mileſius puer, cùm à matre locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſecutus eſt: & ob id ſtatim productus à gregis domino, Olympiade ſextâ, & quadrageſimâ, ut Bocchus auctor eſt, victor in ſtadio meruit coronam.* Idem cap. VIII. *Bocchus abſolvit, Gallorum veterum propaginem Umbros eſſe.* Et paullò pòſt: *Delphicam autem Sibyllam ante Trojana bella vaticinatam, Bocchus autumat: cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe, manifeſtat.*

Cornelius Valerianus quoque aliquem hic locum ſibi depoſcere videtur. Plinius lib. X. cap. II. *Cornelius Valerianus phœnicem devolâſſe in Ægyptum tradit.* Et lib. XIV. cap. I. *Villas, & domos, ambiri ſingularum* (vitium) *palmitibus, ac ſequacibus loris quoque, memoriâ dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius exiſtimavit.*

Coſconius etiam putatur ſignâſſe quædam de rebus Romanis, propter illud Solini cap. VII. *Inter omnes perſpicuè convenit, à nutrice Cajeta, Cajetam; ab uxore Lavinia, Lavinium eſſe nuncupatum: quod poſt Trojæ excidium, ſicut Coſconius perhibet, quarto anno exſtructum eſt.* Grammaticum fuiſſe, colligo ex Varrone, qui lib. V. de L.L. ait, Coſconium ſcribere, verba primigenia eſſe ad mille. De ſermone Romano loquitur. Idem Varro eopſe libro *Actiones* ejus citat. Sic enim ait: *Hoc idem Coſconius in Actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum tum eſſe jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam; itemque meridiem, & horam nonam,* &c. Etiam Coſconius infelix epigrammatum poëta fuit ævo Martialis: qui de eo loquitur lib. II. epigr. LXXVII. Niſi fictitium id nomen eſt, quando Martiali, ut ipſe ait, mos fuit *a*,

*Parcere perſonis, dicere de vitiis.*

a *Lib.* 10. *epig.* 33.

Cyrinus, Friſingenſis epiſcopus, aliquam doctrinæ & induſtriæ laudem adeptus eſt vitâ S. Emmerammi, Ratiſponenſis epiſcopi; qui martyrium ſubiit anno IↃCCL. Habes apud Surium Tom. V, die XXII Sept. Sed perperàm Surius vocat epiſcopum Ratiſponenſem: quem, ut puto, refellunt verba iſta Arnoldi Comitis epiſtolâ *b* ad Puchardum abbatem: *Geſtis patroni noſtri, Emmerammi martyris, dudum à quodam, qui ſe Cyrinum, & Hæredem nominat, Friſingenſis eccleſiæ epiſcopo, ut puto c rectè ſcriptis, ante nos autem majorum negligentiâ depravatis.* Vixit Arnoldus ille anno CIↃX. Unde liquet, quàm antiquus hic ſit Cyrinus: quippe quem jam majorum ſuorum ætate depravatum fuiſſe dicat Arnoldus Comes. Cùm autem Arnoldus prædicet, vitam eam, *à quodam, qui ſe Cyrinum nominat*, exaratam fuiſſe: planè ſuſpicor, illum aliud nomen habuiſſe: eò magis, quia in catalogo Friſingenſium epiſcoporum neminem reperio, cui nomen fuerit Cyrino. Dixerit aliquis, hoc firmare Surii conjecturam, qui Ratiſponenſem epiſcopum

b *Apud Caniſ. Tom.* 2. *antiq. lect.*
c *Vel diſtingue ſic,* Friſingenſis eccleſiæ epiſcopo, ut puto; rectè ſcriptis, *&c.*

pum facit. Sed nec in Ratiſponenſibus eſt hujus nominis quiſquam.

Cyrillus de miraculis Hieronymi eſt in Benedictino Cantabrigienſium collegio: teſte Thom. James. Verùm quid ſi potiùs is dictus ſit Cyrinus; ut ſit idem ac is de quo proximè dictum.

## D.

Hic quoque aliquem ſibi locum poſtulare videtur Dares Phrygius, vel potiùs ſuppoſititius ſcriptor, qui ſub hoc nomine circumfertur. Is ex Græco à Cornelio Nepote tranſlatus eſt: ſi epiſtolæ nugaci credimus, quæ præmittitur. Scio Æliani ætate etiamnum exſtitiſſe Phrygiam Daretis Iliadem. Nam id ſatis liquet ex ejus lib. xi Var. Hiſt. cap. ii. Sed non dubito, quin longe alius fuerit Græcus ille. Nam quem nos Latinè habemus, ſatis prodit, ſe exiguæ, & doctrinæ, & judicii, fuiſſe. Planè autem arbitror, eſſe commentum hominis, qui non tam verterit, quàm ſcripſerit Latinè: imò qui haut admodum Latinè ſciverit, ut omnino in Glandorpio a judicium deſiderem, cùm tranſlationem eam Nepotis eſſe credidit. Majoris, & eruditionis, & elegantiæ, eſt Dictys Cretenſis: de quo poſtea dicemus. Dares Phrygius cum alibi MSus exſtat, tum Cantabrigiæ in bibliotheca Cajana, & Oxonii in Collegio omnium animarum.

a In Onomaſtico Romano.

Dionyſius, Caſſinenſis monachus, in literas miſit vitam S. Ligdani, abbatis, ordinis S. Benedicti, in monaſterio S. Cæciliæ, quod eſt in agro Setino: ubi obiit anno clↃcix. Dionyſii eum librum, ſed mendis obſitum, legiſſe ſe ait Baronius T. xii Annal. ad an. memoratum.

Domitius quoque inter veteris hiſtoriæ auctores nomen meruit. Ex primo ejus libro geminum fragmentum, utrumque ad Æneæ in Italiam adventum, novæque urbis in Italia creationem pertinens, adducit auctor de origine gentis Romanæ. Apud A. Gellium lib. xviii cap. vii fit mentio Domitii, *hominis docti, celebriſque in urbe Roma grammatici; cui cognomentum Inſani factum erat, quoniam erat naturâ intractabilior, & moroſior.* Is vixit temporibus Hadriani Cæſaris. Sed idemne, an alius ſit, non arbitror conſtare.

Videndum &, an C. Druſus hic mereatur locum. De quo Suetonius in Auguſto cap. xciv: *Infans adhuc* (Auguſtus) *ut ſcriptum apud C. Druſum exſtat, repoſitus veſpere in cunas à nutricula, loco plano poſterâ luce non comparuit: & diu quæſitus, tandem in altiſſima turri repertus eſt, jacens contra Solis exortum.* Suſpicor, Auguſti, aut Tiberii, *σύγχρονον* fuiſſe.

## E.

Cn. Egnatius Verinus refertur inter auctores, quos ſecutus eſt ſcriptor de origine gentis Romanæ: quemadmodum ex lemmate cognoſcitur. Sed ſemel duntaxat in opere ipſo nominatur, his verbis: *Contra Egnatius libro primo, in ea contentione, non modò Remum non eſſe occiſum; ſed etiam ulterius à Romulo vixiſſe tradit.* Alius ab eo eſt Egnatius poëta: unde Virgilium quædam mutuatum fuiſſe, Macrobius oſtendit libro vi Saturnalium. Alius quoque M. Egnatius Calvinus, qui & ipſe quædam ſcripſit. Plinius lib. x cap. xlviii: *Viſam in Alpibus ab ſe peculiarem Ægypti ibin, M. Egnatius Calvinus, præfectus earum refert.*

C. Epidius multa oſtenta prodigiaque planè fidem excedentia conſignavit. Plinius lib. xvii cap. xxv. *Qualibus oſtentis Ariſtandri apud Græcos volumen ſcatet: apud nos verò C. Epidii commentarii, in quibus arbores locutæ quoque reperiuntur.* Non video, cur aſſentire ei oporteat, qui Cornelium Epicadum eundem putat, de quo Suetonius in illuſtribus Grammaticis. Nam & Epidiam gentem fuiſſe Romæ, certum eſt vel ex Epidio Marullo, Tribuno pl. de quo Suetonius in Julio cap. lxxix: item ex Græcis Plutarch. in Cæſar. Appianus lib. ii. belli civ. Dio lib. xliv.

Euſtochius tranſtulit è Græco vitam S. Pelagiæ, quam in literas miſerat Jacobus, diaconus Nonni epiſcopi, qui Pelagiam, meretricio quæſtu viventem, convertit. Si Nicephorum audimus lib. xxiv cap. xxx, imò & martyrologium Romanum, Nonnus ille Edeſſanus fuit epiſcopus. Quod ſi eſt, Chalcedonenſis ſynodi tempore vixit: in qua & de illius, cùm Ibæ, Edeſſano epiſcopo, ſucceſſiſſet, cauſſa actum fuit, quemadmodum cognoſcere eſt ex ſeſſ. viii. Sed de interpretis ætate non liquet.

## F.

Fabius Marcellinus, ut poſt Alexandrum, ita ante Diocletianum, vixit. Multùm in ſtudiis verſatus fuit: nec parum laudis adeptus eſt Alexandri Mamæi vitâ. Pleraque hæc cognoſcere eſt ex Lampridii loco in vitâ Alexandri Severi: *Neque*, inquit, *in vitâ ejus id expoſuit Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens; qui omnem ejus vitam in literas miſerunt.* De ſtylo, ac fide ejus, ſic Vopiſcus in Probo: *Mihi*, inquit, *id animi fuit, non ut Salluſtios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros, in vita principum, & temporibus diſſerendis: ſed Marium Maximum Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæteroſque, qui hæc, & talia, non tam diſertè, quàm verè, memoriæ tradiderunt.* Videor autem hujus ætatem quodammodo eſſe aſſecutus. Nam exſtat Tarracone inſcriptio vetus hujuſmodi: *Q. Hed. L. F. Pol. Ruf. Lolliano Gentiano auguri coſ. procoſ. Aſiæ cenſitori prov. Lugd. item Tgd. comiti Severi & Antonini Augg. ter. leg.* xx *G. prov. H. C. item cenſit. H. C. x viro ſtl. jud. Puteolano ſup. veteranor. quæſt. candid. prat. cand. tr. leg.* xviii *primig. trib. leg.* vii *G. P. F.* iii *viro. A. A. A. F. F. P. H. C. Fabius Marcellinus.* Si idem hic eſt Fabius Marcellinus, ac ille, qui vitam ſcripſit Alexandri Severi: de ætate non ſit, quòd ambigamus. Nam ille, de quo antiquus lapis, temporibus erat Severi, & Antonini Caracallæ: ut monumentum ipſum loquitur. Quo tempore qui fuit, ſcripſiſſe etiam poſſit vitam Alexandri Severi: cùm inter Severi, & Alexandri obitum, anni tantum ſint xxiv. Si tamen eundem eſſe minùs placet; filium fuiſſe, liceat ſuſpicari.

Falcuinus vitam exaravit B. Pharaonis, Epiſcopi Meldenſis: ut ab Hieronymo Rubeo traditum eſt Hiſtoriæ Ravennatis lib. ii. Surius T. v ad Oct. xxviii expreſſit ex MSSis codd. Pharaonis hujus vitam αὐθεντικῶς. Sed videtur Falcuini nomen in MSSis iſtis abfuiſſe. Saltem non meminit ejus Surius.

Fauſtus presbyter quòd non aſpernando inter ſcriptores Eccleſiaſticos loco ſit; facit opus ejus de vita S. Severini, abbatis Agaunenſis: qui ut in vita ejus extremâ dicitur, diem ſuum obiit, circa annum Ↄxii. Habes apud Sur. ad d. xi Febr.

Flavianus quoque aliquo inter eruditos pretio fuit, ob librum de veſtigiis Philoſophorum: quem celebrat Sareſberienſis lib. ii de Nugis Curial. cap. xxvi. Quiddam & inde refert lib. viii. cap. xi, & xii. Videtur autem eo opere philoſophorum dicta factaque propoſuiſſe. Alius eſt à Flaviano illo, qui Pariſienſis eccleſiæ epiſcopus fuit circa annum cccc xlv.

Florentius abbas nonnihil laudis aſſecutus eſt opuſculo de vitâ S. Iodoci, Britonum regis filii, & confeſſoris: quod ex MSo codice Guilhelmitarum Brugenſium expreſſit Surius Tom. vi die xiii Dec.

Fretellus, archidiaconus Antiochenus, vixit temporibus belli Sacri. Sed annum exactè dicere non poſſum. Deſcripſit terram ſanctam. Eſtque inter eos, quos ſequi ſe profitetur Chriſtianus Adrichomius in theatro terræ Sanctæ.

Fretulphus antiquiſſimus eſt Bojorum hiſtoricus. Ei Aventinus principem inter illos tribuit locum, quos ſequitur in hiſtoria Bojorum.

Fulbertus Gemeticenſis monachus, qui ſe *Fulbertum peccatorem* vocat, laudis aliquid poſſidet labore ſuo de vitâ

Digitized by Google

tâ B. Aichadri, abbatis Gemeticenſis. Expreſſit eam vitam Surius T. v die xv Sept. MSus autem codex eſt Oxonii in bibliotheca Bodlejana.

G.

Galefredus, vel Godefredus de Frontibus, qui aliis de Fontibus, ex ordine B. Franciſci monachus Anglus, cognomento (ut Arnoldus Wion tradit) *doctor venerandus*, vel etiam, *guardianus*, ſive *cuſtos Pariſienſis*, varios ingenii fructus peperit, & inter eos librum *De infantia S. Edmundi*: qui Cantabrigiæ MSus exſtat in bibliotheca publica: ubi *Galfridus de Fontibus* vocatur.

Georgius Germanus, monachus, & abbas Altaichenſis in Bavaria, memoratur Chronico monaſterii ſui; quod ibidem dicitur MSum adſervari.

Georgius à Tenſera Brugenſis, reliquit hiſtoriam Atrebatenſem: ex qua multa ſe accepiſſe agnoſcit Mejerus. Eundem auctorem laudat Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad ann. cIↃ c lxxxix. cIↃ cc xxii, & proximo, item cIↃ cc lii. Etiam ab Sandero reponitur inter Brugenſes eos, qui eruditione nomen ſibi pararint.

Gerardus de Riedesfordia reliquit opus de expeditione Aſiatica, ſub Frederico I, & II, ſuſcepta à militibus Templi. Viennæ exſtitit, priùs in bibliotheca Wolphangi Lazii; & exinde in Viennenſi Cæſaris bibliotheca.

Gilbertus Chronicon ſcripſit de geſtis imperatorum ac pontificum, ac à Martino Polono in præfatione inter eos reponitur, è quibus ſua deſumſerit. Quis ille ſit adhuc diſquiro.

Goswinus Boſſutus, monachus, & cantor Villarienſis monaſterii, quod ſecundo lapide ab oppido Gemblaco abeſt, memoriam ſui ad poſteros propagavit libris duobus de vita Arnulphi Cornibautii, laici ſive converſi Villarienſis: quam ſe MSam habere, ait Aubertus Miræus in Chronico Ciſtercienſi. Ac Poſſevinus, uti & Sweertius eidem tribuunt vitam Abundi, monachi Villarienſis. Puto eandem eſſe Abundi vitam, quam in Villarienſi monaſterio MSam ſupereſſe, ait idem Miræus. Vixere Cornibautius, & Abundus, an. cIↃ ccxx, & deinceps. Obiit enim Cornibautius anno cIↃ cc xxviii prid. Kal. Jul. An σύγχρονος iis fuerit Boſſutus, faciliùs fortaſſe dictu foret, ſi in publicum ſcriptor is prodiiſſet.

Gregorius Sondereiter Germanus vitam Conſtantini imperatoris ab Euſebio proditam reddidit Latinè carmine heroico. Ea MSa exſtitit in Cæſaris bibliotheca Viennenſi.

Guibertus, ſeu Wibertus, Anglus, Somerſetenſis, monachus Benedictinus, & poſtea abbas Briſtolenſis, præter ſermones etiam hiſtoriam ſui temporis condidit. Vide, quæ de eo Lelandus, & exinde Balæus refert Cent. x.

Guilhelmus, ſive, ut inſcriptio habet, Fl. Guilielmus, libros v reliquit de vita B. Mariæ; in quibus illa de partu, & obſtetricibus, apocrypha eſſe, etiam Delrii judicium eſt. Exſtat nunc Græcii in Styria; inventumque primùm in monaſterio de Olivo, quod eſt Sylvæ majoris in tractu Burdigalenſi: ut eſt apud Poſſevinum.

Guilelmus, monachus S. Dionyſii juxta Pariſios, Ord. B. Benedicti, præter epiſtolas ad diverſos, etiam conſcripſit tres hiſtoriarum libros: propter quos inter nobiles Galliæ hiſtoriographos refertur ab inedito auctore hierarchiæ ſubcœleſtis lib. iv cap. ix.

Guilhelmus monachus *hiſtoriam* condidit *novellam*, quæ MSa Cantabrigiæ in bibliothecâ publicâ exſtat, teſte Th. James.

Guilhelmus Aremoricus presbyter redegit in compendium Rigoldi annales de geſtis Philippi Auguſti. Ex compendio hoc quædam adducit Mejerus in annal. Fland. ad an. cIↃ c lxxx, & cIↃ c xcix. Proſâ autem ſcripſiſſe, ſatis liquet ex verbis, quæ adducit. Sed idem cârmine heroico panxit libros xii Philippidos, ſive de geſtis Philippi Auguſti. Hi ex bibliothecâ Petri Pithœi primùm in Germaniâ a prodiere anno cIↃ IↃ xcvi. Ubi vocatur *Guillermus Brito Armoricus*. De eodem ita Janus Douza præfatione altera annalium Batavicorum, (eorum, quos carmine conſcripſit) cùm egiſſet de Guntheri libris x: *Quem non elocutionis cultu, neque apta numerorum compoſitione, ſed librorum numero ſupergreſſus Guilhelmus Aremoricus, in Philippi, Francorum regis, laudibus ingenii magis, quam materia vitio attenuandis.* De hoc quoque Barthius Adverſ. lib. xliii. cap. vii, fuiſſe *poëtam ſuo ævo longè doctiſſimum: cui ſi demas ea, quæ ſeculi vitio aliter perferre non potuit, admirabilem poëtam videas.*

a *In corpore hiſtoricorum Franciæ, qui Francofurti typis hæredum Wecheli editi ſunt.*

Guilielmus Shepesheved, ut idem teſtatur, condidit annales de Crokeſden: qui MSi aſſervantur in privata bibliotheca Lumlejana.

Guilhelmus Worceſtrius, Anglus, reliquit *Itinerarium de notabilibus Briſtolis.* Item librum *De civitatibus, monaſteriis, abbatiis, deque longitudine, & latitudine eorum, & de rebus aliis memorabilibus.* Utrumque opus MSum adſervatur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Worceſtrium hunc fuiſſe ex ſcholaſticis Aulæ Cervinæ in Academia Oxonienſi, ait Brianus Twyne lib. ii de antiquitate Academiæ Oxonienſis; ubi ex eo doctiſſimorum ſcholæ illius virorum catalogum texit. Sed quod ibidem ait Twynæus, Guilielmum Botonerum eundem eſſe Balæo, ac Guilielmum Worceſtrium; id facilè refellitur, cùm eorum nihil tribuat Botonero, quæ Worceſtrio adjudicantur.

H.

Hartmannus *miles* annales condidit: quorum meminit Joannes Stumphius in commentariis rerum Helveticarum.

Haſmonius monachus de abbreviatione hiſtoriarum MSus adſervatur Cantabrigiæ in bibliotheca domus S. Petri.

Hegeſippus, cujus libros quinque habemus de bello Judaico, & Hieroſolymorum excidio, Latinus mihi ſcriptor videtur, non è Græco verſus. Nam Græcè ſi unquam fuiſſet, aliquis Græcorum ejus meminiſſet. Quare, quòd à B. Ambroſio tranſlatum dicunt; id totum eſt commentitium. Imò auctor is ſexcentis, & fortaſſe ampliùs, annis Ambroſio junior fuit. Meminit Hegeſippi hujus Sareſberienſis lib. vi de nugis Curial. cap. xviii, & lib. viii cap. xviii. At cap. xix intelligendus eſt Hegeſippus vetus: qui quinque eccleſiaſticorum actuum libros temporibus Marci Antonini edidit. Hos duos Hegeſippos vulgò confundi videas. Etiam à viro doctiſſimo, Franciſco Feuardentio, notis in B. Irenæi lib. i cap. iii: quo loco teſtem producere ſe velle ait, qui ante Irenæum ſcripſerit: atque adducit locum ex ejus, quem habemus, Hegeſippi lib. i cap. iii. Video tamen Barthium in longè alia ſententia eſſe. Judicat ille geminum eſſe Egeſippum, atque à vero Ambroſio tranſlatum: ſed quemadmodum Eutropio, & Diacono contigit, ut multa ei inſerſerint Landulphus Sagax, atque alii: ita etiam aliquos Egeſippo, veteri proboque ſcriptori, inſeruiſſe, atque inculcaſſe Rufini Joſephum, ubi poſſent: atque inde Hegeſippum evaſiſſe paulo magis verſicolorem. Vide Barthium Animadverſ. lib. xlvi, cap. iv. Sed faciliùs Barthio aſſentirem, ſi, uti Eutropium habemus & Diaconum ſine Sagacis farturis: ita & alicubi codices exſtarent Hegeſippi, abſque iſtis quæ ex Rufino inſerta. Atque ut ante dixi; ſi Hegeſippus hoc argumentum Græcè tractaſſet, veterum aliquis ejus operis feciſſet mentionem. Barthio verò in hac opinione præiviſſe videtur Lilius Gyraldus de poëtarum hiſtoria Dialogo vii; ubi pag. 275 ſic ſcribit: *Quod quæ nunc circumferuntur Hegeſippi hiſtoriæ, parum mihi legitima videntur, cùm loca commemoret præter alia, quæ poſt Egeſippum iis nominibus nuncupata fuere: tametſi fortè id D. Ambroſio adſcribi poſſet: qui ejus hiſtoriæ interpres fuiſſe traditur.* Plura de Hegeſippo hoc diximus lib. ii de hiſtor. Græc. cap. xiv. MSus exſtat in bibliotheca publica Cantabrigienſi.

Hepidamnus, niſi *Hepidannus* malis, memoratur libris duobus de vita S. Wiboradæ virginis: qui MSi in Helvetia exſtant in bibliotheca monaſterii S. Galli.

He-

Herimbertus quidam compoſuit libros de rebus à Karolo M. geſtis: ut Geſnerus auctor eſt in bibliotheca ſua. Sed metuo, ne is, quem ſignat, ſit Eginhardus, Karoli M. gener ac cancellarius; à quo vitam ſoceri ſcriptam fuiſſe, ſuperiùs diximus.

Hermannus Minorita Chronicon condidit: quo MSo ſe uſum is profitetur, qui abbati Urſpergenſi paralipomena adjecit.

Hoſtilius in exiſtimatione non exiguâ olim fuit annalibus carmine contextis: ex quorum primo eſt verſus iſte citatus Priſciano in ſexto:

*Sæpe greges pecuum ex hibernis paſtubu' pulſi.*

Dubium, idemne, an alius, ſit Hoſtilius mimographus: de quo Tertullianus in Apologetico cap. XV: *Diſpicite Lentulorum, & Hoſtiliorum venuſtates, utrùm mimos, an Deos veſtros, in jocis & ſtrophis rideatis.*

Hugo *abbas, dictus* Farſitus, (ut Henricus de Gandavo cap. XXXVI ait) *ſcripſit miracula multa beatæ Virginis, quæ faciebat in Eccleſia ejuſdem glorioſæ Virginis Sueſſionis.*

Hugo Matiſconus Anglus, opere *de geſtis clarorum militum*, memoriam ſui propagavit. In Londinenſi quadam bibliotheca MSum ſervari, auctor eſt Piſeus.

## I.

Jacobus Romanus induſtriâ ſuâ peperit varia monumenta: uti de victoriis, de perſecutionibus, de virtutibus & vitiis regum Romanorum, atque aliis. Teſtis horum Leander lib. IV *a* de vir. illuſtr. ord. præd.

a Fol. 149.

Joannes Aldatus, Anglus, chartis commiſit, inque regia collocavit bibliotheca, laborem ſuum de Scotis, & Hibernis. Ætatem Balæus quoque, & Piſeus, ignorant.

Joannes Anglicus, fortaſſe Cambro-britannus, ingenii & pietatis ſuæ monumentum eſſe voluit opus à ſe conditum de vitis ſanctorum Wallenſium: quod MSum adſervatur in bibliotheca Gualteri Copi. Arbitror idem volumen ſignari à Briano Twyno lib. III de antiquit. Acad. Oxon. *b* ubi quiddam de S. Frideſwida refert ex Joa. Anglici lib. XVII part. II Hiſtoriæ aureæ.

b P. 287.

Joannes Bromptonus, Anglus, monachus ordinis Ciſtercienſis, ac tandem abbas Jornalenſis, non ſegniter in ſtudiis verſatus eſt. Sed ex multiplici labore ſolùm ſupereſſe videtur Chronicon id, quod eſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Principium tale, *Poſtquam contigit Britones.*

Joannes Cremonenſis, Italus, ſacerdos, inque bonis ſcriptoribus bene verſatus, gloriam adeptus eſt ſui temporis chronico: ut ex Conrado à Lichtenau, & Io. Nauclero, refert Simlerus in epitome bibliothecæ. Videndum, idemne ſit *Joannes de Perſico Cremonenſis*, Ord. Erem. cujus hiſtoria Scholaſtica, ſive Eccleſiaſtica, exſtat MSa in Cremonenſi bibliotheca monaſterii S. Auguſtini.

Ioannes, diaconus S. Ianuarii, in literas retulit certamen B. martyris, Soſii diaconi, ac Ianuarii, epiſcopi Beneventani, & ſociorum ejus. Habes apud Surium T. VII ad XXIII Sept. Auctor is interfuit tranſlationi corporis S. Soſii; ut indicat ipſe cap. XVI. *Talibus*, inquit, *confeſtim elogiis animatus abbas ipſe arceſſivit me Joannem, ſancti Ianuarii diaconum, & Aligernum primicerium*, &c.

Etiam Ioannes Flasborienſis quædam ad hiſtoriam pertinentia ſignando nomen habet, teſte Nauclero, & exinde Simlero: ſed utrùm exſtet, ignoro. Neque Poſſevinus de eo quicquam habet comperti.

Ioannes Fletus, Anglus, monachus ordinis Benedictini, & in cœnobio Weſtmonaſterienſi, quod in ſuburbio eſt Londinenſi, presbyter, præter homilias, etiam chronicon reliquit de fundatione, & progreſſu monaſterii Weſtmonaſterienſi. Meminit Nicolaus Brigamus in Memorabilium rerum venationibus, atque ex eo Lelandus Cent. XI.

Ioannes Haguſtadenſis Prior, hiſtoria ſua complexus eſt, quæ per aliquod tempus evenere poſt Henricum I. Angliæ regem. Baleo, & Piſeo prætéritur. MSus ejus operis codex eſt Cantabrigiæ, in bibliotheca Collegii S. Benedicti: ut eſt apud Th. Iames.

Ioannes Lovanienſis Carthuſiani ordinis monachus prope Antverpiam Chronicon condidit ſummorum Pontificum. Valde id laudat Boſtius in Illuſtribus Viris Carthuſianis cap. XXIV, item Petrejus in bibliotheca Carthuſiana. Alia etiam ſcripſiſſe ait Sutor lib. II Vitæ Carthuſ. tract. III cap. VII *a*. Sed quando vixerit nullus horum trium prodidit.

a P. 571.

Ioannes Paris, ſeu *Pariſius*, Anglus, peperit quædam non aſpernanda ingenii monumenta. Uti hiſtoriam univerſalem, ſeu memoriale hiſtoriarum: item flores hiſtoriarum. Prius opus MSum adſervatur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti: alterum autem MSum ſupereſt in bibliotheca Gualteri Copi. Prius ſic incipit, *Inexordio rerum.* Atque annotata hæc in Cantabrigienſi MSo, teſte Th. Iames: Hic liber quamvis in principio differat in libro qui Memoriale Hiſtoriarum dicitur, tamen in fine habentur eadem verba, & ſic fere in medio proceſſum omnia conſimilia: quamvis hic liber habeat XXII folia plura.

Ioannes Peruſinus, monachus, deſcripſit Terram ſanctam, omniumque locorum ejus indicem condidit. Qui liber MSus exſtitit in bibl. Grataroli.

Ioannes Smoutius ſcripſit de miraculis & rebus in Eccleſia S. Donatiani quæ Brugis eſt. Meminit Mejerus lib. II Annal. ubi cùm retuliſſet de muliere cæca, nomine Ermergardi, Friſia, quæ viſum receperat, ſubjungit: *Hæc ex codice quodam Magiſtri Ioannis Smoutii, Sacellani Divi Donatiani Brugenſis.* Sandero in ſcriptoribus Flandricis, uti & in Belgicis Sweertio, pro Smoutio *Smoritius* vocatur: perperam, ut puto.

Ioannes, ſubdiaconus Eccleſiæ Romanæ, in codd. MSSis interpres dicitur libri VI, qui eſt de Vitis P P. & adſtipulatur Sigebertus in catalogo cap. CXVII his verbis: *Ioannes ſubdiaconus tranſtulit de Græco in Latinum de vita, & doctrina patrum, librum unum.* Poterat idem videri ac Ioannes diaconus, qui laborem ſubiit conſarcinandi vitam Gregorii Papæ: ut idem Sigebertus ait cap. CXIII. Sed obſtat, quòd, hoc ſi eſſet, Sigebertus eos non diſtinxiſſet; nec priùs egiſſet de diacono Ioanne, quàm ſubdiacono, niſi illum præceſſiſſe credidiſſet.

Ioannes Wallingfordus Anglus, præter alia, edidit *Chronica brevia regum Angliæ:* quæ MSa adſervantur in bibliotheca baronis Lumlejani.

Iocelinus de Furnes Britannus inter hiſtoricos etiam refertur à Ioanne Stovo, ac Nicolao Fizherberto. Condidit opus de Britonum epiſcopis.

Iſidorus, Pacenſis epiſcopus, creditur auctor chronici Hiſpaniæ: quâ de re apponam judicium Vaſæi Chronici ſui cap. IV: *Iſidorus, Pacenſis epiſcopus, etiam ſcripſit Chronicon Hiſpaniæ: cujus ſi eſt Chronicon illud, quod ejus titulo prænotatum vidi; portentum potius dixerim, quàm chronicon; adeò prodigioſè ſcribit, & Gothicè potius, quàm Latinè. Certè mihi, tanquam in novo quodam & inaudito idiomate, deſudandum fuit, ut intelligerem.* Unde error eorum refellitur, qui arbitrantur, hunc illum eſſe Iſidorum, qui collegit epiſtolas pontificum, & canones conciliorum; atque huic collectioni ſuæ libellum de ratione celebrandi concilia præmiſit. Is Iſidorus in libris aliquibus *Mercatoris* habet cognomentum: in aliis autem vocatur *Peccator:* idque veriùs, ut Baronio viſum notis in Martyrol. ad IV April. Solent enim antiqui ſæpius *peccatoris* nomen nomini ſuo modeſtiæ causâ adjungere: ut diximus lib. II cap. XXV.

Iſo monachus librum compoſuit de virtutibus, ac miraculis S. Othmari: qui MSus reperitur in biblioth. monaſterii S. Galli in Helvetia:

Iulius Obſequens libro de prodigiis inclaruit. Ex eo ſolùm ſupereſt pars illa, quæ eſt à conſulatu L. Scipionis, & C. Lælii, uſque ad P. Fabii, & Q. Ælii conſulatum; hoc eſt annum urbis DCCXLIII. Ex argumento, quod tractavit, gentilem fuiſſe ſuſpicor; vixiſſeque minimùm ante Honorii tempora, quibus Paulus Oroſius vixit. Sebaſtianus tamen Corradus in Quæſtura *b* ſua videtur in alia fuiſſe ſententia, quia utrumque nominans Oroſium præ-

b Pag. 41.

poteruitis. Primus verò hoc fragmentum, à Jocundo Veronenſe ſibi donatum, edidit Aldus anno cIↃ IↃ VIII, atque iterum ſocer ejus Aſulanus decennio pòſt. Priorem partem, quæ deperiit, ex Livio, Dionyſio, Eutropio, Oroſio, atque aliis, ſupplere eſt conatus Conradus Lycoſthenes: atque id in præfatione libelli ipſe profitetur. Etiam capitibus à ſe additis aſteriſcum præfixit; ut quæ Obſequentis, quæque aſſuta forent, meliùs poſſet cognoſci. Satis hæc certa ſunt ex editione Baſileenſi Jo. Oporini, cui eâpſe in urbe Lycoſthenes præerat an. cIↃ IↃ LII. Poſtea verò Jo. Tornæſius, typographus regius, Lugduni Obſequentis libellum, à Lycoſthene ita ſuppletum, edidit, cum præfatione quidem Lycoſthenis; verùm (quæ res peſſimi eſt exempli) ſine aſteriſcis. Unde nunc fieri videas, ut, gravi errore, Lycoſthenes paſſim pro Obſequente legatur; atque etiam pro eo ab eruditis viris ad partes advocetur.

Junium Saturninum de Auguſto hiſtoricum quippiam conſignaſſe, fidem faciunt hæc verba Suetonii in Auguſto cap. XXVII: *Junius Saturninus hoc amplius tradit, cùm, peractâ proſcriptione, Marcus Lepidus in ſenatu excuſâſſet præterita, & ſpem clementiæ in poſterum feciſſet; quoniam ſatis pœnarum exactum eſſet: hunc è diverſo profeſſum, ita modum ſe proſcribendi ſtatuiſſe, ut omnia ſibi reliquerit libera.*

Juvencus Martialis hiſtoriam ſcripſit Cæſaris Dictatoris. Sidonius lib. IX. epiſt. XIV: *Namque eminet tibi thematis celeberrimi votiva redditio, laus videlicet perorandæ, quam ediderat Cæſaris Julii. Quæ materia tam grandis eſt, ut ſtudentum, ſiquis fuerit ille, copioſiſſimus, nihil ampliùs in ipſa debeat cavere, quàm nequid minus dicat. Nam ſi hæc omittantur, quæ de titulis Dictatoris invicti, ſcripta Patavinis ſunt voluminibus: quis opera Suetonii, quis Juvenci Martialis hiſtoriam, quiſve ad extremum Balbi ephemeridem fando adæquaverit? Sed tuis ceris hæc reſervamus.* Fortaſſe idem eſt ac Gargilius Martialis de quo ſuperiùs diximus.

## L.

Laurentius Mellifluus (ut Sigebertus ait cap. CXXI.) *ſcripſit librum de duobus temporibus. id eſt uno ab Adam uſque ad Chriſtum: altero à Chriſto uſque ad finem ſeculi.* Addit deinde: *Declamavit etiam homilias ore quaſi melliflo, unde agnominatur Mellifluus.* Video virum eruditum ſuſpicari, ex iſtis homiliis eſſe duas illas in bibliotheca PP. Tom. II: unam de pœnitentia, alteram de eleëmoſyna. Laurentius, cujus illæ homiliæ ſunt, epiſcopus Novarum fuit. Sed utrùm Novarienſis ille idem ſit ac Mellifluus, dicere non auſim.

Laurentius Vadus ſeu *Wadus*, Anglus, ordinis Benedictini monachus Cantuarienſis, vitam Thomæ Becketi, Cantuarienſis epiſcopi, ſignavit. Manuſcripta hæc ſupereſt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Levuuus ſcripſit de vita S. Joannis epiſcopi: cujus operis geminum exemplar MSum eſt Cantabrigiæ in bibliotheca privata Lumlejana: ut eſt apud Th. Jameſium. Nec aliud de eo habeo quicquam.

## M.

Magiſter Coperius à Jo. Baptiſta Pajarino inter eos commemoratur, quorum opera in hiſtoria ſua Vicentina profecerit. Sic enim ſcribit, Secutus enim ſum in hoc opuſculo brevi Magiſtrum Coperium, antiquiſſimum rerum Vicentinarum ſcriptorem, Ferretum Vicentinum, Beneventum Campeſanum, &c. Cujus ſcriptoris indicium mihi à Felice Oſio, V. Cl.

Marcerius Anglus, hiſtoricus, Chronicon reliquit: cujus meminit Joannes Bachondorpius in prologo lib. IV. Sentent. quæſt. X. atque ex eo Balæus; ex illo Poſſevinus, & Pitſæus.

Martianus Mineus Felix Capella aliquem heic ſibi locum depoſcit, propter ſextum de nuptiis philologiæ librum, quo terrarum ſitum deſcripſit. Ætatem ejus melius ſciremus, ſi is eſſet Marcianus Juriſconſultus, quod putavit Guilardinus commentario de papiro *a*. Sed valde fallitur. In vett. libb. vocatur vir proconſularis, ac domo Carthaginenſis. Sanè aut natus iſthic, ut Volaterranus ait lib. XVII: aut ſaltem ibi vixit, uti indicat verſiculus ille extremo libro IX:

*Beata alumnum urbs* b *Eliſæ quem videt.*

Nam de ſe loquitur auctor: ut qui initio carminis ejus dicat,

*Tandem ſenilem, Martiane, fabulam.*

Ac poſtea,

*—— Ut quæ Martis curiâ*

*Felicis, inquit, ſed Capella flamine* c.

Unde aliqui conjectarunt, patrem ejus nominatum Felicem; fuiſſeque eum è Martis curia; atque inde noſtro eſſe nomen Martiano; quod etſi & probet doctiſſimus Glandorpius in Onomaſtico Romano *d*: mihi tamen ineptum videtur. Romæ vixiſſe, etiam ait Volaterranus lib. XVIII: atque ejus rei Remigium laudat auctorem. Quod ſi Afer eſt, ſanè nihil inſolens, ſi dictione ſit uſus durâ, & aſperâ; qualis Afrorum eſſe ſolet. Uſque adeò, ut ſcriptorem hunc, verè eruditum, tamen barbarum non planè immeritò appellet Joſ. Scaliger notis in Cirin. Atque illud de dictione fortaſſe minùs miraremur, ſi ætatem ſciremus: quam needum ſibi compertam eſſe, etiam Jacobus Gualterius fatetur Tabul. Chronograph. ſecundâ, ad tempora Antonini. Juſtiniani imp. temporibus, quibus Paullinus cum Belliſario conſul erat, ſcriptorem hunc emendabat Securus Melior Felix: ut colligere eſt ex verbis iſtis, quæ lib. I ſubnectuntur, tum in eo, qui in Academiæ hujus Lugdunenſis bibliotheca adſervatur: tum illo optimæ notæ Ampliſſimi, & Clariſſimi Jani Grotii, quondam Delphenſis conſulis, & Academiæ hujus Leidenſis Curatoris, nunc Ill. Comiti ab Hoënlo à conſiliis. Verba, quæ dixi, ſunt ejuſmodi: *Securus Melior Felix Aſp.* e *Com. conſiſt. rhetor. urb. Rex mendoſiſſimis exemplaribus emendabam, contrà legente Deutero* f *ſcholaſtico, diſcipulo meo, Romæ ad portam Capenam, Conſ. Paullini V.C. ſub D. Non. Martiarum, Chriſto adjuvante.* Quam corrupti eſſe ſoleant hujus ſcriptoris codices, indicio etiam ſit, quòd Baptiſta Guarinus epiſtola ad Joannem Picum Mirandulanum, quæ in Pici operibus extat, poſcit ab eo Martianum Capellam, ſed addit: *ſi modò emaculatus ſit codex: nam qui apud nos opera Sibyllæ indigent.* Loquitur autem de ipſis manuſcriptis codd. ut quæ ſequuntur, oſtendunt. Atque hunc ſcriptorem primus in lucem protraxit Thadæus Ugoletus Italus, ut eſt apud Pignorium epiſt. XVI. Eundem Vicentiæ anno cIↃ CCCCXCIX primus typis divulgandum dedit Franciſcus Vitalis Badianus, qui in præfatione ait, ſe ſupra bis mille errores ſuſtuliſſe, cùm corruptiſſimus antea legeretur. Ante annos XXVI, nempe adoleſcentulus adhuc annorum XIV, feliciſſimè paſſim reſtituit, annoque uno altero pòſt divulgavit Hugo Grotius: quo Batavo, altero ejus terræ cum magno Eraſmo lumine, nihil nunc undique eruditius, vel Sol videt, vel ſolum ſuſtinet: Quo loco antiquis habitus ſit Capella, indicio ſint verba hæc Gregorii Turonenſis, Hiſtoriæ Francicæ lib. X: *Quod ſi te Martianus noſter libris ſeptem erudiit; id eſt, ſi te in grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationum propoſitiones advertere, in geometricis terrarum linearumque menſuras colligere, in aſtrologicis curſus ſiderum contemplari, in arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis ſonorum modulationes ſuavium accentuum carminibus concrepare,* &c. Meminere & alii, eoſque inter Ekkehardus in vita B. Notkeri cap. X. At Alexander Neckam, qui claruit in Anglia circa annum cIↃ CCXXX, commentario Martianum illuſtravit: ut auctor eſt Balæus Centur. III. ſcript. Britann. Manuſcriptus Capellæ codex adſervatur in publica bibliotheca Academiæ Cantabrigienſis. Et alius longè antiquiſſimus Saxonicis ſcriptus characteribus, apud eoſdem Cantabrigienſes in biblioth. Collegii S. Benedicti. Atque in eodem etiam reperies commentarios in eum Alexandri Neckami, de quibus ante diximus. Oxonii inſuper in Collegio Mertonenſi codicem Martiani habes bene ſcriptum, ut Jameſius inquit.

a *Pag.* 55.

b *Suſpicor poſt* urbs *excidiſſe* hæc, *vel* nunc, *aut ſimile, ut ſtet verſus, qui ſenarius eſt.*

c Famine *ex MSo malim, hoc eſt, fatu, ſeu oratione.*

d *Voce* Felix Capella.

e *Ex viro Cl. Laurentio Pignorio intelligo, in V. Cod. Martiani Thadæi Ugoleti Parmenſis pro A S P. ſcriptum fuiſſe V. S P.*

f *Pro* Deutero *correctius* Euterio *erat. In cod. Ugoleti ante memorato erat* Deuterio.

Mediwardus vitam S. Walpurgis, quam proſâ complexus erat Wolfardus, carmine retulit: ut oſtendunt verſiculi iſti, qui poſt Wolfardi librum reperiuntur:

*Walpurga ſacra tot ſignis glorificata*
*Proſaice ſcriptam rythmo libet edere vitam.*

Et mox:

*Proſam Wolfardus, rythmum fecit Mediwardus.*

Verùm præfatiuncula quidem, quæ Mediwardi operi præmittebatur, adhuc exſtat: ſed ipſum Mediwardi carmen periit.

Meluſinus Chronica reliquit: quæ exſtant MSa in bibliotheca Gualteri Copi.

N.

Nicolaus Burgenſis, ſeu Burgeſius, Senenſis, exaravit vitam B. Franciſci. Eam Paullus Florentinus, Theologus Ordin. Servorum, Pio II Pont. Maxim. dicavit: ut eſt in Chronico Servorum. Præterea conſcripſit vitam S. Catharinæ Senenſis: quæ MSa exſtat Piſauri in bibliotheca ſereniſſimi Ducis.

O.

M. Octavius quoque eſt inter priſcæ hiſtoriæ auctores. Geminum ex eo fragmentum debemus auctori de origine gentis Romanæ, ſeu is Sex. Aurelius Victor ſit, ſeu alius. Unum eſt de Ænea ſacrificante, atque origine faciendi rem divinam capite velato: alterum de Rhea Ilia ab Amulio compreſſâ in ſilva Martis. Fortaſſe haut alius eſt Octavius Herennius, qui innotuit libro de Saliaribus Tiburtium ſacris. Memorat Macrobius lib. III. Saturn. cap. ult. Etiam in appendice Virgiliana memoratur Octavius poëta, & hiſtoricus Horatii æqualis;

*Quis Deus, Octavi, te nobis abſtulit? an quæ*
*Dicunt, ab nimio pocula dura mero.*
*Scripta quidem tua nos multùm mirabimur, & te*
*Raptum, & Romanam flebimus hiſtoriam.*

De eo diximus libris de poëtis Latinis.

Olivarius ſive *Oliverius*, Scholaſticus Colonienſis, reliquit librum, de expeditione Hieroſolymitana: qui Lovanii exſtat ad S. Martinum.

Onithon, Sutrinus epiſcopus in Italia, inter hiſtoriæ ſcriptores locum obtinet Chronico Romanorum Pontificum: cujus meminit Joannes Lelandus. Mihi necdum videre eum contigit.

Nec magis in manus meas pervenit Oudarius hiſtoricus, auctor, ut in epitome Geſnerianâ Simleri vocatur, femilatinus. Ibidem legas, eum mentionem facere Aventici ab Alemannis vaſtati: atque inter primos illorum eſſe, quos ſecutus ſit præclarus rerum Gallicarum auctor, Paullus Æmilius.

P.

Paullus, diaconus Romanus, & cardinalis, propter opus ſuum de geſtis imperatorum & pontificum, inter eos à Martino Polono refertur, ex quibus chronica ſua congeſſit: ut ipſe in præfatione agnoſcit. Quis ſit iſte chronographus, non ſat ſcio. Interim eò animus inclinat, ut intelligat Paullum diaconum, qui Eutropii chronicon auxit, & continuavit. Sed ſcrupulum injicit, quòd is fuerit priùs diaconus Aquilejenſis, ac poſtea monachus Caſſinenſis. At iſte, ex quo profecit Martinus, vocatur Romanus diaconus, & cardinalis.

Peſcennius Feſtus laudatur Lactantio lib. I. de falſa relig. cap. XXI. ubi ait: *Peſcennius Feſtus in libris hiſtoriarum per ſatiram refert, Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare: & cùm victi eſſent ab Agathocle, rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe: itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolâſſe.* Hiſtorias autem per ſatiram dixit, quas Græci vocarent ποικίλας ἱστορίας βίβλους. Tralatio ſumta à ſatura lance, quæ variarum rerum copiâ erat referta: unde & *ſatura lex, quæ multis aliis legibus conferta*, ut ait Feſtus: νόμος πολλὰ περιέχων, ut gloſſ. vett. exponunt.

Petrus, canonicus S. Autberti Cameracenſis, explicuit martyrium S. Dympnæ, filiæ regis Hiberniæ. Stylo limatiori edidit opuſculum illud Surius Tom. III, a. d. XV Maji.

Petrus Dugienſis, ut eſt apud Simlerum, reliquit Summam ſuper hiſtoriis in uſum Eccleſiæ. Opus id in Londinenſi bibliotheca exſtare, idem ait.

Petrus Ferandi, qui & *Petrus Ferrandus*, Hiſpanus, Ord. Prædic. tradidit vitam S. Dominici: ut teſtis eſt, tum Leander Albertus lib. IV. de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum Gerardus Leomovicenſis in vitis fratrum hujus ordinis part. IV. cap. III.

Petrus de Pennis ab Leandro Alberto lib. IV. de illuſtribus Ord. Præd. viris inter hiſtoricos refertur ejuſce ordinis: atque addit, *inter alia ſcripſiſſe libellum capita XXII continentem, quibus comprehendi poteſt terra ſancta, & videri, quare deperdita fuerit, & qualiter recuperari poſſit.*

Petrus Præmonſtratenſis reliquit Chronicon quoddam, quod vocare ipſe ſolet *Biblia pauperum.* Ambigi poſſit, an non ſit Præmonſtratenſis ille Petrus à Lutra, Canonicus cœnobii Luttrenſis, philoſophus, juriſconſultus, & theologus, ac ſecularis literaturæ non ignarus, qui anno vixit CIↃCCCXXX. Complura ejus opera recenſet Tritthemius in illuſtribus Germaniæ ſcriptoribus. Sed inter ea non eſt Chronicon illud volumen. Itaque alius à priori videtur. Quod & Miræus ſuſpicatur in Chronico Præmonſtratenſi.

Petrus Taboræus Chronicon Brabantiæ ſedulò conſcripſit: eſtque inter eos, è quibus in Chronicis ſuis non pauca hauſerit Chriſtianus Maſſæus: ut eſt apud Simlerum, Sed Taboræum ipſum videre mihi necdum contigit.

Philippus, abbas Bonæ ſpei, exaravit vitam S. Landelini, abbatis Criſpinienſis: quæ MSa ſupereſt Criſpini juxta Valentianas in Belgica. Nondum conſpexi, quæ hoc nomen præferret: eoque nec dicere poſſum, utrùm eadem ſit, an alia ab illâ, quam abſque auctoris nomine edidit Surius ad diem XV Jun.

Philippus, abbas Elnonenſis cœnobii, (quod in Hannonia inter Tornacum, & Valentianas, ſitum eſt) vitam ſcripſit S. Amandi. Ejus de cœnobii hujus ſitu verba adfert Jacobus Mejerus in Annalibus Flandricis ad an. IↃCLXI.

Pompejus Planta bellum deſcripſit inter Othonem, & Vitellium, ad Bedriacum, vicum inter Cremonam, & Veronam. Vetus Juvenalis Scholiaſtes in illud poëtæ:

*Bedriaci campo ſpolium affectare palati.*

*Horum*, inquit, *bellum Cornelius ſcripſit, & Pompejus Planta; qui ait, Bedriacum vicum eſſe à Cremona viceſimo lapide.* Ubi Cornelius quidem eſt, qui Taciti habet cognomen: at Pompejus Planta quis ſit, necdum reperiſſe ſe, etiam Lipſius fatetur in Taciti II Hiſtor.

Pomponius Rufus reliquit collectorum librum: unde exemplum hoc refert Valerius Maximus lib. IV, cap. IV: *Cornelia, Gracchorum mater, cùm Campana matrona, apud illam hoſpita, ornamenta ſua illo ſæculo pulcherrima oſtenderet; traxit eam ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt.* Fortaſſe hic eſt C. Pomponius Rufus, qui conſul fuit cum Cn. Pompejo Feroci Liciniano. Mentio eorum fit in veteri inſcriptione, quæ, Apiano [a] teſte, inventa eſt Romæ in regione Transtiberina. Ea hujuſmodi eſt: DEDICAVERUNT IDIB. OCTOB. CN. POMPEJO FEROCE LICINIANO COS. C. POMPONIO RUFO. [a] P. 221.

Probus Hibernus memoriæ prodidit vitam S. Patricii, quæ vulgò tribuitur Bedæ. Sed Probi eſſe, conſtat ex ejus vitæ extremo.

Proculus de iis, quæ in peregrinis regionibus miranda inveniuntur, quædam reliquit: ut oſtendit Trebellius Pollio in XXX tyrannis. Diximus etiam de hoc lib. I. cap. XII.

R.

Radulphus Remington, Anglus, Annales condidit, qui MSi Cantabrigiæ exſtant in biblioth. collegii S. Benedicti: ut eſt apud Th. James. Balæus verò præterit.

Renatus Profuturus Frigeridus hiſtoriam condidit. De qua, & ex qua, ſic ſcribit Gregorius Turonenſis Hiſtoriæ

Franc.

Franc. lib. 11: *Igitur his ita digeſtis, ac per ordinem expletis, quid de Aetio ſuprà memorato, Renati Frigeridi narret hiſtoria, tacere nefas putavi. Nam cùm in duodecimo hiſtoriarum libro referat, poſt divi Honorii exceſſum, Valentinianum puerulum, uno tantum luſtro peracto, à conſobrino Theodoſio imperatorem fuiſſe creatum; & apud urbem Romam, tyrannum Joannem in imperium ſurrexiſſe; legatoſque ejus à Cæſare dicat fuiſſe deſpectos, adjecit:* „ *Dum hæc ita gererentur, legati ad tyrannum reverſi ſunt,* „ *mandata atrocia reportantes. Quibus permotus Joan-* „ *nes, Aetium, id temporis curam palatii gerentem, cum* „ *ingenti auri pondere ad Chunos tranſmittit, notos ſibi* „ *obſidiatus ſui tempore, & familiari amicitiâ devinctos,* „ *cum mandatis hujuſmodi; cùm primùm partes adverſæ* „ *Italiam ingreſſæ forent, ipſe à tergo adoriretur; ſe à* „ *fronte venturum.* Idem aliquantò pòſt: *Renatus Profuturus Frigeridus, cujus jam ſuprà meminimus, cùm Romam refert à Gothis captam atque ſubverſam, ait:* „ *Interea Reſpendial, rex Alamannorum, Goare ad Ro-* „ *manos tranſgreſſo, de Rheno agmen ſuorum convertit,* „ *Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigiſilo rege* „ *abſumpto, acie viginti fermè M. ferro peremptis, cunctis* „ *Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum* „ *vis in tempore ſubveniſſet.*

Richardus Elteſley, Anglus, Elteſlegienſis eccleſiæ in pago quodam apud Grantanos, ſeu Cantabrigienſes, parochus fuit. Elteſlegæ autem requieſcebant reliquiæ Pandionæ virginis, quæ tyrannidem patris ſui, Scotiæ reguli, fugerat. Atque eâ occaſione Pandionæ hujus vitam, & virtutes, ſtylo triviali Richardus conſcripſit: ut à Lelando in quarto de viris illuſtribus proditum eſt.

Richerius Gallus, monachus, & abbas monaſterii ſancti Martini juxta Metim, Congreg. Cluniac. libro uno complexus eſt vitam S. Martini, epiſc. Turon. Nec alius eſt, qui aliquibus dicitur *Richerus, monachus Remenſis:* uti Tritthemio in Compendio.

Robertus quidam de expeditione tranſmarina, & recuperatione regni Hieroſolymitani, extitiſſe dicitur Viennæ in bibliotheca Wolfangi Lazii.

Rutilius Geminus non parva in exiſtimatione fuit Pontificalium libro: in quo veterem hiſtoriam eorum expoſuit, quæ ad pontifices gentiles pertinerent. Fulgentius in expoſitione ſermonis antiqui, voce Arvales Fratres: *Acca Laurentia, Romuli nutrix, conſueverat pro agris ſemel in anno ſacrificare cum* XII *filiis ſuis, ſacrificium præcedentibus: unde, cùm iis unus eſſet mortuus, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicetur: unde ritus proceſſit cum* XII *jam deinceps ſacrificare, eoſque arvales dici fratres; ſicut Rutilius Geminus in libris Pontificalibus memorat.* Idem ex Aſtyanacte Rutilii Gemini citat hæc verba in Suggrundaria: *Melius ſuggrundarium quæſieris miſer, quàm ſepulcrum.* Ita enim eſt in MSSis. Ex Pontificali hiſtoria ejus eſſe videntur, quæ Macrobius refert lib. 1. Saturn. cap. XVI. ubi ſcribit: *Geminus ait, diem nundinarum, exactis jam regibus, cœpiſſe celebrari, quia plerique de plebe, repetitâ Servii Tullii memoriâ, parentarent ei in nundinis.* Vir eruditus intelligit Varium Geminum, nobilem Oratorem, qui ſub Auguſto, & Tiberio, vixit; ut ex M. Senecæ Suaſoriâ ſextâ cognoſcimus: item è controverſia XVII. Nam pro *Varius minus*, ibi *Varius Geminus* legi debere, jam aliis eſt obſervatum. De quo ipſo ita Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: *Unde pulcrè Varius Geminius, ſublimis orator, Qui non litigat, cœlebs eſt.* Sed is alius eſt. Nam & *Varius* is vocatus, & *Geminius:* hic *Rutilius*, nec *Geminius*, ſed *Geminus.* Puto autem, Geminum ſcriptorem eſſe bene antiquum, quia eum cum Caſſio Hemina, P. Rutilio, & Terentio Varrone, hiſtoricis, & antiquitatum ſcriptoribus uſque adeo vetuſtis, conjungit Macrobius.

## S.

Santra etiam laudem indeptus eſt opere ſuo de viris præſtantium virorum. Laudat B. Hieronymus præfat. libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: *Fecerunt hoc idem* (nempe ut de viris claris ſcriberent) *apud Græcos, Hermippus Peripateticus, Antigonus Caryſtius, Satyrus doctus vir, & longè omnium doctiſſimus Ariſtoxenus Muſicus. Apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.* Apud interpretem Sophronium perperam eſt Σάντας pro Σάντρας. Videtur autem ab Hieronymo non in Santra minùs, quàm cæteris, temporis ordo obſervari. Quare eum Cæſaris, & Triumvirorum tempore, vixiſſe ſuſpicamur. Nec Grammaticis minùs jucundus Santræ labor fuit de verborum antiquitate, Feſto celebratus in *Nuncupata pecunia*, & in *Recinium*; item Nonio in *Septemfariam*, & in *Genialis*. Etiam *Santra Nunciis Bacchis* citatur ab eodem in *Bacchari*, & in *Expergo.* Meminere etiam Santræ Chariſius lib. 1. & Scaurus in Orthographia.

Septimius inter eos fuit, qui Alexandri Severi vitam retulerunt; teſte Lampridio, qui ſub Diocletiano vixit. Ut Septimius, nec Alexandro Mammeæ antiquior, nec Diocletiano junior eſſe poſſit. De eo ſic, quem dixi, Lampridius in Alexandro Severo: *Addit Septimius, qui vitam ejus non mediocriter exſecutus eſt, tanti ſtomachi Alexandrum fuiſſe in eos judices, qui furtorum famâ laboraſſent, etiamſi damnati non eſſent; ut, ſi eos caſu aliquo videret, commotione animi choleram evomeret.* Eâdem in vitâ meminit illius his verbis: *Contrà autem, & Septimius, & Acholius, & Encolpius, vitæ ſcriptores, cæterique, de hoc talia prædicaverunt.* Alius ab hoc eſt Q. Septimius, qui Dictyos Cretenſis lib. VI. de bello Trojano dicitur tranſtuliſſe. De eo judicium noſtrum poſtea, inter ſcriptores præteritos, adferemus.

Servatius Ædicellus Agrippinas vitam S. Willebrordi carmine heroico panxit; ut auctor eſt Joannes Lelandus. Non dubito, quin priorum veſtigiis inſtiterit. Sed de eo meliùs, qui viderint, judicabunt.

Simon Tornaquitius Florentinus, monachus Ordinis B. Auguſtini, præter ſermones Quadrageſimæ, (quos doctrinâ eſſe refertos, Michaëlis Pociantii judicium eſt in catalogo ſcriptorum Florentinorum) etiam vitæ S. Monicæ, matris B. Auguſtini, in literas retulit. Collecta eſt ea ex Auguſtini ipſius Confeſſionum libb. Verùm poſtea fœtui huic in decimo operum B. Auguſtini tomo, ſed abſque nomine parentis, locus eſt attributus. Sermones Tornaquitii, unà cum memoratâ Monicæ vita, Florentiæ adſervantur MSSi in S. Spiritus bibliotheca, Poſſevino teſte.

C. Julius Solinus Grammaticus (profeſſionis id nomen in vett. libb. apponitur) librum edidit ex variis ſcriptoribus, Plinio imprimis (unde aliquando verba etiam haurit) collectum: quem cum prius *Collectanea rerum memorabilium* vocaſſet, poſtea *Polyhiſtorem* inſcribere maluit. Apud Priſcianum lib. 1. conjunctim legitur *Collectaneorum vel polyhiſtoris* titulus. Libro II, V, & XVIII pro eo dicit *Solinus in Memorabilibus.* Imò & ſemel eum in *Admirabilibus* citat. Niſi, ut puto, *Memorabilibus* legendum. Sanè etiam in aliquot libris Solini manuſcriptis inſcriptio eſt *Collectanea rerum memorabilium.* Quæ primæ editionis ἐπιγραφὴ fuit, pro qua poſtea hanc auctor repoſuit: *C. Julii Solini polyhiſtor ab ipſo editus, ac recognitus.* Utcumque autem ferè Plinium exſcribit, quandoque tamen non alios modò, ſed etiam ab eo diſcedit. Ut cùm ait, apud Ægyptios annum fuiſſe quatuor menſium. Nam Plinius terminatum dicit lunæ ſenio. Vide eum lib. VII. cap. XLVIII. Non pauca verò ſelegit judicio non ita magno: unde *leviſſimum ſcriptorem* vocari video à Scaligero in Euſebianis Animadverſionibus *a*. Non dedignati tamen eum lectione, & mentione ſuâ, è Grammaticis, Servius *b*, & Priſcianus *c*; è SS. Patribus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus: uti & auctor vitæ S. Rumoldi. Sed ea ante annos vix amplius quàm quingentos ſcripta. Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicis, quæ Supplementum ſupplementi inſcripſit, ait eum floruiſſe Auguſti temporibus: eique ſuum opus dicâſſe. Nempe *Auguſto* legit pro eo, quod in vulgatis, nunc *Autio*, nunc

a P. 226.
b *In 2 G.*
c *In 6.*

nunc *Advento* legitur: unde Delrio, vel *Avito*, vel *Antio* legendum conjectabat. Veriſimile eſt unam epiſtolam Adventio, alteram Auctio, vel Avito fuiſſe inſcriptam. Cæterùm Auguſto legi non poſſe, argumento eſt, quòd Veſpaſiani ipſe meminerit Solinus; unde eum, aut Veſpaſiani ætate, aut paullò pòſt vixiſſe, colligit Geſnerus Tom. IV ſuæ bibliothecæ. Quia verò tam multa ex Plinio exſcribit, ut etiam Pliniana ſimia dici meruerit; Plinii eum ætate vixiſſe, ac propterea ejus, per quem magnopere profeciſſet, nuſquam meminiſſe, Joannis Camertis, & aliorum, ſuſpicio eſt. Atque hoc eo quoque firmatum eunt, quia Solinus ipſe dicat in præfatione operis, ſe hauſiſſe ſua de ſcriptoribus *receptiſſimis*. Sed validius argumentum hoc foret, ſi *recentiſſimis* dixiſſet. Nam hodie quoque, quo minùs Plinius receptiſſimus dicatur, nihil impedit. Nec video, quid ultrà pro ſe adducere Genebrardus poſſit, qui ad Trajani eum tempora refert in Chronicis ſuis; quo loco de Evariſto, & Jacobo agit: atque idem facit Gualterius in Tabb. Chronographicis a. Sanè ſi ex ſtylo judicium fieri debet, ſeſquiſeculo, & ampliùs, poſt Plinium vixiſſe dixerim. Nec juniorem eſſe poſſe, oſtendunt, quæ de eo diſſerit Salmaſius prolegomenis in Solinum. Imò Eraſmus cùm in Ciceroniano eum Floro & Eutropio ſubjungit, utroque etiam juniorem crediſiſſe videtur. Scaliger præfatione in opus de Emendatione temporum ſubjungit Macrobio, ac utrumque appellat infimæ antiquitatis ſcriptorem. Ut Macrobio juniorem cenſuerit. Quod falſum eſt, ſi Macrobius ejus meminerit, ut ſcribit M. Antonius Delrio præfatione in Solinum, quæ eſt ad Cardinalem Granvellam. Et eum ſecuti idem aliquando ſenſimus. Sed omnino errat Delrio. Nuſquam enim Solini meminit Macrobius. Multo tamen Macrobio junior eſſe nequit. Si ejus B. Hieronymus meminit. Nam Macrobius Theodoſii M. temporibus vixit: Ac ſub eodem Theodoſio, ac imprimis filiis ejus Honorio, Arcadioque claruit Hieronymus. Imò Macrobius quædam habet, quæ non dubium, quin ex Solino exſcripſerit. Nempe illa de annorum diviſione & diebus intercalaribus. Quemadmodum & Priſcianus ſive alii Dionyſii περιηγητῦ interpres, clauſulas carminum Solino debet. Exſcripſit & quædam Ammianus Marcellinus. Scripſit etiam Ponticon, ſive de ponto carmen: cujus ſolùm vigintiduo primi verſus ſuperſunt. Eos habes inter epigrammata, & poëmatia vetera Pariſiis edita. Emendatiùs verò leguntur apud Salmaſium prolegomenis in Solinum. Idem Salmaſius rectè monet, potius Πόντια, quàm Ποντικὰ inſcribi debuiſſe, quia à ponto pro mari eſt πόντιος h. e. πελάγιος ſeu marinus. At à regione Ponto Ponticus dicitur. Ac Solino propoſitum deſcribere animalia maris, ut Ovidio in Halieuticis. Barthius Adverſ. lib. XLIV, cap. III. cenſet hunc eſſe primum Solini conatum, nec librum ab eo perſcriptum eſſe. Sunt qui Solinum Græcum fuiſſe arbitrentur. Quos falli liquet, ſatis ex Polyhiſtoris cap. II, XVI, XXXVI, XLVII, XLVIII, LVII. Exſtat hic ſcriptor, & manuſcriptus in publica bibliotheca Academiæ Cantabrigienſis, & eadem urbe in bibliotheca domus S. Petri, & Oxonii in Collegio S. Magdalenæ. Ante ſexcentos annos à monacho carmine eſt verſus heroico, quod carmen ſupereſt.

a P. 171.

Statius Seboſus videtur commentarium reliquiſſe de terris longinquis, earumque miraculis. Solinus cap. LV: *Aquæ etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Statius Seboſus inter præcipua miracula ait vermibus abundare, cæruleis nomine, & colore. Hi bina habent brachia, longitudinis cubitorum non minùs ſenûm; adeò robuſtis viribus, ut elephantos ad potum ventitantes mordicus comprehenſâ ipſorum manu rapiant in profundum.* Et cap. LX: *Ultra Gorgonas Heſperidum inſulæ, ſicut Seboſus affirmat, dierum quadraginta navigatione in intimos maris ſinus receſſerunt.*

Statius Valens, ut Alexandro Severo junior, ita Diocletiano antiquior eſt. Sed exactè, quando vixerit, non ſatis liquet. Meminit ejus Lampridius in vita Alexandri Severi. *Neque*, inquit, *in vitâ ejus id expoſuit Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens, qui omnem ejus vitam in literas miſerunt.*

Stephanus Cremonenſis explicuit vitam S. Ubaldi, epiſcopi Eugubini, & confeſſoris. Fortaſſe eadem eſt, quæ apud Surium, ſed ſtylo mutato, legitur Tom. VII, ad diem XVI Maji.

Stephanus presbyter Anglus, fuſè conſignavit vitam S. Wilfridi. Quæ verò ab eo verboſè tradita ſunt, compendio conſtrinxit Guilielmus Malmesburienſis.

Sulpitius Alexander compluribus libris Francorum hiſtoriam deſcripſit. Ponam de eo, & ex eo, verba Gregorii Turonenſis lib. II. Hiſt. Francorum: *De Francorum verò regibus, quis fuerit primus, à multis ignoratur. Nam cùm multa de eis Sulpitii Alexandri narret hiſtoria; non tamen regem primum eorum ullatenus nominat: ſed duces eos habuiſſe, dicit: quæ tamen de eiſdem referat, memorare videtur. Nam cùm dicit, Maximum intra Aquilejam, amiſſâ ſpe imperii quaſi amentem reſidere, adjungit:*
„ *Eo tempore Genobaldo, Marcomere, & Sunnone du-*
„ *cibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus*
„ *mortalium limite irrupto cæſis, fertiles maximè pagos*
„ *depopulati, Agrippinenſi etiam Coloniæ metum incuſſe-*
„ *re. Quod ubi Treveros perlatum eſt, Nanninus, &*
„ *Quintinus, militares magiſtri, quibus infantiam filii,*
„ *& defenſionem Galliæ, Maximus commiſerat; collecto*
„ *exercitu, apud Agrippinam convenere. Sed onuſti præ-*
„ *dâ hoſtes provinciarum opima depopulati, Rhenum*
„ *tranſiere, pluribus ſuorum in Romano relictis ſolo, ad*
„ *repetendam depopulationem paratis, cum quibus con-*
„ *greſſus Romanis accommodus fuit, multis Francorum*
„ *apud Carbonariam ferro peremptis. Cumque conſulta-*
„ *retur de ſucceſſu, an in Franciam tranſire deberent;*
„ *Nanninus abnuit, quia non imparatos, & in locis ſuis*
„ *indubiè fortiores futuros, ſciebat. Quod cùm Quinti-*
„ *no, & reliquis viris militaribus, diſplicuiſſet; Nanni-*
„ *no Mogontiacum reverſo, Quintinus cum exercitu cir-*
„ *ca Nivifium caſtellum Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à*
„ *fluvio caſtris, caſas habitatoribus vacuas, atque ingen-*
„ *tes vicos deſtitutos, offendit. Franci enim, ſimulato*
„ *metu, ſe in remotiores ſaltus receperant, concadibus*
„ *per extrema ſylvarum procuratis. Itaque univerſis do-*
„ *mibus exuſtis, in quas ſævire ſtoliditas ignava victoriæ*
„ *conſummationem reponebat, noctem ſollicitam milites*
„ *ſub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo,*
„ *Quintino prælii duce, ingreſſi ſaltus, in medium ferè*
„ *diem implicantes ſe erroribus viarum, toto pervagati*
„ *ſunt: tandem cùm ingentibus ſeptis omnia à ſolido clau-*
„ *ſa offendiſſent, in paluſtres campos, qui ſylvis junge-*
„ *bantur, prorupere: molientibus, hoſtium rari apparue-*
„ *re: qui conjunctis arborum truncis, vel concadibus ſu-*
„ *perſtantes, velut è faſtigiis turrium, ſagittas, tormen-*
„ *torum ritu, effudere, illitas herbarum venenis, ut ſum-*
„ *ma cutis, neque letalibus inflicta locis vulnera, haud*
„ *dubiæ mortes ſequerentur. Dehinc majori multitudine*
„ *hoſtium circumfuſus exercitus in aperta camporum, quæ*
„ *libera Franci reliquerant, avidè effuſus eſt: ac primi*
„ *equites voraginibus immerſi, permixtis hominum ju-*
„ *mentorumque corporibus, ruinâ invicem ſuorum oppreſ-*
„ *ſi ſunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calca-*
„ *verant, implicati limo, ægre explicantes greſſum, rur-*
„ *ſus ſe, qui paullò antè vix emerſerant, ſylvis trepidan-*
„ *tes occuluerunt. Perturbatis ergo ordinibus cæſa legio-*
„ *nis, Heraclio Jovinianorum tribuno, ac penè omnibus,*
„ *qui militibus præerant, extinctis, paucis effugium tutum*
„ *nox, & latibula ſylvarum, præſtitere. Hæc in tertio*
*Hiſtoriæ libro narravit. In quarto verò libro, cùm de interfectione Victoris, filio Maximi tyranni, narraret, ait:* „ *Eo tempore Carietto, & Syrus, in locum Nannenis*
„ *ſubrogati, in Germania cum exercitu oppoſito Francis*
„ *diverſabantur. Et poſt pauca, cùm Franci de Germania prædas tuliſſent, adjecit:* „ *Nihil Arbogaſtis diſ-*
„ *ferre volens, commonet Cæſarem, pœnas debitas à Fran-*
„ *cis*

„ *cia exigendas; niſi univerſa, quæ ſuperiori anno, cæſis legionibus, diripuerant, confeſtim reſtituerent; auctoreſque belli traderent, in quos violatæ pacis perfidiam puniretur. Hæc alia, cùm duces eſſent, retulit:* & deinceps, ait: „ *Poſt dies pauculos, Marcomere & Sunnone, Francorum regalibus, tranſacto curſim colloquio, impetratiſque ex more obſidibus, ad hyemandum Treveros conceſſit. Cùm autem eos regales vocet, neſcimus; utrùm reges fuerint, an vices tenuerint regum. Idem tamen ſcriptor, cùm neceſſitates Valentiniani Auguſti commemorat, hæc adjungit:* „ *Dum diverſa in Oriente per Thracias geruntur, in Galliis ſtatus publicus perturbatur. Clauſo apud Viennam palatii ædibus principe Valentiniano, & penè infra privati modum redacto; militaris rei cura Francis ſatellitibus tradita; civilia quoque officia tranſgreſſa in conjurationem Arbogaſtis; nulluſque ex omnibus ſacramentis militiæ obſtrictis reperiebatur, qui familiari principis ſermoni, aut juſſis, obſequi auderet. Dehinc refert, quòd eodem anno Arbogaſtes, Sunnonem, & Marcomerem, ſubregulos Gallorum, gentilibus odiis inſectans,* „ *Agrippinam, rigente maximè hyeme, petiit; ratus tutò omnes Franciæ receſſus penetrandos, urendoſque, cùm decuſſis foliis nudæ atque arentes ſylvæ inſidiantes occulere non poſſent. Collecto ergo exercitu, tranſgreſſus Rhenum, Bricteros, ripæ proximos, pagum Actiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus eſt, nullo unquam occurſante; niſi quòd pauci ex Ampſivariis, & Chattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium jugis apparuere. Iterum hic relictis tam ducibus, quàm regalibus, apertè Francos regem habere deſignat: hujuſque nomen prætermittens, ait:* „ *Dehinc Eugenius tyrannus, ſuſcepto obſidionali procinctu, Rheni limitem petit, ut cum Alamannorum, & Francorum regibus vetuſtis fœderibus ex more initis, immenſum eâ tempeſtate exercitum gentibus feris oſtentaret. Hæc ſuprà ſcriptus hiſtoriographus de Francis diſſeruit.*

Symmachus ſcripſit hiſtoriarum libros, ex quorum quincto Jornandes in Geticis *a* luculentum adfert fragmentum de Maximini imp. è gente Gothica nati mirâ fortitudine, & quâ ratione pervenerit ad imperium. Utrùm autem Symmachus iſte ſit, qui præfectus Urbis, & conſul, Theodoſii temporibus fuit, ac cujus habemus x epiſtolarum libros: vel an Symmachi patris, qui ad inſtar Varronis in Hebdomadum libris epigrammata condidit in præſtantes ſui ſeculi viros, ut ex ejus ad filium epiſtola *b*, & reſponſo filii cognoſcimus: an verò alius ab utroque ſit, dicere non poſſum: ſed magis eo inclinat animus, ut diverſum cenſeam.

a Cap. 15.

b Lib. 1. epiſt. 2, & 3.

## T.

Teo, (niſi is Theo, vel Theon potiùs dictus) monachus, opus reliquit de S. Othmari virtutibus, & miraculis: quod ſupereſt MSum apud Helvetios in bibliotheca S. Othmari.

Theobaldus epiſcopus poſteritati notus eſt vitâ Guilielmi confeſſoris, Comitis Pictavorum, & eremitæ; qui anno obiit cIↄ clvi. Habes apud Surium T. 1 a. d. x Febr.

Theobaldus monachus ad Sigebertum, Lerinenſem præpoſitum, ſcripſit vitam S. Gummari confeſſoris; qui claruit in aula Pipini regis. Eam Surius Hiſtoriæ ſuæ ſanctorum inſeruit T. v. Oct. xi. MSa ſupereſt in rubra valle juxta Bruxellam. Meminit & Baronius ad an. Iↄ cclxxv. Sed de ætate Theobaldi nihil addit.

Theodoricus, Caſſinenſis monachus, auctor hymni in S. Maurum abbatem, teſte Arnoldo Wion, etiam celebratur vitâ S. Firmini, primi Ambianenſis in Galliis epiſcopi; qui temporibus Diocletiani martyrio deceſſit vii Kal. Oct.

Theodericus *archiepiſcopus Trevirenſis* fuit an. cIↄ cccc xc, ac præter librum de laudibus B. Virginis Mariæ, etiam vitam conſcripſit S. Lindrudis: ut quidem legitur in epitome Geſneriana Simleri. Sed non dubito, quin peccatum hac parte ſit. Nam ab anno cIↄ cccc xlix, uſque ad an. cIↄ Iↄ v, archiepiſcopatum Trevirenſem obtinuit Joannes Marchio Badenſis. Quare, quis iſte Theodericus ſit, aut quando vixerit, dicere non poſſum. Scio, Theodericum quendam circa annum cIↄ c abbatem fuiſſe monaſterii S. Trudonis, ac vitam ſcripſiſſe S. Landradæ. Penè eſt, ut eum ſignari arbitrer; ut non modò error ſit in auctore, ſed etiam ſanctæ ipſius nomine. Sanè, quæ ſit illa S. Lindrudis, necdum reperio. At de S. Landrada, nulli ignotum puto.

Aliquantò poſtquam iſta jam literis commiſiſſem, ecce incido in annales Epiſcoporum Trevirenſium conſcriptos à Meſſiao Minorita. Ibi lego, Henrico, qui archiepiſcopus Trevirenſis factus eſt anno Iↄ cccc lxv, ſucceſſiſſe Theodericum, antea præpoſitum Eccleſiæ Moguntinæ: deceſſiſſe autem Theodericum anno Iↄ cccc lxx. Eſſeque hunc illum ipſum, à quo exarata eſt vita S. Lutrudis. Ita enim appellat, atque addit, ſacram hanc virginem requieſcere Corbejæ. Quæ ſi ita ſunt (& ſanè in rebus Trevirenſibus, non eſt cur temerè fidem ei detrahamus, cùm illas ex profeſſo tractaverit) totis quingentis annis, & ampliùs, in Theoderici ejus ætate, aberravit Simlerus: uti &, qui eum hâc in re ſequitur, Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro.

Theophilus, Sergius, & Hyginus, æquales S. Macarii Romani, vitam ejus ſcripſere: quæ exſtat in vitis SS. PP. Ætas Macarii Romani parùm explorata eſt: ac proinde & trium iſtorum, quos Macarii vitam in literas miſiſſe dicebam. Imò multa commentariolum iſtum planè reddunt ſuſpectum: quæ ſponte ſe ingerent ei, qui ſine præjudicio eam, ſeu hiſtoriam, ſeu fabellam, legere volet. Sanè incerta eſſe acta hæc, Baronius quoque fatetur: etſi, quæ offenderent, præteriret. Nempe in re aperta non putavit verbis ullis eſſe opus.

Thomas Grains, teſtante Briano Twyno lib. iii *a* de antiquit. Acad. Oxon. auctor eſt Chronici, quod inſcribitur *Scala mundi*. Id opus cùm hactenus non viderim, dicere haut poſſim, idemne, an aliud ſit, ac *Scala chronici*: cujus auctor, ſed falsò, creditus eſt Lelando Otterburnus Minorita: ut dicebam lib. ii cap. lvi. Ubi & conjectabam, fortaſſe non dici *Scalachronicon*, ſed *Scotochronicon*. Sed, ut dixi, de opere necdum viſo, nihil certi poſſum adferre.

a P. 277.

Thomas Winchecumbus, Anglus, Wigornienſis, monachus Eveshamenſis ordinis S. Benedicti, cœnobii ſui Chronicon poſteris reliquit: ut Guilielmus Botonerus in Antiquitatibus Anglicis, atque ex eo Lelandus refert.

Titus Ampius (niſi veriùs *Tampius*, ut Fulvio Urſino placet) videtur hiſtoricum quid prodidiſſe. Suetonius lib. i cap. lxxvii: *Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat, ut T. Ampius ſcribit: nihil eſſe Rempublicam, appellationem modò ſine corpore ac ſpecie*; (Caſaub. *ac re*) *Syllam neſciſſe literas, qui Dictaturam depoſuerit: debere homines conſideratiùs jam loqui ſecum, ac pro legibus habere, quæ dicat.* Julii Cæſaris æqualem fuiſſe, ſuſpicor.

Titus Livius de Frulovisiis (fictum nomen videtur) reliquit vitam invictiſſimi Anglorum Franciæque Regis Henrici V. MSus exſtat Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

## V.

Valerius Marcellus, ſive potiùs *Marcellinus*, prout in vett. membranis legitur, fuit inter hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores; ut indicant hæc verba Capitolini in Maximo, & Balbino: *Placet aliqua dicere de moribus, atque genere; non eo modo, quo Junius Cordus eſt proſecutus omnia; ſed illo, quo Suetonius Tranquillus, & Valerius Marcellinus.*

Ubertinus Puſculus ſcripſit de excidio Conſtantinopolis. Citat Cuſpinianus in imperatoribus ſuis.

Vedaſtini Monachi, pro diverſis temporibus, variè auxere vitam S. Vedaſti ab Alcuino ſcriptam: ac imprimis addiderunt exempla Dei vindicis adverſus eos,

qui in bona, aut jura monaſterii Vedaſtini, ſacrilegè involaſſent.

Venonius à pleriſque *Vennonius*, ſed perperàm, vocatur. Eſt enim id nomen è *Venox* factum; quomodo ab indagandis aquarum venis C. Plautius eſt dictus, Fontino teſte. Venonius hic celebratur à Tullio lib. XII ad Att. *At moleſtè fero, Venonii hiſtoriam me non habere.* Exilem fuiſſe, oſtendit iſte Ciceronis locus in primo de Legibus: *Si ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias: quid tam exile, quam iſti omnes?* Dionyſius Halicarn. lib. IV Antiq. cùm Fabii, & Catonis de tribubus ſententiam attuliſſet; refert etiam, quid ſenſerit Ουεννώνιος a, atque eum ἀξιοπιστότερον b eſſe dicit. Quid de Romuli, & Remi ortu, idem Venonius prodiderit, refert ſcriptor de Origine gentis Romanæ. Apud Tullium pro Corn. Balbo mentio eſt Venonii Vindicii: Verrinâ V autem Sexti Venonii. Video eſſe, qui hiſtoricum ſignari cenſeat. Quod ſi eſt, Ciceroni fuerit æqualis. Sed, puto, eſt hiſtoricus is Tullio antiquior.

a *Vennonius.*
b *Fide digniorem.*

Vibius Sequeſter, ut poëtæ meliùs intelligantur, ſcripſit ad Virgilianum, filium ſuum, libellum de fluminibus, fontibus, lacubus, montibus, nemoribus, & gentibus: quorum omnium nomina ſecundùm literarum ſeriem digeſſit. Eum libellum primus Romæ Mazochius, exinde Venetiis excudit Aldus: ſed emendatiùs poſtea, ex MSSorum codicum fide, edidit eundem Joſ. Simlerus. Hujus Vibii Sequeſtri in antiqua inſcriptione mentionem fieri, apud Glandorpium a lego. Sed locus mihi nondum in inſcriptionibus, quòd meminerim, occurrit. De Æthici hiſtoriis de Græco Latinè redditis à B. Hieronymo: planè nugæ ſunt, cùm Viri eruditiſſimi, qui legerunt, (nec dum prodiere in lucem) planè indignas cenſeant Hieronymo, atque in iis etiam teſtis ipſe advocetur Æthicus.

a *In Onomaſt. Rom.*

Ulricus de Urimaria, Germanus, monachus Auguſtinianus, de origine ſui ordinis opus condidiſſe dicitur à Philippo Bergomate, & exinde à Poſſevino. De quo, uti de aliis multis, plura dicerem, niſi hactenus effugiſſet manus meas.

Walterus Abbas cognitus eſt poſteris vitâ B. Vindiciani, epiſcopi Attrebatenſis: qui S. Lamberti æqualis fuit, ac S. Eligium vidit ſenem, & circa annum obiit IↃ C XCV. Exſtat ea vita MSa in monte S. Eligii; ubi & Vindiciani eſt ſepultura. In lucem verò edidit Hatæus in epitome de vitis ſanctorum a. d. XI Mart.

Windignotus Anglus, hiſtoriam Saxonum conſignavit: ut Balæus reperit in Guilielmi Hormanni, vicarii Heronenſis præpoſiti, bibliotheca. Ambigit Balæus, an non idem hic ſit, ac Windichinus Saxo. Sed jure alium eſſe, arbitratur Pitſeus.

# ADDITAMENTUM
# DE HISTORIOGRAPHIS
## INCERTÆ ÆTATIS.

### A.

Alexander Olibertus, hiſtoriam condidit Ordinis Prædicatorum: quæ Bononiæ exſtat in bibliotheca S. Dominici.

Anna Pferingerin, Germana, anno CIↃ CCCC XLIV electa fuit Abbatiſſa ſecunda monaſterii Neuburgenſis, ac ſeptennio pòſt obiit. Germanica lingua ad Ludovicum Bavariæ ducem ſcripſit vitam S. Hilarii.

Anonymus poëta vetus panxit annales Caroli M. quos edidit Reineccius.

Anonymus poëta carmine ſignavit res geſtas Julii Cæſaris, eoque nomine municipio ab eo dignatus. Saxo grammaticus initio lib. VI. *Eximium exigui poëmatis pretium famam quoque Cæſarianæ retributionis exceſſit. Divus ſiquidem Julius victoriarum ſuarum toto orbe editarum ſcriptorem illuſtraturumque, municipio donare contentus exſtitit.* Quis poëta is fuerit, nunc non occurrit.

Anonymus Chronica condidit, ſive Memoriale de factis in Marchia, & prope Marchiam Tarviſinam. Auctor eſt accuratus & bonæ fidei: ut intelligo ex V. CL. Balthaſare Bonifacio, qui eum exſtare auctor eſt apud V. C. L. Georgium Georgianum.

Antonius Bendinellus Lucenſis vitam ſcripſit P. Cornelii Scipionis Africani Æmiliani, qui & Numantinus eſt vocatus. Prodiit Florentiæ anno CIↃ IↃ XLIX.

Argentræus condidit Hiſtoriam Britannicam: ex cujus lib. II. cap. XXVII, Baronius ad annum IↃ CCC LXIX citat epiſtolam Salomonis, Britanniæ regis ad Hadrianum Papam, Hadriani reſponſum, item Salomonis literas de fundatione monaſterii juxta Plelanum.

Aſcar librum ſcripſit de vita Mahomedi, cujus meminit Bellonius in libro Singularum Obſervationum.

Aſſon ſcripſit hiſtoriam ſancti Berchorii abbatis: quam in promtuario Tricaſſinarum antiquitatum edidit Nicolaus Camuſatius.

### B.

Nec prætereundus Baptiſta Paliarinus, qui Italicè quidem ſcripſit; ſed Latinum tamen nactus eſt interpretem. De eo ſic Leander in deſcriptione Marchiæ Tarviſinæ a: *Multas Vicentia nobiles & antiquas familias habet: ut refert Baptiſta Paliarius. Scripſit is ab initio Vicentiæ patria uſque ad ſua tempora libros ſex: primum de origine urbis & imperio, præterea de fide civium, de amplitudine urbis, de agri ejus fertilitate, de viris illuſtribus, de familiis claris quæ periere, ac nobilitate præſentium libros ſingulos: quos omnes Arnardus Vicentinus patriæ ſtudio ac honore ductus è vernaculis fecit Latinos, nobiſque qua eſt humanitate ſingulari, communicavit.*

a *P. 734. edit. Col.*

Becanus. Hoc de opere non magnificè admodum ſenſit Gerardus Volpardus, *vir prudens*, qui, (ut de eo ſcribit Gerardus Geldenhaurius Noviomagus præfatione in Germanorum hiſtoriam) *multis civitatum ac principum conventibus legatus interfuerat. Hic, ut idem paulò poſt ait, cùm vidiſſet chronicon Hollandiæ à doctore Becano conſarcinatum, dicebat, Becanum videri ſibi ſimilem, imperito fabro lignario, qui ædificandæ domus materiam abſque temporis delectu cæſam, convexiſſet ignorans, quæ ligna cui domus parti, quæ teredinibus & ceſſis maximè obnoxia, quæ ad firmitatem, quæ ad commoditatem, quæ ad ornatum utiliora forent.*

Bencius Longobardus omnium populorum ac regum hiſtoriam ab orbe condito ad ſua uſque tempora deduxit.

Bernardinus Falconius de miraculis B. Mariæ de Laureto, MSuſque exſtat Piſauri in bibliotheca ducis ſereniſſimi.

Bernardus Vapovius rerum Polonicarum commentarios aggreſſus: de quibus ita ampliſſimus vir Joannes Herburtus de Fulſtin in præfat. Chronici ſui: *Bernardus autem Vapovius poſt omnes illos ſuperiores*, (Vincentium Cadlabcum, utrumque Joannem, Dlugoſſum, & Miechovienſem) *politiore quidem eloquio, & veritatis indagandæ ac poſteritati prodendæ ſummo ſtudio uſus eſt: ve-*

*rum hunc, aut immatura mors, aut negotia Reip. à cœpto opere cùm revocaſſent, fragmenta tantummodo hiſtoriæ nobis reliquerunt, partum verò maturum inviderunt.* Idem Herburtus ſemel iterumque auctoritate ejus utitur lib. I. cap. II. uti & cap. IV.

Bilius Armoricanus Levita à Simlero vocatur, homo caſtigatæ tum fidei, tum eloquentiæ, diciturque vitam ſcripſiſſe S. Machuti, ſive Maclovii, Britanni. Sed non aliam S. Maclovii vitam hactenus contigit videre, quam quæ nomen præfert Sigeberti, monachi Gemblacenſis. Non tamen primus eam Sigebertus in literas retulit. Cùm in præfatione dicat, ab antiquiore quodam, ſed barbarè & incompoſitè eſſe deſcriptam, ita ut quaſi nullius auribus digna in oblivionem omnium venerit: eoque ſe compulſum, ut ſcriptum iſtud corrigeret, ac limaret, reſervata interim hiſtoriæ veritate.

C.

Craſtonius Gorippus *a* compoſuit libros Joannidis: ſive de geſtis Joannis Boëmiæ regis, qui deceſſit anno CIↃ CCC XLVI. Libri iſti in Budenſi bibliotheca exſtitere. Memorat Cuſpinianus in opere de Impp. *a Aliis Corippus.*

D.

Donatus diaconus, & monachus monaſterii S. Trudonis, reliquit vitam S. Trudonis: ut eſt auctor Poſſevinus. Equidem vidi eam vitam Trudonis, cujus apud Surium auctor eſt Theodoricus abbas: vidi & illam Molani in indiculo ſanctorum Belgii: ex quibus duabus ſuum contexuit Hatæus in epitome Sanctorum: vidi denique & MSam Trudonis vitam in anonymi Brabantiæ Chronico MSo, quod Amſtelodami in publica adſervatur bibliotheca. Sed quæ nomen Donati præferret, nondum contigit videre.

E.

Enguerranus de Monſtrelet Gallus, vixit anno CIↃ IↃ: ac Gallicè hiſtoriam Gallicam condidit, ab eo tempore exorſus, ubi deſinit Froſſardus, inque ſuis temporibus deſinens. Bonæ fidei eſſe, judicium eſt Popilierii lib. VIII de hiſtoricis.

F.

Franciſcus Bartolus Aſſiſias Ord. Min. reliquit quædam de paſſione Domini, item hiſtoriam S. Mariæ de Portiuncula.

G.

Galeacius Capella patria fuit Mediolanenſis, ut Leander ait in Italia ſua, quo loco de eruditis ejus urbis viris agit. Natus fuit anno CIↃ CCCC LXXXVII Nonis Martii. Condidit libros VIII de bello Mediolanenſi, bellis in Italia geſtis, ac imprimis Mediolanenſi ab anno CIↃ IↃ XXI uſque ad ann. CIↃ IↃ XXX. Obiit anno CIↃ IↃ XXXVII, III Eid. Sextiles.

Gordianus Gothus de rebus Germanicis teſtis advocatur Eraſmo Stellæ Libonotano initio libri I de antiquitatibus Boruſſiæ.

Gregorius Caſſinenſis ſeu Benedictinus monachus, ſcripſit de captis Hieroſolymis, & de tranſitu peregrinorum ad terram ſanctam, carmine lib. I. quem fecit rogatu Bernardi Balnenſis epiſcopi. Item de paſſione S. Reſtitutæ virginis, & de paſſione SS. Caſti & Caſſii, & de vita S. Geraldi Epiſcopi, & Confeſſoris, atque alia. Obiit Piperni, civitate regni Neapolitani.

Gualterus Briſtollenſis, Abbas cùm ſermones aliquot, tum ſui etiam temporis hiſtoriam reliquit.

Guido abbas ord. B. Dionyſii prope Lutetiam, volumina duo reliquit de vitis Sanctorum.

Guicardus Monachus & abbas S. Trudonis, congregationis Cluniacenſis, Latinè ſcripſit vitam S. Trudonis.

Gulielmus, Lateranenſis Cancellarius, à Cuſpiniano refertur inter auctores, quorum operâ uſus eſt opere de Impp.

H.

Henricus Dandalus Venetorum hiſtoriam ſcripſit. Ex qua aliqua de Frederico II. adfert Collenutius lib. IV Hiſt. Reg. & ex eo Leander in Italia ſua, ubi Capitaniatam, Apuliæ planæ partem, deſcribit.

Hermannus Dalmata, & Robertus Ketenenſis: Saracenorum Chronica, de vita Mahumetis & ſucceſſorum ejus: item librum de generatione Mahumedis, & nutrione ejus, ex Arabico vertit Hermannus Dalmata: eſtque ea tranſlatio edita cum Alcorani epitome ex Alcorano excerptâ, Latineque edita partim ab hoc Hermanno Dalmata, partim ab Roberto Ketenenſi, ſive Kenetenſi, vel, ut in aliis libris eſt, Renetenſi, ex Angloſaxonibus Britanno, Archidiacono Papelenſi. Vixere ambo circa annum CIↃ C XX. tempore Petri abbatis Cluniacenſis, cujus hortatu hæc tralatio fuit ſuſcepta, ut in præfatione ad Petrum Cluniacenſem teſtatur, is quem dixi Robertus Ketenenſis.

I.

Jacobus, Neoburgici, ſeu Neuburgenſis monaſterii præfectus conſignavit genealogiam Auſtriacam ante Lazium: ut Georg. Fabricius ait Orig. Saxon. lib. II *a*, IV *b*, VI *c*. *a P. 100. b P. 446. c P. 572.*

Joannes de Granario opus de hiſtoriis & hiſtoricis reliquit: ex cujus parte prima in verbo *Invenire*, quiddam de etymo inſtrumenti quod Albeonam quaſi al-by-on, dici ait, adfert Brianus Twynus lib. II *d*, de antiquitate Oxonienſis Academiæ. *d P. 217.*

Joannes Miechovienſis. Joannes Herburtus de Fulſtin præfatione in compendium ſuum Hiſtoriæ Polonicæ: *Primum, quod ego ſciam, Vincentius Cadlubcus rudi ac impolito ſtylo res Polonorum annotavit verius, quàm deſcripſit. Poſt eum verò ſecuti ſunt Joannes Dlugoſſus, & Miechovienſis, diligentiâ ac fide in perſcribenda hiſtoriâ ſingulari: cæterùm non eo ordine ac verborum ſententiarumque gravitate uſi, ut ad externorum optimis literis purgataſque & teretes aures ſcripta illorum penetrare poſſent.*

Jo. Baptiſta Bonacoſſus de Eſtenſibus ſcripſit.

Ivonis, abbatis Gluniacenſis, hiſtoria figuralis exſtat MSa apud Helvetios in monaſterio S. Galli.

K.

Kemmingius, Præpoſitus S. Galli in Helvetia, excerpſit geſta Francorum ab anno IↃ CCC VIII uſque ad IↃ CCC XXVI. Habes ea MSa in monaſterio S. Galli.

M.

Mainardus, Imolanus epiſcopus, multa de Frederico II. ſcriptis mandavit: ut ait Leander in deſcriptione Italiæ.

Martius Guaſſus hiſtoriam perduxit uſque ad an. CIↃ CCCC XXIV.

C. Memmius. *Quam ſtultè confictа, quam apertè ementita ſunt.* Citat Priſcianus in VIII. ac ementita interpretatur ἐψευσμένα. Flavius Caper lib. de Orth. dicit *macellum* eſſe tantum numeri ſinguli, etſi Memmius dicat, *iſta macella*. Et Nonius in Clivus ait, *Neutri, apud Memmium invenimus, cum auctoritas dubia eſt, ille ardua nitens fortuna eſcendere cliva.* Apud Servium lib. IV Æn. dicitur *Gaius Memmius de triumpho Luculli* ſcripſiſſe *Syriaci calceoli gemmarum ſtellati coloribus.*

Monachus Pegavienſis condidit hiſtoriam de Viperto Marchione: quæ incipit ab anno CIↃ XL, ac terminatur in anno CIↃ CXXIV. Edidit Reineccius.

N.

Nicolaus Horius Rhemenſis præter alia, quæ apud Poſſevinum legere eſt, vitam ſcripſit beatæ Barbaræ: item hiſtoriam cujuſdam Mariæ.

Nicolaus Tegrimius, patritius Lucenſis, juriſconſultus, poſt honores in patria geſtos deſcripſit vitam Caſtruccii *e*, Lucenſis, Piſani, ac Piſtorienſis tyranni. Egregiâ fide id opus exaraſſe, Paulli Jovii eſt judicium: tum in Caſtruccii, tum in Tegrimii elogio. Utrobique autem Machiavellum *e Pariſiis Jo. Becardus edidit an. 1546.*

cxa-

exagitat, quòd in gratiam Florentinorum, quos maximis ſæpe cladibus affecerat Caſtruccius, nimis tanti ducis geſtis detraxerit.

## P.

Pancratius Juſtinianus Venetus præter Paradoxa librum edidit de Ariſtocratia Venetorum.

Papiæ & Carini hiſtoricorum meminit Leander in deſcriptione Italiæ, quo loco de Piceno tractat.

Petrus Bembus Venetus Cardinalis, Venetiis natus eſt XIII Kal. Jun. anno CIↃ CCCC LXX. A Paullo III. Pont. adſcitus fuit in Collegium Cardinalium. Meminit & libri ſui de Urbini ducibus, lib. III epiſtolâ ad Sadoletum cujus initium, *Cum Venetias*. Meminit & dialogi ſui de Metaurenſium ducibus, epiſtola ad Herculem Gonzagam Cardinalem, quæ exſtat libro VI epiſtolarum. Obiit Romæ anno CIↃ IↃ XLVII. Vita ejus deſcripta à Joanne Caſa, prodiit Florentiæ *b*.

*b Apud Iuntam 1567.*

## R.

Raſſanus ſæpius à Leandro in Italiæ deſcriptione teſtis laudatur eorum, quæ ad Italiæ ſitum atque hiſtoriam pertinent: ut omnino & ipſe argumentum hoc tractaſſe videatur.

## S.

Schritovius antiquiſſimus Bojorum hiſtoricus, quem Aventinus reponit inter domeſticos ſcriptores, quos ſequatur in ſuis Annalibus.

Stephanus Luſignanus Cyprius ipſe, Cypriam hiſtoriam ſcripſit.

His etiam temporibus in literis verſabatur inque opere Patavinorum annalium condendo diſtrictus fuit Stephanus Venturatus. Sed Caroli demum temporibus edidit: ut qui illud perduxerit uſque ad annum CIↃ IↃ XXIII. Orditur autem ab anno CIↃ CLXXIV, qui ingenti incendio memorabilis eſt, unde ad eum quem dixi annum per conſules & prætores progreditur. Deceſſit anno CIↃ IↃ XXVII. Quorum mihi indicium à Clariſſimo viro, Laur. Pignorio.

## T.

C. Trebonius librum, ut puto, edidit de dictis ſive jocis M. Tullii. Sanè hoc indicare videntur verba illa, Tullii lib. XV epiſt. ult. quæ ad ipſum eſt Trebonium: *Liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationem amoris tui! primùm quod tibi facetum videtur, quicquid ego dixi; quod aliis fortaſſe non item. Deinde quod illa ſive faceta ſunt, ſive ſic fiunt, narrante te, venuſtiſſima: quin etiam antequam ad me veniatur, uſus pene omnis conſumitur.* Unde cognoſcitur, multa præmiſiſſe, antequam veniret ad Ciceronis dicta. Continuo ſubdit: *Quod ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me, tam diu cogitaviſſes; ferreus eſſem, ſi te non amarem. Cum verò ea, quæ ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitare non potueris: non poſſum exiſtimare, plus quemquam à ſe ipſo, quam me à te amari, cui quidem ego amori, utinam cæteris rebus poſſem, amore certè reſpondebo: quo tamen ipſe tibi confido futurum ſatis.* Fabius Quinctilianus dubitare videtur an libri de jocis Ciceronis fuerunt Tironis. Fortaſſe igitur Trebonii fuerint, ſed à Tirone, vel alio, adaucti. Hujus Trebonii ad Ciceronem epiſtola eſt ſextadecima libri XV: ex qua cognoſcimus etiam invectivam feciſſe, ſive in M. Antonium, ſive in alium quempiam iſtarum partium, aut civem ſaltem improbum, atque eum finiſſe opus hoc ſuum quopiam, quod Cicero cum Trebonii honore dixiſſet. Sed Trebonium ipſum audiamus: *Concinnavi tibi munuſculum ex inſtituto meo, & dictum, cum magno noſtro honore à te dictum, concluſi, & tibi infra ſubſcripſi.* Exinde de opere hoc ſuo ita refert: *In quibus verſiculis ſi tibi quibuſdam verbis εὐθυρρημονέστερος videbor, turpitudo perſonæ ejus, in quam liberius invehimur, nos vindicabit. Ignoſces etiam iracundiæ noſtræ, quæ juſta eſt in ejuſmodi & homines & cives. Deinde qui magis hoc Lucillio licuerit aſſumere libertatis quàm nobis? cum, etiamſi odio par fuerit in eos, quos læſit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.*

## V.

Valerius, Hipponenſis præſul, cui S. Auguſtinus ſucceſſit, de vita monachorum, & alia quædam compoſuit; ut ex Volaterano refertur in epitome Geſneri.

Vulcatius Sedigitus librum de poëtis ſcripſit. Inde judicium ejus de comicis promit Gellius lib. XV. cap. XXIII.

## W.

Wigandus Vietor Theologus & hiſtoricus anno natus eſt CIↃ CCCC LVII Kalandis Maji: atque obiit anno CIↃ IↃ XXII. VI Kal. Sept. ut tradit Elias Reuſnerus in diario hiſtorico.

# DE ANONYMIS ÆTATIS INCERTÆ.

ATque eorum, quos proximè recenſuimus, nomen quidem compertum habemus: at ætatem non item. Sunt verò alii quoque, quorum nec promere nomen poſſimus, nec ætatem. Ut in univerſum quatuor ſint hiſtoricorum claſſes. Quorundam enim & nomen ſcimus, & ætatem: quorundam ætatem, haut nomen: quorundam nomen, non ætatem: quorundam nec nomen, nec ætatem. Ex quibus poſtremi deinceps explicandi ſunt nobis. In iis ne nullus ſit ordo, in argumento, quod tractarunt, literarum ſeries obſervabitur.

Agmen ducat antiquus auctor Chronici de monaſterio *Abentonenſi*, ſeu Aventonenſi, quod & Abonenſe, ſeu Avonenſe, nominatur. Eſt autem Albone ſeu Avone, prout Ptolomæus vocat, (*Avington* vulgo dicitur) vicus exiguus Gloceſtriæ juxta flumen Sabrinam. Anonymus ille imprimis ſequitur Gualterum Hemingforde, Canonicum Giſbornenſem: ut obſervat is, qui præfatur in Matthæum Weſtmonaſterienſem. Aliqua ex eo adfert quo-
a P. 142. que Brianus Twynus lib. II *a* de antiquitate Academiæ Oxonienſis.

Alius in literas retulit vitam *B. Aleidis* Scarenbekæ, virginis ſacræ in camera B. Mariæ apud Bruxellam, quæ vitâ exceſſit anno CIↃCCL. Ea vita MSa invenitur in monaſterio Rubræ vallis apud Bruxellam: ut in Chronico Ci-
b P. 259. ſtertienſi Miræi *b* lego.

Incertus quidam *Alexandri Magni* vitam exaravit: ſed prodigioſis plenam mendaciis. Nec nuperum eſſe fœtum, indicat, quòd etiam ante quatuor ſecula ejus meminerit Silveſter Gyraldus. Manuſcriptum ſe habere, ait Barthius Adverſariorum lib. II. cap. X: uti & ante eum Franc. Juretus, notis in Symmachi lib. X. epiſt. LIV. qui auctorem appellat Æſopum, ac interpretem ejus Julium Valerium. Sed & auctoris, & interpretis nomen fictitium eſt. Nec dubium, quin monachus quiſpiam Latinè, ut potuit, ſcripſerit. Videndum, idemne, an alius ſit liber, qui inſcribitur *Alexandrides*, eſtque de geſtis Alexandri Magni. Cujus MSum exemplar eſt in bibliotheca publica Academ. Cantabrigienſis [exaratum] anno CIↃCCCLXIII, IV Octobr. ut eſt apud Thomam [Jameſium]. [Præfatio] ejus incipit hoc pacto, *Moris eſt [aſinis]*, &c.

Auctor Latinus vel interpres libri de vita Apollonii Tyrii editus eſt ab ampliſſimo clariſſimoque Marco Velſero: ac MSus quoque exſtat in bibliotheca Rauracorum. Eum non multo poſt Caſſiodorum vixiſſe, ſuſpicio eſt Barthii Adv[erſ]ariorum lib. XIV. cap. IX. qui ipſo opere non pauca ejuſce ſcriptoris, partim corrigit, partim illuſtrat. Multa ſanè habet veſtigia antiqui moris Romani. *Dulcem & eruditum ſcriptorem*, vocat idem Barthius lib. LVIII. cap. I. Nec alienus eſt ab eorum opinione, quibus videtur vitæ hujus auctor, vel interpres SY[M]POSIUS, centum ænigmatum conditor, ex quibus ænigmatis ſapientum ſuorum doctrinam efformavit Apollonianæ vitæ ſcriptor. Anno CIↃ IↃ Conſtantinus quiſpiam Græcè eum tranſtulit verſibus politicis: ut clariſſimo, & nobis amiciſſimo, Joanni Meurſio monitum. Imò & Gotfridus Viterbienſis in Pantheo ſuo Latinis eum verſibus qualibus-qualibus concluſit.

Anonymus condidit hiſtoriam *Aquitanicam*: cujus fragmentum ex ſcheda pervetuſta exſtat in corpore hiſtoriæ
c Francof. Franciciæ ex bibliotheca Petri Pithœi in Germania edito *c*.
an. 1596. Orditur ab obitu Hugonis Capeti: ac deſinit in morte Philippi Pulchri, quæ incidit in annum CIↃCVIII, atque eclipſi, quæ biennio pòſt contigit.

Anonymus reliquit *Auguſtenſe Chronicon*: ex quo Matthæus Mareſcalcus de Bappenheim, J.U.D. & Canonicus Auguſtanus, exceptum dedit ab an. IↃCCCCLXXIII uſque ad annum CIↃCIV. Exhibuit Freherus in Scriptoribus Germanicis à ſe editis.

Idem Matthæus Mareſchallus ex incerto ſcriptore *Auſtralis Chronici* antiqui, exceptum exhibuit ab anno Domini IↃCCCLII uſque ad annum CIↃCCCXXVI. Repræſentat ſimiliter Freherus in ſcriptoribus veteribus rerum Germanicarum. Atque accedit ibidem ejuſdem hiſtoriæ Auſtralis pars plenior de geſtis ſub Rudolpho Habſpurgenſi, Adolpho Naſſovio, & Alberto Auſtriaco: nempe ab anno CIↃCCLXXVI, uſque ad annum CIↃCCCIII.

Alius, juſſu Folcardi, abbatis Blandinienſis, ſignavit vitam *S. Bertulphi* Confeſſoris, quæ eſt apud Surium a. d. V Febr. Bertulphus is obiit circa annum IↃCLXXX. Corpus ejus Rentica Bononiam Galliæ, inde Harlebecam, tandem Blandinium (id Gandavi eſt monaſterium S. Petri) tranſlatum fuit: quod anno contigit IↃCCCCLV: ut cognoſcere eſt ex hiſtoria Gerardi Bronienſis, & Jo. Molani Natalibus in S. Gudualo. Cæterùm in ejus thecam etiam S. Amalbergæ, & aliorum ſanctorum reliquiæ tranſlatæ fuerunt, tempore Alexandri PP. & Philippi Francorum regis anno Chriſti CIↃLXXIII: quemadmodum in vita Bertulphi capite ultimo refertur.

Anonymus antiquus, natione Britannus, monachus cœnobii *de Briton* ſeu Bruton, hujuſce monaſterii ſui annales reliquit: qui ſic incipiunt, *Wilhelmus Conquaſtor, dux Normanniæ, venit in Angliam*, &c. Eorum teſtimonio ſe tuetur Brianus Twynus lib. III *a* de antiquitate a P. 283.
Acad. Oxon.

Anonymus Anglus, monachus Benedictinus in cœnobio Dunelmenſi, *chronica* poſteritati reliquit: quorum Pitſeus meminit opere de ſcriptoribus Britannicis.

Incerti nominis monachus *Cluniacenſis* opuſculo quodam enarrat, quâ occaſione, & à quibus, caput *S. Clementis* papæ, & martyris, Conſtantinopoli tranſlatum ſit Cluniacum. Hujus libelli poſterior pars refertur verbis ipſis DALMATII DE SERCIACO, viri nobilis & literati; qui cum Pontio de Buſſeria Clementis hoc caput furto abſtulerat, &, uti voverat cum ſocio, Cluniacenſi obtulerat Eccleſiæ. Quod factum anno CIↃCCVI, temporibus Innocentii Papæ, & Philippi Francorum regis. Tractatus autem, quem dixi, editus fuit à Roſtango, Cluniacenſi monacho: atque ex MSo expreſſus legitur in bibliotheca Cluniacenſi Martini Marririi.

Nec prætereundus nobis auctor *Francorum* annalium, ex quibus Caniſius Tom. III. Antiqu. Lect. luculentum annorum LII fragmentum exhibet. Incipit illud ab anno IↃCCXLI: deſinit autem in anno IↃCCXCIII. Multa ex hoc ſcriptore reſtitui poſſunt in Rheginone, qui eum, mutato aliquantum ſtylo, exſcribere ſolet. Verba Rheginonis de eo ſunt hujuſmodi ad annum IↃCCCXIV: *Hæc, quæ ſuprà expreſſa ſunt, in quodam libello reperi, plebeio, & ruſticano ſermone compoſita: quæ ex parte ad Latinam regulam correxi; quædam etiam addidi, quæ ex narratione ſeniorum audivi.*

Ignotus etiam eſt Annalium Francicorum conditor: unde Pythœus puſillum fragmentum, quod codici legis Salicæ ſubjunctum invenerat, antiquis annalium ſcriptoribus, quos primus edidit, ſubjunxit.

Item alius eſt, unde luculentum fragmentum, nempe ab anno IↃCCVII, uſque ad annum IↃCCXC, ex peranti-quo codice Nazariano Marquardus Freherus edidit, in corpore veteris ac ſynceræ hiſtoriæ Franicæ.

Eſt & alius perantiquus auctor operis, quod inſcribitur, *Geſta Regum Francorum epitomata:* atque exſtat in eodem Corpore hiſtoriæ Francicæ, quod curâ Marquardi Freheri prodiiſſe, diximus. Concinnata ſunt geſta hæc, tum ex Gregorio Turonenſi; tum ex anonymo illo vetuſto; unde & conſarcinator operis, quod Aimoini nomine à potiori parte nuncupatur, ad verbum ea exſcripſit, quæ lib. IV. à cap. XLI. uſque ad caput LII, leguntur.

Quando ætatem egerit ſcriptor vitæ *S. Furſei*, non tam clarum eſt, atque ipſa Furſei ætas: quam verba illa in ea vita indicant: *A Francorum rege Clodoveo, & Patritio Erchenaldo, honorificè ſuſceptus, monaſterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, conſtruxit.* At Clodoveus Francis imperare cœpit anno Chriſti CCCCLXXXV. ac rexit annis XXX. Verba ea Furſei leguntur apud Surium ad diem XVI Jan. Videtur auctor fuiſſe par Furſeo, vel ſanè ſuppar. Saltem antiquum eſſe, docet, quòd ejus vitæ meminit, imò ad verbum multa exinde exſcribit, Beda Eccleſiaſticæ Anglorum hiſtoriæ lib. III. cap. XIX.

Auctor de vita *Guilielmi Conqueſtoris* primùm cum Thoma Walſingam, & aliis Anglicarum, Normannicarum, & Hibernicarum rerum ſcriptoribus, publicatus fuit à Guilielmo Camdeno; qui & ejus operis parentem eſſe ſuſpicatur Guilielmum Pictavenſem, Luxoviorum Archidiaconum.

Scriptor vitæ *B. Landelini*, abbatis Criſpinienſis, quæ apud Surium exſtat a. d. XV Jun. ſatis eſt antiquus; cùm ejus ante annos penè ſexcentos meminerit Baldericus in Chronico Cameracenſi lib. II. cap. XXXVIII. Imò longè Balderico antiquior videtur. Nam ait in præfat. ſe *dicturum illa, quæ hominum veridicorum narratione comperit.* Quæ accipio, non de ſcriptis; ſed ſermone eorum, qui vel noviſſent Landelinum, vel ſaltem à parentibus, aut majoribus, iſta accepiſſent. Quare videtur fuiſſe non ita multò poſt B. Landelinum. Is autem fuit temporibus Dagoberti, Francorum regis, ejuſque ſucceſſoris, Clodovei II, cùm Romæ ſederet Martinus: hoc eſt, circa ann. IↃCL. Vide &, quæ infrà dicam de Philippo, abbate Bonæ ſpei.

Anonymus de vita Ludovici, octavi ejus nominis Galliarum regis, qui pater S. Ludovici fuit, ex bibliotheca Petri Pythœi comparet in corpore Hiſtoriæ Francicæ in Germania excuſæ a.

a Francof. Wecheli. an. 1596.

Incertus auctor, ſed, ut creditur, Silviniacenſis cœnobii monachus, in literas miſit vitam *S. Majoli*, abbatis Cluniacenſis IV: ac præterea compoſuit IV libros de miraculis ejuſdem Majoli. Habes in bibliotheca Cluniacenſi.

Anonymus reliquit *Chronicon Manniæ*, quæ inſula eſt inter Britanniam & Hiberniam: atque alio nomine Mona, vel Menavia nominatur. Videtur ſcriptum à monacho, vel monachis cœnobii in Ruſſin, quod præcipuum inſulæ oppidum eſt. Ex antiquo illud codice edidit, & ſuæ deſcriptioni Britanniæ addidit Guilielmus Camdenus. Incipit ab an. CIↃXLVII: ac deſinit in an. CIↃCCLXVI. Sed manu alia, ac recentiori, paucula ei ſunt addita de an. CIↃCCLXX, & CIↃCCCXIII, & CIↃCCCXVI.

Anonymus tranſtulit ex Hebræo hiſtoriam *Matthiæ* Apoſtoli. Eam verſionem in antiquiſſimis membranis reperit Wolphangus Lazius, atque unà cum Abdia Babylonio edidit in lucem Oporini opera anno CIↃIↃLI.

Anonymus memoriæ prodidit vitam *Maximiliani*, epiſcopi Laureacenſis, Celenæ in Pannonia martyrio affecti temporibus Decii imp. & Xyſti II papæ. Exſtat ea vita in bibliotheca Formbacenſi eleganter deſcripta: ex qua complura ſe hauſiſſe fatetur Gaſpar Bruſchius lib. I. de Patavio Germanico. In bibliotheca etiam Tornacenſi ſupereſſe, auctor eſt Molanus.

Nec magis nomen ejus compertum habemus, à quo conſignata eſt vita S. Meinwerci, Paterbornenſis epiſcopi; qui temporibus fuit Henrici Claudi; imò & conſanguineus ejuſdem, ac familiaris; ut ex ea vita ſatis liquet. Fortaſſe aliquis ſcriptorem eum Meinwerci æqualem credat. Sed recentiorem eſſe, oſtendit, quòd cap. XLVIII referat, ut Rotho, ſucceſſor Meinwerci epiſcopi, dedicârit Eccleſiam S. Galli anno Chriſti CIↃXLIII. item quòd cap. LII mentionem faciat Imadi, qui ex ſorore Meinwerci natus fuit, ac Rothoni in epiſcopatu ſucceſſit. Denique quòd cap. LXXVI, expendens decreta Synodi Selingenſtadienſis de jejunio quatuor temporum, obducat iis auctoritatem Gregorii VII, qui Romanus eſt factus epiſcopus anno CIↃLXXIII. *Unus*, inquit, *Gregorius Papa ejuſdem nominis VII, qui Hildebrandus monachus, ejuſmodi varietatem, & confuſionem, ſecundum Apoſtolicæ normæ conſuetudinem, reformare cupiens*, &c. Quare Gregorio hoc antiquior eſſe nequit.

Incertus ſcriptor condidit Chronicon *Montis-Sereni*, cœnobii in diœceſi Magdeburgenſi. Quod incipit ab anno CIↃXXIV: ac deſinit in CIↃXLV. Hujus MSum codicem habuit Marquardus Freherus: quem ſe Meibomio edendum dediſſe, refert ipſe in Director. hiſtoricorum, quod ſcriptoribus rerum Germanicarum à ſe publicatis præmiſit.

Nec vel nomen, vel ætatem ejus ſcimus, qui vitam ſignavit Beati *Morandi Confeſſoris*, monachi Cluniacenſis, diſcipuli S. Hugonis abbatis Cluniacenſis. Eam ex MSo cod. expreſſit Martinus Marrier in biblioth. Cluniacenſi.

Eſt & anonymus, monachus *Ochſenhauſanus*; qui breviter conſtrinxerit vitam *Henrici à Zuſaltach*, Suevi; qui Prior in eodem fuit monaſterio. Eam reperies apud Henricum Caniſium Tomi IV. parte ſecundâ.

Alius, natione Anglus, egit de bellis, & aliis rebus geſtis regis Angliæ *Richardi* I. Adſervatur MSus in Collegio S. Magdalenæ.

Diſcipulus Eberhardi, archiepiſcopi Saliſburgenſis, explicuit vitam *S. Ruoberti*, ſeu Rudberti, primi Saliſburgenſis epiſcopi, Bojariorum, ut vocant, Apoſtoli. Habes apud Caniſium Tom. II. Antiq. Lect. & correctius auctiuſque Tom. VI.

Anonymi exſtat hiſtoria *ſcholaſtica*, quæ, ut inſcriptionis verba retineam, eſt *ſuper novum teſtamentum cum additionibus atque incidentiis.* Excuſa eſt, ut ibidem dicitur, *in Trajecto inferiore per magiſtros, Nicolaum de Ketelaer, & Gerardum de Leempt, anno* CIↃCCCLXXIII. Eſtque de vita Chriſti, & Apoſtolorum: ſed Scripturis adjiciuntur non pauca, quæ eas illuſtrent; imprimis ſiqua oboriatur difficultas. Invenire eſt, cùm alibi, tum in bibliotheca publica Amſtelodamenſi.

Auctor Chronici de geſtis *Simonis Comitis* prodiit in lucem typis antiquis, nec expreſſo typographi nomine. Inſcriptio eſt ejuſmodi: *Præclara Francorum facinora, &c. non impigrè geſta ab illuſtriſſimo principe, montiſque Fortis comite.* Luculentum ex eo opere locum adducit N. Camuzatius Trecaſſinus, epiſtolâ eâ, quam Petri Sarnenſis Hiſtoriæ Albigenſium præmittit.

Diſpiciendum quoque de ætate ejus, qui condidit Chronicon *Suarzachenſe*. Ejus MSum exemplar in bibliotheca fuit Marquardi Freheri.

Nec facile eſt promere ætatem, quâ vixerit auctor chronicorum monaſterii *Udalrici, & Afræ*, apud Auguſtam Vindelicorum. Quod chronicon Henricus Stero locis aliquot interpolavit. Hujus pars ab anno CIↃCLII, uſque ad annum CIↃCCLXV, comparet in veteribus rerum Germanicarum auctoribus à Frehero repræſentatis.

Anonymi martyrologium, quod & *Viola Sanctorum* inſcribitur, typis in lucem prodiit an. CIↃCCCCXCIX. Exſtat in publica Amſtelod. bibliotheca. Sed non tanti eſt, ut de eo plura hîc dicamus. Idem judicium eſto de multis aliis, quorum tum auctor, tum ætas incerta eſt: quæ idcirco præterimus. Etſi nec ignorem, compluria ſupereſſe, quæ referre operæ pretium foret. Sed quæ ejuſmodi ſunt, ea commemorare non deſugiam, cùm plus otii nactus ero: nec deerunt unquam bonorum amantes ſtudiorum, qui & illa omnia, quæ me fugerint, ſuâ ſuppleant induſtriâ.

LIBRI

# LIBRI TERTII PARS TERTIA; Quæ eſt DE HISTORICIS PRÆTERMISSIS.

## CAPUT I.

*Hiſtorici prætermiſſi à nobis libro primo: hoc eſt, qui anteceſſerint tempora Severi imp. Ut ſunt, Marcellus Marci filius de SS. Petri & Pauli certamine cum Simone mago. Papinius Statius Germanicorum, & Dacicorum auctor, juxta nonnullos. Sex. Julius Frontinus de ſtrategematis. Claudius Pollio de vita Muſonii Baſſi. Appuleius Mileſiarum conditor, & fortè epitomes hiſtoricæ. Corvinus Clemens, ſeu Celer, de geſtis Alexandri Magni. Eutychius Proculus Siccenſis. Incertus de martyrio Felicis, Fortunati, & Achillei. Maſus epiſcopus de martyrio Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii.*

LAboris hactenus inſumti nondum pœnitet. Attamen animus jam fatigatus finem reſpicit, atque optat, ut lectorem, bonis multis oneratum votis, tandem liceat dimittere. Nec quicquam adeò ab eo revocat inſtituto, quàm metus iſte, ne parùm aliis ſatisfaciam, qui ipſi mihi nondum ſatisfacio. Veteres enim ſchedas meas verſanti; ſubinde etiam oculos, atque animum, alio, atque alio ſcriptore, paſcenti; ecce pluſculi ſe offerunt rei geſtæ auctores, quibus in hiſtoria noſtra de hiſtoricis, aliquis debeatur locus. Quare rectè me facturum puto, ſi eos etiam ſecundùm temporis ordinem digeram, ac quaſi ad ſigna ſua revocem. Si enim comitari priores haut potuerunt; at ſaltem nihil impedit, quo minùs bonis eos avibus conſequantur. Nempe illorum imitentur exemplum, qui, exercitu Urbe egreſſo, nomina demum militiæ dederint; aut morbo, aliâve ſonticâ de cauſſâ, domi fuerint detenti. Quales, non cum aliis quidem, attamen ſimul ac poſſunt, læti ſeſe in viam dant: nec itinere eo ceſſant, priuſquam, ut animis, ita iiſdem etiam caſtris jungantur. Quiſquis igitur memoratos antè hiſtoriæ ſcriptores conſiderare mecum dignatus es; ſi adhuc non diſplicui, etiam reſiduam operis partem, & quaſi mantiſſam, benignis adſpicere oculis grave, quæſo, ne duxeris.

Primus prodeat Marcellus Marci Fil. qui claruiſſe dicitur temporibus Neronis, & deinceps. De eo ſic Sigebertus initio operis de ſcriptoribus illuſtribus: *Marcellus, Marci præfecti urbis Romæ filius, ex diſcipulo Simonis magni, diſcipulus B. Petri Apoſtoli, conflictum Apoſtolorum, Petri & Pauli, cum Simone mago, cui aſſiduus interfuit, rogatu Chriſtianorum, qui non interfuerant, fideliter conſcripſit, & Eccleſiis Dei prope, vel procul poſitis, legendum conceſſit. Ad ſanctos, Nereum, & Achilleum, pro Chriſto in Pontiana inſula relegatos, ſcripſit de mirificis actibus B. Petri, & Pauli, & de magicis artibus Simonis Magi. Scripſit de obitu ſanctæ Petronellæ virginis, filiæ B. Petri Apoſtoli. Scripſit de paſſione S. Feliculæ virginis, & martyris. Scripſit de paſſione S. Nicomedis, presbyteri Martyris.* Sed commentitiis ſcriptis impoſitum fuit Sigeberto: etſi hac parte eum ſequi non dubitârit Tritthemius.

Papinius Statius (Statio enim cognomen ei, non Papinio, contrà quàm multi putant, qui Statium Papinium vocant) Domitiani ævo longè lateque radios ſui nominis ſpargebat. Præter ea, quæ ſuperſunt, Germanica, ac Dacica, condidit: ut quidem apud Popelinierum lego lib. VI. Hiſtoriæ Hiſtoricorum. Vellem tamen addidiſſet, quo argumento compulſus ſic ſenſiſſet. Nihil enim tale de eo Crinitus; imò nec longè hoc doctior, & diligentior, Gyraldus. Poëtam cum cum ſcholiis in Thebaida, quæ ex Hygino, Servioque, majori ex parte ſunt excerpta, primus edidit doctiſſimus Franciſcus Tiliobroga. Is poëtam hunc *Papinium Surculum* nominat. Imò jam olim, in commentariis ſuis hoc cognomen agnovit Auguſtinus Dathus Senenſis. Nec longe abit, quod in quibuſdam vett. libb. eſt, Urſulus, vel Surſulus, quod eſt in codice manuſcripto bibliothecæ in Academiâ Cantabrigienſi. Sed ut in Plauto Menæchmi duo errorem pepere; ita hic Statii duo: unus rhetor, cognomine Surculus, patria Toloſanus; qui Neronis tempore fuit: alter poëta, patriâ Neapolitanus; qui floruit ſub Flaviis, ac maximè ſub Domitiano. Cui rei jam ab aliis obſervatæ, non ulterius inſiſtam. De certamine ſuper patria ejus, vide Picarti Celtopædiam. Meminit Statii inter alios Wippo, panegyrico in Henricum III:

*Ex noſtris monitis calebat Statius auctor*
*Thebanos juvenes miſeros diſcernere flammis.*

Papinius quoque intelligendus apud B. Hieronymi æqualem Sulpitium Severum; quando dialogo III citat hunc verſum, ut vocat, Scholaſticum.

*Captivumque ſuum mirantibus intulit Argis.*

Sextus Julius Frontinus, prætor urbanus fuit, Veſpaſiano II, ac Tito Coſſ. ut ait Tacitus lib. IV. Hiſtor. quod fuit anno V. C. DCCCXXIII. Eo ejurante hanc dignitatem cepit Domitianus. Conſularem virum appellat Ælianus lib. de inſtruendâ acie; præfat. ad Hadr. Cæſar. cap. I. in conſulum tamen ſerie nulla ejus mentio, ut fuiſſe videatur ex conſulibus in demortui locum ſuffectis. In pretio erat temporibus Nervæ, ac Trajani. Unde Ælianus in proœmio libri de inſtruendâ acie, quem Hadriano dicavit, ait, Frontinum idem argumentum tractâſſe, atque eum ſuæ ætatis ſcriptorem vocat. *Frontinum*, inquit, *noſtræ ætatis virum conſularem.* Sed apertius id eſt ex ipſo Frontino. Nam Nervæ ſe juſſu de aquæductibus agere, in præfatione libelli de iis, auctor eſt. Idem in prologo libri de agrorum qualitate, & controverſiis limitum, non alium, quàm Trajanum, deſignat, cùm loquitur *de maximo imperatore, qui victoriam Dacicam proximè reſeraſſet.* Trajano autem dilectum fuiſſe, clarè arguit Vegetius lib. II. cap. III. his verbis: *Nam unius ætatis ſunt, quæ fortiter fiunt: quæ verò pro utilitate Reipubl. ſcribuntur, æterna ſunt. Idem fecerunt alii complures, ſed præcipuè Frontinus, divo Trajano ob ejuſmodi compro-*



Digitized by Google

*batus induſtriam.* Ubi ſignat libros Frontini de ſcientia militari. Quos edidit ante libros ſtrategematum: ut oſtendunt verba illa in prologo ejus operis: *Cum ad adſtruendam rei militaris ſcientiam, unus ex numero ſtudioſorum ejus acceſſerim; eique deſtinatiom (quantum cura noſtra valuit) ſatisfeciſſe viſus ſim: deberi adhuc inſtituta arbitror opera, ut ſolertia ducum facta, quæ à Græcis unâ* στρατηγημάτων *appellatione comprehenſa ſunt, expeditis amplectar commentariis.* Primùm autem tres tantùm ſtrategematum libros ſcribere decrêrat: uti fidem faciunt verba iſta in eadem præfatione: *Quo magis autem diſcreta ad rerum varietatem aptè collocarentur, in tres libros ea diducimus. In primo erunt exempla, quæ competant prælio nondum commiſſo. In ſecundo, quæ ad prælium, & confectam pacationem, contineant. Tertius inferenda ſolvendaque obſidionis habebit* στρατηγήματα*: quibus deinceps generibus ſuas ſpecies attribui.* His poſtea quartum adjecit; ut arguunt verba iſta, quibus in librum quartum præfatur: *Multâ lectione conquiſitis ſtrategematibus, & non exiguo ſcrupulo digeſtis, ut promiſſum trium librorum implerem, ſi modò implevi; in hoc exhibebo ea, quæ parum aptè deſcriptioni priorum ad ſpeciem alligata ſubjici videbantur; & erunt exempla potius ſtrategicῶν, quam ſtrategemata.* Et hæc, & ſequentia, ſatis indicant, librum iſtum compoſitum eſſe poſt tres libros ſtrategematum: ut omninò ſtultus ſit doctiſſimus Stewechius a, cùm ſuſpicatur, hunc, qui quartus vocatur, eſſe opus de re militari. Quod eum ante tres ſtrategematum libros elaboràſſe, mero meridie clarius eſt ex præfationis ea περικοπῇ, quam aliquanto ante adduximus. In catalogo Thomæ Jameſii extare dicitur manuſcriptus in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigienſis: ſed ibi vocatur Florentinus pro Frontino, credo, non quia ita ſit in manuſcripto, ſed errore typographi. Idem auctor eſt bis manuſcriptum extare Cantabrigiæ in bibliothecâ domus S. Petri: & Oxoniæ ſemel in bibliothecâ Collegii Lincolnienſis. Antiquiſſima ejus, quam videre contigerit, editio eſt illa, quæ caſtigata à Philippo Beroaldo, & Senatori Min. Roſcio dicata. Bononiæ prodiit apud Platonem Benedictinum Anno clↄ cccc xcv.

a In Vegetiu lib. 2. cap. 3. ad tiram.

Etiam Claudius Pollio Nervæ, & Trajani tempore, fuit. Magnificè laudatur à Plinio epiſt. xxxi lib. vi; ubi illum commendat Cornuto. Ad præſens inſtitutum pertinent hæc verba: *Idem quàm reverenter, quàm fideliter amicos colat; multorum ſupremis judiciis, in his* MUSONII BASSI, *graviſſimi civis, credere poteſ; cujus memoriam tam gratâ prædicatione prorogat, & extendit; ut* LIBRUM DE VITA EJUS *(nam ſtudia quoque, ſicut alias artes bonas, veneratur)* EDIDERIT *pulchrum. Iſtud & raritate ipsâ probandum; cùm plerique hactenus defunctorum meminerint, ut querantur.* In editione Aldina pro *Muſonii Baſſi* legas *Annii Baſſi.* Sed Muſonii, tum ea habet, quam Philippus Beroaldus recenſuit; tum illa, quam emendavit, ac notis ſuis illuſtravit Jo. Maria Catanæus.

Sub Antoninis impp. Marco, & Philoſopho, floruit L. Appulejus Madaurenſis. Cui etiam hic locus erit, ſi hiſtoriæ fabuloſæ ſcriptores recipimus. Nempe propter libros xi Mileſiarum (ut Capitolinus vocat) ſive de aſino aureo: quod opus de fonte expreſſit vel Luciani, vel Lucii Patrenſis. Unde initio operis dicit, ſe Græcanicam fabulam incipere. Imò ſcriptor iſte juſtiùs etiam hic ſibi vendicet locum ſi inter deperdita ejus opera fuit *Epitome hiſtoriarum*: ut à Colvio in vita Appuleji traditum eſt. Sed ex epitome quidem Appuleji quædam Priſcianus in ſexto operis ſui libro refert: at hiſtoriarum fuiſſe epitomen, non dicit. Conſcripſit & alia: ſed non hujus loci: velut Conviviales quæſtiones; Macrobio teſte lib. viii cap. iii, & x. & Sidonio Apollin. lib. ix epiſt. xiii. Item librum de Proverbiis; ut eſt apud Soſipatrum. Adhæc libros ludicrorum, aliaque, quæ partim ſuperſunt, partim à Servio, Nonio, ac Fulgentio, commemorantur.

Appulejo æqualis Clemens, qui carmine panxit geſta Alexandri; ut agnoſcimus ex Appuleji ipſius Floridis. Sic enim ſcribit: *Alexandri multa ſublimia ac præclara facinora edita fatigaberis admirando; vel belli auſa, vel domi proviſa: quæ omnia aggreſſus eſt meus Clemens eruditiſſimus & ſuaviſſimus poetarum, pulcherrimo carmine illuſtrare.*

Sed Divis fratribus etiam vivebat Corvinus Clemens, qui & vocatus eſt *Corvinus Celer.* Utrobique enim modo appellatur ab Appulejo in Apolog. ubi illum quæſtorem publicum, virumque ornatum nominat. De eo ſic Cuſpinianus Commentario in Caſſiodori coſſ. ad annum Urbis clↄ ccc xlv: *Fuit & olim Corvinus Clemens, eruditiſſimus, & poetarum ſuaviſſimus, Alexandri Macedonis geſta complexus, & Appulejo familiaris.* Atque idem ex eo Simlerus in bibliothecam; ex hoc, Glandorpius in Onomaſticon retulit. Vellem Cuſpinianus laudâſſet auctorem. Nihil quidem de eo, non dico Crinitus; ſed nec Lilius Gyraldus in ſyntagmate de poetis.

Eutychius Proculus Siccenſis in grammaticis præceptor fuit Antonini philoſophi: atque ab eo imperatore evectus eſt ad conſulatum. Hic de iis aliqua reliquit, quæ in peregrinis regionibus miranda inveniuntur. Diximus etiam de eo lib. i cap. xii.

Antonini philoſophi, aut Commodi temporibus, martyrio deceſſerunt Felix presbyter, & Fortunatus, atque Achilleus diaconus: quos B. Irenæus, Lugdunenſis epiſcopus, Valentiam ad prædicandum miſerat Euangelium. Habes acta horum martyrum apud Surium ad xxiii April. Eorum autem auctorem cenſet Surius iiſdem, ac martyres ipſos, temporibus vixiſſe; atque adeò patientibus iis præſentes adfuiſſe. Quod etſi aſſeverare neutiquam auſim; tamen utcumque ei ſententiæ favent hæc verba: *Quæ cuncta ſignorum virtutibus, tam gratiarum, quàm præconiorum ſuffragiis dilata, nequeunt ſufficienter narrationis tramite reſerari: cùm potiùs dignum ſit, contemplata, evidenti fide præferre; quàm audita, & ambigua, agnitione recipere.*

Circa annum c lxx, quantum conjectare licet, Maſſus, tertius Pariſienſium epiſcopus (ſi rectè inter Dionyſium Areopagitam, & hunc, ſolus Maſſus numeratur) *ſcripſit martyria ſanctorum, Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii;* ut ait Demochares lib. ii de miſſæ ſacrificio cap. xviii. Sed ea perierunt. Meminit Maſſi Hilduinus abbas in agone horum martyrum: *Lisbius*, inquit, *Lisbii martyrizati filius, Romam ductus ſub Domitiano, per tres Cæſares militavit: & ſub S. Maſſo epiſcopo (qui tertius à B. Dionyſio Pariſiorum rexit Eccleſiam) reverſus, omnibus, quæ ſunt mundi, relictis; baptizatus, & Religioſorum Chriſti pauperum numero eſt ſociatus.*

## Cap. II.

*De iis, qui referuntur ad proximos cc lxxxiii annos: nempe ab Severo imp. uſque ad Odoacrum. Quales hi exiſtimantur: Julius Africanus, Abdia, ut aiunt, interpres. Incertus ſcriptor auctorum de paſſione S. Mariani, & Jacobi diaconi. S. Zeno, auctor vitæ S. Arcadii. Turdulus Gallicanus; qui ephemeridem reliquit. M. Salvidienus, qui vitam deſcripſit tyranni Saturnini. Maximianus notarius, cui tribuitur vita S. Victoris. Q. Septimius Romanus, qui tranſtuliſſe putatur Dictyn Cretenſem. Auctor itinerarii à Burdigala Hieroſolymam uſque. Donatus, cujus eſſe dicitur vita Virgilii, & Terentii. Terentianus, qui de martyriis egit SS. Joannis, Pauli, & Ovinii Gallicani. B. Ambroſius, qui variorum SS. vitas & martyria exaravit. Gaudentius Brixienſis, à quo elucubrata ſupereſt vita S. Philaſtrii. Virius Nicomachus Flavianus, qui in antiqua inſcriptione vocatur hiſtoricus diſertiſſimus. Rutilius Claudius Numatianus, qui elegans poëma panxit de itinere ſuo.*

Atque iſti pertinent ad hiſtoriæ Romanæ ætatem virilem. Nam præcedunt hi tempora imperatoris Severi: unde

unde ſenectutem ejuſce hiſtoriæ lib. ſecundo auſpicati ſumus. Fuerit igitur hæc appendix libri primi. Proximè eos complectar, qui à Severi temporibus claruere, vel claruiſſe exiſtimantur, uſque ad occaſum imperii Romani: hoc eſt annum Chr. cccc LXXVI, quo Odoacer Herulus Italiæ rex ſalutatus fuit.

Principem hic locum tribuerit aliquis Julio Africano. Nam vixit is temporibus Severi imp. ac creditur Abdiæ Babylonii hiſtoriam certaminis Apoſtolici ex Hebræo ab Eutropio Græcè verſam de Græco feciſſe Latinam. Sed hanc ſententiam abundè refutavimus lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. IX.

Valeriani imp. temporibus, perſecutione octavâ, quâ & Cyprianus in Africa periit, S. Marianus, & Jacobus diaconus, ibidem paſſi ſunt martyrium. Acta verò horum, quæ apud Surium habes initio Tom. III, exarata videntur ab æquali. Quippe in iis legas iſta: *Qui* (Marianus & Iacobus) *prælium ſuum, quod inſtinctu Spiritus S. inierunt, in notitiam fraternitatis per nos venire juſſerunt: non quòd in terris vellent coronæ ſuæ gloriam prædicari: ſed ut præcedentibus experimentis Dei populus ad exemplum fidei poſſet armari.* Verùm cenſeo, acta ea itidem eſſe ſuppoſititia. Neque enim martyrum eorum mentionem invenio in martyrologiis antiquis. Prætteriere etiam Baronius in Martyrologio, & Haræus in vitis Sanctorum, ut alios mittam.

S. Zeno, epiſcopus Veronenſis, & martyr, ſub Gallieno imp. paſſus dicitur. Inter homilias ejus una exſtat de vita S. Arcadii. Sed homiliæ, quæ ejus ſub nomine prodierunt, non videntur admodum antiquæ. Sanè primus eas edidit Guarinus, Veronenſis orator, qui ante annos CXX floruit. Euſebius verò, Hieronymus, ac veterum alii, ne Zenonis quidem, nedum ſermonum ejus, ullam faciunt mentionem. Imò quædam illic homiliæ, vel ex Baſilio verſæ, vel ex Hilario, atque aliis ſanctis patribus, exſcriptæ comparent. Et certè, ut antiquæ ſatis forent, non tamen parens ejus fœtus vixiſſe poſſit ante annum CCCCXL, cùm in ſerm. de continentia dicat ipſe, *epiſtolam S. Pauli ad Corinthios ante annos fermè quadringentos, vel eo amplius*, ſcriptam fuiſſe. Movit hoc, ut in poſtremâ editione, pro *quadringentis* ſcriberent *trecentos*: ſed ex ſolâ conjecturâ. Præterea in iis ſermonibus legas quædam adverſus Arrium liquida adeò dicta, ut Galli eâ temporibus exarata eſſe non poſſint: ut aliqui ſaltem ſermones ſcriptoris tam antiqui eſſe non poſſint. Atque hanc etiam ſententiam tuetur adverſus eum, qui Veronenſi Zenonis editioni præfationem præmiſit, Baronius in Martyrologio Romano ad XII April. Hic tamen complures ſaltem ſermones eſſe genuinos haud diffitetur. At Sixtus Senenſis in bibliotheca patrum, qui ducentis prope annis poſt eum vixerint: imò ſi exceperis quæ ex Hilario exſcripta, aut Baſilio verſa, cætera non tam ſermones eſſe, quàm fragmenta ſermonum, atque ea ejuſcemodi, ut ſtyli diverſitas facilè diverſos arguat autores. Eadem exſcripſit Bellarminus etiam in ſcriptoribus, Baſilio & Hilario ferri debeant accepta, addit hæc verba, *de aliis non habeo, quod dicam, niſi aliquos eſſe breviſſimos, ut ſermones dici non mereantur, aliquos eſſe repetitiones aliorum, aliquos ita obſcuros, ut intelligi nequeant, &, quod me male habet, de his nullam apud veteres extare mentionem.*

Suppoſititiis tribus duos ſubjungo genuinos: quorum uterque fuerit ſub Probo imperatore. Prior eſt Turdulus Gallicanus: de quo ita Vopiſcus in imperatoris ejus vita: *Et quoniam me ad colligenda talis viri geſta ephemeris Turduli Gallicani plurimùm juvit, viri honeſtiſſimi, ac ſinceriſſimi; beneficium amici ſenis tacere non debui.*

Alter eſt M. Salvidienus, qui in literas retulit vitam tyranni Saturnini: quantum conjectare licet ex Flavio Vopiſco in Saturnini vita. Simlero in bibliotheca *Salindienus* perperàm vocatur.

Fortaſſe alicui etiam memorandus videatur Maximianus notarius. Siquidem elucubrâſſe dicitur vitam S. Victoris Mauri; quam habes apud Surium, Tom. III. a. d. VIII Maji. Ætatem collegerit aliquis ex illis in vitæ ejus extremo: *Hæc autem oculis meis inſpexi, Deo teſte, & ſanctâ Trinitate. Paſſus eſt igitur ſanctus Victor in urbe Mediolanenſi, VIII Id. Maji, & ſepulturæ mandatus eſt à S. Marino epiſcopo pridie Idus Maji, ſub Maximiano imperatore.* Sed & Maximianus iſte planè ſuppoſititius eſt: & hiſtoria ea commentitia. Sanè nec vetera habent martyrologia, nec Baronius, vel Haræus. Alius verò eſt Victor ille memoratus Gregorio Turonenſi de gloria martyrum lib. I. cap. XLVI: etſi eundem putânt Surius.

Q. Septimius Romanus Latinè creditur vertiſſe Dictyn Cretenſem de bello Trojano: eamque tranſlationem dicâſſe dicitur Q. Arcadio Rufino vel potius Aradio, qui ſub Conſtantino Imp. conſulatum geſſit anno Urbis CIↃ LXVIII. Sed quiſquis auctor eſt ejus operis, Latinè, non Græcè ſcripſit: Græcos tamen auctores cum judicio legit, atque ex iis excerpſit, quæ veritati conſentanea viderentur. Nec tamen Conſtantini ævo, ſed ſeculis aliquot pòſt, vixiſſe cenſeo: etſi ea ſit dictionis elegantia, ut non indignus omnino Conſtantini quidem ſeculo videatur. Quod imprimis paret ex editione nuperâ juxta MSSos codd. emendatâ, quæ Lutetiæ prodiit apud Rob. Stephanum. Pluſcula Septimii hujus loco illuſtrat ac emendat Barthius Adverſariorum lib. LVIII. cap. XI.

Incertus ſcriptor reliquit *Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque: & ab Heraclea per Aulonam, & per urbem Romam Mediolanum uſque.* Id primus in membranis reperit, atque exinde edidit, Petrus Pythœus: qui ſuſpicatur eſſe hominis Aquitani, ac ſimplici ſtylo ſcriptum eſſe ait circa tempora Conſtantini M. Quod unde conjectet, ex præfatione ejus petere licebit. Opuſculum hoc Antonini itinerario à Surita emendato ſubjungitur.

Ælius Donatus temporibus Conſtantii imperatoris in pretio erat. Præceptor in Grammaticis fuit B. Hieronymi: quemadmodum ſanctus hic vir profitetur, cùm alibi, tum lib. I adverſus Rufinum: *Puto, quòd puer legeris Aſperi in Virgilium, & Salluſtium commentarios, Volcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos ejus, & in Terentii comœdias, præceptoris mei Donati, æquè in Virgilium, & aliorum in alios.* Memoratur autem hoc loco à nobis, quia ſignâſſe vitam Virgilii Maronis: ut quidem vulgò exiſtimant. Sed etſi in eâ vitâ multa ſint bona, & ex antiquis hauſta: ſubinde tamen adſperſa videas, quæ indigna ſint tanto Grammatico. Quare cenſeo, opuſculum illud non eſſe ab Ælio Donato; ſed alio, minoris, ut nominis, ita judicii. Et ſanè in editione Fabricianâ vocatur vitæ ejus auctor Tiberius Claudius Donatus. Diximus quoque de hoc opinionem noſtram Oratoriarum Inſtitutionum lib. VI cap. II. Etiam Terentii vita Donato tribuitur. Sed eam Suetonii eſſe, monuimus hujus operis libro I, cap. XXXI.

Terentianus, vir conſularis, atque idem campiductor, floruit ſub liberis Conſtantini Magni, item Iuliano, & Ioviniano. Hic in poſteritatis notitiam venit conſignando martyrium SS. Ioannis, & Paulli: item Ovinii Gallicani, qui cum L. Aurelio Symmacho conſulatum geſſit an. Chr. CCC XXX; atque iterum poſt bellum adverſus Sauromatas. Habes eum commentariolum, apud Surium Tom. III ad Iun. XXVI. Ac ad verbum penè illum in martyrologio ſuo exſcripſit Ado, Archiepiſcopus Vienneſis: ubi & Terentianum hunc nominat, atque ab eo trium horum martyria deſcripta fuiſſe, locuples nobis teſtis eſt.

Tempore Theodoſii Magni excelluit inter Occidentis doctores B. Ambroſius: ac inter tot præclara monumenta etiam reliquiſſe dicitur vitam & martyrium S. Virginis & martyris Agnetis. Nec poſſum negare, legi eam vitam, non apud Surium modò, (qui inde probat, jam tempore Ambroſii celebratum fuiſſe feſtum S. Agnetis) ſed etiam in operibus Sancti ejuſce Patris, ubi eſt ſermo XC. Verùm non eſſe ſermonem eum genuinum, cognoſcimus exinde, quòd in illo Agnetem dicatur palo fuiſſe alligatam,

tam, ut combureretur: cumque flamma hinc inde divideretur, nec Agnetem contingeret, imò tandem penitus exſtingueretur; Aſpaſii juſſu Agneti guttur fuiſſe gladio perfoſſum. Atqui non ita Ambroſius putavit; qui ſenſit, cervices ei gladio fuiſſe præciſas. Sic enim ille lib. I de Virgin. *Stetit, oravit, cervicem inflexit*, &c. At verè ſcripſit Ambroſius Martyrium S. Theodoræ; quod apud eum leges lib. II de Virgin. atque exinde apud Sur. a. d. XXVIII Apr. Item Nazarii, & Celſi vitas; quas reperies apud eundem die XII Jun. Et vitas SS. Gervaſii, & Protaſii, martyrum; quas vide die XIX Jun. Ejuſdem de vita & laudibus fratris ſui Satyri orationem funebrem habemus. Uti & hiſtoriam SS. Martyrum, Agricolæ, & Vitalis. Quæ exſtat apud eum in Adhortatione ad virgines. MSum verò codicem de hiſce duobus ſanctis Cantabrigiæ in bibliothecâ Aulæ Pembrochianæ reperies. Etiam B. Ambroſius dicitur tranſtuliſſe Hegeſippum de bello Judaico, & excidio Hieroſolymitano. Ac Egeſippum eſſe genuinum authorem, Ambroſium genuinum interpretem, cenſet Barthius lib. XLVI. Adverſariorum cap. IV. Sed eam ſententiam alibi diluimus.

Gaudentius, Brixienſis epiſcopus, memoriæ prodidit vitam S. Philaſtrii, cui ſucceſſerat in epiſcopatu. Habes eam apud Surium T. IV die XVIII Jul. Obiit autem Philaſtrius an. CCCLXXXVII. Unde Gaudentii ætas ſatis patet.

Honorii, & Arcadii ætate, effulſit Virius Nicomachus Flavianus, vir clariſſimus, & hiſtoricus diſertiſſimus; prout vocatur in veteri monumento Romæ in monte Cælio effoſſo anno CIƆ IƆ XVII. Inſcriptionem ejus communicavit nobiſcum vir ſummus, præclareque tot jam annos de literis meritus, Petrus Scriverius. Eſt autem iſtiuſmodi:

VIRIO NICOMACHO FLAVIANO V.C.
QUÆST. PRÆT. PONTIFICI MAJORI
CONSULARI SICILIÆ
VICARIO AFRICÆ
QUÆSTORI INTRA PALATIUM
PRÆF. PRÆT. ITERUM COS. ORD.
HISTORICO DISERTISSIMO
Q. FABIUS MEMMIUS SYMMACHUS V.C.
PROSOCERO OPTIMO.

Atque ex hac inſcriptione ſimul liquet, fuiſſe virum ſummæ dignitatis. Avus fuit ejus, quam uxorem habuit Q. Fabius Memmius Symmachus; ut qui eum proſocerum hic appellet. Atque hoc ætatem Virii ſatis indicat. Nam iſte Memmius Symmachus filius erat Q. Aurelii Symmachi, cujus epiſtolæ ſuperſunt. Eum autem temporibus Theodoſii ſenioris vixiſſe, ſatis conſtat. Quod autem filium illius Symmachi fuiſſe ajebam, id planum fit ex inſcriptione alia, quæ eodem tempore ibidem inventa eſt. Communicavit eam nobiſcum idem ille doctiſſimus amicus noſter, qui priorem. Eſt verò talis:

Q. AURELIO SYMMACHO V.C.
QUÆST. PRÆT. PONTIFICI
MAJORI CORRECTORI
LUCANIÆ ET BRITTIORUM
COMITI ORDINIS TERTII
PROCONS. AFRICÆ PRÆFAT.
URB. COS. ORDINARIO
ORATORI DISERTISSIMO
Q. FAB. MEMM. SYMMACHUS
V.C. PATRI OPTIMO.

Ejuſdem temporis poëtis, ac ſimul iis, qui deſcriberent terrarum ſitum, meruit accenſeri Rutilius Claudius Numatianus (niſi malis Munatianus) Gallus, vir ſummâ dignitate: quippe conſularis, præfectorius Urbis, tribunus militum, & præfectus prætorio. Anno Romæ conditæ CIƆ C LXIX præfecturam Urbis adminiſtravit; ut indicat ipſe, his verſibus Romam compellans:

*Quamvis ſedecies denis, & mille peractis,*
*Annus præterea jam tibi nonus erat.*

Is annus eſt Chriſti CCCCXVII; quo Honorius Aug. XI, & Fl. Conſtantius V.C. II Coſſ. fuere. Hic de ſuo itinere carmine elegiaco panxit libros II ad Venerium Ruſium *a*. Vulgò opus hoc *Itinerarium* appellant: at fortaſſe auctor potius *De reditu* inſcripſerat. Suâ ætate eum in cœnobio quodam ad Bobium, Italiæ oppidum, inventum eſſe, ait Volaterranus. Vidit etiam Jovianus Pontanus; qui & hoſce verſus laudat ex initio lib. II:

a *Al Ruſinum: ſed perperam.*

*Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,*
*Qui notat inſcriptus millia multa lapis.*

Semel duntaxat antè excuſum, denuo, ſed à Gabriele Faërno emendatum, edidit, ſuiſque Reip. Romanæ commentariis inſeruit Onuphrius Panuinus. Hinc cum variantibus lectionibus, quibus loca quædam emendarentur, Antonini itinerario in Baſileenſi editione addit Joſias Simlerus Anno 1575. Poſtea Romæ caſtigatior prodiit opera Ioſephi Caſtalionis *b*. Poëta eſt diſertus, ac argutus, & pro ætate eâ valde elegans, ac venuſtus: ſed malè ſentiens de Iudæis, ac Chriſtianis, monachis imprimis. Quid mirum in homine gentili?

b *Anno* 1585.

## Cap. III.

*De illis, qui claruere ab Odoacro, uſque ad Karolum M. Cæſarem Auguſtum: quales ſunt, quos proximè ſubjungo. Nempe Theodulus, auctor eclogarum de miraculis veteris teſtamenti, & poëtarum fabulis. Godelbertus, qui itidem carmine cecinit hiſtorias, & allegorias ab orbe condito uſque ad partum Virginis. Theodabatus, qui ſui temporis hiſtoriam condidiſſe dicitur. Victor Tunnunenſis, chronici auctor. Theodorus Caſſinenſis, qui deſcripſit vitam S. Hieronymi Caſſinenſis. Corippus Africanus, qui cecinit geſta Juſtini junioris. Item alii vitarum ſcriptores. Ex quibus Stephanus, Africanus presbyter, tradidit vitam S. Germani: Ragimbertus, S. Walerici: Urſinus, S. Leodegarii: Theodatus Frithona, archiepiſcoporum Cantuarienſium: Theodorus, S. Magni. Præter hos anonymus prodidit martyrium S. Agulphi: alius vitam S. Gertrudis: Theodorus Campedonenſis, S. Magni: Creſconius, geſta Joannis Patricii in Africa: anonymus vitam S. Lamberti: alius, natione Britannus, geſta Arturi regis: S. Brithwaldus, originem cœnobii Eueshamenſis, & vitam S. Equini: Julianus Lucas, res Hiſpanicas: Fredegarius, geſta Francorum: anonyma, iter S. Willibaldi: Arno, ea quæ donata ſunt Eccleſiæ Saliſburgenſi: S. Adelinus, vitam S. Opportunæ. Iis additur anonymus, qui Collectanea edidit Chronographica.*

COmplectar nunc, qui fuere proximis CCCXXIV annis: nempe ab eo tempore, quo imperium deſiit in Occidente, Odoacro rege Italiæ creato, uſque ad annum IƆ CCC, quo inſtauratum imperium fuit, Karolo M. deſignato Auguſto.

Ac Zenone quidem imperante, anno CCCCLXXX, Gennadio teſte, vitâ exceſſit Theodulus, Italus, ſed in Cœle-Syria presbyter, ac poſtea epiſcopus. Hic præter opus De conſonantia Scripturarum, cujus argumentum pleniùs Gennadius exponit, etiam Eclogarum volumen compoſuit. Hujus initium eſt, *Æthiopum terras*, &c. Eſt autem tum de miraculis veteris teſtamenti, tum de fabulis, quas ad eorum imitationem poëtæ finxerunt. Vide & Sigebertum in Catalogo, Sixtum Senenſem lib. IV Bibliothecæ, Poſſevinum in Apparatu ſuo, quæque Magiſter Sacri Palatii annotavit primo Indicis *c* tomo. Meminit & Gyraldus inter poëtas; cujus verba mox ponam.

c *Rom. edit. ann.* 1607. *pag.* 81.

Paullò hoc junior Godelbertus presbyter. Claruit enim ſub Anaſtaſio. Reliquit autem allegorias Scripturarum libris IV carmine contextas. Meminit & Tritthemius in catalogo. De eodem, ac Theodulo proximè memorato, ita ſcribit Lilius Gyraldus dialogo V Hiſtoriæ poëtarum: *Per tempora quoque Zenonis, & Anaſtaſii, in aliquo Chriſtianorum ſcriptorum numero fuere, Theodulus, & Godelbertus: quorum ille de miraculis veteris teſtamenti, &*

*poë-*

*poëtarum fabulis: hic verſu heroico opus ingens, per hiſtorias, & earum allegorias, à mundi creatione uſque ad partum virgineum, complexus eſt. Et utriuſque exſtant monumenta.*

Theodatus, vel potiùs Theodahadus, Oſtrogothorum rex erat, quibus temporibus in Oriente imperabat Juſtinianus. Eccleſiaſticis fuiſſe literis eruditum, ait Caſſiodorus lib. x Variarum epiſt. III. Platonis ſecutum eſſe diſciplinam, deque temporibus ſuis hiſtoriam ſcripſiſſe, refert Jo. Lelandus, atque ex eo epitome Geſneriana Simleri: imò & de hiſtoria idem commemorat Poſſevinus in Apparatu; qui Caſſiodorum ejuſce rei laudat auctorem.

Juſtiniani quoque tempore eruditione excelluit Victor Tunnunenſis; qui in aliquibus codd. Tunnuenſis, vel Tumuenſis, unde nonnulli *Tmuenſis* fecere: ut ita dicatur à Tmue, oppido in confinio Ægypti, & Africæ vicinæ; ex quo Phileam epiſcopum originem duxiſſe, auctor eſt B. Hieronymus in catal. cap. xxv. At longiùs etiam abeunt codices Honorii, ubi dicitur Cemmenſis: uti Tritthemio, Geſnero, Popeliniero, Cummenenſis. Victor hic, ut Iſidorus in catal. cap. xxv ait, *à principio mundi, uſque ad primum Juſtini junioris imperii annum, brevem per conſules annuos bellicarum, eccleſiaſticarum rerum, nobiliſſimam promulgavit hiſtoriam, laude & notatione illuſtrem, ac memoriâ dignam.* Eadem paucioribus habet Honorius. Sed ſi verè uterque ait, Chronica orſum fuiſſe ab initio mundi: contigerit Victori idem, ac Proſpero: quem cùm Gennadius dicat ab orbe condito inchoâſſe Chronicon ſuum; tamen ejus id omne deperiit, quod tempus illud anteceſſit, ubi deſiit B. Hieronymus. Sanè ſimiliter nihil amplius habemus Victoris, quàm quod excipit tempora à Proſpero deſcripta: ut indicant verba hæc, quæ libello Victoris, ſeu ea à Victore, ſeu ab alio ſint, præmittuntur: *A* XVIII *conſulatu Theodoſii junioris Victor, epiſcopus Tunnuenſis Eccleſiæ Africæ, hiſtoriam proſequitur, ubi Proſper reliquit.* Nec decipiat, quòd apud Henricum Caniſium, præfat. in Chronicon Proſperi, legatur, tum Gennadium de Proſpero, tum Iſidorum, de eodem falſum fuiſſe: neutrum enim ab orbe condito cœpiſſe: ſed ubi Hieronymus deſierat, ibi Proſperum; ubi Proſper finit, ibi Victorem cœpiſſe: errandi verò occaſionem eo, & Gennadio, & Iſidoro, datam eſſe, quòd in utriuſque fine anni ab orbe condito colligantur, uſque ad illud tempus, ubi feciſſent ſcribendi finem. Nihil, inquam, horum movere debent, quando idem ille doctiſſimus vir eam opinionem notis in Proſperum retractat. Ipſum adi. De exilio Victoris vide, quæ Iſidorus verbis ſuperiùs adlatis ſubjungit. Sed conſule imprimis, quæ ipſe Victor in Chronico de ſe ſcribit ad an. xv, & xvi conſulatus Baſilii. Meminit hujus ſcriptoris quoque Iſidorus initio Chronici, & in pleriſque codd. Originum extremo libro quincto: item Ado Viennenſis, qui initio Chronici verba Iſidori exſcripſit. Sed in vulgatis corruptè *Turonenſis*, pro *Tunuenſis*, vel *Tunnenſis* legas. Item meminit ejus Otho Friſingenſis lib. v cap. vi.

Sebaſtianus, Caſſinenſis monachus, vivebat anno Iↄ LX. Literis prodidit vitam æqualis ſui S. Hieronymi, ejus qui B. Benedicti fuit diſcipulus. Quod ætatem ſatis indicat. Nam obiit Benedictus anno Iↄ XLII: ut eſt in Chronico Caſſinenſi lib. I cap. I.

Corippus, Africanus Grammaticus, poëma hiſtoricum reliquit libris IV de laudibus Juſtini Auguſti junioris: cujus tempore claruit. Huncce Juſtini panegyricum dicavit Anaſtaſio Quæſtori, & Magiſtro: ut indicat præfatio operi præmiſſa. Ne fallat editio Michaëlis Ruizii: in qua id carmen haut rectè panegyricus Anaſtaſii inſcribitur. Laudat quidem Corippus Anaſtaſium, ſed paucis; nec aliter, quàm præfantes ſolent; nec alio fine, quàm ut ſe, & opus ſuum, ei commendet. Argumenta etiam capiti, quæ in primâ editione Corippo præmittuntur (perperàm ea, & malo exemplo, poſterior editor omiſit) valde antiqui ſunt ſcriptoris, & fortaſſe ipſius Corippi. Nec enim mirum ſit, ſi homo Grammaticus, more Grammatico periochas operis ſui concinnârit. Prioris tamen libri I cap. v legas, Juſtinum per quietem vidiſſe *S. Mariam virginem.* Atqui Corippus non de B. Maria: ſed de dea Pietate, more poëtarum, loquitur: quod ſatis indicant hi verſus:

*Cùm virgo ſuperas cæli demiſſa per auras,*
*Aſpectu clemens, & greſſu læta pudico,*
*Purpureas velata comas, oculiſque benigna,*
*Quantum ſigna dabant, ſacra Pietatis imago,*
*Divinos ſtetit ante pedes.*

Unde colligo, aut periocharum auctorem à Corippo alium eſſe, qui poëtæ mentem non ſatis ſit aſſecutus: aut potiùs locum eſſe à juniorum aliquo interpolatum. Quod ſi eſt, pro *S. Mariam virginem*, debeat *Pietatis imaginem* reſcribi.

Tempore Juſtini junioris, circa annum Iↄ LXXXVII, fuit Stephanus, presbyter Africanus. Ab hoc S. Aunarius, ſive Angarius, ſeu Anacharius, epiſcopus Antiſſiodorenſis, poſtulavit, ut proſâ quidem vitam conſcriberet S. Amatoris, carmine autem vitam S. Germani. Epiſtolam Aunarii id poſcentis à Stephano, & Stephani id recipientis, præfationi ſuæ ad Carolum Calvum inſeruit Ericus Altiſſiodorenſis: qui & ipſe S. Germani vitam libris quatuor carmine eſt complexus. Sed ibidem ait Ericus, hujuſmodi Stephani opus, nec in manus ſuas incidiſſe unquam, nec item aliorum monachorum, quos ſuper ea re conveniſſet. Unde colligit, jam ſuo ævo (vixit ipſe annis poſt Stephanum presbyterum trecentis) laborem illum Stephani deperiiſſe: atque addit, hanc eſſe cauſſam, cur *quod elaboratum quondam in præfatis epiſtolis legerat, iteraret.* Non poſſum autem diſſimulare errorem doctiſſimi viri Briani Twyni libro I de antiquitate Oxonienſis Academiæ; ubi ſex iſtos Erici libros tribuit Stephano epiſcopo. Siquidem *a* citat exinde hos verſus, a Pag. 98.

*Edicto veterum vocitata Britannia, brutis*
*Barbara quòd fuerit hæc* (al. feriret) *gens ultro moribus omnis.*

Ac deinde iſta ſubjungit verba: *quemadmodum ſcribit Stephanus, Africanus presbyter, poëta ſatis antiquus, ſi non bonus ſatis: qui rogatu Aunarii, Altiſiodorenſis, epiſcopi, vitam S. Germani antiquo carmine deſcripſit.* Quæ facilè refelluntur præfatione ipsâ Erici, cujus ætate Stephani opus non ampliùs exſtabat. Aliter ſi eſſet, aliquis ex eruditis illis S. Germani monachis carmen Stephani de vita S. Germani vel legiſſet, vel ſaltem ſtudioſè quæſitum repeiſſet. Quid quòd Stephanus fortaſſe laborem illum, morte præventus, non inchoârit, aut ſaltem ad finem non perduxerit? Nec enim aliud in epiſtola ſua Stephanus dicit, quàm, utcumque humeri tanto ponderi impares forent; nihilominus tamen, ſi Aunarius voluntatem pro facultate habere; rudemque, & inficetum conatum æqui ac boni conſulere vellet; ſe quoque paratum fore, hoc quicquid eſſet oneris ſubire. Cæterùm verſiculi illi à Briano citati leguntur apud Ericum lib. III: quod ipſum quoque ejus opinionem refellit. Fortaſſe tamen nihil hoc niſi μνημονικὸν Briani ἁμάρτημα fuerit; quandò ipſe alibi *b* Henricum hunc Altiſiodorenſem ciet ad b P. 161. partes.

Ragimbertus, abbas in Gallia, congreg. Floriacenſis, ab Arnoldo Wion refert ad annum Iↄ CLX. Hic poſteris prodidit vitam S. Walerici abbatis.

Urſinus juſſu Anſoaldi, ſive Auſroaldi, Epiſcopi Pictavienſis, ſcripſit vitam S. Leodegarii, epiſcopi Auguſtodunenſis, & martyris: quam habes apud Surium T. v die II Oct. Erat autem Auſroaldus, juxta Democharem, & Joannem Chenu, trigeſimus ſeptimus Pictavienſium epiſcopus, ac tempore claruit Dagoberti regis, qui anno obiit Iↄ CXLVII. Niſi intelligendus Dagobertus II, qui imperare cœpit anno Iↄ CCXVI. Sanè id verius ſit, ſi Didon, cui Anſoaldus ſucceſſit, anno vivebat Iↄ CLVII: uti perſcriptum eſt in catalogo epiſcoporum Pictavienſium.

Theodatus Frithona, Anglus Viſiſaxo, carus fuit Ho-

Honorio, Cantuarienſi archiepiſcopo; cui & ea in dignitate ſucceſſit. Laudant eum Beda, Guil. Malmesburienſis, Gervaſius Dorobornenſis: ut de Lelando taceam, quem Balæus, uti Balæum Pitſæus, exſcripſit. Vitas archiepiſcoporum Cantuarienſium accuratè penicillo orationis ſuæ depinxit. Obiit anno Chriſti ƆCLXIV, Ercomberti, Cantianorum regis, temporibus.

Theodorus, qui S. Magni vitam poſteris tranſmiſit, vixit circa annum ƆCL: quippe diſcipulus S. Galli, qui anno ƆCXL deceſſit. Ea S. Magni vita ab Henrico Caniſio edita eſt Tom. v. Antiq. Lect. Manuſcripta verò ſupereſt in bibliotheca S. Galli in Helvetia.

Anonymus circa annum ƆCLXII literis mandabat martyrium æqualis ſui S. Aigulphi, abbatis Lirinenſis, & ſociorum: qui paſſi fuere anno ƆCLX. Fideliter ſcripſiſſe, etiam Sauſſeji judicium eſt in annalibus Aurelianenſibus lib. IV. cap. VIII.

Ad Conſtantini Pogonati tempora etiam refero ſcriptorem vitæ S. Gertrudis; quæ eſt apud Surium Tom. II, ad diem XVII Mart. Quippe exaratam eſſe ab eo, qui temporibus vixerit S. Gertrudis, hæc præfationis verba oſtendunt: *De vita beatiſſimæ virginis Chriſti Gertrudis, ejuſque converſatione, quâ ſecundum Deum, & monaſticam diſciplinam, dum eſſet in humanis, regulariter vixit, ad exemplum ſanctæ familiæ Chriſti; ea jam ſcribere aggrediar, quæ vel ipſe meis vidi oculis, vel à teſtibus idoneis, & fide dignis, accepi.* Et quid apertius verbis iſtis, quæ de Gertrude refert? *Minimè verò hoc loco id prætermittendum arbitramur, quod ipſa nobis, veluti terrore correpta retulit.* Obiit autem Gertrudis anno ƆCLXIV. Itaque, cùm eo in opuſculo dicitur filia eſſe Pipini, intelligi debet filia Pipini primi, qui ſenioris Carlomanni filius fuit. Non autem filia Pipini junioris, qui pater erat Caroli Martelli. Quin ea Pipini hujus matertera erat: uti major matertera Pipini regis. Hoc ita eſſe, ſatis ſuperque liquet ex Stephano abbate in geſtis S. Modoaldi: ubi refert, Pipino primo, ex Itta uxore, ternos fuiſſe liberos, Grimoaldum, Gertrudem, & Bertam. Ex his Bertam nupſiſſe Anſegiſo. Eo ex conjugio natum eſſe Pipinum juniorem. Pipino illo prognatum eſſe Carolum Martellum. Carolo eo natos eſſe, Karolum, Carolomannum, & Pipinum, primum Franciæ regem, Karoli Magni patrem.

Theodorus Campedonenſis, monachus S. Galli, claruit circa annum ƆCLXXX: ac præceptoris ſui S. Magni vitam in literas retulit: quæ apud Surium exſtat Tom. v. Antiqu. Lect. Ejus cap. XXIX legas: *Ego Theodorus monachus ex monaſterio S. Galli, juſſu Tozzonis epiſcopi, ſicut à Theodegezelo, monacho S. Columbani, de tanti viri converſationibus ſimul cum B. Columbano comperi, & oculis meis ipſe vidi, & auribus audivi, poſteaquam me reliquit in cellula Campidonenſi: ſicut poſtea à præfato venerabili epiſcopo Tozzone de virtutibus ejus didici plurima: ſed non omnia in epitaphio ſcribere curavi*, &c.

Creſconius, ſeu Criſconius, epiſcopus Africanus, eruditiſſimis viris accenſebatur ætate Leontii imperatoris. Carmine panxit hiſtoriam eorum, quæ Jo. Patricius geſſit in Africa. Summam libri ex Cedreno cognoſcere eſt; qui refert, ut, cùm Arabes tertio Leontii anno, (is Chriſti erat ƆCXCVI) Africam occupaſſent; Leontius imperator eò miſerit Joannem Patricium, virum ſtrenuum, qui hoſtes fuderit, caſtraque eorum in Africa ceperit univerſa. Edidit Criſconius etiam canonum concordiam. Cujus operis in codice manuſcripto bibliothecæ Vaticanæ ejuſmodi inſcriptio eſt: *Concordia Canonum à Creſconio, Africano epiſcopo, digeſta ſub capitibus trecentis. Iſte bella, & victorias, quas Joannes Patricius apud Africam de Saracenis geſſit, hexametris verſibus deſcripſit.* Auctor Baronius ad annum Chriſti ƆXXVII. ubi, occaſione Dionyſii abbatis, de aliis etiam canonum collectoribus tractat. Breviarium canonum Criſconii Lutetiæ prodiit *a* unà cum Fulgentii Ferrandi breviario: ſubjiciturque codici canonum veteris Eccleſiæ Rom.

*a* Anno 1609.

Temporibus Aſinarii Tiberii, vitam agebat auctor eorum, quæ de Lamberti, ſive Landeberti, Trajectenſis epiſcopi, ac martyris, vita; deque revelatione ejus anno pòſt factâ; exſtant Tom. II. Antiquarum lectionum Henrici Caniſii. Siquidem ſcriptor eorum, aut æqualis S. Lamberto, aut ſaltem ſuppar fuit: quemadmodum indicant hæc ejus verba: *Nec ampliùs, quàm duo pueri, in Lamberti obſequio permanſerunt. Unus autem ex ipſis, nomine Theodoberus, multa nobis de vita, & operibus ejus, ſolitus eſt enarrare.* At ſatis ex eâdem vita conſtat, Lambertum ob ſanctimoniam in honore fuiſſe temporibus Childeberti II, ſeptimidecimi Francorum regis, & Pipini, magiſtri equitum: cujus impuros amores, ac fœdam libidinem cùm reprehendiſſet; à Dodone, pellicis fratre, crudeliter eſt interfectus, anno Chriſti ƆCXCVIII.

Eremita quidam Britannus incerti nominis vixiſſe traditur anno ƆCCXX, rerum potiente Ina, rege Weſtſaxonum. Reliquit opus de geſtis regis Arthuri, & menſa ejus rotunda, & ſtrenuis equitibus: uti Lanceloto, Morgano, Percevallo, Galguano, Bertramo, atque aliis. Sed multa fabuloſa, planeque inepta admiſcuit. Etiam, ut Vincentius Bellovacenſis in hiſtoriali ſpeculo teſtatur, de Joſepho Arimathenſi ad Walwanum quendam opus miſit, quod appellavit Sanctum Graal: ſed Balæus ait, libri hujus ſermonem ſibi ignotum eſſe.

S. Britwaldus, vel Bertwaldus, Glaſconius, Bedæ memoratur lib. v. Hiſtor. cap. IX: ubi dicitur *vir ſcientiâ Scripturarum imbutus, & Eccleſiaſticis ſimul, & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus.* Ibidem legas abbatem fuiſſe *in monaſterio quodam juxta oſtium Aquilonare fluminis Genlad: quod Raculf nuncupatur.* Balæus vocat abbatem Glaſconienſem. Tandem archiepiſcopus eſt factus Cantuarienſis. Præter alia condidit opus de origine Eueshamenſis cœnobii: & aliud de vita, & rebus geſtis S. Equini, Wigornienſis epiſcopi. Deceſſit anno ƆCCXXXI, Ethelardo apud Occidentales Saxones regnante. Celebrat eum & Gervaſius in catalogo ſuo.

Leonis III Iſauri tempore fuit Julianus Lucas, natione Græcus, diaconus Toletanus. Nam Florianus à Campo, qui IV tomos rerum Hiſpanicarum Hiſpanicâ edidit linguâ, vixiſſe eum ait, cùm regeret in Hiſpania Pelagius. Atqui is regnum exorſus eſt anno ƆCCXVII, ac decennium imperavit. Idem Florianus auctor eſt, Julianum hunc exarâſſe hiſtoriam rerum Hiſpanicarum. Sed opus hoc necdum ſibi viſum eſſe, ait Joan. Vaſæus, diligens rerum Hiſpanicarum ſcrutator: quem vide in Hiſpanicæ Chron. cap. IV. Ubi & alios commemorat rerum Hiſpanicarum ſcriptores eidem Floriano laudatos; ſed quos ſedulò quæſitos reperire non potuerit. Ii ſunt Sebaſtianus, electus Salmanticenſis, qui res Hiſpanicas ſignavit à tempore Pelagii uſque ad Alfonſum Caſtum. Saphyrius, Aſturicenſis epiſcopus, qui ab Alphonſo Caſto progreditur uſque ad Bermudum, ſive Veremundum Podagricum. Pelagius, epiſcopus Ovetenſis, qui à Bermudo hoc res Hiſpaniæ prodit uſque ad finem Alphonſi VIII. Porrò Sebaſtiani Salmanticenſis meminit quoque Petrus Antonius Beuterus, Theologus Valentinus: qui res Hiſpanicas eruditè, ſed Hiſpanicè expoſuit. At Pelagii Ouetenſis mentio eſt apud fratrem Alfonſum Venetum in Enchiridio temporum.

Conſtantino Copronymo æqualis eſt Fredegarius Scholaſticus. Hic memoriam ſui propagavit opere de geſtis Francorum. Quod manuſcriptum extare ſolet in bibliothecâ Palatinâ. Ex cujus optimo codice Nazariano auctorem eum in Corpore veterum Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum Marquardus Freherus, vir bene de re literariâ meritus, repræſentat. Sed quod is minùs obſervâſſe videtur: etiam antea prodierat in bibliothecæ Patrum Tom. VII: ubi libris X Gregorii Turonenſis, at omiſſo Fredegarii nomine, ſubjicitur. Orditur à Guntramno, Francorum rege: nempe inde, ubi deſierat Gregorius Turonenſis. Terminatur autem in obitu Karoli, Pipini parentis: qui incidit

in

in annum Iↄccxxxix. Sed iis, quæ in Nazariano codice inveniebantur, ſubjecit idem Freherus conſecuti temporis hiſtoriam, uſque ad annum Iↄcclxviii: idque ex illis, quæ, juxta Bavaricum codicem MSum, expreſſerat editio Ingolſtadienſis. Plurima autem Fredegarium exarâſſe, colligo ex præfatione ejus; ubi ſe ait ad exemplum Chronici Hieronymiani, & eorum, qui illud auxere, quinque Chronicorum libros contexuiſſe. In eodem veterum Franciæ annalium ſyſtemate habes Gregorii Turonenſis, ut inſcriptio indicat, excerpta Chronica ex Fredegarii Scholaſtici miſcellâ hiſtoria. Quæ verba, cùm planè ſint ambigua, cautè omnino capienda. Neque enim Gregorius Turonenſis excerpſit potiſſima ex Fredegarii hiſtoria miſcella: ſed Fredegarius in miſcella hiſtoria epitomen fecit Gregorii Turonenſis. Quod ita eſſe, ſatis ætas utriuſque docet. Nam Gregorius Turonenſis producit hiſtoriam ſuam uſque ad annum Iↄxcvi; quo ipſo deceſſit. At Fredegarius incipit, ubi deſiit Gregorius, ac provehitur uſque ad ann. Iↄccxl. ut annis minimùm centum & triginta vixerit poſt Gregorium Turonenſem.

Eodem tempore ſcriptum eſt *ὁδοιπορικὸν* S. Willibaldi, primi epiſcopi Aichſtadiani ſive Eyſtatenſis. Habes apud Caniſium Tom. iv. Antiq. Lect. Auctorem hodœporici æqualem fuiſſe Willibaldi, vixiſſeque in monaſterio Heidensheim, indicant hæc verba: *Ab ipſo audita, & ex illius ore dictata, perſcripſimus in monaſterio Heidenheim, teſtibus mihi diaconis ejus.* Ad quæ verba in codice monaſterii Rebdorfenſis, quem Caniſius expreſſit, adſcriptum ad oram erat: *Hinc conjici datur, S. Balpurgam ſcripſiſſe hanc legendam: quia etiam in prologo aſſerit, ſe eſſe de parentela S. Billibaldi.* Saltem à femina, ac quidem conſanguinea Billibaldi, opus hoc ſcriptum eſſe, conſtat. Quod oſtendunt iſta in præfatione: *Sed quia me, indignam tamen, de illorum genealogia ſtirpe, non aliunde propagatam, forte de extremis ramorum fore noverant*, &c. Ubi in eodem codice adnotatum: *Fortè hæc illuſtris femina S. Balpurgis fuit, quia aſſerit ſe conſanguineam hic.* Verùm iſti gloſſographi ſententiæ obſtare videtur, quòd veriſimile ſit, ab eodem auctore eſſe *ὁδοιπορικὸν* S. Willibaldi, & vitam S. Wunebaldi, confeſſoris atque abbatis, quam Hodœporico Willibaldi Caniſius eodem in Tomo ſubjungit. Sanè qui vitam Wunebaldi compoſuit, non uno loco meminit exaratæ à ſe vitæ S. Willibaldi. Adde quod ſimillima, & quaſi unius auctoris, ſit dictio utriuſque opuſculi. Atqui vita Wunebaldi alium auctorem habet, quàm S. Balpurgim; ut hæc verba indicio ſunt: *Compertam atque conſcriptam, atque ex brevitate tranſcurſam vitam B. Wunebaldi, Chriſti Confeſſoris; quam à ſorore ejus, & ab aliis venerandis viris, qui illi per familiaritatem, & amicitiam, conjuncti fuerunt: præſertimque ab eis, qui illo in diſcipulatu, & magiſterio, ſubditi fuerant, relatione didiceram.* Ubi clarè inquit, ſe à ſorore ſancti viri, (at ea Balpurgis, ſeu Walpurgis erat) illa, quæ refert, accepiſſe. Non ipſa igitur Walpurgis exaravit iſta: ſed alius, aliave ei æqualis. Quare aut neutrum opus fuerit S. Walpurgæ: aut ſi ejus fuerit *ὁδοιπορικὸν*, ſaltem vita Wunebaldi erit alterius: uti & viſum fuit Henr. Caniſio, viro docto, ac induſtrio, & de medii ævi ſcriptoribus præclarè merito. De ætate ejus quæ diximus, ſimul autem de ejus dictione, ita Barthius Adverſar. lib. xlvi. cap. 11, *Auctor*, inquit, *vitæ S. Wilebaldi potiſſimus quidem ejus ætatis & generis*, adeo vetus, ut pene Latinis ſcriptoribus accenſeamus. Scriptus autem ſub Pipino, Caroli Magni parente.

Arno, Salisburgenſis archiepiſcopus, tempore Caroli Francorum regis, qui poſtea, & imperium, & Magni cognomen adeptus eſt, indicem conſcripſit eorum, quæ Eccleſiæ Salisburgenſi tradita ſunt à Theodone Theodorico, Huchberto, Otilone, Taſſilone, Bavariæ ducibus; aliiſque nobilibus Bavaris. Expreſſit è MSo cod. Henr. Caniſius Tom. ii. Antiq. Lect. Atque idem adjecit privilegium regis Philippi; quo donis omnibus Saltzburgenſi Eccleſiæ collatis auctoritatem addidit anno cIↄcxcviii.

S. Adelinus, ſive *Adelelinus*, qui nonnullis *Adelmus*, prius monachus erat S. Carileſi; poſtea, non undecimus quidem, ſed vigeſimus Sajenſium, ſeu Sagienſium factus epiſcopus fuit; & ſacro miniſterio, non S. Ravereno, qui decimus epiſcopus erat; ſed S. Godegrando, qui ſedit circa annum Iↄcclxv, ſucceſſit: ſucceſſorem verò habuit Ragenfridum: etſi multò aliter de his in catalogo Sagienſium epiſcoporum ſcripſerit Antonius Demochares. Sed ſequor ipſe, quæ Ægidius Brii, dominus de la Clegerie, multò accuratiùs de eo tradidit in catalogo eo Sagienſium epiſcoporum, quem hiſtoriæ Perticenſium Comitum; ac Ducum Alenzoniorum, ſubjunxit. Adelini ætatem omittit Demochares. Planè autem ſtatuo, vixiſſe circa annum Iↄcclxxx. Siquidem vitam ſcripſit S. Opportunæ virginis, & abbatiſſæ: quæ anno obiit Iↄcclxx. At S. Opportunæ frater fuit S. Godegrandus: eum verò non alium eſſe arbitror, quàm S. Godegrannum, cui S. Adelinum ſucceſſiſſe dicebam. Non autem confundendus hic cum Adelmo, qui Caroli Magni ætate vixerit. Siquidem Adelmus is, non epiſcopus, ſed monachus Benedictinus fuit. Loquimur autem de Adelmo illo, cui Papirius quidem Maſſonus, vir doctiſſimus, tribuit geſta Pipini, Karoli Magni, & Ludovici Pii; quæ ſub Aimoini nomine libro iv leguntur. Sed Pithœus eorum auctorem Adhemarum potius eſſe cenſet: pro quo extrema libri iv verba facere videntur.

Etiam Caroli Magni ætate fuit Gallus ille, qui ſex libros collectaneorum Chronologicorum dedit: quorum primus eſt ex incerti nominis ſcriptore, qui ſub Alexandro Severo floruit. Ita inſcriptio præfert. Nec dubito, quin is ſit Julius Africanus, nobilis chronographus: quem eo tempore vixiſſe, conſtat. Alter autem liber ex Idacio, & aliis, collectus fuit: ut quidem titulus indicat: de quo nihil habeo dicere, quia de temporibus ante Valentem imp. nihil Idacii, ut arbitror, ſupereſt. Tertium verò ex Idacio deſcriptum eſſe, ſatis docet Chronicon ejus à Scaligero unà cum Euſebio, Proſpero, & aliis, editum. Quartus eſt ex Thoromacho, chronographo Græco. Quinctus autem eſt Hilarionis: de quo ſuo loco diximus. Sextus eſt ex Thoromacho eo, quem antè memoravi.

## Cap. IV.

*Referuntur hiſtorici, qui claruere, cùm imperium Romanum foret penes ſtirpem Karoli Magni. Ex his Andreas Agnellus egit de archiepiſcopis Ravennatibus: Raguel Cordubenſis de vita, ac paſſione S. Pelagii martyris: Theodulphus, ut ajunt, de Karolo Magno, & Ludovico Pio: Ermenoldus, ſive Ermenricus, de vita ſancti abbatis Solæ: Petrus Caſſinenſis de vita S. Athanaſii, Neapolitani epiſcopi: S. Prudentius junior de vita S. Mauræ virginis. Eulogius Cordubenſis de paſſione quinque martyrum; imò & de aliorum multorum martyriis: Alvarius Cordubenſis de vita ac paſſione S. Eulogii: Folquinus de geſtis abbatum Lobienſium: anonymus de genealogia Karoli Magni: Ratpertus de rebus monaſterii S. Galli: anonymus, poëta Paderbornenſis, de vita Karoli Magni: Herembertus de principibus Beneventanis: Wolfhardus de vita S. Walpurgis: Heberneus de miraculis B. Martini: anonymus de vita S. Hugonis, abbatis S. Martini Eduenſis.*

NUnc eos exponere aggredior, qui floruere, poſtquam Occidentis imperium inſtauratum eſt à Karolo M. Ac primùm eos complectar, qui fuere, dum imperium eſſet penes Karoli ſtirpem.

Andreas Agnellus, temporibus Ludovici Pii, Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopus fuit, ordine in ea ſede decimus, vir arte præſtantiſſimus, atque acri in omnibus rebus ingenio præditus: ut de eo Hieronymus Rubeus lib. v. Hiſtoriæ Ravennatis a tradidit. Atque idem de hiſtoria ejus Raven- a P. 238.
nati hæc paullò pòſt ſubjungit: *Hæc ex Andrea Agnello deſcripſimus; qui his non ſolùm interfuit, ſed præfuit;*

*ſummâque doctrinâ eruditus, de Ravennatibus archiepiſcopis volumen graviſſimè ſcriptum reliquit. Quod cum diu in Archiepiſcopatus bibliotheca fuiſſet; ſuperioribus annis cum multis aliis ſublatum nuſquam invenitur, magnâ quidem certe jacturâ.* Mentionem ejus quoque ſemel iterumque facit lib. II, uti & III. Ac *Joannes Petrus Ferretus* ad verbum eum exſcribere amat: ut idem auctor eſt. Meminit & Baronius Tom. IX, ad annum Iↄ CCC XXIV. ſed ex Rubeo: quod indicio eſt, ne in Vaticana quidem bibliotheca ſupereſſe.

Theodulphus, primùm abbas Floriacenſis, quòd epiſcopus Aurelianenſis, auctor hymni Eccleſiaſtici, cujus initium, *Gloria, laus, & honor, tibi ſit*; claruit tempore Ludovici Pii: à quo & in carcerem conjectus fuit, quia particeps fuiſſet conjurationis Bernardi, Italiæ regis. Vide Sigebertum in Chron. ad annum Iↄ CCC XLIII. Hic ab Arnoldo Wion, in Ligno Vitæ, inter alia ſcripſiſſe dicitur Annales Karoli Magni, & Ludovici Pii. Sed ejus rei, nec Sigebertus meminit, nec Tritthemius in catal. nec Philippus Berg. in Suppl. Chron. lib. XI. nec, quod ſciam, veterum, aut juniorum ante Arnoldum Wionem, ullus.

Rabani quoque æqualis fuit S. Ermenoldus, ſive, ut alii codices MSi appellant, *Ermenricus*, aut etiam *Ermanricus*, diaconus, & monachus; qui vitam exaravit S. Solæ, Angli, abbatis in Solenhoven. Exhibet eam Caniſius Tom. IV. Antiqu. Lect. De ætate ſcriptoris indicio erunt hæc verba ejus: *Ad egregium Fuldenſe cœnobium, poteſtativâ manu contradidit. Ubi, Deo providente, modò ſanctiſſimus, ac in omni parte peritiſſimus, dominus abba Rabanus perſpicabiliter fulget.* Extremo iſtoc Caniſii Tomo, præter præfationem in vitam Solæ, etiam Gundramini ad Ermaricum, & Ermanrici ad Ruodolphum epiſtolam reperies. Cæterùm in Poſſevini Apparatu ſacro lego, Ermenricum hunc fuiſſe ſeptimum abbatem Eluvangenſem congregat. Luxovienſis, atque etiam dialogum edidiſſe de vita & miraculis S. Hariolphi, abbatis primi Eluvangenſis. Imò, ſi idem Ermenricus, & Ermenoldus; idem quoque fuerit *Ermoldus* is, qui elegiaco carmine cecinit panegyricum Ludovici Pii.

Lotharii, & Ludovici II ætate, vixit Petrus, Caſinenſis diaconus: quippe qui æqualis fuerit S. Athanaſio, Sergii filio; qui epiſcopatum Neapolitanum adeptus eſt à Leone Papa anno Iↄ CCC L; atque a Nicolao Papa anno Iↄ CCC LXI ad ſynodum Lateranenſem vocatus fuit; anno autem Iↄ CCC LXXII diem ſuum obiit. Hujus Athanaſii vitam deſcripſit Petrus Caſinenſis; eoque ex opere Baronius in annis memoratis, præſertim anno Iↄ CCC LXXII, pleraque de Athanaſio exſcribit.

S. Prudentius Junior, Hiſpanus, Tricaſſenſium ſeu Trecenſium epiſcopus XXXVII à Carolo Calvo rege ad inſtaurandam prope collapſam cœnobiorum Galliæ diſciplinam unà cum Lupo, Ferrarienſi abbate, delegatus fuit: ut Lupus ipſe auctor eſt epiſt. LXIII, quæ ad Prudentium hunc miſſa eſt. Proſâ reliquit vitam B. Mauræ, virginis; cui illuſtrandæ eſt Barthius Adverſar. lib. XLIV. cap. XIX. Obiit anno Iↄ CCC LXIV. Feſtum ejus celebratur die VI Aprilis. Hujus ratione Aurelius Prudentius interdum Prudentius Major vocatur in vett. gloſſis.

Temporibus Ludovici junioris Imp. longè lateque effulſit B. Eulogius, Cordubenſis, electus archiepiſcopus Toletanus, ac demum martyr. Hic victuris chartis prodidit martyrium æqualium ſuorum, Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Nataliæ, &Ilioſæ: qui martyrium ſunt paſſi, non quidem circa annum Chriſti Iↄ CC XXV, ut Haræus tradidit in epitome Sanctorum: ſed anno Iↄ CCC LII, ut rectè docet Baronius ad eum annum. Habes apud Surium Tom. IV, die XXVII Aug. Sed eſt ea particula duntaxat majoris operis, quod inſcribitur, *Memoriale Sanctorum.* Ejus libro primo oppugnat Eulogius illos, qui contenderent, martyres plus Eccleſiæ Hiſpanicæ obeſſe, quàm prodeſſe. At ſecundo tertioque libro, exponit quinquaginta penè martyrum Hiſpanicorum nomina, ætatem, geſta, martyria. Præterea edidit apologeticum. Eo, præterquam quod depugnat adverſus calumniatores martyrum (uti & feceratat Memorialis ſanctorum lib. I.) etiam Roderici ac Salomonis, vitam, & martyria, oratione ſuâ nobis depinxit. Præterea exaravit documentum martyrii Eulogii presbyteri; quod Floræ, & Mariæ, in carcerem conjectis, dedicavit, Epiſtolæ quoque ejus, & alia, ſuperſunt. Opera ejus primus reperit Petrus Pontius Leo, patriâ Cordubenſis, epiſcopus Placentinus. At divulgavit primus, ac ſcholiis eruditis illuſtravit Ambroſius Morales, iiſdem Cordubenſis, hiſtoricus regius, ac eloquentiæ profeſſor in Academia Complutenſi. Exſtat Tom. IV. ſcriptorum Hiſpaniæ illuſtratæ, qui Francofurti prodierunt.

Iiſdem Ludovici junioris imp. ætate claruit Alvarius a Cordubenſis, vir genere illuſtris. Hic poſteris tranſmiſit vitam ac paſſionem beati Eulogii presbyteri ac doctoris, qui martyrii coronam conſecutus eſt temporibus regis Mahomedis, ærâ Iↄ CCC XCVII, ſive anno Chriſti Iↄ CCC LIX. Eulogio autem Alvarius familiaris admodum fuit; ut oſtendunt verba iſta in opuſculi initio: *Profiteor, me non audita, & dubia; ſed viſa, & per me probata retexere; quoniam, gratiâ Dei cooperante, à primævo adoleſcentiæ flore, charitatis dulcedine, & Scripturarum amore, uno vinculo concordi innexi, hujus vitæ, licet non pari ordine, tamen pari affectu, in cunctis quaeſtionibus duximus jugum. Sed ille* (Eulogius) *ſacerdotii ornatus munere pennis virtutum in ſublime evectus, altiùs evolabat: ego luxuria & voluptatis luto confectus, terrâ tenus repens hactenus trahor. Et inde eſt, quod non incerta, & quorumcunque hominum narratione comperta, ſed mecum geſta, & per me cognita, narrare diſpoſui.* Etiam in fine opuſculi ſic eum compellat: *Ergo, martyr Dei excelſe, dulcis nomine Eulogi, Alvarum tuum clamantem intende, & quem hic temiſti charitate animo fixum, illic tibi adſocia ſervum. Non aliorum, quàm tuis, te interveniam verbis. Certè ego ſum ille, quem tecum unitum eſſe dicebas: ad quem, & pro quo, hoc modo locutus es, ut non ſit, inquis, alter Alvarus, quàm Eulogius; nec alibi, quàm penes intima Alvari, totus ſit conlocatus amor Eulogii. Valeat, valeat, Chriſte domine, hæc ſuavis, fideliſque inter utroſque dilectio.* Auctori huic lucem ſcholiis eruditis attulit Ambroſius Morales Cordubenſis, hiſtoricus regius. Exſtat Tom. IV ſcriptorum, à quibus Hiſpania illuſtrata eſt. Memoratur Alvarius etiam libro ſuo Scintillarum. Eo ſententias Patrum collegit, quas ſecundùm virtutum vitiorumque locos communes digeſſit, Baſileæ is, ſed mutilus, & abſque nomine auctoris, prodiit. Integer autem in bibliothecis Hiſpaniæ ſupereſt; teſte Ambroſio Morali b. Pontius Leo, epiſcopus Placentinus, putabat, ejuſdem eſſe *Indiculum luminoſum*; qui in membranis manu exaratus literis Gothicis Cordubæ habetur in bibliotheca Fani Majoris; ſed abſque auctoris nomine. Tempora ſanè conveniunt. Nam ſcriptus is liber an. Iↄ CCC LIV; ut ipſe ait auctor. Et ſtylus ab Alvari dictione non abludit. Nec tamen adſpernandum eſt, quod adverſus eam ſententiam obducit Ambroſius Morales. Nam ſi Alvari foret, meminiſſet alicubi Eulogii, quicum tam arcta ei amicitia interceſſerat.

a *Al. Alvarus.*

b *Notis in Eulogii vitam Tom. IV. Hiſpan. illuſtr.*

Fulquinus, ſive *Folquinus*, ex monacho Bertiniano abbas XXII cœnobii Lobienſis, temporibus vixit Lotharii Imper. & Ludovici junioris. Hic non Iſidoro quidem, ut Poſſevinus ait: ſed Sigeberto memoratur, in catalogo cap. CXXXVIII, his verbis: *Fulquinus, abbas Lobienſis, ſcripſit geſta abbatum Lobienſium, ſubintroducens per digreſſionem plura legentibus utilia.* Exſtat id opus manuſcriptum Gemblaci. Idem etiam, quod Sigebertus præterit, conſignavit miracula S. Urſmari: quæ manuſcripta ſuperſunt Leodici ad D. Jacobum. Item vita S. Folquini Morinorum Epiſcopi, qui anno exceſſit Iↄ CCC LV, atque ad S. Audomarum in B. Bertini monaſterio, ubi alter hic Folquinus monachus tum erat, ſepultus fuit. Elogium, quo idem monachus epiſcopum Folquinum proſequebatur, hujuſmodi eſt:

*Hic*

*Hic venerandi patris Folquini membra quieſcunt,*
*Antiſtes dudum qui fuerat Morinûm:*
*Quique quaterdenis vitâ dux extitit annis,*
*Mente actuque pio juſſa operando Dei:*
*Qui quartadecimâ decedens luce Decembris,*
*Clarus Apoſtolicum gaudet adire chorum.*

Exſtat hæc S. Fulquini Epiſcopi vita MSa in Rubra valle apud Bruxellam. Alii Fulcuinum Lobienſem & Bertinianum diverſos putant: quos Sweertius ſequitur in Athenis Belgicis.

Temporibus Ludovici II Imp. in vivis erat auctor chartæ de genealogia Karoli Magni, à Caniſio editæ Tom. V. Antiqu. Lection. Hoc docent extrema verba: *Poſt quem* (Ludovicum Pium) *Ludovicus filius, & æquivocus ejus, in Orientali Francia ſuſcepit imperium, qui anno præſente, id eſt incarnationis Dom. noſtri Jeſu Chr.* IↃCCCLXVII, XXVII *anno regnare videtur.* Vixit ſcriptor is in Germania, quam vocat Franciam orientalem. Hanc enim temporibus Lothari, & Ludovici II, imperatorum nempe ab anno IↃCCCXL uſque ad annum IↃCCCLXXVI, rexit Ludovicus ille, de quo hic ſermo: nempe minimus natu filiorum Ludovici Pii, parens Caroli Craſſi imperatoris.

Temporibus Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici III, & Caroli Craſſi, fuit Rapertus ſive Ratpertus Thuregienſis, monachus monaſterii S. Galli, cognatus S. Notkeri. Condidit chronicon monaſterii ſui uſque ad Abbatem Bernardum I; qui cœnobio illi præfuit anno IↃCCCLXXXIII: ac eopſe anno deceſſiſſe ſcriptor hic videtur. Exſtat id chronicon manuſcriptum quater, vel ſæpius, in monaſterio antè dicto. Hymnos etiam reliquit de S. Gallo, & de S. Othmaro. Etiam vitam S. Galli, ſed Germanicâ linguâ, compoſuit: quam Latinè poſtea vertit Eckerhardus junior.

Rerum potiente Arnulpho, vitam egit poëta ille Paderbornenſis, qui ex annalibus Adelmi Benedicti verſu heroico expreſſit vitam Karoli Magni. Ut autem ille ex Adelmo, ita Adelmus ſua ex Eginharto hauſit: unde & poëta idem lectorem ad Eginhartum remittit. Sic enim canit:

*De vita Caroli ſcriptam legat ipſe libellum,*
*Quem ſummo prudens Einhardus nomine ſcripſit.*

Editio poëtæ ejus Reinero Reineccio debetur. Eum *ut temporibus illis Latinè ſatis ac luculentè* ſcribere, judicium eſt Jani Douzæ præfatione altera Annalium ſuorum de rebus Batavicis elegiaco carmine contextis.

Ludovici II Imp. ætate claruit Herembertus, ſeu *Herempertus*, vel *Erempertus*. Scripſit Longobardicam hiſtoriam principum Beneventanorum: cujus MSum codicem ſe habere, alterumque etiam in Columnenſi bibliotheca exſtare, ait Baronius ad annum IↃCCCLXXI. Qui & alibi ejus meminit, ac interdum *Rembertum*, vel *Rempertum*, vocat. Uti ad annum IↃCCCLXIII. Atque idem ad annum IↃCCCLXXIV ex eo ſe depromere ait, quæ ad annales Eccleſiaſticos pertinerent. Wolphangus Lazius etiam meminit Heimberti operis de rebus à Karolo Magno geſtis, atque illud reponit inter ea, unde profecit in commentariis ſuis de Rep. Romanâ. Lazium hac parte ſequitur Simlerus in bibliothecâ, & Popelinierus Hiſtoriæ Hiſtoricorum lib. VIII. Videndum, idemne an alius ſit Rembertus ſeu Rimbertus ille, qui vitam S. Anſgarii tradidit; ut diximus lib. II. cap. XXXVII.

Arnulphi ætate etiam fuit Wolfhardus, monachus cœnobii Halenrietani, quod Karolus Magnus exſtruit; Arnulphus autem in collegium canonicorum ſecularium mutavit. Wolfhardus hic libris quatuor conſignavit vitam S. Walpurgæ, ſeu Waltpurgis, ac imprimis miracula, quæ in monaſterio S. Salvatoris Monheimenſis contigere. Id autem fecit rogatu ejus, cui id opus dicavit. Eſt is Erkenwaldus, ſeu Erckenwaldus, ſeu Erchanbaldus, vel Erchenboldus, octavus Eyſtetenſium præſul; qui electus eſt anno IↃCCCLXXXIV, atque anno deceſſit IↃCCCCII. Habes pleraque ex hac vita apud Surium Tom. VII: ſed ſtylo mutato, multis præteritis, abſque auctoris nomine. At bonam partem ejus, fide item bonâ, addito nomine ſcriptoris, ex codice monaſterii Rebdorfenſis repræſentat Caniſius Tom. IV. Antiqu. Lect. Ac priùs quidem priorem habemus librum. Poſt autem aliquot aliorum vitas, præter variantes lectiones, etiam ex codice Windbergenſi librum ſecundum adtexit. Interim liquet, mutilè, hoc eſt duos duntaxat libros, vel potiùs penè duos, exhibuiſſe, cùm Wolfhardus quatuor concinnârit: ut ex antiquis conſtat membranis. Ex Wolfhardo hoc poſtea Philippus, trigeſimus nonus Eyſtadienſium epiſcopus, excerpſit ſuum de vitâ Walpurgis libellum; ut poſtea dicemus.

Hebernus, archiepiſcopus Turonenſis quinquageſimus primus, honorem hunc adeptus eſt anno IↃCCCLXXXVII, qui ultimus fuit annus Caroli Craſſi imperatoris: atque annis ſedit XXVII, menſibus quatuor: ut deceſſerit tertio anno Conradi Imper. Ergo imprimis claruit temporibus Arnulphi, & Ludovici IV: qui inter Carolum Craſſum, & Conradum, imperium tenuerunt. Reliquit librum de miraculis beati Martini poſt ejus è Burgundia reditum. Sui epiſcopatus, & ejus, qui anteceſſit, meminit ipſe in hoc opere verbis iſtis: *Contigit eodem menſe, dum eſſet conſul Ingelgerius Turonis, Adalaudum confectum ſenio viam univerſæ carnis intrare. Ingelgerius verò conſul, auxiliante Deo, & intercedente B. Martino, opitulantibus etiam clericis, nec non & conſentientibus civibus Turonicæ civitatis, intronizavit, & in ſede epiſcopali ſublimavit Hebernum ſenem, ſanctum beati Martini Majoris-Monaſterii abbatem, & miniſtrum.*

Etiam Ludovici IV, uti & Conradi I temporibus, vixit auctor incertus vitæ S. Hugonis, abbatis S. Martini Eduenſis. Quippe æqualis fuit S. Bernonis, cujus & ibi mentio fit. Luculentum inde fragmentum habes in bibliotheca Cluniacenſi, inter teſtimonia *a* de fundatione monaſterii Cluniacenſis. a *Col. 6.*

## CAP. V.

*Commemorantur hiſtorici, qui vixerunt, cùm res imperii forent penes Henricum Aucupem, & hujus poſteros. Ex iis ſcriptoribus Raguel Cordubenſis ſignavit vitam, & paſſionem S. Pelagii martyris: Joannes Caſſinenſis Chronica: Nagoldus vitam Odonis, abbatis Cluniacenſis: anonymus, vitam S. Udalrici: S. Notkerus vitam S. Galli, & martyrologium: Theodoricus Archiepiſcopus Trevirenſis vitam B. Virginis Mariæ, & S. Ludrudis: Ajo monachus memorabilia cœnobii Croilandenſis: Romerius duos annalium libros: Luitolphus miracula S. Udalrici: anonymus tranſlationem S. Benedicti: Arnoldus, comes Vogburgenſis, miracula B. Emmerammi.*

Vidimus de iis, qui claruere, dum imperium Occidentis conſtitit in ſtirpe Karolina: qua ex domo ultimus imperio potitus eſt Ludovicus IV. Huic ſucceſſit Conradus. Sed octennio pòſt regere cœpit Henricus Auceps Saxo: atque ita imperium à Francis tranſlatum eſt ad Saxones: quod factum anno IↃCCCCXIX. Succeſſores autem habuit Henricus è progenie ſua, primùm filium Ottonem primum, hinc nepotem Ottonem II, tum pronepotem Ottonem III, exinde alterum pronepotem Henricum II, cognomento Sanctum, qui imperare deſiit anno CIↃXXIV. Exponam nunc hiſtoricos aliquot, qui tempore quinque horum Saxonicæ proſapiæ Cæſarum vixerunt.

Qualis Raguel Cordubenſis presbyter. Hic deſcripſit vitam ac paſſionem S. Pelagii, martyris Cordubenſis: qui, regnante Habdarraghman rege, paſſus eſt anno IↃCCCCXXV. Iiſdem autem temporibus Raguelem vixiſſe, ac Pelagium, arguit illud, quòd ex ſodalibus Pelagii ea accepiſſe ſe ait, quæ de ſancto viro refert. Adde quòd de ſepultura quidem loquitur: at de tranſlatione Pelagii tacet; quæ tamen non multis pòſt annis contigit. Unde conjecturam

capere licet, ea ante tranſlationem conſignâſſe. Hoc Raguelis opuſculum primus reperit, & ſcholiis illuſtravit Ambroſius Morales. Habes Tom. IV ſcriptorum, qui Hiſpaniam illuſtrarunt.

Fuit & tum Joannes, abbas Caſſinenſis, qui XXIII fuit à B. Benedicto, atque anno deceſſit Iↄ CCCC XXXIV, ſucceſſoremque habuit Adelpertum: ut cognoſcimus ex Leone Marſicano, ſive Oſtienſi, Chronici Caſinenſis lib. I. cap. LVI, LVII, & LVIII. Ac capite quidem LVI inter alia fuſè narrat idem, quomodo, cùm ex archidiacono Capuano factus eſſet abbas, monachis Teani conſtitutis auctor fuerit, ut Capuam ſe conferrent, quæ primaria civitas foret, atque ut primus ibi monaſterium fecerit. Unde ſatis liquet, ſignari hunc Joannem ab eodem Leone in præfatione Chronici, his verbis: *Adhibui præcipuè* CHRONICA *Joannis abbatis, qui primus in Capua nova monaſterium noſtrum conſtruxit.*

Temporibus itidem Henrici Aucupis in pretio erat Nagoldus, ſive Nalgodus, qui in Poſſevino malè *Nalgendus*, monachus Cluniacenſis, deſcripſit vitam Oddonis, ſeu Odonis, abbatis Cluniacenſis II; ut eſt in Chronico Cluniacenſi. Ætas ejus ſatis inde dilucet, quòd fuerit diſcipulus Odonis; qui obiit anno Iↄ CCCC XLIV, hoc eſt nono anno Ottonis primi, cognomento Magni. Imperium autem is tenuit annis XXXVII. Ut ſit veriſimile, ultimis ejuſce Ottonis annis claruiſſe.

At Ottonis I, & II, temporibus fuit is, qui primus, ſed rudi ſtylo, conſcribillavit vitam S. Udalrici, epiſcopi Auguſtani. Ætatem indicat, quòd converſatus fuerit cum hoc S. Udalrico; qui factus eſt epiſcopus anno Chr. Iↄ CCCC XXIV, atque obiit anno Iↄ CCCC LXXIII, IV Non. Jul. anno quinquageſimo epiſcopatus ſui, cum annos vixiſſet LXXXIII. Ex hoc ſcriptore ſua in Udalrici vitâ hauſerunt Gebeardus, epiſcopus Auguſtanus, & Berno, Augiæ abbas: qui in eo elaborarunt, ut, quæ priùs ruſticâ dictione ab anonymo expreſſa eſſent, ea à ſe elegantiùs politiuſque compoſita plures oblectarent. Atque ita fecere, ut fons ipſe multùm negligeretur: imò aliquot ſeculis neſciretur, uſque dum eum tandem reperit, atque iterum orbi oſtendit Marcus Velſerus. Nam is primus illam S. Udalrici vitam è tenebris eruit, ac publici juris fecit.

Præter hunc, extremis Ottonis Magni temporibus, atque item II Ottonis ætate, doctrinâ vitâque excelluit S. Notkerus, monachus S. Galli, nepos Ottonis Magni, ut de eo ſcribit diſcipulus Notkeri Hartmannus, qui aliis Hartmundus nominatur. Compoſuit vitam S. Fridolini abbatis lib. I. item vitam S. Galli lib. III. Habes hæc MSta in bibliotheca S. Galli. Idemque eſt auctor martyrologii, quod ex bibliotheca S. Galli primus edidit Henr. Caniſius Tom. VI. Antiqu. Lect. Sed aliquot dies Octobris, & duo extremi menſes, penitùs deſiderantur. Abſque dubio autem hic eſt unus ex tribus illis Notkeris, quos Eckerhardus *a* commemorat, & in monaſterio S. Galli vixiſſe dicit. Primus à vitio linguæ dictus eſt *Balbulus*, ſtirpe nobilis, ſcientiâ virtuteque clarus: cujus vitam ſcripſit Eckerhardus. Alter eſt cognominatus *Piperis granum*; nempe ab ingenii acrimonia; vir ſanè pietate, & doctrinâ inſignis. Tertius eſt Notkerus *phyſicus*, abbas poſtea factus: cujus geſta referuntur in libro caſuum monaſterii. Primus horum martyrologii auctor eſt: ut Jodocus Metzlerus *b*, monaſterii S. Galli profeſſus, & ex eo Henr. Caniſius *c* oſtendit. Illum autem Ottonis Magni ætate vixiſſe, clarè liquet ex vita ejus ab Eckerhardo proditâ cap. V, XXXI, aliiſque locis. Satis autem mirari non poſſum, quid in mentem venerit eidem docto viro, ut traderet *d*, Notkerum fuiſſe nepotem Magni Ottonis: atque adderet, floruiſſe anno Iↄ CCC L: idemque referret, quædam de hoc Notkero legi in codice (niſi librarii is error eſt) ante annos Iↄ CCC ſcripto. Nam Otto Magnus demum imperare cœpit anno Iↄ CCCC XXXVI, & obiit anno Iↄ CCCC LXXIII. Quo pacto igitur illius nepos floruerit anno Iↄ CCC L, tantò ante natum Ottonem? Et quomodo potuit vidiſſe librum de Notkero, qui ſcriptus eſſet ante annos octingentos, ſi Notkerus, ut ait ipſe, demum claruit anno Iↄ CCC L? Nam ab eo tempore uſque ad annum cIↄ Iↄ C IV, (quo ex Metzlero iſta Caniſius in notis ad Tom. VI. Antiq. Lection. retulit) tantùm ſunt anni Iↄ CC LIV. At quinto minùs potuit tam vetuſtus codex eſſe, ſi Notkerus Ottonis Magni, ut idem fatetur, nepos fuit? Nam ab Ottonis Magni exceſſu uſque ad annum, quo iſta ex Metzlero traderet Caniſius, ſolùm anni ſunt Iↄ C XXXI. Quid igitur abſurdius, quam ut librum de Notkeri hujus vita conſpexerit Metzlerus, qui ſeſquiſeculo toto ante natum Notkerum conſcriptus eſſet?

*a* In vita Notgeri Balbuli cap. 5.

*b* Libro de illuſtribus viris S. Galli.

*c* Notis in Tom. V. Antiq. Lect.

*d* Apud Caniſium Tom. 5 Ant. lect. pag. 740.

Iiſdem ultimis annis Othonis I. claruit Theodoricus, archiepiſcopus Trevirenſis: qui præter vitam S. Virginis Mariæ, etiam vitam ſcripſit S. Ludrudis, virginis ſanctimonialis in Corbejâ requieſcentis.

Tempore Othonis II Aio, monachus Anglus ordinis S. Benedicti, egiſſe dicitur in monaſterio Croilandenſi. Hic monaſterii ſui memorabilia, juſſu abbatis Turketuli, conſignavit. Eſt ea hiſtoria quaſi annorum CC LX: nempe ab anno circiter Iↄ CC, uſque ad annum Iↄ CCCC LXX; quo Edgarus in Angliâ regnabat.

Romerius, ut Simlerus ait, compoſuit duos annalium libros; quibus Rheginonis hiſtoriam ab anno Iↄ CCCC VII, uſque ad annum Iↄ CCCC LXXVII, perſequitur. Cumque appendix ea, quæ Rheginoni hodie addi ſolet, totidem ſit annorum, planè ſit veriſimile, eam vel Romerii hujus eſſe, vel ex Romerio excerptam. Illud quoque veriſimile eſt, ſcriptorem anno eo vixiſſe, quo annales ſuos finit. Nec tamen præfractè iſthoc aſſeverem. Invenio ejus quoque mentionem apud Aventinum; ubi hiſtoriam Romerii de geſtis Germaniæ inter illos refert auctores, quos in ſecundo de Annalibus Bojorum ſequitur.

Imperante Ottone III, anno Iↄ CCCC XCII, in ſynodo Romanâ obtulit Luitolphus, ſive Ludolphus, Auguſtæ epiſcopus, libellum à ſe ſcriptum de miraculis S. Udalrici: qui à Papa Joanne XV, ac Synodo memoratâ, fuit comprobatus: eodemque in concilio Udalricus eſt relatus in numerum ſanctorum. Acta ea ſynodalis conventus à M. Velſero edita ſunt in lucem: in quibus & illud de Luitolphi libello legitur.

Anonymus monachus S. Launomari literis prodidit tranſlationem S. Benedicti; quæ contigit anno cIↄ VII. Ejus verò oculatum ſe teſtem fuiſſe, ipſe teſtatur. Vide annales Aurelianenſes Sauſſeji ad annum memoratum: ubi ex manuſcripto codice monachi ejus luculentum adducit locum.

Diethmarus, ſive *Ditmarus*, Sigefridi, Saxonici Comitis filius, primùm monachus fuit cœnobii S. Joannis Magdeburgi ſub Riddago abbate, hinc præpoſitus Walbicenſis, ac tandem Merſburgenſis in Miſnia epiſcopus. Chronicorum libros VII reliquit; quibus complectitur geſta quinque imperatorum, Henrici I, Ottonis I, II, III, & Henrici II; cujus temporibus vixit. Meminit & Paullus Langius penè initio Chronici Citizenſis. Ac ſæpius in Saxonia ſua memorat Georgius Fabricius. Sinceriſſimum ſcriptorem appellat Poſſevinus. Opus verò Chronicorum ſcribere orſus fuit anno Chriſti cIↄ XVII, ætatis ſuæ XLI, epiſcopatus X, anno uno ante obitum. Quemadmodum cognoſcere eſt ex eo, qui, paullò poſt Ditmari exceſſum, vitam illius literis commiſit.

Æqualis huic fuit Gebhardus, epiſcopus Auguſtanus: qui anno ſedere cœpit cIↄ VI, ac novennio Eccleſiæ præfuit. De hoc ſuperiùs diximus, ut vitam S. Udalrici, quæ ab æquali ejus ſcripta erat ruſticè, atque ineleganter, nitidius politiuſque expreſſerit: uti & à Bernone Augienſi paullò pòſt factum fuit. Eſt autem Gebhardus ille, qui Eccleſiam S. Afræ à S. Udalrico exſtructam, ubi & ſepeliri voluerat, convertit in monaſterium, ductis eò monachis S. Benedicti.

Etiam Henrici II, imò & Conradi Salici tempore, illuſtris fuit Arnoldus, *Comes* Vogburgenſis, Marchio de Cham, monachus S. Emmerammi, ad quem Meginfredus, Magdeburgenſis magiſter, & præpoſitus, epiſtolam ſcribit operi ſuo de vita & virtutibus S. Emmerammi præfixam.

fixam. Quemadmodum autem Meginfredus vitam Emmerammi poſt Cyrinum in literas retulit: ita Arnoldus Comes duos libros fecit de miraculis B. Emmerammi, deque memoria cultorum ejus. Reperies apud Caniſium Tom. II Antiq. Lect. Sui temporis fideliſſimum ſcriptorem appellat Cæſar Baronius Tom. XI ad an. CIↃ I.

## Cap. VI.

*Referuntur hiſtorici, qui fuere temporibus Conradi Saliqui, ac deinceps, uſque ad Lotharium II. Ex quibus anonymus reliquit vitam Burchardi Wormatienſis: alter Chronicon S. Benigni Divionenſis: alius vitam S. Guntheri: Odo Foſſatenſis vitam Burchardi, comitis Pariſienſis: Guntherus Bambergenſis itinerarium peregrinationis ſuæ Hieroſolymitanæ: Thomellus Flander vitam, ac laudes Balduini Pii: Andreas, monachus Vallis-umbroſæ, vitam S. Joannis Gualberti: anonymus Chronicon Cluniacenſe: Gerochus Richerſpergenſis hiſtoriam de diſſenſu Henrici IV. imp. & papæ Alexandri II: Guilielmus Appulienſis poëma hiſtoricum de geſtis Normannorum in Italia: Gaufredus, monachus S. Benedicti, geſta Roberti Guiſcardi, & fratrum eius: Haymo Hirſaugienſis vitam, & miracula B. Guilielmi Hirſaugienſis: Raimundus de Agiles, ſive de Podio, hiſtoriam Francorum, qui ceperunt Hieruſalem: item alius geſta Francorum, & aliorum Hieroſolymitanorum: Baldricus Aurelianenſis, ſive Dolenſis, vitam B. Samſonis, & S. Hugonis, & hiſtoriam Hieroſolymitanam: alius vitam Roberti Friſii: item alius res ſui temporis: Guibertus abbas geſta Dei per Francos: Alexander Atrebas vitam B. Goſwini: Ioannes, monachus S. Vincentii, chronicon ſui monaſterii: Domnizo presbyter vitam Machthildis comitis: S. Bruno vitam S. Petri Anagnienſis: Ademarus monachus Chronicon Aquitanicum, & Chronologiam abbatum Lemovicenſium: anonymus geſta Hieruſalem expugnantium: Rupertus Gallus hiſtoriam belli contra Saracenos: Sugerius abbas vitam Ludovici Craſſi, & Ludovici VII: Oldericus, ſive Ordricus, hiſtoriam Eccleſiaſticam: Albertus, ſive Albricus Aquenſis, hiſtoriam Hieroſolymitanam: Gauterius cancellarius res ad Antiochiam geſtas: Fulcherius Carnotenſis geſta Balduini, regis Hieroſolymitani: anonymus vitam Tyemonis, epiſcopi Saltzburgenſis.*

POſt Henricum II, qui Saxoniæ ſtirpis erat, imperium fuit penes Francones ad Mœnum: qua ex gente princeps imperii habenas accepit Conradus II, Saliquus. Id anno contigit CIↃ XXIV. Poſt eum rexit filius Henricus III: tum nepos Henricus IV: hinc pronepos Henricus V: qui regendi vivendique finem anno fecit CIↃ C XXV. Intervallo iſto, quod centum & unius annorum eſt, multi claruere rerum geſtarum auctores. Nunc ex his eos commemorabo, de quibus ſuperiori libro nihil dictum eſt nobis.

Antiquiſſimus eorum eſt incerti ille nominis ſcriptor, cujus beneficio nota eſt vita Burchardi, Wormatienſis epiſcopi. Abunde enim præfatio ejus opuſculi declarat, iiſdem temporibus eum, ac Burchardum, vixiſſe. At Burchardus ille inter homines eſſe deſiit anno CIↃ XXVI: puta anno XXVII, ex quo poſt fratrem ſuum Franconem honorem epiſcopalem eſt adeptus. Annus is tertius erat Conradi II. imperatoris: unde, hoc rerum potiente, vitam illam literis eſſe traditam conſequitur. Præmittitur libellus iſte Collectioni decretorum Burchardi, non quidem in editione Pariſinâ anni CIↃ IↃ L: ſed Colonienſi, quæ decennio pôſt lucem vidit.

Ætate Henrici III. Imp. vivebat ille, qui poſteris tranſmiſit Chronicon S. Benigni Divionenſis: ex cujus cod. Mſo quædam de reformatione ejus monaſterii per S. Majolum, adfert *a* Martinus Marrier in biblioth. Cluniac. Etiam quædam inde in notis promit Andreas Quercetanus *b*.

*a* Col. 298. *b* Col. 62. 123.

Imperante eodem, ætatem agebat ille, qui vitam deſcripſit S. Guntheri, Turingii, Stephani Ungariæ regis cognati, monachi Altahenſis, ac poſtea eremitæ in ſilva Bohemica in Richnach: ubi exactis XXXVII annis deceſſit, præſente Brecislao duce Poloniæ, quem à ſacro fonte ſuſceperat. Quod de ætate ſcriptoris dixi, planum fit ex eo, quòd familiaris fuit Gunthero; ut cognoſcimus ex iſtis verbis: *Quod nos quidem, qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus.* Atqui in eodem legitur libello: *Obiit Chriſti famulus, eremita Guntherus, anno incarnationis Domini* CIↃ XLV.

Odo, Foſſatenſis monachus, claruit primis temporibus Henrici IV: nimirum anno CIↃ LVIII, ac vitam ſignavit Burchardi, Comitis Pariſ. Corboili, & Milidun. Ex hoc ſcriptore hiſtoriam de reformatione cœnobii S. Mauri Foſſatenſis per S. Majolum, Cluniacenſem abbatem, reperies in bibliotheca *a* Cluniacenſi. Aliqua etiam ex eo in notis ſuis citat Andreas *b* Quercetanus.

*a* Col 298. & ſeqq. *b* Col 67. 68. 117.

Anno Chriſti CIↃ LX Guntherus eſt factus epiſcopus Bambergenſis. Sed anno CIↃ LXIV cum Sigefrido, archiepiſcopo Moguntino, & compluribus aliis, ſummi generis ac dignitatis viris, profectus fuit in terram Sanctam, ſtrenueque rem geſſit. Vir erat diſertus, & variarum linguarum cognitione inſtructus. Ac peregrinationis ſuæ Itinerarium reliquit. Quod tamen non planè perfecit. Quippe anno CIↃ LVI, è Palæſtina domum rediens, in Carinthia incidit in morbum nec ita multò pôſt ibidem exceſſit. Corpus Papenbergam relatum, & maximo cum honore terræ mandatum fuit.

Thomellus Flander claruit anno CIↃ LXX, atque opus condidit de vita, & laudibus Balduini Pii, Flandriæ Comitis, qui *Inſulanus* quoque vocatus eſt ab Inſula, oppido natali: ubi & deceſſit an. CIↃ LXXIII ac in templo à ſe condito ſepultus. Meminit & Thomelli, & ætatis ejus, atque operis, Mejerus lib. III rerum Flandricarum ad annum memoratum, atque alibi. Sanderus lib. III de ſcriptoribus Flandriæ, & Sweertius in Athenis Belgicis, autores ſunt, juſſu Abbatis ſui B. Rolandi, condidiſſe chronicon de fundatione cœnobii Elnonenſis.

Temporibus etiam imperatoris Henrici IV. vivebat Andreas, monachus Vallis umbroſæ; qui ſanctimoniâ claruiſſe dicitur. Hic conſignavit vitam magiſtri ſui, S. Joannis Gualberti; qui Ordinem Vallis umbroſæ inſtituit, ac deceſſit anno CIↃ LXXIII.

Circa annum CIↃ LXXX, ætate S. Hugonis, Cluniacenſis abbatis, vixit Incertus ſcriptor Chronici Cluniacenſis: ut Andreas Quercetanus ait notis in biblioth. Cluniac. Ubi & non ſemel eum ad partes advocat.

Fortaſſe etiam hic locum affectat ejuſdem, ut videtur, temporis ſcriptor, Gerochus, Richerſpergenſis antiſtes. Memoratur Aventino lib. VII annalium Bojorum. Nam locutus de diſſentione inter Henricum IV. imp. & Alexandrum II. Papam, hæc ſubjungit: *Gerochus, Richerſpergenſis præſul, de hoc diſſidio complura ſcripſit; quibus titulum de Antichriſto dedit.* Non dubium igitur, quin illius temporis hiſtoria ab eo prodita ſit: verùm ex titulo, *De Antichriſto*, quem operi ſuo fecerat, ſuſpicio mihi oboritur, non tam more hiſtorico id egiſſe; quam inſtar Gildæ deſcribentis Britanniæ excidium, vel potiùs deplorantis. nempe & Gerochus caſtigare voluit mores ſui ſeculi, qui ſpiritum planè ſpirabant Antichriſti.

Henrico IV. imperante, etiam Guilhelmus Appulienſis famam extendit libris quinque carmine conſcriptis heroico de rebus Normannicis in Italia, ac regno Neapolitano geſtis. Editionem ejus Rhotomagi *c* procuravit Joannes Tiremæus, Fiſci in Rotomagenſi provincia advocatus. Incipit hoc pacto:

*Geſta ducum veterum veteres cecinere poëtæ:*
*Aggrediar vates novus edere geſta novorum.*
*Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu*
*Venerit Italiam; fuerit quæ cauſſa morandi:*
*Quoſve ſecuta duces Latii ſit adepta triumphum.*

Hæc argumentum operis oſtendunt. Exinde compellat

*c* Anno 1582. excudente Richardo Petit, & Richardo l'Allemant.



Digitized by Google

eos, quorum mandato laborem eum fuerit aggreſſus. Hunc enim in modum progreditur:

*Parce tuo vati pro viribus alta canenti,*
*Clara Rogere ducis Rodberti, dignaque proles;*
*Imperio cujus parere parata voluntas*
*Me facit audacem; quia vires, quas labor artis,*
*Ingeniumque negat, devotio pura miniſtrat;*
*Et patris Urbani reverenda petitio ſegnem*
*Eſſe vetat, quia plus timeo peccare negando,*
*Tanti Pontificis quam juſſa benigna ſequendo.*

Hinc cognoſcimus, poëma illud ſcripſiſſe poſtulato, tum Urbani II, Papæ Romani; qui ſedere cœpit anno cIↄ LXXXVII, atque anno deceſſit cIↄC IX: tum Rogerii Boſſi; qui frater erat Roberti Guiſcardi; Siciliæque, unde Saracenos ejecerat, comes; anno autem cIↄC I, admodum natu grandis, obiit. Eoque majoris hiſtoricum hoc Guilielmi poëma fieri à nobis convenit, quòd eorum, quæ commemorat, teſtis fuerit oculatus.

Ejuſdem Rogerii comitis poſtulato, Gaufredus, Monachus S. Benedicti, libros IV reliquit *de acquiſitione regni Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, & inſulæ Siciliæ, per glorioſum principem Robertum Guiſcardum, & fratres de Normannia venientes.* Eſt omnino accuratus in diſtinguenda temporum ratione: eoque nomine laudatur ab Dominico Portonario: qui primus in lucem produxit. Habes in quarto volumine hiſtoricorum, quibus rebus Hiſpaniæ lucem alteram cura fuit.

Haymo, ſeu Heymo, *Hirſaugienſis* cœnobii Prior factus eſt anno Chr. cIↄ XCII. Scripſit vitam ac miracula B. Wilhelmi, abbatis Hirſaugienſis: in cujus locum ipſe ſucceſſerat, cùm, Gebhardo defuncto, Guilielmus ex Priore Abbas ejuſdem cœnobii fieret. Sed vitam Guilielmi alius ejus cœnobii monachus, cùm locupletare vellet, reddidit breviorem. Auctor Trithemius in Chronicis cœnobii Hirſaugienſis: ubi & illud refert, Haymonem hunc etiam homilias reliquiſſe: eas commixtas legi homiliis Haymonis, Halberſtadenſis epiſcopi: qui totis duobus ſeculis Hirſaugienſi hoc antiquior fuit: eſſeque non admodum diſſimilem amborum dictionem: imò ſagaciſſimis etiam haut facile eſſe homilias eas internoſcere.

Raimundus de Agiles, Canonicus Podienſis, capellanus comitis S. Ægidii, hoc eſt, Tholoſani, ac epiſcopi Podienſis, expeditioni interfuit in Orientem anno cIↄ XCV. Quin præſens aderat, cùm lancea Dominica effoderetur; ac, priuſquam tota è terra extracta eſſet, mucronem fuit oſculatus; poſteaque eam in prœlio tulit: ut ipſe narrat opere eo, quod inſcribitur, *Hiſtoria Francorum, qui ceperunt Hieruſalem.* Opus hoc procudit poſtulato Pontii Balonenſis, ſive de Baladuno, viri nobilis, ac Toloſano comiti familiaris. Orditur à Comitis ejuſce in Sclavoniam ingreſſu, ac definit in victoria Ammirati ſive Ammiraviſi Babylonici. Ut quinquennii & ille hiſtoriam complectatur, eorum inſtar, de quibus diximus. Habes eum in Tomo I Hiſtoriæ Orientalis, quæ inſcribitur, *Geſta Dei per Francos.* Eſtque idem, ac ille, qui in Geſnerianæ bibliothecæ compendio à Simlero vocatur *Raimundus de Podio*, exſtareque dicitur in bibliotheca Londinenſi.

Anonymus, Italus, auctor operis, quod inſcribitur, *Geſta Francorum, & aliorum Hieroſolymitanorum*, anno vivebat cIↄ XCV, ac deinceps. Incipit ab Urbani Papæ II. itinere in Gallias, & prædicatione crucis; quæ incidit in annum cIↄ XCV. Ac definit in anno cIↄ XCIX; quo Ammiraviſus Babylonis ad Aſcalonem victus, & Hieroſolyma capta fuit. Quinquennii igitur hiſtoriam comprehendit. Vidit pleraque ea, quæ refert: qui in comitatu fuerit Boamundi: quemadmodum liquet ex lib. I cap. IV. lib. IV cap. XIX, XXIII, &c. Prodiit hic ſcriptor primùm beneficio Paulli Petavii, Galli, & Guilielmi Cambdeni, Angli. Atque exſtat Tom. I Orientalis Hiſtoriæ *a*.

*a Hanoviæ prodiit typis Wechelianis an. 1611.*

Extremis Henrici IV. temporibus, hoc eſt, circa an. cIↄ C, ac deinceps, cùm Papa foret Paſchalis II, claruit Baldricus Aurelianenſis. Priùs hic monachus, & abbas Burgulienſis fuit: pro quo perperam *Burgidenſis* ſcriptum eſt apud Vincentium Belluacenſem, & auctorem Chronici Belgici magni. At poſtea factus eſt archiepiſcopus *Dolenſis* in Britannia Aremorica. Vitam ſignavit B. Samſonis, epiſcopi Dolenſis: item vitam S. Hugonis, Rothomagenſis epiſcopi, quæ MSa exſtat, cùm Antverpiæ apud Miræum, tum Atrebati in monaſterio S. Vedaſti. Præterea libris quatuor condidit hiſtoriam Hieroſolymitanam; quæ ex Pithœi, & aliorum MSis, cum aliis Orientalium expeditionum ſcriptoribus divulgata eſt in Germania *a*. In præfatione ait ipſe, opus ſe hoc prope ſexagenarium cœpiſſe. Orditur ab anno cIↄ XCV, quo initium habet peregrinatio in Orientem: definit verò in capitis Hieroſolymis, quod quinquennio pòſt contigit. Ex præfatione cognoſcimus, interfuiſſe eum concilio Claremontano; unde illa in Orientem expeditio originem cœpit. Ibidem ait, ſequi ſe hiſtoriam anonymi cujuſdam ſtylo ſcriptam plane ruſtico, & incondito. At Baldricum hunc non verè modò, ſed etiam diſertè ſcribere, judicium eſt ejus, qui ſe exſcribere eum profitetur, Ordrici dico Vitalis Angli: qui & alia de eo refert, quæ legere licet apud eruditum auctorem προλεγομένων in Hiſtoriam Orientalem. Citat Baldricum hunc Vincentius Belluacenſis Speculi Hiſtorici lib. XXV cap. XCVI, & alibi: item canonicus regularis prope Nuſſiam in magno Chronico Belgico. Cuſpinianus quoque eum inter illos recenſet, è quibus in ſcribendis imperatoribus ſuis profecerit.

*a Hanoviæ an. 1611.*

Circa annum cIↄ C, imperante adhuc Henrico IV, anonymus Germanus exaravit vitam Roberti Friſii, comitis Flandriæ; qui deceſſit anno cIↄ XCIII, IV Idus Octobris. Meminit Mejerus ad annum dictum: *De donatione Philippi*, inquit, *vide tabulas inter epiſtolas: ubi & hiſtoriam hujus comitis Roberti invenies ſcriptam ab quodam Germano quadringentis, & amplius, abhinc annis.*

Itidem circa annum cIↄ C anonymus quidam egit de rebus ſui temporis; qui in bibliotheca Vaticana aſſervatur; unde quædam ſe exſcribere profitetur Cæſar Baronius ad annum memoratum.

Etiam Guibertus, nobilis Gallus, abbas monaſterii S. Mariæ Novigenti, quod in Laudunenſi pago ſub Cociaco caſtro ſitum eſt, anno cIↄ C claruit; ac reliquit opus, quod inſcripſit ipſe, *Geſta Dei per Francos.* Sunt ii ſeptem Hieroſolymitanæ hiſtoriæ libri, quos dicavit Lyſiardo, Sueſſionenſi epiſcopo: de quo ſuperiori libro dictum nobis. Hoc in opere profitetur, ſcribere ſe non viſa; ſed aliorum ſcripta ſequi; attamen ita ut, quæ deeſſent, interſerat ex relatu aliorum, qui præſentes fuiſſent. Perducit hiſtoriam belli ſacri, uſque ad regnum Balduini I; qui frater erat Guilielmi Bulionii. Habes in tomo Orientalis Hiſtoriæ ſæpius memoratæ. Præterea autem commentatum ſe ait in Geneſin; ſed ſimpliciore, quàm hic utatur, ſtylo. Guiberti hiſtoriæ additur anonymi appendix, quæ pertexit res geſtas uſque ad annum cIↄ C XII.

Præter iſtos Alexander *Atrebas*, abbas ſecundus cœnobii Aquicinctini, inclaruit eodem anno cIↄ C. Hic vitam prodidit B. Goſvini ſeu Goſſuini, cui ſucceſſerat.

Extremis Henrici IV, ac primis Henrici V. temporibus, cùm Papa foret Paſchalis II, Joannes, monachus cœnobii S. Vincentii ad Fontes Vulturni, poſteritatis memoriæ conſultum ibat Chronico ſui monaſterii: quod ſupereſt MSum literis Longobardicis. Unde quædam in arduo Annalium ſuorum opere exſcribit Baronius ad an. Iↄ CCCXCII, & item an. Iↄ CCCC LXIII.

Etiam Henrici IV, ac V. tempore, floruit Domnizo presbyter: qui carmine heroico complexus eſt vitam Mathildis comitis. Obiit ea anno cIↄ C XV: ut iſtis verſibus Domnizo indicat:

*His dum quarta monet Indictio, jungitur atque*
*Virginei partus qui currere cœperat annus*
*Millenus quintusdecimus centeſimus; illum*
*Natalem Chriſti voluit celebrare Mathildis.*

Pleriſque eorum, quæ ſcribit Domnizo, ipſe interfuit. Impensè autem Papæ partibus favet adverſus imperatorem Henricum IV. Ac crebrò in temporibus Mathildis teſtis advocatur à Cæſare Baronio.

S. Bru-

S. Bruno, Signienſis epiſcopus, poſteaque quadrageſimus Caſinenſis monaſterii abbas, floruit temporibus Henrici IV, & V. Impp. Vide de eo Petrum diaconum in Caſinenſi hiſtoria cap. xxxiii, & deinceps. Præterea, quorum Petrus ille mentionem facit, etiam conſignavit vitam S. Petri, Anagniæ epiſcopi, qui deceſſit an. cIↄ c v. Meminit ad eumpſe annum Baronius.

Ademarus, Raimundi filius, monachus S. Martialis Lemovicenſis, vivebat an. cIↄ c x: ac Chronicon Aquitanorum, & Chronologiam reliquit abbatum Lemovicenſium: ex cujus codice MSo teſtimonium de S. Odone Cluniacenſi, & alterum de S. Majolo, aliudque de Odilone, adfert *a* Martinus Marrier in bibliotheca Cluniacenſi. Quædam & ex eo depromit in notis ſuis *b* Andreas Querceranus Turonenſis. Alius ab eo eſt Adamarus Roberti, Lemovicenſis, J. V. doctor; qui vixit anno cIↄ ccc xlii. Is primùm Lexovienſis fuit epiſcopus, exinde Atrebatenſis, tum Morinenſis, pòſt Senonenſis Archiepiſcopus, ac tandem à Papa Clemente VI. cardinalis factus eſt Tit. S. Anaſtaſiæ.

a Col. 57, 303, 334.
b Col. 10, 63, 64, 80, 99, 163.

Anonymus ſcriptor *de geſtis Francorum Hieruſalem expugnantium*, vitam egit anno cIↄ c x, ac deinceps. Diviſum ejus opus fuit in partes duas, quarum periit prior. Poſterior inchoat ab anno cIↄ c: quo Balduinus Edeſſanus profectus eſt ad fratrem Godefridum Bulionium. Deſinit verò in anno cIↄ c xxiv: quo Tyrus eſt obſeſſa. Reperies eam partem in Hiſtoriæ Orientalis Tom. I. Meminit hujus operis jam ante annos quingentos Gaulterus, Tarvanenſis diaconus, in vitâ S. Karoli, comitis Flandriæ, martyris, cap. III. Quo de ſcriptore capite proximo dicemus.

Ad tempora Henrici V. pertinet Rupertus Gallus, monachus S. Remigii: qui libris x comprehendit hiſtoriam belli Chriſtianorum contra Saracenos. Prodiit Baſileæ *c*.

c Apud Henricum Petri.

Imperante & Henrico V, claruit Sugerius, qui in nonnullis libris *Sigerius*, abbas S. Dionyſii, unus eorum, quos Galliæ rex Ludovicus Craſſus obviam miſit Papæ Gelaſio II, cùm in Galliam fugiſſet ſuppetias poſtulans adverſus Henricum imperatorem. Hic Sugerius ad Goſlenum, Sueſſionenſem epiſcopum, vitam ſcripſit, tum regis Ludovici Craſſi, tum filii ejus, Ludovici, VII. hujus nominis regis Galliæ. Utraque è Petri Pithœi bibliotheca primùm lucem vidit *d*. Meminit Sugerii hujus Otto Friſingenſis lib. I cap. LV. Obiit an. cIↄ c LI. Ad eum jam graviter ægrotantem, ac fortaſſe moribundum, exſtat S. Bernardi Clarævallenſis epiſtola *e*, quâ illum hortatur, ne vitam hanc exuere formidet; ſed ad mortem, ac meliorem vitam, fortiter ſe componat.

d In corpore hiſtoricorum Franciscorum qui prodiere, Francofurti an. 1596.
e Num. 266.

Eodem rerum potiente, anno cIↄ c xx, ac deinceps, in terris egit Oldericus, qui & Ordricus Vitalis, monachus Uticenſis, Lexovienſis diœceſios: qui ab aliquibus Anglus fuiſſe prædicatur. Conſignavit hiſtoriam Eccleſiaſticam: quæ MSa ſupereſt. Ex eo locus quidam adducitur *f* in bibliotheca Cluniacenſi, inter teſtimonia de fundatione monaſterii Cluniacenſis. Et alius *g* de S. Hugone, abbate Cluniacenſi. Et tertius de Pontio Cluniacenſi *h*. Etiam, partem ejus MSam habere ſe, ait doctiſſimus ſcriptor προλεγομένων in Tomos Hiſtoriæ Orientalis, quæ inſcribitur, Geſta Dei per Francos. Ubi & pluſcula ex eo citantur de Baldrico, Dolenſi archiepiſcopo; ex quibus Baldrici temporibus vixiſſe, cognoſcere ſit.

f Col. 8.
g Col. 468.
h Col. 555.

Albertus, canonicus, & cuſtos, ſive æditŭus Eccleſiæ Aquenſis, qui in quibuſdam codd. Albricus vocatur; ſcripſit *hiſtoriam Hieroſolymitanæ expeditionis ſuper itinere* (vel, ut ipſe loquitur, paſſagio) *Godefridi de Bullione, & aliorum principum*. Conſtat id opus libris duodecim, accurateque omnia perſequitur. Primus edidit *i* Reineccius: ſed abſque nomine auctoris. Itaque lib. II cap. XLVIII vocamus *anonymi chronicon Hieroſolymitanum*. Sed poſtea incidimus in præfationem Davidis Hœſchelii, quam Annæ Comnenæ Alexiados libros præmiſit: ubi auctorem hujus Chronici appellat *Albertum, Canonicum Aquenſem*. Hinc in manus noſtras venere Tomi Hiſtoriæ Orientalis, Hanoviæ editi anno cIↄ Iↄ c xxi: ubi Reinecciana editio, ſed nomine Alberti appoſito, exprimitur. Quod autem libro II putabamus, ſcriptorem hunc omnium eorum, qui Hieroſolymitanam expeditionem ſcripſerint, antiquiſſimum videri, id omnino ſecus eſt. Nam priores eo ſunt, qui ipſi interfuere itineri huic: ut anonymus auctor libri, qui inſcribitur, *Geſta Francorum, & aliorum Hieroſolymitanorum*. Item Robertus monachus, & abbas S. Remigii. Adhæc Raimundus de Agiles, ſive de Podio. Nec dubito, quin antiquior quoque eo ſit Baldricus, Dolenſis archiepiſcopus; etſi is non viſa, ſed lecta, auditaque referat. Denique Albertum hunc iis, quos diximus, recentiorem eſſe, ex eo etiam colligimus, quòd non paullò ulteriùs, quàm iſti, hiſtoriam producat. Nam cùm illi quinquennii res narrent: hic ab expeditionis initio progreditur uſque ad annum ſecundum regis Balduini II: ita ut res exponat annorum xxiv.

i Helmaſtadii an. 1602.

Gauterius Cancellarius, qui aliis *Galterius*, vixit anno cIↄ c xx. Deſcripſit res ad Antiochiam feliciter quidem geſtas anno cIↄ c xv; infeliciter autem anno cIↄ c xix. Bellis iis ipſe interfuit Gauterius. In præfatione ait, *ſe utriuſque fortunæ participem* eſſe. Etiam *ingenium carceris vi hebetatum* ſibi eſſe, conqueritur. Natione eſſe Gallum, Gallicismi oſtendunt. Habes in Tomo hiſtoriæ Orientalis ſæpius memorato.

Fulcherius Carnotenſis Capellanus fuit Balduini, regis Hieroſolymitani: cujus & geſta enarravit. Reprehenditur à Guiberto abbate in bellis Antiochenis cap. xxix, xxx, xxxi, & xxxviii. Sed à bona fide eum commendat Ordricus Vitalis lib. ix hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; item Guilielmus Malmesburienſis lib. iv; qui addit, uſum eſſe *ſtylo, non quidem agreſti; ſed, ut dici ſolet, ſine nitore, & palaſtra, & qui alios commonere potuerit, ut accuratiùs ſcriberent*. Meminit & monachus ille prope Nuſliam, qui auctor eſt Chronici Belgici majoris à Piſtorio editi; item auctor Dialogorum de Hierarchia ſubcæleſti lib. I cap. x & lib. iv cap. ix, cujus verba ex MSo codice Pythœano promit eruditus auctor προλεγομένων in Hiſtoriæ Orientalis ſcriptores. Atque idem obſervat, hunc ipſum intelligi à Papirio Maſſono in Urbano II, cùm ait, *Balduinus Carnotenſis, belli Sacri, cui interfuit, primus ſcriptor*. Nempe quia Fulcherius Balduini erat capellanus, eò Balduinum pro Fulcherio dixit. Quemadmodum quia Fulcherius erat Carnotenſis, eò ex Carnotenſi eundem perperam Cardinalem fecit antè citatus auctor Hierarchiæ ſubcæleſtis. Cæterùm non deſunt codices, ubi Fulcherius in tres libros diſtinguatur: nempe ut liber ſecundus à Balduino I, tertius à Balduino ſecundo auſpicetur. Orditur Fulcherius ab initio belli ſacri; puta ab anno cIↄ xcv: verùm non continet ſe intra quinquennium, ut plerique alii ſcriptores, de quibus vidimus; ſed pertingit uſque ad annum cIↄ c xxiv.

Henrici V, ac fortaſſe etiam Lotharii II, ac Conradi III. temporibus, fuit ille, qui in literas retulit paſſionem S. Diemonis, ſeu Tyemonis, ſive Themonis, vel Diethmari, aut Theodomari (variè enim id nomen ſcribi ſolet) Archiepiſcopi Juvavienſis, ſeu Saltzburgenſis: qui in terram ſanctam proficiſcens, in itinere captus, & cum ſociis à Saracenis eſt interfectus. De quo ſic Otho Friſingenſis, *Quòd ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet*. Vitam eam Tyemonis habes apud Caniſium T. iv Ant. Lect. Ac Chronicon Reicherſpergenſe, ante annos cccc conſcriptum, meminit ejus ad annum cIↄ LXXXVIII. Ubi cùm retuliſſet miraculum, quod contigit, cùm Gebhardus, Saltzburgenſis epiſcopus, cœnobium fundaret, item cùm ſepeliretur; ſubjungit hæc verba, *Ut legitur in paſſione Thymonis, ſucceſſoris ejus*. Ad fidem illi conciliandam pertinet, quòd eam hiſtoriam auctor ab iſtis acceperit, qui ipſi expeditioni interfuerant. Id verba hæc indicant: *Quidam namque Chriſtianorum, qui omnem poſtea paſſionis hiſtoriam noſtris partibus retexuit, teſtabatur, ſe, ſub ipſa hora tranſitus, martyris de corpore vidiſſe Angelicum chorum cum hymnis cœleſtibus venientem*. Æqualis erat Conradi ab Abenſperg, qui Henrici

rici IV. capellanus fuit, ac Tyemoni in epiſcopatu Saltzburgenſi ſucceſſit anno cIɔ L V: anno autem deceſſit cIɔ c XLVIII. Eum deſignat hic ſcriptor verbis iſtis: *Hujus Conradi temporibus, noſtrâ jam memoriâ* (ita pro *majora* reſcribendum) *quaſi novum & meliorem intuitum accipiens locus*, &c.

## Cap. VII.

*Commemorantur hiſtorici, qui fuere temporibus Lotharis II, Saxonis, item imperatorem Suevica familia, atque Ottonis IV, Saxonis, qui Suevica domus lineam interſecat. Scriptores, quos dixi, & argumentum, quod tractarunt, hujuſmodi eſt. Fr. Gualtherus Tarvanenſis reliquit vitam Caroli Boni, Flandria comitis. Bernardus Compoſtellanus diplomata paparum, & regum Hiſpania. Anſelmus abbas Gemblacenſis auctarium Chronici Sigeberti. Folcardus Beneventanus Chronicon Beneventanum. Gerardus à Nazareth vitam abbatis Helia. Rainaldus, abbas Caſinenſis, vitam S. Severi, epiſcopi Caſinenſis. Tundalus Hibernus apparitiones ſibi factas. Anonymus geſta conſulum Andegavenſium. Alius geſta Trevirorum. Metellus Tegelenſis vitam, ac laudes S. Quirini. Guimannus Atrebas originem, ac privilegia monaſterii Vedaſtini. Petrus Bleſenſis res geſtas Henrici* II, *Anglia regis. Hugo Falcandus hiſtoriam calamitatum, quas Siculi ſunt perpeſſi temporibus Guilhelmi* I, *&* II. *Alius Chronicon Foſſa Nova. Otto Morena Laudenſis, & Acerbus Morena, res geſtas Frederici Barbaroſſa. Romualdus Salernitanus Chronicon. Albertus Fiſcanenſis itidem Chronicon. Item Odo Muremundenſis Chronicon. Hugo Novantus hiſtoriam de Guilhelmo Longshampio, epiſcopatu ſuo, & cancellariatu privato. Henricus Soliacus ſive Bleſenſis inventionem corporis Arturi regis. Anonymus res Orientis per annos* LXIII. *Martinus presbyter Chronicon Caſarum, & Paparum. Joannes Hantevillenſis antiquitates Anglia. Galfridus Burtonenſis vitam S. Moduenna Hibernica. S. Juliani monachus anonymus Chronicon Turonenſe. Wilkindus de Spoleto geſta Alexandri Magni, & Frederici Barbaroſſa. Juſtinus Dominicanus vitam S. Dominici. Thomas de Cepgrano vitam, ac miracula, S. Franciſci. Bartholomaeus Vicentinus epitomen de vitis Sanctorum.*

POſt Henricum V. imperare anno cIɔ CXXV cœpit Lotharius Saxo. Ei anno cIɔ CXXXVIII ſucceſſit Conradus III; qui primus è Suevorum familia imperium obtinuit. Exinde rerum eſt potitus ejus fratris filius, Fredericus I, cognomento Barbaroſſa. Tum Barbaroſſæ filius Henricus VI. Exinde alter filius Philippus. Hinc Suevicam familiam interrupit Otho IV, genere Saxo. Sed poſt Othonem rediit imperium ad Suevos. Nam ſucceſſit ei Henrici VI. filius, Fredericus II. Huic item ſuus filius, Conradus IV, Barbaroſſæ pronepos; qui obiit anno cIɔ CC LIV. Nunc complectar hiſtoricos, qui ſub his Cæſaribus vixere: intervallo nempe annorum CXXIX. Tot enim ſunt ab exceſſu Henrici V, ultimi Cæſarum è Franconibus ad Mœnum, uſque ad obitum Conradi IV, in quo imperium penes Suevos eſſe deſiit.

Lotharii Saxonis Imp. temporibus claruit Fr. Gualterus, Moinenſis, ſive Tarvanenſis Eccleſiæ canonicus & Archidiaconus. Hic ad Joannem, Tarvanenſem Epiſcopum, ſcripſit vitam Boni ſive, ut alii vocant, Magni, aut Sancti, comitis Flandriæ, qui occiſus eſt anno cIɔ C XXVII, VI Non. Mart. Unde ſatis ætas Gualteri hujus cognoſcitur. Nam Carolo Bono coætaneus fuit. Exſtat hic liber MSus Lovanii in Collegio ſocietatis Jeſu. Meminit ejus Jacobus Mejerus in annalibus Flandr. ad annum proximè memoratum: ubi ἁπλῶς Gualterum monachum vocat. Atque addit, fuſiùs meliuſque hiſtoriam eampſe tractari à Galberto Brugenſi. Sandenus tamen libro de ſcriptoribus Brugenſibus eundem eſſe exiſtimat Gualterum monachum & Galbertum Brugenſem. Gualterus hic Tavanenſis ex MSo codice bibliothecæ S. Mariæ Igniacenſis expreſſus Lutetiæ primùm lucem adſpicere cœpit ann. cIɔ Iɔ XV.

Anno Chriſti cIɔ C XXIX Bernardus Compoſtellanæ Eccleſiæ, ut nunc loquimur, theſaurarius, librum congeſſit, continentem ſummorum pontificum, & antiquorum Hiſpaniæ regum diplomata; opus ad illuſtrandas Hiſpaniæ antiquitates, & veram temporum rationem, perutile, ut de eo cenſet Ambroſius Morales; qui, conceſſu archiepiſcopi Compoſtellani, uſus eo aliquando fuit; atque inde excerpſit diploma regis Veremundi II, quod habemus Tom. IV ſcriptorum de rebus Hiſpanicis.

Eodem tempore vixit Anſelmus, abbas *Gemblacenſis* cœnobii in Brabantiâ. Hic chronicon Sigeberti ab anno Dom. cIɔ C XII, quo Sigebertus ſcribendi, & vivendi finem fecit, perduxit uſque ad annum cIɔ C XXXV: quemadmodum inde uſque ad annum cIɔ C XLIX continuavit alius incerti nominis: hinc uſque ad annum cIɔ CC XXV monachus quidam Aquicinctinus. De Anſelmi auctario ita ſcribit Magni Chronici Belgici auctor, ad annum cIɔ C XXXVII: *Anſelmus, octavus abbas Gemblacenſis cœnobii, hoc anno obiit: qui adhuc vivens, etſi corpore invalidus, tamen erga Dei cultum, & Scripturarum exercitium, erat ſtrenuus: & Chronicon, à fine Chronici à Sigeberto, venerabili Gemblacenſis eccleſia monacho, deſcriptum ad hunc uſque annum perduxit; & viſa, vel à fidelibus relatoribus audita, poſterorum notitia reliquit.*

Henrici V, Lotharii II, & primis Conradi III. temporibus, in ſtudiis verſabatur Folcardus, Beneventanus domo, atque ejuſdem urbis clericus, auctor Chronici Beneventani: quo narrantur res geſtæ ab anno cIɔ C XIII, uſque ad an. cIɔ C XL. Codicem hunc habuit Maximilianus à Palumbaria, archiepiſcopus Beneventanus: à quo eum ſe accepiſſe, ait Baronius ad annum cIɔ C XIII, atque addit, ex Folcardo hoc pleraque ſe in Annalibus ſuis hauſiſſe: eumque res ſincerâ planè & integrâ fide narrare: quippe qui referat iſta, quæ vel ipſe viderit, vel viderint illi, à quibus hæc accepiſſet.

Gerardus à Nazareth, patriâ Galilæus, primùm apud Nazareth, hinc in Montana Nigra prope Antiochiam Eremita fuit, ac tandem epiſcopus Laodicenſis, vir Græcè Latineque doctus, floruit anno cIɔ C XL, ac præterea, quæ adverſus Salam templarium edidit, & opus de una Magdalena adverſus Græcos, item aliud de converſatione ſervorum Dei, ad Guilielmum presbyterum, & aliud ad ancillas Dei in Bethania, etiam conſignavit vitam abbatis Heliæ. Monuit id Simlerus in epitome bibliothecæ Geſneri, atque item ex eo Poſſevinus in Apparatu.

Temporibus Conradi III. imp. ac Papæ Innocentii tertii, hoc eſt, circa annum cIɔ C XL, abbas Caſinenſis monaſterii erat Rainaldus, ejus nominis ſecundus. Hic (ut legere eſt apud Petrum, diaconum Caſinenſem, lib. IV Chronici Caſinenſis cap. C XXIX) *nobiliſſima Marſorum Comitum genere, Valeriâ provinciâ ortus fuit*: ac, ut ibidem dicitur, vir erat *honeſtiſſimus, & humanarum divinarumque rerum ſcientiâ clarus.* Plura de eo inibi. Factus tandem eſt Cardinalis Tit. S. Marcellini & Petri. Præter verſus in honorem Sanctorum, etiam ſignavit vitam S. Severi epiſcopi Caſinenſis.

Tundalus, natione Hibernus, patriâ Caſſellenſis, profeſſione Cartuſianus, ab Eiſingrinio refertur ad an. cIɔ C XLVIII. Reliquit librum Apparitionum ſuarum. De quo judicium ferant, qui videre.

Auctor incertus, qui de geſtis conſulum Andegavenſium egit, vixit anno cIɔ C L. Ex ejus cod. MSo quædam adfert *a* Martinus Marrier in biblioth. Cluniac. ſæpiuſque a Col. 581. & 470.
ad partes cietur in notis ab Andrea Quercetano *b*. b Col. 36, 40, 42, 45, 46.

Anonymus de geſtis Trevirorum vixit anno cIɔ C L, vel circiter. Ejus editionem, cum paralipomenis ad ſua uſque tempora, promiſerat Gaſpar Bruſchius Egranus; qui temporibus claruit Caroli V imp.

Me-

Metellus, Tegerenſis, ſeu *Tegerſeenſis* monachus, celebrabat vitam ac laudes S. Quirini carmine lyrico, imperante Frederico Barbaroſſa. De poëta hoc ſic Gaſpar Bruſchius lib. I. de Patavio Germanico: *Habetur hodie adhuc in ornatiſſimi ejus* (Tegorini) *cœnobii bibliotheca Metellus auctor, qui Tegerinus monachus anno Chriſti* cIↄCLX *floruit, ac lyricis carminibus non invenuſtis totam fere hujus divi vitam elegantiſſimè deſcripſit, ſecutus per omnia ordinem Horatii, poetæ Venuſini, in Odis. Hunc librum Quirinalia inſcripſit, quòd de S. Quirini tantùm laudibus propoſuerit dicere: etſi interim de Claudio, Decio, ac Philippo Imperatoribus, plurima immiſceat.* Hæc Metelli Quirinalia Caniſius edidit Tom. I. Antiq. Lect.

Guimannus Atrebas, monachus Vedaſtinus, temporibus ejuſdem imp. deſcripſit monaſterii Vedaſtini originem: ac pertinentia eò imperatorum, regum, & pontificum privilegia collegit.

Etiam Frederici hujus ætate ſub Henrico III, Angliæ rege, effulſit Petrus Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia archidiaconus, & Cantuarienſis archiepiſcopi cancellarius: de quo plura qui volet, adeat præter alios vitam ejus à Joanne Buſæo Noviomagenſi conſcriptam, atque operibus ejus, quæ quidem reperiri potuere, in Moguntinâ editione præmiſſam. Sed præterea librum fecit *De rebus geſtis Henrici II, regis Anglorum:* cujus meminit non Balæus modo: ſed ipſe Bleſenſis extremâ epiſtolâ XIV; *Illud*, inquit, *noveritis quod ad gratiam, gloriam, & magnificentiam Domini Regis, jam de actibus ejus librum ex magnâ parte compoſui; qui veſtra fraternitati communicandus eſt: ſed adhuc opus illud manus artificis corrigit, atque elimat.* Idem rogatu abbatis & conventus Croilandienſis Ingulphæ hiſtoriæ appendicem adjecit, quâ hiſtoriam illam ad ſua uſque tempora perducit: ut annotavit Brianus Twynus lib. I. de antiquitate Oxonienſis Academiæ: ubi & ex appendice eâ illuſtrem περικοπὴν adducit. Locus is iiſdem verbis legitur in appendice, quæ tum in Anglicanâ, tum in Germanicâ editione ſubjungitur Ingulpho. Sed inſcriptio utrobique eſt, *Appendix incerti auctoris ad Ingulphum.* Quare, quòd auctoris ejus nomen ſcimus, id Briano debemus; quem in manuſcriptis illud inveniſſe, facilè mihi perſuadeo.

Hugo Falcandus itidem Barbaroſſæ coætaneus fuit; ac ad Petrum, Panormitanæ eccleſiæ theſaurarium, hiſtoriam ſcripſit calamitatum; quæ Siciliam ſub Wilhelmo I, & II, annis prope XXIII afflixerunt. Incipit autem à Rogerio, Siciliæ comite, & Roberto Guiſcardo, Apuliæ duce. Fidem eò magis meretur, quia illa refert; quibus præſens interfuerat: ac præfatione ſuâ ad Petrum (quam anno cIↄCLXVI, nempe ſimul ac obierat Guilhelmus Bonus, Siciliæ rex, exaravit) cuncta ea Siciliæ mala præſagiit, quæ ab imperatore illi poſtmodo contigerunt. Alterum quoque eſt, quod eum non leviter nobis commendet. Nam fuſiùs omnia, majorique curâ, perſequitur; quàm poſtea in Sicula ſua hiſtoria fecit Fazellus. Ita ut longè plus fructus ex eo civilis prudentiæ ſtudioſus haurire poſſit; quàm illis, quæ à Fazello referuntur. Primus eum ex bibliotheca Matthæi, Sueſſionenſis epiſcopi, publici juris fecit Gervaſius Tornacenſis. Teſtem illum laudat inclytus Eccleſiaſticorum annalium conditor ad annum cIↄCXIV. Cæterùm Fazellus lib. VII. cap. IV. non tam Falcandum, quàm Guiſcardum putat auctorem. Sic enim ſcribit: *His diſpoſitis* (Guilielmus Siciliæ rex) *non diu poſt, anno ætatis* XLV, *regni autem* XV, *ſalutis verò* MCLXVI, *fato functus eſt, prout & Guiſcarda refert. Ex quo quicquid de Guilhelmo hactenus memoravi, excerptum eſt. Cujus opus MSum vetuſtiſſimum quidem & pene corroſum, ex cœnobio D. Nicolai de Rhenis olim mihi operâ Joannis Rithonii Leontini, viri diſertiſſimi eſt allatum. Quod aliquot poſt annis, ſub nomine Johannis Falcandi, dum pararem hæc edere Lutetiæ impreſſum hodie paſſim legitur.*

Item eodem tempore vivebat auctor Chronici, quod dicitur Foſſæ Novæ: unde ibidem quædam ab eodem Baronio referuntur. Uti & ad annum cIↄCLI, atque alibi.

Ottoni Friſingenſi æqualis fuit Otto Morena Laudenſis, parens Acerbi Morenæ: quorum uterque deſcripſit res geſtas imperatoris ſui Barbaroſſæ: atque ita deſcripſit, ut multa habeat aliis prætérita, & interim ſatis oſtendat, magis ſe partibus Imperatoris faviſſe, quàm Papæ. Hinc eſt de re ſic Baronius Tom. XII. Annal. ad annum cIↄCLIV: *Exſtat & Laudenſe ſcriptum antiquum Chronicon, hoc anno inchoatum ab auctore temporis hujus, Ottone Morena; qui præſens aderat; & abſolutum ab ejus filio, Acerbo Morena, de rebus geſtis à Friderico Imperatore in Italia, uſque ad annum Redemptoris* cIↄCLXVIII. *Sed quòd ſchiſmaticæ eſſet factionis homo, & addictiſſimus ſchiſmatico Imperatori, ſæpe altero pede claudicare cognoſcitur.* Quædam & ex utroque adducit ad annum cIↄCLXVII. Etiam Otto Morena inter eos refertur, quos ſe auctores in memorabilibus ſuis ſequi profitetur Baptiſta Fulgoſus.

Quando Romualdus II, Archiepiſcopus Salernitanus, claruerit, ex eo eſt apertum, quòd unus fuerit è legatis Guilhelmi, Siciliæ regis, ad Venetos miſſis, ut tranſigeretur inter Fredericum Barbaroſſam, & papam Alexandrum III. Chronicon reliquit, in quo ab orbe condito hiſtoriam perſequitur uſque ad annum cIↄCLXXVII, quo legatio ea contigit: ut illis, quæ hac de re ſcribit, præſens interfuerit. Adducit ex eo quædam Baronius ad annum cIↄLXXXIV: uti & anno cIↄCLXXVII: ubi ſe gemino hujus ſcriptoris codice MSo uſum ait, Salernitano uno, altero bibliothecæ Vaticanæ.

Robertus Fiſcanenſis, patriâ Neuſtrius, monachus Benedictinus, iiſdem temporibus in Anglia, circa annum cIↄCLXXX, ſub rege ſuo Henrico II, inclaruit opere Chronico; quod ad ſua uſque tempora perduxit.

Odo Muremundenſis, Britannus, Mathematicus egregius, atque hoc nomine etiam Jacobo Fabro Stapulenſi laudatus præfatione in Euclidem, à Balæo refertur inter ſcriptores, qui anno cIↄCLXXX in pretio fuerunt. Præter alia etiam Chronicon condidit.

Hugo Novantus, Normannus patriâ, ſed in Anglia Coventrienſis, Ceſtrienſis, & Lichefeldenſis epiſcopus, claruit ſub rege Richardo, anno cIↄCXC. Conſignavit Hiſtoriam mirabilem, de ejectione Guilhelmi Longshampii, Elienſis epiſcopi, & regni cancellarii ſub rege Richardo. Obiit Hugo anno cIↄCXCVIII, VI Kal. Apr.

Henricus Soliacus, qui & Henricus Bleſenſis, claruit apud Anglos circa annum cIↄCXC, regnante Richardo I, conſanguineo ſuo. Nam erat Henricus hic Henrici regis ex Adela nepos. Fuit Bermundenſis inſulæ abbas, ac poſtea Glaſconienſis monaſterii antiſtes, & tandem epiſcopus Wintonienſis. Hic cùm rex Henricus ex Bardorum carminibus per interpretem cognoviſſet, Arturum, celebratiſſimum regem, in Avaloniæ cœmiterio eſſe ſepultum; abbati Henrico, nepoti ſuo in mandatis dedit, ut ſedulò corpus Arturi quæreret. Quæ res etſi magno ei labore ſtetit, tandem tamen ſucceſſit. Eaque occaſione *De inventione corporis Arturi* librum conſcripſit.

Anno etiam cIↄCXC fuit anonymus Hieroſolymitanæ auctor hiſtoriæ; unde Tomo priori hiſtoriæ Orientalis fragmentum ſupereſt de rebus in Oriente geſtis ab anno cIↄCXXVII, uſque ad annum cIↄCXC. Anglus fuiſſe videtur, ac pro temporibus illis, non ineruditus; atque eo fide dignior, quia ſatis indicat, promere ea ſe, quæ conſpexiſſet: ut qui non modo in præfatione dicat, calente ſe memoriâ ſcribere iſta; ſed in opere ipſo ſic loquatur, *Quos cùm cerneremus ſignis prodire diſtinctis.* Habes & in publicâ Academiæ Cantabrigienſis bibliothecâ Hiſtoriam Hieroſolymitanam MSam, cujus initium, *Terra Sancta.* Sed utrum ſit eadem, an alia, melius dicent qui viderunt.

Martinus Presbyter aliquo erat loco itidem circa annum cIↄCC: atque ad Innocentium III papam exaravit Chronicon univerſale Cæſarum, & Pontificum: quod Viennæ Auſtriæ aſſervabatur in bibliotheca Wolfangi Lazii.

Joannes Hantivillenſis, ſive Hantwillenſis, Anglus, claruit anno cIↄCC, regnante Joanne. Hic de antiquitatibus

bus Angliæ libros XVI carmine ludebat: quemadmodum in Geſnerianæ bibliothecæ Simlerianâ legitur epitome. Atque eadem addit, opus hoc vocâſſe Architrenium. Sed Pitſeus ait, poëma id libris IX conſtare, ac MSum exſtare Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Scriptum imprimis eſt ad Gualterum de Conſtantinis, archiepiſcopum Rotomagenſem. Archithrenium autem appellavit ab ἀρχὴ, & θρῆνος: ut verſus indicat:

*Hoc eſt flebilium quaſi ſummè flebile carmen.*

Atque hinc ipſe etiam *Archithrenius* nominatus. Quòd autem Simlerus ait, de antiquitatibus Angliæ egiſſe, hoc inde eſt, quia de Brito rege tractet, & Britannorum virtutibus, ac omnino antiquiſſima Britannorum geſta exponat. Pro temporibus, quibus vixit, elegans ejus dictio eſt: quod & Vivis, & Giraldi, & penè omnium judicium eſt.

Robertus S. Mariani apud Altiſſiodorum monachus vivebat anno cIↄ cc x. Chronologiam compoſuit: ex qua
a Col. 58. nonnulla de S. Odilone adducit *a* Martinus Marrier in bibliotheca Cluniacenſi.

Galfridus Burtonenſis, Anglus, monachus ordin. S. Benedicti, ac poſtea abbas monaſterii Burtonenſis, quod ſitum erat ad ripam Trenti fluminis, claruit cùm arbitrium Angliæ eſſet penes Joannem, anno Chr. cIↄ cc XVI. Hic, Lelando teſte, opus reliquit de vita S. Moduennæ, virginis Hibernicæ; quæ in Andreſeia, inſulâ Trenti fluminis, magnâ cum ſanctimoniâ vitam duxerat.

Monachus S. Juliani, qui Chronicon Turonenſe compoſuit, vivebat tempore B. Ludovici, Francorum regis. Supereſt id Chronicon MSum, ac quædam inde de Odone
b Col. 59. Cluniacenſi adfert *b* Martinus Marrier in bibliotheca Cluniacenſi.

Wilkinus de Spoleto, Italus, officio judex, fuit temporibus Frederici Bavari, ac carmine ſcripſit libros tres de geſtis Alexandri Magni, item librum unum de geſtis Frederici Cæſaris, atque alia. Meminit Simlerus in bibliotheca.

Extremis ejuſdem Frederici temporibus, claruit Juſtinus Dominicanus. Qui inter hiſtoricos ſui ordinis reponitur ab Leandro Alberto lib. IV. de illuſtribus viris Ordinis Prædicatorum. Ibidem ait: *Juſtino in ſynodo* XXII *generali, Bononiæ ſub Joanne Teutonico actâ anno Domini* cIↄ cc XLII, *demandata fuit provincia divi Dominici vitam deſcribendi.*

Etiam Thomas de Ceperano, Ord. Minor. floruit ultimis temporibus Frederici Bavari, ac Conradi IV: & ſcripſit Legendam, ut vocant, S. Franciſci: idque occaſione ejuſmodi. In capitulo, ſeu cœtu generali anni cIↄ cc XLV, in quo Creſcentius de Eſeyo ſextus eſt electus magiſter generalis Minorum, conſtitutum erat, ut fratres ſcripto comprehenſum darent, quicquid de vita, & miraculis S. Franciſci, ſcire poſſent. Itaque Creſcentius id Thomæ huic Ceperano mandavit. Is compoſuit illam, quæ vocatur *Legenda aurea*; atque incipit, *Placuit ſanctæ univerſitati.* Eam autem Fr. Bernardus, vel, juxta alios, Bernardinus de Beſſa, Aquitanus, Ordinis & ipſe Minorum, in compendium redegit. At S. Bonaventura eandem limavit, atque expolivit. Auctor S. Antoninus Part. III. Titul. XXIV, Capit. IX, §. IV.

Bartholomæus Vicentinus in pretio erat temporibus Frederici Bavari, ac Conradi IV. Hic ob inſignem eruditionem, & vitæ honeſtatem, factus eſt magiſter ſacri palatii: atque ubi magis perſpecta doctrina, induſtriaque ejus eſſe cœpit; (quæ imprimis illuxit in enarrando Dionyſio Areopagita) ab Innocentio IV papâ ad Ludovicum, Galliæ regem, legatus præmiſſus fuit: cumque regi maximopere placuiſſet, unâ è ſpinis coronæ Dominicæ donatus eſt; quam ille Vicentiam detulit anno cIↄ cc LX. Hic præter ea, quæ in Areopagitam commentatus eſt, etiam epitomen concinnavit de vitis Sanctorum. Fuſiùs de illo agit Leander in viris illuſtribus Ordinis Prædicat.
c Fol. 115. a. b. lib. IV *c*.

## Cap. VIII.

*Referuntur hiſtorici aliquot ejus intervalli, quod eſt inter exceſſum Conradi* IV, *ac necem Adolphi Naſſovii. Ex iis eſt Rolandinus Patavinus, auctor operis de geſtis Patavinorum, &* XII *librorum de geſtis Eccelinorum. Item Joannes Campus-bellus, rerum Scoticarum ſcriptor. Adhac anonymus is, qui Lemovicenſe Chronicon compoſuit. Præterea Bernardus, vel Bernardinus de Beſſa; qui vitam S. Bonaventuræ in compendium redegit. Et magiſter Jordanus, ſcriptor libelli de tranſlatione imperii ad Germanos. Item Anonymus auctor hiſtoriæ Francorum.*

Conrado IV anno cIↄ cc LIV exſtincto, mirè imperii ἀξίωμα fluctuavit, partim in Guilielmo, Hollandiæ comite; qui non multò ampliùs, quàm ſeſquianno, ſupervixit Conrado: partim in Richardo, Cornubienſi comite, & Alphonſo, rege Caſtilienſi: quorum hic nunquam ad capeſſendum imperium venit in Germaniam: ille ſeſquianno circiter, poſtquam electus eſſet, pecuniis exhauſtus in Angliam ſuam rediit. Ita imperium vacavit uſque ad Rodulphum Habſpurgenſem; qui Auguſtus creatus eſt anno cIↄ cc LXXIII. Rexit autem annis VIII. In ejus locum, alii Adolphum Naſſovium elegere; alii Albertum Auſtriacum. Adolpho autem interemto, quod anno contigit cIↄ cc XCVIII, ſolus imperium tenuit Albertus. Eſt igitur intervallum, à Conradi IV obitu, uſque ad Adolphi necem, annorum XLIV. Quibus non pauci prodendo res geſtas poſteritati profuerunt. Ex illis nunc eos tantummodo exponam, quos ſuperiori libro præterii.

Quando natus, & denatus ſit Rolandinus *Patavinus*, cognomento *Grammaticus*, indicant hi quales quales verſiculi, ſepulcro ejus inſcripti; quos Scardeonius affert:

*Mille ducentenis Chriſti currentibus annis,*
*Tunc ego natus eram: ſed ab his poſt ſeptuaginta*
*Sex, ſimul alma piæ redimit dum feſta Mariæ*
*In Februi menſe, cœli peto fercula menſæ.*

Patrem habuit actuarium, ſeu tabellionem. Bononiæ à Boncompagno literarum ſtudia hauſit, atque admodum adoleſcens inſignitus eſt titulo Magiſtri. Poſtea & ipſe in patria actuarii munus ſuſtinuit. Hic XII libris deſcripſit tyrannidem Eccelinorum de Onaria, ſive de Romano, quam oculis ſuis viderat. Eamque hiſtoriam perducit ab anno cIↄ cc uſque ad annum cIↄ cc LXIII: intra quod tempus Eccelinorum domus maximè claruit. Sed diligenter imprimis Eccelini quarti, quem tertium vulgò appellant, ortum, vitam, mores, tyrannidem, bella, atque interitum perſequitur. Videri poſſit præterea condidiſſe volumen de geſtis Patavinorum: at cujus mentio fiat apud Paullum Vergerium in opere de principibus Carranenſibus, & Blondum Flavium dec. II. lib. VII. Sed lubens ſubſcribo clariſſimo doctiſſimoque Felici Oſio, qui volumen hoc non aliud eſſe cenſet ab eo quod antea diximus. Nam XII illis, quo memoravimus, libris, perſequitur imprimis ut vitam Eccelini IV, ita & res à Patavinis geſtas, dum ille tyrannidem exerceret. Atque hinc (ut ab eodem Oſio edoctus ſum) manuſcriptus codex hujuſmodi inſcriptionem habet: *liber chronicorum ſeu memorabilium de factis in Marchiâ, & prope Marchiam Tarviſinam: præterito nomine.* Hujus ſcriptoris indicium mihi primus fecit illuſtriſſimus vir, Dominicus Molinus, Senator, ac patricius Venetus: qui & communicavit mecum, quid de eo ſcriptore, mihi necdum viſo, nedum lecto, cenſeat præcellentis eruditionis, atque acerrimi judicii vir, Albertinus Batiſonus, abbas, ac nobilis Patavinus. Nempe, ut à ſummis hiſce, & humaniſſimis viris edoctus ſum, temporum quidem vitio, quibus vixit, ſtylo utitur Italiciſmis, ut nunc loquimur, referto: verùm ſi rerum potiùs ratio habeatur, fatendum ſit, eum ſeculi ſui ſcriptores vincere perſpicuitate, ordine, induſtriâ, &, quod caput eſt, prudentiâ. Imò fide incorruptâ complures etiam clarioris nomi-

nominis hiſtoricos longè poſt relinquat. Adhæc undique in eo relucet, pietatis ac religionis ſtudium: item quantopere, tum in literis ſacris, tum in gentilium ſcriptis, poëtarum imprimis, atque etiam diſciplinis minùs protritis, fuerit verſatus. Itaque non olim modò magna ejus viventis admiratio fuit: ſed nunc quoque, tot ſeculis poſt exceſſum ſuum, egregiis ingenii monumentis legentes in amorem ac laudem ſui penitus rapit: cumque omnium in manibus eſſe mereatur, tum imprimis Patavinorum: qui vetera florentiſſimæ urbis ſuæ geſta, familias antiquas, viros olim in illa illuſtres, tum autem & urbis, & regionis mores, ritusque non alibi, quàm in cive hoc ſuo, vel majori voluptate poſſint quærere, vel certiùs invenire. Poſtremò nec prætereundum illud, commentariorum Rolandini de Ecelinorum tyrannide epitomen Italico ſermone anno cIↃIↃLII in lucem emiſſam fuiſſe à Fauſto Longiano: ſed ficto ſub nomine Petri Gerardi: quâ fraude non aliis modò, ſed ipſi etiam Petro Scardeonio, rerum Patavinarum uſque adeò intelligenti, fucus factus fuit. Quam rem me literis ſuis docuit vir eximius, præclareque de ſtudiis meritus, Laurentius Pignorius. Verùm is, pro candore ſuo, acceptam eam ferebat Vincentio Pinello, viro maximi quidem nominis, ſed majoris tamen, & ingenii, & doctrinæ: qui ὑποβολιμαῖον ſcriptorem hunc ſedulò cum ipſo Rolandino conferens, facilè, quâ ſagacitate eſt, deprehendit, ab impoſtore eo Rolandinum peſſimè exceptum eſſe: quippe in quo ille, malo nimis more, atque exemplo, ut gratiam quorundam ſui ævi aucuparetur, multa adeò, partim reciderit, partim mutârit, &, ut quod res eſt dicatur, planè corruperit.

Joannes Campus-bellus, Scotus, Argadiæ comitum familiâ natus, temporibus claruit Alexandri III, Scotorum regis; qui imperare cœpit anno Chriſti cIↃCCXLIX, ac deſiit regere anno cIↃCCLXXXVI. Hunc plurimùm in hiſtoria ſua Scotica ſequitur Hector Boëthius, qui & eum probatum auctorem appellat.

Auctor Chronici Lemovicenſis vivebat an. cIↃCCLXIV. Meminit ſæpius, pluſculaque inde producit Martinus Marrier in bibliotheca Cluniacenſi *a*: ac Andreas Quercetanus in notis *b*.

a Col. 58, 271, 304, 341, 471. b Col. 26, 47, 139.

Bernardus, vel Bernardinus de Beſſa, Aquitanus, Ord. Minor. floruit vacante imperio, & temporibus Rodolphi Habſpurgenſis. Hic B. Bonaventuræ, Generalis miniſtri, ſocius fuit. Ac legendam antiquam, cujus auctor erat Thomas de Ceperano, in compendium redegit; ut ex Antonino ſuperiùs retulimus. Reliquit & vitam B. Chriſtophori de Romandiola. Item condidit Chronicon generalium miniſtrorum, uſque ad Bonamgratiam, decimum Generalem; qui anno cIↃCCLXXIX Fr. Hieronymo de Eſculo ſucceſſerat, quinquennio poſt obitum S. Bonaventuræ, octavi Generalis.

Magiſter Jordanus *Chronica* compoſuit. Th. James refert & in bibliothecâ Collegii S. Benedicti apud Cantabrigienſes extare *chronica Jordani epiſcopi*. Videndum an non potius id ſit opus Jornandis de quo dictum nobis lib. II. cap. XX. Nam is Epiſcopus fuit Ravennæ, & in codd. multis pro Jornande vocatur Jordanus. Suntque à Simone Schardio J. C. volumine eo, quo complexus fuit ſcriptores de Juriſdictione imperiali, ac poteſtate Eccleſiaſticâ. Inſcriptio iſthic hujuſmodi eſt: *Chronica Mag. Jordani qualiter Romanum imperium tranſlatum fuit in Germanos, & primò, quare Romanum imperium ſit honorandum.* Sed habeo editionem naſcente typographiâ procuratam, ubi nomen auctoris præteritur, ac ſimpliciter inſcribitur, *De commendatione Romani imperii.* Videtur autem is ſcriptor vixiſſe temporibus Rodolphi Habſpurgenſis. Sanè hoc ut credam, adducor iis verbis: *Noviſſimis autem diebus iſtis, poſtquam imperium per annos* XXXV *vacaverat, viſitavit Dominus plebem ſuam, & ſuſcitavit ei principem, ſereniſſimum dominum, Rodolphum Habſkenburg comitem, juſtâ electione concordi, & coronatione ſolemniſſimâ, ſicut Dei gratiâ cunctis manifeſtiſſimè apparuit; ſicut etiam in ipſius promotione divinum auxilium nunquam ſe ſubtraxit. Sed ego ad ſcribendum hujus victorioſi regis magnalia manum retraho, quia ad hoc me inſufficientem penitus recognoſco.* Verùm hæc in Schardii editione prætereuntur: paucorumque iſtorum occupant verborum locum capita tria; quorum primum incipit, *Iſtis prælibatis*, &c. Alterum, *Sancti igitur*, &c. Tertium, *In hac igitur*, &c. Cogitanti ejus diverſitatis cauſſam, iſtæc ſuſpicio oborta fuit; quo tempore inter Adolphum Naſſovium, & Albertum Auſtriacum, tantopere de imperio certaretur; M. Jordanum faviſſe partibus Adolphi; eoque tempore alteram operis ſui editionem dediſſe; inque hac, offenſiorem imperii æmulo, præteriiſſe iſta, quæ ad laudem patris ejus, Rodolphi Habſpurgenſis, pertinerent.

Anno cIↃCCLXXX, quo in Galliis regebat Philippus, B. Ludovici filius auctor is hiſtoriæ Francorum, ex cujus cod. MSo teſtimonium de fundatione monaſterii Cluniacenſis adducitur *a* in bibliotheca Cluniacenſi: & aliud *b* item de S. Aymaro. a Col. 8. b Col. 296.

## Cap. IX.

*Recenſentur complures hiſtorici, qui vixere inter Albertum primum, ſecundumque, imperatores. Vt Guilhelmus Rishanger, clarus Chronicis, appendice Matthæi Pariſii, atque aliis. Minorita, qui egit de bello inter Philippum Pulchrum, & Guidonem, Flandriæ comitem. Anonymus de recuperatione terræ ſanctæ. Nicolaus à Montigni, annalium, inter alia, ſcriptor. Wichardus, Chronici Auſtriaci auctor. Albertinus Muſſatus, qui tradidit geſta Henrici* VII, *& Italorum poſt ejus obitum, ac Ludovici* IV. *Lovatus, qui egit de Patavio, & Guelfis ac Gibellinis. Ferretus Vicentinus, qui ſcripſit ſuorum & paulò ante actorum temporum hiſtoriam. Benevenutus de Campeſanis. Pulex de Cuſtoza. Magiſter Leoninus de Porta S. Petri. Paulus Pilonus. Theobaldus Anglicus de geſtis ſanctorum. Marinus Sanutus de rebus Syriacis: atque Ægyptiacis. Guilhelmus, & Albigretus Cortuſii, Patavini, de temporibus Henrici* VII, *& Ludovici Bavari. Caſtellanus Baſſianenſis de pace inter Barbaroſſam, & Alexandrum papam. Joannes Bonus de rebus Patavinis. Joannes Baſilius de familiis Patavinis. Andreas Dandulus de geſtis Venetorum. Ludolphus Suchenſis de itinere ſuo. Joannes Vitoduranus de geſtis annorum* CXXIII. *Conradus Halberſtatenſis de regno Romanorum. Petrus Berthorius de geſtis hiſtoriâ ſacrâ comprehenſis. Hugo Hibernus de peregrinatione ſua. Joannes de Moliniis, qui compoſuit ſpeculum hiſtoriale Carmeliticum. Daniel Chinacius, qui panxit hiſtoriam belli inter Venetos & Genuenſes. Joannes Hiperius, auctor Chronici de abbatibus cœnobii Bertiniani. Bartholomæus Gaetanus, qui ſcripſit de rebus Brixienſibus. Vt Thomas Vareye de Ottoburnenſi prælio. Theodericus Engelshuſius, conditor Chronici Chronicorum. Jacobus de Suſato, qui mappâ mundi, & gemino Chronico inclaruit. Gobelinus Perſona, auctor Coſmodromii. Antonius Cartularis, qui tractavit de vita & moribus philoſophorum. Quemadmodum Joannes Ravennas de rebus Carrarienſium. Chriſtophorus de Bondelmontibus de Inſulis Archipelagi. Andreas Redusius, qui compoſuit Annales Tarviſinos. Polyphilus, auctor libri quem Hypnerotomachiam inſcripſit. Laurentius Guathius de vita Hugonis, comitis Magdeburgici. Marianus Florentinus, qui Chronicon fecit. Jacobus Malvetius, qui tradidit res Brixienſium. Sicco ſeu Xiccho Polentonus, qui egit de illuſtribus Latinis, & vitis duorum Antoniorum, ac Helenæ.*

ADolpho Naſſovio anno cIↃCCXCVIII, ut diximus, interempto, ſolus rerum potiebatur Albertus, Rodolphi Habſpurgenſis imp. filius, qui primus è familia ſua Archidux Auſtriæ fuit. Sed decennio ſolùm imperavit. Suc-

Succeſſit ei Henricus VII, comes Lucemburgenſis. Huic Ludovicus IV, Bavarus. Illi Carolus IV, Lucemburgenſis. Henrici VII nepos. Carolo filius ſuus Wenceſlaus. Eo exauctorato, Rupertus Palatinus. Ruperto Jodocus, Moraviæ marchio, è domo Lucemburgenſi: quippe Wenceſlai Imper. patruelis. Jodoco, cùm ſemeſtri imperâſſet, Sigiſmundus, Wenceſlai frater. Sigiſmundo gener ſuus Albertus Auſtriacus: quod factum an. CIↃ CCC XXXVIII. Atque ita rediit imperialis dignitas ad domum Auſtriacam, in qua hodieque perſeverat. Eſt id ſpatium, à priori Alberto ad ſecundum, annorum CXL. Nunc, qui interea ingenii ſui monumentis juverint rem hiſtoricam, paucis exponere aggrediar.

Guilhelmus Riſhanger, Anglus, monachus Benedictinus ad fanum Albani, in honore habebatur, tum temporibus Henrici III regis Anglorum, cujus & chronographus fuit. tum & Eduardi II, ac III. Condidit hiſtoriam Anglorum ab anno CIↃ CC XXXIX uſque ad ſua tempora. Inſcripſit autem *Opus Chronicorum*: atque id Joanni, abbati ſuo, dedicavit. Ac cenſet Pitſeus, eſſe collectionem eam, quæ manuſcripta Cantabrigiæ adſervatur in Collegio S. Benedicti. Quod opus Thomas Walſinghamus annotavit ad annum CIↃ CCC XXII, ſuo tempore exſtitiſſe in monaſterio S. Albani. Præterea (ut ſuperiùs quoque dictum) continuavit Matthæum Pariſium ab an. CIↃ CC LX, uſque ad annum ultimum regis Henrici III. Ea appendix una cum Matthæo prodiit: at MSa extat in bibliotheca baronis Lumlejani. Adhæc reliquit annales Eduardi I. item opus de bellis Lewes, & Euſham. Adhæc de Joanne Bailleolo rege. Librum inſuper de electione regis Scotorum. Item alium de jure regis Angliæ in regno Scotiæ. *Hiſtoricum ſatu bonum* meritò appellat Brianus Twynus a P. 166. lib. II a de antiquit. Acad. Oxon. Obiit temporibus regis Eduardi II, circa annum CIↃ CCC XII.

Minorita quidam Gandenſis conſignavit bellum inter Philippum Pulchrum, Galliæ regem, & Guidonem à Dominico Petri, XXIV Flandriæ comitem: ac iiſdem temporibus vitam degebat: nempe anno CIↃ CCC II. Meminit Mejerus ſemel iterumque in annal. Flandr. ad annum memoratum.

Anonymus ſcriptor libri *De recuperatione terræ ſanctæ*, unà cum Marino Sanuto Torſello editi Tomo II Hiſtoriæ Orientalis, vixit anno CIↃ CCC V. Ut qui opus ſuum inſcribat Eduardo, regi Angliæ & Scotiæ, Aquitaniæ duci, cùm ſummus Pontifex foret Clemens V. Indicat ipſe, ſe patriâ eſſe Aquitanum, inque Aquitaniæ ducatu cauſſarum Eccleſiaſticarum patronum regium. Sed opuſculum, quod dixi, non tam hiſtoriam narrat, quam ad recuperandam terram ſanctam conſilium præbet. Nec meminiſſemus ejus, niſi illi quoque, ab Hiſtoriæ Orientalis editore, locus eſſet eo in volumine attributus.

Nicolaus à Montagni, priùs canonicus Viconienſis cœnobii in Hannonia, ac poſtea abbas Caſtelli S. Martini ad Scarpum, fluvium prope Montigneam, floruit anno CIↃ CCC VIII, ac reliquit annales monaſterii Viconienſis: item hiſtoriam martyrii, & tranſlationis SS. undecim mille virginum. Adhæc librum de miraculis S. Blaſii. Etiam memoriale reliquiarum Eccleſiæ Viconienſis: atque alia, quæ manuſcripta adſervantur Viconiæ. Elogium ejus præclarum eſt apud anonymum, qui Viconienſes annales ſupplevit.

Wichardus à Polheim Auſtriacus, primùm decanus, ac poſtea epiſcopus fuit Salisburgenſis. Succeſſit autem Conrado IV de Vornſtorf & Braitenfurt, anno Chr. CIↃ CCC XII. Condidit Chronicon Auſtriæ, uſque ad eundem annum. Manuſcriptum hoc Viennæ fuit apud Wolphang. Lazium. Ac meminit ejus Chronici quoque Urſtiſius præfatione in illuſtres German. hiſtorias. Obiit Wichardus an. CIↃ CCC XV, cùm triennium epiſcopus fuiſſet.

Etiam Henrici VII, & Ludovici IV ætate, vitam egit Albertinus Muſſatus: de quo aliquid mihi dictum libro II. cap. LXIV: ſed profectò, pro tanti viri laudibus, jejunè arideque. Quod inde eſt, quia demum, cùm aliquantò ultra ejus ætatem in opere hoc provectus eſſem, cognovi fervere Venetiis prælum præſtanti eo, atque antea inedito ſcriptore. Indicium autem hujus rei per literas mihi faciebat, interiorum ille literarum amator, literatorum ille amor, illuſtriſſimus Dominicus Molinus, vir aliquantò antè etiam mihi memoratus, ſed nunquam ſatis laudatus: cujus conſilio, ac ſuaſu, nobilem eum ſcriptorem, jam ſeculis tribus deliteſcentem, in lucem profert vir clariſſimus, Felix Oſius, eloquentiæ in florentiſſima Academia Patavina profeſſor diſertiſſimus: qui & ſedulò hiſtorici hujus, ac poëtæ, manuſcriptos codices contulit, ac non illis tantùm, ſed etiam ingenio, quo plurimùm valet, adjutus, ſcriptorem illuſtrem perpetuis animadverſionibus ac notis longè reddit illuſtriorem. Cujus rei ſpecimen jam luculentum vidimus beneficio ejuſdem Molini; qui, quicquid Muſſati excuderetur, pro ſuo erga me amore, benignè tranſmittere non eſt gravatus. Scripſit autem Muſſatus libros XVI de geſtis Henrici VII Cæſaris. Idem de Italicorum geſtis poſt Henricum VII accuratè XII libris egit. His tertia hiſtoriæ ejus pars acceſſit, quæ eſt de Ludovico Bavaro. Hiſtoricus profectò eſt prudens & gravis, & pro temporibus illis, quibus tum vivebatur, elegans, ac diſertus. Tum autem veritatis, quam hiſtoriæ animam meritò dixere, longè amantiſſimus. Nempe ſciebat præſtantiſſimus vir, in ſe, qui tanta in dignitate conſtitutus eſſet, turpiùs mendacium fore, quam aliquo imi ſubſellii homine. Nec ignorantiam prætexere potuiſſet, qui rebus ipſe inter Patavinos ſuos, & Cæſarem, atque alios, geſtis interfuiſſet, ſæpè etiam præfuiſſet: ut ex non uno ipſius Muſſati loco cognoſcere licet. Cæterùm reliquit & librum de Fato, quem inſcripſerat, *De ordine cauſſarum, fatorumque ſerie*: ſive, *De lite naturæ, & fortunæ.* Qui utrùm deperierit, an in βιβλιοταφοις adhuc lateat, dicere non habeo. Meminit ipſe ejus lib. XII. de geſtis Italicorum, ad Bentium amicum, in ipſo ingreſſu: *De ordine*, inquit, *cauſarum, fatorumque ſerie in opere noſtro de lite Naturæ, & Fortunæ tractavimus, quatenus materia illa ſuppetiit.* Gravem adhæc & pro ætate ea venuſtam edolavit tragœdiam de crudelitate, atque exitu tyranni, Acciolini III, ſive potius IV, fratriſque ejus Alberici de Romano: in qua, velut alis quibuſdam, ad antiquiorum gloriam humo ſe ſtuduit efferre, Ita ut etiam Sophocleum quiddam ſpirare, Scardeonio videatur. Nec hic in eo ſubſtitit poëſios gloria. Siquidem idem poëtis epicis accenſeri meruit libris tribus, quibus cecinit bella à populo Patavino adverſus Canem Scaligerum Veronenſem geſta anno CIↃ CCC XVIII. In quibus ſimiliter plus fidei meretur, quòd, non dico bello eo militârit, verùm eidem quoque præfuerit. Præterea è Muſſatorum bibliotheca adſervat Oſius ejuſdem Muſſati epiſtolas, ſive ſermones, ſoliloquia, eclogas, centonem Ovidianum, aliaque ejuſmodi, vinctâ oratione perſcripta: ut mittam carmen de Priapo, ac conjuge ejus. Quanti autem ob poëſios decus habitus ſit; argumento illud erit, quòd non modò lauro Apollinari fuerit decoratus: ſed decreto Academiæ Patavinæ ſtatutum ſit, ut utriuſque collegii doctores, ac ſcholaſtici, quotannis Natali Dominico ad ædes ejus ſolemni pompâ procederent; eumque cereis, ac coronâ triplici, honoris ergo ſalutarent: quod, ſtudiorum merito, mortalium contigit nemini. Vide ea de re apud Scardeonium plura. Ac mentionem ipſe honoris ejus facit epiſtola prima, item centone ad filium atque alibi. Utrùm autem & ejus ſit Achilleis tragœdia, quæ illi tribuitur, ambigere ſe ait Felix Oſius. Imò idem metuit, ne planè fallatur Scardeonius, cùm ei tribuit hiſtoriam ſolutâ oratione conſcriptam de tyrannide Acciolini: quod argumentum, ut poſtea dicemus, Rolandinus Grammaticus tractavit: ut veriſimile ſit, Scardeonium, cùm in codicem incidiſſet, qui auctoris nomen non præferret, ſimilitudine ſtyli deceptum, Muſſati opus crediſſe. At rudimenta ejus ad filium genuina fuere: nec dubium, quin in iis non parùm viderit ſupra cæteros, qui ſimilia circa ea tempora tractaſſent: verùm, credo, tenuitas argumenti fecit, ut paullatim negligi cœperint, ac tandem deperierint. Niſi ad hoc argumentum

pertinuit Cento Ovidianus, quod veriſimile facit inſcriptio ad filium, ac imprimis argumentum ipſum quia abundat novitatis ac præceptis ſalutaribus, non alio fine inſtitutis, quàm ut filio munirent viam ad virtutem, doctrinamque. Nec illud prætereundum videtur, periochas tragœdiarum Senecæ, quæ ex codice MSo expreſſæ in melioribus leguntur editionibus, in MSo alio, quo uſus eſt clariſſimus amicus noſter, Petrus Scriverius, paucis mutatis, Albertino Muſſato adſcribi. Eſt Muſſatus inter eos, à quibus ſe Memorabilia ſua collegiſſe refert Baptiſta Fulgoſus. Ac eundem inter eos, quibus in ſcribendâ Vice-comitum Mediolanenſium hiſtoriâ profecit, reponit Georgius Merula. Laudant & antiquiores. Unius meminiſſe contentus ero. Meminit Muſſati etiam Petrarcha lib. IV. rerum memorandarum; ubi cùm narrâſſet prodigium quoddam, quod Mediolani contigerat in ædibus Maphæi Vicecomitis, iſta ſubjungit: *Et horum quidem Muſſatus, Patavinus hiſtoricus, novarum rerum ſatis anxius conquiſitor, teſtis eſt.* Quod elogium reſpexit Simlerus in bibliotheca, nomine *Mixtatus.* Sic enim nuncupat: prænomen verò fugiſſe eum videtur. Certè inter Albertinos apud eum planè ſilentium de illo eſt. Locus verò quem ſignat Petrarcha exſtat lib. XII de geſtis Henrici VII. Rubrica XI. Cætera quæ ad vitam, dignitatem, geſta, elogiaque ejus pertinent, petere licebit ex illis, quæ in veſtibulo comparent editionis Muſſati, felicibus, ut dixi auſpiciis Illuſtriſſimi Molini; ſtudio verò, ac curâ eruditiſſimi Oſii, in lucem demum prodeuntis.

Lovatus poëta iiſdem temporibus fuit: ut verba hæc Muſſati indicant lib. II de geſtis Italicorum poſt Henricum VII. Cæſarem: *Meminerimque ego Lovatum vatem, Rolandumque nepotem, dum ſæpe in diverſoriis cum ſodalibus obverſaremur, inquientes, &c.* Juriſconſultus, & poëta celeberrimus fuit: ut eſt apud Sicconem Polentonum quarto ejus operis libro, quo illuſtrium ſcriptorum vitas complexus eſt. Patavinam urbem deſcripſit: ac quædam de Guelfis & Gibellinis in literas retulit: cujus rei indicium debeo V. CL. Laurentio Pignorio.

Subjungam his quoque ejuſdem ætatis ſcriptores: quos mihi ſuggeſſit Felix Oſius, Oratoriæ artis in Patavino Gymnaſio interpres, vir ut doctrina, ita humanitate eximius.

Primus eorum eſt Ferrettus Vicentinus, qui clarâ natus familiâ, eam facundiâ ſuâ non paullò reddidit clariorem. Quippe pollebat oratione vincta juxta ac ſoluta. Ac prius quidem poëſi nomen ſibi peperit. Poſtea animum appulit ad hiſtoriam ſcribendam. Extrema ejus pueritia incidit in tempora Alberti Auſtriaci. unde ſic ipſe Hiſtoriæ ſuæ lib. II, ab geſtis ejuſce imperatoris ad res Henrici VII. tranſiturus., ſic ſcribit: *Hactenus rerum vetuſtarum, quæ prius, quam nati eſſemus, quæque poſt ortus noſtri tempora, donec pueriliter ageremus ſacta ſplendida, eademque ſordida, memoriâ dignâ conſcripſimus. Nunc ea, quæ pubeſcentibus nobis fatorum lege apud Italos acta ſunt, laboris ſummi ſtudio percurremus.* Et paullò pòſt cùm dixiſſet, proditurum ſe, de quibus ſibi magis conſtaret, iſta ſubjungit: *Defuncto itaque Alberto confeſtim Germaniæ principes, quibus poteſtas tradita eſt, pro ſtatuendo ſibi rege conveniunt.* Quinque verò hiſtoriarum libros ſcripſit Ferrettus. Quos auſpicatur ab exceſſu Frederici II, qui in annum incidit CIƆ CC L: atque eos ad annum perducit CIƆ CCC XVII. Ac propemodum univerſa exponit, quæ per Europam contigere: maximè autem, quæ Italis viderat. Lombardia imprimis, & Marchia Tarviſina. Opus de nobilibus compluribus familiis bene meritum, quæ in eo commemorantur. Inſcriptio ejus ſimplex admodum eſt in codice manu exarato, quem Felix Oſius habet beneficio perilluſtris, & excellentiſſimi Juriſconſulti atque Equitis Franciſci Caledonii Vicetini. Eſt verò iſtiuſmodi: *Ferretti, Poëtæ Vicetini, ſuorum, & paulo antè actorum temporum hiſtoria.* Alia etiam, quæ ad hiſtoriam temporum pertinent, conſignavit. Carmine enim heroico deſcripſit geſta Canis grandis Scaligeri. Item reliquit verſus CX in obitum Dantis, poëtæ Florentini. At CLV in exceſſum Benevenuti de Campeſanis, poëtæ Vicetini. Item XLIX ad Albertum Muſſatum vatem Patavinum, ſive ſtudiorum ſimilitudine conciliante; ſive quia familia Ferretta Patavio duxerit originem: quod Ferrettus ipſe indicare videtur, cum ad Patavinum civem, amicitiâ ſibi conjunctum, hunc in modum ſcribit:

*Forte ego te Patavas veniam viſurus ad arces,*
*Unde vetuſta mihi gentis origo fuit.*

Item Priapeia reliquit, quorum initium ponit Jo. Bapt. Pajarinus lib. VI Hiſtoriæ ſuæ. Item verſ. XXV ad Pulicem de Cuſtoza, Vicentinum Poëtam, de puero, qui natus erat Matthæo de Scledo. Item carmen aliud in laudem Baxlardini de Nogarolis Veronenſis, Scaligeri affinis, cùm inſtaurandam curavit nobilem urbis portam, quam disjecerant Patavini. Scriptori huic non parum debet is, quem ante diximus, Pajarinus: ut qui ex hiſtoria ejus non pauca in ſuam derivârit. Felicis Oſii de eo judicium eſt hujuſcemodi, tum poëtam, tum hiſtoricum eſſe elegantem, ac diſertum, ac planè iis accenſendum, qui cum Franciſco Petrarcha, & aliis paucis ejus temporis literas inſtaurarint, deque Gothica barbarie triumphum duxerint.

Coætaneus huic Benevenutus de Campeſanis, qui carminibus ſuis funus & exſequias Ferreti celebravit. A Jo. Baptiſta Pajarino in Hiſtoria Vicentina appellatur vir eloquentiſſimus, & poëta excellens. Sanè quantus eo tempore vir fuerit, indicio erit carmen ejus de conflictu inter Patavinos, & Vicetinos: quod in honorem cecinit Canis Scaligeri, ac Patavinorum contemtum, cùm iis anno CIƆ CCC XI erepta eſſet Vicentia ab imperatore Henrico VII. Initium hujuſcemodi eſt:

*Cæſareas aquilas, Auguſtaque ſigna ſecutum*
*Scaligerâ de gente Canem, ſociamque triumphi*
*Veronam, & pulſos ſervilis ex urbe triumphos*
*Exiguâ tranſibo lyrâ. Mihi cœlica virtus,*
*Adſpiret, patriaque datas conſervet habenas.*

Carmini huic Albertinus Muſſatus Patavinus, rogatu Paulli Judicis, carmine item ſeſe oppoſuit: quod cum reliquis Muſſati operibus, curâ felici καὶ ὁσίᾳ Felicis Oſii, Oratoriæ artis in Gymnaſio Patavino interpretis, auſpiciis verò Illuſtriſſimi Dominici Molini, ut alibi etiam dicimus.

Etiam Henrici VII. temporibus claruit Pulex de Cuſtoza: quomodo dictus ab oppido agri Vicetini haut longè ab urbe diſſito. Hunc Jo. Baptiſta Pajarinus in ingreſſu operis ſui inter hiſtoricos refert, quos ſecutus ſit duces. *Sum*, inquit, *ſecutus in hoc opuſculo brevi magiſtrum Coperium, antiquiſſimum rerum Vicentinarum ſcriptorem, Ferretum Vicentinum, Benevenutum Capezanum, Pulicem de Cuſtoza, Magiſtrum Leoninum de S. Porta S. Petri, & Antonium de Godis, omnes hujus civitatis* (Vicentiæ) *antiquitatum ſcriptores.* Ætatem Pulicis ex his ejuſdem verbis cognoſcimus: *Claruit in ea* (familia de Pulicibus) *anno Domini* CIƆ CCC X *Pulex de Cuſtoza, qui heroico carmine multa ſcripſit.* Sed plenius de eodem paulo ante dixerat: *Fuit & Pulex de Cuſtoza, qui heroico carmine Cæſaris* (Henrici VII.) *adventum in Italiam ſcripſit. Sunt autem verſus octuaginta quinque. Scripſit & ſoluta oratione, multoſque alios verſus. Fuit hic filius Joannis Boni, & fratres habuit duos, Conſortum, & Jacobum.* Idem Pajarinus alio in loco: *Pulex ſcripſit etiam carmen in adventum Caroli IV. in Italiam anni* CIƆ CCC XLVII, *poëta ſuo quidem tempore clarus & literatiſſimus.* Atque horum, ut dixi, V. CL. Felix Oſius mihi indicium fecit.

Etiam Caroli Imp. temporibus erat Magiſter Leoninus de Porta S. Petri: quem paullo ante vidimus à Pajarino inter eos referri, qui ſcripſere Vicetinas, & quos ſe in hiſtoria ſua ſequi profitetur auctores. Atque alibi quoque de eodem ſic ſcribit: *Magiſter Leoninus de Porta S. Petri ſcripſit in mortem Canis II, Maſtini filii, XIV Decembris, anno* CIƆ CCC LIV *à Signorio Germano interfecti.*

Aliquis etiam, eruditiſſimi Oſii judicio, debeatur hic locus Paullo Pilono, Ferreti, Benevenuti, & aliorum, quos retulimus, æquali, ac elegantiſſimo ſuo tempore viro, ut de eo judicat Paradinus. Sanè inter hiſtoricos poëtas præclarum habuiſſet nomen:

*Si cœptum finiſſet opus, quo carmine ſummo*
*Romuleas acies & bella ingentia ſcripſit:*

Ut eſt in epigrammate, quod honore defuncti ſcriptum fuit. Reliquit orationem in laudem Antonii Luſci, præſtantis ſui temporis poëtæ, ac eo commendationis, quòd poſt antiquos primus illuſtrare agreſſus eſſet orationes Ciceronis. Eſt hic ille, quem Guarinus Veronenſis dicere ſolet nomine quidem luſcum vocari, ſed re ipſa eſſe Argum, imo plura multoculo illo Argo videre. Quin epigrammate quod tumulo Luſci inſcriptum eſt, dicuntur Muſæ Latinæ pereunte eo pariter periiſſe.

Theobaldus Anglicus, Carthuſianus, claruit in Anglia anno cIↃ CCC XX, cùm arbitrium rerum ejus terræ eſſet penes Eduardum II. Hic, præter librum de vita contemplativa, etiam opus condidit *De progreſſu ſanctorum Patrum*. Eo volumine complexus eſt geſta ſanctorum omnium, quos vel in ſacris bibliis, vel hiſtoriis Eccleſiaſticis, reperiſſet.

Marinus Sanutus, vel *Sanudo*, cognomine Torſellus, & *Torxellus*, patricius Venetus, claruit anno cIↃ CCC X. A prima ætate ardore tenebatur Terræ ſanctæ, atque ejus ergo quinquies in Orientem eſt profectus: etiam in Flandria, Holſatia, Sclavia fuit: pontificem maximum, regem Franciæ, comitem Hannoviæ, coram eſt allocutus; multos & alios viros principes literis compellavit, ut res Chriſtianorum in Oriente promoveret. Opus reliquit, quod inſcripſit, *Secreta fidelium Crucis*. Conſtat illud libris tribus: quorum tertius hiſtoricus eſt: ac res exponit Syriæ, & Ægypti, atque imprimis Terræ Sanctæ. Obtulit hoc volumen Papæ Joanni anno cIↃ CCC XXI. Sed & obtulit regibus Franciæ, Angliæ, Siciliæ; adhæc compluribus cardinalibus, & eccleſiarum antiſtitibus; item principibus, ac baronibus; quemadmodum ex epiſtolis ejus conſtat. Scriptor hic ex duobus Paulli Petavii codd. MSSis, uno item Joſ. Scaligeri; ſed qui tertium ſolùm librum contineret; prodiit in lucem Hanoviæ Typis Wechelianis an. cIↃ IↃ C XI. Ac conſtituit alterum tomum Hiſtoriæ Orientalis.

Guilielmus Cortuſius, ac conſanguineus ejus, Albigetus Cortuſius, Patavinus uterque, in pretio habebantur temporibus Henrici VII, & Ludovici IV. Horum prior rerum Patavinarum hiſtoriam eſt exorſus: ſed poſterior perfecit. Minor autem cultus eſt in Guilielmo: de quo ſic Paullus Vergerius in vitis principum Carrarienſium, atque ex eo Bernardinus Scardeonius lib. II rerum Patavinarum: *Cortuſius, cùm ſcriberet, venuſtatem orationis, quam præſtare non potuit, facilè neglexit. Texuit de Accelini tyrannide longos annales: & à multis magnâ cum voluptate leguntur. Inſuper de bello Canis Scaligeri, Veronenſis tyranni, adverſus Patavinos: & alia multa, ita ut pro ingenii facultate, geſta patria, & ſe ipſum perpetua poſteritatis memoria commendârit.*

Caſtellanus Baſſianenſis anno cIↃ CCC XXVII dicavit Franciſco Dandulo, Venetiarum duci, carmen ſuum, quod *pacem Venetianam* inſcripſit. Agit eo de pace, quæ inita inter Fredericum Barbaroſſam, Imperatorem, & Alexandrum III, Pontificem Max. cùm Venetiarum princeps foret Sebaſtianus Zianus. Meminimus Caſtellani hoc loco, quia carmen illud, pro temporibus iſtis ſanè elegans, *inter veras hiſtorias magis, quàm falſas fictaſque poëtarum fabulas numerandum*: ut de eo refert Bernardinus Scardeonius in ſecundo de rebus Patavinis claſſe X.

Joannes Bonus, Andreæ filius, Patavinus, claruit temporibus imperatoris Alberti Auſtriaci: atque opus condidit de familiis Patavinis: item de geſtis Patavinorum ab urbis ejus natalibus uſque ad imperatorem Albertum: quod opus anno cIↃ CCC XXXIV condidiſſe, auctor eſt Sicco Polentonus in Vitis illuſtrium virorum libro VIII: atque exinde Bernardinus Scardeonius lib. II. claſſe X.

Etiam temporibus iiſdem, ac Henricus VII, & Ludovicus IV, vitam traducebat Joannes Baſilius Patavinus. Prætor fuit Ariminenſis, coſmographus idem, ac juriſconſultus. Reliquit opus de familiis Patavinis: in quo altiùs aliis orditur, curioſeque omnia exponit: ſed fabuloſa quædam admiſcet; unde factum eſt, veris etiam ſæpe detrahat fidem: quemadmodum de eo Paulus Vergerius refert. Adi & Bernardinum Scardeonium libro ſecundo.

Anno cIↃ CCC XXXII ſuccedebat Bartholomæo Grandonico, Venetiarum duci, Andreas Dandulus: atque annis XII eâ in dignitate fuit. Hic brevi chronico Venetorum geſta eleganter deſcripſit. Sanè cum honore ejus Petrarcha, Blondus, Bernardus Juſtinianus, Sabellicus, Leander, Cuſpinianus a: atque alii, meminerunt. Eſtque inter illos ex quibus Baptiſta Fulgoſus ſe memorabilium Collectanea congeſſiſſe agnoſcit. Citat & Baronius T. XI. ad an. cIↃ III. Vitam ejus vide apud Petrum Marcellum, Antonii filium, lib. de vitis Principum Venetorum.

Anno cIↃ CCC XXXVI florebat Ludolphus, Suchenſis Eccleſiæ parochus; qui in quibuſdam codd. *Rudolphus de Suchem* vocatur. Hic ad Balduinum, comitem de Stainfort, Padebornenſis Eccleſiæ epiſcopum, compoſuit librum de terra ſancta, & itinere ſuo Hieroſolymitano, & mirabilibus in mediterraneo mari conſpectis, atque aliis, quæ iſtâ quinquennii peregrinatione didiciſſet. Initiis typographicæ artis prodiit literis rudibus; ſed abſque typographi nomine.

Etiam Ludovici IV, & Caroli IV. ætate, vixit Joannes Vitoduranus, Ord. Min. Hiſtoriam is condidit ab anno cIↃ CC XV uſque ad an. cIↃ CCC XLVIII. Ea MSa reperitur in bibliotheca Monaſterii S. Galli in Helvetia.

Conradus de Halberſter, (pro quo apud Antonium Senenſem *Hartadenſis* perperam legitur) Germanus, Ordinis fratrum Prædicatorum, à Trithemio quidem memoratur; ſed qua vixerit ætate, non additur: interea, quoniam aliquis illi locus deberetur, medium interſerit inter illos, quos anno cIↃ CC XC vixiſſe conſtaret: nempe quia, vel tum temporis, vel non multò pòſt vixiſſe arbitraretur. At Sixtus Senenſis libro IV bibliothecæ ſanctæ apertè ait, eum ſub Adolpho imperatore, anno cIↃ CC XC claruiſſe. Quæ ſententia parum mihi probatur. Nam apud Leandrum in opere de viris illuſtribus Ordinis Prædicator. lib. IV b reperio, eum gloſſemata in Joſue dicâſſe Carolo imperatori: qui Carolus Magnus, aut Calvus, aut Craſſus eſſe nequit; cùm illi ante annum IↃ CCC imperarint: nec Carolus quinctus, cùm Leander illud opus Bononiæ ediderit anno cIↃ IↃ XVII, triennio antequam Carolus V. Maximiliano in imperio ſuccederet. Unde colligo, vixiſſe temporibus Caroli IV: qui imperare cœpit anno cIↃ CCC XLVIII, atque annis rexit XXXII. Videtur autem Poſſevinus, vir variæ eruditionis, multæque lectionis, non ſatis conſentanea dicere, quando ait, ſub Adolpho eum claruiſſe, & opus ſuum Carolo imp. dicâſſe: cùm inter obitum Adolphi, & initium illud, quod imperium Caroli habuit, intervallum ſit annorum quadraginta octo. Conradus hic inter alia opus reliquit de regno Romanorum. At non minor ejus laus eſt, quòd primus nobis dederit, quas vulgò vocant *S. Biblia concordantias*. Qui labor meritò etiam à Sixto Senenſi commendatur.

Anno cIↃ CCC LX floruit Petrus Berthorius, Pictavienſis, Prior S. Eligii Pariſienſis, ordinis S. Benedicti. Reliquit opus, quod inſcripſit, *Breviarium hiſtoriarum Bibliæ*. Item coſmographiam. Item alia, quæ commemorat Paullus Langius in Chronico Citizenſi. Apud Poſſevinum legas in Apparatu Sacro, eum claruiſſe tempore Caroli imp. & Innocentii V. Dicere, credo, voluit, (imò fortaſſe ita ſcripſerat) Innocentii VI; qui Romæ ſedit imperante Carolo IV, & in Galliis regnante Joanne, cujus poſtulato Livium Gallicè tranſtulit Berthorius. Scriptor hic à Baſilio Jo. Heroldo c refertur inter veteres temporum ſcriptores, quos ex Oporini officina edere decreverat.

Hugo de Hibernia, Minorita, Anglus, vixit circa an. cIↃ

a *Pone initio libelli de origine Turcarum.*

b *Fol. 147. b.*

c *Præfat. præmiſſa Mariano Scoto, & Martino Polon.*

cIↄ ccc LX, cùm rerum in Anglia potiretur Eduardus III. De peregrinatione ſuâ opus conſcripſit, atque *Itinerarium* inſcripſit. Meminit Balæus.

Joannes de Molinis, Gallus, Carmelita, claruit, juxta Geſnerianam bibliothecam, quæ Tritthemium auctorem laudat, anno cIↄ ccc LX. Inter alia conſtruxit Speculum Hiſtoriale ordinis Carmelitici.

Paullò pòſt, nempe anno cIↄ ccc LXXXI, Daniel Chinaſius Tarviſinus pangebat hiſtoriam belli inter Venetos, & Genuenſes: cujus mihi ſcriptoris indicium ex literis V. CL. Balthaſaris Bonifacii.

Caroli IV, ac primis Wenceſlai temporibus, Joannes Hiperius ſexageſimus, vel, juxta alios duodeſexageſimus abbas Bertiniani monaſterii, (quod juſſu B. Audomari à B. B. Bertino, Mommolino, & Eberttamo, in Sithienſi Flandriæ agro extructum fuit an. Iↄ c XXVI) cœnobii ſui Chronicon reliquit: hiſtoriam nempe quinquaginta quatuor abbatum, ab anno Iↄ xc, uſque ad annum cIↄ cc XCIV. Morte autem præventus ad tempora ſua non potuit perducere. Multùm hoc opere adjutus fuit Jacobus Mejerus in annalibus Flandriæ concinnandis: uti & Ferreolus Locrius Paulinas in Chronico Belgico. Vide utrumque ad annum cIↄ ccc LXXXIII. MSum ejus exemplar eſt apud monachos Bertinienſes: item Duaci apud Andream Hovium, eloquentiæ profeſſorem regium, ut ex Sandero Sweertio intelligo. Hiperius eſt dictus, quia eſſet natus, Ipræ, ſive Hipræ; prout efferunt Flandri, quia adſpirare vocales amant. Porrò uſque adeo obeſus fuit, ut non aliter, quàm confidens, vel aliquò ſe conferre, vel ſomnum capere poſſet: ut Mejerus in XIII Annal. prodit, fide Thomæ, diaconi ejus loci. Plerique ut eos inter Miræus, arbitrantur, obiiſſe anno cIↄ ccc III: ſed falluntur. Nam Henricus Condeſcatius (inter quem, & Hiperium hunc tres fuere abbates, Anſelmus Briſtel, Joannes de Long, & Jacobus Condæus) ipſi Iperio memoratur, atque claruiſſe dicitur anno cIↄ ccc XXX. Quare verius omnino, qui Audomaropoli diſceſſiſſe referunt anno cIↄ cccc LXXXIII, quod & Mejerus tradit extremo eo libro quem diximus, imò addit diem: diſceſſiſſe enim Poſtridie Kalend. Januar. Quin Mejeri ſententiam validò comprobat Epitaphium ejus, quod hodieque in æde Duaci in ſacello S. Dionyſii legitur. Eſtque hujuſmodi: *Hic jacet pia memoria Joannes oriundus de Iprâ, quondam abbas hujus monaſterii, qui rexit* XVII *annis, & obiit anno Domini* M CCCLXXXIII, *ſecundo die menſis Januarii*, &c. G. Gazæus etiam juniorem putabat; ut qui in bibliothecâ ſacrâ ſcriptorum Arteſiæ retulerit eum ad an. cIↄ cccc LXX.

Wenceſlai imp. temporibus ætatem egit Bartholomæus Gaëtanus. Origo ei è Gaëtana domo, quæ Brixiæ inter præſtantiſſimas effulſit. Non militiæ minùs, quàm literarum ſtudiis, operam dedit. Utiles cumprimis, atque elegantes in Brixienſem hiſtoriam annotationes conſcripſit. Duos & ipſe ſeu hiſtoriarum, ſeu annalium de ea libros, ſanè eruditos, condidit. Anno cIↄ cccc IV finem vitæ fecit pro patriæ libertate decertans adverſus Petrum Gambaram, imperium affectantem. Præter hunc & *alter* ejuſdem familiæ, nomine itidem *Bartholomæus*, fuit; qui & ipſe res Brixianorum literis mandavit. Utriuſque hujus ſcriptoris indicium mihi ab Octavio Rubeo, viro clariſſimo, patritio Brixienſi.

Anno Chr. cIↄ ccc xc, regnante apud Scotos Ruberto III, (qui imperare cœpit anno Chriſti cIↄ ccc xc, ac deſiit anno cIↄ cccc VI) claruit Thomas Varoye, Scotus genere illuſtris, doctor ac præfectus Bethualiæ: qui utcunque innotuit opere de Ottoburnenſi prælio. Meminere ejus Polydorus Virgilius, & Joannes Major: ille in Anglica, hic in Scotica hiſtoria. Majoris quidem hæc verba ſunt, libro VI cap. IV. *Multa carmina ſuper hoc bello magiſter Thomas Varoye, præpoſitus Bethwaliæ, compoſuit: ſed rhythmice. Sic enim, inquit,*

*Muſa refert fatum fore ſcriptum carmine vatum:*

*Et quæ ſequuntur. Quia enim carmina ejus relatu ſunt indigna, ideo pertranſeo.*

Theodericus Engelshuſius ad eadem tempora refertur. Hic Chronicon Chronicorum condidit, quod extenditur uſque ad annum cIↄ cccc x. Meminit M. Dreſſerus.

Circa annum cIↄ cccc XV Jacobus de Suſato, ordinis Prædicatorum, inquiſitor hæreticæ pravitatis, in Colonienſi ſuo cœnobio ſtudiis vacabat: ac nomen ſibi cudebat Mappa mundi, Chronico, item Chronico altero ordinis ſui, atque aliis, quæ Leander refert lib IV *a* de viris illuſtribus ordinis Prædic. atque item Poſſevinus in Apparatu. a Fol. 136.

Sub Sigiſmundo imperatore, loco non exiguo erat doctor Gobelinus Perſona, decanus in Bilefeld. Hiſtoriâ is ſuâ celebratur, quam inſcripſit *Coſmodromium*. Ipſe autem ait, ſe inchoâſſe id opus temporibus Bonifacii IX: qui ſedere cœpit anno cIↄ ccc LXXXIX, vivereque deſiit anno cIↄ cccc IV: Producit autem illud ad uſque annum alterum Martini V, qui aliquibus III vocatur. Hoc eſt ad annum cIↄ cccc XVIII. Ex quibus liquet, diu opere eo fuiſſe occupatum: minus interim, quàm Chriſtianus Maſſæus: qui ſuis chronicorum libris plus impendit annis L. Gobelinum hunc, ſed ita ut nominet, exſcribit Crantzius in Metropoli: ut lib. I cap. XVI, & XXVIII. lib. IV cap. IV lib. VII cap. XXVIII. lib. IX cap. V. lib. X cap. I. II. & XXXV. Ac ſimiliter, ut jam aliis monitum, Hermannus Keſenbroch in catalogo Epiſcoporum Paderbornenſium haurit ſua hoc de fonte Gobelini: quem tamen nuſpiam nominat. Fideliùs egit Canonicus ille regularis prope Nuſſiam, qui Chronicon magnum Belgicum compoſuit. Nam & ille multa quidem ex eo depromit: ſed non diſſimulato auctore. Gobelino etiam non Surius modò; verùm Molanus quoque, tribuit vitam S. Meinulphi, Paderbornenſis eccleſiæ diaconi, ac confeſſoris; quem Carolus M. de ſacro fonte ſuſceperat. Eam Surius a. d. V Octobris collectioni ſuæ inſeruit, ſed interpolatam, ac ſtylo mutato. Ita autem, prout in MSo repererat, edidit Chriſtophorus Brouwerus: miraculis tamen brevitatis cauſâ omiſſis, quòd apud Surium legi poſſent. Sed fortaſſe vitæ ejus auctor eſt, vel Joannes Gobelinus, ſcriptor rerum memorabilium, quæ Pii Papæ temporibus contigerunt: vel Gobelinus alius, utroque hoc antiquior, imp. Alberti Auſtriaci æqualis; qui à Papa ad Anglos legatus fuit, & ſtatuta arbitraria, item de pœnitentia ſcripſit.

Antonius Cartularius Patavinus claruit circa annum cIↄ cccc XX, ac deinceps. Hic, exemplo Diogenis Laërtii, conſarcinavit non exiguo labore opus, nec injucundum, nec inutile, de vita & moribus philoſophorum. Diem ſuum functus eſt Patavii anno cIↄ cccc XL. Vide Scardeonium lib. III de rebus Patavinis.

Nec indictus abire debet Joannes Ravennas, qui anno floruit cIↄ cccc XX: ac familiæ Canarienſis, ut ipſe quidem appellat, nationem literis commiſit. MSum ejus operis codicem, ut ex Pignorio accepi, habet Illuſtriſſ. & Reverend. Albertinus Papafaba, epiſcopus Hadrianenſis: qui liber nunc apud Felicem Oſium: Inſcriptio ejus, *Familiæ Canarienſis natio per Joannem de Ravennâ*. Hoc opus dicavit Rodolpho Cartarienſi, Franciſci ſenioris filio. Præterea reliquit Dragmalogium de eligibili vitæ genere. Niſi potiùs Dragmatologium inſcripſit. Nam *δραγματολόγος, ὁ τὰ δράγματα συνάγων, δραματολόγος, ὁ συνάγων τὰ δράματα*. Adhæc conſcripſit contentionem inter podagram, & araneam. Et librum rerum memorandarum. Inſuper Hiſtoriam Raguſii. Atque hæc omnia MSa ſuperſunt Patavii apud clariſſimum, & diffuſæ reconditæque eruditionis virum, Laurentium Pignorium Patavinum.

Etiam Chriſtophorus de Bondelmontibus tum floruit: cujus opus, ut ab eodem Pignorio accepi, hunc in modum inſcribebatur: *Incipit liber inſularum Archipelagi, editus per Chriſtophorum presbyterum de Bondelmontibus de Florentia: quem mittit de civitate Rhodi Romam Iordani Cardinali de Urſinis anno Dom.* cIↄ cccc XXII.

Claruit & iiſdem temporibus Andreas Reduſius Tarviſinus, qui annales Tarviſinos compoſuit ab Urbis ejus incuna-

cunabulis uſque ad annum cIↄ cccc xx: quo vivebat. Extat hoc opus MSum in membranis apud Comites Collatinos: quemadmodum accepi ex literis doctiſſimi Balthaſaris Bonifacii.

Ex quo itidem intelligo, iiſdem temporibus fuiſſe Polyphilum, auctorem libri, quem Hypnerotomachiam inſcripſit, nomine conflato ex ὕπνος, *ſomnus*, ἔρως, *amor*, & μάχη, *pugna*. Nam hiſtorico huic operi, ut ex eodem cognoſco, propoſitum eſt oſtendere, cuncta, quorum amore depereunt homines, nihil aliud, quam ſomnium videri. Et prope ſuſpicor eò etiam nomen πολυφίλη, quod *amicis abundantem* ſignat, aſſumſiſſe [a], quia omnes ferè magis amant mundana, quàm æterna. Excuſus eſt Tarviſii anno cIↄ cccc LXIX.

[a] *Hæc me conjectura fefellit. Nam verum auctoris nomen eſt* Franciſcus Columna, *ut poſtea ex Pignorio cognovi.*

Anno etiam cIↄ cccc xxx in ſtudiis verſabatur Laurentius Guathius Florentinus; qui eleganter vitam deſcripſit Hugonis, Comitis Magdeburgenſis. Incipit hoc pacto: *Hugo, natione Germanus.* Archetypon Florentiæ ſupereſt in bibliotheca abbatiæ Florentinæ.

Anno eodem in vita erat Marianus Florentinus, Ord. Min. Scripſit ſui ordinis Chronicon, ſive, ut ipſe, more ſeculi ejus, vocat, Chronicam. Meminit ejus Michaël Poccianitus in catalogo ſcriptorum Florentinorum: ubi ſuccinctè, at fideliter tamen, ſcripſiſſe ait. Supereſt id Chronicon MSum Florentiæ in æde Salvatoris, quæ dicta priùs Domus omnium Sanctorum. Præterea ſermones complures reliquit, & vitas CL I X mulierum ſecundi ordinis: quæ eàdem in urbe ſuperſunt in bibliotheca S. Crucis.

Anno cIↄ cccc xxx I I clatuit Jacobus Malvetius Brixienſis, vir medicâ arte pollens, atque idem in hiſtoria diligens: ſed in quo illud meritò culpetur, quòd patriæ dignitati adeò ſuperſtitioſè faverit, ut in facinoribus ejus enarrandis, atque extollendis, planè exceſſerit modum: cujus rei auctor mihi V. C L. Octavius Rubeus J. C.

Xiccho Ricius Polentonus, qui aliis ſimpliciter Sicco Polentonus, civis Patavinus, & Reip. ejuſdem ſcriba fuit. Verum autem nomen Xiccho eſſe, indicat MSus Carravienſium codex, qui apud V. C L. Felicem Oſium, in quo inſtrumentum publicum legitur, quod nomine D. Franciſci Junioris de Carraria confecit anno cIↄ cccc v. Subſcriptio eſt iſtiuſmodi: *Ego Xiccho, filius D. Bartholomæi Polentoni, civis & habitator Paduæ in quarterio Pontis Molendinorum in Centenario & Centrata S. Firmi, publicus imperiali auctoritate notarius præmiſſis nominibus, rogatus fideliter ſcripſi, & propriâ manu ſubſcripſi.* Idem anno cIↄ cccc x I I I, xv Aug. Cancellarius fuit Patavinus, nempe quo tempore Titi Livii urna eſt reperta: quemadmodum Guilielmus Orgarellius refert, ubi de T. Livio ſermo ei eſt. Inhabitavit ædes, quæ Albertini Muſſati fuerant, ut ipſe refert, in Muſſati vitâ. Fuit vir pro ſeculo quo vixit pereruditus, ac præter argumenta in orationes Ciceronis (quæ MSa Oxonii ſuperſunt in bibliothecâ Ballionenſi) Catiniam quod ad jocum & riſum factum eſt opus, librum de ratione ſtudendi confeſſionem Chriſtianam, & epiſtolas ad diverſos, etiam exemplorum librum compoſuit. Item volumen magnum de illuſtribus ſcriptoribus Latinis, quod libris conſtat xx I I. Dicavit illud filio ſuo, Polydoro, an. Chriſti cIↄ cccc xxx I I I: ac MSum ejus exemplar habuiſſe ſe, ait Bernardinus Scardeonius lib. I I de reb. Patavinis. Etiam Pignorius mihi indicium fecit, vidiſſe ſe apud Caſparem Crivellarium, bibliopolam & typographum Patavinum, atque id typis minutis in grandi charta exaratum: alibi item apud patricium Patavinum. Etiam in literas retulit vitam, ac miracula B. Antonii Confeſſoris, vitam B. Antonii peregrini, item vitam B. Helenæ Sanctimonialis. Laudat virum ab eruditione Petrus Albianus opere eo, quod Theſaurum Eccleſiæ inſcripſit. Etiam Stephanus Pighius lib. xv I I I Annalium Romanorum ad annum Iↄ ccc xv I I I, ait vitas illas illuſtrium ſcriptorum ex antiquis, & bonis auctoribus, ab Xicchone, ſive Sicone, ut ipſe vocat, collectas videri; atque in gratiam hiſtoriæ amantium adſcribit ex eodem vitam Suetonii Tranquilli: de qua judicium noſtrum lib. I cap. xxx I attulimus. Epiſtolam ejus, quâ agit de Livii oſſibus, in præſente repertis, ſummus vir, Laurentius Pignorius, publici juris fecit in egregio Originum Patavinatum opere, Italicè quidem ſcripto, ſed quod propediem, uti & Antenorem ſuum, Latinè, cum luculento auctario, reddere cogitet. Quæ ubi lucem viderint, meliùs ſanè omnes antiquitatis genuinæ amatores perſpicient, quanto jure cenſoriâ notârit virgulâ plurimos eorum, qui ante hac eodem de argumento egerint, errores.

## CAP. X.

*Referuntur hiſtorici, qui claruere ſub Alberto Auſtriaco, ac deinceps uſque ad Karolum* V. *Ex hiſce Thomas Kempenſis edidit vitas Florentii, ac Gerardi junioris, & S. Leduæ. Guido Flonocherus, Chronicon. Anonymus, geſta Caroli* VII, *& Ludovici* XI, *regum Galliæ. Petrus Garningius, hiſtoriam ordinis Carmelitici, item hiſtoriam Eccleſiæ. Lapus Florentinus, tralationem Dionyſii Halicarn. & aliquot vitarum Plutarchi. Iodocus Beyſſelius, Dialogum de S. Matre Anna; item geſta Flandrorum. Petrus à Thymo, vulgò* van der Heiden, *Martyrologium; item Chronicon Brabantiæ. Auguſtinus Dathus Senenſis, libros tres de geſtis Senenſium, & hiſtoriam Plumbinorum. Ioannes Gobelinus, res memorabiles, quæ accidere temporibus Pii* II. *Papæ. Cyriacus Anconitanus, Inſcriptiones, epigrammata & alia collegit. Coſmas Laurus Brixienſis, origines familiarum Brixienſium, item opus de præſulibus Brixienſibus. Daniel Ceretus, hiſtoriam rerum Brixienſium. Hieronymus Salgherius, vitam Euſtathiæ. Modeſtus Polentonus, monumenta atque inſcriptiones illuſtrium virorum, quæ Patavii ſpectantur. Octavius Cleophilus Fanenſis, hiſtoriam Ariminenſem, Faneida, itineraria duo, & memorabilium volumen. Petrus Schottus, vitas variorum. Petrus Apollonius Collatinus, poëma hiſtoricum de excidio Hieroſolymitano. Helias Capreolus, libros* XIV *de rebus Brixienſium. Bartholomæus Zuchatus, annales Tarviſinos. Hieronymus Bononius, promiſcua; item vitam B. Hieronymi. Eitelwolfus de Lapide, opus de laudibus Heroum & Virorum illuſtrium. Sebaſtianus Murrho libellum de laudibus Germanorum. Philippus Biken, itinerarium terræ ſanctæ. Anonymus, geſta abbatum Majoris monaſterii. Georgius Mediolanenſis, vitam B. Iacobi Sextii. Ludovicus Celius Rhodiginus, Antiquarum Lectionum libros, & in Plinium obſervationes. Henricus Penia, geſta Sophi regis. Cornelius Aurelius, ſitum ac laudes Bataviæ. Franciſcus Polyardus, vitam Octavii Cleophili. Nicolaus Bagnaterius, vitam B. Conradini Brixiani. Innocentius Cæſarius, calamitates, quas ſuâ ætate Brixienſes à Gallis eſſent perpeſſi.*

RESTANT tempora Alberti Auſtriaci, & conſequentium ejuſce domus imperatorum, uſque ad Carolum V: quibus qui hiſtoriam ſignarint, deinceps exponam.

Thomas de Kempis, cognomento Malleolus, Canonicus montis S. Agnetis prope Zwollam in diœceſi epiſcopi Ultrajectini, claruit temporibus Sigiſmundi, Alberti II, & initii Friderici II. Diſcipulus fuit, tum Florentii illius, qui doctore uſus Gerardo Daventrienſi, cognomento Magno, atque anno obiit cIↄ cccc: tum Gerardi junioris, Zutphanienſis, qui libellos duos de ſpirituali exercitio reliquit, & anno exceſſit cIↄ ccc xcv I I I. Kempenſis hic conſignavit vitas, & Florentii, & junioris Gerardi: uti Maſſæus prodit Chronici ſui libro xv I I I. Etiam utriuſque diſcipulorum vitas in literas retulit, uti & Joannis Cacabi, vulgò Ketel dicti coqui devotiſſimi. Etiam Arnoldi Schoonhovii. Præterea idem Thomas (ut eſt apud Molanum in indiculo ſanctorum Belgii) conſcripſit hiſtoriam S. Leduæ, ſive Lidwygis, vulgò dictæ Lydwyd, quæ

Schidami in Hollandia obiit anno Chriſti clↄ ccccxxxiii. Sed & Chronicon condidit monaſterii montis S. Agnetis. Quod Antverpiæ prodiit anno clↄ Iↄ cxxi typis Verduſſi: Ubi priora quoque, quæ dixi, excuſa anno clↄ Iↄ cxv, typis Martini Nutii & Joannis Meurſii, curâ Henrici Sommalii Soc. Jeſu. Nullius ex hiſtoricis hiſce operibus meminiſſe miror Trittheimum: ut alios mittam. Eſt hic Kempenſis ille, qui tantopere celebratur libellis quatuor de imitatione Chriſti: quos, ut ipſe in autographo adnotârat, anno conſcripſit clↄ ccccxli. Vitam ejus ſcripſere Judocus Badius Aſcenſius, Franciſcus Tolenſis, canonicus regularis, & Heribertus Roſweydus Societ. Jeſu. Deceſſit anno clↄ ccccLxxi, viii Kal. Aug.

Guido Flonocherus, Narbonenſis, Dominicani ordinis magiſter generalis, claruit ætate Sigiſmundi, Alberti jun. & Frederici iii Chronicon reliquit. Obiit an. clↄ ccccLii: ut Simlerus auctor eſt, atque ex eo Poſſevinus.

Anonymus ejuſdem temporis memoratur Mejero in Annal. Fland. ad annum clↄ ccccLviii, a ubi ſic ait: *Sed quo omnia magis ſint perſpicua, hiſtoriam de hiſce rebus à familiari Caroli Regis, qui aduſque mortem Ludovici vixit, ac de utroque rege haut contemnenda ſcripſit, attexere non pigebit: præſertim cùm plus ſemper fidei oculatis, quàm auritis, tribuendum eſſe teſtibus, nemo neget.*

a Pag. 323. a.

Petrus Garnengius, Aremoricus Brito, provincialis Carmelitarum apud Turonenſes, floruit temporibus imperat. Friderici iii. Reliquit Hiſtoriam ordin. Carmelitici: item Hiſtoriam Eccleſiæ, atque alia. Deceſſit an. clↄ ccccLxxi.

Lapus Florentinus, qui Geſnero eſt *Lapus Biragus Florentinus*, Philelpho epiſtola ad Leonardum Aretinum anno ſcripta clↄ ccccxxxvi dicitur *Lapus Caſtelliunculus*, ac vocat ibidem auditorem & familiarem ſuum: Leandro in Italia, ubi de doctis Florentinis tractat, vocatur *Lapus Caſtilionius*, vixit circa annum clↄ ccccxL. Ac ne hunc alium à Birago putes, *Lapus Caſtilionius*, inquit, *qui vitas aliquot Plutarchi de Græcis in Latinum eleganter vertit*. Tranſtulit autem vitas Theſei, & Romuli, Lycurgi, & Numæ Pompilii, Solonis, & Publicolæ, Themiſtoclis, & Camilli, Periclis, Phocionis, & Catonis Uticenſis, Artaxerxis, atque item Arati. Vertit idem Dionyſii Halicarnaſſenſis Antiquitates Romanas; ſed non ſatis fideliter, imò ſæpe parum Latinè. Meliori fide, ac ſtylo, id præſtitit Gelenius, ſed aliquantò liberiùs, uſque adeò, ut ſubinde binas, vel etiam ternas periodos unâ conſtringat: eaque imprimis cauſſa fuit, cur poſt hoſce novam interpretationem dare voluerit Æmilius Portus. Meminit Lapi hujus etiam Philippus Bergomas Chronici ſupplementi lib. vi, ubi ſermo de Florentiæ origine: item Franciſcus Albertinus de laudibus Florentiæ, & Saonenſis urbis ad Papam Julium ii, ubi eum vocat virum *literis Græcis, & Latinis* eruditiſſimum. Item meminit Eraſmus in Ciceroniano. De eodem ſic Ugolinus Verinus lib. ii. Florentiæ illuſtratæ:

*Te, Lape, mors juvenem nimis invidioſa peremit:*
*Ingenii ſed multa tui monumenta ſuperſunt.*

Jodocus Beyſſelius, patritius Aquiſgranenſis idem Philoſophus, Juriſconſultus, & ſcripturarum ſtudioſus, proſa & carmine pollens, floruit circa annum clↄ ccccLiv. Varia conſcripſit, eaque inter dialogum de S. Matre Anna. Item geſta Flandrorum. Sed ea, aliis occupatus, abſolvere non potuit.

Iiſdem temporibus in pretio erat Petrus à Thymo, vulgo van der Heiden, Brabantus è Ghierlenſi municipio juxta Turnhoutum, Juriſconſultus, ac annis fere Lviii Bruxellis cauſſarum patronus, imò B. Gudulæ canonicus & quæſtor. Conſcripſit Martyrologium: item Chronicon Brabantiæ tomis tribus. Quod in archivis Bruxellis MSum adſervatur. Obiit octogenarius anno clↄ ccccLxxiii, xv Kal. Mart. ut ejus epitaphium oſtendit Bruxellis in æde primariâ.

Auguſtinus Dathus Senenſis, orator ac philoſophus, non parvo inter eruditos loco erat temporibus Pii ii pontificis. Ac præter orationes in laudem Bernardi Senenſis, Catharinæ Senenſis, Pii ii pontificis, aliorumque, etiam tres libros compoſuit de geſtis Senenſium: uti & hiſtoriam Plumbinorum.

Frederico iii imperante, claruit Joannes Gobelinus, Vicarius Bonnenſis, ac Pio ii papæ à ſecretis; qui libris xii complexus fuit, quæcumque memoria digna, temporibus ejus Papæ (ſedit autem ille ab anno clↄ ccccLviii uſque ad annum clↄ ccccLxiv) toto terrarum orbe acciderunt. Bonâ autem fide ſcripſiſſe, indicare videntur hæc præfationis verba: *Tu, qui hæc aliquando legeris, ita demum boni conſule, ut mentienti nihil ignoſcas.* Ad ætatem pertinent, quæ eâdem in præfatione dicit: *Martinum* v *vidi, & Eugenium* iv, *& Nicolaum item* v, *& Calliſtum* iii: *quos dum vixere, damnavit populus; fato defunctos magnis extulit præconiis.* Orditur ab origine Picolomineæ domus, & majoribus Pii ii. Gratum ſanè opus domui Picolomineæ. De eo ſic Franciſcus Bandinus Picolomineus, archiepiſcopus Senenſis, epiſtolâ ad Gregorium xiii papam: *Qui quidem codices mihi pergrati fuerunt; ſed unus longè gratiſſimus inter eos inventus accuratiſſimè manuſcriptus, & delineatus in membranis: quo res geſtæ temporibus Pii Papæ ſecundi, qui avunculi mei, Joannis Picolominei, Cardinalis, Senenſis Oſtienſiſque Epiſcopi, avus fuerat, continebantur, à quodam Joanne Gobellino, ipſius Pii ſecundi familiari, ſatis luculenter, ut ea erant tempora, in commentarium relata, atque deſcripta. Hunc ego, dum eſſem juvenis perſæpe legi; multaque in eo, ne dicam omnia, non commendatione ſolùm, ſed admiratione digna, judicavi.* Hos Gobelini commentarios idem Bandinus juris publici fecit anno clↄ Iↄ Lxxxiv, typis Dominici Baſæ, & ſociorum, Urbis typographorum: poſtea autem Francofurti in officina Aubriana recuſi fuere anno clↄ Iↄ cxiv.

Ejuſdem Frederici iii temporibus fuit quoque Cyriacus Anconitanus, cognomento Antiquarius, quem Franciſco Barbaro commendat Philelphus epiſtola ad eum ſcripta anno clↄ ccccxLiii, & altera eopſe anno exarata ad Leonardum Juſtinianum: ubi ſic de eo ſcribit: *Cyriacus Aconitanus, cùm Venetias peteret, à me petiit, ut ſe tibi per literas commendarem. Id feci eò libentiùs quia non eſſem ignarus hominem tibi fore non injucundum: præſertim qui ferat ſecum nonnulla priſca vetuſtatis monumenta, & elogia, & epigrammata, & alia pleraque ſcripta, quæ ex lapidibus vetuſtiſſimis in Aſia, Græciaque collegit.* De eodem Leander in Piceni deſcriptione: *Præterea* (Ancon genuit) *Cyriacum, totius antiquitatis, & rerum memorabilium per totam Europam, Aſiaque & Africæ partem, indagatorem, qui mirifico ſtudio, quæ literarum monumentis celebrata legerat, veluti theatra, amphitheatra, circos, templa, ſtatuas, tymbos, obeliſcos, pyramides, tabulas cum epitaphiis, arcus, ac id genus curioſæ inveſtigationis alia, non ſolùm ipſe oculis conſpexit, verùm etiam diligenti & exactâ picturâ reddidit, expreſſitque. Rogatus autem, cur his in rebus tam ſtudioſè verſaretur, Ut mortuos excitem, reſpondebat; dicto hercle tanto viro convenienti, atque digno. Tam multa ſcriptis congeſſit, expreſſitque formis, ut Petrus Raſſanus, cui cum illo magna familiaritas interceſſit, tria ſe ingentia volumina manu ipſius exarata depictaque vidiſſe, affirmet: quarum Antiquitatum partem in Germania Petrus Apianus, & Bartholomæus Amantius, anno* à C. N. mdxxxiv *typis ediderunt.* Hæc Leander. At non admodum præclarè de eo ſenſit V. Cl. Antonius Auguſtinus, ubi Cyriacum hunc inſcriptiones multas confinxiſſe ait, ac pari eas loco habet ut nugas Annii Viterbienſis. Imò ex tot inſcriptionibus, quas ille in Hiſpaniâ legi refert, nec unicam inveniri ait: quas tamen, (ut plerique minus creduli ſumus) in annalibus Hiſpanicis velut genuinas exſcripſerit Ambroſius Morales. Dedit Cyriacus etiam vitas Impp. à Julio Cæſare uſque ad Barbaroſſam, ſed Italicè. Idem promittit philoſophorum, poëtarum, atque etiam illuſtrium mulierum vitas. Sed utrùm ediderit haud ſcio.

Circa ann. cIↄ cccc lxx floruit Coſmas Laurus Brixienſis, atque, uti ex V. Clar. Octavio Rubeo J. C. intellexi, ſedulam operam navavit in originibus præcipuarum apud Brixienſes familiarum indagandis. Opus quoque condidit de præſulibus Brixianis: etſi id alteri ejuſce ætatis à nonnullis tribuatur.

Anno cIↄ cccc lxx non parum laudis poſſedit Daniel Ceretus, Brixienſis, vir eruditus, ac medicus eximius. Hic de hiſtoria rerum Brixienſium bene meritus eſt panegyrico ſuo; quem eleganti carmine cecinit de præcellentibus ſuæ ætatis viris Brixienſibus. Opera ejus viri ſuperſunt Brixiæ manu exarata apud Octavium Rubeum J. C. patritium Brixienſem.

Anno cIↄ cccc lxx vivebat Hieronymus Salgherius Patavinus, ſacerdos, qui à confeſſionibus erat Patavino monaſterio S. Proſdocimi: ac ejus cœnobii monachæ, nomine Euſtochiæ, vitam, quam apprimè nórat, & Latinè & Italicè perſcripſit. Obiit autem Euſtochia an. cIↄ cccc lxix idibus Febr. Vide Scardeonium lib. ii. rerum Patavinar. claſſ. vi & vii.

Modeſtus Polentonus, J. C. Patavinus, Sicconis Polentoni, de quo ſuperiùs egi, filius, opus reliquit de ſepulcris virorum illuſtrium, quæ Patavii viſuntur: ut ex doctiſſimo Laurentio Pignorio accepi. Vitâ exceſſit anno cIↄ cccc xc.

Magnos etiam tum ſcribendo labores ſuſtinuit Octavius Fanenſis, qui Cleophilus dici maluit. De ætate argumento eſt, quòd in ſuo de poetarum cœtu poemate ait, ſui ſeculi Mæcenatem eſſe Petrum Medices, Coſmi jam defuncti filium; eique filios eſſe conſimiles, Laurentium, & Julianum, quem metri cauſſâ Julium vocat, ut alibi eodem opere Claudium dixit pro Claudiano. At obiit Coſmus anno cIↄ cccc lxiv: Petrus cIↄ cccc lxxii: Julianus cIↄ cccc lxxviii. Laurentius autem vitam produxit uſque ad annum cIↄ cccc xcii. Atque ad Laurentium hunc etiam epiſtolæ ejus extant. Procudit & alia ingenii monumenta: quæ ipſe commemorat epiſtolâ quadam ad Fanenſes. Inter ea eſt Hiſtoria Ariminenſis. Item Faneis, quam hiſtoricâ penè fide panxit, ut ipſe ait. Sunt autem libri tres carmine facti heroico de bello Fanenſi, & partâ urbi libertate. Item reliquit itineraria duo. Etiam Stinchas, ſive deſcriptionem carceris apud Florentinos. Adhæc libros iv de dictis, & factis memoratu dignis. Nomen ei fuit Franciſco: Octavii filius erat. Sed patre jampridem defuncto, ſuaſu Pomponii Læti, Franciſci nomen depoſuit, Octavii aſſumſit, ac quia gloriæ ſe avidiorem ſciret, Græcâ appellatione Cleophilus cognominari voluit. Familiaris fuit Baptiſtæ Guarino, Guarini filio, & ſummo viro, Nicolao Leoniceno, ut de Volſco, Sulpicio, Pomponio, Marſo, Domitio, atque aliis nihil dicam. Apud Ariminenſes primum, & exinde Foroſempronienſes humaniores juventutem literas docuit. Poſtea a Cardinale Baptiſta Zenone deductus eſt Romam, ac honeſtè habitus, ſed ab eo migravit ad Cardinalem S. Petrum, Sixti Pontificis nepotem. Exinde ſecutus Alexandrum, qui poſtea pontifex. Suavem amatorem, nec illepidum appellat Lilius Gyraldus dialogo priori de poëtis ſui temporis: ſed M. Antonius Sabellicus, libro de reparatione linguæ Latinæ, vitare eum jubet, ut qui amores canat laſcivos. Nempe quædam ejus juvenilia viderat. Sed in iis quæ provectior ſcripſit, longè ſe alium oſtendit. De mortis genere ita ſcribit Pierius Valerianus lib. ii. de infelicit. litter. *Octavius Cleophilus Fanenſis & ipſe fortunam expertus eſt iniquiſſimam. Poſt multos enim in liberalibus artibus labores exhauſtos, dum ſibi quærit requiem, uxorem Centumcellis acceperat: quam dum in patriam traducere cogitat, à ſocero, quò eum dote fraudaret, veneno ſublatus eſt.* Obiit anno ætatis xliii, à Chriſti natali cIↄ cccc xc. Vitam ejus ſcripſit Franciſcus Polyardus *a*.

*a Unà cum aliorum illuſtrium virorum vitis Francofurti prodiit typis Egenolphi. Primum autem Fani anno 1516. excuſa fuit ab Hieronymo Sontino: præmiſſa Octavii Anthropotheomachia, & aliis operibus ejuſdem.*

Petrus Schottus Argentinenſis natus eſt circa annum cIↄ cccc lix. Academias Germaniæ, Galliæ, Italiæ adiit. Poëticæ, & oratoriæ junior; poſtea juri utrique operam dedit. In patria urbe canonicus fuit B. Petri. Præter epiſtolas, carmine elegiaco condidit vitas S. Joannis Apoſtoli, Joannis Baptiſtæ, B. Chryſoſtomi, & Gerſonis, cancellarii Pariſienſis. Deceſſit Argentinæ anno ætatis xxxi, Chriſti anno cIↄ cccc xci, vel proximo: ac ſepultus eſt ibidem in æde B. Petri. Vitam ejus, ac mores, deſcripſit Jacobus Wimphelingus. Adi & Tritthemium in catalogo, & Pantaleonem part. ii. de viris illuſtribus Germaniæ.

Petrus Apollonius Collatius, presbyter Novarienſis; contexuit carmine libros quatuor de excidio Hieroſolymitano: qui Lutetiæ primùm anno cIↄ Iↄ xvi, curâ Joannis Gagnæi, Theologi Pariſienſis, in lucem prodiere: poſteaque ab Adriano Vander-Burchio emendati, atque à Chriſtophoro Plantino excuſi Antverpiæ fuerunt. Hunc Margarinus de la Bigne, in indice chronologico veterum Eccleſiæ ſcriptorum, quem Tom. i. bibliothecæ ſanctorum Patrum ſubjunxit, vixiſſe putat exeunte ſeculo ſeptimo, hoc eſt, circa annum Iↄ c xc. Atque ut antiquus à ſummis ſeculi hujus viris paſſim laudatur. Sed ſi vetus adeo eſſet, ejus Sigebertus, vel veterum alius, meminiſſet. Mihi quidem, quin recens ſit ſcriptor, dubium non eſt. Nec alia mens Caſparo Barthio Adverſarior. lib. xxiii, cap. xxvii. Amplius dico, putare me vixiſſe eum anno cIↄ cccc xc, ac deinceps. Aliud enim mihi perſuadere non poſſum, quàm eſſe hunc eundem, ac ille Faſtorum conditor, de quo ita Cæſar Scaliger lib. vi Poëtices: *Apollonius Collatius Faſtos edidit: in quibus pietatum laudes. Frigiduſculus tamen poëta eſt: & cum diſcedit ab elegiaco, etiam infelix.* Agit autem de Apollonio inter eos, qui vixere non multo ante, aut poſt annum milleſimum quingenteſimum. Ii ſunt, Michaël Verinus, Baptiſta Egnatius, Titus & Hercules Strozæ, Mutius Aurelius, Marcellus Palingenius, Pierius Valerianus, Jo. Cotta, Aonius Palearius, Auguſtinus Beatianus, Andreas Naugerius, Andreas Alciatus, Balthaſar Caſtilionius: quibus proximè ſubdit Apollonium Collatium: ei autem ſubjungit Lancinum Curtium, Fauſtum Andrelinum, Deſiderium Eraſmum, atque alios. Apud Gyraldum verò in poëtarum ſyntagmate, quod ſatis mirari non poſſum, altum de poëta hoc ſilentium eſt.

Extremis Frederici iii temporibus, atque imperante Maximiliano, non exiguâ in exiſtimatione erat Helias Capreolus Brixienſis, Juriſconſultus. Natus eſt Capreolâ gente, quæ eximii eſt apud Brixianos nominis. Præclarè de patria meritus fuit libris xiv de rebus Brixianis. Ex quibus xii in lucem emiſſi Brixiæ apud Arundum de Amindis. Sed duo poſtremi, ipſius Capreoli manu exarati, ſuperſunt in ædibus illuſtriſſimi viri, magni literarum & literatorum patroni, Dominici Molini. Fuere ii ante Octavii Rubei, patritii Brixienſis, ex Rubeorum Parmenſium familiâ; viri præcellentis eruditionis; uti monumenta ejus comprobabunt, quæ de Brixienſium, & hujus temporis geſtis, ſummâ induſtriâ, fide, ac prudentiâ pergit conſignare. Deceſſit Capreolus jam decrepitus anno cIↄ Iↄ xix. Hiſtoriæ ejus Brixienſis meminit non ſemel Leander in Italia ſua.

Ad hæc etiam tempora pertinet Bartholomæus Zuchatus Tarviſinus: qui annales patriæ compoſuit ab Urbe eâ conditâ uſque ad annum cIↄ Iↄ. Hi in Italia MSSi circumferuntur: ut cognovi ex doctiſſimi & præſtantiſſimi Balthaſaris Bonifacii literis ad maximum & illuſtriſſimum Dominicum Molinum.

Ex quibus percepi, eodem tempore claruiſſe, ac vitam uſque ad annum cIↄ Iↄ xx perduxiſſe, Hieronymum Bononium, poëtam egregium: qui cùm alia multa literis prodidit, quæ Promiſcua vocavit: tum etiam proſâ & verſu vitam B. Hieronymi conſcripſit.

Eitelwolfus de Lapide, nobilis Suevus, Maximiliani imperatoris temporibus maximo in honore fuit apud marchionem Brandeburgicum: interque alia ad Georgium de Lapide, virum literarum amantiſſimum, opus ſcripſit de laudibus heroum, & virorum illuſtrium: cujus & Tritthemius meminit.

Eodem

Eodem tempore claruit Sebaſtianus Murrho Colmarienſis, presbyter & canonicus: cujus luculentum elogium idem habet Trithemius. Præter alia, ad Jacobum Wimphelingum libellum contexuit de laudibus Germanorum.

Philippus Biken, miles, claruit anno cIↃ cccc xc: quo ipſo edidit *Itinerarium terræ ſanctæ*.

Anno cIↃ cccc xciv vivebat monachus ille Majoris-Monaſterii: qui poſteritati prodeſſe voluit ſignando geſta abbatum ſui monaſterii. Eo ex opere luculentum depromit locum Martinus Marrier in bibliotheca Cluniacenſi *a*. Ac ſæpiuſcule ejus in notis meminit Andreas Quercetanus *b*.

a Col. 396.
b Col 43. 47. 50. 356.

Georgius Ravennatinus Mediolanenſis, Ordinis Prædicatorum, fuit anno cIↃ IↃ xv. Condidit opus de viris illuſtribus ordinis ſui, qui in Provincia Romana claruerunt. Item alterum ad hiſtoriæ modum, opus quadripartitum, quod eſt cœnobii ejuſdem Ord. Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolanenſis quadripartitum. Præterea hiſtoriam quadripartitam, in qua loquentes inducit S. Dominicum, & B. Petrum martyrem. Multa & alia edolavit, quæ, Poſſevino teſte, MSa ſuperſunt Mediolani in conventu Gratiarum Ord. Prædicator. Apud Leandrum lib. I. de viris illuſtribus habes vitam B. Jacobi Sextii Mediolanenſis, qui anno deceſſit cIↃ cccc xciii. Ac vita ea auctorem præfert Georgium Mediolanenſem. Non dubito, quin ejuſdem ſit Georgii, de quo antè diximus: etſi Poſſevinus pro diverſis habuiſſe videatur: ut qui primum loquatur de Georgio Mediolanenſi, vitæ Sextii auctore: quem & vitas ſui ordinis perſcripſiſſe agnoſcit: hinc ſubjungat Georgium Metropolitam Nicomedienſem: exinde veniat ad Georgium Ravennatinum Mediolanenſem, cujus opera MSa Mediolani aſſervari dicebam.

Tum etiam vivebat Hilario, monachus SS. Nazarii, & Celſi, Veronæ, congregationis S. Juſtinæ, quæ nunc Caſſinenſis dicitur. Tranſtulit Dialectica Joannis Damaſceni. Præterea, quæ de vita rectè inſtituendâ tradidit Dorotheus archimandrita. Habes Tom. II. bibliothec. SS. Patrum. Inſuper vertit compendium Rhetoricæ Hermogenicæ: quam operam dicavit Petro Baſadonæ, Patritio Veneto, conſuli Rhethymnæ. Prodiit curâ hæredum Aldi anno cIↃ IↃ xxiii, volumine eo, quo Rhetorica Trapezuntii, & antiqui aliquot rhetores junguntur. Sed iſta nihil ad hiſtoriam. Quò magis pertinent, quæ nunc dicam. Nam primùm edidit vitam S. Simeonis monachi, cujus corpus in diœceſi Mantuanâ aſſervatur in monaſterio S. Benedicti. Adhæc vitis Sanctorum à Jacobo de Voragine conſcriptis appendicem addidit: quæ Mediolani prodiit apud Jacobum Ripam anno cIↃ cccc xciv. Egit quoque, tum de tranſlatione S. Georgii (qui liber MSus exſtat Venetiis in monaſterio S. Georgii majoris) tum de tranſlatione brachii ejuſdem ſancti ad idem monaſterium S. Georgii. De obitu ejus hæc reperi apud Laurentium monachum, præfatione in doctrinas Dorothei: *Dum noſter interpres in humanis ageret, & Hieroſolymam viſendi deſiderio ductus pergere cœpiſſet, in itinere conſtitutus, in Rhodo inſulâ ex Cycladibus præcipuâ, diem clauſit extremum, naturæque conceſſit, civibus cunctis, monachiſque omnibus, ejus tranſitum collachrymantibus.*

Maximiliani etiam imperatoris temporibus, extremis imprimis, non parum hiſtoriæ commodavit Ludovicus Cœlius Ricchierius Rhodiginus, vir omnigenæ doctrinæ, interiorum autem literarum ſcientiâ nemini ſui ſeculi ſecundus. Nec modò variæ lectionis, ſed virum etiam pium fuiſſe, ait in Ciceroniano ſuo Eraſmus. Hic Mediolanum à Ludovico XII, Galliarum rege ſplendidâ, planeque regiâ mercede vocatus fuit: magnâ cum gloria ibidem Latinas docuit literas, & Græcas. Poſtea eodem munere præclarè functus eſt in illuſtri Gymnaſio Patavino, quod mirum præteriiſſe Antonium Riccobonum in ſuis de Patavino Gymnaſio libris. Sed ita eſſe, uti dixi, patebit ex opere, quo idem argumentum longè felicius tractabit Felix Oſius in Academia Patavina Oratoriæ Profeſſor. Præclarum hoc de Cœlio teſtimonium habes apud Robortellum commentatio in artem Poëticam Ariſtotelis, ubi doctiſſimum ſuperioris ætatis virum vocat. Item hoc Julii Cæſaris Scaligeri lib. III. de re poëticâ cap. ultim. *Omnium*, inquit, *doctiſſimus præceptor noſter, Antiquarum lectionum, Verrii exemplo.* Nam Cœlium ſignat, qui præcipuè immortale ſibi nomen peperit triginta antiquarum lectionum libris: quo miſcello opere, abſtruſa utriuſque linguæ vocabula enucleantur, in præſtantiſſimis quibuſque ſcriptoribus loca obſcura explicantur, corrupta caſtigantur, adhæc hiſtoriæ reconditæ, & ritus veteres enarrantur, ex intima denique philoſophia, potiſſimùm è Platonicorum penu, arcana multa promuntur. Itaque ſæpenumero miror, imò indignor, non magis hodie in manibus eſſe juventutis tanti viri labores, profectò auro contrà non caros. Quippe & philologiæ ſtudioſus, & amator hiſtoriæ, & philoſophiæ ſectator, hauriet inde, quod juxta proſit, ac delectet. Atque idem Cœlius egregiè meritus fuit de hiſtoria Plinii naturali: cui præterita multa addiderat, in quâ item multa, tum illuſtrârat, tum emendaverat. Sed nobilis hæcce opera, quæ à genio ſuo facilè æternitatem ſperabat, Libitinam effugere non potuit negligentiùs habita in βιβλιοθήκῃ viri patricii quemadmodum non abſque dolore cognovi ex literis, quas ad illuſtriſſ. & æternitate digniſſimum Dominicum Molinum ſcripſerat Cœlii hujus civis, Balthaſar Bonifacius: vir variæ & ipſe doctrinæ, & ſcribendo præclarè de ſtudiis promeritus, de hiſtoria imprimis: quemadmodum cognoſcere licet ex hiſtoria, quam edidit de gente Contarena: & alterâ de geſtis Franciſci Mariæ Ruverii: adhæc aliâ de XL Romanæ hiſtoriæ ſcriptorum vitis: quam ſi hactenus videre licuiſſet, puto non pauca à præſtantiſſimo illo viro obſervata comperiiſſem, unde ditari ornarique potuiſſet labor hic noſter de hiſtoricis Latinis. Sed neſcio quo infortunio nondum is liber in manus meas pervenerit.

Henricus Penia deſcribebat anno cIↃ IↃ xiv geſta Sophi Perſarum regis contra Turcas. Semel iterumque Frobenius *a* excudit.

a Anno 1514. & 1515.

Temporibus etiam Maximiliani nomen ſibi parabat Cornelius Aurelius Batavus. Natus is fuit Goudæ, unde & Aurelii nomen aſſumſit. Nam Belgis aurum *gout* dicitur. Fuit canonicus Auguſtinianus in Hemdonck. Videtur præceptor fuiſſe magni Eraſmi. Nam in Alardi Amſtelodami literis ad eum Lovanii exaratis anno cIↃ IↃ xv, leges hæc verba: *Eraſmus Baſileæ agit. Miramur omnes, quod tui, ſinceriſſimi ſemper amici, & præceptoris, nuſquam meminit.* Iidem literis rogat eum Alardus, ut refellere velit, quæ in Batavorum hiſtoria de gentis ejus ſitu prodidiſſet Gerardus Geldenhaurius Noviomagus. Atque hac occaſione Aurelius duos fecit libellos. Unius inſcriptio erat, *Defenſio gloriæ Batavinæ.* Alterius talis fuit: *Elucidarium variarum quæſtionum ſuper Batavina regione, & differentia.* Sed Bonaventura Vulcanius, qui eos primus edidit, maluit hos uno titulo complecti, *De ſitu, & laudibus Bataviæ.* Quæ præterea compoſuerit, idem Vulcanius indicabit in iis, quæ de auctore hoc editioni ſuæ præmiſit. Ab ipſo Gerardo Geldenhaurio, adverſus quem ſcripſit, reponitur inter illuſtres inferioris Germaniæ viros, ac vocatur *hiſtoricus, & nobilis verſificator.* Sanè uſque adeò carmine eo ſeculo pollere viſus eſt, ut Maximilianus Imp. ſponte ei, nec hujuſmodi quicquam poſtulanti, per oratorem ſuum, Stephanum Cracovienſem, laurum miſerit Apollinarem: quemadmodum Aurelius ipſe teſtis eſt epiſtolâ ad Joannem de Hemſtede, dominum Lieſveldiæ.

Franciſcus Polyardus Fanenſis in patriâ vixit anno cIↃ IↃ xv, eoque ipſe civis ſui Octavii Cleophili, de quo ſupra diximus, poëmatis, vitam à ſe exaratam præmiſit.

Nicolaus Bagnatorius Brixianus ſcribebat Bononiæ anno cIↃ IↃ xvi ad Auguſtinum Comottam Brixianum vitam B. Conradini Brixiani, Ordinis Prædicatorum. Habes in vitis illuſtrium ejuſdem Ordin. virorum, quas Leander edidit, libro v.

Tum quoque generis nobilitate, & eruditione conſpicuus fuit Innocentius Cæſarius Brixienſis. Hic, ut ex Octavio Rubeo, V. Cl. cognovi, elegantiſſimè deſcripſit calamitatem Brixienſem, quam paſſa eſt urbs à Gallis fœdè urbem populantibus anno cIↃ IↃ XII: cujus nec ipſe miſeriæ expers fuit: quippe captus eſt à Gallis in templo S. Joannis, cujus Præpoſitus erat. Deceſſit è vita circa annum Chriſti cIↃ IↃ XII.

## CAP. XI.

# DE SCRIPTORIBUS INCERTÆ ÆTATIS.

EX iis, quos præterii, ſoli reſtant illi, quorum ætas neſcitur. Eos nunc juxta literarum ſeriem ſubjiciam.

Aquinius Juger vitam & geſta deſcripſit Octaviani Auguſti: ut eſt apud Simlerum in bibliotheca, Glandorpium in Onomaſtico Romano, & Popelinierum in Hiſtoricorum hiſtoria. Sed *Inger* iis eſt, qui dici debuit Aquilius Juger. Memoratur is Suetonio in Auguſto cap. XI. Sed Auguſti res ſcripſiſſe non dicit. Tantùm quiddam ex eo refert, quod pertineat ad bellum Mutinenſe, in quo Hirtius & Panſa periere. Verba Tranquilli ſunt: *Adjicit his Aquilius Niger, alterum è conſulibus Hirtium in pugnæ tumultu ab ipſo* (Auguſto) *interemtum.* Fortaſſe igitur tantùm hiſtoriam ſcripſit belli Mutinenſis. Imò quid ſi hæc hauſta ſint ex oratione quapiam adverſus Octavium.

Auguſtinus Ecgæus conſignavit Friſiorum hiſtoriam: ut auctor eſt Lelandus, & exinde Simlerus.

Bartholomæus Tridentinus vitas Sanctorum deſcripſit: ut Simlerus, & Poſſevinus referunt.

Conradus Engelhus inter temporum ſcriptores recenſetur à Baſilio Jo. Heroldo: qui & eum ſe editurum promittit. Vide ipſum præfat. in Marianum Scotum.

Erchempertus, monachus & diaconus montis Caſſini, hiſtoriam reliquit de everſione monaſterii ſui à Saracenis, & de inſtauratione ejuſdem. Auctor Poſſevinus. Sed ætatem præterit. Fortaſſe idem eſt ac Erempertus, ſive Herembertus, hiſtoriæ Longobardicæ conditor: quod ſi eſt, vixerit anno IↃ CCC LXXI, ut ſuperiùs diximus. Sed in re parùm exploratâ nihil certi ſpondemus.

Focas, ſeu *Phocas*, Grammaticus urbis Romæ, præter ea, quæ de nomine, verbo, & adſpiratione ſuperſunt, etiam carmine heroico deſcripſit vitam Virgilii. Verſus ejus non tam poëtæ ſunt, quàm quales eſſe Grammaticorum ſolent.

Gilbertus Hannonius hiſtoriam de rebus Hannoniæ condidit: utrùm Latinè, an Gallicè, non ſat ſcio. Meminit Mejerus ad annum cIↃ LXXI.

Hermannus Edituus, vel potiùs Æditnus, inter veteres temporum ſcriptores refertur à Baſilio Joanne Heroldo præfat. in Marianum Scotum. Atque addit ibidem, eum à ſe propediem typis Oporini divulgatum iri. Sed quis iſte ſit, non ſat ſcio. Nec enim, puto, is fuerit Hermannus Contractus, vir illuſtri adeò proſapiâ ſatus: cui Æditui nomen parùm conveniret.

Hillinus, monachus Corbejæ in Gallia congregationis Floriacenſis, & proſâ, & ligatâ oratione retulit martyrium beati Follani epiſcopi. Conſtat id opus libris duobus, qui MSi in cœnobio S. Follani extra Rutenas in tractu Toloſano exſtant, ut ait Poſſevinus.

Joannes Noalius Patavinus, ut ex V. Clariſſ. Laurentio Pignorio intelligo, reliquit opus de Conſtructione urbis Patavinæ, atque ejus CXX familiis: quod MSum exſtat apud Felicem Oſium, artis oratoriæ in Gymnaſio Patavino interpretem.

Joannes de Radice condidit annales de Patavinæ Urbis feſtis, ludis, conviviis; aliiſque ejus generis: quemadmodum ex literis doctiſſimi Pignorii accepi.

Laurentius, monachus Caſſinenſis, ac poſtea epiſcopus, carmine egit de paſſione S. Mauri, Caſtrenſis epiſcopi: de vita S. Venceſlai regis: deque pervigilio, ſeu vigilia S. Benedicti. Hæc, atque alia ejus, MSa Caſſini ſupereſſe in VI pluteo ad dexteram Bibliothecæ; auctor mihi Poſſevinus: qui & de eo remittit ad Petrum Diaconum de viris illuſtribus Caſſinenſibus cap. VI. Addit quoque, eundem eſſe auctorem præfationis in doctrinas Dorothei, quæ exſtat in bibliotheca SS. PP. Tom. II. editionis ſecundæ. Sed vel non ſatis aſſequor mentem Poſſevini: vel mirificè eum ratio fugit. Nam Petrus Diaconus, quem de hoc Laurentio monacho ſcripſiſſe refert, vixit circa annum cIↃ C XLV: at ille Laurentius monachus, qui auctor eſt præfationis Dorothei, admodum recens eſt. Nam ait interpretem Dorothei eſſe Hilationem, monachum Caſſinenſem. At Hilario ille floruit circa annum cIↃ IↃ XVI annis quadringentis quinquaginta, & amplius, poſt Petrum Caſſinenſem: quemadmodum ex iis liquere arbitror, quæ ſuperiùs de illo attulimus.

Martinus Segovius, vel *Cegonius*, Novomontanus, à Cuſpiniano in opere de Imperatoribus inter auctores refertur, quorum operâ in hiſtoria ea condenda profecit. Meminit & Boëmus Aubanus: qui ex illo de ſepulchro Chriſti nonnulla adducit.

Maurus Lapius, monachus S. Matthiæ de Murano, in literas retulit vitam B. Petri Sardi, monachi S. Michaëlis in Murano, quod mille paſſibus diſtat Venetiis. Atque ibidem manuſcriptum exſtare, teſtis eſt Poſſevinus in Apparatu ſacro.

B. Mor. (his ſolùm literis auctoris nomen ſignatur) Ordinis Prædicat. monachus, ſcripto explicuit vitam B. Jacobi de Mevania. Habes apud Leandrum in quincto de viris illuſtr. Ord. Præd.

Pindarus Thebanus inſcribitur poëta quidam nominis incerti, qui carmine heroïco panxit hiſtoriam belli Trojani. In codice MSo anni cIↃ CCC XC qui eſt Patavii apud amiciſſimum Felicem Oſium, inſcribitur, *Pindarus Thebanus de deſtructione Trojæ.* Primus eum edidit Laurentius Abſtemius cum Maphæi Vegii Aſtyanacte, ac quibuſdam epigrammatis. Exinde Haganoæ is, & poſtea Baſileæ prodiit. *Auctor antiquus, & ingenio ſatis bono* vocatur à Barthio Adverſarior. lib. XIX. cap. XII. Item lib. XXIII. cap. IX, *ſcriptor non aſpernabilis, licet inſcriptionis mentitæ.* Ubi lib. XXXIX. cap. XIII, *auctor ingenioſus, & eruditus ſic ſatis.* Et lib. LIX. cap. I, *legi digniſſimus.* Nec judicium hoc ſummi viri diſplicet. Sed imprimis eundem vide lib. LVIII. cap. XIV.

Pomponius, abbas Abbauchius, hiſtoriam ſuam perduxit, uſque ad annum cIↃ CCCC XCIII. Memorari ab aliis video. Sed necdum contigit videre.

Rodulphus, Floriacenſis monachus, S. Mauri, martyris Africani, paſſionem ac tranſlationem carmine deſcripſit. Initium ejus eſt, *Gloria, ſplendor.* Meminit Sauſſejus in Aurelianenſibus annalibus lib. IV. cap. X.

Rutilius Flaccus vitas deſcripſit Theodoſii, & Honorii imp. ut prodit Simlerus in bibliotheca, & Popelinierus inde exſcribit lib. VII.

Theophilus Caſſinenſis monachus, & diaconus, varia fecit carmina de B. Virgine: de adventu S. Benedicti ad montem Caſſinum: de conſtructione cœnobii S. Mariæ in Plumbariola: deque conſtructione monaſterii S. Salvatoris. Auctor Arnoldus Wion in Ligno Vitæ, & exinde Poſſevinus in doctiſſimo ac laborioſiſſimo Sacri Apparatus opere ſæpius jam nobis memorato.

Tortarius, monachus Floriacenſis, carmine hexametro panxit tranſlationem S. Mauri, martyris Afri; cujus corpus quondam in Floriacenſi monaſterio ſitum fuit. Poëmatis ejus initium eſt, *Adfuerant Romæ*, &c. Ex poëmate eo Joannes à Boſco edidit verſus minus ducentis, cùm auctor dicat ſe ſcripſiſſe millenos verſus. Sunt autem rhytmicè ſcripti, ita ut media ſyllaba ſimilis ſit ultimæ. Inter ſcriptores Floriacenſis cœnobii recenſetur à Carolo Sauſſejo in annalibus Aurelianenſibus lib. IV. cap. X. Ante

annos

annos ſeptingentos vixiſſe conjectat Barthius lib. L I I Adverſ. cap. V I: ubi & pluſcula ſcriptionis ejus emendat.

Verlatus de Verlatis, quantum conjecturâ aſſequi licet, Vicentinus, collegit Poteſtates à Patavinis Vicentiam miſſas, ac res ſui temporis deſcripſit. Nondum conſpicere licuit: ſed indicium ejus debeo V. Cl. Laur. Pignorio.

Zamaldonus Italus, ac, ut puto, Patavinus, nondum mihi viſus eſt. Eum olim de notabilibus ſui temporis, opus condidiſſe, ex eodem Pignorio intelligo.

ETiam alii occurrunt non exiguo numero, quorum ætatem nondum ſciam: ſed quia animus mihi eſt eos ſolùm commemorare, qui ante hoc vixerint ſeculum: & de multis eorum ne hoc ipſum quidem certò aſſeverare auſim, utrùm ad ſeculum, quod proximè effluxit; an priora debeant tempora referri: equidem rejiciam eos in aliud tempus, quo per otium, ſi tanti modò tum videbuntur, exploratius aliquid ſtatuere poſſim. Multoque juſtius, ut puto, idem fecero de compluribus, quorum non ætatem modò, ſed nomen quoque ignorem. Dignitas tamen argumenti facit, ut non penitùs poſſim præterire anonymos iſtos, qui ſanctorum vitas prodiderunt: præſertim quando in iis non paucos invenio, qui bene antiqui videantur, ac ſæpe æquales ſanctis ipſis, de quibus ingenii ſui monumenta poſteris ſacrarint. Quod ſiquis iis etiam minoros aliquos (nequid graviùs dicam) permiſtos eſſe pertendat: non quidem contentionis cum eo funem duxero; dummodo idem mecum fateatur, ex ejuſmodi quoque ſcriptoribus poſſe aliqua hauriri, quæ ad temporum ſuperiorum hiſtoriam pertineant. Interim ne, jamdiù ipſe opere hoc operoſo laſſus, longis logis defatigem lectorem meum; contentus ero illos apponere, qui apud Surium leguntur, & Moſandrum: quamquam complures videas ab iis interpolatas non parùm: imò nonnullas etiam ab aliis ex Simeone Metaphraſte tranſlatas: utcunque auctor ſæpius diſſimuletur. Ut in vita Cyri, & Joannis abbatum, Melaniæ junioris, Agathæ, atque aliis factum eſt. Sed de iſto aliàs videbimus. Nunc ſimpliciter ſubjiciam, quorum vitæ apud eos, quos dixi, ſuperſint, nomine ſcriptoris non appoſito. Sunt verò vitæ iſtæ:

*Clari*, abbatis Viennenſis, quæ apud Surium ex vetuſtis MSSis expreſſa eſt a. d. I Ian. Vixit autem Clarus (ut ex vita ea liquet) tempore Caroldi, Viennenſis in Galliis epiſcopi: de quo Ado Viennenſis in Chron. ad an. Ɔ C L X X X V I.

*S. Petri Aulani*, quam ſcriptam Græcè, ſed ab Anaſtaſio bibliothecario fuiſſe verſam, conjectat Surius. Habes apud eum a. d. I I I Ian.

*Genovefæ*, ſanctiſſimæ virginis, quæ ex vetuſtiſſimis MSSis expreſſa legitur a. d. I I I Ian.

*S. Rigoberti*, Rhemorum archiepiſcopi, ex MSSis codd. edita, ad d. I V Ian.

*Gertrudis* de Oeſter, quæ Tom. V I I. a. d. V I I Ian.

*S. Gudulæ*, quæ ex perveteri MSo exſcripta ſupereſt T. I. a. d. V I I I Ian.

*Berardi, & quatuor ſociorum Franciſcanorum*, paſſionem habes ad d. X V I Ian.

*S. Sulpitii*, Bituricenſis archiepiſcopi, ad d. X V I I Ianuar.

*Sebaſtiani martyris* ibidem a. d. X X Ian.

*S. Patrocli*, ex vetuſto codice MSo, ibidem a. d. X X I Ian.

*Meinradi*, Eremitæ, & martyris, qui trucidatus anno Ɔ CCC L X. Vide die X X I Ian.* Quanquam hujus de ſcriptoris antiquitate nihil auſim aſſeverare.

*S. Valerii*, Trevirenſis epiſcopi, ex MSo cod. expreſſa ad. d. X X I X Ian.

*S. Conſtantii*, epiſcopi, & martyris, ex MSSis vetuſtis, ſed ſtylo immutato ab Jo. Andrea Palatio, a. d. X X I X Ian.

Abbatis *Cyri*, & *Joannis*, martyrum, ibid. a. d. X X X I Ian. Quibus de vitis uti & ſequentibus dictum paullò antè.

*S. Melaniæ* Romanæ, Ian. X X X I.

*S. Agathæ* a. d. Febr. V.

*S. Dorotheæ*, ex MSo egregio, a. d. V I Febr.

*B. Paulli*, Virdunenſis epiſcopi, & fratris B. Germani, epiſcopi Pariſienſis. Habes ad d. V I I I Febr.

*S. Valentini* presbyteri, & *Aſterii*, item *Marii*, *Marthæ*, *Audifacii*, & *Habacuc*, nobilium Perſarum, ex antiquiſſimis martyrologiis, & vetuſtis MSSis, repræſentatur a. d. X I V Febr.

Iterum *S. Valentini*, ex antiq. martyr. itidem a. d. X I V Febr.

*S. Fauſtini*, & *Iovitæ*, a. d. X V Febr.

*S. Eucherii*, Aurelianenſis epiſcopi, æqualis Caroli Martelli, a. d. X X Febr.

*S. Neſtoris* epiſcopi, ex codice MSo ad d. X X Febr.

*S. Winwaloci* abbatis, ex MSS. vett. a. d. I I I Mart.

*S. Sabini*, a. d. X I I I Mart.

*S. Euphraſiæ*, itidem a. d. X I I I Mart.

*S. Hermelandi*, Noviomagenſis, primi abbatis Antrenſis, a. d. X X V Mart.

*S. Catharinæ* Suedicæ, filiæ S. Brigittæ, a. d. X X I V Mart.

*S. Ruperti*, Noricorum doctoris, a. d. X X V I I Mart.

*S. Paterni*, epiſcopi Abrincenſis, a. d. X V I April.

*S. Epipodii*, martyris Lugdunenſis, a. d. X X I I Apr.

Fratris *Ægidii*, qui tertius S. Franciſci Aſſiſiatis ſocius fuit, a. d. X X I I I Apr.

*S. Alexandri*, Lugdunenſis martyris, a. d. X X I V April.

*B. Roberti*, primi abbatis Caſæ Dei, itidem a. d. X X I V April.

*S. Roberti*, primi abbatis Moliſmenſis, ac Ciſtercienſis, a. d. X X I X Apr.

*SS. Mariani* Lectoris, & *Jacobi* diaconi, a. d. X X X April.

*S. Maximi*, itidem ad X X X Apr.

*S. Marculphi*, T. V I I. a. d. I Maji.

*S. Amatoris*, ad eundem diem.

*S. Evermari* martyris, ad eundem.

*S. Juvenalis*, epiſcopi Narnienſis, & confeſſoris, a. d. I I I Maji.

*S. Wironis*, epiſcopi Scoti, ad V I I I Maji.

*S. Gothardi*, a. d. X Maji.

*Anthimi* presbyteri, *Siſinnii* diaconi, & *aliorum*, a. d. X I Maji.

*S. Gangulphi*, a. d. X I Maji.

*Nerei*, *Achillei*, & *aliorum*, X I I Maji.

*Pancratii*, a. d. X I I Maji.

*Pontii* martyris, X I V Maji.

*SS. Petri*, *Andreæ*, *Pauli*, & *Dionyſii*, a. d. X V Maji.

*S. Ivonis*, presbyteri, & confeſſoris, X I X Maji.

*SS. Donatiani*, & *Rogatiani*, X X I V Maji.

*S. Althelmi*, ſeu Aldelmi, epiſcopi Schireburgenſis, ſeu Saliſburienſis, X X Maji.

*SS. Marcellini*, & *Petri*, die Iun. I I.

*SS. Pergentini*, & *Laurentini*, fratrum, ad Iun. I I I.

*S. Liphardi*, presbyteri & abbatis, ad Iun. I I I.

*S. Caprafii*, abbatis Lirinenſis, T. V I I a. d. I Iun.

*S. Claudii*, archiepiſcopi Biſuntini, ad V I Iun.

*S. Roberti*, abbatis Ciſtercienſis, die V I I Iun.

*SS. Primi*, & *Feliciani*, I X Iun.

*SS. Getulii*, *Cerealis*, *Amantii*, & *Primitivi*, ad X Iun.

*S. Odulphi* presbyteri, die X I I Iun.

*SS. Modeſti*, & *Creſcentiæ*, Iun. X V.

*SS. Quirici*, & *Julittæ*, X V I. Iun.

*SS. Ferreoli* presbyteri, & *Ferrucionis* diaconi, ac *ſociorum*, T. V I I die X V I Iun.

*S. Aviti* presbyteri, X V I I Iun.

*S. Vulmari* abbatis, ad X V I I Iun.

 S. Deo-

*S. Deodati* epiſcopi, & confeſſoris, Tom. VII die XIX Iun.
*S. Carilephi*, presbyteri & monachi, Tom. IV ad I Iul.
*SS. Proceſſi*, & *Martiniani*, martyrum, ad II Iul.
*Felicis* presbyteri, *Irenæi* diaconi, & *Muſtiolæ*, nobiliſſimæ matronæ, ad III Iul.
*S. Procopii*, ex normâ S. Benedicti viventis, ad IV Iul.
*S. Kiliani*, monachi primùm Huenſis in Hibernia, ac poſtea in Franconia Herbipolenſis epiſcopi, a. d. VIII Iul. Stylus mutatus à Surio: ſed prout in MSis legitur, edidit Caniſius T. IV Antiq. Lect.
*S. Cyrilli*, a. d. Iul. IX.
*S. Anatoliæ* virginis, ad Iul. IX.
*S. Felicitatis*, & ſeptem *filiorum* ejus, ad X Iul.
SS. Virginum, *Ruffinæ*, & *Secundæ*, ad X Iul.
*S. Amelbergæ* viduæ, ad X Iul.
*S. Raineldis* virginis, & martyris, ſororis S. Gudilæ, ad XVI Iul.
*S. Frederici*, epiſcopi Trajectenſis, & martyris, ad XVIII Iul.
*S. Hildulphi*, archiepiſcopi Trevirenſis, & primi abbatis Vogaſienſis, ad XI Iul.
*S. Vulmari*, abbatis & confeſſoris apud Boloniam Franciæ, ad XX Iul.
*S. Apollinaris*, Ravennatum epiſcopi, & martyris, ad XXIII Iul.
*S. Brigittæ* viduæ, quæ obiit anno CIↃ CCCLXXIII. Habes ad XXIII Iul.
*S. Cucuphatis*, Iul. XXV.
*S. Hyacinthi*, Iul. die XXVI.
*S. Lupi* Trecenſis, die XXIX Iul.
*S. Afræ*, V Aug.
SS. puerorum fratrum, *Iuſti*, & *Paſtoris*, VI Aug.
*SS. Secundiani*, *Marcelliani*, & *Veriani*, ad IX Aug.
*S. Laurentii*, die X Aug.
*S. Suſannæ*, XI Aug.
*S. Gaugerici*, epiſcopi Cameracenſis, XI Aug.
*S. Porcarii*, & *ſociorum*, XII Aug. T. VII.
*S. Werenfridi* Confeſſoris, d. XIV Aug. T. VII.
*Conſtantini Porphyrogeniti*, XVI Aug.
*S. Philiberti* abbatis, Aug. XX.
*S. Privati*, epiſcopi Gavalitani, die XXI Aug.
*SS. Claudii*, *Aſterii*, & *Neonis*; item *Donninæ*, & *Theonillæ*, Aug. XXIII.
*S. Geneſii* Romani, Aug. XXV.
*S. Fiacrii*, T. VII d. XXX Aug.
*S. Bononii*, abbatis monaſterii Locedenſis, Tom. VII. die XXX Auguſt.
*S. Lupi*, Senonenſis epiſcopi, I Sept.
*S. Iuſti*, Lugdunenſis epiſcopi, II Sept.
*Aniceti* comitis, & *Photini* fratris martyrium, Septemb. II.
*S. Seraphiæ* virginis, III Sept.
*S. Marcelli*, IV Sept.
*S. Humberti*, Confeſſoris in Hannonia quieſcentis; Sept. VI.
*S. Euortii*, epiſcopi Aurelianenſis, ad VII Sept.
*S. Stephani* Cartuſiani, pòſt Epiſcopi Dienſis, ad VII Septemb.
*S. Adriani*, & *aliorum* XXIII martyrum, ad VIII Septemb.
*S. Guidonis*, confeſſoris, Anderlaci quieſcentis, die XII Sept.
*SS. Syri*, & *Iuventii*, ad XII Sept.
*S. Amati*, epiſcopi Senonenſis, ad XIII Sept.
*S. Edithæ* virginis, regis Anglorum, Edgari filiæ, XVI Septemb.
*S. Ferreoli* martyrium, Sept. XVIII.
*S. Goerici*, epiſcopi Metenſis, vita, Sept. XIX.
*S. Ioannis*, Reomaënſis abbatis, Sept. XXII.
*S. Gerardi*, epiſcopi Canadienſis in Pannonia, & martyris, XXIV Sept.
*SS. Coſmæ*, & *Damiani*, ac fratrum ejus, *Antimi* i *Leontii*, & *Euprepii*, vita & martyrium, ad XXVII Septemb.
*S. Elzearii*, comitis Ariani, vita, XXVII Sept.
*SS. Urſi*, & *Victoris*, ex glorioſa Thebæorum legione, martyrium, Sept. XXX.
*S. Thomæ*, Herefordenſis in Anglia epiſcopi, vita Oct. II.
*S. Gerardi*, abbatis ad Gonterum, Bronienſem abbatem ad III Oct.
*S. Magdalvei*, Virdunenſis epiſcopi, & confeſſoris, Oct. IV.
*S. Thyrſi*, & *ſociorum* ejus; item *Palmacii* proconſulis, *Maxentii*, & *ſociorum* Trevirenſium martyrium, Oct. IV & V.
*S. Domnini* militis, & *ſociorum* ejus, martyrium, Oct. IX.
*S. Gisleni* monachi vita, IX Oct.
*S. Calixti*, & *ſociorum* martyrium, XIV Oct.
*S. Donatiani*, Rhemenſis archiepiſcopi, tranſlatio ad Brugas Flandriæ, Oct. XIV.
*S. Hedwigis*, ducíſſæ, ut vulgò loquimur, Poloniæ, XV Oct.
*S. Mononis*, martyris in Naſſovia, XVI Oct.
*S. Amabilis*, presbyteri, Oct. XIX.
*SS. Caprafii*, & *Fidei*, martyrium, Oct. XX.
S. virginis *Urſulæ*, & XI millium virginum, Oct. XXI.
*S. Severini*, Colonienſis epiſcopi, XXIII Oct. item de tranſlatione ejus. ibid.
*S. Felicis* martyrium, XXIV Oct.
*S. Evergiſli*, Colonienſis epiſcopi, vita, XXIV Oct.
*S. Maglorii*, ſecundi epiſcopi Dolenſis in Britannia minori, XXIV Oct.
*S. Miniatis* militis, & martyris Florentini, XXV Oct.
*S. Faronis*, Meldenſis epiſcopi, Oct. XXVIII.
*S. Ermelindis*, virginis in villa Meldarienſi quieſcentis, Oct. XXIX.
*S. Marcelli* centurionis martyrium, Oct. XXX.
*S. Quintini* martyris hiſtoria, XXXI Oct.
*S. Wolphangi*, Ratiſponenſis epiſcopi, vita, XXXI Octob.
Meminit Chronicon Reicherſpergenſe ad annum M IV: atque aliquammulta etiam inde citat ad verbum, non uti edidit Surius, qui more ſuo verba immutavit: ſed prout auctor ipſe ſcripſerat.
*S. Notburgæ* virginis, XXXI Oct.
*S. Benigni*, presbyteri & martyris, hiſtoria, I Nov.
*S. Cæſarii* diaconi martyrium, I Nov.
*S. Vigoris*, epiſcopi Bajocenſis, vita I Nov.
*S. Emerici*, B. Stephani Hungarorum regis filii, Novemb. IV.
*S. Leonardi* confeſſoris, Nov. VI.
*S. Winoci* abbatis, Nov. VI.
*S. Florentii*, epiſcopi Argentinenſis, Nov. VII.
*S. Willehadi*, primi epiſcopi Bremenſis, Nov. VIII.
*S. Victonis*, Virdunenſis epiſcopi & confeſſoris, IX Novemb.
*S. Cuniberti*, epiſcopi Colonienſis & confeſſoris, Novemb. XII.
*S. Maxellendis*, virginis & martyris, Nov. XIII.
*S. Laurentii*, Archiepiſcopi Dublinenſis, cujus ſcriptor in præfat. ait, ſe unum è collegio Augenſi fuiſſe. Habes Nov. XIV.
*S. Aniani*, presbyteri, Nov. XIX.
*S. Jacobi* interciſi, Nov. XXVII.
*S. Saturnini*, primi epiſcopi Toloſani & martyris, XXIX Novemb.
*S. Radbodi*, epiſcopi Ultrajectini, Nov. XXIX.
*S. Eloquii*, abbatis Latiniacenſis, à monacho Walciodorenſi ſcripta, III Dec.
*S. Birini*, epiſcopi Dorceſtrienſis, & confeſſoris, III Decemb.
*S. Luciæ*, virginis & martyris, Dec. XIII.

SS. Ni-

Digitized by Google

*S S. Nicaſii*, epiſcopi Rhemenſis, & *Eutropiæ*, ſororis ejus, ac *ſociorum*, T. VII, Dec. XIV.

Atque iſta è Surio, & Moſandro. Sed plerorumque horum jam videor mihi auctorem repeiiſſe. Quemadmodum & alia non pauca eodem pertinentia obſervari. Quæ partim brevitatis ſtudio, partim quia nonnulla in iis ſunt, in quibus nondum mihi ſatisfaciam, in commodius malo tempus differre. Cæterùm vitis ac paſſionibus jam commemoratis, multa alia ex aliis addi poſſunt. Ut eſt Converſio S. Afræ, & puellarum ejus, ex MSo cod. expreſſa à Marco Velſero in Antiquit. Aug. Vindelicis. Ibidem invenies paſſionem S. Afræ: quam operæ ſit conferre cum iis, quæ apud Vicelium in Hagiologio leguntur. Item apud eundem Velſerum ex codd. vett. habes paſſionem S S. Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, & ſociarum. Apud Vicelium eſt & paſſio S. Cyriaci, & ſociorum. Apud Caniſium T. V Antiq. Lect. invenitur vita Henrici à Zwifaltach Suevi, Prioris in monaſterio Ochſenhauſen. Ibidem etiam legas paſſionem ſanctorum Albani, & ſociorum ejus. Eademne an alia ſit ab MSa Albani vita, quæ eſt Oxonii in bibliotheca Bodlejana, melius dicent qui videre. Paſſio S. Gerulphi è MSo Truchinenſi codice exhibetur à Sandero in Hagiologio Flandriæ. Pluraque hujus generis inedita ſuperſunt in bibliothecis publicis, ac monaſteriis: quæ paullatim, communi orbis bono, in lucem exitura ſperamus. Et multa huc ſpectantia ſuppeditabit magnus Eccleſiaſticorum Annalium conditor, imprimis in Martyrologio ſuo. Mihi omnia inde cum pulviſculo in cumeras meas convertere non eſt animus. Idque eo minus, quia ſiquid nunc indictum, id plenius explicabitur, quando, ut dixi, de anonymis vitarum ſcriptoribus in opere alio cum cura diſſeram: quod brevi fore non diffido.

## CAP. XII.

*Hiſtoricis perperam annumerari octo iſtos, Livium Andronicum, L. Afranium, Decimum Laberium, Paſtanum Vibonenſem, M. Valerium Probum, Hildegaſtum, Sylvium Bonum, & Palladium Diaconum.*

TAndem mare magnum emenſi, littori appellimus læti. Nec tamen pedem è navigio ponere animus eſt, priuſquam oſtenſum ſit, cur in tanta eorum copia, quos advehimus, pluſculi non compareant, quos alii inter hiſtoricos retulerunt.

Antiquiſſimus eorum eſt Livius Andronicus, ſive ei prænomen Tito, ut eſt in Hieronymi Chronico: ſive Marco, ut ibidem Scaliger annotavit: ſive Lucio, ut ego cenſeo, gemino tibicine ſuffultus: nempe Gellio lib. XVII cap. XIX, & Caſſiodoro in coſſ. Andronicum hunc libros XVIII. carmine panxiſſe de rebus Romanorum, tradit Cælius Rhodiginus lib. VII Antiquarum Lect. cap. IV: ut de Simlero *a*, Popeliniero *b*, Glandorpio *c*, idem referentibus, nihil nunc dicam. Impoſuit iis locus Diomedis lib. III: ubi pro *Livius* reſcribi debet *Ennius*: ut ſuperius oſtendimus lib. I cap. II.

*a In bibliotheca.*
*b Lib. V de hiſtoricis.*
*c In Onomaſtico, voce Livius Andronicus.*

L. Afranius, Togatarum & Atellanarum ſcriptor; item Decimus Laberius, mimus, annales condidiſſe dicuntur ab Hercule Cioſano, notis in illud poëtæ primo Faſt.

*Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis.*

Sed à veterum hoc nemine proditum videtur.

Pæſtanus Vibonenſis inter hiſtoricos Latinos relatus eſt à viris eruditis: atque etiam inter ſcriptores Macrobio memoratos reponitur in indice eo, quem Stephanica ipſa, & aliæ editiones habent. Prora & puppis hujus opinionis fuit locus iſte Macrobii lib. VI Saturn. cap. IV: *Sed & Paſtanus Vibonenſis ſic ait, Pedibus equos tranſmiſimus.* Quomodo & veteres editiones habent, etiam Aldina, & hac antiquior Colonienſis ante ſeculum ab Arnoldo Veſalienſi recenſita: niſi quòd in utraque *Jubonenſis* pro *Vibonenſis* literæ unius trajectiunculâ legas. Eſſe verò hunc Macrobii locum corruptiſſimum, primus vidit Ludovicus Carrio lib. I Emendat. cap. XV. ubi eum obſervat adumbratum eſſe ex illo Ciceronis lib. XVI ad Att. cap. VI. *Duo ſinus fuerunt, quos tramitti oportet, Paſtanus & Vibonenſis: utrumque pedibus, equis, tranſmiſimus.* Nam ἀσυνδέτως, *pedibus, equis*, ut etiam in optimo codice Tornæſiano invenerat Lambinus, legi debere, jam olim doctiſſimus Simeo Boſius vidit: ut editio ab eo procurata arguit, atque item, quæ ex literis ejus ibidem Carrio adducit. *Pedibus equis* eſt πεζῇ, καὶ σὺν ἵπποις, hoc eſt terreſtri itinere: non autem, ut pedes pro equis fuerint; quod Carrio temerè malebat. Nam etſi ob maris receſſum Ciceroni non erat navigio opus: equi tamen illi uſus erat, ſive ob laſſitudinem, ſive quia non ita mare ubique receſſerat, ut ſiccis pedibus ſinum utrumque tranſmittere liceret. Macrobii igitur locus ſic corrigendus: *Sed & Paſtanum, & Vibonenſem, Cicero ait, pedibus equis tranſmiſimus.* Error provenit ex eo, quòd librarius, compendio literarum ſtudens, *Cic.* ſcripſerat, unde poſtea *ſic* fecere. Quod ſiquis verba illa, *Cic. ait*, ante *Paſtanum* reponere malit, fiet illud me non improbante. Nam facile fuit illa trajicere librario, præſertim ſi priùs omiſſa, poſteaque ad oram adlita, vel ſuperiùs adſcripta fuere. Imò nec repugno, ſiquis librarii incuriâ putet verſum fuiſſe omiſſum. Nempe ut ita fuerit in codice, quem is exſcriberet:

*Sed & Cicero ait:*
*Duo ſinus fuerunt, quos tranſmitti oportet,*
*Paſtanus & Vibonenſis: utrumque pedibus*
*equis tranſmiſimus.*

Sed priora malim, quia vocis illius *utrumque*, apud Macrobium veſtigium eſt nullum. Multò minùs placet Carrionis ſententia legentis, *Cicero ad Atticum ait: Paſtanus, & Vibonenſis. utrumque equis pedibus tranſmiſimus.* Nam ne in ſtructura peccetur, aut paucula verba, quæ proximè antecedunt ante *Paſtanus & Vibonenſis*, præmiſiſſet: aut ex recto caſu quartum feciſſet.

Vidi qui putaret M. Valerium Probum, qui Hadriani temporibus vixit, χρονογραφίαν edidiſſe, quia inter ſcriptores Servio memoratos reponi à Fabricio animadverterat Probi libellum de connexione temporum. Verùm libellus ille non de rerum, ſed verborum temporibus egit; eoque Grammaticus planè, non hiſtoricus erat. Verba enim Servii ſunt iſta in illud VII Æn.

*Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores.*

*Probus de temporum connexione libellum compoſuit, in quo docet, quid cui debeat accommodari: ex quo intelligimus, hanc, quam fecit, arduam eſſe connexionem. Nam* PATIERE *futuri temporis eſt.* FUSOS *vero participium eſt præteritum.*

Hildegaſtus philoſophus, & vates Francorum doctiſſimus, ut de eo Simlerus in Geſneri appendice refert, claruit anno Chr. CCXL, ac carmine heroico ſcripſit vitam regis Sunonis. Sed vellem ejus rei idoneum laudâſſet auctorem. Nam planè eum ſuppoſititium, aut commentitium eſſe exiſtimo.

Gratiani imperatoris ætate fuit Sylvius Bonus, Brito, ſeu Britannus, quem Auſonius ridet epigrammate CVII. Is, ſi Balæum audimus centuriâ primâ de ſcriptoribus Britannicis, cecinit Maximi Cæſaris laudes, atque opus edidit de bellis Aremoricis: quæ temporum injuriâ intercidiſſe conqueritur. Verùm metuo plurimùm, ne quod de ſcriptis Sylvii refert, id planè ſit commentitium, nec ullo veteri ſcriptore ſubnixum.

Palladius diaconus claruit temporibus Theodoſii & Valentin. atque à Cœleſtino Papa, anno Chr. CCCCXXXI, Proſpero in Chronicis teſte, miſſus eſt in Britanniam, & ex diacono ordinatus eſt epiſcopus Scotorum. Hic eſt, qui *Scotorum apoſtolus* vocatur, uti Patricius Hibernorum. Nec multò poſtquam in Britannias venit, obiit: ut teſtatur Probus in vita Patricii, qui Palladio ſucceſſit. Palladius hic, præterea, quæ Græcè prodiderat, Latinè conſignavit vitam Joannis Chryſoſtomi: ut Balæus ait ſcriptorum Britannicorum Cent. XIV. Imò præit ei hac parte Tritthemius in Catal. Ac juniorum multi idem ſcripſere. Sed planè

con-

confundunt Palladium Galatam, Helenopolis epiſcopum, Lauſiacorum ſcriptorem, & Palladium diaconum, Scotorum Apoſtolum: quorum ille Pelagianis, ac Origeniſtis favit: ut ex Lauſiacis ejus, ac B. Hieronymo *a* conſtat: alter autem Pelagianis eſt adverſatus; ut oſtendunt iſta Proſperi verba in Chronicis: *Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani epiſcopi filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit: ſed ad actione Palladii diaconi, papa Cæleſtinus Germanum, Antiſiodorenſem epiſcopum, vice ſuâ mittit, ut, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Is autem qui Chryſoſtomi vitam ſcripſit, eſt Palladius Galata, Chryſoſtomi diſcipulus, epiſcopus Helenopolis: cujus hodieque dialogus exſtat de vita Chryſoſtomi, in quo ſe colloquentem inducit cum Theodoro, Romanæ Eccleſiæ diacono: qui habitus, cùm Zozimus pontifex eſſet. Nec Latinè à Palladio is dialogus eſt exaratus, ut Balæus credidit, ſed Græcè: Latinè autem vertit Ambroſius, monachus Camaldunenſis. Itidem errat Balæus cùm Palladium, cui Cyrillus dicavit librum ſuum de adoratione in Spiritu & veritate, credidit eſſe epiſcopum Scotorum: cùm ab utroque, de quo diximus, ſit diverſus.

*a Epiſt. 66. & adverſus Cteſiphontem.*

Sunt & alii longè plurimi, quos malè retulerint in hiſtoricorum Latinorum gregem. Sed eos omnes recenſere ſi velim laborem ſubire cogar tædii afferentem plus ſatis: at fructus parum. Ut mittam, quòd de plerique eorum, me etiam tacente, error cuivis paullò oculatiori ſtatim, ſoricis inſtar, ſe prodat. Atqui, ut bene à dicendi ſapiendique magiſtro *a* proditum fuit, *ἀδολεσχία τὰ φανερὰ λέγειν b*. Quare, jam lares noſtros conſpiciens, tandem de navi in terram alacer proſilio: Deoque Soſpitatori gratias, quantas poſſum, ago, quòd ad moleſtiſſimum laborem in vaſto adeò tot ſcriptorum mari, non inſeliciter exhauriendum, & vitam mihi conceſſerit, & otium, ac vires.

*a Ariſt. 2 Rhet.*
*b Nugatorium eſt dicere manifeſta.*

# SCRIPTORES LATINI,

## Qui ecquid Hiſtorici ſcripſerint dicere non habeo.

### A.

ACtæon, & Cippus, videntur inter Latinos hiſtoricos poſſe referri ob verba, ex Plinii lib. XI cap. XXXVII. Sed loquitur ibi Plinius de naturæ hiſtoria, non rerum geſtarum. Quin Cippi nomen non uno modo legitur in vett. libr.

Acterianus grammaticus videtur. Meminit Macrobius lib. III Sat. cap. VIII.

C. Annius. Varro lib. V de L. L. ex eo hæc verba adducit: *Senſumque ineſſe & motum in membris cerno.*

Latinè etiam ſcripſit Anonymus ille, qui ſimplicioribus videtur interpres Nicodemi magiſtri in Iſraël: auctoris, ut ajunt, libri de geſtis Jeſu Chriſti: quod opus à Theodoſio Magno Imp. Hieroſolymis linguâ Hebræâ fertur inventum in prætorio Pontii Pilati: Latinè autem prodiit Antverpiæ CIↃ IↃ XXXVIII.

M. Apicius de re culinaria ſcripſit. Meminit ejus Plinius gemino loco.

*Antiſtius Labeo* a. clivinam avem dicit prohibitoriam, ut Plinius ait lib. X. cap. XIV.

*a Vide idem in Labeo.*

Antonius Gnipho. Macrobius lib. III Sat. cap. ult. *Antonius Gnipho cujus ſcholam Cicero poſt laborem fori frequentabat.*

Antonius Caſtor herbarum intelligentiſſimus Plinio notus, qui eum centenarium vidit. Verba Plinii ſunt lib. XXV cap. II: *Nobis certè contigit reliquas contemplari ſcientiâ Antonii Caſtoris, cui ſumma auctoritas erat in ea arte noſtro ævo, viſendo hortulo ejus, in quo plurimas alebat, centeſimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem, memoria, aut vigore concuſſis.*

Artorius, grammaticus, memoratus Feſto in *proceſtria*, & *tentipellium*, & *topper*.

Aruntius Celſus, P. Aufidius Priſc. lib. VIII. *Aufuſius* Priſc. lib. VIII.

Aurelius Opilius Varroni libro de L. L. ſæpius.

*Aurelius* citatur lib. I Chariſii, ubi ex eo ait quæ Græcè in *os* deſinunt, Latinè in *us* exire. Et à Priſciano lib. VIII. ubi hæc Aurelii verba, *Ab his Gallos indoctos, ex inſidiis plurimos necatos.* Utrobique intelligunt Aurelium Opilium. Prior tamen locus argumentum eſt Grammatici, alter hiſtorici.

*Aurelius Cæſar*, ad Frontonem grammaticum & oratorem. *Veſpera fatigatus, luce dormitans.* Soſipater in primo.

Aſper, grammaticus memoratur Macrobio lib. III Sat. cap. V & VI.

### C.

*Camutius.* Ejus hæc verba citat Priſcianus lib. VIII. *Turpè eſt propter venuſtatem veſtimentorum admirari, ut propter turpiſſimè vitam actam contemni.* Ubi admirari eſt θαυμάζεσθαι, ut Priſcianus monet.

M. Cælius, de veſtitu & vehiculis. Priſcianus lib. XIII. p. 960.

*Calitius*, apud Servium in I Georg. p. 66. puto *Cæcilius* legendum, vel *Cælius*. Sed prius malim. Verba citata ex eo ſunt: *ſi quaſſante capite triſtes incedunt.*

L. Cæſar: *certa rei argumentum.* Priſc. lib. VIII. p. 791.

*Ceſius*, ex quo Arnobius, lib. III qui ſint Dii Penates tradit, videtur mihi Cæſius Baſſus.

Caſſii Parmenſis epiſtola ad M. Antonium Plinio citatur lib. XXXI Hiſt. Nat. cap. II.

*Cepio*, ſive Cæpio. Plinius lib. XXI. cap. IV. *Cepio Cæſaris Tiberii principatu negavit centifoliam in coronam addi, præterquam extremas velut ad cardines, nec odore ſpecie probabilem.*

*Clanarius* Servio in VI Æn. p. 637.

Cornelii in Alphenum oratio, Servius in IX Eccl. p. 49.

Cornelius Balbus, de Hymenæo: ejus inſignis locus apud Servium in IV Æn. p. 320. Macrobius lib. III Saturn. cap. VI. *Et Cornelius Balbus* ἐξηγητικῶν *libro octavodecimo ait apud aram maximam obſervatum, ne lectiſternium fiat.*

Cornificius ætate vixit Auguſti, ut qui cum Marone ſit collocutus: ut oſtendit Philargyrius in illud Eccl. III. *Tres pateat cæli ſpatium, non amplius ulnas.* Ubi legas: *Dicit Cornificius ab ipſo Virgilio audiſſe, quod Cælium Mantuanum quendam tetigit, qui conſumtis omnibus facultatibus, nihil ſibi reliquit, niſi locum trium ulnarum ad ſepulturam.* Cornificii ſententiam de cognomine Deorum Novenſilium, exponit Arnobius lib. III. (p. 154.)

Coruncanus, Plin. lib. VIII cap. LI. *Coruncanus ruminales hoſtias, donec bidentes fierent, puras negavit.*

D. Deſ

D.

Deſiderius Eraſmus Roterodamus. Ipſe à ſe in catalogo lucubrationum ſcriptum ait carmen jambicum trimetrum de laudibus regis Henrici VII, & liberorum ejus, ac ipſius Britanniæ. Labor erat tridui, &, ut ait, ſcriptus, cùm Henricus, qui poſtea VIII ejus nominis rex fuit, annos natus eſſet novem: hoc eſt anno Chriſti clɔ Iɔ. Nam natus Henricus anno clɔ cccc XCI.

F.

Fabius, neſcio quis, ſed ut videtur hiſtoricus, citatur Jornande de rebus Gothicis cap. XXIX.

Favonius rei ruſticæ ſcriptor fuit, ſi credimus Schotto, ob illud Plinii lib. VIII. cap. LI, ubi ait, *Suilli pecoris admiſſura à Favonio ad æquinoctium vernum.* Sed ſignat vernum tempus, quia quando ſolvitur *acris hiems grata vice veris & Favoni.* Interim Favonius eſt ſcriptor, illum inter Romanos ſcriptores ponit Plinius in indice ſcriptorum Romanorum, quibus eſt uſus, lib. XI.

Flavius Grammaticus, de medicinalibus verſu libros ſcripſit temporibus Diocletiani, à quo & cum Lactantio Firmiano, Arnobii diſcipulo, arceſſitus fuit. Auctor Hieronymus in catalogo ſcript. Eccleſiaſt. cap. LXXX, quod eſt de Lactantio.

Fondanius, }
Forinianus, } vett. Gramm. methodici.
Fortunatus, }

Fulvius Nobilior Faſtos ſcripſit, Macrobius auctor lib. I. Sat. cap. XI. Ex iis Faſtis fuiſſe cenſeo, quod ex Fulvio tradit Cenſorinus cap. XX. annum ab initio X menſium fuiſſe, uti Albanus fuit, unde Romani originem ducunt: Poſtea autem XII menſium factum eſſe à Numa. Eadem de re ex Fulvio hic quædam refert cap. XXII.

Furius Albinus Saresberienſis.

G.

Gadullius Gaditanus. Nonio citatur in Canalis: ubi hæc ex eo verba adducit: *Ego verò confiteor certo canali cuncta decurrere.* Gadullius verò eſt & in editis, & in MSSis.

Gannius poëta.

Geminus vel Geminius. Macrobius lib. I. Sat. cap. XVI: *Geminus ait diem nundinarum exactis jam regibus cœpiſſe celebrari, quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoriâ parentarent ei in nundinis.*

Granius Licinianus Flaccus, de indigitamentis ſcripſit. Cenſorinus lib. de die natali cap. III: *Eundem eſſe Genium & Larem multi veteres prodiderunt, in quis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Cæſarem de indigitamentis ſcriptum reliquit.* Meminit & Granii Plinius lib. XXXVIII. cap. IV. Solinus cap. VIII Polyhiſtoris, Arnobius lib. III. ubi ab eo traditum ait Novenſiles eſſe Muſas, & lib. VI. ubi ab eo doceri dicit, quis fuerit ille Tolus, à cujus capite Capitolio eſſe nomen creditur. Adhæc Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XVI. & XVIII. Et Feſtus in Rica, item in Veteratores. quanquam in nonnullis ibi eſt *Cannius.* (Fortaſſe tamen non idem ubique Granius ſignatur.) Granium Flaccum intelligo quoque apud Arnobium lib. V: *Sed & deos Conſentes pari more ac diſſimulatione taceamus, quos cum cæteris ſcribit Flaccus in humani penis ſimilitudinem verſos obruiſſe ſe cineri, qui ſub ollula fuerat factus extorum: quem cùm Tanaquil dimoveret Etruria diſciplinarum perita, ſurrexiſſe Deos, & nervis obduruiſſe divinis: Cornicula inde imperaviſſe captiva, ut intelligeret & agnoſceret, quid ſibi res vellent. Ocriſiam prudentiſſimam feminam divos inſeruiſſe genitali; explicuiſſe motus certos. Tunc ſancta & ferventia numina vim vomuiſſe Lucilii, ac regem Servium natum eſſe Romanum.* Non dubito, quin ſint ex libris Granii de indigitamentis.

H.

Helandus, Martino Polono lib. I. pag. 21.

Hyllus, Macrobius lib. III. Sat. cap. II. *Hyllus libro quem de Diis compoſuit.*

I.

Julius Modeſtus ſcripſit de feriis; ut ait Macrobius lib. I. Sat. cap. IV. Nec dubito quin inde ſit fragmentum, ab eodem Macrobio adductum lib. I. cap. X. & alterum c. XVI. ejuſdem libri.

L.

Antiſtius Labeo, qui diſciplinas Etruſcas Tagetis & Bacidis XV voluminibus explanavit, ibi ſcribit ea. Verba ſunt Fulgentii in explicatione ſermonis antiqui, voce *Manales.* Plinius lib. X. cap. XIV. *Clivinam quoque avem ab antiquis nominatam animadverto ignorari. quidam clamatoriam dicunt: Labeo prohibitoriam.*

Labienus videtur Grammaticus, Chariſius lib. I.

Lavinius, puto Grammaticus, Macrobius lib. III. Sat. cap. VIII.

Lenæus, Cn. Pompeji libertus. Gellius lib. XVII. c. XVI. *Scriptum etiam à Lenæo Cn. Pompeji liberto, Mithridatem illum, Ponti regem, medicinæ rei & remediorum id genus ſollertem fuiſſe: ſolitumque earum ſanguinem miſcere medicamentis, quæ digerendis venenis valent: eumque ſanguinem vel potentiſſimum eſſe in ea confectione: ipſum autem regem, aſſiduo talium medelarum uſu, à clandeſtinis epularum inſidiis caviſſe: quin & ſcientem quoque ultro & oſtentandi gratia, venenum rapidum & velox ſæpenumero hauſiſſe, atque id tamen ſine noxa fuiſſe.*

C. Licinius Imbrex, comicus, apud Feſtum. Alius ab eo C. Licinius Macer.

Mallius. Macrobius lib. I. Sat. cap. X. *Sed Mallius ait eos qui ſe, ut ſupra diximus, Saturni nomine & religione defenderant, per triduum feſtos inſtituiſſe dies, & Saturnalia vocaviſſe. Unde & Auguſtus hujus rei, inquit, opinionem ſecutus in legibus judiciariis triduo ſervari ferias juſſit.* Credere aliquis poſſit pro *Mallius* legendum *Manilius:* de quo alibi multa. Sed obſtat quod Mallius hic verba adducat Auguſti. At Manilius antiquior eſt; Varroni etiam memoratus in libris, quos de LL. ad Ciceronem ſcripſit.

Manilius Chreſtus, libro quem de Deorum hymnis ſcripſit. Fulgentius explicatione ſermonis antiqui in *Injuges boves.*

Meliſſus. Tiberius Donatus in vita Maronis: *Sermone tardiſſimum ac penè indocto ſimilem fuiſſe, Meliſſus tradidit.* Meliſſum *clunes* dixiſſe genere feminino, auctor eſt Chariſius lib. I. & ex eo Beda libro de Orthographia.

N.

Nigidius Figulus *maximus rerum naturalium indagator* appellatur à Sereno Sammonico apud Macrobium lib. II. Sat. cap. XII.

O.

Olympius. Puto eſſe Olympium Nemeſianum, qui cum Gravio jungitur. Luctatius interpres Statii in II Theb. *Poetæ omnes aſſerunt leonem de his polis ortum, quem Hercules proſtravit, ut etiam Olympius ait, quaſi proximus ſit terris & ultimus.* Idem ad illud IV Theb. *& abjunctis regerunt tabula cavernis.* Sic, inquit, in Olympio *abjungere Luna juvices*, cui contrarium eſt *conjungere.*

P.

Papirius Fabianus rhetor & philoſophus Auguſti ævo vixit. Triplicem ei laudem tribuit L. Seneca ep. XL: *Fabianus, vir egregius, & vitâ, & ſcientiâ, & quæ poſt illa eſt eloquentiâ.* De facundia ejus vide M. Senecam in præfat. lib. II. controv. ubi fusè de eo, interque alia eloquentiæ, non eloquentiæ cauſſâ ſtuduiſſe ait, ſed ut eâ ad philoſophiam præpararetur. Ejus Naturalium libros ſæpe allegat Plinius lib. II. cap. XLVII: *Auſtros in Ægyptum penetrat Fabianus.* Lib. II. cap. CII: *Altiſſimum mare XV ſtadiorum Fabianus tradit.* Lib. XII. cap. IV: *Accendi ebenum Fabianus negat.* Lib. XV. cap. I: *Fabianus negat provenire*

*in frigidiſſimis oleam, neque in calidiſſimis.* Lib. xxviii. cap. iv. *Ariſtoteles & Fabianus plurimùm ſomniari circa vernum & auctumnum tradunt, magiſque ſupino cubitu, at prono nihil.* Lib. xxx. cap. xv. *Et inter plurima alia Italiæ miracula ipſa marmora in lapicidinis creſcere auctor eſt* PAPIRIUS FABIANUS, NATURÆ RERUM PERITISSIMUS. Solinus cap. xviii: *D. Auguſto principe in Campania delphinum puer fragmentis panis primò illexit, & in tantum conſuetudo valuit, ut alendum ſe etiam ipſius manibus crederet. mox cùm prolusiſſet puerulis audacia, intra ſpacia eum Lucrini lacus evectitavit, unde effectum, ut à Bajano litore equitantem puerum Puteolos uſque veheret. hoc per annos plurimos tamdiu geſtum eſt, donec aſſiduo ſpectaculo deſineret miraculum eſſe, quod gerebatur. Sed ubi obiit puer, deſiderii mœrore delphin interiit. Pigeret hoc adſeverare, ni Mæcenatis, & Fabiani, multorumque præterea eſſet literis comprehenſum.* Etiam Soſipater Chariſius lib. i. bis citat Fabiani libros de animalibus. Eodem libro allegat *Fabiani naturalium cauſſarum* librum ſecundum & tertium. Etiam Diomedes lib. i. ex Fabiani Cauſſarum tertio citat: *Cum caro ſalita eſt diuturnior.* Ubi legendum puto: *Cur caro ſalita eſt diuturnior?* Nam *προβληματικῶς* eo opere cauſſas rerum & quæſivit & expoſuit: atque hinc opus illud *Cauſſas Naturales* inſcripſit. Hoc oſtendunt etiam verba Fabiani à Chariſio adducta è ſecundo Naturalium Cauſſarum: *Cur ſal aliud perlucidius, aliud inquinatius aut nigrius? quia ſal ex arido congelatum eſt.*

Perſeus. Minutius Felix Octavio, p. 350.

Portunianus ſæpe Saresberienſi memoratur. Videtur ad continentiam σωφρόνων ſcripſiſſe.

Publius Carpus Saresberienſi citatur. Videtur moralia conſignâſſe.

R.

Rabirius. Plinius lib. xxviii. cap. vii. & eo remedium muliebre adfert. Videtur medicus.

S.

Sabinus Tiro, in libro Κηπουρικῶν, Hortenſium, quem Mæcenati dicavit, Plinii verba lib. xix. cap. x. Hæc à bubus docent.

Salluſtius Dionyſius, de quo Plinius lib. xxxii. cap. ii. medicus fuiſſe videtur.

Salluſtius: ejus de Athenodoro dictum nobile. Suidas in Athenodoro.

Salluſtius. Σαλούστιος citatur Saluſtius. Stephanus in Ἄζιλις, quæ Africæ civitas eſt. Fortè Criſpus eſt Salluſt.

Salluſtius citatur à ſcholiaſte Ariſtophanis in Plutum p. 38. Videtur alius ab hiſtorico noſtro. Etymologus in Ἀρπὶς tradit ἀρπίδας eſſe calceamenti genus, & κατὰ μετάθεσιν ita dici quaſi ῥαπίδες, ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν: unde liquet Salluſtium eum fuiſſe Grammaticum Græcum.

Servii Claudii commentarium citat Gellius lib. xiii. cap. xxi.

Servilius dixit *aureus tores* pro torques, ut ex Flavio Pomponiano obſervat Chariſius lib. i. p. 118.

Servius Sulpitius, Plin. lib. xxviii. cap. ii.

Sextius diligentiſſimus medicinæ, vocatur Plinio libro xxxii. cap. iii.

Sextius videri hiſtoricus poſſit ob verba hæc Solini cap. viii: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, à Catillo Arcade, præfecto claſſis Evandri: ſicut Sextius, ab Argiva juventute.* Sed diſpiciendum, an alius ſit à *Sextio Nigro, qui Græcè de medicina ſcripſit:* ut cognoſcimus ex indice ſcriptorum externorum, è quibus librum xii. hiſtoriæ naturalis Plinius contexuit.

Sinnius Capito, Feſto in ſiniſtra cor eſt.

Statius Tullianus de vocabulis rerum lib. i. Macrobius lib. iii. Sat. cap. viii. & Servius in lib. xi. p. 416.

Suevius poëta, Macrobio ſæpius.

Sura Manlius, Plinio lib. xviii. cap. xvi. Videtur rei ruſticæ ſcriptor.

T.

L. Tarruntius Firmanus, familiaris Ciceronis, Chaldaicis artibus eruditus. Cicer. lib. ii. de divinat. Citat eum Cluverius de Italic. p. 827. Sed nihil hiſtoricum ſcripſiſſe videtur.

P. Tertius de ritu ſacrorum. Macrobius lib. iii. Saturn. cap. xi.

Tibarenis, ſeu (ut eos Strabo vocat lib. xii.) Tibarnis, mos eſt ut à parturientibus, jamque etiam partu liberatis uxoribus, viri in lecto mitrati collocentur, & ipſi vice puerperarum, foveantur, curenturque. Hac de re explicatum locum Valerii Flacci, & Apollonii, vide apud Politianum lib. i. epiſt. xvi.

C. Titius, vir ætatis Lucillianæ in oratione qua legem Fanniam ſuaſit. Macrobii verba ſunt lib. ii. Sat. cap. xii. Ex eodem Titio, *vitulari* eſſe *voce lætari* docet Macrobius lib. iii. Sat. cap. ii. Vide quid de Titio notavit Meurſius, in Macrobium.

Titius de feriis, Macrob. Sat. lib. i. cap. xvi.

Tranquillus περὶ βλασφημιῶν. Etymologus in Ἀρχέλαμπος. Ubi tamen Τρανκύλλος vocatur.

Trebatius lib. x. religionum. Macrobius lib. iii. Sat. cap. iii. Idem lib. i. relig. Macrob. lib. i. Saturnal. cap. xvi. Eoſdem libros idem & tribus aliis locis citat.

Trebatius. Arnobius lib. vii. in Trebatio docet, non dicatur in ſacris *Mactus hoc vino inferio eſto. Inferio*, inquit, *Trebatius, verbum ea cauſſa eſt additum, eaque ratione præſertim, ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur probum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis.*

Trebius Niger fuit è comitibus L. Luculli, cùm proconſul eſſet Hiſpaniæ Beticæ anno ꟾↄcıv. De animalib. ſcripſit. Plinius lib. ix. Hiſt. Nat. cap. xxv. *Trebius Niger* (echeneidem) *pedalem eſſe, & craſſitudine quinque digitorum; naves morari, præterea hanc eſſe vim ejus, aſſervati in ſale ut aurum, quod deciderit in altiſſimos puteos, admotus extrahat.* Et ejuſdem lib. cap. xxx. *Oſtendêre Lucullo caput* (polypi) *dolii amplitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipſius Trebii verbis capax) barbas, quas vix utroque brachio complecti eſſet, clavarum modò tonſas, longas pedum xxx, acetabulis ſive caliculis urnalibus pelvium modo, dentes magnitudini reſpondentes. reliquiæ adſervato miraculo pependere pondo ꟾↄcc.* Lib. x. cap. xviii. *Trebius autor eſt, clavum cuneumve adactum, quantâ libeat vi, arbori, in quâ nidum habeat picus Martius, ſtatim exilire, cum crepitu arboris, cum inſederit clavo aut cuneo.* Lib. xxxii. cap. ii. *Milvago quoties cernatur extra aquam volitans, tempeſtates mutari, Trebius Niger autor eſt.*

Turannius Graccula de Hiſpania ſcripſiſſe videtur. Plinius prologo libri iii: *Quindecim M paſſuum in longitudinem fauces Oceani patent: quinque M in latitudinem, à vico Mellaria Hiſpaniæ, ad promontorium Africæ Album, auctore Turannio Gracula juxta genito.* Idem Plinius lib. xviii. cap. vii. *In Bætica & Africa genus ex quo fiat, hordei glabrum appellat Turannius.*

V.

Valerius Pontifex. Citatur Arnobio lib. v. p. 200. cauſam rei ſacræ exponit.

Valerius Soranus. Vetus adagium eſt, P. Scipio. Ex Varrone vi de L.L.

C. Valgius medicus ad Auguſtum ſcripſit librum de herbis. Plinium adi lib. xxv. cap. ii. p. 628. verſ. i.

Velius Longus. Macrobio citatus. Ergo vetus.

Vellejus Celer grammaticus tempore Hadriani Cæſaris fuit: ut videre eſt ex extremo libro x Priſciani.

Veranius de verbis pontificalibus. Macrobius lib. ii. Saturn. cap. xvi. Idem meminit in lib. iii. Sat. cap. i. ſed libri nomine non expreſſo. Veranius in pontificalibus quæſtionibus Macrobio citatur lib. iii. Sat. cap. v.

Vera-

Veratius pontificalis eo libro quem fecit de ſupplicationibus Macrob. lib. III Sat. cap. VI.

Vica Pota, ſive deus ſive dea, nomen accepit à vincendo potiendoque. Meminere Cicero, Livius, alii, in quibus tamen hodie vulgo loci corrupti. Jure autem utrumque nomen conjungitur, quia non ſatis eſt vincere, niſi potiaris victoriâ, ac fruaris. Itidem Anna Peranna dicebant, quia non ſatis eſt annare, niſi perannes. Vide quæ ad Senecæ ἀποκολοκυνθώσει notavit Nicolaus Faber Senator.

Viſellius. Priſcianus lib. VIII. p. 793.

Umbricius Neronis ævo vixit. Plinius lib. X. cap. VI: *Umbricius, aruſpicum in noſtro ævo peritiſſimus,* (vultures) *parere ova ait tria: uno ex iis reliqua ova nidumque luſtrare, mox abjicere. Triduo autem ante, aut biduo volare eos, ubi cadavera futura ſint.*

Umbrius Primus, grammaticus memoratus Siſiptato libro II p. 171. bis.

Umbro videtur ſcripſiſſe de rebus ſacris. Macrobio citatur Saturn. lib. I cap. XVI.

Volumnius præter tragœdias Thuſcas etiam ſcripſiſſe videtur hiſtorica, in quibus de tribubus Romanis. Varro lib. IV de L. L. *Ager Romanus primùm diviſus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatienſium, Ramnium, Lucerum, nominata, ut ait Ennius: Tatienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo, Luceres, ut ait Junius, à Lucumone: ſed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Thuſcas ſcripſit, dicebat.*

# INDEX SCRIPTORUM,

*De quibus in opere hoc de Hiſtoricis Latinis tractatur.*

Numerus paginam, littera a, primam, b, ſecundam columnam indicat.


A.

ABbas Urſpergenſis, *vide* Conradus à Lichtenaw.
Abbo, 106. a
Abbo Floriacenſis, 112. a
Abgillus, *vide* Joannes Abgillus.
Ablavius, 214. b
Accas Hagulſtadenſis, 88. b
Acciolus. *vide* Donatus Acciaiolus.
Acerbus Morena, 245. b
Acilius, *vide* Aquilius Severus.
Achardus Bridlingtonenſis, 133. a
Achilius, *vide* Aquilius Severus.
Acholius, 58. b
Actæon & Cippus, 260. a
Actius, *vide* Attejus.
M. Actorius Naſo, 214. b
Adalbero (ut quidam vocant) *vide* Adelboldus.
Adalberus, 107. a
Adamannus Scotus, 86. b
Adamus Barkingenſis, 142. b
M. Adamus Bremenſis, 91. a
Adamus Carthuſianus, 161. b
Adamus Muremuthenſis, 169. a
Adelarius, 106. b
Adelbertus, *vide* Adrevaldus.
Adelboldus, 113. b
S. Adelinus, 237. b
Adelmus, *vide* Adelinus, item p. 93. b
Adelo Adelingus, 95. b
Ademarus, 243. a
Adhemarus, 93. b
Ado, 105. a
Adrevaldus, 106. b
Adrianus Butius, 176. a
Adrianus de Veteri Buſco, 177. b
Ædicellius, *vide* Servatius Ædicellus.
Ægidius Aurifaber, 175. b
Ægidius Aurifaber Bruxellenſis, 199. a
Ægidius Leodicenſis, 214. b
Ægidius Muiſius, 165. a
Ægidius de Roya, 188. b
Ægil *ſive* Aigil, 97. a
Ælius Antonius Nebriſſenſis, *vide* Antonius Nebriſſenſis.
Ælius Cordus, *vide* Junius Cordus.
Ælius Donatus, *vide* Donatus.
Ælius Maurus, 56. b
Ælius Sabinus, 58. a
Ælius Spartianus, 59. b
L. Ælius Tubero, 18. b
Æmilius Macer, 15. b. 25. b
Æmilius Parthenianus, 214. b
Æmilius Probus, *vide* Cornelius Nepos.
Aelfredus, *vide* Alfredus.
M. Æmilius Scaurus, 12. a
Æmilius Veronenſis, *vide* Paullus Æmilius Veronenſis.
Æmilius Sura, 215. a
Æneas Sylvius, 184. b
Æthicus Iſter, 215. a
L. Afranius, 259. a
Agnellus, *vide* Andreas Agnellus.
Agricola, *vide* Rudolphus Agricola.
Agrippa, *vide* Vipſanius Agrippa.
Agrippina, 41. a
Aimoinus, 98. a
Aio, 240. b
Aitonus, *vide* Haitonus.
Alamannus, *vide* Almannus.
Alanus de Lynna, 174. a
Alanus de Rupe, 176. b
Alanus Teukesburienſis Anglus, 143. a
Albericus, 120. b
Albericus Vierus, 149 a
Albertinus, *vide* Franciſcus Albertinus.
Albertinus Muſatus, 159. b. & plenius, 248. a. b
Albertus, *vide* Adelbertus.
Albertus Aquenſis, 242. a
M. Albertus Argentinenſis, 167. b
Albertus Arhemius, 175. a
Albertus Bibius, 215. b
Albertus Bohemus, 141. a
Albertus à Bonſtetten, 215. b
Albertus Canonicus, 242. a
Albertus Caſtellanus, 207. b
Albertus Hamburgenſis, *vide* Albertus Krantzius.
Albertus, comes ab Hohenberg, 165. a
Albertus Krantzius, 201. a
Albertus Monachus, 215. b
Albertus, monachus Benedictinus, *vide* Albertus Stadenſis.
Albertus, monachus Lobienſis, 111. a
Albertus, monachus Metenſis, 115. b
Albertus, monachus Patavinus, 261. b
Albertus S. Remigii, 215. b
Albertus Stadenſis, 150. b
Albigretus Cortuſius, 250. a
Albinus, *vide* Flaccus Alcuinus Albinus.
Albinus, *vide* Poſthumius Albinus.
Albricus Aquenſis, *vide* Albertus Aquenſis.
Albricus Canonicus, *vide* Albertus Canonicus.
Alcimus Avitus, 70. b
Alcuinus, *vide* Flaccus Alcuinus Albinus.
Aldarus, *vide* Joannes Aldarus.
Alexander ab Alexandro, 189. a
Alexander, abbas monaſterii Salvatoris, 120. a
Alexander Anglus, *vide* Alexander Eſſebienſis.
Alexander Atrebas, 242. b
Alexander Benedictus, 186. b
Alexander Celeſinus, 138. b
T. Alexander Corteſius, 194. b
Alexander Eſſebienſis, 155. b
Alexander de Hales, 148. a
Alexander Severus, 57. a
Alexander Somerſetenſis, vel Staſfordienſis, *vide* Alexander Eſſebienſis.
Alexander, *vide* Sulpitius Alexander.
Alexander Olibertus, 226. a
Alfredus, 124. a
Alimentus, *vide* Cincius Alimentus.
Almannus Gallus, 102. b
Almannus Rinucinus, 190. a
Aloyſius Cadamuſtus, 208. b
Alphanus Salernitanus, 119. a
Alphius Avitus, 215. b
Alphonſus Carthaginenſis, 182. a
Alphonſus à Palentia, 185. a
Alphonſus Toſtadus, 180. a
Alfredus Malmesburienſis, 112. a
Alfredus, rex Angliæ, 106. b
Alphredus Beverlacenſis, 124. a
Alphricus Grammaticus, 114. a
Alpinus, *vide* in Cornelius Alpinus.
Alredus Rhievallus, *vide* Ealredus.
Altfridus, 101. a
Alvarius Cordubenſis, 238. b
Amalricus Augerii, 165. a
Amandus, 125. b
Amatus, 119 a
B. Ambroſius, 233. b
Ambroſius Camaldulenſis, 173. a
Ambroſius Contarenus, 183. a
Ambroſius Coranus, *vide* Ambroſius Coriolanus.
Ambroſius Coriolanus, 188. b
Ambroſius Leo Nolanus, 211. a
Ambroſius Mediolanenſis, 215. b
Americus Veſputius, 208. b
Ammianus Marcellinus, 64. b
Ampius, *vide* Titus Ampius.
Amundeshamus, *vide* Joannes Amundesham.
Anaſtaſius Bibliothecarius, 101. a
Anaſtaſius Caſſinenſis, 90. b
Anaſtaſius alter, 109. b
Andreas Abbas, 200. a
Andreas Agnellus, 237. b
Andreas Aſſaracus, 210. b
Andreas Bilius, 271. b
Andreas Fulvius Prænestin, 215. a
Andreas Dandalus, 250. b
Andreas Hornus, 216. a
Andreas Dominicus Floccus, *vide* Dominicus Floccus.
Andreas Leucander, 214. b
Andreas Marchianenſis, 216. a
Andreas S. Michaëlis, 177. a. 200. a
Andreas, monachus Vallis Umbroſæ, 241. b
Andreas, presbyter Ratiſbonenſis, 171. b
Andreas Reduſius, 251. b
Andronicus, *vide* Pompilius Andronicus.
Angelus Baſſus, vulgò Politianus, 195. a
Angradus monachus, 216. a
Anianus Flander, 175. b
Anna Pferingerin, 226. a
B. Annæus Florus, 52. a
M. Annæus, *vide* Lucanus.
Annales Maximi, 1. b
Annæus Seneca, 41. b
Annibaldus Seccanus, 160. a
Annius Fœcialis, 216. a
Annius Viterbienſis, 189. b
C. Annius, 260. a
Anonymi, qui ſanctorum vitas deſcripſerunt, & apud Surium ac Moſandrum extant, referuntur pag. 257. a. b. & 258. a. b. Hic, iis prætermiſſis, indicium fiet aliorum incerti nominis, ſeu vitas, ſeu aliud, conſignarint. Et quia id ratione nominum fieri nequit, cùm ea neſciantur: ne nullus ſit ordo, qui in quærendo attendatur, literarum ſeries obſervabitur in operum nominibus, atque argumentis, quæ tractarint.
Anonimi alii tres, 226. a
*Anonymus* de quatuor *abbatum* vitis, 136. a.
ſcriptor Chronici de *Abendonenſi* monaſterio, 229. a
*Anonym.* de vita *S. Adalberti*, 112. b
Alter de eadem, *ibid.*
de ſeptem *ætatibus* mundi, 158. a
de converſione *S. Afræ*, & puellarum ejus, 259. a
de paſſione *S. Afræ*, *ibid.*
de vita *Aigulphi*, 236. a
de paſſione *S. Albani*, 259. a
de vita *S. Aleidis*, 229. a
*Alexandri Magni*, *ibid.*
*S. Amati*, 65. a. b
de conſulum *Andegavenſium* geſtis, 244 b
de vita *S. Annonis*, 119. a
*S. Anthelmi*, 136. a
*S. Antonii* Ulyſſiponenſis, 145. b


*Apol-*

*Apollonii* Tyrii, 229. a
Auctor *appendicis* de bellis ſacris, 171. b
de vita *S. Aquilini*, 86. b
hiſtoriæ *Aquitanicæ* auctor, 229. a
de vita *B. Arnulphi*, 83. b
eremita Britannus de geſtis regis *Arthuri*, 236. b
Chronici *Auguſtenſis* auctor, 229. b
Chronici *Auſtralis* ſcriptor, ex quo Matthæus Mareſchallus excerpta dedit, *ibid.*
de vita *S. Auſtrebertha*, 89. a
*S. Auſtregiſili*, 82. a
de expeditione *Barbaroſſa* in *Syriam*, 138. b
de vita *S. Bathildis*, 86. b
*Beda* continuator, 122. a
monachus Egmondanus, auctor Chronici *Belgici*, 140. a
auctor Chronici *Belgici magni*, 177. a
auctor epitomes de *bellis* ſacris, 168. a
*Anonymus* monachus S. Launomari de *S. Benedicti* tranſlatione, 240. b
auctor Chronici *S. Benigni* Diviſionenſis, 240. a
vitæ *S. Bernardini* Senenſ. 281. a
vitæ *S. Bertulphi*, 229. b
Chronici de *Brabantiæ* laudibus, 172. b
hiſtorici *breviarii*, qui temporibus vixit Sigiſmundi imperatoris, 171. b
annalium monaſterii de *Bruren*, 229. b
vitæ *Burchardi* Wormatienſis, 241. a
*Chronicorum* conditorum in monaſterio Dunelmenſi, 229. b
*Chronici*, quod Alberto Argentinenſi præmittitur, 181. a
de vita *S. Claræ*, 151. a
de capite *S. Clementis*, Conſtantinopoli Cluniacum tranſlato, 229. b
auctor *Cluniacenſis* Chronici, 241. b
*Collectaneorum* Chronicorum, 237. b
*continuator* Chronici Florentii Wigornienſis, 133. a
de vita *S. Cuneræ*, 201. a
auctor annalium *Dominicanorum Colmarienſium*, 152. a
de vita *S. Domnoli*, 82. b
*S. Ebrulphii*, 83. a
*S. Eparchii*, *ibid.*
de tranſlatione *Epiphanii* Ticinenſis, 110. a
de vita *S. Ermenoldi*, 153. b
*S. Eugendi*, 82. b
de actis *Felicis*, & aliorum, 232. b
*Anonymus* de geſtis *Flandrorum*, 176. a
auctor Chronici *Foſſæ-Novæ*, 245. a
annalium *Francicorum* conditor, 104. a
alter de eodem argumento, 229. b
item alius de eodem, *ibid.*
præterea quartus, 230. a
item quinctus, 247. b
auctor epitomes de geſtis regum *Francorum*, 230. a
auctor Italus de geſtis *Francorum*, & aliorum Hieroſolymitanorum, 242. a
auctor de geſtis *Francorum* Hieruſalem oppugnantium, 243. a
de vita *B. Vulgentii*, 76. b
*S. Furſei*, 230. a
*S. Gerlaci*, 145. b
*S. Germani*, 94. b
*S. Gertrudis*, 236. a
*S. Gerwini*, 126. a
de *geſtis* ſui temporis, 242. b
alter de eodem argumento, 253. a
de vita *B. Gilberti*, ſeu *Gisberti*, 139. a
*B. Godebertha*, 151. b
*B. Godefridi*, 128. a
auctor libri XI *Gregorio Turonenſi* additi, 91. a
de vita *S. Gudwali*, 119. b
*Guidonis abbatis*, 117. a
*B. Guilhelmi*, abbatis Ciſtercienſis, 129. a
*Guilhelmi* conquæſtoris, 230. a
*Guntheri*, & aliorum, 241. b
Henrici *quarti*, 124. a
*Anonymus* auctor trium librorum de bellis *Henrici* quarti contra Saxones, 121. b
de vita *Henrici* quincti, Angliæ regis, 196. b
Ochſenhuſanus monachus de vita *Henrici* à Zuifaltach, 230. b
de vita *B. Hermanni*, 145. a
auctor *Hieroſolymitani* Chronici, 126. a
Hiſtoriæ *Hieroſolymitanæ*, 245. b
de vita *S. Huberti*, 88. a
de tranſlatione ejuſdem, *ibid.*
de vita *S. Hugonis*, 138. b
*S. Hugonis*, abbatis S. Martii Eduenſis, 239. b
*S. Hunegundis*, 110. b
de rebus *Inſubrium*, & Euganeorum, *vide* Paduanus monachus,
auctor hiſtoriæ de *Inventione* Diodori, Mariani, & aliorum, 106. a
de vita *Joannis Bridlingtoni*, Angli, 169. a
auctor *Itinerarii* à Burdigala Hieruſalem uſque, 233. b
ſcriptor de genealogia *Karoli Magni*, 239. a
de geſtis *Karoli Magni*, 99. b
alter de eodem argumento, 106. a
poëta Paderbornenſis de eodem, 239. a
de vita *S. Lamberti*, 236. b
*B. Landelini*, 230. a
S. *Launomari*, 77. b
auctor Chronici *Lauriſhamenſis*, 197. b
*Lemovicenſis*, 247. a
*Anonymus* de vita *Liborii*, 108. a
de vita *S. Ludgeri*, 130. a
*Ludovici Pii*, 97. a
*Ludovici Octavi*, Galliarum regis, 230. a
*S. Macarii*, 119. b
*S. Majoli*, 230. a
de geſtis abbatum *Majoris-monaſterii*, 255. a
auctor chronici *Manniæ*, 230. a
auctor actorum *S. Mariani*, & Jacobi diaconi, 233. a
de vita *S. Martini*, 85. b
auctor qui vertit hiſtoriam *Matthæi* Apoſtoli, 230. a
de vita *S. Maximiliani*, Laureacenſis epiſcopi, *ibid.*
*S. Meinwerci*, *ibid.*
auctor Chronici *Montis-Sereni*, 230. b
de vita *Morandi confeſſoris*, 230. b
*S. Norberti*, 229. a
auctor Chronici *Patriarchalis*, 180. b
auctor Chronici *S. Petri* Vivi Senonenſis, 172. a
minorita Gandenſis de bello inter *Philippum Pulchrum*, Galliæ regem, & Guidonem à Dominico Petri, comitem Flandriæ, 248. a
de *recuperatione* terræ ſanctæ, 248. a
de miraculis *S. Remacli*, 105. b
de vita *Remberti*, 106. a
auctor compendii de *Remenſis* Eccleſiæ præſulibus, ex Flodoardo excerpti, 119. b
de geſtis *Richardi* I. Angliæ regis, 230. b
*Anonymus* de vita *Roberti Friſii*, Flandriæ comitis, 241. b
de vita *S. Rudberti*, Salisburgenſis epiſcopi, 230. b
auctor Chronici *Salisburgenſis*, 177. a
alter de epiſcopis *Salisburg.* 137. b
auctor hiſtoriæ *Scholaſticæ* Novi Teſtamenti cum additionibus, 230. b
auctor Chronici de geſtis *Simonis* comitis, *ibid.*
de vita *S. Siviardi*, 86. b
auctor *Speculi exemplorum*, 200. a
auctor Chronici *Suarzachenſis*, 230. b
de vita *B. Theobaldi*, 118. b
de vita *Theodomari*, *vide* Anonymum de vita Thietmonis.
de vita *Thietmonis*, 243. b
de geſtis *Trevirorum*, 244. b
de ritibus, & moribus *Turcorum*, 175. b
monachus S. Iuliani, qui *Turonenſe* Chronicon compoſuit, 246. a
de tranſlatione *S. Valentini*, 126. a
auctor Chronici *S. Udalrici*, & Afræ monaſterii, 230. b
de vita *S. Udalrici*, 240. a
auctor *Viola Sanctorum*, 230. b
de tranſlatione *S. Viti*, 99. b
de vita *S. Walerici*, 86. a
*S. Wandregiſili*, 89. a
Weingartenſis monachus, auctor Chronici *de Welphis*, 140. a
de vita *Wilhelmi Roſchildenſis*, 143. b
*S. Wilibaldi*, 237. a
Anonimus, interpres Nicodemi, magiſtri in Iſraël, 260. a
Anſelmus Avelbergenſis, 130. a
Anſelmus Gemblacenſis, 244. b
Anſelmus Legienſis, 117. b
Anſelmus, monachus Franciſcanus, 201. b
Anſelmus Rhemenſis, 117. b
Anſer, 27. b
Anſo Belga, 91. a
Anterus Papa, 57. b
Antipater, *vide* Cælius Antipater.
Antipater, *vide* Gallus Antipater.
Antiſtius Labeo, 260. a
Antonius, 30. b. 31. a
Antoninus Auguſtus, 216. a
Antoninus Florentinus, 182. b
Antonius, 74. a
Antonius Bonfinius, 204. b
Antonius Campanus, *vide* Ioannes Antonius Campanus.
Antonius Cartularius, 251. b
Antonius Cornaſanus, 194. b
Antonius Flaminius, *vide* Ioannes Antonius Flaminius.
Antonius Galateus, 192. a
Antonius Geraldinus, 190. b
Antonius de Godis, 159. b
Antonius Iulianus, 216. a
Antonius Majus, 211. a
Antonius Michaël, *vide* Marcus Antonius Michaël.
Antonius Nebriſſenſis, 204. a
Antonius Pacinus, 216. a
Antonius Panormita, 215. a
Antonius Sabellicus, *vide* Marcus Antonius Sabellicus.
Antonius Tudertinus, 216. a
Antonius Bindinellus, Lucenſis, 226. a
Antonius Gnipho, 260. a
Antonius Caſtor, *ibid.*
Apollinaris, *vide* Aurelius Apollinaris.
Apollonius Collatius, *vide* Petrus Apollonius Collatius.
Appulejus Madaurenſis, 232. a
Aquilius Severus, 64. a
Aquinius Juger, 256. a
Archangelus Neapolitanus, 216. a
Architræus, *vide* Joannes Architræus.
Arenpeckius, *vide* Vitus Arenpeckius.
Aretinus, *vide* Carolus Aretinus.
Aretinus, *vide* Ioannes Aretinus.
Aretinus, *vide* Leonardus Aretinus.
Aretinus Tortellius, *vide* Ioannes Aretinus Tortellius.
Argentræus, 226. a
Aribo Friſingenſis, 90. b
Arlotus de Raynone, 216. a
Arlunus Bernardinus, 216. b
Arno Salisburgenſis, 237. a
Arnoldus, abbas Bonævallis, 136. b
Arnoldus Boſtius, 199. a
Arnoldus de Buſco, 177. a
Arnoldus comes, 240. b
Arnoldus Hildesheimenſis, 140. b
Arnoldus Kivet, *vide* Albertus Arhemius.
Arnoldus Lubecenſis, *vide* Arnoldus Hildeshemenſis.
Arnoldus Saxo, 115. a
Arnulphus, 121. b
Artorius, 260. a
Aruntius, 29. a
Aruntius Celſus, 260. a
Arvodulphus, 135. b
Aſaphus Venedota, 82. b
Aſclepiodotus, 59. b
Aſconius Pedianus, 45. b
Aſear, 226. a
Aſellio, *vide* Sempronius Aſellio.
C. Aſinius Pollio, 26. a
Asketelius, *vide* Wilhelmus Asketle.



Digitized by Google

Aſper, 260. b
Aſprianus, *vide* Fulvius Aſprianus.
Aſſaracus, *vide* Andreas Aſſaracus.
Aſſerius, *vide* Ioannes Aſſer.
Aſſon, 226. a
Aſtyanax, *vide* Mæonius Aſtyanax.
Atavantius Florentinus, *vide* Paulus Atavantius Florentinus.
Aterianus, *vide* Iulius Aterianus.
Atheſtinus, *vide* Hieronymus Atheſtinus.
Attejus Capito, 34. b
Attejus Philologus, 27. a
Atticus, *vide* Pomponius Atticus.
L. Attius, 10. a
Avalonius, *vide* Elvanus Avalonius.
Avalonius, *vide* Melkinus Avalonius.
Auctus Florentinus, 128. b
Audoënus, 85. a
Aventinus, *vide* Ioannes Aventinus.
Aufidius Baſſus, 36. b
Aufidius Modeſtus, 37. a
S. Auguſtinus, 86. b
Auguſtinus Dathus, 253. a
Auguſtinus Egæus, 256. a
Auguſtinus Eucadius, 216. b
Auguſtinus Iuſtinianus, 211. b
Auguſtinus Patritius, 187. b
Auguſtinus Ticinenſis, 207. a
Auguſtus Cæſar, 18. a
Avienus, 65. a
Avitus presbyter, 70. b
Avitus, *vide* Alcimus Avitus.
Avitus, *vide* Alſius Avitus.
Aumonius, 112. b
Aurelianus Clericus, 106. b
Aurelianus Feſtivus, 59. a
Aurelius Apollinaris, 59. b
Aurelius Brandolinus, 190. a
Aurelius Philippus, 57. a
Aurelius Verus, 216. b
Aurelius Victor, 61. b
duo alii ejuſce nominis, 63. a. 70. b
Aurelius, 260. a
Aurelius Opilius, *ibid.*
Aurelius Cæſar, 260. b
Autbertus, 91. a
Autmarus, *vide* Adhemarus.
Aymarus Rivallius, 112. b

B.

BAconus, *vide* Robertus Bakonus.
Baconus, *vide* Rogerus Baconus.
Balæi duo, *vide* Robertus Balæus junior, & ſenior.
C. Balbillus, 42. b
Balbus, *vide* Hieronymus Balbus.
Baldericus, 122. b
Baldricus Archiepiſcopus Aurelianenſis, ſive Dolenſis, 242. a
Balduinus Ninivenſis, 154. b
Balduinus Parochus, 171. b
Bandellus, *vide* Matthæus Bandellus.
Bandoninia, 80. b
Baptiſta Egnatius, 210. b
Baptiſta Ferrarienſis, 204. a
Baptiſta Fulgoſus, 190. b
Baptiſta Mantuanus, 206. b
Baptiſta Platina, *vide* Platina.
Baptiſta Spagnolus Mantuanus, *vide* Baptiſta Mantuanus.
Baptiſta Paliarinus, 226. b
Barinus Becichemus, *vide* Marinus Barletius.
Barletius, *vide* Marinus Barletius.
Barnabas Celſanus, 216. b
Bartholinus Perufinus, *vide* Richardus Bartholinus Perufinus.
Bartholomæus Blanchinus, 209. b
Bartholomæus Brixianus, 146. b
Bartholomæus Facius, 173. a
Bartholomæus Fontius, 204. b
Bartholomæus Gaetanus, 250. a
Bartholomæus Glanvyle, 166. a
Bartholomæus Neocaſtrenſis, 216. b
Bartholomæus de Oſa, 160. b
Bartholomæus Platina, *vide* Platina.
Bartholomæus Scala, 191. b
Bartholomæus Tridentinus, 256. b
Bartholomæus Veronenſis, 181. a
Bartholomæus Vicentinus, 246. a
Bartholomæus Zuchatus, 254. b
Bartolus, *vide* Franciſcus Bartolus.
Baſilius, *vide* Ioannes Baſilius.
Baſinus, *vide* Thomas Baſinus.
Baſſus Aufidius, 36. b
Baſſus, *vide* Cæſius Baſſus.
Baſſus, *vide* Gabius Baſſus.
Baſſus, *vide* Iulius Baſſus.
Baudemundus, 86. a
Beatus Rhenanus, 202. b
Bebelius, *vide* Henricus Bebelius.
Bebenbergius, *vide* Rudolphus Bebenbergius.
Becanus, 226. b
Beda, 88. a
Beiſſelius, *vide* Iudocus Beiſſelius.
Beka, *vide* Ioannes de Beka.
Belchamus, *vide* Feus Belchamus.
Bencius Longobardus, 226. b
Benedictus de Accoltis, 180. b
Benedictus Burdonius, 213. a
Benedictus Morandus, 180. b
Benedictus Petroburgenſis, 133. b
Benedictus, *vide* Zacharias Benedictus.
Benevenutus de Campeſanis, 249. b
Benevenutus de Rambaldis, 167. b
Benno, 120. b
Bercharius, 217. a
Bergomas, *vide* Iacobus Philippus Bergomas.
Bernardinus de Beſſa, 246. a. 247. a
Bernardinus Corius, 192. a
Bernardinus Falconius, 226. b
Bernardus abbas, 217. a
Bernardus de Beſſa, *vide* Bernardinus de Beſſa.
Bernardus à Breitenbach, 177. b
Bernardus de Caſtris, 158. b
Bernardus abbas Clarævallenſis, 128. b
Bernardus Compoſtellanus, 244. b
Bernardus Guidonis, 156. b
Bernardus Iuſtinianus, 188. a
Bernardus Noricus, 217. a
Bernardus Rucellarius, 205. b
Bernardus Sapiens, 217. a
Bernardus Vapovius, 226. b
Bernicius, *vide* Ethelwolphus Bernicius.
Berno Augienſis, 116. a
Bertholdus Conſtantienſis, 123. a. b
Berthorius, *vide* Petrus Berthorius.
Bertrada, 215. a
Bertwaldus, *vide* Britwaldus Glaſconius.
Beſtonus, *vide* Robertus Beſtonus.
Beulanus presbyter, 82. b
Beulanus junior, *vide* Samuel Beulanus.
Bibius, *vide* Albertus Bibius.
Bibulus, 27. b
Biclarienſis, *vide* Ioannes Biclarienſis.
Bilius, *vide* Andreas Bilius.
Bilius Armoricanus, 227. a
Blanchinus, *vide* Bartholomæus Blanchinus.
Blaſius Menaleſius, 145. a
Blaunpainus, *vide* Michaël Blaunpainus.
Blondus, *vide* Flavius Blondus.
Bocacius, *vide* Ioannes Bocacius.
Bocchus, *vide* Cornelius Bocchus.
Bockyngham, *vide* Radulphus Bockyngham.
Boethius, *vide* Hector Boethius.
S. Bonaventura, 153. a. 246. a
Bonetus, *vide* Paulus Bonetus.
Bonfinius, *vide* Antonius Bonfinius.
S. Bonifacius, 89. b
Bonifacius Simoneta, 194. b
Bonno, 106. b
Bonus, *vide* Ioannes Bonus.
Borchardus, *vide* Brocardus.
Boſſius, *vide* Donatus Boſſius.
Boſſutus, *vide* Goſwinus Boſſutus.
Boſtius, *vide* Arnoldus Boſtius.
Boſtonus Burienſis, 170. a
Botonerus, *vide* Guilhelmus Botonerus.
Bracciolinus, *vide* Iacobus Bracciolinus.
Bracellius, *vide* Iacobus Bracellius.
Bradsha, *vide* Henricus Bradsha.
Brando Ioannes, monachus Dunenſis, 171. b
Brandolinus, *vide* Aurelius Brandolinus.
Braulio, 84. b
Bravonius, *vide* Florentius Bravonius.
Bravonius, *vide* Senatus Bravonius.
Britwaldus Glaſconius, 236. b
Brocardus, *vide* Burchardus.
Bromptonus, *vide* Ioannes Bromptonus.
Brugmannus, *vide* Ioannes Brugmannus.
S. Bruno, 243. a
Bruno Colonienſis, 109. a
Bruno alter, 121. b
Brutidius, 40. a
Brutius, 217. a
M. Brutus, 9. b. 22. b
Bungejus, *vide* Nicolaus Bungei.
Burchardus Argentoratenſis, 154. a
Burchardus Dorceſtrius, 103. b
Burchardus Notarius, 137. a
Burdonius, *vide* Benedictus Burdonius.
Burellus, *vide* Laurentius Burellus.
Burley, *vide* Gualterus Burley.
Buſco, *vide* Arnoldus Buſco.

C.

CAdamuſtus, *vide* Almannus Cadamuſtus.
Cadlucus, *vide* Vincentius Cadlucus.
Cæleſtinus, 58. b
Cælitius, 260. b
L. Cælius Antipater, 10. b
Cæſar, *vide* Iulius Cæſar.
Cæſarius Heiſterbacenſis, 144. a
Cæſarius, *vide* Innocentius Cæſarius.
Cæſius Baſſus, 37. a
Cæſius, 260. b
Cajus Oppius, 22. a
Calenius, *vide* Gualterus Calenius.
Callimachus Experiens, *vide* Philippus Callimachus Experiens.
Calliſtus II, 126. a
Calo, *vide* Petrus Calo.
Calpurnius Sura, *vide* Palphurius Sura.
Calvinus, *vide* Egnatius Calvinus.
Campanus, *vide* Ioannes Antonius Campanus.
Candidus, 98. a
Candidus December, *vide* Petrus Candidus December.
Candidus, *vide* Hugo Candidus.
Canutius, 260. b
Capella, *vide* Martianus Capella.
Capito, *vide* Attejus Capito.
Capito, *vide* Titinius Capito.
Capitolinus, *vide* Cornelius Capitolinus.
Capitolinus, *vide* Iulius Capitolinus.
Cappidus Staurienſis, 14. a
Capreolus, *vide* Helias Capreolus.
Caradocus Lancarvanenſis, 131. a
Carminius, 217. a
Carolus Aretinus, 179. b
Carolus Verardus, 192. a
Carſulanus, *vide* Martinus Carſulanus.
Cartularius, *vide* Antonius Cartularius.
I. Caſſianus, 72. b
Caſſiodorus, 76. a
L. Caſſius Hemina, 9. a
T. Caſſius Severus, 35. a
Caſſius Parmenſis, 260. b
Caſtellanus Baſſianenſis, 250. a
Caſtellio, *vide* Philippus Gualterus Caſtellio.
Caſtilionius, *vide* Franciſcus Caſtilionius.
Caſtorius, *vide* Ioannes Caſtorius.
Catanæus, *vide* Ioannes Maria Catanæus.
Cato Cenſorius, 7. a
Catulus, *vide* Lutatius Catulus.
Caxtonus, *vide* Guilhelmus Caxtonus.
Ceccanus, *vide* Annibaldus Ceccanus.
Cejonius Iulianus, 62. b
Celeſinus, *vide* Alexander Celeſinus.
Celſus, *vide* Iulius Celſus.
Celſus Maphæus, 193. a
Celtes, *vide* Conradus Celtes.
Cenſorinus, 57. b
Cenſorius, *vide* Cato Cenſorius.
Cepio, 260. b
Cepio Dalmata, *vide* Coriolanus Cepio Dalmata.
Ceretus, *vide* Daniel Ceretus.
Cerilianus, *vide* Fabius Cerilianus.
Chartuitius, 120. b
Chaundelerus, *vide* Ioannes Chaundeler.
Chriſtianus Moguntinus, 137. a
Chriſtophorus de Bondelmontibus, 251. b

Chri-

Chriſtophorus Perſons', 188. a
Cicardus Abbas, 217. a
Cicero, 17. a
Ciceſtrius, *vide* Radulphus Bockynghe.
Ciceſtrius, *vide* Richardus Ciceſtrius.
Cilnius Mæcenas, 34. a
Cimbertus, *vide* Kimbertus.
L. Cincius Alimentus, 6. a
Clanarius, 260. b
Clarentius, *vide* Osbertus Clarentius.
Claudius Cæſar, 41. a
Claudius Euſthenius, 59. b
Claudius Pollio, 232. a
Claudius Numatianus, *vide* Rutilius Claudius Numatianus.
Q. Claudius Quadrigarius, 14. b
Clemens, *vide* Corvinus Clemens.
Clodius Licinius, 12. a
Cloſnerus, *vide* Fredericus Cloſnerus.
Cluvius Rufus, 46. b
Cneus Gellius, 11. b
Cneus Vellejus, *vide* Cneus Gellius.
M. Cœlius, 260. b
Cœlius Rhodiginus, *vide* Ludovicus Cœlius Rhodiginus.
Cœnobitæ Medeloceníes, 112. b
Cogitoſus, 217. a
Collenutius, *vide* Pandulphus Collenutius.
Colmannus Sapiens, 142. a
Comeſtor, *vide* Petrus Comeſtor.
Comminæus, *vide* Philippus Comminæus.
Compoſtellanus, *vide* Bernardus Compoſtellanus.
Conganus abbas, 131. b
Congelshoſius, *vide* Iacobus Congelshoſius.
Conradus abbas, 108. b
Conradus Alpendorp, 168. b
Conradus, Bruwilerenſis monachus, 119. b
Conradus Celtes Protucius, 199. a
Conradus Engelhus, 256. a
Conradus epiſcopus, 150. b
Conradus Germanus, vitæ Dominici ſcriptor, 156. a
Conradus Halberſtatenſis, 250. b
Conradus Lauterbergius, *vide* Conradus, Sereni montis presbyter.
Conradus à Lichtenaw, 144. b
Conradus à Martburg, 145. b
Conradus Molitor, 178. a
Conradus monachus, *vide* Conradus Bruwilerenſis.
Conradus à Mure, 153. b
Conradus Peutingerus, 202. b
Conradus Philoſophus, 143. a. 144. a
Conradus Scheurnenſis, *vide* Conradus Philoſophus.
Conradus, Sereni montis presbyter, 217. b
Conradus S. Udalrici, 160. b
Conradus Vecerius, 202. a
Conradus Vellingus, 157. b. 177. b
Conſtantinus Urbevetanus, 150. a
Conſtantius, 71. b
Contarenus, *vide* Ambroſius Contarenus.
Contarenus, *vide* Franciſcus Contarenus.
Corbulo, *vide* Domitius Corbulo.
Cordus, *vide* Cremutius Cordus.
Cordus, *vide* Iunius Cordus.
Coriolanus, *vide* Ambroſius Coriolanus.
Coriolanus Cepio Dalmata, 177. a
Corippus Africanus, 235. a
Coriſinus, *vide* Petrus Coriſinus.
Corius, *vide* Bernardinus Corius.
Cornazanus, *vide* Antonius Cornazanus.
Cornelius Alpinus, 27. b
Cornelius Aurelius, 255. b
Cornelius Bocchus, 217. b
Cornelius Capitolinus, 59. a
Cornelius Hibernus, 148. a
Cornelius Nepos, 22. a
Cornelius Severus, 34. b
L. Cornelius Sylla, 13. a
C. Cornelius Tacitus, 51. a
Cornelius Thuſcus, 40. b
Cornelius Valerianus, 217. b
Cornelius Alphenus, 260. b
Cornelius Balbus, 260. b
Cornificius, 260. b
Cornutus, 43. b
Cortuſius, *vide* Albigretus Cortuſius.
Cortuſius, *vide* Guilhelmus Cortuſius.
Corvinus Clemens, 232. b
Coruncanus, 260. b
Coſconius, 217. b
Coſmas Laurus, 254. a
Coventrius, *vide* Guilhelmus Coventrius.
Craſtonius, 217. a
Cremutius Cordus, 36. a
Creſconius, 236. a
Cribrellus, *vide* Leodriſius Cribrellus.
Crinitus, *vide* Petrus Crinitus.
Criſpus Salluſtius, 24. a
Cuigo, *vide* Guigo.
Cumbertus, *vide* Kimbertus.
Curius Fortunatianus, 58. a
Curtius Rufus, 47. a
Cuſpinianus, *vide* Ioannes Cuſpinianus.
Cuthbertus, 90. b
Cyprianus, 77. b
Cyriacus Anconitanus, 253. b
Cyrillus, *vide* Statius Cyrillus.
Cyrillus, 218. a
Cyrinus, 217. b

D.

DAmaſus, 64. a
Dandalus, *vide* Andreas Dandalus.
Dagelius, 59. a
Dando, *vide* Thomas Dando.
Daniel Ceretus, 254. a
Daniel Chinacius, 251. a
Daniel Wentanus, 89. a
Dares Phrygius, 218. a
Darius Tibertus, 204. a
Dathus, *vide* Auguſtinus Dathus.
Dathus, *vide* Nicolaus Dathus.
Datius Mediolanenſis, 75. b
David Morganius, 197. b
David Schotus, 124. b
December, *vide* Petrus Candidus December.
Decimus Laberius, 259. a
Deirus, *vide* Humbertus Deirus.
Deſiderius Spretus, 210. b
Deſiderius Eraſmus Roterodamus, 261. a
Devonius, *vide* Ioſephus Devonius.
Devonius, *vide* Willibaldus Devonius.
Dexter, 65. b
Dictys Cretenſis, *vide* Septimius Romanus.
Diedus, *vide* Franciſcus Diedus.
Diemo, 129. a
Dietmarus Helmovardienſis, 124. b
Dietmarus Meursburgenſis, 240. b
Dinamius, 75. a
Dionyſius, 58. b
Dionyſius abbas, 76. b
Dionyſius Caſſinenſis, 218. a
Docreus, *vide* Ioannes Docreus.
Dodechinus, 139. b
Dominicus Floccus, 32. b. 180. b
Dominicus Spazzarinus, *vide* Ioannes Dominicus Spazzarinus.
Domitius, 218. a
Domitius Corbulo, 42. a
Domnizo, 242. b
Donatus, 233. a
Donatus Acciajolus, 194. a
Donatus Boſſius, 193. a
Donatus, diaconus, 227. a
Dorlandus, *vide* Petrus Dorlandus.
Douglas, *vide* Gavinus Douglas.
Drogo Flander, 118. a
Druſo, 34. b
C. Druſus, 218. a
Dudo Neuſtrius, 212. b
Dugloſſus, *vide* Ioannes Dugloſſus.

E.

EAdmerus Britannus, 126. b
Eadmundus Gryme, 233. b
Ealredus, *vide* Ethelredus.
Ebbo, 129. b
Eberardus, 115. b
Eberardus Altahenſis, 157. b
Ecclestonus, *vide* Thomas Ecclestonus.
Echebertus, *vide* Egbertus.
Eckardus, 128. b
Eckerhardus, 144. a
Edinerus, 126. b
Eduardus Cantuarienſis, 133. b
Egbertus, 135. a
Egilwardus, 157. a
Eginhardus, 96. a
Egnatius, *vide* Baptiſta Egnatius.
M. Egnatius Calvinus, 218. a
Cn. Egnatius Verinus, *ibid.*
Eguinus, 87. a
Einardus, *vide* Eginhardus.
Eitelwolphus, *vide* Ethelwolphus.
Elboldus, 83. b
Elerius Cambrius, 85. b
Elfwardus, 123. a
Elias, *vide* Helias.
Eligius Houcarius, 201. b
Elimandus, 138. b
S. Eliſabeth Schonaugienſis, 130. a
Elphinſtonus, *vide* Guilhelmus Elphinſton.
Elvanus Avalonius, 54. b
Elvodugus Probus, 82. b
Emericus, 103. b
Emundus, 126. b
Emundus de Dynter, 172. a. b
Encolpius, 57. a
Engelbertus, abbas Admontenſis, 156. b
Engelbertus Ciſtercienſis, 150. a
Engelhardus, 140. a
Enguerranus de Monſtrelet, 227. a
Ennius, 2. b
Ennodius, 75. a
Epicadus, Syllæ libertus, 13. a
C. Epidius, 218. a
Epiphanius Scholaſticus, 75. b
Eraſmus Stella Libanothanus, 202. a
Eraſmus Vitellius, 200. b
Erchempertus monachus, 256. a
Eremita Britannus, *vide* Anonymus Eremita.
Erempertus, 239. a
Ericus, *vide* Hericus.
Ermanricus, *vide* Ermenoldus.
Ermenoldus, 238. a
Ernaldus, *vide* Arnoldus.
Ethelredus, 131. b
Ethelwerdus, *vide* Elfwardus.
Ethelwolphus Bernicius, 90. b
Ethelwolphus de Lapide, 252. b
Ethelwolphus Wentanus, 112. a
Evagrius, 64. b
Eucadius, *vide* Auguſtinus Eucadius.
Eucherii duo Lugdunenſes, 72. b
Everhelmus, 116. b
Everiſdenus, *vide* Ioannes Everiſdenus.
Everwinus, 116. b
Eugippius, 75. b
Eulogius, 88. a
Eulogius Cordubenſis, 238. a
Eulogius, *vide* Vitellius Eulogius.
Euodius Uzalenſis, 70. b
Euſtaſius, 84. a
Euſthenius, *vide* Claudius Euſthenius.
Euſtochius, 218. b
Eutrandus, *vide* Luitprandus.
Eutropius, 63. a
Eutychius Proculus Siccenſis, 232. b

F.

FAbius, 261. a
Fabius Cerilianus, 59. b
Fabius Marcellinus, 218. b
Fabius Maximus Servilianus, 5. a. 9. b
Fabius Pictor, 4. b
Fabius Ruſticus, 41. b
Fabius Servilianus, *vide* Fabius Maximus Servilianus.
Fabius, *vide* Servius Fabius.
Fabius Soſianus, 62. b
Fabricius Thuſcus, 125. a
Facius, *vide* Bartholomæus Facius.
Facius Ubertus, *vide* Fatius de Ubertis.
Falcandus, *vide* Hugo Falcandus.
Falcuinus, 218. b
C. Fannii duo, 9. b
C. Fannius alter, 52. a
Farſitus, *vide* Hugo Farſitus.
Fatius de Ubertis, 164. b
Favonius, 261. a
Fauſtus, 74. b



Digitized by Google

Fauſtus alter, 218.b
Fauſtus Caſſinenſis, 83.a
Felinus Sanderus, 205.a
Felix Croylandienſis, 89.a
Felix Fabri, 177.b
Felix Manilius, 202.a
Felix Petantius, 188.b
Feneſtella, 32.b
Ferius Hilpericus, 94.b
Ferrandus, *vide* Petrus Ferrandus.
Ferrettus Vicentinus, 249.a
Feſtivus, *vide* Aurelianus Feſtivus.
Feſtus, *vide* Peſcennius Feſtus.
Feus Belchamus, 187.b
Figulus, *vide* Nigidius Figulus.
Firmianus, *vide* Lactantius Firmianus.
Flaccus Alcuinus Albinus, 92.a
Flaccus, *vide* Verrius Flaccus.
Flaminius, *vide* Joannes Antonius Flaminius.
Flaminius, *vide* Sebaſtianus Flaminius.
Flamma, *vide* Galvanus Flamma.
Flavaldus, *vide* Flodoardus.
Flavianus, 218.b
Flavianus, *vide* Vibius Nicomachus Flavianus.
Flavius, Grammaticus, 261.a
Flavius Blondus, 182.a
Flavius Vopiſcus, 62.a
Fletus, *vide* Joannes Fletus.
Floaldus, *vide* Flodoardus.
Floccus, *vide* Dominicus Floccus.
Flodoardus, 110.a
Flonocherus, *vide* Guido Flonocherus.
Florentius, 218.b
Florentius Bravonius, *ſeu* Wigornienſis, 125.b
Florus, *vide* Annæus Florus.
Florus, 101.b
Focas, 256.a
Folchardus Beneventanus, 244.b
Folchardus Bertinienſis, 118.b
Folchardus Dorobernenſis, 119.a.b
Foliothus, *vide* Gilbertus Folioth.
Foliothus, *vide* Robertus Folioth.
Folkerus Simonis, 199.a
Folquinus, *vide* Fulquinus.
Fornerius, *vide* Jacobus Fornerius.
Fortena, *vide* Hanco Fortena.
Fortena, *vide* Sulco Fortena.
Fortunatianus, *vide* Curius Fortunatianus.
Fortunatus, *vide* Venantius Fortunatus.
Franciſcus Albertinus, 208.b
Franciſcus Caſtilionius, 185.a
Franciſcus Contarenus, 181.a
Franciſcus Delbenius, 209.b
Franciſcus Diedus, 187.a
Franciſcus Ferrarienſis, 210.a
Franciſcus Irenicus, 201.a
Franciſcus Patavinus, 190.a
Franciſcus Petrarcha, 163.b
Franciſcus Philelphus, 183.b
Franciſcus Picus, *vide* Joannes Franciſcus Picus.
Franciſcus Polyardus, 255.b
Franciſcus Puteanus, 210.a
Franciſcus Bartolus Aſſiſias, 217.a
Freculphus, 96.b
Fredegarius Scholaſticus, 236.b
Fredericus Cloſnerus, 165.a
Fretellus, 218.b
Fretulphus, *ibid.*
Fridegodus Diaconus, 109.b
Frigeridus, *vide* Renatus Profuturus Frigeridus.
Fritona, *vide* Theodatus Fritona.
Frontinus, *vide* Julius Frontinus.
Froſſardus, *vide* Joannes Froſſardus.
Fulbertus, Carnotenſis epiſcopus, 115.b
Fulbertus Gallus, *vide* Fulbertus Gemeticenſis.
Fulbertus Gemeticenſis, 218.b
Fulbertus Peccator, *vide* Fulbertus Gemeticenſis.
Fulcherius Carnotenſis, 243.b
Fulgoſus, *vide* Baptiſta Fulgoſus.
Fulquinus, 238.b
Fulvius Aſprianus, 59.b
M. Fulvius Nobilior, 8.a
Fulvius Prœneſtinus, *vide* Andreas Fulvius Prœneſtinus.
Fulvius Nobilior, 261.a
Furius, 20.a
Fuſcus, *vide* Gellius Fuſcus.
Fuſcus, *vide* Palladius Niger.

G.

Gabius Baſſus, 37.a
Gadullius, Gaditanus, 261.a
Gætulicus, *vide* Lentulus Gætulicus.
Gaguinus, *vide* Rupertus Gaguinus.
Galateus, *vide* Antonius Galateus.
Galeacius Capella, 227.a
Galba, *vide* Sulpitius Galba.
Galbertus Brugenſis, 244.a
Galeotus Martius, qui & Narnienſis, 204.b
Galfridus, abbas Altæ-tumbæ, 167.a
Galfridus de Bello-loco, 145.a
Galfridus Burtonenſis, 246.a
Galfridus de Fontibus, 219.a
Galfridus Hardeby, 166.a
Galfridus Lynge, 169.a
Galfridus monachus, 123.a
Galfridus monachus alter, 242.a
Galfridus Monemutenſis, 132.a
Gallus, 87.a
Gallus Antipater, 59.a
Galterus, *vide* Gualterus.
Galvanus Flamma, 160.b
Galvinus Duglaſſius, *vide* Gavinus Douglas.
Gargilius Martialis, 57.a
Fr. Garinus, 160.b
Garnengius, *vide* Petrus Garnengius.
Garſo, *vide* Joannes Garſo.
Gaſcoinus, *vide* Ioannes Gaſcoinus.
Gaudentius Brixienſis, 234.a
Gaufridus, *vide* Galfridus.
Gavinus Douglas, 213.a
Gaulterius Cancellarius, 243.b
Gebhardus, 240.b
Gelaſius II, 126.a
Gellius, *vide* Sextus & Cneus Gell.
Gellius Fuſcus, 59.a
Geminus vel Geminius, 261.a
Gennadius, 75.a
Geofridus, *vide* Godefridus.
Georgius Germanus, 219.a
Georgius Hugo, 177.a
Georgius, *vide* Marius Georgius.
Georgius Mediolanenſis, *vide* Georgius Ravennatinus.
Georgius Merula, 187.a
Georgius Ravennatinus, 255.a
Georgius Riplay, 198.a
Georgius à Tenſera, 219.a
Georgius Trapezuntius, 186.a
Geraldinus, *vide* Antonius Geraldinus.
Gerardus de Fracheto, 151.a
Gerardus Lemovicenſis, *vide* Gerardus de Fracheto.
Gerardus Maurifius, 147.a
Gerardus, monachus S. Quirini, 153.a.b
Gerardus à Nazareth, 244.b
Gerardus Noviomagus, 203.a
Gerardus, prior Dominicanus, 154.b
Gerardus de Riedesfordia, 219.a
Gerbrandus à Leidis, *vide* Joannes Gerbrandus à Leidis.
Gerochus Richerſpergenſis, 241.b
Gervaſius Dorobernenſis, 142.a
Gervaſius Riccobaldus Ferrarienſis, 156.b
Gervaſius Tilberienſis, 142.a
Gilbertus, 219.a
Gilbertus Abbas, 241.b
Gilbertus Alemannus, 160.b
Gilbertus Archidiaconus, 118.b
Gilbertus Briſtollenſis, 219.a
Gilbertus Deirus, *vide* Humbertus Deirus.
Gilbertus Flander, 122.b
Gilbertus Folioth, 134.a
Gilbertus Hannonius, 256.a
Gilbertus de Hoylandia, 142.a
Gildas, 78.a
Gildas Cambrius, 103.b
Gillinghamus, *vide* Guilhelmus Gillinghamus.
Gilo Gallus, 144.a
Giraldus presbyter, 127.a
Glaber Radulphus, 116.b
Glanvyle, *vide* Bartholomæus Glanvyle.
Glaſconius, *vide* Britwaldus Glaſconius.
Gobelinus, *vide* Joannes Gobelinus.
Gobelinus Perſona, 251.b
Goccelinus, 125.b
Godefridus Beaglerius, 150.a
Godefridus Calvus, 147.a
Godefridus de Frontibus, *vide* Galfredus de Fontibus.
Godefridus monachus, 146.a
Godefridus Viterbienſis, 139.a
Gidelhertus presbyter, 235.a
Godeſcalcus, 153.b
S. Godricus, 133.a
Gordianus, 58.a
Gordianus alter, 78.a
Gordianus Gotha, 227.a
Goſwinus Boſſutus, 219.a
Gothefridus, *vide* Godefridus.
Gotzelinus, *vide* Goccelinus.
Goverus, *vide* Joannes Goverus.
Goulettus, *vide* Robertus Goulettus.
Gracchanus, *vide* Junius Gracchanus.
Granius, 261.a
Gravius, *vide* Idfardus Gravius.
Graunſonus, *vide* Ioannes Graunſon.
Gregorius Cairguent, 155.b
Gregorius Magnus, 82.a
Gregorius Sondereiter, 219.a
Gregorius Tiphernas, 205.b
Gregorius Turonenſis, 81.a
Gregorius de Wintonia, *vide* Gregorius Cairguent.
Gregorius Caſſinenſis, 117.a
Greneus, *vide* Guilhelmus Greneus.
Griphon, 177.a
Guachius, *vide* Laurentius Guachius.
Guaiferius, 119.a
Gualterus Baker, 158.b
Gualterus Burley, 161.b
Gualterus Calenius, 126.b
Gualterus Caſtellio, *vide* Philippus Caſtellio.
Gualterus de Conſtantiis, 139.a
Gualterus Coventrienſis, 147.b
Gualterus Exceſtrenſis, 155.b
Gualterus Hemlingtonus, 130.b
Gualterus Hemmyngforde, 162.b
Gualterus Hunte, 197.b
Gualterus Mapes, 138.b
Gualterus Tarvanenſis, 254.a
Gualterus Venantius, *vide* Gualterus Hunte.
Gualterus Briſtolenſis, 227.a
Guarinus Ferrarienſis, *vide* Guarinus Veronenſis.
Guarinus Veronenſis, 182.a
Guibertus, *vide* Gilbertus.
Guicardus, 227.a
Guido Ambianenſis, 123.b
Guido de Columna, 154.a
Guido Flonocherus, 253.a
Guido Prior Carthuſianus, *vide* Guigo.
Guido Ravennas, 105.b
Guido, abbas, 227.a
Guigo, 128.a
Guilbertus, *vide* Gilbertus.
Fl. Guilhelmus, 219.a
Guilhelmus, abbas S. Theodorici, 129.b
Guilhelmus Abſelius, 175.b
Guilhelmus Albanenſis, 133.a
Guilhelmus Appulienſis, 241.b
Guilhelmus Aremoricus, 219.a
Guilhelmus Asketle, 161.a
Guilhelmus de Baldenſel, 160.b
Guilhelmus de Berckhem, 177.a
Guilhelmus de Bongevilla, 154.a
Guilhelmus Botonerus, 197.a
Guilhelmus Brito, *vide* Guilhelmus Aremoricus.
Guilhelmus Cantuarienſis, 133.b
Guilhelmus Caxtonus, 197.b
Guilhelmus Coaſinus, 256.a
Guilhelmus Cortuſius, 250.a
Guilhelmus Coventrius, 166.a
Guilhelmus Covrinus, 190.a
Guilhelmus Elphinſtonus, 197.b
Guilhelmus Gallus, 146.b
Guilhelmus à Gauda, 201.a


Guil-

Guilhelmus Gemeticenſis, 127. b
Guilhelmus Gillinghamus, 169. a
Guilhelmus Grenæus, 197. b
Guilhelmus Haffligemenſis, 151. b
Guilhelmus ab Heda, 203. b
Guilhelmus Hermannus Hollandus, *vide* Guilhelmus à Gauda.
Guilhelmus Langtonienſis, 147. b
Guilhelmus Lindwodus, 174. a
Guilhelmus Lidle, *vide* Guilhelmus Neubrigenſis.
Guilhelmus Malmesburienſis, 130. b
Guilhelmus Moguntinus, 109. b
Guilhelmus, monachus S. Dionyſii. 219. a
Guilhelmus, monachus alius, *ibid.*
Guilhelmus de Nangiaco, 157. b
Guilhelmus Neubrigenſis, 142. a
Guilhelmus Pachentonus, 168. b
Guilhelmus Parvus, *vide* Guilhelmus Neubrigenſis.
Guilhelmus Pariſienſis, 188. a
Guilhelmus Paſtrengus, 159. b
Guilhelmus Peregrinus, 139. a
Guilhelmus Petit, *vide* Guilhelmus Neubrigenſis.
Guilhelmus Pictavienſis, 123. b
Guilhelmus Procurator, 160. a
Guilhelmus Rameſeje, 133. b
Guilhelmus Rhievallenſis, 130. b
Guilhelmus de Risbrouke, 149. a
Guilhelmus Rishanger, 148. b. 248. a
Guilhelmus Rubrocus, *vide* Guilhelmus de Risbrouke.
Guilhelmus de Samuco, 153. b
Guilhelmus Shepesheved, 219. b
Guilhelmus Starnefeldius, 169. a
Guilhelmus Stephanides, 134. a
Guilhelmus S. Theodorici abbas, *vide* Guilhelmus abbas.
Guilhelmus Thornus, 155. a. 168. b
Guilhelmus Tripolitanus, 153. a
Guilhelmus Tyrius, 137. a
Guilhelmus Viretus, *vide* Guilhelmus Grenæus.
Guilhelmus Worceſtrius, 219. b
Gulielmus, 227. a
Guimannus Atrebas Vedaſtinus, 245. a
Guntherus, Elvonenſis monachus, 120. b
Guntherus, epiſcopus Bambergenſis, 241. b
Guntherus Poëta, 136. a
Guntherus monachus, 140. a
Gyraldus, *vide* Sylveſter Gyraldus.

H.

HAd. Tac. Cun. 106. a
Haddo; *vide* Haito.
Haimeranus Reginoburgenſis, 121. b
Haimo, *vide* Haymo.
Haito, 94. b
Haitonus, 156. a
Hanco Fortena, 95. b
Hardeby, *vide* Galfridus Hardeby.
Hariulphus, 128. b
Hartmannus Miles, 219. b
Hartmannus Scedel, 178. b
Haſmonius monachus, 219. b
Haymo, 103. b
Haymo Cantuarienſis, 117. b
Haymo Floriacenſis, 114. b
Haymo Halberſtadenſis, 100. a
Haymo Hirſaugienſis, 242. a
Hebernus, 239. b
Hector Boëtius, 213. b
Heddius Stephanus, 88. b
Hegeſippus, 219. b
Heimo, *vide* Haymo.
Helandus, 261. a
Helgacitus, ſive Helgaudus, 116. b
Helias Capreolus, 254. b
Helias de Eueshamo, 149. b
Helias Trickyngham, *ibid.*
Helinaldus Gallus, 140. a
Helius, *vide* Teliefinus Helius.
Helmoldus, 137. a
Hemina, *vide* Caſſius Hemina.
Hemlingtonus, *vide* Gualter. Hemlingtonus.
Hemmo, *vide* Haymo.
Henhamus, *vide* Petrus Henhamus.
Henricus Altiſſiodorenſis, *vide* Hericus Altiſſiodorenſis.
Henricus Arnoldi, 176. b
Henricus Bebelius, 201. b
Henricus Bleſenſis, *vide* Henricus de Soliaco.
Henricus Bonicolli, 153. b
Henricus Bradshaus, 213. a
Henricus Dandalus, 227. b
Henricus de Erfordia, 165. a
Henricus Friſo, 178. b
Henricus de Gandavo, *vide* Henr. Bonicolli.
Henricus de Geilnhuſen, 178. a
Henricus Huntingtonenſis, 131. a
Henricus Kalkarienſis, 168. b
Henricus, comes de Kalue, 144. a
Henricus à Klingenberg, 156. b
Henricus Knypton, 168. b
Henricus Penis, 225. b
Henricus Rebdorfienſis, 165. a
Henricus Soliacus, 245. b
Henricus Stain, 137. b
Henricus Stero, 157. b
Henricus Thaborita, 201. b
Henricus Utidonenus, 132. b
Henricus Zœmeren, 177. a
Hepidamnus, 219. b
Herberchtus, 93. a
Herbordus, 129. b
Herempertus, *vide* Erempertus.
Herennius Senecio, 49. b
Heribertus de Bosham, 133. b
Hericus Altiſſiodorenſis, 105. b
Hericus alter, *vide* Udalricus.
Hericus Daniæ Rex, 172. b
Herigerus Lobienſis, 111. b
Herimannus abbas, 136. a
Herimbertus, 210. a
Hermannus Æditnus, 256. a
Hermannus Altaichii, 153. b
Hermannus Contractus, 117. a
Hermannus de Lerbeke, 169. b
Hermannus Minorita, 220. a
Hermannus Dalmata, 227. b
Hermolaus Barbarus, 193. a
Hexamus, *vide* Joannes Hexam.
Hibernus, *vide* Cornelius Hibernus.
Hibernus, *vide* Probus Hibernus.
B. Hieronymus, 66. a
Hieronymus Albertucius Burſellus, 194. b
Hieronymus Atheſtinus, 207. a
Hieronymus Balbus, 171. a
Hieronymus de Bononia, *vide* Hieronymus Albertucius Burſellus.
Hieronymus Bononius, 254. b
Hieronymus Florentinus, 145. a
Hieronymus Forolivienſis, 190. a
Hieronymus Pauli, 204. a
Hieronymus Salgherius, 254. a
Hieronymus Vallis, 180. a
Hilario, *vide* Julius Hilario.
Hilario alter, 255. a
Hilarius Arelatenſis, 71. b
Hilarius Pictavienſis, 64. a
Hildebertus Cenomanenſis, 95. a. 127. b
Hildebertus Moguntinus, 109. a
S. Hildegardis, 137. a
Hildegaſtus philoſophus, 259. b
Hildephonſus Toletanus, 85. b
Hildovinus, *vide* Hilduinus.
Hilduinus S. Dionyſii, 96. b
Hilduinus Lobienſis, 108. a
Hillinus monachus, 256. a
Hincmarus, 101. b
A. Hirtius, 21. b
Honoratus Maſſilienſis, 74. b
Honorius Auguſtodunenſis, 144. a
Horatius Romanus, 181. b
Q. Hortenſius Ortalus, 16. a
Hoſtilius, 220. a
Hoſtius, 25. b
Hubaldus, 103. a
Hubertus Leonardus, 148. b
Hugbaldus, *vide* Hubaldus.
Hugo archiepiſcopus, 129. a
Hugo Candidus, 142. b
Hugo Cluniacenſis, 119. b
Hugo Falcandus, 245. a
Hugo Farſitus, 210. a
Hugo Floreſſienſis, 143. b
Hugo Floriacenſis, 123. a
Hugo de Hibernia, 251. a
Hugo Kircoſtallenſis, ſeu Kirkeſtedus, 147. b
Hugo Matiſconus, 220. a
Hugo Novantus, 245. b
Hugo Portugalenſis, 127. a
Hugo de S. Victore, 128. b
Hugo Whyte, *vide* Hugo Candidus.
Hugolinus Verrinus, 196. a
Humbertus Burgundus, *vide* Humbertus Viennenſis.
Humbertus Deirus, 89. a
Humbertus Viennenſis, 151. a
Humfredus Gilbertus, 213. a
Hunibaldus Francus, 81. b
Huntingtonus, *vide* Henr. Huntingtonenſis.
Hygdenus, *vide* Ranulphus Hygdenus.
Hyginus, *vide* Julius Hyginus.
Hyginus, 215. b
Hyllus, 261. a

I.

JAcobus Bergomas, *vide* Jacobus Philippus Bergomas.
Jacobus Bracciolinus, 188. a
Jacobus Bracellius, 191. b
Jacobus Clericus, 175. a
Jacobus Congelshoſius, 200. a
Jacobus Dieſthus, *vide* Jacobus Drieſchus.
Jacobus Drieſchus, 201. a
Jacobus Fornerius, 145. a
Jacobus Genuenſis, *vide* Jacob. de Voragine.
Jacobus Guiſius, 168. a
Jacobus Malvetius, 252. a
Jacobus Manilius, 202. b
Jacobus Montefalchius, *vide* Petrus Jacobus Montefalchius.
Jacobus Neoburgici monaſterii præfectus, 217. b
Jacobus Philippus Bergomas, 205. b
Jacobus Picolominæus, 187. b
Jacobus Poggius, *vide* Jacobus Bracciolinus.
Jacobus Reimolanus, 199. a
Jacobus Romanus, 210. a
Jacobus Suedericus, 175. a
Jacobus de Suſato, 251. b
Jacobus Ticinenſis, 185. a
Jacobus de Vitriaco, 146. a
Jacobus de Voragine, 154. a
Jacobus Wimphelingus, 199. a
Jacobus Zenus, 188. a
Jannotius Manettus, 181. a
Idacius, *vide* Itacius.
Idſardus Gravius, 202. a
Iglacus, 90. b
Illidius, 87. a
Ilndolphus de Suchem, *vide* Ludolphus Suchenſis.
Ingulphus abbas, 122. a
Innocentius Cæſarius, 256. a
Joannes abbas Caſinenſis, 240. a
Joannes Abgillus, 95. b
Joannes Aldarus, 220. a
Joannes Amundisham, 196. b
Joannes Anglicus, 220. a
Joannes Antonius Campanus, 181. b
Joannes Antonius Flaminius, 212. a
Joannes Antonius Pantheus, 194. a
Joannes de Aqua-veteri, *vide* Johannes Palæonydorus.
Joannes Archithrenius, *vide* Joannes Hantivillenſis.
Joannes Aretius Tortellius, 180. a
Joannes Aſſer, 107. b
Joannes Aventinus, 203. b
Joannes Aylinus Maniacus, 168. a
Jo. Baptiſta Bonacoſſus, 227. b
Joannes Baptiſta Pajarinus, 179. b
Joannes, Barenſis archidiaconus, 120. b
Joannes Baſilius, 250. b
Joannes de Beka, 164. b
Joannes de Bele, 168. b
Joannes Beverius, *vide* Joannes Caſtorius.
Joannes Biclarienſis, 83. a
Joannes Blakeney, 196. b
Joannes Bocacius, 163. b
Joannes Bonus, 250. a
Joannes Bromptonus, 220. a
Joannes Brugmannus, 175. b
Joannes de Bruxellis, *vide* Jo. Mauburnus.



Digitized by Google

Joannes Burgenſis, 162. b
Joannes Burienſis, 155. a
Joannes Campanus, *vide* Joannes Antonius Campanus.
Joannes Campanus Bellus, 247. a
Joannes Candelarius, *vide* Jo. Chaundeler.
Joannes Canonicus, 149. a
Joannes Capnio, *vide* Joannes Reuchlinus.
Joannes Caprave, 196. b
Joannes Carolus Florentinus, 205. b
Joannes Caſtorius, 155. b
Joannes Chaundeler, 197. a
Joannes Cincinnius, 236. b
Joannes Columna Romanus, 150. b
Joannes Cremonenſis, 220. a
Joannes Cuſpinianus, 202. b
Joannes Diaconus, 93. a. 103. b
Joannes Diaconus, Canonicus Veronenſis, 158. a
Joannes, Diaconus S. Januarii, 210. a
Joannes Docreus, 159. b
Joannes Dominicus Spazzarinus, 190. a
Joannes Dugloſſus, *vide* Joannes Longinus.
Joannes à Duſſeldorp, 178. a
Joannes Everiſdenus, 161. b
Joannes Fiberius, *vide* Joannes Caſtorius.
Joannes Flasborienſis, 220. a
Joannes Fletus, *ibid.*
Joannes de Forda, 142. b
Joannes Franciſcus Picus, 205. a
Joannes Froſſardus, 169. b
Joannes Frumentarius, *vide* Joannes Wethampſtedus.
Joannes Gallus, 145. a
Joannes de Garlandia, 116. b
Joannes Garſo, 212. a
Joannes Gaſcoinus, 168. b
Joannes Gerbrandi de Leidis, 199. b
Joannes Gerundenſis antiquior, *vide* Joannes Biclarienſis.
Joannes Gerundenſis junior, *vide* Joannes Margarinus Gerundenſis.
Joannes Gobelinus, 253. a
Joannes Goverus, 169. a
Joannes de Granario, 227. b
Joannes Graunſon, 166. b
Joannes Graye, 142. b
Joannes Gualenſis, 149. a
Joannes Higen, *vide* Joannes de Indagine.
Joannes Hantivillenſis, 245. a
Joannes Hardinge, 197. b
Joannes Hayda, 155. a
Joannes de Heſe, 168. a
Joannes Hexham, 133. a
Joannes Hildeshemenſis, 165. b
Joannes Hiperius, 251. a
Joannes Honſemius, 165. a
Joannes S. Januarii, *vide* Joannes, Diaconus S. Januarii.
Joannes de Indagine, 183. a
Joannes Jovianus Pontanus, 189. a
Joannes Italus, 110. a
Joannes de Kikullew, 168. a. 178. a
Joannes Langdenus, 174. a
Joannes Langtonus, 174. b
Joannes Laziardus Cœleſtinus, 207. a
Joannes Leo, 209 b
Joannes Linturius, 177. b
Joannes Longinus, 176. a
Joannes Lopez, 172. b
Joannes Loſſenſis, 175. b
Joannes Lovanienſis, 220. b
Joannes Loove, 174. b
Joannes Ludgate, 196. a. b
Joannes Major Hadingtonenſis, 213. b
Joannes Malvernæus, 166. a
Joannes Mandevyle, 166. b
Joannes Marchanova, 180. a
Joannes Margarinus Gerundenſis, 190. b
Joannes Maria Catanæus, 212. b
Joannes Maria Politianus, 192. b
Joannes Marius, 202. a
Joannes Matthias Tiberinus, 188. b
Joannes Mauburnus, 200. b
Joannes Mercianus, 231. b
Joannes Miechovienſis, 227. b
Joannes de Molinis, 251. a
Joannes monachus, diſcipulus Petri Damiani, 219. b
Ioannes, monachus Italus, 210. a
Ioannes, monachus S. Vincentii, 242. b
Ioannes Nauclerus, 200. b
Ioannes Nicolaus Buboicus, 188. a
Ioannes Noalius, 256. a
Ioannes de Novo-Burgo, *vide* Ioannes Canonicus.
Ioannes Nuſcenſis, 139. b
Ioannes Olnei, 166. a
Ioannes Oxfordius, 141. a
Ioannes Palæoydorus, 178. b
Ioannes Paris, 220 b
Ioannes de Perſico Cremonenſis, 220. a
Ioannes Peruſinus, 220. b
Ioannes Phreas, 197. a
Ioannes Pinus, 205. b
Ioannes Placentinus, 203. a
Ioannes Polus, 174. a
Ioannes Pyke, 126. b
Ioannes de Radice, 256. a
Ioannes Ravennas, 151. b
Ioannes Reuchlinus, 200. a
Ioannes Rocheforth, 170. a
Ioannes Rowſe, alias Roſſe, 197. b
Ioannes Rufus, 155. a
Ioannes Sariſburienſis, 132. b
Ioannes Saxonius, 170. b
Ioannes de Schonhovia, *ibid.*
Ioannes Serlo, 133. a
Ioannes Simoneta, 194. a
Ioannes Smoutius, 220. b
Ioannes Spazzarinus, *vide* Ioannes Dominicus Spazzarinus.
Ioannes Stabularius, 175. a
Ioannes Staffordius, 169. a
Ioannes Stella, 205. b
Ioannes Stonus, 197. a
Ioannes Stovus, 196. b
Ioannes Subdiaconus, 220. b
Ioannes Thanatenſis, 161. b
Ioannes Tiberinus, *vide* Ioannes Matthias Tiberinus.
Ioannes Tinmouthenſis, 166. b
Ioannes Tortellius, *vide* Ioannes Aretinus Tortellius.
Ioannes Tritthemius, 200. a
Ioannes Tucherius, 208. a
Ioannes Turocius, 178. a
Ioannes de Vineta, 165. a
Ioannes Vitoduranus, 250. b
Ioannes Wallingfordus, 220. b
Ioannes Weentius, 169. b
Ioannes Whethampſtedus, 296. b
Iocelinus Brakelunde, 242. b
Iocelinus de Furnes, 220. b
Iocundus Veronenſis, 208. b
Iodocus Beyſſelius, 253. a
Iohannes Hagulſtadenſis, 220. a
Ionas Fontanellenſis, 89. a
Ionas Scotus, 85. b
Iordanes Saxo, 144. a
Iordanus alter, 247. a
Iornandes, 77. a
Ioſephus Barbarus, 188. a
Ioſephus Devonius, 151. b
Ioſephus Exceſtrenſis, *vide* Ioſ. Devonius.
Ioſephus Iſcanus, *vide* Ioſephus Devonius.
Iovianus Pontanus, *vide* Ioannes Iovianus Pontanus.
Irenicus, *vide* Franciſcus Irenicus.
Iſidorus Hiſpalenſis, 84. a
Iſidorus Pacenſis, 220. b
Iſo monachus, *ibid.*
Itacius, 73. b
Iodocus Beiſſelius, 178. a
Iuliacus, *vide* Stephanus Iuliacus.
Iulianus, *vide* Antonius Iulianus.
Iulianus, *vide* Cejonius Iulianus.
Iulianus Haſartus, 212. b
Iulianus Lucas, 236. b
Iulianus Toletanus, 86. b
Iulius Africanus, 233. a
Iulius Aterianus, 59. a
Iulius Baſſus, 37. a
C. Iulius Cæſar, 20. a
Iulius Capitolinus, 61. b
Iulius Celſus, 21. b
Iulius Frontinus, 231. b
Q. Iulius Hilario, 68. a
Julius Hyginus, 65. a
Julius Marathus, 33. b
Julius Modeſtus, 261. b
Julius Obſequens, 220. b
Julius Paris, 40. a
Julius Pomponius Sabinus, 191. b
Julius Pomponius Lætus, *vide* Pomponius Lætus.
Julius Secundus, 46. b
Julius Solinus, *vide* Solinus.
Julius Titianus, 55. a
Julius Valerius, *vide* Anonymus de vita Alexandri Magni.
Junius Cordus, 57. b
Junius Gracchanus, 12. a
Junius Ruſticus, 50. a
Junius Saturninus, 221. a
Ivo, abbas Cluniacenſis, 227. b
Ivo Carnotenſis, 123. a
Juſtinianus, *vide* Auguſtinus Juſtinianus.
Juſtinianus, *vide* Bernardus Juſtinianus.
Juſtinianus, *vide* Leonardus Juſtinianus.
Juſtinus, 54. a
Juſtinus Dominicanus, 246. a
Juſtinus Lippienſis, 151. a
Juvencus Martialis, 221. a

K.

KEmmingius, 227. b
Kentonus, *vide* Nicolaus Kenton.
Knygtonus, *vide* Henricus Knygton.
Krantzius, *vide* Albertus Krantzius.
Kumbertus Lindeſejus, 88. b

L.

LAbeo, 261. b
T. Labienus, 37. b
Labienus grammaticus, 261. b
Lactantius Firmianus, 61. b
Lambertus Hirsfeldenſis, *vide* Lambertus Schafnaburgenſis.
Lambertus de Legia, 120. a
Lambertus Leodienſis, 143. b
Lambertus Parvus, 138. b
Lambertus Schafnaburgenſis, 121. a
Lambertus Waterloſius, 137. a
Lamfridus, monachus Britannus, 111. a
Lampridius, 62. a
Landulphus Sagax, 93. a. 100. a
Landulphus de Columna, 159. a
Landulphus, *vide* Ludolphus Saxo.
Lanfrancus Cantuarienſis, 121. a
Langdenus, *vide* Joannes Langdenus.
Langfordius, *vide* Thomas Langfordius.
Langius, *vide* Paullus Langius.
Langius, *vide* Rodulphus Langius.
Langtonus, *vide* Stephanus Langton.
Lapius, *vide* Maurus Lapius.
Lapus Florentinus, qui & Biragus, & Caſtilionius, 253. a
Lavinius, 261. b
Laurentius Burellus, 204. b
Laurentius Dunelmenſis, 133. a
Laurentius Guathius Florentinus, 252. a
Laurentius Leodicenſis, 138. b
Laurentius Mellifluus, 221. a
Laurentius, monachus Caſſinenſis, 256. b
Laurentius Vadus, 221. a
Laurentius Vallenſis, 180. a
Laurus, *vide* Coſmas Laurus.
Lauterbergius, *vide* Conrad. Lauterbergius.
Laziardus, *vide* Joannes Laziardus.
Leander Albertus, 211. a
Lenæus, 261. b
Lentinus, *vide* Thomas Lentinus.
Cn. Lentulus Gætulicus, 40. b
Leo, *vide* Joannes Leo.
Leo Marſicanus, 124. a
Leo Nolanus, *vide* Ambroſius Leo Nolanus.
Leodriſius Cribrellus, 185. a
Leonardus Aretinus, 173. a
Leonardus Brunus, *vide* Leonardus Aretinus.
Leonardus, *vide* Hubertus Leonardus.
Leonardus Juſtinianus, 172. a
Leonicus Thomæus, *vide* Nicolaus Leonicus Thomæus.
Lethaldus Gallus, 112. b
Leucander, *vide* Andreas Leucander.
Levutius, 221. a

Libe-

Digitized by Google

Liberatus, 77. b
Libo, *vide* Scribonius Libo.
Licinius, *vide* Clodius Licinius.
C. Licinius Imbrex, 261. b
C. Licinius Macer, 15. a
M. Licinius Mutianus, 45. a
Ligurinus, *vide* Guntherus Ligurinus.
Lindeſejus, *vide* Kumbertus Lindeſejus.
Lindwodus, *vide* Guilhelmus Lindwodus.
Linturius, *vide* Joannes Linturius.
Liſiardus, 120. a
T. Livius, 30 a
Livius Andronicus, 259. a
Lobardus Sirichius, 167. b
Lollius Urbicus, 57. a
Lombardus Sericus, *vide* Lobardus Sirichius.
Longinus, *vide* Joannes Longinus.
Lopez, *vide* Joannes Lopez.
Lovatus, 249. a
Lucanus, 44. a
Lucas Tudenſis, 145. b
L. Luccejus, Q. Filius, 19. a
Lucius, *vide* Feneſtella.
S. Ludgerus, 93. a
Ludolphus, Auguſtanus epiſcopus, 240. b
Ludolphus Bebenbergius, 144 b
Ludolphus Saxo, 160. a
Ludolphus Suchenſis, 250. b
Ludovicus Cœlius Rhodiginus, 255. a
Ludovicus Marchentus, 179. b
Ludovicus Vartomannus, 209. b
Ludovicus Vicentinus, 185. a
Luitolphus, *vide* Ludolphus.
Luitprandus, 109. a
Lulmas, *vide* Paulus Lulmas.
Lupoldus Bebenbergius, *vide* Ludolphus Bebenbergius.
Lupus Servatus, 99. b
Q. Lutatius Catulus, 13. a
Q. Lutatius alius, 18. a

M.

MAcer, *vide* Æmilius Macer.
Macer, *vide* Licinius Macer.
Macerius, *vide* Philippus Macerius.
Mæonius Aſtyanax, 58. b
Magiſter Conradus, *vide* Conr. à Martburg.
Magiſter Coperius, 221. a
Magiſter Leoninus de Porta S. Petri, 796. a
Magnus Richobergenſis, 138. b
Mago, 100. b
Mainardus, 227. b
Majus, *vide* Antonius Majus.
Mallius, 261. b
Malvernæus, *vide* Joannes Malvernæus.
Malvetius, *vide* Jacobus Malvetius.
Mandevyle, *vide* Joannes Mandevyle.
Manettus, *vide* Jannotius Manettus.
Manilius, *vide* Felix Manilius.
Manilius Chreſtus, 261. b
Manilius ſenator, 13. b
Manlius, *vide* Jacobus Manlius.
Mapes, *vide* Gualterus Mapes.
Marathus, *vide* Julius Marathus.
Marbodus, 118. a
B. Marcellinus, 91. b
Marcellinus, *vide* Ammianus Marcellinus.
Marcellinus Brigantius, *vide* B. Marcellinus.
Marcellinus, *vide* Fabius Marcellinus.
Marcellinus Comes, 76. b
Marcellus Marci filius, 231. a
Marcellus, *vide* Valerius Marcellus.
Marcellus Palonius Ravennas, 210. b
Marcellus Ravennas, *vide* Marcellus Palonius Ravennas.
Marcerius Anglus, 221. a
Marcus Antonius Michaël, 210. b
Marcus Antonius Sabellicus, 208. a
Marcus Caſſinenſis, 83. b
Marcus Paullus Venetus, 154. a
Marcus Sabellicus, *vide* Marcus Antonius Sabellicus.
Marcus Venetus, *vide* Marcus Paullus Venetus.
Marianus Florentinus, 252. a
Marianus Scotus, 121. b
Maria Politianus, *vide* Joannes Maria Politianus.
Marinus Barletius, 178. b
Marinus Becichemus, *vide* Marin. Barletius.
Marinus Sanutus Tortellius, 250. a
Marinus Sanutus junior, 207. a
Marius Georgius, 168. a
Marius Maximus, 57. b
Marſicanus, *vide* Leo Marſicanus.
Marſus, 25. b
Martialis, *vide* Gargilius Martialis.
Martianus Capella, 221. a
Martinus Alnewyck, 161. b
Martinus Carſulanus, 159. a
Martinus Polonus, 152. a
Martinus Presbyter, 245. b
Martinus Scotus, 149. a
Martinus Segovius, 256. b
Martius Guaſſus, 227. b
Martyr, *vide* Petrus Martyr.
Maſſus, 232. b
Maſurius, 35. a
Matiſconus, *vide* Hugo Matiſconus.
Matthæus Bandellus, 210. b
Matthæus Palmerius, 179. a
Matthæus Paris, 148. b
Matthæus Udalrici, 200. a
Matthæus Vindocinenſis, 159. a
Matthæus Weſtmonaſterienſis, 167. a
Matthias à Michou, 203. a
Matthias Palmerius Piſanus, 188. b
Matthias Tiberinus, *vide* Joannes Matthias Tiberinus.
Mauburnus, *vide* Joannes Mauburnus.
Maurus, *vide* Ælius Maurus.
Maurus Lapius, 256. b
Maurus Quinqueccleſienſis, 213. b
Maurus, *vide* Rabanus Maurus.
Maximilianus Auſtriac. Imp. 198. b
Maximinianus notarius, 233. a
Maximus Cæſar Auguſtanus, 83. b
Maximus, *vide* Marius Maximus.
Maximus, *vide* Pacificus Maximus.
Maximus Servilianus, *vide* Fabius Maximus Servilianus.
Maximus Taurinenſis, 69. a
Mecænas, *vide* Cilnius Mæcenas.
Medelocenſes Cœnobitæ, *vide* Cœnobitæ Medelocenſes.
Mediwardus, 222. a
Meginfridus, 114. a
Meginhardus, 91. a. 102. a. b
Mela, *vide* Pomponius Mela.
Meliſſus, 261. b
Melkinus Avalonius, 77. b
Mellifluus, *vide* Laurentius Mellifluus.
Meluſinus, 222. a
C. Memmius, 227. b
Menaleſius, *vide* Blaſius Menaleſius.
Mercianus, *vide* Joannes Mercianus.
Merula, *vide* Georgius Merula.
Meſſalla, *vide* Valerius Meſſalla.
Meſſalla, *vide* Vipſanius Meſſalla.
Meſſianus, 77. b
Metellus Tegerenſis, 245. a
Michaël Blaunpainus, 149. a
Michaël Carrarienſis, 186. a
Michael Ritius, 204. b. 207. a
Michael Rubertus, 172. b
Milo, 102. b
Mixtatus, *vide* Albertinus Muſatus.
Modeſtus, *vide* Aufidius Modeſtus.
Modeſtus Polentonus, 254. a
Molitor, *vide* Conradus Molitor.
Monachus Pegavienſis, 227. b
Montacutius, *vide* Nicolaus Montacutius.
B. Mor, 256. b
Morandus, *vide* Benedictus Molandus.
Morena, *vide* Acerbus Morena.
Morena, *vide* Otto Morena.
Morganius, *vide* David Morganius.
Morus, *vide* Thomas Morus.
Munatius Rufus, 8. a
Munio Mindonienſis, 127. a
Muſatus, *vide* Albertinus Muſatus.
Mutianus, *vide* Licinius Mutianus.

N.

NÆvius, 2. b
Nalgodus, *vide* Nalgoldus.
Nalgoldus, 240. a
Naſo, *vide* Actorius Naſo.
Nauclerus, *vide* Joannes Nauclerus.
Nebriſſenſis, *vide* Antonius Nebriſſenſis.
Nennius, 84. a
Neon, 54. b
Neubrigenſis, *vide* Guilhelmus Neubrigenſis.
Nicolaus Bagnatorius Brixianus, 255. b
Nicolaus Bungei, 196. b
Nicolaus Burgenſis, 222. a
Nicolaus Cantilowe, 174. b
Nicolaus Canuſſinus, 211. a
Nicolaus Cuſanus, 175. b
Nicolaus Dathus, 191. b
Nicolaus Dunelmenſis, 133. a
Nicolaus Falcon, 155. b
Nicolaus Horius, 227. b
Nicolaus Kenton, 197. b
Nicolaus Leodicenſis Canonicus, 136. a
Nicolaus Leonicus Thomæus, 210. a
Nicolaus Montacutius, 197. a
Nicolaus à Montagni, 248. a
Nicolaus Nicolius, 196. b
Nicolaus Perottus, 183. b
Nicolaus Segundinus, 184. b
Nicolaus Simonis, 198. b
Nicolaus Sueſſionenſis, 127. a
Nicolaus Tegrimius, 227. b
Nicolaus Thomæus, *vide* Nicolaus Leonicus Thomæus.
Nicolaus Thriveth, 161. a
Nicolaus Walkington, 134. a
Nicolaus, *vide* Nicolaus Nicolius.
Nicomachus Flavianus, *vide* Virius Nicomachus Flavianus.
Nigidius Figulus, 18. b. 261. b
Nithardus, 97. b
Notbertus, 88. b
Notgerus Leodienſis, 111. b
Notgerus monachus S. Galli, 240. a
Novianus, *vide* Servilius Novianus.

O.

OBſequens, *vide* Julius Obſequens.
Occo Scarlenſis, 110. b
L. Octacilius Pilutus, 13. b
Octavianus de Martinis Sueſſanus, 188. b
M. Octavius, 222. a
Octavius Cleophilus, 254. a
Octavius Herſennius, 222. a
Octavius Phanenſis, *vide* Octavius Cleophilus.
Odericus, 160. a
Odilo, 117. b
Odo Cantianus, 132. a
Odo Cluniacenſis, 108. b
Odo Foſſatenſis, 241. b
Odo Muremundenſis, 245. b
Odo Severus, 109. b
Odorannus, 117. a
Olbertus, *ibid.*
Oldericus Vitalis, 243. a
Oldonius monachus, 144. b
Olivarius, 222. a
Oliverius Longus, 175. a
Olneius, *vide* Joannes Olnei.
Olympius Pavo, 261. b
Oneſimus, 59. a
Onithon Sutrinus, 222. a
Onno, *vide* Ouvo.
Opilius, 22. b
Oppius, *vide* Cajus Oppius.
Oppius Chares, 22. b
Optatianus, *vide* Suetonius Optatianus.
Oranius, *vide* Uranius.
Ordricus Vitalis, *vide* Oldericus Vitalis.
Oroſius, 69. b
Ortalus, *vide* Hortenſius Ortalus.
Osbernus, 110. a
Osbertus Clarentius, 119. a
Oſmundus Anglus, 210. a
Otacilius, *vide* Octacilius.
Othelgrimus, 96. b
Otho, *vide* Otto.
Otlonus Fuldenſis, 113. a
Otto Morena, 245. b
Otto Friſingenſis, 134. b
Otto Sanblaſianus, 140. a
Oudarius, 212. a
Ouvo, 87. b

P.

PAcificus Maximus Aſculanus, 196. a
Paduanus monachus, 151. b
Pæſtanus Vibonenſis, 259. a
Pætus, *vide* Thraſea Pætus.
Palladius diaconus, 259. b
Palladius Fuſcus, *vide* Palladius Niger.
Palladius Niger, 187. a
Palmerius, *vide* Matthæus Palmerius.
Palonius Ravennas, *vide* Marcellus Palonius Ravennas.
Palphurius Sora, 58. b
Pancratius Juſtinianus, 228. a
Pandulphus Collenutius, 209. a
Pandulphus Piſanus, 137. b
Papia & Carinus, 208. a
Papinius Statius, 231. b
Papirius Fabianus, 261. b
Paratus, 71. b
Paris, *vide* Joannes Paris.
Paris, *vide* Julius Paris.
Paris, *vide* Matthæus Paris.
Partheniauus, *vide* Æmilius Parthenianus.
Paſchaſinus Sicilienſis Venetus, 73. b
Paſchaſius diaconus, 77. b
Paſchaſius Radbertus, 102. b
Paſtor Gallus, 165. a
Patritius, 71. b
Paullinus Aquitanicus, 67. b
Paullinus presbyter, 68. b
Paullinus, *vide* Suetonius Paullinus.
Paullus Æmilius Veronenſis, 209. b
Paullus Atavantius Florentinus, 193. a
Paullus Bonetus, 170. a
Paullus, diaconus Aquilegienſis, 92. b
Paullus, diaconus Neapolitanus, 94. b
Paullus, diaconus Romanus, 222. a
Paullus Florus, 76. b
Paullus Genuenſis, 119. a
Paullus Langius, 200. a
Paullus Lulmas, 186. b
Paullus Oroſius, *vide* Oroſius.
Paullus Pilonus, 250. a
Paullus Romanus, *vide* Paullus diaconus Romanus.
Paullus Venetus, *vide* Petrus Paull. Venetus.
Paullus Vergerius, *vide* Petrus Paullus Vergerius.
Pelagius, 77. b
Pelagius Ovetenſis, 236. b
Penia, *vide* Henricus Penis.
Perottus, *vide* Nicolaus Perottus.
Perſeus, 262. a
Perſona, *vide* Gobelinus Perſona.
*item*, Chriſtophorus Perſona.
Peſcennius Feſtus, 222. a
Petantius, *vide* Felix Petantius.
Petrarcha, *vide* Franciſcus Petrarcha.
Petronius, 72. a
Petrus ab Alliaco, 170. b
Petrus Apollonius Collatius, 254. b
Petrus Argentoratenſis, 153. a
Petrus Bembus, 228. a
Petrus Berthorius, 250. b
Petrus Bleſenſis, 245. a
Petrus Bloumenvenna, 202. a
Petrus Calo, 156. b
Petrus Candidus December, 181. b
Petrus, canonicus Londinenſis, 248. a
Petrus canonicus alter, 222. b
Petrus Caſſinenſis, 238. a
Petrus Clodienſis, 154. b
Petrus Collatius, *vide* Petrus Apollonius Collatius.
Petrus Comeſtor, 136. b
Petrus Coriſinus, 164. b
Petrus Crinitus, 209. a
Petrus Damiani, 118. b
Petrus December, *vide* Petrus Candidus December.
Petrus, diaconus Oſtienſis, 129. a
Petrus diaconus, Ægidii F. Caſſinenſis, *ibid.*
Petrus Dorlandus, 178. a
Petrus Dugienſis, 222. b
Petrus Ferrandus, *ibid.*
Petrus Garnengius, 253. a
Petrus Henhamus, 147. b
Petrus Jacobus Montefalchius, 206. b
Petrus Jokehamus, 155. a
Petrus Leidenſis, *vide* Petr. Bloumenvenna.
Petrus à Lutra, 222. b
Petrus Marcellus, 207. a
Petrus Martyr, 208. b
Petrus Montefalchius, *vide* Petrus Jacobus Montefalchius.
Petrus de Natalibus, 186. b
Petrus Paſſerinus, 165. b
Petrus Paullus Vergerius, 172. a
Petrus de Pennis, 222. b
Petrus Pictavienſis, 157. a
Petrus Præmonſtratenſis, 221. b
Petrus Ranzanus, 176. b
Petrus Ripponenſis, 234. a
Petrus Schottus, 254. a
Petrus Taboræus, 222. b
S. Petrus Venerabilis, 129. b
Peutingerus, *vide* Conradus Peutingerus.
Philaſtrius, 64. b
Philelphus, *vide* Franciſcus Philelphus.
Philippus, *vide* Aurelius Philippus.
Philippus Bergomas, *vide* Jacobus Philippus Bergomas.
Philippus Beroaldus, 207. b
Philippus Biken, 255. a
Philippus, abbas Bonæ-ſpei, 222. b
Philippus Callimachus Experiens, 192. b
Philippus Caſtellio, *vide* Philippus Gualterus Caſtellio.
Philippus Comminæus, 199. b
Philippus Eyſtetenſis, 159. b. 239. b
Philippus ab Eleemoſyna, 228. b
Philippus Elnonenſis, 222. b
Philippus Gualterus Caſtellio, 150. a
Philippus Macerius, 164. b
Philippus Riboti, 168. a
Philippus Wielanus, 198. b
Phocas, *vide* Focas.
Picolominæus, *vide* Jacobus Picolominæus.
Pictor, *vide* Fabius Pictor.
Picus, *vide* Joannes Franciſcus Picus.
Pilutus, *vide* Octacilius Pilutus.
Pindarus Thebanus, 256. b
Pinus, *vide* Joannes Pinus.
Piſo, cognomento Frugi, 8. b
Piſo alter. 9. a
Pius II, *vide* Æneas Sylvius.
Planta, *vide* Pompejus Planta.
B. Platina, 183. a
C. Plinius major, 49. b
C. Plinius Cæcilius junior, 51. b
Poggius Florentinus, 170. b
Poggius alter, prioris filius, *vide* Jacobus Bracciolinus.
Politianus, *vide* Angelus Politianus.
Politianus, *vide* Joannes Maria Politianus.
Pollio, *vide* Aſinius Pollio.
Pollio, *vide* Claudius Pollio.
Pollio, *vide* Trebellius Pollio.
Polus, *vide* Joannes Polus.
Polydorus Virgilius, 210. b
Polyphilus, 252. a
Pompejus, *vide* Trogus Pompejus.
Pompejus Planta, 222. b
Pompejus Saturninus, 52. a
Pompilius Andronicus, 15. b
Pomponius, abbas Abauchius, 256. a
T. Pomponius Atticus, 16. a
Pomponius Lætus, 190. b
Pomponius Mela, 42. b
Pomponius Rufus, 222. b
Pomponius Sabinus, *vide* Julius Pomponius Sabinus.
Pontanus, *vide* Joannes Jovianus Pontanus.
Ponticus Virunnius, 192. b
Pontius Diaconus, 58. b
Porcellus Poëta, 164. b
Portunianus, 262. a
Poſſidius, 71. b
Poſthumius Albinus, 8. b
Primaſius, 68. b
Probus, *vide* Cornelius Nepos.
Probus, *vide* Elvonius Probus.
Probus Hibernus, 222. b
Probus, *vide* Titius Probus.
Probus, *vide* Valerius Probus.
Procilius, 20. a
Proculus, *vide* Eutychius Proculus Siccenſis.
Proculus alter, 222. b
Producius, *vide* Conradus Celtes Producius.
Proſper, 14. a
Proſper Aquitanicus, 73. a
Prudentius, 65. a. b
Prudentius Junior Hiſpanus, 238. a
Ptolomæus Lucenſis, 159. b
Publius Carpus, 262. a
Pulex de Cuſtoza, 249. b
Putianus, *vide* Franciſcus Putianus.

Q.

QUadrigarius, *vide* Claudius Quadrigarius.
Quinctus Lutatius, *vide* Lutatius.

R.

RAbanus Maurus, 100. a
Rabirius, 262. a
C. Rabirius, 36. a
Radbertus, *vide* Paſchaſius Radbertus.
Radbodus, Epiſc. Ultraject. XIV. 108. a
Radevicus Friſingenſis, 135. b
Radulphus, 81. b
Radulphus de S. Albano, 130. b
Radulphus Bockynge, 149. b
Radulphus Ciceſtrius, *vide* Radulphus Bockynge.
Radulphus Coggeshale, 147. b
Radulphus de Diceto, 142. b
Radulphus Flaviacenſis, 107. b
Radulphus Gallus, 130. a
Radulphus Glaber, *vide* Glaber Radulphus.
Radulphus Hygden, 166. a
Radulphus Marham, 168. b
Radulphus Remington, 221. b
Radulphus Strodus, 166. b
Ragimbertus, 235. b
Raguel Cordubenſis, 239. b
Raimundus de Agiles, 242. a
Raimundus Capuanus, 168. a
Raimundus de Podio, *vide* Raimundus de Agiles.
Rainaldus, abbas Viceliacenſis, 125. b
Rainaldus Campanus, abbas Caſſinenſis, 244. b
Rampertus, 101. b
Ranulphus, *vide* Radulphus.
Ranzanus, *vide* Petrus Ranzanus.
Rapertus, *vide* Ratpertus.
Raphaël Volaterranus, 208. b
Raſſanus, 228. a
Rathbodus, *vide* Radbodus.
Ratherus Veronenſis, 91. a. 108. a
Ratpertus monachus, 239. a
Redemptus Clericus, 84. b
Reginaldus, 110. b
Reinerus Leodienſis, 114. b
Reinerus Prior Leodienſis, 140. a
Rembertus, *vide* Rimbertus.
Renatus Andegavenſis, 179. b
Renatus Profuturus Frigeridus, 222. b
Reuchlinus, *vide* Joannes Reuchlinus.
Rhegino Prumienſis, 107. b
Riccius Polentonus, *vide* Xiccho Riccius Polentonus.
Riccobaldus, *vide* Gervaſius Riccobaldus.
Richardus Bartholinus Peruſinus, 211. a
Richardus Canonicus, 139. a
Richardus Ciceſtrius, 166. a
Richardus Cluniacenſis. 135. b
Richardus Dicetenſis, *vide* Radulphus de Diceto.
Richardus Diviſienſis, 134. a
Richardus Eligenſis, 147. b
Richardus Elteſlei, 223. a
Richardus Graſdale, 174. a
Richardus Hagulſtadenſis, 134. a
Richardus Lavynhal, 168. b
Richardus Pictavienſis, 151. b
Richardus Præmonſtratenſis, 134. a
Richardus de S. Victore, 136. a
Richerius Gallus, 223. a
Richius, *vide* Robertus Richius.
Ricobaldus Ferrarienſis, *vide* Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis.
Rigoldus Gallus, 144. a. b
Rigotus, *vide* Rigoldus.
Rimbertus Flander, 104. b
Rinucinus, *vide* Almannus Rinucinus.



Digitized by Google

Ritius, *vide* Michaël Ritius.
Robertus, 223. a
Robertus, Auſtrovandiæ archidiacon. 130. a
Robertus Baconus, 148. a
Robertus Balæus ſenior, 197. a
Robertus Balæus junior, 213. a
Robertus Beſtonus, 158. b
Robertus Fabyan, 213. a
Robertus Fiſcanenſis, 245. b
Robertus Folioth, 133. b
Robertus Gaguinus, *vide* Rupertus Gaguinus.
Robertus Goulletus, 209. b
Robertus Herefordenſis, 121. b
Robertus de Lyceſtria, 162. b
Robertus, S. Mariani, apud Altiſſiodorum monachus, 246. a
Robertus Maſchal, 174. a
Robertus Melundinenſis, *vide* Robertus Folioth.
Robertus monachus, 139. b
Robertus de Monte Michaëlis, 131. b
Robertus Montenſis, 140. b
Robertus Normannus, *vide* Robertus Montenſis.
Robertus S. Remigii, 127. a
Robertus Richius, 148. a
Robertus Salopienſis, 130. b
Rodericus Palentonus, *vide* Rodericus Santius.
Rodericus Santius, 185. b
Rodericus Toletanus, 145. b
Rodericus Ximenes, *vide* Rodericus Toletanus.
Rodulphus, *vide* Radulphus.
Rogerius, 150. a
Rogerius Albanus, 196. b
Rogerius Fuldenſis, 135. b
Rogerius de Houeden, 141. a
Rogerius de Windeleſher, 148. a
Rogerus abbas, 116. a
Rogerus Baconus, 155. a
Rogerus Ceſtrius, 161. b
Rogerus Ciſtercienſis, 134. a
Rogerus Crolandienſis, 142. a
Rolandinus Patavinus, 246. b
Romerius, 240. b
Romualdus, Salernitanus archiepiſc.
Roſvida, 111. a
Rotgerus Benedictinus, *vide* Rogerus abbas.
Rubertus, *vide* Michaël Robertus.
Rucellarius, *vide* Bernardus Rucellarius.
Rudolphus Agricola, 176. a
Rudolphus Floriſcenſis, 156. b
Rudolphus à Frameynſperg, 165. a
Rudolphus, Fuldenſis monachus, 100. b
Rudolphus Langius, 199. a
Rudolphus Niger, 147. b
Rudolphus S. Trudonis, 126. a
Rufinus, 66. b
Rufinus Sipius, 150. a
Rufus Celſus, 61. b
Rufus, *vide* Cluvius Rufus.
Rufus, *vide* Curtius Rufus.
Rufus, *vide* Joannes Rufus.
Rufus, *vide* Munatius Rufus.
Rufus, *vide* Rutilius Rufus.
Rufus, *vide* Sextus Rufus.
Ruggerus, *vide* Rogerius Fuldenſis. 9. a
Rupertus Gaguinus, 206. a
Rupertus Gallus, 243. a
Rupertus S. Remigii, *vide* Rupertus Gallus.
Rupertus Tuitienſis, 128. a
Ruſo, *vide* Druſo.
Ruſticus, *vide* Fabius Ruſticus.
Ruſticus, *vide* Junius Ruſticus.
Ruthardus, 100. b
Rutilius Claudius Numatianus, 71. a. 234. a
Rutilius Flaccus, 256. b
Rutilius Geminus, 223. a
Rutilius Numatianus, *vide* Rutilius Claudius Numatianus.
P. Rutilius Rufus, 12. b

S.

Sabellicus, *vide* Marcus Antonius Sabellicus.
Sabinus, *vide* Ælius Sabinus.
Sabinius Tiro, 261. a
Salgherius, *vide* Hieronymus Salgherius.
Salimbenus de Salimbenis, 153. b
Saliphilax, 110. a
Salluſtius, *vide* Criſpus Salluſtius.
Salluſtius Dionyſius, 261. a
Salluſtii alii tres, *ibid.*
M. Salvidienus, 233. a
Salvus Caſſetta, 190. b
Sammonicus, *vide* Serenus Sammonicus.
Samuel Beulanus, 85. a
Sanblaſianus, *vide* Otto Sanblaſianus.
Santra, 223. a
Sanutus Tortellius, *vide* Marinus Sanutus Tortellius.
Sanutus junior, *vide* Marin. Sanutus junior.
Saphyrius Aſturicenſis, 236. b
Saturninus, *vide* Junius Saturninus.
Saturninus, *vide* Pompejus Saturninus.
Saxo Grammaticus, 139. b
Schafnaburgenſis, *vide* Lambertus Schafnaburgenſis.
Scala, *vide* Bartholomæus Scala.
Scaurus, *vide* Æmilius Scaurus.
Scedelius, *vide* Hartmannus Scedel.
Schottus, *vide* Petrus Schottus.
Schritovius, 228. a
L. Scribonius Libo, 8. a
Sebaſtianus Brant, 238. b
Sebaſtianus Caſſinenſis, 235. a
Sebaſtianus Flaminius, 211. a
Sebaſtianus Murrho, 255. a
Sebaſtianus Salmanticenſis, 236. b
Seboſus, *vide* Statius Seboſus.
Secundus, 83. b
Sefridus, 129. b
Sempronius Aſellio, 11. a
C. Sempronius Tuditanus, 10. b
Senatus, *vide* Servatus.
Seneca, *vide* Annæus Seneca.
Senecio, *vide* Herennius Senecio.
Septimius, 223. b
Q. Septimius Romanus, 233. b
Serenus Sammonicus, 56. b
Sergius, 225. b
Sericus, *vide* Lobardus Sirichius.
Serlo Grammaticus, *vide* Joannes Serlo.
Servatius Ædicellus, vel Ædicellius, 223. b
Servatus Bravonius, 233. a
Servatus, *vide* Lupus Servatus.
Servilianus, *vide* Fabius Maxim. Servilianus.
Servilius, 261. a
M. Servilius, 43. b
Servilius Novianus, 46. b
Servius Fabius, 5. a
Servius Claudius, 262. a
Servius Fabritius, *ibid.*
Severus, *vide* Alexander Severus.
Severus, *vide* Aquilius Severus.
Severus, *vide* Caſſius Severus.
Severus, *vide* Cornelius Severus.
Severus Imp. 56. a
Severus Minoricenſis, 70. b
Severus, *vide* Odo Severus.
Severus Sulpitius, 67. a
Sextius, medicus, 261. a
Sextius, hiſtoricus, *ibid.*
Sextus Gellius, 11. b
Sextus Julius, Frontinus, *vide* Frontinus.
Sextus Rufus, 63. b
Sibertus de Beka, 160. a
S. Sibrandus Friſius, 145. a
Sicardus Cremonenſis, 136. b
Sidonius, 74. b
Sicho Polentonus, *vide* Xiccho Riccius Polentonus.
Siffridus presbyter, 158. a
Sigeardus, 155. b
Sigebertus Corbejenſis, 107. b
Sigebertus Gemblacenſis, 94. a
Sigerius, *vide* Sugerius.
Sigiſmundus de Fulgineo, 205. b
Sigiſmundus Goſſenprot, 178. a
S. Silius Italicus, 50. a
Sillebertus, cognomento Univerſalis, 153. b
Simeon Dunelmenſis, 131. b
Simon Tornaquitius, 223. b
Sinnius Capito, 261. a
Sirichius, *vide* Lobardus Sirichius.
L. Siſenna, 14. a
Sivardus Sapiens, 95. a
C. Julius Solinus, 223. b
Soſianus, *vide* Fabius Soſianus.
Sozomenus Piſtorienſis, 159. a
Spartianus, *vide* Ælius Spartianus.
Spazzarinus, *vide* Joannes Dominicus Spazzarinus.
Spottus, *vide* Thomas Spottus.
Spretus, *vide* Deſiderius Spretus.
Statius Cyrillus, 61. a
Statius Papinius, *vide* Papinius Statius.
Statius Seboſus, 224. a
Statius Tullianus, 262. a
Statius Valens, *ibid.*
Stella, *vide* Joannes Stella.
Stephanardus Flamma, 156. a
Stephanardus è Vicomercato, *ibid.*
Stephanus Brickingtonus, ſeu Byrchingtonus. 168. b
Stephanus Cremonenſis, 224. b
Stephanus diaconus, 77. b
Stephanus, epiſcopus Leodienſis, 107. a
Stephanus, itidem epiſcopus Leodienſis, 108. a
Stephanus Eiton, 161. a
Stephanus, *vide* Heddius Stephanus.
Stephanus Hiſpanus, 139. b
Stephanus Juliacus, 175. a
Stephanus Langton, 142. b
Stephanus, Leodienſis abbas, 124. a
Stephanus Luſignanus, 228. a
Stephanus, hiſtoriæ de inventione S. Maurini auctor, 112. b
Stephanus Mediolanenſis, 251. b
Stephanus Niger, 211. b
Stephanus, presbyter Africanus, 235. b
Stephanus, presbyter Anglus, 224. b
Stephanus S. Trudonis, 120. a
Stephanus Venturatus, 228. a
Stero, *vide* Henricus Stero.
Stovus, *vide* Joannes Stovus.
Strabo, monachus Fuldenſis, *vide* Walafridus Strabo.
Strodus, *vide* Ranulphus Strodus.
Suedericus, *vide* Jacobus Suedericus.
Suetonius Optatianus, 59. a
Suetonius Paullinus, 43. a
Suetonius Tranquillus, 53. a
Suevius, poëta, 262. a
Sugerius abbas, 243. a
Sulcardus Weſtmonaſterienſis, 121. b
Sulco Fortena, 95. a
Sulpitius Alexander, 224. b
Sulpicius Galba, 29. b
Sulpicius, *vide* Severus Sulpicius.
Sura, *vide* Æmilius Sura.
Sura, *vide* Palphurius Sura.
Sura Manlius, 261. a
Sylla, *vide* Cornelius Sylla.
Sylveſter Gyraldus, 138. a
Sylveſter de Prierio, 210. a
Sylvius, *vide* Æneas Sylvius.
Sylvius Bonus, 259. b
Symmachus, 225. a

T.

Taboræus, *vide* Petrus Taboræus.
Tacitus, *vide* Cornelius Tacitus.
Tageno, 138. b
Tangmarus, 114. b
Tanuſius Geminus, 19. b
Tarquitius, 54. a
L. Tarruntius Firmanus, 262. b
Tathæus, *vide* Thadæus.
Tatius, *vide* Statius Cyrillus.
Telephus, 27. a
Teleſinus Helius, 77. b
Teo, 225. a
Terentianus, 233. b
M. Terentius Varro, 18. a
Terentius Varro Atacinus, *vide* Varro Atacinus.
P. Tertius, 261. b
Thaborita, *vide* Henricus Thaborita.
Thadæus abbas, 196. b
Thadæus Romanus, *vide* Thadæus abbas.
Theganus, 97. a
Theleſinus, *vide* Teleſinus Helius.
Theo, *vide* Teo.
Theobaldi duo, 225. a
Theobaldus Anglicus, 250. a

Theoclius, 59. a
Theodatus, 235. a
Theodatus Fritona, 235. b
Theodericus S. Albani, 115. b
Theodericus de Apoldia, 156. a
Theodericus Benedictinus, 139. a
Theodericus Caſſinenſis, 225. a
Theodericus Engelshuſius, 251. b
Theodericus S. Matthiæ, 113. b
Theodericus à Niem, 169. b
Theodericus Paulli Gorcomenſis, 175. b
Theodericus Thuringius, 154. b
Theodericus Trevirenſis, 110. b. 178. a. 225. a
Theodericus S. Trudonis, 124. a
Theodericus Uric, 170. b
Theodonatus, *vide* Theodatus.
Theodorus Campedonenſis, 236. a
Theodorus auctor vitæ S. Magni, 236. a
Theodorus Trevirenſis, *vide* Theodericus Trevirenſis.
Theodotus, *vide* Theodatus.
Theodulphus, 243. b
Theodulus, 235. a
Theofridus Epternacenſis, 121. a
Theophilus, 225. b
Theophilus Caſſinenſis, 256. b
Theudus, 120. a
Thimon, 221. a
Thomæus, *vide* Nicolaus Leonic. Thomæus.
Thomas Baſinus, 190. a
Thomas Brandley, *vide* Thomas Scrope.
Thomas de Cantiprato, 153. a
Thomas Caſtelforde, 161. a
Thomas de Cellano, 145. a
Thomas de Ceperano, 145. a. & plenius 246. a. b
Thomas Dando, 174. b
Thomas Diaconus, 168. a
Thomas Eckleſton, 162. b
Thomas Gaſcoigne, 197. a
Thomas Grajus, 229. b
Thomas Haſilwode, 161. b
Thomas à Kempis, 252. b
Thomas à La-Moore, 158. b
Thomas Langforde, 161. a
Thomas Lentinus, 150. b
Thomas Lexovienſis, *vide* Thomas Baſinus.
Thomas Lovanienſis, *vide* Thomas de Cantiprato.
Thomas Monemutenſis, 132. b
Thomas Morus, 213. a
Thomas Ord. Præd. *vide* Thomas de Cantiprato.
Thomas Otterburne, 170. a
Thomas Rudburne Menevenſis, 174. a
Thomas Rudburne Wintonienſis, 197. b
Thomas Scrope, 196. a
Thomas Spottus, 155. a
Thomas Stubs, 167. a
Thomas Varoye, 251. a
Thomas Vinkecumbe, 225. b
Thomas Walſingham, 196. b
Thomas Wiccius, 155. a
Thomas Wigenhale, 197. b
Thomellus Flander, 241. b
Thorneus, *vide* Guilhelmus Thorne.
Thraſeas Pætus, 43. b
Thrivetus, *vide* Nicolaus Thrivetus.
Thuſcus, *vide* Cornelius Thuſcus.
Tibarenis, ſeu Tibarnis, 262. b
Tiberinus, *vide* Joannes Matthias Tiberinus.
Tiberius, 38. b
Tibertus, *vide* Darius Tibertus.
Tietmarus, *vide* Dietmarus.
Tilpinus, *vide* Turpinus.
Tiphernas, *vide* Gregorius Tiphernas.
Tiro, *vide* Tullius Tiro.
Titianus, *vide* Julius Titianus.
Titinius Capito, 52. a
C. Titius, 262. b
Titius de feriis, *ibid.*
Titius Probus, 40. a
Titus Ampius, 225. a
Titus Livius de Fraunoliſis, *ibid.*
Tortarius, 256. b
Tortellius, *vide* Joannes Aretinus Tortellius.
Tortellius, *vide* Marinus Sanutus Tortellius.
Toſtatus, *vide* Alfonſus Toſtatus.
Trajanus Cæſar, 52. a
Tranquillus, 262. b. *vide* & Suetonius Tranquillus.
Trapezuntius, *vide* Georgius Trapezuntius.
Trebatii duo, 262. b
Trebellius Pollio, 60. b
Trebius Niger, 262. b
C. Trebonius, 228. a
Tripolitanus, *vide* Guilhelmus Tripolitanus.
Trithemius, *vide* Joannes Trithemius.
Trogus Pompejus, 32. a
Tubero, *vide* Ælius Tubero.
Tucherus, *vide* Joannes Tucherus.
Tuditanus, *vide* Sempronius Tuditanus.
Tullius Tiro, 27. a
Tundalus, 244. b
Turannius Gracculа, 262. b
Turdulus Gallicanus, 233. a
Turgotus Dunelmenſis, 225. a
Turocius, *vide* Joannes Turocius.
Turpinus, 95. a
Turſtinus Eboracenſis, 130. b
Tyrius, *vide* Guilhelmus Tyrius.

V.

Vadus, *vide* Laurentius Vadus.
Valens, *vide* Statius Valens.
Valerandus Varanius, 211. b
Valerianus, *vide* Cornelius Valerianus.
Q. Valerius Antias, 15. a
M. Valerius Corvinus Meſſalla, 28. b
Valerius, Hipponenſis præſul, 228. b
Valerius Marcellus, 225. b
Valerius Maximus, 39. b
Valerius pontifex, 262. b
M. Valerius Probus, 259. b
Valerius Soranus, 262. b
C. Valgius, medicus, *ibid.*
Valla, *vide* Laurentius Valla.
Valterus, *vide* Gualterus.
Varinus, *vide* Guarinus.
Varro Atacinus, 25. a
Varro, *vide* Terentius Varro.
Vartomannus, *vide* Ludov. Vartomannus.
Ubertinus Paſculus, 225. b
Udalricus, *vide* Ulricus.
Udalricus Herlinger, 150. b
Udalricus à Lentzburch, 160. b
Udalſcalcus, 124. b
Vecerius, *vide* Conradus Vecerius.
Vedaſtini monachi, 225. b
Velius Longus, 262. b
Vellejus Celer, *ibid.*
Vellejus Paterculus, 38. a
Vellius, vel Vellejus, *vide* Cneus Gellius.
Venantius, *vide* Gualterus Hunterus.
Venantius Fortunatus, 80. a
Venedota, *vide* Aſaphus Venedota.
Venonius, 226. a
Veranii duo, 262. b
Verardus, *vide* Carolus Verardus.
Veratius, 263. a
Verberatanus, *vide* Conſtantinus Verberatanus.
Verinus, *vide* Egnatius Verinus.
Vergerius, *vide* Petrus Paulus Vergerius.
Verinus, *vide* Hugolinus Verinus.
Verlatius de Verlatis, 257. a
Verrius Flaccus, 34. a
Verus, 89. a
Verus, *vide* Aurelius Verus.
Veſputius, *vide* Americus Veſputius.
Uffingus, vel Uffo Friſius, 113. a
Vibius Flavianus, *vide* Vibius Nicomachus Flavianus.
Vibius Nicomachus Flavianus, 234. a
Vibius Sequeſter, 226. a
Vicentinus, *vide* Ludovicus Vicentinus.
Victor, *vide* Aurelius Victor.
P. Victor, *vide* Sextus Rufus.
Victor Cummenenſis, *vide* Victor Tunnunenſis.
Victor Tunnunenſis, 255. a
Victor Uticenſis, 74. b
Vierus, *vide* Albericus Vierus.
Vigilius, 65. b
Vilco Jaerſma, 126. a
Vicentius Bellovacenſis, 149. b
Vincentius Cadlucus, 179. b
Vincentius Carſulanus, 159. a
Vipſanius Agrippa, 28. b
Vipſanius Meſſalla, 47. a
Virgilius, *vide* Polydorus Virgilius.
Virius Nicomachus Flavianus, *vide* Vibius Nicomachus Flavianus.
Virunnius, *vide* Ponticus Virunnius.
Viſbius, 50. b
Viſellius, 263. a
Vitalis, *vide* Ordricus Vitalis.
Vitellius, *vide* Eraſmus Vitellius.
Q. Vitellius Eulogius, 34. a
Vitus Arenpeckius, 176. a
Ulricus de Urimaria, 226. b
Ulricus Wellingus, 157. a. 178. a
Umbricius, 263. a
Umbrius, 263. b
Umbro, *ibid.*
Unwonus Britannus, 110. b
Volaterranus, *vide* Raphaël Volaterranus.
Volcmarus Furſtenfeldenſis, 127. b
Volumnius, 27. b. 263. b
Voluſius, 20. a
Uranius, 71. b
Urbanus VI. 167. b
Urbicus, *vide* Lollius Urbicus.
Urſinus, 239. b
Urſpergenſis abbas, *vide* Conradus à Liechtenaw.
Urſus diaconus, 101. b
Uſuardus, 94. a
Utho Argentoratenſis, 109. b
Vulcatius, 228. b
Walafridus Strabo, 96. b
Walkingtonus, *vide* Nicolaus Walkington.
Wallingfordus, *vide* Joannes Wallingfordus.
Walpurga, 237. a
Walterus abbas, 216. b
Wandelbertus, 100. b
Warmannus, 215. b
Warnerus Homiliarius, 123. a
Wellingus, *vide* Conradus Wellingus.
Wenceſlaus, 121. b
Wentanus, *vide* Daniel Wentanus.
Wentanus, *vide* Ethelwoldus Wentanus.
Werembertus, 102. a
Wernerus Larius, *vide* Wernerus Rolevinck.
Wernerus Rolevinck de Laar, 177. a
Wethampſtedus, *vide* Joan. Wethampſtedus.
Wibertus, *vide* Gilbertus.
Wiccius, *vide* Thomas Wiccius.
Wichardus, Baro à Polheim, 248. a
Wigandus Victor, 228. b
Wilbertus, *vide* Gilbertus.
Wilhelmus, *vide* Guilhelmus.
Wilkinus de Spoleto, 246. a
Willebrordus, 87. b
Willibaldus Devonius, 91. a
Wimphelingus, *vide* Jacobus Wimphelingus.
Winchardus Baro, *vide* Wichardus Baro.
Windignotus, 226. b
Winduchindus, 111. a
Wippo, ſeu Wipo, 216. b
Vulcatius Gallicanus, 60. a
Vulcatius Terentianus, 58. a
Wolfhardus monachus, 239. a
Wolſtanus Wintonienſis, 213. a
Worceſtrius, *vide* Guilhelmus Worceſtrius.

X.

Xiccho Riccius Polentonus, 252. a

Z.

Zacharias Benedictus, 201. b
Zacharias Zachius, 212. b
Zamaldonus, 257. a
S. Zeno, 233. a
Zenus, *vide* Jacobus Zenus.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

# HISTORIÆ UNIVERSALIS EPITOME.

*Antehac nunquam edita.*




*AMSTELODAMI,*
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# HISTORIÆ UNIVERSALIS EPITOME.

## *De omni Ævo univerſè.*

OMne Ævum, quod ab Orbe condito fluxit uſque ad hoc tempus, quo juxta vulgarem Chriſtianorum Æram annus fluit 1622, annorum eſt quinquies mille, quingentorum, ſeptuaginta.

Dividitur verò in tres partes.
Prima eſt ab Adamo uſque ad Abrahamum,
Altera ab Abrahamo uſque ad Chriſtum,
Tertia à Chriſto uſque ad annum præſentem.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Primum | Intervallum eſt annorum | 1948 | quemadmodum inferius oſtendemus. |
| Alterum | | 1999 | |
| Tertium | | 1623 | |

Statuo verò, nunc exactum eſſe annum 5570, id eſt, à Chriſto nato 1624, non 1622, ut vulgo fieri ſolet. Quod inde, quia vulgò ſequimur Æram Dionyſii Abbatis, cognomento Exigui, qui quingentis & amplius annis vixit à nato Chriſto. Nam quum antea numerarent annos ab Imperio Diocletiani, hoſtis Chriſtianorum infeſtiſſimi, Dionyſius hic à Chriſto numerare cœpit; eumque alii Chronologorum ſunt ſecuti. Sed inferius oſtendemus, biennio ante Chriſtum fuiſſe natum, quam Dionyſius putavit. Eaque ratio eſt, cur annus, qui juxta Dionyſianam Æram eſt primus, is verò Chriſti natali ſit tertius; ac præſens annus, qui creditur eſſe 1622, ſit 1624.

## *De temporibus Hebræorum.*

SPacio hoc annorum 5570, continentur Tempora omnium gentium. Nos præcipuarum duntaxat tempora exponemus. Auſpicabimur autem à rebus Hebræorum, ſive, ut poſtea dicebatur, Iſraëlitarum. Horum origo alia eſt communis, alia genti propria & peculiaris.

Communis eſt Adamus; propria autem eſt Vocatio Abrahæ, ejuſque migratio è Charran Meſopotamiæ in Palæſtinam, ſive Terram Chanaan.

Sunt verò ab Adamo ad Vocationem hanc anni 2023. Eſtque hoc tempus bipartitum. Nam ab Adamo uſque ad Diluvium anni ſunt - - 1656 } quod tempus incidit in anno mundi { 1656
A Diluvio uſque ad Vocationem Abrahæ 367 } { 2023.

A propria verò origine uſque ad finem Politiæ Judaïcæ quintuplici intervallo Hebræorum tempora metiuntur.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 429 | I. Nam à vocatione Abrahæ uſque ad exitum ex Ægypto, qui dicuntur anni Peregrinationis, eſt intervallum annorum | 430 | quod tempus incidit in anno M. exactum | 2453 |
| 479 | II. Ab egreſſu hoc (ex quo tempore Iſraëlitæ non Templum, ſed Tabernaculum habuere) uſque ad Templi Salomonis ſtructuram anni ſunt - - | 479 | | 2931 |
| 428 | III. A ſtructura hac uſque ad Templum à Chaldæis incenſum - - - - - | 427 | | 3360 |
| 171 | IV. Ab excidio Templi uſque ad Darii Nothi Edictum de Inſtauratione Templi - - | 168 | quod tempus incidit in anno M. exactum | 3526 |
| 488 | V. Ab edicto hoc uſque ad Templum, à Romanis exciſum & Rempubl. Judæorum penitus deletam - - - | 491 | | 4018 |

## *De tempore, quod Vocationem Abrahæ præcedit.*

UT verò hæc manifeſtiora fiant, diſtinctè ac particulatim agemus, prius quidem de illis 2023 annis, qui fuere ante Vocationem Abrahami; deinde de quintuplici annorum intervallo, quod aſſignabo temporibus, ad res Hebræorum pertinentibus.

Tempus, quod Vocationem Abrahæ anteceſſit, complectitur novendecim generationes. Sunt verò iſtæ, ut ex XV. Geneſios cognoſcere eſt,

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Adam Seth, | genuit, annos natus | 130 | qui Mundi annus erat | 130 |
| Seth Enoſch, | | 105 | | 235 |
| Enoſch Kenan, | | 90 | | 325 |
| Kenan Malaleël, | | 70 | | 395 |
| Malaleël Jared, | | 65 | | 460 |
| Jared Enoch, | | 162 | | 622 |
| Enoch Mathuſalem, | | 65 | | 687 |
| Mathuſalem Lamech, | | 187 | | 874 |
| Lamech Noach, | | 182 | | 1056 |
| Noach Sem, | | 502 | | 1558 |
| Sem Arphaxad, | | 100 | | 1658 |
| Arphaxad Selach, | | 35 | | 1693 |
| Selach Eber, | | 30 | | 1723 |
| Eber Peleus, | | 34 | | 1757 |
| Peleus Rehu, | | 30 | | 1787 |
| Rehu Segur, | | 32 | | 1819 |
| Segur Nachor, | | 30 | | 1849 |
| Nachor Thara, | | 29 | | 1878 |
| Thara Abraham, | | 70 | | 1948 |

Ex his, qui Noacho priores fuere, eos viderunt, unde deſcenderant; Noachus verò tres iſtos videre non potuit, Adamum, Sethum, Enochum: quorum Adam mortuus anno ætatis pariter ac mundi 930. Henoch vivus à Deo ſublatus anno ætatis 365, mundi 987. Seth mortuus anno ætatis 912, mundi 1042. Omnium verò diutiſſimè vixit Mathuſalem, ut qui diem obierit anno ætatis 969. Fuit is Lamechi parens, avus Noachi; cujus anno ſexcenteſimo Diluvium fuit. Quare quum natalis ejus incidat in annum mundi abſolutum 1056. Satis liquet, Diluvium cœpiſſe exacto mundi anno 1656. Nempe poſt annos triginta quatuor par erit intervallum ab Adamo primo uſque ad Diluvium, & ab Adamo ſecundo uſque ad tempus aſſignatum. Erat verò Sem Diluvii tempore annorum 98, ita ut ex Patriarchis iſtis, qui omnes majores ſuos, etiam Adamum ipſum, noverant, duos conſpexerit, avum ſuum Lamechum & Mathuſalem proavum. Ac vixit idem Sem uſque ad annum quinquageſimum Jacobi Patriarchæ, qui mundi erat 2118 exactus.



Digitized by Google

Semi pronepos fuit Heber, à quo Hebræos quaſi Hebereos dici, communior ſententia eſt. At Eberi filius erat Peleg; cujus tempore tria contigere plane memorabilia. Unum eſt diviſio terræ inter Noachidas; alterum eſt confuſio linguarum, quæ contigit in extructione turris Babel; tertium dimidiatio temporis inter Adamum Primum & Secundum. Nam in Pelegi annum 191 incidit annus mundi 1974, qui duplicatus efficit 3948, quo anno natus Meſſias.

Quemadmodum vero decimus ab Adamo eſt Noachus, ita decimus à Noacho eſt Abraham; qui natus anno mundi 1948, ac ſeptuageſimo anno vocatus eſt à Deo ex Charran Meſopotamiæ & promiſſionem accepit de Meſſia, ex ſemine ſuo naſcituro. Utrumque tempus ſi conjungimus, liquet, Vocationem Abrahæ incidere in annum mundi 2023, ut ſuperius diximus.

## *De Temporis intervallo ab Vocatione Abrahæ uſque ad exitum ex Ægypto.*

Proximum eſt, ut agamus de Temporibus, quæ propriè Judæos ſpectant, ac primùm videndum de intervallo, quod eſt à Vocatione Abrahæ uſque ad Iſraëlitarum ex Ægypto egreſſum. Superius verò diximus, hoc eſſe annorum 430. Dividitur verò in duas partes æquales, quod non ſine myſterio factum videtur. Sunt enim à Vocatione Abrahæ uſque ad ingreſſum Jacobi in Ægyptum anni 215; ac totidem ſunt anni ab ingreſſu illo uſque ad egreſſum ex Ægypto. Scio, Moſen Exod. XII. dicere, incolatum in Ægypto fuiſſe annorum 430. Sed hoc ſimpliciter intelligi nequit; ſiquidem Geneſ. XLVI. legimus, Cahadum, filium Levi, cum patre deſcendiſſe in Ægyptum. Vixit autem Cahad annos 133. Filius hujus Amram vixit annos 137. Ejus filius Moſes, quum Iſraëlitas duceret ex Ægypto, annos natus erat 80. Hos annos Moſis ſi cum univerſa Cahadi & Amrami ætate conjungas, tantum fient anni 350. Unde ſine dubio ſubduci debent anni Cahadi & Amrami, quos vixerant, antequam vel ille Amramum, vel hic Moſem gigneret. Quare neceſſe, ut (quod Paulus Apoſtolus facit Gal. III.) Moſis verba interpretemur de univerſis annis peregrinationis, hoc eſt, de omni eo intervallo, quod inter Vocationem Abrahæ & egreſſum ex Ægypto interceſſit. Nam diſertim dicit, inter promiſſionem factam & Legem latam annos intercedere 430. Ingreſſus verò in Ægyptum, ut dixi, diſpeſcit hoc tempus in duas partes æquales: quod ita comprobatur.

| | |
|---|---|
| Abrahami vocatio incidit in annum ætatis 75, genuit verò Iſacum centenarius, nempe annis poſt vocationem | 25 |
| Iſaac genuit Jacobum annos natus | 60 |
| Jacob, quum ingreſſus eſt Ægyptum, annorum erat | 130 |
| qui juncti efficiunt annos | 215. |

Unde conſequitur, totidem annos fuiſſe in Ægypto, ut ita fiant anni 430, quos Moſes & Paulus expreſſere.

Poſteriores verò 215 annos, quibus in Ægypto fuere, commodè puto dividi poſſe in quatuor partes. Sanè ſi Levi natus eſt anno Iacobi 88, ut è Scripturis probabiliter colligi poteſt; ſequitur, eum, quum Iacob annorum eſſet 130, (quo anno ingreſſus eſt Ægyptum) fuiſſe annorum 42. Ac vixit Levi annos 137, ſicut diſertim ait Moſes, quare neceſſe ſit, ut in

| | |
|---|---|
| Ægypto vixerit annos | 95 |
| At à morte Levi uſque ad nativitatem Moſis anni ſunt | 40 |
| Itidem ad fugam ejus in Madian ſunt anni | 40 |
| Denique inde ad reditum in Ægyptum & liberationem populi anni ſunt | 40 |
| Unde ſimiliter conſiunt anni | 215. |

## *De tempore ab Egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto uſque ad Templi ſtructuram.*

Oſtendam nunc, ab Egreſſu ex Ægypto, quo tempore Salomon Templum exſtruere cœpit, annum fluxiſſe 480, quod aſſeveranti Scripturæ credere debemus: nam 1 Reg. VI apertè hoc dicitur. Sed ut hiſtoriæ ejus temporis lucis aliquid accedat, idem per partes adſtruemus.

| | |
|---|---|
| Moſes, octoginta annos natus, eduxit Iſraëlitas ex Ægypto. Vixit autem annos 120, ut populo in deſerto præfuerit annos | 40 |
| Moſi ſucceſſit Ioſua, qui, quamdiu imperarit, non dicitur apertè in Scripturis. Sunt, qui imperio ejus tribuunt annos 27. Sed temporum ratio arguit, tantum annos rexiſſe | 17 |
| Poſt Ioſuam tredecim Iudices iſti, de quibus Lib. Iudic. imperarunt annos | 299 |
| Exinde Heli Iudex & ſummus Sacerdos fuit annos | 40 |
| Samuel item, qui ultimus Iudicum fuit, & Saul, primus Rex Iſraëlis, imperarunt annos | 40 |
| Itidem David regnavit annos | 40 |
| Salomon verò, qui & ipſe 40 annos imperavit, exſtruere Templum cœpit, quum imperaſſet annos | 3 |
| Qui anni juncti efficiunt annos | 479. |

Non abs re verò erit, ſi ſeorſim digeramus tempora Iudicum iſtorum, quos 299 annos rexiſſe Iſraël dicebamus. Sunt verò XIII numero; ex quibus quinque priores imperium obtinuere ducentis annis.

| | | |
|---|---|---|
| I. Othoniel enim annis imperavit | 40. | Hic Iſraëlitas liberavit à ſeptenni jugo regis Syriæ. |
| II. Ehud & III. Samgar } rexere ann. | 80. | Ehud eoſdem liberavit à jugo Eglon, Moabitar. regis. |
| IV. Debora | 40. | Debora ductu Barachi liberavit eos à ſervitute Iabinis, Cananæorum regis. |
| V. Gideon | 40. | Gideon liberavit eos à ſervitute Madianitarum, quorum centum viginti millia à ccc Iſraëlitis. Sola amphorarum confractione & tubarum clangore & fulgore lampadum ita territi fuere, ut ſe mutuis vulneribus conficerent. |
| At ſequentes octo ſolùm imperarunt nonaginta novem annis. | | |
| VI. Abimelech annis rexit | 3. | Abimelech, Gideonis ex concubina fil. LXX fratrum cæde imper. ſibi peperit, quod in tyrannidem vertit. |
| VII. Thola | 23. | |
| VIII. Jaïr | 22. | |
| IX. Jephthe | 6. | Jephthe ſuos liberavit jugo Ammonitarum. Idem Ephraëmitarum, quum exitium ſibi eſſent minati, occidit 42000. |
| X. Ebzam | 7. | |
| XI. Elon | 10. | |
| XII. Abdon | 8. | |
| XIII. Sampſon | 20. | Samſon, mortalium omnium robuſtiſſ. defendit Iſraëlitas adverſus Philiſthæos, quorum etiam moriens occidit 300. |

Adhuc verò diſputatur, utrum ſub Ehud, an Thola, an alio Iudicum acciderit hiſtoria Ruth, Moabitidis, quæ jure propinquitatis Boozo nupſit atque ex eo peperit Obed, patrem Iſaï, avum Davidis. Quemadmodum verò ab Adamo Noachus, à Noacho Abrahamus, ita ab Abrahamo Booz hic decimus fuit. Siquidem Abraham genuit Iſaac,

Iſaac Jacobum,
Jacob Judam,
Juda Pharez,
Pharez Eſrom,
Eſrom Aram,
Aram Amminadab,
Amminadab Naaſſon,
Naaſſon Salmon,
Salmon Booz.

De

*De intervallo à Structura Templi uſque ad Excidium ejus.*

Conſiderandum deinceps, quantum temporis effluxerit à ſtructura Templi uſque ad excidium ejus. Ac Salomon quidem exſtruere Templum cœpit anno imperii ſui quarto. Imperavit autem annis 40, ut poſt inchoatam ſtructuram annis vixerit —— —— —— 37

Ab ejus morte diviſum eſt Imperium in Judaïcum & Iſraëliticum; illud duas tribus Juda & Benjamin: hoc decem reliquas continebat. Illud cœpit à Roboam, filio Salomonis; hoc à Jeroboamo, ſervo Salomonis. Illud duravit annis 390: hoc tertia parte minus duravit, nempe, ut rotundo utar numero, annis 260, vel exactè loquendo uno minus. Itaque à Ieroboamo uſque ad Oſeam, ultimum Iſraëlis regem (cujus tempore Samaria, regni metropolis, à Salmanaſſare capta & decem Tribus captivæ abductæ, perque Aſſyriam & Mediam diſperſæ fuerunt) anni ſunt —— —— 259

A quo tempore uſque ad Zedechiam, à Nabuchdonoſoro captum, Templum dirutum, populumque Iudaicum, in Babyloniam abductum anni ſunt —— 131

Qui juncti efficiunt annos —— —— 427.

Illud etiam conſiderari nec inutile, nec injucundum videtur, ut à Moſe ad Zedechiam quadraginta ſint Rectores ac æqualis eorum numerus ſit, qui ante ſeparationem decem Tribuum, quique poſtea rexere. Viginti eos, qui ſeparationem præcedunt, ſuperius nominavimus, nempe Duces duos, Moſen & Ioſuam, tredecim Iudices, de quibus Lib. Iud. tractat, duos, qui hos conſecuti, Heli & Samuel; ac denique tres Reges, qui cunctis Tribubus imperarunt, Saul, David, Salomon. Subjiciemus nunc viginti Reges Iudæ, quorum & imperii annos apponemus.

| | |
|---|---|
| Roboam, | 17 |
| Abia, | 3 |
| Aſſa, | 41 |
| Ioſaphat, | 25 |
| Ioram ſolus, | 4 |
| Ahaſias, | 1 |
| Athalia, | 6 |
| Ioas, | 40 |
| Amaſias, | 29 |
| Poſt quem interregnum fuit annorum | 3 |
| Azarias, ſive Uzias, | 52 |
| Ioatham, | 16 |
| Achas, | 16 |
| Hiskias, | 29 |
| Manaſſe, | 55 |
| Amon, | 2 |
| Ioſias, | 31 |
| Ioachas, | 3 menſ. |
| Ioachim, | 10 |
| Ioakim, ſive Iechonias, | 3 menſ. |
| Zedekias, | 10 |
| | 390 |

Ad conciliandum numerum annorum, qui Regibus Iudæ ac Iſraëlis tribuitur in Scripturis, ſecuti eos ſumus, qui poſt Amaziam interregnum ſtatuunt annorum trium. At ſunt, qui interregnum duraſſe putent annis undecim, uti Sethus Calviſius. Interim hic quoque à Roboamo uſque ad captum Zedekiam annos ſolùm numerat 390. Diverſitas hæc inde eſt, quod regibus alii annum minus, alii plus tribuant, illis in Scripturis intelligentibus annos completos, his inchoatos. Sed ſunt etiam viri eruditi, qui à Roboam uſque ad Zedekiam non numerent annos 390, ſed vel 10, vel 15, vel etiam 18 annos huic numero adjiciunt. Nempe non uno omnes modo Regum Iudæ annos conciliant cum annis Regis Iſraëlis, aliqui etiam ad annos ſolùm, qui Regibus Iudæ tribuuntur, attendunt; quos falli mirum non eſt. Cæterum ſi regnum Iudæ à Roboam uſque ad Zedekiam ſtetit præciſè annos 390, dubium non erit, quin de iis intelligi debeant verba Ezechielis cap. IV. *Ego do tibi annos iniquitatis illorum pro numero annorum, trecentos, nonaginta dies, ut feras iniquitatem domus Iſraelis.* Sed qui annos tantùm putant 372, ii his annis, quibus peccavit populus Iudaicus, annumerant extremos quatuordecim annos, quibus Salomon in idolatriam fuit prolapſus; item annos quatuor poſt captum Zedekiam, quibus reliquiæ ſunt deportatæ, ut ſimiliter conficiant anni 390.

*De ſpatio annorum ab incenſo Templo uſque ad ejus Inſtaurationem.*

His ita expoſitis videamus, quot annorum intervallum à Templo, à Nabuchdonoſore incenſo, uſque ad inſtaurationem ejus.

Satis conſtat, captivitatem Babylonicam ſolutam eſſe anno ſeptuageſimo. Quum verò Captivitas ea initium ſumat à Deportatione Iechoniæ (in cujus locum Zedekias ſubſtitutus fuit decennio ante Templum incenſum) ſequitur, à Templo incenſo uſque ad duodetrigeſimum regni Perſici annum, quo Cyrus Iudaicum populum dimiſit ac Templi ei inſtaurandi fecit poteſtatem, annos eſſe . . . . . . 59

His 59 annis partim ſub Babyloniorum fuere poteſtate, partim Perſarum. Nam Cyrus quum decennio imperaſſet Perſis, Medos ſubegit; quum viginti annos rexiſſet, Perſiæ, Mediæque etiam Babylona ac totam Chaldæam adjecit; quum duodetriginta annos imperio potitus eſſet, jam reliquæ etiam Aſiæ dominabatur: ac tum demum Iudæis redeundi in patriam & Templi inſtaurandi poteſtatem fecit. Atque ob hoc illuſtre beneficium Iudæi eum vocabant primum Cyri annum, etſi regni Babylonii octavus, Medici decimus octavus, Perſici decimus octavus foret. Iudæi verò, qui Zorobabele duce, Ioſua Sacerdote in patriam rediere, non aliud quàm Templi fundamenta jecerunt atque altare erexerunt. Quod accidit partim ob Iudæorum paucitatem & inopiam, partim, quia Cyrus altero poſt Edictum anno obiit; Cambyſes verò, qui ei ſucceſſit, inſtigantibus vicinis Samaritis, ne progrederentur Iudæi, interdixit. Ita opus cœptum diu neglectum jacuit, nempe uſque ad ſecundum Darii Nothi annum, qui Edictum Cyri de inſtaurando Templo renovavit. Ex iis verò, quæ de annis Regum Perſicorum inferius dicemus, liquebit, id contigiſſe annis poſt Cyri Edictum . . 109

Ut ab incenſo Templo uſque ad ejus Inſtaurationem anni ſint . . . . . . . . 168.

Reſtat extrema pars de intervallo annorum, quod eſt à ſecundo anno Darii Nothi, quo Templum eſt inſtauratum, uſque ad excidium Templi ſecundi. Eſt hoc ſpatium annorum 490, quo Iudæi primùm ſub Perſis, inde ſub Alexandro & Epigonis, hinc ſub Aſmonæis, ſive Machabæis, ac denique ſub Romanis fuerunt. Pro quadruplici hoc imperio partiemur illud in quatuor partes. Ac primùm de tempore eo agamus, quo Perſis paruerunt. Quanquam verò ſub Perſis eſſe cœperunt, ſimulac Cyrus potitus eſt Babylone, tamen hoc loco illud ſolum tempus in conſiderationem venit, quod intra Darii Nothi annum ſecundum & Perſici imperii finem concluditur. Eſt hoc ſpatium tripartitum. Primum intervallum ab Edicto Darii Nothi, quem dicebamus Edictum Cyri repetiiſſe, uſque ad Edictum tertium, quo Artaxerxes Mnemon ſeptimi imperii ſui anno permiſit, ut Eſdras & quotquot eum comitari vellent (comitati autem mille & propè quingenti) Hieroſolymam proficiſcerentur ad comparanda Sacrificia, eaque in Hieroſolymitano Templo offerenda. Eſt hoc ſpacium annorum . . 23

Alterum intervallum inde eſt uſque ad Edictum quartum, quando idem Artaxerxes anno imperii ſui vigeſimo Nehemiam miſit Hieroſolymam cum poteſtate exſtruendi muros Urbis, eſtque annorum . . . . . 14

Tertium ſpatium extenditur uſque ad Darium Codomannum, ab Alexandro ad Arbelam devictum. Poſt

37



quam

Digitized by Google

37

quam victoriam Alexander ab Iaddo Sacerdote Hieroſolymis fuit exceptus. Is verò Iudæis αὐτονομίαν conceſſit annis ab quarto Edicto . . . . . . 55

Sunt igitur à ſecundo Darii Nothi huc uſque anni - 92.

Sequitur intervallum à victoria illa Alexandri & αὐτονομία, Iudæis conceſſa, uſque ad initium imperii Aſmonæorum. In hoc quoque tria diſtinctè tempore ſpectabimus. Primum enim fuere ſub Alexandro Magno, qui poſt victoriam eam annis vixit ſeptem.

Hinc fuere ſub Ptolomæis, Ægypti regibus. Eorum primus Ptolomæus, Lagi fil. anno poſt Alexandri obitum duodecimo Palæſtinam invaſit & fraudulentè Hieroſolymam cepit, Iudæoſque in Ægyptum abduxit. Cæterum ſuperſtite etiamnum patre regnare cœpit Ptolomæus Philadelphus, cujus juſſu à LXXII. Interpr. tranſlata eſt Scriptura. Illi ſucceſſit Ptolomæus Euergetes, Euergetæ Ptolomæus Philopater: cui Antiochus Magnus Syriæ Rex, Iudæam & aliquot Syriæ urbes, Ptolomæo antea parentes, eripuit. Accidit hoc annis ab obitu Alexandri Magni 113, qui annus Mundi fuit 3740.

Ab eo tempore Iudæi ſub Antiocho Magno eſſe cœperunt. Sed ſeptennio poſt Ptolomæus Epiphanes, qui Ptolomæo Philopatri ſucceſſerat, Antiocho eripuit Iudæam, præſidiumque Arci Hieroſolymitanæ impoſuit. Sed quinquennio pòſt Antiochus Magnus Scopam Ptolomæi ducem, vicit, eoque ſuperato Iudæi lubentes ſe Antiocho dedidere, ejuſque ope præſidium ex Arce ejecerunt. Succeſſit Antiocho Magno Seleucus Philopator; ſub quo Iudæi ſeditiones agitabant, eo quod Syriæ reges Pontificatum vendere cœpiſſent. Poſt Seleucum Philopatorem imperavit Antiochus Epiphanes, qui ex Ægypto, quam afflixerat, revertens, Hieroſolymam graviter eſt populatus, Arci præſidium impoſuit, Iudæos coegit, ut Gentilium ritu ſacrificarent, idolorum etiam templa ſtatuit. His coacti Iudæi duce Mattathia Aſſamonæo arma pro libertate adverſus Syriæ regem ceperunt. Accidit hoc annis, ex quo ſub Syriæ regibus eſſe cœperant, 43, anno Mundi 3783.

Quod ſi in unum colligas annos Alexandri . . . 7
Ptolomæorum . . . . . . . 113
Syriæ Regum . . . . . . . 43

Liquet, Iudæos ſub Alexandr. & Epigonis fuiſſe annis 163.

Age nunc de imperio Aſmonæorum, ſive Maccabæorum videamus; quod prius principatus, poſtea regnum fuit.

Primus Mattathias Aſmonæus principatum tenuit annum . . . . . . . . . 1
Huic ſucceſſit filius Iudas Maccabæus, qui Templum, ab Antiocho Epiphane profanatum, repurgavit. Cæſus eſt in bello, quum multa fortiter geſſiſſet annis . . 8
Poſt eum imperium fuit penes fratrem Ionathanem, qui & Pontificatum obtinuit. Rexit annis . . 18
Huic frater Simon in Pontificatum & Principatum ſucceſſit. Is à genero in convivio occiſus fuit, quum imperaſſet annis . . . . . . . 7
Simoni ſucceſſit fil. Iohannes Hircanus, qui imperium obtinuit annis . . . . . . 32

Ut Principatus Aſmonæorum duravit annis . . 64.

Ioanni Hircano ſucceſſit fil. Ariſtobulus, qui Principatum in regnum mutavit, primuſque à Captivitate Babylonica regis nomen geſſit. Regnavit anno . . . . . 1
Poſt eum Rex & Pontifex fuit Ariſtobuli frater Alexander Iannæus. Rexit annis . . . . . . 26
Hinc imperium fuit penes viduam ejus Alexandram annis 8
Exinde regnavit filius natu major Hircanus. Sed quum imperaſſet menſibus tribus, ejectus eſt à fratre Ariſtobulo ſecundo. Unde inteſtinum bellum ortum fuit, quod Iudæam peſſumdedit. Nam Hircanus Antipatri Aſcalonitæ ſuaſu fugit ad Aretam, Arabum regem. Is, ut Hircanum reſtitueret, Hieroſolyma obſedit. Sed Ariſtobulus Pompeji auxilium imploravit, qui Scaurum cum

35

35

exercitu miſit. Ita Aretas obſidionem ſolvere coactus fuit. Proximo verò anno in Iudæam ipſe venit Pompejus ac Hieroſolyma cepit eopſe anno, quo Cicero Romæ conſul erat, anno Mundi 3887. Ex eo tempore Iudæa ſub Romanis fuit. Nam Pompejus Ariſtobulum Romam miſit vinctum, Hircanum ſummo ſacerdotio contentum eſſe juſſit, Iudæam in provinciam redegit, eique Procuratorem dedit Antipatrum Aſcalonitam. Quæ evenere, quum Ariſtobulus annis regnaſſet . . 6

Regnarunt itaque Aſmonæi annis . . . . 41.
Quod ſi principatus & regni annos conjungere lubet, ſunt illi anni . . . . 105.

Supereſt intervallum inter capta à Pompejo Hieroſolyma, eademque à Tito capta & deleta.

Ariſtobulo cum fil. Antigono Romam abducto (quorum utrumque Pompejus in triumpho duxit Romæ proximo poſt capta Hieroſolyma anno) Alexander, ejuſdem Ariſtobuli fil. rebellavit; ſed à Gabinio victus eſt, peremptis tribus millibus ac totidem captis. Sequenti anno Ariſtobulus cum Antigono fil. Roma profugit, novumque bellum concitavit adverſus Romanos; ſed ab eodem Gabinio vinctus uterque Romam eſt miſſus. Gabinio in Syria Craſſus ſucceſſit, qui Hieroſolyma ingreſſus Templum ejus ſpoliavit, decimo, ex quo illud Pompejus ingreſſus erat, anno.

Quadriennio poſt Ariſtobulus à Julio Cæſare è cuſtodia eſt dimiſſus ad oppugnandum Pompejum: ſed à Pompejanis veneno eſt necatus ac paulò poſt filius ejus Alexander Scipionis juſſu Antiochiæ ſecuri eſt percuſſus. Bello verò Alexandrino Hircanus Pontifex Julio Cæſari auxilio miſit Antipatrum cum tribus Judæorum millibus; qui iccirco Hircano Sacerdotium confirmavit, Antipatrum, Judææ procuratorem fecit ac poteſtatem ei fecit, ut muros urbis inſtauraret, Iudæis verò αὐτονομίαν conceſſit. Sed quadriennio poſt Antipater à Malicho eſt veneno ſublatus. Antonius verò anno proximo ejus filios Herodem & Phaſelum Tetrarchas Iudææ creavit. Sequenti verò anno Parthi Hieroſolyma capiunt, Hircano Pontifici nares atque aures præcidunt, regnumque Antigono tradunt. Phaſelus in vinculis manus ſibi affert. Herodes interea Romæ rex creatur. Contigit hoc annis, ex quo Pompejus Hieroſolyma ceperat, 23 anno, nempe Mundi 3910. Proximo verò anno Herodes recuperat Galilæam, Ventidius Baſſus Parthos vincit, Syriaque ejicit. Biennio poſt Herodes ope Romanorum (nam legiones aliquot auxilio ei miſerat Antonius) Hieroſolyma capit ac interficit Antigonum, ultimum ex regibus Aſmonæis, qui à Parthis hanc dignitatem acceperat.

Hinc regnavit Herodes annis 36. Quod ſi annos regni numerare voles non ab Antigono rege interempto, ſed ab eo tempore, quo regiam dignitatem Romæ accepit, erunt anni regii imperii . . . . . . . . 39.

Quod in Scripturis legimus de infantibus Bethleemiticis, id anno imperii ultimo contigit, hoc eſt quadrageſimo: ante quod tempus biennio natus erat Chriſtus. At vulgaris æra incipit anno poſt mortuum Herodem. Quæ ſententia vera eſſe non poteſt, quum certum ſit ex Scripturis, Chriſtum fuiſſe natum ante obitum Herodis. Sed plenius de hoc agemus, quum de Chriſtianorum temporibus dicetur.

Poſt obitum Herodis Magnus Auguſtus diviſit ejus imperium inter filios, ſed ita, ut Herodes Antipas & Philippus ſingulas acciperent tetrarchias, Archelaus binas.

Sed Archelaus tyrannidis apud Auguſtum accuſatus eſt, quum Iudæam & Samariam rexiſſet annos . . 7
Exinde uſque ad primum C. Claudii annum Iudæa à Præſidibus (quos inter Pontius Pilatus fuit) regebatur, idque annis . . . . . . . . . 30
Hinc rex fuit Agrippa major, Ariſtobuli F., Herodis M. nepos, qui & Herodes in Actis dicitur, idque annis - 7
Poſtea iterum Præſides rexerunt, nempe Cuſpius Fadus, Agrippa Herodes, Tiberius Alexander, Cumanus, Agrippa, Agrippæ regis F., Antonius Felix, Porcius

44

Feſtus,

44

Feſtus, Albinus & ultimus omnium Geſtius Florus; —— ſub quo deſtructa eſt à Tito Hieroſolyma, quum Præſides Cæſaris nomine eam rexiſſent annis —— 26

Ut ab eo tempore, quo Pompeius Hieroſolymam cepit, uſque ad eandem à Tito captam & deletam, anni ſunt —— 132

Nunc veſtigia mea legam.

I. A Darii Nothi anno ſecundo, quo Templum cœpit inſtaurari, uſque ad Darium ab Alexandro devictum, ex quo tempore Judæi ſub Græcis eſſe cœpere —— 92

II. Ab Alexandro uſque ad Mattathiam Aſmonæum, ex quo tempore Judæi ſub Maccabæorum principatu vel regno egere —— —— —— —— 163

III. A Maccabæis uſque ad Hieroſolyma à Pompejo capta, ex quo tempore Romani rerum Judaicarum potiti ſunt —— —— —— —— 105

IV. Ab initio Romani imperii uſque ad deletam Urbem à Tito —— —— 132

Ut in univerſo ab inſtaurato Templo uſque ad ejus excidium —— —— —— 492

Atque hi ſunt anni illi, qui ſignantur ſeptuaginta hebdomadibus Danielis. Nam oportet hic intelligere hebdomades annorum, non dierum, nec unius anni, ſed ſeptennii hebdomas capienda more prophetico; ita ut per ſeptuaginta hebdomadas ſignentur ſepties ſeptuaginta anni: quæ ſumma efficit quadringentos & nonaginta annos. Nec alicujus eſt, quod numerus ante aſſignatus, hunc excedit biennio toto. Nam ab hebdomadibus iſtis principium & finis excluditur, hoc eſt, annus Edicti & Excidii: quomodo anni exactè ſunt 490. Vel dicendum, 490. annos terminari tempore eo, quo Judæa imprimis affligi cœpit à Romanis. Tempus autem hoc biennium circiter duravit ante excidium. Sane extremum bellum Judaicum triennium duravit & ſemeſtre. Sed extremo biennio imprimis res Judæorum partim bello civili, partim externo, miſeræ, afflictæque fuerunt. Quare plane ſtatuendum, hebdomadibus Danielis ſignari tempus ab Edicto Darii Nothi uſque ad excidium Hieroſolymorum, vel ſaltem uſque ad biennium, quod proxime anteceſſit. Scio, eſſe, qui aliud initium, alium item finem ſtatuant. Sed hos refellit Salvator Chriſtus, qui clare oſtendit, loqui, non de extremis Antiochi Epiphanis temporibus, ſed de extremo Hieroſolymorum Excidio. Sic enim ait Chriſtus Matth. XXIV. 15. *Quando videbitis abominationem illam vaſtatricem, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, in loco Sancto poſitam (qui legit, animadvertat,) tunc qui in Judæa fuerint, ad montes*, &c. & Luc. XX. 20. *Quum videbitis, Hieroſolyma cingi ab exercitibus, tunc cognoſcite appropinquare vaſtationem ejus. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes & qui intra eam ſunt, excedant, & qui in agris, non ingrediantur in eam. Nam hi ſunt dies ultionis, ut* IMPLEANTUR OMNIA, QUÆ SCRIPTA SUNT. Ubi Prophetam Danielem ſignari, ſatis liquet, præſertim quum de eadem re loquens Matthæus diſertim nominet Danielem. Quin igitur Danielis hebdomades in excidio Hieroſolymorum finiantur, dubium non eſt.

### *De Imperio Aſſyriorum, Babyloniorum & Medorum.*

QUod in Hebræorum rebus fecimus, idem nunc agemus in Hiſtoria aliarum Gentium. Atque ut hinc etiam Hiſtoriæ Sacræ aliquid lucis accedat, externa cum Sacris componemus. Auſpicabimur verò ab Aſſyriis & Babyloniis; quorum in terris antiquiſſimum imperium fuit.

Aſſyriorum genti initium & nomen dedit Aſſur, Semi filius, à quo Aſſure Niniven, principem ejus Gentis urbem, conditam eſſe Moſes teſtatur Gen. X. 11. Babylonem verò exſtruxit Nimrod, filius Chus, nepos Canaan, pronepos Chami, quod ex eodem Moſe diſcimus Gen. X. 10.

Sed non diu duo hæc imperia penes diverſos fuere. Primus verò creditur Belus utrumque obtinuiſſe ac poſt eum Ninus, à quo icirco Babylonicam atque Aſſyriam Monarchiam multi auſpicantur. Sed altius Babyloniorum originem repeti debere, nempe ab annis ante 189. Solido argumento adſtruere poſſumus. Nam Ninus regere cœpit anno M. 1905. Unde uſque ad devictum ab Alexandro Babylonem (quod accidit M. anno 3619.) Solum anni erunt 1714. quum ſtatuere oporteat annos 1903. Siquidem, ut Simplicius teſtatur, Calliſthenes Philoſophus, quum Ariſtoteles ex eo quæſiiſſet de antiquitate rerum Chaldaicarum, reſcripſit ei, ſapientes Chaldæos affirmare, annum eum, quo Babylona Alexander cepiſſet, eſſe æræ Babylonicæ 1903. Atqui ſi retro veſtigia legamus, reperiemus, iſtoc tempus incidere in annum M. 1718. Nempe ſexaginta duobus à diluvio annis, anno uno a condita Hebrone; quam ædificari cœpiſſe annis 1716. ex Joſepho diſcimus. Ex his verò falli liquet virum incomparabilem & alios, qui eum ſequuntur, quando eo quod Aſſur in ſcripturis dicatur Niniven condidiſſe & à Græcis eam Ninus ſtruxiſſe credatur; conjectavit, eundem eſſe Aſſurem & Ninum. Nobis verò temporum ratione expenſa multis partibus veriſimilius videtur, Niniven Nini opus dici, non quia ab ea urbis ſint primordia; ſed quia quum urbs Aſſuris, primi Conditoris, temporibus exigua fuerit propter hominum, qui illis temporibus vixere, paucitatem: Ninus poſtea multum aucto hominum numero eam mirifice ampliarit, ut digna judicaretur, in qua reges Aſſyriæ ſedem imperii collocarent. Planeque habeo perſuaſum, tum demum Niniven dici cœpiſſe. Antea urbs Aſſuris, vel etiam Aſſyria dici potuit; quandoquidem conſtat, plurimas regiones à civitate primaria nomen accepiſſe.

Ante iſtæc urbis incrementa in ea imperavit Belus [a], ſive id proprium nomen regis eſt, ſive cognomen. Dominum enim ſonat; quomodo veriſimile eſt, regem à ſubditis ſuis vocatum eſſe. Sed utcunque hoc eſt, regnare is juxta Africanum cœpit annis poſt diluvium 194. hoc eſt anno M. 1850. Ab hoc Babylonicos eſſe devictos atque ita Aſſyrium & Babylonicum imperium in unum coaluiſſe, inque univerſum regnaſſe Belum annis 55. idem Africanus auctor eſt.

Huic anno 1905. ſucceſſit Ninus, qui omni Aſiæ, exceptis Indis, imperavit. Ultimum ei bellum fuit cum Zoroaſtre, Bactrianorum rege; quem Juſtinus & alii eundem putant ac Zoroaſtrem magum. Sed hic demum circa Trojana tempora vixit; ut à quo uſque ad expeditionem Xerxis in Græciam ſexcentos tantum annos numerat Xantus Lydius, teſte Laërtio. Tamen vulgarem etiam ſententiam ſequitur Arnobius lib. 1. ubi ait inter Ninum & Zoroaſtrem non ferro tantum & corporis viribus, ſed etiam magicis ac reconditis Chaldæorum diſciplinis eſſe pugnatum. Occiſus eſt Ninus à ſuis juſſu uxoris Semiramidis, quum ab eo poſtulatum hoc impetraſſet, ut ſibi imperio cum pleniſſima regis poteſtate die uno frui liceret. Imperavit annis 52. teſte Africano. Anno 43. imperii Nini natus eſt Patriarcha Abraham.

Nino ſucceſſit uxor Semiramis ac regnavit annos 42. teſte Africano. Res magnas geſſit. Etiam Babylonem muris altiſſimis, hortis penſibilibus atque aliis ornavit atque auxit. Sed portentoſæ libidinis fuit. Ubi verò alicujus viri ſatias eam cepiſſet, vivum defodere ſolebat. Tandem, quum filii etiam concubitum petiiſſet, ab eo eſt interfecta. Africanus ait, imperaſſe annis 42.

Poſt Semiramidem reginam filius ejus Ninyas regnavit annis 38. Imperii annus ſecundus incidit in annum M. bis milleſimum. Sexto imperii anno, hoc eſt M. anno 2005. denaſcitur Noachus. Ninyas iſte ac ſucceſſores ejus, imperio acquiſito contenti, in luxu vixere.

Quomodo verò ſucceſſores ejus dicti fuerint & quot annos ſinguli regnarint, ex Chronicis Euſebii cognoſci poteſt. Trigeſimus ſextus atque ultimus Aſſyriorum rex fuit Thonos Concoleros; qui Græcis dictus Sardanapalus, vir muliere mollior: quem Arbaces Medus, prælio ſuperatum eò biennio obſidione adegit, ut ſe in pyram conjiceret. Atque ita in eo imperium Aſſyriorum deſiit, quum ſtetiſſet annis 1360. ut ſcribunt Diodorus & Juſtinus. Fuit is annus M. 3077. Quo tempore Judaicum regnum ſub Joa rege ex conſiliis Joadæ ſacerdotis florentiſſimè regebatur.

Hinc incipit Monarchia Medorum, cujus primus rex Arbaces Medus, is qui Sardanapalum regno evertit. Sunt, qui Beleſi, quo adjutore uſus fuerat, Babyloniæ regnum potent con-



a *Imò potius, poſt Ninum regnaſſe videtur.*

conceſſiſſe. Verum Diodori ſententia eſt, Beleſem ab eo factum eſſe Babyloniæ præfectum; quod verius puto.

Sed poſt annos centum, viginti ſex, quo tempore Jotham in Juda regnabat, occupavit Nabonaſſar regnum Babyloniæ. Atque ab hoc rege incipit celebris Epocha annorum Nabonaſſaris, cujus initium eſt annus M. 3203.

Itaque hæc Aſtronomica Nabonaſſaris æra quinquennio incipit poſt initium æræ conditæ Romæ, quod incidit in annum M. 3198: at triginta annis eſt poſterior initio Olympiadum, quæ incipiunt anno 3174.

Videtur autem non Babyloniæ tantùm, ſed etiam Aſſyriæ regnum à Medis fuiſſe avulſum. Utcunque hoc eſt, jam ab eo tempore, quo in Juda regnabat Hiſkias & aliquanto etiam ante diverſi fuere Aſſyriæ & Babyloniæ reges; ex quibus illi adverſus Iraëlis regnum, hi adverſus regnum Judaicum feliciter rem geſſere.

Nam, ut de Aſſyriis primùm dicam, regi Aſſyriorum Phul tributum pependit Manahem rex Iſraëlis; ac Teglat-Phalaſar, item Aſſyriorum rex, aliquot Iſraëlis Tribus abduxit captivas. Poſt eos nominat ſcriptura Aſſyriæ reges Jarep & Tragoa & Salmanaſſarem; qui Samariam cepit & regnum Iſraël delevit, decem Tribubus abductis in Aſſyriam: quod accidit anno M. 3228. quo tempore Judæis imperabat Hiſkias. Sed Hiſkias divinitus eſt liberatus, Sannacherib verò, domum reverſus, à ſuis eſt occiſus; eique ſucceſſit filius Aſar-Haddon. Atque hæc de regibus Aſſyriis: nunc ad Babylonios redeamus.

Quo tempore in Aſſyria regnabat Sennacherib eo, in Babylonia rexit Mordolempadus, ſive, ut in ſcripturis dicitur, Merodach, filius Beladan. Hujus legatos ad Hiſkiam gratulatum veniſſe, narrat eadem ſcriptura; eſtque quinctus à Nabonaſſare.

Aliquot regibus interfectis ſucceſſit Naborolaſſar. Hic regni hæredem reliquit filium ſuum Nabuchodonoſorum, qui Hieroſolyma ac regnum Judæ delevit. Poſt eum regnavit filius Evilmerodach. Huic gener Nerigliſſoroorus cum filio Balzaſare, velut Daniel nominat, qui Beroſo dicitur Labor-ſoachchodus. Ultimus fuit Nabonidus, ſive Labinetus, ut vocat Herodotus, ſive, ut Danieli dicitur, Darius Medus. Supereſt, de iis dicamus, qui in Medea rexerunt tempore eorum Aſſyriæ ac Babyloniæ regum, de quibus proxime diximus. Hos inter eſt Deioces, ſive Auſilos, qui ſextus ab Arbace fuit; eoque tempore in Media imperabat, à quo in Chaldæa rexit Sennacheribi fil. Evilmerodach ac filius ejus Belzaſar. Ab hoc Deioce Herodotus rex Medorum pertexit uſque ad Cyrum. Septimus verò ab Arbace fuit Phraortes, qui & Artynes. Hic extremis temporibus Manaſſis cœpit. Octavus fuit Cyaxares, qui Artytares. Imperare cœpit, quum duodecimus flueret annus Joſuæ, regis Judæ. Grave autem bellum geſſit cum Aluatte, Lydiæ rege. Nonus atque ultimus fuit Aſtyages, qui & Apandas, maternus avus Cyri, à quo imperio fuit exutus.

## *De Imperio Perſico.*

DEventum ad Imperium Perſicum, quod incipit à Cyro, deſinit in Dario Codomanno.

I. Sed Cyri initium non uno modo conſideratur. Nam in imperio ejus quadruplex initium aſſignari poteſt pro quadruplicis imperii tempore. Ea imperii tempora ſunt Perſicum, Medicum, Babylonicum & Aſiaticum.

Primum enim ſolis imperavit Perſis; atque hoc imperium cœpit anno M. 3390. Novennio verò poſt, nempe anno M. 3999. Aſtyagem, avum maternum, ultimum Medorum regem, imperio orbavit. Eſtque hic Cyro initium imperii Medici.

Anno verò imperii XXI. M. 3411. biennio circiter poſt devictum Nabonidem, ſive Darium Medum, Chaldæorum ultimum regem, ipſam regni ſedem, Babylonem cepit. Ita Perſico Cyri regno poſt Medicum etiam Babylonicum acceſſit.

Imperii verò 28, qui M. erat 3418. tunc reliquam Aſiam ſubegerat; atque hunc primum Cyri annum vocat Scriptura, partim quia, ut dixit, is Aſiatici imperii primus erat; partim ob nobile illud beneficium, Judæis collatum, quod eo anno captivitate Babylonica dimiſit.

Biennio verò poſt obiit Cyrus, bellum adverſus Tomyrim gerens, quum in Aſia duobus, in Babylonia undecim, in Media undeviginti, in Perſia verò imperaſſet annis . 30
qui M. annus 3421.

II. Huic ſucceſſit filius Cambyſes, qui paterno imperio Ægyptum adjecit. Imperavit annis . . . 7
Ut obitus incidat in annum M. 3428.

III. Exinde Smerdus Magus cum fratre Patazite imperavit menſibus ſeptem, vel quaſi an. . . . 1

IV. Magis tyrannide depulſis, quum inter ſeptem regni Proceres, ut is rex crearetur, cujus equus primo hinnitus ediciſſet, Darius, Hiſtaſpis fil. aſtu ſervi ſui imperium conſecutus. Babylona recepit Zopyri dolo, qui naribus & auribus præciſus ad hoſtes transfugerat. Sed ab Athenienſibus in Marathoniis campis magna ſtrage affectus fuit. Rexit annos . . . . 36
Ut obitus incidat in annum M. 3465.

V. Poſt eum imperavit filius Xerxes, adverſus quem à Græcis pugnatum juxta Thermopylas, ad Artemiſium, ad Salaminem, ad Mycalem & ad Eurymedontem, ut in Græcorum rebus dicemus. Cenſet Scaliger, hunc eſſe Aſſuerum illum, cujus uxor erat Eſther. Imperavit annos . . . . . . . . 21

Obiit igitur anno M. 3486. In annis verò Xerxis etiam complectimur ſeptem menſes, quibus poſt eum Artabanus rexit.

VI. Poſt Artabanum imperavit Artaxerxes μακρόχειρ, ſive Longimanus, quo modo dictus, quia dextram ſiniſtra longiorem haberet.

Hic, ab Athenienſibus victus, metu amittendæ Cypri Græcis Aſiaticis αὐτονομίαν conceſſit: atque hic Perſici cum Græcis belli finis fuit. Rexit annos . . 40
Mortuus anno M. 3526.

Succedit Xerxes fil. Sed juxta Cteſiam vix duobus menſibus imperavit. Poſt eum imperat Sogdianus; ſed ſolùm ſex, vel ſummum ſeptem menſibus regnavit. Unde & plerique hos duos prætereunt.

VII. Darius Nothus poſt eos regit; qui anno imperii ſecundo Judæos permiſit, ut Templum inſtaurarent, ut in rebus Hebræorum dictum. . . . anno imperii ſui amiſit Ægyptum, quæ huc uſque ab anno Cambyſis quinto Perſis paruerat, annumeratis etiam menſibus, quibus Xerxes minor & Sogdianus rexere. Imperium obtinuit annis . . . . . . . . 19
Mortuus anno M. 3545.

VIII. Poſt eum imperat Artaxerxes Μνήμων, ſive Memor, Darii & Uriſatidis fil. Fratrem minorem habuit Cyrum, cui pater moriens præfecturam civitatum Joniæ, Lydiæque teſtamento legavit. Eſt hic Cyrus junior, cujus ἀνάβασιν, ſive expeditionem, adverſus fratrem Xenophon perſcripſit; qui & militavit & familiaris fuit, Cyroque à cohorte regia interfecto Græcorum exercitum per tot nationes, tantaque itinerum ſpatia ad patriæ terminos magna cum virtutis ſuæ gloria reduxit. Obiit Artaxerxes anno M. 3588. quum annis rexiſſet . . . . . . . . . . 43

IX. Artaxerxi ſucceſſit Ochus fil. qui anno imperii decimo Nectanebo, Ægyptiorum rege, pulſo recuperavit Ægyptum, anno, ex quo ſub indigenis regibus fuerat, 64. Atque eo tempore Ægyptus paruit Perſis, uſque dum & illa & univerſum imperium Perſicum in Alexandri venit poteſtatem. Idem Judæos, qui paulo poſt captivitatem Zedekiæ in Ægyptum transfugerant, in Hircaniam, in loca Caſpio mari vicina, abduxit, ut ex Euſebio conſtat. Occiſus eſt per Medicum à Bagoa Eunucho, militum præfecto. Nec ipſe ſolum, ſed liberi univerſi uno Arſane excepto. Factum id anno M. 3611. quum annis imperaſſet . . . . . . 23

X. Succeſſit hujus filius Arſames, ſive Arſes, cui Bagoas pepercerat. Sed quum is de Bagoa ſupplicium ſumere cogitaret ob patrem & fratres interemptos, ipſe

220

etiam

etiam ab eodem cum liberis ſuis ſublatus anno M. 3614. quum imperaſſet annis . . . . . . . 220 3

XL. Arſame etiam occiſo Darius Codomannus à Bagoa eſt conſtitutus; quem & ipſe veneno tollere cogitabat. Sed rege id animadvertente coactus eſt & ipſe Bagoas venenum bibere; atque ita tandem poſt reges duos & tot regios liberos occiſos periit. Hic, tribus magnis prœliis ab Alexandro M. devictus, imperium Perſicum amiſit, quum imperaſſet annis . . . . . . 6
anno M. 3620.

Ut Imperium Perſicum annis ſteterit . . . . 229

### *De Rebus Græcorum ab Inacho uſque ad excidium Trojæ.*

POſtquam ad Alexandri tempora devenimus, exſpectet fortaſſe aliquis, ut hinc exorſi ea porro exponamus, quæ ad Alexandrum & ejus ſucceſſores pertinent. Sed eſt hæc minima portio rerum Græcanicarum: quas ut integrè exponamus, ab ipſis Gentis incunabulis ordiemur.

Nihil verò antiquius eſt apud Græcos regibus Sicyoniæ. Ea regio eſt Peloponneſi, quæ antea Ægialea dicebatur ab Ægialeo, primo rege ſuo; uti poſtea à quarto rege Ape Apio eſt vocata. Imperare verò Ægialeus cœpit regnante in Aſſyria Belo, ducentis prope poſt diluvium annis. Sed regum Sycioniorum nihil ad nos præter nomina pervenit, quæ qui ſcire volet, Pauſaniam adeat, vel Euſebium, qui ea ex Africano refert.

Ducentis & quadraginta annis recentius eſt imperium Argivorum; à quo res Græcanicas pertexemus uſque ad illud tempus, quo, quæ antea fuerant ſub Græcorum poteſtate, univerſa ceſſerunt Romanis. Omne hoc tempus triplici annorum intervallo continetur.

Primum eſt ab initio regni Argivi uſque ad initium belli Perſici, quo bello Græci præcipuè inclaruere.

Alterum eſt ab ejus belli initio uſque ad initium monarchiæ Græcorum.

Tertium eſt ab eo uſque ad devictam ab Auguſto Cleopatram; in qua deſiit imperium Alexandri & ſucceſſorum ejus.

Primam partem ſimiliter in tres alias dividemus.

Una eſt ab Inachio uſque ad excidium Trojæ.

Altera eſt ab excidio Trojæ uſque ad Olympiades.

Tertia eſt ab initio Olympiadum uſque ad bellum Perſicum.

Primum ſpatium continet reges omnes Argivos, Mucænarum verò uſque ad Agamemnona; continet item omnes reges Trojanos: quos ſub Græcorum rebus complectimur, quia nihil res Trojanæ illuſtrius habent bello eo, quo, ut Poëta ait,

*Græcia Barbariæ lento colliſa duello.*

Continet denique res Athenienſium uſque ad Meneſtheum, undecimum regem, qui Theſeo ſucceſſit; item Lacedæmoniorum uſque ad Menelaum; cujus conjux, à Paride rapta, belli Trojani cauſa fuit.

Ac antiquiſſimum quidem ex iis eſt Argivorum imperium, cujus initium in annum Abrahami 149. ſive Iſaaci 49. nam centenarius Iſaacum genuit. Proximum antiquitate eſt regnum Athenienſium, hinc Trojanorum, exinde Lacedæmoniorum. Ex quibus Athenienſium regnum cœpit Moſe adoleſcente, Trojanum Moſe in Madian exulante, Spartanum eodem in diſerto Iſraëlitis imperante.

Argivorum regnum condidit Inachus anno M. 2093. qui quintus fuit à nuptiis Iſaaci & Rebeccæ. Fuit hic pater Inus, quæ ab eo Inachis dicta. Poëtæ eam fabulantur fuiſſe Inachi fluvii filiam & à Jove eſſe vitiatam, inque vaccam converſam & in Ægypto mutatam in Iſidem Deam.

Hujus Inachi temporibus in Theſſalia regnabat Theſſalus, fil. Æmonis, à quo regio ea prius Æmonia dicebatur, uti à Theſſalo Theſſaliæ nomen accepit. Ejuſdem Inachi tempore in Bœotia rexit Ogyges, qui Thebas Bœotias condidit: unde à Poëtis vocantur Ogygiæ. Idem in Attica urbem exſtruxit, eamque à filiæ nomine Eleuſin dixit. Sub Ogyge Diluvium fuit in Græcia, univerſali illo ſub Noacho quingentis annis recentius juxta Africanum, Deucalioneo autem, quo majus fuit, ducentis & ſexaginta tribus annis antiquius. Hoc Diluvium terminat Varroni ἄδηλον atque incipit μυθικόν, ſive fabuloſum. Sed in conſtitutione ejus Diluvii non convenit inter eum & Africanum. Nam Varro ſtatuit illud fuiſſe annis ante Diluvium 800, quum ſecundùm Africanum Inachus & Ogyges fuerint σύγχρονοι.

Poſt Inachum rexit ejus fil. Phoroneus anno M. 2141. à quo ſoror Io, ſive Iſis, Poëtis Phoronis dicitur. Phoroneus hic Telechines ejecit Sicyone, quæ ab iis, Stephano teſte, Telechinia dicebatur. Poſtea Telechines in Rhodum venere atque ibi condidere urbem Rhodon. Unde & inſula ea Telechinis dici cœpit juxta Strabonem.

Phoroneo ſucceſſit Apis 2203. à quo Peloponneſus dicta eſt Apia, ut Apollodorus & Plinius ſcribunt. Phoronei & Niobes filius fuit. Condidit Memphin, urbem Ægypti regiam; ubi à morte cultus fuit ſub imagine vivi bovis, quem Apim dicunt, eſtque idem, qui Oſyris ac Serapis. Strabo l. XVII. & Plin. l. VIII. c. XLVI.

Quartus rex fuit Argus, Apis fil. 2238. Ab hoc, ut Auguſtinus ait in XVIII. de Civ. Dei, dictum eſt Argos. Intellige autem Argos Peloponneſi, à quo regio Argia & Argolis vocatur. Nam præter hæc Argos decem aliæ fuere urbes ejus nominis, ut monet Euſtathius. Imò plures obſervarunt juniores.

Quintus rex fuit Criaſus 2308. biennio antequam Patriarcha Joſeph in Ægypto moreretur. Circa hæc tempora Oenotorius ex Arcadia veniſſe creditur in Italiam; cujus pars maritima à Tarento Pæſtum uſque ab eo Oenotria dicta eſt.

| | | |
|---|---|---|
| Sextus imperat Phorbas | 2362 | |
| | 2394 | Athenis primus rexit Cecrops Ægyptius, cognomento Διφυής, quia Græcam & Ægyptiam linguam noſſet. Hic Atticæ incolas in duodecim oppida collegit, Cecropiæ (ita Athenæ primitus dicebantur) regiam conſtituit, Ἄρειον πάγον inſtituit, cui nomen à judicio contra Martem. |
| | qui Moſis erat XX. | |
| Septimus Argivorum rex Triopas . . . | 2397 | |
| Teucer primus rex Trojanorum, qui inde Teucri dicuntur. | 2430 | |
| Octavus Argivorum rex Crotopas. . . . | 2443 | |
| | 2444 | Secundus Athenis imperat Cranaus, à quo Athenienſes Cranai dicti. Sub hoc Varro ait fuiſſe Diluvium Deucalioneum; quod ita dictum, quia Deucalionis, Promethei fil., Theſſaliæ regis, terram inundans. Sed Poëtæ totum orbem inundaſſe fabulantur. Euſebius ſub primo rege Cecrope contigiſſe ait. |
| | 2453 quo anno | Tertius Athenienſium rex Amphictyon, Deucalionis fil. qui conſeſſum inſtituit, à ſe dictum Amphictyonium. Erat id publicum Græciæ concilium; |



Digitized by Google

propter jejunium ſtatuerint menſe Tebbeth; quo precari Deum ſolent, ut ne ob profanationem hanc S. Verbi omnem Iudaicum Pop. velit exſcindere. Poſtea tamen obtinuit, ut ea Hieroſolymis quoque legeretur, ut liquet ex Act. VI. I. Iudæi verò Helleniſtæ, hoc eſt, qui inter Græcos viverent, ſed religionem Iudaicam ſequerentur, quædam de LXXII. cellulis & alia ſunt commenti, ut tralationi iſti fidem conciliarent: de quo Scaliger plura in Anim. Euſeb.

Ptolomæus foſſam perficit à Nilo uſque in ſinum Arabicum; quod fruſtra olim conatus erat Pharao Necho ac poſt eum Darius, Perſarum rex. 36...

Ptolomæus difficile bellum gerit cum Antiocho, Syriæ rege; ſed tandem reconciliantur Antiocho ducente Berenicem, Ptolomæi filiam. 3691.

Moritur Ptolomæus Philadelphus, quum annos imperaſſet XXXVIII. Ei ſuccedit Ptolom. Euergetes. Vixit Callimachus Poëta. 3704.*

*III. Ptol. Euergetes.*

*IV. Ptol. Philopator.* Moritur Ptolom. Euergetes, quum regnaſſet annos XXV. Ei ſuccedit Ptol. Philopator; qui imperium cœpit à cæde matris & fratris. 3729.

Philopator ingenti prœlio vincit Antiochum M. & Cœloſyriam, ſibi ab eo ereptam, recuperat. Hinc Hieroſolymis hoſtiam pro victoria hac in templo voluit offerre Deo ac Sanctum Sanctorum luſtrare cupit. Sed prohibente ſummo ſacerdote tantas iras concepit, ut edictum proponeret de Iudæis diebus XL. in Ægyptum traducendis; ubi elephantis conculcandi objicerentur. Sed quum beſtiæ ipſæ ab hac crudelitate abhorrerent, pœnitudine ductus in patriam eos redire permiſit. 3733.

Antiochus poſt Achæum devictum in Syriam venit ac præfectos Ptolomæi inde ejicit. 3739.

Moritur Ptolom. Philopator, quum regnaſſet annos XVII. Ei ſucceſſit Ptol. Epiphanes; qui quod adhuc penè puer eſſet, regnum ejus à tutoribus regebatur. 3746.

*V. Ptol. Epiphanes.*

Scopas à Tutoribus Ptolomæi mittitur in Syriam, plurimaſque Syriæ urbes adimit Antiocho. 3748.

Scopas ab Antiocho prœlio vincitur, Sidone, quo victus fugerat, obſidetur, tandemque ſe dedit. Præſidium Ptolomæi ex arce Sionis ejicitur. 3752.

Ptolom. Epiphanes moritur, quum annos rexiſſet XXIV. Ei ſuccedit fil. Ptol. Philometor, adhuc puer. 3770.

*VI. Ptol. Philometor.*

Antiochus obſidet Alexandriam in Ægypto. Ptolomæus minor legatos Romam mittit, ut per eos obſidione liberetur. Hinc obſidionem ſolvit Antiochus. Sed Ptolomæus major, ubi hoc agere Antiochum videt, ut ſub prætextu reducendi ſui Ægyptum occupet, maluit in gratiam redire cum fratre minore. Quia verò uterque ſibi ab Antiocho metueret, opem poſtulant ab Achæis; qui iis mille pedites & C equites miſere duce Lucocta & Polybio. 3781.

Ptolomæi fratres mittunt legatum ad regem Antiochum, qui eum certiorem faciat de concordia ſua ac poſcat, ut Peluſio atque aliis locis, quibus præſidia ſua haberet, deducere ea vellet. Negat verò ille, ſe hac parte obſequi iis poſſe, niſi Cypro ſibi cedant ac præterea Peluſio. Atque ut metum iis incutiat, cum exercitu in Ægyptum venit & Alexandriam obſedit. Sed Romani Senatus legatis venientibus coactus eſt ſolvere obſidionem. 3782.

Ptolomæus Philometor in Syriam proficiſcitur ad Alexandrum regem, generum ſuum. Sed quum ab eo ſibi inſidias ſtrui cognoſceret, Cleopatram filiam abducit iratus & eam Demetrio, Demetrii fil., dat uxorem. Hinc prœlio confligit cum Alexandro, eumque vincit. Sed ipſe equo excuſſus & ab hoſte ita eſt vulneratus, ut quatriduo verbum loqui non poſſet. Sed tamen, priuſquam moreretur, allatum Alexandri caput; cujus conſpectus multum ei gaudii attulit. 3804.

*VII. Ptol. Euergetes, ſive Phyſcon.* Ptolomæi Philometori ſuccedit impurus ille Ptolomæus, qui Euergeten ſe voluit nuncupari, alio verò cognomento Phyſcon dictus. Hic Cleopatram ſororem conjugio ſibi junxit; poſtea verò eam repudiavit, ejuſque filiam, privignam ſuam, duxit uxorem. Poſtquam verò intellexit, imperium uxori, quam repudiaverat, deferri à populo, filio ſuo, quem ex ſorore genuerat, caput, manus ac pedes præcidit ac ſorori miſit, ſimul ei bellum minatus. 3821.

Cleopatra, quia propterea ſibi à fratre, quondam marito, metueret, opem implorat Demetrii, Syriæ regis. Ptolomæus verò regem facit quendam Antiochum Zebinam, haut aliter ac ſi foret Antiochi Sedetis fil.; cumque oſſa Antiochi Sedetis ex Parthia in Syriam eſſent allata, flere ſe ſimulavit. Atque hoc, quia ex animo facere creditus, multum ſibi autoritatis peperit apud ſimplicem populum. 3822.

Ptolomæus Alexandrum Zebinam auxiliis juvat; qui Demetrium, Syriæ regem vincit. 3823.

Eo victo & interfecto cum Cleopatra ſorore in gratiam redit, eamque in Ægyptum reducit. Filiam tamen ejus uxorem retinet. 3824.

Cleopatra mater Grypum veneno tollere conatur. Sed quum monitus eſſet, matri indicem nominat ac jubet, ſi innocens foret, ipſa poculum hauriret. Ita Cleopatra periit. 3826.

Ptol. Euergetes, ſive Phyſcon moriens ſuccedere ſibi conjugem ſuam, quam matris fuiſſe pellicem diximus, ſed hac conditione voluit, ut filiorum alterum imperii faceret conſortem. Ea, etſi in juniorem pronior eſſet; tamen, quia populo invito aliter non poterat, majorem in regnum aſſumit, qui dictus Ptol. Lathyrus. 3834.

*VIII. Ptol. Lathyrus.*

Ptol. Lathyri conjux & ſoror Cleopatra eo deſerto nubit Antiocho Cyziceno; cui cum fratre 3835.
Grypo de Syriæ regno certamen erat. Sed altero 3836.
conjugii anno à Grypo capta, ab uxore ejus, ſorore ſua Tryphena, occiditur.

Cleopatra, Ptol. Euergetæ vidua, quum gravaretur filium ſuum Ptol. Lathyrum diutius haberi imperii conſortem, regno eum ejicit. Nec eo contenta Seleucen, filiam ſuam, quæ poſt ſuam ſororem Cleopatram repudiatam fratri ſuo Lathyro nupſerat, ab eo abducit, etſi jam binos ex ea filios genuiſſet. Quin hoſti Lathyri Antiocho Cyziceno, qui cum fratre Antiocho Grypo de Syriæ regno certabat, ipſa nubit; nempe annis XIII. poſtquam prior Grypi conjux Tryphena, quæ Seleuces hujus ſoror erat, interempta erat ab Antiocho Cyziceno, quia Cleopatram ſororem, Cyziceni conjugem, occidiſſet. Lathyrus, à matre ejectus Ægypto, fugit in Cyprum; ubi eum mater oppugnavit: ſed fruſtra. Succedit verò Lathyri in locum junior frater Ptol. Alexander, qui totus in matris erat poteſtate. 3851.

*IX. Ptol. Alexander.*

Alexander, Joannis Hircani fil., qui poſt obitum fratris ſui Ariſtobuli ei ſucceſſerat in regno Judaico, obſidet Ptolemaidem. Ptolemaidis incolæ auxilium poſcunt à Ptolomæo Lathyro, qui, à matre ex Ægypto ejectus, in Cyprum fugerat. Sed Alexander opem poſcit à matre ejus Cleopatra. Interim tamen amicum ſe ſimulat Ptolomæi. Eam fraudem ubi Ptolomæus intellexit, Alexan- 3852.

* *V. C. 507. Coſſ. M. Ott. Craſſus II. M. Fab. Licinius. ante N. C. 244.*



Digitized by Google

drum prœlio adoritur ac vincit ac ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ Judæorum occidit.

Cleopatra, ut vidit, filium Lathyrum in Palæſtina ſumere incrementa, metuere incipit, ne, ſi ibi omnia ex voto ſuccedant, arma poſtea in Ægyptum convertat; ac propterea filium juniorem Alexandrum cum claſſe magna in Phœniciam mittit. Ipſa interim Ptolomaidem obſidet. 3854.

Alexander, rex Judæorum, accedit Cleopatram, cumque ea fœdus init. Hinc Gadaram obſidet & poſt decimum menſem capit. Alexander vincit Amathuntem (caſtrum id erat ad Jordanem) ſed mox exercitus ejus cæditur ab Theodoro, cui id caſtrum eripuerat. Nihilominus Raphiam & Anthedonem & alia oppida oppugnat & vincit. 3855.

Alexander, poſtquam Lathyrus in Cyprum, Cleopatra in Ægyptum redierat, Gazam obſidet & poſt annuum obſidium proditione tandem capit, crudeliterque victoriam eam exercet. 3857.

Cleopatra, non contenta Lathyrum è regno ejeciſſe, etiam filio minori Alexandro, quem in Lathyri locum ſurrogarat, inſidias ſtruit. Sed iis cognitis ipſe anticipat, matremque occidit. 3860.

Ægyptii, ubi vident Cleopatram à filio ſuo Alexandro occiſam, eum ex Ægypto ejiciunt ac in regnum revocant fratrem ejus Ptolomæum Lathyrum. 3861.

Ptolomæus Lathyrus moritur, quum annos imperaſſet XXXIII. ſi annos potes ab eo tempore, quo primùm cœpit cum matre imperare. Succeſ- 3867.

*X. Ptol. Auletes.* ſit ei Ptol. Αὐλητὴς cognomento, quod præter regiam dignitatem tibia canere ſoleret.

Auletes ejicitur ex Ægypto, partim quod opem non tuliſſet Cypris adverſus Romanos, quum ab iis anno ſuperiore avarè magis, quàm juſtè, inſula ea invaderetur; partim verò quod Ægyptum tributis exhauriret, quo ſatisfaceret iis, à quibus pene Iↄↄ cIↄ talentorum acceperat, quæ J. Cæſari dederat, ut ſocius & amicus Pop. Rom. dici poſſet. Auletæ in Ægyptio regno ſucceſſit Archelaus, ab Ægyptiorum regum ſanguine alienus; qui Ptolomæi filiam Beronicem duxit uxorem. 3893.

Ptolomæus ejectus Romam fugerat, poſcens, ut reſtitueretur; ubi dum variis diſceptationibus tempus dilabitur, deſperans de Senatus auxilio confugit ad Gabinium, Syriæ Procoſ. eique promittit ccIↄↄ talentorum. Adhæc Gabinium rogabat Pompejus, ut reduceret Ptolomæum. Impensè enim ei favebat propter auxilia, quæ bello Mithridatico miſerat, tum etiam quod hoſpitio honorificè admodum excepiſſet. Itaque Gabinius cum exercitu in Ægyptum venit, Alexandrinos prœlio vicit, regem reduxit: qui reductus Archelaum cum Beronice occidit. 3894.

*XI. Ptol. Dionyſius; quem Calviſius fœde errore cum Ptol. Aulete confundit.* Ptol. Auletæ ſuccedit fil. ejus Ptolomæus, cognomento Dionyſius, & unà cum eo ſoror Cleopatra. 3899.

Dionyſius hic, ætate puer, ſpadonum duorum, Photini & Achillæ, conſilio occidit Pompejum M., quum poſt pugnam Pharſalicam in Ægyptum profugiſſet. 3902.

Cæſar in Ægypto bellum gerit. Ptol. Dionyſius aquis ſubmergitur. Cæſar Cleopatræ imperium tradit. 3903.

Cleopatra & Antonius ad Actium vincuntur ab Auguſto. 3919.

*XII. Regnat Cleopatra.* Cleopatra & amaſius ejus Antonius ſemet interficiunt. Ægyptus à Romanis in provinciam redigitur. 3920.

## *De temporibus Veterum Latinorum ante Urbem conditam.*

An. M.

*Italiæ rex. I. Janus.* NUnc à rebus Græcorum veniemus ad res Latinorum. Horum antiquiſſimus rex fuit Janus a; quo tempore Ehad apud Iſraëlitas, Acriſius apud Argivos, Cecrops II. apud Athenienſes, Tros apud Trojanos regebat: Hic trans Tiberim exſtruxit oppidum, quod ex eo dictum Janiculum, uti & mons, in quo ſitum. Docuit ſuos ritus colendorum Deorum. 2625. *Qui ſunt annus ab exitu Iſraëlitarum 172. ante N. Ch. 1322.*

*II. Saturnus.* Eo regnante in Italiam venit Saturnus, Jovem fil., à quo è Creta ejectus erat, fugiens: ac pars Italiæ ab eo Latium dictum, quia hic tutus latuiſſet. Condit oppidum nomine Saturnia. Etenim Virgilius in VIII. Æn. & Ianiculi & Saturniæ meminit, tanquam oppidorum, quæ jam Latini ætate eſſent antiqua. Sic enim inducit loquentem: 2637.

> *Hæc duo præterea disjectis oppida muris,*
> *Reliquias, veterumque vides monumenta virorum;*
> *Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:*
> *Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*

Docuit homines agriculturam. Idem dicitur primus ſignaſſe pecuniam ac in una parte caput ſuum, in altera poſuiſſe navem, qua vectus veniſſet in Italiam. Unde antiquis aleatoribus mos fuerit colluſores rogandi de nummo operto, utrum putarent ſubeſſe caput, an navem. Quum verò ante Saturnum imperavit Ianus, ſatis liquet, cur non Virgilius modò in verſibus allatis Ianum priorem nominat; ſed etiam cur in omnibus rebus Romani primum detulerint ei locum.

*III. Picus.* Poſt Ianum, Saturnumque imperavit Picus, qui inſignis augur fuit, domique picum habuit, quem conſuleret. Hinc occaſio nata fabulæ, qua poſt mortem in Picum dicitur converſus. Autor Servius in VII. Æn. 2658.

*IV. Faunus.* Pico ſucceſſit Faunus, qui veteri metro, quod Saturnium vocatur, vaticinatus dicitur. Unde Ennium dicere volunt: 2695.

> *Verſibu', quos olim Fauni, vateſque canebant.*

Hujus tempore ex Arcadia in Italiam venit Euander unà cum matre, quæ primo Carmentis, ſic dicta, quia carmine ſolebat oracula reddere; poſtea Nicoſtrata. Tenuit verò montem Palatinum: primoſque Italos legendi, ſcribendique artem docuiſſe creditur. Ab eo etiam agricolæ acceperunt cultum Dei Panos, qui ab Arcadibus imprimis colitur.

*V. Latinus.* Fauno ſucceſſit Latinus, Aboriginum rex. Ita enim vocati veteres Italiæ populi ad diſcrimen Arcadum, qui cum Euandro venerant; nempe quia ab origine ejus loci incolæ eſſent, quaſi dicas αὐτόχθονες. Latini tempore in Italiam venit Æneas ac uxorem duxit Laviniam, Latini regis filiam, quæ ante Turno Herdonio erat deſponſata. Sed Amata, Latini regis conjux, Turni conſobrina, quum indignè ferret, filiam advenæ datam Trojano, concitavit Turnum & Rutulos adverſus Latinum & Æ- 2739.

*a Janus, Creüſæ, filiæ Erichthei, Athenienſium Regis, & Apollinis fil., non contentus paterno regno, cum magna claſſe in Italiam venit, ibique occupato monte, quem e ſuo nomine Janiculum appellavit. Ad eum devenit Saturnus, regno ſuo pulſus; & benignè hoſpitio exceptus, homines agriculturam docuit. Ejus anni comprehenduntur ſub annis Jani. Ex Euſeb. & Hebrit.*

& Æneam. Eo in prœlio cecidit Latinus: ſed Æneas Turnum occidit, hoſteſque fugavit. Amata præ dolore ſibi mortem conſcivit.

VI. *Æneas.* Latino ſocero ſucceſſit Æneas. Quum verò Rutulos perſequi inſiſteret, illi Meſentii operam implorarunt. Dum cum eo prœlium committere parat Æneas, in Numici flumine ſubmergitur. 2775.

VII. *Aſcanius.* Æneæ ſucceſſit Aſcanius fil.; cujus metu Lavinia, ex Ænea gravida, clam in ſylvam profugit ad Tyrrhum, magiſtrum patrii pecoris, atque apud eum peperit Sylvium Poſtumum. Sed quum propterea in magno populi odio eſſet Aſcanius, quippe qui è medio eam ſuſtuliſſe crederetur; promiſit magna, multaque ſiquis Laviniam commonſtrare poſſet. Tum Tyrrhus in concionem prodiit ac quum ſibi, Laviniæ & puero, ex ea nato, promiſſa eſſet vitæ incolumitas, publicè, ubi eſſet Lavinia, indicavit. Ergo Lavinium reducta; ubi cum filio honeſte ſemper habita eſt ab Aſcanio.

Aſcanius xxx annos poſt conditum ab Ænea Lavinium condidit civitatem novam, quam à ſitu Longam, à ſue alba, quæ ibi conſpecta erat, Albam appellavit. 2820.

Aſcanio defuncto contentio fuit, uter Aſcanio ſuccedere deberet, num Aſcanii filius Julus, an filius Æneæ Poſtumus Sylvius. Prælatus eſt ab omnibus Sylvius: à quo omnes deinceps Albæ reges dicti ſunt Sylvii.

Sylvio ex ſententia Dionyſii Halicarnaſſæi (nunc alii de eo aliter) ſucceſſit Latinus, huic Alba, illi Capetus (qui quibuſdam Atys) iſti Capys, ei Calpetus, Calpeto Tiberinus, Tiberino Agrippa, Agrippæ Alladius, Alladio Aventinus; qui ſepultus circa radices montis, ex eo dicti Aventini. Aventino ſucceſſit Procas; cui duo filii Numitor & Amulius. Inter hos ita diviſit Procas, ut unus privatas opes poſſideret, alter regnum obtineret. Numitor, cui optio data fuit, privatas opes prætulit. Ergo Procæ ſucceſſit Amulius; qui, ut tutius regnaret, Numitoris filius in venando occidit, filiam Rheam fecit Virginem Veſtalem. Quumque eam peperiſſe geminos cognoviſſet, ipſam quidem carceri incluſit, parvulos juſſit exponi. Eos Fauſtulus, regii pecoris paſtor, recepit juxta ficum Ruminalem, eo quod ſub ejus umbras pecus meridie ſoleret herbas ruminare. Inventos dedit uxori ſuæ Laurentiæ, quæ, quia corpus ſoleret proſtituere, Lupa dicebatur. Unde origo fabulæ de infantibus his (quibus Remi è remo ὑποκοριστικῶς Romuli nomen datum) Lupæ feræ uberibus nutritis.

*Liv. Decad. 1. lib. 1. p.*

*Prima Olympias fuit annorum quatuor.* Conceptus Romuli incidit in annum primum Olym. II, diem XXIV Junii Juliani, hora diei tertia; qua ſolem totum defeciſſe, obſervavit illuſtris mathematicus Tarrutius Firmianus, ut prodidit Varro. 3178.

*Idem ib. p.* Romulus & Remus, ubi ad ætatem maturam pervenerunt, intelligunt ex Fauſtulo, qui eſſent & quid de matre ac ſe ab Amulio factum eſſet. Ergo conſpiratione paſtorum facta Amulium obtruncant, ejuſque in locum ſubſtituunt avum ſuum maternum Numitorem. 3189.

### *De temporibus Romanorum ſub VII Regibus.*

SEcundo Numitoris regis anno, III, ut Varro voluit, Olympiad. VI, Romulus & Remus condere Romam cœperunt ipſo Palilium feſto. Sed M. Cato, Cenſorias ſecutus tabulas, putavit, natalem urbis incidere in annum IV ejuſce Olympiad. Dionyſius Halicarnaſſæus, ſecutus Eratoſthenis Canonem, ſcripſit, natalem urbis eſſe annum primum Olymp. VII. Ut anni unius diſcrimen ſit inter Varronem & Catonem, biennii inter Varronem & Dionyſium. Junior Polybius natalem facit annum II Olymp. VII. Sed ille fortaſſe de condita Urbe capi debet, non de initio, quo condi cœpit. Quum verò tres iſti nobiles Scriptores nonnihil de natali Urbis diſſentiant, nec exactè dici poteſt, quot annis ſit condita poſt Trojam everſam. Juxta Varronem ſunt anni CCCCXXX, juxta Catonem CCCCXXXI, juxta Dionyſium CCCCXXXII. Interim, quam leve ſit hoc diſcrimen, omnes vident. Romulus Urbe condita centum conſtituit Senatores, ſive Patres; tres ſtatuit centurias Equitum, quas Celeres appellavit, unam Ramnenſium, alteram Tatienſium, ultimam Lucerum; cives univerſos diſtribuit in XXX curias; comitia curiata inſtituit, in quibus Popul. curiatim interrogabatur, ut, quod plures Curiæ ſtatuiſſent, id Popul. eſſe juſſum crederetur; patritiis ſolis jus honorum, plebeis non minus, quàm patritiis, ſuffragiorum jus dedit; annum inſtituit decem menſium ex more Albanorum, quemadmodum Junio Gracchо, Fulvio, Varroni, Ovidio, Solino, Suetonio, Cenſorino & Macrobio viſum fuit. Sed Icinnius Macer & Feneſtella, ut Cenſorinus ſcribit cap. XX, cenſuere, annum ab initio duodecim menſium fuiſſe; eoſque ſequitur Joſephus Scaliger, qui fuſè hoc argumentum agit lib. II. de Emend. Temp. cap. de vet. anno Roman.

*Annus ab V.C.* V. Romulus ſimulatis Conſualibus (ii ludi erant Equeſtres in honorem Conſi, ſive Neptuni) capi jubet virgines, quæ ad ſpectaculum venerant. Ea res ſtatim bellorum cauſa fuit. Pulſi, fugatique Vejentes. Cæcinenſium oppidum captum & dirutum. Ducem eorum Acronem Romulus manu ſua occidit, opimaque ſpolia (ita dicta quia dux hoſtium duci, ἀμέσως à ſe occiſo, detraxiſſet) ſuſpendit Jovi Feretrio. Ovidius, unde hoc nomen ſit, oſtendit propius:

> —— —— —— *cauſa Feretri*
> *Omine quod certo dux facit ante ducem.*
> *Sed quia victa ſuis humeris hac arma ferebant,*
> *Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Jovis.*

XVIII. Cœpit bellum Sabinum cum T. Tatio, Curium rege. Eo bello Tarpeia virgo Capitolium prodidit Sabinis: ſed ipſis Sabinorum armis obruta eſt. Poſtea eo in monte fuit ſepulta: unde Capitolium etiam Tarpeius mons dici cœpit. Romulus capto Capitolio acriter quidem cum Sabinis pugnavit: ſed fugientibus ſuis Jovi promiſit templum, ſi fugam eam ſiſteret. Hinc Jupiter Statoris nomen accepit.

XXIII. Pax cum Tatio facta. Sabini, qui vellent, in civitatem accepti. Romulus in Palatino monte, Tatius in Capitolio regiam habuit. Hinc Romulus, quum ante Patres fuiſſent centum, numerum eorum auxit alteris centum adlectis. Romani ex eo, quod Curibus eſſent admixti, dicti Quirites, quaſi Curites. Jano templum conditum à Romulo, in quo eſſet ſignum Jani Bifrontis, ut duos populos in unum uniiſſe ſignificaretur. Autor Varro; cui etiam ſi credimus, Tatius tum aliis Diis templum condidit, tum Veſtæ; cujus ædes rotunda erat, ut Univerſi figura exprimatur: inque medio ejus à Virginibus Veſtalibus perpetuus ignis ſervabatur, à quo & Veſtæ nomen,

*Annus ab V.C.*

men. Nam Veſta ab ἑςία, hoc eſt אש, *eſch*, ignis & יה, *jah*, uno ex Dei nominibus; ut ad verbum ſonet ignis Dei. Ab eodem in templum è Lavinio tranſlatum Palladium, teſte Varrone; ſed alii ab Alba Longa tranſlatum putant. Erat verò Palladium, Palladis ſimulachrum, imperii pignus, quod Dardanus è Samothracia in Phrygiam, Æneas verò capta Troja in Italiam portaſſe dicitur.

XXVI. *Liv. lib. 1. d. 1. p. 19.* T. Tatius à Lavinienſibus occiditur in publico ſacrificio. Ad quod facinus connivit Romulus, quippe qui gauderet, ſolum ſe poſthac omni populo imperaturum.

XXIX. Romulus vincit Fidenates.

XXXI. Vincit Vejentes.

XXXIIX. Romulus, quum natura eſſet aſperior, etiam inſolentior fit, partim, quod Tatio mortuo imperaret ſolus; partim quod tot viribus eſſet inclytus. Ejus mores quum Senatores, diviteſque ferre non poſſent, regem ſuum diſcerpſerunt. Sed populus, quum regem deſideraret & à Patribus occiſum non fruſtra ſuſpicaretur, minitari iis exitum cœpit. Tum è Patribus unus, Julius Proculus, qui Romulo familiariter uſus erat & magnæ fidei habebatur, in concionem venit ac jurejurando affirmavit, Romulum ſibi, dum iter faceret, auguſta forma viſum, dixiſſeque, ſe receptum in cœlum atque ibi Quirinum vocari & Populo ſuo fore propitium Numen. Quirinum verò dictum putant, vel quod Quiritibus ſuis eſſet facilis ac propitius Deus, vel quia Sabinis haſta eſt curis, ut ſignificet Deum haſtatum ac velut Martium alioqui numen. Periit Romulus Nonis Quinctil., quæ Caprocinæ ab eo dictæ, quia Romulus apud Capreæ paludem tempeſtate orta repentè, ut ajunt, diſparuiſſet. Cauſam eam adfert Plutarchus; ſed alteram etiam addit, quod liberæ ancillæque eo die pariter ſub capritio ſacrificent Junoni, quæ & ipſa inde Caprotina dicta eſt. Plura de hoc Macrob. Saturn. l. 1. c. 11.

XXXIX. Poſt obitum Romuli per annum imperium fuit penes μεσοβασιλία, ſive interregem. Qui quomodo creari ſoleat, docet Dionyſ. Halicarn. his verbis: *Ducenti P. C. ex quibus Senatum à Rege Romulo conſtitutum diximus in decemviru diſtributi, decem viris, quibus primis ſors obtegiſſet, Reipubl. imperium ſorte committebant. Illi vero non omnes ſimul imperabant; ſed per vices unusquiſque quinque dies: quibus diebus & faſces & reliqua regia poteſtatis inſignia habebant. Qui autem primus imperio functus erat, id ſecundo tradebat & ille tertio, idque deinceps & ad ultimum fiebat. Tranſacto autem præſcripto L dierum ſpatio, quo illi decem primi regnarant, alii decem eum magiſtratum accipiebant & ab aliis rurſus alii.*

XL. Hanc poteſtatem toties mutari ægrè Pop. tulit; eoque abrogatum decemvirale imperium ac Rex factus Numa Pompilius, quem ob inclytam juſtitiam ac ſapientiam Curibus, Sabinorum oppido, arceſſiverunt. Hic ſacra pleraque inſtituit ac Sacerdotes iis præfecit. Inter eos erant XII Salii, qui Marti Gradivo ſacra in Palatio faciebant. Ii Salientes (unde & nomen) laudabant Deos, bellorum præſides. Feſtum eorum erat menſe Martio, eo tempore, quo Græca Panathenæa. Tum pictis tunicis induti & ſuper eas habentes æneum pectoris tegmen ac geſtantes ancilia

*Annus ab V.C.*

(ea brevia erant ſcuta, ex utroque latere reciſa, de quibus plura Feſtus in Mamurii) per urbem choreas agebant, uno præſiliente, qui ex eo præſul dictus. Præſul ille primus certis geſticulationibus ſaltabat, quod *amtruare* dixerunt. Hunc reliqui Salii imitabantur eos motus, quod eſt redamptruare. Lucillius;

*Præſul ut amtruat, inde ut vulgu' redamtruat olli.*

Multorum etiam opinio eſt, Numam Virginibus colendum dediſſe focum Veſtæ; ſed alii hoc T. Tatio tribuunt, ut ſupra dicitur. Præterea Numa Romuli annum, qui decem ſolùm menſium erat, duobus menſibus auxiſſe dicitur. Saltem illud conſtat, feciſſe, ut propius reſponderet Solis, Lunæque curſus. Idem deſcripſit dies faſtos & nefaſtos. Faſti dicebantur, quibus Prætori liceret fari tria verba ſolennia Do, dico, addico; nefaſti, quibus hæc fari non liceret. Idem inſtituit, ut templum Jani, quod Romulum condidiſſe diximus, pacis tempore clauderetur, belli tempore aperiretur. Quod à Numo regno uſque ad Auguſtum ter duntaxat factum, primùm ab Numa, hinc à T. Manlio Torquato poſt primum Bellum Punicum, tertiò ab Auguſto poſt bellum Actiacum. Etiam Numa pomærium protulit, urbi includens montem Quirinalem. Fingebat verò Numa, ſe agere omnia Nymphæ Egeriæ monitu. Hæc illa eſt, cui prægnantes ſolent ſacrificare, quod opem ferre crederetur in egerendo fœtu.

LXXXIII. Numæ ſuccedit Tullus Hoſtilius. Hic bellum geſſit cum Albanis; cui finis eſt impoſitus pugna tergeminorum Horatiorum & Curiatiorum. Hinc bellum illatum Vejentibus & Fidenatibus. Eo in bello quum Albani non perſtitiſſent in fide, Metius Sufetius, dux eorum, religatus inter duos currus eſt equis diſtractus: Alba ipſa, parens quidem; ſed imperii æmula, ſolo eſt æquata. Idem Hoſtilius Cælium montem intra urbem recepit.

CXV. Poſt Tullium Hoſtilium imperavit Ancus Martius, Numæ ex filia nepos. Hic tum Numæ, tum Tulli artes complexus, ceremonias, quas Numa inſtituerat, inſtauravit & adverſus Latinos bene rem geſſit. Sabinos quoque in ordinem redegit. Urbem etiam auxit: nam fecit pontem ſublicium, à ſublicis, ſive palis ligneis ita dictum. Cujus inſtaurandi cura penes Pontifices deinceps fuit; atque hoc pontis faciendi munus Pontificium iis fecit teſte Varrone in L IV. de L. L. Ponte hoc ſuper Tiberim facto Janiculum, ex quo propter altitudinem Roma maximè conſpicua erat, muro cinxit & urbi addidit. Aventinum montem Latinis, à ſe victis habitandum quidem dedit; ſed quod mali ominis foret, includere urbi noluit. Eruditus Chronologus valde fallitur quum contrarium ſcribit; uti & in altero, quum eum montem trans Tiberim fuiſſe cenſet. Præterea Ancus in confinio maris & Tiberis coloniam fecit; quæ à ſitu Oſtiæ nomen accepit.

CXXXIX. Quintus Romanorum Rex fuit Tarquinius Priſcus, cui ante Lucinii nomen fuit. Sed Tarquinii nomen accepit, quia Tarquiniis, Hetruriæ oppido, Demarathro, Corinthio patre, natus eſſet. Hic regni initio, quum hactenus CC tantùm Senatores fuiſſent,

*Annus ab V. C.* e additis, ccc effecit. Equitum etiam tres centurias, quot Romulus fecerat, additis alteris auxit. Ut ſcientiam tentaret Accii auguris, quæſivit, an id quod animo volveret, fieri poſſet, eo annuente; atqui, inquit, cogitabam, num cotem novacula poſſem diſſcindere? Tum augur; potes ergo, inquit: ac eventum reſpondit dictis. Ex quo tempore ſacer Romanis auguratus fuit. Fortuna varia pugnavit contra Latinos, Sabinos, Etruſcos; multaque Latinorum oppida cepit. Unde faſces, qui regibus præferebantur. Erant verò ſecures, virgarum faſciculis ſic obvolutæ, ut ferrum in ſumma emineret. Virga præferebatur, ut leviora ea emendarentur vitia; ſecuris, ut graviora ea amputarentur. Atque eo virgis obligabatur ſecuris, partim ne ferri totius conſpectus nimium eſſet civibus terrori; partim ut faſcium ſolutio moram injiceret nimis ad ſupplicium feſtinanti principi. Nam vel pauxillum illud temporis in diſſolvendo facere interdum poterat, ut ſententia pœnæ mutaretur. Ab Hetruſcis quoque illis Tarquinius accepit trabeam, quæ veſtis erat ſegmentata trabibus, purpura expreſſis; item ſellam curulem, in qua conſpicui ſedebant, adhæc anulum & phaleras, quibuſcum equi non in fronte ſolùm, ut Suidas putabat, ſed etiam in pectore ornabantur, ut ex Servio & aliis conſtat; præterea paludamenta, quæ veſtis erat, non auro ſolùm, ſed cocco etiam & purpura diſtincta, ut Iſiodorus indicat; item prætextam, ſive togam, cui purpureus limbus prætexebatur; inſuper togam pictam, quæ purpurei erat coloris, ſed auro diſtincta ac à Triumphalibus gerebatur; tunicas etiam palmatas, in quibus palmæ erant pictæ in victoriæ argumentum; nam Triumphantium erant. Denique ab eo fuit, quod aureo curru equis quatuor triumpharetur. Idem, quum muri urbis eſſent ex ruderibus, eam novis muris ex ingentibus ſaxis circumdedit. Quumque antea ludi à ſtantibus ſpectarentur, primus Circum, qui poſtea dictus Maximus, exſtruxit. Erat is inter Palatinum & Aventinum montes. Vide ejus deſcriptionem apud Dionyſium. Primus etiam cloacas fodit montibus & collibus ſuffoſſis labore planè ærumnabili. Vide de iis Dionyſii lib. III. Liv. l. I. & Plin. lib. XXXVI. cap. V. Interfectus eſt fraude librorum Anci.

CLXXXII. Sextus Romanorum rex fuit Servius Tullius, ex captiva Corniculana natus; ſed quem ob eximiam indolem Tanaquil, Tarquinii conjux, liberaliter educat, claritudinem futuram ex flamma præſagiens, quæ puero, in cujus poſito, caput lamberat. Jam Tarquinio interempto à regina quaſi ad tempus in regis locum ſubſtitutus fuit invita plebe. Mox ſibi plebem omnibus modis conciliavit, regiam etiam poteſtatem imminuit ac legibus ſubjecit. Hinc Vejentes atque Hetruſcos prœlio vicit. Primus omnium cenſum inſtituit. Luſtrum condidit. Luſtrum verò condi dicebatur, quum cenſendi populi finis fieret. Id exeunte quoque anno fiebat in Campo Martio, qui extra urbem erat prope portam Telumentanam. Pro cenſus verò diverſitate populum diſtribuit in claſſes ſex. Idem Urbem diviſit in quatuor tribus, agrumque Romanum in XXVI. tribus. Ergo ut Romulus XXX Curiarum, ita Servius XXX tribuum

*Annus ab V. C.* autor fuit juxta Varronem, Livium & Plutarchum: nam aliqui Veterum hæc confundunt. A tribubus his dicta Comitia Tributa, quum per tribus, hoc eſt, ex regionibus & locis, ſuffragia ferebantur, ut ex Agellio liquet lib. IV. cap. XXVII. Idem Tullius Eſquilias, Quirinalem & Viminalem montem pomærio Urbis addidit atque ita Romam fecit ſepticollem. Unde de ea Maro:

*Septemque una ſibi muro circumdedit arces.*

De Quirinali tamen alii tribuunt Numæus ut ſupra vidimus. Denique in Aventino fecit cum Latinis templum Dianæ, in quo commune Latini nominis ſacrum quotannis fiebat. Fœderis leges in columna ærea inciſit. Tandem interfectus fuit à genero ſuo Tarquinio, Tarquinii Priſci ſeu filio, ſeu nepote.

CCXX. Tarquinius hic ſocero Tullio, quem occiderat, ſucceſſit: ac ſcelerata conjunx Tullia, ut maritum regem ſalutaret, per patris occiſi corpus carpentum egit. Senatum hic rex cædibus crudeliter vexavit. Sed adverſus hoſtes fortiter rem geſſit. Nam cepit in Latio Ocrientum, Gabios, Sueſſamque Pometiam. Ex Volſcorum præda templum fecit Jovi in Capitolio: quumque eo in loco multa antea Deorum ſacella eſſent, cæteris Diis cedentibus aræ, quas Terminus & Juventas ſibi vindicabant, moveri minimè potuerunt. Terminus colebatur ſub figura ſaxi ingentis, quod, quia moveri non poterat, à Marone vocatur.

*—— Capitoli immobile ſaxum.*

Dum verò Ardeam quoque Rutulorum urbem, obſidet rex, filius ejus Aruns ſtuprat Lucretiam; quæ, quum de injuria hac marito, patri & amicis queſta eſſet, dedecus hoc ferro expiavit. Tum imperium Tarquinio abrogatum. Dies, quo urbe pulſus, Regifugium nuncupatus.

Atque hæc de prima ætate Pop. Rom., quæ ſub Regibus fuit annis CC XLIV. intra quod tempus non niſi vicinarum aliquot civitatum imperium conſecutus fuit.

### *De Temporibus à Regifugio & creatis Coſſ. uſque ad primùm creatos Trib. P.*

SOluto regio Dominatu pro regibus creati ſunt Coſſ., qui ita, ut Florus ait, vocati, *ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent.* Atque, ut Eutropius adjungit, duo Coſſ. pro uno rege, ut, *ſi unus eſſe malus voluiſſet, alter, habens ſimilem poteſtatem, eum coerceret.* Quin & placuit, ne imperium longius, quàm annum haberent, ne per diuturnitatem temporis inſolentiores redderentur.

CCXLV. Primi Coſſ. creati L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus. Sed Brutus collegam ſuum Tarquinium tantùm ob nomen & genus regium conſulatu ſe abdicare, urbique exire coegit: cui ſubſtitutus P. Valerius. Idem Brutus, quum adoleſcentes nobiles atque eos inter ſui & fratris filii de reducendo rege conjuraſſent, ſecuri eos percuſſit. Hinc primum bellum pro libertate geſtum adverſus Tarquinium, quem Vejentes & Tarquinienſes reducere conabantur. Eo in bello cecidit

 Bru-

*Annus ab V. C.* Brutus atque item Aruns, qui Lucretiæ vim intulerat. Matronæ verò annum totum luxerunt Brutum. P. verò Valerius Coſ. comitiis centuriatis in Bruti locum ſibi adoptavit collegam Spurium Lucretium Tricipitium, Lucretiæ patrem. Sed eo, quum provectæ admodum foret ætatis, intra paucos dies mortuo collegam aſſumpſit M. Horatium Pulvillum. Ita primus libertatis annus quinque habuit Coſſ. Valerius verò ita Pop. majeſtatem augere conatus fuit, ut etiam legem ferret, qua jus datum Coſſ. à Senatu ad Pop. provocandi. Etiam domum ſuam, quum ſpecie arcis offenderet, demolitus fuit. Propter iſta *Poplicola* nomen accepit.

CCXLVI. Anno proximo Coſſ. fuerunt P. Valerius Poplicola II. & T. Lucretius. Sub quibus cenſus Romæ actus; inventaque ccclↃↃↃ cclↃↃ cclↃↃ cclↃↃ civium, qui pubertatem attigiſſent teſte Dionyſio.

CCXLVII. Hinc P. Valerius Poplicola III. & P. Lucretius Coſſ. fuerunt. Eo anno Porſenna, Hetruſcorum rex Tarquinios reducere conatus. Sed ut Tarquiniis deſertis pacem cum Romanis faceret, duo virtutis exempla fecerunt. Unum erat Horatii Coclitis, qui in ponte ſublicio ſolus hoſtes ſuſtinuit & quum ultra non poſſet pontem aliis reſcindentibus armatus in Tiberim tranſiliit & ad ſuos tranſnatavit. Alterum erat exemplum Mucii Scævolæ, qui, quum regem Porſennam in caſtris occidere per inſidias vellet, ſed errore purpuratum ejus occidiſſet; manum rege præſente foco injecit ac ſine doloris indicio combuſſit, addens, iſto animo ccc in urbe eſſe, qui adverſus regem conjuraſſent. Horum admiratione pacem Rex fecit obſidibus acceptis. Ex iis Clelia virgo cuſtodibus acceptis tranſnavit Tiberim ad ſuos. Sed Romani eam remiſerunt. Porſenna verò honorificè eam remiſit & equeſtri ſtatua decoravit.

CCXLVIII. Coſſ. fuere Spurius Lartius & T. Herminius. Sed Livius omiſit.

CCXLIX. Coſſ. fuere M. Valerius, Poplicolæ frater, & P. Poſthumius. Hoc anno de Sabinis triumphavit M. Valerius, non frater ejus P. Valerius, ut putavit ſcriptor de Vir. Illuſtr.

*Plinius Secundus.*
CCL. Coſſ. fuere P. Valerius Poplicola IV. & T. Lucretius Tricipitius. Item Sabini bellum movent ſollicitatis, pellectiſque ad deditionem Vejentibus & Camarinis. Sed non levis diſſenſio inter eos, dum alii pacem præferunt. Eos inter Appius Claudius, qui hac occaſione cum magna cognatorum & clientum copia Romam tranſmigravit. Unde tribubus xxx. acceſſit una, quæ Claudia dicta eſt.

CCLI. Coſſ. fuere Agrippa Menenius & P. Poſthumius II. Hoc anno mortuus P. Valerius Poplicola ac honoris cauſa impenſa publica, atque id quadrantibus viritim ac vicatim à Pop. collectis, ſepultus fuit prope forum ac annuo matronarum luctu eſt honoratus. Eo ipſo anno P. Poſthumius Coſ. de Sabinis ovans urbem ingreſſus fuit. Prima hæc fuit ovatio, quæ nihil eſt aliud quam minor triumphus. Ita dicebatur, quod victor non tantum in Capitolio, ſed ovem ſolùm ſacrificaret, quemadmodum & eo hæc à triumpho majori differebat, quod ovantes non quadrigis veherentur, ſed pedibus irent; non laurea redimiti, ſed corona myrtea;

*Annus ab V. C.* nec tubis clangentibus; ſed tibiis concinentibus.

CCLII. Coſſ. fuerunt Opiter Virginius Tricoſtus & Sp. Caſſius Viſſelinus. Hoc anno Sp. Caſſius Coſ. de Sabinis triumphavit, quum eorum occidiſſet cclↃↃ & ccc.

CCLIII. Coſſ. fuere Poſthumius Cominius Auruncus & T. Lartius Flavius. Servorum conjuratio de arce occupanda & incendenda detegitur. Octavus Mamilius, Tarquinii gener, autor eſt, ut Latini à Romanis deficerent. Cæteroquin uno eo concitante xxx populi adverſus Romanos conſpirant. Tanti belli metu perculſa civitas, primum Dictatorem creavit T. Lartium. Erat verò dictatura poteſtas extraordinaria, regiæ par; ſed eo differens, quod regia eſſet perpetua, hæc ſex tantùm menſes duraret. Cæterorum ſolùm nomine differebant. Nam licebat Dictatori pro arbitratu ſuo exilio, virgis, capite plectere; nec provocare ab eo cuiquam licebat. Cujusmodi poteſtas non creabatur, niſi in ſummis periculis ſeu belli, ſeu ſeditionis, vel etiam religionis cauſa, quum ad placanda numina auſpiciis maximis opus foret. Etſi verò hæc poteſtas tantùm ſex menſium foret; tamen quibuſdam ex SC. in annum prorogata fuit, uti M. Furio, Camillo factum poſt bellum adverſus Senonas. Sed J. Cæſar dictaturam retinuit, ut & alia præter conſuetudinem geſſit. Imò & inſcitiam Syllæ perſtringens litteras eum neſciſſe dicebat, quod dictaturam tam facile depoſuiſſet. Et hoc non inter minima fuit, ob quæ tantum in odium venit. Cæterum poſt ejus mortem lex . . . . . . M. Antonio Cos. lata fuit, qua Dictatoris nomen tanquam tyranni aboleretur. Propterea Auguſtus Cæſar, etſi Dictatoris poteſtatem retineret, nomen tamen, etiam quum offerretur, ſemper recuſavit.

CCLIV. Coſs. fuere Servius Sulpicius & M' Tullius; ubi M' non eſt Marcus, quod prænomen ſcribitur cum puncto hoc pacto M. Meminit hujus Cos. Cicero in Br. his verbis: *quum homines humiliores in alienum ejuſdem nominis infunduntur genus; ut, ſi ego me a M' Tullio eſſe dicerem, qui patritius cum Ser. Sulpicio Cos. annos x poſt reges exactos fuit.* In magiſtratu ipſo obiit M' Tullius ac cætero tempore ſolus Sulpicius Cos. fuit.

CCLV. Coſs. fuerunt P. Veturius Geminius & T. Æbutius, Helua Etruſ. Tridena, Cruſtumeria & Præneſte à Latinis deficiunt ad Romanos.

CCLVI. Coſs. fuere T. Lartius Flavius & Q. Cælius Siculus. Fidenates ſeſe dedunt; ſed Latini adverſus Romanos conſpirant.

CCLVII. Coſs. fuere A. Sempronius Atratinus & M. Minucius Augurinus. Saturno templum dedicatum & inſtituta Saturnalia. Ob belli metum à Latinis Senatus decrevit, ut, quæ mulieres Latinæ Romanis nuptæ eſſent, aut quæ Romanæ eſſent Latinis nuptæ; hæ intra certum diem ad parentes vel ſuos redire poſſent & ſecum ducere filias innuptas; vel, ſi mallent, apud maritos remanerent. Ex Romanis duæ ad Latinos reverſæ; ſed ex Latinis penè omnes rediere ad Romanos.

CCLVIII. Coſs. fuere A. Poſthumius Albinus & T. Virginius Tricoſtus. Ob metum belli Latini Dictator creatus Poſthumius, Magiſter Equitum T. Æbutius. Pugnatum ad Lacum

*Annus ab V. C.* cum Regillenſem atque id à Romanis feliciter. Hoc prœlio creditur, Caſtorem & Pollucem candidis equis pugnæ interfuiſſe proque Romanis pugnaſſe. Propterea ſtatutum fuit, ut Id. Quinctil., quibus pugnatum fuerat, quotannis in honorem Caſtoris & Pollucis equitum fieret tranſvectio.

CCLIX. Coſs. fuerunt Appius Claudius Sabinus & P. Servilius Priſcus. His Coſs. Cumis in exilio mortuus rex Tarquinius Superbus. Sed ut hoc Senatui gratum fuit, ita minutum gaudium eo fuit, quod odium inter Senatum & plebem gliſcere cœpit; eò quod à fœneratoribus cives ob æs alienum in vincula raperentur, verberibuſque etiam in corpora ſæviretur.

CCLX. Coſs. fuere A. Virginius Tricoſtus & T. Veturius Geminius. Seditione magis, magiſque in urbe augente & Volſcis, Æquis, Sabinis bellum moventibus Dictator creatur M' Valerius, alter Poplicolæ frater, qui ob honorem hunc Maximi cognomen accepit & ad poſteros tranſmiſit. Bello adverſus Volſcos, Æquos, Sabinos feliciter confecto M' Valerius ad Senatum refert de nexis ob æs alienum. Sed P. rejecerunt hanc relationem. Tum Valerius dictaturam indignabundus depoſuit. Pop. verò autore Sicinio quodam ſublatis ſignis trans Anien receſſit, caſtrumque fecit in monte ſacro. Ea prima Pop. ſeceſſio fuit annis XV à Regifugio.

CCLXI. Coſs. fuerunt Sp. Caſſius Viſſellinus II, & Poſthumus Cominius Aurunius II. His Coſs. plebs P. eſt reconciliata oratione Agrippæ Menenii; qui iis narrabat veterem fabellam de artubus humanis, adverſus ventrem diſſidentibus, quod ille ſolus immunis ageret. Poſtea magis, magiſque languentes cum ventre in gratiam rediiſſe, eo quod viderent opera illius cibos coqui, quibus in ſanguinem converſis pariter rigarentur. Concordia verò inita eſt conditione ea, ut lex, quam ſacratam vocant, Senatu permittente ferretur. Hæc erat, uti plebs haberet annuos ſuos magiſtratus, qui plebi auxilio eſſent adverſus Coſs. & nobilitatem; ac ne cui P. capeſſere eum magiſtratum liceret. **Tunc duo in monte ſacro Tribuni creati L. Sicinius Bellutus & L. Ju**nius; qui & Bruti commune cum eo uſurpavit nomen, qui Tarquinium expulerat, nempe ut oſtenderet, non minus ſe infeſtum eſſe Optimatum tyrannidi, quam ille fuerat tyrannidi regiæ. Sunt tamen, qui non duos, ſed tres, vel etiam quinque Tribunos primitus factos putant. Hæc poteſtas ut initio ſalutaris fuit; ita poſtea abuſus ejus libertatis publicum ſtatum turbavit, quum etiam nihil penſi ducerent, niſi libertatis plebejæ tuendæ prætextu vectigalia, agroſque publicos, quibus vellent, darent, SCta reſcinderent, Senatum cogerent & diſſolverent, illuſtres cives ad ſupplicium raperent, Coſs. ipſos in carcerem ducerent, multaque alia ſæpe auro corrupti per ſeditionem agitarent. Eam poteſtatem Auguſtus & qui Imperatorum eum ſecuti in ſe tranſtulerunt. Eodem anno, non tamen in monte Sacro, ſed plebe jam reconciliata, primùm creati Romæ Æediles plebis, qui Tribunorum quaſi miniſtri eſſent, iis adeſſent in ſcribendo & Trib. comitantibus jus dicerent inter privatos. Poſtmodo etiam curam geſſere ædium, in quibus leges, plebiſcita & SCta aſſervabantur. Atque ab iſta ædium cura Æediles vocari cœpiſſe, autores

*Annus ab V. C.* ſunt Varro & M. Pomponius de origin. Jur. Etiam forum, rerumque venalium cura iis commiſſa: ἀγορανόμοι Græcis dicuntur. Eopſe anno cum Latinis eſt renovatum fœdus, quod, æneis inciſum columnis, poſt Roſtra Livii etiam ætate exſtabat. Etiam ob renovatam hanc ſocietatem tertius Latinis feriis eſt dies additus. Menenius Agrippa quoque mortuus atque ob paupertatem honoris ergo publico ſumptu, ſextantibus à Pop. collatus, ſepultus fuit.

### *De temporibus à creatis Trib. pleb. uſque ad Decemviros, Conſulari poteſtate deſignatos.*

CCLXII. COſs. fuere T. Geganius Macerinus & P. Minucius Augurinus. Ex eo, quod plebs ſeceſſerat, inculti permanſerant agri. Unde hoc anno ſumma in urbe caritas fuit annonæ. Tum Sp. Icilius, ſeditioſus Trib. pl., conciones acerbas adverſus Coſs. & Patricios habuit, mali ejus culpam iis impingens. Legem quoque ejuſmodi tulit: *Concionanti apud Pop. Trib. nemo contradicito, nec dicentem interpellato. Siquis contra faxit, vades dato, Tribunis ſoluturum ſe multam: qui vades non dederit, morte mulctator & bona ejus ſacra ſunto. Siquid controverſiæ multarum hujuſmodi cauſſa inciderit, judicia penes pop. ſunto.*

CCLXIII. Coſs. fuere M. Minucius Augurinus & A. Sempronius Atratinus. Frumento ex Sicilia advecto Cn. Marcius Coriolanus (quomodo vocatus, quia Coriolos, Volſcorum oppidum cepiſſet) Senatui ſuadet, ut ne prius illud Pop. dividatur, quàm abolita eſſet Tribunorum poteſtas. Tribuni idcirco L. Sicinius Bellutus & M. Decius Mus perduellionis ei diem ad Pop. dixere. Sed quum liberius ſe opponeret, per miniſtros Æediles comprehendere eum, deque ſaxo Tarpejo dejicere ſunt conati. Sed Senatus ac nobilitas prohibuit. Nihilominus Trib. pl. tributis comitiis plebem convocarunt, ut de ejus capite ſententiam diceret. Ab hac abſens exilio eſt damnatus. Ille ad Volſcos confugit atque ab iis, quod hoſtilia quæque Romanis minaretur, benignè eſt acceptus.

CCLXIV. Coſs. fuere Q. Sulpitius Camerinus & Sp. Lartius Flavius. Prodigia varia facta. Id ex T. Annii ſomnio creditum fieri, quia Ludi Magni, quos A. Poſthumius voverat dictator bello Latino, non eſſent ritè celebrati: nempe quia quiſpiam ſervum ſuum ipſis ludis ante pompam flagellis cecidiſſet.

CCLXV. Coſs. fuere C. Julius Julus & P. Pinacius Rufus Mamerinus. Ludi Magni inſtaurantur. Volſci autore Tullo ac duce Cn. Coriolano irrumpunt in agrum Romanum ac Romanos inde colonos expellunt.

CCLXVI. Coſs. fuere Sp. Nantius Rutilus & Sex. Furius Fuſus. Coriolanus, dux Volſcorum, capit Satricum, Longulam, Poluſcam, Coriolos, Novellam, Labicos, Lavinium atque alia Romani nominis oppida; atque exercitum ad quartum ab urbe lapidem collocat. Miſſi ad eum tunc primùm legati, hinc ſacerdotes, qui orarent, ne patriæ bellum inferret: ſed fruſtra. Tandem precibus Veturiæ matris, uxoris Volumniæ & aliarum mulierum, quæ ad eum in caſtra venerant, affectus miſericordia, receſſit cum infeſto exercitu.

Paulò

*Annus ab V.C.* Paulo poſt verò à Volſcis, qui hoc indignè ferebant, occiſus fuit.

CCLXVII. Coſſ. fuere C. Aquillius Tuſcus & T. Sicinius Sabinus. Bellum geſtum contra Volſcos & Hernicos, qui & ipſi erant inter Latii populos. Periit eo in bello princeps Volſcorum Tullus Atius, qui Coriolani fuerat hoſpes. Triumphavit de iis T. Sicinius Cos.

CCLXIIX. Coſſ. fuere Sp. Caſſius Viſſellinus III, & Proculus Virginius Tricoſtus Rutilius. Caſſius III Cos. Volſcos & Hernicos cogit populationibus ad petendam amicitiam populi Rom. Cum Hernicis ictum fœdus; ſed ita, ut parte agri cederent. Hinc legem fert de agro Hernicorum dividendo inter Latinos & cives Romanos. Item ut pecunia, è ſiculo frumento contracta, inter egenos cives diſtribueretur. Ita plebem ſibi conciliavit. Præterea egit cum Tribunis de non ſubrogandis magiſtratibus. Idcirco venit in ſuſpicionem affectati imperii.

CCLXIX. Coſſ. fuere Q. Fabius Vibulanus & Servius Corn. Matriginenſis Coſſus. P. Mutius Scævula Trib. pl. novem collegas ſuos vivos cremat, idque ex Senatus, populique Romani autoritate, quia duce Sp. Caſſio id egiſſent, ut non ſubrogando magiſtratum libertas Romana periclitaretur. Sp. verò Caſſius perduellionis reus à nobilibus juvenibus factus, quod largitione agraria regnum affectaſſet. Ejus criminis convictus de rupe Tarpeja conjectus fuit. Nec profuit illi, quod ter conſulatum geſſiſſet, bis etiam triumphaſſet. Quidam tamen à patre damnatum & interſectum tradunt.

CCLXX. Coſſ. fuere L. Æmilius Mamercinus & K. Fabius Vibulanus. K. hic valet Cæſo, ſive Kæſo. Ubi K. maluerunt, quam C., ut à Cajo diſtinguerent. Kæſos verò dictos, qui mortuo parentis utero exſecti eſſent, ſatis notum eſt. Hoc anno Caſtoris ædes eſt dedicata à Decemviro, filio A. Poſthumii Dictatoris, qui eam voverat bello Latino.

CCLXXI. Coſſ. M. Fabius Vibulanus & L. Valerius Poplicola Potitius. Seditio orta ob Legem agrariam, quæ rurſum movetur à Trib. pleb. Oppia, Virgo Veſtalis, inceſtu damnata, viva defoditur.

CCLXXII. Coſſ. C. Julius Julus II & Q. Fabius Vibulanus II. Dum Romæ ſeditione laborant, pop. poſtulante Decemviros, qui agros dividerent, Æqui agros Latinorum, Volſci Romanos agros populantur. Quibus tardè obviam procedunt Coſſ.

CCLXXIII. Coſſ. K. Fabius Vibulanus II & Sp. Furius Fuſus. Cum Æquis & Vejentibus pugnatum. Sp. Icilius Trib. pl. ferre ſtudet Legem Agrariam, quam moverat Sp. Caſſius: ſed Coſſ. impediunt per quatuor Icilii collegas, qui ejus actionibus interceſſerunt.

CCLXXIV. Coſſ. Cn. Manlius Cincinnatus & M. Fabius Vibulanus II. Bellum periculoſum geſtum cum Vejentibus & Hetruſcis; in quo occubuit Cn. Manlius Cos. & alterius Cos. frater Q. Fabius Vibulanus Legatus, qui conſulatum bis geſſerat. Ipſe M. Fabius graviter fuit vulneratus. Quin & caſtris expulſi fuere Romani; ſed animis reſumptis ea recuperarunt, hoſteſque fuderunt. M. Fabio decretus triumphus; quem modeſtè recuſavit ob collegam & fratrem amiſſos.

CCLXXV. Coſſ. K. Fabius Vibulanus III & T. Virginius Tricoſtus II. Gens Fabia ſibi bellum

*Annus ab V.C.* adverſus Vejentes propriis impenſis depoſcit. Ergo CCCVI Fabii K. Fabio Cos. duce cum CIƆCIƆCIƆ clientium profecti ſunt ad Cremeram fluvium atque ibi caſtra muniérunt; quumque antea Vejentes agrum Romanum infeſtarent, bellum inde in agrum hoſtilem tranſtulerunt.

CCLXXVI. Coſſ. L. Æmilius Mamercinus & C. Servilius Ahala. Volſci & Æqui irrumpunt in agrum Romanum. Etiam Vejentes accitis ex Hetruria auxiliis Fabios ad Cremeram oppugnant. Sed quum auxilio iis venit Æmilius Cos., & Vejentes prœlio vicit, pacemque petere coegit. Verùm brevis ea pax fuit, quia Vejentes, à vicinis impulſi, mox bellum renovarunt. At diſſimili verè fortuna pugnatum adverſus Volſcos & Æquos. Nam C. quidem Servilius, temerè cum Volſcis congreſſus, multos è ſuis amiſit. At Sp. Furius Procos. feliciter adverſus Æquos pugnavit. Proconſul verò, ſive Proconſule, (nam utroque modo vocati) aliquis exercitum ducere dicebatur, qui loco Cos. id faciebat cum imperio. Ac ſimiliter aliquis Proconſule poſtea provinciam obtinere dictus, quia extra Italiam mitteretur in provinciam cum poteſtate conſulari. Nec Proprætorem, vel Proprætore mitti aliud eſt, quam cum prætoria poteſtate.

CCLXXVII. Coſſ. C. Horatius Pulvillus & T. Menenius Lanatus, Agrippæ f. Fabii CCCVI, quum ſæpius hoſtes cæcidiſſent, victoriis fiunt incautiores. Ita Hetruſcis data occaſio eos circumveniendi. Suntque ab iis ad unum omnes occiſi unà cum duce Kæſone & omnium Clientium grege. Dies is ater habitus Romanis. Ovidius in Faſt. factum ait fuiſſe Id. Febr. Sed Plutarchus in Camillo, item Gellius & Macrobius ajunt factum XVI kal. Sext., non ipſis kal. Sext., quod eſt apud eruditum Chronologum. Hac victoria elati Vejentes adorti ſunt Cos. Menenium, cui commiſſum erat bellum adverſus Vejentes, uti alteri Cos. Horatio adverſus Volſcos. Menenii exercitus cæſus eſt. Hinc Vejentes ad urbem venerunt & Janiculum occupavere. Subito è Volſcis revocatur Horatius. Interim & Hetruſci Tiberim tranſeunt; magnaque in urbe erat annonæ penuria. Commodè autem venit Horatius ac cum hoſte bis confligit, primùm ad Spei, idque æquo Marte; hinc ad portam Collinam, ubi paullò ſuperiores fuere Romani.

CCLXXIIX. Coſſ. A. Virginius Tricoſtus Rutilus & Sp. Servitius Structus. Vejentes etiamnum Janiculum occupant & agrum Romanum inde populantur. Etiam nocte Tiberim trajiciunt & caſtra adoriuntur Servilii Cos.: ſed pelluntur. Eo animatus Cos. Tiberi trajecto caſtra ad Janiculum ponit: ſed fœdius repellitur, quam Vejentes ante pepulerat. Collega Virginius intervenit. Ita Hetruſci, inter duas acies circumventi, occidione delentur: quæ Cremerenſis cladis talio fuit. T. Menenio, Agrippæ filio, quod ſuperiori anno malè pugnaſſet atque ita imminuiſſet Pop. Rom. majeſtatem, tributis Comitiis mulcta dicta eſt CIƆCIƆ æris. Quam ignominiam quum ferre non poſſet, mœrore obiit.

CCLXXIX. Coſſ. P. Valerius Poplicola & C. Nautius Rutilus. Vejentes & Sabini à Romanis duce Poplicola vincuntur. Volſci item & Æqui vincuntur à Latinis. Sp. Servilio, quod ſu-

periori

*Annus ab V. C.* periori anno malè pugnaſſet, dies dicta à Tribunis. Ille ſe apud pl. defendit, Tribunos accuſavit, iiſque exprobravit damnationem & mortem Menenii, cujus pater Agrippa cauſa eſſet illius poteſtatis, quam tunc temporis pl. & Tribb. habebant. Ita factum, ut judicio abſolveretur.

CCLXXX. Coſſ. L. Furius Medullinus Fuſus & A. Manlius Vulſo. A. Manlius Vejentes cædit ac pacem petere coegit: factæque cum iis induciæ in annos XL. Paci huic externæ ſuccedit domeſtica ſeditio ob legem Agrariam, quam plebs Tribunis concitantibus ferri poſcebat. Coſſ. etſi Menenii damnatio & Servilii periculum terrere eos poſſet; tamen animoſe Tribb. ſe opponunt.

CCLXXXI. Coſſ. L. Æmilius Mamercinus II. & Vopiſcus Julius. Genucius Trib. pl. reos facit ſuperioris anni Coſſ., quod Agrariæ Legi reſtitiſſent. Sed Genucius ipſo judicii die domi ſuæ inventus mortuus; ſive id divino judicio factum, ſive potius, ut multi credidere, Patriciorum dolo. Etiam Voleronis cauſa maximus eſt ortus tumultus. Is non tantùm pl. ad Legem Agrariam poſcendam incitabat; ſed etiam in delectu ad nomen noluerat reſpondere. Propterea juſſerunt Coſſ. eum ſpoliari, virgiſque cædi. Sed pl. irata faſces confregit, lictoreſque pulſavit. Coſſ. metu in curiam profugerunt.

CCLXXXII. Coſs. L. Pinarius Rufus & P. Furius. Urbinia virgo Veſtalis, inceſti convicta, viva defodienda damnatur. Volero Publius, infimæ ſortis homo, eo quod ſe oppoſuiſſet Coſs. anno ſuperiori, nunc Trib. pl. fit. In eo Tribunatu hanc legem ferre conatur: *uti Tribuni pl. & Ædiles tributis, non curiatis, crearentur Comitiis; & quicquid Trib. pl. rogaret, iiſdem ſciſceretur Comitiis.* Ea lege à Patriciis auferebatur poteſtas per clientium ſuorum ſuffragia Trib. creandi, quem vellent. Duo ei ex collegis hac in re favebant: ſed per tres alios hoc anno ea lex impedita eſt.

CCLXXXIII. Coſs. Ap. Claudius Sabin. Rhegillenſis & T. Quinctius Barbatus Capitolinus. Hoc anno pertulit Valero Publiliam legem, quam diximus, quæ ab autore Publilia vocatur. T. Quinctius Coſ. prædam ingentem ex Æquis reportavit. Sed alter Coſ., qui adverſus Volſcos miſſus erat, nihil memorabile geſſit, propterea quod inviſus eſſet exercitui; imò multos ſuorum amiſit, eò quod milites ſponte ex acie profugerent. Sed ubi ex hoſtili ſolo venit militaris diſciplinæ exemplum in eos ſtatuit, qui profugiſſent. Nam Centuriones & Dupliciarios virgis cecidit, hinc ſecuri percuſſit; militum vulgus ſorte decimavit.

CCLXXXIV. Coſs. L. Valerius Poplicola Potitus II. & T. Æmilius Mamercinus. Dubia victoria pugnatum cum Sabinis. Ap. Claudius à Tribb. accuſatur, quod in conſulatu ſeditioſas habuiſſet conciones adverſus Tribb., quodque ſe legi Agrariæ & Publiliæ oppoſuiſſet. Ille magna conſtantia ſe defendit apud Pop., adeo ut Tribb. ſponte diem producerent. Sed antequam ea dies adveniſſet, ſeu morbo, ſeu ſponte App. moritur.

CCLXXXV. Coſs. A. Virginius Tricoſtus II. & T. Numicius Priſcus. Volſci ab his Coſs. victi.

CCLXXXVI. Coſs. T. Quinctius Barbatus & C. Servilius Priſcus. Creati hi Coſs. à Patribus & co-

*Annus ab V. C.* rum clientibus. Nam pl. eorum Comitiis noluerat intereſſe ob negatam diviſionem Agrariam. T. Quinctius Coſ. Volſcos, anniverſarios Romanorum hoſtes, vicit; Antium, eorum oppidum, obſedit ac deditione cepit. Oppidum hoc celebre fuit Fortunæ templo. Unde Horatius:

*O Diva, gratum quæ regis Antium,* &c.

CCLXXXVII. Coſs. T. Æmilius Mamercinus & C. Fabius Vibulanus. Tribb. pl. efficiunt, ut ager, Volſcis ademptus, pl. dividatur. In eo dividendo Triumviri creati T. Quinctius, A. Virginius & P. Furius, omnes C.

CCLXXXVIII. Coſs. Sp. Poſthumius Albus & C. Servilius Priſcus. Pugnatum adverſus Æquos: ſed ob morbum Coſ. Servilii nihil magnopere effici potuit. Romæ dedicatum templum Dii Fidii, quod Tarquinius locarat, ſed non conſecrarat. Erat verò Dius Fidius Sabinorum Deus, qui aliter Sanctus dicebatur. Per hunc jurari ſolere oſtendit. . . . illud me dius Fidius.

CCLXXXIX. Coſs. Q. Fabius Vibulanus III. & T. Quinctius Barbatus Capitolinus II. Fabius Coſ. de Æquis victoriam & prædam reportavit.

CCXC. Coſs. A. Poſthumius Albus Rhegillenſis & Sp. Furius Medullinus. Furius Coſ. ab Æquis in Hernico obſidetur; in prœlio vulnus accipit: frater ejus P. Furius occiditur: multi ex exercitu cæduntur. Sed T. Quinctius, cum Proc. imperio miſſus, adventu ſuo Rom. exercitum ſummo liberavit periculo.

CCXCI. Coſs. P. Servilius Priſcus II. & L. Æbutius Elva. Atrox Romæ peſtis graſſatur, propter quam Volſci & Æqui impune Romanum, Latinumque agrum populati.

CCXCII. Coſs. T. Lucretius Tricipitinus II. & T. Veturius Cicurinus. Peſte ceſſante Pop. Rom. exercitum adverſus Volſcos & Æquos educit atque eos vincit. Sex. Titius Trib. pl. renovare conatur legis Agrariæ actiones; ſed pl. ipſa obſtitit ac meliora tempora jubet expectare. Alius Trib. pl. C. Terentius Arſa abſentibus Coſs. concionem adverſus eos habuit, qua in eorum poteſtatem acriter invehitur, quaſi pro uno rege nunc duos pop. haberet. Legem etiam ferre conatur; *uti crearentur Quinqueviri ſcribendis de imperio Conſulari legibus; uti, quod pop. in ſe jus dederit, eo Coſs. uterentur, non libidinem ac licentiam pro legibus haberent.* Sed Q. Fabius, Urbis Præfectus, acriter in Tribb. invectus effecit, ut lex ea differretur in adventum Coſs.: qui ſponte eum in comitia extraxere. Vejentes his Coſs. gemino prœlio victi & ad internecionem cæſi. Quum Lucretio triumphus eſſet debitus, obſtitit Terentius Trib. pl., qui prius legem ſuam voluit perferri. Sed eo tandem cedente ſuus Imperatori atque exercitui obtigit honos.

CCXCIII. Coſs. P. Volumnius Aventinus & Ser. Sulpitius Camerinus. Bos locuta, carne pluit, cœlum ardere viſum; aliaque prodigia fiunt. Ob quæ Sybillini libri conſuluntur à Duumviris, qui reſpondent, conſpirationem ab alienigenis Urbi portendi. A. Virginius Trib. pl. conatur promulgare legem Terentiam, de qua ante dictum. Sed K. Quinctius, L. Cincinnati fil., juvenis, generis nobilitate & virtute militari clarus, ſe opponit Tribb., eos foro ſæpius pellit, pl. item fugat. Pro-

*Annus ab V. C.*

ptetea ei capitis dies à Virginio dicta; qui & indicta cauſa in carcerem ducere voluit. Sed quum Senatus inſtaret apud collegas, ut intercedere vellent, prohibitus eſt. Coactus tamen Cincinnatus vades decem dare, qui, niſi publico judicio ſe ſiſteret, ſinguli ſolverent pop. multam HS. milium æris. Filius poſtridie in Thuſcos exulatum abiit. Pater divenditis ſuis mulctam ſolvit ac quatuor jugerum agrum trans Tiberim colens in paupertate vivere cogitur.

CCXCIV. Coſſ. P. Valerius Poplicola II. & C. Claudius Rhegillenſis. Dum ſeditione tanta Urbs laborat, ſervi & exſules duce Herodonio Sabino Capitolium noctu occupant. Virginius Trib. auctor eſt pop., ut detrectent militiam adverſus Herodonium & fugitivos. Valerius Coſ. adverſus Herodonium inter primos pugnans cecidit. Cæſis tamen iis Capitolium receptum. Claudius Coſ. in locum Valerii ſurrogavit T. Quinctium Cincinnatum, patrem Kæſonis, qui apud Thuſcos exſulabat.

CCXCV. Coſſ. Q. Fabius Vivulanus IV. & L. Corn. Mulugenſis Coſſus. Coſſ. adverſus Volſcos & Æquos profecti. Iis jam abſentibus Tribb. pl., qui jam tertium annum iidem erant, legem perferre conantur Terentiam. Sed P. Lucretius, Urb. præf., obtinuit tandem, ut ea res differretur in Coſſ. reditum. Coſſ. Volſcos & Æquos vicere. M. Volſcius, K. Quinctii accuſator, falſi reus fit. Sed Tribb. non patiuntur de eo quæſtionem inſtitui, niſi lex Terentia perferatur.

CCXCVI. Coſſ. C. Nautius Rutilus II & L. Minucius Augurinus. C. Nautius Sabinus prœlio vincit Æquos ac ad pacis conditiones cogit. Sed illi mox fœdere rupto prædas agunt ex Latino & Tuſculano agro. Tum nullus adverſus Æquos alter Coſ. Minucius, qui præ timore militem continens in caſtris ab Æquis obſidetur. Hinc Romæ orta conſternatione placuit, Dictatorem mitti T. Quinctium Cincinnatum, qui ab aratro à viatore ad ſummum imperium eſt vocatus. Hic Quinctius L. Tarquitium (qui corruptè in libris multis Tarquinius vocatur) Magiſtrum equitum fecit. Hinc milite conſcripto adverſus Æquos profectus eos una nocte obſedit ac ad deditionem poſtero die cogit. Duces Æquorum cepit, exercitum ſub jugum miſit. Minucium Coſ. ob ignaviam ſe abdicare conſulari imperio coegit. Corona tamen aurea libra pondo ab eo eſt donatus & patronus ſalutatus, quod eum & exercitum liberaſſet. Dictatoris Cincinnati metus effecit, ut ne eo in Urbem reverſo diutius differretur judicium de M. Volſcio. Ita Volſcius falſi teſtimonii damnatus exſilio multatur. Contra Cincinnati fil. Kæſo ab exilio revocatur, inque integrum reſtituitur. Sexto decimo die Cincinnatus Dictaturam ultro depoſuit, etſi in ſex menſes eam accepiſſet, atque ad aratrum rediit, repudiatis etiam agris, à Pop. Rom. oblatis, uti & mancipiis ex præda.

CCXCVII. Coſſ. C. Horatius Pulvillus II & Q. Minucius Augurinus. Tribb. pl. ſublato Dictatoriæ poteſtatis metu revocant actionem legis Terentiæ. Interim Sabini & Æqui populantur agrum Rom.: adverſus quos duo exercitus miſſi. Plebs petit à Patribus, ut, quia jam quinquennium de lege Terentia ſpe vana eluſi eſſent, pro paucis adeo Tribb., in

*Annus ab V. C.*

quibus ſatis præſidii non eſſet, decem Tribb. quotannis creare liceret. Ac neceſſitas coegit Patres, ut aſſentirent: ſed ea conditione, ut nequis fieret Trib., qui anno proximo Trib. fuiſſet.

CCXCVIII. Coſſ. M. Valerius Maximus & Sp. Virginius Tricoſtus. Hoc anno primùm Romæ celebrati Ludi ſæculares, qui ſæculo quoque, hoc eſt poſt annum centeſimum fiebant, ſive, ut aliqui volunt, poſt cx; quos movet Horatii verſus in carmine ſæculari:

*Certus undenos decies per annos.*

At alii legunt; *Certus ut denos*, &c. Eodem anno decem fuere Tribb. annis XXXVI, ex quo Tribb. primùm creati; ac Senatum quoque convocare incipiunt, quum antea id jus ſolùm apud Coſſ. fuiſſet, Tribb. autem in concionibus duntaxat regnaſſent.

CCXCIX. Coſſ. T. Romulius Rocus Vaticanus & C. Veturius Cicurinus. Æqui, Tuſculanum agrum populantes, ad Algidium à Romanis Coſſ. vincuntur. Tribb. pl. leges promulgant de lege Agraria & magiſtratibus adæquandis. Ex Patriciis ſe oppoſuere Clælii, Poſthumii, Sempronii; qui propterea multati à pl., quod Tribb. invitos contra legem Sacratam coëgiſſent. Sed ordo Patriciorum pro damnatis mulctam eam perſolvit.

CCC. Coſſ. Sp. Tarpeius Montanus & C. Æternius Fontinalis. Legati in Græciam miſſi, qui de Legibus Draconis & Solonis cognoſcerent.

CCCI. Coſſ. Sextus Quinctilius & P. Horatius Tergeminus. Fames & peſtilentia magis hoc anno graſſata, quam unquam: alioſque inter abſumptus Coſ. Quinctilius.

CCCII. Coſſ. P. Sextius Capitolinus & T. Menenius, Agripp. Nep., Lannatus. Ceſſante peſte ludi fiunt, annonæque penuria ſublevatur frumento, undique apportato. Legati cum Legibus Atticis revertuntur Romam.

CCCIII. Coſſ. Appius Claudius Craſſinus & T. Gennucius Augurinus. Sed abdicarunt ſe poteſtate atque ex Appii Coſ. ſententia creati fuere Decemviri conſulari poteſtate, uno majori; quippe à quibus provocandi jus nullum eſſet. Contentio aliquandiu fuit, num plebei iis admiſceri poſſent. Sed tandem plebei permiſere, ut ex ſolis Patriciis legerentur, dummodo ne Icilia & aliæ Sacratæ leges abrogarentur.

### *De temporibus Romanorum à Decemviratus initio uſque ad Tribb. militum conſulari primùm poteſtate deſignatos.*

CCCIII. HOc anno Decemviri imperarunt App. Claudius, T. Gennucius, Sp. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Sp. Poſthumius, P. Sextius, Ser. Sulpitius, T. Romulius, P. Horatius. De horum imperio ita ſcribit Dionyſius Halicarnaſſæus l. VIII. *Sequenti anno, qui fuit ab V. C. CCCII, Decemviri aſſumptis civitatis gubernaculis, aggreſſi ſunt Remp. conſtituere. Penes unum erant faſces & reliqua Conſularis poteſtatis inſignia. Is Senatum convocabat, decreta confirmabat, cæteraque agebat pro imperio. Reliqui ad minuendam poteſtatis invidiam non multum à privatis differebant habitu. Deinde alius in poteſtatem ſuccedebat ſervatis vici-*

Google

*Annus ab V.C.* *cibus, idque ad certos dies, donec elaberetur tempus annuum. Omnes autem à mane pro tribunali cognoſcebant cauſas privatas & publicas & lites controverſas dirimebant, de ſingulis diſceptantes ſumma æquitate atque juſtitia. Viſumque eſt civitati optimum ejus anni decemvirale imperium. Sed maximè laudabatur cura plebeiorum hominum & præſentaneum contra omnem vim atque injuriam auxilium, jactabaturque à multis, non opus fore aliis magiſtratibus civitati, quum unus ad omnia obeunda munera mira prudentia ſufficiat. Et paulo poſt hi Decemviri leges, conſcriptas tum ex Græcorum jure, tum è patriis conſuetudinibus, propoſuerunt in decem tabulis cognoſcendas cuilibet ferentes, admoneri ſe à privatis hominibus; diuque conſultaverunt cum Proceribus, revocantes ad exactiſſimum examen ſingulas. Ubi verò viſa ſunt bene habere, primum SC. de eis fecerunt, deinde Centuriatis Comitiis in præſentia Pontificum, Augurum, aliorumque Sacerdotum à re divina exorſi calculos dederunt centuriis, tum plebeſcito quoque confirmatas & in æreas columnas inciſas, una ſerie propoſuerunt in loco fori, maximè conſpicuo.*

CCCIV. Exacto annuo imperio quum aliqua deeſſent legibus, placuit Senatui ac plebi, ut iterum Decemviri crearentur: qui partim iidem, partim alii fuerunt. Etſi verò Appius Claudius ob nimium pleb. favorem eſſet ſuſpectus, fecit tamen, ut ipſe quidem in imperio perſeveraret; at in locum Quinctii Capitolini & Quinctii Cincinnati & quorundam aliorum melioris notæ ii ſurrogarentur, quibus publicum bonum minus cordi eſſet. Ita factum, ut inter Decemviros facta conſpiratio ſit, nequis è Collegio ulla in re alteri adverſaretur, ne Senatum convocarent, ne comitia haberent; adhuc ne unquam deponerent imperium, ſed illud in perpetuum continuarent. Poſt hoc fœdus initum Idib. Majis, quibus inibant magiſtratum, primo honoris die ſinguli cum duodenis faſcibus prodire in publicum, decem regum inſtar cxx lictoribus implentes forum. Nec virgis, ſecuribus aut bonorum publicatione abſtinebant. Provocatio ab iis nulla erat. Quæ quum Optimates videre non poſſent, Urbe ceſſerunt in prædia ſua Decemviris lubentibus, qui eò ſecurius regnabant.

CCCV. Hoc anno Decemviri injuſſu pop. ac ſine Patrum autoritate per vim imperium continuare ſunt aggreſſi. Deplorabant Romani amiſſam libertatem: quod eos in contemptum adduxit apud vicinos. Ergo Sabini incurſum fecere. Æqui etiam in Algido caſtra poſuerunt. Duo ex Decemviris in urbe manſere cum legionibus duabus, tres profecti adverſus Sabinos, reliqui adverſus Æquos. Sed infeliciter adverſus utroſque pugnatum: quod magis etiam Decemviros in odium adduxit. Acceſſere deinde facinora duo. Nam L. Sicinium Dentatum, fortiſſimum virum, quod liberius quædam dixiſſet, per inſidias occiderunt. Etiam App. Claudius L. Virginii Centurionis in Algido filiam in ſervitutem abduxit, ut ea melius potiretur. Sed pater, quo libertati & pudicitiæ filiæ conſuleret, lanii eam cultro occidit. Optimum virum Virginium eò neceſſitatis ab Appio eſſe redactum, indignè adeo tulere Romani, ut

*Annus ab V.C.* non ex Urbe modò, ſed etiam ex caſtris Imperatoribus deſertis in Aventinum iterum ſecederent, Decemviros puniri & conſularem ac tribuniciam poteſtatem renovari peterent. Ita Decemviri coacti ſe abdicare; inque eorum locum facti ſunt Coſ. L. Valerius Poplicola Potitus III, & M. Horatius Barbatus. App. Claudius & Sp. Oppius in carcerem conjecti, inque eo periere. Cæteri Decemviri voluntario exilio ſibi conſuluerunt. XII Tabulæ æreæ publicatæ ſunt ante Roſtra. Decretum, ut SCta, quæ ante pro arbitrio vitiabantur, deferrentur in ædem Ceteris, utque ibi ab Ædilibus pl. aſſervarentur. Leges quoque duas hi Coſ. tulere, quæ ab autoribus Valeria & Horatia dictæ fuerunt; una erat, ut, quod tributim plebs juſſiſſet, pop. teneret: altera fuit, uti, qui Tribb. pl., Ædilibus, Judicibus nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris liberi, liberæque vænum iret.

CCCVI. Coſ. Lar. Herminius Aquillius & T. Virginius Tricoſtus III. Quinque Tribb. pleb. creati; qui, quum tribus ſtudio veterum Tribunos alios ſupplere nollent, ipſi ſibi quinque Tribb. cooptarunt.

CCCVII. Coſ. M. Geganius Macerinus & C. Julius Julus III. Tribb. à ſeditioſis concionibus abſtinent, quod inſtaret bellum Volſcorum & Æquorum.

CCCVIII. Coſ. T. Quinctius Capitolinus & Agrippa Furius Fuſus. Ingens inter Patres & plebem certamen fuit; ſed ſopitum illud Volſcis & Æquis arma ſumentibus & ad Urbis uſque portas excurrentibus. Eos conſcripto exercitu Quinctius cos. penè internecione delevit. Quum verò hactenus Coſ. conſuetudo fuiſſet Quæſtores ſibi deligendi, hoc anno Tribb. poſcunt, ut illi à pop. eligantur: & concordiæ cauſa id à Patribus iis conceditur. Autor Tacitus Ann. XI.

CCCIX. Coſ. M. Genucius Augurinus & C. Curtius Philo. Ardeates ob agrum abjudicatum à Romanis deficiunt. Volſci & Æqui populantur agros ſociorum. Quo minus adverſus eos delectus habeatur, impediunt Tribb. C. Canulejus Trib. pl. legem perfert de connubio Patriciorum cum plebe. Idem ac collegæ, uno C. Furio excepto, promulgant rogationem de altero Coſ. ex plebe creando. Sed legem hanc rogare deſierunt Tribuni, quum SC. iis permitteretur, ut quotannis Coſ. loco Tribb. militum crearentur tres è Patriciis, tres è plebeis.

*De temporibus Romanorum à primis Tribb. mil. conſulari poteſtate è Patriciis deſignatis uſque ad dignitatem eam cum pl. communicatam.*

CCCX. ANno poſt Urb. cond. CCCX, ut diſertim apud Livium legitur (uno anno minus eſt in Faſtis Capit.) tres Tribb. mil. è Patriciis ſunt creati in Comitiis, A. Sempronius Atratinus, T. Clælius Siculus, L. Atilius Longus. Sed tertio poſt menſe magiſtratu abiere, quaſi vitio creati; idque Augurum decreto, quia C. Curtius, qui Comitiis, in quibus erant creati, præfuerat, parum rectè tabernaculum cepiſſet, ut Livius inquit in IV. Hinc contentio inter Patres ac pl. fuit, utrum Coſ.,

*Annus ab V.C.* an pl. Comitia habenda eſſent. Sed Patres vicere; ac interrex T. Quinctius Barbatus Coſs. creavit L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum, patrem ejus, qui Tribunatu ſe abdicaverat. Hinc Ardeates Senatui Rom. permiſere judicium de levanda injuria agri abjudicati, cumque Popul. Rom. fœdus renovarunt.

CCCXI. Coſs. M. Geganius Macerinus II, & T. Quinctius Capitolinus II. Ardeatum hoc anno ſeditio fuit; in qua Geganius Cos. optimatibus auxilio miſſus eſt. Eodem anno Cenſores primùm Romæ creati: ante verò cenſum agere fuerat ſummi magiſtratus. Verùm Coſs. querentibus, jam à Q. Fabii & L. Cornelii conſulatu cenſum actum non eſſe ob diſcordias civiles & bella perpetua, eſſeque rem eam Reipubl. neceſſariam; conſularem verò poteſtatem ita eſſe operoſam ac difficilem, ut cenſu vacare non poſſit, præſertim bello imminente: ſtatutum, ut aliqui hunc gererent magiſtratum, ſuntque à Pop. primi Cenſores ex Patriciis creati L. Papirius Mugillanus & L. Sempronius Atratinus, qui ante biennium, ſed non integrum annum Coſs. fuerant. Erat verò Cenſorum cenſuram agere ac recenſere tum cujuſque nomen, tum fortunam; ac tanti quiſque ſua cenſebat, quanti illi cenſuiſſent. Quæ poteſtas etſi primò non tanti fiebat, tamen poſtea in magnam dignitatem excrevit, ita ut mores ac diſciplinæ Pop. Rom., decoris ac dedecoris diſcrimen, publicorum, privatorumque locorum jus atque ipſa denique Pop. Rom. vectigalia ab eorum arbitrio penderent.

CCCXII. Coſs. M. Fabius Vibulanus III & Poſthumus Æbutius Elua. Ardeam colonia deducta contra Volſcos, agerque is colonis diviſus, quem Pop. Rom., judex electus inter partes, ſibi injuſtè vindicarat.

CCCXIII. Coſs. C. Furius Pacillus, M. Papirius Craſſus. Ludi, à Decemviris voti, quum plebs ſeceſſiſſet, hocce anno facti ſunt. C. Petillius Trib. pl. ſeditioſè agit, minaturque, ſe delectum impedire velle, niſi Coſs. de agris, pl. dividendis, referre vellent; ſed ludibrio fuit habitus, quia finitimis quietis bello aut delectu opus non eſſet.

CCCXIV. Coſs. Proculus Geganius, L. Menenius Lannatus. Tanta in urbe fames eſt, ut multi ex deſperatione ſe capite obvoluto in Tiberim præcipites darent. Sp. Melius, eques Romanus, homo ditiſſimus, regnum affectat ac propterea largitione frumenti ſibi pl. devincit. Famis cauſam Tribb. pl. Coſs. & Patrum negligentiæ imputabant, eoſque concionibus ſuis apud pl. exagitabant. Atque iis effecere, ut crearetur annonæ præfectus. Primus hoc functus munere T. Minucius Augurinus.

CCCXV. Coſs. T. Quinctius Capitolinus III & Agrippa Menenius Lannatus. Quum Sp. Melii, imperium affectantis, conſilia Senatui aperuiſſet Minucius, annonæ præfectus, atque ad tantam rem diſcutiendam ſatis eſſe poteſtatis in Coſs. negaſſet; placuit Dictatorem dicere L. Quinctium Cincinnatum. Hic Magiſtrum Equitum creavit C. Servilium Ahalam, qui Sp. Melium in jus vocavit. Eo quum non obtemperaret, ſed fidem, auxiliumque Pop. imploraret, eum obtruncavit. Ortus propterea Pop. tumultus. Sed Dictator gravi oratione Pop. compeſcuit atque Sp. Melium

*Annus ab V.C.* jure occiſum dixit. Ab hoc Ahala maternum genus ducebat M. Brutus, qui Cæſarem occidit; uti paternum à Bruto, qui Tarquinium ejecit: ac propterea occiſo Cæſare in honorem Bruti nummi ſunt cuſi, in quorum uno latere Bruti, in altero Ahalæ nomen legeretur. Sp. Melii bona juſſu Dictatoris ſub haſta vænierunt, pecunia in publicum redacta; domus quoque diruta, areaque effecta, quæ dicta Æquimelium. Minucius index bove aurata donatus eſt.

CCCXVI. Tribb. irati ob Sp. Melium occiſum efficiunt, ut comitia potius Tribb. mil., quàm Coſs. haberentur. Nempe quia ſex fieri poſſent, ſperabant, tres plebejos creatum iri, qui Spurii Melii cædem ulciſcerentur. Sed creati tres Patricii, quorum unus erat L. Quinctius Cincinnatus, Dictatoris fil.: alii erant Mam. Æmilius Mamercinus & L. Julius Julus. Atque hi à nonnullis primi vocantur Tribb. militares cum conſulari poteſtate. Nempe eorum, qui anno fuere CCCX ratio non habetur, quia vitio creati credebantur, tertioque menſe ſe imperio abdicarunt. Hoc anno Fidenæ, Romanorum colonia, à Romanis ad Vejentes defecit.

CCCXVII. Belli metu plebs & Tribb. quieſcunt & Coſs. iterum creantur, qui fuere M. Geganius & L. Sergius. L. Sergius primus cis Anienem pugnat cum Fidenatibus & Larte Tolumnio ac vincit, ſed multis amiſſis è ſuis. Ab hac victoria Fidenatis nomen reportavit. Sed quia difficilè bellum cum iiſdem ſupereſſet, placuit Dictatorem dicere M. Æmilium Mamercinum, qui inſignem de Vejentibus, Fidenatibus & Faliſcis victoriam reportavit.

CCCXVIII. M. Corn. Maluginenſis & L. Papirius Craſſus. Peſtis in Urbe atrox. Sp. Melius, Sp. Melii interempti nep., Trib. pleb. diem dixit L. Minucio Augurino ac falſis criminibus Melium circumveniſſe arguit. Adhæc publicavit rogationem de publicandis bonis C. Servilii Ahalæ, quod occidiſſet civem indemnatum. Sed quum vana eſſe omnis accuſatio ea judicaretur, actionem deſerere coactus eſt. Val. Maximus tamen ſcribit, Serv. Ahalam exilio ſuo cuſtoditæ civium libertatis pœnas dediſſe. Imò Cicero quoque in orat. pro domo ſua dicit, in exilium fuiſſe actum; ſed poſtea reſtitutum.

CCCXIX. Coſs. C. Julius Julus IV & L. Virginius Tricoſtus II. Peſte adhuc ſæviente Romæ Vejentes & Fidenates Anienem tranſeunt ac ad Collinam uſque portam ſigna adducunt, agrumque omnem populantur. Ergò Dictator dictus Q. Servilius Priſcus, qui Hetruſcorum exercitum haut procul Nomento cæcidit, Fidenas obſedit & tandem cepit.

CCCXX. Coſs. C. Julius Julus V & L. Virginius Tricoſtus III. Faliſci & Vejentes ſollicitant auxilium ab Hetruſcis, propterea concilium in Hetruria habetur. Eo intellecto Romani iterum Dictatorem dicunt M. Æmilium Mamercinum. Sed mox nuncium accipiunt, Hetruſcos auxilia Vejentibus negaſſe. Dictator, ne nihil in tanto honore ageret, legem fert de contrahendo Cenſorum magiſtratu annuo, qui fuerat antea quinquennalis. Ea lex Æmilia dicta eſt.

CCCXXI. Tribb. pl. efficiunt, ut iterum creentur Tribb. mil. cum poteſtate conſulari: ſed ne nunc quidem, ut eligerentur plebei, efficere potuerunt. Tribuni verò iſti fuere M. Fabius

Digitized by Google

*Annus ab V. C.* bius Vibulanus, M. Foſlius Flaccinator, L. Sergius Fidenas. Peſtis horrendum in modum Romæ graſſatur, propterea Apollini ædes dicata. Etiam Decemviri ex libris Sybyllinis multa egere ad iram Deûm avertendam.

CCCXXII. Tribb. mil. conſulari poteſtate ſunt L. Pinacius Mamerinus, L. Furius Medullinus, Sp. Poſthumius Albus Rhegillenſis. Hi quoque omnes Patricii fuerunt. Plebs irritata, quod nunquam è plebeis Tribb. fierent cum poteſtate conſulari, dixit, hæc ambitione fieri Patriciorum. Cui ut obviam iretur, lex invitis Patribus perlata eſt; Ne cui album veſtimentum ſumere petitionis cauſa liceret. Hæc prima lex de ambitu fuit.

CCCXXIII. Nuntiatum Romæ, Æquos & Volſcos convenille in Algido lege Sacrata, quæ ad militiam cogendam iis erat maxima. Belli ejus metu plebs patitur Coſs. creari, qui hoc anno fuerunt T. Quinctius Pennus Cincinnatus & C. Julius Mento. Patres Dictatorem deſignant A. Poſthumium; ſed invitis Coſs. Ergo Patres appellant Tribb. pl., qui Coſs. minantur, niſi Senatus dicto audientes eſſent & Dictatorem dicant, ſe eos in vincula duci juſſuros. Tum T. Quinctius Coſ. Dictatorem Poſthumium dixit. Dictator Æquos & Volſcos in Algido prope internecione delevit. Sed filium ſuum, quod injuſſu ſuo præſidium deſeruiſſet, ſecuri percuſſit, etſi hoſtem viciſſet. Nempe forti ipſe filio carere maluit, quam patriam carere militari diſciplina. Simili ſeveritate erga filium uſus T. Manlius Torquatus, ut poſtea dicetur.

CCCXXIV. Coſs. C. Papirius Craſſus & L. Julius Julus. Æquis datæ induciæ octennii. Tribb. legem de mulctarum æſtimatione ferre parant. Id unus è Tribb. prodidit Coſs.: qui eo intellecto Tribb. anticipant, legemque eam ferunt. Qua re Pop. gratiam inierunt.

CCCXXV. Coſs. L. Sergius Fidenas II & Hoſtus Lucretius Tricipitinus. Sub quibus undique Romanis otium fuit.

CCCXXVI. Coſs. T. Quinctius Pennus Cincinnatus & A. Corn. Coſſus. Sævit Romæ admodum peſtilentia. Propterea multos novos ritus in domos inferebant, quod iis averti peſtilentiam poſſe ſperabant. Et erant, qui ſuperſtitioſis illis ritibus imponerent ſimpliciorum animis, ut quæſtum facerent. Icciroo Lex lata eſt de excludenda religione peregrina. Bellatum adverſus Vejentes & eorum regem Lartem Tolumnium, cui Coſ. Coſſus arma detraxit. Atque hæc fuere ſecunda ſpolia opima. Sunt è Veteribus, qui Coſſum ea retuliſſe dicunt A. V. C. CCCXV. quum adverſus Vejentes & Lartem hunc Dictator eſſet M. Æmilius Mamercinus. Sed hoc ſi ita eſt, opima etiam ſpolia erunt, quæ quis ſub alieno militans ductu hoſtium duci detraxerit. Et ſanè ita cuidam videtur, qui ex D. Auguſto audiſſe ſe ſcribit, Coſſum Coſ., non Trib. Mil. vel Magiſtrum Equitum, ſecunda Jovi Faretrio ſpolia retuliſſe. Atque id Auguſtus ſe legiſſe dicebat in thorace lineo, quum ingreſſus eſſet ædem Jovis Faretrii, quam vetuſtate collapſam in Capitolio reſtituit.

CCCXXVII. Coſs. L. Papirius Mugillanus II & C. Servilius Ahala II. Vejentibus per feciales indictum eſt bellum. Sed quo minus exercitus mitteretur, impediunt Tribb. pl., qui con-

*Annus ab V. C.* tendebant, non Sc., ſed Pop. juſſu bellum eſſe indicendum.

CCCXXVIII. Tribb., non contenti illud obtinere, ut Pop. juſſu, non S. C. bellum Vejentibus indiceretur, etiam pertendunt & impetrant, ut quatuor Tribb. mil. conſulari creentur poteſtate. Fuere illi T. Quinctius Pennus Cincinnatus, C. Furius Pacilius, M. Poſthumius Albus Rhegillenſis, A. Corn. Coſſus. Ex iſtis poſtremus Urbi præfuit; priores tres adverſus Vejentes profecti. Sed quàm noxium ſit in bello multorum imperium, vel hinc liquet. Dum enim unus ſignum dat, alii receptui canunt. Qua diſcordia factum, ut Romani à Vejentibus cæderentur, caſtriſque exuerentur. Hanc ignominiam ægrè tulit Pop. Rom., vincere adſuetus. Propterea Dictator creatus M. Æmilius, qui Magiſtrum Equitum dixit A. Corn. Coſſum. Ab his ingenti prœlio Vejentes cæſi ſunt. Fidenæ etiam expugnatæ. Mamercinus intra XVI. diem Dictaturam depoſuit.

CCCXXIX. Tribb. mil. cum poteſtate conſulari creati A. Sempronius Atratinus, L. Furius Medullinus, L. Quinctius Cincinnatus, L. Horatius Barbatus. Hoc anno Vejentibus induciæ datæ annorum XX.: ſed Æquis triennii duntaxat, etſi plurium poſcerent.

CCCXXX. Tribb. mil. pot. Conſ. ſunt App. Claudius Rhegillenſis, Sp. Nautius Rutilus, L. Sergius Fidenas, S. Julius Julus. Ludi, quos Dictator Mamercinus Æmilius voverat, hoc anno magnificè fiunt. Volſci bellum parant.

CCCXXXI. Coſs. iterum creati. Hi erant C. Sempronius Atratinus & Q. Fabius Vibulanus V. Sempronius Coſ. infeliciter pugnat cum Volſcis. Sed Equites Rom. equis dimiſſis ſeſe in peditum cohortem centuriarunt & aciem inſtaurarunt. Nox prœlium diremit, nec ſatis conſtat, utri fuerint victores. Nam utrique caſtra deſeruerunt ſauciis relictis. M. Poſthumio & T. Quinctio Tribb. pl. diem dicunt, quod ante triennium, quum eſſent Tribb. mil. conſ. poteſt., malè pugnaſſent adverſus Vejentes. Ac Poſthumius quidem damnatus eſt CCIↃↃ ær. gravis: Quinctius verò eſt abſolutus, partim ob memoriam patris, partim ob res, poſtea bene geſtas. Hoc etiam anno Samnites occiſis Hetruſci Vulturium cepere, quæ ex eo Capua dici cœpit teſte Liv. l. IV. & Plut. in Hannib.

CCCXXXII. Sempronius, quod rem malè geſſiſſet, odio erat & propter eum conſulare nomen. Hinc fit, ut Tribb. mil. pot. conſ. crearentur iterum. Fuere illi L. Manlius Vulſo, Q. Antonius Merenda, L. Papirius Mugillanus, C. Servilius Structus. Tum & Sempronio dies dicta. Sed Tribb. pl., qui ſub eo militaverant, apud collegam ſuum Hortenſium interceſſere ac minati ſunt, niſi ab Imperatoris ſui accuſatione vellet deſiſtere, ſe cum reo veſtem mutaturos.

CCCXXXIII. Coſs. T. Quinctius Capitolinus IV, N. Fabius Vibulanus. Littera N. prænomen Numerii apud antiquos ſignabatur. Corruptè in quibuſdam libris eſt Cn. Tribb. pl. cùm alia agunt ſeditioſè, tum Agrariæ Legis actiones renovant. Propterea Senatus Coſs., quam Tribb., creari malebat. Sed Tribb., quo minus id fieret, interceſſerunt. Ita à Coſs. ad interregnum Reſp. pervenit. Interregno major anni pars tranſacta. Sed tandem concordia inter Patres ac pl. eſt inita, idque

*Annus ab V. C.* hac lege, ut Quæſtores promiſcue ex plebe & Patribus crearentur; itemque non Coſſ. crearentur, ſed Tribb. mil. poteſt. conſ. Creati verò iſti patricii omnes T. Quinctius Pennus Cincinnatus, T. Manlius Vulſo Capitolinius, M. Furius Medullinus, A. Sempronius Atratinus.

CCCXXXIV. Tribb. mil. coſ. pot. Agrippa Menenius, Sp. Nautius Rutilus, P. Lucretius Tricipitus, C. Servilius Ahala. Servi conjurant de Urbe incendenda atque occupanda. Sed conjuratio detecta fuit.

CCCXXXVI. Tribb. mil. cos. pot. tres ſolùm recenſentur in Faſtis Capitol. M. Papirius Mugillanus, C. Servilius Ahala, L. Sergius Fidenas. Duo Tribb. diſcordes malè in Algido pugnant contra Æquos & Lavicanos.

CCCXXXVII. Tribb. mil. cos. pot. P. Lucretius Tricipitinus II, L. Serv. Structus II, Agrippa Menenius Lannatus II, Sp. Veturius Craſſus Cicurinus. Diſcordia iterum orta ex Agrariis Legibus.

CCCXXXVIII. Tribb. mil. cos. poteſtate A. Sempronius Atratinus III, M. Papirius Mugillanus II, Q. Fabius Vibulanus, Sp. Nautius Rutilus II. Trib. pleb. duo promulgationem rogant, ut omnis ex hoſtibus ager viritim pop. divideretur. At agros iſtos, quum ſub haſta vænirent, emerant tres patricii. Itaque nobilium fortunæ magna ex parte plebeſcito eo petebantur. Sed Patres tantum effecere apud Tribb. cæteros, ut collegarum duorum rogationi vellent intercedere. Ita actionem duo illi depoſuere. Interim collegas truci oratione increpuerunt, tanquam proditores boni publici & Conſularium ſervos.

CCCXXXIX. Tribb. mil. coſ. pot. P. Corn. Coſſus, Quinctius Cincinnatus, C. Valerius Voluſus, N. Fabius Vibulanus. Volæ captæ à Romanis. Liv. l. IV.

CCCXL. Tribb. mil. conſ. pot. N. Fabius Vibulanus II. Cn. Corn. Coſſus, P. Poſthumius Albus, L. Valerius Potitus. Volæ denuo captæ à P. Poſthumio: qui militibus inter oppugnandum ſpoponderat prædam. Sed Volis captis prædam per Quæſtores in ærarium retulit. Hinc ſeditio orta in exercitu, quæ eouſque erupit, ut Imperatorem ſuum Poſthumium lapidibus obruerent.

CCCXLI. Coſſ. iterum creati; quorum nomina M. Corn. Coſſus, L. Furius Medullinus II. Poſthumii cædem Coſſ. populi conſenſu vindicant; ſed in paucis.

CCCXLII. Coſſ. Q. Fabius Ambuſtus, C. Furius Pacillus II. Peſtilentia & annonæ penuria Romæ ingens fuit.

CCCXLIII. Coſſ. M. Papirius Mugillanus, C. Nautius Rutilus III. Fames ingraveſcit.

CCCXLIV. Coſſ. M. Æmilius Mamercinus, C. Valerius Potitus Voluſus. Æqui & Volſci in Latinum & Hernicum deſcendunt. Romæ interim diſputatur de Legibus Agrariis. Etiam Tribb. delectum impediunt adverſus hoſtes, qui ea occaſione arcem Carventanam occupant. C. Valerius coſ. adigit cives ad Sacramentum penè invitos. Hinc adverſus hoſtem proficiſcitur, arcemque Carventanam recuperat. Sed prædam ſub haſta vendit, inque ærarium refert, cauſam addens, exercitum, qui invitus militaſſet, præda eſſe indignum. Hinc factum, ut, quum ovans ingrederetur Urbem, licentius in eum à militibus, verſus jactati ſint, quibus nomen ejus impeteretur.

*Annus ab V. C.*

CCCXLV. Coſſ. Cn. Corn. Coſſus, L. Furius Medullinus III. Æqui recuperant Carventanam arcem; ſed Verrugo à Rom. recepta. Eo anno ex Iciliorum familia, qua nulla erat Patribus infeſtior, tres fuere Tribb. pl. Hi facile effecere, ut comitiis Quæſtoriis quæſtores fierent plebei, quod ante contigerat nunquam. Imò tres plebei, unus tantum patricius fuit; non quia ſolum quæſtores etiam plebei fieri cœpiſſent: ſed quia quæſtura eſſet gradus ad conſulatum ac triumphos, ad quæ novis hominibus jam aditus pateret. Hinc XV. continuis annis fuere tribb. mil. coſ. pot.; quorum nomina brevitatis cauſa omittam, res geſtas paucis attingam.

CCCXLVI. Volſci & Æqui victi à C. Servilio Dictatore.

CCCXLVII. Verruginis præſidium à Volſcis expugnatum.

CCCXLVIII. Vejentes ſuperbè legatis Romanorum reſpondent: unde bellum ortum adverſus eos. Hoc anno primùm decretum ex S. C., ut militibus ex publico ſtipendium perſolveretur. Nam antea ex ſuo quiſque militabat.

CCCXLIX. Hoc primùm anno ſex Tribb. mil. coſ. pot. ſunt creati. Eodem anno Veji cœpti obſideri; quæ obſidio decennium duravit.

CCCL. Volſci victi. Artena obſeſſa, captaque.

CCCLI. Romanus miles cogitur ad Vejos ſub pellibus hybernare: quæ prima Romanorum fuere hyberna. Ea res excitabat graves querelas Romæ. Sed App. Claudius, qui de ſex Tribb. mil. ad Urbis præſidium relictus erat, oratione diſerta hoc factum multitudini approbavit. Imò quibus erat cenſus equeſtris, nec equum publicum acceperant, polliciti ſunt, ſuis ſe equis militare velle. Plebs quoque ita animata ab Appio fuit, ut diceret, ſe paratam ire Vejos, ſi duceretur, nec abituram niſi Urbe capta. Tum voluntariis ex S.C. ſtipendia ſunt decreta non peditibus modò, ſed etiam equitibus, quibus antea non ſtipendium, ſed ſolùm equus publicus dabatur. Eodem anno M. Camillus & M. Poſthumius Cenſores edicto Romanos coegere ad matrimonium; mulctamque iis impoſuere, qui cœlibes ad ſenectutem perveniſſent.

CCCLII. Volſci Auxuris præſidium eripiunt Romanis. Capenetes & Faliſci auxilio veniunt Vejentibus & caſtra, quibus M. Sergius præerat, ceperunt.

CCCLIII. M. Æmilius & K. Fabius recuperant, quæ ad Vejos erant amiſſa. M. Sergius & L. Virginius rei fiunt, quod anno ſuperiore rem malè geſſerant ad Vejos. Tribb. pl. contra legem Treboniam cooptant collegas; quod in gratiam faciunt Patriciorum. Sed in pl. mox gratiam M. Sergium & L. Virginium reos faciunt ob rem, anno ſuperiori malè geſtam ad Vejos & Pop. ſuffragio ccIↃↃ ær. gravis condemnant, leges Agrarias promulgant, delectus & tributa impediunt atque efficiunt, ut Comitiis proximis ex ſex Tribb. mil. unus è pl. creetur.

### *De temporibus Romanorum à Tribunatu mil. cum pl. communicato uſque ad tempus, quo Roma erat ſine magiſtrat. Cur.*

CCCLIV. Hoc anno primus è pl. P. Licinius Clavus, qui multos ante honores geſſerat,

*Annus ab V.C.* rat, fit Trib. mil. ac moderatè admodum eo ſe in honore gerit.

CCCLV. Hæc res effecit, ut anno ſequenti quinque è plebeis fierent Tribb. mil.; ſolus patricius fuit M. Veturius. Peſtis admodum in Urbe graſſata, ut Duumviri ex libris Sibyllinis primum indixerint lectiſternium.

CCCLVI. Patricii, quum eos ureret, quod excidiſſent prope honore ſummi magiſtratus, conſpirant inter ſe, ut nobiliſſimi quique & clariſſimi eum honorem peterent. Hos quia præterire turpe videretur, creati ſunt Tribb. mil. Patricii omnes. Mira eo anno lacus Albani inundatio fuit. Quippe nullis aquis cœleſtibus fiebat. Idcirco miſſi Delphos, qui oraculum conſulerent.

CCCLVII. Ex oraculi ambagibus intellectum, Albanum lacum eſſe emittendum & Latinas ferias inſtaurandas. Cognitum etiam ex oraculo, ejus anni Tribb. milit. eſſe vitio creatos; qui propterea ſe abdicare ſunt coacti. Interreges hinc fuere tres L. Valerius, C. Servilius, M. Furius Camillus.

CCCLVIII. Tribb. pl. Comitia interpellantibus ac turbantibus, fit, ut omnes Tribb. mil. ex plebeis creentur. Volſcis & Æquis pax data. Cn. Gennucius, adverſus Faliſcos & Capenates profectus, in inſidias incidit & in prima acie cadit. Titinius collega evadit cum exercitu. Mox Dictator dictus M. Furius Camillus, qui Magiſtrum Equitum dixit P. Corn. Scipionem. Ab his habito delectu & accitis Latinorum & Hernicorum auxiliis Faliſcos & Capenates cecidit. Mox Vejos majore vi adortus, caſtellorum frequentia impedit, quo minus excurrere poſſent, ac per cuniculos Urbem tandem cepit. Captam militibus & pl. Rom., quæ hoc fine in caſtra venerat, dedit in prædam. Camillus triumphavit curru equis albis juncto; quod clarius, quàm gratius fuit, quia eo Jovem aut Solem imitari videretur. Juno Regina Vejis tranſlata in Aventinum.

CCCLIX. Capenatibus pax data. Seditio orta Romæ ex eo, quod Tribb. pl. Romanorum partem Vejos transferre vellent, quodque Pontifices decimam prædæ Vejentanæ exigerent; unde Apollini Delphico donum deberi pronunciabant.

CCCLX. Camillus Faliſcos obſidet. In obſidione ea evenit, ut pædagogus quiſpiam nobiles Urbis pueros, ſuæque fidei commiſſos, prodere vellet. Sed Camillus vinctum eum pueris dedit ac flagris in Urbem propellere juſſit. Quod ſingulare juſtitiæ exemplum mirantes Faliſci ſeſe Camillo dediderunt. Etiam hoc anno Delphos portata eſt cratera aurea nomine decimarum prædæ Vejentanæ. Qui portarent, à Liparenſibus piratis capti fuere. Sed Liparenſium princeps, quum negotium intellexiſſet, eos liberavit & præſidio navium Delphos deduxit, unde profectus Romam ſoſpites reſtituit.

CCCLXI. Poſt annos XV, quibus Tribb. mil. imperarant, biennium fuere Coſſ. L. Lucretius Flavus & Serv. Sulpitius Camerinus II.

CCCLXII. Hinc verò L. Valerius Potitus, M. Manlius; cui poſtea Capitolini nomen fuit à defenſo Capitolio, quum anſerum clangore excitatus Gallum, adſcendere volentem, Tarpeio ſaxo deturbaſſet. Hoc anno in cenſura obiit C. Julius: ſed ſuperſtes collega L. Papirius Curſor in ejus locum ſuffecit M. Cornel.

*Annus ab V.C.* Malugenſem. Atque hi duo luſtrum condidere. Quod altero Cenſorum mortuo alius eſſet ſuffectus, infelix habitum fuit. Biennio hoc exacto iterum creati Tribb. pl. cum pot. cos., idque per annos iterum XV. Eorum nominibus parcemus, contenti res ipſas adſignare.

CCCLXIII. Cluſini, à Gallis obſeſſi, Romanorum auxilium per Legatos poſcunt. Ergo miſſi, qui cum Gallis agerent, ut ne oppugnatum irent ſocios & amicos Pop. Rom. L. Appulejus Trib. pl. diem ad Pop. dixit Camillo ob iniquè, ut ajebant, diviſam prædam Vejentanam. Hanc injuriam quum ferre non poſſet Camillus, ante judicii diem exulatum abiit. Abſens CCIↃↃ IↃↃ ær. gravis à pl. eſt damnatus.

CCCLXIV. Ad Aliam flumen XI ab urbe lapide à Gallis funditur Rom. exercitus. Hinc urbs ab iiſdem capta, direpta, incenſa. L. Albinius, unus de pl., plauſtro ſuo fugiens, Veſtales & Sacra recipiens ea Cære perduxit. Ob quam cauſam Romani poſtea hoſpitium cum Cæritibus publicum fecerunt. Et ſunt, qui cærimonias inde dici putent. Juventus verò, quæ vix CIↃCIↃ capitum erat, duce Manlio in Capitolium fugit, eoque in monte ſex menſibus à Gallis obſeſſi fuerunt. Interim Camillus ab Romanis Ardea revocatur Dictator; qui Romanis, jam in Capitolio paciſcentibus cum hoſte, ſupervenit, obſidioneque eos liberavit, Gallos urbe expulit & ad octavum ab Urbe lapidem inſecutus ita cecidit, ut nec cladis nuncius ſupereſſet.

CCCLXV. Tribb. concionibus inſtigata plebs magna ex parte, quod ædificandi labore abhorreret, Vejos commigrare parabat. Propterea Senatus oravit Camillum, ut ne dictaturam tam citò deponere vellet. Ergo Dictator templa, quæ Galli tenuerant expiavit, Famæ, vel Aio Locutio, fanum exſtruxit in via nova, eo loco, quo antea vox audita fuerat, adventare Gallos; Capitolinos inſtituit ludos, rogationem antiquavit, qua Tribb. hoc agebant, ut Romani Vejos tranſmigrarent. Quæ omnia eo facile potuit, quia magiſtratus omnes parere Dictatori cogebantur. Ita factum, ut Rep. impenſis juvante, Ædilibus urgentibus, privatim quibuſque feſtinantibus intra annum urbs nova ſurrexit pulchrior multo, quàm fuerat antè. Eodem anno Q. Fabius Ambuſtus, ſimulac magiſtratu abiit (fuerat unus ex ſex Tribb. milit. Cos. poteſt. creatis) læſæ majeſtatis eſt accuſatus; quod legatus ad Gallos miſſus contra jus Gentium pugnaſſet contra eos. Sed ante judicii diem obiit, adeò opportunè, ut vulgo mortem ſibi conſciviſſe ſibi creditum ſit.

CCCLXVI. Dum civitas afflicta eſt, Hetruſci, Latini quoque & alii undique adverſus Romanos conſpirant. In trepidatione tanta placuit Dictatorem dicere Camillum, qui Magiſtrum Equitum dixit C. Servilium Ahalam. Ab his capta Volſcorum caſtra, Æqui victi, captæ Volæ; & Sutrium, quod ceperant Hetruſci, eodem die receptum, dum Hetruſci Sutriis ejectis prædam dividunt. Hinc Dictator Camillus cum tanta Hetruſcorum præda Romam eſt reverſus, ut ea, ſub haſta vendita perſolutum ſit Matronis pretium omne, quod contulerant, quum Galli Capitolium obſiderent; ac tantum ſuperfuerit, ut Camillus inde aureos tres pateres Jovi Capitolino dedicarit.

Æquo-

*Annus ab V.C.*

CCCLXVII. Æquorum agros populantur Romani, ſubigunt Tarquinienſes. Capitolium ſubſtruitur lapide quadrato: urbs pulchrius, pulchriuſque novis ædificiis ſurgit.

CCCLXVIII. Martis ædes ſtructa, quæ vota erat bello Gallico. Tribus quatuor adjectæ ſunt iis, quæ ante erant.

CCCLXIX. Volſci, Latinique vincuntur à Camillo. Etiam Hetruſci cæduntur ab eo, dum oppugnant Sutrium & Nepete.

CCCLXX. Cum Volſcis difficile eſt bellum; ſed majus domeſticum eſt periculum à ſeditione, quam moverat M. Manlius Capitolinus, is, qui anſerum clamore excitatus Gallum de ſaxo Tarpejo dejecerat. In hoc periculo rei gerundæ cauſa Dictator dictus eſt A. Corn. Coſſus, qui T. Quinctium Capitolinum legit Magiſtrum equitum. Ab his ingens Volſcorum exercitus devictus in agro Promptino. Sed quo minus conficeret bellum omne, Manliana in Urbe ſeditio effecit. Nam ea magis, magiſque gliſcente Senatus Dictatorem domum revocavit; qui plebe invita ac multum fremente Manlium in carcerem duci juſſit. Hinc Dictator triumphavit. Sed ubi dictaturam depoſuit, pl. magis ſævit, quæ antea tantæ poteſtatis metu ſe continebat. Decretum SC., ut ſeditionis vitandæ ergo Manlius carcere liberaretur. Sed ille liberatus majores turbas dedit: nam jam ſuum factio caput habebat.

CCCLXXI. Manlius enim, hac ignominia irritatus occulta de invadendo regno conſilia incipit agitare. Itaque SC. fit, ut magiſtratus videant, nequid Reſp. capiat detrimenti. Mox Tribb. mil. cum pl. de hoc communicant. Manlius accuſatur affectati regni & convincitur. Iccirco Pop. judicio dejectus è ſaxo Tarpejo; domus ejus diruta, legeque ſancitum, nequis patricius poſtmodo habitaret in Capitolio. Etiam familiæ ejus decreto ſtatutum, nequis ex ea M. prænomine uteretur.

CCCLXXII. Volſci, Velitrenſes & Circenſes à Romanis deficiunt. Nec tamen adverſus eos ductus eſt exercitus ob peſtem graſſantem.

CCCLXXIII. Bellum Præneſtinis indictum.

CCCLXXIV. Volſci à Camillo vincuntur. Idem adverſus Tuſculanos ex SC. proficiſcitur. Illi, etſi ſcirent Romanos adventare cum exercitu; tamen non opponunt arma. Hac conſtanti eorum obedientia perſpecta, fit, ut iram Romanorum frangant ac præterea jus civitatis conſequantur.

CCCLXXV. Seditio oritur ob æs alienum. Præneſtini populantur uſque ad portas urbis; quos T. Quinctius devicit. Eodem anno cenſus agi cœpit. Sed uno Cenſore moriente alter ſe abdicavit, quia alium ſurrogare defuncto erat religio.

CCCLXXVI. Volſcorum agrum, quum priores id egiſſent, longè lateque populantur Romani.

CCCLXXVIII. Volſci & Latini vincuntur. L. Sextius & C. Licinius legem ferunt, nequis ultra agri ıɔ jugera poſſideret, neve pecoris majoris ultra C, minoris ultra ıɔ haberet. Dictæ hæ Sextiæ, Liciniæ leges. Iidem Tribb. legem tulerunt, ne Tribb. mil., ſed Coſſ. comitia fierent. Obſtitere iis VIII è collegis; ſed priores juvere Patricii. Hac contentione factum, ut dum hi illis, illi his intercedunt, nec Tribb. mil., nec Coſſ. comitia haberentur. Ita ad ἀναρχίαν deventum.

*Annus ab V.C.*

## *De temporibus Romanorum ab eo tempore, quo nullus Romæ erat magiſtratus Curulis uſque ad conſulatum, cum plebe communicatum.*

Quadriennium urbs ſine Magiſtratu Curuli fuit juxta Faſtos Capitol., Vopiſcum in Tacit. Eutropium, Victorem: quinquennium, ſi Livium audimus. Α'ναρχίαν vocat Diod. Siculus. Fuere tamen tum quoque interreges, ut ex Livio & Vopiſco conſtat.

CCCLXXXIII. Poſt ἀναρχίαν hanc triennium imperarunt Tribb. mil. coſ. pot. Nam Tribb. pl. tandem interceſſionem remittunt ac comitia Tribb. milit. per Interregem haberi ſinunt. Hinc conſcripto exercitu Velitræ cœptæ obſideri.

CCCLXXXIV. Tribb. pl. ab ingenio non deſiſtunt, ſed ita omnia turbant concionibus ſuis, ut nihil memorabile ad Velitras agi potuerit. Imprimis verò turbas dant Sextius & Licinius, ſæpius etiam poſthac nobis memorandi. Ac primi legem promulgant, ut pro IIviris ſacrorum Xviri ac dimidia parte ex plebe crearentur. Patricii, quintuplici interceſſione comparata, efficiunt, ut lex ea hoc anno perferri non poſſit.

CCCLXXXV. Sextius & Licinius in propoſito perſiſtunt. Dum contentio hæc durat, Patricii, quod unicum rebus ſuis præſidium videbant, Dictatorem dicunt Camillum. Ille, quum jam primæ Tribus ſolenne illud *uti rogas* reſponderent (tantus apud eas legis favor erat) ſtipatus agmine Patriciorum cum lictoribus in forum venit, pl. dimovet, minas addit, niſi deſiſtere velint, ſeſe omnes ſacramento adacturum & extra urbem ducturum exercitum.

CCCLXXXVI. Hoc anno imperium fuit penes duos Dictatores: primis quidem menſibus penes Camillum, de quo orſi ſumus dicere. Tam verò pervicax animus fuit Tribb. pl., ut minas Camilli contemnerent, contraque illi edicerent, niſi propoſitum mutaret, ſe ei mulctam dicturos CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ argenti. Camillus ubi ita animatos eos vidit, ſive quod mulctam metueret, ſive quod in ea ſenectute tam pervicacibus animis ſe imparem putaret, domum abiit ac Dictaturam depoſuit. Mox Tribb. pleb. leges de fœnore & agro jam ante promulgatas perferunt. Porro animant pl. adverſus Optimates, ut majora etiam ſperent. Tum Camillo alius Dictator ſurrogatur P. Manlius. Sed hic plane popularis fuit & ex pleb. magiſtrum equitum dixit C. Licinium.

CCCLXXXVII. Creati iterum Tribb. mil. coſ. pot. Licinia Sextia lex de Xviris Sacrorum partim ex pl. creandis perfertur. Interim fama venit de Gallis, novum bellum molientibus. Iccirco Camillus, quanquam jam octogenarius penè, quintùm fit Dictator, qui feliciter adverſus eos pugnat in agro Albano. Quartuſque triumphus ei Patrum & pl. conſenſu decretus fuit. Sed vix domum rediit, quum atrox oritur ſeditio inter Patres & pl. Nam Sextius & Licinius jam pro plebejo conſulatu pugnabant. Ipſa etiam Dictaturæ majeſtas læſa, dum Tribb. & pl. jubent, ut Camillus Dictaturam deponat, vel ſe eum in carcerem duci juſſuros. Imò jam viatores Dictatorem apprehendere volebant; ſed Patricii omni vi eos pro-

*Annus ab V. C.* propellebant. Ita ad verbera etiam deventum. Tum magnus ille ſenex & alter imperii conditor Camillus Deos oravit, ut in mentem ea darent ſibi, quibus civium animi reconcilientur atque ædem Concordiæ vovet, ſi ita faxint. Hinc Senatum convocat atque inter eum & pl. ita diſſidium componit, ut Senatus alterum Coſ. è pl., pl. è Patriciis Prætorem fieri concederet. Hac concordia inita Ludi magni à Senatu decreti & feriis Latinis, quæ ante tridui erant, dies quartus additus fuit.

## *De temporibus Romanorum à Coſſ. è pl. primum creari cœptis uſque ad Bellum Tarentinum.*

CCCLXXXVIII. PErvenimus ad A. V. C. ccc LXXXVIII, qui nonnullis eſt LXXXIII, aliquibus verò xc poſt ccc. Ab hoc verò anno ſumma poteſtas penes Coſonſules eſſe cœpit & diutiſſimè permanſit, quum ante ſæpe ſit variata. Nam poſt reges exactos nunc penes Coſs., nunc penes x-viros, nunc penes Tribb. ſummum fuit imperium. Etiam tempus vidimus, quo urbs eſſet ſine magiſtratu Curuli. Hæc imperii diverſitas quo melius intelligeretur, fere nomina ipſa eorum hactenus appoſuimus, qui ſummum imperium obtinerent. Deinceps verò plurimum ea præteribimus, quia uniuſmodi imperium fuit, ſiquidem nulli deinceps Decemviri, nulli Tribb. mil. ſummam habuere poteſtatem, nec unquam caruit urbs magiſtratu Curuli, ſi tempus excipias, quo extra ordinem Dictatores fuere, quod & antea fuit. Coſs. continuò imperarunt, idque ab hoc anno ccc LXXXVIII. uſque ad Julium Cæſarem, Dictatorem perpetuum; qui Pompejo Pharſalica acie devicto μοναρχίαν rapuit. Eſt verò hoc intervallum ccc XVIII. Ejus temporis res geſtas nunc perſtringemus, non omnes, ſed maximè præcipuas. Id enim duntaxat propoſitum nobis, ut res Gentium maximè illuſtres ſecundùm tempora digeramus.

Primus è plebe Coſ. factus L. Sextius, is, qui in Tribunatu tantopere contenderat, conſulatum cum plebe communicari debere. Nempe pro opere hac id mercedis retulit, ut eum primùm crearet Coſ. Ei ex Patriciis additus L. Æmilius Mamercinus. Sed pro conceſſo pl. conſulatu Patres ſibi quæſivere Præturam. Primus verò Prætor à Patribus factus Sp. Furius M. Fil. Camillus. Erat autem Prætoris aſſiduè in urbe jus dicere. Id antea Coſ. fuerat: unde antiquitus idem & Prætor dicebatur. Sed quia bellis finitimis Coſs. ſæpe avocarentur, neque tum in urbe eſſet, qui jus dicere poſſet; eò placuit hæc munera ſeparare. Erat verò Prætoris vacante Cenſura ſarta tecta exigere; item abſentibus Coſs. Senatum cogere, ſententias rogare, comitia & conciones habere. Fuit hic honos annuus quoque & dignitas ejus poſt Conſulatum proxima fuit. Iiſdem Prætores, quibus Coſs., auſpiciis creabantur: unde & collegæ Coſs. dicebantur. Utebatur quoque ſella curuli, imò pene omnia Coſs. habebat ornamenta. Certè communia erant, ut verſu utar Juven. Sat. x.

*Annus ab V. C.* *Prætexta & trabea, faſces, lectica, tribunal.*

Cæterum alterum etiam honorem ſibi hoc anno Patricii quæſiere pro communicato pl. conſulatu, nempe Curulem ædilitatem. Occaſio iſtiuſmodi fuit. Latinis feriis, ut diximus, dies unus additus fuit. Munus id quum recuſarent Æd. pl., Patricii conclamarunt, juvenibus id ſe honoris Deorum immortalium cauſa lubenter daturos, ut Ædiles fierent. Primi Ædiles à Patribus facti Cn. Quinctius & P. Scipio. Erat verò horum munus curare ludos publicos ac feriarum Sacra ſolennia: & pro eo honore hoc præmium habebant: antiquiorem in Senatu dicendæ ſententiæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus imaginum ad memoriam, poſteritatemque prodendam, ut Cicero ait Verr. VII.

CCCLXXXIX. Hoc anno ut à bello & ſeditione quieta fuit Reſp., ita atroci peſte vexabatur. Ea ſuſtulit tres Tribb. pl., item Cenſorem, Ædilem curulem & magnum illum Reip. conſervatorem M. Camillum.

CCCXC. Peſtilentia, cujus in ſuperiori anno meminimus, adhuc graſſatur. Iccirco tertium in Urbe celebratur lectiſternium. Etiam primi in Urbe ludi ſcenici inſtituuntur.

CCCXCI. Ne ſic quidem ceſſante peſtilentia undique quæruntur piacula, quibus urbs à peſtilentia liberetur. Ex lege antiqua inventa eſt religio, ut, qui eſſet Prætor maximus, clavum pangeret. Sed ut majori ea res fieret religione, Dictator creatus L. Manlius Capitolinus. Ille autem, quaſi rei gerendæ, non ſolvendæ religionis cauſa eſſet creatus, hoc agit, ut bellum adverſus Hernicos inferretur & hoc propter delectum egit, acerbeque eo exagitavit juventutem. Sed quum ſe propterea opponerent Tribb. pl., Dictatura ſemet abdicavit.

CCCXCII. M. Curtius, eques Romanus, quum ex vatum reſponſo didiciſſet, ea re completum iri hiatum, qua plurimum Rom. reſp. poſſet, & virtute atque armis plurimum eam poſſe judicaret; armatus & equo vectus in hiatum inſiluit: eoque vorago expleta eſt. Bellum geſtum cum Hernicis, in quo L. Genucius Coſs., inſidiis hoſtium circumventus, occiſus eſt. Eo interempto Dictator dictus App. Claudius Craſſus, qui P. Corn. Scrupulam magiſtrum equitum dixit. Ac Hernicos quidem vicit Dictator: ſed qualis ea fuerit victoria, inde cognoſcimus, quod quarta exercitus pars fuerit deſiderata. M. Pomponius Tribb. pl. diem ad Pop. dicit Cn. Manlio Capitolino, quod ultra juſtum Dictaturæ tempus paucos dies eam retinuiſſet, quod in delectu habendo imperioſus & acerbus fuiſſet, nec civium damnatione, corporumque laceratione abſtinuiſſet: adhæc quod fil. Titum, quia facundia minimè valeret, inter ſerviles operas educaret, publiciſque eriperet commodis. Quod ubi cognovit Titus, ſummo manè domum Trib. petit & ad colloquium ſecretum admiſſus, quaſi patrem accuſaturus, ſtricto ferro Trib. terruit, jurareque coegit, ab accuſando patre ſe deſtiturum, cæteroquin non alia manu, quàm ſua periturum. Factum neutiquam ... vile, ſed in quo tamen filii pietas commendari mereatur. Autores Val. Maximus, ſcriptor de Viris Ill. Seneca de Benefic.



Digitized by Google

*Annus ab V. C.*

CCCXCIII. Gallicus eſt tumultus. Ergo Dictator dictus T. Quinctius Capitolinus, Magiſter Equitum Ser. Corn. Malugnienſis. Victi Galli. Hoc bello T. Manlius Gallum ſingulari certamine vicit & cæſo torquem auream detraxit; atque inde Torquati nomen reportavit. Hujus certaminis imago diu poſtea in foro Romano fuit; ac quia tabula ipſa in formam hanc erat facta, ſcutum Cimbricum vulgo dicta.

CCCXCIV. Galli è Campania redeunt & Lavicanum, Albanum, Tuſculanum populantur. Idcirco Dictator dictus Q. Ser. Ahala, Magiſter Equitum T. Quinctius. Galli ad portam Collinam in civium conſpectu ingenti prœlio vincuntur. Fugientes à Pætelio Coſ. cæduntur unà cum Tiburtibus, qui iis opem ferebant, inque Tiburis vicinæ portas compelluntur. Diſtabat ea ab Urbe circiter XVI lapidem.

CCCXCV. Seditio pl. in urbe orta contra Patres. Eam oratione ſedavit M. Popillius Coſ., quum Flamen Carmentalis, læna ut erat amictus, in concionem veniſſet: Unde Lenatis nomen in gente Popillia cœpit.

CCCXCVI. Ludi, quos reconciliatis Ordinibus voverat Camillus, facti ſunt. Pugnatum cum Tarquinienſibus; ſed minus feliciter, idque culpa Coſ. C. Fabii Ambuſti. Tarquinienſes immolant CCCVII captivos Romanos. Privernates & Veliterni populantur agros Rom. Cum Latinis fœdus renovatur. Ob Gallici belli metum Dictator dicitur C. Sulpicius Paterius, Magiſter Equitum M. Valerius Poplicola. Victi Galli ſtratagemate, dum ex agaſonibus adornatis ſimulata equitum caterva iis injicitur terror. Dictator magnum auri pondus è Gallicis ſpoliis in Capitolio ſacravit.

CCCXCVII. Lex lata de unciario fœnore; item de viceſima manumittendorum. C. Licinius Stolo, qui bis geſſerat Conſulatum & legem tulerat, nequis amplius quàm ID jugera poſſideret, ſuamet lege damnatur; quippe qui duplum poſſideret ſuo & filii nomine, quem in fraudem legis emancipaverat.

CCCXCIX. Faliſci & Tarquinienſes, facibus armati & anguibus inſtar Furiarum, terrorem incutiunt exercitui Rom., eumque prælio fundunt. Sed Romani cognita fraude iterum adorti hoſtem, eumque caſtris exuere. Tum Faliſci & Tarquinienſes omnes Hetruſcos concitant adverſus Romanos. Adverſus eos Dictator miſſus C. Martius Rutilus, qui primus è pl. dictaturam fuit conſecutus. Rem bene geſſit, deque Hetruſcis triumphavit, pop. quidem juſſu, ſed Patribus invitis.

CCCC. Graſſante adhuc peſtilentia ad iram Deûm avertendam III in urbe lectiſternium fit. Etiam juxta quoſdam tum primùm inſtituti Ludi Scenici, quos alii decennio ante anticipant. Proſperè pugnatum adverſus Tarquinienſes; de quibus hujuſmodi vindicta ſumitur. Nobiliores CCCLVIII Romam miſſi, virgis in foro cæſi & ſecuri percuſſi: vulgus ſine diſcrimine trucidatum.

CCCCI. Cærites ſe Tarquinienſibus jungunt. Propterea Dictator dictus L. Manlius, L. fil., Torquatus, qui Magiſtrum Equitum legit A. Corn. Coſſum Arvinam. Sed Cærites territi mox legatos miſere Romam, qui pacem poſcerent. Iis C annorum induciæ datæ ob veteris beneficii memoriam. Nam Roma à Gallis capta, Sacra Romana receperant ac cuſtodierant.

CCCCII. Tribb. pl. nolunt admittere comitia niſi ſecundùm legem Liciniam. Itaque quum Dictator dictaturam depoſuiſſet, Coſs. quæ abiiſſent magiſtratu, ad undecimum uſque Interregem ſeditioſè multa gerebantur. Sed Interrege L. Scipione comitia habente Patres permiſere, ut cum pl. iterum communicaretur Conſulatus. Ita P. Valerio Poplicolæ è pl. collega datus C. Martius Rutilus, qui & Coſ. fuerat ante ſexennium cum Cn. M' Capitolino Imperioſo. Novi Coſs., quum ex re fœnebri viderent ſemper diſſidia oboriri, creant V-viros menſarios C. Duilium, P. Decium, M. Papirium, Q. Publilium & T. Æmilium; qui utcunque abſque hujus vel illius partis querimonia rem difficillimam feliciter compoſuerunt.

CCCCIII. Dictator creatus M. Fabius Ambuſtus, non ob belli timorem; ſed ne lege Licinia iterum crearetur Coſ. è plebeis. Cenſum quoque agi placuit hoc anno, quia ex eo, quod V-viri menſarii rem fœnebrem compoſuiſſent, ex ſolutione æris alieni multæ poſſeſſiones dominum mutaverant. Tum inter Candidatos Cenſuræ etiam ſe obtulit è pl. C. Martius Rutilus, qui antea Coſ. & Dictator fuerat; & invitis Patribus obtinuit à pl. eam dignitatem. Primus hic è pl. Cenſor fuit.

CCCCIV. Ut in Cenſoriis comitiis nihil Dictatura Patricios juvit; ita neque juvare eos potuit in comitiis conſularibus. Nam invitis Patribus L. Corn. Scipioni collega è pl. eſt datus M. Popillius Lænas. Hic ægrotante Scipione fortiter rem geſſit adverſus Gallos. Eodem anno quum Scipionem quidem morbus domi retineret, Popillium autem vulnus, quod in prœlio contra Gallos acceperat; Dictator creatus eſt Furius Camillus; qui ea in poteſtate fecit, ut deinceps iterum duo Patricii Coſs. deſignarentur. Tardius verò Popillius ob vulnus acceptum, ſed tamen, antequam Coſs. proximi conſulatum inirent, triumphavit atque is primus plebei Coſ. triumphus fuit.

CCCCV. M. Valerius cum Gallo pugnat & Corvi auxilio eum vincit: unde & Corvi nomen accepit, non Corvinii, ut vulgo putant. Nam Corvi Sigonio teſte eſt in antiquioribus C C. Livii. Nec verò aliter fragmenta Capitolina. Poſteros verò Corvinos dictos veriſimile ſit, quum conſtanter Corvini, non Corvi ubique appellentur.

CCCCVIII. Ludi ſeculares ſecundi ab V. C. celebrantur.

CCCCIX. Samniticum bellum incipit, quod annos duravit L & XXIV triumphorum materia fuit teſte L. Floro. Occaſio belli hujuſmodi fuit. Campani legatos miſere Romam, qui auxilium poſtularent adverſus Samnites, à quibus ſe opprimi armis querebantur. Romani reſpondent, non poſſe ſe eos juvare, quia fœdere eſſent Samnitibus juncti. Tum Campani ſe, ſuaque dediderunt Romanis. Ergo Romani bellum Samnitibus indixere, quod dediticiis Romanorum bellum inferrent. Fuere ejus anni Coſs. M. Valerius Corvus III. & A. Corn. Coſſus Arvina. Multum verò eo bello eluxit virtus Trib. P. Decii, cui & potiſſimum victoriæ cauſa debetur. Unde & ab A. Cornelio pro concione laudatus, aurea donatus corona, C bubus, unoque eximio albi

Digitized by Google

*Annus ab V.C.* albi coloris, opimo & cornibus armatis. Ab exercitu quoque, quem ſervarat, coronam gramineam accepit & à præſidio ſuo coronam civicam, quæ quernea erat. Hujus victoriæ fama quamprimum etiam Carthaginem venit; qui & legatos Romam miſere gratulatum cum dono coronæ aureæ pondo xxv, quæ in cella Jovis Capitolini poſita eſt.

ccccxiii. Privenates victi. Pax Samnitibus, eam petentibus, data. Volſci prœlio ſuperati. Novum oritur bellum cum Latinis, Campanis & Sedicinis. Ob tanti belli metum Coſſ. juſſi ſe imperio abdicare ante tempus, quo eligi poſſent Coſſ. alii, tanto bello magis pares. Sed quum religio eſſet ab iis haberi comitia, quibus imperium eſſet imminutum, Interregibus id datum negotii M. Valerio & M. Fabio.

ccccxiv. Coſſ. ab his creati T. M'Imperioſus Torquatus & P. Decius Mus, qui bellum geſſere adverſus Latinos. Horum Coſſ. prior filium ſuum ſecuri percuſſit, quod injuſſu ſuo pugnaſſet, etſi victor evaſiſſet; poſterior ſe pro exercitu devovit.

ccccxv. Latini & Campani parte agrorum multantur. Q. Publilius Coſ. & Dictator e pl. leges Publilias fert in pl. commodum; *uti Plebeſcita omnes Quirites tenerent, utique legum, quæ Comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium Patres autores fierent, utique Cenſor alter è pl. ſemper crearetur.*

ccccxvi. Latini iterum victi. Coſſ. de Latinis triumphant. Eorum unus erat L. Furius Camillus, Sp. fil., nep. verò M. Camilli, qui Coſ. fuerat & Dict.: alter C. Mænius. Honoſque is triumpho additus, ut ſtatuæ iis equeſtres in foro ponerentur. Antiatibus quoque mari interdictum. Naves longæ eorum captæ, quæ partim Romæ in navalia ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſque earum (ut eſt apud Liv. in viii.) ſuggeſtum è foro adornatum eſt, Roſtraque id templum appellatum.

ccccxviii. Q. Publilius Philo primus è pl. fit Prætor. Nempe his temporibus omnes honores cuivis patebant: quæ res multum juvit concordiam inter Patricios & Plebejos.

ccccxxii. Romanæ Tribus duabus augentur, Mæcia & Scaptia.

ccccxxiii. Peſtilentia in Urbe fuit; quam mulierum veneficiis fuiſſe ortam, ancilla quædam indicium fecit. Tum primùm Romæ in veneficias inquiſitum; ac venefici pœnas dedere clxx. Etiam Dictator dictus clavi figendi cauſa: quo ſacrificii genere mentes alienatas ſibi ipſis reſtitui opinio erat. Dictator is fuit Cn. Quinctilius, Magiſter Equitum L. Valerius. Hi clavo fixo ſe magiſtratu abdicarunt.

ccccxxiv. Privernum obſidetur à duobus Conſulibus L. Papirio Craſſo & L. Plautio Vennone.

ccccxxv. Privernatium muri dejiciuntur. Senatus inde abductus & trans Tiberim juſſus habitare. De reliqua multitudine dum deliberat Sen., placuit rogare legatum quendam Privernatem, qua pœna dignos putaret Privernates, non ſemel rebelles? Ille ſatis animoſè pro temporis ejus fortuna reſpondit, non aliam eos mereri, quàm mererentur, qui ſe libertate dignos putarent. Iterum rogatus, num, ſi iis ignoſceretur, fideles eſſent futuri in perpetuum, reſpondit, ſi bonam dederint pacem, fidelem fore & perpetuam; ſin malam, haut diuturnam. Hoc animoſo & egregio reſponſo fecit, ut Privernatibus non modò venia, ſed etiam civitas daretur.

ccccxxvii. Palæopolitanis bellum infertur. Samnites à Romanis deficiunt.

ccccxxviii. Samnitibus bellum indicitur. Palæopolitani ſe dedunt. Q. Publius Procoſ. de Palæopolitanis triumphat. Hic primus Procoſ. triumphavit.

ccccxxx. Samnites victi à M. Papirio Curſore, Dictatore, & L. Papirio Craſſo, Equitum Magiſtro, qui hoc anno ſine Coſſ. rexere.

ccccxxxi. Rebellant Samnites.

ccccxxxii. Integrum diem ancipiti prœlio cum Samnitibus pugnatur.

ccccxxxiii. T. Veturio Calvino ii & Sp. Poſthumio Albano ii Coſſ. facta eſt infamis illa pax Caudina, ita dicta, quia facta eſt ad furculas Caudinas. Ubi quum Coſſ. Rom. imperitia ſua legiones in inſidias duxiſſent, à Samnitibus turpem, ſed neceſſariam, pacem acceperunt. Nam Rom. exercitus à C. Pontio ſeminudus ſub jugum miſſus eſt. Vid. Fl. l. ii. c. xvi.

ccccxxxiv. L. Papirio Curſore & Q. Publilio Philone Coſſ. decernitur, ut ſuperioris anni Coſſ., Legati, Quæſtores, Tribb. mil., qui coacti turpem illam cum Samnitibus pacem fecerant, vincti & nudi Samnitibus dedantur per Fecialem: Quod factum. Sed Samnites eos recipere noluerunt. Romani ſe religione ſolutos putarunt, bellumque iterum indixere Samnitibus: eoſque ſemel ad Caudium, mox ad Luceriam iterum vicere. Samnitum IↃↃ CIↃ CIↃ &, quidam ut volunt, unà cum iis dux ipſe C. Pontius ſub jugum miſſi. Tres hujus anni Dictatores & totidem Magiſtri Equitum fuere, ut videre eſt ex Faſt. Capitol. Ex iis fuit Dictator C. Mænius & Magiſter Eq. M. Foſlius. Quorum ille ſponte ſe abdicavit, ut privatus poſſet accuſari: quod poſt eum etiam Mag. eq. fecit. Sed uterque abſolutus.

ccccxxxv. L. Papirius Curſor iii coſ. hoc anno dicitur à nonnullis de Samnitibus triumphaſſe; alii id ſuperiore anno factum ajunt. Utcunque eſt, Papirius iſte ultus eſt ignominiam, à Samnitibus inuſtam Romanis; haut aliter ac Camillus ultus eam, quam acceperant à Gallis. Fuit in Roman. reſp. præcipuus ſæculi ſui vir; adeò ut Livius l. ix. non dubitet eum ducem deſtinare, ſi Alexander Magnus Aſia domita in Italiam trajeciſſet.

ccccxxxvi. Rom. Tribubus adduntur duæ, Ufentina & Falerina.

ccccxxxviii. Samnites rebellant.

ccccxxxix. Samnites victi. Saticula dedita. Sora obſeſſa.

ccccxl. Sora proditione capitur. Campani deficiunt. Eo audito Samnites iterum rebellant. Sed eorum CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ cæſa. Fregellæ, Vola & alia oppida capta.

ccccxli. Saticulam deducta Colonia. Peſtilentia graſſante Dictator dictus clavi figendi cauſa.

ccccxlii. M. Val. Maximo & P. Decio Mure Coſſ. Cenſores fuere Appius Claudius Cæcus & C. Plautius. Hi primi libertinorum filios in Senatum adlegere: quo popularem auram ſunt conſecuti, ſed Patriciorum odium incurrerunt. Ac Plautius quidem ſe abdicavit Cenſura, non item Appius; qui, dum ſolus Cenſor eſt, effecit, ut ab uno eo dicta ſit via Appia & aqua Claudia. Nam Cenſor aquam in urbem duxit, quum Rom. antea Tiberi,

*Annus ab V.C.* fontibus & puteis fuiſſent contenti. Viam quoque à porta Capena Capuam uſque munivit. Exacta via hæc ejus latitudinis, ut duos currus commodè caperet. Longa autem fuit circiter milliaria Germanica XX. Poſterioribus verò temporibus Brunduſium uſque eſt perducta, quod ſpatium eſt milliarium circiter LX.

CCCCXLIII. Coſs. C. Junius Bubulcus & Q. Æmilius Barbula initio Conſulatus ſui queruntur apud Pop., potiores ab Appio in Cenſura ſua eſſe præteritos, ordinemque eum adlectis libertinorum filiis eſſe deformatum; ac propterea Senatum citaverunt eo ordine, quo fuerat ante Appium Cenſorem. Hoc anno etiam tibicines, irritati Cenſorio edicto, quo adimebatur eis jus vetus veſcendi in æde Jovis, facta conſpiratione univerſi Tibur abierunt. Unde factum, ut nemo inveniretur, qui in ſacrificiis præcineret. Idcirco religionis cauſa Senatus Tibur miſit, qui cum magiſtratu agerent; ut eos reducere vellent. Sed tibicines in pertinacia perſtiterunt. Tum tanquam Sileni dolo hujuſmodi ſunt decepti. Nam & tibicinum genus neutiquam à vino abhorrere ſolet. Ergo ruri vicino omnes invitantur, quaſi feſti celebrandi cauſa. Ubi, poſtquam inebriati ſunt, currus adſcendunt, pellibus tectos. Iis ſe Tibur vehi putant; ſed Romam deferuntur. Nec dolum ſenſere, niſi ubi pellibus apertis lux admiſſa. Tum Pop. factus concurſus; rogatique, ut vellent remanere. Reſtitutum verò iis jus in æde Jovis veſcendi. Etiam ſtatutum, ut triduo ab Id. Jun., quibus redierant, per urbem cum cantu & muliebri habitu ad urbem luſtrandam ſolita licentia vagarentur. Vide Livium, Valerium Maxim., Ovidium in Faſt., Plutarchus in problemat. Romanis. Bellum eopſe anno in Samnio continuatur. Cluvia vi expugnatur à Cos. Junio atque omnes in eo puberes interempti. Bovianum captum, pluſque inde prædæ ablatum, quàm ex omni Samnio. Cæſa & Samnitum CCIↃↃ CCIↃↃ. Æmilius Cos. Hetruſcos inſigni vicit prælio, qui Sutrium obſidebant. Uterque Cos. re bene geſta triumphavit.

CCCCXLIV. Q. Fabius Max. Rutillanus Cos. Samnites, Marſos, Pelignos, Umbros vincit. P. Sempronius Tribunatus ſui initio minatur Appio Claudio Cæco, niſi collegæ exemplo cenſuram deponat, quam contra legem Æmiliam jam ultra XVIII menſes gerebat, ſe eum in carcerem ducturum. Sed Appio tres Tribuni, ab eo appellati, auxilio fuere, qui collegæ actioni interceſſerunt. Ita quinquennium ſolus ſumma omnium ordinum invidia Cenſuram geſſit.

CCCCXLV. C. Marcius Conſul ancipiti prælio cum Samnitibus pugnat, adeò ut inferior etiam fuiſſe videretur. Hæc res fecit, ut Dictator diceretur L. Papirius Curſor; qui Magiſtrum Equitum dixit C. Junium Brutum Bubulcum. Magna autem clade Samnites affecit Papirius. Aurata Samnitum arma dominis argentariorum divendita ad forum ornandum. Campani odio Samnitum armis eorum ornant gladiatores, quorum inter epulas ſpectaculo ſe oblectabant. Huic gladiatorum generi Samnitium nomen datum.

CCCCXLVI. Samnites, item Marſi & Peligni, qui ſe Samnitibus junxerant, vincuntur à Q. Fabio Max. Cos. Umbri quoque & Hetruſci denuo ad Manariam ab eodem victi. Induciæ

*Annus ab V.C.* Hetruſcis datæ. Sed ex pacto dare coguntur Romano exercitui in eum annum ſtipendium & binas militum ſingulis tunicas.

CCCCXLVII. Q. Fabius Procos. Samnites vincit, eoſque ſub jugum mittit. Sociorum, quibus in deditione cautum non erat IↃↃ CIↃCIↃ ſub corona vendit.

CCCCXLVIII. Q. Marcius Tremulus Cos. tribus prœliis Hernicos vincit. Idem P. Cornelio Arvinæ, collegæ ſuo, adverſus Samnites auxilio veniens, occidit eorum CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ. Eodem anno tertium cum Carthaginienſibus fœdus ictum.

CCCCXLIX. Bis Samnites prœlio victi. Bovianum captum.

CCCCL. Samnitibus petentibus fœdus redditum. Æquorum oppida XLI intra dies LX capta, incenſaque, totumque Æquorum nomen prope deletum. Q. Fabius Rullianus Cenſor forenſem turbam conjicit in quatuor tribus, quas Urbanas vocavit: quo merito Maximi nomen eſt conſecutus. Nam utile hoc factum fuit, ut ne autoritatis tantùm in Comitiis foret, quæ in humillimi cujuſque erant poteſtate. Idem in Cenſura ſua inſtituit, ut Equites Rom. quotannis Id. Quinctil. equis inſidentes trabeati ab æde Honoris in Capitolium tranſveherentur. Eodem anno, quum antè eſſet Trib. pl., ſimul Ædilis curulis factus fuit Cn. Flavius, Appii Claudii Scriba, qui Faſtos popul. promulgavit, non ſine nobilium indignatione. Nam antea tabula illa occultabatur, ut dies, quibus agi fas eſſet, à paucis peti neceſſe eſſet.

CCCCLII. Æqui rebellant.

CCCCLIII. M. Valer. Corvus Dictator Hetruſcorum opes iterum fregit & pacem petentibus biennii induciis conceſſit. Primi tonſores hoc vel ſuperiori anno Romam venerunt.

CCCCLIV. Lex Valeria de provocatione fertur; ac aliquot annis poſterior ea eſt lex Porcia, pro tergo civium lata à P. Porcio Læca Trib. pleb. Confert utramque Livius lib. 10. Eodem anno lata etiam fuit lex Egulina de Sacerdotiis, qua Sacerdotia Pontificum & Augurum cum plebe ſunt communicata. Nam quum ante eſſent quatuor Pontifices, quinque Augures; è plebe adlecti ſunt, ut omnino octo Pontifices, novem Augures collegium explerent.

CCCCLV. Hoc anno T. Manilio Torquato in conſulatu mortuo ſurrogatus eſt M. Valerius Corvus, qui ſextus ejus conſulatus fuit. Hic ſolus ante C. Marium ad VI conſulat. pervenit. Inter primum & ſextum conſulatum fuere anni XLV. Vixit annos centum. Romanis Tribubus duæ additæ Anienſis & Tarentina. Hoc anno M. Fulvinus Pætius Nobilior triumphavit de Samnitibus, quos hujuſmodi ſtratagemate devicit. Quum multo major eſſet exercitus hoſtilis, perſuaſit ſuis, unam è legionibus hoſtilibus à ſe auro corruptam, inque prœlio tranſituram; & ut fidem faceret, pecuniam mutuo ſumpſerat. Ea res tantam militi alacritatem addidit, ut inſignem victoriam reportarit.

CCCCLVI. Fœdus cum Lucanis initum. Hetruſci victi à L. Scipione. Bovianum & Aufidena captæ à Cn. Fulvio Centumalo Cos.

CCCCLVII. Hetruſci, bello laſſati, conquieſcunt. Q. Fabius Max. Rull. IV cos. (in quo honore recuſando inſignis ejus modeſtia reluxit) Samnites difficili admodum certamine vicit.

*Annus ab V. C.* dit. P. Decius alter Coſ. prœlio ad Maleventum Apulos vicit, qui ſe Samnitibus jungere volebant.

CCCCLVIII. Samnites & Hetruſci ſe jungunt. Tum in medio prœlio Ap. Claudius cos. II. ædem vovit Bellone. Victi verò hoſtes ab utroque Cos. Sed Volumnius præterea eos in agro Campano proſtravit.

CCCCLIX. Hetruſci, Umbri, Galli & Samnites vincuntur à Q. Fabio Max. Rull. V. & P. Decio Mure IV. qui in hoc prœlio ſe devovit. In Decii locum miſſus L. Volumnius procoſ., miſſus & prætor L. Appius Cæcius. Hi junctis legionibus Samnites vicerunt. L. Corn. Scipio à Gallis Senonibus cæſus. Cn. Fulvius Hetruſcos vicit. Peruſinorum item & Cluſinorum occidit clɔ clɔ clɔ.

CCCCLX. Samnites fere capiunt caſtra Romana; ſed virtute militum repelluntur. Cum iiſdem ancipiti prœlio pugnatum à M. Attilio Cos. Hetruſcis, pacem petentibus, induciæ datæ annorum XL.

CCCCLXI. Ludis Romanis more Græco palma hoc anno ab Ædilibus cur. primùm data eſt. Etiam hoc anno primùm pop. ludos ſpectavit coronatus. Eodem Samnites victi. Ex ſpoliis eorum Jovis coloſſus factus, tantæ magnitudinis, ut à Latiari Jove conſpiceretur. Primùm in Urbe Horologium ſolare hoc anno ſtatutum teſte Plin. l. VII. cap. ult.

CCCCLXII. Peſtilentia graſſante Æſculapium Epidauro advehendum eſſe, oſtendunt libri Sybillini. Delatus verò anno ſequenti.

CCCCLXIII. Q. Fabius Gurges infeliciter adverſus Samnites pugnat. De eo ab exercitu ſummovendo quum deliberaret Senatus, pater Q. Fabius Rullianus, ignominiam hanc deprecatus, legatum ſe filio iterum promiſit. Hujus Rulliani ductu proſperè pugnatum adverſus Samnites. Et tamen tanta patris ejus modeſtia fuit, ut inter legatos filii triumphantis currum ſequeretur, civium omnium, qui tum vivebant, Maximus: cujus de ſingulari modeſtia multa dici poſſent, niſi id inſtituti rationem excederet.

CCCCLXIV. P. Corn. Rufinus & M. Curius Dentatus Coſs. confecere bellum Samniticum, quod in annos duraret XLIX. ac fœdus cum iis petentibus renovatum. Tum Coſ. Curius, rapis coctis contentus, aurum, quod Samnites offerebant, contempſit ac dixit: malle ſe imperare iis, qui aurum haberent, quàm aurum habere. Idem Sabinos, qui longe, lateque agrum Romanum vaſtarant, devicit. Itaque bis eodem anno M. Curius triumphavit.

CCCCLXV. Treviri capitales primùm hoc anno creati, qui carceri & animadverſionibus præeſſent. Pugnatum cum Lucanis.

CCCCLXVII. Tertia circa hoc tempus pop. à Patribus ſeceſſio fuit, quæ orta propter æs alienum. Propterea Dictator dictus Q. Hortenſius, qui pl. revocavit, inque Dictatura mortuus, quod nulli antea contigerat. Mænia lex à P. Mænio, Trib. pl. lata; qua erepta Patribus, quam habuerant, autoritas. Nam jam à Romuli tempore id juris erat, ut, quæ pop. juſſerat, rata demum eſſent, ſi ea Senatus approbaſſet autoritas. At lege Mænia ſtatutum, ut Patres rei fierent autores, antequam Pop. juſſurus erat. Et exſtat inter Satyras Varronis quædam hac inſcriptione; *Lex Mænia:* qua videtur eam legem ſugillaſſe.

*Annus ab V. C.*

CCCCLXVIII. Samnites iterum deficiunt, cumque Lucanis & Brutiis ineunt ſocietatem.

CCCCLXXI. Iiſdem ſe jungunt Hetruſci & Senones Galli. Romani ad exorandos Gallos miſerunt legatos; ſed Galli eos occiderunt. Tum adverſus eos miſſus cum exercitu Cæcilius Prætor. Sed ipſe ſaucius cum ſeptem Tribunis mil. & multis nobilium. Cecidere eo prœlio cclɔɔ clɔ clɔ clɔ Romanorum. Hinc Dolabella Coſ. miſſus adverſus Hetruſcos, quibus ſe junxerunt Galli Boji, ad Vadimonis lacum devicti atque ad internecionem cæſi. Florus tamen hos quoque Gallos Senones fuiſſe ait, interfectoſque omnes eſſe, ne quis à ſe incenſam eſſe Romam gloriaretur. Civitas, quam Senones incoluerunt, colonia facta & ab iis Sena appellata, teſte Polyb. l. II.

CCCCLXXII. Hetruſci & Boji iterum bellum parant. Iis ſe jungunt Tarentini, qui & claſſem Romanorum prædati, & legatos, qui miſſi erant, ut de injuriis conquererentur, violarunt, ſive eos pulſarunt, ut eſt apud Max. Valer., ſive urina aſperſerunt, ut ſcribunt Florus & Zonaras. Hæ fuere cauſæ belli Tarentini, de quo deinceps.

### *De temporibus Romanorum à bello Tarentino uſque ad primum Punicum.*

CCCCLXXIII. BEllo cum Hetruſcis nondum finito Tarentinum cœpit. Tarentini enim hoc anno cum Samnitibus, Sallentinis atque aliis vicinis hoſtibus adverſus Romanos conſpirant. Ergo Cos. Q. Marcio Philippo bellum decretum cum Hetruscis; at L. Æmilio Barbulæ cum Tarentinis: quibus etiam ſe junxit Pyrrhus, Epirotarum rex. Dubium verò, utrum hoc anno, an ſequenti, Carthaginienſes auxilio Romanis miſerint claſſem CXXX navium: quæ tanta benignitas Rom. ſuſpecta fuit. Ergo legati Carthaginem miſſi, qui gratias agerent; ſed opus ſibi ea claſſe eſſe negarent, eò quod pop. Roman. non ſoleat ſuſcipere bellum, niſi quod ſuo milite gerere poſſet. Æmilius Cos. hoc anno de Hetruſcis triumphavit.

CCCCLXXIV. Pyrrhus auxilio Tarentinis venit cum elephantis. Adverſus eum pugnat P. Levinus Cos., ſed infeliciter. Nam elephantorum inuſitata ſpecies Romanos ita terruit, ut ordines turbaret: Sed alter Cos. L. Æmilius, cui ſuperioris anni imperium prorogatum fuit, Tarentinos vicit.

CCCCLXXV. P. Decius Mus Cos. ſe in prœlio contra Pyrrhum devovet, ut ante pater prœlio cum Hetruſcis, avus, cum Latinis decertans fecerat. Cicer. in Tuſc. & l. II. de Fin. Pugnatum cum Pyrrho ad Aſculum dubio eventu. Pacem petiit Pyrrhus: ſed Appius Cl. Cœcus, lectica in curiam delatus, eam diſſuaſit. Ejus orationis initium apud Ennium:

> *Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant*
> *Antehac, dementes ſeſe flexere viai.*

CCCCLXXVI. Ad Cos. C. Fabricium (non M. Curium, ut eſt apud Flor.) in caſtra venit transfuga quidam cum litteris à Medico Pyrrhi regis, quibus pollicebatur, ſe Pyrrho venenum daturum, ſi præmium daretur. Fabricius verò indicium ejus regi fecit, cumque admo-

*Annus ab V. C.* monuit, ut ſibi caveret; nec enim conſueſſe Roman. veneno, ſed virtute vincere. Pyrrhus, virtutem miratus, gratis remiſit captivos ac pacem iterum per legatos petiit. Sed reſponſum accepit, fruſtra petere, quamdiu Italia non excederet. Hinc iterum cum Fabricio (Curium addit Florus) ad Aſculum pugnat. Victus Pyrrhus, qui paulo poſt à Syracuſanis auxilio vocatus, in Siciliam eſt profectus.

CCCCLXXVII. Coſs. hujus anni fuere P. Corn. Rufinus II. & C. Junius Brutus Bubulcus II. Priorem, etſi eſſet avaritia infamis, Fabricius ipſe ad Conſulatum provexit. Mirantibus cunctis dixit: ſe difficilibus temporibus à cive ſpoliari, quàm ab hoſte vendi malle. Erat Rufinus iſte bellica arte clarus. Coſs., dum Pyrrhus in Sicilia eſt, bellum proſequuntur. Samnium ſunt populati, cujus incolæ urbe exceſſerunt ac res ſuas in aviis ac præruptis locis occultarant. Crotonem quoque ſtratagemate cepit Rufinus, de quo Front. l. III.

CCCCLXXVIII. Coſs. hujus anni ita bello fatigant Samnites, Lucanos, Brutios, alios, ut Pyrrhum ex Sicilia per legatos revocare cogerentur.

CCCCLXXIX. Pyrrhus ex Sicilia redit, Locros recipit, Rhegium oppugnat, ſed fruſtra: nam & ipſe vulnus accipit & ſuorum multos amittit. Fabricius Cenſor P. Corn. Rufinum, etſi Dictator & bis coſ. fuiſſet, ſenatu movet, quod decem pondo argentea vaſa poſſideret. Nempe hoc, quia luxuriei & avaritiæ eſſet argumentum, ſenatorio ordine indignum putaverunt. Sanè ea erat iis temporibus abſtinentia ac frugalitas, ut, Cenſores qui tum erant, C. Fabricius & C. Æmilius Papus, etſi principes eſſent Civitatis, nihil tamen argenti domi haberent præter patellam Deorum cauſa & ſalinum; autor Val. Maxim. M. Curius, etſi ante de Samnitibus, Sabinis & Pyrrho triumphaſſet (quatuor ejus triumphos numerant Faſti Capitolini) tamen extremo ætatis tempore in villa habitavit atque agrum ibi fodit, quanquam præda ingenti Urbem ditaſſet. Tum Senatu offerente L, vel, ut alii volunt, ꟾↃ jugera, excedere noluit modum eum, qui pop. erat aſſignatus, hoc eſt VII. jugera. Addebat, pernicioſum eſſe reip. civem, cui VII jugera non ſufficerent. Nec ex Pyrrhi præda quicquam attigit præter guttum faginum, atque id, ut ſacrificii cauſa eo uteretur.

CCCCLXXX. Diſſidium eſt inter Tarentinos & Milonem præfectum, quem Pyrrhus reliquerat. In urbe Roma quæſtor militaris tum fuit App. Claudius, App. Cæci frat., cognomento Caudex: quomodo vocatus, quod primus caudicibus (id navale genus eſt) ex Italia in Siciliam trajecerit.

CCCCLXXXI. Ptolomæus Philadelphus, Ægypti rex, legatos ſuos Romam mittit, ut amicitiæ cum Romanis fœdus pangat. Roma verò legati ad regem miſſi, Fabius Gurges & G. Ogulnius; qui dona, à rege accepta privatim, in ærarium retulere, eo quod nihil ad quemquam ex publico munere accedere debere putarent præter laudem. Sed S. P. Q. R. ea legatis diſtribuit, æquitatem eo ſuam oſtendens.

CCCCLXXXII. Samniticum bellum confectum, quod LXXIII. annos durarat. Tarentini morte Pyrrhi cognita Milonem præfectum expellere conantur atque hoc fine Carthaginienſes

*Annus ab V. C.* in auxilium vocant. Illis urbem obſidentibus Milo urbem dedidit Romanis; qui inde urbem oppugnarunt propugnantibus eam Carthaginienſibus. Sed victi cum Tarentinis Pœni. Romanus muros Urbis diruit & tributum ei impoſuit, ut Zonaras ſcribit. Sed Livius pacem ei & libertatem datam ait.

CCCCLXXXIII. Romani obſident Rhegium, quod tenebat octava Legio Campana, quæ adventante Pyrrho defecerat à Romanis & occiſis civibus urbem occuparat. Fuerat ea legio ꟾↃ ꟾↃ: ſed in obſidione omnes periere præter CCC; qui urbe capta Romam miſſi, præclaroque juſtitiæ exemplo quotidie ex iis L in foro virgis cæſi ac ſecuri percuſſi. Corpora ſepelire, vel mortuos lugere vetitum fuit.

CCCCLXXXIV. Cum Umbris pugnatum.

CCCCLXXXV. Cum Picentibus bellatum. Eopſe anno primus argenteus nummus ſignatus, quinquennio ante primum bellum Punicum, Plinio teſte lib. XXXIII. c. III. In nummis iſtis cum aliæ notæ fuere, tum iſta VER. CAR. hoc eſt *Verſuta Carthago.* Nempe eo exprobrare voluerunt Pœnis, quod fœdus rupiſſent: quippe Tarentinis auxilio venerant, cujus præfectus Milo invitis civibus arcem tenebat. Imò etiam, poſtquam Milo Romanis arcem tradidiſſet atque hi ex ea Tarentum oppugnarent, eoſdem juvabant adverſus Romanos; nec diſcedere volebant, priuſquam à Rom. victi eſſent. Hæc prima inter duas potentiſſimas gentes odiorum ſemina fuerunt.

CCCCLXXXVI. Camarium in Umbria à Cos. captum; cives venditi. Quod quum inique factum Senatus judicaret, eos redemit atque agros iis reddidit. Cum Picentibus pugnatum: quibus victis CCCꟾↃↃ CCCꟾↃↃ CCCꟾↃↃ ꟾↃↃ CCꟾↃↃ hominum in poteſtatem pop. Rom. veniſſe, autor eſt Plinius. Unde quantum hac victoria creverit potentia Romanorum, ſatis liquet.

CCCCLXXXVII. M. Attilio Regulo & C. Julio Libone Coſs. captum Brunduſium, deque Brunduſinis triumphatum.

CCCCLXXXVIII. Umbri & Salentini, eorumque ſocii devicti. Q. Fabius Senator & juvenis quidam ob contumeliam, legatis factam, dediti ſunt Apolloniatibus, qui in ſinu Jonio habitabant.

CCCCLXXXIX. Volſinienſes, libertinorum, ſervorumque conjuratione oppreſſi, Romanorum opem per legatos implorant. Miſſus adverſus ſervos Q. Fabius Gurges cos. III: qui urbem obſedit, cepit & veteribus civibus reſtitutis de ſervis, libertiſque rebellibus ſupplicium ſumpſit. Quum hactenus tantùm quatuor eſſe ſoleant quæſtores, hoc anno octo creari cœperunt, eo quod ſtipendiaria jam facta Italia Provinciarum vectigalia acceſſiſſent. Atque hæc de tempore eo, quo Romani Italiam ſubegerunt.

Quod tempus bipartitum eſt, I. ab V. C. uſque ad exactos reges, quod annorum eſt. . . . . 244

Intra hoc tempus, ubi plurimum, vix tamen uſque ad decennium quintum ab Urbe milliare poſſederunt, ut Eutropius inquit. II. Ab regibus exactis uſque ad primum bellum Punicum; intra quod tempus Italia omnis eſt ſubacta; eſtque hoc tempus annorum. 245

Summa 489

De

*Annus ab V.C.*

*De temporibus Romanorum à primo bello Punico uſque ad deletam Carthaginem.*

ccccxc. Bellum Punicum primum incipit. Ejus occaſio fuit, quod Mamertini poſcerent Romanorum auxilium adverſus Hieronem, Syracuſanorum regem, & Carthaginienſes. Duravit id bellum annis xxiv.

ccccxci. Pax Hieroni à Romanis data.

ccccxcii. Agrigentum, poſtquam à Rom. ſeptem menſes obſeſſum fuerat, capitur. Pœni prœlio vincuntur.

ccccxciii. Hoc primùm anno Romani animum adjiciunt ad parandam claſſem.

ccccxciv. Cn. Cornelius Scipio Aſina à claſſe Punica circumventus. Sed C. Duillius Nepos cos. alter prœlium navale feliciter committit cum Pœnis. Atque hic Romanorum primus navalis victoriæ triumphum duxit. Quapropter hoc ei honoris decretum, ut reverenti à cœna tibicines canerent & funale præferretur.

ccccxcv. Lentè in Sicilia bellum adminiſtratur.

ccccxcvi. Nihil memorabile in Sicilia vel à Romanis vel à Carthaginienſibus geſtum.

ccccxcvii. Dubio Marte ab utriſque pugnatur.

ccccxcviii. Romani claſſem parant navium cccxxx, Carthaginienſes ccc l. Carthaginienſes à Regulo vincuntur. Quibus ſuperatis in Africam trajicit, ubi portentoſæ magnitudinis ſerpentem cum maxima militum clade occidit. Pugnat etiam cum Carthaginienſibus & aliquot prœliis vincit. Sed hi Xantippum arceſſunt, Lacedæmoniorum Ducem.

ccccxcix. Attilius Regulus à Xantippo vincitur & capitur. Cæſus eſt pœnè totus exercitus Romanus. Coſſ. Ser. Fulvius Nobilior & M. Æmilius Paullus feliciter mari pugnant cum Pœnis; ſed in reditu totam fere claſſem naufragio amittunt.

IↃ. Panormus, Siciliæ urbs, capitur à Rom.

IↃi. Iterum Romanor. claſſis naufragium patitur circa Syrtes.

IↃii. T. Cornucinius primus ex plebe creatur Pontifex Maximus.

IↃiii. Romani claſſem iterum parant ac Lilybæum obſident. Metellus Coſſ. mari cum Aſdrubale ad Lilybæum pugnat, eumque vincit. Regulus à Carthaginienſibus Romam mittitur, ut de pace, & ſi eam non impetraret de commutandis captivis ageret. Sed diverſa, quam mandaverant, cenſuit. Suaſit enim, ne pax fieret, vel captivi commutarentur. Jurejurando verò adſtrinxerat, ſe, ſi nihil efficeret, Carthaginem reverſurum; eamque fidem ſervavit. Sed Carthaginienſes de eo ſupplicium ſumpſerunt.

IↃiv. L. Cæcilius Metellus ob ſuperioris anni victoriam triumphat.

IↃv. Romani auſpicia contemnentes, maxima clade ad Drepanum afficiuntur.

IↃvi. Hannibal naſcitur.

IↃvii, IↃviii, IↃix. Amilcar Pœnus, Hannibalis parens, & hoc anno & biennio proximo rem ſtrenuè gerit Polybio teſte. Etiam claſſe adoritur oram Italiæ maritimam, eamque populatur.

IↃx. Romani tertiò mare tentant.

IↃxii. C. Lutatius Catulus Cos. ad Ægates inſulas ſuperat Amilcarem.

IↃxiii. Pœnis petentibus pax data. Ita finis impoſitus primo bello Punico, quum annis, ut dixi, xxiv duraſſet. Pax verò duravit annis totidem. Romani cum Faliſcis pugnant.

*Annus ab V.C.*

IↃxiv. M. Livinus Andronicus primus Romæ fabulam dedit.

IↃxv. Ennius naſcitur.

IↃxvi. Amilcar Barca in Hiſpanias mittitur: quo exercitum traducturus ex Africa inter ſacrificandum fil. Hannibalem, qui decimum tunc annum agebat, aris admovet, jurareque jubet, ſe, ſimulac poſſet, hoſtem fore populi Romani.

IↃxvii. Bellum adverſus Ligures incipit; quod ſæpe reſumptum.

IↃxviii. Galli per Legatos repetunt à Rom. agrum Arnuvienenſem teſte Zonara.

IↃxix. Sardi rebellant. Eos domat Manlius Cos. Templum Jani ſecundò clauſum.

IↃxx. M. Porcius Cato naſcitur. Lex Agraria Flaminia fertur. Bellum Gallicum recrudeſcit.

IↃxxi. Primùm Romæ divortium factum à Cornelio Spurio.

IↃxxii. Unus Legatorum, quos Rom. ad Illyricos miſerant, occiditur. Imperabat tum iis Teuta, quæ marito Agroni in imperio ſucceſſerat.

IↃxxiii. Propterea bellum Illyricis indictum; quibus victis ſtipendium impoſitum. Hamilcar in Hiſpaniis moritur, cui ſuccedit gener Aſdrubal. Rom. fœdus cum Aſdrubale renovant.

IↃxxvi. Prima Rom. legatio ad Achæos, de qua Polyb. lib. ii. Accedit altera legatio ad Athenienſes & Corinthios, de qua ibid.

IↃxxix. Bellum Gallicum Ciſalpinum incipit ducibus Congolitano & Aneroeſto. C. Attilius Regulus in bello cadit: ſed alter Cos. L. Æmilius Papus egregiam obtinet victoriam.

IↃxxx. Padum tranſeunt Romani, Galloſque vincunt.

IↃxxxi. C. Flaminius Nepos Cos. felicius, quàm prudentius, bellum gerit adverſus Gallos.

IↃxxxii. M. Marcellus occiſo Viridamaro, Inſubrum rege, opima ſpolia capit, lateque Gallos domat. Hinc pax inita cum omni nomine Gallicano.

IↃxxxiii. P. Cornelius Scipio Aſinia Iſtros vincit. Aſdrubal in Hiſpania interimitur. Ei in præfectura Hiſpanica ſucceſſor miſſus Annibal.

IↃxxxiv. L. Æmilius Papus & C. Flaminius Cenſores redigunt libertinos in quatuor tribus urbanas. Hannibal res gerit contra Orcadas & alios Hiſpaniæ populos. Etiam contra fœdus Iberum amnem tranſit & Saguntum obſidet, fœderatam Rom. civitatem: quæ occaſio fuit ſecundi belli Punici.

IↃxxxv. M. Æmilius Paullus Cos. Illyrios rebellantes domat. Saguntini, in nonum menſem ab Annibale obſeſſi, fameque & ferro preſſi, rogum immanem in foro excitant; ei ſe, ſuaque omnia injiciunt ac comburunt. Eo nuntio accepto Hannibal à Carthaginienſibus per legatos depoſcitur. Tergiverſantibus bellum indictum.

IↃxxxvi. Hic primus eſt belli Punici ſecundi, ſive Annibalis, ut illud Polybius vocare ſolet. Hannibal ſuperato Pyrenæo ſaltu per Gallias venit ad Alpes, perque eas ingenti labore tranſit; Gallos obvios prœliis aliquot repellit, in Italiam venit ac P. Cornelium Scipionem ad Ticinum flumen fundit prœlio equeſtri. In eo patrem Scipionem vulneratum protexit filius, cui poſtea Africano cognomen fuit.

Iterum

Digitized by Google

*Annus ab V.C.* Iterum Annibal Sempronium vincit ad Trebiam flumen.

Iↄxxxvii. Hinc Hannibal in Hetruriam venit ac C. Flaminium ad Thraſimenum lacum inſidiis circumvenit ac cum omni exercitu cædit. Ob eam cladem ex Sybillinis libris ver ſacrum votum. Dictator creatus Q. Fabius Maximus, qui Magiſtrum Equitum legit M. Minucium. Sed Minucius iſte, natura temerarius & ferox, criminando Dictatorem, tanquam timidum, effecit, ut pop. juſſu imperium ei cum Dictatore æquaretur. Ergo diviſus exercitus. Sed Minucius in maximum diſcrimen ſe, legioneſque deduxit: verùm ſupervenit Fabius, eumque liberavit. Eo beneficio victus caſtra cum Fabio junxit & Patrem eum ſalutavit atque idem milites ſuos facere juſſit. Hannibal Campaniam vaſtat. Hinc à Fabio inter Caſilinum oppidum & Calliculam montem clauditur. Sed ſarmentis ad boum cornua alligatis & incenſis fugavit præſidium Roman., quod Calliculam inſidebat. Ita ſaltum eſt tranſgreſſus. Quumque vicina combureret, agro pepercit Fabii Dictatoris, quo proditionis eum faceret ſuſpectum.

Iↄxxxviii. Hannibal vincit Varronem ad Cannas in Apulia. Cæſa eo prœlio Romanor. Iↄↄ Iↄↄↄ cum Paullo Cos. & Senatoribus lxxx. Poſt eam cladem adoleſcentes nobiles conſilium iniere de relinquenda Italia. Sed P. Cornelius Scipio, cui poſtea Africani nomen datum, ſuper capita conſultantium ferrum ſtrinxit, juravitque, ſe pro hoſtibus omnes eos habere velle, qui non in ſua verba juraſſent, minimeque Italiam à ſe deſertam iri ni juramento promiſiſſent. Quin Varroni obviam itum, gratiaque acta, quod non deſperaſſet de Republ. Ob paucitatem militum armata ſunt CIↄ CIↄ CCIↄↄ validiorum ſervorum; ſed prius ſunt donata libertate. Hi, quia rogati, an militare vellent, *Volo* ſinguli reſpondebant, Volones dicti ſunt. Annibale offerente redemptionem captivorum animoſe reſponderunt, Romanis non opus eſſe iis civibus, qui, quum armati eſſent, capi poterant. Eos Annibal omnes trucidavit. Idem cepit Coſam & Capuam: ſed Neapolim & Nolam, quas Rom. præſidio munierant, fruſtra tentat. Acerras, à civibus deſertas, incendit, Caſſilinum obſidet; quod ita fame preſſum, ut comederent lora & pelles, ſcutis detractas; item mures. Interim Scipiones fortiter in Hiſpania rem gerunt contra Aſdrubalem, Annibalis fratrem.

Iↄxxxix. Annibalicus exercitus deliciis Campaniæ enervatur. Philippus, Macedoniæ rex, Annibalis ambit amicitiam. Quatuor & viginti ſervorum millibus data arma adverſus Pœnos. Tib. Gracchus Campanos ac Pœnos vincit. Cumæ à M. Valerio cos. liberatæ; tria ab eodem in Hirpinis oppida recepta. P. Flaccus, juſſus cum claſſe in Macedoniam proficiſci, quo impediret, ne regno ſuo exiret Philippus. T. Manlius Torquatus duobus prœliis Sardos & Pœnos vincit. Scipio in Hiſpania Illiturgium liberat, tribus Pœnorum caſtris obſeſſum. Complures Hiſpaniæ populi deficiunt ad Romanos. T. Octacilius Craſſus Procos. populatur agrum Carthaginienſem. Item pugnat cum claſſe Aſdrubalis, ejuſque ſeptem naves capit.

Iↄxl. Caſſilinum à Coſſ. receptum. Syracuſæ, quæ poſt obitum Hieronis regis defecerant ad Pœnos, obſidentur à M. Marcello Coſ. Volones fortiter pugnant adverſus Annibalem.

*Annus ab V.C.*

Iↄxli. Arpi colonia, Pœnis expulſis, Romanis dedita. Cum Syphace, Numidarum rege, ſocietas contra Pœnos initur. Celtiberi quoque, mercede ea conducti, ſervierant Pœnis. Atque hic primus mercenarius miles fuit, quem in caſtris ſuis habuere Romani.

Iↄxlii. Annibal proditione Tarentum capit. Ludi Apollinares primùm hoc anno facti, idque peregrini hoſtis ex Italia arcendi cauſa. P. Corn. Rutinus, Decemvir ſacrorum, quod ex libris Sybillinis eos ludos inſtituerat, Sybilla primùm dictus, poſteaque corrupto vocabulo Sulla appellatus. Cn. Fulvius Flaccus, pugnans cum Annibale CCIↄↄ Iↄↄ CIↄ amittit; ſed anno proximo ob rem malè geſtam accuſatus in exilium abiit. M. Marcellus Syracuſas poſt diuturnum obſidium expugnat. Hactenus Archimedes machinis, mirifica arte exſtructis, conatus eluſerat Marcelli. Interfectus verò eſt ab ignaro milite, quum ille, figuris intentus, quam in pulvere fecerat, militi irrumpenti, ne lineas ſibi turbaret, dixiſſet. P. & C. Scipiones, à mercenariis Celtiberis deſerti atque ab hoſte circumventi, ab Aſdrubale cum omni exercitu cæduntur. Sed L. Marcius, eques Rom., reliquias exercitus colligit atque iis bina hoſtium caſtra ex improviſo expugnat ac CCIↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ Iↄↄ CIↄCIↄ hoſtium cædit, CIↄLXXXIII capit, ingentemque prædam abducit.

Iↄxliii. Annibal Capuam tendit, ut eam liberet obſidione Rom.: ſed quum fruſtra Roman. caſtra oppugnaſſet, Romam tendit ac bis pugnat cum P. Sulpicio & Cn. Fulvio coſſ., qui circa portam Capenam caſtra poſuerant. Sed utrumque prœlium, imber, grandine mixtus, turbavit: quæ res Annibalem avertit, Pœnis exiſtimantibus invitis Diis pugnari. Nec multo poſt capta Capua. Multi Senatorum metu ſe veneno interemerunt. Superſtites ſecuri percuſſi. Nobiles in cuſtodiam per civitates ſocias dati. Plebs venditur: ager omnis populo Rom. aſſignatus. Scipio, cui poſtea Africano nomen, necdum xxiv annorum adoleſcens, depoſcit ſibi provinciam Hiſpanicam, quam alii ob difficilitatem refugiebant; eoque profectus cum xxx quinqueremium claſſe. M. Marcellus, quum Syracuſis expugnatis & tota pæne Sicilia capta Romam veniſſet, triumphum poſcit; ſed non impetrat, quia debellatum in Sicilia non eſſet, quippe qui ſine exercitu veniſſet. Ovatio tamen ei decreta. Sed Marcellus in Albam montem ſuis ſumptibus triumphavit: poſtridiè ovans urbem eſt ingreſſus.

Iↄxliv. Marcellus cædit Annibalem. Carthago nova à Scipione in Hiſpania expugnatur: in qua victoria egregia ejus moderatio eluxit. Nam nobilem mirandæ pulchritudinis virginem ſponſo gratis reddidit.

Iↄxlv. Q. Fabius proditione recipit Tarentum. Scipio, qui poſtea Africanus, Aſdrubalem in Hiſpaniis vincit. Eodem anno auro ſignato Romæ cœperunt uti.

Iↄxlvi. Uterque Coſſ. M. Claudius Marcellus & M. Valerius Lævinus, inſidiis Pœnorum intercepti, perierunt. Licinia lex fertur de Ludis Apollinaribus ſtatuta die faciendis.

Iↄxlvii. Aſdrubal, ex Hiſpaniis pulſus, in Italiam venit, Galloſque ſibi & Ligures pecuniis & pro-

*Annus ab V. C.* promiſſis adjungit. Ita magnum exercitum conſtat. Pugnatum cum eo ad Metaurum. Periit eo prœlio Aſdrubal cum IↃↃↃ. IↃↃ & LVI capta. Ex captivis duo dimiſſi, qui Annibali cladem nunciarent. Etiam Aſdrubalis caput ante hoſtium ſtationes projectum. Quo Annibal conſpecto agnoſcere ſe dixit infelicitatem Carthaginis. Lævinus Africam Sicula claſſe prædatur. Scipio in Hiſpaniis urbem Oringem capit.

IↃXLVIII. Annibal interempto Aſdrubale in extremam Italiam ſe contulit ac præ dolore nihil tentat: neque Rom. quieſcentem laceſſunt. Ita factum, ut nihil memorabile in Italia geſtum ſit. Sed Scipio in Hiſpaniis cædit Aſdrubalem Giſgonis & Magonem, qui in locum Aſdrubalis Barchini ex Africa in Hiſpaniam novam imperator miſſus erat. Hoc anno miſſis in locum Scipionis duobus Procoſ. Hiſpania in duas Provincias, citeriorem & ulteriorem dividi cœpit.

IↃXLIX. C. P. Scipio, qui poſtea Africanus, C. Lælium in Africam mittit prædatum. Mago, frater Annibalis, ex Balearibus in Italiam cum claſſe venit.

IↃL. Syphax Numida per legatos renunciat fœdus Romanor. Scipio eo non territus; ſed tanto magis in Africam feſtinat cum claſſe. Maſſaniſſa, Maſſullorum Numidarum rex, ſe Scipione ſociat. Prœlio primo occiſi duo Pœnorum duces; mox Salera & aliæ urbes captæ; præda in Siciliam miſſa.

IↃLI. Scipio, qui poſtea Africanus, bina hoſtium caſtra, Aſdrubalis Giſgonis, Pœnorum Imperatoris, & Syphacis, regis Maſæſulorum, accendit, expugnat, delet. Periere eo prœlio ad CCIↃↃ IↃↃↃ hoſtium. Aſdrubal & Syphax, fuga elapſi, prœlium alterum committunt: ſed iterum à Scipione profligantur. Hinc tertium cum Syphace prœlium commiſſum, in quo rex captus. Hinc Cyrta, regni caput, dedita, captaque Sophonisba, Aſdrubalis filia, Syphacis conjux & unà cum ea omnis regia familia. Eo conſternati Carthaginienſes petunt à Scipione induciarum tempus, quo legatos poſcendæ pacis cauſa Romam mittere poſſent. Quod impetrant; ſed conditione ea, ut captivos reddant. Dum verò legati hac de re Romæ agunt, Annibalem ex Italia, non revocant. Propterea legati Roma re infecta ac pene ſine reſponſo dimiſſi fuere. Eopſe anno Mago, Hannibalis frater, è Liguria profligatus. Cæſa hoſtium IↃↃ. Ipſe Mago, vulnere ſaucius, in Sardiniam fugit, inque via ex vulnere obiit. Magone fugato, Annibale in Africam revertente, quinque dierum ſupplicationes decretæ ob liberatam à Pœnis Italiam.

IↃLII. Annibal in Africa cum Scipione pugnat; quod ultimum ejus cum Romanis prœlium fuit. Cæſa eo CCIↃↃ CCIↃↃ hoſtium ac totidem pene capta: Rom. cæſa CIↃ CIↃ. Annibal Adrumetum fugit: unde Carthaginem accitus faſſus eſt in curia, ſe non prœlio tantùm, ſed etiam bello toto eſſe victum, nec aliam, quàm in pace, eſſe ſalutis ſpem. Tum poſcentibus induciæ datæ; ut legatos Romam mitterent, qui de pacis conditionibus tractarent.

IↃLIII. Legati Carthaginienſium in Senatu auditi. Pop. juſſu & ex Patrum autoritate arbitrium pacis ad P. Scipionem Imperatorem delatum eſt. Is Carthaginienſibus his legibus pacem

*Annus ab V. C.* dedit: *Uti liberi legibus ſuis viverent. Quas urbes, quoſque agros, quibuſque finibus ante bellum tenuiſſent, tenerent. Perfugas, fugitivos, captivos omnes redderent. Naves roſtratas præter decem triremes, elephantoſque, quos haberent domitos, omnes traderent, nec domarent alios. Bellum neve in Africa, neve extra Africam injuſſu pop. Rom. gererent. Maſſaniſſæ regi res redderent, fœduſque cum eo facerent.* CCIↃↃ *talentum argenti, deſcripta penſionibus æquis, in annos* L *ſolverent. Obſides* CL *Scipionis arbitratu darent, nec minores* XIV. *annis, nec majores* XXX. Hæ fuere leges, quibus pax inita cum Pœnis. Latini perfugæ ſecuri percuſſi, Romani in crucem ſublati. Elephantorum minor pars Romam miſſa; cæteri Maſſaniſſæ donati. Claſſis Carthaginienſis in urbis conſpectu incenſa. Syphax utrum in captivitate mortuus ſit, an in triumphum ductus, non ſatis convenit. Prius Livius, poſterius ſcribit Polybius; quem Sil. Italicus ſequitur l. XIII. Eodem anno Philippo, Macedoniæ regi, bellum indictum; tum quod Annibalem in Italia armis juviſſet, tum quod contra fœdus nuper datum Athenienſes, ſocios Rom., infeſtaret, qui Rom. opem contra regem implorabant.

IↃLIV. Cœpit bellum Philippicum, ſive, ut alii vocant, Macedonicum; Macedonicum nempe à gente, Philippicum à rege. Philippus Maroneam obſidet & capit; item Ænum & alia in Cherſoneſo deditione occupat. Abydum tandem expugnat & exſcindit. Interim P. Sulpicius Cos. ægritudine detinetur; ſed L. Apuſtium legatum cum copiarum parte in Macedoniam mittit, qui eam populatus; L. Claudium Centhonem legatum mittit Athenas, qui ab Rhodiis adjutus regem ab Athenarum obſidione repulit. Alia quoque per eoſdem proſperè agit. Eodem anno Amilcar Pœnus, qui ex Aſdrubalis exercitu ſubſtiterat in Gallia Ciſalpina ac ſibi Ligurum populos junxerat, Placentiam capit ac Pado trajecto Cremonam obſidet. Adverſus eum miſſus Furius Purpureus prætor; qui Amilcarem cecidit & ſupra CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ hoſtium. Plus CC carpenta Gallica cum præda capta. Placentini captivi ad CIↃ CIↃ liberati.

IↃLV. C. Bæbius Tamphiſus prætor, qui L. Furio ſucceſſerat, temerè Inſubrum fines ingreſſus & ab hoſtibus circumventus amittit ſupra IↃↃ CIↃ & IↃ C milites. Carthaginienſes primum ſtipendium ſolvunt; ſed Punica fide: nam quarta pars decocta erat. Ergo pecuniam Romæ mutuo ſumere coguntur, quo intertrimentum argenti ſolvant.

IↃLVI. T. Quinctius Flaminius Cos. proſperè pugnat cum Philippo, multaque oppida capit.

IↃLVII. In Hiſpaniis rebellio eſt. Nempe prima quidem Provinciarum ab initio ſecundi belli Punici ea inita eſt; ſed poſtrema obtenta, poſſeſſaque. Nam vix unquam ſine bello fuit uſque ad Auguſtum, cujus auſpiciis eſt pacata. Quinctius Flaminius Procoſ. uno prœlio debellat Philippum ad Cynoſcephalas. Philippus decem legatos mittit Romam, quibus ſe, ſuaque Senatus æquitati commendaret.

IↃLVIII. Decem legati in Macedoniam miſſi, à quibus Philippo pax, Græciæ libertas data eſt. Inter obſides Philippus dedit Demetrium

*Annus ab V. C.* fil. Eodem anno, vel, ut alii volunt, ſuperiori, ſex Prætores eſſe cœperunt. Nempe creſcente numero Provinciarum Prætorum etiam numerum augere viſum fuit.

Iↄlix. Gliſcit in Hiſpaniis bellum. Cato Hiſpanos domat cis Iberum. Annibal occultè cis Iberum cum Antiocho rege ſocietatem belli init adverſus Romanos. Propterea ſuſpectus metu, ne à civibus dederetur, quum legati Romam conqueſtum veniſſent, ex Africa in Syriam profugit. Oppia lex de ſuperfluo matronarum mundo antiquatur anno vigeſimo, ex quo lata erat. Nabidi, Lacedæmoniorum tyranno, bellum infertur. Celtiberi prœlio vincuntur.

Iↄlx. Nabidi pax data. In Hiſpania citeriori malè res geritur à Sexto Digito: ſed in ulteriori feliciter rem gerit Scipio Naſica.

Iↄlxi. Ligures & Galli rebellant. Difficili cum iis prœlio pugnatum; ſed penes Rom. fuit victoria, etſi minime incruenta. Scipio Naſica Luſitanos vincit.

Iↄlxii. T. Quinctius Flaminius & Cn. Domitius Ahenobarbus vaſtant Inſubrum & Bojorum agros. Attalus, frater Eumenis, Aſiæ regis, Romam venit ac nunciat, Antiochum regem Helleſpontum cum exercitu tranſiiſſe atque Ætolos ad ejus adventum paratos fore. Hinc Ætoli renunciant fœderi, cum Rom. inito.

Iↄlxiii. P. Naſica in Galliam, M. Glabrius in Græciam miſſus. Naſica cecidit ccIↄↄ ccIↄↄ Iↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ Bojorum. Cœpit hoc anno bellum Antiocheum, ſive Aſiaticum aut Syriacum: variè enim Veteres appellant. Antiochus a Glabrione & Philippo, qui ſe ei junxit, caſtris expellitur atque ex Græcia ejicitur. Philippo ob operam fidelem, hoc bello præſtitam, remiſſus filius Demetrius, qui obſes fuerat.

Iↄlxiv. Ætolis induciæ datæ ſex menſium. Hinc L. Cornelius Scipio Cos. Helleſpontum trajecit. Eo perculſus Antiochus pacem tentavit; ſed non impetravit. Nihilominus P. Africani filius, quem captivum tenebat & honorificè habuerat, remiſit. Coactus rex in prœlium deſcendere à Scipione Cos. vincitur. Victo conditiones pacis præſcribuntur, tributum imponitur & omni cis Taurum Aſia multatur, Scipio ex ea victoria Aſiatici nomen accepit, ut antea fratri à victa Africa Africani nomen datum.

Iↄlxv. L. Æmilius Paullus Luſitanos vincit. Hoc anno ex devicta Aſia Aſiaticus luxus Romæ cœpit, de quo Plin. l. xxxvii. c. i. vide.

Iↄlxvi. Ariarathes, Cappadociæ rex, quod Antiochum juviſſet, multatur cccIↄↄↄ cccIↄↄↄ talentum. Sed quum filiam Eumeni deſpondiſſet, dimidia pars remiſſa, ipſeque in amicitiam receptus. Gallogræcis leges à Rom. præſcribuntur, quibus viverent cum Eumene & ſociis Rom. vicinis.

Iↄlxvii. P. & L. Scipiones fratres à Petilliis, duobus Tribb. pl., accuſantur pecuniæ, ab Antiocho captæ, quo pax ei commodior daretur. Africanus, quum majore animo eſſet, quam ut reus diceret, Liternum abiit in voluntarium exilium atque ibi ſine urbis deſiderio vixit; ac poſt triennium moriens ibi ſepeliri voluit, ne ingrata patria vel oſſa haberet. Pulſo Africano Petillia rogatio inſtituta in L. Scipionem; qui & damnatus. Sed innocentiam ejus comprobavit, quod ne veſtigium quidem regiæ pecuniæ in ædibus ap-

*Annus ab V. C.* paruit, neque tantum habuit, quantæ erat ſummæ damnatus. Cognati, amici & clientes tantum obtulerunt Scipioni, ut etiam locupletior paullo eſſe potuerit, quàm ante damnationem erat. Sed nihil recepit præter ea, quæ ad cultum neceſſaria eſſent. Hanc duo optimi & præclarè de rep. meriti, ſi ulli unquam, ab ingratis Romanis mercedem receperunt.

Iↄlxviii. Scipio Aſiaticus poſt damnationem ex ſtirpe collatitia ludos facit. Bacchanalium ſecreta Romæ deteguntur & puniuntur.

Iↄlxix. Africanus hoc anno mortuus Linterni. Rom. Prætores haut procul Hippone & Toleto prœlio tumultuario funduntur: ſed reparato exercitu Hiſpanos poſtea ad Tagum fl. ceciderunt.

Iↄlxx. Plautus poëta moritur. M. Porcius Cato Cenſor multos Senatu movet. Etiam L. Scipioni Aſiatico in equitatu recognoſcendo equum ademit; ſed cauſa ignoratur. Verùm privato odio hanc Scipionum familiæ calamitatem addere voluiſſe exiſtimatur.

Iↄlxxi. Demetrius Romam miſſus eſt à patre Philippo, ubi patrem purgat. Etſi verò non planè ſatisfaceret, tamen excuſatio recepta ob gratiam Demetrii, quam obſes Romæ ſibi conciliarat. Hic Senatus favor invidiam magnam Demetrio apud ſuos creavit.

Iↄlxxii. Annibalem hoc anno mortuum ſcribit Polybius. Simultas gliſcit inter Demetrium & Perſeum, Philippi liberos. Unde enatum bellum ſecundum Macedonicum.

Iↄlxxiii. Arcæ ſepulchrales Numæ Pompilii regis inventæ cum libris chartaceis, ſed cedratis. Quod effecit, ut Iↄ xl annis tineæ eos libros non attigerint. Vid. Plin. l. xiii. Philippus Demetrium filium, à Perſeo miſerè circumventum occidit. L. Paullus Ligures, à quibus obſeſſus erat, vincit. Cum Celtiberis & Luſitanis proſperè pugnatur.

Iↄlxxiv. Fulv. Flaccus ancipiti prœlio vincit Celtiberos. M. Fulvius cos. ex Cenſoria pecunia conſecrat ædem Herculis, Muſarum cuſtodis, inque ea ponit Muſarum ſigna, quæ ex Ambracia tranſtulerat.

Iↄlxxv. Tib. Gracchus Celtiberos vincit. Rex Philippus mœrore obiit, quod Demetrium occidiſſet.

Iↄlxxvi. Sardi rebellant.

Iↄlxxvii. Tib. Gracchus feliciter in Sardinia rem gerit. Iſtri pacem petere coguntur. Ligures à Tib. Cl. Nerone victi.

Iↄlxxviii. Ligures pulſi in montes. Sardi devicti.

Iↄlxxix. Perſeus, Macedoniæ rex, bellum molitur adverſus Romanos. Tib. Gracchus è Sardinia redit cum tanta captivorum turba, ut in proverbium abierit *Sardi venales* pro rebus vilibus & contemptis.

Iↄlxxx. Præturam gerit L. Corn. Scipio, filius Africani, ſed degener plane. Qui & à Cenſoribus notatus juriſdictionem deſeruit.

Iↄlxxxi. Corſi rebellant; ſed vincuntur.

Iↄlxxxii. Eumenes, Aſiæ rex, Romam venit ac de injuriis Perſei queritur ac bellicum ejus apparatum explicat. Perſeus Eumeni domum eunti, inſidias facit apud Delphos. Sed inſidiis hic Perſei graviter vulneratus Æginam ab amicis navigio portatur; ubi convaluit. Romæ bellum adverſus Perſeum decretum; eſtque hoc initium belli Macedonici ſecundi, quod à Perſeo Perſicum in Faſtis Romanis vocatur.

*Annus ab V.C.*

IↃLXXXIII. P. Licinius Cos. à Perſeo vincitur: ſed poſtea idem è Græcia in Macedoniam ſuam compulſus eſt.

IↃLXXXIV. P. Licinius Craſſus Procos. multas Græciæ civitates capit, cives ſub haſta vendit. Sed Senatus id improbans captivos libertati reſtituit.

IↃLXXXV. Perſeus Gentium, Illyricorum regem, ſollicitat ad belli ſocietatem. Q. Marcius Cos. per avia montium in Macedoniam venit. Perſeus fruſtra pacem quærit. Ennius moritur.

IↃLXXXVI. Æmilius Paullus Cos. Perſeum vincit. Cæſa ad ccIↃↃ ccIↃↃ hominum. Circiter ccIↃↃ cIↃ capta. Intra biduum tota ſe Macedonia dedidit. Perſeus fugit in Samothraciam, ubi à Cn. Octavio, claſſis præfecto, cum liberis, totaque familia captus & ad Cos. Æmilium miſſus eſt. Eodem anno L. Anicius Gallus Gentium, Illyrici regem, devicit.

IↃLXXXVII. Regibus Macedoniæ & Illyrici ſublatis uterque populi libertate donatur: ſolùm tributi ejus, quod antea pendebant, dimidium quotannis ſolvere jubentur.

IↃLXXXVIII. Andria Terentii edita. Eumenes quum Romam venire vellet gratulatum ob victoriam Macedonicam, lex fertur, necui regi Romam venire liceret. Nempe ſuſpectus erat, quod ſe medium eo bello geſſiſſet.

IↃLXXXIX. Pruſias, Bithyniæ rex, accuſat Eumenem de injuriis, ſibi illatis: item quod cum rege Antiocho conſpiraſſet.

IↃXCI. Alterum in foro poſitum Horologium ſolare.

IↃCI. Q. Fulvius bis cum Celtiberis infeliciter pugnat.

IↃCII. M. Marcellus vincit Celtiberos. Aridriſcus, homo infimæ conditionis, Philippi nomen aſſumit, ſeque Perſei ex pellice filium eſſe dicit: qui ob hoc mendacium à Demetrio, Syriæ rege capitur & Romam mittitur.

IↃCIV. Adriſcus, ſive Pſeudophilippus Roma fugit in Macedoniam, magnoſque ibi motus excitat. Regium etiam nomen aſſumit & populi multi ſe ei jungunt. Etiam Theſſaliam cum exercitu invadere conatur: ſed per Romanos legatos auxiliis Romanis pellitur. Bellum Carthaginienſibus indicitur, quod vocatur bellum Punicum tertium. Ejus cauſa erat, quod contra fœdus naves bellicas haberent, quod exercitum duxiſſent extra fines, quod Maſſaniſſæ, ſocio populi Romani bellum inferrent.

IↃCV. Legati Carthaginienſium Romam veniunt, quibus ſe, ſuaque dedunt Romanis. Cum ſpe pacis dimiſſi, dummodo arma, claſſem & omnem apparatum bellicum, item ccc obſides Rom. darent. Paruere quamprimum. Sed iis traditis juſſi urbem diruere, aliamque condere, quæ non minus, quàm ccIↃↃ paſſuum à mari abeſſet. Tum indignitate rei & deſperatione compulſi in uſum navium tecta demoliuntur, ad arma facienda quodvis ferrum, etiam aurum & argentum conflant, ad uſum rudentum mulieres capillos abſcindunt. C. Vetilius rem malè in Hiſpaniis gerit contra Viriathum.

IↃCVI. L. Piſo coſ. non Carthaginem aut Aſdrubalem, Pœnorum ducem, adoritur; ſed civitates aliquas, Carthaginienſibus parentes: nec multum effecit. Quæ res Pœnis animos addidit. Maſſaniſſa rex jam nonagenarius moritur, liberos LIV partim ex uxoribus, partim ex concubinis relinquens, eóſque inter unum quadriennem. Plautus Hypſeus, qui Vetilio occiſo ſucceſſerat, bis à Viriatho funditur prœlio, fugaturque. Q. Cælius Metellus Prætor Pſeudophilippum vincit & vivum capit; ac Macedoniam redigit in poteſtatem Romanorum. Hinc Macedonici nomen accepit.

IↃCVII. P. Cornel. Scipio Africanus Æmilianus, quum ædilitatem tantùm petiiſſet, conſulatum hujus anni conſecutus fuit. Fuit L. Æmilii Pauli, qui Perſeum devicit, filius; ſed adoptione fuit fil. P. Corn. Scipionis Africani, Auguris & Ædilis curulis, qui valetudinarius & liberis maſculis carens hunc ſibi adoptavit. Erat verò iſte Africanus ejus, qui à devicta Africa nomen hoc familiæ primus intulit, filius, ut Æmilianus hic adoptione fuerit ejus nepos. Huic Scipioni Æmiliano Africa Provincia extra ſortem data. Qui Carthaginem terra, marique obſedit, diſciplinam militarem emendavit, Megara, mœnibus vicinum locum, cepit, Pœnoſque in Byrſam compulit. Macedonico bello finito incipit Achaicum ob legatos Romanos, Corinthi violatos. Metellus Macedonicus Bœotos & Chalcidenſes, Achæis auxilio venientes, duobus prœliis vincit. Critolaus, dux Achæorum & belli ejus fax, nuſquam vel vivus apparuit, vel inter cadavera inventus. Ejus in locum Diæus ſucceſſit: cujus pervicacia factum, quo minus Metellus cum Achæis de pacis condicionibus potuerit convenire.

IↃCVIII. L. Mummius Cos. Metello in Macedoniam ſuam dimiſſo confligit ad Iſthmum cum Diæo, eumque vincit: quod extremum cum Achæis prœlium fuit. Diæus Megalopolin fugit, ubi occiſa uxore, domo incenſa, venenum ſumpſit, eoque ſimul flammis periit. Mummius, tertio poſt prœlium die Corinthum urbem nemine obſtante ingreſſus, turbam ſub corona vendidit. Statuas, tabulas pictas, aliaque ornamenta navibus impoſuit, ut Romam tranſveherentur. Multa Attalo & duci ejus Philopœmeni donavit. Hinc nobile illud Aſiæ, Europæque emporium militibus diripiendum dedit & flammis tuba præcinente evertit. Etiam Thebæ & Chalcis dirutæ, quod Achæos juviſſent. Omnium oppidorum mœnia, quæ adverſus Romanos ſteterant, everſa & tributum civitatibus impoſitum. Græcia in provinciam redacta, cui quotannis Roma prætor ſuus mittebatur; qui non Græciæ, ſed Achaiæ prætor dicebatur, quia, quo tempore Græci devicti à Rom., Achæi inter eos principatum obtinebant. Atque in hoc ſtatu remanſere Græci uſque ad bellum Mithridaticum. Multæ tamen civitates paulatim libertatem ſuam à Rom. receperunt; imprimis Athenienſes. Eodem anno à Scipione Æmiliano Africano capta eſt Carthago & incendio penitus deleta, LXX, ex quo condita erat, anno, ut Livius & Oroſius ſcribunt. Africa provincia facta.

*De temporibus Romanorum à deleta Carthagine uſque ad μοναρχίας Julii Cæſaris.*

IↃCIX. INcipit hoc anno bellum Viriathicum. Occaſio ejus hæc fuit. Viriathus in Hiſpaniis citra, ultraque Iberum & Tagum omnia ita populatur, ut non ſufficeret Prætor; ſed



Digitized by Google

*Annus ab V.C.* Conſulari imperio atque exercitu adverſus eum opus eſſet. Miſſus verò primus Q. Fabius Maximus Æmilianus. Sed nec ille, nec ſucceſſores multum effecere.

Iↄcxiii. Q. Fabius Maximus Servilianus Procos. Eriſanum oppidum & in eo Viriathum obſidet. Sed Viriathus erumpit, Servilianum fugat in loca aſpera & prærupta atque ibi obſidet eum. Hujus victoriæ occaſione demereri Rom. voluit. Ergo pacem à Serviliano petit ea conditione, ut ſocius & amicus eſſet populi Romani & quiſque eorum, qui eum ſecuti eſſent, quæ haberet, poſſideret. Ac conditionem eam pop. Rom. quoque approbavit. Sed diuturna pax non fuit. Eodem anno cœpit novum cum Numantinis & Termeſtinis bellum. Bello non immiſcuerant ſe: ſolùm conſanguineos & ſocios ſuos Segidenſes in urbem receperant ac pro iis intercedere apud Rom. erant auſi. Propterea in legitimi fœderis ſignum juſſi arma deponere. Quod quum indignum iis videretur, ad arma deventum.

Iↄcxiv. Q. Servilius Cæpio Cos., in Hiſpaniam miſſus, reſcindit pacem, quam pater ejus Servilianus cum Viriatho fecerat, bellumque ei infert. Quumque fugientem aſſequi non poſſet, ex amicis ejus aliquos pecunia corrumpit atque per inſidias ab iis occidi curat. Sed Senatus hoc factum improbavit. Q. Pompejus Proconſul Termantiam oppugnat: ſed repellitur. Hinc Numantiam obſidet: ſed in caſſum. Quum verò ſucceſſorem venturum cognoſceret, ne nihil egiſſe videretur, privatim cum iis egit de pacis conditionibus. Ac facile conditionibus his convenit, uti per legatos ſe Rom. dederent, obſides darent, transfugas redderent & argenti xxx talenta duabus penſionibus exſolverent.

Iↄcxv. Q. Pompejus, accuſatus ob hoc factum, mendacio ſe purgare conatus. Negavit enim, ſe certi quicquam cum Numantinis pactum. Actumque Romæ de eo hoſtibus dedendo more majorum: ſed pl. favore evaſit. M. Popillius Cos., qui Pompejo ſucceſſerat, nihil memorabile in Hiſpaniis gerit.

Iↄcxvi. P. Corn. Scipio Naſica & D. Junius Brutus, quia ſeverius delectum haberent, à Tribunis plebis in carcerem conjiciuntur. Tantaque C. Curiacii Tribuni plebis fuit protervia, ut, dum in carcerem ducitur Naſica, eum per ludibrium vocaret Serapionem, quia cuidam ejus nominis victimario ſimilis videretur. Atque inde Serapionis ei nomen adhæſit. Indè Curiatius Naſicam in concionem protraxit, ut de frumento emendo diſſereret. Sed quum Naſica diſſuadere id in concione inciperet, pl. obſtrepere cœpit; quam hujusmodi vocibus compeſcuit: *tacete, Quirites; plus enim ego, quàm vos, quid Reip. expediat, intelligo.* Eodem anno M. Popillius cum Numantinis obſeſſis infeliciter pugnat.

Iↄcxvii. C. Mancinus Popillio ſuccedit: ſed à Numantinis obſeſſis ſæpe vincitur. Etiam panico terrore quodam ab urbe fugit, quum diceretur, Cantabros & Vaccæos cum magnis copiis Numantinis auxilio venire. Fugit verò cum ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ exercitu in caſtra deſerta, quæ Fulvii Nobilioris fuerant atque ibi à cIↄ Iↄↄ Numantinorum obſidetur & pacis conditiones ab iis accipit. Sed Pop. Roman. eas irritas fecit, Mancinum revocavit, M. Lepidum ejus in locum miſit & per eum hoſtibus Mancinum dedi juſſit. Eodem anno cœpit in Sicilia bellum contra Eunum, ducem fugitivorum ſervorum, qui & regis nomen aſſumpſerat.

*Annus ab V.C.*

Iↄcxviii. C. Mancinus rogationem ſuadet, ut ipſe Numantinis dedatur. Fuerat Tib. Gracchus Quæſtor præcipuus turpis adeò pacis architectus. Sed is eloquentia ſua, quo minus dederetur, effecit. Interim facti dolor & metus, ne læſæ Reip. accuſaretur, coegit eum Patrum partes deſerere & fieri popularem. Mancinus traditus Numantinis, ſed non receptus. Igitur nudus uſque ad noctem ſuis & Numantinis miſero ſpectaculo fuit.

Iↄcxix. C. Hoſtilius Mancinus Romam venit & Senatum ingreditur. Sed Trib. pleb. Senatu educi juſſit, quod civis non eſſet, quem pater aut popul. vendidiſſet aut Paterpatratus dedidiſſet. Sed quia ſpontè ſe dediderat, nec ab hoſte erat receptus, lex de eo lata, ut civis eſſet: poſteaque & Prætor factus.

Iↄcxx. P. Corn. Scipio Africanus Æmilianus Cos. mittitur contra Numantinos.

Iↄcxxi. Tib. Sempronius Gracchus Trib. pl. legibus agrariis turbat civitatem. Attalus, Eumenis fil., moriens pop. Rom. regnum legat. Quæ res ſeditionem Gracchanam auget. Tib. Gracchus perduellis declaratur & P. Scipione Naſica Pontifice max. autore per tumultum cum capitibus factionis ſuæ occiditur. Q. Lucretius Ædilis Curulis, quum occiſorum, tanquam damnatorum, cadavera in Tiberim projicerentur, ipſe Tib. Gracchi cadaver dejecit: atque ex eo Veſpillionis nomen accepit & ad poſteros tranſmiſit. Scipio Æmilianus ita fame Numantiam premit, ut ſe dedant, vel, ut alii ſcribunt, ſe, ſuaque cum uxoribus & liberis comburant. Sed alii, cives ſub haſta à Scipione venditos & urbem combuſtam, tradunt.

Iↄcxxii. P. Rutilius Cos. in Siciliam venit, Eunum capit & ccIↄↄ ccIↄↄ amplius ſervorum fugitivorum occidit atque ita bello ſervili finem imponit.

Iↄcxxiii. Ariſtonicus Eumenis, ſed ex pellice, fil. Aſiam, quam pater Populum Romanum legarat, partim deditione, partim vi, tanquam hæreditariam occupat. Adverſus eum miſſus P. Licinius Craſſus, Cos. & Pontifex Max. Q. Metellus Macedonicus à C. Atinio Trib. plebis ad Tarpejum rapitur, ut præcipitetur: ac vix periculo ereptus. Tribuni facinus inultum manſit: imò bona Metelli Cereri ſacrata.

Iↄcxxiv. P. Licinius Craſſus vincitur ab Ariſtonico.

Iↄcxxv. Seditio oritur ex agrorum diviſione; in qua P. Scipio Africanus junior juſtitiæ patrocinans magnum ſibi odium parit eorum, qui ſeditionis capita erant: eò magis, quod Senatus in eo eſſet, ut Scipio Dictator diceretur. Quo futurum erat, ut improborum conatibus obviam iretur. Tum Scipio pro concione & in Senatu de periculo patriæ & inſidiis, quæ ſibi ſtruebantur, conqueſtus eſt. Senatu dimiſſo & Patres, & multi è populo & ſocii Latini nominis eum honorificè domum deduxere ſanum & valentem. Sed inſidias propinquorum effugere non potuit. Nam manè in lecto mortuus inventus eſt. Faucium eliſarum notæ in cervice repertæ. C. Carbonis ſcelere interemptum, boni cives exiſtimabant. Apud multos etiam ſuſpecta fuit amita ejus Cornelia, mater Gracchorum, & horum ſoror Sempronia, Africani uxor: alii alia ſuſpi-

*Annus ab V. C.* ſuſpicati. De cæde verò ejus nulla quæſtio inſtituta fuit. M. Perperna capit Ariſtonicum ac Romam mittit cum Attali gazis. Sed Perperna priuſquam provincia poſſet decedere, Pergami mortuus eſt: cui ſucceſſit Aquillius. Hic reliquias belli perſequens urbes quaſdam ad deditionem compulit, quum fontes veneno miſcuiſſet. Sed hoc victoriam fecit infamem, quod eſſe putaretur contra fas Deum & morem majorum.

IↃCXXVIII. C. Gracchus, Tib. frater, plebis & ſociorum favore nixus, gratas his leges ferre ſtudet, eaque re novos motus in urbe excitat. Neque Cornelia mater eum ab incepto revocare poteſt.

IↃCXXXII. C. Gracchus agrariis, viariis & frumentariis legibus ſuis ita gratus eſt populo, ut ob commendationem ejus C. Fannius Cos. fiat, ipſi etiam Tribunatus prorogetur.

IↃCXXXIII. Q. Fabius Cos. prœlio confligit cum Allobrogibus & Bituito, Arvernorum rege, eoſque vincit. Atque hinc Allobrogici nomen accepit. Cn. Domitius Ahenobarbus cum iiſdem pugnat & Bituitum regem capit.

IↃCXXXV. Micipſa, Maſſiniſſæ, Numidarum regis, filius moritur. Inter Micipſæ liberos oriuntur novi bellorum motus Jugurtha, adoptivo filio, regnum adfectante. Jugurtha fratrem Hiempſalem occidit: poſt quod ejus parricidium Numidarum plures Adherbalem ſequuntur, pauciores, ſed bello meliores, Jugurtham.

IↃCXXXVI. Jugurtha bellum Adherbali fratri infert.

IↃCXLII. Jugurtha iterum bellum infert fratri, eum in Cirta oppido obſidet, eoque capto interficit contra fidem, Senatui datam: cui iccirco bellum Senatus indicit.

IↃCXLIII. Calpurnius Beſtia Cos. mittitur adverſus Jugurtham; ſed Jugurtha ab homine avaro pacem emit. L. Caſſius prætor perſuadet Jugurthæ, ut ſecum Romam eat, ſi miſericordiam populi Romani, quàm vim experiri malit. Sed ut venit, accuſavit eum C. Memmius Trib. pl. Jugurtha verò C. Bæbium, itidem tribunum, corrumpit; qui actionem omnem adverſus Jugurtham interceſſione ſua tollit.

IↃCXLIV. Sp. Albinus Cos. contra Jugurtham mittitur; ſed bellum trahit, nec quicquam memorabile gerit, pecunia, ut credebatur, corruptus.

IↃCXLV. Q. Cæcilius Metellus cos. hoc & ſequenti anno feliciter rem gerit in Numidia contra Jugurtham. Nam Vaccam, regni Numidici emporium, capit & bis Jugurtham prœlio vincit; totamque Numidiam partim capit, partim vaſtat. Hinc Numidici nomen accepit. At alter Cos. Julius Silanus, miſſus adverſus Cimbros, qui Teutonis ſibi junctis in Galliam Ciſalpinam venerant & ſedem atque agros à Romanis ſibi poſcebant. Quod Senatus negavit. Junius bis à Cimbris cæſus fuit.

IↃCXLVI. Jugurtham fugientem perſequitur Metellus.

IↃCXLVIII. C. Marius legatus calumniatur Romæ Metellum, quaſi bellum illud duceret; ac promittit, ſi ſe Cos. fecerint, ſe brevi Jugurtham vel vivum, vel mortuum redacturum in poteſtatem pop. Rom. Ita Cos. factus in Africam mittitur. Bocchum Maurum & Jugurtham regem prœlio vincit ad Cirtam: in quo prœlio primùm illuxit virtus Syllæ Quæ-

*Annus ab V. C.* ſtoris. At L. Caſſius Cos. cum exercitu cæſus eſt à Tigurinis.

M. Tullius Cicero & Cn. Pompejus hoc anno naſcuntur. Bocchus Maurus pacem cum Rom. init. Conciliator pacis erat L. Sylla, qui barbaro regi perſuaſit, ut ſocerum ſuum Jugurtham vinctum traderet Romanis. Iccirco & creditum, victoriæ gloriam fuiſſe imprimis penes Syllam, quod non parum alienavit Marium à Sylla.

IↃCXLIX. Cn. Manlius Cos. vincitur à Cimbris, Teutonibus & Tigurinis. Cæſa CCIↃↃ CCIↃↃ CCCIↃↃↃ Romanorum & Sociorum, CCIↃↃ IↃↃↃ calonum, lixarumque: quæ res valde conſternavit Romanos. Tum Cos. P. Rutilius doctores artis gladiatoriæ arceſſivit, qui tyrones docerent artem dimicandi; hinc vocati campidoctores. Ex eo tempore gladiatoriæ ſcholæ Romæ eſſe cœperunt. Marius, ex Africa reverſus, vinctum adducit Jugurtham, deque eo triumphat. Poſt triumphum Jugurtha in carcerem conjectus; ubi inedia mortuus.

IↃCL. C. Marius Cos. II mittitur adverſus Cimbros. Sed hi poſt ſuperiorem victoriam in Hiſpanias abierant; ut nihil memorabile Marius gerere potuerit.

IↃCLI. C. Marius fit Cos. III. Alterum bellum civile oritur in Sicilia, cujus dux Athenio Cilex. Nec minus fortiter rem gerit, quàm priori fecerat Eunus. Sanè Servilium prætorem caſtris exuit.

IↃCLII. C. Marius IV Cos. & collega ejus Q. Lutatius Catulus primùm Ambrones vincit, hinc Tectones. Cæſa hoſtium CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ, capta CCIↃↃ CCCIↃↃↃ. In quibus & rex ipſe Teutobochus tantæ proceritatis, ut ſuper trophæa ipſa emineret. Incidit in hunc annum Cenſura Q. Cæcilii Metelli Numidici, quam viri probi laudarunt: ſed eadem improborum magnum ei odium atque exilium etiam peperit. In ea Cenſura habuit nobilem illam orationem, qua caſtigat cives, in libidinem vagam diffuſos, atque ad uxorem ducendam, certaque prole augendam remp. adhortatur. Exſtitit ea & diu poſt, tantique habebatur, ut etiam Auguſtus Cæſar eam in Senatu recitaret, perque edictum memoriam ejus refricaret pop. Rom.

IↃCLIII. M. Aquillius Cos. in Siciliam proficiſcitur adverſus fugitivos: ubi civitatibus à frumento proſpicit, hoſtes verò commeatu intercludit. Cimbri per Alpes in Italiam irrumpunt. Catulus caſtra metu deſerit. Sed C. Marius V. Cos. Roma ad eum venit, ſuas copias jungit ac cum eo ad flumen Atheſin cædit CCCIↃↃↃ CCIↃↃ IↃↃↃ Cimbrorum ac Teutonum, capit IↃↃↃ CCIↃↃ. Ob hanc victoriam Marius non ſolùm triumphavit; ſed etiam tertius Urbis Conditor appellatus fuit.

IↃCLIV. C. Marius VI fit Coſ., Metellus Numidicus in exilium ejicitur. Apulejus Saturninus Trib. pl. quum poſt latam legem agrariam ſeditionem excitaſſet, ex Senatus decreto occiſus eſt à Coſs. Fugitivorum in Sicilia copiæ ſupplicii metu perire malunt fame, quàm ut ſe dedant. Athenio dux in manus quidem venit; ſed à militibus, de præda rixantibus, in partes laceratur.

IↃCLV. C. Julius Cæſar naſcitur.

IↃCLVI. M. Aquillius accuſatur de repetundarum. Sed Antonius orator tunica diducta honeſtas ejus cicatrices oſtendit: quod judices ita mi-

 ſe-

*Annus ab V. C.*

ſericordia commovit, ut abſolverent. Coſſ. ſunt Q. Cæcilius Metellus Nepos & T. Didius, qui legem ferunt de legum latione. Ea dicta ab autoribus Cæcilia Didia.

IↄCLVII. P. Licinius Craſſus Cos. legem fert, ab autore dictam Liciniam, qua impendium definiebatur nuptiis, conviviis & aliis.

IↄCLVIII. Q. Sertorius in Hiſpania fortiter rem gerit.

IↄCLIX. T. Didius Procoſ. in Hiſpania Vaccæorum occidit CCIↄ CCIↄ & Termeſtinorum urbem capit.

IↄCLX. T. Didius cum Hiſpanis ancipiti prœlio pugnat.

IↄCLXI. L. Corn. Sylla Prætor ludos dat Romæ. P. Rutilius, conſpiratione publicanorum ac perjurio judicum damnatus, Smyrnam in exilium abit atque ibi ſine patriæ deſiderio operam ſtudiis dat.

IↄCLXII. Corn. Sylla Ariobarzanem in Cappadociam reducit; quod exordium fuit belli Mithridatici. Nam Gordius, Mithridatis præfectus, Cappadociam pro regis ſui filio occupabat. Etiam Parthi ad Syllam legatos mittunt, cumque Romanis ſocietatem ineunt: quod primum inter eas gentes fœdus fuit.

IↄCLXIII. L. Marcio Philippo & Sexto Julio Cæſare coſſ. quum Senatus ferre non poſſet equeſtris ordinis impotentiam in judiciis ferendis, operam dat per M. Livium Druſum Trib. pl., ut judicia ab illis ad ſe transferantur. Druſus, ut eos demereatur, nec eos tantùm, ſed etiam pl. & ſocios; leges Sempronias, agrarias & frumentarias, deque Coloniis deducendis promulgat. Item legem Judiciariam fert, ut ex æquo judicia forent penes Senatum & Equites. Sed ne in totum offenſos haberet equites, illud adjecit, ut ex ordine equeſtri CCC Senatoribus adderentur, ſingulique Senatores viciſſim ſibi Senatorem equitem adlegerent; atque ex his in poſterum Judicum decuriæ legerentur. Sociorum verò cauſa legem tulit de civitate iis danda. Propterea dicebat, ſe nihil cuiquam ad dandum reliquiſſe præter cœlum & cænum. Ac priores quidem leges perlatæ; una illa de ſociis civitate danda perferri non potuit: ſed eam omnes ordines oppugnarunt. Tum Druſus in publico procidit ſemianimis, ſive morbo comitiali id factum, ſive caprinum hauſerat ſanguinem, quo poſtulata Sociorum ægrotante eo differrentur. Vota interim per Italiam habita pro ſalute Druſi. Sed ut viderunt Socii, Romanos in ſententia perſiſtere, defectionem cogitarunt. Tum Druſus accuſatus, ut malorum cauſa atque è curia egreſſus in turba incerto autore vulneratus: ex quo vulnere intra paucas horas obiit.

IↄCLXIV. Incipit bellum Sociale, ſive Italicum, ſive Marſicum. Sociale vocatum, quia Socii Pop. Rom. adverſus Romam conſpirant; Italicum, quod tota penè Italia Romanis adverſata ſit; Marſicum autem; quia primùm rebellarunt Marſi.

IↄCLXV. Cn. Pompejus Strabo Cos., Cn. Pompeji Magni pater, ſubigit Marſos, Pelignos & Veſtinos, aliaque fortiter agit. Sed alter Cos. M. Porcius Cato rebus aliquot fortiter geſtis in prœlio adverſus Marſos occiſus eſt. Interim & Romani interdum adverſa uſi fortuna. Latius quoque ſerpere cœpit defectio. Quare Romæ agi cœpit de civitate danda Sociis. Primùm jus id datum iis, qui in fide perſtitiſſent, ut Latinis; hinc iis, qui minus acriter reſtitiſſent, ut Thuſcis & Umbris; poſtea & aliis omnibus præterquam Samnitibus & Lucanis: qui tamen & ipſi tandem jus civitatis ſunt conſecuti. Bellum hinc geri cœpit adverſus Mithridatem, qui denuo ex Bithynia Nicomedem & ex Cappadocia Ariobarzanem ejecerat, quos reſtituerant legati Romani; imò magnam in Aſia partem occuparat.

IↄCLXVI. Coſſ. fuere L. Corn. Sylla, qui poſtea Felix, & Q. Pompejus Rufus. Syllæ decretum bellum Mithridaticum. Sed antequam in Aſiam iret, cuncta domi turbavit P. Sulpicius Trib. pl. Varias enim leges ferre conatus adverſante Senatu: qui ſtipatus factione armata Coſſ. & Senatum è foro profligavit, ipſum Cos. Syllam in C. Marii domum protraxit ac ferias ſolvere coegit atque ita legem vi pertulit. Atque in hoc tumultu Q. Pompeji Cos. filius, Syllæ gener, à Sulpiciana factione eſt occiſus. Sylla ex urbe in Campaniam profectus ad exercitum. Abſente eo alias quoque Sulpicius leges tulit in Marii gratiam, uti Cn. Pompejo prorogaretur imperium in Marſis, C. Mario extra ordinem bellum Mithridaticum decerneretur. Ita uterque Cos. exercitu privatus. Eo cognito Sylla cum infeſtis ſignis Romam properavit & adjutante collega Marii ac Sulpicii factionem urbe expulit, fecitque, ut uterque & qui iis faverant Senatores hoſtes judicarentur Pop. Rom. P. Sulpicius, in paludibus Laurentinis latens, ſervi indicio eſt occiſus: Marius melius latuit in Minturnenſibus paludibus, indeque cum Senatoribus Sociis in Africam fugit. Hinc omnia in Urbe compoſuit Sylla, Tribunitiam poteſtatem imminuit, Senatorum numerum auxit & in ſequentem annum Coſſ. ordinavit. Quibus geſtis in Aſiam eſt profectus ad bellum Mithridaticum.

IↄCLXVII. Coſſ., quos in hunc annum ordinavit Sylla, fuere Cn. Octavius & L. Corn. Cinna. Cinnam verò ordinavit, ut populum placaret: nec tamen fecit, niſi quum juraſſet, ſibi eum non adverſaturum. Parum iſtorum memor Cinna initio ipſo conſulatus agere incipit de revocandis Coſſ., deque Sociis, receptis nuper in civitatem, in XXXV. tribus diſtribuendis. Collega Octavius veterum civium cauſam ſuſcepit & Cinnam cum ſex Tribb. Urbe pepulit. Tum Cinna Italicas civitates ad arma ſollicitavit, ac propterea Senatus ei imperium abrogavit, Conſulemque creavit L. Cornelium Merulam, Flaminem Dialem. Interea Cinna ex Campania nanciſcitur Ap. Claudii exercitum, C. Marium cum filio & exules alios ex Africa revocat, Latium IV exercitibus vaſtat, Oſtiam coloniam expugnat. Senatus auxilio vocat C. Pompejum Strabonem Procoſ., ſed fruſtra. Ita Cinna Romam ipſam capit. Collega L. Cornelius, flamen Dialis, flaminio & conſulatu ſe abdicat, ne in hoſtis veniat manus. Urbs vaſtatur; fit ingens cædes: in qua occiſi C. & L. Cæſares fratres, P. Craſſi duo, pater & filius, M. Antonius Orator, P. Lentulus, Q. Catulus atque alii magni nominis viri, Syllæ ſanguine aut affinitate aut amicitia juncti. Syllæ domus everſa, bona publicata; ipſe hoſtis judicatus pop. Rom.

IↄCLXVIII. Coſſ. ſunt L. Corn. Cinna II & C. Marius VII; qui in conſulatu eo mortuus eſt partim ſcelerum conſcientia, partim metu, quia

*Annus ab V.C.* quia Syllam feliciter adverſus Mithridatem rem gerere & propediem cum exercitu affore dicebatur. Sunt &, qui voluntariam fuiſſe mortem arbitrentur. Ejus in locum lectus L. Valerius Flaccus.

DCLXIX. L. Corn. Cinna III & Cn. Papirio Carbone Coſs. Sylla in Græcia Athenas, quæ Mithridati favebant, poſt longam obſidionem capit. Hinc Archelaum in Bœotia vincit; L. Lucullum in Syriam & Ægyptum mittit, ut à ſociis regibus claſſem peterent. Romæ interim reus fit Pompejus Magnus, quod pater ejus Pompejus Strabo, qui jam defunctus erat, ex præda Aſculana nihil in ærarium retuliſſet. Sed defenderunt eum L. Philippus Cenſor & Q. Hortenſius. Prætor fuit in ea cauſa Antiſtius. Jam tum Pompejus vocabatur Alexander: ideò dicebat Philippus, nihil mirum eſſe, ſi Philippus ſit Philalexander. Antiſtius Prætor ita delectatus eſt indole Pompeji, ut pro eo intercederet apud amicos. Ejus filiam, paulò poſtquam abſolutus fuit, uxorem duxit Pompejus. Sed Pompejo mox Syllanis favente partibus Antiſtius propterea in Senatu eſt occiſus.

DCLXX. Coſs. fuere L. Corn. Cinna IV & Cn. Papirius Carbo II. Princeps Senatus L. Flaccus effecit, ut legati mittantur ad Syllam de concilianda concordia. Reſpondit Sylla, ſe in Senatus fore poteſtate, dummodo, qui à Cinna pulſi ad ſe confugerant, reſtituerentur: quod Senatui æquum viſum fuit. Sed impedi̇t Cos. Carbo, cui bellum adverſus Syllam magis expedire videbatur. Interim Cinna, dum exercitum invitum adverſus Syllam proficiſci cogit, ab militibus interimitur. Carbo, quominus collegam legeret, impeditus fuit auſpiciis & prodigiis, quæ comitia bis interturbarunt. Ita ſolus deinceps conſulatum geſſit. Interim Sylla in Aſiam trajecit atque in agro Trojano cum Mithridate colloquitur, pacemque his condicionibus facit, ut cederet Aſia & Paphlagonia; Bithyniam Nicomedi, Cappadociam Ariobarzani redderet ac paternis regni finibus contentus eſſet. Hinc Sylla Aſiam quinquennali tributo mulctavit, quod ſe Mithridati junxiſſet atque ex voluntate ejus tot Romanorum civium millia occidiſſent.

DCLXXI. Sylla in Italiam redeunte adverſus eum Coſs. profecti cum exercitu CCCIↃↃCCCIↃↃ: ſed infeliciter rem gerunt. Nam C. Junius Norbanus victus eſt: Scipionis exercitus aſtu Syllæ in poteſtatem ejus venit. Conſules fiunt Cn. Papirius Carbo & C. Marius, qui C. Marii, VII Cos., adoptione filius fuit &, quum XX tantùm annorum eſſet, contra leges per vim hunc honorem eſt adeptus. Sylla, ex Aſia rediens in Italiam, hoc primùm operam dat, ut ne ab Italis velut civitatem erepturus metuatur; cumque iis fœdus percutit. Hinc confligit cum Mario Cos. ad Præneſte, idque ingenti prœlio. Sed cornu ſiniſtrum Marii ſimulac laborare cœpit, pars exercitus Mariani ad Syllam tranſiit; reliqui in fugam verſi. Marius cum militum parte Præneſte fugit. Sylla Urbem circumvallavit atque obſidioni præfecit prætorem Q. Lucretium Ofellam. Eo obſidente Romam ipſe tendit; unde jam inimici profugerant. Ita nemine obſtante Urbem ingreſſus inimicorum bona haſtæ ſubjecit. Hinc præſidium Urbi impoſuit, profectuſque eſt adverſus Carbonem Cos., quem magno prœlio vin-

*Annus ab V.C.* cit; hinc poſtea variis prœliis alios hoſtium duces fudit. Interim Præneſte etiam rebus deſperatis ſe dedere cogitur. Marius Conſul & Pontius Teleſinus, in cuniculi latebris pugnantes, mutuis ſe vulneribus confecerunt. Sylla, quos Præneſte invenit, Senatores Mariæ factionis occidit univerſos. Caput Marii Romæ pro roſtris poſuit. Poſt hæc Felicis nomen aſſumpſit atque extra urbem abiens Senatui permiſit, ut interregem crearent Comitiorum habendorum cauſa. Creatus L. Valerius Flaccus, ad quem quum ſcripſiſſet Sulla, ſibi utile videri, ut Dictator creetur, qui Remp. conſtituat; & ſe eam poteſtatem ſuſcepturum, ſatis indicaſſet: iſte L. Valerius legem tulit ad Populum, qua Sylla fieret Dictator & vitæ, neciſque haberet poteſtatem, donec conſtituta eſſet Reſpubl. Ita Romam rediit Sylla XXIV ſatellitibus ſtipatus, regioque cum imperio biennium eam poteſtatem retinuit, Magiſtro Equitum aſſumpto L. Valerio Flacco.

DCLXXIII. Varias leges Corn. Sylla fert, quæ ab autore dictæ Corneliæ. Inter alias verò legem tulit de tribunatu pleb.; cujus poteſtatem penè exſtinxit, nihil ei relinquens præterquam ut auxilium ferre poſſent. Hoc anno etiam Tullius primam ſuam orationem habuit, quæ pro Quinctio eſt.

DCLXXIV. Sextus Roſcius parricidii accuſatur, quem Cicero defendit. Q. Metellus mittitur in Hiſpaniam adverſus C. Sertorium; qui Marianas erat partes ſecutus, ſed effugerat & jam in Hiſpania bellum concitabat. Cn. Pompejus à Sylla nomen Magni accepit, quum in Africa rem fortiter geſſiſſet. Tamen triumphum primùm ei negavit, quod nondum ad ætatem eam perveniſſet, qua in Senatum poſſet admitti. Tum Pompejus dixit Syllæ, plures adorare ſolem orientem, quam occidentem. Hoc primùm Sylla non cepit; ſed amici ſignificarunt, eo dicto ſe & Syllam comparare. Tum Sylla, ejus fiduciam miratus, bis ingeminans verba; *ergo*, inquit, *triumphato, ergo triumphato.*

DCLXXV. Sylla oblatum à pop. conſulatum ſpernit, Conſuleſque creat P. Servilium Vatiam, qui poſtea dictus Iſauricus, & App. Claudium Pulchrum. Nec multo poſt Dictaturam depoſuit, privatoque habitu in publicum prodiit, dictitans, ſeſe omnium, quæ egiſſet, rationem reddere velle. Mira ſane fiducia hominis, cujus juſſu CCCIↃↃ hominum atque amplius interempta.

DCLXXVI. Sylla jam ſexagenarius Puteolis moritur Phthiriaſi. Corpus ejus aurea ſponda per Italiam vectum, inque campo Martio ſepultum; ſed invito Cos. M. Æmilio Lepido, qui & legem ferre conatus, qua proſcripti revocarentur & cuncta Syllæ acta reſcinderentur. Ea oratio ex hiſtoriis Salluſtii hodieque exſtat. Mithridates, ut Syllæ obitum & Coſſ. diſſenſum cognovit, occultè autor eſt genero ſuo Tigrani, ut pro ſe Cappadociam invadat.

DCLXXVII. Cn. Pompejus, adhuc privatus, pari cum Q. Metello imperio adverſus Sertorium in Hiſpaniam mittitur.

DCLXXVIII. Metellus & Pompejus obſident Sertorium Calaguri: ſed advenientibus hoſtium auxiliis & Sertorio erumpente ſolvere obſidionem coguntur. Sertorianorum multi ad Metellum tranſeunt: quod fecit, ut multos amicorum habuerit ſuſpectos, ſeque munierit Celtibe-

Digitized by Google

*Annus ab V.C.* tiberorum ſatellitio. Eo Romanorum animos à ſe abalienavit.

IↃCLXXIX. Metellus præmium ei promittit, qui Sertorium occidiſſet. Julius Cæſar adoleſcens poſt Dolabellam à ſe fruſtra accuſatum ſtudiorum cauſa abiit Rhodum ad Apollonium Molonem: ſed in via capitur à piratis. Allatis Mileto talentis L liberatur. Sed mox claſſe ex Mileſio portu contracta eos inſequitur & capit, captoſque cruci affigit.

IↃCLXXX. Nicomedes teſtamento Romanis relinquit Bithyniam; qui illud in provinciæ formam redigunt.

IↃCLXXXI. L. Lucullus, belli contra Mithridatem dux, Cyzicum liberat obſidione. In Sicilia contra Spartacum pugnatur.

IↃCLXXXII. Curio Procos. ſubigit Dardanos & Mæſios. Hic primus Roman. ducum ad Danubium uſque pervenit.

IↃCLXXXIII. M. Craſſus mittitur adverſus Spartacum & fugitivos. Nam ſervile bellum tertium jam annum durabat. Sed Craſſus illud ſex menſibus feliciter conficit. Eodem anno Sertorius occiditur à ſuis. Pompejus exercitum ex Hiſpania reducit & IↃↃ ſervorum occidit, qui fugerant è prœlio; atque ita ſervile bellum radicitus ſuſtulit. Lucullus feliciter pugnat adverſus Mithridatem cæſis hoſtium IↃↃↃ CCIↃↃ. Hinc Mithridates novis contractis copiis prœlium inſtauravit. Sed cæſis equitibus ſubito ad Tigranem in Armeniam contendit. Ac veniſſet in manus Romanor., niſi auro, argentoque in fuga ſparſo, dum milites Romani id colligunt, fuga ipſe eſſet elapſus.

IↃCLXXXIV. M. Licinius Craſſus & Cneus Pompejus Magnus reſtituunt poteſtatem tribunitiam, quam ſuſtulerat Sylla. Iiſdem Coſs. L. Aurelio Cotta Prætore judicandi munus, quod C. Gracchus Senatui eripuerat & ad equites transtulerat, L. Sylla verò L annis poſt ab Equitibus transtulerat ad Senatum; communicatum eſt Senatui & Equitibus decennio, poſtquam Sylla Equitibus id jus eripuiſſet. Cenſura quoque, quæ XVI annis fuerat intermiſſa, reſtituta eſt, ſevereque exercita, ut in qua LXIV Senatores Senatu moti ſint.

IↃCLXXXV. Lucullus in Armenia Tigranocertam capit, hoſtilemque fundit exercitum. Metellus Cos. Creticum bellum gerit.

IↃCLXXXVI. Lucullus iterum Mithridatem & Tigranem in Armenia vincit.

IↃCLXXXVII. Triarius, Luculli legatus, à Mithridate vincitur. Lucullus à militibus ſuis deſeritur. Pompejus vincit piratas.

IↃCLXXXVIII. Cicero Prætor præter alias orationes habuit illam pro lege Manilia, qua ſuaſit, ut Pompejo decerneretur bellum Mithridaticum. Pompejus feliciter adverſus Mithridatem & Tigranem bellum gerere incipit.

IↃCLXXXIX. Pompejus Mithridatem & Tigranem penè evertit.

IↃCXC. Julius Cæſar Cos. eſt cum C. Mario Cos.

IↃCXCI. Cicero Conſul fit ſuo anno, hoc eſt ætatis XLV. Catilinaria conjuratio ab eo detegitur & diſſipatur. Mithridates aliquos è liberis ſuis occidit, ob eamque crudelitatem à ſuis deſeritur ac à filio Pharnace obſidetur. Eo in obſidio venenum ſumit; ſed hoc nihil proficiens ob antidota, quæ prius ſumere ſueverat, ducis Galli manu uſus ſemet interemit. Pharnaces victor corpus patris ad Pompejum muria conditum mittit; qui id patrio juſſit

*Annus ab V.C.* ſepulchro condi. Pharnaci filio ob eam deditionem Pompejus conceſſit Boſphori regnum & amicum, ſociumque Populi Romani vocavit.

IↃCXCII. Pompejus vincit Aretam, Arabum regem, qui Syriam infeſtabat. Etiam Ityræos domat; item Judæos, qui Phœniciam incurſabant. Hieroſolyma capit. Alias quoque Orientis regiones in poteſtatem redigit Romanorum: atque ita bello Aſiatico finem imponit.

IↃCXCIII. P. Clodius violat Bonæ deæ Sacra, cujus ſacellum muliebri veſtitu invaſerat. Ideo Julius Cæſar uxorem ſuam dimittit, cujus amore id Clodius fecerat. Accuſatus Clodius ita Judices corrupit, ut abſolveretur.

IↃCXCIV. L. Afranio Nepote & Q. Cæcilio Metello Coſs. prima Civilis belli ſemina jaciuntur. Vide Horatium l. II Odar.

*Motum ex Metello conſule civicum,*
*Bellique cauſas, & vitia, & modos,*
*Ludumque fortunæ, graveiſque*
*Principum amicitias & arma*, &c.

Hiſtoria ita habet. Pompejus militibus ſuis agros dividi, omniaque acta ſua confirmari poſtulabat. Conatibus iſtis obſtabat Metellus Conſul, uti & L. Lucullus, Q. Catulus, M. Cato atque alii è Senatu. Ita nihil effecit Pompejus; quod eum à Senatu abalienavit. Erant autem tum ei inimicitiæ cum M. Craſſo. Sed Julius Cæſar, qui eo tempore è Luſitania veniens triumphum & conſulatum petebat, fecit, ut in gratiam redirent. Simul inter tres iſtos, Pompejum, Craſſum, Cæſarem conſpiratio facta & jurejurando firmata; quam Varro *tricipitinam* eleganter vocavit libro eo, quem titulo iſto de Triumvirorum iſtorum coitione fecit. Ita omnis potentia Urbis penes tres iſtos fuit; quorum nemo alteri adverſabatur, ſed mutuo ſe in cunctis juvabant. Ea concordia duravit uſque ad ſublatum Craſſum. Hinc diſcordia cœpit, quæ Remp. diſtraxit ac bellum peperit Civile. Eople anno P. Clodius Pulcher, homo patricius, hoc agit, ut traduci poſſit ad plebem, idque, ut ſe de M. Cicerone, inimico ſuo, poſſet ulciſci; ſæpeque de eo ad popul. egit C. Herennius, Tribunus plebis, homo nequam. Sed obſtitit ei Metellus Cos.

IↃCXCV. C. Julius Cæſar & M. Calpurnius Bibulus Coſs. ſunt. Sed unus Cæſar ita omnia ex ſuo agit arbitrio, ut de eo luſerint olim hoc diſtichon:

*Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt;*
*Nam Bibulo fieri conſule nil memini.*

Etiam Cæſar autoritate ſua Clodium traduxit ad plebem; qui mox factus Tribunus plebis.

IↃCXCVI. L. Calpurnio Piſone & A. Gabinio Coſs. M. Cicero non Cæſare ſolùm, ſed etiam Pompejo connivente rogatione Clodia in exilium pellitur; quod in conſulatu ſuo cives, à populo indemnatos, occidiſſet. Eidem aqua & igni interdictum; domus everſa & Libertati ibi ara ſtatuta; bona publicata. Sed Pompejum mox à Clodio abalienavit, quod is, muneribus corruptus, Tigranis, Armeniæ regis, filium, qui apud L. Flavium prætorem in cuſtodia aſſervabatur, per fraudem invito ſe liberaſſet. Hinc primùm inter Pompejum & Clodium jurgia; poſtea & cædes ex ea re & tumultus conſecuti, uſque adeò, ut ipſius Cos. Gabinii faſces confringerentur. Quibus invitatus Pompejus agere cœpit de revo-

Digitized by Google

*Annus ab V. C.* revocando Cicerone. Cæſar in Galliis bellare incipit. Cato in Cyprum miſſus.

DCXCVII. P. Corn. Lentulus Spinther & Q. Cæcilius Metellus conſulatum gerunt. Quibus Coſs. decem Tribunis (princeps verò eorum Milo erat) lege, Comitiis centuriatis perlata, revocant Ciceronem ab exſilio.

DCXCVIII. P. Clodius Pulcher factus Ædilis Curulis fruſtra obnitente Milone. De Ptolomæi Auletes reductione in regnum agitur Romæ.

DCXCIX. Cn. Pompejus Magnus & M. Licinius Craſſus ſunt Coſs. Præturam gerit impurus ille P. Vatinius, licet paulo ante Ædilitatis tuliſſet repulſam. Competitor fuerat M. Cato, cui omnes boni favebant, tanquam ſalutari futuro iis Reip. temporibus. Sed Coſs. non decreverant ullum admittere, niſi qui rationibus ſuis expediret. Itaque optimo viro prælatus eſt homo impuriſſimus. Cæſar ponte Rheno impoſito in Germaniam tranſit & Sicambrorum fines invadit ac vaſtat. Hinc in Brittanniam navigat ac obſidibus captis redigit incolas in poteſtatem. In Galliam rediens Morinos rebellantes ſuperat, Menapios accipit in deditionem. Ea propter xx dierum ſupplicatio Romæ decreta.

DCC. Moritur ex partu Julia Pompeji uxor, Julii Cæſaris filia, & paulo poſt filiola decedit. Ita pignus ſublatum amoris inter Cæſarem & Pompejum. M. Craſſus, adverſus Parthos profectus, ſpoliat templum Hieroſolymitanum.

DCCI. Craſſus à Parthis vincitur & occiditur.

DCCII. P. Clodius à Milone occiditur via Appia. Milo idcirco reus fit cædis, inque exilium pellitur, quum meticuloſius eum Cicero defendiſſet. Nam ea Ciceronis oratio, quæ pro Milone extat, alia eſt ab ea, quam habuit Cicero.

DCCIII. Serv. Sulpicius Rufus & M. Claudius Marcellus Coſs. ſunt. Cæſar Aquitanis in fidem receptis bello Gallico finem imponit, inque Belgio hybernat. Cicero Ciliciam & Cyprum obtinet cum legionibus duabus. Ariobarzani juniori regi Cappadociam ex S. C. reſtituit, ad Amanum montem, ingentem hoſtium multitudinem cædit; Eranam, Sepyram & alia ſex caſtella capit. Item Pindenniſſinium, Eleutherocilicum oppidum, in altiſſimo & munitiſſimo loco ſitum, L die magno cum labore redegit in poteſtatem. Poſt quæ Imperator ab exercitu eſt appellatus.

DCCIV. Coſs. L. Æmilius Paullus & C. Claudius Marcellus. Romæ agitur de imperio Cæſari abrogando. Sed Cæſar Coſ. Paullum & C. Curionem, Trib. plebem, qui antea erat infeſtiſſimus, pecunia corrumpit. Horum opera factum, ut quum de dimittendis à Cæſare legionibus ageretur, non aliter id permitteretur, niſi & Pompejus eas dimitteret. Id quum Pompeji amicis non placeret, ſtatutum, ut uterque legionem unam dimitteret ad bellum Parthicum. Cæſar dimiſit xv; Pompejus repetiit I, Cæſari mutuo ante datam. Ita Cæſaris exercitus duabus eſt legionibus imminutus. Has Marcellus Coſ., quod ad Parthicum bellum iis opus non eſſet, Pompejo dedit.

DCCV. Coſs. C. Claudius Marcellus & L. Corn. Lentulus; qui ſimul ac magiſtratum iniiſſent, S. C. factum eſt, uti Cæſar ad certum diem exercitum dimitteret; niſi obtemperaret, *Annus ab V. C.* contra Remp. facturum videri. Q. Caſſius & M. Antonius, Tribb. plebes, quod interceſſionibus S. C. tollere auderent, juſſi exire civitate. Mandatum Coſs., Pompejo proconſule, Prætoribus, Tribb. plebejis ac conſularibus, qui ad urbem eſſent, viderent, nequid Reſp. detrimenti caperet. Delectus tota Italia habiti; pecuniæ, armaque imperantur. L. Domitio Gallia, aliæ aliis provinciæ decretæ. Iis Cæſar intellectis Rubiconem cum exercitu trajecit, Ariminum tendit: ubi ultro, citroque miſſi legati. Sed de pace convenire non potuit. Hinc Cæſar Piſauro, Fano, Anconæ præſidia imponit ac cùm alia oppida capit, tum Corfinium, in quo Domitius erat: ſed eum dimiſit. Coſs. & Pompejus præ metu Romam deſeruere atque extra Italiam fugerunt. Sed Cæſar inſecutus eſt hoſtes uſque ad fines Italiæ. Etiam Brundiſium capit. Hinc Romam redit atque ibi de injuriis eſt conqueſtus. Etiam proſcriptorum à Sylla liberis jus petendi magiſtratus reſtituit. Ariſtobulum, Judæorum regem captivum, dimittit. Sanctius ærarium effregit omnemque pecuniam abſtulit. Hinc cum exercitu in Hiſpaniam tendit contra Pompeji legatos L. Afranium, M. Petrejum & M. Varronem; ac ſepties cum iis conflixit, poſtea in deditionem accepit cum legionibus ſeptem. In reditu Maſſiliam, quæ portas proficiſcenti clauſerat & Domitium receperat, obſedit ac poſt longum obſidium duobus navalibus prœliis fractam cepit. Domitius inde dilapſus in Græciam ad Pompejana caſtra pervenit.

DCCVI. Cæſar pridie Non. Januar. cum exercitu proficiſcitur in Macedoniam, Pompejum ad Dyrrachium obſidet. Sed Pompejus ejus præſidia expugnat & prœlio vincit. Hinc ob rei frumentariæ inopiam in Theſſaliam ſecedit. Eo inſequitur Pompejus, inque extrema Pharſalia prœlium cum eo committit: ſed ingenti clade vincitur. Victus in Ægyptum fugit; ubi eum Ptolomæus tutorum ſuorum ſuaſu occidit. Atque ab hoc tempore incipit J. Cæſaris μοναρχία.

### *De temporibus Romanorum à μοναρχία J. Cæſaris uſque ad primum Imperatorem Chriſtianum Conſtantinum Magn.*

DCCVII. UT nuncius de victo & occiſo Pompejo Romam eſt perlatus, Julio Cæſari decretus Conſulatus in quinquennium, Trib. poteſtas in perpetuum atque ut Comitiis omnibus præeſſet, præterquam plebejis; item Dictatura non ſemeſtris, ſed in annum. Cæſar quia fugientem Pompejum in Ægyptum erat perſecutus, ut mortuum eſſe Pompejum cognovit, pacem componere ſtuduit inter Ptolomæum regem & ſororem Cleopatram. Sed ut à Ptolomæo ſibi inſidias tendi animadvertit, bello eum difficili adoritur & vincit. Eo bello Alexandrina Bibliotheca conflagravit. Ptolomæus, fugiens navicula, ſubmergitur. Cæſar victor regnum donat Ptolomæo juniori & Cleopatræ ſorori. Hinc in Syriam proficiſcitur, eque Syria in Pontum; ubi Pharnacem, Mithridatis filium, temporis fiducia rebellantem, quarta, poſtquam in conſpectum veniſſet, hora vincit.



Digitized by Google

Unde de eo ſcripſit: *Veni, vidi, vici*; qui & triumphi titulus fuit. Ex Ponto Romam reverſus in reliquum anni Coſſ. fecit Q. Fufium Calenum & P. Vatinium. Accidit hoc ineunte hyeme. Unde urbanus ille Ciceronis apud Macrob. jocus; magnum oſtentum factum eſſe, quod illo Cos. nec ver, nec æſtas, nec autumnus fuit. Nihil verò hoc Vatinio impurius fuit: unde & Conſulatum ejus exagitat Catullus Epigramm. L.

*Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?*
*Sella in curuli ſtruma Nonius ſedet,*
*Per conſulatum pejerat Vatinius:*
*Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?*

Dolabella, Ciceronis gener, eopſe anno Cæſare abſente turbas Romæ dat. Nam quum à Patriciis ad plebem tranſiiſſet & Trib. plebis factus eſſet, conatus eſt legem promulgare de novis tabulis, ſive de reſcindendo ære alieno. Nempe erat planè obæratus. Sed M. Antonius Senatus juſſu milites in urbem adduxit & Dolabellam foro exturbavit & Iↄccc factionis ejus occidit.

Iↄccviii. Cæſar II. Dictat. rebus in urbe conſtitutis in Africam cum exercitu proficiſcitur ac Scipionem vincit, eodemque die caſtra cepit L. Afranii & regis Jubæ. L. Afranium, ut & Fauſtum Syllam, Cæſar juſſit occidi. Petrejus & Juba, ne in manum Cæſaris venirent, mutuis vulneribus concurrentes, ſe ipſos interemerunt. M. Cato, qui Uticam tenebat præſidio, ut cladem cognovit & adventare audivit victorem exercitum, ſibi manus attulit. Metellus Scipio, in navi circumventus, ut hoſtes quærere Imperatorem audiit; Imperator, inquit, ſe bene habet: & ſimul pectus ferro transadigens in mare inſiliit. Cæſari, Romam reverſo decernitur Dictatura in decennium. Idem uno menſe, ſed interpoſito dierum intervallo quater triumphat, idque diverſo apparatu. Primus triumphus erat de Gallis & Germanis, alter de Ægyptiis, tertius de Pharnace, quartus de Juba rege.

Iↄccix. Cæſar III. Dictat. magnis itineribus in Hiſpaniam tendit contra liberos Pompeji, item reliquos duces Labienum & Varum, qui ex Africa eo profugerant. Poſt varios conflictus tandem de ſumma rei pugnatum ad Mundam prœlio adeò difficili ac dubio, ut Cæſar pæne cogitaret de morte ſibi conſciſcenda. Sed victoria tandem penes Cæſarem fuit. Cn. Pompejus, filius major natu, in fuga eſt occiſus; Sextus junior effugit. Cæſar Corduba, Hiſpali, Munda, aliiſque civitatibus receptis, rebuſque Hiſpaniæ compoſitis Romam reverſus eſt, quintumque egit triumphum; imò & Legatis ſuis Fabio Maximo & Q. Pedio, ut triumpharent, conceſſit. Sed quum Cæſar eburneis uſus eſſet oppidorum imaginibus, Legati uſi ſunt ligneis. Unde jocus ille Chryſippi, eſſe thecas oppidorum Cæſaris; auctor Fab. l. VI. c. III.

Iↄccx. Dictatura Cæſaris IV: in qua adverſus eum conjurarunt M. Brutus, C. Caſſius, D. Brutus, C. Trebonius atque alii; à quibus in Curia Pompeji XXIII. vulneribus eſt confoſſus. Conjurati poſt cædem Capitolium occuparunt: ſed Ciceronis ſuaſu ἀμνηστία ſancita ac conjurati acceptis obſidibus è Capitolio deſcenderunt. Dictatura in perpetuum



lege Antonia ſublata. Senatus Dolabellæ Syriam decrevit, Antonio Macedoniam, D. Bruto Galliam Ciſalpinam. Interim Octavius Romam redit ex Epiro, quo eum Cæſar avunculus, Parthis bellum illaturus, præmiſerat. Hic, teſtamento ex dimidia parte hæres inſtitutus, nomen Cæſaris accepit ac Veteranos, à patre in colonias deductos, contra M. Antonium concitavit. Antonius legem ferre per vim conatur de permutanda Macedonia & accipienda Gallia citeriore. Octavium etiam, petentem, ut ſibi adverſus patris percuſſores auxilio eſſe vellet, injuriis afficiebat. Legiones Martia & Quarta ab Antonio ad Octavium defecerunt. Antonius, ut Galliam citeriorem per vim reciperet, D. Brutum Mutinæ circumvallavit & obſedit.

Iↄccxi. Coſſ. fuere C. Viburius Panſa & A. Hirtius. S. C. poſt multas contentiones factum, ut legati ad Antonium mitterentur, qui eum juberent ab armis diſcedere, Galliam Bruto relinquere, inque Macedoniam reverti: item ut Octavius, qui exercitum contra Antonium contraxerat, Senator eſſet & jus petendi magiſtratus ante tempus haberet. Quum Legati re infecta redirent, Antonius hoſtis judicatus, bellumque contra eum decretum & ut Coſſ. auxilio eſſent Cæſar Octavius Propr., M. Lepidus & L. Plancus Procoſſ. Panſam cecidit Antonius. Sed mox Antonium vicit Hirtius. Demum de ſumma rei pugnatum ad Mutinam. Victus Antonius, ſed Cos. Hirtius victor in caſtris vulneratus obiit. Poſt paucos dies ex vulneribus obiit & Panſa. In eorum locum ſuffecti Octavius Cæſar & Q. Pedius. Hoc anno nati Poëtæ duo illuſtres Tibullus & Ovidius: quorum ille de natali ſuo ita canit. l. III. Eleg.

*Natalem primo noſtri videre parentes,*
*Quum cecidit fato conſul uterque ſuo.*

hic verò l. IV. Triſt. ait:

*Editus hinc ego ſum, nec non, ut tempora noris,*
*Quum cecidit fato conſul uterque pari.*

Cæſar Cos. XX. annor. adoleſcens, variis honoribus à Senatu, jam eum metuente, auctior factus, legem fert de quæſtione inſtituenda in eos, qui Cæſarem occidiſſent; damnatique M. Brutus, C. Caſſius atque alii, qui ignari etiam conjurationis fuiſſent; ut S. Pompejus, nempe quia ab eo metus eſſet. Quia verò videbat Cæſar, difficile ſoli ſibi fore ulciſci paternos hoſtes, ſpe communis imperii ac prædæ Lepidum atque Antonium in ſocietatem vocavit. Ita triumviratus initus inter iſtos tres, idque ea conditione, ut Octavius collegis adæquaretur; ita ut Conſulatus Octavii tantum fuerit bimeſtris. Convenit verò inter eos in hæc tria capita, ut Hiſpanias cum Narbonenſi Gallia Lepidus obtineret, reliquas Gallias Antonius, Cæſar Africam, Siciliam, Sardiniam ac reliquas ejus maris inſulas. Adhæc ut Lepidus anno proximo Cos. foret & Italiam cum legionibus teneret, Antonius & Cæſar cum XXV. legionibus bellum inferrent Bruto & Caſſio. Præterea ut ſuos quiſque inimicos proſcriberet atque occideret. Unde Triumviros hos Syllæ diſcipulos vocat Juvenalis Sat. II. In ea pro-

Digitized by Google

*Annus ab V. C.*

proſcriptione etiam M. Tullius Cicero juſſu Antonii à Popillio occiſus fuit.

Iↄccxii. M. Brutus poſt Epirum & Macedoniam ſubactam & C. Caſſius poſt rem feliciter in Syria, Aſiaque geſtam conjungunt exercitus ſuos in campis Philippicis; ubi dubio eventu pugnant cum Cæſare & Antonio. Unde Caſſius, putans Brutum victum & occiſum, ſibi manus intulit. Brutus, altero prœlio victus, rebus deſperatis à Stratone, fugæ comite, eſt perfoſſus. Ac ſimiliter ſibi manus attulere Romani primores circiter xl.

Iↄccxiii. Cæſare ex Macedonia victore reverſo quum militibus perſolvenda eſſent præmia, in diviſione agrorum lis inter eum oritur & L. Antonium Cos.; qui fratris ſui M. Antonii legiones & colonias eas, quas dividere Cæſar decreverat, adverſus eum concitat. Sed Cæſar Cos. Peruſiæ obſedit, fameque urbem dedere coegit. Militibus data venia; ſed Peruſia diruta.

Iↄccxiv. Cæſar poſt bellum Peruſianum, dum bellum à M. Antonio metuit, ſtudet ſibi conciliare S. Pompejum: ſed erat ille propenſior in M. Antonium. Ergo adverſus utrumque bellum parat. Ac quidem M. Agrippæ Prætori belli curam mandat adverſus Pompejum. Ipſe in Galliam profectus provincias omnes redigit in poteſtatem. Dum verò M. Antonius amoribus Cleopatræ vacat, Parthi duce Labieno Syriam, multaſque Aſiæ civitates ac pænè omnem Siciliam vincunt. Sed iſtis miſſis Antonius adverſus Cæſarem proficiſcitur in Italiam ac feliciter rem gerere cœpit. Interim moritur Fulvia, Antonii conjux, quæ bellum hoc conflarat. Ea moritura pax inita inter Cæſarem & Antonium, novuſque initus Triumviratus inter Lepidum, Antonium & Cæſarem, excluſo S. Pompejo. Sed Pompejus Sardiniam ejecto Cæſaris præfecto occupavit per Mænam, patris ſui libertum. Etiam Italiæ urbes populatus eſt, annonamque intercluſit, ut fame Roma laboraret. Unde tumultu Romæ otto coacti ſunt Cæſar & Antonius pacem facere cum Pompejo.

Iↄccxv. In littore maris ad Miſenum montem inter S. Pompejum & alterius partis duces tranſigitur condicionibus iſtis, ut fugitivis libertas, profugis bona erepta, exſulibus & proſcriptis honoratus in patriam reditus & quarta bonorum pars redderetur; S. verò Pompejo ex paternis bonis reſtitueretur Iↄ cc HS. ac Siciliam, Sardiniam & Achaiam per quinquennium obtineret, maritimas deprædationes prohiberet, urbem annona juvaret ac inter Augures cooptaretur.

Iↄccxvi. P. Ventidius, qui puer bello ſociali cum matre captiva à Cn. Pompejo Strabone in triumphum ductus fuerat, poſteaque rhedarius mulio fuerat; ſed Cæſaris Dictatoris favore ad Senatoriam dignitatem & pontificatum pervenerat: ter victa bellicoſiſſima Parthorum gente legitimum hoc anno triumphum magna cum hominum admiratione ducit.

Iↄccxvii. M. Vipſanius Agrippa, ex humili loco ortus, Cæſaris favore anno hoc fuit Cos.; cui mandatus apparatus belli adverſus S. Pompejum.

Iↄccxviii. Cæſar vario eventu nunc navali, nunc terreſtri prœlio adverſus Pompejum confligit. Tandem vincit, eumque paucis navibus in Aſiam fugere cogit. Hinc Siciliæ urbes ordinat. Sed quum M. Lepidus, quem ad ſocietatem belli ex Africa vocaret, ab eo diſſentiret & fiducia xx legionum ſuperbius ſe gereret, imperio eum & exercitu ac triumviratus poteſtate privat & Circeos in exilium relegat. M. Antonius, quia in Armenia hybernare non vult, ſed Cleopatræ amore in Ægyptum cupit abire, primùm duas legiones amittit in Media, quas Phraates rex cecidit. Hinc in Syria, iter infeſtantibus Parthis, multos partim ferro, partim fame & inedia ac brumæ incommodis perdit; ita ut quarta exercitus pars ejus culpa perierit.

Iↄccxix. Sextus Pompejus in Aſia bellum molitur; ſed à Legatis Antonii capitur & occiditur.

Iↄccxx. Cæſar patris exemplo expeditionem adverſus Britannas parat. Pannonii, Dalmatæ & Salaſſi rebellant, autor Dio libro xlix. M. Antonius Armeniam partim fraude, partim vi, partim deditione in poteſtatem redigit.

Iↄccxxi. Dalmatæ victi pacem petunt & obſidibus datis impetrant.

Iↄccxxii. Coſs. fuere Cn. Domitius Ahenobarbus & C. Soſius Nepos. Ex eis Soſius Cæſare abſente multa adverſus Cæſarem, inque laudem Antonii dixit. Cæſar reverſus Senatum habuit, inque Antonium eſt invectus, teſtamentum ejus, apud Veſtales inventum, de liberis Cleopatræ inter hæredes nuncupatis atque alienatis Populi Romani provinciis aperuit, proque concione recitari juſſit. Ea res tantam Antonio conflavit invidiam, ut imperium ei ſit abrogatum, conſulatus item, quem anno proximo erat geſturus, ademptus, bellumque Cleopatræ ſit indictum ac impunitas decreta iis, qui Antonii partes deſeruiſſent. Conſules, qui partium Antoniarum erant, urbe exceſſere ad Antonium, idque Cæſare permittente. Multi quoque eos ſecuti. Et viciſſim fuere, qui ab Antonio deficerent ad Cæſarem & eos inter L. Plancus Procos. Ita inſtauratum bellum inteſtinum. Cæſari adhæſit Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Sicilia, Sardinia & Illyricum: Antonio Macedonia, Græcia, Thracia, Cyrene, Ægyptus, Aſia, Orientiſque Dynaſtæ & reges.

Iↄccxxiii. Cæſar cum Antonio & Cleopatra confligit ad Actium, eoſque vincit iv Non. Sept. atque ab hoc tempore penes Cæſarem principatus fuit, quem tenuit annis xliv.

Iↄccxxiv. Cæſar in conſulatu aſſumpſit M. Tullium Ciceronem, Oratoris nobiliſſimi fil. Eo Coſ. ex Senatus decreto abolitæ omnes ſtatuæ, Antonio erectæ; ſtatutumque, nequis ex gente Antonia Marcus vocaretur. Atque ita vindictam de eo Tullius ſumpſit, quod patrem occidiſſet. Cæſar in Ægyptum proficiſcitur, Peluſium ac Paretonium occupat, M. Antonium obſidet; qui, quum videret, exercitus ſuos ad Cæſarem tranſire, in ſumma deſperatione ſemet occidit. Cleopatra etiam, Alexandria cum gazis in Cæſaris redacta poteſtatem, ſibi manus adferre maluit, quàm ut in triumphum duceretur. Ægyptus in provinciam redigitur. Atque ab hoc tempore, non ab anno ſuperiori, incipit Æra nova Ægyptiorum, quæ Actiaca dicitur. Cæſari ex Ægypto reverſo Senatus varios & inuſitatos decrevit honores, quibus omnis in eum poteſtas tranſlata. Triumphavit verò

*Annus ab V. C.*

menſe Sextili, qui ex eo poſtea dictus Auguſtus, ut ad annum Iɔccxlvi dicemus.

Iɔccxxvi. Diſceptatum Romæ in Senatu, quo cognomine eſſet dicendus Cæſar Octavius, ac pleriſque Romulum vocari placuit, quaſi qui imperium condidiſſet. Sed pervicit ſententia T. Munatii Planci, ut vocaretur Auguſtus pontificali verbo, quod iis convenit, quæ augurato facta ſunt. Unde Ennius:

*Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.*

Iɔccxxxi. Auguſto offertur Dictatura; ſed eam poteſtatem deprecatus eſt. Nempe invidiam metuebat & ſciebat, ſibi neceſſariam non eſſe, quia Tribunicia poteſtate in perpetuum cum imperio proconſulari longè Dictatoriam majeſtatem excelleret. Auguſtus in gravem incidit morbum; ſed reſtitutus eſt ſanitati ab Antonio Muſa liberto: cui idcirco Senatus jus annuli dedit. Mortuus M. Marcellus, ſororis Auguſti filius, & funus ejus magnificè ab Auguſto avunculo & matre Octavia ductum.

Iɔccxxxiv. Phraates Parthus, metuens imperium Romanum jam pacatum, petit pacem ac remittit ſigna, è clade Craſſi capta, una cum captivis.

Iɔccxxxv. Virgilius moritur C. Sentio Saturnino & Q. Lucretio Veſpillone coſs. Cæſar mortuo M. Agrippa, quo uſus fuerat adjutore in rebus omnibus, ejus in locum aſſumit privignum ſuum Tiberium, eumque generum facit erepta Vipſania, licet gravida eſſet & infantem alterum ex Marcello aleret, dataque ei filia Julia, M. Agrippæ vidua. Hinc Tiberium in Illyricum contra rebellantes Pannonicos mittit; quos & Scordiſcorum ope devicit.

Iɔccxxxvi. Tiberio Senatus decrevit triumphum ob ſuperioris anni victoriam. Verùm Cæſar novo exemplo non triumphat; ſed triumphalia tamen ornamenta ei decerni voluit.

Iɔccxlvi. Hoc anno menſis Sextilis Auguſti nomen accepit teſte Cenſorino, Tranquillo, Macrobio & Dione. P. Quinctilius Varus Syriam exhaurit.

Iɔccli. Coſs. ſunt L. Corn. Lentulus & M. Valerius Meſſalinus; quibus, ut Caſſiodorus ait, natus D. N. JESUS CHRISTUS, anno imperii xli. Idem ſcribit Tertullianus. Sed vulgò biennio poſt natum tradunt. Ergo verus natalis incidit in annum Iɔccli; vulgaris autem Æra Chriſtiana incipit anno Iɔccliii.

Iɔcclii. Julia, Auguſti filia, Tiberii uxor, ob libidines relegata in Inſulam Pandatariam. Julius Antonius, T. Quinctius Criſpinus, Appius Claudius & alii, qui cum ea ſoliti erant, partim morte, partim exſilio multati. Ac communis opinio eſt, hac de cauſa etiam relegatum fuiſſe Ovidium poetam.

*An. vulg. Ær. Chriſt.*

Iɔcclvii. Auguſtus Cæſar adoptat privignum 4.
ſuum Tiberium, quum is prius adoptaſſet Germanicum, nepotem ſuum ex patre Druſo, qui in Germania perierat. Idem Cn. Cinnæ inſidianti ignoſcit, eumque in annum ſequentem Cos. deſignat.

Iɔcclxii. T. Quinctilius Varus cæditur in Ger- 9.
mania ab Arminio: quæ clades valdè Auguſtum conſternavit.

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

Iɔcclxvii. Auguſtus moritur, annos natus lxxv, natus quippe Cos. Cicerone. Imperavit poſt Actiacam victoriam ſolus ann. xliv.
Imperium excepit Tiberius, ex aſſe hæ- 14.
res inſtitutus; quem Livia mater ob periculoſum mariti morbum ex Illyrico revocarat.

Iɔcclxix. Mathematici urbe pulſi. Germanicus 16.
Cæſar, claſſe maxima per Oceanum vectus, caſtra locat ad Viſurgim & Arminium ad Inguiomerum duobus prœliis vincit, Angrivarios accipit in deditionem. Sed in Galliam cum eadem claſſe reverſurus naufragium facit. Tiberius in urbe interdicit ſericæ veſtis uſum; item aurei vaſis, præterquam ſacrificii cauſa.

Iɔcclxx. Cæſar Germanicus triumphat Romæ 17.
de Cheruſcis, Cattis & Angrivariis atque aliis nationibus, quæ Albim accolunt, teſte Tacito lib. ii. Hinc Cn. Calpurnius Piſo, homo violenti ingenii, Syriæ præficitur cum occultis à Tiberio mandatis ad ſpes Germanici coercendas. Ovidius eodem anno in exſilio moritur & juxta Tomos ſepelitur.

Iɔcclxxi. Arminius Cheruſcus ſuorum fraude 18.
perit.

Iɔcclxxii. Germanicus, ex Ægypto in Syriam 19.
rediens, veneno à Cn. Piſone & Plancina necatur.

Iɔcclxxiii. Cineres Germanici, Romam delati, 20.
in Auguſti Mauſoleo conduntur. Piſo, accuſatus veneficii, ante damnationis diem ſemet occidit: Plancina precibus Liviæ abſolvitur. Druſus, Germanici frater, ad Illyricos exercitus proficiſcitur.

Iɔcclxxvi. Druſus, Tiberii filius, à Sejano, præ- 23.
fecto prætorii, uxoris ejus adultero, veneno necatur. Hiſtriones Italia pelluntur.

Iɔcclxxviii. Cremutius Cordus majeſtatis accuſa- 25.
tus de novo ac tum inaudito crimine, quod edit is annalibus M. Brutum laudaſſet & C. Caſſium dixiſſet Romanorum ultimum.

Iɔcclxxx. Pontius Pilatus, ſub quo Chriſtus paſ- 27.
ſus, Syriam Procos. regere cœpit. Alii ad annum ſuperiorem referunt.

Iɔcclxxxi. Julia, Auguſti neptis, in exſilio mori- 28.
tur. Friſii rebellant adverſus Romanos ob acerbas exactiones.

Iɔcclxxxii. Livia Auguſta obiit, nata annis 29.
lxxxvi.

Iɔcclxxxiii. L. Ælius Sejanus, etſi multos claros & 30.
illuſtres viros inſidiis ſuis tolleret, tamen à Senatu, qui eum metuebat, honoribus æquatur Tiberio. Tiberius interim hæc diſſimulabat, quo facilius everteret: &, nequid ſuſpicaretur, in annum ſequentem Cos. fecit, ſuarum eum curarum participem dicens.

Iɔcclxxxiv. Sejanum Cos. Tiberius oratione lon- 31.
ga accuſat & è curia in carcerem abreptum curat occidi. Mox ſtatuæ ejus dejectæ; corpus triduo habitum ludibrio, inque Tiberim projectum. Tum feſtum inſtitutum ob Sejanum interemptum.

Iɔcclxxxix. Sext. Papinio Gallieno & Q. Plautio 36.
Nepote Coſs. Phœnix, avis unica, in Ægypto viſa juxta Dionem, Plinium & Solinum. Sed Tacitus biennio poſt viſam tradit.

Poſt

Digitized by Google

| Annus ab V. C. | | An. vulg. Ær. Chriſt. |
|---|---|---|
| IↃCCXC. | Poſt damnationes & mortes variorum præſtantiſſimorum Virorum magno Optimatum & populi gaudio moritur Tiberius LXXVIII. ætatis anno, imperii XXIII. Ei ſuccedit C. Cæſar, Germanici filius, vulgo dictus Calligula: qui primo imperii anno non diſplicuit. Sed mox in tyrannidem lapſus plurimos illuſtres viros ſuſtulit. Populo, in theatro liberius obſtrepenti; *utinam*, inquiebat, *populus Romanus unam cervicem haberet.* | 37. |
| IↃCCXCIV. | Cæſar Caligula occiditur à Caſſio Chærea & aliis conjuratis, quum imperaſſet annis III, menſibus IX, diebus XXVIII. Ob cædem eam territus patruus ejus Tiberius Claudius, latebris ſe occultarat. Sed milites inde protractum, inque Prætorjana caſtra adductum Imperatorem ſalutarunt. Senatus mox id factum comprobavit. | 41. |
| IↃCCXCVI. | Claudius per legatos Brittanniam invadit, poſteaque ipſe eò profectus, prœlio uno barbaros profligat, Camulodonum, regiam Cunobellini capit; partemque inſulæ in deditionem recepit. | 43. |
| IↃCCXCVII. | Ob hanc victoriam triumphat Claudius & Britannici à Senatu accipit cognomentum. Etiam decretus ei arcus triumphalis in urbe & alter in Galliis. Item Meſſalinæ uxori conceſſum carpentum & honores, quondam tributi Liviæ Auguſtæ. | 44. |
| IↃCCXCIX. | Meſſalina veneno tollit M. Vinucium, quod ſtupri conſuetudinem ſecum recuſaret. Erat maritus Juliæ, Germanici Cæſaris filiæ: fuerat bis Cos., eſtque idem ille, cui Vellejus Paterculus hiſtoriam ſuam dicavit. | 46. |
| IↃCCCI. | Meſſalina, clancularìis ſtupris & adulteriis non contenta, palam in urbe nubit C. Silio Nervæ, Claudio Oſtiam ſacrificii cauſa profecto. Claudio reverſo res detegitur à Narciſſo liberto. C. Silius ad ſupplicium rapitur & unà cum eo aliquot illuſtres equites; qui cum Meſſalina ſolebant. Meſſalina in hortis Lucullianis occiſa eodem Narciſſo jubente. Nec multo poſt Pallantis liberti ſuaſu novas Claudius nuptias init cum Agrippina, Germanici fratris filia, quæ ex Cn. Domitio Neronem pepererat. Phœnix, quem Tiberii principatu Sex. Papinio & Q. Plautio Coſs. Ægyptum involaſſe diximus, hoc anno, in quem Claudii principis cenſura incidit, Romam eſt perlatus & in Comitio propoſitus, teſte Plin. l. X. c. XI. item Tacito: quod & urbis actis fuit annotatum. Meminit & Solinus c. XXXVI. de Arabia. | 47. |
| IↃCCCII. | T. Vinius prætor eſt; qui poſt præturam præfuit legioni. Sed Romam revocatus & à Claudio convivio exceptus, dictus aureum Claudii poculum abſtuliſſe; quod furtum ita punivit Claudius. Poſtridie revocavit & ſoli fictilibus juſſit miniſtrari. Hic in conſulatu poſtea cum Galba Imp. eſt occiſus. Agrippina à marito Claudio impetrat exſilii veniam L. Annæo Senecæ, M. f., quem Caligula Meſſalinæ inſtinctu relegarat in inſulam Corſicam. Eum Agrippina præfecit pueritiæ filii ſui Neronis, quo tali magiſtro adoleſceret & ejus conſiliis ad imperium perveniret. | 48. |
| IↃCCCIII. | Seneca, qui ante exſulium fuerat Quæſtor, anno L ætatis præturam gerit. | 49. |
| IↃCCCVI. | Nero Octaviam, Claudii Cæſ. filiam, ducit uxorem. | 52. |
| IↃCCCVII. | Agrippina tollit Claudium maritum ſuum, quum vixiſſet ann. LXIII, imperaſſet annos XIII, menſes VIII, dies XX. Ejus in locum ſucceſſit Nero, annos natus XVII. Fallitur eruditus Chronologus, qui anno ſuperiori hæc contigiſſe ſcribit, quo Coſs. erant Junius Silanus & Q. Haterius Antonius. Nam omnino, quo anno Nero Claudio ſucceſſit, Coſs. fuere Aſinius Marcellus & Acilius Aviola; quod ex Tacito, Caſſiodoro, Maximo, S. C. & Cap. Tabul. liquet. | 53. |
| IↃCCCXV. | Nero Octaviam uxorem, ſterilitatem cauſans, dimittit, eamque in Pandatariam inſulam relegat & occidi paulo poſt jubet. Ejus verò loco ducit Poppæam Sabinam. Multos quoque nobiles ac opulentos per Tigellinum, præfectum prætorii occidit. Parthi Tigranocertam oppugnant, ſed fruſtra. Vologeſes Syriam adoritur, ſed fortiter repellitur à Corbulone Procoſ. Inde in Armeniam vim convertit & feliciter rem gerit. | 61. |
| IↃCCCXVII. | Nero Romam incendit, ut Trojæ ardentis imaginem videret. Sed ut invidiam declinaret; innocentes Chriſtianos, tanquam fœdi adeo facinoris reos, exquiſitiſſimis pœnis affecit. Incœpit incendium in Circo Maximo; duravit dies ſex. | 63. |
| IↃCCCXVIII. | Detegitur conjuratio contra Neronem; quæ res multis bonis exitio fuit. Alios inter Lucanus à Nerone occiſus & Cæſaris præceptor L. Seneca. | 64. |
| IↃCCCXIX. | Occidit idem Nero Thraſeam Pætum & Baream Soranum, duos præſtantiſſimos viros. | 65. |
| IↃCCCXX. | Judæis rebellantibus Corbulone occiſo, quum ſtrenuo duce opus eſſet, miſſus T. Flavius Veſpaſianus. | 66. |
| IↃCCCXXI. | C. Julius Vindex Gallus, qui legatus propræt. obtinebat Galliam Ciſalpinam, deficit à Nerone & Sergium Galbam, qui è nobili Sulpiciorum gente erat & Hiſpaniæ Tarraconenſis legatus, hortatur, ut tyrannide liberet imperium Romanum. Aliæ etiam provinciæ deficiebant. Quo cognito Nero urbe profugit. Senatus mox Neronem hoſtem declaravit; miſſique, qui de eo ſupplicium ſumerent. Tum ſe in Phaontis, liberti ſui, ſuburbano interemit. Ejus in locum electus à Senatu Sergius Sulpicius Galba, qui imperium jam ab exercitu in Hiſpania acceperat. Acciderunt hæc Coſ. Cajo Silio Italico; cujus de bello Punico exſtat poëma. | 67. |
| IↃCCCXXII. | Ipſis kal. Januariis ſuperioris Germaniæ legiones primæ obſequium rumpunt, neque niſi in Senatus nomen jurare volunt; quod ſpecioſum videri potuit. Sed mox ſua ſponte ad Vitellium tranſeunt, eumque Imperatorem ſalutant. Galba, natus ſuam contemni ſe- | 68. |

neſtutem, III. Id. Januarias in caſtris pro concione adoptat nobilem juvenem L. Piſonem Frugi. Hoc perculit Othonem, qui ſe adoptatum iri ſperarat; & ſimul æris alieni magnitudine premebatur. Ergo Prætorianos, quos jam pridem largitione corruperat, in medium forum adducit, perque eos Galbam cum filio Piſone & T. Vinio Rufino collega occidit. Hinc imperium invadit XVI. kal. Febr. vel juxta Plutarchum XVIII. Senatus, metu perculſus, mox omnia ei imperii ornamenta decrevit prid. Id. Mart. Otho contractis undique exercitibus urbe abit adverſus Vitellium. Ac tribus quidem mediocribus prœliis primùm vincit; ſed noviſſimo, maximoque ad Bebriacum vincitur. Prœlio ipſe non adſuerat; ſed Brixelli ſubſtiterat. Cladis nuncio accepto mori ſtatuit, ſeque rebus domeſticis prius ordinatis gladio poſtridie occidit XII. kalend. Maji. Reliquiæ exercitus jurarunt Vitellio. Hic Sabinum, urbi præfectum, atque alios adverſæ partis cum Capitolio, in quod confugerant, cremavit. Sed poſtridie ab Antonio, primo Flavianorum duce, capta eſt Roma; Vitellius, è latebris productus &, religatis poſt tergum manibus, laqueo cervicibus injecto cum multo verborum ludibrio ad Gemonias ictibus multis excarnificatus & in Tiberim tractus, perit IX kalend. Jun. Ita civili bello impoſitus finis, imperiumque à Senatu delatum Veſpaſiano, qui jam kal. Jul. in Oriente ab exercitu ſalutatus erat Imperator. Claudius Civilis eodem anno turbat Germaniam & Galliam.

Iↄccc XXIII. Hieroſolyma, à Tito, Veſpaſiani filio, obſideri cœpta in Paſchate. Templum captum & incenſum V Id. Aug. univerſa urbs direpta, incenſaque VI Id. Septemb. Floret Romæ Quinctilianus, quem anno Superiori ex Hiſpaniis Galba deduxerat. 69.

Iↄccc XXX. Q. Aſconius Pedianus, ſcriptor hiſtoricus, clarus habetur, qui, LXXIII. ætatis ſuæ anno captus luminibus, XII poſtea annis in ſummo omnium honore conſeneſcit; autor Euſebius. 76.

Iↄccc XXXII. Veſpaſianus profluvio ventris moritur in villa ſua circa Sabinos anno ætat. LXIV. Ei ſuccedit Titus filius, vir utraque lingua diſertiſſimus, tantæque bonitatis, ut, quum aliquando in cœna recordaretur, nulli eo ſe die benefeciſſe, dixerit amicis; *hodie diem perdidi*. 78.

Iↄccc XXXIII. Montis Veſuvii tantum in Campania incendium fuit, ut vicinas urbes, hominesque exureret. Eo incendio periit etiam Plinius Veronenſis, Naturalis hiſtoriæ Scriptor. 79.

Iↄccc XXXIV. Titus amphitheatrum Romæ extruit, in cujus dedicatione conſumpta Iↄↄ ferarum. Eo pſe anno in villa, in qua ante pater morbo periit, annos natus XLII. ſuccedit frater junior Domitianus. Hic primus ſe Dominum, Deumque vocari juſſit. Etiam in honorem ſuum Septembrem quidem dici voluit Germanicum, Octobrem Domitianum. Urbe bis pepulit Mathematicos & Philoſophos. prohibuit vites in Urbe ſeri. Primus agona Capitolinum inſtituit, qui & multo poſt quarto quoque anno celebratus. Secundus poſt Neronem Chriſtianos eſt perſecutus. Sub eo Johannes Euangeliſta in Pathmum relegatus, ubi Apocalypſin vidit. Floruere etiam ſub eo Apollonius Tyanæus & Euphrates philoſophi. Quinctilianus publicam aperuit ſcholam & primus à fiſco ſalarium accepit. 80.

Iↄccc XLVIII. Domitianus quinto & quadrageſimo ætatis anno occiditur libertinorum conſilio, nec ignara uxore, quæ hiſtrionis amorem viro præferebat. Funus ejus cum magna ignominia per veſpillones elatum & ignobiliter ſepultum. Subrogatus ei Coccius Nerva; ſed jam LXX agens annum. Verùm ſibi diffidens optumè conſuluit Reip. adoptando Ulpium Trajanum. 84.

Iↄccc L. Moritur Nerva in hortis Salluſtianis. Succedit Trajanus, natus Italicæ in Hiſpania, Imperator optimus & fortiſſimus. 96.

Iↄccc LIII. Triumphat Trajanus de Decebalo, rege Dacorum. 99.

Iↄccc LVI. Iterum triumphat de Decebalo. Daciam facit provinciam. Item Arabes domat. Pontem Danubio imponit ante biennium. 102.

Iↄccc LVIII. Terræ motu quatuor Aſiæ urbes ſubverſæ Elea, Myrina, Pitanæ & Cymæ: item duæ Græciæ Opuntiorum & Oritorum. 104.

Iↄccc LX. Sub Trajano tertia adverſus Chriſtianos perſecutio oritur; in qua Ignatius Antiochenus, beſtiis objectus, periit. Plinius verò Novocomenſis pro Chriſtianis ad Trajanum ſcripſit. 106.

Iↄccc LXV. Trajanus, in Orientem profectus, res maximas gerit adverſus Parthos, Armenios, Arabas. Babylonem, Seleuciam, Cteſiphontem occupat, Aſſyriam & Meſopotamiam Romano addidit Imperio; inque mari Rubro claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtet. 111.

Iↄccc LXVIII. Trajanus Selinunte in Sicilia, vel juxta alios prope Seleuciam Iſauriæ profluvio ventris periit anno ætat. LXIII. Ei ſucceſſit Hadrianus, Italicæ in Hiſpania natus, Trajani conſobrinus. Sub hoc floruere Plutarchus, Sextus Oenonius, Euphrates, Phavonius Philoſophi; Salvius Julianus J. Conſultus, qui perpetuum Edictum compoſuit; Polemo rhetor, &c. 115.

Iↄccc LXX. Hadrianus, Trajani invidens gloriæ, exercitum Romanum revocat ex Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, quas ille fecerat provincias. Judæi, qui poſt Hadriani diſceſſum rebellabant, magna clade afficiuntur à M. Turbone. 116.

Iↄccc LXXXII. Hadrianus Antonium puerum, quem perditè amarat, in Deos refert, urbemque ejus nomine appellat. Circa hæc tempora in ſolo Hieroſolymæ everſæ condidit urbem, quam à prænomine ſuo Æliam vocat. In fronte item ejus portæ, qua Bethlehem itur, ſuem ſculpſit in marmore prominentem. Templum quo- 128.

Google

*Annus ab V.C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

quoque Jovis Capitolini condit in ruderibus templi Salomonici. Hæc res Judæos excitavit ad novum bellum duce Barchocheva; duravitque id bellum usque ad extrema Hadriani tempora.

Iↄccc xc. Hadrianus morbo aquæ intercutis moritur apud Bajas, major ſexagenario. Ei ſuccedit Antoninus Pius. Sub hoc floruere Max. Tyrius & Arrianus Nicomedenſis, qui Xenophon minor dictus. Item Athenæus, Δειπνοσοφιστῶν ſcriptor & Hermogenes Rhetor. 136.

Iↄcccc xiv. Antonino Pio ſuccedit Antoninus Philoſophus, qui collegam adſumit L. Aurelium Verum. Ac tum primùm Imperium Rom. duos habuit Auguſtos. Fuit Antoninus vir bonus & æquabilis in omni vita; nihil in eo fictum, nihil ſimulatum. Vide Capitolinum. 160.

Iↄcccc xv. L. Verus in Orientem proficiſcitur contra Vologeſem, regem Parthorum, qui vicinas Romanorum provincias populabatur. Fronto orator clarus habetur, à quo Imperator Verus Rom. litteris fuit eruditus. 161.

Iↄcccc xvii. Seleucia, Aſſyriæ urbs, cum ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ hominum capta à Caſſio, Syriæ præſide; multaque alia fortiter geſta in Oriente. 163.

Iↄcccc xviii. Imperatores de Parthis triumphant. 164.

Iↄcccc xix. Quarta adverſus Chriſtianos in Aſia perſecutio oritur, in qua martyrio obiit Polycarpus, Joannis Apoſtoli diſcipulus, annos natus lxxxvi. Apud Piſas Peregrinus Philoſophus rogum exſtruxit, inque eo ſe vivum cunctis inſpectantibus combuſſit. 165.

Iↄcccc xxi. Romani bellum gerunt cum Germanis, Marcomannis, Quadis, Sarmatis & Dacis. 167.

Iↄcccc xxiii. Imperator L. Aurelius Verus, cum fratre vehiculo inſidens, moritur apoplexia anno imperii ix, vel, ut alii volunt, xi, inter Concordiam & Altinum. Deinceps ſolus imperat Antoninus Philoſophus. 169.

Iↄcccc xxv. Floret Oppianus, poëta Cilix. 171.

Iↄcccc xxvi. Antoninus in Quadorum regione cum univerſo exercitu quinque diebus laborat aquæ penuria, adeò ut milites, in anguſtiis montium Germaniæ circumcluſi, penè conficerentur ſiti. Tum Imperatorem anxium & perculſum acceſſit Præfectus Prætorio ac dixit, nihil non Chriſtianos impetrare poſſe à Deo, eſſeque in legione xii cohortem militum, quæ Chriſtum colerent. Eo intellecto popoſcit Antoninus, ut Deum ſupplicarent. Ut preces fuſæ, larga cœlitus pluvia miſſa eſt, quam milites ſcutis exceperunt. Ita recreatus eſt miles. Contra in Quadorum exercitus fulmina deciderunt, multoſque interfecerunt. Quo Imperator obſtupefactus, magno deinceps loco Chriſtianos habuit. Vide Capitolinum, Dionem, Tertullianum Apologis & ad Scapulum, Euſeb. lib. v, Oroſium & alios. Eodem anno Avidius Caſſius, Orientis præſes, defecit ab Imper. Sed, dum bellum molitur, interficitur. 172.

Iↄcccc xxviii. Antoninus aſſumit Commodum filium collegam v kal. Decemb. 174.

Iↄcccc xxx. Marcomanni & ſociæ gentes bellum inſtaurant adverſus Romanos. 176.

Iↄcccc xxxiii. Antoninus in Pannonia ad Sirmicum morbo perit in caſtris; cui ſuccedit filius Commodus, patri omnino diſſimilis, adeò ut uno hoc Antoninus fuerit infelix, quod talem filium reliquerit. Libidine enim & vitæ turpitudine Domitiano, crudelitate Neroni ſimilis fuit. Interim ſub hoc tyranno pax data Eccleſiis, idque pellici ejus Martiæ debebatur, quæ Chriſtianorum erat ſtudioſa & multum poterat apud Commodum. 179.

Iↄcccc xxxvi. Commodus ſævire incipit, operam ad hoc ſuam præſtante Peronio, præfecto prætorii. 182.

Iↄcccc xxxviii. Peronius, quo ſævitiæ miniſtro uſus erat Imperator, unà cum liberis ab ipſo interimitur. Commodus menſem Septembrem à ſe nominari præcipit. 184.

Iↄcccc xxxix. Ingens Romæ peſtilentia & fames, quam augebat Cleander, Cæſarianorum præfectus. 185.

Iↄcccc xlii. Cleander occiditur cum liberis. 188.

Iↄcccc xliii. Thalmud Judæorum conſcribitur anno ab incenſo Templo cxx. 189.

Iↄcccc xlv. Commodus, omnibus incommodus, nocte ſtrangulatur pr. kalend. Januar. Ei ſurrogatur P. Helvius Pertinax. Hic primùm Grammatices profeſſor fuit, inque eo munere ſucceſſit P. Sulpicio Apollinari, cujus in Terentii Comœdias periochæ exſtant. Hoc ipſo verò anno Cos. fuerat cum Commodo Imperatore. Pertinax interficitur à militibus, quum imperaſſet diebus lxxvii. Ejus in locum ſuffectus Didius Julianus. Sed & hic interfectus, quum imperaſſet diebus lxviii. In Juliani locum ſurrogatus L. Septimius Severus, de quo dictum fuit, aut nunquam naſci debuiſſe, aut nunquam mori. Nam crudelis erat; ſed cætera Reip. perutilis. Floruit ſub eo Tertullianus. 191.

Iↄcccc xlvi. Severus Piſcennium Nigrum, qui, Ægyptum dux obtinens, dominationis ſpe bellum moverat, apud Cyzicenos mori cogit. 192.

Iↄcccc li. Severus difficili prœlio vincit Clodium Albinum, qui autor fuerat occidendi Pertinacis, inque Gallia imperium invaſerat. 197.

Iↄcccc liii. Severus Parthos & Adiabenos & inferiores Arabas cædit. Unde Parthici, Adiabenici & Arabici nomen accepit. 199.

Iↄcccc lv. Quinta Chriſtianorum perſecutio oritur ſub Severo; in qua Leonides, Originis pater, martyrio eſt coronatus, relicta paupere vidua cum ſex filiis, è quibus Origenes erat annos natus xvii. 201.

Iↄcccc lvii. Severus Brittannos bello adoritur: atque ut provincias Romanorum tutas præſtet adverſus barbarorum excurſiones, vallum per ccc1ↄↄↄ cc1ↄↄ cc1ↄↄ cc1ↄↄ c1ↄ c1ↄ paſſuum à mari ad mare. Euſebius. 203.

Iↄcccc lxiv. Severus Eburaci in Brittannia moritur. Qui moriturus ita filiis præcepit: eſtote concordes; locupletate milites; cæteros contemnite. Autor Dio. Ei ſuccedit filius Antoninus, cognomento Caracalla, ita dictus propter genus veſtis, quod Romæ erogaverat; quemadmodum 210.

Digitized by Google

*Annus ab V.C.* — *An. vulg. Ær. Chriſt.*

dum & è contrario Caracallæ ab hujus nomine dictæ ſunt Antonianæ. Euſeb.

IↃccccLXV. Antoninus Caracalla fratrem & collegam ſuum Septimium Getam Imperat. occidit. Parricidium hoc ut excuſaret Papinianus juſſit. Sed reſpondit ille, non tam facilè id excuſari, quam patrari. Propterea nobilis Juriſconſultus, qui Juris aſylum dictus eſt & ex cujus ſchola tot clari Juriſconſulti prodierunt, ſecuri eſt percuſſus. 211.

IↃccccLXIX. Antoninus thermas Romæ ædificat, quæ ex nomine ejus dictæ Antoninianæ. Antoninus circa hoc tempus nec Juliæ, novercæ ſuæ concubitu abſtinet. 215.

IↃccccLXX. Antoninus interficitur inter Edeſſam & Carras anno ætatis XLIII. Ei ſubſtituitur Macrinus, prætorio præfectus, qui imperare cœpit VI Id. Apr. 216.

IↃccccLXXI. Macrinus occiditur in Archelaide, quum imperaſſet annum unum & menſes prope duos. Ejus in locum ſucceſſit Antoninus Heliogabalus, Imperator impuriſſimus, ſolaque obſcuritate & crudelitate nobilis. Florent ſub eo Julius Africanus chronologus, B. Cyprianus martyr & alii. 217.

IↃccccLXXV. Antoninus Heliogabalus militari tumultu occiditur Romæ unà cum matre impuriſſima & tali filio planè digna. Cadaver raptum per urbem, laceratum, ad cloacas deportatum ac tandem projectum in Tiberim adnexo pondere, ne fluitaret, vel ſepeliri poſſet. Huic ſucceſſit Alexander Imperator, Mammeæ filius, princeps laudatiſſimus, litteratorum amantiſſimus, Chriſtianorum fautor; quorum illud dictum imprimis amabat: Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris; quod & parietibus inſcribi & per præconem proclamari juſſit. Etiam popinariis conquirentibus, locum eſſe à Chriſtianis occupatum, qui ſibi deberetur, reſpondit, ſatius eſſe, ut quomodocunque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur. Idem nullam unquam legem ſanxit, niſi quam XX Juriſconſulti probaſſent, quos inter erant Jul. Paulus, Pomponius, Celſus, Modeſtinus, Calliſtratus, Florentinus, Africanus, Venulejus & princeps omnium Ulpianus, ſcriniorum magiſter & prætorio præfectus; quem Imperatorem adverſus militum iram ac vim objecta purpura ſua texit ac defendit. 221.

IↃccccLXXVI. Ulpianus à prætorianis militibus, quod ſeveriùs diſciplinam exerceret, occiditur. 222.

IↃccccLXXXII. Regnum Parthorum deſinit Artabano, rege eorum, victo & occiſo ab Artaxerxe, Perſarum rege. Iis Perſis redditum imperium Orientis. 229.

IↃccccLXXXV. Origenes Alexandria ad Cæſaream Palæſtinam tranſit. 232.

IↃccccLXXXVI. Alexander, dum adverſus Germanos bellum gerit, Mogontiaci ſcelere Maximini per militarem tumultum occiditur. Exercitus Imperatorem creat Maximinum. Sed Senatus ex Africa ad imperium vocat duos Gordianos. Verùm Maximinus & eos occidit. Fuerat Maximinus primùm opilio in Thracia: ſed ob proceritatem corporis in militiam fuit adſcitus & per varios honorum gradus evectus. Senatus, ut Gordianorum cædem cognovit, Pupienum Maximum & Balbinum contra eum Imperatores creavit. Etiam Gordianum juniorem, majoris ex filia nepotem, Cæſarem dixit. Sub Maximino hoc ſexta adverſus Chriſtianos perſecutio fuit. 233.

IↃccccLXXXIX. Maximinus Aquilejæ occiditur à Pupieno. 236.

IↃccccXC. Pupienus & Balbinus à Prætorianis Romæ interficiuntur tempore Agonis Capitolini. Ita penes unum Gordianum imperium fuit. Hujus Gordiani ἀπόφθεγμα illud celebratur: Miſerum eſſe Imper., apud quem vera reticentur. 237.

IↃccccXCIII. Sapores, Perſarum rex, fines Romanorum infeſtat. Gordianus Perſis devictis dum Romam reverti parat, haud longè à Romano ſolo occiditur fraude Philippi Arabis, prætorio præfecti; qui ejus in locum electus. Hunc primum inter Imperatores Chriſtianum fuiſſe volunt, nec Paſchalibus feriis prius ſacramentum percepiſſe, quàm inter alios, peccata confitentes in templo ſtetiſſet & pœnitentiæ ſigna edidiſſet. Aliis hæc fabula mera videtur. Philippus filium ſuum ejuſdem nominis imperii conſortem fecit. 240.

CIↃ. Imperantibus Philippis agon millenarius Romæ celebratus apparatu longè maximo. Innumeræ beſtiæ in Circo Maximo interfectæ; inque Campo Martio ludi theatrales tribus diebus ac noctibus pervigilante populo celebrati. Tum Pompeji theatrum incenſum & hecatoſtylon. 247.

CIↃII. Philippus pater Veronæ, filius Romæ occiditur, Iis ſuccedit Decius, Budaliæ natus in Pannonia inferiori. Sub hoc ſeptima cœpit adverſus Chriſtianos perſecutio; in qua martyrio obiit Fabianus, Romanus Pontifex, & S. Laurentius, Diaconus Romanus, qui in craticula jacens inter medias flammas fidem eſt confeſſus. Item Apollonia virgo, quæ dentibus excuſſis ultro in rogum inſiluit; & Babylas, Antiochenus Epiſcopus, atque alii multi. 249.

CIↃV. Decius à Gothis cæditur cum toto exercitu, nec corpus ejus potuit inveniri. Periit & tum filius ejus, quem imperii fecerat conſortem. Eorum in locum electus Gallus cum filio ſuo Voluſiano. 252.

CIↃVII. Æmiliano in Mœſia res novas moliente adverſus eum proficiſcuntur Imperatores: ſed in foro Flaminii, ſive, ut alii volunt, Interamnæ interficiuntur. Iis ſuccedit Æmilianus: ſed tertio invaſæ tyrannidis menſe & ipſe occiditur. Æmiliano ſuccedit Valerianus cum filio Gallieno. Hi primùm adverſus Chriſtianos mites ac benigni fuere. Sed poſtquam Valerianus, ab Ægypto quodam magó magicas artes edoctus, magicis & ipſe artibus ſe dedere cœpit, ab eodem perſuaſus Chriſtianos perſequi cœpit. 254.

CIↃX. Octava ea perſecutio fuit: cujus anno 257.

CIↃXIII. tertio Cyprianus, capite truncatus, martyrii coronam eſt conſecutus. Valerianus 260.

Digitized by Google

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

nus eodem anno, qui ætatis erat LXXVII, vincitur & capitur à Sapore, Perſarum rege, atque apud eum miſerabili ſervitute conſeneſcit. Quippe Sapor, equum conſcenſurus, cervice Valeriani incurvata pro ſcabello uti ſolebat. Qua patris ſui calamitate territus Gallienus pacem Eccleſiis reddidit.

cIↃ XIV. Sapor, Perſarum rex, Syriam, Ciliciam & Cappadociam populatur. 261.

cIↃ XV. Gallienus laſciviæ ſe totum dat. Germaniæ gentes Franci, Gothi, Saxones, Suevi invadunt undique provincias populi Romani, Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam, ipſamque in Italiam tranſeunt. Ea occaſione XXX. tyranni diverſis temporibus & locis invadunt imperium Romanum, ſeque Impp. appellant; de quibus vide Trebell. Pollion. 262.

cIↃ XVI. Quadi & Sarmatæ Pannonias occupant. 263.

cIↃ XVII. Germani Hiſpanias invadunt & Tarracona expugnant. 264.

cIↃ XVIII. Perſæ Meſopotamiam obtinent & Syriam incurſant. Sed Odenatus Palmyrenus Romanorum auſpiciis eos reprimit. 265.

cIↃ XIX. Odenatus ita Perſas cædit, ut ad Cteſiphontem caſtra ponat. 266.

cIↃ XXI. Galliæ per Poſthumum & Victorinum & Tetricum receptæ. Gallienus Mediolani occiditur aſtu Aureoli, qui legionibus per Rhœtias præerat. Gallieno ſucceſſit Claudius. 268.

cIↃ XXII. Claudius Gothos, qui Illyricum & Macedoniam populabantur, vincit. 269.

cIↃ XXIII. Claudius Sirmi moritur. Succedit Aurelianus, princeps ſeverus, imò ſævus. Sororis filium levi de cauſa occidit. Militem, qui cum uxore hoſpitis adulterium commiſerat, inflexis duarum arborum capitibus alligavit, ut iis ſubitò dimiſſis utrinque penderet. Vicario ita ſcripſit: Si vis tribunus eſſe, imò ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo aliena rapiat. Segetem nemo atterat. Annona ſua miles contentus ſit; non de lachrymis provincialium vivat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat. Princeps neceſſarius magis, quàm bonus: quippe cui defuerit prima Imperat. virtus clementia, ut ait Vopiſcus. 270.

cIↃ XXIV. Aurelianus Tetrico apud Catalaunum prodente exercitum ſuum Gallias recepit. Euſeb. 271.

cIↃ XXV. Zenobia, Palmyrenorum regina, quæ Odenato, marito ſuo occiſo, Orientis invaſerat imperium, vincitur ab Aureliano apud Tinas haut longè ab Antiochia, captaque ducitur Romam. 272.

cIↃ XXVI. Aurelianus triumphat Romæ, quem Tetricus & Zenobia præcedunt. Tetricus poſtea fuit Lucaniæ corrector, Zenobia ſummo in honore in Urbe conſenuit. 273.

cIↃ XXVII. Aurelianus perſecutionem adverſus Chriſtianos movet, quæ nona numero eſt; ſed à nonnullis non annumeratur, quia ob mortem Aureliani, mox conſecutam, citò deſiit. 274.

cIↃ XXVIII. Aurelianus menſe Januario occiditur fraude notarii ſui inter Conſtantinopolim & Heracliam. Poſtea ſex penè menſium interregnum fuit. Succeſſit inde Tacitus VII kal. Octobr.: ſed ſex ſolùm menſibus imperavit. 275.

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

cIↃ XXIX. Tacitus occiditur apud Pontum: poſt quem Florianus duobus menſibus imperium obtinet. Interfecto hoc apud Tarſum ſuccedit Probus v. Non. Jul. 276.

cIↃ XXXI. Probus Gallias, à Germanis occupatas, recuperat occiſis eorum [illegible] IↃↃↃ. 278.

cIↃ XXXV. Probus militari tumultu interimitur. Succedunt Carus & filii duo Carinus ac Numerianus. 282.

cIↃ XXXVI. Carus adverſus Perſas profectus & feliciter adverſus eos re geſta in tentorio, quod juxta Tigrim poſuerat, fulmine ictus perit. 283.

cIↃ XXXVII. Numerianus, quum ob dolorem oculorum lecticula veheretur, inſidiis ſoceri ſui Apri interimitur ac vix poſt dies aliquot fœtore cadaveris facinus deprehenditur. Euſeb. 284.

cIↃ XXXVIII. Carinus multis prœliis confligit cum Diocletiano, quem exercitus Auguſtum ſalutarat. Sed poſtrema ad Margum pugna vincitur & à milite, cujus uxori ſtuprum intulerat, occiditur. Succedit Diocletianus Dalmata, Scribæ filius, qui fatalem Aprum in militum concione interemit, eo quod Numerianum ſuſtuliſſet. Ab hoc æra martyrum cœpit, dicta Diocletiana, inſtituta ob Cyclum Paſchalem. 285.

cIↃ XLI. Maximinianus Herculius, homo truculentus, à Diocletiano in regni conſortium aſſumitur. Carauſius ſumpta purpura invadit Britannias. Quinquegentiani Africam infeſtant. Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus in regni conſortium aſſumitur. Conſtantius erat Claudii Imperat. ex filia nepos. Hic uxorem repudiare compulſus duxit privignam Herculi Theodoram. Galerius itidem uxore dimiſſa duxit Diocletiani filiam Valeriam. 288.

cIↃ XLV. Britannia ductu Conſtantii Chlori everſo Carauſio recuperatur. 292.

cIↃ XLVI. Carporum & Baſtarnarum gentes transferuntur in ſolum Rom. 293.

cIↃ XLVII. Alexandria, quæ cum omni Ægypto duce Achilleo defecerat, recuperatur à Diocletiano. Supplicium ſumptum de defectionis autoribus, crudeliterque ſævitum in cives. Circa hæc tempora Diocletianus, dulci fortuna ebrius, ita ſe extulit; ut, quum Imperatores antehac Judicum more ſalutarentur & purpurea chlamyde ab aliis differrent, ille Dei inſtar vellet adorari, gemmas veſtibus & calceis infereret, pedeſque ſalutantibus oſculandos præberet. 294.

cIↃ LII. Conſtantius Chlorus cædit Alemanorum IↃↃ ccIↃ. 299.

cIↃ LV. Diocletianus & Maximianus A A. triumphant Marſe, Perſarum rege devicto, cujus & uxor, liberi ac ſorores captæ. Euſeb. Sub Diocletiano & Maximiano decima eſt perſecutio adverſus Chriſtianos, eaque omnium graviſſima. Quippe unico menſe feruntur occiſa ccIↃↃ IↃↃ cIↃ cIↃ martyrum millia, ut 302.

*Annus ab V. C.* — *An. vulg. Ær. Chriſt.*

de exulibus interim nil dicam. Duravit verò hæc perſecutio totum decennium. De ea ſic Sulpic. Severus: *hac tempeſtate omnis fere Sacro martyrum cruore orbis infectus eſt. Quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam bellis mundus magis exhauſtus eſt, neque majore unquam triumpho vicimus, quam quum X annorum ſtragibus vinci non potuimus.*

cIↃLVII. 304. Secundo perſecutionis anno Diocletianus & Maximianus purpuram deponunt & imperium committunt Conſtantio Chloro & Galerio Maximiano. Itaque qui antea Cæſares, nunc Auguſti appellantur. Hi inter ſe diviſere imperium Romanum. Vixere partim Diocletiani tempore, partim ſequentium Impp. Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Flavius Vopiſcus & Trebellius Pollio.

cIↃLVIII. 305. Conſtantius Chriſtianos, ſub ſe viventes tutatur; ſed Maximianus perſecutionem crudeliter in Provinciis omnibus exercet.

cIↃLIX. 306. Galerius Maximianus Maximinum & Severum Cæſares facit; quorum ille, ſororis filius, hoſtis Chriſtianorum acerrimus fuit.

cIↃLX. 307. Conſtantius Chlorus Eboraci in Britannia moritur: poſt quem Conſtantinus, ejus ex Helena concubina filius, Auguſtus ſalutatur.

### *De Temporibus Romanorum ab initio Imperii Conſtantini M. uſque ad Imperii diviſionem in Orientale & Occidentale.*

cIↃLXI. 308. Maxentius, Herculii Maximiani filius, Romæ à Prætorianis militibus Auguſtus nominatur. Euſeb. Itaque imperium tum temporis erat penes quatuor iſtos, Conſtantinum, Galerium Maximianum, Severum Cæſarem & Maxentium.

cIↃLXII. 309. Severus Cæſar, à Galerio Maximiano contra Maxentium miſſus, Ravennæ interficitur. Euſeb.

cIↃLXIII. 310. Maximianus Herculius, qui deponente imperium Diocletiano & ipſe illud depoſuerat, conſilia agitat de eo recuperando, eoque inſidias ſtruit genero ſuo Conſtantino. Sed Fauſta, Maximiani filia, Conſtantini conjux, rem marito detexit. Qui, quum prævertere mallet, Maximianum captum Maſſiliæ juſſit ſtrangulari.

cIↃLXIV. 311. Galerius Maximianus paulo, antequam morbo pediculari obiret, Auguſtum dixit Licinium Dacum III kalend. Maj. (Sed id biennio ante factum, ſcribit Euſeb.) qui à Galerio in Severi Cæſaris, Ravennæ interfecti, locum ſucceſſit, à ſe non obſcurè indicat: Imperium eſt penes quatuor hos, Conſtantinum, Maximinum, Maxentium & Licinium.

*Annus ab V. C.* — *An. vulg. Ær. Chriſt.*

cIↃLXV. 312. Maximinus, Orientis tyrannus, hoſtis Chriſtianorum infeſtiſſimus, bellum parat adverſus Licinium; ſed in ipſo belli apparatu acerbiſſimis corporis cruciatibus moritur Tharſi. Eodem, vel juxta Euſebium, anno proximo, quum Maxentius tyrannidem Romæ exerceret. Conſtantinus de tollenda tyrannide conſilia agitat. Dum in eam cogitationem eſt defixus, in cœlo fulgentem vidit columnam lucidam crucis ſpecie cum hac inſcriptione: IN HOC VINCE. Etiam in ſomnis Chriſtus ei apparuiſſe dicitur, autorque fuiſſe, ut in vexillis crucis ſigno uteretur. Paruit Imperator & cum Maxentio ad Milvium pontem prœlio certans eum ſuperavit: ubi & Maxentius ipſe eſt ſubmerſus. Ab nobili hac victoria, qua Eccleſiis pax reddita, incipiunt Veterum Indictiones, ut ex Græcorum Faſtis Onuphrius oſtendit. Comprehendit verò Indictio annos XV, eſtque initium Indictionis cujuſque à XXIV. Sept.

cIↃLXVIII. 315. Bellum eſt inter affines Imperatores Conſtantinum & Licinium, penes quos ſolos Maximino & Maxentio mortuis Imperium erat. Sed bellum hoc intra annum vertentem novo fœdere inito compoſitum eſt. Euſebius ſuperiori anno hoc bellum geſtum cenſet. Floret his temporibus Lactantius Firmianus, Arnobii diſcipulus, Criſpi, Conſtantini filius, præceptor, vir diſertiſſimus, ſed uſque adeò pauper, ut plerumque etiam neceſſaria deeſſent.

cIↃLXX. 317. Diocletianus, quum à Conſtantino & Licinio Juniore accepiſſet, quod partes foviſſet Maximini & Maxentii, metuens ſibi ab iis, venenum bibit, ſoluſque omnium privatus inter Deos eſt relatus.

cIↃLXXI. 318. Criſpus & Conſtantinus, filius Conſtantini, & Licinius, Licinii Auguſti filius, Cæſares appellantur.

cIↃLXXIV. 321. Licinius Chriſtianos palatio pellit & eoſdem perſequi incipit.

cIↃLXXVI. 323. Initium novi belli inter Conſtantinum & Licinium. Conſtantius, Conſtantini filius, appellatur Cæſar.

cIↃLXXVII. 324. Licinius, tribus a Conſtantino prœliis victus, imperio ſe abdicat & ſalutem à Conſtantino impetrat per uxorem Conſtantiam, Conſtantini ſororem.

cIↃLXXVIII. 325. Licinius anni hujus initio, quum res novas moliretur, juſſu Conſtantini occiditur. Cœpit eodem anno Synodus Nicena.

cIↃLXXIX. 326. Criſpus, Conſtantini filius, interimitur; item Licinius junior, Licinii A. & Conſtantiæ, quæ Conſtantini ſoror erat, filius egregius juvenis.

cIↃLXXX. 327. Fauſta A., calumniarum rea, in balneas ardentes conjicitur à marito Conſtantino, quum eum Helena nimio nepotis Criſpi dolore increpaſſet, Helena A., Conſtantini mater, moritur hoc vel ſuperiori anno. Floret his temporibus Juvencus, poëta Chriſtianus.

cIↃLXXXIII. 330. Encænia novæ Urbis Conſtantinopolis V Id. Maj. celebrantur. Edicto Conſtantini Templa Gentilium everſa.

cIↃLXXXV. 332. Conſtantinus Gothos vincit, eoſque Romanæ adſcribit militiæ.

Con-

Digitized by Google

*Annus ab V.C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

cIↄLXXXVII. Conſtantius, Conſtantini filius, provehitur ad regnum. Euſeb. Tricennalibus Conſtantini Dalmatius, fratris ejus filius, Cæſar appellatus. 334.

cIↄXC. Conſtantinus, bellum parans adverſus Perſas, juxta Nicomediam moritur. Poſt cujus obitum à militibus occiſus Dalmatius. Succeſſere Conſtantino tres filii, qui ita orbem Romanum inter ſe diviſere. Conſtantinus junior obtinuit cuncta trans Alpes; Conſtantius à freto Propontidis Aſiam atque Orientem; Conſtans Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam, Macedoniamque & Achajam. Anibaliano, Dalmatii ſocro, ceſſit Armenia cum nationibus vicinis. 337.

cIↄXCIII. Conſtantinus junior bellum infert fratri Conſtanti; ſed vincitur atque occiditur prope Aquilejam. Ita Imperium duos ſolùm habuit Auguſtos, Conſtantem & Conſtantium. Vario eventu à Conſtante adverſus Francos pugnatur. 340.

cIↄXCIV. Conſtans Francos domat, pacemque cum iis init. 341.

cIↄCIII. Magnentius apud Auguſtas arripit Imperium & Conſtantem haut longè ab Hiſpania in Caſtro, cui Helene nomen, interficit. 350.

cIↄCIV. Romæ populus, adverſus Magnentianos rebellans, proditur ab Heraclida Senatore. Bellum geritur inter Magnentium & Conſtantium; qui, antequam id ſuſciperet, Cæſarem dixit Gallum, fratrem patruelem & ſororem Conſtantinam ei conjunxit. Magnentius quoque conſanguineum ſuum Decentium Cæſarem creavit. Iiſdem diebus Nepotianus, Eutropiæ, Conſtantini ſororis, filius, hortatu quorundam Auguſti nomen rapit. Sed eum octavo, vigeſimoque die Magnentius oppreſſit. Caput pilo per urbem latum, multique nobilium proſcripti & occiſi. Hinc prope Murſam pugnatum inter Magnentium & Conſtantium: in quo bello Romani Imperii vires planè attritæ & prope conſumptæ. Victus autem Magnentius; qui non multo poſt, in anguſtias prope Lugdunum redactus, ſemet interemit, menſe Imperii XLII, ætatis pænè L. Decentius quoque, quem Magnentius Cæſarem fecerat, apud Senones laqueo vitam finiit. 351.

cIↄCVII. Gallus Cæſar, quum in ſuſpicionem veniſſet affectati Imperii, occiditur Iſtriæ juſſu Imperatoris, patruelis ſui. Sylvanus, res novas in Gallia moliens, die XXVIII occiditur. 354.

cIↄCVIII. Julianus, frater Galli, Mediolani à Conſtantio Cæſar appellatur VIII Idib. Decemb. 355.

cIↄCX. Julianus urgentes Germanorum copias cædit juxta Argentoratum. 357.

cIↄCXV. Conſtantius moritur Mopſocrenis inter Ciliciam & Cappadociam anno ætatis XLV. Succedit ei Julianus, cognomento Apoſtata. Initio enim Chriſtianus fuit; ſed ad Gentilem poſtea religionem eſt prolapſus. Chriſtiani pro Juliano Idolianum dixere, quod Templa Idolorum, à Conſtantino clauſa, aperuiſſet & reſtituiſſet Gentibus. Chriſtianos aula ſua expulit. Legem etiam tulit, ne Chriſtiani Grammaticen, vel bonas artes docerent. Nam noſtris, inquiebat, pennis ſternimur; quod in proverbio eſt. Neminem tamen ad ſacrificandum Idolis coegit, ut blanda hæc magis, quàm impellens perſecutio fuerit. 362.

cIↄCXVI. Julianus bellum gerit adverſus Perſas; cui expeditioni interfuiſſe ſe ſcribunt duo Hiſtorici Eutropius & Ammianus Marcellinus. Dum verò incautius ſe prœlio miſcet, vulneratur, eoque ex vulnere in caſtra delatus moritur. Succeſſit ei Jovianus V kal. Jun. Fuerat Domeſticorum primicerius. Imperavit menſes VIII Jovianus, quum in cubiculo, recenti calce illito, prunas nimium multas adoleri juſſiſſet, gravi eo odore exanimatus moritur VI kalend. Mart. ætatis XXXIII. Succedit Valentinianus, qui & Valentem fratrem in imperii conſortium aſſumpſit. At Valentinianus quidem Occidenti præfuit, Valens Orienti. Ille Catholicis, hic Arrianis favit. Floruere his temporibus præter Athanaſium & Hilarium Baſilius Magnus Cæſarienſis, Georgius Nyſſenus, Baſilii frater, Georgius Nazianzenus, B. Hieronymi in S. litteris præceptor, Epiphanius, Cypri epiſcopus, Didymus Alexandrinus, Apollinaris Syrus; cujus Pſalmos habemus carmine Græco ſcriptos. 363.

cIↄCXVIII. Procopius apud Conſtantinopolim tyrannidem invadit. 365.

cIↄCXIX. Procopius apud Phrygiam Salutarem imperio exuitur. Multi Procopianæ factionis occiſi ac proſcripti. 366.

cIↄCXX. Valentinianus filium ſuum Gratianum Auguſtum creat. 367.

cIↄCXXII. Valens Gothis bellum infert. 369.

cIↄCXXIII. Valentinianus Saxones ejicit Galliis. 370.

cIↄCXXV. Valentinianus iterum cædit Germanos. 372.

cIↄCXXVIII. Valentinianus moritur apoplexia XV kalend. Decemb. Gratianus in imperium aſſumit Valentinianum, fratrem adoleſcentulum. 375.

cIↄCXXIX. Gothi in Thracia ſedem figunt permiſſu Valentis, nec arma deponere jubentur. 376.

cIↄCXXXI. Hunnorum gens Gothos vaſtat. Gothi per avaritiam Maximi ducis fame compulſi rebellant adverſus Romanos. Romanorum legiones à Gothis in Thracia penè internecione delentur. Ipſe Valens ſaucius fugiens, in caſam quandam deportatus eſt; quam barbari cum Imperatore incenderunt, ita ut ſepultura quoque caruerit. Accidit hoc IV Eid. Auguſti. 378.

cIↄCXXXII. Gratianus ejus loco collegam adoptavit Theodoſium XVIII kalend. Febr. eique imperium tradidit Orientis. 379.

cIↄCXXXIII. Theodoſius multis prœliis Gothos ſuperat, eoſque è Thracia pellit. 380.

cIↄCXXXIV. Gratianus Theodoſio graviter ægrotante pacem init cum Gothis. Secunda Oecumenica Synodus celebratur Conſtantinopoli adverſus Macedonianum. 381.

cIↄCXXXV. Romæ contentio orta de ara Victoriæ in curia reſtituenda: quam imprimis urſit Symmachus, Urbis Præfectus. 382.

*Annus ab V.C.* — *An. vulg. Ær. Chriſt.*

cIↃcxxxvii. Arcadius Theodoſii Imperatoris filius appellatur Auguſtus. 384.

cIↃcxxxviii. Clemens Maximus in Brittannia per ſeditionem creatur Auguſtus. Unde in Gallias trajecit: ubi occurrere ei dum vult Gratianus, proditione Merobaudis, magiſtri militum, ſuperatur & Lugdunum fugiens capitur & occiditur. Maximus hinc filius ſuum Victorem Imperii conſortem facit. 385.

cIↃcxxxix. Theodoſius Imperator delet Gruttungos, Iſtrum tranſeuntes. 386.

cIↃcxl. Clemens Maximus Italiam invadit. Valentinianus fuga ſibi proſpicit. 387.

cIↃcxli. Clemens Maximus à Valentiniano & Theodoſio ad tertium ab Aquileja lapidem vincitur & interficitur. Filius ejus Victor eodem anno ab Arbogaſte occiditur in Gallia. 388.

cIↃcxlv. Valentinianus occiditur ab Arbogaſte, magiſtro equitum: cujus viribus confiſus Eugenius Imperium ſibi rapuit. 392.

cIↃcxlvi. Eugenius occupat Mediolanum. 393.

cIↃcxlvii. Eugenius & Arbogaſtes ingentem colligunt Gallorum & Francorum exercitum. Adverſus eos pugnat Theodoſius flante vehementer vento, ſed ita ſecundo, ut cuncta tela ſponte prope in hoſtes raperentur; hoſtium tela in ipſos retorquerentur. Unde Theodoſium ita compellat Claudianus, licet gentilis: 394.

*O nimium dilecte Deo, cui militat æther*

*Et conjurati veniunt ad claſſica venti.*

Prœlio hoc Eugenius captus & occiſus eſt: Arbogaſtes poſt cladem manus ſibi attulit.

cIↃcxlviii. * Theodoſius Magnus moritur Mediolani xvi kalend. Febr. Conſules ejus anni fuere Olybrius & Probinus fratres, in quos panegyricus Claudiani exſtat. Theodoſio ſucceſſere filii, à quibus diviſum eſt Imperium Romanum. Ac in Oriente quidem Arcadius imperavit, in Occidente verò Honorius. Gildo Africam ſpoliat. Rufinus, Arcadii tutor, à militibus occiditur. Alarichus, Gothorum rex, pervadit Græciam. 395.

*Series Imperatorum à diviſione Imperii Romani in Orientale & Occidentale uſque ad Occidentalis Imperii finem. Orientis Imperator. hanc * adſcribi notam voluimus, ut eorum ſeries etiam ſeorſim poſſet percurri.*

cIↃcxlix. Tertius Honorii Conſulatus, quem Claudianus celebrat. 396.

cIↃcli. Quartus Honorii Conſ. Gildo prœlio victus occumbit. Et quartum hunc Honorii conſulatum & Gildonicum bellum deſcribit idem Claudianus. Eodem anno Honorius cum Maria, Stiliconis filia, celebrat nuptias: de quibus idem poeta. 398.

cIↃclii. Conſules ſunt Manlius Theodorus & Eutropius Eunuchus; in quem duos libros ſcripſit Claudianus. Sed & panegyris ejuſdem exſtat in conſulatum Manlii Theodori. 399.

*Annus ab V.C.* — *An. vulg. Ær. Chriſt.*

cIↃcliii. Conſules ſunt Fl. Stilico & Aurelianus. In Stiliconis hujus laudem tres panegyres ſcripſit Claudianus. Ad hæc uſque tempora perduxit hiſtoriam Sulpicius Severus, elegantiſſimus Scriptor. Ab hoc tempore incipiunt barbarorum irruptiones in Italiam. Primus Alarichus Gothus ex Pannonia in Noricum, ex Norico in Italiam irrumpit per ſaltus Tridentinos menſe Auguſto. 400.

cIↃclv. Prœlium ad Pollentiam committitur inter Stiliconem & Alarichum Gothum ipſo die Paſchatis. Quo pertinet liber Claudiani de bello Getico. Theodoſius junior, qui ſuperiori anno natus fuit, in cunis vagiens Auguſtus appellatur. 402.

cIↃclvi. Honorius triumphat de Gothis. Stilico pacem facit cum Alaricho. 403.

cIↃclvii. Honorii conſulatus ſextus, in quem Claudiani panegyres exſtant. Prudentius hoc anno edit Cathemerianos libros. 404.

cIↃclviii. Radagaiſus Scyta repentino impetu in Italiam inundat; in cujus exercitu, ut Oroſius ſcribit, fuiſſe creduntur plusquam cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ Gothorum. Sed à Stilicone cæſus eſt ad Fæſulas. 405.

cIↃclix. Vandali & Alani per Germaniam trajecto Rheno in Gallias tranſeunt prid. kal. Januar. 406.

cIↃclx. B. Chryſoſtomus moritur. Moritur & Arcadius Imperator. Cui in Oriente ſuccedit filius Theodoſius junior. Sed quia puer erat octennis, ejus loco imperium aliquandiu adminiſtravit ſoror Pulcheria. 407.

cIↃclxi. Stilico, Honorii ſocer, imperium affectat; ſed juſſu Honorii occiditur, uti & filius ejus Eucherius, cui Stilico imperium parabat. 408.

cIↃclxii. Honorius pacem negat Alaricho; qui iccirco Romam tendit, eamque obſidet. Alarichus Imperator creat Attalum contra Honorium. Sed Honorius dimidium imperii Attalo offert. Vandali Hiſpanias occupant. 409.

cIↃclxiii. Alarichus Gothus dolo Romam capit annis IↃccxcvi, ex quo capta fuerat à Senonibus Gallis. Ex hac clade Romani Imperii B. Auguſtinus occaſionem ſumpſit ſcribendi libros de Civitate Dei. 410.

cIↃclxiv. Alarichus moritur. Ei ſuccedit uxoris frater Attulfus, qui Placidam, Honorii ſororem, uxorem ducit. Ea hoc conjugio ſuo multum profuit Imperio Romano. 411.

cIↃclxv. Barbaræ gentes ulteriorem Hiſpaniam inter ſe partiuntur. 412.

cIↃclxvi. Pulcheria, ſoror Theodoſii junioris, Conſtantinopoli Auguſta nominatur. Burgundionibus in Gallia ſedes datur. 413.

cIↃclxvii. Vandalis ab Honorio ſedes in Hiſpania datur. Attalus Gothico conſilio & auxilio fretus reſumit tyrannidem in Galliis. 414.

cIↃclxviii. Attalus à Gothis, in Hiſpanias migrantibus negligitur ac præſidio carens capitur & Conſtantino Patricio vivus traditur. Attulfus, à quibuſdam ſuorum vulneratus perit. Regnum hinc invadit Vallia occiſis illis, qui idem illud affectabant. 415.

cIↃclxix. Vallia, qui pacem cum Honorio expetebat, reddit ei ſororem Placidam, quæ capta 416.

Digitized by Google

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Chriſt.*

capta Romæ à Gothis & Alarico nupta fuerat. Nubit verò ea Conſtantino, qui ſuperiori anno Cos. fuerat.

cIↃcLXX. Honorius Romæ triumphat de Gothis præeunte Attalo currum; quem Liparæ vivere juſſit. 417.

cIↃcLXXI. Valentinianus, Conſtantini & Placidæ filius, naſcitur. 418.

cIↃcLXXII. Conſtantinus pacem firmat cum Vallia atque ad inhabitandum ei dat ſecundam Aquitanicam & quaſdam vicinarum Provinciarum civitates. 419.

cIↃcLXXIII. Conſtantinus ab Honorio in conſortium regni aſſumitur. Pharamundus primus Francorum rex cœpit. 420.

cIↃcLXXIV. Conſtantinus Imp. moritur. 421.

cIↃcLXXV. Caſtinus dux mittitur adverſus Vandalos in Hiſpanias. Sed Bonifacius, vir, bellica laude clarus, ſocietatem ejus refugit, inque Africam ſe contulit: quæ res multum mali deinceps dedit. 422.

cIↃcLXXVI. Placida Auguſta, ab Honorio pulſa, in Orientem cum Honorio & Valentiniano filiis proficiſcitur. Honorius Imp. moritur. Ejus imperium invadit Joannes conſentiente, ut creditur, Caſtino, magiſtro militum. 423.

cIↃcLXXVII. Theodoſius Valentinianum, amitæ ſuæ filium, Cæſarem facit, eumque cum matre Placida Auguſta ad recuperandum Occidentale Imperium remittit. Id eò facilius tum poterant, quia Joannes tyrannus bellum gerebat adverſus Bonifacium, qui Africam obtinebat. 424.

cIↃcLXXVIII. Placida A. & Valentinianus Cæſar mira felicitate opprimunt Joannem tyrannum, regnumque recuperant. Aetio venia datur, quia Hunni, quos per eum Joannes exciverat, ejuſdem ſtudio ad propria eſſent reverſi. Caſtinus in exilium actus eſt, eò quod videretur Joannes non potuiſſe tyrannidem occupare niſi illo connivente. Gothi Arehilam, nobile Galliarum oppidum, oppugnant: ſed Aetius eos fortiter repulit. 425.

cIↃcLXXX. Bonifacio, Africæ comiti, ſuaſu Felicis bellum infertur. Ille auxilio ex Hiſpanis vocat Genſericum, qui in Africam venit cum Vandalorum ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ. 426.

cIↃcLXXXI. Pars Galliarum, Rheno propinqua, quam Franci obtinebant, ab Aetio recipitur. 427.

cIↃcLXXXII. Felix ad patriciam dignitatem evehitur. 428.

cIↃcLXXXIII. Aetius quum Felicem ſibi inſidias ſtruere cognoviſſet, interemit eum cum uxore Paduſia. Hippo in Africa obſidetur à Vandalis. Tempore obſidionis Auguſtinus, Urbis epiſcopus, adverſus Julianum ſcribebat. 429.

cIↃcLXXXIV. Auguſtinus in urbe obſeſſa moritur V kalend. Septemb. Capta urbs à Vandalis menſe Octobri. Pharamondo ſucceſſit Clodiæus Comatus, ſecundus Francorum rex. 430.

cIↃcLXXXV. Synodus Epheſina contra Neſtorium celebratur; quæ eſt Oecumenica tertia. 431.

cIↃcLXXXVI. Bonifacius ex Africa in Italiam venit, Aetium prœlio ſuperat ac paulo poſt moritur. Aetius depoſita poteſtate in agro degit. Sed quum inimicorum quidam eum derepente ibi opprimere ſtuduiſſet, in urbem profugit; inde in Dalmatiam pervenit, hinc in Pannonias fugit ad Hunnos; quorum amicitia & auxilio uſus pacem principum obtinuit. 433.

cIↃcLXXXVIII. Pax cum Vandalis facta conceſſa iis Numidia Hipponenſi III. Id. Febr. Pax item data Burgondionibus, in Gallia habitantibus. Sed ea diuturna non fuit, quia paulo poſt ab Hunnis ſunt deleti. 435.

cIↃcLXXXIX. Gothi pacem turbant & Narbonem maximè infeſtant. Sed Litorius Comes eam periculo liberavit. 436.

cIↃcXC. Bellum geritur adverſus Gothos auxiliantibus Francis. Valentinianus Auguſtus Conſtantinopolim proficiſcitur ad Theodoſium, filiamque ejus accipit uxorem. 437.

cIↃcXCI. Adverſus Gothos in Galliis pugnatur. Qui ſecunda ab Aetio patricio poteſtate auxiliaribus Hunnis præerat, dum Aetii gloriam ſuperare nititur, imprudenter adverſus Gothos pugnans capitur. Victoria cæteroquin anceps fuit. 438.

cIↃcXCII. Pax cum Gothis poſcentibus facta. Genſericus, Vandalorum rex, Carthaginem dolo pacis capit. 439.

cIↃcXCIII. Genſericus Siciliam populatur. Sed quum nuncium accepiſſet, Sebaſtianum, clarum virtute, ex Hiſpaniis in Africam trajeciſſe, confeſtim Carthaginem rediit. Mox fœdus inter eos initum eſt. 440.

cIↃcXCIV. Theodoſius Imp. bellum magna claſſe adverſus Vandalos molitur. Sed nihil efficit ob diutinam moram. Qua factum, ut Siciliæ magis oneri, quàm præſidio fuerit. Hunni vaſtant Thraciam & Illyricum: iccirco pax fit cum Genſerico. Africa inter Vandalos & Romanos diviſa. Exercitus verò, qui adverſus Genſericum meruerat, mittitur adverſus Hunnos. 441.

cIↃcXCV. Attila, Hunnorum rex, interemit Blebam, fratrem ſuum, qui Imperii conſors fuerat; atque ita ſolus imperio potitur. Alii proximo hoc anno contigiſſe putant. 442.

cIↃCC. Hoc anno juxta Bedam Angli, Saxoniæ gens, à Britanniæ rege auxilio vocata, ſtrenuam quidem bello operam navarunt: ſed quum ſtipendia non ſolverentur, ipſi Brittanniæ partem invaſere. Unde inſula hæc in Angliæ & Scotiæ regnum dividi cœpit. Alii biennio poſt hæc contigiſſe arbitrantur. 447.

cIↃCCII. Franci auſpiciis Merovæi, tertii regis ſui, in Gallia ſtabilem ſedem figunt ad flumen Axonam. 449.

cIↃCCIII. Theodoſius junior, Orientis Imper. equo collapſus atque inde graviter affectus moritur. Succedit ei Marcianus. * 450.

cIↃCCIV. Chalcedonenſis Synodus celebratur adverſus Eutychem. Eſt ea Oecumenica IV. Eodem anno incidit memorabile illud prœlium. Attilæ & Aetii in campis Catalaunicis. Attila præter Hunnos ſuos ducebat ſecum Oſtrogothos, Gepidas & varios Germaniæ populos, uti Quados, Marcomannos, Herulos, Turcilingos, Thurningos, Saxones: fuiſſeque exercitus creditur cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ. Aetium, Roma- 151.

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Christ.*

manorum ducenti, juvabant Franci duce Merovææ; item Gothi, Alani & Burgundiones. Pridie prœlii Francorum & Gepidarum ꝏ cccIↄↄ mutuo concurſu ceciderant noctu. Ipſo verò in prœlio Catalaunico cæſa utrinque exiſtimantur cccIↄↄ Iↄↄ ccIↄↄ cIↄ cIↄ. Aetius prœlio ſuperior fuit: non tamen Attilam ita frangere potuit, ut non inſtauraret exercitum, deque Italia invadenda cogitaret.

cIↄccv. Attila reparato exercitu in Italiam venit; Aquilejam, Ticinum, Mediolanum, aliaſque urbes exſcindit. Veneti quum bellicæ huic tempeſtati ſe impares eſſe viderent, ex oræ maritimæ ſedibus, quas ante incolebant, profugere in proximas Adrianorum ſtagnorum inſulas. Hæc Venetiarum incunabula ſunt. Attila Romam tendit, ut eam oppugnet & diripiat. Sed Leo Papa, à Valentiniano miſſus legatus, ita eum exorat, ut non modò urbe abſtineat; ſed etiam Italia excedat. Quum Valentinianus Imper. perditè amaret uxorem Maximi Senatoris, cumque ea ſtupri conſuetudinem haberet; Maximus ad ulciſcendum Valentinianum animum adjecit. Id quum vivo Aetio facere non poſſet, calumniatus eſt eum apud Imper., quaſi rebus novis ſtuderet; omnemque belli gloriam ſibi vindicaret. Propterea ex Galliis Romam vocatus & ab Imper. eſt interfectus. Priuſquam tolli juberet, quæſivit ex familiarium uno, num Aetii mors Imperio videretur expedire? Reſpondit verò ille: utrum expediat, necne, tutè videris: unum hoc ſcio, illum ſi occidas, fore, ut alteram tibi manum præcidas. In quo ut ratio illum minime fugerit, eventus abundè comprobavit. 452.

cIↄccviii. Valentinianus A. inſtigante Maximo in campo Martio occiditur ab Aetii amicis aut ſatellitibus. Hinc Maximus, cujus ille uxorem ſtupro cognoverat, Imperium arripit & Eudoxiæ, Valentiniani uxori, vim infert, eamque ſibi turpibus nuptiis copulat. Illa impatiens injuriæ iſtius, multis donis ac promiſſis allicit Genſericum, Vandalorum regem, ut ſe & urbem tyrannide Maximi liberare velit. Genſericus claſſem armari juſſit, cumque ea de improviſo Romam tendit. Maximus adventum ejus cognito fugere conatus: ſed à Populo Romano primùm lapidibus petitus, hinc membratim diſſectus & in Tiberim eſt conjectus die xxvii, ex quo Imperium invaſerat. Ita Genſericus Romam, præſidio deſtitutam, invadit, privatas, publicaſque ædes diripuit ac xiv die, ex quo venerat, præda onuſtus cum Imperialibus ornamentis, Eudoxia etiam cum filiabus abducta, Urbe exceſſit, inque Africam profectus eſt. Ab hoc tempore exigua admodum Imperii Romani vis aut majeſtas fuit. Eruditum verò Chronologum planè ratio fugit, quum ſcribit, Romam captam imperante Valentiniano. Nam id occiſo Valentiniano ac Maximo imperante contigiſſe, ſatis ex iis liquet, quæ jam diximus. 455.

*Annus ab V. C.* *An. vulg. Ær. Christ.*

cIↄccix. Maximo interempto Avitus in Galliis Imperium ſumpſerat. Sed Romam ut venit, invidia ſe premi vidit; eoque imperium depoſuit ac factus Epiſcopus Placentinus. Nec multo poſt moritur. Eodem anno moritur in Oriente Marcianus Imper., eique ſuccedit Leo *. 456.

cIↄccx. Poſt Avitum Imperium Occidentis ſumpſit Majoranus; qui in Africam trajiciens bellum Genſerico intulit; ſed fruſtra. 457.

cIↄccxii. Merovæo ſuccedit Childericus, quartus Francorum rex. 459.

cIↄccxiii. Majoranus, nihil ſuſpicans mali, ab Ricunere occiditur: atque ab eodem Auguſtus creatur Severus xiii kalend. Decemb. 460.

cIↄccxvii. Ricuner cædit Beorgor, Alanorum regem. 464.

cIↄccxviii. Severus Imperator moritur, veneno, ut creditur, à Ricunere necatus: poſt quem omnia poteſt Ricuner. 465.

cIↄccxix. Anthemius, Marciani Imper. gener, in Severi locum creatur Auguſt. Ut verò Ricuneris gratiam ſibi conciliaret & Imperium ſtabiliret, filiam ſuam uxorem ei dedit. 466.

cIↄccxxiv. * Leo, Orientis Imp., occidit Aſparem, regnum affectantem, cum duobus filiis, quorum minorem Cæſarem appellarat. 471.

cIↄccxxv. Anthemius occiditur ſceleſtè à Ricumere, genero ſuo; qui & ipſe poſt dies xxxix ſævis corporis cruciatibus moritur. Anthemio ſuccedit Olybrius: ſed ſecundo Imperii menſe moritur. Succedit ei Glycerius. 472.

cIↄccxxvi. * In Oriente Leo Imp. in conſortium regni aſſumit nepotem ſuum Leonem juniorem, Zenonis filium. 473.

cIↄccxxvii. * Leo ſenior moritur. Leo jun. conſortem Imperii facit patrem ſuum Zenonem & paulo poſt moritur. Glycerius à Julio Nep. cogitur Occidentis Imperium deponere & factus Epiſcopus Salonæ in Dalmatia. Succedit Glycerio Julius Nepos viii. kalend. Jul. 474.

cIↄccxxviii. * In Oriente dum Zeno in Syria eſt, Baſiliſcus invadit Imperium contra Zenonem. In Occidente Oreſtes, genere Gothus, magiſter militum, dominum ſuum Julium Nepotem, à quo honoribus variis auctus erat, Imperio privat, inque Dalmatiam fugat; atque ejus loco Imp. creat filium ſuum, adhuc puerum, nomine Menixillum, qui per contemptum dictus Auguſtulus. 475.

cIↄccxxix. * Baſiliſcus in Oriente perit cum uxore & liberis. In Occidente Odacer, qui Oreſtis armiger fuerat, Italiamque probè norat, excitis Herulis, Turcilingis, Rugiis atque aliis gentibus Danubium trajicit, Italiam invadit, rex ejus ſalutatur ab exercitu ſuo, Oreſtem Placentiæ occidit, Romam capit, Auguſtulum purpura privat & privatum in Campaniæ caſtello vivere cogit. Ita Imperium Roman. in Occidente deſiit ac manſit Imperium Occidentis ſine Imper. uſque ad Carolum M., nempe per annos ccc xc. 746.

De

Digitized by Google

*De temporibus Imperii Romani tam in Oriente, quàm in Occidente ab anno 476, quo capta ab Odacre Roma Occidentale Imperium deſiit, uſque ad Imperium Occidentis, inſtauratum à Carolo Magno.*

| *Orientis.* | *Italiæ.* | | *Francorum.* | *Vandalorum.* |
|---|---|---|---|---|
| | | 476. | . . . . | Genſericus, Vandalorum rex, moritur. Succedit ei filius Hunnericus, qui graviſſimè Catholicos in Africa eſt perſecutus. Videatur Victorius Uticenſis. |
| | ODacer, Italiæ rex, quod Romam quidem magnificam, ſed parum tutam ſedem putaret, Ravennam, velut in ſpecula Italiæ mavult conſidere. | 477. | | |
| Zeno Imperator Theodoricum Amatum, qui multum apud eum gratia poterat, Coſ. hujus anni facit cum Venantio. Eodem anno adverſus Zenonem rebellant Illus Iſaurus & Leontius. | | 484. | . . . | Hunnerico ſuccedit Gundamundus, qui ab Eugenio, Carthaginis Epiſcopo, perſuaſus templa in Africa Catholicis reſtituit. |
| Ooſtgothi in Pannonia ſedem habent rege interim ſuo Conſtantinopoli degente apud Zenonem Imperatorem. | | 485. | Childerico ſuccedit Clodouæus, quintus Francorum rex, qui xv primis Imperii annis in gentili religione perſeveravit, xv alteris fuit Chriſtianus. Primus verò è Franciæ regibus Chriſtianam religionem eſt amplexus; quod imprimis factum ſtudio Clotidis reginæ. Hic Syragio victo ſucceſſionem & alias Galliæ civitates Romanis eripuit. ac ſub eo Romanorum in Galliis imperium deſiit. | |
| Theodoricus Oſtrogothus bellum movet contra Zenonem. | Odacer Febano, vel Feletæo, Rugiorum rege, victo, captoque Rugios in Italiam transfert. Caſſiodorus. | 487. | | |
| Illus & Leontius capti capitis ſupplicio afficiuntur in Iſauria. Zeno poteſtatem dat Theodorico Amato, ut cum exercitu in Italiam proficiſcatur adverſus Odacrum. | | 488. | | |
| | Ingens prœlium commiſſum inter Odacrum & Theodoricum Amatum ad amnem Sontium non longè ab Aquileja. Victus autem Odacer. Eodem anno pugnatum ad Veronam, quo iterum victor Theodoricus Veronam mox invaſit. | 489. | | |
| | Tertio prœlio ab Theodorico Odacer vincitur. Hinc Ravennæ mœnibus incluſus ab Theodorico obſidetur. | 490. | | |
| Zeno Imperator moritur morbo comitiali. Succedit ei Anaſtaſius. | | 491. | | |
| | Odacer, rerum penuria coactus, dedit ſe ea conditione Theodorico, ut pari poteſtate imperaret Ravennæ. Sed Theodoricus, Odacrum convivio ad ſe vocatum, unà cum filiis per ſicarios interficit. Atque ita ſolus in Italia imperat. | 493. | | |
| | | 496. | . . . | Gundamundo ſuccedit Thraſymundus; ad quem B. Fulgentii libri de Chriſto Mediatore. |
| Bulgari, hactenus ignoti, vaſtant Thraciam. | | 499. | Clodouæus poſt devictum Alemannorum regem Chriſtianus fit ac à B. Remigio baptiſatur. | |
| | Theodoricus rex Romam ingreditur, ſummoque Populi favore excipitur, oratione Boethii laudatur; Senatui ſe comem & affabilem præbet, plebi annonam donat. Vixere hoc tempore Gennadius Maſſilienſis & Vigilius, Tridentinus Epiſcopus. | 500. | | |
| Cabades rex contra Anaſtaſium bellum movet in Armenia. | | 502. | | |
| Bellum hoc Perſicum finitur induciis in ſeptennium factis. | Theodoricus rex Pannonias ſibi adjungit ejectis Bulgaris. | 504. | | |
| Anaſtaſius Meſopotamiam contra Perſas munit. | | 507. | Bellum in Galliis oritur Clodouæum, Francorum & Alaricum, Weſtgothorum reges; in quo Alaricus occubuit. | |
| Anaſtaſius claſſe invadit & populatur Italiam. | Theodoricus exercitum in Galliam mittit, eoque Francos compeſcit. | 508. | | |
| | | 510. | Clodouæus ob ſuperiorem victoriam regni inſignia, auream coronam, item patriciatus & conſulatus titulos accipit ab Anaſtaſio, Orientis Imperatore. | |

Theo-

Digitized by Google

| *Orientis.* | *Italiæ.* | | *Francorum.* | *Vandalorum.* |
|---|---|---|---|---|
| | | 511. | Theodoricus rex mittit Alarico, Weſtgothorum regi, maxima adverſus Clodouuæum auxilia. | |
| | | 514. | Clodouuæus moritur. Ei ſuccedunt quatuor filii, Childebertus Pariſienſis, Clotarius Sueſſionenſis, Clodamirus Aurelianenſis, Theodoricus Mediomatricus, reges. | |
| Anaſtaſius Vitaliano, Aquilonis præfecto, Iɔcccc auri pondo pendere cogitur, ut à Conſtantinopoli diſcedat. | | 515. | | |
| Anaſtaſius adoptat Euthraicum Gothum, generum Theodoſii regis. Nam ſuperiori anno Amelaſuntam, Theodorici regis, filiam uxorem duxerat. | | 516. | | |
| Anaſtaſius, fulmine ictus, perit. Ei ſuccedit Juſtinus Thrax. | | 518. | | |
| | Eutharicus gener, Theodorici regis, quem Anaſtaſius Imperator adoptarat, hoc anno Romæ Coſ. fit cum Juſtino Auguſtino. | 519. | | |
| | | 521. | Theodoricus, rex Mediomatriæ, devicto Kermin, fido rege Thuringiam ſibi ſubjicit. | |
| | Coſs. ſunt Symmachus & Boethius. | 522. | | |
| | | 523. | | . . . A Mauris victo & mortuo Thraſymundo, quum imperaſſet annos XXVII, ſuccedit Hildericus, qui non Arrianus, ſed planè Catholicus fuit. |
| | Symmachus & Boethius ab improbis hominibus accuſantur apud Theodoricum regem, quaſi novis rebus ſtuderent. Propterea à rege, cauſam præter morem non examinante, capite truncantur; bona eorum publicantur. Sed paucis diebus poſt caput piſcis appoſitum viſum eſt caput eſſe Symmachi, horribiliter minantis. Unde tremebundus in cubiculum ſe recepit; ſtragulorum copiam ob frigus ſibi imponi juſſit. Quumque medico Elpidio rem expoſuiſſet, ſcelus ſuum in Boethium & Symmachum deploravit & paucis diebus poſt mœrore obiit. Ei ſucceſſit Athalaricus (aliis Aderbricus) Theodorici ex filia nepos, puer octennis. Sed Amalaſſunta mater Imperium procuravit mira æquitate & prudentia, virilis planè animi fœmina. Hæc Symmachi & Boethii liberis paterna bona reſtituit. | 524. | | |
| Juſtinus Juſtinianum, ex ſorore nepotem, Imperatorem creat ac quarto poſt menſe moritur. Poſt quem ſolus Juſtinianus imperat. Belliſarius in Oriente res gerit feliciter adverſus Perſas. | | 527. | | |
| Codex Juſtiniani publicatur. Priſcianus Grammaticus floret. | | 529. | | |
| | | 530. | Franci à rege puero Athalarico auferunt dominium univerſæ Galliæ, quod avus ejus Theodoricus habuerat. | . . . Gilimer, Genſerici, Vandalorum quondam regis, nepos, accuſat Hildericum . . . . . . . . quod Vandalos cum omni ditione Juſtiniano vellet prodere. Iis fidem habentes Vandali Hildericum cum fratre cuſtodiæ tradunt ac necant ejuſque loco regem conſtituunt Gilmerem. Hic in Catholicos valde ſævijt. |
| Cabades, Perſarum rex, moritur. Succedit ei . : : : Magnus, qui ad pacem cum Romanis inclinat. | | 531. | | |
| | Dionyſius, Abbas Romanus, cognomento Exiguus, primus inducit rationem numerandi ab Nativitate Chriſti; quam tamen biennio debuit anticipare. | 532. | | |
| Bellum Perſicum finitum. Juſtinianus publicat Inſtitutiones Juris, eodemque anno edit Pandectas, ſive Digeſtorum libros. | | 533. | | . . . Carthago Vandalis à Belliſario erepta & Romanis reſtituta annis XCVII, ex quo eam ceperat Genſericus, Vandalorum rex. |
| | Athalaricus moritur, quum imperaſſet annis octo. Amalaſſunta, regis defuncti mater, Theodohatum regem facit. Sed ille beneficii accepti immemor, contra fidem Amalaſſuntam carceri includit & obtruncat. | 534. | Gilimerus ſe tradit Belliſario; qui eum Conſtantinopolim duxit ad Juſtinianum Imperatorem. Qui ei prædia quædam luculenta cum propinquis incolenda dedit in Galliis. Atque ita Vandalorum regnum in Africa deſiit. | |
| Novellæ Conſtitutiones ab eodem eduntur. Idem ob cædem Amalaſſuntæ bellum infert Theodohato, Italiæ regi. Præfuit ei bello Belliſarius; in quo Belliſarii comes fuit Procopius, qui id bellum deſcribit. Duravit annos XVIII. Ac hoc quidem anno Athalarico eripuit per Mundum ducem Dalmatiam; per Belliſarium verò Siciliam. | | 535. | | |

Theo-

Digitized by Google

*Orientis.* *Italiæ.* *Francorum.* *Vandalorum.*

Theodohatus infeliciter rem gerit adverſus Juſtinianum.

Belliſarius Romam capit LX anno, poſtquam eam Gothi tenuerant.

536. Stoza Carthaginem obſidet. Sed Belliſarius, in Africam profectus, obſidione eam liberat.

Gothi Theodohatum, partim ob necem Amalaſſuntæ, partim ob ignaviam inviſum, occidunt & regem ejus loco creant Vitigem. Sed nihilo ille bello felicior.

537. Vitiges Romam, ſuperiori anno à Belliſario captam, obſidione iterum premit: ſed fruſtra.

539. Vitiges & Gothorum exercitus cæditur à Belliſario; qui & Vitigem captum Conſtantinopolim perduxit ad Juſtinianum: qui eum inter Patricios retulit & præfecit finibus Romani Imperii adverſus Perſas; ubi vitam finiit. Gothi in Vitigis locum crearunt Idobaldum.

Germanus in Africa Stozam vincit & fugat. Procop. l. 4. de bello Vandal.

Belliſarius iterum mittitur à Juſtiniano contra Coſroem, regem Perſarum.

540. Idobaldus, ſeu Theudibaldus, interficitur ab Ararico, qui ei in Imperio ſucceſſit.

541. Araricus occiditur à Totila, qui poſt eum imperat. Hic Romanos ad Placentiam prœlio vicit, Brutios & Lucanos in poteſtatem redegit; item Calabriam & Apuliam cepit. Placentiam tanta fames preſſit, ut humanas ederent carnes. Quæ res cives ad deditionem coëgit.

543. Belliſarius ex Oriente iterum revocatur, ut adflictis Italiæ rebus contra Totilam ſuccurrat.

544. Artabanes liberat Africam à Gonthoridis tyrannide.

546. Belliſarius Romam, quam Totilas hoc anno ceperat, cives revocat, mœniaque incipit inſtaurare. Gepidæ Sirmiam ac majorem Pannoniæ partem occupant.

Totilas Romam capit, Capitolium incendit, præcipua diruit ædificia & potiſſimam ædificiorum partem. In hac direptione Ruſticiana, Boëthii conjux, Symmachi filia, quæ erogare ſua pauperibus ſolebat, panem cogitur mendicare. Nulli tamen fœminæ illata vis per ullum Barbarorum, ſedulò hoc navente Totila. Quo nomine magnum continentiæ nomen reportavit. Diſtat hoc tempus ab illo, quo Romam ceperat Odacer, annis LXX; ab eo, quo Genſericus, annis XCI; quo Alaricus, CXXXVI, quo Galli Senones ⅠↃ CCCC XXXII.

548. Belliſarius iterum ex Italia revocatur ac mittitur contra Coſroen. Juſtinianus Longobardos Norico civitate, quamplurimus Pannoniæ præſidiis & pecunia multa donat.

549. Totilas iterum Romam capit. Sed cunctis, qui ad Sacras Ædes recurriſſent, parci jubet. Ac quantum antea in ea vaſtanda ſtudii poſuerat; tantum nunc op[illegible] in ea inſtauranda collocat.

Franci Gothis cedentibus potiuntur iis, quæ Gothi in Gallia obtinuerant.

551. Narſes Italiæ præficitur. Fuerat is cubicularius Juſtiniani. Hunni Macedoniam & Thraciam populantur.

Albonius, Longobardorum rex, Juſtiniani auxilio pugnat cum Gepidis & regem eorum Chunimundum occidit ac prope omne Gepidarum nomen delet.

552. Totilas prœlium committit cum Narſete; in quo ipſe cum ⅠↃↃ CⅠↃ Gothorum occumbit. Succedit ei Tejas; qui eopſe anno cum Narſete fortiter pugnans occubuit. Atque in hoc Gothorum Imperium in Italia deſiit, annos ab Odacri principio LXXVII, à Thodorici Gothi initio LX. Debellatis Gothis Juſtinianus Narſeti ordinandam commiſit Italiam tanquam provinciam Imperii Occidentalis.



Digitized by Google

| *Orientalis.* | *Italia.* | | *Francorum.* |
|---|---|---|---|
| | Narſes reparat Mediolanum. | 559. | |
| | | 560. | Clotharius poſt fratrum & nepotum mortem ſolus Francis imperat; eſtque ordine ſeptimus. |
| Hoc, vel ſuperiori anno Belliſarius, jam præ ſenio incurvus cædit Hunnos, qui Thraciam, omnemque Græciam Zaberga duce populabantur. Germanus quoque Hunnos juxta Cherſoneſum navali vincit prœlio, poſteaque terreſtri prœlio reliquias delet. Denique Imper. Juſtiniani aſtu gentis duces Zaberga & Sandichlus mutuis cædibus gentem ſuam conficiunt. Agathias lib. v. | | 562. | |
| Ablamius & Marcellus inſidias ſtruunt Imper.: quibus detectis etiam Belliſarius conjurationis adverſus Imper. fit ſuſpectus & propterea carceri includitur. Sed innocens repertus quarto poſt menſe è carcere dimittitur. | | 563. | Clotharius filium rebellantem vivum comburit cum uxore & liberis. |
| | | 564. | Clotharius moritur, quum imperaſſet annis LI. ſuccedunt ei quatuor filii, Cherebertus, Chilpericus Guntramus & Sigebertus. Cheriberto, ſeu Heriberto, Pariſiorum regnum ceſſit, qui, quum annis XX libidinosè imperaſſet, in meretricum amplexibus mortuus eſt. Chilpericus Sueſſiorum rex fuit annis XXXIII. Sigebertus Metenſium, ſive Mediomatrium regnum annis XIV. tenuit. |
| Juſtinianus moritur; item juxta Cedrenum Belliſarius. Succedit Juſtiniano Juſtinus minor, Juſtiniani nepos. Hujus uxor Sophia autor fuit, ut Narſes revocaretur ex Italia: & quia eunuchus eſſet, contumelioſè addiderat, redire debere ad gynæceum, ut cum puellis penſum trahat. Hoc ita indignè cepit Narſes, ut diceret, ſe telam exorſurum, quam Imperatrix non poſſet retexere. Ac paulo poſt Longobardos in Italiam attraxit. | | 565. | Clothario ſuccedit Cherebertus, octavus rex Francorum. |
| Juſtinus Imper. in Italiam mittit Longinum, ut ſub Exarchi nomine regeret, quod Longobardi occupare non poterant. Sedes verò Exarchatus fuit Ravennæ. | | 566. | |
| | Sexdecim annis poſt deletum Gothorum in Italia Imperium Longobardi, Pannonias egreſſi, Alboino duce in Italiam veniunt, Juſtini Imper. præſidia pellunt & Longobardicum Imperium inſtituunt, quod ſub XXIV regibus annos duravit CCVI, nempe uſque ad annum Chriſti IↃ CC LXXIV, ab anno hoc IↃ LXVIII. | | |
| | | 571. | Hunni, Thuringiam invadentes, repelluntur à Francis. |
| Armenii à Parthis deficiunt, ſeque ſociant Romanis. Perſæ invadunt Syriam. | | 573. | |
| | Alboino, Longobardorum regi, ſuccedit Clepho. | 574. | Chilpericus regnare incipit, nonus Rex Francorum. |
| | Clepho XVIII, ex quo imperare cœperat, menſe interimitur. Ejus in locum creati duces triginta. | 575. | Longobardi, in Galliam irrumpentes, magna clade afficiuntur à Francis. |
| | | 576. | Guntramus & Sigebertus, Francorum reges, inter ſe certant de provincia ſeu G llia Narbonenſi. Sed dum illi inter ſe colliduntur, Longobardi eam vaſtant. |
| | | 577. | Bellum inter Francos ſopitum. |
| Juſtinus Imper. in conſortium Imperii aſſumit Tiberium Auguſtum. | | 578. | Bellum inter Francorum reges recrudeſcit. Prœlio ſuperior eſt Sigebertus: ſed paulo poſt uxoris fraude perit. Ei ſuccedit filius Childebertus. |
| Coſroes Perſa iterum vincitur ac mœrore moritur; cui in Imperio ſuccedit Ormiſdas II. Hic bellum cum Romanis continuavit: ſed fœdè cæſus eſt. | | 579. | |
| | Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerant, veteres ad ſedes proficiſcuntur. Sed ingens bellum inter Saxones & Suecos ortum. Longobardi, Alpes tranſgreſſi, Amatum præfectum cædunt & ingenti cum præda domum tendunt. Sed redeuntes à Minnulo, qui Amato fuerat ſuffectus, cæduntur. | 581. | |
| Juſtinus moritur; ſoluſque imperat Tiberius. | | 582. | |
| Tiberius Mauritium ducem belli deſignat contra Perſas: mox etiam generum aſſumit & Cæſarem creat. | | 583. | |
| | Poſt decennale interregnum Longobardorum rex creatur Autharis, qui Chriſtianus factus, ſed Arrianus. | 585. | |

Mau-

Digitized by Google

*Orientis.* *Italiæ.* *Francorum.*

586. Mauritius creatur à Tiberio Auguſtus, pauloque poſt obit Tiberius, ſoluſque imperat Mauritius. Caganus, Hunnorum rex, multas Illyridis civitates capit.

588. *Italiæ:* Longobardi Romam obſident; ſed continuis imbribus depulſi. Neque ex eo tempore armata manu Romam petierunt.
*Francorum:* Clotharius II, decimus Francorum rex, incipit regnare.

589. Mauritius latè vincit Perſas. Caganus hoc & ſuperiori anno populatus Myſiam, Thraciamque.
*Italiæ:* Theodelinda, Garibaldi, Bavariæ regis, filia, licet Catholica, nubit Authari Ariano.

590. Mauritius ob ducum diſcordiam ac tumultum militum vincitur à Perſis.

591. Mauritius filium Theodoſium creat Auguſtum.
*Italiæ:* Smaragdus, ſecundus Exarchus, Longobardos prœlio vincit, ducem eorum Feroaldum cædit & Claſſente oppidum capit.

592. Perſæ Ormiſdam regem in carcerem conjiciunt & ejus loco regem creant Coſroen, Perſam profugum.

593. Mauritius Coſroen Perſam profugum reducit in regnum. Caganus iterum Thraciam invadit.
*Italiæ:* Moritur Autharis ac Longobardorum rex creatur Agilulphus.

595. Mauritius per Priſcum ejicit Avares è Thracia. Caganus facit pacem cum Agilulpho Longobardo.

597. Gagarius Avario ſuccedit in toto regno Pannoniæ.

599. Caganus invadit Dalmatiam ac XL urbes capit. Sed à Priſco victus præda exuitur.

600. Mauritius à Cagano, Avarum in Pannonia rege, pecunia cogitur pacem redimere; ſed milites redimere noluit: quod ei exitio fuit.

602. Mauritius maximo in exercitus odio eſt, quod uſque adeò avarus eſſet, ut ad redimendos à Cagano captivos, qui erant circiter CCIↃↃCIↃCIↃ, dimidium numerum pro ſingulis pendere recuſaſſet; ſed paſſus eſſet, eos potius ab hoſte crudeliter trucidari. Hæc res dedit occaſionem, ut Phocas centurio ab ſeditioſo exercitu ſalutaretur Imperator; qui Mauritium cum uxore & liberis occidit. Caganus eodem anno Auſtraſium invadit; ſed pecunia accepta rediit ad ſuos. Eodem anno cæſus Pannonia exuitur.
*Italiæ:* Gallicanus, ſeu Gallinicus, Exarchus Godſcalcum & uxorem ejus filiam Agilulphi, Longobardorum regis, capit ad Parmam ac Ravennam abducit. Hinc novum bellum inter Romanos & Longobardos.

603. Coſroes, Perſarum rex, ob Mauritium, amicum ſuum, interemptum pace rupta Phocæ bellum intulit & magna eum clade affecit. Periit tum etiam Germanus, Orientis præfectus.

604. *Italiæ:* Agilulphus cædit Romanos.

605. *Italiæ:* Pax inita inter Romanos & Longobardos.

606. *Italiæ:* Agilulphus, Longobardorum rex, regem creat filium ſuum Adoaldum, qui uxorem ducit Theodobarti, Francorum regis filiam.

610. *Italiæ:* Caganus, Hunnorum dux, per Pannoniam atque Illyricum venit in Italiam ac Longobardorum præfectos quoſdam cædit. *Diacon. de geſt. Long.*

611. Priſcus, Phocæ gener, Heraclianus, Heraclii poſtea Imperatoris pater, & Photius, cujus uxorem Phocas ſtupraverat, conſpirant adverſus Phocam, eum navali prœlio vincunt, purpura ſpoliant & ad Heraclium deducunt; qui ei amputari juſſit manus, pedes, pudenda & denique caput. Truncum milites combuſſerunt. Phocæ Heraclius ſucceſſit. Mahomet hoc anno & decennio proximo dogma ſuum ſpargit.

612. *Italiæ:* Lanugius Thrax fit ſextus Exarchus.

613. Coſroes Damaſcum occupat. Heraclius legatos ad Coſroen de pace mittit: ſed nihil efficit.
*Francorum:* Francorum reges fratres mutuò ſe bellis conficiunt. Brunechildis regina diro, ſed ſceleribus ſuis digno, perit letho Lotharii juſſu.



Digitized by Google

| *Orientis.* | *Italiæ.* | | *Francorum.* |
| --- | --- | --- | --- |
| Coſroes vincit Hieroſolyma. Occidit in ea circiter ccıↄↄ cccıↄↄↄ hominum. Captivos innumeros atque etiam Dominicam Crucem avehit unà. Si Cedrenum audimus, hoc etiam anno ipſam occupat Carthaginem. | | 615. | |
| | | 616. | Lotharius Francus Longobardis tributum remittit. |
| | | 617. | Lotharius veneno moritur. Succedit Theodoricus. Brunechildis conatur Sigebertum, Theodobarti filium, nepotem ſuum promovere ad regale faſtigium. |
| | Adoaldus, ſive Adaluandus, cum matre Theodolinda imperat Longobardis. | 618. | Sigebertus vincitur, cumque avia ſua Brunechilde capitur. Brunechildis dignum factis ſupplicium luit. |
| Heraclius Turcis & aliis nationibus in auxilium vocatis proficiſcitur adverſus Perſas, eoſque latè vincit & ipſam uſque in Perſiam perſequitur. | | 622. | |
| Mahomet fit dux, Arabum Saracenorum, quibus id nomen à Saraca, Arabiæ civitate. Atque hinc initium ſumit æra Mahumetica, quæ Hegira vocatur. Regnat verò annis novem. | | 623. | |
| | Theodolinda Bavara cum amente rege filio privatur regno. Ei ſuccedit Arioaldus. | 624. | |
| Coſroes excitat Hunnos, Avares, Sclavos; qui Thraciam, ipſamque Conſtantinopolim vaſtant. | | 625. | Anſegiſus, filius S. Arnoldi, Metenſis Epiſcopi, cum filio Pipino fit Major domus. |
| | Theodolinda, Longobardorum regina ob amiſſam dignitatem regiam mœrore obiit. | 627. | |
| | | 628. | Dagobertus, à patre rex Auſtraſiæ deſignatus, Metenſium urbem regni ſedem facit. |
| Coſroes neglecto Siroe primogenito, inaugurare regno ſtatuit juniorem filium Mardaſam. Sed Siroes patrem in carcerem detrudit, vix panem & aquam præbet, à Satrapis conſpici jubet, Mardaſam in ejus conſpectu occidit & paucos poſt dies ipſum Coſroen ſagittis confici jubet. Hinc Siroes pacem cum Heraclio facit, captivos omnes reddit & eos inter Zachariam, patriarcham Conſtantinopolitanum; lignum quoque S. Crucis reſtituit, quod Perſæ ante annos XI Hieroſolymis avexerant. Eodem anno Ormiſda Jezdegird in Sirois locum ſuccedit ultimus Perſarum rex. | | 629. | |
| | | 630. | Saxones cruento prœlio vincuntur à Francis. |
| Mahomet moritur. Ebubezer fit ſecundus Saracenorum Amiras. Regnat biennium. | | 632. | Clotharius ſenex moritur; cui ſuccedit filius Dagobertus. Is Ariberto fratri Aquitaniæ regnum tradit. |
| | | 633. | Dagobertus Sclavos idololatras debellat. |
| Saraceni undique graſſantur. Heraclius exercitu amiſſo Syriam deſerere cogitur. Ebubezeri ſuccedit tertius Saracenorum Amiras Haumar: regnat annos XII. | | 634. | |
| Saraceni Damaſcum occupant. | | 635. | |
| Saraceni capiunt Hieroſolyma. | | 636. | |
| Hyaidus, rex Ozroene, facit pactum cum Joanne, Orientis præfecto. Sed Imperator id reſcindit, Joannemque relegat. | | 637. | |
| Saraceni capiunt Antiochiam. Muchanias fit ab Haumare prætor & Amiras regionum ab Ægypto uſque ad Euphratem. | | 638. | |
| Saraceni Meſopotamiam ſubigunt duce Hyaido. | Arioaldus, Longobardorum rex, moritur. Succedit ei Rotharis. Fuit Arrianus ac ſub eo ſingulæ civitates duos habuere Epiſcopos, unum Catholicum, alterum Arrianum. | 639. | Aribertus, Aquitaniæ rex, moritur relicto infante Chilperico. Sed eo quoque paulò poſt mortuo Aquitaniæ regnum Dagoberto ceſſit. |
| Iidem vincunt Ormiſdam Jezdegird & Perſiam ſibi ſubjiciunt. Atque ita deſiit Perſarum Imperium, quum ab Artaxerxe Perſa, qui Artabano, Parthorum rege, devicto genti ſuæ imperium reddidit tempore Alexandri, Mammeæ filium, anno Chriſti CCXXX: quum, inquam, ab Artaxerxe hoc annis duraſſet CCCCII. Ab hoc verò tempore incipit majus imperium Saracenorum. | | 640. | |
| Heraclius Imperator moritur hydrope. Ei ſuccedit filius Conſtantinus. Sed noverca Martina Conſtantinum veneno tollit. Ei ſuccedit Heraclonas, puer decennis, Martinæ filius. Sed quum imperaſſet menſibus ſex, unà cum matre in exilium eſt pulſus. ac Martinæ, ne facundia ſua populum moveret, præciſa eſt lingua. Heraclonas, ne iterum imperio admoveretur, naribus eſt truncatus. | | 641. | |
| | | 642. | Dagobertus Windos, Sclavos vincit, idque Saxonum auxilio; quibus pro mercede tribuit boves ıↄ. Etiam Vaſcones rebelles ad obſequium cogit. Judicaildis, Britanniæ rex, cum eo fœdus facit. |

Ha-

Digitized by Google

*Orientalis.* *Italia.* *Francorum.*

643. Haumar, ſeu Omar, Saracenus maximis ſumptibus exſtruit templum Hieroſolymis.

644. Rhotharis Longobardis leges dat anno LXXVII. poſt Longobardorum in Italiam ingreſſum.

645. Theodorius Colliopa eſt Italiæ Exarchus.

Dagobertus rex moritur; cui ſuccedit Clodouæus II, rex Francorum XII; unà cum eo frater ejus Sigebertus Auſtrenſis. Sed hic Auſtria contentus fuit.

646. Rhotharis hoc & ſequentibus annis à Luna, Thuſciæ urbe, uſque ad fines Francorum omnes Romanorum civitates Longobardis ſubjicit. Prælio confligens cum Ravennatibus & Romanis occidit eorum cIↄ cIↄ ccIↄ.

647. Omar Saracenus occiditur à Margarita Perſa. Succedit ei Othmen qui aliis Hoam, vel Hoamen, vel Hotman. Saraceni copiſe anno invaſere Africam, eamque tributum pendere coegerunt.

648. Muchauias Cyprum invadit ſcaphis cIↄ Iↄ cc & totam inſulam occupat.

649. Saraceni invadunt Siciliam.

650. Sclavi Italiam invadunt. Primum vincunt. Mox à Rotharis filiis Rodoaldo & Grunoaldo cæduntur.

651. Conſtans pacem facit cum Muchauia.

Grunoaldus, Samnitum præfectus, ad internecionem delet Saracenos, Italiam invadentes.

652. Falagnates, Armeniæ præfectus, deficit ab Imp. ob iſtam cum Muchauia pacem.

Rhotaris, Longobardorum rex, moritur. Succedit ei filius Rodoaldus: regnat ann. v.

654. Conſtans Imper. filium ſuum Conſtantinum Pogonatum Imperii facit conſortem. Idem ingenti prœlio navali ad Lyciæ littus vincitur à Muchauia Saraceno, nec niſi veſte mutata victoris manus evaſit. Tum Rhodus à Saracenis occupata & materies Coloſſi Solis, qui ante ann. Iↄ ccc LXXVII. conciderat, à Judæo empta eſt & avecta. Erat verò tanti ponderis, quantum xc cameli poterant portare.

656. Othmen ſuorum fraude occiditur.

657. Olympus Exarchus circa hæc tempora expellit Saracenos ex Sicilia. Sed ex nimio labore in lethalem incidit morbum. Ei ſuccedit iterum Theodorus Calliopa.

660. Saraceni ob mortem Othmenis inteſtina laborant diſcordia. Iccirco Muchauia Saracenus pacem in biennium facit cum Conſtante Imper., ſed conditione ea, ut tributum ſibi pendat. Interim æmulos tollit, ſeque Calipham facit. Hinc Roman. iterum provincias vaſtat, multaque fortiter & feliciter gerit. Conſtans Damaſco & Syriæ regno ſpontè ei cedit.

Rhodoaldus, rex Longobardorum in adulterio deprehenſus, occiditur à marito adulteræ. Ei ſuccedit Aripetus: regnat annis IX.

662. Conſtans Tarentum venit; hinc pedeſtri itinere proficiſcitur in agrum Beneventanum; ubi cum Longobardis prœlio confligit. Aliquot civitates recipit; Luceriam ſolo æquat.

663. Conſtans Imper. inducias cum Longobardis facit. Hinc Romam venit, Papæ aliquamdiu adulatur; ſed diſcedens ſpoliat Urbem cunctis ornamentis æreis. Saraceni Ciliciæ partem populantur.

Clotharius, ſive Lotharius, moritur. Succedit Clotharius III, rex Francorum XIII.

665. Conſtans, ſuis inviſus, hæret in Sicilia & plurimum, ſeque Imperii ſedem Conſtantinopoli Romam iterum transferre velle dictitat.

666. Clotharius III. moritur; cui ſufficitur Theodoricus frater autoritate Ebronii, magiſtri equitum. Sed ob incontinentiam & pravos mores mox regno privatur & cum Ebronio fit monachus, ſuccedirque ei frater Childericus III, qui XIV. rex Francorum dici ſolet.



Digitized by Google

| *Orientalis.* | *Italia.* | | *Francorum.* |
|---|---|---|---|
| Saraceni ex Africa captiva abducunt [illegible], ccclɔɔ hominum. | | 668. | |
| | Rodoaldo ſuccedunt Gundipertus & Partharitus, fratres duo. Regnant ann. I. menſes III. | 669. | |
| Conſtans Imper. in Sicilia in balneo occiditur; poſt quem ſolus imperat Conſtantinus Pogonatus. Hic Mizizium Armenium, Imperii in Sicilia æmulum occidit; atque ita patris mortem ulciſcitur. | | | |
| Saraceni Syracuſas expugnant ac populantur. | | 670. | |
| Saraceni Lyciam & Ciliciam vexant & vaſtant. Conſtantinus Pogonatus, quum fratres duo Imperium affectarent & procerum aliqui iis ſtuderent, proceres quidem occidit, fratres verò naribus truncavit. | | 671. | |
| Saraceni cum ingenti claſſe tota æſtate Conſtantinopolim oppugnant. In autumno Cyzicum capiunt & belli ſedem ſtatuunt. Sed infeliciter ubique pugnant. | | 673. | |
| Saraceni cum Imper. ineunt inducias annorum XXX. | | 676. | |
| | | 679. | Childericus cum uxore interficitur inter venandum à Bodillo; quem præter jus occidi juſſerat. Ejus in locum ad regnum ex monaſterio vocatus Theodericus rex Francorum XV. |
| | | 680. | Ebronius relicto monachatu exercitum colligit & regnum invadit. |
| Muchaviæ, Arviranti Saracenorum, ſuccedit frater Gizith. | | 682. | |
| Habdallus tyrannus apud Saracenos incipit regnare. Contra eum Arviras electus Maruan. Saraceni Carthaginem capiunt & evertunt. | | 685. | Theodericus recipit Ebronium in gratiam. |
| Poſt Maruan fit Arviras ejus filius Hedimelech, ſeu Habdimelech. | | 686. | |
| | | 687. | Pipinus & Martinus, Auſtraſiorum duces, vincuntur ab Ebronio; ac Martinus contra fidem datam interimitur. |
| Habdimelech, Saracenus Arviras, cum Juſtiniano Imper. pactus, diurnum ei tributum promiſit. | | 688. | Ebronius occiditur ab nobili viro Ermenfredo. |
| Muctar Pſeudopropheta occiditur per Zubir, fratrem Habdallæ. Perſis Habdallæ ſubjicitur. Habdallas Armeniam magnam occupat & inteſtinis motibus imponit finem. Juſtinianus Imper., dum Saracenicis induciis renunciat, magnum ſibi arceſſit malum. Nam à Bulgaris victus vix evaſit. | | 689. | |
| | | 690. | Pipinus, major domus, ſive aulæ regiæ præfectus confligit cum Theodorico, Francorum rege, eumque vincit qui iccirco ſe Pipini fidei committit. Willebrordus, ex Anglia veniens cum XL ſociis, docere incipit Friſios. |
| Juſtinianus Scalvinorum ope aggreditur Saracenos. Sed proditione Scalvinorum vincitur. Victo Juſtiniano Sabbis patricius Armeniam minorem Arabibus tradit. | | 692. | |
| | | 693. | Clodovæus III, Clodovæi defuncti frater, incipit regnare rex Francorum XVI. |
| Heraclius Juſtinianus fœdè deformatur à Leontio, qui poſt eum Imperium invadit. | | 695. | |
| Bellum contra Saracenos in Africa geritur duce Joanne Patricio & præfecto Apſimaro. | | 697. | |
| | | 698. | Rex Francorum XVII. Childebertus II. incipit regnare. |
| Leontius, naribus truncatus, cuſtodiæ traditur à Tib. Apſimaro, qui poſt eum imperat. | | 699. | |
| Heraclius Juſtinianus conſilia agitat de recuperando Imperio. Habdallas Tarentum capit. | | 702. | |
| | Theophylactus in Italiam Exarchus mittitur. | | |
| Heraclius Juſtinianus ope regis Bulgariæ recuperat Imperium, ſeque de Leontio & Tib. Apſimaro crudeliter ulciſcitur. | | 705. | |
| Ulid fit Saracenorum Arviras; qui proximo anno Chriſtianorum templum, Mahometicæ religioni conſecrat. | | 707. | |
| | Cuniperto patri ſuccedit in Longobardico regno Ludipertus filius, etiamnum puer, qui ſub Aſprandi tutela regnat menſes VIII. | 710. | |
| Heraclianus Juſtinianus * occiditur à Philippico. In | | 711. | * Rainbertus, Taurinentium dux, victo Aſprando inva- |

| *Orientis.* | *Italiæ.* | | *Francorum.* | *Hiſpanorum.* |
|---|---|---|---|---|
| hoc Juſtiniano demum deficit Heraclii progenies. Succeſſit ei Philippicus. | | | vadit regnum. Sed eopſe anno moritur. | |
| | Aribertus, Godiberti filius, fit Longobardorum rex cum patre Godeberto, qui & Rainbertus. | 712. | Grunoaldus, Pipini Craſſi filius, trucidatur Leodii ante aram; in cujus locum pater Pipinus ſubſtituit nepotem Theobaldum. | |
| Saraceni ex Africa tranſeunt in Hiſpaniam ac Rodericum regem evertunt & regnum ejus occupant. Eodem anno Philippico Imperatore ſuccedit Artennius. | | 713. | | |
| | | 714. | Moritur Pipinus. Craſſus, pater Caroli Martelli, ſuccedit; quem Plectrudis, Pipini uxor, carceri includit Coloniæ. | |
| Artennius fit monachus. Succedit ei Theodoſius Adramittenus. | | 715. | | |
| | | 716. | Rex fit Dagobertus II, rex Francorum XVIII; à quo Theobaldus bello vincitur. Carolus Martellus, carcere liberatus, bellum infert regi, eumque fugat. | |
| Theodoſius, ubi audivit, Leonem ab exercitu ſalutatum eſſe Imperatorem, ſpontè ceſſit, cumque filio factus Clericus. Succedit ei Leo Iſaurus, qui dictus Iconomachus. | | 717. | | |
| Saraceni duce Mazalima obſident Conſtantinopolin. Ejus obſidionis tempore perierunt in urbe cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ hominum. Sed etiam, qui obſederunt, fame & peſtilentia preſſi fuerunt; item cædibus ab obſeſſis afflicti atque à Bulgaris malè excepti: denique tempeſtatibus & igne Græca claſſis eorum penè fuit deleta. Propter iſta ab urbe magno cum detrimento re infecta receſſerunt. | | 718. | | In Hiſpania Auſtures, duce Pelagio Gothici ſanguinis, arma capiunt contra Saracenos, eoſque fortiter repellunt. |
| | | 719. | Clotharius, frater Dagoberti, imperium affectat juvante Clotharium Carolo Martello. | |
| | | 722. | Caroli Martelli auxilio ſuccedit Dagoberto Chilpericus III, rex Francorum XIX. Chriſtum in Germania doceri, incipit. | |
| | Luitprandus, Longobardorum rex, hortante Gregorio Papa invadit Ravennatem Exarchatum. | 724. | Carolus Martellus vincit Saxonas. Anno proximo Bavaros devincit, tertio anno Alemannos. Ob luculenter adeò auctam rem Franciam *Francorum princeps* ſalutatur. | |
| Leo Iſaurus cœpit εἰκονομαχεῖν; quæ res magnas dedit turbas. Romanus Pontifex ea occaſione defecit à Leone, &c, ne tributa ei Romæ vel in Italia penderentur, interdixit. Etiam Græcis neglectis ad Francos ab Italis reſpici cœpit; quibuſcum poſt triennium, vel circiter fœdus initum eſt. | | 725. | Saraceni ex Hiſpaniis in Galliam exundant evocante Eudone Aquitano. Sed Carolus Martellus eos anno proximo cædit ad Turonum. | |
| | | 727. | Theodoricus Cala, frater Dagoberti, fit rex Franciæ XX. | |
| | Luitprandus capit Ravennam & Exarchatum convertit in Ducatum. | 729. | Saraceni Galliam Narbonenſem atque inde alias Galliæ partes invadunt. | |
| Maſalmas Saracenus bellum movet adverſus Turcas; ſed ab iis fugatur. | | 730. | Eudo vocat ex Hiſpania Saracenos; quorum . . . . . millia in Gallias veniunt cum liberis & uxoribus. Sed Eudo, tanta multitudine preſſus, deficit ad Carolum: à cujus legatis victus. | |
| Leonis Imperatoris filius Conſtantinus ducit uxorem Irenen, filiam Cagani, Avarum regis. | | 731. | Carolus Martellus cædit Saracenos in Gallia Narbonenſi. | |
| Maſalmas, Saracenorum dux, contra Turcos uſque ad Caſpias portas progreditur; ſed metu perculſus revertitur. | | 732. | Eudo obit. Filii ejus Hunoldus & Vaifarus Weſtgothos arceſſunt ex Hiſpania, qui in Burgundia omnia vaſtant. | |
| | | 733. | Carolus Martellus iterum Weſtgothos magna clade afficit. | |
| | | 734. | Carolus Friſios ſubigit & Chriſtiana religione eos imbuit. | |
| | | 738. | Martellus quartò cædit Saracenos. | |
| Conſtantinus cognomento Copronymus, imperare incipit. Ita verò dictus fuit, quia infans in baptiſmo aquas ventris excremento fœdarat. | | 741. | Carolus Martellus obit relictis tribus filiis, Carolomanno, Pipino & Grifrone. | |
| Artabaſdus, affinis Imperatoris Conſtantini rebellat ac Conſtantinopolin occupat. Sed Conſtantinus Conſtantinopolin vi capit & Artabaſdum cum filiis duobus oculis privat. | | 742. | Chilpericus Stupidus fit rex Francorum XXI. | |
| | Luitprandus, Longobardorum rex, gravi morbo correptus, regem ſalutari jubet Hildebrandum, nepotem ſuum. Sed mortuo Luitprando ſceptrum defertur Rachiſo. | 743. | | |
| Conſtantinus Saracenis, inter ſe diſſidentibus, feliciter bellum infert. | | 745. | | |
| | | 746. | Carolomannus, Caroli Martelli filius, Romam proficiſcitur & fit monachus ac ditiones ſuas Pipino fratri relinquit. | |
| | Rachiſus Ravennatum agrum populatur & Peruſiam obſidet. | 748. | | |
| | Rachiſus, Longobardorum rex, Zachariæ Papæ ſuaſu fit Caſſini monachus. Succedit ei frater Ariſtulphus. | 750. | Caroli Martelli filius Pipinus apud Zachariam Papam accuſat Childericum, Francorum regem, quod titulo regni contentus otioſam degeret vitam, omnemque imperii molem & onus in ſe rejiceret: ac impetrat à Papa, ut Childericus detrudatur in monaſterium, ubi & finiit vitam; ipſe verò Childerici loco creetur rex Franciæ. | |

Atque

Digitized by Google

| *Orientis.* | *Italiæ.* | | *Francorum.* |
|---|---|---|---|
| | | | Atque ita deſiit prima regum Francorum familia, quæ à Pharamondo incipit & ad Childericum hunc duravit per annos CCCXXXII: præter quam duæ ſunt aliæ, una à Pipino uſque ad Hugonem Capetum, comitem Pariſienſem, quæ eſt annorum CCXXXVII; altera ab Hugone Capeto uſque ad hæc tempora. |
| | Ravenna à Longobardis occupatur; finiturque Exarchatus Ravennas. | 752. | |
| | Ariſtulphus conatur Romanos facere tributarios. Propterea Stephanus PP. fugit in Gallias ad Pipinum atque eum rogat, ut bellum inferat Ariſtulpho. | 753. | |
| | | 754. | Pipini prior expeditio contra Ariſtulphum, Longobardorum regem, data precibus PP. Romani, eo quod bona Eccleſiæ, Ravennæ erepta, non reſtituerat. |
| | Ariſtulphus Romam obſidet tribus menſibus. Sed PP. implorat auxilium Pipini. | 755. | Pipinus ejuſdem PP. rogatu iterum adverſus Ariſtulphum expeditionem inſtituit, eum vincit & Ravennam atque alia Italiæ loca donat ſedi Romanæ. |
| | Ariſtulpho ſuccedit Deſiderius, ultimus Longobardorum rex. | 757. | Pipinus in Francia inſtituit Parlamentum. |
| | | 758. | Pipinus Saxonas vincit & annuum CCC equorum tributum iis imponit. |
| Conſtantinus Sclavinos juxta Macedoniam vincit. | | 759. | |
| Conſtantinus infeliciter pugnat adverſus Bulgaros. | | 760. | Pipinus pugnat contra Vaifarum, Eudonis, Aquitaniæ regis, filium; quod bellum penè anniverſarium eſt. |
| Eoſdem vincit longè, lateque & triumphans redit Conſtantinopolin. | | 761. | |
| Turcæ portis Caſpiis erumpentes, Armeniam infeſtant. | | 762. | |
| Conſtantinus claſſe invadit Bulgariam; ſed tempeſtatibus multa millia amittit. | | 764. | |
| Turci, iterum effuſi portis Caſpiis, bellum gerunt cum Saracenis. | | 767. | Pipinus ſubigit Aquitaniam. Vaifarus paulò poſt occiditur à ſuis. |
| | | 768. | Pipino mortuo ſuccedunt Carolus Magnus & Carolomannus filii. |
| | | 771. | Carolomannus moritur. Hildegardis Sueva nubit Carolo Magno. |
| Conſtantinus claſſem, adverſus Bulgaros inſtructam, ad Anchiatum amittit. Poſtea inſtauravit claſſem & feliciter pugnavit. Hinc ad Meſembriam iterum tempeſtatibus jacturam magnam fecit. | | 772. | Carolus Magnus bellum gerere incipit adverſus Saxonas, quod diu duravit. |
| | Deſiderius, Longobardorum rex, ad Papiam vincitur & capitur à Carolo Magno. Atque ita Longobardorum in Italia regnum deſiit. Carolus Magnus rex Italiæ & Patricius Romanus appellatus. | 773. | Carolus Magnus in Italiam proficiſcitur adverſus Deſiderium, eumque capit ac rex Italiæ fit. |
| Conſtantinus in expeditione contra Bulgaros moritur. Ei ſuccedit filius Leo IV Porphyrogennetus. | | 775. | Carolus Magnus vincit Saxonas. |
| | Adelgiſus Longobardorum regii generis fugit Conſtantinopolin. | 776. | |
| Mady, qui & Muhammed, fit Amiras Saracenorum. | | 777. | Saxones, bello à Carolo fracti Chriſtiani fiunt & ingenti numero baptizantur Paderbornæ. Carolus inſtituit Epiſcopatum Halberſtatenſem. |
| | | 778. | Carolus in Hiſpaniam cum exercitu proficiſcitur ac Pompejopolim exſcindit, multaſque Saracenorum urbes capit. |
| Leo mittit in Syriam exercitum CCCIↃↃↃ, quinque Amirades capit & IↃↃCIↃ Arabum cædit. | | 779. | Carolus iterum adverſus Saxonas Weſtphalos bellum gerit, ut & anno proximo. |
| Leo moritur. Succedit Conſtantinus, etiamnum puer, & mater Irene Athenienſis. Mady Saracenus Aſiam ingreditur; ſed commeatu interclusus nihil efficit. | | 780. | |
| | | 781. | Pipinus præſente patre Carolo nuncIatur Romæ rex Italiæ & coronatur Mediolani. Moritur Hildegardis, Caroli uxor & mater Caroli Magni. |
| | | 782. | Saxones iterum victi à Carolo. |
| Irene mittit in Galliam legatos ad Carolum Magnum, filiamque ejus Conſtantino, filio ſuo, petit uxorem. Sed poſtea filiam Caroli ſprevit & invito Conſtantino junxit Mariam ab Amnia ex Armenia. Mady Aſiam iterum ingreditur & cogit Irenen pacem petere & tributum pendere. | | 783. | Saxones bis cæduntur à Carolo; quorum rex Witichundus non multo poſt baptizatus & Chriſtianus factus eſt. |
| | | 787. | Taſſilo Baoarius, quicum bellum Carolus geſſerat, ditione exuitur & cum filio Theodoro cogitur monachus fieri. |

Caro-

| *Orientis.* / *Italiæ.* | | *Francorum.* / *Brittannorum.* |
|---|---|---|
| | 788. | Carolus difficile bellum gerit contra Auares in Pannonia. |
| | 789. | Circa hæc tempora Dani Angliam invaſere. |
| Irene filium privat Imperio & ſola regnat. Sed Conſtantinus exercitus poſtulatu eximitur matris Irenes poteſtati & in Imperio matri præfertur. Adelgiſus Longobardus ab Irene Imper. exercitum accipit ad recuperandum regnum paternum. Sed à Francis vincitur & occiditur. | 790. | |
| Idem matre impellente Nicephorum patruum, militibus charum, oculis privat ac patruis cæteris præcidit linguam. | 791. | Expeditio altera Caroli contra Hunnos & Auares; in qua ab Aniſo fluvio uſque ad Rabum fluvium feliciter omnia occupavit. Hinc liquet, Hunnos eam, quæ nunc dicitur, Auſtriam occupaſſe. |
| Irene à filio fit conſors Imperii. Conſtantinus magna afficitur clade à Bulgaris. | 792. | Carolus primum Flandriæ comitem facit Lidericum, cui Flandra uxor ex Alemannia. Etiam circa hoc tempus Carolus M. inſtituit Academiam Pariſienſem procurante Albuino, ſeu Alcuino, Caroli præceptore, Bedæ diſcipulo. |
| | 794. | Faſtrada, Caroli M. uxor, moritur Francofurti. |
| | 795. | Carolus M. rebellium Saxonum cædit ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ. ad Albim. |
| * * * | 797. | Conſtantinus à matre oculis privatur XVII kalend. Septemb., quo die ipſe ante patruis oculos effoderat. Paulo poſt verò moritur. Hinc Irene ſola imperat quinquennium. |
| * * * | 798. | Saraceni Cappadociam populantur. Irene pacem petit. Hinc Saraceni ipſam Thraciam vaſtant, adeò ut etiam equos ex ipſo Imperatoris ſtabulo abducant. |
| | 800. | Luidgardis, Caroli Magni uxor, obit. Carolus M. XXV. Decemb. Romæ declaratur Imperator. Atque ita in Occidente inſtauratum eſt Imperium Romanum. |
| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
| Aaron, Aruitas Saracenus, amicitiam Caroli M. ambit & ingentia ei dona mittit, eaque inter elephantum. | 801. | |
| | 802. | Carolus M. & Leo PP. legatos mittunt ad Irenen, quo pacem ſtabiliant & Caroli M. conjugium, ſi non detrectet, offerant. Illa ad cuncta annuit. Sed mox Nicephorus patricius & logotheta generalis à Pop. ſalutatur Auguſtus ac Irene imperio omni exuitur. |
| Irene A. in exilio moritur in inſula Lesbo. | 803. | |
| | 804. | Albuinus, ſeu Aluinus, Caroli præceptor moritur. |
| Aaron Saracenus armat adverſus Nicephorum exercitum cccIↄↄↄ ccciↄↄↄ ccciↄↄↄ. Nicephorus perterritus tributo annuo promiſſo pacem emit. Sed pax ea mox ſoluta. | 805. | Saxonicum bellum finitur. Hunni legatos mittunt ad Carolum, opem poſtulantes adverſus incurſus Sclavorum Boemorum. Carolus filium Carolum cum exercitu mittit, terras Sclavorum populatur & Lechum, eorum ducem, occidit. |
| | 806. | Carolus M. teſtamento dividit inter liberos imperium, ut major pars Galliæ Ludouicum, Italia & quæ adjacent Pipino, Carolo Saxonia, Friſia, Baoaria, Auſtria, Neuſtria & Thuringia cederent. |
| Crummus, Bulgarorum dux, cædit Iↄↄ cIↄ Romanorum & Sardicam dolo capit. Aronis Saraceni filii, Muhmat & Habdallas, certant de primatu & magnis interim damnis afficiunt Chriſtianos. | 807. | Rabodus, Friſiorum dux, quum jam alterum pedem in Baptiſterio haberet, rogat, ubi parentes & proavi ſui eſſent, reſponſum accipit, eſſe eos condemnatos. Tum pedem retraxit ac dixit, nolle ſe ab iis divelli, velleque eſſe, ubi maxima eſſet hominum pars. |
| | 810. | Pipinus Venetis bellum infert. Eopſe anno moritur Mediolani VIII Eid. Jul. Relinquit filium unicum Bernardum, filias quinque. |
| Nicephorus contra Bulgaros pugnat & ab iis captus occiditur. Crummus, ſive Crumus, Bulgarorum princeps, calvam ejus argento incluſit, exque ea Sclavinorum principibus propinare ſolet. Stauratius, Nicephori filius, multa hoc prœlio vulnera accepit; ſed tamen effugit. Ac Conſtantinopolim, ut venit, fuere, qui Imper. creare vellent. Sed Senatus & major populi pars oderant mores ut Nicephori ita & Stauratii. Hinc factum, ut Michaël Curopalates Imper. ſit electus, qui filium ſuum Theophilactum Imperii fecit conſortem. | 811. | Obit Carolus, Caroli M. filius, Pannoniæ rex, in Baoaria Non. Decemb. |
| Michaël Imper. à Crumo, Bulgarorum duce, victus, purpuram cum filio ponit ac monaſticen cum eo profite- | 813. | Carolus M. Aquiſgrani febri corripitur, quæ eum VII, poſtquam decubuit, die ſuſtulit, anno ætat. LXXII. Poſt |

M quem

Digitized by Google

*Orientis.* | *Occidentis.*

tur. Imperatoria verò inſignia tradiderunt Leoni V. Armenio; qui à Nicephoro Patriarcha coronatus eſt in ambone Eccleſiæ majoris. Grumus caſtra metatus eſt prope Conſtantinopolim: ſed quum urbem captu difficilem videret, pacem Imper. obtulit ea una conditione, ut ſibi contum figere liceret in porta aurea. Id quum negaret Imperator, palatium apud S. Mamantem accendit & æreos leones, urſum & dracunculum ex hippodromo ſuſtulit. Hinc receſſit & obſeſſam Hadrianopolim in Thracia cepit.

quem ſolus imperat filius Ludouicus Auguſtus ſecundus Occidentis Imperator.

815. Hiſpani comites, qui, Saracenicam tyrannidem fugientes, in Francia ſedem fixerant & beneficio Ludouici æqua libertate cum Francis fruebantur, intolerabili ſeveritate Francos premunt; ut neceſſe habuerit Ludouicus novo reſcripto Francos ſuos ab eorum tyrannide vindicare.

816. Stephanus P P., qui Leoni III. hoc anno ſucceſſit, proficiſcitur ad Ludouicum Imper. atque Aquiſgrani imponit ei coronam, uti & Imungardi, uxori ejus A.

817. Ludouicus Imper. Noviomagi Lotharium filium appellat Imper. Auguſt., Ludouico Baouariam, filio Pipino Aquitaniam aſſignat. Bernhardus, Italiæ rex, rebellat adverſus patruum ſuum Imper. Adverſus eum Imper. copias contrahit & jam Cabellanum uſque pervenit, quum Bernhardus, imparem ſe tanto exercitui videns, præſertim multis quotidie deficientibus è ſuis, ſupplex fit patruo: qui & illi & duobus, quorum conſilio id fecerat, oculos erui præcepit. Tertio autem die poſt moritur Bernhardus: quod intelligens Imper. multum doluit, quod conſiliariis aures præbuiſſet, qui autores fuerant, ut grave adeo ſupplicium ſtatueret in nepotem. Eodem anno Imper. cum exercitu profectus in Brittanniam & Murmannum Cal. Vivomarchum, ducem eorum, cecidit, terramque ejus ſuam in poteſtatem redegit. Inde rediens ægrotantem reperit uxorem Imungardem, quæ paucis diebus poſt obiit.

818. Imperator uxorem ducit Juditham, Welfi Bavari filiam.

819. Imper. Slavos vincit, quorum dux Liduit.

820. *Oriens:* Leo Imper. occiditur juxta altare. Michaël Balbus carcere liberatur & ejus loco fit Imperator.

820. *Occidens:* Lotharius, Imperatoris filius primogenitus uxorem ducit Edith, filiam Hugonis comitis.

821. Ludouicus Imper., denuo in Brittanniam profectus, fortiter rem gerit. Lotharius patre ſuperſtite Auguſt. coronatur à Paſchale P P.

822. Drogo, nothus frater Ludouici Imper., fit Epiſcopus Mediomatricum.

827. * Euphemius, turmæ cujuſdam dux, quum intellexiſſet, quid ſupplicii in ſe ſtatuiſſet Imper. Michaël, eò quod ſacram virginem rapuiſſet, confugit ad Africæ Amiram, ſive Præfectum ac promittit, ſi ab ipſo Imper. Romanorum creetur, omnem ſe ei Siciliam ſubjicere velle. Placuit Amiræ conditio, qui eum cum Imperatorio nomine, magnoque exercitu in Siciliam miſit, & ejus beneficio Sicilia potitus eſt. Sed non diu eo nomine gaviſus Euphemius. Nam dum Syracuſas petit, ut ab iis ſalutetur Imperator, longiuſque à ſuis ſatellitibus recedit, duo Syracuſani fratres acceſſere quaſi honoraturi. Sed alter, dum Euphemius caput ſalutantibus inclinat, arripit eum capillis; hinc alter caput ejus amputat. Cæterum ex eo Saraceni non Siciliam ſolùm, ſed & Calabriam & pleraſque alias Italiæ regiones partim occuparunt, partim populati ſunt.

828. Imper. Ludouicus hoc, proximove anno Carolo, filiorum minimo, quem ex Juditha habuit, terram Alemannicam & Rheticam & Burgondiæ partem tradidit præſentibus Lothario & Ludouico filiis, quod acerbè, graviterque tulerunt, uti & Pipinus. Hæc princeps ratio, quæ liberos ex priori conjugio à patre & Juditha Auguſt. abalienavit.

829. *Oriens:* Michaël Balbus dyſenteria moritur. Succeſſit ei filius Theophilus.

830. Proceres Franci conſpirant adverſus Ludouicum Imper. eò quod Bernhardum, hominem Hiſpanicum, limitibus

*Orientis.* | *Occidentis.*

bus Hiſpaniarum præfeciſſet & cubiculi feciſſet præfectum. Eundem etiam cum Auguſta Judith conſueſſe dictitabant. De his conqueruntur apud Pipinum filii, animumque ejus facilè impellunt, ut à patre deficiat. Ergo copias conſcribit non adverſus patrem, ſed, ut videri volebat, adverſus Bernardum. Sed Imperator permiſit, ut Bernardus ſibi fuga conſuleret; qui in Hiſpaniam ſe recepit. Eo pulſo, fugatoque utcunque in gratiam cum patre rediit: ſed ea diuturna non fuit.

831. Ludouicus Imperator conventu Noviomagi habito eos, qui ſibi & Auguſtæ fuerant adverſati, alios exilio, alios bonis multat; eaque re tum liberorum, tum populorum animum offendit.

832. Bernardus, reverſus ad Imperatorem, præſentibus Lothario & Ludouico, Imperatoris filiis, purgat ſe de ſtupro objecto.

832. Filii iterum conſpirant adverſus Imperatorem; qui exercitum conflat & iis obviam tendit in magnum campum, qui eſt inter Argentariam & Baſileam, campus mendacii poſtea dictus, quia plurimorum ibi exſtincta ſit fidelitas. Venerat & eò Gregorius IV, ut controverſiam inter patrem & liberos componeret. Sed nihil effecit. Nam nocte quadam deſertus eſt à maxima ſuorum parte, quæ ad filiorum tentoria abiit. Manè paucioribus, qui remanſerant, ad eoſdem eundi autor ipſe fuit, quod ſui cauſa neminem vel unum membrum amittere vellet. Ita & illi cum lachrymis receſſerunt. Jam uxorem Imperatoris ceperant, quam miſere Dortonam, Italiæ civitatem: mox & patrem capiunt. Hinc Pipinus in Aquitaniam abiit, Ludouicus in Bavariam; Lotharius verò Compendium profectus ac valde afflixit patrem per Epiſcopos, imprimis illos, quos è vili conditione ad Epiſcopale decus evexerat. Nam ſervi fuerant vel ex ſtirpe eorum, qui patre vel avo ſerviiſſent. Ab his purpura privatus, inque cœnobium detruſus eſt optimus Imperator. Sed non multò poſt Ludouicus filius, cui iſta diſplicebant, effecit, ut ſibi parens traderetur: quem ille Aquiſgranum duxit & in regnum reſtituit. Lotharius hinc pedem in Italiam retulit. Imperator legatos miſit in Italiam, qui Auguſtam, mendaciis circumventam reducerent. Ea magna cum lætitia atque honore ad Imperatorem Aquiſgranum eſt perducta.

837. Ludouicus & Pipinus ſiſtunt ſe patri & omne ei obſequium ſpondent. Lotharius primùm longius à patre, quem adventare audiebat, refugit. Sed poſtea à legatis patris perſecutus & ipſe ad patrem Imperatorem venit & ei reconciliatur. Accidit hoc XXIII Imperii Ludouici anno, ut eſt apud ejus temporis ſcriptorem. Ut errent, qui referunt ad annum XXV, hoc eſt anno Chriſti Iↄ CCC XXXIX.

838. Hoc, vel ſuperiori anno, vel ſequenti Ludouicus Carolum, filium ſuum ex Juditha, Neuſtriæ regem facit.

840. Ludouicus Imperator moritur anno Imperii XXVI, atque in Mediomatricum urbe ſepelitur. Poſt eum Imperator fuit filius Lotharius, tertius Occidentis Imperator.

841. Lotharius univerſum conatur paternum occupare Imperium. Iccirco Carolus & Ludouicus bellum ei inferunt. Cruento prœlio certatur in agro Antiſiodorenſi ad Fortanetum VII kal. Julias. Periit eo propè omnis nobilitas Franciæ & tantum ſanguinis effuſum, ut mirè attritæ ſint Franciæ vires & poſthac vix ſuffecerint tuendis ſuis. Victores fuere Carolus & Ludouicus.

Theophilo ſuccedit filius Michael cum matre Theodora.

843. Tandem inter fratres in has conditiones convenit, ut Carolus (cui Calvo cognomen) rex eſſet Franciæ inter Oceanum Brittannicum & Moſam; Ludouicus rex eſſet Germaniæ & Hunniæ, Lotharius Italiam atque Imperium haberet in gentes reliquas. Pipinus & Carolus, liberi defuncti fratris Pipini, paterno Aquitaniæ Imperio excluſi & in monaſterium detruſi ſunt.

Ramirus, rex Hiſpaniæ, ſecundo regni anno occidit Iↄↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ Saracenorum.

845. Lotharius Imperator filium ſuum Ludouicum II Imperii facit conſortem.



Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
| --- | --- | --- |
| | 846. | Normanni infeſtant Aquitaniam atque Galliam Pariſios uſque incurſant. Cum iis Carolus Calvus decennium bellum gerit, ſed non admodum feliciter. Idem Brittannis bellum infert. |
| | 850. | Roruc Normannus infeſtat Bataviam, quæ erat Lotharii Imperatoris: Godefridus Normannus populatur Galliam ad Seyanum. |
| | 853. | Normanni Nametum invadunt & Epiſcopum Sacra celebrantem interficiunt. Exinde Turones & Andegavos invadunt; omnia ferro & igne vaſtant. |
| Michael Theodoram A., matrem ſuam, in monaſterium detrudit. Nec multo poſt ea obiit. | 855. | Lotharius Imperator fit monachus atque Imperium ſuum ita partitur inter filios, ut Ludouicus II ſit Imperator Italiæ, qui quartus Occidentis Imperator fuit; Carolus verò eſſet rex Provinciæ, Lotharius rex terræ ejus, quæ ab hoc ſuo rege dicta eſt Lotharingia. |
| | 858. | Carolus Calvus crudelius ſe gerit: iccirco ſubditi Franci à fratre ejus Ludouico, Germaniæ rege, opem implorant, regnumque ei offerunt. Ludouicus cum exercitu venit; ſed à Carolo victus cum ignominia receſſit. |
| | 860. | Neometicius regulus moritur; cujus morte finem accipit bellum inter Carolum Calvum & Brittannos. |
| | 862. | Lotharius, rex Lotharingiæ, repudiat uxorem legitimam & Woldradam pellicem ſibi ſociat. |
| | 863. | Edelulphus, Angliæ rex, moritur. Iccirco vidua ejus Juditha, filia Caroli Calvi, remittitur parenti. Sed Balduinus, Arduennæ ſalutarius, pulchritudine fœminæ captus, eam intercepit & conjugio ſibi junxit. Hoc indignè tulit rex Carolus; qui armis eum opprimere decrevit. Sed precibus filiæ, quum res infecta reddi non poſſet, motus animus paternus, ex hoſte & prædone filiæ generum ſalutavit, eique Flandriam dedit dotis loco & appellavit Comitem regni. Balduinus verò promiſit, ſe regibus Francis ſemper auxilio fore adverſus Danos & alios Septentrionis populos, qui tum Galliam infeſtabant. Creditur eodem anno à Carolo Calvo Theodoricus, cognomine Friſius, primus eſſe inſtitutus Hollandiæ comes; idque à Carolo factum eſſe, quò plures haberet, quos Danis & Normannis, hoſtibus adeò efferis, opponeret. |
| | 866. | Carolus Calvus paciſcitur cum Roruc & Godefrido Normannis; ac utrique iis in locis ſedes dat, quas infeſtatant. |
| Baſilius Macedo, ex vili ſorte cubicularius, interimit Imperatorem Michaelem, eique ſuccedit. | 867. | Saraceni Beneventanam regionem incurſant. Iis ſe fortiter oppoſuit Ludouicus Imperator. Etiam opem ei tulit Lotharius frater, Lotharingiæ rex. Normanni eodem anno populantur Gallias. Rupertus Marchio & Rainulphus, Aquitaniæ dux, bello cadunt. |
| | 869. | Lotharius, eò quod Theuperga, uxore legitima dimiſſa ſociaſſet ſibi pellicem, vocatur Romam. Ille ſe per litteras excuſat. In reditu Placentiæ obit. Hunc patrui ejus, Ludouicus, Germaniæ rex, & Carolus Calvus, terras ejus inter ſe partiuntur excluſo fratre Imperatore. |
| Baſilius Imperator adverſus Saracenos fortiter rem gerit, eoſque Palæſtina expellit. | 871. | |
| | 872. | Carolus Calvus filium ſuum Carolomannum diaconum . . . . . . . . . , eò quod pacem turbaret; alterum verò filium in temerario duello amittit. |
| | 873. | Adelgiſus, dux Beneventanus, deficit ad Græcum Imperatorem. Sed mox victus à Ludouico, Imperatore Romano, fugit in Corſicam. Dux Spoletanus & Comes Interamnæ arcent Saracenos, Romam contendentes. |
| | 875. | Ludouicus Imperator moritur Mediolani. Ei ſuccedit patruus Carolus II, cognomento Calvus, rex Galliæ, quintus Occidentis Imperator. |
| | 876. | Ludouicus, Germaniæ rex, moritur Francofurti. |
| | 877. | Carolus Calvus à Zedechia, medico Hebræo veneno necatur. Succedit ei tam in Imperio, quàm Franciæ regno filius Ludouicus III Balbus, qui ſextus Occidentis Imperator fuit. |
| Baſilii filius, natu maximus, nomine Conſtantinus, moritur: alter filius Leo ob ſuſpiciones quaſdam in carcerem compingitur. | 879. | Ludouicus Balbus Imperator & rex Galliæ moritur relicta uxore gravida. Ventris ſpei tutorem reliquit Odonem, Roberti, Andegavenſium ducis, filium. Ita rege nondum nato velut ventre rege magnæ in Galliis turbæ datæ ſunt. |

Digitized by Google

*Orientis.* *Occidentis.*

ſunt. In iſtis turbis Ludouicus & Carolomannus, Ludouici Balbi ex concubina filii, regium nomen invadunt. In Imperio verò Ludouico II. ſucceſſit Carolus, cognomento Craſſus, tertius ejus nominis Imp., Ludouici Pii Imp. nepos, Ludouici Germaniæ regis, filius, Septimus Imp. Occidentis Normanni Galliam, Belgicam & Friſiam mirè infeſtant.

Baſilio ſuccedit Leo, cognomento Philoſophus.

884. Ludovicus, Galliæ rex, moritur.

885. Carolomannus, alter rex Galliæ, moritur.

886. Poſt Carolomanni obitum Normanni, Danis conjuncti iterum infeſtant Gallias. Adverſus eos arceſſitus Carolus Craſſus Imper.: ſed inferior deceſſit. Tum omnes Galliæ terras pervagati hoſtes & miſerandas ſtrages dedere. Iccirco Carolus Imp. ex hoſtibus ſocios atque etiam affines facere maluit ac regi Normanorum Godefrido uxorem dedit Ægidiam Cal. Giſlam, Lotharii, patruelis ſui, regis filiam & in dotis loco Friſiam ei dedit. Sed non multo poſt Godefridus rebellionem meditatur, idque ſuaſu Hugonis, uxoris ſuæ fratris. Animadvertit id Carolus Craſſus; qui Godefridum compoſito tempore ac loco ad colloquium evocavit: ubi eum Henricus dux inſidiis poſitis advenientem interemit. Mox etiam Hugo, conſilii autor, luminibus privatus. Normanni, rege orbati, non deſiſtunt à populationibus.

887. Adverſus eos Carolus Imp. miſit Henricum ducem, qui Pariſios tuebatur. Sed Normanni urbem eam obſedere & Henricum erumpentem de induſtria longius elicuere: ubi in foſſas, levi materia contectas, incidens, hoſtium ſuperventu eſt occiſus; qui ita regis ſui cædem ulciſcebantur.

888. Carolum Imp. pleraque omnis Gallia pro rege ſuo agnoſcebat, non item Neuſtria. Iccirco Imp. novam cum Normannis pacem iniit, iiſque dedit Neuſtriam incolendam. Atque ita ab novis iſtis incolis Normanniæ nomen accepit.

889. Carolus Craſſus Imperator magis, magiſque degenerat. Iccirco ei curator datus Arnulphus novo exemplo, fratris filius patruo.

890. Arnulphus Auguſt. ſalutatus octavus fit Occid. Imp. Hic Imperio non contentus Gallicum regnum affectat. Sed Odo, Roberti, Andium ducis, filius licet alienus à ſtirpe Caroli Magni, tamen, quia tutor eſſet Caroli Simplicis, regnare jubetur. Imò de Imperio ipſo certandum Arnulpho. Nam Berengarius, Forojulienſium dux Spoletanus, Italiæ Imp. ſalutatur. Primum certatum inter Berengarium & Guidonem; & victus Berengarius: qui ad Arnulphum confugit & cum eo fœdus pepigit.

891. Procerum in Galliis multi Odonem in Aquitania regnare volunt, Carolum Simplicem in Francia; quem & regem faciunt. Interim utrimque non deſinunt, qui inimicitias accendant & pupillum erga tutorem incitent. Ab Odone hoc eſt, quod Galliæ reges pro inſigni uſi multis liliis.

893. Carolus Simplex cedit Odoni, inque Burgundiam ſe recipit.

894. Arnulphus in Italiam cum exercitu venit, Guidonem vincit, Berengario & filio Lamberto regnum reſtituit Italiæ.

898. Odo moriens coram proceribus teſtatur, ſe ob Galliæ difficilem ſtatum regio titulo & autoritate uſum eſſe; cæterum nunc poſcere, ut Imperium legitimo hæredi Carolo reſtituatur. Ita poſt Odonem tutorem regnat Ludovici filius Carolus, cognomento Simplex. Etſi verò Odo hæc moriens conſtitueret, ut Carolus imperaret; tamen Odonis frater Robertus regnum occupare ſtuduit.

899. Arnulphus Imp. moritur, eique ſuccedit filius Ludovicus IV, nonus Occid. Imp.

900. Italia bellis inteſtinis miſerè affligitur, dum de Imperio certatur. Etiam Hungari Moraviam ſibi ſubjiciunt, Bavariam populantur, omnia longè & latè vaſtant

 &, ut

Digitized by Google

*Orientis.* | *Occidentis.*

&, ut magis ſint terrori, humanum ſanguinem potant.

907. Atrox prœlium in Baouaria committitur inter Ludouicum IV. Imp. & Hungaros; quod in tertium diem durat. Sed tandem penes Hungaros victoria fuit.

909. Hungari Saxoniam & Thuringiam vaſtant.

Alexander frater ſuccedit Leoni Philoſopho Alexandro patruo ſuccedit Conſtantinus etiamnum puer, Leonis Philoſophi filius.

Saraceni miſerè affligunt Calabriam, Apuliam & univerſam pene Italiam.

910. Hungari Alemanniam populantur.

912. Ludouicus IV. moritur, ultimus ex Caroligenis. Ei ſuccedit ex alia ſtirpe Conradus, decimus Occid. Imp. Normanni Chriſtianorum fidem ſuſcipiunt. Rollo primus conſtituitur Normanniæ dux, qui poſt baptiſmum uxorem accipit filiam Caroli Simplicis. Atque ita finem habuit bellum inter Gallos & Normannos.

914. Germaniæ Principes adverſus Imperator. Conradum rebellant.

916. Carolus Simplex virtute ſuorum recipit Lotharingiam. Berengarius II. Ludouicum, Buſonis filium; quod contra jusjurandum Italiæ regnum invaderet, oculis privat.

Romanus Lacapenus à Conſtantino fit Imperii conſors. Hic matrem Conſtantini Zoen tondet & in monaſterium detrudit, æmulos omnes tollit & ita unus omnia agit, ut penes Conſtantinum non niſi umbra imperii foret.

919. Conradus Imper. moriturus Henricum Aucupem proceribus commendat. Saxo erat, ſed ex matre tamen Carolina. Hic undecimus eſt Occid. Imper. imperavit annos XVIII.

921. Hungari Saxoniam vaſtant: ſed Henricus Imper. eos cædit. Hinc novennii induciæ inter eos initæ.

922. In ſucceſſionibus pugnatum inter Carolum Simplicem & Robertum, Odonis fratrem, quem Herveus, Remorum Epiſcopus, regem Galliæ coronarat. In eo occiſus eſt Robertus. Hoc animos addere Simplici debuerat. Ille quaſi victus oratores miſit ad Herbertum, hoſtium principem, pene ſupplices; alteros item ad Henricum, Germaniæ Imper., qui ei Lotharingiam redderent & majora auxilia poſtularent. Hinc arceſſitur ab Herberto in ſpeciem rei Franciæ componendæ, capitur & præſidio ac cuſtodibus additis Peronam mittitur: ac in Procerum Concilio regno ſe cedere profitetur ac dare illud Rudulpho, Burgundiæ regi, Richardi filio.

926. Poſt multas miſerias moritur Carolus Simplex Peronæ ſecundo anno, ex quo Rudulphus Burgundus Galliæ rex coronatus erat. Henricus Imper. diuturnum gerit bellum cum Sclavis, Vandalis & Sorabis.

927. Henricus Imper. capto Brandeburgo primus in eo locat Marchionem, qui provinciam, armis quæſitam, tueatur & provincialibus jus dicat. Marchionem verò dixit quaſi ducem limitaneum.

928. Henricus Imperator Sclavorum exercitum internecione delet.

Bulgari Thraciam vaſtant. Ipſa Conſtantinopolis ſuburbana accenditur. Tandem magnis muneribus deleniti recedunt.

929. Redit è Brittannia & rex coronatur Galliæ Ludouicus, Caroli Simplicis filius, Transmarinus inde dictus, qui patre cum adverſa fortuna conflictante ad avunculum, Angliæ regem cum matre Oginia profugerat. Hinc inter Rudulphum Burgondionem & Ludouicum Transmarinum contentio oritur de regno.

930. Henricus Auceps Miſnam condit & Miſnenſem Marchionatum conſtituit.

935. Henricus Auceps ad Merſpurgam ingenti prœlio cædit Hungaros & tributum, quod illis debebatur, vel cultui divino impendit, vel pauperibus largitur. Unde pater patriæ eſt vocatus. Magnum dehinc Henrici nomen apud omnes reges & gentes fuit.

936. Henrico Aucupi in Imperio ſuccedit Otto M. duodecimus Occid. Imper. In Galliis moritur Rudulphus Burgunda: atque ita ſolus imperat Ludouicus Tranſmarinus.

938. Tanemarus rebellat cum ſuis adverſus Ottonem Imper., fratrem ſuum: ſed vincitur.

939. Henricus frater, Giſelbertus Lotharingus & Eberardus Francus rebellant adverſus Ottonem Imperatorem.

Tu-

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| Turcæ populantur Thraciam Conſtantinopolin uſque. | 941. | Rex Galliæ Ludouicus Lotharingiam ingreditur adverſus Othonem Imperatorem. |
| | 942. | Fœdus & amicitia initur inter Ottonem Imperatorem & Ludouicum regem, imò & affinitas. Nam Ludouicus rex uxorem ducit Gerbergam, viduam Giſſeberti, Ottonis ſororem. |
| * Turcæ iterum populantur Thraciam. | 943. | * Ramiras, Legionis rex cædit multa Saracenorum millia. |
| Romanus Lacapenus à filio Stephano, quem Imperii conſortem fecerat, cœnobio includitur. Idem Stephanus facere conatus Conſtantino Imperatore. Sed ille inſidiis animadverſis anticipat & Stephanum cum fratre Conſtantino tondet ac in monaſterium detrudit. Ita Conſtantinus, penes quem Imperii ſola umbra fuerat, pleno Imperio fruitur, Imperator Litterarum & Litteratorum amantiſſimus. | 944. | |
| | 945. | Hugo, filius Roberti, ad Sueſſiones, à Carolo Simplice cæſos, deficit à rege & controverſiam de regno movet Ludouico Tranſmarino. |
| | 948. | Hugonis factio prævalet. Ludouicus ejus opera & ſuorum proditione capitur à Normannis & Laudini in publicum carcerem conjicitur. |
| | 949. | Otto Imperator venit cum exercitu in Franciam, Hugonem & Normannos vincit ac Ludouicum Tranſmarinum, ſororium ſuum, iterum in regnum reſtituit. Hugo promittit, ſe fore in Imperatoris poteſtate. |
| | 950. | Lotharius, Italiæ rex, veneno tollitur: poſt quem Imperium invadit Berengarius. |
| | 951. | Otto proficiſcitur in Italiam, ut liberet Adelcheidam, Lotharii viduam. Capit Papiam, eaque capta Adelcheidam ducit uxorem. Berengarius, Italiæ rex, ſe, ſuaque ſubmittit Ottoni. |
| | 952. | Bohemi ab Ottone ſubacti. |
| | 955. | Otto nobilem victoriam reportat de Hungaris, quorum exercitum maximum internecione delet. Ludouicus Tranſmarinus moritur; cui in Galliæ regno ſuccedit Lotharius. |
| | 957. | Otto ingenti prælio Vandalos vincit. |
| Conſtantinus veneno necatur à filio ſuo Romano, qui ei in Orientis Imperio ſuccedit. | 960. | |
| | 961. | Otto expeditionem inſtituit in Italiam adverſus Berengarium. Ante abitum Otto junior, filius ejus, puer ſeptennis, ex voluntate Procerum coronatur Aquisgrani. |
| | 962. | Otto Magnus Romæ ſalutatur Auguſtus & à Joanne XII coronatur. |
| Romano parricidæ ſuccedit Nicephorus Phocas. | 963. | |
| | 964. | Berengarius ab Ottone capitur unà cum uxore & liberis & in Baouariam relegatur. |
| Nicephorus Saracenis eripit Cyprum, Tharſum, Mopſueſtum & Antiochiam Syriæ. | 965. | |
| | 966. | Novi motus in Italia fiunt; iccirco in eam quamcitiſſimè redit Otto & Romæ in autores motuum animadvertit. |
| | 967. | Otto legatos mittit ad Nicephorum de jungenda affinitate. |
| Nicephorus fraudulenter reſpondet, ſe Ottoni juniori uxorem daturum Theophaniam. | 968. | |
| | 969. | Otto, ut injuriam, à Nicephoro illatam, vindicet, Apuliam & Calabriam armis ei eripit, eaque Occidentis Imperio adjicit. |
| Nicephorus occiditur ab Joanne Zimiſces, qui in Imperio ſuccedit & Ottoni Theophaniam, filiam Nicephori, cum muneribus mittit. Conſortes verò Imperii ſui facit Baſilium & Conſtantinum. | 970. | |
| Joannes Imperator ingenti clade afficit Ruſſos & ſocias gentes. | 972. | |
| | 973. | Otto Magnus moritur; poſt quem imperat Otto II filius, vulgo dictus, *mors pallida Saracenorum*. Hic decimus tertius Occidentis Imperator fuit. |
| | 974. | Henricus Baouarus, Imperatoris patruelis, rebellat adverſus eum & propterea ejicitur ditione ſua. |
| Joannes Zimiſces moritur; poſt quem ſoli regnant Romani junioris liberi Baſilius & Conſtantinus. Adverſus eos quadriennio rebellat Bardas Sclerus. | 975. | |
| | 976. | Henricum iterum tumultuantem iterum compeſcit Imperator. Boemos quoque vincit. |
| | 978. | Otto II Imperator Lotharingiam donat Carolo, Lotharii, Galliæ regis fratri. Propterea rex Lotharius Imperatori bellum infert ac prope opprimit. Sed mox Imperator omnia vaſtat Lutetiam uſque. |

Græci

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
| --- | --- | --- |
| Græci iterum occupant Apuliam & Calabriam. | 980. | Colloquuntur & fœdus ineunt Imperator & rex Lotharius ad Charum fluvium. |
| Samuel, rex Bulgarorum, bellum Baſilio & Conſtantino Imperatoribus infert in Thracia & Macedonia ac magna eos clade afficit. | 981. | |
| Ingens prœlium in Calabria committitur inter Græcos & Saracenos. | 982. | |
| | 983. | Otto II moritur; cui ſuccedit in Imperio Otto III filius, vulgo dictus *mirabilia mundi*, quartus decimus Occidentis Imperator. |
| | 986. | Otto III Imperator Boemos vincit, ſibique ſubjicit. Lotharius, rex Galliæ, moritur; cui ſuccedit filius Ludouicus V, poſtremus regum ex genere Pipini & Caroli Magni. |
| Bardas Phocas, æmulus Scleri, Imperator ſalutatur ab exercitu; ſed anno proximo in bello perit. | 987. | |
| | 988. | Hugo Capetus, Pariſiorum Comes extruſo ſanguine Germanorum Francorum primus Gallici ſanguinis in Galliis vi & armis incipit regnare. Atque hujus poſteritas hodieque imperat in Galliis. |
| Mortuo Barda Phoca Bardas Sclerus Baſilio Imperatore conciliatur & ab eo creatur Palatii præfectus. | 989. | |
| Baſilius Imperator compeſcit motus primùm in Iberia, mox in Phœnicia; deinde etiam Samuelem, Bulgarorum principem cædit. | 991. | Carolo, Lotharingiæ duce, mortuo ſuccedit filius Otto. |
| | 992. | Otto III Imperator Brandeburgum à Vandalis recuperat. |
| | 996. | Hugoni Capeto ſuccedit in Galliæ regno filius Robertus. |
| Baſilius Imperator Bulgaros vincit, eoſque Theſſalia ejicit. | 1000. | |
| | 1001. | Otto III Imperator Boleſlaum creat primum Poloniæ regem. |
| | 1002. | Otto III Imperatoris moritur. Succedit ei Henricus II, cognomento Claudus & Sanctus, xv Imperator Occidentis. |
| | 1004. | Henricus II Imperator proficiſcitur in Italiam. |
| | 1005. | Piſani Sardiniam, Genouenſes Corſicam Saracenis eripiunt. |
| Dum Græci Bulgarico bello occupantur, Saraceni capiunt Hieroſolyma. | 1008. | |
| | 1009. | Normanni infeſtant Friſiam. |
| | 1010. | Normanni iterum Friſiam populantur & Ultrajectum incendunt. |
| | 1013. | Henricus II Imperator in Italiam proficiſcitur adverſus Arduennum, qui Imperium affectabat. |
| Baſilius Imperator iterum cædit Bulgaros; ſed crudeliter victoriam exercet. Nam ccIↃↃ IↃↃ captis oculos erui jubet. | 1014. | Idem in Paſchate coronatur. |
| | 1015. | Henricus II Imperatore Boleſlaum, Boemiæ regem, quod antè biennium armis Germaniam turbaſſet, cogit ſibi jurare & tributum pendere. |
| | 1018. | Gothofredus, Lotharingiæ dux, adverſus Friſios pugnans, ab iiſdem capitur. |
| Baſilius Imperator triumphat Conſtantinopoli de Bulgaria devicta. | 1019. | Normanni in Apulia incipiunt pugnare: ſed parum feliciter. |
| Baſilius Iberos ſibi ſubjicit. | 1022. | |
| | 1023. | Henricus II Imperator in Apuliam & alias Italiæ regiones proficiſcitur. |
| | 1024. | Henricus II Imperator moritur ultimus Imperatorum ex ſtirpe Henrici Aucupis. Ei Conradus II Salicus ſuccedit xvii Occidentis Imperator. Atque ita Imperium, quod primùm adminiſtravere novem ex ſtirpe Pipini, hinc Conradus, tum quinque ex domo Saxonica; deinceps tranſlatum ad Francones, qui ſunt ad Mœnum: in qua quatuor imperarunt ordine, Conradus II, Henricus III, IV & V. |
| Baſilius Imperator moritur. Hinc ſolus imperium tenet frater Conſtantinus. | 1025. | |
| Conſtantinus Imperator moritur. Succedit Romanus Argyrus. Uxor ei Zoe, Conſtantini Imperatoris filia. Triennio bellum geſſit cum Saracenis. | 1028. | Conradus Imperator Italiam petit. Ferdinandus I fit Hiſpaniæ rex. |
| | 1029. | Conradus Imperator Hungaros vaſtat. |
| | 1030. | Conradus Imperator Bohemos iterum ſubjicit Imperio. |
| | 1032. | Conradus Imperator Burgundiam Imperio ſubjicit. |
| Moritur Romanus Argyrus. Succedit Michael Paphlago, qui & viduam Romani uxorem ducit. Michael Saracenis eripit Siciliam duce Marmace. | 1034. | |
| | 1036. | Conradus Imperator in Italiam proficiſcitur & motibus ejus ſedandis biennium impendit. |
| | 1038. | Boemi Polonis eripiunt Vratiſlaviam, Cracoviam, aliaque oppida. |

Michael

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
| --- | --- | --- |
| Michaël Bulgaros, iterum rebellantes cædit, ſibique ſubjicit. | 1039. | Conrado ſuccedit filius Henricus III. cognomento Niger. |
| | 1040. | |
| Michaël Paphlago moritur. Ei ſuccedit Michaël Calaphates. Sed quarto poſt menſe Imperio dejicitur & luminibus privatur. Ita Imperium omne eſt penes Zoen, Michaëlis Paphlagonis viduam & ſororem ejus Theodoram. Zoe nubit tertio marito Conſtantino Monomacho, eumque Imper. dicit. | 1041. | Henricus III. Imper. Bohemos ferro, flammaque vaſtat, Bretiſlaum, eorum ducem, Pragæ obſidet & ſupplicem fieri cogit. Normanni Græcos ex Apulia expellunt. |
| | 1042. | Henricus III. Imper. bellum gerere incipit contra Hungaros. |
| | 1044. | Henricus III. Imper. Hungaros ingenti prœlio vincit ad Tauriſium. |
| Turcæ, qui tempore Baſilii Porphyrogenneti à Saracenis erant auxilio vocati, nunc contra Saracenos invaleſcunt ac totum penè Orientem occupant. | 1045. | |
| Imperatrix Zoe moritur. | 1050. | |
| Conſtantinus Monomachus moritur. Regit ſola Zoes ſoror. | 1055. | |
| Theodora moriens Imper. dicit Michaëlem Stratioten jam ſenem. | 1056. | Henricus III. Imper. moritur. Succedit filius Henricus IV, puer ſexennis. |
| Michaël Stratiotes Imperio dejicitur, eique ſuccedit Iſaacus Comnenus. | 1057. | |
| Iſaacus Comnenus ſponte Imperio cedit. Succedit Conſtantinus Ducas. | 1059. | |
| Uzi, gens Scythiæ, Thraciam, Macedoniam, Græciam populantur. | 1064. | |
| Uzi à Bulgaris & Pazinacis internecione delentur. | 1066. | Guilielmus Normannus Haraldum, Angliæ regem vincit & rex Angliæ coronatur. |
| | 1068. | Henricus IV. Sclavos domat. |
| Conſtantino Ducæ ſuccedit filius Michaël Ducas, parum Imperio idoneus: ſub quo Turcæ majores in Oriente vires capiunt. | 1072. | |
| | 1073. | Henricus IV. Imper. in odium venit Saxonum & Thuringorum. A Saxonibus obſidetur: ſed elabitur. Hinc in Thuringia confligere parat; ſed per arbitros pax inita. |
| | 1075. | Henricus IV. prœlium committit cum Saxonibus, eoſque prœlio vincit. Hinc Saxoniam vaſtat. |
| Nicephorus . . . . Imper. fit. | 1077. | Henricus IV. à Gregorio VII, qui antea dictus Hildebrandus, proſcribitur. |
| | 1078. | Proſcripto Henrico IV. Rudulphus, Sueviæ dux, à quibuſdam Imper. creatur: cui Gregorius Papa mittit cronam. |
| | 1080. | Quartò prœlium committitur inter Henricum IV. & Rudulphum: in quo Rudulphus iterum vincitur & dextram amittit ac poſtridie moritur. Incipit comitatus Naſſovius cum Ottone Naſſovio. |
| Alexius Comnenus ſuccedit Nicephoro, etſi fratrem majorem haberet Iſaacium. | 1081. | Henricus Imper. in Italiam cum exercitu proficiſcitur, Romam obſidet & capit. |
| | 1082. | Henricus IV. Imper. Romæ coronatur. |
| | 1085. | Gregorius VII. Papa moritur. |
| | 1086. | Vratiſlaus ab Henrico IV. creatur Bohemiæ rex. |
| | 1088. | Nova conſpiratio adverſus Henricum autore Epiſcopo Halberſtadienſe. |
| | 1090. | Henricus IV. in Italiam redit ac quinquennium ibi permanet. |
| | 1093. | Henrici filius Conradus, quem pater ſucceſſorem deſtinarat, rebellat & in Italiam venit. |
| Alexius malo dolo agit cum exercitu Chriſtianorum adverſus Infideles, communes hoſtes, tendentem. | 1095. | Concilium Claromontanum in Galliis habetur; in quo decreta expeditio ſacra contra Saracenos & Turcas. |
| Turcæ ingenti ſtrage cæduntur à Chriſtianis. | 1096. | Expeditio ſacra initium ſumit duce Gualtero Senſavio & Petro Eremita. |
| Chriſtiani Antiochiam capiunt. | 1098. | |
| Capitur ab iiſdem Hieroſolyma, cujus rex primus deſignatus Godofredus, Lotharingiæ rex. | 1099. | |
| Godofredus, Hieroſolymorum rex moritur. Ei in regno ſuccedit Balduinus frater. | 1100. | Conradus, Henrici IV. filius, quem Papa Imper. fecerat, moritur in Italia patre ſuperſtite. |
| Guilielmus Aquitanus novum in Palæſtinam ducit exercitum. | 1102. | |
| Balduinus rex capit Ptolemaida, Apameam, Laodiceam, etiam in Meſopotamiam ducit exercitum; ſed metu hoſtium adventantium mox reducit. | 1103. | |



Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| | 1105. | Henricus filius rebellat adverſus patrem Imper. Henricum IV. |
| | 1106. | Henricus IV. à filio Henrico V. opera Epiſcoporum exuitur Imperii inſignibus, patrique filius in Imperio ſuccedit. |
| | 1109. | Henricus V. bellum gerit in Sileſia contra Polonos. |
| Chriſtiani capiunt Byblum, Tripolim, Berythum. | 1110. | |
| Capiunt Sidona. | 1111. | Henricus V. Romæ tumultum ſedat. |
| | 1112. | Henricus V. excommunicatur à Papa. |
| | 1113. | Henricus V. Saxones, à parte Papæ contra ſe ſtantes, bello perſequitur. |
| | 1115. | Mathildis, Bonifacii filia, cujus magna erat & potentia & autoritas, Papæ partes ſecuta adverſus Cæſarem, moritur. |
| | 1116. | Henricus V, iterum excommunicatus à Papa, proficiſcitur cum exercitu in Italiam. |
| Balduino ſuccedit Balduinus II. in regno Hieroſolym. | 1117. | |
| Alexius moritur. Succedit Joannes Comnenus. | 1118. | |
| Rogerius, prætor Antiochenus, cæditur cum toto exercitu à Saracenis. Sed poſtridie rex Balduinus II. Saracenos cædit, totaque Palæſtina ejicit. | 1119. | |
| Balduinus rex capitur à Saracenis. Palæſtinam eidem populantur. Sed mox clade ingenti afficiuntur. | 1121. | |
| | 1122. | Henricus V. Wormatiæ jus conferendi beneficia Eccleſiaſtica Papæ reſignat atque ita pacem impetrat. |
| | 1124. | Henricus V. Imper. Hollandis bellum infert. |
| Balduinus cædit Saracenos & ingentem refert prædam. | 1125. | Moritur Henricus V. Imper. ſuccedit ei vigeſimus Imperat. Lotharius Saxo, maternum genus ducens ab Henrico Aucupe. Sed ab aliis Italiæ rex coronatus Carolus Sueviæ dux. Unde in Germania, Italiaque bellum ortum. |
| Balduino II. ſuccedit Fulco Andegavenſis in regno Hieroſolym. | 1131. | |
| | 1133. | Lotharius Romæ coronatur Imperator, cui in Germaniam reverſo reconciliatur Conradus Suevus interceſſione S. Bernardi. |
| | 1136. | Lotharius in Italiam redit atque Apuliam occupat. |
| | 1137. | Lotharius in præda urbis Amulfis invenit vetuſtum Pandectarum Codicem, quem donat Piſanis. |
| | 1138. | Lotharius moritur. Conradus III. Suevus, qui hactenus Lotharii Saxonis æmulus fuerat, fit Imper. vigeſimus primus. Atque ita à domo Saxonum & Francorum ad Mœnum tranſlatum eſt Imperium ad Suevos; quæ quarta eſt mutatio in Imperio. Ex hac domo imperarunt ſeptem, ſed ordine bis interrupto; ſemel ab Ottone IV. Saxone, iterum à Guilielmo, Hollandiæ comite. |
| | 1140. | Guelphus, Bavariæ dux, in periculo ſervatur à Suevis. |
| Fulco, rex Hieroſolym. obit. Succedit Balduinus III. Joanni Comneno ſuccedit in Orientis Imperio Manuel Comnenus, jun. fil., ſed à patre moriente prælatus: & initio Imperii reconciliatur fratri majori. | 1142. | |
| Manuel feliciter rem gerit contra Perſas & Turcas. | 1145. | |
| | 1147. | Conradus Imper. exercitum inſtaurat in Thracia & inde in Palæſtinam venit. Sed nihil memorabile facit. Incolumis tamen redit. |
| | 1152. | Conrado mortuo ſuccedit Fredericus Barbaroſſa Imper. XXII. |
| Balduinus III. Aſcalonem obſidet. | 1153. | |
| Balduinus Aſcalonem deditione capit. | 1154. | |
| | 1155. | Fredericus Imper. capta Dertona coronatur Romæ. |
| | 1158. | Fredericus Barbaroſſa capit Mediolanum; ſed cives rebelles, in gratiam accipit. |
| | 1160. | Bellum iterum in Italia, quo Crema capitur & vaſtatur. |
| | 1161. | Mediolanum iterum obſidetur. |
| | 1162. | Mediolanum deditione capitur à Fr. Barbaroſſa. Dum verò Imper. in Italia bellum gerit, Henricus Leo turbat Saxoniam inferiorem. |
| Balduino III. in regno Hieroſolym. ſuccedit frater Almericus. | 1163. | |
| Almericus rex in Ægypto bellum gerit. | 1165. | |

Alme-

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| Almericus Damiatam in Ægypto obſidet & tandem capit. | 1167. | Fredericus Barbaroſſa iterum in Italiam proficiſcitur, eoque abſente Henricus Leo iterum Saxoniam & vicinos turbat. |
| Almericus capit Peluſium. | 1168. | |
| Saladinus invadit Palæſtinam. | 1170. | |
| Almericus rex moritur. Succedit ei Balduinus IV, natus annorum XIII. | 1173. | |
| | 1174. | Fredericus in Italiam iterum proficiſcitur. Sed iterum in Germania pacem turbat Henricus Leo. |
| Saladinus Aſcalonem obſidet: ſed repellitur. | 1177. | Friderici Barbaroſſæ filius Otto capitur à Venetis. Iccirco cogitur Imperator tranſigere cum Pontifice Alexandro & Venetis. |
| Manuel Comnenus moritur; cui ſuccedit Alexius Comnenus. | 1180. | Henricus Leo, dux Saxoniæ & Bavariæ, proſcribitur. |
| Alexius Comnenus ſtrangulatur ab Andronico Alexio, patruo ſuo; qui & Imperium invadit. | 1182. | Fredericus Barbaroſſa oppugnat Henricum Leonem, eumque terris ſuis exuit & aliis eas donat. |
| Balduino IV puero ſuccedit in regno Hieroſolymitano vitricus ejus Guido Luſignanus. | 1184. | |
| Iſaacius Angelus coronatur Imperator Orientis. | 1185. | Henricus, Friderici Barbaroſſæ filius, in Imperio ſucceſſor deſignatur. |
| Guido rex capitur in prœlio à Saracenis. Ab iiſdem etiam capta Hieroſolyma anno LXXXVIII, ex quo eam Chriſtiani occuparant. | 1187. | |
| | 1188. | Fredericus Barbaroſſa Imperatori Saladino bellum denunciat. |
| | 1189. | Fredericus Barbaroſſa cum exercitu proficiſcitur in Palæſtinam. |
| | 1190. | Fredericus Imperator in Armeniæ fluvio, quem lavandi cauſa ingreſſus fuerat, ſubmergitur. Succedit ei filius Henricus VI, cognomento Aſper, Imperator XXIII. Hic Romæ coronatur anno ſequenti. Uxorem duxit Conſtantiam jam quinquagenariam, hæredem regni Neapolitani ac Siciliæ: per quam Henricus Siciliæ ac Neapolis rex obiit. Eopſe anno in Palæſtinam navigant Philippus, Galliæ, & Richardus, Angliæ rex. |
| Richardus, Angliæ rex, Cyprum capit. Sed vendit eam Guidoni Luſiniano Gallo; cujus poſteri eam per CCC annos, vel præter propter tenuerunt. | 1191. | |
| Richardus turpiter è Palæſtina pedem refert. | 1192. | |
| Saladinus terror Orientis hoc, vel ſuperiori anno mortuus eſt. Succeſſorem habuit fratrem ſuum Sphadinum. | 1194. | Henricus VI Imperator cum exercitu proficiſcitur in Italiam & cùm Apuliam, tum Siciliam occupat. |
| Chagantus, Tartarorum princeps, Chriſtianorum religionem amplectitur, eos juvat, Saracenos expellit è Palæſtina & multas Chriſtianis urbes reſtituit. | 1197. | Henricus VI exercitum mittit in Palæſtinam. |
| | 1198. | Henricus VI moritur Meſſanæ in Sicilia. Hinc ab nonnullis ſurrogatur Philippus frater, qui Imper. eſt XXIV. Sed ab aliis deſignatus Auguſtus Otto IV Saxo. |
| | 1199. | Exercitus Henrici VI in Palæſtina Imperatoris ſui morte cognita & præterea morbis adflictus variè dilabitur. |
| Iſaacius Auguſtus imperat cum Alexio, filio juniore. Latini occupant Conſtantinopolin, primuſque in ea Imperator Latinus coronatus Balduinus, comes Flandriæ. Sed ante urbem captam Iſaacius obierat: Alexius verò ab Alexio Duca fuerat ſtrangulatus. Eorum loco Græci poſt urbem captam Imperatorem elegere Theodorum Laſcarem, qui Nicææ ſedem habuit. Itaque deinceps in Oriente alius Græcorum, alius Latinorum eſt Imperator. | 1203. | Philippus, Galliæ rex, eripit Anglis provincias Gallicanas. |
| | 1208. | Philippus Imperator nefariè occiditur ab Ottone Witteliſpachio Bavaro. Succedit ei in Imperio Otto IV natione Saxo, cui nupta Beatrix, Philippi Imperatoris filia. Eſt hic Imperator XXV. |
| | 1212. | Otto IV excommunicatur à Pontifice, ejuſque loco eligitur Fredericus II. |
| | 1214. | Otto maximo prœlio vincitur à Philippo, Galliæ rege, ad Bovinas, Galliæ pagum. |
| | 1216. | Germani expeditionem inſtituunt in Palæſtinam duce Andræa, Hungariæ rege. |
| Balduino ſuccedit è Latinis in Conſtantinopolitano Imperio Petrus Altiſiodorenſis Gallus, Balduini & Henrici ſororius. | 1217. | |
| | 1218. | Otto IV moritur; poſt quem ſolus imperat Fredericus II, Henrici VI Imperatoris filius, Imperator XXVI. |
| Chriſtiani ex Palæſtina bellum transferunt in Ægyptum ac poſt nonum obſidionis menſem capiunt Damiatam. | 1219. | |
| Petrus Altiſiodorenſis, Latinus Orientis Imperator, capitur & occiditur ad Dyrrhachium à Theodoro Angelo. Ei ſuccedit filius Robertus Altiſiodorenſis. Mox & Græ- | 1221. | |

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| cus Imperator moritur Theodorus Laſcaris: cui ſuccedit ſocer Joannes Ducas, Imperiumque tenet ann. XXXIII. | | |
| | 1222. | Fredericus II excommunicatur à Pontifice. Damiata Saracenis redditur, totaque eis conceditur Ægyptus. |
| | 1223. | Fredericus II reconciliatur Pontifici, intercedente Joanne, rege Hieroſolymitano. |
| Roberto Altiſiodorenſi ſuccedit Imperator Occidentis Balduinus II, Joannis, regis Hieroſolymitani, gener. | 1228. | Fredericus II Imperator, iterum excommunicatus, proficiſcitur in Palæſtinam. |
| | 1229. | Fredericus II Imperator paciſcitur cum Sulthano Saraceno ac Hieroſolyma, aliaque ab eo loca recipit. Poſtridie Hieroſolymam ingreditur & Hieroſolymitanus rex cotur. |
| Tartari, è Schytia ſua egreſſi, occupant inferiorem Aſiam, Parthiam, Perſiam, Mediam, Meſopotamiam, Chaldæam, & paulò poſt amplectuntur religionem Mahometanam. | 1232. | |
| | 1234. | Fredericus II Imperator Hungaros vincit & Viennam Auſtriæ addit Imperio. |
| | 1236. | Fredericus II in Italiam ducit exercitum adverſus Mediolanenſes & alias civitates. |
| Balduinus II Imperator Orientis Latini pellitur à Conſtantinopolitanis. Unde in Galliis, Brittanniamque abit atque ibi auxilium acquirit. | 1237. | |
| Balduinus bellum gerit contra Conſtantinopolitanos rebellantes. Tartari ſe in Poloniam effundunt, eamque populantur. | 1240. | |
| Tartari Sileſiam prius, mox & Hungariam, mirè, miſereque vaſtant. | 1241. | |
| Suldanus Babyloniæ Chriſtianis eripit Hieroſolyma. Mox ab eodem Chriſtiani ingenti prœlio cæſi & prope internecione deleti. Fredericus Imperator Tartaros expellit Hungaria. Hinc Tartari, ab Occidente in Orientem verſi, Suldano Babyloniæ negotium faceſſunt. | 1244. | |
| | 1245. | Fredericus II in Synodo Generali Lugdunenſi accuſatur ab Innocentio Pontifice & damnatur. Subſtituitur ei Henricus, Landgravius Haſſiæ. |
| | 1247. | Prœlium committitur inter Conradum, Frederici II filium & Henricum, qui prœlio victus moritur. Subſtitutus Henrico Guilielmus, Hollandiæ comes. |
| | 1248. | Ludouicus IX, Galliæ rex, proficiſcitur cum exercitu in Palæſtinam: hybernat verò in Cypro. |
| | 1249. | Fredericus II Parmam occupat & paulò poſt moritur, à Manfredo, filio notho, ſuffocatus, ut fertur. Ei filius ſuccedit Conradus IV, jam antè rex deſignatus. Ludouicus IX capit in Ægypto Damiatam. |
| | 1250. | Ludouicus IX, variis cladibus affectus, tandem & ipſe captus, cogitur Damiatam reſtituere ac polliceri, ſe Ægypto cum exercitu exceſſurum. |
| | 1253. | Ludouicus IX è Palæſtina redit in Gallias. |
| Moritur Joannes Ducas, Nycænus Imperator: cui ſuccedit Joannes Laſcaris, puer ſexennis. Sed mox eum per ingens ſcelus ejecit, ſoliumque occupavit Michael Palæologus. | 1254. | Conradus IV Imperator veneno tollitur. Manfredus, nothus filius Frederici II Imperatoris, Siciliam & vicinas Italiæ partes ſibi vendicat. |
| | 1256. | Guilielmus Imperator cæditur in Friſia: poſt cujus obitum ab aliis quidem Imperator electus Richardus Anglus, qui icciro XXX vocatur Imperator Occidentis; ab aliis verò Alphonſus, Caſtellæ rex, qui XXXI Imperator dici ſolet. Sed Alphonſus non adiit Imperium; Richardus adiit. Verùm biennio poſt pecunia exhauſtus, in Angliam abiit, nec redit in Germaniam. Nec tamen Richardo poſt abitum quiſpiam ſurrogatus, imò ne biennio quidem poſt obitum ejus. |
| Michael Palæologus, Nicænus Imperator, auxilio Venetorum & Genouenſium capit Conſtantinopolin: Latinorum Imperator Balduinus fugit in Gallias. | 1261. | |
| | 1263. | Urbanus Papa evocat è Galliis adverſus Manfredum Carolum Andegavenſem, Ludovici IX fratrem. |
| | 1264. | Magnæ in Anglia excitantur turbæ. Rex & frater ejus Imperator Richardus in cuſtodiam dati. |
| | 1265. | Manfredus ingenti prœlio vincitur & cæditur à Carolo Andegavenſi ad Beneventum. |

Con-

Digitized by Google

| | *Orientis.* | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| 1267. | | Conradinus, Conradi Imperatoris filius, exercitum conſcribit in Germania, ut repetat Siciliam, Apuliam & alia Italiæ loca. |
| 1268. | Antiochia Syriæ expugnatur à Babyloniæ Suldano. | Conradinus in Marſis à Carolo Andegavenſi vincitur, capitur & mox Neapoli capite multatur. |
| 1270. | | Ludovicus IX, rex Galliæ, cum filiis tribus & exercitu in Africam ſolvit, Tunetem obſidet. Sed peſtilentia in caſtris graſſante moritur: cui in iiſdem caſtris ſucceſſit Philippus filius. Eopſe anno Eduardus, filius Henrici, Angliæ regis, cum exercitu in Palæſtinam proficiſcitur & Ptolemaide exſpectat Ludovicum IX, Tunetem obſidentem; ſed fruſtra. |
| 1271. | | Richardus Anglus Imperator electus moritur. |
| 1273. | | Fluctuante Imperio & ſede Imperii vacante translatum Imperium ad comites Habſpurgenſes: quæ quinta eſt familia, in qua quidem Imperium ſubſtiterit. Earum enim, ubi unus ſolus imperavit, non habemus rationem. Primus in hac Habſpurgenſi domo imperavit Rudolphus, comes Habſpurgenſis: Eſtque ſi Alphonſum annumerare lubet, Imperator ordine XXXII. |
| 1274. | | Thomas Aquinas moritur. |
| 1276. | | Rodolphus Imp. Othocaro, Boemiæ regi, eripit Auſtriam, quam annos tenuerat XXVI. Unde ejus poſteri pro Habſpurgenſibus Auſtriaci dicuntur. |
| 1278. | | Rodolphus Imperator Othocarum, iterum rebellantem vincit & occidit. |
| 1279. | | Accurſius J. C. floret. |
| 1280. | | Albertus M. moritur Coloniæ. |
| 1281. | Michaël Palæologus moritur; cui in Imperio Orientis ſuccedit filius ejus Andronicus II. Palæologus. | |
| 1282. | | Veſperæ Siculæ, in quibus Galli quotquot in Inſula erant, occiſi III kalend. April. |
| 1284. | | Carolus Andegavenſis, Siciliæ & Neapolis rex, moritur. |
| 1286. | | Rodolphus Imp. Helvetios, Sabaudo tum temporis parentes, ſubjicit ſibi. Item Suevos domat. |
| 1289. | Suldanus Tripolin capit & evertit; multa occidit Chriſtianorum millia; Tyrum, Sidona, Berytum capit & vaſtat, Ptolemaidem obſidet per ſemeſtre & denique deſertam à Chriſtianis funditus exſcindit. Atque hic eſt finis regni Chriſtianorum in Syria. | |
| 1291. | | Rodolphus Imp. moritur Eidib. Jul. |
| 1292. | | Poſt hunc electus Imp. Albertus Auſtriacus, Rodolphi filius, qui Imp. eſt XXXIII. Sed Alberto Viennam profecto electus Adolphus Naſſovius, qui Imperator eſt XXXIV. |
| 1293. | | Angli invadunt Normanniam & Aquitaniam: unde oritur bellum grave inter Gallos & Flandros. |
| 1294. | Chaganus Tartarus, ex Mahometano factus Chriſtianus, Saracenos expellit Palæſtina, eamque reddit Chriſtianis, Armeniis & Georgianis. | |
| 1298. | | Prœlium ad Spiram committitur inter Albertum Auſtriacum & Adolphum Naſſovium Impp.: in quo Albertus Adolphum manu ſua interemit poſtr. kalend. Jul. Tres Archiepiſcopi, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis, rebellant adverſus Imp. Albertum. |
| 1300. | Per præfecti Damaſceni proditionem Palæſtina redit ad Saracenos. | Carolus Valeſius abducit in Gallias Guidonem, Flandriæ comitem, unà cum liberis. |
| 1302. | Othmen, qui vulgo Othomannus, Ciliciæ præfectus, Schulthanus Turcarum factus, per Orchanem filium Pruſam, Bithyniæ civitatem, occupat atque ibi Imperii ſedem ponit. Hic Othomannicam familiam condidit. | Flandri ad Cortracum ingenti prœlio cædunt Gallos; quo flos & robur Galliæ periiſſe creditur. |
| 1307. | Rhodus occupatur à Jannitis. | Helveticum fœdus incipit. |
| 1308. | | Albertus Imp. occiditur à Joanne, fratris filio. Ei ſuccedit Henricus VII Luzemburgicus, Imperator XXXV. |
| 1313. | | Henricus VII veneno à monacho Italico occiditur. |
| 1314. | | In locum Henrici Luzemburgici à quibuſdam Aquiſgrani Imp. deſignatus Fredericus II Auſtriacus, qui Imp. eſt XXXVI; ab aliis verò Boemiæ creatus Imp. Ludovicus |



Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| | | cus IV Bavarus, qui Imp. eſt XXXVII. Ex hoc diſſenſu ortum bellum inteſtinum. |
| Andronicus junior conſpirat cum Imperii principibus adverſus avum ſuum Andronicum Imp. | 1321. | |
| | 1322. | Bellum geritur inter duos Impp., Ludouicum IV & Fredericum II. Bellum quoque inteſtinum in Sileſia eſt inter Principes; quo Sileſia à Polonis ad Bohemos pervenit. |
| | 1323. | Ludouicus Baouarus prœlio vincit & capit Fredericum Auſtriacum. Hinc ſolus Ludouicus Imperis titulo uſus. |
| Pruſa Bithyniæ capitur à Turcis. | 1324. | |
| Andronicus avus conſortem Imperii facit nepotem ſuum Andronicum III. | 1325. | |
| Othmen, Turcarum Soldanus, moritur: cui ſuccedit filius Orchanes, ſecundus Turcarum Imp. | 1326. | |
| Andronicus III inſurgit adverſus avum Andronicum & occupat Conſtantinopolin. | 1328. | |
| Orchanes Turca capit Nicæam, Bithyniæ civitatem. | 1330. | Joannes, Boemiæ rex, gerit in Italia bellum pro Ludouico IV Imp. & multas civitates ad obſequium adigit. |
| Andronicus ſenior obit anno Imperii L, æt. LXXIV. | 1331. | |
| Andronicus III moritur liberis tutore dato Joanne Cantacuzeno, qui Imperium invaſit. | 1337. | |
| | 1340. | Angli ingenti prœlio navali vincunt Gallos ad Sluſam IX kalend. Jul. |
| | 1346. | Ludouico IV, à PP. excommunicato, ſubſtituitur Carolus IV, Joannis, Boemiæ regis, filius, Henrici VII Imp. nepos, qui Imp. eſt XXXVIII. Academia Heidelbergenſis inſtituitur à Ruperto, Electore Palatino. |
| | 1347. | Ludouicus IV veneno perit. |
| | 1348. | Quum multis minus placeret Carolus IV, Imperium oblatum eſt Eduardo, Angliæ regi: item Frederico, Miſniæ Marchioni. Sed uterque recuſavit. Hinc oblatum Gunthero Suartzemburgico, qui recepit: eſtque Imp. ordine XXXIX. Sed eodem anno periit veneno. Ita ſolus rexit Carolus Boem. |
| Joannes Andronicus, Andronici III filius, imperare incipit loco Joannis Cantacuzeni. | 1353. | |
| | 1355. | Promulgatur Noribergæ Caroli Bulla aurea, quæ continet rationem & modum eligendi Imp.; qua nihil ſalubrius ad vitandas diſſenſiones. |
| Turcæ in Europa Calliopolin capiunt. Orchani Sulthano ſuccedit filius ejus Armirath, III Turcar. Imp. | 1356. | Joannes, Galliæ rex, in prœlio ad Pictaviam capitur ab Anglis & unà cum eo ingens nobilium virorum numerus. Mox verò in Angliam traductus. |
| Armirathes capit Hadrianopolin atque Imperii ſedem ibi collocat. Bulgari infeſtant terras Joannis Andronici Imp., qui auxilium petit ab Armirathe. Ea occaſione Armirath etiam Philippopolin capit. | 1359. | |
| | 1360. | Carolus IV inſtituit Academiam Pragenſem. Joannes, Galliæ rex, è cuſtodia dimittitur. |
| | 1361. | Burgundiæ ducatus morte Philippi ducis redit ad Joannem, Galliæ regem; qui eum donat filio ſuo Philippo audaci. |
| Chriſtiani obſident Hadrianopolin. Sed Armirathes copias Chriſtianorum cædit ac disjicit. | 1365. | |
| | 1368. | Carolus IV Imp. moritur. Succedit ei filius Wenceſlaus Imper. Occid. XL, princeps ignavus & ſolùm ventri deditus. |
| | 1380. | Veneti pugnant contra Genouenſes, primique uſi bombardis. |
| Armirathes affligit Macedoniam & Theſſaliam. | 1382. | |
| Tamerlanes Scytha Babylonem occupat. | 1385. | |
| Joanni Andronico in Imperio Conſtantinopolitano ſuccedit Emanuel Palæologus, Joannis filius. | 1386. | |
| Armirathes, in Servia pugnans, occiditur à transfuga. Succedit ei filius Baiazeth Wilderim, IV Turcarum Imp.; qui initio Imperii Conſtantinopolim obſidione cingit: duravitque ea octennium. | 1387. | |
| | 1391. | Joannes Galeacius, vicecomes Mediolanenſis, bellum gerit cum Florentinis, quod annos duravit XII. |
| Baiazeth poſt occupatam Armeniam invadit Græciam & Peloponneſum. | 1392. | |

Joan-

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
| --- | --- | --- |
| Sigiſmundus, Hungariæ rex, ad Nicopolin infeliciter pugnat cum Bajazethe. Habebat Sigiſmundus circiter Iↄↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ. Bajazethes ſupra CCCIↄↄↄ CCCIↄↄↄ CCCIↄↄↄ. Turcarum occidere Iↄↄ CCIↄↄ. Chriſtianorum CCIↄↄ CCIↄↄ. | 1395. | Joannes Galeacius creatur dux Mediolanenſis. |
| Tamerlanes Scytha adoritur Parthos & ſibi ſubjicit. | 1396. | |
| Bajazeth Turca in prœlio capitur à Tamerlane Scytha, caveæque ferreæ incluſus circumfertur. Ita opes Turcarum fractæ fuerunt. | 1400. | Wenceſlaus, quum Imperio minus judicaretur idoneus, exauctoratur, eique ſubſtituitur Fredericus Brauſuicenſis Imperator XLI, & mox Rupertus Palatinus Imperator XLII. |
| | 1401. | Florentini auxilio vocant Imperatorem Rupertum adverſus Mediolanenſes; adverſus quos cum exercitu profectus. |
| Tamerlanes Scytha obit in patria Samarracandæ ad fluvium Jaxartum mortuo jam in vinculis Bajazethe Turca. Bajazethi verò ſucceſſit filius Emir Soleiman, V Turcarum Imperator. | 1403. | |
| Fluctuant etiamnum res Turciæ. | 1405. | Verona in Venetorum venit poteſtatem. |
| | 1406. | Patavia iiſdem deditur. |
| | 1407. | Florentini Piſas occupant. Joannes, Burgundiæ dux, percuſſoribus immiſſis occidit Ludouicum, ducem Aurelianenſem, regis Galliarum fratrem. Inde bellum inter Gallos & Burgundos. |
| | 1408. | Ladiſlaus, rex Neapolitanus abſente Georgio XII occupat Romam; ſed non diu retinet. |
| Emir Soleiman occiditur à fratre Moſe, qui ei in Turcico Imperio ſuccedit, VI ordine ex Imperatoribus Turcicis. | 1409. | |
| | 1410. | Rupertus Imperator moritur ac Heidelbergæ ſepelitur in æde S. Spiritus. Succedit ei Jodocus, Marchio Moraviæ, Imperator XLIII. |
| | 1411. | Jodocus Imperator obit. Surrogatus ei Sigiſmundus, Hungariæ & Boemiæ rex, Caroli IV filius, Imperator XLIV; princeps, litterarum & litteratorum amans, ſed armis parum bonus. |
| Mahomet occiſo fratre Moſe imperat apud Turcas, VII ordine ex Imperatoribus Turcicis. Hic collapſam Turcarum & Othomannicæ domus fortunam cœpit inſtaurare. | 1412. | Petrus de Aluaco, Epiſcopus Cameracenſis; item Franciſcus Zabarella, legum Profeſſor Patavinus, creantur Cardinales. |
| | 1414. | Inchoatur hoc anno Concilium Conſtantienſe, in quo Joannes Huſſus exuſtus & Hieronymus à Praga, Conſtantiæ in Concilio moritur Emanuel Chryſoloras. |
| | 1415. | Atrox committitur prœlium ad Dagincurtum, in quo Henricus V, Angliæ rex, VIII kal. Novembris occidit CCIↄↄ Francorum & totidem fere cepit. |
| Joannes Palæologus, filius Andronici IV, fit Imperator Conſtantinopoli. | 1416. | |
| | 1418. | Burgundica factio Pariſiis ingentem fecit cædem. |
| | 1419. | Joannes, Burgundiæ dux, improba fraude circumventus à Carolo, Galliæ regis filio, occiditur. Hinc novi belli materies. Eopſe anno initium fuit belli Boemici adverſus Huſſitas; quorum dux Joannes Ziſca, conditor urbis Thabor. |
| Joannes Palæologus, Emanuelis filius, fit Imperator. | 1420. | |
| Amurathes II, Mahometis filius, apud Turcas Imperium capeſſit, VIII ordine Imperator Turcicus. | 1422. | Aliqui hoc anno arbitrantur à Philippo, Burgundiæ duce, inſtitutum eſſe Ordinem aurei velleris. Joannes Ziſca Sigiſmundum & exercitum ejus in fugam compellit. In obſidione urbis Rabi, quum antea unoculus foret, alterum etiam oculum amittit. Nec eo minus militiæ curam ſuſtinet. |
| | 1423. | Cæcus Ziſca iterum fugat Sigiſmundi exercitum & ingenti præda ditatur. |
| | 1424. | Ziſca peſtilentia obit. Moriturus præcepiſſe ſuis fertur, ut cadaveri ſuo pellem detraherent, eoque tympanum veſtirent: fore enim, ut fugiant hoſtes, ſimulac tympani ejus ſonitum audiſſent. |
| | 1427. | Huſſitæ Sileſios invadunt & proximo triennio Miſnenſes, Moravos, Auſtrios. |
| | 1428. | Principes Electores cum exercitu numeroſo ingrediuntur Boemiam: ſed Panico terrore ante prœlium fugiunt. Boemi prædam ingentem referunt. Joanna Aræa, Tullenſis puella, ſtrenuè rem agit ſui regis contra Gallos & Burgundos; quæ anno CIↄ CCCC XXIX ab hoſtibus capta eſt & combuſta. |
| | 1429. | Joannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, moritur. |

Huſſitæ

Digitized by Google

*Orientis.* | *Occidentis.*

1430. Huſſitæ iterum vaſtant Miſniam, Voitlandiam, Franconiam. Noribergenſibus & aliis quibuſdam abſtinent, pecunia deleniti. His temporibus floruere Nicolaus Cuſanus, Laurentius Valla, Franciſcus Philelphus, Emanuelis Chryſoloræ gener; Theodorus Gaza, Gregorius Trifernas, Maphæus Vegius, Æneas Sylvius, Blondus hiſtoricus & alii.

1431. Electores iterum præcedente Juliano Cardinale cum magno exercitu invadunt Boemiam. Parvus erat Boemorum exercitus; & tamen, ubi auditum eſt, eum adventare, Germani omnes in fugam ſe conjecerunt. Ita denuò ditatus eſt ingenti præda exercitus Boemorum. Vide Æneam Sylvium.

1435. Galliæ rex pacem facit cum Philippo, Burgundiæ duce.

1436. Galli Lutetiam recuperant ejectis Anglis.

1437. Sigiſmundus Imperator moritur. Succedit Albertus II Auſtriacus, Imperator XLV. Hic, quum uxorem duxiſſet Sigiſmundi Imperatoris filiam unicam Eliſabetham, primus Auſtriacorum factus eſt rex Hungariæ & poſt etiam Boemiæ. Ex hoc verò tempore Imperium penes domum Auſtriacam permanſit. Sunt verò novem Imperatores, penes quos huc uſque Imperium fuit, Albertus II, Fredericus IV, Maximilianus I, Carolus V, Ferdinandus, Maximilianus II, Rodolphus II, Matthias & Ferdinandus II: quorum tempora deinceps annotabimus.

Armirathes invadit Serviam.

1438. Concilium Ferrariæ haberi incipit; ſed graſſante ibi peſtilentia Florentiam poſtea transfertur. In eo præter Eugenium PP. Roman. fuere Joannes VIII Palæologus, Imperator Orientis, Joſephus, Patriarcha Conſtantinopolitanus; dataque opera, ut Eccleſia Latina & Græca iterum coaleſcerent. Ac tandem in certas conditiones convenit. Sed Legatis domum reverſis Græci, quæcunque acta eſſent, reſciderunt, factique ſunt multo alieniores à Latinis, quam erant prius. Claruit his temporibus Albertus, Marchio Brandeburgicus, qui poſtea dictus eſt Achilles Teutonicus: item Joannes Huniades, natione Walachus, humili genere ortus; ſed animo generoſo & artis militaris ſcientiſſimus. A paterno pago, in quo natus erat, etiam Corvinus dici ſolet.

Armirathes in Hungaria occupat Novigradum; ſed à Belgrado, dum obſidet, repellitur.

1439. Albertus II Imperator, quum immodico peponum eſu in dyſenteriam incidiſſet, moritur VI kalend. Novembris. Beſſarion Nicenus ab Eugenio creatur Cardinalis.

Armirathes denuo Belgradum obſidione cingit. Sed Joannes Hunniades, Waiwoda Tranſſylvanus, eum repellit, magnaque clade afficit.

1440. Fredericus III, ſive IV, ſi Imperatoribus etiam annumeres Fredericum Brauſuicenſem, Auſtriacus, Imperator Francofurti eligitur III kal. Aprilis; qui in Imperio ordine eſt XLVI. Imperavit annis LIII & aliquot menſibus. Ars typographica innoteſcit Argentinæ per Joannem Gotemberum.

Georgius Caſtriota, ducis Epiri filius, Epirum regere hoc anno incipit. Hic Scanderbegus eſt dictus Turcica appellatione, quod eſt Alexander Magnus, vel Alexander dominus.

1441. Georgius Podiebrad, vir, bello inclytus, Pragam capit.

Armirathes inducias decennes ab Hungaris petit & vix impetrat.

1442.

Conſtantinus Palæologus, filius Samuelis, ultimus Occidentis Imperator, regnare incipit.

1443.

Uladiſlaus, Hungariæ rex, unius Joannis Hunniadæ virtute cædit Turcas ac decennii petere inducias cogit; quas arcibus aliquot traditis obtinent.

1444. Julianus Cardinalis autor eſt rumpendi inducias, quæ erant inter Turcam & Chriſtianos, ac Uladiſlaum juramento abſolvit. Ille cum Armirathe Turca pugnat ad Varnam non longè ab Adrianopoli V Eid. Novembris: ſed planè infeliciter. Fœdè enim cæſus exercitus; etiam rex ipſe Uladiſlaus occubuit. Turpiter illo tempore etiam dederunt ſe Genouenſes. Nam illi Turcis ad tranſeundum Boſphorum præbuerunt naves, nummo aureo in ſingula capita accepto. Eopſe anno Helvetii ad Baſileam cæti.

Armirathes occupat Peloponneſum, recuperat Macedoniam; etiam in Hungariam irrumpit: ſed ab Joanne Hunniade repellitur.

1445. Uladiſlao, Hungariæ rege extincto & filio ejus Ludovico quintum tantùm annum agente Joannes Hunniades, cognomento Corvinus, factus Hungariæ prorex.

Turcæ

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| Turcæ anniverſariom bellum gerunt in Epiro cum Georgio Scanderbego. | 1446. | Ioannes Hunniades Dracula victo & occiſo Walachriam Hungariæ regno adjungit. |
| | 1447. | Nicolaus V. Papa primus hoc ſæculo linguarum ſtudium Philologiam & eloquentiæ ſtudium incipit excitare, doctos fovendo, præmia aſſignando, bonos libros acquirendo; quibus rebus immortalem ſibi gloriam reliquit. |
| Amirathes, jam ſenex, obſidet Croiam. | 1449. | Ioannes Hunniades triduo pugnat cum Turcis; ſed varia fortuna. |
| Amirathes moritur. Succedit ei Mahomet, IX Imperator Turcorum, qui regnum à fratris cæde eſt auſpicatus. | 1450. | Angli Normannia ejiciuntur à Gallis. |
| Mahomet Athenas capit & vaſtat. | 1452. | Angli ab Gallis ejiciuntur Aquitania. |
| Mahomet capit Conſtantinopolim ac Imperii Turcici ſedem facit. Ita bicipitis Roman. Aquilæ alterum eſt reſectum caput, quod Conſtantinopolim ſpectabat. | 1453. | In Anglia bellum oritur inter factiones duas, unam albæ, alteram rubræ Roſæ. |
| | 1455. | Angli tota ejiciuntur Gallia. |
| Mahomet obſidet Belgradum, ſive Albam Græcam exercitu . . . Sed Ioannes Hunniades, Capiſtrano Minorita multum de muris milites animante, fortiter hoſtem repellit & [illegible] ſuo clade afficit. Proximo menſe obit Hunniades, qui præcipuus erat tunc temporis Turcarum terror. | 1456. | |
| Mahomet invadit Macedoniam; mox item Peloponneſum. | 1458. | Mortuo Ladiſlao, Hungariæ & Boemiæ rege, Matthias Hunniades, Ioannis filius, Hungariæ rex eligitur. Georgius Podiebradius rex Boemiæ fit. Ita duo regna nobilia, quorum Imperium fuerat penes nobiliſſimi ſanguinis principes, devenere ad duos, ſi originem ſpectes, mediocris ſortis homines; ſed tamen Imperio dignos, ſi attendas fortitudinem militarem. |
| Mahomet occupat Sinopen & Trapezuntem ac univerſum Imperium Trapezuntinum. Alii biennio poſt factum dicunt, ut Laonicus Chalcondilas. | 1459. | |
| Mahomet fugato Dracula capit Walachriam; item Mitylenem. | 1460. | |
| Mahomet ſibi ſubjicit Boſnam, dynaſta ejus Stephano crudeliter occiſo; ſed mox à Matthia, Hungariæ rege, magna ejus parte exuitur. | 1463. | |
| Mahomet in Epiro bellum gerit contra Scanderbegum. | 1465. | Moritur Laurentius Valla. |
| Georgius Caſtriotus, quem ob virtutem Scanderbegum diximus vocari, moritur, annos natus LXIII. Hic annos XXIV Turcam ab Epiri & Hungariæ vaſtatione arcuit. Sed poſt ejus obitum Mahomet Epirum vincit. | 1466. | Naſcitur Deſid. Eraſmus. |
| Uzuncaſſan occupat Perſiam & regiones vicinas. | 1467. | Bellum de Walachria eſt inter Stephanum Waiwodam & Matthiam, Hungariæ regem. Sed ſuperior fuit Stephanus Waiwoda. |
| Mahomet occupat Euboeam, quem Veneti hactenus tenuerant, metropolin ejus Chalcidem ſolo æquat cunctis utriuſque ſexus crudeliter interemptis. | 1469. | |
| Ingens bellum eſt inter Mahomet & Uzuncaſſan. | 1470. | |
| Mahomet devincit Tartaros, Mæotidis accolas. | 1475. | |
| Mahomet infeliciter pugnat contra Stephanum, Walachriæ Waiwodam. | 1476. | |
| Mahomet Scodram, quam ſæpe antea tentarat fruſtra per duces ſuos, præſens hoc anno capit. | 1477. | Carolus Audax, Burgundiæ dux, ultimus Ducum domus Burgundiæ, proavus Caroli V, occumbit in prœlio ad Nanceium, Lotharingiæ oppidum. Exercitus ejus partim cæſus, partim fugatus. Maximilianus, Frederici Imperatoris filius, uxorem ducit Mariam, Caroli Audacis filiam, Burgundiæque hæredem. |
| Uzuncaſſan moritur. Succedit ei filius Jacuppus, Perſidis & Orient. rex. | 1478. | |
| Mahomet in Hungaria cæditur. | 1479. | |
| Mahomet Rhodum tentat; ſed fruſtra. At Hydruntem vincit interfectis Chriſtianorum pluſquam ccIↃↃ cIↃ cIↃ, nec pluſquam xx. fuga elapſis. | 1480. | |
| Mahomet II. moritur colicis doloribus in caſtris. Succedit filius primogenitus Baiazeth II, X Turcarum Imperator: cui bellum movet frater Ziemith. | 1481. | Franciſcus Philelphus obit Bononiæ, pauper adeo, ut neceſſe fuerit divendi inſtrumenta culinaria ac cubiculi, quo funus poſſet efferri. Moritur eodem anno Bapt. Platina. |

O Ioan-

| *Orientis.* | *Occidentis.* |
|---|---|
| Ioannes Caſtriotus recuperat Epirum. | 1481. Maria conjux Maximiliani, caſu ex equo moritur, relicto filio quadrienni Philippo & filia Margareta. |
| | 1483. Ludouicus IX. moritur; cui ſuccedit filius Carolus VIII. Eum pater plus Latini ſcire noluit, quàm v illa verba: *qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* |
| Iacuppus, Perſiæ rex, moritur. Baiazeth in Cilicia, bellum gerit contra Sulthanum Ægypti; ſed infeliciter. Id bellum duravit quinquennium. | 1485. Vienna, fame adacta, dedit ſe Matthiæ Hunniadæ, Hungariæ regi. Rodolphus Agricola moritur. |
| | 1486. Georgius Trapezuntius, jam nonagenarius, moritur. Hic omnium in ſenectute oblitus fuiſſe dicitur. Maximilianus, Frederici Imperatoris filius, Rex Romanorum coronatur Francofurti. Albertus, Marchio Brandeburgicus, dictus Achilles Teutonicus, moritur. Ejus deſcriptionem vide apud Æneam Sylv. in deſcript. Europ. |
| | 1488. Maximilianus, quum ante biennium rex Romanorum erat deſignatus, Brugis à civibus capitur & in cuſtodia habetur. Iccirco pater ejus Fredericus Imperator cum exercitu in Belgiam venit & filium liberat. |
| | 1489. Maximilianus expugnat in Hungaria Albam regalem. Etiam Viennam Auſtriæ recuperat. |
| Ruſtanus occupat regnum Perſiæ. | 1490. Moritur Matthias, Hungariæ rex. Succedit Vladiſlaus, rex Boemiæ. Maximilianus Albam regalem iterum amittit. Florent his temporibus Marſilius Ficinus, Antonius Sabellicus, Hermolaus Barbarus, Picus Mirandulanus, Angelus Politianus, &c. |
| | 1491. Bellum Granatenſe incipit, quo capta metropolis Granata. |
| | 1492. Laurentius Medices Florentinus moritur ternis relictis liberis; è quibus unus fuit Ioannes Medices, poſt dictus Leo X. Huic Laurentio poſt Nicolaum V. plurimum debent litteræ. Magnus enim litterarum & litteratorum amator ac patronus fuit. Ferdinandus rex, cognomento Catholicus, partem Bœticæ, quæ Granata dicitur, quam Mauri ꝺ cc LXXX annos tenuerant, occupat, inque ea Saracenicam ac Mahometicam religionem abolet. |
| Baiazethes invadit Albaniam, regionem Macedoniæ, éamque undique populatur & vaſtat. | 1493. Fredericus Imperator moritur; cui ſuccedit filius Maximilianus I, Imperator XLVII. Carolus VIII, Galliæ rex, cum exercitu tranſcendit Alpes, ut occuperet regnum Neapolit. |
| | 1494. Carolus VIII. Neapolim vincit. Moritur hoc anno Hermolaus Barbarus, Picus Mirandulanus, Angelus Politianus. |
| Iſmael Sophi Perſiæ rex fit. | 1497. Florent hoc tempore Petrus Crinitus, Jovianus Pontanus, Raphaël Volaterranus, Philippus Beroaldus, Ambroſius Calepinus, Joannes Nauclerus, Bapt. Mantuanus, &c. |
| Baiazethes fugat Venetorum claſſem, eripit iis Naupactum, occupat Methonem & Coronem in Peloponneſo. | 1498. Ludouicus XII. Galliæ rex inungitur. |
| | 1500. Livones cædunt Moſchorum & Tartarorum millia ... Carolus V. naſcitur Gandavi. Emanuel, Luſitaniæ rex, in Indiam miſit naves, quæ circumnavigata Africa Inſ. Crucis & alia loca invenerunt. |
| | 1502. Moſchus, iterum à Livonibus victus, petit inducias annorum L. |
| | 1503. Alexander VI. Papa & filius ejus Cæſar Borgia moriuntur veneno, per incuriam miniſtri epoto, quod convivis juſſus erat dare. Succeſſit Alexandro Jul. II. Eodem anno, aut juxta alios biennio poſt, mortuus Jovianus Pontanus. |
| | 1506. Philippus, Archidux Auſtriæ, in dotalem Hiſpaniam venit. |
| | 1507. Initium belli inter Maximilianum Cæſarem & Venetos. |
| | 1508. Fœdus Cameracenſe initum contra Venetos inter Maximilianum Imperatorem, Ludouicum, Galliæ regem, Iulium II. Papam; quo Venetorum à tot potentibus hoſtibus vires, potentiaque multum imminutæ. |
| | 1509. Veneti ingenti clade ad Abduam fluvium affecti à Ludouico XII, Galliæ rege: qui hac occaſione Venetis eripuit Brixiam, Bergomam, Cremam, Cremonamque atque alia Mediolanenſis Ducatus loca. Similiter Ju- |

Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| | | Iulius Papa & Maximilianus Imperator urbes varias recuperarunt. |
| | 1510. | Philippus Beroaldus moritur. Inter Ioannem Capnionem & Monachos Colonienſes contentio eſt de libris Iudæorum, an ſine diſcrimine omnes flammis debeant adjudicari. |
| Bajazethes veneno tollitur à filio Selimo, qui Patri in Imperio Orientis ſuccedit, eſtque XI Turcarum Imperator. Hic, ut Imperium ſibi ſtabiliat, occidit duos fratres & ſeptem fratrum liberos, ita ut ex Othomannica ſtirpe ſolus ſupereſſet. | 1511. | |
| | 1512. | Pugna committitur ad Ravennam inter Julium II Pontif. & Ludouicum XII, Galliarum regem; in qua vincitur Iulius amiſſis ſuorum CCIↃↃ IↃↃCIↃ. |
| | 1513. | Iulius Pontifex moritur. Succedit Leo X, antea dictus Ioannes Medices. Maximilianus Imperator Venetos vincit, magnaque clade afficit ad Vincentiam. |
| Selimus pugnat contra Iſmaelem Sophi Perſam, eumque in campis Calderanis vincit. | 1514. | |
| Selimus prœlio ingenti vincit Schultanum Ægypti, nomine Camptonem Gaurium. In ejus locum poſtea Suldanus electus fuit Tomminberius. Hinc Selimus vincit Syriam & Judæam. | 1515. | Ludouicus XII moritur; cui ſuccedit Franciſcus I Valleſius. Franciſcus Ximenius Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, edidit Compluti Hebræa Biblia cum triplici tranſlatione, Latina, Græca & Chaldaica. |
| Selimus expugnat Alcairum, quæ olim Memphis, ſedem Suldanorum. Etiam Suldanus Tomminberius vivus in ejus manus venit; quem poſt atrocia tormenta juxta urbis portas ſuſpendit. | 1516. | |
| | 1519. | Maximilianus Imperator moritur; cui ſuccedit nepos Carolus V, Imperator XLVIII. |
| Selimus Imperator moritur peſtilentia. Succedit Solimannus, XII Turcarum Imperator, qui imperavit annis XLVI. | 1520. | |
| Solimannus Imperator capit Albam Græcam, ſive Belgradum, Hungariæ propugnaculum. Item Rhodum cingit obſidione. | 1521. | Leo X moritur kal. Decembris veneno, ut creditur. |
| Solimannus Imperator capit Rhodum, quam Fratres Hoſpitalarii S. Joannis tenuerant annos amplius CCXIV. | 1522. | IV kalend. Aprilis in Leonis locum Pontifex creatur Adrianus VI, Caroli V Præceptor. Bellum hoc anno cœpit inter Carolum V Imperatorem & Franciſcum I, Galliæ regem. Joannes Capnio moritur; cui Eraſmus ludens in Colloquio Ἐκθέωσιν ſcripſit. |
| | 1523. | Quum Chriſternus, Daniæ rex, impotenter Imperium exerceret, Fredericus patruus & Lubecenſes arma adverſus eum ſumpſerant. Itaque regno profugere eſt coactus cum uxore ſua, optima Heroina, Eliſabetha, Caroli V ſorore. Adrianus VI moritur, veneno, ut putatur; ſuccedit Clemens VII. |
| | 1525. | Franciſcus, Galliæ rex, capitur à Ducibus Caroli V in prœlio ad Ticinum, ſive Papiam, & triremibus in Hiſpaniam ex Italia adducitur. Vide Guicc. lib. XVI. Bellum Ruſticanum eſt in Suevia, vicinaque Germania; quod excitarat Thomas Munſterus, Concionator Alſtenſis. |
| | 1526. | Franciſcus I è cuſtodia dimittitur à Carolo V, qui & uxorem ei dat Eleonoram, ſororem ſuam. Ille verò, ut in Gallias venit, cum Papa & Venetis fœdus contra Cæſarem init. |
| | 1527. | Roma capitur & diripitur ab exercitu Caroli V, IↃ CCCC LXXX anno, poſtquam capta fuerat à Totila. Eopſe anno Carolo V Philippus naſcitur ex Iſabella, Emanuelis, Luſitaniæ regis, filia. |
| | 1528. | Rex Franciſcus expoſtulat cum Carolo Imperatore, eique offert *μονομαχίαν*. |
| Solimannus, opitulans Joanni Sepuſio, in Hungariam cum exercitu venit, Budam occupat. Viennam obſidet diebus XVIII: ſed fruſtra. | 1529. | |
| | 1530. | Franciſcus I Pariſiis inſtituit Collegium trilingue; in quo Franciſcus Vatablus Hebræam & Græcam, Petrus Daneſius & Jacobus Tuſcanus Latinam primi ſunt profeſſi. |
| | 1531. | Ferdinandus, Caroli V frater, fit rex Romanorum. |
| Solimannus in Hungaria eſt cum armatorum CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ. | 1532. | |
| Iſmael Sophi, Perſiæ rex, moritur. Succedit Tamaſus filius. | 1533. | Henricus VIII, Angliæ rex, repudiat Catharinam atque Annam Buleniam ducit. Ea res quum à Clemente PP. damnaretur quàm maxime, decretum rex facit, quo ſeſe |

*Orientis.* | *Occidentis.*

ſeſe ſtatuit Eccleſiæ caput, Romanoque Pontifici annuum tributum negat, quem *Petri nummum* vocant.

Solimannus cum exercitu tendit contra Tamaſum Perſam ac Tauriſium capit & exſcindit.

1534. Joannes Leidenſis ſartor rex Anabaptiſtarum fit Monaſterii.

1535. Carolus V cum exercitu trajicit in Africam & Tunetem capit ac regem Muleaſſem, Mahometanæ illum quidem religionis, ſed à Turcis expulſum, regno reſtituit ac ſibi vectigalem facit. Monaſterium vi captum & Anabaptiſtæ trucidati. Thomas Morus Cancellarius Angliæ, & Joannes Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis, quum divortium regis ſui, aliaque approbare nollent, ſecuri percuſſi. Franciſcus Sforzia, dux Mediolanenſis, obit ſine liberis; ideoque Carolus V Imperator occupat Ducatum Mediolanenſem.

1536. Ioannes Leidenſis, rex Anabaptiſtarum, Knipperdollingius & alii ejus factionis condignas ſcelere ſuo pœnas luunt Monaſterii. Eraſmus moritur Baſileæ; item Santes Pagninus Lugduni.

Solimannus Venetis eripit inſulam Corcyram.

1537. Henrico VIII ex Joanna Semeria γαστρότμητος naſcitur Eduardus, qui poſtea VI ejus nominis Angliæ rex fuit.

1538. Henricus VIII comburit reliquias Thomæ, Angliæ Cancellarii.

1539. Gandavenſes rebellant adverſus Carolum Cæſarem.

Germani expeditionem inſtituunt in Hungariam, ut recuperent Budam.

1540. Carolus Cæſar, ex Hiſpania in Belgicam veniens, durè in Gandavenſes animadvertit. Guilielmus Budæus moritur Lutetiæ, Franciſcus Guicciardinus Florentiæ, Eobanus Heſſus Marpurgi.

Solimannus cum exercitu redeunte Germani etiam Budam amittunt.

1541. Carolus V trajicit in Africam ac Algieram cum exercitu CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃCIↃCIↃ appellit. Sed tertio poſt die tempeſtatibus multos amittit. Quumque ſemel & iterum pugnaſſet cum Turcis, nec remitteret tempeſtas, milites iterum naves conſcendere juſſit, his uſus verbis, malle ſe unum Chriſtianum ſervare, quam mille Mauros perdere. Sed ſic quoque in reditu magnam & militum & machinarum bellicarum fecit jacturam.

Solimannus cum exercitu redit in Hungariam.

1543. Caſpar Contarenus Cardinalis moritur. Carolus V, ex Hiſpania reverſus, bellum gerit contra Gelros. Guilielmus, dux Gelriæ, ſupplex fit Cæſari. Sed eripitur ei Gelria; retinet Ducatum Juliacenſem, Clivenſem & Bergenſem, idque conditionibus certis. Moriuntur Nicolaus Copernicus & Ludouicus Vives.

1545. Carolus V poſt confectum bellum Gelricum proficiſcitur cum exercitu in Gallias, nulloque reſiſtente penè Lutetiam uſque pervenit.

1546. Initium belli Smalcadici, à Carolo V geſti contra Proteſtantes. Concilium Tridentinum inchoatur.

Solimannus expeditionem inſtituit adverſus Perſas.

1547. Henrico VIII in Anglia ſuccedit Eduardus, puer ann. IX. Franciſco I in Gallia ſuccedit Henricus II. Obeunt diem ſuum Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Franciſcus Vatablus. Prœlium commiſſum inter Carolum V & Joannem Fredericum, Electorem Saxoniæ; qui eo prœlio captus eſt & cuſtodiæ traditus. Electoralis dignitas data Mauritio.

1550. Magdeburgum obſideri cœpit à Mauritio, Electore Saxoniæ.

Turcæ in Africa Tripolim occupant.

1551.

1552. Bellum à Mauritio contra Carolum V geſtum pro liberando ſocero ſuo Philippo, Landgravio Haſſiæ. Eopſe anno dimittitur Ioannes Fredericus & Philippus Landgravius. Etiam Paſſavienſi Tranſactione promiſſa pax amplectentibus Confeſſionem Auguſtanam. Metim urbem Henricus II ductu Coneſtabuli capit, Imperioque adjicit.

Solimannus Imperator ſtrangulari jubet filium Muſtapham, eo quod re bene geſta adverſus Perſas magno exercitus favore & clamore eſſet exceptus. Nempe ſuſpectus erat patri favor tantus. Biduo poſt etiam filium alterum, quod interemptum ob fratrem ingemuiſſet, interemit. Tertium, qui metu patris ad Perſas confugerat, quum redditus eſſet, ſecuri percuſſit.

1553. Eduardus, Angliæ rex, moritur; cui ſuccedit ſoror Maria. Bellum geritur inter Mauritium Electorem Saxoniæ, & Albertum, Marchionem Brandeburgicum. In eo vicit Mauritius; ſed vulnus tamen accepit, ex quo biduo poſt obiit.

Solimannus Achomati, Baſſæ primario, guttur elidit.

1554. Philippus, Hiſpaniæ rex, in Angliam venit, reginamque Mariam ducit uxorem. Eliſabetha in cuſtodiam datur.

Caro-

Digitized by Google

*Orientis.*

Bellum inter duos Solimanni filios, Selimum & Baiazethem. Victor Selimus: Baiazethes fugit ad Tamaſum, Perſarum regem. Sed ille tradidit Haſſani Turcæ: à quo jubente fratre eſt interfectus. Bellum inter Hiſpanos & Turcas de Tripoli. Hiſpanica claſſis à Turcis deletur.

Lazarus Suendius occupat in Hungaria arcem Tocato; eaque re bellum reſuſcitatur inter Solimannum & Ferdinandum.

Bellum Melitenſe.

Solimannus, Imperator Turcarum, obit. Succedit Selimus II, XIII Turcarum Imperator.

Selimus Imperator bellum gerit contra Saracenos in Aſia.

Bellum Cyprium incipit.

Nicoſia, Cypri metropolis, capta à Turcis. Famaguſta, Cypri urbs ditiſſima, quæ olim Salamis dicta, poſt annuam obſidionem deditur Turcis. Celebris pugna navalis ad Sinum Corinthiacum (vulgo *Golfo de Lepanto*) qua duce Joanne Auſtriaco Chriſtiani inſignem de Turcis victoriam reportaverunt. Opinio eſt, trucidata eſſe ccIↃↃ IↃↃ Turcarum ac liberata eſſe ccIↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ captivorum Chriſtianorum.

Selimo patri ſuccedit Armirathes III, XIV Turcarum Imperator; qui Imperium eſt exorſus à quinque fratrum cæde. Tamaſus, Perſarum rex, moritur: cui ſuccedit Iſmaël II.

Iſmaël II ob crudelitatem ac regni mutationem occiditur à ſuis. Succedit ei frater Mahomet Hodabendes.

Inter Turcas & Perſas agitur de pace.

Bellum inter Turcas & Perſas. Tartari rebellant adverſus Armirathem.

*Occidentis.*

1555. Carolus V transfert Imperium Belgicæ in filium Philippum.

1556. Carolus V, ex Zelandia navigaturus in Italiam, poſtulat per litteras, ut Imperium tradatur fratri ſuo Ferdinando. Prœlium Philippi, regis Hiſpaniarum, cum Gallis ad Quintinum; in quo victor Philippus.

1557. Ferdinandus Imperator ab Electoribus Imperii fit; eſtque ordine XLIX. Mariæ in Anglia ſuccedit Eliſabetha. Carolus V moritur in Monaſterio S. Laurentii, ſeptimo poſt tranſlationem Imperii menſe, ætatis anno LVIII, Imperii XL.

1559. Henricus II, Galliæ rex, obit ex vulnere, in ludo equeſtri accepto. Ei Franciſcus II ſuccedit. In Palatinatu Rheni Ottoni Henrico Electori ſuccedit Fredericus.

1560. Franciſcus II, Galliæ rex, moritur ex apoſtemate cerebri. Ei Carolus IX ſuccedit.

1561. Initium belli civilis in Gallia. Novi Epiſcopi in Belgicam inducuntur.

1562. Guiſius & Amirallius in Galliis confligunt.

1563. Finitum Concilium Tridentinum annis XVIII, ex quo cœperat.

1564. Ferdinandus Imperator tabe ex catarrho moritur. Ei ſuccedit filius Maximilianus II, Imperator L.

1565.

1566. Εἰκονομαχία in Belgica.

1567. Dux Albanus cum exercitu in Belgicam venit, bellumque geſſit, quod duravit annos quaſi XLI.

1568. Comes Egmondanus & Hornanus, Equites aurei velleris, capitis ſupplicio afficiuntur Bruxellæ. Adolphus Naſſovius in prœlio pro fratre Guilielmo Auriaco occumbit. Carolus, Hiſpaniarum princeps à patre Philippo necatur.

1569.

1570.

1572. Harlemum in Hollandia obſeſſum. Lanieна Pariſina; quæ & Galliam pervagata.

1573. Carolus IX, Galliæ rex, moritur. Eo cognito Henricus Andegavenſis, quum menſibus propemodum IV in Polonia regnaſſet, intempeſta nocte, duobus domeſticis Gallis comitatus, quamcitiſſimè in Gallias venit ac fratri Carolo IX ſucceſſit. Eſt hic Henricus III ejus nom. rex Galliarum.

1576. Maximilianus II moritur; cui ſuccedit Rodolphus II, Imper. LI. Antverpia capta & direpta ab Hiſpanis.

1577. Joannes Auſtriacus cædit Ordinum Belgicarum exercitum, apud Gemblacum. Eodem anno moritur. Succedit Alexander Farneſius. Sebaſtianus, Luſitaniæ rex, in Africa cum exercitu perit.

1580. Guilielmus Auriacus proſcribitur à rege Hiſpaniarum.

1581. Philippus II, Hiſpaniarum rex, occupat Luſitaniam & Olyſippone coronatur XVI kalend. Maji.

1582. Ordines Belgicæ ejurant nomen Hiſpan. & Gubernatorem eligunt Franc. Alençonium.

1583. Alençonius Antverpiæ cædem patrat atque eo facinore excidit Gubernationem Belgicæ.

1584. Guilielmus Auriacus à percuſſore immiſſo occiditur prid. kalend. Jul. Gandavum deditur Parmenſi VII Eid. Septembris.

1585. Antverpia Parmenſi dedita VII Eid. Auguſti.



Digitized by Google

| *Orientis.* | | *Occidentis.* |
|---|---|---|
| Moritur Mahomet Hodabendes, Perſiæ rex. Succedit filius Abus Miriſes. | 1586. | Maria, Scotiæ regina, in Anglia decollatur. |
| | 1588. | Claſſis Hiſpanica partim ab Anglis, partim tempeſtatibus disjecta. |
| | 1589. | Henricus III, Galliæ rex, ex vulnere, pridie accepto à Jacobo Clemente, moritur. Succedit ei Henricus IV. |
| Armirathes, Turcarum Imperator, moritur; poſt quem imperat Mahomet III, xv Turcarum Imperator. | 1594. | Sigiſmundus, Poloniæ rex, poſtquam juraſſet, non mutaturum ſe religionem, coronatur rex Sueciæ. |
| | 1599. | Sigiſmundus rex ob violatum jusjurandum excidit regno Sueciæ. |
| Caniſum deditur Turcis. Rodolphus II Imperator expugnat in Hungaria Albam Regalem. | 1600. | |


F I N I S.

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII

# OPUSCULA VARII ARGUMENTI,

Quorum Catalogum pagina ſequens exhibet.




*AMSTELODAMI,*

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS,

M DC LXXXXVIII.

Digitized by Google

## *Series Opuſculorum.*

Vita Fabiani à Dhona, Comitis à Dhona.

Conſilium Gregorio XV. Pont. Max. exhibitum per Michaëlem Lonigum, cum præfatione & cenſura G. J. Voſſii.

Aphoriſmi de Statu Eccleſiæ reſtaurando, &c. per Michaëlem Lonigum, cum præfatione & cenſura G. J. Voſſii.

In Epiſtolam Plinii de Chriſtianis, & Edicta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos, Commentarius.

De Cognitione ſui.

De Studiorum ratione Diſſertatio gemina, generalis, & particularis.

Oratio in obitum Thomæ Erpenii, Orientalium linguarum in Academia Leidenſi Profeſſoris.

Oratio de Hiſtoriæ utilitate.

In Fragmenta L. Livii Andronici, Q. Ennii, C. Nævii, M. Pacuvii, & L. Attii Caſtigationes & Notæ.

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# COMMENTARIUS
## DE
# REBUS PACE
# BELLOQUE GESTIS
## Domini FABIANI Senioris, Burggravii à DHONA.

---

*Illuſtribus, ac Generoſiſſimis DD.*

# ACHATIO,
*ET*
# CHRISTOPHORO,
## ACHATII FILIIS,
### Burggraviis & Baronibus à DHONA.

*Illuſtres ac generoſiſſimi Domini,*

SI res univerſas non judicio inſanientis vulgi, ſed ſuo ponderemus momento, ut ſapientes decet: primas pietati dabimus, prudentiæ alteras, tertias eruditioni: cui & ipſi locus in hac triga debetur, quia ad priores duas munit viam, ac fomenta iiſdem, & alimentum præbet. Ac quanto hoc diſciplinæ ſingulæ felicius præſtant: tanto propiùs abſunt à laudibus pietatis, & prudentiæ; quibus principem locum nemo unquam denegavit. Unde illud effici puto, in doctrinarum orbe nihil eſſe commendabilius virorum præſtantium Vitis. Ab hoc enim fonte haurimus, quorum exemplo earundem virtutum æmuli fiamus atque imitatores. Propterea nullus ſatis eorum laudarit induſtriam, qui præclarè geſta poſteris prodiderunt. Atque in eo quidem non temere aliquem mihi adverſaturum exiſtimem. Sed alterum eſt, in quo judicium multorum minime congruat cum judicio noſtro. Vident plerique, ſi memoriæ omnium temporum conſulantur, nihil eſſe difficilius, quàm ut ita literarum monumentis conſecremus res ſuperſtitum: ut non aliquid benevolentiæ, vel odio, ſpei, vel metui demus. Hujus igitur periculi fugâ declinantes in contrarium, de iis ſcribendum contendunt, quos avorum potius, aut proavorum, quàm noſtra, vel parentum ætas conſpexerit. Quales non ſatis expendere videntur, quam ſit operoſum in rebus toto ſeculo remotis vera falſis internoſcere. Ac ne illud quidem cogitant, quàm multorum ſuſpecta ſit fides,

quia miris aliquem laudibus extollant poſt unius alteriuſque ætatis ſilentium, exſtinctis jam omnibus, quorum teſtimonium adverſus illos pondus habuiſſet. Ut ab hoc etiam periculo immunes ſimus, expedit, ut mediam inſiſtamus viam, atque eorum potiùs geſta publici juris faciamus, qui non amplius rebus interſint humanis, ac ætate tamen, tum parentum floruerint, tum noſtrâ. Id nunc fecimus in illuſtri ac generoſiſſimo Patruo veſtro, FABIANO, Burggravio à DHONA, Domino in Karwinden. Cujus eximiæ laudes adhuc in omnium memoria verſantur: cum ſeptennium ſolum effluxerit ab ejus exceſſu. Virum hunc cùm dico, non tam hominis nomen, quam virtutum plurimarum mihi videor dicere. Genere enim erat nobiliſſimus: ſed genus nobilior animus exornabat. Quem ille à puero imbuerat doctrinâ, non tantùm ſeriâ illâ, quæ prudentiam adfert; ſed etiam amœniori, quæ ex Muſarum & Charitum commercio naſcitur. Atque idem cum doctrina Eloquentiam feliciter ſociarat, plane ad veterum mentem, qui, cum ſtatuerent, Palladem & Mercurium coaleſcere oportere, Hermathenam nobis effinxerunt. Nec ſatis fore putavit, ſi omnia ſciret, imo nec ſi graviter & copioſè de omnibus diceret; niſi idem optima faceret: ut cùm multùm acceptum ferret eruditioni, & facundiæ; plus tamen cultui divino, ac probitati deberet. Quibus etiam inſervire voluit, quicquid ſtudii poſuerat in cognitione Naturæ: quod multum ſane erat. Dicere autem ſolet, agnoſcere ſe ex operibus Dei omnipotentiam ejus: ex horum ordine, ſapientiam; ex uſu eorundem, bonitatem & miſericordiam ejus. Ita ille omnia referebat ad pietatem: quæ undique relucebat è dictis, factis. Cujus rei teſtes dare poſſumus tot genere dignitateque, tot eruditione clariſſimos viros, qui ſermones ejus avidis hauſere animis. Imò præclaræ hujus mentis imaginem quandam adhuc videre eſt ex epiſtolis ejus ad ſummos viros exaratis: imprimis iis, quas ad vos, illuſtres DD. Barones, & generoſiſſimos fratres veſtros, utpote ſanguine proximos, imo affectu liberos, frequentes admodum dabat, interdum Germanicè, ſæpius Latinè, Gallicè, Italicè, idque etiam cum ſeptuagenario jam major foret. Hæ ſuperſtites literæ, ut ſermones nunc mittam, abunde documento fuerint, cum non, multorum inſtar, hærere ſolitum, in cauſſis, uti vocant, ſecundis: at nec contemnere eas: ſed eò uſque adſcendere, donec requieſcat in potenti Dei dexterâ, ac promiſſis ejus. Unde etiam, cùm retuliſſet ſcitum illud Imperatoris Caroli V. ad filium Philippum, Brabantiam eſſe conſilium ſuum, Hannoniam nobilitatem ſuam, Hollandiam robur ſuum: altius hoc Batavico robore aſſurgens, At, inquit, fortitudo noſtra Deus eſt. Per fidem enim ſancti vicerunt regna: ut divinus ad Hebræos ſcriptor ait. Atque eo ille animo in omni vita erat. Ubique etiam ſe exſerit patientia ejus in adverſis. Amat enim affligi à Domino, ſeque ſolatur illo Apoſtoli, ad bonum ſimul adjutare omnia diligentibus Deum. Nec eum de mentis ſtatu dejicit piorum infelicitas in hac vitâ: ſed cogitat aſſidue, judicium Domini incipere à domo ſua: eum caſtigare, quos amat, partim ut peccata corrigat; partim etiam, ut eos patientia imbuat, & Filio ſuo reddat conformes. Negat quoque, in hac vita imaginandum nobis aureum ſeculum: cùm Davidi in ſumma etiam felicitate obverſentur valles mortis. Si diutius ceſſent auxilia divina, ita colligit ſecum, vel peccatis noſtris quaſi compedes injici divinæ bonitati, vel propterea opem differri paulliſper, ut poſtea tanto majori cum gloria liberemur. Ubi res in extrema quaſi tegula conſiſtunt, pejus, quam inter ſacrum, & ſaxum, ut dici ſolet: non haſtas propterea abjicit; ſed ſic ſe, ſic alios affatur: (quid enim prohibet, quo minus hic etiam aureola ejus verba adſcribam?) *Rationes tecum, mi homulle, ineas, quoties Deus te languentem recrearit, errantem reduxerit, periclitantem defenderit: quoties benignus hic hoſpes inſtruxerit tibi menſam, unxerit caput oleo, implerit calicem vino. Nemo hoc paſtore & hoſpite benignior, nemo liberalior. Dominus te paſcit: non egebis. Eris ovis Dei benedicta: conviva Dei acceptus. Vives in morte: lucebis in tenebris. Egreſſus ex hoc mundo, ingredieris in domum cæleſtem, & cum Jeſu gaudebis æternum.* Hujuſmodi animum omnia illius

lius ſpirant. Nimirum quælibet metiebatur conſolatione illâ propriâ filiorum Dei. Unde nec poterat adduci, ut miſeris accenſeret, vel Jobum ulceribus ſcatentem, vel Lazarum de petigine ſquallidum, vel Paulum in carcerem conjectum. Contendebat autem, tales in calamitatibus ſuis vireſcere palmæ inſtar nivibus preſſæ. Quod ſi civiles etiam virtutes attingi placet: in his quoque, ex Socratis conſilio, operam ſemper dabat, ut is foret, quem haberi ſe vellet: quo uno non alia eſt melior & expeditior ad ſolidam gloriam via. Ac talis ille omnium bonorum judicio cenſebatur: imò quanto noſceretur penitius, tantò majora in eo virtutum præſidia conſpiciebantur. Quemadmodum enim in cœlo ſtellæ ſunt, quas non videas, niſi adhibeas inventum nuper teleſcopum: ita & in eo fuere laudabilia multa, quæ neſcirent, niſi qui curioſius obſervarent. Inque tot virtutibus imprimis relucebat modeſtia ſingularis: quâ fiebat, ut cum ſummis ipſe animi dotibus polleret; maximè tamen eas in aliis veneraretur. Tantus tamen vir effugere non poterat, quo minus eum ventis ſuis circumflarent malevoli. Quorum omni tempore tanta eſſe copia ſolet, ut eorum numerum nec inire poſſit Archytas Tarentinus,

Quem *maris & terræ, numeroque carentis arenæ,*
*Menſorem*

perhibet vates Venuſinus. Sed utcunque ſævirent invidiæ turbines, non ideo tam heroïci animi vir animum deſpondebat. Sciebat, nullum eſſe Euripum adeo inſtabilem, neque Ægæi maris fluctus tam turbidos eſſe ſub Arcturi occaſu, quàm plebis eſſe voluntates ſolent. Videbat, uti non ſemper ſunt alcedonia, nec terrarum uſpiam veris amœnitas ſemper obtinet: ita & vices eſſe rerum humanarum, ac maxima quæque obnoxia eſſe calumniæ procellis. Videbat, ſi fortiter clavum occupet, ſuffecturam undis navem: ſin propterea à gubernaculis recedat, periculum naufragii fore. Quare hominibus improbis medium oſtendebat unguem: imò lucri hoc ex iis faciebat, quòd tantò navigaret circumſpectius, quaſi inter Scyllam & Charybdim. Ita ille invidiam vincebat, Virtute alumnum ſuum facile vindicante. Et profecto, qui vivere velit, ubi non ſit irrequietum & nequiſſimum obtrectatorum genus, non ei in orbe hoc quærendæ ſint terræ: ſed magnis itineribus eundum ſit ad Lunam, ubi terram novam jam olim ſomniabat Xenophanes: qui & ſuos ſectatores invenit. Neque cum laudes haſce in unum congero, morem ſequor multorum, qui veluti Zeuxis, Venerem picturus Crotoniatis, pulchritudinem multarum virginum in unam tranſtulerat imaginem: ita ornaturi aliquem laudibus, quæ in ſingulis commendatione digna invenerant, hæc uni tribuunt univerſa. Nihil enim hoc adulantium artificio opus in Fabiano fuit. In quo ſiquis diſſideat à nobis, diffundat animum per ſingula, ac in eo conſideret nobiſcum, tum ſummam generis vetuſtatem, tum liberalis educationis elegantiam, tum peritiam in nobiliſſimis diſciplinis atque artibus, tum fœcunditatem ingenii incredibilem, tum maſculam & vividam virtutem, qua cum priſcæ etiam ætatis viris contenderet, tum nova decora magnitudine geſtorum in penates ac familiam illata: & tot alia, quibus non inſiſtam, ne videar actum agere, repetendo ea, quæ toto ſparſa ſunt panegyrico, quem nunc edimus: eoque cum Comico dicar, in prologis ſcribundis operam abuti. Sed quid ſunt res mortalium ſine literarum monumentis? Nam abſque hiſtoria foret, tantæ virtutes ac cuncta ejus benefacta, futura olim eſſent, quaſi nunquam fuiſſent. Sola enim hiſtoria, ſive hanc orator, ſeu poëta, ſeu alius expreſſerit, omnes nobis ætates ac ſecula conſervat. Per unam hanc ſuperſunt hactenus, quotquot fuiſſe quondam cognoſcimus. Non jam Ninus, vel Cyrus, non Hamilcar, vel Hannibal forent, niſi hiſtoria eos ſervaſſet. Nuſquam eſſent Miltiades, vel Themiſtocles; nuſquam Ageſilaus, vel Epaminondas; nuſquam Alexander, aut Pyrrhus; niſi hiſtoria eos conſecraſſet. Non viverent in hominum memoriâ duo belli fulmina, Scipiones; non Pompejus, ac Cæſar; niſi perpetui hoc nominis decus ab hiſtoriâ eſſent conſecuti. Periiſſent etiam

Carolus Magnus, & Fredericus Barbaroſſa, aliique immortalitate digniſſimi viri, niſi, ſicut olim Jupiter, ſi Romanis fides, fugientes novæ Urbis cives; ita Hiſtoria nobis fugitivi temporis memoriam ſtitiſſet. Ut ſolus ſanè Hiſtoricus dici mereatur, ſtator Temporis, Perennitatis ſacerdos. Neque ignoro, plurimos eandem laudis perpetuitatem ſperare è ſtatuis, columnis, ſepulchris, aliiſque id genus monumentis. Sed eventus comprobavit, omnia ejuſmodi eſſe invidiæ ac fortunæ caſibus obnoxia, ac ſæpe brevi admodum temporis ſpatio diſſipari, aut conſumi. Quid mirum autem, ſi, quæ manuum ſunt opera, naturam ſequantur corporis, quod mortale nobis datum eſt? Hiſtoria vero eſt animi opus, qui morte caret: cujus inſtar & ipſa Hiſtoria, nec Libitinam, nec Orcum extimeſcit. Hæc igitur una generoſiſſimo Patruo veſtro præſtiterit, ut, quemadmodum corpus ejus Morungæ è ſaxo habet monumentum: ita etiam animus, ac tot benefacta ejus, ubique terrarum monumentum obtineant literarium: ac qui perpetua apud Deum gloria fruitur in cœlis, idem perpetua hominum fama fruatur in terris. Sed hæc, quæ velut largo è penu in hiſtoriæ laudem depromſimus, non alteri convenire putandum, quam illi, quæ verè Hiſtoriæ nomen poſſidet: hoc eſt, quæ principem ejus legem ſervat, ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat. Quorum neutrum in ſignandis inclyti Patrui veſtri geſtis, neglexi ſciens. Nihil enim vel eorum diſſimulo, quæ objectarent malevoli. Cumque laudantium vulgus, benevolentiæ ſtudio, utrum ficta, an facta referat, ſæpe nihil penſi habeat: ſedulò hîc operam dedi, ne ulterius verborum flumine ab ripa ſolverem, aut liberius ac rapidius deferrer, quam veritas pateretur. Interim editorem me panegyrici hujus profiteri malui, quam auctorem. Nam præivit, ut potuit, alter: qui hiſtoriæ penè totius ſeriem, atque maxima ex parte argumentum hujus commentarii complexus erat. Hujus ego veſtigiis cum plurimum inſiſtam: cuncta uni nomini meo, ſine nominis ac candoris defectu, tribuere non potui: ne quidem ſi tueri me utcumque parem illo Auſonii ad Symmachum ſuum, *Quodam pacto ſocietatem laudis affectare, qui aliena benedicta primus enunciat*. Sed ut alterius opera operam mihi parte ex una levavit: ita parte ex altera multo amplius laboris reliquit. Nam & ſpiſſi ſe offerebant errores non pauci: plurima erant omiſſa, quæ magnopere ad rem pertinerent: multa non Davum requirebant, ſed Oedipum: limam exigebant univerſa, iis exceptis, quæ non tam limam poſcerent, quam ſpongiam. Alia igitur reſecui: alia ſupplevi: disjecta ordinavi: denique monetam ( ne quid gravius dicam ) parum Latialem incudè magis Romaná refinxi: eo juſtiùs, quia cum multa adeo à nobis forent, niſi cætera ſimili dictione exponerentur, oratio futura erat hybrida, ſuique ipſius diſſimillima, non ſine lectoris faſtidio. Quæ non à me dicuntur alium ſugillandi cauſſa, qui, ut dixi, quod potuit, fecit: ſed quia ignoſci mihi volo in nonnullis, quæ preſſius & melius à me dici potuiſſent. Longe enim moleſtius per aliena itur veſtigia, quam cum libero greſſu proceditur. Quod ſi cui iſta non ſatisfacient; cogitet hæc in anteceſſum dari, ac fortaſſe, quod deſidero ipſe, aliquando ſoluturum in probo & aſpero: vel ſi mihi otium defuerit, non defore tamen alios, atque eos ætate doctrinaque florentes, otio etiam abundantes: qui ex hiſce noſtris monumentum aliquod condant, dignum, quod tanquam Phidiæ Pallas in arce reponatur. Nobis nunc ſatis viſum fuit, ſi Panegyricum, vel (ut amicis, ad alliciendos magis hiſtoriæ amatores, inſcribi placuit) Commentarium hunc ederemus, qui præcipua quæque ſuppeditaret. Nam omnia dicere qui auſim? cum certus ſim, in argumento adeo fœcundo ſupereſſe non pauca, quæ partim ejus, cui bona ex parte debeo ligna, lapides, cæmentum; partim etiam noſtram effugerint induſtriam. Sed, niſi opinio me fallit, fere iſta minoris erunt momenti præ iis, quæ diximus. Qui autem ſtrictim aliquando exponerem meliora gravioraque (præſertim in iis, ubi aliena non premo veſtigia) leviora his anxie nimis ſectari non debui. Si qua tamen minora etiam nunc intercurrent; cogitare oportet, quod Damis reſpondit, cum reprehenderetur, quia de Apollonio Tyaneo minutias quaſdam

dam retuliſſet. Ajebat, de menſis Deorum analecta etiam colligi oportere, ne ambroſiæ ejus pereat quicquam. Atque idem Xenophontis judicium fuit, qui dicebat, virorum virtute præſtantium, non ſeria modò, ſed etiam joca, literis mandari oportere. Et ſanè, ſi lucerna Epicteti tanti fiebat, ut eſſet, qui mille eam drachmis emeret: ſi fuit, qui Protei Stoïci baculum emeret talento: quantò magis dicta factaque omnia virorum excellentium in pretio habere convenit. Propterea rectè etiam, atque ordine, facturum putem, qui temporis aliquid tribuere volet, colligendis illuſtris Patrui veſtri dictis. Multa enim præclarè ex ore ejus proficiſcebantur quotidie. Quod ſi quis ex ampla ſegete ſpicas exigit pauxillas, hujus generis erant: Non minoris impietatis eſt Deum fingere, quam negare. Cor hominis pœnitens frangit cor Dei iraſcens. Cum viri principes timere Deum nolunt, timere homines coguntur. Regnantibus tyrannis, multiplicantur adulatores. Optime ulciſcitur calumniantes, qui innocentiam ſuam Deo commendat. Ubi magna regnant vitia; ibi propinqua eſt pœna. Divinam neſcit naturam, qui eam diu parcere putat ſceleſtis. Non punitur cum malis, qui ſe ſociat bonis. Et fuere id genus plurima, aliqua fortaſſe etiam luculenta his magis ac edecumata: eoque commendatiora, quod non quæreret ea heros, ſed pro rebus ſponte ſe offerrent. Quod ſi non levis ejus dictis honos debeatur: quanto minus permittendum foret, ut interirent Precationes ac Suſpiria, quæ illuſtris vir manu ipſe ſua conſignaverat. Spirant enim magnum Dei amorem, ac pectus verè devotum numini cœleſti: imò vix arbitror, ex iis, quibus religio mediocriter cordi eſt, ullum eſſe ingenium adeo ſegne ac frigidum, quin iis legendis poſſit, non calefieri modo, ſed etiam inflammari. Atqui ſi ulla, hæc ſane tempora, in fatali orbis Chriſtiani motu, tantoque & animorum æſtu, & armorum, poſtulant, vel flagitant verius, ut, dum quotidie Dei atque hominum amor frigeſcit, inque pejus abeunt ſeculi mores, expediant omnes omnia, quæ pietati ac virtuti debent. Quamobrem, etſi illuſtris Patruus veſter, Precationes eas, Suſpiriaque, ſive Affatus, proprium duntaxat in uſum, atque id Teutonicâ linguâ concepiſſet: publici tamen boni intereſſe exiſtimavi, ſi ea in aliorum quoque uſum Latinè exhiberem. Idque liberius paullò verſa, interdum ferè ad paraphraſeos modum. Nam ut linguæ cæteræ, ita Teutonica ſuum habet genium: eoque ſi anxie nimis de verbis laboraſſem ſingulis, non de perſpicuitate modo, ſed de vi etiam, atque efficacia, plurimum deceſſiſſet. Verborum lenociniis hîc ſtudendum minime putavi. Bene enim precationes iſtæ olent, quæ pectoris magis ſanctimoniam, quam Rhetorum pyxides redolent pigmentarias. Simul quoque videbam, à præſtantia, tum argumenti, tum etiam auctoris, pretium illud ac pondus accedere orationi, quod ab interprete non haberet. Itaque mihi certum potius, quam arbitrarium eſt, gratiſſimum fore utrumque hunc laborem meum illuſtri nomini veſtro. Quod ut aliunde neſcirem, tamen non aliud credere permitteret ferventiſſimus ille amor veſter erga Patruum optime meritum: atque, ut de hoc etiam taceam, facile illud mihi perſuaderet ſingularis veſtra probitas, ingenium excellens, acre judicium, prudentia eximia, humanitas incomparabilis, ac tot aliæ in vulgus etiam notiſſimæ, ac vetuſto adeò, & illuſtri genere veſtro longè digniſſimæ virtutes: de quibus ſilere apud vos malo, partim quia ipſe ad earum ſplendorem connivere cogor, quemadmodum adulterini aquilæ pulli ad radios Solis; partim etiam, quia jucundius vobis eſt laudabilia facere, quam laudari: in os verò laudari, etiam moleſtum eſt. Cæterum quando utilitas utriuſque hujus argumenti animum meum ſubit: minimè deſpero, non vobis modò, ac generoſiſſimis Fratribus, & univerſæ Dhonæorum familiæ; ſed etiam aliis, ſaltem optimo cuique, probari poſſe operam noſtram. Nam cum, ut initio dixi, nihil majus atque auguſtius habeamus pietate atque prudentia: eſt hic, quod ad utramque conducat. Sive enim Panegyricum ſpectemus; tum ad civilem, tum ad militarem vitam conferet notitia eorum, quæ variis in terris ab illuſtri Patruo veſtro prudenter & fortiter geſta ſunt. Sive oculos conjicia-

jiciamus in Precationes ac Suſpiria; quid ad alendam pietatem magis prodeſt, quàm ſi alieno in precibus ardore ipſi etiam accendamur ad invocandum Deum? Quod nemo, puto, inficias iverit, qui ſanctum hoc ſtudium ſuo norit pretio æſtimare. Nam etſi Deus non longe à nobis abeſt, ut in quo ſimus, vivamus, & moveamur: tamen ob pravam indolem longe ab eo abſumus; eoque opus eſt precationis ſcalis, quibus adſcendamus in cœlum, & ſupplices imploremus gratiam Dei, ſine qua tantundem poſſumus, quam qui nunquam fuerunt. Hujuſmodi igitur adminicula qui reſpuunt; ſanè aut parvi æſtimant pietatem, aut de viribus propriis multa præſumunt, ignari ejus, quod illuſtri Patruo veſtro in ore eſſe ſolet, ritè precari eſſe artem artium, & ſcientiam ſcientiarum: cui affine eſt, quod idem crebro dictitabat, fiduciam defenſionis divinæ reddere nos de exitu ſecuros; at non ſegnes ad precandum.

Cur autem, generoſiſſimi DD. Barones, veſtro potiſſimum nomini opuſcula hæc offeram; neque ignorare vos poteſtis, neque aliis fore arbitror obſcurum. Neminem enim caligare hîc ſinit eximius nominis veſtri ſplendor: qui partim ex inclytis natalibus veſtris relucet, partim ex ſummis laudibus, quas ingenium vobis peperit, atque induſtria. Cujuſmodi mixtura occurrit in perpaucis. Quemadmodum enim rara res eſt, lux abſque umbrâ, ignis abſque fumo: ita perpaucos etiam invenire eſt, qui non ſui generis claritati, vel morum vitiis, vel inſcitia, tenebras offundant. At vos pariter hæc tria illuſtrant, nobilitas vetuſta, virtus memorabilis, & inſignis eruditio: ut de dignitatibus, velut adſcititiis ornamentis, nihil nunc dicam. Duobus igitur libellis, quorum alter ab optimo, prudentiſſimo, fortiſſimo heroë, Fabiano à Dhona, alter autem de eo ſcriptus foret, totidem patronos dare volui, eoſque non indecores, ſed tergemina, qua dixi antea, luce illuſtres. Præterea putavi, recedendum mihi eſſe ab more vulgi ſua dicantis iis, qui ea, quæ ſcribantur, non intelligant: & ſi intelligant, nihilo magis illa ad ſe pertinere arbitrentur, quam alium quemvis: ut non tam patrocinium operi expoſci, quam illud quæri, quod dicere nolo, res ipſa non loquatur, ſed clamet. Volui igitur hæc iis offerre, quos conſtaret meliùs iſta noviſſe, quam ſcriptorem ipſum: quos etiam, unà cum generoſiſſimis Fratribus, magis hæc tangerent, quam quicquid eſt hominum ubique: quos denique patrocinium ſcirem defugere nec velle, nec poſſe. Quæ omnia me video conſecutum; quia is, quem deſcripſimus, & cujus Precationes damus, naturâ patruus vobis fuit, affectu pater: ac vos, ut bonorum & opulentiæ, ita gloriæ eſtis hæredes: atque omnibus quidem, ſed potiſſimum vobis exemplo fuit: nec minus exemplo erit præclaris atque ad maxima natis liberis veſtris: atque adeo nepotibus quoque, & omnibus, qui ſeculis futuris longo ab iis ordine (ita voveo) feliciſſime naſcentur.

Illuſtres & generoſiſſimi DD. Burggravii, & Barones à Dhona, ſtirpe quidem maximi, ſed animo majores, vivite & valete: ac vel in ima cera inter candidos inclyti nominis veſtri cultores referte etiam nomen meum.

Lugduni Batavorum, anno cIↄ Iↄcxxviii, pridie nonas Junias: quo ipſo die, ante ſeptennium exceſſit inclytus heros, Patruus veſter, cui nunc parento; & ante annos amplius octingentos defuncta eſt Liutgarda, conjux Karoli verè Magni, Imperatoris eo magis à præclara ſtirpe veſtra celebrandi, quia ab illo, & filio Ludovico Pio, ad priſtina generis decora, Dhonani nominis ac Burggraviatus dignitas jam ante tot ſecula acceſſit.

*Æternitati illuſtris ac generoſiſſimæ familiæ* DHONANÆ
devotiſſimus
Gerardus Joannes Vossius.

## LEO MAGNUS:

*Validiora ſunt exempla, quam verba; & plenius opere docetur, quam voce.*

GERAR-

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# COMMENTARIUS
## DE
# REBUS PACE BELLOQUE GESTIS
## Domini FABIANI Senioris, Burggravii à DHONA.

APud Lacedæmonios, quemadmodum à veteribus & graviſſimis ſcriptoribus accepimus, lege cautum fuit, ut antequam ad manus veniretur, ſacra fierent Muſis. Cujus rei cauſſam rogatus Imperator ejuſce gentis Eudamidas: eo id fieri reſpondit, ne res bene geſtæ debitis laudibus fraudarentur. Nimirum optimo cuique innata eſt cupido virtutem factis extendendi, ac nomen acquirendi immortale. Sed perpetui nominis gloriam ſine cujuſquam ſcriptoris monumentis conſequi licet nemini. Eoque Alexander ille, cui geſtorum magnitudo Magni cognomen fecit, cum ad Achillis ſepulchrum conſiſteret, beatum eum prædicavit, quod virtutum ſuarum præconem Homerum nactus foret. Nempe niſi Ilias extitiſſet, ut veriſſime à Tullio dictum fuit, ille idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen quoque obruiſſet. Neque defuncti unius gratia honor ille decernitur: ſed partim etiam propter ipſum Deum immortalem, partim propter humanum genus. Siquidem Dei ipſius munera ſunt, quæcunque à nobis recte fiunt, eoque coronati illa præconiis noſtris convenit. Superſtites autem in eodem ſtadio certantes cupiditate gloriæ inflammari, plurimum profecto intereſt. Equos ſane, quorum generoſior eſt indoles, magiſtri ſuavis poppyſmus incitat, aut adſtitum clamor reddit in curſu alacriores. Pleriſque etiam aliis animantibus, ſi proximi vel inſonent voce, vel complodant manibus, animus additur, ut, quo feruntur, alacrius contendant. Quanto igitur magis eos, in quibus ratio dominatur, ad virtutem ſtimulari poſſe arbitremur, ſi alienam virtutem ac gloriam intelligant! Qua qui non moveantur, eos dixerim ſenſu humano carere propemodum; nec marcere minus, quam qui in taberna fragrantiſſimis aromatis referta odore nullo recreentur. Quamobrem ita cenſeo, nullum omnino officium eſſe cum juſtitia propius conjunctum, nullum quod homines ad virtutem accendat magis; quam ſi eos, qui virtute anteverterint cæteros, ſermone ac ſcriptis noſtris celebremus, ut hac quaſi tuba ex mortuis exciti, vitæ poſtliminio reſtitui, atque iterum inter homines degere videantur; ſuoque exemplo, præcepta ſalubria, aut miſeriæ nobis ſolatia inſtillent. Ecquis igitur ingenii ſit adeo horridi, aut tam malignus atque excors, ut ſanctam hanc, atque utilem operam noſtram, quam laudibus Illuſtris Burggravii Fabiani Dhonani impenſum imus, Theonino dente arrodere auſit? Quanquam ingenue id agnoſcam, quodammodo injuriam fieri optimo Heroi, non eo quidem, quod obſervantiam illi noſtram deferamus, quæ adverſus bene meritos permitti omnibus, etiam imi ſubſellii hominibus debet: ſed quod ex majorum gentium, doctorumque corona nemo ſurgat, qui hoc ſacrum exequiale peragat. Si enim Achilleis factis non niſi Homerica vox eſt accommodanda: ſi dignus eſt Dhonanus, quod ultro largimur,

*Plutarch. in Apophth. Lacon.* — *Caſſiodor. lib. 1. Ep.*

*—— Quem nemo præter Apellem*
*Pingeret, aut ne alius Lyſippo duceret æra:* *Horat.*

equidem, quid plerique pronunciaturi ſint de audaci hoc facto meo, non obſcure proſpicio. Verum videmus etiam in convivio cætera ſplendido, amœnoque, non optimos ſemper audiri citharœdos; ſed ab iis ſecundos, tertios, quartos, ſæpe etiam infra hos doctos, cum præſtantium ac fortaſſe etiam mediocrium hominum, non ita magna ſit copia: Itidem nec mihi vitio verti debet, quod ego, qui ſupra eruditorum vulgus, nec ingenium, nec doctrinam, nec dicendi uſum, mihi auſim vindicare, decrerim nihilominus eum virum oratione mea celebrare, in quo laudando Eloquentia ipſa vires ſuas periclitari poſſit. Nimirum, pietati litamus, quæ ſi careat ornatu, fraudi tamen eſſe nemini debet. Eàdem iis quoque obſequium præſtamus, à quibus hæ partes nobis, neque id invitis, injunctæ ſunt: cuivis nihilominus haut gravatim permiſſitri, ut conetur

*Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.* *Perſ.*

Agite ergo, ne in nos etiam quadret vetus verbum, portam itineri longiſſimam eſſe; miſſis cæteris, non minori lubentia, quam fiducia, ſtadium illud ingrediamur, quod animo præſignavimus: & eorum, quæ de Dhonana omni vita comperta ac quaſi in numerato ſunt nobis, memoriâ quæque digniſſima exponamus, quo ita novo huic cæliti honos ſuus conſtet: nos verò tamquam in illuſtri monumento, quæ ſequi fas ſit, propoſita nobis habeamus.

Ut igitur à primis Fabiani incunabulis ordiamur, natale ei ſolum Pruſſia obtigit, tellus fundo admodum fertili, dædalis mercibus, qua importandis mari, qua exportandis, aptiſſima clariſſimaque: atque ubi, ut poëta Sulmonenſis cecinit,

*—— Fluant lachrymæ, ſtillataque ſole rigeſcant* *Ovid. 2. Metamor.*
*De ramis electra novis, quæ lucidus amnis*
*Excipiens, nuribus mittat geſtanda Latinis.*

Quæ etſi non levia ſint: majus tamen illud, quod præclara ſemper dedit ingenia, quæ cum aliarum omnium capaciſſima artium fuerint; tum ſub utraque Pallade, armata, togata, egregia fecerint ſtipendia. Eſt in ea, quæ Regalis appellatur, Struma oppidum, haut infelici naturæ

genio

Digitized by Google

genio excultum, vicina arce exornatum: in qua Fabianus ſcenam hujus mundi, qua perſonam ſuam decenter ſuſtineret, cum lachrymis, ſorte omnibus communi, ingreſſus eſt. Menſis erat totius anni formoſiſſimus, quem Majum dicimus: quaſi ipſa univerſi Natura, ubique ſapiens, ac juſta, alumno elegantis ingenii, eleganti quoque tempeſtate obſtetricari vellet. Dies affulgebat ſexta & viceſima, altera à feſto nobiliſſimo, quo Spiritus Sancti memoriam celebramus. Fortaſſe ut indicio nobis foret, non eum Junone Nixia, non Jove Soſpitatore, neque ullo cœcarum nationum numine, aut tutela indigere: ut qui auſpiciis Sancti Spiritus auram hujus vitæ hauriret. Numerabatur tum à Chriſto nato annus ſeculi ſextidecimi quinquageſimus: quo ipſo in patria Dhonani Pruſſia ardebat bellum ab Oſiandro conflatum: qui αὐτοδίδακτος, ac propterea, ut fieri ſolet, ἰδιογνώμων & αὐθέκαστος, hominem coram Deo juſtum fieri contendebat juſtitia Dei, ut vocant, eſſentiali; quæ profecto non alius, ac ipſe Deus, eſſe poteſt. Sed hujuſmodi, quæ ad natalem, vel locum, vel diem pertinent, decoris quidem aliquid afferre videntur: attamen fere communia ſunt deterrimis cum optimis, infimis juxta ac ſummis. Quare in tanta laudum Dhonani copia, ea potius conſectemur, quæ magis propria Fabiano fuerunt: Quale eſt illud, quod ei præclara adeo ſtirpe contigerit naſci. Parens enim fuit illuſtriſſimus Petrus Dhonanus, qui ut pietatis, ita prudentiæ & fortitudinis omnes explevit numeros, perque Laboris templum progreſſus, trophæa perennaturæ gloriæ in Honoris fano feliciter ad Memoriæ aram ſuſpendit. Pôſtquam enim ab ultima prope pueritia Laborem, patrem Gloriæ, ut Æſchylus eum vocabat, animo ſuo propoſuerat: non jam ille purpura ulterius capi, non ſectari molle Gynæceum, non delectari ſervulorum comitatu; ſed ipſe magnati ſe aſſèclam præbere haut inglorium arbitrabatur. Ita eſt profecto, nemo imperat felicius, quam qui parendo illud didicerit prius. Dabat vero ſe Petrus in familiam viri eo tempore perilluſtris, Hiobi Dobeneckeri, Epiſcopi Riſenburgi: apud quem paullatim animum confirmabat præceptis optimis ad omnes civilis vitæ partes, ac diſciplinam militarem præ cæteris. Ergo, cum per ætatem poſſet,
*Plutarch.* caſtra ſecutus eſt, non, ut quondam Eretrienſes, quos falſe ajebat Themiſtocles, ſimiles eſſe piſcium, qui gladioli vocantur: quippe qui enſem hi habent, ſed corde deſtituuntur: ita & illos fuiſſe quidem armatos, ſed animatos non item. At Dhonanus, ut verſiculum Mæonii vatis in Latiale eloquium transfundam, erat

*Hoſti non tergo, ſed forti pectore notus.*

Nec idem militiæ nomen apud alios dare voluit, quam eos, qui tum ſuo & optimi cujuſque judicio optimam foverent cauſam (ne forte pro bello latrocinium ſectaretur) tum etiam, qui rei totius militaris ſupra alios eſſe intelligentes perhiberentur. Erant illi Mariani Equites, quos
*Lib. Ord. Pruſ.* ante tricenos trecentoſque annos, nomine ordinis Teutonici, in Boruſſia inſtitutos novimus, ut (quod magna cum laude ab iis factitatum) ſubigendo paganos, Idolorum ſimul cultum abolerent, Chriſtianæque religionis pomœria longius proferrent. Sub horum auſpiciis ac ſignis ſtipendia meruit Petrus, ut non modo victrici manu varias reportaret coronas: ſed dignitate etiam Equeſtri ab illuſtriſſimo Ordine, magno omnium ſtudio, & applauſu, fuerit ornatus. Cumque Ducatus Pruſſiæ, abolito Teutonicorum militum ordine, conſtitueretur: Albertum, Marchionem Brandeburgicum, primum Boruſſiæ Ducem, in militia ſectatus fuit; pulchramque & utiliſſimam eidem operam præbuit in expugnanda Braunsberga: cujus & poſtmodo præfecturam per ſexennium inſigni fide, nec minori auctoritate geſſit. Quod ſi pulcrum ducitur, paternas imitari virtutes; unde Amaſim apud Ægyptios legem ſanxiſſe accepimus, ut patris artem faceret filius, ac ſtatum conditionemque vitæ ejus ſequeretur: nec ab ea laude excludi illuſtrem hunc virum oportebit. Siquidem egregia Staniſlai, fortiſſimi parentis ſui, facinora ſecutus, imo aſſecutus fuit. Venerat Staniſlaus (ut quemlibet ducit Deus, cujus eſt terra & plenitudo ejus) ex Crachenſi domo, quæ apud Sileſios celebri eſt loco. Sed generis hanc celebritatem virtute plurimum in Boruſſia adauxit: ubi Teutonicis equitibus, niſi Chriſti eos milites dicere malimus, ſtrenuam navans operam, non modo gloriam obtinuit excellentiſſimi ducis; ſed viri quoque continentiſſimi immortale adeptus nomen fuit. Veniam mihi dari poſtulo, ſi paullum huic rei inſtitero, ut documento illuſtri planum fiat, licet ſit

*Rara avis in terris nigroque ſimillima cygno,* *Juvenal.*

miles pauco contentus: non tamen ita male agi cum rebus humanis, ut non in eo quoque vitæ genere habeat Deus, qui plurimos cujuſvis ordinis longiſſime numinis reverentia poſt ſe relinquant. Quippe incubuerat regioni omni tempeſtas fatalis, qua ſociorum plurimi, timore, an perfidia, pudendis modis à Magiſtro ſuo divortium faciebant. Non ita Staniſlaus, cui idem animus,

*Rerumque prudens, & ſecundis* *Horat. 4.*
*Temporibus, dubiiſque rectus.* *Carm. 9.*

Quare non ille à domino, cui ſacramentum dederat, deficere. Nec enim illi

*Facile & pronum ſuperos contemnere teſtes.* *Juvenal.*

non ſanè, [illegible] *Sat. 13.*

*—— Phalaris licet imperet, ut ſit* *Idem Sat.*
*Falſus, & admoto dictet perjuria tauro.* *8.*

Nempe ſcitum illud Socraticum animo inſcripſerat penitiſſimo, ut ſtatua ſemper inſiſtit baſi; ſimiliter virum bonum inſtituto niti honeſto, nec inde vel periculis, vel voluptatibus dimoveri unquam. Quocirca in eo collegium erat univerſum, ut Staniſlao, ejuſque poſteris, ne indonata virtus fideſque videretur, hæreditario titulo ac jure conferretur præfectura Morungana, & loci indole nobilis, & reditibus ſane quam locuples. Non aſpernatus eam fuiſſet Dhonanus, ſi quanta facilitate ab Equitibus offerebatur, tanta conſcientiæ ſanctimonia poſſeſſurum ſe ſuoſque vir integerrimus in animum inducere potuiſſet. Nunc illud identidem occurſabat menti ejus, (quod religionis opinio in popello ita edocto mire exaggerabat) fore, ut virginem Deiparam, cujus honori deſtinatus eſſet quaſi honorarius tutor, iratam haberet, ſi luculentum adeo donarium transferret domum ſuam; aut ſi ad poſteros tranſmitteret, quod ſanctis uſibus majores conſecraſſent. Caſta profecto, ſi quæ unquam, in ſectante ejuſmodi vitam, abſtinentia, à qua fere milites noſtri quam longis diſtant ſpatiis! quippe iis ſi Pegaſi darentur, in cœlum adſcenſuros dixeris, & prædam acturos uncatis manibus ante thronum Dei in Mariæ, Sanctorumque omnium conſpectu: utpote quibus

*—— Ibi fas, ubi maxima merces.* *Lucan.*

Eſt verò Morunga inter lautiores Boruſſiæ præfecturas non poſtrema. Oppidum binis arcibus, ſitu loci, lacubus circumſtagnantibus, munitum. Pagi adjacent plus minus triginta. Eos & prædia commendant, & piſcationes; & molendinæ, & venationes, & aucupia, & ſaltus, urſis olim, aliiſque noxiis animantibus, nunc armentis completi. Repudiato igitur nimis ſplendido, ut quidem cauſſabatur, dono, viliori, quod ultro offerebatur, contentus Staniſlaus fuit: quamquam profecto vile nihil exiſtimari conveniat, modo rationi, ſecundum quam *Vivitur* *Horat.* *parvo bene*, ſuffecerit. Obtinuit verò citra fraudem Ordinis, & rei ſacræ, Teutopagum: in quo annos poſtea exegit multos, idque cum optima ac laudatiſſima Urſula Greuſingia conjuge; quicum etiam ſepultus in ibi fuit, compluribus ex ea liberis, fœmellis aliquot, filiis verò tribus relictis. Atque ex his quidem Anſelmus, & Johannes, cum quaſi in herba adhuc latere meſſis crederetur, extremum ætatis diem obierunt. Petrus autem, Fabiani parens, ad grandem pervenit ætatem. Sed priuſquam à Staniſlao & Petro Dhonaviis manum tollam, illud etiam adjungendum videtur, utriuſque, ac majorum etiam ſpectatam adeo fidem fuiſſe ſemper ergà ſuperiores, ut ab ea Dhonæi in publicis Boruſſiæ privilegiis commendentur: imò præclarum hoc retulerint elogium, cum prope omnia

hæc

hæc regio, vel defeciſſet, vel in hoſtium veniſſet manus, inter paucos tum, qui Principis partes ſequerentur, ſtetiſſe Staniſlaum, Burggravium Dhonenſem, & filium ejus pariter cordatum. Paterent jam longe lateque ſpacia producendi porro in hunc famæ campum Dhonaviorum etiam abavum, atavum, tritavum, atque alios, qui longa ſerie in numerato habentur. Verum non tam gentis Dhonanæ hiſtoriam, quam Fabiam laudes polliciti ſumus. Quare nunc temporis quidem ſuperſeſſis iſtis, quæ etſi non minus pulchra ſint præclaraque, properanti tamen lectori faſtidii aliquid parere poſſint, illud unum exponere contentus ero, Dhonanam familiam ab octo retro ſeculis originem ſuæ gentis repetere. Nempe jam ab iis temporibus, quibus Deus Opt. Max. Imperio Romano, quaſi cœlo demiſſum, dedit Carolum, Francorum regem, à rerum geſtarum gloria Magnum appellatum, non optimum modo Reipubl. Principem, ſed Eccleſiæ etiam vindicem, ſtudiorumque inſtauratorem ac patronum omni laude majorem.

*Anno* DCCCVI. *Barthol. Paprock. in Chronico Bohem. cap.* 19. *Autor Pſal. ad vitam B. Eſd. editus Cracoviæ* 1610.

Tantus Rex atque Imperator, ut cenſor erat virtutis æquiſſimus, ex ea Galliæ Narbonenſis parte, quæ & Languedocium, & Occitanea dicitur, virum evocavit, & ſummi nominis, & maximæ dignitatis, Aloyſium de Urpach, eique, ut in Germania ſedem ſuam figeret, perſuaſit. Ac quo promtius illud faceret, ſimul ut præmium extaret dignum ejus virtutibus, (abſque quo eſſet, verbis tantum meſcatus videretur) amœnum ei atque frugiferum locum aſſignavit ad flumen Albis; ubi & oppidum, & caſtrum, quod Dhonæ nomine inſignitur, celebre jam tum erat.

*Anno* DCCC VII.

Juxta vero poſtulaverat ab Urpachio Cæſar, ut Dreſda ab ſe contra Bohemos, Naumburgo ad Salam, contra Sorabos munitis, ille tum ſua, tum Germaniæ limites, defenſurus, Vandalos idololatras, quorum tetra colluvies ſe hinc inde in imperium infuderat Romanum, ulteriores facere progreſſus minime pateretur. Nec ſua ſagaciſſimum Imperatorem ſpes fefellit.

*Anno* DCCC XII. *Dreſſer. Mill. Hiſtor. ſen. part.* II. *Georg. Fabric. in Annalib. Miſn. l.* 1.

Nam ita Urpachius ſuſceptam adminiſtravit provinciam, ut Cæſar Ludovicus cognomento Pius, cujus pater ipſe Carolus corona imperiali caput inſigniverat, Aloiſii filio Conrado, ejuſque hæredibus, non donarit modo territorium Dhonanum, ſed titulo quoque illud Burggravii, quaſi honeſtamento gentilitio, exornarit. Sunt autem Burggravii Germanis iidem, qui Italis ac Gallis Vice-Comites: quomodo & Mediolanenſes prius Vice-Comites dicebantur, qui nunc Duces audire malunt. Et ſane etiam Saxonici ac Brandeburgici Electores, quod inter præcipuos titulos Burggraviorum appellatio compareat, non parum eo decoris accedere ſuo generi arbitrantur. Nimirum ſicuti Comites limitanei, quos Marchiones hodieque dicimus, Cæſarum autoritate & Regum condebantur, ut hinc inde Germaniæ fines contra Hunnorum irruptiones tutarentur: eodem modo per Saxoniam, ac Miſniam conſtituti fuerant, qui à Sclavorum atque Henetorum furiis cavere civibus incoliſque poſſent.

*Megiſer. in præfat. lib. de Ord. Eq.*

Hi Burggravii tum appellati, ſacri verò Imperii Romani præfecturis fungebantur: quæ dignitas, perinde atque Marchionum, etſi initio videbatur ambulatoria, meritis tamen eorum, qui primi cum laude honorem eum geſſerant, hæreditaria poſtea ad poſteros ac gentiles devoluta fuit. Quanquam autem Dhonani etiam Comitum axiomate, atque honore fuerint decorati, quod tum aliis è documentis, iiſque plurimis atque evidentiſſimis, tum etiam Sigiſmundi Cæſaris libello diſcimus, qui egregio pari fratrum, Nicolao, & Jariſlao, Dhonenſem Comitatum feudi munere conceſſit: plurimum tamen Burggraviorum titulus iis magis arriſit.

*Anno* MCCCC XXIII. *Brixiæ. die infant innocent.*

Neque eo minus honoris à poſteritate conſequuntur. Nunquam enim non prædicabitur in iis ſingulare decus, divinæ gratiæ pignus; quod cum in aliis prope familiis omnibus, certe in Miſnia Leiſnickenſium, Altenburgenſium, Starckenburgenſium, Lorbicenſium, aliorum Burggravia dignitas exſpiraverit, Dhonani eam & maſcula virtute retinuerint, & pari gloria propagarint,

*VI Æn.* *Magnanimi heroës, nati melioribus annis.*

Hæ primitiæ ſunt gentis Dhonaviæ, ſane vel hac prærogativa ampliores, quod ab illa olim quatuor ac decem familiæ nobiles ſolennem feudorum collationem expoſcere tenerentur. Nec eſt, quod arbitremur, priſci hanc dignitatem fuiſſe ævi: hoc tempore autem, quod omnia mutat, vaſtat, abolet, in deſuetudinem penitus abiiſſe. Spirantia enim adhuc ante oculos verſantur exempla: ſunt veſtigia in Hexapolitana Luſatia, ubi Grunbergii, Rotenburgii, Zabeltizii, Schlichtingii, aliæ Equeſtris Ordinis familiæ, Burggraviis Dhonanis, feudi jure, & ſacramento, hodieque ſint adſtricti: præ cæteris verò, qui in Dynaſtia Muſcavienſi rerum potiuntur. Illic jam nunc Toparcha illuſtris Carolus Chriſtophorus, quod longa ſerie ad ſe devolutum eſt Regale, quantum in ſe eſt, tuetur; ſicque animum inducit ſuum, non minus religioſe conſervanda eſſe majorum privilegia, jura, dignitates, regalia, quam illorum imagines, torques aureos, nummos, aliaque theſauri decora; quod illa virtutis ſint ornamenta propiora, quæ ætatem ferunt: hæc verò, cum fortuna, quæ vitrea eſt ac deſultoria, commercii plurimum habeant.

*Albin in Chron. Miſn. Dreſſer. Mill. hiſt. 6 part.* 4.

At quantum etiam illud ad gentis Dhonaviæ laudes facit, quod inſigni in ponte illo, quo Imperator Conradus primus, auſpex hujus nominis, utramque Albis ripam in littore Miſnenſi ad urbem Dreſdam conjunxit, etiamnum Dhonaviæ gentis inſignia bicornia opere antiquo conſpicere licet. Atque inde eſt, quod ex juris ac rationis rectæ præſcripto, & ſummi magiſtratus decreto, conſtitutum fuerit, ut eidem ac hæredibus illius, ex mercibus eo apportatis vectigalium pars tertia ſolveretur. Licet vero, (ut prope omnia hominis bona, alium atque alium accipere dominum ſolent) etiam jus hoc olim à Dhonana familia alio fuerit tranſlatum; tamen jam à multis retro annis illud Abrahamus Dhonanus, qui apud Sileſios libera potiebatur Dynaſtia Wartenbergica, quaſi poſtliminio recuperavit. Atque ut nunquam hoc jus in eandem rediiſſet familiam, nihil priori hoc laudi derogaret.

*Plin. Lib.* XXXVI. *cap.* XII.

Glorientur igitur Ægyptii Pyramidibus ſuis, quarum unam proditum eſt mundi miraculo à trecentis ſexaginta ſex hominum millibus fuiſſe exſtructam, atque id erogatis in raphanos, allium, ac cæpas talentis mille octingentis. Oſtentent item alii —— *inſana mole coloſſos:* Qualis etiam effingi volebat Nero. Alii ex vetuſtate divitias ſuas immani jactent apparatu canalium, thermarum, aquæductuum, theatrorum: in quibus omnibus, quo neceſſitati vel uſui conſuleretur, conſtare pauco poterat; reliqua autem ſervierunt pompæ, luxui, ſuperbiæ, & hujus pediſſequæ vanitati. Burggravii verò Dhonani non paullo magis ad laudem ſuam eſſe reputent, quod non aliis, quam majoribus ſuis, debeatur ejus pontis ſtructura, ex quo tot commoda, ad Principes juxta, ac ſubditos, redundent. Quid autem pontes loquor? Quid terrena tantum vel commoda, vel ornamenta? Liberaliſſimi quoque fuere heroës Dhonæi ad conſtituendum, ut ſeculum illud ferebat, cultum divinum, ſacraque peragenda.

*Dreſſer. in Mill.* 6.

Referunt ii, qui res Epiſcoporum Miſnenſium monumentis ſuis ab oblivione vindicarunt, Ottonem, Henrici Burggravii Dhonenſis filium, haud exigua contuliſſe donaria in Henricum, virum ſacris deſtinatum, qui ante XC atque trecentos annos, in Miſnia baculi atque tiaræ Epiſcopalis honore clarus fuit. Nec obſcura eſſe poteſt, tum pietas, tum munificentia Ottonis Dynaſtæ, eadem familia nati: qui cum in oppido ſuo gentilitio, populo ad Dei cultum deeſſet locus; templum, quod Dhonæ eſt Beatæ Virgini conſecratum, primus exſtruxit: quod, Friderico II Romanum moderante imperium, annis ab hinc quadringentis, eveniſſe accepimus.

*Dreſſer. Mill. 6. part.* 2.

Nempe uterque Dhonavius, pater cum filio, non provide minus, quam piè, exiſtimabat, ingenti ea à ſe fœnore locari, quæ ad res ſacras ac pios uſus, Deo largiſſimo benefactori commodarentur. Nec ullis obliterandum eſt ſeculis, Ghutii (id Sileſiorum oppidum eſt) inde à trecentis annis jura patronatus in templo primario fuiſſe penes Burggravios Dhonanos. Uti nec caligine ulla involvi debet, quod jam ab

annis octingentis familia hæc ſe longe lateque diffudit. Non equidem inficias ivero, accidiſſe ei quaſi deliquium quoddam, idque haut exile; cum bello eo, quod inter Wenceſlaum, Bohemiæ Regem, & Guilielmum Coclitem, Miſniæ Marchionem, geſtum fuit, arcem Dhonenſem, quæ feudum ſemper fuerat regni Bohemici, Marchio obſedit, expugnavit, evertit. Cujus rei triſtiſſimam memoriam penitus excidere non ſinunt rudera illa arcis Dhonenſis: quæ hodieque vix altero à Dreſda lapide, ad Dhonenſia mœnia, (prout præſens ejus oppidi fert ſitus) cernere licet. Ubi & Burggraviatus veſtigia conſpiciuntur, haut ſecus ac Noribergæ. Quis vero ſatis explicet, quantum dolorem caſus iſte egregiis heroibus attulerit: ubi viderunt, ſe effrenis violentiæ furore, de antiquis ſedibus ac fortunis deturbari iniquiſſime. Nempe ſilebant leges, inhonora erat juſtitia, ut fieri ſolet,

*Ovid 5. Metam.*

*Cum ſonus armorum ſuperat, gemituſque cadentum.*

Verum calamitas hæc illis nova fuit virtutis ſeges, unde Dhonani pullularint hinc inde numero plurimi, autoritate ſpectatiſſimi. Ex eorum gentilibus habitarunt olim eximii viri in Galliæ, ac Daniæ regnis. Nec pauci vivunt in Bohemia, in Sileſia complures: avitum etiam decus in Miſnia, Saxoniaque ſuſtinent. Habent ſuos quoque ex eadem gente Palatinatus & Marchia Brandenburgica. Habent Boruſſia, Livonia, Luſatia. Quid opus multis? Fœcunda adeo ſtirps hæc fuit, ut numerare ex ea ſit ſex ac x generationes, ubi ſtemma à patre cujuſque recta per liberos deducatur. Dixerit aliquis, non ſolum numero, ſed virtute etiam, atque adeo hac una imprimis, æſtimari familias oportere. Quis ſanus hoc in dubium vocet? Sed Dhonæi quoque ad claſſem eorum pertinent, qui ut numeroſi, ita virtute dignitateque ſint conſpicui. Quippe recenſere ex iis poſſumus duos & viginti, qui ſuperiori omnes ſeculo, atque eodem prope tempore, in aulis Cæſarum, Regum, Principum, magna virtutis adorea, pace belloque vixerint, ac provinciis functi ſunt oppido illuſtribus. Diffiteri equidem haut convenit, migrationes gentium tenebris eſſe non exiguis involutas, quoniam rari omnino ſunt, qui familiarum tabulas conſignent, quod in quavis gente phylarchorum foret. Nihilominus annalibus, quibus Boruſſorum res geſtæ recluduntur, proditum videmus, jam ante trecentos annos Burggraviorum quendam Dhonanum Falckenberga cum Principe aliquo Sileſio veniſſe in Pruſſiam, ac copias auxiliares magno adduxiſſe numero, ad res Equitum Teutonicorum ſtabiliendas. Ac ille quidem, utcumque honorificentiſſima perſiſtendi copia daretur, tamen, rebus ita ferentibus, ad Sileſios ſuos poſtmodo eſt reverſus. Aliter vero Staniſlaus, avus Fabiani paternus, qui in Boruſſiam ſe ſuaque tranſtulit, jam annis ſupra ſeculum ſeptuaginta. Sed enim adverſus tam multa, quæ de priſca Dhonanæ gentis origine, ac tot & tam præclaris Fabiani majoribus diximus, videor nonnullos, præſertim quibus non eadem divinitus felicitas obtigit, jamdudum audire dicentes, è caſa etiam prodiiſſe ſæpe rerum maximarum capaces, & dominos,

*Hieron. Megiſſ. in præf. Ord. Equeſtr.*

*Caſpar. Schut. in Chron. Pruſſ.*

*Juvenal. Sat. VI.*

*Silveſtrem montana torum quũs ſtraverat uxor*
*Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum*
*Pellibus:*

ut eſt virtutis genius omnibus amicus, dum ipſi amicas virtuti manus porrigere velint. Quod Romanorum etiam Imperatorum exempla teſtantur: quippe quæ argumento ſint,

*Id. Sat. X.*

*Summos poſſe viros, & magna exempla daturos*
*Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.*

Ita traditum eſt, Maximinum in Thraciæ montibus paviſſe oves, Pupienum natum è fabro ferrario, Philippum Arabem fuiſſe latronum ductorem, Aurelianum falces manibus ac ligonem verſaſſe, Valentem cum fratre funariam exercuiſſe, Juſtinianum ſubulco editum: quæ ſi quis neſciat, antiquitatis ſe totius rudem atque imperitum fateatur, neceſſe eſt. Verum enimvero ut hæc ſingula in confeſſo ſint, tamen illud ſimul tum ratio arguit, tum omnis ævi memoria, & uſus evincit, tum Scripturæ ipſius divinitus inſpiratæ firmat autoritas, eximium eſſe Dei atque naturæ beneficium, ſi una eademque familia inoffenſo dignitatis gradu ſeculis duret plurimis. Nempe longo tempore obſervatum, & communi jam præſtantiſſimorum hominum opinione receptum eſt, familiarum illuſtrium converſiones incidere ſolere in abnepotibus, vel trinepotibus: ultra vero quinctam generationem ſi eatur, [Ottomannicos Imperatores excipio] offerre ſe plurimum tempora, quibus parentum dignitas & gloria, vel omnis ſit immutata, atque everſa, vel ſaltem præ fortuna priori, tum nomine jejuna atque arida, tum viribus mutila ac manca. Imperium Germanicum quas non Cæſarearum familiarum converſiones ac viciſſitudines ſenſit? In Ludovico IV, trinepote Caroli Magni, exſpiravit Cæſarea Carolinæ ſtirpis Majeſtas. Tranſiit inde ad Saxones. Ab his ad Francos: ſed exitum ſortita eſt in primi ex illis Imperatoris abnepote, Henrico Claudo. Nec diſſimilis fuit fortuna Francorum. Nam in primi ex iis Conradi Saliqui abnepote Henrico quinto, familia Francica, & cum ea Imperium deſiit. Delatum inde eſt ad Suevos: atque exceſſu Conradi quarti, qui quinctus ab origine erat, iterum fuit ablatum. In familia Lucenburgica quartus à prima fuit ultimus. Atque intermediis horum temporibus hanc etiam inconſtantiam experta eſt domus Auſtriaca. Quamobrem in clara illud luce poſitum videtur, ſi qua familia per tot ſecula vividam vim conſervarit, animique virtutem quaſi in poſteros tranſmiſerit, inter rara illud monumenta divinæ & gratiæ & providentiæ referri oportere. Ad tantum paterni ſtemmatis decus acceſſit, quod mater Fabiano cœlitus obtigerit, non qualis Eteocli & Polynici, ſed placida, morata, prudens: in qua veſtigia matronalis venuſtatis quaſi exempli inſtar elucerent. Catharina ei nomen, ac vere erat καθαρά: pura quippe ob morum pudicitiam, ac ſi reliquas etiam virtutes ſpectemus, puras aſſidue in cœlum manus ſuſtollens: quo nullum ſacrificium Deo, aut precioſius eſſe, aut odoratius poteſt. Genus illa ſuum ducebat à Zemiorum gente; quæ vel nominis celebritate, vel virtutis præſtantia, haut alteri ceſſerit. Filia erat natu maxima Achatii, viri generoſi ac ſtrenui, Senatoris inclyti in regno Poloniæ, Palatini Mariæburgi: qua ex familia tribus uno eodemque tempore Senatoribus regnum Poloniæ gaudebat. Hæc uxor ſecunda, vere ſecunda, Fabiani patri Petro obtigit. Cujus ille amore potiſſimum exarſerat, non oculorum captus aucupio, quibus contemplari licet exterius formæ decus; etſi & illud conſpicuum, ac laudatiſſimum heroinæ foret: neque dote ineſcatus, quam manibus involare avide adeo geſtiunt multi; licet eadem ab hac etiam parte fuerit feliciſſima: ſed prudenti aurium judicio uſus; quibus nihil niſi caſtum atque eximium de ea cognoſcere erat: quippe paucis ex iis una,

*Salom. Newgebaw. in præfat. lib. de ſymb. vir. illuſtr.*

*— De queis mentiri fama veretur.* *Auſonius.*

Felix Fabianus hac matre; felix ejus pater hac conjuge, quæ magnis quidem, ut dixi, in divitiis erat; verum divitias illi peperit longe potiores; ſobolem, inquam, præſtantiſſimam, eamque potiſſimum maſculam. Quæ res eo optatior fuit, quia, quam ex illuſtri Baronum Eilenburgiorum familia tori ſociam adſciverat prius, ea abſque liberis deceſſiſſet. Nempe Catharina Zemia, quicquid ex priori ſterilitate damni foret, id omne largo fœcunditatis lucro compenſavit. Ita conſuevit Deus, non noſtro prolubio, ſed arbitratu ſuo, ſapientiſſimus juxta & optimus promus, liberos dare; idem certe quicquid adverſum hæc argutentur aut ſcioli, aut importuni, idem, inquam, triplicem clavem, regni cælorum, pluviæ, matricis prolificæ, uni ſibi reſervavit. Hanc ergo poſtquam reſignavit Catharinæ

*Gentis humanæ pater atque cuſtos,* *Horatius.*

edidit illa octonos partus, fœmellam unam, reliquos mares: quorum Fabianus natu minimus, rebus aliquamdiu etiam interfuit humanis, poſteaquam terris exceſſiſſent cæte-

cæteri, immortali jam nominis ſui gloria per omnem
prope orbem relicta. Primogenito nomen Achatio erat.
Qui emortuali ipſo Lutheri anno ſtudiis operam navabat
Witebergæ. Poſtea Maximiliani Cæſaris aulam, caſtra-
que adverſus Turcam ſecutus eſt. Legationem quoque
ad Stephanum Bathorium, Poloniæ Regem, feudi Pruſſi-
ci gratia, feliciter obiit. Adhæc idem ob prudentiam
facundiamque ſingularem, in graviſſimis patriæ cauſſis,
nomine Ducis Boruſſiæ, Spiram ad comitia Imperii
miſſus fuit. Atque eo tempore jam auctus erat liberis
tredecim, de quibus ipſis inferius quædam honoris ergo
adferemus. Proximus natu ab Achatio fuit Henricus:
qui pietate inſigni, nec ſine gloria, annos aliquammultos
in aula vixit Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ regis. Sub
ejuſdem auſpiciis merens, equites millenos duxit: ac res
maximas prudenter feliciterque geſſit. Itaque & virtu-
tis ſummæ ergo, feudo præclaro donatus in Livonia
fuit. Tantus vir ductu Erneſti Weyeri ad Pernaviam
militans, ut raro magnæ virtuti fortuna ſemper favet,
globo in pede trajectus, pulcram per vulnera mortem
oppetiit. Fuerunt ex eodem latu Fridericus atque Chri-
ſtophorus, viri pace belloque illuſtres: quorum ille quan-
to ſemper in pretio habitus ſit, indicio erit, quod &
præfectus fuit militiæ Galliarum regis, & Mareſchallus
Regiæ in Dania aulæ, & in bello contra Suecos, equi-
tum Dux cum ſumma caſtrorum poteſtate. Alter au-
tem, Chriſtophorus Burggravius, literis pariter ac pru-
dentia & armis ſummus erat. Unde non decoris minus
Academiæ attulit Witebergenſi, quam illi Academia de-
dit, quum, Protectore magno Melanchthone, ſupremus
*Caſp. Ens in Hiſtor. Dan.* ejus rector foret. Idem CIↃ IↃ LXX Vexillifer erat Rolshu-
ſii, Haſſiæ Mareſchalli, qui equitum turmas Condæo &
Collinio auxiliares duxit. Atque idem Regi Daniæ à con-
ſiliis: inque expeditione Danica contra Suecos, poſt Ran-
zovii mortem, ſupremus fuit copiarum ductor. Utriuſque
hujus Dhonavii monumenta videre eſt in Daniæ regno:
ubi tanta cum laude ſummas geſſerant dignitates, ut vere
iis convenerit, quod veteri verbo dici ſolet, virum pote-
ſtate atque imperio oſtendi. Albertum adhuc impube-
rem, ſed nihil vulgare ſpirantem, immatura mors ſuſtu-
lit. Ab eo proximus Abrahamus erat, qui memorabili
illi prælio interfuit, quod in Galliis ad Moncontürium eſt
commiſſum: atque, ut manu erat promtus, ac mente ala-
cris, præclare admodum in eo ſe geſſit: ſed (heu vanæ
ſpes mortalium!) paullo poſt maligna lue correptus diem
obiit ſupremum, longeque à patria in urbe Tarraconenſi
conditorium ſuum ſortitus eſt. Johannes, quem ad auli-
cæ vitæ mores, ſed cum innocentia conjunctos, ipſius
quaſi Naturæ digiti formarant, ſe illuſtriſſimo ſuo Principi
Holſatiæ, in cujus etiam terris extremum exhalavit ſpiri-
tum, maximopere ſemper comprobavit, cùm pietate
eximia, tum prudentia rationeque vitæ mirabili ad lau-
dem, ac prope ſingulari. Sophia filia, præcipuum matris
delicium, nupſit Illuſtri Jacobo, Sacri Romani Imperii
Dapifero hæreditario, & Baroni Walpurgenſi, ſupremo
Ducatus Pruſſiæ magiſtro: viro dignitate quidem maxi-
mo, ſed natalium ſplendore longe majori. Siquidem ge-
neris originem ab antiquiſſimis Sueviæ Ducibus trahit, ac
antiqua reſervat inſignia Conradini ejus, qui relictum à
patre Conrado IV. Imp. Siciliæ regnum armis repetens,
captus, atque impulſore Clemente IV. fœde eſt interem-
tus. Huic inclyta adeo proſapia ſato, Sophia in ſpem ge-
neris atque virtutis parentum, liberos peperit complures:
qui ex tam præclaro ſeminio fœcundam omnigenis virtu-
tibus meſſem pollicentur. Venio nunc ad Fabianum, li-
berorum natu minimum, qui orbatus caris tot fratribus,
ſuperfuit denique ſolus: ut de eo tum non immerito uſur-
pari potuerit, quod Regina Latii lacrymans Iulo accla-
mabat:

*Virgil. 2 Æn.* —— *In te omnis domus inclinata recumbit.*

Quo magis, tacito quaſi naturæ imperio, jubebatur
avitæ domus, &

*Idem 4. Georg.* —— —— *generis lapſi ſarcire ruinas.*

Atque ille (ut ab incunabulis ipſis ordiar)

*Nutricis inter lemmata,*
*Lallique ſomniferos modos,* *Auſon. epiſt. 3.*

videbatur jam pro ætatula illa edere futuræ exſpectationis
ſigna. Verum o infelicem Fabianum! Si enim potiori loco
æſtimandum eſt bene educari, quam bene naſci, quod al-
terum hominem efficit duntaxat, alterum perficit: quis
non generoſiſſimi pueri doleat vicem? qui ſeſquiannum
agens, cum vix didiciſſet, ut ait ille,

—— —— *riſu cognoſcere patrem:* *Virgil. Eclog. 4.*

parentem amittit, atque ita præclaræ inſtitutionis benefi-
cio miſere excidit. Ea grandis adeo jactura aucta eſt poſtea, CIↃ IↃ LII.
ubi & dulciſſima mater in arce Morungia deceſſit, cum
Fabianus jam ſeptennis foret. Niſi forte damnum hoc CIↃ IↃ LVIII.
reparatum putemus ſuccedanea inſignium amitarum pie-
tate, Annæ & Barbaræ, quas nemo unquam ſatis laudave-
rit: tum fideli etiam tutorum cura, ac cognatorum & pro-
pinquorum induſtria; qui perſonam patris prope ſinguli
induentes, pupillum, arcte adeo ſibi conjunctum, ſyl-
veſcere neutiquam ſiverunt. Et magis magiſque videbat
ipſe, quemadmodum in ſcena pueros ridemus cothurna-
tos, aliorum exuviis ornatos, vicini agrum jactantes: ita
ſuum non eſſe

—— *aliena incumbere fama:* *Juvenal. Sat. 10.*

ſed potius ſibi connitendum eſſe, quo virtute propria dives
pulcherque, ac majoribus non diſſimilis haberetur: cæte-
roquin fore,

*Ut collapſa ruant ſubductis tecta columnis.* *Idem.*

Facillimum ergo ſe præbuit à primis, quod Græci dicunt,
unguiculis, in pietatis, virtutis, doctrinæ tyrocinio. At-
que omnem de ſe exſpectationem ſuſtinebat approbe, imo MDLX.
ſubinde nova augebat induſtria, uti antea inter complexus
generoſæ matris, ita tum in egregiorum tutorum oculis,
ſanctoque ſororum contubernio. Jamque mediam attige-
rat pueritiam, cum publicam in ſcholam mittitur, quæ
erat Torunii, urbe non mercatura tantum florente, ſed
ob civium quoque optimorum, quorundam etiam doctri-
na celebrium, tum humanitatem, tum prudentiam,
magnum nomen conſecuta. Illic cum Catecheſi Chriſtia-
na ad ſolidam pietatem etiam ſtudia imbibebat literarum.
Jamque novennis aliquam ſibi Latini ſermonis facultatem
comparaverat: Polonici verò ea ætatula gnarus adeo erat,
ut natus in illa gente videretur. Eo ex ludo literario, ho-
norifico ornatus teſtimonio, Regiomontum in aulam eſt
arceſſitus ab Alberto Brandeburgico, primo Boruſſiæ du-
ce: neque alio id fine, quam ut cum Alberto Friderico
filio, & viginti aliis ex nobilitate pueris, inter Muſarum
congreſſus adoleſceret, Ephoro morum Jacobo Suerinio;
Pythopœo optimo ſtudiorum moderatore. Nec caruit
hoc inſtitutum ſucceſſu felici. Tantum enim aberat, ut
licentia eum aulica corrumperet (quæ alioqui ejuſmodi
in locis inſidiari juventuti ſolet) ut potius ad incrementa
doctrinæ adjecerit, cum civilitatis in moribus culturam,
tum prudentiam annis majorem. Confirmatus in tan-
tum, cum potuiſſet ſine ulteriori mora, vel ſagum in-
duere, vel ſuſcipere aliquam in aula provinciam, atque
in ea ætatem agere; nolebat tamen inter ſe, ſibique
deſponſas Muſas, divortium fieri; quoniam, neque te-
mere profecto, ſic in animum induxerat, equo ſe, ſtra-
gulis freniſque aureis exornato, ſine literis ſimilem fore:
quod ſcitum Socrates de divite quopiam indocto uſurpave-
rat. Dhonanus igitur cum Chriſtophoro Noſtitio, Fride-
rico & Alberto Ganſeis, Pauloque Crugerio abit Argento-
ratum, eamque ſibi deligit nutricem bonæ mentis, Athe-
næum illuſtre, quodque inde ab incunabulis ſuis, ab annis
nempe octoginta, & quod excurrit, à magna juventutis
parte, eaque ex præcipua nobilitate variarum nationum,
quam plurimis videlicet Baronibus, Comitibus, Duci-
bus, Principibus, hodieque frequentetur. Vix in urbe
pedem poſuerat, cùm de familiis totis peſtilenti ſidere
afflatis, morboque late indies graſſante, cognoſcit. Ergo
recipere ſe cogitur Francofurtum ad Mœnum. Verum ubi
lues ea deſævierat non parum, revenit Argentoratum;

ac quadriennio toto præceptores audivit doctrinæ præcellentis, nec minoris induſtriæ. Quos inter duxere familiam duo præſtantiſſimi viri, Conradus Daſypodius, Mathematicus eximius, & Joannes Sturmius, communis ea ætate literarum in Germania parens, ac præclare imprimis meritus de ſtudiis eloquentiæ. Luculentam hic eruditionis ſupellectilem ſibi peperit: qua inſtructus Witebergam migravit cum Alberto Friderico, & Wolfgango Wernſdorffiis. Atque hos reliqua etiam vita habuit conjunctiſſimos, ut præ cæteris durabiles ſunt amicitiæ, quas ſcholæ commilitium ſanxit. Wernſdorffiorum quoque ſororem unicam Barbaram Fabiani frater Achatius uxorem poſtea duxit. Wolfgangus verò Wernſdorffius, rara vir pietate & comitate, non modo fidelem, cum occaſio poſceret, patriæ navavit operam; ſed ſupremam etiam Burggraviatus in ea dignitatem cum laude obtinuit. Gliſcentibus hinc certaminibus Theologorum, quæ Jacobus Andreæ Smidlinus infeliciter cuderat, vix ibi annum exegit. Hauſit nihilominus tantum ex ore hominum celeberrimorum, quantum neceſſe haberet ſcire magna olim geſturus, vitæque, non ſcholæ, victurus. Attigerat jam annum ætatis ſecundum ultra vigeſimum; nec ingenium tantùm liberaliſſimis expoliverat ſcientiis; ſed judicium quoque ad delectum rerum, ad actiones moderandas, ad tractandos homines, uſu atque experientia firmaverat. Tot invidendæ dotes ne ærugine inficerentur, uti multis evenit adoleſcentibus, quorum fructus exſpectatus in flore, imò in lacteſcente herba, diſperit: Dhonanus cum iiſdem Wernſdorffiis animum ad peregrinandi ſtudium applicuit. Delecta primo omnium Italia fuit, olim terrarum alumna eadem, & parens. Placuere præ cæteris Patavinæ urbis

*Georg. Fabric. in itinere Patavino.*

*—— —— triplici circumdata muro*
*Tecta, & Medoacum flumen, notique penates*
*Euganei, cultu loca nobilitata Lycei.*

Loca, ubi

*Cæſ. Scal. in Urb.*

*Regna vides Veneto Phrygiis majora ruinis,*
*Atticaque à Patavo pectore terra ſapit.*

Placuit urbs illa tot Comitibus ac Ducibus inclyta, cui

*Silius lib. 12.*

*Sirenum dedit una ſuum & memorabile nomen*
*Parthenope.*

Placuit

*Geo. Fabr. in itin. Patavino.*

*—— altas monſtrans Florentia turres,*
*Hetruſcis caput in populis, pulcherrima rerum.*

Placuit Liguriæ caput, Genua, quæ intra ſeſe palatia nobiliſſima complectitur, atque adeo ad ſe pertraxit

*Cæſar Scaliger in Urb.*

*Ditis opes Aſiæ, & claros Orientis honores.*

Romam quoque viſit, non amore novæ hujus, ſed reverentia in priſcam illam; cujus veſtigia licet aliquot appareant locis, verè tamen Romam in ipſa Roma quærimus; noſtroque ſeculo, ut dici ſolet,

*Qui miſeranda videt veteris veſtigia Romæ,*
*Ille poteſt merito dicere, Roma fuit.*

Ita vero cadebant ſortes Dhonani, quæ cœlitus cuivis obtingunt, ut, ſeſquianno circiter in Italia exacto, redeundum in patriam foret. Ac rediit quidem ille, ſed quemadmodum digreſſos ex convivio, ubi blanda Muſicorum modorum titillatio aures aliquamdiu permulſerit, haut facile harmoniæ iſtius oblivio ſubit: ita grave erat, annis vernantibus, carere ea regione, cujus genius arridere ſemel viſus eſſet. Denuo igitur iter in Italiam fecit, & quos priori profectione non ceperat fructus, hos altera illa conſecutus eſt tanto uberiores ac præſtantiores. Frequens erat in alloquiis Italorum, non illis è vulgo, ſed quibus finxiſſet

*Juvenal.*

*—— de meliore luto præcordia Titan.*

Neque ab iis Germanorum abhorruit, quos tum temporis eadem Italia hoſpitio ſuo accepiſſet. Præcipue autem uſus eſt contubernio vel familiaritate eorum, qui virtutem maximè amplexarentur, quoſque ab hac ipſa ad ſummos poſtea honores evectos vidit. Horum in numero fuit Melchior Rhederius, Baro Sileſius, inclytus poſtmodo tot victoriis, quas de Turcis reportavit. Utebatur etiam fraternum in modum Philippo Mornæo, Pleſſiaci Domino, arte juxta ac Marte celebrato: cujus de religione tot libros aureos immortale decus conſequetur. In deliciis quoque erat Jacobus Monavius, Patricius Uratiſlavienſis; quem totius itineris Italici comitem habuit, vir præclari nominis, ac natus plane ad amicitias frequenti literarum commercio non conſervandas modo, ſed etiam augendas. Utebatur multum in eadem Italia Michaële Sclavata, Barone Bohemo; cujus contubernio & comitatu plurimum capiebatur ob ſuaviſſimam ejus indolem, quæ familiæ huic quaſi propria eſt. Percharum quoque habebat, adibat, ſectabatur, Georgium Ludovicum Huttenium, Equitum Francorum decus & jubar; qui antiquiſſimæ familiæ dignitatem variis maximiſque virtutibus adæquabat. Nec exiguo apud eum in pretio videre erat Wolfgangum Zundelinum, Principibus Germaniæ carum caput, virum totis tribus luſtris in Italia verſatum; qui rerum graviſſimarum momenta eâ Venere, iis expromebat Gratiis, ut dubium relinqueret, pluſne ornamenti accederet rebus à dictione ejus lectiſſima, an orationi ponderis foret à rerum gravitate. Hujus quoque contubernio uſum quandoque Dhonanum accepimus: quandoque & Baronum Lichtenſteiniorum; quos partim Moravia nunc habet, partim Auſtria. Amicos inibi colebat Philippum Sidnæum, Angliæ ſidus præfulgidum, & Hubertum Languetum, virum multiplici eruditione, ac præclara rerum cognitione, & experientia præſtantiſſimum. Extant epiſtolæ, amicitiæ hujus documenta & indices, quæ jam prodiere in vulgus, nihil minus quam vulgari elegantia exaratæ. Et mirabimur Dhonavium indies egregia cepiſſe ſapientiæ incrementa, qui ingenio ipſe plurimum polleret, & his talibus tantiſque viris, familiariſſime uteretur? Hippocratiden legimus, cum obviam forte veniret adoleſcentulo, qui propter comitem ſuum erubeſceret, caſtigaſſe eum his verbis, Cum illis ambulandum foret, quibuſcum conſpectus colorem non mutares.

*Plutarchus in Apophth. Lac.*

Nempe, præterquam quod hominum turpium convictu mores inficiantur, probrum etiam atque ignominiam inde referimus. Contra verò ſapientum bonorumque commercium honori nobis eſſe ſolet: ac familiaritas eorum haut aliter virtutem animis noſtris inſtillat, ac diutius hærentibus in tabernis unguentariis veſtis exterior odore loci imbui ſolet. Nondum exſatiata Dhonano peregrinandi cupiditas erat: neque enim pauxillo potu magna fallitur ſitis. Ergo dum ſtudium hoc, & nobilior ſanguis, circa cor fervet, per Taurinorum montes ad Gallos abit, atque Allobroges. Genevam ut venit, urbem vetuſtiſſimam juxta, ac rerum omnium uberrimam, unica ei cura fuit proficiendi amplius tum in negotio ſciſſæ adeo miſere religionis, tum in juſti & æqui ſapientia. Alterum percipere licebat ex V. Cl. Theodoro Beza; alterum conſequebatur à Franciſco Hotomanno, ex antiqua & nobili Ottomannorum familia apud Sileſios oriundo, Juriſperito eximio, atque undecunque doctiſſimo. Poterat jam Fabianus cum quovis ſui ordinis, atque ætatis, iis etiam, qui varia ſibi doctrina nomen aliquod paraſſent, in certamen venire de laurea eruditionis. Atque idem, non præclare modo ac graviter de rebus maximis diſſerebat: ſed etiam animi ſui ſenſa ſermone promebat eleganti ac facundo; neque id tantum gentis ſuæ lingua; ſed ſive Italicè, ſive Gallicè, ſive Latinè, verba eſſent facienda. Ut de Polonica ſileam, quam cum vernacula, ut diximus, prima conjunxerat pueritia. Veniebat tum ei in mentem, patriam ſibi non modo ortus noſtri, ſed vitæ univerſæ partem vindicare: eoque nihil turpius fore, quam ſi uſque adeo dulceſceret peregrinatio, ut patria videretur amarior. Appropinquante itaque ætatis quarto ſeptenario, quem cenſoria inter tempora accenſere ſolent, commodùm ei accidit, ut comitibus Joanne Jacobo Truchſio, Joanne Tettavio, Balthaſare Ganſio, Ludovico Rautero, Bernhardo Ludolpho Sculenburgio, diverſa ſuſciperet itinera, ac tandem in Germaniam rediret, ſtatum imperii Romani paullo penitius cogniturus. Quam ad rem opportuna tum erat occaſio, quia eodem tempore Ratisbonæ Maximilia-

nus

rus Cæſar, mitiſſimi animi Princeps, ultima celebrans comitia, ad cœleſtem Dei Sanctorumque ſocietatem, ipſo Maximiliani die commigrarat. Interfuit Dhonanus cœtui tam ſplendido atque auguſto; in quo non modò Rudolphum patriis virtutibus, regnis atque imperiis ſuccedere vidit, ac publicos actus diligenter obſervavit: ſed privatim quoque converſatus eſt cum viris præſtantiſſimis, qui omnes creſcenti Fabiani ingenio, famæque ſurgenti favebant maximè. Conciliabat ſibi amicitiam Ludovici, Comitis Witgenſtenii, Archipalatini Legati, pii, docti, fortis, ſapientis: per quem primus ei aditus ad Palatinam aulam factus fuit. Compellabat frequenter Lazarum Zwendium, Equitem Suevum, conſilio, vigilantia, fortitudine, diſciplinaque militari, inclytum, Turcarum in Hungaria terrorem. Hieronymum verò Baumgartnerum, patricium Noricum, ardenti adeo amore proſequebatur, ut ægrè avelli poſſet à viro ejus ſapientiæ, tantæ auctoritatis atque eruditionis, nec in rebus modò Reip. patriæ, ſed in præcipuis quoque Romani Imperii negotiis longè verſatiſſimo. Neque minore ibidem affectu complectebatur inſigne par virorum, Georgium Carlevicium, & Andream Pauli; illum in aula Cæſaris, interque Bohemos, ſumma ut dignitate, ita prudentia: hunc multis legationibus, Germanicis, Polonicis, Italicis, pietate, ingenio, arte, judicio clariſſimum, Electori Saxoniæ chariſſimum. Hubertum denique Languetum Burgundum dici non poteſt, quanto loco habuerit: quoniam in eo veriſſimè, teſte magno veracique viro, imo ipſo ſeculo teſte, cum pietate doctrina, cum conſcientia ſcientia, cum natura ars, cum diſciplina denique rerum uſus certabat. Ab hoc viro nunquam ſe Dhonanus abiiſſe profeſſus eſt, quin vel doctior, vel melior rediret. Ex his omnibus cum alia didicit Dhonanus, tum imprimis arcana Reip. pace belloque profutura. Noverat autem jam in ætate illa ſingularem artem, tota deinceps vita ab eo exercitam, qua reconditi ſapientiæ theſauri à viris præclaris, quaſi carmine ac veneficio eliciuntur. Ea cujuſmodi fuerit non defugiam referre: ſed prius veniam mihi dari poſtulo, ſicui minus placuerit, dum id ago, virum ſummum cum mutis animantibus conferri: quod tamen non facio ſine magnis exemplis. Tarantus animal Scythicum eſt, magnitudine bovis, capite ſimile cervo, ungulis bifidis, villis magnitudine urſi, atque ubi ſui eſt coloris, aſini ſimile, cæterùm, ut ajunt, omnium arborum, fruticum, florum locorumque, in quibus latitat, colorem pilis repræſentans: unde capi facilè; aut internoſci à venatoribus nequit. Dhonanus tarantum nobis, ſed laudabili inſtituto, imitabatur. Etſi enim tot excellentia ingenii dona facile eum cordatiori cuilibet commendarent: tamen aliunde etiam præſidium quærens, ſumma ſe animi ſolertia accommodabat præſtantiſſimi cujuſque moribus: imò ſuavi quadam comitate & modeſtia, velut virtutis condimento, tanto ſe gratiorem omnibus reddebat; quanto ſinguli eorum, quos coleret, genium illius ſuo ſimiliorem putarent. Hoc nempe eſt philtrum, hoc faſcinum; ſed liberale, ſed honeſtatis plenum: cui etiam graviſſimus quiſque longè melius, quam ad leves amores, aptare poſſit illud Poëtæ,

*Camerar. in vita Melancht. Mornaus in præfat. de verit. Relig. Chriſt.*

*Ariſtot. de ... Theophraſtus in fragmento de iis, quæ colorem mutant. Plin. l. 8. c. 34.*

*—— ut amoris amabilis eſto.*

*Ovid l. 2. de arte amandi.*

Ac poſtea quoque Fabianus maximum ex artificio hoc fructum cepit, cum in aula Cæſaris verſaretur. Quippe hanc quoque (ut incredibili tenebatur amore arcana quæque imperiorum penetrandi,) non adeundam modo, ſed pernoſcendam ſibi judicavit. Iter huc ſecundo Danubio inſtituit cum Johanne Brexnerio, Hulderico Ronſpergio, & Joanne Kreckwicio. Viennam cum veniſſet, nihil ſibi prius vel antiquius duxit, quam ut penitus perſpiceret prima Rudolphi Cæſaris auſpicia. Quod ut facilius conſequeretur, diem elabi nullum patiebatur, quin adiret & audiret præſtantiſſimos graviſſimi Cæſaris Conſiliarios ac Palatinos. Ex eorum numero etſi familiaris eſſet præclaro heroi, Wolfgango ab Entzendorff, illuſtri item Rogendorffio, & Puchaimiis non unis: facile tamen principem locum tenebat Baro Harrachius: qui, ſupra quam dici poteſt, auctoritate ſapientiaque iis temporibus florebat. Quod ſi Suada hujus tam fuiſſet efficax, quam laborioſa, ac ſollicita: citra dubium Dhonanus tunc magnificis ornatus donis palatia Orthomannica petiiſſet ad inducias cum Turcarum Imperatore recens initas novi Cæſaris Rodolphi Auguſti nomine ſanciendas. Sed quantopere eum accendebat cupiditas gratificandi Cæſari, & nihil penè ignorandi ardor: tantum ex adverſo deterrebat, partim acciſa res domeſtica, & magnitudo ſumtuum in tam longo itinere, atque ea pompa apud populum barbarum, ac tam inſolentis faſtus: partim occultus quidam ingenii ſtimulus, qui ſemper incitabat, ut ne tam externo inter infideles ſolo, quam in patria, atque inter Chriſtianos, egregias animi ſui dotes, tanquam in mercatu ampliſſimo explicaret. Nec multo poſt præclari hujus voti ſui factus eſt compos, libatis quaſi primitiis in Palatinatu: ubi, Langueto imprimis auctore ſuaſoreque, in familiam ſe dedit ſapientiſſimi, & ad religionem pietatemque fortiter tuendam devotiſſimi Principis, Joannis Caſimiri, Comitis Palatini, Bavariæ Ducis. Nec diffitebor, ſtipendium percepiſſe non uſque adeo lautum: attamen ejuſmodi id erat, ut ſufficeret homini æquo, ac præſenti ſorte contento. Habuit hic Fabianus, ſi uſquam, ampliſſimam palæſtram exſerendi mirandas ingenii vires. Nam hiſce temporibus, ita poſtulante triſtiſſimo Eccleſiæ ſtatu, inſtituerat Caſimirus geminam profectionem; priorem in Belgicam, auxilii gratia, eodem anno, quo ab Archiduce Matthia Batavorum atque aliorum fœderatæ Belgicæ populorum patrocinium eſt ſuſceptum: poſteriorem anno ſequenti in Angliam, ad reginam Elizabetham, quo de communi religionis cauſſa conſilium caperetur. Utrobique Dhonanus quantum prudentia valeret, luculentè comprobavit. Patrono enim ſuo, cui aſſiduè latus claudebat, nuſquam non felicem allucebat conſilii facem, verè

*Archipalatini magnus Atlantis Atlas:*

*Paull. Meliſſ. in Epigram.*

ut ſuaviſſimus olim Meliſſus de illo cecinit. Atque idem nihilominus cum Muſis Martem, cum Pallade Bellonaque Gratias ipſas rara mixtura temperabat. Multa tum obſervabat novus conſiliarius, quæ ſi recenſere voluiſſet (ita ipſe ajebat, qui nihil minus, quam glorioſulus ſui jactator erat) commentariis fuiſſet opus: quippe talia omnino, ut eorum, qui res illorum temporum conſignaſſent, aut prodita, aut cognita eſſent nemini. Eveniebat tunc, quod fieri ajunt, tum in pyrite gemma, quæ attritu ignem projectat: tum in aromatibus, quæ frictu odoriferum & ſuaviſſimum odorem diffundunt. Similiter enim è Dhonano res heroïs ſui tractante, & ignea ingenii vis facile relucebat: & fragrantiſſimæ virtutis indicia undique ſe exerebant. Tanta ejus erat, & in ſuſcipiendis negotiis dexteritas, & in tractandis fides, & in perficiendis felicitas. Vitio quidem fatui ſeculi fit, ut nullum pene magnum ingenium pretio ſuo æſtimetur. Dhonanum tamen maximi ſemper Caſimirus fecit: imò, ne indotata abiret virtus, aulæ eum ſuæ Mareſchallum conſtituit: oratorem præterea legavit ad præcipuos Romani imperii proceres. Ille verò, ut amore facile omnes ſibi devinxit, ita dignam quoque ſe, ſuoque principe, gloriam eſt conſecutus. Temporibus hiſce in vicino Boruſſiæ, patriæ ſuæ, ſolo, bellum obortum eſt Moſcoviticum: cum Stephanus Bathorius, Poloniæ Rex fortiſſimus, Wielocolucam, urbem ampliſſimam & emporium celeberrimum, atque omnem circumjacentem ditionem, ademiſſet Magno Duci, Joanni Baſilidi. Exiſtimabat tum Dhonanus (ut mentes generoſæ intentæ eſſe ſolent ad rerum magnarum occaſiones) in campo illo Martio ſibi etiam relictam eſſe virtutis ſuæ ſegetem, unde non aſpernanda gloriæ meſſis colligi poſſet. Quare non ceſſavit, uſque dum, occaſione captata, ab illuſtriſſimo Principe ſuo Caſimiro, veniam militatum eundi adverſus Moſcovitas exoraſſet, viciſſim tamen ſtipulante ab eo Principe, ut ſimulac locis iſtis debellatum eſſet, in Palatinatum reverteretur. Abit igitur cum bono

*Hiſtor. Heidenſteinii Polon. & Moſcov.*

bono Deo Viali. Stephano operam ſanè quàm ſtrenuam navat in expeditione Polocenſi & Piſchuriana, commilitio uſus, perinde atque olim contubernio, egregii Baronum paris, Rhederi, & Keteleri. In obſidione verò *Anno* MD LXXXI. Pleſcoviæ, urbis in Ruſſia ampliſſimæ, variarum gentium commerciis florentiſſimæ, ita ſe ſuumque pectus dura inter pericula crebro oppoſuit hoſti, jam ictu lapidis percuſſus, jam inter tela & incurſantium arma hoſtium medius, ut, abſque ſingulari Dei præſidio fuiſſet, ſæpius nulla fuerit ratio, aut via, præſentanea mortis pericula evitandi. Sed ut à veteri Poëta Furio dictum fuit,

—— *Vireſcit vulnere virtus.*

Propter hæc gratiam inſignem à Rege auguſtiſſimo reportavit. Nam & magnoperè laudatus ab illo, & in potiſſima deinceps nobilitatis parte habitus eſt. Quod ſi poſt ſummi Regis judicium, & aliorum commendatio requiritur: ut nihil dicam de Heidenſteini libro publicitus exſtante, etiam præclarè laudari meruit ore viri Illuſtriſſimi, Joannis Samoſcii: quo neſcio, ullumne majoris ſapientiæ, eloquentiæ, & fortitudinis, cœlum Sarmaticum dederit. Quare optimo jure ſibi gratulabatur Fabianus, quod tam commoda occaſione, conciliaſſet ſibi amicitiam tanti viri. Tandem pace inter Stephanum & Moſcum ſancita arbitrio Antonii Poſſevini, Legati Pontificii, redit in Palatinatum Dhonanus, lætus etiam hoc nomine, quod priuſquam reverteretur, in caſtris, ſe præſente, mandato Regio religionis libertas toti futura Poloniæ promulgaretur. Redux autem eo sereni oris vultu exceptus eſt à Principe ſuo Caſimiro, quo ille propinquiori tum bello implicaretur. Poſtquam enim Gebhardus Truchſeſius, Archiepiſcopus Colonienſis & Septemvir, uxorem duxiſſet Hagnen Mansfeldiam; ac ſubditis quoque ſuis liberum religionis exercitium permiſiſſet: utrumque hoc viſum eſt & Cæſari, & Pontifici Romano, non Capitolino tantum fulmine, ſed armis quoque vindicandum. Caſimirus igitur Euangelicæ veritatis imperterritus defenſor, Truchſeſium contra milites Papales atque Iberos auxiliari exercitu defendendum ſibi putavit. Quod bellum priuſquam impetuoſius exardeſceret, Burggravius Dhonanus primo quidem legatus abiit ad Cæſarem, Saxonem, Brandeburgicum, Anhaltinos Principes, periclitaturus, an pacificè negotium omne tranſigi poſſet. Qua ſpe fruſtratus, provinciam ſuperioris Mareſchalli eodem bello ſuſcepit, majori etiam acceſſione laudis ſuſtinuit, depoſuit denique, cùm militem exauctoratum, Caſimiri loco in Palatinatum poſt fratris obitum revocati, honorifice demiſiſſet. Quanquam Dhonanus haud ſemel deploravit, quod tota illa cauſſa, neque prudenter per nonnullos acta ſit, neque piè ſatis, paucis adeo exſtantibus ſignis zeli atque timoris divini, unde favor cœleſtis exſpectari potuiſſet. Obſervatum etiam à viro principe, memoriæque proditum eſt, cum imperii proceres Euangelici de juvanda Archiepiſcopi cauſſa conſultaſſent, Saxonem Auguſtum, & Joannem Georgium Brandeburgicum, Septemviros, & una cum iis procerum alios conveniſſe: elabi tum diem unum, alterum; accudi inde alium, iterumque alium, nec effici tantillum. Tandem ex conclavi mœſtum exiiſſe venerandum ſenem, Joannem Georgium, genas lachrymis irrigantem. Rogatum, quid tantam animo ægritudinem afferret, cauſſam hanc attuliſſe, quod videret Auguſtum, atque alios, hac una de cauſſa auxilia Gebhardo denegare, quia non Auguſtanam ac Lutheranorum, ſed Reformatorum de controverſis religionis capitibus ſententiam amplecteretur. Sed triſtem illius temporum memoriam refrico pene invitus. Ad Dhonanum redeo: quem deinceps honos undique alius atque alius excipiebat, etſi eum non *Plutarch.* adſectaret. Nempe is more crocodili non niſi fugientem ſequitur. Tanto autem plus oneris in ſe recipiebat Dhonanus, quanto majori gloria effloreſceret. Veniebat in mentem duorum Impp. Pertinacis & Severi, quorum hic *Ælius Spart. in Severo.* tribuno aſſignarat ſymbolum, LABOREMUS: ille ad imperium adſcitus, MILITEMUS dari juſſerat. Utrumque Dhonanus conjunxerat, ut dubium fiat, bellone, an pace, plus laboris exantlaverit. Impiger erat ad quævis: ille meditari ea atque exequi, quibus in Palatinatu conſtitueretur Eccleſiaſtica diſciplina: ille laborare de exigendo fidelitatis juramento à populo: ille dies noctesque cogitare de cæteris, quæ nova Caſimiri adminiſtratio requirebat: in quibus omnibus ita verſabatur, ut ſalutem Reipubl. ſupremam ſibi legem eſſe, abundè comprobaret. Nimirum videbat, quemadmodum gubernatori curſus ſecundus, medico bona valetudo, Imperatori victoria ſemper propoſita eſt: ita principi cordato ob oculos uſque eſſe debere beatam civium vitam: omniaque ejus conſilia eò eſſe dirigenda, ut Reſpubl. ſit opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, & quod familiam ducit, virtute honeſta, religioneque ſancta. Atque in hæc circa potiſſimum incubuit pius princeps. Cæterum nobile hoc ac ſanctum Caſimiri ſtudium in medio quaſi curriculo ſufflaminare multi conabantur. Neque id tam apertà vi, quàm maledicentiæ, calumniæque ſpiculis: quibus ſubditos clanculum erga optimum Principem concitabant. Ille verò, cùm Dei populique amantiſſimus foret, obtrectatores iſtos ſuis permittebat furiis ulciſcendos: ut in quos redire ſoleant verborum aculei, perinde atque telum, ubi in parietem denſum ac ſolidum impegerit. Pergebat ergo in propaganda cœleſti veritate, de qua planè in animo perſuaſus erat. Ac ne frigidius opus Domini curaretur, multùm accendebatur exemplis Moyſis & Davidis, & Joſaphati, & Ezechiæ, & Joſiæ: quibus nihil æquè cordi fuit, quam ut Dei Opt. Max. cauſam bona fide tutarentur, atque idola, & quicquid falſorum Deorum cultui inſerviret, radicitus evellerent. Nec fraudari tamen laude ſua debent, qui præclarum Principem in tantis negotiis conſilio atque opera aſſidue adjutarent. Qualis erat Petrus Beutrichius Montisbeliardenſis, magnanimus militum ductor, jam diu ad ſedes beatorum relatus. Abrahamus item Colbingerus, qui adhuc in vivis eſt; imò victurus eſt ſemper pietate, doctrina, beneficiis, quæ totis XXX. annis, & quod excurrit, in Palatinatum contulit. Familiam verò inter conſiliarios ducebat Dhonanus: cujus & colloquiis frequenter Caſimirus, & ſubacto judicio recreatus plurimùm fuit. Atque hæc ſancta Dhonani opera ita nota erat omnibus, ut propterea à Daniele Toſſano, præſtanti Theologo, & aliis in vinea Domini ſedulo operantibus, Eccleſiæ ac totius Reipubl. decus appellaretur. Neque hæc verba viris illis in ore ſolum natabant: ſed eadem, quoties occaſio foret, literis conſignare non verebantur: uti αὐτόγραφα indicia ſunt, quæ in Dhonana ſuperſunt Bibliotheca. Talibus viris in conſiliis capiendis Caſimirus utebatur. Principem verè beatum, qui licet per ſe ſapiat, ſuæ tamen non præfidit opinioni, verùm cogitat id, quod res eſt, tantam ingenii vim eſſe nemini, ut poſſit cuncta complecti: eoque res tantas, quantas ille jamdiu animo concepiſſet, magnis adminiculis indigere. *Tacit. l… & 12. Annal.* Quam tumida enim dixerim, an ſtulta (utrumque verè dixerim) Xerxis eſt oratio, qui Græciæ bellum inducturus, adhibitis Aſiæ Principibus: *Ne viderer*, inquit, *meo tantummodo uſus conſilio, vos contraxi: Verum mementote, parendum vobis potius, quàm ſuadendum eſſe.* *Herod. l. 7. Valer. l. 9. cap. 5. Juſtin. lib. 2.* Quorſum hæc ejus evaſit arrogantia? Nimirum idem ille poſtmodo amiſſis prope undecies centenis hominum millibus, ſolus, omni etiam ſervorum miniſterio carens, cymba piſcatoria ſaluti ſuæ conſulere eſt coactus. *Idem Juſtinus & Trebellius Pollio in vita Claudii.* Quanto fuit modeſtior, addo & felicior, M. Antonius Pius Imperator? qui nihil vel in civilibus egit, vel ad rem militarem pertinentibus, de quo non priùs cum Scævola, Voluſio, Metiano, Ulpiano, Marcello, aliis ſummis viris contuliſſet? Quam ob cauſam à quopiam opinatore reprehenſus, quòd nimio plus tribueret familiarium conſiliis: *Quanto*, inquit, *æquius eſt, me tot ac talium amicorum attendere conſilia, quàm ut tot talesque amici, meam unius ſententiam, voluntatemque ſequantur!* Ne ultrà à Dhonano abeam, ille Caſimiro in oculis, in animo, in ore ſemper erat, eo cumprimis tempore, quo in Gallia Mars intonabat undique, ac Guiſianus furor ferrum & ignem adverſus Euangelicos ſpirans, etiam *Meteran. lib. 5.*

ſacra-

ſceratiſſimo Regis capiti inſidias ſtruere non exhorreſceret. Hæc rerum facies impellebat Henricum Navarræum, ut ope operaque præſtantium aliquot virorum, atque inter eos, Harlæi Monglaſſii, ac Jacobi imprimis Pardilani, *[Thuanus hiſt. l. 87.]* Dynaſtæ Segurini, auxilia poſceret à Friderico, Daniæ Rege; item Chriſtiano Saxone, & Joanne Georgio Brandeburgico, Electoribus: quod in conventu factum Lunæburgenſi. Nec eo contentus, Caſimirum quoque, & Germaniæ Principes alios, ſuis quemque terris ſollicitabat. Neque irritæ hæ Regis Legationes fuêre. Quin tanto lætiori cum lubentia auxilia ei decernebantur: quanto in deliberationibus illis magis magiſque perſpicere erat, cauſſam Navarreni regis divino eſſe humanoque jure ſubnixam: communemque Eccleſiæ cauſſam communibus etiam conſiliis, ſtudiis, atque armis, debere vindicari. Colliguntur igitur, abjecta omni cunctatione, octo millia Germanorum equitum: peditum ex iiſdem, & vicinis fœderatis Euangelicis, xx. millia. Jamque omnium cogitationes in unum hoc intentæ erant, quem maximo & fortiſſimo exercitui præfici oporteret. Satis conſtabat, exigi aliquem, qui & arma tractare, & armorum jura didiciſſet; *[Panormit. in dict. & fact.]* qualem Alphonſus Arrago requirebat: quique non ſolum præſentia intueretur, ſed præterita etiam meminiſſet, futuraque proſpiceret, videlicet à tergo juxta, ac à fronte oculos geſtans: qui denique non deeſſet fortunæ præbenti ſe, ſed oblato caſu ad conſilium eam flecteret. Illuſtres adeo animi dotes clarè relucebant in Fabiano Dhonano: quem iccirco Caſimirus, ut princeps optimus, ita judex ingeniorum longè ſagaciſſimus, toti huic exercitui ſummo cum imperio præeſſe juſſit. Provincia hæc erat ſanè per ſe ampliſſima, cum tot hominum millia ab unius judicio ſtarent aut caderent: Dhonano verò eo illuſtrior, quòd Robertus Boullionii Dux, & Martianus Comes frater, quos ſupremos exercitus ſui Imperatores Navarrenus dixerat, virtutem & fortitudinem Dhonani in rebus bene gerendis ſummo ſibi præſidio eſſe non animo modo agnoſcerent, ſed verbis factiſque teſtarentur. Hic mihi inaudire videor nonpaucos, qui ut gloriæ Dhonanæ frigidam ſuffundant, hanc ejus expeditionem vituperent, Baronemque legiones reddere jubeant. *[Libellus Gallicus. Plin. l. 11. c. 35.]* Nimirum cantharides, vel tritico maxime læto, vel roſis fragrantiſſimis inſident, non mellificii gratia, quod apiculæ factitant; ſed ut malignum exſugant ſuccum, quo ſe nutriant, alios lædant. Eodem modo homines lividi florentiſſimo loco poſitos maxime petunt;

*[Lucret. lib. 3.]*

*—— ante oculos illum eſſe potentem,*
*Illum adſpectari, claro qui incedit honore:*
*Ipſi ſe in tenebris volvi cœnoque queruntur.*

Nec propterea inficias iero, haud quaquam eâdem proſperitate conſilia in hoc bello ſucceſſiſſe Dhonano, qua ille prudentia omnia ad ſtateram rectæ rationis expenderat: vel quanta etiam fide ac magnanimitate rem gerebat. Verùm enimvero nihil illud decerpit de ſumma vel auctoritate ejus, vel fortitudine: ne iſtud quidem, quod ad Vimorium obſcura nocte pugna utrinque haut incruenta cum Meduanio, Guiſii fratre, congrediens ferro ab eo *[Thuanus lib. 27.]* eſt ſauciatus. Neque enim in milite vulnera, aut cicatrices, dummodo parte appareant antica, pro corporis dehoneſtamentis duci debent: ſed potius pro mutis, at illuſtribus ſignis animi generoſi, nullaque vel præſentanea pericula, atque adeo nec mortem ipſam pro bono publico extimeſcentis. Quanquam Dhonanum quidem multis nominibus Meduanio fortiorem liceat æſtimare: quoniam noſter ille ne galeatus quidem pugnam capeſſebat; hic capite undique munitus probè: *[Ibidem.]* ille ſclopeti minoris ictum in galeæ ima buccula Meduanio inflixit, ac tantùm non eum humi proſtravit, hic ita enſe Dhonanum petivit, ut tantummodo frontis cutem ſtrinxerit. Quod ipſum non abſque magno certiſſimoque omine crediderim contigiſſe. Qua enim nocte, credo etiam, quo temporis puncto, Duces ambo infeſtis armis concurrerunt, effigies Fabiani in arce Morungiana, quæ illi apud Boruſſos gentilitia erat, operi inteſtino affixa eodem frontis loco dehiſcebat, quo leviter ille vulnerabatur, quaſi vulnus domini tanta loci intercapedine diſſiti manifeſta rima indicatum iret. Equidem haut inter ariolos nomen profitear meum: neque auſpiciorum vanitatem ex Tagetis diſciplina repetere viſum: attamen probe intelligo ac ſcio, etiam in rebus inanimis Deum exſerere quandoque ſigna ſua, quibus vel de præſentibus homines, vel futuris, modo attendere non refugiant, reddat certiores. Verum erunt fortaſſe nonnulli adeò virulenti pectoris, ut cordatiſſimum virum propterea obſcæna non ceſſent lingua traducere, quòd in tumultuaria pugna, hoſtibus haud incruenta, vigilia Beati Martini ad Almetum bis mille homines, lixis ipſis, & calonibus annumeratis, amiſerit. Quaſi, quo minus longè alium hæc eventum ſortirentur, per Dhonanum ſteterit; qui profecto unum ſervare civem, quam mille hoſtes perdere maluiſſet. Cujus verò tantus eſt ſtupor, cujus animus adeo brutus vel hoſpes in rebus humanis, ut neſciat, incertam eſſe Martis aleam, fortunam ancipitem? Aderant Dhonano omnia, quæ virtus ipſa ab duce ſapienti ac ſtrenuo poſtularet: ſumma in eo fides, invictum animi robur. Aliter ſi eſſet, non adeò multi fortitudinem Dhonani in hac ipſa expeditione Gallica prædicarent. Eoſque inter Hottomannus in ſuis ad Caſimirum literis, vir omnium eorum, quæ iis temporibus contigêre in Galliis, ſcientiſſimus. Quare nobis ſatis eſt, quod boni Ducis munia impleverit Dhonanus. Succeſſum verò ubique felicem præſtare, vel etiam polliceri, id verò longiſſimè exuperat ſortem mortalium. Nec enim Duces bellici Deum habent ſponſorem vitæ omnium eorum, qui pugnam committent: quemadmodum nec imperium capeſſituri verbis jurant conceptis, fore, ut hoſtes univerſos ad internecionem cædant, de ſuis amittant neminem. Quin contrà, ut Spurius Servilius, graviter diſſerit, magna facinora magna comitantur pericula. *[Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 9.]* Quamobrem ſi cœlum terræ, divina humanis miſcere nolumus, illud profectò fateamur neceſſe eſt, quod bella recipiunt in utramque partem momenta repentina, viceſque alternas. Quod ideo fieri putamus, quoniam hæc omnium maximè à divina quadam & ſuperna neceſſitate pendent. *[Agath. lib. 3.]* Atque ut à cœleſtibus paulum oculos avertamus, inque ea ſolum intueamur, quæ ſunt ante pedes: ſanè ſic quoque à Dhonano repellere tela, quæ contra eum intorquent, facillimum eſt. Nam quis eſt tam cœcus, ut non videat, aut quis exigui adeò pudoris, ut negare audeat, fruſtra eſſe omnem Imperatoris operam, nihil ejus conſilium valere, nihil fidem, prudentiamque, ſiquando illi, quos rerum gerendarum ex officio & conſcios penes ſe habet & ſocios, effractis verecundiæ repagulis perfidi fiunt; ac hoſti, quæ tacenda erant, ſceleroſa malitia patefaciunt? *[Thuan. l. 87. hiſt.]* Talem in ſinu ſerpentem foviſſe creditur Dhonanus. Præcipuè autem culpari ſolet pararius atque interpres ejus Michaël Huguerius: etſi nec deſint, qui crimine eum liberarint, eoſque inter Dux ipſe copiarum Caſtulionæus, magni Caſparis Caſtilionæi filius. Nec Dhonanus de eo inclementer loqui ſolet. Verùm longè alia aliorum mens: qui à Carolo Lotharingiæ Duce, corruptum prædicabant: ut auctor eſt illuſtris atque incomparabilis ſeculo noſtro hiſtoricus: *[Thuanus lib. 27.]* qui & Huguerium hunc olim ſe puero pædagogicam feciſſe ait, hominemque præfractæ vocat impudentiæ. Quæ ſanè ſi ita ſunt, ut vulgo magnis auctoribus ferebatur, quid abditi adeò atque occulti conſilii capere poterat Dhonanus, quod non hoſti continuò fieret palam? Vitione autem id vertetur innocenti duci, ſi aſinus auro bene onuſtus, quo fortiſſimæ etiam arces occupantur, ita ſtrabones fecerit Imperatoris adſeclas, aut conſiliarios, ut eo labefactatis animis, omnis iis pereat fides? Atqui ille, quem ajebam, Huguerius inter tales creditur tenuiſſe primas. Quid præterea de Scolario dicam? qui Alnetenſem quandam arcem à Buchagii Comite obtinebat. Hic Dhonano data fide receperat, nihil ſe hoſtile contra Germanos milites facturum. At poſt habitum cum Guiſio colloquium, magna ab eo pecuniæ vi pervictus, liberum per arcem ingreſſum hoſtibus permiſit: atque ita

ſub-

ſubleſta fide latiſſimam aperuit portam, unde ſtrages iſta Martiniana ingenti Ducis dolore edita fuit. Imprimis autem, quod Dhonanus ipſe dictitabat, fons caputque omnium malorum erant diſſentientes animi non paucorum, qui vel ſub imperio Dhonani militarent, vel ſua cum illo arma conjungere debuerant: cum quorum pervicacia conflictandum ei non minùs, quam cum hoſte fuit. Quo in loco quoties ſe conſtitutum videt Imperator, utcumque difficile putetur canes ad venandum ducere invitos; longe tamen difficilius eſt ad præliandum immorigeros cogere milites. Sed quid multis opus? cùm Dhonani innocentia ſatis cognoſcatur ex ipſa rerum geſtarum ſerie, quam ut copioſe, ita ſapienter, vir ſummus Thuanus expoſuit. Qui & clariſſimis verbis, non Dhonani, ſed aliena tum culpa eſſe peccatum, diſertim affirmat. Atque idem aliis etiam indiciis cognoſcimus.

*Thuan. lib 87. Hiſtor. & lib. 101.*

Illo imprimis, quod Henricus Navarræus de Fabiano non fuerit conqueſtus; ſed honorifice ſemper judicium tulerit, ac Alnetenſem cladem, penè cuivis potiùs, quam Dhonano imputarit. Quin idem ſapientiſſimus rex, poſtea etiam literis & graviſſimè & amiciſſimè perſcriptis, abunde teſtatus fuit, nihil ſibi Dhonana virtute amabilius, nihil meritis ejus eſſe jucundius acceptiuſque. Cumque idem militi Germano ſtipendia perſolveret, Fabianum, ſupra quàm dicere poſſum, honeſtè ac liberaliter habuit: imò uſque adeò locupletavit, ut facultates ille ſuas Henrico potiſſimum acceptas ferens, poculis aliquot argenteis, titulum hunc, DEO ET REGI GALLIÆ, velut perenne Gratiæ monumentum, inſculpi curavit. Neque Rex tantus haſce amoris ſui faces in occulto tulit. Quin in conſpectu omnium elucere eas voluit, etiam biennio ante, quam parricidiali infandi hominis ſcelere, tanto bonorum omnium dolore, tolleretur.

*Anno MDCVIII.*

Siquidem in Meaulia ad menſam ſtipatus virorum Principum corona, ſimulatque Chriſtophorum Dhonæum, Fabiani fratris filium, conſpicatus fuit, proximioribus recedere juſſis, manu eum humaniſſime apprehendit, continuò patruum illius laudibus evexit, poſteaque ad Meduanium in horto ſermonem convertens, Hem tibi, ait, nepotem Baronis Dhonani, qui patri tuo frontem obvertere maſculam Vimorina in pugna auſus erat. Nimirum ipſe Meduanius, quod inter parentalia extare publicitus voluere ejus poſteri, non aliunde perennem ſe gloriam æque percepturum putavit, quàm quòd cum Barone Dhonano, ſupremo militiæ Duce, de vita ſibi dimicare contigiſſet. Quadriennio etiam poſt expeditionem priorem, cum ex Germanis auxiliaribus Chriſtianus, Anhaltinus Princeps florentiſſimus, florentiſſimum exercitum, qui octo millibus equitum, peditum ſex millibus conſtaret, in Galliam contra Hiſpanos, & factioſos deduceret Gallos, idem tum ſibi Dhonanum cataphractorum adſcivit ducem: imò honores, quos olim fuerat conſecutus, etiam ampliavit. Gravis erat Caſimiro hic Fabiani diſceſſus. Una eſſe amantes volunt. Itaque cum proximè diribitorio, menſe Auguſto, mutuò ſibi valedicerent: alter cum lachrymis verba utcumque faciebat, uberiori alter fletu ſermonem findebat. Poſtquam in Gallias venerat Dhonanus, humaniſſimè ab Henrico Rege ad conſilia vocabatur, ſolus nonnunquam, ſæpius cum Principe Anhaltino, Hohenloio, Buchioque. Nec minùs crebro cum amicè Rex compellabat, quàm obvium videret: ex quo facile perſenſit, & quanti à tanto fieret Rege, & quantopere ab eo amaretur. Quæ & ipſa arguunt, nihil in Alnetenſi pugna a Dhonano ſecius fuiſſe actum, quàm oporteret. Peccatum fuiſſe quis neget? Sed nihil iniquius, quàm ut, quod dici ſolet, Æmilius peccet, plectatur Rutilius. Omnis enim aliena iſthæc culpa erat, quemadmodum ante præeunte Thuano diximus. Sed ipſum potius audiamus: *Mille equites*, ait, *conducebantur à Fabiano Dhonavio Regulo, qui auxiliaris exercitus ante quinquennium adducti Imperator fuerat: neque infra ſe putabat Tribunus per ſe emendare, quod ſummus belli Dux aliena culpa peccaverat.* Senſit tum etiam Dhonanus coram, quam gratus foret magnanimo illi Bironio, quàm amicus Duci Bovillionæo, generoſiſſimo heroi. Familiariter quoque utebatur Caſtilionæo, magni Colignii Admiralii magno filio: qui & ipſe olim literis ad Caſimirum datis teſtatus erat, Dhonanum tota expeditione ſua feciſſe officium prudentiſſimi fortiſſimique ducis. Profectò ſi verum amamus, perpetuus ille tantorum heroum affectus, ac judicium præclarum, clarè oſtendunt, quid de malevolis quibuſdam ſit judicandum. Nimirum ita reputo, rem ipſam pro Dhonano loqui, ac evaneſcere nebulas obtrectatorum, quoties nos ad hunc veritatis ſolem convertimus. Proclive admodum eſt reprehendere, ac quaſi cornibus incurſare in facinora militaria; quæ cum præ aliis omnibus omnem penè in partem trahi poſſint, facilè in argumentum rapiuntur ſequioris famæ. Verùm enimvero, ſi res penſetur re, ratio cum ratione decertet, ſi adfectus ponatur judicii corruptor: non difficulter Veritas, quæ Saturni Temporiſque filia perhibetur, in apertum proferri ſolet. Ut in hujuſmodi etiam rebus Poëtæ illud habeat locum:

*—— Quis enim celaverit ignem,*
*Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?*

*Ovid. Epiſt. Paridis ad Hel.*

Gallus igitur ille, qui nomen diſſimulans, (etſi ne ſic quidem ignoretur) exiſtimationi Dhonani palam inſidias ſtruit, viri ſanè egregii nomen poterat obtinere, niſi alienis inſultare laudibus maluiſſet: nunc cum dente Theonino famam tanti viri arrodit, ſanè ex hoc muſtaceo nec ipſe, nec iis moribus quiſquam, aliud quàm vilem admodum boniſque indignam laureolam referet. Quæ enim hæc perverſa indoles? quis genius malus? eum, quicum coram, atque aperta fronte congredi non auſis, ſparſis à tergo probris contaminare velle? Nempe tales animali bonaſo ſimiles videntur: quod cum cornibus inutiliter implexis lædere non poſſit, fimum fugiens reddit, cujus contactus inſequentes, ut ignis aliquis, comburere ſolet.

*Plin. l. 8. cap. 15.*

Nec impune tulit obtrectator, quem Fabianus emiſſa in publicum apologia, atque id tum Germanico, tum Latino ſermone, abunde confutavit. Simul enim, & ad edendum nomen ſcriptorem eum provocavit, & famæ ſuæ decus adverſus illum præſtitit illæſum. Quare inter elogia Dhonani hoc ſanè eſto, quòd, incaſſum fremente invidia, magni à maximo quoque fiat. Imò ſi Fabius olim, qui bello Punico II. reſtituiſſe rem Romanis creditus eſt, Maximi cognomen jure optimo retulit: non minori jure Fabianus noſter, quem non una in re Maximo illo majorem res eſſe docet, vel Maximus, vel Magnus, ob tot inclytas laudes dici meretur. Atque hoc magis patebit, ſi cæteram etiam hiſtoriam ejus perſequamur. Nam cœpit tandem Dhonanus vitæ reliquæ rationes ad pacem referre: idque imprimis in Curia, atque Sanctiori Areopago Caſimiri: à quo Principe, dum vita manſit, ſegregari non potuit, heliotropii ſimilis, quòd ſolem ſuum ſequitur. Illo autem fatis jam functo, ne ſic quidem Palatinatu, altera quippe patria, diſcedendum putavit: ſed Friderico IV. Electori Sereniſſimo, operas item ſuas pari fide, nec diſpari dicavit induſtria. Quanto autem & tum fuerit loco, primùm illud argumento erit, quòd in ſupremo Senatu fuerit primus, qui conſilium diceret. Tum illud ſanè magnum, quòd quoties Sereniſſimus Septemvir Heidelberga abeſſet, Fabianus Legati & Proëlectoris munere fungi ſoleat: quemadmodum & antea, imperante Caſimiro, factum erat: præſertim cùm ad Chriſtianum, Saxoniæ Electorem, abiiſſet. At quanta ille tum documenta præclari dedit conſiliarii! Sanè apertiſſimè oſtendit, ſe non Principis tantùm, ſed principatus quoque amicum eſſe. Atque idem in Comitiis Imperii Ratisbonæ ter princeps legationis Archipalatinæ, Electoris locum magna cum auctoritate ſuſtinuit. Præterea ejus nomine, ſolemni ritu ſumma cum dignitate feudum Electorale de manu accepit Rudolphi Cæſaris Auguſti.

*Anno CIↃ IↃ XCIV.*

Prudentiſſimè etiam conſuluit de pecuniis in uſum bellicum parandis, deque ratione tota, ac via, qua quàm diutiſſimè ac feliciſſimè bellum inferri Turcis poſſet. Obviam præterea ivit pernicioſæ eorum machinationi, qui cum aliud agere videri vellent, doloſe interea tendiculas ponerent Evangelicis. Egre-

giis hiſce Fabiani virtutibus impulſus Fridericus, non modò eum amore proſequebatur incredibili: ſed dignum quoque æſtimavit, qui filium ſuum Ludovicum Philippum Chriſtiano ritu ex ſacro levaret fonte: quo honore quoque ipſum Caſimirus adſecerat, cùm in baptiſmo Dorotheæ, filiæ ſuæ unicæ, ſanctæ hujuſce initiationis arbitrum ac teſtem advocaret. Nempe uterque illuſtriſſimus Princeps, cùm liberos ſuos Eccleſiæ Dei inſeri vellet, non niſi probæ notæ ſponſorem, ac ſub Chriſti vexillo in iisdem ſecum caſtris militantem, adſciſcendum ſibi putavit. Ad iſta accedit, quod vel maximè ab eo nobile illud, ac neceſſarium conſilium promanârit, atque in exſequendo etiam potiſſimæ propemodum ejus partes fuerint, quando unà cum Chriſtiano Anhaltino, Proprincipe Palatinatus Superioris, & Joanne Naſſovio, ac Ottone Solmenſi, ratio inita eſt tuendi adverſus hoſtes Palatinatum univerſum; decretumque propterea factum fuit, ut ſubditi omnes ita in pace aſſueſcerent tractare arma, ut ne demum, cùm bello omnia arderent, ejus gerendi modum diſcere cogerentur. Faces hanc ad rem ſubjiciebat metus non obſcurus ab Admiralio Aragoniæ, qui cum Hiſpanico exercitu, gentilitia dominandi libidine, in vicinam irruiſſet Weſtphaliam, nihil non impotens, crudele, dirum, iis in terris perpetrabat. Brevi vero temporis ſpatio tantum Dhonanus bellicis hiſce exercitiis profecit, ut deinceps, quot in Palatinatu ruſticos conſpiceres, milites totidem obduci hoſtibus poſſent. Et tamen cum hoc negotium primùm ſuſciperet, multùm aulicorum dicteriis vapulabat: prout fieri amat in rebus novis, præſertim ſi conſilia vel maximè conducibilia, ab homine extero ſint profecta; longe etiam magis, ſi eadem cum incommodo aliquo fuerint conjuncta. Raros enim è vulgo reperias, qui æquo ferant animo, quòd vel ſumtus, vel labores, pro ſalute publica ſufferre cogantur. Videlicet capitale eſt Reipubl. malum, Mei, Tui, pertinax ſtudium. Neque in laboribus ſolùm talis erat Dhonanus: ſed in laxamento etiam eluxit, quod amares. Quippe ſiquando à negotiis publicis remittere animum liceret; non ignobili marceſcebat otio, non voluptatum colliqueſcebat illecebris; ſed amicis utebatur partim illuſtriſſimi generis, partim aliis eximiis viris, ac potiſſimum literatis, quorum in Palatinatu ſemper, provida Principum cura, quaſi miti Zephyro, proventus fuit uberrimus. Magnopere eum in admirationem ſui rapiebat Ludovici, Comitis Witgenſtenii, illibata pietas, & comis prudentia. Alliciebat ad ſe Joannis Alberti, Comitis Solmenſis, primarii aulæ præfecti, ſpectata Principi ac Patriæ fides conſtantiaque cum eximio Dei timore conjuncta. Maximum etiam amorem ſui concitarat Ottonis Gruntadii in rebus Eccleſiaſticis; Joannis Chriſtophori à Grun in Politicis, accurata atque indefeſſa ſedulitas: Cancellarii Ehemii perſpicax literis uſuque doctrina: Volcadi à Pleſſen, ingenio, diſciplinis liberalibus, & multijuga rerum ſcientia, qua pace, qua bello utilium, penitus firmata dexteritas: Hippolyti à Collibus undecumque docta ſapientia, & facilitas incomparabilis: Marquardi Freheri recondita antiqui juris, moriſque ſcientia: Lingelshemii amœniſſima doctrinarum ubertas: Ludovici etiam Camerarii multijuga eruditio, & multis adeo legationibus perpolita in cunctis, quæ ad Rempubl. ſpectant, copia & facultas. Grati acceptique Neoſtadii, & Heidelbergæ erant, Hieronymus Zanchius, Zacharias Urſinus, Franciſcus Junius, Daniel Toſſanus, David Paræus, Bartholomæus Pitiſcus, Joannes Salmutus, Abrahamus Scultetus, Theologi omnes doctrina & vitæ ſanctimonia celebres. Converſabatur ibidem cum viris aliis doctrina excellentibus, Dionyſio Gothofredo, Joanne Poſthio, Julio Pacio, Jano Grutero, Paullo Meliſſo: ac quos locorum intercapedine diſſitos coram oculis uſurpare non poterat, literis adibat, conſulebat, compellabat familiariter: uti Chriſtophorum Herdeſianum Noribergæ, Witebergæ, Lipſiæ: itidem Norbergæ Caſparum Peucerum, & Camerarios patrem, filios, nepotes: Jacobum Grynæum Baſileæ: Dominicum Lanovium in Gallia, uti & Sadeelem, & reliquos ejus terræ Theologos. Quique præterea literis, quocunque cœlo, inclaruiſſent; eos impenſè amabat, honorabat, beneficiis ornabat. Nobile facinus, nobilitatos literis ab homine militari ritè æſtimari. Nam quod ille de bonis principibus, ſed meo quidem judicio non ſine veritatis exceſſu, ajebat, id nos de bellatoribus dicere veriùs poterimus: Omnes eos belli duces uni annulo inſcribi poſſe, qui & bello valeant, & literis addicti literatos ament: pleroſque auſteros eſſe, &, ut de milite Ennius loquitur, horridos: quippe à mitiſſimis Muſis, earumque cultoribus, alienos. At non in Dhonano fulgentiſſimam illam ſapientiam, atque humaniſſimam comitatem, vel ſtudia Martia, vel militum mores, extinguere potuerunt. Viciſſim nec tantus erga eruditos amor ejus, impedire, vel imminuere etiam potuit præclarum, quod ei cum magnatibus, ac veluti majorum gentium diis, literarum commercium erat. Quale ei aſſiduum penè interceſſit cum Caſimiro Bavaro, Guilielmo Landtgravio Haſſiæ, Chriſtiano Anhaltino Principe, Boulhonæo Duce, cum Colignio Admiralii filio, cum Leſchinio Palatino Breſtenſi in Polonia, viro ut ſtemmate antiquo, ita prudentia ac bellica gloria florentiſſimo: addo etiam cum Friderico Palatino Septemviro, à quo toties ex Boruſſia intima per Electoralis aulæ curſorem literis excitus fuit, quoties arduis in rebus, quod ſæpius eveniebat, tanti viri conſilio atque opera indigeret. Sed quid ſunt res mortalium? Inter tot curas aulæ, bellorum moleſtias, totiuſque adeò variabilis vitæ fluctus decumanos, quemadmodum herbas creſcere non ſentimus, ſed creviſſe: ita illi non intellecta obrepſit ſenectus. Cogitabat ergo aulæ ſe ſubducere; non laboribus, non publico bono. Diogenes cuidam monenti, ut jam ſenex de diligentia nonnihil remitteret: Quid, inquit, ſi in ſtadio currerem, utrùm oporteret jam metæ vicinum inhibere curſum, an eum magis intendere? Scitè ſanè, &, ut cum poëta ita dicam, cedro digna oratio. *Diogenes Laërt. lib. 6.* Sanè judicium etiam ſuum ex Philoſophi hujus mente formare viſus eſt Dhonanus, qui Palatinatui quidem valedixit, anno ætatis quarto ſupra quinquageſimum, atque ad Boruſſos in poſſeſſiones avitas ſe contulit: attamen, ut dixi, non mollis otii cauſa, quemadmodum fieri ſolet: verum ut, quemadmodum ſperabat, ſuus magis factus, ſic quoque, ſed via alia, publico & amicis utilis, tranſigeret reliquum vitæ: quod annorum ſeptendecim divina benignitate poſtea ſuperfuit. Ac non paucis quidem in Boruſſia Dhonani adventus erat inſtar benigni ſideris amicum atque exoptatum lumen ſupra terras recens efferentis. Sed erant ex adverſo, qui quemvis potius videre exoptarent, quàm heroem illum, de quo nunc omnis ſermo eſt nobis. Amabat nempe eum cordatiſſimus quiſque, ac nemo non, qui ſtuderet

*—— —— Sanctus haberi*
*Juſtitiaque tenax factis dictiſque.* *Juvenal.*

Atque ex ſpectatiſſimo eorum numero primum facilè locum vindicat ſibi Joachimus Fridericus, Elector Brandeburgicus, Princeps Boruſſiæ. Movebat eum, quod videret eſſe in hoc viro ſumma omnia, quæ in egregium cadere conſiliarium poſſint; eaque jam corroborata non mediocriter ſenectute ipſa; quæ non adeo in canitie venerandi capitis, quam in mente ſapientiſſima relucebat. Quamobrem utebatur eo, cum alias, tum domi imprimis in rebus ſanctioribus: in quibus ille non cum fortuna Principis tantopere, quàm cum Principe ipſo loquebatur. *Tacit. Annal. lib. 1.* Hæc cum eum magis & magis commendarent; primùm quidem, nihil tale cogitans, præfectus eſt Inſterburgo; inde autem Tapiaviæ: & quaſi nulla dignitas foret, quæ non ſummis ejus virtutibus ac meritis deberetur; ſupremus non multo poſt in conſilio Boruſſiæ Burggravius conſtitutus fuit. Nimirum idem ei obtigit, ac Joanni Medicæo, parenti Coſmi, qui patris patriæ cognomen meruit. Quemadmodum enim magnopere illi datum eſt laudi, *Mantuan in vita Coſmi mag. Duc. Hetrur.*

 quòd

quòd nullis quidem dignitates appetierit; ſed conſecutus fuerit maximas: ita longè ab herois hujus pectore exulabat ambitioſa munerum ſitis: honores tamen ſponte oblatos, ne peccaret in Deum vocantem, & Principem eos conferentem, minimè repudiabat. In hoc autem ſupremo patriæ munere, quoties ingrediebatur curiam, ipſo in limine exuebat odium in adverſarios, gratiam erga amicos, pervicaciam animi, quæ ex amore proprio originem trahit: ac verbo, ut dicam, privatos affectus omnes, vere faſcinatores juſtitiæ, deponebat: avaritiam etiam, bonas artes ſubvertentem, procul habebat; ad ea verò ſe, ſuaque referebat conſilia, quæ Dei cultum ſpectarent, & commoda Reipubl. inprimis quæ facerent ad impediendos conatus ſeditioſorum civium. Incidebat enim hæc jam ingraveſcens Dhonani ætas in tempora Reipubl. turbulenta: dum homines factioſi, nec æquis oculis ſtatum aſpicientes præſentem, noctem offundere rebus cogitant, ut facilius omnia miſcerent. Sed conſilia eorum diſturbavit ipſe Regum Rex: qui primum potentiſſimo Poloniæ Regi, ac deinde Electori Brandeburgico, prudentiam ſummam & animos maximos inſpiravit. Eo factum, ut Dhonanus non mentem modo bene conſciam ſervaret: ſed etiam gratiam Principis, & honorum incrementa, pro præmio referret. Nam ab eo tempore magis & magis Dhonanum amplexus eſt Elector Joachimus Fridericus Brandeburgicus. Nec alia mens fuit filio Joanni Sigiſmundo. Denique eandem inſiſtere viam nepos Georgius Guilhelmus, qui nunc (atque id multis feliciter duret annis) rerum potitur. Et profectò tribus heroibus illis, quòd præ aliis conſilia hujuſce Neſtoris in cauſa Boruſſica ſecuti ſint, non jucundum minus, quam utile poſtmodo fuit. Imò exſtant hodieque literæ ejus, qui intimus Sereniſſimo Poloniæ Regi cubicularius fuit. Iis diſertim continetur, præclaris Dhonani conſiliis maximè acceptum ferri oportere, quod feudum Ducatus Boruſſiæ anno cIↄ Iↄ c x I obtigerit Electori Joanni Sigiſmundo; uti etiam, quod quinquennio ante penes laudatiſſimæ memoriæ parentem honor fuerit adminiſtrandæ ejuſce provinciæ. Ut neutiquam ſit mirandum, ſi ea res Dhonano tantum & favoris pepererit, & fructus. Quantum præterea gloriæ attulit eidem, quòd eum in domo ſua Karwindana, cui ab tanto domino ſemper decus erit, etiam viri Principes, quaſi conſulturi oraculum, viſere dignarentur. Ab novatoribus verò quid ei repoſitum fuerit, neutiquam eſt in obſcuro. Nimirum haud aliter, ac quando quis ignobilem canem ſed mordacem, lapide petere, tutelæ gratia, neceſſe habet; ille projecta involat ac mordet, jacientem adoriri minimè auſit: ſimiliter iſti, cùm adverſus Principem recta inſurgere haut ſuſtinerent, magno impetu aggrediebantur Dhonanum: cujus virtutem angue pejus odiſſent. Atque ab eo fonte erat, quòd aſſiduo conquirerent tela, quæ in eum mitterent. Sed quoniam illa fortiter elidebantur Dhonana virtute, & innocentia, itum eſt ad invidioſum illud convitium, ut religionis corruptæ inſimularetur, qui tota eam vita ab Romanæ Eccleſiæ erroribus puram illibatamque fuerat profeſſus. Nempe ita hominum mos eſt. Semper in ore iis natat præclarum religionis nomen: navigant quippe (largiatur hoc mihi de ſuo Æſchines) in mari verborum; & hoc lenocinio, partim magna Reipublicæ mala arceſſunt, partim in odium adducunt viros probos, de quibus mutato nomine dicere vetus illud ſolent, *Bonus vir Caius Seius: ſed malus tantùm, quod Chriſtianus.* Atque hæc jacula, magna felicitate ab ſe diſpulit Dhonanus. Quid mirum? Stabat apertè pro eo cauſſæ bonitas: Unde & Sereniſſimo Poloniæ Regi graviſſimæ ac juſtiſſimæ cauſſæ erant, cur eum benignè adeò tueretur. Tum temporis etiam confeſſionem Fidei ſuæ ſcripto comprehenſam, & in lucem editam, non amicis tantùm, ſed magiſtratui quoque, & Regi ipſi, offerendam curavit. Tantum verò abfuit, ut dignitate priſtina ſpoliaretur, ut illi Rex eam decreto publico firmarit: atque adeò manu propria decreti verba aliquot in Dhonani gratiam partim correxerit, partim liquidius expoſuerit. Sed adverſariis ſic quoque

*Æſchin. Orat. cont. Cteſiph.*

*Apud Tertull. in Apolog. cap. 4.*

*—— Ferveſcere ſanguis & ira,*
*Scintillare oculi.*

*Perſius Sat. 3.*

Itaque ne tanto quidem patrocinio nixum accuſare deſtiterunt. Et quanta ſanè eorum fuerit cupiditas & malitia; argumento illud erit, quod poſtea quoque magno clamore eadem contenderent, ac ſeſe à poſtulatis, &, ut vocabant, gravaminibus diſcedere velle penitus reciperent, imò nihil non in Principis ſe gratiam facturos ſponderent; dummodo Dhonanum Burggravii dignitate, ad quam evectus erat, dejiceret. Magna, ac penè incredibilis eſt vehementia, atque inhumanitas æruginoſi rancidique pectoris. Sed quanto illi ferocius inſaniebant: tanto plus laudis merebatur ſapiens ac manſuetus Principis animus. Quaſi æmulus fuiſſet Leſci Albi, Poloniæ Principis, cujus præclarum nomen nulla ſecula conticeſcent. Erat illi Palatinus Sandomirienſis, Gonoricius Ravitus. Ejus & prudentia eximia, & ſumma in Principem fides, prope miraculi loco habebatur. Et tamen pravo quorundam impulſu nobilis ille Poloniæ populus, cùm de Republica conſtituenda ſollicitus regnum offerret Leſco, hanc paciſcebatur conditionem, ut Gonoricium prius longè à contubernio ac conſiliis ſuis ablegaret. Tantum verò abfuit, ut impudenti huic poſtulato ſuam aggregaret Leſcus ſententiam, ut regnum, quàm fidum amicum, & conſiliarium, repudiare mallet. Dixerim prope, idem facturum fuiſſe Joachimum Fredericum, ſi perinde principatus aliquis electione oblatus foret, non ipſe jure ſucceſſionis in Ducatu Pruſſiæ legitimus Princeps fuiſſet. Quid enim ille Dhonanum deſtitueret, qui ſciret conſiliarios, quorum integritas cognita perſpectaque foret, eſſe ad inſtar fidorum ac vigilum canum, qui præſidio ovibus contra luporum inſidias præſtò eſſent: his verò per imprudentiam ſubmotis, in incerto Principes vagari, quòd uſque adeò multorum fraudibus & impoſturis vita ipſorum, ſalus, majeſtas, atque una etiam Reipublicæ dignitas, expoſita ſit. Dum ardent hæ faces livoris atque odii, Dhonanus, generoſæ feræ ſimilis, latratibus catulorum contemtis, in ornanda, quam nactus erat, Sparta nulli parcebat curæ aut labori; planè ſecurus calumniarum, quas ne ulciſci quidem cogitaret: unde quotidie eum videre erat comiter & benignè verſantem cum omnibus etiam peſſimè erga ſe affectis. Cogitabat nimirum, puſilli eſſe hominis ac miſelli, ut optimè Romanus ſapiens monet, repetere mordentem, veluti mures & formicæ ſolent; ad cujuſmodi animalcula ſi manum admoveris, ora convertunt imbecilla, ſe lædi credentia, digito ſi attigeris. Noſter vero, ut dixi, ita hæc inſuperhabuit, ut nihil de priſtina remitteret induſtria; ſed conſilio, quantum poſſet, labore pene magis quam poſſet, excubaret ac vigilaret pro Reipubl. commodis. Magnam hæc voluptatem afferebant auguſtæ ac felicis memoriæ Principi Joanni Sigiſmundo: neque eum fugiebat, quouſque

*—— Egregios invitent præmia mores.*

*Claudian.*

Itaque crebrò collaudabat fidem atque dexteritatem Dhonani: atque ut munificus admodum erat, dona etiam obtulit haud contemnenda: quæ ille, ut præclarus viri animus erat, quam modeſtiſſimè reſpuit. Diſplicebat Principi, quòd non liceret ſibi grato eſſe, atque benefico, in hominem meritis florentem: monebat, reſpiciendos eſſe fratris filios, quos complures haberet: eorum rebus non lautiſſimis conſulendum eſſe. Aſſenſit tandem Dhonanus, quanquam invitus: nec, opinor, obſecutus fuiſſet, niſi cum animo cogitaſſet ſuo, probro à principibus duci, & in argumentum rapi contemtus ſui, ſi præmia à ſeſe ultrò oblata clientes civeſque ſui aſpernentur.

Dum in hoc ſtadio Fabianus impigrè decurrit, totumque adeò conſumit decennium, ad eam ætatem paullatim devenit, qua dicuntur olim

*—— Ut juvenes ferrent ſuffragia ſoli,*
*Pontibus infirmos præcipitaſſe, ſenes.*

*Ovid. in Faſt.*

Et

Et tamen viribus animi tum quoque valebat uſque adeò, ut ſi par ei vitæ ſpatium divinitus contigiſſet, ac Georgio Pontano, Venetorum Duci; paria cum illo, & ingenii alacritate, & acumine judicii, uti fecerat hactenus, porrò etiam fuerit facturus. Erat autem Pontanus XCVI annorum, prudentia adeo per ætatem non collapſa, ut legatos ſemper ipſemet audiret, ipſe reſponderet, nec mentis acies unquam, niſi ſemeſtri ante obitum, ſit viſa hebeſcere. Sed erant longè graviſſima, quæ Dhonano ſuaderent, ut potiùs, jam quartum & ſexageſimum ætatis annum ſupergreſſus, patria tranquillata, negotio inveſtituræ Boruſſiæ propè confecto, miſſionem à munere publico, & aulæ peteret contubernio. Quam ipſam à Principe, ſed prope invito, impetravit. Ajebat autem Dhonanus, ſuas eſſe homini ſtationes, vitæque periodos: nec ſatis convenire, ut, qui annum vitæ LX exceſſiſſet, diutius vel aulæ compedibus contineretur, vel Principum concluderetur ergaſtulis: potius pauxillum ei temporis concedi oportere, quò ſarcinas colligere tandem, atque migrationem in alterum ſeculum parare poſſit. Inſuper monebat, dandum eſſe aliis locum, quò negotia ii quoque tractent,

*Schreb. Comm. in Palat.*

*—— —— Quibus integer ævi*
*Sanguis ineſt, ſolidæque ſuo ſtant robore vires.*

*Virgil. 2. Æn.*

Quales perinde conducit ſenum inter ſubſellia ad prudentiam informari, quemadmodum juxta annoſas arbores inſerere novas expedit plantas, quæ in locum intereuntium ſuccedere aliquando valeant. Rudiarius ita factus eſt Dhonanus: verùm ſic quoque in otio illo negotioſus, quoad potuit, in ſalutem Patriæ ſemper fuit, conſulenti cuilibet promtus ac facilis, Principi ſuo maxime, tum autem Electori Palatino, erga quem animum fidelem ad extremum uſque ſpiritum geſſit. In hac quaſi ſolitudine frequenter Dhonano in mentem veniebat vitæ totius actæ, cumprimis tot legationum: quas quatuor & triginta maxima cum laude obierat. Nempe quatuor quidem ad Imperatores & concilia Imperii; tres ad reges Daniæ, atque Poloniæ; reliquas autem ad Electores, Principeſque, ac magnates orbis Chriſtiani. Conſignatum illud literis habemus ad æternum Julii Cæſaris decus, collatis eum ſignis quinquagies cum hoſtibus conflixiſſe. Magnum & memorabile, fateor. Attamen non minus honoris ſibi facundia vindicat: ſi verè olim Tullius,

*Plutarch. in vita.*

*Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

*Cic. in off.*

Sed Tullii verſiculum hunc accipiat quiſque, ut volet: dummodo fateatur, cauſſam ſatis gravem afferri nullam poſſe, cur non ex tot legationibus Dhonani etiam nomini gloria accedat immortalis. Siquidem cariſſimè ſtetit generi humano honos ille Cæſaris: ut à quo undecies centena & nonaginta duo millia præliis conſtet interemta. At Fabianus incruenta Suada ingens ſibi decus paravit. Pyrrhus profectò plus Cyneæ linguæ tribuebat, quàm ſago proprio, pluresque illum urbes oratione ſua, quàm ſe armis ſubegiſſe prædicabat. Monlucius etiam, neque immeritò, tantopere prædicatur à rerum Gallicarum ſcriptoribus, quòd decies quinquies legatus regia expedierit negotia: atque unus maximè idoneus viſus ſit, qui in Henrici Valeſii electione apud Polonos ſtudium atque operam omnem poneret. Quanti igitur pretii Dhonanum deputare oportebit, qui legationum numero Monlucium tanto poſt ſe reliquit intervallo? Miretur fortaſſe aliquis, & tacitus cum animo ſuo cogitet, quæ fuerint Dhonano tam raræ virtutes, quibus toties legatus multorum adeo Principum animos in ſuam pertraxerit ſententiam. Dicam equidem, quod res eſt. Et à corpore, & ab animo, ei has ad res fuere dotes admirandæ. Ac primum obverſetur menti, quam ſpectabilis fuerit colore faciei ex albo purpuraſcenti & amœno, vultu quam maxime hilari, benigno ſerenoque, at in quo tamen gravitas ac majeſtas relucerent, fronte decorè aſſurgenti, exporrecta, & ſupra modum liberali, carne non flaccida, & undique diffluenti, ſed toroſa, & ſolida; procera quoque totius corporis, erecta, nec peccante uſpiam ſtatura. Omnia videlicet membra, apta compage, cum lepore quodam quaſi conſpirabant. Quod ſi quis præclarum adeo corporis habitum, nihil magnopere ad flexanimam illam Suadam, conferre arbitretur: næ ille parum intelligit hominum mores. Quanto ſane aliter judicabat olim M. Cato; cujus tanta fuit auctoritas, ut quæ ab eo profecta eſſent, penè oraculi inſtar haberentur. Vir tantus, cum Romani ad diſcordiam inter Pruſiam patrem & Nicomedem filium componendam, tres in Bithyniam legaſſent, quorum unus caput haberet multis cicatricibus deforme, alter pedibus laboraret; quique reliquus erat, ingenio & pectoris bonis deſtitueretur: haut inſulſè in eos cavillatus, legationem iſtam capite, pedibus, & corde carere, ajebat. Uſque adeo aliorum contemtum & ludibria incurrunt proceres, quotiès oratores mittunt alios, quam ut animi dotibus, ita corporis dignitate commendabiles. Quis enim hominem fœda, diſtortaque forma contemplans, non metuere incipiat, ne & in eo locum habeat poëtæ illud,

*Plutarch. in vita Catonis.*

—— —— ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς ὁ φύσις ἔξω ἔχει.
*—— —— Vere interioris*
*Extera membra animi ſunt ſimulacra tui.*

*Pallad. in Epigram. Græc.*

Ad hanc corporis dignitatem, potiora etiam ſubſidia acceſſere Dhonano, imprimis à moribus & facundia ſingulari. Præterquam enim, quòd ea erat ingenii ſagacitate, ut tempora captare, & arte quadam tractare animos Principum ſciret: aderat eidem grata morum lenitas, aderat incredibilis in convictu ſermoneque humanitas, aderant etiam in convivando non cum paribus modò, ſed magnatibus quoque, ingenui ſales, ac joci liberales. Quis verò neſcit, crebrò uſu venire, ut feſtivo atque arguto dicto facile à viris principibus impetres, quod oratione ſollicita atque anxia vix, aut nunquam, conſequaris? At quanti nunc fieri debet illa

*Viri excellentis mente clemente edita*
*Submiſſa placide blandiloquens oratio!*

*Laberius.*

Sic enim Principis ſui cauſſas tractabat, ut in oratione undique reluceret verborum ſplendor, & ſententiarum gravitas atque ubertas: nuſpiam autem migraret dignitatis vel etiam elegantiæ leges: nec quicquam ſe, nedum Principe ſuo, indignum diceret, aut faceret: gnarus videlicet ex legatorum moribus Principes plurimùm æſtimari. Quantum etiam præſidii inde nactum putabimus, quod octo linguis, quibus utitur Europa, purè terſeque loqueretur! Inde enim illud conſequebatur, ut ſuâ ubique, non collegæ linguâ, orator foret. Cæteroquin fieri videmus, ut ſenibus, inter cætera ætatis onera, hoc quoque ægre ſit, quod externum ad ſermonem, quem forte olim didicerint juvenes, ſenſim reddantur inepti: ſive id ætatis morbo fiat, quandoquidem

*—— Prima langueſcit ſenum*
*Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu:*

*Seneca in Oedip.*

ſive id contingat vitio linguæ, ob ætatem fatiſcentem minus jam volubilis, ac fuerat quondam. Non ita comparatum cum Dhonano erat: qui exterorum ſermone, quæcunque res incidiſſet, de ea ut venuſtè, ita expeditè, quamdiu vita manſit, diſſerere poterat ac ſolebat. Idem in hoc receſſu, nunc hujus, nunc iſtius gentis oratione capiebatur: eâque etiam epiſtolas exarabat ad amicos alio atque alio cœlo diſperſos: quod ipſum ad homines eruditos Latinè faciebat elegantiſſimè. Sæpe enim per literas colloquebatur cum iis, ut ita affectum melius recoleret, ac ſingularem amoris conſtantiam, etiam ingraveſcente hac ætate, teſtaretur. Nam nunquam ei placuere, qui multas inſtituunt amicitias; ſed mox ſaturati alias quærunt, virgunculis illis ſimiles, quæ in pratis alium poſt alium florem decerpunt, ſemperque arridentibus novis, negligunt priores. Multum etiam Dhonanus cum amicis mortuis verſabatur: quippe ſe in bibliothecam abdebat, quam Karwindæ domi ſuæ inſtruxerat non contemnendam. Ibi Latinus, Græcus, Gallus, Italus, Hiſpanus, Anglus, Polonus, Germanus, ſuas etiam alii delicias reperiſſent. Hic, quæ olim cum moleſtia in juventute didicerat,

lætus cum fructu ruminabat; ſuoque exemplo fidem faciebat dicto Democriti, qui adoleſcentem conſpicatus gnaviter libris deditum, *Euge*, inquiebat, *fili, optimum condis obſonium ſenectuti.* Et quid profectò dulcius, quam veterum ſtudiorum, atque adeo laboris omnis cum virtute tranſacti, animo tranquillo recordari? Sed utcumque Fabianum meminiſſe horum omnium juvaret: major tamen alia ei erat, & quaſi palmaria voluptas. Quam ille univerſâ quidem vitâ jam à puero magnam perceperat, maximam verò ætate jam exacta capiebat; partim compellando Deum, partim loquentem Deum audiendo: illud precibus conſequebatur, hoc ſacra volumina verſando. Nihil enim aliud eſt oratio noſtra, ut præclare Hipponenſis ille antiſtes ajebat, niſi locutio ad Deum. Eoque ut, legentibus nobis ſacras literas, Deus loquitur nobiſcum: ita orantes Deum, eundem alloquimur. Præclara hæc cogitatio ei obverſabatur aſſidue: tantoque religioſius in oratorium ſuum ſe recipiebat, non illud modò, quod parietum latebris concluditur; ſed longè auguſtius pectoris ſacellum, in quo Spiritus Sanctus hoc ipſum divini cultus peragere opus ſolet. Quod ingreſſus, ut facilius precibus, ceu clavi, Dei theſauros aperiret, carnis propriæ fores occludebat. Atque ut olim ſacerdotes procul eſſe jubebant profanum vulgus: ita ille ſegregabat à ſe oſcitantiam, languorem, dubitationem. Attendebat ſedulo, quid Deo præſente loqueretur: nec ſua modò ei, ſed etiam ſalutem, & laborantis patriæ, & ubique terrarum militantis Eccleſiæ, commendabat. Interea cœleſtis gratia in corde penitiſſimo varios excitabat motus: præcipuè dolorem, ob delicta; amorem Dei, ob tot beneficia; contemtum mundi, in tanta ejus vanitate: patientiam quoque in adverſis, animum gratum in ſecundis, cœleſtis denique patriæ deſiderium, ac conſequendæ ejus fiduciam. Precationes haſce etiam literis commiſit, uti & Afflatus ſacros. Vocabat ipſe Suſpiria, inque morbo, atque adeo extremis ipſis, etiam prælegi juſſit, ut ad ultimum uſque ſpiritum eas meditaretur. Cumque ſupplicibus hiſce poſtulatis ſociabat quoque gratiarum actiones; quas & ipſas animo maxime devoto promebat, ita uti eas manu ſua conſignatas reliquit. Gratias quippe agebat miſeratori Deo, quòd ejuſmodi, ut familiæ, ita pietatis parentibus naſci dediſſet: quòd corpus tribuiſſet ſalubre ac firmum: quòd animum eſſet largitus divinarum humanarumque rerum capacem. Singula ſui membra, ſi ſingulæ eſſent linguæ, non ſatis fore ajebat, ad percenſenda erga ſe divinæ gratiæ munera. Agnoſcebat etiam eximium eſſe Dei beneficium, quòd iis eſſet verſatus locis, quibus ſanam de Deo doctrinam, verumque ejus cultum didiciſſet. In felicitatis etiam parte ponebat, quod animum ſuum liberalibus ſtudiis excoli contigiſſet: quod etiam notitia ſibi ac familiaritas interceſſiſſet cum tot præclaris viris Italiæ, Galliæ, Belgicæ, Angliæ, Helvetiæ, Daniæ, Poloniæ, ac partis Moſcoviæ: quorum alii armis, alii doctrina, magnum ſibi nominis decus paraſſent. Laudi etiam ſummæ, ac ornamento ſibi ducebat, quod in notitiam veniſſet Cæſarum duorum, Maximiliani & Rudolphi: quodque innotuiſſet tot regibus, Henrico Borbonio Galliæ, Friderico ſecundo Daniæ, Eliſabethæ reginæ Angliæ, tribus Poloniæ regibus Sigiſmundo Auguſto, Stephano Bathorio, Sigiſmundo tertio hodieque ſuperſtiti: ac denique Jacobo, magno magnæ Britanniæ monarchæ, qui & per literas cum illo colloqui non gravabatur: uti nec Sigiſmundus Rex Poloniæ: quorum autographa in bibliotheca Morungana ſedulo adſervantur. Prædicabat adhæc beneficia erga ſe tot maximorum Principum, item amicitias plurimorum genere atque dignitate æqualium. Referebat inter argumenta ſummæ proſperitatis ſuæ, quòd adverſarios ſuos, præcipuè Gallicanæ expeditionis, atque aliarum laudum obtrectatores, veritate vindice, innocentia teſte, applauſu maximorum hominum ſuperaſſet. Neque hæc in ore fuere nata, ſed ex corde imo profecta: uti etiam ſuſpiria faciebant fidem. Præterea, quò devotum Deo animum vehementius excitaret, ad harmoniam illam, qua Claudius Gaudimelus odas Davidis concinnavit; nunc Gallicam Maroti Bezæque paraphraſin, nunc Teutonicam Lobwaſſeri, modulari gaudebat: quod antea quoque, etiam inter medios armorum ſtrepitus, facere conſuerat. Hæc illa eſt ſolidæ pietatis indoles, quæ ſuum ubique agit ſabbathum, nulloque non loco pectus pro Eccleſia ſollicitum habet. Sancto huic exercitio Fabianus præmittebat ſubinde velut promulſidem, ſemperque quaſi opiparum condimentum ſubjungebat, lectionem S. Scripturæ: cujus ſenſum, divina inſpiratione adjutus, conferendo loca ſimilia accurate rimabatur. Adhibebat unà ſanioris mentis interpretes: alios etiam præſtantium Theologorum libellos aſſidue volvebat. Quo ſtudio uſque adeo locupletaverat capaciſſimum illud ingenium ſuum, ut non modo prudentiſſime diſſereret de omnibus iis, quæ vel ad capita fidei, vel ad vitam ac mores pertinerent: ſed arduas quaſque religionis controverſias enodare dilucidè ſapienterque poſſet. Quanquam hoc ſolitariæ vitæ, & ſenectutis ſtudio non tam diſputationibus vacabat, quam iis legendis, & meditandis, quæ incentivum aliquod adderent ad virtutes Chriſtiano homine dignas. Atque hoc nomine in pretio illi erat, quem de beata morte libellum Germanico ſermone in lucem protulit Toſſanus. Cui ſociabat ſcripta Melanchthonis ac Calvini; aliorum item lucubrationes, uti Joannis Aruitæ: quibus impenſè delectabatur, propterea quod feliciter viam ducerent ad veram pietatem & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Abrahami etiam Sculteti labores, & quæ publica ſibi, & nepotibus, nuncupatione dicata forent, quæque alia probæ ejuſcemodi monetæ haberet, ea & in manus ſumebat ſæpe, & occaſione oblata magnopere extollebat; nec laus ea magis ex amore, quam judicio proficiſcebatur: quippe qui illis ſignata paullatim in ſuccum & ſanguinem convertiſſet. Quemadmodum verò in tempeſtate gubernator dignoſcitur; in acie probatur miles; in foro aut ſuggeſtu palam fit, quid in umbra inter privatos quiſque parietes didicerit: ita Dhonanus oſtendebat, quouſque progreſſus eſſet exercitiis pietatis, cùm ſors ſæva graſſaretur, aut quoties periclitaretur valetudo. Quam ſæpe in ſenectute adverſam habuit, cùm aliis, tum podagræ & calculi doloribus, oppidò quàm acribus ac gravibus: quod morbi genus militiam ſecutis penè ſollenne ac proprium eſſe comperimus. Ita videlicet Deo viſum erat præparare eum ſenſim ad ultimum illum vitæ actum. Quem priuſquam exponam, aliquid dicendum de eo, in quo uno, vel providentia Dhonani, vel felicitas, requiri poſſe videatur. Neque enim prolem in ſpem generis propagavit: ac nec perſuaderi unquam potuit, ut ullam in matrimonium duceret. Ego verò, quod fortaſſe vitio alius verteret, laudi potius dandum puto. Profectò enim cœlo ille à nobis adſcribi meretur, cui beato adeò eſſe licet, ut edomitis libidinum furiis triumphum agat cœlibatus. Imò inter omnia Chriſtianorum certamina, quanto duriora ſunt prælia caſtitatis, in quibus continua eſſe pugna ſolet, tanto pulchrior lætiorque victoria duci debet. Atque id cum in omni vitæ genere: tum præcipue in vita tam aulica, quam militari, veriſſimum eſt: quippe quarum utraque tot undique illecebris abundet, ut difficile admodum ſit, ſatis vel oculis cautum, vel caſtum ſeſe animo præſtare. Quantopere igitur prædicare convenit Dhonanum: qui talem ſe utrobique geſſit, quales honeſtas eſſe matronas oportere, ajebat Livia. Clariſſima hæc Auguſti conjux, cùm forte ei obviam fierent nonnulli, qui nudato omni corpore ad ſupplicium raperentur; tale ſpectaculum ajebat perinde eſſe pudicæ feminæ, ac ſi ſtatuas conſpiceret. Nimirum ita judicabat, ubi pudor ac verecundia regnant, ibi animum hominis rerum impudicarum conſpectu nequaquam ad pravas cogitationes abripi. Similiter animatus erat Dhonanus. Qui cum vivendum ſibi cerneret in fece populi, unde occurrerent quandoque proritamenta inverecundiæ; ille vel ex Democriti conſilio,

tem-

*Maximus ſerm. 32.*

*Virgil. 1 Æn.*

*Auguſtin. in Pſalm. LXXXV. Chryſoſt. lib. 1. de oran. Deo.*

*De libello Toſſani Vade mecum.*

*Auguſt. in ſerm. ſup. Matt.*

*Dion lib. 58.*

tempeſtive claudebat oculos, feneſtras corporis, per quas mortem ipſam aſcendere Propheta monuit: vel ſi non liceret vultum habere averſum, mentem tamen ita obfirmarat, ut illecebræ iſtæ minimè animum labefactarent ac dejicerent de ſtatu honeſtatis. Mihi verò in hunc ejus cœlibatum propiùs intuenti cauſas habuiſſe graves videtur, ob quas à vita hæc ſocia, quam cæteroqùin in nullo damnare mortalium, imò maximopere commendare ſolebat, ipſe foret alienior. Siquidem uni quaſi glebæ affixis conducibile eſt conjugium, quales neceſſariam domi familiæ operam dare poſſunt. At diſpar eorum ratio eſt, qui more corporum cœleſtium, crebrò mutant ſtationem: quoniam hi propria negligere, uxoris etiam amplexui, qui quodammodo eſt anima & vita conjugii, ſubducere ſe neceſſe habent. Atqui Fabiano optima vitæ pars, ac ſoboli procreandæ aptiſſima, partim peregrinationibus, legationibus partim, iiſque & multis & diuturnis, effluxerat. Plurimùm etiam ſibi vindicarant aſſidua Principum negotia. Adhæc inter arma nunc menſes, nunc annos totos conſumſerat: certamque interea vix uſpiam ſortitus erat ſedem. Senio verò jam proximus, vitæque paullo tranquilliori deditus, matrimonio abſtinebat, quòd non modò ætas illa aliquanto ſit tardior, & iniquior proli procreandæ; ſed utcumque etiam liberis augeatur, tamen diu ſupereſſe nequeat educationi; in qua plus momenti, quam generatione ipſa, ſitum eſt. Hunc verò naturæ qualemcumque defectum, beneficio legis ſupplere voluit, adoptando filios ſeptem, quos Achatius, frater primogenitus, jam grandiores reliquerat. Nec poteſt ſanè teneriori amore pater complecti ex ſe natos, quàm patruus hic ſuos amabat adoptivos: ſive bene vivendi adminiculis, ſive monitis, aliiſve officiis paterni affectus, hoc totum metiamur. Atque viciſſim hi tanto affectu dignos ſe præſtabant. Nam ad nutum ac voluntatem ejus totos ſe componebant, curis eum levabant præſentes, magna etiam ſolatia atque oblectamenta abſentes adferebant. Quid etiam recreare eum magis ac reficere potuiſſet, quàm ubi tantum Dei favorem erga fratris, imò ſuos jam filios, quotidie videret? Ingenium nulli non eorum obtigerat acutum atque elegans, & rerum omnium capax: judicium illis acre ac circumſpectum: memoria firma. Ad iſta cœli dona acceſſerat, quòd univerſi non ſegni otio: ſed pace belloque pariter, gerundæ nati forent Reipublicæ; imò eam ad rem ſubſidia omnia comparaſſent: quippe qui diu multumque egiſſent in regionibus exteris; qui exoticarum ſibi linguarum complurium notitiam peperiſſent exactam; quique in nullo non liberalis doctrinæ genere animum penitus imbuiſſent. Hiſce dotibus magnum ornamentum ac decus additum eſt à ſumma corporis dignitate. Utpote quibus valetudo eſſet firma, color vividus, membra concinna, nec uſpiam mendoſa. Verum enimvero cuncta hæc albis, ut dici ſolet, quadrigis prævertit, quòd iidem aureo ſociaſſent vinculo, tum pietatem, ſanioremque de Deo doctrinam, tum vitæ gravitatem, & mores ſupra quàm dici poteſt amabiles. Quantæ hæc omnia voluptati fuiſſe patruo credemus! Præſertim poſtquam ſingulos eorum pro meritis præclaris ad ſumma dignitatum faſtigia vidit evectos? Nobilis ille Thebanorum Imperator Epaminondas gratulabatur ſibi præ cunctis, quæ in vita dulcia contigiſſent, quòd parentes gloriæ ſuæ ſpectatores habuiſſet. Gratulabatur & ſibi Fabianus, quod fratris filios non ſpectatores ſolum nactus eſſet, verùm imitatores quoque virtutis ſuæ; nec virtutis tantum æmulos, ſed honorum etiam atque auctoritatis, quæ Virtutis filia meritò perhibetur. Ac tanto magis ei circa cor gliſcebat voluptas, quantò magis animo atque oculis ſingulos ex hoc numero percurreret. Primum in Frederico, natu omnium maximo, non pauca ſe offerebant virtutis eximia argumenta. Ut qui legatus fuiſſet ſæpius ad Poloniæ Regem: qui ſummum in patria magiſtratum (vocant Curiæ Provincialis & Senatus Principem,) cum laude maxima geſſiſſet: qui pari quoque felicitate, difficillimum inveſtituræ Poloniæ negotium confeciſſet. Cum enim anno MDCXI. Joanni Sigiſmundo, Brandeburgico Electori, à Rege Poloniæ Sigiſmundo feudum Ducatus Pruſſiæ, (miſſo tum ad negotium illud conficiendum Abrahamo Dhonano, Frederici fratre) collatum fuiſſet: Fredericus hic poſtea anno MDCXXII. pro Joannis Sigiſmundi filio Georgio Wilhelmo, eandem inveſtituram in Comitiis regni Poloniæ magno quidem labore, at nec minori gloria obtinuit. Proximus natu erat Henricus: ſed voluptas ex eo percepta, diuturna non fuit. Nam cum Italiam ac Germaniam maximo cum fructu peragraſſet, ac ſpei jam multum in eo quoque poneretur, inſigni ſuorum dolore deceſſit Argentinæ, anno ætatis duodetrigeſimo. Sed ut obitus ejus dolori diu patruo fuit: ita ſolatio ac voluptati ei ſemper erat, quòd qui Henricum ſequebatur cognominis ſibi Fabianus experientiâ rei militaris tantopere inclaruiſſet: ut qui in Hungaricis caſtris contra Turcas cohortem lectiſſimam duxiſſet, inque expugnatione Albæ Regalis inter primos ſuperaſſet murum: qui etiam in Belgica adverſus Hiſpanos, ſub Principe Mauritio Auriaco, equitum ductor, in capienda urbe Gravia, præclaram fortitudinis laudem retuliſſet: præterea pacis artibus inſignis in ſuprema patriæ curia Principem inter Senatores locum obtineret: quique Brandeburgi, quæ præfecturarum in Pruſſia omnium eſt præcipua, ſummus audiret præfectus: denique qui legationibus præclarè etiam functus foret ad Regem atque Rempublicam Poloniæ, ac poſtmodo Sueciæ, atque operâ ſemper ſtrenue navatâ tantopere ſibi amore junxiſſet Electores Brandeburgicos. Summâ etiam lætitiâ perfundebatur Fabianus, quoties oculos converteſſet in Abrahamum, valde acceptum caput Mauritio Auriaco, Principi fortiſſimo; uti & Guilhelmo Naſſovio, Friſiæ gubernatori, aliiſque heroibus. Et ſanè multa erant, quæ eum magnopere iis commendarent. Vir erat ſcientiâ rei militaris, univerſæ Matheſeos, cumprimis Architectonicæ peritiâ, Hiſtoriarum quoque, & Politicæ cognitione, nemini, cujuſcumque ordinis, ſecundus. Atque idem in electionibus Cæſarum: in comitiis Imperii, aliiſque negotiis ad Reges Principeſque Legatus, nec non militum, tum ad Juliacum, tum in Sileſia tribunus, gloriam longè maximam reportarat. Juvabat quoque Fabianum mirum in modum, cum utrumque latus clauderent præſentes; vel, abſentibus etiam, medium ſe animo conciperet, inter perilluſtre fratrum par Achatium & Chriſtophorum, utrumque Friderici Palatini, & in ditione ejus patria, & in regno Bohemiæ, ab interioribus conſiliis. Nam ſi ex his Achatium reſpiceret, ſumma delectatione afficiebatur, quoties animo obverſaretur, quanta cum laude quondam tum præfectus fuiſſet Waldſaſſenſis, tum auguſtiſſimi Friderici ſtudiorum & morum Ephorus, & Conſiliarius intimus. Exoſculabatur ingenium candidum ac mite: amabat orationem prudentem ac diſertam: mirabatur illam in rebus expediendis ſeu dextram gravitatem, ſeu gravem dexteritatem: quorum omnium egregia edidit documenta in legationibus ad Matthiam Bohemiæ Regem, ad Regem Angliæ, Daniæque, item ad Principes alios. Nec graves minus cauſæ erant, cur Chriſtophorum in oculis geſtaret. Eodem quippe hic apud Fridericum, ac Achatius, loco erat. Philoſophiæ erat callentiſſimus, nec minus ſcientiæ militaris. Galliam Belgicam utramque acceſſerat non ſemel, quater Britanniam, Galliam octies, ad Reges Principeſque, quà Germanos, quà externos, fuerat Legatus. Apud Maximilianum Archiducem, patri cognominem, Cæſaris filium, Cæſaris fratrem, inque Romano Imperio alios, ſic Germanicè perorarat, ut majore eloquentia, vel gravitate, vel ſtudio, potuerit nemo: nec minori ingenii flumine, vel dicendi vi, idem Gallicè fecerat apud Henricum IV. & Ludovicum XIII. Galliæ Reges: parique orationis facultate idem Italicè præſtiterat apud Venetorum Ducem: denique apud Reges Principeſque Magnæ Britanniæ, Hungariæ, alios, Latino ſermone diſertiſſimus & fuerat, & habitus erat. In voluptate tanta, quam ex præclaris adeo fratris liberis caperet

*Jerem. 9*

*Plutarch. in vit.*

*Acta Comit. Regni.*

*Megiser in delic. ord. Equest.*

peret Fabianus, illud ei extremâ ſenectute haud exiguum vulnus inflixit, quòd ex iis ſeptimum, ſeptem ante obitum menſibus, lugere cogebatur. Theodericus is fuit, qui propè Racconicium in Bohemia pulchrè functus officio fortiſſimi Ducis, in ipſa pugna trajectus ſclopeto, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, vivendi finem fecit, atque omnibus pertriſte ſui deſiderium reliquit. In cujus ſi geſta diffundere me vellem, ſpirantia maſculæ virtutis documenta longâ ſerie referrem. Sed vitam ejus delibare, faſtigiaque rerum attingere, nunc contentus ero. Puer literas didicit, quantum ſufficeret viro, non ſcholis, ſed Reipub. victuro, & ipſi adeò, ut ſic dixerim, Bellonæ ſe ſuaque conſecraturo: ut eſt in diverſo hominum genere

Horat. *Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis.*

Eurip. Οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ᾽ ἐπίστασθαι βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ᾽ ἄλλο πρόσκειται γέρας.

*Ut cuncta norit, nemini mortalium*
*Datum eſt: at alia dote plus alius valet.*

Utinam verò ad illuſtri genere editos nunquam poteſtas, ac jus imperii deferretur; niſi militiæ jura, ac rationem arma tractandi, priùs didiciſſent. Nunc quaſi præclarè naſci ſufficeret, plurimùm illos, qui hoc ſolo Dei munere gaudent, ſummi etiam manent honores. Atqui eos, à quibus cæterorum vita & incolumitas dependet, non pacis tantùm tempore; ſed etiam cùm belli inſonuit tempeſtas, pernoſſe conveniebat modum tuendæ publicæ ſalutis. Quem quomodo ſciant, qui inter mulierculaꝛum amplexus, nutricum ſuavia, in ipſo quaſi gremio Veneris educantur? Quippe à pueris deliciis aſſueti, ac poſtea turpi tantùm voluptate capti, malunt, ut

Ovid. epiſt. Hel. —— *Bella gerant alii:*

ipſi Phrygiæ, non Phryges: non viri Principes, ſed feminæ barbatæ: imò minus quàm feminæ pleræque: quia non ita malè agitur cum rebus humanis, ut non omni ætate ex ſequiori ſexu, obducere talibus aliquam poſſis, quæ iſtis, quos ſanè Venereos heroas nuncupemus, non fortitudine antiſtet. Ut adverſus ejuſmodi occentare liceat illud veteris Poëtæ:

Enn. apud Cic. in Offic. *Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,*
*Illa virago viri.*

Ab horum moribus per omnem vitam mirificè abhorruit Theodericus. Itaque ad modum veteris Germanorum diſciplinæ, militiæ ſe dedit, omniaque ſtipendia complens, per omnes gradus pari animi præſentia, ac ſollertia, ad ſumma eſt faſtigia enixus. Ac primo quidem, quaſi ad prævium fortitudinis exercitium, in aulam miſſus Principum Anhaltinorum, Bernhardum Principem in Hungariam contra Turcarum caſtra comitabatur; quo tempore

cIↃ IↃ XCVI. arx Wacia intra Novigradum copiis Cæſarianis eſt occupata; Agria verò, propugnaculum ſuperioris Hungariæ fortiſſimum, epiſcopali ſede nobile, Mahumeti deditum fuit. Ac Princeps quidem magnanimus hac ipſa in expeditione fatis conceſſit. Theodericus verò etiam ſequenti anno obſidionem Budenſem vidit: imò tyrocinium in eâdem, etſi peradoleſcens, haud pudendum depoſuit. Nec longè pòſt ad Belgas militatum abiit; obſidioni Reizii, Cliviæ oppidi, interfuit; eâ tempeſtate, quâ Franciſcus Mendoza, Aragoniæ Admiralius, gentilitio concitus faſtu, ne Romano quidem imperio parcens, Weſtphaliam vexabat crudeliter, inque hibernis apud Clivienſes, magno eorum, nec facilè obliterando malo, exercitum ſuum collocabat. Sed enim Theoderico perjucundum poſtea ſpectaculum fuit, eum, qui inſolenter adeò ſe jactarat, fugatum, caſtris exutum, atque adeò captivum

MDCV. ſiſti Mauritio Naſſovio, Principi Arauſionenſium fortiſſimo. Quo ſub heroë Dhonanus in juventute decennium integrum, & quod excurrebat, meruit: longè profectò feliciſſimus, cui Imperator obtigiſſet, in quo, miraculi inſtar, virtus militaris ſignis adeò illuſtribus ſe extuliſſet. Nimirum exoptare quidem erat prudentis; ſed fortunati fuit, eum conſequi ducem, ad cujus normam fingere omnes actiones ſuas imitando poſſet. Sub hujus etiam ductu prælio ad Mulheimium interfuit: idque magnis animis, ut vel hoc argumento erit, quòd ſigniferi munus obiens, ne tum quidem deſeruerit ſtationem, cum ſe jam deſertum à fortuna videret: quippe in facie ſclopeti ictu ſauciatus, equo etiam, qui veheret, vulnerato. Strenuè item ſignum in hoſtem intulit propè Santenium, plenus ejus cogitationis, ut, quantum in ſe foret, Adolphi Naſſovii, herois imperterriti, ulciſceretur mortem. Hinc quietiora aliquanto tempora cum ſibi vindicarunt: nec illa tamen admodum diuturna. Triennio enim pòſt in obſidione Juliacenſi ſub Electore Brandeburgico turmam equitum duxit. Quod bellum Theoderico omni- Gerh. in Chronol. no viſum eſt memorabile, non modò copiarum ſplendore, & miro actorum cuniculorum artificio; ſed etiam quòd toto illo tempore, non cœli injuria, non morborum contages, non penuria annonæ, afflixerint obſidentes. Quibus & hoc acceſſit, quòd, utcumque diverſæ gentes, Galli, Angli, Scoti, Belgæ, Germani, atque alii, ſub uno Imperatore conveniſſent: nulla tamen in milite tam vario coorta unquam ſunt diſſidia, nullæ abalienationes aut contentiones inter diverſarum gentium Duces. Theodericus verò jam multis exercitatus caſibus, magis magiſque non umbratili, ſed ſolidæ litabat gloriæ, quâ abſens etiam per ora hominum volitabat; futurumque erat, ut mortuus etiam in præſtantiſſimi cujuſque animo viveret. Itaque, quo tempore Condæus, Galliæ Princeps, difficili ſanè bello implicaretur, atque alii etiam procerum aſſererent patriæ libertatem: Bernardus, Witgenſtenii Comes, Legato uſus Theoderico, MDCXV. equites auxiliares ex Germanis ducebat. Sed cum in morbum Comes incidiſſet, qui & lecto planè affixit, pro eo Dhonanus quadringentos equites per univerſam Galliam, perque media hoſtium agmina, & duxit ſalvos, & incolumes reduxit. Nec ſalutem ſolum ſuis, ſed exitium etiam hoſtibus attulit. Imprimis prælio, quod cum Marchione Renellio commiſit. Nam Gallorum legionem obviam factam, ac copiis Witgenſtenii dira minitantem, non modo fortiter vicit, ſed etiam delevit; eâque victoria militibus in Galliam patefecit viam. Hac pugnâ, cui non interfuit modò, ſed etiam præfuit Dhonanus, quaſi novâ virtutis face accenſa, penitius in Honoris templum penetravit, ac trophæum Gloriæ luculentius fixit, quam ante. Itaque, poſtquam Witgenſtenius oppetiiſſet mortem, præ cæteris à Condæo Principe, magno cum favore atque applauſu exercitus, in locum defuncti eſt ſurrogatus. Dhonanus verò Legatum ſibi atque optionem allegit Lippæ Comitem, juvenem ſanguinis, an animi generoſioris, haud facilè dixerim. In hoc ſupremo munere ita ſe geſſit Theodericus, ut ſi Româ florente vixiſſet, triumphali corona & ſtatua fuerit ornandus. Quod ſi exitum vitæ imprimis ſpectare oporteat, quantum veræ gloriæ Theodericus meruit, non eo ſolum, quòd fortiter pugnârit, uſque dum vultum hoſtis ſui petens, penè in conſpectu Imperatoris, intimo gutture tenus læſus, occubuit: ſed etiam, quod antea ſeſe, ut Chriſtianum militem decebat, adeò piè ad mortem præparârit. Qui à cane rabido morſi ſunt, non modo rabidi fiunt ipſi; verum alios etiam in furorem rapiunt. Perinde cum animorum contagio comparatum eſt, in militia maximè, ubi non multa tantum

Ovid. *Corporibus tranſitione nocent:*

ſed ad penitiſſima quoque mentis, ſerpit peſtilens morum malorum ſpiritus. At non corruptela hæc penetravit ad Theodericum: verè beatum, ex Prophetæ regii præſcripto. Nec enim illum

Pſ I. v. I. —— *de tramite recto*
*Impia ſacrilegæ flexit contagio turbæ:*
*Sed tuus rimatus iter melioris, & altâ*
*Mente Dei leges noctesque dieſque revolvit.*

Nempe exteriori quidem vita cum ſeveritate vultus miſcuerat comitatem ſermonis, (quæ & relucebat in ſermone exotico, Latino, Hiſpanico, Polonico, Gallico) verùm interiore animo inter medios armorum ſtrepitus clamoreſque, pietatem & religionem verbis, geſtibus, operibus, præclarè tuebatur. Morte verò terribilium omnium,

ut

ut ajunt, maximè terribili Theodericum haut exterritum fuiſſe, apertiſſimis indiciis conſtat. Imo inde etiam erat, quòd inter milites rubro, candido, aliove lætiori colore gaudentes, ille atra uſurpare ſoleat ornamenta, etiam vexillâ ac balteum. In ipſo bello Bohemico, ubi fortiter pugnans occubuit, nigro utebatur ſigno, in quo laureæ pictæ hæ voces binæ linguâ forent Celticâ adſcriptæ: O MUERTO. Innuebat autem, aut laureæ coronam ſibi acquirendam, aut morte occumbendum. Nec ſpes eum ſua fruſtrata fuit: quæ utrumque implevit. Nam & hoſti intrepidè occurrens lauream laudis adeptus eſt, & mortem glorioſam, quam appetiit, etiam oppetiit. Singularis quoque pietas ejus, & quam propterea carus fuerit Deo, argumento hoc memorabili eluxit. Binis ante obitum menſibus, corpore planè animoque ſoſpes, mortem non cogitabat tantùm, ſed etiam prædicebat. Crebris enim ſermonibus, quos cum Chriſtophoro fratre, atque aliis habuit, apertè illud ac minime hæſitabundus dictitabat, magni aliquid impendêre, quod eventum ſuum pridie Kalend. Novembris ſortiretur. Sibi verò deliberatum conſtitutumque eſſe, ad illud tempus militiæ peſſimis moribus imbutæ valedicere. Valedixit vir animi heroïci eâdem menſis die, quâ liquidò expreſſerat, manifeſto numinis inſtinctu, ut ſolent piæ mentes: quæ ad præſagiendum tanto ſunt aptiores, quanto ſunt propiores metæ. Nempe decurſo quaſi vitæ ſpacio animus, quem cœlitus accepimus, terrenas ſordes exoſus, atque ad originem ſui anhelans, perfundi incipit nova luce cœleſti, cujus claritudine tenebræ, quæ obſidere nos ſolent, magis & magis diſpelluntur. Ac Theodericus quidem ſuperatis humanæ vitæ miſeriis nunc triumphum agit in cœlis. Nos quoque ab eo, quaſi à diverticulo, revertamur tandem ad patruum hujus Fabianum: cui maximam voluptatem attuliſſe diximus, primum quidem quod fratris ſui filii calcarent ſtrenuè virtutis viam, quam ipſe hortando atque exemplo commonſtraſſet: deinde autem, quòd nemo non eorum, cùm ſeni numero forent, pro meritis ſummis, honoribus quoque ſummis floreret. Antiquis illud annalibus proditum eſt, cùm pater aliquando filios duos ludis Olympicis coronari cerneret; populoque flores conjiciente, ipſe inter victores procederet medius; adeò honorifico hoc ſpectaculo permotum fuiſſe optimum ſenem, ut in ipſo liberorum amplexu, præ diffuſa lætitia expiraret. Hoc illi inter binos duntaxat contigit, atque in ejuſmodi victoriæ genere, ubi non tam animi virtus, quàm corporis athletica conſtitutio, atque agilitas palmam obtineret. At quanto juſtius Fabiani gaudium fuit, qui ſex hoſce, doctrina, ſapientia, auctoritate, quæ longè omne corporis robur exſuperant, tot lemniſcatis ornatos palmis conſpexit: neque id in breve tempus, quandoquidem, quod miraculi inſtar eſt, è tam multis degeneravit nemo: imò univerſi conjunctis ſtudiis, quaſi mutua fatorum & virtutum conſpiratione, nomina ſua æternis meritorum tabulis ad Memoriæ aram ſuſpenderunt. Quod ſi quis inficiari auſit, rarò hoc in vita humana evenire: illum ego vel graviter impudentem dixerim, vel certè in iis, quæ vitam hanc ſpectant, hoſpitem, planeque peregrinum. Quis enim non quotidie experitur, quàm inſolens ſit, ut fratres terni, imò duo, atque adeò vel filius unicus, eximiæ virtutis parentibus satus, Honeſtatis & ipſe graſſetur viâ? non divertat ad laxam Voluptatis ſemitam? non ad Suburram, locaque Vacunæ, & Murciæ dicata? Veterum monumenta Romanorum ac Græcorum ſi replicare viſum ſit; ac penſiculatius paullò examinare, quàm pauci ex una eademque familia ſupra cæteros mortales, vel eruditione clari, vel virtute conſpicui prodierint: unum comperiemus Publicolam, unum & Camillum, & Fabritium, & Papyrium, & Marium, & Lucullum, & Cæſarem. Unus quoque occurrit Lycurgus, unus Solon, Themiſtocles, Ariſtides, Epaminondas, Thraſybulus, Ageſilaus, Phocion unus: itidem unus Virgilius, Horatiuſque: unus Varro, Cicero, Salluſtius, Livius, Tacitus unus. Poſtquam verò duos Catones, Decios duos, tres Metellos, Fabios, Scipiones, tres quoque Curios continua ſerie oratores ſeculum olim dedit, ad prodigioſum magis, quàm conſuetum naturæ morem, referri hoc cœpit. Quid igitur exiſtimaſſent ejuſce tempeſtatis homines, ſi ſex fratrum parem virtutem & gloriam comperiſſent? Exurgam altius, meque ipſum, & Rempublicam, in hoc ſolatium erigam, ut augurer, ipſos quoque Dhonanos fratres eximiam de ſe prolem, quæque præclarè in patrias, & patrui avique virtutes eat, daturos eſſe. Fridericus ſanè, & Fabianus, & Abrahamus, jam dudum terris oſtendunt lætiſſima connubii ac tantæ ſpei pignora, eaque prognata heroïnis, quibus par familiæ decor, par pro ſexu ſuo eſſet virtus. Nec fruſtratus eſt Chriſtophorus hanc de ſe exſpectationem. Qui fœcundo ſibi thalamo junxit magnum ſui ſexus ornamentum, Urſulam, heroïnam undecumque ornatiſſimam, vivum exemplar patris generoſiſſimi Joannis Alberti, Solmenſis Comitis, in quo ſanctiſſima pietas, cum vitæ integritate atque prudentia inter ſe certant. Ex præclara adeò radice quid niſi eximios nobis polliceamur fructus? Quippe Solmenſis familia antiquitatis laude ad nubes uſque caput extulit: ut quæ jam ante annos cccc. in Henrico, celebri cordatoque heroë, amœniſſimè floruerit; ex cujus ſatu, ſed longa propagine, noſtra tempeſtate xxx. annorum ſpatio, Georgius Ebertus, duo Philippi, Ebertus, Wilhelmus, Otto, Fridericus, Albertus Otto, Reinhardus, Henricus Wilhelmus, Joannes Georgius, Joannes Albertus, alii ſub Cæſaribus, Regibus, Principibus, ſumma militiæ imperia, pari fortitudine ac felicitate geſſerint. Imò hodieque eadem familia propinquitate attingit Principes, Electores, Reges. Scientiam enim neminis fugit, quinque heroïnas Solmenſes temporibus noſtris, paucorum annorum decurſu, nupſiſſe totidem illuſtriſſimis Romani Imperii Principibus: quod decus equidem neſcio, an ſeculo hoc alteri Comitum familiæ obtigerit. Agnes quippe in matrimonio collocata eſt Mauritio, Haſſiæ Landgravio: Dorothea, Gulhelmo, Principi Palatino, ex proſapiâ Birckfeldenſi: Sophia, Ioachimo Erneſto Onolbacenſi, Marchioni Brandeburgico: Sibylla, Auguſto, Principi Anhaltino; omnes plurium liberorum matres adhuc ſuperſtites, Agnete exceptâ, matre Guilhelmi, Langgravii Haſſiæ. Leonoræ verò his nunc connubium acceſſit, cum Frederico, Marchione Badenſi, ex proſapia Durlacenſi. Quòd ſi extra Germaniam imus, quantum etiam attuliſſe putemus ad ſplendorem ejuſce domus lætum Ameliæ, heroïnæ cordatiſſimæ, connubium cum illuſtriſſimo Arauſionenſium Principe Frederico Henrico Naſſovio? qui poſt fata magni parentis ſui Guilhelmi, nec minoris fratris Mauritii, prudentiſſimè & fortiſſimè fœderatam tuetur Belgicam: ac cujus (ita auguror) liberis, & poſteris, multa per ſecula libertatem eadem ac ſalutem ſuam debitura eſt. Sed ab inclyta Solmenſi familia, in quam incideramus occaſione conjugis Chriſtophori Dhonani, iterum noſtra ſe oratio ad Fabianum convertat. Cujus ad laudem æquè, ac felicitatem, referimus, quòd, quos cariſſimus frater ejus filios reliquiſſet, invidiâ etiam teſte, magni & nunc ſint, & poſteris ſint futuri. Ut quos fere omnes ex patriis penatibus ipſe eduxerit ad urbes, moreſque exteros videndos: quorum etiam generoſis ingeniis faces prætulerit, tum in Apollinis & Muſarum, tum Martis ac Bellonæ ſtudiis atque artibus: cujus denique ſalutaribus monitis ac conſiliis honores, quos ſuſtinent, ſint conſecuti: quorum ſingula ingenuè ipſi confitentur, ac prædicare etiam non ceſſant. Nihil verò minus cogitandum, quàm cœco erga eos amore ductum fuiſſe. Cum enim manum penè omnibus porrigeret auxiliarem: ſuos tamen, licet offerretur occaſio, neque ad dignitates ipſe evehebat, neque eo fine aliis commendatum ibat; niſi virtute ac meritis, honore ſeſe digniſſimos præſtitiſſent. Nempe quid faciendum ſibi foret, non ſuo unius, ſed conſtanti bonorum omnium judicio metiebatur. Bonorum autem amorem hi facile ſibi conciliabant præclaris animi dotibus. Quas ipſas ornabat dulciſſima rerum concordia, & mirus amor frater-

fraternus. Siquidem, quod de Tuberonibus narrat Plutarchus, eos unà in domo, eodem ſub tecto, magno cum animorum conſenſu vixiſſe; id Dhonanis non minùs convenit. Vixerunt enim quinque propemodum luſtris unis in ædibus: quamvis domos complures in bonis communibus & indiviſis poſſiderent. Ac quemadmodum Tuberones cuſtodiebant aureum illud poculum, quod ex dono Paulli Æmilii unicum habebant: ſic concordiam fraternam, velut omni auro potiorem theſaurum, in familiâ ſuâ conſervandam fratres Dhonani arbitrabantur. Neque dubitandum, quin, cum tantam in his animorum conjunctionem Fabianus quotidie videret; eo hilarius lubentiuſque fortunatiſſimus ſenex, pertulerit labaſcentis ætatis faſtidia, ſeque ad calcandum mortis iter accinxerit. Ad quam vitæ ejus cataſtrophen, & morbos pariter, quibus Deus ad meditationem mortis præparare homines ſolet, extremus jam noſter ſermo decurrit. Vixerat Dhonanus totos L. annos, valetudine commodâ ſatis atque integrâ. Primùm, quod ægritudine cum periculo aliquo conjuncta affectus fuit, in Italia contigit, partim Florentiæ, partim Patavii: ubi Hieronymi Capivaccii, celeberrimi ac præſtantiſſimi medici operâ, priſtinæ eſt ſanitati reſtitutus. Præterea in Gallica eum expeditione lues invaſit peſtilens. Cum enim alienis malis vix aliter commoveretur, ac ſuis; præſertim eorum, quibus familiarius uſus eſſet: impetrare ab animo non potuit, quo minus ſuos in morbo cubantes viſeret, nobiles, ignobiles, viliores etiam ſervulos & aurigas. Ut minimè mirandum ſit, ſi ex contagione ipſe quoque virulentos halitus intra viſcera attraxerit. Quæ res fecit, ut aſperrima hyeme, cum ultro citroque commeandum eſſet, curru ponè vexillum vehi cogeretur. Reliquum autem vitæ tempus produxit vitâ frugali & temperantiâ inſigni. Ajebat enim, non temere Diogenem ſtomachari in eos ſolere, qui, cum luxurioſe vitam degerent, nihilominus pro valetudine bona, ſacra Diis facerent. Quippe ſingulos quodammodo in ſe habere facultatem, abſtinentia & ſobrietate conſervandi corporis valetudinem. Sed nullius tanta eſt ingenii vis, nulli illud corporis robur, ut evitare omnia valeat mala, quæ naturæ imbecellitas ac fragilitas ſecum trahit. Poſtquam igitur Fabiano quoque

*—— Felicior ætas*
*Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra ſenectus:*

jam infeſti, tetri, atque caliginoſi vapores petebant officinam cordis; utque crebrâ affligeretur palpitatione nobiliſſimum viſcus efficiebant: jam in articulos pedum, manuumque deſluebat tenue ſerum; ex quo triſtis podagræ ſenſus concitabatur: jam in renibus collectum ſabulum lapideſcebat: unde atroces calculi dolores cooriebantur. Atque iſti ubi radices ſemel egerant, ex imo erui fundamento minimè potuerunt. Poſtremo autem quadrimeſtri ferociores etiam reddebantur. Neque tamen exiſtimandum, Dhonanum de morte demum cogitaſſe, poſtquam moleſta eſſe cœpiſſet

*Virgil. Æneid 9.*

*—— Tarda ſenectus,*
*Debilitans vires animi, mutanſque vigorem.*

aut ubi morbi præcipites atque impetuoſi irruere cœpiſſent,

1. *Æn.* *—— velut agmine facto.*

Quin verò tota ejus vita, quod Philoſophiæ proprium eſſe ajebat Plato, nihil aliud, quàm mortis meditatio fuit. Quæ propterea mortis contemtum animo ejus induxerat. Maturè itaque in lubrica adhuc vitæ ſtatione conſtitutus, *Eſai.* 38. ad Prophetæ monitum, de domo ſua diſpoſuit, ac priuſquam morbus ingraveſceret, teſtamentum condidit. Eo hæredes ex aſſe nominavit fratris liberos: uti non modò dictabat amor; ſed natura etiam, rectaque ratio flagitabat. Quamquam autem parili omnes affectu complecteretur: pridie tamen quàm vitâ excederet, Chriſtophoro, è fratris filiis natu minimo, quòd clade Pragenſi anni CIↃ IↃ C XX. majorem penè, quàm ferendo foret, jacturam feciſſet, liberaliùs aliquanto, ac cæteris, conſulendum ſibi codicillis putavit. Cumque proſpiceret hunc in modum ſanguine proximis: alterum tamen, quo præſcripto religionis tenemur omnes, minimè neglexit. Ex reliquis enim bonorum, quibus carere hæredes ſuos poſſe animadverterat, ita derivabat beneficentiam ſuam, ut inde partem haurirent famuli & aſſeclæ, ne minimo quidem ex domeſticis atque familiaribus indonato abeunte: partem caperent invalidi ſenes, homineſque miſerabiles in Noſocomiis, Xenodochiis, aut domi ſuæ paupertatem inutili pudore tegentes: partem denique cari auferrent conſanguinei, propinqui, amici. In qua diſpenſatione ei, ex mente B. Ambroſii, quaſi norma quædam & velut amuſſis erat, fides ſincera, & providentia perſpicax: dabatque *Ambroſ. lib. 3. de Offic.* operam ſedulo, ut, quod B. Gregorius requirebat, charitas cum prudentia, prudentia cum charitate jungeretur. *Gregor. par. 3. Paſt. admonit. 21.* Quippe niſi in legando hac fuiſſet cautione uſus, potuiſſet, opinor, idem ei objici, quod Diogenes cuidam ſine judicio quidvis cuivis largienti: *Male ſit tibi, qui Gratias, quæ virgines ſunt, feciſti meretrices.* Verè enim proſtituimus beneficia, non conferimus, niſi accipiant ii, qui vel egeant, vel opibus honeſtè uti ſciant. Atque ut hic prudentia, ita in morbo fortitudo ejus eluxit; etiam cùm pertinaces illi ex calculo dolores ac cruciatus indies invaleſcerent; imò vim omnem ſpirituum ac corporis magis & magis reſolverent ac labefactarent. Hic opinor, mollicellus aliquis, ac ſuo quondam judicio beatulus, nunc deſerturus quicquid carum habuerat, vix lachrymas tenuiſſet. Dhonani verò

*Sil. Ital. lib. 6.*

*—— patientia cunctos*
*Hos ſuperat caſus.*

Nempe in illis acerbiſſimis doloribus innitebatur divini numinis providentia, & paterna ejus miſericordia. Animo quoque obverſabatur dictum illud aureum, ex Stoa profectum: Dolor omnis levis eſt, ſi ferre poſſum; brevis *Epictet.* eſt, ſi ferre non poſſum. Nec tum demum hæc diſcere coactus eſt: ſed de cœleſti migratione, Deoque, æterno Spiritui, ſpiritum ſuum reddendo, à multis retro annis cogitationem crebrò ſuſcipere ſolitus erat. Atque hoc animo etiam olim in Galliis balſamum ad pollincturam, & cadaveri involvendo linteum, pretio ſibi compararat. Ergo ut recuperandæ valetudinis ſpes ſupererat exigua, vel potius nulla: vocavit ad ſe Danielem Spieſſium, conſulem Morungenſem: cujus operâ in re domeſticâ, tum ipſe uſus fuerat diu, tum etiam fratres, ac horum liberi. Indicavit ei, ut recondita eſſent in ciſta balſamum, quod dixi, ac ſindon: ſimul, quid iis fieri velit, edocuit. Nam poſt obitum inungi juſſit exanime corpus, ac linteo velari: at ne à pollinctoribus ſecaretur, interdixit. Atque hæc ille promere animo ita firmo, ſermone adeo conſtante, ut prope dixerim mortem potiùs in timorem conjecturus videretur, quàm ut eam ipſe exhorreſceret. Etiam addebat, gaudere ſe plurimum, quòd brevi mors factura eſſet dolorum omnium finem. Ad cogitationem, vel mentionem mortis, nec tantillum moveri viſus eſt. Nimirum hilari etiam vultu fatalem illum ictum excipere ſolent, qui ad eum ſe compoſuere jamdiu. Quanto autem magis videret, haut ita longam ſpem vitæ ſupereſſe, tantò ardentiùs ab rerum mundanarum cura cogitationes omnes ad Deum convertebat. Imò nihil jam vel adeo volupe erat, vel tanti ponderis, ut ultra adlubeſceret, imò faſtidio potiùs rerum caducarum ducebatur. Ut qui tantummodo meditaretur cœleſtes illas lauticias, quarum guſtum animo præcipiebat. Nimirum mentem extra morboſum corpus raptam, jam ſtricturis ſuis irradiabat, non gratiæ modò, ſed gloriæ quoque divinæ lumen: cujus fruitio quantâ voluptate animos perfundat, nec lingua eloqui, nec cogitatione aſſequi poſſumus. Cæterùm ita affecto Fabiano, ſuperaque ſolùm cogitanti, unum tamen, quod ad vitam hanc pertineret, jucunditatem & lætitiam attulit non exiguam, non multò ante diem, quâ exceſſit. Is nuncius fuit, de adminiſtratione Ducatus Pruſſiæ autoritate Regis tandem commiſſa Sereniſſimo Electori Georgio Wilhelmo: cui quidem jure nullo denegari is honos poterat: veruntamen multorum & vota & ſtu-

dia longè alio tendebant. Itaque Electori, cùm ipſius, tum publico nomine gratulabatur, quòd non modò in ruborem dati eſſent ingrati patriæ cives, pacis turbatores, qui hactenus adverſati eſſent Principi optimo: ſed etiam, quod luculenta affulgeret ſpes, fore omnino, ut res Patriæ, Eccleſiæ, Principis, in melius deinceps verterent. Jamque vires quotidie ita collabi Fabiano, ut indicio ea res eſſet, extremam imminere diem, ad quam piiſſimus vir tantopere anhelabat. Quare priuſquam animæ illud, corporiſque divortium fieret; liberorum fratris tres natu majores, Fridericum, Fabianum, Abrahamum, humaniſſimè arceſſit: venientes poſtridie Pentecoſtes lætus excipit: gratias iis pro parendi iſtoc obſequio agit, blandeque alloquens, Hic, inquit, dies mihi natalis eſt: quem bis & ſeptuagies divino indultu, hac corporis animique compage celebravi, hodie extremum perago. Vos verò coram adeſſe mihi volui, non tam ut dextras jungere nobis liceret invicem, grataſque in his terris, & poſtremas cum gaudio

*Virgil.* *—— audire & reddere voces:*

quàm ut mutuo etiam hoc noſtro colloquio præludamus converſationi meliori longiorique, quæ in cœlis conſequetur. Eo jamnunc præibo, ſed lætiſſimâ vos fiduciâ præſtolabor, eluctatos aliquando ex furiali hujus vitæ Oceano, ut ante divinæ majeſtatis thronum in ſinu Chriſti Soſpitatoris, in Angelorum contubernio, in ſocietate Eccleſiæ triumphantis, in conſpectu tot majorum noſtrorum, non defituris unquam, neque remiſſuris deliciis unà perfruamur. Accedebant amplexus mutui & arctiſſimi; addebantur oſcula, quæ gemitus jam intercipiebant, jam ingeminabant: lachrymis denique ultro citroque obortis dubium reddebant ſinguli, utrùm majori ab ſe moleſtia divellerentur, an cupidius exſpectarent conjunctionem illam in cœlis futuram. Tandem abitum parant Fridericus & Fabianus, ut publicis comitiis, quæ Regiomonti agebantur, ex officio intereſſent: cùm patruus, ductis ex imo pectore ſuſpiriis: Ite, inquit, ſuaviſſimi nepotes. Deo vos, veſtro publicoque bono, commendo. Nulla equidem viſendi vos amplius in hoc terrarum orbe facultas dabitur: at dabitur in altero, melioríque mundo palatium amœniſſimum; ubi congredi ſine laſſitudine, colloqui ſine ſatietate, vivere ſine tædio, tempore, modo, poſſimus. Præ illa vita hæc vita mors eſt, cujus me verè tædet: illam ſpiro, ſperoque: hoc uno lætus maximè, quòd fiduciâ certiſſimâ, nec ullâ dubitatione convulſâ, vitam æternam animo jam deguſto, eamque jam nunc adituriо. Poſtquam hi digreſſi, nulli, ut ante, patere ad ſe acceſſum voluit; nec quenquam ſuſtinuit audire, qui de rebus hujus ſæculi quicquam referret. Tunc nempe credibile eſt, veterem hominem in toto corde domari, quando aliunde, ut pulcrè Auguſtinus monet, minimè aliud cogitatur.

*Auguſtin. in Pſal. 118.*

Unus, iſque aſſiduus ei, propeque accubuus, præter clinicos, aderat præco verbi divini, qui, nunc ſacris verbis, præire ægro, nunc iis interfari. Quibus Dhonanus perinde ex pectore ſuo eliciebat preces, atque ex chalybis, ſiliciſque attritu, micantes flammas reſilire advertimus. Precationes antea à ſe compoſitas, de fonte ſacri codicis hauſtas, ex legentis ore inſcribebat cordi, & Suſpiria ſua ſuſpiriis ſibi applicabat. Uſque adeò in oratione non deficiebat, quamdiu vitæ ullus ſupereſſet ſpiritus: quem ille pridie Nonas Junii

*CIƆ IƆ C XXI.*

extremùm commendavit Deo, placideque adeo reddidit, ut ſomnum capienti ſimilior videretur. Dhonanum verè jam undique felicem! imò nunquam futurum felicem, niſi ad hunc beatitatis portum vela remoſque convertiſſet. In terris eum beare videbantur, prudentia, virtus, honor, poteſtas, divitiæ, deliciæ. Quanto nunc illa omnia ſunt precioſiora in cœlis! In terris magnum erat, doctrinâ atque uſu conſecutum fuiſſe, quicquid prope in hominem cadere poſſit. Sed per nebulam ſeſe offerebant univerſa. Cœlum omnia ſine errore exhibet ſpeculo puriſſimo juxta & ampliſſimo. In terris ad amorem Dei, & proximi dilectionem, ita conſilia ſua referebat, ut gratus Deo, gratus hominibus eſſet; iis etiam, qui inſtituta ejus non undiquaque comprobarent. Sed deficiebat ſæpe conatus in communi imbecillitate, quam longanimus Deus tolerare ſolet. In cœlis omnem omnis virtutis apicem tangit: quippe ubi Chriſti perfectio noſtra ſit; ex cujus plenitudine accipimus, quotquot jus filiorum conſecuti ſumus. *Joan. 1.* In terris proximè aſſidebat magnatibus: crebro etiam Principibus, quandoque Regibus, vel etiam Cæſaribus. Sed illa dignitas erat deſultoria. In cœlis, poſteaquam vicit, dedit ei Chriſtus aſſidere ſibi in throno ſuo, quemadmodum ipſe vicit, ſedetque in throno Patris ſui, Principis regum terræ; Regis regum, ac Domini dominantium. *Apocal. 3.* In terris poteſtatem exercebat non tantum territorio ſuo in ſubditos proprios: ſed etiam in milites, vel cives illos, quos principalis ei commiſerat auctoritas. Verum poteſtas illa etſi humano judicio videretur eſſe in multos; paucorum tamen erat mortalium, pauciorumque annorum, ſi cum novo hoc imperio conferatur. Illic enim conſtitutus eſt cum ſervo fideli ſuper omnia bona cœleſtis patrisfamilias: *Matt. 24.* illic poſſidet paratum ſibi regnum à conſtitutione mundi, quod ſeclis durabit innumerabilibus. In terris, etſi non Crœſi alicujus, luculentis tamen opibus affluebat: unde magnificus ei apparatus erat, & vitæ cultus cum elegantia ac ſplendore, uti genus ac fortunam decebat. Sed opes iſtæ variis caſibus obnoxiæ erant. In cœlis divitiæ illi ſunt orbis univerſi auro longè potiores: quippe ubi Deus omnia ſit in omnibus. *1 Corinth. cap. 15.* In terris lætitiam afferebant fama bona, quæ longè lateque vagabatur; principum gratia, quâ præ aliis florebat; conſuetudo familiaris, quæ cum præſtantiſſimis viris interceſſit; filiorum fratris virtus, cui & honores ſummi deferebantur. Verùm hiſce cunctis tantum aloës admiſtum erat, quantum mellis: nimirum

*—— —— proſpera tanti,*
*Ut rebus lætis par ſit fortuna malorum.* *Juvenal. Sat. 10.*

In cœlis autem Dhonanus ejuſmodi perfunditur gaudio, quale nec conſpexit ullus, nec fando accepit, nec capaciſſima etiam mens comprehendit. *Eſai. 46. 1 Corinth. cap. 2.* Si locum quæramus, altiſſimus eſt, tutiſſimus eſt. Nullum enim malum accedere poteſt, nec flagellum appropinquare tam ſecuro tabernaculo, cujus portarum ſeras ipſe Sionis dominus corroboravit. *Pſal. 91.* Hæc ſola ſunt, quæ hominem poſt obitum verè reddunt beatum: non exequiarum luxus pompaticus: non ſi oſtendantur picti vultus

*Majorum, & ſtantes in curribus Æmiliani:* *Juvenal. Sat. 8.*

non Mauſolea inſani ſumtus. Cujus generis omnia Dhonanus, cùm ſuperſtes de funere ſtatueret, penitus refugit. Atque idem nec epigramma Campanâ dignum ſuperbiâ, uti Nævius olim, ſepulchro voluit inſculpi: *Gell. l. 1. cap. 24.* ſed iſtis orbis ineptiis longè ſegregatis, ipſe ſibi lemma delegit plenum ſimplicis gravitatis: quæ Germanos neutiquam deficit. Sic enim ſibi parentat Dhonanus: ſicuti Morungiæ inſcriptio habet in templo, ubi terræ mandatus eſt:

*Niemant mein todt beweinen ſoll,*
*Ich leb in Godt, undt mir iſt wol.*

O felix funeris ſui cantator Dhonanus! Nec diffiteor, Ennium quodammodo præiiſſe videri: ut qui verſiculos hoſce, quos ipſe fecerat, ſepulchro ſuo juſſerit incidi:

*Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletum*
*Faxit. cur? volito vivu' per ora virum.* *Cic. 1. Tuſcul. Quæſt.*

At, pro Deum immortalem, quàm diſpar, quàm iniqua eſt comparatio amborum! Quantillum enim juvet, ſi non alio beati ſimus, quàm quod labor noſter ad exiſtimationem poſteritatis dimanet! Verum enimvero illa ampliſſima laus, illa felicitas ſuprema, quieſcere in ſinu Dei, atque ejus intuitu frui. Ille Dei intuitus, nunc incredibili Dhonanum gaudio perfundit: fruitio illa innumerabiles ei voluptates parit. Siquidem creatura ipſe arctiſſime nunc ſociatur cum creatore ſuo: liberatus omni malo, conjungitur cum ſummo bono: periculi ac doloris expers, diem agit ſemper ſecuram, ſemper lætam. Verùm mihi in hac infantili tantarum rerum conſideratione, ſolùm balbutire datum eſt, adeoque

*—— —— vox faucibus hæret:* *Virgil.*

ut ſi maximè nolim ; orationis filum abrumpere neceſſe habeam. Facio hoc tanto æquiùs , quia Dhonanus non amplius indigus eſt laudis humanæ ; imò omni terrarum præconio longè eſt major , poſtquam coram ſacra Triade, & immenſo Beatorum cœtu , palmâ decoratur ; lauru redimitus , Deum & cœlites aſſiduè laudat , ſimulque cœlites ipſos ſui laudatores accepit.

*Gaude igitur , Dhonae , tua novus incola ſede ,*
*Quæ datur aſtriferi ſuper aurea mœnia templi.*
*Nempe tua hic verum nebulis mens libera cernens ,*
*Eſt potis abſtruſas rerum cognoſcere cauſas.*
*Cimmerias inter tenebras nos error opacat ,*
*Vanaque pro vero ſe oſtentat opinio menti.*
*Clara tibi facies in aperta luce Tonantis :*
*Unde tuis oculis myſteria cuncta pateſcunt.*
*Nos quaſi ſub velo lumen cæleſte videmus.*
*In ſacris mutila eſt humana ſcientia rebus.*
*Jam tua ſupremo virtus ſe culmine librat ,*
*Et dudum perfecta gradus ſupereminet omnes.*
*At nos cum vitiis turpi luctamur arena :*
*Imperfecta ſuo luget ſe nomine virtus.*
*Pax tibi , pax ſemper placidis adremigat alis ,*
*Aſperaque excluſo miteſcunt ſecula Marte.*
*At nos perſequitur flagro furialis Enyo :*
*Incitat ardentes in nos Bellona quadrigas.*
*Undique te ſatiat dulcis ſine fraude voluptas :*
*Exulat ingratus læto Vertumnus Olympo.*
*Nunquam pura manet nobis ſine felle voluptas ,*
*Sollicitumque aliquid lætis intervenit auſis.*
*Dulce ſodalitium quovis te cingit euntem ,*
*Aligeri fratres , atque agmina denſa piorum.*
*Nobis obſcæni res eſt cum fece popelli ,*
*Cui ſubleſta fides , & frons ſine frontis honore.*
*Gaude igitur , Dhonae , tuâ novus incola ſede.*

---

# PRECES, ET SUSPIRIA

*Illuſtris & Generoſi Domini,*

## FABIANI. P. M. BURGGRAVII à DHONA.

### I.

*LAus tibi ſit Pater ac Domine cœli & terræ , quod unigenitum Filium tuum Jeſum , non paſtoribus ſolùm Bethlehemiticis ; verum etiam mihi manifeſtaveris. Etiam Pater , placuit tibi , grande hoc arcanum de Filio tuo , homine facto , quod ſapientibus ac prudentibus occultaſti , humilibus ac ſimplicibus revelare. Ne quæſo patiare , mi Domine Jeſu , ut exiguum hoc lumen , in corde meo accenſum ( quod nunc Satan , peccatum , ac metus mortis , maligno afflatu ſuo ſummopere exſtinguere conantur ) lucere in me deſinat , atque ita dum loquela mihi adhuc integra eſt , ac vitalis ſpiritus hos artus regit , ipſe etiam deſinam ( cum nihil ſine gratia tua poſſim ) una cum Bethlehemiticis paſtoribus , ac fidelibus omnibus , celebrare atque extollere beneficium hoc , quod pro nobis homo fieri ſis dignatus. Ac quia divinâ tuâ voluntate jam ex hoc mundo mihi emigrandum eſt , commonefac me per Spiritum tuum Sanctum de Incarnatione tuâ , ac omni merito tuo , quo in Cruce pro me miſero peccatore ſatisfeciſti , ut ego tantò lubentiùs ac alacriùs mortem exſpectem ; quippe qui ſciam , te jamjam mihi à facie ad faciem in tua gloriâ viſum iri. Jam enim te fidei oculis adſpicio. Tantum ne abſcede à me , Domine* JESU; *ſed mecum uſque ad finem vitæ permane : ac largire , ne ipſe à te recedam , ſed æternum tecum permaneam , ô ſummè laudande* DEUS *in ſecula. Amen.*

### II.

*OMnipotens , æterne* DEUS , *gratias tibi ago , quòd Sancto tuo verbo me doceas , conſtitutum tibi diem eſſe , quo orbem terrarum judicaturus ſis per eum virum quem definiſti , nempe* JESUM CHRISTUM. *Et quoniam tuo verbo ſua conſtat veritas ac certitudo : ſummam miſericordiam tuam pronus adoro , ac rogo , ut ne unquam animo meo hujus ultimi tui judicii recordatio elabatur. Da præterea , ut ſedulo atque ardenter preces meas coram te effundam. Etiam Domine , tempus miſeriæ meæ decurta. Veni Domine , ac gratioſe me ab omni malo libera. Poteſtati Satanæ me eripe. O Deus pacis , quietam mihi conſcientiam dona.* JESU, *unigenite Fili* DEI, *qui venturus es in nubibus cœli judicatum vivos & mortuos , fac , ut ne dies judicii tui mihi ſit terrori ac condemnationi : verùm dies ſalutis , ſolatii , gaudii , & liberationis ab omni malo , ac introitus in æternam beatitudinem. O Domine , Sancto tuo Spiritu me conſolare , ac clementi tuâ miſericordiâ hanc mihi gratiam largire , quò jucundiſſimum tuum vultum , ab omni terrore immunis , maximo cum gaudio adſpiciam , ac ex divino ore tuo audiam lætiſſimam & ſolatii pleniſſimam vocem illam , Venite Electi : ut & ipſe hæc ſuaviſſima tibi verba accinam , Laudatus ſit , qui venit me liberatum in nomine Domini : Hoſianna in altiſſimis. Amen. Mi Domine* JESU CHRISTE, *Amen. Ne diu emane , ſed veni cito. Amen.*

### III.

*DOmine mi ,* JESU CHRISTE, *qui in ſtatu humilitatis tuæ cæcis viſum , ſurdis auditum , mutis reſtituiſti loquelam , ac miſeris omnibus ſuccurriſti : ex intimo te pectore oro atque obſecro , ut hoc in morbo clementer miſerearis mei , dolores lenias , ac felicem beatumque ægritudinis hujus finem largiaris. Ac ſicuti hactenus Sanctum Evangelium tuum reſonare in auribus meis voluiſti : ita etiam Spiritu tuo in corde meo obſignes ſolatia ,*

ac

Digitized by Google

*ac promiſſiones Verbi tui, ut certus ſim, nihil eſſe, cur deinceps* Dei *iram, vel Gehennæ pœnas extimeſcam. Præterea hanc mihi gratiam largire, ut in tui conſtanti confeſſione perſeverans, certiſſimaque hac fiducia innixus, te Jeſum eſſe Chriſtum, & vivam & moriar ad gloriam Patris tui cœleſtis. Amen.*

IV.

D*Omine* Jesu, *quandoquidem B. Johannes teſtatur, te verum eſſe lumen, quod omnes homines illuſtret: ſupplicibus te votis oro, ut, quum tempus inſtabit, quo, juxta ſanctam divinamque tuam voluntatem, non amplius hiſce oculis conſpiciam mundi lumen: imò corpore hoc mox terræ ſpecu recondar: eam mihi gratiam concedas, ut æquo animo, iis, quæ imminent, adquieſcam. Scio enim te, qui es vera illa lux mundi, minimè paſſurum, ut perpetua ſim caligine circumſeptus: ſed fore ſuo tempore, ut me ex tenebricoſa mortis valle reductum in clariſſimam æternæ vitæ lucem introducas. Gratias etiam tibi ago, quod pulcherrimum illud Johannis Baptiſtæ de Perſonâ, Naturis, ac Voluntate tuâ teſtimonium literis conſignari voluiſti: ut ita certus eſſem, te Dominum* Jesum *Nazarenum eſſe illum ipſum, à Moſe, Davide, ac Prophetis promiſſum Servatorem. Inſcribe cordi meo hoc teſtimonium per Spiritum tuum Sanctum, ut certâ fiduciâ te invocare, ac propter te patienter hanc crucem perferre, ac, tuo verbo confiſus, beatè mori queam. Evelle quæſo radicitus ex corde meo omne id, quod remorari poſſit iter meum verſus cœleſtem Hieroſolymam. Johannis Baptiſtæ conſtantia me robora, ut alacriter te confitear. Ex hoc nunc mundo, meaque mihi domo migrandum eſt. At tu conſtanti ſpe hac me ſuſtenta, hinc me tuam in domum tranſlatum iri, unde à nemine expellar unquam. Amen.*

V.

O*Mnipotens, æterne, miſericors* Deus, *cœleſtis Pater, quantas poſſum gratias ago, quod ita me dilexeris, ut Filium tuum cariſſimum* Jesum, *Bethlehemi, bono & ſolatio meo, naſci hominem volueris. At imprimis ago tibi gratias, quòd hodieque angelum, hoc eſt præconem Verbi tui, ad me ablegas, ac per eum ex Verbo tuo Sancto pacem conſcientiæ, cordiſque illud gaudium annuncias, de quo Angeli noctu Chriſti natalitiâ hymnum cecinerunt. O æterne Deus, qui, naſcente Filio tuo, cœlites pariter ac terreſtres exhilaraſti: commove nunc etiam cor meum, ut pace tecum factâ, in uno te lætitiâ exultem. Da, ut diabolo reſiſtam, atque ut par ſim omnibus imminentibus anguſtiis, quæ, ut video, quantum in ſe eſt, ſcaturiginem hujus pacis & gaudii obſtructum irent, præbendo mihi potum ex fœtentibus ciſternis, ubi nulla aqua, nulla invenitur conſolatio. Tu verò præſta, ut, quæ inde mihi offeruntur, pedibus ego fortiter proteram; ac illud duntaxat gaudium magni faciam, quod jam cor hocce meum (cui creaturarum nulla idoneum attulerit ſolatium) ſolum atque unicum recreare atque exhilarare valet. Jam extremis ſuſpiriis meis iſtius gaudii paciſque me participem fac. Nunc enim, nunc mihi imprimis his opus, quando ex hac vita eſt excedendum. Renova igitur in corde meo memoriam hujus Pacis, quam Sancta tua Incarnatione ac pretioſo lytro acquiſiviſti. Fac ne gaudium hoc, dum media morte teneor, deficiat; ſed ut fiducia plenus per temporalem hanc mortem, velut januam, in æternæ vitæ gaudia ingrediar. Amen, Domine* Jesu Christe, *Amen.*

VI.

O*Mnipotens* Deus, *qui Magis ex Orientali terrâ venientibus novam produxiſti ſtellam, ut ab ea deducti ad puerulum recens natum* Jesum, *gaudio ſummo imbuerentur, & converterentur nobiſcum ad agnitionem veritatis: me etiam illumina radiis gratiæ tuæ cœleſtis, ac cor hoc meum ſimiliter exhilara remittendo mihi peccata mea; quo ſolo verum & ſolidum gaudium cordi meo obtinget. Bea me quæſo ſancto tuo Spiritu, qui in hoc ultimo meo certamine excitet in me animum gratum, ſinceram charitatem, duranteque hac ægritudine mea, patientiam lætam, & promtam obedientiam; quæ me, de clementi voluntate tua, ad mortem ſubeundam, lubens cum melioris vitæ fiducia componam: per illum dilectum Filium tuum* Jesum Christum, *cui omnibus ævis ſit laus & gloria. Amen.*

VII.

G*Ratias tibi ago, miſericors* Deus *ac Pater, quòd Sancto me Verbo tuo, præclaris etiam piorum exemplis, edocueris, quo pacto Chriſtiano mihi vivendum, ac beatè moriendum eſſet. Neque tamen ita ex Chriſti præcepto vitam tranſegi, uti factum oportebat: ſed divinam tuam Majeſtatem peccatis meis ſæpius graviſſimè offendi; imò crebrò, quæ coram homullo vili non deliquiſſem, ea in conſpectu tuo committere non erubui. Verùm feciſſe me iſta ex animo dolui, doleoque.*

*Ago quoque gratias tibi, quantas poſſum, quod me in horribili fovea ac cœno peccatorum demerſum non deſerueris: ſed clementer inde extraxeris, jacentemque erexeris, ac potentia Spiritus tui ſancti meliori donaris mente; quâ exoſus peccata omnia, bona fruges ferrem. Sed eò ægrè me adductum eſſe, ingenuè agnoſco. Nimirum caro & ſanguis obſtitere, quo minus efflorêt ſemper ſincerus verùſque fervor. Victoria nihilominus, ô Deus, penes Spiritum Sanctum remanſit, qui ſpiritui meo abundè atteſtatus eſt, non me propter delicta hæc è manu Servatoris mei* Jesu Christi *ereptum, vel ab amore tuo ſeparatum iri: quandoquidem pœnitudine eorum ducerer, quæ à me infirmitate carnis acta eſſent, atque ex animo etiam cuperem, quod reliquum meæ vitæ ſupereſſet, omne id non mihi, ſed tibi totum addicere ac conſecrare. Quemadmodum ergo in vita certans reportavi victoriam: ita precor, omnipotens* Deus, *ut jam, cùm hinc diſcedendum, tantò magis per te corroborer, quò diabolo, peccato, atque etiam carnis hujuſce tentationibus, fortiter reſiſtere, ac victoriam obtinere queam. Fac quæſo, ut hora mortis meæ omni dolore vacua, ſolatii verò ac fidei pleniſſima ſit: qualis Simeoni, beato illi ſeni, à te obtigit: ut cen Simeonis corde, ſpiritu, fide, gaudio, ac brachiis, complectar maximam, illuſtrem, æternam illam ſalutem in Domino noſtro Jeſu Chriſto ex merâ miſericordiâ nobis paratam: ne mortis metu exhorreſcam, ſed omnibus, quæ mundo chara ſunt, inſuperhabitis, fideli corde amplectar, atque obtineam filium tuum Jeſum Chriſtum. Ille enim mortem, diabolum, gehennam, æternamque condemnationem devicit, diſturbavit, ac in nihilum redegit, quò maximo cum ſolatio, planeque tranquillus ac lætus è terris abire, fidenterque dicere poſſim:* Jam nunc *cum gaudio diſcedo ex ærumnoſa hac, in veram, æternam, mihi,* mihi *inquam, pretioſiſſimo Chriſti merito partam, ac ab eo* mihi *promiſſam beatiſſimam vitam. Amen. Verax eſt ipſe. Promiſſio ipſius, cui fide certa & ſincera totus innitor, me neutiquam fruſtrabitur. Amen.*

VIII.

D*Omine* Jesu Christe, *qui tuis te miraculis abunde patefeciſti, ac omnes in fide confirmas, ne cui dubium eſſe poſſit, quin tu ſis Chriſtus Filius viventis Dei; ſummè te oro, ceu multis cæcis viſum, multis ſurdis auditum, multis mutis loquendi facultatem, atque adeo mortuis vitam reſtituiſti: ſimiliter etiam me, quippe qui id potes, cum precor, exaudias; cum patior, libe-*

*liberes; cum tentor, conſoleris; cum mortuus ero, in vitam revoces. Et ſicuti in nuptiis Canæ Galilææ celebratis horam tuam veniſſe negabas: ita me quoque erudias, ut ſanctam tuam voluntatem agnoſcam, neque impatiens reddar; ſed tuam horam opperiar, nihil ambigens, quin hora auxilii, conſolationis, gaudiique adventura ſit; quâ ſicuti Canæ aquam in vinum convertebas, itidem lachrymas meas ac dolores in gaudium ineffabile commutes; divinamque potentiam ac bonitatem tuam, largiter in me oſtendas. Amen.*

## IX.

D*Omine* JESU CHRISTE, *qui diſcipulos tuos in navigio periculo tempeſtatis anxios, cum invocarent te, exaudiviſti: mihi quoque ad te confugienti, facilem aurem præbe in anguſtiis meis. Cernis, quo loco ſint res meæ. Languores ac dolores meos noſti. Quantum igitur poſſum, oro te, ut mihi auxilio tuo adſis. Nemo enim mihi opitulari poteſt, præter te unum. Quare curam mei ſuſcipe: miſericordiâ complectere: fide me certâ ac ſtabili dona: largire mihi invictam patientiam, ſanctam humilitatem, verum ſolatium, beatam ſpem. Eripe me his malis: ſuccurre mihi, qui de nomine tuo nuncupor Chriſtianus; qui Spiritum tuum Sanctum in me operantem honore & amore proſequor; qui te juxta tuum mandatum adoro: ne me quæſo deſeras, unicum omnium afflictorum ac preſſorum aſylum. Comprimis fac, ne in hac miſeria mea dormire te credam. Te dormiente in navigio, periclitabantur diſcipuli. Vigila Domine, ac mihi opem fer: cæteroquin pereo. Potenti Verbo tuo deſcende in cor hoc infirmum, ne fides mea labaſcat, vel patientia, ac vivida in me conſolatio exſtinguatur. In tentationes ne induci me patiaris. Suggere vires, quibus diabolo reſiſtam: tutum me præſta ab laqueis, quos mihi nunc maxime dæmon tendit. Impatientiam à me omnem amove. Ne ſine, ut de tuo amore ac gratia deſperem. Impera afflictioni meæ, prout faciebas furenti mari: ac mox omnis ea recedet. Minare meæ miſeriæ: & peribit illa. Tu enim es potens ille Dominus, magnus conſilio, ac factis admirandus. Tu imperium obtines cœli & terræ. Tibi ego ſervio, imò omnia tuis mandatis parêre coguntur. Quocirca etiam mihi opitulare, ô venerandum nomen* DEI, *ô dulciſſimum nomen* JESU CHRISTI. *Ac quemadmodum toto vitæ meæ curriculo pro felicitate Eccleſiæ Chriſtianæ preces meas ad te fudi: & ſeriò revocavi ad animum, quoties cognoſcerem eam affligi à Satanâ, atque iis, qui zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, ducerentur: ita jam quoque ſincero cordis mei affectu te oro, ut etiam poſtquam hinc migraro, curæ ac cordi tibi eſſe velis eos omnes, qui verbum tuum coram mundo confitentur. Purga Eccleſiam tuam. Errantes adduc ad tui cognitionem. Scandala ſiſte, nec patere, ut ſanctum tuum nomen apud nos male audiat. Adſpira leniter cymbæ eorum, qui juxta Evangelium tuum, te vera fide invocant ac colunt. Tuere eam adverſus turbines & procellas omnium eorum, qui veritatem cæleſtem peſſundare conantur. Ne dormi: ſed vigila: ne neglige, ſed conſerva tuos; ut te laudent ac celebrent, & in hoc ſæculo, & in æternum. Amen.*

## X.

D*Omine, qui hactenus me ſicuti hortum cuſtodiiſti, nunc etiam procura, ne zizania dubitationis in me ſuccreſcant, atque ego ita de tua miſericordia deſperem aut ambigam. Sere in corde meo triticum, granum veræ fidei. Seminis inſtar magis magiſque inſperge cordi meo Verbum & Spiritum tuum; unde in me pullulent actus juſti ſanctique, de quibus ſolis gaudere poſſum. De propria enim gloria conclamatum eſt. Imo neque tua in me dona jacto: verùm illud potius, quòd Filius tuus* JESUS CHRISTUS *meâ cauſſâ in cruce mortem perpeſſus eſt; ubi arderem ira* DEI, *omneſque meorum peccatorum portavit. Quandoquidem vero jam adveſperaſcit: permane mecum gratia & auxilio tuo. Minime autem, juxta ac meritus ſum, mecum age. Inutilis enim ſervus ſum, etiam ſi omnia mihi injuncta præſtitiſſem. Ne repelle me abs te: neque mihi, quod meum eſt, attribuas: verùm denario me gratiæ, bonitatis, ac miſericordiæ tuæ, digneris. Aufer à me, quod meum eſt, & da, quod tuum. Meum eſt peccatum, mors, ac æterna damnatio. Tua eſt juſtitia, vita, æternaque beatitudo. Me ipſum abnego, ac pariter omnia mea opera, uni bonitati tuæ innixus, tuo φιλανθρώπῳ vultui ac benignæ dexteræ confiſus. Miſericors eſto erga me peccatorem, hominemque ingratum: meque recrea gratioſo, miſericordi, ac humaniſſimo adſpectu; ut tanto lubentius ex hoc mundo excedam. Amen.*

## XI.

D*Omine* JESU CHRISTE, *qui duobus diſcipulis tuis, Emaüntem cum irent, comitem te præbuiſti, eoſque benevolè adeo inſtituiſti: meo etiam cordi aſſociare miſericordiâ tua: atque ei agnitionem tui inſcribe vivâ Spiritus tui Sancti litterâ, quo te tanto magis (propria enim virtute id facere haud poſſum) ut mecum perennes, cogam, atque ex animo te compellare queam illis verbis, Mecum maneto, Domine: adveſperaſcit, ac finis vitæ meæ appropinquat. Permane mecum, in ipſo præſertim agone. Eſto mihi dux ac comes, ad vitam æternam profecturo; ut animo ac corpore efficaciam pretioſiſſimæ paſſionis ac mortis tuæ, nec non victorioſæ reſurrectionis perſentiſcam, ac ea propter æternum te laudem & celebrem. Veſpera vitæ meæ advenit. Aures meæ vix audiunt: nec ſuum lingua ſatis facit officium: ſuſpiro ad te, fidiſſime Servator: ne me deſeras in hac extrema mea anguſtia. Mane mecum ſalutari gratia tua, & vivificâ conſolatione. In tenebroſa mortis valle ne me relinque: verùm per tenebras mortis deductum ſiſte in ſerena & clariſſima luce vitæ æternæ. Amen.*

## XII.

D*Omine* DEUS, *Pater cæleſtis, perſpicis quanta nunc conſiictler calamitate: circumdor undique viribus Satanæ: defenſorem, præter te unum, nullum novi in cœlo vel terra. Fidiſſime* DEUS, *ne me deſeras. Qui omnibus meis hoſtibus es potentior, in hiſce anguſtiis à me ſtes. Adjuva me contra me ipſum: adjuva me adverſus horribilem animæ hoſtem, ne me in hac infirmitate mea percellat; aut diuturno morbo ac doloribus attritum circumveniat. Conſerva me, mi cæleſtis Pater, ut nec proſpera, nec adverſa, à te abducant; ſed ut uni tibi confiſus læta ſpe, prompta obedientia, fideli patientia; adhæc divino ac potenti tuo auxilio, omnibus Satanæ inſpirationibus devitatis, victor abeam per* JESUM CHRISTUM, *fortiſſimum illum victorem. Amen.*

## XIII.

D*Omine* JESU CHRISTE, *qui innocens propter me morti es adjudicatus, da ut omnem meam ſpem & fiduciam in te ſolo collocem, ut propter te preces meæ exaudiantur. Crux tua meam leniorem reddit. Sanguis, quem fudiſti, ac inenarrabiles anguſtiæ tuæ, in afflictionibus mihi ſunt ſolatio. Mors tua æterna mihi eſt cauſſa vitæ: qua ut fruar, largire Domine Jeſu, cum Patre, & Spiritu tuo Sancto. Amen.*

## XIV.

J*Am confidenter te compello, Abba Pater; quoniam Filium tuum mihi donaſti. Quare non peribo, ſed hæres ero vitæ æternæ. Propterea enim miſiſti ad nos Filium tuum,*

*tuum, juxta dulciſſima hac ejus verba Luc.* IX: Filius hominis non venit, ut perderet animas hominum, ſed ut ſervaret. *Et Joh.* XII: Ego lux in mundum veni, ut quiſquis credit in me, in tenebris non maneat. *Et Apoſtoli hoc* 1 *Tim.* 1. Certus eſt hic ſermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur, Chriſtum Jeſum veniſſe in mundum, ut peccatores ſervaret, quorum primus ſum ego. *Omnipotens Deus, inſcribe hac intimo pectori meo, ut Filium tuum rectè agnoſcam, agnitum rite colam, eique ſerviam: inque ſecundis & adverſis, in vita ac morte, accinam ei fidei ac lætitiæ plenum Hoſianna.*

## XV.

D*Omine* JESU CHRISTE, *gratiam tibi habeo pro redemtione mea; quod tantò facio ardentiùs, quantò illa tibi cariùs ſtetit. Principes enim, ac magnates terra, civium ſuorum ſanguinem impendunt in ea, qua acquirunt. Tu verò, Domine, proprio tuo ſanguine me redemiſti. Juxta illud Propheta Zacharia,* Sanguine fœderis tui emittis vinctos tuos è ciſterna, ubi nullæ ſunt aquæ. *Quod beneficium ut grato animo aſtimem, deſcende in me, & dirige me Spiritu tuo. Cùm Hieroſolymam ingredereris, Domine, rectà petiiſti, non magnificum palatium; ſed templum tuum. Corda electorum imprimis ſunt templum tuum. Ingredere igitur hoc pectoris mei templum: ac quemadmodum Hieroſolymitanum illud, quod domus eſſe debuerat precationum, repurgaſti ab emptoribus, ac venditoribus: ita cor etiam meum munda à noxiis praviſque cogitationibus, per quas impediuntur ſancta preces.*

## XVI.

G*Ratias tibi ago, Domine* JESU, *quòd, dum miſera natio Judaica alium à te Meſſiam exſpectat: ad me miſerum peccatorem adveneris regno Verbi & Spiritus tui. Solatium hoc omnibus mundi theſauris longè antefero. Da,* CHRISTE, *ut in eo augeſcam: inque eo vivam & moriar. Abſque hoc ſolatio, perpetuis querimoniis ac doloribus contabuiſſem, imò aternum periiſſem. Nunc verò lætitiâ exulto, poſtquam ad me etiam veniſti. Meus enim nunc es. Quicquid Patrem in nomine tuo rogavero, id omne mihi largietur, juxta promiſſum, quod dediſti nobis. Contriſtant me peccata mea: excruciat mea me imperfectio. Eia, exſulta filia Sionis: gaude, inquam, quiſquis es credentium. Dominus meus* JESUS *hunc in mundum venit ſervatum peccatores. Peccatoribus, & quidem ſummis, ego me accenſeo. Nequaquam ergo me infirmitas ulla perterrefaciet. Infirmiſſimus filiorum eſt cariſſimus. Infirmiſſimus ego. Tanto igitur carior ero. Nempe tuo me humero, mi Domine* JESU, *impoſitum geſtabis, tanquam oviculam, qua aberravit. Tutum etiam me praſtabis adverſus diaboli inſidias. In mundum enim veniſti, ut diaboli opera deſtructum ires. Atqui & me Satanas adoritur. Auxiliare igitur, Domine* JESU: *ac deſtrue diaboli vim ac dolos, quibus me ubivis aggreditur. Jam morbus me tenet, ac mors etiam imminet. Læta nihilominus eſt anima mea, propterea, quòd nequaquam me deſtitues conſolatione gratia tua ſalutaris. Tentat me Satanas. Sed & ipſe tentatus es. Tanto citiùs ſuccurres tentationi mea. In hac bonitate tua fiduciam pono. Jamque omnes meas cogitationes ab hac terrena vita avoco ad aternam illam ac cœleſtem. Hic pauper, illic diteſcam: hic aliquamdiu agrotus, illic aterna ſanitate perfruar: hic à face peſſimorum hominum ſpretus ac rejectus, illic ab ipſo Domino Deo honore afficiar. Quare iterum dicam cum Propheta, Exſulta filia Sionis; hoc eſt, tute cum fidelibus cunctis. Gaude ac lætare ex animo filia Hieroſolymorum. Suſtulit enim Dominus Deus pœnam, ac dimovit inimicos. Praſto eſt Rex ipſe Iſraëlis, ne quam metuam calamitatem: ac proinde nec ipſam mortem. Itaque mortem non formido. Imò dulce mori in Domino. Ablatus enim morti eſt aculeus ſuus: vita victoriam obtinuit: mors ludibrium debet. Beatè igitur moriar. Exſulta, exſulta anima mea. Chriſtus ſe tuam eſſe vitam profitetur.*

## XVII.

D*Omine* JESU CHRISTE, *cùm Bethlehemiticis paſtoribus in agro commorantibus nunciaretur ab Angelis nativitas tua: non gaudebant modò, ſed neque in viam dare ſe gravabantur. Feſtinantes ibant, quò viderent te, nativitatem tuam divulgarent, ac celebrarent Deum, propter ea qua vidiſſent & audiiſſent. Quoniam igitur & mihi nunc ingrediunda eſt via, qua ad te in cœleſtes arces ducit, mi Domine* JESU CHRISTE: *largire mihi quaſo gratiam Spiritus tui Sancti; ne gravatim hoc iter ſuſcipiam; ſed, uti par eſt, alacriter eo proficiſcar: quippe ubi continuò omnis mea calamitas ac miſeria finem ſortiatur; ac ineffabili gaudio, aternâque beatitate commutetur. Atque uti quandoque viatori bonus dux opus eſt, ut eo tutius iter capeſſat: ita ego nihil nunc aquè deſidero, quàm ducem ac comitem fidelem. Siquidem diabolus, ac mea ipſius caro, inſidiis ſtructis hoc unum agunt, ut me à vero tramite abductum interficiant, ne ad optatum locum pertingam. Tu verò duc me quaſo, mi Domine* JESU CHRISTE, *ac à me dimove omnes eos, qui animæ meæ inhiant. Utere erga me benignitate eâ, qua uſus es erga diſcipulos tuos, quando Emauntem ibant. Similiter me comitare, doce, confirma, etiam permane mecum. Illuſtra oculos cordis mei, ne ullo pacto dubitem, quin hac ſit vera via, quam fideles omnes inſiſtere oporteat. Tu es via, veritas, ac vita: tu lux mundi: quod qui credit, is nunquam à vero tramite ullis aviis aut tenebris abducetur. Nec cùm moritur, morietur; ſed vitam habebit aternam: quam tu, Domine* JESU CHRISTE, *pretioſiſſimi tui ſanguinis effuſione, acerbiſſimâ morte, glorioſiſſima reſurrectione, ac triumphali adſcenſione in cœlos, non aliis modò, ſed* MIHI *quoque peperiſti. Laus, honor, & gloria ſit tibi, Domine, in ſecula ſempiterna. Amen.*

## XVIII.

M*I Domine* JESU CHRISTE, *qui in ſtatu tua humiliationis omnium agrotorum, qui tibi ſupplices facti fuere, miſertus es; ac cacis tribuiſti viſum, mutis & ſurdis loquelam atque auditum, claudis aqualem donaſti ac conſtantem inceſſum, leproſos à ſcabie repurgaſti, malignos ſpiritus potenti tuo verbo expuliſti ab obſeſſis, aliiſque miraculis plurimis demonſtraſti, eſſe te verum ac promiſſum illud mulieris ſemen, mundique Servatorem: adſis mihi nunc auxilio tuo, ſine quo miſerrimus ſim, atque adeò continuò & ipſe fuero mutus, ſurdus, claudus, leproſus, obſeſſus. Miſerere mei, atque praſentes à me dolores aufer; quaque perpeſſus ſum hactenus, ad beatum finem dirige. Cumprimis per Sanctum tuum Spiritum largire mihi, ut conſtanter credam, te eſſe Jeſum illum Chriſtum, atque ut huic innixus, vivam ac moriar, ad gloriam Patris tui cœleſtis. Amen.*

## XIX.

D*Omine* JESU, *da ut ex animo in te gaudeam; nec deſperem, aut metuam, quando mea me peccata diſcruciant. Nam; ut Propheta, & Apoſtoli, teſtimonium de te perhibent, tuo in nomine peccatorum remiſſionem accipiunt omnes, qui in te credunt. Imò ipſe atteſtaris, te propterea in mundum veniſſe, ut ſervatum ires peccatores. Etiam eapropter* JESUS *nominaris, quia à peccatis ſervas populum tuum. Atqui ipſe etiam ſum è populo tuo: quippe qui per te & cupiam ſalvari, & credam me ſalvum fore. Multa quidem & magna ſunt peccata mea: quod equidem confiteor. Tot tamen, & tanta non ſunt, ut non multis illa modis* DEI *miſericordia antecedat. Tu certè, mi Domine* JESU, *omnes, quos pœnitet pec-*

peccatorum (quantacunque hæc, quotcunque etiam illi) humaniſſime ſic affaris: Ad me qui venit, non extrudam. Hujus effati veritas etiam in me comprobabitur. Nemo me tua è manu eripiet: idque me ſumme conſolatur. Infirma ac imperfecta eſt fides mea: ſed inexhauſta eſt tua miſericordia: quâ, quod fidei deeſt, adimplebis. Cum multis amatoribus rem habui: ut ait Jeremias. Sed quia ad te revertor, non me utique ejicies. Et quandoquidem, Domine, quum adhuc eſſem peccator, pro me mortuus es: juſtificatus nunc tuo ſanguine ſervabor multo magis per te ab ira illa. In tua gratia adquieſco. Exſerit enim ſe tua in infirmis potentia. Nulla damnatio ineſt iis, qui ſunt in te CHRISTE JESU. Fidus es tu, qui me ab omni vitio purgas. Te, mi Domine JESU, cum Patre tuo cæleſti, ac Spiritu Sancto, nec præterea alterum, toto vitæ meæ curriculo invocavi: jam quoque uni tuo nomini confiſus moriar. Memento nunc mei, mi Domine JESU, ut qui regnum tuum jam ſis ingreſſus. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Suſcipe Domine ſpiritum meum. Da mihi ex gratia, Domine JESU, qui me tamdiu in hac vita conſervaſti, da, inquam, mihi vitam æternam, quam tuo mihi ſanguine peperiſti. Multò plurimis etiam, maximiſque hujus ſeculi bonis, hactenus me beaſti: jam etiam mihi, ut cohæredi tuo, hæreditatem dona in cælis mihi ſervatam, quæ nec perire poteſt, nec contaminari, nec marceſcere. Tu me potes, Domine JESU, ex morte eductum in vitam introducere. Id etiam facies, quoniam mecum es. Inferi, ac terra cælum mihi fuerint, quia tu, mi Domine JESU, in me habitas. Temet ipſum cæleſti tuo Patri ob oculos pono. Quid in tuo nomine mihi roganti denegabit? Perterret me Satanas: tum me ſanguis reſocillat. Nihil mihi damni dabit: nulla ipſi in me poteſtas. Precioſum tuum meritum omnem ipſi potentiam ademit. Ad te ablego illum, qui imperare illi poteris, & veles, ut miſſum me faciat, nec ulteriùs mihi peccata objiciat mea, meque propterea allatret. Sanguis tuus pleniſſima eſt ſatisfactio pro omnibus meis peccatis. Tibi ſit laus, honor ac gloria in æternum. Amen.

XX.

OMnipotens Domine, cæleſtis PATER, uſque adeo miſericors ac benevolus fuiſti, ut perpeſſus ſis, Filium tuum unigenitum ſeſe pro me in mortem dare: ut vero æternum perirem ego, neutiquam ſiviſti. Quodammodo igitur me Filio unigenito duxiſti cariorem. Nec enim ipſum, ſed me, à maledictione crucis præſtitiſti immunem. Idcirco gratias tibi ago, ex intimo cordis affectu; ac rogo, ut ne jam deſeras me, nec ineffabilem tuam miſericordiam mihi ſubtrahas. Tibi quoque, Domine JESU CHRISTE, laus ſit & gloria, quod calicem à me amoveris, atque amaram ipſe potionem exhauſeris potiùs, quàm ut ego eam bibens morte interirem æterna. Tibi etiam, SPIRITUS SANCTE, gratias ago, cujus virtute hæc beneficia cæleſtia, & ore profiteor, & corde amplector. Oro te, ut hanc gratiam in me conſerves, uſque ad extremum vitæ halitum. Ita mors dulce mihi fuerit, ac decorum. Imò mors mihi erit lucri loco: quia, quod amari in ea erat, id Dominus ac Salvator meus JESUS CHRISTUS ebibit. Quis eam igitur nunc averſetur? Quod enim reſtat, ſuave eſt; quâ dulcedine illam JESU CHRISTI paſſio imbuit.

XXI.

LArgire mihi, DEUS, humilitatem publicani, latronis in cruce confeſſionem, pœnitentiam Apoſtoli Petri; ut unà cum illis in æternam ac glorioſam beatitatem ingrediar. Mi DEUS, ſi tu ad rationes quempiam voces, grandius ſit nomen, quam ut diſſolvi queat. Oro autem, ut has rationes compendi facias. Computare deſine, ſi gloriam miſericordis affectus deſideras. Mi Domine, remitte mihi debitum meum: apud te enim multa eſt condonatio. Nulla creatura remittendorum peccatorum poteſtate prædita eſt. Penes te id eſt unum. Tu ex gratia peccata remittis, ut omnis tibi mundus ſupplex fiat.

XXII.

OMnipotens Domine ac DEUS, confiteor, ac in conſcientia meâ convictus ſum, eſſe me maximum peccatorem, ac non erubuiſſe publicitus committere ea coram oculis tuis, quorum me coram infimo hominum puduiſſet. Eapropter anima mea ſummis conficitur angoribus. Sed viciſſim id me conſolatur, quod me miſerum, maximumque peccatorem non repudiâris; ſed gratiâ tuâ complexus ſis, ac mea mihi peccata remittere cupias propter JESUM CHRISTUM. Siquidem, quantacunque eſſet peccatorum meorum magnitudo; voluiſti nihilominus, ut Filius tuus unigenitus iram tuam, ac pœnas, quas promeritus eram, ſuſtineret, ut ego ab illis liberarer. Mori illum oportuit, quò ego æternum viverem. Hoc credo, meque in corde meo hoc ſolatio ſuſtento, non permanſurum me in morte, ſed per eam ingreſſurum eſſe in vitam æternam: quæ in JESU CHRISTO mihi parata fuit ante jacta mundi fundamenta. Etiamſi omnia mea membra ſuum facere officium ceſſent; ſi auditus, viſus, loquela, ac intellectus langueant prorſus ac concidant: gratia tamen, ac miſericordia tua nunquam deſinet.

XXIII.

DOmine JESU CHRISTE, qui munus ſuſcepiſti quærendi, quod eſt perditum; me etiam quære: quæſitum invenies, nec inventum amittes. Largire quoque gratiam mihi Spiritus Sancti, cujus efficaciâ & te quæram, meque quærenti tibi obvium ſiſtam. Abſque hac, quando ad ſanctam me cœnam tuam, grande illud convivium invitas, excuſarim & ipſe me cum iis, qui magis curis terrenis, quàm tuæ clementiſſimæ invitationi obſequebantur: atque ita ego quoque meo mihi jumento malum arceſſens, obnoxius reddar graviſſimo illi judicio, quod adverſus omnes amicæ illius invitationis tuæ contemtores proferes, cum eos dices indignos eſſe, qui cœnam tuam deguſtent.

XXIV.

OMnipotens Domine ac DEUS, profiteor coram te maximum animi dolorem. Aberravi à viis tuis, & præceptis. Sed fiducia mihi omnis in eo repoſita eſt, quod ſuſcipias peccatores, qui reſipiſcunt. Rogo igitur, ut nec miſerum me peccatorem gratiæ tuæ expertem eſſe ſinas. Abſolve me, uti publicanum abſolviſti præ Phariſæo: Accumbe mecum, prout edisti & bibiſti cum publicanis. Ægrè hoc habuit murmurantes Phariſæos. Murmurent nunc quoque mors, ac propria caro, quantum & quamdiu volent. Tu modò, cujus infinita eſt miſericordia, dignare me menſâ tuâ, ut in ea cæleſtem panem illum comedam, ac de fonte vitæ æternæ bibam.

XXV.

DOmine JESU CHRISTE, meus es tu: ego item tuus. Ego in te ſum: tu in me es. Prodeſt mihi tua paſſio, prodeſt mors: proſunt etiam tua reſurrectio, tua in cælos adſcenſio, tuum regnum, tua vita ac beatitudo. Singula horum ad meam ſalutem conſpirant. Imò ad hanc mihi acquirendam beneficium & Dei Patris concurrit, & Filii, & Spiritus Sancti. Gratias Deo Patri ago, quòd ſuum mihi filium donarit. Gratias ago Dei Filio, quòd precioſiſſimo ſuo lytro me ab æterna damnatione liberarit; inque myſticum ſuum corpus aſſumendo, fratrem me ſuum effecerit. Gratias etiam ago Spiritui Sancto, quòd vinculum ſit hujus certiſſimæ ac indiſſolubilis conjunctionis meæ cum Chriſto Jeſu, ab hoc tempore uſque in ſæcula.

XXVII.

OMnipotens Domine ac DEUS, qui Noacho promiſiſti, mundum deinceps non periturum diluvio: idem

mihi

*mihi etiam pollicitus es, fore ut non peream, ſed cum fidelibus cunctis Spiritu tuo ſancto cuſtodiar ac conſerver adverſus omnem diaboli poteſtatem. Quaque Noacho ſigno iridis confirmaſti promiſſionem tuam: mihi itidem ſigna exhibuiſti perennatura tua gratia. Baptiſmo enim obſignaſti mihi ablutionem peccatorum. Ac me ſacra Cœna ſymbolis certum reddis, corpore ac ſanguine me dilectiſſimi Filii tui paſci ad vitam æternam. Credo, Domine, promiſſioni tuæ, cui hæc ſacra ſigilla tua addidiſti. Tranquillo ſum animo: nec mortem amplius reformido. Nihil illi in me juris, nihil virium ultrà, quàm ut viam mihi patefaciat ad æternam vitam. Ubi accepturus ſum coronam illam juſtitiæ, quam capiti meo ipſe Dominus meus* JESUS CHRISTUS *imponet.*

## XXVII.

ÆTerne DEUS, *gratias tibi ago, quòd me in* CHRISTO, *Filio tuo, elegeris, antequam jacerentur mundi fundamenta: quodque in ſeculo hoc me vocaris juxta beneplacitum tuum: atque adoptâris tibi in filium ad laudem glorioſæ tuæ gratiæ. Hanc, omnipotens* DEUS, *in me fidem adauge, ac confirma, ad magnum illum diem* JESU CHRISTI: *quo fidei tum meæ fructum reportem, vitam æternam. Fidelis es, ô Deus, qui me vocaſti. Facies etiam, quod promiſiſti. Amen, Amen.*

## XXVIII.

G*Ratiam tibi habeo, Domine* JESU, *quòd me Euangelio tuo ex tenebrarum regno tranſtuleris in lucem, ex morte in vitam. Neque hic benignitas tua ceſſabit: ſed quem regeneraſti in hac vita, eundem etiam glorificabis poſt hanc vitam. Ex ſepulchro in cœlum, ex temporali ignominia in perpetuam gloriam traduces. Tua ſunt hæc promerita, ô magne Redemptor. Ipſe enim ingentem in terra paupertatem perpeſſus es, ut in cœlis ego divitiis bearer ſemper duraturis. Ipſe ſummâ es adfectus triſtitiâ, ut in cœlis nunquam non gaudio ſim delibutus. Ipſe ſpretus es, ac ſannis exceptus, ut in cœlis perenni fruerer gloria. Ipſe mortuus es, ut æternùm in regno Dei viverem. O felicem horam, quâ ad beatitatem hanc tranſvehar. Terrarum quidem me iamdiu ſatias cepit. Ades igitur, Domine, & duc me in cœleſte hoc regnum: ubi coram videam Redemptorem meum, & te laudem in ſecula ſempiterna. Amen.*

## XXIX.

ÆTerne DEUS, *quis dignè enarret bonitatem ac miſericordiam tuam! Ubi iraſci poteras, miſericors es: ubi poteras tonare & fulgurare, ſolem exeris ſplendentem: ubi punire poteras, parcis: ubi poteras rejicere, recipis nos. Apud Prophetam Hoſeam ais*: Quid tibi faciam? Annon te jure optimo diſponam, ſicut Adama, & collocabo, ceu Tſeboïma? Nihil minus. Se verſat in me animus meus, ac ſimul æſtuant viſcera mea pœnitentia, ut non perfecturus ſim æſtum iræ meæ. *Quibus verbis ſignificas, Domine, nolle te reſpicere facta noſtra hominum ingratiſſimorum: ſed propter miſericordiam tuam nos ſervaturum in Chriſto. Sic enim dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares hoſtiam pro peccatis noſtris. Zelus Jehovæ id perficit, inquit Jeſaias, id eſt, ferventiſſimus ejus amor erga nos miſeros, ac jam in Adamo perditos ante tot ſecula. Uni igitur tuæ, ô Deus, ac minimè promeritæ dilectioni, gratiæ, ac miſericordiæ acceptum fero, quòd poſt miſeram hanc vitam ſperem aliam undique beatam. Abſque hoc foret, peccatorum mole obrutus, defetiſcerer, atque animam agerem. Diligam igitur te, quoniam ipſe me prior dilexeris. Dicentem te audiam:* Erunt meus populus illi, egoque ipſorum Deus. Remittam enim ipſis peccata, & iniquitatum amplius haut recordabor.

## XXX.

O*Mnipotens Domine Deus, verba tua recordor:* Pater ipſius ero, & ipſe filius meus erit. Si peccabit hominum eum virgis, ac humanis verberibus caſtigabo; ſed meam ab ipſo miſericordiam non ſubtraham. *Huic benevola tua promiſſioni innitens invoco te. Crucem propter magna peccata mihi impoſitam à te libentiſſimè ſufferam; imò mortem ipſam. Tantummodo paternum mihi vultum oſtende: atque inſpira animæ meæ, eſſe te eum, qui mihi auxiliari velis.*

## XXXI.

D*Omine Jeſu, caro ſum de carne tuâ, os de oſſibus tuis. Tuus ſum per gratiam ſalutarem: quæ ex merito obedientiæ tuæ, & Spiritus S. efficacia in me redundat. Tibi igitur confiſus vivam, tibi confiſus moriar. Per te æternam beatitudinem conſequar: per te deveniam in magnum cœleſtis Regis palatium, quod non manibus factum, ſed ab ipſo Deo fabricatum eſt. In illud ego, omneſque electi Dei, glorioſo ac læto ingreſſu introibimus: illo nempe magno gloriæ, ac gaudii pleniſſimo die, quem omnes ſummo deſiderio deſiderant, qui apparitionem Chriſti diligunt. Fac citò illuceſcat hacce dies, Domine Jeſu. Cum gaudio tibi obviam procedam, & nomini tuo lætum accinam Halleluja. Veni, Domine Jeſu, veni. Imò citò veni, Domine Jeſu. Amen.*

## XXXII.

I*Nfinitum tibi debeo, omnipotens Deus. Nam peccata mea excedunt capillorum numerum: imò contendunt cum arenis maris. Innumera hæc: innumera etiam multitudo iniquitatum mearum. Sed te precor, omnipotens ac miſericors Deus, rationes noſtras compendifaciamus. Deſiſte à numerando. Ut gloriam miſericordiæ tuæ prædicem, debita mihi cuncta remitte. Si tecum rationes mihi ineundæ forent, ſolvendo non eſſem: ſed triſtem admodum ſententiam referrem. Quare loco meo rationes ineat tecum* JESUS CHRISTUS. *Hic tabulas debitorum meorum cruci affixit, ac pretioſiſſimo ſuo ſanguine delevit. Certiſſimâ igitur hac ſpe innitar, quod propter tot & tanta debita mea non damnabor, aut peribo: ſed propter pleniſſimam ſatisfactionem* JESU CHRISTI *abſolvar, ac vitâ fruar æternâ.*

## XXXIII.

O *Pulcrum monitum! ô ſolatii pleniſſimum, quod Chriſtus ait apud Matth. cap.* VI: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. *Domine Deus, inſtrue me his verbis, ut agnoſcam, quanta ſint peccata mea, & quo pacto adipiſcar remiſſionem: atque ut eam conſequi non liceat, niſi condonem iis, qui me offenderunt. Ac quando mihi ex hac miſeriarum valle diſceſſuro longam peccatorum ſeriem obiiciet Satanas, eaque ad me penitus percellendum exaggerabit: tu me priùs recrea, & refice conſolatione hac, ut ſciam, quamvis multa ſint peccata mea, ea nihilominus eſſe expiata ſanguine tuo, ut tantò confidentius hinc diſcedam, teque ex fide invocem precibus hiſce, quas nos Filius tuus docuit:* Pater noſter, qui, &c.

# SUSPIRIA,

## atque affatus.

I. *Domine, ne me deſeras, ne & ego te derelinquam.*

II. *Fuiſti mihi, ô Deus, per omnem vitam fidus Pater: jam in extremo ejus ne me deſtituas.*

III. *Redemiſti me, Domine: in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

IV. *Fac, optime Domine, ut intimo corde meo ſentiam atque admittam vocem illam, quam in cruce audivit latro, Hodie mecum eris in Paradiſo.*

V. *Fruſtra eſt Satanas, quamquam tentationibus variis ad me adſectet viam. Non enim meus, ſed ſervatoris mei Jeſu Chriſti ſum proprius, qui me precioſo ſuo ſanguine redemit.*

VI. *Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato.*

VII. *Diabolus quidem adoritur me, atque, ut me de ſtatu dejiciat, longum peccatorum catalogum texit: ſed eum à me remitto ad illum, qui noxas meas portavit, ac pro omnibus peccatis meis ſatisfecit.*

VIII. *Hæc eſt ſumma, imò hæc unica mea conſolatio in hoc mortis certamine, quod miſericors Deus, ac Pater cæleſtis, mihi, ac omnibus veris Dei filiis, per dilectum ſuum Filium Jeſum Chriſtum non ſolùm peccata remiſerit; ſed etiam donaverit ſalutem æternam.*

IX. *Nemo me ex ejus manu eripiet. Eoque nec morte temporali ab eo divellar.*

X. *Nihil, nihil verò eſt, quod me ſeparet à dilectione* Dei, *quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

XI. *Pati hic oportet. Sed (ô ſolatium pulcrum!) paſſiones iſtæ, ac ærumnæ non diu durabunt. Brevi enim mutabuntur in gaudia ejuſmodi, quæ finem non agnoſcant, nec auferri à nobis poſſint.*

XII. *Juva me, Domine, ut temporalem hanc veſtem, miſerum, inquam, ac fœtidum hoc corpuſculum, læto animo deponam: quemadmodum Elias ſuum reliquit pallium, cùm in cælum veheretur.*

XIII. *O beatum adſpectum, quo meum Dominum ac fidiſſimum Servatorem videbo! illum, qui pœnam peccatorum meorum ſuſtinuit, ac etiamnum pro me apud Patrem ſuum in cælo deprecatur.*

XIV. *Turbabor, ſed non perturbabor; quia vulnerum Chriſti recordabor.*

XV. *Nulla condemnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.*

XVI. *Domine Jeſu Chriſte, qui tantopere de me ſollicitus eras in ſtatu illo humillimo, ut ſummos in cruce dolores propter me, imò mortem ipſam ſubires lubens: multò nunc magis memineris ac miſerearis mei, ad ineffabilem majeſtatem ac gloriam evectus.*

XVII. *Cordi tibi fui, quum etiamnum hoſtis eſſem. Nunc longè magis curæ ſim, poſtquam proprio me ſanguine reconciliaſti tuo meoque Patri cæleſti.*

XVIII. *Fac, omnipotens Domine Deus, ut potentiâ auxilioque Spiritus Sancti alam in corde meo memoriam Servatoris mei Jeſu Chriſti, aſſiduèque mecum cogitem, ut ille propter me miſerum peccatorem homo factus, oppetierit mortem: ac multo magis, ut ex ea ſit reſuſcitatus.*

XIX. *Optime ac dulciſſime Jeſu, ſi ego in his terris tui oblitus non fui, præſertim in Sacra Cœna celebratione, quam in recordationem crucifixi tui corporis & effuſi tui ſanguinis inſtituiſti: quantò minus tu, bonitatis omnis fontem, oblivia ſubeant mei!*

XX. *Mater quandoque filii ſui oblviſci poteſt: ſed miſericors Deus ſuorum nequit oblviſci. Quippe adverſatur hoc tum promiſſioni ejus, qui ipſa eſt Veritas: tum etiam naturæ bonitatis divinæ, & quomodo eos deſerat, quomodo memoriam illorum deponat, qui, quod tanto majus eſt, ſuorum preces gratiâ & miſericordia prævertit?*

XXI. *O miſerum me, ſi non aliud, quàm peccata mea cogitem! Sed ô me verè felicem, cùm mente aſſurgo ad te Jeſu Chriſte! Nam tu pretioſo tuo ſanguine delevisti peccata mea. Tu hactenus deprecaris pro me apud Patrem cæleſtem. Idem quoque ultimo, & decretorio illo die judex meus futurus es. Quo pacto igitur malè mihi ſit? aut qui aliam, quàm benigniſſimam ſententiam, expectem?*

XXII. *In te ſolo, Domine Jeſu, vivimus beati, morimur beatiores, reſurgemus beatiſſimi.*

XXIII. *Quomodo miſer ego peccator in domum Domini, ac ſanctum ejus montem adſcendam? quomodo hæc caro & ſanguis regnum Dei poſſidebunt? Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum, qui mihi factus eſt ſcalarum loco, ſeque in hanc miſeriarum vallem propterea demiſit, quo per eum in æternam poſſim ego gloriam adſcendere.*

XXIV. *Domine Deus, omnipotens Pater, à primis mundi incunabulis benefeciſti univerſo: nunc quoque ei bene per te eſt: & bene illi erit, dum ſtabit hæc mundi machina. In me etiam eandem inſiſtis viam. Nam hactenus mihi bene feciſti, in omni mea vita: meliùs facies, cùm moriar: optimè omnium, in vita æterna.*

XXV. *Præclarum ſanè, ſi quis, omnium ſuorum nominum ſecurus, dicere auſit: Nihil eſt, quod Deus à me repoſcat. Omnia enim nomina mea ſanguine Filii ejus expedita ſunt, atque expuncta. Neque eſt, quod proximus nunc me deſerat. Omnia enim debita ei remiſi. Quapropter veni, mi Domine, ſimulatque allubeſcit. Pace ac gaudio plenus hinc migrabo.*

XXVI. *Scio, cum Jobo, redemtorem meum vivere, meque noviſſimo die de terrâ reſurrecturum eſſe; & rurſum circumdatum iri hâc pelle mea, & in carne meâ viſurum Deum. Scio inquam, memet viſurum, me ſcio conſpecturum hiſce oculis meis.*

XXVII. *Ait Chriſtus apud Johannem cap.* xvi. Amen, amen, dico vobis. Quicquid rogaveritis Patrem in nomine meo, largietur vobis. *Tantundem eſt, ac ſi diceret: Æternam meam veritatem teſtor, vos repulſam non laturos: ſed à Patre meo cæleſti impetraturos eſſe, quicquid ſaluti veſtræ conducet. De jurejurando autem ait Apoſtolus, eſſe id hominibus omnis controverſiæ finem. Quanto magis de juramento divino verè dicitur, omni id dubitationi finem imponere? Quis enim de quopiam ambigat, poſtquam ipſa Veritas juramento id confirmavit? Antea utrumque liberum atque integrum erat Patri cæleſti; & vota precum noſtrarum ſuſcipere, & eadem irrita habere. Jam quaſi obſtrictus eſt dare, quicquid petimus; quia jurejurando tollitur reſpuendi libertas.*

XXVIII. *Omni-*

XXVIII. *Omnibus viribus meis decreſcentibus, gratia ac miſericordia Dei adcreſcet. Viſus, auditus, reliqui ſenſus deficient: Dei gratia ac miſericordia incrementa ſument. In aternum quippe hac durant: reliqua temporanea citò prætereunt, ac abſumuntur.*

XXIX. *Amen, amen dico vobis, ſiquis ſermonem meum ſervaverit, mortem non conſpiciet in aternum.* Johan. VIII.

XXX. *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet; & qui vivit, ac in me credit, nunquam morietur.* Joh. XI. *Infirma, exigua, languida eſt fides mea. ò quantum hoc ipſum in corde meo dolorem excitat! Sed unum me conſolatur ac erigit, quòd fidei infirmitas immutabilem Dei veritatem non infringit. Fac, Domine Jeſu Chriſte, ut in hac fide moriar. Quò tibi unà cum toto electorum choro latum carmen accinam in futurà illa vita. Amen, Domine Jeſu, Amen.*

XXXI. DEO *uni confido. A mundo deſertus, à* DEO *neutiquam derelinquar.*

XXXII. *Firmum perſtat Dei conſilium in aternum. Hac autem conſilii ejuſce mens eſt, ut electi non seducantur: nec quiſquam pereat eorum, quos Chriſto filio ſuo Pater dedit. Neque tamen hoc viribus ſuis debent; ſed Dei, cujus unius potentiâ ſervantur ac cuſtodiuntur ad vitam aternam.*

XXXIII. *Mors adpropinquet, ubi Deus volet: nullus illam expaveſco: quia ſanctè mihi hoc promiſit aternus Dei Filius: Si in nomen ipſius credam, non me in morte permanſurum; ſed per mortem ingreſſurum in aternam vitam. Huic verbo innixus, lato animo claudam oculos meos. Scio mihi futurum, Domine Jeſu, juxta verbum tuum, & fidem meam. Amen.*

XXXIV. *Fides mea, ſpes, ac perſeverantia, immò ſalus ac beatitudo, nequaquam ſunt in manu mea, quâ nihil magis eſt debile & imbecillum: ſed ſunt ea in Dei dexterâ potenti atque invicta. Hoc quia certum habeo, cur extimeſcam? Mi Domine ac Deus, ſatis ſuperque cauſſarum ſuppetit, cur temporali me pœnâ caſtiges: ſed aternam mihi gratis remiſiſti: quia dependit pro ea Jeſus Chriſtus, redemtor & ſervator meus. Non igitur eam à me exiges. Filius, quem dediſti nobis, portavit agritudinem noſtram, ac dolores noſtros in ſe ſuſcepit. Propter noſtras iniquitates ipſe vulneratus eſt, & propter peccata noſtra verberibus affectus. Pœnam ipſe ſuſtinuit, ut nos pacem habeamus. Ejus vulneribus nos ſanati ſumus.*

XXXV. *Paulus ad Romanos cap.* VIII. *inquit:* Si DEUS proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? *Si omnia largietur; etiam conſequemur ab eo peccatorum remiſſionem, & vitam aternam.*

XXXVI. *Hoſianna filio Davidis, Hoſianna in altiſſimis Deo. Domine Jeſu, Rex gloria, Regnum tuum adveniat nobis. Hodie ad me ingredere comitatus cæleſti tuo ſolatio, pace, gaudio, ac vita. Laudatus ſit Deus, qui ſolus facit miracula! Laudatum ſit ſanctum ejus nomen in aternum! Omnes terra ejus gloria repleantur. Amen. Amen.*

XXXVII. *Inſtat tempus, quo meliùs ſe res habitura ſint mea: juxta illud Chriſti, Veſtra triſtitia in latitiam mutabitur. Videbo vos rurſum, ac gaudebit cor veſtrum, ac gaudium veſtrum nemo auferet à vobis. Propterea extollit anima mea Dominum, ac latatur ſpiritus meus Deo Servatore meo. Domine, dimitte jam ſervum tuum in pace, quoniam oculi mei ſervatorem tuum conſpicati ſunt, quem paraſti omnibus gentibus, lumen ad illuſtrationem gentium, & laudem populi tui Iſraëlis.*

XXXVIII. *Morbi, perſecutiones, & qua alia in hoc mundo propter peccata mea ſuſtinui hactenus, non ultrà me angunt. Scio enim fore, ut qua lachrymans ſevi, ea gaudens metam.*

XXXIX. *Quo tetrior & gravior eſt hujus vita carcer, eo liberari ab eo jucundius eſt.*

XL. *Hujus temporis paſſiones indigna ſunt eâ gloriâ, qua mihi & omnibus fidelibus pateſiet. Ha afflictiones mea, qua & breves, & toleratu faciles ſunt, gloriam operantur & aternam, & eximiam ut nihil ſupra.*

XLI. *Domine* JESU CHRISTE, *ſanguine tuo nos redemiſti à peccatis: imò factus es nobis à Patre tuo cæleſti, ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, ac redemtio. Tu quoque lux mundi es. Te qui ſequitur, non ambulabit in tenebris; ſed videbit vitam aternam.*

XLII. *Inſpirat quidem atque oggerit Satanas, oblitum eſſe mei* DEUM; *verùm Propheta Jeſaias inquit,* Nunquid fieri poteſt, ut mater filii ſui memoriam deponat? Ac ſiquidem forte illa filii obliviſcatur; ego tamen tui non obliviſcar, inquit Dominus. In manibus meis te annotavi. *Nec labefactabis cor meum, licet infirmum, ſi aliquantiſper ceſſet. Solabitur me, quod ait Dominus ipſe apud Habakuk,* Si moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.

XLIII. *Juravit* DEUS *per ſuum nomen Abrahamo, in Chriſti nomine omnibus gentibus benedictum iri: eapropter exſultat David, juraſſe* DEUM *aſſerens, cujus juramenti futurum non ſit, ut pœniteat eum. Idem ille* DEUS, *qui olim Abrahamo juravit, mihi quoque ac omnibus fidelibus juravit.* Amen, Amen, dico vobis, *inquit Filius Dei, Joh.* VIII. Si quis ſermonem meum ſervabit, ac in me credet, mortem non videbit in æternum. *Ac apud Prophetam Jeſaiam,* Ut vivo, *inquit Dominus,* non delector morte impii; ſed ut convertat ſe ab impietate ſua, & vivat. *Nihil eſt, quod juramentum hoc irritum reddat. Quod magno mihi ſolatio, ac quaſi firma anchora eſt anima mea. Unicum Dei verbum mille juramentorum inſtar eſt. Noſtri tamen cauſſa juravit, ac per ſe quidem, quum ſuperiorem, per quem juraret, non haberet. Nihil igitur eo certius eſt, quicquid caro & ſanguis contradicant. Quam verè* DEUS, *is eſt, qui eſt: tam verum eſt quoque illud, à peccatis me abſolutum eſſe, & haredem vita aterna: quippe qui credam in nomen unigeniti Filii Dei. Amen.*

XLIV. *Hac Dei eſt natura, ita ſe ſuo in verbo pateſecit, ut intermittere nequeat, quin illorum miſereatur, qui omnem ſuam ſpem in eo ſolo collocant. Nemo* DEO *confidens confundetur. Atqui* DEO *confido, ipſi adhareo vero animi affectu. Quare me etiam conſervabit. Nec eorum primum me eſſe permittet, quos ſpes ſua in* DEO *vivo poſita eluſerit.*

XLV. *Apoſtolus Jacobus ait, Beatus vir, qui afflictiones patienter pertulerit. Poſtquam enim probatus fuerit, reportaturus eſt coronam vita.*

XLVI. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? num afflictio? num anguſtia? num perſequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Imò in his amplius, quàm victores, ſumus per eum, qui dilexit nos. Quin, inquit, Paulus, Mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque praſentia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, nos poſſe ſeparare à charitate Dei, qua eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

XLVII. *Quemadmodum multa & atrocia perpeſſus eſt Chriſtus: ita etiam conſolatione per eum abundamus. Extimeſcimus, ſed non deſperamus. Perſecutiones patimur, ſed non deſerimur. Premimur, ſed non opprimimur.*

XLVIII. *Ita confido Deo Patri, ut videar mihi Filium ejus à latere meo adſiſtentem cernere, proque me decertantem. Quare, utcunque Satan ac propria conſcientia, me affligant, ac vim mihi intentent: nequaquam me ſuperabunt. Medius enim Chriſtus inter me, & illos, conſiſtit. Me ut ſuperent, Chriſtum etiam ſuperent neceſſe ſit. Ille autem eſt invictus. Quocirca & ipſe illæſus perſtabo. Illi ſit laus & gloria in ſæculorum ſæcula. Amen.*

XLIX. *Quemadmodum ineffabilis eſt dilectio Dei Patris æterni erga Filium ſuum Chriſtum: ita & ineffabilis eſt amor, quo nos complectitur in Filio ſuo dilecto. Nam per fidem Filio ejus inſiti ſumus: ita ut ille caput noſtrum ſit, nos ejus membra ſimus. Quocirca ſi me Satanas adoriatur, ac mihi deſperandum contendat, propter innumera mea peccata: regeram illi; At, Satan, dici etiam nequit, quantopere me Deus diligat, propter Filium ſuum Jeſum Chriſtum. Hæc Dei dilectio multitudinem meorum operit peccatorum. Hanc cogito in afflictionibus, morte ipſa appropinquante. Diligit me Deus cœleſtis Pater, quia Filium ſuum Jeſum Chriſtum diligit. Quamobrem ut Filio Jeſu Chriſto auxilio in omnibus, quæ patiebatur, fuit: ut ex morte eum eripuit, ac in æternam gloriam extulit: ita & mihi aderit in afflictionibus meis, ac me quoque è morte liberatum in æternam attollet gloriam. O quantopere his exultaremus, niſi ea eſſet anguſtia cordis noſtri, ut parum capacia eſſent tanti amoris, ac ſolatii. Sed ita eſt: non percipiemus hæc ſolide in hac vita. Faxit verò cœleſtis Pater, ut vel particulam iſtius amoris ſentiamus in tentationibus, afflictionibus, ac morte. Nequaquam tum vivida nos conſolatio deſtituet uſquam.* DEO *omnis conſolationis fonti, ac Servatori Jeſu Chriſto, qui nobis tanta bona peperit precioſiſſimo ſuo lytro, ac deprecatione apud Patrem, ſit laus, honor, ac gloria in æternum. Amen.*

L. *Spes & anchora certiſſima ſalutis meæ eſt, quod Chriſtus venit in mundum, ut qui in eum crediderit, ſit filius Dei, & hæres vitæ æternæ: quemadmodum ipſe promiſit in verbo ſuo: Ad ſua, inquit, venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis hoc jus, ut filii Dei fierent: nempe iis qui credunt in nomen ejus; qui non ex ſanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, ſed ex* DEO *geniti ſunt.*

*Ecce Agnus ille* DEI, *qui tollit peccatum mundi.* Joh. cap. 1.

*Nullus aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, nempe Filius hominis, qui eſt in cœlo. Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto: ita extolli oportet Filium hominis, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ita enim* DEUS *dilexit mundum, ut Filium ſuum, unigenitum illum, dederit, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit* DEUS *Filium ſuum in mundum, ut damnet mundum; ſed ut ſervetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei. Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non obedit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

*Non ampliùs propter tuos Sermones credimus: ipſi enim audivimus & ſcimus hunc eſſe vere Servatorem illum mundi Chriſtum.* cap. IV.

*Sicut Pater mortuos ſuſcitat & vivificat, ita Filius, quos vult, vivificat. Amen, amen, dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: ſed tranſivit à morte in vitam. Amen, amen, dico vobis, adveniet tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſe ipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſe ipſo: & autoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus filius hominis eſt.* cap. V.

*Jeſus ad Thomam ait, Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Johan. XX.

*Si profeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum ſuſcitavit ex mortuis, ſervaberis.* Rom. X.

*Multa etiam alia ſigna edidit Jeſus in ſuorum diſcipulorum conſpectu, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum illum, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Johan. XXI.

LI. *Omnipotens Domine* DEUS, *infirma eſt fides mea, frigidæ ſunt preces meæ. Ne reſpicias infirmitatem & impotentiam meam; ſed perfectionem Jeſu Chriſti, qui ea ſupplevit, quæ mihi deſunt. Illud me ſummopere conſolatur, quod fidei meæ infirmitas non evertit immutabilem Dei miſericordiam, & veritatem.*

LII. *Quum Maria, ex quâ Dominus noſter Jeſus Chriſtus expulerat diabolos ſeptem, Chriſtum anxiè quæreret in ſepulchro: ille eam affatus eſt hoc pacto, Quid ploras? Quæ quidem prima ejus vox fuit à reſurrectione, eaque ſolatii pleniſſima, non Mariæ modò, ſed etiam omnibus fidelibus. Neque enim eſt, quod quiſquam jam ploret, poſtquam Chriſtus reſurrexit. Læto nunc animo precandum omnibus, patienter ſufferendæ ærumnæ, paratâ mente excipienda mors, poſtquam Dominus noſter, Jeſus Chriſtus reſurrectione ſuâ omnem noſtri doloris, querelæ, anxietatis cauſſam amovit, ac diſcuſſit.*

LIII. *Omnipotens Deus, quandoquidem, præ infirmitate, aperire os meum, tuumque nomen invocare ultrà non poſſum: nunc pro infinitâ bonitate tuâ contentus ſis hiſce ſuſpiriis meis, ex fide profectis: quæ ad extremum halitum, quæſo, ut conſerves, ac internam Spiritus tui Sancti vocem ineffabilibus ſuſpiriis pro nobis deprecantis clementer exaudias. Da, ut poſtrema Filii tui dilecti Jeſu Chriſti verba in cruce prolata, & ipſemet ultimum, ſi linguâ minus, at corde ad te eloquar;* In manus tuas commendo ſpiritum meum. *Atque uti Stephanus inter lapides ipſos, quibus obruebatur, clamabat;* Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum: *itidem fac, ut ego ſub lapidibus dolorum, ac anguſtiarum mortis, corde ſaltem meo ſuſpirare, ac fideli cogitatione ad te clamare queam;* Jeſu animam meam ſuſcipias.

F I N I S.



Digitized by Google

# EPITAPHIUM

*Illuſtris Baronis*,

# FABIANI,

## BURGGRAVII à DHONA, DOMINI IN KARWINDEN.

*Qui*

Clarus Genere, Sago, Toga,
Literatis, Aulicis, Bellatoribus gratus,
Exterorum mores, cœlumque viderat,
Linguarum plurimarum peritiam adeptus,
Cæſarum, Regum, Principum, aulas adierat,
Exercitum duxerat,
Legationes obierat,
Summa domi foriſque munera ſuſtinuerat,
In Deum pius,
In religioſos beneficus,
In patriam fidus,
In amicos comis,
In hoſtes placidus,
In eruditos liberalis,
In milites ſeverus,
In Nepotes ex fratre, velut erga filios affectus,
anno ætatis LXXII,
Sarcinâ dignitatum jampridem ſponte, & conſilio,
Corporeâ quoque poſtea lubenter depoſitâ,
E vivorum turba & turbis,
Ad verè viventium quietem migravit,
prid. Non. Jun. Anno MDCXXI.

*HIc, FABIANE, jaces, cretus qui ſtirpe Dhonaâ*
*Baro per innumeros ſigna tueris avos:*
*Czechiadum celebrat quos inclyta fama per urbes*
*Burggravios, & quos terra Boruſſa fovet.*
*Vandaliam & Serabos, Sleſiam, & Luſatidos oram*
*Priſca Dhonæorum gloria perſonuit.*
*O pater, ô patrue, ô patria lux, religionis*
*Dux, columen generis, militiæque decus:*
*Sacra Palatinis dederas oracla dynaſtis:*
*Et pace, & bello, te Caſimirus amat:*
*Te Fredericus amat, tota cum gente Nepotum:*
*Te Muſa, atque aulæ nobile concilium.*
*Gallia te coluit, te Rex Henricus, & alter*
*Aſcanius: fulmen Martis & Artis erat.*
*Nomina quin Virtus tua templo inſcripſit Honoris:*
*Sed Cœli tabulis inſeruit Pietas.*
*Inſcripſit tumulo, FABIANE, hæc paucula verba,*
*Chriſtophori, heu mœrens, menſque manuſque tui.*
*Chriſtophori, qui te Patruumque, Patremque ſalutat;*
*Qui, quas ſignaſti, geſtit inire vias.*
*Quas tibi cœleſtes ſummus Pater annuit arces,*
*Illis Chriſtophoro conſpiciendus eris.*
*Utere ſorte tuâ: tutâ ſtatione quieſcis,*
*Undique dum ſævo Marſpiter enſe furit.*
*Dumque Eurus, Zephyruſque ruunt, dum tempora dura*
*Teutonas indomitos, imperiumque manent.*
*Parcere non ulli ſolitas mens diva ſorores*
*Antevenit: mortem ſpe meliore vocat.*
*Spe meliore inſit, Non eſt mortale quod opto:*
*Cum Chriſto æternum vivere mox cupio.*
*Qui vis in cœlis cum Chriſto vivere vitam,*
*Diſce prius mundo, quàm moriare, mori.*

CHRISTOPH. BURGG. & BARO à DHONA optimè de ſe merito patruo ſuo, patris loco colendo, mœrens.

# EPITAPHIUM

# FABIANI,

## BURGGRAVII à DHONA.

*OMnia qui Fabio ſimilis, dum mente manuque*
*Tutaris cives, ô Fabiane, tuos:*
*Adverſas experta vices, experta ſecundas*
*Mens tua, ſed nullo turbine mota gradu,*
*Nunc cælo partâ fruitur mens læta quiete,*
*Corporis exuvias dum Libitina tegit.*
*Quique loco patris vivum coluere Nepotes,*
*Structa tibi decorant his monumenta notis.*
*Quod meritis Fabii debebat Roma: Boruſſi*
*Debebunt meritis, ô Fabiane, tuis.*

DAN. TILENUS.

---

# MEMORIÆ

*Illuſtris, & generoſiſſimi Domini,*

# FABIANI

SENIORIS, BURGG. & BARONIS à DHONA, Sereniſſ. Electorum Rom. Imp. Palatinorum & Brandeburgicorum Conſil. intimi, ad comitia Rom. Imp. & Regni Polon. ſæpius Legati, ſupr. militiæ Præf. Ducatus Pruſſ. Burgg. Heroïs plane incomparabilis.

*PRoles Heroum, virtutum nobile ſydus,*
*Sat validum multa promere lucis opes,*
*Progenies Divûm, cæleſtis portio flammæ,*
*Edita ſyderibus, reddita ſyderibus,*
*Tene tuos radios, & ſubtraxiſſe nitorem*
*Terræ omni denſas præcipiti in tenebras?*
*Te ſurgente, novas nacta eſt Reſpublica vires:*
*Te ſplendente, Fides fundere viſa jubar;*
*Quæque Fidem, fida ſocia, comitantur euntem,*
*Integritas, Candor, Juſtitiæque tenor.*
*At quarum in cultu tua ſeſe exercuit ætas,*
*Serta tibi illarum conciliata manu.*
*Religio, Verbi divini à luce profecta,*
*Splendoris dotes contulit haſce tibi:*
*Quam ſolùm irriguis è Chriſti fontibus hauſtam*
*Amplecti fuerat cum pietate datum.*
*Inde tuâ radiant clariſſima lumina mente,*
*Queis illuſtrata eſt publica vita diu:*
*Queis ceſſere procul, quæcumque obſcura minari*
*Tentarent, lucem neſcia ferre tuam.*
*Et miramur adhuc ſic omnia pervia luce*
*Quòd cum Dhonæo nocte ſepulta jacent?*
*Fit meritò. Luci, quæ obvertat pectus opacum,*
*Non unus terræ vilis alumnus erat.*
*Ut dum Gallorum faculam adlucêre cohorti*
*Per tenebras heros, æthere teſte, cupit.*
*Indocilis nam ferre jugum mens militis, expers*
*Luminis, obſcuram maluit ire viam.*
*Aſpernata igitur monitus, & fortia juſſa,*
*Hoſti ludibrium, prædaque opima fuit.*
*Hic quoque Dhonæum ſplendorem vindice dextrâ*
*Adſerit, & Martem flectit in obſequium:*
*Ac rabiem ſævam, quam dira calumnia latè*
*Sparſerat, illuſtri diſcutit ingenio.*

 *Pro-*

*Propterea Virtus præconia pulcra laborum*
*Inſpirat genio, magne Thuane, tuo:*
*Vt, te teſte quidem, cultus dignoſceret orbis,*
*Quantum deberent ſecula Dhonavio.*
*Gratus erat cunctis: ſed quæ ſibi vindicet illum*
*Prima Palatini principis ora fuit.*
*Hæc ſe Dhonavio quondam jactabat alumno,*
*Munia dum belli, dum quoque pacis obit.*
*Hunc, jus principibus dum commendare laborat,*
*Obſtupuit magno Neſtoris eloquio.*
*Ratisbona etiam dicentis ab ore pependit,*
*Dum ſua Cæſareo mœnia iure patent*
*Principibus, quorum curâ vigilique labore*
*Imperii rebus ſpirat amica ſalus.*
*Cumque Palatinas vires & terra Batava*
*Poſceret, ingenti nobilitate ſui*
*Ad libertatem protendens maſcula colla:*
*Non ſine Dhonavio eſt parta labore quies.*
*Cum Moſchi latè graſſante tyrannide gentis*
*Livonæ facies ſqualliida tota fuit;*
*Iret & hanc ultum virtus animoſa Bathori*
*Regis, Samoſci condecorata manu:*
*Dhonavius voluit pars non extrema ſub illis*
*Audire, & famæ tendere vela ſua.*
*Annuit eventus. Vita hunc inſigne periclum:*
*Obſtitit at fatum, quod nocuiſſe vetat.*
*Regius inde favor, Samoſci interprete linguâ,*
*Promeritâ gaudet tollere laude virum.*
*Patria Dhonavium tandem, ceu ſyderis ortum,*
*Expetit, & memorem præcipit eſſe ſui.*
*Ante alios igitur dignatur amore Boruſſos*
*Syncero, & qualem debet habere cliens,*
*Qui patriæ nexum ſibi præfert, atque propinquis;*
*Ac una hac cenſet gratius eſſe nihil;*
*Poſtque Deum patriæ conamen conſecrat omne,*
*Quo poſſit civis nomen habere boni.*
*Id curæ, id cordi fuit huic; hoc limite virtus*
*Tota laborabat perpete curriculo.*
*Jam quoque poſt obitum patriæ cognoſcere voces*
*Hunc iuvat. Eſt tantus poſteritatis amor.*
*Dat quoque ſigna ſui Virtus triſtiſſima luctus:*
*Cultori & tumulum congerit ipſa ſuo:*
*Appenditque notas, queis eſt teſtata dolorem:*
*Verbaque ſub numeros digerit iſta ſuos:*
*Sanctus amor Patriæ, Dhonaio cultus abunde eſt:*
*Te ſimilem praſta, quem Patriæ urget amor.*
*Et non hoc tumulo, non hac naſcantur ab urna,*
*Et violæ, & blandis lilia juncta roſis?*
*Quid dubitamus adhuc? varios jam ſpirat odores,*
*Quos auctos longius gratior aura feret.*
*At tu divorum genus, atque excelſa propago,*
*Ne ſperne extremi muneris officium.*
*Nunc tua mens ſupero dudum contermina cœlo,*
*Se contenta viget, læta quiete ſua.*
*Cœlum te gaudet cognato cive recepto:*
*Nos jactat variis obruta vita malis.*

Perpetuus admirator, & cultor virtutum
heroïcarum in piè defuncto HEROE,

*CHRISTOPHORUS GULDENIUS.*

---

*Inſcriptio tumuli in æde Morungenſi.*

DEPOSITVM
FABIANI SENIOR.
PET. FIL. STANISL. NEPOT.
BVRG. DHONANI
SVP. OLIM PACIS BELLIQ. DVCIS
MOX MOX
VINDICE CHRISTO
RESVMENDVM.
OBIIT A SAL. MDCXXII. ÆT. LXXII.

---

FRID. FAB. ABRAH. ACHAT. CHRISTOPH.
EX FRAT. ACHAT. NEPP. ET HERED.
H. M. G. C. PP.

---

Defuncti Paramytheticon.

*Me nemo lachrymis tranſlatum defleat Abrhæ*
*In gremium: Vitam crimine liber ago.*

F I N I S.

CON-

# CONSILIUM GREGORIO XV. PONTIFICI MAXIMO

*Exhibitum*

PER

MICHAELEM LONIGUM,

Sacro Vaticani palatio, & ſcripturarum monumentis digerendis, tam in Archivis ipſius Vaticani, quàm in Caſtro Sancti Angeli, olim præfectum:

*De adhortando Sereniſſimum* MAXIMILIANUM *Bavariæ Ducem ad petendam dignitatis Electoralis nuper obtentæ confirmationem à Sede Apoſtolica.*

Juxta exemplar Arcenni editum, cui nunc præfatio, & cenſura acceſſit

GERARDI JOANNIS VOSSII.

---

## *BENEVOLE LECTOR.*

MUltorum ea ſeculorum querimonia eſt, Pontificem, clerumque Romanum, avidè inhiare temporalium imperio, ſuaque magis quærere, quàm ea, quæ ſunt Chriſti. Hoc animo fuiſſe Gregorium VII, obſervat in ejus vitâ eruditus ſeculi noſtri ſcriptor, atque hiſtoriæ, ut meritò eum Paullus Manutius vocabat, helluo, Onuphrius Panuinus, Veronenſis, Ordinis B. Auguſtini: *Gregorius*, inquit, *ſuis decretis dimidium Cæſari tollebat.* Ac inibi, *Maximè imperatori laborandum erat, ne hæc decreta ſtarent; ſi imperii jura, imò imperium ipſum, ſalvum eſſe vellet; quod ejuſmodi papalibus edictis procul dubio diſſipandum eſſe exiſtimabat.* Atque ibidem: *Pontificis audaciam veritus imperator, ſtatuit hominem prævenire; quem videbat totas vires ſuas eò dirigere, ut ſe imperio privatum in ordinem cogeret, imperiique majeſtatem, & jura omnia everteret.* Sexcentos maximi nominis Catholicos Romanos commemorare poſſim, quibus idem judicium fuerit. Sed duo tres ſuffecerint. Ut Petrus Ferrarienſis J. C. qui ante annos floruit ducentos. Hic in ſua juris practica, ut vocat, ſcripſit in hunc modum: *Nota quot modis iſti clerici illaqueant laicos, & ſuam juriſdictionem ampliant. Sed, heu miſeri imperatores, & principes ſeculares! qui hoc, & alia, ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per eos*



Digitized by Google

*infinitis modis uſurpari videtis, nec de remedio cogitatis.* Ac ſeſquiſeculo antiquior eo Cynus Piſtorienſis in Dictionario juris, voce Imperator Conſtantinus: *Paſtores Eccleſiæ in lupos rapaces ſunt converſi, inſatiabiles rerum temporalium, & ambitione dominandi; diverſis viis illicitis nixi ſunt, & nituntur, imperium & imperialia uſurpare; ideo ſub eorum gubernatione totus mundus poſitus eſt in maligno, & ſub regimine tyrannorum: ſed, ſicut puto, eorum divina vindicta proxima eſt, & utinam eſſet proximior.* Item æqualis ejus Cynus Piſtorienſis, itidem J.C. *Curia,* inquit, *papæ ſummopere vellet, ut totus mundus in eam influeret: tanta eſt in ea argenti, & auri ſacra fames.* Atque hoc negotium eò faciliùs procedere curiæ Romanæ ſolet, quia velat illud ſpecioſo religionis prætextu. Utinam autem is olim duntaxat curiæ huic animus fuiſſet: jam videmus, ut conſuetis graſſari artibus haut ceſſet. Poteramus hoc liquidò multis evincere argumentis: ſed contenti nunc erimus judicii tui facere conſilium illud, quod Gregorio XV. nuper Michaël Lonigus dedit. In eo ille imperialis majeſtatis, ac dignitatis electoralis arcem ipſam invadit, nihil penſi habens, quid de Cæſaribus, & viris principibus, fiat; dum Domini ſui Papæ etiam in temporalibus poteſtatem ſtabiliat atque augeat. Ut res ea apertior ſit, prius conſilium, quod Lonigus dedit, paucis conſtringam: hinc ſubnectam, cùm ipſius Lonigi libellum; tum in præcipuis quibuſque cenſuram noſtram; nec illam tamen ſeveram nimis, ne iſta qualiacunque magis partium ſtudio, quàm recti amore, ſcripſiſſe videamur.

Membra quidem conſilii, quod vir is dedit, duo ſunt. Prius docet, hoc agendum eſſe apud ſereniſſimum Bavariæ ducem, ut electoralem dignitatem confirmari ſibi poſtulet à papa. Nam mirè id utile futurum ſedi Romanæ, & honeſtum eſſe, nec fore difficile, modò provincia iſtæc homini committatur ad res iſtiuſmodi idoneo.

Pars altera viam aperit, quam inſiſtere deceat, ſi Duci iſtoc ſereniſſimo perſuadere velimus. Priùs enim eſſe rationes adferendas, quibus in eam opinionem adducatur. Hinc in affectus ipſos eſſe intrandum.

Oportere id fieri, bifariam ait comprobari: nempe argumento eo, quòd imperialis poteſtas ſit à papa: & altero, quòd ab eodem quoque ſit dignitas electoralis. Prius illud dicit adſtrui poſſe novemdecim argumentis: alterum autem duplici ratione it probatum, & variorum autoritate. Atque iſta ſi fuſiùs diducta ob oculos Ducis ponantur, fore cenſet, ut ita ille ſtatuat cum animo ſuo, & decere hoc Eccleſiæ filium, & ſibi quoque expedire, ut dignitatem novam firmari ſibi poſtulet à Pontifice.

Sed, ut faces quoque ac ſtimuli ſubdantur, jubet porrò animum Ducis inflammare amore Papæ: quippe qui Duci Sereniſſimo tantummodo amore ejus conſilii hujus autor ſit. Adhæc metum incutere illi ſuadet. Niſi enim conſilium illud ſequi volet, periculum eſſe, ne & ipſe aliquando electorali dignitate exuatur. Fieri enim poſſe, ut is, penes quem priùs electoralis dignitas fuit, vel ejus poſteri, aut hæredes, à papa ſibi eam reſtitui aliquando petant; ut quâ, ſine autoritate pontificiâ, ſpoliati veriùs ſint, quàm legitimè privati.

Hæc ſumma eſt conſilii. Nunc ipſum audiamus Lonigum, ac non illud modò attendamus, quàm infirmis fundamentis ſuperſtruat tantæ rei molem; ſed ſimul, ut mala mens, ac veteratorius ejus animus, multimodis ſe prodat.

CON-

Digitized by Google

Beatiſſime Pater,

*M*Aximum ad Romanam Eccleſiam emolumentum accederet, & ingenti gloria decore Sanctitas Veſtra feliciſſimum Pontificatum ſibi à Deo creditum cumularet, ſi Boiorum Dux, nuper ad Electoratus Imperialis dignitatem evectus, in illam ſententiam a pelliceretur, ut ab Sedis Apoſtolicæ auctoritate hunc ſibi titulum confirmari expoſtularet. Hoc enim uno obtento, tantum in præſentia Beatitudo Veſtra lucriſaceret, quantum b ne ducentorum quidem annorum curriculo ab ſuperioribus Pontificibus acquiſitum fuit; aut potius, ut verius loquar, rurſum illud vindicaret, atque redimeret, quod à Gregorii XI. temporibus ad hæc uſque noſtra de juribus, quæ in conſtituendis rebus, & ordinibus Imperii ad Eccleſiam attinebant, cæteri amiſerunt. Tanti tranſactio negotii eſt admodum cum honeſtate conjuncta, ad quam c obtrudendam Ducis animo ita rationes ſuppetunt efficaces, ut minimè dubium ſit, quin, ſi per hominem idoneum, & hujuſmodi d conſiliorum haud imperitum, ob oculos ei ſubjiciantur, optimum ſortiantur effectum: præcipuè agenti cum Principe de Fide optimè, & de pietate ſentiente, qui ſummis Pontificibus, & Apoſtolicæ ſedi ſe pluribus de cauſis maxime devinctum profitetur.

*Eſt igitur primo ejus Celſitudini appoſitè innuendum, quod ſummorum Pontificum* e *jus, & auctoritas in decernendo de ſtatu, & ordine Romani Imperii, quod Eccleſiæ proprius* f *eſt partus, & ab Eccleſia ut filius à matre promanavit, ita bonis omnibus liquent, & fundamentis uſque adeo firmis* g *ſuffulta conſiſtunt, ut in controverſiam vocare,* h *aut illis vel minimum dubitationis offundere, homini re vera Chriſtiano religio,* i *& nefas ſit.*

*Quod poſtquam Imperium in Orientem tranſportavit Conſtantinus, modò duo Imperatores, cum bipartitum illud foret in Eoum, & Occiduum, modò unicus tantum, cum ſub unius ditione collectum eſſet, ad illius gubernacula ſedit; & id per plures annos evenit: donec unico exiſtente domino, cum* k *Imperatores hæreſeos crimine inſimulati, & Eccleſiæ Romanæ hoſtes pronunciati parvam de rebus Italiæ curam adhiberent, Exarchis adminiſtratione commiſſa, quorum culpa jam in Longobardorum manus undequaque deciderat, Leo Tertius, ut unà Sedis Apoſtolicæ calamitatibus, & afflictæ provinciæ conſuleret, anno poſt Jeſu Chriſti natalem diem octingenteſimo, Imperii* l *faſces ſolemniter Carolo Galliarum Regi eſt impertitus; & hac nova dignitatis delatione Imperium Occidentis, quale & ante fuerat, ab Orientis Imperio abſcidit, & divulſit, illudque (tanta Pontifici ineſt* m *auctoritas) è Græcorum manibus ademptum Gallis tranſmiſit,* n *eidemque Carolo elargitus* o *eſt, ut optimè de Sede Apoſtolica merito gratiam referret.*

*a* AT prudenti nemini ſuſpecta minus eſt pellacia Papæ, quàm nautis eſſe ſolet,

> *Subdola cum ridet blandæ pellacia ponti,*

ut Lucretius loquitur.

*b* Quanto amplius juris atque autoritatis papa acquirit in temporalibus: tanto plus decedit imperii majeſtati ac viribus: eoque impenſius caveri æquum eſt ab ejuſmodi conſiliis, tanquam à vinis mixtis, ut in veteri dicto eſt.

*c* Mirum ſi obtrudi ſibi patiatur ſereniſſimus Bavariæ dux, quæ Electorum obtrudi potuit nemini, jam à temporibus, ut agnoſcis ipſe, Gregorii XI, hoc eſt ab annis quaſi ducentis & quinquaginta.

*d* Hoc eſt, per hominem, qui omnes curiæ Romanæ artes examuſſim calleat. Nam ſi earum minus perito committere rem vellet; facilè Duci tanto ſuboleret, quid Papa machinetur.

*e* Nullum eſt pontificum jus in decernendo de imperii rebus. Papa enim *non dominus imperatoris, ſed ſubditus eſt*, ut Innocentio III. reſcripſit Balduinus Imp.

*f* Non eſt imperium à papa, vel clero Romano, ſed Deo ſolo. Guntherus Ligurini lib. VI.

> —— *Regnum*
> *Legibus antiquis, & priſco more regatur:*
> *Cujus ab æterno tantum collatio rege*
> *Provenit: ad proceres electio pertinet.*

Et poſt aliqua:

> —— *Collator muneris hujus*
> *Eſt Deus: hoc ſummis regnum confertur ab aſtris.*
> *Hoc tamen arbitrium Romanus tempore noſtro*
> *Vindicat antiſtes, documentaque vana figuris*
> *Exprimit, & chartis dat grandia verba ſuperbis.*

Iis quæ de imperio à Leone in Karolum tranſlato objici poſſunt, mox occurremus.

*g* Imò putidis, ut deinceps planum fiet.

*h* Non pectora adeò obtuſa Tranſalpini omnes gerunt, ut fidem ea in re habeant clero Romano. Sciunt quoque, longè aliter ſenſiſſe olim tot ſcriptores, qui propterea *imperialiſtæ* vocabantur. Sciunt, Papæ in eo adverſatas eſſe tot Synodos ab Imperatore convocatas. Sciunt, & in ſcholis de eo diſquiri, uti & de quæſtionibus hinc profluentibus: qualis inter alias illa, *An imperatorem papa poſſit deponere.* Unde de hac Tritthemius loquens in Chronico Hirſaugienſi ad annum CIↃ C VI: *Scholaſtici*, inquit, *certant, & adhuc ſub judice lis eſt: quam, quia ad nos non pertinet, indiſcuſſam relinquamus.*

*i* Imo religio ſit & nefas, adverſus Dei præceptum non honorare patres patriæ: religio ſit & nefas, contra Chriſti mandatum non dare Cæſari, quæ Cæſaris ſunt; principibus, quæ principum.

*k* Multa obducere poſſemus, quæ quia ad cauſſam ipſam parum faciunt, præterire ſatius duxi.

*l* Uti faſces apud veteres Romanos, ſic poſtea ritus conſecrationis imperii ſymbolum erat. Symbolum hoc, ſive ſolemnis imperii ſignificatio, à Leone fuit: imperium ipſum non fuit: quippe quod armis Karolus acquiſiverit. Id & hiſtoria docet, & Fredericus I. dicit apud Ottonem Friſingenſem libro II de geſtis Frederici cap. XII. *Revolvamus modernorum imperatorum geſta: ſi non divi noſtri principes, Carolus, & Otto,* NULLIUS *beneficio traditam, ſed* VIRTUTE *expugnatam Græcis, ſeu Longobardis, urbem cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Sed dicis, Vocatione meâ veniſti. Fateor, vocatus fui. Redde cauſſam, quare vocatus fuerim. Ab hoſtibus pulſabaris: nec propria manu, Græcorumve mollitie liberari poteras. Francorum virtus invitatione adſcita eſt. Implorationem potius, quàm vocationem, hanc dixerim. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps uſque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis, ſi poteſt, clavam de manu Herculis.*

*m* At unde ea ineſt, aut quomodo? utrum ut domino imperii? an ut mandatario? ſi ut domino, unde ei hoc dominium? ſin ut mandatario, mandatum domini oſtendat.

*n* Non tranſmiſit ſimpliciter, ſed quodammodo; non ut cauſſa tota, ſed ut partiaria. Tria enim hìc diſtingui debent. Primum eſt poteſtas, ſive jus imperii: quod Karolus armis peperit. Alterum eſt nomen imperatoris: quod eſt à clero populoque Romano. Quod ſiquis primas hic papæ tribuat, ut primo civi in urbe jam liberâ poſt defectionem ab imperatore Conſtantinopolitano; equidem non repugno, dum partiariam tantùm cauſſam fuiſſe agnoſcat. Tertium eſt conſecratio, ſive ceremonia ex decreto publico facta à pontifice, tanquam primo imperialis urbis ſacerdote.

*o* Non potuit largiri, quod non haberet. Nec ſi habuiſſet, largitus eſſet. Non prolixa adeò pontificum liberalitas eſſe ſolet.

*Quid*

*Quod huic ſectioni, & divulſioni dignitatis, & rerum imperialium per Leonem factæ, nec conſtantia,* p *nec firmitas deſuit: namque Occidentis Imperium nunquam rurſus Orientis fuit annexum, licet poſſeſſore ſæpius poſtmodum vacaverit; nec unius leges in alterius Provinciis viguere, neque ex eo, niſi diverſis penitus conſtitutionibus, & moribus, in utriuſque regionibus homines vitam traduxere.*

*Quòd illa Imperii tranſlatio à Græcis ad Gallos tam libero brachio, & uſque adeo vividâ poteſtate per Leonem facta fuit, ut iidem ipſi Græci Imperatores, quamquam potentiſſimi, numquam tamen ſibi audendum exiſtimarint, illam impugnare: imò ſæpius expreſsè probarunt,* q *& ratam habuerunt. Nam Michaël primus, ad Imperium aſſumptus anno duodecimo poſt dictam tranſlationem, cùm ad Carolum pacis impetrandæ, & fœderis ſanciendi ergo legatos miſiſſet, ipſis præcepit, ut eum & nominarent, & ſalutarent Imperatorem; & voluit pariter, ut fœderis conventiones à Pontifice* r *omnino ſancirentur; ac ſi robur nullum eis futurum eſſet, niſi ab illo conflueret, cujus auctoritate* s *idem Carolus imperabat. Emanuel Comnenus ibidem, cùm certior factus eſſet, Fredericum primum Alexandri tertii ſententiâ de Imperio dejectum, Pontifici pecuniam,* t *& milites adverſus Fredericum obtulit, & Latinæ Græcam Eccleſiam adjungere, ſub unico Romano Pontifice utrâque compoſitâ; ſi tantùm ille Occidentis Imperium cum Orientis copularet, & Græcis reſtitueret. Quo indubiè confeſſus eſt, ſectionem, & tranſlationem Pontificiam ſtabilitate, & firmamento redundare, & alterum Imperium alteri unire, vetitum cuilibet fuiſſe, præterquam ſummo Pontifici, qui prius illa interſecuerat.*

*Quod poſt Leonem alii quoque Pontifices ſola Sedis auctoritate ſæpe illud idem imperium ab una ad aliam tranſtulerunt nationem. Stephanus quintus præcipuè, Imperatore nuncupato* v *Guidone, Duce Spoletano, illud è Gallorum manibus* x *extortum Longobardis tranſmiſit: Joannes Decimus ab his ereptum, Berengario* z *ad Imperium elato, in Forojulii Duces contulit: Joannes duodecimus, Ottone primo* a *hac dignitate inſignito, à Forojulienſibus ad Saxonas: Gregorius quintus* b *tandem ab his ad Germanos univerſos, cui uni genti facultatem eligendi Imperatoris conceſſit.*

*Quòd Albertus primus* c*, Romanorum Rex, cùm ei optimè compertum eſſet, ſupremam hanc auctoritatem uni Eccleſiæ competere, omnibus nervis in illud incubuit, ut Bonifacius Octavus Imperium ſibi, & ſucceſſoribus conferret jure hæreditario: quod Pontifex uſquequaque abnuit, & electione, non aliter, ad tantum munus voluit perveniri.*

*Quòd Alberto vitâ functo,* d *Philippus Francorum Rex, ſuorum conſilio impulſus, Legatos Avenionem ad Clementem quintum deſtinavit, quo ſupplices ab ipſo exorarent, ut Imperium Gallorum genti, in qua prius conſtiterat, reſtitueret. Quod cum Pontificis aures attigiſſet, certos ille homines confeſtim ad Electores miſit, per quos eis imperavit, ut ocius Imperatorem crearent, iſque Henricus à Lucemburg: ſecus ſi facerent, in diſcrimen adductum iri, ne Imperium, & jus Electionis ab ipſis ad*

*p* Nihil hic ſibi Pontifices, quod vindicent, habent ut qui turbas potius in imperio dare ſoleant, quam quieti ſtudere, ac felicitati ejus. Unde Fredericus II. apud Petrum de Vineis lib. I epiſt. XXXI. *Reverâ imperialis felicitas papali ſemper impugnatur invidiâ.*

*q* Non probarunt prudentiores, & ſiqui probare viſi, fecere inviti.

*r* Nôrat Michaël πολυπραγμοσύνην Papæ, & quantum uſurparet autoritatis.

*s* Imò autoritate divinâ in imperio, quod armis quæſierat, imperabat: ac ne nomen quidem imperatoris ex ſolo papæ decreto habebat, ſed populi & cleri cum papa.

*t* Nihil hinc aliud ſequitur, quàm Emanuelem voluiſſe imperium mercari, ac papam habuiſſe pro idoneo nundinationis inſtrumento. Ut autem ex facto non poteſt colligi de jure: ita nec ex ſtipulatione rectè concluditur de jure ſtipulationis.

*v* Factum cum jure confundit.

*x* Iniquè factum. Nam Arnolphus erat verus imperator: quippe ex Karolina ſtirpe, & à proceribus Germaniæ electus.

*z* At Berengarius (verba Baronii ſunt) Romam *armato exercitu contendit, coronamque Imperii ab ipſo Joanne Pontifice violenter extorſit, ſicque tyrannicè imperatoris nomen vindicavit.* Itaque in actis ſynodi Romanæ ſub Johanne hoc habitæ coronatio ea rejicitur omnimodis, ut *barbarica, & per ſurreptionem extorta.* Sed nec iſte Berengarius, nec ejus nominis quiſquam, à Germanis pro imperatore habetur; verùm ab Italis ſolis, uti & Guido ille, de quo dictum. Nam, ut ait Nauclerus in generatione XXXI: *Imperium fuit tranſlatum à Græcis, non in Italos, neque in Gallos, id eſt, occidentales Francos; ſed in Germanos, ſcilicet in perſonâ Karoli Magni, ut in tex. qui hoc probat in cap. Venerabilem, de elect. & ſimil. sext. in Cler. Rom. de jureiur. Unde clarè probatur, quòd etiam lineâ Karoli deficiente, in Germania non minùs imperium manere debet apud Germanos, ſicut & finaliter obtinuit, tam de jure, quàm de conſuetudine. Et licet Romani, aut Itali, receperint, vel Ludovicum, filium Boſonis, alioſve, ſicut Berengarios, Hugonem Arelatenſem Comitem, ſeu filium illius Lotharium, ſive Rodolphum Burgundiæ regem, omnes iſti tyranni, & invaſores imperii, non Imperatores ſunt cenſendi, cum Germani principes non omiſerint vel ad momentum ſuo jure Imperatores, eligere. Sed de jure electus in regem ſeu imperatorem Romanum à Principibus regni, poteſt ſtatim ex ipſa electione, licitè nomen Regis aſſumere, & jura ac bona regni & imperii aſſumere, & in aliis provinciis ejuſdem imperii adminiſtrare. Sed non eſt mirum, ſi Romani etiam pontifices illius temporibus circa annum Domini nongenteſimum, & aliquanto poſt, quoſcunque occurrentes admiſerint, cùm, ut ſcribit Platina, reſque fuerit, quod pontifices illius temporis à veſtigiis B. Petri diſceſſerant, & quòd Reſp. ignavos & deſides principes habebat, quorum maximè intererat, naviculam Petri fluctibus exagitari, ne, ſi gubernator verus reſipiſceret, malos nautas è rep. ejiceret. Horror enim eſt audire, quàm multa perperam per* XXVIII *ferme Pontifices ſint admiſſa.* Vide & Philippum Bergomenſem lib. XI in Ludovico III, Arnulphi filio.

*a* Ex iis, quæ diximus, liquet, nec penes Longobardos, nec penes Forojulienſes, imperium fuiſſe. Quare nec ab iis imperium ad Saxonas tranſlatum fuit, ſed à Francis. Nec primus è gente Saxonica Otho Magnus imperavit, ut hic dicitur; ſed Henricus Auceps: modò rem ipſam, & jus imperii ſpectes. nam agnoſcimus, regis fuiſſe nomine contentum. Atque ut Otho è Saxonum gente primus imperator fuiſſe diceretur, non tamen à papa imperium ſit adeptus: imò ne nomen quidem ab eo ſolo habuerit; ſed univerſo populo Romano. Quod etiam Rhegino voluit, cùm ait: *Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCLXII *Rex natalem domini celebravit, indeque progrediens, Romæ favorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius populi Romani & cleri ab Apoſtolico Joanne, filio Alberici, Imperator & Auguſtus vocatur, & ordinatur.*

*b* Utrum propriè à Gregorio V. principes Germaniæ habeant jus eligendi imperatoris, poſtea meliùs diſquiremus.

*c* Facti eſt, non juris, exemplum.

*d* Quid mirum, ſi in iſto Eccleſiæ ſchiſmate, rebus undique ita turbatis, uterque, & Philippus rex, & Henricus Luzenburgicus, putarit, partibus ſuis acceſſurum pondus, & autoritatem, ſpecie religionis.

*alios*

| | Anno M. | |
|---|---|---|
| | 2668 | Nonus Athenienſium rex Ægeus, Pandionis fil. Hujus tempore contigit expeditio Argonautarum in Colchidem. Orpheus item & Dædalus floruerunt; item Muſæus, Amphion & Linus Thebanus, Herculis præceptor. Androgeos quoque, Minois fil., Athenis occiſus: unde fabula orta de Minotauro. Extremis quoque ejus temporibus Hercules floruit. |
| Laomedon, Ili fil. ſextus rex Trojanorum. | 2671 | |
| Tertius Mycenarum rex Atreus, Pelopis & Hippodamiæ fil. frater Thyeſtis, pater Agamemnonis & Menelai. | 2687 | |
| | 2716 | Decimus Athenienſium rex Theſeus, qui cives, ſparſim habitantes, unam in urbem collegit. Unde inſtituta μετοικία. |
| Priamus Septimus rex Trojanorum ſub quo Troja eſt everſa. | 2725 | |
| | 2745 | Undecimus Athenienſium rex Meneſtheus. |
| Quartus Mycenarum rex Agamemnon, cujus frater Menelaus eodem tempore Spartæ imperabat. Erat is à Lacedæmone rege nonus, ab Oebalo, de quo ſuperius diximus, quartus. Nam poſt Oebalum imperavit filius Hippoconon, poſteaque alter filius Tyndarus, ſive Tyndarius, qui ope Herculis Hippocontem fratrem regno pepulit. Tyndaro ſucceſſerunt filii Caſtor & Pollux & poſt eos gener Tyndari Menelaus: cujus tempore Ilium eſt expugnatum. Hos reges, uti & eos, quos ante Oebalum rexiſſe diximus, quo minus ad annos certos referremus, impediit, quod, ſinguli quamdiu imperarint, non conſtet. Itaque collectim de iis dicendum fuit. | 2752 | |
| | 2767 in quem annum incidit Trojæ excidium. Erat is annus III. Judicis Abeſſan, qui Jephthi ſucceſſit in Iſraëlitico imperio. | Duodecimus Athenarum rex Demophoon, fil. Theſei. Hujus primo imperii anno Troja eſt expugnata. Quomodo verò Troja capta ſit & ut Æneas ſibi fuga conſuluerit, non ex Poëtis peti debet, ſed ex Hellanici Troicis: unde hiſtoriam ejus rei excerpſit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 1. Antiquit. Rom. Sanè Hellanicum in his ſibi fide dignum viſum, ibidem ait Dionyſius. |

A Teucro, primo rege, uſque ad Ilium expugnatum anni ſunt 337. ſive à Dardano ejus ſucceſſore 296.

*De rebus Græcorum ab Excidio Trojæ uſque ad initium Olympiadum.*

| | | |
|---|---|---|
| Quinctus Mycenarum rex Ægyſtus, quem Thyeſtes ex filia ſua genuerat. Hic occupavit imperium occiſo Agamemnone; à cujus filio Oreſte ipſe poſtmodum eſt interfectus. | 2768 altero à Trojæ excidio anno. | |
| Sextus Mycenarum rex Oreſtes. . . . . | 2775 | Decimus tertius Athenarum rex Oxyntes, alter Theſei filius. |
| | 2802 | |
| Septimus Mycenarum rex Penthilus, Oreſtis fil. . . | 2803 | |
| | 2814 | Decimus quartus Athenienſium rex Aphidas. |
| | 2815 | Decimus quintus Athenienſium rex Timetes, ultimus Erechtidarum. |
| Octavus, idemque ultimus, Mycenarum rex Tiſamenus, Penthili frater. | 2825 | Decimus ſextus Athenienſium rex Melanthus. |

Hoc imperante Argis & Mycenis, anno à Trojæ Excidio LXXX. Heraclidæ in Peloponneſum, unde ab Euriſtheo quondam fuerant pulſi, reverterunt. Erant ii Crephontes, Temenus & Ariſtodemus, Ariſtomachi filii, Cleodæi nepotes, Hylli pronepotes, Herculis abnepotes. Hi, Dorienſium auxilio cepere Meſſenem, Argos & Spartam. Ac Crephonti ſorte ceſſit Meſſene, Temeno Argi, Sparta autem ceſſit Ariſtodemi, qui jam obierat, filiis Euryſtheni & Procli, qui ſimul regnarunt; iiſque defunctis unus ex Euryſthenis, alter ex Proclis familia ſucceſſit uſque ad Cleomenem Euryſthenidem, qui alterius familiæ regem veneno necavit, filiumque ſuum ejus in locum ſubſtituit, ut dicemus ad annum 3718. Anno verò qui à Trojæ excidio erat CXIV. ab Heraclidarum reditu in Peloponneſum XXXIV. imperare Athenis cœpit Codrus, decimus ſeptimus, idemque ultimus, Athenienſium rex, qui ſe pro patria in prœlio contra Dores devovit. Quemadmodum verò σύγχρονοι fuere Moſes, Iſraëlitarum Legiſlator, & Cecrops, primus Athenienſium rex; ita etiam ſunt σύγχρονοι Samuel, ultimus Judicum Iſraëliticorum, & Codrus, ultimus Athenienſium rex: ac quemadmodum apud Iſraëlitas Judicibus reges; ita Athenis regibus ἄρχοντες ſucceſſere, quorum imperium minus, quàm regium erat. Nam rationibus reddendis obnoxii fuerunt. Ac primùm fuerunt ἄρχοντες perpetui, exinde decennales ac denique annui. Perpetuorum Archontium primus fuit Medon, Codri fil. σύγχρονος Sauli, primi Iſraëlitarum regis.

2881

B Secun-

Digitized by Google

Secundus fuit Acaſtus,
Tertius Archippus,
Quartus Therſippus,
Quintus Phorbas,
Sextus Magacles,
Septimus Diagenetus, (Hujus temporibus Lacedæmone floruit Lucurgus Legiſlator anno M. 3062. quadriennio ab obitu Sardanapali, quinquennio ante conditum Carthaginem.)
Octavus Pheredus,
Nonus Ariphron,
Decimus Theſpieus,
Undecimus Agameſtor,

Duodecimus Æſchylus, qui penultimus fuit Archontium perpetuorum. Hujus temporibus Iphitus inſtituit, ut IV. quoque anno in Elide ludi Olympici celebrarentur. Atque ex eo tempore Olympiadibus numerare Græci cœperunt. Incidit verò initium Olympiadum in M. 3173. quo tempore in Juda regnabat Azarias, ſive Uſſias.

*De rebus Græcorum ab initio Olympiadum uſque ad Perſicum Bellum.*

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| I. | I. | Corcabus Elienſis ſtadio vincit. . . . | 3174. |
| VI. | I. | Æſchylo ſucceſſit Alcmæon decimus, tertius ex Archontibus perpetuis. Sed uno tantum anno imperavit. Poſt eum fuere Archontes decennales numero VII. | 3195. |
| VI. | II. | Archon decennalis Charops primus. Hujus anno II. Roma condita eſt juxta Polybium. Secundus Aſimedes; cujus anno primo apud Spartanos inſtituti Ephori ſuadente rege optimo Theopompo. Tertius fuit Clidicus, ſub quo duplicatus ſtadii curſus, Δίαυλον Græci vocant. Quartus fuit Hippomenes, ſub quo mos cœpit, ut nudi in ſtadio currerent, quum antea præcincti eſſent. Primùm id fecit Orſippus, ut eſt in veteri Epigrammate & apud Thucydidæ Scholiaſten. Quintus fuit Leocrates, ſub quo . . . & lucta inſtitura. Ejus temporibus Gyges regere in Lydia cœpit; qui primùm τύραννος dictus fuit, ut eſt apud Clementem Alexandrinum. Sextus fuit Arſander ἄφανδρος. . . Septimus fuit Eryxias; in quo & deſiit familia Medontis, Codri filii, à quo Archontes, qui hactenus imperarunt, Μεδοντίδαι dicti (ut Pauſanias & Heſychius ſunt autores) Regnarunt decennales Archontes annis LXIV. Poſt iſtos demum fuere Archontes annui, ſub quibus imperium Democraticum fuit. Ex his verbis liquet de verbis iſtis Juſtini; *poſt Codrum Athenis nemo regnavit, quod memoriæ ejus tributum eſt administratio Reip. annuis Magiſtratibus eſt permiſſa.* Nam conſtat poſt reges primùm decem Perpetuos Archontes, deinde ſeptem Decennales, exinde demum Annuos fuiſſe. Vel hæc incuria librariorum exciderunt ex Juſtino, aut Juſtinus ipſe, dum compendio hiſtoriam adſtringere conatur, mutilam nobis hanc hiſtoriam tradidit. | 3196. |
| XXII. | I. | Primus annuorum ἀρχόντων fuit Creon. | 3262. |
| XXX. | III. | Cypſelus evertit annuum Prytarum magiſtratum, qui circiter annis 200. Corinthis rexerat, eamque poteſtatem in ſe tranſtulit. | 3292. |
| XXXI. | III. | Zaleucus Legiſlator floret Locris, urbe Magnæ Græciæ in Italia. | 3296. |
| XXXIX. | I. | Draco ἄρχων fert Athenis Leges valde aſperas. | 3326. |
| XLIII. | IV. | Bellum inter Mitylenæos & Athenienſes geſtum ob Sigæum, ducibus hinc Phrinone, inde Pittaco Mitylenæo, uno è ſeptem Sapientibus. Sed Athenienſibus litem adjudicavit Periander, item unus è ſeptem Sapientibus, qui arbiter delectus erat. Erat is tyrannus Corinthio ſucceſſor Cypſeli; nec Corinthi modò, ſed etiam Corcyræ dominabatur, quæ Corinthiorum erat colonia. Aliqui tamen, ut ex Diogene Laërtio diſcimus, putarunt, Periandrum Tyrannum & Sapientem fuiſſe diverſos; ac Neanthes cenſebat, fuiſſe ἀνεψιοὺς, hoc eſt patrueles aut amitinos. | 3345. |
| XLV. | II. | Clyon, civis Athenienſis, tyrannidem Athenis invadit; ſed à Megacle Alcmæonide & aliis Archontibus ad aras cum ſociis obtruncatus eſt. Unde gravis exorta ſeditio fuit. | 3352. |
| XLVI. | III. | Solon ἄρχων . . . Athenis Leges fert antiquitatis illis Draconis, præterquam quæ de cæde eſſent. | 3356. |
| XLVIII. | I. | Locrenſium 15000. aperto Marte confligentes Crotomitarum occidunt 100000. | 3361. |
| | II. | Periander moritur; poſt cujus obitum in libertatem ſe vindicarunt Corinthii, eamque retinuere, quamdiu urbs ſtetit. | 3362. |
| L. | I. | Bellum Solone autore Athenienſes cum Megarenſibus gerunt ob Salaminem, ſed infeliciter; quia & Niſæam amiſere. Poſtea tamen Piſiſtratus, dolo uſus, & Salaminem & Niſæam cepit. Ejus rei arbitrio Lacedæmoniis commiſſò, Solon cum Homeri teſtimonio, tum veteri ſepeliendi ritu Salaminem ad Athenienſes pertinere oſtendit. | 3370. |
| LII. | I. | Phalaris Cretenſis tyrannidem invadit Agrigenti. | 3378. |
| LIII. | II. | Piſiſtratus tyrannidem invadit Athenis. | 3383. |
| | III. | Altero pòſt anno Solon moritur octogenarius. | 3384. |

Quin-

Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

LIV. II. Quinto tyrannidis anno Athenis ejicitur Piſiſtratus. 3387.

LVI. I. Septimo verò exilii anno redit. 3394.
Eo ipſo anno Spartæ ſtatutum fuit, ut è quinque Ephoris unus anno nomen daret, quomodo Athenis ab Archonte, apud Romanos à Conſulibus annus nominabatur. Hinc Ephagiſtæ dicebantur ἐπώνυμος. Ac primus ἐπώνυμος fuit Chilo unus è ſeptem Sapientibus, qui hocce ſeculo floruerunt. Hiſce temporibus in Magna Græcia floruit Pythagoras.

LVII. II. Quinto anno, ex quo redierat Piſiſtratus, iterum urbe ceſſit. 3398.

LVIII. IV. Undecimo rurſum rediit ac tyrannidem firmat. Vir cæteroquin præſtans fuit ac litterarum quoque & litteratorum amantiſſimus; quippe qui verſus Homeri, antea diſſipatos, per Ariſtarchum Grammaticum collegerit in unum volumen, ita uti nunc leguntur. Primus etiam publicam Athenis erexit Bibliothecam, quæ Cyri, Perſarum regis, & Servii Tullii, regis Romanorum fuit.

LXII. III. Polycrates, Samiorum Tyrannus, tam portentoſæ felicitatis fuit, ut ipſe fortunam, adeo ſecundam extimeſcens, quo eam aliquo infortunio temperaret, immanis pretii annulum in mare abjecerit; ſed poſtridie eum in ventre piſcis repertum recuperarit. Attamen mors miſerabilis vitæ felicitati non reſpondit. Nam ab Oronte, Satrapa Perſico, captus & ſuſpenſus fuit. 3420.

LXVI. III. Hipparchus, qui patri ſuo Piſiſtrato in tyrannide ſucceſſerat, in magnis Panathenæis interimitur ab Ariſtogitone & Hormodio. 3436.

LXIX. II. Tertioque poſt anno alter filius Hippias, qui cæde fratris exacerbatus, crudelius etiam tyrannidem exercebat, urbe pulſus fuit. Urbe à tyrannide liberata Cliſtenes & Iſagoras de imperio certarunt. Sed Cliſthenes, quum populum, qui quatuor tribubus conſtabat, in decem tribus diviſiſſet & pro cccc Senatoribus Ↄc ſtatuiſſet, adverſarium urbe expulit. Lacedæmonii autem duce rege ſuo Cleomene reduxere Iſagoram; Cliſthenem verò & factionem, ejus urbe ejecerunt. Sed qui Cliſtheni faverant, Cleomenem ipſum cum Iſagora arce pepulerunt. Lacedæmonii tum Democratum, alterum regem, cum exercitu in Atticam miſere, ut Cleomeni & Cliſtheni opem ferret. Sed is abalienatis Sociorum animis re infecta domum redire eſt coactus. 3439.

LXVIII. I. Athenienſes bellum gerunt cum Chalcidenſibus EubϾæ ac Bœotos, qui eos defenſum ibant, prœlio vincunt. Bœotis verò ſe junxerant Æginetæ. Unde originem bellum traxit inter Athenienſes & Æginetas; quod vario Marte inter eos mari geſtum fuit. 3446.

LXIX. IV. Circa hoc tempus Ariſtagoras, Mileſiorum Tyrannus; ſocero ſuo Hiſtiæo inſtante rebellat adverſus Perſas. Simul Iones & alii à Perſis defecere. 3449.

LXX. II. Athenienſes auxilia decernunt Ariſtagoræ adverſus Perſas. Lacedæmonii verò Athenienſium invidentes incremento Hippiam reducere conantur; ſed adverſantibus ſociis à propoſito deſiſtunt. Hippias, ſpe dejectus, fugit ad Darium atque impetrat, ut indiceretur Athenienſibus, niſi Hippiam recipiant, bello eos adorturum. 3451.

III. Iones & Athenienſes Sardes capiunt atque incendunt. Quod ubi Darius cognovit, tantopere via accenſus fuit, ut quendam ſtatueret, qui, quoties ipſe cibum caperet, commoneret vindictæ erga Iones & Athenienſes, qui Sardes incendiſſent. Ac primum quidem Hiſtiæum miſit, ignarus, eum rebellionis eſſe autorem. Sed quum is ſe Ariſtagoræ, genero ſuo junxiſſet, alios duces miſit. Hi Miletum ac alias Ionum civitates cepere. Ipſe etiam Hiſtiæus, prœlio navali victus, vivus in Perſarum manus venit atque ab his in crucem actus eſt. 3452.

Atque hactenus quidem res Græcorum non ita magnæ fuerunt. Nam ingens illud & memorabile nomen, quod reliquere, adepti fuerunt bello Perſico. Ad hoc Darium Hiſtaſpidem inſtigavit Hippias, Athenis ejectus, & una cum eo alii, qui Piſiſtratidis faverent. Minante verò rege Athenienſibus bellum, niſi Hippiam reciperent, Athenienſes cum Ionibus, ut diximus, Sardes accendere; quæ altera & potiſſima belli Perſici cauſa fuit. Sed aliquot annis cum Ionibus pugnatum fuit; quibus ſubactis Darius arma in Athenienſes convertit.

### *De temporibus Græcorum, quibus pugnatum cum Dario, Hiſtaſpis fil. Xerxe & Artaxerxe Longim.*

Alterum rerum Græcanicarum intervallum erat ab initio belli, cum Perſis geſti, uſque ad devictum ab Alexandro Darium Codomannum, ultimum Perſarum regem. In hoc tempore tria ſpectabimus, primùm Bellum, cum tribus Perſarum regibus geſtum, Dario Hiſtaſpide, Xerxe & Artaxerxe Longim. quod eſt à victoria Miltiadis uſque ad mortem Cimonis, Miltiadis fil.: deinde motus Græciæ inteſtinos ac præcipue bellum Peloponneſiacum: denique ſtatum Græciæ ſub Philippo & Alexandro M. Primo tempore maxime inclaruit Græcorum virtus, altero labefactata eſt vis Græciæ, tertio plane concidit amiſſa libertate.

LXXII. II. Darii Hiſtaſpidis præfectus Datis committit cum Athenienſibus prælium in campis Marathoniis; in quo Athenienſes vicere duce Miltiade. Hoc in prælio etiam Ariſtides, cui poſtea cognomentum Juſti datum, fortiter rem geſſit. 3459.

LXXV. I. Xerxes, qui Dario ſucceſſerat, quum Helleſpontum ponte junxiſſet & Atho montem perfodiſſet, cum claſſe maxima in Græciam venit. Primùm terra pugnatum ad Thermopylas, ubi Lacedæmonii ccc. cæſi ſunt duce Leonida. Poſt hanc pugnam occupatæ Athenæ, quas Athenienſes reliquerant, mulieribus ac pueris Salamina tranſlatis. Hinc mari pugna- 3470.



Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

gnatum ad Salamina, ubi Athenienſium dux erat Themiſtocles, Lacedæmoniorum Eurybiades. Victoria penes Græcos fuit. Xerxes, deſperare incipiens de victoria, Mardonium quidem in Græcia reliquit cum maxima parte exercitus; ipſe verò cum LX milibus in Aſiam redire parat. Sed penè omnes fame & peſtilentia enecti. Pons etiam Helleſponti jam tempeſtatibus fractus erat. Ut magnus ille rex, qui cum tantis copiis venerat, parva navicula trajicere ſit coactus.

II. Anno proximo à Mardonio captæ Athenæ & exuſtæ, decimo menſe, ex quo eas ceperat Xerxes. Nec multo poſt pugnatum ad Platæas duce Ariſtide Athenienſi & Pauſania Lacedæmonio, Cleombroti fil., tutore Pliſtarchi regis, fil. Leonidæ, qui ad Thermopylas ceciderat. Eodem die in Aſia ad Mycalen pugnatum duce Leotychida, rege Spartano. Utrobique Perſæ magna clade adfecti.

III. Poſt hanc victoriam Themiſtoclis o- 3472.
pera adverſantibus Lacedæmoniis refecti ſunt muri Athenarum, qui Perſico bello everſi erant.

IV. Ejuſdem Themiſtoclis conſilio Athe- 3473.
nienſes Piræi portum abſolvunt ac eorundem murorum ambitu cum Urbe conjungunt. Etiam claſſem ſuam cum Spartanis navibus jungunt & Perſas cum Cypro, tum Byzantio expellunt. Ariſtides auctor eſt Græcis, ut commune Ærarium conſtituant & pecunias in Delo reponant. Quantum quiſque populus conferre deberet, Ariſtidis judicio commiſſum fuit; qui ea in re ita ſe æquum omnibus geſſit, ut exinde Juſti cognomen reportaret.

II. Spartani, quum ferre non poſſent, 3475.
Athenienſes ſibi maris imperium vindicare, deliberant de bello iis inferendo. Sed Sapientiores ab eo conſilio avocarunt, dictitantes, tale imperium non convenire ſuæ urbi, cujus mores eo corrumperentur.

LXXVII. I. Pauſanias, dux Lacedæmonius, pro- 3478.
ditionis accuſatur atque in carcerem compingitur; ſed liberatur.

II. Themiſtocles, ejuſdem criminis reus 3479.
fit Athenis; ſed ſimiliter abſolvitur. Oſtraciſmo nihilominus ad quinquennium urbe pellitur. Is exul Argos concedit; ubi eum Pauſanias de proditione compellavit. Sed abhorruit à tanto ſcelere Themiſtocles; nulli tamen aperuit rem, de qua ſecum communicaverat Pauſanias.

IV. Proximo anno Cimon & terreſtri & 3480.
navali prœlio ad Eurymedontem, Pamphiliæ fluvium, Perſas vincit, decennio poſt pugnam Salaminiam.

LXXVIII. I. Anno quarto Archidami, Spartano- 3481.
rum regis, horrendus fuit terræmotus, qui totam pene urbem evertit. Ac periiſſent longe plures, niſi claſſicum canente rege cives urbe exiſſent. Periere interim ad viginti hominum millia.

Dum miſerabilis eſt ea Lacedæmone 3482.
rerum omnium facies, veteres ejus hoſtes, item Helotes (ii ſervi erant publici, agris colendis præfecti) bellum Lacedæmoniis inferunt; quod decennium duravit.

Argivi etiam, Mycæneis infenſi; non 3483.
paſſi hanc occaſionem abire, qua Spartani Mycæneis opem ferre nequirent, urbem Mycænas obſident, capiunt, evertunt. Ita periit nobilis urbs, tot illuſtrium virorum parens. Spartani interim adverſus Meſſenios pugnant, Ithomem, eorum oppidum obſident. Eo bello Athenienſes Cimonem cum exercitu Spartanis auxilio miſere. Sed quum urbe potiri ſtatim non poſſent, Athenienſium auxilia reſervatis aliis dimiſere. Quæ res malè habuit Athenienſes; atque ita effecit, ut fœdus cum Spartanis ſolverent & loco eorum Argivos, Spartanorum hoſtes ſibi conjungerent contra Theſſalos. Cimonem verò, quod Lacedæmoniis nimium favere videretur, in exilium ejecere.

Pauſaniam cum rege Perſarum de pa- 3484.
tria prodenda tractare, patefit ex litteris ejus ad Artabazum, quas Argilio adoleſcentulo dederat perferendas, ac præterea ex confeſſione propria, quam in Templo Neptuni ignarus, Euphoros ibi ſe abſcondiſſe, ediderat. In via verò, ut cognovit, rem factam eſſe palam, confugit in Templum Minervæ: cui obſtruendo mater Theano primum lapidem apposuit. Ita fame eſt enectus. Themiſtocles verò, qui non delexerat proditionem, à Spartanis ad commune Græciæ Concilium vocatus fuit. Cui quum ſe committere non auderet, in Epirum fugit ad regem Admetum, regem Moloſſorum. Sed quum ei bellum minarentur Spartani, niſi Themiſtoclem eorum in manus traderet, inde fugit in Aſiam; ubi à Perſarum rege tres accepit civitates, Magneſium, quod frumentum, Myuntem, quæ opſonium (piſcibus enim abundabat) & Lampſacum, quod vinum præbebat. Hæc contigere extremis Xerxis temporibus, vel juxta alios, quum jam Artaxerxes imperare cœpiſſet.

LXXIX. III. Athenienſes pugnant feliciter contra 3488.
Perſas in Ægypto, quæ Perſarum jugo preſſa ab iis defecerat & Inarum, Pſammetychi fil. regem crearat, auxiliaque Athenienſium adverſus Perſas popoſcerat.

IV. Proximo anno Lacedæmonii Itha- 3489.
menſes plane ex Peloponneſo expellunt. Sed eos recepere Athenienſes ac Naupactum, quod bello Locris eripuerant, habitandum iis conceſſere. Ita Naupacti vixere annis 57. nempe uſque dum Athenienſes victi ſunt ad Ægos potamon. Tum enim Naupacto quoque à Lacedæmoniis ejecti ad cognatos ſuos Rhegium Italiæ, vel Meſſenam, Siciliæ oppidum conceſſere. Eodem anno Artaxerxes novam claſſem CCC. navium inſtruit in Phœnicia & Cypro; ac militem ſtrenue exerceri jubet, ut Athenienſibus par eſſe poſſit.

LXXX. I. Anno proximo hæc claſſis in Ægy- 3490.
ptum venit ac bene adverſus Ægyptios ac Athenienſes rem gerit. Ægyptii ſe dedere coacti. Inarus rex proditione captus & in crucem actus. Cum Athenienſibus

ea

Olymp. Anno An. M. | Olymp. Anno An. M.

ea conditione pax facta, ut rebus ſalvis quamprimum in patriam redirent.

II. Quum inter Megarenſes & Corinthios 3491.
de limitibus certamen eſſet, Megarenſes à Lacedæmoniis defecere: ab Athenienſibus verò in ſocietatem ſunt recepti. Quæ res excitavit bellum inter Athenienſes & Corinthios; quibus & Epidaurii juncti erant. Sed Athenienſes eos vicerunt: victoriamque perſequentes etiam Æginetas maritimo prœlio ſunt adorti, ac LXX eorum triremes cepere. Tum Peloponneſii, ut Athenienſes ex Ægina reverti compellerent, agrum Megaricum invaſere. Sed qui Athenienſium in urbe relicti erant, duce Myronide ſe Peloponneſiis oppoſuerunt, eoſque vicerunt ac fugarunt. Æginetæ eo redacti, ut naves ſuas Athenienſibus dederent ac tributum perſolverent.

III. Phocenſes bellum inferunt Dorenſi- 3492.
bus eoſque urbibus ſuis expellunt. Sed Lacedæmonii opem ferunt Dorenſibus, domuitionem parantibus; Lacedæmoniis aditum intercludunt Athenienſes: ſed magno prœlio vincuntur ad Tangram, Bœotiæ flumen. Poſt hoc prœlium Cimon ab exſilio revocatur ſuaſore Pericle.

IV. Thebani, quia ſe contemptui apud 3493.
Athenienſes eſſe videbant, eo quod bello Perſico Xerxi faviſſent, Spartanis ſe in clientelam dedunt. Hi Thebas muniunt ac Bœotios cæteros Thebanis ſubeſſe jubent. Id Athenienſes rati ſuo præjudicio fieri, Myronide duce Thebanis inferunt bellum, maximis eos damnis mactant, Tangaram & Locros Opuntios vi capiunt; etiam Phocenſes & Theſſalos ſubigunt, magnaque cum præda domum redeunt.

LXXXI. I. Athenienſes, duce Tolmide adverſus 3494.
Lacedæmonios profecti, Cephaleniam inſulam capiunt, item Zacynthum, aliaque loca; agrum etiam Laconicum vaſtant.

II. Anno proximo Pericles ſimiliter po- 3495.
pulatur agrum Laconicum & Acarnanum, civitates imperio Athenienſium ſubjicit.

III. Cimon, quum vires Græciæ doleret 3496.
ita inteſtinis bellis imminui ac conſumi, ſuaſit & perſuaſit quinquennale fœdus inter Athenienſes & Lacedæmonios.

LXXXII. III. Idem, quum ſciret, Athenienſes ſuos 3500.
quieſcere non poſſe, autor fuit, ut arma ſumerent adverſus Perſas. Ita factum, ut Cyprum Athenienſes invaderent ac Salamina obſiderent. Hæc quum ex ſententia procederent Athenienſibus, tantus Artaxerxem terror invaſit, ut promitteret αὐτονομίαν Græcis in Aſia civitatibus, dummodo ſecum pacem inirent Athenienſes. Qua de pace dum agitur, obit Cimon in Cypro. Nihilominus anno proximo in eas conditiones utrimque conſenſerunt. Atque hic eſt belli finis, quod Græci geſſere cum tribus potentiſſimis Perſarum regibus Dario Hiſtaſpide, Xerxe & Artaxerxe Longimano.

*De temporibus Græcorum à fine belli Perſici uſque imperium Philippi, Macedoniæ regis.*

GRæci, liberati Perſarum metu, magis, magiſque ſimultatem exercent.

LXXXIII. I. Primi Megarenſes ab Athenienſibus 3502.
ad Lacedæmonios bello deficiunt; ac propterea bellum iis ab Athenienſibus infertur.

II. Lacedæmonii mox vaſtant agrum At- 3503.
ticum, magnaque cum præda domum redeunt. Athenienſes duce Tolmide bellum inferunt Bœotis, quod ſuperioris cladis cauſa eſſent; Chæroneam capiunt. Sed dux Tolmides inſidiis capitur & trucidatur; exercitus partim cæditur, partim captivus abducitur. Athenienſes, ut redimerent ſuorum corpora, Bœotorum civitates reſtituunt, liberaſque pronunciant. Etiam Piſtonactes, rex Lacedæmoniorum, cum exercitu miſſus, ut Atticam vaſtaret; ſed quum ad Eleuſinem uſque perveniſſet, ultra progredi voluit. Propterea in exilium miſſus eſt, quum imperaſſet annis 33.

Eopſe anno Athenienſes Sybaritarum poſtulato (qui à Crotoniatis urbe ſua pulſi erant) mittunt ex civitatibus Græciæ ac Peloponneſi colonos in Italiam, eoſque decem navibus deducunt, qui Thurium condidere. Eos inter colonos etiam Herodotus fuit, Hiſtoricorum apud Græcos, qui quidem exſtent, antiquiſſimus. Unde liquet, cur ſcriptor hic Thurius vocetur, quum patria fuerit Halicarnaſſenſis. Thuriis his biennio poſt Charondas leges dedit; quod iiſdem temporibus apud Locrenſes fecit Charondas. Uterque Pythagoræ fuiſſe diſcipulus perhibetur.

III. Cæterum rebus Athenienſium afflictis 3504.
ob cladem, qua à Bœotis affecti erant, ſociæ civitates ab iis non paucæ ad Lacedæmonios defecerunt. Eas inter erant Euboicæ; ſed Pericles, claſſe in Eubœam miſſus, inſulam eam iterum in Athenienſium poteſtatem redegit. Mox triginta annorum fœdus initum inter Athenienſes & Lacedæmonios.

LXXXIV. IV. Bellum ortum inter Mileſios & Sa- 3509.
mios. Mileſiis opem tulere Athenienſes ac Samum expugnarunt duce Pericle. Poſt obitum Periclis exules Samii Perſarum auxilio inſulam recuperant. Sed reverſus Pericles iterum eam expugnat & ducentis talentis mulctat.

LXXXV. II. Epidamnii, ſeditione laborantes, par- 3511.
tem unam ejecerant, quæ Illyriorum ope (ad hos enim confugerat) urbem obſedit; ſed obſeſſi opem Corcyræorum implorant. Illis negligentibus poſtulant auxilium à Corinthiis; qui urbem obſidione liberant & præſidium imponunt. Hoc in præjudicium ſuum vergere putarunt Corcyræi, quia Epidamnus non ſua minus, quàm Corinthiorum colonia foret. Ergo legatos Corinthum miſere, qui poſcerent, ut exules reciperentur & cauſa judicio legitimo decideretur. Sed quum Corinthii audire eos nollent, conflatum

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| | | eſt bellum inter Corinthios & Corcyræos; à quo continuam narrationem auſpicatur Thucydides. | |
| LXXXVI. | I. | Eo in bello Athenienſes Corcyræis auxilia mittunt. | 3514. |
| | II. | Corinthii perſuadent Potidæenſibus, ut ab Athenienſibus ad ſe deficiant: ſed Athenienſes utroſque vincunt & Potidæam obſident. | |
| | IV. | Meton Aſtronomus inſtituit ἐννεαδεκαετηρίδας, hoc eſt rationem numerandi per annos 19, intra quod ſpacium luminaria omnia ad eundem redeunt locum. | 3515. |
| LXXXVII. | I. | Duo millia Corcyræorum, qui Potidææ in præſidio erant, erumpunt, prœliumque cum Athenienſibus committunt. Vincunt eos Athenienſes; ſed ducem tamen Calliam amittunt, cui ſubrogatus Phormio. | 3518. |
| | II. | Incipit bellum Peloponneſiacum, quod & Archidamium dicitur ab Archidamo, rege Spartano. Cauſa ejus fuit, quod decretum abrogare nollent, quo Megarenſes foro & portubus prohibebant. Hoc nomine queſti ſunt Megarenſes apud Lacedæmonios, qui cauſam eorum ſuſceperunt. Prius tamen legatos miſere Athenas. Sed Pericles ſuaſit, ut nequa in re gratificarentur Lacedæmoniis. Acceſſit illud, quod Athenienſes in urbem ſuam tranſtulere pecunias, in Delo à Græcis repoſitas. Ex altera verò parte fœdus rupere Thebani, qui Platæas urbem capere ſunt conati, CCC noctu in urbem immiſſis; ſed omnes ii fuere trucidati. Octogeſimo die, ex quo hæc Platæis geſta fuere, Archidamus cum exercitu in Atticam venit, agrumque omnem ferro & flamma vaſtat. At mox Pericles cum claſſe navigat in Laconicam ac majori etiam damno Lacedæmonios mactat. Præterea iidem Æginetas, quos hujus belli cauſam eſſe dicebant, unà cum uxoribus & liberis inſula ejecere; agros eorum diſtribuere inter colonos mille, quos eo miſere. Æginetæ exules recepti ſunt à Spartanis, qui Thyream iis incolendum dederunt. | 3519. |
| | III. | Anno proximo iterum Archidamus agrum Atticum populatur; eodemque tempore in Attica graſſatur horrendum in modum peſtilentia, quæ & Peloponneſiorum multos abſumpſit. | 3520. |
| | | Eodem anno Athenienſes novum exercitum mittunt Potidæam, qui majori vi urbem adoriantur. Sed quum fortiter Potidæates reſiſterent, multique Athenienſium fame & cladibus perirent, legatos de pace ad Lacedæmonios miſere; ſed duras adeò conditiones præſcribebant Lacedæmonii, ut Athenienſes extrema tentare mallent. Miſere Lacedæmonii legatos ad Artaxerxem auxilia Perſica poſtulatum. Sed Athenienſes eos in via trucidarunt. Tandem & Potidæates ſe dedere coacti, quum Athenienſes in diutinam hanc obſidionem talentorum plus quàm duo millia abſumpſiſſent. Potidæates cum uxoribus & liberis exire permiſſi, viri cum veſte una & viatico certo, feminæ cum duplici veſte. Eorum verò in locum coloni ab Athenienſibus miſſi. | |
| | IV. | Pericles obit. Archidamus Platæas obſidet; & quia in longum ducebatur obſidio, murum circa urbem ducit: hinc parte exercitus ibi relicta, reliquam dimittit. Athenienſes ad Chalcidem cæduntur. At iidem duce Phormione feliciter claſſe pugnant contra Corinthios. Spartani Salamina populantur. | 3521. |
| LXXXVIII. | I. | Archidamus denuo populatur Atticam. Lesbus ab Athenienſibus ad Spartanos deficit. Sed Athenienſes ad eam recuperandam miſere claſſem navium XL; ac Mytilenem terra, marique obſidere. | 3522. |
| | II. | Athenienſibus ſe dedunt Mitylenæi, Spartanis Platæenſes. Sed Platæenſes ad unum omnes occiduntur; Mitylenæis ſolum muri everſi & naves ereptæ. Corcyræ immanis eſt ſeditio, in qua ſopienda utilem operam navat Nicoſtratus, Athenienſium dux. | 3523. |
| | | Leontini Gorgiam Rhetorem mittunt Athenas opem poſtulatum adverſus Syracuſanos, à quibus opprimebantur. Athenienſes, ſperantes, ſe Siciliam hac occaſione ſubjicere ſibi poſſe, miſere eò Lachetem & Chabrium ducem, qui feliciter rem gerunt. Mox cum altera claſſe miſere Sophoclem Poëtam & Eurymedontem, qui Syracuſanos eò adegere, ut cum Leontinis pacem facerent. | |
| | III. | Athenienſes pugnant cum Ætolis. Peloponneſii & Ambraciotæ Argos vaſtant. Sed Argivis venere auxilio Athenienſes & Acarnanes; Ambraciotæ penè univerſi cæduntur. Delus ab Athenienſibus expiatur ad peſtilentiam avertendum. Archidamus, Spartanorum rex, moritur, eique ſuccedit Agis. | 3524. |
| | IV. | Agis, rex Spartanorum, Atticam populatur. Demoſthenes, Athenienſium dux, Pylum munit contra Lacedæmonios. Claſſis Spartanorum vincitur ab Athenienſibus. | 3525. |
| LXXXIX. | I. | Nicias, Athenienſium dux, vincit Corinthios. Iidem Methonem muniunt. Bariſdas, dux Lacedæmoniorum cum alias civitates vincit, tum proditione capit Amphipolim, Athenienſium in Thracia coloniam. Thucydides hiſtoricus, qui miſſus erat cum copiis, ut opem Amphipolitanis ferret, eò quod ſerius veniſſet in exilium ejicitur. | 3526. |
| | II. | Anni unius induciæ fiunt inter Athenienſes & Lacedæmonios. Barſidas, ne interim quieſceret, Perdiccæ, Macedoniæ regi, operam promittit adverſus Illyrios. Sed Illyriis advenientibus Perdiccas ſibi de tuto loco proſpiciens Barſidæ exercitum Illyriis objicit; à quibus & cæſus eſt. Hac propter Barſidas Macedoniam vaſtat; Perdiccas verò cum Athenienſibus init ſocietatem. | 3527. |
| | III. | Scione, quæ ſuperiori anno ad Braſidam defecerat, ab Athenienſibus expugnatur, puberes interficiuntur, urbs Platæenſibus traditur. Eodem anno Cleon, Athenienſium dux, Toronam recipit. Inde ad Amphipolim pugnat cum Braſida; quo prœlio cecidit uterque dux. Sed Spartanus exercitus victor fuit. | 3528. |

Poſt

Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

IV. Poſt hoc prœlium fœdus quinquaginta annorum initur inter Athenienſes & Lacedæmonios. Ea pax quum Græcorum aliis eſſet ſuſpecta, centum annorum fœdus ineunt Argivi Thebani, Corinthii & Elienſes. 3529.

XC. I. Sed non diu durarunt hæc fœdera. Nam Spartani non reddebant Athenienſibus Amphipolim, quia, ut ajebant, invitis Thracibus id facere non poſſent. Sed & Panactum everterunt, cùm reddere oporteret. Iccirco Athenienſes reddere noluerunt Pylum. Meſſenios tamen abduxerunt; ſed locum ipſi præſidiis ſuis ſervarunt. Mox etiam Spartani cum Bœotis, excluſis Athenienſibus, fœdus inivere. Athenienſes contra in Societatem adſcivere Argivos, Elienſes & Mantinæos. Nam Corinthii, horum ſocii, ab eo fœdere deſciverant. 3530.

II. Argivi invadunt Epidaunos, quibus auxilium mittunt Spartani contra fœdus. Iccirco Athenienſes ad Spartanum agrum vaſtandum mittunt Meſſenios & alios prædones. 3531.

III. Anno proximo Spartani invadunt Argivorum agros, feliciterque rem gerunt. Initæ hinc induciæ inter Argivos & Lacedæmonios; ſed Argivi eas rupere Lacedæmoniorum ſuaſu. Alia etiam fiebant, quæ Elienſes improbarent, ac propterea à fœdere receſſerunt. Argivi nihilominus cum Athenienſibus & Mantinæis prœlio certant adverſus Spartanos: ſed vincuntur. Ad hæc Epidauni agrum vaſtant Argivorum. Itaque coacti relinquere Athenienſes cumque Lacedæmoniis fœdus iniere in annos quinquaginta, uti & Mantinæi in annos triginta. Athenienſes, quibus hæc diſplicebant, domum abierunt. 3532.

IV. Argis ſeditio excitata de Reip. forma. Nam Argivi Oligarchiam amplexi erant ſuaſu Spartanorum. Sed quum ea Reip. forma improbaretur Populo, octavum poſt menſem eos, qui cum Spartanis fœdus inierant, Urbe expulit & Athenienſium auxilium popoſcit. Hi per Alcibiadem revocant Democratiam & qui contra ſentirent Urbe ejiciunt. Exules iſtos recepere Spartani ac in Argolide regione eos cum præſidio collocarunt. Sed Argivi & exules, & præſidium occiderunt. 3533.

XCI. I. Athenienſes Melum oppugnabant. Lacedæmonii populantur Argivos, eorumque exules in Orneas, quas præſidio ſuo muniunt, collocant. Athenienſes, opitulantes Lacedæmoniis, Orneas capiunt & evertunt. 3534.

II. Leontini, à Syracuſanis pulſi, iterum implorant Athenienſium opem & impetrant ſuadente hoc Alcibiade, fruſtra diſſuadente Nicia. Miſſi duces Nicias, Alcibiades & Lamachus. Cæterum paullo ante profectionem capita ſtatuis Mercurii erant ablata; dumque ſeverè in eam rem inquiritur, inter cæteros ejus rei autores etiam Alcibiades nominatur. Ergo domum revocatur, ſimul etiam, quod myſteria enunciaſſet. Ille ſibi metuens è Sicilia confugit ad Spartanos, eoſque inſtigavit ad bellum Athenienſibus inferendum, dum altero cum Syracuſanis bello occupantur. Dum hæc molitur Alcibiades, Athenienſes Syracuſanos multis cladibus afficiunt. 3535.

III. Lacedæmonii Syracuſanis auxilio mittunt Chryſippum cum exercitu: poſt cujus adventum res Athenienſium in Sicilia retro abire cœperunt, ita ut Nicias Athenienſibus ſcriberet, ſine victoriæ ſpe bellum hoc geri; ac peteret, ut domum revocaretur. Sed Athenienſes majora ei auxilia decernunt. Cecidit eo anno Lamachus. 3536.

IV. Spartani autore Alcibiade communiunt Deceliam, quæ Athenis aberat ſtadiis CXX atque inde maximis damnis Athenienſes afficiunt. Etiam poſt varia prælia ingenti ad Syracuſas clade afficiuntur, ducibus Eurymedonte, Demoſthene, Nicia: ex quibus Eurymedon prœlio navali periit, Demoſthenes & Nicias terra capti, poſteaque occiſi. Militum verò bona pars in latomias miſſa eſt. Athenienſibus hac clade affectis pleriqueomnes ab iis defecere. 3537.

XCII. I. Sed magna ex parte eos iterum in poteſtatem redigunt Athenienſes. Darius Nothus Tiſſaphernem cum claſſe ad Spartanos mittit, ut eos adverſus Athenienſes juvet. Spartani mox deliberant de Alcibiade tollendo. Sed Agidis regis uxor, quam adulterio cognoverat, horribilis illius ſecreti ei indicium facit. Ergo fugit ad Perſarum regem atque ut tum regi ſe probet, tum Athenienſibus ſuis bene conſulat, ſubdolè ſuadet, ut ne largos adeo ſumptus in hoc bello facere velit; ſatius enim eſſe, ut ſuo imprimis ſucco Græcos vivere atque hoc bellum gerere ſinat: ita enim magis alteri vires eorum poſſe; cæteroquin periculum eſſe, ut ne pars victrix poſtea adverſus Perſas inſurgat. Præterea occultè per amicos hoc agit, ut reſtitui in patriam poſſit. 3538.

II. Dercylidas, Lacedæmoniorum Dux, Abydum & Lamaſcum capit: ſed Lamaſcum Athenienſes mox recipiunt. Athenienſes hoc anno (niſi potius ſuperiori) Remp. immutant ac quadringentos eligunt, qui Remp. regant. Non multo poſt Athenienſium claſſis in Eubœa vincitur. Unde tumultus Athenis oritur. Quadringenti Theramene autore ſe magiſtratu abdicant. Seditio oritur in Peloponneſio exercitu, quod Tiſſaphernes, Darii præfectus, malignius ſolito ſtipendia perſolveret; quod Alcibiade, ut diximus, ſuaſore fiebat. Nec minus tumultuati Athenienſes ob ſtipendia non perſoluta: ſed ab Alcibiade ſedantur. Thraſyllus & Thraſybulus deſignantur Athenienſium Duces. Alcibiadi Theramene duce in patriam redeundi poteſtas facta. 3539.

III. Thraſyllus, Thraſybulus & Alcibiades navali prælio Mindarum, Lacedæmoniorum ducem, vincunt ad Abydum. Hinc vaſtant eos, qui ab Athenienſibus deſciverant. Alcibiades dolo à Tiſſapherne capitur; ſed trigeſimo poſt die fuga elabitur. 3540.

IV. Athenienſes ducibus Thraſybulo & Alcibiade Mindarum vincunt ad Cyzicum, 3541.

Olymp. Anno An. M.

cum, Ducem trucidant, claſſe tota potiuntur ac Spartanos pacem petentes, audire nolunt. Agis, rex Spartanus, exercitum ad Athenas admovet; ſed à Thraſyllo fortiter repellitur. Megarenſes Niſæam eripiunt Athenienſibus: ſed Athenienſes eos Leotrophide & Timarcho ducibus ingenti prælio vincunt ac prope delent. Nec Lacedæmonios, pacem poſcentes, audire volunt. Etiam altero exercitu in Helleſponto prædantur, inque Thracia; ubi & multas urbes, eaſque inter Byzantium, ſed proditione, capiunt, ad Chalcedonem quoque pugnant; ubi Hippocrates, dux Lacedæmonius, in pugna cecidit. At in Peloponneſo potiuntur Lacedæmonii Pylo annis quindecim, ex quo eam munierat Demoſthenes, Athenienſium Dux.

XCIII. I. Alcibiades rebus fortiter geſtis glorio- 3542.
ſè in patriam redit. Lacedæmonii eligunt ducem Lyſandrum, qui cum Cyro, Darii Nothi fil., ſocietatem init. Idem Alcibiade abſente pugnat cum Legato ejus Antiocho, cui in mandatis dederat Alcibiades, nequid rei gereret ſe abſente. Sed ille, impatiens imperii, conflixit cum Lyſandro ac XXII. naves amiſit. Agis, rex Spartanus, exercitum ad muros admovet: ſed repellitur à ſenibus, pueris & Attico equitatu. Alcibiades Cumæos populatur præter jus, qui eum, ut poterant, repulerunt ac apud Athenienſes accuſarunt. Hi, quum ab aliis quoque incuſaretur, Alcibiadem imperio privarunt. Quare exulatum ſe in prædia ſua, quæ in Thracia habebat, recepit. Vixit circa hæc tempora Polydamas, vir tanti roboris, ut, ſi Pauſaniæ in Eliac. credimus, ſolus currum, equos auriga incitante, ſuſtineret. Sed dum fiducia roboris ſpeluncam etiam concidentem manu ſe ſuſtinere poſſe ſperat, ab ea obruitur.

II. Conon, Athenienſium dux, navibus 3543.
aliquot, ſed vacuis, amiſſis, fugit Mitylenen; ubi hyeme tota à Callicratide, Spartanorum navarcho, obſidetur.

III. Athenienſes mittunt Diomedontem 3544.
cum decem navibus, ut Cononem obſidione liberet; ſed is decem naves amittit. Ergo mox mittunt naves C, ut in univerſum eſſent CL. Hinc ad Arginuſas aperto Marte pugnant cum Callicratide ac LXXV. ex ejus navibus perdunt, ex ſuis XXV. amittunt. Interemptus hoc prœlio Callicratides ac Conon obſidione liberatus. Eos, qui cecidiſſent, ſepelire non potuere ob tempeſtates. Propterea Athenienſes aliquos duces occiderunt, eoſque inter Thraſyllum. Sed Conon abſolutus, Ariſtogenes & Protomachus fuga ſibi conſuluere. Sed quum Populum ſumpti ſupplicii poſtea pœniteret, eadem pœna affecere judicem & accuſatores Ducum ſuorum.

IV. Lyſander Thaſum, Cariæ urbem, ca- 3545.
pit & evertit. Lampſacum item in ejus poteſtatem venit. Poſtea cum Athenienſibus in Helleſponto confligit ad Ægos Potamos & eos ſuperat. Conon effugit & quum Athenas redire non auderet, contulit ſeſe ad Euagoram, Cypri regem. Cæteri Athenienſium Duces capti & interempti uno excepto Adimanto. Agis & Pauſanias, reges Lacedæmonii, Atticam populantur. Lyſander Piræum obſidet.

XCIV. I. Athenienſes fame & peſtilentia adorti 3546.
pacem à Lacedæmoniis poſcunt per Theramenem & alios Legatos: ſed non aliis conditionibus impetrant, quàm ut longos muros & Piræum deturbent; naves univerſas præter duodecim tradant, exules reſtituant & eoſdem ac Lacedæmonii amicos ac hoſtes habeant. Muri ad cantum tibiarum diruti ſunt. Idem Lyſander triginta Viros legit, qui Athenis præeſſent; ſed ſua abuſi potentia tyrannidem exercuerunt, interque alios etiam collegam ſuum Theramenem occiderunt, quia actionibus ſuis adverſaretur. Alcibiadem quoque, quod metuerent, ne occaſione aliqua dominatum hunc diſturbaret, per Pharnabazum, Perſicum præfectum, interfici curarunt.

IV. Thraſybulus Athenienſes exules col- 3549.
ligit, Piræum occupat, in pugna cum Tyrannis occidit Critiam: inde cives ſe Thraſybulo jungunt, qui veterem Reip. formam reſtituit & *ἀμνηστίαν* ſancit. In eundem annum incidit Cyri junioris expeditio adverſus Artaxerxem fratrem. Habuit Cyrus Aſiaticorum militum ſeptuaginta millia. Eo in bello cecidit Cyrus. Græci duces fraudulenter interempti à Tiſſapherne. Milites Xenophontis conſilio alios ſibi duces elegere ac per immenſa itinerum ſpatia in Ioniam redierunt, quum annum abfuiſſent & menſes tres. Ex oclↄↄ deſiderati clↄ & cc. Tiſſaphernes mittitur ab Artaxerxe, ut in Aſia eas recuperet civitates, quas Cyrus fecerat ſuas. Illæ Spartanorum auxilium implorant; qui mittunt Tymbronem ducem cum equitibus iis, qui antea fuerant triginta Tyrannorum Athenis. His ſe junxere poſtea milites, qui Xenophonte duce ex Perſia redierunt. Exercitu eo firmatus multas Tiſſapherni civitates eripit.

XCV. I. Tymbroni ſucceſſor à Spartanis mitti- 3550.
tur Dercyllidas, cui à ſolertia Syſiphi nomen datum eſt. Hic amicitiam ſimulans cum Tiſſapherne bellum infert Pharnabazo, multaque oppida in Aſia capit. Sed Spartam reverſus quum accuſaretur, quod militibus poteſtatem feciſſet populandi Sociorum agros, in exilium eſt ejectus.

II. Anno proximo (quo ipſo Athenis So- 3551.
crates cicutam bibere coactus) Dercyllidæ denuo offertur imperium, jubeturque Cherſoneſios adverſus Thracum incurſiones defendere. Pharnabazus & Tiſſaphernes, quum viderent Lacedæmoniorum res ac gloriam indies creſcere, autores ſunt Artaxerxi, ut claſſem adverſus eos inſtauret, eique Cononem Athenienſem præficiat.

III. Spartani Eleos bello petunt, quod ad 3552.
ludos non admitterentur, imò & multam irrogaſſent. Terras eorum vaſtat rex Agis: & quum is Spartam magna

cum

ogle

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| | | cum præda rediret, Lyſippum mittit, qui ſequentem autumnum & hyemem Elienſes populatus eſt. | |
| | IV. | Elei ad Spartanos miſere Legatos petitum pacem, quam non alia conditione impetrarunt, quàm ſi muros everterent, finitimis non imperarent, Spartanos ad ludos Olympicos admitterent & multam remitterent. Eopſe anno moritur Agis, cui in regno pro Leotychide, quem Agis ſuum eſſe filium negabat, ſuccedit frater Agidis Ageſilaus. | 3553. |
| XCVI. | I. | Conon Athenienſis ſæpius militari ſeditione vexatur, quod ſtipendia maligne ſolverentur; ad Perſarum regem ſe confert ac, quamvis eum non adoraret, admiſſus tamen fuit; pecuniiſque abundè inſtructus fortiter rem gerit adverſus Ageſilaum. | 3554. |
| | II. | Ageſilaus vincit Perſarum equitatum & caſtris potitur. Quæ clades quum Tiſſapherni duci imputaretur, caput ei præciſum, ſucceſſorque à rege datus Tithrauſtes. Cum hoc Ageſilaus triginta talentis inducias paciſcitur: hinc in Phrygiam, Pharnabazi regionem tranſit. Spartanorum gloriæ invidentes Græci bellum iis intulere. Fuere illi Bœoti, Athenienſes, Corinthii & Argivi. Hi cladibus cogunt Spartanos, ut Ageſilaum ex Aſia revocent. | 3555. |
| | III. | Conon bello navali ad Cnidum pugnat cum Piſandro, affine Ageſilai, qui & eum claſſi præfecerat, etſi belli non admodum peritus eſſet. Cecidit eo Piſander ac periere naves Spartanorum L. Hinc ab Spartanis defecere ſociorum multi. Conon poſt eam victoriam profectus eſt Corinthum ac cum iis pactus fuit. | 3556. |
| | IV. | Pharnabazus cum Conone vaſtant Laconicam. Inde Conon Corinthiis & Thebanis juvantibus Athenarum muros inſtaurat. Seditio excitatur Corinthi, in qua pars una Athenienſium, altera Spartanorum auxilia implorat. Ab illis Iphicrates miſſus, ab his Ageſilaus. Sed Iphicrates ab Ageſilao vincitur. | 3557. |
| XCVII. | I. | Anno proximo multis in locis feliciter Athenienſes & ſocii pugnant. Argivi Corinthum occupant. Iphicrates, quum agrum Corinthium occupare vellet, à populo prohibetur. Ergo imperium deponit. Succeſſor ei miſſus Chabrias. Spartani Antalcidam mittunt ad Teribazum, Perſicum in Aſia præfectum, quem docet, quanti periculi ſit, quod Athenæ inſtaurentur. Teribazus ad Artaxerxem proficiſcitur, ut conſulat, quid facto opus ſit. Teribazo ſucceſſor mittitur Strihas, qui Athenienſibus favens oppugnat Lacedæmonios. | 3558. |
| | II. | Euagoras, Cypri antea rex, conſilia agitat de recuperando Regno. Sed præſentiſcens id Artaxerxes exercitum adverſus eum conſcribit. | 3559. |
| | III. | Thraſybulus Athenienſis ad Helleſpontum urbes capit, Spartanos cum duce cædit. Sed ab Aſpendiis noctu obrutus interficitur. Iphicrates, adverſus Anaxibium Spartanum miſſus, ex inſidiis eum capit & obtruncat. | 3560. |
| XCVIII. | II. | Antalcidas, qui cum Teribazo hactenus fuerat apud Artaxerxem, redit cum iſtiuſmodi pacis forma: Rex Artaxerxes æquum cenſet eſſe, ut urbes in Aſia cum inſulis Clazomeniis & Cypro ſibi pateant. Cætera Græci nominis oppida parva, magna ſui juris ſunto. Lemnus, Imbrus, Scyrus excipiuntor, quas, ut olim, ita nunc etiam Athenienſes obtinento. Hanc pacem quicunque rejecerit, iis equidem bellum unà cum approbantibus eam mari, terra pecunia, claſſe inferam. Hanc pacem, quæ Antalcidæ dici ſolet, etiam Athenienſes, Bœoti & Argivi comprobarunt. Ancipites hærebant Thebani ac Corinthii. Iis metum tantum injecerunt Spartani, ut & ipſi in eam jurarent. | 3563. |
| | III. | Euagoras, Cypri rex, exercitum comparat cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ ac navium ccc ac adjutus ab rege Ægypti, Tyriis & aliis Perſarum regi bellum infert. Sed vincitur ac Salamine obſidetur. | 3564. |
| | IV. | Anno proximo quum obſidium diutius ferre non poſſet, urbem dedit hac conditione, ut rex quidem Cypri permaneat, ſed ſubſit imperio Perſarum, eique tributum pendat. Eodem anno Mantinæi ſe dedunt Spartano regi, à quo juſſi ex urbe diſcedere, inque vicis habitare. Spartani auxilium promittunt Amyntæ, Macedoniæ regi, adverſus Olynthios. | 3565. |
| XCIX. | III. | Spartani exercitu eo, qui contra Olynthios miſſus dicebatur, occulta fraude capiunt Cadmæam, arcem Thebanam; quo nomine male audiunt apud Græcos, quippe qui undique oſtenderent, ſe fœdere neglecto Græciæ principatum affectare. | 3568. |
| C. | I. | Ageſiopolis, quum multum agros vexaſſet Olynthios, moritur XV. anno imperii. Ei ſuccedit Cleombrotus frater. | 3570. |
| | II. | Olynthii ſeſe Spartanis dedunt ea conditione, ut eoſdem & amicos & inimicos haberent. Etiam Phliaſii poſt diutinum obſidium ſe dedunt Spartanis, qui exulibus reductis poteſtatem fecerunt occidendi ex obſeſſis, quos vellent. Pelopidas quoque armis recuperat Cadmæam. | 3571. |
| | III. | Civitates Græciæ conſpirant adverſus Lacedæmonios. | 3572. |
| CI. | I. | Chabrias, dux Athenienſis, prælio navali inter Naxum & Parum ſuperat Pollem, Spartanorum ducem. Quod Athenienſes iterum animavit & Chabriæ glorioſum nomen fecit. | 3574. |
| | II. | Chabrias Abderitas defendit fortiter adverſus Triballos; ſed non multo poſt ex inſidiis periit. Ei ſucceſſit Timotheus, Cononis fil., qui Spartanos ad Leucadem claſſe vincit. Artaxerxes, quum indigeret milite Græco adverſus Ægyptios, legatum in Græciam miſit, quo ſuaſit, ut omnes civitates libertate ſua abſque præſidio fruerentur. Ea pax recepta ab omnibus, præterquam Thebanis, qui imperio in Bœotiæ oppida privari nolebant. Eodem anno Theſſalorum imperator creatus fuit Jaſon Pheræus. | 3575. |
| | III. | Pharnabazus & Iphicrates, cum exercitu ab Artaxerxe minore miſſi adverſus Ægy- | 3576. |



Digitized by Google

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| | | Ægyptios. Euagoras in Cypro occiditur inſidiis Nicoclis, qui ei ſucceſſit. | |
| | IV. | Thebani ex inſidiis Plateas & Theſpias occupant. Iidem Phocenſes etiam invadunt, qui bello adverſus Xerxem optimè de tota meriti erant Græcia. Propterea à Societate recedunt Athenienſes. | 3577. |
| CII. | I. | Helice & Bura, Achaiæ civitates, terræ motu abſorbentur. | 3578. |
| | II. | Pax inter Græciæ civitates iterum per Artaxerxem reparatur. Sed ut ante, ita nunc Thebani eam detrectant. Iccirco Spartani iis bellum indicunt. Habebat eo tempore exercitum ſuum in Phocide Cleombrotus, Spartanorum rex, qui auctis copiis Bœotiam invadit. Sed eum ad Leuctra memorabili victoria ſuperat Epaminondas. Jaſon Pheræus cum auxilio Theſſalico ſupervenit ac auctor Thebanis fuit, ut ne vehementius agendo ad deſperationem adigerent Spartanos; ac Spartanis item perſuaſit, ut induciis pactis domum abirent. Mantinæi, quia civitates omnes ſui juris eſſent, muros ſuos inſtaurant, quos Spartani everterant; ac propterea bello à Spartiatis petuntur. | 3579. |
| | III. | Epaminondas & Pelopidas mittuntur in Peloponneſum ac bene rem gerunt. Sed quatuor menſes diutius imperant, quam in mandatis habebant. Propterea, ubi reverſi, capitis poſtulantur. Nec recuſarunt ſupplicium, modò inſcriberetur ſepulchro cauſa damnationis, quod, ut Thebanos Græciæ principes facerent, exercitum quatuor menſibus diutius detinuerint. Quo audito ſunt abſoluti. Epaminondas in ea expeditione autor fuit Arcadibus, ut conderent Megalopolin, quæ Arcadici principatus caput foret. Eadem expeditione Meſſenios, qui ante annos CC XCVIII à Peloponneſiis erant expulſi & ex eo tempore partim Naupacti, partim Meſſenæ, Siciliæ civitate, à ſe condita, habitarant; in patriam veterem revocat, ubi Meſſenem condunt. Quo in opere ne à Spartanis impedirentur, præſidium ibi reliquit Epaminondas, uſque dum urbem abſolviſſent. Spartani, neceſſitate hac adacti, ab Athenienſibus opem poſcunt; qui Iphicratem promittunt. Sed ob moram diutinam inutilis fuit. Jaſon Pheræus interficitur à ſeptem adoleſcentibus. Succedit ei Polyphron fil., qui fratrem Polydoron interfecit, tanquam paternæ cædis conſcium. Ageſipolis, rex Spartanus obit, quum annum unum imperaſſet. Succedit Cleomenes. | 3580. |
| | IV. | Artaxerxes iterum mandata de pace mittit in Græciam; quam Thebani rurſum detrectant. Ergo Spartanis auxilia mittit, ut Thebanos bello cogant. Polyphron, Theſſaliæ tyrannus, interimitur à fratre Alexandro Pheræo. | 3581. |
| CIII. | I. | Pelopidas capitur ab Alexandro Pheræo. | 3582. |
| | II. | Thebani exercitum duce Epaminonda mittunt in Theſſaliam ac cogunt, ut Pelopidam reddat. | 3583. |
| | III. | Chares, dux Athenienſium, compeſcit Argivos & Arcades, Phliaſiorum fines vaſtantes. | 3584. |

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| CIV. | I. | Epaminonda autore Thebani maris imperium ſibi vindicant invitis Athenienſibus. Pelopidas vincit Alexandrum Pheræum; ipſe tamen bello eo cecidit. Alexander cogitur omnia Theſſaliæ oppida tradere; ſuiſque Pheræus contentus eſſet. | 3586. |
| | II. | Epaminondas prœlium ad Mantineam committit cum Ageſilao, rege Spartano ac poſt diutinam pugnam tandem vincit: ſed ipſe petit vulnere, quod telo fecerat Gryllus, Xenophontis hiſtorici fil., qui & ipſe interemptus. Omnes verò Græcorum civitates, belli malis laſſati, pacem faciunt. Athenienſes reditus publicos, qui bello impendi ſolent, deſtinant ludis. | 3587. |
| | IV. | Ageſilaus, quum Tachum, Nectanebi patrem, Ægyptium regem, reſtituiſſet, domum revertens in itinere moritur, eique ſuccedit fil. Archidamus. Chares, Athenienſium dux, miſſus adverſus Alexandrum Pheræum, multos ſocios injuriis afficit, eoque in cauſa eſt, cur male audiant Athenienſes. | 3589. |
| CV. | I. | Perdiccas, Macedoniæ rex, cum Illyriis pugnans, ingenti prœlio vincitur; eique ſuccedit Philippus frater, Alexandri M. pater: qui Athenienſes, ne Argæum regem Macedoniæ facerent, Amphipoli cedit; Pæonas & Illyrios, ne bellum inferre pergant, muneribus ſibi devincit. Hinc Argæum, Athenienſium ope deſtitutum, vincit. Eodem anno Alexander Pheræus occiſus conſilio uxoris; cui Tiſiphonius ſuccedit. Mortuus item Xenophon hiſtoricus. | 3590. |
| | II. | Philippus Illyrios devincit, omniaque Macedoniæ oppida recuperat. | 3591. |
| | III. | Dionyſius, Siciliæ Tyrannus, conſilia agitat de Dione tollendo, novercæ ſuæ fratre, qui iccirco Corinthum fugit. Plato conatur Dionyſio perſuadere, ut Dionem revocet: ſed hoc effecit, ut qui à Dionyſio antea amabatur & magni fiebat, gratia ejus excideret. Athenienſium ſocii deficiunt; adverſus quos miſſi Chabrias & Chares, qui dum Chios obſident, Chares in bello cecidit. Philippus Amphipolim Athenienſibus eripit, Potidæam etiam expugnat, Crenidas auget & à ſe Philippos vocat, aurifodinas ſtructuris reddit multis partibus fœcundiores. Unde quotannis CIↃ amplius talenta percipit; eoque ex auro Philippicos cudit. | 3592. |
| | IV. | Dionyſius inſula à Dione ejicitur. Tiſiphonius item, Pheræorum tyrannus, quum in Theſſalos tyrannidem exerceret, occaſionem præbet advocandi Philippum, qui eum cum fratre devincit & benignè cum Theſſalis agit. Quo factum, ut Theſſalis ſemper ſit in bello ſociis & adjutoribus uſus; ut & poſtea Alexander M. | 3593. |
| CVI. | I. | Thebani, rerum potientes, accuſant in Concilio Amphictyonio tum Spartanos, quod pacis tempore Cadmæam cepiſſent, tum Phocenſes, quod agrum Thebanum populati eſſent. In Concilio hoc ex Thebanorum ſententia judicium fer- | 3594. |

Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

fertur ac tanta iis mulcta imponitur, ut
ſolvendo non eſſent. Phocenſes, in
deſperationem acti, belli aleam ſubire
ſtatuunt. Atque hæc origo fuit belli ſacri.
Iphicrates, Timotheus, Chares ab Athe-
nienſibus miſſi adverſus ſocios, qui deſe-
cerant. Philippus vincit Thraciæ, Pæo-
niæ & Illyrici reges, qui adverſus eum
conſpirarant.

II. Philomelus, Phocenſium dux, Del- 3595.
phos abit, templa occupat, Amphictyo-
num decreta exſcindit è columnis. Athe-
nienſibus & Spartanis perſuadet, ut ſe
juvent. Thebani contra & Locrenſes bel-
lum adverſus eos decernunt pro Deo.

III. Philomelus cogitur donaria templi 3596.
Delphici convertere in uſum belli adver-
ſus Thebanos. Ac primùm vicere Pho-
cenſes; hinc Thebani: in quorum ma-
num ne veniret Philomelus, de ſaxo præ-
cipitem ſe dedit, eique ſucceſſit Onomar-
chus.

IV. Lycophron, Pheræorum tyrannus, 3597.
adverſus Philippum pugnaturus, Phocen-
ſium auxilia advocat: ſed vincitur. Mox
Onomarchus ipſe auxilio venit ac Philip-
pum bis acie vincit.

CVII. I. Philippus prœlium committit cum 3598.
Lycophrone & Onomarcho, eoſque
Theſſalo milite vincit. Captus Onomar-
chus & ſuſpenſus. CIↃCIↃCIↃ militum
mari merſa. Onomarcho ſurrogatur fra-
ter Phäyllus. Exin Philippus Pheras ob-
ſidet & capit. Tyrannus ſe confert ad
Phäyllum, qui & Athenienſium auxilia
habebat & Spartanorum & Achæorum.
Iis inſtructus Bœotiam ingreditur & ur-
bes aliquot capit ac vaſtat. Sed mox tabe
conſumptus periit; cui ſuccedit fil. Ono-
marchi Phalæcus.

II. Phalæcus Cheroneam occupat; ſed 3599.
mox amittit. Ea recuperata Bœotia Pho-
cidem vaſtant.

CVIII. IV. Phocenſes & Thebani auxilia externa 3605.
implorant, illi Lacedæmoniorum; hi
Philippi. Quo cum valido Theſſalonum
exercitu adventante Phalæcus, quia ſe
imparem videret, paciſcitur cum Philip-
po hac conditione, ut ſibi cum ſuis mili-
tibus, qui vellent (ſecuti ĪĪ ccIↃↃ) abi-
re quolubet liceret. Phocenſibus relictis
mulcta hæc impoſita, ut quotannis LX
talenta Apollini Delphico perſolverent,
uſque dum reſtituiſſent, quod Delphico
Apollini erat ablatum. Item ut ſuffra-
gium amitterent ac eorum loco Philippus
bina ſuffragia haberet in Concilio Am-
phictyonico & Pythicos ludos exhiberet.
Ita ſacro bello impoſitus finis, quum du-
raſſet ſexennium.

Timoleon Corintho cum navibus ali-
quot in Italiam proficiſcitur, fortiterque
rem gerit adverſus Carthaginienſes. In
Sicilia Syracuſas vincit, aliaque Dionyſio
eripit.

CIX. II. Timoleon Dionyſium tyrannum Sici- 3608.
lia penitus expellit; qui Corinthum abit
atque ibi litteras docet. Philippus, quum
alios armis ſubegiſſet, alios auro corru-
piſſet, terrori erat omni Græciæ. Athe-
nienſes ſoli priſtinam libertatem tueri
volebant. Ergo Philippus, belli cauſam

Olymp. Anno An. M.

quærens, Elateam iis eripit. Mox Athe-
nienſes Thebanorum auxilia advocant ac
ducibus Charete & Philocle, licet longè
impares, cum Philippo confligunt ad
Chæroneam: ſed vincuntur. Eo prœlio
concidit libertas Græciæ ac principatus
ejus ad Philippum devenit.

*De temporibus Græcorum poſt*
*ereptam iis libertatem à Phi-*
*lippo uſque ad obitum fil.*
*ejus Alex. Magni.*

CX. IV. PHilippus tota jam Græcia, Thracia, 3613.
item Illyride ac Pæonia in poteſtatem
ſuam redacta, Corinthi in Concilio Græ-
ciæ deſignatur belli dux adverſus Perſas.
Eodem anno Timoleon, poſtquam
octennium feliciter impenderat tyrannis
è Sicilia ejiciendis, moritur jam cœcus,
quum & antea uſu oculorum infirmiori
uſus eſſet. Huic Syracuſani poſt mortem
ſacra anniverſaria & ſolennes ludos inſti-
tuerunt. Philippus Attalum & Parme-
nionem in Græciam præmittit cum parte
copiarum, mox ſecuturus: ſed dum
nuptiis vacat Alexandri, Epirotarum re-
gis, & magnificis conviviis Græcorum
principes excipit, occiditur à Pauſania,
cui illatam injuriam vindicare neglexerat.

CXI. I. Alexander Magnus ei ſuccedit, annos 3614.
natus XX. Ac primùm ſupplicium de iis
ſumpſit, qui Philippum occidiſſent. Hinc
rebus regni componendis animum adje-
cit. Nam Græcis morte Philippi ſpes
nova addita erat de recuperanda libertate;
imprimis Thebanis & Athenienſibus,
quibuſcum Attalus in Aſia conſpirat.
Etiam Illyris, Pæonia, Thracia à Mace-
donibus deficiebat. Itaque Alexander
amicis alloquiis ſibi Theſſalos jungit at-
que ab iis Græcorum dux ſalutatur; quod
& Amphictyones faciunt. Hinc cum
exercitu in Græciam venit. Territi Athe-
nienſes & Thebani legatos ei de pace ob-
viam mittunt, eamque impetrant. Exin-
de Corinthi Senatum Græcorum convo-
cat, à quo dux Græcorum adverſus Per-
ſas ſtatuitur. Attalum mox ex inſidiis in
Aſia tollit.

II. Græciæ rebus, ut videbatur, compo- 3615.
ſitis in Thraciam, Pæoniam atque Illyri-
dem proficiſcitur, eaſque gentes ſubigit.
Iſtriam tranſiens cum Germanis pacem
facit. Ubi ei nunciatum eſt de nova de-
fectione Græcorum; imprimis Theba-
norum. Ergo in Græciam venit cum
exercitu: Thebas capit & evertit. Athe-
nienſibus, qui Thebanis faverant, re-
conciliatur per Demadem oratorem.

III. Alexander trajicit in Aſiam cum exer- 3616.
citu ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ CIↃ CIↃ peditum
& IↃↃ equitum. Primum prœlium cum
Perſarum ducibus commiſſum ad Grani-
cum fluvium, qui ex Ida monte profluit.
Cecidere eo prœlio Perſarum ccIↃↃ ccIↃↃ.
Eo autem Alexander ipſe, dum fortiter
pugnat, occiſus fuiſſet, niſi eum Clyſtus
protexiſſet. Hinc Phrygiam, Lydiam &
omnem littoralem Aſiam uſque ad Cili-
ciam devincit.



Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

IV. Magno Alexandri bono moritur Memnon Rhodius, qui ccc navium claſſe inſtructus faventibus Chiis, Lesbiis, aliiſque inſulis Macedoniam bello aggredi ſtatuerat, ut ita Alexandrum ex Aſia retraheret. Darius tanto duce mortuo ipſe Alexandro cum exercitu ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ millium obviam ire ſtatuit. Pugnatum in Cilicia ad Iſſum; ubi cæſus Darii exercitus, capta conjux, mater, filiæ duæ. 3617.

CXII. I. Alexander Syriam ſibi ſubjicit. Sola Tyrus reſiſtere auſa; quam poſt obſidium ſeptem menſium capit & evertit. Gazam hinc capit, quum obſediſſet bimeſtre. Judæis per Jadduam ſacerdotem conciliatur. 3618.

II. Alexander proficiſcitur in Ægyptum; quæ peroſa jugum Perſicum facilè eum recepit. Per loca arenoſa, ubi olim perierat Cambyſis exercitus, ad Jovis Ammonis templum proficiſcitur ac feliciter reverſus novam urbem condit, quam de ſuo nomine Alexandriam vocat. Hinc Perſiam verſus tendenti occurrit ei ad Gongomela & Arbela Darius cum exercitu, qui ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ peditum, equitum haberet ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ. Darius victus ad ſuperiores regni provincias fugit, ut exercitum inſtauret. Alexander interim Babylona capit deditione, uti & Suſas. Perſepolin ſuis dat diripiendam, arcem incendit ex conſilio Thaidis meretricis. Immanes verò theſauros Suſis & Perſepoli invenit. Darius in Bactrianam profectus, quum jam collegiſſet cc1ↄↄ cc1ↄↄ cc1ↄↄ hominum, occiditur à Beſſo, quem Bactris præfecerat. Alexander, qui Darium inſecutus fuerat, more ſuo μηδὲν ἀναβαλλόμενος, cadaver miſit Suſas ad matrem, quæ regio more tradidit ſepulturæ. Ita concidit Monarchia Perſica, imperiumque ejus ad Græcos tranſlatum, Darii & Alexandri (eopſe enim anno imperare cœperunt) anno VI, qui annus erat Nabonaſſaris CCCCXVII. 3619.

IV. Græci & vicini populi, quum de hiſce Alexandri victoriis certiores fierent, metuere cœperunt, ne ſeſe redigeret in ſervitutem. Primus Thraciæ præfectus Memnon rebellat; mox Spartani & alii. Facilè Thraciæ res compoſuit Antipater, Macedoniæ prorex. Idem vicit Agiden, Spartanorum regem. Alexander in Hyrcaniam transfert exercitum atque ibi cum Thaleſtri, Amazonum regina, quæ liberûm quærendorum gratia ad eum venerat, dies XIII conſumit. Hinc multos Perſarum duces in gratiam recipit, ſchema Perſicum induit, adorari ſe more Perſico patitur & eapropter in odium venit ſuorum; quorum aliqui adverſus eum conſpirant. Indicem, ne rem ad Alexandrum deferret, impediit Philetas, Parmenionis fil.; eoque nomine captus ac cum patre interemptus. 3621.

CXIII. I. Alexander Beſſum perſequitur, qui Dario occiſo diadema regni Bactriani aſſumpſerat, ac tandem ad Caucaſum venit; ubi Beſſus à ſuis capitur & Alexandro traditur: qui Oxyatri, Darii fratri, eum mittit, ut pro ſcelere dirum de illo ſupplicium ſumat. Alexander Clytum, nutricis ſuæ filium, à quo in prœlio ad Granicum ſervatum fuiſſe diximus, interficit. Roxanem, Oxyatris filiam, ducit uxorem. Calliſthenem, ſuum ex ſorore fil., occidit innocentem, ſed inſidiarum ſuſpectum. Hephæſtionem & Perdiccam in Indiam præmittit. Nyſan, quam Bacchus, in Indos expeditionem faciens, condidiſſe creditur, liberam pronunciat. 3622.

II. Ad Mophim, Taxilis fil., regem provinciæ juxta Indum fluvium, venit, ibique exercitum recreat. Bellum hinc infert Poro, potentiſſimo Indiæ regi, cujus in exercitu elephanti erant CXXX; item alteri regi, qui ejus copiis ſuas junxerat. 3623.

III. Alexander Statyram, Darii filiam, ſibi jungit uxorem; ſororem verò ejus juniorem uxorem dat Hephæſtioni. 3624.

IV. Harpalus cum c1ↄc1ↄc1ↄc1ↄc1ↄ talentorum Babylone fugit, cumque portione pecuniæ Athenas venit; ubi Demoſthenem auro corrumpit, ſuam ut cauſam agat. Antipater Harpalum ab Athenienſibus tradi ſibi poſcit, qui populo perſuadet, ne tantum in gratiam Antipatri faciant; ſed Harpalum fugere permittant. Ita effugit Harpalus: ſed paulò poſt in Creta occiſus eſt. Demoſthenes verò, quum poculum & XX talenta accepiſſe deprehenderetur, in exilium eſt ejectus. Alexander Suſis proficiſcitur in Ecbatanam ac aſſiduè poculis indulget cum ſuis. Unde Hephæſtio in morbum incidit ac moritur; quod ita graviter Alexander tulit, ut medicum in crucem ageret. Alexander ſpretis Chaldæorum monitis, qui, ne ingrederetur Babylona, ſuaſerant, urbem ingreditur, legationes omnium gentium audit, Hephæſtioni exequias celebrat, ad talentorum cc1ↄↄ c1ↄ c1ↄ & mittit, qui de eo in Deos referendo conſulant oraculum Jovis Ammonis. 3625.

CXIV. I. Alexander moritur ſive febri, ex nimia potatione orta, ſive veneno, quod Antipater miniſtraſſe credebatur. Obitus ejus gravis accidit Perſis & Aſiaticis, qui ut patrem luxere: Græcis verò jucundus fuit, qui ejus potentiam formidabant. 3626.

### *De rebus Græcorum in Græcia & Macedonia poſt obitum Alex. Magni, uſque dum utraque in Romanorum poteſtatem venit.*

MOrtuo Alexandro titulus regni Macedonici conceſſus fuit Aridæo fratri; ſed ex Lariſſæo ſcorto nato ac qui mentis ſatis compos non eſſet. Regni verò provincias duces inter ſe diviſere, quemadmodum apud Juſtin. lib. XIII. & alios legere eſt. Ita unum imperium in multa abiit: ſed quatuor ex iis potiora & diuturniora fuerunt, quæ ſignantur à Danielis cap. VIII per quatuor cornua, ex tertio, hoc eſt Alexandri, imperio exoritura. Quæ ea imperia ſint, indicat B. Hieronymus in eum Danielis locum: nempe

Digitized by Google

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|

nempe Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ & Ægypti. Ordiemur à Macedonico.

Aridæus imperium Macedonicum tenuit ſeptennium, fuitque ultimus è familia Carani, penes quam Macedonicum imperium annis fuit cccc xcvi ſed Aridæus ſolum titulum habuit regni; omne verò imperium ſuſtinuit Antipater. Hoc exules reducente in Græcorum civitates, iniquè id tulere Athenienſes,

II. Bœoti & ſocii eorum, qui idcirco bellum intulere Antipatro, quod Lamiacum dicitur. 3627. Ac primum quidem eum in Theſſalia ad Cranonem vicere ac compulerunt, ut fugeret Lamiam, ubi arctè eum obſederunt. In hujus urbis obſidione ab erumpentibus hoſtibus occiſus eſt Athenienſium dux Leoſthenes, cui ſubſtitutus Antiphilus.

III. Leonnatus, cui minor Phrygia obtigerat, 3628. Antipatro auxilio venit adverſus Græcos, qui jam obſidionem ſolverant: ſed cum iis congrediens vincitur & trucidatur. Hinc Craterus opitulatur Antipatro; qui conjungentes exercitum pugnant cum Græcis in Cranone. Hinc Athenas Antipater obſedit, eaſque ad deditionem coegit, oligarchiam ibi inſtituit ac dedi ſibi poſtulavit Oratores Demoſthenem & Hipperidem; qui fuga ſibi conſulere ſunt conati. Sed Hipperides in Ægina captus & necatus: Demoſthenes in Argolici ſinus inſula Calauria, ne in manus Archiæ veniret, quem Antipater ad eum capiendum miſerat, ex calamo ſcriptorio venenum bibit, involutoque capite exſpiravit.

IV. Ariſtoteles in Chalcide, quo conceſſerat 3629. ob bellum Lamiacum, moritur annos LXIII. Perdiccas, cui caſtrorum & exercitus cura ac tutela liberorum Alexandri erat commiſſa, conſilia agitat de omni imperii poteſtate in ſe transferenda; eoque ambit nuptias Cleopatræ, Alexandri M. ſororis, idque Olympiade non diſſentiente. Interim cum Antipatro etiam agit ac ejuſce filiam ſe ambire ſimulat, quo in interiorem amicitiam admiſſus ipſum è medio Antipatrum tollere poſſit. Ubi ea res palam facta, utraque ſponſa excidit. Hac via quia non ſucceſſerat, alia aggreditur. Eumenem ſibi jungit, cui Cappadocia cum Paphlagonia data erat. Sed quum Antipater & Craterus in Ætoliam profecti eſſent, ut eam ſuæ ſubjicerent poteſtati, cognoſcunt ex Antigono, præfecto Phrygiæ majoris, qui ex Aſia eò venerat, quid Perdiccas & Eumenes moliantur. Ergo utcunque compoſitis Ætoliæ rebus in Aſiam trajiciunt, Eumeni bellum illaturi. Interim Neoptolemus Eumeni inſidias ſtruit. Eas quum Eumenes fugiſſet, aperto Marte confligunt: ſed vincitur Neoptolemus magna cum ſtrage. Nam vix ccc evaſere equites, quibuſcum ad Antipatrum fugit.

CXV. I. Antipater & Craterus copias dividunt; 3630. quorum ille profectus in Ciliciam adverſus Perdiccam, fruſtra tamen, quia is jam in Ægyptum abierat: Craterus verò, cui & Neoptolemus ſe junxerat, pugnavit adverſus Eumenem; ſed infeliciter. Nam Craterus, quum de equo decidiſſet, conculcatus obit; Neoptolemus ipſius Eumenis manu interficitur. Eumenes in gratiam recepit exercitum ea conditione, ut ſibi militaret. Sed is noctu aſſumptis alimentis clam ad Antipatrum ſe contulit. Pitho, qui in locum Perdiccæ Ptolomæi ſuaſu regni curator factus erat, hanc poteſtatem transfert in Antipatrum; qui eo honore gaudens mox Antigonum Aſiæ præfectum facit ac, nequid novæ rei facile poſſit moliri, filium ſuum Caſſandrum ei adjungit.

II. Antigonus multos in exercitu Eumenis corrumpit. 3631. His in acie deficientibus fugere Eumenes coactus. Cæſa ex exercitu ejus Iↄ ccIↄↄ circiter. Ipſe vix cum Iↄc effugit in caſtellum, ubi ab Antigono obſidetur. Antigonus, hac fortuna elatus & exercitu etiam Eumenis auctus, contemnere cœpit tutorem ſuum Antipatrum ac ipſe de Aſiæ regno occupando conſilia agitat. Hoc fine Eumeni obſeſſo offert pacem ea conditione, ut ſocietatem ſecum inire velit: ſed eam Eumenes recuſat, niſi & ſibi prius, quæcunque erepta eſſent, reſtituerentur. Demades Orator mittitur ab Athenienſibus ad Antipatrum, poſtulatum, ut præſidium ex Minychia (is portus erat juxta Piræum) tollere & ſuæ libertati reſtituere velit. Sed Antipater litteras interceperat Demadis ad Perdiccam, adverſus ſe ſcriptas, ac propterea Demadem cum filio occidit. Nec multo poſt moritur, tutoremque Aridæi Polyſperchontem facit; ſed ita, ut proximus ab eo eſſet filius Caſſander. Verùm Caſſander male ſecum patrem egiſſe putabat, qui non ex aſſe ſuccederet; eoque in Aſiam ad Antigonum fugit. Polyſperchon, quo ſibi & rebus ſuis plus autoritatis adderet, vocavit ex Epiro Olympiadem cum Alexandro, Alexandri ex Roxane filio, quo Antipatri metu conceſſerant.

III. Antigonus, ſimulac nuntium accepit 3632. de morte Antipatri, invadit imperium Aſiæ ac Eumeni, quem jam annum & amplius fruſtra obſederat, non pacem modò, ſed majorem etiam provinciam offert, quam habuerat prius. Polyſperchon, ut Græcos ſibi devinciret, promulgat edictum, quo omnibus Græciæ civitatibus libertas reſtitueretur. Sed Nicanor noluit ex Munychia præſidium deducere, verùm eam Caſſandro ſervavit. Hinc exacerbatus populus magnas dat turbas. Phocion populi metu ad Polyſperchontem fugit; qui eum vinctum populo remiſit. Quum populus ejus defenſionem audire nollet, damnatus eſt ac cicutam bibit. Polyſperchon litteras mittit ad Eumenem, quibus poſcit, ut relinquere Antigonum & regum tutelam ſuſcipere velit. Etiam Iↄ ei talenta numerari jubet ac præfecto Ciliciæ præcipit, ut totidem talenta ei annumeret. Atque idem etiam Olympias mandat: item ut Argyraſpidas, licet jam emeritos, copiis ſuis jungat. Operam adhuc ſuam addixit Eumenes. Sed dum is in Syriam profi-

 ciſci-

Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

ciſcitur, ut mandata Olympiadis oſtendat Seleuco. Caſſander cum claſſe, ab Antigono accepta, in Atticam navigat ac Piræum capit. Clitus, qui cum claſſe à Polyſperchonte miſſus erat, primùm Antigoni & Caſſandri claſſem vincit: ſed poſtea vincitur ac in Thraciam fugiens occiditur.

IV. Eumenes, licet Olympiadis mandata 3633.
Seleuco oſtenderat, nihil impetrat. Athenienſes pacem faciunt cum Caſſandro hac conditione, ut uſque dum hoc bellum eſſet finitum, præſidium in arce maneret ac Demetrius Phalereus Urbem gubernaret; qui per decennium ei præfuit magna cum laude. Caſſander in Macedoniam proficiſcitur; quæ Polyſperchontis ignaviam exoſa facile ſe Caſſandro jungit. Sed eodem abit Olympias cum nepote ex Roxane ac, quum videretur ſibi res ſuas ſatis firmaſſe, Aridæum in vinculis crudeliter jaculis Cretenſium interfici curat, uxorem ejus Euridicem mori jubet; quæ ſeſe laqueo ſuſpendit, ſed diras prius Olympiadi imprecata. Etiam ex Caſſandri amicis centenos elegit ad cædem: qua crudelitate animos Macedonum à ſe multum abalienavit.

CXVI. I. Antigonus, Eumenis impedimenta 3634.
aggreſſus, Argyraſpidas bonis ſpoliat. Hi propterea irati Eumenem Antigono vinctum tradidere, qui eum poſtea interemit. Caſſander, ubi cognovit de crudelitate Olympiadis, cum exercitu in Macedoniam venit. Olympias mox Pydriam fugit; quam Caſſander obſedit ac tandem cepit. Ac Olympiadem quidem occidit, Theſſalonicen verò filiam, Alexandri M. ſororem, duxit uxorem, quo dignus Imperio Macedonico videretur. Roxanem autem & filium ejus Alexandrum Amphipolim abducit in cuſtodiam. Peloponneſum redegit in ſuam poteſtatem. Polyſperchon, quum omnes Caſſandro favere, in Ætoliam abiit, ut eventum rei iſthic exſpectaret. Caſſander poſtea etiam in Bœotiam abit ac Thebas inſtaurat, quas Alexander M. juſſerat everti. Antigonus, in Babyloniam veniens, à Seleuco redituum rationem exigit, qui metuens ſibi ad Ptolomæum fugit. Ptolomæus, uti & Lyſimachus & Caſſander, poſtulant, ut regni parte ſibi cedant & theſauros, quos Eumene victo ſibi vendicarat, divideret ſecum; & quum ad hæc aſpere reſpondiſſet bellum ei denunciant.

III. Antigonus è Babylonia in Ciliciam 3636.
abit, filium verò Demetrium, adoleſcentem annorum XXII. in Syria adverſus Ptolomæum relinquit. Hinc belli molem in Caſſandrum convertit ac eò compellit, ut pacem petere certis conditionibus cogeretur. Caſſander, mox pœnitudine ductus pacis, initæ cum Antigono, Seleuci & Ptolomæi auxilium implorat. Verùm Antigonus, id indignè ferens, varia oppida Græciæ capit. Quædam etiam ſponte ineunt cum Antigono ſocietatem, ut Ætolicæ & Bœoticæ.

CXVII. I. Athenienſes Caſſandri præſidia eji- 3638.
ciunt, deque libertate ad Antigonum mittunt legatos. Demetrius verò in Syria cum Seleuco & Ptolomæo, veteranis ducibus, confligens vincitur.

II. Proximo verò anno Demetrius Ptolo- 3639.
mæi exercitum cædit. Quo cognito Antigonus majorem etiam exercitum filio mittit, per quem Syriam univerſam recipit. Hinc Demetrius Babylonem it. Sed Seleucus, imparem ſe videns, juſſit incolas excedere. Ita vacuam urbem reperit, cui præſidium impoſuit. Poſtea pax inter quatuor Alexandri duces his inita conditionibus, ut Caſſander eſſet ſummus dux Europæ, Thracia excepta, at Lyſimachus Thraciæ, Ptolomæus Ægypto, Africæ & Arabiæ, Antigonus Aſiæ imperaret, Græciæ verò Civitates ſua libertate fruerentur. Quia autem voces jam audiebantur, Alexandrum, Alexandri ex Roxane fil., parem regno eſſe, Caſſandri juſſu & illa & ille trucidantur.

III. Supererat ex Alexandri liberis Hercu- 3640.
les, ejus ex Barſine fil., qui Pergami fuerat educatus, annos jam natus XVII. Huic Macedonicum regnum tradere conatur Polyſperchon atque eum in finem ex Ætolorum auxiliis magnum exercitum conflat.

IV. Caſſander verò Polyſperchonti ſigni- 3641.
ficat, quantas turbas ea res datura ſit, ſi Alexandri progenies regnum capeſſat, atque adeo perſuadet, ut Herculem occidat.

CXVIII. I. Cleopatra, Alexandri M. ſoror, quæ 3642.
Alexandro, Epirotarum regi, nupta fuerat, Sardibus, ubi incluſa ab Antigono erat, necui nuberet, in Ægyptum fugam molitur, ut Ptolomæo nubat. Sed intercepta ab Antigono occiditur: qui, ne autore ſe cædes patrata videretur, multos inſontes occidit, quaſi cædis rei eſſent; eamque regio more ſepelit.

II. Demetrius cum ingenti claſſe navigat 3643.
Athenas ac Piræum capit. Demetrius Phaleræus, quum videret, urbem defendi non poſſe, commeatum à duce Demetrio petit ac in Ægyptum fugit. Capta urbe libertatem civibus reſtituit; qui, quum Demetrio duce arcem Minychiam expugnant, Caſſandri præſidium inde ejiciunt, Demetrio duci ac parenti ejus Antigono ob libertatem acceptam honores multos decernunt ac Demetrium Phaleræum, quia urbe profugiſſet, capitis accuſant ac damnant & ſtatuas CCC LX evertunt, quas ei ob præclara merita poſuerant. Exinde Demetrius dux in Cyprum navigat, claſſem Ptolomæi vincit, Salaminem obſidet, muros variis machinis, ex Aſia allatis, dejicit, quas tamen obſeſſi combuſſere.

III. Ptolomæus Salaminiis auxilio venit; 3644.
ſed vincitur à Demetrio ac de Cypro deſperans in Ægyptum redit. Qua victoria elatus Antigonus diadema aſſumit, ſeque & filium reges appellat; quod jam ante ſexcennium fecerat Saleucus. Ptolomæus, ne deſperaſſe ſimiliter de Ægypto videretur, ſe quoque regem Ægypti vocat. Etiam Lyſimachus & Caſſander horum exemplo regum nomen aſſumunt. Antigo-

Digitized by Google

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|

tigonus & Demetrius terra, marique Ægyptum ſtatuunt aggredi; ſed pars claſſis, tempeſtatibus jactata, Gazam pervenit, pars anchoris jactis in mari conſtitit atque adeò, quia omnia præſidiis undique munierat Ptolomæus, bona claſſis pars ſiti periiſſet, niſi terreſtribus illam copiis liberaſſet Antigonus. Poſtea tamen commeatu etiam deficiente in Syriam redire uterque cogitur.

IV. Demetrius Rhodum oppugnat, quia, etſi neutrarum partium eſſet, tamen magis in Ptolomæi partes inclinaret. 3645.

CXIX. I. Quum eam omnis generis machinis fruſtra annum totum oppugnaſſet, Antigonus juſſit, ut conditionibus, quibus poſſet, pacem cum iis faceret, inque Græciam veniret, ubi opera ejus magis neceſſaria eſſet. Huc ut venit Athenas, à Caſſandro obſeſſas, obſidione liberat & Caſſandrum Græcia ejicit. Alias quoque civitates præſidiis liberat; Bœotos ſibi jungit. Hinc in Peloponneſum abit ac in ludis Iſthmicis dux Græcorum ſalutatur. 3646.

II. Demetrius Sicyona, quam Ptolomæus, Ægypti rex, tenebat, noctu occupat; hinc partem ejus diruit, inde alteram exſtruit & munit atque, ita meliorem quum urbem feciſſet, liberam eam Sicyoniis tradit, qui, ut gratias referrent, urbi Demetriadis nomen imponunt ac ſolennes Demetrio ludos inſtituunt. Hinc Corinthum quoque & alias civitates Peloponneſi capit, quæ ſe lubentes ei dedidere partim amore, quod beneficus foret, partim metu, quod idem urbium oppugnandarum intelligentiſſimus foret. 3647.

III. Quum tanta Demetrius ſumeret incrementa, Caſſander, ſibi diffidens, ab Antigono pacem petit. Sed ab eo rejectus ad Lyſimachum & ejus conſilio item ad Seleucum & Ptolomæum legatos mittit, quibus commune ab eo eſſe omnibus periculum commoneret. Hinc fœdus inter quatuor iſtos adverſus Antigonum & filium initur. Ac Lyſimachus quidem Synada & Sardes & quædam alia Antigono eripit: Caſſander item dux Epheſum capit. Sed Antigonus mox cum exercitu proficiſcitur adverſus Lyſimachum. Lyſimachus, quia Seleucus nondum adveniſſet, prœlio ſe committere non auſus, in hyberna recedit. Ut verò Antigonus intellexit, auxilia Seleuci advenire, Demetrium è Græcia vocat: qui pace cum Caſſandro certis conditionibus facta in Aſiam venit ac civitates aliquas recuperat. Interim Caſſander Demetrii civitates maritimas invadit. Lyſimacho etiam auxilium mittit. Nec Ptolomæus Lagi deeſt novo fœderi: ſed Cavam Syriam in poteſtatem ſuam redigit, Sidonemque obſidet. Verùm aſtu Antigoni nuntius diffunditur, ſocios regis eſſe victos, ipſumque Antigonum cum ingenti exercitu appropinquare: quo perculſus obſidionem ſolvit, inque Ægyptum re infecta redit. 3648.

IV. Tandem Lyſimachus, Seleucus, Ptolomæus unà cum Caſſandri auxiliis copias jungunt ac cum Antigono & Demetrio prœlium committunt. Ac Demetrius 3649.
quidem in dextro cornu primùm vincebat: ſed dum longius ab acie recedit, ut victos inſequatur, ab reliquo exercitu ſeparatur, Seleuco elephantos opponente. Mox Antigonus, jam annos natus LXXX, undique circundatur & multis ſaucius telis ſuccumbit. Demetrius fuga ſibi in Cyprum conſuluit cum peditum IↃↃ & equitum CIↃCIↃCIↃCIↃ. Victores inter ſeſe diſtribuerunt, quæ Antigoni & Demetrii fuerant. Demetrius è Cypro Athenas proficiſcitur, de quibus præclarè meritus erat. Sed Athenienſes eum poſt tantam cladem averſantur ac legatos ei obviam mittunt cum plebiſcito hoc, ut ne rex quiſquam Athenis recipi poſſet. Naves tamen ſuas ab Athenienſibus recipit atque iis Lyſimachi regnum, quem reges alii negligebant, vaſtat.

CXX. I. Caſſander Corcyram navibus cingit ac penè capit. Sed Agathocles, Siciliæ rex, auxilio Corcyrenſibus venit & naves Caſſandri comburit. Caſſandri auxilio Lacharis Athenis tyrannidem invadit. Demetrius quoque infeſto erga Athenas animo cum claſſe eò tendit; ſed tempeſtate totam penè amittit. Demetrius cum nova claſſe Athenas proficiſcitur; agrum Atticum vaſtat. 3650.

II. Ptolomæus Athenienſibus auxilio mittit naves CL. Sed quum Demetrii claſſem audiviſſet eſſe navium CCC, diffidens ſuis copiis redit in Ægyptum. Athenienſes, quum fame premerentur, ſe dedunt Demetrio; qui Piræum & Mynichiam præſidio munit, valdeque moderatè victoria utitur atque ad . . . . . . etiam frumentum Urbi donat. 3651.

III. Hinc Demetrius Archidamum, Spartanorum regem, apud Mantineam vincit atque iterum apud Spartam. Mox, priuſquam urbem capere poſſet, è Laconica vocatur in Aſiam, ubi Lyſimachus ei civitates aliquot eripuerat & Ptolomæus Salaminem, in qua Demetrii conjux & liberi erant, obſidebat. 3652.

IV. Caſſander moritur, quum poſt patrem Antipatrum annis XXII Macedoniam rexiſſet. Succeſſit ei filius Philippus. 3653.

CXXI. I. Philippus hic anno proximo moritur relictis filiis Antipatro & Alexandro, qui Macedoniam inter ſe diſtribuerunt. 3654.

II. Ex his Antipater, qui major natu erat, matrem viduam Theſſalonicen occidit, quod in diviſione Macedoniæ viſa eſſet magis faviſſe fratri juniori. Per ubera materna mortem deprecabatur; ſed dimovere hoc à parricidio non potuit. 3655.

III. Alexander, ut parricidium hoc ulciſceretur, Pyrrhum, Epirotarum regem in auxilium vocat: ſed hic pro mercede partem occupat Macedoniæ, ita ut jam ipſe eum Alexander metueret. Ergo eum ut ejiciat, Demetrii operam implorat. 3656.

IV. Demetrius exercitum conſcribit, ut Antipatrum & Pyrrhum Macedonia ejiciat. Sed Lyſimachus, veritus Demetrii potentiam, ſuadet genero ſuo Antipatro, ut cum fratre Alexandro in gratiam redeat. Sed ubi hoc agi ſenſit Demetrius, Alexandrum tollit. Mox Lyſimachus, ne generi cauſa cum Demetrio cogeretur pugna- 3657.

Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

pugnare, generum ſuum Antipatrum occidit. Ita Demetrius totius Macedoniæ regno potitur.

CXXII. I. Demetrius Thebas obſidet. Cleonymus Spartanus auxilio venit; ſed potentiam Demetrii veritus domum redit. Thebæ ſe dedunt, quibuſcum leniter agit Demetrius. Hinc adverſus Lyſimachum expeditionem parat. 3658.

II. Vix abierat Demetrius, quum Thebani iterum deficiunt. Ergo iterum obſidentur ac, quanquam auxilio iis veniret Pyrrhus, tamen capiuntur. Tum quoque non durius actum cum urbe, quàm quod tredecim ſeditionis autores occideret & aliquot in exilium ejiceret. 3659.

IV. Demetrius bellum infert Ætolis, quibus auxilio venit Pyrrhus. Ergo Demetrius in Epirum proficiſcitur, ibique omnia vaſtat. Pyrrhus interim in Ætolia duces ejus vincit, eaque re apud Macedones multum favoris acquirit. 3661.

CXXIII. III. Pyrrhus Macedoniam invadit uſque ad Ædeſſam ac penè univerſam vincit: ſed mox à Demetrio ejicitur. Verùm, quum hic quoque à Pyrrho ſibi metueret & conſilia ſecum agitaret de paterno Aſiæ imperio recuperando, cum Pyrrho pacem init. Hoc conſilium ut cognovere Lyſimachus, Seleucus & Ptolomæus, adverſus Demetrium conſpirant ac Pyrrho quoque perſuadent, ut deficiat. Primùm pugnare Demetrius ſtatuit adverſus Lyſimachum. Sed exercitus, quum faſtum Demetrii ferre non poſſet, defectionem molitur ad Lyſimachum. Ergo adverſus Pyrrhum exercitum ducit. 3664.

IV. Ut prope Pyrrhum venit exercitus, ſeditionem redintegrans ad Pyrrhum deficit, eumque arceſſit. Ergò Demetrius purpuram deponit & ex caſtris fugit. Ita Pyrrhus & Lyſimachus Macedoniam occupant, quum Demetrius in ea imperaſſet ſeptennium. Conjux Demetrii, ne maritum ſecundò privatum videret, venenum bibit. Athenienſes, fuga Demetrii in ſpem libertatis erecti, præſidium Demetrii ejiciunt. Statuerat Demetrius urbem obſidere: ſed Cratetis philoſophi conſilium ſecutus, qui Pyrrhum Athenienſibus auxilio venturum dicebat, potius in Aſiam adverſus Lyſimachum proficiſcitur, Sardes & aliquot alias civitates capit, Lyſimachi duces aliquot velitationibus cædit: ſed peſtilentia octo millia amittit, eoque in Ciliciam abit ac à Seleuco obtinet, ut ibi liceret ſibi hyemare. Seleucus, perſuaſus à ſuis, nunquam fore, ut quieſcat Demetrius, eum Aſia pellere conatur. Sed Demetrius fortiter ſe defendit. Mox in gravem morbum incidit; quo dum laborat dies XL, exercitus ad Seleucum deficit. Ergo ſe genero ſuo Seleuco dedit, qui eum in Syriæ peninſula concludit, ubi non ſine Seleuci infamia quarto poſt anno ex mœrore moritur. Lyſimachus, quum ſibi à Demetrio non amplius metueret, Pyrrhum ejicit Macedonia, qui in Epirum redit. 3665.

CXXIV. II. Demetrius ex peninſula Syriæ monet Antigonum filium, ut ne litteris ullis, vel ſigillo ſuo ſignatis, credere velit; ſed ea, quæ in Græcia haberet, tueretur. Eſt hic Antigonus, cognomento Gonatas, qui poſtea Macedoniæ rex factus ac genus ad Perſeum uſque propagavit. 3667.

IV. Lyſimachus prœlio commiſſo cum Seleuco cadit; qui exinde Macedoniam occupat. Sed ſeptimo poſt menſe occiditur Seleucus à Philadelphi fratre Ptolomæo Cerauno, qui mox Macedoniam occupat. Et licet à fratre ex Ægypto ejectus eſſet, tamen, ut tueri regnum poſſet, cum eo in gratiam redit. Etiam ſororem Arſinoen, Lyſimachi viduam, uxorem ducit: ſed mox liberos ejus, nequando à ſe repetere regnum poſſent, interficit. Ipſam etiam Arſinoen in Samothraciam relegat. 3669.

CXXV. I. Galli in Macedoniam irrumpunt; quibus exigua manu dum occurrit Ptolomæus Ceraunus, trucidatur, quum imperium obtinuiſſet menſibus novem. Huic ſuccedit Meleagros, qui LX dies imperat. Poſt eum Antipater imperat dies XLV. Hunc excipit Soſthenes, qui annum regnat. 3670.

II. Defuncto Soſtheni ſuccedit Antigonus, Demetrii filius. 3671.

III. Gallorum pars templum Delphicum ſpoliat, pars in Aſiam proficiſcitur ac terram occupat, quæ ab iis Galatiæ nomen accepit. 3672.

IV. Qui Gallorum remanſerant, ab Antigono poſcunt, ut pacem à ſe pecuniis redimat. Antigonus legatos lautè tractat. Galli opulentia Macedoniæ cognita magis etiam ad eam vaſtandam incitantur. Ac caſtra quidem iis oppoſuit Antigonus; ſed multitudine eorum viſa territus in ſylvam fugit. Illi interim populantur agros: ſed Antigonus, occaſionem nactus, è ſylvis eos invadit ac prædam extorquet. 3673.

CXXVI. II. Pyrrhus, in Italia victus, legatos mittit ad Antigonum, qui ſupplementum militum poſtulent ac minas addit, niſi impetret: verùm nihil impetrat. 3675.

III. Ergo Macedoniam invadit, variæque ad eum civitates deficiunt. Cum Antigono prœlium committit ac, quanquam auxilio Gallos adſciviſſet, tamen vincit & Macedonia expellit. Antigonus cum equitibus paucis Theſſalonicam abit atque ibi ex Gallis exercitum inſtaurat. Sed iterum cæditur à Ptolomæo, Pyrrhi fil. Hinc cum paucis comitibus fugit, latebras ſolùm quærens. 3676.

IV. Anno proximo Pyrrhus poſt fruſtra oppugnatam Spartam Argos obſidet: ubi ſaxo, de muris jactato à fœmina occiditur. Ita Antigonus recuperat regnum Macedonicum: Pyrrhi vero fil. humaniter tractat, inque Epirum remittit. 3677.

CXXIX. III. Antigonus Gallogræcos penè internecione delet. Hinc Athenienſes rebellantes obſidet ac, licet Ptolomæus iis auxilium mitteret, ad deditionem tamen cogit. 3688.

IV. Pyrrhi fil. Alexander vaſtat Macedoniam. Antigonus dum ejicere eum conatur, milites deficiunt ad Alexandrum: atque ita cum exercitu regnum amittit. Sed filius ejus Demetrius, admodum puer, novas copias colligit ac non modò Alexan- 3689.

Olymp. Anno — An. M.

Alexandrum ex Macedonia, ſed etiam ex Epiro expellit.

CXXX. I. Alexander fugit ad Arcades & alios Peloponneſi populos, à quibus anno proximo, quum accederet Epirotarum favor, facile in Epirum reſtituitur. 3690.

CXXXIV. II. Achæi prætorem creant Aratum Sicyonium. Is proditione capit Acrocorinthum, quæ hactenus fuerat in poteſtate Antigoni, Macedoniæ regis; atque ita Corinthum Achæorum Reip. jungit. 3707.

CXXXV. I. Aratus infert bellum Ætolis, cui & opem fert Agis, rex Spartanus. Ac Ætoli quidem ab Arato in Peloponneſum admiſſi; ſed ab eodem victi atque abjecti. Eodem anno Leonides rex, qui Tegeæ exulabat, revocatur in regnum: Agis verò, qui in ejus locum ſubſtitutus erat, ab Ephoris ſuſpenditur unà cum matre, aviaque. 3710.

II. Antigonus Gonatas, qui varia fortuna rexerat Macedoniam, moritur circa hoc tempus, eique ſuccedit Demetrius fil. 3711.

CXXXVII. I. Lyſidas, Megalopolitanorum tyrannus, ab Arato perſuaſus, tyrannide ſe abdicat & Remp. ſuam ſociat Reip. Achæorum ac eapropter Prætor Achæorum fit. 3718.

IV. Demetrius, Macedoniæ rex, quum decennio imperaſſet, moritur relicto filio Philippo; cui tutor datus Antigonus. Hic uxorem duxit Demetrii viduam ac perfecit, ut rex ipſe crearetur. 3721.

CXXXVIII. I. Athenienſes, ut intellexere Demetrii mortem, cum Arato agunt, ut præſidium Macedonicum ejiciat ex urbe. Quod quum vi Aratus ſe poſſe diffideret, Diogeni præfecto perſuadet, ut ab Athenienſibus CXX talenta accipiat atque ab urbe diſcedat; ac ipſe eam ad rem XX talenta annumerat Athenis, libertati reſtitutis. Etiam Æginetæ & major Arcadiæ pars Achæis ſe conjunxit. 3722.

Aratus, uti antea Lyſiadi Megalopolitano, ita nunc Ariſtomacho, Argivorum tyranno, perſuadet, ut tyrannidem deponat, potiuſque ſit charus, acceptuſque in Achæorum Rep. princeps, quàm inviſus unius Reip. tyrannus. Sed neceſſe fuit, Ariſtomacho annumerari talenta L, ut iis mercenario militi ſatisfaceret.

II. Aratus ſedulo adlaborat, ut cùm alios, tum Lacedæmonios Achæorum jungat Reip. Sed opponit ſe ei Cleomenes, juvenis miræ audaciæ, qui poſt obitum Leonidæ rex creatus erat. Hic tantum habens Iↄↄ confligit prælio cum Arato, exercitum habenti ccIↄↄ ccIↄↄ, eumque vincit. 3723.

III. Cleomenes rex, quum ab Ephoris impediretur, quo minus ex ſententia ſua bellum gerere poſſet adverſus Achæos, Archidamum ex altera familia, apud Meſſenios exulantem, revocat ab exilio eo animo, ut per eum poteſtatem Ephororum imminueret. Sed illi, quum ob Agidem interemptum ſibi metuerent, non impediunt quidem, quo minus revocetur; ſed reducem indicta cauſa condemnant. Cleomenes, ſpe ſua deluſus, aliam viam inſiſtit. Ephoros pecunia corrumpit atque ita impetrat, ut adverſus Achæos cum exercitu mittatur. Ad Megalopolim ut ventum, prœlium committit cum Lyſiade, Achæorum duce: ac fortiter Achæis pugnantibus pars Spartani exercitus fugere cogitur. Quam dum Lyſiades acrius inſequitur, iniquo à Cleomene loco deprehenſus occiditur. Hoc magnos ſpiritus addidit Cleomeni, uſque adeò, ut jam conſilia agitaret de mutanda Spartanorum Rep. 3724.

Olymp. Anno — An. M.

IV. Denuo Cleomenes proficiſcitur adverſus Achæos; quod ad bellum eos potiſſimum deligit, quos conſiliis ſuis Spartanis obfore putavit. Eos in Arcadia ita expeditionibus continuis fatigat, ut Spartam redeunte Cleomene ipſi in Arcadia mallent relinqui in præſidio. Ita paucis, ſed fidis comitatus revertitur Spartam, Ephoros nihil ejuſmodi ſuſpicantes è medio tollit, cives LXXX urbe ejicit, novoſque eligit, æs omne alienum condonat, bona omnium civium ita diſtribuit, ut ne alter altero plus haberet, omnia revocat ad priſtinam Reip. faciem, quæ Lycurgi temporibus fuerat; ac, ne unus omnia agere videretur, Euclidam fratrem in regno collegam ſumit. Cleomenes multas Achæis civitates adimit ac tandem prœlio ſuperat atque eò redigit, ut legatos ad Cleomenem mittant; qui certas pacis conditiones eis præſcripſit. Aratus, quum pati iſta non poſſet, maluit auxilio advocare Antigonum, Macedoniæ regem, eique Acrocorinthum tradidit: cujus metu Cleomenes Spartam redit. Antigonus verò pacifice Peloponneſum ingreſſus, Tegeam, Corinthum & Argos occupavit. 3725.

CXXXIX. I. Achæi multos Antigono honores decernunt. Etiam Mantineæ, quia prima ad Cleomenem defeciſſet & Achæorum præſidium occidiſſet, nobiliſſimos civium interimunt, mulieres & pueros in ſervitutem redigunt, urbem dant Argivis inhabitandam, eamque in Antigoni honorem Antigoniam appellant. Cleomenes verò, ſibi ab Antigono & Arato metuens, in auxilium vocat Ptolomæum, Ægypti regem. Sed licet matrem & liberos obſides mitteret, nihil impetrat. Cleomenes primo vere, antequam Antigonus milites ex hybernis eduxiſſet, invadit Megalopolim & fruſtra obſiſtente Philopœmene capit, incendit & cum præda domum redit. Inde Argos abit & agros ejus vaſtat. Interim Antigonus exercitum colligit ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ ac Spartam tendit: cui obviam it Cleomenes cum exiguis copiis. Pugnatum acriter: ſed victus Cleomenes. Euclidas quoque frater eo bello cecidit ac vix cc Spartanorum effugerunt. Ipſe verò Cleomenes in Ægyptum fugit ad Ptolomæum Evergetem qui promittit, ſe eum in regnum reducere velle. Interim Spartam quoque venit Antigonus ac civitati libertatem reſtituit. Spartam Argos abit; ubi intelligit, Macedoniam à Dardania vaſtari. 3726.

III. Antigonus Argis in Macedoniam venit, cum Dardanis prœlium committit ac vincit; ſed quia phthiſi laboraret & vocem nimium eo in prœlio intendiſſet, mul- 3728.



Digitized by Google

Olymp. Anno An. M.

multum ſanguinis vomuit & mortuus eſt.

IV. Cleomenes interim in Ægypto eſt. Sed moriente hoc anno Ptolomæo Euergete ſucceſſit ei Ptolomæus Philopator; qui Cleomenem in carcerem conjecit. 3729.

Ætoli bellum inferunt Meſſeniis. His auxilio veniunt Achæi; ſed Arati culpa vincuntur. Ergo Achæi auxilia poſcunt Sociorum, qui erant Epirotæ, Bœoti, Phocenſes, Acarnanes & Philippus, Macedoniæ rex: quorum legati, Corinthi convenientes, bellum decrevere adverſus Ætolos. Vocatur hoc bellum Sociale.

CXL. II. Philippus, Maced. rex, Ambracinum obſidet in Ætolia. Interim Ætoli vaſtant Macedoniam, eoque Philippus redire in Macedoniam cogitur. Poſtea univerſum Peloponneſum in poteſtatem redigit. 3731.

IV. Philippus Pœoniæ urbes aliquot & Thebas Phthiotidas capit. Etiam Scerdilaidam perſequitur uſque in Illyricum. Philippus, in Peloponneſum accerſitus à Meſſeniis, qui ſeditione laborabant, faces, ſtimuloſque ſeditionis utrique parti ſubdit atque effecit, ut cc civitatis principes interimerentur. Quod atrox facinus deteſtabatur Aratus junior, qui tum Prætor erat. Senior verò Aratus perſuaſit Philippo, ut Meſſenios relinqueret liberos. 3733.

CXLI. IV. Philippus, denuo in Peloponneſum profectus, multa ſegnius agit; quæ cùm neutri Arato probarentur, ſeniorem veneno tollit. 3737.

CXLII. IV. Philippus Achæis auxilio venit ac Ætolos & Romanos vincit. Arato juniori venenum præbet; quo mente motus eſt. Uxorem quoque ejus Polycartiam ſpe nuptiarum regiarum in Macedoniam transfert. Paulo poſt vincitur à Romanis. Barbari quoque Macedoniam vaſtant; quo intellecto ex Ætolia in Macedoniam revertitur. 3741.

CXLIII. I. Philippus auxilium pollicetur Acarnanibus & Bœotis, quos Ætoli, Romanorum ſocii, populabantur. Philopœmen prœlio vincit Machanidam tyrannum, cumque eum ↀ ↀ ↀ ↀ militum interficit. 3742.

IV. Philippus adigit Ætolos ad pacem faciendam; mox & cum Romanis pacem init. 3745.

CXLIV. IV. Philippus vincitur claſſe, pugnans adverſus Attalum & Rhodios. Athenienſes legatos Romam mittunt conqueſtum de injuriis, ſibi à Philippo factis. Romani claſſem XL navium iis auxilio mittunt. 3749.

CXLV. I. Philippus Abydum obſidet: at fortiter eam obſeſſi tuentur. Ubi ultra non poſſunt, pretioſa omnia mari demergunt, conjuges & liberos occidunt. Ita vacua urbe Philippus potitus eſt. Eodem anno incipit bellum Macedonicum inter Philippum & Romanos. 3750.

II. Philippus vincitur à Sulpitio, Coſ. Romano. 3751.

III. Philippus iterum vincitur à Romanis. 3752.

IV. Philippus pacem petit à Romanis; qui non alia eam conditione concedere volunt, quàm ſi Græcia excedat. Iccirco confugit ad Nabin, qui Spartæ tyrannidem invaſerat, atque Argos ei pignoris loco tradit. Sed tyrannus, Argos ut venit, crudeliſſimè cum civibus agit; nec tamen Philippo, ſed contra eum Romanis auxilium mittit. Philopœmen, ubi videt, non poſſe ſe eſſe patriæ utilem bello inter Philippum & Romanos, Cretenſibus operam ſuam promittit. Philippus vincitur à Romanis ad Cynos Cephalas. Quum verò eum Ætoli plane perſundatum vellent, Romani ei regnum concedunt hac conditione, ut mille talenta ſolvat & Demetrium fil. obſidem tradat. 3753.

CXLVI. I. Romani omnibus Græciæ civitatibus libertatem concedunt; quæ res, in Iſthmicis ludis pronunciata, magnum Græciæ gaudium attulit. 3754.

II. Romani cogunt Nabin tyrannum, ut ab Argis reducat præſidium. 3755.

III. Quinctius Cos., ex Græcia diſcedens, adhortatur civitates ad mutuam concordiam. 3756.

Nabis, tyrannus Spartanus, ab Ætolis inſtigatus, bellum Romanis infert atque, ut oram maritimam capiat, Gythæum obſidet. Ei ſe opponunt Achæi duce Philopœmene: qui primùm quidem navali prœlio parum proſperè rem gerit; ſed mox terra felicius pugnat, totum agrum Laconicum vaſtat.

CXLVII. I. Nabis ab Ætolis occiditur; Urbs ab iiſdem ſpoliatur. Philopœmenes urbi auxilio venit, eamque jungit Achæorum Reip. 3758.

II. Antiochus in Græciam venit; cui multæ ſe civitates junxerunt. Sed Theſſali & Macedones in fide perſtiterunt cum Romanis. Eodem anno iterum à Romanis Græcia expellitur. Hinc Ætolis bellum infertur: ſed legatos quum Romam miſiſſent, induciæ iis datæ in menſes VI. 3759.

IV. Ætoli, quum Romanis impares eſſent, pacem cum iis faciunt, promittunt ↀ talenta, ſeque eoſdem ac Romanos habituros & amicos & hoſtes ſpondent. 3761.

CXLVIII. I. Achæi, quorum judicio res Spartana permiſſa erat, Urbis muros evertunt, Lycurgi leges abrogant, quibus annis aſſueverant LXXX, eamque Achæorum Concilio ſubeſſe volunt. 3762.

IV. Græci ac imprimis Theſſali conqueruntur apud Romanos de Philippi injuriis. Illi legatos mittunt, qui de cauſa cognoſcant. Hinc Philippum jubent pacificè magis vivere, præſidiaque ex civitatibus aliquot deducunt. Hoc judicium quum Philippus concoquere non poſſet, bellum adverſus Romanos coquere incipit. Thraces deducit in Macedoniam ac paſſim inſtituit fodinas metallicas. 3765.

CXLIX. I. Romani legatos mittunt ad Achæos, qui conquerantur, quod ſibi Achæorum Concilium non detur; item quod durius egerint cum Spartanorum Rep., quàm oportebat. Romani Philippo maritimas & Thraciæ civitates: ſed Philippus procurat, ut occidantur, qui in eas civitates à Romanis miſſi erant. Cædis miniſtrum juſſus Romam mittere veneno eum tollit. Interim, quia needum paratus eſſet ad bellum, pollicetur, ſe filium miſſurum legatum. 3766.

II. Filius Demetrius Romam ut venit, omnia 3767.

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|

omnia modeſtè egit &, licet quædam Patris acta colore nullo tueri poſſet; tamen in ejus gratiam Philippo omnia condonantur. Hic Romanorum favor erga Demetrium effecit, ut & Philippus pater & frater Perſeus ei inviderent.

Philopœmenes, octavus Prætor, annos natus LXX, capitur, venenoque tollitur à Meſſeniis, qui defecerant ab Achæis. Sed bello ab Achæis victi eoipſe anno. Poſt victoriam Polybius hiſtoricus urnam, in qua Philopœmenis oſſa erant, Megalopolim tulit.

III. Perſeus apud patrem accuſat fratrem ſuum Demetrium ac patri ipſi ſuſpectum reddit. 3768.

IV. Philippus conſultat cum filio Perſeo de bello Romanis inferendo. Mox filium Demetrium veneno tollit, quia fugam moliri ad Romanos putaretur. 3769.

CL. II. Philippus cognoſcit, ſe Demetrium innocentem ſuſtuliſſe, eoque de abdicando Perſeo deliberat. Sed major jam Perſei erat potentia, quàm ut erga eum tale quid pater poſſet. Quare pater mœrore moritur, quum annos imperaſſet XLII. Ei ſucceſſit Perſeus. 3771.

CLI. II. Hic, quod & pater Philippus facere decreverat, Baſtarnas, ferociſſimam trans Danubium gentem evocat in Dardanorum ſedem, quod hi minus fideles eſſent Macedonibus. Ac primùm quidem Dardani vincuntur: ſed mox ex altera parte Baſtarnarum caſtra capiuntur. Quapropter Baſtarnæ ſpe prædæ Danubium, frigore concretum, tranſire cogitant: ſed glacie ob multitudinem hominum fracta univerſi delentur. 3775.

CLII. II. Ætoli civili bello vexantur. Licinius Cos. in Græcia bellum gerit cum Perſeo. Coroneorum urbem, quod Perſeum ſecuta eſſet, excindit, cives ſub haſta vendit. Sed Senatus Rom. id factum, tanquam crudele, averſatus, iis reddidit libertatem. 3779.

III. Hortenſius Abderitas ſub corona vendit. Sed, ut ante Coronæi, ita & hi mox in integrum reſtituti à Senatu Roman. C. Hoſtilius Cos. in Macedonia cum exercitu eſt, diſciplinam militarem ſervat, ſocios cum fide colit; ſed bello nihil memorabile gerit. 3780.

Perſeus in Illyrico feliciter rem gerit adverſus Romanos. Sed poſt adventum Q. Martii Cos. in Macedoniam Perſeum in magnas redigit anguſtias, uſque adeò ut theſauros proprios demergeret mari. Sed dum Cos. ad Tempe abit, ac commeatu ſublevetur, Perſeo datur tempus reſpirandi.

IV. Lycortas & Polybius cenſent, Achæos hoc bello nec Perſeum, nec Romanos adjuvare debere. Sed pars adverſa vicit; & propterea in Romanorum odium Polybius venit. Ptolomæis fratribus, auxilium ab Achæis poſtulantibus adverſus Antiochum Epiphanium, mittuntur Lycortus & Polybius cum CIↃ peditibus & [illegible] equitibus. 3781.

Pruſias, Bithyniæ rex, legatos mittit ad Romanos, qui pro Perſeo intercederent, belloque peterent finem imponi.

Rhodii item & ad Perſeum & ad Romanos mittunt, qui idem ab utriſque poſcant, eo quod ſibi eorum bellum eſſet moleſtum, noxium; atque addunt, ſe illi parti bellum illaturos, quæ à bello deſiſtere nollet.

CLIII. I. Perſeus ſollicitat gentium Illyricarum regem, ut Romanis bellum inferat, certaque pecuniæ ſumma ei perſuadet. Sed trigeſimo poſt die Gentius prœlio vincitur & captus Romam mittitur. 3782.

Eodem anno prœlium committitur inter Æmilium Cos. & Perſeum. Eo occiſa CCIↃↃ CCIↃↃ Macedonum. Perſeus victus in Samothraciam fugit. Sed Æmilius eum claſſe inſequitur & capit. Atque ita deſiit imperium Macedonum.

II. Æmilius Romam proficiſcitur cum tanta præda ex Græcia, ut ab eo tempore ob divitias ærarii Romani cives tributum deſierint ſolvere atque is mos duravit annis CXXV, uſque ad Hirtium & Panſam Coſſ. Præterea ex Græcia ſequi ſe juſſit omnes eos, quos abſente ſe rebus novis ſtudere velle putaret. Ex Achaia ſola CIↃ evocati, eoſque inter Polybius fuit, qui ob eruditionem Romæ Scipionis & aliorum ſibi amicitiam peperit. Æmilius triumphat Romæ de Perſeo; qui inde in carcerem deductus, ubi biennio poſt exſpiravit. 3783.

### *De temporibus Regum Aſiæ Minoris uſque ad obitum Attali III.*

HActenus vidimus de temporibus imperii Macedonici & civitatum Græciæ uſque ad regnum Macedoniæ deletum à P. Æmilio II Cos. Nunc accedamus ad tempora eorum, qui in Aſia minori ex Alexandri ſucceſſoribus diutiſſimè imperarunt. Eſt verò hac de re ſententia duplex. Nam aliqui exiſtimant, imperium hoc eſſe regionum Ponticarum & incipere à Lyſimacho ac deſinere in Mithridate; ſiquidem Lyſimachus iſte non tantùm Thraciæ, ſed & Ponticarum regionum præfectus fuit, ut Juſtinus autor eſt, qui ferociſſimas gentes ait fortiſſimo omnium viro alligatas. Accidit
CXIV. II. hoc anno M. 3627.
Ultimus verò Ponti rex fuit Mithrida-
CXXVIII. III. tes, quem Pompejus M. devicit anno 3884.
Ut ab initio Pontici poſt Alexandrum imperii uſque ad tempus, quo in Romanorum poteſtatem Ponticæ regiones venerunt, anni ſint CCLVII.

Aliorum verò ſententia eſt, per Aſiaticum imperium intelligere nos debere imperium Pergamenum, ſive Aſiaticum; quod primùm quidem Lydiam & Phrygiam comprehendebat, poſtea verò etiam complexum fuit Cariam, Lyciam, Pamphiliam atque alia cis Taurum montem. Initium hujus regni fuit à Philotæro Paphlagone, ut Pauſanias putat, ſive potius, ut Strabo autor eſt, Tyanenſi. Hic pecuniam Lyſimachi ſervabat. Sed metuens ſibi à Lyſimacho Pergamum fugit, ſeque per legatos dedit Seleuco. Mox Lyſimachus bellum Philetæro inferre

| Olymp. | Anno | | An. M. |
|---|---|---|---|
| | | fert atque ita Seleucum ſibi hoſtem facit. Prœlium tunc ingens & poſtremum inter duces Alexandri eſt commiſſum, quum jam uterque & Seleucus & Lyſimachus annorum eſſent LXXIV. Cecidit eo Lyſimachus, qui amiſſis XV liberis ex domo ſua ſolus reſtabat. Eodem verò anno etiam Seleucus occiditur à Ptolomæo Cerauno. Utroque mortuo Philetærus caſtrum Pergamenum cum theſauris retinuit, pecuniarum ope milites conduxit, | |
| CXXIX. | III. | ſeque contra hoſtes defendit. Hinc, quum annos imperaſſet circiter XXII, ſucceſſit fratris filius, nomine Eumenes; quod & patri fuerat nomen. Hic opes, à patruo acceptas, mirè auxit. | 3688. |
| CXXXIV. | III. | Succeſſorem vero habuit Attalum patruelem. | 3709. |
| CXXXVII. | II. | Hic, quum Galli, Antiocho militantes adverſus fratrem Seleucum, victo Seleuco arma in ipſum Antiochum converterent ac totam Aſiam vaſtarent, bellum iis infert, eos fugat & vincit. Hinc adverſus Antiochum pugnat, multas ei urbes eripit. Atque his geſtis, quod jam eo nomine dignus videretur, regis nomen aſſumit. | 3712. |
| CXXXIX. | IV. | Attalo univerſam penè Aſiam occupante Seleucus Ceraunus, qui Seleuco ſuperiori ſucceſſit, bellum ei infert. Sed Gallorum dolo Seleucus eſt occiſus. | 3729. |
| CXL. | III. | Attalus ope Gallorum pugnat adverſus Achæum, qui poſt obitum Seleuci diadema Aſiæ ſibi ſumpſerat; ac varias quidem civitates recipit, ab Achæo ſibi ereptas. Attalus & Rhodii pugnant cum Philippo, Macedoniæ rege, victoria penè dubia fuit. Nam una nave Attalus fugere coactus. Sed Rhodiis conſtantius pugnantibus Philippus Macedonum plurimos & magnam claſſis partem amiſit. | 3732. |
| CXLV. | II. | Attalus juvat Romanos bello contra Philippum. | 3751. |
| | IV. | Attalus moritur Pergami, quum annis regnaſſet XLIV. Ei ſuccedit filius Eumenes II. | 3753. |
| CXLIX. | II. | Eumenes bellum gerit cum Pruſia, rege Bithyniæ, qui Hannibalem rei militari præficit ac Eumenem vincit ſtratagemate; quia ex Hannibalis conſilio ſerpentes, ollis incluſi, in naves Eumenis jaciebantur. Romani eo cognito Flaminium miſere, qui Hannibalem à Pruſia repoſceret. Sed is, ne caperetur, veneno ſumpto moritur. | 3767. |
| CLII. | I. | Eumenes Romam proficiſcitur, ut Romanos faciat certiores de omnibus, quæ egiſſet Perſeus. Iccirco inſidias ei, Delphos eunti, ſtruit Perſeus ac ſaxo dejecto penè exanimavit. Sed poſtea tamen convaluit. | 3778. |
| CLIII. | III. | Eumenes bello Macedonico medium ſe geſſerat inter Macedones & Romanos. Romani, ne eum ut inimicum reciperent, in comitiis legem ferunt, ne cui regi Romam ingredi liceret. | 3784. |
| CLV. | III. | Moritur Eumenes II, eique ſuccedit frater Attalus II, cognomento Φιλάδελφος, qui Eumenes II viduam Stratonicen duxit uxorem. Juvit autem Romanos bello contra Pſeudophilippum. | 3792. |
| CLX. | IV. | Ei ſuccedit Attalus III, cognomento Φιλομήτωρ, Eumenis II ex Stratonice filius. | 3813. |
| CLXI. | IV. | Hic moriturus Pop. Rom. teſtamento reliquit Heredem. | 3817. |
| | | A Philetæri initio ad Attali III obitum ſunt anni 148, ab Attalo I, qui primus regis nomen habuit anni CVIII. | *A. U. C.* IƆCXXI. *Coſſ. P. Mutio Scævola, L. Calp. Piſone.* |

### *De temporibus Syro-Macedonum.*

*Primus Syriæ rex Seleucus Nicator.*

SEquitur Regnum Syro-Macedonum, cujus initium à Seleuco Nicatore. Eſt verò Νικάτωρ Macedonicum, pro quo Græci Νικάνωρ dixerunt. Hic occupata Babylone & aliis Orientis Provinciis diadema ſibi ſumit XII anno à morte Alexandri, anno Mundi 3638.

Eſtque hoc initium Æræ Alexandreæ Syro-Macedonum in Aſia, quam & Judæi ſunt ſecuti. Annos Græcorum vocat Scriptor l. 1. de Macchabæis.

Seleucus hic, quum filium unicum haberet Antiochum, regnum verò etiam pluribus ſufficere judicaret, animum adjicit ad novum conjugium; eò magis, quia videret, Lyſimachum filiarum Ptolomæi unam ſibi, alteram Agathoclem ſibi connubio junxiſſe. Ergo, ut ſibi Demetrium affinitate jungeret, ejus filiam Stratonicem poſcit uxorem & impetrat. Seleucus in Syria condit urbem, quam à patris nomine Antiochiam appellavit. Poſt etiam alias condidit, quarum unam Seleuciam à ſe, alteram Apameam ab uxore, tertiam Laodiceam à matre, aliàs Edeſſam, Berœam ſive Berythum & Pellam à Macedoniæ urbibus appellat. Ex quibus Seleucia, quia prope Babylonem erat ſita, & quidem loco commodiore, valde eam exhauſit. Sane Juliani Deſertoris tempore valde fuiſſe exinanitam, ſcribit Ammianus. 3650.

Circa Olymp. CXXI, ann. I, Seleucus, quum videret filium Antiochum graviter ægrotare amore novercæ ſuæ Stratonices, hanc ei uxorem dat & peculiare ei regnum donat. 3654.

Seleucus committit prœlium cum Lyſimacho, qui hoc prœlio fortiter pugnans occumbit. Ita ex omnibus Alexandri ducibus ſolus reſtitit Seleucus. Sed eopſe anno occiditur à Ptolomæo Ceranno, fratre Philadelphi. Rexit ann. XXXII. 3669.

*Secundus Antiochus Soter.*

Ei ſucceſſit filius Antiochus Soter ac annis regnat XX. 3689.

*Tertius Antiochus Theos.*

Succedit ei Antiochus Θεός. Hic, quum annis rexiſſet XV, ſucceſſorem hàbuit filium Seleucum, cognomento Callinicum. Is hortatu matris occidit novercam ſuam Beronicen, Ptolomæi Energetæ ſororem, & quos ex ea liberos genuerat pater. Hinc bellum ortum inter Seleucum & Ptolomæum. Et civitates quædam Syriæ, patricidiò hoc abalienatæ, à Seleuco deficiebant ad Ptolomæum Euergetem. Ac tanto quidem in odio erat, ut difficile non eſſet Ptolomæo totum regnum occupare, niſi ſeditione domeſtica domum revocatus fuiſſet. 3704.

*Quartus Seleucus Callinicus.*

Eo revocato Seleucus Callinicus claſſem maximam adornat, qua civitates, quæ defecerant (nam maritimæ fere erant) in poteſtatem iterum ſuam poſſet redigere. Sed claſſis ea tota penè naufragio periit, ut nudus cum paucis comitibus ſit ſervatus. 3706.

Ubi vi non potuit, precibus legatorum conatur civitates eas flectere ad obſequium: quæ, quia putarent, eum ſatis pœnarum Diis ipſis dediſſe, iterum ſe illi ſubjiciunt. 3707.

Harum

3709. Harum favore nixus bellum claſſe maxima infert Ptolomæo Euergeti; ſed ſuperatur. Fugit verò Antiochiam, fratremque Antiochum, admodum adoleſcentem, in auxilium evocat, promittitque ei Aſiam intra Taurum. Ptolomæus, ne cum utroque pugnare cogeretur, pacem fecit cum Seleuco. Antiochus iraſcitur fratri Seleuco, quod ſe inſcio pacem cum Ptolomæo feciſſet, ac propterea ei bellum infert adſcitis Gallis in auxilium; ac ingenti eum prœlio vincit.

3711. Seleucus, à Gallis victus, plane in contemptum venit. Qua occaſione ab eo deficit Parthorum dux Arſaces; à quo Parthorum reges dicti Arſacidæ. Juſtinus dicit hoc contigiſſe Attilio Regulo II. & L. Manlio II. Coſſ., qui eſt annus M. 3700. Sed ſi verum eſt, quod ibidem dicit, contigiſſe hoc victo à Gallis Seleuco, plane undecim annis poſt id contigiſſe conſequitur. Omnino eſt hic in Juſtino ἀντιλογία. Galli, qui Antiocho militarant, victo Seleuco Antiochum oppugnant ac Aſiam vaſtant. Sed ab Attalo vincuntur; qui poſt & Antiochum multis urbibus exuit.

3716. Tantum verò odium erat Seleuci & Antiochi, ut, quanquam Attalum viderent diſſidio ſuo magnam Aſiæ partem occupare ac Parthos etiam defeciſſe, tamen ne hoc quidem in concordiam eos redigere poſſet, ſed omiſſo Attalo & Parthis alteri alter bellum inferret. Sed prœlio à Seleuco vincitur Antiochus, qui longi itineris fuga pervenit ad Artamenem Cappadociæ regem; atque ibi aliquamdiu benignè & humaniter habetur.

3717. Antiochus videt, hoc ſocerum agere, ut Seleuco tradatur, eoque fugit ad Ptolomæum, hoſtem quidem, ſed a quo meliora ſaltem, quàm à fratre ſperaret. Verùm Ptolomæus eum arctiſſima cuſtodia ſervari juſſit.

3725. Antiochus opera ſcorti cujuſdam cuſtodes ſuos decipit. Sed cuſtodia elapſus in fuga occiditur à latronibus.

*Quintus Seleucus Ceraunus.*

Paullo poſt Seleucus Callinicus ex caſu de equo moritur, cui ſuccedit Seleucus Ceraunus. Hic Attalo, late omnia in Aſia vincenti, bellum infert; ſed Gallorum fraude occiditur.

*Sextus Antiochus Magnus.*

3730. Ejus in locum ſuccedit Seleuci frater Antiochus, cognomento Magnus. Molo, præfectus Mediæ, quum obiiſſe Seleucum intellexiſſet, deficit à Seleucidis. Sed eum Antiochus vincit, Mediamque iterum ſubigit.

3731. Antiochus Seleuciam, in qua Ægyptiorum erant præſidia, obſidet & capit. Hinc Ptolemaidem & Tyrum occupat.

3732. Antiochus Ptolomæi Philopatoris ducem Nicolaum prœlio fundit & Syriam pergreditur uſque ad Samariam.

3733. Ingens prœlium committitur inter Antiochum & Ptolomæum Philopatorem. Cornu, cui Antiochus quidem præerat, vicit; ſed alterum & media acies victa eſt. Hinc Ptolomæus Cœloſyriam recepit, Antiocho verò petente pacem eam conceſſit.

3734. Antiochus cum Attalo ea conditione pacem facit ut Achæum ſimul perſequantur, qui in Aſia diadema ſibi ſumpſerat.

3735. Antiochus omnia, quæ Achæus eripuerat, recipit, ipſumque Sardibus obſidione premit.

3737. Achæus, proditus Antiocho, ingenti ab eo cruciatu necatur.

3739. Antiochus, poſtquam Aſiæ regnum receperat, conſilium init de recuperandis, quæ ei Ptolomæus ademerat. Ac Syriam quidem recepit expulſis inde Ptolomæi præfectis.

3741. Antiochus Syria recepta adverſus Parthos proficiſcitur, Arbacem prœlio ſuperat. Etiam Syringem, principem Hyrcaniæ civitatem capit.

3742. Antiochus in Bactriana pugnat cum Euthydemo, quicum tandem pacem facit, regium ei titulum concedens.

3748. Scopas, Ptolomæi Epiphanis dux, eripit Antiocho multas civitates.

3752. Scopas prœlio vincitur ab Antiocho, qui & præſidium ejus ex arce Sionis ejicit ac Syriam, Lyciam & Ciliciam recuperat.

3753. Antiochus ſtatuit Philippo, Macedoniæ regi, auxilio venire adverſus Romanos. Sed Rhodii legatos mittunt ad eum, quibus bellum ſe ei illaturos minantur, ſi in Europam tranſeat.

Antiochus aliquammultas Aſiæ civitates capit, Lyſimachiam inſtaurat; ſed in Syriam rediens bonam claſſis partem tempeſtatibus amittit.

3756. Antiochus magnis beneficiis afficit Judæos.

3758. Antiochus, qui cogitabat de bello Romanis inferendo, ut ſe affinitatibus muniat, filiam ſuam Cleopatram deſpondet Ptolomæo Epiphani ac dotis loco ei dat Cœloſyriam & Judæam. Hinc cum claſſe proficiſcitur in Græciam.

3759. Antiochus recipitur à Chalcidenſibus, Epirotis, Eleis, Bœotis. Sed Theſſali, item Philippus, Macedoniæ rex, in fœdere cum Romanis perſiſtunt. Sed paulo poſt Antiochus Græcia expellitur à Coſ. Glabrione, qui bellum inde Ætolis intulit. His, quum legatos miſiſſent Romam, datæ induciæ in ſex menſes.

3760. Scipio in Aſiam proficiſcitur adverſus Antiochum; cujus cædit Iↄↄↄ militum. Hinc mulcta ei hæc irrogata, ut cederet omni Aſia cis Taurum ac præterea ſolveret Euboicorum Talentorum cIↄ.

3764. Antiochus, quum gravis adeo mulcta perſolvenda eſſet, templum Didymæi Jovis noctu ſpoliat; ſed concurſu populi cum militibus univerſis interimitur, poſtquam annis rexerat XXXVI. Ei ſucceſſit fil. Seleucus, cognomine Philopator.

*Septimus Seleucus Philopator.*

*Octavus Antiochus Epiphanes.*

3776. Seleucus, quum annos regnaſſet decem & amplius moritur: eique ſuccedit frater Antiochus Epiphanes, qui Romæ fuerat obſes. Hic cum Romanis fœdus renovat, legato uſus Apollonio eo, quem poſtea Macchabæi occiderunt.

3779. Antiochus contempta pueritia Ptolomæi Philometoris Cœloſyriam ſubjicere ſibi conatur. Interim & ab Antiocho & ab Tutoribus Ptolomæi mittuntur Romam legati, ut de cauſa cognoſcant.

3780. Romanis in Macedoniam bellum gerentibus adverſus Perſeum Antiochus occaſionem ſibi eſſe cenſet invadendi Ægyptum; idque prætextu hoc, ut reducat Ptolomæum majorem, quem frater & Cleopatra ſoror ejecerant Alexandria. Ac Peluſium quidem capit & præſidiis munit. Hinc in Syriam reverſus populatur Judæam, Hieroſolyma invadit, Sanctum Sanctorum invadit, Templum ſpoliat, ccIↄↄ ccIↄↄ cccIↄↄↄ occidit, totidem vendit, ccIↄↄ Iↄↄↄ abducit.

3781. Antiochus obſidet Alexandriam, ut reducat Ptolomæum majorem: ſed Romanorum juſſu ab obſidione deſiſtit. Hinc Ptolomæi fratres fœdus ineunt.

3782. Ptolomæi ſignificant Antiocho concordiam ſuam ac rogant, ut præſidia ſua ex Peluſio deducat. Ille, etſi amplius prætextum illum de reducendo Ptolomæo non haberet; tamen negat ſe acquieturum, niſi Cyprum ſibi dedant ac Peluſio quoque ei cedant. Quod ut facilius impetret, cum exercitu venit in Ægyptum & Alexandriam obſidet. Romanus Senatus eo cognito, Popilium, aliosque legatos mittit, qui moneant, ut obſidionem

nem ſolvat. Eo moras nectente Popilius circulo eum circumſcripſit ac jubet, ut cum conſiliariis deliberet, priuſquam inde exeat. Paruit Antiochus ac multum gemens ab obſidione deſtitit. Antiochus in Palæſtinam venit, Hieroſolymam vi invadit, præſidium imponit, Templum ſpoliat, S. Scripturam comburit, altaria nova erigit atque Judæos cogit, ut ritu Græco in iis Gentilium Diis ſacrificetur. Quæ res fecit, ut Mathathias Aſmonæus & alii urbe excederent.

3784. Judas Maccabæus devincit Apollonium, ducem Antiochi. Aliquanto poſt Lyſiam ducem clade afficit.

3785. Iterum Lyſiam cædit.

*Nonus Antiochus Eupator.*

3786. Antiochus Epiphanes moritur: cui ſuccedit filius Antiochus cognomento Eupator.

3787. Antiochus Eupator Hieroſolyma vincit, mœnibus privat & tributum imponit.

3788. Demetrius, Seleuci regis fil., cognomento Soter, quem Antiochus obſidem Romanis dederat, ex conſilio Polybii Hiſtorici venationem ſimulans, inque ea fugiens, Tripolim occupat atque ibi exercitum conſcribit, ut regnum recuperet.

*Decimus Demetrius Soter.*

3789. Exercitus deſerit Antiochum Eupatorem & Lyſiam, eoſque Demetrio tradit, qui utrumque, priuſquam in conſpectum ſuum ducerentur, occidi jubet atque ita Syriæ potitur.

3790. Eodem anno Judas vincit Bacchidem, ducem Demetrii. Idem vincit Nicanorem, Demetrii ducem.

3792. Judas auxilia à Romanis poſcit adverſus Demetrium; ſed nihil efficit, eò quod ſuos eſſe ſubditos Demetrius oſtenderet.

3793. Judas in prœlio adverſus Bacchidem cadit.

3794. Bacchides perſequitur Jonathanem, qui Judæ ſucceſſerat; ſed fruſtra.

3795. Pax initur inter Jonathanem & Bacchidem.

*Undecimus, ſed non totius Syriæ, Alexander.*

3797. Alexander, Antiochi Eupatoris regis fil., quum videret, Demetrium eſſe militibus gravem & vicinis regibus exoſum, ſpem concipit recuperandi regnum paternum; eoque Ptolomaidem proficiſcitur cum exiguis copiis. Demetrii verò milites urbem Alexandro prodidere. Demetrius, quum metueret, ne & Jonathan, Judæorum dux, ad Alexandrum deficeret, amicitiam cum eo iniit, obſideſque ei reddit: Qua occaſione Jonathan muros urbis Hieroſolymitanæ inſtaurat. Sed Alexander longè plura offert Jonathani, etiam purpuram & coronam auream & veſtem ſacerdotalem. Ita Demetrius excidit amicitia Judæorum.

3800. Alexander Syriæ, ſed non totius, rex, uxorem ducit Cleopatram, filiam Ptolomæi Philometoris. Ad eas nuptias etiam Jonathan invitatus, qui ex Syria & Ægypto regi ſplendida offert munera.

3802. Demetrius, fil. Demetrii Soteris, cognomento Nicator, auxilio Laſthenis Cretenſis Syriam invadit. Ei Apollonius, Cœloſyriæ præfectus, ſe jungit. Jonathan verò ſe opponit Apollonio, expugnat Joppen, Azotum & Aſcalonem & ↀ ccIↃↃ ex hoſtili exercitu cædit. Quam ob victoriam Alexander rex Jonathani munera miſit regia.

3804. Alexander uxorem ducit Cleopatram, filiam Ptolomæi Philometoris. Sed quum ſocero inſidias ſtrueret, uxore excidit, bellumque ei à Ptolomæo & Demetrio illatum: in quo periit Alexander. Ita Demetrius, cognomento Nicator, totius Syriæ rex evaſit.

*Duodecimus Demetrius II. ſive Nicator.*

3805. Jonathan placat Demetrium muneribus & ab eo accipit Samariam, Joppen & Galilæam; ſed conditione ea, ut quotannis ſolvat ccc talenta. Diotus, cognomento Tryphon, conſilia agitat de imperio Demetrii transferendo in Antiochum Parontum, Alexandri fil., cognomento Θεόν. Hoc fine efficit, ut populus Antiochenus, cui Demetrius admodum erat exoſus, in arce regem ſuum concludat: qui & eum interemiſſet, niſi Tryphon abfuiſſet & Jonathan, cum cIↃ cIↃ Judæorum auxilio veniens Demetrio, urbem incendiſſet, cives viciſſet atque ad deditionem coegiſſet.

*Decimus tertius, ſed non totius Syriæ, Antiochus Θεός.*

3806. Tryphon bello vincit Demetrium, Antiochum, cognomento Θεόν, regem facit, Jonathanem & Simonem amplis muneribus ſibi jungit. Hinc Jonathan duces Demetrii vincit & fugat, urbes in Judæa munit ac fœdus init cum Romanis & Spartanis. Demetrius Nicanor cum Tryphone paciſcitur, ut partem imperii Antiochus habeat, pars verò ſibi concedatur. Hinc Demetrius abit Babylonem & ſuperiorem Aſiam obtinet. Poſt hoc pactum Trypho conſilia agitat de interficiendo Antiocho, imperioque in ſe transferendo. Sed, quum metueret, ne regis necem Jonathan vindicaret, inſidias ei ſtruit & Ptolemaide capit. Simulat interim ſe reddere velle, ſi ccc. dentur talenta & Jonathanis filii obſides. Quos quum Simon frater cum ea pecuniæ ſumma mitteret, & patrem & liberos interemit.

3807. Simon hinc deſerit Antiochi partes ac Demetrio promittit, ſe auxilio ei fore contra Tryphonem, dummodo Populo Judaico concedat immunitatem vectigalium: quod & impetrat.

3808. Simon Sionis arcem, in qua præſidium erat Tryphonis, deditione capit ac perſuadet populo, ut ex monte planitiem faciant, nequis locus Templo ſit altior, atque hoſtes, eum occupantes iterum, præſidium ibi adverſus cives collocare poſſint. Totum triennium noctu, diuque laboratum, priuſquam in planitiem montem redigere potuerunt.

3809. Demetrius, ſuperioris Aſiæ rex (nam inferioris Antiochus Θεός erat, ut dictum) bellum infert Parthis. Ac primùm non infeliciter negotium proceſſit; adeo ut etiam gentes inter Hydaſpen & Indum devinceret. Sed poſtea ab Mithridate, qui ſextus erat ab Arſace ac pacem ſimulabat, capitur, perque eas civitates, quas ante ceperat, circumducitur cum ludibrio. Tandem verò in Hyrcaniam mittitur, honeſteque ibi habetur. Tryphon, ubi cognovit cladem Demetrii, qui, populo perſuadentes, puerum regem calculo laborare, eum occidunt quarto anno, ex quo tutelam ejus ſuſceperat Tryphon. Hinc ab exercitu Tryphon rex proclamatur.

*Decimus quartus Antiochus Sedetes.*

3810. Milites à Tryphone ob ſævitiam ejus deficiunt ad Cleopatram, Demetrii filiam, quæ Seleuciæ cum liberis vivebat. Ea diffidens ſibi arceſſit fratrem Antiochum Sedetem, manu ſua connubium ei & regnum offert. Qui conditione accepta militem adverſus Tryphonem conſcribit.

3811. Antiochus Sedetes, ne Simon Maccabæus bello juvaret Tryphonem, concedit Populo Judaico immunitatem omnium, poteſtatem cudendi monetam tribuit, alia etiam largitur. Quibus efficit, ut Antiochi partes ſequantur.

3812. Trypho, Doræ ab Antiocho obſeſſus, fugit mari Apameam: ſed urbe ea vi capta occiditur. Tryphone occiſo Antiochus omnia, quæ Judæis con-

conceſſerat, revocat; Joppen, Gazam & arcem Sionis poſcit & talenta exigit ciↄ.

Antiocho per Cendebeum ædificante caſtrum Cedron, vaſtanteque Gazenſes, Simon fil. Johannem Hircanum cum exercitu mittit: qui prœlio ſuperior Cedron caſtrum evertit. 3813.

Simon occiditur à genero Ptolomæo. Ei ſuccedit filius Johannes Hircanus; qui militem colligit ac Dagon arcem obſidet, ubi mater vidua ab Ptolomæo captiva tenebatur. Sed Ptolomæus tormentis mox matrem excruciare incipit; atque ita filius, pietate victus, ab obſidio deſiſtit. Antiochus obſidet Hieroſolyma. Pax tandem facta ea conditione, ut Hircanus iↄc ſolveret talenta & Antiocho, ſi adverſus hoſtes bellum mitteret, auxilio foret. Hircanus aperit Davidis ſepulchrum atque ibi invenit ciↄciↄciↄ talentorum: unde Antiocho ſolvit & liberaliter eum accipit. 3815.

Antiochus pugnat adverſus Parthos ac ter eos prœlio fundit. Phraates, Parthorum rex, Demetrium, Antiochi fratrem, quem ante annos aliquot ceperat, ut diximus, dimittit, ut Syriæ regnum occupet. Antiochum interea aggreditur, vincit & interimit. Johannes Hircanus, ubi de Antiochi morte nuntium accepit, Romam legatos miſit, qui de injuriis, Pop. Judaico ab Antiocho illatis, conquerentur. Atque impetrat, ut reſcinderentur, quæcunque Antiochus ſtatuiſſet. Interea Hircanus vicinas Syriæ urbes invadit, quæ præſidio eſſent deſtitutæ. Etiam templum Gazizim, quod Sanaballet condiderat, deſtruit, quum annis ſtetiſſet cc. 3820.

*Duodecimus Syriæ rex Demetrius Nicanor iterum regnat.*

Hircanus Idumææ urbes invadit, maſculos circumcidit & edictum promulgat, ut Idumæi Judaico ritu viverent, qui parere nollent, patria excederent. Atque ab hoc tempore etiam Idumæi cœpere haberi inter Judæos. 3822.

Demetrius Nicator ab Cleopatra, quam Ptolomæus Phyſcon repudiaverat, auxilio vocatur. Sed Ptolomæus regem ſubſtituit Alexandrum Zebennam, quaſi filius eſſet Antiochi Sedetis. Eundem auxilio adverſus Demetrium juvat. Demetrius ab eo vincitur & à ſuis deſeritur, uſque adeo, ut nec uxor, nec liberi portas ei aperirent. 3823.

*Decimus quintus Alexand. Zebenna.*

Demetrius Tyrum fugit atque indè extractus interimitur. 3824.

Demetrio interfecto Seleucus fil. ſumit diadema. Cleopatra mater indignè tulit, quod ſe ignara id feciſſet ac propterea eum occidit, regemque facit Antiochum Gryphum; qui exercitum collegit, contra Alexandrum Zebennam, ut patris ſui mortem vindicaret. 3825.

*Decimus ſextus Ant. Gryphus.*

Alexander Zebenna etiam contemnere incipit Ptolomæum, cujus beneficio regnum erat adeptus. Propterea Ptolomæus ingentes copias auxilio mittit Antiocho Grypho atque etiam uxorem ei dat filiam ſuam Tryphenam. Hinc Antiochus cum Alexandro pugnat, eumque vincit & fugat. Alexander, ut militibus ſtipendia ſolveret, aureum Jovis ſimulachrum ex templo jubet abripi. Icciro ex urbe ejicitur ac à militibus etiam deſertus in latronum manus incidit; qui eum Grypho tradidere, à quo occiſus eſt. 3826.

Antiochus Cyzicenus de regno Syriaco contendit cum Antiocho Grypho, qui octavum jam annum imperabat. Erat is Gryphi frater, ſed uterinus tantùm. Nam Gryphus Demetrii fil. erat; ſed Antiochus Cyzicenus erat fil. Antiochi, qui Demetrii erat frater; ut ratione matris fratres fuerint, ratione patrum patrueles. Dum verò duo hi Antiochi fratres diſtrahunt regni vires, creſcit potentia Hircani, regis Judæorum. 3833.

*Decimus ſeptimus, ſed non totius Syriæ rex Ant. Cyzicenus.*

Cleopatra, Ptolomæi Lathyri ante conjux, filia Ptolomæi Euergetæ, nubit Antiocho Cyziceno ac dotis loco adfert exercitum Ptolomæi Lathyri, qui erat in Cypro. 3835.

Antiochus Cyzicenus, tanto exercitu auctior factus, prœlium committit cum fratre Grypho, ſed vincitur. Gryphus hinc Antiochiam obſidet; in qua Cleopatra, uxor Cyziceni, erat, & capit. Cleopatram ſiſtit uxori ſuæ Tryphenæ; quæ eam, etſi ſoror eſſet & in templum confugiſſet, repugnante Grypho interemit. 3836.

Antiochus Cyzicenus novo cum exercitu pugnat adverſus Gryphum ac vincit, uxoremque ejus Tryphenam captam occidit, redhoſtiens ita fœdum facinus, quo ſororem Cleopatram interemerat. 3838.

Joannes Hircanus Samariam annum totum obſidet. Antiochus Cyzicenus exercitum adverſus Hircanum mittit: ſed eum fundit Hircanus. Aliquos poſtea donis corrumpit. Tandem urbem capit atque exſcindit. 3840.

Antiochus Gryphus ducit uxorem Seleucen, filiam Ptolomæi Euergetæ & Cleopatræ. Fuerat hæc Seleuce uxor Ptolomæi Lathyri. Sed mater, Lathyrum ex Ægypto ejiciens, ſimul ei eripuit filiam ſuam, Lathyri ſororem & conjugem, eamque uxorem dedit hoſti Lathyri Antiocho Grypho. 3851.

Antiochus Gryphus interimitur inſidiis Heracleonis. Ei ſuccedit fil. Seleucus, qui bellum continuat cum patruo ſuo Antiocho Cyziceno. 3854.

*Decimus octavus, ſed non totius Syriæ, Seleucus.*

Seleucus hic proximo anno prœlio vincit Cyzicenum eumque occidit. Cyziceno ſuccedit filius Antiochus Euſebes. 3855.

*Decimus nonus, ut ſuprà, Antioch. Εὐσεβής.*

Antiochus Euſebes oppugnat Seleucum, prœlio eum vincit & univerſa Syria expellit. Ille in Ciliciam fugit, ubi à Mopſeatis recipitur. Sed dum tributum exigere vult, incolæ & ipſum & amicos unà cum regia comburunt. 3856.

Seleuco ſuccedit frater Antiochus, qui Antiochum Euſeben prœlio aggreditur; ſed infeliciter: quo & prœlio ipſe occubuit. Succedit ei tertius frater Philippus. 3857.

*Vigeſimus, ut ſupra, Antioch.*

*Vigeſimus primus Philippus.*

Quartus horum frater Demetrius Eucærus à Ptolomæo Lathyro conſtituitur rex Damaſcenus; qui fratri Philippo ſe jungens bellum intulit Antiocho Euſebei. Sed hic fortiter ſe contra utrumque defendit totis annis novem, nempe uſque dum cum Parthis bellum gerens eſt occiſus. 3858.

*Vigeſimus ſecundus iisdem Demetrius Εὔκαιρος.*

Alexander Jannæus, ſecundus Judæorum rex, Arabibus bellum infert. Sed quum in loca aſpera & acceſſu difficillima ab hoſte eſſet protractus, non ſine ingenti vitæ periculo evaſit. Domum reverſus à ſuis bello petitur. Eo bello Alexander occidit iↄↄↄ Judæorum. 3859.

Judæi, quum ſe impares Alexandro viderent, in auxilium vocant Demetrium εὔκαιρον; qui Alexandrum ingenti prœlio ſuperavit. Eo bello omnia, quæ in Arabia & Moabiticis regionibus poſſedit, amiſit. 3860.

Demetrius εὔκαιρος re adverſus Alexandrum bene geſta bellum infert Philippo. Ille, quum ſe Demetrio imparem videret, Arabas in auxilium vocat atque etiam Mithridatem, regem Parthorum; qui Demetrium obſedit & ad deditionem coegit atque indè in Parthiam abduxit: ſed honeſtè habuit. 3861.

Quintus Seleuci frater Antiochus, cognomine Dionyſius, Demetrio à Parthis capto Damaſcenum principatum ambit & obtinet. Sed Philippus frater, id indignè ferens, conſilia agitat de eo evertendo. 3862.

*Vigeſimus tertius eodem modo Antiochus Dionyſius.*

Philippus Damaſcum capit prodente eam Mileſio præfecto: ſed quum pacta mercede proditorem 3863.

Digitized by Google

*alios perpetuò devolveretur. Quare ipſi ſtatim conventu facto Henricum elegerunt. Ex quibus omnibus perſpicuum apparet, Gallis certum fuiſſe, in manu eſſe Pontificis, redintegrare in eorum regno Majeſtatem Imperatoriam; Germanis, ab eis Imperium, & jus Electionis avocare.*

*E re foret etiam afferre, ut autoritas melius hæc innoteſceret, quod ſummorum Pontificum jus in Electionibus Imperatorum ſemper adeo invaluit, ut nemo unquam ſine ipſorum aſſenſu, aut Sedis Apoſtolicæ legatorum interventu, ad Imperii culmen adſcenderit: quod graviſſimorum auctorum e fide palam eſt. Legatos autem Apoſtolicos hujuſmodi ſolemnitatibus interfuiſſe* f, *conſtat; præſertim in electione Henrici tertii, Rudolphi Ducis Sueviæ, Henrici quarti, Lotharii ſecundi, & ejus, qui Lothario ſucceſſit, Conradi.*

*Quòd Imperii Principes, cùm olim in animo eis eſſet Imperatorem pronunciare Conradinum, Ferdinandi ſecundi nepotem; metu* g *perculſi à propoſito deſtiterunt, quia Clemens quartus huic adverſaretur ſententiæ, & acriter ex adverſo reclamaret.*

*Quòd iidem Electores, cum ſemper alieni* h *fuiſſent ab eo eligendo Vinciſlao, id efflagitante Carolo quarto ejus patre, denuo illum elegerunt Gregorii undecimi juſſu: & iidem, cum Vinciſlaus ob ejus inertiam ab Electoribus de Imperii ſede deturbatus eſſet, Robertum, Rheni Comitem Palatinum, Bonifacii noni* i *mandato, ad tanti gradus apicem promoverunt.*

*Quòd poſteaquam cæteri omnes ab eligendi Imperatoris ſolemnitate fuerunt amoti, & ipſi etiam Sedis Apoſtolicæ Legati; fuitque facultas hæc ſeptem tantum Principum numero coarctata, cum antea ex Gregorii quinti conceſſione cunctis Germaniæ Principibus competeret: cautum fuit* k *jus illud compenſandi gratiâ, quod ante* l *factam excluſionem Eccleſia Romana obtinebat, ne poſſet Imperator electus ſe rebus adminiſtrandis admiſcere, niſi prius à ſummo Pontifice electioni præſtitus eſſet aſſenſus, & elargita confirmatio. Et hoc illud eſt, ex quo inferunt* m *Doctores, non ſufficere Imperatori electionem, ſed neceſſariò indigere Pontificis confirmatione. Quo caſu non ſolum electionis forma perpendi ſolet; verum etiam ipſius electi perſona: cum non ſit abſonum, ut electio legitimè facta appareat; hominem autem electum dotes illæ* n *deficiant, quæ hic requiruntur; ita ut tanto ponderi ſit impar. Quod ſi contingat, in poteſtate Pontificis eſt,* o *illum rejicere, & ab illius dignitatis faſtigio abdicare.*

*e* Imò variant de hoc judicia. Sunt qui contendant, non licere imperatoribus res imperii adminiſtrare, priuſquam pontifex electionem comprobarit, & confirmarit: atque ita docent quidam papæ adulatores, de quibus mox dicam. Alii non paullò ſanius arbitrantur, electum res quidem imperii ſine papali autoritate adminiſtrare poſſe, & debere: at dicendum tunc eſſe regem Romanum, non imperatorem, quòd nomen hoc ſolus conferat pontifex Romanus. Sanè Henricus Auceps regis nomine contentus fuit, etſi rem imperii, eoque & jus nominis imperialis haberet. Denique alii docent, ne ad nomen quidem, imperiique inſignia, papam, vel ejus legatum, requiri: ſed ſufficere, ut quis ab Electoribus eligatur, & aliquo imperii epiſcopo inauguretur. Quæ ſententia veriſſima eſt: ut liquet ex conſtitutione Ludovici Imperatoris IV, cujus verba mox ponam.

*f* Perperam ex legatorum præſentia, quæ neceſſaria non eſt, colligit Papam habere jus creandi imperatoris: quod penes ſolos eſt imperii principes: ut eſt in conſtitutione Ludovici IV. *De concilio*, inquit, *& conſenſu electorum & aliorum principum imperii, declaramus, quod imperialis dignitas & poteſtas eſt immediatè à ſolo Deo, & quod de jure, & imperii conſuetudine approbata, poſtquam aliquis eligitur in imperatorem ſive regem ab electoribus imperii concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſolâ electione eſt verus rex & imperator Romanorum cenſendus, & nominandus: & eidem debet ab omnibus imperio ſubjectis obediri, & adminiſtrandi jura imperii, & cætera faciendi, quæ ad imperium verum pertinent, habet plenariam poteſtatem: nec Papæ ſive Apoſtolicæ ſedis, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, autoritate indiget, vel conſenſu.* Quid verbis hiſce manifeſtius?

*g* Facile erat metum incutere, rebus imperii ita turbatis, ut Alphonſo non adeunte imperium, Richardo redeunte in Angliam, cùm convenire inter principes non poſſet, ad multorum annorum interregnum veniretur. Nec mirum, ſi acriter adeò Corradino adverſatus ſit Papa, qui ſciret, eum prognatum patre Corrado, hoſte papæ, ac præterea gratiſſimum eſſe Gibellinis, à quibus & adverſus Guelphos in Italiam vocatus fuit.

*h* De verbis non laborabimus. Rem ipſam videamus. Quod electores Venceſlaum elegêre, non autoritate factum papali, ſed Cæſaris auro. Nam pater Carolus, ut Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemica ait, *quod virtute obtinere non potuit, pretio comparavit, promiſſis cuique electori centum millibus.* Ac, ut Philippus Bergomenſis in Chronico ſupplem. de eo ſcribit, *poſt patrem confirmatus imperavit annis* XXII, *quamvis imperii benedictionem à papa nunquam obtinuerit.* Ab imperio autem ob ignaviam & ſocordiam, qua imperium peſſumdaret, non à papa, nec ejus mandato; ſed *ab electoribus imperii, approbante Romano pontifice, dejectus eſt:* ut loquitur Nauclerus generat. XLVII.

*i* Rupertus quidem *volens*, ut Philippus Bergomas ait, in Wenceſlai locum eſt ſurrogatus: attamen eum electores ſponte ſuâ elegerunt: ut quibus virtus viri optimè omnium eſſet perſpecta. Apage igitur illud de Papæ mandato, qui nihil hac in re præſcribere potuit Electoribus.

*k* Negamus, cum condicione hac Germanis ſolis poteſtatem factam eligendi imperatoris. Quin probas illud, ubi cardo rei prope vertitur.

*l* Nec antè, nec pòſt unquam, tanta fuit pontificis poteſtas, ut ſine aſſenſu ejus irrita foret electio imperatoris. Quin antiquiori tempore moris erat, non ut Papa imperatorem, ſed ut imperator conſtitueret Papam. Et in familia Karolina, quod jus in eligendo eſſe poterat Papæ, cum ſucceſſio eſſet hæreditaria? Uti uſque ad Ludovicum, Arnulphi Imperatoris filium, imò & Conradum. Deficiente autem ad poſteros ſucceſſione, non penes pontificem jus eligendi fuit, ſed penes imperium. fatemur quidem, partem imperii fuiſſe populum clerumque Romanum: eoque primitus eligendi jus commune fuiſſe huic cum cæteris imperii ſubditis. Sed poſtquam Itali à pontifice perſuaſi jure ſuo Germanis ceſſerunt, nec Papa, nec Itali, juris quicquam in electione, quod ſibi vindicent, habent.

*m* Ex falſo principio falſam colligunt concluſionem. Nempe doctores iſti extollendæ papalis poteſtatis nec cauſſam ſæpe, nec modum ſciunt. Quod etiam vidit Joannes Turrecremata in Canonum Conjunct. XXXV. quæſtione II. *Quidam doctorculi ſine aliquo vero fundamento volunt adulando pontifices quaſi æquiperare Deo.*

*n* Hoc eſt, non ob hæreſin ſolùm irrita ſit electio; ſed etiam virium imbecillitate; ut ſenſit Petrus de Palude de cauſſa immediata Eccleſ. poteſt. Artic. IV.

*o* Scio, hoc velle Innocentium, & alios ejus ordinis: verùm & illud ſcio, quod doctor ille apud Æneam Sylvium ait, *verba ipſorum eſſe ſummorum Pontificum ſuas fimbrias extendentium.*

*Quòd Carolus Magnus, cùm Imperium, & regna inter natos diviſiſſet, omnino voluit diviſionem hanc à Pontifice Leone tertio p firmam reddi: id quod ab ipſo tanti ductum fuit, ut Ludovicum filium nunquam nomine Imperatorio appellarit, niſi ex quo diviſiones à ſe factas Pontifex confirmavit.*

*Quòd in tabulariis, ſive Archivis Sedis Apoſtolicæ, cuſtodiuntur etiamnum publica documenta electionum Rudolphi Auſpurgenſis, Adolphi, Henrici ſeptimi, Caroli quarti, Vinciſlai, & Roberti, quæ nullam q aliunde firmitatem habent, quam ab aſſenſu, & verbo Nicolai tertii, Bonifacii octavi, Clementis quinti, Clementis ſexti, Gregorii undecimi, & Bonifacii noni, cùm iidem hoc ipſum à ſummis Pontificibus r petiiſſent, neglectâ Ludovici quarti conſtitutione, quâ ſanciebat, Licere s electo abſque Pontificis confirmatione moderamen Imperii exercere.*

*Quòd Albertus, eiuſdem Rudolphi Auſpurgenſis filius, nunquam t ejus voti compos evaſit, ut Pontifex electionem confirmaret, quâ ipſe fuerat ad Imperium elatus; quamvis id obnixis precibus, & humillimâ obſequii exhibitione ſæpius expoſtulaſſet.*

*Adhæc, ut jus magis eluceſcat, quod Pontifex, & Eccleſia certum habet diſponendi de Imperio, ſubiiciendum eſt, quòd Imperator à Pontifice ob illud u ſupremum munus ſibi iniſtum diademate decoratur: & huius operationis exercitatione in Imperatorio ſolio confirmetur. Doctores x enim omnes y in illam eunt ſententiam, ei, qui à Pontifice coronatus non ſit, Imperatoris, & Auguſti nomine gaudere, ſignum in aurea Bulla imprimere, Imperii adminiſtratione perfungi, jure interdictum eſſe.*

*Quòd Imperatoribus moris ſit annos Imperii à die ſuſceptæ coronæ z enumerare, atque ita palam profiteri, ſe re vera a Imperatores non extitiſſe; niſi ex quo illos Pontifex diademate præcinxit; & quod ideo Henricus Primus, Conradus Suevus, Rudolphus, Adolphus, Albertus, Rupertus, & alii, qui de Pontificis manu non ſunt coronam adepti, ſibi nunquam in Privilegiis irrogandis nomen Imperatoris, ſed Regis Romanorum tantum, b vindicaverint.*

*Quòd, quamvis in Caroli Magni ſtemmate imperium ab ipſo uſque ad Ludovicum ſecundum jure hæreditatis, & ſucceſſionis, tranſmiſſum fuerit: ſemper tamen Imperatores illi ſibi congruum c duxerint, è Pontificis manu coronam accipere. Lotharius verò primus regnum quidem Italiæ auctoritate propriâ in filium Ludovicum ſecundum contulit; ſed cùm ad Imperii maieſtatem d eſſet evecturus, Romam illum ad Sergium Pontificem juſſerit contendere, à quo diadema, & imperium, obtineret.*

*p* Petiit Karolus, ut Leo pontifex teſtamento ſuo ſubſcriberet, partim, ut teſtaretur de voluntate Karoli, quo fine in teſtamentis condendis adhiberi teſtes ſolent: partim ut, tanquam vir tanti nominis tantæque autoritatis, aſſenſu ſuo apud omnes planum faceret, eam regni partitionem ſibi etiam juſtam videri: atque ita, non omnem quidem autoritatem, imò ne præcipuè quidem; ſed nec parum tamen autoritatis, non ut in re ſuâ, ſed tanquam in aliena, teſtamento Karoli adderet.

*q* Propriè nulla ibi actio ex ſtipulato, ut alienus requiratur aſſenſus.

*r* Petiere, haut electionem, per quam jus haberent imperii; ſed teſtificationem decreti publicâ autoritate facti. Nec enim aliud à papa erat, quàm electionis ſignum. Et quod hoc quoque poſtularunt, voluntatis fuit, non neceſſitatis. Eoque facto ſuo poſteros minimè obſtringunt.

*s* Statuit Ludovicus, licitum eſſe imperii munia exſequi ſine confirmatione pontificis: ſed num eo putavit, id cum pontificis approbatione non licere? Imò poſuit eam rem inter ἀδιάφορα. Eoque nihil ab imperatoribus illis actum fuit adverſus conſtitutionem Ludovici. Quid mirum autem, ſi maluerint à papis accipere imperii ſolemnia, qui impotentem eorum metuerent ambitionem. & fortaſſe errorem publicum eſſe jus publicum arbitrarentur.

*t* Non indignum quidem hoc fuerit arrogantiâ Bonifacii: ſed tamen eum odio Philippi, Francorum regis, tandem confirmavit. Philippus Bergomas lib. XIII. *Albertus ſuſcepto imperio ſtatim à Bonifacio pontifice imperii confirmationem expoſtulavit: quam tamen ab arrogantiſſimo homine obtinere haut potuit. Verum, cùm inter Philippum, Francorum regem, & Bonifacium ipſum, poſtmodum ſuborta fuiſſet diſſenſio, Bonifacius, ut erat animo arrogantiſſimus, irâ percitus, non ſolùm hunc Albertum confirmavit; ſed etiam Philippi regnum huic Alberto ſubiecit.*

*u* Ex ritu conſecrationis, publicâque renunciatione, non minùs ineptè de imperii majeſtate concluditur: quàm ſiquis colligat, in Galliis jus creandi regis eſſe penes Archiepiſcopum Rhemenſem, quia ab eo rex Chriſtianiſſimus inungatur.

*x* Audiamus, quid de doctoribus iſtis dicat Dantes Aligerius lib. III. de Monarchia: *Decretaliſtæ, Theologia, & Philoſophiæ cujuſlibet inſcii & inexpertes, &c. ſuis decretalibus imperio detrahunt.* Et Victoria Relect. I. de poteſtate Eccleſ. Sect. VI. num. V. *Gloſſatores juris hoc dominium dederunt papæ, cùm ipſi eſſent pauperes rebus & doctrinâ.*

*y* Minimè omnes: imò, ut ait Almainus de auctoritate Eccleſiaſt. initio cap. III. *Tanta eſt inter doctores controverſia de plenitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis, & ad quæ ſe extendat, ut pauca ſint in iſtâ materiâ ſecura: ita (ut dicit Gulielmus Occam circa finem primæ partis) ſummè neceſſarium foret, quod per ſapientes juramentis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctati declararentur. quæ ad plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpectant.*

*z* Hi diſtinguunt inter regnum, & imperium. Neutiquam tamen arbitrantur, differre hæc poteſtate, quod Lonigus contendit; ſed ſolum nominis dignitate. Rem ipſam ab electoribus eſſe ſtatuebant: ſed quia inſignia imperii à Romano pontifice necdum ex more accepiſſent, eò & nomine imperatoris abſtinebant, ſive modeſtiâ quadam, ſive ſuperſtitione, ſive quia publico velificandum errori judicarent.

*a* Erant re verâ, ſi rei ſpectes ſubſtantiam, quæ eſt imperatoria majeſtas: hanc enim imperii principes tribuunt: quodammodo item non erant: nempe ſi ſpectes imperii accidens, ac ſignum, quod ex officio Urbis epiſcopus conferebat.

*b* Interea poteſtatem imperatoris habebant, & nominis imperatorii jus: ut liquet ex conſtitutione Ludovici IV. Neque ignoro, conſtitutionem eam eſſe impugnatam ab Alberto Pighio; ſed illud quoque ſcio, ab aliis eſſe fortiter defenſam.

*c* Voluntarium hoc fuit, non neceſſarium.

*d* Atqui Sigebertus & Albericus ſcribunt, miſſum eſſe Romam, ut ipſius Sergii Papæ electionem (nam id tum imperatores faciebant) confirmaret. Nec referunt, ei à Papa impoſitam eſſe imperii coronam; ſed duntaxat regni Longobardici. Ado autem Viennenſis dicit quidem, imperialis coronæ ergò Romam fuiſſe profectum: ſed ait, à patre antè *in Italia regem factum, ut imperatoris nomen ſortiretur.* Ergo ei non rem imperii, quam à patre habuit: ſed ſignum ejus, hoc eſt ſolemnem adpellationem, & coronationem, pater voluit conferri. Denique ex particulari Lotharii facto malè à Lonigo de univerſâ Karoli ſtirpe concluditur.

*Quòd*

*Quòd Carolus Calvus* e, *Francorum Rex, cùm inter ipſum, & Ludovicum fratrem, ingens ſuper Imperio controverſia agitaretur: protinus Romam iter maturârit; & precibus, & muneribus à Pontifice coronam impetrârit. nôrat enim, quanti id ſua intererat. quod ubi eſt conſequutus, illico, ſublatâ omni animorum diſſenſione, eſt à cunctis Imperator acclamatus; illud ei coronâ Pontificiâ tribuente, quod fortaſſe vis, & arma, non potuiſſent.*

*Quòd, cùm Fredericus Primus per Epiſcopum Bambergenſem petiit coronam Imperii ab Hadriano Quarto, verba inferius appoſita fuerint ſingillatim adhibita; quibus haud obſcure* f *patefit, eum, qui coronam è manu Pontificis non obtinet, re vera non eſſe Imperatorem:* Ergo, Reverende Paſtor, tu circa eum peragas, & quæ ei deſunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ Beatitudinis munificentiam ſuppleantur: *& quòd idem Pontifex, ab omnibus Imperii Principibus exoratus, tandem conceſſerit: ex quo colligere eſt, quantum ex ea ad Imperatores accedat, & quanti merito eam faciant.*

*Inſuper inſtillandum eſt, blande* g *tamen, Ducis animo, quòd auctoritas ſtatuendi de rebus Imperii Pontifici propria eouſque provehitur, ut ipſa interdum exagitaverit, depreſſerit, & penitus* h *eliſerit Imperatores, etſi maximis opibus pollentes, qui ſeſe obvios illi ferre, eamque evertere in animum induxerunt: & cunctis in hiſtoricorum libris patet, quid olim geſtum fuerit inter Gregorium ſeptimum* i, *& Henricum quartum; inter Alexandrum tertium,* k *& Fredericum octavum; inter Innocentium* l *tertium, & Ottonem quartum: inter Innocentium* m *quartum, & Fredericum; inter Joannem vigeſimumſecundum,* n & *Ludovicum quartum; inter Bonifacium nonum,* o *& Vinciſlaum. Non tamen in his ad ſingulares* p *rerum & factorum eventus decurrendum eſt, ne vulnera* q *refricentur, à qui-*

e Iniquè Karolus Calvus faciebat, qui dignitatem Ludovici junioris filio jure hæreditario debitam invadebat: iniquè egerunt Joannes Papa, & proceres, cùm dignitatem eam Karolo pecuniâ vendidere. Vide rem ipſam apud Godefridum Viterbienſem, Ottonem Friſingenſem, Hermannum Contractum, Sigebertum, Nauclerum, alios.

f Non hoc ex verbis ſequentibus conſequitur. Siquidem non ſibi plenitudinem imperialis culminis petiit Fredericus conferri; etſi ita loquitur hac de re Bellarminus: ſed ea, quæ de plenitudine deerant imperialis culminis. Deerat autem hoc; ut collata dignitas conſecratione pontificis, quaſi religioſo ſymbolo, apud omnes ex more confirmaretur.

g Non venena ulla magis corpus necant, quàm imperii majeſtatem exſtinguit ſententia illa de pontificiæ poteſtatis plenitudine. Jubet igitur Lonigus, eam propinare atque inſtillare ſereniſſimo duci verbis blandis, ut ita fiat, quod poëta vocat *blandum venenum*. At ſapiens princeps tum imprimis ſibi metuet, cùm papa blandietur maximè.

h A facto de jure concludit ineptiſſimè. Et cujuſmodi facta ſignat? plena certè ambitionis, & ſceleris. Nempe *exempla ſunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt*: ut ait Cyprianus lib. II. epiſt. II. quæ ad Donatum.

i Digna, quæ adſcribantur, ſunt Onuphrii Panvini verba in vitâ hujus Gregorii à Gretſero edita: *Nam etſi ante Romani pontifices, tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtique vicarii, & Petri ſucceſſores colerentur: non tamen eorum autoritas ultrà protendebatur, quàm in fidei dogmatibus, vel aſſerendis, vel tuendis: cæterùm Imperatoribus ſuberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur, de iis judicare, vel quicquam decernere, non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII, armis Nortmannorum fretus, opibus Comitiſſæ Matildis, mulieris per Italiam potentiſſimæ, confiſus, diſcordiâque Germanorum principum, bello civili laborantium, inflammatus, præter majorum morem contemtâ imperatorum autoritate & poteſtate, cùm ſummum pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, à quo, ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioque privare, auſus eſt; res ante ea ſecula inaudita. nam fabulas, quæ de Arcadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho, circumferuntur, nihil moror.* Bene interim eſt, quod creditur Gregorius iſte, cùm mors inſtaret, culpam agnoviſſe: ut Sigebertus refert ad annum CIↃLXXXV. Imò Florentius Wigornienſis in Chronicis ad annum CIↃLXXXIV teſtem ejus rei laudat Moguntinum Archiepiſcopum, quod addo, nequis illud à partibus Henrici confictum putet. Nec tamen, ſi commentitium ſit, multum laboro. Nam de Gregorio, cujus exemplo pugnat Loginus, meritò illud dixero, quod de Nerone ait Tertullianus in Apolog. *Tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim illum ſcit, intelligere poteſt, non niſi aliquod bonum grande ab illo damnatum.* Vide ejus vitam à Bennone Cardinale ſcriptam.

k Secutus eſt malus aſſecla Alexander malum ducem Gregorium; qui, ut Venuſinus poëta loquitur,

*—— exemplo trahebat*
*Perniciem veniens in ævum.*

Vide, quæ de Alexandro hoc refert Nauclerus generat. XL.

l Tubam bellorum, ut vocat in Philippi Auguſti vita Papirius Maſſonus. Atque addit, *ſalvâ reverentiâ ſedis Apoſtolicæ, ſecundum æquitatem non judicavit.* Vide, quæ de eo produnt Platina, Nauclerus, & alii. Hic eſt, de quo in veteribus verſiculis legas, *Non eſt Innocentius, imò nocens verè.*

m Hunc ſuis coloribus depingit Petrus de Vineis in epiſtolarum libris.

n Vide, quæ pro Ludovico IV Marſilius Patavinus ſcripſit.

o Wenceſlaum, non ob mandatum Papæ, ſed ob ignaviam, quam Electores exoſi erant, ab imperio eſſe depoſitum, ſuprà diximus.

p Jubet ita offuciis incruſtare veritatem, ut confuſè videas, non particulatim, ac diſtinctè; genus quidem traluceat, at non ſpecies: haut ſecus, ac ſi per caliginem quandam, animal eſſe cernas, quod homo etiam eſſe poteſt: videre autem necdum poſſis, eſſe animal truculentum, efferum; à quo niſi caveas, præſens immineat exitium.

q Nempe vulnera illa, quæ, magno Eccleſiæ malo, bonis, & prudentibus quibuſque ingemiſcentibus, imperio clerus inflixit Romanus. Inde enim prope omnia mala originem ducunt. Quid prohibet eâ de re adſcribere ingenuam confeſſionem, cùm Pii Papæ, tum Pandulphi Collenutii: qui hiſtoriæ Neapolitanæ lib. IV ait: *Verumtamen ubi ante oculos meos propono, à Chriſto Pontificibus, cujus vicarii perhiberi volunt, dictum eſſe, uti imitentur & ſe, tanquam magiſtrum, cui diſcipuli ſunt, & miniſtri ſequantur; & juſſos ab eodem, gladium vagina reponere, & hoſtibus non ſolum ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties, ignoſcere; è contrario tot inſidias, technas, ac proditiones, adverſum Fredericum video; ac tot legatos, viros Eccleſiaſticos, nomine paſtorum intitulatos, in Regnum, Marchiam, & Romaniam, contra ipſum emiſſos, tot civitates hac de cauſſâ deſtructas; tantum ſanguinis Chriſtiani effuſum: & præter hæc expendo, Fridericum nihilominus ſemper victorioſe triumphâſſe, ac à Pontificibus contrà ipſum electos fortunâ atque conſilio deſtitutos miſerè interiiſſe: non aliud proferre poſſum, quàm verum eſſe id, quod Papa Pius in hiſtoria Auſtriæ ſcripſit,* N O N *fieri ullum inſigniter grande malum in Eccleſia univerſali, quod non exeat, atque initium ſumat à presbyteris: ac certè judicia Dei eſſe nimis ardua, atque occulta.*

*bus eſt dubitare, ne propoſito contrarius* r *emergat effectus.*

*His omnibus expoſitis, propius ad id, quod modò præcipuus eſt ſcopus, accedendo, nempe ad agendum de Electoratu, Duci ſub aſpectu ſubjiciendum eſt, quod facultas hæc Imperatoris eligendi, non auro à Principibus Electoribus fuerit empta, non armis comparata, non jure accepta hæreditario, veluti quid ab ipſis acquiſitum, & propriis rebus aggeſtum; nec eadem ad ipſos ab Imperatorum manu, ſed ab ſedis Apoſtolicæ* s *auctoritate defluxerit; de qua æquum non ſit, cum uti talem antiquiores* t *agnoverint, & tenuerint, ſecus in præſentia ſentire.*

*Quòd luce meridiana clarius ſit penes ſcriptores,* u *qui res magis ex veritate, & ex fide, literis mandarunt, Gregorium quintum* x *Pontificem, cum poſt totam Caroli Magni defunctam ſobolem Imperium eò prolapſum eſſet, ut cuilibet illud armis invadere liceret: ut remedium tot malis adhiberet, & Imperii majeſtatem turbulentis diſſidiis diu conflictatam, & conſternatam, erigeret; majoribus Germaniæ Præſulibus, & Principibus facultatem Imperatoris eligendi dediſſe eam, ut ne quidem à Pontifice coronam conſequi poſſet, quem ipſi Imperatorem non pronuntiaſſent.*

*Quòd, cùm diu viguiſſet conſuetudo eligendi Imperatorem, ex conſtitutione Gregorii Quinti, interventu Antiſtitum omnium, & Principum Germaniæ; & cùm poſtmodum ſchiſmata, & turbæ ex multiplici opinionum diſcrepantia inter eligendum oriri cœpiſſent, quibus Imperium magnopere in dies contabeſcebat: tandem Antiſtites, & Principes unanimes, aſſentiente* y *ſede Apoſtolicâ, in eo convenerint, ut facultas omnis ad ſe ipſos univerſos à Gregorio Quinto devoluta ad ſex Principes tantùm devolveretur, tres Eccleſiaſticos, tres alterius rationis; quibus poſtea ſeptimus additus fuit; & quod ſolemniter decreverint ab his tantùm, nullo præterea admiſſo, in poſterum Imperatorem eſſe eligendum; eâdem cæterùm facultate, jure, & auctoritate, quâ prius in uſu fuerant.*

*Quòd* z *ob hujuſmodi decretum impertinens auctoritatem ſeptenis tantùm eligendi Imperatorem; quod pactum perpetuò conventum inter univerſos Germaniæ Præſules, & Principes, appellari poteſt; ne minimum* a *quidem abiit Eccleſia de jure ſuo. Nam præterquam quod, ut dixi, adfuit huic decreto condendo aſſenſus* b *Pontificis,* c *& univerſalis Concilii; veluti nonnulli ex*

r Et quid aliud poſſint truculenta adeò tot Pontificum facta, quàm odium gignere poteſtatis ejus, quam Papæ ſibi vindicant? Quippe clamant iſta, eos in hoc totos eſſe, ut omnem imperii majeſtatem in ſe transferant; penes autem Cæſares inane ſit imperii nomen. Meritò igitur uſque adeò ſollicitus eſt Lonigus, ne omnia integrè, & bonâ fide narrentur.

s Decretum hoc eſt, tum ab imperio, cujus principes pontifici ejuſce rei autores fuere: tum à pontifice ipſo, qui Italis, ut jure ſuo cedere vellent, perſuaſit: tum à populo Romano, cui perſuaſum illud à pontifice fuit. A Romano igitur Papa non eſt, niſi ſynecdochicè, & per metonymiam cauſſæ inſtrumentalis. Synecdochicè quidem, quia pars is princeps erat cleri Romani: per metonymiam verò, quia auctor fuit populo Romano, ut is juri electionis renunciaret. Non uni autem id Gregorio tribuendum eſſe, quod Lonigus facit: oſtendunt quoque verba hæc Tritthemii in Chronico Hirſaugienſi: *Gregorius Papa V congregatâ ſynodo ſtatuit, conſentientibus Romanis, & omni clero, Romanum imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere; ita ut Germaniæ Principes per Ottonem III deputati habeant jus & poteſtatem Imperatorem eligendi.* Cur autem Gregorius decreti ejus autor eſſet, cauſſa non una fuit. Nam operam dare voluit, ut ſeditio in eligendo Imperatore caveretur. Adhæc homo Germanus, Suevus quippe, Germanis ſuis optimè volebat: & Cæſari obnoxius erat, qui Româ profugum ſedi ſuæ reſtituerat: ut præter alios Nauclerus narrat generat. XXXIV.

t Qui antiquiorum ita loquuntur, intelligi debent συνεκδοχικῶς, & μετωνυμικῶς, uti dictum.

u Aliter Aventinus lib. V, & Onuphrius Panuinus libro de comitiis imperatoriis. Sed de eo non movebimus litem Lonigo.

x Non unus Gregorius, ſed univerſus populus Rom. jure ſuo ceſſit. Quare Pontifex tantum partiaria eſt cauſſa: quemadmodum antea diximus.

y Poſtquam jure ſuo in eligendo imperatore ceſſit populus Romanus: penes ſolos Germaniæ principes poteſtas fuit ſtatuendi ex communi conſenſu de ratione eligendi imperatoris. Utrum autem Papa aſſenſerit, vel etiam ſuaſerit, haut multum refert, quia hoc non impedit, quò minùs tota ejuſce decreti ratio ab imperio promanârit.

z Fingit objici poſſe, Romanum quidem pontificem jus illud habuiſſe mandandi cunctis imperii principibus, quem eligi vellet: ſed poſtquam poteſtas ea in ſeptemviros collata eſt, cæteris juri ſuo cedentibus, pontificem quoque jure ſuo excidiſſe. Sed qui ſic propugnat electoralem poteſtatem, næ ille prævaricatur, ac luſoriis armis mavult certare, quàm decretoriis. Quis enim hoc unquam conceſſerit, cùm ex conſenſu cleri populique Romani judicarent ſoli, ſed univerſi Germaniæ principes, poteſtatem nihilominus fuiſſe clero Romano præſcribendi electoribus, quem eligi oporteret? Quare ut tirones Romani adverſus palum cominus pugnabant, quæ palaria pugna dicebatur: ita etiam adverſus commentum ſuum pugnat Lonigus: nec eò minus gaudet, quia cernit

> *—— —— Vulnera pali,*
> *Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit;*
> *Atque omnes implet numeros:*

ut ſatirici verbis utar.

a Fatemur Romanum pontificem, quatenus epiſcopus Urbis eſt, non amiſiſſe poteſtatem creandi imperatoris, aut præſcribendi electoribus, quem crearent. Nam quomodo amiſerit illud, quod habuit nunquam? Negabat Chriſtus regnum ſuum eſſe de hoc mundo, ac rebus terrenis. Quomodo igitur Romano pontifici, ſi Chriſti eſt vicarius, cura ac poteſtas commiſſa unquam ſit rerum mundanarum ac temporalium? Sanè neſcivere hoc cleri Romani dogma veteris Eccleſiæ doctores. Imò, ut ipſe ait Bellarm. lib. V. de Rom. Pontif. cap. V. *Primi, qui temporalem poteſtatem Pontifici ex Chriſti inſtitutione tribuunt, videntur eſſe Hugo de S. Victore, & S. Bernardus: quos ſecuti ſunt Alexander, Bonaventura, Henricus, Durandus, & alii poſteriores.* Quid quod neque Hugo, nec Bernardus, nec Alexander, ſententiæ iſti favent? quemadmodum oſtendit Rogerus Widdringtonus in apologia pro jure principum.

b Si aſſenſit Urbi renuncianti juri ſuo in electione imperatoris; omnino jure eo exciderit, quod habuit, ut primus Urbis civis.

c Ceſſit jure ſuo populus Romanus, non in concilio univerſali (quamquam id minimè nobis adverſetur) ſed in Romano; uti & propriè Romanæ urbis negotium agitabatur. Sane non Italia minùs, quàm Germania, pars imperii erat. Quare & æquum fuit ſuffragii jus habere Italos, quamdiu Imperatorem non abjurarent. Italiæ autem caput Roma; Romæ primus civis Pontifex. Venit igitur in conſiderationem Roma, & aliquomodo pontifex. Sed jure eo, quod Pontifex, atque Urbs habuit, & ille, & illa excidit, poſtquam ei renunciavit. Imò ut non ceſſiſſet jure, quomodo nunc ſibi hoc Italia jus vindicaret, poſtquam imperium detrectat Cæſaris?

opinio-

*opinione aſſerunt: dicendum eſt etiam, cùm Septemviri Pontificis aſſenſu jus Imperatoris eligendi ab illis acceperint, apud quos illud ſummi Pontifices* d *collocaverant; quòd Septemviri quoque facultatem illam, ſi non proximè, ſaltem traditam per alienam manum, Pontificibus acceptam* e *referre teneantur: cùm dictum veritati ſit conſentaneum, Quæ per alium* f *facimus, illa omnia nos facimus. Ideo, quòd veluti ſuperioribus temporibus electio* g *ex facultate per Gregorium Quintum conceſſa procedebat; ita recentioribus eadem facultate* h *procedat in Septemviros Pontificis aſſenſu tranſlata: & ſicut antiquitus ſummi Pontifices univerſis illis Præſulibus, & Principibus Germaniæ, imperabant,* i *ut Imperatorem eligerent; ita in præſentia, cum opus ſit, Pontifici liceat Septemviris imperare:* k *quippe qui referant omnino illorum univerſorum conventum. Et veluti quondam univerſis inhibitum fuit, ne* l *Corradinum eligerent, ita imperatum* m *Septemviris, ut eligerent Vinciſlaum, eoque depoſito, Rupertum, quorum utrumque mandatorum ad unguem peractum fuit. Quoniam ut Septemviri ejuſdem facultatis, & juris potiuntur, quorum olim univerſus Germaniæ conventus: ita modo Pontifices eam penitus retinent auctoritatem, quam conventus illius univerſalis* n *tempeſtate obtinebant. Longo enim annorum curriculo, aut temporum diuturnitate, Eccleſiæ vigor non remittitur, neque ſedis Apoſtolicæ jura* o *inveteraſcunt.*

*Quòd autem à vero non ſit alienum, Electores æquè recentiores, ac veteres, facultatem Imperatoris eligendi non aliunde hauſiſſe, quàm à ſupremo ſedis Apoſtolicæ fonte, confirmari poteſt graviſſimorum auctorum fide, Jacobi Wimpfelingi,* p *Krantzii, Naucleri, Carionis, Aventini, Cuſpiniani, & aliorum Tranſalpinorum, ut Italos* q *omittam, qui ſuper hac controverſia ob corruptelæ ſuſpicionem forſitan rejici poſſent. Afferri quoque in medium decet, corroborari hoc ipſum ſanctiſſimorum, & doctiſſimorum hominum atteſtatione, veluti Divi Thomæ, qui procul omni dubitatione enunciat, quod per Pontificem ſtat rationem Imperatoris eligendi permutare, & hoc his verbis:* r Tantum durabit (*loquitur de ipſa electione*) quantum Romana Eccleſia, quæ ſupremum gradum in Principatu tenet, Chriſti fidelibus expediens judicaverit.

*d* Soli iterum nominantur pontifices, cùm jus totius fuerit Urbis: ea autem tota toto jure eligendi ceſſit: nec repoſcere nunc illud valet, præſertim excuſsâ imperiali poteſtate: nedum ut unus hoc poſſit pontifex: ac multò minùs, ut jus ſibi vindicet præſcribendi Germaniæ proceribus, quem eligere deberent: quod nec habuit, priuſquam Urbs ſuo ceſſit jure.

*e* Siquid clero cum Pontifice, totâque Urbe, acceptum ferre oportet, id non eſt jus eligendi imperatoris; quod non minùs penes Germanos, quàm Italos fuit: ſed quòd Germani principes non neceſſe habeant in poſterum exſpectare Urbis ſuffragium. Certè multum differunt, ut quis jus eligendi habeat, & ut habeat ſolus: quæ peſſimè Lonigus confundit.

*f* Negamus, papam antea per univerſos Germaniæ principes, elegiſſe Imperatorem: eoque nec dici nunc poteſt, actum eligendi per ſeptemviros exercere.

*g* Abunde hoc antea refutavimus.

*h* Ex falſo principio falſum conſequens.

*i* Nunquam jus illud imperandi præſulibus, & principibus Germaniæ, habuit Pontifex.

*k* Quomodo penes ſeptemviros proprium ac perpetuum jus eligendi erit, ſi penes papas eſt jus mandandi, quem eligi oporteat? At hoc Lonigus tribuit Papæ: & faciunt idem alii è clero Romano. Equidem mirari ſatis non poſſum tantam rerum mutationem. Olim Papa à Cæſare creabatur. Id jus excuſſit Papa. Nec hoc ſatis ei eſt. Contendit ſibi jus eſſe creandi imperatoris. Poſſe ſe in alios jus eligendi ejus transferre: ſed tum ſibi reſervare poteſtatem eam, ut electionem reddat irritam, quoties illa diſplicebit. Multum profectò Romana Eccleſia ditata eſt à principibus: ſed videat, ne dum ereptum it principibus imperii majeſtatem; ipſa etiam amittat, quod eorum liberalitate accepit. Durandum audiat, ſacri Palatii magiſtrum, in tractatu pro celebrando concilio part. I. rubr. VIII. *Proverbium vulgare, Qui totum vult, totum perdit. Unde timendum eſt, ne Eccleſia Romana, quæ univerſa vindicat, univerſa perdat.*

*l* Iis, quæ de Corradino, Wenceſlao, & Ruperto, hic dicuntur, ſupra occurrimus.

*m* Nil crepat Lonigus, præter, mandare, imperare. Et quis mandet? cui? quid? Papa nempe, idque electoribus, & quidem, ut hunc imperio præficiant: illum dejiciant. *Sic volo, ſic jubeo*, ait ille. Atque huc pleroſque non puduit advocare verba illa Soſpitatoris noſtri: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Nihil me fingere, liquet ex libro Ceremon. Pontifical. I. Tit. VII. *Papa*, inquit, *in nocte nativitatis Domini benedicit enſem, quem poſtea donat alicui principi, in ſignum infinitæ potentiæ Pontifici collatæ: juxta illud, Data eſt mihi poteſtas in cælo & in terra. Item, Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Apud Canoniſtas verò tam multa inveniuntur, quæ ſupremam poteſtatem tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus, tribuant Papæ: ut ea adſcribere planè pigeat: præſertim cùm à multis jam ad faſtidium oggeſta clero ſint Romano; à multis etiam Catholicis Romanis acriter impugnata, cùm ſeculis ſuperioribus, tum noſtro.

*n* Negamus pontificem jus iſtoc, quo de hic agitur, habuiſſe illius conventus tempore.

*o* Non inveteraſcit jus illud, quod nunquam fuit. Cujuſmodi jus Lonigus tribuit Papæ. Quod autem jus in iſtoc, vel Papa habuit, vel potius populus Romanus, id nunc non habet, quia quicquid eſt, quo ſponte ceſſit, id alteri acceſſit.

*p* Miror quâ fronte eos ſcriptores producat nobis, qui multa adeò habent ſententiæ iſti adverſa. Quod de ſingulis oſtenderemus, niſi ante nos abunde alii id feciſſent. Equidem non diffitebor, legi apud eoſdem horrenda multa, quæ à pontificibus perpeſſi Cæſares fuere. Sed eone quia iſtæc narrant, etiam probant? Quin contrarium tum quoque, cùm tacent, clamant.

*q* Et meritò profectò. Nam licet Dantes, Petrarcha, & tot alii ſagaciſſimæ Italorum gentis, ulcus iſtoc Pontificium *διβάφῳ* velatum revelarunt Tranſalpinis nobis, tantoque hoc illi melius perſpexerunt, quanto à Roma abfuere propiùs: tamen, quia periculoſius illis in terris, quam alibi gentium, erat, papæ ſe opponere, multis iſtic partibus major eorum ſemper numerus fuit, qui Imperatori ſuo adverſarentur, etiam cùm viderentur ei ſupparaſitari & ſecundas agere. Ut minimè de nihilo ſit, quod Fredericus Cæſar apud Guntherum monet Ligurini lib. III:

—— *Non eſt, ait, optime fili,*
*Hac in gente novum, nec res miranda videtur,*
*Fraudibus occultis blandè palpare potentes,*
*Principibuſque ſuis aſtutam oſtendere vulpem.*
*Hoc vitium gentile tenet. ſic vivitur iſtic.*

*r* Non ſunt verba Thomæ Aquinatis, ſed alterius. Deprompta ſunt ex lib. III. de regimine Principum cap. XIX. Falsò autem hoc opus tribui Aquinati, argumento illud eſt, quòd Adolphi & Alberti, Imperatorum, meminit, qui demum poſt Thomæ obitum imperare cœperunt. Atque hoc nomine etiam ſuſpectum ſibi eſſe fatetur Bellarminus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis: nec negare audet lib. III. de Tranſl. imper. lib. III. cap. II. Fortaſſe eſt Thomæ Eboracenſis. Facilè enim confundi potuit Thomas Angelicus cum Thoma Anglico.

*Præterea Auguſtini* s *Triumphi, Innocentii Quarti* t *Pontificis, Cardinalium* v *Hoſtienſis, & Zabarella, & aliorum* x *recentiorum, quos, ne longior ſim, miſſos facio.*

*Quin etiam iidem ipſi Septemviri* y *publicis ſcripturarum argumentis eorum manu, & ſigno, firmatarum inficias non eunt, facultatem hanc Imperatori eligendi ad ipſos ab ſede Apoſtolicâ profectam eſſe. Cui rei ſi fidem derogarent; exhibendum eis exemplum foret ſcriptionum anno* cIↄ cc LXXIX *Pontifici Nicolao Tertio à Rege Romanorum Rudolpho Auſpurgenſi exaratarum, quæ integræ, & ſolidæ folio Pergameno in Archivo Caſtri Sancti Angeli adſervantur: ubi ego eas olim Pauli Quinti juſſu, una cum aliis pulcherrimis privilegiis, tum Epiſcopo Bambergenſi oſtendi, cum Romam Matthiæ, Regis Romanorum, Legatus, ejus nomine obſequium Apoſtolicæ Sedi, præſtiturus advenit. Hic enim Septemviri his verbis præcipue utuntur:* Complectens ab olim ſibi Romana mater Eccleſia, quaſi quadam germanâ charitate Germaniam illam, eo terrenæ dignitatis munere decoravit, quod eſt ſuper omne nomen, temporaliter tantum Præſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores præcellentes, & rigans illas gratiâ ſingulari, illud eis dedit incrementum mundanæ z potentiæ, ut ipſius Eccleſiæ auctoritate ſuſtulti, veluti germen electum, per ipſorum electionem, illum, qui frena Romani tenet Imperii, germinarent.

*His peractis exponendum eſt, quod cum Septemviri* a *facultatem hanc à ſede Apoſtolicâ agnoſcant, ut ſuperius firmatum eſt; illa eorum nemini poteſt adimi, abſque ejuſdem Apoſtolicæ ſedis auctoritate, & aſſenſu. Quod ſi ea cuiquam facto adimitur, expoliatus ille, non legitimè privatus eſt cenſendus; & dignitas ſic uni erepta, & in alium abſque Pontificis aſſenſu, & auctoritate, collata ſit ab eo, qui jure prohibetur, nullius eſt roboris. Quare ſi cuipiam hoc modo concedetur: nec illam jure tenebit, nec, cum juſto careat titulo, temporis excurſu præſcribit.*

*Demum illi fides eſt facienda, nihil hic aliud* b *Sanctitati Veſtræ eſſe propoſitum, quam apud illius Celſitudinem illud collocare, quod prorſus ad ipſius utilitatem, & ornamentum pertinet; atque illi viam indicare, ſeſe ipſum à curis, & moleſtiis perpetuò eximendi, & Electoralem dignitatem Bavaricæ domui æternam inferendi. Rebus enim ita ſe habentibus, ut ſe nunc habent, ſi nati, aut hæredes Comitis Palatini, ditionem unquam, de qua parens eſt dejectus, recuperarent, & Electoratum repeterent, aſſerentes, ſe illum Pontificibus, non Imperatoribus, acceptum referre, & ideo abſque ſedis Apoſtolicæ aſſenſu ſibi non potuiſſe adimi: hujus unius rationis colore omnia convellerent, & proſternerent, quæcunque nuper adverſus eorum patrem decreta ſunt: & eò Pontificem neceſſariò adigerent, ad quem unum hujuſmodi controverſiæ judicium attinet, ut jurium ſedis Apoſtolicæ conſervandorum ergò pronuntiaret, deturbationem Palatini de Electoratu, & conceſſionem eius dignitatis alteri factam, nullius eſſe ponderis, & filiis denuo facultatem reſtitueret, quam prius à ſummis Pontificibus acceperant: cùm ſit eis adempta, & in alium collata, abſque Apoſtolicæ ſedis auctoritate.*

s Fruſtra auguſtum de nobis triumphum per hunc velitem ſibi ſperet Lonigus. Vixit tempore ſchiſmatis inter Ludovicum Bavarum, & Joannem XXII, librumque ſuum de poteſtate Eccleſiaſtica conſecravit Papæ: cui fœdè paſſim adulatur. Inter alia quæſt. XXII. art. III. legas: *Totius mundialis machinæ eſt niſi unus principatus, hujus principatus princeps Chriſtus, cujus vicarius papa.* Ex hoc tam fœdo principio multa exſtruit nihilo meliora. Inter alia apud eum invenitur quæſt. XL. art. I. *Eadem ſunt principia generationis rei, & corruptionis ejuſdem. Generationis imperii principium eſt papa, quod ad ejus electionem, coronationem, & confirmationem, ut ſupra: ergo principium eſt ejus depoſitionis, & corruptionis papa.*

t *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur:* ut eſt ff. de Teſt. l. Nullus.

v *Idonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant.* ff. de Teſt. l. Idonei. Quod imprimis dictum velim de Henrico Oſtienſi. Nam pergratus fuit Innocentio IV, qui Fredericum Imp. depoſuit concilio Lugdunenſi. Atqui judicem ab odio, amicitiâ, inimicitiâ, vacuum eſſe decet.

x Nempe ut Hortenſius dicitur eloquentiam extuliſſe, quò, ea ſi magni fieret, & ipſe majoris haberetur: ita iſti papalem extulere poteſtatem, quò quanto hæc altiùs aſſurgeret, tanto magis & ipſi efferrentur.

y Ignorare non poteſt, ſaltem non debet, Lonigus, multa illis literis contineri, quæ eas planè ſuſpectas reddant. Sed ut miſſæ ſint à Rudolpho Habſpurgenſi, rege Romanorum, tamen non omnibus electoribus gnaris, imò nec majori parte conſciâ, ſcriptas eſſe, veriſimile eſt: ut quæ in præjudicium eorum planè vergant. Sanè ſi eæ communi Electorum conſenſu exaratæ forent, ſubſcripſiſſent univerſi. Tres ſcripſiſſe dicuntur: ſed cur non cæteri? Moguntinus dico, Trevirenſis, Colonienſis, & rex Bohemiæ. Verùm ſingula excutere non eſt hujus loci. Fecere id alii ante nos.

z Apud Bellarminum, qui has literas integrè adducit, *miranda* legas, uti & apud Baronium.

a Septemviri dicuntur agnoviſſe, cùm Baronius fateatur, trium duntaxat literas in archivis Romanis contineri. Vide eum ad annum cIↄ CCXCI. Quâ fide igitur hic ſeptemviros nominat, cùm major pars, nec ſcripſerit, nec ſubſcripſerit, aut ſaltem nihil ſit, unde adſtrui id poſſit? Præterea, num ſi Electores tres, infelici illo ſeculo hiſtoriæ veteris non ſatis gnari, paſſi à veteratore aliquo ſint iſtoc ſibi perſuaderi, num hoc immutare poſſit rerum veritatem tanto antè geſtarum? Sunt epiſtolæ iſtæ iiſdem verbis conceptæ; ſed diverſis temporibus miſſæ. Quid ſi aliquis artium curiæ Romanæ gnarus (quali hoc negotium apud ſereniſſimum Bavariæ principem committi vult Lonigus) os ſubleverit tribus Electoribus, ſingulos ſeorſim compellans, aureos cuique montes pollicens, ſi benevolentiam ſuam atque obedientiam erga ſedem Romanam ejuſmodi literis teſtaretur? Num vel illius fraus, vel hujus credulitas, efficiet, ut res geſtæ, non ſint geſtæ; non geſtæ, autem geſtæ, vel aliter geſtæ, quam geſtæ fuerunt? Quare ut vel genuinæ literæ forent, offuſcare apud ſimpliciores rei hiſtoriam poſſunt, ſed intelligentiores movere admodum non poſſunt.

b Itane, Lonige? Hoc perſuadebitur Duci ſereniſſimo, NIHIL ALIUD agi, quàm ut dignitati ſereniſſimi Ducis conſulatur? Nihilne, inquam, aliud? Nonne ipſe initio conſilii tui dixeras, haut poſſe impræſentiarum melius conſuli rebus pontificiis, quàm ſi homini ad talia idoneo negotii illud detur, ut ſereniſſimo duci autor ſit poſtulandi à papa confirmationem electoralis dignitatis? Nonne ais, (ut verba tua reſervem) *hoc uno obtento tantum in præſentia Beatitudinem ſuam poſſe lucrifacere, quantum ne ducentorum quidem annorum curriculo ab ſuperioribus pontificibus acquiſitum fuit: ſic enim vindicatum iri, atque redemtum, quod à Gregorii* XI. *temporibus ad hæc uſque noſtra de juribus, quæ in conſtituendis rebus, & ordinibus Imperii, ad Eccleſiam attinebant; cæteri amiſerunt.* Hoc, inquies, Romæ dicendum apud Pontificem: alterum in Bavaria apud ſereniſſimum Ducem; cui perſuadendum eſt, Pontificem non de ſuâ poteſtate eſſe ſollicitum, ſed duntaxat de ſereniſſimi Ducis dignitate. Equidem hoc te velle ſatis video. Sed eſtne hoc inter bonos bene agere, ex veteri formula? Fidele conſilium Duci Bavaro promittetur: interim iſtud agetur, ut electoralis dignitas ex Papæ potiùs dependeat arbitrio, quàm imperii Germanici: quod ſine inſigni imminutione & depreciatione imperialis majeſtatis planè fieri nequit. Nonne hoc dum videt ſereniſſimus dux; jure optimo cogitet ſecum illud Comici?

*Nunc petit, cùm pollicetur: inhiat aurum ut devoret,*
*Alterâ manu fert lapidem: panem oſtentat alterâ.*

Sed ulceri huic Chironio non ultrà immorabor. Mederi illi haut noſtrarum eſt virium, ſed cæleſtis Numinis: à quo, & Pontifici & clero Romano, animum optominùs avidum imperii temporalis, ac majus ſtudium veritatis, & pacis.

F I N I S.

APHO-

APHORISMI

# DE STATU ECCLESIÆ RESTAURANDO,

*Ex decreto & adprobatione collegii Cardinalitii, collecti ex conſilio*

GREGORIO XV. PONTIFICI MAXIMO

*exhibito*

Per MICHAELEM LONIGUM, ſacro Vaticani palatio, & ſcripturarum monumentis digerendis, tam in archivis ipſius Vaticani, quàm in Caſtro Sancti Angeli, olim præfectum.

*Acceſſit iis hac editione præfatio & cenſura*

GERARDI JOANNIS VOSSII.

---

## BENIGNE LECTOR,

*EX Conſilio Michaëlis Lonigi, quod his paucis diebus cum brevibus notis vulgabamus, ſatis perſpicere fuit, quantopere ſollicitus ſit clerus Romanus de augenda Papæ poteſtate, etiam in ſeculi rebus. Interim eo in conſilio non ulterius itum fuit, quàm ut Bavariæ dux Electoralem ſibi dignitatem firmari à Pontifice maximo poſtularet. Sed ecce nunc aliquot tibi aphoriſmos, quibus illuſtris ille Cardinalitius cœtus nec intra iſtos limites conſiſtit: verum ruptis porro repagulis quaſi utroque cornu irruit quoque tum in Saxonicum, tum in Brandeburgicum electorem. Hæreſeos crimen iis impingit: eoque nomine & illos Electorali eſſe dignitate ſpoliandos, partim obſcurius innuit, partim aperte contendit. Denique, ut ſerpentes cauda ſolent, ita aphoriſmo extimo nimis heu afflictæ Germaniæ triſtia quoque arma minitatur, niſi de dignitate in Bavarum collata ſententiæ Pontificis acquieſcat. Equidem non ignoro, paucos eſſe qui neſciant, jam ab aliquot retro ſeculis monſtri aliquid Romæ ſemper ali adverſus Imperium: Sed tamen putavi, expedire hoc tempore, ut iſta quoque in apertum magis proferrentur, partim quo minus nonnullis ſemper differre paratis ſomnus in tanto Germaniæ periculo obrepat: partim ne fucus fiat illis, qui quid Pontifex, cæterique Eccleſiæ Romanæ antiſtites, moliantur, necdum ſatis vident. Cæterum cùm geminum nactus forem aphoriſmorum exemplum: expreſſi integre, quod integrius videbatur. Interim charactere diſtinxi, ubi diſcreparent, ac quomodo in Arcennenſi legeretur editione, notavi ad oram. Locis quidem aliquot parum refert, utrum hoc, an illud, ſequamur exemplum: ſed eſt item ubi non mediocriter interſit. Unde autem fiat, quod in altero eorum quædam, vel prætereantur interdum, vel verbo molliantur: equidem ſatis mihi videre videor: ſed malo de hoc conjecturam ſagaci relinquere Lectori, qui patricias Patrum illorum artes ſatis per ſe cognoſcet.*

APHO-

Digitized by Google

VARIANS SCRIPTURA *ex editione Aremorica-ſi.*

*a* Collecti ex conſilio, Gregorio XV Pont. M. exhibito.

# APHORISMI

## De ſtatu Eccleſiæ reſtaurando, ex decreto & approbatione Collegii Cardinalitii, *Pro*[a] *conſiliis formandis*, GREGORIO XV, *Pontifici maximo*, *exhibiti*, per Michaëlem Lonigum, Sacro Vaticani Palatio & Scripturarum monumentis digerendis, tam in archivo ipſius Vaticani, quam in caſtro Sancti Angeli exiſtentibus, olim præfectum.

*b* A beatiſſima ſede Apoſtolica confirmationem in ſolenni forma.
*c* Ideo.
*d* Ex negato brachio ſeculari.

I. CUm Bojorum dux *à ſedis* b *Apoſtolicæ autoritate confirmationem* propter Electoratum expoſtulaverit, *tunc* c Eccleſia obedientiam amiſſam *in* d *negata juriſdictione Eccleſiaſtica* paulatim recuperare poteſt.

*e* Per Bojorum ducem Maximilianum.
*f Deſunt quatuor hæc verba.*
*g* Ideo poſſeſſiones bonorum Eccleſiaſticorum ex manibus hæreticorum rurſum eripere non difficultatis erit.

II. Cum Pontifex maximus *per* e *præſentem Bojorum ducem*, ut filium Eccleſiæ obedientiſſimum, jura à ducentis uſque annis, & ultra, in conſtituendis rebus & ordinibus Imperii, *quæ* f *ad Eccleſiam pertinent*, amiſſa, recuperare poſſit, *tunc* g *paulatim poſſeſſiones bonorum Eccleſiaſticorum, quæ à jure Eccleſiaſtico dependent, acquirere ſimul, non erit difficultatis.*

*h* Dux ex ſpeciali juramento Eccleſiæ præſtito.
*i Prætereuntur ſeptem hæc verba.*
*k Novus hic aphoriſmus ſequitur iſtiuſmodi*, Cum hæretici brachium ſeculare Eccleſiæ, ut fontale.

III. Cum Bojorum *dux* h in eo fervore ſit, Eccleſiæ faciem ita rurſum adornare, ut ante Gregorii XI. tempora fuit, ideo hæretici in imperio brachium ſeculare, *&* i *bona, quæ à tranſactione Paſſavienſi poſſident*, Eccleſiæ reſtituere coguntur k.

IV. Cum de ſtatu & ordine imperii cognoſcere & decernere, Eccleſiæ proprius partus ſit, ideo hæretici, qui hanc antiquitatem & jura Eccleſiæ negant, in ſtatu & ordine imperii, jam per Bojorum ducem reſtaurando, in poſterum tolerari non poſſunt.

*l Duo hæc verba abſunt.*

V. Cum Leo III. illam poteſtatem habuerit, propter hæreſeos crimen Orientale imperium ab Occidentali *abſcindere* l *&* divellere, ac ex Græcorum manibus eripere, & ad Gallos tranſmittere: quare non Pontifex maximus eandem poteſtatem habebit, Electoratum à Palatino, ut principali hæreſiarcha, abripere, & in Bojorum ducem, ut obedientiſſimum filium Eccleſiæ, transferre.

VI. Cum divulſio Orientalis Imperii ab Occidentali à Leone III. Pontifice beatiſſimo facta, ita firma & ſancta ad hæc tempora uſque permanſerit, ut licet Occidentale Imperium poſſeſſore ſæpius vacaverit, tamen nunquam Orientis imperio adnexum fuerit, neque unius leges in alterius provinciis viguerint: quare non & divulſio Electoralis dignitatis, à Palatino hæreſiarcha in Bojorum ducem Catholiciſſimum tranſmiſſa, in eadem conſtantiæ & firmitatis ſanctitate à Pontifice ſummo & ſancta Liga tueri debeat?

*m Deſunt verba hæc quatuor.*

VII. Cum imperii tranſlatio à Græcis ad Gallos tam libero brachio *uſque* m *adeo vivida poteſtate* per Leonem Pontificem facta fuerit, ut iidem ipſi Græci imperatores, quanquam potentiſſimi, nunquam tamen ſibi audendum exiſtimarint illam impugnare; imo ſæpius expreſſe probarint, & ratam habuerint; ita Electoralis dignitatis in Bojorum ducem Catholiciſſimum tranſmiſſionem *ſagacitas* n *& oppoſitio reſtantis hæreſiarchæ Saxonis non impedire, multo minus impugnare poteſt*, quia juribus & privilegiis imperii, ut hæreticus, ſanctitatem & antiquitatem fontalis originis imperii non agnoſcens, de jure frui non poteſt.

*n* Alter hæreſiarcha Saxo impedire, multò minùs impugnare non licet. *Corrupte plane.*

*o Aphoriſmus hic ſequenti ſubjungitur.*

VIII. Cum o Fridericus I. Alexandri III. ſententia de imperio dejectus eſſet, Emanuel Comnenus Pontifici pecuniam & milites adverſus Fridericum obtulit, ut Latinæ Græca Eccleſia adjungi poſſit; tunc eo ipſo indubie confeſſus eſt, ſectionem & tranſlationem Pontificiam ſtabilire, & firmare, atque alterum imperium alteri unire, vetitum cuilibet fuiſſe, præterquam ſummo Pontifici, qui prius illa interſecuerat. *Si* p *hæc ita, ut revera ſunt, tunc Pontifex ſummus cum ſancta Liga omnes vires contra hæreſiarcham Saxonem, & ab illo dependentes rebelles adhibere tenetur, ut ſanctitas ſedis Apoſtolicæ, & antiquitas Imperii Romani, in tranſlatione Electoralis dignitatis conſervari poſſit.*

*p* Omittuntur cuncta, quæ deinceps in hoc aphoriſmo ſequuntur.

IX. Poſt Leonem alii quoque Pontifices ſola ſedis autoritate illud idem imperium Occidentale ſæpe ab una ad aliam tranſtulerunt nationem: quare non eâdem Sedis autoritate Pontifex maximus, & Electorales dignitates ex manibus hæreticorum eripere, & ad Catholicos principes tranſmittere poſſet? ut facies imperii Romani Sancta rurſum in hæreticis extirpandis firmetur.

X. Cum jure Bonifacius VIII. Pontifex, ut cui ſuprema autoritas uni in Eccleſia competit, Albertum I. Romanorum Regem non jure hæreditario, quemadmodum ſibi & ſucceſſoribus ſuis conferri petiit, ſed tantum Electione ad munus imperii pervenire voluit: *ita* q *Pontifex maximus, Imperator, & Sancta Liga, abſque violatione Sedis Apoſtolicæ, quæ ſancta ſemper in antiquitate conſervanda tueri debet, Saxoni & Brandeburgico non permittere poſſunt, qui autoritatem antiquitatis in transferendo Electoratu, à Sede Romana divellere, & ad collegium Electorum pertrahere tentant.*

*q* Sic eodem jure beatiſſimus pater cum hæreticis procedere poteſt. *Cætera prætereuntur.*

XI. Philippus Francorum Rex legatos Avenionem ad Clementem V. Pontificem deſtinavit, quo ſupplices ab ipſo exorarent, ut imperium Gallorum genti, in qua prius conſtiterat, reſtitueret: tunc Pontifex maximus ad Electores legatos ſuos miſit, per quos eis imperavit, ut Henricum à Lutzenburg Imperatorem crearent: ſecus ſi facerent, in diſcrimen adductum iri, ne imperium, & jus Electionis, ab ipſis ad alios perpetuo devolveretur; ipſi autem ſtatim conventu facto Henricum elegerunt. Ex quibus omnibus perſpicuum apparet, Gallis certum fuiſſe, in manu eſſe Pontificis redintegrare in eorum regno majeſtatem imperatoriam, & à Germanis imperium & jus Electionis rurſum avocare: ideo Pontifex maximus pro plenitudine poteſtatis ulterius connivere non poteſt, *quando* r *hæreſiarchæ illi antiquitatem & ordinem imperii ad Orcum trahere laborant.*

*r* Quod hæreſiarchæ illi Saxo & Brandeburgicus autoritatem in transferendo Electoratu à ſede Romana divellere & ad collegium Electorum pertrahere tentant.

XII. In manu Pontificis maximi eſt, ut ex omni-

omnibus hiſtoriis apparet, majeſtatem imperatoriam in eorum regno redintegrare, imperium de gente in gentem transferre, ac jus Electionis in totum avocare: *quam s inique itaque & impie Saxo talem poteſtatem à Sede Romana divellere, & ad collegium Electorum pertrahere laborat?* Caveant ergo Pontifex maximus & t *imperator*, ne ex tali conniventia reſtantes *hæreſiarchæ* u *faciem Eccleſiæ Sanctæ & imperii* in horrendum & x *deteſtandum* monſtrum transforment.

*s Deſunt octodecim hæc verba.*

*t Duo hæc verba prætereuntur.*

u Hæreſiarchæ, Saxo & Brandeburgicus, faciem imperii Romani.

*x Abſunt hæc verba duo.*

XIII. Cum Wenceſlaus ob ejus inertiam ab Electoribus de imperii ſede deturbatus fuerit, & è contra Rubertus Comes Palatinus Rheni, Pontificis Bonifacii IX mandato & juſſu, ad tanti gradus apicem promotus: ita ſimiliter Palatinus, hæreſiarcha principalis, propter crimen læſæ majeſtatis & pacis publicæ in Imperatorem & imperium commiſſum, de Electoratus ſede deturbatus: & è contra pro recuperanda antiquitate, *Imperator y cum Electoribus mandato Pontificis maximi, ut filii obedientes Eccleſiæ, & ſtudioſi obſervantes antiquitatis*, Bojorum ducem Maximilianum ad Electoris gradus apicem ſummo jure promoverunt.

y Electores imperii Sancti & veri, mandato & juſſu Pontificis Maximi.

XIV. Si Apoſtolicæ ſedis autoritate, poteſtas eligendi imperatorem, & Electores, numero VII tantum principum coarctari potuit, ubi tamen antea ex Gregorii V conceſſione cunctis Germaniæ principibus competeret: Sic ex eadem plenitudine poteſtatis Pontifex Electoralem dignitatem à Palatino, & hæredibus ſuis, abſcindere, & in Bojorum ducem transferre poteſt.

XV. Plenitudo *poteſtatis* z Sedis Apoſtolicæ demonſtratur ex publicis documentis Electionum Rudolphi Habſpurgenſis, Adolphi, Henrici VII, Caroli IV, Wenceſlai, & Ruperti, quæ nullam aliunde firmitatem habent, quàm ab aſſenſu & verbo Nicolai III, Bonifacii VIII, Clementis V, Clementis VI, Gregorii XI, & Bonifacii IX, quæ publica documenta in *tablinis* a Sedis Apoſtolicæ cuſtodiuntur.

z Beatiſſimæ.

a Tabulariis.

XVI. Ut antiquitas Imperii magis eluceſcat, Pontificem & Eccleſiam poteſtatem tantum in cauſis imperii cognoſcendis, decernendis, & diſponendis habere: ideo imperator à Pontifice ſummo ob illud ſupremum munus ſibi inſitum, diademate decoratur, & hujus operationis exercitatione in imperatorio ſolio confirmatur. Propterea doctores omnes in illam eunt ſententiam, ut qui à Pontifice coronatus, Imperatoris & Auguſti nomine gaudere, ſignum in aurea bulla imprimere, imperii adminiſtrationem exercere poteſt; Principi autem à Pontifice non coronato, illis uti, jure interdictum eſt. Unde Henricus I, Conradus Suevus, Rudolphus, Albertus, Rupertus, & alii, qui de Pontificis manu non ſunt coronam adepti, ſibi nunquam in privilegiis irrogandis, nomen Imperatoris, ſed Regis Romanorum tantum vindicarunt.

XVII. Cùm inter Carolum Calvum Francorum Regem, & Ludovicum fratrem, ingens ſuper imperio controverſia agitaretur: tunc Carolus Romam protinus iter maturavit, & precibus & muneribus coronam impetravit. Propterea ex facie antiquitatis Pontifex tantum de cauſis imperii cognoſcere poteſt. Male ergo hæreſiarchæ Germani collegio Electorum deberi contendunt.

XVIII. Cùm Fridericus I per Epiſcopum Bambergenſem petierit coronam imperii ab Hadriano IV Pontif. ubi verba inferius poſita in ſimilem ſenſum fuerunt ſigillatim adhibita: hau obſcure iis patefit, eum, qui coronam è manu Pontificis non obtinet, revera non eſſe Imperatorem. Ergo, beatiſſime pater, tu *citra* b *moram* peragas, ut quæ Bojorum duci Maximiliano deſunt, de plenitudine imperialis culminis, per tuæ beatitudinis munificentiam ſuppleantur, ut imperium ad priſtinam antiquitatem redigi poſſit.

b Circa eum.

XIX. Cùm autoritas ſtatuendi de rebus imperii Pontifici maximo propria eo uſque provehatur, ut ipſa interdum Imperatores & Electores exagitaverit, depreſſerit, & penitus eluſerit, de quibus hiſtoriæ copioſe loquuntur: nam quid olim geſtum fuerit inter Gregorium VII, & Henricum IV, inter Alexandrum III, & c *Fredericum I, inter Innocentium III*, & Ottonem IV, inter Innocentium IV, & Fridericum, inter Joannem XXII, & Ludovicum IV, inter Bonifacium IX, & Wenceſlaum: ita eadem autoritate Sedis de rebus imperii cognoſcere, & decernere, Pontifici ſoli, non collegio Electorum, adhuc omni jure debere indubitati juris eſt.

*c Deſunt ſex verba. Porro pro Fredericum I corrupte Fredericum VIII editum eſt in conſilio ipſo Michaëlis Lonigi.*

XX. Cùm facultas eligendi Imperatorem non auro à Principibus Electoribus fuerit empta, non armis comparata, non jure accepta hæreditario, nec eadem ad ipſos ab Imperatorum manu, ſed à Sedis Apoſtolicæ autoritate defluxerit; ideo hæreſiarchis Germanis æquum non eſt ſecus in præſentia ſentire, & ita antiquitatem & ſanctitatem imperii turbare.

XXI. Cùm diu viguiſſet conſuetudo eligendi imperatorem ex conſtitutione Gregorii V, interventu antiſtitum & principum Germaniæ omnium, & cùm poſtmodum ſchiſmata & turbæ ex multiplici opinionum diſcrepantia inter eligendum oriri cepiſſent, quibus imperium indies contabuit: antiſtites & Principes unanimes decreto & approbatione Sedis Apoſtolicæ in eo convenerunt, ut facultas omnis ad ſeipſos univerſos à Gregorio V devoluta, ad ſex principes tantum devolveretur, tres Eccleſiaſticos, tres ſeculares, quibus poſtea ſeptimus additus fuit, & hoc ſolenniter decreverunt, ut ab his tantum, nullo præterea admiſſo, in poſterum imperator eſſet eligendus, eâdem cæterum facultate, jure, & autoritate.

XXII. Cùm ut ſuperioribus temporibus Electio ex facultate per Gregorium V conceſſa procedebat; ita recentioribus eadem facultate procedat in Septemviros Pontificis aſſenſu tranſlata: Et ſicut antiquitus ſummi Pontifices univerſis illis Præſulibus & Principibus Germaniæ imperabant, ut Imperatorem eligerent; ita in præſentia, cùm opus ſit, Pontifici liceat Septemviris imperare, quippe qui referunt omnino illorum univerſorum conventum: Quoniam ut Septemviri ejuſdem facultatis & juris autoritate potiuntur, quibus olim univerſus Germaniæ conventus, ita modo Pontifices eam penitus retinent autoritatem, quam conventuum illorum univerſorum tempore obtinebant: longo enim annorum curriculo, aut temporum diuturnitate Eccleſiæ vigor non remittitur, neque Sedis Apoſtolicæ jura inveteraſcunt: Quanta itaque doctorum & d *conſiliariorum*, apud hæreſiarchas Germanos imperitia, qui neque antiquitatem, neque jura norunt; ſed pro ſuo conceptu malitioſo, antiquitatem & ſanctitatem imperii in novitatem, ordinem in confuſionem detorquere, non erubeſcunt.

*d Duo hæc verba rurſum deſiderantur.*

XXIII. Cùm autem, ut prolixe Sanctitati Veſtræ demonſtravi, Electores, æque recentiores, ac veteres, facultatem eligendi Imperatores non aliunde hauſiſſe, quàm à ſupremo Sedis Apoſtolicæ fonte, appareat; quod confirmari poteſt graviſſimorum autorum fide, Jacobi Wimphelingi, Krantzii, Naucleri, Carionis, Aventini, Cuſpiniani, & aliorum tranſalpinorum, ut Italos omit-

omittam, qui ſuper hac controverſia ob corruptelæ ſuſpicionem, ab hæreticis Germanis forſan rejici poſſent †.

† *Deeſt redditio, ſive illud, quod ex ſuperioribus colligere voluerunt.*

XXIV. Cùm illi ipſi Septemviri publicis Scripturarum argumentis, eorum manu & ſigno firmatarum, inficias non eant, facultatem hanc Imperatores eligendi ad ipſos à Sede Apoſtolica profectam eſſe; cui rei ſi fidem imperiti *Saxonis* e conſiliarii derogare peterent, exhibendæ eis forent documenta ſcriptionum, Anno cIↃ cc LXXIX, Pontifice Nicolao III, Rege Romanorum Rudolpho Habſpurgenſe, exaratarum; quæ integra & ſolida in folio Pergameno in Archivo Caſtri Sancti Angeli adſervantur: in quibus Septemviri his verbis præcipue utuntur: Complectens ab olim Romana mater Eccleſia, quaſi quadam germana charitate, Germaniam, illam eo terrenæ dignitatis munere decoravit, quod eſt ſupra omne nomen temporaliter tantum præſidentis ſuper terram, plantans in ea Principes, tanquam arbores præcellentes, & rigans illos gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mundanæ potentiæ, ut ipſius Eccleſiæ autoritate ſuffulti, veluti germen electum, per ipſorum electionem, illum, qui frena Romani tenet imperii, germinarent *.

e Saxonis & Brandeburgici.

* *Hic quoque redditio, ſive conſequens, deſideratur; ut videt, quiſquis initium aphoriſmi attendit.*

XXV. Septemviri facultatem hanc à Sede Apoſtolica agnoſcere neceſſe habent, ut in præcedentibus abundè firmatum eſt. illa è contra nemini rurſum poteſt adimi, abſque ejuſdem Apoſtolicæ Sedis autoritate & aſſenſu. Quod ſi ea cuiquam facto adimitur; exſpoliatus ille, non legitimè privatus eſt cenſendus: & dignitas ſic uni erepta, & in alium abſque Pontificis aſſenſu & autoritate collata, nullius eſt roboris, cùm erepta & collata ſit ab eo, qui jure prohibetur. Quare ſi cuipiam hoc modo concedetur; nec illam jure tenebit, nec, cùm juſto careat titulo, temporis excurſu præſcribit.

XXVI. Cùm tranſlatio Electoralis dignitatis in præſentem Saxonicam lineam à beatiſſima Sede Apoſtolica non confirmata ſit: ideo Pontifex maximus, & Imperator, ad reſcindendam tranſlationem Electoratus in Bojarium ducem moveri non debent; ſed ipſius exceptio *contra tranſlationem* f pro non exceptione habetur: nam quod de jure non fit, & ſimpliciter non fit, æquiparantur.

f Prætereuntur duo hæc verba.

XXVII. Cùm tranſlatio Electoralis dignitatis in Bojorum ducem Maximilianum facta, jam à beatiſſimo Patre confirmata ſit; ideo penes imperatorem, aut Regem Hiſpaniarum, non amplius ſtat, Palatinum hæreſiarcham, vel hæredes Comitis Palatini, in ditionem, de qua parens eſt dejectus, vel in Electoratum reponere. Nam hæ controverſiæ ad beatiſſimam ſedem Apoſtolicam, non ad Imperatorem, vel Regem Hiſpaniarum, pertinent.

XXVIII. Cùm tranſlationem Electoratus Pontifex ſummus confirmaverit: ideo Reges Angliæ, Daniæ, Saxo, & Brandeburgicus, reſtitutionem Palatini in ditiones & Electoratum iniquè ab Imperatore poſtulant. Nam nihil aliud eſt hoc petere, quàm ſedem Apoſtolicam de juribus Majeſtatis ſuæ deturbare, & fontalem originem contra antiquitatem & ſanctitatem Eccleſiæ, & imperii, *Imperatori* g adjudicare: *ideo* h *Pontifex maximus attendat, ne ex tali conniventia præjudicia ad majorem interitum Eccleſiæ parentur.*

g Imperatori, & electoribus.

h *Quatuordecim hæc verba abſunt.*

XXIX. Ut facies Eccleſiæ in antiquitate, & ſanctitate, conſervetur: propterea Illuſtriſſimi antiſtites *Cardinales* i unanimiter jurarunt in hanc ſententiam, quod ſine præjudicio autoritatis beatiſſimæ Sedis Apoſtolicæ, confirmationem Bojorum duci Maximiliano conceſſam Pontifex maximus revocare non poſſit: ſed Bojorum ducem conjunctis viribus univerſæ Eccleſiæ vi armorum in ſeptemvirali dignitate tueri, jure divino ſimpliciter tenentur.

i Deeſt hæc vox;

# CENSURA VOSSII.

Vidimus Aphoriſmos undetriginta, quos peperere nobis antiſtites Eccleſiæ Romanæ, fœtum ſanè nec elegantia commendabilem, nec Germaniæ bono natum. Quid autem impedit, quo minus partum illum membratim etiam luſtremus, ac, ne interea oculis ſuis faſcinet quemquam, amoletum alligemus ſimplicioribus? Ordiemur à capite ipſo: hoc eſt, tribus primis aphoriſmis, quibus clerus ſibi Romanus luculentum ſpondet, tum juriſdictionis, tum temporalium bonorum, incrementum. Ut de utroque horum ordine dicam, Pontifex, qua Pontifex, juriſdictionem habet nullam: quatenus autem, liberalitate principum ditatus, ſuas quoque terras habet, aliquam obtinet juriſdictionem: ſed, ut dixi, in terris ſuis: in Imperio autem, ubi nullus ei inter Principes Imperii eſt locus, juriſdictio ei, ſine Imperialis majeſtatis imminutione, concedi poteſt nulla. Nec movere quemquam amplius poteſt calcatum illud, quod Pontificem ajunt præſtare Chriſti vicem in terris. Negabat enim Chriſtus imperium ſuum eſſe mundanum. Nec major eſt poteſtas diſcipuli, quàm magiſtri; ſervi, quàm domini. Et quid apertius altero Chriſti dicto? *Reges gentium dominentur, vos autem non ſic.* Nec magis eſt, quod victoriam ſperent ex Triumphi & aliorum argumento, cum eo ſe defenſitant, quod Dominus dixerit, datam ſibi eſſe poteſtatem omnem in cœlo, & in terra. Siquidem (ut Maldonati potius verbis utar, quàm meis) *loquitur hic non de qualibet poteſtate, ſed de ea, quam Apoſtolis dabat: id eſt, de poteſtate regni ſui ſpiritualis acquirendi colligendique, quam ad rem Apoſtolos mittebat.* Ubi autem juriſdictio, ſic ſuprema quoque ſecularium bonorum cura penes ſeculi Principes eſt. Ut hic etiam habeat locum, quod Papæ Eugenio ſcripſit Bernardus libro primo de Conſideratione: *In criminibus, non in poſſeſſionibus, poteſtas veſtra.* Et ibidem: *Habent hæc infima, & terrena, judices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Item lib. II: *Apoſtolis interdicitur dominatus. ergo tu uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. planè ab utroque prohiberis, ſi utrumque ſimul habere voles.* Ideo & Hoſtienſis quærit extra. de Hæret. cap. Ad abolendam: *Quid ad Papam de temporalibus?* Ubi & reſpondet cum domino ſuo Innocentio, *Quod reverà nihil ad eum.* Atque idem legere eſt apud Joannem Pariſienſem de poteſtate regia & papali cap. x. Sed diu eſt, quod ſurdis iſta auribus canimus. Unde illa Anglorum querela apud Matthæum Paris in Henrico III. *Manifeſtè compertum eſſe, Eccleſiam Romanam Dei indignationem incurriſſe. ipſius enim magiſtratus, & rectores, non populi devotionem, non animas lucrifacere: ſed reditus rapere, & pecuniam congregare.* Nec gravis aut juſta minus, aliarum eſſe gentium querimonia ſolet: Germaniæ imprimis, cujus malis Principes viri jamdiu conati ſunt obviam ire, ſed remediis minus gratis Clero Romano: quam nec honorum, nec opum ſatietas unquam tenet. Atque ab inexplebili hac Charybdi proficiſcitur quoque, quod aphoriſmo tertio eas nunc condiciones rumpi poſtulat ſibi, ſuper quibus, publi-

publicæ pacis cauſſa, Paſſavii, ante annos LXX, convenit. Sed non eſt in manu pontificis, aut cleri, reſcindere ea, quæ decreta ſunt communi Ordinum conſilio, intervenien-te ipſius Karoli autoritate. De parte prima attigiſſe hæc ſuf-ficiat.

Altera autem latius multò patet. Quid mirum? In fœtu illo cardinalitio non pectus modo refert nobis, ſed etiam, quæ proximè ei ſubjacent. Continet autem hæc pars aphoriſmos viginti duos. In quibus eadem afferun-tur argumenta, quæ vidimus in Conſilio illo, quod Gre-gorio XV Michael dabat Lonigus. Huic ante dies pau-cos reſponſum à nobis fuit. Nec quæ tum in mentem venerunt, neceſſum eſt reponere hoc loco. Attamen ſi intellexero, veritatis & pacis amantibus haut ingratum fore, ſi, quæ tum quaſi curriculo percurrebamus, eadem deinceps latius lætiuſque proſequamur: equidem amore publici boni, quo impenſè ſemper flagravi, iſtum etiam laborem præſtabo lubens. Eſt enim campus iſte ita ferti-lis, ut etiam mei ſimilium, hoc eſt, hominum in diſſe-rendo vix mediocrium, in dicendo penè infantium, luxuriare in eo poſſit oratio. Etſi autem utrobique, & in iſtoc, inquam, Lonigi conſilio, & aphoriſmis, quos nunc damus, iiſdem pugnetur argumentis: aliud tamen hic, quam iſtic, propoſitum fuit: Siquidem Lo-nigo ſatis videbatur, ſi perſuaderetur Bavariæ duci, ut de dignitate, qua auctus eſſet, Papæ aſſenſum expoſce-ret. At minus etiam antiſtites cardinales rectæ ratio-nis audiunt habenas: imò, inſtar Phaetontis alicujus, cupiditatis ſuæ quadrigis, maximo orbis periculo, Ger-maniæ imprimis, longiſſime exorbitant extra Pontificios fines. Siquidem, quaſi parum ſit de tranſlatione electo-ratus Palatini, atque ejus cauſſis, de quibus nunc non diſputamus, atrocem tuliſſe ſententiam, etiam de jure ſeptemviralis dignitatis litem tum Saxoni movent, tum Brandeburgico? Quid autem eſt, propter quod conten-dant, fulmen ſimile in ſacroſancta illa imperii capita vi-brari oportere? Sunt, inquiunt, hæretici. Equidem vi-deo eſſe hoc, quod aphoriſmis tot, velut Gorgonis ca-put, obtendunt. Verùm non tam de hæreſi diſquirere hujus eſt loci: quàm illud in quæſtionem venit, utrum epiſcopus, uti ob hæreſin excommunicandi jus habet, ita ob eam dignitate, vel fortunis, ſpoliare quemquam poſ-ſit. Admodum ſane diſpar iſtorum ratio eſt. Siquidem Chriſtus jubet, ut excommunicatus habeatur *velut ethni-cus, & publicanus.* Num uſpiam docet ethnicos vel publicanos exuere imperio, vel opibus ſuis? imò Chri-ſtus ipſe vectigalia ſolvit publicanis, ſuoque docuit exem-plo, ita fieri oportere. Vixere Apoſtoli ſub imperatori-bus gentilibus, eorumque legibus paruerunt. Similiter fecere, qui ſucceſſerunt. Quin Apoſtolo auſcultantes pro iis orare Deum ſolent. Unde Tertullianus in Apolo-get. cap. XXX: *Nos pro ſalute Imperatorum Deum in-vocamus æternum, precantes illis vitam prolixam, im-perium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſe-natum fidelem, orbem quietum,* &c. Et quando Julia-nus à Chriſtiana religione ad gentilem deflexit, num propterea eum imperio deturbàrunt Chriſtiani? Sed enim, quando hæc audiunt, pugnare malunt juniorum exemplis. Cur ajunt, non pari nunc jure Papa ob hæ-reſin poſſit ſeptemviralem alteri dignitatem conferre, ac olim ea de cauſſa Leo III. à Græcis ad Francos tranſtu-lit imperium? Eſt hic Achilles ille cœtus cardinalitii: ſed expugnandum ad Ilium noſtrum parum fortis. Multa adeo ſunt, quæ eo in argumento peccantur. Primum illud, quod ex Pontificis facto colligunt de jure facti. Si enim ſic porrò argumentari licebit; quod mortalis cu-juſquam facinus culpa non vacabit? Altero item nomine errant, cùm pro facto referunt, quod factum minime fuit. Tranſlatum eſſe imperium omnes ſcimus: ſed item ſcimus, factum hoc eſſe à ſenatu populoque Romano, cùm reliquæ Italiæ, ſeu aperto, ſeu tacito conſenſu; ut de reliquis Occidentis populis nihil nunc dicam. At, in-quiunt, autores habemus locupletes, qui à Leone id factum eſſe pronuncient. Quis repugnat? Sed hi Leo-nem laudant, ut civem Urbis præcipuum, cujus proinde ſumma in Urbe autoritas foret. Laudant item, ut epiſco-pum Romanum, qui manibus ſuis imponeret coronam, imperii inſigne. At non ea propterea in hæreſi fuerunt, ut putarent, vel ſolum, vel præcipue id Leonem feciſſe, vel potuiſſe. Quin alii multi, nec numero illi, nec auto-ritate inferiores, aperte nos contrarium docent. Nam factum id eſſe perhibent, ex decreto ac voluntate, uti dicebamus, ſenatus, populique Romani. Uti Sigeber-tus, cùm ad annum DCCCI ait: *Romani, qui ab Impe-ratore Conſtantinopolitano jamdiu animo deſciverant, nunc accepta occaſionis opportunitate, quia mulier, ex-cæcato Imperatore Conſtantino, filio ſuo, eis imperabat, uno* OMNIUM *conſenſu Karolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque* PER MANUM *Leonis Papæ coro-nant, Cæſarem & Auguſtum appellant.* Item Theodo-ricus de Niem, Pontificius quondam ſcriba, deinde epiſcopus Verdenſis, pene initio libri de inveſtituris: *Populus Romanus legem condebat more ſolito, ſed diffi-cile erat pro unoquoque negotio toties in unum congrega-ri: unde ſententiam, jus & poteſtatem imperii, Impe-ratori conceſſerunt, quemadmodum legitur. Populus ita-que Romanus conceſſit Carolo, & in eum tranſtulit, omne jus ſuum, & poteſtatem.* Blondus quoque lib. I. Dec. II. & Æneas Sylvius, ſeu Pius II, in Blondi epitome, item Jacobus Wymphelingus in epitome populi Rom. cap. IX, coronationem à Leone factam ajunt, *populi Romani ſcito & precibus.* Onuphrii etiam Panuini verba ſunt in Faſtis: *Leo populi Romani ſcito, clerique rogatu, Karolum im-peratorem appellavit.* Ex his igitur, & aliis, qui à Senatu populoque Romano factum id prædicant, exponi ſcripto-res illi debent, qui id nec ajunt, nec negant. Quanto enim ſatius eſt, teſtibus id affirmantibus fidem habere, ubi nemo inficiatur: quàm fidem affirmantibus derogare, quia non omnes affirment, nullus licet neget? Rectè igitur Michael Coccinius in libello de tranſlatione imperii ſic ſcribit: *Ta-lem imperii tranſlationem, Romanorum, cæterorumque Italiæ populorum conſenſu, & autoritate faſtitatam, ſuamque vim & efficaciam habuiſſe, haut dubitandum eſt. Nec obſtat, quod ſcribit Innocentius tertius ad Bertoldum Zaringiæ ducem, Sedem Apoſtolicam Romanum impe-rium in perſonam magnifici Karoli de Græcis tranſtuliſſe in Germanos. Nam ſedem Apoſtolicam non in alio ſenſu imperium tranſtuliſſe concedimus, quàm imperium tranſ-ferentibus conſenſiſſe, aut transferendum declaraſſe: ſed talis tranſlatio vim & efficaciam ſuam habuit à conſenſu populi.* His factis ei occurritur, quod à Leone tranſlationem eam factam docent. Nec facile minus refellitur, quod tranſ-tuliſſe imperium ob hæreſin dicunt. Nam tranſlationis oc-caſio erat, quam ex Sigeberto paullo ante afferebamus: ve-ra autem cauſſa fuit, quod Orientis Cæſares imperium Oc-cidentis minime curarent; ſed pro derelicto illud haberent. Hoc quoque teſtibus firmandum eſt nobis. Lupoldus de juribus regni & imperii cap. IV. *Imperatores Græci tempo-re Karoli Magni, & etiam ante tempora ejuſdem, nimi-rum tempore Pipini patris, ac Karoli Martelli avi ſui, in Occidentali imperio ſolo nomine regnabant; nec Eccleſia Romana, nec alia Chriſti Eccleſia, ſeu etiam quicunque alii à Longobardis oppreſſi contra juſtitiam, in eodem im-perio poterant eos vel autoritate ipſorum juſtitiam conſe-qui: & ſic imperatores prædicti Occidentale imperium quodammodo pro derelicto habebant, in eo, ut ex diverſis Chronicis apparet, ſolo nomine imperando.* Eadem mens Jo. Pariſienſis de pot. regia & papali c. XVI. *Non fuit factum per ſolum papam, ſed populo acclamante, & faciente, cujus eſt ſe ſubjicere, cui vult, ſine alterius præjudicio. Ideo hoc fuit factum ex cauſſa neceſſaria pro ſui defenſione contra in-fideles & paganos, ubi per alium non videbantur poſſe de-fendi, quod de jure poterant: nam populus facit regem, & exercitus imperatorem.* Æneas Sylvius lib. de ortu & auto-ritate Imperii Romani cap. IX. *Demum verò negligentibus Romam Græcis, eamque nunc barbarorum, nunc aliorum*



di-

*direptioni relinquentibus, populus ille Romanus, qui ſuo ſanguine tantum pararat imperium, qui ſuis virtutibus monarchiam fundaverat orbis, venientem in auxilium eius Carolum M. Francorum regem, natione Germanum, qui urbem ſacraque loca ab omni hoſtium incurſione defendit, primo Patricium, poſt Auguſtum, concurrente ſummi pontificis conſenſu, ſalutavit Cæſarem.* Item Naucletus generat. XXVII, in anno IↃCCC. *In die nativitatis Domini, prahabita matura deliberatione, Leo Pontifex Romanus conſiderans Imperatores Conſtantinopolitanos ægre id nomen tueri, & Occidentale imperium quaſi pro derelicto habitum; populi Romani conſenſu Carolum Imperatorem Romanorum declarat, ac diademate coronat, ter acclamante populo Romano, Carolo Auguſto, &c.* Paullus Æmilius in hiſtoria Francorum: *Cæſarum majeſtas jam & ante prope vilis.* Et mox: *Romani proceres animis aliter afficiebantur. Solium imperii, velut à nemine inſeſſum, quaſi numine offerente, regi Franco dandum, ſummis in religione meritis id debitum, &c.* Apertiſſimeque omnium Michael Coccinius libro de tranſlatione imperii: *Cum populus,* inquit, *Romanus, & univerſi pene Italiæ populi, temporis ſucceſſu multarum gentium incurſionibus, ac direptionibus expoſiti eſſent, ut Gothorum, Viſigothorum, Hunnorum, ac Longobardorum; nec ipſi propriis ſeſe viribus defenſare poſſent; neque Græci eos defendere curarent; quin potius mala malis accumulantes ipſimet, Italos opprimere, ac ſpoliare nitebantur, nimiam avaritiam & dominandi libidinem in eos exercentes: Romani itaque & reliqui Italiæ populi Græcorum perſpicientes avaritiam, ſimul & ignaviam, ac è regione Germanorum fortitudinem, induſtriam, & juſtitiam, Imperium de Græcis tranſtulerunt in Germanos in Caroli Magni perſonam. Et talem imperii tranſlationem, Romanorum, cæterorumque Italiæ populorum conſenſu, & authoritate factitatam, ſuamque vim & efficaciam habuiſſe, haut dubitandum eſt.* Satis ex his liquet, vel decipi, vel decipere eos, qui imperium ob hæreſin in Francos eſſe tranſlatum arbitrantur.

Denique illud in conſiderationem venit, non ſi à Leone imperium Orientalibus eſſet ablatum, Occidentalibus collatum: eò penes Pontificem nunc transferendi jus imperii fore. Nam longè alia ratio veterum erat temporum: alia eorum eſt, quibus nos vivimus. Fuerit ſane olim qualecunque jus Pontificis Romani, tanquam potiſſimi Urbis civis. Quin univerſam etiam (quod contigit nunquam) in pontificem transfuderit poteſtatem. Quid ad tempora hoc noſtra, poſtquam imperatorem dominio Urbis excuſſit Papa? Quo nomine, inquam, poſthac vel Roma, vel epiſcopus Romanus, in creando imperatore jus prætendet ſuum, cùm imperatorem dominum non agnoſcat? Atque ut agnoſceret, cùm electores ſint conſtituti ex conſenſu Ordinum, Gregorio V approbante: nonne jure ſuo, ſiquod habuit, Pontifex ceſſit, quando illa conceſſit? Abunde iſtis evertitur poteſtas ea, quam ſibi vindicat Pontifex. Et quam multa alia afferre adverſus eam poteramus! Quot etiam viros principes! quot eruditione illuſtres! Sed inſtituti brevitas non ſinit, quæ ad alia convertere jamdudum ſermonem jubet.

Supereſt pars tertia, quæ manibus pedibuſque in omnes irruit, quibus diſplicere Pontificis ſententia poſſit. Ea quatuor ultimis conſtat aphoriſmis. Primo illorum, ſuffragii jus in iis, quæ ad dignitatem pertinent ſeptemviralem, ereptum itur Saxonico Electorali. Prætexitur, quod dignitatem, qua multos per annos familia hæc gaudet, necdum firmarit Pontifex. Quaſi non ita ſapiat illuſtris hæc domus, ut confirmationem eam poſtulatura ſit nunquam. Probè enim novit, jamdiu eſſe, quod quibus Papa gloriatur ſe imperii nomen conferre, iis ſoleat imperii majeſtatem auferre; ut ab eo inaugurari verius ſit exaugurari. Et quid confirmatione opus papali, ſi poteſtatem ille temporalem, quæ corporalem timorem incutit, habet nullam? Quod ita eſſe, jam olim Origenes docuit in Matth. homil. XII: *Inter vos autem, qui eſtis mei, non erunt hæc; ne forte, qui videntur habere aliquem in Eccleſia principatum, dominentur fratribus propriis, vel poteſtatem in eos exerceant. Quoniam ſicut omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate; ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſſitate: ſic & principum ſpiritualium principatus in dilectione debet eſſe poſitus, non in timore corporali.* Et ſi eo a Pontifice poteſtas ſit electoralis, quia ab illo eſt imperialis; quemadmodum adverſarii docent: quomodo evincent ſeptemviralem a Papa dignitatem eſſe, ſi nec imperatorem à Papa confirmari ſit opus? Atqui in cap. *Legimus* d. 93. ubi textus habet, *exercitus facit imperatorem*, gloſſa adjungit, *verus eſt imperator, antequam à Papa ſit confirmatus.* Neque hoc neſcivere Baſileenſes, qui & poſt obitum Ludovici, præſente Bambergenſi præpoſito, reſponderunt: *Domine Bambergenſis, quemcumque imperatorem electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamſi nunquam Papam requirit:* ut eſt in ſupplemento Urſpergenſi. Quid quod papa ipſe fateatur à ſe eſſe, non rem, ſed titulum duntaxat. Adrianus enim epiſt. IV. ad Archiepiſcopos, Moguntinum, Trevirenſem, & Colonienſem, ait, *Nomen imperatoris à pontifice; regnum, & imperium ipſum, ab electoribus.* Atque inde etiam refellitur, quod proximo dicitur aphoriſmo, poſtquam pontifex duci Bavaro ſeptemviralem ſtabilivit dignitatem, haut amplius, non dico Hiſpaniarum regi, cujus hic quoque mentio fit; ſed ne imperatori quidem, poteſtatem fore principi Palatino ſuam reſtituendi ditionem atque electoralem dignitatem. Nam ſi Pontifici nihil eſt juris in rebus imperii: nec ſanè facto ejus ſuo jure excidet imperator, vel principum ullus, modo ante factum Pontificis jus ſuffragii habuerit.

Inſignita etiam arrogantia aphoriſmo XXVIII occludere aures jubet, quando vel duo potentiſſimi reges, Britanniæ, ac Daniæ; vel electores duo sereniſſimi, Saxonicus, & Brandeburgicus, principem Palatinum in integrum reſtitui poſtulant ab imperatore. Hoc, inquiunt, eſt ſedem Romanam fraudare jure majeſtatis ſuæ, atque originem ſeptemviralis honoris adſcriptum ire imperatori. At majeſtatem illam falſò ſibi arrogat Pontifex, quæ penes eſt Imperatorem, cæteroſque imperii Principes, & Ordines. Falſò etiam Romanus Pontifex hic vocatur fons atque origo electoralis dignitatis. Nam poteſtas ea conſtituta eſt *ex conſilio Principum Germaniæ*, ut ait Naucletus generat. XXXIV. De eadem re loquens Theodoricus Niemus in nemore ſuo verbis his utitur, *Principes Germaniæ ſic ordinarunt.* Similiter Scriptores alii. Neque diffiteor, factum id eſſe Gregorio V approbante. Verùm non propterea autoritas ea præcipue eſt à Pontifice. Nec enim Pontifex, ſed Imperii Principes, repræſentabant univerſum Imperii populum, in quo, ut loquuntur, immediatè, velut in ſubjecto, poteſtas reſidet temporalis: quemadmodum optimè, judicio meo, docet Nicolaus Cuſanus lib. III. de Concordantia Catholica cap. IV. Inter alia ait: *Electores, qui vice omnium elegerunt, ordinavit tempore Gregorii V Alemanni, conſanguinei quondam Othonis. Non eſt igitur eo modo concedendum, Electores à Romano Pontifice poteſtatem eligendi habere, ſic quod niſi ipſe conſentiret, non haberent; aut ſi vellet, ab ipſis tollere poſſet. Quis, rogo, dedit populo Romano poteſtatem eligendi Imperatorem; niſi ipſum jus divinum, & naturale? per viam enim voluntariæ ſubjectionis, & conſenſus in præſidentiam, prælationes concordantiales rectè & ſanctè conſtitutæ ſunt in omni dominandi ſpecie.* Et poſt aliqua: *Electores, qui communi conſenſu omnium Alemannorum, & aliorum, qui Imperio ſubjecti erant, tempore ſecundi Henrici conſtituti ſunt, radicalem vim habent ab ipſo communi omnium conſenſu, qui ſibi naturali jure Imperatorem conſtituere poterant: non ab ipſo Romano Pontifice, in cujus poteſtate non eſt, dare cuicumque provinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem, ipſâ non conſentiente.*

Denique obſignantur aphoriſmi juramento hujuſcemodi, nec Pontificem ipſum, ſine ſedis ſuæ præjudicio, poſſe Electoratum à Duce Bojorum repetere, poſtquam

in ea dignitate ſtabiliverit. Imò obſtrictos eſſe Antiſtites Eccleſiæ Romanæ ad armorum vi tuendum Ducem: atque adeo Eccleſiam univerſam ſuas ad hoc vires conjungere oportere. Ita clerus Romanus, ſpreto Regum Principumque judicio, controverſiam Imperii ſecure decidit: armaque iis minatur, qui acquieſcere nolint Pontificis ſententiæ. Quàm iſta, & Romano Epiſcopo, & Clero Urbis, parum conveniunt! Non poſſum non hac de re adſcribere inſignem locum Petri Damiani, qui anno vixit ciↄ lx. Is in epiſtola ad Epiſcopum Firminum ſic loquitur: *Sicut ipſe Dei Filius cuncta mundi furentis obſtacula, non per diſtricti examinis ultionem; ſed per invictam ſuperavit inconcuſſæ patientiæ majeſtatem: ita decet, mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædentis læſionibus reſpondere: cùm præſertim inter Regnum & Sacerdotium propria cujuſque diſtinguantur officia, ut & Rex armis utatur ſeculi; & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali, qui eſt verbum Dei. De ſeculi nempe principe Paulus dicit, Non ſine cauſſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit. Azarias Rex, quia Sacerdotale uſurpat officium, lepra perfunditur, &, ſi Sacerdos arma corripit (quod utique Laicorum eſt) quid meretur, &c.* Et poſt aliqua. *Ad hæc ſi quis objiciat, Leonem bellicis uſibus ſe frequenter implicuiſſe, Pontificem nihilominus verum eſſe: dico, quod ſentio, Quoniam nec Petrus ob hoc Apoſtolicum obtinet principatum, quia negavit; nec David idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum viri alieni invaſit; cùm mala, vel bona, non pro meritis conſiderentur habentium; ſed ex propriis debeant qualitatibus judicari. Nunquid hoc legitur vel egiſſe, vel litteris docuiſſe Gregorius, qui tot rapinas, atque violentias à Longobardorum feritate eſt perpeſſus? Num Ambroſius bellum Arrianis ſe, ſuamque Eccleſiam, crudeliter infeſtantibus intulit? Nunquid in arma Sanctorum quiſpiam traditur inſurrexiſſe Pontificum? Cauſſas igitur Eccleſiaſtici cujuſcumque negotii leges dirimant fori, vel Sacerdotalis edicta Concilii; ne quod gerendum eſt in tribunalibus Judicum, vel ex ſententia debet prodire Pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium, congreſſione bellorum.* Atque ita quidem Petrus Damiani. Sed longè aliter animatus eſt clerus Romanus. Quippe fere bellum ſpirat ſperatque: nec ſua minitari arma contentus, advocat etiam aliena. Et iſta cùm facit, dicere non erubeſcit, obſtringi ſe ad hæc jure divino. Quaſi non Chriſtus potius mandarit Petro, ut gladium in vaginam reconderet. Ubi autem Deus clero præcepit, ut de ſeculi dignitatibus, atque adeo de bello decernat; imo, quod nunc facere videmus, quaſi claſſicum canat? An Deus illi eſt cupiditas dominandi? ut hic quoque habeat locum, quod à poëta dictum fuit, *Sua cuique Deus fit dira cupido.* Et quale illud, quod in ſanguinario hoc juramento legitur, unum iſtoc antiſtitibus illis propoſitum eſſe, ut facies Eccleſiæ veteris & ſanctæ conſervetur? Quid enim? An talis, ac hodie, facies erat Eccleſiæ veteris? Atqui, ut Tertullianum, Ambroſium, Auguſtinum, & tot alios omittam, qui uno ore, etiam clerum terrenis poteſtatibus ſubjiciunt; ipſe Gregorius Magnus in epiſtola ad Mauricium imperatorem ſic ſcribit: *Ego indignus pietatis veſtræ* FAMULUS. Et poſt pauca: *Ad hoc enim poteſtas ſuper* OMNES *homines* DOMINORUM MEORUM *pietati cælitus data eſt.* Idem cùm Imperator Mauritius legem, quam tulerat, promulgari à Gregorio juberet: hic autem eam judicaret iniquam, & Eccleſiaſticæ libertati adverſam: non propterea detrectavit imperium: ſed & domini ſui mandato paruit, &, quid de eo ſibi videretur, non diſſimulavit. Sic enim, quam dixi, epiſtolam claudit: *Ego quidem* JUSSIONI SUBJECTUS, *eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci: & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis dominis nunciavi. Utrobique ergo, quæ debui, exſolvi: qui & imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minimè tacui.* Dixerit fortaſſe aliquis, cùm cœtus cardinalitius ad antiquæ ſanctæque Eccleſiæ provocat exemplum, deſignare potiſſimum tempora Gregorii ſeptimi. Is enim primus jus ſibi tribuit in Imperium ipſum. Sed quando Gregorius demum vixit circa annum prope milleſimum centeſimum: hæcne antiquitas eſt, an potius (ut cum Tertulliano loquar) novellitas? Et quæ ſanctimonia ejus temporis, quo regnarunt *factiones, fraudes, ſcelera, de quibus ſcribere periculoſum eſſet:* ut ait auctor ejus ætatis in vita Henrici IV? Nec ulli ignota ſunt, quæ de Gregorio illo in vita ejus prodidit Benno Cardinalis. Quam quod Bellarminus ab homine Lutherano conſcriptam ſuſpicatur: næ ille nullo negotio refellitur. Siquidem eam primus in lucem protraxit vir impenſe Romanæ Eccleſiæ addictus, Orthuinus Gratius, in faſciculo rerum expetendarum. Atque ut iſta non eſſent, ſatis ſcriptores alii ſuis Gregorium coloribus depingunt. Et ex ejus tamen facto de Pontificis poteſtate concludit Romanus clerus Aphoriſmo XIX. Nec ex facto Gregorii tantum id facit; ſed aliquot etiam aliorum Pontificum, quorum non diſſimilis erga Imperium crudelitas fuit. Nos antiſtitibus cardinalibus oggerere illud poſſumus, quod Cardinalis ipſe Bellarminus lib. II. de Rom. Pontif. cap. XXIX. ad IV. ait argumentum (id erat, Chriſtianos imperatores ſæpe Pontificum judices fuiſſe) *Reſpondeo*, inquit, *hæc quidem facta ſunt: ſed quo jure, ipſi viderint.* Mirum autem eo proceſſiſſe audaciæ clerum Romanum, ut iſta, quæ totus pene abominatur orbis, erga tot inclytos imperatores committeret. Mirari etiam ſubit, tantopere depuduiſſe, ut ex improbis priorum factis colligere nos jubeat, quantum Pontificia valeat poteſtas. Saltem non tantos gerere ſpiritus oportebat adverſus Imperatores ipſos, cùm antiquis temporibus Pontifices ſe famulos eſſe Imperatorum agnoverint. Venire etiam in mentem debebat, imperium eſſe, cujus munificentia nimium quantum ditatus, multis etiam ſeculi principibus jamdiu potentiæ magnitudine, & omnis generis deliciis, oculos præſtringit. O cæcos hominum animos, & futuri ignaros! In tantum ab imperio ditatus fuit, quo nullius indigus impenſius coleret religionem: nunc ad hoc donis abutitur, ut vehementius Imperio incutiat terrorem. Ditatus ab eo eſt terris, ut cœleſtia conferret: nunc iſtæ inſerviunt, ut auferat terreſtria. Ditatus eſt, quo religioſa ejus cura quietius in Imperio viveretur: nunc nihil penſi habet, quas in Imperio turbas det, modò ipſe vivat ſplendidius unctiuſque. Nempe hæc eſt ſiniſtræ illius liberalitatis merces: ut verè jam ab aliquot ſeculis dici ſoleat, *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.*

At vos columina Imperii, Cæſar Auguſte, Electores, cæterique Principes & Status, nolite diutius ſufferre ac perpeti typhum hunc, atque audaciam cleri Romani. Videtis, quàm ſecurè violet imperii jura. Proſcribit indubitatum jus veſtrum: commentitium ſuum vobis præſcribit. Et adhuc quidem relinquit imperii nomen: ſed jamdiu ſibi ejus vindicat majeſtatem. Quo tandem hoc malum erumpet, ſi æquis iſta oculis porro intueri poteſtis? Nolite enim putare, defore unquam clerum, vel rebus ſuis augendis, vel minuendis veſtris. Audiſtis, quæ nunc quoque loquatur minabundus, quæque hoſtiliter moliatur. Cognoſtis, ut ſæva tot Pontificum erga priores imperatores facta nunc etiam (heu ſcelus) haberi poſtulet pro exemplis. Dum igitur ſerum non eſt, prudenter conſulite, quo tandem antiſtites Romani ponere faſtum ſuum diſcant. Fortiter quoque agite, ut effrenis eorum & indomita hæc dominandi lubido refrenetur ac coerceatur. Ita vobis ſalva ſemper imperii majeſtas erit, ſummo illo numine domi bellique conſiliis veſtris adſpirante, à quo imperium ipſum datum eſt vobis.

FINIS.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
## IN
# EPISTOLAM PLINII
## DE
# CHRISTIANIS,
## ET
## *Ediɛta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos,*
# COMMENTARIUS.

ENarraturus Plinii de Chriſtianis conſultationem, ac Trajani Cæſaris reſcriptum, initio de auctore prioris epiſtolæ pauca dicam. Pater ei fuit C. Cæcilius; mater Plinia, ſoror C. Plinii Secundi, ejus qui Hiſtoriam naturalem reliquit, ac ultimo Flavii Veſpaſiani, primo autem filii ejus Titi anno periit. Ab hoc Plinius noſter adoptatus fuit. Unde de eo lib. v. epiſt. VIII. quæ eſt ad Capitonem, ſic ſcribit: *Avunculus meus, idemque per adoptionem pater.* Atque exinde dictus & ipſe fuit *C. Plinius Secundus*; ſed reſervato paterno *Cæcilii* nomine. Quod tamen antiquiores pauxillum ſolent immutare. Sic Paulli Æmilii filius à Scipione adoptatus vocabatur *P. Cornelius Scipio Æmilianus.* C. Octavius, qui poſtea Auguſtus, adoptatus à Cæſare, dictus eſt *C. Julius Cæſar Octavianus.* Debuerat igitur more veteri *Cæcilianus* vocari: quomodo & Joſephus Scaliger appellat in Animadverſionibus Euſebianis ad tempora Trajani. Sed enim jam exoleverat ille mos ætate Plinii. Plinii hujus epiſtolæ ætate Vincentii Bellovacenſis (vixit ille anno Chriſti cIↄ cc L. temporibus Papæ Innocentii IV.) circiter centum legebantur, convulſo volumine. Primus verò libros IX, cum X. ad Trajanum, & Panegyrico, è Galliis in Italiam detulit, & Aldo Manutio excudendum dedit Aloyſius Mocenicus, Reip. Venetæ apud regem Chriſtianiſſimum Orator. Sed de decimo non idem omnes judicant. Sanè & ſcrupulum injicit Eraſmus lib. de Conſcribendis Epiſtolis [a] cap. de conſuetudine unum multitudinis numero compellandi. Verùm eſſe germanam, extra controverſiam poni debet: præſertim de epiſtolâ illâ, quâ ſuper Chriſtianis Trajani judicium exquirit, item iſtâ, quâ Cæſar Plinio reſpondit. Nam meminit earum Tertullianus clarè in Apologetico, item Euſebius in Chronicis ad annum Chriſti x. [b] Ejus verba in Latinâ Hieronymi editione ſunt iſtiuſmodi: *Plinius Secundus, cùm quandam provinciam regeret, & in magiſtratu ſuo plurimos Chriſtianorum interfeciſſet, multitudine eorum perterritus, quæſivit de Trajano, quid facto opus eſſet, nuncians ei, præter obſtinationem non ſacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Chriſto, ut DEO, nihil apud eos reperiri. Præterea ad confœderandam diſciplinam vetari ab his homicidia, furta, latrocinia, & his ſimilia. Ad quæ commotus Trajanus reſcripſit, hoc genus quidem inquirendos non eſſe, oblatos verò puniri oportere. Tertullianus refert in Apologetico;* Idem Hieronymus exceſſum Joannis Euangeliſtæ & Apoſtoli refert ad annum Trajani tertium ubi ſic ſcribit: *Joannem Apoſtolum uſque ad Trajani tempora Irenæus Epiſcopus permanſiſſe ſcribit: poſt quem auditores ejus inſignes fuerunt Papias Hierapolitanus epiſcopus, & Polycarpus Zmyrnæus, & Ignatius Antiochenus.* Ita inter obitum Joannis, & perſecutionem Trajani ſolum ſit ſeptennium. Nec multò amplius eſſe poteſt, cùm idem Euſebius Trajani exceſſum referat ad annum Chriſti XIX, quo ei ſucceſſit Hadrianus. Ea oſtendunt ex hac Plinii epiſtolâ, & Trajani reſponſo, cognoſci faciem Eccleſiæ, qualis fuit proximis ab Apoſtolorum obitu temporibus. Nempe quàm ſimplex fuerit tum Chriſtiana religio, & quæ vitæ innocentia. Adhæc quàm atrox gentilium perſecutio, quæ Chriſtianorum conſtantia, & patientia, quæque quorundam inconſtantia, ac mollities. Quale item de iſtis judicium fuerit eorum, qui inter gentiles ſapientiæ nomine magnopere celebrarentur. Atque hæc in causâ fuere, cur duas haſce epiſtolas potiſſimùm enarratem. Nam quid pulcrius, quàm nôſſe Eccleſiæ tempora, præcipuè illa poſt Chriſti exceſſum, & mox ab obitu Apoſtolorum?

[a] Tom. pag. 315.

[b] Secundùm editionem Scaligeri: ſed illam Pontaci, annum XI.

Occaſio hujus epiſtolæ Plinio ejuſmodi fuit. Proconſul Plinius miſſus erat in Pontum & Bithyniam. Unde liquet ſpiſſus error Joannis Funccii; qui lib. v. Commentariorum in Chronologiam ſuam, ad annum CX, ſcribit has literas ſcripſiſſe Plinium, *cùm Hiſpaniarum curam gereret.* An eò quia Trajanus fuerit Hiſpanus, eò in Hiſpaniam proconſulem Plinium miſit: quaſi non aliæ forent provinciæ imperii Romani. Sanè Plinium conſtat non in Hiſpaniam: ſed Bithyniam, ac Pontum proconſulem eſſe miſſum. Quæ magnam partem amplexæ erant religionem Chriſtianam, ita ut infrequens eſſet Deorum cultor. Ergo quotidie plurimi deferebantur, partim ab indice, partim libello ſine indice. Quæ facta ſunt perſecutione Chriſtianorum tertiâ. Nam decem ſtatuunt, ita ut reſpondeant decem plagis Ægypti. Ac prima ſub Nerone, ſub Domitiano altera, tertia ſub Trajano fuit: quamquam Funccius aliter numerat. Multitudo autem eorum, qui Chriſtianos ſe profiterentur, terruit Plinium: præſertim cùm præter profeſſionem nominis Chriſtiani, nihil in iis reperiret, quod damnaret. Itaque putavit Cæſarem Ulpium Trajanum ſuper hoc eſſe conſulendum.

Sed unde tanta Chriſtianorum copia in illis regionibus?

Eas

Eas curæ fuiſſe Apoſtolis, indicat, quòd in illas ire voluiſſe B. Paulum, ſignificet in Actibus Euangeliſta Lucas. Utcumque autem non iverit: haut dubium tamen, quin miſerit alios, qui Euangelium illic prædicarent. Et vicini erant Galatæ, ad quos epiſtola Apoſtoli exſtat: unde Chriſtianas colonias fuiſſe deductas, per eſt veriſimile. Mitto de B. Joanne, qui Epheſi egerat, & diſcipulo ejus, Smyrnæo epiſcopo, Polycarpo, etſi tum admodum juvene. Ut cæteros prætercam diſcipulos, & ſingularem tam Epheſinæ, quàm Smyrneæ Eccleſiæ, aliarum etiam, curam: Nam eos in tam ſancto negotio negligentes fuiſſe, minimè eſt exiſtimandum. Miraculorum etiam donum, quod in Eccleſiâ, ex promiſſione Chriſti, vigebat, multos commovebat.

Sed jam tempus eſt, ut ipſam aggrediamur epiſtolam Plinii: cujus partes ſunt tres. Prima eſt propoſitio. Altera autem narratio facti Pliniani. Tertia judicium Plinii de toto hoc negotio. Propoſitio indicat, cur ad Cæſarem ſcribat: eſtque tripartita. Prima pars eſt γενική. Velle ſe ait de quæſtione quædam conſulere imperatorem Trajanum, uti hactenus ſoleret, idque propter ejus prudentiam, & auctoritatem. Hæ duæ rationes ſufficiebant in hoc publico negotio, idque apud Imperatorem. In privato autem, & apud alios, aliis eſt opus. Plato quidem in Gorgiâ exigit in iis, quos conſulimus, hæc tria; ſcientiam, benevolentiam, & παῤῥησίαν, ſive loquendi libertatem. Ariſtoteles verò lib. II. Rhetor. cap. I, requirit prudentiam, probitatem, & benevolentiam. Nam inſipiens non dabit conſilium bonum: & improbus, etſi videat, quid facto ſit opus, aliud dicet, quàm ſentit; ac prudens etiam & probus, ſi alteri magis parti faveat, affectu abreptus, nolit nobis aperire, quid expediat imprimis. Sed de iſto pluribus diximus Oratoriarum Inſtitutionum lib. II. cap. XIV. ſectione II.

Altera propoſitionis pars eſt εἰδική. Nam ait, velle ſe Trajanum conſulere de Chriſtianis ob ignorantiam ſuam; quia in hujuſmodi negotio nunquam fuerit cognitor vel quæſitor. Ad cognitionis nomen attendit, cùm ait, nunquam ſe interfuiſſe cognitionibus de Chriſtianis. Ad quæſitoris autem munus, pertinet, cùm neſcire ſe inquit, quatenus ſoleat quæri, vel puniri. Notum Maronis iſtoc VI. Æneid.

*Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes:*
*Quæſitor Minos urnam movet: ille ſilentum*
*Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.*

Videmus diſtingui inter quæſitorem & judices. Quæſitor unicus, nempe idem ac prætor. Qui quæſitor dictus, quia de crimine inquireret, ut judicium exerceret. Atque idem cognitor, à criminibus cognoſcendis. Sedebat is pro tribunali: judices verò in ſubſelliis. Ordo agendi Romæ iſtiuſmodi fuit. Antequam in jus veniretur, accuſator à prætore poſtulabat, ut ſibi liceret alicujus nomen deferre. Hoc impetrato, dies accuſationi & defenſioni præſtituebatur. Id tempus ubi adveniſſet, prætor concilium vocabat, ac ſortitò judices dabat: quorum numerus pro naturâ quæſtionis variabat. Licebat verò tum accuſatori, tum reo, rejicere judicum eos quos vellet, ut inimicos, vel alioquin incommodos. Poſt rejectionem ſubſortitio fiebat, ut eâ numerus judicum compleretur. Hinc actio ſubſequebatur, quæ conſtabat accuſatione, & defenſione. Qui poſterior diceret, ubi orationem habuiſſet, ajebat DIXI. Imò & prætor pronunciabat DIXERUNT. Tum judices ſententiam ferebant. Quod fiebat tabellis: quibus inſculptæ erant hæ literæ: A, C, & N. L. Ex his A reum abſolvebat, C condemnabat, N & L ſignificabat *non liquere*, eoque eſſe ampliandum. Sic erat apud Romanos. Apud Græcos verò abſoluturi albos & integros calculos in urnam conjiciebant: condemnaturi nigros ac perforatos. De his alibi fuſiùs diximus.

Tertia propoſitionis pars eſt εἰδικωτάτη, ſive maximè ſpecialis. Nam exprimit, quæ ſint illa, quæ nôſſe aveat de Chriſtianis. Sunt verò hæc tria.

An etiam puniri debeant ætate infirmi.

An quos pœnitet Chriſtianiſmi.

An qui nullius ſint flagitii rei: in qualibus ſolum nomen puniretur.

De primo ſunt hæc verba: *Nec mediocriter hæſitavi, ſitne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robuſtioribus differant.* Nempe, ut poſtea dicit Plinius: *Multi omnis ætatis*, addit etiam, *utriuſque ſexus, vocantur in periculum.* Nihil ad veniam facere ætatem, ſenſiſſe videntur Imperatores Severus & Antoninus, L. unica, Cod. Si adverſus delictum: *In criminibus quidem ætatis ſuffragio minores non juvantur: etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat.* Ac mox ſubjunguntur Diocletiani, & Maximiniani verba: *Licet in delictis ætate neminem excuſari conſtet.* Verùm alii diſtinguere jubent quæ ætas delicti ſit capax: ac ſiquis ſit infra annum XXV, judicem ajunt miſeratione flecti poſſe ad mitiorem pœnam decernendam. Verba enim ſunt Tryphonini lib. III. diſputationum, quæ legere eſt L. Auxilium. §. in delictis. ff. de minoribus: *In delictis autem minor annis XXV. non meretur in integrum reſtitutionem, utique atrocioribus; niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* Ac fuſiùs de hoc tractat Andr. Tiraquellus tractatu de Pœnis legum temperandis. Sed non videntur præſides provinciarum, ſaltem illi poſt Trajanum, in cauſſis Chriſtianorum multum ad hæc attendiſſe. Nam apud Euſebium legimus in epiſtolâ Eccleſiæ Lugdunenſis, ut ſævitum ſit in Blandinam, & filium ejus, vix annos natum XV.

Porrò quia & pueri, & mulieres, ſequerentur philoſophiam Chriſtianam, eò Celſus, Luciani amicus, qui contra Chriſtianos ſcripſit, iis exprobrabat, quòd dogma eorum crederent γύναια, καὶ παιδάρια, vel his ſimiles homines ἀναίσθητοι. Ac ſimiliter apud Prudentium in agone Fructuoſi, dogma horum vocatur anile, ac dicuntur illud amplecti leves puellæ. Reſpondebant iis Chriſtiani, non tales ſolos eſſe, qui videant veritatem, ſed præterea prudentiſſimos, & doctiſſimos viros. Quin hoc ipſum clarè teſtari, quanta ſit lux veritatis Euangelicæ, quòd illa etiam illuceat pueris, ac feminis. Hinc Lactantius lib. V. c. XIII: *Doceant iſti hoc modo, ſi qua illis fiducia veritatis eſt, loquantur, hiſcant, audeant inquam diſputare nobiſcum aliquid ejuſmodi: Jam profectò ab aniculis, & à pueris noſtratibus, error illorum, ac ſtultitia, irridebitur.*

Atque hæc de primâ quæſtione, quæ erat, utrùm in Chriſtianis puniendis diſcrimen ſit ſervandum teneræ ætatis, & adultæ. Sequitur altera, an in puniendo ſint eodem loco, qui adhuc ſunt Chriſtiani, quique pœnitudine ducti jam eſſe deſierint. Verba Plinii ſunt, *Deturne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, deſiiſſe non proſit.* Non mirandum verò ſuper eo hæſitâſſe Plinium: quia putare poterat parem eſſe hic rationem, atque in furtis, aut fugitivis. De priori verò ſic Ulpianus L. LXV. D. de furtis: *Qui eâ mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret, tametſi, mutato conſilio, id domino poſteà reddidit, fur eſt: nemo enim tali peccato pœnitentiâ ſuâ nocens eſſe deſit.* Et Gajus L. penult. D. De vi bon. rapt. *Non prodeſt ei, qui vi rapuit, ad evitandam pœnam, ſi ante judicium reſtituat rem, quam rapuit.* De poſteriori ſic Ulpianus L. I. ff. de Ædilitio edicto: *Cælius fugitivum eſſe ait eum, qui eâ mente diſcedat, ne ad dominum redeat: tametſi, mutato conſilio, ad eum revertatur. Nemo enim, tali peccato, inquit, pœnitentiâ ſuâ nocens eſſe deſinit.* Satis hæc oſtendunt, ad pœnam evitandam non ſufficere ſolam pœnitentiam. In quibuſdam tamen caſibus à lege & judice expreſſis ſufficit pœnitentia. Inque talibus reponi debere Chriſtianiſmi profeſſionem, judicavit Plinius. Cujus rei inferiùs rationes adducit.

Nunc de tertiâ quæſtione videamus. Ea erat, utrùm (verba Plinii ſunt) *nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur.* Ubi videmus, Plinium duo facere genera Chriſtianorum. Aliqui infames erant ob crimina: aliqui ob ſolum nomen fuere inviſi. De poſteriori genere ſic vulgò loquebantur, ut in Apologetico ait Tertullianus: *Bonus vir Cajus Sejus; ſed malus tantum,*

*tium, quòd Chriſtianus.* Ac Chriſtus prædixerat, fore, ut ob ſolum nomen Chriſti exoſi forent Chriſtiani: Sic Matth. x. 22. Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. Similiter Matth. xxiv. 9. & Luc. xxi. 12. Ac Athenagoræ eſt in Apologiâ: Ἐπὶ μόνῳ ὀνόματι προσπολεμεῖσθαι τὰς πόλεις. Nec aliter Juſtinus in Apologetico. Nec tamen fateri ſolent gentiles, ſe in Chriſtianis ſolum odiſſe nomen. Multa adeò iis crimina impingebant. Nam ex Tertulliano cognoſcimus, homicidas vocaſſe, & inceſtos. Ac homicidas quidem, quia, ut ajebant, infantes occiderent, & eorum carnibus veſcerentur. Inceſtos verò, propter Oedipodêam miſtionem. Ac illi etiam, quorum probitas manifeſtior eſſet, quàm ut hæc crimina iis aſtingere quiſquam auderet, nihilominus audiebant hoſtes Deorum, imperatorum, legum, morum, & totius naturæ. Deorum quidem, & Imperatorum, quia eos fraudarent honore ſuo: ut quos invocare nollent, nec ſacrificio dignarentur. Unde dicti ſacrilegi. Legum verò, quia legibus erat ſancitus Deorum, & Cæſarum cultus: unde dicti παρανόμως ζῆν. Morum autem, quia is cultus eſſet in more omnibus gentibus. Generis denique humani, ac totius naturæ: quia contemtu Deorum, qui neglecti multa ſolent mala dare hominibus, iram eorum provocarent erga nationes. Nempe vetus hæc querimonia fuit, & perpetua, Chriſtianorum αἰτίους eſſe omnium malorum cauſſam. Sic Româ etiam ab Alaricho captâ; vulgò jactabatur, proveniſſe hoc ab irâ Deorum, qui contemtum ſui, ob rejectam religionem paganicam ſic ulciſcerentur. Eaque res impulit B. Auguſtinum, ut ſcriberet libros de Civitate Dei: utque Oroſio eſſet auctor ſcribendi Orcheſtram ſuam; ſive hiſtoriarum libros adverſus paganos.

Hinc jam oratio noſtra progreditur ad partem epiſtolæ alteram. Quâ primò narrat Plinius, quam viam hactenus inſtiterit in cognoſcendis Chriſtianorum cauſſis.

Ac deinde refert quid de fide, vel vitâ Chriſtianorum cognoviſſet, ſive ex iis, qui eſſent, ſive qui fuiſſent Chriſtiani; nec maribus modò, ſed etiam feminis.

Denique autem exponit, quanti ea momenti quæſtio foret, de quâ Cæſarem interrogaret.

In primo illorum partim agit de iis, qui verè eſſent Chriſtiani: partim qui Chriſtiani nunquam fuiſſent, vel eſſe deſiiſſent.

Prioris generis alii non erant cives Romani, alii erant.

De iis, qui non forent cives Romani, quatuor hæc memorat.

Primò ait, ſe interrogâſſe, an eſſent Chriſtiani.

Deinde ſi profiterentur, ſecundò, tertioque, quæſiiſſe, additâ comminatione mortis, ſi in hac ſententiâ perſiſterent.

Poſtea autem juſſiſſe, ut perſeverantes ad ſupplicium ducerentur.

Denique quia objici poterat, non videri puniendos, qui nihil commiſerant flagitii, ac tantummodo in ſententiâ de religione diſſentirent, ſubjungit, viſam ſibi eſſe ſatis juſtam ſupplicii cauſſam, quòd tam pertinaces forent in Chriſto amplectendo.

Ad hæc quatuor tranſitione utitur hujuſcemodi: *Interim in iis, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum.* Nimirum primò neceſſe erat ut actor deferret nomen, Romæ quidem ad prætorem, in provinciis autem ad proconſulem, vel proprætorem. Qui, ſi accuſandi faceret poteſtatem, diem præſtituebat, quâ tum actor, tum reus ſe ſiſterent judicio. Modum, quem ſecutus, appellat ordinem proceſſus criminalis; ut nunc loquuntur.

De primo deinde ſic incipit: *Interrogavi ipſos an eſſent Chriſtiani.* Nempe ab interrogatione reorum initium ſumebat prætor: imò erat hæc potiſſima actionis pars: unde & pro totâ ſumitur accuſatione. Ac multum referebat, quo animo rogarentur rei. Qui ſervare mallet, operam dabat, ut reſponſum ejuſmodi eliceret, quo poſſet ſervare. Ut Auguſtus Cæſar, cùm parricidii reum vellet periculo liberare, non quærebat, ut mos ferebat. An parricidium commiſti? ſed hoc pacto, Certè patrem tuum non occidiſti? Quid aliud hoc erat, quàm velle hujuſmodi elicere reſponſum, quo negaret? Atqui non niſi confeſſi parricidium, inſuebantur culeo cum ſimiâ, viperâ, & gallo gallinaceo: inque mare, vel ſi hoc longiùs abeſſet, in profluentem proximum abjiciebantur. Credibile igitur eſt, in tam horrendo crimine, eoque graviter adeò puniri ſolito, fuiſſe aliqua, non exigui momenti, quæ pro adoleſcente potuerint adferri. Nam aliter ſi foret, non puto Auguſtus eum illo eſſet favore dignatus, ut præſenti eripere periculo ſtuderet. Nec tamen, ſi princeps hoc potuit idem jus fuerit prætori, vel judici. Nam, ut ait Ulpianus, L. xiii. *congruit.* D. De officio præſidis: *Congruit bono, & gravi Præſidi curare, ut pacata, atque quieta provincia ſit, quam regit: quod non difficile obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat.*

Sequitur deinde apud Plinium: *Confitentes iterum, ac tertiò interrogavi, ſupplicium minatus.* Rectè quòd non ſtatim ad ſupplicium feſtinat, ſed interrogationem iterat, ac tertiat. At non item rectè minas intentat. Nam, ut ait Lactantius lib. 1. Divin. Inſtit. cap. xxx. *Non eſt opus vi, & injuriâ; quia religio cogi non poteſt,* &c.

Subjungit deinde; *Perſeverantes duci juſſi.* puta ad ſupplicium. Sic enim ſæpè vox *ducendi* ſumitur, non ſolùm apud Juriſconſultos, ſed etiam Senecam, & alios. Quæras, cujuſmodi hæc fuerint ſupplicia. Romanis octo generum fuiſſe ſupplicia, ex Tullio refert Iſidorus. Unum in fortunis; videlicet mulctam pecuniariam. Tria in corpore; primum vincula, compedes, manicæ, catenæ, bojæ: alterum verbera, ſive virgis, ſive fuſtibus: tertium talio, ut in Scripturis etiam legas, oculum pro oculo, dentem pro dente: ac par ratio in membris cæteris. Hoc *retaliare* vocat Agellius. Tria item fuere ratione juris: primum ignominia, quæ ſic dicta, quia *in nomine* foret depretiatio: ut ſi quis à Cenſore notaretur. Deinde exilium, cum aquâ, & igni, in patriâ interdiceretur: quibus cùm carere non poſſimus, conſequens fuit, ut quis ſolum verteret, quomodo amittebat jus civitatis. Ad hæc ſervitus: quomodo non ſolùm jus civitatis, ſed etiam libertas amittebatur. Poſtremum ſupplicium erat mortis. Ex hiſce verò pœnis interdum quidem in Chriſtianis obtinuit exilium: ut in B. Joanne Apoſtolo, qui in Pathmo exulavit: ſed ſæpiùs adempta eſt vita. Quod variè factum: nunc lapidatione, ut in B. Stephano: nunc gladio, ut in Jacobo, Zebedæi filio, ſicut in Actis legimus; item Apoſtolo Paulo: nunc cruce, ut B. Petro: nunc vivicomburio, ut Chriſtianis illis ſub Nerone apud Tacitum, item Polycarpo: nunc feris objiciendo, ut B. Ignatio.

Porrò quia objici poterat, non videri puniendos, qui nihil pœnâ dignum commiſerant: eò ſubdit, ſatis juſtam ſibi pœnæ cauſſam videri, quòd uſque adeò ſint pertinaces in confeſſione Chriſti. *Neque enim,* inquit, *dubitabam, qualecumque eſſet, quod faterentur, pervicaciam certè, & inflexibilem obſtinationem debere puniri.* Ubi duo attendimus: priùs, quid adverſus ſe adferri poſſe Plinius viderit: deinde, quo modo iſti occurrat. Prius eſt, quod fortaſſe verum, vel ſaltem non malum eſſet, quod profiterentur Chriſtiani. Videtur hìc hæſiſſe aqua Plinio: nec ſatis fiduciæ habuiſſe, ad aliquid certi ſignandum de eo, utrum vera, an falſa, bona, an mala forent, quæ docerentur à Chriſtianis. Quare ſubjungit, qualiacumque eſſent, ſaltem pœnam mereri, quod tam eſſent pertinaces, animique obſtinati. Pro *pertinacia* in aliquibus libris eſt *pervicacia.* Quæ vocabula quomodo differant, eleganter Attius docet Myrmidonibus. Verſus ipſos memorat Nonius Marcellus. Utcunque legamus, ſatis videmus vocabulum, quo uſus, in malam partem accipi, cùm crimen intelligat pœnâ dignum. Valde autem cæcum hunc, gentilemque hominem ratio fugit, quando pertinaciam, vel pervicaciam, ac animi obſtinationem appellat, quæ verè erat conſtantia. Unde videmus, quanta in divinis fuerit inſipientia eorum, qui mundi judicio ſapientiſſimi crederentur.

Vi-

Vidimus de iis, qui non eſſent cives Romani. Sequitur de civibus Romanis. *Fuerunt*, inquit, *alii ſimilis amentia, quos quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos.* Amentiæ eſt amentiam vocare, quæ Chriſtus docuiſſet, qui eſt via, veritas, & vita. Sed quis meliora multò à profano hoc judice exſpectaſſet? Interim mollius hic noſter, quàm familiares ejus amici Tacitus, & Suetonius; quorum ille xv Annalium *exitiabilem ſuperſtitionem*; hic verò in Nerone appellat *ſuperſtitionem novam, ac exitiabilem.* Annotâſſe ſe ait in Urbem remittendos. Hoc eſt, juſſiſſe ut in Acta publica hoc referretur ab iis, quos Notarios dicimus. Sic enim more Juriſconſultorum, voce *annotandi* uſus. Romam verò miſſi ſunt cives Romani, quia lege Porciâ non liceret civem Romanum virgis cædere, vel necare: Semproniâ quoque interdictum foret, ne hoc fieret populi injuſſu. Hoc igitur egit Plinius, ut horum cauſſa Romæ potiùs cognoſceretur.

Ab iis, qui Chriſtianos ſe eſſe faterentur, ac tales eſſe perſeverarent; tranſit deinde ad illos, qui ab indice incerto accuſarentur Chriſtianiſmi, cùm nunquam fuiſſent Chriſtiani: vel ab indice certo deferrentur, ut Chriſtiani fuiſſent, ſed interrogati mox deficerent: vel olim fuiſſent, ab annis verò pluribus eſſe deſiiſſent. Ad triplex illud genus tranſit hunc in modum: *Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt.* Ubi *tractu* eſt in editione Henr. Stephani. Sed in prioribus eſt *tractatu*: & rectiùs. Nec enim hoc vult, morâ temporis hoc eveniſſe; ſed dum hæc quæſtio in judicio tractatur. *Species* verò nuncupat, quos vulgo *caſus* dicimus. Enumerat verò, ut diximus, ſpecies tres. In primâ tria concurrunt. Primum eſt, quòd incerto libello accuſarentur. Alterum, quòd accuſarentur multi. Tertium, quòd accuſati negarent ſe vel Chriſtianos eſſe, vel unquam fuiſſe. Verba Plinii ſunt: *Propoſitum eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negarent ſe Chriſtianos eſſe, aut fuiſſe.* Libellus dicitur non habuiſſe appoſitum nomen delatoris: qualis pro famoſo potuit haberi. Nec enim, qui non audet profiteri nomen, alterius debet capiti inſidias ſtruere. Nec accuſâſſe eſt ſatis, ſed probari crimen oportet. Unde Trajanus epiſtolâ proximâ reſpondit, hujuſmodi libellos permitti non debere. Et tamen talibus libellis accuſabantur non pauci, ſed multi. Sed, ubi ſe ſtiterunt judicio, reſponderunt, ſe nec eſſe Chriſtianos, nec fuiſſe unquam. Nempe ab odio omne hoc erat, quod eos perditos vellent. Et veriſimile eſt, pleroſque ex iis qui deferrentur fuiſſe homines non malos, qui licet gentiles forent, benignius tamen de Chriſtianis ſentirent, eoſque ſervatos, quam perditos mallent. Sic enim hodieque uſu venit, ut multi etiam quadam indolis bonitate, & quia multa videant per calumniam aliis affingi, non poſſint ab animo ſuo impetrare, quin vel ad alienas calumnias tacere malint, quàm approbare: vel ſubinde etiam non diſſimulent, cauſſas ſe habere, cur eos, qui traducuntur, longè aliud credere exiſtiment, quàm ſpargere multi gaudeant. Ac imprimis, credo, hoc animo fuerint, qui conſtituti eſſent in confinio lucis, & tenebrarum: inque Chriſtianâ religione neque nihil viderent, neque quantum conveniret.

Nunc audiamus, quam viam ac modum in illis, qui libello ſine auctore accuſarentur, inſtiterit Plinius, poſtquam ſe Chriſtianos vel eſſe, vel fuiſſe unquam, inficias iviſſent. Nempe periculum ſibi faciendum putavit, an verè & ex animo hoc dicerent.

Primùm igitur præcepit, ut ſacrificarent coram ſignis Deorum, & Cæſaris.

Deinde juſſit, ut Chriſto ipſi maledicerent.

Quorum utrumque ſi feciſſent, eos demittebat.

De primo ſic ait: *Cùm, præeunte me, Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris numinum adferri, thure ac vino ſupplicarent.* Ait ſe præiviſſe accuſatis, in invocandis Diis. Addit quoque, ſe cum Deorum ſignis juſſiſſe, ut Cæſaris ſimulachrum adferretur. Nempe quò minus gravarentur Cæſarem adorare, quia cultus ejus cum Deorum cultu ſociaretur. Quâ de re multis agimus in opere noſtro de Idololatriæ paganicæ origine & progreſſu: præſertim ubi loquimur de cultu mixto: qualis ille Herculis cum Sole. Exinde imperavit, ut coram ſimulachris adolerent thure, & vino. Quod ſiqui Chriſtiani feciſſent, ex eo dicti *thurificati*: ut, qui libello à magiſtratu, poſt pretium annumeratum, impetrâſſent, ne id facere cogerentur, *libellatici* dicti ſunt: ſicut alibi fuſiùs expoſuimus.

Nec ſatis Plinio viſum, ſi ſacrificarent Diis: urgebat quoque ut maledicerent Chriſto: quod cùm Proconſul à Polycarpo poſceret, reſpondit ille, (ut eſt apud Euſebium lib. iv. Hiſt. Eccl. cap. xiv.) Ὀγδοήκοντα ϗ ἓξ ἔτη δυλεύω αὐτῷ, ϗ ὐδέ με ἠδίκησε. ϗ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μυ τὸν σώζοντά με. *Octoginta ſex annus jam illi inſervio: nec ullâ hactenus me injuria affecit. Et quomodo poſſim contumeliosè loqui de rege meo, qui me hactenus ſervavit?*

Ex hiſce duobus, quod & ſacrificarent Diis, & maledicerent Chriſto, colligebat Plinius, veréne Chriſtiani forent. Nam, horum, inquit, *nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re verâ Chriſtiani.* Quæ profectò clarè oſtendunt, quanta fuerit veterum Chriſtianorum conſtantia: idque iis temporibus, quibus viverent Apoſtolorum diſcipuli. Ut miracula Chriſti ex Apoſtolis, & æqualibus audire, Apoſtolorum miracula ipſi potuerint conſpicere.

Itaque ex utroque, quòd videlicet iſti contrà tum Diis ſacrificarent, tum etiam maledicerent Chriſto, collegit Plinius, eos non eſſe Chriſtianos. Unde ſubdit de facto ſuo: Ergo dimittendos putavi.

Poſtquam egit Plinius de illis, qui accuſati erant libello ſine auctore, orditur de illis, quorum certus eſſet index ſive delator. *Alii*, inquit, *ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt: alii fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quoque.* Ita enim locum hunc emendo, vocabulo *alii* repetito ante *fuiſſe*: quod in Stephanicâ quoque deſideratur. Niſi pro *alii fuiſſe*, malis, *vel fuiſſe*. Omnino enim alterutrum ſententia exigit. Clarè enim duo memorat genera: quorum alii priùs faterentur ſe eſſe Chriſtianos, ſed mox præ metu negarent: alii initio etiam diffiterentur: atque interim faterentur aliquando ſe fuiſſe Chriſtianos: alii ante triennium, alii etiam plures annos, uti ſenos, aut denos: imò nonnemo etiam ante xx, ſive ut Conradus Ritterſhuſius legit, xxv. Nam quia *etiam quoque* minus eleganter ſocientur, pro *quoque* mavult *quinque*. Porrò ait, utrumque hoc genus, & illud puta quod in judicio Chriſtum primò fateretur, ac mox negaret; & alterum eorum, qui jamdiu Chriſtiani eſſe deſiiſſent, tum Cæſaris & Deorum imagini ſupplicâſſe, tum maledixiſſe Chriſto. Nec mirum de illis, qui jam ante annos complures fuiſſent deſertores: magis eorum apparuit mollicies, qui Chriſtiani erant, cùm ſe judicio ſiſterent. Quorum aliqui, credo, defecere, cùm à proconſule ſecundò, tertioque, minis etiam additis, interrogarentur: alii verò cùm audirent, poſteriores illos jam ante annos complures deſciviſſe, nec temerè id feciſſe ſibi perſuaderent, idem ſibi licere putarunt. Magna enim hominum pars ad alienum ſe componit exemplum, nec tam it, quò eundum, quàm quò itur.

Hactenus fuit prior narrationis pars, quâ expoſuit Plinius, quam viam inſtiterit in judicio de Chriſtianis. Sequitur deinceps pars altera, quâ refert ſummatim, quid de Chriſtianorum conventibus intellexerit, partim ex iis, qui Chriſtiani eſſe deſiiſſent: partim ex duabus diaconiſſis, quas tormentis ſubjecerat. De prioribus ſic primò ait: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris.* Ubi videmus duo afferri genera eorum, quæ committimus, culpam, & errorem, quarum illa eſt in ἑκουσίοις, ſive voluntariis, altera in ἀκουσίοις, ſive involuntariis. Paullo aliter Ovidius lib. i. Triſtium eleg. iii:

*Cæleſtique viro, quis me deceperit error,*
*Dicite, pro culpâ ne ſcelus eſſe putet.*

Nam hic *facinus*, & *culpa* apponuntur: inque errore etiam culpa agnoſcitur, ſed talis, quæ facinus non ſit.

Quid verò in quæſtione hac de Chriſtianis cognoverit Plinius, ex hac Plinii, & ſequenti epiſtolâ Trajani, narrat Tertullianus in Apologetico cap. II: *Plinius Secundus, cùm provinciam regeret, damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipſâ tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, conſuluit tunc Trajanum imperatorem, allegans, præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quàm cœtus antelucanos, ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes. Tum Trajanus reſcripſit, hoc genus inquirendos quidem non eſſe; oblatos verò puniri oportere.* Eadem legas apud Euſebium in Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. XXXII, ſive aliis XXVI, ubi Plinii verba Græcè reddita legas, item apud Hieronymum in Chronico Euſebiano. Ut præteream juniores, Oroſium, Paulum Diaconum, Hugonem Floriacenſem, Nicephorum.

Sed cùm omnes iſti uno, ſed firmo, nitantur tibicine Plinio; ipſum potiùs loquentem audiamus. Is ſummam confeſſionis exponit hiſce verbis:

I. *Quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire:*

II. *Carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem:*

III. *Seque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.*

IV. *Quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe: rurſuſque coeundi ad capiendum cibum: promiſcuum tamen, & innoxium.*

V. *Quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum* (Plinii) *quo ſecundum mandata* (Trajani) *hetærias eſſe vetuerat.*

De hiſce quinque confeſſionis capitibus fuſiùs deinceps loquar.

In primo hæc tria ſe offerunt:

I. Quod Chriſtiani ſuos haberent conventus.

II. Idque die ſtatâ.

III. Atque hoc ante lucem.

Sermo autem eſt de conventibus ſacris. Quorum exempla etiam habemus in ſcripturis. Admodum autem eſt veriſimile, conventus hoſce indici ſolere: non quidem ligni pulſatione, quod Amalarius putabat de Eccleſiaſticis offic. cap. XXI, ſed per miniſtras, vel miniſtros à quibus id annunciaretur. Nam oportuit occultari gentilibus id tempus, quod ligni pulſatione iis non minùs innotuiſſet, quàm Chriſtianis. Præterea ea ligni pulſatio demum poſt Conſtantinum Magnum videtur introducta. Vide de eo Ludovicum de La Cerda in Adverſar. Sac. cap. CXXXII. §. XXIII.

Etſi verò Chriſtiani quotidie etiam convenerint, ut ex Actis liquet: tamen ſollemnes magis cœtus fuere ſtatâ die, quæ erat Dominica; ut videre eſt ex Juſtini Apologiâ; ubi, ut meliùs à gentilibus intelligeretur, diem Solis appellat. *Primam ſabbatorum*, more Hebræo, nuncupat Paulus. *Dominicam diem* vocat Eccleſia: idque præeunte B. Joanne in Apocalypſi. Niſi non tam illic ſignatur incerta dies Dominica, ut quæ quinquagies in anno recurrat: quàm certa, & ſemel in anno rediens: quâ nempe Chriſtus reſurrexit. Quomodo multò latiùs patebit, quòd Paulus dicit *primam ſabbathorum*, quàm quòd Joannes appellat *diem Dominicam*. Ac fortaſſe ne quidem Joannes intellexerit diem Solis: quia, ut ex Irenæo, Euſebio, & aliis conſtat, ille cum Judæis paſcha celebrabat: uti & poſtea factum eſt à diſcipulo ejus Polycarpo, & Aſiaticorum aliis: unde inter Victorem Papam, & Aſiaticos illa de tempore celebrandi Paſcha quæſtio emerſit, quæ demum ſopita eſt concilio Nicæno. Sanè ſi Joannes hoc voluerit, apparitionem ſibi factam eſſe illo ipſo anni die, quo ſub Tiberio Chriſtus reſurrexerat à mortuis: potuit ea eſſe feria ſecunda, tertiave, & alia quævis hebdomadis dies: quod facilè intelligunt, qui ſciunt paſchale feſtum Judæis in diem decimamquintam menſis Niſan incidiſſe: ac diem eam in quamvis feriam hebdomadis poſſe incidere: uti nobis Kalendæ Nonæ, atque Idus. Sed utrocunque modo Dominicæ diei appellationem apud Joannem capiamus, illud liquet, quia Chriſtus primâ feriâ reſurrexerit, quamvis feriam primam ab unicâ illâ anniverſariâ Dominicam jure appellari. Ut in L. Dominica de Spectaculis in Codice Theodoſiano: *Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies.* Vide, quæ ad hanc legem commentatus eſt Barnabas Briſſonius.

Addit hunc conventum fieri ſolere ante lucem: unde Tertullianus lib. de Coronâ Militis ait, Plinium antelucanos cœtus comperiſſe. Voce eâ uſus quoque Cicero, qui Catilinariorum cœnas vocat *antelucanas*, quia potarent uſque ad diluculum. Sæpius noctu congregatos, ait quoque Deſiderius Heraldus notis ad ſuperiorem Tertulliani locum. Duplex verò cauſſa adfertur, cur Chriſtiani tum ſoleant convenire: una eſt myſtica, quia tum reſurrexerit Chriſtus, ac rediturus tum etiam credatur ad judicandum orbem. Altera eſt moralis, quæ eſt perſecutionis metus. Ob quam & noctu conveniebant: ut videre eſt ex Tertulliano lib. II. ad Uxorem, item lib. de Fugâ in Perſecutione: ad hæc Minucio Felice in Octavio: ubi etiam legas, ut Chriſtiani propterea dicti ſunt à gentilibus *latebroſa, & lucifugax natio.* Quaſi Chriſtiani alibi convenirent noctu, quam ubi de die non liceret. Nam aliter ſi foret, non Tertullianus Valentinianis nocturnos conventus, & initiationes objiceret. Aliqui tamen negant Chriſtianos de nocte conveniſſe mixtim, viros, & fœminas; idque ob honeſtatis periculum. Et eo ſe tuentur, quòd licet Græcis, ac Barbaris, ſanctiora forent nocturna ſacrificia; Romana tamen gravitas iis interdixerit, propter mulierum pudicitiam. Unde Cicero in ſecundo de Legg. *Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla, quæ pro populo ritè fient.* Hoc eſt, præter unicum illud Bonæ Deæ, quod *Damium* dicebatur, non quaſi minimè Damium, ſive δημόσιον, h.e. publicum, quod Turnebus ad Ciceronem annotavit: ſed quia fieret pro populo, pagis, curiiſque. Quare & Chriſtianorum conventus potuerint eſſe ſuſpecti, ſi noctu mixtim convenirent. Notæ Thyeſteæ cœnæ, & Oedipodiæ Carpocratianorum mixturæ in cœnis ſuis nocturnis: quæ Chriſtianis impingebantur à Gentilibus. Itaque alii per Chriſtianorum ante lucem cœtus malunt intelligere pauxillo ante lucem inchoatos, ac ſimiles eſſe ajunt illis Lucæ cap. XXI. 38. ubi dicitur, *totum populum multo mane veniſſe, ad audiendum Chriſtum in Templo, temporibus diurnis diſſerentem.* Atqui hic non ſignificatur, Chriſtum ante lucem veniſſe: ſed populum tanto correptum ardore, ut temporius exierit, quàm opus eſſet. Nec enim ante ortum Solem in Templo concionari Chriſtus ſolet. Unde Luc. XXI. 37, 38. *Erat autem diurnis temporibus* (τὰς ἡμέρας) *in templo docens: noctibus verò, exiens, diverſabatur in monte, qui vocatur Olearum. Et totus populus mane veniebat ad eum, ad audiendum eum in templo.* Nec in templo Apoſtolos de nocte unquam docuiſſe legimus. Sed hoc eſt, quod in quæſtionem venit, an non in privatis ædibus docuerint noctu. Sanè de Act. XX. verſ. 7, 11. de Paulo refertur, ut Troade cœtum virorum pariter ac mulierum non modò detinuerit in noctem, ſed etiam aduſque conſequentis diei auroram. Id dices extraordinarium fuiſſe, quia Apoſtolus die poſterâ eſſet abiturus. Non repugno. At quid afferent adverſus hoc Act. XII. 12. ubi dicitur poſt recentem B. Jacobi necem in domo Mariæ multos fuiſſe congregatos, qui orarent pro B. Petro, carceri incluſo, & jam morti deſtinato. Hoc, inquiunt, factum propter perſecutionem. Id verò eſt, quod volo. Perſecutio enim totis ſeculis duravit, ut paſſim neceſſe fuerit conveniri noctu. Et unde poſtea cæterorum conſuetudo etiam de die, niſi ex eo, quòd morem retinuerint uſitatum perſecutionis tempore, cùm noctu convenire, & ſacra peragere neceſſum foret. Et quid apertius iſtis Tertulliani verbis l. II. ad Uxorem cap. IV. ubi eam hortans, ne ſe mortuo marito nuberet infideli: *Quis*, inquit, *nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo eximi libenter feret? Quis denique ſollennibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit?* Ubi videmus primùm loqui de ſacris cœtibus nocturnis, ubi viris mulie-

mulieres miſcerentur? Deinde particulatim ſubjicit de Pervigilio Paſchæ. De quo & Lactant. lib. VII. c. XIX. *Et hæc eſt nox, quæ à nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri, pervigilio celebratur.* Et Iſidorus lib. VI. Orig. cap. XVI: *Paſcha nox ideò pervigil ducitur, propter adventum Regis ac Domini noſtri, ut tempus reſurrectionis ejus nos non dormientes, ſed vigilantes inveniat.* Sed de hac conſuetudine plura diximus lib. de Paſſione Chriſti cap. ult. Hoc loco igitur iſta de primo confeſſionis cap. ſufficiant.

In altero capite itidem tria conſideramus.

I. Quòd carmen dixerint Chriſto.

II. Idque ut Deo.

III. Et quòd illud dixerint ſecum invicem.

In primo videmus, quid dixerint. Dixerunt carmen, atque id Chriſto. Carmen fuerit, etiamſi non caneretur. Nam *carmen* vocarunt Romani, quicquid conceptis verbis diceretur. Neque ex Juſtino cognoſcas, proſa fuerit, an vincta oratio. Solùm ait, præſidem cœtûs pronunciâſſe preces publicas; ac populum reſpondiſſe AMEN. Sed propriè *carmen* eſt canticum. Nam veteres *caſno* dixere pro *cano*. Inde *Caſmeinai*, pro *Camœna*. Sed S mutabant ſæpè veteres in R. Unde poſteriores ex *Papiſii*, *Valeſii*, *Auſelii*, fecere *Papirii*, *Valerii*, *Aurelii*: item ex *Laſes*, & *aſena*, *Lares*, & *arena*. Similiterque ex *caſmen* fecere *carmen*. Atque ita Plinius videtur uſus eſſe voce *carminis*. Siquidem Hieronimus in Chronico Euſebii ſic ad annum ſcribit MMCXXIII: qui decimus eſt Trajani: *Plinius Secundus, quæſivit de Traiano, quid facto opus eſſet, nuncians ei præter obſtinationem non ſacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Chriſto ut Deo, nihil apud eos reperiri.* Ac moris fuiſſe Chriſtiani, ut cantu Deum & Chriſtum celebrarent, cognoſcimus etiam ex Tertulliano, cujus mox verba adſeram. Factumque id ex præcepto Apoſtoli, cujus hæc verba ad Coloſſ. cap. III. verſ. 16. Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως ἐν πάσῃ σοφίᾳ· διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ. *Verbum Chriſti inhabitet in vobis copioſe, opulenter cum omni ſapientiâ, docendo & commonefaciendo vos mutuo pſalmis, hymnis & cantionibus ſpiritualibus, cum gratia canentes in corde veſtro Domino.* Ubi tria adfert genera illorum, quæ canerentur. Ea ſic diſtinguit B. Hieronimus cap. V. ad Epheſios. Pſalmos ait continuiſſe materiem Ethicam, nempe quid faciendum, aut vitandum: hymnos celebrâſſe Deum, ejusque beneficia: cantica autem prædicâſſe mundi artificioſam compagem. De tertio non video unde poſſit adſtruere. Sed de primo, ſecundoque, non adverſer. Sanè & Chryſoſtomus in cap. III. ad Coloſſenſes homil. IX, ait Pſalmos omne argumentum continere: etiam de moderatione & temperantiâ, deque fugiendâ malorum conſuetudine: unde primus Pſalmus orditur: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum.* Cui ſimile hoc Pſal. LII: *Non ſedit cum concilio vanitatis.* Atque item Pſalm. XIV: *Nihili factus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.* Habent igitur Pſalmi etiam multa moralia. At hymni nihil humani: ſed tantum laudes Dei. Verba Chryſoſtomi ſunt: Οἱ ψαλμοὶ πάντα ἔχουσιν· οἱ δὲ ὕμνοι πάλιν οὐδὲν ἀνθρώπινον. Unde colligit hymnos eſſe θειότερον πρᾶγμα, *divinius quid.* Itaque inquit, αἱ ἄνω δυνάμεις ὑμνοῦσιν, οὐ ψάλλουσιν· *ſuperiores poteſtates*, ſive Angeli, *hymnum canunt, non pſallunt.* Beza autem ſic diſtinxit. Pſalmos cenſet vocari, qui Hebræis מזמורים *miſmorim*; hymnos, qui iiſdem תהלים *tehillim*: cantica ſive odas, quæ illis שירים *ſihirim*. Pſalmos fuiſſe cujuſvis argumenti: hymnos ſolùm continuiſſe laudes Dei: odas argumento quidem cum pſalmis, & hymnis conveniſſe: ſed fuiſſe magis ex arte elaboratas. Mea ſic fert ſententia, pſalmos quidem propriè eſſe cantiones ad hoc factas, ut pſalterio, vel alio organo muſico canerentur, ſed hic laxius ſumi pro quibuſvis canticis ſacris: vocabulo autem generali ſubdi duas ſpecies, quarum hymnus eſſet in laudem Dei: oda autem contineat alias cantiones ſacras. Hæc de *carminis* vocabulo.

Subdit Plinius, carmen Chriſto, ut Deo, ceciniſſe. Pro quo apud Tertullianum eſt *Chriſto, & Deo.* Sed Tertullianus ex Plinio corrigendus. Apud Euſebium eſt, τὸν Χριστὸν Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν. *Chriſto more ſive inſtar Dei hymnum cani.* Hinc quoque videas, Chriſtum judicio Chriſtianorum fuiſſe Deum. Gentiles non habebant Chriſtum pro Deo; ſed ſophiſtâ potius, & impoſtore: ut ex Luciano cognoſcimus. At Chriſtianis is erat filius Dei unigenitus, per quem mundus eſſet conditus. Plinius igitur ait, eum à ſuis pro Deo cultum. Itaque & carmen, quo celebraretur, *hymnus* vocabatur. Nam apud Euſebium pro eo, ut dixi, eſt ὑμνεῖν. At ὕμνος eſt ᾠδὴ εἰς Θεόν: ut eſt apud Menandrum Rhetorem libro de genere Demonſtrativo: quem in corpore antiquorum Rhetorum Aldus excudit, ac Natalis Comes Latinè vertit. Fatendum tamen, interdum laxius eam vocem ſumi: ut cùm Athenæus lib. IV. epithalamium vocat γαμικὸν ὕμνον. Quod more factum poëtarum: qui, ut in Electram Sophoclis ſcholiaſtes * annotavit, hymni voce abuti ſolent pro quavis odâ. Sed nos de propriâ loquimur ſignificatione: non poëtarum abuſu. Et clarè, cujuſmodi fuerint illi hymni, indicat Euſebius lib. V. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. XXVII, ubi de Artemonis hæreſi agit, ex Anonymi opere, ſed qui non multò poſt Irenæum vixiſſe videatur, laudat varios, qui divinitatem Chriſti agnoverint. Interque alia loquitur de pſalmis à fratribus jam olim compoſitis, quibus divinitas Chriſti adſeratur. Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι, καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· *Quot item Pſalmi, & hymni à fratribus fidelibus perſcripti ab initio ſunt, qui Chriſtum, verbum Dei, Deum eſſe concentu ſuo celebrent.* Antiquiſſimorum verò Patrum hæc fuit δοξολογία. Δόξα Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, καὶ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. *Gloria Patri, Filio, cum Spiritu ſancto.* Ut auctor eſt Baſilius Magnus libro de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. XXIX. Sed ut oſtenderetur adverſus Arrianos æqualitas gloriæ, maluere poſtea: καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, *Et Spiritui ſancto.* Nec aliâ mente priùs σὺν uſurparunt: unde Baſilius eodem libro cap. XXVII: Εἴρηται μὲν οὖν ὅτι ταυτὸν ἐστι πρὸς διάνοιαν εἰπεῖν, δόξα Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, σὺν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ· καὶ, δόξα Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. *Dictum eſt igitur, idem eſſe, quod ad ſenſum, ſive dicas, Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu ſancto, ſive dicâs, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Arrianis autem talis formula; ut ibidem legas cap. XXV: Σοὶ τῷ πατρὶ, ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. *Tibi Patri honor, & gloria, per unigenitum tuum Filium, in Spiritu ſancto.* Toletani Patres anno IↃCXXXIII. can. XII, præſidente Iſidoro, Epiſcopo Hiſpalenſi: ſtatuunt, cùm Apoſtolus I Tim. II. fieri præcipiat preces Eccleſiaſticas; non eſſe rejiciendos eos hymnos, qui ſtudio humano compoſiti ſunt in laudem Dei. Fas etiam priùs compoſitis aliquid addere: unde iidem cap. XIV decernunt, ut deinceps non *Gloria Patri*, ſed *Gloria, & honor Patri* dicatur. Sed hoc non eſt firmatum conſuetudine Eccleſiaſticâ, ut ad eum canonem annotavit Garſias Loayſa.

* Pag. 99 edit. H. Steph.

Tertium in capite ſecundo erat, quod carmen ſive hymnum *ſecum invicem* dicerent Chriſtiani. Nempe eò reſpicit quòd non ſolus caneret ſacerdos, ſed alii quoque canendo ſe invicem provocarent. Unde Tertullianus in Apologet. cap. XXXIX, poſtquam de Agapis dixerat, ſubjungit: *Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Ac ſimiliter ſcribit in ſecundo ad uxorem libro.

Solius verò Chriſti meminit Plinius, quia hoc ſingulare haberent Chriſtiani. Nam Deum, ſed ſuo more, etiam gentiles celebrabant. Ad tertium nunc me confero confeſſionis caput: quod ſimiliter eſt tripartitum.

Primùm enim refert, quod ſe ſacramento obſtrinxerint Chriſto.

Hinc ſequitur, ad quæ ſeſe obſtrinxerint.

Deinde ut poſt hoc ſacramentum poteſtas fuerit abeundi, ac poſtmodo conveniendi iterum ad cibum unà capiendum, ſed promiſcuum, & innoxium.

In primo, etſi vox ſacramenti variè ſumatur, hic eam uſurpat pro juramento. Nam ut milites Romani jurabant ſe ituros, quò juſſiſſet Senatus, populuſque Romanus: ita in baptiſmate nos obligamus Imperatori Chriſto, velle nos diabolo, & angelis ejus renunciare, inque omnibus obtemperare Chriſti mandatis.

Hinc ſubjungit ad quid ſe obſtringant; non, inquit, ad ſcelus aliquod, ut ſeditioſi cives ſolent: ſed ne committerent, vel furtum, vel latrocinium, vel adulterium, vel fidem fallerent, aut depoſitum abnegarent. Quorum primum prohibetur præcepto decalogi octavo; alterum, ſexto; tertium, ſeptimo; quartum, & quinctum, nono.

Venio nunc ad caput Confeſſionis quartum. Quo narrat, ut poſt ſacramentum illud poteſtas fuerit abeundi, ac deinde redeundi ad convivium: illud videlicet, quod Ἀγάπη dicitur: quomodo etiam ab Apoſtolo Judâ in epiſtolâ ſuâ nuncupatur. Ut mirum ſit appellationem illam à Clemente Alexandrino in Pædagogo improbari. Sanè ratio nominis in aperto eſt, quia hujuſmodi convivio diligere ſe proximum, etſi pauperem, teſtabantur. Unde Tertullianus in Apolog. *Inopes*, inquit, *refrigerio iſto juvamus.* Benè autem eſt, quòd cùm gentiles objecerint Chriſtianis cœnas Thyeſteas: Plinius, qui cauſſis Chriſtianorum præerat, clarè dicat, cœnas iſtas fuiſſe non cibi modò promiſcui, ſive vulgaris, & ut Græci dicunt, εὐτελῆ, ſed etiam innoxii: qualis minimè fuiſſet ὠμοφαγία, quâ liberos ſuos devorarent.

Supereſt quinctum confeſſionis caput: quo narrat duo. Prius eſt, quomodo hæc quidem fuiſſent olim: ſed id facere deſierint. Alterum eſt cauſſa, cur deſierint. Ea fuit Plinii edictum, ex Trajani Cæſaris mandato, quo ἑταιρίαι, ſive ſodalitium conventus vetabantur. Icciroo autem fuit iis interdictum, quia, præſertim in urbibus magnis, & ad ſeditionem pronis, occaſionem videbantur præbere ad conſpirandum adverſus Cæſarem, & Imperium. Erant quidem conventus hi inſtituti ad mutuum amorem civium fovendum. Sed imperatores, ac præſides, nolebant eum amorem nimium eſſe: quia facile poterant conſpirare ad vindicandum ſeſe in libertatem. Quare ab illâ concordiâ non injuriâ ſibi metuebant: ac interdum prætulere aliquem animorum diſſenſum: ſed qui non erumperet in nervum. Sanè Porcio Catoni etiam ſuſpectus erat mutuus ſervorum amor: unde liticulas, ſi quæ inter eos erant, fovebat. &, ſi non reperiret, ſerebat eas ſponte. Sic tollebat occaſiones conſpirandi inter ſe cum domini damno.

Hactenus de priori parte eorum, quæ ad fidem, & vitam Chriſtianorum pertinent. Ea hauſta fuit ex iis, qui fuerant Chriſtiani. Sequitur nunc altera, ex confeſſione duarum diaconiſſarum, quas tormentis ſubjecerat, ut meliùs veritatem cognoſceret. Ubi primò videndum, cur alter etiam exquirendum veritatem putarit: hinc verò ex quibus: deinde quomodo: ac poſtremò quid cognoverit. De tribus prioribus ſic ſcribit Plinius: *Quò magis neceſſarium credidi ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere.* Primùm hic videmus, cur non contentus fuerit confeſſione eorum, qui fuerant Chriſtiani. Poterant illi non ſatis intellexiſſe religionem, à quâ defecerant. Voluit igitur id quod res erat ex iis reſciſcere, qui Chriſtiani forent. Ad hoc potiſſimùm elegit ſequiorem ſexum, quia cùm imbecillior ſit, facilius ſuccumberet tormentis. Ex hoc ſexu maluit torquere ancillas, quia nihil haberet ea res inſolens, ſi ſervi, vel ancillæ, quæſtioni ſubjicerentur. Denique non quaſvis ancillas æquè idoneas putavit: elegit autem miniſtras Eccleſiæ: ſive, ut Græci dicunt τὰς διακόνους: poſteriores vocarunt diaconiſſas, ut etiam appellantur in Jure. Quod ad quæſtionem de tormentis, abunde de iis diximus in Oratoriis Inſtitutionibus lib. I. cap. ult. ſect. v. Hoc igitur loco non de tormentis, ſed de tortis loquar. Ubi primùm quæritur, an quæ ancillæ alicujus forent, poſſent inſervire Eccleſiæ. Deinde quod fuerit miniſtrarum, ſive diaconarum munus. De priori ſic ſtatuendum: Chriſtianos non arcuiſſe aliquem à miniſterio Eccleſiæ ob conditionem ſervilem. Sic videmus Oneſimum à Paulo συνεργὸν appellari. Miniſtræ ſive diaconiſſæ inſtitutum eſt ab Apoſtolis: ut liquet ex I Tim. v. 9. ubi requiritur, ut ad hoc munus eligatur vidua annorum LX. Nempe quia juniores viduæ, poſtquam ſe addixiſſent miniſterio, (eoque etſi viduitatem perpetuam non promiſiſſent directè, indirectè tamen ex eo, quòd diaconiſſæ munus ſuſcepiſſent, cœlibis vitæ genus pollicitæ forent) nubendo deinceps promiſſo excidiſſent, non levi Eccleſiæ ſcandalo ob eam inconſtantiam. Atque hæc ſexagenaria ætas etiam præcipitur in Codice Theodoſiano leg. XXVII. Tit. de Epiſcopis. Poſtea tamen ſolùm requiſita ætas quadragenaria; ut videre eſt ex Concilii Chalcedonenſis can. XIV: *Diaconiſſam non debere ante annos XL ordinari ſtatuimus, & hoc cum diligenti probatione.* Quam & ætatem Wormatienſe Concilium anno DCCCLXVIII comprobavit can. LXXIII, qui planè ex Chalcedonenſi expreſſus. Etiam ad Roman. cap. ult. verſ. I. mentio fit Phœbes, quæ Eccleſiæ Cenchreenſis διάκονος fuerit, ac literas Pauli ad Romanos deferret. Ubi ſcio vocabulum τῆς διακόνου laxè ab aliquibus accipi, ut ſic dicatur ob officia charitatis, quæ Chriſtianis præſtaret. Sed prorſus de eâ, quæ in Novellis *diaconiſſa* dicitur accipit non Origenes modò, ſed etiam Chryſoſtomus.

Munia diaconiſſæ varia, fuerunt: unde Clemens Romanus Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. III, cap. XV: Εἰς πολλὰς χρείας γυναικὸς χρῄζομεν διακόνου. *ad multos uſus indigemus diaconiſſâ.* In his duo præcipuè erant. Prius pertinuit ad nudas feminas: Nam, ut idem ſubjungit, οὐκ ἀνάγκη τὰς γυναῖκας ὑπὸ ἀνδρῶν κατοπτεύεσθαι. *nihil opus, ut viri inſpiciant feminas.* Ac primùm hoc miniſterio uſi fuere in feminarum baptiſmo. Quarum veſtes exuebant, & dum aquam ingrederentur, circumſiſtebant: nequid inverecundè ingereretur oculis ſacerdotis. Hunc earum uſum etiam indicat Epiphanius hæreſi LXXIX, quæ eſt de Collyridianis. Requirit enim eas δι' ὥραν λουτροῦ, *baptiſmi tempore:* atque hoc ἕνεκεν σεμνότητος τοῦ γυναικείου γένους. *ut conſulatur honeſtati ſexus muliebris.* Ac ſubdit, quod clarius rem aperit, Ὅτε γυμνωθείη σῶμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ὑπὸ ἀνδρῶν ἱερουργούντων θεαθείη, ἀλλ' ὑπὸ τῆς διακονούσης, ἣ ἐπιτάσσεται ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐπιμελεῖσθαι πρὸς τὴν ὥραν τῆς ἐπιδυομένης γυναικὸς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ τοῦ σώματος αὐτῆς γυμνώσεως, τοῦ τάγματος τῆς εὐταξίας, καὶ Ἐκκλησιαστικῆς εὐνομίας ἐπισημόνως, ἐν μέτρῳ κανόνος ἐφόδερα κεφαλισμένης. *Cum nudandum eſt mulieris corpus, ne virorum ſacris operantium conſpectui ſit expoſita, ſed diaconiſſæ; quæ mandato Sacerdotis, curam gerit mulieris, quando veſtibus exuitur. In quo tum conſtitutioni ordinis boni, tum præſcripto Eccleſiaſticæ diſciplinæ prudenter eſt conſultum.*

Eſt alter præterea uſus diaconiſſæ. nam, ut ait Clemens loco ante memorato. Ἔστιν ὅπου ἐν τισὶν οἰκίαις ἄνδρα διάκονον γυναιξὶν οὐ δύνασαι πέμπειν διὰ τοὺς ἀπίστους· ἀποστελεῖς οὖν γυναῖκα διάκονον διὰ τὰς τῶν φαύλων διανοίας. *Eſt cùm in quibuſdam domibus non poſſis propter infideles mittere diaconum: eoque mittenda ſit mulier propter cogitationes malorum hominum.* Atque in primis hoc locum habet tempore perſecutionis, cùm mulier mittitur, ſive ut miſeros corroboret hortando, vel ſolando; ſive ut pauperes, vel ægrotos ope adjuvet.

Videntur & foribus ac veſtibulis præfuiſſe, quibus in templis diſtinguerentur portæ ſic, ut aliis viri, aliis egrederentur epiſtolæ. Saltem in ſuppoſititiâ Ignatii epiſtolâ, quæ inſcribitur Antiochenis, legas: Ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. *Saluto cuſtodes ſanctarum portarum, miniſtras in Chriſto.* Imò Clementi etiam lib. VII. Conſtitut. cap. XXVIII. dicitur φυλάττειν τὰς θύρας, *cuſtodire fores.* Ac meminit idem diaconiſſarum lib. II. cap. 26, ubi interdicitur, ne qua mulier ad epiſcopum vel diaconum, ſine diaconiſſâ accedat. Mentio quoque earum lib. III. cap. XIX. Apud Latinos

verò

verò diaconiſſarum uſus eſt abrogatus concilio Aurelianenſi II, quod celebratum anno IↃ XXXIII, vel triennio poſt. Idemque aliis quibuſdam Conciliis factum fuit. Atque hæc de munere diaconiſſarum.

Subdit deinde Plinius, quid fuerint confeſſæ, nempe his verbis: *Sed nihil aliud inveni, quàm ſuperſtitionem pravam & immodicam.* Fidem igitur Chriſtianam improbat: in vitâ nihil reperit, quod damnaret. Quod validè oſtendit innocentiam vitæ: eorumque impudentiam clarè arguit, qui iſta ſpargerent de Oedipodioniis mixtibus, infanticidio, ac ὠμοφαγία. Sed valde homo, in religione noſtrâ cæcus, à januâ, quod dicitur, aberrat, quando Chriſtianam religionem vocat pravam, & immodicam Superſtitione. Nec enim religio noſtra eſt ſuperſtitio; ſed nata ſuperſtitioni ex animis radicitus evellendæ.

*Superſtitionem* tamen vocat, quia contineret cultum numinis; ſed non ejuſmodi, quo toto penè orbe traditam à majoribus religionem tenerent: ſed novam ei adverſam amplexarentur. Addit *pravam* religionem, quia legibus vetitum foret, ne quis novam religionem induceret; quia nihil æquè periculoſum Reip. videretur. Addit quoque eſſe immodicam; partim quia ita Chriſtum colerent, ut nollent cum ejus cultu ſociare Deorum gentilium cultum: partim eò quòd uſque adeò tenaces eſſent propoſiti, ut occidi mallent, quàm Chriſtum diffiteri, ejuſque loco agnoſcere Deos gentiles.

Hæc dicta ſunto de narratione, tum modi, quem in cognitione cauſſæ iniverat Plinius: tum eorum, quos examinarat confeſſione. Supereſt pars poſtrema, quæ ſuaſio eſt, ſive conſilium. Ad quod tranſit his verbis: *Ideoque dilatâ cognitione ad te decurri.* Quaſi dicat: Quod initio epiſtolæ dicebam, propoſitum mihi eſſe, ut te conſulerem, id cujuſmodi ſit, exiſtimo liquere ex ſuperiori narratione meâ. Scio facinora puniri debere ſecundùm leges; neque judicem legibus debere eſſe ſapientiorem: eoque nec debere eum illachrymari, quando ferenda eſt ſententia. Sed hæc quæſtio eſt extraordinaria, utrùm puniendus ſit, qui nullum facinus commiſit: ac ſolùm culpatur, quia ſit Chriſtianus: h. e. (ut Plinius vocat) pravæ, & immodicæ ſuperſtitionis reus. De hoc enim nihil eſt legibus definitum.

His ſubjicit, quid exiſtimet expedire. Satis verò oſtendit, ſibi videri, pertinaces debere puniri: quod & antea dixerat: ſed enim ſiqui ſe emendare vellent deſerendo religionem Chriſtianam, amplectendo gentilem, veniam iis dandam eſſe; ut ſic, ſicut eſt in legibus XII Tabb. idem ſit jus Sanatibus, quod fortibus. hoc eſt; eos qui poſt deſertam religionem majorum, ad ſaniorem redierint mentem; eo loco haberi oportere, quo tempore belli ſolent fortes: hoc eſt, qui nunquam defecerint, ſed fortiter ac conſtanter ſemper pro partibus Romanis pugnarint:

Hanc ſententiam bifariam probat. Ac primò è multitudine periclitantium. Deinde à ſpe emendationis multorum. Magnitudinem periculi oſtendit bifariam. Primùm quia in omni ætate, imò & ordine omni, ac utroque etiam ſexu, permulti ſint Chriſtiani. *Viſa*, inquit, *eſt mihi res digna conſultatione; maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur.* Tam, inquit, pueri & ſenes, quàm ætate florentes; tam in dignitate conſtituti, quàm vulgares animæ; tam feminæ, quàm viri, in periculum veniunt: ac, ne ſic malum ceſſaturum putes, deinceps etiam idem periculum durabit: Triplex hoc diſcrimen ætatis, ordinis, ſexus etiam, Tertullianus ob oculos ponit Scapulæ, Præſidi Carthaginenſi; *Quid facies*, inquit, *de tantis millibus hominum, tot viris, ac feminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus ſe tibi?* Addit deinde Plinius alterum etiam argumentum ad oſtendendum, quanta ſit periclitantium multitudo. *Neque enim*, inquit, *civitates tantùm, ſed vicos etiam, atque agros, ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt.* Ubi initio nominat civitates, quia in his primò prædicatum eſt Euangelium, primò etiam creditum. Poſtea idem annunciatum in pagis, agriſque: ac propterea etiam in vicis. Nam ut è pluribus domibus fit vicus: ita è pluribus vicis, pagus. Unde diſtinguit Tacitus de moribus Germanorum. *Eliguntur, qui jura per pagos, vicoſque reddant.* In pagis, viciſque tardiùs omnino Euangelium eſt receptum, partim quia præcones Euangelii magis amarent urbes, præſertim amplas, ubi plures poſſent Chriſto lucrifacere; faciliùs etiam in magna hominum copiâ latere ac effugere poſſent perſequentium manus: partim etiam, quia ruſtici minùs eſſent curioſi eorum, quæ ad religionem pertinerent: ac vel ſtupore animi, vel pertinaciâ quadam, ſuperſtitionem antiquam, manu vel mente potiùs, tanquam claudus ſutor, quod dicitur, pilam manu retinerent. Unde & factum, ut paſſim per urbes receptâ religione Chriſtianâ, in pagis tamen non exiguus ſupereſſet gentilium numerus. Itaque Chriſtiani eos, qui cùm iſtiuſmodi hominibus ſaperent, utcumque & ipſi in urbibus viverent, *paganos* tamen dixere. Prudentius in Romano ſimiliter vocat *deditos pago*, hoc eſt, paganæ addictos religioni. Mihi hæc ſatis ſimplex, eoque non abſimilis vero nominis ejuſce ratio videtur. Nec tamen ignoro, aliis aliud videri. Putant enim eò per paganos intelligi gentiles, quia Chriſtiani militarent ſub Chriſti vexillo; ac milites & pagani, hoc eſt στρατιῶται, & ἀστράτευτοι, opponerentur; uti & habitus paganicus, ac militaris. Unde hic ipſe Plinius lib. VII. epiſt. XXV, quæ ad Ruſum: *Athenis vivere hominem, non in villâ putes. Quid multa? auxit ſollicitudinem meam, effecitque, ut illis, quos doctiſſimos novi, non minus hos ſeductos, & quaſi ruſticos verear. Idem ſuadeo tibi. Sunt enim, ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris, plures cultu pagano, quos cinctos, & armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio, diligentiùs ſcrutatus, invenies.* Ac ſimiliter poſſit Perſius videri, ſe ſemipaganum, quaſi ſemipoëtam, appellare: hoc eſt, rudem adhuc in Poëticæ caſtris ſtudioque ejus potiùs leviter tinctum, quàm penitùs imbutum.

Imò & tertia eſt opinio, quæ τῷ πάνυ [a] Salmaſio placet, & mihi probatur impensè, ut *pagus* ſignificet non vicum in territorio urbis ejus, cui ſubeſſet: ſed totam quampiam præfecturam, etiam gentis ſatis populoſæ. Quomodo univerſa Helvetiorum gens Cæſari in quatuor pagos dividitur. Hinc Gloſſæ, quæ Philoxeni dicuntur: Pagus, τοπαρχία, χώρα πς, νομός. Atque ab eâ *pagi* ſignificatione eſt Gallicum *pays*. Quare quia pagus hic valet ἔθνος, ſive gens, eò arbitrantur, ſicut ἐθνικοὶ, & *gentiles*, ita etiam *paganos* eſſe nominatos. Cod. Theodoſ. de Hæreticis lege XLVI. *Judæi, atque gentiles, quos vulgo paganos appellant.* Nempè ἔθνος à Chriſtianis non ſemper reddebatur *gens*, unde *gentiles*, ſed etiam *pagus*, unde *paganicus*: imò & *natio*. Quomodo Arnobius ſcripſit *contra nationes*. Sic enim inſcriptio habet in aliquibus MSSis. Hoc inde eſt, quod omnes extra populum Dei vocarent *gentes*, *paganos*, *nationes*: idque ad exemplum Sacræ ſcripturæ, ubi גוים, & ἔθνη, nuncupantur.

[a] Ad Vopiſcum Notis.

Ex hiſce de Chriſtianis per oppida, pagos, atque agros, diffuſis colligere Plinius voluit, quanta foret Chriſtianorum multitudo: ut mirè cædibus fuerit graſſandum, ſi promiſcuè eſſent tollendi, tùm qui aliquando fuiſſent Chriſtiani, tum qui adhuc forent, ſive in eâ perſiſterent, ſive ab eâ moniti diſſiderent. Hac multitudine Chriſtianorum, etiam movere Scapulam præſidem voluit Tertullianus, ne ſic perſequeretur Chriſtianos. Poſt enim verba ſuperiùs adlata proximè ſubjungit: *Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipſa Carthago paſſura eſt, decimanda à te ferentibus ſe tibi?* Ubi tangit conſuetudinem Romanam, quâ ſi manipuli aliquot deſeruiſſent locum, vel legio tota, pluresve, ſeditionem concitaſſent, non in omnes quidem animadvertebatur, ſed decimus quiſque ſorte peribat; unde hoc ſupplicium *decimationem* dixere: pro quâ, qui clementiores eſſent, vel videri vellent, viceſimatione interdum contenti erant, vel etiam centeſimatione: ut de Opilio Macrino narrat Capitolinus. Quærit igitur Tertullianus ex Scapulâ præſide, an in tantâ Chriſtiano-

norum multitudine paratus ſit, populum penè univerſum neci dare, an decimatione velit uti. Verùm decimatio etiam non Tertulliano modò, ſed etiam Plinio, viſa eſſet crudelis. Objici poterat, quò major eſt peccantium numerus, eò acerbiora debere irrogari ſupplicia: ut cæteris major injiciatur terror. Sanè ſic leges quædam præcipiunt. Sed enim nec deſunt exempla, quibus ob multitudinem mitiùs eſt conſultum. Plinius igitur, cùm crudele putaret Bithyniam ac Pontum, ſuppliciis exhaurire, meritò de tantâ Chriſtianorum multitudine certiorem facere voluit Trajanum.

Hinc jam ad alteram Plinius rationem tranſit, quæ eſt ſpes emendationis; quam concipit de plurimis, ſi pœnitentibus venia detur. Eam verò ſpem, ut ait, injecerunt hæc tria. I. Quia templa iterum frequententur, quæ priùs fuerant deſolata. II. Quia ſacra celebrentur, annis pluribus intermiſſa. III. Quia vendantur victimæ, quæ antea rarum inveniebant emtorem.

In hiſce duo tempora eſt obſervare: cujuſmodi fuiſſet, & quale foret. De priori ait, antea templa fuiſſe deſolata, ſacra diu intermiſſa, rarum victimarum emtorem. Unde clarè videmus, quanta fuerit potentia Euangelicæ prædicationis, & quidem iis temporibus, qui partim extremis Apoſtolorum temporibus, partim mox ab eorum exceſſu, viguerunt. Quid igitur futurum erat, niſi plurimos abſterruiſſet perſecutio.

Sed Plinius attendere poſterius tempus jubet: nempe quod, corrigere ſe paratis ſpe veniæ factâ, ſecuta ſit magna rerum immutatio. Sic enim ſcribit: *Ex quo facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſſit, ſi ſit pœnitentiæ locus.* Ac credimus de eo Plinio, quòd plurimi defecerint, ubi videre ignoſci iis qui fuiſſent Chriſtiani, modò à fide eâ abſiſterent: capite autem pœnas luere, qui nollent deficere. Per multum enim in animis hominum potuit, hinc impunitatis ſpes, inde ſuppliciorum terror. Sed enim valde ratio fugit Plinium, ſi exiſtimavit, hoc pacto deleri poſſe religionem Chriſtianam. Cunctis enim temporibus veriſſimum illud fuit Tertulliani effatum, *Sanguis martyrum ſemen Eccleſiæ.* Atque hoc etiam in Bithyniâ, & Ponto, quibus præfuit Plinius, ſatis comprobant frequentia martyria, quæ fuere poſt Plinii tempora. Imò ne quidem Cæſar Diocletianus exſtirpare religionem Chriſtianam potuit Nicomediæ, Bithyniæ urbe, ubi palatium haberet. Atque hæc planiora fient ex iis, quæ de variorum Cæſarum edictis adverſus Chriſtianos poſtea narrabimus.

---

# ANALYSIS
## AC
## COMMENTARIUS EPISTOLÆ
# TRAJANI CÆS.
## AD
# PLINIUM SECUNDUM.

HActenus de iis, quæ Plinius epiſtolâ ſuâ ad Trajanum perſcripſit. Nunc de reſcripto Trajani videamus.

Partes ejus ſunt, una de actis, altera de agendis. Prior tum acta comprobat, tum rationem addit. Comprobat acta his verbis: *Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es.* Ubi per *actum* deſignat judicii modum in quæſtione extraordinariâ de Chriſtianis. De quibus quia non foret certa lex, judicium extra ordinem cognitioni magiſtratus debuit relinqui. Atque hoc etiam liquet, ex ratione, quam, cur acta Plinii probet, proximè ſubjungit. Sic enim ſcribit: *Neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat conſtitui poteſt.* Nempe valde falluntur, qui ubique exigunt regulas generales, cùm ſæpè id fieri non poſſit, ac in jure imprimis id ſit periculoſum. Variat enim cauſſa ſive factum pro circumſtantiis: ſunt verò hæ propè infinitæ. Ut hic omnino locum habeat, quod præclarè ſcripſit Ariſtoteles lib. 1. Politicorum, Τοῖς κατὰ μέρος ἐπισκοποῦσι μᾶλλόν ἐστι δῆλα τὰ πράγματα· καθόλου δ' οἱ λέγοντες, ἐξαπατῶντες ἐξαπατῶσιν αὐτούς. *Iis, qui ad partem aliquam attendunt, omnia ſunt manifeſta magis: ſed qui univerſè pronunciant decipientes ſe ipſos decipiunt.* Sanè Lex non poteſt rationem habere omnium circumſtantiarum, cùm ſint infinitæ. Atque ideò lege etiam latâ ſæpè opus recurri ad æquum, & bonum: quod eſt quædam Legis emendatio. Nam hoc pacto ſuppletur, quòd in univerſali non erat exceptum. Iccirco Caligula, quaſi omnem juris ſcientiam aboliturus, minabatur Juriſconſultis, *ſe effecturum, nequid reſpondere poſſent præter æquum.* Sic enim eſt in pleriſque libris, non *præter eum*, quod ne Latinum quidem. Nam *præter ſe* fuiſſet dicendum. At amici noſtri emendatio *præter reum* reſcribentis, planè repudianda.

Conſequitur pars epiſtolæ altera, quam de agendis eſſe dicebamus. Eſt hæc tripartita.

I. Præcipit, ut non inquirantur, ſed puniantur delati, & convicti.

II. Nec hi omnes, ſed non reſipiſcentes.

III. Nec omnium cauſſa admittatur, ſed eorum, qui delati ſint ab indice, non incerti libello.

De his nunc agamus fuſiùs. Primâ parte ait, *Conquirendi non ſunt: ſi deferantur, & arguantur, puniendi non ſunt.* Priùs de conquiſitione videamus: deinde de pu-

Digitized by Google

punitione. Negat à Præſide debere conquiri: ſed connivendum ei, niſi ab actore deferantur. Sanè ſtante Rep. non potuiſſe reos damnari, niſi accuſatos, etiam apud Ciceronem legas pro Roſcio Amerino. Hac igitur parte melius de Chriſtianis ſenſit Trajanus, imperator gentilis, quàm Chriſtiani illi, qui non in Mahumedanos modò inquirendum putarunt: ſed etiam Chriſtianos hæreſios ſuſpectos. Notum ex ſanctâ, ſi Deo placet, inquiſitione Hiſpanicâ, à Dominicanis primò in Hiſpaniis introducta. Mitior Trajanus in Chriſtianos, quàm ejuſmodi Chriſtiani.

Ab inquiſitione tranſit ad punitionem. Ac priùs negat poſſe puniri, niſi accuſentur. In quo abit à Tiberio Cæſare: ſi is, (ut Oroſius lib. VII. cap. IV. narrat.) cùm à Pilato, præſide Palæſtinæ eſſet literis edoctus, de Chriſti miraculis ac reſurrectione, ad Senatum retulerit de eo in Deos referendo; cumque Senatui, præcipuè Sejano refragante, id perſuadere non poſſet, edicto tamen accuſatoribus Chriſtianorum mortem fuerit comminatus. Sed cur id parum nobis fiat veriſimile, oſtendimus lib. de annis paſſionis Dominicæ ad Theſin XXIV. *a*.

a Pag. 29.

Non contentus verò dicere de delatione ſive accuſatione, ſubjicit deinde, opus præterea eſſe, ut arguantur. Nempe non ſuffecit, ſi deferrentur. Quis enim, ſi ſatis ſit accuſaſſe, innocens futurus? Præterea igitur exigit ut arguantur: hoc eſt, ejus eſſe ſectæ convincantur. Nam *arguere* eſt demonſtrare: unde *argumento* nomen. Sic Maro ait IV. Æn. *Degeneres animos timor arguit.* Sed ſi non delati modò, ſed etiam Chriſtiani eſſe comperiantur, puniri eos jubet Trajanus. Quâ in re cum aperta ſint Trajani verba, deceptus planè videtur Sulpitius Severus lib. II. Hiſtoriæ ſacræ: quando ſic ſcribit: *Tertia perſecutio per Trajanum fuit; qui cum tormentis, & quæſtionibus, nihil in Chriſtianis morte, aut pœnâ, dignum reperiſſet, ſæviri in eos ultra vetuit.* Niſi fortaſſe conciliari Sulpicius cum hac Trajani poſſit epiſtolâ. Ut ſi dicamus, priùs, à Plinio, Bithyniæ proconſule conſultum fuiſſe, ac tum reſcripſiſſe, puniri oportere: poſtea iterum conſultum à Tiberiano, præſule Palæſtinæ; ac tum reſpondiſſe, non eſſe puniendos, niſi facinoroſos. Hanc qui ſententiam tueri volet, poſſit pro ſe advocare, quæ in voce Τραϊανὸς ſcribit Suidas. Sunt verò iſtiuſmodi: Ὅτι καὶ Τιβεριανὸς ἡγεμονεύων τοῦ πρώτου Παλαιστινῶν ἔθνους, ἀνήγαγεν αὐτῷ λέγων, ὡς οὐκ ἐπαρκεῖ λοιπὸν τοὺς Χριστιανοὺς φονεύειν, ἐκείνων αὐτομάτως ἐπισπευδόντων ἑαυτοὺς τῇ κολάσει. Ἐντεῦθεν ὁ Τραϊανὸς πᾶσιν ἅμα τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀπηγόρευσε τοῦ τιμωρεῖσθαι τούτους. *Iccirco & Tiberianus, qui præerat primæ Palæſtinorum genti, retulit ad eum, ſe deinceps non ſuffecturum necandis Chriſtianis, eò quod ultrò illi ſe neci offerrent. Exinde Trajanus, omnibus, qui imperio ſuo ſubeſſent, interdixit ne eos punirent.* Sive verò ſententiam poſtea mutarit Trajanus, ſive nihil hujuſmodi ſecutum, ſaltem extra controverſiam poni debet, Trajanum Plinio reſcripſiſſe, puniri, qui in Chriſtianâ religione perſiſterent, oportere. Quam Trajani fuiſſe mentem, etiam Tertullianus refert in Apologetico. Atque ex eo ſimiliter Euſebius, τὸ Χριστιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι. Adverſus hanc ſententiam argutè diſputat Tertullianus. *O*, inquit, *ſententiam neceſſitate confuſam! Negat inquirendos, ut innocentes: & mandat puniendos, ut nocentes. Parcit, & ſævit: diſſimulat, & animadvertit. Quid te ipſum cenſurâ circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? ſi non inquiris, cur non & abſolvis?* Equidem nolim Trajani cauſſam agere adverſus Chriſtianos: quam mox impugnabimus. Fatendum tamen hoc dilemma non tam firmum eſſe, quàm primâ facie videatur. Nempe ſubinde illud in dilemmatis uſu venit, ut inter duo illa quibus, quaſi gemino cornu, ferire volunt adverſarium, intermedium ſit tertium: quo oſtenſo, evidens eſt invalentia argumenti. Sic in illo fit Biantis, quo probare voluit, non eſſe ducendam uxorem. Vel, inquiebat; conjux formoſa erit, vel deformis. Si formoſa, erit κοινή: ſi deformis ποινή. Hoc eſt, ſi formæ gratiâ polleat, non tui unius fuerit, ſed communis cum aliis, qui formæ inſidiantur. Sin deformis, quoties intueberis, putabis te videre aliquam Pœnarum, h. e. Ἐριννύων, ſive Furiarum, vel Eumenidum. Ita enim ποινῆς vocem uſurparunt Græci: ac aliqui etiam Latini: nec aliter hic accipere oportet: etſi vulgo ſecus ſumatur. Dilemma hoc omnino vitioſum eſt. Nam præterquam, quòd non omnis formoſa eſt impudica, neque deformis omnis acriori amatori deformis videtur, vel ſaltem non uſque adeo, ut nihilo Furiis ipſis diſtare exiſtimet. Hoc inſuper vitii eſt, quod inter formoſam, & deformem, forma ſit media, quam veteres *ſtatam*, vel *uxoriam* dixere. Exiſtimamus, ſimiliter occurri poſſe argumento Tertulliani. Nec enim par eſt ratio cujuſvis criminis. Eſt ubi poſſis connivere, quamdiu crimen non eſt apertum. Eſt item ubi non poſſis. Multa domi parentes, magiſtri in Scholis diſſimulant, quamdiu ſciri ea neſcitur. Ut inter duo illa, non inquirere, quod neſcis; & punire, quod ſcis; ſit medium, punire quod ſcis, & ſcire te alii ſciunt. Sanè diſpar eſt ratio ſuperſtitioſi & facinoroſi. Utroſque pœnâ dignos cenſuit Trajanus: ſed credidit, poſſe connivere in iis, qui ſolâ ſuperſtitione laborant, non item poſſe in facinoroſis. Quia ut ait Marcianus Juriſconſultus, *Mandatis cavetur, ut præſides, ſacrilegos, latrones, plagiarios conquirant: & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertant.* Quicum illud Ulpiani conſentit: *Convenit bono & gravi præſidi, curare ut pacata atque quieta provincia ſit: & debet malos homines conquirere.* His legibus excipi poſſunt ſuperſtitioſi, qui ſolùm opinione peccant; ut potiùs inter fanaticos ſint habendi, quàm facinoroſos. Neque hæc dicuntur ut Trajanus crimini eximatur: qui Chriſtianos, niſi religionem abjurare vellent, vitâ privaret. Primùm eò fallebatur, quòd Chriſtianos putaret ſuperſtitioſos, cùm id criminis potius gentilibus debuerit impingi; in quibus Trajanus ipſe. Præterea in eo deceptus, quòd crederet, poſſe aliquem ad religionem cogi. Nam ut veriſſimè Lactantius ait, *Nihil eſt tam voluntarium, quàm religio.* Neque tam armis, vel ſuppliciis defenditur, quàm, ut idem ait, patientia, vel morte: quæ & hominem Deo gratum præſtat, & religioni addit auctoritatem. Aberrantes igitur non ferro, ſed πειστικῶς, gladio nempe Dominico, amicis colloquiis, & æquabili jure in rectam reduci viam debent. Sic ſenſit quoque B. Martinus: qui in Ithacio hoc deteſtatus eſt, quòd autor fuerit, ut Priſcillianus capitis ſupplicio afficeretur. Uti notum è Sulpicii Severi ſacrâ hiſtoriâ lib. II, & dialogo III, cap. XIII. Quin idem in II Hiſtoriæ, in iis, qui Chriſtiani cùm eſſent, ſic in hæreticos ſævirent, Antichriſti notam agnoſcebat. Potius igitur audiri debet B. Chryſoſtomus, cùm in epiſt. ad Timotheum ſcribit, pro his εὔχεσθαι δεῖν, οὐ διώκειν, *precari oportere, non perſequi.* Atque hæc de primâ parte agendorum.

Pars altera reſtringit, quod de puniendis dixerat Chriſtianis. Jubet enim id intelligere non universè de omnibus, qui ſint, vel fuerint Chriſtiani: ſed ſolùm de iis, qui non reſipiſcant. Cæteris parci jubet. Tales eſſe ait, in quibus duo concurrunt. Unum eſt, ut negent ſe eſſe Chriſtianos. Alterum, ut id non verbis modò dicant, ſed opere oſtendant. Videlicet Diis ſupplicando: puta thure, & vino. Ait *Diis noſtris:* non Deo Iſraëlis, vel Chriſto: ſed illis, quos Romanum coleret imperium. Si hoc pacto manifeſtum fecerint, ſe non eſſe Chriſtianos, ait eos veniam ex pœnitentiâ impetrare. Nempe quia pœnæ ſatis ſit, quod pœniteret. Sanè *pœnitere*, unde *pœnitentia* nomen, ex eo dicitur, quia dolor ob id, quod quis admiſit, eſt pœnæ genus, quam pœnitens dolendo exigit de ſe ipſo. Quanto mitior Trajanus multis Chriſtianis! Qui pœnitudine ducto non parcunt, ſed ad hoc ſolùm ajunt pœnitentiam prodeſſe, quòd poſt hanc vitam ſit meliùs animæ futurum. Verùm quæſtio ſit, an cui jam ſemel data ſit venia ſuperſtitionis, vel hæreſios, ſecundò etiam debeat ignoſci. Negant Gratianus, Valens, & Valentinianus L. IV, Cod. Theod. ne

fa-

ſacrum baptiſma iteretur. Facile enim eſt perſuadere peccantibus, veniam priùs præſtitam denuo poſſe præſtari: quæ ſi concedi iterum eodem modo poteſt, non intelligimus, cur tertiò denegemus. Ubi obſervo, quod dicunt, veniam non eodem modo præſtari. Non igitur veniam omnem denegant: ſed non eodem modo, h. e. non iterum ſine omni pœnâ. Nimirum voluere ſæpius ſæpiuſque peccanti, pœnam capere incrementum. Sed, quæcumque mens fuerit imperatorum, ſatis conſtat, quotieſcunque ſeria fuerit pœnitentia, Deum homini ignoſcere.

Supereſt tertia pars, de delatis incerti libello. De his ait: *Sine auctore verò propoſiti libelli nullo crimine locum habere debent.* Negat permittendum, ut aliquis accuſetur, niſi accuſator libello nomen ſuum ſubſcripſerit, ſeque obligârit ad calumniæ pœnam ſubeundam, niſi crimen comprobarit. Aliter ſi fiat, non tam libelli erint accuſatorii, quàm famoſi. Ratio deinde gemina ſubjungitur. *Nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.* Exempli ſanè peſſimi eſt, ſi liceat cuivis quemvis accuſare, etiam falsò, quia ſciat, inultum fore, licet falſum fuerit crimen, quod intendit alteri. Scilicet alterum periculo involvet, ipſe ab eo immunis. Hoc fuiſſet calumniatoribus laxare frena, quos compeſci oportebat. Nec ſui ſeculi hoc eſſe ait, quoniam ipſe (ut imperatoribus de ſuis temporibus prædicare mos eſt) in eo totus ſit, ut ſeculum corrigat, ac felicitatem augeat publicam: cui nihil æquè repugnet, quàm ut improbis liceat in omnium famam impunè graſſari.

Atque hæc ſunt ea, quæ Trajanus Plinio reſcripſit. Duo verò præterea apud Plinium leguntur, quæ ſilentio præterit Trajanus. Prius eſt, ut ſibi quoque ſacrificent. Nam ſolùm poſcit, ut Diis ſuis, non ut ſibi etiam ſacrificetur. Hoc omittere modeſtiæ fuit. Satis interim ſciebat, provinciarum præſides hac parte non defore ſuo officio. Jam enim diu obtinuerat conſuetudo, ut Cæſares etiam ſuperſtites, divino honore colerentur: videlicet à temporibus Auguſti: qui primus eſt paſſus ſibi templum & aras exſtrui: ſed initio in provinciis ſolùm: nec niſi pariter nomine Romæ, & ſuo. Quâ de re plura diximus lib. III, de Origine & progreſſu Idololatriæ cap. XVII.

Præterea nec urget Trajanus, ut ſicut Plinius exegerat, Chriſto malediceretur à Chriſtianis. Et hoc alicujus in homine gentili moderationis fuit.

---

# ANALYSIS EPISTOLÆ

# T. ÆLII HADRIANI CÆS.

## AD

## MINUCIUM FUNDANUM

### *De perſecutione Chriſtianorum.*

EPiſtola hæc ab Hadriano ſcripta Latine: etiam eam Juſtinus Apologiæ ſuæ ad Antoninum Pium Latinè addidit. Sed Euſebius, cùm Latinè ſciret, Græcam fecit, ut ipſe lib. IV. Hiſt. Eccleſ. teſtatur c. VIII. Unde fit, ut nunc Apologiæ Juſtini non Latinè, ſed Græcè addatur, quò ſic à Græcis etiam, quorum lingua Juſtinus ſcripſit, intelligeretur.

Scripta eſt epiſtola Minucio Fundano. Quod nomen a fundo. Fundus verò non idem ac ager, ſed ejus pars: quia ager in fundo. A *Fundanus* eſt Fundanius. Fundaniorum Romæ ſatis clara fuit familia. Ex quâ C. Fundanius Fundulus conſul fuit anno Urbis Iↄ x. M. Fundanius ædilis Pl. memoratur Livio l. XXV. tribunus plebis l. XXXIV. C. Fundanius ædilis A. Gellio l. X. c. VI. Etiam Fundaniorum meminere Cicero ad Quinctum fratrem lib. I. epiſt. II, Aulus Hirtius lib. de bello Hiſpanienſi, Horatius ſat. VIII. l. II. Etiam Varronis ſocer fuit C. Fundanius; ut ipſe appellat lib. I. de Re Ruſt. c. II. Imò capite præcedenti indicat ſe uxori ſuæ Fundaniæ mittere librum primum rei ruſticæ, uti ſecundum ſcripſit Nigro Turanio; tertium C. Pinnio. Fuit quoque iiſdem temporibus Gallus Fundanius: ad quem idem Varro ſua ſcripſit Admiranda, Arnobio laudata; item Chariſio, Nonio, Servio, Macrobio, Philargyro. Sed hic de quo ſermo, non Fundanius, ſed Fundanus vocatur. Sane apud Euſebium eſt Μινουκίῳ Φουνδανῷ. Atque idem appellat μεθύπατον τῆς Ἀσίας. *proconſulem Aſiæ.* Et fortaſſe eſt Fundanus ille, cui Plinius lib. VI. Julium Naſonem commendat. Nec tamen Fundanus is erat, qui de Chriſtianis perſequendis judicium rogârat Hadriani; verùm Serenus Granianus. Hic literas ſcripſerat ad Cæſarem Hadrianum, in hanc ſententiam, ut verbis Euſebii dicam a: *οὐ δίκαιον εἶναι ἐπὶ μηδενὶ ἐγκλήματι, βοαῖς δήμου χαριζομένους ἀκρίτως κτείνειν αὐτούς. Sibi iniquum videri, Chriſtianos, nullo objecto crimine, cauſſaque indictâ, quò populi clamoribus ſatisfiat, interimere.* Hunc *Serenum* malo dicere, quàm, ut in pleriſque eſt libris, *Serenium*, quia Romanum eſt nomen, uti in Sereno Sammonico. Euſebio tamen lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. VIII. nominatur Σερέννιος, unde quorundam eſt ſuſpicio *Herennium* vocatum. *Granianus* autem malim, quàm *Grannianus*, quod in aliquibus eſt libris; partim quia & Euſebio ibidem Γρανιανὸς nominetur; partim etiam quia *Granianus* videtur eſſe à Granius, ut ab Æmilius *Æmilianus*, ab Octavius *Octavianus*, à Maximio *Maximianus*, à Juſtinus *Juſtinianus*. Granius verò eſt à grano: ut Fabius à *faba*: alioque flexu à lente Lentulus, a cicere Cicero, à piſo Piſo. Sanè & Granius ille vocatus, qui condidit Aquiſgranum: ut quod ſic dictum ſit ab aquis ſive thermis Grani, ut ab Sextio *Aqua Sextia.*

a Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 8.

Partes epiſtolæ ſunt duæ: prior de cauſſis ſcribendi, altera quæ petitioni Sereni Graniani reſpondet. Dixeris, non Minucio Fundano, ſed Sereno Graniano, reſcribi oportuiſſe. Sed priuſquam integrum foret Cæſari reſcribere, jam è provinciâ diſceſſerat Granianus. Cæſar igitur, qui ſciret eodem in luto hærere Minucium, qui ſucceſſiſſet, ad hunc ſcribendum ſibi putavit. Et fortaſſe id eidem ſuis poſtularat Serenus, ut ſi ſeriùs literæ ſuæ redderentur Cæſari, aut minùs integrum foret continuò reſpondere, ſaltem judicii ſui ſucceſſorem faceret certiorem. Atque hæc prior eſt cauſſa ſcriptionis: quam impellentem dixeris. Nempe Cæſarem ad ſcribendum impulerat Serenus Granianus, Aſiæ proconſul; qui per literas conſulue-

ſolverat Hadrianum de Chriſtianis, ſicut ante eum Plinius Trajanum.

Altera verò cauſſa eſt ratiocinativa: nempe quia id, de quo agendum, ſit res digna cognitione. Quod bifariam adſtruit. Prius eò, quia ſic conſulatur publicæ tranquillitati, quam alioqui turbet plebs depoſcendo clamoribus ſuis Chriſtianos ad ſupplicium, etſi nihil adverſus leges deliquiſſent: ſubinde etiam ſeditionem excitando, niſi memorem ſibi gereret Proconſul. Poſterius argumentum eſt, quia non ſit bono principi ferendum, homines innocentes perire dolis calumniatorum, quo hominum genere nihil juſtitiæ eſt adverſum magis; nihil quoque Reip. peſtilentius.

Hæc de parte epiſtolæ priori. Alterâ docet, quid de Chriſtianis fieri velit. Hæc quoque pars duo continet membra. Prius aperit, quæ ad cauſſæ cognitionem pertinent: poſterius, quæ ad pœnam. De priori duo exſequitur: quomodo, & à quo, cauſſa debeat cognoſci. Quod ad modum, prius ſtatuit de eo legitimè, hoc eſt, ſecundùm leges Romanas, cognoſci oportere. Nempe ut prius ſe actor judicio ſiſtat, ac pariter reus Chriſtianus: atque huic ſe ſui defenſitandi poteſtas fiat. Deinde ſubjungit, quid fieri nolit. *Clamoribus verò*, inquit, *& tumultibus, locus nullus eſto.* Loquitur autem de clamoribus populi, vociferantis, aliquem eſſe Chriſtianum, eoque tollendum. Hæc de modo. Quod ad cauſſæ cognitorem, ſic ait: *De cauſſâ cognoſcere tu debes:* Præcipit igitur, ut non alius quàm proconſul, ſtatuat de cauſſâ: idque tum actore, tum reo, audito.

In alterâ parte, quæ eſt de punitione, tria hæc præcipit: à quo pœna ſit infligenda, & quanta eſſe debeat, & quibus irroganda. De primo ſic ſtatuit; non alium, quàm cognitorem, ſive proconſulem, ipſum nempe Fundanium, punire oportere. Sed punire tum demum jubet, *ſiquid adverſus leges facere Chriſtiani videbuntur*. Quæ verba videri poſſint ambigua. Nam poſſis ſic interpretari: non eſſe in Chriſtianos animadvertendum, niſi ſint facinoroſi. Superſtitionem ſolam non eſſe tanti, ut propter unam hanc cauſſam, pœnas luant, ac quidem capitales. Sed enim, etiam hoc modo exponere liceat, cùm legibus XII Tabularum ſit interdictum, nequis alios inducat Deos; ſed patriam, ſive Romanam religionem ſequatur: puniri Chriſtianos oportere, qui novam ſeu religionem, ſive ſuperſtitionem, doceant. Priori modo intellexit Juſtinus Martyr: ut ex eo cognoſcere eſt, quòd reſcriptum hoc Hadriani ſuæ addiderit Apologiæ. Atque idem judicii eſto de Melitone Sardicenſi: qui & ipſe Hadriani edictum pro Chriſtianis adlegat. Et eò magis hæc ſententia placet, partim quòd Hadrianus non potuerit ignorare ſuperſtitionis omnis ſectas, tam curioſus talium ſcrutator; partim etiam, quòd, pro gentili homine, benignè ſenſerit de Chriſto: ut qui eum voluerit in Deos referre, & hoc fine varia ædificarit templa ſine ſimulachris. Quâ de re ſic Lampridius in Alexandro Severo: CHRISTO (Alexander) *templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitâſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulachris juſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parâſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatò eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.*

Alterum, quod in punitione exigit, illud eſt, *Noxæ pœna par eſto.* Quo non obſcurè oſtendit magnum ſe diſcrimen ſtatuere inter ſuperſtitioſos, ut vocabant, & facinoroſos: ſive inter Chriſtianos, non aliò exoſos, quàm quod Chriſtiani forent, & illos, quos reos peragerent facinoris fœdi, cujus inſimulari ſolent: ut inceſtus, vel homicidii, vel alterius cujuſque facinoris.

Reſtat poſtrema pars: qua enarrat qui ſint puniendi. De Chriſtianis liquet ex iis, quæ diximus. Sed, non contentus iis, addit, pœnam etiam manere accuſatores, qui falſò detulerint aliquem, ut Chriſtianum: vel Chriſtianum quidem, ſed qui nihil commiſiſſe comperiatur adverſus leges Romanas. In hujuſmodi enim calumniatores ſtatuit non minùs, quàm reos, facinoris compertos, animadverti oportere.

# COMMENTARIOLUS

## Ad Epiſtolam ejuſdem

# HADRIANI CÆSARIS

## SERVIANO Conſuli miſſam.

EPiſtolæ Hadriani de Chriſtianis viſum eſt ſubjungere ex ejuſdem epiſtolâ partem eam, quæ eſt de Chriſtianis, in Ægypto degentibus, nec Chriſtianis modò, ſed etiam Judæis, ac Samaritis. Videbimus inde levitatem gentis, & in ea non Judæorum modò, ac Samaritarum; ſed Chriſtianorum quoque; nec laicorum duntaxat, ſed etiam presbyterorum, atque adeò epiſcoporum. Epiſtola exſtat apud Flavium Vopiſcum in vitâ Saturnini. Inſcriptio eſt hujuſcemodi: ADRIANUS AUG. SERVIANO. COS. S. Eſt is C. Julius Servil. Servianus: qui cum C. Vibio Vero conſul fuit anno Urbis CIƆCCCLXXXVI, Chriſti CXXXIII, Hadriani XVIII, poſt quem quadriennio imperavit. Servianus ille Paullinam, Hadriani Cæſaris ſororem, uxorem habuit: ut refert Spartianus: qui & de ejus tertio conſulatu ſic ſcribit: *Serviano, ſororis viro, cui tantum detulit, ut ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit, tertium conſulatum, nec ſecum tamen, cùm ille bis ante Adrianum fuiſſet, ne eſſet ſecunda ſententia, non petenti, ac ſine precatione conceſſit.* Hunc tamen, ut idem narrat, *quaſi affectatorem imperii, quòd ſervis regis cœnam miſiſſet, quòd in ſedili regio juxta lectum poſito ſediſſet, quod erectus ad ſtationem militum ſenex nonagenarius proceſſiſſet, mori coegit.* Quo de ipſo ſic poſtea: *Sub ipſo mortis tempore, & Servianum nonaginta annos agentem, ne ſibi ſuperviveret, atque, ut putabat, imperaret, mori coegit.* Hæc de eo, cui has ſcripſit literas. Incipiunt verò hoc pacto: *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane chariſſime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volantem.* Hanc gentis ejuſce levitatem deinceps oſtendit, etiam in religionis negotio, fuiſſe longè maximam. Sic enim ſcribit: *Illi qui Serapim colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt.* Ubi duo commemorat genera cultus

in Ægypto: gentile unum: alterum Chriſtianum. Mirum verò, quod addit, non quidem de gentilibus, quod etiam colerent Chriſtum: ſed de Chriſtianis, quòd etiam colerent Serapim. Hoc profectò non eſt veri Chriſtiani. Sed cogitemus, à quo, & quando hæc ſcripta ſint. Scripſit Cæſar Adrianus: de quo ſic Spartianus in ejus vitâ: *Sacra Romana diligentiſſime curavit, peregrina contempſit.* Ubi non dubito, quin etiam per ſacra peregrina intelligat illa Ægyptiorum, Serapidem colentium, & tot numina alia, vel ſaltem numinum ſymbola. Quod verò addit Hadrianus ipſos Chriſtianorum epiſcopos venerari Serapidem, niſi hoc adferretur ad comprobandam gentis levitatem. Quam negare non poſſumus ob multa exempla, quæ in Hiſtoriâ Eccleſiæ adferuntur. Nec tamen propterea putandum, hoc perpetuum, vel ſollemne fuiſſe, epiſcopis Ægyptiis, ut Chriſti, & Serapis, cultum ſociarent. Sed aliqui Epiſcoporum, pro gentis levitate, cùm in Ægyptum veniſſet Hadrianus Cæſar, protracti à latibulis ſuis, in quæ Cæſaris metu confugerant, ne vel à Cæſare ſupplicio afficerentur, vel à plebe ſeditiosâ diſcerperentur, furori illi cedendum putarunt, eoque maluerunt leves haberi, quàm occidi: præſertim eâ in gente, ubi levitas, & inconſtantia, prudentia haberetur, quaſi tempori cedentium. Non dubium verò, quin, ubi Cæſar diſceſſerat, redierint ad officium, & de delicto commiſſo, epiſcopi pariter, ac presbyteri, ſibi mutuò ignoverint: uti Carthagine etiam, ac viciná Africâ, à thurificatis, ac libellaticis, factum ſcimus è B. Cypriano.

Subjungit deinde Hadrianus: *Nemo illic archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum presbyter, non mathematicus, non aruſpex, non aliptes.* Tres nunc ſectas memorat à gentili diverſas: quarum una Judæorum, altera Samaritarum, tertia Chriſtianorum. Ex Judæis memorat ipſum archiſynagogum: hoc eſt, ſynagogæ præfectum. Hic ſuberat illi, quem Hebræi vocabant נשיא. Ea vox Principem ſignat. Helleniſtis dicebatur πατριάρχης: ut Origeni lib. IV. περὶ ἀρχῶν cap. I. Huic non Orientales modò parebant, & Ægyptii: ſed etiam Occidentales: qui anniverſarium illi canonem deferebant: ut liquet ex Codicis Theodoſiani libro ultimo, lege Theodoſii, & Valentiniani. Ubi itidem *patriarcha* nuncupatur. Habuere autem patriarchi ſedem Tiberiade in Palæſtinâ; præterquam temporibus Gamalielis ſecundi. Ob loci autem propinquitatem non difficile illis erat viſitare Ægyptum. Difficile erat in Occidentem proficiſci. Habuere propterea, quos *Apoſtolos* dicebant. Per eos ab Occidentalibus anniverſarium canonem exigebant. Ex his liquet, quomodo duo illi Hadriano memorati, Archiſynagogus, & Patriarcha differant. Archiſynagogus, hoc erat apud Judæos, quod Epiſcopus civitatis apud Chriſtianos. Atque ut ille ſuberat patriarchæ: ita & hic metropolitano, imò & is Exarcho. Utrùm verò per omnia jam Hadriani temporibus illa in Ægypto fuerit Eccleſiæ facies, alibi diſquirimus. Suffecerit hîc, quòd presbyteris eminentiores fuerint epiſcopi: præſertim qui in B. Marci locum Alexandriæ ſucceſſere, atque, ut ille, ita & hi, Eccleſiarum per univerſam Ægyptum, ex officio, præ cæteris, curam geſſerunt.

Omnino autem veriſimile eſt, ſententiam eſſe Hadriani, nullum archiſynagogum Judæorum non eſſe Mathematicum; nullum Samariten non eſſe aruſpicem; nullum Chriſtianum ſacerdotem non eſſe alipten. Ut tria ſic tribus bellè reſpondeant. Sanè Judæi Matheſi, ſive Aſtrologiæ divinatrici, & cæteris divinandi generibus, mirè erant addicti. Unde Juvenalis ſat. VI:

*—— —— Cophino, fœnoque relicto*
*Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,*
*Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos*
*Arboris, ac ſummi fida internuncia cæli*
*Implet & illa manum, ſed parcius ære minuto.*
*Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt.*

Samaritani verò illud videntur genus divinationis eſſe ſectati, quo ex extis futura prædicerent. Chriſtiani dicuntur aliptæ, quia, ut iatroliptæ inungebant ægros, ita & Chriſtiani ſacerdotes. Nec dubium, quin non tam olei vi, quàm precum à ſacerdote, & præſentibus fuſarum, ſæpe valetudo priſtina fuerit reſtituta: non modò Chriſtianis, ſed gentilibus etiam, qui Chriſtianorum opem poſtulaſſent. Quod clarè indicant hæc verba Tertulliani ad Scapulam cap. IV: *Et quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à dæmoniis, aut valetudinibus remediati ſunt. Ipſe etiam Severus, pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum* PER OLEUM *aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus: quem & Antoninus optimè noverat lacte Chriſtiano educatus.*

Quæ deinceps de Ægyptiis ſubdit, nihil ad Chriſtianos pertinent. Sed, quod paullò pòſt ſubjungit, eos quoque complectitur, cùm ſcribit: *Unus illis Deus eſt. Hunc Chriſtiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur, & gentes.* Ubi *gentium* vocabulum, non debet accipi more Chriſtiano, qui omnes neſcientes Deum Iſraëlis vocant ἐθνικοὺς, vel *gentiles:* ſed more Romano. Nam ſententia eſt, præter Judæos, Samaritas, & Chriſtianos: præter item Ægyptiorum illos, qui Ægyptiam religionem ſequerentur: fuiſſe ibidem tam Romanos, quàm Græcos; ad hæc Syros, Perſas, Arabas, Chaldæos, Armenios, & alios. Sed univerſos in eo conveniſſe, quòd Sarapidem haberent pro Deo. Quod quatenus in Judæis, Samaritis, locum habuerit, ex iis cognoſcere fuit, quæ antea diximus.

COM-

Digitized by Google

# COMMENTARIUS
## In Epiſtolam
# CÆSARI ANTONINO
## PHILOSOPHO
## tributam.

Epiſtola hæc non eſt genuina; ſed multò pòſt Antonini Philoſophi imperium conſcripta: etiam aliquot, ut puto, ſeculis. Id dictio ipſa non dicit, ſed clamat. Nec enim doctiſſimo principe eſt digna: ſed hominis ſemi-Græci, an ſemi-barbari? Etiam in rebus ipſis ſcriptor ſoricis inſtar ſe prodit, h. e. inſcitiam ſuam. Quod in enarratione epiſtolæ planius faciam.

Ac primò de inſcriptione epiſtolæ videamus. Ubi ante omnia videndum, quis ſcribat, ac eàdem exponendum, quâ occaſione vel ſcripta ſit, vel ſcripta fingatur. Quis ſcribat, indicant hæc verba: ut quidem habent codices vulgati: IMPERATOR CÆSAR M. AURELIUS ANTONINUS GERMANICUS PARTHICUS SARMATICUS. Joſephus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis omittit appellationes *Parthici*, *Armeniaci*, *Patris Patriæ*, *Pontificis Maximi*, *& ejuſmodi alia.* Sed de Parthici cognomento omnino eſt μνημονικὸν ἁμάρτημα. Planè enim dicitur Γερμανικὸς, Παρθικὸς, Σαρματικός. Quod ad titulos cæteros, ſic in codice bibliothecæ Vaticanæ titulus concipitur: IMPERATOR CÆSAR M. AURELIUS ANTONINUS AUGUSTUS PARTHICUS, GERMANICUS, SARMATICUS, PONTIFEX MAX. TRIBUNICIÆ POTESTATIS XXIIX. IMPER. VII. COS. VII. PATER PATRIÆ. Cur Parthicus, Germanicus, Sarmaticus dicatur, ſatis docet Julius Capitolinus in ejus vitâ. Cùm duodetrigeſimus tribuniciæ poteſtatis annus memoretur cum anno conſulatus tertio, clarè ſatis ſignatur annus imperii ejus quartus decimus; Chriſti verò CLXXVI: quo conſules Romæ erant Trebonius Gallus, & Flaccus. inque Germania bellum erat Marcomannicum. Ac ſic quidem ſtatuendum, ſi ſcriptori epiſtolæ hujus habenda ſit fides. Sed enim, etſi minimè ambiguum ſit, quin tum literas Romam è Germaniâ miſerit Cæſar Antoninus, quibus de victoriâ ſuâ Senatum fecerit certiorem, negamus tamen has miſiſſe: quæ planè ſunt ſuppoſititiæ: ut deinceps multis argumentis planum faciemus. Nec propterea in dubium vocandum, quod epiſtolâ hac dicitur, divinitus in Romanorum hoſtes fulmina eſſe vibrata, quibus necarentur: at pluviam incidiſſe in Romanos ad ſitum reſtinguendam. Cujus hiſtoriæ imago hodieque viſitur Romæ in columnâ Marci Cæſaris: quam divulſam ac diſſolutam reſtituit Pontifex Sixtus V: imaginemque ejus ſculpturæ expreſſit in Annalibus Eccleſiaſticis Baronius ad an. Chr. CLXXVI. In eâ videre eſt Jovem pluvium cum ingenti barbâ hinc hoſtes fulmine proſternentem, inde aqua pluvia refocillantem Romanos. Ubi in eo quidem peccatum, quòd non Deo Chriſtianorum ſed gentili numini, hujus miraculi gloria tribuatur. Sed quid ab gentilibus aliud potuit exſpectari? Qui omnia ſecunda Diis ſuis, ſuæque pietati; ac ſolùm adverſa adſcribere ſolent Chriſtianis? Ita videas hoc miraculum precibus Marci Cæſaris attribui à Julio Capitolino in vitâ M. Aurelii: *Fulmen,* inquit, *de cælo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluviâ impetratâ cum ſiti laborarent.* Fuſiùs autem rem eſt exſecutus Dio Caſſius, ſive Cocceius, qui, ſub filio hujus M. Aurelii, Commodo Cæſare, & ſequentibus vixit imperatoribus. Narravit ille, ut Romanis fortiter pugnantibus cum Quadis, ſed illis prælium detrectantibus, propterea quòd putaverit ſiti poſſe confici Romanos circa prælium (hoc *machinamentum hoſtium* appellat Capitolinus) nubes derepente ſic coactæ ſint, ut maximus imber ſit coortus σὺν θεῷ, *non ſine divino beneficio.* Addidit idem Dio, quomodo pluviâ coortâ, Romani omnes faciem in cælum ſuſtulerint, ac priùs ore aquam pluviam exceperint, mox ſcutis galeiſque ſubjectis largiter hauſerint, etiam equis bibere dederint, pugnaſſe interim, ac ſanguine hoſtili in galeas infuſo, pariter aquam, & ſanguinem hauſiſſe: dum verò pariter & pugnare & bibere volunt, magnam fuiſſe cladem accepturos, εἰ μὴ χάλαζα ἰσχυρὰ, καὶ κεραυνοὶ οὐκ ὀλίγοι τοῖς πολεμίοις ἐνέπεσον: *niſi vehemens grando, nec fulmina exigua, in hoſtes cecidiſſent.* Itaque, inquit, ἦν ὁρᾶν ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ ὕδωρ τε ἅμα καὶ πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ φερόμενα· καὶ οἱ μὲν ὑγραίνοντό τε, καὶ ἔπινον· οἱ δὲ ἐπυροῦντο καὶ ἔθνησκον. καὶ οὔτε τῶν Ῥωμαίων τὸ πῦρ ἥπτετο, ἀλλ' εἴπου καὶ προσέμιξέ σφισιν, εὐθὺς ἐσβέννυτο· οὔτε τοὺς βαρβάρους ὁ ὑετὸς ὠφέλει, ἀλλὰ καὶ ἔτι μᾶλλον τὴν φλόγα αὐτῶν, ὥσπερ ἔλαιον, ἤγειρεν. ὕδωρ τε ὑόμενοι ἐζήτουν· καὶ οἱ μὲν ἑαυτοὺς ἐτίτρωσκον, ὡς καὶ τῷ αἵματι τὸ πῦρ κατασβέσοντες, οἱ δὲ καὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους προσέτρεχον, ὡς καὶ μόνους σωτήριον ὕδωρ ἔχοντας· ἠλέησε γοῦν αὐτοὺς καὶ ὁ Μάρκος. *Videre erat eodem in loco inſimul de cælo cadere aquam & ignem, eoque alios madefactos, ac bibiſſe, alios verò exuſtos, ac mortuos. Nec enim ignis attingebat Romanos: vel ſi fortè iis miſceretur, continuò exſtinguebatur: nec imber juvabat barbaros, ſed eos olei inſtar inflammabat: ſic ut pluviâ perfuſi aquam requirerent, ac ſibi ipſis infligerent vulnera, ut ſic ignem ſanguine reſtinguerent. Pars etiam refugere ad Romanos, quaſi ſolis illis aqua foret ſalutaris: ſicut Marcus etiam illorum miſereretur.* Atque hæc ex ipſo Dione ſe referre ait Joannes Xiphilinus, patriarcha Conſtantinopolitanus, in Compendio Dionis. Ex quo etiam memorat iſta: Καὶ γάρ τοι λόγος ἔχει, Ἀρνοῦφίν τινα μάγον Αἰγύπτιον συνόντα τῷ Μάρκῳ, ἄλλους τέ τινας δαίμονας, καὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον ὅτι μάλιστα μαγγανείαις τισὶν ἐπικαλέσασθαι καὶ δι' αὐτῶν τὸν ὄμβρον ἐπισπάσασθαι. *Fama eſt Arnuphin magum Ægyptium, qui unà fuerat cum Marco, Mercurium illum, qui in aere eſt, ac dæmonas alios magicis quibuſdam artibus invocâſſe, perque eos pluviam extorſiſſe.* Idem de hoc Arnuphi legas apud Suidam. Sed ait ab aliis eum, qui ſapientiâ ſuâ effecerit, ut hinc coactis nubibus pluvia effunderetur, inde verò eſſent fulgura ac tonitrua, ſtatui Julianum, Θεουργικῶν ſcriptorem, filium Juliani philoſophi Chaldæi, qui quatuor de dæmonibus libros perſcripſit. Et ſanè dubitavit etiam Claudianus, utrum ea barbarorum clades tribui

pietati Cæſaris deberet, an magorum ſapientiæ. Sic enim ille lib. 1. in VI Honorii conſulatum;

*Non tantis patria ſtudiis ad templa vocatus*
*Clemens Marce redis: cùm gentibus undique cinctam*
*Exuit Heſperiam paribus Fortuna periclis.*
*Laus ibi nulla ducum. Nam flammeus imber in hoſtem*
*Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat*
*Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus*
*Subſedit galeâ: liquefactâque pulvere cuſpis*
*Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.*
*Tunc contenta polo, mortalis neſcia teli*
*Pugna fuit: Chaldæa mago ſeu carmina ritu*
*Armavere Deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis*
*Obſequium Marci mores potuere mereri.*

Videmus ex his agnoſcere gentiles miraculum, quod in hac cum Quadis pugnâ contigit. Solùm autem dubitare, utrum Cæſaris moribus id dederint Dii; an magicis artibus ſit tribuendum. Sed quis credat Deum hoc miraculum feciſſe ob impiam gentilis pietatem: aut miraculum hoc tribuendum eſſe ullius artibus magicis? præſertim cùm Marcus Cæſar, quod tota ejus vita oſtendit, ab hujuſmodi hominum genere abhorruerit. Non dubium igitur, quin fides ſit habenda Appollinari Hieropolitano epiſcopo; qui iiſdem, ac Marcus Cæſar, temporibus vixit, atque hoc ipſum Chriſtianorum precibus fuiſſe impetratum non dubitavit in Apologiâ ſuâ referre; teſte Euſebio lib. V. Hiſtor. Eccleſ. cap. V. Quemadmodum & fecit paulò junior, ſed qui ejus temporis poterat meminiſſe, Tertullianus in Apologia cap. V, & lib. ad Scapulam cap. IV. Ut mittam Gregorium Nyſſenem Orat. II. in XL Martyres, atque alios, qui multò poſtea vixere.

Expoſuimus, cui hæc epiſtola adſcribatur, & quâ occaſione ſcripta fingatur: atque ut non detrahenda ſit hiſtoriæ fides, utcumque non ab ipſo Cæſare, ſed longo poſt eum tempore fuerit exarata. Nunc videamus, ad quos miſſa epiſtola dicatur.

Hoc cognoſcimus ex verbis iſtis: Δήμῳ Ῥωμαίων, καὶ τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ χαίρειν. *Populo Romano, & ſacro Senatui ſalutem.* Hæc etiam oſtendunt ſuppoſititiam eſſe epiſtolam. Nec enim Imperator laureatas literas populo, ſed ſoli Senatui mittebat. Atque, ut aliter fuiſſet, ſcripturus erat *Senatui, populoque Romano*? quod quis neſcit? non verò *ſacro Senatui.* Quod moribus Romanis inſolens. Dixeris, Græcè ſic ſcribere ſolere. Sed enim Cæſar Romanus Romanâ, non Græcâ Linguâ, ſcribere ſolet ad ſenatum Romanum. Quare hæc etiam arguunt, epiſtolam non eſſe genuinam.

Nec tamen inficias ivero Euſebii ætate genuinas literas exſtitiſſe. De quibus clarè ſcribit lib. V. Hiſt. Eccleſ. cap. V. deque iiſdem ſic in Chronico legas: *Exſtant literæ M. Aurelii, graviſſimi Imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum fortè militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.* Verùm genuinæ literæ periere. Vel ſi eas, quas nunc interpretamur, Euſebius intellexit, quod minimè arbitror, (ſunt enim eo recentiores) planè ratio fugerit Euſebium.

Quemadmodum verò permultis ab hinc ſeculis inventus, qui epiſtolam hanc affingeret M. Aurelio; ita patrum noſtrorum ævo repertus eſt, qui vitam Aurelii hujus ſcriberet, epiſtolas etiam fingeret; ac utraque ſub hujus Cæſaris nomine ederet. Eſt is Antonius Guevara, epiſcopus Hiſpanus. Et tamen multis os ſublevit, qui genuina putarunt. Itaque à plurimis, qui neſciunt, quantum æra lupinis diſtent legitur non Hiſpanicè modò, ſed eâ etiam ex linguâ tranſlatus in Gallicam, Italicam, Anglicam, Germanicam, & quam non? Sed non ſi libri iſti ſuppoſititii ſint, eò ſimile quid ſtatuendum de præclaro hujus Cæſaris opere; videlicet libris XII. τῶν εἰς ἑαυτόν; h. e. de ſe ipſo ad ſe ſcriptis. Cujuſmodi cum B. Auguſtino poſſis *ſoliloquia* dicere. Latinè primus vertit Guiljelmus Xylander, ac notis etiam illuſtravit. Sed tralationem ejus poſtea emendavit Reverendus & Clariſſimus in Cantuarienſi metropolitanâ Eccleſiâ collega meus Mericus Caſaubonus, magni Iſaaci filius: qui & notas, & caſtigationes eruditas addidit.

Partes epiſtolæ ſunt duæ: una ἐξηγητικὴ, quâ narrat acta: altera παραινετικὴ, quâ exponit agenda.

In priori parte referuntur hæc tria.

I. Periculum Imperatoris, ac totius exercitus.

II. Preces tum gentilium, tum imperatorum.

III. Exauditio, ſive ſucceſſus miraculoſus.

Periculum cognoſcitur ex tribus.

I. Ratione loci, quòd in mediâ forent Germaniâ, prope Carnutum, undique ab hoſtibus cincti.

II. Ratione ſitis, quia aquam omnem Romanis intercluſerant barbari; ita ut quinque diebus defuerit quod biberent.

III. Ratione copiarum, quæ Romanis exiguæ, barbaris maximæ. Nam, ut hic dicitur, Romanis ſolùm erant dracones LXXIV: at barbaris militum nongenta LXX millia, ut eſt apud interpretem Juſtini. Vel potius LXXVII millia: cum Græcè ſit χιλιάδων ἑπτακοσίων ἑβδομήκοντα ἑπτά. De hoc edoctus dicitur à Pompejano, copiarum præfecto; quem *propinquum Commodi Cæſaris* vocat Lampridius in Commodi vitâ; *generum Marci Aurelii*, Capitolinus in Pertinace.

Hoc copiarum diſcrimen neſcitur, niſi conſtet, quid *draconis* nomine intelligatur. Draco ſignum erat militare, ex ſimilitudine ſic vocatum. Quod cujuſmodi fuerit, malo peti ex Juſto Lipſio de militiâ Romanâ lib. IV. dialogo V. Ubi etiam comprobat, hoc ſignum vel à Scythis ac conterminis Dacis, vel à Perſis accepiſſe Romanos.

Sub dracone uno, (quod ſignum qui geſtaret *draconarius* dicebatur) milites erant milleni: ut Lucianus, & alii, indicant. Itaque ex eo, quod fuerint dracones LXXIV, totidem fuiſſe militum millia colligimus. Quantillum hoc ad numerum barbaricum, quem diximus?

Quæritur porrò, utrum de draconibus Romanis, an barbaris, ſermo ſit. Neceſſe habeamus de barbaris intelligere, ſi recta eſt vulgaris lectio: quæ ſic habet: Καταλαμβανομένῳ μοι ὑπὸ δρακόντων ἑβδομήκοντα τεσσάρων. *Deprenſis ac obſeſſis nobis à* LXXIV *draconibus.* Verùm ſi obſeſſi fuere Romani à draconibus, non illi dracones fuere Romanorum, ſed barbarorum. At contrarium indicat, quòd poſtea de tantâ multitudine barbarorum ſequitur. Itaque Joſephus Scaliger Animadverſionibus Euſebianis ad annum MMCLXXXIX exiſtimat, non δρακόντων, ſed δρούγγων, legi oportere. Eſt verò *drungus* multitudo hominum condenſata, ſive conglobata, à Germanico *dringen*; quod eſt cogere, urgere, denſare. Unde Vegetius *drungos* exponit *hoſtium globos.* Antiquiſſimus eorum, quos hac voce uſos comperiamus, eſt Vopiſcus in Probo. Plura de hoc diximus lib. II. de Vitiis Sermonis cap. V. Nimirum vulgata lectio magnum virum decepit. Rectè autem ὁ πάνυ Salmaſius notis ad Julii Capitolini Marcum Antoninum * vidit, pro ὑπὸ legi debere ἐπὶ; ut ſignificet ſe, qui ſolùm LXXIV præeſſet draconibus, fuiſſe à barbaris intercluſum; quorum poſtea numerum refert multis partibus majorem. Nec tamen verum exiſtimo, quod de draconibus hìc dicitur. Necdum enim M. Aurelii temporibus draconum ſignum in uſu erat apud Romanos. Norant quidem, ut liquet ex columnâ Trajani: ubi videre eſt Dacorum dracones. Sed nondum receperant id ſignum Romani. Sanè non lego eorum mentionem in ſignis Romanis, niſi poſt tempora Conſtantini Magni, ut apud Ammianum, ubi deſcribit ingreſſum Conſtantii in urbem: item ubi agit de Juliano in prælium eunte. De priori ſic loquitur; *Alternumque poteſtatis greſſus multiplices alios purpureis ſubtegminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflatiles, & ideò velut irâ perciti ſibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* De Juliano autem ait idem: *Quo agnito per purpureum ſignum draconis ſummitati haſtæ longioris aptatum.* Etiam Honorium eſſe uſum liquet ex Claudiani Carmine in ſextum ejus conſulatum. Videntur autem Romani eò recepiſſe

* P. 96.

piſſe hoc barbaricum ſignum, tum quia draco eſſet ſymbolum vigilantiæ, quæ imperatorem imprimis deceret: tum quòd draconum hiatus & ſibilus, concepto vento, magis quàm Romana ſigna terrorem incuteret hoſtibus. Quod ex allatis Ammiani verbis cognoſcere eſt: atque item ex Sidonii Panegyrico Majorini, ubi deſcribit pugnam inter Vandalos, & Romanos. Nec, ut M. Aurelium draconibus uſum credamus, movere debent allata epiſtolæ verba. Quin potiùs hoc quoque argumento compellimur, ut epiſtolam eam non à M. Aurelio ſcriptam, ſed alio longè poſt confictam, credamus. Porrò cum eo, quòd dicitur cum Marco Cæſare fuiſſe dracones LXXXIV. quatuor, hoc eſt, totidem millia peditum, non bellè ſatis videtur convenire, quòd mox dicat, ſibi quatuor fuiſſe legiones. Nam Romana legio continebat ſex millia peditum. Quibus accedebant equites trecenti. Unde & Maro IX. Æn.

*—— Equites ex urbe Latinâ*
*Tercentum, ſcutati omnes, Volſcente magiſtro.*

Non quaſi ex illis Latinorum temporibus certò aliquid colligatur de Romanis tanto poſt conſecutis, ſed quia Maro non potuerit ſcire illorum temporum belligerandi rationem: eoque ad ſua tempora attenderit. Unde & interpretari oportet Livium, quando ait, *duæ legiones cum juſto equitatu.* Nempe juſtus duarum legionum equitatus ſexcentorum erat equitum. Sed intra pedites nos contineamus. Quorum ſi ſex millia in legione fuerunt, ſolùm XXIV. millia erant in Marci exercitu. Atqui non plures nominat legiones quàm quatuor iſtas; primam, decimam, geminam, & fretenſem. Pro quo Græce eſt Πρίμας, δεκάτης, γεμίνα, Φρεντησίας. Sine dubio legendum, Πρίμας, δεκάτης, γεμίνας, Φρεντησίας. Scaliger tamen reſcribit Φρετησίας. Nempe ſummo viro minùs in mentem venit, Græcos non ponere ν ante σ: ſed prætereire liquidam: quomodo pro *Hortenſius*, non Ὁρτήνσιος, ſed Ὁρτήσιος dicunt: quod cùm non attenderet Dionyſius Lambinus, perperam putabat, quia Græci ſcribunt Ὁρτήσιος, etiam Latinè *Horteſius*, non *Hortenſius*, ſcribi oportere. Similiter in quapiam Zenonis Novellâ pro *Romanenſe* habes Ῥωμανήσιος, vel Ῥωμανήσιος. Et pro Caſtrenſe καστρήσιον, vel Καστρήσιος legas apud Harmenopulum, & Apſyrtum in Hippiatricis. Sed in Ὁρτήσιος planè rejicitur N, quia non poterat in præcedentem ſyllabam transferri. In Φρεντήσιον autem contrà fit, quia hic N locum haberet. Sic & Καστρήνσιον dixere pro καστρήσιον. Sed nondum exſolvimus nodum, quo nunc dicitur Marcus in exercitu habuiſſe LXXIV millia; nunc ſolùm peditum XXIV millia, quot in quatuor legionibus numerantur. Nodus is non melius exſolvitur, quàm ſi dicamus alias etiam legiones fuiſſe ſcriptori epiſtolæ memoratas: ſed librarii culpâ, vel aliter excidiſſe. Non eſſe hanc vanam conjecturam, colligimus ex eo, quod nulla fiat mentio legionis Melitenæ: quæ illa ipſa eſt legio Chriſtiana, cujus precibus pluvia eſt impetrata; ut conſtat ex Euſebio lib. v. Hiſt. Eccleſ. cap. v: ut de Xiphilino, & juniorum aliis taceam. Quæritur, quæ ſit legio illa Μελιτινή, ſive potiùs Μελιτηνή. Omnino eſt ea, quæ fuerat collocata in urbe Melitene, quæ ſita eſt in Cappadocia. At inquit Scaliger, ἀναλόγως μελιτηνή eſſet non μελιτηνῖος, ſed μελιτηναῖος. Sed ei obducimus Stephanum τὸν ἐθνικογράφον, qui clarè ait à Μελιτηνὴ eſſe gentile Μελιτηνῖος, vel potiùs Μελιτηνός. Ut de veritate ſcripturæ non ſit dubitandum. At confirmat hanc rem quod Dio ſcribat ſuâ etiam ætate legionem duodecimam, quæ *Fulminatrix* dicta eſt, fuiſſe Cappadociæ impoſitam. Ecce altera etiam quæſtio exſurgit. Scribit ex Appollinari Euſebius, ex eo item Xiphilinus, ex hiſce Panuinus, legionem duodecimam, ſive Melitenem ab hoc miraculo, quo fulmen immiſſum in hoſtes, nomen accepiſſe κεραυνοβόλα, ſive Fulminatricis: nec antea fuiſſe legionem ullam, quæ *fulminatrix* diceretur. Quæ ſententia facilè refellitur Tergeſtinâ inſcriptione: ubi jam Trajani temporibus legionis Fulminatricis fit mentio. Vide eam in Collectaneis Inſcriptionum Gruterianis Pag. CXCIII. inſcr. III. Mihi hæc ſic poſſe conciliari videntur, ſi ſtatuamus, duodecimam legionem fuiſſe antea dictam Fulminatricem. At aliam fuiſſe, in quâ forent Chriſtiani, quorum precibus hoc miraculum feratur acceptum. Vocatam hanc Melitenen. Sed poſtea gentilium aſtu, ad delendam hujus facti memoriam, fuiſſe aliis legionibus permixtam. Ita tum legionis Melitenes, nomen periiſſe: imò & Fulminatricis: unâ duntaxat duodecimâ Fulminatricis nomen retinente. Unde eſt, quod in variis inſcriptionibus, *legionis Fulminatricis* mentio fiat: quarum quin aliquæ ſint temporis ejus, quod non poſt Trajanum modò, ſed etiam M. Aurelium fuerit, minimè dubitandum puto. Indicabit eas Index Collectaneorum Gruterianus cap. de iis, quæ ad rem militarem pertinent. Atque hæc de periculo Cæſaris, & exercitus Romani, dicta ſunto.

Venio nunc ad remedium: quod duplex adfertur: unum ab Antonino Cæſare; alterum à Chriſtianis. De Antonino narrantur quatuor.

I. Ut in hoc periculo, à Pompejano genero perſuaſus, arceſſiverit Chriſtianos.

II. Deinde ut illi magno numero advenerint: ſed conquiſiti. Quod adverſatur ſententiæ illi, quâ legio una advocata dicitur. Nam legionem conquiri nihil fuerit opus.

III. Tertium eſt, ut, poſtquam adveniſſent, iracundè ac cum fremitu eos exceperit. Id enim eſt βριμάσθαι, vel βριμᾶσθαι, *irâ fremere, excandeſcere.* Unde & nomen accepit Dea Βριμώ, ſive ea Proſerpina, ſive Saïs Ægyptia.

IV. Quartum eſt culpæ hujus confeſſio. Interim culpam rejicit, in ſuam ignorantiam; ut qui Chriſtianorum Deum ignoraret. Quid mirum de eo, quem ab anno ætatis octavo Hadrianus Cæſar *in Saliorum collegium retuliſſet: in quo ſacerdotio & præſul, & vates, & magiſter, multos inauguravit, atque exauguravit, nemine præeunte, quòd ipſe carmina cuncta didiciſſet*: ut in vitâ etiam memorat Julius Capitolinus. Ut mittam, quod, eodem teſte, *hujus familia in originem recurrens à Numâ probatur ſanguinem trahere, ut Marius Maximus docet.* Non dubium verò, quin pulcrum putârit imitari Numam qui Salios inſtituiſſet, ac univerſæ propemodum ſuperſtitionis Romanæ auctor foret. Et quàm alienum eſſe à Chriſtianis neceſſe erat, qui tot haberet philoſophiæ doctores; imprimis Stoicæ; in his tum Apollonium Chalcedonium, cujus in domum etiam jam in dignitatem adſcitus imperatoriam diſcendi cauſâ ventitabat: tum Junium Ruſticum, *cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia: cui etiam ante præfectos prætorio ſemper oſculum dedit: quem & conſulem iterum deſignavit; cui poſt obitum à ſenatu ſtatuas poſtulavit*: ut idem Capitolinus narrat. Nec ſuam tantùm ignorantiam culpat, ſed publicam etiam: quia vulgo ſic malè perſuaſum foret, Chriſtianos eſſe atheos: nam qui non colerent patrios Romanorum Deos, eos nullum numen colere. Sed agnoſcit contrarium arguere eorum δύναμιν, quâ bello hoc Marcomannico pluviam à Deo, quem colant, impetrarint: manifeſtam etiam eſſe eorum pietatem ex eo, quod non ad prælium excitentur tubarum, lituorum, cornuum ſonitu, & conclamatione ad arma: ſed iſta contemnant, quia Deus αὐτομάτως ſive ſponte in eorum pectora ſe inſinuârit, atque hic eum geſtent τετειχισμένον, quaſi muro concluſum. Hæc Cæſar de ſuâ, ſuorumque ignorantiâ. Deinde de Chriſtianis refert hæc duo: quod in genua fuerint provoluti: quodque preces fuderint pro ſalute tum Cæſaris, tum univerſi exercitus. Uti præſens periculum exigebat. Quippe qui jam quinctum diem fame, & ſiti, conficerentur: inque mediâ Germaniâ in ipſis hoſtium finibus agitarent.

Sequitur deinde de remedii hujus ſucceſſu. Qui iſtiuſmodi refertur. ait ad Chriſtianorum preces in Romanos quidem pluiſſe aquam frigidam, quâ ſitim poſſent reſtinguere: at verò grandinem igni permixtam, pluiſſe εἰς τῶν Ῥωμαίων ἐπιβουλάς: in eos, qui Romanis tenderent inſidias. Nam ἐπιβουλὴ propriè conſilium, quod adverſus

aliquem initur. Nempe conſilium hoc attendit, quod putarent, ſe propè *ἀναιμωτὶ* ſive citra ſanguinem, ut in Salmacidis ſpoliis, poſſe victoriam obtinere: quia, aquis interclusis, ſiti illis eſſet pereundum: quod, ut antea dicebamus, Capitolino vocatur ***machinamentum hoſtium.*** Ac ſic quidem ait ſe perſenſiſſe præſentiam Dei *ἀνυπερβλήτου*, inſuperabilis, & *ἀκαταλύτου* ſive invicti.

Atque hæc eſt prior epiſtolæ pars, quæ eſt de actis. Sequitur nunc altera de agendis. Quæ bipartita. Pars prior exponit, quid velit ac decernat. Deinde quid de ſuo decreto fieri velit. Quod ad priùs, ait ſe velle hæc tria.

I. Ut permittatur cuique, ſi volet, eſſe Chriſtiano. Ratione id firmat, quia id niſi fiat, occaſio daretur eâ potentiâ, quâ pollent, utendi adverſus Romanos.

II. Ac proinde ne cui concedatur, ut Chriſtianum, nihil delinquentem adverſus leges Romanas, hoc ſolùm nomine, quod Chriſtianus ſit, accuſet: ſiquis ſecus faxit, in delatorem animadvertatur pœnâ vivicomburii, quam Clemens Alexandrinus vocat *τὸ κολαστήριον μέγιστον.*

III. Ne cuiquam provinciæ præſidi, vel procuratori fas ſit operam dare, ut minis, vel aliter, Chriſtianum à religione avertat. Exponit tamen quid de decreto hoc fieri velit.

Primùm cupit hoc firmari à Senatu, ut fiat Senatuſconſultum. Deinde ut S.C. hoc promulgetur in foro Ulpio Trajani. Uſque ad tempora Julii Cæſaris unum duntaxat forum fuit, quod Latium, ac vetus dici cœptum, pluribus additis. Alterum acceſſit à Julio Cæſare; unde Julii vocatum. Tertium eſt Auguſti: quod miraculis Urbis jure accenſebatur. Atque hæc tria fora ſunt, quæ Martialis ſignat, cùm ait,

*Cauſſas, inquit, agam Cicerone diſertius ipſo.*
*Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

His à Nervâ acceſſit quartum quod vocatum eſt Tranſitorium; Poſtremum hoc loco ſignatur, quod ab Ulpio Trajano exſtructum, atque ab eo Ulpium, vel Trajani eſt appellatum.

Denique velle ſe ait, ut non ſolùm Romæ promulgetur: ſed etiam mittatur in provincias ad præſides, atque omnibus, qui volent, poteſtas fiat exemplaris.

Quærat aliquis, an ab hoc edicto melior fuerit Chriſtianorum conditio. Juſtiùs hoc quæreretur, ſi iſtoc Cæſaris edictum foret genuinum. Nunc multò poſt Antonini Philoſophi ævum confictum eſſe, pro certo habemus. Non is Chriſtiani nominis amor Marco fuit, ut tale faceret decretum. Miraculum de pluviâ impetratâ, & grandine igneâ pluente, ſuæ gaudebat pietati tribui, ac vel magis malebat ſibi adſignari, quàm Chriſtianis. Sanè nuſpiam vel apud Tertullianum, vel Euſebium, vel alios antiquos, de tali aliquid decreto legas. Ante omnes non reticuiſſet tam ſedulus rerum Chriſtianarum indagator Euſebius. Contrarium etiam evincit acris illa ſub Lucio Vero, & M. Aurelio perſecutio, tum in Aſiâ, tum Galliis: quarum illam ex Actis Eccleſiæ Smyrnenſis; hanc è Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ Actis cognoſcimus, omnium Actorum, quæ Chriſtianus habet orbis, antiquiſſimus: ut meritò ea haberi vera debeant *κειμήλια.*

F I N I S.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# DE
# COGNITIONE
# SUI
# LIBELLUS.

CUm multa circumferantur vitæ regendæ idonea: unum tamen in his familiam ducit: ut quod prudentiæ totius non principium modò ſit, ſed etiam finis, eoque cætera complecti videatur. Neque hoc ejuſmodi eſt, ut difficile ſit illud memoriâ complecti: ſed duabus continetur vocibus; Γνῶθι σεαυτόν, *Temet noſce*; ſive illud dimanavit à ſacerdotibus oraculi Delphici, eoque Apollini tribueretur: ſive auctorem habuerit Pythagoram, Biantem, aut Thaletem: quam ſententiarum diverſitatem nobis memorat Porphyrius. Hujus præcepti utilitas præcipuè elucet è duplici hominum genere: quorum aliqui bona ſua neſciunt; aliqui, & hi multis partibus plures, defectus ſuos ignorant. Priores illi, dum diffidentiâ ſuâ ea aggredi non audent, quibus ſuſtinendis ſunt pares: non ſibi modò, ac familiæ atque amicis, minus ſunt utiles, ſed univerſæ Reip. ac poſteris etiam nocent. In his Charmidem illum reponere liceat, cui apud Platonem ſuadet Socrates, ut Remp. capeſſat: quippe qui & facundiâ, & conſilio, tum præſidio, tum ornamento, eſſe civibus ſuis poſſet. In hujuſmodi habet locum, quod à Plinio proditum in epiſtolis. *Bona*, inquit, *ingenia debilitat verecundia*. Ac continuò ſubjungit: *Prava* (ingenia) *confirmat audacia*. Sanè non leve eſt diffidentiæ vitium, quod proficiſcitur ex ignoratione ſui. Sed magis tamen peccari ſolet immodeſtiâ: quia plerique omnes ſimiliores ſumus Glauconi, homini adoleſcentulo, &, ut ea ſolet ætas, eminere in Rep. percupido, eoque ſe concioni Atheniensium jam paranti. Sed quomodo cum eo idem Socrates ſit locutus, atque effecerit, ut deinceps modeſtius de ſe ſentiret; utilius jucundiuſque ex melliſſimo Xenophontis fonte haurietur, quàm ſi jejunè arideque eadem huc derivem. Modeſtia igitur mediam ſe infert binas inter Symplegadas, humilitatem, ut Latini veteres dixere, *hoc eſt* animum puſillum, quando quis ea non audet aggredi, quibus divinâ ope ſufficeret, & arrogantiam, quâ, ut lepidè dicebat Varro, ſaperdæ nobis videmur, cum ſimus σαπροί. *a* Ut verò teneamus modum illum, à quo modeſtia nomen accepit, opus eſt aſſiduo noſtri examine. Hoc enim nos deducit ad notitiam noſtri: notitia iſta perducet ad ſincerum tum Dei cultum, tum proximi amorem: Quorum utroque nihil pulcrius aut majus in hac vitâ: ſed nihil quoque difficilius præſertim in hac mentium caligine, & nimio noſtri amore: Siquidem illa vix effugit errandi neceſſitatem: hæc etiam parit errorum amorem.

*a Putres.*

In hoc noſtri examine ad duo attendere oportet: quæ à Deo accepimus, & quæ ipſi fecimus.

Priora ſunt duûm generum: partim enim ad οὐσίαν *b* pertinent, partim ad affectiones. Illa oſtenduut, qui ſimus; hæc, quales ſimus.

*b Subſtantiam ſive eſſentiam.*

Si quæratur, qui ſimus quiſque ſe *Hominem* dicet. Quod vocabulum ne duntaxat primis innatet labris, conſiderandum eſt, quantum dicat qui ſe hominem dicit. Philoſophorum igitur more, circumferendus eſt animus per quatuor cauſſarum genera; duas internas, materiam, ac formam; duas item externas, efficientem, ac finem.

In materiâ duo conſideramus. Prius eſt quod conditi ſumus ex pulvere & luto: atque erit, cùm in pulverem itidem reſolvamur, ac vermibus eſca fiamus. Et fortaſſe id celeriùs futurum opinione noſtra. Quare ſemper cogitemus, unde venerimus, & quid futuri ſimus.

Alterum eſt, quòd Moſes materiam noſtri enarrans, κατ' ἀνθρωποπάθειαν, *a* manuum Dei meminerit, quibus corpus fabricârit. Hæc eſt illa manus divina, quæ affabrè adeò hoc corpus fecit, ut omnem hominis admirationem exſuperet: quod præcipuè parebit membrorum ſingulorum formam & uſum attendenti. Hanc pulcherrimam compagem non pauci ex Naturæ myſtis, quos Anatomicos dicimus, egregiè deſcripſerunt: & operæ eſt eos conſulere, partim ut ſic melius reluceat ſapientia Dei; partim etiam amor noſtri: qui accendere nos debet, ad Deum redamandum.

*a Per figuram, quâ Deus ſe nobis accommodat, loquendo nobiſcum more humano.*

Formam hominis οὐσιώδη *b* docet nos Moſes, quando Deum ait corporis fabricæ inſpirando animam indidiſſe. Animâ hac proximè quidem ab angelis abimus, ac propius accederemus, ſi excoleremus eam, uti convenit: interea tamen longè mutis antiſtamus animantibus: magis etiam rebus inanimis. Cogita proinde, utrum, ut propius ad angelos accedas, animum quatuor iſtis eruditione, ſapientiâ, prudentiâ, ac pietate, magis, ac magis, augeas: an contrà feræ ſimilis, obſequaris iræ; aut pecudis inſtar, gulæ ſtudeas, ac ventri: quomodo rationem amittis, atque infra beſtias deprimeris: cum hæ non poſſint reprehendi, ut quæ non acceperint rationem: tu, mi homo, jure culperis, quia cùm mentem habeas, nihilominus ratione affectui, affectu fortaſſe ſervias abdomini. Quid muta refero animantia? Animum ſi negligis, lapidis inſtar obbruteſcis. Et quàm parum abeſt, ne ipſe lapis fias, ſi aſſiduus eſt animus in acquirendis lapillis, ut vocant, pretioſis: nec melior ſis, ſi capiaris ſplendido illo luto, quod aurum & argentum nuncupant! Hæcne ſit dignum curare animum habenti? cujus ratione nos exemplum Dei Manilius appellat; Scriptura verò nos ad imaginem Dei conditos docet: ſic tamen ut in partem hujus imaginis etiam veniat dominium nobis conceſſum in cæteras creaturas. Quàm turpe igitur ſervire te illis, quæ Deus condidit, ut tibi inſervirent. Veriſſimè hæc dici, teſtis cuique ſua eſt conſcientia: quæ pro dote cuique eſt animæ attributa: uti & naturâ illi addita ſunt virtutum ſemina, quò laudes ſuas, ac culpas, quivis intelligat. Unde, ut Tullius ait, in pueris ipſis virtutum ſcintillulas intelligimus: atque etiam vulgus imperitum virtutes novit, licet involutas. Quid mirum ſi non ultrà ſapiat? Soli enim ſapientes, ut Epictetus ait, ſingula actibus

*b Eſſentialem.*

Digitized by Google

bus ſuis attempetant. Horum in ſapientum numero ut ipſe etiam ſis elabora. Hoc fuerit, ſi aſſiduè cogites, quam turpe ſit animum habenti velle voluptatem omnem capere è corpore: ad imaginem Dei factum, non ad Dei exemplum, ſed mutorum animantium, componere vitam ſuam.

Efficientem nunc cauſſam cogitemus: quæ eſt Deus. Hic, mi homo, creator eſt tuus: tu creatura, eò obſtrictior, quò te nobiliorem cæteris fecit creaturis. Hoc vel ſolùm commonet, ut Domino omnium rependas obſequium. Quanto magis, quod non ſolùm te talem & anima & corpore fecerit: ſed necdum operis ſui depoſuit curam. Nam idem adhuc te conſervat, ut nec milleſimâ ex parte ſis exſolvendo.

Atque hoc magis liquebit finalem etiam hominis cauſſam, ſive quò tendere oporteat, attendenti. Nam cur Deus te condidit? Nonne ut eum in terris agnoſcas, ames, colas: poſteaque in cœlis perpetuo, & ineffabili gaudio fruaris? Quid poſtulato illo Dei æquius? Quid præmio hoc, quod promittit, excellentius? Si tam ſiniſtra mens, ut non hæc cogites aſſiduè, quas non pœnas ingrato illo animo mereris? Singulorum enim merita Deus diſpenſat, non actorum modò, ſed etiam cogitatorum judex. Cur igitur, propter momentaneam voluptatem, malis ſervire Satanæ, creatoris tui hoſti? Cui qui militant, eaſdem ac ille, æterni ignis pœnas ſortientur. Imò hic etiam nonniſi voluptatis umbram aſſequuntur. Nam, qui Deo ſe tradiderunt, unico die plus ſolidæ voluptatis ex conſcientiæ tranquillitate, ac melioris vitæ fiduciâ percipiunt, quàm impii per omnem vitam, utcunque ea ſe latiſſimè extendat.

Vidimus qui ſimus. Nunc agendum de altero, qualis quiſque ſit. Ubi in conſiderationem veniunt affectiones hominis: nempe bona malave ejus tum externa, tum corporis, tum animi. Externa ſunt ſtemma, potentia, opes, felicitas, & quæ his opponuntur. Circa quæ omnia multimodis aberrari ſolet. Eoque examine cuique eſt opus eâ in parte, quâ vel alios vincit, vel ab iis vincitur.

Stemma jactas, & proſapiam? At communis eſt omnibus origo ab Adamo, propior etiam à Noacho: ad quam ſi adſcendere genealogia tua poſſet, metuo ne invenires multos ut divites, ita pauperes; reges fortaſſe, ſed & ſervos. Nec enim diſplicet illud, quod Plato ſcribit in Thæteto, & inde exſcribit Seneca Epiſt. XLIV. *Neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum: neminem non ſervum ex regibus.* Eſto autem ut, quicquid de ſeculis ſit priſcis, proximis ſaltem ſis illuſtris: ſic quoque aliena magis laudas, quàm tua: & clarior ſis avorum & proavorum luce, quàm propriâ. Fortaſſe etiam neque tantæ fuere virtutes majorum, quàm vulgo traditur. Nec enim rarò id contingit, ut ſicuti majores, magna, dum viverent, invidia ſequeretur: ſic, poſtquam mortui, ceſſante invidiâ, in contrarium peccet poſteritas, ac defunctum non in ſuâ modò familiâ, ſed apud alios etiam nimia ſequatur admiratio. Hoc ſi perſuaderi nequit, ſunto ſanè tantæ majorum laudes. Exemplum igitur domeſticum habes: quam gloriam multi magno ſibi mercarentur. Sed niſi ſequaris, carere eo melius erat. Eſt enim generis claritas inſtar Solis. Bona, malaque omnia illuſtrat: ut nobilium, ſicut virtutes, ita etiam vitia, longius latiuſque diffundantur. Noli igitur vitiis indulgere, ne, ut Majores ſuarum ad te virtutum laudes glorioſe propagarunt; ſic contrà nominis tui dedecus tranſmittas ad liberos, & qui inde naſcentur: ac quantopere tu gaudes majoribus, tantopere tui pudeat minores.

Si ad potentiam te, vel aula extulit, vel populus: vide an non favor ille, quo hoc obtigit, aliunde profectus ſit, quàm meritis tuis. Cogita præterea, an dignum te imperio præſtes. Quod non erit, ſi commodo tuo publica metiaris. Pelopidam enim æmulari oportet, qui cùm uxor, abeunti ad bellum, commendaret ſalutis ſuæ curam: *Hoc,* inquiebat, *privato dixeris: duci autem civium commendanda eſt civium ſalus.* Diſpice etiam, an cùm te ſic timent, vel colunt, tot clientes, tot ſupplices, eò ſis animo timidiore. Fortaſſe enim timent, ut timemus venena: colunt fortaſſe, ut Febrim coluere Romani, ne noceret: vel ſaltem ut ſe aſinum ſuum hactenus colere ajebat Epictetus, *a* quod ei lavaret pedes: nempe quia ſibi uſum inde aliquem ſperaret. Et quid ſi neque tanta ſit potentia tua, quam putas? Multi enim principes, ut eſt apud Senecam in VI de Benef. cap. XXX, *Ignoravere vires ſuas, & dum ſe tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxere ſupervacanea, & in rerum omnium diſcrimen perventura bella.* Pluraque in hanc mentem ibidem ſubjungit.

*a Lib. 1. Diſſert. cap. 9.*

Si nullam ad potentiam aut dignitatem es evectus, vide an non malè te id habeat. Id ſi eſt, ſtultiſſimum te puta, quod deſideres. Hoc non obſcurum erit, ſi attendas, quàm difficulter ad dignitatem magnam pertingere ſit, & quanta cum difficultate ſuſtineatur. De priori ſic Cyprianus Epiſt. II: b *Illum vides, qui amictu clariore conſpicuus, fulgere ſibi videtur in purpurâ? Quibus hoc ſordibus emit, ut fulgeat? quos arrogantium faſtus prius pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia, in clientium cuneis; antè præceſſit, ut ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati?* Ubi verò comparata dignitas, tum, ut ibidem ait Cyprianus, *domus plagæ conſcientiam feriunt, tunc rei familiaris exhauſta damna cognoſcuntur, quibus redemtus favor vulgi, & caducis, atque inanibus votis, popularis aura quæſita eſt.* Horum ut nihil contingat, quid ſunt magnæ dignitates, niſi aureæ compedes? Quanto vita privata curis eſt ſolutior! quanto ipſe placidior ſomnus! Conſule, quæ de amicis Cæſaris ad convivium vocatis pulcrè diſſerit Epictetus lib. III. diſſ. XXVI. Felices quidem ſibi videntur, qui ſic Cæſari, vel Regi ſerviunt: quia ut ipſi ſuperiori, ſic illis ſerviunt inferiores. Quaſi feliciores eò ſint, quia & alios redigant in ſervitutem.

*b Nempe editionis Pamelianæ: ſed primum l. 2. Epiſt. 2.*

Dives ſi fueris, diſpice, an non opulentia tua ſit ex alienâ paupertate, ac vel ipſe opes eas injuſtè pepereris, vel ſis injuſti hæres. Sed antiquæ ſint, ac honeſte partæ: non tanti eſt opes habere, quàm bene iis uti: unde etiam Græci χρήματα ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι *c* nominarunt. Expende igitur, num tibi ſint pro inſtrumentis ad animum exornandum, vel publicè, aut privatim benefaciendum aliis, præcipuè egentibus. An contra tibi ſint inſtrumenta Veneris, Bacchi, & omnigeni luxus: quo pacto perdant, & valetudinem, & nominis decus, & animi vigorem: imò animum in æternum præcipitent exitium. Ut ſic infinitis partibus ſatius fuerit, eas nunquam habuiſſe.

*c Chremata, (quaſi uſui inſervientia) à verbo, quod uti ſignificat.*

Eſto etiam ut divitiis honeſtè partis honeſtè utaris: ſupereſt exquiras ſedulò, an non fiduciam temerè ponas in rebus fluxis ac caducis: quales eſſe divitias, multis quotidie docemur exemplis. Item an non propter eas præ te aſperneris homines pauperes, vel ſaltem opibus multò inferiores, utcunque doctrinâ, virtute, vel pietate antiſtent. Quo quid facere poſſis injuſtius, ſtultiuſque? Nam qui animam à Deo acceperunt, cenſendi ſunt mentis bonis, non externis illis: quomodo militem non æſtimamus ex aurato baltheo, aut clypeo argenteo, ſed robore, animi magnitudine, peritiâ rei bellicæ. Sanè nec equum emturi tam attendimus frenum, ephippium, phaleras: quàm ad ejus robur, & agilitatem. Neque de navi ſtatuimus ex tutelâ eburneâ, vel roſtris inauratis; ſed firmâ compage, velocitate, gubernaculo ventis obediente.

Pauper es? Non levia ſunt commoda paupertatis. Quàm multi ob divitias prolabuntur in luxuriem, quâ ſe ſuaque perdant! Quàm multi etiam ob illas faſtu turgent: imò & oſtentatione earum alienis præbuere inſidiis occaſionem. Noli igitur deſiderare, quibus non indiges. Stude animi bonis; quæ divitiis non opponi modò poſſint, ſed longiſſimè eas vincunt. Atque ut ille *d* ait.

*Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis.*

*d Martialis.*

Non

Non igitur de paupertie te diſcrucia: ſed potius cura, ne ſtultè adeo ſapias, ut pauperies tibi extundat, quicquid generoſæ erat indolis; ſic ut curis involvaris humilibus teque indignis: turpibus etiam obſequiis, & adulationi te des; vel fraudibus rem pares.

At fortaſſe nec divitiis tibi places: nec de paupertate doles: ut qui in re mediocri ſis conſtitutus. Gaude. Hæc quippe vitæ conditio nutrix eſt animi moderati, ut vult Plato. Notæ etiam preces Agur, à Salomone adoptatæ, vel ab Ezrâ additæ Proverbiis Salomonis *a*. Quàm multi interea ſunt, quibus animus propterea moderatus non eſt? Quare tecum ſeriò conſidera, an non, quæ fortuna eſt mediocris, hæc, dum te cum inferioribus comparas, magna tibi videatur; eoque te more divitum efferas, & contumelioſè geras: vel dum te confers cum inferioribus, eò à te parva habeatur, & iccirco more pauperum dejicias animum, ac fœde aliis paraſiteris.

*a Cap. 30.*

Vidimus de examine ſui circa opes, vel magnas, vel modicas, vel nullas. Nunc etiam cogitemus, quomodo feramus eorum quæ ſuſcipimus, ſucceſſus ſeu felices, ſeu infelices.

An fortunatus es? ſic ut in connubio, aut liberis, aut conatibus, ac conſiliis tuis, voto ferè reſponderit eventus? Etiam atque etiam vide, an non iſta tuæ magis prudentiæ tribuas, quàm providentiæ divinæ. An etiam Deo pro his beneficiis præbeas te gratum, quantum debes. Adhæc non hæc felicitas faſtu ac vento impleat animum, mentemque reddat dementem. Item an non dulci fortunâ ebrius, ſic niti cœperis fortunâ, ut minùs jam diligentiæ adhibeas in deliberando: quæ res & cauſſa, & prænuncia eſſe ruinæ ſolet. Hoc eſt, quod apud Agellium *b* ait Cato: *Secundæ res lætitiâ tranſverſum trudere ſolent à rectè conſulendo, atque intelligendo.* Et Publius Syrus:

*b Lib. 7. cap. 3.*

*Fortuna nimium quos fovet, ſtultos facit.*

Infortunatus tibi contra videris, ſive ob ingens aliquod malum, ſive ob minora, ſed denſa? De poſteriori occurrit hoc Symmachi lib. I. epiſt. XLVIII: *Sic nati ſumus, ut ſæpius adverſâ fungamur. Fugiunt voluptates, & bona cujuſque rei tam brevis uſus, quàm levis ſenſus eſt.* Ad prius pertinet hoc Plinii lib. VII. cap. XLII: *Quæ magna gaudia, niſi ex inſignibus malis? aut quæ mala immenſa, niſi ex ingentibus gaudiis?* Sic Deo viſum, ut voluptati mœror ſit comes. Vide igitur, an patienter feras, quæ Deus permittit, vel immittit. Quod eò magis agendum, quia utrumque facit bono tuo. Omnino enim fortuna ſecunda fallaciſſimum eſt divini favoris argumentum: Solet quippe Deus, quos amat præ cæteris, etiam præ aliis affligere. Quod partim facit, ut caſtigatione iſtac, optimi parentis inſtar, corrigat ſuos, qui ſic diſcunt, vitia ſua magis odiſſe, & modeſtius de ſe ſentire: partim quoque ut dum eos aſſiduè exercet, indies illi proficiant in palæſtrâ patientiæ: ad quam Chriſtus nobis exemplo ſuo tantopere prævivit: Sic igitur te compone, ut dicere poſſis, quod olim Tertullianus *c*: *Totum licet ſeculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

*c Lib. de Patient. cap. 7.*

A fortuitis nunc venio ad corporis affectiones. Quarum una, ejus eſt imbecillitas. Nam, ut Seneca *d* ait, *Quid eſt homo? Quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile.* Quid homo? ut Epictetus dicit, *lucerna vento expoſita.* Ut Plinius *e*, rectè de humano ait corpore: *cùm benè lacertos exercuit, cujuſlibet feræ pabulum, cujuſlibet victima, ex infirmis, fluidiſque, contextum & lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, æſtus, laboris, impatiens; ipſo rurſus, ſitu, & otio iturum in tabem.* Scite etiam à veteribus *f* dictum fuit, ut ferrum exercendo atteritur, inexercitum rubigine conſumitur: ita hominem laboribus exhauriri, & inerti torpedine magis diſſolvi. Vide igitur, an cùm tale ſit corpus noſtrum, non ea res ad modeſtiam nos magnopere debeat incitare: aut an æquum ſit, ſic nos ei ſtudere, ut animum negligamus, qui æternus.

*d Ad Marciam cap. 11.*

*e Proœmio lib. 7.*

*f Vide Catonianam præclaræ veritatis hac de re ſententiam apud A. Gellium l. XI. cap. 2.*

Sunt interea & ſua corpori bona: ſanitas, robur, agilitas, forma: quorum ſingulis, præcipuè tribus poſterioribus, extollere ſe homines ſolent. Notum illud poëtæ. *Sequiturque ſuperbia formam.* At nihil non horum eripi poteſt. Adhæc robore & agilitate tot te muta vincunt animantia. Quantacunque ſit pulchritudo, à ſtatuis multis vinceris. Et durabilior longè eſt ſtatuis ſua forma. Quin igitur potius ſecteris animi pulchritudinem, quam, cum bono Deo, dare tibi potes; eripere alius nequit. Et quàm turpe eſt, eum, qui animum habet captare laudem è corpore! virum imprimis: in ſequiori enim ſexu, qui mollior eſt ac delicatior, non laudamus quidem, ſed ferimus utcunque, ſi formâ ſibi placeat.

Hinc jam ad animi bona adſurgamus: quorum aliqua ſunt naturalia, alia ſtudio ac labore parta. Naturâ ſuâ habet anima vim cernendi præſentia, recordandi præterita, proſpiciendi futura: habet eadem velocitatem cogitandi, & ſubtilitatem penetrandi: habet ſolertiam inveniendi, & judicium diſcernendi. Quæ omnia teſtantur, animam noſtram cælo genus ducere. Momento illa mundum omnem pervagatur: magno argumento, non te eam glebæ huic, vel illi debere affigere, cùm totius mundi incola ſis. Quid igitur peregrinationes, vel exilia moleſte feras? Imò, ſi ſinas, momento illa provolabit in cælos, unde genus ducit. Vide igitur, an non eam, quæ originis eſt cæleſtis, indignè rebus obruas terrenis.

Quòd ſi ingenio, vel memoria excellas, in te deſcende, ac diſpice, an non eo tibi magnopere placeas, ſic ut ſordeant alii, quibus ingenium obtigit tardius, aut memoria minùs tenax. Atqui magna quidem memoriæ laus, major etiam ingenii; at longè maxima judicii. Quid ſi igitur, qui ingenio nolis cedere, judicio ab aliis vincaris? Et quorſum tibi præclara memoria, ſi non optima quæque huic rerum omnium theſauro aſſiduè committas? Cui uſui ingenium acre, ſi abutaris, eorum inſtar, quibus, ut Petronius loquitur, *ingenioſa gula eſt*; aut Curionis illius, qui Vellejo dicitur *ingenioſe nequam*?

Hinc jam à naturalibus animi bonis conferam me ad illa, quæ ſtudio parantur. Cujuſmodi imprimis ſunt hæc tria; primùm doctrina, præcipuè varia, aut recondita; hinc prudentia cum virtute; denique pietas cum modeſtiâ. Ac primum quidem videamus, quo pacto ſeipſos expendere debeant, qui eo ſibi placeant, quod animum excoluerint doctrinarum ſtudiis. Atque in his etiam eſſe videas adoleſcentulos, qui adhuc, quod dicitur, inter apia verſentur, ac vix è luto poſuerint pedem. Quales ſtultâ perſuaſione viam ſibi in poſterum ad veram eruditionem præcludunt. Uſque adeò verum eſt, quod ſapiens ille ajebat, ἡ οἴησις ἐγκοπὴ τῆς προκοπῆς. Sed de iſtis potiùs videamus, quos peſtilens illud ſidus non afflavit: ſi modò aliquos eſt invenire, quos non quodammodo teneat ſacer ille morbus, opinio: Nam & illi, qui non ſuo ſolum judicio, ſed etiam alieno, alicujus pretii videntur, ſæpè propterea tanquam ab alno, deſpiciunt illos, quibus non eadem obtigit felicitas: Equidem te compello, quiſquis in choro erudito locum tibi vindicas, ſerioque rogatum velim, iſne te ſtudiis dederis, quæ ſapientiam docent: an iſtis; quæ ad hanc tantummodo viam parant. Multos enim in literis humanioribus aliquanto longius progreſſos, videas præ ſe aſpernari ſeverioribus ſtudiis imbutos: credo quia vident his ſermonem ferè eſſe impolitiorem, nec ſcire illas ſtudiorum amœnitates: quaſi non pluris ſint ſtudiorum fruges, quàm flores. Contrà alios cernas ridere illas amœnitates, ac ſeſe magnopere jactare, quod in maſculo facultatis alicujus ſtudio ætatem triverint. Quaſi non & horum claudicet doctrina, ob ignorationem eorum, quibus ad majora præparari animus debuerat. Vide nunc, utrum in priori, an alterâ ſis caterva. Equidem poſteriorem anteferam: attamen non dubitandum, quin diſciplinæ mutuo ſtent auxilio, eoque ſtudia manca ſint ac mutila, niſi perficiatur diſciplinarum chorus. Non quaſi exiſtimem, poſſe aliquem excellere in omni ſtudiorum genere: ſed quia, ſi recta inſiſtatur via, mediocris omnium notitia non obſit, ſed plurimum proſit ad unius vel alterius ſtudii accuratam notitiam adſpiranti. Præterea, homo ſeu eruditule, ſeu erudite, cogita tecum, non quàm multos doctrinâ præ-

verteris, ſed quàm multi ſint qui te à tergo reliquerint. Cogita etiam illud B. Hieronymi ad Vigilantium; *Non parum eſt ſcire, quid neſcias.* Eoque non tam obverſetur, quantum ſcias, quàm quantum neſcias. Siquidem, quæ ſcis, nec decima, imò nec centeſima ſunt eorum pars, quæ neſcias. Denique animo illud obverſetur, utcunque pulchrum ſit audire doctum, pulchrius eſſe haberi prudentem; pulcherrimum autem eſſe pium. Imò quid vera doctrina, niſi prudentiæ ac pietatis eſt inſtrumentum? At quantus eſt eruditorum numerus, quorum hos prudentia, illos pietas, nonnullos utraque deſtituat! Et his te fortaſſe præfers, quos doctrinæ expers, vel prudentia, vel pietas, vel utraque commendat. At longè ſatius ſit rejici in gregem indoctum, quàm excludi à ſapientibus, hoc eſt, prudentiâ ac pietate ornatis.

Quæ proximè diximus, ad omne genus literatorum pertinent: ſed quanto mihi carior, tanto & notior eſt ordo noſter. Quare non poſſum ab animo impetrare, ut manum de hac tabulâ tollam, & tam citò alium ad ordinem tranſeam. Obverſantur animo in choro erudito, tum qui gaudent titulo doctoris; tum qui dignitate profeſſoris; tum qui claritate ſcriptoris. Non minus his examine ſui opus eſt, quàm indoctis. Liceat igitur omnes hos affari. Ac primum ſermo mihi vobiſcum fuerit, qui Doctoris eſtis titulum adepti. Expendite, utrùm hoc elogio digni ſitis an indigni. Jure iſtoc honoris conſequuntur, qui non ſolùm memoriâ ſunt complexi, quæcunque de propoſitâ arte, vel ſcientiâ, tradi in ſcholis ſolent: ſed judicio præterea adeò ſunt ſubacto, ut præcepta in actum ſciant deducere. Nec enim titulum doctoris Medicinæ meretur, cui ægrum non auſis committere, nec Juriſconſulti, cui deſit fiducia ſuſcipiendi cauſſam ullam. Solis verò honos ille convenit, quorum ſtudia in tantum maturuerunt, ut ad ſcientiæ ſuæ πρᾶξιν idonei ſint. Quod demum fuerit in Medicinæ candidato, ſi celebrem Medicum ad ægros itantem diu fuerit comitatus: in Juriſprudentiæ candidato, ſi diu audierit cauſſas coram tribunali agentes. Sed feramus ſanè morem Academiarum, quo recentes à θεωρίᾳ Doctoris elogio inſigniuntur. At quis toleret, quod qui non aliter præcepta guſtarunt, quàm canis Nilum; interdum etiam ne guſtarunt quidem; avaritiâ ac ſtultitiâ Profeſſorum, honorem illum immerentes conſequuntur, qui collatus etiam adimi potiùs debebat. Unde jam olim illa Laurentii Vallæ querimonia fuit, majorem eſſe numerum doctorum à recto *doctor*, quam *doctus*. Et quis neſcit illud calcatum, *Accipiamus pecuniam, & remittamus aſinum in patriam?* Nec ſolùm vide, an honore eo dignus ſis: ſed etiam an non propter eum cornua tollas, & iis impetas ſolidè eruditos. Quod profectò non faceres, ſi te ipſum noſſes. Tu à pauxillis alicujus Lycei Profeſſoribus pretio tibi doctoris titulum comparaſti: & præ te contemnes illos, quos quicquid eruditorum eſt in orbe æſtimat, & pro mundi doctoribus agnoſcit? Hoc vitium in aliis etiam, ſed maxime dominatur in juventute, quæ ubi titulo auctior rediit domum, plebeculæ facilè imponit: Sed verè docti continuo conſpiciunt auriculas aſini prominentes. Tales ſtruthionibus etiam verè compares, qui externo apparatu minantur ſublimem volatum; ſed vix ſe valent attollere à ſolo.

Hinc jam venio ad Profeſſores Academicos: quos non inſcitè à doctiſſimis hominibus in tria video genera diſpeſci; apes, fucos, crabrones. Apes gignunt mel fragrans: & tum hujus alimonia auditores paſcunt, tum odore ejus multos ſagacioris naris ad Academiam pelliciunt, præcipuè ſi aureis ingenii doctrinæque monumentis illuſtrem ſibi, pariterque Academiæ, atque adeo patriæ famam pariant. Fuci, favore magnatum, in ordinem Profeſſorum allecti indigni, non de honore Academiæ ſolliciti ſunt; ſed duntaxat de commodis, quæ ex eâ dignitate percipiunt. Crabrones invidiâ lacerant præſtantiùm collegarum famam, ut ſic ipſi quidem videantur, quod non ſunt, ac præclaræ illæ animæ non videantur, quod ſunt. Nunc qui te pulcro Profeſſorum ordini inſertum prædicas, attende quæſo, num in apibus, fucis, an crabronibus, nomen merearis.

Tertius dabatur ſcriptoribus locus. Et hi ſæpè intumeſcunt ob qualemcunque nominis celebritatem, quam ſi non habeant, ſaltem habere ſibi videntur. Nam nulli deſunt laudatores: &, ut adulatores abſint, ſibi quilibet adulatur, ſuoſque etiam deformes fœtus amat. Quare conducibile eſt, priuſquam labores quiſque ſuos divulget, ut non contentus ſecum ſingula ſeriò expendere, etiam, Pliniano [a] more, communicet duobus vel tribus; viris doctis, prudentibus & benevolis: eorum judicia expoſcat: imò, ubi indagine majori opus, judicia etiam annotet, quo per otium accuratius ſingula expendat. Imò, apud veteres & ille laudatiſſimus mos erat, coram frequenti ſua auditorio legere, & ex ſingulorum vultibus, tum laudes, tum culpas obſervare. Hæc qui inſuper habent, ſæpius fucum faciunt, non poſteris dico, qui juſto omnia pretio æſtimabunt; ſed ſibi ipſi, & aliis ſui ſeculi imperitis, quorum maximus eſſe numerus ſolet. Cogitet etiam, an argumentum, quod ſuſcepit, meliùs tractarit quàm priores: hoc eſt, an priorum inventis pulcra quædam ſuperaddat de ingenio ſuo: vel an cohibitius ſuccinctiuſque, & majore cum genio rem exponat: & verbo ut dicam, an poſtquam tantum eſt librorum in orbe, ut iis legendis nec plurimorum ætas ſufficiat, nihilominus interfuerit orbis literati, iſtoc etiam ſcriptum in lucem prodire. Hoc eò fidentiùs ſcribo, quia multi quantivis ſibi pretii videntur, cùm non ſcriptores ſint; ſed exſcriptores, & ita exſcribant, ut ſatis pareat, eos, quos exſcribunt, longè meliùs argumentum illud intellexiſſe, quàm ipſos; elegantius etiam tractaſſe. Quod fieri ſolet ab nonnullis, quibus eſuriendum domi, niſi hoc miſero artificio pecuniolæ aliquid comparent. Sed ut fortaſſe talibus, velut neceſſitate adactis, veniam demus; non illis tamen ignoſci debet, qui malignè adeò de ſeculo ſentiunt, ut omnes exiſtiment naris eſſe tam obeſæ, ut non videant hominis furta, & ineptias: ac propterea etiam Theonino dente arrodant viros bene de publico merentes; ſui diſſimillimos. Quanquam nec hos quorum labores æſtimamus, æquum eſt, eò tumido reddi animo, cæteroſque præ ſe aſpernari. Nam quantillum eſt bene de aliis mereri, ſi de nobis malè mereamur: uti fit ſi ſtudia in nobis faſtum pariant, non modeſtiam; quæ præcipua eſt prudentiæ, Chriſtianæ imprimis, virtus.

[a] Lib. 7. cap. 17.

A doctrinâ tranſeo ad Prudentiam, ac Virtutem. Eſt verò id in animâ virtus, quod in corpore ſanitas. Nam uti hæc eſt à temperie humorum: ſic illa ab harmoniâ affectuum cum ratione. Diſpice igitur, an ſanus tibi ſit animus: hoc eſt, an eum prudentia ſic moderetur, ut ne ſuccumbat inſidiis, vel inſultibus affectuum. Reducuntur verò hi vel ad iraſcentiam, quæ aliter animoſitas ac irritabilitas dicitur: vel ad appetitum, qui aliter concupiſcentia aut cupiditas vocatur. Horum iraſcentia militi à Platone; cupiditas plebi comparatur; quia ille erectior, hic demiſſior. Priori objicitur malum aliquod: puta injuria, periculum, vel ærumna: unde metus, dolor, ira. Tum prudentia obducit animi magnitudinem, ac *fortitudinem*: ſed & *manſuetudinem*, ut iram inhibeat, ac leniat. Niſi hæc Virtus agat, tranſit homo in feram. Poſteriori ſe offert illecebra quæpiam voluptatis: ſive illa gulæ, ſeu libidinis. Sed Ratio obducit *temperantiam*. Quod niſi fiat, tranſit homo in pecudem: ut ſcitè Epictetus ajebat. Præter haſce virtutes duas & alia eſt, quæ à variis affectibus oppugnetur: nempe *Juſtitia*. Hæc violatur tum ab irâ, ut in cædibus, ac injuriis: tum à cupiditate, ut in furtis, ac rapinis: tum à libidine, ut in adulteriis, ac ſtupris: tum à metu, dum propter eum quis officium non facit. Sed & ab inſcitiâ oppugnatur: quia non omnes vident, quid ſit jus, vel æquum. Quare cogitandum cuique, an non iræ laxet habenas; aut dolori nimium indulgeat; aut Veneri, vel Baccho addictior ſit: aut metu officium deſerat: aut cupiditate habendi aliis ſit injurius: aut aliter negligat virtutem. Quæ jejunius dixi, paullum diducam.

Pri-

Primùm igitur vide, utrum fortiter feras adverſa, an muliebriter: quorum hoc ſi eſt, medicinam ex philoſophiâ pete. Videlicet cum iis, quæ adverſa obtingunt, confer ſecunda. Aliter ſi agis, pueris es conferendus, qui, unum quid è multis amittentes, magis dolent de uno illo, quàm gaudent de multis ſibi relictis. Sapiens verò lætabitur, quod bonum aliquod hactenus habuerit, & ubi habere deſiit, tam multa ſibi ſuperſint incolumia. Atque idem cum cæteris ſe conferet hominibus; ac plurimùm ita fit, ut hinc diſcat potiorem ſibi fortunam eſſe, quàm longè maximæ hominum parti. Senecæ eſt, ſed de ambitioſis; a *Nemo eorum qui in Rep. verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, adſpicit: & illis non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre, quàm grave, aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio, non reſpicit.* Hoc paullum immutatis verbis etiam impatientibus aptâris: Nemo enim eorum qui adverſâ premuntur fortunâ, cogitat, quot infeliciores, ſed quot feliciores, & illi non tam ſolatio eſt multos poſt ſe videre, quàm grave aliquos ante ſe. Habet hoc vitium omnis impatientia, non proſpicit.

a Epiſt. 72.

Præterea, ut vates ait Venuſinus,

*—— non ſi malè nunc, & olim*
*Sic erit.*

Maronis illud animo obverſetur:

*Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.*

Teleſphorus à Lyſimacho, feræ inſtar, caveæ incluſus, cùm oſtentui ſic foret, & fœdè ac miſerè viveret, ſi hoc vivere dicendum, ſuaſere amici, ut ſpontaneâ vitam ineddiâ finiret. Ille verò quid? b *Omnia homini, dum viveret, ſperanda eſſe.* Quicum convenit hoc poëtæ Sulmonenſis:

b Seneca epiſt. 70.

*Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.*

Egregiè hanc Spei vim deſcribit Tibullus lib. II. eleg. VI. Imò nec abſurdè philoſophi illi, qui vitam Spe dicerent contineri: unde & ἐλπιστικοὶ, quaſi *Speratives* dicas, vocabantur; ut eſt apud Plutarchum in IV Sympoſiacôn. Quæ appellatio præcipuè Chriſtianis convenit ſpem omnem in Chriſto, ac meliore per eum vitâ, reponentibus.

Propterea cogitabit etiam ſapiens divinam cæleſtis Patris Providentiam, quam Stoici *Fatum* dixere. Hæc omnia diſpenſat, ut vult: nobis verò obſequendum: boni, id ſi agimus; mali, ſi pareamus inviti. Non inſcitè hac mente Cleanthes apud Epictetum in Enchiridio; cujus verſus ſic Latinè Seneca c expreſſit.

c Epiſt. 107.

*Duc me parens, celſique dominator Poli,*
*Quocunque placuit: nulla parendi mora eſt.*
*Adſum impiger. fac nolle: comitabor gemens:*
*Malusque patiar, quod pati licuit bono.*

Eo autem libentius in divinâ nobis Providentiâ eſt acquieſcendum, quòd illa, pro ſuo amore, bono noſtro, agat, aut ſinat, quæ tantopere dolemus. Quàm illi proſcriptio erat moleſta, de quo B. Hieronymus loquitur in ſecundo contra Jovinianum! Atqui hic paupertinâ forte bonæ eſſe frugis cœpit; & cùm antea foret podagricus, temperantiâ eſt adeptus, ut ne humores deinceps fluerent in nervos. Plato, Dionyſii tyranni amicitiâ excuſſus, ſecurius, feliciuſque cœpit philoſophari. Zeno Citieus à naufragio egit Fortunæ gratias, quòd occaſionem haberet philoſophandi. Eſtque hic ille, qui Stoicam deinde ſectam condidit. Diogenes, urbe unâ ejectus, aggreſſus eſt contemplari univerſam rerum naturam. Eſtque ingens ſimilium exemplorum leges.

Jam quantum eſt, quod ſi non emendemur unis alteriſve plagis, non ceſſet Deus affligere, donec tandem, conſuetudine adverſorum, diſcamus patientiam. Hoc etiam Seneca d vidit, quando Naturam ait *nullo nomine melius de nobis meruiſſe, quàm quod cùm ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum Conſuetudinem invenit; citò in familiaritatem graviſſima adducens: Nemo duraret, ſi rerum adverſarum eandem vim aſſiduitas, quam primus ictus haberet.* Nempe ut mala malis accidantur, poſteriora tamen mala, licet paria ſint prioribus, non pariter tamen afficient, quia aſſuetudine duratus eſt animus; præcipuè iis, qui conditionem cogitant naſcendi, imò & renaſcendi: quia ut aurum igne fit purius, ſic filios ſuos calamitatibus purgat Deus. Et quid perhorreſcant, quibus nec mortem eſſe terrori oportet: ut qui ſciant, moriendi legem primis eſſe datam parentibus; nec poſſe nos aliter hujus vitæ malis liberari, & ad meliorem vitam tranſire. Interim, fateor, vel cogitatione mortis illi horrorem incuti, qui ita vixerit, ut conſcientia pœnas ſeveri judicis extimeſcat. Verùm hoc non mortis eſt; ſed vitæ nequiter tranſactæ. Longè aliter comparatum eſt cum piis, utcunque morti etiam accenſeas aditum ad mortem, qui multis in morbis ſæpè peracerbus. Rectè ergo B. Auguſtinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. VI: *Quicquid illud eſt in morientibus, quod cum gravi ſenſu adimit ſenſum, piè fideliterque tolerando auget meritum.* Ubi *meriti* vocabulum ex uſu veteris Eccleſiæ accipi oportet. Videlicet pro mercede, quam Deus ſe timentibus promiſit.

d De Tranquill. cap. 10.

Hinc penſicules velim, an temperans ſis, & quia paucis ea virtus, an non longè etiam ab hac virtute abſis. Blandus eſt hoſtis voluptas; cujus illecebris non facilè reſiſtimus, niſi illud aſſiduè cogitemus, nihil eſſe voluptate incertum magis, cùm planè pendeat à fortunâ: unde eſt, quod nunc eâ affluimus, nunc caremus. Nihil quoque tam ſervile eſſe & abjectum; ut quæ communis ſit nobis cum mutis animantibus. Nihil denique inimicum æquè tum ſapientiæ, quia menti caliginem obducit: tum induſtriæ, quia animo languorem parit: tum vigori, quia corporis ſanitatem labefactat. Eo melius Natura conſuluit nobis, in Venere imprimis, quòd eam brevem eſſe voluit, & talem, ut aſſiduitate ipſa faſtidium gigneret.

Proxima eſt Juſtitia, quæ verſatur circa modos cum hominibus converſandi. Loquimur verò non de juſtitiâ civili modò, quæ exigit, ne quem fraudemus, aut lædamus (hæc enim innocentia admodum eſt anguſta) ſed de juſtitiâ naturali, quæ requirit, ut quandoquidem cognati omnes ſumus, ab eodem Deo, eâdem conditione generati, eò nos mutuò amemus, nec ſolis nobis vivamus, ſed ad aliorum quoque uſum referamus, quod poſſumus. Atque hoc ipſum ſuadet quoque partim humanæ vitæ fragilitas, magnum miſerationis ſuſcitabulum: partim mutui auxilii neceſſitas. Pulcrè de iſto Seneca epiſt. XCV: *Ecce altera quæſtio, quomodo hominibus ſit utendum. Quid agimus? quæ damus præcepta? ut parcatur ſanguini humano? quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cum eſuriente panem ſuum dividat? Quando omnia, quæ præſtanda ſunt, ac vitanda, dicam, cum poſſim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum juſtumque compoſuit; ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quàm lædi: ex illius imperio paratæ ſunt ad juvandum manus. Iſte verſus & in pectore & in ore ſit: Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur.* Vide nunc, an non multifariam adverſus juſtitiam pecces? num errantes rectius inſtruis? num afflictos ſolatio, vel auxilio juvas? num erga inferiores non ſuperbus, ſed comis & affabilis es, planeque talis, quales erga te velles eſſe ſuperiores? num alii à te patiuntur, quod ab aliis pati recuſares? num aliis agis, quicquid ab iis velles tibi fieri?

Atque hæc de virtute, quam tum demum verè habemus, cùm nec malè agimus, quando ſcimus fore ut lateat omnes: nec omittimus rectè agere, etſi nullum inde præmium vel honorem, exſpectemus; ſed ſola nobis ſufficit bonæ mentis fiducia.

Reſtat, ut de pietate cogitemus; arte artium, & ſcientiâ ſcientiarum, quæque ſola habeat promiſſionem vitæ æternæ: ut propterea, ſine eâ, ſatius fuerit nunquam vidiſſe hanc vitam. Ea cùm partim ſit credendorum, partim ſperandorum, partim faciendorum; unumquemque examinare ſe oportet, habeatne & fidem, & ſpem, & charitatem.

Primum igitur diſpice, an credas, à Deo omnia eſſe creata, atque ejus providentiâ gubernari univerſa, et te omnia debere, in hoc fiduciam reponere, etiam in adverſis, quæ bono tuo immittat, vel permittat. Credaſne item in Verbum, quod pro nobis carnem aſſumſit, inque ea pro peccatis noſtris paſſum ſuit, ac die illo veniet è cælis ad judicandum vivos, & mortuos. Credaſne etiam in Spiritum Sanctum, per quem ſanctificamur, & membra ſumus corporis myſtici, cujus caput eſt Jeſus Chriſtus.

Hinc vide an ſperes à Dei miſericordiâ per & propter Jeſum Chriſtum remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam: uti in ſe credentibus Chriſtus promiſit. Sperare igitur hoc licet, ſi conſcius tibi ſis, quòd verè credas. Ut hic quoque locum habeat Salluſtii illud *a*: *Suus cuique animus ex conſcientiâ ſpem prabet.*

*a Orat. 2. de Rep. ordin.*

Sed vera fides non eſt, niſi ſit viva, & efficax per charitatem: ut porrò expendere quemque oporteat an habeat charitatem. Vide igitur an Deum creatorem ames ante omnia: quod non eſt, ſi magis ames honores, opes, voluptates carnis. Nec enim poſſumus pariter Deo, & Belial, inſervire. Vide an ames æternum Dei filium, Dominum tuum Jeſum Chriſtum; quòd non facis niſi propter eum paratus ſis mundo renunciare, ac potius vitam profundere, quàm eum abnegare. Vide etiam, an ames proximum, quod non eſt, ſi tuis ſolùm commodis ſtudeas. multò minus, ſi parentibus, & aliis publicè aut privatim præfectis, neges honorem debitum: ſi alienum effundas ſanguinem: ſi alterius torum macules: ſi fraude, aut vi, aliena occupes bona: ſi nomini alieno detrahas: atque adeò ſi ira, odio, invidiâ, libidine, aliove affectu, velut œſtro, percitus, tale quid animo concupiſcas, utcunque delictum conſiſtat intra cogitationem, quam homines ſcire non poſſunt. Vide denique an cum hiſce & cæteris vitiis aſſiduè pugnes, & fortiter pugnes, atque in hac pugnâ magis magiſque vitia ſuperes. Nam, ut B. Auguſtinus *a* ait, *Ipſa virtus* (pietatem quoque hoc nomine complectitur) *quid hic agit, niſi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, ſed interioribus; nec alienis, ſed planè noſtris.* Nec ceſſare in pugna hac fas eſt nobis, quia cum callido, & valido hoſte negotium eſt nobis, qui nunquam ceſſat laceſſere: ut ſi nos paullum ceſſemus reſiſtere, languidiuſve agamus, facilè ſuccumbamus. Scitè hoc illuſtrat B. Hieronymus in III contra Pelagianos: *Quomodo qui adverſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur ſic humana conditio, ſi paullum ſe remiſerit diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit.* Quotieſcunque igitur à carne, mundo, Satanâ, ſollicitamur ad peccandum, nunquam animum ſic remittamus, ut amittamus: ſed in eo aſſidui ſimus, ut carnem rationi, rationem ſubdamus Deo: donec illic ſimus, ubi nullum amplius erit certamen, ſed pax æterna.

*a Lib. 19. de Civ. Dei cap. 4.*

FINIS.

GERAR.

Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII DE STUDIORUM RATIONE DISSERTATIO GEMINA.

## DISSERTATIONIS GENERALIS BIPARTITÆ

### Pars Prior,

### Quæ tradit,

*Quibus Diſciplinis perfecta conſtet Eruditio.*

IN ratione ſtudiorum primò in conſiderationem venit, quàm varia ſint diſciplinarum genera. Ac aliæ quidem *communes* ſunt; aliæ excellentiæ cauſa *erudita* nuncupantur. Communes voco, quibus etiam ſe dant, qui inter eruditos referri non ſolent. Quales Ariſtoteli VIII. Polit. ſunt Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice: ac quorundam judicio etiam Graphice. Grammatiſtice eſt legendi, ſcribendique ſcientia: quæ doctrina planè eſt divina: etſi, quia puerilis & vulgaris, eò vulgo abjecta, diſpretaque habeatur. Gymnaſtice, in corporis exercitatione conſiſtit. Ac veteribus erat ſimplex, bellica, vel athletica. Noſtri temporis Gymnaſtice, præter ſaltationem, comprehendit digladiationem, equitationem, & natationem. Muſice, ſecundùm Pollucem triplicem harmoniam obſervat; unam ore, alteram manu, tertiam pedibus. Ut ad eam non minùs, quàm Gymnaſticen, ſaltatio pertineat: ars nec inutilis, nec laude indigna, quamdiu ſe intra honeſtatis continet cancellos, nec excellere eâ ſtudet, quem id non decet: Graphice, eſt ars pingendi: quæ in nonnullis plus etiam præſtat, quàm dictio, aut ſcriptura: ac in peregrinationibus etiam plurimum juvat.

Diſciplinæ eruditæ vel ſunt verborum, vel rerum. Verborum cura vel Grammatica eſt, vel Rhetorica, vel Poëtica. Grammatica ars, purè loqui docet: Rhetorica, ornatè: Poëtica, lege metrica. Loquor verò nunc de artibus iſtis, quatenus circa verba ſolùm verſantur: non quatenus Grammatici iidem ac philologi, variæque eruditionis amantes. Nec prout Rhetorica ſumitur pro facultate Oratoriâ: vel Poëtica fabulis naturæ arcana involvit, vitæve exempla proponit. Quomodo & Rhetorica, & Poëtica partes ſunt longè anguſtioris conſiderationis, quippe partes eloquentiæ, de quâ poſtea dicetur. Optandum autem foret, ut, ſicut olim, ita nunc etiam gens aliqua ſupereſſet, quæ Latinè loqueretur. Expeditiſſimam haberemus addiſcendæ linguæ Romanæ viam. Nunc cùm hodiè perpaucorum ea ſit laus, ut purè ſcribant: pauciorum, ut loquantur: cum præceptis verò, ſi pauca quædam exceperimus, ita comparatum ſit, ut ea aliquo uſque provectos juvent, incipientes verò morentur: vix alia profectò eſt ratio ſermonis formandi, quàm ſi veteres legamus, & ſequamur. Modum verò ejus rei inferius exponam. Dubitet quoque aliquis, num, quia nunc de eruditis ſolùm diſciplinis loquimur, eò hic agatur de puritate ſermonis in iis modò linguis, quæ olim obtinuere vulgò: nunc verò à ſolis ſciuntur doctis: ut ſunt Romana, Græca, Hebræa, Arabica, aliæ: an etiam de puritate in peregrinis illis, quæ hodieque in uſu ſunt totis gentibus: quales Gallica, Italica, ac ſimiles. Vulgares enim videntur, quia notitiam earum ſæpe etiam vulgares animæ poſſident, rerum omnium imperitæ. Mihi medii ſunt generis: interim parum referre cenſeo, utrum doctrina earum reducatur ad diſciplinas communes, an eruditas: dummodo fateamur uſum earum eſſe & eruditis maximum, partim ad vitæ publicæ privatæque commercia: partim ad intelligendas res maximas, quæ vix aliis, quàm vulgaribus illis linguis ſunt exaratæ. Imò in puritate & elegantiâ linguæ etiam vernaculæ exercitari utile puto: qualis his terris Belgica. Nam & illa non aliis minus linguis ſuas Veneres habet: quas exiguæ fortaſſis laudis eſt ſcire, illaudatum tamen neſcire. Adde, quod nec rarò adverſus linguæ vernaculæ puritatem peccat vulgus; ſæpè etiam eruditi, dum in vitâ linguâ Belgicâ, ad Latinum eam morem accommodant; Walonibus noſtris ſimiles, conantibus Belgicè, aut Belgis imperitioribus, loquentibus Latinè. De verborum doctrinâ ſatis.

Rerum doctrina vel eſt ſingularium, vel univerſalium. Prior illa vocatur Hiſtoria, quæ cum linguæ ſtudio optimè conjungitur. Cùm enim Hiſtoria partim rerum naturam deſcribat, partim res geſtas narret; ex naturali quidem communia rerum penè omnium vocabula diſcemus: ex geſtorum illâ hauriemus proprias perſonarum, ac locorum appellationes: ſine quarum notitiâ non poëtæ, non oratores, non ullum intelligi poſſit ſcriptorum genus. Ut ſatis liqueat etiam ad diſcendam linguam Latinam non eſſe expeditiorem proficiendi modum, quàm ſi cum Cicerone, aut Terentio hiſtoriam jungamus. Sed longè majus eſt, quod ex hiſtoriâ naturali, ſcientia naturalis & ars medica

 naſci-

Digitized by Google

naſcitur: ex hiſtoriâ verò rerum geſtarum, tota Philoſophia practica, cum Juriſprudentiâ originem trahit. Ex ſingularibus enim ad univerſalia devenitur. Hæc univerſalium doctrina à Platone dividebatur in προπαιδείαν, vel παιδείαν. Illa præparat, hæc perficit. Προπαιδεία continet Matheſin, & Logicen. Matheſis verſatur vel circa quantitatem diſcretam, ut Arithmetice; vel continuam, ut Geometria. Logice dirigit intellectum in cognitione veri: præcipuaque ejus inſtrumenta ſunt argumentatio, definitio, diviſio, methodus. In quibus multum etiam ſola valet natura. Sed non omnibus par obtigit naturæ felicitas, & ars dux eſt certior naturâ.

Atque hæc de προπαιδείᾳ: quæ ſic dicitur, quia docendi ordine antecedat παιδείαν. Ut enim ædificare volentibus prior eſt fundamenti cura, proxima autem ſtructuræ: ita etiam ſe res habet in doctrinarum ſtudiis. Structura παιδείας nomine cenſetur. Ea partim cognoſcitur lumine naturæ, partim ſupernaturali. Prior Philoſophiam continet, & eloquentiam. Philoſophia conſiſtit in Sapientiæ & Prudentiæ ſtudiis. Sapientia comparatur notitiâ naturæ. Atque ad eam, ut dixi, etiam Medicina refertur. Prudentia comprehendit ſcientiam moralem & civilem. Ex poſteriori enaſcitur Juriſprudentia. Eloquentia docet aptè dicere ad perſuadendum; idque vel proſâ oratione, ut Oratoria; vel carmine, ut Poëtica. Utraque Politicæ eſt inſtrumentum; ſed ut Politicus ſit Orator, multum refert: cùm in vitâ familiari, ubi multum ornat, & amicos parit: tum præcipuè ſi dicendum in concione ad populum: in curiâ ad Senatum, in caſtris ad militem, in legationibus ad exteros Reges, vel reipubl. Antiſtites. Sed Politicum itidem eſſe Poëtam, nihil neceſſe eſt, quia bonum quod ex dramatis, & aliis poëmatis redundat ad Remp. per alios exſequi licet. Quare Lælius & Scipio, ſive Furius, aut Sulpitius Gallus nobiliſſimi homines, non ipſi ſuo nomine dramata ediderunt, etſi adjutarint Terentium. Sed ut à Politico hoc ſtudium non requiratur, tamen ejus notitia auget nominis decus. Imò nec à laude carminis tragici abhorruere Aſinius Pollio, & Auguſtus, ut Julium mittam, qui tragœdiam ſcripſit, ſed puer. Supereſt doctrina ſupernaturalis, ſive Theologia Chriſtiana, quæ doctrina eſt divinitus revelata de Deo, & officio hominis, in ſpem vitæ æternæ. Quia verò hic periculoſius erratur, utile eſt in tanto Eccleſiæ ſuper variis capitibus diſſenſu, ut ipſi ſcripturas legamus, idque animo humili, & affectibus minimè mancipato. Recentibus etiam doctoribus addemus veteris Eccleſiæ interpretes, ac conſiderabimus, in quibus ubique ac ſemper conſpirarint; in quibus diſſenſerint; & quando diſſenſus ille cœperit, & ubi alii alios tulerint, ubi non item. Quo pacto futurum, ut & neceſſariæ veritati, & Eccleſiæ concordiæ melius conſulatur.

# DISSERTATIONIS GENERALIS BIPARTITÆ

## PARS ALTERA,

## Quæ oſtendit,

*Quomodo variæ adeò diſciplinæ optimè addiſcantur.*

Vidimus, quàm latè pateat doctrina. Ea verò eſt humanæ mentis imbecillitas, ea voluptatis vis in animos noſtros, ut licet in ſtudiis ad ſumma contendamus, ſic quoque longè ſatis abfuturi ſimus à ſummo. Tantò magis in pueritiæ & adoleſcentiæ inſtitutione ſemper eſt collimandum ad id, quod eſt perfectiſſimum: hoc eſt, ut eò tandem homo pertingat, nihil ut penitùs neſciat: ſaltem eò contendendum, quatenus diſcentis ingenium, & fortuna ferat, & vitæ genus ſinat, cui quis deſtinatur. Atque hoc optimè perſpexit vaſtiſſimæ eruditionis vir, nec ſine laude nominandus, Nicolaus Damaſcenus, Auguſti Cæſaris amicus: qui & ab eo placentis, vel potius dactylis Nicolaorum nomen impoſuit. Hic, ut ex vetuſtioribus prodidit Suidas, docto patre natus, celebris in patriâ erat adhuc imberbis: nullo Grammaticorum inferior, inque omni poëticâ exercitatus, ſic ut comœdiæ etiam, & tragœdiæ ejus laudarentur ab eruditis, & intelligentibus. Provectior verò etiam evaſit egregius dicendi artifex; nec Muſicæ ſolùm, ſed univerſæ Matheſeos contemplationi ſe addixit: tandem & toti Philoſophiæ, in quâ omnigenam Ariſtotelis doctrinam maximè æmulabatur. Hoc miraculum hominis dicebat, Quemadmodum, qui ſuſcipiunt peregrinationem longinquam, alicubi quidem divertunt, noctemque commorantur; alicubi ſolùm prandent; alibi verò diebus aliquot ſubſiſtunt, & alia curioſè, alia obiter ſpeculantur: reverſi verò proprias inhabitant domos: ſimiliter univerſæ amantibus eruditionis ac doctrinæ, in quibuſdam ſtudiis brevi, in aliis longo eſſe tempore commorandum: quaſdam diſciplinas eſſe integras addiſcendas; in quibuſdam elementa ſufficere: atque ubi ex omnibus iis, quod utile eſt inſtituto ſuo, hauſerint, quaſi domum reverſos in ſapientiæ, ac prudentiæ ſtudiis, quæ Philoſophiæ nomine continentur, aſſiduos eſſe oportere. Ex ejus igitur viri conſilio contenti eſſe debemus perfectione iſtiuſmodi, quâ nihil penitùs neſcire dicamur, quia nullius ſtudii ſimus prorſus expertes: interim alia ſciamus leviter, alia mediocriter, alia accuratè. Leviter quædam, ob exiguum uſum, pro vitæ genere, quod propoſitum eſt nobis: in ejuſmodi ſatis eſt elementa hauſiſſe. Mediocriter alia, ob uſum majorem, & quod ſine iis ea intelligere, vel tueri neſciamus, quæ ſcopus ſunt ſtudiorum noſtrorum. Exactè verò, quæ potiſſimùm tangunt vitæ genus, quod inſtituimus. Variant enim ſingula iſtorum pro vitæ propoſito. Ita hodiè majori jure linguæ Græcæ peritia in Medico requiritur, quam in Juriſconſulto; major etiam notitia ſcientiæ naturalis. At Juriſconſulto magis opus cognitione hiſtoriarum, & philoſophiæ moralis, ac civilis. Theologum magis, quàm Juriſconſultum, aut Medicum, Logicis, & Metaphyſicis imbutum eſſe convenit. Etiam magis illi neceſſaria eſt notitia Orientalium linguarum. Hiſtoriæ verò Eccleſiaſticæ notitiam potiſſimùm quidem in Theologo requiram: mediocri interim opus cenſeo in omnibus eruditis: præſertim ſi futurum aliquando, ut ſedeant ad clavum Reip. Quales imprimis,

Digitized by Google

mis, in religionis etiam negotio, non alienis modò, ſed ſuis oculis videre par eſt. Scripturas igitur ſedulò legant, &, ut ante dicebam, antiquis interpretibus ſociare diſcant novos, novis item antiquos.

Expoſuimus hactenus duo iſta, quæ & quatenus ſint diſcenda. Tertium reſtat, quâ ratione facillimè tam vaſta rerum notitia paretur. Penè ab incunabulis ordiendum: non tetricâ ratione, ſed ſuavi, & quaſi luſitando. Sanè pueriles animi mirè capiuntur narratiunculis, & picturis. Quare quadrienni etiam vel minori, interdum & antequam legere diſcat, mater, vel pædagogus librum proponat, qui pictas exhibeat hiſtorias omnes Veteris, & Novi Inſtrumenti. Figuræ ſingulæ monſtrentur, explicentur. Ita breviculo ſpatio puer hiſtoriam biblicam ſciet. Exemplis etiam ſubjicere liceat ſalutaria præcepta, quæ inde colliguntur. Sic metus Numinis, & reverentia inſtillabitur. Etiam ſylvam vocum Latinarum occaſione eâdem addiſcere licebit. Exempli gratiâ, in primâ picturâ, quæ creationis hiſtoriam proponit, videre erit Solem, Lunam, ſtellas, virum, feminam, arborem, ſerpentem, pomum, leonem, bovem, cuniculum, pavonem, alia; in quibus puer rogatus quid quidque ſit, Latinè etiam nominare diſcet. Par ratio fuerit in cæteris picturis.

Mox conſequetur, vel etiam ſociabitur Grammatiſtice, ſive legendi, & ſcribendi ſcientia. Literæ luſitando variè diſcuntur. Inter alios modos, ſi ſphærulis luſoriis literæ alphabeti ſingulæ è chartâ agglutinentur, nec alias puero liceat obtinere, quàm in quibus literarum inſcriptarum nomina ſciat: quarum oblitus erit, etiam ſphærulas deperdat. Quod ſi firmiuſcula ſit pueri pro ætatula manus, poſſit non à legendo, ſed à ſcribendo ordiri. Nam dum diſcit literas formare, eâdem diſcet eas noſcere. Utile autem incipere ab alphabeto Italicarum literarum, ſive, ut vocant, currentium. Nam ſi calleat puer ſex, ſeptem figuras, nullo negotio diſcet univerſas: quia reliquæ inde formantur. Exempli gratia; ex u ſciet a, c, e, ex i nôrit m, n, u. Vicinæ etiam b, d, g, p, q. item ſ & f; ex quibus de paucis reliquis facilè erit judicare.

Hinc jam tempus vulgaria diſcere paradigmata nominum & verborum; ſed in nominibus, ſine illis, ut vocant, articulis. In verbis, ut unum ſit Imperativi tempus, primæ perſonæ expers: citra etiam modum Optativum, qui Subjunctivo continetur. Hæc addita citra fructum ullum puero difficultatem augent. Mox hauriet præcepta artis Grammaticæ: quæ adeò ſunt pauca, ut pagellis viginti liceat complecti. Quod & in Græcis locum habeat. Imò ea quaternione, ut vocant, unico ſoleo comprehendere. Vulgo multa inferciunt Grammaticæ planè philoſophica, quæque à tenerâ ætate intelligi nequeant. Eſt hæc verè carnificina: non quaſi & iſta non aliquando diſcenda ſint: ſed & ætate, inque ſtudiis aliquantum provectis, ut ſermonis etiam naturam, & cauſas intelligant. Quare iſtorum loco puer præcipuarum rerum vocabula petat ex Nomenclatore Junii. Sylvulâ hac vocum, & facilibus, quos dixi, canonibus cognitis, vel fabellæ Æſopicæ, vel paucula poterunt ex Eraſmo, Corderio, aliove colloquia proponi, ut ita uſus canonum melius appareat. Sed mox ſcriptores ad veteres veniendum. Ex quibus conducet Terentius ad ſermonem familiarem, & epiſtolicum. Propter quem & elegantiores aliquot Ciceronis epiſtolæ ſeligantur. Ob metricam verò rationem, poſt enarratam proſodiam, à Catonis diſtichis ordiri licebit. Vel ſelectis quibuſdam ex Marone, Horatio, Ovidio, atque aliis. Quo pacto puer in omni verſuum genere illuſtre habebit exemplum. Atque hæc nunc dicimus ſolùm, ut liqueat, quomodo optimè conſequamur intelligentiam canonum, de ſermonis Romani puritate, ornatu, metro. Qui verò potiſſimùm ſint legendi propter ſtylum, & ut præter lectionem requiratur uſus, ſive ſtyli exercitatio poſtremo à nobis loco exponetur.

Etiam jam tum, imò multò etiam ante, puta ſexenni, vel ſeptenni utiliter cenſeo datum iri chartas tres, quatuor geographicas: ut inde diſtinguere diſcat tres continentes, & in primâ Aſiam, Africam, & Europam; in ſingulis harum nobiliores regiones, ac terminos, & primarias urbes, velut Romam, Carthaginem, Athenas, Spartam, Conſtantinopolim, Hieroſolyma, &c. Oſtendatur ubi Chriſtus natus, paſſus: ubi Imperator Germanicus dominetur, ubi Turcicus: ubi Caſtiliæ Rex, ubi Luſitaniæ: ubi Rex Gallus, Britannus, Danus, Polonus, Suecus: ubi Pontifex Romanus; ubi ſita tellus, atque urbs, quam ipſi incolimus: & ſic in cæteris. Puero ſcire hæc, monſtrateque poſtea aliis, voluptatem adferet honeſtam, ac multum lucis in hiſtoriâ ſacrâ, externâ, veteri, novâ. Earum ſacra petatur à Sulpitio Severo: Romana è Floro, Stadii operâ illuſtrato, & Cæſaribus Sex. Aurelii Victoris. Externa è Juſtino hauriantur. Suppleantur in his cætera è Bucholcero, aut Calviſio, vel ſimili. Ubi verò adepti fuimus generalem temporum omnium notitiam, ad quod etiam tabulæ quædam chronologicæ conferent; adeundi qui fuſiùs omnia tractarunt: ante alios Livius: qui præterquam quod purè adeò & perſpicuè ſcribat, quodque exempla ac præcepta adfert, quæ Dei providentiam doceant, ac prudentiam augeant moralem ac civilem, etiam orationes habet in vario admodum argumento multum profuturas eloquentiæ ſtudioſo. Qui verò fuſè de ſingularum penè gentium imperiis ſcripſerint, aliâ quadam diatribâ perſequimur: unde peti malo, ne ſit, quod dici ſolet, Δὶς κράμβη θάνατος.

Hiſtoriam excipit Matheſis ac Logice: hinc partim philoſophia, tam naturalis, quam civilis, partim eloquentia. Sed qui doctores hæc ſtudia vel primi, vel feliciùs aliis tractarint, accuratè exponimus libris de ſcientiarum omnium naturâ, uſu, & ſcriptoribus præcipuis: quos propediem puto lucem viſuros.

Quæ hactenus diximus, ea pertinent ad intelligentiam verborum, & rerum. Præterea verò opus eſt, ut ſciamus loqui, & ſcribere, tum purè & perſpicuè, tum copioſè ornateque. Dixeris, ſi quis ſermonem intelligit Romanum, etiam locuturum eò ſcripturumque. Sed ſæpe linguam intelligimus, quâ loqui neſcimus, quia uſus abeſt. Nec ſi purè ſciamus loqui, eò & perſpicuè, atque adeò copioſè, ornateque id præſtare ſumus idonei. Hæc verò duobus conſequimur; optimos legendo, & quos legimus, feliciter imitando.

Videndum igitur nunc, qui ſint imitandi, & quomodo imitandi. Ecquis ſit imitandus, vocari in dubium non debet. quippe, ut dictum, nullus jam populus eſt, qui Latinè loquatur. Quare veterum opus lectione, qui ſermone Romano præſtiterunt. Sed duo hic attendere convenit: prius pertinet ad proprietatem vocum ſimplicium, & conjunctarum. Hæc ex uno quopiam diſci nequit. Ut valdè fallantur, qui putant haud aliis eſſe utendum verbis, quàm Ciceronis: cùm non de omnibus rebus ſcripſerit Cicero: eoque ſi de re ruſticâ, militari, architectonicâ, aliiſque tacendum propterea non ſit, alios cogamur adire ſcriptores. Nempe Ciceronis imitationem non ponimus in verbis, ſed lineamentis, & totâ orationis formâ. Nec quia Ciceronem nomino, eò præſcripſero omnibus lectionem Tullii, ut unici ducis. Nihil enim invitâ faciendum Minervâ. Suum autem quemque ingenium ad aliud, atque aliud dicendi genus trahit. Sed utcunque diverſi ſint modi, quibus ſtylo etiam inveniamus laudem: non tamen in iis eſt iſte, ſi multos imitemur: quomodo dictio nunquam futura eſt æquabilis, & conſtans. Unus igitur aliquis imitandus, iſque optimus. Nam ſi bonum imitemur, non optimum, haud facilè evademus boni, quia rarò adæquamus, quem nobis æmulandum propoſuimus. Meliores autem dare non poſſumus, quàm qui vixere Julii ac Auguſti temporibus; quales ex proſaicis Tullius, Cæſar, Livius: & mox M. Seneca, Vellejus, Curtius, Fa-

Fabius. Unum autem imitari expedit: vel ſi quem addere velimus, is eſto quàm ſimillimus, ut ſi Tullio Fabium addamus. In eo autem, quem imitamur, aliquamdiu aſſidui eſſe debemus, neque ad proprietatem modò ſingularum vocum attendendum; ſed etiam conjunctarum: ut quæ nomina his illis verbis: quæ verba his vel iſtis nominibus ſocientur. Utrumque horum ſedulò exponit in Theſauro ſuo Rob. Stephanus. Claudicat verò hac parte toties recoctus Calepinus. Conſiderandus etiam particularum uſus: de quo Turſellinus, & Stewechius. Perutile verò, ſi, uti in Nomenclatore ſuo Junius voces ſingulas retulit ad claſſes certas; ita etiam faciamus in conjunctis: veluti quæ formulæ dicendi obtineant in re forenſi, quæ in militari, quæ in ruſticâ, vel nauticâ, aliiſque. Ad hæc diſpiciendum in ſcriptore, quem nobis propoſuimus, (præcipuè in Tullio) quomodo ſententiam ordiatur, contineat, claudat: quo pacto narret, ad aliud tranſeat, interroget, ratiocinetur: quâ ratione exemplis illuſtret, vel aliena verba proponat, firmet, aut refellat. Atque utile etiam in codice quopiam, ſummâ in paginâ titulis hujuſcemodi annotatis, ſubdere inferius, quas formulas invenimus legendo: eaſque varias, ut major in imitando copia ſuppetat, nec eadem ſemper chordâ oberrando paupertatem noſtram prodamus. Et tamen in formulis ejuſmodi, & phraſi universâ videndum, à quo, ubi, quando, & quâ occaſione, quidque dicatur. Nam variat ſtylus pro genio tum dicentis, tum rerum, quæ dicuntur; aliterque loquimur in epiſtolâ, vel ſermone familiari, aliter in diſputationibus aut artibus tradendis: aliter in texendâ hiſtoriâ: aliter in concitato, ferventique dicendi genere; ut ferè in cauſis forenſibus. Imò ne par quidem ratio eſt in ordinatione verborum. In epiſtolâ enim (niſi fortè, ob gravitatem argumenti, aſſurgere debeamus) haud multum ſolliciti ſumus, ne multæ concurrant vocales ſimiles: ne multæ conſonantes aſperæ ac hiulcæ; ne multa grandia, aut exilia multa; utcunque ea ſatius ſit miſceri: verùm ſubinde aliquis talium neglectus commendat, eoque ipſa curæ eſt incuria. At in oratione ſtudioſè ea ſunt obſervanda; ac præterea curandum, ut periodica ac numeroſa ſit oratio: adſueſcendæque aures, ut de ſoni diverſitate judicium ferre valeant. Negligi hoc artificium à pædotribis multis ſolet: ſed miras Veneres addit orationi, ita ut pro his obſervatis, aut neglectis, eadem oratio haud eadem videatur. Ex uno Tullio hæc optimè hauriri, diximus ſuperius, cùm de Rhetorico ſermonis ornatu ageremus. Puero autem poſt ſelectiores in omni penè argumento epiſtolas legendæ etiam orationes faciliores: quales Catilinariæ, & ad Cæſarem dictæ: poſtea accedet omnium perfectiſſima, pro Milone. Etiam ex philoſophicis ejus viri quædam delibanda: ut Lælius, & Cato: quos ſequentur mox aurei officiorum libri. Nam ſic eâdem opera ſtylus magna capiet incrementa, & bona pars diſcetur philoſophiæ moralis: ſine cujus notitiâ non conſtat Eloquentia: ut quæ philoſophiæ practicæ, ut diximus, inſtrumentum ſit.

Quos ſcriptores ad facultatem bene dicendi comparandam legere imprimis conveniat, ſatis mihi videor expoſuiſſe. Venio nunc ad alterum caput, quod eſt de imitatione, ſive exercitatione ſtyli, quæ facundiam perficit, imò penè ſola artificem facit. Eſt verò alia pueris convenientior, alia majores exigit vires. Prior eſt duplex: una, ſi aliqua ex Tullio, aliove linguâ reddas vernaculâ; poſt aliquot verò dies, modò benè ſint expreſſa (de quo, ſi opus, doctor prius judicium faciet) eadem à puero Latinè reddantur. Denique ex Tullianorum collatione judicium fiat, quæ à magno illo dicendi magiſtro melius dicta ſint. quo pacto futurum, ut puer, quaſi ſub ipſo Cicerone præſenti proficiat. Poſterior exercitatio eſt, quando puer epiſtolam, vel hiſtoriolam ſumit, non diſconvenientem multum ſuis rebus: atque illam, mutatis aliquibus, ſuo accommodet inſtituto. E. G. Cicero varios in epiſtolis conſolatur: ex harum unâ, vel pluribus puero aliquem conſolaturo fas erit ſuâ excerpere, etiam verbatim periodos totas. Sic ex Tullio meliùs diſcet lineamenta ſermonis Romani, & formare ipſum orationis corpus. At majoribus jam viribus eſt opus, quando in argumento multum diverſo imitatio fit, eaque ſic inſtituitur, ut non alteri penè omnia, ſed multa etiam nobis debeantur: & quæ ex altero deſumpta, ea etiam noſtra planè videantur, quia, ut artificioſi fures ſolent, iis novam planè formam tribuimus. Cæterùm cùm initio quis in hoc exercetur, ſatius eſt pauca ſcribere, & tardè; non verò arripere, quæ ſtatim ſe offerunt: ſed quærere meliora, imò optima. Quin ne quidem aliquo uſque jam in dicendi ſtudio progreſſi, induſtriam hanc omittere debemus. Siquidem qui facultatem benè dicendi comparavit, ſi ingenium quodammodo habeat in numerato, &, ita uſu veniat, ut extemporali dictione ſit opus, non incommodè id præſtabit: ſed ſi dare propterea extemporali ſe dictioni ſemper volet; facilitate dicendi amittet benè dicendi facultatem.



Digitized by Google

# DISSERTATIO
# PARTICULARIS
## DE
## Ratione, & ordine, univerſam legendi hiſtoriam.

Qui animum ad hiſtoriam appellere volet, optimè auſpicabitur à generali notitiâ omnium locorum, ac temporum. Ac propterea primum è generali aliquâ totius orbis tabulâ addiſcet præcipuas mundi partes, & quibus limitibus hæ diſtinguantur. Hinc ſeorſim generales, Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ, tabulas contuebitur, ut inde cognoſcat præcipuarum regionum ſitum. Adde his typum veteris imperii Romani. Ab hiſce veniendum ad tabulas particulares regionum, de quibus præcipuæ tractant hiſtoriæ: ut Palæſtinæ, & vicinarum regionum, ob hiſtoriam ſacram. Item Italiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ.

Vetus ſitus optimè cognoſcetur ex tabulis Ptolemaicis à Mercatore concinnatis. Utile etiam eſt ad manum ſemper eſſe Onomaſticon, ſive ut ipſe inſcripſit, Theſaurum Geographicum Ortelii. Breviter ex antiquis orbem deſcripſere Mela, Plinius, Solinus, Dionyſius. E junioribus Glareanus, & Cluverius.

Fusè, & graviter de omnibus olim Strabo, quatenus quidem orbis tunc cognitus erat: ſed partim ut recens ſimul ſitus addiſcatur, partim quod ſuperiori ſeculo, novis terris inventis, Geographiæ acceſſit, operæ ſit addere, Geographica Bertii, & Ortelii Theſaurum orbis terrarum; aut Atlantem Mercatoris.

Ubi quis ex ſex, ſeptem tabulis, & compendio aliquo Geographico mediocrem ſibi notitiam paravit, nobilium terrarum, & præcipuarum in iis urbium, pari ratione ex canone aliquo Chronologico addiſcere opus erit generalem ævi omnis deſcriptionem. Ubi conducent duo canones illi Chronologici Ubbonis Emmii, quos compendioſos, & ſuccinctos appellat, ac pleniori, ſolidiorique ſuæ Chronologiæ præmiſit.

Multum tamen lucis acceſſerit, ſi diſtinctè omnia tempora quatuor tabulis proponantur. Quarum *prima* continet res Hebræorum ab orbe condito, uſque ad excidium Hieroſolymitanum. *Altera* complectitur res Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, & Græcorum. Ex quibus Aſſyriæ, incipiunt à Nino; Medicæ, ab Arbace; Perſicæ, à Cyro; & Græcæ, prout hic conſiderantur, ab Alexandro Magno: deſinunt autem in Cleopatrâ ab Auguſto devictâ. *Tertia* tabula continet res Romanas ab Romulo, uſque ad diviſum imperium inter filios Theodoſii; vel uſque ad Romam, ab Odoacro captam. *Quarta* proponit Orientis imperium, uſque ad captam Conſtantinopolin: inde imperium Occidentis, uſque ad noſtra tempora. Plenius hæc repræſentabunt Zonaræ, & Euſebii chronicon, cum appendicibus Hieronymi, Proſperi, Marcellini, & utriuſque Palmerii. Item chronologia Bucholceri, & Calviſii. Et chronicon à tribus illis Carione, Melanchtone, & Peucero conſcriptum. Sed in annorum ratione ſequendi potius juniores, præſertim in annis mundi.

Vidimus de generali notitiâ omnium locorum, & temporum: deinde veniendum ad particularem: ac prout hiſtoria erit, ita ei præmitti debet notitia regionis, de quâ hiſtoria ea tractat.

Non dubium autem, quin in hiſtoriâ particulari incipiendum ſit à ſacrâ, ſive rebus Hebræorum, Vet. Teſtam. perſcriptis: & vitâ Chriſti, ac Apoſtolorum, de quibus in Nov. Teſt. Hæc ſummatim comprehendit Sulpitius Severus, ac penè hiſtoriam ſacram perducit ad annum à Chriſto nato cccc. Cui addi non inutile eſt hiſtoriam eccleſiaſticam Pappi, & hiſtoriolas, quas in Chronologia ſua habet Abrahamus Bucholcerus. Hæc initiis ſufficient.

Poſtea verò utramque perficient hanc partem Joſephus, Euſebius, Socrates, Theodoretus, Evagrius. Item Anaſtaſius, Leutbrandus, Abbo, & Platina de vitis Pontificum. Sed fuſiſſimè omnium Centuriatores Magdeburgenſes, & Baronius, cujus gemina extat epitome. Judicio verò non exiguo opus in Centuriatoribus. In Baronio etiam majori: quem interea negare non poſſumus, præclarè meritum eſſe de antiquitate Eccleſiaſticâ.

Poſt cognitam Eccleſiæ hiſtoriam, quid turpius ignoremus, quàm quæ vel noſtris, vel parentum, aut avorum, vel proavorum temporibus, partim terris contigerunt noſtris, partim vicinis? Hæc enim cùm vulgo etiam cognita ſint, & in conviviis, ac circulis narrari ſoleant, omninò turpiter ſe homo dederit literatus, ſi iſta neſciat, quæ ſunt quaſi ante pedes. Batavo igitur neceſſe ſit ſcire, quo pacto comitatus Hollandiæ ad Burgundos, inde ad Auſtriacos, atque Hiſpanos pervenerit. Item geſta Caroli V. initia tumultuum Belgicorum. Bellum quod tot annis duravit, & quæ intereà temporis memoratu digniora, in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, & vicinis terris.

Nec noſſe ea magni erit laboris, qui à pueris etiam pleraque eorum à parentibus, & ſenibus audimus. Operæ nihilominus fuerit legere etiam hiſtoricum unum, alterum, qui breviter iſta ſint complexi, uti à nonnullis chronologis factum. Poſtea autem hæc fuſius diſcere licebit è Sleidano, Thuano, Cambdeno, Meterano, Borrio, aliis.

Poſtquam res maximè memorabiles temporum noſtrorum, & ſeculi quod proximè anteceſſit, animo inſcripſerimus, accingemus nos ad gentium ſcriptores antiquos. Atque ex his primi legendi, qui res tractant Romanas: cujus rei ratio ſatis eſt aperta. Nam auſpicari ſtudia ſolemus à Cicerone, & aliis ſcriptoribus Latinis, qui abſque mediocri intelligentiâ hiſtoriæ Romanæ intelligi minimè poſſunt: ut in quibus paſſim Romuli, Numæ, Tarquinii, Camilli, & aliorum ducum Romanorum mentio fiat.

Summatim autem res eas cognoſcere licebit ex Floro, cum commentariis Stadii, Vellejo, Eutropio, Sex. Aurelio Victore, Ruſo, Pomponio Læto, & Baptiſta Egnatio de principibus Romanis. Conducet & Zonaras. Sed accuratius de iis quidem Livius, Salluſtius, Cæſar, Suetonius, Tacitus, Spartianus cum annexis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus; item Ammianus. E Græcis Dionyſius, Polybius, Plutarchus, Appianus, Herodianus, Dio, Xiphilinus, Procopius. Ex Junioribus plurimum juvabunt Annales Steph. Pyghii.



Digitized by Google

A rebus Romanis veniendum ad res externas, hoc eſt, Aſſyrias, Medicas, Perſicas, Græcas. De quibus ſummatim Juſtinus, Corn. Nepos, & nonnihil etiam Vellejus, atque Oroſius, & ubi hi deſinunt, Zonaras. Plenius autem de omnibus Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus: & è Latinis Curtius in Alexandri geſtis.

Poſtremus locus eſt hiſtoriæ (ut cum Romanis loquar,) Barbaricæ, hoc eſt, gentium earum, partem quæ obtinent veteris imperii Romani, aut nunquam ſub eorum fuerunt ditione.

Hic primo quiſque ordietur ab antiquitatibus ſuæ gentis, ut Batavus à Batavis, de quibus Grotius, item Douza in annalibus: etiam Joannes de Leidis, & Beka: breviſſimè autem Barlandus.

Inde ad gentes alias ſe conferet, aut eas primum, quibuſcum nobis aut fœdus, aut bellum. Utile autem in quâvis gente erit unum aliquem ſeligere, qui potiſſimas in ejus gentis hiſtoriâ obtinere videatur. Ut in Gothicis Jornandem, in Longobardicis Paulum Diaconum: in Slavicis Helmoldum; in Francicis Paulum Æmilium: in Hiſpanicis Marianam: in Scoticis Buchananum: in Flandricis Mejerum: in Burgundicis Heuterum: in Auſtriacis Lazium: in Saxonicis Crantzium: in Danicis Saxonem Grammaticum: in Boicis Aventinum: in Hungaricis Bonfinium: in Polonicis Cromerum: atque ita in aliis.

# GERARDUS JOANNES VOSSIUS
## DE
# STUDIIS INSTITUENDIS

*Ad Virum Clariſſimum*

## ROCHUM HONARDUM.

IN rectâ docendi diſcendique viâ eſt quiddam, quod operâ meliùs, quàm verbis exprimatur. Sed ſunt quædam tamen, quæ ſatis manifeſta mihi videantur. Quale illud imprimis,

I. Sedulò adlaborandum eſſe omnibus iis, qui inſtruunt juventutem, ut epidemico iſti morbo obviam eant, quo ſufficere juventus ea credit, ſi lex ſeptem verba Latine connectere ſciat; ad hæc Logices Studium, & fortaſſe unius etiam alteriuſve diſciplinæ dicis cauſſâ deguſtet, mox verò cruda ſtudia ad Theologiam, juriſprudentiam, aut Medicinam propellat. Neque enim, non intellectis verbis, res intelligi poſſunt: & quæ circa res verſantur diſciplinæ, ita amicè omnes inter ſe conſpirant, ut una alterius opem depoſcat: ſaltem vel una aliqua ſi penitus inſuper habeatur, manca ac mutila futura ſit omnis doctrina. Quare Latinæ Græcæque literæ ante omnia, neque perfunctoriè, diſci debent. Hinc appellendus animus ad Philologiam, variamque eruditionem, quam & Polymathiam vocant, hoc eſt ad hiſtoriam, oratoriam, & poëticen. Exinde etiam vacandum Philoſophiæ, & quidem univerſæ. Omnia hæc, priuſquam ad ſublimiorem facultatem ſe applicet, mediocriter unuſquiſque ſcire debet: aliquorum verò etiam exquiſitâ opus eſt cognitione: hujus quidem diſciplinæ uni, alterius alteri, pro cujuſque captu, atque ingenio, & ſtudiorum ſcopo, quem quiſque ſequitur.

II. Cùm verò tantopere jacêre videamus literas Latinas, & Græcas, atque hoc malum quotidie gliſcat, propterea quod ſuus illis honos minimè conſtet: nunc temporis vel maximè iis opus habent eruditi literaturæ utriuſque, item oratoriæ, poëſios, hiſtoriæque profeſſores. Qui ut cum laude ac fructu hanc provinciam obeant, ſummâ ope niti debent, ne in anguſtum illum locum, res adferant vulgares, ac cuivis obvias, vel etiam ſubtiles magis, quàm fructuoſas. Multum etiam refert, ne animi quodam torpore res præclaræ ſomniculoſè tractentur. Dicendum aliquid ſupra captum vulgi: & cum genio dicendum. Nec enim juventus facilè capietur, neceſſarii adeò ſtudii amore, ſed quod videat ubique contemni, niſi egregii aliquid domum reportet, & præterea ex tractandi modo honeſtam capiat voluptatem, quâ trahatur ad cætera perſequenda.

Cumque latè adeò pateat diſciplinarum orbis, privatim ſaltem enarrari debent, breviter ac perſpicuè hiſtoria univerſalis, locorum ſitus, temporum ratio, inſtrumentaque ac partes univerſæ Philoſophiæ. Ita futurum eſt, ut juventus totum diſciplinarum orbem, mediocriter ſaltem intra breve tempus addiſcat: eâque re longè paratior, atque etiam alacrior fiat, ad aliquas diſciplinas accuratius perdiſcendas, idque imprimis ex diatribis, ſive diſſertationibus Academicis, ubi illæ ſubtilius ac fuſius tractantur, ſed non niſi longiuſculo temporis ſpatio abſolvuntur. III.

Nec ſatis eſt ſcriptores optimos, & artium præcepta exponi: ſed privatim præterea requiruntur exercitia ſtyli, Latinè, Græcè, proſâ, carmine. Perutile etiam eſt, nunc ſingulatim, nunc cum pluribus conferre de iis, quæ vel ad hiſtoriam, aut ſcientiam aliquam, vel etiam ad univerſam ſtudiorum rationem pertinent. Nam ita ferè uſu venit, ut plerique omnes eorum etiam qui labori minimè pepercerunt, nihilominus neceſſaria ignorent: partim quia non neceſſariis diſcendis tempus inſumpſerunt, partim quia confuſaneam quandam, non expeditiſſimam ſtudiorum rationem ſunt ſecuti. Propterea publicus doctor occaſione commodâ monere debet, quos ſcriptores, ſeu ſtyli, ſeu hiſtoriæ, ſeu ſcientiæ alicujus cauſſâ, legere potiſſimum conveniat, & ad quæ attendere præcipuè oporteat. denique ſemper ea ſermoni inſperget, quæ animum ad ſtudia addant. Ac ne illud quidem improbandum videtur, dummodo modeſtè, & citra cujuſquam moroſam inſectationem fiat, ſi, ubi res ita feret, obiter oſtendat in quàm fœdos errores incidere ſoleant, qui ſtudia iſta adſpernantur. Multos etiam alios modos cuique prudentia ſuggeret, quibus ad diſciplinas haſce inflammari juventus poſſit, dummodo nequis ſuo magis otio ac commodo ſtudeat, quàm Academiæ honori, & bono juventutis. IV.

GERAR-

Digitized by Google

# GERARDUS JOANNES VOSSIUS

## DE

## Ratione, qua præiri ad Eloquentiam, aliaque Studia debeat Juventuti,

*Ad Virum Clariſſimum*

## ROCHUM HONARDUM.

CUm ratio haberi debeat, tum linguæ utriuſque, tum etiam oratoriæ, poëticæ, ac hiſtoriæ univerſæ: ut de Philoſophiâ civili nunc nihil dicam: num ab uno homine tam multis, tam magnis, tam variis conſuli melius poſſit, quàm ſi elegantiſſimas, facundiſſimas, graviſſimas orationes enarret, quæ leguntur apud Thucydidem, Livium, Curtium, Lucanum, alios? Nam & Latinæ Græcæque linguæ proprietas ac venuſtas poterit oſtendi, tum in iis qui liberâ, tum qui ligatâ oratione uſi ſunt: & orationis argumentum occaſionem dabit tractandi præcipuas hiſtorias, tum Romani, tum Græci imperii, & poterit excurri in ea, quæ ad regionum ſitum, ad temporum rationem pertinent. Et quod oratoriæ doctori maximè proprium eſt, oſtendetur uſus præceptorum, de hoc illove affectu ciendo, de oratione numeroſâ, de Triplici charactere, & ſimilibus. Ad quæ omnia illud accedit, quod non videtur alia eſſe expeditior via, ad augendam prudentiam civilem. Nec enim orationes iſtæ ſunt de rebus fictis, aut levis momenti, ſed veris, & maximi ponderis, ac quæ facilè ad noſtra tempora poſſint applicari. Si tamen campus iſte late nimis patere videtur: poterit recidi de eo, quod ad Græcam pertinet linguam, item quod ad hiſtoriam ſpectat Auguſtam, & ſiquid amplius, vel ab alio meliùs præſtari poſſe judicabitur, vel vires ejus excedere videbitur, qui unus tam multa ſuſtineret.

F I N I S.



Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# ORATIO
## IN OBITUM
*Clariſſimi ac præſtantiſſimi viri,*
## THOMÆ ERPENII,
Orientalium linguarum in Academia Leidenſi Profeſſoris.

*Habita ſtatim ab exſequiis in auditorio Theologico*, XV *Novemb. Anno* CIↃ IↃ CXXIV.

SI antehac unquam, nunc profectò in hoc publico luctu, & privato meo, quæ ornatiſſimo hoc conſeſſu, & lectiſſimorum hominum frequentiâ, digna ſint, nec cogitare, nec eloquitatis poſſum. Tantus jamdiu animum mœror invaſit; priorique iterum atque iterum novus accedit dolor. Quam pauculi enim dies ſunt, quòd ademptus nobis fuit vir maximus, medicinæ columen, Ælius Everardus Vorſtius: cujus de egregiis laudibus, quatenus orationis ſe penicillo ſinerent depingi, præclarè hoc ipſo ex loco dicentem audiſtis doctiſſimum & dilectiſſimum Juriſconſultum, Petrum Cunæum, Senatus Academici præſidem. Lugebam tum ego, partim triſte damnum, quod interiores literæ, ac imprimis medicina feciſſet: partim etiam infelicitatem meam. Deſiderabam enim non modò amiciſſimum virum, & collegam conjunctiſſimum: ſed eum prætereà, quo, poſt Deum immortalem, corpuſculi hujus, familiæque meæ, valetudo ac ſalus annos jam multos niteretur. Atque eo acerbior hic mihi caſus fuit, quòd eodem, ut meminiſtis, tempore amiſiſſem nobilem & conſtantiſſimæ pietatis virum, Joannem Caſimirum Junium, Franciſci filium. Jam ille exquiſitam tot linguarum notitiam adeptus erat, non illarum modò, quas peregrinando & illiterati addiſcunt; ſed etiam, quas docti ſibi vindicant, Hebrææ imprimis: jamque abſolverat diſciplinarum orbem: jamdiu aſſiduus fuerat in cognoſcendis religionis controverſiis; nec pauciora in iis, quam matheſi, & re militari, literis ſignârat: in bello autem, tum induſtriâ in negotio, tum fortitudine in periculis, ita præiverat militi: ut non diſciplinam modò, ſed exemplum etiam à ſe peti juberet. Poſt tot, tantaque, dum juſſu illuſtriſſimi Arauſionenſium principis, Bredam, quam hoſtis obſideret, cum manu ea, quam duceret, plenus animorum tendit; nec peſtilenti ſidere terretur, quo minus militem ſuum contagio adflatum ſolatio, & auxilio, coram juvet: ipſe in morbum incidit, quo paucos intra dies (heu fallaces ſpes, atque incertas!) abſumtus fuit. Ita ereptus miſero mihi eſt affinis optimus, & quondam ſtudiorum comes; conjugi meæ frater cariſſimus; avunculus liberis meis dulciſſimis. His obrutus malis, remedium non aliunde magis, quàm à ſtudiis, poſcebam: atque, ut corpus animo, ita animum ſuſtentabam meliorum ſpe. Sed Deus, iratus peccatis noſtris, accumulare mala malis non ceſſat. Itaque, qui gemino antè luctu tantopere premebar; novo nunc dolore percellor, amiſſo collega clariſſimo, incomparabili viro, Thoma Erpenio: quem nudiuſtertius, heu miſeri, amiſimus, ac nunc terræ gremio mandavimus. Quod cùm cogito, atque adeo effari apud vos cogor, tantus iterum, & animum mœror, & corpus languor occupat, ut membra ipſa vix officium faciant. Nec patiar tamen, ab ampliſſimo Senatu noſtro, qui hanc mihi provinciam impoſuit, requiri ultimum à me honeſtæ voluntatis officium erga eum, quem non modò plurimum ſemper dilexi; ſed etiam obſervavi, & colui; ut eximia viri tanti virtus merebatur. Faciamque hoc eò lubentius, quòd officium iſtud erga defunctos, non Deo ſolùm gratiſſimum eſſe confidam; ſed ipſi etiam utile dicenti: quandoquidem ita plurimum uſu venit, ut doluiſſe ſit ſolatium doloris. Neque ſore ignoro, ut oratio hæc mea, hominis in dicendo non admodum exercitati, ac nunc etiam mœrore præpediti, ad excellentes ejus viri laudes minimè adſurgat. Sed conſolatur me non mediocriter, tum prudentia veſtra, quæ, in hac temporis ad præparandum brevitate, non ſinit vos magna à me exſpectare: tum illud etiam, quòd non ſolùm mei ſimilis oratio, ſed diſerti etiam hominis, inopiam nunc ſuam proderet in eximiis ejus virtutibus, meritiſque prædicandis. Quoniam autem ex infinitis illis multa adeò animo etiam mœrenti ſe offerunt, ut horæ intra ſpacium vix percurri à me poſſint univerſa: nolo exigui temporis decerpere quicquam commemorandis iis, quæ ad inſtitutum parum faciunt: ſed, his præteritis, in eo totus verſabor, ut quia pulcrum eſt bonis naſci; præſtantius multò, honeſtè vitam degere, benéque de ſeculis omnibus mereri: beatiſſimum autem, piè ſanctéque terris excedere: eò omnes intelligatis, Erpenium noſtrum, nec in primo infelicem: & in proximo felicitate cum præſtantiſſimis ſeculi viris certantem: & in præclariſſimo verè beatiſſimum, nullo certè inferiorem, fuiſſe.

Ut igitur ab incunabulis ipſis ordiamur, pater Thomæ noſtro Erpenio fuit vir ornatiſſimus, Gerardus Joannis ab Erpe: mater, lectiſſima femina, Beatrix de Bye; honeſtâ uterque familiâ ex nobili Brabantiæ oppido, cui Sylva Ducis nomen dedit. Ubi diu inter ſuos vixere, ſummis pariter atque infimis grati acceptique. Sed, cùm ſinceriori omnia religioni poſtponerent, ſpontè ſolum vertentes, in Zelandiam conceſſerunt: indéque ſedem in Batavia Gorcomi fixere. Atque hic natus Erpenius noſter fuit, paulò ante primam nocturnam III Eid. Septembr. anni illius, non Academiæ modò, ſed fœderatæ toti Belgicæ funeſtiſſimi, milleſimi quingenteſimi octogeſimi quarti, quo illuſtriſſimus Arauſionenſium Princeps, Guljelmus Naſſovius, pater patriæ, & Academiæ hujus conditor, nefariâ cæde interemtus erat, bimeſtri dieque non amplius uno ante natalem lætiſſimum Erpenii noſtri.

In puero ſtatim ex adſpectu ipſo præclara indoles eluxit: ſatiſque apparuit, quantopere ſejti corporis decorem, quo præditus erat, pulchrior longè anima exſuperaret. Mores enim compoſiti erant, & ſuaves, ut facilè omnes in

ſui

ſui amorem pelliceret. Ingenium felix, non modò ad aliquid capiendum; ſed etiam reſervandum. His impulſus parens, non ille literatus quidem, ſed qui literas tamen, & literatos, magno in pretio haberet, filiolum, cùm jam annum ageret decimum, ſtudiorum cauſâ Lugdunum Batavorum miſit. Ubi ille prima tunc Muſarum elementa imbibit. Sed anno proximo in Zelandiam cum parentibus Middelburgum migravit. Anno ætatis duodecimo repetiit Lugdunum, ut uberius è reconditis atque abditis literarum fontibus hauriret. Quod eâ in ætatulâ feliciter adeò præſtitit, ut, quibus imbueretur à magiſtris, ea non primitus cognoſcere; ſed, ex Platonis ſcito, reminiſci potiùs videretur. Itaque ex herbeſcenti illa ſegete jam tum certiſſimam omnes conjecturam capiebant meſſis futuræ.

Annos natus duodeviginti, Kalendis Octobris, eorum in numerum relatus fuit, qui Academiæ nomen dediſſent. Jamque viros clariſſimos de rebus graviſſimis diſſerentes publicè audiebat: privatim etiam verſabat maximi nominis ſcriptores: cùm, ecce, ſæva quædam, licet occultior, oborta eſt procella. Nam cùm pleroſque adoleſcentes nimia ingenii fiducia moretur, quo minus ad ſumma pertingant: Erpenium noſtrum ita vitium contrarium penè vadis illiſit, ut parum abeſſet, quin ſtudiorum frangeret ratem. Quippe, & naturâ ita factus, & ita à ſuis edoctus, ut de ſeipſo quàm modeſtiſſimè ſentiret: nimiâ ſui ignoratione uſque adeo diffidere ſibi cœpit, ut nequiquam in animum inducere ſuſtineret, eum ſe eſſe, qui ingenii ſui navigio feliciter tranſmittere poſſet vaſtum illum tot linguarum, & ſcientiarum, Oceanum. Ita affectus, non mediocriter remittere incipiebat à priſtino ſtudiorum ardore: nec impenſius quicquam deſiderabat, quàm ut induſtriam ſuam à ſtudiis alio ſibi traducere liceret. Sed mentem hanc ſuam explicare optimo parenti metuebat. Acutiori enim ingenii acie erat, quàm ut non perſpiceret, eum mirum in modum animo commotum iri: ut à quo ſeſe, ex quo vitæ lumen attigiſſet, ſtudiis ſciret deſtinatum: & ſæpe audierat, hanc, poſt pietatem Chriſtianam, pene votorum ſummam ei eſſe, ut filius, ſi non ad ſupremum doctrinæ gradum perveniret (necdum enim ſperare tantum audebat) at ſaltem longiùs paullò collocaretur extra vulgares illas animas, quæ in ſpiſſis inſcitiæ tenebris miſerè jacerent. Dum adoleſcens ita dubius animi hæret: nec lubricæ cogitationis exitum poteſt invenire: inopinanti in manus incidit Fortii Ringelbergii de Ratione ſtudiorum liber. Cujus ut guſtum cepit, ſic ei movit ſalivam, ut nec antè deponendum putârit, quàm totum devorâſſet, atque adeò in ſanguinem ſuccumque vertiſſet. Fidem exſuperare videtur, quantopere tum ab triſti illâ ſententiâ receſſerit, quàm de literis conceperat priùs. Nihil enim illi jam præter doctrinarum ſtudia placere: ea planè ex ſapientum conſilio inſtituere: ſemper aliquid meditari, vel, occaſione oblatâ, ad ea, quæ percepiſſet, aliis aperire viam. Quid multis opus? Etſi ingenium ſibi non tribueret, quod habebat: tamen, induſtriâ poſt Deum confiſus, rationis diſciplinam, qua in rerum cognitione dirigitur mens noſtra, perfectiſſimè diſcebat: ab hujus veſtibulo ad ſapientiæ prudentiæque ſacraria perductus, ſagaciſſimè ſcrutabatur arcana naturæ: cæli ſolique menſuras colligebat: morum ſcientiâ, civilique doctrinâ, non leviter ſe tingebat, ſed penitus imbuebat: eorum denique, quæ Metaphyſica appellantur, amore tanto flagrabat, ut non contentus ſummo ſapiendi magiſtro, Ariſtotele, ejuſque interpretibus, Aphrodiſienſi, Philopono, Syriano, Averroë, Aquinate, Fonſeca, aliis: etiam ingentes illos Suarezii commentarios à capite pellegeret ad calcem; imò, ubi opus, iteraret, terraret, vaſtumque illud volumen ita tandem animo inſcriberet peniuſſimo, ut annis etiam multis poſt curriculum Philoſophiæ decurſum, cùm jam aliis ſtudiis vehementius incumberet, veritus non ſit dicere amicis (nihil autem minus, quàm Suffenus aliquis, ſuique jactator, erat) vix magni hujus operis paginam eſſe ullam, cujus non ordine argumentum omne, & quicquid memorabile foret, exactè adhuc calleret, ſpecimenque dare paratus ſemper foret. Itaque, ſiquis alius, hic profectò, maximo Senatus Academici conſenſu, jureque optimo, ſummâ Philoſophiæ laureâ ornatus fuit: quod anno contigit cIↃ IↃ C VIII, VIII Eid. Jul. inaugurante eum in hoc honore, mathematico eximio, Rodolpho Snellio.

Cùm autem philoſophiæ præcepta in ore duntaxat innatare ſoleant juventuti: Erpenius noſter in hoc omnis erat, ut illa etiam vitâ ſuâ exprimeret. Non herus quiſquam in famulitium plus imperii ſibi vindicabat, quàm ille in corpus ſuum: nec æquior populi arbiter, quàm ille adoleſcentiæ ſuæ cenſor erat.

Neque literarum & philoſophiæ ſtudio contentus fuit: ſed, majori quodam numinis adflatu, ad eam quoque ſcientiam, quæ cæleſtes nobis theſauros recludit (Helicen illam, & Cynoſuram, Theologiam, dico: illam omnium artium dominam) animum appulit. Et, quanto divina humanis antiſtant, tanto ille ardentiùs huc cogitationes, & induſtriam ſuam, collocabat. Sed ardorem eum poſtea, ut ſic dixerim, ſuſflaminarunt infauſta certamina, quæ inter Theologiæ doctores in hac ipſa Academiâ oborta erant. Itaque, etſi tum etiam eo ſtudio, quo non aliud nos arctius Deo devincit, ſummopere caperetur: nihilominus, Joſephi Scaligeri, eruditorum principis, hortatu, orientalibus ſimul linguis operam navabat. Ita accidit temporum infelicitate, ut præclarum illud ingenium ad hæc ſtudia feliciter ſe applicaret.

Quamquam autem minimè ignoraret eximia Bataviæ ſuæ bona: tamen, quia non ita agitur cum rebus humanis, ut una tellus præclara omnia ingenia includat: exteras etiam viſere Academias ſtatuit. Lugduno abeuntem hujuſmodi elogio magnus Scaliger proſequebatur: quod ex ipſius herois manu nunc legimus vobis: *Thomas Erpenius, Hollandus, id meritis ſuis conſecutus eſt, ut non ſolùm ab omnibus doctis amari; ſed etiam ab illis commendari dignus ſit. Tantos enim progreſſus in humanioribus literis fecit, ut nihil ei deſit, præter eos, qui ejus virtutes æquè, ac nos, perſpectas habeant. Itaque nos, qui & illarum teſtes ſumus, & omnibus notas eſſe volumus, rogamus omnes, qui hoc chirographum noſtrum viderint, ut eum talem credant, qualem hoc ſcripto deſignavimus: ut, cùm ejus virtutes noverint, eâdem operâ & fidem noſtram noverint. Ita teſtamur. Datum Lugduni Batavorum* v *Eid. Quintiles* cIↃ IↃ C VIII.

Ac primùm iter ſuſcepit in Britanniam, quam quinquennio etiam antè adierat. Sed judicio nunc, doctrinâque firmatior, non tam capiebatur vario illo, amœnoque adſpectu, qui ſponte ſe oculis ingerit: quàm in eo totus erat, ut diſceret florentiſſimæ gentis ingenia, inſtituta, ac mores: quæ res prudentiam mirificè acuit, atque ornat. Simul, ut ſcientiam augeret, Cantabrigienſem acceſſit, & Oxonienſem Academiam. Et, quod non minimâ in felicitatis ſuæ parte ponere ſolet, amicitiam Londini iniit cum Gulielmo Bedwello, viro longè doctiſſimo, atque Orientalium linguarum peritiſſimo: qui Erpenium ad eaſdem porrò excolendas plurimùm adhortabatur.

Hinc Lutetiam Pariſiorum profectus fuit; ubi nihil ei priùs vel antiquius erat, quàm ne indignus videretur amicitiâ, viri nunquam ſatis laudati, Iſaaci Caſauboni. Ei ſine fuco, & more majorum, expoſuit omnem ſtudiorum ſuorum rationem; interque alia adjecit, ut decretum haberet, Conſtantinopolin ire, partim quò felicius Orientales addiſceret linguas: partim ut faciliùs codices propoſito ſuo utiles compararet. Magnus Caſaubonus, quo non alter eaſdem magis amore linguarum accenſus erat, ut ſimilis animi adoleſcentem cognovit, tantopere eum complectebatur, ut quicquid poſſideret ex librariis Arabum gazis (quod luculentum ſanè erat) hoc omne juberet uſibus inſervire Erpenii noſtri. Quod quidem beneficium hunc uſque adeò lætitiâ perfudit, ut beatiorem jam ſe vivere putaret neminem. Mox etiam bella ſe occaſio obtulit multa Arabum monumenta emendi de medico regio. Quæ poſtquam magno comparâſſet, cupiditate tenebatur inſatiabili fruen-

fruendi hoc theſauro. Utrâque hac occaſione annum etiam integrum ſubſtitit Lutetiæ. Interea verò temporis præceptorem ibi nanciſcitur Joſephum Barbatum Jacobitam, domo Ægyptium, virum, qui Latinas quidem literas à limine vix ſalutaſſet; ſed cujus operam in addiſcendâ Arabum linguâ minimè in poſtremis haberet. Hoc magiſtro, & imprimis ſtudiis privatis, tantum Erpenius aſſecutus fuit, ut Caſaubonus, quem priùs diſcipulum habuiſſet, eum doctorem jam ſuum agnoſceret. Atque ab eo tempore, nec rogare Erpenium deſtitit, ut quia incomparabilis vir, Joſephus Scaliger, ex Arabum proverbiis partem jam bonam, & Latinè tranſtuliſſet, & illuſtraſſet notis: eò egregium iſtud opus perducere ipſe ad umbilicum vellet. Hic Erpenius prædicare divinum Scaligeri ingenium, doctrinamque humanâ penè majorem; rudiorem etiam ſe profiteri pictorem, quàm ut Veneri ab Apelle inchoatæ admovere manum auſus eſſet. Sed vehementiùs tum inſtare vir magnus; certoque ſpondere, rem exitum eum habituram, quem uterque optaret. Tandem noſter ille victus manus dedit: periculumque ſe facturum recepit. Hoc animo ille Lutetiam reliquit, dolorem tum ſuum, & ore, & calamo, teſtante Caſaubono. Nec paucula ex ipſa Caſauboni manu recitare vobis pigebit: *Doctiſſime, & dilectiſſime Erpeni, invitus, nec ſine magnâ ſtudiorum meorum jacturâ, quæ multum tibi debent, dimitto; Deum optimum maximum toto pectoris affectu orans, ac porro etiam oraturus, ut te ſervet, & tuis ſtudiis benedicat.* Γένοιτο, γένοιτο. *Lutetia Pariſiorum, anno Dom.* XVII. *Kalend. Decembris.* cIↄ Iↄ c IX.

Inde VI Kalend. Decembris in Academiam venit Salmurienſem. Ea tum temporis auſpiciis florebat illuſtris viri, Philippi Mornæi, Pleſſiaci domini. Qui ſimulac vidit adoleſcentem, tam rarâ linguarum peritiâ inſtructum, tot aliis animi dotibus ornatum; non amore ejus ſolùm, ſed admiratione etiam, captus fuit: facilemque ei, quando, & quoties luberet, aditum ad ſe dedit: quam poteſtatem is, qui tot & tanta negotia ſuſtineret, vix uni & alteri permittebat.

Hebraicas tum temporis literas publicè ibidem docebat Philippus Bignoræus, natione Aremoricus; quo præceptore, linguæ ejus elementa ſe hauſiſſe in Vita ſua profitetur clariſſimus Theologus, beatæ memoriæ ſocer meus, Franciſcus Junius. Sed ubi Erpenii nomen ad aures ſtudioſæ venit juventutis, inſtitutionem Bignoræi, veterani doctoris, ſed fortaſſe ſenio jam fatiſcentis, privatæ adoleſcentis operæ longiſſimè poſthabuit.

Ibidem promiſſi, quod Lutetiæ dederat, memor, obſcuriora Arabum proverbia vertere atque exponere, aggreſſus fuit: partemque laboris ſui ad Caſaubonum tranſmiſit. Difficile dictu eſt, quantum inde gaudium vir maximus perceperit. Itaque nec continere ſe potuit, quin in præfatione eâ, quam poſtumis Scaligeri opuſculis adhibuit, publicè teſtificaretur, *quæ Scaliger morte præventus, præſtare non potuiſſet, ea, hortatu ſuo, recepiſſe Thomam Erpenium, cùm aliarum linguarum, & philoſophiæ callentem juvenem: tum Arabiſmi, & grammaticarum ejus linguæ obſervationum, mirificè curioſum & intelligentem.* Literis etiam Salmurium datis, explanatiùs hunc animum ſuum expreſſit: ut quibus fateatur, ita ſe hoc ſpecimine capi, ut reliqui operis deſiderio (verba ejus uſurpo) prope jam contabeſceret: & quia præfatione, cujus antè meminimus, & ſe, & ipſum, publico obnoxios feciſſet, officii ejus eſſe, quò fidem utriuſque liberaret, tranſlatione, atque obſervationibus ſuis, beare orbem literatum. His concitatus Erpenius, non cætera ſolùm vertit; ſed illa etiam correxit, ubi Scaliger, ſeu exemplaris vitio, ſeu nimium properando, humanitus aliquid paſſus foret. Caſaubonus verò, qui incredibilem ex eo voluptatem capiebat, ceſſandum minimè putavit, donec ad editionem eorum Erpenium perpuliſſet. Sed cùm typorum penuriâ in regionibus exteris maximum inſtituto huic pulcherrimo objiceretur impedimentum: dilatum eſt negotium, donec, in patriam redux, Raphelengii ea typis divulgaret, operamque hanc ſuam ipſi dicaret Caſaubono, paullo antequam maximus ille vir in Anglia decederet: qui quàm gratum acceptumque id munus habuerit, non unis teſtatus eſt literis, quæ jam lucem viderunt.

Menſe undecimo, ex quo Salmurium venerat Lutetiam reverſus eſt, V. Eid. Octobris anno cIↄ Iↄ c X. O quàm gratus ille ejus reditus magno fuit Caſaubono! quàm Stephano Huberto, medico regis Chriſtianiſſimi, & linguæ Arabicæ profeſſori in Academia Pariſienſi! quàm item aliis multis! apud quos tanto majori tunc in honore erat, quanto, ab adventu priori, celebratior jam erat doctrinæ ſuæ famâ. Neque aliud poſthac æquè obſtabat ſtudiorum ardori, quàm dulces amici, & nonnulli aſſidui horum comites, amicitiam ejus quotidie prenſantes: quorum utrique, ſalutatione & alloquiis ſuis, bonas ſibi horas, ut fieri ſolet, vindicabant. His igitur ut ſeſe ſubduceret, ad primum ab urbe lapidem, juxta Matronæ confluentem, menſium aliquot receſſum quæſivit. Ibi ut totus repentè factus eſt ſuus, Lexicon Arabicum, quod anno præcedente inſigni cœperat artificio contexere, maximâ vocum acceſſione ditavit. Nec eo contentus, hujus linguæ artem, quæ difficillima ſemper habita fuit, præceptis quibuſdam, hortante etiam Caſaubono, feliciſſimè concluſit.

Hinc, præcipiti autumno anni cIↄ Iↄ c XI, iter inſtituit in illam terrarum quondam imperatricem, Italiam. Juvit eum ſolum calcare, preſſum olim tot inclitis viris, quorum vel libros, vel geſta legiſſet. Juvit coràm intueri monumenta illa, quæ, vel ritus alicujus antiqui, vel hiſtoriæ priſcæ argumento, facem præferrent veterum ſcriptis. Nec delectatio ea intra ſtudium conſtitit antiquitatis. Quàm enim lubens conſpexit multos præſtantiſſimos viros! quantæ etiam voluptati iiſdem Erpenii noſtri adſpectus fuit! præſertim autem Orientalium linguarum gnaris, quos facilè rapuit in admirationem ſui. Bibliothecas etiam illuſtriores ibidem vidit, & excuſſit: Mediolanenſem imprimis, ac Venetam. Quodque familiam ducit, Venetiis aſſiduè contulit cum Judæis, & Muhammetanis: ac, quo plura ab his diſceret, tanto avidiùs cætera concupiſcebat. Itaque his magiſtris (ô pulcram animam!) etiam Turcicæ, Perſicæ, & Æthiopicæ linguæ, notitiam acquiſivit.

Hinc in Helvetiam ſe contulit: ubi multos reperit, ut integros honeſtoſque, ita præſtantis eruditionis viros: ſed nullius ei jucundior amicitia fuit, quàm viri clariſſimi, Joannis Buxtorfii; quo Hebraicarum literarum intelligentiorem, magiſque in Rabbinicis & Talmudicis exercitatum, Europa habet neminem.

Mox varias Germaniæ Academias, ac bibliothecas, luſtravit; Heidelbergenſem potiſſimùm: eâque in urbe & amicitiam junxit cum ſummo viro, Jano Grutero, Juriſconſulto: cujus inter laudes eximias non minimum ea locum meretur, quòd nullus hoc viro, nec diffitente invidiâ, præclariùs ſit meritus de tot ſcriptoribus Romanis.

Atque hujuſmodi domi foriſque vitæ Erpenianæ ſementis fuit. In quâ non obſcurè luculentæ ſpem meſſis videmus. Deinceps, ne exſpectationem de ſe conceptam eluderet; vel fructum ejus diutiùs invideret ſuis: Rheno flumine in Bataviam rediit, IV Nonas Julii anno cIↄ Iↄ c XII.

Nec nomen illud longè lateque reſonans ſolâ in patriâ latere diu potuit. Itaque anno proximo IV Eid. Febr. ab nobiliſſimis & ampliſſimis viris, quibus Academiæ hujus cura incumberet, Arabicæ, aliarumque linguarum Orientalium, unâ exceptâ Hebreâ, quæ publicè jam doctorem ſuum agnoſcebat, maximo omnium applauſu creatus profeſſor fuit. Atque eo in munere præclarè adeò ſe geſſit, ut, licet mediocre nihil de eo ſperaretur, opinionem tamen omnium longiſſimè vinceret. Nimirum Suada quædam inſidebat viri illius labris; quæ ſic orationem temperabat, ut non ſolùm, quæ tetrica viderentur, perſpicuè tractaret; ſed auditorum etiam animos incredibili quadam perfunderet voluptate.

Inter

Inter diſcipulos ejus, quos & multos habuit, & præſtantes, eſt nobiliſſimus Alexander à Capelle, inclyti viri, Gerlaci à Capelle, Cancellarii Geldriæ, proles digniſſima. Cujus ſingulare ingenium, & incredibilem induſtriam, æſtimare ex eo licet, quòd, qui hiſtoriæ, civili prudentiæ, & juris ſtudio, ſedulò ſe dediſſet, ea minimè remittens, ſanè non intermittens, horis ſubſecivis, idque quatuor, vel circiter, menſibus, tantam Arabicarum literarum notitiam comparârit: ut non modò, citra vocalium, quas vocant, opem, cuncta lectitaret: ſed quæcunque communi gentis ejus linguâ prodita eſſent, optimè intelligeret, belleque interpretaretur. Etiam inter egregias animas, quæ ex Erpeniano gymnaſio, velut ex equo Trojano, prodierunt, eſt vir præſtantiſſimus, Conſtantinus L'Empereur, qui illuſtri in Hardervicenſium gymnaſio magnâ cum laude, & S. Theologiam, & Hebræam profitetur linguam. Eſt etiam raræ eruditionis vir, Sixtinus ab Amama, qui Franekerana in Academia luculentè eandem tradit linguam, ſcriptiſque pereruditis præclarè meretur de literis ſacris. Eſt ſummi parentis laudatiſſimus filius, Adolphus Vorſtius, vir variâ eruditione egregiè inſtructus, & medicinæ in Academia hac profeſſor. Eſt is, quem virtutis magis, quàm affinitatis ergò, amo & æſtimo, Joannes Brunæus, Juriſconſultus; nec ſacrarum minùs literarum, quàm Juris ſui gnarus; qui cùm Muſâ Belgicâ, tum imprimis iis, quæ de ſacro Hebræorum fonte optimâ fide tranſtulit, magis & magis inclareſcit. Eſt Jacobus Golius, matheſios, ac totius philoſophiæ, & medicæ ſimul artis peritiſſimus: qui itinere, cum illuſtrium DD. Ordinum legato, in Mauritaniam ſuſcepto, partim colloquendo cum eruditiſſimis regni Marocenſis viris; partim verſando ejus gentis codices terris noſtris ignotos; quam hic linguæ Arabicæ ſcientiam nactus erat, immane quantum adauxit: quo de viro quàm præclarè doctor ipſe Erpenius judicârit, non alius meliùs, quàm egregius, & diffuſiſſimæ lectionis Theologus, Antonius Tyſius, teſtabitur. Quid commemorem Guilielmum Merulam, clariſſimi Academiæ hujus quondam luminis, Paulli Merulæ, filium? qui cùm magnos jam hîc in Hebræis & Arabicis progreſſus feciſſet, Conſtantinopolin adiit, ac quadriennio, Perſicam, Medicam, & Turcicam linguam, exactè didicit: Avicennæ libros quatuor ex Arabicis, quædam ex Perſicis, alia ex aliâ Orientis linguâ vertit: Alcoranum præterea cum variis codicibus contulit, qui ab optimâ matre adſervatur: magnumque orbi Chriſtiano virum, & perutilem patriæ civem daturus erat, niſi eum jam reducem in flore juventutis meliores in ſedes fata tranſtuliſſent. Quid item referam Samuelem Bochartum, & Samuelem Everwinum, doctiſſimos viros, illum Cadomenſis, hunc Eccleſiæ Goudanæ Paſtorem? quid eruditiſſimum Jacobum Beecmannum, moderatorem gymnaſii ea in urbe, quæ ingentem Eraſmum orbi terrarum dedit? Quid Jacobum Verburchum J. C. Joannem Broſterhuſium, Lugd. Batavos, & Bartholomæum Cornelii Wouwium Hagenſem, juvenes multijugâ doctrinâ ornatiſſimos? Quid acutiſſimum Gulielmum Nieuportium, liberalium artium ac philoſophiæ doctorem? Quid Hadrianum Junium Ultrajectinum, magnæ eruditionis, longeque majoris exſpectationis juvenem? Quid Thomam Perierium Pariſienſem, qui quantos in Arabica lingua progreſſus fecerit, locuples ejus linguæ Lexicon, quod ſcripſit, argumento eſt. Qui ut omnia ſe Erpenio debere profitetur, ita ei potiſſimùm operam locabat corrigendo, quæ Arabicè excuderentur: ſubinde alios etiam ea in lingua inſtruebat. Quid tot alios narrem, in hac Belgica, Gallia, Germania, terris aliis, vel præcellentis doctrinæ viros, vel ſummæ ſpei adoleſcentes? quorum licet non pauci animo obverſentur meo: prudens tamen præterire malo: ne, ſi omnes eximii nominis anxiè conſecter, contemnere videar cæteros, quorum nec vos me, in hac temporis anguſtia, inire numerum velitis, ſi poſſim; nec in tanta copiâ poſſim, ut vos maximè velletis.

At quanta ad hos acceſſio fieret, ſi eos etiam accenſere animus ſit, quos Hebræis inſtituit literis! Quod privatim ab eo primùm fiebat: uti & poſtea in Græcis. Nec propterea ejus rei gloria ſe continebat intra parietes iſtos, quibus vox perſonuerat: ſed quos ab ore ſuo ſuſpenſos tenuerat domi, eos foris habuit (etſi id minimè ſpectâſſet) exquiſitiſſimæ doctrinæ, ſummæque induſtriæ, præcones ac teſtes. Itaque anno CIƆ IƆ C XIX, cùm nobiliſſimi Academiæ Curatores conſilium caperent de novo Hebraicæ linguæ, eoque publico doctore; non alius æquè idoneus viſus fuit, quàm Erpenius noſter. Geminam ab eo tempore provinciam ſuſtinens, matutinis quidem horis Arabicè, ut antè: pomeridianis autem, quibus Theologiæ candidati minùs diſtinentur, Hebraicè docebat: idque tanto concurſu, quaſi Palladium aliquod cælitus decidiſſet.

Nec contentus tot annis fuit, quam nactus erat Spartam, vivâ voce exornare. Vix enim profiteri linguas cœperat, cùm ita ſecum cogitaret, vocem ad paucos dimanare; libros longè lateque diffundi. Itaque in animum induxit, ea in lucem dare, quæ ſuo ſibi ingenio ac labore peperiſſet: nec ea tantùm, ſed veterum etiam monumenta, quæ inedita hactenus conquiſiſſet ingenti pretio. Sed egregium hoc ejus conſilium morabatur, quòd clariſſimæ etiam officinæ deſtituerentur typis, quibus excudi ea oporteret. Quin Romæ jam frigebat prælum Medicæum: nec ultrà ſatisfaciebat magnificæ exſpectationi, quam concitâſſet. Aliunde autem vix aliquid ullius momenti in Arabicis; in Perſicis verò, ac Turcicis, nihil omnino prodibat. Quare diu, quid ageret, incertus, tandem pro ſummo erga orbem Chriſtianum amore, ſumtuum magnitudine minimè territus, typographiam (ut in re nova novo nomine vocamus) inſtituit, idque linguâ non unâ: ſed Arabicâ, Hebraicâ, Syriacâ, Chaldaicâ, Æthiopicâ, Perſicâ, & Turcicâ. Atque ad heroïcum hoc facinus ſtimulos ſibi additos eſſe fatebatur ab nobiliſſimo & clariſſimo viro, Franciſco Savario de Breves, regi Chriſtianiſſimo à conſiliis, ejuſque priùs Conſtantinopoli, poſtea Romæ oratore: qui & ipſe typographiam Arabicam Lutetiæ Pariſiorum maximis adornare impenſis dicebatur.

Cujus tantum eſt ingenii flumen, tantaque dicendi vis, ut prædicare ſatis poſſit, quæ ab eo tempore in lucem Erpenius edidit, alia quidem ex ſe depromta; alia verò ab antiquis relicta? Nam, ut de orationibus ejus, eruditis juxta ac diſertis, nihil dicam: quid prudentiùs ſcriptum, vel venuſtiùs excuſum, Arabicis Locmani Sapientis fabulis, viri Muhammedi etiam memorati in Corano ſuo? Quas Erpenius, unà cum tranſlatione ſuâ, primus per orbem diffudit. Quid item elegantius duabus Arabicorum proverbiorum centuriis? quid verſione eorum accuratius? quid notis eruditius? quam telam, ut antea diximus, exorſus Scaliger fuit: ſed Erpenius pertexuit. Quid etiam brevius nervoſiuſque Canonibus de literis Eliph, Wau, Je, (Latinè eas vocabulo EVI complecti poſſimus:) de quibus libellum ſuum dicatum ivit clariſſimo doctiſſimoque collegæ ſuo, Gulielmo Coddæo, Hebræas & Chaldæas tum literas profitenti in Academia hac noſtra. Quid item illuſtrius Gjarumiâ, ut appellant? nempe Arabicæ linguæ methodo, opere auro contrà non caro, perque Aſiam & Africam univerſam celeberrimo: quod Medicæâ ex officinâ ſcitiſſimis prodierat typis, ſed adeò mendoſè, ut Erpenius neceſſum habuerit illud conferre cum codicibus quatuor manu exaratis, quos feliciſſimè nactus erat. Eorum ope atque auxilio emendatiſſimè illud recudit, unà cum fidâ tranſlatione, & doctiſſimis notis. Quid utilius etiam manuductione illâ Arabicam in linguam, quam ipſe conſcripſerat? Vel quid omnibus, qui in Hebræorum ſacraria deduci volunt, exoptatius fuit linguæ ejus methodo, quam ad Amicitiæ, ac Fidei aram ſuſpendit clariſſimæ & eruditionis, & virtutis quatuorviris, Joanni Polyandro, Andreæ Riveto, Antonio Walæo Tyſioque, Sacræ Theologiæ in Academia hac Profeſſoribus eximiis? Quid dicam de editâ Patriarchæ Joſephi Hiſtoriâ, ex Alcorano decerptâ?

cerptâ? in quâ tam multa ſunt de puro Scripturarum fonte hauſta; tam multa de turbido Muhammedis Averno derivata; ut vel inde liqueat, quàm inquinatis ſaltus ille prophetes manibus ſacras tractare literas ſoleat. Quid deſideratius quoque translatione Arabicâ librorum Moſis? quæ & hominis eſt Chriſtiani, & interpretis non nuperi, & meliùs cum fonte convenit Hebræo, quàm illa Saadiæ Gaonis, magni nominis Judæi, quæ Conſtantinopoli prodiit, additâ, præter linguam, quâ Moſes ſcripſerat, Chaldaicâ Onkeloſii, & Perſicâ Tawoſii verſione. Atque eam Arabicam tranſlationem à ſe editam cum non niſi intelligentiſſimo Orientalium linguarum dicare vellet: potiſſimùm elegit Ampliſſimum virum, Gulielmum Boreelium, Illuſtribus Zelandiæ Ordinibus à ſecretis: quo in viro, præter alia multa, hoc quoque eximium eſt, quòd earum imprimis linguarum amore, nec ſumtus maximos, nec pericula ingentia reformidans, itinera ipſe in Aſiam, & Africam, ſuſcepit: ac ne nunc quidem, licet publicis negotiis diſtrictiſſimus, vel pecuniæ, vel operæ parcit ſuæ in Orientalibus libris, ab ultimis etiam mundi plagis, ſibi comparandis. ſibi verò? imò potiùs orbi Chriſtiano: quandoquidem bibliothecam mancipio quidem ſuam eſſe arbitratur: uſu autem omnium eorum, qui has literas intelligunt. Quid etiam nobilius Syriacâ Pſalmorum Davidis interpretatione? quam ex optimo ſuo & antiquiſſimo codice manu exarato, additâ & verſione ſuâ accuratiſſimâ, elegantibus typis expreſſit. Denique quid auguſtius veteri illa Arabicâ tranſlatione Novi Teſtamenti, ſive ejus Nesjulamam, filius Azalkeſari, ſive alius auctor eſt? Quam magno Eccleſiæ bono integram primus edidit Erpenius: idque ex codice ante annos prope trecentos deſcripto in deſerto Thebaidos: & cujus bonam partem, Acta nimirum & Epiſtolas, cum altero codice ſedulò contuliſſet ſummus vir, præclareque de ſtudiis, & præcipue Orientalibus linguis, prometitus, Franciſcus Raphelengius. Atque hujuſmodi theſaurum nactus Erpenius erat ex bibliotheca hac Lugdunenſi; cui, inter alios Orientales libros, eum quoque legârat vir incomparabilis, Joſephus Scaliger. Adjiciamus illud etiam, quod jam prælum fervebat hiſtoriâ Saracenicâ, nobiliſſimo opere: in quo pauca adeò reſtare videntur, ut propediem lucem videre poſſit. Quid autem ſi poſt iſta nec conſiderare ea ſit grave, quorum nobis deſiderium Erpenius reliquit? Mitto enim diſſertationem, quomodo maximo cum fructu peregrinari in Galliis poſſimus: quam miſit ad doctiſſimum Juris conſultum, Joannem Nieuportium. Mitto & præcepta linguæ Græcæ, longè accuratiùs conſignata, quàm fieri vulgò ſolet: quem laborem publico non invidebit Vir Clariſſimus, & amiciſſimus mihi, Hieronymus Backerius, J.C. Mitto grammaticen Æthiopicam, quæ utinam aliquando poſtliminio eò redeat, quò optamus. Mitto & Grammaticen Syriacam, quam ex amiciſſimi auctoris dono habet equeſtris dignitatis vir, ac doctrinâ facundiâque pariter eximius, Daniel Heinſius noſter: qui pro ſuo erga Orientales non minùs, quàm cæteras literas, amore, publici eam juris ſe facturum, ſponte nobis recepit. At nefas ſaltem ſit omittere Lexicon Arabicum: quod cujuſmodi daturus eſſet, conjecturam capere licet, partim ex obſervationibus eruditis Arabico Raphelengii Lexico jam ante decennium adjectis: partim ex ſpecimine futuri operis, paucis nempe pagellis jam excuſis: ex quibus ſatis liquet, ita Gheuharium, ac Camuſii autorem, alioſque ſequi voluiſſe, ut interea, & ſuperflua demeret, & prætetita adjiceret, & falſa caſtigaret. Parabat quoque bibliothecam Orientalem, de omnium in Oriente linguarum origine, variâque naturâ, & libris earum-quaque linguarum perſcriptis. Adhæc ſtatuerat quamprimum, unà cum verſione ſuâ edere geographiam principis Abulfedæ: quam ante decennium exſcripſerat ex codice bibliothecæ Palatinæ. Receperat etiam ſe primâ occaſione divulgaturum Alcoranum, ſive Muhammedanorum legem, & Arabicè, & Latinè: appoſitis quoque nominibus Suratæ, vel Aſſoræ: variis item lectionibus, notiſque ad meliùs Muhammedis mentem intelligendam: additâ item confutatione ejuſdem ex doctiſſimis quibuſque, tum Chriſtianis, tum Judæis: adnexis denique indicibus, tum eorum, quæ Alcorano exponerentur: tum Suratarum Alcorani: tum illorum, quæ continerentur notis. Itidem moliebatur apparatum in Alcoranum: in quo triplex foret diſſertatio: una dicta ALFURCAN, de Alcorani auctore, & auctoritate; argumento adhæc, diſtributione, ſtylo, & interpretatione. Altera, cui nomen PROPHETES, de Muhammedis vitâ; item religione, & variis ejus ſectis. Tertia, quæ vocatur IMPERATOR, de Chaliphis, qui Muhammedi ſucceſſere; deque bellicis eorum victoriis, quibus tot florentiſſimas gentes imperio Saracenico addiderunt. Huic quoque apparatui adjeciſſet triplicem Muhammedanorum confeſſionem: unam ex Africâ, Arabicè, & Latinè: alteram ex Europa, Turcicè, & Latinè: tertiam ex Aſia, Malaccicè, & Latinè. Appoſuiſſet quoque Epiſtolas ab rege Marocenſi ad illuſtrem Arauſionenſem principem ſcriptas: item ridiculum Muhammedis iter: utraque cum ſolidâ doctiſſimorum virorum confutatione. Poſtremum illud obtineat locum, quod facilè principem meretur; nempe ingentis animi conſilium, de quo ſæpe mecum, & cum tot aliis amicorum, locutus fuit; cum exteris etiam; ut ſymbolam conferrent, per literas egit: quinque ad rem ſe in Synodo obtulit Dordrechtanâ. Parabat enim, heroïco auſu, editionem Novi Teſtamenti, partim conſtructam ex ſermone eo, quo Apoſtoli & Euangeliſtæ ſcripſerunt, additis & variis lectionibus, ac ſuper iis judicio, & delectu: partim ex Latinâ tranſlatione vulgatâ, cum emendationibus doctorum virorum, ac notis: partim ex verſionibus, Syriacâ, Arabicâ, Æthiopicâ, & Armeniâ, cum interpretatione ſingularum, ac collatione earum inter ſe. Huic ille operi nomen dare decrêrat, TABERNACULUM CHRISTI. Tam multa ille, tam varia, tam præclara, partim confecta habebat, partim affecta, partim etiam animo agitabat.

Nunc, quæ ad reliquam etiam vitam, atque imprimis, quæ ad honores illi habitos pertinent, videamus. Paullò poſtquam ex Italiâ, Germaniâque, ad lares ſuos rediiſſet: honeſtiſſimi in his literis muneris ſpes ei apud Anglos offerebatur: eaque certiſſima, ac ſine exceptione aliâ, quàm ut ne ipſe ſui Britannis ſpem invideret. Atque hujuſce rei indicium accepit à viro doctiſſimo, magnique etiam nominis in Britannia ſua. Sed jucundior Erpenio patriæ, ac parentum, & tot amicorum, conſpectus erat; quàm ut, vix domum reverſus, divelli ſe à ſuis tam citò pateretur. Nec eo refrixit in Angliâ præſtantium virorum amor; quem ille longè maximum perſenſit, non dico longo pòſt intervallo; ſed anno etiam ſequenti, quo profectus in Britanniam fuit, ſed occaſione longè aliâ, quam nec gravabor referre. Habebat Londini ſororem, Mariam Erpeniam, probiſſimam feminam, quæ nupta erat ornatiſſimo viro, Danieli ab Haſevelt. Hic ſocerum per literas certiorem fecerat de graviſſimo conjugis ſuæ morbo. Quod ut noſter cognovit, qui paucis ante menſibus docendi munus in Academia hac inierat; itineri ſe quamprimum in Angliam dedit, ingentia Deo interim vota faciens; ſororem ſi ſoſpitem reperiſſet. Sed, ſimul ac mare tranſmiſerat, intellexit jam eam deceſſiſſe. Hoc tamen fecit boni, quòd & affini cariſſimo, & liberis à ſorore relictis, ſolatio non mediocri erat: & coràm meliùs pervidit, quanti fieret à ſummis Angliæ viris. At nullis eorum exoptatior Erpenii adventus fuit, quàm Caſaubono, & Bedwello: quorum & operâ tunc arctiſſimo amicitiæ vinculo conjungi cœpit cum Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Theologo undique maximo, Lanceloto Androſio, id temporis Elienſi, nunc Wintonienſi Epiſcopo, & ſereniſſimo magnæ Britanniæ Regi à ſacris & ſecretis conſiliis.

Bis etiam poſtea, negotiis quidem magni ponderis urgentibus, ſed nec minùs admiratione præſtantium Angliæ virorum pellectus, in florentiſſimum hoc regnum iter ſuſcepit: ſemel quidem, cùm ſocium ſe viæ addidiſſet amiciſſimo collegæ ſuo, Andreæ Riveto, ſponte, qui domum

mum ex Anglia ducebat lectiſſimam feminam, Mariam Molinæam, egregii Theologi, Joachimi Molinæi, Aurelianenſis Eccleſiaſtæ, filiam, ſororemque eximii nominis Theologi, Petri Molinæi, præceptoris quondam mei in Philoſophia peripatetica; à quo & unum me ſummâ liberalium artium laureâ in hac Academia decoratum fuiſſe, non ſine grati animi memoriâ recordor.

Alterum verò Erpenii iter in Britanniam biennio anteceſſit, quo comitem habuit uxorem ſuam, Jacobam Buyeſiam, filiam ampliſſimi Hollandicæ curiæ Senatoris, Joannis Buyeſii, viri eruditione doctrinâque præcellentis; ſed integritate animi longè commendatioris apud omnes probos. Cujus ille filiam uxorem duxit anno cIɔ Iɔ cxvi, Prid. Non. Octob. ac ſenos ex eâ liberos ſuſcepit: quatuor fuerunt: duos ſuperſtites videmus: ſed numerum eorum poſtuma augebit proles, ſimulac propitio numini viſum erit.

Sæpiſſimè autem mirari ſubiit animum meum, tam magna variaque, non tentare modò auſum Erpenium, ſed præſtare etiam potuiſſe: præſertim, qui valetudine eſſet adeò infirmâ, ac nunc affligeretur periculis uxoris, toties puerperæ: nunc angeretur liberûm ſuorum mortibus: nunc, pro tenero amore ſuo, inſtitutioni cariſſimorum pignorum ipſe vacaret: nunc ab iis, quæ ad tuenda, vel relicta vel parta, pertinerent, totus requireretur: nunc implicaretur amicorum rebus: nunc negotiis publicis abſtraheretur ab iis, quorum autoritatem defugere non liceret. Quæſo, auditores, quid aliud in cauſſa eſſe putemus, cur unus tam multis ſufficere potuerit, quàm (ut mihi quidem ſemper perſuaſi) quod eodem in homine ſummâ cum induſtriâ certarent, ingenium velox ac ſubactum, judicium peracre ac ſincerum, memoria tenaciſſima? Nempe hæc illa dona ſunt cæleſtia, quibus rem arduam præſtitit, ut, licet tantopere abduceretur à ſtudiis, nihilominus hoc conſequeretur, ut non admirationi ſolùm in patriâ foret, quod perpauci tamen conſequi potuerunt: ſed, quemadmodum ipſe cuncta metiretur orbis Chriſtiani bono, ita viciſſim eum præcipuo quodam honore coleret orbis atque obſervaret; inque Orientalium linguarum peritiâ ei faſces ſuos ſubmitteret lubens.

Atque hæc veriſſimè à nobis dici, non grata ſolùm poſteritas teſtabitur; ſed nunc etiam omnes agnoſcunt: niſi fortaſſe aliquos urat nimius Erpenii ſplendor. Unde enim, niſi à conſentientibus omnium animis profectum dicamus, quod ſollicitè adeo eum ambirent multi Europæ principes? Unde, quod adhuc adoleſcenti in Italia offerrentur ducati annui quingenti, conditione eâ, ſuam ut operam addiceret vellet in Arabicis transferendis? Unde, quod jam adultior ab ultimis ſollicitaretur Hiſpaniis, ad explicanda quædam ex antiquis cryptis eruta, quæ totus capere nequiſſet terrarum orbis? Quod ne fidem ſuperare videatur, ex præſulis Hiſpalenſis ad Erpenium literis, potiſſima, ſed bonâ fide, complectar. Significabat is, ſe ex libris ab Erpenio editis exquiſitam ejus ſcientiam in univerſis Arabum literis ſatis cognoſcere: ac propterea magno ſe deſiderio teneri, ut per eum conſequi poſſit tranſlationem quorundam, quæ, ſe Granatenſem moderante Eccleſiam, effoſſa eſſent è monte Illipulitano, menſe Aprili, anni cIɔ Iɔ xcv. Eſſe ea exarata in laminis plumbeis, idque literis planè exilibus: inſcriptionem teſtari, literas eſſe Salomonis: doctrinæ laminis contentæ auctorem ſtatui Jacobum Zebedæi, Apoſtolum: ſcriptores autem diſcipulos ejus, Cæcilium ac Creſiphontem, martyres. De quibus, ut arbitror, judicium meum hoc loco non requiritis. Præterea ajebat, librum eſſe alium ſummæ vetuſtatis: ſed incognitis literis. in quo interpretando hactenus nihil cujuſquam potuerit, vel peritia, vel induſtria. Quapropter ſe Erpenium obſecrare, ut ipſe in Hiſpaniam veniat, venerandæ adeò antiquitatis monumenta videat coràm: eaque vertendo, cùm ſtudiis privatis, tum imprimis Eccleſiæ, eat conſultum. Magni ſe beneficii loco iſtud habiturum. Ac, ne longior ſim, tandem de mercede præmioque aliqua locutus, his verbis epiſtolam claudit: *Super hac etſi tibi, pro tua dignitate, vix retribuere poſſumus: ut poterimus tamen, cum mercede & fœnore remunerabimus. Ut tibi placitum fuerit, ſatisfaciemus. Veni, vide, vince.* Σὺν Θεῷ *fortaſſe tuis fortiſſimis Belgis per te felix fauſtumque erit. Vale, atque iterum vale. Hiſpali, menſis Junii* iv. *Anno Domini* cIɔ Iɔ cxix. Subſcriptum erat, *Petrus à Caſtro, Archiepiſcopus Hiſpalenſis.* Idem præſul ſchedas etiam tranſmiſit exſcriptas ex eo, quod diximus, opere plumbeo: quod de doctrina erat Chriſtiana. Erpenius earum quidem interpretationem dedit: de itineris verò Hiſpanienſis conditionibus præfinitò magis loquendum putavit. Cùm autem ſpiſſiùs hoc negotium procederet, quàm poſcerent præſulis vota: poſtulato ejus potentiſſimus Hiſpaniarum rex ad Sereniſſimam Infantem, Brabantiæ Archiduc. literas miſit, quibus hoc de Erpenio negotium ſeriò commendaret. Exarata ea regis epiſtola erat Madriti Kal. April. anni cIɔ Iɔ cxxiii. Nec minùs eopſe anno xviii Kal. Decemb. literis ſuis apud Erpenium inſtitit Chriſtophorus Aybarus, qui præſuli Hiſpalenſi à ſecretis erat. Quo minùs verò eâ in re mos Regi gereretur: partim fiebat longinquitate loci, ac temporum calamitate: partim quòd tanti ea monumenta faceret præſul, ut minimè pateretur, illa Lutetiam, vel Antverpiam, deferri; quò minori ſe periculo, ac moleſtiâ, Erpenius contuliſſet: partim quòd nihil Erpenius poſſet, aut vellet, abſque auctoritate ac veniâ potentiſſimorum fœderatæ Belgicæ Ordinum, ac illuſtriſſimi Arauſionenſis principis: partim etiam aliis de cauſſis, quas familiariſſimi non ignorant; atque ex iis, quæ diximus, aliquâ ex parte perſpicere ipſi poteſtis.

Quod ſi etiam extra terras Chriſtianas animis mecum ire lubet: ſanè regi Marocenſi, eidemque magno Africæ imperatori, uſque adeò (cujus rei teſtis eſſe idoneus, doctiſſimus Golius poteſt) placuere Erpenii noſtræ literæ, cùm ob alia, tum ob puritatem dictionis Arabicæ, ut optimatibus, atque eruditiſſimis regni ſui viris, ſæpius eas miraculi loco oſtenderit. Imò quantam de eruditione ejus ſpem concepiſſet; argumento illud erit, quòd cùm Erpenius ab eo poſtulâſſet codices quoſdam Arabicos, qui non alibi exſtarent, quàm in ſacrorum archivis, deſcribi illos in ejus gratiam juſſerit, primâque occaſione ſe receperit miſſurum. Quale nihil ab rege Muhammedico impetrare homo Chriſtianus potuiſſet, niſi qui eruditione eximiâ iſtis etiam terris maximam concitâſſet admirationem ſui. Accedit illud, quòd ejuſdem potentiſſimi regis orator eò curas ac cogitationes ſuas referebat, ut in negotiis regis Erpenio conſiliorum ſocio, atque adjutore, uteretur. Sed remotus adeò à gloriæ cupiditate animus Erpenii erat, ut hoc honoris modeſtè recuſaret. Nec propterea legatus eum humaniſſimis orare literis deſtitit, ut paucis ſaltem diebus Hagæ ſibi frui illo liceret. Nihil enim animo ſuo dulcius fore ajebat, quàm ut per eum ad regem ſuum doctrinâ rediret auctior. Quin tanti ſe facere illum, ut cuncta Belgicæ ornamenta minoris duceret. Atque, ut poteſtas coràm compellandi data fuit, feliciorem ſibi negavit his in oris diem illuxiſſe.

Sed ab exteris regibus, eorumque legatis, domum revertamur: ac quanti ejus eruditionem, & prudentiam, Belgicæ noſtræ proceres fecerint, videamus. Ineunte vere anni cIɔ Iɔ cxx, ex decreto illuſtrium fœderatæ Belgicæ Ordinum, & inclyti Arauſionenſium principis, ab Nobiliſſ. & Ampliſſ. Academiæ Curatoribus in Gallias miſſus fuit. Negotii autem hoc ei datum erat, ut, quia magni nominis theologo augere hanc Academiam decretum haberent, eò animum, & Petri Molinæi, & Andreæ Riveti, tentaret. At quâ ille tum prudentiâ! quâ fide! quâ induſtriâ ſe geſſit! Attamen licet cumulatiſſimè ſatisfaceret proceribus noſtris: nihil aliud tamen effecit, quàm ut Eccleſiis Gallicis jucundam relinqueret memoriam ſui. Illuſtres verò Belgicæ noſtræ Ordines, qui exploratiſſimum haberent, præclarè Erpenium munere ſuo perfunctum eſſe; eundem imprimis idoneum putarunt, qui anno proximo, tum Riveti animum, amore & Bataviæ, & Theologicæ profeſſionis, vehementiùs incenderet: tum eos flecteret,

qui magnâ animi contentione hoc egiſſent, ut ne permitteretur Galliam ſuam his terris permutare eum virum, quem omnium judicio conſtaret, & religionis controverſias optimè intelligere, & in doctoribus antiquis longè eſſe verſatiſſimum, & plurimum ob ſummam prudentiam habere auctoritatis, nec minùs eloquentiâ valere. Nequid auribus cujuſquam dare videar, ſanè negotii hujus difficultatem æſtimare vel ex eo licet, quòd Erpenius propterea ſemeſtri integro in Galliis fuerit commoratus. Quantâ autem cum prudentiâ tum iterum ſe geſſit! Quâ morum ſuavitate conciliavit ſibi omnium animos! quâ Suadâ, cùm in ſenatu eccleſiaſtico, tum in ſynodo Pictavienſi, oravit ſæpius! Itaque, quod fieri poſſe nemo putabat, cunctorum tandem animos flexit, ac vicit: ſatiſque apparuit, virum eſſe, qui ſapientiâ ſuâ ſummis ſe pariter, atque infimis, gratum redderet acceptumque. Quid teſtimoniis pluribus opus? Illuſtriſſima mater Tremuliana, filiuſque ejus, potentiſſimus Thuartii dux, cùm tantum viri uſum ac prudentiam perſpicerent; elogio eum hoc decorarunt; in eo ſe comperiſſe locum non habere, quod vulgò dici ſolet; homines linguarum ſtudiis addictos parùm videri rerum intelligentes, vel agendi peritos.

Quod ſi in exponendis iis, quæ ad iter hoc, publico nomine ſuſceptum, pertinent, miſcere etiam liceat privata: præteriri non debet, ut Lutetiæ, ſuperiori quidem æſtate amicitiam inierit; alterâ verò hac profectione, initam firmârit, cum duobus è Libano Maronitis, Gabriele Sionitâ, & Joanne Heſronitâ, doctoribus Theologiæ, & regiis Arabicæ linguæ Profeſſoribus in Academiâ Pariſienſi: quibus &, vere novo in Galliam iterum tendens, elementa linguæ Arabicæ conſecrârat.

Lutetiâ verò cum clariſſimo Riveto Sedanum conceſſit. Ubi ab illuſtriſſimo duce Bulionio, eâ vultus ſerenitate, eâ comitate exceptus fuit, ut non obſcuris appareret indiciis, quanti virtutem, atque eruditionem Erpenii, æſtimaret princeps, ſiquis alius, prudentiſſimus.

Poſtquam è Galliis rediit, potentiſſimi fœderatæ Belgicæ proceres eo interprete uti ſolent in illis, quæ Aſiæ, atque Africæ principes, literis ſuis commiſiſſent. Quâ in re operam his antea dare ſolet magnus Scaliger: ut omnes ſciunt, qui familiariter tanto viro utebantur: atque eundem ad me perſcribere memini ante hos viginti annos, & quod excurrit. Quàm autem præclara eo in negotio fuerit induſtria Erpenii noſtri: non aliunde meliùs cognoſcitur, quàm quòd illuſtres Ordines, quincto abhinc die, cùm Hagam evocatus in concilio eorum graviter diſſeruiſſet, decrevere literas, actaque omnia, quæ ad negotia Muſliminorum pertinerent, fidei ejus committere, ac poſthac, quoties de mente eorum diſceptaretur, ſermonem cum eo jungere in concilio ſuo, ut eò certiùs diſpicerent, quid Muſliminicæ genti reſponderi oporteret. Quo ſanè quid honeſtius, ac glorioſius, Erpenio noſtro contingere potuiſſet?

Sed fatis aliter erat viſum, quàm ut optimus vir felicitate eâ in terris frueretur. Hei miſero mihi! dicere ſine lacrimis vix poſſum. Sed quoniam, pro inſtituto noſtro, ſatis multis mihi egiſſe videor de cæteris: ſi quorum fortè ad aures nondum extremus ille vitæ actus pervenit, non patiar eos rem tantam ignorare.

Quatriduum eſt, ut jam orſus eram dicere, quòd in illuſtri illo conceſſu de maximi momenti rebus loqueretur: interque alia graviſſimas adducebat cauſſas, cur expediret Reipublicæ noſtræ, ut à Marocenſi rege vir expoſceretur Arabicè doctiſſimus: ac, ne videretur iſto ſibi ſolùm conſultum ire velle, eum ſe de ſuo alituram recepit: nec enim ſumtus ſe extimeſcere ullos, quos ſuſtinere poſſet; dummodo inde utilitas non levis redundaret in Rempubl. Hujuſmodi dum ille in hoc Patrum concilio, majori animi contentione verba facit, quàm vires ferrent: nec antea admodum firmus, majorem etiam perſentiſcere languorem cœpit, uſque adeò ut conſidendi veniam poſtularet.

Ut verò in hoſpitium venit (quod veteri præceptori ſuo Jacobus Golius non alibi, quàm apud optimum, & humaniſſimum parentem ſuum, Theodorum Golium, Feudorum comitatus Hollandici actuarium, eſſe paſſus erat) magis etiam manifeſta morbi indicia ſe oſtenderunt. Eodemque die Hagam venit præclarum conjugum par, Adrianus Darſelarius, & Joanna Erpenia, noſtri ſoror: qui fruſtra Lugduni pridie Erpenium quæſiverant. Ut tam caras animas Erpenius conſpexit, recreari paullùm primùm eſt viſus; Deoque gratias egit, quòd opportunè adeò utrumque ad ſe miſiſſet. Atque hi reliquo diei, & nocte proximâ, aſſidui apud Erpenium fuere; cunctaque ei præſtitere officia, quæ tam arcta neceſſitudo, amorque tantus, requirebat. Interim in horas morbus aggraveſcere. Quare poſtero die, auctore etiam Screvelio, medico clariſſimo, Leidam ſe deferri jubet. Sed de uxore ſollicitus, partui tam propinquâ, quæ ad ſubitum ægri adeò mariti conſpectum animo nimium turbatum iri videbatur: Darſelarium ſuum ad affinem alterum Backerium præmittit: ut hujus prudentiâ animus uxoris ad fortiter eum caſum ferendum paullatim præparetur. In cymbam poſtea defertur. In eandem deſcendunt ſoror, & Golius, triſtes admodum, ſed, quantum poterant, ſummum premebant dolorem. Noſter interea magno animo, perpetuoque in Deum defixo, vim morbi ſævientem ferebat. In Urbem ut ventum, cùm jam præter Academiam veheretur, paulìò altiùs juſſit imum attolli velum: oculiſque acriùs eum in locum intentis, in verba hæc, quæ ſorori, Golioque, cor penè findebant, in triſtia, inquam, verba iſta erupit; *Vale Academia, in quâ voluptate eâ hactenus vixi: ampliùs te non videbo.*

Ut verò eum domi lectulus ſuus recepit, continuis ſe precibus commendabat Deo: delictorum veniam ſupplicibus poſcebat votis: magnâ animi demiſſione familiam ſe ducere ajebat inter miſeros peccatores: quique pro vitæ hujus modulo inculpatè ætatem tranſegerat, de integritate ſua verbum audire nullum ſuſtinebat. Neque ibat inficias, ſi ita Deo fuiſſet viſum, libenter in hoc terreno ſe tabernaculo commoraturum aliquantiſper fuiſſe; ſed non tam vitæ ſuæ amore, quàm adflictiſſimæ uxoris cauſſâ, & dulcium liberûm: ſatis enim jam diu ſibi vixiſſe: imò pertæſum eſſe humanæ vanitatis, & ſeculi inquinatiſſimi.

Hæc ille effatus, præſente præſtantiſſimo Hieronymo Backerio; qui licet ex medicis bonis fidiſque (ii, Joannes Werchoritius, & Henricus Florentius, erant) peſtilentiâ contactum eſſe Erpenium, ſatis ſciret: nullo tamen vel ſuo, vel ſuorum periculo dimoveri potuit, quo minus officiis omnibus affinis cari perfungeretur. Coram quoque aderat doctiſſimus Jacobus Golius, qui, contagionis metu amoto, ex ore dilecti præceptoris, quid de imperfectis operibus ſuis fieri vellet, excepit; neque officii quicquam omiſit, quod parenti ſuo præſtare quiſquam potuiſſet. Nec fraudandus laude ſuâ Thomas Penerius, in Gallicano utroque itinere ab Erpenio quondam adſcitus, & octennio integro ejus inſtitutione, majorique ex parte recto etiam uſus; qui tam bene meritum virum in extremis ſibi deſerendum minimè putavit: ſed diu noctuque ad extremum uſque vitæ halitum adfuit, fidelique operâ juvit. Et quo ſatis ego digner elogio clariſſimum, doctrinâque præcellentem virum, &, quod caput eſt, fidum in domo Dei ſervum, Ludovicum de Dieu? qui cùm nec adfinis, nec diſcipuli nomine, obſtringeretur: non tamen in hac lue eximiam Chriſtiani gregis ovem pii ſanctique alloquii expertem eſſe ſivit. Eo interrogante de valetudine, reſponſum Erpenius dedit, forti ſe animo eſſe, ac paratiſſimum commigrare ad Patrem ſuum cæleſtem. Confeſſionem etiam edidit fidei ſuæ, brevem illam, ſed pondere rerum ſubnixam. Poſtea in hæc ſe effudit verba, *Nolo, Deus, operibus meis comparere coram tribunali tuo. Tradidiſti Filium tuum in mortem, qui ſanguine ſuo me abluit ab omnibus peccatis. Huic uni innitor. Ille bonum opus perficiet, quod cœpit. Et jam per tabulatum hoc obiectum, per elementa omnia, atque adſpectabile hoc cælum, mentis oculis tranſcendens, gaudium video in*

*cælis*

*talis mihi præparatum: fide quidem debili, attamen verâ fide; quam tu, ô Domine, neutiquam repudiabis. Unum peto, ne cunctare, Domine. Gaudium, quod mihi apud te paratum, ne differ, Domine.* Poſt preces eas præſentibus valedixit, & ſalutari voluit amicos omnes. Paullò pòſt pia & ſancta illa anima exſpiravit.

O mortem illi quidem proſperam ac felicem: ſed omnibus nobis triſtem atque acerbam! Quid nunc animi eſſe putemus optimæ viduæ, Jacobæ Buyeſiæ? quicum ille octennium ſine querela jucundiſſimè vixit: ex qua tot liberos tulit: quam etiam reliquit partui adeò vicinam, ut magis vix poſſit. Quid item animi nunc verendo ſeni, Gerardo Erpenio? qui unicum, quem habuit, filium, ornamentum ſuum, & ſenectutis columen, amiſit. Quid præſenti hîc ejus affini Hieronymo Backerio, peregrinationis Anglicæ ac Gallicæ in adoleſcentia comiti, exinde amicorum principi, tandem affini conjunctiſſimo, qui eum fratris loco colebat, nec quicquam corde clauſum habebat, quin ei aperiret.

Sed non eſt hoc domeſticum duntaxat vulnus. Lugent eum eruditi omnes, quorumcunque aures triſtis ille nuncius hactenus perculit. Ante alios Sereniſſimi Suecorum regis Fœderatam ad Belgicam orator, Janus Rutgerſius: vir nobiliſſimus, & clarus tot legationibus ad reges, principes, reſpublicas: ſed, ut ego quidem cenſeo, longè illuſtrior doctrinarum ſtudiis, ſemperque victuris ingenii monumentis. Quàm autem ille conſternabatur nuncio de obitu amici ſummi, ac popularis ſui, Erpenii! quantopere deplorabat infelicitatem communis patriæ, quæ tam citò amitteret ſolem, in occidente quidem noſtro orientem; ſed qui orientis linguis omnes nihilominus orbis plagas illuſtraret. Alios etiam non paucos poſſim referre; eoſque & eruditione, & dignitate illuſtres. Sed poſt eum virum, qui multorum inſtar eſt, venire malo ad principes Bataviæ noſtræ cœtus. Mœret enim Erpenium ſenatorius utriuſque curiæ ordo: cui rei teſtis idoneus eſſe poteſt ampliſſimus & clariſſimus vir, Nicolaus Cromhoutius, ſacri Senatus præſes: qui & ipſe Erpenium ſuum, non, ut amicum modò, luget, ſed etiam, ut amiciſſimi quondam collegæ ſui Buyeſii generum digniſſimum. Mœrent quoque, atque interpretem ſuum requirunt, præpotentes Ordines, non Hollandiæ modò; ſed totius fœderatæ Belgicæ: ac cum iis princeps Arauſionenſis, pater patriæ, domuſque Naſſovia univerſa. Lugebunt quoque reges, ac principes exteri; qui, quanti eum fecerint, ſatis antea perſpeximus. Lugebunt Academiæ Chriſtianæ, & quicquid uſpiam Muſas colit: unoque ore fatebuntur, abiiſſe virum in literarum ſtudiis, ac potiſſimum iis, quas ſæpe diximus, linguis, nulli ſecundum; cuique lubens hanc eruditionis palmam Europa tribuat univerſa.

Quod ſi ejus viri mortem orbis mœrebit Chriſtianus: quanto æquius luget Belgica fœderata! Et propter quem in luctu Belgica hæc verſatur; quanto fas magis Bataviam eum dolere! Ac ob cujus obitum in mœrore eſt Batavia; quantam inde ægritudinem percipere credamus Academiam hanc, cujus ille fulgentiſſimum jubar erat? Quantopere igitur dolere nunc putemus nobiliſſimos & ampliſſimos Academiæ hujus Curatores, & præſtantiſſimos Urbis conſules! Quantopere etiam Senatum Academiæ hujus, & quiſquis eam, vel docendo, vel ſcribendo, illuſtrat! Quantopere denique omnes illos, qui ex nobili hac & florentiſſima juventute, Orientis linguas ab ejus ore hauriebant! Nempe non amicum modò optimum, ſed præterea, alii collegam conjunctiſſimum, alii doctorem eximium, deſideramus: quorum ſingula de me profiteor. Noſtri igitur, quotquot Academiam hanc incolimus, iſta imprimis jactura eſt. Nos, nos, inquam, propiùs iſte dolor tangit. Nobis enim coram licebat frui excellenti ejus doctrinâ, & prudentiâ ſingulari. Nobis etiam interiores ejus virtutes familiariùs perſpicere datum fuit: qui eum virum cognovimus, pietate præſtantem; omnibus æquum; nulli invidentem; quoties invidia laceſſere inciperet, ſemper benefaciendo facilè exſuperantem; à faſtu alienum; moribus non gravem minùs, quàm ſuavem; denique amicos in omnes officioſiſſimum, ita ut totum ſe iis conſecraret.

Quamquam verò ferrei pectoris ſit, iſtis non plurimum moveri: ne tamen nimium indulgeamus dolori noſtro: nec committamus, ut nihil eſſe diſcriminis videatur inter nos, qui de populo Dei ſumus, & cœcas nationes. Quid enim? Ejulemus? Hoc gentilium eſt: imò præficarum. Chriſtiana eſt hoſtia, quam extulimus. Defleamus ſaltem? At ne in Homero quidem laudavero, quòd Achivorum lacrimis arenam terramque irrigatam dicat. Sed poëticam ille ſecutus eſt voluptatem. Nos autem convenit divinæ acquieſcere voluntati. Præſertim cùm ſciamus, eum lacrimis eſſe ſuperiorem: ut qui tranſlatus ſit in excelſa cælorum templa: ubi non dolor, aut timor; ſed perpetua gaudia: non tenebræ, aut tempeſtas; ſed perpetua lux, perpetua eſt ſerenitas. Fulget enim ſemper claritas Dei, & lux ejus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. An lugeamus nobis ereptum? Atqui non magis ereptus eſt nobis, quàm orbis periculis. Quot enim vitiis mundus hic oblitus eſt! quot vinculis tentationum conſtrictus! In quo, quanto diutius ſumus, tanto majore peccatorum ſarcinâ oneramur. At ille bonum certamen certavit, conſummavit curſum, fidem ſervavit. Doleamus relinqui lectiſſimam conjugem, cum parvulis liberis; parentem ejus, optimum ſenem; almam etiam matrem Academiam? Reliquit ille quidem uxorem, & ſuaviſſimos liberos: ſed arceſſitus ab Imperatore ſuo Chriſto; qui cùm ſollicitè adeò viduas, & pupillos, commendet nobis in Verbo ſuo, ipſe eos gratiâ ſuâ non deſeret. Reliquit grandævum patrem. Sed prævivit ei ad patrem ſuum cæleſtem: quò & præclarus ſenex viam adſectat. Reliquit matrem Academiam? ſed debito ſuo fraudare non potuit terram, communem noſtri omnium matrem. Imò nec minùs fortaſſe Academiæ gaudendum, quòd hactenus eximium illud ornamentum habuerit; quàm dolendum, quòd amiſerit. Sed enim breve fuit ſpatium illud, quo licuit eo frui. Breve, fateor, quidem; ſed quicquid ejus divinitus conceſſum fuit: Deo ille omne hoc, & publico impendit. Poëtæ laudantur, qui, ſatiatis necdum auditoribus, fabulam abſolvunt. Et infelicem putabimus, qui ſic vitæ hoc curriculum decurrit, ut ſenibus juxta ac juvenibus, deſideratus diſcedat? Et quantillum hoc, ſi longiore vitâ dignus ſit in terris, quem Chriſtus meliore vitâ dignatus ſit in cælis! Quid enim hæc vita eſt, tot moleſtiarum plena? Quare ſimus, ut ſervi ſapientes in domo Dei. Quia ſervi ſumus, neceſſe ducamus remanere, donec Dominus vocet. Quia ſapientes eſſe debemus, exoptemus, quod lucro eſt. Lucro autem ſanctis eſt mori. Nam ſimulac corpus reſolvitur, animus abſolvitur: nec aliter conjungi poſſumus cum Chriſto. Hoc nunc conſecutus ille eſt, quem tantopere lugemus. Nos igitur ne ſortem illius doleamus; ſed potiùs noſtram. Si ægre eſt nobis, quòd pro tantis virtutibus, ac meritis, non meliùs ei fuit in terris: affectu hoc noſtro ſuppleamus. Imago ejus ſemper oculis obverſetur. Pietas ſemper, & merita, in animis vivant: perſeverent in lingua. Hac nos accinamus ei, hac poſteritas omnis, quod Harmodio in ſcoliis ſolet, NEQUAQUAM MORTUUS ES. Ante omnia autem viri excellam virtutem imitemur: ad hanc nos per omnem vitam componamus: ut ſimulac Deo viſum erit, nos quoque evocare ex miſera hac vita, exemplo ejus hoſtiæ, cujus nos corpus extulimus hodie, cujus animam Chriſtus acceptavit, & obtulit Patri, noſmet quoque gratam Chriſto hoſtiam offeramus.

DIXI.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

# HISTORIÆ UTILITATE ORATIO,

Habita in Illuſtri Senatus Populique Amſtelodamenſis Gymnaſio, cùm publicam Hiſtoriarum & Politices profeſſionem ordiretur, anno cIↃ IↃ cxxxii, vi Id. Januarii.

---

*Magnificis, Ampliſſimis, ac Prudentiſſimis VV.*

JOHANNI GROTENHUISIO, J.C.
Inclytæ Urbis Amſtelodamenſis Prætori;
JACOBO DE GRAEF, Toparchæ in Polsbroek,
THEODORO BAS, Equiti,
ANTONIO OETGENS, Toparchæ in Waveren,
ANDREÆ BICCHÆRO, J.U.D.

Auguſtæ ejus Urbis Coſs.

Et SCABINIS, ac SENATORIBUS
ejuſdem Civitatis,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

Felicitatem.

ETſi ea, Ampliſſimi PROCERES, ſtudiorum præſtantia ſit, ac voluptas, ut facilè amore ſui accendere quemvis poſſint, qui animum ſupra vulgus gerat: minimè tamen dubium eſt, quin plurimùm eorum ſectatores gratiâ favoreque potentium incitentur. Hinc enim nullis non ætatibus animadverſum, ut doctorum aut amantes Principes erant, aut iidem literas aſpernabantur: ita aut ſæcula quæque excellentibus claruiſſe ingeniis, aut penuriâ eorum obſcurè tranſacta eſſe. Quod profectò nullus mirabitur, qui honeſtâ nominis famâ, aut privato compendio, pleraque metiri homines cogitaverit. Et in aliis quidem vitæ generibus, tametſi nullus Principum adſit favor, ſua tamen ſunt commoda. Segetem arator, ſtipendia miles, denique & opificum viliſſimus quiſque laboris mercedem refert. Illis autem, qui multa obſervando, voceque ea, ac ſcriptis prodendo, demereri præſentes & poſteros conantur, cuncta hæc vel

Digitized by Google

vel negligenda, vel perfunctoriè curanda ſunt. Rarò enim animum, hujuſmodi illecebris impeditum, altiùs exſurgere videamus. Unde ignoſcere ſoleo literatorum illis, qui cùm diſpreta dominantibus ſtudia ſua intelligunt, non parùm remittunt de ardore illo, aut ſuo, aut venturis ſæculis benefaciendi. Cogitare quidem eos oportebat, felicitatem ſuam potiùs ſitam eſſe in virtute, ac recti conſcientia, & præmio vitæ ſecuturæ: ſed pauci omnino, etiam eruditiorum, eò ſapientiæ pertingunt. Eoque cùm nihil iis cum plebe ſit commune; & (niſi eximiæ ſint modeſtiæ) ſæpe huic arrogantes & ambitioſi videantur; quando etiam literarum cauſsâ opes, & quæcunque hîc bonorum nomine cenſentur, aut inſuper habent, aut iis ad neceſſitatem tantùm utuntur; quando denique potentibus (quorum unus favor cætera compenſare incommoda poteſt) ſe deſpectos vident: quæ dementia fuerit, aſſiduo labore, perpetuis vigiliis, nihil præter invidiam, & contemtum quærere? Equidem non ignoro, fuiſſe alicujus nominis viros, qui veræ illius mercedis neſcii, ſolo honeſti otii amore, & gratiam virorum principum, & vulgi faſtidium, ſuſque deque habuere; contenti animum ſuum multiplici ſcientiâ inſtruxiſſe. Cæterùm ego, ut pro certo habeo, egregium eſſe plurima, & optima ſcire; nunquam tamen alio conſilio doctrinam eſſe comparandam exiſtimavi, quàm ut aliis etiam per eam proſimus. Quomodo animatus negare nullus poſſit, & utiliſſimum eſſe, & neceſſarium penè regentium favorem. Quippe plurimùm in animis hominum concepta de unoquoque opinio valet. Facileque eorum conſilia & monita homines accipiunt, quos æſtimari à viris magnis vident. Propterea valde mihi, prudentiſſimi PROCERES, gratulor, quòd, vocatu veſtro, in potentiſſimam hanc civitatem adſcitus, deinceps ſub vobis ætatem agere decrêrim, qui de eruditis optimè ipſi poſſitis judicare. Gratulor pariter inclytæ huic Urbi, quam, florentiſſimam licet, non paullò tamen florentiorem conſpicietis; ubi illa, quæ nunc potentiâ, & opibus, cum quavis orbis Europæi contendit, literarum quoque gloriâ altiùs caput efferet, ſui, modò dicere ſic liceat, Mercurii inſtar; quem non mercium tantùm & lucri, ſed ingenii quoque, ac ſtudiorum præſidem eſſe, antiquitati creditum. Quantopere etiam hoc beneficio obſtringitis cives veſtros, & incolas univerſos! Quorum aliis volupe erit vetera ſtudia auditu recolere, aliis animum penitiori doctrinâ paſcere: utriſque negotia ſua literario hoc otio diſtinguere. Et, quod caput eſt, quæ hinc liberis veſtris, quæ juventuti utilitas? dum non ſubitò, ſimul ac vulgaria ſcholarum ſpatia emenſa erit, extra penates patrios dimittitur; priuſquam vitæ modum ſciat; non facultatum modò, ac ſtudiorum diſpendio, ſed etiam pietatis; imò non rarò ſuæ, aut alienæ vitæ jacturâ: cujus, proh dolor, cruda exempla, nonniſi pluſquam nimia, oculis omnium obverſantur. At nunc in ſuorum conſpectu gravioribus ante ſtudiis firmare animum, ac lubrico ætatis occurrere dabitur, priuſquam abeat ad ancipitem illam multarum Academiarum libertatem, quæ in effrenem alioqui licentiam degenerat. Mihi certè ea cogitanti, ſummis laudibus, Ampliſſimi Viri, deprædicanda videtur prudentia veſtra; dum non in præſentia modò, ſed etiam in poſterum, quod verè prudentiæ eſt, & bonos patriæ cives, & idoneos Reip. rectores, efficere laboratis. Quod verò ad nobile adeò inſtitutum & utilem fore credidiſtis operam noſtram: ſatis declarâſtis, & quanti me faciatis, & quid potiſſimùm à me exſpectetis. Eoque fidentiùs, magni PROCERES, offero vobis, quæ in muneris primordiis dicentem, tam benevolè audiiſtis coram. Majora quidem, longeque digniora ſunt nomine veſtro, quæ jamdudum molior. Sed tanto lubentius, quod hîc deeſt, affectus nunc veſter ſupplebit. Amſtelodami. Anno CIↃ IↃ C XXXII. III Id. Jan.

*Ampliſſime D. Prætor, Magnifici D D. Conſules, prudentiſſimi Urbis Senatores, eorumque Adſeſſores ſpectatiſſimi, reverendi Eccleſiaſtæ, clariſſimi Doctores, ac Magiſtri, Scholarumque Præfecti, cives, incolæ, advenæ præſtantiſſimi, ornatiſſima juvenum corona.*

COgitanti mihi in urbe maxima, totoque terrarum orbe celeberrima, non ex veteri conſuetudine, in juvenum cœtu, ſed nova potius formâ, in auguſto procerum conſeſſu, magnâque, ut doctiſſimorum hominum, ſic præſtantium civium coronâ, verba hoc tempore eſſe facienda: non aliud æquè ad dicendum animos addit, quàm benevolentia ac favor veſter; qui niſi ſummus foret, nunquam ex florentiſſima Academia, quæ communis vobis eſt cum reliqua gente Batavorum, veſtram in civitatem ingentibus me præmiis evocandum putaſſetis. Quamobrem nec perſuadere mihi aliud poſſum, nec debeo, quàm ab eodem amore profectum, quòd præter egregiam juventutem, tot viri primarii, tot graves, atque eruditi homines, civiumque præſtantiſſimi, frequentes adeò ad me audiendum conveniſtis. Equidem quò magis eximium hunc in me affectum agnoſco, tantò impenſiùs laborandum eſſe intelligo, ut ea potiſſimùm adferam, quæ nec aliena erunt à munere meo, nec auribus ingrata ſint veſtris. Id igitur agitanti, nullum ſuccurrebat accommodatius argumentum, quàm de multijugo hiſtoriæ uſu: de quo diſſerendo, utrumque juxtà mihi conſequi videbar. Nam & illi hoc maximè convenit, cujus eſt omnis ævi memoriam explicare: & eâdem dabitur occaſio mihi monſtrandi facillimam optimamque ſtudiorum rationem. Etenim vetus hæc querimonia eſt, eam eſſe ſcientiarum atque artium multitudinem, illam vitæ humanæ brevitatem, ut etiam in ætate longiſſima, in maxima induſtria, in otio ſummo, totam ſe doctrina pandat nemini: tantoque cum ſingulis agi felicius, quanto majorem cuique ac meliorem ſui partem illa indulſerit. Hinc tot vota, tot deſideria expetentium viam aliquam, qua citiùs certiuſque pertingere liceat ad eam ſaltem ſapientiam, quæ noſtræ conveniat imbecillitati, & à perfectione hujus vitæ quàm proximè abſit. Hanc ſi nunc aperire viam aggrediar, latiſſimo campo penè diffundere me cogar per omne diſciplinarum genus. quod & me, & vos facile terrere poſſit, cùm in tam amplo & difficili argumento, cujuſvis haut ſit tenere modum. Cæterùm copias meas in arctum cogam: primaque nobis oratio de linguæ verborumque notitia erit. hanc ex hiſtoricis optimè peti; ſine quibus non oratores, non poëtas, non ſcriptores quoſvis alios, intelligi poſſe, demonſtrabimus. Mox ordine de tribus his, ſcientiâ naturæ, prudentiâ vitæ, & ſincerâ dicemus pietate: quis tota hominis ſapientia continetur. Probabimus autem, hiſtoriam horum matrem eſſe omnium, ac nutricem. Probabimus, abſque eâ (quod de Athenienſibus apud Platonem ſacerdos ille Ægyptius judicabat) pueros nos ſemper eſſe: at cognitâ illâ, cognitum jam eſſe totius ſapientiæ dimidium, &, repetitâ alacritate, quodcunque ſupereſt, facili, ac jucundo labore ſuperari.

Principiò penitùs evellendus error, qui multorum animos inſedit; perire, & potiori doctrinæ rerum decedere, quicquid temporis, verbis impenditur. Atqui, ut ſapientiſſimè à magno illo Stagirita olim dictum, vocabula ſunt notæ eorum, quæ animo concepimus; conceptus, ſigna rerum: ut verba qui aſpernantur ad rerum ſcientiam ſibi iter præcludant. Præterea non cogitant homines, cùm literaturæ partes ſint duæ, quarum in verbis una conſiſtit, altera in rebus; non ſeorſim illam verborum parari, ſed conjungi utramque. Nam ſi infantiam reſpiciamus, primùm virginis puræque chartæ inſtar, omnium vacui & inanes ſumus, juxta verborum rerumque ignari: mox cum lacte nonnulla haurimus, nugandoque etiam plurium pluriumque indies notitiam acquirimus. Siquidem domi, foris; in agro, in hortis, in officinis, in templis, in navigiis, ac ubicunque inter homines ſumus, ſponte & res oculis, & nomina ſe auribus ingerunt. Imò jam eâ ætate eſt curioſitas, ac diſcendi lubido; ut ſi rem videamus antea inviſam, de nomine rogemus: ſi nomen audiamus antea inauditum, de re quæramus. Dumque ita horis prope ſingulis aliquid addiſcimus, fieri videmus, ut vix pueritiam egreſſi, non loquamur modò, ſed in naturæ etiam hiſtoria, & vitæ ratione, tanto amplius noverimus, quanto plura, & meliora quiſque, & viderit, & audiverit. Quin ergo eandem viam, cujus ipſa nobis natura dux eſt, grandiori etiam ætate inſiſtamus? Neque enim tetricis linguæ præceptis detinendus eſt animus annis totis: pauca quippe, & facilia ſuffecerint: ſed uti in tenera ætate pariter, & verborum, & rerum, nobis ſcientiam parabamus; ita tum quoque conjungi expedit ſtudium ſermonis cum hiſtoria. Cæterum quamvis hiſtoricos hic præ aliis commendemus, non eò reliqui ſcriptores negligendi: præſertim quibus cum hiſtoria aliquid commune. Sunt enim in Tullio ipſo multa paſſim ad hiſtoriam pertinentia. Terentii ſcripta ut non hiſtoria, tamen ad inſtar ejus ſunt, nam humanæ vitæ ſpeculum eſt comœdia. His igitur duobus comites dabimus Cæſarem, Livium, ac hiſtoricorum alios; præſertim qui aureo Julii & Auguſti ævo, vel huic proximi vixerunt. Ex quibus & breviori tempore, & majori voluptate, linguæ caſtimoniam ac genium diſcemus. Simplici enim hiſtoria quid facilius? cùm vix quidquam præter memoriam requirat. Aut quid ſuavius? illa quidem, ut ait Plinius, quomodocunque ſcripta delectat: at quantopere animos afficiet, accedente dictionis cultu, & delecto verborum ſplendore, ac majeſtate! Ipſa horum quoque pueritia teſtis, quæ & promtiſſimè capit hiſtorias, & capitur iis maximè. Sin adultæ ætatis exempla magis juvant; nequeo luculentiora dare, quàm virorum principum. Occurrant magnæ illæ animæ, Alphonſi, ac Ferdinandi, Caſtellæ & Siciliæ regum: quorum ille T. Livii, hic Q. Curtii lectione conclamatam jam penè valetudinem recuperavit. Occurrat excelſi ille pectoris princeps, Laurentius Medices, è maximis ſuperioris ſæculi heroibus æſtimandus. Is, graviſſimo decumbens morbo, legerat fortè de mulieribus, quæ, Winobergo, Bavariæ urbe, à Conrado III. Imperatore, obſeſſo, cùm illud ſolùm ab irato Cæſare impetrarent, ut tantum ex urbe efferrent, quantum portare humeris poſſent; ſuſtulere in terga maritos, parentes, liberos: eâque pietate adeò Germani Imperatoris animum mitigarunt, ut non ſolùm præ gaudio ei lachrymæ prorumperent; ſed & cum Guelpho, hoſte licet infeſtiſſimo, (nam & ille humeris efferebatur) amicitiam mox iniret. Adeoque hæc legentis Laurentii animum oblectavere, ut citra medicorum opem priſtinæ valetudini redderetur. Tantum ſi unâ ſui particulâ hiſtoria valet, quam voluptatem, quam incredibilem vim, in animos noſtros totam illam habere neceſſarium eſt! Viderint igitur, qui aliam expeditiorem, aut jucundiorem diſcendæ linguæ viam eſſe contendunt, quàm ſi cum Terentio Tullioque jungamus Cæſarem, Livium, auctorumque alios, qui vel eodem ævo, vel proximo vixerunt. Idem in Græcorum ſermone de Herodoto, Xenophonte, & qui horum laudi maximè propinquant, idem de linguarum cæteris, dictum velim.

Nunc verò quanti illud exiſtimandum, quòd abſque hiſtoriæ lumine nihil quicquam in ullis videmus ſcriptoribus: ſed paſſim, velut in illuni nocte, offendimus! Sive enim oratores, aut poëtas; ſive philoſophos, aut medicos; ſive juriſconſultos, aut antiquos theologos, evolvimus; ubique penè veterum temporum, ubique montium, fluviorum, urbium, mentio occurrit: ut minimè ſufficiat communia rerum noviſſe vocabula. Profectò vel ſolam hanc ſciendi neceſſitatem non exiguum in nobis hiſtoriæ amorem accendere par eſt: modò antiquorum percurrere volumina, atque intelligere animus ſit: quorum utilitate ac dulcedine in ſtudiis carere,

rere,

rere, tantundem eſt, quàm in hac vita deſtitui diurno cæli lumine.

Jam quoniam apertum eſt, conjungi verborum curam cum hiſtoriæ ac fabularum notitia oportere: conferamus ſermonem ad ulteriora. Et proximè quidem magnificè infert ſe domina illa philoſophia, hiſtoriæ eadem ſive experientiæ filia. Unde ipſa olim apud Afranium:

*Uſus me genuit, mater peperit Memoria.*
*Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.*

Nam ſatis conſtat, tum demum ſcientiam id nomen mereri, quando cauſſas, cur universè ita ſit, reddere poſſumus: cauſſas verò incaſſum exquiri, niſi ſingulis rebus antè cognitis, multoque ſtudio comprehenſis. Hinc ſequitur, hiſtoriæ eſſe munus, referre, quæ multis ſeculorum decurſibus ſenſus obſervavit: at philoſophum, ex hiſtoriâ materie acceptâ, in cauſſas inquirere. Quemadmodum autem hiſtoriæ cuncta naturam rerum, vel humanas ſpectant actiones: ſic philoſophia aut rerum naturalium exponit cauſſas, aut illas unde vitæ hujus publica privataque felicitas dependet. Et naturali quidem philoſophiæ ſuam ab hiſtoria materiem ſuppeditari, arguit quoque, quod de medicina Cornelio Celſo affirmatum, inventa priùs remedia, quàm de cauſſis diſceptaretur. Idem enim in universa naturæ ſcientia locum habet.

Neque aliter comparatum cum philoſophia, quæ vel vitam & mores cujuſque inſtituit, vel regundarum urbium prudentiam docet. Siquidem ex hiſtoria rerum geſtarum, & hæc, & illa, originem trahit. Quid enim prudentia eſt aliud, quàm perſpicacia rationis in rebus agendis? Quomodo autem ratio, quid utile ſit, oſtendat, niſi ex anteactis rebus, & præſentia veteribus contendendo? Unde ſequitur, requiri hìc cognitionem præſentis rei, præteritarum memoriam, actorum comparationem, & poſtremò, ex præteritis judicium de futuris. Quare niſi fuiſſet exemplorum memoria, nequaquam civilis prudentia exſiſteret. Atque ut perderentur omnes omnium de officiis, de Rep. libri; nihilominus, ſalvâ hiſtoriâ, ſalvi iidem eſſent, & fato ſuo ſupervivērent. Siquidem ſi diffuſa per omne ævum mens exempla aliorum colligat, deperdita illa nullo negotio reducet. Eademque redibunt præcepta, haud ſecus quam quotannis fructus redeunt. At hiſtoriam, ſi ſemel interciderit, fruſtra, quicquid ubique ingeniorum eſt, inſtaurare conabitur. Ita ut, qui philoſophorum præferre ſtatuta velit, tantundem agat, quàm qui fœcundæ viti paucos racemos anteponat.

Nec ſatis eſt hiſtoriæ, philoſophiam genuiſſe: deinceps & maxima ei ſubſidia atque ornamenta confert. Etenim præcepta per ſe triſtia ac tetrica circumveſtit exemplis; quæ plus ſæpe monitis ipſis in animis hominum valent. Quod ne faciliùs, quàm veriùs, dixiſſe videar; ponamus ob oculos, hinc philoſophum, inde hiſtoricum, quorum utrique idem propoſitum ſit docere. Philoſophus hunc in modum præſcribat: non ſatis eſſe in regenda Rep. ut quis doctrinâ pariter, ac virtute inſtructus ſit: ſed requiri præterea, ut temporibus ſe, ac hominum vitiis accommodet: ſecus periculum fore, ne bonæ cauſſæ noceat ſæpius, quàm proſit. Deinde Hiſtoricus exſurgat, ac bonâ fide narret, quanta Uticenſis Catonis doctrina, quam excellens virtus fuerit: atque ut idem tamen motuum civilium, quibus peſſumdata eſt libertas Reip. non minima fuerit cauſſa, dum, tanquam rigidus cenſor, omnia ad vivum reſecat, & nihil non exigit ad normam viri boni, quam animo concepiſſet. Ita enim cùm animatus foret, nuſpiam ſe flectebat ad corruptiſſimæ plebis mores: unde hoc præmii retulit, ut ſalubria quoque monentem populus aſpernaretur. Eâdem ab origine fuit, quòd neſcius connivendi in levioribus Pompeji vitiis, nec majoribus ire obviam poſſet, ſed penitus Pompejum alienaret ſibi: imò occaſionem daret ei accommodandi ſe conſiliis Cæſaris, qui jam tum hoc agebat, ut plus unus poſſet, quàm in libera Rep. expediret. Quanto apertius ex gravi hoc ſapientiſſimi Catonis errore, quàm ex philoſophorum monitis, videre eſt, viro bono cogitandum eſſe, non in Platonis ſe Rep. ſed Romuli fece verſari: ac quemadmodum prudens gubernator tempeſtatum furori cedit, nec curſum ſemper eundem tenet, ſed mutatâ velificatione eoſdem portus petit: ita Reip. rectorem, quatenus divina regula patitur, non idem dicere perpetuò ac facere; ſed eodem tamen ſpectare oportere? Pari ratione, pluſne in animis noſtris poſſe arbitremur, ſi verbo philoſophus dicat, pro patria ne mortem quidem ipſam refugiendam: an ſi concitatâ oratione hiſtoricus deſcribat, ruentes in fata Codros, Curtios, Decios; aut Philenos fratres, vivos ſe terrâ obrui jubentes? Tantundemne afficiar, ſi dicatur, fugiendam eſſe imperatori avaritiam, ac ſi cernam Perſen regno, Galbam imperio, ob nimiam avaritiam exutos? perditum Craſſum, ob inſatiabilem auri ſitim? Creditiſne parum intereſſe, utrùm adfirmet quiſpiam, magnos viros, & de Rep. optimè meritos, malam ſæpe gratiam à civibus ſuis referre; an ſi velut ob oculos ponantur, moriens in carcere Miltiades? Themiſtocles apud hoſtes, victoſque à ſe Perſas, tutior, quàm apud Athenienſes ſuos? necatus Phocion? Ariſtides, Coriolanus, Camillus, Cicero, exules? Africanus Scipio indignè adeò à ſuis habitus, ut in exilium ſpontè abiret, ingrataeque patriæ oſſa etiam ſua invideret? Immenſa talium copia eſt, Auditores, quæque vel loquaciſſimos laſſare poſſit. Adeo ut nihil certius ſit, multò ampliùs exempla, quàm monita poſſe. Etenim illa, quid fieri par ſit; hæc, quid factum ſit, docent. Et haud dubiè de virtute loqui, quàm cum virtute agere quicquam, facilius æſtimatur. Illud cujuſvis, hoc planè viri eſt præſtantis. Quin ipſa præcepta, ut futilia; ſententiæ, ut inanes, riderentur, niſi exſtitiſſent magni viri, quos vitam eum in modum inſtituiſſe videremus. At ubi alios eximiam ad laudem enixos, ac præcepta factis ſuis comprobâſſe, cernimus; ingreditur animum confidentia quædam ſimilia patrandi: intrat ardor ad eorum mores vitam noſtram componendi. Quippe non intra exempla hiſtoriæ ſe uſus ſiſtit: concitat æmulationem, inflammat ad virtutem mentes. Nec ſcientiam ſolam, ſed voluntatem adfert, efficitque non ſpectatores modò, verùm etiam actores. Quamobrem meritò eam Romanorum facundiſſimus humanarum actionum ſpeculum nuncupabat: attamen ſpeculum non vulgare, quod ſolam nobis effigiem repræſentet; ſed quale olim feciſſe legimus Archimedem. Nam ut illud admirandâ vi longiſſimè diſſita incendebat: ſic exemplis quoque eorum, qui multò ante nos fuere, inflammantur animi ad imitandum. Ut faci potiùs conferenda ſit, quæ & prælucere, & accendere idonea eſt. Habet enim hiſtoria flammæ ſemina quædam, quæ levi flatu excitant ignem ſuum in mentibus generoſis. Sanè & algido in ſaxo, vel cera, in mutis ſtatuis ac picturis, ſimilis ſe vis exerit. Quod licet ipſi in nobis experiamur, dum eos intuemur, quos poſteritati ſua virtus mirandos fecit; malo tamen Quincti Maximi, Publii Scipionis, aliorumque præſtantium Romanæ civitatis virorum exempla memorare: qui dicere ſoliti, *cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi.* Quod ſæpius ex illis auditum ſibi Criſpus Salluſtius teſtatur: & cauſſam continuò ſubdens, *Scilicet*, ait, *non cera illa, nec figura, tantam in ſe vim habet, ſed memoria rerum geſtarum: ea flamma egregiis viris in pectore creſcit; neque prius ſedatur, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.* Quod ſi tantopere inflammare animos magnorum virorum imagines poterant; quanto major hiſtoriæ vis erit? Illa quippe non faciem modò hominum; ſed conſilia, labores, ſecutamque labores gloriam exponit. Adeò ut, ſi rectè olim dictum ſit, picturam eſſe tacitam poëſin, poëſin picturam loquentem; non injuriâ adfirmare poſſimus, hiſtoriam

eſſe

eſſe loquentem picturam; picturam, tacitam hiſtoriam.

Hæc verò omnia, quæ univerſè de hiſtoriæ uſu ad prudentiam parandam memoravimus, ut in morali philoſophiâ veriſſima, ita in civili prudentiâ multò ſunt apertiora: ſive partem eam conſideremus, quæ verſatur in Reip. adminiſtratione: ſive alteram, quæ rem tractat militarem. Utriuſque enim aream quaſi & ſolum ſternit hiſtoria. Siquidem hiſtoria docet varias Rerumpublicarum formas, varios gentium mores. Hiſtoria, quid publicis in conſiliis agatur, quæ cauſſæ, qui modi, & eventus, narrat. Hiſtoria exponit, quomodo cum regibus ac ſubditis, quomodo cum civibus atque exteris agendum ſit: quomodo ſeditiones civiles, aut caſtrenſes, præcaveri queant, vel ſedari. Hiſtoria oſtendit, qui bella ſuſcipiantur, qui ducantur exercitus, acies equitum peditumque inſtruantur: qui urbes oppugnentur terrâ, aut mari: qui inſidiæ ponantur, aut evitentur: qui hoſtium conſilia explorentur: qui denique finiantur bella. Hiſtoria demonſtrat, quæ pace, vel bello, Remp. è parva maximam reddiderint; quæ contra labefactarint, aut everterint. Ex hiſtoria nata ſunt, quæcunque de iſtis præcipiunt philoſophi: ex hiſtoria exempla petita ſunt, quibus præcepta hæc comprobentur, ad cavendum alia, alia ad imitandum. Hiſtoria igitur & fundamentum prudentiæ civilis, & faſtigium eſt.

Dixerit quiſpiam, fructu longè majori, quà civilem, quà militarem prudentiam, per experimenta, quàm è ſcriptoribus, comparari. Sed enim revocare ad animum oportet vitæ humanæ brevitatem: expendere, quàm rarò ſingulis ſe offerat rerum magnarum occaſio. Eoque uno in homine quarundam, & gravium rerum uſum eſſe poſſe; at vix plurium: ſaltem rarò ante frigidam ætatem, & rebus gerendis minùs idoneam: & ne ſic quidem majorem illam, quàm unius ætas hominis comprehendat. In hiſtoria autem multò amplior conſiliorum & eventuum eſt multitudo, ac varietas. Imò complectitur illa, quicquid penè per experimenta homines omnes, omnibus terris, ſeculis omnibus didicere.

Nec citiùs modò, ſed & tutiùs, prudentia ex hiſtoriis paratur. Magnam ajunt experientiam capi, tum peregrinando, tum civiles, aut bellicos gerendo honores. Equidem non negaverim ego, peregrinationibus cognoſci variarum gentium ſitus, mores, inſtituta. Sed in oculis ſit Homericus ille Ulyſſes. Quibus non periculis illi multarum rerum uſus ſtetit! Nec cuivis, aut ingenii id, quod heroi ſuo tribuit poëta; aut iſta obtigit felicitas, quam in eo deſcripſit. Ne addam, quòd moribus noſtris plerumque improvida illa ætas, ſoluta, & ſine cuſtode peregrinatur; ac magis urbium ſitus, ſuperbaque regum palatia, contemplatur, quàm gentium mores, diſſimilis planè Ulyſſis; de quo poëta non contentus dixiſſe, cognitas ab eo urbes, *& mores* addit. Etiam civiles honores magni ad prudentiam momenti eſſe, fatendum: ſed nec cuivis, nec ſemper ad eos patet via. Multos enim non ingenium, non virtus excludit; ſed vel obſcuri natales, vel anguſta res, vel denique aliorum odium, atque invidia. Pauci omnino, pauci, & non niſi vergente jam ætate, ad eos extolluntur honores, in quibus arcanorum Reip. participes fiant: ſæpeque ne ſic quidem invidiam, aut triſtes exitus effugiunt: imprimis ſiqua factio, aut civilis tempeſtas Remp. adoriatur. Teſtis ejus rei imperium Romanum, ac maximè Græcorum. De militia verò quid dicam? egregium profectò, per experimenta cognoſcere, quomodo vel locanda ſint caſtra, aut acies dirigendæ, vel circumvallandæ urbes, aut hoſtibus ſtruendæ inſidiæ. At quæ hîc pericula circumſtant! quos ea non hauſere! quotuſquiſque evadere ab omnibus illis potuit! Contrà ex hiſtoria extra diſcrimen, extra incerta fortunæ, omnia hæc haurire datur. Efficaciùs id præſtare experientiam non inficior: neque enim temerè firmatum antiquis, adverſis nos fieri prudentiores. Sed ſecuritatem hiſtoriæ reſpiciamus: quæ alieno periculo cautiores facit. Ut non alia tuta æquè proficiendi ratio ſit, quàm legendo ea, quæ periculo alii ſuo didicere; aut verſando cum his, qui plurima ſunt experti. Neque enim multum refert, hiſtoriam ne legamus, an audiamus; cùm utrique id commune ſit, quòd ſine periculo & noſtro, & publico, erudiamur. Id ſolùm intereſt (quâ laude dignior hiſtoria) quòd qui res ipſi magnas geſſere togâ vel ſago, pauci omnino ſint: pauciores uno aliquo in loco: pauciſſimi, aut potiùs nulli, qui ad narrandum geſta ſua, & ſemper, & omnibus, vacare vel ſi poſſint, velint; vel ſi velint, poſſint. At hiſtorici & nunquam non, & omnibus parati ſunt referre, tum gentium mores, inſtituta, geſtaque; tum pace aut bello geſtorum cauſſas, progreſſus, eventus. Ut idem inde fructus referatur, qui multiplici acquiritur experientiâ. Quid multis, Auditores, exemplis vos morari opus? Unus id L. Lucullus oſtenderit: qui militiæ rudis, in Aſiam profectus, quà percunctando à peritis, quà ſummorum ducum geſta pervolvendo, ſummus & ipſe evaſit imperator: ac res maximas, adverſus Mithridatem, & Tigranem, duos Orientis reges potentiſſimos, geſſit. Hic enim ille eſt, qui (ne cætera memorem) undecim tantùm millium manu, peditum centena, equitum cecidit ad millia quinquaginta. Hic ille eſt, quem ipſe Mithridates, imperatorum Orientis poſt Alexandrum maximus, ducem ſibi viſum majorem fatebatur, quàm ullum eorum, quos legiſſet. Nihil itaque, nihil nunc commune nobis cum C. Mario; qui, novus ipſe homo, cùm laudare majorum geſta non poſſet, etiam exprobrare ſuſtinuit illuſtri loco natis, quòd, conſulatum adepti, majorum acta perlegerent. Nimirum non cogitabat durus ille, & agreſtis animi Arpinas, eò id à nobilibus factum, ut obverſantibus ob oculos fortium virorum exemplis, eorum & ipſi ſimiles evaderent. At quàm diverſa mens magni illius Africani, melioris Mario, & viri, & imperatoris: cui aſſiduè verſata Xenophontea Cyri inſtitutio: quamvis haut ignoraret, potiùs ad exemplum optimi principis, quàm ad fidem hiſtoriæ, ſcriptam eſſe. Ille igitur hujus exemplo tantam ſibi ſanctimoniam ac fortitudinem peperit, ut latrones quoque, cùm ad inferendam vim veniſſe crederentur, ſolùm ſervos rogarint, ut divinum illum virum adſpicere ſibi, ac venerari liceret. Tantum ergo ſi fictitium Cyri potuit exemplum, quam veræ hiſtoriæ vim eſſe exiſtimabimus?

Verùm enimvero, tametſi magnum ſit, exempla habere, quæ imiteris, longè tamen amplius illud, quòd, ut antè dicebamus, generoſa mens iis accenditur ad ſimilia pro Rep. tentanda. Themiſtoclem Miltiadis tropæa dormire nequaquam ſinebant. Gratianum, imperatorem optimum fortiſſimumque, ſolâ principum, quos legiſſet, æmulatione, eò gloriæ perductum, dicunt. Quod ſi omnes omnium ſeculorum duces atque imperatores percurrantur; manifeſtè videbimus, eos, qui propiùs à temporibus noſtris abſunt, ſemper exempla eorum propoſuiſſe, qui, rebus præclarè geſtis, æternitati famam ſuam conſecraverant: hos rurſum antiquiorum, illos vetuſtiſſimorum exempla imitatos eſſe. Ut quaſi catena ſit, cujus annulus alius alium continet. Eam ob cauſſam, ſi fides Homero eſt, Achilles majorum res geſtas fidibus cecinit. Et ut horum virtutes Achillis animum accendêre, ita Achillem æmulatus Alexander Magnus: qui Homerum noctu quoque ſub pulvinum recondebat, ac, admiratione vatis, beatum ſemper prædicabat Achillem, qui talem laudum ſuarum præconem eſſet conſecutus. Alexandri autem gloria æmulum excivit Julium Cæſarem: quem, conſpectâ Alexandri imagine, ingemuiſſe ferunt, quòd eâ ætate, quâ orbem terrarum ille ſubegerat, nihil dum ipſe memorabile geſſiſſet. Pari ratione poſtea Cæſaris ingens nomen barbarum quoque illum Turcarum imperatorem Selymum commovit: qui cùm geſta Cæſaris ſuam in linguam converti juſſiſſet, tantus ejus admiratione evaſit, ut imperio majorum vaſtam Africæ Aſiæque partem adjiceret.

Co-

Cognoviſtis, auditores, quantum philoſophia tum naturalis, tum civilis, hiſtoriæ acceptum ferat. Accipite nunc, quid debeat eidem medicina, quid juriſprudentia, quid eloquentia & poëſis. Ex his prima ſe nobis offert medendi ars, humani generis conſervatrix. Quid autem certius, quàm naſci eam ex ſcientia naturæ? At naturalis ſcientia originem, ut diximus, ex hiſtoria naturæ ducit. Quid etiam manifeſtiùs, quàm medicinam omnem partim ratione ſubnixam eſſe, partim experientiâ ſive exemplis? Atqui tot medicarum obſervationum, tot exemplorum commentarii, aliud nihil ſunt, quàm medica hiſtoria.

Jam verò in Prudentia juris quantum juvat hiſtorias noviſſe! Si enim ferendæ leges; aliarum ſcire gentium mores ſive ſtatuta expedit; ut eligatur inde, quod imprimis Reipublicæ conducit. Aliter ſi eſſet, non Lycurgus, non Solon, non decemviri Romani, aut legiſlatorum alii, peregrinandum ſibi putaviſſent, priuſquam leges conderent. At peregrinationis loco nunc una eſt hiſtoria. Illa gentium ſtatuta, illa mores narrat. Quæ quidem legiſlatorem magis ſpectant. Sed etiam legum interprete digna hæc cura eſt, noſſe, unde leges hauſerimus. Sin latas jam leges conſideremus, quod proprium eſt juriſconſulti munus, Deum immortalem! quanta lux iis accedit ex hiſtoria. Hæc aperit occaſiones legum; quæ priùs, quæ poſteriùs repertæ ſint: unde & multæ earum conciliantur, quæ primò pugnare hominibus etiam doctiſſimis creditæ ſunt. Neque aliam eſſe Eloquentiæ rationem putandum. Quomodo enim orator laudare civitatem, aut bene meritos cives; quomodo legem, bellum, inducias, vel alia, ſuadere poſſit; niſi non ejus modò urbis, in qua verſatur; ſed omnis antiquitatis inſtituta animo comprehenderit? Cui ignarum, minùs rationem, quàm exempla, apud rudem multitudinem poſſe? Quid quòd vix ullum ſe orationis offerat argumentum, cujus non exempla apud hiſtoricos luculentiſſima occurrant? Quorum orationes tanto ſæpe ſtudio, tantâ ſunt curâ elaboratæ, ut dubium reliquerint, magiſne illas in honorem hiſtoriæ, an has in orationum honorem legi conveniat. Longeque de poëtica clarior res eſt: uſque adeò hæc hiſtoriæ ſimilis eſt: diſſimilis in uno, quòd illa veris doceat exemplis; hæc fictis utatur fabulis; ſed ſuavitate metri conditis, ac poëtico etiam ſpiritu animatis. At quid, inquiunt nonnulli, hiſtoria ad poëſin, quæ mendacium amat? Plurimùm profectò. Nam & poëtæ interdum verum tractant argumentum, ut ab Lucano factum: & ad exemplum hiſtoriæ fabulas confingunt ſuas, quia ſimiles vero eſſe debent. Accedit, quòd non omnia epicus, aut tragicus, comminiſcitur; ſed narrationis truncus & radix hiſtoria eſt, cui ſuum poëta inſerit figmentum. Quod quia non omnibus ad animum occurrit, adferam pauca de tempore eo, quod Varro ipſe μυθικὸν, ſive fabuloſum, vocabat. Erat illud poſt diluvium Ogygium, præcipueque inter Inachi regnum, & primam Olympiadem. Inachus ille, cujus filia Io in vaccam converſa fingitur, poſteaque Iſis dicta eſt, rex fuit Argivorum, temporibus Iſaaci patriarchæ. Niobe, quæ propter tot liberûm cladem quaſi obbrutuit, eoque converſa in ſaxum narratur, filia Phoronei fuit; qui Inachi filius, ac Jacobi patriarchæ erat æqualis. In Ægypto quo tempore Caat, Moſis avus, ac hujus filius Amram vivebant; eo in Africa Atlas tantopere ſiderum ſcientiâ claruit, ut creditus ſit cælum humeris ſuſtinere. Moſis ætate Cecrops erat, quem biformem finxere, ob leges, quas de connubiis tulit. At circa Othonielis tempora Triptolemus claruit, qui frumenta urbibus diſtribuit, inſidens, ut fabulantur, ſerpenti alato. Eo intelligi oportet navem longam, quæ ſerpenti ſimilis, uti vela ejus alis. Sub Aod Gorgo floruit, cujus eximiam pulchritudinem uſque adeò mortales ſtupebant, ut dicta ſit homines in lapides commutare. Eâdem tempeſtate quoque Perſeus cum claſſe armatâ liberavit Andromedam, quæ ceto marino expoſita erat, id eſt, nobilis piratæ connubio deſtinata. Quid de Europâ, & Jove; quid de Spartis, & Cadmo; quid de Bellerophonte, & Pegaſo; quid de Dædalo, & Icaro; quid de tot aliis memorem? Prius, auditores, vos audiendi libido, me dies deſtituat, quàm cuncta id genus exempla percurrero. Imò omnis illa Apollodori bibliotheca, ſi Palæphati more, ſipatium fabulæ removeamus, hiſtoria & vera fuerit, & optimo temporum ordine connexa. Quæ ſatis oſtendunt, etiam magnâ ſui parte poëtarum figmenta ad hiſtoriam pertinere.

Supereſt doctrina fidei, ac pietatis, quam Theologiam appellamus. Quæ indiſſolubili vinculo hiſtoriæ annexa eſt. Nam ſatis apertum eſt, ut univerſam Deus Scripturam ſervis ſuis dictarit, per Eccleſiam tradiderit, per Spiritum obſignârit. At animo percurrite, quæcunque Moſes, & Prophetæ, quicquid Apoſtoli, & Euangeliſtæ, in literas retulerunt: comperietis, (parabolas eximo, quæ paucæ occurrunt) ubique vel narrari geſta, vel futura prædici, vel denique, quid noſtri ſit officii, exponi. Ex quibus primum hiſtoriæ, alterum vaticinii, tertium præcepti eſt. Et vaticinia quidem divina ad hiſtoriam rectiſſimè retulerimus. Quippe hâc prærogativâ humanam prædictionem exſuperant, quòd narratio in iis tam antecedere factum, quàm ſequi poſſit. Ipſæque etiam parabolæ, cùm ficta ſint exempla, haut injuriâ ob ſimilitudinem ad facta revocantur. Atque ut neutrum horum hiſtoriæ accenſeamus; ſic quoque illa maximam Scripturæ partem facit. Quæ magna & eximia hiſtoriæ gloria eſt. Etenim nihil certius, nihil auguſtius iis, quæ à ſupremo Numine promanant: nihil, cui meliùs opera impendatur. Siquidem Deus, cui uni maximè notum, quæ mortales diſcere oporteat, eadem, quia imprimis ſcire cupiebat, potiſſimùm conſignari voluit. Itaque humano quidem ingenio ac induſtriæ reliquit diſſerendi ac dicendi diſciplinam; reliquit numerandi ac menſurandi doctrinam, aliaſque ſcientias, atque artes egregias. At duo hæc, fidei vitæque normam, & in Eccleſiâ geſta vel gerenda, referre ipſi in literas viſum fuit. Nec auctore ſolùm utraque hæc, ſed in eo quoque conveniunt, quòd illis ſolis educetur, atque adoleſcat fides & pietas noſtra. Primo enim niſi ex hiſtoria verus de Deo ſenſus hauriretur; non Deus ipſe per Moſem mundi natales, & tot ſeculorum exponere hiſtoriam voluiſſet: ſed, præteritis his, legem Iſraëlitico populo proponere, ſatis habuiſſet. Non deinceps etiam viri, divino ſpiritu acti, memoriæ prodidiſſent ea, quæ ſub Joſua, ſub Judicibus, ſub Regibus, ac item Ducibus, contigiſſent. Non Prophetæ toties in concionibus ſuis inculcarent populo admiranda illa cæleſtis Numinis opera. Nam quò collimâſſe omnes illos putabimus, niſi ad rectam de Deo fidem; qui ex operibus ſuis agnoſcitur?

Neque ex Judaica, aut Chriſtiana ſolùm hiſtoria, id boni haurimus: ne profanarum quidem gentium hiſtoriæ utilitatis nos hujus expertes dimittunt. Adeò in omni hominis vitâ, divina ſe exerit providentia. Equidem haut ignarum mihi, eſſe Epicureos homines, qui, cùm ſæpe bonis malè, ſæpe pravis bene eſſe videant, non curare mortalia ſupremum Numen pertendant; vitamque humanam, cujus hiſtoria ſpeculum eſt, ludibriorum fortunæ magis, quàm providentiæ cæleſtis ſpeculum, arbitrentur. Sed næ infelices iſti diverſum ſentirent, ſi judicium, conſideratis rerum eventis, ferrent. Venit in mentem illis venditus fratrum ſcelere Joſephus; venit regnans pro parente Abſolomus: illius felicitas, hujus exitium non cogitantur. Frequens quoque illis, bonos appellare, qui virtutis externam ſpeciem, vitia occulta gerunt. Et non rarò bona pro malis, pro bonis mala habent. Nam honores, & opes, mala judicanda, ſi pravi adipiſcantur: exilia, & calamitates, bona habenda, quando virtutis & gloriæ probis cauſſam præbent. Ut cum Themiſtocle dicere liceat, Perieramus, niſi periiſſemus. Atque ut nulla nobis ratio con-

ſtaret, cur ſubinde iſtiuſmodi quædam permittat Deus; non eò divinæ providentiæ culpa erit, quæ humanæ eſt imprudentiæ. Quippe cùm multa quoque parentum liberi arguant, quatenus cauſſarum neſcii: quantò magis credendum, multa excelſum illud Numen facere, quæ homines non aſſequantur, & quia non capiant, carpant? Quamobrem ita ſtatuimus, tametſi fortè nonnulla in hiſtoria, aut vita, occurrant, ubi imbecillitas noſtra ſupremæ illius majeſtatis conſilium non comprehendit: non eò providentiæ, aut hiſtoriæ, derogandum quicquam; ſed quia divinæ providentiæ exempla omnem penè hiſtoriæ implent paginam; eò hiſtoricos interpretes ac ſcribas divinæ providentiæ credi oportere. Igitur ſi providam illam Numinis curam, in hiſtoria velut in ſpeculo intuemur: omnis illa laus, quæ ex divinæ providentiæ contemplatione proficiſcitur, hiſtoriæ communis erit. Et profectò quæ doctrina divinam magis gloriam, quàm hiſtoria illuſtrat? ubi videmus, Deum conſervare, quæ fecit, & cunctis, quæ vel agunt homines, vel patiuntur, præſidere. Quantus ſummi illius Moderatoris timor, quæ reverentia ingeneratur, cùm juſta ejus judicia conſpicimus! Quantus amor, cùm animadvertimus, ne uno quidem momento abſque illo nos ſubſiſtere, eoque bona illi omnia deberi! Quantus humanarum rerum contemtus, cùm reges ipſos, nunc ſuperbos purpurà & ſceptro, atque à Deo ſecundos videmus; nunc ſolio dejectos, omnium egenos, ac privatis etiam miſerandos: cùm civitates adſpectamus, nunc undique fortunatas, nunc dehiſcente terrà, aut peſtilentiâ, vel denique hoſtili invaſione vaſtas, deſolatas, funditusque everſas: imperia integra nunc florentia, nunc breviſſimo momento exſtincta. Quæ verò ſolatia, quæ tranquillitas ſubit, quòd adverſa ipſo piorum bono permitti, atque immitti videmus: nec ultrà quicquam in nos improbis licere, quàm Deus ſiverit: eoque nec de futuris anxios eſſe, ſed omnem uno in Numine reponere ſpem, debere. Quare vanos ambiant alii honores, alii auro & gemmis inhient, voluptates fluxas conſectentur: nos hiſtoriâ animum inſtruamus, ac divinam in ea providentiam contemplemur, admiremur, extollamus. Hinc nobis pietas, hinc animi tranquillitas gliſcet; quæ una cunctis voluptatibus, cunctis honoribus, cunctis univerſi orbis gazis antiſtat; ut quæ finis noſtræ ſapientiæ, ſummumque adeò ſit hujus vitæ bonum.

Ingentem, auditores, hiſtoriæ fructum vidimus in divina providentia. Sed non hic ſe ejus utilitas ac neceſſitas ſiſtit. Etenim quid de Chriſto, quid de Eccleſia ejus credere debeamus, pandit nobis hiſtoria. Nam quid attinebat ab Euangeliſtis, & Apoſtolis, hiſtoriam de vita & morte Servatoris noſtri conſignari, niſi ne ullis unquam ſeculis in oblivionem veniret, quid de Chriſto ſentire debeamus? Quid neceſſe poſtea erat, tradi ab illis hiſtoriam eorum, quæ poſt adſcenſum in cœlos eveniſſent: quam ne Chriſtianæ incunabula Eccleſiæ neſciremus?

Quamquam autem utraque, quam diximus, hiſtoria majoris longè ſit auctoritatis, quàm quæ alios exin auctores habet: plurimùm tamen juvamur quoque hiſtoriâ ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem productâ. Quis enim non videat, quantum adferat momentum ad controverſias fidei, tum intelligendas meliùs, tum minore præjudicio decidendas; ſi cognoſcamus, in quibus ſemper Eccleſia Dei convenerit, de quibus diſſidia fuerint, quando exorta, quomodo ſopita, quid primò, quid deinde, quid poſtremò creditum, quibus argumentis pugnatum, quid tandem ſtatutum. Quæ cuncta ad verum de Deo, & Chriſto, ſenſum pertinent. At altera religionis Chriſtianæ pars obſequium & cultum Numinis continet. Ad hanc præeunt nobis exempla Sanctorum, tum veteris inſtrumenti, ut Abrahami, Joſephi, Jobi, Davidis, Joſiæ, Ezechiæ, atque aliorum: tum novo in fœdere, ut Petri, Pauli, imò miſeri etiam publicani. Nec leve eorum pondus eſt, quæ deinceps ſuppeditat Eccleſiæ hiſtoria. In qua tot præclara ſanctorum antiſtitum dicta, factaque referuntur: tot exempla animi conſtantis adverſus tormenta, crucem, lanienas, ignes. At nunc, proh dolor, vix reperire eſt, qui ea lectione digna æſtiment: non exiguo pietatis diſpendio. Nimirum quia fabulis attaminatæ ſunt multorum vitæ, hinc ſtolidè prorſus & illæ negliguntur, quas optimâ fide antiquiſſimi ſanctiſſimique viri tradiderunt.

Quid quòd cæcarum quoque gentium hiſtoriæ magnam vim habent, ut in verà nos luce ambulemus? Si enim in impiâ illorum pietate tantus, vel ignoti Numinis, reluxit amor: quomodo animatos nos eſſe convenit, quibus ſe in Verbo Deus patefecit! Cùm tantum in Ariſtide juſtitiæ ardorem legimus, cùm eam in Socrate patientiam, illam in Scipione caſtitatem; cùm denique nullum prope ſit virtutis genus, in quo non profanæ nationes multum laudis retulerint: quibus ſtimulis ad veram ac Chriſtianam religionem incitabimur; ne gentes ſolo naturæ præſidio & lumine adjutæ, in pietatis ac virtutis ſtudio longiſſimè nos poſt ſe relinquant!

Satis itaque videmus, hiſtoriam nobis ſpeculi inſtar divinam providentiam repræſentare: ex eadem animi tranquillitatem hauriri: ex illa diſci, quid de Chriſto, quid de Chriſtianæ religionis controverſiis, olim Eccleſia Dei ſenſerit: denique innumeris ejuſdem exemplis ad virtutes, ad pietatem in Deum, exſtimulari animos noſtros.

Quamobrem penitus ita ſtatuendum; ſi ſermonis curâ tangimur, non alios æquè, quàm hiſtoricos, ad hoc conducere; cùm omnes naturâ trahamur voluptate; nec major ulla, vel honeſtior eâ ſit, quæ hiſtoriis ineſt: ut qui hujus blanditiis illiciuntur, etiam decepti non capiantur. Sin rerum ſtudio afficimur; oſtendimus, ut ab Oceano, amnes, rivi, fontes, originem trahunt; ita ab hiſtoria ſapientiæ univerſæ & ortum eſſe, & incrementum. Ab hiſtoria enim ad naturæ ſapientiam venitur: ex qua origo eſt medicinæ, & artibus aliis, quæ naturam ad uſum transferunt. Per hiſtoriam temporum, & antiquitates, itur ad ſcientiam moralem, ac civilem: ex quibus Juriſprudentia, Eloquentia, & Poëtice, ortum ducunt. Denique per hiſtoriam divinam ad divinam ſcientiam devenitur; cui etiam Eccleſiæ hiſtoria famulatur. Ut veriſſimè à nobis affirmatum ſit, jactis verborum & hiſtoriæ fundamentis, nullo negotio cætera ſtudiorum confici. Felices igitur, quibus hanc Deus mentem dederit, ut ſermonis & hiſtoriæ univerſæ conjungant curam: perque hiſtoriam contendant ad ſcientiam naturæ, prudentiam vitæ, ac religionem veram: quibus univerſa, ut dixi, hominis abſolvitur ſapientia. Atque ut horum quædam animum haut moveant; at certè exſtimulent pietatis, & adminiſtrandæ Reipublicæ ſtudia. Procul dubio enim facilè hoc omnes conceſſeritis, privatim nihil eſſe melius, quàm rectè de Deo ſentire; publicè nihil auguſtius, quàm, Numinis loco, in terris præſidere. Unde ſequitur, duas quoque omnium facilè principes ſcientias eſſe; pietatis ſive religionis unam, quæ congrua de Deo Chriſtoque credere, & rectum utriuſque cultum docet: prudentiæ civilis alteram, quæ Rempublicam dirigat ad civium bonum, tum terrenum, tum cæleſte. Atqui, ut vidimus, & hujus, & illius, ſic fundamenta ponit hiſtoria, ut ſine eâ exſurgere neutra poſſit. Hiſtoria igitur ad pietatem ducit, ut veri ſimus Chriſtiani, quo nihil melius: hiſtoria civilem prudentiam gignit, ut Dei loco præeſſe aliis poſſimus, quo non aliud majus. Adeò ut ſtudium nullum, nulla ſcientia, præſtantior hiſtoriâ reperiri poſſit. Quod apertè adeò demonſtraſſe mihi videor, ut periculum exiſtimem, ne, ulteriùs procedere ſi velim, in his muneris mei primordiis, tædium dicendo adferam priùs, quàm docendo attuli voluptatem.

Sed

Sed quanto omnis ævi hiſtoria latiùs ſe pandit, & uſus ejus ad plures ſe ſcientias extendit; tanto arduam magis ſentio, quam ſuſcepi, provinciam. Eoque ad eam cum dignitate ſuſtinendam, veſtro mihi opus erit favore, Proceres ampliſſimi, cæterique auditores; qui animos addet ad quidvis laboris ſubeundum. Cæterùm irritus & noſter labor fuerit, & veſter favor, niſi cœptis cæleſte illud ac ſupremum adſpiret Numen: imò ne ipſum quidem præſtare vobis laborem poſſim, niſi idem & valetudinem, & vires ſuffecerit. Quamobrem vobiſcum, in muneris mei ingreſſu, ad fontem omnis boni preces meas ſupplex converto. Æterne DEUS, ac miſericors Pater, qui hiſtoriam orbis conſervari voluiſti, ut in ea ſpeculum haberemus admirandæ providentiæ tuæ, illumina mentem, rege voluntatem, dirige linguam, conſerva vires meas, ne ſuſcepto muneri impar ſim. Largire, ut cuncta, non aliorum ad opinionem, vel proprium honorem agam; ſed utilitatem publicam. Amorem quoque ſtudiorum inſpira juventuti, atque intelligentiam auge, ne vel à voluntate ingenium deſtituatur, vel ab ingenio voluntas: imprimis illam duc Spiritu tuo in viis tuis, ſine quo in devia aberrabit. Ampliſſimos quoque hujus Urbis Proceres, divini Verbi præcones, & cives cunctos, tuere ac conſerva: ut aliorum quidem præſidio, aliorum verò obſequio, utrorumque autem pietate ac prudentia, magis & magis floreant Gymnaſium, Eccleſia, & Reſpublica univerſa.

FINIS.



Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII
## IN
# FRAGMENTA
## L. LIVII ANDRONICI,
## Q. ENNII,
## C. NÆVII,
## M. PACUVII, &
## L. ATTII,

Caſtigationes & Notæ.

---

# GERARDUS JOANNES VOSSIUS
## AD
# BENEVOLUM LECTOREM.

*Quod in ſtatuis, ac picturis, uſu venire ſolet, ut aliæ quidem placeant novæ formæ decore; aliis verò longa ævi vetuſtas majeſtatem ac precium addat: idem in poëtis contingit, illis præſertim, qui carmine tragico immortale ſibi nomen pepererunt. De me quidem fateor lubens, lectione illorum fragmentorum, quæ Tullius aureis Tuſculanarum Quæſtionum, ac de Divinatione libris, vermiculati inſtar emblematis inſeruit, excitari in animo meo non mediocrem amorem Ennii, Attii, aliorumque priſcæ ætatis poëtarum: qui etſi illis temporibus vixere, quibus Apollo, ac Muſæ, cothurnatum in urbe pedem ponere demum cœperant; tamen ad carmen ſublimis ſpiritus plenum, proximi, ejuſque melioris ſeculi vatibus, feliciter adeò viam munierunt. Neque aliter judicare arbitror quemquam, qui ex ungue leonem ſciat æſtimare. Quia verò eventus docuit, hoc poëtarum illorum fatum fuiſſe, ut, quæ ſcripſiſſent, barbarie tandem infelicis ſeculi delerentur: utinam ſaltem, quæ nunc reliquiæ quales quales ſuperſunt, aliquanto ad nos perveniſſent incorruptiùs! Neque hoc propterea tantùm opto, quia poëtis illis paullò ſaltem melius eſſe vellem: ſed vel maximè propter ſcriptores illos, in quorum libris fragmenta iſta hodie leguntur:* Cice-

Digitized by

*Ciceronem dico, ac Varronem: at quantos viros! tum autem Agellium, Macrobium, Feſtum, Nonium, Priſcianum, ac tot alios, quos omnes quàm minimè depravatos doctorum manibus verſari, Reipublicæ literariæ plurimùm intereſt. Atque hoc in cauſſa fuit, cur putârim, facturum me eſſe rem literarum amantibus non ingratam, ſi opellæ aliquid in iſtis caſtigandis inſumerem. De quo ut hoc præſertim tempore cogitarem, fecit Vir Clariſſimus Petrus Scriverius, qui cùm poſt tragœdias Senecæ à ſe recenſitas, etiam laceras tragicorum priorum reliquias multis partibus, quam feciſſent alii, & auctiores, & emendatiores, ederet in lucem: utilem ac præclaram hanc operam ſuam qui ejus eſt erga me amor, nomini meo inſcripſit: ſed, ne hanc eſſe putes, quam veteres dicebant ſine ſacris hæreditatem, eâ propemodum condicione ac lege, ut operæ aliquid iis reſtituendis impenderem, quæ ipſe, & alii, induſtriæ meæ reliquiſſent. Ego, qui quadam frontis mollicie, amicis, præſertim illis, qui de his ſtudiis egregiè merentur, negare nihil ſuſtineo; haut difficulter mihi a tali viro perſuaderi paſſus ſum: potiſſimùm cùm etiam Clariſſimi & maximi viri, Dan. Heinſius, & Jo. Meurſius, hortatores acceſſiſſent: quorum ego conſummatiſſimo in hacce humanitatis palæſtrâ judicio, lubens aſſurgo. Itaque depoſito paulìſper opere commentariorum de Lingua Latina, quod ſub manibus habebam, cœpi protenus vaſtum illum laborem breviore hoc diffindere: idque ſpe bonâ præſtandi etiam hîc ejuſmodi aliquid, quod non indignum me, & publico haut inutile foret. Sed ubi manum jam operi admôram, ecce ſollemni quadam facilitate meâ concludor quaſi cancellis quibuſdam: idque a librariis, inſtantes nundinas, & alia cauſſantibus, propter quæ obnixè orabant, ut concipere hæc, atque in lucem emittere, intra præfinitum, & hoc anguſtum tempus, vellem. Ea licet dura, ac iniqua etiam poſtulatio meritò videretur (neque enim corporis ſolùm, ſed profectò etiam animi fœtus ſuas à naturâ leges habent, tamen quia jacta jam erat alea, & ita comparatus ſum, ut potiùs quorumvis mortalium commodo, quam honore, aut emolumento proprio, metiri omnia ſoleam; minimè ceſſandum putavi, uſque dum membranas meas, & alios libros veteres, conferendo, ac meditando, puſillum hoc, at nihilominus vitale fortaſſe, feſtinato potiùs, quàm maturato partu, eniterer. Nempe non malè mihi nunc defungi videbar, ſi ea, quæ abſque moroſâ aut diutinâ diſquiſitione occurrerent, conſignarem: cætera, quæ altioris eſſent indaginis, in aliud, ac commodius, tempus rejicerem; quo illa etiam, quæ nunc protrudo, modò Deus valetudinem conceſſerit, ac vitam, poterunt aliquantò limatiùs, auctiuſque, in eruditorum prodire conſpectum. Interim, erudite lector, operam hanc meam benevolo animo accipe: neque illud cogita, quàm minuta hæc eorum portio ſit, quæ jamdudum in omni prope diſciplinarum genere promiſi; ſed potius juſtum limandis cæteris tempus concede. Equidem favore tuo nixus, quod nunc ſedulò operam do, idem faciam porrò: deque ſeculo hoc, ac, niſi doctorum me auguria nimis credulum fallunt, de poſteris inſimul, bene mereri, velle ſaltem, non deſiſtam.*

Lugd. Bat. CIↃ IↃ CXX. Poſtr. Id. Septembr.

# GERARDI JOANNIS VOSSII
# IN
# LIVII ANDRONICI
# FRAGMENTA.

## ACHILLE.

*

PAg. 1. *Si malos imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis.*] Trochaicum hunc credas, an ea ex jambico decerpta putes, nihil intereſt. Nævio adjudicat editio Nonii vetus, quæ anno clↃ Iↄ Mediolani prodiit curâ ſummi, pro illis temporibus, viri, Baptiſtæ Pii. Quam & ſæpius poſtea advocabimus. Sed Livio tribuit Aldina, imo & Mss. & Neſtor Novarienſis.

## ADONIDE.

*

*Humum humidum pedibus ferit*] In Priſciano meo Mſo, ſane optimæ notæ, diſertim Lævio tribuitur. Et videntur Stephani duo ſimiliter in codd. ſuis inveniſſe, quando fragmenti hujus in Collectione ſua non meminerunt.

## ÆGISTHO.

*

*Nemo hac voſter ruminetur mulieri*] Apud Junianum Majum (qui ante hos annos centum & triginta de priſcorum proprietate verborum volumen ex veteribus maxime Grammaticis contexuit) pro *voſter* invenio *nos tibi*, quod corruptum arbitror ex *noſtri*, aut *voſtri*. Apud eundem legas *ruminabitur*. Quaſi ſcripſerit Livius,

—— *Nemo hac noſtri ruminabitur*
*Mulieri* ——

Sed error obrepſit ex ſuperiori Varronis loco, ubi id verbi invenitur in tempore exacto. Vera igitur fuerit ſcriptura,

—— *Nemo hac noſtri ruminetur mulieri.*

Vel *voſtri*, ut diximus. Fortaſſean erit, qui, quòd Nonius hæc adferat in verbo *Ruminare*; eò *ruminabit* apud Livium legere malit. Sed potiùs apud Nonium ſcribendum *ruminari*. Nam & Mſſi, & vett. editt. tum in Varronis, tum Livii verbis, conſtanter habent *ruminabitur*, & *ruminetur*. Illud extremo addamus, non hæc Agamemnonis verba eſſe, deque Clytæmneſtra intelligi, quod credidit Delrio: ſed ab Ægiſtho dici, ac mulieris nomine Caſſandram ſignari. Nam ſanè hoc veriſimile magis facit fabulæ argumentum.

*

*Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus*
*Ludens ad cantum claſsûm luſtratur*] Scaliger in Conjectaneis Nævio tribuit: in quo ſequitur vett. Nonii editt. in *Luſtratur*. Sed in Mſo legitur *Livius*. & meo judicio verius. Nam altero Nonii loco, in *Pecus*, conſtanter hæc verba Livio adſignantur. Pro *Nerei ſimum pecus* in pleriſque Mſſis, atque excuſis invenitur, *reiſſimum pecus*. unde primulùm ſuſpicabar Livium ſcripſiſſe, *reſimum pecus*. Nam *reſimum* τὸ ἀνάσιμον, Varroni, Columellæ, aliis. Sed rectum eſt *Nerei ſimum pecus*: quod oſtendunt veſtigia veteris ſcripturæ in altero Nonii loco, ubi legitur *Nereiſſimum*: uti apud Junianum Majum, *nec remiſſum*. Per *Nerei ſimum pecus* poſſis generatim intelligere piſces, quando omnes ſimis ſunt naribus: & Tullius primo de Divinat. ex Pacuvio refert, claſſem Achivûm ab Ilio reducem ſe laſciviâ piſcium oblectâſſe, qui circum claſſem ludebant. Sed κατ' ἀντονομασίαν delphinos intelligi, magis probabile eſt: quando iidem peculiariter διὰ τὸ σιμὸν ſimones dicti, teſte Plinio lib. IX. cap. VIII. Et multùm hanc ſententiam juvat Euripides in Electra, ubi chorus refert τοὺς φιλαύλους δελφῖνας proris circumvolutos deduxiſſe Achillem ad Trojam.

*

*Sollemnitus à decitali laudes lubens*] Mediolanenſis vetus, & Aldina, item Junianus Majus Lucilio tribuunt. Qui error inde profluxit, quia Lucilii nomen proximè anteceſſit. Nam Livii eſſe, præter codices alios, additum fabulæ nomen oſtendit. Verba poëtæ vir maximus ingenioſe ita emendabat:

*Sollemnitus adeò læta te laudem lubens.*

Sed videamus, num propiùs etiam accedi poſſit ad veterem ſcripturam. In pleriſque legas, *Sollennituſque adeo ditali.* In aliis, *Sollennituſque à conditali.* In aliis, *Sollennituſque à decitali.* Quare *Sollemnituſque* cum copula rectum puto. Cumque ante *laudes* conſtanter illud *tali* legatur, invitus ſanè mutem. Eapropter ſic ſententiæ & numeris reſtituo:

*Sollennituſque à Dea tali laudes lubens.*

Ut *Dea* κατὰ συνίζησιν coaleſcat. Verba ſunt Oreſtis, quibus Dioſcuros affatus, cùm Athenas ſibi eundum eſſe intelligeret, ut ibi à ſapientiſſima Dea Pallade ſollemnitus abſolveretur. Vide extremam Euripidis Electram. Sanè id verius puto, quàm ſi legas *à Deo*, ut Apollo intelligatur, quo auctore Oreſtes homicidium commiſit, ut idem Euripides non uno loco refert.

*

2. —— *Nam ut Pergama*
*Accenſa, & præda per participes æquiter*
*Partita eſt*] Vett. codd. *prædam*. Sed perperam. Nam *præda partita* [illegible] dixit Livius.

*

—— *In ſedes collocat ſe regias,*
*Clytæmneſtra juxtim, tertias nata occupant*] Malim, *nata occupat*. Signat tres iſtos, Ægiſthum, reginam conjugem, & natam ejus Electram. Matris nomen Κλυταιμνήστρη, Iliad. A, & ſæpius in Odyſſea. Quare ſecunda eſt porrecta. Sed Livius è diphthongo vocalem alteram abjecit. Ut minùs ſit, quod mirentur viri docti, idem factum eſſe ab Auſonio in Epitaphiis heroum:

*Vindicem adulterii cùm Clytemneſtra necet.*

*

*Quin quod parere vos maieſtas mea procat*
*Toleratis, extemploque ſuam deducitis?*] In Mſſis, item edit. Med. Ald. aliis, legitur,

*Toleratis, temploque hanc deducitis.*

Quare, levicula trajectione provocabuli *vos*, locum hunc ita reſtituo:

—— *Quin*

*— Quin quod vos parere majeſtas mea*
*Procat, toleratis, temploque hanc deducitis?*

Verba ſunt Clytæmneſtræ, Electram ab arâ abſtrahi jubentis, quò ea metu confugerat. Unde ipſa ſic apud Senecam Agamemnone:

*Concedam ad aras, patere me vittis tuis*
*Caſſandræ jungi, paria metuentem tibi.*

Ac poſtea matrem filiamque ita loquentes inducit:

CLYT. *Morieris hodie.* ELECT. *Dummodo hac moriar manu.*
CLY. *Recede ab aris.* EL. *Sive te jugulo juvat*
*Merſiſſe ferrum, præbeo jugulum volens:*
*Seu more pecudum colla reſecari placet;*
*Intenta cervix vulnus exſpectat tuum.*

Ita hunc locum emendo. In vulgatis eſt *recede ab aris*, verbaque illa Electræ tribuuntur. Atqui veriſimile non eſt, eam ab aris voluiſſe recedere, priuſquam iſtius mentionem ullam feciſſet mater. Quod ſi in ſuperiori Andronici loco *extemplo* retinere viſum eſſet, non tamen pro *hanc* reponam *illam*, quod longius à libris abit: ſed τὸ *hinc* ob ſimilitudinem excidiſſe credam. Ut ita concipiatur locus,

*— extemploque hanc hinc deducite.*

## AIACE.

*

*Mirum videtur, quod ſit factum jamdiu*] Κατ' ἐρώτησιν ſcribe. Vel cum Delrio lege,

*Mirum videtur, quod ſit? Factum jamdiu.*

## ANDROMEDA.

*

*Confluges ubi conventu campum totum inhumigant*] In nonnullis eſt *confluge*: item *conventum*. Ac vir eruditiſſimus pro *conventum* ſive *conventu* legendum conjectabat *cum vento*. Sed malim *conventu*, hoc eſt confluxu. Nam ventus naturâ ſuâ potiùs ſiccat: ut qui ſit πλῆθός τι τῆς ἐκ γῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως κινούμενον περὶ τὴν γῆν: ut eſt apud Philoſophum Μετεωρολ. β. Quare minus illi convenit verbum inhumigant, quod eſt humectant. Nam ut à *mitis mitigo*, à *clarus clarigo*; ita ab antiquo *humus* pro *humidus* eſt *inhumigo*. At optimè competit conflugi, quo ſignificatur fluviorum σύῤῥοια, ſive, ut Homerus Iliad. Δ vocat, μισγάγκεια, ubi Euſtathius, ἐὰν ᾖ εἰς τοιοῦτον ἄγκος πολλὰ συμβάλλωσιν ὕδατα, μισγάγκεια τοῦτο λέγεται.

## ANTIOPA.

*

*Ita ſeptuoſe dictio abs te datur*
*Quod conſecutum ſapiens ægrè contulit.*] Prior verſus, ſi de oraculo ſermo eſt, quæ flexiloqua & obſcura eſſe ſolent, ſic legi debet: *Ita ſeptuoſe dictio ab Deo datur.*

Sed ſive ad Deum, ſive ad alium ſermo eſt, non minùs iſtoc placet: *Ita ſeptuoſa dictio hac abs te datur.*

Vel potius, *dictio abs tete datur*,

Poſteriorem verſum ita corrigo:

*Quod conſecutura ſapiens ægrè conſulit.*

Vel veriùs, *ægrè contuit*. Sententia eſt, dictionem eò eſſe flexiloquam, quòd ſapienti etiam propter eventuum incertum, quid futurum ſit, difficile ſit prævidere. *Contuo* pro *contuor* dixit etiam Ennius Medeâ Exule, ubi ſic ſolem compellat,

*Qui tuoque lumine mare, terram, ac cælum contues.*

## EQUO TROJANO.

*

3. *Sero ſapiunt* [Phryges] Hæc verba ex Equo Trojano adducta Livio tribuere Beroaldus in Annotat. & Eraſmus proverbio *Serò ſapiunt Phryges*. Et ſanè Equum Trojanum à Livio ſcriptam eſſe, indicat Nonius in *Opitula*. Sed Nævium quoque ejus nominis fabulam dediſſe, conſtat ex Macrobii lib. VI. Sat. cap. I. Ex utro igitur hæc Cicero adferat, difficile dictu eſt.

*

*— Nunquam hodie effugies, quin meâ manu*
*Moriare*] Omnino Nævii, non Livii ſunt, ut diſertim dicit Macrobius, qui hinc expreſſum eſſe docet illud Maronis Ecl. III.

*Nunquam hodie effugies, veniam quocunque vocaris.*

## HELENA.

*

*Tu qui permenſus ponti*, &c.] Anapæſtici ſunt:

*— Tu qui*
*Permenſus ponti maria alta*
*Velivola. —*

## HERMIONA.

*

*Obſecro te Anticile matri nequid tua adverſus fuas*] *Anciale* eſt in Ms. & edit. Med. item apud Junianum Majum: qui & Nævio, non Livio tribuit, ſed corrupte. Nec multum abit *Anchiale*, ut Mercerus expreſſit. Magis recedit *Anticile*, ut eſt in Aldina. Veram lectionem non difficulter odorati ſumus. Ea eſt *Amphiale*. Locum itaque ſic concipio,

*— Obſecro*
*Te, Amphiale, matri nequid adverſus tua*
*Fuas. —*

Vel ſic, ut metrum ſit trochaicum:

*— Obſecro*
*Ted, Amphiale, matri nequid adverſus tua fuas.*

Verba ſunt Andromachæ ad filium Amphialum, quem ex Neoptolemo habuit: ut locuples teſtis eſt Hyginus fab. CXXIII. Ac cenſeo ita affatam filium, cùm occultare eum vellet, ut tutus eſſet à Menelai & Hermiones inſidiis, unde opera Pelei liberatus tandem fuit. Vide Andromachen Euripidis.

## INONE.

*

*Et jam purpureo ſuras include cothurno*, &c.

Fragmento illi alterum adde ex ſexto Priſciani: quod hujuſmodi eſt:

*— Seque in alta maria præcipem*
*Inops, ægra ſanitatis herois.*

Sed pluſcula hic in diſquiſitionem veniunt, quia & de poëtæ, & de fabulæ nomine quæritur, ac præcipue de numeris ſententiaque verborum. Ex Livio citat vetus Veneta anni CIƆ CCCC LXXVI. Et ita in veterum Gramm. editione Putſchius expreſſit: quod rectum eſſe, mox planum faciemus. Fabulam Ionem nominat eapſe editio, idque ex vett. codd. fide. Nec aliter eſt in Mſo meo. Sed perperam, cùm Ino dicta ſit. Nam Livium cum Grajo Andronici cognomine tragœdiam dediſſe nomine Inonem, clarè teſtatur Terentianus Maurus verſibus iſtis:

*Livius ille vetus Grajo cognomine ſuæ*
*Inſerit Inonis verſu puto tale docimen.*
*Præmiſſo heroo ſubjungit namque miurum,*
*Hymnum quando chorus feſto canit ore Triviæ.*

Cùm enim chori meminerit apertè, neceſſe eſt iſta de tragœdia capiamus. Eam verò non Ionem, ſed Inonem vocat. Quod etiam approbant verba à Priſciano adducta. Neque enim Ioni conveniunt, Inachi filiæ, quàm Jupiter, ut furta ſua tegeret, in vaccam convertit: ſed Inoni, filiæ Cadmi, Athamantis uxori, matri Melicertæ, quicum in mare ſe de ſcopulo præcipitavit. Atque inde ſimul liquet, humani aliquid paſſum Joſephum Scaligerum, cùm verba illa de Sapphone intelligit, notis in Cirin. Nam ſi ſint ex fabula Inone, quin de hac potius, quàm Sapphone, intel-

Digitized by Google

telligi debeant, dubium non eſt. Sed in altero quoque maximum illum virum opinio fefellit. Nam putavit eſſe ea Lævii verba. Nec temere ita credidit, ſed ſecutus eſt quorundam Mſſorum fidem. In noſtro ſanè diſertim legitur *Levius Ione*. Sed in aliis, tam manu exaratis, quàm prælo excuſis, Livius vocatur: quod verius eſſe Terentiani comprobat autoritas: ubi ne *Levius* legas, impedit, quod de Graio Andronici cognomine adjungit. Supereſt aliquid de numeris dicamus: quibus hunc in modum reſtituere Scaliger tentabat:

*Seſeque in alta maria præcipem miſit*
*Inops & agra ſanitatis herois.*

Neque aliter nunc verſus iſti adduci ſolent à viris doctis. Tantum apud omnes ſummi viri valuit autoritas. Atqui non parum emendatio iſta abit à Mſsis & vett. editt. in quibus pro *ſeſeque* eſt *ſeque*, & verbum *miſit* conſtanter omittitur, uti & copula poſt *inops*. Neque cauſſa eſt, cur Livium in tragœdia putemus ſcripſiſſe jambicos σκάζοντας. Nam illud, *Argenteo polubro & aureo gutto*, quod ex Livio citat Nonius, aliter poſſis ordinare, ut *argenteo* ultima ſit *dimidia*, ac *polubro* verſum inchoet ſequentem. Adde quod non ſapit tragœdiam. Uti nec illud, *Scabra in legendo, reduvioſave offendens*: de quo poſtea dicam. Quare, quod jam aliis in mentem veniſſe video, pro *Inops*, duabus literis extritis, *Ino* legere malim. Cui emendationi favet ipſum fabulæ nomen. Et ſi verbo explere numeros ac ſententiam juvat: id, ne claudicet verſus, potius ſit *dedit*, quam *miſit*. Nempe ut hunc in modum ſcripſerit Livius.

—— *Seque in alta maria præcipem*
*Ino agra ſanitatis herois dedit.*

## LAODAMIA.

*

*Aut nunc alia te quapiam*
*Aſiatico ornatu affluens*, &c.] In Mſo meo lego, *Aut nunc quapiam alia te illo Aſiatico*, &c. Quare pro *te illo* legendum *te Ilio*, ac digerendi verſus in hunc modum:

—— *Aut*
*Nunc quapiam alia te Ilio,*
*Aſiatico ornatu adfluens,*
*Aut Sardiano aut Lydio*
*Fulgens decore, & gloria,*
*Pellicuit.*

## PROTESILAO.

*

Pag. 4. *Cupidius miſerulo obito*] Citat Priſcianus, ut oſtendat *obitus* interdum valere πάθησις. Sed in Mſo noſtro, Lævio, non Livio tribuitur. Apud Junianum Majum quoque pro *Cupidius* eſt *Cupidinis*.

## TEREO.

*

*Ego puerum interea ancilla ſubdam lactantem mea*
*Ne fame perbitat*] Scribe *lactantis*, vel *lactentem*. Verſus verò ſic digere:

—— *Ego puerum*
*Interea ancilla ſubdam lactentem mea,*
*Ne fame perbitat.*

*

*Credito cum illos ſoli meâ voluntate nunquam limavit caput*] Nævio tribuit edit. Mediol. & Ven. Pincii, item Junianus Majus. In quibus, quemadmodum & Aldinâ, verba hæc ita concipiuntur, uti hic expreſſum. Niſi quod in nonnullis magis etiam corruptè eſt, *cum illos ſol in ea*. Ad veram lectionem nos ducit fabulæ nomen. Inde enim cognoſcimus, actum eſſe de Philomela, quæ ſive ſanguine ſuo, ſive, ut Nicocrates voluit, opere acu picto, ſorori ſuæ Progne perſcripſit, ut à Tereo ſtuprata eſſet invita. Rectè igitur hunc locum emendabat Delrio: ſed, quod ille facere neglexit, nos porrò leviculâ trajectione numeris eum ſuis reſtituemus. Sic enim Livius ſcripſit:

—— *Credito, cum illo, ſoror,*
*Voluntate meâ nunquam limavi caput.*

Niſi fortè malis:

—— *Credito, cum illo ſoror*
*Voluntate meâ nunquam limavit caput.*

Nam *limavit* eſt in omnibus antiquis. Ita verba fuerint Prognes. Sed alterum illud eſt verius multò. Nihil enim attinebat, ut Progne diceret, ſororem ſe invitâ ſtupratam. Quare Philomelæ potius eſſe iſta verba, ac ita, uti dixi, legi debere, dubium non eſt.

## TRAGOEDIIS INCERTIS.

*

Pag. 5. *Qua Caſtalia per ſtruices ſaxeas lapſu accidit*] Trochaicus erit, *Quaque Caſtalia*, vel *Quaque Caſtalis aquaper ſt. ſ. l. a.* Sed in codice Farneſiano pro *qua* eſt *quo*. quod ex *Equo* corruptum puto. Præſertim quando ex edit. Med. & Ald. pro eodem legitur *quarto*. Ut fortaſſe ſcripſerit Nonius, *Livius equo tro.* hoc eſt Equo Trojano. Nam hujuſmodi compendio in fabularum nominibus uti ſolent. Et facile princeps litera exteri, duæque proximæ ab ultima trajici potuerunt.

*Quanam iſta ſuavitas, quanam conſortio eſt?*] Tum antiqui, tum recentes Nonii codices hæc tribuunt Tito Livio. Neque id fugit viros doctos, ſed errorem ſive Nonii, ſive librarii eſſe putarunt: partim numerorum ergo (nam ſenarius eſt) partim quia *conſortionis* vox pro *conſortio* Andronicum potius, quàm Patavinum illum ſapere videatur. Atqui nec Tullius eam refugit III de Officiis, ut obſervat Nonius. Cui hac parte favent omnes libri vett. nequis illos moretur, qui *conſociatio* in Cicerone ediderunt. Sed quid multis opus? Quando & alibi hac voce utitur Titus Livius, & in oratione Appii Claudii, quæ exſtat extremo lib. VI. hæc ipſa verba legimus: *Quanam iſta ſocietas? quanam conſortio eſt?* Unde corrigi debent codices Nonii vulgati, ubi pro *ſocietas* perperam legitur *ſuavitas*.

*

6. *Matrem procitum plurimi venerunt*] Scaligero aſſentio, qui ad Feſtum obſervat, non eſſe ex tragœdia, ſed veteri Odyſſea. Expreſſit enim illud *Od.* A. 248.

Τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται.

*Procitum* dixit pro *procatum*, ut *artitus* pro *artatus*, *impetritus* pro *impetratus*.

*

*Vecorde & maleficâ vecordiâ*] Scaliger ad Feſtum emendat, *Vecorde & malefico vacerra.* Quod rectum eſt. Nam adfert hæc verba Feſtus, ut oſtendat, quis ſit *vacerra*. Sunt verò non ex tragœdia, ſed Odyſſeâ. Nempe, ut idem Scaliger nos docet, ex illo *Od.* B. 243.

Μέντορ ἀταρτηρέ, φρένας ἠλεέ.

Nam ἀταρτηρός, *maleficus*; φρένας ἠλεός, *vecors*.

*

*Adfatim edi, bibi, luſi.*] Ne hoc quidem hujus fuerit loci, ſi, quod Scaliger docet, & nos verum putamus, expreſſum eſt ex iſto *od.* O. 372.

τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε, καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

*

*Scabra in legendo reduvioſave offendens*] Lævii eſſe cenſet Scaliger, idque non alio argumento, quàm quia ſit jambicus σκάζων, ac σκάζοντες quoque ſint verſus iſti de Ione ſuperius adducti, quos Lævio tribuunt libri chirographi. Sed in eo ratio fugit virum ſummum, ut ſuperiùs oſtendimus. Ego cur Livio abjudicem, nihil video. Sed cenſeo non tam eſſe ex fabula aliqua, vel ex Odyſſea, quàm ex præfatione operi præmiſſâ. Id enim verba ipſa ſuadent, quæ conveniunt ſcriptori aut interpreti à dictionis impolitie ſe purganti. Ac ne illud quidem ſatis eſt evidens, num præfatio iſta vinctâ, an ſolutâ oratione ſcripta fuerit. Nam quis neſcit, quoties jambicus aliquis etiam ſummis excidat oratoribus? Præfationes verò fabulis præmit-

Digitized by Google

mitti ſolere, vel fidem fecerit locus Quinctiliani lib. VIII. cap. III. ubi ait, *inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus eſſe tractatum, an, gradus eliminat, apud Accium in tragœdia dici oportuiſſet.*

*

*Surregit & ſorctus pro ſurrexit, & quaſi poſſit fieri ſurrectus, frequenter poſuit Livius.*] Apud Feſtum eſt *L. Levillus.* Ac propterea dubitabat Scaliger, utrùm hæc pertineant ad Andronicum. Sed cùm Livilli meminerit præterea nemo: & Livio clarè tribuat Diaconus: niſi, quod dicitur, nodum in ſcirpo quærere animus eſt, non eſt, quod ab hac ſententia recedamus.

# IN
# Q. ENNII
# FRAGMENTA.

## ACHILLE.

*

PAg. 8. *Serva cives, defende hoſtes, cum potes defendere.*] Trochaicum hunc citat Nonius: ſed perperam *defendere* exponit tueri. Nam eâdem notione capiendum, ac in Maronis illo, *Solſtitium pecori defendite.* Ubi Servium vide.

*

*Quò nunc incertâ re atque inoratâ gradum*
*Regredere conare?*] Hieronymus Columna pro *incertâ* mavult *infectâ.* Sed alterum illud eſt in omnibus libb. Et rectiùs, quando *inoratâ* non valet *inexoratâ*, ſed *non oratâ.* Quomodo Cicero pro Roſcio Amerino, de legatis ad Syllam miſſis dixit, *Ameriam re inoratâ reverterunt.* hoc eſt, nondum expoſitâ Syllæ.

*Nam conſiliis obvarant, quibus tamen*
*Concedit hic ordo.*] Apud Perottum in *Obvaro* ita concipitur hic locus:

- - *Nam conſiliis obvarant omnia,*
*Quibus tantum concedit hic ordo* - -

Ut fortaſſe ſcripſerit Ennius:

*Nam conſiliis obvarant omnia, quis tamen*
*Concedit hic ordo* - -

*

*Per ego Deum ſublimas ſubices humidas*
*Unde oritur imber ſonitu ſævo & ſpiritu.*

*Sublimas*, rectum cenſeo, cùm ita legatur apud Non. in ed. Med. Ald. & uno in loco apud Junianum Majum. Alibi idem poſt *ſubices* diſtinguit, ac legit,

- - *humidus Unde oritur imber* - -

Quod non aſpernor.

## AJACE.

*

*Sanguine emiſſo tepido tullii efflantes volant.*] In Med. & Ald. legitur, *Ennius Ajace, Ajax miſſo ſanguine tepido t. e. v.* Sed illud *Ajax* irrepſit ex fabulæ nomine, quod anteceſſit. Locum verò hic habere nequit, cùm ſermo ſit de Ajace recens interfecto. Sic igitur jambicis numeris reſtitue:

- - - - *Sanguine*
*Emiſſo tepido tullii efflantes volant.*

*

Pag. 9. *Qui rem cum Achivis geſſerunt ſtatim.*] Hier. Columna, *geſſerat*; ut ad Ajacem referatur. Delrio verò ſic legit: *Phryges tum Achivis ceſſerunt ſtatim.*

## Pag. 10. ALEXANDRO.

Eſt ubi hæc fabula *Alexander* vocetur, qui Paris fuit: eſt item ubi dicatur *Alexandra*, quæ eſt Caſſandra. Imò quibuſdam in locis inconſtanter nunc hoc, nunc illud legas. Fortaſſe Ennius utriuſque nominis fabulam ſcripſit. Sanè fecerat idem Euripides, itemque Æſchilus: ut de utroque oſtendit clarus ille Græcarum antiquitatum ocellus Joannes Meurſius. Quod ſi unius fabulæ hæc ſunt fragmenta, potius ex Alexandra Alexander, quam ex hoc illud factum fuit. Eſt enim Alexandri nomen pervulgatius, in cujusmodi ratius peccatur, cùm ferè immutent librarii, quæ capiunt minus. Pleraque etiam fragmenta à Caſſandra proferuntur, ut mox parebit.

*

*Hominem appellat: quid laſcivis ſtolide? non intelligit.*] Non redolent hæc cothurnum.

*

*Jamdudum ab ludis animus atque aures avent*
*Avide exſpectantes nuntium.*] Hæc quoque ex præfatione potiùs, quàm tragœdiâ mihi eſſe videntur. At ne fallat Stephanus, qui illus, ut Enniana, in Collectione ſuâ appingit: *propter hanc aurium aviditatem theatra replentur.* Sunt enim non Ennii, ſed Varronis verba.

*

*Multi alii adventant, paupertas quorum obſcurat nomina.*] Trochaicus cùm ſit, reſolvi tamen poſſit in anapæſticos: ſi poſt *paupertas* dividas.

*

*Nam maximo ſaltu ſuperavit*
*Gravidus armatis equus,*
*Qui ſuo partu ardua perdat*
*Pergama.*] Si iſta ſunt ex Alexandra, uti putamus, pertinebunt ad vaticinium ejus. Eoque pro *ſuperavit* lego *ſuperabit.* B enim & V conſonum paſſim permutantur. Numeri verò trochaici ſint, dum initio cauſſalem tollas:

*Maximo ſaltu ſuperabit gravidus armatis equus,*
*Qui ſuo partu ardua tollat Pergama* - -

Quamquam nec minus placet jambicos fuiſſe: ſed tum poſt provocabulum *qui*, exciderit *mox*, vel ſimilis particula. Aut extremis verbis trajectione ſolâ medere: ut ita concipiatur locus:

- - - *Nam maximo*
*Saltu ſuperabit gravidus armatis equus,*
*Suo partu qui tollat ardua Pergama.*

*

*O lux Troja, germane Hector,*
*Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?*
*Aut qui te ſic reſpectantibus tractavere nobis?*] Locus corruptiſſimus. Anapæſticos fuiſſe, ſatis ex primo verſu comparet. Ergo proximè, ubi legitur, *Quid ita:* legi debet, *Quid te ita.* Nempe provocabulum *te* librarii errore tranſmigravit in verſum ſequentem: unde furcillari, inque locum ſuum reduci debet. Præterea ex illo *cum tuo* faciendum *contuo.* Nam Macrobius diſertim dicit, hinc expreſſum eſſe Maronis illud: *Aut cur hac vulnera cerno?*



Digitized by Google

*Contuo* verò pro *cerno*, etiam Andronicus uſurpat, & Ennius alibi, ut ſuprà dictum. Quare totum locum ſic reſcribo:

—— *O lux Troja*
*Germane Hector, quid te ita contuo*
*Lacero corpore miſer? aut qui ſic*
*Nec ſpectantibu' tractavere*
*Nobis?*

Loquitur Caſſandra, unde Hectorem appellat germanum ſuum. *Nec ſpectantibus* interpretor non prævidentibus, atque adeo nec, cùm fieret Hectorea cædes, animo illud tuentibus. Nam ſolent vati futura abſentiaque obverſari tanquam præſentia. Quomodo & hic capio illa verba: *Quid te ita contuo Lacero corpore?* Simile eſt illud ὅραμα Caſſandræ apud Senecam Agamemnone:

*Imago viſus dubia non fallit meos.*
*Spectamus. epulæ regia inſtructæ domo,*
*Quales fuerunt ultima Phrygibus dapes,*
*Celebrantur.* Cæteraque, quæ ſubjungit.

Et iſta etiam veriſimile faciunt nobis, quod antea diximus, tragœdiæ huic potius *Alexandra*, quàm *Alexandro*, nomen fuiſſe.

*

*Dimidio purus putus.*] Apud Feſtum ſic legitur: *Ennius dixit in Alexandro: .... amidio purus putus: & Plautus, Purus putus hic ſycophanta eſt.* Scaliger ex ... *amidio* fecit *dimidio*. Sed uti in exemplo Plautino, ita in Enniano convicium fuiſſe videtur. Ut itaque in illo eſt *ſycophanta purus putus*: ita hic fuerit *catamidius purus putus*: vel, quod à ſcriptura vulgata non abit, *catamidio p.p.* Nam ut *pumilus pumilio, puſus puſio, amaſius amaſio*: ſic videntur dixiſſe *catamitus catamitio*, ſive *catamidio* per D literam, quæ & eſt in Græco γανυμήδης, unde opici illi ſuum *catamitus* fecerunt.

## ANDROMACHA.

*

Pag. 11. *Nam ubi introducta eſt, puerumque, ut laverent, locant in clypeo.*] Apud Nonium ex Andromeda Ennii citatur. Sed *Andromache* legi debere, rectè monet Scaliger in Conjectaneis. Nam ſermo eſt de Aſtyanacte è turri præcipitato, cujus corpus clypeo impoſitum à Talthybio geſtabatur. Quæ profectò quid ad Andromedam? Fortaſſe huc etiam referri debet Ennii illud apud Varronem in ſexto de L. L.

*Extemplo acceptum me necato & filium.*

Ubi malo *acceptam*, vel potius *arreptam*, ut verba ſint Andromachæ ad Ulyſſem, cùm ei Aſtyanacta is eripere vellet. Et videtur eadem Andromache, ad Hectorem dixiſſe:

*Ex opibus ſummis opis egens, Hector, tua.*

Quod ex Ennio, ſed tacito fabulæ nomine, Cicero adfert. Sed tamen, cùm hæc arbitrarii ſolùm juris ſint, vix probo, quod Hieronymus Columna propterea, potius inter certa Andromachæ, quàm incertæ fabulæ fragmenta, locum iis ſuum adſignârit. Præſertim cùm de priori ne illud quidem, an germanum Ennii ſit, controverſia omni vacet. Quamquam interim negari non poſſit, ſatis ingenioſam ac veriſimilem eſſe Scaligeri conjecturam: qui, cùm in cunctis Varronis libris inveniſſet, *Etiam inde idem illud enim*: ex iſtis exſculpſit, *Etiam indidem illud Ennii.*

*

*Acheruſia templa alta Orci pallida Leti obnubila, obſita tenebris loca.*] Reſtitutio iſtorum pendet ex collatione Varroniani loci cum Tulliano. Apud Varronem eſt: *Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera.* Apud Ciceronem verò: *Acherontia templa alta Orci pallida leti, obnubila, obſita tenebris loca.* Nempe præterit Cicero verba illa, *ſalvete infera.* Quibus inſertis, copulâque adjectâ poſt *obnubila*, fient anapæſtici tales:

—— —— *Acheruſia*
*Templa alta Orci ſalvete infera,*
*Pallida leti, obnubila, & obſita*
*Tenebris loca* ——

*Leti* illud cum *loca* conjunge. Sed fortaſſe ſimplicius fuerit, ſi pro *leti* ſcribas *Letea*: ut jambici ſint hujuſmodi:

*Acheruſia templa Orci ſalvete infera,*
*Pallida, Letea, obnubila, obſita tenebris*
*Loca.* ——

*

*Rapit ex alto naves velivolas.*] Ex Jambico erit, ſi legas:

—— *Ex alto rapit*
*Naves velivolas* ——

Sed nihil opus trajectione; quando finis eſt, initiumque anapæſtici.

*

*Sed quaſi ferrum, aut lapis durat;*
*Rarenter gemitum conatu trabens.*] Ut trochaici ſint, ſcribe:

—— —— *Sed ferrum quaſi,*
*Aut lapis durat, rarenter gemitum conatu trabens.*

Ita enim malo, quàm cum Hadriano Junio *lapis dura*. etſi illud & Hieronymus Columna probat. Neque me fugit, eodem genere alibi dicere Ennium, *Tanto ſublata ſunt agmine tunc lapides* —— Verum hoc loco, tum numeri id reſpuunt, tum etiam ſententia. Nam cùm lapidi planè non conveniat gemitus, quomodo dixiſſet poëta, gemere aliquem, ſed rarius, tanquam lapidem duram? Pro *trabens* in vett. libb. & apud Jun. Majum legitur *trabem*. Cumque mox ſequatur *Ergaſtulo* (id fabulæ nomen) poëta verò prætereatur: credere aliquis poſſit, veram eſſe lectionem, *Trabea Ergaſtulo*. Sed calidum hoc commentum ſufflaminat Nonii autoritas, qui in verbo *Villicari* ſequentia poëtæ verba citat ex Pomponii Ergaſtulo. Ut nihil certius ſit, quàm Pomponii iſthic nomen, non Trabeæ intercidiſſe.

## ANDROMACHE-MOLOTTO.

*

Molottus, unde fabulæ nomen, Andromaches ex Neoptolemo filius fuit. Plenius fabulæ argumentum cognoſces ex Andromache Euripidis. Abſque Mercero eſſet, verum Ennianæ fabulæ nomen neſciremus. Quod vir ille ſagaciter primus eſt odoratus. Vide Notas ejus ad Nonium in *Exanclavit*. Timide tamen in eo ſubſcribo, quod non ſolùm verba illa in *Exanclavi* & *Summum* ex ea eſſe petita arbitratur, ſed illa etiam in *Senis*. Ubi vetus edit. Med. Ald. aliæque, *Ennius Andromeda & Hermaphrodito*: in Mſſis verò, *Andromeda & Hanapoude*: quæ profectò longius abeunt à Molotto. Quare de loco iſto ulterius diſquirendum.

## ANDROMEDA.

*

*Qua cava cœli ſignitenentibus Confici' bigis.*] Hæc ex Ennii eſſe Andromeda, de Scaligeri conjecturâ dicuntur; ſed parùm certâ, cùm apud Varronem in cunctis codd. non *Andromeda*, ſed *Andromache* legatur; quam etiam ſcripſit Ennius. Nec ſi aliter legi deberet, eò Ennii Andromedam intelligere neceſſe haberemus, cùm etiam Livius, & Attius, ejus nominis fabulam dederint. Adde quod pòſt Andromedæ & Agamemnonis verba ſubjicit Varro: *Et Ennius item, Cœli ingentes fornices.* Quomodo, puto, non ſcripſiſſet Varro, ſi priora etiam Ennii fuiſſent. Nec iſta quidem, *Cœli ingentes fornices*, cur ex Andromeda eſſe credamus, idonea adferri cauſſa poteſt.

*

*Circum ſeſe urvat ad pedes à terra quadringentos occultat caput.*] In Mediolan. & Aldin. ſolùm eſt: *Circum ſeſe*

*urvat*

Google

*urvat ad pedes.* Sed in ſchedis Antonii Auguſtini ſequebatur: *ad pedeſterra occ...... caput.* Unde primitus ita reſtituebam:

*Circum ſeſe urvat ad pedes, ter occulit*
*Caput* - -

Sed duplici nomine hæc ſententia improbatur. Nam quæ & deinceps dicuntur de ceto à Perſeo vulnerato, ea trochaici ſunt: à quibus hæc abire non debent. Deinde in Farneſiano codice legitur, *terra quadringentos caput.* Unde non infeliciter, ſiquid in his ſtudiis video, legendum conjecto, *ter ac quater ingens caput.* Solùm deeſt verbum *occulit*, quod ex Auguſtiniani codicis veſtigiis revocari debet. Sic igitur ſcribo:

*Circum ſe urvat ad pedes, ter ac quater ingens occulit*
*Caput* - -

Cetus, inquit poëta, accepto vulnere, ad Perſei pedes ſe urvat, quod eſt κυβιστᾷ, ac caput ingens undis occulit ter quaterque. Quomodo de eâdem belluâ Naſo ait IV Met.

*Vulnere læſa gravi modò ſe ſublimis in auras*
*Attollit, modò ſubdit aquis.*

Quod verò dixi, trochaicis Ennium retuliſſe fabulam de Perſeo & ceto; id ſequens etiam fragmentum oſtendit:

- - *Alia fluctus differt, diſſipat*
*Viſceratim membra, maria ſalſa ſpumant ſanguine.*

*

Item proximum ab illo:

*Scrupeo veſtita ſaxo atque oſtreis ſquama ſcaprent.*

Ita rectè editum à Mercero. Ubi Ms. *excrabent*, Aldina editio *excaprent*, Mediolan. *exſcraptent.* At Delrio planè hic audiri non debet. Oſtreis ſquamas ſcapres eſſe ait, quomodo Ovidius refert fuiſſe ei

- - *terga cavis ſuper obſita conchis.*

*

*Filiis propter te objecta ſum innocens Nerei.*] Ut trochaici ſint, lege,

*Filiis propter ted objecta innocens ſum Nerei.*

Vel ſic,

*Filiis te propter objecta innocens ſum Nerei.*

Innocentem ſe ait Andromeda, quia non ipſa peccârat, ſed mater Caſſiopea, quæ Nereidas à filia ſua dixerat pulchritudine vinci. Ovidius:

*Illic immeritam materna pendere lingua*
*Andromedam pœnas.*

*Filiis* igitur (in quo decipitur hoc loco Delrio) pro *filiabus* dixit: cujus generis multa adducimus in commentariis noſtris de Lingua Latina.

*

*Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.*] Cùm hæc quoque de ceto intelligantur: non jambicus erit, ſed trochaicus, cui prima deſit ἀποδία.

*

*Corpus contemplatur, unde corporaret vulnere.*] Hoc eſt circumſpicit Perſeus, quâ parte cetum poſſet vulnerare. Nam id valet *corporare*, Nonio teſte.

## CRESPHONTE.

*

Pag. 13. *Audis, atque auditis hoſtimentum adjungito.*] Scaliger ad Feſtum *Audi* legit, quod metrum, & ſententia poſtulat.

*

*Duxit me uxorem ſibi liberûm quæſendûm gratiâ.*] *Ducit* ſcribe, propter vett. libb. conſenſum.

*

*An inter ſe ſortiunt urbem atque agros.*] *Seſe* exigit metrum.

*

*O pii eam ſecum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora.*] Janus Guilielmius legit, *Pie Deam ſecum advocant.* Delrio hoc pacto, *Properè ſecum advocant.* Sed exammuſſim optimè Hugo Grotius, *Opem Conſivam advocant.*

*

*Ego, cùm mea vita parcam, letum inimico deprecor.*] Non ſententia minus, quàm numeri requirunt:

—— —— *Ego cum mea*
*Vita non parcam, letum inimico deprecor.*

*

*Neque terram injicere, neque cruenta*
*Conveſtire mihi corpora licuit,*
*Neque miſera lavere lacbryma ſalſum ſanguinem.*] Pro tertio *neque*, *nec* lege: præterea trajectione leviculâ opus, ut ſint jambici quadrati, hoc pacto:

*Neque terram injicere, neque cruenta conveſtire corpora*
*Licuit mihi miſera, nec lavere lacrima ſalſum ſanguinem.*

Quamquam quid eſt *lacrima ſanguis?* aut cur ſanguis dicitur ſalſus? aut quomodo trucidato lacrimam potius, quàm cruorem, jubet abſtergere? Quare non dubito, quin ſcripſerit Ennius:

—— *nec lavere lacrimis ſalſis ſanguinem.*

Quod ſimile eſt iſti Attii in Phinidis:

*Salſis cruorem guttis lacrimarum lavit.*

Et huic Ovidii lib. III. de Arte:

*Suſtinet, & lacrimis vulnera ſæva lavat.*

*

Pag. 14. *Nam nos decebat cœtus celebrantes domum*, &c.] Fortaſſe non Ennius, ſed ea Cicero ipſe de fonte Euripidis expreſſit.

## DULORESTE.

* *

*Extemplo Ægiſthi fidem nuncupantes conciebant populum.*] Multa adeò ex Pacuvii Duloreſte citant veteres, ut hoc quoque, quod unicum Ennii creditur, Pacuvii videri poſſit. Solùm obſtat veterum libb. conſenſus. Sed quis neſcit ſæpicule Nonium, ſive librarium ejus, in hujuſmodi falſum eſſe? Ac propterea Scaliger Pacuvii nomine adducere non dubitavit. Pro *egiſti*, uti in Aldina eſt, rectè in antiquioribus, uti Mediolanenſi, & Veneta Pincii, eſt *Ægiſthi.* Sic verò digere, ut trochaici ſint:

—— *Extemplo Ægiſthi fidem*
*Nuncupantes conciebant populum* ——

## ERECHTHEO.

*

*Quibu' nunc ærumnâ meâ libertatem paro?*
*Quibu' ſervitutem meâ miſeriâ deprecor?*] Verba ſunt Colophoniæ, cùm eam pater Erichthonius ex ſortibus pro Athenienſibus eſſet ſacrificaturus: de quo, præter alios, Hyginus fab. CCXXXVIII. Hadrianus Junius, cùm apud Nonium inveniſſet: *Ennius: Eripite ò cui nunc ærumna*, &c. credidit locum ſic legi debere:

- - - *Eripite ò quibus*
*Nunc ærumna mea*, &c.

Nempe non venit ei in mentem, verba illa, *Eripite ò*, corrupta eſſe ex *Erichtheo:* quæ lectio apud Agellium integra remanſit.

*

Pag. 15. *Arma arrigunt, horreſcunt tela.*] Ita eſt in recentioribus Macrobii libb. Sed Ald. *rigent*, quod probum.

*

- - - - *Lapideo*
*Sunt corde multi, quos non miſeret neminis.*] Ita dixit more Græcorum, quibus gemina negatio negat vehementius.

## EUMENIDIBUS.

*

*Areopagiticam eâ de re vocant petram.*] Ita ex Æſchylo (unde hæc, & ſequentia tranſtulit Ennius) correxit Scaliger

liger in Conjectaneis. In Mediolanenſi, & Aldina, atque aliis, priùs legebatur:

*Areopagita quid* (vel *qui*) *dedere quam pudam.* Unde eliciebam,

*Areopagum inde qui dixere eam petram.* Saltem propius paullò hoc accedit ad veterem ſcripturam. Nec magis abit ab Æſchyli verbis:

—— ὄχθον ἔς, ἐπώνυμος
Πέτρα, πάγος τ' Ἄρειος.

*

*Tacere opino eſſe optimum, ut pro viribus*
*Sapere atque fabulari tute noveris.*] Ita Scaliger in Conjectaneis. Sed in antiquis Nonii libb. eſt, *& pro viribus.* Quos Mercerus ſecutus, ita expreſſit:

*Tacere opino eſſe optimum, & pro viribus*
*Sapere atque fabulari: tute noveris.*

Quaſi dicat, *tumet ſcire id poſſis.* Vir ſummus legebat,

*Tacere opino eſſe optimum, pro viribus*
*Ni ſapere ac fabulari tute noveris.*

Sententiâ ſanè venuſtâ: ſed ſcripturâ paullum diverſâ à libris vett. Apud Junianum Majum legitur: *Inveni opino eſſe optimum,* &c. Unde aliquis conjectet; *Juveni opino eſſe optimum, pro viribus Sapere,* &c. Sed metrum id reſpuit, & apud Æſchylum, quem Ennius expreſſit, eſt Σιγᾷν ἀρωγή. Nempe illud *Inveni* irrepſit ex Pacuvii exemplo, quod proximè anteceſſit.

*

*Id ego aequum aptius feciſſe me expedibo atque eloquar.*] Pro *aptius* rectè Gulielmius *ac jus.* Provocabulum *me* jure abeſt à vett. libb. Pro *feciſſe* item lego *fuiſſe*, quod κατὰ συνίζησιν diſſyllabum fit. Eſt enim ſenarius ejuſmodi:

*Id ego aequum ac jus fuiſſe expedibo atque eloquar.*

Verba ſunt Palladis in Areopago. Qui Oreſti tribuerunt, eo ſunt decepti, quòd vulgò *feciſſe me* legeretur.

*

*Niſi patrem materno ſanguine exanclando ulciſcerem.*] Divide, ut *Materno* initium ſit ſenarii.

*

*Dico ego viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite.*] *Ego* à vett. libb. conſtanter abeſt. Atque arbitror primum appoſuiſſe Scaligerum in Conjectaneis. Etiam apud Junianum Majum legitur: *dico hinc faceſſite.* Ut fortaſſe ſcripſerit Ennius:

*Dico viciſſe Oreſten: hinc faceſſite.*

Vel ſi, propter codices alios, provocabulum admittendum,

*Dico viciſſe Oreſtem, hinc vos faceſſite.*

Imò, quid ſi verbum repetitum, *dico* inquam, irrepſerit ex *eloco*, ſive *illico*? Utroque enim modo dixere. Unde Scriverius meus, inter confabulandum, conjectabat:

—— *Dico viciſſe Oreſten, eloco hinc faceſſite.*

Faceſſere autem Eumenidas jubet Pallas.

## HECTORIS LYTRIS.

*

*At ego omnipotens te expoſco, ut hoc conſilium*
*Achivis auxilii fuat.*] Malim *auxilio.* Opto, inquit, ut hoc conſilium vobis ſit auxilio. Praeterea provocabulum *ego* poſt verbum ſuum trajicere metrum jubet. Ut ſcripſerit Ennius:

—— *At omnipotens te expoſco ego,*
*Ut hoc conſilium Achivis auxilio fuat.*

*

*Hector vi ſumma armatos educit foras,*
*Caſtriſque caſtra ultro jam fere occupat.*] Hieronymus Columna legit *re ſumma*, quod interpretatur, *omnibus copiis.* Sed rectum eſt *vi ſumma.* Nam *vi* diſertim legitur in Med. Ald. aliis. Sed in iis loco ſuo trajectum ante *foras* malè collocatur. In nonnullis quoque, & apud Junianum Majum, eſt *Hectori*, quod corruptum ex *Hector vi.* Sequenti verſu pro *fere* in iiſdem editt. eſt *ferre.* Sed metrum poſcit *conferre.* Vel trajectis vocibus ſcribendum,

*Ultroque caſtris caſtra jam ferè occupat.*

*

*Per vos, & veſtrum imperium, & fidem Myrmidonum, vigiles commiſereſcite.*] Sic divide:

—— *Per vos, & veſtrum imperium, & fidem*
*Myrmidonum, vigiles commiſereſcite* ——

Poſſis poſteriorem verſum explere hoc pacto: *commiſereſcite Priami:* vel *noſtri commiſereſcite.*

*

*Quae meâ cominus macherâ atque haſtâ hoſtiris manu.*] Scaligeri (à quo eam Columna accepit) emendatio eſt:

*Quem mea cominus machera, atque haſta hoſtivit è manu.*

Dixit *è manu* pro *eminus*, quod inde conflatum, ut *cominus*, quaſi *cum manu.*

*

Pag. 17. *Ducet quadrupedum jugo invitam, doma, infrena. & jugo valida, quorum tenacia infrenari nimis.*] Hectoris Luſtris cùm illud narrabatur, ut exanimum Hectoris corpus auro vendiderit Achilles (unde & *Luſtris* nomen, ſive id eſt à Graeco λύτρον, ſive à luendo, hoc eſt ſolvendo) tum etiam narrabatur, ut Hector ante pretii iſtius ſolutionem bigis ſit raptatus circa muros. Eas bigas deſcripſerat hic Ennius. Sed locus hodie eſt multimodis ſauciatus. Quem Lipſio, & aliis, fruſtra tentatum, ita medicâ manu Hugo Grotius ſanabat:

—— *Duce quadrupedum juga*
*Invicta, indomita, infrenia, injugalia,*
*Quorum tenacia infrenari nimis nequit.*

*Duce* integrè dixit, ut *face* pro *fac.* Quamquam nec *ducet* damno, uti in vulgaris. Aut *ducat*, vel *duxit.* *Tenacia* equorum, pro pertinacia. Pro *nimis nequit*, lubens reſcribam *minis nequit.* Praeſertim quando H. Stephanus teſtis eſt, pro *nimis* in veteri codice *minus* legi. Sed quia τὸ *minus* refragatur ſententiae, eò in eodem codice *nequit* fuit mutatum in *poteſt.* Sed *nequit* diſertim legitur in veteri edit. Mediol. ubi tamen abeſt *nimis:* uti contra in Veneta Pincii, & Aldina, item apud Junianum Majum, legas *nimis*, at abeſt *nequit.* Unde in mentem venit, fortaſſe Ennium ſcripſiſſe,

*Quorum tenacia infrenabilis minis.*

Sin quia in aliquibus illud *Nequit* comparet (quod etiam agnoſcit Michael Bentinus ſuis in Nonium notis) eò malis,

*Quorum tenacia infrenari minis nequit:*

per συνίζησιν *tenacia* triſyllabon fiet. Aut ſcribe *frenari minis nequit.* Nam *in* fortè irrepſit occaſione verſus ſuperioris, ubi legas *infrena* ſive *infrenia.*

*

*Sublime iter quadrupedantes flammam halitantes.*] Rectè Clariſſimus Scriverius perſpexit *ſublimiter* legendum. Sic igitur digere:

—— *Quadrupedantes ſublimiter*
*Flammam halitantes* ——

Deſcribit ignivomos tauros. Citatur à Diomede: ſed in editione, quam Caeſarius recenſuit, pro *in Luſtris* corruptè legas *illuſtris.* *Sublimiter* dixit Ennius, ut idem alibi *concorditer*, & *duriter*, ac Naevius *dapſiliter*, *indecorabiliter* Accius, *laſciviter* Laevius (malè apud Chariſium legitur Livius, cùm ex ἐρωτοπαιγνίοις citetur) item *imperiabiliter* Cato Senex, verbis iſtis: *Ubi Maximus nimis imperiabiliter*, pro imperioſè & durè. Ita corrigendus & iſte locus apud Chariſium lib. II.

*

*Nos quieſcere aequum eſt: novimus ambo Uliſſem.*] In Diomede recenſito à Caeſario ſic legas: *Ennius: In luſtris nos quieſcere aequum eſt, novimus ambo Ulyſſem.* Pro, *Ennius in Luſtris.* Etiam pro *novimus* ſcribendum *nomus*, ut habent meliores codices. Verba Diomedis ſunt: *Apud veteres plurale hujus verbi inſtans colligitur, cùm* NOMUS *dicunt, pro eo quod eſt* NOVIMUS: *ut Ennius Luſtris,* &c.

*Hector*

Digitized by Google

*

*Hector quidem haut*, &c.
De hoc, & ſequenti fragmento, in Nævianis dicemus.

## HECUBA.

*

*O magna templa cælitum*, &c.] Ex Hecuba eſſe ait Varro. Sed Ennio adſcribitur de conjecturâ: cùm Attius etiam Hecubam ſcripſerit.

*

*Sed nunquam ſcripſtis, qui parentem aut hoſpitem*
*Necaſſet, quo quis cruciatu perbiteret?*] Ita hæc reſtituit Hadrianus Junius. Antea monſtroſè legebatur, cùm in vett. Nonii libb. tum apud Jun. Majum: *Sed nunquam ſcripſiſtis* (vel *ſcripſiſti*) *quis parentem aut hoſpitem Nec aſſas, quos quis* (vel *qui*) *cruciatu perviteret*, aut *pervitent*, aut etiam *perniceni*. Sunt verò Hecubæ verba, accuſantis Polymeſtorem, quod Polydorum, hoſpitem ſuum interemiſſet.

*

Pag. 18. *Heu me miſeram, interii; pergunt lavere ſanguen ſanguine.*] Apud Nonium inconſtanter nunc *miſeram* legitur, quaſi Hecubæ verba ſint: nunc *miſerum*, quaſi ea Polymeſtor poſt interfectos liberos, oculoſque ſibi erutos, dixerit. Quod verius puto. Quo tempore & Hecuba protulit, id quod ſequitur:

*Jupiter tibi ſumme, tandem malè re geſtâ gratulor.*

*

*Vide hunc mea in quem lacruma guttatim cadunt.*] In vett. libb. *hinc*. Scribe *hanc*. & mox, *quam*. Prout rectè eſt apud Majum. Polyxenam intellige, quam Hecuba complexa lacrumis ſuis rigabat, Ulyſſem miſerabiliter orans, ut ne abducere eam vellet. Fallitur enim Columna, cùm hæc putat eſſe Talthybii verba ad Hecubam.

*

*Miſerete manus, date ferrum, qui me animâ privem.*] Janus Palmerius legit *mei anus*. Sed rectiùs alii putant, ἀρχαϊκῶς dixiſſe *mei anuis*. Verba ſunt Helenæ ob ereptam Polyxenam lamentantis.

*

*Hac tu etſi perverſè dices, facilè Achivos flexeris:*
*Namque opulenti cùm loquuntur pariter atque ignobiles;*
*Eadem dicta, eademque oratio æqua non æque valet.*] In vulgatis erat, *Nam cùm opulenti loquuntur:* quod metrum reſpuit. Eoque vel legendum, *Namque opulenti cùm loquuntur:* vel cum Alciato (quem ſequitur Columna) ſcribi debet, *opinati:* quo pacto ab Agellii accuſatione liberabitur Ennius; quaſi, qui Euripidi ſunt δοκοῦντες, eos minùs rectè verterit *opulentos*. Nam δοκοῦντες ſunt *opinati*; hoc eſt, qui in magnâ ſunt opinione. Ego, cùm jam Agellii ætate, *opulenti* legi ſoleat, mutare id non auſim. In quo, ſcio, non adverſabitur mihi, qui veterum in transferendis Græcis libertatem ſciat.

*

*Quæ tibi in concubio verecundè & modicè morem gerit.*] Ex Euripide ſatis apparet, hæc ab Hecuba ad Agamemnonem dici de filia ſua Caſſandra.

*

*Senex ſum, utinam mortem oppetam,*
*Priuſquam evenat, quod in pauperie meâ*
*Senex graviter gemam.*] Nihil mutato opus. Sunt enim ſenarii:

*Senex ſum, utinam mortem oppetam, priu' quàm evenat,*
*Quod in pauperie meâ ſenex graviter gemam.*

*Evenat* pro *eveniat* poni, monet Nonius. Ob cujus autoritatem *evenat* retinui. Magis tamen veriſimile videtur, *eveniat* ſcriptum eſſe ab Ennio: penultimam verò abſorberi in menſura verſus: quomodo infra eidem *propterea* triſyllabon eſt. Imò & ſequenti verſu *Meâ* κατὰ συνίζησιν efferetur. Sunt verba Talthybii, cùm Hecubam tantis preſſam malis videret.

*

Pag. 19. *Vidi ego adſtante ope barbaricâ.*] *Barbarica* dixit pro *Phrygia*. Nam Barbari κατ' ἀντονομασίαν pro Trojanis: ut etiam Euſtathius obſervat. Atque ita etiam Maro dixit, *Barbarico poſtes auro*. Quamquam Servius exponat *multo*. Uti & Columna in Enniano hoc *barbarica* interpretatur *maxima*, eò quòd barbari fuerint opulentiſſimi. Quæ probare minimè poſſum. Dixi de hoc etiam lib. IV. Oratoriarum Inſtitut.

*

*Heu relliquias ſemiaſſi regis, denudatis oſſibus*
*Per terram ſanie delibutam fœdè divexarier.*] Mirum hoſce verſus à Cicerone primo Tuſculanarum ſeptenarios dici, cùm ſint Jambici octonarii. In quo deceptum eſſe Romanæ eloquentiæ parentem, non dubitat etiam ſcribere Cæſar Scaliger lib. VII de Re Poët.

*

Pag. 20. *Vidi videre quod me paſſa ſum ægerrime.*] Ita edidit quoque Columna: ſed invitâ metri lege. Scribe:

*Vidi, videre quod me paſſa ægerrimè,*

Ut reticeatur verbum, uſitatâ ἐλλείψει. Idem Columna verſum ſequentem ſic legit,

*Curru Hectorem quadrijugo raptarier.*

Atque ita ediderat quoque in Cicerone ſuo Rob. Stephanus. Sed qui ſecundam in *quadrijugo* attendit, ſic in metrum peccari videt. Vera igitur lectio eſt:

*Hectorem curru quadrijugo raptarier.*

Nam ſecunda in *Hectorem* olim erat porrecta: uti in illo ſenario:

*Hectôris natum de muro jactarier.*

*

*Adſum atque advenio Acherunte vix viâ altâ atque arduâ*
*Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis pendentibus*
*Maxumis, ubi rigida conſtat & craſſa caligo inferûm.*] *Acherunte* non improbo, ut ſecundâ ſede ſit trochæus. Vel lege, *Aggerunte*. Quomodo Plautus dixit Caſ. Act. II. Sc. VIII.

*Certum eſt, hunc Aggeruntem præmittam prius.*

Præterea verſum tertium, ut numeri ſerventur, inductâ copulâ ſic ſcribe;

*Maxumis, ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.*

Sæpe enim veteres uni ſubſtantivo duo jungebant adjectiva: ut in commentariis de Lingua Latina contra Servium oſtendimus.

*

*Unde animæ excitantur obſcurâ umbrâ, aperto oſtio*
*Alti Aggeruntis, ſalſo ſanguine imagines mortuorum.*

Multimodis peccatum. Scribe,

*Unde animæ excitantur obſcurâ umbra, apertoque oſtio*
*Alti Acheruntis, falſo ſanguine mortuorum imagines.*

Vel hoc pacto,

—— *aperto alti oſtio*
*Aggeruntis, falſo ſanguine m. i.*

Imagines mortuorum dicit *falſo ſanguine*, quia non ſunt id quod videntur: quippe exſangues umbræ duntaxat.

*

*Etſi ſegetem ſunt in deteriorem data*
*Fruges, tamen ipſa ſuapte naturâ enitent.*] Ex Euripide conſtat, eſſe Hecubæ verba, cùm audiſſet, quàm fortiter mortem oppetiſſet gnata. Hac propter tum Ennii, tum ex Hecuba eſſe, credibile eſt: etſi neutrum Cicero dicat.

*

—— *Nimium boni eſt, cui nihil eſt mali.*] Puto è trochaico eſſe, ac poſt inciſum dividi debere. Vel opus trajectione. Ennii eſſe ait Cicero. Ex Hecuba eſſe, ideo putatur, quia idem in Hecuba ſua dicit Euripides, ut obſervat Muretus lib. V. cap. XIII.

 ILIO-

## ILIONA.

*

*Mater te appello, tu quæ curam ſomno ſuſpenſam levas*
*Neque te mei miſeret: ſurge & ſepeli natum* -- ] Dixit hæc umbra Polydori. Cenſeo autem fuiſſe trochaicos ejuſmodi,

*Mater te appello, quæ cur ſ. ſ. l.*
*Neque mei te miſeret, ſ. & ſ. n.* --

*

*Age, adſta, mane audi itera dum eadem & iſta mihi* ] In nonnullis *mane* abeſt: ſed rectè expreſſum à Rob. Steph. & aliis. *Iſta* ferri poteſt, ſi poſt *mane* diſpeſcas. Verius tamen puto, ut ſenarius compleatur:

—— *Age,*
*Adſta, mane, audi, itera dum eadem & iſtæc mihi.*

Ex hacce verò tragœdia autumat H. Stephanus etiam eſſe locum, qui apud Nonium legitur in *Nepos*. Nam ubi in vulgatis eſt, *Ennius Iliada: Nepos, quas ærumnas tetuliſti:* pro *Iliada* legebat ille *Iliona*. Sed rectè obſervavit Hadrianus Junius, ita corrigi debere: *Ennius*,

*Ilia, dia nepos, quas ærumnas tetuliſti.*

## IPHIGENIA.

*

*Quid noctis videtur? in altiſono*
*Cæli clupeo temo ſuperat.* ] Veteres editiones habent, *Quid nox videtur?* Pro quo rectè in Vertranii eſt, *Quid nocti' videtur.* Euripides: τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει. Ex eodem Euripide ſic diſtingue perſonam Agamemnonis, AGAM. *Quid nocti' videtur.* SEN. *In altiſono Cæli clypeo*, &c. Corruptè verò pro *altiſono* (quomodo rectè Aldus, &, qui Mediolanenſi præfuit editioni, Baptiſta Pius, ediderant) in illa Vertranii *altiſſimo* legitur. Pro *ſublime cogens*; vel cum Scaligero lege, *cogens ſublime* (ſunt enim anapæſtici) vel cum Turnebo, *ſublimis agens*. Extremo verſu *itiner* ἀρχαϊκῶς ſcribit Scaliger. Sed *iter* eſt in vett. edit. atque id metrum exigit, ne tribrachys ſit tertiâ ſede. Cùm verò iſta ſint de Euripidis Iphigeniâ expreſſa: & Ennius quoque ejus nominis fabulam dederit: non dubitavit Columna referre hæc ad Iphigeniam Ennii; etſi Varro, neque in IV, neque in VI de L. L. vel poëtam, vel fabulam nominet. Ego potiùs eſſe Nævii puto, ex cujus Iphigenia locum Nonius adducit. Ita ut cenſeam, eo adducor, quod Varro, cùm iſta, quæ retulimus, verba poſuiſſet, continuò ſubdat: *Et Ennius item, Cæli ingentes fornices.* Quippe, ut cenſeo, non eo pacto ſcripſiſſet, ſi priora etiam Ennii fuiſſent.

*

Pag. 21. *Otio qui neſcit uti*, &c.] Verba hæc chori eſſe, apertè dicit Agellius. Chorum verò iſtum, non ex mulieribus conſtitiſſe, ſed ex militibus; verba illa planum facient; *neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.* Quare colligimus, milites, cùm ob maris malaciam Aulide morarentur, hunc in modum de otio fuiſſe conqueſtos, quod negotio ipſo moleſtius foret. Numeri ſunt trochaici: ſed, ſi excipias duos verſus extremos, nullus eſt, qui non vulneris aliquid acceperit. In primo, leviculâ duarum vocum trajectione, legi debet:

*Otio qui neſcit uti, plus habet negotii.*

Alter ſanè mirè, & miſerè deartuatus eſt. Et potuit quidem poëta ſcripſiſſe:

*Quam cùm quis negotioſo fuerit in negotio.*

Quomodo infrà dicit, *otioſo in otio.* Sed vide, an non potius exciderint verba iſta, *Otii minus*: quæ Hugonis Grotii conjectura eſt. Nempe ea præterierit ſomniculoſus librarius, ſive ob literarum ſimilitudinem, quia *negotii* proximè anteceſſerat: ſive quòd cùm dixeris *plus negotii*, otioſe addi putaret, *otii* minus. Atqui ἀντίθεσις iſta, & ἐνέργειαν orationi addit, & venuſtatis expers non eſt. Tertius verſus ſic legitur in libris quibuſdam: *Nam cui quod agat inſtitutum eſt in illo negotio.* Ubi pro *in illo* lege *in nullo*. Quarto facilè fit medicina. Nam librarius metri neſcius duntaxat neglexit encliticam *que*, eò quòd ad ſententiam minimè pertineret, & invenuſtiùs geminari putaret. Lege igitur:

*Id agit, ſtudet ibi, mentemque, atque animum delectat ſuum.*

In quincto verſu vox iterum excidit, cùm vulgò ita concipiatur,

*Otioſo in otio animus neſcit quid velit.*

Ubi etſi legere poſſimus, *quid factum velit*; tamen, cùm librariis proclivis magis ſit error, ubi literarum eſt ſimilitudo; planè cenſeo, particulam *quidem* poſt *quid* excidiſſe: eoque ita Ennium ſcripſiſſe exiſtimo:

*Otioſo in otio animus neſcit, quid quidem velit.*

Sexto verſu pro *idem* lego *ita*: item pro *nec* ſcribo *neve*; vel potiùs *nunc* repeti debet: præterea duarum vocum trajectione opus; ut ita concipiatur verſus:

*Hoc ita eſt, neque nunc domi nos, nec nunc militiæ ſumus.*

Duo verſus extremi, uti dixi, communem calamitatem effugerunt. Nunc quia illuſtris adeò ſententia conjunctim legi meretur, locum integrum hic adſcribam, prout arbitror legi debere:

*Otio qui neſcit uti, plus habet negotii,*
*Otii minus, quam cùm eſt negotium in negotio.*
*Nam cui quod agat inſtitutum eſt, in nullo negotio*
*Id agit, ſtudet ibi, mentemque atque animum delectat ſuum:*
*Otioſo in otio animus neſcit, quid quidem velit.*
*Hoc ita eſt, neque nunc domi nos, neque nunc militiæ ſumus.*
*Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet:*
*Incertè errat animus, præterpropter vitam vivitur.*

*

*Menelaus me objurgat, id rebus meis regimen reſtat.* ] Citat ex Ennii Iphigenia Rufinianus de aganactesi agens. Puto autem ſic digeri debere:

*Objurgat me Menelaus, id rebus meis*
*Regimen reſtat.*

Addit Columna alterum quoque locum ex eodem Rufiniano, ubi de ſyncriſi agit. Eſt verò iſte:

*Ego projector* (leg. *plector*) *quod tu peccas.*
*Tu delinquis, ego arguor pro malefactis.*
*Helena redeat, virgo pereat innocens:*
*Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia.*

Et verum eſt, ita potuiſſe loqui Agamemnonem, cùm à Menelao objurgaretur. Sed potuit idem, vel exemplum iſtoc comminiſci: vel ex aliquo, qui poëta non eſſet, adducere. Quorum alterutrum feciſſe puto: partim quia auctorem non laudat, quod in vulgatis etiam facere ſolet: partim quia, quæ attulimus, non vincta eſt, ſed pedeſtris oratio: ad quod mirum non attendiſſe Columnam. At illud rectè ab eo eſt obſervatum, ad Iphigeniam Ennii pertinere Senarios iſtos:

*Plebes in hoc regi anteſtat loco, licet*
*Lacrumare plebi, regi honeſtè non licet.*

Nam diſertim Ennio tribuit B. Hieronymus epitaphio Nepotiani: &, quod ad Theologum hunc magnus Deſiderius annotavit, expreſſus eſt locus ex iſto Euripidis Iphigeniæ in Aulide:

Ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον·
καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει,
Ἄνολβα τ' εἰπεῖν. τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν
Ἅπαντα ταῦτα. ] Sed extremis in verbis vitium obrepſit. Nam quod Latinus Tragici interpres ait, *generoſo viro omnia iſta*, ſupple, *negata ſunt*: hujuſmodi ἔμφασιν quis ferat? Doctiſſimus Brodæus legit ἀπαντᾷ ταῦτα, quod eſt *conveniunt*. Sed contrarium voluit Euripides: quod ſatis apparet: & Ennii quoque verbis probatur. Quare non dubito, quin rectum ſit ἀπαυδᾷ, quod eſt *deficiunt*. Nam id interdum valet ἀπαυδᾶν, uti & ἀπαγορεύειν.

* Pag. 22.

*

Pag. 22. *Si te ſecundo lumine hic offendero,*
*Moriere.*] Fragmentum hoc, item illud, ***Animum adverte***, &c, *Dicto pare*, &c, *Præter rogitatum ſi quærare*; eò Ennii eſſe creduntur, quia expreſſa ſunt de Euripidis Medea: ubi Creon in eandem ſententiam compellat Medeam.

*

*Adſta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum*
*Contempla, & templum Cereris ad lævam adſpice.*] *Aſta* eſt quoque in Aldina: uti *haſta* apud Jun. Majum. Sed Hieronymus Columna magis probat *aſtu*, quod in veteri ait Nonii codice inventum. Quod ſi placet, *aſtu* hic ponetur pro acropoli, ubi elegantiores habitabant; Athenæ pro Piræo, ubi plebei magna ex parte agebant. Ariſtoteles lib. v. Politic. cap. III. Στασιάζουσι δὲ ἐνίοτε αἱ πόλεις καὶ διὰ τοὺς τόπους, ὅταν μὴ εὐφυῶς ἔχῃ ἡ χώρα πρὸς τὸ μίαν εἶναι πόλιν· οἷον καὶ Ἀθήνησιν οὐχ ὁμοίως εἰσὶν, ἀλλὰ μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν Πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ. Etiam Euſtathius in Il. P. ubi πόλιν ac ἄστυ jungit poëta, ſcribit, Ζητητέον εἰ πόλιν μὲν λέγει τὸ κατώτερον, ἄστυ δὲ ἀκρόπολιν. Sed nihil iſta Columnæ cauſſam juvant, quia non *aſtu*, & *Athenæ* opponuntur; ſed *aſtu*, & *arx*; hoc acropolis, illo Piræus ſignatur. Quomodo & Accius diſtinxit Oenomao:

—— *Omnes qui arcem aſtumque incolunt.*

Quare Ennium non *aſtu* ſcripſiſſe arbitror, ſed *adſta*. Præſertim quando hoc verbum eſt poſtulantis, ut animum in rem præſentem totum intendamus, ſive aliquid cum cura contemplandum; uti hic fit: ſive aliquid grave audiendum, vel narrandum; uti apud hunc ipſum Ennium Ilionâ: *Age adſta, mane, audi, itera dum eadem & iſta mihi.*

*

*Teneor conſipta, undique venor.*] *Venor* eſt *circumvenior*, interprete Nonio. Pro *conſipta* vulgò legebatur *conſepta*: unde Michaël Bentinus conjectabat *correpta*. Sed rectum eſt *conſepta*, ſive potiùs *conſipta*; quod Ennianum eſt. Feſtus: *Conſiptum apud Ennium pro conſeptum reperitur: Conſiptum clavis præfixum.* Porrò locus ille à Nonio adductus citatur ex Nemea, juxta Junianum Majum, item editt. vett. atque etiam Mss. Sed *Medea* legi debere, conjectura eſt Henrici Stephani, & Hadriani Junii. At quid impedit, cur Nemeam ab Ennio ſcriptam credamus, cùm non tantùm Theopompus, (de quo conſtat ex Athenæo) ſed Æſchylus quoque Nemeam dederit: ut catalogus indicat ſcriptorum ejus apud anonymum. Præterea non hic ſolùm locus; ſed alter etiam ex Ennii Nemea citatur apud Priſcianum lib. v. Puta iſte,

—— *Pecudi dare*
*Viam marito.*

Ubi *Nemeam* diſertim habent, cùm recentes editiones, tum vetus Veneta anni clↃ cccc LXXVI. item Mſus meus.

*

*Matrona opulenta optumates*, &c.] Conſtare ut poſſit, quo pacto digeri iſta debeant; duo convenit ſpectare; primùm Euripidem, quem Ennius expreſſit; deinde Ciceronem, qui Ennium exſcripſit. Euripidis quidem ſunt iſta:

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
Μή μοί τι μέμψησθε. οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν θυραίοις. οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.

Nunc Ciceronem audiamus loquentem: *Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quàm ignoverunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habebant, matronæ opulentæ optimates: quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi illa vitio verterent, quòd abeſſet à patria. Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam patriâ procul: multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.* Pro eo, quod Euripidi eſt, Κορίνθιαι γυναῖκες, poterat Ennius, *Corinthia matrona.* Sed maluit ambitioſâ hæc dictione circumloqui:

*Matronæ opulentæ optimates, quæ Corinthum arcem altam habetis.*

Ut hæc eodem verſus genere Euripideis reſpondeant, ſcripſiſſe Ennium puto:

*Matronæ opulentæ optumates, quæ Corinthiam*
*Arcem altam habetis* ——

*Optumates* triſyllabon eſt, ut inferiùs *propterea*, *univerſum* apud Lucretium, aliaque alibi: de quibus in Commentariis de L. L. diximus. Sequitur apud Euripidem:

——ἐξῆλθον δόμων
Μή μοί τι μέμψησθε ——

Hoc Ciceroni: *Ne ſibi vitio illa verterent, quod abeſſet à patria.* Unde colligo, apud Ennium fuiſſe:

—— *Ne mi vitio vertite,*
*A patria quòd abſum* ——

Hinc apud Euripidem eſt nobilis illa ſententia, οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν, & quæ ſequuntur. Pro quibus apud Ciceronem legitur: *Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam patriâ procul: multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.* Ea ſic digerebat Antonius Muretus:

—— *Nam multi ſuam*
*Rem bene geſſere, & publicam patriâ procul:*
*Multi domi qui ætatem egerunt, propterea*
*Sunt improbati.*

Sed in omnibus antiquis libris (ut etiam Paullus Manutius teſtatur) ſcriptum eſt, *Qui domi ætatem agerent*: non, *Domi qui ætatem egerunt.* Quare tentabo, an aliter medicina fieri poſſit. Puto autem poſt *multi* excidiſſe *ꝗ que*, ob ſequens *qui*. Solent enim librarii, ubi concurrunt ſyllabæ ſimiles, alterutram præterire: ut ſciunt, qui veteres tractarunt libros. Quo obſervato, nihil ultrà mutari opus. Sic igitur ſcribendum:

—— *Nam multi ſuam*
*Rem bene geſſere, & publicam patriâ procul;*
*Multique qui domi ætatem agerent, propterea*
*Sunt improbati* ----

Atque ita quinque iſtos Euripidis verſus quinque, aliis ac dimidio expreſſiſſe Ennium cenſeo. In quo operam meam non jacto: ſed tamen omnes fruſtra fuere, qui antehac in digerendis illis laborarunt.

*

—— *Salvete optima corpora,*
*Certè manum veſtras, meaſque accipite.*] Henricus Stephanus ſuſpicatur pro *corpora*, *pignora* legi debere. Quæ ſatis veriſimilis eſt conjectura. Nam expreſſus eſt locus ex iſto Euripideo:

---- Δότ' ὦ τέκνα,
Δότ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα.

*Pignora* autem vocari liberos; *corpora* potiùs de ſervis dici; nemo paullò humanior ignorat. *Corpora* tamen conſtanter invenitur in Mſsis, & editis, uti & apud Jun. Majum. Ac propterea nihil mutare auſim.

*

*Quò nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi?*
*Domum paternamne? anne ad Peliæ filias?*] Nemini obſcurum eſſe poteſt, dici iſta à Medea. Eò & Ennii eſſe, & quidem ex Medea ejus, creduntur; etſi neutrum apud Ciceronem legas.

*

*Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit.*] Adducit Cicero non ex III de Orat. ut Delrio putavit: ſed epiſt. VI. lib. VII. Metrum verò requirit, *Ipſe qui*: vel *non quit*: quod non video, cur rejiciat Paullus Manutius.

*

*Tu me amoris mage, quàm honoris, ſervaviſti gratiâ.*] Utrùm ex Ennii, an Attii Medea ſit, quis dicat? Interim verba eſſe Jaſonis ad Medeam ſatis eſt evidens.

* Uti-

*

*Utinam ne unquam Medea corde cupido*
*Colchis pedem extuliſſes!*] Ita acutè corrigunt viri docti, cùm antea legi ſoleat: *Utinam ne unquam Medea corde cupido Colchis pedem extuliſſes.* Sed tamen nec ſic metrum conſtat. Quare potiùs legendum:

*Utinam ne unquam, Medea, de corde cupido*
*Colchis pedem extuliſſes.*

Vel hoc pacto:

—— *Utinam*
*Ne unquam Medea Colchis de corde cupido*
*Pedem extuliſſet.*

*

*Pecudi dare viva marito.*] In Mſo noſtro eſt:

—— *Pecudi dare*
*Viam marito* ——

Ubi in veteri Veneta, *Vivam marito.* Unde Cl. V. P. Scriverius legendum conjectabat, *Viram marito.* Et ſanè ἀντίθεσις hanc lectionem ſuadet. *Vira* pro marita, vel ſimpliciter femina, ut *Querquetulana vira* apud Feſtum.

*

*Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus.*] Eadem ſententia eſt in Euripidis Medea: unde locus hic, ſive ab Ennio, ſive ab alio, expreſſus. Quem ſic lege:

—— *Neque unquam tuum*
*In gremium extollas liberorum ex te genus.*

## MEDEA EXULE.

*

Pag. 24. *Nam ter ſub armis malim vitam cernere,*
*Quàm ſemel modò parere.*] Nonius ſcribit, *cernere* nunc poni pro *amittere*; nunc pro *dimicare*, vel *contendere*. Utriuſque exemplum facit hunc Ennii locum. Quæ ſupina oſcitantia eſt. Omnino verò pro *dimicare* accipitur. Nam apud Euripidem, quem Ennius expreſſit, legitur παρ' ἀσπίδα στῆναι.

*

*Jupiter, tuque adeò ſumme Sol*
*Qui res omnes inſpicis;*
*Quique tuo lumine*
*Mare, terram, ac cælum*
*Contines, inſpice hoc facinus*
*Priuſquam fiat, prohibe ſcelus.*] Ex Euripide apparet, eſſe verba chori, orantis Solem, ut videat Medeam, priuſquam interimat liberos ſuos. Quod verò hactenus animadverſum non eſt, ſunt trochaici tres: ſed verſu primo pro *Qui res*, ſcribendum, *Res qui*: ſimiliter verſu ſecundo, pro *Quique tuo*, ſcribe, *Qui tuoque*. Poſt quæ prius trochæus, unde tribrachys conſequitur. Tertio verſu, non facinus videre ſol rogatur, ſed Medeam; ut ex Euripide conſtat: eoque pro *hoc* ſcribendum *hanc*: *hoc* item, quod loco ſuo excidit, cum *facinus* conjungendum. Vera igitur ſcriptura erit:

*Jupiter, tuque adeò ſumme ſol, res qui omnes inſpicis,*
*Qui tuoque lumine mare, terram, ac cælum contines,*
*Inſpice hanc, facinus priuſquam fiat; hoc prohibe ſcelus.*

Vel ſecundum verſum ſic ſcribe,

*Qui tuoque numine mare, terram, ac cælum contines.*

## MELANIPPA.

*

Pag. 25. *Mihi auſculta, nate; pueros cremari jube.*] Metrum requirit, *cremari pueros.* Vel ſcribe, *Mi auſ. n. puerosque cremari vide.*

*

*Lumine ſic tremulo terra & cava cærula candent*] Heroicum verſum in tragœdia etiam locum habere, ex non uno Senecæ loco conſtat.

## NEMEA.

*

*Tenoer conſipta, &c.*] De hoc, & ſequenti fragmento, dictum ad *Medeam*.

## PHOENICE.

Pag. 26. *

*Sed virum verâ virtute vivere animatum addecet,*
*Fortiterque innoxium vocare adverſus adverſarios.*
*Ea liberta'ſt, qui pectus purum & firmum geſtitat.*
*Alia res obnoxia nocte in obſcurâ latent.*] Ita nuperæ editiones. Sed in cunctis vett. libb. legitur, *Adjecit fortiter, Eumque innoxium vocare.* Unde Clariſſimus Scriverius acutè conjectabat, ex gloſſemate hæc irrepſiſſe, ubi ſcriptum fuerit, *Adjecit* FORTITER, *cùm innoxium vocaret.* hoc eſt, cùm non obnoxium notaret. Et fortè *vocaret* ex *notaret* poſtea inolevit. Hoc gloſſemate ſurcillato; item ex *purum & firmum* altero ejecto, tanquam ab hæſitante ſcribâ nato; ſic idem Ennii verſus in ſenarios redigebat:

—— *Sed virum verâ virtute vivere*
*Animatum fortiter adverſu' adverſarios:*
*Ea liberta'ſt qui pectus firmum geſtitat;*
*Res alia obnoxia nocte in obſcura latent.*

Vel, ſi συνιζήσεις in *Obnoxia* diſplicet,

*Obnoxia res alia in obſcuro latent.*

Ut τὸ *nocte* repetitum ſit ex *obnoxia.* Et ſanè vel hæc vera ſunt: vel ſaltem *innoxium* factum eſt ex *obnoxium*: quod, quia de hoc agitur, ad oram fuerit adjectum, unde *innoxium* in textum ſit receptum. Quo uno obſervato, non difficile ſit, hinc facere trochaicos quadratos:

*Sed virum verâ virtute vivere animatum addecet,*
*Fortiterque eum* (vel ἀρχαϊκῶς *Emque fortiter*) *vocare adverſus adverſarios.*
*Ea libertas eſt, qui pectus purum & firmum geſtitat,*
*Aliares obnoxia * nocte in obſcura latent.*

Hiatum verò verſu extremo expleo hoc pacto:

*Aliares obnoxia hoſti nocte in obſcura latent.*

Nam cùm ductus literarum in *hoſti* non multum abeat à ſequenti voce *nocte*; ſimilitudo ea occaſionem dare potuerit oſcitanti librario alterum prætereundi.

*

*Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit.*] In Mediolanenſi editione reperi:

*Quam tibi orationem ex orâ duriter dictis dedit.*

Quod probum cenſeo. Ex orâ maritimâ ſermo ille fiebat. Nam agitur de iis, qui mari ſe dabant, ut ſequens indicat fragmentum:

*Ibi tum derepente ex alto in altum deſpexit mare.*

Uterque verſus eſt trochaicus quadratus. Nempe τὸ *orationem* κατὰ συνίζησιν effertur.

*Sæviter ſuſpectionem ferre falſam, futilum eſt.*] *Suſpectionem* ab Hadr. Junio, ac Mercero editum eſt: ubi vett. libb. *ſuſpicionem.* Nec video, cur mutarint. Nam ſecundam etiam producit Telamone,

*Eandem me in ſuſpicionem ſceleris partivit pater.*

Quomodo iidem hoc loco ediderunt. In Med. & Ald. imò & recentibus nonnullis, legas *futilium eſt.* Sed *futilum* eſt in Mſtis, uti & Jun. Majo. Nec quicquam mutandum. Nam ut *hilarus* & *hilaris*, ita videntur dixiſſe *futilus* & *futilis*: ab hoc eſt *futiliter*, ab illo *futile*; quo Ennius utitur fragmento proximo collectionis Scriverianæ.

*Stultus eſt, qui cupida cupiens cupienter cupit.*] Vel eſt trochaicus ἀκέφαλος: vel potiùs, *Stultu'ſt* ſcribe; ut ſenarius ſit.

*

*Plus miſer ſim, ſi ſceleſtim faxim, quod dicam fore.*] *Sceleſtum* eſt in vett. edit. & apud Majum. Sed in Mſo eſt *ſceleſtim.* Quod Mercerus expreſſit. Ut *diſertè* & *diſertim*, *cautè* & *cautim*, *arctè* & *arctim*, *exquiſitè* & *exquiſitim*; ſic *ſceleſtè* & *ſceleſtim.*



Digitized by Google

## TELAMONE.

*

*Nam ita mihi Telamonis patris,*
*Atque facies proavi Jovis gratia ea eſt.*
*Atque hoc lumen candidum claret mihi.*] Planè non dubitandum, quin rectè emendârit Hugo Grotius:

*Nam ita mihi Telamonis patris facies, ac proavi Jovis*
*Gratia grata eſt, atque hoc lumen candidum claret mihi.*

Sunt verba Teucri exulis. *Grata* prætericrat librarius ob ſimilitudinem vocabuli *gratia*, quod continuò anteceſſit.

*

*Audibo, atque aures tibi contrà utendas dabo.*] In Mediol. & Ald. legitur, *More antiquo audibo.* Sed videntur verba hæc, *More antiquo*, eſſe gloſſatoris, monentis *audibo* pro *audiam* dici ἀρχαϊκῶς. Ut meritò ea hic prætereantur. Sequitur in vulgatis (etiam illa Junii, & Merceri) *neque aures*: ubi Columna, & Nicolaus Faber, rectè, *Atque aures.* In veteris editionis etiam eſt, *contrariorum* pro *contra.* Sed corruptè. Quod ſiquis *More antiquo* à poëta eſſe malit, ſic ſcribat; ut trochaicus ſit:

*More antiquo audibo, atque aures tibi contrà utendas dabo.*

Ait ſive Teucer, ſive alius, ſollemne ſe ſuum obtinere velle, neque judicium ferre decreviſſe, niſi utramque audierit partem. Notum illud vetus:

*Qui ſtatuit aquum parte inauditâ altera;*
*Æquum licet ſtatuerit, haut aquum fuit.*

*

*Ego cùm genui, tum morituros ſcivi, & ei rei ſuſtuli.*] Malim *moriturum.* Sunt enim verba Telamonis, cùm accepiſſet nuncium de mortuo Ajace. Mox etiam malim *ſcibam* ἀρχαϊκῶς, metro ſuadente:

*Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.*

*

*Non habeo denique nauci Marſum augurem,*
*Non vicanos aruſpices, non de circo aſtrologos,*
*Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomnium:*
*Non enim ſunt ii, aut ſcientiâ, aut arte divini;*
*Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli:*
*Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.*
*Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.*
*Quibu' divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt:*
*De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant catera.*] Primùm cùm dicitur, *Non habeo denique*, non parùm ambigo, an illud *denique* à Tullio ſit, an ab Ennio. Sequentia, ut ſint trochaici quadrati, ita reſtituo:

—— *Nauci non habeo Marſum augurem.*
*Non Aſtrologos de circo, non vicanos aruſpices.*
*Non Iſiacos conjectores, ſomniúmque interpretes.*

Verſum proximum, vel hoc pacto legere poſſis:

*Non enim ii ſcientia aut ſunt arte divinaculi:*

Vel iſto modo:

*Non enim ſunt illi aut arte divini, aut ſcientiâ.*

Sequens verſus eſt,

*Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli.*

Ubi vox extrema κατὰ συνίζησιν fit trium ſyllabarum, ut alibi *propterea.* Quatuor poſtremi verſus non egent Æſculapio. Ex Columna verò diſcere potes, quâ conjecturâ ad Ennii Telamonem referantur hi verſus: uti & ſequens iſte:

*Qui ſui quaſtus cauſſâ fictas ſuſcitant ſententias.*

Ubi in *ſui* συνίζησις eſt. Sed mihi, uti & amiciſſimo Scriverio, omnes hi verſus ſocci potius, quàm cothurni, eſſe videntur.

## THYESTE.

Pag. 29. - - - - *Aſpice hoc*
*Sublime candens, quem vocant omnes Jovem.*] Scaliger legit *Sublimen*, quod in veteri Appuleji codice inveniſſe ſe ait. Ac ſequitur hanc emendationem Delrio. Quod factum nolim. Nec enim tralatio iſta ſatis apta eſt: nec eam vel Ennius, vel alius de cœlo uſurpavit: ut ante annos hos decem oſtendimus lib. iv. Orat. Inſtit. cap. vi. Ubi contra maximum illum virum lectionem vulgatam tuemur verſibus iſtis Euripidis, qui apud Athenagoram leguntur in Apologia pro Chriſtianis:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ, τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ Θεόν.
*Videſne ſublimem hunc, & immenſum athera,*
*Omnem ſuo qui continet terram ſinu?*
*Hunc tu Jovem putabis, hunc credes Deum.*

Quis non videt, Ennium hinc more ſuo expreſſiſſe iſta,

*Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Jovem.*

Quod ſiquid in Ennio mutandum, non pro *ſublime*, *ſublimen*, ſed *ſublimum* ſcribi debebit. Quomodo idem Achille dixit:

*Per ego Deûm ſublimas ſubices, humidas*
*Unde oritur imber.* - -

Lucretiumque, & Salluſtium, ſimiliter uſos eſſe, ex Priſciano, ac Nonio diſcimus.

*

*Sed me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.*] Sic numeris reſtitue, ut ſit octonarius:

*Sed ipſe Apollo me delectat, atque ductat Delphicus.*

Quamquam quid aliud eſt *ductare*, quàm *delectare*? Nam *delectare* hic eſt, *illicere*, *attrahere*: ut Nonius exponit. Nec apud Junianum Majum verbum *ductat* invenitur. Quare videtur, in nonnullos libros ex gloſſemate irrepſiſſe. Ut vera lectio ſit iſta:

*Sed ipſe Apollo me delectat Delphicus.*

*

*Quam mihi maximè hic hodie contigerit malum.*] Trajecto provocabulo ſenarius fiet:

*Quàm maximè hic mihi hodie contigerit malum.*

*

*Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala.*] *Eheu* ſi ſcribas, fuerit trochaicus quadratus. Sed in Mediolanenſi, uti & Merceriana, eſt *glomeras.* Quod ſi placet, *omnia* diſſyllabon fiet, ut ſenarius ſit.

*

*Impetrem facile ab animo, ut cernat vitalem Babium.*] In Mſs. & veteribus editt. nunc *Babium* eſt, nunc *Babium.* Cui, cùm Romanum id nomen ſit, locus in tragœdia Græcanici argumenti eſſe non poteſt. Propterea Mercerus legit, *cernat vitalem βίον.* Quomodo Cicero dicit, *vitam vitalem ducat.* Sed quis tragicum eſſe dixerit, *vitalis βίος*? Niſi fortè ex præfatione eſt, in qua & Babii, vel Bæbii nomen, inveniſſet locum. Quod Scriverio noſtro placet. Qui legit:

*Impetrem facile ab animo, ut cernat Vitalem Babium.*

Ut Vitalis Bæbius nomen alicujus poëtæ ſit, aut obtrectatoris: & fortè is ipſe, ad quem Accius Didaſcalica ſua ſcripſit: ut verbis iſtis diſcimus apud Cariſium lib. i: *Quàm varia ſint, genera poëmatorum, Babi, quamque longe diſtincta ab aliis, noſce.* Sed ſi hæc præſtantiſſimi viri conjectura minùs arrideat, (quæ ſanè mihi ſe mirè probat) vel lege *vitalem halitum*, ut nonnulli emendant: vel cum Delrio ſcribe:

*Impetres facile ab animo, ut cernat vitalem Atreum.*

Ut dicantur iſta Thyeſtæ filiis, cùm mitterentur ad patrem, oratum, ne gravari vellet, ad fratrem ſuum Atreum venire.



Digitized by Google

*

*Sed ſonitus aureis meas pedum pulſu increpat.*] Nihil mutandum, cùm *meas* συνίζησιν patiatur. Eſt igitur ſenarius. Nec movere debet, quod in *Crepo* hoc adfertur exemplum: unde Delrio legere jubet:

—— *Sed ſonitu aures in meas*
*Pedum pulſu crepas* ——

Nam ibidem alia etiam compoſitorum exempla ſimplici permiſcet Nonius. Et idem paſſim facit in iſtoc operæ. Quid certius?

Pag. 30. *

*Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis eviſceratus,*
*Latere pendens ſaxa ſpargens tabo, ſanie & ſanguine atro.*] Turnebus lib. XXIII. Adverſ. cap. III. pro *tabo* legit *tabida*; pro *eviſceratus*, *viſceratus*, quod exponit *laniatus, diſcerptus*. Ita trochaici erunt, inſtar ſequentium. Quod ſi *eviſceratus* retinemus, jambici erunt octonarii, dummodo pro, *& ſanguine*, ſcribas, *atque ſanguine*. Nempe hunc in modum:

—— *Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis*
*Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabidâ*
*Sanie, atque ſanguine atro.*

*

*Neque ſepulcrum quò ſe recipiat, habeat portum corporis,*
*Ubi remiſſâ humanâ vitâ corpus requieſcat à malis.*] Priori in verſu pro *quo ſe recipiat*, delecto provocabulo, *quo recipiat* ſcribi debet: item verſu ſeq. pro, *requieſcat à malis*, inducto præverbio, ſcribendum, *requieſcat malis*. Ut trochaici ſint quadrati: & favent utrique emendationi iſti veteris codicibus, ut ad Ciceronem ſuum annotavit alter illius cum Gulielmio ſoſpitator, Janus Gruterus.

*

*Nolite hoſpites adire ad me, illico iſtic*
*Ne contagio mea bonis, umbráve obſit;*
*Tanta vis ſceleris meo in corpore hæret.*] Pro *iſtic* Guilielmius legebat *ſiſtite*: ſed invitis libb. Rectum eſt *iſtic*, ſive quod ex Pythœano codice probat maximus Gruterus, *iſti*. Antiquum hoc pro *iſtic*, quomodo, *illi* pro *illic* crebrò legas apud Plautum, & Terentium. Idem *illico iſti* cum præcedentibus jungit. Quod placet. *Meo* abeſt ab vett. libb. etiam edit. Robert. Stephani, & Gruterianâ. Verba Ennii ſic numeris reſtituo:

—— —— *Nolite, hoſpites,*
*Adire ad me illico iſti, ne contagio*
*Mea bonis, umbráve obſit: ſceleris tanta vis*
*In corpore hæret* ——

## TRAGOEDIIS INCERTIS.

*

*O terra trita, ubi Liberi fanum in cujus muro locavi.*] Ita editio Med. Ald. aliæ: ut vera hæc videatur lectio:

—— *O terra tritavi, Liberi*
*Fanum in cujus muro locavi* ——

Et ita quoque Scaliger, niſi quod fruſtra trajiciat voces: ut qui legat:

*O terra tritavi, in cujus muro Liberi*
*Fanum locavi* ——

At mirifica eſt correctio Auſonii Popmæ:

—— *O terra Threicia, ubi Liberi*
*Fanum in Crunis Iſmaro locavi* ——

Sanè ingenioſum videtur commentum: quando Cruni Thraciæ ſunt oppidum, quod poſtea Dionyſiopolis nuncupatum, teſte Plinio lib. IV. cap. XI. & veriſimile eſt, à fano Liberi, qui idem ac Dionyſius, Dionyſiopolin eſſe vocatam. Sed quid eſt *fanum locari Iſmaro in Crunis*? Quis, niſi Geographiæ rudis, unum fanum Iſmaro, & Crunis, locis tanto intervallo disjunctis, collocet: cùm Iſmarus ſit in Ciconum regione, prope Schœnum fluvium, qui ex mari fluit Ægæo; Cruni ultra Hæmum ſint, ubi Zyras fluit è ponto Euxino.

*

*Cubitis pinſebant humum.*] Primùm pro *pinſebant* ἀρχαικῶς ſcribe *pinſibant*, ut eſt in Mſsis, etiam editis Mediol. Aldin. aliis. Præterea verba illa præmitte, *In terram cadentes*. Varro lib. IV. de L. L. *Ideo Ennius, In terram cadentes, dicit, cubitis pinſibant humum*. Scio alios legere, *Ideo Ennium in terram cadentes dicere, Cubitis pinſibant humum*. Unde aliqui colligunt, verba priora Varronis eſſe, non Ennii. Sed hos fefellit, quod Ennius expreſſit Homeri illud:

- - Ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ.

Quod legas Il. N. 508. Ξ. 452. Φ. 315.

*

*Extemplo acceptum me necato & filium.*] Diximus de hoc ad Andromaches fragmenta.

*

Pag 31. *Ut tibi Titanis Trivia dederit ſtirpem liberûm.*] Ita eſt apud Jun. Majum. Sed in Med. & Ald. pro *tibi* eſt *ſibi*.

*

*Atque priùs pariet locuſta Lucam bovem.*] Fortè ex annalibus ſit, ſcripſeritque Ennius:

*Atque priùs pariet Lucam locuſta bovem* - -

Ut extremo verſui *quam* deſit.

*

*Quod inde invictis ſumſerunt perduellibus.*] Ita Turnebus, cùm prius, etiam in Med. & Ald. legeretur, *Quin inde*. Scaliger emendat:

*Vindictam victis ſumſerunt perduellibus.*

Sed minùs à veteri ſcriptura abit:

- - *Quæ inde victis ſumſerunt perduellibus.*

*

*Quapropter Parim paſtores nunc Alexandrum vocant.*] Ex Alexandro Ennii eſſe arbitror.

*

*En Thelis illi mater.*] Videtur eſſe ex Achille. Nam mater ejus ἀρχαικῶς *Thelis* vocata. Varro lib. III. de R. R. cap. 12. *Antiqui, ut Thetin Thelim dicebant; ſic medicam melicam vocabant.*

*

*Craſſa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum.*] Hadrianus Junius, quem etiam ſequitur Hieronymus Columna, exiſtimat Ennium, Æſchyli, atque Euripidis exemplo, *Creſſas* ſcripſiſſe; eoque pro *Craſſa*, *Creſſis* legit; ut Ennii ſolùm verba ſint iſta; - - *Pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum.* Sed aliquid diceret, ſi in ſuperiori verſu, qui eſt trochaicus quadratus, offendere eum quicquam poſſet: vel ſi Ennii Creſſas veterum ullus laudaret. Nec magis aſſentio, cùm pro pervolat, uti eſt in Mſsis, & prælo excuſis, *pervolgat* legere mavult. Nam id verbi hic locum non habet, ut quod ſignificet *concelebrare, frequentare*. Lucretius lib. II:

*Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum*
*Concelebrant circum ripas, fontiſque, lacuſque;*
*Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes.*

Paccuvius: *Alcyonis ritu litus pervolgans feror.*

*

Pag. 32. *Nimium boni eſt, cui nihil eſt mali.*] Si eſt ſenarius ἀκέφαλος, vel duæ principes, vel duæ extimæ voces trajici debent. Sed fortè eſt finis, principiumque trochaici, ut ſuprà dictum.

*

*Salmaci da ſpolia ſine ſudore & ſanguine.*] Ita Feſtus legiſſe videtur. Sed malo conjunctim *Salmacida*, ut in melioribus Ciceronis codd. legitur. Vett. gloſſæ interpretantur ἁλμυρᾷ: nempe gloſſographus ille deduxit à *Salmacia*, quomodo dictam ait Amphitriten. Propterea Scaliger ad Auſonium & Feſtum tradit eſſe tranſlationem à capturâ marinâ, quæ venatione facilior eſt, cùm fiat καὶ ἀναιμωτὶ, καὶ ἀκονιτί. Sed liceat à ſummo viro diſſentire, quem gloſſographus in errorem abduxit. Nam quis fando unquam Salmaciæ Deæ nomen accepit? Nempe Salaciam dicere voluit, ſanè debuit. Nam Salacia Neptuni con-

Digitized by Google

conjux, quæ Græcis Ἀμφιτρίτη. Varro lib. iv. de L. L. *Salacia Neptuni ab ſalo.* Idem Gellius docet lib. xiii. cap. xxi. ut Servium, Capellam, Auguſtinum, omittam. Quod ſi à *Salmacis* eſt *ſalmacidus*, quomodo (in quo etiam Delrio deceptus) ſignificabit ſalſum, aut marinum? Nec enim *Salmacis* maris eſt nomen, ſed fons in Caria fuit: ut omnes ſciunt. Nam, ut poëta ait,

*Cui non audita eſt obſcœna Salmacis unda?*

Planè igitur ſic cenſeo, *Salmacida ſpolia* eſſe, quibus exultant juvenes molles atque impudici, quando Ereptæ, ut idem loquitur, *ſpolium virginitatis habent.* Nec ἀναλογία adverſatur. Nam ut ab *herba* eſt *herbidus*, ſic à *Salmacis* eſt *Salmacidus.* Quod non attendit doctiſſimus Guilielmius. Nam ut *Salmacida* tueatur, ait, ſic fere *Salmacida* eſſe à *Salmacis*, quomodo à *Threce Threcidica* eſt apud Ciceronem Philippica iii. Atqui tum, ut *Threcidica*, ſic *Salmacidica* diceretur.

*

*Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.*] Apud Ciceronem lib. iii. de Orat. verſus iſte aliis legitur permiſtus, ut ſi iſte Tullii ſit, reliqui etiam videantur. Ita enim ibi legitur:

*Multimodis ſum circumventus morbo, exilio, atque inopiâ.*
*Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.*
*Alter terribilem minitatur vitæ cruciatum, & necem,*
*Quæ nemo eſt tam firmo ingenio, & tantâ confidentiâ,*
*Quin refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*

At minimè iccirco exiſtimandum, hæc apud poëtam ita cohæſiſſe. Nam eodem libro junxerat Cicero:

*Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.*
*Num non vis hujus me verſutiloquas malitias.*

Sed neque idem ubique metrum eſt. Nam qui ſyllabarum intervallum attendit, facilè videbit, primum verſum eſſe ex ſenario, atque ita ſcribi debere:

—— —— *Multis modis*
*Sum circumventus morbo, exilio, atque inopiâ.*

Verſu ſecundo putarem particulam *Tum* à Cicerone eſſe, niſi & aliis eam locis Tullius præmitteret. Interim aliud fragmentum eſt, ſive trochaicum eſſe lubet, ſive ex ſenario ſit, atque ita ſcribere conveniat:

—— —— *Tum pavor,*
*Sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.*

Utrùm verò diviſim, *ex animo*; an conjunctim, *exanimo*, ſcripſerit; quæri à doctis video. Magnus Turnebus putabat, non magis Latinè dici, *ex animo expectorare*, quàm *ex pectore exanimare.* Cui obducimus illud Attii Phœniſſis:

*Incuſant ultro à fortuna opibuſque omnibus*
*Deſertum, abjectum, afflictum, ex animo expectorant.*

An dicemus hìc legi debere, *afflictum, exanimum, expectorant?* Sed obſtant libb. omnes. Et minùs ἐμφατικὸν eſt, ſi ἁπλῶς dicas, *expectorare aliquem*, quàm *expectorare ex animo*, quod eſt ex animo amorem omnem ac curam alicujus deponere, vel abjicere. Qui ſimilis ferè eſt pleonaſmus, ac *memoriâ meminiſſe*, apud Plautum Capt. *ædificare domum* apud Cic. i. de Offic. & ſimilia. Imò, quando Fabius lib. viii. ait, ſimile eſſe *eliminare* ac *expectorare*, ac ejuſdem hoc notæ eſſe ac *exanimare:* ſanè hinc quoque exemplum iſti geminum petamus. Nam etſi limen ædium pars ſit, tamen dixere, *extra ædes eliminare*, ut Pomponius Conchâ:

*Vos iſtic manete, eliminabo extra ædes conjugem.*

Et Ennius Medeâ Exule:

*Quid ſic te extra ædes exanimata eliminas?*

Quare liquet, nihil cauſſæ eſſe, cur Latinum eſſe negemus, *expectorare ſapientiam ex animo:* quando idem eſt ac *expectorare eam ex pectore.* Nam ſapientia animo ineſt, qui in pectore creditur domicilium habere. Nec propterea poëtam ita ſcripſiſſe contendo. Nam cùm paſſim legamus, *exanimari aliquem metu*; ſatis eſt veriſimile, ſimiliter hic dici, *exanimari aliquem pavore.* Et diſertim in libb. quibuſdam *exanimo* legitur, vel etiam *exanimato:* quomodo citat quoque Raphaël Regius notis ad Quinctilianum. Idem in pluſculis Tullii Mſsis codd. invenitur: & in præclarâ Ciceronis editione, quam Grutero inter tot alia bona debemus. Neque metrum refragatur, dummodo *ſapientia* κατὰ συνεκφώνησιν quatuor efferas ſyllabis, vel *mihi* contrahas, hoc pacto:

*Tum pavor ſapientiam mî omnem exanimato expectorat.*

Sequitur apud Ciceronem fragmentum tertium, quod tribus conſtat trochaicis quadratis. Sed princeps eos inter ἀκέφαλος fortaſſe fuit. Nam valde eò inclino, ut credam principale verbum *Alter*, non à poëta eſſe, ſed a Tullio; qui eo ſignârit, ſequentia ab alio dici, quàm quæ præmiſerat. Non audiendus verò Paullus Manutius, qui ait, ſententiam poſtulare verſu extremo, *timido ſanguine.* Quod ea planè reſpuit. Quippe ſic abundabit verſu ſuperiori provocabulum *Quæ:* quod invito metro tolli non poteſt. Præterea *ſanguen* diſertim quoque habes lib. v. de Fin. & ita adducunt Nonius, ac Priſcianus in vi.

*

*Homo qui erranti comiter monſtrat viam.*] Janus Guilielmius malebat, *Domo qui erranti.* Commodè quidem: ſed nihil video, quod cogat recedere ab omnibus libris. Proximo etiam verſu trajectis vocibus legas in aliis:

*Quaſi lumen de ſuo lumine accendat facit.*

In *ſuo* eſt συνεκφώνησις. Uti & verſu tertio in *luceat.* Quod eſt in pleriſque libb. Ubi alii *lucet:* quod Langius probat.

*

*Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.*] Senarius ſit:

*Nulla eſt ſocietas ſancta regni, nec fides.*

*

*Quem metuunt oderunt, quem quiſque odit, periiſſe expetit.*] Rectè alii *periſſe*, metro ita exigente, quod trochaicum eſt.

*

*O fides alma, apta pennis, & jusjurandum Jovis.*] Monet H. Stephanus, in aliis eſſe *alta pennis:* in aliis item, *à qua pendet jusjurandum Jovis.* Quod Hieronymus Columna imprimis ſequitur. Puto nihil mutandum. Nam *apta pennis* eſt pennata, ut, *cælum ſtellis fulgentibus aptum*, hoc eſt ſtellatum, ſive ſtelligerum.

*

Pag. 33. *Refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*] Apud Ciceronem, uti ſuprà vidimus, eſt, *Non refugiat.* Ut trochaicus ſit. Sed particula ἀρνητικὴ abeſt apud Priſcianum, etiam in antiquâ Venetâ, & Mſo noſtro. Pro *timido* apud Junianum Majum eſt *tumido:* multoque ineptius in Putſchianâ *timidos* legitur.

*

*Non habeo denique nauci*, &c.] Vide, quæ ſupra notata nobis ad Ennii Telamonem. Illud nunc ſolùm addo, eorum nobis probari ſententiam, qui poſt verſum ſextum interſerunt fragmentum proximum: nempe ut hoc pacto legatur:

*Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat,*
*Qui ſui quæſtus cauſſâ fictas ſuſcitant ſententias.*

*

- - - *Imprimitque genæ genam.*] Genæ hic ſunt palpebræ: ut Iſidorus monet, qui hæc de dormiente ait dici. Ac è Feſto cognoſcimus, ſimiliter alibi Ennium dixiſſe:

*Pandite ſulti' genas, & corde relinquite ſomnum.*

*

*Cui, quod in me eſt, exſecrabor hoc quod lucet, quicquid eſt.*] Ita corrigit Henricus Stephanus. Sed placet emendatio Jani Guilielmii legentis:

*Qui, quod in me eſt, exſecrabor hoc, quò lucet, quicquid eſt.*

Extat verò lib. II. de Nat. Deor.

*

—— —— —— *Eo ego ingenio*

*Natu' ſim amicitiam atque inimicitiam in frontem promtam gero.*] *Ingenio* ſit triſyllabon. Si *natus* ſcribas, erit jambicus octonarius. Sed puto *natu'* ſcripſiſſe, ut ſit trochaicus quadratus.

*

*Tibi vita, ſeu mors, in mundo eſt.*] Eſt apud Cariſium lib. II. ubi in editione Putſchianâ legitur, *Sen ibi vita, ſeu mors i. m. e.* Quo ex Ennii libro petatur, non addit Soſipater: ſed Nobiliſſimus Colurona, (ſanè levi nimis, ut cenſeo, conjecturâ ductus) ad Alceſtidem tragœdiam refert. Nam Planciades quidem nominat Ennii *Alceſtidem* (pro quo in aliis libris eſt *Teleſtidem*) ſed Grammaticus iſte ſæpe eos laudat ſcriptores, qui neque ſunt, neque fuere unquam. Quod jamdudum doctiſſimo Mercero obſervatum. Sed ſi ſtare viſum Grammatico tam ſubleſtæ fidei; ſanè fuerit ex Alceſtide, non tragœdiâ, ſed (quod planè inſubidum) comœdiâ. Sic enim diſertim vocat in *Frigutit.*

*

*Decem coclites, quos montibus ſummis ripis ſedere.*] Certiſſima eſt lectio Turnebi, pro *ripeis*, hoc eſt *ripis*, ſcribentis *Ripæis.* Sermo enim eſt de Arimaſpis, quos coclites, hoc eſt unoculos eſſe, etiam Mela tradit lib. IV. cap. XII. *Ultimi à tergo eorum Arimaſpi, mox Riphæi montes.* Nec diſplicet, quod idem pro *ſedere* legit *fodere:* ad quod proximè accedit vetus editio Mediolanenſis, in qua *fædere* ſcriptum eſt. Eò autem reſpexerit Ennius, quòd Arimaſpi aurum fodiant ex montibus Ripæis, quos pici, ſive gryphes cuſtodiunt, auri, ut Mela ait, cuſtodes tenaciſſimi: unde Plautus Aulul.

*Pici divitiis, qui aureos montes colunt.*

*

*Subulo finitimas propter aſtabat aquas.*] Qui lectionem hanc probant, ajunt eſſe pentametrum, in quo, *aſtabas*, ſit amphibrachys, *s* eliſo ἀρχαϊκῶς. Sed nihil eò recurrere opus, quando eſt jambicus ſenarius. Olim enim in *T.* communia erant: ut oſtendimus in libb. de L. L. Interea veriſimile magis eſt, ſcripſiſſe Ennium, uti apud Feſtum legitur:

*Subulo quondam marinas propter adſtabat plagas.*

Ut ſit trochaicus quadratus. Ingenioſè verò Scaliger pro *adſtabat* legendum conjiciebat *aſſabat*, hoc eſt ſolâ tibiâ canebat. Hoc enim fuerit *aſſare*, ab aſſa tibia. Feſtus: *Aſſa dicebatur cantus tibiarum.* Servius in II G. *Aſſe tibiæ dicuntur, quibus canitur ſine chori voce.* Quod optimè convenit ſubuloni. Nam *ſubulo* αὐλητὴς, ſive tibicen, ut Feſtus, & vett. gloſſæ exponunt. Ejus originem, non in Latio, ſed in Hetruria quæri debere, ſcribit Varro. Quid ſi dicamus ita dici quaſi *ſurbulo*, extritâ, ut ſæpe fit, caninâ literâ? Nam σύβην eſt αὐλοθήκη, Heſychio teſte, unde συβηνοδὸς, ὁ αὐλητής. Sed de hoc plura in Originum libb.

*

*Aliud emporium in campo hoſtium pro mœne.*] Pro *emporium* fortè *tentorium* legi debet: quando de hoſtili campo ſermo eſt. *Pro mœne* in quibuſdam libb. inveniri, etiam Columna monet. At *per mœne*, non tantùm eſt in editt. nuperis; ſed etiam veteri Mediol. & Ald. Quod ſi alterutra lectio ſana eſt, videntur veteres, ut *ile*, *caſtrum*, aliaque; ita & *mœne* dixiſſe numero ſingulo. Sententia verò potius flagitat *pro mœne:* quod eſt *ante mœnia.* *Mœne* ἀρχαϊκῶς pro *mœni:* quomodo & *mare* pro *mari* dixit Varro Atacinus:

*Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.*

Similiterque uſi Plautus, Terentius Varro, ac Ovidius non ſemel.

*

*Et quis illac eſt, quæ lugubri ſuccincta eſt ſtolâ?*] Metrum poſtulat, *Et quis illa' ſt.* *Quis* pro *qua*, uti Plautus Sticho:

*Quis hæc eſt, quæ adverſum it mihi?*

Item in Aulularia, & alibi.

*

*Eos deduci, quàm relinqui; evehi, quàm deſeri malo.*] Ut ſi trochaicus quadratus, ſcribe inſerta copulâ:

*Eos deduci, quam relinqui; & evehi, quàm deſeri,*
*Malo:* ſive, ut in aliis libris, eſt *Malui.* *Eos* κατὰ συνεκφώνησιν eſſe.

*

—— —— *Ut vos veſtri liberi*

*Defendant, pro veſtra vita morti occumbant.*] Deeſt in fine *fortiter:* ut ſit integer quadratus.

*

—— *Parentem, & patriam Dii*
*Servate ſoſpitem.*] Senarius ſit:
*Parentem, & patriam Di ſervate ſoſpitem.*

*

Pag. 36. *Genibus pinſibant humum.*] Apud Varronem in cunctis editt. eſt, *Cubitis pinſibant humum.* Quo de diximus ſecundo loco, cum de incertæ tragœdiæ Fragmentis ageremus. Error obortus ex iſto Ennii, *Pinſebant terram genibus:* quod ex decimo Annalium citat Diomedes.

*

*In luſtris ſublime iter*, &c. Et
*In luſtris nos quieſcere æquum*, &c.] Utrumque hoc fragmentum ut legi debeat, diximus ad Hectoris Luſtra.

*

*Philoſophandum eſt paucis: nam omnino haut placet.*] Turnebus, ut ſenarius ſit, legit:

*Philoſophandum eſt mi paucis: nam omnino haut placet.*

Sed puto fuiſſe trochaicum quadratum iſtiuſmodi:

*Philoſophari eſt mihi neceſſe: at paucis: nam omnino haut placet.*

Saltem propiùs ita acceditur ad verba hæc Ciceronis, quæ ſunt lib. II. Tuſc. Quæſt. *Neoptolemus quidem apud Ennium, philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe; ſed paucis: nam omnino haut quidem placere.*

*

*Atque genua comprimit arta gena.*] Ita apud Iſidorum etiam in Mſſis noſtris invenimus. Achilles Statius Luſitanus corrigit:

—— *Æqui genua compriment artè genas.*

Malim ego, & propiùs ad veterem ſcripturam:

—— *Atque genua artè comprimit gena.*

Adducit verò hunc locum Iſidorus, ut probet dicta genua, *eò quòd in utero ſint genis oppoſita.* Uti contrà docet Soranus Iſagoges ſuæ cap. XVII, genas dici, quia in utero genibus opponantur. Atque ex hoc inter alia cognoſcimus, librum iſtum (quo ſanè exiguâ jacturâ careremus) non eſſe nobilis illius medici, Sorani Epheſii, ac ne Græci quidem ſcriptoris, quando *gena* Græcè eſt βλέφαρον, *genu* γόνυ. Nec verius Iſidorus, quando *genu* eſt, non a *gena*, ſed à γόνυ. Interim ex iſto Iſidori loco cognoſcimus, Ennium eo verſu indicaſſe ſitum fœtus in utero. Ac propterea aſſentio doctiſſimo Scriverio, qui acutè vidit, eſſe hoc fragmentum, non ex tragœdiâ aliquâ, ſed ex Epicharmo. Nam eo in poëmate inter alia de humani corporis conſtitutione ac fœtu diſſeruit Ennius: quod ex reliquiis cognoſcimus. Eo igitur refer. De operis titulo vide egregiè diſſerentem Hieronymum Columnam.

*

*Tum tu iſti crede, atque exerce linguam, ut argutarier*
*Poſſis.*] In Mediolan. Ald. aliiſque vulgatis, legi ſolet: *Ennius: Quem incertum tu iſti credere atque exercere, ut linguam*, &c. Sed in Mſſis eſt: *Ennius, Quo enim cœtum tu iſti*, &c. Unde Turnebus fecit: *Ennius Chœnice: Tum tu iſti*, &c. Sed veriſimilius Columna:

Digitized by Google

lumna: *Ennius Phœnice.* Quod & Mercerus probat. Ex ea verò fabulæ inſcriptione diſcimus, eſſe verba Pelei ad Achillem, cùm eum inſtitutioni Phœnicis committeret.

*

Ennianis hiſce ex tragœdia incerta adde illud, *O pietas animi!* quod ex Ennio adducit Cicero in Lucullo. Ac ut ex Iliona cum Nobiliſſimo Columna eſſe credam, faciunt, quæ proximè ſubdit Tullius.

*

Ex ejuſdem III Tuſcul. tanquam Ennii citatur, *Animuſque ager ſemper errat, neque pati, neque perpeti poteſt: cupere nunquam deſinit.* Quæ vel trochaici fuere:

*Animuſque ager ſemper errat, neque pati, neque perpeti*
*Quit: nec unquam cupere deſinit.* ——

Vel potius jambici tales:

*Semper animus ager errat, neque pati poteſt,*
*Neque perpeti; nec unquam cupere deſinit.*

Sed etſi hæc ex tragœdia eſſe vir doctus putarit; tamen comœdiam potiùs ſapiunt.

*

Nec auſim pro tragico certò venditare hoc Ennii apud Feſtum in *Tam*:

—— *Ille mea*
*Tam potes pacis potiri* ——

Sive, ut ex jambico ſit:

—— *Ille tam mea potis*
*Pacis potiri.*

*

E Comœdia verò planè eſt iſtud apud Varronem in VI de L. L. *Frende, fritinni ſuaviter.* Ita enim legendum, ubi vulgo, *frunde frutinni ſuaviter.* Vel ſyllaba tota extrita eſt, ut Scaliger cenſet, qui legit; *Ne frende, fritinni ſuaviter.*

*

Alia etiam huc retulerunt, quæ ex Annalibus eſſe videntur. Uti illud:

*Tanto ſublatæ ſunt agmine*
*Tunc lapides* ——

Nam cauſſa non eſt, cur ex anapæſto potiùs, quàm hexametro eſſe credamus.

*

Item hoc apud Varronem in V. de L. L. *Vos epulo poſtquam ſpexit.* Quod idem eſt iſti apud Feſtum:

*Quod ubi rex... dulo ſpexit de contibus celſis.*

Ubi Pomponius Lætus legit:

*Quos ubi rex ultro ſpexit de montibus celſis.*

Scaliger autem:

*Quos ubi rex pullos ſpexit de cortibus celſis.*

Nempe ut ex *Vos epulo* fiat *Quos pullos.*

*

Illud magis dubium, quod apud Hirtium eſt:

*Pes pede premitur, armis teruntur arma.*

Nam ſi jambi fuere, ita digeri convenit:

—— *Pes pede, premitur,*
*Armis teruntur arma* ——

Sed ex annalibus ſi eſt, ſcripſerit Ennius:

—— *Pes premitur pede, & armis arma teruntur.*

*

Illud verò ex Donato, *Minimè nomine fieri pravum*, corruptum eſt ex iſto: *Commemini* (vel *Tum memini*) *fieri me pavom.* Uti rectè Paullo Merulæ obſervatum. Atque ex iſtis de aliis quoque judicium ferri poteſt, quæ Columna, atque alii, temerè ad incertæ tragœdiæ fragmenta retulerunt.

Illud extremo loco addere viſum, inter tragœdias Ennii etiam *Antiopam* fuiſſe. Sed nihil ex ea à veteribus, addito fabulæ nomine, citatur. Solùm Ennianæ Antiopes argumentum ponit Higynus fab. VIII. quem vide.

# IN
# CN. NÆVII
# FRAGMENTA.

## ÆGISTHO.

*

ÆGiſthum à Nævio ſcriptam eſſe, non arbitror. Nam, uti ſuperiùs oſtenſum, Livii, non Nævii ſunt verba iſta:

--- *Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus*
*Ludens ad cantum claſſem luſtratur* ---

Quare nec veriſimilis eſt conjectura Scaligeri, qui cum iſtis connectebat:

—— *Sirenes citis*
*Delphino junctis vehiculis, hippocampiſque aſperis.*

Nam iſta ſunt Nævii, cui tribuunt Mſſi. ubi legitur, *Navius Sereno Circes*: vel, *Navius Sireno cicer*: vel *Navius ſi renocitur.* Et exſtant quoque Næviani nominis veſtigia in editt. antiquis, quæ habent, *aterna uſus ſcire nocitur.* Nam duæ principes ſyllabæ factæ ex αἴθιες, quod ad præcedentem Menandri locum pertinet. Ultima verò ſyllaba *ne*, & ſequens vox *uſus* corrupta ſunt ex *Navius.* Quod ad proxima, Scaliger ex *Sirenocitur* fecit, *Sirenes citis.* Sed quomodo hæc cum ſequentibus cohærent? Nam quid Sirenibus cum Neptuni & Nereidum vehiculis, quæ delphino ac hippocampæ juncta eſſe dicuntur? Præterea non temerè Nonius omittere ſolet nomen fabulæ: quod iccirco in monſtroſâ illa lectione latere arbitror. Et putavit idem Hadrianus Junius, qui legit: *Navius Sirene, Itur delphino cinctis*, &c. Sed metrum requirit, ut ante *Delphino* ſit jambicus. Nam ſequitur trochaicus quadratus catalecticus. Quare ex *Si renocitur* (pro quo in Mediolanenſi editione eſt *Scire noſcitur*) lubens eliciam, *Sirene, Citis*: vel *Sirene, Ocius.* Imò quid ſi ſcribamus *Sirene, Ociter.* Solùm obſtat, quod Feſtus negat, *ociter* eſſe in uſu, ſed *ocius* & *ociſſime.* Verùm veteres fortaſſe, uti Nævius, ἢ οἱ ἑρμηνεῖς, ita tranſtulere Græcum ὠκέως. Sanè nihil adferri poſſe arbitror, quod propius abſit à veteri ſcripturâ, quàm *Sirene, ociter*, ab illis, *Si renocitur*, vel *Sireno cicer.* Ut fortaſſe ſcripſerit Nævius:

—— *Ociter*
*Delphino junctis vehiculis, hippocampiſque aſperis.*

Quamquam nec illud *junctis* controverſiâ vacet. In Mediolan. eſt *cunctis*: à quo nihilo magis abit *cinctis*, ut eſt in editionibus aliis. Neque damno. Nam fortaſſe ſermo fuit de delphinis claſſem Achivam deducentibus Trojam, vel



Digitized by Google

vel inde reducentibus: uti fit in verbis Andronici, quæ tanquam Nævii hic adferuntur. Hæc ſententia ſi placet, *vehiculum* pro navi ponetur, more Græcorum, qui ὄχος, & ὄχημα ſimiliter uſurpant: uti ex Æſchylo ac Euripide probat Muretus lib. 1. Var. cap. XI. Qua de re etiam Vir. Nob. Franciſcus Nanſius, præceptor meus, notis in Nonnum.

## ALCESTIDE.

*

*Corpore pectoreque undique obeſo,*
*Ac mente exſenſa, tardigemulo*
*Senio oppreſſum.* -- ] Nævio quidem tribuitur in Nonii codd. vulgatis: ſed Lævii eſſe, dubitare non ſinunt meliores Agellii codices, quos Torneſiana ac Stephanica editio expreſſit. Vide eum lib. undevigeſimo cap. VII. Verſum ſecundum ita emendo, ut anapæſticus ſit:

*Mente exſenſa, tardique genulo.*

*Tardique genulo* pro *tardigenuloque*: quomodo Lucilius *deque petigo* dixit, pro *depetigoque*. Nam *petigo* Latinum non eſt, etſi id Nonius putarit, Luciliano hoc deceptus. Similia quoque apud Lucretium, *perque plicatis*, & *ſeque gregari*; item apud Auſonium, *Matrique cida Nero.* In libris nonnullis legas *tardigemulo*. Sed malo *tardigenulo*. Nam eſt hic deſcriptio ſenectutis, cui tardus eſt genuum ac pedum motus, contrà quàm juventuti. Unde Maro in quincto:

*Ille pedum melior motu, fretuſque juventâ:*
*Hic membris & mole valens, ſed* TARDA *trementi* GENUA *labant.*

Et Homerus Il. Δ.

Ὦ γέρον, εἴθ', ὡς θυμὸς ἐνὶ ςήθεσσι φίλοισιν,
Ὥς τοι γούναθ' ἕποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη.

*

*Oblitera gens* ] Et hoc, & quæ porrò ex Agellio adſeruntur, ea Lævii eſſe, indidem cognoſcimus.

*

*Fortè*, dubitanter] Nec Cicero reformidat, *Si quis fortè miratur.* Similiterque uſurpat præcedente *ne*, *ſi*, vel *niſi*. Sed non ἁπλῶς dixiſſet, *forte redibit*, pro *fortaſſe*. Quomodo Lævium locutum arbitror. Atque hoc fuerit, quod in eo, tanquam inſolens, obſervat Noctium Atticarum ſcriptor.

## DANAE.

*

Pag. 40. *Eam nunc eſſe inventam opprobriis compotem ſcis.*] Ita Aldina. Scribe:

*Eam nunc eſſe inventam opprobrii compotem*
*Scis* ——

Vel cum Mercero: *probri compotem.* Nam in nonnullis *propriis* legitur.

*

*Excidit orationis omnis confidentia.*] Poſt *Excidit* diſpeſce.

*

*Animi jubeo fonte lavere nemini manum.*] In Aldina, & aliis, eſt *memini*, quod rectum. At pro *animi jubeo fonte* legebat Grotius, *Auri fulvo fonte*: quod probo. Nam favet emendationi fabulæ argumentum, cùm ex Danaë ſit: nec ea verſui repugnat, qui ſenarius eſt.

*

*Etiam minitas? mitte ea, quæ tua ſunt magis, quàm mea.*] Ita conſtanter vett. lib. etſi Delrio τὸ *ea* omittat: quod corruptum videtur ex *eia*. Nam trochaicus quadratus erit:

*Etiam minitas? eia mitte, quæ tua ſunt mage, quàm mea.*

*

*Quia ut quiſque eſt meritus, præſens pretium pro factis ferat.*] Ita eſt in Ald. & aliis. Sed metrum exigit,

*Quin ut quiſque e. m.* &c.

Vel trajectis vocibus ſcribe:

*Quia quiſque, eſt ut meritus, p. p. p. f. f.*

*

*Contemplo placidè formam & faciem virginis*] Verba ſunt Iovis Danaen ſpectantis. Scripſit verò Nævius: -- *& faciem virginis Duella*, id eſt bellæ. Patet id ex gloſſis Fornerianis. Sed illud *Duella* omiſſum fuit, ſive à librario ob imperitiam; ſive ab Nonio ipſo, quia nihil faceret ad præſens inſtitutum.

*

Pag. 42. *Omnes formidant homines ejus valentiam.*] De Iove dictum puto. Scribe autem --- *eju' valentiam.*

## DULORESTE.

*

*Caperata fronte.* Non eſt Nævii, ſed Pacuvii, cujus eſt iſte verſus in Duloreſte:

*Voce ſuppreſſâ, caperatâ fronte, vultu turbido.*

Qui Nævii eſſe putarunt, eò decepti ſunt, quòd Varro, cum Nævium antea laudâſſet, hæc poſtea ex Duloreſte adducat. Inde enim hæc etiam Nævii eſſe crediderunt. Atqui fabulam nominare Varro contentus fuit: quia, præter Pacuvium, Duloreſten nemo ſcripſiſſet. Sanè quanto hoc veriſimilius, quam, Varronem memoriæ errore pro Pacuvio Nævium dixiſſe; aut ab utroque ſcriptam Duloreſtem, ab utroque item hæc verba ibi dicta eſſe.

## HECTORE.

*

—— *Lætus ſum*
*Laudari me abs te pater laudato viro.*] Verba ſunt Hectoris ad Priamum. Scribe verò, ut trochaicus ſit,

*Lætu' ſum, laudari me, pater, abs te laudato viro.*

Vel,

*Abs te laudato, pater, viro.*

*

*Proficiſcente tunc ipſos adoriant*, &c.] De hoc dicemus in incertæ tragœdiæ apud Nævium fragmentis.

## IPHIGENIA.

*

*Paſſo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras.*] Ita eſt in Mſsis, etiam edit. Aldinâ, Mercerianâ, aliis. Hadrianus Junius legit, *Paſſo velo vicinam aquilone horiam fer foras.* Lipſius autem, *aquilone orto.* Delrio nondum liquebat. Mihi planè videtur pro *vel hoc*, legendum *velo ob*; proque *hortum*, *portum*. Nempe hoc pacto: *Paſſo velo ob vicinum aquilone portum fer foras.* Qui eſt jambicus octonarius brachycatalectus. At trochaicus fiet, ſi *Et*, vel *Te* præmiſeris. *Ob vicinum portum*, dixit pro *ad portum*; uti Ennius.

*Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.*

Vide Feſtum in *Ob. Aquilone* valet *flante Aquilone.* Sic Seneca Hercule Oeteo:

*Qua templa tollens ara Cenæi Iovis*
*Auſtro timendum ſpectat Euboicum mare.*

Hoc eſt Auſtro flante. Item Thyeſte:

*Ac mare intortum timuere nautæ,*
*Quod rapax Auſtro revomit Charybdis.*

Ita eum locum emendo, ubi vulgò *rapax auſter.* Etiam pro *intortum* repoſuêre *in portu.* Nam, inquiunt, nihil illud eſt novi, ſi intortas Charybdis undas timeant nautæ: ſed demum, ſi in ipſo portu Charybdin extimeſcant. His non meliùs reſpondere poſſumus, quàm verbis Senecæ, qui auctor eſt, non ſemper timeri Charybdin; verùm ſi Auſter civerit tempeſtatem. Verba ejus ſunt conſolatione ad Marciam: *Charybdin dico, quamdiu ab auſtro vacat, quietam: at ſi quis inde ventus ſpiravit, hiatu magno*



Digitized by Google

*gine profundoque navigia ſorbentem.* Nec aliâ luce ad locum tragici illius opus.

## LYCURGO.

*

*Vos qui regalis corporis cuſtodias*
*Agitis, ite actutum in frundiferos lucos, ubi*
*Ingenio arbuſta nata ſunt, non obſita.*

*Ducite eò cum argutis linguis mutas quadrupedes*] Verſu ſecundo ſcribe *agitis'*. Pro *frondiferos* in Med. & apud Majum eſt *frondifluos*. Illud *ubi* ab Mſsis & vett. editt. abeſt. Pro *nata* in vett. editt. ferè eſt *vineta*, niſi quod in Med. *vinata*, quod, unâ extritâ literâ, ex *ubi nata* corruptum mihi videtur. Sed *ubi*, quod in alienum commigravit locum, poſt *lucos* reduci debet. Verſus extimus ex alio Nonii loco eſt; nec videtur cum ſuperioribus cohæſiſſe ἀμέσως: ſed potius τὸ *ducite* clauſerit jambicum, hoc pacto:

—— *Ducite*
*Eò cum argutis l. m. q.*

*

*Alii ſublime alios ſaltus illicite, ubi*
*Bipedes volucres lino linquant lumina.*] Novio tribuit Ald. Sed Med. Nævio, & ſimiliter Ms. Rectè. Nævius enim eſt, qui Lycurgum ſcripſerit; ut ex tot aliis fragmentis videmus. Pro *Alii* in vett. libb. eſt *Alis:* quod non debuit mutari. Nam *alas* vocat alatores: uti in venatione Maro IV Æn.

*Dum trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt.*

Ubi ſic Servius P. Danielis (nam in Fabriciano hæc deſiderantur) *Quidam cum veſtigatoribus alatorum mentionem inductam accipiunt. Nam indaginem veſtigatorem ipſum tradunt: alias* (ſcribe *alas*) *vero alatores, qui dextra & ſiniſtra plagarum ſublatâ voce prohibent feras exire.*

*

*Ut in venatu vitulantes ex aviis*
*Locis nos mittant pennis decoratos feris.*] Pro *ex aviis*, quomodo legit Scaliger, *ex ſuis* eſt in Mſsis, & editt. antiqq. etiam apud Majum. Alterumque illud reſpuit metrum. Nam falluntur, qui putant, ut à μόσχος eſt μοσχιᾶν, ita à *vitulo* eſſe *vitulari:* cùm ſit à dea *Vitula*, eorum præſide, qui amant vivere, hoc eſt lubentiis diffluere: unde & nomen. Eſt enim ὠνομασμένη à *vita*. Iccirco in derivato ejus primam produxit quoque Ennius apud Feſtum:

*Habet is coronam vitulans victoria.*

Verſu ſeq. pro *locis* cum Mercero malim *lucis*. Nam anteceſſit:

— *ite actutum in frondiferos lucos* —

Etiam *pennis* malo, quàm (uti eſt in vett. libb.) *pœnis*. Nam de avibus ſermo eſt: ut illa oſtendunt,

—— *ubi*
*Bipedes volucres lino linquant lumina.*

Propterea non audiendus Delrio, qui agi putat de Pœnis feris, hoc eſt leonibus, tigribus, aliiſque animalibus efferis, qualia tellus Africa magno numero producit. Et quàm parùm veriſimile eſt, Thraciæ feras vocari Pœnas, quia Numidicis ſint ſimiles feritate, magnitudine, multitudine? quod apud eundem Delrium legas.

*

*Longè lateque trans noſtros fervere.*] Ex inſcriptione fabulæ veriſimile fit, dici iſta à Lycurgo, Thraciæ rege: ac propterea commodè emendabat H. Grotius: *Longè lateque Thraciâ noſtros fervere. Thraciâ* pro diſſyllabo cenſetur.

*

Pag. 43. *Ignote iteris ſumus. tute ſcis* -] Scribe *Ignoti i. ſumus'*. Niſi poſt *ſumus* malis diſpeſcere, ut finis ac principium ſit trochaici.

*

*Sed quaſi amnis cis rap. t, ſed tamen inflexa flectitur.*] Ita eſt in Mſsis, & edit. Ald. atque aliis. Sed quid eſt *inflexa flectitur?* Scribe cum Mercero *in fluxu*. Quia verò Nonius hinc probat, *amnis* in feminino inveniri; neceſſe eſt pro *rapit*, *rapida* ſcribamus. Sed neque ſic ſatis ſanus erit locus. Nam quid eſt, *cis rapida?* aut quid ſibi vult illud *ſed* iteratum? Suſpicor illud *cis* corruptum eſſe ex *cum*, vel *ſi: ſed* verò, ſive (ut in vett. libb. ſcribi ſolet) *ſet*, factum ex *'ſt*. Ut ſcripſerit Nævius:

—— *Sed quaſi*
*Amnis cùm rapida 'ſt, tamen in fluxu flectitur.*

Vel *cis* ex poſterioris ſyllabæ in *amnis* ſimilitudine irrepſerit: *ſed* item ex geminatione principis vocis: ut ſit trochaicus ἀκέφαλος:

— *Sed, quaſi amnis rapida, tamen in fluxu flectitur.*

*

*Pallis, patagiis, crocotis, malatiis, mortualibus* —] In Venetâ Pincii eſt *malaciis mortalibus*. Quaſi ſignet Nævius, habitus molles, quibus malaciſſantur animi mortalium, ſive qui malaciam ſuadent, ut loquitur Plautus Bacch. Act. 1. Sc. 1. *Quid eſt, quod metuis, ne tibi lectum malaciam apud me ſuadeat.* Aliqui pro *malaciis* legunt *manicis*. Sed non ſolent librarii in vulgariæ vocis locum ſubſtituere rariorem. Potius itaque, ſi *malacia* diſplicet, *malacis* legam, quomodo *pallium malacum*, ibidem dixit Comicus.

*

*Quaque incedunt, omnis arvas obterunt.*] In vett. libb. eſt, *Nævius Lycurgo lib.* 11. *Quoque incedunt.* Quare pro *lib.* 11. cum Mercero ſcribe *Liberi*. Præterea pro *quaque*, non *quaqua* cum Mercero, ſed *quacunque* ſcribo. Ut ſit trochaicus:

*Liberi, quacunque incedunt, omnis arvas obterunt.*

Ita enim locus ille diſtingui debet, quia *arvas* ſive arva *Liberi* dixit pro vinetis, quomodo Sillius in ſeptimo ait,

*Vitiferis latè florebat Maſſicus arvis.*

Hoc igitur vult Nævius, quaquà iter eſt, vineta omnia exciſa fuiſſe ex mandato Lycurgi: quam rem ſub fabulæ involucro narrat Homerus Iliad. Z. 130. Hiſtoriam ipſam adfert ibi Euſtathius, uti & Plutarchus De audiendis poëtis.

*

*Pergite thyrſigeræ Bacchæ modò*
*Bacchico cum ſchemate.*] Nil opus dividere, cùm ſit trochaicus quadratus catalecticus.

*

*Proin Dryante regem prognatum patre*
*Lycurgum cette.*] Ita præclarè Hadrianus Junius correxit, cum priùs legeretur pro *induſtria*. Homerus Iliad. Z.

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος.

*

Pag. 44. *Sine ferro pecua manibus ut ad mortem meant.*] In ſenario hocce, & Mſsi, & edit. Med. Ald. aliæ, etiam Jun. Majus, habent *pecuda*. Neque, cur in *pecua* mutaret Mercerus, cauſſæ aliquid erat. Nam & *pecua*, & *pecuda*, dixiſſe antiquos, tum Nonius dicit, tum exemplis docet.

*

*Altè jugatos angues in ſeſe gerunt.*] Rectè emendant *jubatos*. Quomodò & Plautus Amphit. Act. v. Sc. 1,

*Devolant angues jubati deorſum in impluvium duo.*

Valerius Flaccus in dracone, aurei velleris cuſtode, eaſdem, nunc *jubas*, nunc *criſtas* vocat. At falluntur, cùm corrigunt, *in ſinu gerunt.* Nam fabulæ argumentum facit, ut credam, ſermonem fuiſſe de deabus, quæ furorem conciliaverunt Lycurgo, poſt vites exciſas. Illis autem, non tam in ſinu, ſerpentes ſunt, quàm eſt

—— *tortâ caput angue revinctum:*

ut loquitur Varro Atacinus. Potiùs igitur pro *in ſeſe*, quod eſt in omnibus libris, cum Scriverio ſcribe, *infeſta*. De Lycurgi furore nota res cùm è fabulis, tum illo Comici Captivis, ubi tres iſti inſaniâ nobiles conjunguntur, *Alcmæo, atque Oreſtes, & Lycurgus.*

* .. Ca-

*

—— *Cave, ſis, tuam*

*Contendas iram contrà cum ira Liberi.*] Verba ad Lycurgum fiunt; ſed irrita: quo nomine & pœnas luit. Nam (ut Servii utar verbis) *dum, contemnens Liberum patrem, vites manu ſuâ ſemper abſcinderet, immiſſo à Libero furore, ipſe ſibi crura ſuccidit.*

*

*Suave ſummum melos.*] Ita Mssi, & editt. vett. Sed ſcribe *ſuaviſſimum*: vel potiùs *ſuaviſonum*. Nam id tragicum magis. Nec in altero proclivis adeò error fuiſſet, cùm ferè immutent librarii, quæ minùs vulgata; ut omnes ſciunt.

*

*Ne ille mei feri ingenii atque animi acrem acrimoniam.*] Ita libb. vett. Quidam pro *feri*, malunt *fert*, ne verbum deſideretur. Sed nihil opus eo mutato. Neque enim Nonius ſententiam integrè adduxit. Apud Junianum Majum pro *ille* eſt *illa*. Sed rectum eſt *ille*. Nam verba ſunt Lycurgi reſpondentis ad iſta verba:

--- *Cave, ſis, tuam*
*Contendas iram contrà cum ira Liberi.*

*Ille* igitur eſt *Liber*. Non vanè verò Lycurgus ſibi tribuit acrem ingenii acrimoniam; quando & ſimiliter dixit Maro:

--- *Acri quondam regnata Lycurgo.*

Quod Servius interpretatur *ſævo & cruento*.

*

*Jam ibi nos duplicat advenientis timos Vapoſque*] Ita eſt in Mss. & vett. editt. niſi quod in nonnullis pro *ibi* eſt *ubi*, & pro *Vapoſque* eſt *Panos*, quod quoque eſt apud Junianum Majum. Ac placuit hoc Hadriano Junio, ut ſignetur timor Panicus. Sed impensè placet emendatio Hugonis Grotii:

*Jam vim in nos duplicat adveniens ignis vapos.*

Hoc eſt fumus de facibus Eumenidum ingruens. Videntur enim eſſe verba Lycurgi, cùm à Furiis inceſſeretur.

*

*Ut videam Vulcani operâ hæc flammis fieri flora.*] Fortaſſe & iſta à Lycurgo dicuntur, cùm videret omnia Eumenidum tædis ſplendeſcere. Nam id valet *florum fieri flammis*. quomodo & Lucretius dixit in quarto:

*Bina lucernarum florentia lumina flamis.*

Nec ea eſt tralatio à plantis, uti Lambinus putabat; ſed imitatur Homerum, qui ſimiliter dixit ἄνθος πυρός. In Aldinâ pro *flammis* eſt *flaminis*: ſed corruptè. Quid ſi autem dicamus, illud *flammis* irrepſiſſe ex gloſſemate? Nam quid aliud eſt *Volcani operâ*, quàm *flammis*? Sed de hoc non magnoperè contendo. At *fimbriis*, quod pro *flammis* reponit Hadrianus Junius, planè admitti non debet. Quippe, judicio noſtro, ut alibi ſæpe, ita hic quoque hiatus eſt in Nonio: qui cùm docuiſſet, quid *fimbria* forent, & veterum id comprobâſſet exemplis, ſubjecit poſtea, ut iidem *florum* dixerint pro *floridum*, quod Nævii teſtimonio oſtendit. Et puto idem probârat ex Accio, & Paccuvio, quorum uterque ſimiliter dixit *floros crines*, ut ex fragmentis hiſce diſcimus.

*

*Dic quo pacto eum potiti, pugnâ, an dolis?*] Metrum requirit,

*Dic, quo pacto potiti eum? pugnâ, an dolis?*

*

*Nam ut ludere latantes inter ſe vidimus*
*Propter amnem creterris ſumere aquam*
*Ex ponte.*] Num trochaici fuere tales, vel ſimiles?
*Namque ludere ut latantes inter ſeſe vidimus*
*Propter amnem, crateres aquam de ponte ſumere.*

An verò jambici potiùs?

--- *Nam ut ludere*
*Latantes, ſe inter, propter amnem vidimus,*
*Crateris ſumere aquam ex ponte.*

Quòd malim, quia minus à libris abit. *Aqua* ſive *acua* triſyllabon eſt, uti apud Lucretium; cui & *relicum* quatuor ſyllabarum eſt. Id qui non attenderunt, putarunt priorem in *aqua* à Lucretio produci. Et inventi ſunt, qui id ratione originis factum putarent, quia *aqua* dicatur, tamquam *à qua* ſint omnia; ut Thaleti viſum. Sed quis non potiùs credat, *aqua* factum eſſe ex ἀχοά, quomodo *temetum* eſt ex τὸ μέθυ, & ex ὁ χὴν factum *ocha* vel *aucha*, poſterioris ævi vox. Gloſſ. vett. χὴν, *Anca, anſer.*

## PROTESILAO.

Pag. 45. *Gracilentis colorem, dum ex hoc gracilens fit.*] In Ald. ac aliis vulg. editt. & apud Majum eſt,

*Ennius Proteſilao, demia gracilentis colorem, dum ex hoc gracilens fit.*

In Med. *denuo gracilens fit*. Lego: Ennius Proteſilaodamia: *Gracilentis colorem.* Idem: *Ex hoc gracilens fit.*

*

*Eunt, irruunt, cachinnos, joca dicta riſitantis.*] Pro *eunt* Mercerus ex vett. libb. *ineunt* edidit. Unde reſcribo, *in eum*. Etiam *riſitant*, ob ductuum ſimilitudinem, corruptum cenſeo ex *uſitant*, quod obſoletum pro *uſurpant*: ſed nihil uſurpatius ejus verbali, quod eſt *uſitatum*. Sic igitur, & ſententiæ, & numeris, reddo,

*In eum irruunt cachinnis: joca, dicta, uſitant.*

*

*Complexa ſomno corpora operiuntur, ac ſuavi quie dicantur.*] Diſpeice poſt *quie*. Quid ſi autem pro *dicantur* ſcribamus *rigantur*? Nam *artus ſomno rigari*, paſſim dicunt poëtæ: vel ſcribe *Dantur*: quod Scriverio placet, & minùs abit à veteri ſcriptura.

## TRAGOEDIIS INCERTIS.

*

Pag. 46. *Dictator ubi currum inſidit, pervehitur uſque ad oppidum.*] Fortaſſe pro *inſidit* ſcripſerat *inſidet*, *inſedit*, *inſilit*, vel *inſiluit*.

*

*Eccum, venire video, ferme injuria.*] Etſi vox extrema videri poſſit ſuſpecta (nam fortaſſe *interea*, vel *in curia*, vel ſimile quid, apud Nævium fuit) tamen non puto de hoc, vel aliis ejus farinæ, laborandum, ubi etiam inſcriptio, atque argumentum fabulæ, neſcitur: quæ ad veram lectionem ſæpe ducunt.

*

*Neminem vidi, qui numerò ſciret, quique ſcit id eſt opus.*] Poſt *ſciret* τὸ *qui*, quod in vett. etiam libb. legitur, furcillandum, ſcribendumque, & metro, & ſententiâ jubente, *Quæ ſcire eſt opus*: vel, *quod ſcito eſt opus*, vel ſi quis illius *qua*, ob librorum autoritatem, haberi rationem velit, ſcribat, *qua quæſito opu' ſt*.

*

*Simul alius aliunde rumitant inter ſe.*] Lego -- *Simul alius aliud rumitant*

*Inter ſe* ——

Sive, ut ſenarius ſit,

*Simul alius aliud inter ſeſe rumitant.*

*

*Namque nullum pejus macerat humanum,*
*Quamde mare ſævum, vires cui ſunt magnæ,*
*Topper confringent importuna unda.*] Pro *confringent* in Ald. eſt *conſtringent*: ſed alterum illud eſt in Mediol. & Farneſiano. Etiam *Quamde* diſertim eſt in eodem Farneſiano. nec mutari debet. Feſtus: *Quamde pro quàm uſos eſſe antiquos, cum multi veteres teſtimonio ſunt, tum Livius* (forte Ennius) *in primo*,

*Jupiter! ut muro fretus mage, quamde manus vi:*

*Et in ſecundo*,

*Quamde tuam omnis legiones ac popularis:*

*Et Lucretius*,

*Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes,*
*Quamde graves inter Grajos, qui vera requirunt.*

Ita

Ita Lucretii ille de Heraclito locus etiam in membranis noſtris ſcribitur. Et ſimiliter quibus Pontanus, ac Marullus, poſteaque Victorius, uſus fuit: ut alias aliorum mittam. Porrò in his, ſive Nelei, ſeu Nævii, aut Livji verſibus, nihil mutabat Scaliger, niſi quod pro *nullum* mallet *neilum*, hoc eſt nihilum. Ita *humanum* abſolutè ponetur pro *hominibus*, ut *publicum* dicimus pro *republica*. Quod verò Saturnios eſſe verſus Scaliger cenſet; id etſi fortaſſe verum eſt; tamen nec operoſè trochaicos concinnes iſtiuſmodi:

*—— Namque neilum humanum pejus macerat*
*Quamde mare ſævum: vires cui magna topper confragent*
*Importuna unda - -*

*Confragent* pro *confringent*. Nam ut pro *pango*, *pago*, unde *pepigi*, & *pagina*; ſic pro *frango* dixere *frago*, unde *fregi*, & *fragilis*. Fortaſſe etiam verſu primo excidit *genus* ob ſimilitudinem cum voce *pejus*, ut legi debeat,

*- - Namque neilum pejus genus humanum macerat.*

Vel *humanum* corruptum eſt ex *hemonem*, quomodo Ennius *hominem* vocat. Ut ſenarii ſint tales:

*Namque nihil ullum pejus hemonem macerat,*
*Quamde mare ſævum: vires cui magna ſient,*
*Topper confringent importuna unda - -*

Sunt verò hæc expreſſa ex iſtis Homeri Odyſſ. Θ. 139.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
Ἄνδρά γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη.

Unde ex veteri Odyſſea eſſe, cenſet Scaliger. Ac putabat doctiſſimus & amiciſſimus Scriverius, eopſe carminis genere expreſſum fuiſſe à Livio poëta, hoc pacto:

*Nam neque ningulum pejus maceraret hemonem,*
*Quamde mare ſævum, vires cui ſunt magnai,*
*Topper confringent importunai undai.*

*Ningulum* pro *nullo* veteres uſurpaſſe, Feſtus ex Marcio vate antiquiſſimo, ſive Ennio probat. Unde gloſſam pro antiquâ & germanâ lectione irrepſiſſe arbitratur. *Neque ningulum* igitur valet *res nulla*, more Græcorum, quibus negatio geminata vehementius negat. Poſterior in *mare* porrecta eſt ob triemimerim: cujuſmodi non pauca occurrunt. Unum obſtare huic ejus conjecturæ videbatur, contumax inquam ſyllaba in *macerares*. Nam meliores Grammatici parum morantur Priſcianum ſive Fannium, Pejegeſios interpretem, longeque minùs Macrum, infimæ vetuſtatis poëtaſtrum: Ovidii quoque, & Calphurnii verſus, quibus princeps ſyllaba corripi putatur, corruptos eſſe oſtendunt. Quare pro *maceraret* aliud ſubſtitui debebit: fortè *mactaret*, quomodo *mactare malo*, item *mactare infortunio* dixit Plautus.

*

*Hectore proficiſcente tunc ipſos adoriant, nequis hinc Spartam ferat nuncium.*] Priſcianus meus Manuſcriptus diſertim habet, *Nævius in Hectore proficiſcente: Tum ipſos adoriant, nequis hinc Spartam referat nuncium.* Et ferè eſt, ut hanc germanam eſſe lectionem credam. Ita non *Hectora* ſolùm, ſed etiam *Hectora proficiſcentem* ſcripſerit Nævius. Sed quis veterum hanc fabulam præterea laudavit? aut quem Græcorum ita inſcripſiſſe videmus? Et in antiquâ Venetâ anni CIↃ CCCC LXXVI legitur hoc pacto: *Nævius in Hectore: Proficiſcente tum ipſos adoriant.* Unde colligo, ita ſcripſiſſe Priſcianum: *Nævius in Hectore: Proficiſcentes tum ipſos adoriant.*

*

*Atque priùs pariet locuſta Lucam bovem.*] Diximus de hoc inter ea, quæ ex incerta ſunt Ennii tragœdia.

*

Porrò ex hiſce, quæ hic incertæ Nævii tragœdiæ tribuuntur, quædam nihil minùs, quàm tragœdiam, ſapiunt: uti iſtud,

*Liberâ linguâ loquemur ludis Liberalibus.*

Item:

*Riſi egomet caſabundum ire ebrium.*

Et alia quædam. Sed non difficile fuerit eorum in locum ſubſtituere alia hic intacta. Uti iſtud apud Feſtum in Stuprum:

*—— Seſeque ii perire mavolunt*
*Ibidem, quam redire cum ſtupro ad ſuos*
*Populares - -*

Item:

*Sin illos deſerant fortiſſimos viros,*
*Magnum ſtuprum tum populo fieri pergitis.*

Ita uterque locus legendus mihi videtur. In verſu poſtremo, metro ita exigente, poſt *ſtuprum* revocavimus particulam *tum*, quæ ob ſimilitudinem ſyllabæ præcedentis exciderat. Poſſis & ſcribere hoc pacto;

*- - Sin illos deſeritis fortiſſimos viros,*
*Magnumque ſtuprum populo fieri pergitis.*

Aliqua etiam alia legas in fragmentorum collectione, quam Stephanorum induſtriæ debemus. Sed major illorum pars Bello Punico ejus videtur tribuenda. At vix dubito, quin ex tragœdia aliquâ petitus ſit ſenarius iſte, quem invenio apud B. Hieronymum in epitaphio Nepotiani:

*Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.*

Etiam video a Servio Petri Danielis in tertii Æn. verſ. x. adduci illuſtrem locum de *uxoribus Æneæ & Anchiſæ illum* (*Ilium* apud Servium cum Scriverio noſtro lege) *relinquentibus*. Eſt verò iſte: *Amborum uxores noctu Troja de exibant, capitibus opertis flentes ambæ, abeuntes lacrumis cum multis.* Quæ ſi è tragœdiâ aliquâ ſunt, ſenarii fuiſſe videntur. Sic enim nullo negotio redigas:

*Amborum uxores noctu exibant Troade,*
*Capitibus opertis, flentes ambæ, lacrumis*
*Cum multis abeuntes - -*

Sed quid prohibet, quo minus fuerint verſus Saturnii? ut ita ſcripſerit Nævius:

*Amborum uxores noctu Trojad exibant,*
*Capitibus opertis, flentes ambæ, abeuntes*
*Lacrumis cum multis.*

*Trojad* pro *Troja*, ob ſequentem vocalem quo de more dicimus in commentariis de L. L. Sunt verò verſus Saturnii, non politiores iſti, qualis iſte,

*Dabunt malum Metelli Nævio poëtæ:*

(Nam hujuſmodi vix inveniri apud Nævium, ſcribit Atilius Fortunatianus) ſed ex rudioribus, ubi, ut idem Fortunatianus ait, *non obſervatâ lege, nec uno genere cuſtodito inter ſe verſus, præterquam quod duriſſimos facerent, etiam alios breviores, alios longiores inſerebant.* Nempe, ut elegantiſſimus Grammaticorum, Terentianus Maurus, ait,

*Rudem ſonum ſecuti,*
*Ut quaque res ferebat,*
*Sic diſparis figuræ*
*Verſus vagos locabant.*

Quod eò monere viſum, nequis credat, verſus iſtos Nævii aliter eſſe tornandos, ut paribus fluant intervallis. Quod ſi iſti verſus Saturnii ſunt, jam dubium non erit, quin & iſta ſint, non ex tragœdiâ, ſed bello Punico, quod totum Saturnio carmine ab eo ſcriptum fuiſſe, teſtatur Pompejus in *Saturno*. Atque hacpropter in Collectione ſuâ tragicorum fragmentorum ea omiſit Scriverius. Qui & illud acutè perſpexit, cùm opus Nævii (quod ipſe unico ac continenti volumine expoluerat) in ſeptem libros fuerit diviſum à C. Octavio Lampadione, referente Suetonio de illuſtribus Grammaticis: verba iſta à Servio adducta videri è primo belli Punici. Atque hoc firmabat alio ejuſdem poëtæ loco, qui proximè ab iſto abfuiſſe videtur, ac ab eodem interprete Virgiliano adducitur in 11 Æn. ſub finem. *Nævius*, inquit, *Belli Punici primo de Anchiſa & Ænea fugientibus hæc ait:*

*Eorum ſectam ſequuntur multi mortales.*

*Et,*

*Multi alii è Troja ſtrenui viri.*

*Et,*

*Ubi foras cum auro illinc exibant.*



Digitized by Google

Hæc Servius, non ille vulgo laudatus, ſed ex membranis Fuldenſibus depromptus. Luculenta præterea teſtimonia in medium adducebat, quibus iſta non magnis intervallis ſibi invicem cohæſiſſe non vanè hariolabatur. De quibus ipſe aliquando ad Nævianа illa fragmenta Belli Punici.

Atque hæc quidem dicta ſunto de fragmentis Nævii: ex quibus tamen aliqua fortaſſe fuerint Q. Novii, Atellanarum ſcriptoris: quod ſuis etiam in Marcellum Caſtigationibus jam olim obſervavit Michaël Bentinus. Nempe tres iſti poëtæ, Lævius, Nævius, Novius, paſſim à librariis confunduntur: ut, ubi operis nomen omittitur, quid cujuſque ſit, diſtinguere ſit perdifficile.

# IN
# M. PACUVII
# FRAGMENTA.

## ANCHISE.

*

PAg. 49. *In promontorium, cujus linguam in altum projicit.*] Apud Agellium eſt *id promontorium.* Fortaſſe *Ide* ſcribendum. Pro *linguam* vett. editt. habent *lingua*, ut rectum videatur *ligna.*

## ANTIOPA.

*

*Frendere noctes, miſera quas perpeſſa ſum.*] Ita Aldin. Sed *miſeras* eſt in Mediol. & apud Jun. Majum.

*

*Fruges frendo ſolus, ac ſic probo re.*] Non dubito, quin veram lectionem invenerim. Nam *ac ſic* (unde quidam *ſicco* eliciunt) trajectione literarum ex *ſaxi* corruptum eſt. At *probore*, ſive, ut in Aldina eſt, *prabore* (pro quo alii *probo ore*, alii *proboſe*) unius literæ appoſitione factum eſt ex *robore.* Malim & *ſolus*, quam *ſolas.* Sic igitur ſcribe:

—— *Fruges frendo ſolus ſaxi robore.*

Mirè emendationem hanc firmat Lucretii illud in primo:

—— *Fruges quoque ſæpe minutas*
*Robore cum ſaxi franguntur* ——

Et hoc Accii Troadibus: *Saxo fruges frendas.* Mira verò Nonii oſcitantia eſt, qui hæc adfert ut doceat *frendere* eſſe *cum gemitu, vel iracundia, miſerum aut minax ſonare.* Nam quid apertius, quàm *frendere* in hiſce exemplis pro *frangere* accipi? Niſi fortè Nonii verba quædam interciderunt, quibus hæc à priori notione ſeparavit. Quod Nonii cauſſa credere malo. Etſi vix excuſationem mereatur, quem toties inſcitiæ inſcitiſſimæ peragere reum poſſint etiam mediocriter docti.

*

*Sed cum animum attendo ad querendum quid fiet.*] Ut ſenarius ſit, ſcribe, *Quid id fiet.*

*

*Flammeo vapore torrens terræ fœtum exuſſerit.*] Eſt trochaicus quadratus: ut non videam, cur Delrio, cum metri diſpendio, trajicere malit, hoc pacto:

*Torrens vapore flameo*
*Terræ fœtum exuſſerit.*

Saltem *terrai* ſcripſiſſet, & verſus conſtitiſſet. *Flameum vaporem* dixit, uti Nævius Lycurgo,

*Jam vim in nos duplicat adveniens ignis vapos.*

Ita enim ibi legi debere, diximus.

## ARMORUM JUDICIO.

*

Pag. 50. *Qui ſeſe adfines eſſe ad cauſſandum volunt,*
*De virtute iis ego cernundi do poteſtatem omnibus.*] Non iambici ſunt, ut putarunt; verùm trochaici quadrati: ſed prior eſt ἀκέφαλος.

*

*Pro imperio agendum eſt, quis vetat, quiſve attollat?*] Fortè *attolas* ſcribendum, ut ſenarius ſit. Nam veteres *tolo* dixere priori correptâ, unde præteritum *tetuli* & *tuli*, ac derivatum *tolero.* *Tulo* ſive *tolo* agnoſcit etiam Macrobius de differentiis & ſocietate Gr. L. Q. L. ubi & adducit illud ex Accii Andromeda:

*Niſi quod tua facultas nobis tulat operam.*

Sed ne ſic quidem commodam ſatis ſententiam elicias. Vide igitur, an non cum Grotio ſcribere oporteat:

*Pro imperio agendum eſt; nequis attollas, veta:*

Vel, quod non minus placet,

—— —— *nequis attollat, veto.*

Ut verba ſint Menelai ad Teucrum, cùm is fratris ſui Ajacis corpus vellet ſepelire. Sophocles Ajace Flagellifero:

ΜΕ. Οὗτος, σὲ φωνῶ τόνδε τὸν νεκρὸν χεροῖν
Μὴ συγκομίζειν, ἀλλ' ἐᾶν ὅπως ἔχει.
ΤΕΥ. Τίνος χάριν τοσόνδ' ἀνήλωσας λόγον;
ΜΕ. Δοκοῦντ' ἐμοί, δοκοῦντα δ' ὃς κρατεῖ στρατοῦ.

*

*Dic, quid faciam, quod me moneris, effectum da.*] Rectè emendant, *dabo.* Mirum verò, errorem hunc omnes, & Mssos, & editos, obſidere.

*

*An quis eſt, qui te eſſe dignum, quicum certetur putet?*] Verba Ajacis ad Ulyſſem.

*

Pag. 51. —— —— *Prologo*
*Nunc pœnitebunt, libant liberi grato ex loco.*] *Prologo* aliqui ex *pro logo*, vel *pro ioco*; alii, ut Delrio, ex *proilio* ſeu *prælio* factum putant. Sed quid ſi dicamus, hunc locum citari ex prologo tragœdiæ? Vel hoc verum eſt: vel ſcripſerat Pacuvius *pro*, aut *pol*, cui occaſione ſequentium verborum *grato ex loco*, illud *loco* ex conturbatione ſcripturæ adhæſit. Idem Grotio viſum eſſe video: qui locum integrum præclarè corrigebat:

*Pol nunc pœnitebunt, ſi ivit liber ignaro loco.*

Sermo eſt de Ajace, qui cùm manus ſibi adferre ſtatuiſſet, locum ſolitarium huic rei quæſivit: unde ipſe apud Sophoclem ait:

Μολὼν δὲ χῶρον ἔνθ' ἂν ἀστιβῆ κίχω.

*Ignaro*

Digitized by Google

*Ignaro* autem *loco* dixit Pacuvius pro *ignoto*, quomodo & Tacitus loquitur, ac Servius ſimiliter interpretatur illud in decimo:

- - *Ignarum Laurens habet ora Mimanta.*

*

*Nam canis quando eſt percuſſa lapide, non tam illum appetit,*

*Qui ſe icit, quàm illum eum ipſum lapidem, quo ipſa icta eſt, petit.*] Metrum requirit, ut ſcribas, *Qui ſeſe icit.* Malim & *eumpſe*, quàm *eum ipſum.*

*

*Tu te deſidere mavis reſidem, nos hic eſſe in labore.*] In Farneſiano cod. eſt,

*Tu te deſidere mavis reſidem, at contrà nos hic eſſe in labore.*

Sic verò legendum puto,

- - *Tu te reſidere mavis deſidem,*
*At contrà nos hic eſſe in labore* - -

*

*Nihilne ad te de judicio armorum accidit?*] Volebat Editor *armûm* cum Cicerone. Nam *Armorum* quidem ſi legas, ſenarius erit: ſed Tullius diſertim ait, hìc *armûm* pro *armorum* ſcriptum fuiſſe. Erit igitur jambicus ἀκέφαλος.

## ATALANTA.

*

*Regi ut memorabis, nunc regnum potitur tranſmiſſu patris.*] Ita eſt in omnibus libris. Sed ſententia jubet, ut *id* pro *ut* ſcribamus. Videtur etiam *qui* excidiſſe. Fortè igitur legendum,

*Regi id memora, qui nunc regnum potitur tranſmiſſu patris.*

*

*Dubito quam inſiſtam viam, aut quod primordium*
*Capiſſam ad ſtirpem exquirendum.*] Scribere metrum jubet, *Dubito viam quam inſiſtam.* Et lectionis ejus veſtigium habemus in Mſsis, & vett. editt. ubi eſt, *dubito ad quam:* vel *dubitam quam*, quod & Merceriana retinet. Etiam in Mſsis legas, *exquirentem*, vel *exquirente.* Ut ſuſpicer ſcripſiſſe Paccuvium,

—— *Aut quod primordium*
*Capiſſam ſtirpi exquirenda.*

Nempe alterum illud ex gloſſemate irrepſit.

*

*Grandem atque atrocem coerce confidentiam.*] Ita eſt in vett. editt. Sed in Mſsis pro *grandem* eſt *gradere:* quod probo. *Coërce* diſſyllabon fit. *Coercere* (quod eſt in Mſsis) reſpuit verſus: ac ne ſententia quidem admittit, ſi *gradere* legas, uti in iiſdem ſcribi diximus.

*

*Mortem oſtentant, regno expellunt, conſanguineam*
*Eſſe abdicant.*] Conjunge. Eſt enim trochaicus quadratus catalecticus. Etiam *oſtentant* ſuſpectum eſt. Pro quo rectius alii, *intentant.*

*

*Omnes qui tanquam nos ſub regno ſerviunt,*
*Callent domi cum imperio metuere.*] Scribe cum Mercero, *Callent domnûm imperia metuere.* Vel, ut ſententia ſit imperfecta, cum Scriverio lege,

*Imperia callent donicum metuere* ——

*Donicum* pro *donec*, ἀρχαϊκῶς, uti & pueris notum.

*

*Nil ſollicita ſtudio, obſtupida ſuſpenſo animo civitas.*] Malim,

*Nil ſollicita, ſtudio obſtupida, ſuſpenſa animo civitas.*

Princeps vox abeſt ab edit. Med. Ald. & Jun. Majo. Sed eſt in Mſsis, niſi quod in aliquibus *hil* pro *nil* legas.

*

*Dolet pigetque magis magiſque, me conatum hoc nequicquam itiner.*] Sic divide:

—— *Dolet pigetque magis magiſque, me*
*Conatum hoc nequicquam itiner* ——

*

*Quæ ægritudo inſolens mentem attentat tuam?*] Malim numerorum cauſſa,

—— *Ægritudo quæ i. m. a. t.*

*

*Super ſatis agere, ut ne mare animam occupes.*] Ita eſt in Mſsis. etiam vett. editt. niſi quod in Med. pro *ne in* eſt *nive.* Ingenioſè verò, ſed liberius paullò, emendabat Hugo Grotius:

*Satis ſuperque eſt hacce de re, ut ne in malis animum occupes.*

Octonarius eſt; ſenſu ſanè optimo.

*

*Magna te, ut vereor, eloqui porcet pudor.*] Hadrianus Junius corrigit, *Magnum te, ut vereor.* Sed libris invitis, & abſque cauſſâ. Nam hoc dicit poëta, pudore impediri, quo minùs magnifice de ſe loquatur. Sed in libb. vett. eſt *loqui* pro *eloqui*, ut fortaſſe ſcripſerit,

—— *Magna te, ut vereor, loqui porcet pudor.*

Et videntur id numeri exigere. Attamen neque de nihilo eſſe arbitror, quod in codd. Mſs. legas *Magnate*, prout & Merceriana expreſſit. Quid ſi id corruptum ex *mea gnata*, vel *mi gnate?* Vide igitur, an non ſic ſcripſiſſe Pacuvium, veriſimile ſit:

*Mi gnate, vereor eloqui, porcet pudor.*

*

*Cùm incultos perveſtigans inrimarer ſinus.*] In vett. libb. eſt *inrimare.* Sed metrum & ſententia, aut *rimarer* requirunt; aut *inrimas*; quomodo Accius Ilione dixit, *rimarem loca.*

*

*Conſentire ac diſſentire partem da curſum æquiter.*] Pro *partem* malo *partim.* Etiam *da curſum*, ſive, ut in aliis eſt, *da curſim*, & *da curſu*, corruptum puto ex *datur jus.* Ut ita ſcripſerit Pacuvius:

*Conſentire partim, ac diſſentire, datur jus æquiter.*

Niſi illud magis probes:

*Conſentire ac diſſentire partim, dare jus æquiter.*

*

*Is veſtrorum uter ſit, ſignum cui datum eſt, cette.*] Senarius fit:

*Is veſtrûm uter ſit, ſignum, cette, cui datum 'ſt.*

*

*Extremum intra canterem ipſum prægradat Parthenopæum.*] Scaliger in Conjectaneis e Tantalo citat. Sed vulgatus potiùs codd. credendum, cùm ſermo ſit de Atalanta. Idem Scaliger ſic legit:

*Extremum intra campterem ipſum*
*Jam prægreditur Parthenopæum.*

Sed in Mſsis atque editis eſt *prægradat.* Scio apud Nonium eſſe *prægreditur.* Verùm cùm non ſoleant librarii voces vulgarias mutare inſolentibus: videtur, non tam Pacuvius ex Nonio, quàm Nonius ex Pacuviano corrigendus exemplo. Quare potiùs legendum videtur:

—— *Extremum intra campterem*
*Prægradat ipſum Parthenopæum.*

Prioris verſus defectus ſupplebitur, ſi cum Scaligero *jam* inſercias, ſive poſt principem vocem, ſive poſt *campterem.*

*

*Et ſi metuo picta de plaga pallam.*] Rectè Mercerus, *Et ſimitu*, quo pro *ſimul* uſi veteres, ut è Lucilio, ac Plauto, Nonius oſtendit. Malim etiam, *picta plaga pallam.* Nam plagam pro clavo veſtis accipi, Nonius ipſe adjecit.

## CHRYSE.

*

Pag. 54. *Di monerint meliora, atque amentiam averruncaſſint tuam.*] Ex jambico eſt,

*Di monerint meliora, atque amentiam tuam*
*Averruncaſſint* ——

*Monerint* pro *monuerint*, etiam dixit Armorum judicio.



Digitized by Google

*

*Hoc vide circùm ſupraque, quod complexu continet Terram. id quod noſtri cælum memorant, Graji perhibent æthera.*] Vir quidam eruditiſſimus legit,

*Hoc vide quod circumquaque ſuo complexu continet*
*Terram.*

Sed alterum illud comprobatur, partim, è vett. libb. etiam Ald. & antiquiore hac Mediol. partim Lucretii iſtoc, quod è Pacuvio expreſſit:

*Denique tam tuere hoc circum ſupraque, quod omnem*
*Continet amplexu terram.*

Sed verſu ſecundo verba illa *id quod*, furcillari patiar non invitus. Quippe quæ mihi Varronis, (unde hic locus depromtus) non Pacuvii ipſius, eſſe videantur. Et abſque iis, meliores ſunt numeri.

*

*Quicquid eſt hoc, omnia is animat, format, auget, alit, ferat,*
*Sepelit, recipitque in ſeſe omnia, omniumque idem eſt pater,*
*Indidemque eadem, quæ oriuntur, deintegro æquè eodem occidunt.*] Superiori fragmento hæc conglutinat Scaliger in Collectaneis. Ego potiùs cenſeo, hæc proximè cohæſiſſe alteri fragmento, quod in Pacuvii Chryſe legi, diſertim dicit Marcellus. Eſt verò illud,

*Mater eſt terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.*

Et confirmat conjecturam noſtram ἀντίθεσις iſta, quòd uti in hoc fragmento terra dicitur mater; ita in altero, quod ei annectimus, æther pater appellatur. Etiam ubi editum hic ex libris nonnullis, —— *format, auget, alit, ferat*: pro *ferat*, ſcribe *creat*: quod eſt in editione Ciceronis omnium antiquiſſima, ut Stephanicam, ac nuperam Gruterianam, cæteraſque prætercam. Verſu extimo, cum Guilielmio malim, *eademque oriuntur*. Etiam pro *æquè*, quod Scaliger repoſuit, magis placet *atque*, uti eſt in libris omnibus.

*

*Nam iſtis, qui linguam*, &c.] Seſquipes initio deeſt.

*

Pag. 55. *Eſt ibi ſub eo ſaxo penitus ſtrata arena ingens ſpecus,*
*Solis qua exortu capeſſit candorem, occaſu nigret.*
*Illud incipio ſaxum tentans eſcendere verticem*
*In ſummum, deinde in omnis partis proſpectum aucupo.*] Ita hæc è tribus fragmentis connexuit Scaliger. De primo ſecundoque verſu laudo; etſi apud Nonium ſit *Soliſque*. De tertio vix probo, quod ſeſquipedem totum fulciendo verſui addiderit. Nam in cunctis Nonii libris legitur:

—— *Incipio ſaxum tentans ſcandere verticem.*

Verſum impleveris, minuſque a veteri ſcripturà receſſeris, ſi cum Scriverio legas,

*Incipiſſo ſaxum tentans eſcendere verticem.*

*

*Fugimus qui arte hac veſcimur.*] Hugo Grotius legit, *qui aurâ hac veſcimur*. Idem hæc concinnè jungebat fragmento iſti, quod inferius adfertur, *oſſum inhumatum, auram æſtuoſam*, ut ſit trochaicus ejuſmodi:

*Oſſum inhumatum, auram æſtuoſam fugimus, qui aura hac veſcimur.*

Sed pro *arte hac* poſſis & cum Scriverio *aëre hoc*: quod minus abit ab *arte*.

*

*Atque ut promeruit pater, mihi patriam populavit meam.*] Planè ſcribendum,

*Atque ut promeruit, pater, qui patriam populavit meam.*

De Agamemnone verba facit Aſtymone ad parentem ſuum Chryſen, à quo ipſa Chryſeis dicitur. Spiſſus verò eſt Nonii error, qui *populare* hic interpretatur *conciliare ſibi amorem populi*. Nam quis neſcit, ut Agamemno depopulatus ſit Thebas Cilicias, ac Chryſeida inde abduxerit captivam?

*

*Inveni opino eſſe optimum, Oreſtes ut heres ſit, ſed tamen.*] Ita eſt in Mſtis & vett. editt. Malim,

*Id verò opino eſſe optimum, Oreſtes heres ut ſiet.*

Sed quid magnopere Oreſtes ad fabulam Chryſeidos? Fortè igitur melius Hugo Grotius:

*Id verò opino eſſe optimum, ut reſtes here.*

Attamen alicui fortaſſe non videbuntur penitus furcillanda eſſe verba, *ſed tamen*. Quare videamus, an aliter etiam medicina fieri poſſit. Sanè in Chryſeide agebatur, ut Agamemnon eam, Achillis & aliorum ſuaſu, reſtitueret patri. Vide igitur, an ex illis verbis, *Oreſtes ut heres ſit ſed tamen*, paucis truncatis literis commodè eliciatur, *reſtituere ſit eam*. Nam *ſed* (pro quo *ſet* ſcribebant) ex *ſit* corruptum. Ex *eam* verò *tam* fecere, unde cum apice ſuperimpoſito *tãm* vel *tã* feciſſent, id literarum compendio pro *tamen* poſitum eſſe, creditum eſt. Præterea *eſſe*, quod antecedit, facili errore ex *iſte* potuit irrepſiſſe. Quid ſi igitur ſcriptum fuerit:

—— *Id verò opino, iſte optumum*
*Reſtituere ſit eam* ——

Amiciſſimo verò Scriverio ſic legendum videbatur,

*Id verò opino eſſe optimum, Chryſes here*
*Ut ſit ſolamen.*

*

—— *Perque noſtram egregiam*
*Unanimitatem, quam memoria dejugat.*] Verſus requirit, ut pro *egregiam*, *regiam* ſcribas. Sententia item exigit, *immemoria dejugat*. *Immemoria*, quæ Græcè ἀμνημοσύνη. Uſus & Papinianus.

*

*Atque eccos, unde certiſſent.*] Hæc vera lectio eſt: pro quâ in Ald. & Merc. *aquaeccos*, in Med. *aqua cocos*, apud Sipontinum *vocant cocos*. *Certiſſent* valet *certiores fiant*, ut ex Nonio ſcimus. Quare, quicquid dicat Delrio, ſi ὀρθογραφίας habeamus rationem, potiùs ſcribendum *certiſcent*. Eſt enim verbum ejus formæ, cujus *dulceſco*, *vileſco*, *tremiſco*, *luciſco*.

*

Pag. 56. —— *Promerenda gratia:*
*Simul cùm videam Grajos nil mediocriter*
*Redantruare, opibuſque ſummis perſequi.*] Forſtan ſcribendum, *Grajos mihi mediocriter Redantruare*. Nonius id verbi interpretatur *redire*: ſed more ſuo, hoc eſt ineptè. Melius Feſtus, unde diſcimus, tralationem eſſe à Saliis, præſulis ſui motus referentibus. Lucilius in nono Satirarum:

*Præſul ut antruat hinc, & vulgu' redantruat inde.*

## DULORESTE.

*

*Hiccine hic eſt, qua fama gratia ante omnes nobilitat viros.*] Scribe,

*Hiccine is eſt, quem gratia fama a. o. n. v.*

*

*Amplus, rubicundo colore, ſpectu protervo, ferox.*] Prima in *protervus* producitur, contra quàm poſteriores ſolent. Sic Ennio in Telepho porrecta eſt prima in *profiteor*:

*Te ipſum hoc oportet profiteri, ac proloqui*
*Adverſum illam mihi* ——

Cum ſuperiori verò fragmento alterum connecto hoc pacto:

*Amplus, rubicundo colore, ſpectu protervo, ferox,*
*Voce ſuppreſſâ, caperatâ fronte, vultu turbido.*

Sive, ſi fortè malis, *vultu torpido*. Poſteriorem verſum citat Nonius. Sed apud eum pro *caperatâ* legitur *innatâ*. Corruptè planè. An prius fuit *iratâ*? quod ex gloſſemate potuit irrepſiſſe. Saltem, & hoc, & illud, reſpuit metrum. Et quid eſt *innata frons*? Tum, quod penè omnem dubitationem tollit, Varro in ſexto de L. Latina diſertim dicit, in Doloreſte legi *cape-*

Digitize

*caperatâ fronte.* Sed de hoc plura ad incertæ tragœdiæ fragmenta.

*

*Nam te in tenebris ſæpe lacerabo fame*
*Clauſum, & fatigans artus torto diſtrahbam.*] In Mſsis. & edit. Ald. eſt, *Nam te tenebricas ſæpe.* Unde rectè viderunt viri docti, legi debere,

*Nam te tenebricâ ſæpe lacerabo fame*
*Clauſum.* Vel, quod Scriverio placuit, *Nam te in ſpecu tenebrica.* Nempe ut *tenebricam ſepem*, vel *ſpecum*, vocet tenebroſum carcerem; quomodo Euripides in Bacchis dixit, σκοτίας κρυπτὸν ἐν εἱρκταῖς. *Tenebricus* pro tenebricoſo, etiam legas apud Tullium 11. Tuſc. Qu. verſibus iſtis; quos ex Sophoclis Trachiniis expreſſit:

*Hæc à Tartareâ tenebricâ abſtractum plagâ*
*Tricipitem eduxit Hydrâ generatum canem.*

Valde etiam metuo, ne iterum erret Nonius, cùm *torto* interpretatur *tormento.* Nam quis veterum ita loquitur? Quare hoc potius dicit Poëta, *tibi torto diſtrahbam membra.* hoc eſt, dum torqueris. Nam præterita paſſiva, quia præſentibus carent Latini, ſæpe ſignificationem habent præſentis: qua de re in alio opere plura diximus.

*

Pag. 57. *Macte eſto virtute, operâque omenque approbo.*] Delrio,

—— *operaque omen approba.*

*

*Primum hoc abs te oro, nimis inexorabilem*
*Faxis, ne turpaſſis vanitudine ætatem tuam.*] Ita eſt in Aldin. & propius quidem, quàm Mediol. aut Majus, à verâ lectione abeſt. Sed, puto, ſcripſerat Pacuvius:

*Primùm hoc abs ted oro, ne te nimis inexorabilem*
*Faxis, neu turpaſſis vanitudine ætatem tuam.*

Quam emendationem Hugoni Grotio debemus.

*

*Vbi illic eſt? me miſeram? quam clamor eliminat.*] Mirè variant libri. In Ald. eſt, *Vbi ille eſt? me miſeram, quoniam clamor eliminat.* In Med. *Vbi illic eſt? me miſeram, quoniam clam eliminat.* Ac ſimiliter Junianus Majus, niſi quod pro *quoniam* (uti etiam in Mercerianâ eſt) habet *quonam.* Ex Aldina pro *illic* retineo *ille*, quod & habet Mercerus. Ex Juniano *quonam* pro *quoniam* accipimus. Ex Mediolanenſi placet *clam* pro *clamor.* Ut ſit talis ſenarius:

*Vbi ille eſt! miſeram me! quonam clam eliminat?*

Vel potius ſcribe,

—— *ubi*
*Ille eſt? me miſeram! quam clamos eliminat.*

Quomodo Accius Meleagro dixit, *Timidè eliminor clamore:* Et confirmat lectionem hanc, quod uno in loco (nam in gemino citat Nonius) pro *clamor* ſcriptum *clam vos*, quod quin ex *clamos* corruptum ſit, dubium non eſt. Idemque Scriverio noſtro obſervatum. At quod Palmerius emendabat, *quianam clamore eliminat:* id verè Palmerianum eſt, hoc eſt duriuſculum.

*

*Nil conjecturâ quivi interpretarier,*
*Quorſum flexivicè contenderet.*] Ita eſt in Mſsis, & vett. editt. Sed legendum *flexificè.* Et fortè *oraculi* vox exciderit poſt *flexificè.* Sanè illam ſi addas, & ſenarii erunt, & commoda ſententia. Sed ſi ea audaciùs inſeri videtur; poſſis ex *quorſum* elicere *quo rurſum:* ex *flexivicè, flexâ voce.* Et fortaſſe *tum* excidit ante *contenderet*, ob ſimilem ſyllabam ſequentem. Quod facilè concedent, qui ſciunt in membranis eſſe, *Quorſum flexâ cervice tum contenderet.* Fuerit igitur ſenarius ejuſmodi:

*Quo rurſum flexâ voce tum contenderet.*

Simile verò eſt illud Paccuvii in Peribœa:

*Flexa, non falſa, autumare dictio Delphis ſolet.*

Et Apollo dictus λοξίας à flexiloquâ dictione. Nam λοξὸς *obliquus.* Huc quoque refero Paccuvii illud, ex Duloreſte ejus citatum à Nonio in *Incertat:*

—— *Sed me incertat dictio, quare expedi.*

Ubi *dictio* pro oraculo, ut in loco proximè adducto, & alibi non raro.

*

*Nonne officium fungar vulgi, atque ægrè malefactum feram.*] Fortaſſe melius,

—— *Qui ægre malefactum feram.*

*

*Reſponſa explanat, mandat ne mater ſuat*
*Cognoſcendi unquam, aut contuendi copia.*] Scribe,

—— *ne matrem ſuat.*

*

Pag. 58. *Delphos venum pecus ſecunda ad ſtabula ac itiner contuli.*] Locus profligatiſſimè corruptus, in quo neque nos parcemus conjecturæ. Cenſeo legi debere:

— *Delphos veni ubi,*
*Pecus egi inde ad ſtabula, me ad itiner contuli.*

Poſſis & octonarium exſtruere:

*Delphos ventum, pecus egi inde ad ſtabula, ad itiner contulo.*

Scilicet *Me*, vel aliud ſimile, ad ſeq. verſ. pertinuit.

*

--- *Is quis eſt?*
*Qui tunc ſi tu illum occupas, leto dabit.*] Ita Mſsi, & vett. editt. ſed, puto, legi debet:

*Qui te nunc ni tu illum occupas, leto dabit.*

Error natus ex eo, quòd *ñc* compendii ergo pro *nunc* ſcripſere. Poſſis etiam, *Qui te, niſi illum tu occupas, leto dabit.* Nec diſplicet eorum conjecturâ, qui pro *is quis eſt*, legunt, *Ægiſthus eſt.* Unde enata feſtiva emendatio Scriverii, ſeptenatium exſtruentis ejuſmodi,

*Ægiſthe, qui te, niſi tu illum occupas, leto dabit.*

Vel, juxta Juniani cod. ſcripturam (in quo pro, *is quis eſt*, legitur, *Vlyſſes eſt*) pro *Ægiſthe*, ſcribe, *Vlyſſe.* Sed alterum præſtat.

*

*Interea prope jam occidente ſole inhorreſcit mare,*
*Tenebræ condupl.* &c.] Pacuvii eſſe conſtat ex Cic. 1. de divin. Quod verò ad Duloreſtem refertur, id non video, quâ fiat conjecturâ. Saltem nec 111. de Orat. nec 1. de Divinat. Cicero id dicit. Verſu quarto, qui eſt,

*Grando miſta imbri largiſiuo ſubita turbine præcipitans cadit,*

vox *turbine* à libb. abeſt, & verſus eam reſpuit. Irrepſit autem huc ex verſu ſeq.

*

*Vtinam nunc matreſcam ingenio, ut meum patrem*
*Vlciſci queam.*] Non damno, ſi dividas poſt *patrem*, ut fragmentum ex ſenario ſit, quomodo τὸ *queam* μονοσύλλαβον fiet: ſed nihil etiam impedit, quo minus ſit trochaicus quadratus catalecticus, ut τὸ *meum* συνίζησιν patiatur.

*

Pag. 59. *Me calvitur ſuſpicio: hoc eſt illud, quod fore*
*Occultè Ajax prædixit.*] Pro *Ajax*, quod etiam in Ald. eſt, *Ceax* legitur in Mediol. Sed Mſsi habent *Oeax:* quod meritò probat Mercerus. Is Nauplii & Clymenes filius, frater Palamedis, fuit. Vide Scholiaſten Euripidis ad illud in Oreſte:

Οἴαξ, τὸ Τροίας μῖσος αἰνοφθόρον πατρί.

Pacuvii verba ſic digere:

*Me calvitur ſuſpicio, hoc illud eſt, fore*
*Quod occulte Oeax prædixit* ---

*

*Ut ſi ita ſient promerita veſtra, æquiperare ut queam,*
*Vereor, nunquam fatiſcar facere, quod quibo bona.*]

*Fatiſcar* pro *fatiſcam* poni, monet Nonius, qui gemino in loco locum hunc adducit. Sed in vett. libris inconſtanter legas, nunc *ſi unquam*, nunc *niſi unquam*, nunc *niſi numquam*; quod priori Nonii loco etiam eſt in Aldinâ, ac Mercerianâ, item apud Junianum. Ita fuerit trochai-



Digitized by Google

chaicus quadratus. Nec alio mutato opus, quàm quod pro *vereor* fortean *peream* legendum : ut & Scriverius annotavit. In priori, ut metrum poſteriori reſpondeat, leviculâ vocum trajectione opus eſt. Sic igitur lego:

*—— Ut ſi ita veſtra ſunt promerita æquiperare ut queam,*
*Peream, niſi numquam ſatiſcar facere, quod quibo boni.*

*

*Si Priamus adeſſet, & ipſe ejus commiſereſceret.*] Vel τὸ *ejus*, vel princeps ultimæ vocis ſyllaba, ſuſtollanda, ut ſenarius fiat. Vel cum Scriverio pro *ipſe ejus*, *ipſus* ſcribe. Quod uti ſimplicius, ita verius, cenſeo.

*

*Ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.*] Puto ex jambico eſſe,

*—— Aderant*
*Ferme alto in æquore ratibus repentibus.*

## HERMIONA.

*

Pag. 60. *Fortunam inſanam eſſe, & cæcam*, &c.] Prout hic leguntur, ſunt jambici octonarii, dummodo verſus primus ita concipiatur,

*Fortunam inſanam eſſe, atque cæcam, & brutam perhibent philoſophi.*

At verſus nonus hoc pacto:

*Veriſimile ajunt, uſus quod reapſe experiundo edocet.*

Sed in Lambinianâ, Gruterianâ, aliis Tullii editionibus, ita digeruntur, ut ſint trochaici quadrati catalectici. Et lectio illa magis convenit cum libris chirographis. Plura de hiſce verſibus dicemus in tragœdiæ incertæ fragmentis.

*

*Quamquam ex diſcordiate cladem importem familia.*] Apud Sipontinum eſt, *Quantaſque nec diſcordiatas clades importes familia.* Ut fortaſſe ſcripſerit Pacuvius:

*—— Quantaſque hac diſcorditas*
*Clades importet familia ——*

Sed in veteribus, & recentibus Nonii libris, qui quidem prælo ſint excuſi, legitur hoc pacto:

*Quantamque ex diſcorditate cladem importem familia.*

Qui trochaicus erit, ſed quem terminet pæon quartus: uti iſtum in deſcriptione fortunæ, quem paullò ante vidimus:

*Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent philoſophi.*

Si id minus placet, fiat jambicus octonarius:

*Quantumque ex hac diſcorditate cladem importem familia.*

Sed neque diſſimulandum in Mſo inveniri ſenarium ejuſmodi:

*Quantamque excorditate cladem importem familia.*

Et fortaſſe ut à *diſcors diſcorditas*, ſic ab *excors excorditas* fecere. Quod ſi eſt, erit in Nonio hiatus exiguus poſt *diſcors*. Quales apud eum multi.

*

*Tyndareo fieri contumeliam, cujus à te veretur maximè.*] Scribe, *cujus te veretur maximè.* Sic Accius Alpheſibœâ: *Si tui veretur te progenitoris cedo.* Vide autem, utrùm poſt *Tyndareo* ſit diſtinguendum, ut ſit è trochaico quadrato catalectico. Quod ſi eſt, hic quoque in fine ſit pæon quartus. Sed leviculâ trajectione fient jambici:

*—— fieri contumeliam*
*Tyndareo, cujus te veretur maximè.*

*

*Quod ego in acie celebro objectans vitam bellando aptus ſum.*] *In celebro acie* quia Latinum non eſt, ideo H. Stephanus legit *celebri*. In Venetâ Pincii eſt *cerebro*. Aldinæ qui præfuere, cùm neutrum hic locum habere viderent, omiſsâ eâ voce ediderunt,

*Quod ego in acie objectans vitam.*

Sed hoc eſt nodum ſecare, non ſolvere. Ego pro *cerebro*, unicâ extritâ literâ, lego *crebro*. Quod etiam Mercero placere, poſtea vidi. Et ſicui hic aqua hæret, ſciat ſic ex libris ſuis legiſſe olim Junianum Majum: ut jam de eâ lectione dubitandum non ſit.

*

Pag. 61. *Et obnoxium eſſe, aut brutum, aut elinguem putes.*] Ita eſt in libb. vett. Malim tamen,

*—— Eum*
*Obnoxium eſſe a. b. a. e. p.*

Ut è ſenario ſit.

*

*Quam tibi dare dicta, aut quàm reditum eſt Pergamo.*] Et ſententia, & metrum, & librorum veterum conſenſus, *dari* requirit. Eſtque trochaicus ejuſmodi:

*Priu' data eſt, quàm tibi dari dicta, aut quàm reditum eſt Pergamo.*

Sermo eſt de Hermionâ, quæ priùs data fuit Oreſti, quàm Pyrrho.

*

*Concorditatem hoſpitio adjunctam perpetem*
*Probitatem conſervetis.*] Ita in libb. omnibus repetio, præterquam Mercerianâ edit. ubi eſt, *Comitatem conſervetis.* Malim *comitate.* Erit verò è trochaico. Vulgata eſt ex jambico ſenario. Sed legendum:

*—— perpete*
*Probitate conſervetis ——*

Ingenioſè verò pro *hoſpitio adjunctam* Clariſſimus Scriverius conjectabat *auſpicio aditam.* Solùm addo, provocabulum *hanc* intercidiſſe. Nam metrum illud requirit. Et veriſimilius eſt *hoſpitia* factum eſſe ex *hanc auſpicio.* Ut veram lectionem putem,

*Concorditatem hanc auſpicio aditam perpetem* (vel *perpete*, aut *perpetim*)
*Probitate conſervetis.* *Auſpicio* trium ſyllabarum.

*

*Currum liquit. chlamyde contortâ aſtu clypeat brachium.*] Nihil hoc de loco dici opus poſt ea, quæ Scaliger ſcripſit initio Conjectaneorum.

*

Pag. 62. *—— Quod tamen ipſa orbitas,*
*Grandævitaſque Pelei per penuriam*
*Stirpis ſubaxet.*] Non video, ut hic locum habeat *ſubaxit*, quod valet *ſubegeris.* In Mediol. eſt *ſubarcet.* Unde leviculâ immutatione facias *ſubjacet*, uti Grotius legendum putavit. Qui & pro *quod* ſcribit *quoi.* Ut planè ſinceram eſſe lectionem exiſtimem:

*—— Quoi tamen ipſa orbitas,*
*Grandævitaſque Pelei per penuriam*
*Stirpis ſubjacet ——*

*

*Sub judicio quoque omnes gradus tetinerim.*] τὸ *quoque* eſt in illa Junii, ac Merceri, ut vulgatam non damnem: quàm ita diſpeſce,

*—— Sub judicio quoque*
*Omnes gradus tetinerim.*

Sed in Aldin. ac Mediol. pro *quoque* eſt *quæ.* Etiam ſententia apertior eſt, ſi pro *ſub* ſcribas *tuo.* Ita ſenarius ſit:

*Tuo judicio quæ omnes tetinerim gradus.*

*

*Sermonem hic noſtrum ex occulto clepit; quantum intelligo.*] Ita numeris reſtitue,

*Sermonem hic noſtrum ex occulto, quantum intelligo, clepit.*

*

*Nam ſolis Danais hic domutionem dedit.*] Ita quidem editt. vett. Sed ἴαμβος exigit *domuitionem*; nec metrum reſpuit.

ILIO-

## ILIONA.

*

*Blandam hortatricem adjugat voluntatem.*] Scribe,
*Blandam hortatricem adjugat voluptatem.*

*

Pag. 63. *Sed hæ cluentur hoſpitum infideliſſimi.*] In Mſo pro *hæ* eſt *hi*, quod probum. In veteri Veneta Pincii, item antiquiſſima Mediolanenſi, pro *hoſpitum* eſt *hoſpitium*, quod pro ſincero habeo. Sic *hoſpitum fluviorum* pro *hoſpitum*, legimus in Ætna. Similia ſunt, *principium*, *hominium*, *extiſpicium*, aliaque apud veteres non pauca; quæ inſcitia librariorum temere immutavit. In voce extimâ *E* abſorbetur.

*

*Tu ſi conere, credo avitum ſceptrum potientur poti.*] *Ita* correxit Mercerus, cùm legeretur in Mſsis, *Vſi honere credo.* In Ald. *Vt ſi onere credo.* In Mediol. *Vt ſi honore credo.*
Valde autem faveo ingenioſæ Grotii conjecturæ:
*Vt ſi Ilionen regum iſtuc ſceptrum potientur poti.*

*

*Occidiſti, ut multa paucis verba unosè obnunciem.*] *Vnosè* pro *ſimul* poni, apertè ait Nonius, ut locum habere non poſſit emendatio viri eruditi:
*Occidiſti, ut multa paucis, uniceque obnuntiem.*
Nec *ut verba* expellendum, etſi deſit in Aldinâ. Nam eſt in Mſsis, & Mediol. & apud Junianum.

*

*Fac, ut cæpiſti, hanc operam mihi des perpetem oculis traxerim.*] Citat Feſtus, ut oſtendat veteres *perpetem*, pro *perpetuo* dixiſſe. Quid ſi *perpetim* apud Feſtum, ac Pacuvium legamus? Quod ad illa *oculis traxerim*, puto poſt *perpetem* hiatum eſſe apud Feſtum, verbaque illa ad aliud fragmentum pertinere. Sanè ſimplicius illud, quàm ut corrupta ſint ex *miſere ô Vlyſſe*; nempe ut in *oculis* veſtigia ſint horum *ô Vlyſſe*; *traxerim* verò ex *miſera*, inverſis elementis, factum ſit.

## MEDO.

*

Pag. 64. *Quid tandem, ubi ea eſt? quod recepta exul incerta vagat?*] Ita lege, metro trochaico, & ſententiâ percommodâ:
*Quid tandem? ubi ea eſt? quò ire cæptat exul? incerta an vagat?*
Credo autem eſſe ea verba Medi ipſius, à quo fabulæ inſcriptio eſt. Nam in hac tragœdia Medeam matrem Medus quærebat, ut diſertim Chariſius ait lib. 1. ubi iſta tum ab eo pronunciata eſſe dicit:
--- *Te ſol invoco, ut mihi poteſtatem duis*
*Inquirendi mei parentis.*

*

*Sed quid conſpicor? num me lactens calvitur avitas?*] In vulgatis antiquis legitur *conſpicio*, item *atas*: ut ſenarius ſit talis:
*Sed quid conſpicio? num me lactens calvitur*
*Ætas?* ---
Sin *conſpicor*, & *avitas*, uti in Mſsis, malis, divide poſt *conſpicor*, ut è trochaico ſit.

*

Pag. 65. *Qua ſuper re interfectum eſſe Hippotem dixiſti?*] Num fortè legendum?
--- *Quâ re ſuper*
*Interfectum eſſe nepotem dixti?*
Ita putabat vir eruditus. Sed obſtat, quod Medus, à quo fabulæ huic nomen, non eſt interfectus ab avo: imò contrà is avum ſuum Perſen interemit. Quare rectum eſt *Hippoten*. Nam Medus, Ægei & Medeæ filius, cùm à Perſe in cuſtodiam conjectus eſſet, mentiebatur ſe eſſe Hippoten, Creontis filium. Quâ de re plura vide apud Hyginum fab. XXVII.

*

*Lingua biſulcis actu criſpo fulgere.*] Rectè emendant,
*Lingua biſulca jactu criſpo fulgere.*

*

*Quare ſe te ab ſtabulis abjungat, certum eſt loqui.*] Num *abjunges*? an potius *abjugat* κατ' ἐρώτησιν ſcribendum? ut ſequentia ab alio dicantur.

*

*Acceſſi ad eam, & tonſillam pegi lavo in litore.*] Fabulæ nomen etiam in Mſo noſtro Priſciano integrum ſervatum. Sed in Venetâ veteri corruptè eſt: *Pacuvius: In medio tonſillas*, &c. pro, *Pacuvius in Medo.* Pro, *lavo autem litore*, puto legendum, *lato in litore.* Nam ita eſt apud Feſtum in codice Farneſiano, & quibuſdam etiam Priſciani libris: uti Venetâ veteri. Sic Accius Phinidis:
---- *Tacete, & tonſillas litore in lato edite.*
Quamquam ibi quoque *lavo* legit Scaliger. Sed in Farneſiano eſt *litore in lado*: in vulgatis *lada.* Ut utrobique veteris lectionis videas veſtigium.

*

*Te ſol invoco ut mihi poteſtatem duis*
*Inquirendi mei parentis.*] Fuerit trochaicus quadratus catalecticus, ſi *Alme* præmittas. Verſu ſeq. *mei* συνίζησιν patitur.

*

*Cuſtodite iſtum vos, ne eum qui attollat, neve qui attigat.*] Utrobique *qui* pro *quis* ponitur. Id ſi diſplicet, ſic ſententiæ, & numeris redde,
*Cuſtodite iſtum vos, ne eum quis attollat*, (vel ἀρχαϊκῶς *attolat*) *neve attigat.*

*

Pag. 56. *Ire ſi recto, pergit iter: jam ſi ire conor, prohibet betere.*] Citat Aldina ex *Hedo*, pro quo *Medo* rectè eſt in Mſsis, & propè acceſſit Mediol. ubi pro *Medo*, *Si*, legitur *Mendoſi*: ſanè mendoſè. Porrò verbum *ire*, quod initio à Delrio quoque adjectum, planè tollendum. Scio in Aldinâ eſſe, *Hedo*, *Bibite ſi recto.* Unde faciendum videtur, *Medo*, *Ire ſi recto.* Sed *bibite* corruptum ex *betite*, quod ad ſuperiorem Pacuvii locum pertinet ex Niptra citatum. Id quoque ex Mſsis liquet, ubi poſt *bibite* legas, *Medo*, *Si recto pergitur*, ſive, ut in aliis eſt, *pergit ut*, aut, *peragitur*, aut, *pergit iter.* Puto autem, leviculâ immutatione, ſcribendum, *ſi recto*, *urget iter.* Pro *eam* quoque, quod poſt *iter* in pleriſque ſequitur, *jam* ſcribi debet. Ita fuerit trochaicus quadratus,
*Si recto, urget iter; jam ſi ire conor, prohibet betere.*
Quæ mihi certiſſima emendatio videtur.

## NIPTRIS.

*

*Barbari cam peſtem navibus noſtris obtulit.*]
*Barbaricam peſtem navibu' noſtris obtulit.* hoc eſt Tropaum, ut ſuprà dictum. Servius Fuldanus in 11. Æn.
*Barbaro, id eſt Phrygio, quia* Πᾶς μὴ Ἕλλην βάρβαρος. Ita ibi legendum.

*

*Ætate integrâ, feroci ingenio, facie procerâ virum.*] Poſt *integra*, divide.

*

*Advenio in ſcrupoſam ſpecum.*] Planè cenſeo, non eſſe novum fragmentum; ſed idem illi, quod integrius ſequitur:
*Inde advenio montem Octam, ſcrupoſam ſpecum.*

*

*Pedetentim ite, & ſedato niſu, ne ſucceſſu arripiat major dolor.*] Sunt hæc ex Ciceronis Tuſc. 11. ubi confert,

fert, quæ Pacuvius de vulnerato Ulyſſe narrat, cum iis, quæ dixerat Sophocles tragœdiâ illâ, quæ ἀκανθοπλὴξ inſcribebatur, ut, in ſua de tribus Tragicis diſſertatione, ex Heſychio oſtendit Clariſſimus & amiciſſimus vir, Joannes Meurſius. Sunt verò, qui hic adducuntur, verſus anapæſtici; eoque ſic eſſe illos digerendos arbitror:

*—— Tu quoque Ulyſſes,*
*Quamquam graviter cernimus ictum,*
*Nimis es pene animo molli, qui*
*Conſuetus in armis agere ævum.*

Item poſtea:

*Retinete, tenete, opprimit ulcus,*
*Nudate, heu miſerum me, excrucior.*

In vulgatis ſcripſerant, *opprimite*; unde Pythæus, *opprimit te*; Guilielmius, *opprimit heu*, legendum putabat. Sed utrumque reſpuit metrum. Nec ultima vocalis in *opprimite* venire in rationem debet, quia non aliâ de cauſſa ita ſcripſit librarius, quam quia anteceſſerat *retinete, tenete*. Ut ea, quam dixi, omnino ſincera lectio ſit, *opprimit ulcus*. Poſtrema denique ſic cenſeo digeri, ac legi debere:

*Operite, atque abſcedite, jam jam*
*Mittite. Nam attrectatu & quaſſu*
*Sævum hunc amplificatis dolorem.*

Extremo verſui fulciendo infercivimus *hunc*, quod ſimilitudine præcedentis ſyllabæ exciderat.

*

*Pariter te eſſe erga illum video, ut illum te erga ſcio.*] Metrum, quod trochaicum eſt, poſtulat,

*—— ut illum ted erga ſcio.*

*

*Cedo tamen pedem, lymphis flavis flavum ut pulverem.* Scribe, ut metrum ſequentibus reſpondeat,

*Cedo tamen pedem, lymphis ut flavis flavum pulverem.*

Niſi malis,

*Cedo jam pedem.* Nam ſæpicule *tamen* ex *tam*, *tam* ex *jam* fecere librarii.

*

*Priuſquam oppeto malam peſtem hoſtili mandatam manu.*] Scaliger *peſtim*, ἀρχαϊκῶς, ut *reſtim* dicimus.

## PAULLO.

*

Pag. 68. *Qua via caprigeno generi gradibilis greſſio eſt.*] Quantum præſumſerit librariorum audacia, vel locus iſte argumento erit. Nam cùm ſic, uti poſuimus, legatur apud Priſcianum initio libri ſexti: apud Macrobium tamen lib. VI. cap. V, in hunc modum citatur:

*Quamvis caprigeno pecori grandior greſſio eſt.*

Hic *quamvis*, illic *qua via*, ſive, ut in pleriſque Mſsis legitur, *quia via*; hic *pecori*, illic *generi*; hic *grandior*, illic *gradibilis*. Non dubium autem mihi, quin melior ſit Priſciani ſcriptura: quæ tamen nec ipſa planè eſt ſincera. Ita enim legi debet:

*—— Quâ viâ*
*Caprigeno generi greſſio gradibilis eſt.*

## PERIBOEA.

*

*Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ira exulium levat.*] Etſi aliter etiam ordinare poſſis; tamen veriſimilius eſt, ſic digeri debere, ut trochaici fuerint:

*—— Nec tuum*
*Ted ingenium moderat, neque fraternum ira exſulium levat.*

*

*Parùm eſt, quod te ætas malè habet, ni etiam hic ad malam Ætatem adjungas cruciatum reticenti.*] Legerem *recenti*, niſi in Mſsis & vett. editis conſtanter eſſet *reticenti*. Quare rectum eſt *reticentiâ*, quomodo emendat Guilielmius.

*

*Sed neſcio quidnam eſt: animi horreſcit, gliſcit gaudium.*] Scribe,

*—— Sed neſcio*
*Quidnam eſt: horreſcit animi, gliſcit gaudium.*

Vel conjunge, ut trochaicus fiat. Poſſis & ſcribere, *horreſcit animus*; ſed alterum, tum libris ſubnixum, tum [illegible]. Similia ſunt *excruciari* vel *angi animi*, *lataris laborum*, *gaudere voti*, & alia, quæ Græcorum imitatione dicuntur. In nonnullis libris, etiam Aldinâ, legitur, *Sed neſcio quidnam eſt animi, horreſcit &* (vel *atque*) *gliſcit gaudium.* Mendoſè. Nam hoc poëta voluit, animum variè ſe habere; hinc metu incutiente horrorem, inde ſpe gaudium concitante.

*

*Nam me perbitere, illis opitularier,*
*Quovis exitio cupio, dum poſſum modo.*] In veteri Mediol. & apud Junianum Majum, legitur, *Nam me mihi perbitere.* Et metrum id requirit. Sententia eſt, peream ſanè mihi, dum aliis non peream, ſed proſim. Pro *poſſum* apud Majum, etiam in Ald. Med. aliis, eſt *proſim*. Illud verò *modo*, quod explendo verſui addunt viri docti, à vett. libb. abeſt.

*

*Thyaſantem fremitum concidi melum.*] In Mſsis, Aldinaque, eſt *Theſiantem*: unde Hadrianus Junius legit, *Thyaſiantem*, quod eſt, thyaſo bacchantium convenientem. Pro *fremitum*, ſive *fremita* (ut eſt in Ald.) lego cum aliis *fremitu*. At *concidi melum*, rectum puto, ut ſententia ſit, Bacchicum melos multo fremitu intercidi, atque impedii. Vir tamen doctiſſimus malebat:

*—— Thyaſum ante fremitu concinui melum.*

*

*Ardua per loca agreſtia, ac trepidante gradu nititur.*] Ita eſt in Ald. & Mercer. Sed vel illud *ac* dele, vel ſcribe *agreſti ac*, prout eſt in Mediol. & apud Jun. Majum. Sunt verò anapæſtici:

*—— Ardua*
*Per loca agreſti, ac trepidante gradu*
*Nititur ——*

*

Pag. 69. *Scrupea ſaxa, Bacchi templa, prope aggreditur.*] Etiam hoc ex Anapæſtico eſt. Scribe igitur,

*Saxaque ſcrupea, templaque Bacchi,*
*Propere aggreditur ——*

Non *prope*, ut eſt in vulgatis: quamquam & retinet Scaliger: qui etiam vocem *altaque* liberaliter nimis infercit.

*

*Conſternata anima ex pectore hac, & volvere;*
*Conſilium ſubit omnes, quod de nata eſt modò:*
*Quo pacto inimicis mortem, & huic vitam efferas.*]

Prima ita reſtituo:

*Conſternatæ animæ, expectora hac ——*

Quod ſi *volvere* pro *volve* dixerunt, non dubitem ſequentia ita legere,

*—— & volvere*
*Conſilium, ſubito omine quod enatum eſt modò.*

Vel ſcribe, *& volvito*. Sed quia ductus literarum pluſculum abeunt à libris, ubi conſtanter eſt, *& volvere*, vel *evolvere*, etiam tentabam hoc pacto:

*—— & volvere*
*Conſilium ſubeat omne, quod natum eſt modò.*

Extimo verſu in vett. libb. etiam Med. & Ald. eſt, *Qui pacto*. Mox pro *efferas*, in Mediol. eſt *aſſeras*. Et ſententia ſanè *afferas*, vel *offeras*, requirit.

*

*Belluarum ac ferarum adventus ne tetret loca.*] Sic numeris redde:

*Ferarum ac belluarum adventus ne tetret loca.*



Digitized by Google

*

*— Precor veniam, petens*
*Ut quæ egi, ago, axim, verruncent bene.*] Ut impleatur ſenarius, ſcribe, *ago*, vel *axim.*

*

*In triplici pertimefactus mœrore animi incertè errans vagat.*] Vel dele *In*, ut ſit trochaicus: vel ſcribe, *Hinc triplici*, aut *Is triplici*, vel *Multiplici*: ut ſit jambicus quadratus.

*

*Tamen obfirmato animo miteſcit metus.*] Numerorum cauſſâ reſcribe:
*Tamen animo obfirmato miteſcit metus.*

*

Pag. 70. *Tu mulier tege, & tuta templa Liberi.*] Ita eſt in Ald. Sed in Mediol. eſt,
*Tum mulier coge te, ut tutent templa Liberi.*
Satis autem mirari non poſſum, pro vocabulum *te* abeſſe ab Aldina, ubi metrum illud requirit: contraque legi in Mediolanenſi, ubi illud nec ſententia patitur, nec metrum. Quare vel lege,
*Tu mulier tege te, & tuta templa Liberi.*
Vel hoc pacto:
*Tum mulier coge, ut tutent templa Liberi.*
Sed prius illud magis convenit cum Mſsis: quod & Mercerus expreſſit.

*

*Non poteſt, Menalippe, hic ſine tuâ opera exantlari clavos.*] Ita quidem edit. Mediol. Ald. aliæque: ſed rectè in Mſo eſt *labos.* Quomodo & viri docti jamdudum emendarunt.

*

*Corpuſque meum tabe, mœrore, errore, macore ſenet.*] Ita editt. vett. verùm in Mſo pro *tabe* eſt *tali.* Sunt verò Anapæſtici:
*— Corpuſque meum tali*
*Mœrore, errore, macore, ſenet.*
Alii tamen numeri fuerint, ſi pro *errore* legendum *tetro.* Sanè in Mſo *terro* legitur, quod proximè à *tetro* abeſt.

*

*Metus, egeſtas, mœror, ſenium, exuliumque, & ſenectus.*] Sic anapæſticis numeris reſtitue:
*— Metus, mœror, egeſtas,*
*Senium, exuliumque, atque ſenectus.*

*

*Ecſare, quæ cor tuum timiditas territat?*] Sic ſcribendum pro *terret*, ut in aliis eſt. Vel lege:
*— timiditas terret tuum.*

*

*Regnûm imperator, æternûm morum ſator.*] Pro *regnûm* malim *regum.* Pro *morum*, ſententia *Deûm* requirit: ſive, quod propius à *morum* abit, *Deorum*, ut συνίζησις ſit. Adfert Nonius, ut oſtendat accuſativum poni pro genitivo: uti hìc *æternûm* pro *æternorum.* Nempe enallagen caſus cum ſyncope confundit.

*

Pag. 71. *Quanquam ætas ſenet, ſatis habeam rem virium, ut te ab ara arceam.*] Ita & eſt in Priſciano meo Mſo, ac antiquâ Venetâ, niſi quòd in hac corruptè pro *ara* eſt *arcâ.* Vera lectio eſt,
*— Quamquam ætas ſenet,*
*Satis habeo tamen virium, ut te arâ arceam.*
Vel ſi pro *habeam rem*, malis *haberem* tali; interpolatione opus ſit, priuſquam trochaicus fiat:
*— — Quamquam ſenet*
*Ætas, ſatis haberem virium ab ara ted ut arceam.*

## PHINIDIS.

*

*Tacete, & tonſillas levo in litore edite.*] De hoc ad Medum Pacuvii diximus.

## TANTALO.

*

*Extremum intra campterem ipſum*
*Jam pragreditur Parthenopæum.*] Vide, quæ ad ejuſdem Atalantam notavimus.

## TEUCRO.

*

*Flexanima, tanquam lymphata, & Bacchi ſacris*
*Commota, in tumulis Teucrum commemorans meum,*
*Alcyonis ritu litus pervolgans feror.*] Prima Ciceronis editio, item Stephanica, & quædam aliæ, pro *&* habent, *ut*; unde Auratus *aut* legit, quod tamen in nullis invenias Manuſcriptis. Pro *meum* in veteris libris, etiam Gruterianâ, eſt *ſuum*: quod Scaliger immutavit, ut verſus tertius prioribus cohæreret. Atqui non junxerat eos Pacuvius. Imò, ne hoc quidem, an verſus iſte ex Teucro ſit, conſtare poteſt, cùm id Varro non dicat, unde depromptus eſt, & cum illis ferruminatus, quæ à Cicerone adducuntur; ubi quia à Poëta Teucri mentio fit, ex tragœdiâ ejuſce nominis citari, per eſt veriſimile.

*

*Armamentûm ſtridor, & rudentum ſibilus.*] Scribe *rudentiſibilus.* Nam ita dixiſſe Pacuvium, apertè dicit Varro in quarto de L. Lat. Sed quia ejuſmodi compoſitio Pacuvio, quàm oratore Tulliani ævi, dignior eſt; iccirco Cælius, ad Ciceronem ſcribens, pro eo *rudentum ſibilus* maluit.

*

Pag. 72. *Nos illum interea perficiendo propitiaturos facul remur.*] E Manuſcripto ſcribe *proficiendo.* Sic verò digere, ut *Remur* initium ſit verſus ſequentis. *Interea* triſyllabon eſt. Nam verſus eſt trochaicus quadratus catalecticus.

*

*Rapido, reciproco, percito, auguſto, citare, reſtem, reciprocare unde, eque gremiis ſubjectare, adfigere.*] Ita eſt in codice Farneſiano, atque id valde corruptè. Et obtinuit is error jam tempore Paulli exſcriptoris, ut patebit ejus epitomen legenti. Quis autem, ubi de poëtæ ſententia nihil planè conſtet, eluere ſe poſſe ſperet octingentorum jam annorum errorem? Et tamen, quid hic tentârit magnum Scaligeri ingenium, legere ad Feſtum potes. Nec diſſimulabo Hugonis Grotii emendationem, qui ſcribebat:
*Rapido, reciproco, percito, anguſto, freto.*
*Et Mercatore:*
*Reciproca te', nudiſque genibus ſubjectare, adfigere.*
Poſterior verſus eſt octonarius. A Pacuvio autem ſcriptam eſſe Mercatorem, conſtat ex Varronis VI de L. L. ſi modò ſanus eſt is locus. Horum exemplum ſecutus in loco deſperato, contra Coi vatis præceptum, nec propriæ parcam conjecturæ. At illud quidem planè verum puto, priora ſolùm eſſe ex Pacuvii Teucro: quæ hujuſmodi fuiſſe ſuſpicor:
*Rapio, reciproco, percito, agito, ultro, citro.*
*Percito* etiam eſt in gloſſ. vett. Vel ſcribe *percillo*, ſive *percilo*, quod à *cilo*, ſeu *cillo*, unde *ciliis*, & *oſcillis* nomen. In iſto verò *re reſtem*, puto latere alterius tragœdiæ nomen: fortaſſean Oreſtis, vel Duloreſtis, quam idem Pacuvius ſcripſit. In ſequentibus pro *unde*, ſcribe *inde*, pro *adfigere*, *adfligere*, hoc pacto:
*Reciprocare inde, eque gremiis ſubjectare, adfligere.*
Eſt trochaicus quadratus catalecticus. Ac videtur alludi ad tollenonem, vel pilum Græcum.

*

*Ut ego ſi quiſquam me tagit, & tangam.*] *Tagam* ſcribe, uti apud Feſtum eſt.



Digitized by Google

*

*Poſtquam defeſſus perrogitando advenas*
*De natu, neque quemquam invenio ſcium.*] Ita quoque eſt in vett. libb. niſi quod in Mſo ſit *dignatis*, pro *de gnatis*. Etiam numeri exigere videntur *defeſſus eſt*. Vel ſcribe, *Poſtea quam*.

*

Pag. 73. *Niſi coerceo protervitatem, atque hoſtio ferociam.*] *Protervitatem* ſenarium inchoat.

*

*Aut me occide, illa hinc ſine uſquam provideam gradum.*] In Mediolanenſi eſt *illa habui*, ubi Aldina melius *illa hinc*, ſed rectum eſt *illinc*. Error ortus ex eo, quod ſcriberent *iſthinc*, *ilhinc*, pro *iſtinc*, *illinc*. Etiam pro *ſine*, lego *ſi*. *Provideam* eſt in editt. vett. Sed in Mercerianâ eſt *provigeam*. Malim cum Giffania *provegeam*. Nam *vigere* abſolutæ eſt notionis, *vegere* etiam activæ. Ut apud Pomponium Majali:
*Animos Venus veget voluptatibus.*
Et apud Ennium Ambraciâ:
*Æquora ſalſa viges ingentibu' ventis.*
Ubi *vegere* eſt movere, atque erigere. *Provegere* igitur erit *promovere*. Et ſanè Nonius quoque in hoc Pacuvii loco interpretatur *movere*, *ferre*. Vera igitur lectio eſt:
*Aut me occide, illinc ſi uſquam provegeam gradum.*

*

*Te repudio, nec recipio, naturam dico faceſſi.*] Locum hunc Palmerio, & aliis, fruſtra tentatum, non infeliciter reſtituit Scriverius. Qui pro *naturam dico* legit *maturadum*. Sed non minus placet conjectura noſtra, ut pro *naturam dico faceſſi*, ſcribatur, *maturè, edico, faceſſe*. Nam & propius abit à libris, & idem dicit, quod Maro, *Maturate fugam*. Sic verò digere,
—— *Te repudio, nec recipio:*
*Maturè, edico, faceſſe.*

*

*Faceſſite hinc omnes, parumper tu mane.*] Puto cæſuræ ergo ſcripſiſſe, *omnes hinc*.

*

*Ubi poëta pro ſua parte falſa conficta canant,*
*Qui cauſſam humilem dictis amplant.*] Hæc quidem ſi ita ſcripſit Pacuvius, non dubium, quin ex epiſtola, vel prologo ſint: uti Scriverius monuit. Sed vide, an non percommode emendet Hugo Grotius anapæſticis hujusmodi:
*Ubi pro tempore partim vera,*
*Partim falſa & conficta canant,*
*Qui cauſſam humilem dictis amplant.*

*

*Neque perpetrare precibus, nec precio quit.*] *Quiit* lege, ut ſenarius ſit.

*

*Profuſus gemitu murmuro occiſtians ruat.*] Poſtremæ duæ voces ab edit. Mediolan. & Aldin. abſunt. Sed ſunt in codice Farneſiano. Rectè verò emendant viri docti, *oſcitans ruat*, vel potius *ruit*. Ut ſit idem huic Maroniano in x.
*Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.*
Vel iſti, quod è Cn. Matii Iliad. x. citat Diomedes:
*Ille hietans herbam moribundo tenuit ore.*
Qui locus, etſi corruptus eſt; tamen, quod volumus, ſatis indicat.

*

*Nam Teucrûm regi ſapſa res reſtabiliet.*] Farneſiani Feſti editor legendum conjectat, *res ſtabiliet*: quod metro repugnat. Rectum igitur eſt *res reſtabiliet*. *Sapſa res* pro *eapſe res*. Nam dicitur *ſapſa*, quaſi *ſa ipſa*. Ubi *ſa* non eſt *ſua*, ſed *ea*, quomodo Ennius dixit,
*Nec quiſquam ſophiam, ſapientia quæ perhibetur,*
*In ſomnis vidit priu', quam ſam diſcere cœpit.*
Et monet Feſtus, ſimiliter dixiſſe Ennium in ſextodecimo,
*Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatque, jubetque.*

*

Pag. 74. *Maxime Teu. . . . . . . . . nunquam.*] Putavit Scaliger, eſſe ex Pacuvii Teucro. Idque, uti ego conjecto, non alio compulſus argumento, quàm quia hic Teucri mentio fiat; & Teucrum tragœdiam ſcripſerit Pacuvius. Nempe non occurrebat ſummo viro Maronis illud octavo magni operis:
*Maxime Teucrorum ductor, quo ſoſpite nunquam.*
Quem locum fuiſſe à Feſto adductum, & res clamat, & Farneſianæ ſchedæ dubitare neminem ſinunt.

*

*Inſcitiâ, ferocitate, atque ferociâ.*] Ita Scaliger emendabat. Et invenimus hanc ſcripturam in antiquiſſimâ edit. Mediolanenſi. In Aldina verò, atque aliis, legitur: *Niſi citia ferocitate atque ferocia.* Sed apud Feſtum in *Redhoſtire*, ac Nonium in *Hoſtire*, ibidem ex Pacuvii Teucro hæc citantur:
- - - - *Niſi coerceo*
*Protervitatem, atque hoſtio ferociam.*
Cui loco ille antea adductus adeo eſt ſimilis, ut cum eruditiſſimo Mercero, ex hoc eum corruptum eſſe, planè arbitrer.

*

*Mihi claſſem imperat Theſſalam,*
*Noſtramque in altum ut propriter deducerem.*] Si poſt *imperat* diſpeſcas, ſequens verſus ſit trochaicus. Sin ex jambico eſſe malis, ſic trajice, *Mihi Theſſalam claſſem imperat.*

*

*Non illic luteis Aurora bigis.*] Poſt *luteis* divide, cum ex jambico hoc ſit fragmentum.

## ADDENDIS.

### ANTIOPA.

*

PAg. 75. *Capite brevi, cervice anguinâ, adſpectu truci.*] Ita Mſſi & editi. uti & mox,
*Non intelligimus, niſi apertè dixeris.*
Utrobique neglecta συναλοιφή. Niſi ſcribendo *& adſpectum*, item, *intelligimus te*, vel ſimili ratione, medearis verſui.

*

Pag. 76. *Amphionem & Zethum Euripides, & apud nos Pacuvius, Jovis ex Antiopa, Nyctei filia, ait natos, cantando coluiſſe armenta vocare.*] Ita eſt & in Fabricianâ Servii ac Probi editione. Sed ſcripſerat Probus, *Jovis ex Antiopa, Nyctei filia, natos, ait cantando potuiſſe armenta vocare.*

### DULORESTE.

*

*Pater Achæos, in Caphareis ſaxis pleros perdidit.*] Apud Priſcianum in Veneta veteri eſt, *Capharei ſaxis*, quod vir eruditus malebat. Sed *Caphareis* eſt in Manuſcripto meo, ac nihilo deterius eſt. Nam ſimiliter dixit Propert. lib. III.
*Saxa triumphales fregere Capharea puppes.*

*

Alterum quoque huic fragmentum adde, quod ex Duloreſte Pacuvii citat Nonius in *Incertat*:
—— *Sed ne incertat dictio, quam rem expedi.*
Ita eſt in Mſſis, & editt. antiq. Emendo,
—— *Sed me incertat dictio, quare expedi.*

### HERMIONA.

*

Pag. 77. *Ibo atque dicam, frequentes ut eant gratatum hoſpiti.*] Ob metrum ſcribe, *Ibo ac*.

IN-

Digitized by Google

## INCERTIS TRAGOEDIIS.

*

*Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam, perhibent Philoſophi*, &c.] Aliquid de hiſce verſibus diximus ad Hermionen Pacuvii: quò retulerunt viri docti, compulſi duobus extremis verſibus, qui ſunt de Oreſte mendico. Nunc cætera perſequamur. Verſu ſecundo provocabulum *illam* abeſt à vett. libb. Eoque non aſperner:

*Saxoque inſtare globoſo prædicant volubilem.*

Ut porrecta ſit ultima in *inſtare* ob vocem ſequentem, quæ à duabus conſonis incipit. Vel potiùs legendum,

*Saxique inſtar eſſe globoſi prædicant volubilem.*

Nempe illud *inſtare*, corruptum ex *inſtar eſſe*. Nam diſertim, teſtante Grutero, in Mſsis Germanicis legitur,

*Saxique inſtar globoſi eſſe volubilem.*

Verſu tertio invenio in vett. libb. *Quia quo.* ut rectum putem, *quoquò*. Puta hoc pacto,

*Quoquò ſaxum impulerit ſors, eò cadere fortunam autumant.*

Sin *Ideo quò* malis, ſcribe *cadere eò*, ob numeros. Maximè verò de mendo ſuſpecta ſunt ſequentia:

*Sunt autem alii philoſophi, qui contrà fortunam negent*

*Miſeriam eſſe ullam, ſed temeritate omnia regi.*

Ubi mirè ſudant viri doctiſſimi. Placet verò Grotiana emendatio:

- - - *Qui contra à Fortunâ negent*

*Miſeriam eſſe ullam, ſed temeritate omnia regi.*

Nam opponit poëta Fortunam, & temeritatem. Unde mox colligit, quia naufragio quis factus ſit mendicus, temerè quidem id contigiſſe, at non obtigiſſe fortè fortunâ. Nihil, meo judicio, verius certiuſque. Verſu etiam penultimo, fidem Palatinorum quatuor codicum ſecutus, ſcribo;

*Velut Oreſtes modò fuit rex, factu'ſt mendicus modò.*

Malim & illud *nempe* prioribus conjungere in hunc modum,

*Naufragio res contigit nempe: ergo haut fortuna obtigit.*

Vel ſcribe:

*Naufragio res nempe iſta obtigit.*

Quando in quibuſdam etiam Mſsis invenias:

*Naufragio nempe res iſta contigit.*

At longius à Mſsis abit, quod è ſuorum varietate eruebat Guilielmus:

*Naufragio contigit. Ergo haut fortè, aut fortuna obtigit.*

*

Pag. 78. - - *Piſcium laſciviam*

*Intuerentur, nec tuendi ſatias capere poſſiet.*] Ita emendavit maximus Gruterus, qui & primus latentes hic numeros ſagaciter eſt odoratus.

*

*Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi,*

*Neque paternum adſpectum es veritus?*] A Telamone hæc in luctu filii dici, Cicero ipſe ait. Quare, & hoc, & ſequens fragmentum, jure ſupra ad Teucrum relatum fuit.

*

Pag. 79. Quin etiam *feræ*, inquit Pacuvius, *quibus abeſt ad præcavendum intelligendi aſtutia, ſibi injecto terrore mortis horreſcunt.*] Pacuvii quidem eſt trochaicus iſte:

*Quibus abeſt ad præcavendum intelligendi aſtutia.*

Sequentia verò ſunt Ciceronis.

*

Pag. 80. *Flexanima tanquam*, &c.] Vide, quæ ad Teucrum dicta.

*

*Grajugena de iſto aperit ipſa oratio.*] Qui ex ſecundo de divinat. citant, decepti ſunt à Rob. Steph. in Collectan. Fragment. Eſt enim in ſecundo de Nat. deorum. Mirum verò in omnibus Tullii codd. ita legi, uti hic expreſſum. Vera enim abſque dubio eſt emendatio iſta Hugonis Grotii:

*Grajugenam ted eſſe aperit ipſa oratio.*

*

*Cedo tamen pedem lymfis flavis flavum ut pulverem.*] Et hoc de loco ſupra dictum.

*

*Ego odi homines ignavâ opera, & philoſophâ ſententiâ.*] Ne in trochaicum metrum pecces, ſic elegantem hanc γνώμην digere, *Ego homines odi i. o. e. p. ſ.*

*

*Nam ſiqui, quæ eventura ſunt, provideant;*

*Æquiperent Jovi.*] Numerorum gratiâ ſic potiùs digere:

—— *Nam ſiqui, quæ eventura ſunt,*

*Provideant; æquiperent Jovi.*

Quamquam pro *æquiperent*, uti eſt in omnibus libris, malim *æquiperem.* Talem, inquit, Jovi ipſi æqualem, & parem putem.

*

Pag. 81. *Filios ſibi procreaſſe eandem per Calypſonem autumant.*] In Chariſio, itemque Priſciano, poſt *procreaſſe* inſertum τὸ *dicitur*: neque id ſolùm in nuperis editt. ſed etiam vett. atque ideò Mſsis. Non dubium tamen, quin ſit ex gloſſemate. At ne eodem quidem reciſo, ſanus eſt locus: ſed legi debet;

*Filios tibi procreaſſe eandem Calypſonem autumant.*

Trochaicus eſt, in quo *eandem* κατὰ συνίζησιν efferrur.

*

*Exhalat auram terra, atque auroram humidam.*] Pro *terra*, *tetram* conjectabat Scriverius, quod probo. Sed quid eſt *exhalare auroram*? Puto planè vocem *auroræ* irrepſiſſe ex eo, quod *aura* anteceſſit. Quemadmodum & pro *humidam* malo *humectam*: prout eſt in editione Vertranii. In Mediolanenſi veteri, uti & Romanâ Antonii Auguſtini, utrumque legas, *humidam humectam.* Sed *humidam* quoque ex gloſſemate irrepſit. Vera igitur lectio fuerit,

*Exhalat auram tetram atque humectam* - -

Vel, *Tetram exhalat aur. a. h.* Quando in Mediolanenſi eſt iſte ordo verborum, *Terra exhalat auram.*

*

*Paſtor excurſo jubare, noctis decurſo itinere.*] Paſtoris vox additur à Varrone lib. v. de L. L. idque etiam in edit. Mediol. & Ald. Sed lib. vi omittit, quod & facit Junianus. Et abſque ea juſtus fuerit ſenarius. Atque, ut anteceſſerit, non tamen proximè cohæſit.

*

*Calydonia altrix terra exuberantium virûm.*] Malim *exuberantûm*, ob metrum. Ad Atalantam referebat Delrio.

*

(*Æges*) *ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.*] Anapæſtici ſunt:

—— *Ferme aderant*

*Æges æquore in alto ratibus*

*Repentibus* ——

Sed potiùs ex iambico fuit, ut extremo ad Duloreſtem loco vidimus.

*

—— *Nulla res neque*

*Cicurare*, &c.] *Neque* ab aliis abeſt.

*

Pag. 82. *Educ, i, manticulator, ita me facti oppreſſit jugo.*] Hanc lectionem eruit Scaliger, cùm prius legeretur, etiam in Pomponii Læti ſchedis:

*Medici* (vel *Modici*) *manticulator. . . . ., ta me facti oppreſſit jugo.*

Sed quanto veriſimilius Hugo Grotius emendabat:

*Mendicum, manticulator, ita me fati oppreſſit jugum.*

Et videtur ea dixiſſe Oreſtes, de quo idem Pacuvius ait:

*Velut Oreſtes modo fuit rex, modo mendicus factus eſt.*

 *Machi-*

Digitized by Google

*

*Machinam ordiris novam manticulatam aſtu. . . .*
*Sanctiora adigis juranda jura, quibus cotidie*
*Parva noxa extergeantur - - -*] Verſu primo in Pomponii Læti ſchedis erat, *manticula tactu.* Unde, qui eas edidêre, legendum conjectant, *manticulæ tactu.* Quaſi de iis ſermo ſit, qui, ut, Feſti utar verbis, *furandi gratiâ manticulas attrectabant.* Sed ita parum hæc cohæreant cum ſequentibus, Scaliger reponit *manticulatam aſtu. . . .* Proximam verò particulam *an* (nam ſequitur in omnibus libris *an ſanctiora*) idem delebat. Atqui facit ea ad eruendam lectionem veterem, ſi, quod mihi videtur, *aſtu, an,* corruptum eſt ex *aſtutiam.* Sed ne ſic quidem verſum ſuppleveris, niſi insertâ copulâ legas *manticulatamque.* Vel, abſque ea, *manticulatoriam* ſcribas. quod κατὰ συνίζησιν efferri metrum requirit, cùm verſus ſit trochaicus:

*Machinam ordiris novam, manticulatoriam aſtutiam.*

Quomodo ſi ſcripſerat Paccuvius; *manticulatoria aſtutia* ſit, quali utitur manticulator, ſive manticularius, ut vocat Tertullianus in Apologetico. Sed fortaſſe iſta, *Quibus quotidiana nota extergeantur*, ex altero Feſtus argumento adducit. Atque ita vera lectio videri poſſit:

*Machinam ordiris novam, manticulatam aſtu, ac adjicis*
*Sanctiora jura juranda - -*

Nam cùm non tantùm in antiquis editis, ſed Farneſiano quoque ſit, *An ſanctiora dicis juranda*; fortean ex *an* factum *ad*: ex *dicis* item *adjicis*.

*

*Sed cùm contendi nequitum vi, clam tendenda eſt plaga.*] In vett. libb. τὸ *vi* abeſt: ſed legitur, *ut clam*, quod ex priori corruptum. Præterea librarius poſt *nequitum*, ultimam repetere neglexit. Nam Trochaicus ejuſmodi fuit:

*Sed cùm contendi vi nequitum, tum clam tendenda eſt plaga.*

Quale quid etiam Scaliger voluit ad Feſtum. Nam quod nunc ibi legitur vulgo, non Scaligeri, ſed librarii eſt error.

*

*- - Promerenda gratia*
*Simul cùm videam*, &c.] Ad Chryſen de hoc dictum.

*

Pag. 83. *Topper tecum ſit poteſtas, faxit ſi mecum velit.*] Lubens reſcribam:

*Topper tecum ſit poſtidea faxim, ſi mecum velit.*

Nam ſive *Topper* hic valet *fortaſſe*, ut cenſet Feſtus: ſive *citò*, ut ferè ſumitur: hujuſmodi ſententia erit, dummodo nunc ſit mecum, poſtea tecum ut ſit, effectum dabo.

*

*Si Priamus adeſſet, & ipſe ejus commiſereſceret.*] Diximus de eo ad Duloreſtem.

*

Pag. 14. *Volucri currit axe quadriga.*] Fortè,

*Volucri curritur axe quadriga.*

Ut ſit anapæſticus. Etſi & aliter poſſis.

*

*Agite, ite, volvite, rapite, comâ tractate per*
*Aſpera ſaxa & humum, ſcindite veſtem ocius.*] Fortè, ut ſenarii ſint, ſcribendum:

*Agite, ite, volvite, rapite, comâque trahite*
*Per aſpera ſaxa & humum, ſcindite veſtem ocius.*

*

*Voce ſuppreſſâ, innato fronte, vultu turpido.*] Vidimus de hoc initio Duloreſtis.

*

Pag. 85. *Quæ te applicavisti tamen ærumnis obruta.*] Ita à Putſchio editum eſt in Priſciano. Sed in Mſ. & veteri Venetâ, invenimus, *tam ærumnis obruta.* Atque id tum metrum, tum ſententia exigit.

*

Pag. 86. *Multa apud poëtas reliqua eſſe verba, &c.*] In illuſtri hoc Varronis loco duodecim poëmata commemorantur: ſed duobus duntaxat, auctoris nomen adſcribitur: primo, quod eſt è Nævii Heſionâ; & decimo, quod eſt è Pacuvii Tarentillâ: unde aliquis exiſtimare poſſit, in iis, ubi poëtæ nomen reticetur, illud, quod anteceſſit, ἀπὸ κοινοῦ repeti debere. Perſuaſum id fuit viris aliquot doctis, qui iccirco à Nævio Duloreſtem ſcriptam putarunt, cujus tertio hic loco meminit Varro. Atqui rectè ſi colligunt, etiam Carmen de bello Punico fecerit Pacuvius, quia poſt nominatam ejus Tarentillam locus adducitur è bello Punico, poëtæ nomine non expreſſo. At hoc nemo ſanus dixerit. Quare putamus, quando de poëmatis ſcriptore conſtaret, nomen ejus à Varrone eſſe omiſſum: ſoli verò Heſionæ, & Tarentillæ adjectum eſſe διακριτικῶς, quia alius etiam ejus nominis fabulam dediſſet. Nam, præter Pacuvii Tarentillam, fuiſſe alteram Nævii, plurima oſtendunt fragmenta, quæ inde Chariſius adduxit. Quare ita ſtatuimus, quæ ex Doloreſte hic citat Varro, ea eſſe ex Pacuvii Duloreſte. Nam Nævianam nemo veterum laudat: & ex Pacuvianâ eſſe, illud præterea confirmat, quod verſus iſte, quem ex Pacuvii Duloreſte adfert Nonius, ſanus atque integer fuerit, ſi hoc pacto legas,

*Voce ſuppreſſâ, caperatâ fronte, vultu torpido.*

Ubi nunc in vulgatis, & metro invito, & ſententiâ nullâ, legitur, *innatâ fronte.* Neque aliquis objectet, pluſculum abire eam lectionem à veteri literarum ductu. Nam ſi *caperata* vocem, ut inſolentem, Varro ipſe notârit; credibile ſanè eſt, juniores addidiſſe gloſſema, quod poſtea in germanæ ſcripturæ migrarit locum. Gloſſema illud fuerit *irata*, vel *rugata*, vel, *irritata.* Nam nihil horum valdè abit ab *innata*, quod inde poſtea corruptum fuit. Quamquam verò hoc nobis verius videtur: tamen, quia non eadem omnes probare ſolent, alteram etiam conjecturam proponemus. Quid ſi concedamus, & à Nævio, & à Pacuvio, Duloreſtem ſcriptam eſſe: ac in Nævianâ quidem fuiſſe *caperatâ fronte:* in Pacuvianâ autem fuiſſe *rugata*, quomodo *rugoſam frontem* Martialis dixit, *rugatam teſtam* Plinius. Vel etiam *irritatâ fronte*, quando frontem caperare irati ſolent. Et de iſto ſatis. Quod ad locum ex Tarentillâ, etiam Stephanus, cùm ut Pacuvianâ prius poſuiſſet, *ab luce inluſtre*, mox adjungit, *ab luce* eſſe verba Varronis, qui hoc ſolum dicat, Pacuvium à luce *inluſtre* derivare. Et nihil certius.

*

Pag. 87. *Hic tibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitru, rudentiſibilus.*] Verba illa *Hic tibi*, judicio meo, Cælii ſunt, non veteris poëtæ. Etiam pro *tonitru*, in veteribus libb. eſt *tonitruum*, quomodo ſi veteres dixêre, ex iambico petitus fuerit locus:

*- - Strepitus, fremitus, clamor, tonitruum,*
*Rudentiſibilus.*

*

*Qui apud te, quaſi ſervos, eſt canicum panem.*] Senarius ſit:

*Qui apud te panem, q. ſ. e. c.*

Niſi à *canica*, *canicaceus* malis. Et ita citavit etiam in Theſauro ſuo Robertus Stephanus. Quare verius fortaſſe,

*Qui apud te panem eſt, quaſi ſervos, canicaceum.*

Non videtur autem è tragœdia eſſe. Imò quid ſi ne Pacuvii quidem ſit? Nam primus eſt R. Stephanus, apud quem legerim: quem Scaliger ſecutus. Mirum verò Stephanum fragmenti ejus meminiſſe in Lexico; in Collectione fragmentorum, ubi proprius ei erat locus, non item. Atque hoc ſuſpicionem meam, quam dixi, auget.

## PSEUDONE.

*

*Niſi ego te blaterantem adſpicerem, his nuncium indicaſſem.*] Puto ante *nuncium*, *nunc* excidiſſe, ob ſimilem

lem ſyllabam ſequentem. Præterea opus trajectione, ut ſit verſus quadratus:

*Ni ego te blaterantem adſpicerem, bis nunc indicaſſem nuncium.*

Vel, ut ex jambico ſit, ſcribe,

*—— Ni te ego*
*Blaterantem adſpicerem, bis indicaſſem nuncium.*

Ψευδῶς verò Paccuvii Pſeudonem laudat obſcurus iſte Fulgentius. Nec ſi eam ſcripſit, hujus ſit loci. Nam comœdiam idem ille vocat Fulgentius. Suſpicor potiùs Paccuvii nomen eſſe corruptum: eò magis, quia & alibi id factum. Uti apud Diomedem lib. III. cap. eo quod de pedibus metricis inſcribitur: ubi in vett. editt. verſus quidam Pacuvio tribuuntur, qui nihil minus quàm Pacuvii ſunt. Et ſanè in Mssis invenitur *Paconii*, uti & Helias Putſchius impreſſit. Facilè autem aſſentiam doctiſſimis viris, qui *Paconius* ex *Varro Atacinus* corruptum putant. Cui eos verſus, ſed limatiores factos, tribuit quoque Scaliger in Catalectis Virgilianis. Cæſarius, qui Criticam falcem in Diomedem primus immiſit, cum Pacuvii nomen in libris ſuis inveniſſet, & videret verſus, qui citabantur, eſſe corruptiſſimos, planè ſcriptoris nomen cum verſibus reſecuit; atque eorum in locum ſubſtituit aliqua de fonte Maronis. Quæ intoleranda in venerandam antiquitatem audacia, non tam laudari, quàm pipulo differri meretur.

*

Nihilo magis è tragœdia eſt ſequens fragmentum:

*Non ego ſic fui, ut nunc ſunt, meretrices diobola,*
*Quæ ſuam vel nummi cauſsâ parvipendunt gratiam.*]

Non dubito autem, quin rectè emendarim:

*Non ego ſic fui, nunc ut ſunt diobola meretricula.*

*

*Ita ſeptueſè dictio*, &c.] Vide, quæ ad Livii diximus Antiopam.

*

Hactenus de Fragmentis è tragœdiis Nævii & Pacuvii. Quibus nunc mantiſſæ loco aliquid de utriuſque epitaphio adjungam, quando uno utrumque loco etiam Agellius conjunxit. Ac Nævius quidem, ut nobilis ille Grammaticus ait, tale ſibi epitaphium ſcripſit, ſuoque ſepulcro incidi juſſit:

*Immortales mortales ſi foret fas flere,*
*Flerent divæ Camœnæ Nævium poëtam.*
*Itaque poſtquam Orci traditus eſt theſauro*
*Obliti ſunt Romæ linguâ Latinâ loquier.*

Duos poſteriores verſus, ut, ſuperiorum inſtar, Saturnii ſint, ita concinnabam:

*Itaque poſtquam eſt Orcivo traditus theſauro,*
*Obliti Romæ loquier ſunt linguâ Latinâ.*

Propter hoſce verſus Nævium Campanæ ſuperbiæ reum agit Agellius. Atqui quid habet, unde veriſimile faciat nobis, Nævium potiùs, quàm alium, eos verſus feciſſe? Nihilo magis eidem credo, cùm Pacuvianum epitaphium à Pacuvio ipſo ſcriptum eſſe arbitratur. Ejus primum verſum ſic edidit Henricus Stephanus:

*Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat.*

Sed cùm ſequentes ſint ſenarii, etiam hunc ſanè talem eſſe convenit. Eoque lego:

*Adoleſcens, tamenetſi properas, ſaxum hoc rogat.*

Vel hoc pacto:

*Adoleſcens, tametſi properas, ſaxum hoc rogat.*

Nam *tamenetſi* quidem probum eſt, & vetus: ſed in pleriſque libris pro eo *tametſi* legas, quod hic κατὰ συνίζησιν fiet ἀσύναλφον.

Quod autem de Nævii & Pacuvii epitaphio diximus, idem de Plautino dictum puta; etſi & illud Plautum habere auctorem, perſuadere nobis idem Agellius conetur. Nempe non aliâ de cauſsâ, quàm quia Varro Plautinum vocet. Quaſi Plauti dici non poſſit, quod alius honori ac memoriæ Plauti fecerit. Sed Agellio inſolens non eſt errare in talibus: quando idem lib. II. cap. XVIII. Epictetum de ſe ſcripſiſſe id diſtichon dicat, quod à Leonida ſub Epicteti perſonâ eſſe factum, ex Anthologiâ ſcimus.

IN

# L. ATTII

## FRAGMENTA.

### ACHILLE.

*

Pag. 89. *Ne tum cum fervat pectus iracundiâ.*] Fruterius,

*Nedum, cum*

Nec diſplicet.

### ÆGISTHO.

*

*Neque fera hominum pectora frageſcunt, donec vim perſenſerint imperii.*] *Frageſco*, vel *fragiſco*, ex eo, quod veteres *frago* dixere, unde *fragor*, ut ſupra dictum. Verſus Attii ſic digere:

*—— Neque fera hominum*
*Pectora frageſcunt, donec vim perſenſerint*
*Imperii ——*

*

*Heu cujatis ſtirpem penitus ſtigi ſtudet.*] In omnibus libb. pro *penitus* eſt *funditus*. Ut ſit trochaicus, cui primus deſit pes. Sed in aliquibus præterea pro *cujatis* eſt *civitatis*, ut fortaſſe ex jambico ſit.

*

*Meliùs, quàm viri, callent mulieres.*] *Callent* initium novi eſt jambici.

*

*Celebri gradu greſſum adcelebrâſſe decet.*] Sic numeris redde:

*Gradum celebri greſſum adcelerâſſe addecet:*

Vel cum Scaligero,

*Celebri gradu greſſum adceleraviſſe addecet.*



Digitized by Google

## ÆNEADIS.

*

*Patrio exemplo & me dicabo, atque animam devorabo hoſtibus* ] Scribe, ut ſint trochaici quadrati:

*—— Patrio*
*Exemplo dicabo me, atque animam devotabo hoſtibus.*

*Devotare*, ut rectè hic emendant, eſt *devovere*. Uſi etiam Appulejus, & Bibliorum interpres. Sed & iſtic ſimiliter corruptè pro eo *devorare* legitur, ut jam aliis obſervatum.

*

*Vim Gallicam obduc contrà in acie, exercitu —*
*-- Ve patrum hoſtili fuſum ſanguen ſanguine.* ] Ita eſt in Aldinâ, Junianâ, Mercerianâ. Sed vide, an non feliciter emendet H. Grotius:

*Vim Gallicam obduc contrà in aciem, qui expiet*
*Paternum hoſtili fuſum ſanguen ſanguine.*

*

*Et nunc quod eorum ſegnitas credet focus.* ] Lipſio placet:

*Et nunc, qua eorum ſegnitas, ardet locus.*

*

*Fateor, ſed ſæpè ignavit fortem in ſpe exſpectatio* ] *Fateor* ad ſuperiorem pertinet verſum.

*

*Gallei voce canorâ fremitum*, &c. ] Anapæſtici ſunt:

*Gallei voce canorâ, ac fremitu*
*Peragrant minitabiliter. ——*

Sive, ut Fruterius malebat,

*—- Gallanti voce, canoro*
*Fremitu, perag. m.*

Verbo *gallare* ſemel iterumque uſus Varro Eumenidibus: uti verbo *gallulare*, Nævius Exodio. Nonium vide.

*

*Caſtra hac veſtra eſt, optimè eſſit meritus à nobis.* ] Ita Ald. & aliæ. Fortaſſis ſcribendum, *Optime eſt is meritus de nobis.*

*

*Di ſumma tibi perduellum eſt, quorum, aut quibus ſe à partibus Gliſcunt* --- ] Ita eſt in Aldinâ. Sed in Venetâ Pincii eſt *diſſumam*. Longiùs etiam abit Mediol. *Diſſumam tibi perduellum eſt, e quorum, aut quibus ſe apertum gliſcunt.* At Junianus Majus hoc pacto: *Diſſiminia tibi per duellum eſt. Quorum a. q. ſ. a. p. g.* Sanè locum eſſe corruptiſſimum, liquet. Clariſſimo Scriverio non diſplicebat,

*---- Dis ſummatibus*
*Perduellum eſt, quorum auguriis gliſcunt ſeſe à partibus.*

Ut ſenſus perfectio à ſequentibus pendeat, uti in multis aliis fragmentis. Tentabimus, an medicinam aliter facere poſſimus. Ac primùm illud ex Prætextatæ hujuſce inſcriptione ſcimus, actum eâ eſſe de P. Decio, qui, cùm Gallorum aciem ſuſtinere non poſſet, præeunte verba ſollemnia M. Livio Pontifice, Dis manibus caput ſuum devovit: ac deinde (Livii verba ſunt lib. x.) *quà confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, equum concitavit, inferenſque ſe ipſe infeſtis telis interfectus eſt.* Cenſeo igitur Decium poſt exſecrationem ſui quærere, quâ parte maximè violentia hoſtium graſſaretur: mox ſecutum patris exemplum, ac (quemadmodum de Decio Mure Romanus ſcriptor ait) *in confertiſſima ſe hoſtium tela jaculatum, ut novum ad victoriam iter ſanguinis ſui ſemitâ aperiret.* Quæ ſanè ſi ita ſunt, ut mihi quidem perſuaſi, non infeliciter puto corrigebam hocce pacto:

*Vis ſumma eſt ubi perduellum? quonam aut quibus ſe à partibus*
*Gliſcunt? —*

Vel,

*Quibus à partibus.*

*

Pag. 91. *Nihil neque periculi eſt, neque tumulti, quod ſciam.* ] *Nil neque pericli.* Senarius eſt.

## AGAMEMNONIDIS.

*

Corruptè quidam, etiam Junianus Majus, *Agamemnonibus*: quos & H. Stephanus ſecutus. At *Agamemnonida*, rectè eſt in Mſsis, etiam Med. Ald. aliis.

*

*Inimicitias Pelopidarum exſtinctâ jam obliteratas memoriâ renovare.* ] In aliis eſt:

*Exſtinctas jam, atque oblit.*

Scribe igitur:

*--- Inimicitias Pelopidûm*
*Exſtinctas jam, atque obliteratas, memoriâ*
*Renovare.*

Sed Clariſſimus Scriverius *Pelopidarum* retinebat, ac putabat, verba iſta proſæ magis, quàm tragœdiæ, convenire. Unde & conjectabat, eſſe ea ex præfatione ſeu epiſtola; quam à Tragicis præmitti ſolere, locuples, & omni exceptione major teſtis eſt, Valerius Martialis; qui cùm ſecundum Epigrammatum librum Deciano mitteret, ita ipſum in limine loquentem inducit: *Quid nobis, inquis, cum Epiſtola? Parumne tibi præſtamus, ſi legimus Epigrammata? Quid hic porrò daturus es, quod non poſſis verſibus dicere? Video quare Tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet. Epigrammata curione non egent, & contenta ſunt ſuâ, id eſt malâ linguâ. In quacunque pagina viſum eſt, epiſtolam faciunt.* Quid apertius hinc, quàm (uti inde idem amiciſſimus vir obſervavit primus) tragœdias epiſtolâ muniri ſolere, quæ verſibus ſcripta non eſſet? Et videntur huic ſententiæ favere varia fragmenta, quæ, ut, nunc quidem leguntur, vel numeros habent nullos, vel non uſitatos Tragœdiis. Tale eſt illud Pacuvii ex Teucro citatum: *Ubi poëtæ pro ſua parte falſa conficta canant, qui cauſſam humilem dictis amplant.* Huc etiam illud Andronici ſupra retulimus, *Scabra in legendo redivioſave offendens.* Item illud ejuſdem, *Argenteo polubro, & argenteo gutto.* Quæ ad deſcriptionem choragii videntur pertinuiſſe. Et ſimile iſti eſt hoc Nævii, *Pallis, patagiis, crocotis, malaciis, mortualibus.* Cujuſmodi quis dubitet, vel ad epiſtolam, vel ad prologum referre? Uti & locum illum Ennii, quem ab eodem Scriverio ita legi ſuperius monuimus:

*Impetrem facile ab animo, ut cernat Vitalem Babium.*

Prologos verò præmitti ſolere, etiam arguit locus iſte ex Pacuvii prologo citatus:

*Nunc pœnitebant, libant liberi grato ex loco.*

Sed hoc fortaſſe inter epiſtolam, & prologum intererat: quod illa prorſa erat oratio, hic vincta, uti prologi Terentiani, quibus ſe tuetur contra adverſarios.

*

*Sic multi animus quorum atroci junctus malitia eſt.*
*Compoſita dicta e pectore evolvunt ſuo*, &c. ] In vett. libb. eſt *ſic multi*, vel *ſi multi*. Sed metrum particulam eam abnuit. Etiam pro *junctus* in quibuſdam, ac quoque apud Majum, eſt *vinctus*. Vera igitur ſcriptura eſt:

*Multi, animus quorum atroci vinctus malitiâ eſt.*



Digitized by Google

## ALCESTIDE.

*

*Cùm ſtrideret, retracta rurſus inferis.*] Satis liquet, *ſtridere* hìc dici de umbra Alceſtidis. Quomodo Lucanus lib. VI. ait,

*Auribus incertum feralis ſtrideat umbra.*

Et Papinius IX Theb.

*Stridebit veſtros Tydeus inhumatus ad ignes.*

Atque hoc etiam Delrio obſervat. At non rectè idem *ſtrideret* potiùs legere jubet, quàm *ſtriderat*. Nam citat Priſcianus, ut probet *ſtridi* in præterito dici. Eoque vel *ſtriderit* ex veteri Venetà, vel potiùs ex Mſo *ſtriderat* reponendum. In eodem Mſo meo eſt *Retracta rurſus ab inferis:* meliùs quàm in Venetâ,

—— *Cùm ſtriderit,*
*Retracta rurſus infelix* ——

Neque enim hoc nomine infelix dici potuit Alceſtis, quòd eam Hercules, motus pietate illius erga maritum, ab inferis reduceret.

## ALCMÆONE.

*

*Tanta ut fruſtrando lactans vanans protrabit.*] Ita Aldin. Sed Ms. & Mediol. & Jun. Maj. *protrahas*. Puto ſcripſiſſe:

*Tantum ut fruſtrando lactans, vanans protrabas.*

*

Pag. 92. *Quod di interdum inferam penitus depreſſum altis cluſère ſpecis.*] Ita Ald. niſi quod in ea eſt *Quid*, ubi in Mſis *quod*. Sic verò legendum:

*Quod Di ted infernis penitus*
*Depreſſum altis cluſère ſpecis.*

Vel ſi *interpreſſum* magis placet (quod eſt in pleriſque Mſsis, item in edit. Mediol.) ſcribe hoc pacto:

*Quod di infernis interpreſſum*
*Altis penitus cluſere ſpecis.*

*

*Quia nec vos, nec illi impunè irriderent meam*
*Grandævitatem* -- ] *Quia* ad præcedentem verſum refert. Malim &, *ille impunè irrideret*. Ut etiam eſt in editt. antiquis, & Mercerianâ.

*

*Suos deſeruit liberos ſuperſtites ſunt.*] Ita eſt in Mſsis, & editis. Sed illud *ſunt* aliunde irrepſit. Credo ex eo, quod in libris nonnullis *ſuos* in extremum locum eſſet rejectum.

*

*Qui ducat cùm te ſocerum viderit,* &c.]

--- *Qui ducat, cùm te ſocerum viderit,*
*Generibus tantam eſſe impietatem* ---

Quis, inquit, hujuſmodi ſocero credat eſſe tales generos, ſive, ut veteres eſſe locutos hoc teſtimonio Nonius probat, tales generes?

*

*Ut me repoſitum immerentem repentino nuncio alacrem*
*Reddidiſti, ac me excitâſti ex luctu in lætitudinem.*] Priora ita emendabat Palmerius,

*Ut me depoſitum, ac mærentem* ---

Addo ego, poſt *immerentem* facili errore *tam* excidiſſe. Etiam ſcribo *repente*, ut ſit jambicus:

*Ut me depoſitum ac mærentem tam repente nuncio.*

Poſteriorem verſum, ut itidem trochaicus ſit, ita concinnabam,

*Alacrem reddis, excitaſque ex luctu in lætitudinem.*

Vel potiùs,

*Reddiſti alacrem, ac me excitaſti ex luctu in lætitudinem.*

Quod propius à libris abit.

## ALPHESIBŒA.

*

Pag. 93. *Sed anguſtitate incluſam, ac ſaxis ſqualidam.*] Lego, *Se anguſtitate*. Ut ſenarius ſit.

*

— *Etſi eſt malis*
*Depoſitus animus meus, qua ſcribi exinde audiet.*] In Mſo pro *ſcribi* eſt *ſcibo*. Lego

---- *qua ſcibo, ex me audiet.*

Sive, ut in aliis eſt, *audies*. *Meus* tanquam unius ſyllabæ effertur. Nam ſenarius eſt.

*

*Ita territa membra*
*Animo ægroto*
*Cunctant ſufferre laborem.*] Num heroici fuêre?

---- *Ita territa membra*
*Ægroto cunctant animo ſufferre laborem.*

An anapæſtici potiùs?

*Membra ita territa cunctant animo*
*Ægroto ſufferre laborem.*

*

*Cùm ipſa ſim, & miſeritudo eorum ulla eſt liberûm.*] In Ald. leg. *eſt iſta liberum*. Videor autem mihi non infeliciter hunc locum emendâſſe:

---- *Cum ipſâ ſiet?*
*Miſeritudo meorum eſt iſta liberûm?*

Ut dicantur iſta, ſive ab Alpheſibœâ, poſtquam maritus Alcmæon duxerat Calirrhoen, Acheloi filiam: ſive ab ipsâ Calirrhoe, quæ, marito monilis ergo ad Alpheſibœam profecto, credebat eum priſtinis ſe amoribus oblectare: Ita per *liberos* intelligere oportebit Amphoterum, & Acarnanem, quos Alcmæon ex Calirrhoe genuit.

*

*Si tui veretur te progenitoris, cedo.*] Trochaicus eſt defectus ultimis duabus ſyllabis. Niſi malis, *Si tui*, pertinuiſſe ad verſum præcedentem.

*

*Odiorum hoſtificumque diem obvium turbam aſpecti atque horribilem.*] Locus corrupiſſimus. Quem ſic corrigo:

--- *ô dirum,*
*Hoſtificumque diem! ô terribilis*
*Adſpecti, atque horribilis!* ---

Vel hunc in modum:

--- *Odioſum,*
*Hoſtificum, dirum, terribilis*
*Adſpecti, atque horribilis!*

## AMPHITRYONE.

*

*Si ſatis rectè, aut verâ ratione augurent.*] Scribe, *Si rectè ſatis*, ut ſit ſenarius.

*

*Hoccine eſt, quod tu tam temeriter meam benevolentiam*
*Interiiſſe es ratus?*] Cùm hoc ex Nonio fragmento conjungunt iſtud ex Feſto: *Aut tam obſtinato animo confiſus tuo.* Sed nec ſententia ſic ſatis commodè cohæret; nec metrum ea jungi patitur, niſi pro *confiſus* ſcribas *fiſus*.

*

Pag. 94. *Cedo, ecquid te redhoſtitum cum meâſſem objectet facilius.*] In chartis Farneſianis eſt, *Cedo ecquid te redhoſtitum, cùm eas ſem objectet facilius*. Ut vera videatur lectio:

*Cedo,*

*Cedo, ecquid te redhoſtit, ut cum eâ ſe oblectet facilius?*

Qui octonarius eſt. Et videntur verba fieri ad Mercurium, cùm ſervili ſchemate Iovi ſubſerviret, quò is faciliùs animo ſuo obſequeretur, Alcumenam complexus.

*

*Quid hic redhoſtit viam: comitem obiet facilius.*) Ita eſt in pleriſque membranis Nonii, uti & editione Mediol. unde Mercerus tentabat,

*Quid hic redhoſtit? an quò me tembtet facilius?*

Aliis aliud videtur. Sed, aut valde me ratio fugit, aut planè hic idem eſt locus, ac ille, qui antea ex Feſto adductus fuit. Tantùm Nonius quædam initio truncavit. Nam ſequentia ſi ſpectemus, apud Feſtum eſt, *Quid te redhoſtitum*: apud Nonium, *Quid te redhoſtit viam*. Apud Feſtum, *Cum meâſſem objectet facilius*: apud Nonium, *Cometem obiet facilius*. Et, quod amplius eſt, uterque locus citatur ex Attii Amphitryone. Quare dubium non eſt, quin idem ſit locus; ac propterea, ſi verum eſt, quod de Feſti loco dicebamus, in Nonio quoque legi debet:

*Ecquid te redhoſtit, ut cum eâ ſe oblectet facilius?*

Qui octonarius jambicus fiet, ſi ex Feſto *Cedo* præmittas.

*

*An malâ ætate mavis malè mulcari exemplis omnibus?* ] Sic reſtituebam,

--- *Ætate an malâ*
*Malè à me vis mulcari exemplis omnibus?*

*

*Quin meum ſenium cum dolore tuo conjungam, & comparem.* ] Nihil numerorum cauſsâ mutandum. Nam trochaicus eſt, in quo *meum*, & *tuo*, συνίζησιν patiuntur.

*

*Sed quanam hac eſt mulier, funeſtâ veſte, tonſu lugubri?* ] Octonarium hunc cæſuræ ergo ita fuiſſe ſcriptum arbitror, *Sed quanam hac mulier eſt*. Vel omitte *ǹ eſt*, ut trochaicus fiat; quod verius puto.

*

*Ne ſi forte paullò, quàm tu, veniam ſeriùs.*] Ita quidem legitur in antiquis editionibus. Sed in ſchidis Farneſianis particula *ne* abeſt. Et abſque ea fuerit juſtus ſenarius. Irrepſit autem ex repetione ultimæ ſyllabæ, quæ proxime anteceſſit. Nam citatur locus iſte ex Amphitryone. Scaligero verò aſſentio *ſecim*, vel *ſequim*, legenti. Nam nihil attinebat monere, à *ſerò ſerius* dici, quod norunt, qui necdum ære lavantur.

*

*Tametſi ſtatua gracilitudo, & propemodum luctum facit,*
*Ne dubitem* ] Pro *tametſi ſtatua*, vel lege *tamenetſi tua*: vel, quod minùs à veſtigiis veteris ſcripturæ abit, *Tamen iſta tua*: prout ante nos Hadr. Junius edidit. Eſt trochaicus quadratus.

*

*Cum patre parvos patrum hoſtificè*
*Sanguine ſanguen viſcere ſuo.*]

Placet,

*Cum patre parum parat hoſtificè*
*Sanguine ſanguen miſcere ſuum.*

*

Pag. 95. *Hac malos annos multoſque longinquè ab domo.*] Vide, quæ de hoc, & ſequenti fragmento, notavimus ad Ennii Andromache-molottum.

*

Pag. 96. *Cùm ninxerit cæleſtium molem mihi.*] Ita quoque eſt in meo Ms. & veteri Venetâ. Sed magis placet Grotii emendatio,

*Cùm ninxerit cæleſtium molimine.*

*

*Namque ut dicam te metu, aut ſegnitate addubitare, haut meum eſt.*] Sic numeris reddo:

—— *Namque ut te metu,*
*Aut ſegnitate dicam addubitare, haut meum eſt.*

*

*Nam poſtquam parvos oppreſſit famulitas.*] In omnibus libris eſt *parvos vos*: niſi quod in Mediol. literæ unius perperà repetitione, editum *parvos ſuos*. Nec illud *vos* ſollicitari debet, cùm & ſententia admittat, & metrum requirat.

*

*Quod beneficium haut ſterili in ſegete, rex, te obeſſe intelligas.*] Rectè *obſeſſe* emendant, quod valet *obſeviſſe*. Cujuſmodi ſyncope eo in tempore nihil eſt uſitatius. Sic Nævius dixit *ſumſe*, Lucretius *deceſſe*. Silius *evâſſe*, Auſonius *ſcripſe*, alii alia.

*

*Nec qui te adjutem*, &c.] Vulgò legi ſolet:

Idem,

*An pro me Dane quiete, &c.*

Uti quoque eſt in Ald. Sed legendum,

*Idem Andromeda, Nec qui te, &c.*

Quod primus Cujacius obſervavit. Sequentia ſic ſcribi debent:

*Nec qui te adiutem invenio, & hortari piget;*
*Non prodeſſe, id pudet.*

*

Pag. 97. *Immane te habeat templum, obvallatum oſſibus.*] In Mſsis citatur ex *Antomedia*. Sed non Aldina ſolùm, verùm etiam antiquior eâ Mediolanenſis habet *Andromeda*. Nec dubito, quin genuinum ſit, etſi pro vulgato hoc Mercerus *Antomedia* reponat. Pro *immane te habeat*, in Mſo eſt, *Immanitate habet*; unde cum Clariſſimo Scriverio ſic corrige, *Immane tabet temp. o. o.*

## ANTENORIDIS.

*

*Namque huc venio, ut meâ ope opes Troja integrem.*] Ita ex Hadr. Junii emendatione à Mercero editum eſt. Sed in Ald. & Med. eſt *roga integrem*, in Mſo *Troga*, quod ex *Troja* corruptum. In iiſdem eſt, *Namque huc invenio*. Unde colligo, ſic ſcribi debere, *Namque huc id venio*. Id eſt, propterea advenio. Et abſque illo *id*, non conſtabant numeri.

*

*Fortaſſean ſint, quos hic non mertet metus.*] Ita rectè eſt in Mſsis, & Mediol. ubi Ald. *quod hic*. *Merto* pro *merſo*, ut *pulto* pro *pulſo*.

## ANTIGONA.

*

*Ne iſtum numerò amittas ſubitum oblatum* ] *Subitum* in omnibus libris invenio. Quid mirum? quando in iiſdem eſt *numerum* pro *numerò*. Nempe *numerum* pro ordine acceperunt librarii. Quare fortaſſe, ut pro *numerum numerò* repoſuerunt viri docti; ita etiam *ſubitò* pro *ſubitum* legi debet. Sententia autem eſt, ne amitte ſubitò, quod ſubitò ſe obtulit. Si amphimacrum addas in fine, trochaicum expleveris. Sed Scriverius pro *ſubitò* malebat *ſumito*, ut hujuſmodi fiat ſenarius:

*Ne iſtum numerò amittas, oblatum ſumito.*

*

*Quid agis? perturbas rem omnem, ac reſupinas, ſoror.*] In Mediol. & aliis, eſt *ſorori*. Unde corrigunt, *ſoror i*. Sed rectum eſt *ſoror*, ut ſenarius ſit. Error ſyllabæ *ri* fortaſſe obrepſit ex initiali ſyllabâ ſequentis vocis, *Ringitur*.

*Jam*

Digitized by Google

*

—— *Jam jam neque Dii regunt,*
*Neque profectò Deûm ſummus rex omnibus*
*Curat.*] Ob cæſuræ defectum arbitror, potiùs eſſe ex trochaico quadrato. Nempe ut dividas poſt *jam jam neque.*

*

*Quanto magis te iſtiuſmodi eſſe intellige*, &c.] Sic digere:

- - *Quanto mage te iſtiuſmodi eſſe intellige,*
*Tanto, Antigona, mage me par eſt tibi conſulere & parcere.*

Initio deeſt ſeſquipes: quem ſic ſupplere poſſis, *At quanto magis ted iſt. e. i.*

## ARGONAUTIS, ſive potiùs MEDEA.

*

*Fremebunda ex alto ingenti ſonitu & ſpiritu.*] In Mſsis Ciceronis codicibus & editt. vett. legas, *ſonitu & ſtrepitu.* Quod metro repugnat. Et hæc videtur eſſe cauſſa, cur mutarint *ſtrepitu* in *ſpiritu*; quomodo & eſt in veteri editione Priſciani. Sed fortaſſe ſcripſerat Attius, - - *ſonitu atque ſtrepitu.*

*

*Ruit prolapſa, pelagus reſpergit, reſlat.*] Ita eſt apud Priſcianum. Sed in Ciceronis codd. pro *reſlat* eſt *profluit.* Quid ſi *proſlat* legamus? Saltem ita utrobique mutationis veſtigium ſit aliquod.

*

*Ita dum interruptum credas nimbum volvier,*
*Dum quod ſublime*, &c.] Fortaſſe legendum:
*Ita ut interruptum credas nimbum volvier,*
*Aut quod ſublime ventis expulſum rapi*
*Saxis, procellis vel globoſos turbines*
*Exiſtere ictos*, &c.

Sed neque ſic mihi ſatisfacio.

## ARMORUM JUDICIO.

*

Pag. 99. *Cur vetera tam ex alto appetiſſis diſſidia,*
*Agamemno?*] Proba vox eſt *appetiſſis*: ſed hic quidem *appetis* eſt in Mſsis, & vett. editt. Et videtur ex ſimilitudine vocis ſequentis factum, quod nunc verbum illud ſyllabâ auctius eſt. Scribe igitur:

- - *Cur vetera tam ex alto appetis*
*Diſſidia, Agamemno?*

*

*Cedit, Achilli inclutis armis veſci ſtudet,*
*Ut ea cuncta optimè is levia præ illis putet.*] Delrio legendum autumat:

*Sed ita Achillis incluti armis veſci ſtudet,*
*Ut etiam cuncta optima is levia præ illis putet.*

Malim ego, ut numerorum ratio habeatur,

*Sed ita Achilli armis inclutis veſci ſtudet,*
*Ut & cuncta optima is levia præ illis putet.*

Veteres in patrio caſu *Achilli*, *Ulyſſi*, imò & *Ariſtoteli*, *Themiſtocli*, dixiſſe, alio opere oſtendimus.

*

- - - - *Bene facis.*
*Sed nunc quid ſubiti mihi febris æſtuat mali.*] Delrio emendat,

- - *mihi febris mali æſtuat.*

Nempe metro aliter metuit. Sed potuit prior in *febris* corripi, uti in illo Catulli ad Flavium:

*Verùm neſcio quid febriculoſi*
*Scorti diligis.*

Nec magis probo, quod pro *æſtuet*, *æſtu dat* emendat. Vera eſt Mſsorum lectio, in quibus eſt *eſcivit*, vel *excivit*, quod & Junio ac Mercero placet. Vel *accivit* ſcribe, cum Columna.

*

*Quid eſt cur componere auſis mihi te, aut te mihi*] Metrum requirit, *Te mihi*, vel *me te mihi.* Vel hoc pacto:

*Quid eſt, cur mihi componere auſis ted, aut te mihi.*

*

*Ocule noxitudo obliteretur Pelopidarum. ac per nos ſancteſcat genus.*] Apud Junianum Majum pro *ocule* eſt *occule*, quod probo. Sic verò totum locum emendo:

- - - - - - - *Occule.*
*Noxitudo obliteretur Pelopidûm, ac per nos genus*
*Sancteſcat.* ——

*

Pag. 100. *Sed pervico Ajax animo, atque inorabili.*] Metro ſuadente lubens reponam:

*Sed pervico Ajax animo, & inexorabili.*

Verùm in Manuſcriptis eſt, *atque vorabili*: in Mediolan. Aldin. & apud Jun. Majum, *atque morabulioni*, vel *morabilioni.* Quæ faciunt, ut Attium *inorabili* potiùs, quàm *inexorabili* ſcripſiſſe credam. Quare vide, an non ſic digeri oporteat:

- - - *Sed pervico*
*Ajax animo, atque inorabli* - -

*

*Ubi cura eſt, ibi anxietudo; acerba ibi cuncta conſiliorum ratio, & fortuna.*] Ita & Mſsi, & editi. Ad quæ proximè accedens, ſcribo:

*Ubi cura eſt, ubi anxietudo; acerba ibi cuncta conſilî*
*Ratio, & fortuna.*

Vel ſic,

—— *acerba ibi cuncta conſilis.*
*Obruit rationem fortuna* ——

Nempe ut τὸ *obruit* depravatum lateat in extimis ſyllabis illius *conſiliorum.*

*

*In quo ſalutis ſpes ſupremas ſummam ſibi habet exerciti.*] In Manuſcriptis & Aldinis eſt, *In quo ſalutis ſpeſque ſummas ſibi habet ſumma exercitu.* Et ſimiliter ferè Mediolan. Lego, ut ſit jambicus quadratus, vel potiùs finis initiumque ſenarii:

- - *in quo ſalutis ſpes quoque*
*Summas ſibi habet exerciti* - -

## ASTYANACTE.

*

Pag. 101. *Itera in quibus partibus (namque audire volo)*
*Si eſt quem exopto, & quo captus modo,*
*Fortunáne, an forte reperitur.*] Sic verſus hoſce digere:

- - *Itera in quibu' partibus,*
*(Namque audire volo) ſi is eſt, quem exopto, & quo captus modo,*
*Fortunáne, an fortè repertus?* - -

*

*Troja eſt teſtis, quare ex aliis, qui illius miſeritudine*, &c.] *Ejus miſeritudine* ſcriberem, niſi *illius* conſtanter eſſet in libris, ut ἀντίζηλις ſit.

*

Pag. 102. - - - - - *In celſis montibus*
*Pecua, atque inter colles, paſcunt Danai in Phrygia & terminis.*] Ita vett. editt. Sed jam alii emendarunt, *in Phrygia terminis.*

*

*Ferum feroci contundendum vi permiſit ſæviter.*] In vett. editt. eſt,

*Ferum feroci contundendum ſæviter.*

In Mſsis eſt, *contundendum imperi ſit ſæviter.* Unde aliqui, *vi permiſit ſæviter*: quod Nonii Juniani marginem occupat. Atque hæc ipſa legens veſtigia Scriverius noſter divinabat,

*Ferum ferociâ contundendum nuper juſſit ſæviter.*



Digitized by Google

Mercerus verò non inelegantèr legebat:

*Ferum feroci contundendum imperio, ſævum ſæviter.*

Poſſis tamen &, ejecto illo *ſævum*, quod Mercerus pro *ſit* inſeruit,

*- - - - - Ferum*
*Feroci contundendum imperio'ſt ſæviter.*

Ut ſimile ſit iſti, *Pacem Trojano ab rege petendum.*

*

Pag. 103. *Hunc altaiſpinem regionum fac, ac deſiſtet exercitum morari, nec me ab domuitione marceretur obſceno homine*] Locus monſtroſè corruptus. Quem à variis tentatum belle emendavit Hugo Grotius:

*—— Nunc Aſtyanactem fac ut*
*Exercitum morari deſiſtat, nec ab*
*Domuitione me arceat, obſceno omine.*

Solum requiro, veſtigium ſaltem aliquod illius *regionum*, quod tertio loco compareт. Nec ſtudio id omiſſum arbitror, ſed calami feſtinatione. Puto pro eo *regium* voluiſſe, hoc modo:

*- - Nunc Aſtyanactem, regium fac ut*
*Exercitum morari deſiſtat - -*

Niſi *Græcorum* pro eo malis: quod non minus placet.

## ATHAMANTE.

*

*Cujus ſit vita indecoris, mortem fugere turpem haut convenit.*] Octonarius eſt. Hadrianus Junius expungebat particulam negantem, ut ſententia ſit, vitæ maculam pulcrâ morte elui debere. Sed clariſſimus, præclareque de his ſtudiis meritus, A. Schottus, lib. 11. Obſervat. Human. cap. v. monet, in Complutenſi Manuſcripto ita ſe exaratum inveniſſe:

*- - - - - - cuju' ſit*
*Vita indecoris mortem fugere haut convenit.*

Aliaque in hanc ſententiam ex Sophocle, & aliis, ibidem adfert. Ipſum vide.

*

*Beneficium grave in hoſtium peperiſti gratiam*] Ita Hadrianum Junium ſecutus edidit Delrio. In veteribus libris eſt, *Veneficiis gravem* (vel *Egregia*) *hoſtium deperiſti* (vel *peperiſti*) *&* *grave.* Unde ita tentabam:

*- - Beneficiis gravem*
*Hoſtium peperiſti gratiam - -*

Niſi fortaſſe placet magis iſte Grotii octonarius:

*Beneficiis egregiis hoſtimentum peperiſti grave.*

Sed prius minùs abit à veteri ſcriptura. Utrobique verò *grave* erit ſolidum ac firmum, uti Nonius interpretatur; qui & adfert illud Attii in Nyctegreſia,

*Illud, quod facis, gratum ac grave eſt.*

*

*Prinſquam infans oculi veſcuntur tui.*] *Prin'quam.* Nam ſenarius eſt. *Infans* pro *infando*, ut *nefantia* pro *nefanda*, apud Lucilium, & Varronem, Nonio teſte.

## ATREO.

*

Pag. 104. *Concoquis partem vapore, flamam tribuit verubus, lacerta in focos.*] Sermo eſt de Atreo, qui fratri Thyeſti filium comedendum appoſuit, partemque ejus aheno coxit, partem veru aſſavit: ut ſcribunt Ovidius, Seneca, alii. Quare ſic reſcribo:

*- - - concoquit partem vapor*
*Flamma, lacerta tribuit verubus in focos.*

Nec diſſimulabo alteram conjecturam, etſi audaciorem fortaſſe. Extrema verba *in focos* (quæ duriùs cum prioribus cohærent) pene putem corrupta eſſe ex *locos.* Nam dixerat Nonius, *lacertos* & *lacerta* dici; quod ubi Attii teſtimonio oſtendit; hæc, ſimiliave ſubjecit: *Locos dixere gen. maſcul. Loca generis ſunt neutri.* Nunc extrema ſolùm verba leguntur. Ita truncatis extremis legere oporteat,

*- - Concoquit partem vapore flammeo,*
*Tribuit verubus lacerta.*

*

*Egone Achivûm imperium attingam, aut Pelopis digner domo.*] Sequens verſus eſt trochaicus, cui ut hic reſpondeat, aut *Pelopiâ* ſcribe, aut,

*- - Pelopis me digner domo.*

*

*Simul & Piſæa præmia arrepta à ſocru poſſedit ſuo.*] Sic digere:

*- - - Simul & præmia*
*Piſæa arrepta à ſocru poſſedit ſuo.*

*

Pag. 105. *Fregiſtine fidem? Neque dedi, neque do infidels cuipiam.*] In *Fregiſtine* tollo particulam interrogantem. Sunt enim Thyeſtæ, Atreo perjurium exprobrantis. Sequentia Atrei reſponſum continent. Muretus, ut ſenarius eſſet, ita legebat,

*Neque do infideli cuiquam, neque dedi fidem.*

Puto ego fuiſſe jambicum quadratum, vel finem initiumque ſenarii:

TH. *Fidem fregiſti.* AT. *Neque dedi, neque do*
*infideli quoipiam.*

## BACCHIS.

*

Pag. 107. *Lætum in Parnaſſo inter pinos tripudiantem in circulis*
*Ludere, atque tædis fulgere.*] Hæc vera eſt lectio: etſi in Manuſcriptis & veteribus editionibus pro *ludere* ſit *ludo.* Quod ſententia non fert; uti nec metrum, niſi vocibus trajectis.

*

*Quantâ in venando affecti latitudine.*] Ita mutarunt metri ergo, cùm prius legeretur, *affectus eſt*, uti eſt in Mediolan. Aldin. aliis. Sed ſcripſerat Attius, *affectu'ſt latitudine.*

*

*Agite modico gradu, jacite thyrſos leves.*] Hæc germana lectio. In vett. eſt *niſus* pro *thyrſos.* Item *jacet &*, pro *jacite*, quod eſt in Mſo.

*

*Ubi ſanctus Cithæron frondet viridantibus fœtis.*] Ex Anapæſto eſt:

*- - Sanctu' Cithæron*
*Frondet ubi viridantibu' fœtis.*

Niſi *præviridantibus* ſcripſit, ut poſtea Dec. Laberius:

*Cur cùm vigerem membris præviridantibus.*

Ita leviculâ trajectione trochaicus fiet:

*Ubi ſanctus Cithæron frondet fœtis præviridantibus.*

Sed prior ſententia potior eſt.

*

Pag. 108. *Deinde omnes ſtirpe cum inclytâ Cadmeide*
*Vagant matronæ percitata tumultu.*] Hadrianus Junius legit,

*- - - Cadmi vagant*
*Matronæ percitæ tumultu - -*

Ubi ſi addas - - *vecordivagâ inſaniâ*, quæ verba in Aldina adjiciuntur, feceris octonarium. Sed verba iſta huc temerè irrepſere ex ſequenti Turpilii loco, ubi ea leguntur. Rectè verò corrigunt, *Cadmeide vagant.* Nam ejus ſcripturæ veſtigium quoque eſt in vett. libb. ubi exaratum eſt, *Cadmi devagant.* Sed quod obſervatum ab aliis non eſt, *τὸ omnes* in ſequentem verſum retrahi debet. Vera enim ſcriptura eſt:

*Deinde ſtirpe cum inclytâ Cadmeide*
*Vagant matronæ omnes tumultu percitæ.*

*

*O Dionyſe pater, optime vitiſator, Semelâ genitus Eubuia.*] Duo ſunt Archilochii, & unus trochaicus dimeter catalecticus: quæ verſuum mixtura ſatis convenit

Bacchis.

Digitized by Google

Bacchis. Quod ſicui non placet, ſic digerat, ut è ſenario videatur,

*- - - - Dionyſe ô pater,*
*Optime vitiſator, Semelâ genitus Euie.*

*Euis* vulgatum nomen repoſui. Nam *Euthyus*, ſive *Euthymus*, prout in Macrobii codd. legitur, non magis inter Bacchi cognomina fuiſſe autumo, quàm *Euchius*; quod eruditi interpretis Horatiani commentum eſt.

*

*Præſens præſto irridetis nobis . . . . . ſtipe ultro oſtentum obtulit.*] Loco penè deplorato egregiè medicinam fecit Scaliger in ſecundo Conjectaneorum, ubi corrigit:

*- - - - - - - Pentheus*
*Præſto cerritus nobis ſe ſtupens ultro oſtentum obtulit.*

Qui jambicus eſt quadratus.

*

*Deinde ab jugulo pectus glauco pampino obnoxa obtexunt.*] Divide poſt *pampino*. Nam è ſenario eſt. Mox ſcribe, *Obnixè obtexunt.*

## BRUTO.

*

*Viſum eſt in ſomnis paſtorem ad me appellere.*] In antiquiſſimâ Ciceronis editione, atque, ut cenſeo, omnium primâ, ita ſcriptum inveni:

*Viſum eſt in ſomnis paſtor ad me appellere.*

Eodemque modo in accuratiſſimâ editione ſuâ expreſſit Gruterus; qui tamen non diſſimulat, in Manuſcriptis aliquot inveniri, *Viſum eſſe.* Ego non dubito, quin vera lectio ſit,

*Viſu'ſt in ſomnis paſtor ad me appellere.*

*

*Minu' mirum eſt: ſed in re tantâ haut temere viſa offerunt.*] Metrum requirit, *ſe viſa*, vel *viſa ſe offerunt.* Sed unde eſt, quod in antiquiſſimâ Ciceronis editione, atque adeò & in Mssis, legitur, *haut temere improviſo offerunt?* Num *improviſo* corruptum eſt ex *in re ſe viſa?* Ita ſuſpicor. Nempe ut, vocibus leviter trajectis, in nonnullis codd. fuerit:

*Minu' mirum eſt: ſed tantâ temere haut in re ſe viſa offerunt.*

*

Pag. 110. *Populo commutationem rerum portendit fore*
*Perpropinquam. Hæc bene verruncent populo. Nam quod ad dexteram*
*Cepit curſum ab leva ſignum*, &c.] Verſu ſecundo creticus eſt in trochaico. Id ſi diſplicet, ſcribe,

*—— Nam quod dexterum*
*Cepit curſum ——*

Vel trajecto præverbio,

*—— Nam ad quod dexteram.*

## CHRYSIPPO.

*

*Melius pigraſſe, quàm properaſſe eſt nefas.*] Ita eſt in Mssis, atque editis. Sed poſtulat metrum, ut pro *eſt*, ſcribamus *eſſet*. Vel mente longè aliâ lege:

*Melius pigraſſe, quando properaſſe eſt nefas.*

*

*Quid agam? vox illius eſt certè. idem omnes cernimus.*] Voce unâ trajectâ ſit ſenarius:

*Quid agam? illius eſt vox certè. idem omnes cernimus.*

Sed nec iſto opus. Nam trochaicus eſt, ſed cui extremæ deſint ſyllabæ.

*

*Neque quiſquam à telis vacuus, ſed uti cuique obviam fuerat, ferrum, alius ſaxum, rodum.*] Locum hunc ita reſtituo:

*Neque quiſquam à telis vacuus, ſed cuique obviam*
*Ut fuerat, hic ferrum, alius rodus ſaxeum.*

Similiter poëta hic in Melanippo:

*Hinc manibus rapere rodus ſaxeum grande & grave.*

*

*Quin huic ſi ſupereſcit, Spartam atque Amyclas trado.*] Nulli hic numeri, niſi ſcribas, ut ex jambico ſit:

*—— Quin ſi ſupereſcit, huic*
*Spartam, atque Amyclas trado ——*

Sed Mssi, & vett. editt. habent, *Qui hinc ſupereſcit.* Ut fortean ſcripſerit Attius,

*Qui ſupereſcit hinc ——*

Fortaſſe autem ne rectum quidem eſt *ſupereſcit*, vel *ſuperaſcit.* Neque enim eam habet notionem, quam ſolent verba in *Sco* exeuntia. Iccirco *ſupereſſit* hic malim: item in illo Ennii,

*Dum quidem unus homo Romanu' togâ ſupereſſit.*

*Supereſſit* pro *ſupererit*, R in SS, converſo, quomodo in eodem tempore dixere *liceſſit*, *levaſſit*, & ſimilia: de quibus in opere ſæpius commemorato agemus.

## CLYTEMNESTRA.

*

Pag. 111. *In pectore fulmen inchoatum flammam oſtentabat Jovis.*] Octonarium hunc de Ajace eſſe, addit Servius ipſe.

*

*Feras potiuntur plagas.*] Eſt apud Donatum Adel. Act. IV. Sc. V. Ac ita legitur quoque in antiqua Tarviſinâ anni CIƆ CCCC LXXVII.

*

*Matre meo jure factum incilas*, &c.] Hugo Grotius optimè emendabat,

*Matrem ob jure factum incilas, genitorem injuſtum approbas.*

Verba ſunt Ægiſthi ad Electram.

*

*Ut quæ tum abſentem rebus dubiis conjugem*
*Tetinerit, nunc prodat ultorem.*] Cùm ſenarii ſint, legi debet,

*Tetinerit, nunc ultorem prodat.*

Vel, quod multis partibus malo, ſcribe,

*Tetinerit, nunc prodat victorem - -*

Nam ἀντίθεσις eſt apertior, inter res dubias, ac victoriam. Ut ſententia ſit, parum videri credibile, Clytæmneſtram cogitare de prodendo Agamemnone victore, quæ eo ad Trojam pugnante, cùm reditus eſſet incertus probè tutata ſit pudicitiam, amoremque conjugalem.

*

*Omnes gaudent facere rectè, mali pigrent.*] Verſum ſuperiorem clauſit nomen *boni*, vel *ſtrenui*; niſi hoc poſt *rectè* excidiſſe malis, ut fuerit trochaicus. Vide autem oſcitantiam Nonii. Agit de indiſcretis nominum generibus. Ad ea pertinebat, ut *pigror* in virili, *pigritia* in muliebri genere diceretur. Poſt aliquod, ut credibile eſt, temporis intervallum incidit in ſcriptores duos, qui *pigrandi* verbo uterentur. Hoc quoque in codicem ſuum referre parat. Et incidit in caput hoc, quod ſecundùm literarum ordinem digeſſit. Offert ſe locus de *Pigrore*: ſtatim hæc de *Pigrare* allevit, oblitus, vel parum cogitans titulum capitis, qui eſt de nominum generibus indiſcretis. Ita mihi videtur. Sed ſi ab alio potius, quàm Nonio ipſo factum putes; non repugno. Amiciſſimo verò Scriverio alia mens eſt. Non hic Nonii, ſed librarii culpam notabat. Nam ita Nonium ſcripſiſſe exiſtimat: *Pigror generis maſculini: Pigres feminini, ut pigritia.* Acutè quidem: ſed ſunt, quæ ſcrupulum injiciant. Nam, ut arbitror, femininum potius *pigrities* foret, ut *luxuria luxuries*, *pueritia puerities*, ſimiliaque. Etiam locis à Nonio adductis *pigrare* magis, quàm *pigres* convenire mihi videtur. Nam unus Ennii eſt:

*—— Poſt ætate pigret ſufferre laborem.*

Alter eſt Accii iſte, in quo nunc ſumus:

*Omnes gaudent facere rectè, boni pigrent.*

Sed & hunc, & illum locum, aliter legit vir ille doctiſſimus: uti oſtendet ipſe, cùm ſua in Tragicos hoſce Conjectanea dabit. Nos enim feſtinamus.

*

*Scibam hunc mihi ſupremam lucem, & ſervitutis finem dari.*] Ita eſt in Mſsis, atque editis. Sed ut trochaicus ſit, ſcribe;

—— *Servitii finem dari.*

*

Pag. 112. —— *Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas ſufferam.*] Aldina citat ex Clytæmneſtrâ: eâ antiquior Mediolanenſis ex *Pragreſſia:* Manuſcripti *Nyptagreſſia:* Juniana, & Merceriana *Nyctegreſia*, quæ vera abſque dubio lectio eſt. Explicat eam vocem Feſtus in *Egretus*, ubi *noctiſurgium* interpretatur. At, qui *Nyctegraciam* vocant, planè ridiculi ſunt. Nam νυκτηγερσίαν vel νυκτεγερσίαν dixere Grammatici nocturnam Agamemnonis, ac primorum Græciæ, conſultationem, de qua Homerus Iliad. K. Et propterea cum argumento fabulæ convenire videtur emendatio illa Scriverii noſtri,

*Aut ego Ilium eripiam, aut Ilii pœnas ſufferam.*

Sed vide, quæ ad Nyctegreſiam dicemus.

## DEIPHOBO.

*

*Nos continuò ferrum eripimus omnibu', manicas neximus.*] Legas & apud Eutychem lib. 11. de diſcernendis conjugat.

*

*Vel hic qui in ea parte effrenata impudentia.*] Ut ſequentis verſiculi inſtar ſenarius ſit, ſcribe *effrenâ.*

*

*Aut infando homine gnatula erat, aut arena ſi ex ſole,*

*Qui neque amico amicus unquam gravis, neque hoſtis hoſti fuit.*] Priorem verſum ingenioſè reſtituit nobis Mercerus,

*Aut infando homini, gnato Laerta, Ithacenſi ex ſolo.*

Solùm, ne metrum claudicet, pro *gnato Laerta*, malim ego, *generato Laertâ.* Verſu ſequenti lege, *neque hoſti hoſtis.* Et amicum, & hoſtem gravem dixit; ſed aliter, atque aliter, quod σύλληψιν vocant: uti in illo Ciceronis, *Eoſdem ferè ſectores fuiſſe collorum, & bonorum.* Diximus de hoc in Oratoriis. Poſterior in *gravis* deperdit *s*, quò corripiatur. Niſi fortè ſcripſerat Attius:

*Qui neque amico amicus unquam, nec gravis hoſti hoſtis fuit.*

Vel, *non hoſti gravis fuit.*

*

Pag. 113. *Eo ante noctem externa retia ut provehe- rem, & ſtatuerem.*

*Fortè aliquanto, quàm ſolitus, lembo ſum progreſſus longius.*] Sunt jambici quadrati. Sed pro *noctem externa* ſcribe, *nocte extremâ.* Dictio comica eſt.

## DIOMEDE.

*

*Ferè exanclavimus Tyranni ſævum ingenium atque exſecrabile.*] Deinde poſt *exanclavimus.* Cùm verò *exanclare* hic ſit perpeti, Nonio teſte, pro *Ferè* cum Scriverio *Feri* malim.

*

*Non genus virum ornat, generis vir fortis loco.*] Trochaicus ἀκέφαλος. Sed integer fiet, ſi in fine addas, *ſibi eſt*, vel *cluet.*

*

*Si unquam perpediar gnato, puer ne attenderis, &c.*] In Manuſcriptis eſt *prapediar*, vel *perpediar.* Sed rectum eſt *perpetiar.* Totum verò locum ſic correxit Hugo Grotius:

*Si unquam perpetiar, gnate, tu ne attenderis*

*Petere à me id, quod nefas ſit concedi tibi.*

*

*Benignè, & pro beneficio large atque ampliter.*] Gemino in loco Nonius adducit. Sed neutro dicit *largi* adverbialiter poni pro *largiter.* Nec verum puto. Præſertim cùm altero in loco dicat, *largi* poſitum eſſe pro *largire*, atque ita etiam, & Lucilium loqui, & Catonem.

*

Pag. 114. *Ita & fletu & tenebris obſtinatus*

*Speciem amiſſi luminis conſpiciunt inſolentiam.*] Proximè ſecutus Manuſcriptorum fidem ita numeris quadratis reſtituo:

*Ita fletu & tenebris obſtinati, ſpeciem amiſſi luminis*

*Conſpiciunt inſolentes.* ——

Vel, ſi *obſtinatus* numero ſingulo malis, ſcribe mox,

*Conſpiciat inſolentius.*

*

*Me Argos referam. nam hic ſum nobilis, &c.*] Sic digere,

*Argos me referam (nam hic ſum nobilis)*

*Ne cui cognoſcar noto.* ——

In Stephanica collectione eſt, *Nam hic fuam nobilis.* Sed ſic non ſatis cohæreat cum ſequentibus.

## DULORESTE.

*

*Vereor ſi unquam fatiſcar, quod quibo, boni.*] Adi, quæ dicta ad Duloreſtem Pacuvii.

## EPIGONIS.

*

*Qui mihi genitores ulſo, nullum meis dat finem miſeriis.*] Etſi in Mſsis ſit *ullo*, prout quoque edidit Mercerus: tamen vel legendum *ulto*, uti vitum Delrio: vel, quod longè ego malim, *ulſo*, cùm Nonius dicat, poni illud pro *ultus fuero.* Nam ab obſoleto *ulſi* fuit *ulſero*, unde κατὰ συγκοπὴν *ulſo:* de cujuſmodi futuris fuſè diſſertamus in Commentariis ſæpiùs dictis. Sic igitur ſcribe:

—— —— *Quo niſi*

*Genitores ulſo, nullum dat finem meis*

*Miſeriis* ——

Niſi malis, *Ulſo genitorem.* Nam in ſingulo numero legas in Mſsis, & antiquâ Mediol.

*

Pag. 115. *Fateor, ſed cur propter te pigrem hac, aut hujus dubitem parcere capiti.*] Sic ſcribe, & digere:

—— *Fateor, ſed cur propter id*

*Pigrem hac, aut hujus dubitem parcere capiti?*

*

*Sed jam Amphilochum huc vadere cerno.*] Trochaici fuêre,

*Sed jam Amphilochum huc cerno vadere, & nobis datur bona*

*Pauſa loquendi.* ——

*

*Quibus oculis, &c.*] Deeſt initio *at*, vel *aut*, ut integer ſit trochaicus:

*At quibus oculis quiſquam noſtrum poterit iſtorum obtui,*

*Vultus, quos jam ab armis anni porcent?* ——

*

*Manens adhiſante exſulio macte Pelopis externis.*] De veritate ejus, quod dicam, nihil ſpondere poſſim: ſed tamen

Digitized by Google

men non diſſimulabo, quod proximè veſtigiis veteris ſcripturæ inſiſtens divinabam;

—— *Men' eas*
*Admiſum ante exſulio mactare Pelopiis*
*Exterris?* ——

•

*Quid ceſſo ire ad eam? hem præſto eſt, camo collum gravem.*] Primùm moneo, ſoccum potiùs hæc redolere, quam cothurnum. Quod etiam Scriverio noſtro viſum. Præterea malim,

—— *Camo en collum gravem.*

*Collus* pro *collum*, teſte Nonio; ut ſententia ſit, collum eſſe camo aggravatum. Camus funis eſt, quo furciferi alligantur furcæ. Plautus Caſin. Sc. Face Chaline:

*Taceo, Deos quæſo, tu ut quidem hodie camum, & furcam feras.*

Nunc *canem* pro *camum* vulgo ſcribitur. Sed contra fidem libb. vett. Mercerus in Nævii loco pro *camo* legit *quem amo.* Sed nihil opus eſſe mutato, oſtendunt quæ diximus. Alias *camus* eſt vinculum ſive frenum, quo equi coercentur: teſte Iſidoro lib. ult. Orig. cap. ult. Atque ita non ſolùm uſi ſunt LXX. interpretes Pſalm. XXXI. verſ. 9. ſed etiam B. Hieronymus in ſuâ interpretatione.

•

*Eloquere properè, ac pavorem hunc meum expectora.*] Trajectæ voces. Nam vel ſcripſit,

—— *Eloquere properè, ac hunc meum pavorem expectora;*

ut ex jambico fuerit: vel, ſi trochaicum malis, lege, *meum hunc pavorem*, aut *pavorem meum hunc*, ut συνίζησις ſit.

## EPINA USIMACHE.

•

Pag. 116. In veteribus libb. nunc diviſim invenio Ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ, nunc conjunctim Ἐπιναυσιμάχῃ.

•

*Luciferâ lampade exurat Iovis arietem.*]

— *Luciferâ lampade exurat Iovis*
*Arietem* —

*Iovis* hic rectus eſt, ut Priſcianus monet in VI. ubi & adfert illud Cæcilii in Epiſtola:

*Nam novus quidam Deus repertus eſt, Iovis.*

•

*Et contrà quantum obſueris, ſi victus ſies*, &c.] Ut jambicus ſit, illud *Et* allevere initio contra fidem vett. libb. Puto ego potius ſcribendum, *Contraque.* Nam *qua* exciderit, quia ſequens vox à *qua* incipit.

*

*Ubi non terricula tua ſunt.*]

Malim,

*Ubi nunc terricula tua ſunt?* —

uti eſt in Mſsis.

*

*Sanguine undam falſo ſanctam obtexui Scamandriam,*
*Atque acervos alta in amni corpore explevi hoſtico.*] Ita Scriverius. Sed in Mſsis, & antiquis editis legas,

*Accius Epinauſimachemandria: Mundam ſalvo ſanctam obtexui ſanguine.*

Unde conjecto hanc veram eſſe lectionem: Accius Epinauſimache:

*Et Scamandriam undam falſo ſanctam obtexi ſanguine.*

*

Pag. 117. *Primores procerum revocarent nomina, niſi*
*Eſſet quis qui armis ſecum vellet cernere.*]

In Mſo, numero ſingulo legas, *revocarit:* item pro *niſi*, *ni.* Sed puto Attium ſcripſiſſe:

*Primores procerum provocaret nomine,*
*Si eſſet quis, qui armis ſecum vellet cernere.*

*

*Item ad mœſtitiam mutam infantium quadrupedum.*] Ultimam vocem delendam cenſeo, utpote quæ irreplerit huc ex iſto Nævii, quod proximè anteceſſit:

*Ducite eo cum argutis linguis mutas quadrupedes.*

*

*Eos mortales fænis lib. x. miſeror ſape ſtuditos volo*] Ne citò nimis deſperaſſe videamur, tentabimus aliquid in loco prope deplorato. Ac primum illud *lib. decimo*, veriſimile eſt inde ortum, quod citaretur locus ex *Decio.* Nam ſcripſit Attius Æneadas duos: nempe Brutum, in quo Lucretiæ cædes, & Tarquinii ejectio: item Decium, in quo ſe Decius filius, patris exemplo, Dis manibus devovebat. Hinc videas à Nonio citari, *Æneadis aut Decio*, ubi illud *aut Decio* additur, ut à Bruto diſtinguatur. Ac ut *Decimo* ex *Decio*, ita veriſimile eſt illud *fænis* ex *Æneadis* eſſe corruptum. Atque hoc, ni fallor, Scaligero etiam obſervatum fuit. Quæ ſi ita ſunt, uti cenſeo, duo Nonius attulerit exempla: prius ex Ἐπιναυσιμάχῃ; alterum ex Æneadis aut Decio. Sed ex priori duo hæc ſolùm verba ſuperſunt: *eos mortalis.* Ex poſteriori verò iſta, ſanè quàm corruptiſſima: *miſeror ſape ſtuditos volo.* Cùm vero Nonius in eo ſit, ut oſtendat, verba memoriæ ac oblivionis pro patrio etiam accuſandi caſum admittere: veriſimile fit, utrobique ejus notionis verbum, ſive ob repetitionem crebram, ſive occaſione aliâ, eſſe præteritum à librario. Itaque priori loco, ubi proximè anteceſſit tale exemplum, *eos reminiſcor dies*, ſcribendum ſuſpicor, *eos mortales reminiſcor.* Poſteriori loco, (cujus hæc verba, *miſeror ſape ſtuditos volo*) cenſeo ſcriptum fuiſſe, *miſeror ſape, aſt id eos volo.* Quæ verba ſenarium efficient, ſi addas verbum *oblivìſcier*, quod eò neglectum, quia ſequeretur mox ex Athamante, *Atque utinam memet poſſim oblivìſcier.* Totum itaque hunc locum ita poſſe reſcribi, conjectura eſt noſtra: Accius Ἐπιναυσιμάχῃ:

*Eos mortales reminiſcor* —

Et Æneadis, aut Decio:

*Miſeror ſape; aſt id eos volo oblivìſcier.*

Ut hoc dicat poëta, ſæpe quidem eorum miſeritum eſt; ſed tamen non debent ſe æternùm macerare cogitatione ejus mali. Fortaſsè tamen non *oblivìſcier* ſcripſit, ſed *reminiſcier.* Imò & priora verba aliter legere poſſis: nempe ut pro *miſeror*, *miſeros*; pro *ſtuditos*, *iſtud eos*, legas. Ut ſenarius ſit talis,

*Miſeros ſæpe iſtud eos volo reminiſcier.*

## ERIGONA.

*

*Sapimus animo, fruimur animâ, ſine animo anima eſt debilis.*] Et hic locus, & pleríque alii, qui ſequuntur, in Mſsis & editt. vett. citantur ex Epigona. Nempe quia Accius & Epigonos, & Erigonam ſcripſit, inde factum, ut nomina iſta non rarò confundantur à librariis. De quo ne ſæpius neceſſe habeamus latus fodicare, ſemel id monere volui. Satis verò ſpiſſus eſt error eruditiſſimi Delrii, qui putavit hanc tragœdiam eſſe



Digitized by Google

de Erigona, Icarii filia, quæ, patre à ruſticis interempto, vitam laqueo finivit. Nam præter hanc altera etiam ejus nominis fuit, *ex Clytamneſtra, & Ægiſtho nata, quam Oreſtes voluit interficere, ſed Diana eam rapuit, & in Attica fecit ſacerdotem*: ut Hyginus tradit Fab. cxxii. De hac Erigona fabulam fuiſſe, præter alia oſtendunt Ægiſthi & Oreſtis nomina, quæ in his laceris reliquiis occurrunt.

*

*Tum autem Ægiſthus, ſi me eodem lecto comitaſſet patri*] Placet emendatio aliorum,

> --- *ſimul eodem lecto cubitaret patri.*

Hoc eſt, Agamemnoni eſſet συνευνέτης, ut loquitur Euripides.

*

*Quamquam exſangue hoc corpus mihi annis putret.*] Sive ex jambico, ſive ex trochaico eſt, commodè dividas poſt *mihi*.

*

Pag. 118. *Aſſentio, age nunc tu tuam progeniem, & ordine.*] In Med. Ald. alius eſt, *& ordinem*. Sed rectiùs alii *ordine*. Eſt verò ſenarius, ſi *tuam* fiat μονοσύλλαβον. Quod etiam locum habet, ſi cum Mercero legas, *Ede ordine*. Vel ſcribe hoc modo:

> --- *Aſſentio, age nunc tu tuam*
> *Progeniem exordire* ---

Quod imprimis placet.

*

*Eique hoc cauſſa, ut ne quis noſtra auribus verba cleperet.*] Numeris ita redde:

> *Eique hoc cauſâ, ut nequis noſtra verba cleperet auribus.*

*

> *Sed ubi ad finem ventum eſt, in quo illum fors exſpectabat loco,*
> *At quem Oreſtes gravis ſacerdos ferro promto adſtitit.*] Juſtus Lipſius hæc ad Iphigeniam Tauricam referebat, unde pro *finem* legebat *fanum*. Sed ad cædem Ægiſthi pertinere, ſatis liquet ex Electra Euripidis. Unde Mercerus rectè emendat, *Atque Oreſtes*. Qui & *atque* interpretatur *ſtatim*, uti in Maronis iſto,

> *Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.*

Utrumque verò verſum ſic numeris reſtituo:

> *Sed ubi ad finem ventum eſt, in quo illum expectabat fors loco,*
> *Atque Oreſtes, gravi' ſacerdos, ferro cum promto adſtitit.*

In vett. libb. quos & Mercerus ſecutus, pro *adſtitit* legitur *adſtituere*. Sed extremæ literæ, judicio meo, pertinuere ad initium vocis ſequentis. *Vergilii* enim nomen continuò ſubjungitur.

## EURYSACE.

*

> *Super Oceani ſtagna, &c.*

Et,

*Nunc per terras vagus extorris regno exturbatus mari.*] Duo hæc fragmenta ita legit, ac conjungit Scaliger in Conjectaneis:

> *Nunc per terras vagus, extorris,*
> *Exturbatus regno atque mari,*
> *Super Oceani ſtagna alta patris,*
> *Terrarum anfracta reviſam.*

*

*Tu autem, quod quæro abs te, enoda, &, qui ſis, explica*] Aliqui libri, *Tu autem, quod quæro ab te, enoda*. Alii verò, *Tu, à te quod quæro, enoda*. Ut *autem ex ab te*, vel hoc ex illo corruptum videatur. Alterutro igitur deleto, lege, ut ſcripſimus. Utroque enim modo ſenarius eſt juſtus. Uti & ſi legas,

> *Tu, quod quæro à te, enoda, & qui ſis explica.*

*

> *Nam ea oblectat ſpes ærumnoſum hoſpitem,*
> *Dum id, quod miſer eſt, clam eſſe cenſet alteros.*]

Verſus pravo male talo nitentes ita fulcias:

> *Ea namque oblectat ſpes ærumnoſum hoſpitem,*
> *Dum, quod miſer eſt, id clam eſſe cenſet alteros.*

*

> *Jam potero incipiam, & ſine quid vi contendam ut hinc*
> *Comportet ſecum Salaminem habeam*] Pro *potero* in Mſis eſt *potere*, quod corruptum ex *patere*: pro *quid vi* (ut eſt in aliquibus Mſsis) *qui diu* legas in Mediol. Ald. & Jun. Majo. Sed utrumque corruptum. Pro *comportet*, (ut eſt in vett. editt.) in Mſo eſt *cum poteſt*: quod factum videtur ex *compotiri*. Locum itaque variè à Lipſio, Delrio, aliis tentatum, ita cum Grotio refingere poſſis:

> *Jam patere incipiam, & ſine vi contendam, diu*
> *Ut compotiri tecum Salaminem queam.*

Sententia eſt, *patere, ut incipiam, ac ſine, ut contendam vi*. Id enim veriùs puto, quàm ut *ſine* ſit præverbium.

*

> *Sed atratus tetrâ veſte, & vaſtitudine*
> *Tam deformatus*] In Aldina, aliiſque libris vett. legas: *Sed ut ratuſta, & raveſte, & vaſtitudine tarde forma tuis*. Pro *ut ratuſta*, lego, *ut vetuſta*; pro, *& raveſte*, ſcribo, *& tetrâ veſte*; pro, *tarde forma tuis*, cum Mercero repono, *tam deformatus*. Ut judicio meo, ſic legi debeat;

> ——— *Sed ut*
> *Vetuſtâ veſte, & tetrâ, & vaſtitudine*
> *Tam deformatus* ———

Niſi concinnior fortè videtur iſta Grotii emendatio:

> *Sed ut iſtâ tetrâ veſte, & vaſtitudine, ac*
> *Deformitate.*

*

> *Nunquam erit tam immanis, cùm meâ operâ exſtinctum ſciet,*
> *Quin frageſcat.*] Vel *is* poſt *immanis*, vel *eum* poſt *exſtinctum* ob ſyllabæ ſimilitudinem librarius neglexit numerorum ſecurus. *Meâ* verò *operâ* dixit, pro *culpâ meâ*: quomodo & Catullum, & Cornelium Nepotem, & Porcium poëtam eſſe locutos, monuit Clariſſimus Andreas Schottus in erudito illo Humanarum Obſervationum opere.

*

*Diffidam autem ne cidere turbat vulgum ambigua accive evitat, mæros diſiicit.*] Ita eſt in Mſsis, niſi quod in nonnullis pro *autem* eſt *ante*. Itaque pro *Diffidam autem ne cidere*; vide num rectiùs legatur, *Differam ante neci dare*; an verò, *Differam autem occidere*. Ac puto pertinuiſſe ad eandem ſententiam, ac alterum hujus fragmentum tragœdiæ, *Quemadmodum impetum occupemus facere in ipſum regem*. Poſt illa ſequitur, *turbat vulgum ambiguam ac civem evitat mæros diſjicit*. Unde eliciebam hunc trochaicum;

> *Turbat vulgum ambiguam, ac civem evitat, mæros diſiicit.*

Ubi *evitare* ſumitur, ut in illo Ennii:

> *Priamo vi vitam evitari.*

Ex

Digitized by Google

Ex *accim* fecimus, *ac civem.* Aldina *Accius* retinet: ac ſequentia pro novo poëtæ hujus teſtimonio habet. Quod ſi magis placet; neceſſe eſt, ut dicamus, à librario præteritum eſſe *τὸ vulgum*: quando de hoc inibi agit Nonius. Nempe, ut hæc vera lectio ſit: *Accius:*

—— *Vulgum evitat, mæros disjicit.*

Sed hæc ſententia minùs iccirco probatur, quod anteceſſit *Accius*, ac propterea, non *Accius*, ſed *idem* potiùs dixiſſet. Neque hic magis, quàm antè, fabulæ nomen omiſiſſet.

*

—— *Opinione factum eſt, quanto minùs*
*Stirpem educabant, tanto ut reremur magis*
*Eoseſſe* —— ]

Scribe *Opinione eſt factum*: ut in *opinione* ſit *συνίζησις.* Quod ſi particulam *ut* in priorem transferas verſum, erunt ſenarii duo:

*Opinione factum eſt, ut, quanto minus*
*Stirpem educabant, tanto reremur magis*
*Eos eſſe.*

*

*Proh Di immortales! ſpeciem humanam, inuſitatam, egregiam,*
*Indignam clade & ſqualitudine.*]

Sic divide:

*Proh Di immortales! ſpeciemq; humanam, inuſitatam,*
*Egregiam, indignam clade & ſqualitudine.*

Uterque ſenarius eſt: ſed prior ὑπερμετρος, cujus poſtrema à ſequenti verſu abſorbetur; uti in illo Maronis:

*Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem.*

*

Pag. 121. *Quemadmodum impetum occupemus facere ultro in regem*] Lego, ut octonarius fuerit,

*Quemadmodum impetum occupemus ultro facere in regiam.*

*

*Nihil eſt, ſi autem ad te retardat, ſocium in portu eſt, copiaque ſubſiſtat modo, tu te ipſe effirma & compara.*] Ita eſt in Mſſis, & Ald. aliiſque veteribus editis. Quid Lipſius tentàrit, ex Antiquis ejus conſtat. Mihi quidem ea minus ſe probant. At magis acquieſcit animus in emendatione iſtac Hugonis Grotii:

*Nihil eſt, ſi autem ad te ire tardat, ſociûm in portu copia*
*Subſiſtent, modò tute ipſe efferas arma, & te compares.*

*

*Heu mihi, ut etiam hac ærumna mihi luctum addit luctibus. N. Quid miſerari id me Euryſacem tuam ſolitatem memoras formidas tibi: te commiſerebar magis, quam miſerebar mei, & multis mei & aliquando vexata generibus.*] Augiæ ſtabulum non injuriam vocant viri docti. Tentabimus tamen, an expurgare poſſimus. Mihi ſic ſcripſiſſe Attius videtur, ut quinque ſenarii fuerint:

*Hei, mihi, ut etiam hac ærumna luctum luctibus*
*Mihi addit! N. Quid miſeram ad me, Euryſaces, tuam,*
*Ac ſolitatem memorans, formidas tibi?*
*Te commiſerabar mage, quàm miſerebar mei,*
*Multis mali aliquando & vexata generibus.*

Verſu extremo pro *mei & aliquando*, invenimus in aliis, *talia aliquando.* Eoque ex initiali in *mei*, & tribus mediis in *talia*, veram elicere lectionem conati ſumus.

*

*Ilico, inquam habitat ovis quàm propitius*] Ita Mſſ & Ald. Sed in Mediol. eſt *quam proprius.* In alio, *quam propius*, reperit Mercerus. Non invenuſta vera videtur conjectura viri doctiſſimi,

—— *Illico, inquam, abi, ac quam' ocius.*

## ILIONA.

*

Pag. 122. *Aut ſtagnorum humorem rimarentur loca.*] Ita edidit Hadrianus Junius. Unde Delrio, *humore* conjectat, metro invito. Quid ſi reſcribam, *ſtagnorum humidûm*, pro *humidorum*? Sed Mſſi, Ald. aliæ, etiam Merceriana legunt;

*Aut ſtagnorum humorem rimarem loca.*

Unde malim:

*Aut ſtagnorum humidorum rimarem loca.*

Sic *irrimare* pro *irrimari* dixit Pacuvius Atalantâ, Nonio teſte.

## IONE.

*

Mſus meus Priſcianus gemino in loco citat ex *Ioe*, ſemel ex *Ione*: at vetus Veneta anni 1476. ex *Ioe* ſemel, bis ex *Ione*. Aliorum quoque Mſſ plurimùm *Ioe* habent: quod etiam Delrio teſtatur. Sed *Ione* vera eſt ſcriptura, ut docemur fragmento, quod inde adducit Priſcianus, *Cuſtodem aſſiduum Ioni appoſuit virgini.* Scripſit & Ionem Euripides, quæ exſtat. Nam Sophoclea deperiit.

*

*Ex taurigeno ſemine ortam fuiſſe, an humano eam*] Priſcianus quidem ita citat, idque ex Ione:

—— *Ex taurigeno ſemine*
*Ortam fuiſſe, an humano eam* ——

Sed Macrobius ex Minotauro hunc in modum refert:

—— *Taurigeno ſemine*
*Ortum fuiſſe, an humano.*

Unde vir eruditiſſimus legendum conjectabat:

*Taurigeno ſemine ortum fuviſſe annuo.*

Ut ſententia ſit, Non diffiteor Minotaurum eſſe cretum ſemine taurino. *Fuvi* pro *fui*, ut *annuvi* pro *annui*, & alia. Mihi nihil mutandum videtur, tum propter codicum conſenſum, tum quia ἀμφιβολία iſta taurini & humani ſeminis locum habere potuit, ſive de Minotauro ageretur, juxta Macrobium: ſive de Ione in vaccam converſa, juxta Priſcianum.

## MEDEA EXULE.

*

Pag. 123. *Ego me extollo in abietem, altè ex tuto proſpectans aucupo.*] Trochaicus eſt. Et verba ſunt paſtoris ejus, qui Argo navem deſcribit apud Ciceronem in 11. de Nat. Deorum. Quare & illa hanc ad fabulam pertinent, quæ ſuperius ex Argonautis Attii citantur. Nec enim nomine Argonautarum fabulam ullam Attius ſcripſit.

*

*Principio extiſpicum ex prodigiis congruens ars te arguit.*] Octonarius eſt, ſive *exſtiſpicum* legas: ſive *exſtiſpicium*; quod eo impenſius placet, quia ita legitur, & in Mſſis, & antiquis editt. Et ſatis conſtat, veteres in talibus ſæpe pluratìvum caſum per IUM extuliſſe: de quo & antea diximus.

*

*Qui potis eſt repelli quiſquam, ubi nullus eſt cauſſandi locus*] Numerorum ergo, *nullu'ſt* ſcribe.

Pag. 124.

*

Pag. 124. *Par neci orbificor liberorum leto & tabificabili.* ] Ita Mssi, & editt. vett. Vera lectio eſt: *Pernici orbificor liberorum leto tabificabili.*

*

*Ut triſtis turbinum toleraret hiemes, mare cum horret fluctibus.* ] Sic numeris redde:

*—— Ut triſtes turbinum*
*Toleraret hiemes, cùm mare horret fluctibus.*

## MELEAGRO.

*

*Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent,*
*Pro ſe quiſque cum coronâ clarum conſtat caput.* ] Ita plerique Mssi, & Mediolan. Ald. & Junianus Majus. Sed ſententia, & metrum, poſtulant *circumſtat:* uti & legit Mercerus.

*

Pag. 125. *Cujus exuvias, & coronam huic muneravit virgini* ] *Cujus* μονοσύλλαβον eſt. Vel ſcribe, *Exuvias cujus;* ut octonarius ſit.

*

*Erat virile iſtuc, ferre adverſam fortunam facul.* ] Trochaicus quadratus ſit,

*Erat iſtuc virile, ferre ad. f. f.*

*

*Frigit fricantem corpus aërium occultè abſtruſo in flumine* ] Ita eſt in Ald. Sed in Mss pro *aërium* eſt *acuum.* Vir eruditiſſimus pro eo *atrum* legit. Qui & pro *fricantem* mavult *fricatque;* ut ſit talis octonarius:

*Frigit fricatque corpus atrum occultè abſtruſo in flumine.*

*

*Frigit aſtu rubore ex oculis fulgens flameo* ] Scribe:

*—— Frigit*
*Æſtu rubore ex oculis fulgens flameo.*

Nec metrum refragatur. Nam Nonius clarè dicit, *frigit* corripere priorem, & hic, & quoties pro *erigere* accipitur. Eſt verò ſermo de Meleagro. Nam poſt fatalem ſtipitem in ignem ab Althæa matre conjectum.

*Inſcius, atque abſens, flammâ Meleagrus eâdem*
*Uritur, & cæcis torreri viſcera ſentit*
*Ignibus:*

ut eſt apud Naſonem in VIII.

*

Eodemque pertinet fragmentum ſequens,

*Eum ſuum vitæ finem, ac fati internecionem fore*
*Meleagro, torris cùm eſſet interfectus flameus.* ] In Mssis, & Mediol. editt. eſt, *Cum ſua vita.* Unde lego, *Tum ſua vita.* Vel, *Eum ſua vita*, κατὰ συνίζησιν. Eleganti verò tralatione *torrem interfectum* dixit pro *combuſto.* quomodo de fracto vaſe dixit Ariſtophanes, τὸ τρύβλιον τέθνηκε. Et ſæpe ita loquitur Plautus, inter alia Mercatore Act. V. Sc. 1:

*Uſus fructus, victus, cultus jam mihi harunce ædium*
*Interemtu'ſt, interfectu'ſt, alienatu'ſt, occidi.*

Ac Appulejus quoque *interficere virginitatem* dixit.

*

*Remanet gloria apud me: exuvias dignavi Atalantæ dare* ] Meleagri verba, qui pelle apri Calydonii Atalantam donavit, teſte Hygino fab. CLXXIV. De eodem ita Ovid. in VIII.

*—— Sume mei ſpolium, Nonacria, juris*
*Dixit, & in partem veniat mea gloria tecum.*
*Protinus exuvias rigidis horrentia ſetis*
*Terga dat ——*

*

*Tum ut eliminor clamore, ſimul ac nota vox ad aures accidit* ] In vett. libb. eſt *Timidè eliminor*, unde corrigo, *Tum inde eliminor.* Eſt ex jambico, ſi legas,

*—— Tum inde eliminor*
*Clamore, ſimulac vox nota aures accidit.*

Sed trochaicus ſic fiet,

*Cum clamore: ſimulac nota vox ad aures accidit.*

*

Pag. 126. *Labore aut minuat itiner ingreſſum via* ] Fortaſſe ſcripſerat:

*Laborem aut minuat itiner ingreſſo via.*

Viæ, inquit, laborem minuat proficiſcenti, ut de facundo comite dici ſolet.

*

*Nunc ſi me matrem manſues miſericordia*
*Capſit* ] Verba Althææ, dum, ut eleganter Naſo ait, in eadem

*—— pugnat materque, ſororque,*
*Et diverſa trahunt unum duo nomina pectus.*

Huc quoque pertinet ſequens fragmentum,

*Heu cor irâ fervit cæcum, amentiâ rapior, feror.*

Ubi alii *ferorque*, ſed metro repugnante.

## MENALIPPO.

*

Ita libri vett. pro Melanippo, quod Græcanica compoſitio probat. Argumentum fabulæ quod fuerit, video à doctis dubitari. At nihil certius, quàm fuiſſe illud, non quidem de infelicibus Melanippi & Comæthus amoribus, de quibus Pauſanias in Achaicis: neque item de illo Menalippo, quo à ſe in venando interfecto. Tydeus, ejus frater, ſolum vertere eſt coactus: unde Statius I Theb.

*Olenius Tydeus (fraterni ſanguinis illum*
*Conſcius horror agit)*

Et lib. II.

*Pollutus placuit fraterno ſanguine Tydeus.*

Sed verò de Meleagro Thebano, de quo Statius extremo octavi Thebaidos. Unde diſcimus, ut is Tydeum letaliter vulnerârit; ſed ab eo viciſſim vulnus acceperit, & vivus adhuc ac ſpirans portatus ſit ad Tydeum, qui, in mortis ſuæ ſolatium, caput hoſtis abſciſſum, priuſquam exſpiraret, dentibus feræ ritu, dilaniavit. Hoc argumentum fuiſſe fabulæ, planum mox fiet ex fragmentis ipſis.

*

*Neque ratum eſt, quod dicas; neque, quæ agitas, diſcendi eſt locus.* ] *Diſcendi* corruptum videtur ex *differendi:*

*rendi:* quomodo, vocibus leviter trajectis, ex jambico videbitur acceptum:

> *Neque eſt ratum, quod dicas: neque, quæ agitas, locus*
> *Eſt differendi.*

Sed non minùs placet, fuiſſe trochaicum:

> *Neque ratum eſt, quod dicas; nec ea, quæ agitas, dicendi eſt locus.*

Nam *dicendi* clarè eſt in Mediolan. Ald. etiam ſchedis Farneſianis.

*

*Conſtituit, cognovit, ſenſim conlocat ſe in celſum locum;*
*Hinc manibus rapere rodus ſaxeum grande, & grave.*] Scribe juxta alios libros:

> *Conſtituit, cognovit, ſenſim conlocat ſeſe in locum*
> *Celſum hinc manibus rapere rodus ſaxeum grande,*
> *& grave.*

*

*Incurioſa itaque ei, Menalippe, rejicis abs te religionem ſcrupeam imponas.*] In veteribus Varronis codicibus ita invenimus: *Ex eo ab Accio poſitum, Curioſa itaque es in Menalippa. Rejicis abs te religionem. Scrupea imponas.* Et videtur locus iſte eorum favere ſententiæ, qui arbitrantur, huic fabulæ nomen fuiſſe *Menalippa:* præſertim quando & Ennius ejus nominis fabulam dederit, & ante eum Sophocles: imò & Μελανίππην σοφὴν Euripides ſcripſit, cujus meminere Plato in convivio, Diodorus Siculus lib. 1. & alii. Sed hæc ſententia clarè jugulatur ſequentibus fragmentis. Quodque ad Varronis locum hunc non infeliciter ita emendabat Scaliger: *Ex eo ab Attio poſitum pro curioſa. Itaque eſt in Menalippo: Rejicias abs te religionem, ſcrupea imponas.* Ubi *ſcrupea* eſt ἡ δεισιδαίμων.

*

*Credite amici morte me imbuturum manum.*] Verba videntur Tydei, minantis amicis mortem, niſi ad ſe ferrent caput Melanippi, à quo vulneratus erat.

*

*Regina, erit tempus cum hic torris, quem amburi vides.*]

> *Stipes erat, quem, cùm partus enixa jaceret*
> *Theſtias, in flamam triplices poſuere ſorores,*
> *Staminaque impreſſo fatalia pollice nentes*
> *Tempora, dixerunt, eadem lignoque, tibique,*
> *O modo nate damus,*

ut cecinit poëtarum ingenioſiſſimus. Nihil igitur certiùs, quàm fragmentum iſtoc Attii continere Parcarum verba ad Althæam: nec eſſe ex Melanippo, ſed Meleagro: etſi aliter ſit, non tantùm in editis; ſed etiam Manuſcriptis. In librarium conjiceremus culpam, niſi Nonius ex Meleagro proximum adduceret locum: ubi *ex eâdem* potiùs dixiſſet, niſi aliunde priorem locum citâſſet. Quare Grammatici ejus oſcitantiæ hoc quoque adſcribimus.

*

*Obvia amens, idque adverſum aptus, alterum in promtu occupat.*] In Manuſcriptis, Mediolanenſi, Aldina, etiam illâ Junianâ, & Mercerianâ legitur, *obvia mens, idque adverſum.* Nec arbitror me invitâ venari Deliâ, cùm ex vepreto horum verborum elicio latens nomen *Menalippi*, hoc eſt Melanippi. Nunc ex Menalippo (ita id nomen ſemper ſcribunt, corruptè licet) dictum hunc locum libri omnes adducunt. Et videtur ſermo eſſe de Capaneo, cùm inventum Menalippum in humeros conjecit, atque ad Tydeum portavit. Pro *obvia* ſcribo *obviu'*, ſententiâ & metro poſtulante. Quod trochaicum eſt:

> *Obviu' Melanippum adverſum aptus, alter in promtu occupat.*

Ita quidem nobis videtur. Sed doctiſſimus Mercerus legit,

> *Omnia mea, ſiqua adeò ſum aptus, alter in promtu occupat.*

Aliorum eſto arbitratus.

*

*En eum aliquis cette in conſpectum, aut nos, ubi eſt, ducite ad eum.*] Ita legit Hadrianus Junius. Sed demonſtrativa particula locum hic non habet; cùm de quærendo aliquo, non de invento ſermo ſit. In Manuſcriptis pro *En eum* eſt *Æneum*, uti & in Mediolanenſi, utrâque Venetâ, & apud Junianum Majum. Unde ſuſpicari aliquis poſſit, *Oeneum* legi debere. Is pater fuit Tydei, qui magna hujus fabulæ pars erat. Sed nunquam Tydeus Oeneum, verùm Melanippum ſibi in conſpectum voluit offerri. Quod & præſtitit Capaneus. Quare non malè me puto pro *Æneum* emendare, *Aut eum:* ut trochaicus ſit;

> *Aut eum aliquis cette in conſpectum, aut nos, eſt ubi, ducite*
> *Ad eum ——*

*

*Eſt res aliqua, quæ præſente his prius maturè inſtitit.*] Scribe, *maturè prius*, ut trochaicus ſit.

*

*Hic Melanippum interea trajectus nemorum in ſaltu faucibus.*] Lege, & ſententiâ, & metro jubente, *inter trajectus.* Sequebatur verſu proximo *Conſpicis*, vel ejus notionis verbum aliud. Ambiguum verò, num ſermo fuerit de Tydeo, cùm primùm

> *Ille per oppoſitos, longè rimatus, amarum*
> *Aſtaciden,*

hoc eſt, Melanippum, vidit: an potiùs de Capaneo, qui primus reperit Melanippum, unde idem Papinius,

> *—— primus abit, primuſque repertum*
> *Aſtaciden medio Capaneus e pulvere tollit*
> *Spirantem, lævâque ſuper cervice reportat*
> *Terga cruentantem concuſſi vulneris undâ.*

## MINOTAURO.

*

*Taurigeno ſemine ortum fuiſſe, an humano.*] Vide quæ ad Ionem ſuprà notavimus.

## MYRMIDONIBUS.

*

Dubitat Delrius, utrùm Æſchilum ſecutus ſit Attius, an Sophoclem. Sed Æſchilum duntaxat hujuſce nominis feciſſe fabulam, Clariſſimi Joannis Meurſii de tribus tragicis ſyntagma oſtendet.

*

*Tu pertinaciam eſſe, Antiloche, hanc prædicas,* &c.] In Mediolan. & Ald. eſt *Archiloche.* In Ms. *Antiloche:* quæ vera eſt ſcriptura: ut ex argumento fabulæ diſcimus. Nam eâ narrabatur, ut Achilles, dux Myrmidonum (à quibus fabula inſcribitur) ob ereptam Briſeida bello abſtineret: neque ullis Græcorum precibus flecteretur. Eo nomine Achillem pertinaciæ accuſabant, non Trojani, quibus iſtud expediebat, ſed Græci. His Achilles reſpondet, non tam pertinaciam eſſe iſtam, quàm pervicaciam, quæ laudi ducitur. Non igitur verba fiunt ad Archilochum, quem Antenoris Trojani filium fuiſſe, ac cum Ænea, & fratre ſuo Acamante, Dardaniis præfuiſſe, ſcribit Homerus Iliad. B. ſed ad Antilochum, Neſtoris filium, de quo idem Homerus prodidit Iliad. Σ. hunc primum Achilli de Patrocli morte nuncium retuliſſe, quo ille accepto, pertinaciam hanc, ſeu pervicaciam dici malis, remiſerit, rurſumque ad bellum ſit reverſus. Et, puto, cùm Antilochus à Menelao miſſus, nunciaret iſta, hujuſmodi inter Achillem, & Antilochum ſermonem interceſſiſſe. Nam quo minùs id in legatione Agamemnonis ad Achillem pacandum factum credam; facit, quod Homerus Iliad. Δ. in eâ non nominet Antilochum, ſed Phœnicem, Ajacem, & Ulyſſem; quibus Hodius & Eurybates præcones additi fuerunt.



Digitized by Google

*

*Tu addis, quod vitio eſt; demis, quod laudi datur.*] Apud Scaligerum Conjectaneorum initio, ita legitur, - - *demis, quod probro datur.* Sed vel ſcribe, *demis, quod probro haut datur:* vel potiùs retine, quod in Mſsis invenitur, - - *demis, quod laudi datur:* à quibus nec multùm abeunt editio Mediol. & Ald. ubi corruptè legitur, *demis, quod laudatur.*

*

*Mea fata in acie obliti.*] Quamquam de eo capere poſſis, quod in fatis eſſet, non poſſe Trojam expugnari abſque Achille: tamen planè arbitror, hoc potius dicere Achillem, geminum eſſe fatum ſuum; ut vel ad Trojam pereat, at perenne nomen relinquat: vel ignobilis domi commoretur, ſed ætatem vivat. Quippe hoc reſponſi inter alia etiam Ulyſſi dedit, cùm is, ex Neſtoris conſilio, ad Achillem miſſus eſſet, ut magnis promiſſis ejus animum tentaret; quemadmodum eſt apud Homerum Iliad. ι.

*

*Quod ſi, ut decuit, ſtares mecum, haut me meus mærares dolor,*
*Jam diu inflammarier naves vidiſſem ſuas.*] Citat Nonius in *Mertare*, ut quidem editum eſt in Aldina. Sed Mediolanenſis, ea vetuſtior, habet *Mærare*, quod probum. Nam exponit *mærentem facere*. Nempe *mærare* & *mærere*, differunt, ut *lactare* & *lactere*, *fugare* & *fugere*. *Mertare* verò longè aliud eſt, ut ſuperiùs dictum. Præterea in Mediolanenſi pro *haut me meus*, legas, *aut meus*. Puto veram eſſe ſcripturam, —— *aut te meu' mærares dolor.* Verſu proximo pro *inflammarier*, in Aldina eſt, *inflammari & re*; in aliis, *inflammari, & ardere*; quomodo & edidit Stephanus in Fragmentis. Sed vel ſcribendum, *inflammari ardore*; vel potiùs, quod doctiſſimo placuit Mercero, *inflammari Atrida naves vidiſſent ſuas.*

*

*Claſſes trahere in ſalum, & vela ventorum animæ immittere.*] Vulgo *laſſis*, unde meritò Scaliger *claſſes* fecit; ut vera lectio ſit;

—— *Claſſes trahere in ſalum,* ——
*Et vela ventorum animæ immittere* ——

*

Pag. 129. *Iram infrenes, obſtes animis, reprimas confidentiam.*] Manuſcriptus, *Iram in ferinis.* Propiùs veritati Aldina, *Iram in frenis*, ac Mediol. *iram infrenis*. Vera lectio eſt, *iram infrenes*, quam ad oram Nonii H. Junius notavit: ac Mercerus in contextu expreſſit. *Infrenes* verò valet *frenis compeſcas*, ſive *includas*, quod ex gloſſemate in Fabriani codicis contextum irrepſit. Verba ſunt ad Achillem iratum.

## NEOPTOLEMO.

*

*Quid ſi ex Græcia omne nomen Ilium par nemo reperiri poteſt.*] Ita eſt quoque in Mediol. & Ald. Sed τὸ *nomen* κατὰ μετάθεσιν irrepſit ex *omne*. Pro *Ilium* verò literulâ mutatâ *illum* legi debet. Ut ſit trochaicus,

*Quid ſi ex Græcia omni illum par nemo reperiri poteſt?*

Nec multum abit Merceri emendatio,

—— —— *Ex Græcia*
*Omni illum par nemo reperiri poteſt.*

*

Pag. 130. *Ita, ut dixi, macte his armis; macte virtute patris.*] Vetus Mediolanenſis habet, *Att. in Epeolem. Pota ut dixi, macta his armiſque, macte virtutem patris.* In Manuſcriptis pro *Epolem.* eſt *Opeolem.* Pro quo in Ald. eſt *Philocteta.* Sed longius hoc abit. Melius Had. Junius, qui *Neoptolemus* emendat, totumque locum ita corrigit, uti hic expreſſum. Tantùm numeros neglexit: propter quos pro *ut* ſcribendum *uti*, pro *virtute* item *virtute hac*, ſive *virtute &*, quod proximè abit à libris, ubi eſt *virtutem*. Trochaicus eſt:

*Ita, uti dixi, macte his armis, macte virtute & patris.*

*

*Vis veritatis, atque acritas.*]
—— *Veritatis vis, atque acritas.*

*

*Decorare eſt ſatius, quàm urbem taxiis.*] Ita eſt in Mediolan. & Aldina. Sed fortaſſe magna ſimilitudo inter *Deos ornare*, & *decorare*, fecit, ut excideret alterum. Sic enim poſſis ſcribere, uti Grotius rectè obſervavit:

*Deos ornare eſt ſatius, quàm urbem taxiis*
*Decorare.*

## NYCTEGRESIA.

*

Pag. 131. De argumento hujus tragœdiæ diximus ad locum illum è Clytæmneſtra adductum, *Aut ego illum eripiam.*

*

*Claſſis adit, clauditur, fervit.*] Lege,
*Claſſis aditum clauditur, f.*

*

*Cujus vos tumulti cauſſâ accierim, & quid parem advertite.*] In Mediolanenſi, Aldina, Juniana pro *accierim*, corruptè eſt *acie timee*: ubi in Manuſcripto *acierimet*, hoc eſt *accierim, &*. Sequitur deinde in editis, *quid parum adverti*, vel *diverti*. Sed apud Stephanum in Fragmentis eſt *quid parem, animum advertite.* Ita octonarius erit, dum *cujus* monoſyllabon fiat: uti in illo Attii Meleagro:

*Cujus exuvias, & coronam, huic muneravit virgini.*

Verùm cùm τὸ *animum* abſit à veteribus libris, ſine cauſſâ admitti non debet. Propterea potiùs credo eſſe è ſenario:

*Cujus vos tumulti cauſſâ accierim, & quid parem*
*Advertite* - -

Sunt verba Agamemnonis ad primores Græciæ, quos noctu acciverat, ut è fabulæ inſcriptione diſcimus. Poſſis & verſu primo,

*Qui vos tumulti c.*

Ut *qui* valeat *ut*, quomodo Donatus exponit in prologo Andriæ. At correctio illa Hadriani Junii, *Cujus tumulti cauſſâ ab itere meo quid parum diverti*, non uno nomine improbatur. Nam præterquam quod illud *vos* expellit, metri etiam rationem habet nullam, & ſenſus iſte ad fabulæ argumentum nihil facere videtur.

*

*Scandit ora laterum texta Volcani vorax.*] Scribe, & ſententiâ, & metro ſuadente,

*Scandit laterum texta aura Vulcani vorax.*

Sermo eſt de navibus Græcorum accenſis: quò etiam pertinet ſuperius fragmentum,

*Claſſis aditum clauditur, fervit.*

Nempe claſſis incendium illud erat, cujus cauſſâ nocturnam conſultationem inſtituerat Agamemno.

*

*Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas ſufferam.*] Adi ea, quæ ad Clytæmneſtram notabamus. Mihi verò nihil mutandum videtur. Nam potuit iſta dicere Achilles, cùm de Patrocli corpore certamen eſſet inter Græcos & Trojanos; ut ſententia ſit, aut Patroclum ſe erepturum, aut vitam ſibi evitandam ab Hectore. Nonius verò more ſuo ineptit,

Digitized by Google

ineptit, cum *ſufferre* hic aliter accipi putat, quàm in illo Accii Myrmidonibus:

*Ego me non peccâſſe planè oſtendam, aut pœnas ſufferam.*

*

*Tune quod ſupereſt ſocium mittis leto, an luſti pœnitet?*] In veteribus libris eſt *tunc*, vel *tum*. Sed rectum eſt *tun'*. Nam trochaicus eſt. *Socium* verò hic patrius eſt caſus: ut bene vidit Scriverius. Sic igitur ſcribe, ac diſtingue:

*Tun', quod ſupereſt ſociûm, mittis leto? an luſti pœnitet?*

Niſi malis,

*Tum, quod ſupereſt ſociûm mitti leto? an l. p.*

Ut anteceſſerit, Num patieris, ô Achilles, hæc, & iſta? *Pœnitet* verò hic eſt *parum videtur*: de quo Donatus in Eunucho.

## OENOMAO.

*

Pag. 132. *Per urbem, ut omnes qui arcem aſteumque accolunt.*] In Aldina eſt, qui *arcana aſteumque accolunt.* Cenſeo τὸ *arcana* ex *arcem hanc* corruptum eſſe. ut talis ſit ſenarius:

*Per urbem, ut omnes qui arcem hanc, aſtyque accolunt.*

*Aſteum* verò eò fidentius mutavi, quia in veteri Mediol. ſit, *Aſtymque.*

*

*Ferte ante auroram radiorum ardentum indicem,*
*Cùm ſomno in ſegetem agreſtis cornutos cient,*
*Ut rorulentas terras terras ferro * fidas*
*Proſcindant glebas, arvoque ex molli excitent.*] Pro *ferte*, vel *fere* ſcribe, vel cum Turnebo, *forte*. Verſu proximo quidam legunt, *Cùm ſono*. Et ita etiam ſenſiſſe autumant magnum Turnebum. Quos librarii, ut ego cenſeo, error decepit. Nam planè voluit Turnebus, *Cum ſomno*: quippe qui nec iſtas de ſyllabarum modulis minutias ignoraret. *Cornutos* pro *bubus* dixit Attius. Hoc ſi, quia inſolens ſit, minùs probatur: vide an iſta magis lectio placeat,

*Sono cùm in ſegetem cornuum agreſtes cient.*

Et puto æquiores huic correctioni erunt, quibus illud *ſono* pro *ſomno* tantopere arridet. Sed mihi alterum magis placet propter librorum veterum autoritatem: etiam Aldinæ editionis; ubi eſt *cornuto ſcient*, quod ſi dividas, nihil aliud eſt, quàm *cornutos cient*. Verſus tertius plus negotii faceſſit, qui debilis eſt ac mancus. Num extremo loco *roſcidas* legemus? Putabat id Scaliger, ut extrita ſit prima *ſ* quia eadem ſyllaba ſit, quæ proximè anteceſſit. Sed huic adverſatur ſententiâ quod jam dixerat Attius, *rorulentas*. Quare aut *roſcidas* hic locum non habet: aut ſimul pro *rorulentas* legere oportebit *pulverulentas*. Quid ſi ergo potius pro *fidas* ſcribamus *uvidas*? quod facit Turnebus. Sic una duntaxat deperierit literula. Et proclivis error fuit, propterea quòd V conſonum, & F, ex corrupto more ſimilem obtineant ſonum. Nec turbare debet, quod *rorulentas* anteceſſit. Nam hoc ad externè advenientem pertinet humorem: *uvidum*, uti & *uliginoſum*, ad naturalem. Servius ad Eclog. 2. *Humidum eſt, quod extrinſecus habet aliquid humoris: uvidum verò, quod intrinſecus; unde uva dicuntur: quod tamen plerumque confundunt poetæ.* Idem ad illud Georg. 11.

—— *dulcique uligine læta*, ait, *Uligo propriè eſt naturalis humor terræ ex ea nunquam recedens. Uliginoſus ergo ager eſt ſemper uvidus. Nam humidus dicitur, qui aliquando ſiccatur.* Qui locus corruptè vulgò legitur, etiam in Fabriciana editione, & in illa Petri Danielis. Quare fortaſſe ſic apud Attium reſcribendum:

*Ut rorulentas terras ferro, & uvidas,*
*Proſcindant* ——

Vel ſic,

*Ut rorulentas ferro terras uvidas*
*Proſcindant.*

Denique verſu ultimo in veteribus libris eſt; *glebas, quæ arvo ex molli excitent*: ut vera lectio ſit, *glebaſque ex a. m. e.*

*

*Ego ut eſſem adfinis tibi, non ut te exſtinguerem,*
*Tuam petii gnatam. numerò te expurgat timor.*] Extrema verba ita leguntur apud Feſtum. Et ſimiliter in Nonio ſuo edidit Mercerus. Sed in veteribus libris, item apud Junianum Majum, invenio, *Numerò te expurgâſti.* Quod ſe mihi probat. Lego igitur, ut trochaici ſint:

*Ego, ut eſſem adfinis tibi, non, ut te exſtinguerem, tuam*
*Petii gnatam.* OE. *Numerò te expurgâſti.* - -

Priora ſunt verba Pelopis, qui Hippodamiam amabat. Ille deinde Oenomaus reſpondet.

*

Pag. 133. *Saxum id facit anguſtitatem, & ſub eo ſaxo exuberans*
*Scatebra fluvia eradit rupem* - - ] Ita eſt in Mediolanenſi, & Aldina. Apud Junianum Majum eſt, *flumina eradit*. Lego, *Scatebra fluvii eradit*: vel, quod præſtat, *Scatebra eluvio radit rupem.*

*

*Praſtò etiam adſum; exprome quid fers; nam te longe itere cerno vadere.*] Scribe,

—— *Praſtò etiam adſum, exprome quid*
*Feras: nam te longo itere cerno vadere.*

*

*Conjugium Tiſis patere ad te itiner tendere.*] Satis conſtat, Oenomaum, Elidis ac Piſarum fuiſſe regem, ad quem Pelops profectus fuit amore filiæ ejus, Hippodamiæ. Non dubium igitur, quin cum Delrio legere oporteat,

*Conjugium Piſis petere, eo te itiner tendere.*

Eò patitur ϲυνεκφώνηϲιν.

*

*Atque hanc poſtremò Solis uſuram cape.*] Verba Oenomai ad Pelopem curru decertaturum.

*

*Horrida honeſtitudo Europæ principium primum ex loco.*] *Primo ex loco* eſt in Manuſcriptis, Mediolanenſi, Aldina, etiam Juniana, & illa Merceri. Nec mutare debuit Delrio: qui adfirmatè adſerit, hoc fragmentum à nemine intelligi. Atqui, ſi veterem retineamus ſcripturam, commodum ſenſum elicere eſt. Nempe ut hoc dicat Attius, procos Hippodamiæ fuiſſe primæ notæ proceres ex Europa. *Principium* pro *principum*, ut *meretricium*, & ſimilia. *Horrida honeſtitudo* dicitur dignitas oris in viris fortibus, & ſtrenuis.

## PARIDE.

*

*Frena theſauri equorum accommodant.*] In Aldina eſt,

*Accius, Impari frena theſauri equorum accommodant.*

Sed in Manuſcriptis eſt, *Attius Pari, Frenates auri equorum a.* Unde Hadrianus Junius colligit, Paridem ab Attio eſſe ſcriptam. Sed quid ſi illud *Pari*, vel *Impari*, corruptum ſit ex eo, quod erat, *In Parer.* Nam *Attii Parerga* etiam citat Nonius in *Porca*: ubi, &



Digitized by Google

Manuſcripti, & editi, incorruptè id nomen ſervarunt, niſi quod in Medtolanenſi legas, in *Pacergorum lib.* In Attii verbis pro *theſauri* cum Scaligero ſcribe *tenſarii.* Ita dicti, qui ducerent tenſas, hoc eſt Deorum vehicula: de quibus Aſconius in III Verrin. & Servius in I Æneidos. Gloſſæ veteribus *Tenſa*, θεόν@, ἅρμα θεῶν. Quid ſi & pro *equorum* ſcribamus *equûm ori?* De numeris verò ſolliciti non ſumus, cùm libri parergorum fortaſſe non minùs ſolutá oratione ſcripti fuerint, quàm ejuſdem Διδασκαλικῶν libri. Sin planè è tragœdia eſſe placet, hac ſimilive trajectione mederi poſſis:

*- - frena equorum accommodant tenſarii.*

Aut (ſi *impari* ex *interea* corruptum eſſe non diſplicet) hocce modo,

*Tenſari frena interea equorum accommodant.*

## PELOPIDIS.

*

*Nam me ut credam ex tuo eſſe conceptum ſatu,*
*Ut argumenta redigunt animum, & commovent.*] In vulgatis, etiam Mediol. & Ald. erat, *Nam me ut heredem*, quod cum metro repugnare Hadr. Junius videret, ejecta particulâ *ut*, legebat,

*Nam me heredem ex t.* &c.

Sed in Mſsis eſt, *ut heredam*, unde rectè alii viderunt, legi debere:

*Nam me ut credam ex t.* &c.

Proximo etiam verſu in Ald. eſt, *Ut argumenta*; in Mediol. *Et argumenta.* Hæc inconſtantia non de nihilo eſt. Utrumque enim corruptum eſt ex, *Tot argumenta.* Proximè *ſatu* anteceſſit; unde factum, ut deperdito T, pro *tot* ſcriberetur, *Ut*, vel *Et.*

*

Pag. 134. *Ceſſo ire hinc, & rapere luctu veſtem in leto conjugis?*] Metrum exigit, *Ceſſo hinc ire.* Nec aliter apud Nonium eſt.

*

*Ejus ſerpentis ſquama ſqualido auro, & purpurâ*
*Prætexta.*] Lego, *ſqualide auro.*

Maro in x.

*Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.*

## PERSIDIS.

*

*Satin ut quem cuique tribuit Fortuna ordinem,*
*Nunquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.*] Vera fabulæ inſcriptio *Perſa*, non *Perſida*, ut rectè obſervat Delrio. In veteri Venetâ initio legas, *Statim*, quod ex *Satin* corruptum videtur. Sed in aliis eſt *ſatis*: & fortaſſe vera lectio eſt *Fatis*; quod ſi placet, *tribuit* κατὰ σιώπησιν efferetur, & tollere mox oporteat interrogationis notam.

## PHILOCTETE.

*

Pag. 135. *Quod ted' obſecro, ne iſtac aſpernabilem*
*Tetritudo mea me inculta faxit.*] In vett. editt. ac apud Majum legas, *Quod te obſecro, ne hac aſpernabilem tetritudo meam* (vel *mea in*) *occulto faxit.* Sed in Mſsis pro *mea in occulto* eſt *mea in inculto.* Quare hæc vera fuerit lectio:

*- - Quod te obſecro, ne hac aſpernabilem*
*Me tetritudo inculta faxit.*

Sive, ſi malis, *incultu faxit.*

*

Pag. 138. *- - Reciproca tendens*
*Nervo equino concita tela.*] Scaliger cenſet, optimè ita concinnari,

*Tendens nervo tela reciproca*
*Concita equino.*

Mihi non de nihilo eſſe videtur, quòd veteri ordine verborum, locum hunc adducunt, & Varro in VI de L. L. & Servius P. Danielis in IX Æn. Quare altera magis ſententia probatur, ut ex jambico ſit,

*Reciproca tendens nervo equino concita*
*Tela - -*

Quamquam etiam poſſis, ſed vocibus trajectis,

*- - - - Reciproca*
*Tendens equino tela nervo concita.*

*

*- - - Heu Mulciber*
*Arma ignavo invicta es fabricatus manu.*] Veſtigium veræ lectionis eſt in Aldina, ubi eſt: *fabricatus & manu.* Nam numeri requirunt,

*Arma ignavo invicta fabricatus es manu.*

*

*Si imperâſſes tibi, ego nunc non eſſem miſer.*] Scribe, *Tibi ſi imperaſſes.* Raphaël Regius, monet in aliis inveniri.

*Si par tibi eſſes, non ego n. e. m.*

Sed priorem integram, hanc corruptam putat.

*

*Agite, & volnus ne ſucceſſet greſſim, cautè ingredimini.*] Apud Junianum Majum legitur *ingrediamini:* quomodo ſi ſcribas, octonarius erit. Sed alterum eſt in omnibus Nonii libris; nec rejici debet, modò trochaici interdum deſinunt in pæonem quartum; de quo etiam diximus ad Hermionam Pacuvii.

*

*Phrygiam mitiorem eſſe immani Graciâ.*] Ita emendavit Mercerus: ſed contra libros veteres, in quibus legitur, *Phrygiam minorem eſſe immanem Graciam.* Quæ lectio proba eſt, dum poſt *eſſe* diſtinguas. Mercerum, & alios imperitia Nonii decepit: ut qui putârit, *immanem* hic poni pro *crudeli.* Sed contrà ſumitur pro *ingenti*, ut in illo Maronis,

*- - - Poſuitque immania templa.*

Quare ἀντίθεσις eſt inter Phrygiam exiguam, & amplam Græciam.

*

*Ita, ut dixi, macte his armis, macte virtute patris.*] De hoc ſuprà ad Neoptolemum vidimus.

## PHINIDIS.

*

Hæc vera eſt inſcriptio: pro qua in Mſsis eſt *Finidis*, unde in veteri Mediolanenſi eſt *Fundis*, vel *Figulinis*; quod & eſt in Venetâ Pincii: apud Junianum Majum, *Servidis.* At longiùs etiam receſſit Aldina, quæ *Phœniſſis* inde fecit.

*

*Aut ſæpe ex humili ſede ſublima advolant.*] De Harpyiis loquitur: de quibus & ſuperius fragmentum.

*

Pag. 140. *Abtorque proram, ac ſuppa tortas copulas.*] In edit. Ald. eſt *ſupra tortas copulas.* Sed Ms habet *ſipa*: unde aliqui *ſtipa* fecere. Sed nihil mutandum. Nam *ſipare* eſt *jacere*; unde *ſiparium*, & diſſipo, inſipo, obſipo. Quare aſſentio Had. Junio, qui *ſipa tortas copulas*, interpretatur *ejice funes.*

*Qua*

Digitized by Google

*

*Quaveat grapho tibi congenerat gentium, aut generum affinitas.*] In Mediol. & Aldina eſt, *Quam vehat grato tibi.* Sed in Mſo eſt, *Quaveat fraſo*, vel, *quaveat graſo.* Ubi *Adraſti* nomen latere, ſagaciter ſenſit Hadrianus Junius. Lego igitur, ut trochaicus ſit,

*Quæve Adraſto tibi congenerat gentiûm aut generum affinitas.*

*

*Sevenis ſterilem eſſe illim operâ, medicinâ autumas.*] Sermo eſt de Inone, Athamantis uxore, cujus conſilio medicata ac toſta ſemina in ſementim data ſunt: unde Thebis ſterilitas, ſummaque frugum orta eſt penuria: ut præter alios narrat Hyginus fab. 11. Quare aſſentio doctiſſimo Mercero, qui legit,

*Sementim ſterilem eſſe illim operâ, ac medicinâ autumans.*

Vel, ut ex jambico ſit,

— *Segetem*
*Sterilem eſ. i. o. a. m. a.*

Quod ambiguum eſt, *ſegetem*, an *ſementim* legere oporteat, facit librorum veterum inconſtantia. Nam in pleriſque Mſs. legitur *Sevenis*, in Ald. *Si venis*, in Mediol. *Si veneris*, apud Jun. Maj. *Severus.* In eâdem Ald. poſt *opera* legas *eſt*, quod veſtigium eſt lectionis veteris. Nam pro *operâ medicinâ* legi debet *operâ & medicinâ.*

*

*Tacete, & tonſillas litore in lævo edite.*] Ad ea recurre, quæ dicta ad Pacuvii Medum.

## PHOENISSIS.

*

*Thebis radiatum lumen oſtendis tuum.*] Quod in libris aliquibus *oſtendis*, in aliis *oſtentum* legitur, uti eſt in membranis, hoc ſuſpicionem injicit, latuiſſe vocem inſolentiorem, quam variè mutarint. Ea fuerit *oſtenſti*: quod eopſe tempore dicit Euripides Ἀκτῖν' ἐφῆκας. Nam expreſſit Attius verſus iſtos, quibus Phœniſſas Euripides orditur:

Ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν,
Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα,
Ὡς δυστυχῆ Θήβαισι τῇ τόθ' ἡμέρᾳ
Ἀκτῖν' ἐφῆκας.

*

*Viciſſitatemque imperitandi tradidit.*] Ita eſt in Mſsis. Sed librarii voce *imperitare* offenſi, pro eo vel *imputandi* ſcripſere, ut eſt in Mediol. vel *imperandi*, ut legitur in Ald.

*

*Ne eorum divida diſcordia diſſupent,*
*Et diſturbent tantas, & tam opimas civium*
*Divitias.*]

Vera, ut cenſeo, ſcriptura eſt,

*Ne eorum divida, diſcordiaque diſſupent,*
*Diſturbent tantas, & tam opimas civium*
*Divitias* —

*

*Juſſit proficiſci exulium quovis gentium*]

Malim,

*Juſſit proficiſci quovis gentium exulem.*

*

*Ingredere, exi, effer te ex urbe, elimina.*] Senarius ſit ſi ſcribas *ted ex urbe.* Sed præverbium *ex* abeſt à Mſsis, etiam Mediol. & Aldina. Quare puto initio, vel in fine, pedem deeſſe, quo minus ſit ſenarius juſtus:

*Egredere exi, effer te, urbe elimina.*

*

*Delubra cælitum, maris ſanctitudines*] In Mſsis, Mediol. Aldin. & apud Junianum eſt *cæli tu*, unde rectè Scaliger *cælitum* fecit. Ita è trochaicis duobus fuerit, quorum alterum poſtrema vox inchoet.

*

*Gnatus virtute ſceptrum potiretur patris.*] In vett. edit. ac Merceriana legas, *Gnatus ut tute*; unde fecerunt, *Gnatus virtute.* Nec damno. Sed magis tamen placet, *ut tutò.* Ita fuerit trochaicus prope integer. Jambicus ſenarius leviculâ trajectione fiat:

*Ut tutò gnatus ſceptrum potiretur patris.*

Poſſis & ſcribere,

*Gnatus vice ut ſc. p. p.*

Sed alterum malo.

*

*Quæ ego cuncta eſſe fluxa in meâ recreperâ comperi.*] *Cuncta* ſenarium incipit.

## STASIASTIS, vel TROPÆO.

*

Pag. 143. *Lib. 1. corporare abs tergo es auſus,*] Illud extra dubium eſt, fabulam non fuiſſe diviſam in libros: eoque legi non poſſe, *Tropæo lib. primo*: uti eſt in Aldin. Alii malunt fabulam nominatam, *Tropæum Liberi.* Sed hoc ſi eſt, cur & alibi Nonius tantùm *Staſiaſtas*, aut *Tropæum* vocat? Mihi literarum ductus intuenti, videbatur illud *lib.* 1. facilè potuiſſe corrumpi ex *Ibi im.* præſertim cùm in ſcribendo M non aliter ſoleant notare, quàm lineolâ poſitâ ſuper vocalem. Neque unquam proclivior eſſe error ſolet, quàm ubi vox inſolens occurrit: cujuſmodi eſt *im*, quod *eum* valere, Feſtus docet. Ita ſententia ſit, eum abs tergo vulnerare es auſus. Nam *corporare* idem eſſe ac *vulnerare*, ex Nonio conſtat. Si quis tamen pro *lib.* 1. cum Mercero, *liberos* legere malit, non repugno.

*

*Tum ſibi deloi de lore hoc anima corpus liquerit.*] Ita eſt in nonnullis Mſsis, quos ſequitur Merceriana. In aliis, uti & Mediol. & Ald. legitur, *Cùm ſubide delio dolore hoc animo corpus liquerit.* Utraque lectio corruptiſſima eſt. Sic verò, & ſententiæ, & numeris reſtituo:

*Cùm ſubitò ex illo dolore hac anima corpus liquerit.*

*

*Vulnere tetro deformatum ſuo ſibi lautum ſanguine tepido.*] Sunt duo anapæſtici. Nam *ſuo* μονοσύλλαβον ſit, vel trochaicus fuerit unus, ſi *Tepido* ſit initium ἀκεφάλου ſequentis.

*

*Non vides, quam turbam, quoſve fluctus concites?*] Concinnior videtur hæc lectio, quæ ex codice Merceri expreſſa eſt. Tamen nec damnare auſim, quod in aliis:

— *Non vides,*
*Quantam turbam, quantoſve fluctus concites?*

Nam eſt in Mſsis, etiam Mediol. & Ald. ut Junianam, & nuperas alias, mittam.



Digitized by Google

## TELEPHO.

*

*Jam jam ſtupido Theſſala ſomno*
*Pectora languentique ſeneque.*] Ita eſt in Mſsis, & editis. Puto tamen ſcripſiſſe, *Et jam.* Quomodo in ſequenti fragmento, in Mediol. Aldin. & recentibus etiam, non *jam jamque*, ſed *jamque* ἁπλῶς legas. Ut vera ſcriptura ſit,

*Jamque Auroram rutilare procul*
*Cerno* ——

Cùm vero ſecundus prioris fragmenti verſus non expleat anapæſticum; haut poſſis hæc connectere ſuperioribus, niſi fortè eo pacto immutare viſum;

—— *Et jam*
*Cerno auroram rutilare procul.*

*

Pag. 144. --- *Quem ego ubi adſpexi, virum*
*Memorabilem inını viderer, ni veſtitum teter,*
*Mæſtitudo, vaſtitudo prædicarent hominem eſſe.*]

Nulla eſt ἀντίθεσις inter *virum memorabilem*, & *hominem.* Quare non quidem illud *virum* ſollicito, nec enim opus; ſed τὸ *memorabilem* corruptum arbitror ex *Deorum aliquem.* Rectè verò pro *vaſtitudo* reſcribunt *vaſtitas*; cui corrumpendo anſam dedit, quòd *mæſtitudo* anteceſſit. Extremo loco nihil neceſſe, ut *deprædicare* pro *prædicare* ſcribamus: ſed tantùm ordo mutandus. Sic igitur corrigo, ut ex octonario ſit:

—— *Quem ubi ego adſpexi virum, Deorum aliquem inını*
*Viderer, ni veſtitus teter, mæſtitudo, vaſtitas,*
*Hominem eſſe prædicarent.* ——

Sermo eſt de Telepho mendico.

*

*Proinde iſtæc tua aufer terricula, atque animum iratum comprime.*]
*Aufer* ſenarii initium eſt.

*

*Pro certo arbitrabor ſortis oracla, adytus, augura.*] Ita etiam Delrio edidit. Sed ſic ſcribe, & diſtingue,

*Pro certo arbitrabor ſorteis, oracla, adytus, augura.*]

Nonius *augura* pro *auguria* poſitum ait. Sed fortaſſe *auguria* ſcripſit Attius, ut extremo loco ſit pæon quartus, vel potiùs, ut *auguria* κατὰ συνεκφώνησιν enuncietur.

*

*Profectò hautquaquam eſt ortus meliori ſatu.*]
Aldus edidit,

*Profectò quamquam eſt ortus meliori ſatu.*

Sed, uti & Hadr. Jun. lib. VI. Animad. cap. XXI. obſervavit, in Mſsis invenitur,

*Profectò hautquaquam eſt ortus mediocri ſatu.*

Et ſanè in Mediol. quoque *mediocri* legas. Nec video, cur *meliori* melius putarit Delrio, adverſus chirographorum fidem.

*

*Qui neque cujatis eſſet, unquam potuimus, multa erogitantes ſciſcere.*] In vett. edd. eſt *multi*: ſed *multa* eſt in Mſsis. Etiam in editis erat *ſcire.* Sed in Mſsis *ſciſſere*, vel *ſciſſeſſere*, quod corruptum ex *ſciſcere.* In cunctis verò *rogitantes* pro *erogitantes* inveni. Ut vera hæc videatur ſcriptura,

*Qui neque cujatis eſſet, unquam potuimus*
*Multa rogitantes ſciſcere.* ——

*

Pag. 145. *Nam etſi opertus ſqualitate eſt luctuque horrificali.*] Nec in Mſsis, nec editis, aliter legas. Tamen verſus requirit *horrificabili.* Et ſimile hoc eſt ac *luctificabile. Horrificale* verò dixiſſe veteres, non puto.

*

*Nam is demum miſer eſt, cujus nobilitas miſerias nobilitat.*] Octonarius fiet, voce unâ trajectâ,

*Nam is demum miſer eſt, cujus nobilitas nobilitat miſerias.*

Sed rectus eſt ordo vetus. Nam ſenarius eſt integer, in quo *Cujus* patitur συνεκφώνησιν. *Nobilitat* igitur verſus novi initium fuit.

## TEREO.

*

*Conſpexit in eam, amore vecors flameus, & Depoſitus.*] Ita eſt in veteribus libris. Sed verius videtur,

*Conſpexit ut eam, amore vecors flameo, &*
*Depoſitus* ——

*

*Video ego te, mulier, more multarum utier,*
*Ut vim contendas tuam ad majeſtatem viri.*]

Terei verba ad Philomelam. *Video* & *tuam* συνίζησιν patiuntur.

*

*O ſuavem linguæ ſonitum, ô dulcitas conſpirantis animæ.*] Eſt finis initiumque trochaici,

—— *ô ſuavem linguæ ſonitum, ô dulcitas*
*Conſpirantis animæ* ——

Quod ſi *dulcitas* in extremum rejicies locum, fiet jambicus quadratus.

*

*Deum Cadmo generatum Semela adfare, & famulanter pete.*] Citat Nonius in *Affari*, & *famulanter.* Sed in *Famulanter* vett. editt. habent, *Devincant mone* (vel *move*) *natum Semelam.* Quos elementorum ductus ſequens, lubens legam, *Deum Cadmeide natum Semelâ.* Sed libri iidem in *Affari* habent, *Deum Cadmo generatum Semela.* Unde hanc lectionem exſculpo: *Deum Cadmigenâ natum Semelâ.* Non inutile verò eſt conſiderare, quomodo pervertere literas ſoleant librarii. Nam facit id ad loca alia melius ſananda. Sanè apud Nonium in *Affari* extrema verba ita leguntur, *famularent perpetuere.* Nempe *famulanter* bifariam corruptum: primùm purâ trajectione, factum inde *famularent*: mox etiam literæ mutatione ex *ter* adjectum *per.* Quod ſequitur *petuere*, id trajectione literæ unius eſt ex *pete ver.* At *ver* illud eſt à ſequenti voce. Nam *Vergilis* nomen continuò ſequitur. Hæc ita eſſe, alter Nonii locus oſtendit, ubi conſtanter eſt *famulanter pete.* Quare ita ſcribe, ut ſit jambicus quadratus:

*Deum Cadmigenâ natum Semelâ adfare, & famulanter pete.*

*

*Atque id ego ſemper mecum ſic agito, & comparo.*] Numeris ut conſulatur, ſcribe, *ſic mecum.*

*

*Alia hic ſanctitudo eſt, aliud & nomen, & numen Iovis.*] Ut ſit trochaicus quadratus, vel ejectâ copulâ ſcribe, *aliud nomen*; vel eâ reſervatâ lege, *alid & nomen.* Quomodo Lucretius in primo ait,

*Quando alid ex alio reficit natura* —

Ita

Digitized by Google

Ita enim, & illis, & aliquot aliis ejuſdem poëtæ locis diſertim in membranis noſtris invenimus. Uti & in ſuis Lambinus; quem hic potiùs, quàm Giffanium, audi.

*

*Fama, non nobilitas alta, ex ſtirpe præclarè vagat.*] Bellè legit H. Grotius,

*Fama nam nobilitas latè ex ſtirpe præclarè vagat.*

*

*Novus novo habitu, advena*
*Animo audaci in medium proripit ſeſe ferox.*]

In Mssis, & editis legitur, *Novus novo dabunt*: unde aliqui, *novo dabis*: Sed Mercerus optimè emendat, *Novo habitu.*

Sic verò digere:

—— *Novus novo*
*Habitu advena animo audaci in medium proripit*
*Seſe ferox* ——

Vel extrema verba ſuperioribus junge, ut verſus quadratus fiat.

*

*Sed ubi clamor is regem auferre ab regina occupo puerum*] Ita legit Hadrianus Junius: ſed neque ſententiæ, neque numerorum ſatis ratio habetur. Interim laude dignus eſt, quod ad ſanam lectionem monſtrarit viam. Sic enim vulgò, etiam in Aldin. legebatur: *Fidem per eos, & niſi clamoris regem, aut ferre ab reginâ occupo puerum.* Unde ſic emendo:

*Idem Tereo,*
*Set niſi clamârim regem, aut ferre ab regina occupo puerum.*

Eſt jambicus quadratus. Et verba fiunt à quopiam, qui animadvertiſſet, Prognen filium ſuum Itym interimere velle.

## TRACHINIIS.

*

Pag. 147. *Ipſe alligatus peſte interimor textili.*] In optimis quibuſque codicibus legas, *illigatus*, & rectiùs. Nam reſpicit poëta *peſtem textilem*, uti hic vocat, hoc eſt tunicam Centauri ſanguine tinctam, quam induerat Hercules.

## THEBAIDE.

*

*Quin id Circæo fonte advenient mundula nitidantur vulgo pripendantur ſoni.*] Ita edidit Aldus. Sed qui cogitat, Thebaida hanc fabulam inſcribi, ſatis videt, pro *Circæo fonte*, *Dircæo* legi debere. Et pro *ſoni*, cùm in Mediolanenſi, tum etiam Mssis, *ſonipedum* invenitur. Vide igitur, an non hæc vera lectio ſit:

*Quum de Dircæo fonte advenient, mundulæ,*
*Nitidatæ, è vulgo vi prendantur ſonipedum.*

Ut ad raptum virginum hæc referantur. Vel pro *Quin de*, ſcribe, *Quin ubi*; ut eſt in Mssis. Et pro *mundula nitidantur*, poſſis *mundulè nitidata.* Et pro *vulgo, pri prendantur*, non diſpliceat, *e vulgo vi prendantur.* Sed neque diſſimulandum, in Mediolanenſi editione legi, *qua prapodiuntur vi ſonipedum.* Unde ſtatim eliciebam, *quadrupedantum ſonipedum*: & firmarunt valde Mssi, in quibus eſt *quadrupedantur ſonipedum*, uti & Mercerus expreſſit: qui & ipſe propterea *quadrupedantum ſonipedum* legi debere, admonuit. Hoc ſi placet, vide an non pro, *nitidantur vulgo*, ſcribi queat, *nitidantur pulvere*, quod eſt *à pulvere*, uſitatâ ellipſi. Imò & totum locum fortaſſe non malè ita concipias:

*Dum ad Dircæum fontem adveniunt, mundulè*
*Nitidantur pulvere quadrupedantum ſonipedum.*

## TROADIBUS.

*

*Nocturnam ſaxo fruges franges torridas.*] Scribo, *Nocturnus. Nocturnus franges*, vel *frendes*, pro *noctu*: ut Maro de lupo dixit, *nocturnus obambulat.* Et de Ænea, *matutinus agebat.*

*

—— *Nam neque pretio,*
*Neque avaritiâ, neque vi impelli, neque prece quita ſum.*] *Pretio* initium eſt ſequentis octonarii. Neque in libris eſt *quita ſum*; ſed *quitus ſum.* Scribe numerorum cauſſâ, *ſum quitus.*

## INCERTIS FABULIS.

*

*Nullum eſt ingenium tantum, neque cor tam ferum,*
*Quod non labaſcatur linguâ, miteſcat malo.*] Verſus exigit, *labaſcat.* Unum obſtare videtur. Nam citat Nonius in *Labaſcor* pro *labo.* & adfert locum Varronis, ubi diſertim eſt *labaſci*, pro *labaſcere.* Sed fortaſſe ſcripſerat Nonius, *Labaſco & labaſcor*, pro *labo.* Quod eò veriſimilius ſit, quia alioqui dixiſſet *labaſcor pro labaſco*: quomodo ibidem dicit *partiret pro partiretur*, *moderat pro moderatur*, *certatur pro certat*, & ita in aliis. Eſt enim id caput de contrariis generibus verborum.

*

*Pars frena tonſa ori equorum accommodant.*] Vide, quæ ad Paridem Attii diximus.

*

Pag. 150. *Continuus ſcrepit ſpoliis*] Ita eſt quoque in veteri Mediol. & Ald. editioneque Romana Ant. Auguſtini. Sed Joſ. Scaliger optimè veram lectionem perſpexit, quæ eſt *Continuus ſex apti ſignis.* Bigis, inquit, pervade polum, ſplendida illa ſidera mundi ſex ſignis apti. Simile igitur eſt iſti Ennii in Andromeda:

*Quæ cava cœli ſignitenentis*
*Conficis bigis.*

Nam ita illic rectè legit Scriverius noſter: ubi vulgò *Signitenentibus*: quaſi bigæ Noctis rectè dicantur ſignitenentes. Ego nullus dubito, quin Ennio *cœlum ſignitenens* dicatur, uti Attio, *mundus ſignis aptus.* Ubi *mundus* poëtarum more capitur pro *cælo*, quod ſidereum mundum vocant Tibullus & Seneca in Hippol. At *aptus* eſt præditus, vel inſignis. Quomodo, ut ſuprà dicebamus, Maro ait, *Axem ſtellis fulgentibus aptum*: & Ennius, *Fides alma apta pinnis*; & Appulejus, cùm exprimere vellet Homericum illud, ἔπεα πτερόεντα, ait verba à poëtis vocari *pinnis apta.*

*

*Oblivio lavet, quod incidit invidendum.*] In editione Varroniana Antonii Auguſtini proximè ante hæc verba antecedit: *& Actiacum illud.* Unde colligunt, ſequentia eſſe Actii, ſive Attii. Sed Scaliger locum hunc optimè emendavit: *Et, vitium illi obtulit, violavit, quod incidit in videndum.* Sunt igitur non Attii, ſed Varronis verba, verùm corrupta.

*

*Rectè perfectis ſacris vult accipi.*] Verba Varronis ſunt iſta lib. VI. de L. L. *Quod fit rite, id ratum ac rectum. Ab eo Attius rectè perfectis ſacris vult accipi.* Puto legendum

Digitized by Google

dum, *Ab eo Attius ritè, rectè perfectis ſacris vult accipi.* Ut hoc dicat, *rite* ei valere, *ſacris rectè perfectis.* Atque ut Attii ſint, *rite perfectis ſacris*, ſaltem illa, *vult accipi*, Varronis verba erunt.

*

*Repudio ejecta ab Argis jamdudum exulo.*] Dicuntur de Medea. De qua & illa Pacuvii è Medea:

*Quid tandem? ubi ea eſt? quo ire cœptat exul? incerta an vagat?*

Quare & Attiana illa meritò è Medeâ eſſe creduntur.

*

*Odi reſiduos, ſomno deditos atque inertes.*] Citat Feſtus in *Reſes.* Quare ſcribo,

—— *Odi reſides, ſomno deditos,*
*Atque inertes.* ----

E trochaico eſt.

*

*Si rite ad patriam ſalvus & ſoſpes perveniſſet*] In ſchedis Farneſianis ita legitur: Accius in . . . *ſi rite ad patriam ſoſpes perveniſſet.* Unde colligo, deperiiſſe nomen fabulæ Attianæ: verbaque Attii eſſe, *Si ritè ad patriam ſoſpes perveniſſet:* illa verò, *& ſalvus*, à Scaligero ſunt, non Attio, aut Feſto.

*

Pag. 151. *Nam neque pretio, &c.*] De hoc ad Troadas dictum.

*

Pag. 152. ---- *Præfervido fulgore*
*Ardor injectus Junonis dexterâ ingenti incidit.*] Citat Servius Fuldanus, ut oſtendat, veteres putâſſe, non ſolius Iovis eſſe fulmen, ſed etiam Junonis. Atque addit ex Varronis lib. v. rerum humanarum, quatuor Diis fulmina aſſignari; eoſque inter Minervæ etiam, atque inde eſſe, quod Maro in primo magni operis dicat, Ajacem Oilea Iovis quidem fulmine, ſed a Pallade eſſe interemtam.

*

*Fregiſtine fidem, &c.*] Caſtigavimus hunc locum in reliquiis ex Atreo Attii.

*

---- *Tanta moles labitur, &c.*]
His de verſibus aliquid dictum nobis ad Attii Medeam.

*

Pag. 154. *Accius verò cùm ſcriberet anguis, angueis imponebat.*] Sic Marii Victorini locum corrigo: *Accius verò cùm ſcriberet anguis, alterum G imponebat.* Vel ſic, *cùm ſcriberet anguis, agguis ponebat.* Nam Attium in talibus binam GG ſcripſiſſe, auctor eſt Varro, & ex eo Priſcianus lib. 1.

F I N I S.

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

# EPISTOLÆ

SELECTIORES.

Digitized by Google

# BENEVOLE LECTOR.

*NUnquam nobis probata fuit nimia illorum diligentia, qui omnes à viris doctis ſcriptas epiſtolas ſine ullo delectu edunt. Habent & illi negotia ſua domeſtica & privata, quæ ſine crebra epiſtolarum permutatione expediri nequeunt. Verum nihil in illis eſt, unde aliquis ad poſteritatem exſpectari poſſit fructus. Quare cùm Paulus Colomeſius non tantum unà cum Epiſtolis Voſſii omnes diverſorum ab ipſo Voſſio editorum tractatuum Dedicationes ediderit; ſed & plurimas, quæ res domeſticas ac privatas tractant, immiſcuerit; Nos in hac editione earum quendam fecimus delectum. Ac primo quidem omnes Dedicationes, quæ ſingulæ in his Operibus Voſſianis ſuis tractatibus præfixæ legi poſſunt, omiſimus, ne eaſdem Tibi bis in eodem Opere exhibeamus. Deinde & quendam fecimus Epiſtolarum delectum; plurimis enim, quæ domeſtica tantum ac privata tractant, expunctis, eas tantum, quibus aut bonarum literarum ſtudia promoveri, aut rerum geſtarum hiſtoria illuſtrari, atque adeo aliquid ad poſteritatem utilitatis redire poteſt, in hac editione exhibendas duximus: Rati nos hac ratione maxime Voſſiani nominis decus conſervare, ſi ea ſolummodo illius edamus, quæ communi eruditi orbis utilitati inſervire poſſunt. Quem finem ut certius aſſequamur, Epiſtolas ad Voſſium ſcriptas non ad calcem Voſſianarum, uti in Colomeſii editione, rejecimus; ſed obſervatâ temporis ſerie inter Voſſii Epiſtolas collocavimus, ut & reſponſa Epiſtolis quibus reſpondent ſubjungantur, & aliæ, ad quas nullum exſtat reſponſum, eo legantur ordine, quem temporis quo ſcriptæ ſunt ſeries requirit. Quod noſtrum inſtitutum tibi probatum iri neutiquam dubitamus.* Vale.



Digitized by Google

# GERARDI JOANNIS VOSSII

# EPISTOLÆ.

## I.

### Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius.

S. P. D.

*Multorum judicia de libro Grotii (Pietas Ordinum Hollandiæ) exponit, ſuum proprium præponens. Adjicit in eundem obſervationes quaſdam, aſſerit item Auguſtanam Confeſſionem privato Melanchthonis conſilio fuiſſe mutatam, publica nunquam authoritate.*

ITa me amari à te cupio, vir Ampliſſime, quàm verè illud nunc ad te ſcribo, nihil mihi videri ſcripto tuo, non dico elegantius terſiuſque (quomodo tua laudare ſit vituperare) ſed doctius, nervoſius, temporibus noſtris accommodatius. Planeque perſuaſum habeo, juxta mecum ſentire, quotquot animum habent affectibus minimè mancipatum. Sed heu! quotus quiſque eſt, quem non epidemicus provinciæ noſtræ morbus, tanquam peſtilenti aliquo ſidere afflarit? præſertim ex eo ordine, qui ſub Prophetici Spiritus prætextu ſoli ſibi omne controverſiarum judicium depoſcit. Equidem non ſine gravi dolore coactus ſum, audire maligna adeo judicia hoſce homines ferentes. Non te in atramento, ſed felle calamum tinxiſſe ajunt. Tantoperè à te contemni Sibrandum, ut non Doctoris uſquam elogio ornes, niſi cùm umbraticum Doctorem appellas: Nec Theologi eum nomine digneris, niſi cùm negas cum eo, & ſimilibus Theologis ſapientiam morituram. At Sibrandum virum eſſe optimè de Eccleſia & meritum, & merentem; atque ut fortè alicubi exorbitavit, non tamen malitia peccaſſe, ſed puræ Religionis zelo; tum autem minimè dubitandum, quin totum hoc egerit magnatum (aliquorum ſaltem) ſeu inſtinctu, ſeu permiſſu. Nec enim benè adeo Friſios Hollandis unquam voluiſſe; & nunc recentes acceſſiſſe rixarum cauſſas ab exactionibus, aut vectigalibus, neſcio quibus, planeque metuendum, ne ſcriptio hæc animos eorum magis exacerbet. Negant quoque magis te potuiſſe cauſam agere Remonſtrantium, uno hoc excepto, quod non apertè Zelotarum opinionem erroneam dicas. Sed longè omnium indigniſſimum ſe putare, quòd Eccleſiaſtas dicas expoſtulare, quod non interſint conventibus publicis; ἀρχαιρεσίας eos multis in locis obliquas per artes in ſe trahere, & ubi invaluerunt vindicare etiam ſibi audere: Δημαγωγίαν ſæpè ad negotia civilia extendere; Flandriam turbulentis ſuis concionibus perdidiſſe: tempore Liceſtrii hoc egiſſe, ut Ordines redderent contemptiſſimos: Ordines neceſſe habuiſſe, eos publicitus monere, ut perdenda Hollandia abſiſterent: periculoſiſſimo tempore Ordinum detrectaſſe imperium, iviſſeque oblatum externis. Neque quicquam te horum aliquo σοφῷ φαρμάκῳ edulcare, tantùm dicere, bonos te minimè horum criminum inſimulare, ac mox ἐπιφώνημα hujuſcemodi ſuccinere, talia in Eccleſiaſtico ordine eſſe ingenia, ut plus iis, quàm neceſſe ſit, haud tuto committas. Subjicere te quidem mox, dolori tibi eſſe, quod cauſa hæc aliter ſe tractari paſſa non ſit. Verùm hæc occinenda iis, qui necdum ære lavantur; viris enim quotquot non omnino naris ſunt obeſæ, luce ipſa clarius eſſe, longè aliter cauſam à te tractari potuiſſe. Multa enim à te mitti potuiſſe, & ſi aſperiori eſſe neceſſe erat, nil tamen opus fuiſſe te omnia ἀπαρακαλύπτως καὶ ψιλῶς, κατ' ἐπιτίμησιν agere; ſcriptum tuum eſſe, παράδειγμα οὐκ ἀποθεραπεύοντος, ἀλλὰ καθαρᾶς σφοδρότητος. Si Religionis hoſtis eſſes infenſiſſimus, non tamen potuiſſe te tutò in Batavia indignius excipere eum Ordinem, quem velle te dicis, ut à populo quàm ſanctiſſimus habeatur. Non aliud ſe perſuadere ſibi poſſe, quin cùm apud Friſios eſſes, ante biennium aut præterpropter, quoties item apud urbis noſtræ Magiſtratum, & quoſdam Zelotas Eccleſiaſtas, de Religionis ea negotio locutus, quaſi manſuetiſſimi eſſes pectoris neutrarumque partium, totum hoc animo feceris ſimulato; aut ſaltem mirandum eſſe, quod tantum tam cito ſis mutatus ab illo, qui fuiſti prior. Nominis tui authoritate, Jeſuitas publicè privatimque, ſeſe tuituros, ad exprobrandum ordini huic animum malitioſum, rebellem, & quibus non vitiis infectum. Primum te eſſe, ſaltem eruditorum qui hujuſmodi poſteritati dicas ſcriptis tuis, quæ æternatura nec ipſi diffitentur. Nec ſuffeciſſe, ut hæc lingua Latina legerentur ab eruditis; debuiſſe Eccleſiaſtas fabulam fieri cerdonibus ac tonſoribus, dum ea vulgarem in linguam transferri curas; ſi quid à paucis aliquando fuerit peccatum, non poſſe cæteros præſtare hanc culpam. Deinde non minus peccatum eſſe tum temporis à Rerump. Rectoribus, utut ſtrenuè hic Eccleſiaſtæ muſſare cogantur. Denique cùm anni tot ex eo tempore ſint elapſi, maligne admodum vulnus hoc toties reſticari. Ex his facilè intelligere potes, quantoperè exacerbatus ſit, erga te quorundam animus. Sanè nec deſunt, qui bello ſibi ſchemate videntur librum tuum nuncupare, *impiam pietatem.* Interea melle dulcior iis circa cor gliſcit iracundia, quando animo tempus illud concipiunt, quo, ut inquiunt, Sibrando, & fortè aliis, (etiam Pontificiis, ni eos ſpes fallit) pœnas dabis. Quanti autem Sibrandum ſuum faciant, quo item te loco in Theologica palæſtra habeant, hinc æſtimare potes; quod quemdam audierim, aptantem tibi illud Poëtæ;

*Infælix puer, atque impar congreſſus Achilli.*

Nempe difficillimè ſibi perſuaderi patiuntur, tantam Theologiæ notitiam cadere in quemquam, qui Miniſter non ſit, ut de controverſiis noſtri ſæculi judicium ferre, auſit adverſus Theologos ſuos; quod à te factum credunt. Tum autem, quia in Patrum lectione planè ſunt peregrini, ne hac in parte te videantur indoctiores, etiam tibi loca quæ citas, aliundè ſuggeſta apud indoctos calumniantur, nempe ab Utenbogartio, ut ſuſpicantur. Hæc ego uti cum dolore aliquo, ita nec abſque riſu ſcribo. Et te quoque riſum vix tenere planè habeo perſuaſum. Sanè ex ſermonibus tam inſulſis facile judicare eſt, quam haud judicii ſint ullius, vel eruditionis, utut unus alterque multijuga ſibi placeat lectione. Tales profectò hoſtes minus tibi metuendi, quàm Sibrando Vorſtius; quem tantoperè contemnit. Si tamen etiam ſcripto maledicere tibi non dubitabunt, (quod e vix levem ſuſurrum hactenus audivi) tuum erit animum firmare iis, quæ ipſe ſcripſiſti. Regium enim eſſe iis cùm benè feceris audire malè: neque quemquam debere ad rem tam utilem, atque tam odioſam accedere, niſi qui ad ferendas calumnias benè ſe munierit, ut honeſti conſilii conſcientia poſſit dicere;

*Omnia præcepi, atque animo mecum ante revolvi.*

Et de his hactenus.

Pag. 36. verſ. ult. in Auguſtini verbis, *Cæleſtiani aut Pelagiani.* Etiam apud interpretem tuum eſt, *Cæleſtinianen.*

*nen.* Ac video etiam ab aliis interdum ita nuncupari. Sed planè duabus literis inductis, ſcribendum *Cæleſtiani.* Quippe, uti ſcis, nomen id a Cæleſtio Pelagii Diſcipulo, non a Cæleſtino qui Cæleſtianis adverſatus. Id cum fugeret Vallam, ſcripſit Cæleſtinum Papam Romanum faviſſe Pelagianis. Nempe Cæleſtium & Cæleſtinum confudit: quo nomine merito vapulat ab Annalium Scriptore.

Pag. 50. In verbis Ammiani Marcellini, vel univerſa ejus verba adduci debent, vel vox *gravius* planè tollenda. Sic enim ille extremo Libro XXI. *Eratque ſuper his adimere facilis quæ donabat, Chriſtianam Religionem abſolutam, & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit diſſidia plurima, &c.* Sententiam eſſe vides; non tam graviter componebat diſſidia, quàm perplexe Religionem ruſpabatur. Omnino igitur τὸ *gravius* pertinet ad *componebat* non ad *excitavit.*

Aliud quod moneam non habeo, ac fateor ne hæc quidem ſcriptione ullo modo digna eſſe. Sed cum opus non poſſem, operam ſaltem meam tibi probare volui. Superſunt tamen paucula, de quibus ſi præſens eſſem, judicium tuum exquirerem, uti cum pag. 52. ais, Auguſtanam Confeſſionem eſſe mutatam. Neſcio enim an id magnoperè ad rem faciat, cùm privato quidem conſilio Melanchthonis mutata ſit, at publica, ni fallor, authoritate nunquam. Hoc ſaltem ſcio, Melanchthonem à Luthero hoc nomine objurgatum, quod feciſſet id omnibus inconſultis. Scio & Germaniæ Principes, qui Confeſſionem ſequuntur Auguſtanam, non aliam agnoſcere quàm eam, quæ Carolo quinto exhibita anno cIↃ IↃxxx. ſcio denique Lutheranos hoc pacto ſe purgare, cùm à Pontificiis accuſantur immutatæ toties confeſſionis. Quod pag. 36. ais, Chryſoſtomum ubi neceſſe eſt, gratiæ neceſſitatem non obſcurè inculcare. Memini me dum hic eſſes, tribus verbis de Chryſoſtomi ſententia colloqui. Velim autem, ſi integrum, adeas τὸ ἠθικόν, Hom. XII. ad Hebr. Nihil clarius quam tolli ab eo gratiam prævenientem. Et quid mirum? Cùm idem in prioribus ſcriptis fecerit Auguſtinus, quem errorem retractat, Lib. I. Retract. cap. 23. Quare cogitandum ſatiſne ſolidum ſit argumentum quod urges pag. 34. ubi ais, aut Remonſtrantes Pelagianos vel Semi-pelagianos minimè eſſe, aut & Chryſoſtomum talem habendum, ne ſimus προσωπολῆπται. Nam diſpar fortaſsè ratio temporis ejus, quod ante Pelagium fuit, quo, ut Auguſtinus alicubi ſcribit, ſecurius omninò de gratia loquebantur. Interim Remonſtrantes minimè ejus erroris reos eſſe agnoſco: tantum ambigo, annon jure Semi-pelagianus ſit dicendus, qui gratiam neget prævenientem; quamquam Chryſoſtomus, Auguſtinus, multique alii ante Pelagium, eam minimè agnoverint. Quod ſi eſt, non parùm de vi argumenti tui deceſſerit: utut res in ſe vera ſit. Poſſitque argumentum hoc ſi ſapit, urgere adverſus te Sibrandus.

Pag. 118. Ratio ſequitur, *quia alii aliorum calamitates ferre debemus.* Videndum annon aliovorſum torqueas Sibrandi verba. Nec enim id, puto, volunt Sibrandus, velle ſe Anglorum ferre infirmitatem; verum potiùs ut Archiepiſcopus noſtratum, ſiquæ ſunt, Eccleſiarum ferat infirmitates.

Pag. 42. Inquis, *in crepuſculo eluceſcentis veritatis.* Similiter loqui ſcio Jul. Scaligerum in Hiſtoriam Theophraſti. Sed diſcere aveo, an & crepuſculum liquido pro diluculo ponatur. Aliud judicare videtur Plin. Lib. XVIII. cap. 25. ac imprimis Cenſorinus de die natali, cap. ult.

Verum ſomnolentum me (nam media jam nox eſt) ad meras nugas delabi ſentio. Quare ne moleſtus tibi ultra ſim, manum de tabula tollo. Ignoſces, quod nihil attulerim, quale expetiiſti. Nec enim id meatum virium eſt. Et toties integro hoc triduo de die partim à diſcipulis, partim ab aliis ſum interpellatus, ut ipſas hiſtorias, quod optaſſem, diligentius examinare non licuerit; ac ne has quidem literas, niſi ſera nocte, potuerim exarare. Sub veſperam reſponſum tuum accepi, de quo nihil addo, quia demum craſtino mane de eo ſum cum Coputio acturus. Vale, vir Ampliſſime, Belgicæ Phœnix; cui (cùm cætera largè ſis conſecutus) unum hoc tantummodo à Domino exopto, ut valetudinem largiatur in hiſce laboribus firmam, animum adverſus injurias fortem.

Dordrechti cIↃ IↃc XIII. Poſt. Calend. Novembr.

## II.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio.

S. P.

*Laudantur annotationes Grotii in Lucanum. Virgulâ cenſoriâ notatur quidam Valerianus Poplicola, ob controverſias de poteſtate Magiſtratus circa res Eccleſiaſticas, & articulos fidei publice populo proponendos.*

ACcepi LUCANUM tuum, Ampliſſime Groti, verè inquam tuum, quem feliciter adeo reſtituens integritati. Quo nomine maximas tibi gratias debet orbis eruditus: Hiſpania tamen imprimis, cujus nobilem adeo civem fœdis tabeſcentem vulneribus ſanaſti: ſed puto ut ſuperba eſt natio, nec Batavorum laudibus ſatis æqua, aut nulla hoc beneficium agnoſcet, aut invita. Nobis ſatis eſt, quod Lucanus ipſe quantum Batavo debeat, neminem ſivit ignorare. Quod ſi eum ob ingenuam adeo confeſſionem patria ſua minoris facere volet, à Batavis poterit donari civitate, civis futurus nobis acceptiſſimus. Me quidem, (quem Batavis jam diu meritis ſuum fecit) mire ſemper delectavit, maxime ſententiarum acumine. Deinceps verò tanto etiam futurus gratior, quanto poſthac minus erit, quod in eo legendo remoretur ingenii noſtri tenuitatem. Quantumvis verò merito ſuo placuerit vates tuus, tamen diſſimulare non debeo, maximam eidem gratiam conciliaſſe donantis affectum: de quo tantoperè gratulor mihi, ut eum ponam in parte non exigua felicitatis meæ. Ut verò etiam quomodocumque gratum reaple animum teſter, quod unum poſſum, mitto ad te ἀντίδωρον Oratorias noſtras: Impar quidem donum ſapientum judicio atque etiam meo, ſed minime futurum impar, ſi putare libeat rationes, cum fœcunda gente Meneni. At extra omne periculum fuero, ſi titulum legiſſe contentus, mox librum in angulum aliquem abdas. Quamquam profectò graviſſimæ occupationes tuæ facilè metum hunc omnem mihi eximere poſſint. Et tamen quia ſi etiam tibi otii quicquam ſuperſit à rebus tuis, qua publicis, qua privatis, mittere ad te, judiciique tui facere non dubitavi minutam quandam commentatiunculam noſtram, quam ante menſes paucos, occaſione certâ, ſubito calore, ac ſoloci ſtylo effudi. Ea deſcribenda prope triduo à redditis mihi literis tuis Amanuenſis occupatus fuit: quæ ratio fuit, cur non ſtatim reſcripſerim, ne forte id incuriâ factum putes. Non eſt autem quod chartas haſce remittas; quia ſervari poterunt in adventum meum. Quamquam enim propter affinium νεογάμων adventum, & amicorum aliquot expectationem, his fortaſſe duabus, aut tribus hebdomadibus extra urbem pedem ponere non licebit, omnino tamen ad vos excurrere animus ſimulac potero; ut verò poſſim. planè adnitar. Quid enim exoptatius mihi contingat, quam ut cum eo colloqui liceat, quem unum præ omnibus mortalibus æſtimo, cujus ſingularis prudentia; atque apud illos authoritas, qui plurimam in Rep. poſſunt, eam in me ſpem excitarunt; ut brevi & pacatiorem Remp. & Eccleſiam, nec horum licentia, nec illorum tyrannide æquè periclitantem, nos habituros putem? Adjeci quoque exemplar earum literarum, in quas ex Anglia ad Eccleſiaſtem quemdam tranſmiſſas nuper judicium feci. Tuum erit vel totum hoc de literis iſtis, vel illud ſaltem diſſimulare, ex urbe noſtra exemplar earum ad te tranſmiſſum eſſe; neque id tam mea cauſa peto, quam illius qui id exemplar mecum communicavit. Nec enim aliqui ei ad quem perſcriptæ literæ

teræ (cujus nomen coram retuli) difficile fuerit odorari, unde earum ad te ἀντίγραφον manarit. In urbe noſtra magis magiſque reſidet animorum fervor; quo nomine non mediocriter gaudeo. Non tamen Zelotæ ſic ſeſe comprimere poſſunt, quin interdum excidant quædam etiam publicitus. Nempe difficulter, ut Poëta ait, ignem celaveris,

*Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.*

Ita in concione heſterna audire erat Valerium Poplicolam, intonantem graviter adverſus eos, qui perſtringunt Eccleſias (ita enim is loquebatur) quaſi ereptum ire velint Magiſtratibus jus ſuum. Duplicem, inquiebat poteſtatem facimus; unam autoritatis, miniſterii alteram, ſi modo ea quoque poteſtas dicenda eſt. Hinc addebat; ſolis Magiſtratibus datam à Deo authoritatis poteſtatem; miniſtris non aliam convenire quam illam miniſterii. Provocabat idem Stentorea voce ad omnes Doctores noſtros, ex quorum monumentis aliud negabat evinci poſſe, quam penes miniſtros eſſe illam miniſterii poteſtatem. Qui ſic loquitur, ut fucum faciat imperitioribus, quid tamen aliud quam paratus eſt abſtinere vocabulo authoritativæ, ut loquuntur, poteſtatis, dummodo rem ipſam à Magiſtratibus obtinere poſſit? Nam certum mihi non arbitrarium eſt, haud aliud eum ſentire, quam Chriſtum ſibi authoritatis poteſtatem, in Eccleſiaſticis reſervaſſe, miniſtris vero executionem totam delegaſſe: qui idcirco in talibus ex Magiſtratus voluntate minimè pendeant. Scilicet qui ſic animatus eſt, gravem habuit cauſam, reos calumniarum agendi omnes eos, qui cenſent in vocatione miniſtrorum ἐπίκρισιν actionum Synodalium, atque aliis Eccleſiæ rebus, qua ea publica eſt, penes Magiſtratum ſupremum ſupremam eſſe poteſtatem. Similis monetæ erat, quod idem eapſe concione invehebatur, in illos, qui, ut ajebat, non omne Dei verbum Eccleſiæ Dei putent proponi oportere. Quomodo, inquiebat, fundamenta Religionis ſufficere ajunt, cùm nemo in terrenis tam ſtultè ſapiat, ut fundamentum jeciſſe contentus, non inſuper neceſſarium planè arbitretur ut domum ſuperædificet? Quaſi vero qui fundamentum ſalutaris doctrinæ firmiter jecerit, non ipſe ſit Templum Spiritus ſancti ſuperædificatum ſuper fundamento Prophetarum & Apoſtolorum. Nec tamen id ab illuſtribus ordinibus agi puto, ut, quemadmodum ille videri volebat, ſola doceantur principia Religionis noſtræ, etſi ſola faciant Chriſtianum: verùm illud potius, ut cum concluſionum (quarum habitus Theologum facit) aliæ aliis clarius certiuſque ex principiis conſequantur, multæ etiam multorum judicio inde eliciantur, quas alii, nec pietate, nec eruditione his inferiores, conſequi inde inficientur, imò verò noxias cenſeant homini Chriſtiano; non omnes concluſiones alba ſignentur linea, ſed earum fiat delectus, apud plebem præſertim; quæ minimè ea decidere vel etiam capere idonea eſt, de quibus mille & amplius annis ſummus in Chriſtiana Eccleſia diſſenſus fuit. Sed ſi hos audimus, qui de concluſionibus ad uſque ſeculum noſtrum damnatis, aut Græcis ſaltem Eccleſiis plane ignotis, in Latina demum poſt quadringenteſimum annum controverſis ἐπέχειν licere arbitretur, nec eas tanquam certas, & cognitu neceſſarias apud plebem urgendas cenſeat, is (quod non ſemel audire me commemini) ex Chriſtiana Religione Pyrrhoniam cudere velit ἀκαταληψίαν quod hactenus ego perſuadere mihi non poſſum: nec tu, ſcio, tibi, vir ampliſſime, quem cum conjuge ſalvere jubeo. Neque enim ultra morari te viſum. 14. April. 1614.

*Tui obſervantiſſimus,*

GERARDUS VOSSIUS.

III.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius.

S. P. D.

*Edictum Ordinum Hollandiæ (de mutua tolerantia) à pleriſque ſcurriliter traduci ſignificat. Ipſe de ſcripto quodam ſuo vernacula an Latina publicando, judicium Grotii expoſcit. Dolet quod à multis ἑτεροδοξίας & conſpirationis cum Arminianis inſimuletur.*

EDictum Illuſtrium D. D. Ordinum, Ampliſſime Magnificeque D. Groti, mirè hic vapulat à Zelotis, à pleriſque etiam ſcurriliter impetitur. Qui molliſſimè loquuntur, mirari ſe ajunt, pro Edicto Illuſtrium Ordinum publicari, in quod non conſenſerint Civitates. Nec fatentur tale κατ' οὐσίαν eſſe, quale expoſcebant Dordrechtani: quandoquidem, præter horum ſententiam, haud clarè exprimatur, de cæteris doctrinæ capitibus ſtandum eſſe receptæ Eccleſiarum ſententiæ: juxta decretum hac de re ante annum unum alterumve ab Ordinibus factum. Sugillant etiam, quod, Edictum ſi ſit, non tranſmittatur ad Civitatum Proceres: ſed his ipſis à Bibliopolis ſit emendum. Æque admiratio eos ſubit, quod nulla in eo pœnæ fiat mentio, manentis eos, qui fuerint tranſgreſſi. Unde boni viri colligunt, tuto ſe id tranſilire poſſe. Denique homines illi, quibus mire ſcilicet Ordinum honos curæ eſt, mirari ſe ajunt, Ordines adeo decoquere honorem ſuum, edicendis illis, quæ non ſervatum iri prævideant omnes. Talia non ſolùm blaterant recentes de Schola pueri, Miniſtri triduani, ſed etiam quidam de Veteranis. Quos inter immodeſtiam ſuam deſiderari minimè patitur Lydius, qui etiam cæteros Ordinis ſui concitat, ut adverſus hoc Edictum, ad Magiſtratum ſuum ſcribere velint, Amſtelodamenſium ſcilicet exemplo, qui, uti ſcis, ſcripſere adverſus priorem Edicti formam. Quia verò de oppugnatione Edicti jam inter fratres conſultatur, quidam ejus ordinis, ſed cæteris modeſtior, magnoperè à me expoſcit, ut ſcriptum illud Amſtelodamenſium diem unum habere liceat, quo videat ecquid in Edicto hoc relictum ſit, quod reprehenſionem mereatur. Gratum itaque feceris, ſi prima occaſione ad me mittas. Si voles, intra triduum remittam. Hactenus quidem is, quem dico, nihil in Edicto culpat: ſed ex Amſtelodamenſi iſtoc ſcripto diſcere avet, quid in eo alii culpent, idque illo potiſſimum fine, ut ſi nihil videat reprehenſione magnoperè dignum, Collegas ab inſtituto melius poſſit dehortari. Sunt qui teſtimonia Edicto addita, à Vorſtio congeſta dicant. Neſcio quis homulus Gouda eum huc nuncium apportavit. Ego hanc opinionem iis haud evello: neque enim video, quorſum id facere debeam, quando tu, vir Ampliſſime, non honorem hinc tibi, ſed Patriæ ſolum tuæ emolumentum quæris. Superiori hebdomade uſus ſum valetudine haud ſatis proſpera: quæ ratio eſt, cur, ex quo domum redii, parum promoverim in ſcribendo. Sed nunc Dei gratia melius valeo, totuſque ſum in detexenda tela mea, vel potius noſtra, quando non ſolum te ſuaſore impulſoreque aggreſſus ſum, ſed etiam te Ariſtarchum emendandi curam ſuſcipiente perfici debet. Sanè & ſuperiores literæ, & nuperus ſermo tuus, multorum me monuit, quæ nunquam veniſſent in mentem. Quamquam autem utcunque didicerim indoctorum judicia aſpernari, tamen (fatendum eſt) nonnihil me in ſcribendo moratur moroſa cogitatio de quorundam, quibuſcum mihi poſt ſcripti editionem negotium erit, ſumma in ſtrenuè mentiendo calumniandoque audacia. Quæ ſane res me ſubinde incertum facit, annon ſatius ſit opuſculum hoc primum edi nomine meo haud expreſſo, atque adeo lingua Belgica, uno ſtylo prodat. Sane nihil videtur obſtare, niſi Patrum teſtimonia, quæ in alienam transfuſa linguam, vinorum inſtar, plurimùm

de gratia amittunt. Alioqui hoc pacto poſſim melius cognoſcere hominum judicia, nempe qui ſimilis ſim futurus Apellis, poſt tabellam latitantis. Tum autem, ſi fortaſſis imparem me videro hominum improbitati, potero Latina editione ſuperſedere, aut alteri hunc laborem reſignare, qui tutiori loco vivat. Nam quod tu, Ampliſſime Domine, credas è modeſtis adeo tractatibus, ac ſolius veritatis & concordiæ cauſà ſcriptis, periculi nihil, ſaltem poſt Ordinum hoc Edictum, metui amplius poſſe: Equidem verum te opinari magno optem; ſed nemo id dicat, qui mores noſtrorum experiundo didicit. Nudius quartus locutus ſum cum fido, & modeſto ſacri ordinis viro. Niſi inquiebat is, omnia noſtrorum hominum approbaris, nihil te tantopere purgabit, ut non unus & alter Collegarum meorum ſic nomen tuum per urbem differant, ut omnium ſis futurus fabula. Diceris nunc quidem modeſtius voluiſſe agere: ſed Eleuſin ſacra ſua non ſimul pandere; latere in pectore tuo longe alia, quæ tempori ſis prompturus. O mentes viperinas? ſed de his meliùs coram, feriis proximis, ſi Deus volet. Johannem Arnoldi ſtrenuè adeo progredi, plurimùm gaudeo. Si uti te facturum ſcribis, reſponſum ejus, antequam edatur, legendum tranſmiſeris, candide judicium perſcribam: quod tamen eum ſcire nihil attinet. Non poſſum quin de Steinfurtenſi vocatione aliquid ſcribam. Ante biduum venere huc duo Eccleſiaſtæ Batavi, Borrii Lugdunenſis frater, & alter cujus nomen excidit. Hi pro zelo ſuo erga Domum Dei, muneris ſui eſſe exiſtimarunt, ut de certo nuntio Eccleſiaſtas noſtros facerent certiores. Retulere iis, ut ante dies paucos incideriut in Mercatorem quemdam, qui ſtudioſè inquireret, ecquem Gerardum Voſſium noſſent, & quomodo audiret? Eum à D. Vorſtio commendatum eſſe Comiti Benthemenſi, ſed matrem Illuſtris Comitis non paſſuram, ut quiſquam ad Profeſſionem Theologiæ Steinfurtum vocetur, niſi qui undiquaque ſit Orthodoxus, hoc eſt, Contra-Remonſtrantium partibus addictus. Addebant dixiſſe Mercatorem, ſibi id à Comitis matre in mandatis datum eſſe, ut Dordrechtum quoque iret, atque ibi ex Eccleſiaſtis, atque aliis de doctrina vitaque mea conquireret. Ubi noſtri illi audiere iſthæc, varia illorum animos ſubiit cogitatio: neſcire enim ſe dixerunt, quid ſibi de me ſentiendum ſit: nihil quidem ſe audiiſſe ex me unquam, quod ἑτεροδοξίας ullius argumentum eſſe poſſet: ſed tamen mirari à Vorſtio me commendatum; nec enim ſibi veriſimile fieri, commendaturum eum quemquam, niſi ſuæ farinæ hominem: eoque ſibi graviſſimam cauſam eſſe deponendi tam bonam opinionem, quam de me hactenus habuerunt. Aut enim magnam mihi cum Vorſtio familiaritatem clanculum intercedere, ac Socinianum virus in pectore occultè geſtare: aut vaferrimum Vorſtium hoc agere, ut me apud bonos, ac urbem imprimis noſtram, decoloret. Ego in utroque eos falli longiſſimè ſcio. Nam neque Vorſtium vidi unquam, neque vel ipſe ad eum ſcripſi, vel literas ab eo unquam accepi. Neque etiam opinionem ejus ſequor, quatenus quidem, aut Omnipræſentiam, aut Omniſcientiam Dei convellere putatur. Sed neque Vorſtius, uti audio, aliquam nominis noſtri deprecationem propoſuit ſibi: Verùm cum ex Remonſtrantium cauſæ aperte addictis neminem commendare liceret per junioris Comitis matrem, proximum putavit, ut eum commendaret, quem concordiæ ac pacis, inter eos ſtudioſum audiret, qui ſe à Contra-Remonſtrantium cauſa neutiquam ſeparaſſent. Hebdomade proxima affore dicitur is Mercator. Si hinc calumniandi cauſam ceperint Zelotæ, feram ut Chriſtianum decet. Non potero tamen ſic contemnere, ut non aliquid doloris ſit allaturum, quod monſtroſarum inſimuler opinionum. Sed fortaſſe hæc res melius abibit, quàm ſpero: præſertim quando ſemper paratus ſum, ingenua confeſſione teſtari, me alieniſſimum eſſe ab iis opinionibus de Deo, quarum Vorſtius (veréne an ſecus haud diſputo) à plurimis inſimulatur. Cujus tu rei teſtis mihi eſſe potes; quando apertè ſæpius apud te id factum Vorſtii improbavi, quod is ſic in libris de Deo aliquando diſputet, ut videri poſſit monſtroſas, & in Eccleſia DEI inauditas opiniones voluiſſe hominum animis inſerere. Sanè ſi aliud ei propoſitum fuit, imprudentiſſimè egit, ſequendo de tanti momenti rebus tale diſputandi genus. Et tamen ut imprudentia potiùs quàm malitia peccarit, magnoperè opto. Recte omninò facturus eſt, ſi tandem ſic ſententiam ſuam de iſtis capitibus publicè perſcribat, ut nullus ſiniſtræ de eo ſuſpicioni poſthac, ſaltem apud bonos, relinquatur locus. Mitto ad te Hamelmanni libellum de jure Principis in rebus Eccleſiaſticis. Uteris eo quamdiu lubet. Arnobium tuum, & locos Auguſtini cum Synodo Dioſpolitana nondum remitto, quia necdum Lugduno Exemplaria recepi: ſed tamen curabo, ut primo tempore reſtituere poſſim. Chartas meas ſi poſt octiduum per Tabellarium, aut fidum Nautam miſeris, haut ſero miſeris. Tantum enim temporis minimum requiro ad perficiendum ea quæ primam conſtituent Libelli noſtri partem: qua nempe de peccato originali, ac neceſſitate gratiæ, cum prævenientis, tum ſubſequentis, item gratiæ ſufficientia, & arbitrii libertate tractandum erit. In Anglicano illo ſcripto deſcribendo ſtrenuè progreditur Amanuenſis: ſed tamen ob ductus incommodos, & plurima vitia Orthographica nondum dimidium Libri abſolvit. Vale, Magnifice Ampliſſimeque Domine Groti.

*Tuus omni officio,*

11 Auguſt. 1614.

GERARDUS VOSSIUS.

---

## IV.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

### S. P.

*Grotio gratulatur progreſſum in cauſſa contra Sibrandum, adhortaturque Eum ad protrudendum quod conceperat ſcriptum, de ſummi Magiſtratus jure circa Eccleſiaſtica.*

MAgnifice Domine, poſtquam Sibrandianum reſponſum in lucem prodiit, tam vanè multa pro eo adverſus Illuſtres Ordines, ac dignitatem tuam, à Malevolis jactabantur, ut non potuerit quidquam bonæ cauſæ, ſive qua publicum, ſive qua privatum te tangit, vel conducibilius vel opportunius accidere hoc tempore, quàm Edictum Ordinum, & bona Sibrandi fides. Itaque me quidem tantopere delectarunt, ut quamquam quo tempore faſciculus mihi reddebatur, ob moroſas quaſdam Scholæ nugas animo eſſem minus defæcato, tamen literis tuis, cæteriſque lectis, ſic fuerim recreatus, ut totum exinde diem tam lætum hilaremque duxerim, quam ſi Hilaria fuiſſent. Quantum verò ea res gaudii mihi attulit, tantum inde doloris Malevoli ceperunt. Cùm autem alia eos in Edicto malè habuerunt, tum quod apertè in illo dicatur, operam tuam Illuſtribus Ordinibus gratam fuiſſe, ac Sibrandum mala tecum fide egiſſe. Quod quidem non minus eos urit, quam quod venditioni Libri Sibrandiani interdicatur. Eoque magis hæc res eos coquit, quod diſertim addatur, hoc pleno in conventu conſtitutum eſſe. Nempe vident & dolent, minus ſic deinceps fidei calumniis ſuis habitum iri. His vero omnibus aliud nihil opponere poſſunt, quam quod nec defuere ex Civitatibus, quæ Sibrandianam magis cauſam probarint: quaſi unquam ferè ſic agatur in rebus, vel publicis, vel privatis, ut idem ſentiant omnes. Eccleſiaſtes quidam noſtras retulit mihi atque aliis, ut filius ſuus Amſtelodami viderit Edictum hoc Portæ (urbis ac Templi) affixum ab Illuſtrium Ordinum Viatore. Hoc quidam non factum credere malunt. Sed qui tantum ſcilicet ſcelus credere ſuſtinent, mirari ac ringi, quod hoc perpeti voluerint ejus civitatis Proceres, in cujus conſtantia proram ac puppim cauſæ ſuæ conſtitutam ſæpius ſunt confeſſi. Bona fides

tu effecit, ut nonnullis tandem ſcrupulus ſit injectus, quibus antea perſuaderi non poterat, Sibrandum mala fide agere. Imo aliqui aperte eum jam culpare non verentur. Sane heſterna die, cum rogaſſet quidam ejus ordinis, quid mihi de bona fide videretur? atque ego reſpondiſſem, metuere me, ne multum Sibrando ſudandum ſit, priuſquam omnibus iis reſpondeat: confeſſus eſt quod antea nunquam, multa eo in ſcripto eſſe, quibus à Sibrando reſponderi non poſſit: ac ſe quoque antequam Libellus hic prodiret, quædam iſtiuſmodi obſervaſſe: ſed Libello hoc tuo (cujus tamen non te, ſed Bertium, ac Joannem Arnoldi Authores ſuſpicantur) & plura, & tam clarè probari, ut negare ſit neminis, niſi qui frontem perdidit. Addebat, ſe quid multo eruditius ab tanti nominis viro exſpectaſſe: Plurimos eſſe in Batavia, etiam recentes de Schola, qui Sibrando melius illam cauſam potuerunt tractare. Poſtea in alios incidi, qui ſimiliter judicarent. Pauciſſimos reperi, qui non fateantur, graviter, & Sibrandum peccaſſe & omnes eos, qui abſque ordinum inſectatione de religionis controverſiis agere non poſſunt. Utinam verò ſimul emiſiſſes Scriptum tuum, de ſummi Magiſtratus jure circa Eccleſiaſtica: fortaſſe enim ſi Edicti tempore prodiiſſet, hinc tacitæ aliquid authoritatis ei acceſſiſſet. Sed quia id factum non eſt, proximum puto, ut quam celerrimè ſubſequatur. Quid enim attinet Crabronibus illis toties per intervalla bilem moveri? Recens nunc ira eſt. Si ſtatim Liber edatur, poterunt ſimul bilem omnem deſpumare. Quod amicè me adeo Roterodamum invitas, gratias habeo maximas. Velim quidem, ſed detinet me lectio tertii Georgicon Virgilii, cum aliis rei ruſticæ Scriptoribus; ex quibus bonum delectum cogar diſcere. Cras verò à prandio progreſſus mei periculum faciam. Quam tibi aliiſque, vir Ampliſſime, grave eſt Rempub. gubernare; tam mihi in annum integrum ab Homericorum Heroum cibo, quinquaginta capitibus, vel ſtomachis potius proſpicere. Imo multo quidem hoc difficilius mihi, quia ſemel jam iterumque perſenſi, poſt omnes veteres conſultos, ubi ad forum boarium deventum, tantumdem me ſapere quam priùs. Itaque poſt oleum & operam conſumptam, aliena tandem opera uti cogor. Nec eo magis domo abeſſe licet, quando alieni nihil hac in re audent abſque præſentia ac nutu meo. Adde quod juventus Scholæ noſtræ (cujus bona pars, pro ſapientia ſua, non minus deſiderant boum noſtratium conſpectus, ac mactationem, quam olim in Circo populus Romanus gaudebat Lucarum boum ſpectaculo ac pugna) nunquam magis cuſtode eget, quàm hoc tempore; quo & difficillimè domi continetur, & periculoſiſſime excurrit. Quod verò, ni fallor, ſignificas, fortaſſe, Dordrechtum te venturum, utinam, utinam fiat: Imo utinam ut amplitudo, ac dignitas tua ferat, ut pro diverſorio publico ſubire poſſis pauperis hoc tugurii noſtri, ſed non congeſtum ceſpite culmen. Nobis quidem ea res non voluptati minus eſſet quam honori. Amplius adderem, ſed metuo, ne inani ſpe mihi blandiens alienam ex verbis tuis ſententiam expreſſerim. Utrum ſit, brevi ſpero, vel ex Epiſtola tua, vel quod malo, ex adventu tuo longè exoptatiſſimo recognoſcam. Etiam adventum tuum expetit Lydius: ut qui & multis retro menſibus, ſignificavit, magno ſe loquendi tecum deſiderio teneri, & heſterno veſpere dixerit, optare ſe ut paucis agere tecum liceat de Libello eo, cujus gratia ab Aſello illo, (ſic enim loquitur) Corvino Princeps, inter eos reponitur, qui τὸς ἄρχοντας βλασφημῶσι. Perſuadere mihi conabatur, ſcripſiſſe ſe Libellum eum in laudem Magiſtratuum, ejuſque probandi, verba neſcio quæ ex opuſculo citabat. Ego cùm nec tam fatuus eſſem ut crederem, nec irritare vellem eum quem ad cœnam invitâram, conſolatus ſum illo, quod ſcriptum hoc Corvini perennaturum non putem; tum maximè quod pauci ſciant, Lydium dialogi illius eſſe Authorem, pauciores item, per βαρυκέφαλον Lydium deſignari. Gaudebat eo ſermone, ſed tamen addebat, pati ſe non poſſe, ut tu de eo tam atrocem habeas opinionem: eoque prima occaſione, vel Roterodami ſi eo proficiſci contingat, vel Dordrechti, ſi tu prior huc veneris de Libello eo purgare ſe apud te velle. Vale, Ampliſſime Domine, uxorique lectiſſimæ tuæ à me ſalutem dicito.

*A. T. obſervantiſſimus*

27 Octob. 1614.

G. J. Vossius.

---

V.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerhardo Joanni Voſſio,

S. P.

*Invitat Voſſium ad profeſſionem Theologicam, in illuſtri Schola Steinfurtenſi obeundam.*

NOn ignorare Te arbitramur, Clariſſime & Doctiſſime Vir, Theologiæ profeſſionem in Schola noſtra illuſtri, ob Doctoris Hermanni Ravenſpergeri, ad novam Academiam Groningenſem, diſceſſum, hactenus aliquandiu vacuam, & quaſi viduam fuiſſe. Cum autem à Nobis, quibus Scholæ cura, & adminiſtratio, ab illuſtri Magiſtratu noſtro commiſſa eſt, diu multumque de alio Theologiæ Profeſſore vocando deliberatum fuerit: tandem præ aliis, tua perſona, ob inſignem eruditionem, & ſolidam orthodoxæ Theologiæ ſcientiam, quæ partim ex præclaris ingenii tui fœtibus in lucem editis, partim ex aliorum rectè judicantium commendatione, nobis innotuit; digna viſa fuit, quam Illuſtribus, ac Generoſiſſimis Comitibus Bentheimienſibus, Dominis noſtris Clementiſſimis, de meliore notâ commendaremus. Quâ etiam re effectum eſt, ut illuſtres ipſorum Generoſitates, ex ſingulari, quo omnes literatos Viros complectuntur, favore, & amore, in tui ad profeſſionem Theologiæ in Schola noſtra vacantem, vocationem clementer conſenſerint. Itaque ex voluntate prædicti Magiſtratus noſtri, provinciam illam ſanctam & honorificam, jam tibi offerimus: utque eam oblatam prompto animo ſuſcipere, & obire non graveris; etiam atque etiam rogamus. Moveat te ad vocationem illam ſequendam Dei præpotentis, cujus divina providentia ea procurata eſt, voluntas, quâ ipſe operarios in vineam ſuam emittere ſolet. Moveat te illuſtrium & generoſiſſimorum Comitum Bentheimenſium, bona & gratioſa erga te voluntas. Moveat te præclarum & honorificum Senatus noſtri de ſtudiis tuis ingeniique dotibus judicium, ejuſdem humanus, & benevolus in te affectus. Moveat te Scholæ noſtræ ſalus, & incolumitas, quæ ſine Theologiæ Profeſſore, diu conſiſtere non poteſt. Moveat denique te loci hujus ſalubritas, & amœnitas, annonæque in eo facilitas, cum omnium rerum ad Oeconomiam neceſſariarum ubertate conjuncta. Quò meliùs autem Scholæ noſtræ ſtatum, aliaſque loci, & functionis circumſtantias coram perſpicias, & cognoſcas, majorem in modum petimus, ut abjectâ omni morâ & cunctatione, cum præſente Tabellario, Scholæ noſtræ ſumptibus ad nos excurrere, aut ſaltem primo quoque tempore, cùm periculum haud exiguum in mora ſit, tuum ad nos adventum accelerare non graveris. Ita enim, & de ſtipendio, & de aliis rebus ad profeſſionem Theologicam pertinentibus, commodior ſeſe offeret colloquendi tecum occaſio; & ipſis ſtudioſis abiturientibus majora allectamenta, & incitamenta, ad continuandum in Scholâ noſtrâ ſtudii ſui Theologici curſum ſuggerentur. Nos etiam viciſſim de te benè mereri ſtudebimus, eâque humanitate & benevolentia te advenientem accipiemus & amplectemur, ut neque itineris ſuſcepti, neque amicæ converſationis noſtræ te unquam pœniteat. Bene vale, Vir præſtantiſſime, cum omnibus tuis, quibus cœleſtem

juxta,

juxta, & terrenam à Deo benedictionem animitus precamur.

Steinfurti, xv Febr. Juliani, anno à nato Chriſto Servat. noſtro cIↄ Iↄ c xv.

M. Clemens Timplerus, *pro tempore Prorector, nomine totius Collegii ſubſcripſit*, M. P.

---

VI.

## Clementi Timplero.

*Dilationem in Vocationis Steinfurtenſis negotio à Timplero expetit, proximeque aut ſe, aut literas præſentes promittit.*

EGo verò, clariſſime, doctiſſimeque Dom. Timplere, non poſſum, non & plurimum mihi gaudere, & tum illuſtribus, & generoſiſſimis Comitibus Bentheimenſibus, Dominis meis clementiſſimis, tum ornatiſſimo ordini veſtro profeſſorio, ingentes agere gratias, pro tam honeſtà de me exiſtimatione, & luculentis adeo, erga me affectus notis. Mihi quoque partim, ne adverſus adeo munificos, ac benevolos ingratus eſſem, partim publici boni cauſâ, unà cum Tabellario hoc ad vos, excurrere animus erat; ac vobiſcum ſuper omnibus ſermonem ſerere: ſed incommodiſſima anni tempeſtas, à profectione deterruit; nec muneris conditio, quod nunc obeo, diutinam mei abſentiam ferat; & quod familiam ducit, ea nunc rerum mearum conditio eſt, ut niſi deſultoriæ mihi levitatis notam, merito impingi velim; cum uno alteroque ampliſſimo viro, mei, & publici commodi amantiſſimo, ſuper re tanti ponderis, ſerio mihi deliberandum intelligam. Id quidem, quin neque illuſtres Comites, neque clariſſimus Profeſſorum ordo, vitio ſit verſurus, nullus dubito. Interea quia in eo loco, illuſtris Scholæ veſtræ res ſunt, ut moram vix patiantur ullam, recipio me aut intra breviſſimum tempus, excurſurum ad vos, aut literis de animo meo facturum te certiorem. Nihil enim mihi gravius ſit, quam ut benè de me, & publico, mereri volentibus, ſim injurius, & ſimul ceſſatione meâ, illuſtri Scholæ veſtræ ſim intertrimento. Vale, Doctiſſime, & merito mihi chariſſime Domine; & ſi grave non eſt, tum illuſtres, ac generoſiſſimos Comites, Dominos meos clementiſſimos, tum clariſſimos, ac præſtantiſſimos Collegas tuos, plurima, meo nomine, ſalute imperti.

III Non. Martii, Ann. cIↄ Iↄ c xv. Stylo Gregor.

*Dignitatis tuæ obſervantiſſimus*,

Ger. Vossius.

---

VII.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius

S. P.

*Vocationem ad Scholam Steinfurtenſem, profeſſionemque in eadem Theologicam amplectendam, quæ ſibi perſuadeant cauſſas Grotio indicat, amicorum tamen conſilium aperit, quod hac in re ſequendum ducit.*

HEſterno die, Magnifice, & Ampliſſime Domine, literas accepi Steinfurto, quas juſſu generoſi Comitis, ſuo & Collegarum nomine, ad me ſcripſerat Timplerus. His offertur mihi profeſſio S. Theologiæ in illuſtri Schola Steinfurtenſi. Significavi ſtatim rem totam Prætori Muſio, & Syndico Berkio, quorum utrumque optimè mihi velle non dubitandis indiciis jam multos annos comperio. Dixi iis, nihil mihi in eo, quo fungor, munere diſplicere, quam quod videam optimum ætatis meæ florem abire, nec multum me in ſtudiis promovere. Sæpius me comperiſſe ſiquando die Dominico à meridie, diſcipulis in Templum abeuntibus, ſtudiis domi vacem, plus me pauciſſimis iſtis horis proficere, quàm alias integris aliquot diebus. Præterea nonnihil dolere, quod nonnulli Eccleſiaſtæ præter meritum meum, nomen meum apud plebem obſtrigillent, haud alio argumento, quam quod ſubinde, conſcientia dictante, modeſtè eos muneris commoneam, qui quocumque convitii genere illuſtres Ordines impetunt. Tum autem quod aliquando dicam, non controverſiarum naturam, ſed hominum, culpam eſſe, quod hoc Eccleſiæ diſſidium componi non poſſit. Si etiam aliquam multos Melancthones, & totidem Calvinos haberemus, omninò me confidere, adeò eos amicè hoc negotium tranſacturos, ut nihil inde Eccleſia capiat detrimenti. Neutiquam me à contra-Remonſtrantibus ſegregem factum: ſed neque in omnia eorum dicta jurare velle. Tantum ex animo dolere ſortem Eccleſiæ, quæ ita factionibus ſcindatur. Multa quoque alia in hanc ſententiam attuli; quæ quoque in re calculum mihi adjecerunt. Tantum viſus ſum iis minus conſtanti animo, quod obtrectatorum ſiniſtros ſermones devorare haud ſatis poſſem. Sæpius enim talia ab æmulatione aliqua, aut animi impotentia proficiſci. At ea quoque non minus in Academiis ipſis habitura locum. Quod verò dicerem vix quicquam temporis à me ſtudiis dari, id aliquamdiu adhuc concoquendum putabant. Nec enim dubitare ſeſe quin haud perpetuo ſim iſthoc Siſyphi ſaxum voluturus. Et tamen inquiebant, habendam mihi vel maximè rationem Liberorum meorum, quibus in functione hac, ſi ulla alia, honeſtè ſatis proſpicere poſſim. Nec tamen hoc ſic à me accipi debere, quaſi me perpetuo hoc in munere conſeneſcere velint. Quin verò ſeſe ipſos mei memores eſſe velle, ſi quid fortean poſſint in vocatione aliqua Lugdunenſi. Et hoc eo ſe magis dicere, quia jam aliquid ea de re inaudiſſent. Poſſe etiam huic rei Steinfurtenſem iſtam vocationem inſervire. Interea Authores erant, nec acciperem conditionem, nec recuſarem; ſed potiùs ſcriberem, velle me de re tota cum amicis conſilium capere. Parui conſilio. Ac literarum etiam mearum ad Timplerum exemplum mitto. Hæc ſcire te volui, Ampliſſime Domine, ne ſi fortè Hagæ, quò uterque proficiſcetur, ejus rei mentio incidat, tu omnium ſis ignarus. Interea non eſt quod de me tantoperè ſollicitus ſis. Non poſſum quidem non maximas tibi pro affectu erga me tanto gratias agere: ſed quædam interdum ſunt, quæ moram aliquam exigunt. Sane intelligo aliquibus nihil magis in me diſplicere, quam quod etiam Amplitudinis tuæ nitar commendatione. Aliquis etiam neſcio quid objecit de Literis quibuſdam, quas ad te ſcripſiſſem. Sane metuo, ne D. Bertius (quem ego alioqui ut Præceptorem optimè meritum, & virum ſummæ eruditionis plurimùm & veneror & æſtimo) nonnihil rebus meis incommodet. Scio illum literas meas, quas ad A. T. de aliquot Eraſmi locis ſcripſi, & habere, & aliis commonſtrare. Inter alios eſt Rutgerſius noſter, cui bonam earum partem legit. Audio etiam ambire profeſſionem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; & quia nonnihil à me prius hac in re metuebat, uti prius à Vorſtio (nam & cum is Lugdunum vocaretur Theologiæ profeſſionem ambiiſſe dicitur) κατὰ παρονομασίαν dictat, ſemper ſibi aliquid remeliginis injici, vel ab aliquo Vorſtio, vel ab aliquo Voſſio. Sed ab illo ad A. T. redeo, vel potius ad me ipſum. Equidem multa mihi ad arduam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ profeſſionem deeſſe video. Accepturi quidem eſſemus vocationem, ſi vocaremur, ſed non tam quod non malimus nos pauxillum adhuc in hoc pulvere hærere, quàm quia metus eſſe poſſit, ne cum maximè moleſtiſſimo hoc onere liberari velim, minime poſſim. Nam & interdum, vir ampliſſime, in animum venit, te quoque mortalem natum. Alioqui, ut dixi, temporis mihi aliquid concedi malim, quo muneri me iſti præparare poſſim. Quod ſi ubi me propemodum parem iſti muneri putabo, non ſubſequatur aliqua vocatio, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Sic quoque

quæ ſcribendo ſaltem prodeſſe Eccleſiæ Dei poterimus. Sunt alia multa, de quibus colloqui tecum aveo, eo magis, quia me literis tuis, quas ante horam accepi, amicè ad te invitas: ſed id nunc fieri non poteſt, quia metuo ne, abſente me, diſcipuli in glaciem currant, aut fortean pedem, aut brachium frangant. Tutius id potero, ubi glacies erit ſoluta. Quamquam ſi & antè ſe occaſio offeret, minimè eam negligam. Hæc raptiſſimè, ob feſtinationem Tabellarii. Deus ter Opt. Max. diu te Reip. Eccleſiæ, familiæ ac nobis ſervet incolumem. 1615.

Miſit D. Vorſtius ad me per amicum varias literas, ad ſe de vocatione Steinfurtenſi ſcriptas, uti exemplar literarum, quas III. Comites de me vocando ad Curatores Academiæ Leidenſis ſcribunt. Ego ſtatim ſingula deſcribi curavi. Si tanti putabis, percurres, & vel in adventum meum adſervabis, vel ubi voles tranſmittes ad me. Ἔῤῥωσο.

---

## VIII.

*Viro Clariſſimo*

## Conrado Vorſtio, S. P.

*De Voſſio Steinfurtum vocando conſenſiſſe proceres, diſſipatis, quibus gravabatur calumniarum nebulis, nihilque reſtare quam profectionem ut acceleret, quod ipſi perſuadeat ſummè cupit.*

DIu hactenus, Reverende ac Clariſſime Vir, Schola noſtra novum Theologiæ Profeſſorem, & quidem diverſis in locis quæſivit. Sed nondum eundem ex animi ſententia invenit & nacta eſt. Cauſa hujus rei videtur eſſe voluntatis in iis qui vocati ſint partim inconſtantia, partim perverſitas; quippe qui vocationes non tam publici commodi, quam privati ſui honoris & lucri amplificandi gratiâ appetunt, eaſdemque oblatas ex prætextu cauſæ neſcio cujus recuſant & repudiant. De Voſſio, quem Aulæ noſtræ commendaſti vocando, jam diu à Senatu noſtro deliberatum fuit; ſed propter ſuſpiciones quaſdam ſiniſtras, quibus à calumniatoribus præter meritum gravatus eſt, hactenus conſenſus à reliquis Comitibus Bentheimenſibus impetrari non potuit. Nunc autem diſſipatis ejuſmodi calumniarum nebulis, præter ſpem & opinionem, Deo ita dirigente, in Voſſii vocationem tandem illuſtris Magiſtratus noſter conſenſit. Itaque nihil amplius reſtat, niſi ut is vocationem oblatam prompto animo amplectatur & ſequatur, nullâque interpoſitâ morâ ſumptibus Scholæ ad nos Steinfurtum excurrat: ut ita melius coram totum Scholæ ſtatum, ſingulaſque functionis & loci circumſtantias, exploret & cognoſcat. Quâ in re, rogo nomine Collegarum, ut ipſe Scholæ noſtræ cauſam ſeriò & ſedulò agas, bonoque illi Viro ad capeſſendam illam provinciam iterque ad nos inſtituendum ſuaſor ſis, hortator & inſtigator. Niſi enim is maturè ante ferias Scholaſticas ad nos venerit, verendum eſt, ne malevolorum hominum obtrectationibus cæterorum illuſtrium Comitum in vocationem ipſius conſenſus, intervertatur, ac ſtudioſis Theologiæ, qui hactenus diu Profeſſorem magno deſiderio exſpectârunt, diſcedendi ex Schola noſtra anſa præbeatur. Imprimis verò moneas ipſum ut iter ingreſſus recto tramite Steinfurtum cum præſenti Tabellario proficiſcatur, neque vel Bentheimiam vel Schuttorpium ſeſe recipiat, antequam generoſum noſtrum Comitem ſalutaverit ac compellaverit.

Hoc enim è re Scholæ videtur fore, & ad removenda omnia obſtacula appoſitum. Cætera divinæ providentiæ & tuæ prudentiæ committo. Bene vale, Vir præſtantiſſime, unà cum uxore & liberis chariſſimis, quibus ſalutem plurimam omnes Collegæ & mecum uxor mea animitùs dicunt.

*Tuus omni ſtudio amicus & Compater,*

Steinfurti xv Febr. Juliani ann. cIↃ IↃcxv. M. CLEMENS TIMPLERUS.

## IX.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius.

S. P.

*Viſitationis dilatæ cauſſas aperit Grotio, proximè tamen præſentiam ſuam eidem promittit, & librum ejus de ſatisfactione Chriſti ſecum adſportandum. Laudat librum Thomſoni. Gratulatur novam prolem.*

MAgnifice ampliſſimeque Domine Groti, poſteaquam D. Van der Myle, & D D. Conſul Syndicuſque Leidenſis domum te confecta abierant, mirè cùm coram tibi gratias agere, tum de variis tecum colloqui geſtiebam: ſed adhuc ob ſummam tempeſtatem fruſtra fui. Biduum quidem, imo triduum prope jam ex eo tempore exſpiravit: ſed venti validius etiam ſpirant, quàm ante: Nec ego duntaxat, qui meticuloſior videri poſſim, quam virum decet, ſed, ut audio, plerique etiam nautæ, audax καὶ θερμὸν hominum genus, oram hinc ſolvere verentur. Ita abiit mihi initium feriarum noſtrarum: quo tempore commodiſſimè domo abeſſe poteram. Vereor autem ne adhuc phaſeulis hic diebus detinear, partim quia hac hebdomade pro affinis infante in baptiſmo ſpondendum erit; partim quia Rutgerſius noſter impenſe cupit, ut interſim ſolemniori convivio, quo die Jovis proximo Sereniſſimi Suecorum Regis Legatum accipere cogitat: poſt Paſchalem verò diem animus ſit uxorem Bredam ad ſororem deducere: ubi fortaſſe diem unum aut alterum hærendum erit. Omnino tamen decretum, antequam feriæ noſtræ deſinant, hoc eſt intra quatuordecim hoſce dies excurrere ad A. T. niſi interea te in Zelandia potius, quàm vel Roterodami, vel Hagæ etiam fore cognoro. Una tunc mecum feram commentationem tuam de Chriſti ſatisfactione, cujus deſcriptio ſpiſsè procedit, ob nimis feſtinatos literarum ductus: ſed tamen intra hos ſex ſeptemve dies ſcriptionem ejus abſoluturum ſeſe ſperat Amanuenſis. Mitto interea Thomſoni librum præſtantiſſimum; unà cum Auguſtiniana Confeſſione, Synodi Palæſtinæ geſtis, & Arnobio: quibus cum diu adeo, fortaſsè incommodo aliquo amplitudinis tuæ, uſus ſum, ſanè cum maximo fructu meo. Carere quod nunc iis poſſim, facit, quod tandem ipſe eos Antverpia nactus ſim. De Thomſono non tantùm ſuadeo, ſed etiam rogo, quam primùm edatur. Nihil ea diatriba hoc in genere, vel doctius extat, vel elegantius. Me quidem valdè in vera ſententia confirmavit. Nihil tamen hoc judicium noſtrum Bertiadem Heroëm, niſi ſecus putabis, ſcire attinet: quippe qui, ut etiam amici mihi narrant, hoc cum magno eloquentiæ Romanæ parente habeat commune, quod ſilere difficulter ea poſſit, in quibus tacito opus erat. Quamquam vero liber iſte Thomſoni multis partibus ſit emendatius deſcriptus, quàm exemplar ipſum, tamen ſuperſunt in eo non pauca, in Græcis imprimis quæ corrigi debeant. Ut emendanda putaram, de quibuſdam ante trimeſtre in chartula annotaram; ſed hanc licet quæſitam, nunc invenire non poſſum. Nec multum puto refert, quia nullo negotio corriget iſthæc inter legendum Bertius noſter. Infante (filio an filia?) amplitudinem tuam auctam gaudeo: eoque nomine tibi gratulor; ac puerperæ fœlicia omnia opto. Vale, & præſidium & dulce decus meum. 1615.

T. A. *Obſtrictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## X.

*Clariſſimo doctiſſimoque Viro*

### Gerardo Joanni Voſſio

S. P.

*Iteratur invitatio ad Scholam Steinfurtenſem.*

Literæ tuæ, Clariſſime & Doctiſſime Vir, pergratæ nobis fuerunt; tum quod luculentam humani & benevoli tui erga Scholam noſtram animi declarationem exprimebant; tum quod tui ad nos adventus ſpem non vulgarem nobis faciebant. De utroque plurimum nobis gratulamur, tibique gratias habemus, & agimus maximas. Et quoniam ipſe pro tua prudentia intelligis, vocationem illam, quæ nomine illuſtrium & generoſiſſimorum Comitum Bentheimenſium nuper tibi oblata fuit, eſſe divinam, ſanctam & præclaram, eamque jam Scholæ noſtræ conditionem eſſe, ut ſine maximo detrimento Theologiæ Profeſſore diutius carere non poſſit; majorem in modum te per Dei gloriam & Scholæ ſalutem rogamus & obteſtamur, ut nulla amplius morâ interpoſitâ cum præſenti Tabellario, ſumptibus Scholæ iter ad nos inſtituere, noſtroque voto & deſiderio ſatisfacere non graveris. Gratiſſimus eris nobis omnibus atque exoptatiſſimus hoſpes; nihilque nobis erit prius & antiquius, quam ut omnibus modis de te bene mereri ſtudeamus.

Bene vale, Vir præſtantiſſime, cum tuis, & ut viva nos epiſtola primo quoque die exhilares, etiam atque etiam cura.

*Nomine Senatus Scholaſtici*,

Steinfurti XVI Martii Juliani Anno à nato Christo clɔ Iɔ c XV.

M. CLEMENS TIMPLERUS, *pro tempore Prorector, ſcripſit & ſubſcripſit.*

---

## XI.

*Reverendo & Clariſſ. Viro*,

### D. Conrado Vorſtio,

SS. Theologiæ Doctori, & Profeſſori Goudæ, Salutem à Deo per Chriſtum Jeſum, Servatorem noſtrum.

*Urgetur profectio Voſſii Steinfurtum.*

Extrema Scholæ neceſſitas, Reverende & Clariſſime Vir, Amice, & Compater honorande, poſtulavit, ut denuò tabellarius, unà cum literis Senatus noſtri, ad Dn. G. Voſſium fuerit mittendus, ejuſque ad nos profectio omnibus modis urgenda. Jam enim ut ſcis, feriæ ſcholaſticæ imminent, & exigunt, ut novus Lectionum æſtivo ſemeſtri habendarum Catalogus conficiatur: In quo niſi Theologiæ-ſtudioſis futuri Profeſſoris, & Lectionum ab eo habendarum, ſpes aliqua fuerit facta: Metuendum eſt, ne omnes hinc diſcedant, & ſic magnam Scholæ noſtræ cladem inferant. Ut igitur huic malo, quantum fieri poteſt, occurratur, opus eſſe judicavimus, ut D. Voſſium, ad amplectendam vocationem oblatam, ſuumque ad nos adventum accelerandum, amicè hortaremur. Ac ut voti noſtri, eò certius & citius, compotes fiamus; majorem in modum petimus, ut ipſe pro tua prudentia, Scholæ noſtræ cauſam, ut hactenus, ita etiam nunc, diligenter, & fideliter agere non graveris: Nominatim verò procurare, ut Dn. Voſſius iter ingreſſus, directè per Gronaviam, Steinfurtum ſe recipiat. Quod ſi etiam is alium quemdam fidum comitem, præter Tabellarium præſentem ſibi adjungere voluerit; hoc ipſi liberum relinquimus, & ſumptus ei à Schola omnes refundentur. De Doctore Gigante in integrum reſtituendo, nulla amplius ſpes eſt. Intellexi enim Generoſos noſtros Comites, Doctori Freidagio, Medico Oſnaburgenſi, hanc conditionem privatim, inſcio ſenatu ſcholaſtico, ante aliquot ſeptimanas obtuliſſe. Utrum autem eam ſuſcepturus ſit, incertum adhuc eſt: & num è re Scholæ futurum ſit, eum qui religione Lutheranus eſt, & Mathematica non callet, in Profeſſorum ordinem recipere, tibi judicandum relinquo. Quod ſi Dn. Freidagius, vocationem oblatam recuſaverit; equidem eam Doctori potius Neuhuſio, tametſi is quoque in Mathematicis non ſit exercitatus, quam alii ignoto præſertim Calviniſtæ rigidiori offerri cuperem. Sed neque ego, neque quiſquam ex ſenatu noſtro, quicquam operæ ad promotionem illam procurandam conferre poſſumus: cum Aulam Comitum Bentheimenſium, minus faventem habeat. Doctor Gigas Monaſterium ſuæ praxis medicæ ſedem, & officinam elegit. Quam ibi fortunam experturus ſit, tempus docebit. Doctor Maternus Electori Brandenburgico operam ſuam addixit. Quæ verò ipſius ſit conditio, & quo in loco, ignoro. Quamprimùm ad me ſcripſerit, dabo operam, ut petitioni tuæ ſatisfaciat. Uxor mea adhuc infirmæ & dubiæ eſt valetudinis. Spero tamen Deum, tandem mei, & meorum miſertum, ipſi firmioris ſanitatis uſuram conceſſurum eſſe. De novis nihil certi habeo: niſi quod de bello, paſſim varii, & triſtes rumores ſparguntur. Benè, & fœliciter vale, vir præſtantiſſime, unà cum uxore, & liberis chariſſimis: quibus omnes Collegæ mei, necnon uxor mea, ſalutem plurimam adſcribunt.

*Tuæ Reverendæ dignitatis ſtudioſiſſimus*;

Steinfurti XVI Martii Juliani Anno à nato Chriſto clɔ Iɔ c XV.

M. CLEMENS TIMPLERUS, *Compater.*

---

## XII.

*Clariſſimo doctiſſimoque Viro*

### Gerardo Joanni Voſſio.

S. P.

*De Vocatione ad Scholam Steinfurtenſem apud ſe quid conſtituiſſet mentem ſuam apertè proferat, expetit.*

Habes hic alterum Tabellarium, vir clariſſime, ab illuſtri Schola Steinfurtenſi ad te miſſum, ut eò te deducat, ſi modo animus tibi eſt locum ſaltem videre, & Spartæ, quæ offertur honeſtiſſima, rationem omnem, cum annexo fructu, coram cognoſcere. Ut videas, quanto tui deſiderio illic flagrent, literas amici unius atque alterius, ad me datas, tibi legendas mitto; eâ lege, ut per hunc hominem tetromittas, nec mihi fraudi eſſe permittas, tam fidenter & apertè tecum hæc talia communicaſſe. Niſi ex aliorum relatu quadantenus te noſſem, non ſic agerem. Tuæ prudentiæ erit, ne hoc quidem aperire, niſi fidiſſimis tuis, quidquam ad te ſcripſiſſe. Nam ſive vocationem illam complexurus es, ſive omiſſurus, è tua re non minus quam mea fore videtur, ne vulgo hujus aliquid innoteſcat. Inaudivi aliquid de alia vocatione Leidenſi, jam aut delata tibi, aut ſaltem deſtinata. Hanc, ſi Steinfurtenſi præferes, quod facturum te ſuſpicor, officii tui fuerit apertè mentem tuam nobis exponere; ut alibi ſibi maturè proſpiciant (quod ægre jam fiet) qui priores te vocarunt. Si coram tecum agere mihi daretur, tuque fidere ſermoni meo velles: fortè ut priores iſtos ſequereris, tibi perſuaderem: Nunc Deo, & tibi ſoli, rem committendam puto; amanter interim te rogans, ut ſaltem iter illuc tuum, quo vocaris, dirigere non graveris; & præſens cum prælignatibus Comitibus & Profeſſoribus, de negotio toto tractare. Sic enim plenius ſtatuere tecum poteris, utro in loco fructuo-
ſius

ſuis Domino Jeſu Chriſto, & Eccleſiæ ejus ſerviturum tu ſperes. Deus tibi ſalutare conſilium adſpiret, & eventum largiatur ſuo nomini glorioſum, quem veri boni rebus aliis omnibus auferre debeat, & ſoleat. Vale, Vir Clariſſime, hactenus quoad faciem ignote, deinceps melius, ſi placet, & in Domino & in facie noſcende. Cras ſub veſperam reſponſum tuum expecto.

Goudæ Pridie Kalendas Aprilis, Anni 1615.

*Tuus in Chriſto*

CONR. VORSTIUS DOCT.

---

### XIII.

*Doctiſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio.

*Repetitur invitatio ad Scholam Steinfurtenſem.*

ITa eſt, ut ſcribis, Vir clariſſime & doctiſſime, in utramque partem rationes non leves occurrunt, quæ in hoc ad Theologicam profeſſionem vocationis negotio animum tuum impensè dubium & perplexum reddunt. At quoniam in literis tuis poſtremis non omnem plane tui ad nos adventus ſpem nobis adimere, ſed pluſculum duntaxat ad deliberandum temporis poſcere videris: noſtrarum partium eſſe duximus, non illico de vocationis illius divinæ ſucceſſu deſperare: ſed duce Dei providentia ex parte noſtra omnia tentare & agere, quæ tum ad te permovendum, tum ad ſcholæ noſtræ utilitatem promovendam conducere videntur. Quam ob cauſam etiam Clariſſimum Virum Dn. M. Georgium Brinckhoſium Logicæ Profeſſorem & Pædagogetarcham, Collegam noſtrum honorandum ad te ablegare voluimus; ut coram tecum de omnibus rebus ad hanc cauſam ſcitu neceſſariis fusè & diſtinctè colloquatur, omneſque tum itineris ineundi, tum vocationis amplectendæ difficultates, quantum fieri poteſt, removere ſtudeat. Ei igitur ut perinde, ac toti Senatui Scholaſtico, in omnibus fidem habere, ipſiuſque rationibus locum dare velis, magnopere rogamus: Deum interim præpotentem votis ſeriis & piis invocamus, ut ipſe totum hoc negotium ad ſui nominis gloriam, ad Scholæ noſtræ incrementum, tuamque ac tuorum omnium utilitatem ac ſalutem dirigere dignetur. Cujus divinæ providentiæ ac tutelæ, te quoque, Vir excellentiſſime, unà cum tuis plurimum commendamus.

Steinfurti iv. Nonas Aprilis Juliani Ann. Χρησογονίας cIↄ Iↄ c xv.

M. Clemens Timplerus Prorector

*Nomine totius Collegii ſcripſit & ſubſcripſit.*

---

### XIV.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Magiſtro Gerardo Voſſio,

Illuſt. Ord. Collegii Theologici Regenti digniſſimo.

*Suſpicionem colluſionis cum Remonſtrantibus, maximè in articulo de Electione, Voſſium incurriſſe aperit, calumniamque ſublatam cupit.*

SCripſit Tibi, R. D. Compater, ante abitum meum in Walacriam, unà cum literis publicis, quas pro Guilielmo Nicolai procuravi; ſimulque interrogavi, an non ſufficeret, ratione muneris mei publici, chirographo proprio polliceri, ſumptuum reſtitutionem, ſi filius non perſeveret in ſtudio Theologiæ: an vero publico Notarii inſtrumento ſit opus, quale pro Nicolai de noſtro miſi; de quo adhuc reſponſum tuum expecto, ut ad feriarum iſtarum finem, filium meum ad vos mittam. Quanquam enim ex Walacria rediens, rumuſculos quoſdam ſubaudivi, de te ſparſos, ex inconſiderato quorundam zelo: Illis tamen minimè moveor, quo minùs filium meum, fidei, ac diſciplinæ tuæ committere cupiam. Et tamen pro ingenuâ, & ſincerâ inter nos amicitiâ non potui, quin te eorum, quæ de te ſparguntur certiorem redderem. Sunt inter ſtudioſos (ut ab aliis intellexi) qui dicant ſe tecum contuliſſe, de hodiernis controverſiis, teque variis argumentis propugnaſſe ſententiam, de Electione conditionali, gratiaque univerſali: quin & ſcripto quodam, quod jam in ſtudioſorum manus pervenerit, explicuiſſe te ſententiam tuam; Et levirum tuum D. Junium, hoc de te apertè teſtari inter ſtudioſos, quàm magis tibi arrideat, ſententia Remonſtrantium, quàm noſtra. Hæc tibi R. D. Compater, indicare volui, non quod hujuſmodi rumoribus fidem adhibeam, (novi enim quam ſint præcipitia his temporibus quorumdam judicia, quam virulentæ quorumdam linguæ, quam inconſideratus zelus) ſed ut tanto magis caveas, ne ullam talibus calumniis, & pravis de te judiciis, occaſionem præbeas, neque de his rebus conferas, niſi cum iis quos noſti eo pollere judicio, & ea eruditione præditos, ut mentem, ac ſententiam tuam, rectè aſſequi poſſint; Et ſi quid ſit, in quo tibi videantur Doctores Orthodoxi non ſatis accuratè tetigiſſe, aut explicuiſſe veritatem, de eo judicium tuum ſuſpendas; donec aſſiduâ, & diligenti S. Scripturæ perſcrutatione, aſſecutus fueris ipſam Spiritus Sancti mentem.

Multa enim ſunt in quibus, Viri etiam doctiſſimi, non ſatis attendentes phraſibus S. Scripturæ, & pluſculum tribuentes Antiquitati & Authoritati Patrum, qui poſt Apoſtolorum tempora vixerunt; facilè à puritate illa ſermonis Apoſtolici deflectant, & aberrent. Quod ego quidem non ita te monitum velim; quaſi diffidam induſtriæ tuæ, in ſtudio veritatis conſtanti, & indefeſſo: ſed ut videas, quam ſim honoris tui, & exiſtimationis apud omnes bonos, & pios ſtudioſus. Vale mi R. D. Compater, & me tui amantiſſimum, mutuo amore proſequi, ne unquam deſine, meamque hanc ſcriptionem, ut ex ſincero pectore profectam, æqui bonique conſule. Salutem adſcribo uxori tuæ. Salutat etiam vos mea, & intra paucas hebdomadas, filium iſthuc deductura, vos ſpero, ſalutabit coram.

Datum Dordr. Id. Aug. 1615.

*Tuus tuique Obſervantiſſimus,*

J. BECIUS.

---

### XV.

F. F. F. Junius

*Clariſſ. Viro*

## D. Gerardo Johanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo, precatur multijugas Domini benedictiones.

*Turbulentum Bataviæ ſtatum ex diſtractis partibus deplorat, omnemque ejus operam in reſarcienda pace Eccleſiaſtica ſolicitat. Quem in finem Teelinghii conſilia fidelia commendat.*

FAma malum, &c. habent hoc omnes diſſenſiones, eodem linguas quo animos ſucco perfundunt: ſinguli ita ut ſunt animati loquuntur. Ad nos hic crebriores quàm

optamus ſiniſtri rumores, de Bataviæ veſtræ turbulento ſtatu deferuntur: Nos etſi aures nonnunquam demus, fidem non ſemper damus; quò imprudentiæ notam evitemus. Interim eſſet pectoris ferrei, hac communi Eccleſiarum noſtrarum calamitate non tangi, ſecurè quietum, quaſi è ſpeculâ, procelloſos Chriſtianæ Reipublicæ motus inſpectare, & non quantum fieri poteſt, votis ſaltem & ſuſpiriis, naufragium facientibus ſuccurrere: Loquor ex ſententia rumorum, qui indies ad nos transvolant, hi enim tales ſunt, ac ſi res veſtræ deploratæ omninò jacerent, & medicæ manus opem admittere amplius non poſſent: Unde enim in conciſo, & penitus comminuto corpore, medicinam quis facere incipiat? Graviter vulnerata, corpori tamen annexa membra, remedium expectant, non autem à reliquo corpore avulſa. Mœremus & omninò vix conſolabili dolore angimur, cùm hæc & his ipſis alia magis triſtia auditione accipimus: Ego ad hanc rem nihil præter ſuſpiria, & ardentes ad Deum preces afferre poſſum; Tu cum aliis divini Numinis ſacroſanctam Majeſtatem timentibus viris communicato conſilio, periculum facere potes, an ulla per Dei gratiam, reſtaurationis ſpes, integra relicta ſit. Optat hoc mecum D. Teelinghius, cujus hac de re literas vides. Pietas viri non eget de integro me præcone; adhuc probè meminiſti, quid de ipſo, non exiguæ pietatis, eruditionis, & apud vos non minoris authoritatis vir tibi retulerit. Crede tantùm ex pio pectore, nonniſi ſancta, & ſana conſilia proficiſci poſſe: fidem ſcio in candore, & candorem in pietate non requires: proinde tutò, cùm per otium licebit, reſcribe; Omnem infidæ futilitatis ſuſpicionem vera pietas tollit. En prior, ad communicanda Conſilia provocaris. Deum Opt. Max. precor, ut vobis per ſpiritum ſuum adſit, quo Eccleſiæ ipſius prodeſſe poſſitis, & uno animo, unâ operâ, in uniendis diſtractis partibus verſari. Saluta ſororem mei amantiſſimam, cum tota veſtra familia, & valetudinem tuam cura diligenter.

Middelb. Anno 1615, 20 Octob.

Nihil hìc quod aut te, aut muneris tui adminiſtrationem tangat, inaudivi; non eſt itaque quod te turbent hæc, quæ de ſiniſtris rumoribus ſcripſi. Omnia enim quæ ad nos hic deferuntur, generalia admodum ſunt, & incertiſſima.

*Tibi multis nominibus devinctiſſimus,*

F. F. F. Junius.

---

XVI.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius.

S. P. D.

*Reſponſum ejus ad Molinæi ſcriptum de prædeſtinatione & annexis illi dogmatibus; itemque Conſilium de unione, ac concordia eccleſiaſtica inter Proteſtantes arctius ineunda inſigniter commendat.*

LEgi reſponſum tuum, Ampliſſime Domine, in quo non dico permulta, ſed omnia planè ita ſubtiliter, nervoſeque à te dicuntur, ut quamquam ſciam quàm plerique omnes docere quam diſcere ſimus paratiores, tamen bona me ſpes habeat, poſſe his Clariſſimum Molinæum ab anticipata opinione dimoveri. Sed cum omnia mirè fuerint ad palatum meum, tum imprimis ea me delectarunt, quæ de ſalutis certitudine ſcripſiſti. Omnino enim in hoc dogmate plus mihi lucis adduxiſti, quàm vel alius antea quiſquam, vel tute antea ipſe; quamquam ſemel iterumque tecum de eo ſim locutus, & communicaris mecum quæ de conciliatione diſſidentium ſententiarum ſcripſeras nuper. Nec tamen abeunt ab iis, quæ interea temporis jam animo conceperam. Sed gaviſus ſum ea calculo tuo comprobari: & quod magni duco, diſtinctius ea propoſuiſti, quàm ego ea mente eram complexus. Itaque uſus mihi eorundem fuit hodierno die, quo dicendum aliquid fuit de verbis illis Chriſti, Cap. XXIV. *Matth.* ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Nam huc uſque me in eo Euangeliſta ſeries ipſa perduxerat. Nec arbitror nos, plus quam a te factum, largiri cuiquam poſſe, niſi ſimul à clara ſcripturarum luce, inque ea ambulantis piæ antiquitatis veſtigiis, viſum ſit deflectere. Quod verò prohibes, ne Nob. Langeracenſis literas tuas oſtendat viro doctiſſimo, equidem illiuſmodi puto, ut nec tu imprudenter illud ſcribas, & Langeracenſem tamen prudenter facturum putem, ſi nullus hac parte tibi morem gerat. Nam & Rep. & Eccleſiæ plurimùm intereſt, ut magni nominis Theologi, piæ antiquitatis ſententiam cognoſcant, ſuper prædeſtinatione & dogmatibus annexis: tum verò imprimis, ut jus ſummi Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis rectius addiſcant. Quod ſi tamen Legatus ſibi illum theſaurum ſervet; poſt illa ſcribi oportebit, rem omnem te ipſius permittere poteſtati. Nec puto hoc conſilium quemquam ut candidum minus interpretari poſſe, niſi forte qui niger ſit ipſe. Qualis fortè etiam in ſcripto tuo minus veriſimile dicet; quod ais pag. 2. verſ. 9. non aliud te ſpectaſſe, quàm ut Molinæi conſilio, & ipſe & alii adjuvari poſſetis ad pacem promovendam. Obducat enim quod, pag. 17. (cujus initium ad concluſionem) ais non ſcripſiſſe te in eum finem, quod Molinæum inſpecturum putaras, ſed ut ſententiam tuam apud Nobil. Legatum deponeres. Quæ tamen licet ἐναντιοφανῆ, non tamen ἐναντία eſſe patet, cùm, ut ego arbitror, volueris, non ſcriptum Molinæo oſtendi, ſed diſſimulato ſcripto, Molinæo exponi debere, quæ ſcripto eſſes complexus, quæque Legatus ad conſilium ejus de procuranda pace eliciendum, ſignificanda ei arbitraretur. Porro cum ejuſdem pag. 17. verſ. 2. nomines conciliationem, cui ſubſcripturi ſint Angli, Belgæ, Helvetii, Germani, dubitavi certone conſilio an feſtinatione omittantur Galli, præſertim cum in Gallias ſcribas. Quemadmodum nec ſat ſcio, ad quod pag. 6. verſ. 7. à fine, ais, ſimplex donum eſſe non poteſt, quod pluribus conceditur, priori gratia abutentibus, quàm utentibus, an ἁπλῶς intelligi poſſit; cùm certum ſit, ſi princeps tam iis qui haſtam abjecerint, quam qui benè rem geſſerint, armillas donet, minimè horum ratione ſimplex donum dici poſſe. Hæc ſic ego non muſſinabar, ſed muginabar. Nam aliquid in chartam conjiciendum erat, non quale Tu ſcripſeras, cujuſmodi nihil erat, (ſcio Te ſic ingenue ſcribendi fidem habiturum) ſed tamen quod chartæ ſpatium implere poſſet. Bis me legiſſe dicere poſſum, etiam tertiaturum, niſi metuiſſem, ne in remittendo feſtinato opus eſſet. Supereſt, vir Ampliſſime, & ſupra mortales omnes mei amantiſſime, ut maximas Tibi gratias agam, quod priuſquam reſponſum hoc tuum mitteres ad Langeracenſem, ejus mihi legendi feceris poteſtatem. Nec enim majori cum voluptate, addo etiam cum fructu, meum in re alia tempus collocare potuiſſem. Planeque rogo ſimili adfectu, & honore in poſterum me proſequi velis. Eſt & quiddam aliud, de quo ad Te ſcribere aveo, quod Bredanam Eccleſiam ſpectet. Sed nunc ſerum eſt, eoque iſthac occaſione potius utar, cum frater ad te Hagam iturus, quod futurum die Jovis, uti intelligo. Salutabis, Magnifice Domine, nomine meo lectiſſimam fœminam conjugem tuam, quam Clemangis editor ante unam aut alteram hebdomadem præconio iſthoc ſeriò apud me decoravit, quod ſuaviter ſe riſiſſet verſiculis rythmicis, quia rei familiaris aliquo diſpendio curaſſet, ut ſic compellare ſuos poſſet (ſic loqui liceat) confratres, Ecce hic ſtant, Auguſtinus, Hieronymus, cæterique Patres. Vale decus meum.

*A. T. Obſervantiſſimus,*

Prid. Kal. Decemb. ciↄ Iↄc xv.

G. J. Vossius.

XVII.

## XVII.

# Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius

## S. P. D.

*Eccleſia Bredana malè metuit, ex controverſa ſubſcriptione Catecheſeos (Palatinæ) laborat de evitando ſchiſmate, retinendaque concordia, conſilium Grotii ſuper his requirens.*

SCripſeram tibi ante aliquot dies, Magnifice & Ampliſſime Domine, malè me metuere Eccleſiæ Bredanæ à Muſenholio, qui cum reprobationis abſolutæ, gratiæque irreſiſtibilis & indeficibilis dogma tanquam filiolam ſuam amet, atque amplexetur; tamen nec ejus quam tueri vult, opinionis ſatis eſt intelligens, nec partis adverſæ ſententiam (quam ubicumque & quandocumque occaſionem levem videt, lineamentis diſtortiſſimis fœdiſſimiſque coloribus depingit) cognoſcere vel minimùm laborat. Jam ab aliquot retro annis novimus hominem per affinitatem qualemcumque. Semper uti aliis ita mihi quoque viſus eſt nullius, vel judicii, vel induſtriæ: mirè ad hæc iracundus & pertinax: cæteroquin imus pariter ac ſummis, quamdiu nullæ irarum aut ſimultatis cauſæ intercedunt, comis ac affabilis; etiam Latinè non paulo melius ſciens, quam ſui plerique ordinis ſolent. Is ergo cum antea ſemper neſcio quas non monſtroſas opiniones, quas vel ipſe, per febrim credo, ſomniaſſet, vel à malegeniatis quibuſdam peſſima fide confictas avidè arripuiſſet, ſpargere per vulgus ſolebat: tamen ex quo Amſtelodamenſium, & famoſi Zelotarum Ducis, perperis praviſque conſiliis dare ſe totum cœpit, multo ſeipſo ſævior factus eſt; ſic ut non aliud nunc ſperet aut ſpiret, quàm factiones, & triſte Eccleſiæ vix dum floreſcentis, diſſidium. Ad quod facinus tantum utitur, vel abutitur potiùs, pleriſque hominibus adoleſcentulis. Eorum unus eſt Amſtelodamenſium alumnus, ac niſi me multum fallit conjectura τῦ πλατωνικὸς & complicum emiſſarius, nomine Spiliardus, qui ſubinde Lugduno Bredam, inque ejus urbis pagos ventitat; ac paucas ante hebdomadas domum meam venit, multum Muſenholianum pacis ſtudium extollens, ac Boxhornium & affinem, quaſi non recto talo in obortis controverſiis publicitùs proponendis incederent, cenſoria graviter virgula notans, etiam obnixe rogans, adfinem primis literis muneris ſui commonefacerem: neque enim per Muſenholium ſtatutum, quo minus ea in Eccleſia ſarta tecta concordia conſervetur. Quæ cùm apud me audeat hominem penè ſibi ignotum, & Diamantio affinitate junctum, quid non apud alios ſpargere auſit, cogitatu haud difficile eſt. Alter congerronum eſt Radæus, Eccleſiaſtæ Veteraquinatis Lydii Collegæ filius, diſcipulus ante pauculos annos meus, ſed qui immaturus adhuc diſciplinæ ſe noſtræ ſubduxerit, Dordrechtoque Franekeram, indeque Leidam ablegatus, Sibrandiana prius inſtitutione, hinc Polyandri auditione, mox audiendis Homiliis parentis (qui vir nec prima Latini ſermonis elementa ſcit, ſed αὐθαδείᾳ non multos pares reperit) tantùm & ſibi & Parenti maximo intra biennium & trimeſtre profeciſſe viſus, ut idoneus crederetur, qui Paſtor fieret Eccleſiæ Ooſter-Goudenſis: quod & ambitu paterno facilè eſt conſecutus, ſegneſcente indies cleri diſciplina, & mutuum mulis ſcabentibus, ridentibus & ringentibus interim veteribus condiſcipulis, qui cum ſe ei ſuppares fuiſſe ſcirent cùm à nobis diſcederet, nondum tamen eo jam Paſtore ferulæ manus in ſchola noſtra ſubduxerunt. Sed neque ſegnem Muſenholio navavit operam Pollio, qui jam ſic ſeſe iis civitatibus commendabilem facere ſtudebat, ad quas ſe τῦ μελλοντιθέιν Polyandri opera brevi vocando non falſo ſperabat. Atque hi illi ipſi ſunt, qui in Bredana claſſe ultima, atque aliàs in conviviis & circulis abſolutam Catecheſeos ſubſcriptionem importunius cæteris urgebant. Quam ob cauſam literas ad adfinem dedi, quibus ſubſcriptionem iſtiuſmodi, à qua jam ante abhorrebat, penitus diſſuadebam. Oſtendebam Synodis aliquot confeſſionis exigi ſubſcriptionem, nulla verò Catecheſeos, ac ſynodicæ fortaſſis, minimè verò claſſicalis eſſe authoritatis, novum in Eccleſia morem inducere; tantoque hoc ferendum minus, quod nuſquam in Hollandia ipſa, non in ipſa Claſſe Dordrechtana, cujus tot annos pars fuiſſet, conſuetudo illa obtineret. Sed & Synodo Gorchomienſi, & edicto illuſtrium Ordinum poteſtatem omnibus factam Paſtoribus, tam Confeſſionem quàm Catecheſin examinandi, ad Scripturarum trutinam; quo ſi quid alterutrius Authores humanitus paſſi viderentur, ejus indicium & judicium fieret in Synodo conſecutura: dubitandum autem minimè eſſe, quin aliqua contineantur Catecheſi, de quibus diſſenſus ſit inter præſtantes Eccleſiæ reformatæ doctores, ut de deſcenſu ad inferos, de juſtitia activa, & ſimilibus: proindeque non debere quemquam ad abſolutam ejus ſcripti ſubſcriptionem compelli, priuſquam Synodicum judicium factum eſſet. Quamquam verò affinis ſubſcriptionem nunquam ἁπλῶς detrectarit, ſed dixerit ſemper, nolle tanquam Scripturis Canonicis ſubſcribere, ſed ut præſtanti Theologiæ compendio, in quo ſi quid fortaſſe Scripturis ac rationi rectæ conſentaneum magis dici potuerit, ſaltem neceſſaria omnia Religionis Chriſtianæ capita ſalutariter explicarentur; tamen nec hoc modo aliud profecit, quàm ut diceretur, niſi ἁπλῶς ſubſcribere paratus eſſet, redditurum ſeſe novitatis ſuſpectum. Nempe caſſa hac terricula percelli, & à propoſito dimoveri poſſe arbitrabantur. Poſtea per urbem diſperſum, proclinare, uti Boxhornium jam diu, ita jam nunc Diamantium quoque in Remonſtrantium partes; ut qui Catecheſin ſubſcribere formidaret, quam tamen ipſe ad populum interpretaretur. Suſpicionem auxere, quod duo vel tres Muſenholii familiares, qui libellos nuperos ἱεραπικῶς legiſſent (cæteri enim nihil inſolens in affinis concionibus animadvertebant) dicerent affinem aliter quædam Scripturæ loca enarrare, quàm à Calvino factum eſſet, quem ſuper iis conſuluiſſent; tum autem, quod cùm à gratiæ divinæ contemptu neglectuque populum dehortaretur, hoc aliquanto fervidius feciſſet, nec addidiſſet, ut Electi hautquaquam vel reſiſtere Spiritui Sancto, vel eum excutere poſſent: quorum utrumque ſacro verbo doceremur. Sed & de concione dixerat adfinis, gentes non omni veri Dei cognitione fuiſſe deſtitutas, ſed eam in mendacio detinuiſſe; planéque videri, niſi id ab iis factum eſſet, divinam bonitatem, ac miſericordiam majori eas gratia fuiſſe dignaturam: nunc culpa ſua periſſe, quia citra gratioſum fidei donum nemo Deo placere ad juſtificationem, ac ſalutem dandam poſſèt. Ob quem ſermonem adfinem in Conſiſtorio reum agere non dubitavit Muſenholius; ſed peragere non potuit. Nempe dixiſſe dicebat, poſſe gentes ſalvari ſine fide in Chriſtum: contrarium autem ſeniores, quos vocant, ſe audiſſe profitebantur. Ad hæc contigit, ut Lansbergius, Hillerus, alii, Amſtelodamenſibus aperto ſchiſmati ſtudentibus, formulam concordiæ, aut quocumque nomine appellare lubet, ad vicinas Eccleſias miſerint, eaſque inter Bredanam: in qua cùm Boxhornius, & adfinis nihil niſi pacem Eccleſiæ ſpectari viderent, nec abludere ab nupero Ill. Ordinum edicto judicarent, non gravatè manu ſua adſenſum ſunt teſtati. Non factum mallem, haut quidem quia mali hic videam quicquam; ſed quia per quos iſthæc procurentur minus tacituros putarem. Sanè vix ſubſcripſerat uterque, primo, ni fallor, alibi, mox Bredæ res ad Muſenholium indeque in vulgus dimanavit. Jamque dicterio hoc notatur adfinis, quod qui gravatus ſit ſubſcribere Catechiſmo, hic Illuſtrium Ordinum Edicto (ſic formulam nuncupant) ſubſcriptione ſua dignetur: quaſi dicant, divinis humana poſthabere. Dixi ante, qui de Eccleſiaſtarum, aut Candidatorum etiam grege Muſenholio maximè ſtudeant; ſed & in urbe habet is duos, tres, qui operam ei ſuam commodent; homines tanti typhi, ut cum literaturæ omnis penitùs ſint rudes, melius cunctis Eccleſiaſtis, ſeſe controverſiarum obortarum gnaros eſſe jactitent. Hos inter quis fami-

ſamiliam ducat, me non monente ſcies, ſi ſcias eſſe unum ex iis ægrorum conſolatorem, quo hominum genere jam ab aliquot retro annis, nihil reperi naſutius, nihil ad turbandas Eccleſias, vel aptius, vel proclivius; Imprimis ſi factionis ſuæ ducem aliquem Eccleſiaſtarum nanciſcatur. Ita, ut alios mittam, memini Dordrechti, Eccleſiaſtas nullum magis metuere, & concionum, & vitæ apud vulgus cenſorem, quam ejus ordinis hominem: qui & cùm Lydius de reprobationis dogmate mollius ſentiret, & cuidam ſeparatiſtæ Roterodamenſi non in cunctis aſſentire poſſet, eum paſſim traducere cœpit apud ſuos, quaſi in Remonſtrantium caſtra deſciviſſet. Sed Lydius, cùm tam atrocem, ut ipſe interpretabatur, calumniam diſſipare vellet, proximis homiliis graviter in Remonſtrantes detonuit, multumque ea arte hominis labefactavit fidem. Verùm ad Bredanum illum minimè ſanctum περιλάλητον redeamus, qui ſimiliter apud ſuos, ut Remonſtrantem paſſim traducit adfinem. Quemadmodum verò olim nihil Chriſtiani ipſo nomine erat inviſius, abundeque illud criminis, imo crimina omnia complecti credebatur: Itidem Muſenholius, περιλάλητος iſte, & pauculi ejus farinæ alii, ſic Remonſtrantis nomen apud non paucos exoſum reddiderunt, ut qui Remonſtrantem dixerit, hæreſium omnium ſentinam, & aliquem qui per ſchiſma ad Patriæ proditionem muniat viam dixiſſe videatur. Sanè Muſenholius his diebus in menſa Amitini noſtri, apertè ac ſine circuitione dixit, Remonſtrantium hoc propoſitum eſſe, ut paulatim Papatum invehant. Hoc qui apud eos facit qui ſunt nobis affinitate conjunctiſſimi, nec ob prudentiam facilè admodum calumniis iſtiuſmodi fidem habent, quid non effutiat apud imperitum vulgus? ſanè jam tantùm per ſe ſuoſque effecit, ut dicantur ducenti, aut circiter hac una de cauſa à ſacra ſynaxi abſtinere velle. Hæc malè adeò adfinem habent, ut jam menſes aliquot, ſed per intervalla, cum morbo graviter conflictetur, quem non aliunde quàm animi ægritudine contraxiſſe putamus: planeque metuimus, ne ſi (quod Deus avertat) res in apertum ſchiſma prorumpat, affinis ſit ferendo. Sanè mœror multis μοῖραν arceſſere ſolet, ut non temerè ſit, quod ex etymo hoc mœrorem à dolore diſtinguant Grammaticorum filii. Per adfinem non ſtabit uti neque per Boxhornium quo minus Eccleſiæ ejus conſervetur concordia; tantùm neuter adigatur ad Manichaica illa publicitus vel docenda, vel audienda. Miſeret profecto Eccleſiæ, quæ vix dum Papatus jugum excuſſit; ac jam nunc per concionatorem iſtum (Tulliana, non vulgari tantum conſuetudine nunc vocem eam uſurpo) ſuſpicionibus ac calumniis à fidis Paſtoribus avocatur, abſterreturque. Mihi quidem omnimodo laborandum videtur, ut concordia retineatur. Qua autem ratione id confieri poſſit, tu, Ampliſſime vir, pro aquilina illa ingenii tui perſpicacitate longè citrà dubium melius me vides. Dicam tamen quod in mentem venit. Non dubium mihi quin Hagæ, noris optimè Ampliſſimum D. Martinium, Senatorem Curiæ Brabanticæ, & Bredani Senatus aliquando partem, eoque qui indolem atque animos Magiſtratus Bredani optimè noſſe poſſit. Quid? ſi is quempiam Procerum, cui maximè fidat, literis moneat, ne patiantur civitatem ſuam ſchiſmate diſtrahi miſerè, ſed Eccleſiaſtis ſuis præcipiant, ut concordiæ ſtudeant, nec in controverſiis obortis prudentiſſimum Illuſtrium Ordinum Edictum tranſgrediantur, ſeu Manichaica ſeu Pelagiana docendo. Imprimis verò, quid? Si Magiſtratus illum ægrorum conſolatorem, & unum alterum illius κίβδηλα monetæ ad ſe arceſcat, graviterque commonefaciat, ne ultra crepidam ſapere velint, multo minus piis & doctis Paſtoribus Eccleſiæ ſuæ hæreſeos notam inurere, ac vulgus à ſacra ſynaxi abſterrere velint. Equidem magni referre puto, ne ea civitas ſchiſmate turbetur, quæ & Eccleſiam habet novellam, & à Principe gubernatur Pontificio, & magna ſui parte principis ſequitur religionem, & quod caput, quæ hoſtili adeo ſolo eſt propinqua. Non dubito, quin ſi quid iſtiuſmodi vel Illuſtres Ordines, vel Illuſtr. Princeps Mauritius reſciſcat, principiis tanti mali ſint obſtituri. Cùm ante menſes duos tres adeſſet nobis adfinis, author ei fui, ut quod facilè poterat, Hagam excurreret ad reverendum & ſummum virum D. Uytenbogartium, eique ſtatum omnem Eccleſiæ ſuæ exponeret. Nec à conſilio eo multum abhorrebat adfinis; tantum metuebat, ne ſi cum eo communicaſſe conſilia ſua innoteſceret, plus Eccleſiæ ſuæ res ea damni daret, ut nunc quidem ſunt tempora. Cogitabat etiam qui Muſenholii mos eſt, facile ſi vel levem ſuſpicionem concepiſſet, hoc ſibi exprobraturum: nolle autem hoc committere, quod negare non poſſet. Hæc ego cùm ſcirem, putavi non malè me facturum, ſi vel ipſe ad clariſſimum Uytenbogartium ſcriberem, vel, quod poſtea prætuli, tuæ rem omnem prudentiæ committerem, qui, ſi conſultum putabis, cùm eo rem communicabis, feci autem omne hoc nullo iſtius rei gnaro: Affine vero tam ignaro quam qui ignariſſimus. Pene hoc ſignificare exciderat, (quamquam exigui videatur momenti) ante hebdomades duas Muſenholium fuiſſe in urbe noſtra non tam, puto, ob nuptias Pollionis quibus interfuit, multa cum Feſto (ejus latus dextrum claudebat) muſſans diutiſſimè; quam ut cum, quem dixi, viro nova turbandæ civitatis conſilia caperet. Sanè ratiocinari poſſim, uti de Clodio in Miloniana Tullius, niſi magnum aliquod fuiſſet, cujus cauſa urbe exiret, non tum potiſſimum ſe ad iter fuiſſe accincturum; ſciebat enim utrumque collegam ſuum valere malè. Sed abſente eo famula (quicum conſilia ſua homo prudens communicare videtur) dixit, non poſſe in urbe durare, in qua videre cogatur tam multa præter animi ſui ſententiam. Intelligo ex quodam, qui Feſto utitur familiariter, eundem cum domum reverſus eſſet Eccleſiæ Ter Heiden (cui ante inſervivetat Pollio) commendaſſe illum, qui ſub cruce Roterodami (ſic loquebatur) concionatus hactenus fuit. Nempe exiſtimatur ille ſuæ conſtantis καθαρότητος aliquod dediſſe experimentum in urbe veſtra, eoque dignus putatur qui jam perpetuus certi loci Paſtor fiat. Ego ab iſtiuſmodi hominibus, in Bredana diœceſi nihil boni ſpero, qui prius fratribus ſeparationis, ſeu Separatiſtis, ut in Anglia vocantur, ſeu Donatiſtis novellis, ut veteri eos vocabulo inſigniamus, ſeſe factionis præbuerunt duces. Quamobrem hoc quoque ad adfinem primo tempore, perſcribere animus eſt, quo cum collega Boxhornio videat, ne ſua puſillanimitate Eccleſiæ aliquid adferat detrimenti. Vale, Magnifice, Ampliſſimeque Domine; Et ſi occaſio dabitur, ne quæſo gravare ſalutem meo nomine dicere Clariſſimo Uytenbogartio; cujus ego ſalutandi cauſa ſuperioribus feriis Hagam excurreram; ſed cum Principe prandere dicebatur; mihi autem, ob neceſſaria quædam negotia, diutius Hagæ hærere non licebat: ita factum ut ex quo tempore una tecum ei adfueram, præſtantiſſimum virum non viderim. Iterum Vale.

3. Decemb. 1615. *Amplitudini Tuæ Obſervantiſſimus,*

GERARDUS VOSSIUS.

---

## XVIII.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius

S. P.

*Quæ de jure ſummi Magiſtratus in Eccleſiaſticis ad illum antea perſcripſiſſet repetit, quod Uytenbogartio eſſent mittenda, quæ in proximo colloquio tam ardenter ille expetiviſſet.*

MAgnifice Ampliſſimeque Domine; hodierno mane nunciavit mihi ornatiſſimus collega meus, adveniſſe in Urbem Uytenbogartium, ac quod antea factum nunquam velle me inviſere: collaturum autem de jure ſummi Magi-

Magiſtratus in Eccleſiaſticis. Statim intellexi quem vellet, non id colloquii aut diſſertatiunculæ ergò fieri, cùm ignorare non poſſet, quam mihi curta ſit ſupellex: ſed potius quia poſtulare ſtatuiſſet, quæ hac de re nuper ad A. T. ſcripſiſſem. Nec ea me ſuſpicio fefellit. Nam vix de valetudine mea, & ſtatu Collegii noſtri exquiſierat, cùm ſermonem injecit iſtiuſmodi, ecquid ſub manibus haberem, quod brevi lucem adſpicere poſſet. Et cum negarem me ob difficultatem muneris in hiſce quaſi primordiis aliquod edecumatum, & ſeculo dignum elucubrare poſſe: porro inſtitit, nihilne de principali jure in Eccleſiaſticis eſſem commentatus. Sciebam quo tenderet, & mentiri non erat meum. Reſpondi igitur, ante trimeſtre aut amplius, ſententiam meam, ad aliquem chartæ illeviſſe, ſed ſtatuiſſe, ſimul ac paulum otii nactus ero, quatuor, aut quinque diſputationibus eam rem in Collegio accuratius pertractare. Non improbavit conſilium: ſed tamen optare ſe interim dixit, ut ſibi inſpiciendi eorum quæ ſcripſiſſem, qualiacumque ea eſſent, facerem poteſtatem. Addebat, jam à tribus retro menſibus, vel amplius ſciſſe ſe me aliquid tentaſſe. Dicebam mirari me unde hoc haberet, cùm præter eum ad quem ſcripſiſſem, nemini mortalium rem communicarim, uno excepto Collega, qui fidem dediſſet ſe cum nemine hac de re verba facturum. Reſpondit ſe ex A. T. rem cognoſſe. Idem dicebat D. Epiſcopius, qui aderat: Non tam naris obeſæ eram, ut non odorarer, cur hoc mihi perſuaſum vellent, ſed tamen diſſimulabam. Optarim interim magis Collegam hac parte litaſſe Sigalioni. Imo meipſum. Quando imquè ab altero ſilentium exigit, qui ipſe illud præſtare non potuit. Addebat, D. Uytenbogartius, ſi bona mea venia fieret, velle ſe ab A. T. ſcriptum iſtoc expoſcere. Dixi non diſplicere, ut prius videam, quid ſcripſerim: putare enim alia etiam familiaria eis literis eſſe admiſta. Velle itaque quamprimùm ad te ſcribere. Rogavit igitur, ut hoc quamprimùm facere vellem: Rem me ſibi gratiſſimam facturum. Nunc oratum te velim, ut ſi otium horulæ detur, oculo volanti percurras, & ad oram Epiſtolæ lineam tranſverſam ducas, ubi quid à me prætereundum arbitreris. Si tamen id per occupationes non potes, ipſe agam, priuſquam alteri chartas iſtas exſcribendas dedero, quo Uytenbogartio mittam. Illud quoque candidè ſcribere illi ſtatui, ſiquid hic boni ſit, tuæ hoc A. tribui debere, cujus hac de re ſententiam, non ita pridem antea legiſſem. Quod ſi illud ipſum Exemplar, quod A. T. habet, mitti poſſet, opus foret ſimul addere, ne cui illud alteri innoteſceret, quando ad te familiariter ſcriptum eſſet more Romano, non ſeculi noſtri. Vale, Magnifice Ampliſſimeque Domine, & uxorem ſaluta τὴν δίαν γυναῖκα.

XXVII. Jun. CIↃ IↃCXVI.

*T. A. Devinctiſſimus*,

G. J. VOSSIUS.

---

XIX.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

S.P.D.

*Senatoriam gratulatur dignitatem. Sugillat libellum Lucii cujuſdam contra Grotium & Hollandiæ Ordines ſcriptum cujus refutationem ſe velle ſuſcipere dum hiſtoriam de Semi-pelagianiſmo & vicinis contrariiſque erroribus recoquere proxime inſtituet. Corvinum in Antibogermanno ſuo multum laboribus ſuis debere affirmat. Auguſtini contra Julianum libros hactenus ineditos nunc ſe vidiſſe dicit. Judicium ſuum ſuper illis Menardi ad Auguſtinum mittit, item Epiſcopii ſuper Diatriba Grotii de Redemptione, cum obſervationibus quibuſdam ejus profert. Aſſeruntur quædam de ſcripto quodam Walachriano.*

MAgnifice Ampliſſimeque Domine: Quamquam, ut apud Varronem eſt, bonus eſt honos qui ſuſtinet Remp. tamen te novo hoc, ſeu onere honoratum, ſeu honore oneratum, multis profecto nominibus eſt quod gaudeam. Nam verum ſi dicere licet, quamquam tu externos honores non magni æſtimas; tamen nefas fuerit, in hac præſtantium virorum inopia, inclytum virtutis tuæ ſplendorem in patrio ſolo intra unius, honeſtiſſimum licet, Syndici titulum conſtringi. Et lectiſſima uxor tua, animæ dimidium tuæ, habet tota quod mente petivit, domicilium nacta in medio conſanguineorum, & familiarium, quod illi melius, quàm omnis Bataviæ & Zelandiæ cappares lienem deducet. Nec minus conſilio auxilioque hic poteris prodeſſe tuis, quos inter me etiam repono, cùm maxima mihi abs te ornamenta proficiſcantur, nec patiaris ullum mihi in te commodum claudere. Denique quod palmarium credi debet, talem Senatorem hæc Reip. tempora poſtulant. Te quidem deſtina ei deſtinato, fruſtrà omnes fore auguror, qui eam labefactare conſiliis ſuis conantur: atque ne vanus unquam comperiar, Deum Opt. Max. votis ſupplicibus oro. Libello Lucii (penè Lucidi dixeram, prope adeò ut nominibus, in doctrina conveniunt) horas ſex ſeptem impendi. Quid dicam? Doleo populari meo (uterque enim Palatini ſumus) non plus ineſſe ſatis. Non de publico tantùm, ſed ipſo etiam benè mereatur, qui tam inſulſum ſale candido defricare volet, ne putreſcat totus. Veriſſimè Lingershemius ad te quos ille reos agit Semipelagianiſmi juſtius arguere ipſum poſſe ſeſquiaſinini. Sed tamen cogitato opus, num ſi pedem cum eo ſtruere lubeat, cominus ſemper congrediendum, ejuſque veſtigiis inſiſtendum ſemper putes: quod ſi fiat, neceſſe habemus reſpondere ad quinque illa Haganæ collationis capita, & ea quibus adverſum te pugnant S. Scripturæ loca. An verò ſatis putes, ſi quæ Pelagii, Semi pelagianorum, Catholicorum communiter, Auguſtini ſingulariter, & Prædeſtinatianorum fuerit ſententia diſtinctè proponam, & non uno tibicine ſolidè ex vetuſtate fulciam: ſimul ſicubi opus, argumentis alienis occurram. Quidquid præſcripſeris, parebitur. Nam ſeu hanc ſeu alteram inſiſtere viam lubeat, facilem mihi victoriam hinc ſpondeam: nec meum eſt ferre, Palatinatum produxiſſe, qui nomen cùm tuum tùm Illuſtriſſimorum Ordinum decolorare cogitet, nec produxiſſe, cui illud curæ ſit vindicare. Quocirca ſimulac præfuero diſputationi de creatione, quam his diebus ſcripſi (exemplar theſium ad te mitto) bonis avibus ordiar recoquere hiſtoriam de Semi-pelagianiſmo, & vicinis contrariiſque erroribus. Futurum hoc intra triduum ſpero. Hoc magis autem cogitandum erit, ut aliquid novi adferam poſt Corvinum, quando ille meliorem laborum noſtrorum partem nobis non invitis in Antibogermanno ſuo exſcripſit. Nam præter ea quæ Dordrechto illi per te miſeram, Lugduni hic utendum dedi, quidquid teſtimoniorum ex antiquitate de ſingulis Hagenſibus controverſiis, non ſine labore longo congeſſeram. Quod cum ſciret ipſe, ante ſemeſtre & amplius in familiari ſermone ſubvereri ſe dixit, ne dum magnam laboris noſtri partem in ſuas cameras convehit, non tantum honoris qualemcumque fructum interceperit nobis, qui tanti non eſt mihi, ſed etiam reliquum quod fecit, depreciaverit planè, cùm eadem à me reponi minimè ſit ex honore utriuſque noſtri. Ego ſecurum eſſe juſſi, quandoquidem reſtarent alia multa, quibus locum eorum quæ exſcripſiſſet, ſupplere abundè poſſem. Quod veriſſimum eſt, ſola temporis anguſtia premor, quo minùs ea curâ hæc tractare poſſim, quâ optem. Auguſtini adverſus Julianum Libros hactenus ineditos jam menſis circiter eſt quod vidi, ſed otium legendi non fuit. Aliquam multa tamen folia delibavi, nec dubito, quin genuinus ſit fœtus. Statim igitur codicem tuum remittere debuiſſe dices. Ego verò cùm tam multas præclaras emendationes ad oram Codicis tui adſcriptas viderem, gaudio propè exſilui, nec

com-

committendum putavi, ut me fraudarem ejus libri uſu, priuſquam omnia ad Codicem meum adſcripſiſſem. Quod bona me cum venia tua facere ſpero. Ne tamen diutiùs quàm par eſt, te libro tuo defraudem, promitto non plus quàm bidui hanc moram fore. In illis ad Auguſtinum notis Menardi, ſolam culpem brevitatem. Tamen ſpero nunc aliquam quoque utilitatem nobis adferre poſſe. At quæ de Pelagio, & Semi-pelagianis narrat, jam ante obſervata nobis. Nec quantum meminiſſe poſſum, aliud quàm Baronianam Epitomen continent. Quod cum nec ipſe diſſimulet, candorem ſanè laudamus. Meurſius cùm ſecundò ad me ſcriberes, Hagæ fuit, ac reverſus demum die Mercurii circa veſperum. Die Jovis mittere Baſſamonem neglexit, fecit id die Veneris. Quem quin eo ipſo die, quo tertio ſcripſiſti ad me, hoc eſt, die Sabbathi acceperis, nullus dubito. Mirari ſatis non poſſum quod nihil ab Uytenbogartio reſponſi accipio. Nam niſi memoria fallor, jam ſextus eſt dies quod ad eum ſcripſi. Rogatam autem ut quamprimùm Epiſtolarem diſſertatiunculam meam remitteret; ſi tanti putaret, curaturum me, ut intra paucos dies reciperet. In mentem venit fortaſſe rectà ad te mittere malle. Niſi forte aut domo jam abeſt, aut aliquem deſcribendi cura interim fatigat. Herpenius ſuper quæſtionibus à te conſultus, indiculum earum Amſtelodamum præmiſit, ad præceptorem ſuum Judæorum quotquot hodie vivunt eruditiſſimum. Ac ſe diem unum alterum hic ſubſtiturum dixit, ſimulque de iis cogitaturum: inde cùm ſua etiam cauſa Amſtelodamum ire cogatur, rectà eo profecturum, ut cum Magiſtro ſuo de iis conferre poſſit. Velim apographa illa duo, in quibus tam fœdum hiatum eſſe ſignificas, ſimulac poteris remittas. Curabo ut quàm ocyſſimè, quicquid omiſſum eſt ſuppleatur. Simul ut alia quæ voles vel adjiciantur, vel corrigantur. Epiſcopio ante dies paucos adfui. Dixit ſe, magna cum voluptate diatribam tuam περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως legiſſe: & judicare, nihil ingenioſius, eruditius, ſolidius, ea in controverſia à quoquam ſcriptum eſſe. Cùm idem mihi videri dixiſſem, ſed tamen hominem neminem eſſe, qui non aliquid interdum humanitus patiatur, eoque impensè rogare me, ut ſicubi deſideraret quicquam, liberè apud te ſententiam ſuam exponere vellet: ille in priori judicio perſtitit, nec habere dixit quod requirat; niſi fortè, inquiebat, quod paſſionem Chriſti conſideres ut pœnam propriè dictam: Nam diſpiciendum eſſe, an non ſatius multo ſit, cùm ſcripturis vocare Sacrificium, idque imperatum à Patre, & voluntarie à Chriſto ſuſceptum. Nempe ut dicatur, Deum, quo fœditatem peccati & ſui erga nos amoris magnitudinem commonſtraret, decentiùs omnium judicaſſe, neutiquam peccata remittere, niſi interveniente cariſſimi filii ſui ſacrificio, quod tantæ ἀξίας fuerit apud Deum, ut ejus cauſa omnibus in filium credentibus peccata remittere velit. Memini etiam ante trimeſtre & ampliùs, Samuelem Nætanum, Eccleſiaſtem Amerſfurtenſem, hanc ipſam ſententiam apud me defendiſſe, tanquam quâ magis fugiamus incommoda, quæ Socinus objectat, & quæ tamen minimè infringat τῆς ἀπολυτρώσεως veritatem, vel dignitatem. Petii ab Epiſcopio, ut de hoc ipſo, & ſi qua alia eſſent, per literas ſententiam ſuam communicare tecum vellet. Reſpondit, minimè gravaturum ſe hoc facere, cùm omnia tua cauſa velit & debeat; ſed non uſque adeo magnam ſibi familiaritatem, vel notitiam tecum intercedere; eoque malle ut ipſe judicium ſuum perſcriberem: præterea, ſi quid talium literis committat, minimè ſatis videri ut ſententiam ſuam quaſi de tabella pronunciet, verum enimverò rationibus ſolidis eam firmandam fore: quod quominus facere nunc poſſit, obſtare occupationes, quibus diſtineretur. De ſolicitudine tua pro affine Junio, & illi gratulor, & mihi gaudeo, & tibi gratias maximas utriuſque noſtri nomine ago. Sanè conſilium impensè placet. Quare & cum ipſo, & cum Diamantio quamprimum rem omnem communicare decretum: Mox, quid cum mihi tum ipſis videatur, te faciam certiorem. De Walachriano ſcripto eſt, quod ſcire tua interſit. Vix octiduum erat, quod apographum nacti eramus, jam ſubolueratZelandis. Scire te arbitror, Uytenbogartium deſcribi curaſſe, exemplar hoc ſuum ad Epiſcopium miſiſſe, hinc & Corvinum & Barlæum, illum ut brevibus ad oram notis caſtigaret, hunc ut oratione fuſa refelleret: ſed & per aliorum manus volitavit: nihil igitur mirum, ſi ad plures, atque ipſos etiam Contra-Remonſtrantes res emanarit, præſertim Barlæo, & ex hoc Œconomo noſtro, rei totius gnaris: de quibus hoc amiciſſimorum ipſis judicium eſt, nihil vel ſub ſilentii fide committi illis debere, niſi quod utile exiſtimemus omnibus innoteſcere, vel ſaltem non damnoſum. Cæterùm vix Walachriani literas ex Hollandia acceperant, quibus de apographo, quod hic jam haberemus, facti erant certiores: ſtatim ad ſe Amanuenſem unus cæterorum nomine vocavit. Miſer Amanuenſis, inter ſacrum & ſaxum hærens, & magis de fortuna ſua (quam à Zelandis Eccleſiaſtis, Burſio imprimis, pendere videbat) quam de gloria Dei ſollicitus, negavit ſe cum illo exemplar quoppiam communicaſſe; atque hoc eo fidentius faciebat, quod perſuadere ſibi non poſſet, adfinem meum ſecum exemplar ſuum in Hollandiam portaſſe, & hoc ut feciſſet, Remonſtrantibus fuiſſe communicatum. Perſtabat Burſius apud eum ut verum diceret: Sed ille item in mendacio perſtabat: Unum tantummodo hoc fateri voluit, adfuiſſe ſibi adfinem exemplaria deſcribenti, & legendo partem bonam percurriſſe. Quod ſimulac audiit Burſius, ille impensè adventum adfinis ex Hollandia deſiderare: vix cognorat rediiſſe, quærit an cuiquam in Batavia de claſſis Walachriæ conſilio aperuiſſet quicquam. Benè ſecum affinis agi putavit, quod non aliud rogaretur: confeſſus eſt, & putare dixit, nihil in eo peccatum eſſe. Burſius verò dicere, graviter peccaſſe, multumque in Remonſtrantes debacchari, & culpare adfinem, quod tam bonum claſſis conſilium ſua lingua diſturbaſſet. Porrò arbitratur adfinis, quantum ex Burſii ſermone colligere potuit, dubitare nunc Eccleſiaſtas Walachrianos, utrum ex re ſit, judicia exterorum à ſe exquiri, poſteaquam ad Remonſtrantium hoc aures pervenit: facilè enim alios ad ſe metientes, cogitare poſſunt, minime eos hic ceſſaturos. Omninò utile ſit certò conſtare, quid conſilii cœperint Walachriani. Nam Barleana Oratio, & Corvini breves caſtigationes jam confectæ ſunt, vel adfectæ. Et ſi ad exteros mitti debeant, jam prelo tradi tempus ſit. Locutus hac de re ſum cum Epiſcopio: ille recepit ſe acturum de eo cum Uytenbogartio. Hactenus in ſcribendo perveneram, cùm ecce adeſt Epiſcopius; narrat ut Hagam poſt horas aliquot ſit iturus: veniſſe ad me ut diatribam tuam reſtitueret. Iterum in priorem ſermonem incidimus: pauloque nunc fuſius de ſatisfactione diſſertabat. Hoc unum inter nos & Socinum in controverſia relinqui putabat, num Chriſtus patiendo ſolùm apud homines aliquid egerit, an item apud Deum: poſterius negare Socinum, ſed mirè & miſerè ſcripturas torquere, atque id ſolidè à te demonſtrari. Verum porro quæri, quid illud ſit quod apud Deum egerit. Vulgarem eſſe opinionem, pœnas, quæ nobis debebantur, pertuliſſe. Unde & eo ſit deventum, ut deſperaſſe, & tartareos ſenſiſſe cruciatus putaretur: quæ ſententia ut impia, rectè refellitur à Loenſi Anglo in ſua Sabbathi effigiatione. Verùm ut non eouſque cum vulgo procedamus, ſi tamen Chriſtum pro nobis pœnas ſubiiſſe dicamus, ne hoc ipſum quidem ſatis convenire cum eo, quòd peccata nobis remittrentur. Nec enim gratuitam eſſe remiſſionem, ſi alius ſolvat. Dicere quidem te, hoc ipſum gratiæ eſſe ingentis, quod peccata noſtra impoſuerit filio: ſed tamen non ſatis hoc eſſe, vel ſaltem non videri ſatis, ut ſit vera & propriè dicta remiſſio. Quare nec videri ſatisfactionem eſſe iſtiuſmodi, qualem vulgo opinentur: ſed quemadmodum in Vet. Teſt. ſacrificio oblato peccata remittebantur nemine pœnas ſubeunte: ſic in Nov. Teſt. remitti peccata interveniente Sacrificio Chriſti; quæ melior victima ita accepta fuerit Deo, ut propter eam peccatis cunctis ignoſcat. Quocirca in eo propriè Socini errorem conſiſtere, quod negarit Sacrificium Chriſti eſſe propriè propitiatorium; quod multis Scripturæ

locis

locis adverſus eum rectè à te demonſtretur: Seque aliis qui in Socini ſententiam proniores videbantur, ſubinde idem dixiſſe & demonſtraſſe. Dicebat præterea, duo tria eſſe, in quibus neſciret, an tuam ſententiam ſis probaturus Theologorum vulgo. Unum eſt pag. IV. ubi de materia ſatisfactionis tractans, eam eſſe dicis, tum cruciatus mortem antecedentes, tum præcipuè mortem ipſam. Adſcribere quidem ad oram, non ſolùm corporales à te cruciatus intelligi, ſed vel imprimis illas animæ perpeſſiones, quas voce λυπεῖσθαι, & ſimilibus ſignificet ſcriptura. Verùm nihil dicere te, quo cognoſcamus alios te animæ dolores intelligere, quàm è corporis cruciatibus provenientes. Alterum eſt pag. 16. ubi qualitates primitus creati ac deinde reſuſcitati corporis inter ſe ab Apoſtolo conferri vis; quorum illud habuerit cum naturali moriendi poſſibilitate, conjunctam ex divino beneficio vivendi quoque poſſibilitatem; hoc verò vitam ita in ſe habiturum ſit, ut *nulla ei adſit moriendi poſſibilitas.* Eamdem dicebat Socini eſſe ſententiam, ut qui corpora nos etiam κατ' οὐσίαν ſpiritualia habituros putaret. Cæterum juniores omnes, atque ſuo judicio veteres item ad unum omnes moriendi poſſibilitatem concedere, ſolum actualem mortem negare. Tertium eſt pag. 51. ubi ais, poſteris Davidis peccata eſſe remiſſa, non tantum ob promiſſiones Davidi factas, verùm etiam quia Davidis actiones Deo placuerant. Hoc quoque inſolens viſum iri putabat. Nihil tamen horum non probari ſibi dicebat: imprimis tertium iſtoc. Nempe quæcumque iſtic dicis, ut oſtendas ſolere etiam ſæpe actionem gratam admitti velut in pœnæ compenſationem, hoc ipſum pro ea ſententia facere dicebat, qua Chriſtus placaſſe Patrem creditur, nôn pœnarum pro nobis perſolutione, ſed oblatione victimæ ſummæ εὐωδίας. Denique monſtrabat manifeſtum animi minus præſentis σφάλμα, pag. 54. ubi ais, dicere Socinum, nuſquam ſcriptum eſſe Deum nobis, ſed ſemper nos Deo conciliatos eſſe. Mox ſubjicis verum non eſſe, quod dicat nuſquam eſſe ſcriptum nos Deo eſſe reconciliatos. Affers deinde locum, *Epheſ.* II, 16. ubi Apoſtolus ait, hominem ἀποκαταλλάττεσθαι θεῷ. Atqui receperas, te probaturum Deum nobis reconciliatum: nunc te adverſus Socinum probare ais, nos Deo reconciliatos (neque aliud evincunt verba Apoſtoli) quaſi non hoc ipſum ſit, quod agnoſcit Socinus. Alia quorum moneret, non erant. Tamen abitum parans, verbo indicabat, putare etiam alia à ſe adferri potuiſſe, niſi tantoperè negotiis fuiſſet diſtrictus, ut lectioni lectiſſimi libri tui, non eam potuerit curam impendere, quam oportebat. Hoc vix eo fine ab illo dictum arbitrer, ut ad te perſcriberem. Tamen nihil te celandum putavi. Atque eo fidentiùs id addidi, quia ſcire te ſcio, nihil vel à te, vel mortalium quoquam tam benè ſcribi poſſe, ut non alicubi ſit, quod melius dici poſſit. Sic nempe cum humana infirmitate comparatum eſt. Sed hoc ab editione deterrere non debet. Si enim nihil ſcribi debet, quod non undique perfectionis contigerit metam, nihil profectò ſcribi debet. Et peccarunt omnes Catholici Doctores, quorum tot aurea monumenta ad nos pervenerunt. Noſque Hæreticis in hac vita noxios errores ſpargentibus, ſic ſtudia ſcilicet noſtra componemus, quaſi poſt hanc vitam cum iis diſputare cogitemus. Quocirca te, Ampliſſime vir, rogo, ut neutiquam iccirco tua premere diutius velis; ſed brevi nobis aut Corvino diatribam hanc tuam remittas, quò lucem quamprimum adſpicere poſſit. In Juniano negotio voto noſtro Delegati D. D. Ordinum annuerunt. Maximas tibi meo, & adſinis nomine gratias ago pro commendatione apud Nobil. Barneveltium. Vale vir omnibus omnium elogiis major, præſidium decuſque noſtrum. IX Januarii, CIↃ IↃ CXVII. quem annum viciſſim tibi, conjugi, liberis, totique Grotianæ familiæ fauſtum & felicem ex animo opto.

Emendationes tuas jam exſcripſi. Itaque Auguſtinum tuum una mitto, & pro uſu gratias ago.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

XX.

*Ornatiſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Gerardo Voſſio,

Col. Hollandici, quod Leidæ eſt Regenti ſolertiſſimo.

*Scriptum ejus (de jure Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis) valde laudat, Grotiumque accuratiſſimè de eodem argumento ſcripſiſſe gaudet; quid ſibi agendum ſit hac in re, exquirit.*

*S. P. in Chriſto.*

SCriptum tuum, Ornatiſſime Voſſi, tibi ita petenti cum gratiarum actione remitto: feciſſem citiùs, niſi excipere prius quædam in uſum privatim maluiſſem. Da igitur veniam cunctationi; Citra adulationem, dico ſcriptum hoc tuum ejuſmodi videri, quod unicum ſufficiat convellendis iis omnibus, quos D. Walæus, reliquique levis armaturæ ſuccenturiati milites, contra ſummi Magiſtratus in Eccleſiaſticis, imperium hactenus, in aciem producere ſunt auſi: Ad me quod attinet, tantum abeſt, ut quod autumas, ad umbilicum, opus meum perduxerim, ut jam à multis menſibus non inſpexerim, quæ commentari occœperam. Cauſas quæ variæ ſunt, jam non explico. Poſſem tamen brevi temporis ſpatio, rem expedire juvante Deo, ſi is qui fuit, animi eſſet ardor; Et per occupationes innumeras, quæ tantùm non enecant me, quin & per haſce turbas, ac procellas, quæ animum de ſtatione ſua identidem dejiciunt, liceret. Audio etiam Magnificum Dominum Grotium, accuratiſſimum de hoc argumento ſcriptum jam paraſſe: poſt quem loqui velle, eſt ſemet ludibrio exponere. Vix tamen abſtineo, quin denuo me operi accingam, id ſi utile fore Reipublicæ Chriſtianæ mihi perſuadere queam. Fortè & meâ intereſt, ne penitus elinguis ſim, tanto cum ſtrepitu undique impetitus. At curta nimis mihi ſuppellex eſt. Hæreo, an pergere, an vero figere arma debeam. Si quis, cujus magni facio judicium, properarit, facili momento, animum dubium impulerit. Tu imprimis, Vir doctiſſime, quem quanti faciam, quoque amore, tacito quamvis, complector, & veneror, novit ille qui omnia. Huic te tuaque ſtudia, Collegio cui præes imprimis, ex animo commendo. Salveat plurimum à me conjux lectiſſima.

*Tui ſtudioſiſſimus,*

Hagæ 10 Januarii 1617.

J. WYTENBOGAERT.

XXI.

## A. Schottus, Ger. Voſſio

*χαίρειν.*

*Pro donatis Rhetoricis, quæ accuratiſſimè elaboràſſet, itemque pro communicato ſecum Baſilii Magni MS. codice gratias agit, cujus Græco-Latina editio Lutetiæ adornetur, quam obſervationibus ſuis juvare velit. Cyrilli Alexandrini ἀνέκδοτα pariter ſub prælo fervere ait. Faſciculum obſervationum ſuarum ſtrenæ loco adjicit.*

EQuidem tibi me devinctum eſſe, atque obſtrictum, Doctiſſime Voſſi, dum ſpirabo ingenue profitear, indieſque agnoſcam, tuo me in ære eſſe, duplici nomine; cùm quod Rhetoricis tuis, tam accuratè conſcriptis, nihil ut Neotericum viderim hactenus melius (nihil hic gratiæ tribuo, aut auribus, ſed ut debeo, candidè, ſenſa mentis enuntio) donaris, inaurato libello, & quidem ſponte tua;

tum quod eadem benignitate, animique pii inductione Baſilii Magni codicem calamo exaratum, veteremque, utendum miſeris perlibenter, cùm jam Latinam interpretationem recenſuiſſem, denuo tamen ἀκριβῶς illa contuli diligenter, à capite ad calcem: Etſi ordinem ſæpè mutatum in Baſilienſi obſervaſſem, cujus & paginas, codici tuo (quem cum ingenti gratiarum actione, reſtituo, ac remitto) ad oram adſcripſi; bonâ, ut ſpero, tuâ veniâ; Lutetiæ Græco-Latinam adornant editionem; Nos ἀντιγράφοις juvabimus, ne fruſtrà ſuſceptus à me labor videatur. Codex enim perantiquus eſt, & probæ notæ: debeo itaque vobis, quod committere licuit, cum Cornarii Baſilienſi ultima: Tibi quod ultro conceſſeris homini nihil tale ſperanti, & Rutgerſio, qui index, & fautor fuit; Gevartio etiam, quia attulit, amico, debeo. Si quid aliud ſacrum, (vide quid mihi ſumam) in tua dilitescit Bibliotheca, vel Amicorum, quæſo nobiſcum communica. Sum enim in Patribus Græcis, Latiniſque recenſendis totus, ut hanc decet ætatem, vitæque inſtitutum. Cyrilli Alexandrini ἀνέκδοτα ſub prælo ſunt Nutiano, hoc eſt ἑορταστικαὶ λ΄. καὶ γλαφυρὰ in Pentateuchum, ſed ut lentum eſt omne id operarum negotium in Græcis, proximis nondum apparebunt nundinis. Quod in Rhetoricis Pet. Nunneſii, mihi quondam in Hiberia familiaris, (ut & Phrynichi Eclogas Atticorum verborum Auguſtæ editas, mihi duxerit inſcribendas) librum laudes, ut hominis doctiſſimi, & de Hermogenis ſubtili methodo, ante Sturmium, benemeriti, ſcito me illius habere omnia, etiam Philoſophica, ut erat etiam Philoſophus excellens, Græcéque doctiſſimus, ex ultima editione, quæ quidem typis ſunt edita: ſi legere placet mittam, atque utinam iſthic, ſi ſcholis viſa ſunt utilia, Typographum iſtic quoque reperiant, tua commendatione. Hoc te ſcire volebam, in eamque deferre viſum qualemcumque Opellam. Vale in Dom. noſque amare, ac juvare ne deſine.

Antuerpiæ, Idibus Febr. cIↃ IↃ c xvii, quem vobis annum decurrere opto, fœliciter. Strenæ vicem adjeci faſciculo Obſervationum noſtrarum juvenilium exemplar, ut ſi vacat, nugas noſtras, quas aliquid eſſe, putare videris, recenſeas, doceaſque. Ἔῤῥωσο πάλιν.

---

XXII.

## Gerardus Voſſius, Conrado Vorſtio

S. P. D.

*Antipiſcatorem ejus laudat. Ad maturandas quas habet notationes in N. T. inſtigat. Hiſtoriam ſuam Pelagianam prima occaſione pollicetur.*

CLariſſime & eximie vir, literæ tuæ multum me recrearunt, propter ſummum erga me affectum quem ſpirant. Nec potui non multum gaudere, quo eo dignatus ſis honore, ut ad me quoque partem Antipiſcatoris tui mittendam putaris. Necdum tamen totum per occupationes legere licuit: ſed quæ legi (legi autem plurima) non minori cum voluptate legi, quàm fructu. Adeo multa utiliter à te obſervata. Quæ quamquam ita ſint, ſpero tamen te ἱερωσύνοις iſtis, licet haut ἱερατικῶς à te tractentur, defungi propediem poſſe, extremamque tandem manum admovere velle notationibus in N. Teſtam. quas ab non uno prædicari tantoperè audio. De Camerario non eſt quod feſtines. Simul ac carere eo ultra non licebit, monebo ipſe. Quod ſi quid aliud etiam in Bibliotheca mea uſui eſſe tibi poſſit, tantùm ſignifica. Ego hoc ſic interpretabor, quaſi beneficium à te accipiam. Molanum & Cunerdingium, adoleſcentes longè optimos (quorum utinam omnes ſimiles eſſent) multum amo, partim merito ſuo, partim propter commendationem tuam. Pelagianam & Semi-Pelagianam Hiſtoriam orſus ſum; certiſque eam diſputationibus complectar. Primam deſtinavi Molano, quæ jam abſoluta; ſed antequam prælo traderetur, conſilium tecum capere volui, utrum diutius apud nos ſibi vivere expediat, ubi multorum adeo diſpliceant mores, & perpaucos habeat ſui amantes. Ego in Molano nihil niſi animi firmitudinem requiro. Vale, vir maxime, & te donaque tua æſtimantem porro amare perge.

xxvii. Febr.
cIↃ IↃc xvii.

*T. R. addictiſſimus,*

G. J. Voſſius.

---

XXIII.

## Andr. Schottus, Gerard. Voſſio

V. C. Χαίρειν.

*Qualem de Etymologico eruditis ſpem feciſſet, ut aliquando expleat, hortatur. Colonienſibus Bibliothecam Patrum auctiorem edere parantibus, operam ſe ſuam locaſſe. In Vigilii Tridentini Epiſcopi diverſis editionibus ſi qua melior & auctior itemque in Gelaſium Cyprianum aliosque ſi qua ipſi ſuppetant, rogat, ut ſuppeditet.*

TUæ mihi gratæ, Doctiſſime Voſſi, ſignis amoris, ac benevolentiæ plenis. Perge amabo, nos amare mutuo, & literas provehere bonas, quæ & bonos efficiant, humanitatiſque plenos. Sed Etymologicum tuum, cujus mihi ſpem fecit, imo ſalivam commovit Gevartius noſter, fac, ſi nos, ſi te ipſe amas, brevi editum videamus; ut nihil nos Fungerus, nihil nos Chriſtianus Becmannus poſthac moveat. Tua cupidiſſimis amplectar ulnis, quando tuis Rhetoricis legendis mirè ſum affectus. Colonienſes operæ Bibliothecam illam Patrum, auctiorem parant extrudere, noſtram in cæteris implorant opem! ut Antonius Hiera multa exſpectet à nobis, multa efflagitet. Miſi jam quædam, ad Pontium Paulinum, ad Sulpitium Severum, ad Eucherium Lugdun. Epiſc. & alios. In Vigilio Tridentino Epiſc. ſcire avebam, è tua Bibliotheca inſtructiſſima; an Simleri editio plura, libro v. adverſus Eutychen habeat, quam Georgii Caſſandri, Colonienſis editio; Nam in Pariſienſi operum Caſſandri editione, quaternio acceſſit è membranis Codicis Bibliothecæ Petri Pithoei. Nam Lipſienſis hæc editio, neſcio quo anno evulgata, aucta eſt, à Caſſandriana; hanc rurſum Pithoei codex amplificat, libro extremo quinto, contra Eutychen, ut dixi. Similia ſi quæ obſervata, ſuggeres nobis, per mihi gratum, reique feceris literariæ. Inſpiciat noſter Gevartius, pace tua, Simleri Editio, an melior, an locupletior. Hoc ſi eſt, liceat bona venia veſtra, mihi conferre, ut & Gelaſium ibidem contra Eutychetem, quem non eſſe Pontif. Maximum, ſed potius Gelaſium Cyzicenum tradit Bellarm. Catalog. Eccleſ. Scriptorum. Cap. 494, & 495. In Cyprianum ſi quid ſuppetit, ſuppedita. Nam in Tertullianum laborat Jo. Lud. de la Cerda noſter; cujus vaſta, ſed erudita vidiſti in Maronem Commentaria. Chryſoſtomi, aut Baſilii Græcè ſcripta, quæ penes te ſunt, fac αὐτόγραφα habere poſſim. Vide quam frontem perfricui? Tibi tuæque imputabis humanitati, quando ita largus es, imo & beneficus. Homo nimirum homini, bene merendo exiſtit Deus. Vale, in Domino, noſque ama.

*Antuerpiæ, Idib. Aprilis*
cIↃ IↃc xvii.

XXIV.

## XXIV.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

S. P.

*Deſideratos libros & ſcripta nuſquam ſe reperire potuiſſe refert.*

MAgnifice, Clariſſimeque Domine; Abbotius in Apocalypſin nec in officinarum pergulis, nec in amicorum Bibliothecis comparet. Si ſcripſit, Anglicè ſcripſerit credo, de quo certiora dicere poſſet affinis Junius. Habeo Abbotium de Antichriſto: quem an volueris non ſat ſcio: ſed tamen mittere volui. De reformatione Colonienſis Archiepiſcopi ſæpius à me Bertius eſt compellatus: ſed habere negat, ac vel ad Hogerbetium vel Uytenbogartium remittit. Quorum illum, ſimul ac Haga redierit, compellabo. Reſponſum Junii ad quæſtionem, num arma ad Religionis defenſionem à ſubditis ſuſcipi poſſit, inter ea fuit, quæ ex ore ex tempore dictantis domi ſunt excepta. Habui ea prope univerſa, ſed una cum pulviſculo omnia in Friſiam abſtulit affinis Caſimirus, hoc fine, ut ajebat, ut cum ſuis conferret, & ſi non inconſultum Juniani nominis amantibus videretur, ederet in lucem. Sed antequam tu, Ampliſſime vir, ejus reſponſi apud me mentionem feciſſes, cognoveram ex Coddæo, hoc reſponſum in ſchedis ſuis habere. Ergo quamprimùm conveni: cui ut poſtulatum tuum expoſui, lubentiſſimè ſe communicaturum reſpondit. Sed poſt horas duas rediens, invenire poſſe negat, & cùm inter chartas deeſſe aliquas cognoſcat, metuere ne jam diu ſit, quod alteri dederit legendas, atque in iis etiam ſit hoc reſponſum. Corvinus non arbitratur exſtare apud ſuorum quemquam. Ita vides, ut non defuerit animus morem gerendi tibi, ſed nihil effecerim, quo nomine doleo. Quod in Anglicanis tardè adeò procedatur, partim Bertius in cauſa fuit, qui heſterna demùm die, triplicis Ordinum decreti tranſlationem ad me tulit, partim amanuenſis, induſtrius quidem adoleſcens, ſed qui ab excipiendis, & cum ſchedis commilitonum conferendis Epiſcopii Lectionibus, quas auro contra caras non putat, ægrè avellatur. Jam tamen unum exemplar habemus. Et his feriis natalitiis, totum ſe his deſcribendis dabit, nihil orſurus priuſquàm telam iſtam pertexerit. Corvini librum, quia occaſio erat, mitto. Scio tamen carere eo potuiſſe, uſque dum Anglicana ſint ſcripta. Id intra triduum aut quatriduum fore ſpero. Simul tum mittam Hiſtoriæ noſtræ Pelagianæ Librum quintum, qui eſt de prædeſtinatione. Nam penè jam deſcriptus eſt. Sextus erit de reprobatione: cujus appendicula eſt de cauſa Godeſcalci. Eam licet necdum relectam, ad te mitto. Spero non ingratum fore, quando hactenus rectè tractata eſt à nemine. Si non diſplicet tibi Liber primus operis, qui eſt εἰσαγωγικὸς, ſtatim à Kal. Januariis poterit prælo committi. Scis lentas eſſe operas. Ego quia jam opus omne abſolvi, minus temporis in exſcribendo requiram, quam illi in excudendo. Vale, Ampliſſime Domine. Uxori ſalutem maximam.

xxii. Decemb. ↄIↄ Iↄc xvii.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## XXV.

*Viro Clariſſimo*

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Laudatur Voſſii Reſponſio ad judicium Ravenſperg. Dolet tam protervè factionibus eccleſias Belgicas lacerari, ut vix boni quicquam ex indicta ibi ſynodo audeant ſperare. De Bohemicis etiam turbis ut in univerſum Imperium redundent, malè ſibi metuit: Thuani Hiſtoriam Genevæ excudi, loco tamen ad invidiam vitandam, diſſimulato.*

*Ampliſſime Domine,*

LIteras tuas Prid. Cal. Sept. datas rectè accepi, cum doctiſſimi Voſſii defenſione *a*. Gratulor tibi toto pectore oblatum tam induſtrium, tam præclarum libri tui propugnatorem. Et quando labor tuus Eccleſiæ Chriſti exantlatus pro merita gratia importuni hominis morſus ſenſit, gratulor tibi cauſam tuam à tam præſtanti Patrono ſuſceptam. Dolendum eo inſaniæ apud vos deventum ut præ factionum ſtudio tam protervè irruant quidam, ut nihil penſi habentes quid dicant, ſaltem odium ſuum & ſuſpiciones promant; & quid ſperemus porro tranquillitatis, ſi talibus ingeniis frena relaxantur? Certe ſummâ cum voluptate & fructu legi doctiſſimi Viri lucubrationem, & jam iſtum quoque in maximis Viris pono.

*a Voſſii Reſponſionem intellige ad judicium Hermanni Ravenſperg de Hugonis Grotii libro contra Socinum.*

Quod autem etiam publicè conſtare voluiſtis, quid ego ſentirem, agnoſco affectum veſtrum, & quamvis ſciam meo calculo nihil vobis accedere poſſe, gratum tamen mihi eſt, me inter bonos recenſitum, quamvis mea ſcriptio tam rudis & inconcinna fuerit, ut lucem adſpicere non meruerit. Conſideratio autem horum qui ſacra apud vos tractant, facit, ut vix quidquam ſperare poſſim de Synodo quæ apud vos indicta, ad quam Ordines etiam Electorem noſtrum ut ſuos Theologos eo mittat invitârunt; ad eam rem deſignati David Pareus, Abrahamus Sculterus, Henricus Altingus & Paulus Toſſanus, quamvis incertum an Pareus ſeptuagenarius valetudinis ratione, tam incommoda anni tempeſtate, iter illud ſuſtinere poſſit.

Bohemicæ turbæ, ut in univerſum Imperium redundent, verendum eſt. Cæſar magnas copias contrahit, & tamen à moderatioribus conſiliis ſe non alienum oſtendit, quâ in re noſtrum habet & Saxonem adſtipulatores, qui etiam laborem nullum defugiunt, ut Religio ſalva Bohemis ac libertas conſervetur, & Cæſari ſua auctoritas maneat.

Quod ſpem facis editionis ſcripti tui elaboratiſſimi De ſummarum poteſtatum circa ſacra imperio, longè mihi gratiſſimum. Vellem & animum adjiceres ad hiſtoriam tuam promendam, quam negare diutius non debes nobis ac poſteritati. De Thuani Hiſtoria nuncio tibi, reliqua jam ſub prælo eſſe. Ut autem invidiam vitent Curatores, ita inſtitutum eſt, quaſi Exemplar ab auctore in Germaniam miſſum, jam promeretur. Exciditur autem Genevæ; qui locus tamen ob invidiam vitandam diſſimulabitur. Vale, decus noſtrum.

Heidelbergæ, 25. Julii, 1618.

*T. D. omni ſtudio & amore*

G. M. LINGELSHEMIUS.



Digitized by Google

## XXVI.

*Clariſſimo & Ornatiſſimo Viro,*

### D. Gerhardo Johanni Voſſio,

Regenti Collegii Leidenſis.

*Hiſtoriam Pelagianam extollit. Gravem Grotii caſum atque capturam dolet. Oroſii ſi qua habeat inedita, expetit, omnia ejus ſcripta junctim editurus. Abſolutis à ſe Theodori Studitæ homil. cc. Zonara in Epiſtolas canonicas veterum Patrum, & Actis concilii Chalcedonenſis, typographum quærere, ſed iniquitate temporum non invenire.*

*Vir Clariſſime,*

BEnè ſit optimo, & amiciſſimo Holſteinio noſtro, qui te velut longi ſilentii ſomno indormientem amica ſua ammonitione excitavit, atque in viam officii, & ſcriptionis iterum reduxit. Ego licet ſæpius acerbiſſimis calculi doloribus oppreſſus ſim, nunquam tamen committam, ut operam meam hac in parte deſiderari queas. Librum tuum de diſſidiis Pelagianiſtarum (quoniam incompactus erat) inſpicere necdum potui. Puto eruditiſſimum eſſe, ut omnia tua, quæ frementibus invidis, cum aliis tuis limatiſſimi judicii ſcriptis caneſcent, ſæculis innumerabilibus. Maſſilienſis noſtri Patrocinium, rectè ſuſcepiſti. Male-feriati homines, optimum virum peſſimè onerant hæreſi inſana, de qua ne per ſomnium quidem unquam cogitavit. Baronius putat initio eum infectum fuiſſe labe hâc impurâ, ſed poſtmodum ad ſaniorem mentem relapſum ſerio errorem emendaſſe; cui ego hactenus aſſenſum accommodare non potui. De Manſueto, nihil eſt quod nobis gratias agas, multò potius ego tibi, eas referre debeo, qui nitidè ejus editionem procuraſti. Viri *a* Magnifici caſum gravem vehementer doleo. Tribus ante capturam (ô utinam injuſtam!) diebus, humaniſſimas ab eo accepi literas, cum tua diſpunctione eruditiſſima notarum nugonis Ravenſpergeri, qui ſtultè magno viro obvertit cornua. Earum literarum copiam tibi miſi, ut videas, quàm de nobis rectè ſentiat vir excellentiſſimus. Lubens ei ſcriberem, ſi ſcirem meas tutò ad illum pervenire poſſe. Demiror autem quod is poſtea, adeo ſui potuerit oblivíſci, ut affinis eſſet illarum rerum, quæ nonniſi peſſimo exitu terminantur. Rogo te obnixè ut tragœdiam illius funeſtæ rei mihi explices, quò ſciam, num etiam ſine capitis & fortunarum, diſpendio, ex tanto incendio evolare poterit homo eruditiſſimus, & nobis propter divina dona, quæ conſecutus eſt, admodum charus. Ex Oroſii ſcriptis ſi quid habes ineditum, rogo ut id communices. Non ſolum illius hiſtoriam, ſed etiam de libero arbitrio, & quæ ſcripſit ad Auguſtinum junctim edam. Abſolvi etiam Theodori Studitæ homil. Græcas CC. Zonaram in Epiſtolas canonicas Veterum Patrum, & Acta concilii Chalcedonenſis, quibus biennio jam Typographum quæro, necdum invenio. Vides nos in ea tempora incidiſſe, ubi citius decem Nugatorii, & Novitii Libelli, quam unus antiquus, & bonus Author, emptorem reperiat. Poteram quidem meis ſumptibus omnia iſta producere, ſed artem diſtrahendi commodè exemplaria ignoro. Si forſan me juvare poteris, velim ne animus tibi deſit; nos quacumque ſaltem conditione id fieri poterit, facilè contenti erimus. Catalogum Theologicorum Librorum vidi lubens, in quo & mihi multos optimæ notæ libros notavi. Salve, amiciſſime Voſſi, & ſi me amas, nobis de omnibus rebus, quamprimum reſponde.

*a* Hug. Grotii.

Si quid me voles, poteris id vel Holſteinio, vel Petro de Wittenb. & Gaſpari Vinkefort Mercatoribus Amſterodamenſibus celeberrimis, tutò inſcribere. Iterum ſalve, Vir optime, & Clariſſimos Viros DD. Heinſium & Rutgerſium meis verbis ſaluta, ſimulque ad ſcribendum incita.

Hamburgi V. Kal.
Nov. Gregoriani
CIↃ IↃC XVIII.

*Tui ſtudioſiſſimus,*

GEVERH. ELMENHORST.

---

## XXVII.

*Clariſſimo Viro,*

### D. Gerhardo Johanni Voſſio,

Salutem.

*Epiſtola eſt invectiva in Apologeticum ejus pro Grotio.*

ITane verò cum cura legiſti, ea quæ de Grotii libro ſcripſi? Utinam non cum præjudicio, aut animo calumniandi; cujus non pauca ſigna ubique paginarum, in tuo iſto diffamatorio centunculo, deprehendere fuit; ſanè cognovi plus ſatis, quid cenſeas de meo ſcripto, tametſi nullus monuiſſes. Cognoviſſes itidem tu, quid ego de tuo, ad meum ſcriptum reſponſo, ſtatuam, atque adeo quid de eo ſtatuant, & judicent item alii viri clariſſimi, & multo doctiſſimi, ſi mihi licuiſſet, per mandatum Senatus noſtri Academici, cujus authoritas pro eo, ac par eſt, mihi meritò ſacro-ſancta eſt, tuo reſponſo reſpondere. Aliquatenus tamen intellexiſti, ex Epiſtola mea, viro cuidam reverendo, & longè præſtantiſſimo inſcripta, typiſque Batavicis ejuſdem ſtudio deſcripta. Cæterum tuas literas ad quas jam nunc reſpondeo, tum demum accepi, cum eas è Patria mea redux, ubi per ipſas decem & amplius ſeptimanas egeram, in menſa poſitas viderem. Nempe ut ſcribis ſinguli aliquid videmus, nemo omnia, neque ego tuas videre potui, cum alibi eſſem. Vale.

Groningæ ad XX Dec.
Anno CIↃ IↃC XVIII.

*T. S. S.*

HERMAN. RAVENSPERG.

---

## XXVIII.

*Clariſſimo & doctiſſimo Viro,*

### Gerhardo Johanni Voſſio,

Regenti Collegii Leidenſis.

*Obſervata Voſſio in Oroſii apologetico laudat. Ormeſtam nugatorium verbum quis in eo confinxerit, miratur. Commentaria in Cantica Canticorum Honorio potius, quam Oroſio adſcribenda. Apuleji curam ſuſcipere velit ne mendoſe prodeat, per amicitiam rogat.*

*Vir Clariſſime,*

DE Oroſii apologia, quæ obſervaſti vera ſunt, impenſeque nobis placent. Cum librum iſtum publicabo, Lectorem ejus rei admonebo, quod non fiet, ſine honore nominis tui. * *Ormeſtam*, quis nobis confinxerit ignoro. Eſt verbum novitium, & plane nugatorium, ex Vincentii ſpeculo & recentibus editionibus, perperam Oroſio adfictum, quod optimi ævi MSS. Palat. Leid. & Lipſ. neutiquam agnoſcunt. Magnas igitur nugas egerunt, qui recenter id nobis iverunt obtruſum. Commentaria in Cantica Canticorum, non ſunt Oroſii, ſed Honorii, ſicuti jam dudùm Patri Schotto ſcripſi. De Grotio, beaſti me læto nuntio: hic enim omnia ſæva de eo narrabant: fac cata-

* Orcheſtam legit ſagacis vir ingenii Fr. Juretus ad Symmachum pag. 73. Cæterum invitum accedo.

catastrophen totius tragœdiæ plenè à te cognoſcam; ita tandem ſine metu ero. Oratorias tuas rectè curavit amiciſſimus Holſteinius, quas ſcito gratiſſimas nobis fuiſſe. Non ſperno beneficia quæ offers ex bibliotheca tua, compellaboque Holſteinium, ut hac in re, mihi manum accommodet. Cum Jacobo Marci pronuper, de nova Apuleji editione adornanda agere cœpi. Noſti illum correctorem eruditum non alere, unde & pro amicitia noſtra rogatum te volo, cum opus inceperit, ut tum poſtremam probam ſtudioſè perluſtrare velis, ne mendoſè liber prodeat, quem ærumnoſò labore, cum multis MSS. contuli. Si qua in re tibi viciſſim inſervire potero, faciam id perlubenter. Dom. Morthum tamdiu inibi fuiſſe, nec mihi literas miſiſſe, pro certo ſigno animi, planè à me alienati, accipio. Monebis hominem, niſi planè memoriam noſtri eſtuderit, antequam in Angliam proficiſcatur, de omnibus rebus me ſcitiorem faciat. Erit id mihi pergratum. Hæc ex recenti laniena nephritidis ſubæger, ad amiciſſimas tuas amanuenſi meo dictavi; ut etiam ſcires me, vel in mediis tormentis, memoriam tui ſanctè habere. Salve, Vir amiciſſime, & nos ama mutuiter.

Hamburgi, XIII Kal. Febr. Juliani, Anno cIↃIↃcXIX.

*Tui ſtudioſiſſimus*,

GEVERH. ELMENHORSTIUS.

---

XXIX.

## A. Schottus, Ger. Voſſio

*εὖ πράττειν.*

*Notas in Theonis Sophiſtæ progymnaſmata, aliaque in antiquis Rhetoribus ſibi obſervata, Voſſii limæ offert. In magna Patrum Bibliotheca Coloniæ edita, ſi quid deſideret, vel habeat addendum, appendici, quæ adornetur, adjici poſſe ſignificat.*

VIdes, doctiſſime Voſſi, hunc rerum ſtatum, mirari ut deſinas, cur ego, in ſcribendo tam ſim meticuloſus, ne meæ literæ obſint potius amicis, quam ſolatio ſint in turbis. Age, de literis utrique caris duntaxat diſſeram. Quum fratris mei Gualtheri nepos, ad nos inviſere, ſeque Lugdunum cogitare, ubi juri civili det operam, affirmaret; hoc mihi ſumpſi cohortante, ut ad te tribus agerem verbis. Quod in Græcis, quibus excellis, nec ego abhorreo, profeſſionem mediteris, ad domeſticas collegii curas, & Rhetorica illa tua, dono mihi miſiſti, narro tibi eſſe penes me notas aliquot in Theonis Sophiſtæ προγυμνάσματα. Nollem mihi, poſteriſque perirent; quæque in antiquis notavi Rhetoribus; ſi ſpes eſt, iſtic Typographum reperiri poſſe, tua accedente lima, depromam, & in tuum ſinum deponam; quæ habeo etiam Rhetorica, & Philoſophica Nunneſii, etſi Valentini, hoc eſt Hiberi, vel Celtiberi potius. Fac me de te omni certiorem, per Franc. qui has reddet, mittetque fratri meo Coſ. Literas.

Et quia ſacra & tractas, & abundas antiquis. Amabo ſi magnam illam Patrum Bibliothecam Coloniæ nuper editam, inſpexiſti, & habes quod ſit addere operæ pretium, & Catholicum; ſcito Appendicem adornari ab Ant. Hierat. qui nos viſit. Quare ſi quid deſideres, addique jubeas ſignifica. Latent, fateor, multa adhuc abdita, in bibliothecis, quæ lucem avent videre atque exiſtere. Cætera quæ de me meiſque cognoſcere lubet, Franc. hic noſter, qui has reddet, narrabit. Reditum è Gallia Gaſparis Gevartii expectamus, editis jam electorum Libris IV. nondum tamen rediit. Vale in Domino.

Antuerpiæ feſto Sancti Auguſtini Manſueti Mediolan. Epiſc. Epiſt. de fidei profeſſione, tibi inſcriptam nuper ab Elmenhorſtio libens accepi, & adjungam in Appendicem magnæ Bibliothecæ.

XXX.

*Clariſſimo & doctiſſimo Viro,*

## Gerhardo Johanni Voſſio,

Proregenti Collegii Leidenſis.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir Clariſſime*,

REmitto tibi per optimum Holſteinium noſtrum, Arnobium, & Scioppii ſuſpectas lectiones; remiſſurus etiam brevi, Euthymium cum Oroſio tuo. Si interim poteris carere Scaligeri Agellio, rem gratam mihi feceris, ſi prædicto juveni cum commendaris. Pol anxiè expecto, quo loco res tuæ ſint; ut & magnorum virorum, quos fortunæ triſtioris tempeſtas, conturbavit graviter. Si non eſt grave, velim de omnibus, & Politicis, & Theologicis rebus ſtudioſè perſcribas. Erit id mihi pergratum. Salve amiciſſime Voſſi, & nos amare perge.

Hamburgi XIIX Maji, Jul. A. C cIↃIↃcXIX.

*Tuus*,

ELMENHORSTIUS.

---

XXXI.

## L. Berchemius D. Gerardo Voſſio.

S.P.D.

*Remonſtrantes in Synodo Dordrechtana pertinaces & immoderatos valde ſe geſſiſſe docet, utque ipſos tanquam hæreticos publice damnet, amice hortatur, ita enim & ipſi, & bono patriæ publico conſultum fore confidit.*

NE amicitiæ jura violaſſe videar, vir ornatiſſime, has mei amoris teſtes literas exaravi: tua enim benevolentia & non mediocria in me collata beneficia, arcto admodum amoris vinculo, me tibi obſtrinxêre, quorum facile obliviſci non humani ingenii gratique animi eſſe judico.

Quid in hac Synodo Nationali hic Dordrechti habita actum ſit ſatis ſuperque ab aliis intellexiſſe te non dubito; hoc unicum tacere nequeo, me maxima admiratione affectum eſſe, cùm Remonſtrantes Summarum Poteſtatum tam exiguam rationem habere viderem, tantâque pertinaciâ (quam conſtantiam vocare ne fas putarem) ſeſe, Illuſtrium Ordinum decretis opponere. Conſcientiam ſuam ſcio prætexunt: faxit Deus non aliud quid lateat. Præterea quod in corona tot illuſtrium Theologorum Remonſtrantes ſibi ſoli ſapere viderentur, illorumque judicium tanquam adverſariorum contemnerent abſurdum mihi valde videbatur, præſertim cum illi viri ſanctiſſimi ſanctiſſimo juramento ſe obſtrinxiſſent, ſe ex conſcientia & veritate judicaturos: Verum quam candide & blande cum Remonſtrantibus hic actum ſit, ex Actis Synodi brevi vulgandis evidenter patebit. Vir ornatiſſime, quem, Deo teſte, amo, te illorum ſententiæ nunquam ſubſcripſiſſe ſcio, teque in eo ſæpius coram malevolis defendi, imo quod Synodi hujus Decretis & Canonibus aſſenſurus ſis, non dubito, & Remonſtrantes (quod fortaſſe durius) ſuffragio tot præſtantium Theologorum ſuffultus tanquam Hæreticos damnaturus ſis. Quod ſi à te Viro tanto fiat, multum commodi & patriæ & bonæ cauſæ acceſſurum nemo dubitat. Nomini quoque ac famæ conſulens provinciam quam nactus es cum honore tueri poteris. Varii hic Dordrechti rumores ſparſi ſunt, de Collegii regimine immutando atque alio Regente ſubſtituendo, verùm vanos illos eſſe, il-

illiſque nullam fidem adhibendam, ex D. Rocho Van den Honaert ſatis intellexi; cujus verba hic ſubtexam: *Quid de D. Voſſio futurum ſit adhuc incertum eſt: quod ad me attinet ego boni viri cauſa faveo; utinam Librum de Hiſtoria Pelagiana nunquam ſcripſiſſet! tum aliquid boni in ejus cauſa adhuc ſperandum fuiſſet, ſed jam timeo.* Hæc tibi Vir optime, ſcribere volui ſi fortè tibi prodeſſe poſſent. Vale & me ama.

Die octava Iunii 1619.

*Tuus ex animo,*

LUDOVICUS VAN BERCHEN.

---

## XXXII.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

### Gerhardo Johanni Voſſio,

Protegenti Collegii Illuſtr. Ordin. Hollandiæ.

*Poſt Agellium Scaligeri, expetit etiam ejus Apuleium, ut & notas marginales in N.T. Aſellum ſuum aſino tardiorem prodire indignatur. Acta Concilii Chalcedonenſis locis infinitis a ſe emendata ut prælo ſubjiciantur diſcupit, infinita alia in Patribus præſtiturum recipit, modò liberalem nactus fuerit typographum. Grotii infortunium dolet. Synodi acta cognoſcere avet.*

*Vir Clariſſime,*

AGellium manu illuſtris Scaligeri prænobilem, rectè tranſmiſit nobis Holſteinius. Utinam etiam ejus Apulejum, per te habere potuiſſem? Fuiſſet ea res nobis longè gratiſſima. Audio eum in margine Novi Teſtamenti multa notaſſe, quod ſi forſitan in tua Bibliotheca, oro ne illud nobis invideas. Aſellus noſter, in aſinum longè tardiorem incidit, quem & repeti juſſi, non ſine indignatione, ut forſan ex Luca noſtro intellexiſti: ſi D. Corvinus demùm revenit, velim cum eo agas, ut Acta Concilii Chalcedonenſis prælo ſubjiciat, quæ ſanè magno cum labore, ex antiquiſſimis membranis, locis infinitis emendavimus. Poterimus & alia infinita in Patribus præſtare; modo bonum Typographum nacti ſumus. Nam noſtris ſumptibus omnia edere, non eſt è re noſtra; qui artem diſtrahendi omninò ignoramus. De Grotii infortunio, jam inaudieram: Et angebar intimè, hominis cauſa, quem propter eruditionem inſignem, ſemper amavi, & æſtimavi. Voveo ex animo, ut crucem ſuam ferat patienter, donec Deus eum liberet, à ſqualore & ſordibus non boni carceris. Synodum finitam jam intelleximus, ex D. Heinſio: fac omnia ejus acta à te cognoſcam; præſertim quo loco jam res tuæ ſint. Subtimeo enim ne incendium Barneſeldianum te etiam afflaverit. Salve amiciſſime Voſſi, & nobis de omnibus reſcribe. Gratius mihi nihil facere poteris.

Hamburgi XXVI. Ian. clↄ Iↄc XIX.

GEVERHART. ELMENHORSTIUS.

---

## XXXIII.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

### D. Gerhardo Johanni Voſſio,

Profeſſori Leidenſi.

*Teſtamentum Scaligeri expetit. Deplorat turbas Eccleſiæ Belgicæ à factioſis motas ingeniis, moderationem ejus laudat, & ut benè de rep. litteraria merendo ægrè invidis facere pergat, hortatur.*

*Vir Clariſſime,*

DE Teſtamento Scaligeri, grata ſunt quæ promittis. Utinam copia nobis eſſet, ejus exemplaris, quod Van der Milius poſſidet! quod impenſo quidem pretio lubens redimerem? Sed ubi locorum vivit Vir ille nobiliſſimus, quem toties ingenioſiſſimi mortalium, Baudius, Heinſiusque, in cœlum magnis extulerunt laudibus. Num & illum ſoceri oppreſſit calamitas miſeranda, vel hoſti? M. Corvino author eſſe debes, ut convaſatis rebus ſuis, maturè ſibi conſulat, atque in Germania locum ſibi eligat, ubi officinam Typographicam inſtituere poſſit. Ita calcar nobis addet, ad illa detexenda, quæ jam pro deſperatis ſepoſuimus. Eruditiſſimus Martinius jam certam ſpem ſui adventus mihi fecerat, quem impedivit opus, quod molitur inſanum magnum, *De origine Latinæ linguæ*, cujus correctioni omnino eum intereſſe oportuit. Si tibi eſt animus pecuniam tuam, hic apud Senatum deponendi, puto me poſſe à Primario civitatis hujus Conſule, qui mihi affinitate junctus eſt, impetrare, ut tuo nomine agat cum Octumviris, qui res, rationeſque fiſci procurant, ne gravatim eam recipiant. Poteris igitur mihi ſententiam tuam plenius aperire; tum quibus conditionibus eam hic collocare poſſis, lubens tibi adſignificabo. Negotium Remonſtrantium, partim ex literis amicorum, partim ex relationibus publicis cognovi. Niſi res citò tranſactæ fuerint, ut has nubes coactas video, brevi daturæ ſunt magnam tempeſtatem. Laudo prudentiam tuam, quod te ejuſmodi turbelis non immiſceas. Litem enim lis, & noxa noxam parit. Quod ſi Patres antiqui, qui non habitu, ſed moribus, & vita, ſapientiam Chriſtianam exprimebant, jam reſurgerent, & eos qui Trinitatis myſterium agnoſcunt, Chriſtumque, & Spiritum Sanctum Deum venerantur, adeo ſævidicè, de rebus, non merè ad ſalutem neceſſariis, digladiantes viderent, quid dicerent? aut quo non fugerent? N. a N. benè Calvinianſm, & acerrimum dogmatis de abſoluto decreto damnatorum aſſertorem, tibi in Rectoratu ſucceſſiſſe, cum mœrore, & cum indignatione percepi. Nunquam putaſſem homines acutos, adeo potuiſſe obliviſci ſuorum, ut homini modeſtiſſimo, inciviliter audacem; & optimè erudito, ruſticè indoctum ſubrogarent. Exclamare libet, (a *Ieſ. opinor, Feſtus Hommius.*)

*Quo vobis mentes, rectè quæ ſtare ſolebant,*
*Dementi ſeſe flexere ruina?*

Equidem ſcripta umbratici hujus doctoris, quæ vidi, plena blaſphemiarum, & fanaticarum opinionum cognovi, quæ nemo, niſi aſtroſus, vel extermitæ mentis, probare poſſit. Peream, niſi ex unica tua Theſi, plus eruditionis hauſi, quam ex iſtius hominis divite centone. Sed hodiè audacia, pro ſapientia liceat uti: nec tam benè agitur cum genere humano, ut meliora pluribus placeant. Verùm querelam non inſtituo; illud dico, ut exauthoratio tua, mihi dividiæ fuit, ita recreavit me in ſolidum fortuna benignior, quæ latum campum tibi obtulit, in quo non minus vires eruditionis tuæ, quam in principe iſta facultate, quam hactenus, ſumma cum laude obiiſti, exſeras. Age igitur negotium tuum, & reconditas illas artes palam profer, ut inimicis tuis oculi doleant; atque ita omnes æqui & iniqui intelligant, te non minus benè Oratorem, quam commodum Theologum agere potuiſſe. Salve, mi amiciſſime Voſſi, & nos amare perge.

Hamburgi, a. d. XIII Auguſti Greg. clↄ Iↄc XIX.

*Tuus*

ELMENHORSTIUS.

Teſtamentum Scaligeri rectè curabit Peter de Witte, civis Amſterodamenſis noti nominis, cui ſemper res meas ſoleo concredere. Iterum ſalve, & nobis reſponde.

XXXIV.

## XXXIV.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerhardo Johanni Voſſio.

*Operam Voſſianam in emendando Apuleio, conciliandoque Actis Concil. Chalced. typographo ſolicitat.*

*Vir Clariſſime,*

PUto te poſtremas meas, ab amiciſſimo Holſteinio rectè accepiſſe. Si me amas, effice ut ſciam quam ſalve agas; hoc enim mihi, vel maximum erit. Apulejus noſter jam in fine laborat, in quo ſi unum aut alterum locum, in juventute emendaſti, notatu dignum, rogo ne eum mihi invideas. Video Typographum de la Maire, non uſque adeo malè fragmenta veterum Poëtarum edidiſſe. Magno beneficio me afficeres, ſi illi perſuadere poſſes, ut Acta concilii Chalcedonienſis, prælo ſubjiceret. Ego lucrum non quæro ex meis laboribus; ſed id unum ago, ut proſim Eccleſiæ Chriſti, cujus intereſt, talia rurſum produci, quo erubeſcant impudorati Novatores, qui ineptiſſima quæque, inficeto, & inſipido ſæculo, paſſim aggerunt. Scripſi antea de toto hoc negotio, ad doctiſſimum Holſteinium, quem non defuturum nobis probe ſcimus. Tertullianum D. Thyſii, an habere poſſim, ſcire velim. Quod ſi gravantius librum ipſum tranſmittere, ſaltem peto variantias, in quibus impetrandis, operam tuam non nobis denegabis: Sed & in alia re, tibi gravis eſſe cogor. Patronus meus magnus Rutgerſius, dixit, in tua bibliotheca, extare Aldinum exemplar Apologetici Tertulliani, quod avidè expetimus; ut & copiam variarum Lectionum, quas Galeno tuo olim adſcripſit G. Falkemburgius. Nam & has, de facilitate tua ſecurus, Profeſſori Altorphiano D. Hoffmanno, viro inſigniter docto, qui totum Galenum recens interpolabit, promiſimus liberaliter. Vides quantum mihi, de humanitate tua, pollicear. Salve, mi amiciſſime, & audaciæ noſtræ ignoſce.

Hamb. a. d. XVII Kal. Januar. CIƆ IƆ C XX. raptiſſimè.

*Tuus dum vita manebit,*

ELMENHORSTIUS.

## XXXV.

*Pio juxta, ac docto Viro,*

## D. Gerardo Johanni Voſſio,

S. P.

*Affectum & benevolentiam ejus erga ſe depradicat. Turbulentum Angliæ ſtatum deſcribit.*

*Conjunctiſſime affinis.*

RE ipsâ aliquoties expertus ſum, adeſſe tibi tantam benefaciendi vim, ut indulgentiam tuam neceſſitas æmuletur; dum enim ſumma in me ſtudia, officiaque avidiſſimè confers, tantummodò debitum expleviſſe videri vis. Non feci paria, defuit enim facultas; atque eo magis cupio, ut animum mihi gratum Deus, & animo iſti tempus, quam longiſſimum tribuat. Superſint modo ſolvendi tempora; reddam vicem ſi repoſces; reddam etſi non repoſces. Crebras interea prolixaſque literas, certiſſima debitæ benevolentiæ pignora, non invitus dabo; nihil metuens ne moleſtus tibi fuiſſe videar, modum in amore excedendo; neque enim periculoſum eſt, ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet; & veriſſimè amat, qui ſic ſe amari putat, ut tædium non pertimeſcat. Poſtularem ut viciſſim quid in oppido veſtro, quid in finitimis agatur (ſolent enim notabilia quædam incidere) perſcribas; ſed temporum ratio aliud ſuadet: ſcribes igitur quando, & quantum videbitur. Exſolverem nunc promiſſi fidem, literaſque longiores, quàm lubentiſſimè ad te mitterem, niſi ſollicita commodi hoſpitii inveſtigatio, in tam ingenti urbe, me uſque adhuc, à cognati Junii, D. Tileni, aliorumque alloquio arcuiſſet. Pleniores itaque literas, proximè ſequenti hebdomade, expecta. Vale, & ſororem mihi plurimùm colendam, cum tota veſtra familiâ, quàm officioſiſſimè ſaluta.

Raptim, Lutetiæ, An. 1620. 12. Auguſti.

*Tuus omni officio,*

F. JUNIUS, F.F.

Opportunè admodùm adoleſcens, qui haſce meas ad vos defert literas, per aurigam nectentem moras diem adhuc unum Lutetiæ detentus fuit. Summo itaque mane cognatum Junium viſurus, intellexi unà cum Rege ad expeditionem profectum. Varii hic quotidie per urbem inceſſunt rumores, & pro loquentium indole, turbidi, aut pacati. Credit optimus quiſque labare hoſtes, petendæque pacis conſilia ſumere, & brevi poſſe bellum patrari. Nunciant contrà alii, Reginam Matrem turbas inexplicabiles minitari, vires regni intimas, molemque belli ciere, & neque aſtu, neque conſtantiâ, inter dubia indigere; exiſtimo tamen, niſi me fortè in totum fallit, meum de hac gente judicium, ipsâ Regiæ præſentiæ famâ, bellum omne ſtatim poſſe profligari: faxit hoc Deus Opt. Max. pacemque diu immotam, & inconcuſſam Regi, ac Regno Galliæ largiatur. Nihil jam mihi accommodatius ſit, quàm ut Nobiliſſ. Legatus, quem diſceſſurus compellavi, de rebus meis quid ſcribat cognato reduci; poteris adhoc uti operâ alicujus amici, qui pariter, & me norit, & Nobiliſſ. Legato familiaris ſit. Neque enim cuiquam, tam clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam, commendatorque contingat. Ad hæc ut apud vos, ita & hic malignorum hominum rumoribus laceramur, tanquam pacis publicæ turbatores, &c. quò magis opto, ut tantæ authoritatis, & fidei Vir, animum meum pacificum vero teſtimonio proſequatur. Literarum mihi reddendarum hæc ſit inſcriptio. *Chez Mr. Piat, demeurant en la Rue St. Eſtienne des Grecs, vis à vis du College de Montaign; auprés S. Genevieſve:* fac & ſororem Diamantiam hac de te certiorem. Iterum, vale, 13. *Auguſti.*

## XXXVI.

## Gerardo Johanni Voſſio,

*Viro Clariſſ. affini conjunctiſſimo,*

S. P.

*Epiſtola familiaris cui inſpergit ſuum de Gallorum vulgo judicium.*

*Virorum integerrime, ſanctiſſime,*

LIcet crebrioribus literis, otium tuum negotioſum interrumpam, tamen non eſt quod verear, ne moleſtus ſim tibi, cui vel orbem terrarum, non eſſet longum circumire meâ causâ. Hac itaque tui erga me amoris fiducia ductus, haſce ad te ſecundas do literas, crebriores daturus, ubi quod ſcribam offeretur, imo etiamſi nihil offeretur; unicum hoc debiti erga te amoris mei pignus abſens dare poſſum; amat enim intimè, & flagrantiſſimè, qui ſic ſe amari putat, ut tædium non pertimeſcat. Nuperrimè de rebus meis literarum aliquid ad te dedi. Rex etiamnum abeſt, & cum Rege Nobilitas omnis; ſi brevi revertatur, quod plerique futurum ſperant, uberrimè omnia, quæ me

me ſpectabunt, ad te perſcribam. Non erit difficile: Σχολὴ δὲ πλείων ἢ θέλω πάρεστί μοι. Interim hic clauſus intra domum, alto pinguique otio, me immergo; atque omne hoc tempus intra libros, jucundiſſima quiete tranſmitto. Nam quid agam? Alieniſſimus ſum à conſortio hominum vulgò. Vin' ſcire quales plerique mihi videantur. Κολακευτικώτεροι τῶν πιθήκων, ὀργιλώτεροι τῶν κυνιδίων, φιλονεικότεροι τῶν ἀλεκτρυόνων. Nobilitatis, niſi me fallunt plurimorum teſtimonia, longè diverſum ingenium eſt.

Celare te non poſſum, quemadmodum 15. hujus menſis die convenerim D. Tilenum virum humaniſſimum, & pro veritate firmiſſimum; cumque ei inter alia tuis verbis plurimam ſalutem apprecarer, ſubjungeremque me ignorare an ullam tui notitiam haberet, ſtatim ipſiſſimis hiſce verbis reſponſum dedit, *Notiſſimus mihi eſt, & quidem merito ſuo.* His auditis, non erat cur porro ullam hiſtoriæ tuæ Pelagianæ, ut diſcedenti mihi in mandatis dederas, mentionem facerem. Et fortè adhuc judicium ejus ſuper iſthoc tuo ſcripto exquiſiviſſem, niſi iter ſibi ad Britanniæ Regem habendum ſignificaſſet, atque adeo jam ſarcinas alligare affirmaſſet. Obſtupui, perculſus novitate rei; cùmque me videret tacitè, apud animum meum ambigere, quò hæc tam inſoliti itineris uſurpatio ſpectaret; addidit ne ſibi quidem cauſam ejus rei compertam; tantum evocari ſe blandè humanis Regiæ Majeſtatis, & a Epiſcopi Wintonienſis literis; Medicumque Regium ad hoc miſſum, ut eo itineris comite uti poſſet. Quid opus eſt, in re tam dubia, ſuſpicionibus multum indulgere? ſufficere nobis debet, quod vir magnus, iniquiſſimam adverſæ partis in fratres ſuos crudelitatem deteſtatur. Unde & ipſus ego coram animosè ſatis ſpondentem audivi, nunquam ſe cauſæ melioris patrocinium perfidè deſerturum. Proinde totius negotii exitum precibus ſeriis Deo Opt. Max. committamus. Interea tuam, tuorumque valetudinem, ſummus idem, atque optimus rerum humanarum Arbiter, gratioſè promoveat. Ipſe valeo; ſi valere eſt, ſuſpenſum & anxium vivere, expectantem in horas, timentemque pro capite amiciſſimo, quidquid accidere homini poteſt. Eſt enim ſuſpenſum, & anxium, de eo quem ardentiſſimè diligas, interdum nihil ſcire. Vereor omnia, imaginor omnia, quæque natura metuentium eſt, ea maxime mihi, quæ maximè abominor, fingo. Quò impenſius rogo, ut timori meo, vel per te, vel (ſi tutiùs id judicabis) per alium conſulas.

a *Lancelotti Andrews.*

Lutetiæ, 18. Septembris, An. 1620.

*Tuus omni officio,*

FR. JUNIUS, F.F.

---

XXXVII.

*Clariſſimo Viro,*

## Dom. Gerardo Voſſio,

Fratri in Chriſto obſervando.

*Multùm ſe adjuvari diſputationibus ejus de controverſiis quibuſdam Papiſticis gratus agnoſcit. Sententiamque ſuper tribus de imaginum cultu quæſtionibus ſollicitè rogat.*

*Vir Clariſſime,*

BEaſti me luculento munere tuo; quippe non tantum utili mihi futuro, hiſce in locis; ſed penè neceſſario. Cum enim hactenus controverſias omnes, de Religione, diſceptandas eſſe crediderim, ex ejuſmodi fundamentis, & principiis, quibus ſolidè, & ſecurè ſemper, inniti poſſet conſcientia; tamen nunc in eam neceſſitatem, incidere me video, ut aliunde petenda ſint præſidia, quibus error revincatur, & conſcientiis quorumdam teneris, aut hæſitantibus, ſcrupuli eximantur: Etenim his in locis nunc degere cogimur, ubi antiquitas utramque paginam facit, & omnibus licet ineptiſſimis, atque abſurdiſſimis opinionibus, veluti ſcutum Gorgonis obtenditur, adeo ut qui eam ſententiæ ſuæ, aut non poteſt, aut non curat obtendere, cauſa cadere; qui verò ſpecioſè eam novit obducere, omne punctum tuliſſe: Et quicquid ſcriptura, aut recta ratio manifeſtè reclamare videantur, triumphare credatur. Tantum hic valet antiquitas: Unde hæc una, in omnibus, ſive concionibus, ſive colloquiis, veluti ſacra quædam anchora eſt; ad quam, religatæ tenentur ſtupidæ plebis conſcientiæ; uſque adeo ut ſi hanc eximas Demagogorum declamationibus, animam Oratori adimere, & præter σκελετὸν, nudamque larvam, in pulpito nihil relinquere, videri merito queas. Et hæc quidem cum ſint hominum ingenia, neceſſum planè video eſſe, ut quo jure meritoque, opinionibus ſuis, antiquitatem ſemper prætexant, diligenter inquiratur, non ut hac ratione perſuadeatur veritas, ſed ut errori inveterato fulcrum ſuum ſubtrahatur. Eam ad rem, Vir clariſſime, tuam mihi operam vehementer neceſſariam eſſe ſæpenumero credidi: Etſi enim non deſint, qui de ſingulis controverſiis luculenter, ex ipſa antiquitate multa dixerint, ſcripſerintque, tamen neſcio qua ratione fiat, ut eorum authoritate, fide, & judicio, non ita fidenter ſtare audeam: Video ſæpenumero alios, aliorum fidem ſequi; & cùm in antiquorum Patrum ſcriptis rudes ſint, & hoſpites, eorum tamen authoritatibus veluti laciniis quibusdam, hinc inde ſine judicio avulſis, aut detruncatis, tam temerè, tam imprudenter, ſua ſcripta interpolare, ut pudeat, pigeatque: Et hinc ferè fit, ut qui eos ſequuntur, riſui ſeſe, & ludibrio, non raro propinent apud eos, qui in illis accuratè verſati ſunt, & ætatem ferè totam ſuam triverunt. De tua vero, (abſit adulationis ſuſpicio) tum fide, tum judicio in Antiquorum ſcriptis, adeo apud animum meum perſuaſus ſum, ut te judice in controverſiis ferè omnibus ſtare, & credere auſim: Quocirca vix credas, quam mihi gratum feceris, quod diſputationibus tuis, de materiis aliquot, inter nos, & Pontificios controverſis, me dignatus fueris. Utinam tantum in omnibus eandem operam poſuiſſes, nominatim vero etiam in argumento, de imaginum cultu, & adoratione! Pro hac enim ſuperſtitione, ſumma vi, & quod dicitur, velis remiſque hic contenditur; nec mirum, incurrit ea maximè in oculos vulgi, & Idololatriæ craſſæ, Gentiliſque ſpeciem habet, quam à ſe amoliri ſemper ſtudent, ſed irrito ferè conatu, niſi canam antiquitatem, veluti tabulam in naufragio, ſubinde arriperent. Et fuit non nemo nuper, qui mecum ea de re per occaſionem, fortè fortuna oblatam, inter pocula pluribus egit, qui reliquorum omnium more, cum cauſam ſuam tueri non poſſet ſcripturarum Authoritatibus, ad hanc Aram confugiebat, & in ea una præſidium cauſæ totius collocabat. Videbatur ille mihi multa dicere, ut Θέσιν ſuam poſſet διαφυλάττειν, quæ ab omni ratione aliena erant, & quæ tamen Antiquitatis totius unanimi conſenſu confirmata fuiſſe, firmis lateribus adſeverabat: Uti inter cætera quod Gentiles omnes ſemper adoraverint Idola ſua tanquam Deos, quibus videlicet divina virtus, perſonali unione unita eſſet, ſicut naturæ divinæ humana Jeſu Chriſti; cum tamen Lactantium expreſſè contrarium dicere, manifeſtum ſit, alioſque quamplurimos: Præceptum de Imaginibus non faciendis, fuiſſe ceremoniale & poſitivum; de Idolis verò non faciendis, morale, illud ſublatum, nova lege, hoc perpetuum eſſe; Imaginis & Idoli diſtinctionem, apud antiquiſſimos Patres, ſemper conſentientibus calculis, traditam eſſe, & quod ex T. R. lubens etiam, & ante omnia intelligerem, Apoſtolos doctrinam de Imaginibus, tradidiſſe in Concilio Antiocheno, idque ex Bibliotheca Origenis, a Pamphilum Martyrem deſcripſiſſe. Verba verò Canonis extare apud Turrianum. Lib. 1. pro Canonibus Apoſtolorum c. 25. *Ne errent fideles erga Idola, ſed exprimant divinam humanam imaginem Dei veri, & ſalvatoris noſtri, ac ſervorum ejus, ex adverſo coram Idolis, & Judæis.* Hæc aliaque cùm ab eo affirmari, atque

a *Hæc quidem apud Turrianum legere, memini. Sed ſtatim adoratum ſum, eà Græculis, ut alia multa, fuiſſe confiſta.*

que aſſeri identidem videre, neque tamen, libri mihi ad manum eſſent, ex quibus illud refellere mihi aut liceret, aut etiam luberet; cùm in eo cauſæ cardo non verteretur; non putavi tamen abs re me facturum, ſi à R. T. peterem obnixe, ut paucis, quid hiſce de rebus ſit, ſignificare mihi non gravetur. Tanto autem fidentius id petere me poſſe judicabam, quod à publicis nunc oneribus vaces, & curis nullis gravioribus diſtraharis, & quod operæ pretium facturus ſis, ſi hac in re, operam tuam nobis commodaveris; Quocirca etiam atque etiam rogo R. T. ut ſi quid à privatis, & fortaſſe melioribus curis temporis, ſuperſit; id trium horum capitulorum examini impendere velis. 1. An Eccleſia antiqua, ſemper diſtinxerit inter Idolum & Imaginem? 2. An Gentiles crediderint Idola ſua eſſe Deos ipſos, eoſque ut Deos ſuos ſemper adoraverint? 3. An Apoſtoli doctrinam de Imaginibus tradiderint in Concilio Antiocheno, & an verba Canonis extent apud Turrianum; licet fabuloſum alioquin, & vanum ſcriptorem? Unum addam, ut ſi plures diſputationes habitæ ſint ſub præſidio veſtro, eas per Kunerdingum ad me tranſmittere non graveris. Dabo operam ne in ingratum beneficia hæc non contuliſſe reipſa comperturus ſis; Et ſi fortè reduces nos ab exilio hoc triſti vobis ſiſtat Deus, quod futurum non ſine cauſa confido, omni officiorum genere compenſem. Vale, Vir Clariſſime, & perfer atque obdura; dolor hic tibi proderit olim. Dominus Jeſus tibi, tuiſque, & quotquot bonæ cauſæ favent, propitius benedicat. Salveat à me D. Barlæus.

Raptiſſimè, 6 Novembris, 1620.

*Tuus omni officio,*

S. EPISCOPIUS.

---

## XXXVIII.

*Præſtantiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo, S. P.

*Quid hactenus in ſedandis Angliæ motibus & conciliandis cum Epiſcopis Puritanis geſtum fuerit recenſet. Scripta eius in Gallia Tilenum magni facere ſignificat.*

SEcundis ad te literis, conjunctiſſime D. Affinis, de Anglicano D. Tileni itinere, nonnihil ad te perſcripſi: quæ ſi rectè, ut ſpero, ad te ſunt delatæ, ſupereſt ut nunc eumdem Clariſſimum Tilenum reducem tibi narrem. Ut reverſum intellexi, inter gratantes ut debui acceſſi; neque gravatus eſt vir officioſiſſimus, totam rerum in Anglia geſtarum ſeriem fuſè mihi narrare. En tibi itaque omnis negotii ſummam. Ad D. Tilenum, etiam Sedani agentem, impulſu D. Melvini, acceſſere duo Miniſtri Scoti exules. Noſti gentem iſtam Puritanam; cumque plus juſto eorum in Regem querelæ, præſente adhuc Jonſtono quopiam ardeſcerent; exiſtimavit vir magnus, ſalubrium rationum fomentis; animos præferoces, & zeli nimietate morbidos, potiùs leniundos, quàm porrò inflammandos; ſed auribus eorum ad moderatiora conſilia ſurdis, nihil aliud effectum eſt, quàm ut exacerbatiores digrederentur. Non deſtitit interim Jonſtonus, urgere D. Tilenum, ut præcipua collatiunculæ iſtius argumenta ſcripto conſignata ſibi communicaret; quo impetrato, ad Regem apographum tranſmiſit, qui non indelectatus authoritate viri, & argumentorum pondere, Typis ſcriptum illud vulgari juſſit, atque inſuper deſiderio videndi ejus flagrans, D. Tilenum per literas, blandè ad ſe evocavit, præſentemque arctiſſimè amplexatus, gratias ei pro navata opera egit, ampliſſimumque obtulit ſtipendium, ſi in Angliam tranſmigrare vellet. Sed is unâ hac hyeme in deliberandi ſpatium poſtulatâ, à Rege dimiſſus eſt, nunquam niſi me ratio prorſus fallit, ſedem mutaturus. Promerem nunc hujus meæ ſuſpicionis cauſas, niſi temporum ratio obſtaret. Unum hoc tutius addo, virum doctum, non vanam ſpem animo concepiſſe, brevi futurum, ut non tantùm ſibi, ſed & omnibus aliis bonæ cauſæ patrocinantibus, publica authoritate, libertas quidlibet imprimendi, hic Lutetiæ concedatur; plurima ejus opuſcula prelum poſtulant, quorum nonnulla mihi oſtendit, animadverſiones ſcil. in Canones Synodi Dordracenæ, Gallicum aliquod ſcriptum de cauſa peccati, & plura ſimilis notæ: ſcis quàm hoc alibi non liceat; ſed ne longius à propoſita narratione deflectendum ſit, redeo ad incepta. Rex nihil aut parum admodùm, cum D. Tileno de Remonſtrantium rebus egit, contentus de Eccleſiarum ſuarum hierarchiâ ulteriùs quid ex ipſo intellexiſſe. Epiſcoporum quoque non obſcurum in ſe favorem narrabat, multaque addebat de ſingulari affectu; quo abeuntem proſecuti ſunt. Tum ego, an tui, & Hiſtoriæ tuæ nulla unquam à quoquam mentio facta ſit, ſedulò exquirere cœpi; Annuit ille, & præter aliorum magnifica præconia, à D. Joſepho Hall, non ſine ſumma commendatione, ſibi oblatam quominus perlegeret, adverſa valetudine fuiſſe impeditum. Intellexi ex his deſtitui ipſum ſcripto tuo; atque fidem tibi datam expleterem, quid diſceſſuro mihi in mandatis dediſſes, ſignificavi, & triduo poſt tuo nomine, non hiſtoriam tantùm, ſed & Reſp. a ad jud. Ravenſpergeri dono obtuli; Ille utroque ſcripto gratiſſimè accepto, hoſpitium meum, undecimo poſt die, circa nonam matutinam ingreſſus, ſollicitè admodum cœpit interrogare, quemadmodum te, ob hoc tuum ſcribendi genus excepiſſet: Itaque poſt brevem rei geſtæ narrationem, literulas tuas, quas ſolas 19 Sept. datas accepi, introſpiciendas tradidi; quibus ille percurſis, poſt varios ſermones abiturus, hæc verba protulit. *Utrumque affinis tui ſcriptum, cum maximo fructu, & ſumma voluptate perlegi; hoc veni tibi ſignificaturus; & ſimul ac literarum aliquid ad ipſum dabis, non tantum meis verbis, plurimam ei ſalutem dices, ſed & ſpondebis me ſuo tempore oſtenſurum, quàm non apud ingratum hoc ſuum munus collocaverit.* Digreſſo D. Tileno, pomeridianum ejuſdem diei tempus D. Junio, tùm primùm ab expeditione reverſo impendi; & poſt mutuæ gratulationis officia, generalioribus, ut primùm fieri aſſolet, & longè acceſſitis ſermonibus, diem condidimus, cognato nunc fratris Caſimiri mentionem faciente, alias ſororum numerum percontante, & priores duas parentis noſtri uxores, ſibi viſas referente, quandoque etiam de Patriæ noſtræ ſtatu nonnihil ſciſcitante. Septimo poſt primum congreſſum die, me unà cum aliquot Uxellodunenſibus, ad prandium vocatum, magnifico lautitiarum apparatu, humaniſſimè & ſplendidiſſimè excepit. Atque ita ne tunc quidem per importunam illiterati iſtius conſortii præſentiam, de rebus meis quicquam egi. Interim proximæ cuique occaſioni manum injicere deſtinatum eſt, omniaque prout ceciderint, ad te perſcribere. Sed jam dudum fortè ex me audire deſideras; qualis mihi cognatus ille noſter videatur; da veniam, conjunctiſſime Affinis, jam tale quid ſcripturus eram, cùm præter exſpectationem, à propoſito deſiſtere cogor, ob præproperum aurigæ Antuerpiani diſceſſum. Itaque hebdomade proximè ſequenti, nonnihil de rebus meis, & Agmonii b noſtri, ſi Deus volet, ad te ſcribam. Nunc jubeo ſalvere, &c.

Raptim Lutetiæ, An. 1620. 12 Decemb.

*Tuus omni officio,*

FR. JUNIUS, F.F.

a *Reſponſionem ad judicium Ravenſpergeri?*

b *Hoc eſt,* Junii. *Alludit ad nomen Hebræum* Nadabi Agmonii, *ſub quo in Curopalate edendo latere voluit Franciſcus Junius Pater, Leydenſis Theologus.*

## XXXIX.

# Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

## S. P.

*Deprædicat Sacras Grotii Sylvas, itemque præclarum de Religione Chriſtiana opus, licet quanto præclariora edas, tanto magis ab invidia prematur. Similiter conqueritur & ſe ſufflaminari, quo minus aliquid in antiquitatibus Eccleſiaſticis aut religionis controverſiis audere poſſit. Hiſtoriam ſuam Pelagianam, multos æterna oblivione velle ſepultam. Exponit quid de ſe in Synodo Roterodamenſi ſtatutum ſit, & quod multi retractationem urgeant. Inſtigat Grotium ad protrudendos ingenii fœtus, eidemque crebrius literarum commercium attamen tectis utrinque nominibus offert. Cautelam in ſcribendis apologeticis egregiam ſubminiſtrat. Thuani errores quoſdam notat. Laudatur Junius. Heinſius ob carmen quo Venetias celebrarit, ordini B. Marci inſerendus fertur.*

SUmme virorum atque item amicorum; Quod amœniſſimo Sylvæ tuæ vireto animum oculoſque meos paſcere ſuaviter volueris, quantas poſſum gratias ago. Equidem multum in ea me delectavi. Cujuſmodi ſi primum calorem atque impetum ſecutus facis (quod Sylvæ nomen oſtendit) quid fuiſſet, ſi lenta Maronis cura placuiſſet? Neque enim quid nunc deſiderari poſſit, video. Statium ſanè longè poſt te relinquere mihi videris. Itaque toties me legere juvit, ut bonam jam partem memoria teneam. Et ne uni mihi id contingere putes: ſcias illuſtrem Legatum Maurerium, cum ei ante paucos dies in prandio adeſſem, complures carminis tui verſus memoriter recitaſſe. Cui etiam optimè interpretabatur illam Olivarii & Hoſpitali περίφρασιν; ubi fruſtra fuerat Scriverii noſtri acumen. Quamquam profectò non adeo mirandum, ſi ampliſſimo Legato, gentis ſuæ nobiles adeo Senatores magis obverſarentur. Non poſſum verò diſſimulare apud te, ut cùm primùm inſcriptionem longi adeo carminis conſpicerem, cœperim ſubvereri, ne acerba adeo, ac diuturna mala feciſſent, ut in veteri regno tuo minus poſſes, quam olim. Sanè ægrè animo meo fuiſſet, ſi qui primas tuliſti quondam carminis majeſtate, nunc ſecundis contentus eſſe deberes. Sed ut paucos tantùm verſus delibavi, facilè inanem hunc timorem depoſui. Cùm verò omnia impensè me delectarint, tum multum ex eo voluptatis cepi, quod tanta voluptate claſſicos quoſdam Scriptores, & diſciplinas omnes deſcribas. Et tamen plus etiam me afficit, nobilis illa digreſſio qua celebras ornamentum ſui ſexus, ac verè Heroïnam, conjugem tuam. Quam ego carminis tui partem ſiccis oculis legere non potui. Nempe etiam affectus abſque dubio diſertiorem te fecit. Quam præclarum etiam judicium tuum, cùm in religionis negotio flectere oculos jubes ad antiquos, nec graviter minùs, quàm juſtè, quereris de moribus ſeculi noſtri. Metuo nihilominus ne ſurdis canas. Etſi aliquas eſſe aurei generis reliquias in Britannia, quibus antiquitas ſapiat, ex pluribus intelligo. Ac de Gallia etiam ſpem aliquam facit, quod ſcribis ſummos illos viros, quorum elogia extremo tuo carmine, mellitiſſimis verſibus es complexus, optimè de laboribus meis ſentire. Sanè hæc res non mediocriter mihi fiduciam, atque animum adderet ad audendum aliquid in aliis etiam Religionis controverſiis. Sed alia ſufflaminant. Unum eorum dico. Noſſe te arbitror, ut cùm de Religione Chriſtiana præclarum illud opus numeris Belgicis meditatus eſſes: plerorumque hoc judicium fuerit, etſi nihil ineſſet, quod reprehenſionem mereretur, tamen quantò præclariora eſſent, quæ ſcripſiſſes, tantò magis premi illa debere. Idque ne aliorum de te judicia incommodaret, ſi & rectè de Religione ſentire, atque in ea ſupra myſtarum vulgus ſapere videreris. Simile mihi aliquid uſu venit. Neque enim ſatis videtur multis, ſi mea à facultate Theologica approbentur priùs, quàm edantur: ſed malunt in totum me ſcriptione ejuſmodi abſtinere, idque ne plus authoritatis accedat Operi hiſtoriæ meæ, quod æterna oblivione ſepultum vellent. Itaque nunc nihil poſſum, niſi in ſtudiis literarum, vel eloquentiæ, vel hiſtoriæ externæ aut Philoſophiæ. Qui campus ſatis quidem eſt amplus, ſed quanto propius ad ſenectutem accedo, tantò impenſius flagro amore eorum, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ pacem, atque concordiam poſſint afferre. Sed dum facere haud licet, quod velim: facio quod licet. Quare duos nunc libellos emitto, ad oratoriam facultatem pertinentes. Altero eorum artis hujus ἐπιτομὴν ſum complexus. Nec eſt quod vereare, ne ea res vitam eripere poſſet commentariis iſtis Oratoriarum Inſtitutionum, quas ante annos quindecim in lucem emiſi, & quadriennio poſt auctiores recudi juſſi. Nam non adeo durus Pater eſſe volui, ut à novella prole pateret interimi, quam priùs genuiſſem: præſertim quæ multorum judicio, & publico emolumenti, & mihi gloriæ ac nominis aliquid attuliſſent. Quare ne contingeret quod dixi, potiùs in novo hoc opere viam iſtam inſtiti, ut eorum, quæ ad artem neceſſariò pertinerent, nihil omitterem: ſed aliis ferè uterer verbis; exemplis item novis, magiſque illuſtribus. Ad hæc curavi ut multa utiliter adderem paſſim, priori opere mihi indicta: ea verò omitterem quæ ἰδίαν artis non ſpectarent, & opere altero fusè à me eſſent tractata. Puto me conſilium hoc meum facilè tibi probaturum. Scripſi verò hoc opus potiſſimum in uſum Scholarum, poſtulato eorum qui his præeſſent. Commentarii mei de lingua Latina adhuc domi latent. In cauſa eſt illud, quòd antehac etiam ſcripſi. Nempe quod Germania necdum pacata, Bibliopolæ ac Typographi etiam frigeant. Sed tamen meliorem jam ſpem concipere incipiunt. Rumor enim eſt, Magnæ Britanniæ Regem pro Exrege Bohemico interceſſurum: quo effici poſſe putant, ut hic (dummodo renunciet juri in regnum Bohemicum) Palatinatui ſuo reſtituatur. Dum hoc agitur, ego prela Typographica libellis aliis fatigare non ceſſabo. Synodus Roterodamenſis jam deſiit. Etſi verò Synodo Gaudana ante annum fuerat ſtatutum, ut ne ad Euchariſtiæ Sacramentum admitterer, niſi ſententiam retractarem; tamen nunc molliùs agendum mecum putarunt. Nam decretum ut admittar ad eam, dummodò ſpondeam, nihil me adverſus Synodum Dordrechtanam velle moliri palam, vel occulte: Ita nihil me editurum, quod non priùs approbarit facultas Theologica. Hæc ſi præſtem, toleratum me iri, ſed extra functionem Theologicam, & Eccleſiaſticam. Tamen intelligo eſſe nonnullos, quibus nimis hæc mollis agendi ratio mecum videatur. Nam exiſtimant, ſi non compellar ad ſubſcribendum Synodo, ſaltem eſſe retractanda quædam, quæ in hiſtoria mea, ac theſibus quibuſdam ſcripſerim. Ego video hoc agi, ut opera mea inutilis in poſterum Eccleſiæ reddatur. Tamen ſi errorem videro ullum, non pudebit retractare. Sed jam biennium eſt, cùm errorum inſimulor, neque oſtenditur ubi exorbitarim. Novi quemdam qui obnixè hoc agit, ut vel unum locum in opere hiſtoriæ incommodè videar adduxiſſe. Scit facilitatem meam. Quare arte hac circumveniendum me putat, ut agnoſcam ſaltem quædam minus appoſitè citari. Hoc ego ubi fuero confeſſus, jam ſpargetur fama, me errorem in hiſtoria mea eſſe confeſſum, nec eſſe, quod alius eo opere moveatur, quod author ipſe non ubique putet litare veritati, quæ prima hiſtoriæ lex & quaſi anima eſt. Video mihi circumſpectè eſſe agendum, atque inter ſpinas, quod dicitur, calceatum me eſſe debere. Interea ſeu malos vincat conſtans bonitas, ſeu Deus miſericors aliter rebus noſtris providebit: ſervabimus animum bonum ad ſpes bonas. Quamquam profectò videre vix poſſum, quid ſi me potiùs, quàm publicum ſpectem meliora attineat ſperare. Non jam ad alienum cogor ſomnum dormire, nec ad alios paſſus eundum eſt. Scis ut interea, quæ beatiorem faciunt hanc vitam eſſe, olim ſcripſeris, nulli ſolvere temporis tributum. Hoc nunc otio fruor. Utinam ſaltem moleſti eſſe deſinant;

per

per quos hactenus quieto eſſe non licuit. Sed fortaſsè, & hoc propediem erit. Nam facultas Theologica ſatis benignè mecum agere videtur; uti & ampliſſimi Curatores. Si quid in cauſa mea agitur ſtatim perſcribam. Valdè deſidero, ut tuorum quamplurima lucem videant. Uti commentarii in tres Euangeliſtas: vel ſi eos paulum premere adhuc voles, ſaltem Stobæus, aut γνωμολογία, & rhythmicum pro Religione Chriſtiana, opus. De quo quia mentio incidit, præterire illud non poſſum, verſum antepenultimum, vel illi proximum, minus probari amicis quibuſdam tuis. Aio ſicubi minus ſatisfacias, ob ætatem excuſari debere, & paratum eſſe dicere veriora. Protritum hoc illis videtur, & illis etiam uſitatum, quibus imperant τῶν παίδων βασιλεῖς. At minimè convenire viro cœleſtis ingenii, & eximiæ adeo eruditionis. Dixi ego primam hanc Chriſtiani laudem eſſe, humilitatem: & ſummi Magiſtri hanc eſſe voluntatem, ut pueri ſimiles ſimus. Sed ſatisfacere eo non potui. Tu cogitabis. Quod ad illa quæ de religionis controverſiis, & judicio antiquitatis ſcripſeras; quam diſſidentes ſint amicorum ſententiæ, arbitror jam ſatis te ſive ex parente, ſive aliunde, cognoviſſe. Sanè perutile eſt, conſtare vulgo quod judicium fuerit veterum. Sed num putas, eo me inſcripto, poſſe commendari, quo fortaſſe vel urbanatim, vel ruſticatim, tangam, ſive Agamemnona, ſive Achillem, ſive Chalcantis proſapiam? Quare perſtat animus, vel recoqui paulum oportere hoc opus, vel editionem melius differri, ſaltem in hebdomades paucas. Fortaſſe interim (ita video aliquos ſperare) evenerit aliquid boni. Sin minus, exigua ſanè mora eſt, quæ poſtulatur, nec quæ publico, ut puto, incommodare poſſit. Sæpiùs poſthac ad te ſcribere ſtatutum: fortaſsè autem non ſemper tabellarius erit ſatis fidus. Propterea, ubi opus putabo, aliena manu utar, ac ne nomen quidem conſueto more addam. Tu verò, ſumme vir, vel ex argumento facilè quis ſcripſerit cognoſces, vel ex ἰνδυναμῶν, ut ſi pro Gerardo Joanne Voſſio ſcribam Vulturium Gratianum Baſſarium. Nam illa Deſiderii Alopecii metuo ne aperta ſint nimis. Quandoque etiam initiales V. G. B. ſatis ſcriptorem teſtabuntur. De te ſi quid dicendum erit, vocabo Celſum: id enim prænomen tuum ſonat. Gadolii cognomen nimis evidens videtur. Quare & hic ſuffecerint una alteraque initii litera. Hæc non eo agam, quaſi de aliis, quam innocentibus Muſis loqui ſit animus (nam ſcis ut alia captum meum ſuperent) verùm quia non deſunt, qui omni ſub lapide metuant ſerpentem. In mentem venit non inutile fore, ſi libri Auguſtini adverſum ſecundam Juliani reſponſionem, cum caſtigationibus tuis prodeant. Multa enim felici conjecturâ emendaſti, Poſſes & notas addere ſeculo noſtro profuturas. Quod ſi quid etiam dicendum adverſus diſſentientes putabis, occaſio de pleriſque ſponte ſe offeret. Tantùm ita inſtituenda ratio, ut undique reluceat mitis ſapientia, non Lelii ut ille ait, ſed Grotii, quam in te virtutem mirari ſoleo. Nec puto ea quæ perpeſſus es, hanc tibi virtutem excuſſiſſe. Scis cognomentum tuum, quod ſemper tibi obverſari debet: & ſimul occurrat, quod à ſapienti Seneca in libris de ira ſcriptum fuit. Non eſt magnus animus quem incurvat injuria. Scis Athenodorum id Auguſto conſilii dediſſe, nequid iratus committeret, priuſquàm Alphabeti literas cum animo ſuo percurriſſet. Soleo quid ſimile facere, atque aliis ſuadere: Nempe ut ſi res exigat, ut adverſus alterum calamus ſtringendus ſit; id quidem fiat dum fervet animus: nam affectus diſertiorem facit: ſed quia periculum eſt, ne aliquid caninæ facundiæ admiſceat (homines ſumus omnes) eo placet ut ad limam opus revocemus, ubi animus reſederit, atque alienis malis συμπάσχομεν. Multa abſque dubio vel tollemus, vel mitigabimus. Ita futurum, ut ſi etiam poſt annos multos in nos ipſos deſcendamus, minus nos urat ſcriptio vetus, quaſi non ſatis ſimus functi officio hominis Chriſtiani. Adde quod ſi undique in ſcriptis reluceat patientia, facilius in veris inveniemus fidem. Sed iſta longè melius me noſti. Maximi Thuani hiſtoriam poſthumam vidi. Editam gaudeo, niſi qua parte, atque id immeritiſſimè, ſocerum Junium deſultoriæ fuiſſe ſcientiæ dicit. Mirum hoc mihi de eo viſum, qui etiam mediocris eruditionis homines, & pacis longè minus amantes, in opere ſuo tantoperè extollat. Quid Ampliſſimum virum ita egit transverſum, ut iſta Gallus de Gallo, vir tantus de tanto, poſteris traderet? Scio ego multa fugiſſe ſocerum. Video in ſcriptis, præſertim criticis, quæ indicta mallem. Sed tamen hac parte non modò Palmerium, ſed alios etiam non infimi nominis poſt ſe relinquit. Non aſſurgit fateor, ad gloriam Scaligeri, Lipſii, & aliorum, qui in hoc ſtudio primas ſibi vendicarunt: Verùm tamen multa præclarè obſervavit; quod cùm Scaliger in ſuis ad Manilium notis diſſimulat, candorem in eo requiro. Verùm iſthoc ſtudium mitto. Quem Theologum Romanæ, quem Reformatæ Eccleſiæ dabunt, in quo vaſta adeò tum Linguarum, tum Philoſophiæ, Hiſtoriæ externæ, Philologiæque cognitio fuerit? Quam ille ſedulò Scholaſticos, Thomam cum primis; quanta induſtria antiquos Theologos legebat? Cujus ego rei non tantum ex ſcriptis indicium capio, ſed etiam illis, quæ ad Theologos veteres manu ſua adſcripſit. Sed neque hic ſubſiſtit error maximi Thuani. Addit, in Batavia ſtuduiſſe rebus novis, ac propterea ab illuſtribus Ordinibus eſſe hinc ejectum: tum Noribergam abiiſſe, atque ibi eſſe defunctum. Quid horum verum eſt? Sanè aliqui Authores fuere, ut pagellas aliquot adverſus Thuani hiſtoriam ederem, quibus gloriam ſoceri vindicarem. Poſſe eum argui teſtimonio Academiæ, ac Illuſtrium Ordinum, imo & Noribergenſium, atque adeo totius Orbis reformati. Verum nihil agendum putavi te inconſulto. Ad hæc videbar mihi hoc pacto tantummodò fluctus in ſimpulo excitaturus. Præterea cogitabam hominem etiam Thuanum fuiſſe, & facilè potuiſſe contingere, ut duos Gallos, quorum uterque Lugduni ſit profeſſus, confunderet. Scis enim ut Donellus Leiceſtrianis partibus impensè faverit, ac propterea è Batavia ab Ordinibus exire ſit juſſus, Saravia quoque iiſdem temporibus, fuga in Angliam ſibi conſulente. Scis quoque Donellum conceſſiſſe Noribergam, atque ibi docuiſſe jus Civile. Et potuit juſtior cauſa eſſe, cur Thuanus minùs benè vellet Donello, quam Junio. Nam Cujacium, Ampliſſimus ille, ὁ μακαρίτης Thuanus faciebat maximi. Et, ni valdè fallor, Præceptor fuerat. At Donellus nec cauſam ſæpè habuit, nec modum invenit exagitandi Cujacium, quem, ut audio, ita in prælectionibus ſuis ſolet ἀδελφίζειν *homo neſcio Cujas*. Quid igitur evidentius, quam Donellum animo Thuani obverſatum, dum iſta ſcriberet? Calami interim lapſum non eſſe, indicat, quod iſta annotavit, ad illud tempus, quo Junius è vivis exceſſit. Vellem ſcire an eadem in αὐτογράφῳ habeantur. Nam fuere qui ſuſpicarentur, à Genevenſibus factum eſſe fucum Lectori, vel Italis potius, quorum in manibus liber fuit, priuſquam ederetur. Mihi id minus veriſimile fit, ob ea quæ dixi. Interim cogitabis, qua ratione & Thuani & Junii nomini optimè conſuli poſſit. Quid ſi filius ejus, vel alius, ad calcem libri moneat μνημονικὸν planè ἁμάρτημα eſſe, quod de Junio ſcriptum fuit, quem nihil minus quàm deſultoriæ fuiſſe ſcientiæ conſtet, quippe in gratia apud Ordines ſemper fuerit, Lugdunique Batavorum magno bonorum omnium dolore, deceſſerit, ubi etiam verſibus ei à Scaligero, te, Heinſio, & aliis ſummis viris ſit parentatum? Cogitabis, & quid factu opus putes, perſcribes. Sed loquaci adeò Epiſtola ulterius moleſtus eſſe deſinam. Neque enim me fugit, recenti adeo uxoris adventu, & rebus veſtris nondum compoſitis, alia majoraque eſſe, de quibus ſit cogitandum. Rogarem te, ut me, quamvis nunc tanto disjungamur intervallo, non minùs propterea ames. Sed ſcio te amicum animo poſſidere, qui, ut Seneca ait, nunquam abeſt, ac quemcunque vult quotidie videt. Vale, vir, idemque Amice incomparabilis. Salutem plurimam dices maximo Tileno; ſed & Clariſſimo Rigaltio: cui ante annos multos miſeram Onoſandrum locis pluribus à Scaligero feliciter emendatum. Accepiſſe mihi ipſe reſcripſit. Sed tamen tot jam anni ſunt, cum nihil intelligo de editione



nova,

nova, quam tum moliri dixerat Rutgerſius. Et quia Rutgerſii incidit mentio, ſcito eum loco Dyckii Legatum fore Regis Suecici ad Illuſtres Ordines. Ita enim retulit ipſe Regis Commiſſarius, quem ſatis hanc rem noſſe arbitror. Imo & Dyckium ipſum hoc perſcripſiſſe audio. Et jam in via Rutgerſius eſſe dicitur. Affinis ejus D. Heinſius carmine Venetias celebravit: quapropter, (ut ipſe amicis compluribus retulit) brevi legetur in Ordinem Equitum B. Marci. Verùm finis tandem eſto. Uxor, Diamantiaque plurimùm te ſalutant. Etiam Scriverius, itemque Jacchæus, qui & plurimam mihi ſalutem tuo nomine dixit. Cæteris, quos adſcripſeras, auſus non fuit idem ſignificare, ne ſuſpicionem iis injiceret, quaſi de rebus aliis quàm Muſarum, tecum ſibi commercium eſſet. Timori huic ignoſces.

Lugd. Batavor.
MDCXXI.

*Tuus dum vivam,*

G. J. VOSSIUS.

---

XL.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque*

## D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Littera officioſa à diſcipulo grato ad fidelem quendam Praeceptorem exarata.*

*Vir Clariſſime,*

SI mihi ad familiares meos ſcribendum foret, quâ ratione literas meas exordirer, non in ipſo limine, materiæ penuriâ hæſitarem. Aut enim illis ſalutem nuntiarem, aut meum in illos amorem teſtificarer: ſed neutrum impræſentia uſu venire intelligo. Nam quid Voſſio cum ſalute, & amore Polyandri? Idem quod divitibus olim cum vocibus clientum, manè præ foribus ſalutantium. Quid ergo? Num ſilebo? Id meritorum memoria, atque dama olim fidelia præcepta vetant, eadem igitur ſervanda exordiendi ratio. At hæc è media plebe, & triviis, quæ ſcribo ſumuntur: non mirum ſi à plebe plebeia, è triviis trivialia proficiſcantur. Quocirca cum ſterilis mihi calamus, aliud tanto viro dignum, producere non queat, ſalvere te, Vir Clariſſime, hoc rerum ſtatu, multum jubeo, & Deum, ut meliori lætiorique te ſæculo pareat, ſupplex oro, ubi ſua merces pietati, laus eruditioni, & præmium concordiæ. Peſſima enim & luctuoſa hæc tempora, quo digna dicam? Tantâ ne loce? Vah, radiis ejus cæcutiunt, aſſueta tenebris, & eam fugere, ſi fugare non poſſunt, audentve, ſedulò, adlaborant. Quam miſerè, proh Deum immortalem! pietas, eruditio, concordia exulant: ſceleribus, omnique nequitiæ generi applauditur; quæ natura eminere dedit ingenia, ſupprimuntur; Diſcordia, & ex ea orta Tyrannis nuſquam non graſſatur: ſed quid ago? Æneæ regni Trojani excidium, & reliquiis immitis Achillei, mala, quæ perpeſſi ſunt, narro. Præſtat, quamvis ſciam membra Epiſtolæ hujus inæqualia, ut me ad eam, quâ apud eruditos uti ſoleo clauſulâ, conferam, oremque, cum aliud argumentum mihi relictum non ſit, ſi quæ habeas, habere autem quamplurima ſcio, quæ ſtudia mea promovere queant, cupido mihi impertiaris: Nullo id præſtiteris labore, quod mihi maximo foret indagandum. De meâ autem in te, Vir Clariſſime, voluntate, ſic velim judices, me, quæcunque poſtulaveris, quanquam videam, quantulus ſim, & me nihil poſſe ſentiam, tanto ſtudio facturum, quanto tu ſemper, quod maximum fateor in meis rebus, cum ſub regimine tuo degerem, te fuiſſe ſignificaſti: quod cum præſtabo, animum tuum erga me imitabor, merita nunquam allequar. Etiam atque etiam cum conjuge chariſſimâ vale, & moderata tua conſtantia fac infamet Tyrannorum injuriam.

Roterodami,
22 Maji,
1621.

*Tuus,*

JOHANNES POLYANDER.

---

XLI.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

S. P.

*Gratulatur ipſi liberationem, attamen ne illa fidei abnegationem pariat, ſincere monet. Quid in tanto Eccleſiarum diſſidio ſibi vel faciendum vel omittendum ſit utrinque diſquiritur.*

ANte omnia, Incomparabilis vir, Deo immortali gratias ago, quod diutinas horum temporum calamitates, temperârit dulciſſimo beneficio liberationis tuæ. Quod eo majoris duco, quia ne aliud quidem ſperare audebam, quam ut interceſſione Principis exteri cum certis conditionibus dimitteteris. Sed ſubinde labaſcebat animus, cùm minimè viderem, quibus conditionibus & conſcientiæ tuæ, & Procerum ſimul voluntati poſſes ſatisfacere. Nunc Deus voluit, ut planè tuus eſſes, neque ulli præterquam uni ſibi, beneficium tantum deberes. Quanto magis propterea Divinæ ſis bonitati obſtrictus, ſatis intelligis. Sed quia vita hæc terreſtris, nihil aliud eſſe videtur, quam perpetua tentatio quædam, facilè vides, quanta nunc opera danda tibi ſit, ne qui à Deo corporis es cuſtodia liberatus, à communi generis humani hoſte, in carcerem longè fœdiorem, animi nempe, ullis ullorum blanditiis pelliciaris. Quod eò ad te ſcribo, quia inimici tui ſpem eam conceperunt, propediem hoc nuncium allatum iri, quod Bertii exemplo abjuraris quæcunque à Reformatis Eccleſiis docentur, eoſque omnes pronunciaris hæreticos, qui non per omnia cum Romana Eccleſia ſentiunt. Equidem nihil tale de te metuo. Novi enim pietatem, animique conſtantiam. Sed tamen quid homuli ſumus, ſi Salomon ipſe fœdè adeò ſit prolapſus? Quare Deum oro, ut nec ſpe, nec metu, à recta te via, & conſcientia integra, abſtrahi patiatur. Tu verò, vir Maxime, me viciſſim in precibus tuis apud Deum habe commendatum, ne vel pellacia horum, vel illorum blanditiis, agere id unquam velim, quod ſalva conſcientia facere minimè poſſum. Sed de me quidem propediem fortaſſè plura. Nam expecto, quid vel Synodus decretura ſit, quæ Roterodami nunc haberi incipit; vel quid Nobiles Academiæ Curatores VIII Auguſti facturi ſunt in rebus meis. Ad te redeo. Legi cum optimo Parente tuo, ſcriptum de quæſtione ea, an Melancthoniana ſententia rectè Pelagiana eſſe dicatur. Scis quid hac de re ſentiam. Sed aliud nunc in quæſtione eſt. Nempe an expediat ea, quæ ſcripſiſti, quamprimùm in lucem exire. Video de hoc ne inter tuos quidem ſatis convenire. Et utrimque argumenta adferuntur. Quibus id probatur, ajunt Dei, & veritatis cauſam agi, hanc ab omnibus cauſæ ſatis intelligentibus defendi viribus omnibus debere: à te verò imprimis, partim quia perpauci, quid vetus Eccleſia ſenſerit, æque ſciunt: partim quia tutius iſtic ubi nunc es, potes: partim quia hoc fine liberaſſe te Deus videatur, ut veritatis ſis Patronus fortis. Accedere ajunt, quod multorum millium de te ſpem eludere non debeas. Item quod aliter mundo teſtatam facere innocentiam tuam vix poſſis. Sed quibus ſecus videtur, hi ſatis fore putant, ſi ea defendas quæ egiſti ipſe dum Reip. habenas moderareris. Ea quæ à Synodo decreta ſunt, malunt oppugnari ab illis, qui populum docent, ut quos ea res propius tangat: ſicubi opera eorum claudicet, poſſe à te juvari. Sed ut ipſe rectis quaſi cornibus in Synodum incurras parùm tutum putant, eo quod in Britannia, Belgica, Germania, ipſaque Gallia tot habeat defen-

defenſores; quorum impetum metuunt ne ſolus poſſis ſuſtinere. Scis quam duram ſuſcipiat provinciam, cui cum Theologis negotium eſt. Adhæc negant res tuas ita firmo loco eſſe, ut non vel obitu Regis, vel alio infortunio inde ejici poſſis: nec debere te in totum tibi aditum præcludere in loca illa, ubi Calvini dogma regnat. Præterea ajunt magnis paſſibus, eò nunc omnia tendere, ut brevi planè moderatis hominibus futurum ſit opus, à quibus triſte Patriæ diſſidium ſopiatur. Utilem verò tunc nobis operam tuam fore, ſi non tam Remonſtrantium cauſam ſuſceperis defendendam, quam unius tui; quod neceſſarium eſſe minimè diffitentur. Accedit, quod aliter ſi agas, minus etiam, quam nunc ſunt, in gratia erunt, qui vel ſanguine vel affinitate tibi juncti ſunt. Utrum majoris hæc argumenta ſint, an priora, ſatis per te vides. Quamquam vero conſultore non eges, tamen non poſſum, quin addam, minimè mihi improbari, ut paululum ſaltem hoc negotium differatur. Præſertim quando conjux tua, itemque affines planè habent perſuaſum, tibi, liberis, ſibi, plurimùm poſſe hanc rem incommodare, nec uſque adeo neceſſariam eſſe. Hæc ſunt quæ Delphis ſcribebam. Nunc rectà Lugdunum peto, unde de aliis alteras ad te literas dabo. Neque enim plura nunc poſſum, ob feſtinationem. Deus tibi, vir Clariſſime, amicorum maxime, eum animum inſpiret, qui ſarciendæ Eccleſiæ concordiæ plurimum afferat emolumenti. Summo Theologo Tileno ſalutem ſi dixeris, gratum feceris. Nec enim obſtare arbitror, quod de facie minus nôrim, cùm animi virtute hominem æſtimemus: quam qui norit, is verè mihi noſſe virum videtur. Vale.

XXII Julii, CIↃ IↃCXXI.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## XLII.

*Maximo, Clariſſimoque Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio.

*Epiſcopi Wintonienſis ſummam extollit humanitatem, multumque apud eum valere Voſſiarum nomen, propter quod & ſibi & affini Junio bene ſit, nec beneſacere ipſis ceſſet.*

*Vir Clariſſime,*

QUæ poſtremis meis ad te tranſmiſſis literis, de ſummo Reverendi Epiſcopi Wintonienſis, erga te affectu, ex relatu a Affinis tui ſignificavi; Ea nunc ipſe comperi, & relatione, & eâ, quæ tibi inde nata eſſe poteſt opinione longè majora. Dum enim unà cum D. Junio profectus, ac ſub ejus umbra latens, hoc honore ſum beatus, ut ſalutare Rev. Virum in Arce Farnamia contigerit, vidi me hoc uno nomine gratiſſimum acceſſiſſe R. S. hoſpitem, quod in ædibus tuis educatus, de te tuoque, in R. S. amore ſingulari nuntium ferebam. Hoc uno nomine tanta, ab hoc verè magnifico, & præcipuæ authoritatis viro, humanitate ſum exceptus; ut nunquam majorem, imò vix parem in ullo, vel infimæ ſortis mortali ſim expertus, aut experturum me ſperare audeam, ſcilicet pro ſua magnificentia, habere quos vult, poteſt ſplendidè, & honorificentiſſimè, & pro ſingulari comitate, ac humanitate, beare quoque vult ſummis honoribus, omnes quos videt R. S. amantes, aut à viris eruditis, (quos facit maximi) grata nunciantes. Non ſivit nos quamdiu Farnami commorabamur, aut prandium aut cœnam ſumere alibi, quàm unà cum R. S. in aula propria: Quin & diſertè profeſſus vir Rev. nolle ſe nobiſcum, aut prandium habere, aut cœnam, qua non ſe DD. Grotii, Voſſii, & Erpenii memorem, poculo tantorum virorum ſaluti dicato, probaret: ſubinde nos commonefaciens ſedulò, ut ſi viri eſſe vellemus, (verba ipſa audire te ſcias, vir Clariſſ.) exemplo ſuo, idem faceremus ſtrenuè. Fuit cùm præfatus V. R. ſemel ſe Grotium, plures Erpenium vidiſſe, exclamaret; Ecquane unquam ſpes erit D. Voſſium in Anglia videndi? adderetque, velle ſe, & expetere unicè, ut dum abeſt Voſſius, abſunt duo iſti alii, crebro eorum nomina, in menſa ſua ſaltem audire poſſit. Et ut uno verbo comprehendam omnia, nulla non dedit nobis vir iſte Reverendiſſ. affectus in te propenſiſſimi indicia, quorum aliqua jam ex hiſce uti exiſtimo, literis percipere potuiſti, alia proximis, ſiquidem occaſio ſe offerat tutò tranſmittendi reſervo: aut, ſi unà cum Epiſcopo, ſperare tuum in Angliam adventum mihi liceat, præſenti præſens indicare geſtio. Velim nunc exprimere poſſim per literas ego, quanto animi mei gaudio videam ita benè tibi, & cauſæ tuæ velle virum tanta hic, & authoritate, & dignitate pollentem; ſed dubitare non potes de affectu meo, niſi unà dubites, de ſtudio meo, quo annitar, ſemper talem me probare, qualis ut ſim, exigunt, & natura, & recta honeſtatis ratio, & quæ tandem alia eſſe poteſt, vitæ benè inſtituendæ moderatrix. Vale, vir Clariſſime, unà cum conjuge, & liberis, & omnibus bonis.

Dabam raptiſſimè Londini III Kal. Sept. CIↃ IↃCXXI.

*Tuarum virtutum inſignium Admirator & Cultor,*

G. R. DOUBLETIUS.

a Fr. Junii F. F.

## XLIII.

*Præſtantiſſimo Viro*

## Gerhardo Johanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo.

*Archiepiſcopum Cantuarienſem infelici ſagitta ictu, pro cervo hominem necando, periculum ne exauctoretur, incurriſſe; tempeſtivè autem prudentiâ ac gravitate Epiſcopi Wintonienſis omnem difficultatem fuiſſe ſublatam, refert.*

*Conjunctiſſime D. affinis,*

QUamquam recens de uxoris tuæ, ſororis meæ, morbo nuntius, ſollicitum mihi animum, triſti imagine confuderit; tamen Deo Opt. Max. multiplices curas in gaudium vertente, de metu non queror. Quod ſupereſt, Deum Immortalem precor, ut illam tibi, unà cum ſpei non dubiæ liberis, ſortem, & hilarem diu præſtet: fieri vix poteſt, quin ad vos jam dudùm, perlata ſit res, plurimorum rumoribus agitata. Trimeſtre & amplius eſt, cùm Archiepiſcopus a Cantuarienſis, inter venandum cervo imminens, ictu fallente, hominem ſagitta confixit. Difficili conjecturâ non eget, quam gravi vulnere, caſus tam luctuoſus, & ipſius Archiepiſcopi piam mentem, & bonorum omnium animos adflixerit. Nondum is dolor exoleverat, cùm ſtatim, non levis difficultas inde exorta, omnium aures oraque advertit, nam quatuor inter, quibus imponenda manus erat, Epiſcopos, aliqui ambigere cœperunt, an conſecrationem hanc humana cæde, cruentatæ manus ritè poſſent perpetrare: Neque deerant alii complures, qui deſtinatione tacitâ, in locum Archiepiſcopi, ſumma (ut putabant) dignitate exuendi; Wintonienſem ſufficerent: Wintonienſe ipſo multum obnitente, & nihil non obnixiè pro Archiepiſcopo faciente. Vidit tandem Rex ad curam ſuam negotium hoc pertinere; oculoſque circumferens, decem ſpectatiſſimæ Sanctitatis, ac fidei, viros elegit, qui eruditionem ſuam intenderent, & genus quæſtionis, aut non ſatis tritum, aut etiam inexpertum, ad liquidum perducerent. Erexerat ea res publicam expectationem, omnis moræ impatientiſſimam: ſum-

a Georgius Abbot.

miſque viris hinc inde, dum Antiquæ Eccleſiæ Canones conferunt, & excutiunt, in ſtudia per aliquot dies diductis, abruptam undique gratam ſaluberrimi conſenſus ſpem, timida ſollicitudine non pauci augurabantur; donec Rev. Wintonienſis Epiſcopus, infinitam hanc ſententiarum diverſitatem, unico allegato Canone diremit. Clericus de quo dubitatur, an ſit regularis, non eſt irregularis. Modeſtia gravitaſque Rev. Viri mirificè commendavit dicti opportunitatem, præcipuè acceptam, diutinâ quaſi altercatione feſſis. Sententia itaque hæc, non prævaluit modò, ſed omnino poſt tantas diſſenſiones ſola fuit frequens. Magnam ſibi tam notabili æquiſſima moderationis exemplo, Vir Rev. admirationem, tam apud ipſum Regem, quàm apud omnes bonos comparavit. Monuit certè Archiepiſcopum Rex, ut conſervatæ gratiam dignitatis, ad unum Wintonienſem referret. In his erat curis Reverendiſſ. Dominus, cùm tuas ei literas offerrem; quibus ille jam dudùm, ut longè gratiſſimis reſpondiſſet, niſi priores haſce curas, ex improviſo Parliamentum excepiſſet, quod res quoque meas nonnihil moratur, copiâ Illuſt. Comitem Arundelium conveniendi negatâ, qui jam pridem unicè petiit, ut ſibi operam meam integram reſervarem. Brevi itaque ſi Deus annuat, de omnibus meis rebus te faciam certiorem. Exemplar literularum, ad virum magnum datarum, deſcripturus, hîc me, præ temporis anguſtiâ ſiſtere cogor. Neque neceſſe habeo, quicquam ſuper hac re ſcribere, cum tute omnia perſpicias.

Raptim Londini
Anno 1621 kal.
Nov. St. Vet.

*Tum omni officio*,

Fr. Junius F.F.

---

XLIV.

*Reverendo in Chriſto Patri*,

## D. Lancellotto Androſio,

Epiſcopo Wintonienſi, Regi Britanniæ à Sacris & Secretis Conſiliis.

*Benevolentiam Epiſcopi Wintonienſis erga ſe & affinem deprædicat, ac ejuſdem favorem conſtantem utrique exorat.*

*Reverende in Chriſto Pater*,

QUod coram me poſſe, pro magno optâſſem, id abſens nunc agam: ac quia aliter non licet, per literas ſaltem fiduciam ſumam compellandi tui. Jam aliquot menſes ſunt, quod facere id animus fuit. Sed gravis & diutinus uxoris morbus & hoc, & alia multa, quæ vel ad ſtudia, vel ad humanitatis officia pertinerent, diſturbavit. Nunc quia ſextus eſt dies, quod paulatim convaleſcit, & ego quoque ſenſim meus eſſe incipio: nolo diutius illud omittere, quod tamdiu diſtuliſſe jam pudet. Ex quo Franciſcus Junius, affinis meus, in Angliam venit, ſæpius ab eo literas accepi, nullas vero, quin iis magnificè prædicet felicitatem hanc ſuam, quòd tibi innotuerit, tot eximiis dotibus prædito, & ejuſce dignitatis viro, à quo etiam tantopere ametur, & cui ſe ſuaque ita curæ eſſe videat, ut non aliter affectum hunc, quàm verè paternum poſſit nuncupare.

Equidem non facilè dixerim, quantâ res hæc voluptate animum meum perfuderit. Et quid me unum dico? imò quantopere exhilararit omnem Junii τοῦ μακαρίτου familiam. Quæ ſatis etiam intelligit, plus ſe eo nomine debere tibi, quàm exſolvere poſſit. Etſi verò hoc per ſe magnum, imò maximum erat; tamen alterum etiam acceſſit, ut genuinâ omninò lætitiâ afficerer. Nam eædem adfinis literæ, tum etiam, quas nobilis & mei amantiſſimus juvenis Georgius Dubletius ad me dedit, teſtificantur mihi, non ſolum tibi notum eſſe nomen meum, ſed etiam amantiſſimum te mei & cupidiſſimum eſſe. Quem ego affectum multò auro potiorem duco: ſed in hoc ſtatu non aliter remunerari poſſum, quàm ſolo amore, & propenſiſſimâ in me colendo voluntate. Hanc quidem, ſi non dignitati ampliſſimæ, ſaltem ſummæ bonitati tuæ probaturum me confido. Interim mihi quidem gaudeo, potiſſimum verò gratulor affini meo: quem deinceps etiam commendatiſſimum tibi fore ſpero. Neque enim favore tuo plane indignum putabis, cujus ea eſt eruditio, & quod caput eſt, illa vitæ integritas, propter quam imprimis chariſſimus hic omnibus eſſe ſolet: ſi ſolos excepero, qui virtuti & doctrinæ, addo & Eccleſiæ paci bellum indixerunt. Sed neque iniquum videtur, ut ex ſegete ea beneficiorum, quæ in uberi Eccleſiæ ſolo maximus ei parens obſevit, horum optimus filius aliquid frugis metat: atque id potiſſimum per te, cui conſuetudo benefacere in naturam vertit: cuique etiam excellentem pietatem, doctrinam, prudentiam, humanitatem eruditiſſima ſcripta undique ſpirant, ac fama etiam celebrat, & doctiſſimorum hominum ſermones. Eò verò impenſiùs hoc deſidero, quia & affinem hunc meum juxta ac meipſum amo, & eam de virtute ejus ſpem concepi, ut ſi quid mihi humanitus contingat, hunc præcipuè fore putem, in quem dum vita ei ſuperſit, cura liberorum meorum recumbat. Hæc ſunt, quæ nunc ad te ſcribenda exiſtimavi. De rebus verò meis nihil addo, partim quia nihil magnopere eſt quod ſcribam, partim quia ſiquid fuerit, id alteris malo literis reſervare.

Reverende in Chriſto Pater, Deum ex animo oro, ut illum erga nos affectum: te verò ad fidei & pacis Chriſtianæ bonum, diu Eccleſiæ ſuæ incolumem ſervet.

VIII Kal. Nov.
CIϽ IϽ CXXI.

*Reverendi & illuſtris nominis tui cultor*,

G. Vossius.

---

XLV.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

S. P.

*Studia ſua ſubindè à malevolis ſufflaminari dolet. Malè metuit Academiæ Lugdunenſi, ut brevi barbaries omnia occupet, cum nulla elegantioris literatura ſint præmia. De Hiſtoriæ natura & Scribendæ Hiſtoriæ præceptis commentationem luci publicæ breviſſiſtendam recipit. Vindicat Tilenum ceu Theologum inſignem. Inſtigat Grotium ad emittendum Stobæum. Deſiderat diligentiam Scriverii in elaborandis notis ad Senecam Tragicum. Salmaſii de Originibus vocum libri, num prodierint inquirit, nec diffitetur, à multis annis tale quid ſe moliri, interim clariſſimo viro innoteſcere cupit.*

AMpliſſime, Clariſſime vir, jam diu expecto, ut de rebus meis aliquid ſtatuatur, quo, cùm aliud non habeam, ſaltem hinc capere ſcribendi argumentum poſſim; ſed adhuc fruſtra fui. Nam etſi jam diu Curatoribus is animus fuiſſe videtur, ut vel Eloquentiæ, vel Hiſtoriæ univerſalis docendæ provinciam mihi decernerent: tamen ab aliquibus, partim apertè inimicis, partim φίλοις ἀφίλοις, ſemper aliquid objectum, quod hoc eorum propoſitum impediret. Attamen tam multa in hoc tempore concurrunt, ut aliud vix perſuadere mihi poſſim, quam proximo eorum conventu habitum iri rationem mei, vel potius Academiæ hujus: in qua humanitatis ſtudia magis magiſque ſordere incipiunt juventuti: ut niſi plurium induſtria gliſcenti malo obviam eatur, omninò futurum prævideam, ut brevi barbaries omnia occupet. Nec cauſa obſcura eſt, cum nulla elegantioris literaturæ, humaniorumque ſtu-

diorum præmia ſint; imo hæc ipſa invidiæ obnoxia ſint, apud eos, qui perſuaſum omnibus cupiunt, Neminem eſſe Theologum, vel Juriſconſultum poſſe, niſi qui unum hoc per omnem egerit vitam: nec ætatis partem triverit in iis, per quæ gradus fieri debebant ad ſublimiora. Hæc ego ad te non ſcriberem, niſi nunc magis quàm antehac unquam, veriſſimum eſſe comperirem illud, quod in Petroniano Satyrico legere eſt, id quo nihil eſt majus, pueris indui adhuc naſcentibus. Quamquam verò peſtilens iſtoc ſidus prope omnium animos inflavit: tamen non deſperem poſſe nonnullis, quibus de luto meliore Phœbus finxit præcordia, noxiam adeo opinionem ex animo evelli, dummodo ne homines partim imperiti, partim invidi, tantum bonum impedire pergant. Interim de me utcunque erit, gaudebo, quod mihi ſit mens ſana in corpore ſano: ſi inſipientibus non viſum uti opera noſtra, dum poſſunt, illi, non ego infelicior fuero. Quin fortaſsè eo beatior ero. Quod tu quidem, magne Vates, facilè arbitror mihi conceſſeris: quippe qui alicubi cecineris, inter ea eſſe *Vitam quæ faciant beatiorem, Nulli pendere temporis tributum.* Sanè quamdiu ab hoc tributo immunis ſum, ſedulo id operam do, ut ne minùs ſim negotioſus quàm ſoleo. Et nunc ſub prelo eſt commentatio mea, de Hiſtoriæ natura, & ſcribendæ Hiſtoriæ præceptis. Quam arbitror intra hebdomadas duas lucem adſpicere poſſe. Niſi fortaſsè moræ aliquid injecerint, libelli alii non abſimilis planè argumenti, quos cum priori emittere propemodum ſtat ſententia. Sed profectò quantò mallem hac ætate inſumere operam meam ſtudiis iſtis, quæ ad pietatem Chriſtianam, Scripturarum illuſtrationem, vel Eccleſiæ hiſtoriam pertinent. Non malè, nec infeliciter puto, ornare hanc Spartam cœperamus. Sed temporum infelicitas, torrentis inſtar nos abripuit, ac levibus hiſce literariis curis adfixit. Interim blandiorem auram exſpectabo, qua provecti ad graviores curas, appellere iterum ſtudiorum noſtrorum navem, poſſimus. Tu verò, Ampliſſime vir, nunc, ut arbitror, omnia potes quæ vis. Niſi fortean excipere ea debeam, quæ ad nominis tui defenſionem pertineant. Nam ex pleriſque, ſed minus amantibus tui, intelligo, Ordinum noſtrorum Legatis, priuſquàm Lutetia, ante annum, vel circiter diſcederent, illud fuiſſe promiſſum, nihil iſtic editum iri, quod Procerum noſtrorum quiſquam cum injuria ſua conjunctum eſſe arbitretur. Sed longè alius animus eorum, qui in honore antea fuerunt, & illorum qui illis favent: quibus nihil adeò in voto eſſe videtur, quàm ut aliquid videant tui, quo mundus intelligat, quàm benè & patriæ voluerint ſemper & adhuc velint. Utris potiùs gratificari debeas; vel quid rebus tuis, aut publico magis expediat, ſcio à me minimè requiris, quem ſcis non multum ſapere ultra ea, quæ ad molles Muſarum Labores, ac Socraticos libellos pertinent. Adderem etiam ſacros, ſi per eos liceret, qui, uti dixi, nihil illic ſapere quemquam putant, qui non illotis manibus, eos ſit aggreſſus. Sanè video eſſe, qui ſummum Virum Tilenum Theologum eſſe negent; quem tantoperè Palatinorum Theologorum elogiis celebratum, ante annos aliquot vidimus. Nempe nunc minimâ de plebe homines perſuaſum id aliis volunt, ſedulò eum humanitatis ſtudiis vacaſſe: atque inde eſſe quod ſua tot bracteatis dictis; & vermiculatis emblematis ornet: cæterum quicquid iſtis operæ inſumſit, id decidiſſe arduo Theologiæ ſtudio: quippe quod totum hominem requirat. Equidem nec ego quenquam velim meliorem ætatem iſtis annis terere, quæ tantùm gradus eſſe ad Theologiam debent; ſed quàm putidum eſt, non poſſe de Religionis controverſiis judicare, niſi qui linguarum trium genium ignoret, niſi qui hiſtoriam externam, & locorum ſitus neſciat, niſi qui diſſerendi artem ſolum deguſtarit, tanquam canis Nilum; at animæ doctrinam, moralem ſcientiam, ea quæ de univerſalibus principiis, & affectionibus à Philoſopho diſputantur, ne attigerit quidem. Et quod omnium fœdiſſimum eſt, non poſſe idoneum eſſe Scripturarum interpretem, niſi qui junioribus Magiſtris contentus, ſuperſederit diſcere ex Antiquis, quid & alii ſenſerint, & cur ita maluerint ſentire. Quæ etſi profiteri minimè audent homines imperiti & malevoli: tamen quid aliud agunt, qui authores ſunt juventuti, ut ſtudia iſtæc, quæ dixi, negligant; quippe inutilia, & ſæpè etiam noxia: qui item undique produnt, nullos à ſe viliori loco haberi, quàm qui ſtudiis iſtis adjuti ad graviora ſe contulerint? Sed illos miſſos faciamus. Ad te, maxime vir, revertor: cujus, ex quo in Galliis fuiſti, nihil videre contigit, præter ea, quæ de Pelagianiſmo diſſeruiſti: De quibus te judicium meum jam ex aliis cognoviſſe ſcio. Sed ut illa non uno nomine magna cum voluptate legi: ita impenſè deſidero, ut ſimulac ab iis, quæ publicas curas ſpectant, otii aliquid nactus fueris, ſeriò cogites de emittendo Stobæo tuo. Exple, exple tandem augurium illud doctiſſimi, & de literis optimè meriti, Andreæ Schotti, quod eſt in ſcholio addito Photii Bibliothecæ tmemate ſeu cap. 167. *Præſagit*, inquit, *animus, (quid enim vetat ominari?) fore ut ope Photiana Bibliotheca, quæ latent, eruantur non pauca: & quemadmodum nunc exciverunt Hadrianus, Gelaſius, Theophylactus, Simocatta, ac quædam etiam Diodori Siculi, ſic quoque ſpes eſt, Stobæi Eclogas omnes capite truncas, alibi vitioſas, turbatas, mutilas, primo maxime & ſecundo libro, Philoſophi alicujus opera, atque Philologi in integrum reſtitutum iri, ut apto ſuo colligentis ordine ſervato, majore cum Reip. commodo appareant. Et tibi, quod omnium primum œconomiam Librorum, ac ſingulorum cujuſque capitum ſeriem, & argumentum Photius accurate deſignet: dein Auguſtana Bibliotheca (cujus multa jam exſtant in rem literariam beneficia) codex calamo exaratus: ut & noſtra neque pauca, neque contemnenda fragmenta quæ ex Anton. Auguſtini V. C. gerimus, adferunt adjumenta. Nunc quoniam in medio palma eſt, huc Græcæ ac politæ Philoſophiæ ſtudioſos invito.* Hunc ego locum adſcripſi, quia contineret, unde peti poſſent, quæ novam Stobæi editionem ornarent. Gratulor verò Stobæo quod à longè illuſtriori manu medelam, ac decus ſuum accipiet, quam Schottus præſagire, vel ſperare unquam auſus fuiſſet. Non dubito, quin ſcire aveas, quid ſit de Seneca Tragico, quem ante annum atque amplius notis ſe ſuis illuſtrare velle receperat Scriverius noſter. Ille verò lento adeo pede, & verè teſtudineum in modum procedit, ut multum videatur timere, ne, ſi alius eſſe occipiat, quàm ſolet, cognomen Lentuli amittat, per quod à te patriciis Romanorum familiis ſibi inſertus videtur. Hæc res facit, cur neque quæ ipſe in fragmenta Tragicorum meditabat, lucem adſpexerint: neque item illorum quicquam, quæ tranſmiſeras ad utrumque noſtri. Non ignoras, me à multis retro annis Originum libros moliri. Iccircò impenſè aveo noſſe, num brevi ſint proditura, quæ de eodem Argumento ſcripſit clariſſimus Salmaſius, ut cognoſco ex notis ejus ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Multum metuo, ne ſi vir tantus ſuos edat labores, ego meos æternum premere cogar. Et tamen nihil magis deſidero, quàm ut nobile ejus viri opus quam primùm adſpiciat lucem. Potero meas copias in arctum cogere eaque ſolùm adferre, quæ Salmaſius vel dicere neglexerit, vel contempſerit. Ita non planè mihi peribit labor meus, qui multis mihi vigiliis ſtetit. Et interim hoc lucrabor, quod ſi Salmaſiana priùs prodierint, ego iis viſis meliora, certioraque edocebor in multis ubi nunc hæreo; Nec enim vulgare quicquam ab eo expecto, cujus ego εὐστοχίαν in corrigendis Scriptoribus Antiquis ſatis mirari non poſſum, nec prædicare unquam deſinam. Quod verò ad Romanorum Antiquitatum intelligentiam, quem cum eo componere poſſimus planè non video. Alias ejus viri laudes prætereo, tibi magis cognitas. Mihi quidem, quoties aliquid mei lucem videbit, prope decretum, quoties ad illud mitto, etiam exemplum addere ad ſummum illum virum; non quia tanti mea eſſe putem; ſed quia committere non poſſum, quin oſtendam quanti à me fiat. Et quod caput eſt, opto ei innoteſcere. Quod ea occaſione per te commodè fiet. Nam tu, vir Ampliſſime, qui me meaque amare ſoles, commendatione nugarum mearum pretium illis addes, quod à ſe ſperare non audent.

Uti-

Utinam verò prodeſſe tibi in aliquo poſſem viciſſim? ſed jam diu eſt, quod affectu meo contentus eſſe ſoles. Quare verbum non addam, niſi quiddam de affine mea, & eo qui illius ambiit nuptias. Equidem optaſſem; & ille ut triſtibus his temporibus, de conjugio minimè cogitaſſet, & noſtra, ut magis à ſecundis nuptiis abhorruiſſet, hoc ſaltem tempore. Virum quidem novi ab annis triginta & amplius, etiam his annis circiter quindecim familiares fuimus, quantum loci intervallum quo plurimùm diſtinguebamur, item temporum ratio ſinebat. Indole optima ſemper mihi viſus fuit, moribus etiam honeſtis, & politiori literatura, quod ratum eſt in ejus profeſſionis homine, eleganter eſt excultus, ſed cogito ſemper mecum, quantis, munus, quod ſuſtinet, ſit periculis involutum: tum autem ſi terras cogitent, alio ſub ſole jacentes, metuo ne ea noſtræ ſit corporis imbecillitas, ut longiori itineri minimè par ſit futura: adhæc longè aberit à ſanguine, & affinitate junctis. Propter iſta & quædam alia, author conjugii eſſe non potui: nec tamen in diſſuadendo libertate ea auſus ſui uti, quæ fortaſſè requirebatur. Videbam enim alios hic eſſe qui impenſius ſuaderent. Tum autem minimè tam obeſæ eram naris, ut ex colloquiis & aliis non animadverterem, quanti faceret conjugii bona. Adhæc metuebam, ne ſi hic alteram duxiſſet, non inferioris ſortis, noſtram verò peteret nemo niſi inferioris conditionis quàm iſte eſt, illa fieret ἑαυτὴν πρωγαμένην, quod pulchram illam, ut tum videretur, conditionem diffluere paſſa eſſet. Dixi igitur interdum, mihi ſic videri, ſeu abnueret, ſeu annueret, fore ut poſtea pœniteret. Sed cur pœnitudine duceretur ſi annuiſſet, vix aliam adferre cauſam poteram, quæ alicujus momenti ei videretur, niſi quod aut longiſſimè abeundum foret à ſuis, aut ſi maritus iis in locis, in quibus eſſet, remaneret, illa in perpetuo verſatura ſit metu, ne is experiri eandem cogatur fortunam, quam aliquot eorum, qui ejus ſunt conditionis, nunc diſcere coguntur. Illa ad hæc; meliora ſe tempora ſperare: & ſi quid adverſi Dominus immittat, confidere eumdem etiam ſpiritu ſuo roboraturum. Habes, Ampliſſime vir, quæ nunc occurrebant. Deo immortali primùm gratias ago, quod tibi & familiæ toti benè adeo ſit: deinde eum ſupplicibus votis oro, ut hoc bonum diuturnum eſſe velit, quo diu Reipublicæ, & Eccleſiæ utilis eſſe poſſis. Uxor multum te ſalutat. Etiam utriuſque noſtri nomine ſalutem dicito rari exempli fœminæ, conjugi tuæ, quam ego poſt tot adverſa ex marito ſuo ſolidum capere gaudium non minus lætor, quàm propria ſi res ageretur; ſi benè memet novi. Nec præterire poſſum Clariſſimum, & θεολογώτατον Tilenum. Penè eſt ut addam magna quædam nomina, quorum extrema tua Sylva meminiſti. Sed metuo ne meum hic delitescentis nomen fortaſſe nec fando unquam acceperint.

Ὁ σὸς ἐξ ὅλης τῆς καρδίας,

Lugd. Batavor.
CIƆ IƆ C XXII.
Idib. April.

*Tuus ex toto corde,*

Γηρ. ὁ Ἀλωπέκιος,

G. J. VOSSIUS.

---

XLVI.

## Gerrard. Joh. Voſſius, Hugoni Grotio, S. P. D.

*Gaudet libros eius de Religionis Chriſtianæ veritate prodiiſſe in lucem publicam, optatque cum his una extitiſſet eiuſdem Catecheſis Belgico Latina, cum dolendum ſit multos ſtudioſorum adoleſcentum vel prima Religionis Chriſtianæ ignorare elementa.*

IN rebus meis, Vir Ampliſſime, nihil actum; eo quod Curatores ſtato die non advenerint; ſed menſem diſtulerint adventum ſuum, quod nunquam antehac fieri memini. De Wicelio uti & Stobæi eclogis, jam frater ad te ſcripſerit. Quare actum agere nolo. Nonnunquam dubitavi, annon uſui tibi eſſe poſſent Comicorum Græcorum ſententiæ, quibus tam multa bona ad oram alleviſſes. Hoc ſi eſt, ſcis tantùm ſignificato opus eſſe. Gaudeo ſex tuos de vera Religione libros in lucem prodiiſſe. Sunt illæ unicæ delitiæ multorum, & eos inter conjugis meæ, cui eo impenſius placent, quod domi ſuæ habet interpretem eorum, quæ circumlocutione quadam dicuntur à te, vel etiam ubi alludis ad hiſtoriam minus in vulgus notam. Dubitavi interdum, an non in gratiam imperitiorum utile foret, declarationem talium ad oram verbo annotari, vel ad calcem adjungi: quod jam alios ſcis in hymnis ſuis præſtitiſſe. Nec tamen minutum adeo laborem ſubiri à te velim, ſed fratre, vel alio. Vellem cum his de Religione libris Latino-Belgica vel potiùs Belgico-Latina tua κατήχησις extitiſſet. Parentes multi occaſionem haberent, egregia multa & diſcendi, & docendi ſuos. Loquor de hominibus bonarum literarum non ignaris, qui Latinis magis delectantur. Nam cæteris editione Belgica, toties jam repetita, ſatis jam conſultum puto. Tum autem ob oculos verſantur ſtudioſi adoleſcentes; quorum multi (dicere horret animus) vix elementa Religionis Chriſtianæ ſciunt. Imo quid illo *vix* opus mihi? Etiam abſque illo nihil dixero ὑπερβολικώτερον. Paucos adeo ex iis invenio, qui & Chriſti beneficium, & ſuum officium intelligant. Hæc Hogerbetio ſubitò ad vos abitum parante, ſcribenda mihi exiſtimavi. De cæteris brevi per ſtudioſum quempiam, qui Lutetiam cogitat, faciam te certiorem. Salutem uxori lectiſſimæ à me & mea. Item ſummis viris, Tileno, Salmaſio, aliis.

Kal. Jun. CIƆ
IƆ C XXII.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

---

XLVII.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius S. P.

*Literas ejus ſibi deſtinatas & à proceribus interceptas diſſimulare dicit, eo quod hodie in conventu Curatorum Academiæ certi quid ſtatuendum de profeſſione quæ ſibi in poſterum publicè eſſet obeunda, quod proximis literis exſpectare eum jubet.*

VIr Clariſſime, Ampliſſimeque, vellem diem unum alterumque ſcribendi officium differre licuiſſet. Potuiſſem fortaſſè certius aliquid ad te perſcribere de rebus meis. Eſt enim hodie octavus Auguſti, quo, uti noſti, convenire Academiæ hujus Curatores ſolent. Sed nefas putavi, ut ſine literis meis Lutetiam iret Vir Illuſtriſſimus Auberius Maurerius. Interim planè arbitror fore, ut intra triduum de profeſſione, ſi non ipſe multum gaudeam mihi, ſaltem plurimùm gratulentur mihi amici: qui cauſas non planè leves adferunt, cur malint, me in publico munere verſari, quàm privatim mihi canere, & Muſis. Tamen fuit qui inſuſurraret, vereri ſe, ne aliquid incommodet rebus meis, quod inter literas interceptas quædam ad me ſcriptæ forent. Id mihi parùm credibile videbatur, quia de nullis rebus Epiſtolæ noſtræ loqui ſolent, niſi privatis, aut innocentibus Muſis. Quicquid erit brevi reſciſcam. Simul illud cognoſcam, quid ad me libri miſeris. Fuit qui putaret eſſe aliquid Clariſſimi Salmaſii. Alius intellexiſſe ſe dicebat, eſſe librum à Cl. Rigaltio miſſum. Quod ſi eſt, credo fuerit Onoſander meus. Id ſi eſt, perierit fortaſſe mihi. Nam etſi librum amo, tot locis manu Scaligeri correctum: tamen non tanti duco, ut temporibus his, quibus ſuſpicionum plena ſunt omnia, repoſcere eum digner

à Pro-

à Procerum noſtrorum conventu. Diſſimulabo potiùs rem omnem. Hæc nunc paucis: ſed intra octiduum alteras à me literas exſpecta: præſertim ſi quid actum erit in rebus meis. Salutem conjugi, Tileno, Salmaſio, Rigaltio. V. V. C. C.

VIII Auguſt. ↄIↄ Iↄ CXXII.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

XLVIII.

*Maximo Viro,*

## D. Gerardo Johanni Voſſio.

*Rigida in Paræi, Bucani aliorumque Calviniſtarum Scripta, Oxonienſis ac Cantabrigienſis Academiæ cenſura. Cantabrigiæ pleroſque Remonſtrantium ſententiæ addictiſſimos, ipſum Academiæ Vice-Cancellarium Remonſtrantiſſimum eſſe. Multos ibi Voſſiani nominis amantiſſimos inveniri. Regem Angliæ clementem valdè Pontificiis ſe exhibere, miniſtriſque Eccleſiæ interdixiſſe, ne ulla inter Pontificios & Reformatos, controverſa capita in publicis concionibus diſputarent, ſuper quo diſparia vulgò audiantur judicia.*

*Vir Clariſſime,*

TAntopere me pudet diuturni mei ſilentii; ut nunc quoque ſcribere, & ſic à longo errore, tandem in viam reverti, propemodum erubeſcam. Video enim non dari alium mihi reditum ad officii tamdiu intermiſſi partes; quam per ingenuam, ſed turpem, ſupinæ negligentiæ confeſſionem: Cui tamen veniam ſat ſcio facilè dabit tua humanitas, præſertim ſi conſideres, eſſe interdum hanc non minimam officii erga amicos partem, non eſſe officioſum nimis; ſæpe enim moleſta magis quam grata eſt, frequens illa ad viros magnos, & nunquam non ſeriis occupationibus intentos, ſcriptitatio: quaſi verò futilibus ineptiis, & literis inanibus legendis otium ſemper ſuppetat iis, quibus nunquam, ad volvenda Doctorum ſcripta, ſuaque viciſſim aliis tradenda Lectoribus otii, temporiſve eſt ſatis. Et certè ipſe etiam nunc, ita habeo pauca ſcriptu digna, ut niſi me ad ſcribendum impuliſſet, ſummum cum claritudine tua, quatenus fieri poteſt, colloquendi deſiderium, vel hoc tempore quoque ab hiſce literis tranſmittendis, manum abſtinuiſſem. Nec enim dubito, quin per D. Junium, omnia diligenter ad te perſcribantur, quæ hic geruntur, ſcitu digna: uti quam, non ita pridem utraque, hic tam Oxonienſis, quàm Cantabrigienſis Academia rigidæ cenſuræ ſubjecerit Paræum, Bucanum, & alios: quæ ſi nondum fortaſſe innotuerunt, nunc accipe. Habebat Oxonii ante menſes circiter tres, aut paulo amplius, concionem Juvenis quidam Theologus, & non ſatis temporum, in quibus vivimus, obſervans; ſed probus alioqui & exiſtimationis bonæ. Hic cum prius generalia quædam propoſuiſſet, ex quibus vereri videbatur, nequid Religio reformata, ubique ferè terrarum, nunc concuſſa etiam in Anglia, detrimenti caperet; tandem eouſque deveniebat, ut aſſereret in tali caſu, fas fore ſubditis, aut ſaltem inferioribus Magiſtratibus, etiam invito, & aliud moliente Principe, omnibus modis, atque adeo, vel armis Religionem veram, ejuſque publicum exercitium tueri; addens illuſtrandæ Theſeos ſuæ causâ, exiſtimare ſe, Regem Galliarum, ſi (dum exercitui Reformatos in urbe aliqua obſidenti intereſt quotidie) ferro per manum ſubditi caderet, juſtè & ſine ullo mactationis crimine occiſum iri. Quæ verba cùm ad Regem, neſcio qua ratione delata eſſent, ſtatim eum in vincula conjici, & captivum ad ſe adduci Rex jubebat; nemine dubitante quin capite lueret immoderatam linguæ licentiam; ſed cum examen ſuper cauſa inſtitutum eſſet, Juvenis hic (*Knight* nomine) credidiſſe ſe profitebatur, eſſe hanc communem omnium Reformatorum ſententiam, atque ita ſe à Reformatis Doctoribus eſſe edoctum, citans Paræum in Commentariis in Epiſt. ad Rom. Bucanum in locis communibus; & Stephanum Junium Brutum, ſive *a* Authorem Libri, cui Titulus, Vindiciæ contra Tyrannos. Excuſabat hoc aliquantum juvenem, in Theologia Tyronem, non abſolvebat, plura quàm Authores dixerant, conſtruentem, & hypotheſes inde formantem. Itaque ipſo in carcere detento, cenſuræ Academiarum poſtea traditi fuere prædicti Authores. Ac Oxonienſis quidem capita aliquot ſelecta, pro erroneis, falſis, impiis damnans, Paræi ſolùm commentarios ad Romanos publicè conflagrandos cenſuit, quod etiam factum, conquiſitis quotquot in Officinis Bibliopolarum, & Muſæis ſtudioſorum, reperiri poterant exemplaribus. Cantabrigienſis verò etiam Bucani Locos communes, & Bruti Vindicias, publicè flammis tradidit? Et ipſos Authores (ſi modo ita ſenatus cenſuit, uti ſenatuſconſultum ſcripto conceptum, nondum tamen approbatum erat, cùm ego id Cantabrigiæ viderem) perpetuâ infamiâ notavit: Fueram hæc perſcripturus antea, cum omnino nova eſſent, niſi unà cum Oxonienſi Decreto (quod nunc mitto) etiam Cantabrigienſe longè eleganitori formâ, & multò acrioribus verbis conceptum, tranſmittere deſideraſſem. Quod tamen ne nunc quidem, poſt longam expectationem, editum videre contigit: Simulac haberi poterit, curabo ad te perferendum. Videbar ego in Cantabrigienſi Sen^to^ videre pluſculum bilis, in rigidos iſtos Genevenſis reformationis Profeſſores; ſive ea cauſa ſit, quod Puritanorum omne nomen exoſum habent; ſive quod plerique ibi Remonſtrantium ſententiæ ſunt addictiſſimi: Fui iſtic tempore Comitiorum, in convivio publico ſplendidiſſimo, cui pluſquam triginta Doctores Theologiæ, aliique Equites ac Nobiles intererant, ubi acerrimè de prædeſtinatione, libero arbitrio, & reliquis apud vos tantopere controverſis capitibus diſputabatur, quibuſdam Remonſtrantium ſententiam obnixè defendentibus, adverſus Doctorem Balcanquallum, tibi jam pridem tempore Synodi Dordracenæ notum & alios: quo nomine, cùm ego valdè mirarer, dicebant mihi Doctorum unus & alter (quibus Epiſcopus Wintonienſis me per literas commendarat) dubium ſibi eſſe, utra pars, plures in Academia haberet fautores, Remonſtrantiumne, an contra Remonſtrantium. Quod in privatis colloquiis ipſe poſtea, verum comperi in quamplurimis. Quin ipſe, qui nunc eſt Academiæ Vice-Cancellarius (magnæ hic authoritatis nomen) Remonſtrantiſſimus eſt, uti & ille qui ejus rogatu Scriptum certè elegantiſſimè conceperat, & mihi jam tum in arctiſſimam conſuetudinem admiſſo, privatim perlegendum dabat, rogans integrim, ne antequam produiſſet, exemplar exſcriberem, aut cuiquam rem communicarem; quoniam incertum erat, anne iiſdem planè verbis unquam divulgaretur: Quod ego dùm ſanctè amico roganti ſervavi, non poſſum ultra quicquam hac de re tibi notum facere. Silere nequeo, quanquam gratiam ex aliorum erga te affectu nullam capto, quam Cantabrigiæ invenerim, multos Voſſiani nominis amantiſſimos; ipſum quoque Balcanquallum, Scotum, qui Synodo interfuit: Sed præcipuè Doctorem Hieronymum Bealum, Aulæ Pembrokianæ Præſidem, virum eruditiſſimum, quique humanitate ſua, & amore in me ſingulari, multùm me ſibi obſtrinxit; & voluit quoque, ut cùm occaſio daretur, affectus ſui in te propenſiſſimi teſtis apud te eſſem.

*a Is eſt Hubertus Languetus, Burgundus, Melanchthoni, Thuano, Pleſſæo, & aliis ſummè charus.*

Porro, ne hoc quoque ignores, Rex Angliæ, quò doceat Pontificios (ita enim ego lubens mihi perſuadeo) uti majore quàm conſueverunt, erga Reformatos clementia, die IV Auguſti, literas ad ſenatum, & omnes per univerſum regnum Officiarios dedit, quibus Pontificios omnes, ubique è carcere liberari juſſit, qui, quod juramentum fidelitatis, Regi præſtare recuſârant, magno numero per totam Angliam detinebantur captivi; Miniſtris præterea omnibus interdixit, ne ulla inter Pontificios & Reformatos,



tos,

tos, controverſa capita, in publicis concionibus diſputarent: Solis enim Epiſcopis, Decanis, & Doctoribus, ea in umbone attingere, ſi opus ſit, fas eſſe voluit. Quæ cùm multi interpretarentur, quaſi nuptiarum cum Hiſpaniæ Principiſſa contrahendarum præambula; ego tamen potius credere malo, ex ea quam dixi cauſa procedere; ne ſi cum vulgo ſentiamus, pravis ſuſpicionibus, & perverſis ominationibus, injuria fiat Regi religioſiſſimo, & fidei defenſori. Certè diſputandi licentiam paululum coarctari non eſt ſine ratione, cùm alioqui ſæpè eveniat, ut argumentis adverſariorum ingenuè propoſitis, ſolidè reſpondere nequeant, qui ea moverunt, unde fit ut cauſæ propriæ, magis obſint quam proſint. At tu hæc, pro judicii, quo polles gravitate, melius ponderare potes, quid velint & quò tendant, quam ego ſcribere. Itaque deſino, teque cum lectiſſima conjuge, & liberis divinæ tutelæ commendo. Vale, vir clariſſime, & quo ſoles affectu proſequi me devotiſſimum, quæſo ultra proſequeris.

Londini, xvi Aug. St. Vet. 1622.

*Tuus ὁλοψύχως,*

G. R. Doubletius.

Salutem plurimam, quæſo D. Scriverio, D. Barlæo, D. Berchoutio, meo nomine, impertiri velis. Si Deo placeat, præſens rurſus vobis adero, poſt bimeſtre; interim ſi aliquid à te literarum videre contingat, ſcis quam id mihi ſit futurum longè gratiſſimum.

## XLIX.

## Jacobo Corn. F. Wittens,

J. C. Dordrechtum.

*Epiſtola familiaris, in qua aphoriſmos Cardinalium contra Electores Saxonicum & Brandeburgicum editos, Lugduni mox cum præfatiuncula & cenſura ſua recudendos promittit.*

*Vir Ampliſſime, & affinitate conjunctiſſime,*

TAndem uti receperam, libellum mitto beneficii Matthæo collati: ſcio jamdiu factum id oportuiſ, ſed noſti negligentiam meam in iis, quæ res domeſticas ſpectant. Ut de me verè dici poſſit, quod proverbio fertur, *Fluvius quæ procul ſunt irrigat*; Libellum ubi Quæſtor viderit, remittes.

Accepi heri Venetiis Aphoriſmos undetriginta, quibus Cardinales colligunt, Saxonicum etiam, & Brandiburgicum, Electorem dignitate ſua, à Pontifice ſpoliari debere. Nec enim fas eſſe, ut ſacrum Romani Imperii corpus, dehoneſtetur Electoribus hæreticis. De Palatino ſolo ante ſermo erat. Id ubi ſucceſſit, etiam utroque cornu, irruitur in Electores alios, Pontificiæ Religioni minus faventes. Ita cum fortuna Clero Romano gliſcit impudentia. Operæ viſum, ut Aphoriſmi iſti, hebdomade hac in urbe noſtra excudantur. Ubi prodierint, exemplum mittam: eo lubentius, quia ſi otium erit, præfatiunculam, aut cenſuram, paucis adnectam.

Vale, Ampliſſ. vir, & affinitate arcta mihi juncte, ſed multo conjunctior, eo quod, præter morem mortalium, ames mecum bonam mentem. Uxor, & Te, & Conjugem, ſororeſque ejus, cognatas ſuas, plurimum ſalutat. Etiam ſororem tuam Hogeverriam uterque ſalutamus.

Lugd. Bat. Poſt. Kal. Sept. cIↄ Iↄcxxii.

*Addictiſſimus Tibi,*

G. J. Vossius.

## L.

*Reverendo in Chriſto Patri,*

## D. Lancelotto Androſio,

Epiſcopo Wintonienſi, Regi Magnæ Britanniæ à Sacris, & Secretis Conſiliis.

*Excuſat diuturnum ſilentium; ab iniquo ſibi impoſitum fato. Extollit ſingularem ejus erga affinem affectum, quem uterque conſtantem ſibi exorat.*

*Reverende in Chriſto Pater,*

ANnus propemodùm eſt quod pollicitus ſum, velle me proximis ad te literis perſcribere, quis rerum mearum ſtatus foret. Multa adeò tum erant, cur putarem, intra breve ſpatium effici illa poſſe, quorum ſponte mihi fecerant ſpem nobiles atque ampliſſimi Academiæ noſtræ Curatores. Sed propenſiſſimæ illorum voluntati erga me, vel potius Academiam ſuam, mora hactenus injecta eſt, per quoſdam publici boni minùs amantes, vel, quod credere malo, non ſatis ejus intelligentes: quibus utinam meliorem Deus mentem largiatur. Neque hoc iis tam mei opto causâ, qui patientiâ Chriſtianâ (ita enim, quàm Spartanâ, dicere malo) & quicquid iſta injuria, & iſta etiam majores, per gratiam divinam concoquere utcunque didici: quam propter illos ipſos, qui quia nunc verè, quod volunt, poſſunt, eo cœlum ſibi digito attingere videntur: quos eò ego infeliciores puto, quia dum leviculis quibuſdam ſuam beatitudinem metiuntur, ſe verè infelices eſſe non intelligant: imprimis autem id iis opto, propter Eccleſiam Chriſti, quam iſtorum imperitiâ atque imprudentiâ ita lacerari, magis etiam animo meo dolet, quàm dicere poſſum. Hæc eò ad te ſcribo, non quia conqueri de illis viſum ſit, quod facere minime ſoleo: ſed ut videas in me culpam non eſſe, quòd, contra quam me facturum receperam, ſcribere uſque adeò diu diſtulerim. Pudebat enim ineptire, ac inanes ad virum adeò gravem ac ſerium, in ea dignitate conſtitutum, literas dare. Interim verò, dum ego ſileo, ſæpiuſculè mihi literæ ab optimo & dulciſſimo affine meo, Franciſco Junio, quibus ſummas virtutes tuas prædicare non ceſſat: ac ſibi maximopere gratulatur de egregio, ac vere patrio erga ſe amore, ac prolixâ humanitate tuâ. Imò eas inter literas unæ quoque erant, quibus illud continebatur, non modò te ab affectu priſtino nihil receſſiſſe: ſed verò novi etiam nominis auctario cumulare voluiſſe. Quippe qui minimè ſe gravatus ſis, de meliori notâ commendare illuſtri ac nunquam ſine laude nominando inclytæ Angliæ veſtræ Mareſchallo. Quid ego hic primum; quid poſtremum eloquar? Profectò naturæ tuæ adeò beneficæ admiratione: tum autem gaudio, quod per te affini meo ita bene ſit, majori quaſi œſtro me ſentio concitari. Quare ſi huic loco conveniret, quod oratoribus conceditur, neque inuſitatum planè eſt Theologis antiquis: equidem animo huic morem gererem lubens, ut magnam illam animam ſoceri mei Junii (cujus mihi memoria magis etiam ob pietatem excellentem, & eximium pacis ſtudium, quàm ob variam & exquiſitam eruditionem ſancta ſemper erit) verbis meis quaſi cœlo deductam ſiſterem tibi velut præſentem, orationeque fortiſan non indignâ ſe, & meritis tuis, gratias agentem tibi, quod tantopere amore & curâ tuâ digneris cariſſimum illud pignus ſuum, cui unico ex liberis ſuum impoſuit nomen, & à cujus ingenio ac moribus, eò ardentius, ut puto, optima ſemper expectavit. Et quidem quod facias iſthæc eo potiſſimùm tempore, quo liberi & affines ſui, ab iis, quibus dum nobiſcum verſaretur, ipſe contulit beneficia, negliguntur, uſque adeò etiam penè ſpernuntur, neque id alio ullo merito, quàm quia & ipſi patris ſocerique exemplo in eruditionem qualemcunque contendant; & paci Eccleſiæ etiam cum diſpendio ſuo, optimè conſultum velint. Sed

non

non adeò ineptus ſum, ut non videam hujuſmodi orationem à ſimplici illo & familiari epiſtolarum ſtylo penitus abhorrere. Quare ne dum undique erumpente lætitiâ, quod multis evenire ſolet, planè ridiculus fiem, illud potius agam, quod non ſolum ſponte facere geſtio, ſed etiam univerſi his in locis Junii ὁ μακαρίτης liberi, generi, nepotes, requirunt, quod etiam tot Juniani nominis amantes velle ſcio, quod denique & facilè poſſum, & ſine ſcelere prætermittere non poſſum: omnium, inquam, noſtri nomine epiſtolâ hac teſtabor, quantum gaudeamus de hoc judicio, & affectu tuo, quantum gratulemur Franciſco Junio noſtro, quantum nos tibi obſtrictos fateamur univerſi, ob eximiam hanc benevolentiam, tantaque merita tua. Sanè gratiam quidem ut meretis, referemus nunquam, ſed habebimus, quamdiu vitam nobis Deus concedet. Hoc affectu noſtro, optime maxime præſul, cuncti rogamus ut contentus eſſe velis. Nec enim te aliâ ulla conſequi poſſumus merita tua, quàm agnitione debiti iſtius, cui ſolvendo impares ſumus. Sed quod nos humilis loci homulli non poſſumus, id largè rependet ſublimis ille ac beneficus Deus.

Ad hujus me thronum devolvo, hunc ſupplicibus votis rogo, ut propter Chriſtum & Eccleſiam ſuam, cujus commodis hactenus meritis tempora tua, ſpiritus ſui robore te porrò confirmet, favoreque hoc terras dignetur, ut

*Serus in cœlum venias, diuque*
*Lætus interſis populo Britanno.*

Vale, Reverende in Chriſto pater, & affinem ac me amare perſevera.

Lugd. Bat.
cIↄIↄcxxII.
Idib. Sept.

*Illuſtri nomini tuo obſtrictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## L I.

## Erycio Puteano,

S. P.

*Oratorias ſuas auctiores tranſmittit, quia aliquoties eo in opere ejus cum laude meminiſſet. Commentarios de lingua Latina, & Originum libros proxime promittit. Laudat Puteani Flaviam Domitillam, ejuſdemque hiſtoriam Inſubricam. Optat inclytæ Puteanorum ſtirpi & ſua ex Calenis inſeri poſſet.*

JAm diu eſt, ſumme & vir & amice, quod Oratoriæ meæ & auctiores, & limatiores venire geſtiunt in manus tuas. Sed occaſio eas mittendi nunc demum obtulit per tabellarium, qui monitu tuo me compellavit, nec literas ſolum, ſed commentarium etiam noſtrum ſe procuraturum recepit. Quamquam fortaſſe jam à me acceperis. Nam ante quadrimeſtre vel præterpropter, cuidam profeſſione Medico, qui ſe per Brabantiam in Galliam iturum diceret, illud pro jure quodam meo in mandatis dedi, ut ne ſine meis ad te literis abire vellet, atque ut à typographo geminum poſceret Oratoriarum mearum exemplum, quarum unum retineret, alterum tibi daret. Is dum ego ab urbe abſum, diſceſſit, nec niſi unum exemplar rationibus meis apud Typographum addi juſſit. Itaque hæreo, utrum, quia nihil ad te ſcripſiſſem, ſui tantummodo rationem habendam putarit: an contra humanitatis ſuæ eſſe exiſtimarit, ut alterius potius rationem haberet, quam ſui: Præſertim cum eo pacto commodior eſſet occaſio compellandi tui, cujus conſpectum & alloquium ambiret. In re incerta id facere malui, quod feciſſe me vides. Si Medicus ille fecerit, quod optârem: Pro filiorum aliquo hic index fuerit. Reperies in eo ſemel iterumque mentiunculam tui: ſed non pro meritis tuis in rem literariam. Quorum major ratio habebitur in commentariis noſtris de lingua Latina, ac imprimis Originum libris, quos circa proximum Chriſti natalem prelo ſubjicere Elſevirius decrevit. Si fallit, non moror. Nam mihi ipſi horret animus, cum cogito quantum laboris exantlandum erit. Si quid enim difficile eſt, id profecto eſt eruere è tenebris cauſas vocum omnium: ubi ille togatorum omnium doctiſſimus effugere non potuit, quin crebro nugaretur. Scio ab eo tempore multa in apertum producta eſſe, quæ tum in obſcuro latebant. Sed nec pauca ſunt, quæ reliquerit, quæ pulchrum ſit revocare ad natales ſuos, ſive illi in antiqua Latii lingua, aut Æolum Dialecto: ſive in Linguis Orientis, imprimis Syra, unde Cadmus genus duxit; cui etiam literas ipſas debet Græcia. Adde quod non leve judicium requiritur, ſi, ut animus eſt, in tanto Philologorum diſſenſu rationes plurimum addere velim, cur illud potius ſequamur, quam iſtud. Neque hoc eo dico, quaſi multa mihi de me promittam: ſed ut videas, non de nihilo eſſe, quod re jam etiam ante multos annos perpenſa, nihilominus adhuc horret animus ad illud laboris, quod ſupereſt. Quia ſpiſſè ejus operis editio procedet ob voluminis magnitudinem, decretum tibi, ſi per Typographum licebit, per partes illud tranſmittere. Nempe minus tædio fuerit, ſi ſic legatur, præſertim ab homine occupatiſſimo: modo noſtra tanti putabis. Sed ſaltuatim hoc ut facias, facile ſpero, impetrabo. Magnas vero tibi gratias ago, quod toties me beas perennibus illis, ingenii, doctrinæ, induſtriæ tuæ monumentis. Quam me, ut mittam alia, tua delectavit Flavia Domitilla. O ſi multa eo in genere, ut poſſis, ita velis! Quid de hiſtoria Inſubrica dicam! magiſve doctrinæ, an ſermonis elegantiam & facundiam mirer? Nec poteras opera alia magis tibi, & hoc ſeculum, & poſteros obſtringere. Nam in rebus Græcis ac Romanis multum jam ſumma ingenia deſudarunt. Jacent penè deſpreta tempora quæ Imperium Romanum proximè exceperunt. In his Hypſæo cæcior ſit, qui ignoret irruptiones Barbarorum in orbem Romanum: Ab illis origo tot florentiſſimis regnis ac principatibus in Europa noſtra. Ubi vero incidi in loca ea, quibus tam amicè commendas nos, operamque in Hiſtoricis noſtram, quiddam melle dulcius mihi circa cor gliſcere perſenſi. Quid enim jucundius quam laudari me ſit, uſque adeo laudata laudatiſſimi viri opera, & qui me à pueritia norit? ſane hoc boni feciſti, quod ſtimulos etiam addidiſti ad porro bene merendum de literis noſtris. Volupe etiam fuit luſtrare ſtirpem Puteanam: quam ego perhoneſtam eſſe, nec ante annos neſcivi XL, cum unà Dordrechti viveremus. Sed non paulo id nunc accuratius perſpexi, tuiſque liberis eo nomine gratulor, quod tam benè nati ſint. Quamquam profecto ſatis haberent, quo ſe jactarent, ſi prima honoris fundamenta jeciſſes. Utrum Calenii mei Puteani ſtirpi fuerint innexa, non ſat ſcio. Neque enim qui tanto Venlovia abſum intervallo, occaſionem habui in omnia inquirendi. Sed ſi ita eſt, jucundum mihi erit ſcire, ac familiæ etiam meæ id gloriæ ducam. Nec indecores Puteanis ſimus, cum multi hodieque ex cognatis meis non his modo in terris egregio loco ſunt; ſed Rutamondæ etiam & vicinis locis, partim conſulares, partim aliis dignitatibus functi vel etiam fungentes, ſuperſint. Hæc ego III. Novemb. raptim exarabam, die dominico, quod eo ipſo ante meridiem tabellarius abitum pararet. Sic quoque ſacro die ſacra tractavimus, cum ſacra res ſit amicitia inter bonos & Dei metuentes: qualem te comperi à prima ætate, optime, doctiſſime, amiciſſime Puteane. Cujus idcirco amor ac cultus erit, dum terras colam.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

## LII.

## G. J. Voſſius, Danieli Paræo,

S. P.

*Gratias ei agit pro honore & affectu quo Lucretium emendatum nomini ſuo voluerit inſcribere; amorem & ſtudium reciproco Orator. Inſtit. dono obſignans.*

TArdè admodum mihi redditæ literæ tuæ, nempe tertio menſe, ex quo ſcripſeras: interim & alius menſis effluxit, non tam reſcribendi negligentia, quàm quòd aliquem exſpectarem, per quem meæ ad te tutò mitterentur. Super quo etiam ornatiſſimum juvenem Billetium compellandum exiſtimavi, ſimulac eum pedem in urbe noſtra poſuiſſe intellexi. Sed nunc demum occaſio indicatur, quam arripiendam putavi. Nec interea à me ceſſatum in iis, quæ ad te pertinerent. Nam tuâ potiſſimum cauſâ Hagam excurri, ut colloquerer cum Domino Camerario, Illuſtri Suecorum Regis ad Ordines noſtros legato, viro amantiſſimo ut mei, ita tui, & totius domus avitæ noſtræ. Satis video, quam ille propendeat, ut ſatisfaciam poſtulato tuo. Sed necdum potuit, quod vult. Nec minus ipſe laboro; inque curæ hujus partem adſumo præſtantiſſimos collegas, qui te amant & æſtimant, cum ob proprias virtutes, tum etiam propter clariſſimum parentem, & maximum virum, avum tuum. Sed difficilius aliquid te dignum poſſunt, quia de pluribus popularibus laborandum iis hactenus fuit. Et in non paucis quidem effecimus, quod voluimus. Quid deinceps poſſimus, non ſat ſcio. Sed illud ſcio affectum te & operam non deſideraturum meam. Venio nunc ad illud, quod Lucretium mihi tuum dicandum putaris, poetam eum, quem plurimi facio, non ſolum ob lectiſſimam dictionem, ſed etiam quia multa adeo in illo ad naturam rerum intelligendam. Adoleſcens in unius Ariſtotelis verba jurabam, ætate provectior ſæpe excedere cœpi è Lyceo, meque contuli vel in Academiam, vel in porticum, vel etiam hortos Gargetti ſenis. Nempe ἐκλεκτικὸς factus ſum. Nullius addictus jurare in verba Magiſtri: De Philoſophia dico. Nam in ſacris unicus Magiſter Chriſtus, qui & antea per Prophetas, & poſtea per Apoſtolos viros θεοπνεύστους, locutus nobis. Cæterum non video, amiciſſime Paræe, quas tibi pro tanto adfectu, ſummoque hoc honore gratias rependam. Sed in elogio noſtri, ingenue dico, large nimis peccas, meque non tam honoras, quam oneras. Ego honoris illud quod mihi tribuis, ſemper aliis reſigno, uti debeo. Verum credo, dediſti illud non tam mihi, quam dulciſſimæ ſed miſeræ nunc patriæ noſtræ: cujus gloria tantò fuerit major, quantò illuſtriores fuerint, quos produxit. Sed de iſtoc & aliis, brevi ad te pluribus ſcribam. Sunt enim apud nos, ut intelligo ex popularibus, Hanovienſes qui intra hebdomadam unam alteram redituri ad vos. Per eos mittam Oratoriarum exemplar, quæ hoc anno prodiere, non donum profecto aut pretium, quo me tibi ſatisfacere poſſe exiſtimem, ſed affectus ſponſorem tabellam, quo me ad majora potius obſtringam. Filii mei, quos ſenos habeo, Muſarum aſſiduos cultores plurimam tibi ſalutem adſcribi juſſerunt: Quod ſane facio lubens. Præterea vero meo nomine plurima ſalute impertias rogo præſtantiſſimum parentem tuum, quem ego virum ob præclarum ingenium, & doctrinæ elegantiam, tot monumentis teſtatam multos jam annos amo & æſtimo, majoriſque deinceps faciam ſemper, poſtquam Paræa domus primo de me optimè voluit mereri.

Lug. Bat. Kal. Januarii, Quibus, more veteri, atque ex intimo animo, exopto, ut annus ſic Paræ familiæ & lætus inchoet, & lætior procedat, & exeat lætiſſimus. Τέλος.

*Tibi tuiſque merito tuo addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## LIII.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Gerhardo Joanni Voſſio,

Profeſſori Academiæ Lugdunenſis.

S. P.

*Amicitiam Voſſianam ac literarum commercium affectat. Francofurtenſis Academiæ ſtatum ſtrictim enarrat.*

NIſi humanitatem tuam noſſem, clariſſime vir, excuſatem literarum mearum audaciam, ad te hominem ſemper in literis occupatiſſimum, præſertim cum ſine argumento veniant; niſi tu fortaſſis hoc pro argumento, ſatis magno, (quæ tua eſt benignitas) reputabis, quod amorem, & cultum meum, erga virtutes tuas perpetuum teſtentur. Certe, mi Voſſi, quamvis interea temporis, ex quo tibi Lugduni valedixi, varias, & terras & maria obiverim, (fui enim & in Britannia, & in Gallia, & in Italia, redux deinde, in Germaniam excurri, in vicinam quoque nobis Poloniam) nunquam tamen fuit, ut non ſæpè de eximiis virtutum tuarum meritis, ea cogitaverim, quæ illorum admiratorem religioſum, cogitare par eſt; ſæpè etiam apud alios, quoties fuit occaſio, mentionem eorum injecerim, quos partim inveni tibi inſigniter velle, partim, (quod ſine jactantia dixerim) tales ego deprædicatione mea feci. Quo meo erga te ſtudio, quamvis alia deſint, (ut rectè nihil quoque eſt aliud, quo me apud te efferre poſſim, aut velim) hoc fortaſſis mereor, ut non neges mihi in poſterum, quamvis longè abſenti, favorem eundem quo me præſentem nihil certe magis merentem proſecutus es. Vellem nunc de ſtudiis meis, aliquid ad te, tanquam omnis, ſive ſacræ, ſive profanæ, literaturæ promuncondum deferre: Sed hoc forſan prudentius eo differam, cum intellexero tibi non ingratum, literis à me ſollicitari: nunc ſatis ſit veluti vadum primùm tentaſſe. Requiris tu forſan contra à me aliquid, de hujus Academiæ ſtatu. Eſt ſanè illa ſi numerum Profeſſorum putes, ſic ſatis rectè conſtituta; nec deſunt inter eos viri egregiè eruditi: Interea cujus fama ad exteros manarit, vix habeo nominare, præter Pelargum, & Origanum, illum in Theologicis, hunc in Mathematicis, tibi ſine dubio notum. Eſt & Neander quidam Ethices Profeſſor, Vir optimarum literarum, nec minus Juris Civilis, & Philoſophiæ practicæ, inſigniter peritus, quo nullum hic tractus in Latina lingua oratorem habet elegantiorem, cujus & orationes funebres, typis deſcriptæ extant; ſed neſcio an Rhenum, & Danubium tranſierint. In diſputationibus, nemo hic magis fervet Wolfgango Crellio Theologo, cujus præmaturum ingenium (non multum enim, ut ſuſpicor, triginta annos exceſſit) longum adhuc bellum omnis generis, hæreticis minatur: Aperuit nuper eodem ferè tempore, duo collegia, alterum contra Lutheranos, alterum contra Socinianos, quos vocant. Socinianorum nomen revocat mihi in mentem, Anti-Grotium, quem ſcias Racoviæ, jam ſub typis fervere, & fortaſſis ad umbilicum eſſe perductum: Vidi enim jam ipſe, bonam illius partem. Author illius eſt Joannes Crellius, Wolfgango noſtro nomine quidem ſimilis, ſed nulla cognatione devinctus; juvenis ferè & ipſe, mihi jam ante plurimos annos, notus in Academia Altorphina, ubi jam tum emicabat in illo ſingularis quædam ingenii acrimonia, & judicium ſupra ætatem, quæ tamen ille modeſtia planè virginali, quantum poterat, celabat, & deprimebat. Porro ſi quid ad me reſcribere aliquando dignaberis, literas tuas mittas ſaltem Amſterodamum ad Remum Egbertum Epiſcopium, Mercatorem tibi, ut credo non ignotum: Cum illo ſic conſtitui, ut ſciat, quonam illas ad me dirigere debeat.

debeat. Vale, optime Voſſi, & bono Reipublicæ literariæ, quàm diutiſſimè feliciter vive.

Dabam Francofurti ad Oderam, a. d. VIII. Edit. Nov. ann. æræ Chr. cIↄIↄCXXIII.

*Tui obſervantiſſimus*,

MART. RUARUS.

## LIV.

## Johanni Berkio,

Belgicæ fœderatæ Ordinum Legato, ad Sereniſſimam Remp. Venetam.

*Eſt Dedicatoria libri de Arte Rhetorica. Deprædicat ſummam ejus erga ſe benevolentiam. Gaudet de favore Curatorum Academiæ Lugdunenſis, qui ſibi profeſſionem eloquentiæ & chronologiæ contuliſſet. Pollicetur diligentiam in condendis monumentis publicis, quorum libri de Hiſtoricis Græcis, ſpecimen eſſe poſſint.*

*Illuſtriſſime Domine*,

CUm eximias animi tui dotes, maximi ſemper fecerim, & ejuſce rei argumentum aliquod extare publicè cuperem; neque me fugeret, quantoperè me obſtrictum teneres: Ita judicavi puſillum hoc, de arte Rhetorica, quia aliud ad manum non erat, præclaro nomini tuo, inſcribendum eſſe; non quidem ut paria tecum facerem, quod fieri omninò non poteſt; imo ne quidem ut vincula, quibus ſum tibi devinctiſſimus, paulum ſaltem videar laxaſſe: ſed potius ut morem animo gererem meo, quem & tibi obligatiſſimum eſſe, & in nexu adhuc manere, ingenuè agnoſco. Unicè igitur rogo, ut nihil aliud hic ſpectes, quàm mentem devotam, lubenſque à cultore id tuo accipias, quod nunc eſt tuum. Hâc fiduciâ tantillum munuſculum viro tanto mittere non metui. Et quomodo aliter mihi perſuadeam de eo, cujus, & humanitatem erga omnes, & ſummam erga me benevolentiam, ſemper ſum expertus. Utinam modo mihi, de nonnullis aliis, in Batavia ſimilia poſſem polliceri. Quod non temerè opto: Quemadmodum enim vitis, non ſine ulmo adſurget; ita ut optimè noſti, nec eruditio, nec virtus, ſe facile attollit ſine ſummorum virorum præſidio, aut tutela. Interea gaudeo non mediocriter, de favore Ampliſſimorum Academiæ Curatorum erga me. Sanè quàm non omnino immemores ſint mei, vel hinc vide, quod nunc quartum menſem, Eloquentiæ ſtudium, & omnis ævi hiſtoriam, vel verius χρονολογίαν, publicè profiteor. Ipſe etiam, ne conſilii hujus pœnitere eos poſſit, ſedulò Spartam meam orno. Itaque & frequentia auditorum à nemine vincor. Quamvis non ignoro hoc potiùs tribuendum eſſe gratiſſimo argumento, quod tracto, quàm doctrinæ meæ. Utinam enim non quantum minuto iſto, quod dixi, fortaſſe exupero alios, tantùm à cæteris, & ingenio vincerer, & eruditione. Sed ut Poëta ait,

—— *Non omnia poſſumus omnes.*

Noli autem putare, quia nunc publicè docendo, tempus inſumo, eò me ſollicitum non eſſe, de iis ſcripto conſignandis, quæ labore multo obſervavi. Nam quanto aliter ſim animatus, argumento erunt libri mei, tum quibus de Hiſtoricis tracto, tum quibus tempora omnia digero. Volui, ut tibi, otii mei ratio conſtaret. Ac propterea duos priores operis, de Hiſtoricis Græcis, (qui ſoli excuſi) ad te mitto; ut inde de cæteris conjectes. Eoſdem miſi ad Illuſtriſſimum Dominicum Molinum, quem mea alicujus facere intelligo. At Libellum dicatum tibi, tum eidem ſeorſim cum literis tranſmiſi; tum Clariſſimo Balthazari Bonifacio; aliorum nemini; quando cum his ſolis literarum mihi commercium intercedit. Tertius acceſſiſſet Paulus Servita, quem virum ob virtutem, plurimùm ſemper æſtimavi. Sed non multo poſtquam amiciſſimè ſalutem mihi adſcribi juſſerat, per Illuſtriſſimum Dominicum Molinum; Cœleſtis Pater, ex miſero hoc orbe eum in meliores ſedes tranſtulit. Aliud nunc nihil habeo, quod ſcribam; niſi dum tanto tu intervallo à Patriâ, ſed Patriæ cauſâ, abes; aſſiduè vota me facere pro ſalute tua, & uxoris, veræ heroinæ, ac totius familiæ tuæ, multumque me deſiderare diem illum, quo in Bataviam reverſis, fœlicem gratulari adventum licebit. Plurima ſalute uxorem tuam, cognatam ſuam, impertit conjux. Sed etiam meo nomine ſalutes rogo: Uti & amiciſſimum Colvium; quicum utinam, priuſquam in oras iſtas abiret, loqui pauci licuiſſet. Fuiſſet hoc ex re utriuſque noſtri. Vale, Illuſtriſſime Domine Legate, & nos amare perge.

Lugd. Batavor. v Kal. Aprilis, cIↄIↄCXXIII.

*Illuſtris nominis tui cultor*,

G. J. VOSSIUS.

## LV.

## Ludovico Crocio.

*Amſtelodamenſium commendat inſtitutum & perſeverantiam in conſtituendo Gymnaſio illuſtri. Securum vult eſſe Crocium de affectu ſuo erga Willium, quem ſibi commendaverat.*

GAudeo, Clariſſime Croci, uſque adeo tibi probari Amſtelodamenſium inſtitutum. Et profectò, ſi rem ſuo momento, non invidorum judicio, ponderemus, nihil conducibilius fuerit, hiſce præſertim temporibus, quibus literarum contemptus apud nos etiam indies gliſcit. Ad eum ſiſtendum non leve pondus afferet, ſi civitates illæ, quæ inter Europæas caput extulere, oſtendere cœperint, ſe vere eſſe Mercuriales, non dimidium colere Mercurium, illum nempe mercium dominum, non item eloquentiæ præſidem, quæ ſine ſapientiæ ſtudiis eſt nulla. Sanè Amſtelodamo ad perfectum laudum cumulum nihil mihi unquam deeſſe viſum fuit præter unam literarum gloriam, ut ea quoque augeri poſſit, uti ei, ut non neminis alius, de quo jam quædam muſſant nonnulli, ſic & Willii noſtri opera eſſe poſſit. At faveo ei utroque, quod dicitur, pollice. Sed utrum iis in ſtudiis, quæ ille profiteretur, cujuſquam opera uti velit, præterquam eorum, quos jam vocarint, tum demum ſcire potero, cum eo pedem tulero. Quod θεῶ διδόντος, futurum eſt poſt menſem. Sed ſive id ſuccedet nobis, ſive ſecus erit, non patiar ulla in re affectum meum deſiderari. Plane enim virum amo, non jam amplius ob commendationem tuam, ſed ob egregias animi dotes, quas ex ſermonibus ejus ſæpius perſpexi, ſed imprimis ex diſputatione in ſacris publicè ſuſcepta, cujus ille præmium, magno totius Academici ſenatus conſenſu, retulit, quam doctoralem lauream nuncupamus. Gratulor eo nomine & illi, & clariſſimo ejus parenti, & urbi veſtræ, quæ eum dedit, planeque ſic auguror, hæc jam ſemina eſſe lætiſſimæ ſegetis, quam Eccleſia Dei univerſa quandoque ex eo metet, imprimis veſtris, vel, quod non minus opto, noſtris terris. Vale, vir ſumme & amare nos perge.

*Tuus*,

Poſt Kal. April.

G. J. VOSSIUS.

## LVI.

*Reverendo in Chriſto Patri,*

# D. Lancelotto Androſio,

Epiſcopo Wintonienſi, Regi Magnæ Britanniæ à Sacris & Secretis Conſiliis.

*Cluverii immaturum luget obitum, viduam & pupillos Epiſcopo ſeriò commendans. De applauſu in profeſſione Lugdunenſi, impenſe ſibi gratulatur; interim dolet quod ſibi omnis de antiquitate Sacra & religione bene merendi præcludatur via.*

*Reverende in Chriſto Pater,*

NOn poſſum non magnopere dolere propter immaturum obitum Cluverii noſtri. Nam & amicum amiſi, quicum multos annos conjunctiſſimè vixeram: & cogito, quantum damnum morte ejus fecerat Reſpublica literaria. Accedit quod reliquit liberos parvulos, utroque parente orbatos, & in re anguſta adeò, ut quo pacto honeſtè poſſint educari, equidem non videam. Paululum tamen me recreat, ac reficit, quod puerorum avia ſupereſt, bona fœmina, gente Britanna, atque, ut intelligo, honeſto admodum genere orta. Ea nunc in patriam redire parat, eo animo ut periculum faciat, num recipere bona valeat, in quæ alios iniquè involaſſe conqueritur. Utinam per te, vel per amicorum tuorum aliquem, uni alteri eorum, quorum eſt de talibus judicium ferre, ſeriò commendetur, ut, ſi cauſa æqua eſt, facilius, quod cupit, obtineat. Sanè nihil melius, Deoque gratius, quàm viduas & pupillos tutari, ac juvare. Et omnium, quotquot liberalia ſtudia non tralatitiè tractamus, hoc votum eſt, ut ne cariſſima ſummi viri pignora, penitus abjecta deſertaque relinquantur. Tuam verò hac in re benevolentiam ac favorem propemodum ſpondemus nobis, quia præter raram eruditionem ac eximiam prudentiam, hoc etiam divinâ bonitate habes, quòd ad alteri benefaciendum paratiorem noverimus neminem. Cujus ego animi tui domeſticum habeo exemplum in affine meo Junio. Nam benefacta erga eum tua, cùm per ſe magna ſint, tum eò gratiora ſunt nobis, quòd ferè id temporis benefaciebas ignoto, quo noti, ſed virtutis inimici injuriis afficiebant. Ac ne nunc quidem erga eum minuitur paternus affectus: Sed tantò amas ardentiùs, quantum illi cum ætate virtutis & eruditionis amor creſcit. Sed his nunc non inſiſtam. Duntaxat orabo, ut affectum hunc porrò conſerves. Ad res meas, quod attinet, profiteor in Academia hac, tum Eloquentiam, tum Hiſtoriam, tum potius Chronologiam Univerſalem. Munus eſt luculentum ac videor etiam hanc Spartam non ſegniter ornare. Sanè & Academiæ Curatoribus, & Collegis, & juventuti ſatis probatur opera mea. Interim hoc ſtudium multum abeſt à ſacrorum ſtudiorum dignitate. Profectò ſi verum dicere licet, poſt Peſſinuntium aſellum Diaria ſumma. Sed Spartanâ hoc patientiâ concoquendum. Quod eò facio libentius, quia ſi minus ex me commodi redundet ad Eccleſiam Dei, quàm vellem: nulla tamen hic culpa eſt mea, ſed temporum quibus veneranda antiquitas vix ullos ſui invenit amatores: atque adeò ſolida eruditio non modo deſpicatui, ſed etiam odio eſt. Sed fortaſſe erit aliquando, cùm hæc corrigantur. Hac ſpe nos ſolabimur. Quæ ſi nos deſtituat, bonâ tamen conſcientiâ ſubnixi, meliora expectabimus poſt hanc vitam. Deus, Reverende in Chriſto pater, diu te Eccleſiæ Anglicanæ, & bonis omnibus ſervet incolumem.

Lugd. Batav. v Id. Jun.
Anno clↃIↃcxxiii.

## LVII.

# G. J. Voſſius, Joanni Adolpho Fabro,

S.P.D.

*Epiſtola familiaris, qua excitat illum ut affabrè fabricare & formare animos juvenum ſtudeat. Vindicat ordinis ſcholaſtici dignitatem. Commendat aliqua Logices compendia, & de methodo facili, breviſſimo tempore addiſcendi linguam Græcam, proximè coram cum illo acturum ſe pollicetur.*

PErgratæ quidem fuerunt mihi literæ tuæ, ſed ita aſſiduè diſtringor, ut penè, quo me vortam, neſciam, & tamen diutius tibi debere reſponſum incivile videatur. Præſertim cum te ob doctrinam & ſummam humanitatem diligam ut debeo. Atque auget non mediocriter hunc affectum, quod Spartam illam, quam nactus es, ſedulo ornare ſtudes: ut ex literis tuis facile perſpexi. Perge hoc pede, mi Faber, & ominis hoc ineſſe crede nomini tuo, quòd affabre debeas fabricare ac formare animos juventutis. Sane melius mereri non poſſis de Rep. neque ignoro, perplurimos de Ordine Scholaſtico malè ſentire & loqui. Non nemo etiam id eo lubentius facit, ut mihi ægre ſit, quem ſcit in illud incumbere, ut melius ſit ſtudiis adoleſcentiæ. Sed contemnere nobis liceat contemptores muneris honeſtiſſimi: qui ne illud quidem eſſent, quod ſunt, niſi bene iis eſſet ab illis, quos carpunt, cantharidum inſtar roſas arrodentium, è quibus naſcantur. Quæris, quod Logicæ compendium maximè probem. Ramum laudas, quem non contemno, imo adoleſcentulus valde capiebar. Non æque aliquanto adultior. Nam quantum mihi ætas crevit, tantum & amor Ariſtotelis, & Græcorum interpretum. Quare nunc quoque difficulter ab iis me avelli ſino. Sed non hi ad captum pueritiæ: cui accommodatiores, Hunnæus & Crellius, quos puer didici: item Molinæus, Præceptor meus & Burgerſdicius Collega, nec tamen alieno hac in re judicio præſcribam. Meum promo, quia petis. Quod eo lubentiùs facio, quia quandoque indignor, cum jacere ſic video, qui Veteres ſequuntur. Itaque jam videas ab hominibus non indoctis recentiores advocari ad partes, ſi quid dicant, quod nullies dixerint Veteres. Ut ſi Eraſmum cites in Apophthegmate, quod apud Plutarchum, Laërtium, atque alios legatur. Hoc qui faciunt (qui magno ſunt numero) oſtendunt profecto, quam hoſpites ſint in Antiquitate. Sed improbare ineptias iſtas poſſum, corrigere non poſſum. Nec omittere tamen potui, quia non injucundum eſt tecum colloqui, qui mihi viſus es amare bonam mentem, quod pauci admodum faciunt. Video etiam te laborare de ratione breviſſimo tempore docendi elementa Linguæ Græcæ. Sane multi hic peccant: qui non diſtinguunt inter ea, quæ præceptis cognoſci, quæque uſu addiſci oportet. Si aliquando excurreris, de eo primus nobis ſermo eſto. Nec gravarer nunc pluribus eam rem exponere per literas, niſi aliis diſtinerer. Quamquam quid ego iſta ad te, quem ſcire illa ſcio? & in vicinis etiam locis (fortaſſe & in urbe tua) homines habes eruditiſſimos, qui nec iſta, ut arbitror, neglexerint. Dicas, te meum quoque judicium cognoſcere avere, fortaſſe ita eſt. Sed ego cenſeo, te magis iſta exquirere, ut argumento aliquo ſcribendo aperias affectum erga me tuum. Quem ego ſanè amo & amabo ſemper, mi Faber. Nec propterea, ſi omnino etiam de eo judicium requiras noſtrum, gravabor illud perſcribere, & tamen, ſi verum dicere amamus, fateri oportet, facilius illud pauxillo ſermone explicari poſſe, quam longâ etiam Epiſtolâ. Pro munuſculo gratias ago: ſed cave deinceps idem agas, niſi remunerari me voles luculentius quàm præſtiſti.

Lugd. Batav.
Poſtr. Kal.
Septemb.

## LVIII.

## Ludovico Crotio,

S. P.

*Teſtatur dolorem ex obitu Matthiæ Martinii, eò quod inter paucos adhuc ſuperfuiſſet eccleſiaſticæ pacis ſincerè amantes, à Crocio panegyricum funebrem expoſcit.*

MAgnum mihi dolorem attulit obitus ſummi, & viri & amici Matthiæ Martinii, Collegæ tui. Nec tamen tam meam doleo conditionem, quam Eccleſiæ, quæ magnam in hoc viro jacturam fecit. Sane quotidie mihi decreſcere eorum numerus videtur, qui aliquid in ſtudiis vident ſupra vulgus. Atque hoc eo pejus me habet, quod tam paucos eſſe video, qui bono Eccleſiæ potius, quam affectui ſuo ducantur. At in eo, quem amiſimus, ambo hæc erant, omnigenâ eruditione nulli in Germania cedebat, & ſciebat, quantum omnes paci & concordiæ Eccleſiæ debeamus. Scio quoſdam aliter de hoc viro loqui, ſed quales profecto? nempe, ut puto, qui foris ſint lyncei, domi fortaſſe talpæ. Qui cantharidum inſtar in roſis latitant, atque hoc agunt, ut, quòd nec literatos, nec Chriſtianos decet, venenum aculeo ſuo affundant: ſed & tales ferre animus. Nam ſi non laborent ipſi, cujuſmodi dicant cur laborem ego, quid dicant? Quare ſurdis ea auribus tranſmitto. Apud bonos tamen & cordatos viros famam ejus & honorem tueor, uti convenit. In quo ipſo aliquâ opus prudentiâ propter quoſdam majoris zeli, quam ſcientiæ. Scripſi hæc non ſine dolore. Quamquam enim jam aliquamdiu eſt, quòd à te tanti amici obitum intellexi, quoties tamen de turbatis adeo Eccleſiæ rebus cogito, dolor omnino recrudeſcit. Sperabat ſummus ille vir Funianæ ſe familiæ quodammodo jungi poſſe, eam ducendo, quam affinis meus viduam reliquit. Neque per me unquam ſtetit, quo minus voti hujus compos fieret. Sed ætas ingraveſcens ſcrupulum injiciebat. Et præterea minuta quædam, quæ nihil attinet referre, cum ea per te videas. Et fortaſſe non idem erga virum affectus omnium fuit, qui meus. Nunc tamen non ſucceſſiſſe negotium gaudeo: partim propter liberos Martinii, quibus ſecundæ hæ parentis nuptiæ damnoſæ fuiſſent: partim etiam propter fratriam, & nos ipſos, qui non tantum gaudii ex ea conjunctione cepiſſemus, quantum doloris ad nos, ex brevitate connubii rediiſſet. Deſidero ſcire, ecquis defunctum laudarit, & an ea oratio jam viderit lucem? Nemo quidem ad hanc rem magis fuerit idoneus, quam tu, Præſtantiſſime Croci, qui animum & virtutes viri plane perſpexeras. Quare, ſi quid operæ in hoc à te inſumptum, publicum videat. Pulchrum ſit Martinio laudari à tam laudato viro. Nec periculum facile eſt perſuaſum virum fuiſſe majorem quibuſdam, qui primas nunc ferre creduntur, opinione non ſua modo, ſed etiam aliena. Qua de re plura dicerem, niſi hoc alienam quodammodo reprehenſionem habere videretur.

Vale, doctiſſime & amiciſſime Croci, tanto quo ſemper amicior futuro, quanto ſanctiorem apud te Martinii noſtri memoriam ſemper fore intellexerim. Salutem meo dic nomine optimo & eruditiſſimo Cochio, cujus operam in edendo Sanhedrin & Maccoth valde probo, & ſurgenti ejus gloriæ ex animo faveo atque applaudo.

Lugduni Bat.
Kal. Octobr.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## LIX.

## Ludovico Crocio,

S. P.

*Epiſtola argumenti familiaris.*

VAldè me delectavit, quòd literæ tuæ ſic amorem ſpirent erga τὸν μακαρίτην amicum Martinium. Nimirum talis eſſe bonorum amor ſolet. Non ille cum vita amici exſtinguitur, ſed etiam ubi eum frigida mors ſuſtulit, vivit tamen flamma, quam ejus virtus in pectore noſtro accendit. Willius tuus imo nunc etiam meus, non ſolum mihi commendatione tua & paterno decore, ſed & ſuis virtutibus cariſſimus eſt. Subinde me inviſit, ac mirificè colloquiis ejus, & ſuaviſſimis moribus capior. Hyeme hac ſubſiſtere hic decrevit. Si qua in re utilis ei eſſe poterit opera mea, nuſquam deero. Cochium Hebræas apud vos literas enarraturum intelligo. Eo nomine gaudeo, ac tum ipſi, tum illuſtri Scholæ veſtræ gratulor; res Eccleſiæ noſtræ necdum in liquido ſunt. Metuoque ne Auſter aliquis turbidiores reddat, quam nunc ſunt. O utinam medium tenere curſum ſemper liceat inter Symplegadas, hinc eſtrænis licentiæ, inde jugi humani. Sed tùm nimia curioſitas, tum odium ac metus neſciunt modum. Nec iſta corrigere eſt opis humanæ. Hoc ut cum poëta loquar θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Cui te poſt breve adeo alloquium commendo. Neque enim nunc multis te diſtinendum putavi: cum Van der Bekius tibi futurus ſit vivæ Epiſtolæ loco. Ex eo igitur tum Reip. tum Eccleſiæ ſtatum abunde, ni fallor, cognoſces.

Lugd. Batav.
Kal. Decemb.

*Tuus ſine fuco ac fallaciis,*

G. J. Vossius.

## LX.

*Clariſſimo & undecumque Doctiſſimo Viro,*

## Jano Grutero,

J. C. & Hiſtorico Electorali.

*Judicium ejus ſuper commentatione ſua de conſcribenda hiſtoria, familiariter ſolicitat.*

CUm Hiſtoriarum notitiâ, vir Cl. comparatum eſt, quemadmodum tum cum ſole, luna; & aſtris, quibus Lucis nihil encomiis accedit, aut convitiis decedit: tum cum Marco illo Catone, cujus gloriæ, ut ex Livio ſcribit Hieronymus; neque M. Tullius laudando profuit, neque C. Cæſar vituperando obfuit. Quare operæ haud exiſtimo, de præſtantiâ ejus, ac neceſſitate laudum corollam plectere. Illud mihi potius faciendum videtur, ut conſilii mei rationem aperiam; ſed paucis. Nam quisquis te novit (& quis non novit in Europâ?) Is ſcit quantum hiſtoriâ alios antiſtes. Et hæc noſtra commentatio de hiſtoriâ, quæ ad ſcribendam hiſtoriam viam ſternit. Hui, inquiet, Quis paucas iſtas pagellas ad virum non niſi lacte gallinaceo, certè magnis quibuſque dignum? Quo colore factum hoc purgem? Num minutum quippiam me affectaſſe dicam, quia id quod de Poëmatis dicebat Ariſtoteles, de quibuſque libris verum eſt, nempe quæ inſanæ ſunt magnitudinis, non magis eſſe pulchra, quàm ſupra modum magnum Animal. Οὐ γὰρ ἅμα ἡ θεωρία γίνεται, ἀλλ' οἴχεται τοῖς θεωροῦσι τὸ ἓν καὶ τὸ ὅλον ἐκ τῆς θεωρίας. Neque enim ſimul inſpectio eorum fieri poteſt, ſed ſubterlabitur ex intuentium contemplatione, illud unum & totum.

At-

Atqui ut idem mihi inquit, nec quicquam admodum exiguum fuerit venuſtum: *συγχεῖται γὰρ ἡ θεωρία ἐγγὺς τοῦ ἀναισθήτου χρόνου γινομένη.* Confunditur ſtatim inſpectio, quæ breviſſimo fit temporis momento. Sed & in rebus modus ſervari poteſt, aureaque mediocritas. An potius, quoniam multa hodie ingentia ſcribi volumina videmus in quibus, ut facetus Comicus ait,

*Gerra Germana, atque adepol lira lira,*

Idcirco dicam mihi placuiſſe ſemper, placiturumque æternum Lucretianum illud,

*Parvus & eſt Cygni melior canor ille Gruum quàm*
*Clangor in ethereis, diſperſus nubibus Auſtri?*

At non quia Καλλίμαχος ὁ Γραμματικὸς τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ, ut ſcribit Eclogarius Athenæi: Ideo liber quilibet puſillus magnum bonum, ſed ſæpè puſillum, imò magnum interdum malum: ut interim omittam, illum ipſum Cyrenenſem Callimachum, tandem malevolorum calumniis adductum, ingens Hecates poëma edidiſſe. Unum occurrit quo ſpero culpam hanc, ſiqua eſt, eluam. Humanitatem ſummam eſſe ſtatuo, in peritiſſimo totius humanitatis; eamque in me opinionem alit, tum relucens in tot monumentis tuis ſumma humanitas, tum eorum de humanitate tua judicium, qui noverunt familiarius. Itaque etſi,

*Non tam averſus equos noſtra ſol jungat ab urbe.*

Ut ignorem acre tuum ingenium, & excellentem eruditionem: tamen ſi id peccare eſt, audendo peccare ſatius fuit, contra magnitudinem, quàm non audendo contra humanitatem. Aliis ſatisfactum ſpero, tibi ſcio: ſin minùs, una ſupereſt via, ut Libellus ſit tibi Ajax Auguſti, tuamque in ſpongiam incumbat. Atque hoc eo leniori animo feram, quòd haud magnum ei laborem impenſum agnoſcam. Certè ſi vel minimum laudis indulſeris, ut Afranius in Thaide, *majorem laudem, quàm laborem invenio.* Verùm metuo, ne nimis hanc laboris, & operæ parvitatem, parvitas, levitaſque operis augeat, dum minute quid, ac ſubfrigide, at nihil obſervate, curioſéque ſcripſiſſe judicabor. Quod ſi eſt, nihil ſupereſt aliud, quàm ut ſoricis inſtar, ſuo libellus pereat indicio: Et quia ad te emendandum mitto, unâ emendetur liturâ, quomodo Plutarchus [a] ſcribit Philoxenum, cùm ſibi Liber ad emendandum eſſet traditus, εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλον μέχρι τῆς κορωνίδος περιχαράξαι. Vale, Vir Cl. Et ſi mereor, imo immerentem quoque amore complectere.

[a] *Lib. 1. de Alexandri fortuna.*

## LXI.

## A Monſr. Voſſius.

*Significat, Baronem de Brook Voſſii adventum expectare: hortatur tamen, ne certis de cauſis Lugdunenſi Academia prorſus valedicat.*

*Monſieur,*

JE vous envoye cy joincte la lettre de Monſr. Boſwell, la longue & dangereuſe maladie duquel a eſté cauſe du retardement de vos affaires par deça. Maintenant vous entendiés de ſa lettre la continuation de la bonne affection de Monſr. le Baron de Brook envers les bonnes lettres, & envers vôtre perſonne: à laquelle lettre je n'adjouſteray rien de ma part, ſi non, ce que j'ay entendu de mes propres oreilles ces peu de jours paſſez de la bouche de Monſr. le Baron, c'eſt qu'il vous attend par deça avec impatience; qu'il vous aſſeure de ce qu'avez deſiré par vos lettres; que rien ne manquera de ſa part, qui pourra appartenir à voſtre accommodement. Monſr. je vous conſeille de haſter tant que vous pourrez voſtre voyage envers nos quartiers: ne vos arreſtez à ceſte premiere fois à voſtre famille, qui pourra ſuivre commodement en bon temps: cependant ne vous deſgagez pas entierement de l'entretenement dont l'Univerſité de Leyden vous a déja pourveu, mais ſi tout ne vous agrée icy, ordonnez voſtre voyage de la ſorte, qu'y puiſſiez avoir ſeure retraicte, je ne dis pas cecy, pour vous decourager en la moindre façon, ou pour ce que je me doubte aucunement de la réelle execution des promeſſes de Monſr. le Baron, (lequel eſt honorable en tout & par tout) mais à cauſe que luy eſt fort âgé; & pourra faillir en un moment de ceſte vie, devant que les bons deſirs qu'il a conceus ſoyent de tout point arreſtez. Adieu Monſr. & haſtez vous de nous venir trouver, où ne trouverez autre choſe ſinon les effects d'une cordiale affection.

*Monſieur,*

Londres ce 15 de Janvier 1614. St. Vet.

*De voſtre tres-humble Serviteur,*

DUDLEY CARLETON.

## LXII.

*Clariſſimo Viro*

## Jano Grutero.

*Epiſtola familiaris, quâ recreatum ſe dicit, quod licet per triſtem Palatinatus caſum, ſparta etiam ſua excidiſſet, denuò tamen aliis in locis ejus habeatur ratio, ſimulque ab Academiis Franekerana & Hafnienſi expetatur.*

*Vir Clariſſime, conjunctiſſimeque affinis,*

DOlorem meum quem cepi, ex triſtiſſimo Palatinatus caſu, non mediocriter auxit, quod Te quoque, cujus merita, erga Orbem Univerſum, nemo unquam ſatis prædicaverit, incendium hoc adflarit. Volupe interea fuit, quod ex literis tuis intelligo, rectè Te valere, animoque eſſe conſtanti in his malis. Multum etiam me recreat, quod, uti complures mihi retulerunt, Franekeram es vocatus; ut Academiam hanc luce tua illuſtres: Atque adeo etiam, ab Sereniſſimo Daniæ Rege, honeſtiſſimo ſtipendio invitari diceris, ad ornandam Academiam Hafnienſem. Quantum mallem, nobis adeſſes? Utinam hæc res iis curæ foret, qui conſilio valent apud eos, quorum in manu ea res eſt. Sed mihi non eſt animus, querimoniam de his temporibus inſtituere, quibus propè omnes omnia metiuntur commodo ſuo, nec alios, quàm fœlices colunt. Quin Spartana potius patientia hæc concoquemus. Interim impensè ſcire deſidero, utram vocationem, ſi vera intellexi, cogites amplecti. Mallem ſi non nobiſcum, ſaltem proximus nobis fores. Sed tamen magis conſultum volo commodo tuo, quàm deſiderio meo. Eloquentiam hic ego, ſimulque Chronologiam profiteor. Honeſtum fateor munus, ſed ſacra malim hac ætate, præſertim quando, ni me nimis amo, haud impares ſumus, ſanè ut ita ſemper literas, & Philoſophiam tractavimus, ut is potiſſimum nobis ſcopus foret: Interim ſolatiolo eſt, quod ſic quoque proſumus publico. Florentiſſimo quidem Auditorio fruimur, ſi hic quiſquam alius nunc, vel antehac etiam. Lis Corputiana, ante Paſchales ferias decidetur, niſi fallunt penes quos ejus dijudicandæ eſt poteſtas. Occaſionem nactus, per Commelinum Francofurtum euntem, mittere ad te volui Libellos duos; Unum quo hiſtoriæ naturam, ac præcepta complexus ſui; Alterum de Hiſtoricis Græcis; Tertius qui eſt de Hiſtoricis Latinis brevi, & ipſe, lucem videbit. Spero eos haud tibi ingratos fore, non eo tantùm nomine, quia à me proficiſcuntur, quem à te amari ſcio: Sed etiam quoniam fieri aliter non poteſt, quin qui tamdiu ea cum gloria illuſtri loco, hiſtoriam ſis profeſſus, atque inter tot Scriptores, etiam Hiſtoricos, uſque adeo multos fœliciſſima curioſitate reſtitueris, & illuſtraris; eorum & ipſe approbes conatum, qui quomodocunque, de Hiſtoria, & Hiſtoricis, benè ſtudent mereri. Salutem

lutem plurimam uxor Tibi dicit: Item Ampliſſimus Rutgerſius, & Collegæ mei, Heinſius, Meurſiuſque; adhæc Scriverius, & quos alios ſalutari juſſeras.

vi. Eid. Mart. ciɔ Iɔ cxxiv.

*Tuus omni officio*,

G. J. Vossius.

## LXIII.

*Clariſſimo Viro*,

# Gerhardo Joanni Voſſio,

Eloquentiæ, & Hiſtor. Profeſſori,

Salutem.

*Epiſtola familiaris, in qua & laudat opuſculum ejus, quod contra Lonigum ediderat, optatque poſt hac etiam bene de publico mereri pergat.*

ACcepi, mi Affinis, ante aliquot hebdomadas, opuſcula tua, quæ ad me miſiſti; omnia perplacent, præſertim verò illa, quæ contra Lonigum edidiſti, quæ non ſolum ego, ſed & D. Scultetus, & doctiſſimus quidam Baro, ex Auſtria profugus, cui etiam dedi exemplar, quod mihi miſeras, cum voluptate legimus: optamuſque omnes, ut quemadmodum cœpiſti, ita pergas à vocibus, aut diſputationibus ſcholaſticis, tandem ad res venire; ſunt quidem illa rei literariæ utilia, hæc verò Reipublicæ utiliora, licet iis, à quibus prodeunt, periculoſa. Deus tamen vivit, adeſtque iis, qui curam populi ipſius, eorumque quos ei præfecit, habent. Placet quod tam breviter, & methodicè reſponderis. Nec enim ſuſurrones iſti tanti ſunt, apud nos, ut in eorum gratiam, magna volumina condi neceſſe ſit. Si duobus aut tribus exemplaribus carere poſſes, velim ea ad me mitti, ut & alios, qui à me petierunt, eorumdem participes faciam. A Samuele Nærano tandem literas accepi, ut & à ſorore noſtra Roſtochio. Ingenii ſatis habet, ut mihi quidem videtur: Faxit Deus tantum, ut ingenio rectè utatur. Reſpondi iis Kal. Maji, & quidem amicè, ut inter fratres, & affines decet, rogavique ut ſeſe tandem cum Eccleſiis noſtris reconciliet. Videbo quid præſtiturus ſit. Utinam diem illam mihi videre liceat, qua familia paterna audiatur in cauſa religionis, veſtigia ipſius premere! Tu quæſo, me pro viribus juva, & ipſum ad idem mone. Vale, mi affinis conjunctiſſime, & uxori liberiſque, plurimam à me, uxore, & matertera ſalutem dic. Nos omnes per Dei gratiam valemus, etiamſi filiola natu minor, ante aliquot hebdomadas, in ſummo vitæ diſcrimine verſata fuerit, à quo tamen gratioſè eam liberavit Deus.

Raptim, Groningâ, 17 Junii 1624. St. vet.

*Tuus Affinis*,

J. Junius.

Quas hic concluſas vides, eas rogo ad D. Lotium perferri cures.

## LXIV.

Tranſlation d'une lettre du 27 de Juill. 1624, eſcrite par le Sr. GUILLAUME BOSWEL (Secretaire de Monſeigneur le Garde Seau) au Sr. DUDLEY CARLETON, Secretaire extraordinaire du Conſeil Privé de ſa Majeſté de la Grand Bretagne.

*Carletono refert, quæ Voſſio offerantur, cupitque, ut hic ſuper eâ re mentem ſuam per literas aperiat, ipſeque deinde in Angliam proficiſcatur.*

*Monſieur*,

IL vous peut ſouvenir de ce dont je vous ay parlé touchant Gerardus Voſſius. Je vous prie encore ceſte fois, de lui donner advis par la premiere opportunité, que le Seigneur Brook ayant reſolu de fonder preſentement une lecture d'hiſtoire (ou *Civilis Scientia*) dans l'Univerſité de Cambridge, à intention ſur ma recommendation dudit Voſſius, de la conferer ſur ſa perſonne. Les conditions ne ſeront point grandes ne difficiles; ſon entretien ſera mille quatre cents florins par an ou d'avantage, & ſon logis franc, peut eſtre, en quelque College. S'il accepte le ſervice & place, obligez le d'eſcrire ſa reſponce à vous ou moy, à fin que je la puiſſe monſtrer à ſa Seigneurie qui l'attend en grande devotion, & qu'il s'aſſeure que je feray mon mieux d'amender des termes deſſus ſpecifiez; ou luy faites ſçavoir que s'il eſcrit, qu'il ſera neceſſaire qu'il face un voyage, pourveu que ſa Seigneurie defraye les diſpens, en Angleterre. Je parleray à ſa Seigneurie de l'en aſſeurer, & plus particulierement de la ſomme. Je vous prie derechef de me faire entendre reſponce de cet affaire avec autant d'expedition que vos occaſions vous permettront, & vous m'obligerez de tant plus à demeurer,

*Monſieur*,

Du College de Weſtminſter, le 27 de Juillet 1624.

*Vôtre ſerviteur tres-humble*,

Guill. Boswel.

Je fus hier chez Burlamachi pour vous voir, & ſi je n'eſtois maintenant en haſte ſur mon partement vers Cambridge, j'eſcrirois à Voſſius moy-meſme, comme il y a apparence que je feray par le premier ordinaire.

## LXV.

# A Monſr. Voſſius.

*Voſſio in Academia Cantabrigienſi Profeſſionem, nomine Dn. de Brook, offert, petitque, ut ecjus indicet, num oblata placeat Sparta.*

*Monſieur*,

AYant eſté nagueres à Leyden en eſperance de vous y pouvoir trouver, on m'a informé que vous vous eſtiez retiré à Dordrecht pour quelque temps; de ſorte que pour ceſte fois là je faillis de la commodité que je m'eſtois propoſée de vous parler, touchant les deſirs de quelques bons amis que vous avez en Angleterre, quoy qu'inconnues encor à vous, leſquels ont complotté avec Mylord Brooke, de vous propoſer une honeſte condition de vivre en noſtre Univerſité de Cambridge, ſi ainſi n'eſt que vous ſoyez deja mieux pourveu au lieu où vous eſtes preſentement entretenu: les particularitez de ceſte propoſition eſtants contenües en tranſlat d'une lettre, qui m'a eſté eſcrite ſur mon



Digitized by Google

dernier partement de Londres de la part de Monſr. Boſwell, Secretaire de Monſeigneur le Garde Seaux d'Angleterre, (homme tres ſçavant, & admirateur enſemble de la grande doctrine qui eſt en vous, ſelon qu'il a bien peu appercevoir par vos eſcrits) vous en deliberez s'il vous plaiſt & m'envoyerez voſtre reſponſe demain ou aprés-demain; laquelle je deſire d'avoir au pluſtoſt, eſtant dans peu de jours pour retourner en Angleterre: vous trouverez au tranſlat de la lettre de Monſieur Boſwell ſon affection point diſſimulée de vous rendre ſervice; & s'il vous plait de lui eſcrire un petit mot ſur ce ſujet, je ſeray bien aiſe que d'eſtre porteur de vos lettres: comme auſſi de vous faire tout la courtoiſie qui ſera en mon pouvoir, quand vous aurés occaſion de vous ſervir de moy. Ainſi en attendant voſtre reſponſe, je demeure,

*Monſieur*,

A la Haye ce 10 de Sept. 1624.

*Voſtre ſerviteur tres-affectionné*,

DUDLEY CARLETON,

au logis de Monſr. l'Ambaſſ. de la Grand Bretagne.

## LXVI.

*Nobiliſſimo & Ampliſſimo*

### Dom. Dudleio Carletono,

A Secretis Concilii Regii Magnæ Britanniæ.

*Incluſa ut literæ inſinuentur ritè, operam ejus expetit, ut ſi quid in iis corrigendum exiſtimet liberè moneat.*

*Nobiliſſime Domine Carletone*,

EN tibi literas, quas exaravi tum ad Generoſum Dominum Baronem de Brooke, tum ad Ampliſſimum Dominum Boſwellum. Etiam exemplum utriuſque epiſtolæ vides. Sicubi peccatum putes, jucundum erit à te moneri, ut corrigatur, priuſquam literæ meæ tantis viris exhibeantur. Similiter exemplum Epiſtolæ ad Dom. Baronem de Brook literis ad Dom. Boſwellum incluſi. Mitto & quicquid hactenus edidi, ut Dom. Baroni de Brook offeratur, minutum quidem donum, ſed magni affectus. Plinii Epiſtolas cum Catanæi commentario tandem nactus ſui. At librum Vorſtii de Deo, quem nunquam editum mallem, nuſquam amplius in Bibliopoliis proſtare ſcias. Arminii quæ quidem reperiri potui, uti petieras, mitto. Sed fore intelligo, ut cuncta ejus viri uno volumine intra paucos menſes in Germania recudantur. Quod ſi expectare malueris uſque dum id fiat, ſolum opus erit ut nunc miſſa remittas.

Vale Nobiliſſime Domine, & quo cœpiſti favore, porrò me proſequere.

Lugd. Bat. Id. Sept. cIↃ IↃ CXXIV.

*Tuus Tuo merito*,

G. J. VOSSIUS.

## LXVII.

### D. Fulconi Grenvillo,

Equiti aurato, Baroni de Brook, Sereniſſimo Regi Magnæ Britanniæ à Secretioribus Conſiliis;

S. P.

*Gratulatur ſibi inſignem ejus benevolentiam, qua dignus ipſi viſus fuerit, profeſſione Cantabrigienſi. Prolixiorem ejus affectum in ſe derivaturus ſcripta hactenus edita eidem tranſmittit.*

INcredibili voluptate perfuſus fui, cum intelligerem te, Generoſe Domine, in quo cum Illuſtri Natalitium ſplendore, & ſumma dignitate non excellens modò virtus, ſed eximia etiam eruditio, ſuaviter conſpirant; & me natum ſcire, & præterea amare, & tanti quoque facere, ut dignum exiſtimes, cui inter florentiſſima Cantabrigienſis Academiæ lumina, te auſpice, tribuatur locus. Equidem non tam habeo, quam Poëta appellat, carneam fibram; ut non ſentiam, quantæ, & gloriæ, & utilitati, ea res mihi, & liberis meis, eſſe poſſit. Tum autem quid jucundius fuerit Eccleſiaſticæ Antiquitatis amantiſſimo, quàm in ea vivere Eccleſia, quæ, ſeu doctrinam ſalutarem, ſeu exteriorem Eccleſiæ faciem attendas, Apoſtolico ævo, & proximis ſeculis, ſimillima videatur? Quamobrem non poſſum non beatum me putare, quòd Deus animo tuo honeſtam adeò de me opinionem inſpirârit. Sunt interea pauca quædam, de quibus aliquanto certior fieri deſidero. Ut ſuper lectionum de hebdomade numero, & imprimis de habitaculo, quod, ut arbitror, uxorem liberoſque habenti non niſi extra Collegium eſſe poſſit. Atque hæc, licèt in vocationem tam præclaram magnopere propenderem, ſcribenda nihilominus putavi. Simul ut quomodocunque gratum animum teſtari inciperem, literis meis comites addere volui libellos hactenus à me editos: quos vel eo nomine haut ingratos fore confido, quòd à ſummo excellentiſſimarum tuarum virtutum admiratore proficiſcantur. Quod ſi Deus valetudinem & otium conceſſerit, conſequentur & plura & meliora, quorum partem jam habeo confectam. Deus te, Illuſtris Domine, diu Magnæ Britanniæ Regno, ſummo literarum & literatorum bono conſervet.

Lugduni Batav. cIↃ IↃ CXXIV. Idib. Sept.

*Illuſtri Nomini tuo devotiſſimus*,

G. J. VOSSIUS.

## LXVIII.

### Guilielmo Boſwello.

*Gratias ei agit, quod in denominando & commendando Academiæ Cantabrigienſi profeſſore, tam honorificam ſui rationem habuerit, reciproca ſtudia eidem largiter ſpondens.*

INtellexi ex nobiliſſimo Dom. Carletono, quàm præclarè de me ſentias, ſtrenueque operam des, ut in florentiſſima Cantabrigienſium Academia perhoneſtum teneam locum, ſeu Hiſtoriam profitens, ſeu ſcientiam Civilem. Equidem fore hoc pacto video, non tantum ut illuſtriori loco conſtitutus, majori nominis luce circumveſtiar: ſed etiam, ut amicitiâ & colloquiis fruens ſummorum Academiæ ejus virorum, maxima & pietatis & doctrinæ capere poſſim incrementa: tum autem, ut ad plures induſtriæ meæ, & qualiſcunque eruditionis fructus redundet: ut interea de rei familiaris incremento nihil dicam. Metuo ſanè, ne pro tali ac tanto beneficio pares unquam gratias referre poſſim. Sed velle tamen non deſiſtam. Interea hoc promittere habeo, nunquam fore, ut te conſilii iſtius poſſit pœnitere. Is enim mihi animus ſemper fuit, ut pro viribus & publicè & privatim quà voce, quà ſcribendo, conſultum irem publico bono. Quamvis autem planè eò propendeo, ut ad honeſtam adeò conditionem ſi vocer, ſequar: tamen quædam ante operæ fuerit ſcire. Super quibus ſcripſi ad Generoſum Dominum Baronem de Brook. Literarum earum exemplum Epiſtolæ huic adden-

addendum putaris. Vale Ampliſſime & Præſtantiſſime Boſwelle, atque amare nos perge.

Lugd. Bat. Idib. Septembr. clↄ Iↄcxxiv.

*Tibi meritis tuis obſtrictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

---

LXIX.

## Gerardo Joanni Voſſio, V. Cl.

*Voſſii librum de Hiſtoricis Græcis effuſiſſimè laudat, ſuum pacis ſtudium & in illum amorem integerrimum demonſtrans.*

PUdore ſuffuſus ſum, cùm literas tuas vidi, illas ad exemplum candoris & elegantiæ ſcriptas. Tanti feciſti PUTEANUM, ut quem in Scholarum primo quaſi pulvere noveras, adhuc amicum cenſeres. Si pectoris mei adyta luſtras, talis fui ſemper: & quemadmodum olim ſuaviſſimam vivaciſſimamque ingenii tui indolem, rapiente velut naturâ, puer dilexi, ita poſtquam ad aliquem nominis gradum veni, clariſſimam doctrinæ tuæ famam venerari non deſii. Quantum me, bone Deus (ut reliqua jam taceam) ultimi de Hiſtoricis Græcis libri ceperunt! Tam felici induſtriâ uſus es, ut quicquid à veteri ævo Græcia ſudavit, ignorare jam docti indoctique deſinant, quos omnes unus docuiſti. Quæ divitiæ! quæ deliciæ! Nihil tam abditum, quod non legeris, tam dubium, quod non expenderis; tam obſcurum, quod non illuſtrâtis. Sed ſi hæc deſtinati laboris pars eſt, poſſumus tuo unius ingenio contenti eſſe, & omnis porro ævi Hiſtoriam accuratam in compendium ſerie collectam exſpectare. Imperfectum eſt, & ſæpe hiulcum, quicquid in hoc genere hactenus vidi. Sive tuo igitur nomine; ſive hominum commodo gloriam metiaris, æternus es; citiuſque nulla Scriptorum Græcorum memoria erit, quàm tuam ventura ſæcula involvant. An te amem igitur, an te æſtimem, vides: cauſſas dixi: inhumanus, indoctus, barbarus ſim, niſi amem. Sed ut ad literas tuas redeam, eæ velut flammæ quædam ſunt, & magis magiſque ardentem jamdiu animum corripiunt. Ignem amorem eſſe etiam illum honeſtum, nunc ſentio; claudi aut conſtringi nequit, ſed nec impediri. Nihil intervallum locorum poteſt, præſentes ſumus: nil belli diſſidium, amici ſumus, & amoris cauſas à publicâ irâ removemus. Studia noſtra Humanitatis ſunt, & ad pacem ac tranquillitatem diriguntur: admonemur homines nos eſſe, ut à furore & feritate abſimus. Pugnent alii, ſive verbis ſive armis, imò armorum loco verba habeant: mihi jucundum ſemper erit, Virtutem Doctrinamque, ubi eminent, colere; uni vitio & ignorantiæ infeſtum eſſe. Dabit Deus publicis ærumnis aliquando finem, ut quemadmodum amor noſter nulla temporis injuriâ impediri poteſt, ita in quiete rerum, plenos liberoſque amicitiæ fructus capiamus. Atque ita eſt; unus tibi è tam vaſto numero reliquus ſum, qui ſpretis tot vitæ diverticulis, tot vitatis bonæ mentis ſcopulis, Muſæ & Palladi adhæſi, honeſtam famam *ἀκτήμονα* vivendo divitiis præferens. Producere igitur ſtilo ingenium auſus ſum, & quaſi humo me tollere, quia primus ille Literarum bonique nominis amor exſtingui non potuit. Tandem tuo unius exemplo excitari vehementius cœpi, quam felicibus ad immortalitatem pennis videbam eniti. Redibant in mentem ſtudiorum incunabula, & puerilis æmulationes. Recolebam ſermones, luſus, jocos; & tanquam familiariter amari adhuc poſſes, aperire continuò affectum ſtudui. Tu qui in aliis ſuperas, hic quoque victoriam tibi vindicaſti. Prior ſcribis, & ad perennem amicitiam invitas: quam à me flagitatam non eſſe, doleo. Crede candori meo, ita ſe rem habere, quemadmodum initio dixi: Pudore ſuffuſus ſum, cùm literas tuas vidi; felicior neſcio, quia amorem tuum intellexi: an infelicior, quia ſerò indicare meum coactus ſum. Bene eſt: juncti animis ſumus. Tuæ benevolentiæ fuit, ſtringere hunc nodum; meæ conſtantiæ erit, id agere, ne unquam diſſolvatur. Vale.

Lov. in Arce, iv Kal. Octob. clↄ Iↄcxxiv.

ER. PUTEANUS.

---

LXX.

*Incomparabili Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio.

*De ſententia in cadaver Marci Anton. de Dominis ejuſque ſcripta per Cardinales & inquiſitores generales latâ certiorem eum facit. Cardinem cauſa in eo verſari, quòd unioni inter Eccleſiam Romanam, & Proteſtantium totus ſtuduiſſet.*

*Vir Clariſſime,*

NIſi notum me tibi, meamque tui obſervantiam, abundè tibi perſpectam ſcirem, eſſet certe quod vererer, ne omnem & tui, & meorum officiorum memoriam, apud me extinctam crederes. Adeo non me latet, quamdiu ſit, quod nihil ad te literarum dedi. Sed nec quod darem fuit hactenus, imo ne nunc quidem eſſet, niſi ad ſcribendum, me compellerent infauſti hic, de morbis contagioſis Lugduni, & alibi in Hollandia acriter graſſantibus, rumores. Delatus nobis hic Romæ fuit nuncius, de morte præmatura D. Erpenii, qui certè mihi reipublicæ literariæ cauſâ, fuit auditu triſtiſſimus: Nec minus alter me afflixit, de obitu D. Voſſii, ſed poſtremus hic quàm malè me initio habuerit, cùm balbutiens amici lingua, non nimis accurate nomen illud apud me proferret, potius apud alios, quàm apud te referam, tum ne male ominari videar ei, qui pluſquam mortalium cuiquam boni, & precor, & auguror, tum ne oſtentabundus credar, in iis quæ debiti, & millies promeriti affectus, eſſe meus mihi indicat animus. Deus Opt. Max. quod temerè, & mihi, & omnibus bonis, mœſtiſſimum, perferebat rumor, in vitam longiorem, omnibuſque bonis, fauſtiſſimam tibi convertat, precor. Cæterum quanquam vix mihi, (primum adhuc ordinariæ tabellariorum profectionis, hic loci penito) fuerit pauca quæ vides ſcribendi tempus, & manum etiam nunc a charta avocet, qui hanc laturus, feſtinabundus expectat; nolo tamen ignores, interfuiſſe me hodiernâ die, actioni, & congregationi ſolemni, & publicæ, Cardinalium, & ſancto officio præpoſitorum, inquiſitorum generalium, quâ cadaver Marci Antonii de Dominis, olim Archiepiſcopi Spalatenſis, pendente ſuâ cum inquiſitoribus cauſâ, in publico carcere, ante trimeſtre circiter mortui, igne unà cum ejus ſcriptis cremari juſſum, ad æternam ejus infamiam fuit; eo quod primum apoſtata factus, poſteaquam dignitatibus reſtitutus, & in gremium matris Eccleſiæ receptus, denuò fuerit, ad hæreſes Proteſtantium relapſus, licet mortuus hæreticum eum eſſe ipſa neget ſententia. In qua plurima ſunt conſideratu digniſſima, & talia quæ velim magno retinere potuiſſem, aut bona fide deſcripta conſequi poſſem. Adlaborabo quantum potero, & prima occaſione ad te dabo hac de re largius. Cardo cauſæ in eo vertitur, quod unioni inter Eccleſiam Catholicam Romanam, & eas quæ Proteſtantium dicuntur, totus ſtuduerit. Vale, plus nec charta capit, nec permittit tempus.

Romæ, die 21 Decembris, 1624.

*Tuus omni affectu,*

G. R. DOUBLETIUS.

## LXXI.

## Arn. Buchellius, D. Ger. J. Voſſio,

Eloquentiæ in Academia Bat. Profeſſori,

S. P.

*Laudat libros ejus de Hiſtoricis Græcis, dubia quædam ex illis proponit. Literas & amicitiam mutuam expetit.*

*Doctiſſime Vir,*

CUm nuper à Nepote noſtro, Joſepho Vorſtio, mecum domum attuliſſem libros veſtros, de Hiſtoricis Græcis, non tantùm plurimùm eorum lectione delectatus ſum, ſed & infinitæ lectionis memoriam tuam, ſimul exactum de ſingulis judicium, mirum in modum æſtimare cœpi. Atque ea cauſa eſt, quæ me impulit vos etiam vix notos, rudibus hiſce, & pene audacibus meis literis compellare. Et ne hæc me fingere putes, inter legendum occurrerunt, quæ animi dubium facerent: Nempe quod cùm nobilis Vir, Theod. Douza, Georgium Curop. de Conſtant. capta cum ſua verſione olim ediderit, vos non Georgii, ſed Joannis, eidem authori nomen indidiſtis. Quod etiam dubitatis Julianum Imper. vulgo Apoſtatam dictum, Hiſtoricis adſcribere; cum ejus Cæſares hiſtoriam ſapere videantur, etiamſi non abſque aculeo ſcripti ſunt, & in Epiſtolis ejuſdem Hiſtorica plura referantur, atque ad hiſtoriam pertinentia, alia ab eo conſcripta eſſe, veriſimile ſit, cum ipſe inter Principes doctiſſimus, atque gloriæ mirum in modum appetens fuerit, multaque geſſerit memoria non indigna. Sed hæc ſint, quaſi prælodia vobiſcum amicitiæ ineundæ, quam ſanè, omnibus modis, licet ſim ab ambitione alieniſſimus, ambire me fateor. Doctiſſimum Scriverium, diu eſt quod expecto, ſed ea ſpe cecidiſſe videor; vereor etiam, ut ab undis Haerlemenſibus, ardor in illo priſtinus rerum noſtratium mergatur, eæque in ſtudiis ſolitis alieniorem reddant. Gratum nihilominus erit, ſi eidem à me ſalutem dicere grave non fuerit; & ſimul petere, quid de libris ſuis, apud me exiſtentibus, fieri velit. In patriâ hiſtoriâ, quæ nuper admonebas, equidem vellem, niſi tam multa deeſſent, & jam tardior ætas, ab omni labore abhorreret, cogitabimus tamen, ſi quid ad illum adferre poterimus. Interim vos, doctiſſime, & diligentiſſime Voſſi, (cui ſtudia, & literæ quamplurimum debent) optimè, & diutiſſimè valere, & vivere optamus.

Trajecti in Batavis, calamo feſtinantiore, VI Id. Jan.
An. ineunt. 1625.

## LXXII.

*Clariſſimo, Præſtantiſſ. Viro,*

## Dom. Gerardo Voſſio,

Eloquentiæ Profeſſori.

*Quid in Oratione ejus, in obitum Tho. Erpenii, mutatum velit, amicè monet.*

*Vir Clariſſime,*

SI à negotiis tantùm otii fuiſſet, decreveram diebus hiſce, iſthuc excurrere, uti videndi tui ac ſalutandi deſiderio & voto, frui poſſem: quod tamen propediem futurum confido. Interim quum digniſſima *a* Oratio tua in funere iſtoc Chriſtiano Orbi funeſtiſſimo habita juri publico aſſerenda ſub prælo verſetur, viſum mihi fuit, rerum mutationi, atque præſenti conſtitutioni conſonantius fore, immutari etiam nonnihil in iis, quorum tibi ego materiam ſuggeſſi; ſcilicet ſi illud ſupprimatur; Regem Africæ in mandatis Legato dediſſe, ut Dominum Erpenium P. M. in conſiliorum ſocietatem adſciſceret; ſed in locum ejus ſubſtituatur, Legatum eidem nunquam quidem ſibi viſo, ſed ex famæ claritate, & Regis erga eum benevolentia percognito, hunc honorem detuliſſe; non quod ibi ſcrupulus ſit, quia ita ex ejus ore ipſe accepi; ſed quia præſtabit in eo tempori ita obſecundaſſe, uti coram tibi aliquando exponam. Noſti enim minima etiam rerum politicarum momenta eſſe tenerrima. Pectoris tui candor, atque prudentia condonabit mihi, ſpero, libertatem, quod te audeam in opere tuo alicujus monere. Vale, vir Clariſſime. Deus Opt. Max. Muſas tuas diu proſperas, & nobis ſuperſtites tueatur, meque eorum rogo, numero adſcriptum velis, qui eaſdem amore ſummo, & veneratione proſequuntur; etenim dum vivam, futurus ſum

*a* Orationem intellige in Tho. Erpenii obitum.

Hagæ Comitis, Kalend. Febr. CIↃ IↃ C XXV.

*Tui nominis amantiſſimus, atque obſervantiſſimus,*

J. Golius.

## LXXIII.

## Dudleio Carleton.

*Obteſtatur Carletonum, ut in negotio vocationis Cantabrigienſis, ſe juvet conſilio & auctoritate.*

*Nobiliſſime & Ampliſſ. Dom.*

REdditæ mihi ſunt literæ doctiſſimi Boſwelli, quibus ab illuſtri Barone de Brook, ad Profeſſorem in Cantabrigienſi Academia honorificentius vocor; quàm homo tantilli ingenii atque eruditionis merear. Redditæ item tuæ, quibus non amanter minus, quàm prudenter mones, ut ne cum uxore ac liberis me in viam dem, priuſquam peracta quædam ſint, de quibus ob incerta rerum humanarum, conſtare anteà ſatius ſit, quàm ſtabilem cum meis ſedem in florentiſſimâ Britanniâ veſtrâ figam. Equidem, quantas poſſum, pro ſingulari hoc affectu, gratias ago, uti debeo. Sed ſcrupulus tamen non exiguus injectus eſt mihi quem diſſimulare non poſſum apud tam amantem mei. Auctor enim es ut quàm primùm veniam; ſed ſolus, & ignaris iis quibus Academiæ cura incumbit. Neque non video, id tibi propoſitum eſſe, ut ſi minus omnia ex voto reperiam, citra honoris diſpendium, ſineque Academiæ noſtræ Curatorum offenſa, facilis mihi reditus pateat ad meos. Sed Nobiliſſime Domine, quid ſi per utrumque munus quod ſuſtinui, & illud quod nunc obeo, ita politioribus propè omnibus innotuerim apud nos, ut pedem vix extra urbem, nedum extra Bataviam ponere liceat, quin profectio mea dimanatura ſit ad plures? Atque ut de nocte iter conficiendo, vel alium dolum nectendo, fallere omnes ad dies paucos poſſim; quia tamen per unum alterumque ex Anglia reducem jam rumor hic eſt diffuſus de vocatione ad vos meâ: de itinere in Angliam etiam ſuſcepto, ſuſpicio orietur multis, ſimulac hebdomadas totas deſiderabor ab Academiæ hujus juventute, Senatu, foroque ipſo. Quater enim de hebdomade docendum mihi: nec pars modo Senatus ſum Academici; ſed unus ex quatuor viris, qui Rectori Academiæ adſident in tribunali noſtro. Illud etiam reticere nequeo, literas ab ornatiſſ. Boſwello ſcriptas, quarum mihi exemplum miſeras Hagâ, non parùm variari in ſtipendii modo ab Epiſtola, quam ipſe ab eo accepi. Hoc unde contingat, non ſatis conjecturâ aſſequi poſſum; niſi fortè quiſpiam tuus e terris ſponte ſe minoris offert, neque deſint qui nunc deprecient, ut fieri ſolet. Quid enim ego umbraticus ſciam, quid in Anglia, quis rerum agat, ſive per ſe, ſive per ſuos? Quamobrem per amorem erga me tuum, etiam atque etiam rogo, ut

hac

hac in re me quamprimum pro ſingulari tua prudentia, conſilio juves. Vale decus meum, & eum, qui beneficia tua animo inſcribit, patentiſſimo, nec eorum eſſe ignarum poſteritatem ſinet, amore tuo porrò dignare. Salutem quoque plurimam, ſi occaſio dabitur, meis verbis dicito Reverendiſſimo Wintonienſi Epiſcopo, Viro incomparabili, cujus erga me affectui, utinam gratias referre dignas valerem. Iterum vale.

Lugduni Bat. cIↄ Iↄc xxv. iv. Id. Feb.

*Nobilitatum Virtutumque tuarum cultor atque obſervator,*

G. J. Vossius.

## LXXIV.

*Viro Clariſſimo Doctiſſimoque*

## D. Gerardo Johanni Voſſio,

Eloquentiæ Profeſſori.

*Regis ac Epiſcopi Wintonienſis gratiam, aliorumque ſummorum in Anglia virorum benevolentiam Voſſio gratulatur. De vocatione ipſius in Cantabrigienſem Academiam, ſibi quid videatur, familiariter exponit. Ingenium Anglorum erga exteros nativis coloribus depingit. Præclaram Voſſiani nominis famam nec apud Venetos latere cum pati.*

*Vir Clariſſime,*

EX literis D. Gerardi Meerman, ad fratrem ſuum, Italici itineris mihi comitem ſalutem, quam mihi mittebas, quo æquum eſt gaudio, accepi: Et ſummoperè lætus intellexi, quantis indiciis tandem agnoſcere poſſis, quod ex Anglia redux ſæpe præſens tibi retuli, ſummorum in eo regno virorum, de tua eruditione judicium. Vocat te magnæ Britanniæ Rex, quantum audio, ad Profeſſionem Theologicam, in Academia Cantabrigienſi obeundam, oblatiſque honeſtis admodum conditionibus, & ſtipendio luculento invitat ad mutandas, quibus ab infantia aſſuevisti cum Anglicanis, Batavas ſedes. Quod ſi obviæ huic fortunæ aurem præbes, & nos deſeris ſerò ſaltem ediſcent noſtri, ex exterorum judicio, virtutem ſublatam in pretio habere, quam præſentem negligere ſe, & fortaſſe etiam odiſſe turpiter oſtenderunt. Cæterùm quid ex re tua ſit, ut in iſthac cauſa agas, & propria abundè ſuggeret prudentia, & amicorum, quos fruſtra frendentibus invidis, habes plurimos, docebunt conſilia. Ut autem ego conſulere auſim quicquam ei, qui conſultorem, in omnibus optem negotiis meis, non permittit ætas, & propriæ imperitiæ conſcientia. Hoc tamen liberè dixerim, ut niſi talia certò offerantur, quibus & honori tuo fiat ſatis, & tu cum familiâ contentus vivere ſemper poſſis, etiam extra omnem augmenti, & meliorationis ſpem, optare me, ut ne patiaris, lactari te ulla ſpe incertâ, utcumque magnâ, & ſpecioſâ. Habent hoc Angli, quod exteros ament, & magni faciant eorum virtutes, ſed quatenus nihil ad ſe, inde redire poteſt detrimenti. Cæterum vix quicquam ita arduum credunt, cui non ſeſe, & ſuæ Nationis viros, ſine exterorum ſubſidio ſufficere exiſtiment, proni in invidiam adverſus eos, à quibus vinci ſe viderint: Atque hinc rari admodum, imò nulli in Academiis Anglicanis Profeſſores exteri. Nec crediderim expetere adventum tuum Cantabrigienſes Doctores, licet certus ſim, de plurimorum, & præſertim D. D. Hieronymi Beali Aulæ Pembrokianæ Præſidis, viri ſummi & eruditiſſimi, luculento erga te affectu; ſed totum hoc negotium, niſi me conjectura fallit, à Rege eſt, & à propenſâ Reverendiſſimi Wintonienſis Epiſcopi, in te omneſque eruditos voluntate: Ejus autem quanta ſit apud Regem, & in Academia Cantabrigienſi Authoritas, unuſquiſque novit, & privatiſſimis indiciis, teſtari ipſe poſſem: Novi ejus favori, & benignitati eſſe obſtrictos, qui iſthic præcipui ſunt Doctores, & maximoperè quidem, adeo ut dubium non ſit, quin vel hoc nomine ſolo, gratum ipſis futurum ſit, quod iſti placuerit. Inaudivi hic ante biduum circiter, neſcio quid incertum de Reverendiſſimi Epiſcopi morte; quæ ſi accidit, Vir magnus, Angliæ, & terrarum orbi, tibique ſummus Mæcenas occidit: ſed nihil hoc abſterrebit te à commigratione, modò certa proponantur. Eo vivo plura ſperare poteras, vel mortuo ſervabunt fidem quam dederint, & alios Deus tibi amicos ſuſcitabit, & fautores, æſtimandis pro merito tuis virtutibus pares. Non aliena ab his quæ fortaſsè liberius ſcripſi quam debueram, ſuadet Illuſtriſſimus Legatus, cujus quis erga te ſit animus non eſt quod à me ſcire deſideres: Heroëm noſti bonæ mentis, & feliciſſimo hoc conjugio (quo vivit fortunatus, & iterum adoleſcit ſenex) tibi uxorique tuæ affinitatis vinculo conjunctum; in cujus ædibus dum ſummâ, & nunquam promerendâ viri humanitate victus, jam tertium ago menſem, ſæpè occaſio fuit gratis de te ſermonibus, oſtendit ſerio gaudere ſe: Vir Illuſtriſſimus cùm primùm ex me intellexit, oblatum tibi in Anglia munus, & nunc quoque cùm referrem, parare me literas tibi, & certum eſſe, quantoperè gratum tibi futurum ſit, tam amicæ prudentiæ, in tam gravi causâ conſilium; quale ſuppeditare ipſe poterat; juſſit ſalutari te plurimùm, addiditque omnino, ſe Authorem tibi fore, ut ſi certi quid, & quod ex re, & exiſtimatione tua eſſe poſſit, offeratur, neutiquam id reſpuas, majori te iſthic loco fore, quàm in Patria, aut ea regione, quæ pro Patriâ hactenus tibi fuit; æque ſalutari aurâ iſtic veſci mortales, atque in Hollandia, nec ſic ultra te vexatum iri moleſtiis, quas oblatrando ſemper, & maledicendo, tot continuos annos, tibi creant inſcii quidam, & malevoli obtrectatores. Sed ut certus primùm ſis de loco honeſto, & non aſpernando emolumento, antequam de commigrando ſtatuas quicquam, idem Vir Illuſtriſſimus ſuadet, conſilium hoc verſiculo facetè confirmans, & reſtringens: *ſed non mutabis, niſi cum plurale videbis.* Hæc ego ſic familiariter, & tibi quem res tangit ſcribo, tuæque prudentiæ committo, ut quibus hæc referri non intereſt, iis ut ne referantur intereſſe judices.

De iis quos hic Venetiis, nominis tui fama amicos tibi fecit, doleo non poſſe me comperta ſcribere. Illuſtriſſimum Dominicum Molinum Conſiliarium compellare nunquam mihi licuit, quanquàm adferrem literas commendatitias, à cognato meo de Thienen, qui dum hic eſſet, ejus amicitiâ uſus eſt familiariter. Salutavi virum per internuntium; ſcilicet, quia quaſi de familia ſum Illuſtriſſimi Domini Legati, æquè mihi interdictum eſſe cenſetur, ejus omniumque Nobilium alloquio, ac ſi ipſe quoque de gravibus cauſis legatus adveniſſem, periculumque eſſet, ne quid in Reipublicæ perniciem moliri, eamque arcanis conſiliis ſubvertere, & in ruinam trahere, Magnus Atlas ſtuderem. Tanta hic pro ſecuritate cura, tam cum exteris ſuſpecta omnia vel minima. Cum Patre tamen Fulgentiò, quanquam & ipſe omnium, ferè Reipublicæ Conſiliorum ſit particeps, ſemel iterumque loquendi datam occaſionem neutiquam perdidi, ſummoperè delectatus viri inſignis colloquiis, omni humanitate plenis, & familiari de omnibus rebus tractandi libertate gratiſſimis. Nec apud illum ignotus vivis; ſed ubi Pelagii hiſtoriam, à te èditam audivit, incredibili ſe deſiderio teneri oſtendit, materiam illam admodum, inquiebat, confuſam, & intricatam, è viri eruditi Muſæo prodeuntem, videndi & perluſtrandi. Verum eò uſque, quod lubens alioqui feciſſem, viri deſiderio ſatisfacere non potui. Promiſſis me obſtrinxi, ſimulac Deus me Patriæ reddiderit, operam daturum, ut exemplar nanciſcatur. Propediem enim, Deo adjuvante, iter in Gallias, indeque domum, ſuſcipere cum ſodalibus noſtris ſtat ſententia. Ubi non minima pars erit votorum meorum de te, tuâque familiâ, aut grata, ſi diſceſſeris, ex amicis intel-



Digitized by Google

intelligere, aut te tali loco reperiſſe, qualem inſignes tuæ virtutes promerentur, tibique omni affectu precatur

Venetiis die 18. April. 1625.

*Tuus in ſolidum*,

GEORG. R. DOUBLETIUS.

Salutat te officioſiſſimè D. Colvius, ſeque totum offert, ſi quàpiam in re uſui tibi eſſe poſſit.

---

LXXV.

*Nobiliſſimo & Ampliſſimo*

## Dom. Dutleio Carletono,

A Secretis Conſiliis Regi Magnæ Britanniæ.

*Rem omnem de vocatione ſua in Angliam, cum Curatoribus Academiæ Lugdunenſis communicandam neceſſe putat, in cæteris conſilium ejus ſequendum ſibi ducit.*

*Nobiliſſime Domine*,

DE vocatione in Angliam mea rem omnem quia longiorem moram non pateretur, communicavi cum uno altero ex Nob. & Amp. D.D. Curatoribus Academiæ noſtræ. Æquum autem imò planè neceſſarium arbitrabantur, ut quicquid hujus eſt etiam à me in Collegio eorum exponatur. Ego ne hac parte poſtulato eorum refrager; partim adducor amore & gratâ recordatione beneficiorum quæ præſtiterunt: partim quia ſi dicendum, quod res eſt, plane puſillum eſt, quod exigunt. Nam poſt dies decem, h.e. ad octavum Maji, eorum hic conventus erit. Poſtquam Hagâ redii uxor in vehementem incidit febrim: quæ res effecit, ut dies aliquot ſcribendi ad te officium diſtulerim. Interim, ex medici etiam ſententia, carere morbus periculo videtur. Sed Poëtæ illud noſti, quando ait, amorem rem ſoliciti plenam timoris eſſe. Quod ſi per lectiones publicas, ac imprimis valetudinem conjugis liceat, etiam ante Nobilium Curatorum adventum operam dabo, ut de nonnullis tecum loquar. Nec enim tam ignarus ſum rerum humanarum, ut non, quemadmodum video undique amorem erga me tuum; ita etiam perſpiciam, quantum juvare me conſilio poſſis, non per te modo, ſed etiam per illuſtriſſimum patrem tuum, æternum Britanniæ ſuæ ornamentum. Deus utrique veſtri, & hic, & in cœlis præmia rependat, amoremque iſtum erga me conſervet.

Lugd.Bat. clↃ IↃc xxv. xxvIII. April.

*Nobiliſſimo nomini tuo obſtrictiſſimus*,

G. J. VOSSIUS.

---

LXXVI.

## A Monſr. Voſſius.

*Hortatur, ut tandem ſuam mentem aperiat, num Profeſſionem Cantabrigienſem acceptare velit, ejus reſponſum proxime expectans.*

*Monſieur*,

C'Eſt pour vous advertir que voſtre lettre que m'eſcriviſtes quelques ſemaines paſſées eſt arrivée a la Haye moy eſtant au Camp. d'où eſtant de retour, je trouvray que Monſieur le Baron de Brook avoit faict eſcrire au Maiſtre d'hoſtel de la Reyne de Boheme par la main d'un des principaux Secretaires d'Eſtat de ſa Majeſté pour ſonder & chercher où eſtoit devenu voſtre reſolution de venir en Angleterre, veu qu'il n'en avoit nulle nouvelle en ſi long temps. & ſi vous aviez changé d'avis, qu'il ſe pourvoiroit incontinent d'un autre profeſſeur. Monſieur, je ne ſçay point comment vous avez accommodé voſtre fait avec Meſſieurs les Curateurs de voſtre Univerſité; mais j'euſſe bien deſiré que vous euſſiez voulu eſcrire les lettres à Monſieurs Sieur le Baron & auſſi à Monſieur Boſwell ſelon que je vous avois propoſé dernierement. Je voy qu'il vous fault reſoudre ſans plus de delay, choſe que je vous ſupplie de faire: car autrement on ſuppléera la place laquelle on vous a deſignée par quelque autre. Ne vous à mettez pas trop en doubte, que n'ayez l'accommodement que vous deſirez; & ſi voudriez viſiter noſtre Angleterre, que je puiſſe avoir le bien de voſtre compagnie ſur le milieu de la ſemaine prochaine, que je me mets en chemin pour y aller; ou moins faictes m'avoir voſtre finale reſolution en c'eſt affaire, auquel ſi ç'eſtoit moy à qui on propoſeroit telles conditions, & que je fuſſe auſſi capable comme eſt Monſieur *Voſſius* à telle charge, je ne ferois pas tant de ſcruple pour m'y accommoder. Si vous avez envie d'eſcrire quelque choſe à moy, ou bien de venir parler ſur ce ſujeſt, differez le pour quatre ou cinque jours; car auſſi long temps je me trouveray abſent en l'armée; cependant je demeure, Monſieur,

A la Haye ce 19. de May. 1625.

*Voſtre tres fidèle amy*

*& ſerviteur*,

DULDLEY CARLETON.

Je vous eſcriray derechef quand je ſeray revenu du Camp, où je m'en va tout à cet heur; cependant je vous prie de faire voſtre finale & abſolue deliberation & reſolution; à fin qu'à ma venuë en Angleterre je puiſſe ſatisfaire à l'attente de Monſieur le Baron.

---

LXXVII.

*De Stipendio Profeſſori Hiſtorico Cantabrigiæ quotannis numerando, cum eo agit, utque ſui ſenſa in literis quamprimum exprimat poſcit.*

*Doctiſſime Voſſi*,

QUamvis antea ad te ſcripſiſſem, ita ut vel teipſum, vel à te ſaltem literas jampridem expectarem: hanc tamen opportunitatem nactus, ſecundas haſce viſum eſt exarare. Illuſtriſſ. D. Baro Brookius daturus eſt Academiæ Cantabrigienſi pecuniæ noſtratis centum libras annuas, in ſtipendium hiſtorici Prælectoris: Hoc & tibi (ſi volueris) & ſucceſſoribus tuis certum erit, ac perpetuum. Adjecit inſuper (me rogante) in tuam ſolius gratiam, domum apud Cantabrigienſes, tibi tuiſque recipiendis ſatis amplam: pro qua viginti duæ (aut plures) libræ conſimilis monetæ annuatim illi ſolvendæ. Ita ut inter ſummam à me commemoratam, & à D. Barone promiſſam, differentia ſit non magna. Spartam hanc vides (ſi placet) tuam: eâ tamen lege, ut illam ornaturus, te huc quamprimùm conferas. Te præ omnibus cupit Dominus Baro; utcunque non deſint alii non obſcuri nominis viri, qui has conditiones libentiſſime amplecterentur. Tu ergo quod facturus ſis tecum quàm celerrimè ſtatuas, ac me atque ipſum adeò D. Baronem facias certiores. Dudum factum oportuit. Ille enim vix æquo fert animo, nullas ſe jamdudum à te accepiſſe literas: imò nec in tuis ad alios ullam ſui factam mentionem. Ac ut ingenuè dicam, quod ſentio; Conditiones oblatæ ſunt ejuſmodi, ut vel acceptandæ jampridem eſſent, vel cum grati animi ſignificatione recuſandæ, non obſtinato ſilentio rejiciendæ. Si placet veni. Sin minùs reſcribe, ut quid porrò agendum ſit Opt. D. Baro quamprimum

apud

apud feſtinare. Vale, Vir Clariſſime, meque conſide futurum ſemper

Dab. Weſtmonaſterii. In ædibus Honoratiſſimi Domini Epiſcopi Lincolnienſis. Mag. ſigil. Angliæ cuſtodis. 20. Maji. A. D. 1625.

*Dignitatis tuæ*

*ſtudioſiſſimum,*

W. Boswell.

LXXVIII.

## Gulielmo Boſwello.

*Innocentiam conteſtatur ſuam, quod tardius reſpondeat literis; dolet præcipuè vehementem uxoris valetudinem effecere, quo minus exoptatam in Academiam Cantabrigienſem vocationem acceptare valeat.*

*Ampliſſime, Doctiſſimeque Domine Boſwelle,*

QUis rerum mearum ignarus, aliud ſibi perſuadere poſſit, quam diutinam hanc in reſpondendo ceſſationem inde duntaxat, aut potiſſimùm ſaltem, promanare, ut Vocatione Anglicanâ aliquid mihi apud Batavos lucelli acquiram? Scimus id pleriſque moris eſſe. Nec notam hanc effugit ſummus Juriſconſultus, Andreas Alciatus, cùm Bituribus Patavium vocaretur. Et ille quidem callide hoc egerat ipſe, ut vocaretur. Mihi, ut ſcis, ne per ſomnium tale quid cogitanti ſpontè apud vos profeſſio oblata eſt. Ille item, immane quantum aucto ſtipendio, apud Biturigas remanſit. Ego, uti hoc nunquam egi, ita nec quicquam acceſſionis (quam quidem ſcio mihi minimè invideres) conſequar remanendo, niſi ſimul acceſſio fiat fortè novi laboris. Quæris quid igitur in cauſa ſit, cur tardiùs literis tuis reſpondeam, tam amanter, tam benevolè ſcriptis? Dicam apertè & ſine circuitione. Scrupulus aliquis animo meo injectus erat, quod putarem poſteriores literas minus cum illis, quæ ad nobiliſſimum D. Carletonum miſſæ erant, convenire. Nec is, niſi adventu Domini Carletoni, & imprimis alteris à te literis ad eum exemptus fuit. Alia etiam cauſa acceſſit, ita enim officii ac muneris mei ratio ferebat, ut de vocatione mea, quicquid erat, referrem in conventu nobiliſſimorum Academiæ hujus Curatorum. Is conventus, præter ipſorum & meam imprimis ſpem, diutius dilatus eſt quàm putabamus. Tertiam etiam cauſam accipe. Inciderat uxor chariſſima in morbum gravem, quo fiebat, ut nec in hanc, nec in illam partem, de vocatione ea certi quicquam ſtatuere auderem. Sed ubi ea convaluit, vel convaluiſſe ſaltem viſa fuit, ſeriò de re tota & mecum, & cum amicis, & cum Academiæ Curatoribus cogitare cœpi. Adhortari alii, dehortari alii, ut fieri ſolet. Sed non tam ſtupidus eram, ut non viderem, quæ ſuaderent, ut quamprimum vocationem meam amplecterer. Nam & in florentiſſima Academia inter ſummos tot viros victurus eram, & iis in terris, ubi Eccleſiæ ea facies foret, qua non alia hodie in terris veterem illam magis referret. Sperabam etiam eò me gratiorem fore, quod antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudio à puero me dediſſem: ejus autem ſtudii apud vos plurimi eſſent non intelligentes minus quam amantes; cum quibus perjucundum fuiſſet, colloqui ac converſari. Sed dum hæc oculis quaſi obverſantur, ita Deo volente, dulciſſima conjux, ſingularis ſanè exempli fœmina, iterum in morbum incidit; ac in longè vehementiorem, quàm ante. Nec enim aliud nunc (quantum futura proſpicere ſcit infirmitas humana) conjecturâ aſſequi poſſumus, quàm eam vel hoc morbo terris ereptum iri; vel ſaltem, diuturnum morbum fore; diuturniorem etiam languorem, qui morbum conſequi ſolet. Proinde judicavi, non diutius ſpem mei facere me oportere Generoſo Domino Baroni de Brook: ſed quamprimùm eum de ſtatu rerum mearum faciendum eſſe certiorem: Te verò, doctiſſime & amiciſſime Domine Boſwelle, quàm amo, quàm æſtimo, propter plurimas maximaſque virtutes, ac potiſſimùm propter eam quâ tantopere excellis, humanitatem, cujus abundè erga me indicia dediſti. Sed laudibus tuis non inſiſtam: ne non tam judicium videar promere, quàm pro ingenti beneficio verbis gratias velle referre. Atqui gratias referre opis non eſt noſtræ: qui nihil niſi devotum tibi animum offerre poſſumus. Atque eo ſcio, quæ humanitas eſt tua, contentus nunc eris. Plura jam ſcribere domeſticus dolor impedit. Sed aliàs id compenſabitur. Cum enim obſcurum non ſit quantopere me complectaris: literis poſthac meis ſubinde te, ſi grave id tibi non erit, compellabo. Amorem etiam erga te meum ubi potero, & publicè, & privatim teſtari non deſiſtam. Vale.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄ c xxv. Kal. Junii.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

LXXIX.

## A Monſr. Voſſius.

*Epiſtola familiaris.*

*Monſieur,*

ME voicy maintenant de retour en ceſte place, aprés avoir faict plus long ſejour au Camp que je ne penſois. Or ſi eſt ce que je vous prieray bien fort de vous vouloir trouver à la Haye demain, à fin qu'enſemble nous nous puiſſions reſoudre finalement pour reſpondre à l'invitation que le Baron de Brooke vous a faicte; j'ay receu lettres tout fraiſchement de Monſieur Boſwel, par leſquelles je ſuis bien eſclairé en voſtre faict, & à cauſe que mon voyage en Angleterre eſt à cette heure ſi proche (comme de faict eſt le commencement de la ſepmaine que vient:) je deſire uniquement d'en diſcourir avec vous. J'eſpere que Madame vôtre femme ſe ſera remiſe de la ſorte qu'elle vous permettra bien de nous venir voir: & quant je vous ſupplie de m'apporter toutes les œuvres Mathematiques de Simon Stevin en François ſelon qu'elles furent imprimées n'agueres in folio deſquelles je croy voſtre libraire Elzevir vous ſçaura bien accommoder, dont je payeray volontiers le prix que vous accorderez avec luy. Ainſi je vous recommande au tout puiſſant, & demeure.

A la Haye ce 28. de May 1625.

*Monſieur, voſtre tres-fidele*

*ſerviteur*

Dudley Carleton.

LXXX.

## Dudlæo Carletono.

*Quid de vocatione ſua ad Cantabrigienſes fieri velit, proximè privato in colloquio expoſiturum promittit.*

*Nobiliſſime D. Carletone,*

DUm ego heſterno die tecum colloquor, aliud hic agitur. Quid illud? inquies. Dicam. Superiori die Sabbathi, cum literis tuis ad me venit juvenis nobilis, mihi ignotus, ſed, ut ipſe poſtea retulit, ex aula Principis Sereniſſimi, qui in urbe hac vivit. Expoſuit quorſum acceſſiſſet. Literis à te accepiſſe ajebat. Rogavit amicè quid de negotio Anglicano decreviſſem? Expoſui mille Angliæ bona, quæ iter ſuaderent. Sed adjeci quædam quæ ſcrupulum injicerent. Nempe ea ipſa, quæ apud te retuli. Et quia nihil ad illa magnopere reponebatur: iterum rogatus ſeriò

ſeriò dixi, dum hi forent ſcrupuli vix hinc avulſum iri. Ille, etſi Angliam ſuaderet, tamen petiit, ut ſi iter illud minus capeſſerem, ſaltem veterem in Angliam affectum retinerem. Hagæ à te reverſus, intelligo non ſolum conſtare jam pluribus in urbe, quæ huic nobili dixiſſem: ſed aperte promi, me apud eum penitus detrectaſſe provinciam. Et illud jam in Angliam eſſe perſcriptum. Quod ſi eſt, ſanè pugnabunt nonnihil literæ tuæ cum iis, quæ Lugduno miſſæ. Non tum eum ſcrupulum eximi poſſe putabas. Atque ego oſtendi, non me alienum eſſe, ſi & uxori & liberis uti dicebam conſuli poſſet. Quare arbitror ſatius fore ut nihil in Angliam perſcribatur priuſquam tecum loquar. Fiet autem id aut cras aut ſummum perendie. Nam & alia ſunt quæ ſatius ſit à te ſciri, utpote mei amantiſſimo. Salve à me. Poſtridie quàm à te abii, horis circiter xx poſtquam tecum egi, idque ob feſtinationem manu filioli cui hæc dictabam. Nam moræ locum nullum relinquendum putabam, ne differendo negotium corrumperem. Cras igitur, aut ad ſummum perendie Hagæ adero.

## LXXXI.

*Ad Illuſtrem & Generoſum Dominum,*

# Baronem de Brook,

Fulconem Grenvillum.

*Vocationem in Academiam Cantabrigienſem declinat, propter injectum ſibi uxoris morbo impedimentum.*

EGo verò, Illuſtris ac Generoſe Domine, amorem erga me tuum magis magiſque cognoſco: ut qui ſtipendio honeſto non contentus, de libera habitatione etiam addendum putaris. Sed quanto excelſa illa mens tua mihi perſpectior eſt: tanto magis vereor, ne affectui huic, ac amori mihi habito, ſatis videar reſpondere. Equidem (diſſimulare non debeo quod officii mei erat) communicavi rem omnem cum Nobiliſſimis & Ampliſſ. Academiæ hujus Curatoribus. Petiere illi ut in conventu ſuo proximo, proponere rem vellem. Videbatur mora duntaxat fore hebdomadum duarum. Factæ ſunt plures. Interim uxor in gravem incidit morbum. Conveniunt Curatores, & urbis Conſules, qui illis à conſilio ſunt. Auctores eſſe omnes, ut hanc ne Academiam relinquam, prolixéque affectum ſuum teſtati. Potuit ea res ſcrupulum injicere mihi, homini minime, ut arbitror, malo. Sed nec deerant amantes mei, qui maximopere adhortarentur, ut terras haſce florentiſſimo Angliæ regno commutarem: atque hujuſce rei cauſas afferebant ſanè graves. Et jam uxor convaluiſſe videbatur. Verùm enim vero, ut nihil certi eſt in rebus humanis, ecce ſæva tempeſtas. Incidit uxor in recidivam. Ad morbum accedebant ſymptomata gravia, ac vehementia. Quo res evaſura ſit, necdum ſcio. Periculum quidem ſummum omnes videmus. Atque ut Dei beneficio optimè res cadat: tamen (quantum humanus animus ex præſentibus conjectare poteſt) morbus hic diuturnus planè erit. Mihi interim qui miſeram video uxorem, illam animæ dimidium meæ; cuique in hoc ſtatu vix horam ab ea abeſſe licet, dum nihil præter cruciatus ſpecto, nec præter gemitus triſtiaque ſuſpiria audio quicquam, cor prope finditur, ac ſapientia, ſi qua in me unquam fuit, penè tota (pudet dicere) expectoratur. Sanè ſtudiis operam dare nec vacat, quia abſentem uxor requirit, nec lubet quòd abſens etiam macerer. Quid enim mirum, ſi plurimùm ei metuo, quam plurimùm amo? Præſertim cum amorem augeat amittendi metus. Do quidem operam, & ſedulò do, ut animum ad omnes caſus, & divinis & humanis præceptis, obfirmem. Sed tamen diffiteri non poſſum, me tantâ curâ doloreque circumſeptum eſſe, ut ſubinde ad id, quod timeo, penè invitus revolvar. Quare haud aliud ſtatuere poſſum, quàm ita Deo Opt. Max. viſum eſſe, ut in his terris, quod vitæ reliquum eſt, abſumam. Id autem quantulum futurum ſit, præſertim annis hiſce peſtilentibus, novit idem ille qui ſolus ſcit omnia, vitæque qui noſtræ modum præfinivit. Interim non poſſum non immortales tibi gratias habere, quod illuſtre adeò beneficium, tam humaniter, tam liberaliter in me conferre fueris paratus. Sanè quanti me facias, iſtâ amoris ac benevolentiæ ſignificatione ſatis indicaſti. Mihi quidem merita hæc tua nunquam animo excident. Nec tam arduum, aut magnum, dici quicquam poterit; quod non debere me tibi profitear. Utinam aliquando ſit, ut oſtendere erga te poſſim cultus & obſervantiæ erga te meæ propenſiſſimam voluntatem. Nunc pro illa, & honeſtandi mei, & augendi fortunas meas tam munifica voluntate, non aliud quàm maximas gratias ago. Nec enim pro tantis meritis, reddere vicem poſſum: redderem autem, ſi poſſem. Si quid tamen ab otii mei fructibus expectari poſſit, obnixè hoc agam, non quidem ut illuſtrando nomini tuo inſerviat (nec enim ego ſoli lucem addere poſſum) ſed tamen ne poſteris pro tanto beneficio videar fuiſſe ingratus. Te verò, Illuſtris Domine, unum illud præterea majorem in modum rogo, ut ne harum literarum ergò, quicquam apud te nomini meo decedere patiaris: ſed potius excuſationem meam æqui bonique conſulas: atque ita ſtatuas, Providentiâ Divinâ, quæ cuncta diſpenſat, vocationi huic meæ injectum eſſe impedimentum. Plura in eam ſententiam ſcriberem, niſi viderer diffidere præſtantiſſimo judicio tuo, ac jam dudum mens avocaretur domeſtici mali cogitatione.

Deus te Illuſtriſſ. Dom. diu inclyto Britanniæ Regno incolumem ſervet, amorem etiam tuum mihi ſemper conſervet. Vale.

Lugd. Batav.
Kal. Juniis,
cIↄIↄcxxv.

*Illuſtris tui nominis cultor,*

G. J. VOSSIUS.

## LXXXII.

*Viro Clariſſimo*

# Gerardo Voſſio.

*Adventum in Daniam felicem, Regis & Procerum regni ſingularem erga ſe benevolentiam deprædicat; jamque ſibi deſtinatum Canonicatum eſſe, cum gaudio refert.*

NOn dubito, Vir Clariſſime, quin literas à me deſideres; Ego verò & dare eas ad te volui; verùm tempus mihi expectandum erat, dum ad locum deſtinatum pervenirem, & res meas ordinarem. Primùm itaque Otſoniam veni, fœliciſſime, Deo gratias, ad Oligerum Roſæcranzium; Virum ut Nobilitatis antiquiſſimæ, ſic virtutibus longè maximis exornatum, & inprimis mihi addictum. Is me menſem totum tenuit, benigniſſimeque habuit; nec dimiſit niſi donis oneratum. Inde Soram me recepi, eoque veni ad diem xxiv. Junii Gregoriani, cum ſuppellex mea omnis pridie adducta eſſet. Deo meo gratias ago, qui in univerſo itinere tam benigne mihi adfuit. Locus multo eſt amœniſſimus; ſylvâ, lacu & ſegetibus undique cinctus: itaque ambulationes præbet jucundiſſimas. Certe nullum domicilium Nobilitati regni ſui inſtituendæ convenientius, gratiuſque Rex eligere potuiſſet. Poſtridie quam adveniſſem, Duces Fridericus & Ulricus, Regis filii, qui hic ſtudiorum cauſa commorantur, ad prandium me invitârunt; & eundem item honorem ex eo tempore ſæpe mihi habuerunt. Quin & princeps poſtero die Fridericiburgo adveniens, ad menſam adhibuit, & colloquium; idque etiam hodie fecit, Anderſchoviâ huc excurrens, ut cum fratribus pranderet. Adfuit mihi ante pau-

eos aliquot dies ejus Concionator Aulicus, narravitque ipſum perquam honorificè de me locutum, cum hinc primum à colloquio noſtro primo rediiſſet; & amari me aliquo modo, inde certè conjecturam facere non incertam licet, quod cum iterum huc venerit iterum ad menſam ſuam & colloquium, adhibere me voluerit. Retulit quoque is, quem dixi, Concionator, ipſum Regem, antequam ad caſtra abiret, aliquoties verba de me habuiſſe, quæ inſignem benevolentiam teſtarentur. Et præterea, ſupra ſtipendium, deſtinatum mihi etiam Canonicatum, quem vacare primum acciderit. Item à Proceribus Regni, penes quos, abſente Rege, ſumma rerum eſt poteſtas, magna benevolentiæ ſigna accepi; ita ut pœnitere non debeat, quod novercam tam iniquam, neque mei quicquam amantem, cum benigna adeò matre commutaverim. Quis ſit rerum tuarum ſtatus, quid vocatione Anglica factum, aut futurum, & an recuſaveris illam, aut acceperis, ſcire aveo; &, ſi manes, quidnam tibi ad ſtipendium prius acceſſerit: tum, qui Vorſtio, Erpenio, mihi, ſubſtituti, & ſi quid in Academia novi acciderit. Vale, Vir amiciſſime, cum omnibus tuis. Uxor mea te tuamque ſalutat plurimum.

Dabam Soræ, ad diem xv. Julii Juliani cIↄ Iↄ c xxv. Salutant plurimum Domini Jacchæus, Snellius & Vorſtius.

*Tuus ex animo,*

*quem noſti,*

JOH. MEURSIUS.

LXXXIII.

## Gerardus Voſſius, Jo. Meurſio,

Viro Clariſſimo, S. P.

*Gratulatur collatam in Dania dignitatem. Quæ poſt ejus abitum in Academia Lugdunenſi contigerint recenſet; Golium Arabicæ linguæ amore iter in Syriam adornare indicat.*

DUplex nomine gaudeo, maxime vir atque amice eximie, primum quod ut florentiſſimum Daniæ Regnum majori luce veſties atque eruditionem Nobiliſſimæ Juventutis augebis, ita futurum video, ut ipſe etiam majora & honoris, & emolumentorum, capias incrementa. Deinde autem illud plurimum me recreat ac reficit, quod, ſi bene animum tuum novi, quanto magis in pretio eris, tanto magis amare ſtudia literarum, deque hoc ſeculo & poſteritate inſimul, præclare perges mereri. Unum illud doleo quod à te tanto, & viro, & amico, tam longe ſeparer intervallo. Sed nunquam tam mei fuero ſtudioſus atque amans, ut non gloriæ, ac commodis tuis, ut tuis vero? imo Reip. Literariæ longiſſime poſthabeam utilitatem, licet multo maximam quam ex ſuaviſſima converſatione tuâ capiebam. Quod ad rerum mearum ſtatum attinet, magna quidem mei expectatio apud Sereniſſimum Angliæ Regem, & Regni proceres, concitata erat; ut his diebus ex nobilibus Britannis intellexi: ſed non multo poſt abitum tuum, uxor in graviſſimum iterum incidit morbum: qui tres pene menſes duravit; Ac ne nunc quidem corpore eſt ſatis firmo. Ea res efficit, ut mihi divinitus compedes injectas arbitrarer: plane enim vitæ ejus metuebam: nec ut viduus eò me conferrem ex re fuiſſet mea aut meorum. Præſertim cum rei familiaris parum ſim intelligens quemadmodum noſti. Nec propterea hilo per abitum tuum auctior ſum niſi quod Ampliſſ. Acad. hujus Curatores, à me petierunt ut, ne penitus jaceret ſtudium Linguæ Græcæ, diebus Mercurii ac Sabbati extra ordinem illud horam unam profiteri vellem: uti à me ſerio fit; ſed ſtipendio plane incerto. Propterea auctores nonnulli fuerunt, ut ne ea conditione provinciam ſuſciperem; ſed noſti, quàm ſoleam πᾶσιν εὐμεταφόρητος, ac tanto minus id Curatoribus denegandum putavi quod benevolentia mei ductos, utcumque cauſam non ſatis perſpicerem hoc conſilii cepiſſe eos arbitrater. In opere meo de Hiſtoricis Latinis jam ad Juſtiniani tempora perveni. Video fore, ut non multo ante natalem Domini abſolvatur. Uſque adeo lentæ ſunt operæ. Superiori hebdomade in ſenatu Academico Rector Magnificus, Polyander, Sualemburgius & ego homullus, miſſi fuimus Hagam ad Illuſtriſſimum Principem Henricum quo ei gratularemur novam dignitatem, atque Academiæ noſtræ ſtatum eidem commendaremus. Reſpondit humaniſſime, etſi valde infirmus, uſque adeo ut eo die neminem præter nos admiſerit. Pridiè miſere fuere conflictatus cum morbo colico, quem eſu mororum, melonum, fungorumque contraxiſſe ferebatur: At talium tragematum τῶν ὀψιλαί-των γένος, potius ſanè quàm per ea male ſit optimo Principi, cui vel de meis Deus annos ſuperaddat. Sane improborum aliquod gaudium tum erat, ſed bene eſt quod nunc valetudini reſtitutus videtur. Golius Arabice docet. Sed popoſcit à Curatoribus ut ſibi poteſtas daretur cum Wetſio deſignato Conſuli Aleppenſi in Syriam ſuis ſumptibus proficiſcendi, atque impetravit. Poſt trimeſtre aut circiter ſe itineri accinget. Quæres quis Deus hanc illi mentem inſpirârit. Nempe non alio compellitur quam quod multa adeo in Arabica Lingua ſuperſint, quæ nec illi nec cuiquam in Orbe Chriſtiano cognita ſint. Quæcumque Arabica Lexica ſuppetunt, mutila videntur. Quid dico, videntur? Imo ſi de iis quidem loquamur quæ ſcripta ſunt ab hominibus Chriſtianis, deſunt verba pene infinita. Ita qui interpretari quid velit, ſæpe ad fallaces conjecturas recurrere cogatur. Ea autem quæ Lingua ſua Arabes condiderunt, multo quidem ſunt perfectiora; ſed quia gentis ſuæ hominibus ſcripſere, ita breviter ſuccinctèque cuncta interpretantur ut à Chriſtianis hominibus non intelligantur. Præſertim ubi ritus Arabum attinguntur noſtris ignoti, aut ubi ad Poëtarum Arabum loca alluditur quos iidem ſæpe ne per transſennam quidem videre. Sperat itaque Golius noſter ſi annum unum Damaſci & vicinis locis, cum doctiſſimis Arabum atque aliarum Aſiæ gentium colloqui familiarius detur, poſſe ſe plus uno proficere die quam vicenis, ſi ſuo omnia labore hic ruſpetur. Certe Juvenis eſt præclarus magnumque aliquando virum dabit, ſi Deus ei valetudinem & vitam, quod ex animo voveo, cum Bataviæ, tum præcipue ſtudiorum cauſa. Multa enim ex Arabum monumentis erui poſſunt, quæ à noſtris ſciantur, juxta ac ab ignariſſimis. Schrevelius quo hactenus Haga medico uſa fuit, honore eo à Curatoribus auctus eſt ut inter Profeſſores Medicos familiam duceret. Et jam Orationem habuit inauguralem. Sed de principe loco ſponte maluit cedere affini ſuo Heurnio qui tot annos, jam Medicinam in Academia hac fuerit profeſſus. Hac tamen conditione loci gratiam fecit, ut ne affinis primarii medici titulum ſibi arrogaret. Spero eam rem aliquid ponderis habituram ad concordiam. Sanè modeſtiam prudentiamque Schrevelii hac parte omnes commendant. Multorum ſententia erat ut Schrevelio etiam Botanica functio mandaretur. Et maluiſſet ipſe atque etiam amici ejus, cum ob alia, tum horti Academici amœnitatem. Sed Vorſtius noſter in ea opinione erat, fore eam rem ſibi ignominiæ, ſi cedere illa domo nunc ipſa mater familiaque cogerentur, ubi hactenus ὁ μακαρίτης Vorſtius egiſſet. Utcumque hoc eſt, amicus ille noſter Vorſtius Curatoribus perſuaſit adjuvante imprimis Cunæo. Itaque & ordinarius is Medicinæ nunc Profeſſor eſt, & idem Doctor Botanicus: quæ felicitas neſcio an cuiquam ea ætate in Acad. hac contigerit. Schrevelio cum in totum Parenti Vorſtii ſuccedere non poſſet, loco Botanicæ profeſſionis trecenti vel amplius floreni annui decreti ſunt. Ampliſſimus Rutgerſius menſes multos lecto affixus fuit: deque valetudine ejus prope conclamatum eſſe Schrevelius Medicus judicabat. Sed heſterna die cognovi ex Heinſio, Valentium medicum Delphenſem, pro certo habere, laborare eum ſcheloturbe: ac ſe eum intra octiduum vel præterpropter valetudini reſtituere poſſe. Quod Deus



faxit.

faxit. Sin, quod Deus avertat, naturæ conceſſerit, ſedulo apud Sereniſſimum Regem opera dabitur ut in locum ejus Heinſius poſſit ſuccedere. Et multi fore arbitrantur, ut compos ejus voti fiat. Nec tamen in Bataviæ proceribus deſunt, qui ſuorum alicui decus hoc conferri præoptent, atque etiam in hoc ſint elaboraturi. Vides mi amice, hominum certamina. Nos vero interim dulcia Muſarum ſtudia colamus, atque amore potius inter nos, imo & cum aliis benè merendo de bonis literis certemus. Heſterno die à Schrevelio Gymnaſiarcha, vocatus fui ad nuptiale convivium (mercatori cuidam Harlemenſi filiarum ejus una nupſit) ei intererant præter alios, Cunæus & Barlæus, qui impenſe poſtularunt ut ſuo te nomine ſalutarem. Uxor quoque mea plurima te ſalute impertit. Utriuſque etiam noſtri nomine multam ſalutem dicito lectiſſimæ atque optimæ uxori tuæ.

Lugd. Bat. clↄ Iↄ c xxv.
Kal. Octob.

Ὁ σὸς Ἀλαντινος.

## LXXXIV.

*Epiſtola familiaris, quâ in dies majoribus ſe affici honoribus in Dania, magnoque cum applauſu publice docere, ſignificat.*

LIteras tuas, Vir clariſſime, & amicorum præſtantiſſime, prolixas illas, & affectum mihi tuum referentes, rectè accepi. De uxoris tuæ morbo, quem hæ nuntiant, ex animo doleo; verum iſtud recreavit, quod jam iterum meliuſculè haberet; ſpero, jam convaluiſſe. Ita opto, & Deum precor. Ego, cum uxore, ac liberis & familia univerſa, rectè valeo, per benigni Dei gratiam: quem ſupplex veneror, ut hoc mihi beneficium diuturnum eſſe velit. Quod nuperis meis indicaveram, nunc tibi affirmare habeo; ſummam me humanitatem, & in me benignitatem, in hac parte experiri, apud ſummos, infimoſque & medioxumos. Quin & nuper Duces illuſtriſſimi me inviſere in ædibus meis ſunt dignati. Ipſe Princeps ſereniſſimus, ut affirmant, qui ſunt intimæ apud illum admiſſionis, ſumma me benevolentia eſt complexus, & affectus certè clarum eſſe teſtimonium puto, quod hactenus hìc nunquam venerit, quin ad menſam advocaret. Et poſtremum cùm hìc eſſet, intereſſe etiam Lectioni voluit: Miſſo quodam è Nobilibus, ſemihora ante eum, qui hoc ipſum decreviſſe nuntiaret. Non poſſum ſatis magnas gratias agere Deo, cujus ego manifeſtam benedictionem agnoſco: quâ ut me quam diutiſſimè frui velit, in nominis ſui ſanctiſſimi timore, preces continenter fundo. Quod Profeſſionem meam in dies extraordinarios tibi demandatam ſcribis, quo conſilio illud fiat, equidem non poſſum capere, neque te ſic accepturum exiſtimâram; potius profeſſionem iſtam totam, cum ſtipendio quoque toto, aut certè dimidiato, in te transferendam eſſe. Sed eventum expectabo; de quo ut me aliquando certiorem facere velis, etiam te atque etiam rogo. De Schrevelio, in locum Vorſtii τοῦ μακαρίτου ſubſtituto, libens ſane intellexi: & imprimis de modeſtia tam inſigni, quam non poſſum ſat laudare. Gratulor ipſi, ut & Academiæ noſtræ. Etiam communi amico, Adolpho Vorſtio: & profecto eſt, ut ſcribis; nemini felicitas iſta, eâ ætate, in hac noſtrâ Academia unquam obtigit. Sed meretur virtus viri, & doctrina: ac favemus illi ex animo; ut meriti cauſa, ſic & amicitiæ noſtræ tum memoriæ parentis tribuendum aliquid fuit, quem fuiſſe non exiguum Academiæ ornamentum, nemo temere inficias ibit. Quæ de Golio; laudo Juvenis præſtantiſſimi generoſum inſtitutum; & profectò, modo etiam Deus illi largiatur, Virum patriæ aliquando magnum dabit. De Rutgerſii verò morbo, triſtis audio; verùm illud me ſolatur, quod non deſperare medicum item nunties: imo fore, ut non difficulter illi valetudo reſtituatur. Hoc ex animo ipſi precor: patriæque & amicorum, multum intereſſe puto, ut præclarum adeo ingenium diurnare Deus velit. In hoc deſino; & ſalvere te, cum tua, liberiſque, ex animo jubeo. Idem uxor mea facit. Salutem quoque plurimam nuntio viris clariſſimis & amiciſſimis, Petro Cunæo, Theobaldo Schrevelio, Gilberto Jachæo, Caſpari Barlæo, Theodoro Schrevelio, & Guilielmo Noomſio veſtro; cujus indolem tam præclaram, ac ad ſtudia honeſtiſſima literarum humaniorum magno niſu aſſurgentem certè exoſculor.

Scribebam raptim Soræ, ad diem VII. Decembris Juliani clↄ Iↄ c xxv.

*Tuus, quam noſti,*

JOH. MEURSIUS.

## LXXXV.

*Epiſtola familiaris.*

CUm hic noſter ad vos iret, virorum amiciſſime, & amicorum præſtantiſſime, committendum non putavi, quin te tribus ſaltem verbis ſalutarem. Quanquam autem hyeme ſuperiore ad te ſcripſerim, & reſponſi necdum quicquam ad has acceperim! tamen meus in te amor, quem perſpectum ſatis habes, non permiſit, ut exemplo tuo uterer. Itaque per hunc reſcribe, quis ſit rerum tuarum ſtatus, & quid publici literarum boni cauſa moliaris, quidve edas. Tum de Academia quoque, ejuſque in præſens conditione, ſcire aveo; an Collegæ omnes vivant valeantque. Ego nihil hactenus mearum lucubrationum vulgare potui, quia Typographo caremus: quem deinceps tamen habituri ſumus. Ordiar autem à Solone, cujus vitam hic contexui; ut Piſiſtrati, cum apud vos commorarer. Inquies forte, poſt Plutarchum & Diogenem? Ita certè; nam non pauca poſt utrumque obſervavi, & nonnulla accuratiùs inquiſivi; ita ut confidere auſim, non te operam damnaturum. Scripſi nuper etiam ad communem amicum, Adolphum Vorſtium: Saluta virum meis verbis peramanter, & reſponſum item pete. Saluta etiam, niſi grave eſt, Dominum Rivetum, cujus literas, cùm humanitatis plenas, tum affectus, rectè accepi; & gratias ago, quod reſcribere tam benigne nobis voluerit. Experietur meam in amore, & cultu, conſtantiam. De Clemencello, quod rogaverat, inquiſivi; ſed reſciſcere nihil potui. Denique tu quoque ſalve, amice longè præſtantiſſime, à me meaque, cum lectiſſima matrona, uxore tua, item liberis.

Scribebam raptim Soræ, ad diem XI. Julii Juliani clↄ Iↄ c xxvi.

*Tuus ex animo,*

*fide optimâ,*

JOH. MEURSIUS.

## LXXXVI.

# Joanni Meurſio.

*Epiſtola familiaris, qua ei ſtatum Academia reique literaria ac alia qua poſt abitum ejus contigere refert.*

*Clariſſime Vir atque amiciſſime,*

ETſi aliter fieri non poſſit, quin permoleſtum ſit, quod carere te cogar, tamen facilius abſentiam tui ferrem, niſi mortes quorundam, quos valde amavi, non mediocriter augerent deſiderium tui. De conſanguineis & affinibus, quos hoc ſeſquianno amiſi, nihil nunc dicam. Ecce ſuperiori hebdomade ereptus Academiæ noſtræ, egregium ejus lumen, Willebrordus Snellius, Vir utriuſque noſtri amantiſſimus, dum fata Deuſque ſinebant. Parentavit ei ex ordine noſtro Gil. Jachæus. Ab Golio jam ante hebdomades

com-

complures Literæ in Bataviam perlatæ, ex quibus ſalvum in Syriam adveniſſe cognoſcimus. Intra octo menſes, aut circiter, redibit ad Profeſſ. Arabicam & penè eſt ut ſuſpicer modo ſoſpes in patriam pertingat, etiam Hebraicæ L. profeſſorem fore. Nam hanc ei profeſſionem à DD. Curatoribus deſtinatam eſſe ex eo conjecto, quod hactenus nullus eſt conſtitutus. Nec veriſimile eſt, Golium poſt tam longinqui itineris moleſtias linguarum Orientalium cauſa ſuſceptas, puſillo unius Profeſſionis Arabicæ ſtipendio contentum fore. Dedelius inter ordinarios Jur. Profeſſ. nunc agit. Corrector Doreſlaer affectat profeſſionem Poëſeos in hac Academia: quid futurum ſit, melius ſciemus proximo conventu DD. Curatorum Academiæ. Qui nunc ſunt exlegatus Arſenius, Præſes Curiæ Cromhoutius & Syndicus Pavius. Vorſtius uxorem duxit filiam D. van der Meulen magnificis ædibus è regione aulæ hic habitantibus. Semel iterumque Literas accepi à Jano Grutero, quibus petit, ut plurimam tibi ſalutem dicam ſuo nomine. Video ei necdum conſtare de deceſſu tuo. Gener ejus Brettæ dejectus eſt de munere, quod Romanæ Eccl. nomen dare noller. Itaque pene animus ei Groeningam ſe conferre, ubi amicos habet & äër non diſplicet. Fervet prælum notis Heinſianis in Nonnum. Theologi Acad. noſtræ edidere opus adverſus confeſſionem Remonſt. uti & Walæus (qui etiamnum Rector eſt Magnificus) volumen quoddam emiſit adverſus Joannem Arnoldi Corvinum. Rivetus Genevæ Criticum ſuum ſacrum recudi curavit. Aliquanto is auctior eſt editione prima. Burgerſdicius edidit Inſtitutiones Logicas quæ non diſplicent. Prodiit apud nos Theo, & Aphthonius. Utriuſque tralationem Heinſius recenſuit & interpolavit. Utinam hic fuiſſes qui nobis Græcum textum meliorem dare potuiſſes ex opt. codice, de quo aliquando te mihi quædam referre memini. Sed nihil impedit quo minus, tum editionem nobis aliam procures. Quod impenſe velim. Nec minus deſidero alia ingenii & eximia tuæ eruditionis monumenta quæ hic habebas, partim confecta, partim affecta. Omnino & literarum & literatorum intereſt ut tam præclaræ obſervationes tuæ, quas fruſtra ab alio quopiam exſpectemus, quamprimum videant lucem. Scio tamen te neutiquam otiari, ſed ſerio elaborare in Hiſtoriâ Danicâ, eoque impenſius opto ut Academiæ veſtræ brevi ab Typographo proſpici poſſit, ne cum tum extra omnem ſis culpam depoſuiſſe videaris Reip. Literariæ & poſteritatis amorem. Hoc ne Deus ſinat, quod tantopere inimici tui optent. Opus meum de Hiſtoricis Latinis ad menſes aliquot intermittere ſum coactus, propterea quod auctoritate Illuſtr. DD. Ordinum commiſſum mihi fuit, ut novam adornarem Grammaticam Latinam & Græcam, ſed ita ut in illa Lithocomi, & in hac Clenardi imprimis præceptis atque exemplis inſiſteretur. Videbam eſſe inglorium laborem & difficilem ſatis. Detrectare tamen nolui amore ſcholarum. Gaudeo intra quatriduum me operam eam ad finem perducere poſſe. Quod ubi erit, quæ in Hiſtoricis Latinis ſuperſunt pertexam. Plurimam ſalutem dicito lectiſſimæ conjugi nomine meo. Uxor etiam mea utrique veſtrum ſalutem aſcribi juſſit. Vale.

Non. Novemb. cIↃ IↃ c xxvi.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

---

## LXXXVII.

*Ejuſdem cum Epiſt. LXXVII. argumenti.*

*Doctiſſime Clariſſimeque Vir*,

MUtato tempore mutantur plerunque animi: reviſo igitur, ſi quid animi tibi reſtet in Angliam te recipiendi: Locum noſti (Cantabrigiam) viris unde-quaque doctiſſimis humaniſſimiſque refertum. Munus erit illuſtre, Hiſtoriarum & Civilis Scientiæ profeſſio. Labor, trium aut duarum ſingulis ſeptimanis prælectionum in Scholis publicis, tribus tantum anni temporibus (quos Terminos vocant) pro more Academiæ Scholaſticæ eruditioni deſtinatis: Feriis enim & vacationibus (quæ dimidiam anni partem excedunt) nihil publicè ab Academicis, aut ab illuſtriſſimo hujus Cathedræ fundatore D. Brookio exigetur; ita ut illud (quicquid erit) temporis pro arbitrio tuo, meditando, ſcribendo, edendo aliquid, aut rem familiarem curando, totum poteris impendere. Salarium (ſuis temporibus certiſſimè numerandum) erit quadringentorum aureorum annuatim. Quibus recenſere poſſum & alios (qui fortaſſe occurrent) compendii modos, quibus etiam tuis, & tuorum commodis opportunè conſulere poſſis. Etenim non potes neſcire, frequentes eſſe in Anglia ex donatione Regis, Epiſcoporum, aliorumque Præbendas, Canonicatus, & dignitates Eccleſiaſticas (at omni animarum curâ vacuas) quibus exteri juxta ac noſtrates, de Republica literariâ, & Eccleſia bene meriti honorantur. Sed non urgeo, peto tantum ſi conditio (quæ priùs à me oblata, placuiſſe viſa eſt) tibi adhuc arrideat atque pedem apud nos figere in animo habeas, ut cum primis me certiſſimum facias per literas: quas D. Dudleio Carletono (utriuſque noſtrûm amiciſſimo) ad me mittendas cures. Et etiam quod vehementer à te rogo, ut Theſium tuarum Theologicarum (quæ impreſſæ apud vos publicè habentur) copiam mihi facies: rarius enim apud nos inveniuntur: Siquid autem in his partibus velis, mihi mandes,

Dab. Weſtmonaſt. 1. Aug. 1626.

*Tui amantiſſimo*,

Boswell.

---

## LXXXVIII.

## Guilielmo Boſwello.

*De recuſato Profeſſoris in Academia Cantabrigienſi munere ſe excuſat, favorem ejus & illuſtr. Baronis poſthac etiam ambiens.*

*Clariſſime Doctiſſimeque Boſwelle*,

VAlde mihi gratulor de conſtantia amoris erga me tui: ac tantò id facio impenſius, quanto minus in me, quo id merear, reperio. Equidem magna cum voluptate rumino ſubinde hanc felicitatem meam: & tacitus mecum cogito, ecquando victurus ſim diem illum, quo coram gratias agere poſſim, tum Illuſtriſſimo Baroni Brookio: tum etiam tibi, aliiſque amantibus mei. At enim dixeris, ut id quamprimum fiat, in manu eſſe mea: hoc enim ex literis me tuis non obſcurè perſpicere potuiſſe. Non diffiteor: attamen non levia obſtant, quo minus hac parte morem animo geram veſtro, imò & meo. Quod ut veriſſimè à me dici videas, non abs re erit, ſi altiuſculè rem ordiar. Jam pluſquam ſeptennium eſt, quod in Procerum & Eccleſiaſtarum diſſenſu, me quoque, qui ab omni diſſidio animum geſſeram alieniſſimum, incendium calamitoſi temporis afflavit, ac penè ambuſſit. Mirabar & mirabantur juxta mecum alii. Interim patienter non perferebam, quia non mihi conſcius eſſem modò, quantopere Reip. & Eccleſiæ paci ſtuduiſſem: ſed idem mecum agnoſcerent, quoſcunque non nimis abriperet affectus. Paulatim deſæviebat tempeſtas, meaque indies innocentia teſtatior fiebat. Itaque numinis benignitate, Curatorum Academiæ auctoritate, aliorumque virorum præſtantium operâ factum eſt, ut qui ſtipendii quidem parte bona fruerer, à docendo tamen abſtinerem: is Eloquentiæ & Hiſtoriarum inſimul in Academia hac doctor publicus & ordinarius conſtituerer. Quæ res & emolumenti nonnihil ſecum ferebat. Anno, aut circiter pòſt, commiſſa eſt mihi provincia conſignandi ea, quæ ad veteris Eccleſiæ tempora pertinerent. Paucis poſt menſibus felicitas ea obtigit mihi,

ut in Cantabrigienſem Academiam vocarer. Sed detinuit partim graviſſimus uxoris morbus, partim voluntas Curatorum, qui prolixè optima ſpondebant. Exinde abeunte in Daniam clariſſimo Collega meo, Joanne Meurſio, demandata etiam mihi eſt Profeſſio linguæ Græcæ. His auctior priſtinam mihi ſeu fortunam, ſeu dignitatem, videor recuperaſſe. Nec ignoro, quantacunque hæc ſint, tamen Anglicanam vocationem plus habere ſplendoris; idque partim ob antiquitatem & claritatem Academiæ in nobiliſſimo Angliæ regno conſtitutæ: partim quia magnum eſt verſari in luce doctiſſimorum hominum, quorum ea eſt Angliæ copia, ut nulla ei tellus hac parte poſſit comparari: partim quoque, quia profectò non levis eſt gloria, primum alicujus cathedræ, ac potiſſimùm talis, Profeſſorem fuiſſe deſignatum. Equidem magna eſſe hæc ſingula confiteor. Attamen ut omnia ſuo momento ponderemus, illud quoque in rationem venire debet, quod hic mihi non male ſit: imo ſtipendio hic majori fruar (præſertim ſi commoda quædam accenſeam) quam apud vos mihi offerantur. Fateor carior apud nos annona. Sed nimium quantum excedit, quod hic percipio, ut illoc facile compenſetur, quod minori apud vos pretio omnia veneant. At illud fateor magnum, quod frequentes in Angliâ ſint ex donatione Regis, Epiſcoporum aliorumque præbendæ, canonicatus, dignitates Eccleſiaſticæ, quæ mihi, licet extero, ac poſtmodò etiam liberis paterent. Verum cùm memet conſidero, non leviter mihi diſpliceo: planeque metuo, ne ego homullus tantorum virorum expectationi ſatisfaciam: atque ita, nullà mei amantium culpâ, ſed ſolo defectu mei, vel etiam amicorum illorum obitu luculentæ illæ ſpes evaneſcant. Eoque poſtmodò, cum cane Æſopico, jure à noſtratibus ridear. Nec deſunt, qui hæc uxoris auribus ſæpe inſuſurrent, ſive id ſincerè faciant, ſive ut per eam facilius me detineant. Cogitare etiam me jubent, mortalem me eſſe, & fieri poſſe, ut non multo poſtquàm in Angliam pedem poſuerim, mortem oppetam; illa autem ſolam ſe, cum octonis liberis, pleriſque etiamnum parvulis, reperiat domi in ſolo eo, cujus necdum linguam didicerit. Hæc, ſi non ſufficiant, cogitare etiam uxorem jubent, an quæ adhuc lienis & jecoris malis obnoxia eſt, par futura ſit moleſtiis itineris: an expedire ſibi valetudinariæ putet mutationem aëris: & alia, quædam profectò minuta, & non aliunde profecta, quàm quod bonitatem, & ſoli, & incolarum Angliæ vel ignorent, vel retinendi mei cauſa diſſimulent. Interim tamen nonnulla ex his, & imprimis quæ ſuperius commemoravi, tanti ſunt, ut animum diſtrahant, diverſoſque in me cieant affectus, nunc eundi, nunc remanendi: nec multò aliter affecta uxor, nequid diſſimulem. Sed ſi vel ſexennium animus in dubio foret, annos, ut ſcis, totidem hic hæreretur. Proinde, ità planè ſtatuo, Illuſtriſſimo D. Baroni Brookio de altero omnino cogitandum eſſe, atque id, niſi aliter ei videatur, quamprimum. Serâ illud ætate ſi fiat, non fraudabitur quidem vel benefactorum mercede in cœlis: vel gratâ memoriâ poſteritatis; verum nihil prohibet, quominus ſuperſtes etiamnum diutiſſimè fruatur gloriâ honoreque Cathedræ à ſe in illuſtri adeò Academia erectæ; quæ, ut cum poëta dicam,

*Caneſcat ſeclis innumerabilibus.*

Sed quid ego hæc ad te, cum melius, quid ex re ſua ſit, ipſe pervideat Illuſtriſſimus Baro? Quare loquacitati ignoſces. Interim, quantas poſſum, gratias ago Illuſtriſſimo D. Baroni; cujus ego beneficio ita me obſtrictum cenſeo, ut ſi ille ingratus dici debeat, qui cum omnia alterius cauſa velit, dignas tamen gratias referre non poſſit, omnino moriturus ſum ingratiſſimus. Tibi quoque doctiſſime & amiciſſime D. Boſwelle, ago gratias pro hoc erga me affectu. Equidem me magnopere video devinctum nomini tuo: quod ego ob præclara merita tua, & linguâ, & calamo prædicare non deſinam. Sanè jam amoris mei publica indicia prodiiſſent, niſi ab excudendis aliquot ingenii mei monumentis ſextum jam menſem operæ Typographicæ ceſſarent. Cujus rei cauſa eſt, quòd nonnullis Academiæ noſtræ Profeſſoribus publicâ auctoritate illuſtrium D. D. Ordinum demandatum ſit, ut partim conſcribant, partim corrigant libros eos, qui deinceps per omnes Hollandiæ Scholas puerinæ prælegerentur. Ea in re non minimam ego moleſtiam cogor devorare. Sed bene eſt, quòd diuturnus admodum hic labor poſthac eſſe non poſſit. Nam euſque jam perductus, ut intra tres hebdomadas perfici poſſit. Quibus exactis, redire poſtliminio licebit ad jucundiorem mihi, & doctis gratiorem operam de Hiſtoricis Latinis: cujus voluminis (ſane operoſi admodum, & in quo plurima ſint aliis indicta, partim ad Philologos, partim ad Eccleſiaſticos Scriptores pertinentia) jam multò maxima pars excuſa eſt, ac quod reſiduum eſt, intra bimeſtre ſpatium ad umbilicum poterit perduci. Hoc opus alia atque alia, partim literas ſacras, partim externas ſpectantia conſequentur, modò mihi Deus vitam, & valetudinem conceſſerit. Nec enim ceſſare animus eſt. Nihil quippe meum puto; præter tempus divinitus conceſſum, & quæ cudo ingenii monumenta. Itaque in hoc potiſſimùm adlaboro, ut ne ſupremo judici rationem temporis reddere cogar. Atque inſimul docendo juventutem, & aliqua literis mandando, quæ profutura noſtris hominibus & poſteris videantur, opes mihi congrego, non illas (etſi eas non penitus aſpernor) quæ me defuncto alium atque alium dominum conſequentur; ſed quæ, ut Plinius ajebat, ubi ſemel noſtræ eſſe cœperint, nunquam deſinant eſſe noſtræ. Interea, quæ lucem propediem videbunt, erunt quoque Theſes meæ Theologicæ, quarum ad te exemplar tranſmitti petis. Nec enim ulla hic amplius exemplaria proſtant, quia pauca admodum excuſa fuere, & quamprimum per juventutem diſperſa. Itaque jam apud nos multorum manibus deſcribuntur, imò & apud exteros. Hæc res facit, ut neceſſe ſit de nova editione cogitare. Præſertim cum hæc non Typographi ſolùm, ſed & multi præſtantes Theologi requirant. Mitto poſtremum exemplar quod habeo: Sed quo carere tamen poſſim, partim quia filius aliud habet: partim quia ſex ſeptemve alii ſunt in urbe noſtra, à quibus petere poſſim, ubi de recudendo cogitabitur. Video nimis excreſcere Epiſtolam. Quare manum tandem de tabula tollo. Salve præſtantiſſime Boſwelle, & nomen noſtrum porro ama, atque auge etiam in Anglia tua, imprimis illuſtriſſimum apud Baronem Brookium, cui ut ſalutem plurimam meo nomine dicas, etiam atque etiam rogo. Adderem & alios quoſdam clariſſimi nominis viros, niſi vererer, ne moleſtus tibi eſſem.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄcxxvi. Nonis Sept.

*Tuæ dignitati devinctiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## LXXXIX.

### Exemplum literarum GULIELMI BOSWELLI ad DUDLEIUM CARLETONUM ex Anglico in Latinum verſatum.

*Urget negotium vocationis Voſſianæ ad Academiam Cantabrigienſem.*

SI rectè memini tunc cum poſtremùm nobis ſermo eſſet, de D. Voſſio, viſus mihi es hac in ſententia eſſe, utcunque eo tempore nec animus nec occaſio ei eſſet conditionis in Academiâ Cantabrigienſi oblatæ accipiendæ, tamen, ſi ad ſextum aut octavum menſem vacaret, fieri tamen poſſe eò ut inclinaret. Hactenus vacua eſt ea Profeſſio, idque meâ operâ, tantumque ipſe mihi ſumpſi libertatis (non tamen ſine occulto mandato Illuſt. Baronis Brooke) ut iterùm invitandum eò cenſeam, id quod tu ex literis ad eum meis perſpicere potes, quas apertas ad te miſſas, ubi legeris, obſignare poteris, & ſtatim mittere, urgereque pri-

primo quoque tempore ut reſcribatur: quòd ſi ille conditionem abnuet (id quod ego haud facerem iſthic ſi eſſem) alteri proſpiciatur. Neque enim deſunt multi, iique docti competitores, qui ambiant. Præter centum viginti libras Sterlinenſes quas illi annuas promitto ſine fraude ſolvendas; præter ſumptuum aliquod (quod in me recipio) tranſvehendo ipſi, conjugi, liberis, ſupellectili, innui apud eum rationes, quibus ipſi liberiſque in melius proſpiciatur. Quàm benè Caſauboni ac Molinæi liberis, aliorumque multorum proſpectum ſit exiguo tempore, tu mecum juxta noſti, nec ille ignorare poteſt. Et quod meo nomine rogatum te cupiam & illum, nimirum ut mittantur ad me omnes ejus Theſes Theologicæ (quæ quidem excuſæ ſint) compactæ aut ſolutæ. Magnam autem à me inibis gratiam ſi primo quoque tempore mittes. Ego verò libenter vel pretium diſſolvam, & quod portorii nomine impendetur, vel alios ad te mittam libros majore pecuniá emptos, &c.

## XC.

## Davidi de Willem.

### S. P.

*Gratias agit pro epiſtolis Themiſtoclis dono ſibi miſſis. Iter Danicum propediem aggrediendum felix fauſtumque precatur.*

VIx dicere poſſum, quam ægre mihi ſit, quòd ille ego, qui claudi inſtar ſutoris domi fere conſideo, meque in bibliothecam abdo, tum potiſſimum ab urbe abfuerim, cum tu, vir præſtantiſſime, ac una amiciſſimus Golius ad me ſalutandum domum meam veniſſetis. Jamdiu enim eſt, quod te aveo videre & amicitiam tecum contesſerare. Addo etiam, aliqua eorum ex te diſcere, quæ tu variis in terris è ſummis viris hauſiſti, vel longâ & diuturnâ peregrinatione ipſe obſervaſti. At nunc, quod mearum erat partium, peragis, & ubi te fruſtra hic fuiſſe vides, prior etiam literis compellas, atque ejuſmodi literis, quæ comites haberent, Themiſtoclis epiſtolas, magni ſanè viri, & qui ingenium ſemper habuerit in numerato, ut de eo prodidit antiquitas. Sane gratum mihi hoc donum tuum, uti & alterius opuſculi, in quo ſuffragia Romanorum Procerum, quæ tulêre cum in Sanctorum numerum Andreas Corſinus referretur. Quid ego tibi pro iſtis rependam? ſane animum, atque affectum. Tuus enim ſum, eroque, non illa vulgari ac ſubleſta, ſed antiqua Romana, vel ſi malis Germana aut Batava fide. Gratias etiam ago quod ignorare me non ſiveris, quam benigne de monumentis noſtris ſentiant, Querengus, Aleander, Maſcardus, alii ſummi viri Romæ, atque alibi. Nec tamen ea res efficere unquam potuit, ut tantá me laude dignum putem; melius me novi: ſed ea animum addunt, ut porro etiam non peſſime de noſtris hominibus ac fortaſſe etiam poſteris mereri velim, & credo eo fine hoc ad me perſcripſiſti, ut talium judicia judiciis malignorum opponam, meque ſoler, qui exulcerato hoc tempore oneri propemodum ſuccumbam. Nihil vero mihi illis magis ridiculum videtur, qui ob laudes alienas longe ſibi majores videntur quàm ſunt, illi umbris ſimiles ſunt, hæ nunc majores, nunc minores, ſed corpuſcula noſtra manent eadem. Cum Illuſtriſſimo Legato Britannico Thoma Roe nulla mihi hactenus notitia eſt. Abſque illo eſſet, non paterer te abſque literis meis in Daniam ire, ſed ſi in Bataviam venerit, mei muneris erit, ſummum virum accedere, omnemque affectum teſtari coram, uti hactenus in aliis à me factum, qui huc miſſi ab Illuſtriſſimo Rege Carolo, præclare adeo de me merito, nec me ſolum, ſed etiam meis: ſupereſt non aliud, quam ut te, longe adeo iterum euntem à nobis, votis meis proſequar. Quod ſane facio & faciam; ac plane fore confido, ut propediem te ſalvum veniſſe in Daniam, intelligamus, imo ut, feliciter cunctis expeditis, brevi iterum te tuis in Belgica noſtra ſiſtas. Vale, vir præſtantiſſime, meque amare perge, uſque adeò redamantem tui.

Lugd. Bat. *Tuus,*

G. J. Vossius.

## XCI.

## Adriano Hoffero,

### S. P.

*Excuſat ſilentium ſuum. Pro Amandi Chronico gratias agit. Amicitiam conſtantem promittit.*

UTcunque me, Ampliſſime Hoffere, calamus apud te excuſet, quod non ſcripſerim; animus memet accuſet, quod multa adeo in me recipiam, ut ne illis quidem amicorum, quos jure maximi facio, præſtare ea poſſim, quæ debeo, vides ut non petam excuſationem, unde ordiri plerique ſolent; verum dicam, quod res eſt: Nempe amicitiam colam ſine pompa, eoque rarò admodum, niſi neceſſario, in hiſce occupationibus ſcribo. Aliam fuge cauſam ſuſpicari ſilentii mei. Quod tamen non tam fuiſſet diuturnum, ſi fratris tui filius ab eo tempore, quo primum vidi, vel verbo unquam me compellaſſet. Bimeſtri etiam moratum me fuit iter in Britanniam. A quo ut redii, ita undique obruebar negotiis, ut nihil minus, quam meus forem. Paulatim nunc meus eſſe incipio, & meus dum ero, tuus quoque fuero, ampliſſime vir; qui magnopere me obſtrinxiſti Amandi Chronico, & verſibus de urbis veſtræ ſitu & obſidione. Amo Amandum: amo verſus hiſtoriæ cauſa: ſed magis tu amandus mihi.

*Munere nam plus eſt, & carmine gratius ipſo*
*Officium docti, judiciumque viri:*

Ut paulum immutem verſiculos Hiſpani vatis. Nec temere id dico, quid enim jucundius mihi eſſe poſſit, quam amari à te, viro ejuſce & eruditionis & dignitatis? Quid turpius mihi quam non contendere tecum amore. Qui & inviſere me prior, literiſque compellare, eo munere etiam, ac verſibus ſuperioris ævi mihi antea inviſis, ditare volueris Bibliothecam noſtram! Quare multum tibi debeo. Semper gaviſus ſui plurimum amicitia noſtri Iſaaci Pontani: amavi etiam illius griphum ſeptenarium, tum auctoris, tum argumenti cauſâ. Sed non parum hunc in me affectum auget, quod eum tibi potiſſimum dicavit, cujus ego ſic nomini faveo, quàm qui maximè. Equidem gratulor urbi veſtræ de tali conſule & ſenatore. Cujus ſi ſimiles multos haberemus, melius his terris cum ſtudiis ageretur. Nunc metuo, ne paulatim redeamus ad barbariem, ob eorum imperitiam, qui Rempublicam capeſſunt. Sed hæc Deo curæ erunt: Cui te, mi Hoffere, commendo. Simul rogo, veniam mihi des per te ſalutandi egregiam animam Ampliſſimi Moermonti, uxoris meæ cognati, atque eo nomine cari, ſed multo carioris, quod nobiſcum Muſarum ſit cultor & Gratiarum. Quod ſi occaſio ſe offerat, ſalutem etiam dices ornatiſſimo Bellonio, & aliis eidem mecum familiæ implexis.

Lugd. Batav. *Tuus,*

G. J. Vossius.

## XCII.

*Gratias agit pro donato de Hiſtoricis Latinis volumine. De labore in Baronii Annales ſuſcipiendo ipſi applaudit. Remonſtrantes abuti Hiſtoriâ ejus Pelagianâ indignatur. Ἀντίδωρα vice mittit Davenantii in Pauli epiſtolam ad Coloſſenſes commentarios.*

*Clariſſime D. Voſſi,*

ACademia noſtra Cantabrigienſis, cum non ita pridem Literas à te acceperit, doctiſſimas ſimul & humaniſſimas, ſumma cum tuorum in ſe officiorum teſtificatione, unà cum Libro tuo nupertimè in lucem edito, de Hiſtoricis Latinis, æquum duxit, ut te eam humanitate tuâ primitùs provocantem, literis ſuis reſalutaret: quanto magis mihi hoc ipſum munus incumbit, cùm & iiſdem beneficiis me unum è multis, privatim afficere, non ſit dedignata Claritas veſtra, nam & eodem tempore tum literæ tuæ, tum liber mihi redditæ ſunt, benevolentiæ tuæ erga me ampliſſima pignora, & neceſſitudinis tecum initæ, cum olim Dordraci eſſemus, ſymbola non vulgaria, cujus etiam in literis iſtis tuis meminiſſe complacuit. Cùm autem nullum officium, teſte Cicerone, referendâ gratiâ magis neceſſarium ſit; officii ergò mei eſſe duxi, pro iſtis erga me meritis, gratias debitas referre, & habere. Quòd ſi nulla privata hæc tua erga nos merita, gratias iſtas poſtularent, eſt tamen quòd ipſe & alii ſtudioſi etiam, tibi meritas gratias, Reipub. literariæ nomine perſolvamus, ob hoc ipſum poſtremò elaboratum à te opus de Hiſtoricis Latinis, quod unum ſi non alia ſupereſſent ingenii pariter ac laboris egregia monumenta, nomen tuum poſteritati meritò conſecraret. Nemo enim literis aut Humanioribus, aut Theologicis, aut aliis etiam diſciplinis vel parùm imbutus, qui non facilè perſpicit, quanti momenti ſit Hiſtoriæ & Hiſtoricorum notitia, ad omne genus literarum accuratè & cognoſcendum, & pertractandum. Gratulantur ergò tibi meritò omnes non ſolum Hiſtoriæ, ſed & Antiquitatis ſtudioſi, ſive τοῖς ἔξωθεν, ſive rei Eccleſiaſticæ operam navent, de utroque tuo opere, tum illo de Hiſtoricis Græcis, tum hoc de Latinis. Quibus breviis operibus ſapientiſſimè tibi viam munis, ad illud majorum vigiliarum opus, in quo cum Magno illo Annalium Eccleſiaſticorum Conditore congreſſurus ſis. Hanc etenim te provinciam in te ſuſcepiſſe audio, idque non leviter innuis, in literis Academiæ noſtræ nuper datis. Opus planè & dignum, in quo lectionem tuam multiplicem, eloquentiam, linguarum peritiam, memoriam, judicium, omnes denique animi dotes & ingenii vires exercere poſſis. Spectabamus aliquando, auſpiciis & munificentiâ, Honoratiſſimi Mæcenatis, Baronis à Brook noſtratis, te hic apud nos pedem fixurum, & in hoc ſtudiorum genere excolendo, operam in hac noſtra Academia navaturum. Sed, compedes narras, tibi a tuis injectas fuiſſe. Quod ſi nobis contigiſſet, ut te Academia noſtra haberet & gremialem & profeſſorem, illud certè nobis Cantabrigientibus, longè gratiſſimum fuiſſet. Jam Doriſlaum veſtrum, in locum tibi deſtinatum ſuffecit illuſtriſſimus Baro, qui in Cornelium Tacitum nuperrimè binas lectiones in Scholis publicis habuit, iiſque ſui tum in Hiſtoricis, tum etiam in Politicis verſandis profectus, ſpecimen egregium exhibuit. Sed ad te redeo, & præfationem operi tuo nuper præmiſſam, ubi operam utiliſſimam & bonis omnibus gratiſſimam poſuiſti, in vindicanda fama D. Junii felicis memoriæ ſoceri tui, Viri præſtantiſſimi, & omni ſcientiarum genere excultiſſimi, deque ſcientiarum principe, ſacra Theologia, optimè meriti. Feciſti quod generum decuit, imò quod virum bonum, dum innocentiam tueris, dum ab injuſtis obtrectationibus virorum ſummorum, virum ſummum liberas. Præmittis in dicta præfatione te non hoſce libros eo animo divulgâſſe, quaſi in poſterum omnis operis hujus curam deponere ſtatuiſſes, ſed potius, ut poſtquam iſta jam prodierint, amicorum & judicio in commiſſis, & indicio in omiſſis, ſelius fruare. Ingenuitatem tuam amplector & veneror. Ego ſiquid forſan in poſterum obſervavero, quod opus hoc tuum, aut promoveat, aut locupletet aut in aliquibus forſan corrigat, liberè & lubenter tibi impertiam. Idque ſpero te non ægrè laturum, ſi per otium fecerimus in Hiſtoria tua Pelagiana, quam te aliquando limatiorem, & correctiorem editurum & optamus & ſperamus. Video nonnullos ex Remonſtrantibus veſtris, qui in Articulo de Originali Peccato & Gratia periculoſè admodum, ne quid gravius dicam, errant, ad tuam Hiſtoriam non rarò provocare. In quibus duobus Articulis, non leviter innuit Auguſtinus, a fidem Chriſtianam propriè conſiſtere. In iſta Hiſtoria contexenda præclarè quidem de Eccleſia meritus es; ſed optant viri apud nos tui nominis alioqui ſtudioſiſſimi, ne quid præſidii, ſuis erroribus, iſti homines ex illa Hiſtoria haberent, quod prætexant. Supereſt jam (Vir humaniſſime) ut cum Commentarios tuos de Hiſtoricis Latinis à te acceperim, ἀντίδωρον aliquod remittam, cum autem non habeo de meo quod rependam; en Commentarios ſed alterius generis, in Epiſtolam D. Pauli ad Coloſſenſes nuper hic Cantabrigiæ excuſos, ſcriptos à D. Davenantio Collega noſtro, in Synodo Dordracena, viro mihi olim dum in Academia vixit, amiciſſimo, & tibi non ignoto, jam merito ſuo evecto ad Epiſcopatum Sariſburienſem quem ſumma cum prudentia & dignitate jam adminiſtrat. Spero non ingratum tibi futurum hoc amoris noſtri pignuſculum. Hoſce commentarios publicè dictavit, cum in Academia noſtra, Profeſſoris Theologiæ D. Margaretæ cathedram occuparet. In quam ipſe ſexennio ferè abhinc, longe indignior ſuffectus ſum. Habet & ille alias lucubrationes luce non indignas, quas ſpero aliquando lucem viſuras.

a Aug. de Pecc. Orig. cap. 24.

Vale Vir eximie, bonis auſpiciis, & alacri animo ſpartam quam nactus es, orna. Antiquam Eccleſiæ Catholicæ fidem, mores, diſciplinam, ex antiquorum monumentis erue, & à novellis veteratorum impoſturis, aſſere, vindica. Nos habes in hoc opere obeundo omnia tibi fauſta & felicia optantes, precantes.

Cantab. è Sidneyano Coll. 15 Kal. Jan. An. cIↄ Iↄ cxxvii.

*Tui amantiſſimus,*

SAMUEL WARDUS.

---

## XCIII.

## Dudleius Carletonus, G. J. Voſſio.

*Quæ in dedicatione Buckinghamiæ Duci inſcriptâ à Voſſio addenda vel mutanda videantur, fideliter monet.*

AUctor ſim D. Voſſio ut captata occaſione (quæ ſe ipſa ſponte offerret) ut nonnulla inſerat de fide, ſollicitudine, prudentiâ & felicitate Ducis in ducendo & reducendo ex Hiſpania Rege (tunc principis) quem unicum ſibi ſuper omnia dilectum, & hæredem regnorum Ducis fidei ac curæ credidit Pater Jacobus. Nec ſpe falſus eſt. Nonnulla etiam addi poſſint de detectis Hiſpaniæ fraudibus, quæ eò tendebant, ut æternùm arcerentur ſuis ditionibus Regis filia ejuſque liberi, & Germaniæ libertas opprimeretur: quo nomine in conventu publico (quem Parlamentum vocant) Duci ſeriò gratulatum fuit ab univerſo Angliæ regno: Denique quod tantâ animi magnitudine & invictâ conſtantiâ Sereniſſimo ſuo Regi operam dat, in omnium Regnorum & Rerumpublicarum ſubrutore, prædone & hoſte, videlicet Hiſpano oppugnando. Locus pro hiſce additionibus commodiſſimus mihi videtur, ubi mentio fit amoris quo eum Regum alter complexus eſt, alter complectitur.

## XCIV.

## XCIV.

*Maximo Viro,*

## Jano Grutero.

*Vocationem in Academiam Groninganam gratulatur, hortaturque ad ulterius benè merendum ſcriptis publicis de Rep. literaria. Iter Belgicum fortunatum apprecatur.*

*Maxime, & conjunctiſſime Grutere,*

INcredibili me voluptate perfudit, Clariſſimus vir Altingius, cùm certiorem me fecit, de vocatione tui, ad Academiam Groninganam. Equidem ſpero fore, ut bellam adeo occaſionem, benè merendi de ſtudiis amplectaris; præſertim cùm tam multa ſint, quæ id ſuadeant. Nam habet ea provincia Proceres literarum, & literatorum mirè amantes: ut certè tibi perſuadere poſſis, carum te, atque in pretio iſtic fore: Et vilior ibi annona, quàm aliis pleriſque fœderatæ Belgicæ locis. Scis etiam quanti interſit habere Collegas, non eruditiſſimos tantùm, verùm etiam humaniſſimos; imprimis, τοὺς τοῦ θείου λόγου κήρυκας καὶ διδασκάλους, quibus, quando boni, nihil eſt melius, acceptiuſque; quando mali, ac crabronum ſimiles, nihil eſt deterius, ac magis inviſum. At Collegis uteris, ut eruditione ac doctrinâ, ita virtute ornatiſſimis: ex ſacro verò ordine, habebis duos eximios viros, quorum unus, affinitate tibi junctus, ac elegantiorum literarum non gnarus modò, ſed etiam in hac ætate cultor ſedulus: Alter item vetus amicus, quicum tot annos in Heidelbergenſi Academia vixiſti. Uterque ea præditus humanitate, ut proprio quodam naturæ munere, ad eam virtutem facti videantur. Quare non tibi negotium erit, cum hominibus, qui præſentes laudent: abſentes, ut tuus Plautus loquitur, frigidam ſubdolè ſuffundant: quales ego nimis multos novi, quoſdam etiam non ſine dolore experior. Accedit ad iſta, quod juventus ibi, ut audio, ſatis ſit modeſta, beneque compoſita. Nec duram ſuſcipies provinciam. Leges Florum, Juſtinum, Livium, Tacitum, alios, quos voles, Scriptores, ſtudioſè adeo, contenteque tibi lectitatos, ſæpiuſque, ut arbitror, prælectos. Interim occaſio tibi erit limandi cætera, ruſpandi nova, quæ Reip. literariæ bono, tuique cum nominis honore, partim in Academia illa, partim etiam in noſtra, ſi ita tibi videatur, lucem mox videre poſſint. Equidem ſi quid huc tranſmiſeris, non defugiam laborem corrigendi, in quibus Typothetæ aberrarint. Quare ne te hominem Belgam Belgis diutius invide. Nec ætatem objecta, quæ necdum effœta, ſed ad molles Muſarum labores ſatis eſt vegeta. Cogita Imperatorem ſtantem mori oportere. Sanè longè quidem mallem, ut una nobiſcum Lugduni, in ſtudiis eſſet vivendi poteſtas. Sed nunc quidem non licet mihi eſſe tam beato. Gaudeo interim, quod iiſdem Fœderatis Provinciis agemus, nec longo adeo diſſiti intervallo, ut non aliquando excurrere liceat, ac literarum commercia crebra eſſe poſſint. Sanè non mihi modò id jucundiſſimum futurum, ſed etiam uxori meæ, quæ ſæpè tui meminit, & cognatarum Smetiarum, etſi nonniſi puella admodum vos omnes viderit; ac pleroſque ejus jam familiæ, tranſtulerit Deus, in meliores ſedes. Edidi hoc anno libros tres de Hiſtoricis Latinis, eorum hiſtoriam perduxi uſque ad Carolum V. Exemplar non mitto, ne librariam ſupellectilem tuam magis onerem. Sed videbis ſimulac pedem in Belgica noſtra poſueris. Felicem diem, quando te, liberoſque, ac generum, amplecti licebit! Deum Opt. Max. oro, ut veniendi vobis mentem inſpiret; atque etiam in itinere Angelum ſuum det vobis comitem, qui vos ſalvos in Belgicis ſiſtat hoſpitiis. Vale, vir eximie, literarum columen, amor omnium eruditorum; ac cum tuis lætus, quam primùm veni; lætior iterum haſce terras vide; lætiſſimus iiſdem quàm diutiſſimè vive.

Lugduni Batav. CIↃ IↃCXXVII. III. Non. Maji. Ταχέως more meo.

*Tuus ſine fuco ac fallacia, more majorum; nec tuus modo, ſed & tuorum omnium, totus, totus.*

G. J. VOSSIUS.

## XCV.

*Clariſſimo Viro*

## Franciſco Gomaro.

*Cauſſas dilati officii in tuenda fama ſoceri Junii contra Thuanum copioſè declarat. De immodicis conqueritur laboribus, ſub quibus natura tantum non penitus fatiſceret. Scaligerorum detegit ingenium illis opponens Eraſmum. Epiſtolas Julii cum præfatione Heinſiana typis prodiiſſe edocet. Strictim Socerum contra Scaligerum defendit, accuratiores vindicias promittens.*

*Clariſſime vir, ac conjunctiſſime affinis,*

VEriſſima ſunt omnia, quæ ante menſes quatuor de Thuano mihi ſcripſeras; Planeque tibi aſſentior, non abire ita oportere. Atque adeo ſi ceſſare ii vellent, qui ſanguine, vel affinitate τῷ μακαρίτῃ Junio devinctiores ſunt; non tamen tam duro ſtomacho eſſe deberent quibus Eccleſiarum noſtrarum honos cordi eſt, ut hominem tam benè de iis meritum, poſtquam illum cœlo dignatus eſt Deus, ab eo viro, qui ob ſummam authoritatem, apud poſteros fidem fortaſsè inveniret, apertiſſimis, & iniquiſſimis calumniis onerari paterentur. De me quidem ita habe, neutiquam me quieturum. Sed cur hactenus nihil in hoc negotio egerim, cauſa eſt non una. Nam uſque adeo obrutus fui mole curarum, ut ne reſpirandi quidem otium concederetur. Ad profeſſionem hiſtoricam acceſſerat altera Linguæ Græcæ. Præterea munere Aſſeſſoris ſæpius occupabar, quàm gratum eſſet; morte Patrui nova mihi cura acceſſerat. Authoritate publica corrigebam utriuſque linguæ præcepta, ac alia quædam conſcribebam, quæ deinceps in univerſis Bataviæ Scholis prælegerentur. Ante omnia me noctes, dieſque, fatigabat opus de Hiſtoricis Latinis, cujus quia jam bona pars excuſa erat, non ſine damno Typographi, differri diutius poterat. Quàm autem operoſa ea mihi opera fuerit, tum inde cognoſcas, quod in ea agam de ſcriptoribus amplius, quàm mille & ſexcentis; Tum exinde quod pluſquam tertiam ejus partem, fervente prælo, exarare ſim coactus. Itaque ſæpè primâ, alterâque horâ nocturnâ, non æſtivâ modo, ſed etiam hybernâ, occupabar miſer, probis, ut vocant, emaculandis. Nec propterea ullam unquam lectionem publicam neglexi. Imo nec intermiſi Collegium Oratorium, aut Hiſtoricum in quo Nobiliſſimis juvenibus XXX. vel circiter, magna ex parte Sarmatis, Cimbris, aut Germanis, vel viam ad Eloquentiam pandebam, vel Antiquitates Romanas enarrabam, & ita enarrabam, ut hiſtoriæ non ſolùm è φιλολογίας penu allucerem facem, ſed etiam aptarem ſingula ad civilis prudentiæ præcepta, quod potiſſimùm à me exegerant; quippe non tam Scholis deſtinati, quàm Principum Aulis, vel gubernationi Rerum-publicarum. Nec eo ſegniùs alii ſubinde, qui vel docentem aliquamdiu audiſſent in Academia, aut recentes huc adveniſſent, frequentare domum meam, ſive ut exquirerent aliquid, quod minus percepiſſe viderentur, ſive ut conſilium meum de tota ſtudiorum ſuorum ratione cognoſcerent. Ac pleriſque eò minus officii id potui denegare, quia à præſtantiſſimis viris, etſi ſæpe mihi ignotis, per literas magnoperè commendarentur. Tam multis diſtrictus, non ſolùm diſtuli reſpondere

dere Thuano; ſed etiam coactus ſum, quicquid literarum acciperem ſive è Belgia noſtra, ſive ex Anglia, Gallia, Italia, Germania, Dania, terriſque aliis, id omne unum in locum recondere, reſponſurus ſingulis, aliquanto quidem poſt intervallo; ſed tamen ſimulac liceret, hoc eſt, ubi parte oneris levatus eſſem, nempe Collegiis domeſticis deſinentibus, & Operibus meis, quæ excuderentur, ad finem perductis. Antehac ſanè pugilicè, atque athleticè valueram: verùm hoc anno, qui ætatis fuit quinquageſimus, minus firmus eſſe cœpi ac retro euntis valetudinis indicia manifeſta perſenſi; imprimis in brachio ſiniſtro: ſive id ab immodico labore, ſive à natura fatiſcente, poſt annos ſepties ſeptenos exactos. Profectò ſi longè diutius exantlare tot & tantos labores coactus forem, haud diu vitalis eſſe potuiſſem. Sed de iſto. Venio nunc ad alteram cauſam dilati in tuendo ſocero officii. Sciebam edi in hac urbe Epiſtolas Scaligeri, quas antequam vidiſſem, putabam nihil hac in re fieri oportere. Quid, inquies, ea res ad Junianam cauſam? Imò plurimùm, ſcis quale fuerit illud maximi Scaligeri ingenium. Non ferebat diſſentientem. Itaque ſemper eo nomine offenſior Junio fuit, quod in quibuſdam ad ſacram χρονολογίαν pertinentibus, ac credo in aliis etiam nonnullis à ſe diſcreparet. Offenſam eam unus & alter Diſcipulorum alebant, malignè interpretantes apud Scaligerum, quæ vel publicè docuiſſet Junius, vel privatim dixiſſet. Scaliger ut iræ impotens erat, accuſare Junium literis ſuis, apud doctiſſimos Gallorum, eoſque inter Caſaubonum, Thuano uſque adeo familiarem, atque adeo ut arbitror, Thuanum ipſum. Itaque non committendum putavi, ut, quia alterum accuſationis caput erat de Junii deſultorio ingenio, multa conante, nec aſſequente quod molitetur, hiſce verbis reſponderem, priuſquam vidiſſem, quid Scaliger ad Caſaubonum ſcripſiſſet. Prodit nunc Epiſtolarum opus. Præfatio eſt ab Heinſio, ſed ſub Elzevirianorum nomine. Magnificè extollit Scaligeros. Ait naturam quotidie homines parere, non miracula. Sed quid tota poſſet, voluiſſe in utroque Scaligero experiri, inque iis duobus bis omnes vires ſuas eſſe periclitatam. Quibus ego laudibus non invideo: Etſi non arbitrer Eraſmum fuiſſe iis minorem, præſertim quando cogito tempora, in quæ hujus pueritia incidit; tum etiam quàm præclarè de Novo Teſtamento, à tot S S. Patribus meritus ſit. Nec enim perſuadere mihi poſſum, minoris momenti, aut fructus, eſſe Operam iſtam, quam quæ ſubtilius ſæpe, quàm verius adverſus Cardanum Julius diſputat; aut quæ de re Poëtica, vel cauſis L. L. idem nos docet: præſertim cùm ne filius quidem in iis, quæ de Poëtis judicarat, Parentis judicium ſequendum putant: Et opus de cauſis L. L. quærat ſæpè quod non eſt, Alchymiſtarum inſtar, ut ipſe ejus author agnovit, quemadmodum ex Bordoniæ fabulæ confutatione accepimus. Quodque ad Joſephum attinet, ut nec invidia negare poſſit, ad temporum cognitionem, plurimum eum contuliſſe in libris de emendatione temporum, & animadverſionibus Euſebianis; ita Religio quoque ſit fateri, plus inde utilitatis ad Eccleſiam redundaſſe, quàm accuratâ illa operâ, quam Eraſmus antiquis Eccleſiæ Doctoribus vertendis, corrigendis, cenſendis, impendit. Longeque illud minus fatebor, plus profuiſſe Scaligerum, ingenioſis quidem, & doctis in Varronem conjectaneis; verùm ſæpè nimis audaci conjectura nixis, uſque adeo ut, Petrus Victorius (quemadmodum ipſe Scaliger conqueritur) cum id opus vidiſſet, nunquam conqueri deſtiterit, quaſi is in perniciem literarum eſſet natus, ac quia ingenio abuteretur, nimiâ ſui fiduciâ, corrupturus verius eſſet Scriptores veteres, quàm correcturus. Equidem longè mitius de Scaligero cenſeo: Sed tamen tantam licentiam probare non poſſum, non magis, quam candorem, cùm diſſimulat quæ in Antiquis Varronis Codd. inveniſſet. Et cui perſuaſerit, ſe in Feſto corrigendo, non uſum eſſe ſchedis Læti, dum ita ſupplet quæ deſunt, prout in iis ſæpè ſchedis legebatur? Non hæc candidi animi fuere. De notis ad Priapeia, ad Auſonium, ad amorum Triumviros dicere nolo. De Manilio illud dicere contentus ero, complura Junium ita in eo ſcriptore correxiſſe, prout Scaliger in editione poſtrema emendavit. Scio, ait Scaliger, ſe ita reperiſſe in codice Gemblacenſi. Sed quid ſi is obiiſſet, ante repertum eum codicem? Eóne peccaſſet, qui ex Palatino codice, genuinam lectionem Reipublicæ literariæ indicaret? Vaticinari Junius potuit, fore, ut Scaliger eadem poſtea, & meliora, in Gemblacenſi Cod. reperiret? Verum hæc ad Junium potius pertinere videantur, quàm Eraſmum, de quo inſtitutus erat ſermo. Ut igitur ad eum redeam, mihi utroque illo Heroë, Eraſmus non minor videtur, præſertim ſi ſeculum infelix attendam, quo Eraſmus, inter indoctos Monachos, in tanta tot librorum bonorum penuria, qui necdum, vel corruptiſſimè prodierant, ad illud eruditionis faſtigium potuit aſpirare. Verùm ut hoc quoque concedamus, ſolum Italum Cæſar. Scaligerum, & Gallum Joſephum filium, palmam præripuiſſe iis qui & ante, & poſt fuerunt: Non tamen quiſquam laudaverit eam malignitatem animi, qua in Epiſtolis ſuis utitur. Rectè interim, ac laudabiliter quod omnibus in locis, loco Juniani nominis, aſteriſcum poſuere, uti & cum Manilius Junii, vel Tertullianus, vel Epiſtolæ ejus ad Atticum taxarentur. Mallem tamen totas periodos omiſiſſent. Nunc ſic quoque intelligent non pauci, quid dicatur, idque ex iis, quæ vel præcedunt, vel conſequuntur. Ac imprimis illi ſagaces ſatis erunt, qui Junii, & Scaligeri temporibus vixere. Nam quomodo hi non intelligant, de quo ſermo ſit, ubi vident, loqui de eo, qui in Academia doceat Lugdunenſi, qui Epiſtolam aliquam ex Arabico transferendo, jam Arabicæ ſe Linguæ peritiam, ſibi vindicaſſe poſſe arbitratur, atque alia id genus? Quam autem malignè egerit Scaliger, vel hinc vide, quod non ſemel dicat, uſque adeo imperitum eſſe Junium, ut non dico Hebraicè (quamquam & illud ſcribat) ſed ne Latinè quidem ſciverit. Cujuſmodi cum literis iſtis video contineri, dubitare non poſſum, quin iis Thuanus compulſus, ſiniſtrum adeo judicium de Junio tulerit. Imo planè perſuaſum habeo, haud leviora eſſe, quæ de eo ad Thuanum perſcripſerit. Quamobrem ſi calamum adverſus Thuanum ſtringam, periculum video, ne filius Thuani, juvenis eruditus, & ut genere, atque opibus pollens, ita multis in Galliis carus, & maximis honoribus deſtinatus, quæ de imperitia Junii modeſtè Parens ſcripſerit, ea apertè, & ſine circuitione prodita, oſtendat à magno Scaligero, Reip. literariæ dictatore, cui doctior orbis lubens eruditionis faſces ſubmittit. Hinc mihi nova cura, etiam tuendi eum adverſus Scaligeri calumnias, incumbet. Quem ego virum laudavi ſemper, ac porro laudare decrevi: Non quia ejus impotentiam animi, aut maledicentiam ignorem; aut quaſi neſciam, quàm multis in locis aliquid humanitus patiatur: ſed quia ejus tantæ virtutes, præclaraque adeo merita ſunt, erga Hiſtoriam, ac bonas literas, ut propterea, quæ peccavit, cenſeam ei condonari, & æterna oblivione ſepeliri oportere. Nec tamen impediunt iſta, quominus accuratè refellantur, quæ de fuga Junii, ex ſupplicii metu comminiſcitur. Imo nec impedit quicquam quominus, ſaltem modeſtè, aliquid dicatur adverſus illud de ingenio deſultorio. Nec enim deſultorio is ingenio, qui à prima penè ætate Theologiæ ſe dedit, inque eo ſtudio conſenuit. Linguarum ſcio ſtudio, & Philoſophiæ incubuit: ſed propter Theologiam imprimis, ut in Criticis aliquis voluit videri: Hæc ille ſubciſivis horis, quas aleæ aut compotationi, aliqui impendunt. Sed ſæpius deceptus eſt. At nihil opus metiri Junium ex Criticis, nihilo ſanè magis, quàm Scaligerum ex Cyclometricis, puerilium errorum pleniſſimis. Nec tamen infelix eſt conjector, quàm livor ait. Aliquid accuſatio ea ex vero, at nec minus eſt, quod ex mendacio, invidia, atque odio trahit. Quare nec detrecto provinciam, iſti parti quoque occurrendi: Nedum diffugiam laborem diluendi fœdum errorem, quo ſeditionis aut complicationis, adverſus ſummos Magiſtratus reum agit, ac turpis fugæ inſimulat. Quæ tantò turpiora, quantò probitas eruditioni antiſtat. Tantummodò mihi ita agendum video, ut quàm minimâ eorum offenſâ, qui Thuano, & Scaligero impenſius favent, fortiſſimè

Junii

Junii cauſam agam. Utrum autem ſeorſim, an in præfatione operis alicujus id acturus ſim, adhuc delibero. Atque ubi, ex amicorum conſilio, aliquid ſtatuero, faciam te quamprimùm certiorem. Nec diſplicet, ut in Academiæ Lugdunenſis Profeſſoribus, quorum vitæ ante biennium hic cum cælata eorum imagine recuſæ fuerunt, idem error paucis refellatur. Hæc nunc in mentem venerunt. Poteram fortaſſe paucioribus hæc propoſuiſſe. Sed non poſſum in ſcribendis anxius eſſe de brevitate, nihilò ſanè magis, quam de dictione. Quare ſi loquacior viſus ſim, pro amicitia noſtra, facilè eam rem condonabis. Plurimam ſalutem lectiſſimæ uxori, ac tuis, tum autem ſorori noſtræ Juniæ, ac præſtantiſſimo D. Makowski.

Lugduni Batav.
CIƆ IƆC XXVII.
V Id. Maji.

*Tuus ſine fuco,*

G. J. VOSSIUS.

## XCVI.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Voſſio,

Præceptori æternum colendo,

S. D.

*Quantum voluptatis ex ejus ſcriptis ac nuper de Hiſtoricis Græcis Commentario ceperit, indicat, ac ſi qua confecta vel affecta habeat, publico ne invideat, obteſtatur.*

QUoniam nuper ad fratrem ſuum, miſero diuturnoque morbo intabeſcentem, à Nobiliſſimo Conſiliario Wyngarden ſocero, Lugdunum adductus, te Vir Clar. Lectionibus privatis impeditum ſalutare, non daretur occaſio; decreveram poſtea, per literas interpretes tecum colloqui, & memoriam quam temporum, & locorum intervallum ſæpè obliterare ſolet, mei apud te renovare. Quod cùm hactenus diſtuliſſet, partim argumenti inopia, partim negotia, quæ tot, & tanta ſummo Reipublicæ literariæ bono ſuſtines, interpellandi verecundia: commodum ſe offert Tuiſius noſter, & ſalute tuis verbis ſignificatâ, animum nutantem ad ſcribendum impulit. Tantus enim ad voluptatem, quam ex lectione libri de Hiſtoriis Græcis, in quo tum totus eram, totumque ferè devoraveram, cepi, acceſſit, voluptabili hoc nuntio, incredibilis gaudii cumulus, ut jam non ſolum præceptorem πολυμαθῆ τε πολυΐστορα, admirarer unicè: ſed ipſum illud, non quintâ modo parte Nectaris, ut inquit ille, ſed univerſo Caballino fonte imbutum caput amiciſſimè amplecti viſus ſim. Quandoquidem verò à Neſtoreo docentis ore pendere, ut olim, mihi inviderit fatum, ſaltem quod concedit, eò arctius duxi amplexandum. Quare divinis operibus, quæ jam aliquot ſummo eruditorum applauſu, protuliſti (ut cum Lucr. dicam) in dias luminis oras, diurna, nocturnaque manu verſandis, maximum abſentis tui deſiderium lenire conor. Ac veluti in febricitantibus obſervamus ἰατρῶν παῖδες,

*Quo plus ſint pota, plus ſitiuntur aquæ.*

Non aliter affici ſoleo à ſcriptis tuis, quorum ſatietas me, nec frequentiſſimâ lectione poteſt capere. Itaque mitiges rogo, Vir Cl. non meam ſolum, ſed omnium quotquot amant literas, hanc βουλιμίαν, & da brevi quæ confecta, diu nimis retines, reliqua, non modio, neque trimodio, ut ait Plautus, verùm ipſo horreo. Nec illa modo, quorum ſpem facis, ſed & Notas ad Euſebium de Præparatione Evang. Ut enim aliquis tandem exurgat, qui in illo, patrem magno Scaligero, præſtet operam, optare non eſt tuum:

*Nam tu Poëta es prorſus, ad eam rem unicus.*

Utinam & Agellium haberemus, à te perpolitum. Promiſerat quid Giſanius & alii, nemo vero quod ſciam, ſalutares ei perſanando manus attulit; cum tamen varia ejus loca, non ſolùm à Criticis, ſed & Medicis, & Juriſconſultis, paſſim correcta, & explicata, animadverterim. Huic ſcholæ nuper Rector datus Iſ. Becmannus, Muſas, quæ tecum hinc diſceſſiſſe videbantur, revocaturus. Id enim in oratione publicè habitâ promittebat quidam ſtudioſus, quondam D. Becmanni diſcipulus. Miſi Mairio Typographo, Adriani Junii quædam typis ſuis edenda, quibus vitam ipſe addidi, & doctorum elogia. Miſiſſem tibi carmen, quod Nicolaus Græcè & Latinè non indoctus, D. Æmilii diſcipulus, brevi tuus, & Juriſconſultorum, in nuptias meas compoſuit, niſi ſatis, ſuperque, me nugis hiſce, occupationes ſerias turbaſſe putaſſem. Quare, ne in publica commoda peccem, deſino, & æternum Numen veneror, te diu, V. Max. & amiciſſime, liberis, nobis, & Reip. literariæ ſervet incolumem. Salutem meo nomine uxori, optimæ & nobiliſſimæ matronæ, & filio Johanni.

Dordr. XII Jun.
CIƆ IƆC XXVII.

*Tuus meritiſſimo tuo,*

JOHAN. BEVERWIJCKIUS.

## XCVII.

## Abrahamo van der Merio,

Senatori.

*Conformem ſe Eccleſiæ Reformatorum in articulo præcipuè de prædeſtinatione profitetur, ſcriptaque ſua Theologorum cenſuræ ſubjicit.*

*Ampliſſime vir, Cognate ornatiſſime,*

QUæ Synodo ante triennium promiſeram, ea jam ante menſes XX. atque ultra ſum executus, ſed opus in quo id egi, (dico autem Commentarios meos de Hiſtoricis Latinis) uſque adeo ſpiſſè proceſſit, ut demùm, poſt menſem, in lucem prodire poſſit. Quid mirum, cùm in eo agam, de Hiſtoricis amplius, quàm mille ſexcentis? Proderit is labor meus, non ſolùm Literarum bonarum, aut prudentiæ civilis ſtudioſis; ſed omnibus etiam, qui cum Theologia conjungunt Antiquitatem Eccleſiaſticam. Locus de quo dixeram, eſt operis hujus p. 213. Ubi multa breviſſimè ſum complexus. Nam clarè rejicio ſententiam Caſſiani, qui Semi-Pelagianorum princeps habitus. Clarè ſubſcribo Auguſtino, Proſperoque, qui & Pelagianis, & Semi-Pelagianis fortiſſimè reſtiterunt. Et ne videar eorum ſententiam aliter capere, quam oportet, clarè addo, me ita eos intelligere, ut dicant, prædeſtinationem eſſe, fide & perſeverantia priorem, h. e. ut prædeſtinatio ſit cauſa, fides & perſeverantia ſint prædeſtinationis fructus. Et quia mihi ſæpè objectum de Hiſtoria à me edita ſuper controverſiis, quæ Eccleſiæ cum Pelagio, & Semi-Pelagianis fuerunt; eo non dubitavi addere, haud aſſequi ſententiam meam, ſi qui putent illa quæ opere eo attuli, de quatuor primorum ſeculorum ſententia, adverſari Auguſtini ſententiæ, ante memoratæ: quippe plus eum dicere quàm priores, non contrarium. Denique promitto ibidem, me per occaſionem aliquando fuſiùs de iſtis tractaturum. Priuſquam hunc locum prælo ſubjicerem, monſtravi eum ſingulis facultatis Theologicæ Profeſſoribus: Quibus abundè ſatisfeci. Unus Walæus putabat, ubi ſcripſeram, *Tanquam impia vel falſa*, rectiùs ſcripturum, *Vel etiam falſa*. Itaque eo Authore, *etiam* adjeci, ſcio me ſatisfeciſſe omnibus bonis. Nam & Eccleſiaſticis compluribus domi meæ verba illa prælegi. Siquis tamen ita animatus ſit, ut nunc quoque nodum in ſcirpo quærat, non tam ille mihi crucem figet, quàm animi ſui ulcus prodet. Cæterùm perſiſto in ſententia, non ſatis ex honore meo fore, ſi cogar, priuſquam

opus meum in omnium manus venerit, oſtendere pagellas, quibus præſto, quod receperam. Is enim ſum, cui fides dicenti debeat haberi. Et ex facultate Theologica poterere rem omnem cognoſcere, ſi quibus adhuc ſcrupulus ullus foret. Verumtamen ſi omninò ita neceſſe erit, non impedio quominus iis pagellæ illæ monſtrentur, quibus videbitur. Locutus ſum de re tota, cum D. Henrico Fabricio, viro præſtantiſſimo, & integerrimo, quem Claſſis Leidenſis ad Synodum mittit. Is nec ipſe exiſtimabat, temerè eas eſſe promendas. Sed permiſi, ut ſi omnino opus ſit, eas à te pagellas petat. Committo negotium omne, prudentiæ utriuſque veſtri. Plura vellem, ſed ne ſacram concionem negligam, malo abrumpere. Scripſi celerrimè. Nec relegendi otium erat. Tu pro benignitate animi tui, ſi quid hic culpæ fuerit, facilè condonabis. Salutem optimæ conjugi tuæ, & ubi Dordrechtum veneris, affini præſtantiſſimo Jac. Wittio quæſtori, ſimulque uxori ejus.

*Tuus totus,*

xv Jul. 1627.

G. J. Vossius.

---

XCVIII.

*Reverendo in Chriſto Patri,*

## Richardo

Epiſcopo Dunelmenſi.

*Commentarios ſuos de Hiſtoricis Latinis offert, eorumdemque uſum breviter declarat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater,*

OFfero tanti & meriti & nominis præſuli aliquid de paupere penu noſtro, exiguum, ſed magni tamen affectus, & devotiſſimi animi monumentum, Commentarios noſtros de Hiſtoricis Latinis: quos ſpero non ingratos fore, partim propter autorem, qui nihil æquè exoptat, quàm ut placere poſſit iis, quos Deus ad tantum decus in Eccleſiâ ſuâ evexit: partim etiam propter argumentum literarum amantibus perutile, iis imprimis, qui eo loco habent antiquitatem Eccleſiaſticam, quo meretur. Sanè dicere illud poſſim, ſtudiosè me operam dediſſe, ut facilius & legi, & refelli poſſint, quæ de controverſiis variis ab celeberrimo Annalium Eccleſiaſticorum conditore adverſus noſtros ſcripta ſunt. Plurimum enim refert noſſe, quæ genuina, quæ ſuppoſititia ſint, quâ ætate ſcriptor quiſque vixerit, utrum Pontificias an Cæſareas ſecutus ſit partes, & id genus complura: quorum uſus magis apparebit, ubi, quæ nunc de ſcriptoribus prodidi, accommodata verò rebus ipſis, quas memoratus Annalium autor, ex iis vel probare vel refellere ſe poſſe arbitratur. Deum rogo, ut ad inſtitutum hoc nobile, & vitam, & valetudinem, imò & otium largiatur. Simul numen ejus oro, ut incolumem Reverentiam tuam diu Eccleſiæ ſuæ præſtet & conſervet.

Lugd. Batav.
cIↄ Iↄ c xxvii.
vii. Id. Sext.

*Reverendiſſimi nominis tui*

*cultor ad obſequia paratiſſimus,*

G. J. Vossius.

XCIX.

*Reverendo in Chriſto Patri,*

## Joanni,

Epiſcopo Lincolnienſi.

*Argumentum ſimile priori.*

*Reverende in Chriſto Pater,*

ETſi non ignoro, quæ modeſtia, quantaque animi ſubmiſſio deceat, primum hoc alloquium, quo affari auſus ſum eum, quem Deus illuſtri adeò loco in Eccleſia ſua collocarit: arbitror me tamen illud dicere de me poſſe, à prima me adoleſcentia ſummo amore captum fuiſſe Hiſtoriæ omnis, ac præcipuæ Eccleſiaſticæ Antiquitatis. Quid verò labore atque induſtriâ promoverim, judicium penes alios eſto. Saltem, ſpero, nemo bonus improbabit propenſiſſimam hanc voluntatem benè merendi de ſtudiis literarum. Atque ego animo pergo quotidie colligere vindemiolas meas, quas & publici juris facio. Cæterùm, cùm in omni hiſtoria duo ſpectare conveniat, quis dicat, & quid dicat; ſeorſim de utroque melius me acturum exiſtimavi. Atque iſtud in cauſa eſt, cur hoc tempore de Hiſtoriarum ſcriptoribus egerim. Ac ante triennium quidem Commentarios meos emiſi de Hiſtoricis Græcis. Hos nunc conſequuntur alii de Hiſtoricis Latinis. Priores dicavi Illuſtribus Bataviæ noſtræ Ordinibus, patriæ patribus. Alteros hoſce ſacravi florentiſſimæ genti veſtræ, potiſſimùm Illuſtriſſimo Duci Buckinghamiæ, imo ſi non tam inſcriptionem, quam argumentum præfationis noſtræ ponderemus, toti inſimul Academiæ Cantabrigienſi. Nempe animo terras omnes luſtranti non efferebat ſe natio illuſtrior veſtrâ, ſeu arma ſpectarem, ſeu literas etiam, tum ſacras, tum iſtas de quibus hoc opere tractamus. Adhæc beneficium illud, quo me per Illuſtriſſimum Baronem à Broock, affecit laudatiſſima gens veſtra, jamdiu aliquod mihi teſtimonium grati animi imperare viſum fuit. Quanquam autem non adeò Suffenus ſim, ut exiſtimem proficiſci à me quicquam poſſe quod ſatisfacere poſſit exactiſſimo Reverendiſſimi nominis tui judicio (cujus ad limam ſi revocare omnia velimus, fore proſpicio, ut pauciora hic reperias quæ placeant, quam quæ diſpliceant) tamen nihil cauſæ videbam, cur fidem minus haberem tam multis prædicantibus ſummam humanitatem tuam, ac facilitatem in cognoſcendis & ignoſcendis erroribus eorum, qui de publico bene mereri ſtuduerunt. Bonæ hujus ſpei plenus, tantæ & dignitatis & doctrinæ præſuli offero nunc monumentum hoc laboris noſtri, minutum quidem, ſi autorem conſideres: ſed non aſpernandum tamen, ſeu reſpicias paratiſſimum ad cultum omnem, & obſequium tui voluntatem noſtram: ſeu etiam ſpectes, quòd hæc opera munient viam nobis ad majora: puta ad refellenda ea, quæ ex ſcriptoribus à nobis opere hoc memoratis ab Eccleſiaſticorum Annalium conditore, atque aliis adverſus Religionem noſtram depromuntur. Deus Optimus Maximus longam tibi, Reverendiſſime Præſul, felicemque vitam largiatur, quòd diu Eccleſiæ ſuæ præſis & proſis.

Lugd. Batav.
cIↄ Iↄ c xxvii.
vii. Id. Sext.

*Reverendiſſimi nominis tui cultor ad obſequia omnia paratiſſimus,*

G. J. Vossius.



Digitized by Google

## C.

*Reverendiſſimo in Chriſto Patri*

# Georgio,

Chicheſtrenſi Epiſcopo.

*Ejuſdem cum ſuperiori Argumenti.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater,*

SÆpe recordor honoris mihi habiti tempore Synodi Dordrechtanæ, ac poſteà, priuſquam pedem è terris noſtris poneretis. Nam & Dordrechti menſâ me tuâ, & quod longe majoris duco, ſanctis juxta ac eruditis colloquiis tuis, & eorum quos tecum in Bataviam Eccleſia miſerat Anglicana, dignari voluiſti: Nec Lugduni minus perſenſi eximiam humanitatem tuam, & collegarum, quos dixi, virorum non præcellentis minùs pietatis, quàm doctrinæ. Beneficium hoc veſtrum pluribus extollerem, niſi ſatius ducerem, ut iſta ſilentii nunc ſpatio recondam, virtuteſque veſtras apud alios potiùs quàm apud te prædicem. Hinc amorem erga te meum immane quantum auxit beneficentia illuſtriſſimi Legati, viri immortalitate digniſſimi, & cognati ejus Regii Conſilii Magnæ Britanniæ à Secretis: qui & præclarè de me meriti, & porro mereri non ceſſant. Quamobrem cùm nobiliſſimæ genti veſtræ Carletonæ multò ſim obſtrictiſſimus, nefas putavi, ſi non operis novi de Hiſtoricis Latinis exemplar ad te mitterem, præſertim cum illud conſecrarim nunquam ſatis laudatæ Britanniæ nationi. Quæſo, Reverendiſſime Præſul, minutum donum non aſpernare. Proficiſcitur enim ab animo devotiſſimo, & ad obſequia tua paratiſſimo. Et deinceps mihi viam ſternet, ad ea diluenda, quæ ex ſuperiorum ſeculorum ſcriptoribus adverſus Religionem noſtram à Baronio, atque aliis, adferuntur. Utinam mihi Deus & vitam & otium concedat ad eam rem, uti exopto, fuſius planiuſque comprobandam. Nunc quod olim Auguſtus Cæſar ajebat, contentus eris hoc Catone. Reverendiſſime Domine, conſule hæc igitur æqui bonique. Deus te ſalvum ac ſoſpitem ſervet Eccleſiæ ſuæ bono.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄcxxvii. vii. Id. Sextil.

*Reverendiſſimi nominis tui cultor, imò illuſtriſſimæ domus* Carletonæ *cliens æternùm debiturus,*

G. J. Vossius.

## CI.

*Clariſſimo & eximio Viro,*

# D. Samueli Wardo

S.T. Doctori & Profeſſori in alma Academia Cantabrigienſi.

*Argumentum Idem.*

*Clariſſime Domine Warde,*

NOli propter diutinum ſilentium putare, oblitum me ſuaviſſimi, ac doctiſſimi colloquii tui, tum Dordrechti mecum habiti, tum etiam Lugduni. Atque utinam occaſio mihi antehac fuiſſet teſtandi gratum animum pro benevolentia tua, atque adeò omnium eorum, quos ad Synodum Dordrechtanam Magna Britannia miſerat. Equidem meminero,

*Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.*

Itaque & nunc mitto ad te amoris noſtri pignus minutum, Commentarios noſtros de Hiſtoricis Latinis. Atque eò id facio lubentius, quia fore ſpero, ut non iis modò operâ hac profuerimus, qui τὰ ἔξωθεν tractant aſſiduò, ſed etiam, quibus curæ eſt cognoſcere Eccleſiæ Hiſtoriam. Nam probè ſcis, quanti referat noſſe, qui res ſcripſerint Eccleſiaſticas, & quando, & quâ fide, atque alia quæ ad auctores ejuſmodi pertineant. Itaque planè fore confido, ut ſi minùs tibi videar aſſecutus, quod conabar, ſaltem probes voluntatem commodandi ejuſmodi ſtudiis juventutis.

Vale præſtantiſſime Vir, & ne amicitiâ nos tuâ indignos cenſe, qui te propter egregias dotes maximi facimus.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄcxxvii. vii. Id. Sextil.

*Tuus ex animo,*

G. J. Vossius.

## CII.

*Clariſſimo & ſummæ eruditionis Viro,*

# D. Hieronymo Belo,

S. T. Doctori, & aulæ Pembrochianæ Præfecto.

*Ejuſdem Argumenti cum prioribus.*

*Clariſſime Domine Bele,*

OMnes quidem eos maximo proſequor amore, qui literarum ſtudiis excellunt; nullos tamen æquè æſtimare ſoleo, quàm qui Eccleſiaſticæ etiam antiquitatis ſunt callentes: quales in triſti hoc religionis diſſidio impenſiùs paci concordiæque Eccleſiæ conſulere & poſſunt, & ſolent. Quo ſanè quid utilius hoc tempore præſertim in tanto eorum numero, qui antiquitatis contemtu nova dogmata vel fingunt vel fovent. Tibi verò, ut ex Nobiliſſimo & utriuſque noſtri amantiſſimo Georgio Dubletio intellexi, antiquitas ſtudio ſemper ac cordi fuit, ac me quoque, quia ejus capiar incredibili amore, majoris propterea facere ſoles. Utrumque hoc tui etiam in me amorem longe maximum accendit: quem nunc cum aliter non poſſem, leviculo induſtriæ noſtræ monumento teſtandum putavi. Tu, vir Clariſſime, quicquid hoc eſt opellæ boni conſule, nec tam munus ſpecta, quam animum donantis. Vale.

Lugd. Batavor. cIↄ Iↄcxxvii. vii Id. Sextil.

*Tuus ſine fuco ac fallaciis, more majorum,*

G. J. Vossius.

## CIII.

*Præſtantiſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

# D. Gerardo Voſſio,

Utriuſque Eloquentiæ in Academia Lugduno-Batavo, Profeſſori digniſſimo.

*Incommoda, quæ Studiis ſuis in Syria obſtiterint, familiariter pandit. Arabicæ linguæ præſtantiam extollit. Mathematicam ſibi profeſſionem deſtinari gaudet, & primâ quaque datâ occaſione, reditum acceleraturum, promittit.*

*Vir præſtantiſſime, Collega obſervantiſſime.*

JAm diu eſt, quod nihil ad te literarum dederim, non oblitus officii erga te mei, quo nullum habeo commendatius; ſed quod veritus fui, te participem facere earum re-

rerum, quæ mihi diſplicebant quam maximè. Et quidem videbatur mihi levior eſſe ægritudo, quam ſuſtinebam ſolus. Nunc verò, quando eam felicior dies mihi ademit, nolo eandem te diutius latere; quo ſimul præſentem rerum mearum ſtatum intelligas. Attamen cautio eſt, ne vulgatum, famâ, hoc malum, nunc gravius mihi noceat, quam antea: Ideoque liceat mihi, hoc velut arcanum committere fidiſſimo pectori tuo; in quo ſpero præſidium fore honori meo.

Noſti ab initio, duplicem mihi fuiſſe curam, de itinere hoc feliciter inſtituendo, ut inſervire publico, & tutò poſſem, & ſine privatæ rei diſpendio; eamque fuiſſe cauſam, cur applicuerim me, ad illuſtrem Syriæ Conſulem: At fateor me illius facti paulo poſt pœnituiſſe. Ita aliena à me apud illum omnia, vitas, mores, & ſtudia reperiebam; quamque in hac urbe tranquillitatem exoptabam & otium, perpetuæ ferè diſturbationi obnoxiam. Etenim gravis & penè continua, Conſuli noſtro lis fuit, modò cum ſuis, modò cum aliis populis, ex orbe Chriſtiano advenis, dum in ordinem redigere nitebatur, quæ paulatim hic collapſa erant. Unde judicabis facile quam non ego laboris partem tulerim, qui rebus omnibus intereſſe, & velut præeſſe debui. Si tamen me audiſſet conſulentem, ex quiete forſan majorem gloriam reportaſſet, & ego inſignem fructum. A ſingulis negotiis, turbatum expectabam finem; ſed aliæ ex aliis emerſerunt, uti ex fluctu fluctus: ita ut pigere tandem me, & tædere iſtarum rerum vehementer cœperit. Aliter ſignificatum, aliter perſuaſum in patria ante diſceſſum fuerat; facilem nempe, & liberalem fore operam quæ à me requireretur. At reverà permoleſtam, & ſæpè importunam comperi, ac ſi quis antea in locum meum ſuffici potuiſſet, omnino conditionem illam repudiaſſem, ſtudiiſque meis poſthabuiſſem ſecuritatem, & quævis commoda, quæ tamen mihi nulla fuerunt. Levius mihi reddere patientia conatus fui, quod corrigere haud potis eram; donec tandem Dei Opt. Max. beneficio revixi mihi, reſtitutus in libertatem: nam ante dies aliquot, Dominus Conſul, ob Parentis obitum, in patriam hinc diſceſſit, pauloque ante huc alius venit, in quem onus meum commodè depoſui.

Dominum Witſium maximè mutatum ab eo, qui antea fuit, omnes qui eum noverunt, mirabuntur: tantum in liberalem indolem poteſt honoris tuendi neceſſitas, & ſeria mentis occupatio: At ex qua vereor ne res ejus familiaris, ingens detrimentum ceperit inter Turcicos Harpyias. Abiturus dignitatem Conſularem mihi obtulit, inſtititque multis, ut vices ſuas pro aliquo ſaltem tempore ſuſtinerem, ad quod capeſſendum munus, hortatus me quoque fuit illuſtriſſimus Dominus Legatus Cornelius Haga: At recuſatione honoris iſtius, atque fortunæ, commonſtrandum exiſtimavi, quàm invitus alia hactenus negotia tractaverim, præter ſtudia mea, neque aliter poſſe me aut debere veniam ſperare. Quæ alia etiam incommoda me remorata ſint, non dubito quin antehac intellexeris; ſcilicet, ut paulo poſt quam in Syriam venimus, diri contagii labes, me omni plane conſuetudine eorum prohibuerit, per quos proficere deſiderabam; & poſtquam partis, hic ſubſidiis, amiciſque uti cœperam, quomodo aurium immenſus dolor, tinnituſque perpetuus, ultra tertium menſem me afflixerit, omnique intentiore ſtudio interdixerit, quantum etiam curæ, moleſtiæque mihi peperit adoleſcentis cujuſdam incuria, & temeritas, qui per amicorum preces ferè invito mihi, comes obtruſus fuerat. Quædam ex hiſce malis talia fuere, ut tanquam divinitus immiſſa caveri non potuerint, quædam vero prout humanæ ſortis erant, ſi initio præſciviſſem, evitare debueram, poſtmodum tamen pro arbitrio effugere non potui.

Nihilominus pro tempore, quo uti mihi licuit, ſatis profeciſſe mihi videor, & ni favente, alia atque alia occaſione, & invitante, alias quoque tractaſſem linguas; de Arabica quæ potiſſimum mihi incumbit, jam ferè ſecurus eſſe poteram; at deinceps ſpero, aliud operæ pretium faciam, & quidquid eſt detrimenti, facile ſarciam, quandoquidem partis hic ſtudiorum commodis quiete in poſterum, & ad placitum uti licebit.

Quas quidem rationes meas, proximè expoſui ampliſſimis Dominis Curatoribus diſſimulato tamen honoris ergò, Conſulis negotio; quibus ipſi permoti, haud ægrè ferent confido, moram à me paululum prorogari, ultra præſcriptum terminum: Quod haud dubium eſt, quin cum Academiæ utilitate conjunctum erit: Nam tantilli temporis fructum, quem interea à me expectare poſſet, cum fœnore uti ſpero, paulo poſt uberiorem recipiet. At de melioribus amicis meis, nonnulli urgere ſummoperè videntur, ut quamprimum poſſim, in patriam revertar, ob vacantem Cathedram Mathematicæ profeſſionis: Non potui certè hunc caſum intelligere, ſine maximo animi dolore, atque etiam nunc deploro Academiæ noſtræ caſum, quod occiderit incomparabile illud lumen, ad cujus laudes adſpirare videtur ambitioſum; adſcendere verò perdifficile eſt; ideoque licet ab adoleſcentia, ſtimulante genio, diſciplinarum illud genus ſectatus ſim, & pro captu ingenii quoque penetravi: tum etiam in votis ſemper habui, ut pertractare, vel exercere aliquando poſſem, in patriæ uſum; non auſus tamen fui, ad ejuſmodi felicitatem, hac occaſione ſperare, vel animum adjicere; præſertim poſtquam amicorum literæ, tardius perlatæ eſſent, quam ut putarem me ex conſilio eorum, hic res meas expedire poſſe, & ibi in tempore adeſſe; quamobrem univerſum negotium, divinæ providentiæ, & amicorum mihi benevolentium, prudentiæ, & arbitrio, committendum duxi; eo quidem animo, ut in ſtadio interim meo gnaviter pergerem, & quam poſſem maximè reditum maturarem. At poſtquam ex poſtremis literis, intellexi, è patria ad me datis, ſuffragio pro me conſpirare quædam, & Dominis Curatoribus viſum fuiſſe, in deſignando Clariſſ. Snellii, mei quondam Præceptoris, ſucceſſore, mei quoque rationem habere, ſententiam mutavi, omnibuſque modis contendendum putavi, ne tanto favori, ſummiſque meis votis, ipſe deeſſem. Primùm quidem inſtitueram, commiſſam mihi Spartam, quæ in hiſce initiis, nulli non tentis, & ingloria videtur; amplificare atque exornare, aliarum quoque linguarum Orientalium acceſſione; ſed ut verum fatear, revera tandem comperi, præpoſteram illam operam fore, & Reipublicæ Chriſtianæ injurioſam: Nam quidquid cæteris incognitis illis linguis, ſtudii impendi poſſit, ſola Arabica ſibi poſtulat: ut quæ ſola continet, quidquid ferè de Aſiæ & Africæ diſciplinis, & rebus porrò ſcire deſideramus: Ita ut tanquam univerſalis lingua ſit, quæ à Græcæ, & Latinæ doctrina, ſeparari minimè poſſit, ſi humanam ſapientiam, & memoriam temporum, quam maximè fieri poteſt, apud nos integram extare velimus; ideoque ſi excolendis exoticis linguis, novum aliquem, & dignum labore fructum ſpero, video ab Arabica repetendum: Et ſi ad hujus profeſſionem, etiam Mathemata mihi decernantur, viderer talentum qualecumque meum, melius poſſe collocare, & materiam nactus, jucundi, & utiliſſimi laboris: Nam & Arabica lingua, de Mathematicis Græcorum, & aliarum gentium inventis, multa ſuppeditare poteſt, nobis inviſa, omniumque votis deſiderata, & ipſâ illâ contemplatione recreatus ſubinde animus, facilius ſuperare omnia tædia poſſet, quæ in prima tam amplæ, & implexæ linguæ culturâ non poſſunt non oboriri. Ex Græcorum monumentis, ut hoc in tranſitu ſignificem, pridem nactus fui, Apollonii Pergæi, ſummi Geometræ tres poſtremos Conicorum libros, de Græco in Arabicum elegantiſſimè tranſlatos; ſcriptum à præcipuis quibuſque Mathematicis maximi æſtimatum, & fruſtra hactenus conquiſitum; reperi alia quædam, & uti ſpero, plura propediem nanciſcar quibus id quod paulo ante dixi, luculenter poſſet probari. Sæpiſſimè à dolore temperare nequivi, cogitans, præcipuam vitæ partem, in illo pulvere fuiſſe exactam, & præter muneris mei ſortem fore, ſi in illo exercere manum, & mentem pararo vellem: Videor nunc mihi hujuſce fælicitatis, modo capax ſim compos reddi poſſe, non ſine Reipublicæ noſtræ commodo; cui hiſce temporibus, & in

pro-

præſenti ſuo ſtatu, maximè neceſſarium eſt, juventutem in ea quoque Mathematum parte inſtitui, atque exerceri, quæ in bello, præ reliquis ferè rebus omnibus plurimum ſemper potuit: Τὴν πολιορκητικὴν & τὴν τακτικὴν intelligo, quæ in Academiis hactenus, iniquo divortio prorſus ſeparatæ, à Mathematica Encyclopædia, neglectæ fuere: pro modulo ingenii mei, favente eam ad rem commoditate idoneâ, utriuſque diſciplinæ, doctrinam proſecutus, ipſaque delectatus multum fui: id ſi mihi porro liceret, de progreſſu, & operæ pretio haud deſperarem. Denique cum Arabicæ linguæ, aliarumque Orientalium ſubſidia libraria, quæ neceſſitas, & profectus, alia atque alia requirat, ſine impenſis magnis comparari nequeant, & Mathematica quoque inventa, & Machinæ, præ reliquis ſtudiis, haud leves ſumptus poſtulent, ſi ab utriuſque laboris, honeſto ſtipendio juvarer, quod tolerabilius Academiæ foret, quam duos Profeſſores alere, utrumque fortè ſtudium, felicius cederet in commune bonum, quam ſi alterutro tantùm fungerer. Imprimis verò poſtquam decretum eſt mihi, ſi exorta ſpes ejuſmodi conditionis obtinendæ affulgere perget, virum aliquem Orientalis literaturæ peritum, in patriam mecum perducere, meiſque impenſis ibidem alere; quod ſi precibus, & promiſſis, (nullis autem parcam, quæ ferre potero, vel potius ſolvere) impetravero, facilè erit propitiante Divino Nomine, & haud multo quidem tempore, arcana harum literarum, publici juris facere. Hæ quidem cogitationes faciunt, ut quò me favor, & amicorum conſilia invitant, eò quoque excitatiore animo, ſpes meas extendere audeam; non quod me cum aliis, ſi qui fortè competitores ſunt, comparare velim, aut qui facilè à naturæ, & doctrinæ dotibus multo ſunt inſtructiores; at ſi ex re Academiæ, & Reip. videatur, ut ego iſti muneri præficiar, ne ipſe deficiam. Si tempeſtivè ſatis, ante diſceſſum Conſulis noſtri, certior factus fuiſſem de Curatorum decreto, ita ut de libris mihi providere, & de idoneo homine modo potuiſſem; unà me cum illo itineri commiſiſſem, etiamſi haud ex omni parte, ſecutum mihi videbatur. Nunc id mihi operis, ut quamprimùm poſſim, me expediam; at quia audio omnes vias eſſe terræ marique infeſtas, hoſtium, prædonumque injuriis; altera me cura tenet, ut quâ poſſum prudentiâ, ejuſmodi diſcrimina effugiam, & partas hic literarias copias, tutò tranſportem. Poſt pauculos abhinc menſes, expectantur aliquot naves Anglicanæ, Conſtantinopolin appulſuræ, quæ novum ex Anglia Legatum vehent, eumque qui jam ſuo munere eſt defunctus, accipient, ut eundem cum familia patriæ reddant: Sunt quidem mercatoriæ illæ naves, ſed bellicæ claſſis in modum armatæ: illi ego potiſſimum occaſioni immineo; neque enim ſimilem antea ſperare poſſum, quamobrem brevi hinc Conſtantinopolin concedere ſtatui, ut doctorum hominum, quales permulti ibidem eſſe perhibentur conſuetudine, inſtituta promoveam mea, & ſimul novam illam Romam perluſtrem: in quem finem, per literas, illuſtriſſ. Dom. Legatus noſter, me aliquoties ad ſe humaniſſimè evocavit. Ipſe quidem commendatione ſua, aliiſque officiis, hactenus plurimum juvit, & majora cum ſummo favore obtulit, ſi illuc venero. Hæc quidem ad latius, ut negotia, & vota mea perſpecta haberes, te autem per benevolentiam, quâ me hactenus dignatus fuiſti, etiam atque etiam obteſtor, ne iiſdem porrò gratiam tuam, & patrocinium impertire graveris, in quo ſpem magnam, & fiduciam pono: Novi enim te authoritate doctrinæ, & virtutis tuæ eximiæ multum valere, apud Dom. Curatores omneſque cordatiores viros, amicos tuos; quò juxta ceteros amicos meos effectum reddas, ne longior præter expectationem mora, quâ vitæ meæ, & harum literarum fortunas conſulendum duxi, me damno multo maximo efficiat; quod fieret, ſi propterea conceptæ fœlicitatis ſpes decollaret. Quia plus ſatis prolixus fui, ſuperſedebo commemoratione aliarum rerum, quæ hic contigerunt mihi, aut quæ ad ſtatum, utriuſque Imperii Turcici, & Perſici, necnon Chriſtianorum Eccleſias, in Aſia pertinent, eas quidem, aliaſque reſervabo proximis literis, aut in reditum meum, quem cœlitus opto, expectoque, & fœlicem illum diem, quo repetere mihi licebit, fructum dulciſſimæ conſuetudinis tuæ: Interim toto animi affectu te complexus, me, meaque omnia, tuæ pietati, & fidei commendo, Deumque Opt. Max. ſupplex rogo, ut te Orbis Chriſtiani, & Academiæ noſtræ inſigne decus, ad longævam ætatem incolumem ſervet, cum cariſſima conjuge tua, liberiſque tuis: Idem quoque precor, ceteris amicis omnibus, inprimis vero, conjunctiſſimis Collegis meis quos unà tecum omnes officiosè ſaluto.

Datum Halebi in Syria Comagena, XI Kal. Septemb. Anno Sal. cIↄ Iↄ CXXVII.

*Tui obſervantiſſimus*,

J. Golius.

## CIV.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio S. P.

*Mittit commentarios de Hiſtoricis Latinis. Honorem ſoceri Junii contra Thuanum, maxime vero Scaligerum in præfatione illius operis ut tueretur, defatigatum à multis fuiſſe teſtatur. Acerbum & vehemens Scaligeri ingenium dolet. Librum Grotii de Veritate Relig. Chriſt. excuſum ſcribit, eique propediem fragmenta tragica ſubſtitus prœloque ſubdi poſſe ſperat.*

TAndem, maxime, & amiciſſime vir, prodit in lucem hiſtoria mea, de Hiſtoricis Latinis; cujus exemplar nunc mitto: quod licet nihil elucubrarim ſubtili tuo judicio dignum, tamen, quia meum eſt, placiturum confido. Si auſus fuiſſem ulterius onerare conjugem tuam, addidiſſem codicem alterum ad Salmaſium. Sed fiet id per Lamerium, qui Gallias cogitat. Simul aliquid ad eum literularum addam. Dicere vix poſſim, quantoperè ſim ſermone, & literis multorum fatigatus, ut tuerer honorem ſoceri adverſus Thuanum. Et diatribam ſuper eo ſeorſim poſtularunt. Mihi etſi impensè honori Juniano ſtuduerim ſemper, res tamen ea tanti viſa non eſt. Quare ſatis fore putavi, ſi id fieret præfatione altera operis noſtri, quæ eſt ad Lectorem. Ita autem reſpondeo, ut ſalvo ſoceri honore, modeſtius potuerit nemo: idem ſcio judicabis ipſe ubi videris. Movere me non ſolum magna Thuani merita, ſed etiam quod filium ejus viderem tantopere à te amari: quem ſcirem nihil immeritò magni facere, præter me unum. Sanè hic erga nobiliſſimum juvenem, amor tuus tanti apud me fuit, ut vel acerbius aliquid tam multorum aſſiduo impulſu cogitantem, facilè poſſet ſufflaminare. Acrius paulo inſurrexi adverſus Scaligerum, quia edoctus eſſem ab eo fonte eſſe, quod pleraque de Junio Thuanus hauſiſſet: Ut fidem faciebant multa. Memor eram, qualia ſuperſtes evomuerit adverſus Junium, cùm totus in fermento jaceret. Et meminiſſe ipſe potes. Adhuc in noſtris, & aliorum manibus verſantur codices Juniani, Scaligeri manu oppleti bellis illis elogiis, ſimia, aſinus, cojone, & aliis id genus convitiis, βωμολόχῳ, non Scaligero dignis. Et hocce anno Heinſius noſter in lucem edidit Epiſtolas Scaligeri, in quibus non urbanatim, ſed ruſticatim Junium tanquam Germanum aſinum tangit, homo cetera magnus, ſed nimis malignus, nec ita animatus, ut ſe etiam hominem eſſe cogitaret. Vellem Heinſius periodos eas, in quibus de Junio Scaliger loqueretur, imò totas Epiſtolas omiſiſſet. Nunc aſteriſcum ponere fuit contentus: interim relinquit, ubi dicatur ediſſe notas in Cypriani Magiſtrum, contuliſſe Manilium cum MSS. codicibus Palatinis, aliaque id genus: quaſi multum interſit, utrum dicam Sophroniſci filium, an Socratem; Trojani belli Scriptorem, an Homerum. Equidem vellem hanc mihi neceſſitatem reſpondendi non impoſuiſſet Heinſius.

Et tamen ita reſpondeo, ut qui neſciat hocce anno editas apud nos eſſe Scaligeri Epiſtolas, neſcire etiam poſſit per eum, cujus me nomini dico parcere velle, intelligi Scaligerum. Nempe tum demùm nomino, cum ejus de Junio epicedium refero: Iccirco tandem ſubjungo *aliqui de Epiſtolis præſtantes viri, ſive dicti ſive adhuc innominati vobis*. Nempe innominati, ubi calumniæ reum ago. At nominati honorificè, ubi ejus de Junio elogium commemoro. Summa autem defenſionis noſtræ eò redit, dicere potuiſſe Junium de Criticis ſuis, & aliis ſimilis monetæ, illud Arellii Fuſci, ne quis me ex his cenſeat. Dicavi opus meum Illuſtriſſimo Buckinghamiæ Duci; nempe ut Cancellario Academiæ Cantabrigienſis, ad quam honorificè vocatus eſſem; ſimul ut teſtarer affectum meum erga gentem eam, in qua tot mei amantes haberem. Diſplicebit fortaſſe nonnullis apud vos laudatio Ducis; ſed ſcripta hæc à nobis, priuſquam fama increbuiſſet belli Anglicani adverſus Gallos. Nec ad ſimiles mei, innocuos Muſarum Cultores, judicium pertinet, utrius regni cauſa hoc in bello potior ſit. Equidem opto, ut genti utrique benè vortat, etſi id fieri quo pacto poſſet, minimè videam. Excuſus jam liber tuus de Religionis Chriſtianæ Veritate. Quem cùm lego in cœleſti cœnaculo cum Dis mihi epulari videor. Ut quàm correctiſſimè ederetur curavi, ut potui & debui. Sed cùm ſemel Ultrajectum, iterùm mihi Hagam excurrendum eſſet, nec perſuadere poſſem Typothetis, ut abſente me, alia prælo ſubjicerent, filiis curam committere ſum coactus. Ita factum ut tribus quatuorve pagellis, quædam compareant negligentiùs edita, ea imprimis, unde errorem ipſiſſum ad calcem annotavi. Fragmenta illa, quæ in rutis cæſis tragicorum comparent, ſperavi propediem poſſe recudi. Sed nihil hactenus æquè obſtitit, quàm quod talia à paucis legantur: quippe, ſi γνώμας paucas exceperis, ejuſmodi ſunt omnia, ut nihil inde commodi referant alii, quam penitioris literaturæ amantes, quos Grammaticos vocamus. Sed tamen quia jam finem ſuum Hiſtoria noſtra habet, hanc etiam curam ſuſcipere animus eſt; nec urgere Lamerium deſinam qui moras ſemper nectit, neque id alia de cauſa, quàm quia non facilè Seneca cum fragmentis inveniat emptorem, ob molem tot Criticorum, qui nihil annotarunt, quod ſit ad vulgi guſtum. Quod ad duos tres, ut cum Varrone dicam, phreneticos Septentrionis filios, quibus moris magnas ciere tempeſtates, ſi quis non per omnia eorum ſequatur opinionem velut κυρίαν δόξαν mihi quidem nunc aliquanto pacis amplius, atque opto, ut æternum eos Æolus compeſcat. Vir Clar. Janus Gruterus in Academiam Groningæ, & Omlandiæ vocatus eſt, ut ibi ſuccedat Ubboni Emmio. Venturum ſpero, non tantum quis is vir eſt, qui, ut de Mario M. Ciceronis, *Scævola veſter dicebat, Caneſcet ſæclis innumerabilibus:* verùm etiam quia affinitate eſt uxori meæ junctiſſimus, & mei amantiſſimus. Filius meus Franciſcus præclarum opus tuum de Jure Belli propè ad unguem callet. Et quid ei, quem juris ſtudio deſtinavi, melius commendaſſem? Memini enim me apud Tullium legere in primo de Legg. ex intima Philoſophia diſciplinam juris hauriri oportere. Id quidem comprobaſſe mihi primus videris. Scire deſidero, quid poſt hunc laborem, & gnomarum opus geminum, verum ſapientiæ Theſaurum, publici juris facere cogites. Vale, & à me, uxore, & familia omni ſalve plurimùm.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄ c xxvii. x. Kal. Sept.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## CV.

*Clariſſimo Viro,*

### Dom. Gerardo Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori.

*Quid in Geographia ſacra promoveat exponit.*

*Clariſſime Vir, Domine & Amice honorande,*

TAm mihi gratum, quam inopinatum fuit, nomen tuum conſpicere, in Inſtrumento publico, quod de Baptiſmo liberorum meorum illic, te atteſtante, formatum fuit. Gratias tibi ago non tantùm ob operam, verum etiam, & quidem præcipuè, ob voluntatem, quam ita promptè amico veteri abſenti, & non roganti impendiſti. Sed nondum habeo rem ex animi ſententia confectam. Rogo igitur ut menſe, & anno baptiſmi ſingulorum liberorum meorum, (ita enim petieram, & ea gratia miſeram, ad adfinem meum chartam memorialem, ex Ephemeride rerum mearum domeſticarum deſcriptam, quæ iſta omnia continebat) gratificari mihi digneris. Nam quod ille exiſtimavit ſufficere, non ſufficit. Nos nunc Terram Canaan deſcribimus, rem ingentis laboris; dabimuſque propediem, Euſebii Pamphili, Cæſarienſis, in Palæſtina Epiſcopi librum, περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, cum interpretatione oppoſita B. Hieronymi, cui ad oram adjungam vocabula Hebraica, ſingulorum locorum, cum deſignatione librorum ſacrorum, in quibus ea loca nominantur. Subdam præterea, (ſi Deus volet) ſingulis paginis notas meas, ut earum præſens conſpectus lectorem juvare poſſit. Græca Euſebii nunquam edita fuerunt; & ſcis quanto à nobis poſtulata, quanto promiſſa fuerunt. Beati Hieronymi liber Latinus, ingentes habuit lacunas, quas quum ex collatione gravi contextus è regione deſcripti, deprehendiſſem, non ante quievi, quam in Bibliothecis S. Victoris, & D. Thuani erui exemplaria manuſcripta, quorum ope hiatus explevi. Dici non poteſt, quantum is liber adjumentum allaturus ſit ſacrorum librorum lectoribus; nam in illis tertia fere pars continet Geographica. Sed urget Tabellarius. Vale ergo charum Caput à

Dat. Lut. Pariſ. xxiii Sept. An. 1627.

*Tuo*

BERTIO.

## CVI.

*Grata acceptaque fuiſſe ejus de Hiſtoricis Latinis commentaria, pro quibus favorem amicitiamque ipſi perennem ſpondet.*

*Doctiſſime Vir,*

PRæbuiſti gratiſſimam anſam, & aliquam prehendere mihi jamdiu in votis fuit. Quæ impediebant duo fuere: Negotia plura quàm quibus par eſſe poſſum, & ſtylus inæqualis & barbariem ſonans; quem tamen ob male jacta in me literarum fundamenta nunquam ſatis limare potui. Compedes hoſce, non ſolum Candor tuus, ſed & Gratitudo mea abruperunt. Accepi literas tuas, utinam ſcires quàm charas, cum iis ſolos amoris tui libros, æternum eruditionis tuæ, & ære perennius monumentum de Hiſtoricis Latinis. De Græcis quos edidiſti Commentarius, apud me quidem illi ſunt, & quod non plenè perlegerim, me inviti ſſimum diſtinuit negotiorum moles. Sed quod in amorem tui me rapuit, Hiſtoria fuit Pelagiana, Hiſtoria, non magis ſæculis, quàm affectibus Theologorum pugnantium diverſis perplexa, ſeriatim tamen per ipſas laceras Eccleſias deducta, & in ipſis funeſtiſſimis Eccleſiaſticorum

*Epiſtola hæc magna ſui parte mutila extat inter Arminianas. P. 717.*

tam diſſidiis, non ſine ingenii ſimul & laboris miraculo ordinata. Ad munus tuum redeo: gratiaſque ago multiplices. Quod tam eruditum opus, tam utile, noſtrum, i. Britannicum adoptione feceris. Quod tam juſtis laudibus Academiam florentiſſimam Cantabrigiam apud aures æquiſſimas, placuit celebrare. Quod me dignum voluiſti ſimul, nomine, inſcriptione, libro, literis tuis. Præcipuè verò quod Buckinghamiæ illuſtriſſimum Ducem, omni virtutum genere cultiſſimum, & mihi omnis officii nomine obſervantiſſimum, tantis, debitis tamen laudibus, poſteris conſecraſti. Ego jam Duci paro literas, à me (& forte primò) audiet quid calamo tuo debet. Unum rogo: noli me in lineis hiſce turbatis nimium quærere, alibi habito, rerum non verborum ſervus. Et quùm Erpenius tuus & Wintonienſis meus fatis ceſſere, ipſi meritis ſuis immortales, ſocias jungamus manus, meas licèt multo breviores invenias. Pater benedictionum ſit cumulus tuus, & ego interim ſervus tibi in Chriſto, & ſi placeat nomen amicus.

Ex Aula Regia Hampton. Sept. 25. 1627.

Guil. Bathon. & Wellensis.

## CVII.

*Clariſſimo præſtantiſſimoque Viro,*

## D. Gerardo Johanni Voſſio,

Eloquentiæ atque Hiſtoriarum Profeſſori.

*Suetonium ſuum mittit, munuſculum in vicem operis ejus de Hiſtoricis Latinis, quo valdè delectetur; dubium de Ormeſta expromit, ac ut ſcriptorum nonnullorum, quæ citet copiam ſibi faciat, petit.*

Superioribus tuis, Clariſſime, & amiciſſime Voſſi; quibus abſolutum de Hiſtoricis Latinis opus tuum, cujus, & brevi exinde miſſurum te mihi exemplar ſignificabas, jam ante reſpondiſſe me ſcio. Nunc illud ad me miſſum opus, curante Typographo veſtro, rectèque curatum accepi. Gratias verò, hoc nomine tibi ingentes habeo, debeoque. Nam ut referam hoc tempore, in mundo non eſt. Suetonium interim ecce tibi, ante ſemeſtre, & quod excurrit, minori hac formâ, typis excuſum, pro munere tuo, munuſculum. Eſt verò inſignis hæc opera tua, iſtamque egregiè nobis exornatam Spartam dediſti, quantum ex filo operis, & eâ quâ adhuc frui licuit, inſpectione ſubitaneâ, conjicere potui. Nam mihi exinde propius, ſæpiuſque adeunda, ac repetenda hæc adyta. Primo intuitu, & modo hanc, modò illam volutanti paginam, occurrit, Oroſius ejuſque, ut ſcribunt, *Ormeſta*. De qua voce, cùm tuas legerem conjecturas, ut elegantes, ita doctas oppidò, animadverti editionem quæ prodiit Moguntiæ An. 1615. cum Annotationibus Fabricii, Latinii, & Notis poſtremò marginalibus And. Schotti, viſam à te haud eſſe. Nam ibi Schottus in præfatione, præter cætera, hoc monet, hanc Oroſii, Hiſtoriam, inſcriptam olim vitioſè, & barbarè, *Ormeſiam mundi*, ſive *Ormeſdam*, pro *Orcheſtram*: Ut titulum ſcilicet ejuſmodi habuerit, *Oroſii Orcheſtra mundi*: quaſi in eâ, ut in ſcenâ, ac theatro quodam mundi, ac mortalium clades, ac calamitates, ob oculos propoſitas omnibus, ac recitatas voluerit. Et addit Schottus, ita nominandam, inſcribendamque, primo vidiſſe in Prodicio ſuo Pighium. Occurrit deinde & aliud, & quod me propiùs reſpicit, illud ſcilicet, quod in Saxone Grammatico, de S. Gulielmo Pariſienſi refert, qui in Daniâ Abbas, obiit Cœnobii Ebretoſtrenſis. Ejus enim vita, à Diſcipulo ipſius deſcripta ſi penes te ſit, aut ubi haberi poſſit, [nam ex ea verba quædam laudas] ut mihi ſignificare haud graveris, oppidò velim. Hiſtoria quoque Muſſati, & ea præſertim cujus mentionem facis, editio Veneta, ſi jam prodiit, & Leydæ proſtet, ejus mihi exemplar mittat Bibliopola Johannes Maire, ut moneas, rogo. Authorum præterea veterum emendationes paſſim inſperſas, variaſque in eodem obſervationes tuas perutiles ac neceſſarias vidi; quarum ego rerum, atque Authorum ſyllabum, ſive indicem omiſſum ſolummodò deſideravi. Sed hæc altera tua editio, aliaque talia adjicere poterit, volente Domino: Qui & te, mi Voſſi, diu ſalvum, ac ſoſpitem præſtet, quò ita egregiis hujuſmodi laboribus, ac lucubrationibus doctiſſimis, ſufficere deinceps, multoſque in annos valeas.

Dabam Hardervic. Anno Dom. v. Novemb. 1627.

T. Joh. Isac. Pontanus.

## CVIII.

## Abrahamo van der Merio,

Senatori.

*Reſpondet ad dubia quibuſdam vocabulis in Scholis Grammaticorum ob ſexum ſuum mota. Judicium profert exquiſitum de Eugubino Steucho, itemque Hieronymo Floravantio, myſteria Religionis Chriſtianæ antiquis gentium Philoſophis fuiſſe cognita affirmantibus. Triſmegiſtum & oracula Sibyllina ſuppoſititia arguit. Commendat libellum Grotii de Veritate Relig. Chriſtianæ.*

*Vir Ampliſſime, cognate optime, & amiciſſime,*

De Hadriano Imp. legimus, quoties à Poëtis verſus afferentur, eos verſiculis ſuis remunerari ſolitum. Ac placuit exemplum, Pio II. qui antea vocatus Æneas Sylvius Piccolominæus. Ejus illud circumfertur.

*Diſcite pro numeris, numeros ſperare Poëtæ.*
*Mutare eſt animum carmina, non emere.*

Quanquam Voſſius tuus, nec eſt Cæſar, nec Papa, tamen (vide quos ſpiritus gerat) decretum ei, utriuſque veſtigiis inſiſtere. Itaque pro verſibus, verſiculos mittit, ut ſit hoſtimentum par pari. Dices non tam verſus te exſpectaſſe, quam judicium meum, de dubiis, ut Grammaticorum filiis ea viſum nuncupare. Age igitur, ſi ita placitum ſit hoc opellæ noſtræ poëticæ Mantiſſa, vel Corollarium. Ego interim Cathedram Grammaticam aſcendo, & te Auditore, vel Lectore uno, contentus (etiam Antimacho unus auditor Plato ſuffecit, qui erat ei inſtar omnium) de dubiis iſtis, non dubiam feram ſententiam. Faciamque id (ſi ita cum Lovanienſibus Magiſtris loqui fas ſit) magiſtraliter. Quidni enim mihi id per te liceat, qui longè etiam majora mihi permittis? Quare in rem ipſam venio. Tu Ampliſſime Senator, togam compone, & Grammaticum hominem audi contendentem, non in veſtro illo, ſed foro ſuo. Primùm igitur ajo, furcillis quædam ex dubiis iſtis proculdubio expelli debere. Nec ignoro, quo tibicine vulgus fulciat opinionem ſuam. Sed tibicen iſte eſt ficulnus, ut non poſſit non labare, quicquid imponas. Nam de *Natrix* fefellit Grammaticos, Lucani locus. In *Alcyon* decepit Servius. In *ficus* pro fructu impoſuit Martialis locus malè intellectus. Muliebri enim genere uſurpant Celſus, Plinius, rei ruſticæ ſcriptores, & quicquid Claſſicorum eſt uſpiam Authorum. *Camelus* Græcis quidem fœmininum eſt, Latinis nunquam. De *Pharus* etiam ſitne dubium, planè dubium eſt, atque incertum. Tutius ſaltem in muliebri genere uſurpes. *Pulvis* vix inter dubia reponi meretur. Sed hoc tamen non acriter ducere velim ſertam cum quoquam. Hui, inquies, ſi tam multa ex verſibus hiſce expellantur in Morboniam, in arctas admodum copias cogentur dubia. Mane vir præſtantiſſime, nos in eorum

eorum locum quos fugavimus, novos ſuccenturiabimus. Erunt autem iſti *Varix*, *Sandix*, *Onyx*, *Sardonyx*, *Canalis*, *Volucris*, *Ales*, *Palumbes*, *Arrabo*, *Bubo*. Vides quàm multi, ut periculum non ſit, ne armis expellantur inde, quo à me deducti. Multoque minus laborabunt, ſi jure veſtro contendatur. Quamquam profectò ita aperta eſt hæc cauſa, judicio meo, ut minimè metuendum ſit, ne priores iſti, quos expulimus ex interdicto, unde vi, reſtitui poſtulent. Cauſa iſta perorata, ut ego quidem cenſeo, venio ad judicium quod poſcis. De Steuchio Eugubino equidem ita judico, malè eum mereri de Religione Chriſtiana, quando myſteria ejus cognita fuiſſe docet, Antiquis Gentium Philoſophis, imprimis Platoni: atque hoc ut perſuaſum eat, planè aliorſum torquet verba ejus, quam Philoſophus ille ſenſerat. Nec magis probo, quod ea ſtabilire conatur, ex Triſmegiſto, ac Sibyllinis Oraculis: ubi multò apertiùs arcana Religionis proponuntur, quàm in Prophetarum Vaticiniis. Atqui quis neſcit ea tempora, quæ ἐνανθρώπησιν ſoſpitatoris noſtri præcedunt, ab Apoſtolo ipſo nominari, χρόνοις αἰωνίοις; aut quem fugit ἐνανθρώπησιν, eidem dici μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ; Quibus gemina & alia in ſcripturis leguntur. Nec ignoro, quæ ab Hieronymo Floravantio, Lib. III. de beatiſſima Trinitate, cap. I. adferantur, ut doceat Trinitatis myſterium, aliquo modo gentibus fuiſſe cognitum. Sed ille eadem ac Eugubinus chorda oberrat. Hoc eſt vel genuinis Gentilium ſcriptis, falſam affingit ſententiam, vel ſcripta ἀποβολιμαῖα ac ſuppoſititia habet pro genuinis. Mihi neutrum placet. Nec enim veritas cœleſtis, quæ eſt à Chriſto, & Spiritu ejus, indiget mendacio, quod Patrem habet Diabolum. At Platonicos non id voluiſſe, quod Eugubinus putavit, nemo negabit, qui in Platone cum judicio fuerit verſatus. Triſmegiſtum autem, & Sibyllina, ut vocant Oracula, eſſe ſuppoſititia, & res clamat, & dictio ipſa arguit. Quod ego pluribus commonſtrarem hoc loco, niſi inter alios, luculentè id feciſſet Caſaubonus, exercitatione prima ad apparatum Annalium Baronii. Nec neſcivit hoc Magnus Civis tuus, qui breviſſimè nuper pro veritate Religionis Chriſtianæ Commentariolum edidit, ſanè hoc ſeculo potiſſimum, quo omnia ad ἀθεότητα vergunt, perutilem eoque utiliorem, quod quantum hactenus potui videre, ſcopulos effugerit, in quos priores impegere: Nam ſegregavit ille argumenta iſta, quibus myſteria noſtra Religionis, non ſine aperto mendacio probarentur. Præterea Religio eſt ei, quod debemus Spiritui Sancto, & Prophetis ac Apoſtolis, id acceptum ferre lumini Naturæ, & cæcarum gentium lacunis. Quod parùm religiosè fecit Steuchus, & cum eo alii nonnulli. Ad duo tantum capita Epiſtolæ tuæ reſpondi: Et vides jam in tantum literas haſce excreviſſe. Quid futurum eſt, ſi de cæteris, etiam quid ſentiam, attexam? Sed de iis, vel coram, vel literis alteris videro. Tu, Ampliſſime vir, loquacitatem meam boni conſule. Salutem conjugi tuæ. Deſidero ſcire, an planè jam valetudini ſuæ reſtituta ſit ſocrus tua διὰ γυναικῶν. Quare quando otium eſt reſcribendi, velim verbum de hoc attexas. Multam etiam ſalutem Senatus veſtri Præſidi, ac Curatori Academiæ noſtro Cromboutio.

Lugd. Batavor.
clↄ Iↄ c xxvii.
xiii Kal. Dec.

*Tuus ſine fuco,*

G. J. Vossius.

## CIX

## Arnold. Buchellius, G. J. Voſſio,

Philoſ. & Hiſtorico Clariſſimo.

*Magnis extollit laudibus inexhauſtam diligentiam, quam de Hiſtoricis Latinis impendiſſet operi. Quædam ad illud eruditè annotat, & prætermiſſorum nonnullorum Authorum indiculum attexit.*

CLariſſime Doctiſſimeque D. Voſſi, percurri pridem librum tuum, de Latinis Hiſtoricis; in quo admiratus ſum inexhauſtam tuam diligentiam, incredibilem patientiam, & exactum ſimul judicium tuum. Admiratus (inquam) ſum quotidianis, & quaſi perpetuis tuis occupationibus, tantùm temporis vobis ſupereſſe potuiſſe, quod tam vaſto operi ſufficeret. At ſupra ſpem omnia inveni, adeo ut deficiant verba, quibus tanti laboris merita, dignè expreſſero. Vidi quam infinito ſtudio pelagus illud Authorum ingreſſus fueris, quod etiam incerti nominis, & ætatis ſcriptores, inter tineas, & blattas deliteſcentes, in lucem produxeris. Et penè (ut ita dicam) miſeret me tui, qui tantum laboris, impenderis illis S S. Vitis legendis, quarum major pars impoſſibilium, ac incredibilium rerum narrationibus, ne quid dicam acerbius, occupatur. Veruntamen cum hæc, non tantum noſtris hominibus, ſed toto erudito orbi ſcripſeris, oportuit ſanè ad ſæculi hujus mores te accommodare; At interim hoc ſedulò caviſti, ne quem temerè oſtenderes: quod licet apud bonos æquoſque Lectores, te impetraturum minimè diffidam, vereor nihilominus (ut nunc ſunt hominum mores) ne omnibus, vel ſic in iis ſatisfeceris. Sunt enim quibus Religionis velum S S. vel manifeſtiſſimis prætenditur mendaciis, quod omnibus cenſuris ſuperius arbitrantur. Sed ad rem venio; Vir humaniſſime, pauca inter legendum notavi, inter quæ, & Typographi errata, ſed talia quæ veritati fucum facerent. Eorum hic ſpecimen adjungo.

Pag. 446. *De Beka ad finem, ac prætexit uſque ad annum* clↄ cc xlvi. *quo & ipſe in terris morabatur.*] Hic innumero erratum, & C. unum omiſſum, nam vixit poſt annum 1300. & Chronicum ſuum ad Johannem Epiſcopum perduxit; ad annum nempe 1345. teſte Trithem. MS. meum ultra 1360. producit, ſed ab alio quædam aſſuta credo. Idem Trithemius claruiſſe tradit, ad annum 1348. Geſnerus in Biblioth. An. 1350. Pantaleon 1340.

Pag. 814. *In lucem primus protraxit, Bernardus Furmerius.*] At erroribus adeo plenum; ut vix linea in toto libro ſit integra: neque ſanè eo nomine illi multum debemus, cùm quivis facilè in tanta copia exemplarium manuſcriptorum, peſſimè deſcriptum, lucelli tantùm ſpe in lucem protrudere potuiſſet; & abſque dubio, jam meliorem eum Authorem haberemus, niſi hominis ea ſedulitas fuiſſet. Ego in tantillo libro, aliqua centena errata reſtitui, quæ nullo modo excuſari poterant; Idque cum rurſum tantum perlegiſſem, D. Grutero inſtante, ac urgente, ut Francofurtum mitterem. Quid autem denuo libro hoc factum ſit, nondum intelligere potui, ut neque de Steda meo; ad quem quædam etiam notaveram: quarum Notarum, nonnullas ex Adverſariis collectas, una cum meo Exemplari, ad D. Scriverium miſi.

Pag. 839. *Johannes cognomento Palaonydorus*] Videris hunc Johannem, alium facere, à Johanne de Aquà Veteri, cujus pag. 529. memineras: cùm tamen, Tempus, Patria, Scripta, Ordo conveniant, nec alium præter unum Johannem Aquaveteranum reperiam; hos unum, & eundem credo, ut mecum Valerius Andreas, qui ante annos tres quatuorve, in lucem dedit Lovanii Bibliothecam Belgicam.

Pag. 838. Authorem hujus Polyphili, indicant literæ Capitales titulorum, quas collegi, in hunc ſenſum: *Poliam frater Franciſcus Columna peramavit:* Ut mihi indicium fecerat, Johannes Martinius, qui hunc librum ex Italico tranſlatum, Anno 1546. Pariſiis edidit, Geſn. Venetiis apud Aldum excuſum, tradit Ital. neque puto Latinè extare. Benedict. Curtius ad Arreſta Amorum, ſic de eo ſcribit, *Et multiſcius Franciſcus Columna Parentationes in Templo Polyandrios fieri finxit, his qui ob amorem periclitati fuerint.* Idem Arreſto 40. *fuerunt etiam qui proſà vulgari, Amicas ſuas celebraverint, inter quos verò, doctior Franciſcus Columna, cognomento Polyphilus,*

*las, qui Peliam illam ſuam, omnium diſciplinarum doctiſſimam interpretationem, ac omnium Artium officinam inſtructiſſimam exornat, plurimiſque Epithetis honeſtat.*

*Eadem.* Certè meo judicio, Theſaurum continet Antiquitatum, & Elegantiarum.] Cyriacum Anconitanum nondum vidi, ſed eundem, non optimâ fide dediſſe inſcriptiones, ac plurimas finxiſſe ſatis apertè indicat Doctiſſ. Ant. Auguſtinus, Dialogo XI. de Numis, & Antiq. inſcriptionibus; eumque Annio Viterbienſi, ea in re comparat.

Pag. 827. Corius anno 1485. annorum fuit 25. ut in Præfatione ad Aſcanium Sfort. Card. ipſe ſcribit. Idemque dedit vitas Impp. Rom. à Cæſare, ad Barbaroſſam, ſed Italicè; promittit & librum de Vitis Philoſophorum, Poëtarum, & Mulierum illuſtrium, quem nondum vidi; An ediderit neſcio; Cæſares ad finem, Operi Hiſtorico adjunxit.

*Sed in Reuberi Editione libri ſunt* VIII. habeo & ejus operis editionem in fol. Baſ. ap. Pernam anno 1533. octo tantum libris conſtantem.

Pag. 799. *Rexiſſe Eccleſiam Rhemenſem annis* XXVII.] *Redonenſem*, ſcribendum, cum nullus Marbodus hoc tempore fuerit Rhemenſis Epiſcopus; Errorem etiam ſequentia verba ſatis detegunt.

Pag. 327. 796. *Atque omni rep.* Certè mirum videtur, Suffridum Petri tam mordicus propugnare ſuæ gentis fabulas, cum vir fuerit alioqui doctiſſimus, & judicii præterquam in patriâ Hiſtoriâ boni: hunc pertinaci animo ſequuntur Furmerius & Hamconius, quos trium viros fabularum patriarum vocare ſoleo. Et utinam hi non ſuos inveniſſent aſſeclas.

Plura attexerem, niſi vererer hiſce meis nugis utiles vobis horas adimere; neque hæc alio animo quam juvandi ſcribo, cum ſciam non omnia omnibus eodem tempore patere: neque tu, doctiſſime vir, aliter hæc capies. Conatum ſaltem videbis, etiamſi nihil alicujus momenti præſtiterim. Addo tantum indiculum Authorum, quos neſcio, an videris.

Scriptores varii rerum Leodienſium quos Jo. à Chappeauville, in lucem dedit Leodici 3. Tom. an. 1612. in quarto. Inter quos Harigerus Abbas Lobienſis, Anſelmus Can. Leodienſis & Joannes Placentius Dominicanus; Catalogus Epiſcoporum Tungrenſium; Hunc inter incerti ævi Authores retuliſti, ſed ætatem facilè ex ipſo quem apud me eſt libro conſtabit.

Petri de Blarrorivo Pathiſiani inſigne opus, Nanceidos in fol. vulgari Libb. VI. verſibus heroicis conſcriptum, impreſſum verò in pago Lotharingiæ D. Nocalai de porta; per Petrum Jacobi Pebrum, loci Paganum an. C. 1518. non. Jan. quo die etiam ipſum Nanceianum peractum eſt An. 1476.

Valerandi Varami de Gèſtis Johannæ virginis Libri IV. verſibus conſcripti, editi in quarto Pariſ. anno 1516. Rob. inde Stephani Anno 1529. iteravit.

Horatii Poëtæ Idoraria, Poëma Libb. 2. ad Nic. V. Pontif. Max. de Conſpiratione Portiana in ipſum Pontificem. In membr. eſt apud me.

Ant. Sanderus Presbyter, edidit Anno 1624. Antw. in quarto apud Guil. à Tongris, de ſcriptoribus Flandriæ Libros 3. De Gandavenſibus eruditione claris lib. 3. de Brugenſibus eruditionis fama claris Lib. 2.

Eſt & apud me Vita Henrici Imp. Virginei quam ſcripſit (ita habet Tit.) Adelboldus Traject. Epi. Mſ. Vita Henrici Quarti Cæſ. Aug. Ducis Bavariæ VII. Paulo poſt, matris illius à quodam ejus temporis conſcripta. MS.

Item de Impp. Æquivocis Henricis. MS.

Vita S. Adalberti confeſſoris. MS.

Sed jam ſatis ſuperque tuam patientiam exercuimus, ſi tamen hæc vobis non ingrata, aut moleſta fuiſſe intellexero, plura me miſſurum recipio, ſummi beneficii inſtar erit, ſi ſenſero me vel minimum profuiſſe. Vale, vir Doctiſſime, & me tui amantem redama; ac ſalve, & rem mihi gratam te facere crede, ſi à me ſalutem D. Barlæo dicere non grave fuerit.

Trajecti calamo feſtinante, X. Kalen. Decemb. CIↃ IↃ C XXVII. ſtylo noſtro.

## CX.

*Gratias agit pro Hiſtoricis Latinis, affectum & amicitiam perennem ſpondens.*

*Clariſſime Humaniſſimeque Vir,*

NOn oportebat gratias eſſe tam tardas. Sed locorum intervallis, injuriiſque temporum dandum eſt hoc vitium, non meo animo. Aderant jam Natales Σωτηρίοι, priuſquam appulere ad me amoris illa tui ſuaviſſima depoſita. Atque interea dum ad Doctorem Bealum (Cantabrigiâ jam tum abſentem) ad D. Junium, adque fratrem meum (longiſſimè diſſitum) tranſmittendi quæruntur opportunitates, aliquot menſes præterfluxere. Jam tandem; repono tamen, pro libro literiſque ſummas gratias, pro amore pectus & animum. Equidem jampridem in eo ipſo quod Academiæ noſtræ contuleras munere, reputabas meas partes ineſſe; ſed cum & mihi ſeparatim atque inter paucos, viderem te clariſſimum hoc pignus ultrò crediſiſſe, mirum in modum cœpi de Voſſiana amicitia mihimet gratulari. Et certè ſi Cantabrigiam te noſtram inviſere contigiſſet, (ut aliquando ſpes erat) non defuiſſent (confido) officia mihi, quibus meum erga te ſtudium, penitiſſimoſque adfectus commendare præſenti tibi potuiſſem. Verum nunc interculſæ ſunt alæ mihi illorum officiorum, præterque gratias, & pia vota, reliquum eſt nihil, quo amores meos probem tibi. Quanquam cùm & Reverendiſſimo Antiſtite apud nos, tuique amantiſſimo dudum intellexerim, non deeſſe tibi progeniem, Parentis ſimilem, bonæ literaturæ, famæque cupidam, erit fortaſſe aliquando (σὺν Θεῷ) ut hic apud eorum aliquem poſſim clarius exponere, quàm aucta in parte exiſtimationis atque benevolentiæ æternùm reſideas in meo pectore.

Tu, egregium decus literarum, vive diu, & benigno numine fruere, nomenque tuum, quod jamdiu feciſti, perge porrò æternitati commendare. Ea aſſiduè vota nuncupat, qui te intimis meritò adfectibus complectitur,

Dat. in ipſo Æquinoctio Vernali Cantabrig. è Coll. D Petri. CIↃ IↃ C XXVII.

*Æterno nexu tibi devinctus,*

MATTHÆUS WREN.

## CXI.

*Pro honore dedicati elaboratiſſimi operis Hiſtoricorum Latinorum amicitiam ſtudiaque paratiſſima promittit.*

*Eximie Vir,*

QUanquam eſt quòd doleamus excidiſſe nos expectatione noſtrâ, quam de adventu in Britanniam tuo conceperamus: literæ tamen tuæ minuerunt nobis illam ſolicitudinem, quibus præter teipſum nihil ad nos gratius acceptiuſve pervenire poterat. Quòd ſive rerum tuarum conditio fœlicitati noſtræ obſtiterit, ſive Lugdunenſium tuorum affectus atque amor, quem non mediocrem ex tuis in illam Academiam meritis eſſe conjicimus: Utcunque nobis in propenſitate erga nos tuâ, quàm luculenter adeò, optimus ipſe tui ſenſus interpres, expreſſiſti videtur acquieſcendum. Academias itaque Britannicas, præſertim hanc noſtram, tanto apud te in honore eſſe ſummopere gra-

gratulamur. Non enim leve aliquod momentum laudibus noſtris acceſſiſſe judicamus ex tanta ſuffragantis amplitudine. Theologi autem noſtri, ſi jam in vivis eſſent, quàm mox tibi catervatim gratias rependerent: cujus beneficio habent, quòd nec ſolerti Lectore, nec fideli teſtimonio deſtituti ſint? Cum & integritas tua omnem aſſentandi ſuſpicionem facilè ſummoveat, & acerrimi judicii confirmata in animis hominum opinio præſtet, ne in ferendâ ſententiâ deceptus videare. Atque utinam te nobis vel Fortuna non invidiſſet, vel Numinis potius indulſiſſet Clementia, ut quod mutis Britanniæ Magiſtris debere ſe profitetur Humanitas tua, auritæ diſcipulorum turbæ vivâ ipſe voce perſolveres. Quanquam nec illi muti prorſus ſunt, imò ne mortui quidem, quibus tu quotidie vitam ac vocem ſuppeditas. Ut ſi rectè rationem ſubducamus, tuo illi in ære ſint, tibi inter cæteros, atque etiam præ quamplurimis hujus Seculi viris Eruditiſſimis claritatem illam quâ etiamnum conſpicui cernuntur acceptam referant. Quòd igitur in noſtrorum laudibus tam copioſus fueris, & illud quidem benevolentiæ tuæ luculentum ſatis indicium: quod autem inſignem illam elaboratamque ingenii tui ſobolem (quaſi Polydorum alterum) nobis ſervandam concrediderls, hoc certiſſimum amoris tui τεκμήριον, quin & arctioris cujuſdam neceſſitudinis eſſe ducimus. Videris enim cum ipſo fato contendere, ut nobis aliquo ſaltem modo prodeſſe valeas, & licet Scholæ, quæ te anxiè cupideque præſtolata eſt, adeſſe nequeas, Bibliothecam tamen lucubrationibus tuæ ornatam velle. Agnoſcimus (Eximie Vir) atque amplectimur hunc animi tui candorem, & arrhabonem iſtum inter κειμήλια noſtra in perpetuam Authoris ſui memoriam ſanctiſſimè cuſtodiendum curabimus. Vale feliciter.

Cantabrig. datæ è frequenti Senatu noſtro, Anno cIↄ Iↄ c xxvii, poſtridie Id. Decemb.

*Amici tui,*

*Procancellarius reliquuſque Senatus* Cantabrigienſis.

---

CXII.

## Gulielmus Bathonienſis & Wellenſis, Cl. Voſſio.

*Gratiſſimas ipſius literas cum novo de Hiſtoricis Latinis opere fuiſſe, Buckinghamiæ etiam Ducem ſolicitum eſſe, quâ ratione munificentiam ſuam, pro honore dedicationis, optime ipſi conteſtari poſſit.*

ALiam datam mihi occaſionem ad te ſcribendi (Vir doctiſſime) libenter accipio. Et certè gaudeo (etiamſi undique mole negotiorum gravatus) hanc opportunitatem mihi ſe obtuliſſe. Non diu eſt ex quo literas tuas gratiſſimas accepi una cum Hiſtoricis Latinis à te novâ vita donatis. Ego ſtatim acceptis libro, literiſque, literas ad te dedi calamo ſanè obeſo & per deſuetudinem titubante. Unum in tua illa pereleganti & graviſſima Epiſtola Duci Illuſtriſſimo nuperrimè nuncupata invitus legi, ſcilicet, te ſuaſu tuorum & pollicitis Reipublicæ illius animum tuum mutâſſe, & proinde cælum non mutaturum, nec acceſſum nunc ad nos te paraturum. Sed quod in hac re tibi placuit, mihi lex ſit: Nolo ſperare quod non vis. Interim Dux Buckinghamiæ (qui Deo gratias apud nos iterum ſalvus) amore & tuo, & tui captus omnes meditatur vias quibus de pari honore, quo tu illum, afficiat. Remora munificentiſſimæ gratitudinis nulla, niſi quod prorſùs neſcit quid potiſſimum eligere debeat, in quo tibi benefaciat. Et hoc ut ego tibi ſcriberem in mandatis dedit. Officium (etſi difficilius ſcribo literas) mihi gratiſſimum. Nunc iterum vel hanc ob rem doleo te exuiſſe animum ad nos accedendi. Potuiſſet enim heroicus animus majora quam nunc apud vos poteſt. Unum reſtat, ut te oſtendas dextrum fortunæ tuæ fabrum & prudenter excogites quid tibi factum velis: ſic quale optare fas eſt (novi autem ni tua me fallant ſcripta ingenium tuum) & factum puta. Fortè deliberandum eſſe de re ipſa judices: Delibera: tamen hoc unum peto, ut præſenti quam fieri poſſit reſponſo certiorem me facias literas has ad manus tuas perveniſſe. Scio enim Ducem, candoris tui cultorem eximium, reſponſum expectare, quod (ſi fieri poſſit) literas haſce meas anteverteret. Quod reliquum eſt, preces oro effundas pro peccatrice anima.

Decemb. 22, 1627.

*Devinctiſſimi tibi in communi Salvatore Jeſu Chriſto,*

GUIL. BATHON. & WELLENSIS.

---

CXIII.

*Reverendiſſimo in Chriſto Patri,*

## Guilielmo,

Bathonenſi & Wellenſi Epiſcopo.

*Impenſè ſibi gratulatur tum inſignem ipſius erga ſe amorem, tum præclarum Buckinghamiæ Ducis affectum, quod bene adeo de ſe mereri cogitet, nil majus in votis habens quam ut perennem illum uterque conſervet.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater,*

SI in equis, generoſioribus quidem illis, at mutis tamen animantibus, ita uſu venit, ut in certaminibus applauſu, & quaſi gratulatione adſtantium ad velocius currendum incitentur: quid fieri hominibus putemus, iis præſertim, qui in ſtudio virtutis induſtriæque pro viribus bene mereri contendunt de literis ſtudiiſque. Ecquid de me illud dicere habeo, geminis Reverendiſſimæ dignitatis tuæ literis amorem favoremque ſummum ſpirantibus, poſterioribus etiam indicium facientibus de præclaro Illuſtriſſimi Ducis affectu erga me, licèt immerentem, ſtimulos mihi ſubditos eſſe acerrimos, ad porro gnaviter inſiſtendam, quam calco hactenus, honeſtiſſimi laboris viam. Hoc cum per ſe magnum eſſet: non tamen hic felicitas mea ſtetit: Sed cum ſummi beneficii loco habendum ab alio, ac meipſo etiam, foret, ſi Illuſtriſſimus Dux ſupplicanti ſolùm benignas præberet aures: nunc quod tanto majus eſt, ſponte etiam per Reverendiſſimam dignitatem tuam, exquirere non eſt dedignatus, quo pacto Celſitudinem ſuam hoc tempore bene mereri de me poſſe arbitraretur. Quo nomine nunc digitis mihi coelum videor attingere. Ut qui nihil poſt virtutem ipſam majus unquam putarim, quàm placere poſſe Principibus viris, & ſummis Eccleſiarum antiſtitibus: quos virtus ipſa conſtituiſſe, quaſi agonothetas ſuos, videtur. Quare, ut dixi, hoc nomine plurimum gaudeo, aut verius triumpho. Non tamen factum a me quicquam puto, quo affectum ejuſmodi ſim promeritus, cum heroicæ Illuſtriſſimi Ducis virtutes, quicquid ab umbraticorum hominum ſtudiis proficiſci poteſt, albis, quod dicitur, quadrigis, vel amplius etiam, excedant. Quin potius metuendum mihi fuit, ne id, quale quale eſt, negligendo, iratam prope virtutem habiturus mihi viderer. Quamobrem etſi haut adeò cornea mihi fibra eſt, ut non ſentiam, quantum heroicus Illuſtriſſimi Ducis animus poſſit: neque fortunæ meæ, aut meorum hujuſcemodi ſunt, ut optatiſſimam hanc occaſionem ſine ſumma imprudentiæ nota negligere debeam: tamen ita exiſtimo, nec eſſe modeſtiæ meæ eligere quaſi præmii genus, ubi nullum mihi deberi putem, ſed nudo tanti Ducis affectu abundè ſim remuneratus: nec ſiquid excelſa mens ulterius velit, uſque adeò cæcutio, ut non videam, ipſum Illuſtriſſimum Ducem pro benigna Celſitudinis ſuæ prudentia, & benevolis Reverentiæ tuæ conſiliis quid in rem meam & meorum ſit, longè me-

melius perſpicere & poſſe & velle, quàm mei ordinis ulli etiam in rebus ſuis cernere valeant. Nihil igitur mihi ſupereſſe video, quàm ut quàm maximè me commendem Reverentiæ tuæ, Deumque votis ſupplicibus orem, ut perpetuum eſſe velit hunc erga me affectum Illuſtriſſimi Ducis: cujus honori & obſequio, ſimulque etiam tuo, Reverendiſſime Pater, quicquid vitæ largietur Deus, deinceps decurret. Idem ſupremum illud numen rogo, quantum poſſum, ut & Illuſtriſſimum Ducem, & Reverendiſſimam dignitatem tuam, non modò Britanniæ ſuæ, ſed etiam devotiſſimo huic cultori diu conſervet incolumes: ac mihi quoque eas conſervet vires, ut ne tam præclarè promeritis unquam videar ingratus.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄc xxviii. x Kalend. Feb. poſtridie nempè, quàm redditæ mihi eſſent acceptiſſimæ illæ Reverentiæ tuæ literæ.

*Reverendiſſimi Nominis tui cultor devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CXIV.

*Reverendiſſimo in Chriſto Patri,*

## Georgio,

Ciceſtrienſi Epiſcopo.

*Ejuſdem Argumenti cum priori.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater,*

INter feliciſſimos vitæ meæ dies, quales lapillo ſignare albo antiquitas conſuevit, non poſtremum tribuere iis locum ſoleo, quibus Reverentiam tuam, & præſtantes gentis veſtræ Theologos, unà tecum ad Synodum legatos, videre & affari mihi datum fuit; Dordrechti primùm, mox iterum Lugduni. Exinde mihi ſæpe in animo, ſæpe in ore, eruditiſſimi illi ſermones, quibus me, menſâ dignati, beare voluiſtis; nec doctiſſimi illi modò, ſed non minori etiam humanitate conditi: quippe quam tunc expertus erga me ſim planè ſingularem. Horum memoria mihi literas Reverentiæ tuæ, longè acceptiſſimas per ſeſe, multò etiam gratiores reddidit jucundioreſque. Equidem avidè eas hauſi, nec legiſſe eas ſuffecit, iterum iterumque relegi. Et animadverto, tanti Viri affectu erga me, magis etiam me inflammari ad bene merendum de ſtudiis literarum. Nempe, quod vulgò ajunt, laudatam creſcere virtutem, id in me quoque locum habere ſentio; atque hoc etiam nomine plurimum tibi debeo, & deinceps etiam debebunt ſtudia noſtra. Nam quem non apprimè delectet, ſi, & amari ſe, & alicujus fieri intelligat ab viro in ſumma dignitate conſtituto, & maximis animi dotibus dignitatem iſtiuſmodi multùm exſuperanti? Quæ quanto magis cogito, tanto magis mihi operam dandam judico, ut affectum hunc mihi ſemper conſervem, atque adeo etiam, ſi fieri poſſit, augeam: quod ſcio non aliter me conſequi poſſe, quàm ſi memet vincere coner, in hoc vitæ inſtituto. Hunc animum non potui, quin tribus nunc verbis perſcriberem. Nudius tertius demùm Reverentiæ tuæ literas accepi. Interea Hagæ, partim ab occupationibus, partim ab amicis detentus ſum. Nunc autem Lugdunum ſubitò vocor. Nec ventus minus in Angliam vocat Nobiliſſimum Dudleium Carletonum, quem ſine meis literis ad Reverentiam tuam venire nefas putavi. De Baronio, & Pelagii patria, nunc nihil addo: quia volo, ut ſimulac Lugdunum rediero, inde alterum mihi ſuggerat literarum argumentum. Deus Opt. Max. Reverendiſſimam dignitatem tuam diutiſſimè Eccleſiæ ſuæ ſalvam ac ſoſpitem ſervet: nec Eccleſiæ modò, ſed etiam mihi, qui, quantum poſſum, elaborabo, ut ne nunquam affectu & obſequio cuiquam eorum videar ceſſiſſe, qui inter devotos cultores Reverendiſſimi tui nominis, nomen profiteantur ſuum.

Hagæ Comitis, MDCXXVIII. VII Kal. Febr.

*Reverendiſſimi nominis tui cultor obſtrictiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CXV.

## Samuel Johnſon Voſſio.

*Magnum Voſſii deſiderium eſſe in Academia Cantabrigienſi, quem iniqua fata virum ei invidiſſent. Multum verò ſibi de tanto gratulatur amico, cui amorem atque mutua pollicetur officia.*

MUſæ Solonis ſententiâ (Reverende Muſarum Apollo) Ζηνὸς Ὀλυμπίε ἀγλαὰ τέκνα appellantur. Patrem habent Jovem, & quid Jove majus habetur? Patrem habent adjutorem, ſic enim Jovis à juvando nomen, hæc Muſarum fœlicitas. Fœlices, nimiùm fœlices fuiſſent Muſæ Cantabrigienſes, ſi adventum tuum, Clariſſime Voſſi, quem Academia ceu Jovem veneratur, ſi adventum tuum & influentiam tam diu exoptatum iniqua nobis fata non invidiſſent. Doriſlaum accepimus. O ſi Voſſium! illum laudamus, te ſuſpicimus. Dignus ille ſatis qui hiſtoriam perlegat, ſi non Voſſius huic muneri deſtinatus. Epiſtolium accepimus, quæ quidem Epiſtola fuit ſatis ampla & luculenta tui amoris teſſera. Sed nobis pro amore viſum eſt epiſtolium, quicquid ſit, cum tuum [illegible], nos in bibliotheca noſtra in Jacobi ſcrinio memoriæ ſacrum conſervamus. Te abſentem videt, tacentem audit & amat Academia, & ita amat ut quamvis ad familiaritatem accedere multùm cupit, ad amorem certè nihil poſſit. Sed quo me rapit commune votum & amor tui ut mei obliviſcar? Quid ego tibi pro tua in me gratia Lugduni exhibita? quòd mecum indigno tanti viri alloquio dignatus es colloqui, quodque longè maximum duxi in amicorum meorum albo nomen inſcribere meque tuis laudibus (ſic enim jure appello) cohoneſtare. Utinam tam felici eſſe olim contingat mihi ut qui tibi jam videor, is aliquando eſſe poſſim: tum nec falſo mihi teſtimonio adulatus erit Voſſius, nec ego tanti viri indignus amicitiâ. Dabo operam nec vana de me prædicarit Voſſius vel hoc uno nomine dignus ut ſim qui Voſſium prædicem.

Miratus eſt Seldenus (qui tamen te amat medullitùs) cur librum illum omnium applauſu acceptum Duci Buckinghamienſi dicares, ego tuis verbis reſponſum dedi. Cancellarius eſt noſtræ Academiæ. In titulo epiſtolæ aliquantulum errabas (quod vitium certè non fuit) vel ab Anglo forſan aliquo, vel titulo Anglice ſcripto deceptus. Ego Domino meo omnia fauſta & felicia ex animo precor, & ſi vel minimam honori tuo labeculam ab immundo cujuſquam ore aſperſam videro, non ſecus ac proprio dedecore commovebor. Vale.

Raptim, Cantabrig. è Bibliothec Coll. Eman. Januar. ſ; 1628.

*Tua humanitati in omni & obſervantia, & officio devinctus,*

Samuel Johnson.

## CXVI.

## Guilielmus Bathonenſis & Wellenſis, G. J. Voſſio.

*Infauſto in itinere fregiſſe tendonem, atque ſic factum eſſe claudum; ne tamen corde vel affectibus claudicet, proxime ſe effecturum affirmat.*

NOn profiteor (Vir Clariſſime) me hiſce ad tuas quas mihi tradidit Vir tui ſtudioſiſſimus Dominus Carletonus, reſponſum dare. Sunto tantùm characteres amoris mei, qui nec te negligere, nec illum ſine literis novit dimittere. Quum duobus abhinc menſibus, Majeſtatem Regiam, ut mihi pro officio incumbit, infauſto pede ſequor (iter tum faciebat Hamptoniam) rhedâ egreſſus torrentem non quatuor pedes latum dum tranſilio pede, inequali plantâ in terram ſabuloſam, & minus fidam incidente, nervum poſteriorem tibiæ dextræ (tendonem vocant) fregi. Ab eo tempore incedo claudus: nec adhuc conſtat quando ſim vires priſtinas recuperaturus. Si quæras quorſum hæc? ut certior fias nactum te eſſe amicum claudum: Sed etſi nunc fractis nervis, non poſſum in gratiam tuam, quæ tu, quæ ego cupio, facere: quamprimùm tamen vires accreverint ſtrenuè mihi concredita peragam. Ut ſic intelligas (ſaltem ſi quid poſſim) me ima tantum mei parte, non corde, non affectibus claudicare. Literis meis proximis meliora forſan ad te perferentur. Quod in votis eſt

*Amiciſſimi tui,*

Martii 26, 1628.

GUIL. BATHON. & WELLENSIS.

---

## CXVII.

## Guilielmo,

### Epiſcopo Bathonienſi & Wellenſi.

*Exoſculatur honorificam Epiſcopi de ſe exiſtimationem. Offert Syllogen diſputationum. Pollicetur Commentaria de Lingua Latina benevolentiamque illius & in poſterum expetit.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine æternùm mihi omni officio colende,*

SImulac literas Reverendiſſimi nominis tui legi, totus ob infortunium tuum expallui atque exhorrui. Nec caſus ille minus animum meum perculit, quàm ſi meus foret. Debebam dicere, & verè poteram, magis affeciſſe. Sed ſemper exiſtimavi operam dandam eſſe, non modò ne quid auribus demus, ſed etiam nequid dare videamur. Et tamen, quis dubitat, quin qui boni viri & prudentis, qualium profectò non eſt larga nimis ſeges, jure nomen poſſidere velit, is alienam ſalutem præponere ſuæ debeat, quando in alterius ſalute ſalus publica magis laborat. Quid ergò me facere æquum erat, qui & te colerem ut communem Eccleſiæ parentem, & me inter eos meritò reponerem, quos ſingulari amore, ut pater filium, proſequaris? Quare aſſiduè Deo vota facere non ceſſo, ut priſtinas Reverentiæ tuæ vires reddat: tamen difficile dixerim quantam in hoc ipſo dolore ceperim voluptatem ex tam manifeſtis certiſſimi erga me amoris ſignis. O felicia ſcripta mea, quæ ſic beent autorem! Nam quid bonum aut magnum æquè cenſere in hac vita poſſim, ac ſi à bonis & magnis viris & laudari & amari contingat? Laudari jucundum eſt, ſed jucundius amari. Quæ ſcripſeram, etſi nihil ejuſmodi merentur, tamen utrumque mihi contulerunt. Nempe vis ſtudiis honorem eſſe, quod vere eſt ſeculum corrigere. Nunc illa me urget cura, ne videar ingratus. Etſi autem quod rependam non habeo, imo nec verba reperiam, quibus me ſatis gratum oſtendam: tamen ſi placere potuit prior labor noſter, non deſpero me & alia non minora offerre poſſe Famæ ac Æternitati nominis tui propriis virtutibus in omnia ſecula ituri. Atque ut ex parte videas, quid rerum agam, mitto Syllogen veterum diſputationum mearum, mutilam quidem illam & imperfectam (nam major pars adhuc inedita eſt) ſed decretum & quæ vides auctiora, & addere ea, quæ adhuc in ſchedis noſtris latitant. Nempe volumine uno complectar, quæ ad Sacramentarium negotium pertinent; alio quæ ſpectant ſtatum animæ poſt mortem. Et ita porro in aliis. De Baronio quid moliar ſeorſim alteris exponam, idque ut non tantum conſilii mei rationem explicem; ſed etiam, quid Reverendiſſimo nomini tuo videatur, intelligere poſſim. Nunc hoc ſolum dicam, non tam viſum eſſe minutias conſectari, quàm illa, ubi cardo rei potiſſimùm vertitur. Uti illa imprimis, in quibus longius à primitiva Eccleſia receſſit Romana; etiam evolare geſtiunt Commentarii mei de Lingua Latina, cujus pars poſterior origines ejuſce linguæ ex Græcia & Oriente repetit, multaque ex veteribus Scriptoribus, aut corrigit aut illuſtrat. Sed de his, & aliis quibuſdam, pluribus alias agam. Interim me meaque Reverendiſſimo nomini tuo in cultum & obſequium perenne offero & tranſcribo. Deumque Optimum Max. ſupplex precibus oro, tum ut Dominum meum Illuſtriſſimum Ducem Buckinghamiæ ſpiritu ſuo robbret, conſiliaque ejus proſperet, Britanniæ totius bono, tum ut Reverendiſſimo tuo nomini cœleſti ſuâ gratiâ magis magiſque adſit, corporique non priſtinas modò vires inſtauret, ſed diuturnam quoque valetudinem largiatur, ad Anglicanæ atque adeò Univerſæ Eccleſiæ emolumentum.

Lugduni Batavor. ↄIↄ Iↄ C XXVIII. VIII Kal. Majas.

*Reverendiſſimi nominis tui cultor obſtrictiſſimus, & qui nunquam tuus eſſe deſinet,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CXVIII.

*Pro donato ſibi Commentario in Pallium Tertulliani hoſtimenti loco libros de Hiſtoricis Latinis mittit atque inſtituti ſui rationem breviter reddit, cenſuram ab eo expectans. Ἀνιστορησίας arguit Theologum quendam Academiæ Juliæ (Johannem à Fuchte) quod duos Gennadios fœde inter ſe confundat. Hortatur Salmaſium ut Tertullianum totum eruditiſſimis commentationibus ſuis illuſtret, quia id unicus præſtare poſſet.*

*Clariſſime Salmaſi,*

JAm quadriennium eſt, quod me donaſti Commentario tuo in Tertullianum de Pallio, nobili & victuro, ut omnia tua, opere: pro quo gratias habeo, quantas poſſum. Nunc vero longo adeo poſt intervallo auſus ſum mittere ἀντίδωρον, hiſtoriam noſtram de Hiſtoricis Latinis; opus tanto, ut ego cenſeo, minus bonitate, ſi cum tuo comparetur, quanto mole exſuperat. Sed ſi paginarum numero vincimus, jam non omni ex parte ſuperamur. Vide, & ride, Vir ſumme, quod mea ſic, & ſeriò, commendem. Sed utcunque hanc inſiſtam viam apud te, & paucos alios, qui ad ſumma evolâſtis; plus tamen animi ac ſpiritus ſcito mihi eſſe apud homines mediocres, ac præcipue rudem juventutem: cui de longe meliori nota mea videor poſſe commendare. Nam profectò eſt aliquid ei digitum intendiſſe ad fontes, unde hauritur notitia omnis ævi. Quocirca nondum pœnitet inſtituti: præſertim quando video quotidie in hoc argumento etiam eos Saturnias lippire lemas, qui ſibi, & pene ſui ordinis cunctis quantivis pretii videntur. Qualis, inter ſexcentos, eſt nuperus Editor Opuſculi, quod

quod Auctorem habet Gennadium Scholarium, Patriarcham Conſtantinopolitanum, atque inſcribitur, *περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπων*. Academiæ is Juliæ Theologus, agnoſcit Scriptorem eum vixiſſe temporibus Joannis Palæologi, idque anno cIↄ cccc xxx. variaſque ad Turcam Legationes obiiſſe: atque inde eſſe, quod diſſertationem hanc de Trinitate cum Amurathe Turca habitam, in Literas retulerit. Sed idem (en cor hominis!) vitam ejus nobis deſcribit è Gennadio Maſſilienſi, qui libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis agit de quodam Gennadio Conſtantinopolitano, qui Leonis Imperatoris temporibus claruerit. Quid fœdius in erudito Theologo hac *ἀνιστορησίᾳ*; Gennadius Maſſilienſis, ut nos opere hoc ſtatuimus, & omnes mediocriter docti ſciunt, circa annum vixerit quingenteſimum? Quomodo igitur Gennadius, de quo ille tractat, idem ſit ac is, quem Theologus ille intra ducentos hoſce annos claruiſſe ipſe agnoſcit. Non erant tales digni, quorum ratio haberetur, niſi tam multi horum ſimiles invenirentur, qui alios omnes ad palatum ac genium ſuum ſapere jubent. Quod equidem malo meo non ſemel ſum expertus. Sed fortaſſe, qui alios culpo, culpâ ipſe non vaco, ſeu ea quæ de ætate Hiſtoricorum prodidi, ſeu alia ad eos pertinentia conſideremus. Sane hominem eſſe me, non diffiteor; & quia ex aliena infirmitate de mea facio conjecturam. Opus hoc meum ad te, Vir ſumme, & alios aliquot eximii nominis viros mitto. Nimirum fore ſpero, ut ita multa, quæ me fugêre, edoceat; à te inter primos, qui tot bona me docuiſti, cum aliis ſcriptis tuis aureis, tum maximè Commentario in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores non ſemel mihi in Hiſtoria noſtra laudato, nec unquam ſatis laudando, quippe omni laude majori: ac in quo verè locum habuerit, quod de Ludis olim ſecularibus dictum, eo quidem in genere ſimile nec vidiſſe, nec viſurum quempiam. Ex iis verò quæ ad Tertullianum adnotâſti, video difficile eſſe diſpicere, utrum in gentium Scriptoribus plus poſſis, an Sacris. Quare utinam in hoc Eccleſiæ ductore, quo pede cœpiſti, pergas. Ad quem emaculandum atque illuſtrandum mihi natus videris. Quod de nemine homine præter te dixero. Unus enim præſtare illud potes, quod verius conati adhuc alii, quam aſſecuti. Iterum igitur opto & rogo, ut huc potiſſimum ingenium intendas. Habent quidem gentium Scriptores, atque univerſa Muſarum ſtudia, *ἐλλογιμόν* quiddam. Neque inſignem eſſe eorum utilitatem negare poſſim. Sed tamen quis bonus non malit, ut tale ingenium, & illa eruditione, in Eccleſiaſticis potius Scriptoribus, iiſque antiquiſſimis, & corrigendis & illuſtrandis operam inſumat ſuam? Non quaſi adhorter, ut *τῶν ἔξωθεν* Muſas deſeras, ſed ut deinceps illas remiſſius, haſce meliores noſtras impenſius colas, uti facere jam ſerio aggreſſus es. Tibi inde lux major, amicis ſumma lætitia, omnibus fructus uberrimus. Vive, & vale literarum pereuntium Vindex præſtantiſſime, cui ſi mea utcunque probare potero, felicem me putabo. Nihil enim malo, quam diligi à Salmaſio, hoc eſt interiorum Literarum noſtri ſeculi principe. Cujus ſi præſentia frui liceret, multum me adjutum iri poſſe confido. Habent quidem & aliæ terræ viros eruditos atque eximios; ſed de interioribus noſtris literis loquor. Quare lucente ſole cur quærerem ſtellas. Iterum vale.

Lugduni Batavor.
cIↄ Iↄ c xxv i i i.

*Tuus ſine fuco,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CXIX.

## Hieronymus Beale, G. J. Voſſio.

*Epiſtola familiaris & jocoſa.*

ÆGrè ne feras, colendiſſime Domine Voſſi, ſi expectatione tardius literæ ad te noſtræ perveniant. In cauſa erat nimis ſera veſtrarum traditio, quas diu ante libri etiam tui factam copiam, ſeorſim accepimus. Quin & alia, colendiſſimo veſtri, Doctori Wrenn, à Rege, à Comitiis objecta eſt remora, mihique multò moleſtior à novis nuptiis. Tum etiam, ne clariſſimus amiciſſimuſque Dominus Dubletius non vetaſſe credatur, haud diffiteor vino me vetere delectari impenſius, utque ſcias, quam ſtudio, quam cordi mihi ſit antiquitas, provectiorem ætate matronam ac propè effœtam duxiſſe fateor. Riden' graviſſime Gerarde? Hoc ipſum volebam, quia ſalutare eſt. Ut vivas Neſtoris annos, ut floreat unà tecum, ac per te vincat antiquitas, macte porrò hilaritate ac lubentiâ. Et quem olim accuratiſſimo illo Hiſtoriæ Pelagianæ opere concinnâſti tui nominis cultorem; hodieque etiam miſſis elegantibus literis & libro vere aureo (*Τὸ δέ μοι κειμήλιον ἔστω*) arctius obſtrictum tenes, proſequere oro novis æterniſque amoribus; nec ante me deleas ex albo amicorum, quam patritiâ avitaque veritate ſpretâ, in novatorum caſtra transfugiam. Vale literarum decus uti ex animo vult voverque

Cantab. ex Aula
Pemb. Apr. 2.
An. Dom. 1628.

*Deditiſſimus tibi,*

HIERONYMUS BEALE.

---

## CXX.

*Quid in militiâ publicè ac feliciter à Danis ſuſcipiatur, & quæ eveniant prodigia, hoſti male ominantia, recenſet. Similiter quid in Belgica agatur, ex Voſſio cognoſcere avet.*

*Amicorum Opt. Max.*

NUncium tam certum nactus, mercatorem Slageloſienſem, amicum meum, quique intra ſeptimanam unam aut alteram ad nos revertitur, committendum non putavi, quin ad te quoque, quanquam magna temporis anguſtia circumſcripta, literas darem. Tu viciſſim da hoc amicitiæ noſtræ, ut occaſione utaris: & reſponſum quicquid cupias, illud ad Hermannum Piſium mitti cures, qui ad me curabit rectè. Aliquantum ſanè temporis eſt elapſum, ex quo nihil ad te ſcripſi: ſed nec ferè ad alium quenquam, niſi ad quem neceſſario ſcribendum erat. Id tu ſic interpretaberis, tanquam publica hæc tempeſtas, quæ in noſtrum orbem ſævit, amicitia hoc officium impedierit. Certè amor in te meus, quem virtute iſta tua ſingulari in animo meo accendiſti, ardet ardebitque porro, igne ſemper inextincto; atque ut id facere poſſit, ſatis ſcio, tu non deſines illum alere. Opto quantum poſſim maximè de rebus tuis ſigillatim, publiciſque Academiæ, adeoque univerſæ Reipub. certior fieri. Nos hic, per benigni Dei immenſam gratiam, ſuſtinemus nos egregiè; quæque pridem, militum noſtrorum ignaviâ, ac proditione fœdâ, Deo ob peccata noſtra nobis graviter irato, hoſtis cepit, nunc paulatim recuperamus. Sereniſſimus Rex noſter cum ſexaginta aut ſeptuaginta aliquot navibus, bellicis nempe, & triremibus, aliiſque è minoribus, Fimbriam inſulam, vulgò Femeren appellatur, in poteſtatem ſuam redegit; & ex eâ in Holſatiam objacentem facto impetu, urbes duas, Chilonium, & Ekelfortum, expugnavit; inde porrò ſine dubio obvia quæque invaſurus: quanquam de Chilonio quidem, qui Hafniâ ad nos veniunt, tentatum potius illud dicunt, quam occupatum. Iſtuc tamen ii affirmant, & Rensburgum oppugnatum, adeo ut Hamburgum uſque tota Holſatia regi pateat. Quidam ajunt, ſed incertum, Atſiam quoque, itidem inſulam, occupatam. Ditmarſi, cæſo ad internecionem uſque præſidio hoſtili, ſeſe Regi reddidere; & ut deinceps contra hoſtem melius ſe tueri poſſint, cum aggeribus perforatis, tum apertis emiſſariis, aquam undique in agros ſuos, quanquam cum inſigni ſanè detrimento, admiſere. Sueciæ Rex noſtro ſeſe arctiſſimo fœdere obligavit. Miſerat auctumno proximo huc Legatos;

tos; & in illis generoſum Baronem, Carolum Bannyrum, quem Leidæ novimus, ſtudiorum illic cauſa commorantem; is me Soræ perbenigne eſt complexus. Vix abierant, cum Rex noſter etiam ſuos in Sueciam mittit, Cancellarium & unum è Senatoribus Regni. Qui, excepti præter ſolitum permagnificè, novum fœdus pertractârunt. Et nunc iterum ab eo Legati Hafniæ adſunt. Lubecenſibus, qui in Cæſarem propendebant, interdixit, ne hoſtile quicquam in nos cogitare unquam auſint; quod ſi facerent, ſe illorum & commercia, quæ in Suecia frequentiſſima exercere ipſi ſoleant, perditurum; & pecunias quæ ibidem ingentes illis debeantur, in fiſcum redacturum eſſe. Quibus minis id effecit, ut nunc nuper Legatis Cæſaris, & Hiſpaniarum Regis, navale auxilium exigentibus, conſtanter illud pernegaverint: affirmantes, nullo modo ſe præſtare iſthoc poſſe, niſi ſe, urbemque ſuam, plane perditum ire velint. Itaque ab iis nihil nobis metuendum; quanquam ſanè etiam aliàs portum obſtruere, navibus quibuſdam immerſis, regi noſtro facile eſſet: qui id item ipſis comminatus fuit. Habet porro etiam Suecus ſedecim armatorum millia, in ipſis finibus, prope urbem Gottenburgum; quæ Rex noſter ſuis navibus trajecturus in adverſam Cimbriam dicitur. Cujus incolæ adeo in Regem ſunt affecti, ut, ſi alibi impreſſionem aliquam faciat, ſtatim omnes arma ſua ſint juncturi; idque nobis certò nuntiant, qui huc veniunt. Idem animorum affectus in Holſatia eſt: ita ut non dubitemus, quin, benignitate Dei adjuvante, brevi ingentem aliquam mutationem iſtic habituri ſumus. Et prodigia præceſſere hoſti, ut ſperamus, triſtia. In Holſatia, in Bredenbergenſi arce ſanguis quodam areæ loco copioſus emanavit; nec reſtingui à Præfecto, quanquam injecta arena, potuit. Hadersleviæ item in arce, equi in ſtabulo conſiſtentes, reperti ſudore defluentes, ac ſpumantes. Et in adjacente Cimbria, in urbe Ripenſi, in Præfecti ejus menſâ, orbes ſanguine maduerunt, ac remiſſi, ut purgarentur, & relati ac vix appoſiti, iterum tantundem ſanguinis, omnibus convivis illud adſpectantibus & horrentibus, habuerunt. Et hæc certo evenerunt; ac referri, tanquam vera, abs te poſſunt. Illud quoque memoratur, & pro vero affirmatur: ad Oldburgum, itidem Cimbriæ noſtræ urbem, Præfectum ejus aliquando, cum ad ambulationem prodiiſſet, puerum in via nudum, humi poſitum, inveniſſe; quem cum tollere ſtatim pueros præcepiſſet, neque id illi, quanquam poſt conatum multum, potuiſſent, tum locutum ac dixiſſe; quam nunc, quanquam ſummis viribus id anniſi, puerum ſe humo tollere nullo modo valuiſſent, ita quoque Daniam ſibi ſubjugare plane impoſſibile fore. Faxit id benignus ac miſericors Deus, & infeſtam à nobis manum tandem avertat. In Scania, in aëre viſum acre prælium navale; & tonitrua tormentorum exploſorum in terra audita à ſpectantibus, qui ſcintillas quoque ignis decidentes conſpexere. Et profecto, quin æſtate imminente, aliquo navali, nam id ſolum poſt hæc reſtat, decertare debeamus, nullo modo dubitamus. Sed in Deo & iis armis, quæ hic nobis eſt largitus, ſpem repoſitam habemus. Inſtruit Rex noſter claſſem octoginta amplius navium bellicarum, ac triremium; ad hæc Suecus, quatuordecim ſuas addet, idem Angli, Batavique, ut ſperamus, ſunt facturi; ſed imprimis, ut precamur, & confidimus, hoſti ſe opponet Deus: ac nunc ejus quoque peccata reſpicere incipiet. In hoc voto & fiducia, finem epiſtolæ, quam hic ſatis longam habes, ad ſilentii anteacti juſtam compenſationem, faciendum mihi exiſtimo. Deum oro, ut miſereatur noſtri, & optatam pacem reddat: ac te mihi, longe amiciſſimum Caput, diutiſſimè conſervet, cum uxore, liberiſque. Vale, ac ſalve, à me, ac meâ.

Soræ, ad diem VI.
Aprilis Juliani,
CIƆ IƆ C XXVIII.
Raptim.

*Tuus priſca fide,*

JOH. MEURSIUS.

Si quid edidiſti, potes hac occaſione ad me mittere; idem Heinſium noſtrum rogo, ad quem ante paucos menſes literas prolixas dedi. Nunc ſalutem prolixiſſimam illi nuntio; &, ut aliquid reſcribat, ac ſuas quoque lucubrationes mittat, quando commoda eſt occaſio, etiam atque etiam rogo. Saluto ex animo omnes veteres Collegas, quotquot ſunt; nullo excepto. Amo omnes, ut ſolebam; etiam magis, ut ſolemus in abſentia. Quod ſi Deus pacem reddat, & ſecurum iter præſtet, cum uxore, liberiſque, dum ætatis vigor ſinit, ad vos excurram, ut ſemel adhuc chara capita coram complectar. O ſi votum hoc mihi repræſentet Deus! & repræſentabit, ſpero, ac confido. Iterum vale, amiciſſime. Vorſtius, ut video, planè noſtri obliviſcitur; non hoc merebatur noſter in ipſum & defunctum Patrem, amor: neque ab eo expectaveram. Tertium, Vale.

## CXXI

*Spectatiſſimo Viro*

### D. Gerhardo Joanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo,

S. P.

*Diuturnum excuſat ſilentium, mittit ſpecimen marmorum Arundellianorum, à Seldeno editum. Expetit opuſculum à Jeſuita quodam in Gallia editum, de Plaſtice, Statuaria, & Pictura veterum. D. Lucam pictorem fuiſſe, unde conſtet, exquirit.*

*Optime & Doctiſſime affinis,*

FAcis ut te dignum eſt, quod literas meas frequentiores efflagitas, nec tamen de tam pertinaci ſilentio, grave quidpiam ſuſpicaris. Non metuo itaque, ne me patientiæ tuæ illudere putes, ſi continui hujus ſilentii culpam, tibi quoque purgare parem. Non confugio ad ſolenne iſtoc genus defenſionis, *Diu abfui, & multos ſubinde menſes, ut ſeceſſus ruris exigens, fidis tabellariis deſtitutus, &c.* Hæc ſi vera eſſent, tamen aſſiduitate nimia detrita in invidiam mendacii jam olim inciderunt. Mitto igitur decantatos deſidioſarum mentium obtentus, & accuſationem paranti, objicio vigilem operam, quam provinciæ mihi impoſitæ debeo. Sciunt qui hîc ſunt, quàm continuo hoc ſexennio, vix reſpirare mihi detur; ita veteribus negotiis, nova quotidie adcreſcunt; ac prioribus vix dum peractis, majus indies occupationum agmen occultis nexibus extenditur. At omne negotium, inquies, alternis otii vicibus diſtinguitur. Veriſſimè id quidem, ſed illæ ipſæ feriæ quas nobiliſſimo adoleſcentulo honoratiſſimorum parentum indulgentia facit, tanquam injectâ manu, me ab otii portu retrahunt. Neque enim patiuntur illum parentes optimi, venationibus, & aucupiis animum laxare, ac reficere corpus, ut non me perpetuum comitem prodituro addant. Non hæc eo dixi, ut quaſi cum venia deinceps, negligam deſiderium affinis conjunctiſſimi, cum quo mihi maximum vinculum, ſanctioris alicujus neceſſitudinis eſſe gaudeo; ſed ut miſsâ præteritorum querelâ, crebriores poſthac literas expectes; enitar enim poſthac, ut aſſiduitate officii literarii, cogitationes tuas quomodocunque [illegible]. En tibi hic marmorum Arundellianorum ſpecimen à D. Seldeno editum. Fertur, neſcio quis Jeſuita Gallus, edidiſſe opuſculum de Plaſtice, Statuaria, & Pictura veterum, quod ad me tranſmitti velim, ſi fortè in manus tuas incidet, nam ad nos hic rari è Gallia libri nunc deferuntur. Non exhiberem occupatiſſimo tibi hanc moleſtiam, niſi jampridem, ut ardentiſſimo Arundelliæ Comitis deſiderio ſatisfacerem, horas aliquot ſubciſivas, impendere cœpiſſem catalogo artificum hujus generis. Sed

tur

unde quæſo D. Lucam pictorem fuiſſe liquet? Aut unde ortum quod Pictores, hoc patrono glorientur? Imparties, ſcio, quidquid hac de re, certò ſtatui poſſe cognoſces. Apochas redituum annuorum, intra pauciſſimas hebdomadas ad mei amantiſſimam ſororem, conjugem tuam, perferri curabo. Va, & omnibus tuis, plurimam meis verbis ſalutem dices. Ego quantum in me erit, curabo, ut valeam, ac Deum Opt. Max. longum vitæ ſpatium precabor, non ob aliud magis, quam ut me tandem aliquando, tibi, tuiſque gratum exhibeam.

Raptim Londini, in ædib. Arund. An. 1628. Apr. 19. St. vet.

*Tuus omni officio,*

F.F.F. JUNIUS.

---

## CXXII.

## Joanni Meurſio.

*Amorem ſuum poſt tanti amici diſceſſum non deſinere ſed magis ardere teſtatur, præſentemque aliquando eum videre & complecti multum exoptat. Opus de Hiſtor. Lat. conditione ea mittit, ut indicet quid in illo ſtare quid cadere debeat. In Poëticis multum ſibi gloria Barlæum parare affirmat.*

*Vir Clariſſime & Amiciſſime,*

NOn exiguum mihi dolorem attulit, quod tanto temporis intervallo, nihil à te acceperim Literarum. Nam ſolatium hoc amicitia habet, quod eorum legere literas poſſumus, quos videre non poſſumus. Tantoque magis dolebam quod, metuerem ne ſilentium hoc proficiſceretur ab mœrore aliquo quem privatim etiam vobis afflictæ res Daniæ attuliſſent. Nunc & valere vos intelligo & meliora in poſterum de Regno veſtro augurari. Equidem prædicabo ac ambitioſe, quam mihi gratum fuerit ea cognoſcere præſertim ex teipſo. Facile enim hoc cogitare potes: ut cui non ignotus ſit amor erga te meus. Neque de eo quicquam detrahere debet quod rarius & ipſe ſcribam. Vere enim dicere poſſim hactenus me non ſatis ſciſſe quo pacto Literas optime poſſim procurare. Atque aliter ut foret non eo minus arſerit amoris noſtri ignis. Silere enim diutiſſime poſſum. Sed non amare Meurſium non poſſum, niſi ſimul & virtutis amorem & doctrinæ deponam. Ante amorem non exuam ſed tuus ſemper ero, tuus plane, Præſtantiſſime & chariſſime Meurſi. Tanto impenſius frui etiam cupio præſenti, cujus quod ſpem facis, beas profecto. Sed tamen beatior mihi videbor ubi coram complectar. Nunc ut amantes meticuloſi eſſe ſolent, male formido ne ita æſtate proxima infeſtet vias Cæſareus miles ut ſpes noſtra decollet, nec niſi anno poſt atque utinam vel tum, conſpicere vos liceat. Ubi veneris poſt Snellium (cujus & conjux deceſſit) deſiderabis quoque communem amicum Jacchauſium, qui paralyſi obiit die eo Martis, qui Paſchales ferias proxime anteceſſit. Defunctum laudavit Vorſtius. Hujus in ſcribendo ad te incuriam ſerio increpui. Et culpam fatetur: ſed emendaturum recepit. Mitto ad te opus noſtrum de Hiſtoricis Latinis. Sed (ſi ita placet) conditione ea, ut reſcire poſſim, quid probes, quid improbes. Nec enim noſſe id minus laboro, quam ſi editum id nondum foret. Quippe recudi poterit ut in Partitionibus Oratoriis factum ante paucos menſes. Barlæus carmine ſibi multum gloriæ parat. Prodiere ejus Poëmata menſe ſuperiori. Cum prima hæc editio ſit tamen non video quem præferat præſertim in carmine epico. At quorundam etiam benignius eſt judicium. Quid futurum ſi ſæpius ſæpiuſque limatæ prodierint. Uxor mea ternis menſibus graviſſime ægrotavit. Nunc pene convaluiſſe videtur. Salutat vos plurimum. Plura volebam, ſed Haga jam tantum redux hæc pauca potui quod feſtinato opus eſſet ſi cum cæterorum Literis, meas quoque hoc tempore deferri ad te vellem. Quæ & cauſa eſt, cur opus noſtrum præter morem meum miſerim incompactum.

Vir amiciſſime, vive, vale cum familia tota, ut valere ipſe melius poſſim, & quod caput eſt, ut diutiſſime Reip. Literariæ poſſis.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄ c xxviii. Id. Majis.

*Tuus totus,*

G.J. VOSSIUS.

---

## CXXIII.

*Ampliſſimo Viro*

## Adriano Blyemburgio, Ger. Voſſius

S. P.

*Silentium ſuum excuſat, gratias agit pro donatione tam belli calicis, plura promittit poſtquam præſentem ſe proxime ipſi ſtiterit.*

SCis mihi bis de die diſſerendum eſſe in Lycæo; Et cùm illic taceo domi loquor, calamo, & manu. Nam quotidiè urgeor, ut Vindemicolas meas colligere pergam. Itaque pauliſper apud te ſilui; ſed ea ſpe, ut pluribus alias confabularer tecum. Nunc ne longâ quidem Epiſtolâ, opus eſſe video, ſi, ut ſpero, hebdomade proximâ, excurrere ad vos licebit, nuptiarum ergo. Quod ſi fiet, occaſionem inveniam uberius tecum colloquendi; ſcrupulum tamen injicit, quod heſterna die catharro cœpi laborare, qui in ſiniſtrum pedem incidit, ſed ſeu citius, ſeu ſerius veniendi ad vos poteſtas fuerit; in anteceſſum hæc tribus ad te verbis ſcribenda exiſtimavi. Non quia non omnia coram melius poſſim; ſed quoniam turpe putarem prodire in conſpectum tuum, latæ admodum culpæ reum, ut qui binas à te literas acceperim, neutris reſponderim. Imo nec pro munere gratias egerim. Ac longè quidem gratiſſimum eſt, quod veteris contubernii, & inſtitutionis memorem te ſcribas, ſed, Præclare Vir, utrumque etiam, te tacente, apud me, ſatis ſciebam: Uſque adeo multa, & dicere, & facere, apud amicos ſoles, quæ Voſſii tui amorem teſtentur ſingularem. Nunc quaſi hæc ſatis non eſſent, bellum mittis calicem, indicem profuſiſſimæ voluntatis tuæ. Ego vero, ſatis ſcio minimè iſtac teſtificatione fuiſſe opus. Nam quod de verſiculis noſtris dicas; Authori eorum crede: Ipſe eos tanti eſſe negat. Sed amor tuus iis pretium addit: Et poſtquam id fecerit, pretioſo eos dono remuneratur. Tanto magis Tibi obſtringor; amoremque hunc tuum ſcribendo quaſi ſcintillis quibuſdam fovendum mihi putavi. Ubi enim amoris tui ignem quotidie ſe clarius exerere video; nefas ſit non acrius etiam amare: Amorque hic noſter, in cordis noſtri foco vivet, dum vivam ipſe. Si cineribus fortaſſis tegi poterit, dum animus aliis diſtentus, à ſcribendo pauliſper abſtinet; extingui tamen non poterit. Imo hoc quoque nobis curæ erit, ut ne eum cineres tegant; ſed flammâ ſuâ ſemper ſe prodat. Quod optimè, ni fallor, crebro literarum commercio conſequar. Vale, Ampliſſime Vir, & plurimùm ſalve cum lectiſſima conjuge, & à me, & à mea, tua cognata.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄ c xxviii. xii Kal. Jul.

CXXIV.

## CXXIV.

### Clariſſimis & Celeberrimis D. D. Vicecancellario, & univerſo Senatui Academiæ Cantabrigienſis.

*Dulci facundia Patribus Academia ſe inſinuat, libros ſuos de Hiſtoricis Latinis offert, ſtudia ſua poſthac etiam illis commendans.*

*Eximie D. Vicecancellarie, & Senatus univerſe almæ Academiæ Cantabrigienſis,*

VEtus eſt verbum, facile eſſe Athenis Athenienſem laudare. Mihi verò Cantabrigienſem Academiam laudibus extollere apud Cantabrigienſes perdifficile videtur; quia tanta earum copia eſt, ut non arduum minus ſit initium quam exitum invenire: partim etiam quia neque ingenium illud, nec ea mihi ſit eruditio, ut alia poſſim adferre, quàm quæ à veſtratibus ipſe ſcriptoribus acceperim: qualia ſi Britannicis Athenis veſtris reponere nunc velim, meritò audire cogar, ſus Minervam, vel noctuam Athenas. Quare veterem veſtram gloriam, recentiaque etiam merita erga Britanniam, & terras alias, non tam orationis penicillo depingam hoc loco, quàm animo ea mecum tacitus colam. Quod à prima etiam adoleſcentia hactenus facio ſedulo. Nihil enim auribus dedero, ſi candide profitear, ex quo verſare cœpi veteris Eccleſiæ Doctores, didiciſſe me imprimis venerari ſtatum Eccleſiæ Anglicanæ, ut quem ad primævum illum proximè accedere viderem. Quique eam inſiſterem ſtudiorum viam, non potui non etiam capi lectione Theologorum, quotquot ab almæ Cantabrigienſis vel Oxonienſis Academiæ uberibus pependiſſent, ſuiſque poſtea monumentis, eas illuſtraſſent. Facilè enim apparebat, non aliunde majorem me capere poſſe ingenii cultum, quàm iis, quorum aureis è ſcriptis undique reluceret, quâ induſtriâ, ac judicio quanto verſaſſent ſanctos patres. Atque hæc quidem in adoleſcentia, ac deinceps etiam incredibilem in me excitarunt amorem Academiæ utriuſque. Nec tamen ſperare auſus fuiſſem fore unquam, ut ulterius obſtringeret Britanniæ veſtræ quàm propter ea, quibus obligaſſetis vobis univerſum orbem Chriſtianum. Sed longe benignius agere mecum voluit ſupremi numinis favor. Nec enim mihi cornea ita fibra eſt, ut non ſentiam, quantum honoris inde acceſſerit mihi: quod non indignus viſus ſim, qui auſpiciis ac liberalitate Illuſtriſſimi Baronis Brook in Academia veſtra inter præclara ingeniorum lumina operam & ipſe meam docendo publicè impenderem. Deum immortalem! qui paulo ante profitebar tantopere ſtudia mea debere multis Britanniæ magiſtris, ſcriptoribus florentiſſimis, quantum emolumenti capere potuiſſem, ſi provectiori ætate hac ſermones coram cædere licuiſſet cum tot ſummis Britanniæ, ac veſtræ imprimis Academiæ viris. Quod ſi gloria etiam in cenſum venit, ſanè cum multi homines clariſſimi locis obſcuris conciliarint egregii nominis decus: ego contra qui mihi videbar tantum unus τῶν ἀπειρογαζόντων, longè celeberrimæ Academiæ veſtræ alis in ſublime evectus claritatem ipſe nominis accepiſſem. Neque eam felicitatem minus attendi antehac. Sed multa quæ repetere nunc nihil attinet fecère, ut præclari adeo muneris gratiam pene facerem ingratiis. Nec eò minus me benevolentiæ atque amori Britanniæ veſtræ cenſeo obſtrictum. Imò nihilo ſecius quod præterea debeo tantum eſſe arbitror, ut ſi ſatisfacere maximè velim nunquam tamen poſſim. Quapropter & hoc de Hiſtoricis Latinis opus meum, imò jam veſtrum, velut ἐνέχυρον creditoribus offero: unde ſciat poſteritas, ſaltem gratæ mentis conatum mihi neutiquam defuiſſe. Argumentum quidem, quod tracto, nulli ſcio ingratum erit, niſi iis forte, qui literas nunquam didicere: quales ſufficere etiam putant, ſi eas aſpernentur. At Britannicæ gentis longè aliud ſemper judicium fuit: quæ præ terris aliis, cum literis ſacris inter alia, omnis ævi, Eccleſiæque imprimis hiſtoriam invidenda felicitate conjunxit. Atque eò lubentiùs hoc quicquid eſt laboris ſuſcepi, quia nobis muniet viam ad refellenda ea quæ ex ſcriptoribus opere noſtro memoratis, cum ab aliis Religionis noſtræ adverſariis, tum imprimis à celeberrimo Annalium Eccleſiaſticorum conditore adferuntur; quemadmodum planius fiet, ubi, (ut decrevimus) ſcriptorum eum candide ad veritatis obruſſam expendemus. Quam ad rem utinam Deus & vitam nobis & otium concedat. Quare non tam illud verendum eſt mihi, ne materies, de qua ago, vilior obſcuriorque videatur: quam ne nobili adeò argumento fuerim impar, ſive icirco quia ingenii mihi vel doctrinæ non eſſet ſatis: ſive quia occupationum eſſet pluſquam ſatis. Quorum utrumque de me fatebor haut invitus. Verum quemadmodum in liberis, quos vel natura, vel adoptio fecerit noſtros, non dotes modo amamus, quas poſſident in præſentia: ſed etiam quas egregia indoles in poſterum promittit; ſimiliter fœtus hic, qui naturâ quidem eſt meus, adoptione autem ſemper erit gentis veſtræ, non ſolum, ſpero, gratus erit, ob bona aliqua, quæ novellus etiam continere videbitur, ſed propterea quoque, quia, modò Deus mihi diuturniorem vitam conceſſerit, ab annis & labore noſtro paulatim ſumet incrementa.

*Eximie Vicecancellarie, ac univerſe Senatus almæ ac florentiſſimæ* Cantabrigienſis *Academiæ,*

Diu feliciter vivite, & æqui bonique conſulite, quicquid hoc eſt, opellæ noſtræ.

Lugd. Batav.
An. cIↄ Iↄc.
xxviii. vii.
Id. Sextil.

*Univerſæ Academiæ* Cantabrigienſi *hactenus obſtrictiſſimus, & in nexu adhuc permanens,*

G. J. Vossius.

## CXXV.

### Gulielmo,

### Epiſcopo Londinenſi.

*Inſignem deprædicat affectum, quo non tantum ipſe ſe fuerit complexus, ſed & Britanniæ Regi, Ducique Buckinghamiæ amabilem reddiderit; dies noctesque laboraturum, gratum ut conteſtetur animum promittit. Filium etiam ſuum in Collegium proximè mittendum benevolentiæ & curæ ipſius commendat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, ac Domine,*

QUod proverbio dici ſolet ἀγαθῶν ἀγαθίδες, id mihi fuere literæ tuæ. Primum illud incredibile mihi gaudium attulit, quod valetudini etſi nondum prout optarem, haut paulò tamen melius ſit, & deinceps optima liceat ſperare. Deinde etiam maximâ me lætitiâ perfudere tot bona, quæ de me & meis intelligo. Sane cum Poëta dicere ſolebam, Dulces eſſe ante omnia Muſas. Non tamen antea erant mel merum: ſed abſinthio temperatum, præſertim ob temporum infelicitatem. Sed poſtquam placere cœpi inclyto Britanniæ regno: etiam abſinthii amaror edulcari cœpit. Qui nunc penitus receſſit, ex quo reſpicere me dignati ſunt Sereniſſimus Rex veſter, & Illuſtriſſimus Buckinghamiæ Dux. At cui tantum debeo? O Pater, ô Domine,

*Tu mihi quodcunque hoc ſortis, tu ſceptra ducemque*
*Concilias* ——

Eoque mihi dulcius eſt tantopere debere Reverendiſſimæ dignitati tuæ, quod cum ſubductâ ratione nihil videam cur me vel tralatitiè amares: tamen affectu me proſequare paterno, vir is, quem ipſe Rex Sereniſſimus nunc præſulem eſſe

eſſe Londinenſem voluit, quo, ſi aulæ regiæ deinceps propior fores, prudentiſſimis conſiliis tuis in maximis ac difficillimis negotiis faciliùs & feliciùs uteretur. Quid me beatius, quam qui tanto præſuli potuerim placere? Itaque memor Pliniani illius, vitam eſſe vigiliam, longè etiam alacrius ſtudiis nunc invigilabo, non tam inanis gloriæ, quam boni publici amore. Inque hoc gloriæ diſpectu nihilominus fore prævideo, ut quantæ nunc voluptati eſt vivere, dum poſſum ſtudiis prodeſſe, tantæ aliquando gloriæ ſit, prodeſſe etiam poſtquam vixero. Nihil præterea æquè mihi cordi futurum, quàm ut erga eos, qui tam præclarè de me merentur, pro modulo meo gratum poſſim animum exhibere. Ante cæteros autem tum Reverendiſſimo nomini tuo, tum etiam Illuſtriſſimo Vice-Comiti Dorceſtrienſi, cujus ego erga me affectum, & perſenſi hic curam, & abundè iterum, imò liquidius ex literis tuis ad nobiliſſimum & mei amantiſſimum Dudleium Carletonum intellexi. Nunc igitur nihil ſupereſt aliud, quàm partim ut noctes dieſque gratus eſſe laborem: partim etiam, ut filium bonis meis monitis onuſtum dimittam, quo unà cum felici Magnæ Britanniæ veſtræ aëre hauriat ſuccum illum bonæ mentis, quo altus & enutritus, pertingat aliquando ad illa

*Edita doctrina ſapientum templa ſerena.*

Honeſtè ſatis annum totum in Collegio, eum ſumptibus propriis alere grave non ducam: quippe qui liberûm cauſâ omnia & velim & debeam. Quin, ſi opus omninò erit, ulterius etiam facere paratus ſum. Quanquam, quanto celerius, imminui ſaltem cœperint impenſæ, tanto magis conſultum ibitur familiæ meæ ſat numeroſæ. Ergo ut orſus eram dicere, mittam filium, idque, ſi Deus volet, intra hebdomadas tres. Ac ſimul tum de aliis, ac inter cæteros de Theſibus Oxonii recuſis perſcribam. Quod præproperus nautarum diſceſſus, vocante vento, nunc minimè permittit.

Reverendiſſime Pater, ac Domine, Deus te magis magiſque ſalutaribus Spiritus ſui donis augeat, ac locupletet: diutiſſimeque te & Eccleſiæ ſuæ, & etiam mihi meiſque incolumem conſervet.

Lugduni Batavor.
cIↃ IↃ c xxviii.
iv Kal. Sept.

*Reverendiſſimæ dignitati, ac dominationi tuæ, æternum devinctiſſimus, totique Britanniæ Magnæ Regno,*

G. J. Voſſius.

---

## CXXVI.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio S. P.

*Laudat diligentiam ejus, quod non ceſſet de ſtudiis benè mereri. Indignatur de ſorte ſua quæ dextrè à ſe ſuſcepta livor ſiniſtrè interpretetur, confidit innocentia ſua, tandemque bonos ſui ſuorumque rationem habituros ſperat.*

AMpliſſime Vir, redeo tandem ad ſcribendi officium, nimis enim turpe fuerit, ſi tam bellam ſcribendi occaſionem negligam penitùs, Lamerio ad vos eunte. Et tamen, quod difficulter perſuadebo, cùm minimè ſcribo, maxime amo. Nempe occupationes quidem, quo minùs ſcribam, morantur: at interim animus te cogitat; & incrementum amori eſt ex dolore, quod officium facere non poſſim. Quod etſi verè dicam, nihilominus aut valde fallor, aut hoc argumentum non erit tibi tanti, ut, quo ſic amor meus ſumat incrementum, propterea rariùs etiam, quàm facio, mihi ſcribendum putes. Quare hoc excuſationis genere non utar: ſed potiùs, quod te malle ſcio, paulùm tecum confabulabor. Maxime mihi voluptati eſt, quod uti partim ex literis ad me, partim ex fratre tuo intelligo, non ceſſes de ſtudiis benè mereri: ſed aut vetera tua des meliora, aut omnino proferas nova. Lætor autem tum publici cauſâ, cui per te melius eſt; tum tui, quia volo, ut indies cultus nominis tui gliſcat; tum etiam mei, quia non cochleæ libentiùs rore cœleſti, quàm ego ſucco ſcriptorum tuorum paſcor. Multum etiam gaudeo, quod benignè adeo ſentias de laboribus meis. Quod dum facis, vere dico, hoc inter alia boni facis, quod non mediocriter erigis me, quem unus & alter depreſſum lubentes eant. Atque eo magis erigis, quod aliorum etiam judicium recenſes. Non quaſi opus ſit, ut ex conſenſu alieno, authoritatis quicquam ſententiæ accedat tuæ; verùm quia mihi perſuadeo, eo minùs aliquid gratiæ datum eſſe, quia idem propè ſentiant & alii apud vos. Quamquam nec multum habeo quod conquerar, de literatis apud nos hominibus, ſi unum alterumque excepero, quos etiam elogio non aſpernando ornavi. Nempe ex ſpiculis eorum, ac unius imprimis, neutrius noſtrum amantis, ſatis video, mihi ſubinde colluctandum fore cum hominibus fide ſubleſta, & falſis falſimoniis, nec Batavis patria, nec moribus. Benè interim, quod minus poſſint, quam quibuſcum ſuperiori hebdomade negotium mihi tandem eſſe deſiit. De quo, ut gaudeo, (ſcis enim quàm difficulter ſacro ordini ſatisfiat) ita nonnihil animum mordet, quod non poſſim me, meaque probare illi, quem antea dicebam. Scio enim non mereri me livorem. Quare multum metuo, ne hæc ſugillatio noſtri nominis proficiſcatur, non tam ab aliena invidia, quàm culpa mea, ſua vitia neſcientis, atque interea per imprudentiam offendentis alios, exigua ſermonis libertate, dum non ſatis didici paraſitari iis, qui nihil niſi immodicas laudes ſui audire ſuſtinent. Sed quid mihi cum talibus? Probent improbent benè faciendi voluntatem, liveant vel plorent, nihil curæ Hippoclidi. Nam utcumque verear, ne qua hic culpa ſit mea, tamen cùm attentius mecum, malignitatem eorum cogito, non poſſum non contemnere cenſores iſtos, penè ut cum Comico dicam, cenſione bubula dignos. Ego illis relictis, me ſeverioribus Muſis delectabo domi: atque ita vitæ innocentia & ſilentio me ulciſcar probè. Atque eo id faciam impenſius, quod non deſint amantes mei in terra Britannia, quique ſeriò cogitent de ratione ac modo, quo in his etiam terris, mihi & meis melius eſſe poſſit. Jam ſuper eo literas accepi, à Reverendiſſimo Domino, ante quidem Bathonienſi, & Wellenſi, nunc verò Londinenſi Epiſcopo. Simulatque res effectum ſuum penitùs ſortita erit faciam te de re tota certiorem, ut una gaudeamus. Scio enim quàm tibi curæ ſim. Prodiit ante menſes paucos, nova Partitionum mearum editio; quæ jam publica authoritate, in Britanniæ ſcholis præleguntur. Authores erant amici, ut, quo mihi conſulerem, & familiæ meæ, Illuſtribus Ordinibus eas dicarem, qui quodammodo id opus feciſſent ſuum, dum in terris ſuis prælegi pueritiæ mandant. Sed quia jam olim dicaſſem Maurerio, non placuit prætextu alicujus emendationis, aut augmenti repetere id, quod donaſſem ſemel. Etſi fortaſſe jam omnis veteris facti gratia periiſſe apud eum videatur. Nam ſaltem liberi, & qui ſtudiis eorum præeſt, cui ego tam bene feci, ſalutatiuncula aliqua debuerant dignari, ſive dum egere in Italia, unde à tot honoratiſſimis viris crebrò adeò literas accipio: ſive poſtquam reduces in patriam facti: Etiam nunc recudi incipiunt Oratoriæ Inſtitutiones, longè & correctiores, & auctiores iis, quæ ante tot annos Dordrechti prodierant. Spero fore, ut ſimiliter aliquando limatiores, melioreſque lucem videant Commentarii noſtri de Hiſtoricis cum Græcis, tum Latinis. Quam ad rem non mediocriter mihi prodeſſet, ſi Catalogus extaret, Bibliothecæ Mediceæ, vel alterius apud vos. Sed magis tamen adjutum eas, ſi monere non defugias, quæ operibus noſtris addi, demi, vel etiam immutari in iis oporteat: cujuſmodi quin longe plurima ſint, dubitare mihi nefas, cùm jam non pauca id genus ipſe obſervarim. Vale, vive, incomparabilis vir, atque amice; cum-

que uxore præſtantiſſima, & liberis, ſalve à me, uxore, & liberis meis.

Lugduni Batavor.
CIↃ IↃ C XXVIII.
v Kal. Sept.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

Salutem Rigaltio, Tileno; Salmaſio enim ſcripſi. Juſſi ut Lamerius filio iſtic tuo Partitionum exemplar compactum tradat. Poſces, ſi negligat. Ἔῤῥωσο.

---

## CXXVII.

*Viro Ornatiſſimo*

## J. Gerardo Voſſio, J. Seldenus

S. P. D.

*Marmora Arundelliana à ſe edita in vicem Commentariorum ejus de Hiſtoricis Latinis gratus tranſmittit.*

*Vir Ampliſſime,*

Annus eſt quod ad me opus tuum de Latinis Hiſtoricis egregium ſanè & eruditione refertiſſimum mittere dignatus es; munus gratiſſimum, ſive Autorem (quem ſuſpicio) ſive rem ipſam ſpectem. A tanto viro ſalutari & dignum ad quem ejuſmodi munus daretur exiſtimari, mihi permagnum erat. Gratias tibi quas poſſum maximas ago, & citius egiſſem niſi cum literis marmora ſimul Arundelliana, quæ ſub prælo calebant, cùm tuas acciperem, mittere ad te deſtinâſſem, nec prius reſcribere quàm ea, quæ compenſationis aliquam figuram induerent, abſolverentur. Editionem, quamplurima intervenerunt; quæ ita impediêre, ut ſuperioris æſtatis initium minimè anteverteret. Exemplar ad te ante menſem dedi, ſarcinulis V. Cl. Joannis de Laet cum aliis in Batavianis exemplaribus, commiſſum. Spero te antehac accepiſſe. Literas tuas adjicere nequibam, neque citiùs in Bataviam ſcribere. Veniam mihi non negabit humanitas tua. Vale, Vir Eximie, & me inter eos, obſecro, fidenter numeres qui admirandam tuam doctrinam ſummopere amant & colunt.

Londini, Kal. Sept.
MDCXXVIII.

---

## CXXVIII.

## Samueli Wardo.

*Honeſtam de ſe & ſcriptis ſuis exiſtimationem gratus agnoſcit, filium Johannem ipſius curæ commendat, ſeque ad omnia amici hominis officia obſtringit.*

Clariſſime Vir, propemodùm pudore ſuffundor, quòd tardè adeò reſpondeam. Sed tamen reſpondeo. Turpe enim putabam, ſi filio Joanne ſtudiorum causâ ad vos eunte, bellam adeò ſcribendi occaſionem prætermitterem, præſertim luculento adeò à te dono remuneratus. Cujus ego jam bonam partem legi, non fructu minori, quàm voluptate. Quamobrem munere hoc multùm me tibi obſtrinxiſti: nec tu modo, ſed etiam Reverendiſſimus Epiſcopus Satisburienſis, tam præclari operis auctor; quem etſi anteà facerem maximi, non parum tamen nunc ad admirationem viri acceſſit. Quod verò & mea ac frivola tam grata tibi ſint, plurimùm gaudeo. Eaque res ſtimulos mihi ſubdit, ut quod in cæteris meis ſcriptis facio, nec facere ceſſabo, dum vivam idem agam in commentariis meis de Hiſtoricis Græcis, Latinis: hoc eſt ſeriò ut cogitem, de iis, quæ indicta mihi, addendis, & ſi qua perperàm dicta, corrigendis, & quæ benè dicta, firmandis magis. Domitius Piſo dicebat, Theſauros eſſe ſcribendos, non Libros. Libros dedi, non Theſaurum, ſed ſiquid in me ingenii, & eruditionis, quæ ſcio quàm ſint exigua, ſed tamen quantulacunque ſint, operam dabo jugi curà, & meditatione, ut aliquando libri iſti, non dico magnis viris, attamen mei ſimilibus, hominibus non omninò indoctis, theſaurus pene aliquis, in tali quidem argumento, eſſe videantur. In hoc omnino deſinerem: niſi unum iſtoc ſupereſſet, ut filium meum tibi commendem. Longè aberit à parentibus. Sed ſpero, quemadmodum mei Reverendiſſimus ſemper fuit, ita etiam operam daturum, ne mihi dolori ſit abſenti. Ad pietatem, modeſtiam, induſtriam, quod coram facere ſoleo, literis eum adhortari non deſinam. Atque ut, cùm occaſio erit, idem facias apud præſentem, etiam atque etiam rogo. Ego tibi viciſſim omnia amici hominis officia promitto ſpondeoque,

Lugd. Batavor.
CIↃ IↃ C XXVIII.
IX. Kal. Octob.

*Tuus ex animo,*

G. J. Vossius.

---

## CXXIX.

## Richardo Stuarto,

S. Theol. Doctori Capellano Regio,

S. P.

*Lætitiam ſuam ex promiſſo Cantuarienſi Canonicatu exponit. Commendat filium Johannem, amorem reciprocum ac obſervantiam ſpondens.*

Noli quærere, Præſtantiſſime Stuarte, quàm mihi jucundæ fuerint literæ Reverendiſſimi Domini mei, Epiſcopi Londinenſis: ex quibus luce clarius perſpexi, quantopere ei curæ ſim, ut per quem tantum mihi honoris obtigerit ab Sereniſſimo Rege, & Illuſtriſſimo Buckinghamiæ Duce, ut, ſimulac locus vacarit, Cantuarienſis futurus Canonicus ſim, σὺν Θεῷ. Quo nomine ita gaudeo, ut prope mihi digito cœlum videar contingere. Tanto me beneficio obſtrictum tenet, tum Reverendiſſimus Dominus meus, tum Illuſtriſſimus Vicecomes Dorceſtrenſis, quorum uterque & magno Regi, & inclyto Duci fuit quaſi μητίετα Ζεύς. Atque idem Reverendiſſimus Dominus, ut filium quamprimùm ad vos mittam, auctor eſt: ſeque ei patris loco fore pollicetur. Ex quo ipſo tuam etiam benevolentiam non obſcurè intelligo. Video equidem te eſſe, qualem hinc abiens promiſiſti. De me quoque ita habe, fore me eum, quem recepi, nec unquam futurum, ut fallam opinionem tuam. Et ſanè, ſi maxime vellem, hâc ætate vix alius eſſe erga præſtantes & bene meritos poſſim, quàm debeo. Quippe cui jam in naturam verterit conſuetudo colendi & obſervandi tales, tanquam reliquias quaſdam aurei generis. Cum verò tanta inter nos animorum conjunctio ſit, vix neceſſe habeam tibi commendare filium meum. Quippe mei officii eſſe ſcio non ceſſare, niſi re perfectâ. Atque etiam ubi jam honeſtus in Collegio Cantabrigienſi locus erit tributus, non ſemel fortaſſe conſilio tuo egebit, ſed de iſto tum viderimus. Nunc, quod inſtat, agamus. Quæſo igitur meâ causâ etiam atque etiam filium commenda Reverendiſſimo Mecænati, Domino Londinenſi Epiſcopo. Non melius me devincire tibi atque obſtringere poſſis, quàm in tam charo pignore. Περισσῶς non addo, quia non intelligo. Sed ſingula curæ ac fidei tuæ committo. In quâ ob excellentem humanitatem tuam tantum fiduciæ pono, ut videar tibi injurius fore, ſi nimis eum anxiè ac ſolicitè commendem. Et tamen, quod ſponte etiam te facturum ſcio, id peto, quam maximè poſſum, ut amare eum velis, Joannem potiſſimùm miſi, natu omnium maximum. Minoribus ob lubricum ætatis magis me-

metui, præſertim tam longè remotis ab oculis parentum. Hic jam uſu, ni fallor, modum norit vitæ ſuæ. Aliquid etiam eſt, quod hic vegetâ magis ac firmâ eſt valetudine, quàm Franciſcus, qui proximum ab eo locum tenet. Octennium jam eſt, quod in Academia verſatur. Sed initio (ut familiariter tecum loquar) cùm imprimis venuſtati ſermonis operam dari oporteret, induſtria ejus claudicabat. In quo ut aliqua ejus culpa erat, ita & aliqua temporum fuit, quibus apud nos factione omnia arderent: fortaſſe & aliqua erat culpa noſtra, quia importunitate quorundam, ac zelo præpoſtero vexatus, penè etiam adflictus, non eam potui præſtare liberûm curam, quam vellem. Sed illi cum ætate poſtea etiam judicium & ſtudiorum amor gliſcebat: ſic tamen ut præcipuè rerum momenta ſectaretur, itaque & ſub Clariſſimo Snellio, τῷ μακαρίτῃ in Matheſi ſe non negligenter exercebat. Magnopere etiam rapiebatur amore Scientiæ Naturalis. Cui etiam Botanicen, & præcipuè Anatomicen adjecit. Ulterius etiam iis vacaturus, niſi potius Juris utriuſque ſtudium quam Medicinam ſibi propoſuiſſet. Et jam in Jure Baccalaureus eſt creatus. Ac bona ſpes erat, poſſe intra menſes non ita multos Licentiatus conſequi honorem merito ſuo. Sed ubi cognovit de occaſione familiæ meæ in Anglia oblatæ, aliquem eò filiorum mittendi, qui in Collegio Cantabrigienſi uberiorem capere poſſit ingenii ſui cultum; ſeriò de eo mecum egit, & quantopere S. Theologiæ amore teneretur, expoſuit. Adjecit etiam, ne & poſteà claudicet eruditio ſua, velle paullum ſtudiorum curſum retro legere, ſupplendo ea, quæ in Philoſophia ſibi deeſſe animadverteret, privatim etiam ſe bonas literas culturum, & quicquid viam ſterneret ad arces ſolidæ eruditionis. Ingenio valet, nec minus judicio. Solum induſtriæ opus erit, atque ut ſtudia ex prudentum judicio componat. Quales etiam attendere ſolent, quo unumquemque ingenii geniique ardor trahat. Multi enim præclaros nobis viros dediſſent, niſi ea potiſſimùm ſtudia ſectati eſſent, ad quæ minus idonei forent. Tanti eſt nihil facere invitâ Minervâ. De ſumtibus quos honeſtè faciet filius, præſtabo quicquid in me erit. Quin malo paullò majores facere impenſas, ut inter eruditiores honeſtioreſque cibum capere, & verſari poſſit, quàm ut minori ſumtu inter minores proficiat minus. Fore ſpero, ut in eo, & ætatis, & longi temporis, quo in Academia egit, & honoris quem adeptus, ratio etiam aliqua habeatur. Quicquid filio dabitur, id in me beneficium collatum putabo. Interim quanto celerius ſumtuum ratio minui cœperit, tanto magis mihi gratulabor. Quid mirum? qui in re ſim non niſi mediocri, fortaſſe etiam infra mediocritatem, præſertim ſi quis attendat, ut conjugem habeam plurimùm valetudinariam, & quàm numeroſam in ſtudiis prolem alam domi. Animus interim eſt prolixus, & dummodo liberi non abutantur patris lenitate, pro ſorte meâ liberaliter omnia præbebo. De ratione ſtudiorum meorum nihil nunc addam. Volo enim inde mihi novum naſcatur literarum argumentum, ubi filium in Angliam ſalvum veniſſe cognovero. Nam crebrò deinceps literas meas videbis. Juvabit tecum colloqui, à quo me ita amari video. Nempe ex te colligo, ut quiſque eſt amore digniſſimus, ita ad alios amandos eſſe maximè propenſum. Eò magis operam dabo, ut præclaram quam de me opinionem concepiſti, ſemper conſervem. Adhæc curabo, ut nos amicitiâ fuiſſe junctiſſimos, non æquales modò, ſed etiam poſteri intelligant. Vale Clariſſime & Doctiſſime Stewarte, filiumque (facies ſcio) ſalutaribus monitis inſtruas, ne ſi vel apud Reverendiſſimum Epiſcopum, vel in Cantabrigienſi Collegio, vel alibi, in ipſo Angliæ ingreſſu præ imperitiâ peccet; fiat, quod proverbio dici ſolet, Cantherius in porta: eaque res non illius modò honori deroget, ſed etiam depretiet parentem. Πάλιν ἔῤῥωσο.

Lugd. Batav. An.
cIↄ Iↄc xxviii.
ix. Kal. Octob.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

## CXXX.

## Franciſco Junio, F. F.

### S. P.

*Conſilium de mittendo filio Johanne in Collegium Cantabrigienſe aperit, eumque & ſtudia ejus de meliori commendat. Admiſcet aliqua de injuria famæ Junianæ à Thuano maximè autem Scaligero illata, ſed vindicias ejus in præfatione Commentariorum de Hiſtoricis Latinis ſuſcepiſſe ait.*

CUm Cantabrigiam ante annos paucos vocarer, ſi Tauroſthenis columbam habuiſſem, omnino conſuluiſſem, quid facto opus foret. Nunc ob loci intervallum, & quia certò ſatis procurare literas non poſſem, coactus ſum abſque te omnia agere mei unius arbitrio. Veniſſem faciliùs, ſi & uxori valetudo melior fuiſſet, & Anglicæ linguæ intelligens forem, & ad mores exteros mihi viſus eſſem habilis magis ac paratus. Scis enim in omni vita placuiſſe hactenus mores Batavos, planéque ſimplices, utpote homini Scholaſtico, & Muſæi umbræ aſſueto convenientiores. Sed quia venire ipſe non potui, filium nunc Cantabrigiam mitto, ut in Collegio aliquo, ex D. Epiſcopi Londinenſis ſententia, ſtudiis operam navet, virtutéque ſuâ & ejuſce Reverendiſſimi Domini, aliorumque amicorum favore, fortunam aliquam ſibi paret: vel ſi canina aliqua ſceva has intercipiat, ſaltem poſtquam, quantum profecerit, non pœnitebit, tum pietate, tum doctrinâ, ad ſuos redeat inſtructior. Atque eò fidentiùs mitto, quia tu, cariſſime adfinis, in Anglia vivas, cujus ſapientiſſimo conſilio, vel præſenti auxilio, ſi ita res ferat, juvari adoleſcens poſſit. Scio enim te, tam omnia noſtri causâ velle, quàm parati nos ſumus ad præſtandum tibi debita officia arctiſſimæ conjunctionis noſtræ. Quare etſi Reverendiſſimus Epiſcopus ſe patrem ei fore promiſerit: etſi Doctor Stewartus, Eccleſiaſtes Regius, vir mei amantiſſimus, (quo hic familiariter uſus ſum, dum menſes aliquot cum Legato Carletono in Batavia egit) magno me amore complectatur: etſi etiam aliquid fiduciæ pono in Doctore Beale, Pembrochianæ Aulæ in Academia Cantabrigienſi, præfecto, qui & ipſe nos noſtraque alicujus facere ſolet: tamen deſipiam, ſi affectum cujuſquam cum tuo comparandum putem, qui arctiſſimo ſanguinis vinculo liberis meis, per matrem ſororem tuam, junctus ſis. Eum igitur tibi de optima nota commendo; ſic age cum eo, quaſi naturâ pater fores. Eum de manu tibi in manum trado. Et coram & per literas illum mone, objurga, juva. Nihil mihi gratius facere poſſis, præſertim hac ingraveſcente ætate, quâ interdum de colligendis ſarcinulis, & migratione in patriam, aurem mihi mors vellit. Annum unum parentum erit ſumtibus alendus. Exinde vel non multò poſt, ſocium Collegii fieri poſſe, ſperat Reverendiſſimus Epiſcopus. Equidem grave non ducam, hoc quicquid eſt ſumtuum facere, dummodò filius nihil inutiliter profundat, ſed memor ſit eſſe me πολύπαιδα, nec opimam parentibus hæreditatem relictam, quin nec me, nec uxorem, anxiè unquam de congerendis opibus laboraſſe: imò mutationem Reipublicæ ante octennium aliquot millibus mihi ſtetiſſe, & quid ſingula perſequar, quæ tibi ignota non ſunt? Et in hac tamen fortuna mea malo aliquanto majores facere impenſas, ut inter doctiores & honoratiores vivat filius, quàm ut cibum capiens inter rudes adoleſcentes erudiatur minus. Audio menſam in Collegio non ſtare amplius quàm ducentis. Et tamen, ſi aliter eſt, vel trecentos perſolvam. Et ingenii & judicii filio abunde eſt. Vellem in utraque lingua progreſſus feciſſet majores. Magis id foret ex re ejus, & familiæ honore. Et eapropter non parùm hæſi, num eum mitti oporteret. Verùm miro Angliæ amore rapiebatur. Et metus erat, ne mater ſuorum, quàm privigni ſtudioſior videretur,

tur, ſi juniorum aliquis prælatus primogenito foret. Acceſſit, quod hic uſu aliquo rerum pollet, atque ad unguem factus videtur in rebus, quæ converſationem ſpectant civilem. Et defectum in φιλολογίᾳ compenſat peritia rerum aliarum, prælertim earum, quæ partes aliquas Matheſeos ſpectant, etiam τὴν ςερεομετρικήν. Item ſcientiam naturalem, botanicen, anatomicen, in qua parte ſanè progreſſus fecit egregios. Et propter iſta, ad Medicinæ ſtudium idoneus maximè videbatur. Sed neſcio, quæ cauſſans, vel Theologiæ vel Juris utriuſque ſtudium præoptabat. Et jam in jure utroque Baccalaurei gradum eſt conſecutus. Ac Profeſſorum judicium erat, intra ſemeſtre, vel circiter, modò parem induſtriam adhiberet, Licentiatus honorem conſequi poſſe. Et factum eſſet, niſi oblata hæc occaſio foret viſendi Angliam, linguam ejus moreſque addiſcendi, tentandi ecqua & ſibi iſtic ſpes foret emergendi: ſin ſpe excideret, ſaltem cum majori & prudentia & doctrina poſt aliquod tempus redeundi ad ſuos. Videtur annum ultra Philoſophiæ velle impendere, intra quem ſe Magiſterii gradum conſequi poſſe ſperat. Nec obſtabit ratio annorum quos numerant Angli. Ut qui octennium egerit in Academia noſtra, & puto in exteris non omnia ad vivum reſecari. Poſt illa ad S. Theologiam appellat animum: ſed ſic, ut non negligat Juris notitiam, quantulamcunque ſibi paravit, ſed potius eam adaugeat, quantum licet. Seu ad ſacras literas, ſeu ad Juris ſtudium potiſſimùm collimet (de quo poſt menſes aliquot ſtatuere melius poterit) annum ſacris operam dediſſe non inutile erit. Quin turpe ſit Chriſtianum, & tot annos in ſtudiis verſatum, in hoc certamine animorum quod per orbem obtinet Chriſtianum, non mediocriter intelligere Religionis controverſias, ſed in omnibus omninò ab alieno pendere judicio, ut nervis alienis mobile lignum. A filio ad alia venio. Raræ admodum mihi à te literæ, atque utinam ſaltem raritatem earum longitudine compenſares. Scis, quod olim Symmachus ajebat, odiſſe ſe parſimoniam bonorum verborum; & ſcribendi brevitatem, faſtidio, quàm officio, propiorem eſſe. Non tamen id in te locum habet: qui quàm mei & meorum amans ſis, abunde ſemper comprobaſti. Quare illam literarum & raritatem & brevitatem occupationibus tribuere malo: ſaltem cuivis rei potiùs quàm faſtidio, vel affectus friguſculo. Opus noſtrum de Hiſtoricis Græcis an videris haut ſat ſcio. Reperies in eo & amicam tui mentionem, lib. 2. cap. 21. ubi ſermo nobis de Gelazio Cyziceno quem à ſocero tranſlatum tuâ habeo munificentiâ. At Commentarios de Hiſtoricis Latinis, quos ante annum miſi, quin acceperis non dubito. In ejus operis præfatione ad lectorem ſocerum defendo, quem ita depinxerat Thuanus, quaſi deſultorius ac vagus fuiſſet magis quovis Scytha. Atque hoc acerbum adeò judicium tulerat ille ob critica quædam: ad quæ ſocer laſſus gravioribus ſtudiis demittere ſe ſolet, inſtar caballi in clivo, cui ſudor extricandus. Potuit itaque Junius dicere, quod olim Arellius Fuſcus, nemo me ex his cenſeat. Simul occurrendum fuit ibidem calumniis quibuſdam Joſephi Scaligeri, quas Epiſtolis nuper hic cum Heinſii præfatione editis inſperſit. Aſteriſci quidem aliquot locis apparent indices rei alicujus prætéritæ. Sed ex antecedentibus & ſequentibus non eſt obſcurum, quid dicatur: iis prælertim, quibus non incognita prorſus eſt Hiſtoria eorum, quæ poſtremis aliquot annis inter Junium & Scaligerum interceſſerunt. Aut qui Paulinas aliquot Epiſtolas ex Arabico à Junio tranſlatas, ac Tertullianum, Manilium & alia quædam ab eo edita, non ignorant. Eò verò impudentior prorumpit, ut Junium ne Latinè quidem ſciſſe calumnietur. Valde me recreavit, quòd ſpem facis adventus tui in has terras, idque intra annum vel paulò ampliùs. Opto enim tempus videre, quo te fruar. Sæpe mihi conſpectum tuum ante oculos pono. Sed non dubito, quin jam multùm facies mutata ſit ab ea, quæ erat cum abires in Angliam. Tanto impenſiùs videre aveo: quanquam non tam ut dextras jungere, collumque amplecti, quàm ut ſermonem liceat de variis rebus ſociare, multaque ex te diſcere mihi penitus incognita. Habes Epiſtolam bene longam. Aliquanto parcior eſſe potuiſſem: & per te id licuiſſet: ſcio enim te verba mea non exigere ad libellam: Sed committere nolui, ut cùm ego juxta, ac uxor mea, brevitatem tuam culpare ſoleamus; tu meum mihi exemplum objectares. Plurimùm te ſalutat conjux, quæ malè ex caſu aliquo valuit ante dies pauculos ſed nunc cum Hygieia prope in gratiam rediit. Liberi etiam plurimùm jubent te ſalvere. Vale affinis conjunctiſſime, & longè chariſſime.

Lugduni Batavor.
cIↃ IↃC XXVIII.
x Kal. Octob.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

## CXXXI.

*Nobiliſſimo Viro,*

## Paulo Seriere.

*Epiſtola eſt tota familiaris.*

*Nobiliſſime & conjunctiſſime Serieri,*

Si vales, cum tota familia, plurimum gaudeo: Ego, uxor, & octoni liberi, Dei gratia, valemus. Diuturnum jam utrinque ſilentium fuit. Interim amor noſter, non periit, ſed latuit. Unum doleo, quod ſilentium noſtrum exceſſerit modum Pythagoricæ ἐχεμυθίας; ſed ut poſt longum hyemis rigorem, gratior eſt Zephyrus, & verna tempeſtas: Ita ſpero, poſt ceſſationem hanc, acceptiores erunt literæ noſtræ. Quomodo enim aliter cenſeam, cùm arctiſſimo, & indiſſolubili vinculo, junctus ſis uxori meæ: Et ego amicitiam, quæ cum tam propinquo colitur, ſanctam exiſtimem? Pudet quidem diuturnæ adeo ceſſationis in ſcribendo: ſed non tota hæc noſtra, verùm magna ex parte temporum, culpa fuit, quibus hic viximus. Et ſiquid peccatum hactenus, id crebrioribus deinceps literis compenſabitur; non à me modo, ſed etiam à liberis meis, quos ſuperſtitioſè propemodum amare ſoles: Nec illi minus jucundam tui memoriam ſervarunt. Non dubito, quin tibi quoque volupe ſit futurum, arare nobiſcum literarum officio, illum amicitiæ campum. Ita creſcet amor noſter, qui æternus eſſe debet. Nihil autem æque noſſe ex te aveo, quàm an vivas, & valeas, an ſuperſit ſanctiſſima mater tua, matertera noſtra, an benè ſit uxori ſanctiſſimæ, quot liberis te auxerit, & cujus ſint ætatis, ac ſexus, & quibus vocentur nominibus; utrum adhuc apud Metenſes agas, & quâ apud eos, vel alios, dignitate ſis, & ſi quæ alia te, vel tuos ſpectent. Quæ ſi ex te cognôro, etſi te ſemper amavi plurimùm, non exiguus tamen tanto affectui cumulus acceſſerit. Jam ſextus eſt annus, quod Hiſtoriam Univerſalem, hoc eſt, tam ſacram, quàm externam, profiteor in Academia noſtra. Huic muneri ante triennium, & alterum acceſſit. Nam Meurſio noſtro ſucceſſi, in profeſſione Linguæ Græcæ. Nec ſine gloria, utramque profeſſionem ſuſtineo. Sanè frequentiſſimo doceo auditorio, eoque nomine à Curatoribus Academiæ amor, & honeſtè habeor. Qui nec abire in Angliam ſiverunt, cùm in Academiam Cantabrigienſem vocarer perhonorificè, ut in ea Politicen, & Hiſtorias profiterer. Nec ſolum viva voce docendo, ſed pariter ſcribendo, nomen producere, beneque de publico mereri non ceſſo. Sanè ex quo à nobis abiiſti, multa publici juris feci. Ex quibus Commentarii noſtri, de Hiſtoricis Latinis, ita grati fuere Britanniæ, ut Sereniſſimus Rex, jam manu ſua mihi promiſerit Canonicatum Cantuarienſem, ſimulatque ullus vacarit. Quæ munificentia tanti Regis eo gratior eſt, quod hic, & ubivis terrarum, ejus emolumentis, quæ ſanè magna, frui licebit. Filiorum meorum jam quatuor, in ſtudiis egregios fecere progreſſus. Quorum natu maximus, intra paucos dies in Angliam abit, ut Cantabrigiæ, ubi plurimos habeo amantes mei, uberiorem capiat ingenii cultum. Uxor, atque

liberi

liberi jubent mecum ſalvere, tum optimam matrem tuam (nam ſuperſtitem adhuc eſſe ſperamus) tum lectiſſimam conjugem, & familiam univerſam. Vale, cognate præſtantiſſime, & nos ama, ut ſoles.

*Tuus totus,*

Lugduni Batavor.
cIↃ IↃ c xxviii.
x Kal. Octob.

G. J. Vossius.

### CXXXII.

## Hieronymo Beale.

*Quæ in publicum rei literariæ bonum ſubindè moliatur ſignificat, filiumque Joannem ſtudiorum cauſſa in Angliam excurrentem commendat.*

CLariſſime Doctiſſimeque Beale, eunte Cantabrigiam Joanne filio, nefas putavi, ſi eò abſque meis ad te literis veniret. Sanè longè aliud juſſit tuus erga me amor, quem ego non minori affectu remunero. Quanquam autem & antea te plurimi feci, ut debeo; tamen literis ad me tuis non parvus benevolentiæ huic cumulus acceſſit. Satis enim ex iis perſpicio, etſi mihi adhuc videar inter cygnos anſer ſtrepere, multò tamen præclariùs te de me ſentire. Qui error, uti vulgus non prenſo, gnarus τὸ ἀκρισὲς εἶναι κακόν. Ita feriò gaudeo, vel potiùs triumpho amicitiâ hominum doctorum. Eorum imprimis, qui in ſtudiis ſacris, novellis doctoribus ſociarunt antiquos. Quos inter conſtans fama, te, vir doctiſſime, reponit, & ita reponit, ut inter paucos illos referat, qui hâc in re familiam ducunt. Ego quoque hanc Spartam pro viribus ornare ſtudeo. Sed tamen amicorum poſtulato, cogor interdum ad ea relabi, quæ humanitatis vel eloquentiæ ſtudia ſpectant. Itaque prælo jam ſubjeci Commentarios Inſtitutionum Oratoriarum, ſed longè auctiores melioreſque quàm lucem videre ante annos viginti duos, atque iterum ſexennio poſt. Similiter Commentarios meos de Hiſtoricis Græcis Latiniſque, ſubſicivis horis, augeo, emendo, orno. Hoc animo veteres & novos lego, ut non modò ditare poſſim labores meos, ſed etiam, meliora edoctus, propria cædam vineta. Imò ut Apelles judicia omnium, poſt tabellam latitans obſervabat; ita ego ubique ſedulò operam do, ut intelligam, quæ ab doctiſſimis hominibus in ſcriptis meis requirantur. Nec tamen ſolùm limandis & corrigendis veteribus operam inſumo, ſed etiam nova parturio: atque inter alia Commentarios de L. L. grande de eruditâ literatura opus. Nempe amiciſſime Beale, ceſſare non poſſum. Placet egregius Athenienſium mos, ubi, ut Valerii verbis utar, inertia è latebris ſuis languore marcens, in forum perinde atque delectum protrahebatur, fiebatque ut facinoroſæ, ita erubeſcendæ rei culpa. Fore ſpero, ut in ſtudiis ſuis filius apud vos paternam æmuletur induſtriam. Quod ſi fecerit, & ſibi optimè conſuluerit, & gaudio mihi futurus eſt. Proficiendi non alibi terrarum melior ei occaſio eſſe poſſit, quàm in tanta luce clariſſimorum hominum. Quanquam autem, quo in Collegio potiſſimùm victurus ſit filius, necdum ſciam; ſed de eo demùm ſtatuet Reverendiſſimus Epiſcopus Londinenſis, ὁ πάνυ, qui parentis ei loco ſe fore, quâ humanitate eſt, recepit: tamen cum omnino id Cantabrigiæ futurum ſit, non poſſum non plurimùm te rogare, ut pro amore tam propenſo erga me, ſtudio etiam tuo complectare filium meum. Quâ ratione plurimùm me tibi obſtringes & devincies. Scio quidem, vel tacente me, commendatum tibi fore, ſed tamen orare id te literis meis malui, qui putarem iis aliquam commendationis acceſſionem fieri poſſe. Quare iterum iterumque id rogo. Viciſſim etiam omnia à me expecta officia, quæ ab homine amiciſſimo poſſint proficiſci. Vale, & mutuò amare perge hominem ſtudioſiſſimum tui, quique te non modò mirabiliter amet, ſed etiam colat & obſervet.

*Tuus,*

Lugd. Batavor.
cIↃ IↃ c xxviii.
x. Kal. Octob.

G. J. Vossius.

### CXXXIII.

## Guilielmo,

### Londinenſi Epiſcopo.

*Commendatitia pro filio Johanne in Academiam Cantabrigienſem proficiſcente.*

O Multis nominibus felicem nuntium, quem mihi Reverendiſſime in Chriſto Pater, ac Domine, literæ tuæ apportarunt! Iterum me, imò ter & quater beatum, quem amore tuo & curâ feriò digneris, vir, imò heros illâ pietate, illis ingenii dotibus, illâ doctrinâ, illâ dignitate refulgens, & ut verbo dicam, verè Dei Opt. Max. æmulus. Nam ut magnitudinem præter cætera oſtendit, quòd illuſtrem ejus legatum agis in Anglia veſtra, ita non niſi eximiæ eſt bonitatis, quod tanto tibi beneficio obſtringas hominem tantillum, quodque magis mirandum, longo adeò diſſitum intervallo. Equidem primùm quantas poſſum, Deo gratias habeo, uti & Illuſtriſſimo Comiti Dorceſtrenſi, quorum operâ Deus & Sereniſſimi Regis, & Illuſtriſſimi Ducis animos tantoperè mihi conciliârit. Tanti Mecænatis fiduciâ innixus, non dubitavi in Angliam mittere cariſſimum pignus, Joannem meum, filiorum natu maximum. Quem, ut potiſſimùm eligerem, non unâ ratione adductus fui. Primùm illud movit, quòd hic ob ætatem magis videretur nôſſe vitæ ſuæ modum. Acceſſit, quòd valetudine uteretur aliquantò firmiori, quàm unus & alter eorum, qui proximi forent. Prætereà illud ſpectavi, quod profiteretur ſe capi admodum S. Theologiæ ſtudio: nec alibi ejus cultum æquè capere optare, quam in florentiſſima Britannia veſtra. Denique grave videbatur, ſi juniorum aliquis primogenito præferretur; imò is amor & cultus erga eum eſt juniorum, ut ſi id fieret, injurios ſe fore ei arbitrentur. Jam circiter octennium eſt, quòd publicas audire lectiones cœpit. Ac cum ætate magis & magis Hiſtoriæ & Philoſophiæ incubuit; imprimis Matheſi, & ſcientiæ naturali, ſub qua nunc etiam herbariam notitiam comprehendo, uti & anatomicèn, in qua progreſſus fecit minimè aſpernandos. Ab iſtis animum appulit ad juris ſcientiam in qua jam Baccalaurei gradum conſecutus, imò paucis menſibus poſſe Licentiatus gradum adipiſci, plerorumque Profeſſorum judicium erat. Sed ubi intellexit de occaſione hac continuandi in Anglia ſtudia ſua, planéque pertexendi, præoptavit paulò curſum retrò legere, ac quod ſibi in Philoſophia & aliis deeſſe animadverteret, id novâ curâ ſupplere: exinde autem velis remiſque contendere ad ſtudium S. Theologiæ, ſic tamen, ut quod jam in Juris ſcientia hauſit, non ventis tradat; ſed horis ſubciſivis adaugeat, modò ingenium, occaſio, & res ferant. Saltem Canonicum jus haud multùm à Theologia avocabit, quia quicquid illud boni habet, è Scripturarum fonte & S. S. Patrum rivis petitum eſt. Sed de iſto viderimus ſuo tempore. Imò, non tam ego, quàm Collegii præfecti. Tuique etiam conſilii res hæc futura, Reverendiſſime Præſul, ac Domine; cui ut commendatiſſimus ſit filius meus, uſque adeò exopto, ut effari id non poſſim, nec mihi linguæ ſi eſſent complures. Et tantam tamen rem neutiquam rogo timidè quaſi aſſem porrigerem elephanto; ſed magna cum ſpe conſequendi, quod voveo & opto. Tanta mihi eſt fiducia eximiæ, ac propè divinæ humanitatis tuæ. Itaque etſi non ignorem magnitudinem tuam, meque etiam pede meo dicerim metiri, tamen nixus meritis tuis, & literis poſtremis,

mis, auſus ſum filio polliceri paternum affectum tuum, ſed conditione eâ, quâ Auguſtus ſuos commendabat, ſi merebitur. De ſumptibus quos primo potiſſimùm anno fieri opus erit, curæ mihi res futura. Quin ſi ſatius id videatur, vel in anteceſſu ſolvam. Sin id neceſſe non eſt, collybo curabitur ne in cujuſquam ære ſim. Ad Theſes meas Theologicas quod attinet, vellem earum editione abſtinuiſſent Oxonienſes. Sed gravius tamen id mihi futurum, ſi negligenter fecerint. Sin bonâ fide, & cum cura exemplar editum expreſſerint, feram, quando infectum nunc fieri id non poſſit, & ut ſpero amore id fecerint, cùm publici boni, tum mei. Nec eò minus adlaborabo, ut nova prodeat editio, in qua ſuppleam, quæ nunc deſunt. Fore arbitror, ut primùm lucem videant controverſiæ de baptiſmo, unà cum Hiſtoria rituum, quibus veteres in ſacramento uti ſolent. Pars ea à me jam prope ad umbilicum perducta. Et niſi, ut ſimiarum catuli, ita me fallunt ingenii induſtriæque meæ fœtus, non infeliciter hactenus ſub manu negotium hoc ſucceſſit. Ad hujuſmodi magis magiſque elaboranda, non mediocres mihi ſtimulos ſubdit, quòd tu quoque, Reverendiſſime Domine, tantum de graviſſimis remiſeris negotiis, ut placido illo vultu tuo adſpiceres imperfectum diſputationum iſtarum opus. Adſpiceres vero? imò legeres quoque, & quid legeres dico? quin etiam laudares. Quod cum cogito, tacitè mihi gaudium circa cor gliſcit, majoreſque animos ſumo, deinceps etiam ea ſcribendi, quæ tantum Præſulem probaturum confidam. Simul etiam mihi cogitatio obverſatur illud agendi, ut omnes videant mihi ad referendas gratias voluntatem non defuiſſe, ſed facultatem. Scio, cùm omnia egero, minimè vel dimidiam meritorum tuorum partem expungam. Sed tamen hoc effecero, ut quantopere tantum Præſulem colere debeam, omnes intelligant. Non eſt mei ſimilium debita reponere præmia. Quod ſi leviter coner, humeri mox fatiſcent. Attamen benè merentes laudare licuit, ſempérque licebit. Nam & à mortalibus laudes reddentur Deo immortali. Hanc devotam mentem, ſi ſcripta mea ætatem ferent, omnis laudabit poſteritas. Sin (ſed omen verbis abſit) quod effugere coner animi ingrati, ingratum tam præclare de me meiſque merito nequaquam eſſe poſſit.

Reverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine, mei paríterque filii mei, Mecænas Optime, ſupplex oro omnipotentem Deum, & benignum Patrem, ut quemadmodum hactenus fecit, ita porrò etiam te ſpiritu ſuo gubernet, & qui tanto gaudio noſtro valetudinis jam melioris initia largitus eſt, idem priſtinam penitùs reſtituat, & diutiſſimè conſervet, ad gloriam ſui nominis, & bonum tum Eccleſiæ tum etiam noſtrum.

Lugduni Batavor. cIↄ Iↄ c xxviii. x Kal. Octob.

*Reverendiſſimo nomini ac dignitati tuæ pro voluntate tam præclaris erga me meritis teſtata æternùm devinctiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CXXXIV.

## Gulielmus Londinenſis, G. J. Voſſio.

*Binis Voſſii reſpondet literis. Miratur pertinax de nefanda Bukinghamiæ Ducis cæde ſilentium. Filium Johannem curæ ſibi fore. Theſes à Voſſio olim editas nunc Oxonii recuſas mittit, quæque in iis mutari velit, amicè monet, cætera ipſius judicio relinquens. In affecto de Baptiſmo & circa illum hiſtoria rituum opere, cautè & Voſſiano nomine dignè progredi jubet.*

Binas literas tuas accepi, utraſque poſt fata Illuſtriſſimi Ducis Bukinghamiæ. Utræque tamen de illo ſilent. Priores putavi ideò tacuiſſe quia ad aures tuas tam cruenta mors non perveniſſet. Sed prorſus obſtupui quum ſecundas attulit filius etiam elingues. Quid eſt? Num fama deſiit eſſe velox? Num mare non ita ſpatioſum, inter nos voſque tardiùs prætervolat? Num cruor, crudeli, infernali dextrâ effuſus, & viſcus famæ pennas impedivit? Imò accelerat ſanguis, clamatque eundo. Aliud proculdubio eſt, prorsùs aliud, quod de re tam barbara, de perſona tam illuſtri, de fato tam ſubito, eligis tacere. Nolo plura, ne iterum cordis mei fontes rumpant repagula, & effundant ſpiritus. Mortuus eſt, cui ego, tuque multum debuimus.

Priores literæ tuæ nimium mihi aſcribunt. Nec enim is ſum cui aut illa debentur elogia, aut cui tu tantum debes. Ducis memoriæ non minus quam nomini agnoſce te debere, & ſufficit. De Muſis à quibus incipis, ſunt certè ante omnia dulces, ſed de Dominabus & Muſis ipſis intelligi volo, de ancillis non item. Illæ enim ſunt quæ abſinthium miſcent, utpote non naturales Muſarum pediſſequæ. Ipſæ enim optant, eligunt alias: vi, & infelicitate temporum nunquam ſatis deplorandâ, hæ obtruduntur illis.

Poſteriores literæ poſt immeritiſſimas laudes deſcendunt in chariſſimum pignus tuum, filium natu maximum. Quod expectavi ſecundum, fecit non optio mea, ubi omnes pariter ignoti; ſed in memoria erat quod amicus tuus D. Dudleius Carltonus inſinuavit. Quùm aliud tibi conſultius viſum ſit, primogenitum æquè mihi charum adveniſſe ſcito, etiam non adhibitis rationibus illis, quæ tamen ipſæ per ſe abundè ſunt ad ſuadendum.

Unum eſt de quo quid dicam adhuc neſcio. Scribis filium tuum præter progreſſus in Matheſi, & Scientiâ Naturali, animum tandem appuliſſe ad Juris Scientiam, & in ea Baccalaurei gradum conſecutum eſſe. Timeo ne hoc ei impedimento eſſe poſſit, quominus cooptetur in alicujus Collegii ſocietatem, ſi forte per ſtatuta id exigatur, ut non Graduatus ſit tempore admiſſionis; ſpero tamen hoc non eſſe omnibus Collegiis commune. Ego (quod potui) ſtatim ſcripſi, & ſpero proximâ ſeptimanâ tale reſponſum me accepturum, ut filius tuus Academiæ Cantabrigienſi gratiſſimus hoſpes ſit futurus, quod poſtea facile poteris & à me, & à filio audire. Si nactus aliquando fuerit Societatem, neceſſe eſt ut Academiæ, Collegiique Statutis obtemperet, & ad gradus ulteriores tardiùs quàm pro meritis promoveatur, ſi mores loci jubeant. De ſumptibus abundè eſt quod promittis, nec minimæ mihi curæ erit, quam primum poſſum de iis minuendis cogitare.

Mitto tibi Theſes tuas Oxonii excuſas, à quarum editione utinam abſtinuiſſent Oxonienſes mei, ſic vota tua meis conſona ſunt. Quâ fide, quâ diligentiâ publicas fecerint, ipſe ex hoc exemplari judicare poteris, ſed amore audeo dicere, fecerunt quodcunque factum. Tu tamen quod polliceris facito. Prodeat Editio tua. Et ut ſcias me legiſſe aliqua (omnia enim nondum otium erat) velim præcipuè ea quæ à te juniore prodierunt, oculo haud nimis facili ipſe jam perlegas, emendeſque ſi fortè aliquid occurrat, quod te judice, à veneranda, ſanaque ſimul antiquitate deviet. Quod mihi leviter percurrenti factum videtur in Capite de Baptiſmo Johannis. Neque enim Patres me docuere undique idem fuiſſe cum Chriſti Baptiſmate. Boni conſule libertatem hominis amiciſſimi. Et quid ſi aliquantulùm differas editionem illam à te deſtinatam, donec ipſe, nunc multò maturior, dicas: Eat liber hic priſciſſimæ Antiquitatis æmulus.

Conſilium tuum de Baptiſmo, unà cum Hiſtoria Rituum antiquorum valdè probo. Oro tamen ne omittas quod de Baronio ſcripſiſti. Unum cave. Vides iterum libertatem meam. Nam libros quinque de antiquis Baptiſmi Ritibus, Ceremoniiſque ſcripſit Joſephus Vicecomes. Quod quum te latere non poſſit, curabis ſcio, ut ſuperior ſis in illo argumento. Velim enim nihil ſub nomine tuo prodeat, niſi Voſſio meo digniſſimum, & par Hiſtoriæ Pelagianæ.

Redeo ad infandos dolores, quibus intime premor ob Ducis Illuſtriſſimi cædem, omni ſæculo dolendam. Parricida

cida ille ſceleſtiſſimus, Gentis & Religionis dedecus, eripuit non mihi tantùm, ſed & tibi chariſſimum caput, & (non obſtantibus iis quibus eum denigravit hominum quorundam malitia) utriſque & animi & corporis dotibus ditiſſimum. Cœlum non dubito petiit ille: Terrarum incolæ, quos Aſtræa reliquit, nos adhuc ſumus. Damna exinde tua cogita, mea infinita ſunt. Pecuniam ſtatuit tibi mittere ſtatim a reditu: periit cum illo illa. Decrevit certo certius omnia in uſum filii tui paratiſſima habere. Non dico periiſſe hoc, ſed quod ego poſſum multò minus eſt. Diploma Canonicatus tui in Eccleſia Cantuarienſi ille à Rege ſereniſſimo impetravit, muniviſſetque contra quoſcunque impugnatores. Ego & hic tibi non deero, niſi poteſtas mihi defuerit.

Nunc accipe ſtigmata anni hujus, mihi inauſpicatiſſimi. Ineunte anno (quod noſti) tendonem fregi, & adhuc incedo claudus. Succeſſit concio ineunte Parlamento mihi tum admodùm infirmo à Rege impoſita, opus, (prout res noſtræ ſe tum habuere) periculoſum ſimul & difficile. Poſtea Dux Buckinghamiæ mihi chariſſimus, neſcio quo fato, & cum illo ipſe haud planè amico uſi ſumus conventu illo. Finito eo, ille miſerrimè eſt non ſine Diabolo occiſus. Poſt multa ſuſpiria (nam verè & ſine teſte dolui) morbum contraxi acre, à quo vixdum convalui. Servi quatuor variis morbis laſſati, quintus à pleuritide cæſus. Et neſcio quid minatur portio anni infauſti futura. Sed Deus eſt cui ſervio, qui tecum ſit gratia ſpeciali, & cum tuis: prout precatur

*Tui Amantiſſimus,*

Octob. 25. 1628.

GUIL. LONDINENSIS.

---

## CXXXV.

# Andreæ Colvii

Epiſtola ad G. Voſſium, ex Anglia perſcripta.

*Academiæ Cantabrigienſis ſtatum, & quali plerumque in exteros ingenio ſint Angli, Virorum in illa Clarorum nomina, & quanto ibi ex Arminianiſmi ſuſpicione, odio laborent, etiam Epiſcopum Guilielmum, ceu Arminianorum partibus faventem; invidioſe traduci, ipſum etiam Voſſianum nomen, licet cum Vorſtii quidam confundant, velut hæreticum vulgo exoſum eſſe, magnâ libertate perſcribit.*

*Vir Clariſſime,*

SI peccati confeſſio apud te culpam vel minuit, vel eluit, libens confiteor nullum me patrocinium diuturno meo ſilentio poſſe prætexere: ſin minus, ſpero eam apud te mei eſſe opinionem, ut tarditatem ſcribendi potiùs inſitæ mihi negligentiæ imputes, quàm aut tui, aut debiti muneris mei oblivioni. Si enim toties, quoties innumera beneficiorum tuorum recordatio & officium meum me admonent, ſcriberem: vereor ne & tu infelix, cui cum garrula mea loquacitate conflictandum eſſet, & ego impudens, majoribus occupato incomptis meis verbis cerebrum excutiens, jure dici poſſem. Nunc tamen, cum & non inutilia ſcribere me poſſe exiſtimarem, & tutius per me quàm per alium quemvis cogniturum confiderem: putavi me non abs re facturum, ſi ſumptâ fiduciâ te compellandi ea tranſcriberem quæ noſſe, meo judicio tua intereſt. Ex quo in Angliam veni, multa vidi & audivi de quibus præſtat tacere quàm judicare. Poſtquam Cantabrigiam appuli, multa occurrent de quibus impunè loqui licet; ſed judicare non eſt meum. Id ſaltem dicere auſim;

—— *Minuit præſentia famam.*

Collegia enim iſta Anglicana noſtratibus tantopere memorata, ſunt quidem (neque enim ego illis quidquam detractum eo) bono conſilio inſtituta; ſed, ut omnia in pejus prolabuntur, videntur mihi jam gradus doctrinæ vel honoris magis attribui tempori quàm eruditioni: quæ, niſi favore majorum ſubnixa ſit, tam hic quam alibi jacet. Præcipuè ſi reperiatur in extero, quem Angli tranſeuntem amant, remanentem oderunt, utpote metuentes ne aliquando, magnatis alicujus benevolentiâ ſuffultus, beneficiis illorum incubet. Et meo judicio quicunque exterus, citra magnam invidiam ſibi pollicetur hic promotionem aliquam, longè fallitur; cum omnes etiam privatum limis oculis intueantur: & niſi inſtar Protei in omnes formas ſe mutare poſſit, non eſt quod cujuſquam amicitiam expectet. Sunt tamen hic quidam quos non minùs humanitas quam eruditio ornat: inter quos familiam ducunt Wrennus, hoc tempore Academiæ Procancellarius, & Collegii Petrini Præfectus: Belus aulæ Pembrochianæ itidem Præfectus: Creigthon Academiæ Orator, & Græcæ Linguæ Profeſſor, vir, ſi quiſquam alius, eruditus, & à quo noſter Ariſtarchus Nonni ſingulis ferè lectionibus vapulat. Sed neſcio quo fato, ut & apud nos ita hic quoque præclariſſima ingenia maximo odio flagrant, idque ea de cauſa, quod partes in patria noſtra inferiores amare & fovere dicuntur. Sicut & Epiſcopus Londinenſis, eadem de cauſa, non minus exoſus eſt omnibus; ſed ille, qui animum non minus habet Politicum quàm Religioſum, ipſemet Parliamento obtulit quaſdam conſtitutiones adverſus Arminianos: quid de illis futurum ſit, proxima Parliamenti continuatio dijudicabit. Neque tamen hoc modo effugit ſuſpicionem; & ſunt qui proximo Parliamento, ruinam illius (abſit omen) ſperare audent. Sed ſpero ipſum auctoritate Regis, apud quem plurimùm poteſt, facilè illorum ſi non invidiam, at machinationes evaſurum. Rex enim difficulter quidquam concedet populo, cum populus in gratiam Regis vix teruncium conferre velit. Atque hanc quidem ſuſpicantur fore cauſam, ut cum quibuslibet Principibus (quemadmodum hic increbuit de Hiſpano) quales quales conditiones pacis ineat, ne ſubditis ſuis cogatur amplius eſſe ſubditus. Vidi hic recuſas theſes tuas, in oppido, credo, Utopienſi; ſed Bibliopola mihi dixit, procurante Epiſcopo Londinenſi excuſas eſſe Oxonii, quare nomen civitatis immutârit, tibi forſitan, magis quàm mihi cognitum. Si tamen mihi conjicere licet, credo ob nomen tuum, hic in Anglia ſuſpectum, & Arminiani titulo inſignitum, civitatem mutatam eſſe; & quod magis eſt adfui hic quibuſdam, qui tuum cum Vorſtii nomine confunderent, & mirari ſe dicerent tantum hæreticum tanto apud nos in loco eſſe. Atque hæc hactenus: quæ quidem ſcripta ſunt liberiori judicio quàm decet ætatem meam, & majori libertate quam convenit regno, ubi accuſationibus & adulationibus omnia pervia ſunt; ſed ego homuncio ignoto nomine, in peregrina terra facilè latebo inter tot homines quibus terra hæc abundat. Atque eò liberius ſcripſi, quia ad eum cujus autumabam intereſſe, & cui præter hoc puſillum etiam animam debeo, quam libens offeram, modo voluerit opera ejus uti, cum ingenuè profiteri cogar, ab ipſo habere me eatenùs excultam, quatenus eſt. Si quid ſit, quod exiſtimes per me tutius poſſe procurari, tantummodò literas ad ſororem mittas, & comperies me in omnibus eſſe

Cantab. IV. Idus Decembris, CIↃ IↃCXXVIII.

*Tuum uſu*

*& mancipio.*

Salutabis plurimùm meo nomine lectiſſimam tuam conjugem unà cum tota familia.

CXXXVI.

## CXXXVI.

## Guilielmo Laud,

### Epiſcopo Londinenſi.

*Deplorat lugubre Ducis Buckinghamiæ fatum. Gratias agit pro tranſmiſſis diſſertationibus ſuis Oxonii recuſis. Dolet quod non æqua ſibi relinquatur poteſtas, paulo apertius ſententiam exponere vetuſtatis, & quod libertas illa, qua in hiſtoria Pelagiana uſus ſit majori pretio quam* 6000 *florenorum ſteterit.*

*Reverende in Chriſto Pater ac Domine,*

ILlud Tartaro profectum facinus etiam ad aures Lycei noſtri pervolarat: ſed aliquammultis diebus poſtquam priores literas exaraſſem. Nec primùm fidem inveniebat, niſi apud paucos. In cauſa erat, tum quod nuncii ejus mirum in modum variarent, tum quia toto ante trimeſtri publicæ pacis hoſtes ſimilia iſtis longè latéque ſparſiſſent. Nunc enim Illuſtriſſimus Dux menſæ aſſidens, nunc currui inſidens, ſimili ſcelere ſublatus ferebatur; quæ quia vana eſſe docuerat eventus, eo ſperabant boni tum quoque famam mentiri, etſi, ut ingenue dicam, formidarem ſubinde, ne hæc ab hominibus malis ſpargerentur, ut inde aliquis conciperet cogitationem verè ea patrandi, quæ falsò tum diffunderentur. Sed quocunque animo hæc facta ſint, nimis verum fuiſſe hunc rumorem docent nos dies: maximè poſtquam jam filius in Zelandiam abierat, ubi hebdomadas aliquot ventos & commodam navigationem expectare coactus fuit. Quantum inde doloris perceperim, nullis literis teſtatum facere poſſim. Non jam ſufficiebam expediendis negotiis meis vel publicis vel privatis. Indignabar ereptum orbi Illuſtriſſimum Ducem, annis florentem, magni adeo ac præſtantis animi, à quo expectarentur præclara omnia, dignaque tabulis æternitatis. Cogitabam quantum in eo amiſiſſet Britannia, quantum illuſtris ejus familia, quantum tot boni: quantum & ego, quod tantò ſæpiùs in mentem veniebat, quantò apertiora erga me erant merita ejus. Spem etiam muneris fecerant literæ tuæ: atque ex aliis etiam cognoram, quàm munificus eſſet, planè præter mores & tempora hæc. Sed quemadmodum ventis ceſſantibus mare detumeſcit: ita voluit Deus gaudii mei redundantiam hoc infortunio reſidere. Interim ſic quoque Illuſtriſſimi Ducis merita erga me majora ſunt, quàm ſperare unquam auſus fuiſſem. Nam quid mihi beneficio eo, quo coopter in Canonicorum illud nobile Collegium, vel honeſtius vel clarius, vel ad bene merendum de Eccleſia & Republica literaria accommodatius eſſe poſſit? Quare & nunc Illuſtriſſimo Duci τῷ μακαρίτῃ gratias habeo, quas poſſum, & habebo dum vixero: ſemper etiam operam dabo, ut ne Illuſtriſſimi ejus nominis amantes, ac præcipuè liberos, & ſanguine, affinitate, vel amicitiâ junctos, vel talis de me judicii, vel collatæ dignitatis, poſſit pœnitere. Animum autem hunc meum eo oſtendere modo conabor, quo poſſum; imò quo illuſtres animæ imprimis affici ſolent: nempe illo, qui ad æternam laudem & gloriam confert; quæ optima maximaque omnium in hac vita ſemper judicavi.

De afflictâ valetudine tua mihi peracerbum fuit cognoſcere. Nam, ſi quis alius, is ſum, cui & res tuæ ſecundæ incredibilem adferant voluptatem, & adverſa omnia maximum dolorem pariant. Et, ſi vir bonus eſſe velim, quî aliter affectus eſſe poſſem erga eum qui me illuſtris adeò amoris ſignificatione ſis proſecutus, ac porrò in clientelam tuam filium, cariſſimum meum pignus, recipias, ita ut uterque non alio, quàm parentis loco, colere te debeamus ac venerari. Atque in hanc mentem plura dicerem, niſi vel proximis literis eam in tanta dignitate tantiſque meritis vidiſſem eſſe humanitatem tuam, eamque modeſtiam, ut laudanda facere, quàm laudari in os malis. De Collegio quod ſcrupulum injicere poſſe videatur, gradus honoris filio collatus, ſanè doleo. Sed non dubito, quin pro ſapientia tua facilè ſis perſpecturus, quid nunc facto potiſſimùm opus videatur. Cum voluptate autem in literis filii legi de eo potiſſimùm loqui te velle, cum Clariſſimo Wrenno, viro non ſummâ modò doctrinâ ſed ſingulari etiam humanitate prædito, ac præterea, quod non uno indicio cognovi, amantiſſimo mei. Theſium mearum ſyllogen accepi, proque munere quo me mihi donas, gratias habeo ſummas. Nam mirum in modum deſiderio tenebar, jam dudum videndi novam hanc editionem diſſertationum noſtrarum. Gaudeo typis ſatis venuſtis, & quod caput eſt, non inemendatè, quantum adhuc cognoſcere potui, prodiiſſe. Sed diſputationes illas, quæ poſtremum locum obtinent, nempe illas de virtutibus gentilium, deque peccato originali, & gratiæ neceſſitate, ſatius fuerat omitti, cum in Hiſtoriæ Pelagianæ opere legantur, eò quidem emendatiùs paulò. In controverſia de Baptiſmo Johannis mallem licuiſſet paulò apertiùs ſententiam exponere vetuſtatis. Sed ita tum videbatur, & ne ſic quidem effugi ſatis eorum offenſas, quibus non ſatis antiquitas ſapit. Sanè quod candidè expoſuerim veterum judicium de Prædeſtinationis controverſia, & aliis, quæ Pelagius & Maſſilienſes movere, id quidem, (ut apud te dicam quod res eſt, & muſſare cogor apud multos) majori mihi pretio ſtetit, quàm ſex noſtratium florenorum millibus. Sed quod in terris deceſſit, id Deus rependet in cœlis. Ex iis, quæ de Joſephi Vicecomitis opera tam amanter mones, clare ſatis perſpicio, quantopere me diligas, & quàm curæ tibi ſit nomen meum. Verùm planè confido me neutiquam poſt eum operam luſurum. Ita multa bona obſervavi ei indicta. Et ubi concurrimus, brevius rem complectar, quia ejus operam excutere de manibus non eſt animus. Pleraque etiam digeram meliùs, & auctoribus aliis firmabo. Sed de me nimis multa. Interim, qui hæc promitto, neceſſitatem mihi impono hoc agendi, ut nec expectationem fallam. Neque de eo tam ſollicitus ſum quàm doleo, quòd labores mei ſpiſſius procedant, quàm vellem. Nimirum nunc publica avocant munia vel privata mea, vel etiam amicorum: nunc affatus abſtrahunt juvenum, qui ex variis adeò terris in Lyceum noſtrum contulere; nunc valetudo uxoris moratur vel etiam mea, ſane nudiuſtertius lumbagine infeſtatus ſum, quod malum neque nunc planè ceſſat, multum tamen remiſit. Omnino, ut medici, & amici ſuadent, paulum deinceps corporis exercitio dare cogar, ſi diu & publico, & meis, utilis eſſe velim. Spero hac etiam parte me Deo meo curæ fore. A valetudine mea ad tuam venio. Reverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine, Deum oro, ut ad ſummam tuam prudentiam, doctrinam, dignitatem ſumma etiam à corporis vigore & robore priſtino, felicitas accedat: atque id imprimis, ut diutiſſimè Eccleſiis Britannicis præſis & proſis; deinde etiam mei filiique mei cauſſâ, quorum utrumque ut in clientelam tuam recepiſti, ita porrò amore atque curâ paternâ ut foveas majorem in modum rogo.

Lugd. Batav. Pr. Nat. Dom. an. CIↃ IↃ CXXVIII. St. N.

*Reverendiſſimi nominis & dominationis tuæ devinctiſſimus cliens,*

G. J. Vossius.

---

## CXXXVII.

## Gulielmus Londinenſis, Ger. Joh. Voſſio ſuo.

*Optimam Buckinghamiæ Ducis memoriam poſteritati vindicet, cohortatur. Johannem filium Cantabrigienſis Academiæ Vice-Cancellario ſe commendaſſe, ſuo tem-*

*tempore, quæ reſtent, præſtiturum profitetur. In Baronio gnaviter ut pergat, urget.*

QUod tam ſerò ad aures tuas pervenerat Stygium facinus, & fatum Ducis Illuſtriſſimi, haud dubito, miror magis. Sed occluſos tunc temporis portus noſtros fuiſſe ſeriùs ipſe reminiſcor; & dolor ſic amiſſi Ducis, necnon mutata, aut ſaltem mutanda (ut ſperabatur) rerum facies, quæ in fragili memoria ſcripta erant facilè deleverunt. Quod reſtat nunc ſola patientia eſt, ut ferendo leviora fiant, quæ nec ferre didicit ingenuitas nec diſcutere facultas erat. Quieſcit in pace anima, quâ terræ indigniſſimæ, ipſa cœlo digniſſima. Clareſcet ſpero poſt ſæculi invidiam virtus, quam deprimere non potuit rabies pluſquam Scythica, denigrare tantum potuit lingua rabida. Tu age, quod ſpondes, & (quo ſolo modo gratus eſſe potes) nomen Ducis in ſe clarum, poſteris clarius tradere, ne totus uno ictu infernali periiſſe videatur.

De filio tuo quod ſcribam nihil aut parum habeo. Antea ſignificavi quam inopportunus adventus fuit. Omnia tamen, prout tum fieri potuit, molitus ſum, quo nihil ei moræ eſſe poſſit, aut ſcrupulum injiceret, ſe in gentem incultam veniſſe, aut in amicos dubios incidiſſe. Cantabrigiæ jam eſt, in Collegio S. Petri & Doctori Wrenno curæ: Quæ reſtant, ſuo tempore præſtabo, ſi potero. Et ſcio Wrennum, nunc Vicecancellarium Cantabrigienſem eſſe & filii tui amicum, & nominis tui cultorem.

Gaudeo te Theſium tuarum ſyllogen accepiſſe, & Academiam Oxonienſem, quoniam edere voluit, non penitùs inemendatè edidiſſe. Sed de Theſibus aliquibus omittendis, nempe quia in opere Hiſtoriæ Pelagianæ, & quidem emendatius legantur, ſicut conſilium eorum non fuit, ita nec tuum norunt. Nec ſub quocunque prætextu, hoc illis opinor licuiſſet.

De Baptiſmo Joh. mihi abundè eſt quod ſcribis. Et utinam licuiſſet ubique, aut quia illud non ſperandum, utinam alicubi licuiſſet, aptè ſententiam vetuſtatis exponere, ſapiat illa hominibus, ſive non ſapiat. Sed in illa tempora mihi certè incidiſſe videtur Chriſtiana philoſophia, ut de ea nec loqui, nec tacere quis tutò poſſit. Et quàm carè libertatem illam, quâ in alia cauſa, non ſine ſummo Eccleſiæ bono, uſus es, redemeris facilè conjicio. Tanti tamen tibi conſtitiſſe nunc in noviſſimis literis primò legi. Adjicerem hic alia, ſed eſt quod prohibet.

De Joſepho Vicecomite admonui tantum, & per amorem. Et magnâ me lætitiâ afficit, te ita veſtigia ejus premere, ut ſimul antecedas. Nec dolori tibi ſit, labores ſi fortè tui ſpiſſiùs (ut loqueris) prodeant. Negotia publica, privata, uxor, filii, amici, aliquam tui partem vendicant, eâ lege natus es, ſed utinam de tua uxoriſque valetudine lætiora propediem audiam, & diu vivas ad Batavorum tuorum gloriam, & Reipub. Chriſtianæ emolumentum. Mihi tendô ferè coaluit, ita tamen ut priſtinæ ſanitatis ſit ſpes perexigua. Deo interim quotidianas ago gratias, quod vel ſic uti crure liceat. Literis meis per omnia reſponſum dediſti, præterquam quod de Baronio nihil. Nolo ſic prætermittere quod ſummum eſt; tu id age, ne quid aliud impediat animadverſiones illas. Ecce rogator importunus accedo, id age ut ſic tandem Eccleſiæ non deſit Hiſtoria ſua, neve accedat quæ ſua non eſt: ſi hoc velis, & breviter, potes enim, ſacer mihi eris Apollo. Vale.

*Tuus*,

Maji 10. 1629.

GUIL. LONDON.

CXXXVIII.

*Reverendo Domino*,

## Guilielmo,

Epiſcopo Londinenſi.

*Omnia ſe ipſi debere ob paternam adeò & inſignem curam cum ſui, tum filii, cui nunc tam præclarum in collegio Cantabrigienſi locum attribuiſſet. Oratoriis ſuis, ad quorum auctiorem divulgationem publicâ procerum compellatur auctoritate, diſtineri ait, quò minùs animadverſionibus in Baronium incumbere poſſit. De Anglicana Eccleſia diſſidio male metuit, & ut luctuoſum quodcumque procul averruncet, Deo litat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine*,

MUltiplici me gaudio perfuderunt literæ, decimo Maji exaratæ, ac menſe eo paullò amplius pòſt, redditæ mihi unà cum epiſtola filii mei, quæ & ipſa altero me gaudio implevit. Primùm enim non mediocriter lætabar, quod viveret filius Cantabrigiæ in collegio. Eò impenſius lætabar, quòd locus ei datus eſſet inter eos, qui ætate, doctrinâ, honore, aliis anteſtarent: quæ res & poſſet, & deberet, ardorem addere ſtudiis ejus, & occaſionem præbere ex tam pulchro ſodalitio majora quotidie capiendi incrementa, pietatis, prudentiæ, doctrinæque. Maximâ verò lætitiâ afficiebar, quòd haberet præſidem Collegii doctiſſimum Theologum Matthæum Wrennum, à quo amari me, & alicujus fieri ſcirem, ut ex voto meo non alteri filius meus meliùs certiuſque potuerit committi. Ad tanta hæc nunc illud acceſſit, quod filius perſcribit, ſe à Sereniſſimo & beneficentiſſimo Rege Carolo (cui Deus proſpera omnia, ac de annis etiam meis, ſi qui ſuperfuerint, largiatur) eo honore eſſe affectum, ut deinceps ſit accenſendus ſociis Collegii Jeſu. Quod beneficium quantum, imprimis erga hominem exterum, niſi intelligam, tum verè fuero lapis. At omne hoc poſt Deum ac Regem, vel tui unius, vel imprimis ſaltem, Reverendiſſime Præſul ac Domine, affectui tuo ac curæ debeo ſingulari. Magna, vel potius ingentia erga me & meos priora erant merita tua: utcunque in iis, quæ Magnæ Britanniæ deberemus, multum adeò ſibi vindicaret Illuſtriſſimus ὁ μακαρίτης Buckinghamiæ Dux, æternùm mihi animo, ſermone, ac ſcriptis celebrandus. Sed, ſic quoque, ut dixi, magnopere eram obſtrictus nomini tuo, qui, ut mittam cætera, tanti mihi herois gratiam conciliaſſes. Nunc priora beneficia accumulare hoc novo voluiſti. Hoc verè eſt patrem ſe præbere, & filio, & mihi. Quare cùm benefacere non ceſſes, nec nobis ceſſandum eſt in gratiis agendis, & omnibus grati animi officiis ſpondendis, qualia quidem à meæ conditionis homine proficiſci poſſint. Hæc me aliàs etiam ſcribere commemini. Sed facile mihi veniam dabis, ut, quemadmodum idem facere pergis, ita idem ego ſcribam, verbis ſortaſſe aliis, ſed in eandem ſententiam: in quo recordor ſimiliter ſe S. Sulpitio olim M. Tullium excuſaſſe. Unum illud in literis tuis dolori erat, quod, cruris vitio, ne nunc quidem planè ſis tuus: multùm tamen gaudeo, res ita procedere, ut ſperare liceat, ſi non penitùs recuperes vires antiquas, at illas ſaltem adepturum, quæ ab iis proximè abſint. Optimè obſervaſti, quod ego non dolo quidem, ſed ſtudio tamen, non oblivione aliquâ egeram, ut de noſtris in Baronium animadverſionibus, deque veteris Eccleſiæ ſtrenuè tacerem in literis meis. Nempe non ignorabam, quæ tua & aliorum virorum præſtantium expectatio foret. Ego autem, ut apertè, quod res eſt, nunc dicam, auctoritate Illuſtrium Bataviæ ac Weſtfriſiæ procerum compulſus, Partitiones meas oratorias iterum divulgavi: quæ nunc in Scholis omnibus Hollandicis docentur. Sed quia in his brevior aliquantò fuiſſem, operæ multis videba-

L tur,

tur, ut etiam Commentarios Oratorios, grande opus, quod ante annos XXIII. atque iterum triennio poſt divulgaram, tanto poſt intervallo ad incudem revocarem: atque ita & rem præſtarem Illuſtribus Ordinibus noſtris longè gratiſſimam; & magis etiam, quàm feciſſem antehac, ſcholarum mihi præfectos obſtringerem: ac bene inſimul mererer de multis qui aliis etiam in terris ſtudium hoc Oratorium colunt: ac ſi hoc quoque in cenſum venire meretur, eàdem nonnihil honori conſulerem, cum non mediocriter mea intereſſit, ut non tam multa quam optima, victuraque poſteris relinquam. Quòd ſi primogenitorum cura nos plurimùm tangat, ajebant, æquum mihi videri, ut nunc præbitâ mihi a proceribus noſtris occaſione optimâ, denuo in manus ſumerem primum illum noſtrum ingenii πρωϊζοντος fœtum, atque operam dârem, ut quæ tantoperè Scaliger, Caſaubonus, atque alii ſummi viri tum comprobarunt, eadem nunc emendatiùs, & auctiùs, & fœliciùs videant lucem. Atque hoc quidem futurum eſt, ſummum, ni fallor, intra trimeſtre, aut circiter. Vix enim tertia pars ſupereſt excudenda. Equidem mihi telam iſtam olim, ita poſtulante tunc muneris ratione, orſus fuiſſem, atque etiam ut tum vires ingenii ferebant, pertexuiſſem (idem autem de L. Latinæ Commentariis dictum velim) nunquam profectò ita nunc deſiperem, ut levioribus potiùs illis, quàm ſacrorum meditationi, & antiquitati Eccleſiaſticæ tempus impenderem. Et tamen ſic quoque operam do, partim ut nec illa me nunc detineant totum: partim ut iis, quàm citiſſimè liceat, defungi, quo totus majoribus & melioribus vacem. Accepi his diebus ab iis, quibus res Britannicæ non ignotæ viderentur, adhuc metus eſſe aliquid, ne improvido quorundam zelo; etiam in inclyto regno veſtro, ſchiſma fortaſſe oriatur, ob diſſenſum aliquem doctiſſimorum hominum, in controverſia de prædeſtinatione, & dogmatis annexis: propterea que ajebant etiam pietatem ac prudentiam tuam ſeſe Parlamenti poſtremi tempore occupaſſe, ut peſtilenti adeò malo ſalubribus & moderatis conſiliis obviam iri poſſet: ſed omninò pertinacius fuiſſe malum, quàm ut diſcuti tum potuerit: eò fortaſſe minus, quia inter illos, qui Religionem, ut fieri ſolet, prætexerent, forent non pauci, qui alienæ inhiarent dignitati, ac rebus ſtuderent novis. Non ego tam curioſus eſſe ſoleo, ut anxiè inquiram in negotia publica regni veſtri: ſed tamen, nequid diſſimulem, non leviter me ea res conturbavit. Opto enim res Britanniæ eſſe florentiſſimas, non tantùm, quia & ipſe quodammodo nunc in Britannorum numerum tranſcriptus mihi videar favore veſtro; ſed vel maximè, quia ſalus Eccleſiæ Reformatæ poſt Deum, à Britanniæ regno, & hiſce terris dependeat. Itaque aſſiduè Deum oro, ut benedicere dignetur Sereniſſimo Regi, ac felicem largiatur ſucceſſum tuo, & aliorum tui ſimilium, ſancto propoſito; quod utroque, ut dici ſolet, pollice hic probatur ab omnibus pacis & concordiæ ſtudioſis. Sanè, ſi non aliud quam humanas vires ſpectemus, arduam ſuſcipiunt provinciam, qui in Religionis diſſidio ſequeſtri eſſe ſtudent. Imò plurimùm, quod quodammodo edoctus ſum malo etiam meo, præda eſſe victoris ſolent. Sed tamen, ut ſpero, nondum ſic iratus eſt Deus peccatis noſtris, ut etiam apud vos paſſurus ſit in nervum erumpere triſte adeò diſſidii malum. Cui omnes, ſi ipſis de ſe credimus, conſultum volunt: ſed utut pacem utrimque crepent, tamen remedia adferunt admodum diſparia. Multi enim non aliam viam ſciunt, quàm ut iis, qui diſſentiunt, malè mulctatis atque oppreſſis, regnum obtineant ſoli. Alii contra in omnibus, qui fundamentum Religionis retinent, longè præferunt moderationem & animorum & ſcientiarum: quam non deſperant poſſe obtineri, dummodo venerandæ antiquitati, & magnis etiam viris, quos Deus ſerius naſci voluit, honos debitus conſtet. Utcunque enim inter veteres & juniores, in aliquibus fortaſſe diſſenſus aliquis appareat, tamen facilè negotium componatur, dummodo abſuerint, hinc quidem temerè innovandi libido, inde autem amor dominii in conſcientias alienas. Sed hoc non agnoſcunt qui cœleſtem veritatem poſtponunt ambitioni ſuæ: ac charitatem Chriſtianam poſthabent odio & malevolentiæ propriæ. Verùm dum hi, quarumcunque tandem partium fuerint, diſputare acutè malunt, quàm Chriſtianè vivere, non quidem capitur Saguntus, ſed quiddam vincitur longè majus & excellentius Sagunto. Quippe fraterna dilectio, ſine qua eſſe Chriſtiani non poſſumus, animis & doctorum, & populi expellitur; contrà, vires capit regnum Antichriſti. Tantò magis oro Deum, ut te, Reverendiſſime Domine, optimeque Mecænas, deinceps etiam ſpiritu veritatis & conſtantiæ firmet, ac longam tibi vitam & valetudinem proſperam in hoc propoſito largiatur, atque aliis quoque eam gratiam tribuat, quò præclaris monitis ac conſiliis tuis aures præbeant vacivas, neque ſua quærant, ſed quæ ſunt Chriſti.

Lugduni Batav.
cIↄ Iↄc XXIX.
XX Junii.

*Reverendiſſimæ dominationis tuæ cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CXXXIX.

# Guilielmo Boſwello,

## S. P.

*Multum ipſi debere ſe profitetur pro donata Clave Apocalyptica anonymi ſed Eruditiſſimi Viri, hoſtimenti loco remittit libellos Gratii, hominis Pontificis, ante ſeculum Eccleſiæ ut ait bono congeſtos. Rogat ut ſe Comiti Carbilenſi itemque Epiſcopo Londinenſi de meliori velit commendare.*

QUanquam, generoſe vir, atque idem amice amiciſſime, à corpore langueo, ab animo vetizo, ut illa Augusti voce utar: tamen ea erga me ſunt merita tua, is erga te amor meus, ut propemodum mihi piaculare aliquid videatur, ſi tuorum quemquam ſine meis ad te literis dimittam: Sed, ô quanto optatius fuiſſet, ſi, uti ſpem feceras, Lugdunum reviſiſſes, atque ita mihi deſideratiſſimo tui colloquio frui paulisper licuiſſet! Sed privatos, fateor, affectus Regni veſtri negotiis poſthaberi æquum eſt; imo pluſquam æquiſſimum. Libellos quos ante ſæculum Gratius, homo Pontificius, Eccleſiæ bono congeſſit, ad te mitto; ſpero munuſculum non fore ingratum, quia fructu omnia potius quam pretio metiri didiciſti. Multum tibi debeo, quod me donaris Clave Apocalyptica ejus viri, qui etſi nomen diſſimulet, tamen abunde prodit ingenium, doctrinam, induſtriam. Jam decennium eſt, quod in Collegio Theologico Illuſtrium Ordinum hunc librum Auditoribus enarravi. Compluribus in locis ubi hærebam, nebulas mihi vir ille diſcuſſit. Atque utinam mihi tam lympido & defæcato eſſe animo licuiſſet, ut non ſeorſim Capita, vel Capitum interdum partes conſiderare licuiſſet; ſed quod in hoc argumento palmarium eſt, à capite ad calcem, interpellante nemine, penſiculare omnia potuiſſem. Interim ex iis quæ tantopere probantur, planè perſuaſum habeo, idem de iis judicium fieri oportere, de quibus nondum ſatis liqueret. Sed iſta expendam accuratius ubi meus eſſe magis cœpero. Simul etiam unius alterius egregii apud nos viri judicium exquiram & perſcribam. Hæc nunc paucis perſcripſi. Sed, ô vir præſtantiſſime, quanto uberiores à me literas accipies (atque ego mihi item à te promitto) ubi ſalvum ac ſoſpitem adveniſſe in Britanniam veſtram cognôro! Quorſum hoc à me dicatur, ſcio te intelligere. Nihil enim mihi magis volupe erit, quam commercium ſi literarium tecum interceſſerit. Scio, quantopere mihi ea res eſſe ſubſidio in ſtudiis meis poſſit. Et, quod probe cognovi cum proxime adeſſes, fiet id te non invito: quid invito dico? imo prope æque, ac à me ſit, expetenti. Eo nunc facilius Epiſtolam abrumpam. Quanquam nec plura

ſive

ſi velim, poſſim, dum aſſiduè ab aliis interpellor, & quomodocunque quàm nihil ſcribere malo. Quæſo, mi Boswelle, commenda me Illuſtriſſimo Domino Legato, Comiti Carlilenſi, cujus ego affectum erga me jam bis perſpexi, quod homullum hunc tanto ſit honore dignatus. Nunquam mihi excidet beneficium hoc ejus Herois. Cui nunc aliud optare non poſſum, quam ut rebus ex ſententia confectis, lætus ac ſoſpes ſe Regi Sereniſſimo & Britanniæ ſuæ ſiſtat. Quod idem tibi, generoſe Domine, exopto. Si valetudo & alia conceſſerint, literas exarabo etiam ad aliquos in Britannia amantes mei. Sed ſi id minus nunc erit, fiet intra dies paucos. Rogo ut me commendare digneris, ac ſimul filium, Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Londinenſi, Viro, cui plus uterque debeamus, quam dicere poſſim. Quod & ipſe antea expertus ſum, & ex literis filii mei ſatis didici. Quid de CLL. & ſummis Theologis Wrenno, Belo, aliis dicam? Ego verò non auſim à te poſcere, ut hoc oneris ſalutandi eos ſuſcipias; alioqui de eximio Viro Seldeno non tacerem, & uno item alteroque alio. Sed de iſto videro proximis literis. Raptiſſimè.

Lugd. Batav.
cIↄ Iↄc xxix.
xx. Jan.

*Tuus ex animo*,

G. J. Vossius.

---

CXL.

*Clariſſimo Viro*

## Franciſco Gomaro.

*Streſonem juvenem Gröningam ſtudiorum cauſſa proficiſcentem commendat. Gratias agit pro donato erudito de origine Sabbathi & inſtitutione Dominica opere.*

*Vir Clariſſime, & conjunctiſſime,*

QUi has tibi literas reddit, cùm primum in Academiam venit noſtram, de meliore mihi nota commendatus eſt, à Theologis Bremenſibus; Eoque uti nomine, mihi gratus ſemper fuerit, ita non leve amori pondus acceſſit, ubi non eruditionem modò, ſed quod longè majoris duco, pietatem etiam, & ſingularem modeſtiam perſpexi. Parentem habuit egregium virum, D. Streſonem (ut nunc, quàm Epiſcopum dicere malunt) in Eccleſia Principatus Anhaltini. Quo in munere, is ſucceſſorem habuit Clariſſimum virum, Angelocratorem, eum, quem in Synodo Dordrechtana, non minus ab eruditione, quàm de facie noſſe potuiſti. Ut ad juvenem hunc redeam. Is partim caritate annonæ, quæ hic eſt, compulſus, partim famâ præſtantium Academiæ veſtræ virorum illectus, iter ad vos inſtituit: ſed vix æquè aliud in votis habet, quàm ut publicæ ſtudioſorum menſæ particeps eſſe poſſit. Quod ut conſequi liceat, commendari à me tibi voluit, & Collegis tuis. Rogo igitur, ut hujus voti ſui particeps per vos fiat, vel ſi locus nondum vacat, ſaltem conſilio juvetis, ut ne diu admodum ſpe fluctuet incertâ. Erit id mihi longè gratiſſimum; nec mihi modò, ſed etiam ſummis viris, Scholæ Bremenſis Theologis, qui eum mihi, ut dixi, commendarunt. Neque dubito, quin juvenis ipſe ſemper grato animo ſit conſervaturus memoriam beneficii veſtri. Pro doctiſſimo opere de Sabbatho (quod tamen non ad omnium guſtum fuit, ut nunc tempora ſunt) gratias quas multò ante debui, nunc demum ago. Planè mihi ſuccenſeo, quod ab tam amico viro, tam præclaro munere ornatus, (nihil auribus do, non pauca me bona docuit) tardè adeo reſcribam quicquam. Nempe jam penè in naturam abiit conſuetudo tardè reſcribendi. Primùm tantummodo in craſtinum, aut perendinum diem rejicio, aut diem eum, quo Academico more feriamur. Hoc non facilè aliquis improbârit in eo, cui bis de die publicè docendum. Sed dies unus, alter, fit hebdomas, hebdomas menſis, menſis trimeſtre: Niſi puderet dicerem ſemeſtre, annus ultra; Imo quod quorundam literis nunquam reſpondeam: Non profectò contemptu cujuſquam, nedum præſtantium virorum: ſed quia non par ſim omnibus, quæ ſuſcepi in humeros meos. Ad quæ nunc acceſſit moleſtiſſimum Aſſeſſoris Academici munus, & nova lima Oratoriarum Inſtitutionum, quibus jam prelum fervet. Hæc eo pluribus ſcripſi, ut facilius ignoſcas, quod nihil reſcripſerim hactenus, de negotio illo ἐρωτικῷ. Quamquam & alia ſunt, quæ tardiorem fecere. Primùm iſtud, quod illa quam me ſcis dicere, ſignificaſſet ſtatutum ſibi eſſe abnuere conditionem. Deinde hoc, quod ipſe hærerem, Πολλῷ μὲν, πημαίνομαι τ᾽ μνηστῆρας ἀλλὰ πολὺ φόβον σφέλιχθ᾽ ὁ ἀετὸς νικηφόρος. Si non magis ex compacto Teutones noſtri, nec prudentioribus conſiliis, rem curabunt publicam, tantùm poterunt tela eorum adverſum, & cum Poëtis dicam, Jovis alitem, quantum Chaonias, vel ſi mavis, Teutonicas dicunt, aquilâ veniente columbas. Sed omen abſit. Neque planè de Teutonum rebus deſperare poſſum; præſertim ob nonnulla, quæ viri talium intelligentiores communicârunt mecum. Quod ſi optima ſperare deinceps detur, de Germaniæ ſtatu: Et quæ poſcitur, noluit viduis noctibus floridam perire ætatem, equidem non indecorum hunc ὁμογάμοντα duxerim noſtræ familiæ. Sed porro tùm cogitandum erit, nequid liberis inde diſpendii oriatur: Hanc curabit nobiſcum ille, qui nunc, ut ſcis, Britanniam petiit, ac menſe proximo affuturus denuo putatur. Salutabis meo nomine plurimùm conjugem, & liberos; Imo Collegas tuos, imprimis D. Altingium, & D. Ghebartum. Uxor etiam ſalvere te juſſit, & tuos.

Kal. April. cIↄ
Iↄc xxix.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

---

CXLI.

*Epiſtola familiaris; quæ vel confecta, vel affecta habeat opera, narrat; ſimilem à Voſſio ſtudiorum rationem exigens.*

*Amicorum opt. max.*

QUanquam nihil magnopere haberem, quod in præſens ipſe ſcribere, aut tu ſcire etiam cuperes, tamen bonam occaſionem non putavi negligendam; ac vel ſaltem hoc teſtandum, vivere nos ac valere, per benigni Dei gratiam: ac de vobis eadem item ſperare. De re publica hujus regni, nihil habeo; niſi quod legati utriuſque partis ſedulò de pace agant, quam ſperamus brevi nos, volente Deo, habituros: Siquidem conditiones quas initio iniquiſſimas adverſarii proponebant, cum viderent planè à noſtris magno animo recuſari, omiſerunt; aliaſque magis gratas, obtulerunt. Videbimus quid bonus Deus, quem quotidie precamur, & in quo fiduciam noſtram collocamus, nobis mox ſit conceſſurus. De ſtudiis meis, iſtud habe, ut me videas, etiamſi à Typographo deſtitutum, non ignaviæ tamen ideo mancipatum deſediſſe. Paratos itaque habeo, *Hiſtoriæ Danicæ Libros* III. quorum prior res Chriſtiani I. alter Johannis, ejus filii; tertius verò, Nepotis Chriſtiani II. comprehendit. Eſt & Solon, ſive de ejus Vita, Legibuſque, liber ſingularis. *Denarius Pythagoricus*; ſive de numerorum uſque ad denarium, qualitate ac nominibus, ex Pythagoræ Doctrina; liber ſingularis. Gorgiæ Leontini, Antiſthenis, & Alcidamantis, Orationes, quæ ſuperſunt; & de eorum Vita, atque ſcriptis, liber ſingularis. *Regnum Atticum*; ſive de Regibus Atticæ, libri III. ac ſeorſim *Theſeus*, ſive de ejus Vita, ac rebus geſtis, liber ſingularis. Et nunc *Bibliothecam Græcam*, tanto tempore intermiſſam; Opus ſanè operoſum, arduumque, ſeriò urgeo. Habes mea; nunc tu tua mihi redde; tum de ſtatu Academiæ, publicoque item patriæ; cui, quanquam minus bene de me meritæ, tamen fauſta



omnia

omnia precor. Vale, & ſalve ex animo, à me meaque, cum tuâ, omnibuſque tuis. Guilielmus Noomſius tuus, quid agit, & ubi agit? Amo certè illum juvenem, ad virtutem ac doctrinam, vera via magno impetu contendentem, cùm Lugduni veſtræ agerem. An non etiam perſeverat? Spero, & opto. Si etiamnum in tuis ædibus commoratur, ſalutem, quæſo, meis verbis plurimam dicito. Ad Dominum Heinſium ſcripſi ante paucos menſes; quære, ſodes an acceperit: ac ſalutem item dicito. Iterum vale.

Raptim, Soræ, ad diem XII. Aprilis cIↃ IↃcXXIX.

*Tuus*,

JOH. MEURSIUS.

## CXLII.

## Gerhardo Joanni Voſſio, Er. Puteanus.

*Latinam & Græcam ipſius Hiſtoriam admiratur, ſuas commendationes Inſubricas, ut & obſervationem de S. Flaviâ Domitillâ cenſoris oculo perluſtrandas mittens.*

LIbera tandem aliquando humanitatis nobis officia erunt, decumana belli ſeveritate impedita. Patet enim jam tabellariis iter, quod affectui meo numquam clauſum fuit. Homo non eſſem, niſi te amarem; à Literis & honeſtis artibus alienus, niſi ſingularem doctrinam tuam & excellentem ingenii vim etiam tacitus ſuſpicerem. Mirum etiam in modum accendit animum meum nupera illa epiſtola tua, amantiùs neſcio, an eruditiùs exornata, an etiam modeſtiùs. Qui hoc agis, ut mente complectaris optima, adhuc ignorare videris, quantum tibi docti omnes tribuant. Magnus es, qui docere omnes potuiſti. Ejuſmodi libri tui ſunt, de Hiſtoricis Latinis incredibili induſtria ſcripti; nequid jam de Græcis dicam, quos omnes tibi obſtrictos habes. Laudo, imò ſummopere admiror utrumque hoc opus. In altero enim totam exhauſiſſe Antiquitatem videris; in altero veteribus adjunxiſti novos, claris obſcuros nonnullos; ſed ut illuſtrares ſimul omnes. Pulchrum meherclè facinus, neminem prætermiſſum eſſe. Quiſquis enim Hiſtoriam attigit, bene de genere humano meritus eſt; & quia aliquam rebus lucem dedit, luce ipſe dignus erat. Inter ſordes & fumum nonne gemmam interdum invenias? Ad famam ſatis erat, eminentes Scriptores, tanquam lucida quædam ſidera recenſere: ſed ut amplius publicæ utilitati dares, viliores etiam calamos pulcherrimo & ſemper victuro Volumine complexus es, nequid deinceps omnino in Hiſtoria neſciremus. Juvat profectò & illos, ut ſic dicam, capite cenſos intueri, hactenus utiles, quia ingenium occupârunt. In tenebris tenue etiam lumen veram aliquam imaginem diſtinguit: & quis eſt, qui non malit luſcus eſſe quàm cæcus? Non potuit igitur diligentia tua invitum excedere; nemini ſupervacua, niſi nuperum ævum, & Monaſteria omnia, in quibus Literæ conſervatæ ſunt faſtidiamus. Quid mihi verò doctiſſimus ille labor tuus profuerit, publicè in Commentariis meis Inſubricis, quibus irruptiones Barbarorum in Italiam illuſtro, profitebor. Hiſtoricum, & ſimul Interpretem egi. Ita enim videbar & potiùs narrare, quæ cadente Imperio Romano geſta ſunt; & facilius explicare, quæ, ut ſæcula illa, plus noctis quàm diei habuere. Propediem, ut ſpero, mittam ad te opus, ſed tanquam ad Cenſorem ſuum. Nam qui omnem examinaſti Hiſtoriam, meam etiam emendare poteris. Nunc illam de S. FLAVIA DOMITILLA Obſervatiunculam vide, & Clariſſimo ſimul HEINSIO oſtende: ad quem mox & literas & exemplar miſſurus ſum. Nuperas verò meas ab ARCERIO an acceperis neſcio. Summum crimen putem, in tanti viri affectum ſilentio peccare. Partitiones Oratorias non Batavicis tantùm ſcholis, ſed omnibus omnium provinciarum dignas judico. Faxo & hinc Eloquentiæ priſcæ ſpecimen ſibi filii mei proponant. Vale, & me amare perge.

Item CHRISTOPHORUM CALENIUM video Avunculum tuum magnum fuiſſe: ſed CALENII Venlonenſes ſunt: an igitur & Patriæ nexu jungimur? Iterum vale.

Lovanii, in Arce. XIII Cal. Junii, cIↃ IↃcXXIX.

## CXLIII.

*Doctiſſimo Viro,*

## Franciſco Junio.

In Aulam Arundelianam.

*Pro cura in filium Johannem gratias agit. Iter Graecanicum omni conatu ipſi diſſuadet; inſtigat potiùs, ut praeclarum, quod meditetur opus de picturis & re ſtatuaria veterum, quàm proximè in lucem publicam producat.*

PLurimùm me tibi obſtrinxiſti, optime, & conjunctiſſime affinis, quod tantùm laboris ſuſceperis filii mei causâ; ut eum deduceres ad cognatam Bulliam. Neque id tam gratum mihi eſt eo nomine, quod hoc duce, & comite, tutius potuerit conficere iſthoc iter; quàm quod tali diebus aliquot monitore fruens, magna potuerit incrementa capere, & pietatis, & prudentiæ, & doctrinæ. Utinam hujuſmodi illi felicitas ſæpius obtingat. Verum quia novi, id non ferre inſtitutum vitæ tuæ, cùm vix magis tuus ſis, quàm ego meus: ſaltem illud precibus conſequi à te licebit, ut crebrò eum literis tuis, ſui officii commoneas, ſcis enim quàm proclivis ſit adoleſcentia ad otium, & vitia. Sanè vero illud dico, eo me animo eſſe tranquilliori, quod illic talem affinem, vel potius fratrem, hoc eſt, ut Grammatici dicere ſolent, ferè alterum me habeam, qui propemodum ſic amet liberos meos, quàm ſi ex ſe nati ſint. Præſentia Clariſſimi Pettæi multùm me delectavit. Juvit pendere ab ore narrantis, tam multa pulchra, & præclara de peregrinatione ſuâ. Egregiè meritus eſt de Rep. Literariâ, quod multò magis patebit, cùm ea quæ obſervavit, in publicum emiſerit. Gratulor tibi quod, cum tanto ejus Mecænate, Illuſtriſſimo dico Comite Arundelio, vivere tibi contingat; cujus auſpiciis, & ſumptibus, hoc iter ſuſceptum eſt. Sed quod Pettæus ajebat, ſperare ſe, te quoque iturum in Græciam, id tale fuit, ut lapides mihi loqui videretur. Eò magis, quia retulit mihi, ut ſæpius in carcerem, tanquam explorator fuerit conjectus; ſemel etiam naufragium fecerit. Cùm hanc peregrinationem ſuadere tibi D. Pettæus cœperit, velim ex diſerto fiat infantiſſimus. Græcos ne tibi luſtrandi veniat tam dira cupido: præſertim poſtquam maximè memorabilia iis è terris abſtulit Pettæus. Tun' ſpicilegii ergo, hac ætate tantùm capeſſas laboris? tot te periculis exponas? Malim te ire ad Gallos, Italos, at Belgas ante omnes, ubi nos viſes, qui tanto tenemur deſiderio tui. Et facies id ſpero propediem, fortaſſe tamen antea extare voles aliquod monumentum ingenii, & diligentiæ tuæ. Nam partim ex literis tuis, partim filii, intelligo te moliri aliquid, de ſtatuaria arte, ac picturis veterum. Sanè aliqui hoc Argumentum tractarunt. Ut præter Gauricum, Cæſar Bulengerus, qui ante biennium emiſit in Galliis libros duos, de picturâ, & plaſtice ſtatuariâ. Nec dubito quin videris Joannis Molani Lovanienſis Theologi libros de hiſtoria SS. Imaginum, & picturarum. Verùm & hi & alii, quibus argumentum hoc expoſitum fuit, non exiguum tibi reliquere ſpicilegium. Tantò impenſius deſidero ea videre, quibus non mo-

modò te Illuſtriſſimo Comiti, Literarum, & Literatorum Patrono, opt. max. commendare poſſis, ſed etiam Reip. toti literariæ, & ſæculis futuris. Sanè, mi affinis, præter tempus, & benefacta, nihil eſt noſtrum. Opes poſt obitum noſtrum, alium atque alium Dominum nanciſcentur; ſed ingenii, & induſtriæ monumenta, non mutant dominum. Quare perge in præclaro inſtituto, & brevi nos bea fœtu aliquo, qui parente ſuo dignus ſit. De liberis meis nihil addo, præter hoc unum, eos ſe mihi magis magiſque probare: quod tibi quoque jucundiſſimum eſſe cognitu ſcio. Hæc raptim, atque feſtinantius quàm vellem; eò quod Joannes Brunæus, cum conjuge, ad me diverſiſſet, nec illum diutius ſine alloquio mei relinquendum putarem. Juſſit ut te plurimùm ſuo nomine ſalutarem. Sororis tuæ Johannæ res meliori loco, his proximis menſibus eſſe cœperunt: quo nomine, valdè ego & uxor gaudeamus. Non paulo nunc ſereniori animo eſt, quàm eſſe ſolet. Juvit tua liberalitas, ſed imprimis quod quingentos, vel amplius, ex negotiatione Americana percepit; ſpero eam, & univerſam Parentis tui familiam, Deo curæ fose.

Lugduni Batavor.
cIↃ IↃ c xxix. Prid.
Kal. Quint.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

## CXLIV.

## Matthæo Wrenno,

Procancellario Academiæ Cantabrigienſis, nunc Magiſtro Collegii S. Petri, & Decano Wintonienſi.

*Filium Johannem curâ paternâ ſollicitè commendat.*

*Reverende ac Clariſſime Domine Wrenne,*

MUltum equidem lætabar, cùm ſalvum adveniſſe filium in Britanniam cognoſcerem. Gliſcebat lætitia, cum viderem Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Londinenſem, meum juxta ac filii Mecænatem, tanto cum affectu curam ejus rei ac ſollicitudinem ſuſcepiſſe, ut filius in Collegio aliquo Cantabrigiæ vivere impenſis ſuis ad tempus poſſet. Sed maximè lætitiâ delibutus fui, cùm eo eſſet res perducta, ut in eo viveret Collegio, cui tu, vir idem, atque amice ſumme, tanta cum laude præeſſes, & quod ipſum etiam jure magni admodum ducebam, ubi menſâ & converſatione iis jungeretur, qui ut profectu, ita honore etiam primas ferrent. Quid iſtis majus eo quidem tempore vovere potuiſſem. At nunc tamen aliud luculentum adeò acceſſit, cùm idem à Sereniſſimo Rege curâ ac interceſſione Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, & commendatione veſtrâ, tanto auctus eſt honore, ut in numerum Sociorum Jeſu Collegii referretur. Felicem me, qui tales habeam in Britannia amicos, felicem etiam filium, qui & ipſe uberes adeò fructus percipiat ex veſtro erga me amore. Quamquam autem nunc Collegium mutabit, fore tamen ſpero, atque adeò confido, ut qui hactenus pulchrè adeò de filio ac meipſo meritus es, eundem erga nos animum conſerves. Opto etiam ut Collegii Jeſu præfectum talem erga ſe filius experiatur, qualem te expertus eſt ſemper. Utinam modò filius non indecorum ſe præſtet, nec indignum meritis veſtris. Votis ille meis ſatisfaciet, ſi idem eſt abſens, quem præſentem ſe hic geſſit. Meæ interea partes erunt, ut qui tantum mihi amoris ac favoris exhibetis, aſſiduè illud cum animo cogitem, quomodò potiſſimùm gratum teſtari affectum erga eos poſſim, à quibus tanto affectus ſum beneficio, ac qui neque nunc bene de me ceſſant mereri. Quos inter te, vir clariſſime, optimo jure, cenſeo, imo in iis repono, qui familiam ducunt. Cæterum nunc liceat etiam bonas haſce precari te preces, ut deinceps quoque filium ſi ita uſu veniat, conſilio aut ope tuâ juves; ac ſi forte (quod ne Deus ſirit) vel ſuopte inſtinctu, vel ſuaſu alieno, alius alibi fieret, me quam primum facias certiorem, quo principiis obſtemus. Nihil quidem metuo iſtiuſmodi. Sed tamen jamdiu didici, humana omnia incerta; eoque etiam tutiſſima metuere ſoleo, tantò ſanè magis, quantò quiſque mihi conjunctior & acceptior eſt. Hæc tanti mihi viſa, ut vel ſola (ita paternus eſt animus) ad te, vir maxime, ſcriberentur. Sed deinceps de aliis etiam, quoties aliquid non indignum ſcriptione ſe offerret, literas à me expecta. Sed ſimplices, & quales hæ ſunt, ut ſine animi fuco, ita abſque verborum calamiſtris. Nempe omnia prout in buccam venerint. Ita inter amicos puto fieri oportere. Nec vel occupationes ſinunt, ut lenocinia ulla, more quorundam conſecter; neque ego illis capior, ſcio neque tu, vir eximie. Salutem à me plurimam dices clariſſimis ac doctiſſimis viris, Doct. Belo, Doct. Collino, Doct. Wardo, Doct. Porter, Doct. Charterton, Magiſt. Critoni, aliiſque omnibus amantibus noſtri; quorum ego utinam affectui erga me & filium meum poſſim officio ullo reſpondere.

Lugd. Batavor.
cIↃ IↃ c xxix.
Kal. Jul.

*Virtutum tuarum admirator, ac dignitatis eximiæ cultor devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CXLV.

## Johanni Meurſio,

S. P.

*Felix ad invidiam uſque Britannicum ſibi iter ceſſiſſe ſignificat. De Salmaſio Lugdunum Scaligeri loco vocando conſcium reddit. Præoptat cum Grotii, Meurſii ſui reditum, ejuſque eruditos labores apud Britannos exteroſque alios prædicari affirmat. Quam præclara ex Oriente antiquitatis monumenta ſecum reportaris Pettum indicat. Literarum Caſauboni editionem promittit, in Scaligeri epiſtolis de illo etiam acerbum & nequiter dictum eſſe monet. Alia quæ poſt exceſſum ejus è Batavia contigerunt, recenſet.*

OB diuturnum adeo ſilentium difficilis mihi cauſæ dictio apud eos foret, qui me nævo potius aliquo norint, quàm integrum, uti tu facis, vir clariſſime. Cui, ut puto, facile perſuadebo, tamdiu me nihil ſcripſiſſe, non quia minus amem te abſentem, quam ſoleo præſentem: ſed partim ob occupationes ἐγκυκλίους, & invaletudinem meorum, ex quibus maximus natu filius, Collegii Jeſu ſocius apud Cantabrigienſes, plus minus menſe oculis captus fuit: partim etiam quia teipſum exſpectaremus, ut ſpem tui feceras nobis ante ſeſquiannum, vel præterpropter. Primis quidem menſibus, ex quo eas literas acceperam, irritum fore hoc promiſſum facile prævidebam. Sed fœdere inito inter Cæſarem, & Sereniſſimum Regem veſtrum, omnia viſa liquidiora. Itaque proximo quidem autumno avidè te exſpectavi. Nunc nihil ſperare auſim ante ver medium, vel etiam adultum. O beatum illum diem quo te amplectar! Quam te multis tum loqui licebit στόμα πρὸς στόμα, quæ non tuto ſatis literis committantur. Sed dum te caremus, nefas ſit non arripere occaſionem ſcribendi bellam, eunte ad vos optimo, doctiſſimo, amiciſſimo Stephano Stephanio. Jucundum quidem mihi eſt te ſalutare; ſed multo jucundius erit id agere per amicum hoc caput, ex quo ea etiam cognoſces, quæ non ſcribo. Jam menſis eſt, ex quo me Logdunum iterum habet. Bimeſtre impenſum itineri Britannico. Sane non facile dixerim quantum mihi honoris habitum ſit à viris, genere, dignitate, doctrina, inſignibus: ipſo etiam Sereniſſimo Rege, nulli noſtri temporis

poris Regum ſecundo: cui coram gratias egi pro collata mihi dignitate Canonicatus Cantuarienſis, & ita collata, ut frui ejus emolumentis etiam in tranſmarinis partibus poſſim. Equidem neſcio, nec valde ſcire laboro, utrum oculi propterea doleant amicorum meorum fucatiſſimo, de cujus fucoſiſſima amicitia ſcio etiam te non ſemel apud me graviter conqueſtum. Nempe tales ſic omnia componunt, quaſi ſibi non eſſet bene, niſi aliis ſit male, præſertim illis, qui ſtudia tractant non adeo diverſa. Ut facile comprobent illud vetus quo ſolent ὁμοτέχνους ἀντιτέχνους vocitare. Sed meliora tamen de illis ſperemus, ne videamur amorem omnem exuiſſe, cum aliud ſane ob egregias quaſdam virtutes mereantur. Præſertim cum tales ſæpe cum obeſſe volunt, magis proſint. Ut non de nihilo dixerit Gregorius Theologus, multa eſſe in quibus καὶ ἀδικεῖσθαι δοκοῦντες εὖ πάσχειν, καὶ καλῶς πάσχοντες ἀδικεῖν. Curator Academiæ Arſenius, Somelſdicenſis Dominus, in eo ſtrenue adlaborat, ut in Academia hac clariſſimus Salmaſius eo eſſe loco poſſit, quo Scaliger olim fuit. Eſt qui manibus pedibuſque obnixè agat omnia, ut huic incommodet propoſito. Parum id fore ex honore ſuo arbitratur. De quo ego non diſputo; qui multum honoris huic loco ex viri ejus præſentia Academiæ noſtræ accedere poſſe exiſtimo. Utinam tantum etiam Ampliſſimus Grotius, tuque, clariſſime Meurſi, eodem vel non diſſimili apud nos loco eſſetis. Sane ubicunque nunc vel Cimmeriæ eſſe tenebræ videntur, vobis lucentibus facile hæ pellerentur, nec præter veſtri ingenii ac doctrinæ facem nocturna ulla lumina quæreremus, imo Titania ingenii veſtri lampade, alius in hoc, alius alio in ſtudii genere, diem ipſam reduceretis. Sed multum metuo, ne unquam nobis tam beatis eſſe liceat. Interea pro te mihi erunt ſcripta tua, quæ omnes amant præter ὀφθαλμοὺς πονηροὺς animique livore tinctos. Sane apud Britannos, qui quidem Græcarum Antiquitatum ſtudio tenentur, tuos labores mirè prædicant. Inter eos doctiſſimus Crito, Græcæ Linguæ apud Cantabrigienſes Profeſſor; ex cujus ore lubentiſſime audivi, quæ & illo & te digna erant, ac eo ſolum nomine à me reticentur, quia moris mihi magis eſt iſta apud alios, etiam in æmulorum præſentia, referre, quàm quempiam in os laudare. Ut videas quantopere ſcripta tua peregrinentur, ſuperioribus annis etiam Athenæ tuæ Athenis ipſis fuerint. Eò ſecum detulerat illas Pitteus, Anglus longe doctiſſimus, quem Illuſtriſſimus Arundeliæ Comes, vir natus juvandis literis, in Orientem miſerat, ut inde antiquos lapides, aliaque monumenta in Britanniam referret. Vix dici poſſit quam multa præclara inde reportârit. Quæ paulatim juris faciet publici. Atque idem inter alia etiam Athenas, ubi diutiſſime vixit, deſcribere parat: credo ad formam eam, quâ Byzantium Gyllius deſcripſit. Vir eſt ut humaniſſimus, ita mihi amiciſſimus, ac tuo etiam digniſſimus amore. Nam quod dicebam antea ὁμοτέχνους ἀντιτέχνους eſſe ſolere, id in neutro noſtrum locum habere debet: qui cum ſtudiis ſemper conjunximus animi candorem. Puto fore ut propediem hic edantur Literæ Caſauboni ad Scaligerum, Heinſium, Rutgerſium, alios. In iis non tam multa quam vellem, ſed nec rara tamen ſit mentio tui. Αὐτόγραφα enim vidi, nec dubito quin futurum ſit, ut omnia fide bona edantur: quippe præerit editioni doctiſſimus ac tui etiam amantiſſimus Rivetus. Itaque nec diſpliceat, ſi eas huc mittas, quas magnus ille vir ad te olim ſcripſit. Fuerit, puto, id ex honore tuo, cui impenſe faveo. Quod ſi quid in iis ſit quod divulgari non debeat, poterit à te deleri. In Scaligeri Epiſtolis, quæ, ut ſcis, ante triennium hic excuſæ, quædam relicta ſunt, quæ reſecari longè ſatius fuiſſet. In iis quiddam etiam eſt acerbe ac nequiter de te dictum, ſed pro nomine tuo aſteriſcus poſitus, ut te ſignari pauci intelligant, præter eos qui Scaligero fuere familiares. Socerum quoque meum Junium non uno loco ſugillat. Eaque res mihi præfationem magna ex parte expreſſit, quam hiſtoriæ meæ de Hiſtoricis Latinis præmiſi. Seldeni opus de Diis Syris hac æſtate, vel paulo ante, longe auctiùs hic recuſum, & Heinſio noſtro dicatum eſt. Auctor ipſe, cum eſſet inter patronos minoris domus Britannicæ, atque ſe vehementius gereret adverſus Regem Sereniſſimum (ſeditioſe multa locutus dicitur, de quo ego judicium ferre non poſſim, quia & patronos ſuos habet) in turri cuſtodiæ traditus eſt. De vita tamen periclitari negant illi, qui norunt clementiam Regis, atque amorem erga literas & literatos. Imo jam dies ſunt pauci, ex quo aliquis mihi ſignificavit, cunctos qui ſe Regi tantopere oppoſuiſſent, ab Rege eſſe è cuſtodia liberè dimiſſos. Sed de iſto certiora propediem intelligam. Si vera narrarunt, quamprimum Seldeno literis meis gratulabor. Nam inter nos non ita magnum, culpa mea, ſed aliquod tamen commercium eſt literarum. In Alardo, quem mihi penultimis literis commendâras, feci quod potui: nec inutilis illi fuit opera hæc mea. Quicquid feci, feci adoleſcentis cauſâ, feci & tuâ; feci etiam ob parentem ejus, qui & mihi per literas gratias egit. Video virum eſſe bene eruditum. Si quid in eo amplius poſſim, vel quocunque alio, faciam id lubentiſſimo animo, uti amicitiam noſtram decet. Sum quidem ſatis negligens in ſcribendo, præſertim ubi nihil eſt quod urgeat. Sed nunquam patior operam meam deſiderari iis in rebus, unde boni aliquid ad alterum redundet. Bertium ante tres menſes obiiſſe, jam, ut puto, intellexeris. Golius ante quatuor menſes rediit è Syria, vir ſanè ut doctiſſimus, ita longe optimus, & candidiſſimus, ut verum Batavum decet. Is geminam obit profeſſionem: inque Matheſi Snellianas, in Arabicis Herpenianas partes ſuſcipit, non ſine gloria. Grotius Grollæ obſidionem deſcripſit, quæ jam excuſa. Heinſius Ordinum eſt Hiſtoriographus. Hoc nomine ei tributum ſtipendium annuum flor. 700. Occupatur in ſcribendis iis, quæ hoc anno feliciter Batavis ſucceſſere: imo putat intra menſem unum alterum ſe Hiſtoriam hanc prelo ſubjicere poſſe. Non abhorrebat ab iis pangendis Grotius: Sed videtur eum ſufflaminaſſe, quo duo vel tres hanc ſibi provinciam elegiſſent, qui certius omnia noſſe poſſent, ut qui obſidioni Sylvæducenſis interfuerant. Ex his eſſe creditur Huygenius, Principi noſtro à Secretis. Barlæus victoriam hanc carmine victuro celebravit. Etiam nomine Illuſtriſſimæ Ameliæ ingenioſam & elegantem Elegiam fecit ad maritum ſuum Principem noſtrum, ad modum earum, quas ſub heroidum nominibus Ovidius ac Sabinus condiderunt. Eam Epiſtolam non ineleganter Belgicis verſibus in gratiam Dominæ Principis Scriverius expreſſit. Inſtitutiones meæ Oratoriæ intra bimeſtre erunt recuſæ, multo limatiores, & alterâ parte auctiores illis, quæ ſecundo prodiere anno cIↃ IↃ c IX. Vale, vir maxime & amiciſſime, & plurimum meo nomine ſaluta optimam uxorem, Clariſſimum Laurenbergium & Collegarum alios. Uxor etiam plurimam tibi atque uxori ſalutem adſcribi juſſit: & filiæ filia. Nempe æquum eſt etiam liberos paternæ eſſe amicitiæ participes ac hæredes.

Lugd. Batav.
cIↃ IↃ c XXX.
Id. Januar.

*Totus tuus,*

G. J. VOSSIUS.

---

CXLVI.

Guilielmo

Epiſcopo Londinenſi,

Gerardus Voſſius,

S. P.

*De felici reditu in Academiam Lugdunenſem certiorem facit, & quæ de publicis diſparia ferantur judicia, enarrat.*

TArdiùs quàm ſperaram literas meas vides, Reverendiſſime Pater, Domineque dignitate illuſtris, ſed pietate,

tate, doctrina & meritis longè major. Nonis Decembribus, ut fortaſsè ex Nobiliſſimo Carletono intellexeris ſalvus ac ſoſpes Lugdunum veni: octiduo nempe ex quo è Britannia exceſſi. Divina gratia eodem hic omnia reperi loco, quo fuere cùm abirem. Vix dicere poſſum quantus ſalutantium numerus me primis exceperit diebus: ſermo propè omnis de Sereniſſimo Rege Carolo, vel iis qui ſacræ ejus Majeſtati à conſiliis forent. Judicia diſparia, prout quiſque regii, vel popularis ſtatus, veteris, vel recentis Eccleſiæ amantior foret. Equidem neutiquam mihi eorum tribuo intelligentiam, quæ ad Regni negotia pertineant. Probè ſcio quantopere hæc captum excedant meum, quem Deus in ſtatione longè inferiore collocarit. Sed tamen pietas non ſivit, ut non quorundam immodeſtiæ modeſtè, atque amicè occurrerem. Eos intelligo qui digito cœlum ſibi attingere videntur, ſi quomodocunque nocere eorum nomini, atque exiſtimationi poſſint, quibus ſtantibus & integris, præſens Regni atque Eccleſiæ ſtatus convelli neutiquam poſſit. Quamquam verò apud eos parùm profecerim, quibus nihil niſi populare, ac novellum ſapit; cordatiores tamen ſcrupulum ſibi eximi gaudebant, quem quidam tribunitii ſpiritus ſuis calumniis injecerant. Interea totum hoc quod à me factum, pietatis cauſa factum, quippe qui tantùm Britannis, ac ſummis ejus viris (ut de Sereniſſimo Rege taceam) etiam deberem, ſi nihil deberem. Nunc quantum eſt quod debeo, verba non reperio *ἰσόρροπα*, quibus ſatis hoc imprimam, &c. De induciis cum Hiſpano ineundis, vehementibus ſtudiis in conventu Ordinum certatur. Ad bellum inclinant non pauci, qui metuunt, ne ſi induciæ fiant, domeſticis magis diſſidiis laboremus: alii tamen vel maximè, iis occurri poſſe arbitrantur. Amſtelodamenſes ante hebdomadas paucas ſua urbe exegere Eccleſiaſtem quendam: qui licet ſæpiùs à Magiſtratu moneretur, à tribunitiis ad Populum concionibus, deſiſtere noluiſſe perhibetur. Eſt hic ille qui ante plus minus duodecim annos edidit Heautontimorumenon. In quo ex ſcriptoribus Latinis Græciſque (eſt enim vir multijugæ lectionis, ſed exigui judicii) convitia uſque adeò congeſſit, ut ex plauſtro maledicere videatur. Sanè hoc piguiſſet adſcribere, niſi optimus quiſque ringeretur, in Reformatæ Religionis hominibus inventum eſſe, qui Gretzeros, Scioppios, & ſimiles vinceret maledicendo. Sed illum mitto, cui ea parte ſaniorem opto mentem, &c. Deus faxit ut longa ætate, Iliacos æquare ſenes, aut vincere poſſis. Ita ex animo voveo, meque iterùm tibi devoveo, Reverendiſſime Pater, Domine Illuſtris.

Idibus Jan. An. cIↄ Iↄ c xxx.

*Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi*
*Nominis tui cultor, ac cliens*
*fidus addictuſque.*

G. J. Vossius.

---

## CXLVII.

### Salut. in Chriſto.

*Epiſtolis ejus, quibus Cancellariatum Oxonienſem gratulatus fuerat Matthiæ Martinii mortem, collapſam in Academia Lugdunenſi diſciplinam, conſiliumque Amſtelodamum emigrandi ſignificaverat, familiariter reſpondet, de animadverſionibus in Baronii annales aurem eidem vellicans.*

*Vir Spectatiſſime,*

QUum literas meas noviſſimas darem (& parcius hoc facere cogor pro negotiis quæ urgent & premunt fatiſcentem) literæ tuæ ad me pervenerunt. Sic ſitulæ noſtræ mutuo fontem petiere, dum neuter quid alter ageret certior factus.

Literæ illæ jam antiquæ & adhuc præ manibus, ſed ſine reſponſione, & quod ſæpius impedivit volentem, idem eſt. Nonas illæ Sextiles præ ſe ferunt, & hæ 12. Cal. Feb. nec tamen adhuc reſponſio parata; Credideris forſan me gelu quodam, etiam hac nimis temperata hyeme obriguiſſe; hoc te metu ut liberem, ecce jam tandem te iterum ſaluto, tibi omnia exopto bona. Cum anno novo incipiat, recurratque in ſinum felicitas.

Prima literarum tuarum facies gratulatur mihi Cancellariatum Oxonii mei, & ſubridet. Gaudio ſit illud tibi; Academiæ ſalus; mihi ſat ſcio onus incumbit, & cui nunquam par ero. Quin & his exulceratis Eccleſiæ temporibus, nec Eccleſiæ tantum (nam & ſic ſolet punire Deus) neſcio, ita me Deus amet, neſcio, quid agendum ſit, mihi præſertim. Sed aliquid eſt, quod urget, & ducentem ſequor.

Illuſtriſſimus Princeps noſter, pro tenella illa ætate (Deo gratias) abundè valet. Et mihi quidem gratiſſimum eſt, quod lætitiæ illius, quam nos ex feliciſſima ipſius nativitate meritò percipimus, te quoque conſortem præbeas. Vivat ille valeatque diu, ſeriùs tamen ſpero paternis ſuccedet ſceptris.

Alia ſunt quæ properans cogor omittere. Sed mortem Matthiæ Martinii certè eo impenſius doleo, quo magis indiget Eccleſia æquitate illa quæ in eo viguit, & quæ ſpero tamen non eſt penitus cum illo ſepulta. Penitus dico. Vereor tamen ne rarior multo ſit quam quæ deceret togam noſtram. Hiſtoria illa unde profitebatur ſe eam hauſiſſe, prolixè habet in ſe unde eam conferre poſſit, niſi Lectores habeat admodum iniquos. Iterum tibi eo nomine gratias ago. Nunc accinge (promiſiſti enim & non ſemel) ad hiſtoriam aliam; veteris nempe Eccleſiæ, ſcribendam. Magnopere cupio (Deo ſi placuerit) antequam fata mihi aperient ſepulchrum, Baronium videre ſub tuis telis cadentem. Nec literas potes à me ullas expectare ſine ſtimulo.

Et ecce quum manum chartulæ huic eram appoſiturus, aliæ literæ tuæ ad me perveniunt. Illuſtriſſimus Legatus rediens, non redux ſine te. De te certè nec pauca nec parva loquitur. Quin & gratias egi quod nomine meo te ſibi cognitum charumque habuit.

Ad negotium quod attinet. Academiæ veſtræ ita collapſam eſſe diſciplinam non ſine dolore audio. Sunt hæc certè ſemina omnium malorum, tum in Eccleſia, tum in civili ſtatu, quod loca educationi juvenum, in Artibus ſimul & Religione, olim dicata, ita laxata ſint in omne quod vel maximè dedecet juventutem Chriſtianam. Ad cædes verò, eaſque frequenter deventum eſſe, quis ferat?

Conſilium quod petis libentiſſime darem, ſi (quod optas) præſens eſſem. Res certè magna & gravis; tibi honorifica & utilis futura: Amſtelodamenſibus forſitan non deſiderata magis quam ſalutaris. Rationes quas proponis, primo intuitu firmæ videntur, & rotundæ ſine offenſione quas novi ullæ. Hoc unicum ſeriò conſiderandum, quid Ordines veſtri de conſilio hoc tuo ſenſerint, & quibus fundamentis nixi. Nam ſi illis tranſitio hæc tua parum Reipublicæ veſtræ utilis cenſebitur, quis ſcit quid inde diſpendii, quid periculi tibi poſſit accedere? Quod ex animo deprecor: Scio te cautum fore & prudentem; & ſpero Deum cui ſervis electionem tuam ita velle diſponere in melius, ut illud in te aſſumas quod ſimul & licitum, & utile & honorificum ſit. Quod ſemper erit in votis

12. Cal. Feb. 1630.

*Amici tui & rerum*
*tuarum ſtudioſiſſimi,*

Guil. Lond.

CXLVIII.

## CXLVIII

*Clariſſimo Viro,*

## Jacobo Roverio,

S. P.

*Epiſtola argumenti familiaris.*

NOn ſtudiis modò, ut putares mi Roveri, ſed occupationum etiam undis (niſi hoc grave nimis eſt verbum) ita immergor, ut vix animus unquam emergat. Ad negotia ſeria accedunt interpellationes amicorum, vel coram, vel per epiſtolam. Scio nihil utilius, nihil etiam eſſe ſanctius amicitiâ; ſed ſi ea in nimis multos diffunditur, fit illud, ut quia ſcribendo non licet benè mereri de publico, tempus omni auro potius, non quidem ratione omnium, ſed tamen ratione plurium, pereat ſtudiis ac poſteritati. Illud dicere malo, quàm bono famæ. Nam quid illa eſt niſi inane nomen? Et habet aliquid, quod magis noceat, quàm proſit. Quid illud? inquies. Nempe eo ferè omnes animo ſumus, ut non libenter aliquid deperdi ſinamus, quod nominis ad honorem pertineat. At qui ita fuerit animatus; ille famæ jam magis, quàm ſibi, quàm bono etiam publico, vivere incipit. Mihi verò longè ſemper alia mens fuit. Subinde tamen metuo, ne non ſatis me nôrim, & dum non dico famæ ſervio, quod omnino non facio, ſed tamen paulò fortaſſè majoris eam æſtimo, quam debebam, minus etiam placeam amicis illis, qui omnia publico metiuntur. Quos inter, conjunctiſſime & amiciſſime Roveri, lubens meritò te repono. Amo enim te ut affinem, liberorumque meorum conſanguineum, amo ut quodammodo diſcipulum, eumque amantem mei, eoque, prout quidem res utriuſque noſtri tulere, ſatis familiarem. Sed majus eſt, quod amo, ut præclaræ adeo indolis, præclaræque eruditionis virum, & ſi voles, pulchrè de Rep. literaria meriturum. Itaque dolet, quod ex Britannia redux diecula citiùs, quàm ſtatueram, abieram Dordrechto. Decrêram enim aliquot horas dare amico non uni, atque in his, quos fraternus tibi ſanguis, aut proxima adfinitas conjunxit. Quod ſi potuiſſem, fuiſſem felicior, quàm putâram. Nam in te quoque, quem ob peritiorem literaturam, urbis tuæ poſthabeo nemini, ſimul incidiſſem. Non te Dordrechti, ſed Hagæ unà cum Parente, vivere arbitrabar. Eoque ſimul ac Hagam excurri, rectà eam in domum, ubi me apud te divertiſſe meminiſti, contendi. Quid reſponſi acceperim, nihil attinet dicere. Dolui interim ob errorem hunc meum, & ita dolui, ut cùm per alterum excuſare hoc apud te poſſem, ipſe ad te literas dare maluerim, tardius fortaſſè quàm expectaſſes, ſed ex more meo, qui uſque adeo tardus in ſcribendo eſſe ſoleam, ut interdum nec tertio reſpondeam menſe, interdum nunquam: quippe qui rarò, niſi neceſſariò ſcribam. Quod vitio nemo vertet, qui vitam, & occupationes meas nôrit. Abſque his eſſet, non alter lubentius, vel frequentius ad me literas admitteret, quàm ego remitterem. De multis etiam ſcriberem, quæ ne nunc quidem ſcribo. Sed de quibus non ſcribo, loquar tecum cùm voles. Quando autem illud erit, optime, & optatiſſime Roveri; Audies tum inter alia, de toto meo itinere Britannico. Filium meum Franciſcum non ſine gloria publice, pro Doctoratus, ut vocant, laureâ diſputaſſe v. Non. Febr. credo, jam ex aliis intellexeris. Oratoriæ meæ vix ante menſem videbunt lucem. Parte alterâ erunt auctiores, longéque emendatiores: ut novum opus haberi, vel ſaltem videri poſſint.

Vale, doctiſſime cognate, ut nunc loquimur, vel potius adfinis; ſed tamen non minus care, quàm ſi ſanguine tam eſſes conjunctus, quàm es non modò uxori, ac liberis meis; ſed etiam qui paulo propius attingunt. Plurimam per te ſalutem dico, Ampliſſimo Parenti, ac conjugi optimæ; item fratribus egregiis, ac affinium pari Blyembergio, Berckioque; quorum illi, tergemino antea honore inclyto, acceſſionem equeſtris dignitatis, gratulatus ſum coram, ac nunc quoque feliciter ipſi, familiæque toti vertere cupio, ſperoque.

Lugd. Batav.<br>
cIↃ IↃ c xxx.<br>
vi Id. Febr.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## CXLIX.

*Lætatur ipſius affectu, eundemque perpetuum ſibi exoptat.*

QUod labores meos nomini veſtro inſcriptos vellem, hoccine tanti (egregie vir) ut obſtrictum te mihi credas? Sane hoc & ſi quid potuiſſem majus, veſtris in Rempublicam literariam meritis debebatur. Imo ſuperbire magis videbantur veſtro patrocinio chartæ noſtræ, quam ſi Principem aut Magnatem aliquem oſtentarent. Illum ſiquidem ego mihi colendum duxerim, illum ambiendum, quem vera nobilitas, virtus & eruditio ſupra vulgus hominum evehunt, non qui ob inanes titulos & honores merita ſuperantes adorari ſe ab aliis velint. Adeò ſatis mihi abundè fuerat, quod coli à me virtutes tuas paterere: at quòd aliquam mei rationem habere, quod amore me tuo dignari volueris, ſuperabat hoc ferè votorum ambitionem. Tu verò neque hic gradum ſiſtis; parum hoc putas (quod tenuitati tamen meæ nimium) niſi & aliorum mihi amorem concilies. Illud autem quo artificio præſtes, abundè expertus ſum literis à Cl. viro D. de Dieu acceptis, quibus affectum ergà me ſingularem luculenter admodum teſtatur. Cujus viri favorem quanti æſtimaverim non ſum exprimendo. Ille eſt certè cujus amicitiæ nullius aut prætulerim aut æquaverim alterius, quam ejus qui illam mihi comparavit. Majus eſt equidem veſtrum hoc in me beneficium quam ut rependi à me queat. Gratè (quod unum poſſum) agnoſcere & prædicare nunquam deſinam

*Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.*

Veſtrum interim erga me amorem, eadem quæ excitavit bonitas veſtra, extingui iterum, uti ſpero, non patietur. Quæſitis præſtantiſſimi D. de Dieu ſatisfacturas ſpero literas has noſtras, quas uti illi tradendas cures, rogo. Pollicitus eſt D. Rouſius, ubi literas ab ampliſſ. D. Archiepiſcopo Armachano (quas quotidie expectat) acceperit ſuas ſe ad te daturum. Salutem tibi plurimam dicit D. Harriſonus qui perquam humaniter me veſtri cauſa tractavit. Salutat itidem Chillingworthius. Amant ſanè te & colunt apud nos quamplurimi, eo & ipſi nomine à me plurimum amandi & colendi. Vale (clariſſime vir) & quem erga me conceperis affectum, fovere pergas.

Dat. Oxon in coll.<br>
2. Martii, 1630.

*Dignitati veſtræ*

*addictiſſimus,*

Edward. Pococke.

## CL.

*Familiaritatem arctiuſque cum eo amicitiæ fœdus inire concupiſcit.*

EGo verò, (Clariſſime Voſſi) quotidie multumque gratulor mihi iſtas amorum noſtrorum conteſſerationes. Sed & gratias nunc quoque ex animo rependo tibi, quòd tam benignos in modos tamque candide interpretari ames exiguum illud animoque meo plane impar, quod in acceſſu ad nos tuo præſtare potui, in meatum (ut tum res erant) occupationum tumultu. Illud credas obteſtor, ex omni Cantabrigienſium tuorum numero, (tuos autem feciſti plu-

plurimos) neminem te habere, qui libentius fideliuſve tecum coeat ſacrum hoc fœdus amicitiæ. Sed & conjux mea (quod neſcire te nolo) non infrequentem facit tui mentionem, ut hominis (quantum ipſi ex adſpectu geſtuque rectè augurari erat) probiſſimi ſuaviſſimique, & ſæpius mihi precatur aliquot aſſiduos ſodales conſimiles D. Voſſii. Ex illo quidem tempore, quo nobiſcum adfuiſti, Academiam reviſere vix dum eſt datum, ſed Windeſoræ per hyemem hanc continuò hæſi. Nunc reditum illuc cum univerſa familia (σὺν Θεῷ) meditor ante menſem, filium ibi tuum, in omni re ſuâ, quantum potero, curaturus. Non deſint interea ſcio literæ optimi parentis ad eum, quibus in hoc lubrico ætatis, ipſum officii ſui ſubinde commonefacias. Sed abſens utcunque, non tamen ſum paſſus fruſtra eſſe quas in literis ad me tuis ſalutes perſcripſiſti. Procancellarius noſter, Collinus, Wardus, Bealus, Duncomus, Critonus feci ut intelligerent, quam memor ipſorum vivas; quod uſque ut facias diuque, omnium eſt votum. De Epiſcopali verò dignitate quod inaudieras, meræ erant fabulæ. Abundè meo voto reſpondet, quo me jamdudum in loco Deus Opt. Max. & benigniſſimus Rex collocârunt. Ardua illa atque in ſublimi poſita conſcendant bonis avibus, qui meriti ſunt. Vale, vir egregie colendiſſimeque & inter tuos perge numerare.

Windeſoræ, in Annunciatione Dominicâ, 1630.

*Æternum tuum*,

MATTH. WREN.

## CLI.

*Epiſtola familiaris, qua etiam Denarium ſuum Pythagoricum ejus nomini offert.*

*Vir Clariſſime*,

ETſi nihil ferè haberem, quod in præſens ipſe ſcriberem, aut te ſcire velle crederem, tamen tabellarium tam certum nactus, non dimittere eum potui, ſine literis, quanquam brevibus. Non iraſcor quidem tibi; (nam qui poſſim, adeo amico capiti, adeò à me amato?) verum doleo vehementer, quod biennio plane toto tuarum mihi literarum alloquio carendum fuerit. Affirmo enim, nullas ſane accepiſſe, poſt illas quas ante biennium dabas Id. Majis cIↄ Iↄc XXVIII. Ego tamen interim non defui amicitiæ noſtræ. Quæſo quam ubertimis defectum ſupple: & fac ſciam, de Academia, de Repub. quicquid novi. Vidi nuper Catalogum Bibliothecæ Rutgerſianæ, pleniſſimæ certe librorum quorumcunque optimorum. Scribo ad communem amicum Dominum Heinſium, hæredem atque venditorem, ut exiſtimo; uti mihi hanc gratiam faciat, eximatque auctioni quos ſubjunxi, ac mihi vendat. Noſti id fieri interdum. Itaque ſi fortè ſe difficilem præbeat, nava mihi hic operam tuam & impelle tua Suada, ut gratificari velit. Pretium, quod etiam ipſe judicabit, ab affine meo, Miniſtro Waſſenarienſi, ſtatim accipiet. Nam ad eum etiam hac de re ſcribo. Poſſem expectare tempus auctionis, ſed quandoquidem hominem nunc certum habeam, per quem tutò deferantur, occaſione utendum puto, quæ non aliàs facile ſe exhibitura eſt. Qua de causâ etiam te atque etiam rogo, ne deeſſe hic mihi velis. Scripſi bis ad Elzevirium de quibuſdam lucubrationibus meis, quarum editionem urget maximopere Illuſtriſſimus Molinus; ſed reſponſum nullum accipio; mone hominem, ne contemnat veterem amicum; &, ſi commodum ipſi non ſit, quicquam edere, ſaltem verbo id ſignificet, neque ultra expectatione torqueat. Tunc habebo quod reſpondeam Molino; communi Mœcenati noſtro: cui aliàs excuſare me non poſſim. Nam is vehementer flagitat. Cum hæc ſcripſiſſem, tuæ mihi exoptatiſſimæ per Stephanium afferuntur; quas profectò, ut accepi, exoſculabar. In ipſo initio, dolorem incuſſit caſus filii tui maximi, quem plus minus menſe ſcribis oculis fuiſſe captum; ſed Deo gratia, qui reſtituit; quanquam id ex literis tuis magis conjectura capio, quam intelligo: nam non diſertè dicis. Quod Britannicum tibi iter tantopere placuerit, tum quod viros illic plurimos quoque offenderis, qui te ſolide amarent, tibi gratulor, mihique gaudeo. Libens quoque intellexi, de Critonii Pettæique in me tam benigno animo. Si fortaſſe aliquando literas ad utrumque dabis officia illis mea defer, mutuumque amorem nuntia. Gratulor autem imprimis de Canonicatu illo, quo donavit Rex Britanniæ Sereniſſimus: ſed nil ſcribis, quam ob cauſam, quâ occaſione dederit. Fac ut ſciam ex proximis tuis, quas præſentium latori ut committas, in majorem modum rogo. Nam cum certa mittendarum literarum occaſio non ſe ſemper offerat, quotieſcunque ea datur, amplectendam eſſe cenſeo. Amicus quidam ad me ſcribit, librum quendam Regi abs te dedicatum, ideoque iſtud tibi honorarium decreviſſe. Sed tu nihil tale indicas. Merito hunc Regem docti omnibus præconiis mactent qui ab illo in hunc modum æſtimantur. Sine dubio dolent oculi animuſque iſti a noſtro; qui invidere & obtrectare nunquam deſinit, apud ſuos. Sed alat ille perpetuum tormentum ſuum: nos illi non invidemus.

a *Dan. Heinſio, opinor.*

Scripſit ad me tributum ſibi nil tale exſpectanti (quod credat Judæus Appella) munus Hiſtorici & ſtipendium Scaligeri *τῷ μακαρίτῃ*: nempe florenos bis mille, & quadringentos: quibus ſi ſtipendium addat Bibliothecarii, & Secretarii, una cum emolumentis, effici ſexcentos alios. Tu verò ſcribis, datum illi munus Hiſtorici, cum ſtipendio florenorum annuorum ſeptingentorum. Arſenii conatum præclariſſimum, de Salmaſio in Scaligeri veterem locum evocando, non poſſum dignè ſatis prædicare; utinam perficiat, cum ingenti Academiæ patriæ gloria. Neque dubito, quin omnino obnitatur noſter iſte, qui præ ſe vix alium æſtimat. Sed illum Manes ſui exagitant. De Caſauboni literis quod mones, eſt id ſane perquam gratum; & accipe quas ad me ſcripſit. Inſtitutiones tuas Oratorias videre aveo: nam ſi quiſquam eſt, qui tua æſtimat, is ego ſum. Golium rediiſſe & duplicem Profeſſionem obtinere ſanè gaudeo; neque ullum habeo dubium, eum olim non duntaxat patriæ communis noſtræ, ſed totius adeo ævi, ſingulare ornamentum futurum eſſe. Saluta illum, niſi grave eſt, meis verbis; & dic, fauſta ipſi omnia apprecari. Sed de Heinſio, antequam finiam, illud quærere volebam, Ordinum Hollandiæ, an Generalium, ſit Hiſtoricus; fac ut ſciam. Vale, amicorum omnium optime, maxime. Uxor quoque tibi tuæque plurimam ſalutem adſcribit; tum & filia item tuæ. Saluto etiam V. R. Andream Rivetum; cui potes meis verbis affirmare, me in ipſius amore atque cultu, conſtantiam tueri. Nec Barlæum prætereo, cujus Carmen de Sylvæ-Ducis obſidione rectè accepi. Profecto ille vir parem ſe ſummis in hoc ſcribendi genere viris præſtat, ſi non ſuperat. Iterum Vale.

Raptim Soræ ad diem v. Martii, cIↄ Iↄc XXX.

*Tuus fide Batava*,

JOH. MEURSIUS.

Quæſo, indica locum ex Epiſtolis Scaligeri, in quo acerbè quiddam, & nequiter, ut mones, de me dictum: oportet inſpiciam; nam Epiſtolas hic habeo. Laurenbergio ſalutem dicam, cum redierit: nunc enim abeſt, Hafniam profectus. Opus tuum de Hiſt. Lat. ſumma cum voluptate legi; eſt præclarum, id eſt, Tuum; quo ut optime de defunctis es meritus, ita viventium ſane ſtudia plurimum tibi obſtrinxiſti. Placent quoque ſupra modum quæ pro ſocero, Viro ſummo, admodum luculente dixiſti. Eſt profecto, in tanto Hiſtorico, craſſus error; tum malignum nimis judicium; idque in gratiam potiſſimum, ut verè dicis, viri illius, magni quidem, ſed non candidi alienarum virtutum æſtimatoris: maximè in illis, quibus animus erectior erat, & à turpi adulatione alienior: quod & ipſe ſum expertus.

*Sequitur in Epiſt. MS. Catalogus Librorum quos ex Rutgerſianis poſcit V. Cl. ſed ut longiorem, nec Lectori ullomodo utilem omiſimus.*

De Noomſio tuo quærere me ex te memini, ut loci, & quid ageret; quæſo fac me certiorem. Ad Dominum Heinſium, ut ſtatueram, ſcribere in præſens haud licet, urgente admodum mercatore, & vix me permittente, ut has finiam; itaque ſalutem illi meis verbis plurimam dicito. Te verò imprimis rogo, ut negotium hoc librarium des effectum. Ac ſi ille, quod non ſpero, ſe difficilem tibi præbeat, operam dabo, uti habeas undeunde, ac quocunque item pretio, ſaltem quatuor iſtos, Pappum, Apollonium, Oribaſium & Diodorum Euchiontem. Facile autem vobis eſt recuperare, inter tot auctiones, quæ paſſim habentur. Qua de cauſa majorem te in modum rogo, ut huic meo deſiderio ſatisfacias. Amiciſſime, vix finem impono; ita planè, dum ad te ſcribo, ſermonem tecum ſerere videor. Finiendum tamen ſemel. Utinam autem coram colloqui daretur, quod, ut maxime ego opto, & deſiderio maximo cum deſidero, tamen tempora non permittunt, obſidente adhuc vias, ac potiſſimum circa Embdam, milite Cæſariano. Iterum vale, Amicorum omnium prime. Sed verò de libris iſtis comparandis, iterum tibi autem vello. Oro te, obſecro & obteſtor, per humanitatis tuæ, & communis amicitiæ noſtræ genium, uti deſiderio meo ſatisfacias. In penultima epiſtolarum Caſauboni, ſi illa de Viro plane eximio, Socero tuo, minus placent, dele aut muta, prout viſum fuerit tibi. Habet Heinſius quandam epiſtolam, ſcriptam circa exitum anni cIↃ IↃ C VIII. quam tunc ipſe mihi prælegit. In hâc elogio ſanè ampliſſimo ὁμακαρίτης Caſaubonus me ornabat: & ut memini, prædicabat meam cum ipſo converſationem, dum Lutetiæ commoraretur; prædicabat, præter doctrinam, etiam probitatem, gravitatem, fidem, integritatem, & alia. Neſcio an is eo candore illam epiſtolam ſit edendam exhibiturus, quo tunc mecum communicabat: quod fortaſſe oblitus erit. Noſti ipſe ingenium hominis. Sed videbimus, & eventus nos docebit. Rurſum vale, & ignoſce confundenti ſcriptionem. Habes epiſtolam prolixam, & quæ tibi affectum meum repræſentet. Vide epiſtolæ hujus fatum! Nondum licet finem facere, ſcripſeram de Elzevirio, & quarundam lucubrationum mearum editione; ac nunc literas accipio, quibus preli occupationem obtendit; id eſt, per ambages negat, uti ego quidem interpretor. Mihi certum, nunquam illi aut iſtiuſmodi hominum generi ſupplicare. Equidem contentus eſſe partâ hactenus famâ poſſum; & deinceps mihi, ac Muſis, lucubrabo: ut canebat Antigenidas. Mitto autem ad te Denarium Pythagoricum, indelibati in te affectus qualecunque monumentum apud exteros poſteroſque, Panathenæa, cum Scrutero dividebas; hoc opuſculum, tuum ex aſſe eſſe volo. Facile puto id excudet Commelinus, qui Athenas quoque meas pridem excudit: vel Lemærius quoque tuus, qui excudit tua omnia. Quod ſi uterque aſpernatur, poteris ad me remittere, ut cum cæteris ſuo carceri mancipetur. Vale quartum.

*Tuus, ſine ullo fuco, uti nôſti,*

JOH. MEURSIUS.

---

## CLII.

*Clariſſimo Viro*

## Voſſio.

*Humanitatem ac benignam ſui memoriam exoſculatur, perpetuumque Voſſiani nominis cultorem ſe fore profitetur.*

TIbine doleat, Clariſſime Voſſi, non conveniſſe me? quin tantum potius virum pudeat tam ſolicitè quæſiviſſe aut etiam deſiderâſſe hujus ordinis hominem, uſque adeo intra ſe recedentem, atque pone ſe latentem, ut neque mirum ſit, ſi tam bona hæc fortuna eum non invenerit, quem non celeberrima prius adierat fama, veniſſe in Angliam Gerar. Joh. Voſſium, quam exceſſiſſet. Quod ſi per tempus reſciviſſem, jam tum me jure pernicem dixiſſes Ladan aut alatum Perſea; quod jam dicis: nec injuria, rapidam enim illam in tranſcurſu feſtinationem meam neque ſine morum cenſurâ memorandam præpropemantiam, & ipſe multoties exinde damnavi quotieſque recordor, pœnitet, pudetque Amſtelodamum veſtro Lugduno; Judaicæ Synagogæ ceremonias, quas inſtanti tum ſabbato viſere geſtiebam; veſtris ſacris; neceſſarium denique mihi die indicto reditum benigniſſimo tuo invita mento prætuliſſe. Quod ſanè erratum, aut potius peccatum, ex parte redemiſſem, modò vel minima tui in Angliam adventus aura aures meas adflaſſet, deluiſſem (inquam) incivilem illam præcipitantiam, omnibuſque illico relictis rebus advolaſſem, pennatiori quam ante remigio prætervexiſſem: non, quod ajunt delicatuli iſti manum oſculaturus; verum ad pedes provolutus ſcientiæ illud oraculum, modeſtiæ miraculum veneraturus, veniam deprecaturus, tibi gratulaturus. Sed ecce prolixam tuam propeque divinam humanitatem! quæ inhumanitati meæ ultra litatum procedit, quæ offenſam, quam eluctari me oportuerat, officio excepit, neque faſtidit hominem errore quidem magis quam ſcelere peregrinum inter cultores admittere, imo advocare. Ah! bene ſit carinæ illi, quam dicis ſcævæ, quæ te avocavit interturbavitque mei viſendi conſilium. Hinc enim ſuaviſſimæ tuæ atque literatiſſimæ Literæ, quas ego non auro contra, amicitiæ arrha qua quia me prædeſtinatum venis; ecce manus do, mancipio uſque tuus, utinam & fructu. Fidelem certè ſpondeo, ac utcunque in tanta cultorum tuorum familiâ me agnoſco haudquaquam præ cæteris dignum, qui palum in parietem figam, ſicubi tamen ſiquando ſi qua dabitur, ad omnia officia habes paratiſſimum. Sed quid agam interea? Quo non valet manus ibi mens tendet votum; quod bene ominatum faxit ratum Deus, tibique det ſecundam paremque Angliam noſtram videndi occaſionem. Interim, Salve Clariſſime Voſſi, & perge quod facis, amare, tui pene contra Latinitatis atque amicitiæ canones ſolœciſſans dixiſſem, colentiſſimum; ſed quoniam ita fieri jubes, meque intra familiaritatis pomœria overa accitum vis.

Londini, pridie Nonas Martias, cIↃ IↃ C XXX.

*Tui amantiſſimum,*

THO. FARNABII.

Duo Nobiliſſima Academiæ veſtræ lumina Clariſſ. V. V. D. Heinſium & P. Scriverium veneror, quibus à me ſummo cum officio, aut amoris religione dici ſalutem percupio.

---

## CLIII.

## Joanni Voſſio.

*Egregiis paterni affectus monitis filium ad diligentiam & ſolidam inſtigat eruditionem; pravorum ſodalitia ſerio diſſuadet, & ut tandem aliquando audeat aliquid ſe & Voſſiano nomine dignum, enixè adhortatur.*

JAm quarto ad te ſcribo ex quo veni domum. Interim unæ literæ mihi à te; non literæ, nec enim literarum nomine cenſeri dignæ, quibus non aliud ais, quam te Hungari literas ad me mittere, ut domeſtici mei eas melius procurent, quam à tabellariorum vulgo fieri ſolet. Niſi hoc alicujus putas, quod adjeceris, te non multò antè ad me de pluribus ſcripſiſſe, atque in his etiam conſilium te poſcere, utrum Theologiæ an Juris ſtudium debeas amplecti. Ego verò eas literas non accepi, ut quæ ambiguum reddunt

ani-

animum tuum; ſcire non poſſim. Quanto ſatius erat, te mecum de eo egiſſe, cum in Britannia forem, atque ipſe cum Reverendiſſimo Epiſcopo, & aliis ſummis viris conſultare de te tota poſſem? Nunc illud dixero, Theologicum ſtudium palmam præripere omnibus, & eſſe ei ſuos quoque, imo maximos, in Anglia honores. Quod de aliis terris non poſſis dicere. Quanquam ut nulli honores ei magis quam apud nos forent, tanta eſt excellentia ejus ſtudii, ut omnes pios in amorem & admirationem illud ſui rapere debeat. Quare teipſum in conſilium adhibe, vide quo animus maximè feratur, conſulta cum ſummis viris, & utriuſque noſtri amantibus. Ante omnia Deum ora, ut te prudentiæ ſpiritu regat. Mihi ſeu hoc, ſeu alterum ſtudium amplecti volueris, ſatisfacies abundè, dummodo duo iſta præſtes. Prius eſt, ut pius ſis, atque ita te geras, ut videam te regi Spiritu Domini. Alterum ut nihil vulgare in ſtudiis præſtes, neque indecorum te familiæ noſtræ oſtendas, ſed gloriæ eſſe & immortalitatis candidatum. Quam ad rem induſtria opus. Magnam in liberorum ſingulis ſpem repoſui; Unus tu mihi, natu omnium maximus, ſcrupuli aliquid injicere ſoles: non quia non tibi ingenii abunde ſit, ſed quia diligentiam deſiderarem. Sed cum poſtremò alter alteri vale diximus, ita me plenum magnæ ſpei dimiſiſti, ut non poſſim non pulchra quædam de te augurari. Credimus nos Parentes facile liberis noſtris. Sed tamen tibi, ea jam ætate, puto me tutò credere poſſe. Si decipis, te potius quàm me deceperis. Adoleſcens, ut Poëta ait, *Cereus in vitium flecti.* Tu potius cereus eſto in eo, ut facile animo imprimas monita mea; Ab his dimovere ſi quiſquam te volet, ferreus vel adamanti ſimilis ſis. Apage igitur iſtos qui ad inertiam te vocant, filiamque ejus luxuriam, quæ te in barathrum aliquod præcipitem daret, unde cum lachrymis eximi poſtea optares, ſed fruſtra. O quam mihi gratus eris, ſi (ut Nazianzenus ad Vitalianum ſcribit) *ἀνακαθαίροις σεαυτὸν τῶν κακῶν, καὶ σύνοικον ἔχοις τὴν ἀρετήν.* Fac, fac, mi fili, ſic eris ſenectutis meæ ſolamen, domus noſtræ fulcrum. Quid tibi cum iſtis negotii, non tam pedibus valgis, quam mente diſtortis? Similem te ſui volunt. Renuntia eorum amicitiæ. Quid boni ex iis diſcis? Nihil ſanè. Omnis eorum eruditio, quod manum habeant eruditam. Sciunt ut cum Poëta dicam,

*Quo geſtu lepores, aut quo gallina ſecetur.*

Venuſtum in illis nihil. Quippe qui nullam ſermonis Venerem niſi de Venere agnoſcunt. Tuum eſt amare non illam vulgarem Venerem, ſed alteram, *Οὐρανίαν*, quæ cœleſtes inſpirat amores. O quanto jucundior amor ille! Me quidem ita ſacra ſtudia afficiunt, ut omnia præ iis pudeant. Nempe tantum ſtudium Theologiæ præſtat cæteris ſtudiis, quantum hæc voluptatibus iſtis adoleſcentiæ. Sed ſi Naturæ, Hiſtoriæ, Juris te magis delectat, non repugno quo minus totum te iis des. Hæc quoque ut uſum neceſſarium, ita incredibilem habent voluptatem. Itaque Plinius ea ſtudiorum voluptate tenebatur, ut & ſomno & cibo detraheret, quemadmodum ipſe in præfatione naturalis Hiſtoriæ teſtis eſt nobis. Scis etiam ut Archimedes & cibi & potus obliviſceretur ſtudiorum amore. Sed quid ego te ad externa voco? Cur non ſufficiat domeſticum exemplum? Egone tantum laboris & in iſtis exhauſiſſem, niſi ille mihi labor fuiſſet jucundior, quàm iſta quæ alii conſectari ſolent? Et voluptas illa manet. Juvat nunc recordari quoque ætatis retroactæ. Quod tu de te non dixeris. Sed ut deinceps dicere poſſis, de eo quidem, quod divina bonitas vitæ amplius largietur, id quidem in manu eſt tua, mi fili. In ſtylo omnino velim te exerceas. Neutiquam enim mihi ſatisfacis hac parte. Noſſe deſidero, quantum in Græcam tuopte Marte valeas. Item ecquos inſtituas adoleſcentes. Optimus proficiendi modus docere alios, quæ didicimus. Et tum demum aliquid ſcimus, cum docere id alios poſſumus. Aves, credo, ſcire ecquid apud nos rerum ſit novarum. Sed nihil ſane eſt quod magnoperè ſcribi mereatur. De induciis deliberatur, in Ordinum Conventu; verum plures eam adverſantur, præſertim qui in mari vivunt, vel ut ſcitè Græci eos vocant *ἁλίζωοι* (nautas me vides dicere) vel qui ex eo vivunt, ut negotiatores multi Magnarii, imo & quos liberos piratas nuncupamus. Ultrajectini cogitant de Academia erigenda. Si Amſtelodamenſes in propoſito perſiſtunt, vocabunt in urbem ſuam Barlæum, ut ibi Philoſophiam & Hiſtoriam profiteatur. Colvius uxorem ducit filiam Abrahami van der Mylen. Mater tua ægrotavit iterum aliquot hebdomades. Curæ eam valdè macerant. Scis quales dicere velim. Audio te ante menſes duos vel paullo minus, Londini adfuiſſe Struſio. Ego utrum Struſius ille albus an ater ſit neſcio. Sed tamen ajunt eum conviviis magis gaudere quam noſtram deceat ſortem. Quare malim tibi commercium eſſe cum hominibus literatis, & ad rem attentis. Pupam unam filiolæ Domini Wrenni jamdiu acceperis. Alteram non potuimus tam citò nobis comparare. Amſtelodamo enim apportari neceſſe ſit. Sed ſi & alteram voles, perſcribe, atque adde cujus magnitudinis eam eſſe cupias. Quanquam hoc quoque ſcito opus, quomodo tranſmitti quam tutiſſimè poſſit. Prodiit Londini libellus cum hac inſcriptione, Alter Ecebolius, M. Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis. Excudebat Billius, An. 1624. Ibidem prodiit Concio ad Clerum, habita Cantabrigiæ per Sam. Wardum. Excudebat Milo Fleſher 1627. ſi commoda ſe offerat eos libellos mittendi occaſio, tranſmittes. Sin minus, ne laboro. Habui utrumque libellum commodatum à Nouwio. Sed cum in Gallias iret, per fratrem utrumque repetiit. Retinere maluiſſem. Et dixerat, poſſe me utrumque reſervare. Sed ſententiam videtur poſtea mutaſſe; Nolim tamen de iis te valdè eſſe ſollicitum. Poſſim enim utroque carere. Video chartam monere, ut deſinam ſcribere qui non deſinam te amare, dum tu virtutem amabis, quod ut æternum ſit, Deum oro. Salutem dices iis quos toties jam literis ſignavi, ut repetere nihil attineat.

Lugd. Batavorum,
cIↄ Iↄ c xxx, poſtr.
Id. Mart.

*Tuus Pater*,

G. J. VOSSIUS.

Qui has ad te literas defert, mihi quidem hactenus ignotus fuit, ſed cum eum cognoſcerem, eſſe filium Caſtellani, Gallicæ Eccleſiæ quondam Miniſtri, Senioris autem Trelecatii, Præceptoris mei, ex filia nepotem, nolui eum dimittere ſine literis meis; præſertim cum & honeſtus & non ineruditus videretur.

---

## CLIV.

## Franciſco Junio, Fr. Fil.

### S. P.

*Epiſtola familiaris, argumenti varii.*

RAnis illis Seriphiis, mi Affinis, taciturnior mihi videris. Citius illis vocem quàm tibi verbum aliquod expreſſero. Quippe jam bimeſtre eſt, quod à nobis abiiſti, ac ne illud quidem ſignificas an ſalvus in Britanniam adveneris. Profecto, niſi mihi ſatis perſpectum foret, quàm tardus ſis in ſcribendo, planè aliquid ſuſpicarer, quod dicere nolo. Interea ut mihi, optimæ ſorori, & liberis etiam meis, omnem eximas ſcrupulum, ſilentium rumpe, & nos quamprimùm literis compella. Si non ob aliud, ſaltem, ut ne ultra ignorem, quod me maxime tangit. Quare *κίνει τὴν γραφίδα ἢ χαρίζε τὸ ἀποσιγᾶν.* Nam quid magnopere juvet, ſi nos mutuò amemus, & ne literis quidem alter alterius fruamur. Nempe ſic Tantalo, jure comparemur, cui & jam deerat, quod habebat. Franciſcus meus pro gradu, ut loquimur, Doctorali, publicè diſputavit, ac ſtrenuè rem geſſit. Sinoutius ab Amſtelodamenſibus, urbe exactus eſt. Itaque apud nos domum conduxit. Oratoriæ meæ deinum, poſt hebdomades duas, aut tres,

erunt abſolutæ. Filius Dionyſius orſus eſt, ex Arabico transferre gentis ejus proverbia. Nonnihil tamen ab hac opera revocabit verſio hiſtoriæ Reidani. Heinſius propediem editurus eſt hiſtoriam omnium, quæ ſuperiori anno contigerunt. Vehementibus ſtudiis agitur, in conventu Illuſtrium Ordinum, an de induciis ſit cum Hiſpano agendum. Major pars hactenus abhorrere ab eo conſilio videtur. Deſidero ſcire, quando ſperare liceat quæ affecta habeas, de Pictura, Sculpturaque. Martinius Bremenſis videtur depoſuiſſe cogitationes, de affine Junia. Noſſe aveo, verene hic ſparſum ſit, Seldenum carcere liberatum. Addes quoque, quando viſuri ſumus Clariſſimi Pittei Athenas, aliaque. Quæſo urge virum. Metuo enim ne ei calcare opus ſit. Sorori Bruneæ ægrè eſt, quod ei migrandum erit ex ædibus in quibus hactenus commodè vixit. Ipſe Dominus ædium in iis habitare ſtatuit. Literas à te Roterodamo ad ſe perſcriptas, toto menſe poſt accepit. Quod malè eam habuit. Colvius noſter uxorem ducit, filiam Abrahami Mylii, puellam egregiam, nec malè dotatam. Amſtelodamenſes cogitant, de uno alteroque Profeſſore, aliunde advocando, ne Parentes neceſſe habeant, tam citò ablegare liberos ad Academiam, ubi major pars corrumpitur, licentiâ, & malo exemplo. Jam de Barlæo ſuper hac re actum, nondum tamen tranſactum. Nec dubito tamen, quin ſi negotium procedat, cæteris ſit præferendus. Dicuntur Ultrajectini cogitare de Academiâ apud ſe erigenda. Quæ res incommodare Leidenſibus poſſit. Scis enim locum eſſe ad eam rem ſatis idoneum. Nec obſtare Hollandi poſſint, cùm æquè Provinciam conſtituant, ac illi, ſi quid ultra hic rei novæ ſit, cognoſcere poſſis ex eo, qui haſce literas defert. Eſt is ſenioris Trelcatii, ex filia nepos, Caſtellani, Gallici ante annos aliquot Eccleſiaſtæ filius. Hactenus mihi ignotus fuit. Sed cum ſtudiorum cauſâ, ſe in Britanniam velle ire diceret, & perhoneſtus juvenis videretur, ſine meis cum literis dimittere nolui. Speraveram fore, ut prior ſcriberes. Poteram ſanè te compellare illo Homerico, ἄρχη, σὺ γὰρ γενεῇ νεώτερος. Sed mihi majus eſt literarum tuarum deſiderium quàm tibi mearum. Scis enim quàm aveam noſſe omnia, quæ ad filium pertinent. Quare prævertere te ſcribendo malui. Nec deinceps detrecto ſimilem provinciam; dummodò tantum ſpondeas, te propemodum, paria mecum facere velle. Ultra non exigam, etſi minus me ſis occupatus; niſi valdè me ratio fugit. Pergratum erit ſi plurimam meo nomine ſalutem dixeris Nobiliſſimo Equiti D. Guilielmo Houardo, cui à ſtudiis es magnæ Illuſtris Arundelianæ domus ſpei. Omnia ei à me ſervitia offerre, ne grave ſit. Pitteum etiam ſalutabis, in quo candor & eruditio certare mihi videntur. Vale, conjunctiſſime Affinis.

Lugduni Batavorum, cIↄ Iↄ c xxx, poſtr. Id. Mart.

*Tuus Affinis,*

G. J. VOSSIUS.

---

CLV.

## Matthiæ Martinio,

S. P.

*Vehementer luget ſcandaloſa Eccleſiæ diſſidia impuramque Eccleſiaſtarum quorundam vitam, quæ multis ad Pontificios, imò ad atheiſmum deficiendi viam pandat. Teſtatur cupidiſſimum pacis animum, qui vel vivi comburium non deprecaretur, ſi eo redimere poſſet Eccleſiarum concordiam.*

LOngo tempore ſilui ad literas tuas; ſed jamdiu quoque cauſam ejus rei intellexeris, ſcio, ex Herdeſio noſtro. Nam id non obſcure perſpexi ex epiſtolâ tua ad Jonſtonum. Quare non tam me in Britannia fuiſſe dicam, quam illud dicam, ita me illic fuiſſe, ut qui prius eo negotii cauſa ſim profectus, videar mihi aliquando, vel ſolo ex amore, eam poſſe repetere. Humaniſſimè enim ſum exceptus à Rege Sereniſſimo, Archi-Epiſcopo, Comitibus, Baronibus, Epiſcopis, & quid ſingulos enumerem, ſummæ & dignitatis, & authoritatis viros; Nec parum mihi honoris exhibuit, utraque Academia: uti & Cantuaria, ubi Canonicorum ejus loci ordini ſum inſertus, regia dignatione: Et quidem conditione ea, ut in partibus etiam tranſmarinis emolumentis fruar. Scis illud Bilbilici Poëtæ:

*Dicitur & noſtros cantare Britannia verſus.*
*Quid prodeſt? neſcit ſacculus iſta meus.*

Video me fœliciorem hoc Poëta; ut qui labores ſui apud Britannos, non modo, ut illi, nomen aliquod, ſed etiam rem parent. Quamquam ut ſacculus iſta neſciret meus: nihilominus (verè dico) affectus hujus gentis animum adderet ad majora; quippe qui publico potius bono, quàm privato, meum omnia ſoleam. Reperi in Britanniâ etiam magnâ cum voluptate mea, complures nominis tui amatores; Et cùm ſermo de te incidiſſet, interdum ab alio, interdum à me injectus fuit, dignum virtute tuâ, doctrinaque illa ſingulari, præconium à nobis acceſſit. Qui fieri aliter poterat? Ægyptios fuiſſe incantatores, facile credo Homero. Nec enim omnia mentiuntur Poëtæ. Te ſcio non Ægyptium eſſe, ſed Germanum. Sed tamen quaſi Ægyptius eſſes, neſcio quo veneficio, uſque adeo imbuiſti animum meum, ut eum planè illexeris, tibique devinxeris. Et eo magis ſavi amoribus tuis; utcumque in hoc rerum incerto, non poſſem ſic me, ἐρωτικῶς, huic negotio miſcere, ut vellem: præſertim qui ſcirem, quid animi aliquibus foret, qui propius viverent, & plus poſſent. Quanquam de eo quidem, non eſt quod multus loquar, poſtquam tu, ſive quia præſens Germaniæ ſtatus non ſatis arrideat, ſive alia de cauſa, ſatius putas, ut miſſa hæc facias, ſalvo amore noſtro, qui erit dum erimus. De Arnoldo Vorſtio, non ſine dolore, intellexi, quod ita æs, tibi ſublini paſſus ſis. Miſeret me matris quæ commendari à probitate multum ſolet. Metuo ne liberorum mores omnem ei prudentiam expectorent. Quid dicam? Animam debet. Nec amplius ei credam, quam donare quantum velim. Uno peccare ſolet, indulgentia erga liberos. Sed metuo ne Vara Vibiam ſequatur. Scis quid non tentare ſoleant qui conſtituti ſunt pejus, quam inter ſacrum & ſaxum. Non leve eſt, quod & debet ſoceri mei filiæ natu maximæ. Ego illud nomen vix textivilitio emptitem. Crebro domum ejus tua cauſa filius meus acceſſit. Acceſſi & ego. Sed notiores omnes è familia mea ſunt, quam ut admittantur. Quare ſit illud Poëtæ; Non ſum, poſſum, non libet eſſe domi. Sed de iſto plenius alteris literis, ſi opus putabis. Conjux mea aliquandiu male valuit, hac tamen hebdomade, meliuſcule ei eſſe cœpit, ut aliquid bonæ ſpei concipiam. Filiorum natu ſecundus, cui ab avo Franciſci nomen, publice Theſes defendit, pro Doctorali laurea, in utroque Jure, & quod voluit, non tam favore, quàm merito obtinuit. Negotium Brugmanni iterum urgebo, hebdomade proxima, quâ Hagam ibo. Audio Philippum Cæſarem, ad Pontificios defeciſſe. Parum ſit veriſimile, non mihi modo, ſed aliis quoque. Quippe qui arctè adeo dicatur novellitati adhæſiſſe; ut Papiſmi ſuſpectos haberet, ſiquis tranſverſum digitum ab ea abiret. Ajunt, ne te quidem, aut collegam, qui ipſi ſynodo interfuiſſetis, ſatis ei probare potuiſſe cauſam veſtram. Scire aveo, an vera ſpargantur. Elegantiſſimus Syneſius alicubi ait, ſe imitari velle Medicos, qui aquam calidam præbent ægris, ut cum aqua, educant unà, quæ intus latent. Similiter & ego, de Philippo veſtrate ad vos ſcribo, ut reddas mihi ea cum fœnore. Apud nos nonnulli è ſacro Ordine nihilo melius rem gerunt. Hagam ſolam vide: ubi uterque Gallicæ Eccleſiæ Paſtor dejectus de munere, ob vitam impuram. Prior tamen, nondum liquidò ſatis adulterii eſt convictus. Nec enim, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus, uti alter, in lectulo, cum ſcortillo, etſi uxorem formoſulam ipſe haberet. Male diu hic audierat. Tandem miſellus; ſed tacere de iſtius malo, quæ non ſine dolore animi cogito. Putabat ſe omnia boni Paſtoris munia implere,

plere, ſi principibus zelotis poſſet accenſeri. Itaque tantæ erat pietatis, ut quanquam ego per amicos, eum Hagenſi Eccleſiæ commendaſſem; tamen nunquam ab eo tempore, domum ſit ingreſſus meam. Nempe putabat, me eſſe ex eorum numero, qui in hoc triſti ſchiſmate, de remediis cogitandum putant. Nec male cogitabat; qui ſcire hoc poterat, quippe qui jam ante biennium, frequens fuerit conviva meus, cum ſimilem ſe ſimularet, uſque dum elicuiſſet commendationem meam. Nec longè ab Haga alius Eccleſiaſtes, ſacrilegii miſerè convictus. Solet ille ſuffurari pecunias eleemoſynæ nomine, in templo collectas. Hæc quanto ſint ſcandalo nobis, facilè vides. Criſtas erigunt Pontificii, eo tantum non de nobis triumphant. Gravis eſt hæc tentatio infirmis. Interim nos diſputare malumus, quam vivere in Chriſti præcepto. Facilè, qui abundè ſenſa mea noſti, perſpicis, quam hæc coquant, & macerent animum meum. Neque enim vivicomburium deprecarer, ſi ſcirem me poſſe, eo redimere concordiam Eccleſiarum noſtrarum, majoremque primævæ Eccleſiæ amorem; præ qua etiam hominibus, nec malis, nec ineruditis, nimis nunc novellitas ſapit. Multi apud nos ad Pontificios abeunt. Audio idem, & aliquantò magis, in Galliis fieri; & metuunt plurimi, ne longe triſtiora, intra paucos annos, intelligamus. Quid quod nec pauciores quotidie ad ἀθεότητα vergunt. O triſtes diſſidii fructus! Et tamen muſſare cogor; quaſi aliud, quam bonum Eccleſiæ ſpectem, cum vel puſillum moderationis requiro. Ego vero metuo ne Deo cogar rationem reddere, quod non ſatis fortiter egerim cauſam optimam; non dico harum vel illarum partium, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ in ſymbolo etiam Catholica nominatur. Quod nomen ego quantivis pretii puto, utcumque aliqui illud planè habeant ſuſpectum, non alia ſanè de cauſâ, quam quia, aliqui iniquiſſime ſolis ſibi illud arrogent. Sed quid de tam multis moror, amiciſſime Martini? Nempe rarò ſcribo, ſed cùm ſcribo, tarditatem literarum longitudine compenſo. Et quod mirum ὅτι ὥσπερ μόλις ἠρξάμην, οὕτω ϗ μόλις παυσαίμην. Quod de ſe Socrates apud Platonem, ac Syneſius quoque, ad Pylæmenem ſcribit. Quo tamen gloriari apud te non poſſum, qui hac parte, ut aliis multis, ſæpius me vincis. Sed ea eſt virtus tua, ut lubens cedas. Et quoque occupationes meæ, ut ægre hanc tarditatem ferre non debeas. Abſque hoc eſſet, quid literas meas mittere ceſſarem, cùm tuis nihil mihi gratius eſſe poſſit, & te ſimiliter affectum eſſe putem imo ſciam? Doctiſſimi Cochii, de Sanhedrim, & Maccoth, laborem ante dies ſex ſeptem, accepi. Nec munere eo mihi gratius quicquam. Si apud vos agit, plurimum meo nomine ſalutes, rogo, & ſignifices, me per literas gratias acturum. Id nunc non feci, quia prius rogandum ex amico, utrum Franekeræ, an Bremæ agat. Salve, Optime Doctiſſimeque Martini.

Lugd. Batav.
cIↃ IↃ C XXX.
Poſt. Id. Mart.

*Tuus*,

G. J. VOSSIUS.

## CLVI.

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius S. P. D.

*Fortunatum iter ſuum Britannicum ei deprædicat, quo Canonicatus Cantuarienſis dignitate auctus ad invidiam uſque fuerit. Conſilium Academiæ Curatorum de vocando Leidam Salmaſio aperit, curam in dirigendis filii ejus ſtudiis, & operam in excudendis quam emendatiſſime Parentis ſcriptis ſedulam offert. Filium ſuum Franciſcum pro gradu diſputaſſe, laureaque in jure doctorali ornatum refert.*

CUm valdè optarem aliquem mihi dari, per quem tutò literæ ad te mitti poſſint; ecce à Sarmatis ſuis ad nos redit Nobiliſſimus Stupeskius, unà cum ephoro ſuo Paschali, Doctore medico, Natione Gallo, domo, & placitis Genevenſi, homine docto, & perhoneſto. Ajebat uterque ſe propediem, ſaltem poſt hebdomadas paucas, Lutetiam ituros. Sed propè jam bimeſtre eſt, quod culpa eorum, qui ab utriſque partibus commeatus literas procurant, diſcedere iis demum licet. Alioqui non paulo celeriùs ex me ipſo cognoviſſes iſta, quæ de itinere meo Britannico, ex fratris, vel aliorum literis, jamdudum te arbitror percepiſſe. Nihil tamen prohibet, puto, quo minus nunc quoque pauca de eo perſcribam. Nempe à Rege Sereniſſimo, Archiepiſcopo, Comitibus, Baronibus, Epiſcopis, utriuſque Academiæ ſummis viris, aliis etiam vel dignitate, vel doctrina claris, eo ſum honore, favoreque exceptus, qui non tam Voſſio, quàm longè majori conveniret: nec receſſi, niſi auctus dignitate Canonicatus Cantuarienſis, idque ea conditione, ut emolumentis ejus frui liceat etiam in partibus tranſmarinis. Quæ res, neſcio, utrum plus mihi hic peperit honoris, an invidiæ apud nonnullos, eos imprimis, quibus moderatio animi noſtri eſt ingrata. Sed ut Dircæus ille vates ait, κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. Hujus meæ fortunæ recordatio cogitationem mihi injicit ejus, quod hic inter Academiæ Curatores deliberatur de Salmaſio huc vocando. Inter illos, qui maximè negotium urgent, eſt Dominus Someldicenſis. Ex ordine verò noſtro, Rivetus. Occultiorque, at non minor, opera eſt noſtra. Impenſe enim viro faveo, ob multijugam, ac reconditam eruditionem. Nec parum erga eum amori addit amor erga eum tuus, quem literæ omnes tuæ ſpirant. Quæres fortaſſe, cur non apertè ei ſtudeam. Nempe, ne ei magis incommodem, quàm proſim. Scis enim negotium hoc tranſigi non poſſe, niſi tum iis volentibus, qui extrema omnia, quam qui moderatiora conſilia ſequuntur. At prioribus illis pleraque mea ſunt ſuſpecta: niſi fortè ipſe nimis ſim ſuſpicax, qui hæc de iis ſcribam. Adde quod nec omnes, in Salmaſiano illo negotio conſentiunt, qui noſſe virtutes viri debebant. Liceat paulùm tecum jocari per literas, quod præſens facere mallem. Ait Plutarchus, pictorem fuiſſe, qui cum Gallos depinxiſſet, juſſit, ut puer tabulæ adſideret, qui veros abigeret Gallos, ne, quam ineptus eſſet pictor, deprehenderetur. Similiter hic ſunt, qui manibus, pedibuſque diſturbare eorum conſilia nitantur, qui eruditiſſimum illum Gallum huc advocandum cenſent. Metuunt, ne tabulæ ſuæ fiant minoris, ſi omnes ex hoc Gallo videant, quantum ipſis ad Romanarum, Gallicarum, Eccleſiaſticarum Antiquitatum peritiam deſit. Alterum etiam eſt, quod obſtare Salmaſio videatur. Nec enim ad docendum arceſſeretur (quam conditionem amplecti ſi volet, neminem inveniet, qui obſtare volet, ut ego quidem cenſeo) ſed ut eo & loco eſſet, & ſtipendio frueretur, quo olim ὁ μακαρίτης Scaliger. Facilè autem cogitare potes, in ea profitentium turba unicum eſſe minimum, qui ſibi honoris hoc deferendum potius arbitretur. Utinam autem non de Salmaſio modo huc vocando; ſed de te etiam revocando cogitaretur. O quam uberem ex te meſſem meteret patria tua? Quantos & ipſe perciperem benevolentiæ tuæ fructus? Sed non omnium dierum ſoles occiderunt. Interea me oblectabo dulci recordatione veterum meritorum tuorum. Nam quod aliquando de fructibus amicitiæ noſtræ literis tuis ſcribebas in eo meas mihi eripuiſti partes, qui nunquam tuorum debeo meritorum oblviſci. Tanto juſtius filio tuo faveo. Quamquam non tui modò cauſa, ſed etiam quia ingenii elegantia, ac bonitate indolis, ſic meretur. Dolet de illo corporis vitio, quod cum Ageſilao, Tyrtæo, aliis habet commune. Sed gaudeo, quod corrupto hoc ſeculo, quo omnium penè animi claudicant, filio hactenus mens eſt recta & erecta. Petierat uxor, ut diebus dominicis ſemper pranderet nobiſcum. Sed non facit. Subinde tamen adeſt, & luſitat cum noſtris. Nec occaſionem eam negligo videndi, quantum in ſtudiis, & moribus profecerit. Vellem tui filii cauſa, ut paulò feliciùs cum Bataviæ Scholis ageretur. Sed raro alii, quàm fungi, præfici inferioribus claſſibus ſolent. Imo multis è fun-

fungino genere hoc ipſum vitæ genus ſordet: malunt aliquid ogganire popelli auribus de ambone, & imperare imperantibus. Et profectò, quanto tales magis ſapiunt, quàm qui in pædido illo grege puerorum à me ad veſperum crambem repetunt tribus conducti nummis? Meliùs ſocietas Jeſuitica ac prudentiùs facit; in cujus Scholis, pueris claſſem mutantibus, mutant & ipſi Doctores, atque ad claſſes ſuperiores evecti, & ſucceſſorem nacti, præficiuntur ſacris. Hæc ſi Proceres noſtri imitarentur, & doctiores haberemus Eccleſiarum Præfectos, & pueritiæ Reip. ſeminario, meliùs conſuleretur. De Lugdunenſi tamen Schola minus, quàm de pleriſque aliis conqueri poſſumus, ob probitatem ac virtutem præfecti, qui ſic ſatis hypodidaſcalorum ſuorum rationem habet. Libros tuos de Religionis Chriſtianæ veritate, altera hac editione tot mendis obſitos prodiiſſe, ſanè doleo; ſimulac cognoram, Lamerium novam editionem cogitare, obtuleram ſpontè ei operam meam, ad corrigenda Typothetæ σφάλματα. Sed negavit ea ſibi nunc opus eſſe, quia non manuſcriptum quicquam excuderet, quod moleſtiùs procedere ſolet; ſed jam ſemel excuſum. Cùm ne ſic quidem ſatisfaceret, iterum inſtiti, uſque dum ſignificaret, ſe in iſto uſurum opera Clariſſimi Barlæi. Tum demum mihi acquieſcendum putavi, ſed poſtmodo cognovi, contentum fuiſſe perfunctoria opella mercenarii cujuſdam, ſcis autem quam parùm, hoc hominum genus ſollicitum eſſe ſoleat, utrum emendatè, an inemendatè libri prodeant. De Tragœdia Euripidea, & tralatione tua, omnia ſpero meliora. Corrigendi ipſe laborem ſuſcepi. Quamquam ſemel, iterumque, poſtremam revidendi curam, commiſerim noſtro Coracino; qui tum fortè hic erat. Ille ſi non peccarit, benè erit, ſed poſtquam Coracinus abire coactus (hiſtoriam jamdiu inaudieris, puto) terroris aliquid injectum uxori. Ita dormitavit tragœdia aliquot menſibus. Jam dies eſt quartus, quod domum repetere chartas tuas; idque eo animo, ut reliqua perficiant. Filius meus Franciſcus ante bimeſtre, publicè diſputavit de gravibus in jure controverſiis; nec parum laudis retulit: Laurea etiam doctorali, cum bonorum favore, ornatus eſt. Superioris anni geſta jam penè abſolvit Heinſius, ſperat ſe intra menſes duos, vel tres, prælo ſubjicere poſſe. Utinam quoque tibi mens fuiſſet, obſidionem Sylvæducenſem deſcribendi. Mitto ad te Oratoriarum noſtrarum editionem novam. Quam cum dimitterem, ſic munuſculum meum tacitus affabar, cum vate Hiſpano;

*Tu qui longa potes diſpendia ferre viarum,*
*I liber, abſentis pignus amicitiæ.*

Si modò nobis pignore ullo opus, ſed utcumque eſt, affabitur ille, cùm voles; quod ipſe utinam poſſem. Nihil enim æquè in votis, quàm ut ne æternum te fruantur externi. Iterùm occurrit illud Bilbilici poëtæ:

*Sed reddare tuis iterum viſure Sabinis*
(*Batavis* ego dixero)
*Teque tuas numeres inter amicitias.*

At deſino tandem effundere, quicquid in buccam venit. Salve, Amicorum doctiſſime, Doctorum amiciſſime; imo Doctorum doctiſſime, Amicorum Amiciſſime, diuque cum uxore præſtantiſſima & liberis, Vale. Uxor ſalutem vobis omnibus officioſiſſimè dicit.

Lugd. Batav. cIↃ IↃ c xxx.
Poſtr. Non. April.

## CLVII.

## G. Joh. Voſſius, Claudio Salmaſio, S. P.

*Sua offert Oratoria. Lugduni ſeriò hoc agi refert, ut Scaligeri locum illa in Academia tueatur, cujus adventum magnopere ſibi exoptat.*

QUod tarde adeo reſponderim literis tuis, maxime Salmaſi, prius quidem in cauſa fuit iter à me in Britanniam ſuſceptum unde dignitate Canonicatus Cantuarienſis à Sereniſſimo Rege collata, auctior redii domum. Poſtea autem cum viderem Oratorias noſtras vergere ad finem, pauliſper volui exſpectare uſque dum eas una cum literis meis per hominem fidum mittere poſſem. Qui nunc obtigit, Illuſtris Baro Stupeſkius Polonus una cum ephoro ſuo Paſchali, domo Genevenſi profeſſione Medico. Utinam vero placere tibi poſſit hic fœtus meus. Sed placebit ſpero, ſi non merito ſuo at ſaltem ob pulcherrimum conatum. Nam & veterum imprimis veſtigiis inſtitimus, & multa tamen accuratius excuſſimus, quodque facile videbis, plane alia nobis ratio inita; quam qua vulgo tetrica artium præcepta tractari ſolent. De tuis in Plinium ac Solinum commentariis, qui vere ἀγαθῶν ἀγαθίδες, gratiam ſane promiſſi facio. Quid enim amicitia noſtra recens adeo inita tam cito tibi ſit fraudi. Sed ſiquid poſtmodo emiſeris exigui ſumptus, cujuſmodi fuit ante ἀντίδωρον miſi, quale item quod nunc vides; ſane ſi omnino liberalis eſſe voles gratum mihi erit donum & ſuo nomine & auctoris: quem ego cum Grotio noſtro conjungere ſoleo, quoties duos nominare volo omnigenæ doctrinæ principes, ſane orbis noſtri doctiſſimos. Quod elogium non perſcriberem ad te, (metuerem enim ne quid videam auribus dare) ſed idem non ſemel his diebus teſtatus ſum apud Academiæ noſtræ Curatores. Ex quibus Somelsdicenſis Dominus ſeriò hoc agit, ut Scaligeri locum tueri apud nos poſſis. O me beatum, ſi hoc contingat! Rivetus etiam, optimus ſane ac doctiſſimus Theologus, negotium hoc urget, quàm qui maximè. Faveo ego utroque, quod dicitur, pollice, & eos incito, qui plus me authoritate valent. Nihil tamen certi promittere habeo: partim quia multi apud nos ad clavum Reipub. ſedent, ſtudiorum minime intelligentes: partim etiam aliis de cauſis de quibus fortaſſe aliquid ſcribam Poſtr. Non. Maji. Eum enim in diem indictus Curatorum Academiæ Conventus. Vale, ſumme idem vir atque amice, ac deinceps crebras à me literas exſpecta.

Lugd. Batav.
cIↃ IↃ c xxx.

## CLVIII.

## Dudlæo Carleton.

*Oratoria ſua exhibet: de tranſlata Amſtelodamum ſede certiorem facit, cauſaſque, quæ eam ſibi perſuaſerint, exponit.*

*Illuſtriſſime Domine,*

INdignus ſim tantis in me meritis tuis, ſi à longo tempore intermiſſa ſcriptione, etiam hanc occaſionem dimitterem, redeunte in Britanniam filio meo. Fateor, diu ſcriptum à me oportuiſſe, ſed ſublimem adeo virum interpellare ſæpius verebar; ut cui tanta negotia, & Regias incumbere curas noſſem. Nihilominus, cum prolixam cogito humanitatem tuam, qua me humilem adeo hominem proſecutus es, viciſſim magnæ videbatur inhumanitatis, non facere te certiorem de rebus meis, qui ſatis oſtenderas, quam bene mihi, & omni familiæ meæ velles. Ea itaque res, ut ſcriberem, induxit; nec materia deeſſe videbatur. Nam præterquam quod mei muneris duxi tranſmittere Oratorias meas (quas rogo animo potius donantis æſtimes quàm pretio ſui) etiam ex meipſo cognoſcere te volui, quòd fortaſſe jam ex aliis intellexeris; nempe ut menſibus abhinc propemodum quinque ſedem meam Amſtelodamum tranſtulerim, vocatus ab urbis ejus Proceribus. Nuper quippe ii conſilium cepêre de erigendo in urbe ea Illuſtri Gymnaſio, ne Civitas omnium totius Belgicæ florentiſſima & opibus viriſque valida, ſola Studiorum cultura aliis pleriſque cederet. Itaque eo me vocârunt ad eandem Profeſſionem ſuſtinendam, quam obii Lugduni. Cauſæ, quæ me impulere, ad ſuſcipiendam conditionem,

nem, variæ fuere; ut enim ſtipendium mittam, quod fere alterâ parte majus eſt, liberorum hic longè magis rationem habendam, ſatis luculentis indiciis perſpexi. Nonnullis credo mirum videbitur me ex florentiſſima Academia commigrare in Illuſtre Gymnaſium, de quo vix dicere illud poſſimus, adhuc meſſem ejus in herba eſſe. Necdum enim herbeſcit, imo ne quidem ſementis facta. Veruntamen non mei unius hoc conſilio egi; ſed multum cum aliis ſummæ & prudentiæ & auctoritatis viris deliberavi, qui hujus mihi rei auctores fuerunt. Nempe omnes prope judicant, eam eſſe hujus urbis potentiam, illud nomen per orbem omnem: ut ſi aliunde ſplendorem petam, quam à propriis ingenii ac induſtriæ monumentis, eum non minus à clariſſima hac maximaque Urbe, quam vicina Academia, conſequi poſſim. Quantoque illuſtrius deinceps futurum urbis hujus Athenæum, tanto ubique glorioſius mihi erit, prima ejus jeciſſe fundamenta. Multum me etiam pellexit Magiſtratuum hujus urbis cum ſumma prudentia, tum etiam excellens doctrina; ita ut veriſſimum hic Platonis dictum comperiar, qui tum fœlices fore Reſpub. ajebat; quando, aut qui Philoſophi eſſent, regerent, aut qui regerent, philoſopharentur. Nec ignoro eſſe, qui nomini Procerum plurimum detrahant, quaſi iniquiores ſint Ordini Eccleſiaſtico. Verum video, abunde huic eos favere, dummodo ſe ille contineat intra eſſata, ac pomœria ſua. Nec ea ad Gymnaſium noſtrum controverſia pertinet. Neque me deinceps ei immiſcere animus, ſed pacem ſemper & concordiam ſectabor. Liticula adhuc aliqua eſt Lugdunenſibus cum Amſtelodamenſibus de Jure erigendi hic Illuſtris Gymnaſii. Sed intra dies paucos ea controverſia ab utraque Curia decidetur. Nec tantillum dubito, quin ſententiam latura ſint pro Amſtelodamenſibus. Ita ſaltem cenſent, quicunque rerum Batavicarum ſunt gnari, atque animum habent affectibus minime mancipatum. Sed de iſto fortaſſis nimis multa. Quod ſupereſt, Illuſtriſſime Domine, optimeque Mecænas, Deum oro, ut Neſtoreos annos felix & fortunatus vivas, cum Illuſtriſſima Heroina uxore tua. Ex qua quam ſimillimam veſtri prolem, vobis exopto, Regni Britanniæ bono, ſimul gaudio veſtro. Atque hoc Deum rogo. Te autem unum illud, ut quem hactenus tanto es favore complexus, eum porro habere velis in clientium numero. Hoc equidem affectu erga me tuo ſubnixus ſemper ero.

*Illuſtriſſimo nomini tuo totique Domui* Carletonæ *devinctus ſimul & devotus cultor,*

G. J. Vossius.

## CLIX

## Joanni Meurſio.

*Offert Oratorias ſuas Inſtitutiones tertiùm editas & auctas. Denarius ipſius Pythagoricus ut primo quoque tempore emendatè prodeat, in ſe recipit. Qua ratione Britanniæ Regis gratiam Cantuarienſemque Canonicatum conſecutus ſit, exponit.*

EQuidem ſumme & Vir & Amice, tamdiu me ſiluiſſe ac ſcribis, non putabam; ac plane metuo, ne literæ aliquæ interciderint. Gaudeo interim conſtantem adeo eſſe amorem tuum ut ceſſatio hæc nihil de eo detriverit: imo ſimulac literas meas acceperas, ne conquerendum quidem de diuturno hoc ſilentio putaris. Nempe ut Symmachus ait, Amicitia cito ſanatur officio. Sed quæ divina hæc bonitas tua, ut hunc ceſſatorem, ſeu triconem aut bovinatorem (impone nominis quicquid vis) literario munere, eoque auro magis aureo, mactes, cum Nauſiſtrata dixero, Vir viro quid præſtat! Alterum urit ſi aliquid credamur; tu nomen noſtrum prædicare non ceſſas, & ſeculo huic & poſteris. Quas tibi ego, quas liberi mei pro beneficio hoc grates rependent? Sane omnes plurimum nos deberi tibi fatemur: ac ſi, quid mihi opinione amicorum celerius contigerit, quod animum teſtari, ut vellem, non ſinat; id compenſabit pietas liberorum. Ex quibus jam quartus Dionyſius meus totus eſt in Reidani Hiſtoria Latine vertenda, & quibuſdam Arabum monumentis itidem Latiali Linguâ transferendis. Natu ſecundus, Franciſcus, in humanitatis ac ſapientiæ ſtudiis perſeverat: etſi ex quo ſupremam in Jure lauream apud nos adeptus, Hagæ ſimul vacet, ſi non tricis, ac tetricis ſaltem advocatorum contentionibus audiendis. Nempe ſcis vix aliam eſſe ad honores hic viam, niſi forte aliquem favor amicorum magis, vel opum gratia, extollat, quam rerum peritia, aut virtus. Tertius eorum Matthæus, ſatis ſe mihi in omnigena hiſtoria probat. Natu omnium maximus Joannes, Collegii Jeſu ſocius eſt, apud Cantabrigienſes. Qui, quod viſum receperit, & mihi gaudeo, & illi gratulor, & Deo quantas poſſum gratias ago. In filiis duobus natu minimis, Iſaaco & Gerardo, ſumptibus non parco. Itaque domi iis præfeci adoleſcentem: ſed quem quia non admodum eruditus eſt, ex præſcripto meo omnia agere velim; ne mihi dediſcenda diſcant. Quippe malim ego nihil eos à Magiſtro haurire, quam male imbui: quandoquidem ſic geminô mihi eſſet labore opus, in eluendo vitio & inſtillando vero rectoque. Ut non poſſim reprehendere Timotheum Muſicum, duplicem qui mercedem exigebat, alio ſiqui Magiſtro uſi forent. Quid multis opus? Hactenus non infeliciter mihi in liberis negotium ſucceſſit. Quo nomine Deo gratias debeo ſi quiſquam. Utinam miſericors ille Pater beneficium hoc ſuum mihi diuturnum eſſe patiatur. Quod equidem eo magis exopto, quia video quam hæc rara ſit res in multitudine liberorum. Vel ſummum Virum & tui amantiſſimum Rivetum vide. Nôras duos ejus filios natu maximos, cum apud nos viverent. Eorum alter, Vir optimus, Eccleſiaſtico munere apud Gallos fungens, vita ſua functus eſt. Urit hic dolor Parentem, ut cogitare potes. At magis macerat, quod alter, qui Duci Tremulio à ſecretis erat, Domini ſui exemplo ad Pontificios defecit. De meis in hoc vitæ humanæ incerto meliora non poſſum mihi ſpondere; ſed tamen ſperare optima licet. In quo ſi non eludar, habebis ſemper ſummos homines tui cultores, ut amicitiam noſtram decet, cujus liberos hæredes eſſe convenit. Quod eo dico, ut videas non meum modo, ſed meorum etiam me affectum ſpondere. Mitto ad te Oratorias Inſtitutiones meas tertiùm editas, uſque adeo caſtigatas & auctas, ut mihi ipſi licet parenti hujus fœtus ſubinde novum potius opus dediſſe quam prius illud videar reddidiſſe. In quo committere non potui quin ſolemne meum obtinerem ut debeo: nempe ut teſtatum facerem poſteris quid de tuis ſentirem. Primo uti libro ubi de Athenienſium foris loquor. Et tamen omnia ſunt infra merita tua. Verum quod hic deſideret quiſquam, alibi compenſabitur. Proxime quid editurus ſim nequeo dicere. Sed puto illud aut Commentarios fore Linguæ Latinæ, aut opuſcula quædam è miſcellaneis noſtris. Nam de iis quæ ad Eccleſiæ hiſtoriam veterem pertinent, ſpiſſius ni fallor negotium procedet. De libris quos ex Rutgerſiana petieras Bibliotheca, ſemel iterumque compellavi hæredem. Prius ille nec annuere, nec omnino negare, ſed poſcere, ut poſtridie vel ubi occaſio daretur iterum de eo loqueremur. At cum denuo compellarem, dicere ut cum Bonaventura hac de re locutus eſſet, qui negaret id ſine certo auctionis diſpendio fieri poſſe. Fore enim ut multi ob rariores libros huc confluant, qui ſi ea jam divendita cognôrint quamprimum; ſemel iterumque eluſos, eò ituros, unde venerant. Potuiſſe hoc fieri ſi Catalogus needum editus foret; nec ſerum nimis eſſet. Et cum oggererem, vix auctionem eſſe ullam, in qua non pauculi ſaltem libri prius ſint divenditi, quam publica illa venditio inſtituatur, reſpondit ille, complures etiam alios eſſe, qui ſimiliter ſibi quædam popoſcerint, ut aut nulli, aut pluribus, magno cum diſpendio ſuo gratificari cogeretur. Et ſane ipſe (quod

(quod plane illud veriſimile facit) ex Anglia literas accepi, quibus ſimile quid poſcunt. Quod tamen noſtro ſignificandum minimè putavi; ne quem ſatis averſum viderem, redderem difficiliorem. Multa interim oggeſſi de amicitia veteri, occaſione mittendi, quâ nulla deinceps melior ſe eſſet oblatura, & ſimilibus. Sed tandem intelligo ex eo, ſic libros (quod facile credo) disjectos eſſe, ut intra paucos dies reperiri non poſſint, quos poſtulares. At is per quem mitti hos oporteret, intra biduum parabit abitum. Cum nec plane deeſſet, quo his occurrerem, dixit quiddam, ut Collegam veterem deceret: putà, non alium, quàm te, hos libros habiturum. Si quis alius in auctione pretium promitteret, ſe aucturum, & me idem facere oportere. Quod ſi eo pacto pretium nimis excreſceret, velle ſe illud in tui gratiam poſtmodo remittere; ac ſi liber ſex ſolùm florenorum ſit, & xv. aut xx. ſit divenditus, te tamen non amplius quàm denos ſoluturum. Petii, ut ſententiam ſuam de eo perſcriberet. Facturum ſe promiſit; ſed nunc occupatiorem eſſe. Denarium Pythagoricum tuum Lamerius eſt editurus: ſed quia prelum multis diſtinetur, negat id ante ſex hebdomadas fieri poſſe. Curabitur, ut emendatè prodeat. Forma erit folii in quaterna complicati. Significabis per quem exemplaria, & quàm multa tranſmitti voles. Minimùm tibi xxiv. cedent. Sed quæ hic amicis donati voles, ea tuo nomine donabuntur. Imo & exteris, ſi ita viſum: uti Puteano, atque aliis. Scottum adderem: niſi ille ad ſuperos jam conceſſiſſet, ut te ſcire arbitror. Puto non diſpliceat de Critone & Pitteo in Anglia, Grotio & Salmaſio in Gallia. Tu quos præterea voles, ſignificabis. Operam dabo, ut ſupra numerum, quem dixi, aliqua accedant exemplaria, ut liberalioribus eſſe liceat. Quod mea etiam intereſſe, facile intelligis. Scire aves, qua occaſione contigerit, ut Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Regi innoteſcerem, atque ab eo luculenta adeo Cantuarienſis Canonicatûs dignitate ornarer. Nempe jam ante annos decem in florentiſſimo hoc Regno aliquot magni viri æſtimare cœperunt Scripta mea: præſertim hiſtoriam noſtram de Controverſiis Pelagianis. Scis autem, ſi uſpiam terrarum, in Britannia ſane eſſe longè plurimos Eccleſiaſticæ Antiquitatis amantes. Itaque & Oxonienſes, me ignaro, recudere diſputationes eas, quas in Collegio habui. Jam octennium eſt, cum Houterus, ad Carolum Hornes, Baronem Suecum, ſcriberet, ſe ex uno Regiorum Secretariorum audiſſe, ita in Aula ferri, ſi ab Illuſtribus Ordinibus ob factionem illorum temporum, quæ multos perdebat, porro negligerer, fore ut mei Sereniſſimus Rex haberet rationem. Nec multo adeo poſt, actum mecum de profeſſione Hiſtoriæ & prudentiæ Civilis in Academia Cantabrigienſi. Poſtmodo etiam majoribus promiſſis tentatus fuit animus meus. Sed uxoris valetudo, & alia quædam hic detinebant. Amici Angli dixere, ſic quoque mei rationem habitum iri, & ſi affectum præſtare non poſſunt præſenti quem vellent, præſtituros abſenti. Ego hæc habere pro affectus magni indiciis. Sed cum me pede meo metirer, fore non putabam, ut præter laudem & honeſtum de nobis judicium perciperem quicquam. Sed hæc ipſa tanti mihi viſa, ut cogitarem de opere aliquando dicando Academiæ Cantabrigienſi, ad quam vocatus eſſem. Amici auctores eſſe, potius inſcriberem Illuſtriſſimo Duci Buckinghamiæ, Academiæ hujus Cancellario. Ita enim me, Illuſtriſſimo Duci, magno Mæcenati literatorum, & ſimul Academiæ cui ille præeſſet, rem facturum gratiſſimam. Placuit conſilium. Exemplar ut ad Ducem, ita ad Sereniſſimum Regem Carolum tranſmiſi. Quemadmodum & tertium dedi Sereniſſimo Bohemiæ Regi. Etiam miſi ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, & quoſdam alios ex Eccleſiaſtico ordine. Ita auctores erant amici; nec videbam, quorſum hæc tenderent. Aliquanto poſt inopinato nuntium accipio de Canonicatu ab Sereniſſimo Rege Carolo mihi inter Cantuarienſes collato. Multum debeo Britanniæ, & plus quam exſolvere poſſum. Ante omnes Sereniſſimo Regi; hinc Illuſtriſſimo Duci; item Epiſcopo tum Bathonienſi & Wellenſi, nunc Londinenſi. Etiam Legato tum Carletono, nunc Secretario Regis, & Vicecomiti Dorceſtrenſi. Sed omnes commemorare non attinet. Meum erit publicis etiam ſcriptis erga eos gratum animum teſtari. Si hebdomadibus paucis Illuſtriſſimus Dux ſuperfuiſſet, etiam de ſuo mirè liberalis fuiſſet. Jam per amicum ſuum, virum magnum, id mihi ſcribi juſſerat. Audio decreviſſe tria florenorum noſtratium millia. Jam de eo collocutus erat cum ſuis. Sed immani ſcelere nefarii parricidæ fortuna hac excidi. Et ſane ſic quoque æternùm obſtrictus ero Duci, & Magnatum tot aliis in præclarâ hac gente. Venio ad alia. Heinſius Ordinum Generalium Hiſtoricus eſt. Putat ſe intra menſem unum & alterum poſſe divulgare Acta ſuperioris anni, in quibus præcipuè erit obſidio ac victoria Sylvæ-ducenſis. In Epiſtolis Scaligeri ab eo editis locus, qui te ſpectet, eſt Epiſtola CCCLV. ad Car. Labbæum. Ubi nomen tuum diſerte in αὐτογράφῳ exprimitur. P. 670 verſ. 2. Exteri, quis ſignetur, neſcient, quia nunc pro nomine tuo poſitus aſteriſcus. Sed de Civibus tuis neſcio an idem promittere liceat. Quippe nuper quidam qui αὐτόγραφον non viderat, referre mihi hunc locum, nec dubitare ſe, quin tu potiſſimum ſignareris. Cauſam, unde conjecturam hanc caperet, addebat. Sane dolet, quod quidam tam ſtultas opiniones, aut viro maximo inſeverint, aut ſaltem aluerint. Nihil tamen hæc malignitas nocere tibi poterit, qui jam diu ſupra invidiam es. Multa adhuc alia, quæ ſcribam, occurrunt. Sed inter ſcribendum decies ſum avocatus; & jam tertio ſororis tuæ filius Latius literas urget: quia tempus inſtat, quo nautæ Amſtelodamum ſolvunt. Scribam de cæteris brevi: etiam de quibuſdam, quæ Statum publicum pertinent.

Uxorem tuam mea ſalutat, filia filiam ἀντασπάζεται, filii vos omnes. Rivetus etiam, Barlæus, Vorſtius, alii, plurimam ſalutem adſcribi juſſerunt.

Raptim cIↃ IↃ C XXX. Poſtr. Kal. Majas. Salutabis & V. clar. Laurenbergium & alios Collegas. [illegible]

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CLX.

## Johanni Voſſio.

*Ad diligenter tractanda ſtudia ſacra paternè cohortatur.*

*Chariſſime fili,*

TAndem accepi aliquid à te literarum. Hæ minutis illis exceptis, quibus Ungari literas incluſeras, primæ earum ſunt, quas acceperim ex quo Britanniam corpore magis quàm animo reliqui. Utrum plures ſcripſeris, tu melius ſcies. Sed omnino diligentiorem te in hoc epiſtolari officio eſſe velim. Fuit interim epiſtola tua eò gratior, quòd eam comitarentur literæ præſtantiſſimi Halli, quem ego virum ſi non amarem & æſtimarem, ob egregias animi dotes, at ſaltem diligerem ob affectum egregium erga utrumque noſtri. Reſpondiſſem ei jam nunc. Sed quædam impediêre. Fiet id poſt dies paucos: ſimul tum ad te copioſiùs, ut ſpero, de nonnullis perſcribam. Inſimul aliquod exemplar tranſmittam Oratoriarum noſtrarum, quæ tandem (beneficio Dei) ad finem perductæ. Nunc vix alia ſcribendi ad te cauſa eſt, quàm ut ſcias, quid ex primo trimeſtri proventus annui ex Præbenda Cantuarienſi, qui quidem hoc anno exſpirarit, fieri velim. Nempe octonæ libræ Sterlingicæ cum dimidia tibi annumerabuntur: undecim verò cum dimidia dabuntur Joanni Nabradi Ungaro, qui Sacris Literis Oxonii operam navat. Populares ejus mihi annumerarunt hic Imperiales, ſive Joachimicos Daleros quinquaginta. Id Britannicâ monetâ tantum eſſe, ac dixi, cognovi ex præfecto negotiationis Anglicanæ qui Delphis in aulâ agit. Atque idem mihi Dubletius & alii affir-

affirmârunt. Nam ut aliis, ſine damno meo gratificari ſum paratiſſimus, ita iniquum eſt, ut beneficentia mea ſit fraudi mihi. Scripſi de re tota ad Clariſſimum Caſaubonum. Literas eas incluſi iis quas nunc mitto. Tu poſtquam eas legeris obſignabis, & amiciſſimo viro mittes, nec ubi pecuniolæ hoc acceperis, propterea te in libris emendis inſumere univerſam velim, aut partem meliorem. Satis ſit ſi iſtis ſacri ſtudii initiis Anglicana evolvas Biblia, aſſiduèque rumines tum Linguæ cauſa, tum imprimis ob argumentum divinum. Quamquam non impedio ſi unum, alterum, tertium ſcriptorem addas eadem Lingua. Sed per nimiam copiam diffundere te non debes. Scis illud Senecæ, Qui ubique eſt, nuſquam eſt. Habes ornatiſſimum & amiciſſimum Hallum, habes alios, quorum ex conſilio ſtudia hæc poſſis componere. Nec penitus iccirco ventis tradi velim, quæ in Medicina vel Juris ſtudio hauſeris. Multis & miris caſibus obnoxia eſt vita humana. Forte ab alterutro eorum quandoque tibi vel honos ſurget, vel erit unde tueri vitam cogaris. Scis optime quomodo ego poſtquam fœda illa tempeſtas noſtram concuſſit Belgicam, nunc ſacra nunc externa ſtudia ſim profeſſus. Male mihi fuiſſet niſi fuiſſem, quod ait ille, in utrumque paratus. Interim ſacra potiſſimum cordi ſunto. Studiis cæteris nihil ſi ſacra exceperis, dulcius eſt: ſacris verò nihil etiam auguſtius. Non ſunt beati qui ſuper aurum & gemmas calcant: ſed ſunt beati qui mente piâ ac devotâ Verbum Dei legunt ac relegunt, unde & Religioſos vocari arbitrantur nonnulli. Nihil illo melius habet orbis, quippe auro magis aureum eſt, gemmis magis gemmeum. Sed fruſtra in eo evolvendo eris, niſi Spiritus Domini te dirigat. Hunc expoſce à Deo & impetrabis. Nos etiam aſſiduè pro te vota faciemus. Vale, chariſſime fili, & quos hactenus ſalutare literis meis juſſi, iis iterum meo nomine plurimam ſalutem dicito.

Lugduni Batav.
cIↃ IↃ c xxx.
Pr. Non. Majas.

*Tum natura & affectu Pater,*

G. J. VOSSIUS.

## CLXI.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Lætitiam illi ſuam conteſtatur, quòd Cancellarii dignitatem in Oxonienſi Academia Londinenſis obtinuerit Epiſcopus, de advocando Lugdunum Salmaſio conſilium aperit Procerum. Quid de pecuniâ è Cantuarienſis Canonicatus præbenda fieri velit, diſponit.*

MAximæ mihi voluptati fuit, Præſtantiſſime Caſaubone, quòd proximis mihi diebus retulit hic amicus Anglus, Mecænatem noſtrum, Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Londinenſem factum eſſe Oxonienſis Academiæ Cancellarium. O utinam vera audierim! Decretum eapropter Hagam excurrere cras vel perendie, ut certiora cognoſcam. Quod ſi vera nunciant, mihi quidem gaudebo, & ſummo viro gratulabor, cui hæc honoris acceſſio facta ſit; ſed magis gratulabor publico & Oxonienſibus; quibus hâc turbidâ tempeſtate, quæ Reformatas Eccleſias uſque adeo concutit, tam cordatus atque idoneus obtigerit gubernator. Oratoriæ tandem ſunt abſolutæ. Miſiſſem nunc & Venerabili Domino Decano, & tibi exemplar: ſed occaſio deerat: quæ ſimulac ſe obtulerit, non patiar eam effluere. Jam ejus mihi ſpem fecit quidam, qui vel ipſe in Britanniam proficiſci parat; vel ſaltem mercimonia ſua in Angliam tranſmittit. Academiæ noſtræ Curatores cogitant de advocando huc Clariſſimo Salmaſio; idque ut eo hic loco ſit quo magnus olim Scaliger fuit. Faveo viro utroque quod dicitur pollice: etſi non ignorem, aliud optare amicum noſtrum qui eum ſibi honorem potius deberi arbitratur. Ecquid effecturus ſit apud noſtros difficile ſit dicere. Sed poſt unam alteram hebdomadem (ni fallor) exploratiùs aliquid perſcribam. De Pharnabuka, Braſiliæ metropoli à Batavis capta, jam ſine dubio rem omnem intellexeris. Quare operæ in ea narranda parcam. Deus faxit, ut victoria hæc illis in terris plures alias ſecum trahat. Certè magna ejus rei fiducia tenet noſtros. Nec alius eſt modus, quo magis Hiſpano incommodare poſſimus. Sanè, maximus ille Paulus Servita apud Venetos ita ſemper dictabat, Non eſſe meliorem viam ac rationem infringendi vires Hiſpanorum, quàm ſi Batavi Americam infeſtent. Parum illud hoſti nocere, ſi in Belgica pauca ei eripiamus oppida. Palmarium fore, ſi eum ejiciamus terris iſtis unde illi opes, nervus belli. Vellem idem animus fortiſſimæ Britannorum genti foret. Jure enim non Rebuspublicis modò, ſed etiam Regnis omnibus ſuſpecta eſſe debet nimia Auſtriacæ domus potentia. Necdum perſcripſi quid fieri velim pecuniâ, quæ Regiâ benignitate mihi è Cantuarienſi Præbenda cedit, primo hujus anni trimeſtri. Velim autem inde filio Joanni annumerari libras Sterlingicas octo & dimidiam: undecim verò & dimidiam Nabradio Ungaro, Theologiæ apud Oxonienſes ſtudioſo: Uterque ea de re ad te perſcribet. Reſiduas libras quinque aſſervari à te velim, uſque dum alteras literas miſero. Rogo præterea, certiorem me facias, quo tempore exſpirant primum trimeſtre, ut deinceps in apochis eum addam. Quod ſi non bene concepero formulam apochæ, per literas mone. Video quàm tibi moleſtus eſſe cogar. Utinam gratum teſtari aliquando animum poſſim. Operam quidem dabo. Vale vir atque amice ſumme, meoque nomine plurimùm ſaluta venerabilem Dominum Decanum, & univerſum Collegium noſtrum. Reverendus Dominus Rivetus plurimam ſalutem tibi adſcribi petiit; uti & Clariſſimus Heinſius, cui me ſcripturum ad te dixeram. Idem ſe notas ſuas in Horatium ad te miſſurum recepit.

Lugd. Bat. cIↃ IↃ c xxx.
Pridie Nonas Majas.
Nocte intempeſta.

## CLXII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo.

*Epiſtola familiaris.*

*Conjunctiſſime Affinis,*

LIteras hâſce Doctoris Wrenn, primâ quaque occaſione ad te mitto, ne per me ſtetiſſe dicatur, quominus jucundiſſimæ conſuetudinis mutua officia ſcribendo excitetis. Videtur is meliora de Johanne noſtro ſperare, ut & Michaël iſte, qui Comiti noſtro à ſacris eſt; fuit hic jam nuper Cantabrigiæ, & reverſus animum meum optimâ ſpe implevit. Aliud longè ſentiunt alii: ſed mihi hactenus excurrere eò, non fuit integrum; quandoquidem poſt meum è Belgio adventum, præter crebra in vicinos nobis tractus itinera, longo quoque ac permoleſto itinere, Comitem unà cum liberis, in Salopienſem agrum proficiſcentem, proſecutus eſt. Dumque revertimur, diem unum in Oxonienſi urbe, ad deponendam laſſitudinem, ex itinere hyberno contractam, ſubſtitimus. Ibi ſingularem Bibliothecarii humanitatem expertus; non ſine ubertimis ad te literis abiiſſem, ſi Rever. Armachenſis Epiſcopus, conſilii ſui rationem, de Mariano Scoto, per literas aperuiſſet: ſperat tamen Dominus Rous fore, ut brevi te de Primatis Hyberniæ, ſuper ea re animo certiorem faciat. Oſtendit mihi etiamnum hodiè Doctoris Uſherii literas, Nobiliſſimus

Eques Henricus Boucherius, in quibus Rev. Antiſtes dolet, ſibi nihil prorſus de tuo in Britanniam adventu conſtitiſſe. Addit ſe Rev. Epiſcopum Londinenſem, per literas conſuluiſſe, an non ſpes aliqua relicta ſit, pertrahendi te in haſce partes; & alia multa huc ſpectantia, quæ referre ſingula ſuperſedeo. D. Seldenus, D. Boucherius, Patricius Junius, D. Boſwellus, & quotquot hic ſunt literati, unicè tibi commendari optant. Petræus noſter ſcire avet, an unquam videris Theodoretum, de Vitis Sanctorum, quem manuſc. è Græcia advexit, fac ſciamus, an te judice prelo dignus. Alia ſunt de quibus agerem, ſi per præcipitem, quâ urgeor, feſtinationem liceret. Nunc tantùm addo, nihil mihi gratiùs obtingere poſſe, quàm ut te, tuoſque omnes, proſperâ uti valetudine intelligam. Vale.

Raptim, Anno 1630. 6 Maji, St. veter. in ædib. Arundelianis.

*Tuus omni officio,*

F.F.F. JUNIUS.

Literas ad te, unà cum libris, ad cognatos, & filios jamdudum miſi: ſpero rectè perlatos.

---

## CLXIII.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Certiorem eum facit de commutata profeſſione Lugdunenſi cum Amſtelodamenſi Denarium ejus Pythagoricum prodiiſſe ſignificat. Pro tranſmiſſis donis literariis gratias agit. De Heinſii hiſtoria rerum geſtarum ad Sylvam-Ducis judicium fert. Denique hortatur illum ut tot aurea ſua ſcripta in lucem publicam porrò protrahat.*

NOn ſoli vivunt Gomarus & Meurſius, qui Danæi aliorumque exemplo, Lugdunenſem Scholam alia commutarint. Nam iis ille ego Voſſius tuus acceſſi, qui Amſtelodamum commigravi, atque ibi hæc nunc ſcribo. Miraris ſcio. Nec ſane id ego unquam fore antehac credidiſſem. Nimirum multa homini inopinato obtingere videmus occaſionem, ſcio, & cauſam conſilii ejus aves cognoſcere. Jamdiu eſt, quod Amſtelodamenſes vident, quanto cum periculo ſe liberoſque ſuos exponant, dum cariſſima pignora, priuſquam vitæ modum ſciant, mittunt Lugdunum, ubi licentia indies gliſcit. Sane paucis abhinc annis plures commiſſæ cædes, quam multo plurimis antehac. Ulceri huic Chironio non aliter medicinam ſe facere poſſe, judicarunt, quam ſi Profeſſores aliquot alerent publicè. Atque ego, & Barlæus, idonei viſi ſumus, à quibus Profeſſionis primordia ducerentur. Idem labor ac honos mihi in illuſtri hac Schola futurus, ac Lugduni: Sed ſtipendium prope altera parte majus. Præterquam enim, quod luculentam domum aſſignarunt, annuos numerabunt bis mille florenos, & quingentos. Ad hæc me meoſque ſpe non unâ implerunt. Nec fallent, ſcio, qui jam affectum exerere cœperunt erga filium meum Franciſcum, urbis ſuæ Advocatum. Sed Leidenſes magnopere huic inſtituto refragantur. Contendunt hos adverſari urbis ſuæ Privilegiis. Quin & Illuſtrium Ordinum conſeſſu comminati fuere, ſi Amſtelodamenſes perſiſtant in propoſito, nolle ſe quicquam in poſterum ad bellum conferre. Tandem inter Proceres harum urbium convenit, ut Curia utraque Hagenſis, rebus expenſis, intra menſem ſtatuat de mente verborum, quibus Leidenſe Privilegium concipitur. Intereà Amſtelodami à publicis Lectionibus abſtinebitur. Nihil pericli eſt, ne adverſus eos ſententia feratur, qui hactenus vocati. De Juriſprudentia verò & Medicina, ac imprimis Theologia, operoſior fuerit diſquiſitio. Sed negant Amſtelodamenſes de eo diſputari debere, priuſquam aliquos ad eas profitendas vocarint: Prodiit tandem Denarius tuus Pythagoricus. Ac decem ejus exemplaria mitto, idque ex xxv. quot ægerrime exſculpere potuit ab Euclione illo, qui edidit. Ex reſiduis duo mihi reſervavi. Unum Venetias miſi ad Molinum: alterum Lovanium ad Puteanum. Præterea exemplar, uti juſſeras, dedi Mylio, Riveto, Cunæo, Voſtio, Heinſio, Barlæo, Scriverio, Buchelio, & præterea tribus aut quatuor aliis in dignitate conſtitutis. Sed tamen plura ſi expoſces, non ſinam ea à te requiri. Mitto & Epiſtolas quatuor Canonicas Syriacè ab Elzevirio excuſas venuſtiſſimis typis, una cum interpretatione & Notis doctiſſimi Pocockii Angli, qui hocce anno in Syriam profectus. Cur noluerim te hoc opuſculo carere, nihil æque in cauſâ eſt, quam quod mihi fuerit dicatum. Pro Hiſtoria tua Danica gratias ago ſummas: uti & pro Ælnotho Monacho. Scis, quam mihi illa omnia ſint accepta, quæ ad Hiſtoriam noviſſimæ etiam antiquitatis pertinent. Quanto magis jucunda ſint, ſi tuo prodeunt beneficio & cura? Attamen magis Hiſtoria me Danica oblectavit; tanto nempe magis, quanto illa plus tibi debet. Dictio mirè placet; candida eſt & terſa, penituſque Romana. Adhæc perſpicua planè, quod ego in magna laude pono. Vellem ab hac parte tam felix eſſet Heinſius in ſua Sylva-Ducis. Opus eſt quidem elaboratum, & in quo multa ſint ingenii lumina, ac doctrinæ: ſed dum Tacitum ſe æmulari putat, ac τῦ παλαιῦ nomen affectat, dictio ejus ſæpe nativum illud deperdit, inque obſcuritatem tantam incidit, ut crebro nec à ſagaciſſimis & prudentiſſimis viris intelligatur. Quibus tamen Tacitus & veterum alii ſatis ſint plani & aperti. Hæc non mei unius ſententia eſt, ſed pene omnium, qui non palpum ei obtrudunt. Quod familiariter ad te ſcribere non dubitavi, pro neceſſitudine amicitiæ noſtræ. Idque eo lubentius, ut ſcias, occaſione hac à multis prædicari, quæ de Auriaco Principe, atque induciis ſcripſiſti. Et ſcio magis eſſe prædicaturos, ubi Danicam tuam Hiſtoriam legerint, quæ pauciſſimis adhuc viſa eſt. In Heinſiano illo Commentario, quem dixi, quædam etiam Generales Ordines & alios in dignitate conſtitutos, offenderunt. Itaque abſque Beaumontio fuiſſet, vix etiam cum quædam juſſiſſet recudi, privilegium ab Ordinibus fuiſſet conſecutus. Omnino multum & ſudandum fuit, & tamen ne ſic quidem ſatisfecit: jure ne an injuria non diſputo. Tu vero hanc partem literarum cum legeris, litura una obduces: vel totam epiſtolam conſcindes. Nihil enim attinet alios poſthæc ſcire, quæ ſcriptitamus liberè inter nos. Nondum dicere poſſim, quando futurum ſit, ut Rutgerſii τῦ μακαρίτε Bibliotheca auctione diſtrahatur. Promiſerat Heinſius id fore ante Paſchales ferias. Sed illæ jam elapſæ, nec certi ex eo quicquam potui adhuc cognoſcere. Interim ſpopondit, non alteri ceſſuros libros, quos petiiſti, ne quidem, ſi juſto majus pretium offeratur. Suaneburgio nemo hactenus in profeſſione ſurrogatus. Ambiunt id munus Hupertius advocatus, Bronchorſtius, Voſtius junior, Vinnius & Cavellarius. Juriſconſultus veſtras, quem mihi per literas commendâras, longe mihi tua cauſa, & ob eximiam probitatem gratiſſimus fuit. Utinam verò etiam affectum oſtendere liceret erga filium incomparabilis Herois Oliveri Roſencrantzii: Sed de ejus adventu nihil hactenus intellexi. Nec eas videre literas contigit, quas per eum miſiſſe te ſcribis. Suſpicor in aliam prius Academiam conferre ſe voluiſſe, priuſquam ad Batavos proficiſceretur. Ubi venerit, non ſinam te quicquam in me deſiderare. Omnino propter magnitudinem Herois omnia officia ejus filio præſtabo. Simul etiam propter commendationem tuam. Alterutrum horum ſufficeret; nunc et concurrunt, quorum ſingula per ſe ſatis ponderis haberent. Solonem tuum videre aveo. Quæſo quomodocunque potius tua ede, quam ut diutius ea cum blattis & tineis rixentur. Nihil æque mihi dolet, quam quod non te ſolum carere cogat, ſed tamdiu etiam careamus tot aureis monumentis tuis. Cognoſcere deſidero, annon brevi, vel anno ſaltem hoc, decreveris inviſere tuos in Batavia. Jam biennium eſt quod ſic receperas. Sed hactenus ſpe vana lactaſti.

Ubi

Ubi Amſtelodamum acceſſeris, apud quem divertere cum tuis debeas, fruſtra ſcribam. Ea enim eſt amicitia noſtra, ut liquido illa tibi ſatis præſcribat. Salutat tuam uxorem uxor mea, filiam filia, imo omnes nos vos omnes. Etiam Clariſſimis Collegis tuis, præcipuè Laurenbergio & Stephanio, plurimam meo nomine ſalutem dicito.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxx. iv Id. Majas.

*Tuus ex aſſe,*

G. J. Vossius.

## CLXIV.

*Quid exemplaribus Pythagorici ſui Denarii fieri velit, diſponit. Acre de Salmaſio judicium inſpergit. Hiſtoriam trium Daniæ Regum, Hafniæ à ſe editam proximè miſſurum promittit.*

*Amice præſtantiſſime,*

Literas tuas tam quas poſtridie Kalend. Majas, per Mercatorem Slagloſienſem, quàm quas vi Id. Junii per Davidem Gulielmum ad me dediſti, rectè accepi. In illis, pariter atque in iſtis, video affectum, & exoſculor: quem ut ſempiternum in me eſſe velis, id te rogo, etſi nullo modo dubito. In prioribus, magnas nimis gratias agis, pro re ſanè non tam magnâ: ſed eſt amor, qui exaggerat, & ex muſca tibi elephantem facit; tamen abeam à vero, ſi id mihi majorem in modum gratum negem: item illud, quod ſpem facis, brevi hunc libellum noſtrum editum iri. Ubi id autem factum fuerit, mitte mihi exemplaria compacta decem, & incompacta alia totidem: pretium compactionis, & ab affine, Eccleſiaſte Waſſenaenſi, repetes. Mittes verò Amſtelodamum, ad Joannem Janſonium: qui rectè ad me curabit. Exemplar quoque Hagam unum mittas cenſeo, ad Dominum Mylium, communem amicum. Dabis quoque Riveto, Cunæo, Heinſio, Vorſtio, Barlæo, & Scriverio. In Italiam duo mittes, Illuſtriſſimo Molino, & Franciſco Mariæ; in Angliam quatuor, Spelmanno, Junio, Critonio, Pettæo; in Galliam, Grotio; de Salmaſio, facies tuo arbitratu atque nomine: nam in illo certè viro, ut libenter diffuſiſſimam lectionem, ac doctrinam ſingularem, æſtimo pariter, prædicoque, ſic modeſtiam, & candorem, merito deſiderare mihi videor: ubique ſedulo cavet, ne me nominet, etiam ubi deberet; taxet verò quamlibet ſuppreſſo nomine, ubicumque ſe occaſionem nactum eſſe putet. Ego tamen, uti fert ingenium meum, ejus mentionem honeſtam pridem feci, libro de Ludis Græcorum, pag. 35. Et tuam fidem an non jure & judicium requiro; cum tam multa ubique inculcet, collo etiam obtorto adducta, loco admodum alieno? Adde quod ineptum ſatis, cùm Solinum nobis edat, & in illum commentari propoſuerit, opus totum quod cum Plinio eum auctorem contuliſſet, Exercitationes Plinianas dicere. Quis doctorum ad hoc tempus in hunc modum commentationum inſtituit? Modeſtiam verò itidem me deſiderare jure exiſtimo; nam ſi qui ſeorſim ſentiant, hos nugari, nugas agere, ridiculè agere, ineptè agere judex iſte ſine ſuffragio pronuntiat; ſententiæ ſuæ, ſæpe etiam minus rectæ, nimis pertinax defenſor. Ego nunc Hiſtoriam trium Daniæ Regum edo Hafniæ, impellentibus viris aliquot Primatibus; qui ut me ac mea, amant æſtimantque, ſic vulgari ſpecimen iſtud operæ meæ plane cupiunt. Ubi Typographus abſolverit, mittam exemplar. Probaſſe ſe tibi Erniſium noſtrum, eſt quod gaudeam; gratiaſque magnas ago, quod poſueris tantum pretii commendationi meæ: ego paria ſum facturus, ſicut amicitiâ noſtrâ dignum puto, ſi quem unquam huc euntem commendabis. Mira retulit, qui has adfert, Jacobus Marci, agere nunc Amſtelodami Utenbogardum, Grevinchovium, & Epiſcopium: ac præterea, urbis ejus magiſtratum Scholam quandam illuſtrem erigere, ac Barlæum illuc ad Profeſſionem ampliſſimo ſtipendio advocâſſe. Sed tu nullum de his verbum: fac me, quæſo, proximè certiorem. Doleo diſſidia Patriæ, & concordiam tandem conſtitutam optem. Vale, amiciſſimum caput. Uxor mea te, tuamque ſalutat plurimum, liberi, viciſſim tuos & filiam imprimis filia. Vorſtii literæ gratiſſimæ fuerunt: atque reſcripſiſſem ipſi, niſi Jacobus Marci noſter feſtinatione ſuâ voluntatem impediſſet. Fiet proximè: interim ſalvere multùm ex animo jubeo. Salveant quoque viri alii amiciſſimi & clariſſimi, Rivetus, Cunæus, Heinſius, Barlæus, & Scriverius; qui & ipſe hactenus in Vorſtianum modum ſilet. Ejus quoque ſi potes veternum excita. Facit rem indignam amicitiâ noſtrâ. Iterum vale.

Soræ, ad diem xxi Junii, cIↃ IↃ c xxx.

*Tuus ex animo,*

Joannes Meursius.

## CLXV.

## Merico Caſaubono.

*Excuſat ſilentium. Teſtatur lætitiam ſuam, quòd Britanniæ Rex prole maſcula fuerit auctus. In edendis Parentis literis Typographum tricari, ait. Oratorias recuſas inſtitutiones ut teſſeram amicitiæ offert.*

Quanquam, mi Caſaubone, coram abundè perſpexi ſummum erga me amorem tuum, jucundiſſimum nihilominus fuit videre eundem tantopere ſpirantem in literis tuis. Solùm dolui ob dolorem quem conceperas ex diutina in ſcribendo ceſſatione mea. Nec poſſum me ab omni omnino culpa immunem dicere. Sed quædam tamen non leviter eam imminuunt. Illud maxime, quod affinis Junius, quem ſine literis meis dimittere nefas putaſſem, occaſione quâdam ſubitâ præter opinionem & ſuam & noſtram receſſit. Vix abierat ille, cùm valetudo uxoris pejor pejorque eſſe cœpit. Erat tum quidam apud nos, qui ſe propediem in Angliam iturum diceret. Sed totum menſem & ultra me eluſit. Sed hæc fuere; quodque peccatum Lethæo poculo mergere debebis. Mihi perſtat animus quantæcunque deinceps fuerint occupationes, non illis tantum in me imperii permittere, ut non crebras ad te literas dem. Id non modo expoſcunt præclaræ illæ animi dotes tuæ, ſed etiam conjunctio ſtudiorum, ac quod collegæ & fratres ſumus dignatione Dei & Regis atque opera communis Mecænatis. Quod ipſum etiam (ni fallor) aliquanto nos arctius conjunxit. Sereniſſimum Regem prole auctum gaudeo, & maſcula quidem, quæ vere ἔρυμα δώμασι, ut Euripides dicebat de liberis Regiis. Non legiones, non claſſes æque firma imperii munimenta, ut Tacitus monet. Quare ſpero fore ut ſiqui forte nova anhelarint, nunc ad officium redeant. Literæ incomparabilis viri Parentis tui necdum prælo ſubjectæ. Videtur Typographus intricari. Meurſius è Sorana Danorum Academia miſit aliquot Epiſtolas ad ſe exaratas, quas addi petit. Jam menſis eſt quod Oratoriæ meæ recuſæ ſint. Eadem quædam exemplaria ante tres hebdomadas miſi in Angliam ad affinem Junium, qui in ædibus Illuſtris Comitis Arondelii agit. Horum unum Reverendo Domino Decano, alterum ut tibi detur, mandavi poſtremis literis. Vellem non ejuſmodi munuſculo, ſed aliâ ratione, affectum erga collegas meos teſtari potuiſſem. Sed id, ut fiat, operam dabo. Tempus ſolum requiro. Scis enim non eſſe me, non auſim dicere ἐκ τῶν ἀκεσθέντων, attamen neque ἐκ τῶν ἱμέντων. Heinſius totus eſt in ſcribenda Hiſtoria eorum, quæ ſuperiori anno Batavi terrâ marique geſſerunt: præſertim iis quæ ad obſidionem Sylvæ-Ducis pertinent. Obiit ex Profeſſoribus Juris Swaneburgius, vir ſuarum rerum intelligentiſſimus, ſed qui ſcribendo nullum ſibi nomen parārit. Eò magis penes Cl. Cunæum deinceps Juridicæ facultatis honos ſtabit. Scire aveo quo loco ſint res Seldeni, num

eodem an meliori. Jam prope trimeſtre eſt, quod per literas petii ut Nabradio Ungaro annumerarentur libræ Sterlingicæ undecim cum dimidia. Quas ſi necdum accepit, quæſo ne diutius ea res differatur. Scrupulum illud injicit quod, ut ex popularibus ejus intelligo, domicilium peſtilentiæ cauſa mutavit. Quare fieri poſſit ut aberrarint literæ, quæ ejus negotii cauſa miſſæ ad illum fuerant. Poſtulâram etiam ut filio Joanni de meo dentur libræ Sterlingicæ octo cum dimidia: quamquam nec repugnem, ſi inde fiant libræ decem. Puto enim ob peſtilentiam graſſantem pluribus egere. Quia verò tardè adeo literæ procurantur, pleræque etiam intercidunt, rectè me facturum putavi, ſi tribus ad te verbis perſcriberem quid in rebus ejus fieri velim. Cum in Anglia eſſem ex pluribus cognovi, ſufficere ſi ei quotannis annumerentur de meo libræ Sterlingicæ quindecim vel ſummum viginti. Quare placet ut trimeſtri quolibet de meo detrahantur libræ Sterlingicæ quatuor vel ſummum quinque, niſi θεῖόν τι obvenerit, quod in hoc morbo epidemico paulo aliam inire rationem cogat. Quod ad reſiduas libras xx. eas trimeſtri quoque accipiet Ackerius mercator Belga qui Londini agit. Temporis anguſtia non ſinebat, ut ad eum nunc literas dârem, ſed fiet illud poſt paucos dies. Eas poſtquam ad te miſerit, quæſo effice ut pecuniæ illi numerentur. Ego cum damno non ita magno ab eo recipiam qui hic negotia ejus procurat. Quod ſi meliorem viam ſcias, fac me certiorem. Vale, amiciſſime Caſaubone, & à me, uxore, & meis ſalve, una cum lectiſſima uxore, ac plurimum etiam ſaluta Reverendum Dom. Decanum ac venerabile fratrum noſtrorum Collegium.

Lugd. Bat. cIↄIↄcxxx.
xx. Julii. Stilo novo.
*Ταχίστα*, nocte intempeſta.

*Tuus tuo merito*,

G. J. Vossius.

CLXVI.

## Joanni Voſſio,

*Dehortatur à deſultorio ſtudiorum genere, & ut in uno animum defigat paternè monet, diligentiamque excitare ſtudet.*

*Chariſſime fili*,

QUas per ornatiſſimum Maderazi Ungarum literas miſeras, accepi xix. Julii; florenos xxi. quos ab eo mutuo ſumpſeras reſtitui. Valere te gaudeo, præſertim hoc tempore, quo ut ex aliis etiam intelligo peſtilentia uſque adeo apud vos graſſatur. Tuum erit ſedulo habere rationem valetudinis tuæ, ac quibuſdam etiam amuletis uti, quemadmodum hic facere ſolemus cum morbus idem dominatur. Hagæ plurimæ illo domus ſunt infectæ; nec pauci jam deceſſere ex eo, ſed ferè ex fæce vulgi. Quod ſi contagio hæc latius ibi ſerpſerit, revocabo huc Franciſcum noſtrum. Quanquam neque hac in urbe plane ab ea immunes ſimus. Sed hactenus malum illud intra pauxillas ædes conſiſtit. Ubique ſumus in manu Domini: qui dabit quod erit ſalutare. Interea lætor Collegium veſtrum longius abeſſe ab urbe; adeoque illud ſpacioſum eſſe ac loco ſitum ſalubri. Non mediocriter me excruciat, quod te videam tam parum tuâ ſorte eſſe contentum, planeque etiam metuere ne omnem vitam ſic conſumere cogaris. Mihi longè alia ſpes, atque adeo fiducia, dummodo omnes nervos contendas, uti recepiſti. De ſtudiorum genere tui rem omnem arbitrii feci. Non quaſi deſultorium vitæ genus amem, ſed propter Poëtæ illud,

*Tu nihil invita dices facieſve Minerva.*

Hæc ſola res fecit, ut Medicinæ te paterer valedicere: etſi rationes eſſent parum validæ quibus ut ei renuntiares, compelli te ajebas: idque eo tempore cum intra menſes paucos ſummam te lauream conſequi poſſe exiſtumarem. Sæpe damnavi hanc felicitatem meam: Sed quid facerem, cum quanto ego magis adhortarer, tanto tu magis abhorreres? Poſtquam permiſi ut vel ad Juriſprudentiam, vel ad Theologiam animum appelleres; tamen nunc quoque mihi videris animo fluctuare, cùm tamen brevi temporis ſpatio, & hoc & illud abſolvi poſſit; dum ne tu laborem ullum metuas, ſine quo nihil præclari unquam conſequeris. Non deerunt tibi in Britannia fautores, dummodo ne indignum favore te præſtes. Et ſi ceſſaret Britannia, haberent tui rationem amici in Batavia, qui te aliquod ad munus revocarent, in quo te patriæ & tuis ornamento fore putarent. Nunc quid faciamus, num idoneus ſis ut in Academia, vel Schola quapiam illuſtri profitearis vel Linguam, vel Matheſin, vel Philoſophiam, vel facultatem Juridicam, aut Medicam aut Sacram? Prope omnium guſtum habes: ſed in uno animum defigi opus fuit: quod quia factum non eſt, fieri deinceps oportet, ut videamus ecquid hic pro te poſſimus. Fortaſſe malis tui rationem haberi extra Academiam. At in quo, ut urbis ſis Medicus, an ut ejus Advocatus? ad neutrum ſatis es paratus. Longeque minus (niſi fallor) ad Sacrum miniſterium. Quæ cum ita ſint, excitare pectus tuum debes, ut ne indignus ſis cujus vel in Britannia, vel apud nos ratio habeatur. Facilius mihi erit ſacra mea omnia, ut loquuntur, commovere, ad te per amicos juvandum, quàm tibi præſtare aliquid egregio favore dignum. Tantum animum intende. Dimidium facti, qui cœpit, habet. Sapere aude, ut bene monet Horatius: Aude, aude, mi fili, contemnere voluptatem, amareque laborem, quem tu ſi amâbis, non diu querulis literis erit opus; præſertim me vivo, cujus cauſa multi aliquid velint. Non dubito quin jam à Clariſſimo Caſaubono acceperis eam pecuniam de qua ſcripſeram. Neque tu modò, ſed etiam Nabradius Ungarus. Quanquam is jam non amplius Oxonii, ſed (ut puto) Londini vivit. Deſidero ſcire quomodo jam ſtudia componas tua, & an eos tibi fructus capere videaris, quorum minime pœniteat. Ex cognatis (ut aliquid de aliis rebus hiſce literis appingam) nupſit ſuperiori hebdomade Antonina Corputia. Viviano nomen eſt novo marito. Vir eſt ut non ineruditus, ita & nobilis & honeſtus & prædives. Eoque hæc fœlicior ſororibus licet natu minima, videatur. Conviviali feſto etiam interfuit frater tuus Franciſcus: ſi non ob arctam ſanguinis conjunctionem, at quia illi ſponſæque eadem mater, non quæ illos pepererat, ſed ut cum Plauto dicam, quæ mammam dabat. Sutandyburgii defuncti locum in Cathedra ambiunt Vinnius rector Scholæ Hagienſis, Cabeliavius Epiſtolarum editor, quas tamen an videris neſcio, Bronchorſtius Hubertius, is qui novam Pſalmorum Paraphraſin vel Metaphraſin potius procudit, & Vorſtius junior. O utinam eos feciſſes progreſſus, ut inter eos nomen numeretur tuum, aut pro te liceret ambire. Non deeſſet animus fratri Franciſco ad eum prenſandum. Sed diſſuaſi; neque hoc alia de cauſa quam quia ob ætatem immaturus videretur. Abſque ea eſſet, calcar addidiſſem. Nec fortaſſe deeſſent fautores. Utinam paria de te liceat dicere. Sed ſpero brevi id licebit. Volo enim vos in ſtudio virtutis pariter decurrere, ſive eodem illud ſive diverſi generis ſtudio fiat. Vos certate inter vos; ego applaudam victori. Similiter committere Matthæum cum Dionyſio velim: & Gerardum cum Iſaaco:

—— καλὴ ἔρις ἥδε βροτοῖσι·

Ut eſt apud vatem Aſcræum. Commiſſa eſt non longè à Veſalia pugna, inter noſtros & hoſtis militem. Utrimque cecidere non pauci, ſed penes noſtros victoria fuit. Qui & captivum & triplici vulnere ſaucium adduxere Veſaliam Joannem Naſſiorium copiarum præfectum. Rumor hic eſt ex Mercatorum literis ortus, Mexicanam urbem undis eſſe abſumptam. Urbs ea in paludibus ſita: ut multa aggerum cura opus fuerit adverſus aquarum periculum; in quo dum qui pro Rege erat negligentior eſt, pecuniaſque eo fine erogatas in proprium transferre commodum non veretur, atrox hoc infortunium Hiſpano evenit, ſi vera eſt fama: de qua certiora propediem ſciemus. Obiit ante ſeſqui-

menſem Dordrechti Anna Mylia Balthazaris Lydii vidua: obiit & Bremæ ante duas vel tres hebdomadas amicus meus ſummus, Matthias Martinius, is qui uxorem depopoſcerat uxoris meæ fratriam: ſed voti compos factus non eſt, diſſuadente Fr. Gomaro qui eum dicebat *ἀρμινιανίζειν*, imo in eorum caſtra planè abiiſſe. Verene an ſecus non diſputo. Cum quotidie tot mortes intelligamus, ſemper cogitare nos oportet de noviſſimis: ut quando hora extrema ſupervenerit, fatalem illum ictum forti accipiamus animo, memores vitam nobis non mancupio, ſed uſu datam eſſe, *χρήσει, οὐ κτήσει*, ut dicunt Græci. Quare non diutius velle vivere debemus, quam viſum erit Deo & Chriſto. In hoc fiduciâ firmâ recumbamus, mi fili. Dabit ille nobis quod expedit nobis. Salutem tibi dicunt mater, fratres, ſorores.

Lugd. Bat. CIↃ IↃCXXX. XXI. Julii.

*Tuus natura & affectu Pater,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CLXVII.

### Salutem in Chriſto.

*Ad ternas ejus epiſtolas familiariter reſpondet.*

LIteræ tuæ tres numero (Vir Clariſſ.) manus meas utraſque implevere, à quo te vel coram, vel per literas ſalutavi. Et pudet, & doleo. Amor tamen tuus, quo me frui geſtio, facile huic tarditati veniam dabit, præſertim quum res meæ tibi innotuerint. Literæ enim tuæ noviſſimæ datæ ſunt 14 *Feb.* 1630. quo tempore ego minus firmâ valetudine reſponſum nec illis, nec prioribus potui aptare. Nam poſt diſceſſum tuum, Feſto Nativitatis Domini noſtri inſtante, etſi relapſus in febrem non contigit, neſcio quomodo tamen turbata natura me iterum periclitantem vidit. Et quid per hæc potuit (cum Hilario loquor) limoſi corporis gravis anima?

Feſto Paſchatis ſequente (quod ut noſti incidebat hoc anno in 28 Martii) confirmatior accedentem, & aſcendentem ſolem aſpexi, & me paulatim negotiis & Aulæ & Eccleſiæ immiſcui. Fretus tamen multo magis Deo & tempore anni, quam propriis viribus. Exinde Feſto finito, Deo ſic diſponente, negotia undique me obruebant. Certè primò non ſine metu mei & meorum, ſed poſtea ſub mole illa, quâ vix major mihi unquam incubuit, crevere vires, & miſericordiam ampliante Deo priſtinam adeptus ſum valetudinem. Semper tamen excipio tendonem fractum.

Hodie primum exui paululum negotia. Et hoc Juſtitio dum fruor te imprimis ſalutare cura fuit. Salvus itaque ſis mihi chariſſime, & à lævo recipias quicquid adhuc amplius te & ſtudia & familiam tuam beare poſſit.

Ad literas quod attinet. Primæ diſceſſum tuum tantum repetunt, & quam carus fuiſti confratribus tuis Cantuarienſibus. Gratias ego egi nonnullis eorum quos vidiſſe contigit, & nomine tuo. Sic illic omnia certa, & ſpero tibi grata ſunt. Filius tuus Johannes dum redit Londinum non multos poſt dies me inviſebat. Claudicabat, ſed paululum, & tum quoque magna ſpes claudicationem illam non fore diuturnam. Ab illo tempore eum non vidi, ſtudiis ſpero intentum. At ubi loci nunc ſit non dubito quin ipſe te certiorem fecerit, & quam graviter Cantabrigia peſte laborat. Morbus ille à vobis, militibus quibuſdam redeuntibus, tranſmiſſus.

Literæ tuæ quæ his ſuccedebant felices nunciæ fuerunt ſalvi & ſoſpitis reditus tui in Patriam. Gaudio id certe magno mihi ceſſit, utpote cui ſanitas tua, & vita in longum protracta in uſum Eccleſiæ, in primis votis ſit. Facile credo fuiſſe non paucos qui tibi reditum gratularentur, quam diſpari animo ipſi viderint. Sat ſcio quales inter vos amicos habeant qui Poteſtatis Regiæ, & veteris Eccleſiæ cultores quoquo modo exiſtunt. Si cordatioribus exemiſti ſcrupulum, illud perbene: qui Tribunum olent ad populum refero; curet ſcilicet qui vult. Me non nominant literæ illæ, ſed ſatis intelligo, & multum rideo inſaniam.

Promittis hic Inſtitutiones Oratorias. Et eas jam accepi per manus doctiſſimi tui Junii. Ille ante mihi charus, charior nunc nomine tuo. Pollicitus eſt ille ſe unà cum gratiis ob libros illos doctiſſimos & tuos me excuſatum habiturum apud te quod tum literas non dediſſem. Nunc ego iterum Baronium inculco. Noſti quid velim: & eſt quod vel maxime uſui ſit Eccleſiæ. Induciæ veſtræ cum Hiſpano precor aut non ſint, aut ſint cum bono & veſtro & Eccleſiæ. Nec imprudenter cavent meo judicio, qui exinde domeſtica diſſidia magis timent; præcipue prout Religio hodie apud vos —— De Scoppio veſtro, & reliquis reformatæ Religionis Propudiis, quid dicam neſcio, gaudeo tamen Amſtelodamenſes, ubi libertatis neſcio quod aſylum, in maledicum tam ſeveros extitiſſe.

Noviſſimæ literæ tuæ nil aliud ferè ſpirant quam honorem Higgii noſtri. Certè multum tibi debet Oxonienſis Academia nomine ejus, nec minimum ego, qui Higgium illum virum moderatum æquè ac doctum ſemper quibus potui modis promovebam. Non opus eſt ut ſcribam, ille (ſcio) narrabit quanto amore, maximo illo certè, ſi prudenti, ſi fauſto bene eſt, me Oxonienſes, nunc alio nomine mei, proſecuti ſunt, & me Cancellarium, indignum ſimul & nolentem elegerunt. Inter eligentes Higgius. Eum ſine literis remittere ad vos me graviter pupugit, ſed tum vix reſpirare datum. Gratias tamen ago, & tibi & filio Franciſco ob honoratum Higgium.

Quod reliquum eſt ſcias velim, etſi tempeſtates quæ ſæculo hoc exagitant Eccleſiam ſedando non ſim, nolle tamen me (Deo favente) aut cauſæ aut officio deeſſe. Interim cuivis ferè obvium eſt quam periculoſè jactantur Reſpublicæ, fluctuante Eccleſia. Ad filium tuum Johannem quod ſpectat, quum proxime videro (brevi id ſpero futurum, Deus ſi pro miſericordia ſanarit Cantabrigiam) effectum dabo quod poſtulas. Tu modo ut mei quotidianis in precibus memor ſis obnixè rogo, ut in nomine Chriſti; ne dum moliuntur inimici, ſolus ſim. Vivas interim opto, valeaſque ego ut ſim

Julii 21, 1630.

*Virtutum tuarum cultor, ſicut ſum & tui amantiſſimus,*

GUIL. LONDIN.

---

## CLXVIII.

*Gratulatur Cancellarii in Academia Oxonienſi dignitatem. Et poſt pauca, quæ ad ſtatum publicum pertinent, de obitu Matthiæ Martinii Bremenſis Theologi mentionem facit, quem à concordiæ & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudio inſigniter commendat.*

*Reverende in Chriſto Pater, Domine Illuſtr.*

QUanquam non mediocrem ceperam dolorem ex obitu illuſtriſſimi Comitis Pembrochii, cujus ſummam erga me humanitatem perſenſeram coram, magnumque ad promovenda ſtudia ardorem facile perſpexeram, ex tot MSS. theſauro, quo Bodleianam Oxonii tui Bibliothecam liberaliſſimè adauxit veréque immortali beneficio obſtrinxit: in hoc dolore tamen meo, non mediocriter illud me recreavit ac refecit, quòd cùm & nobiliſſimæ Academiæ Cancellarius idoneus & tanto heroi dignus ſucceſſor quæreretur, ad te potiſſimum itum ſit: quo his temporibus exulceratis non alter ei muneri aptior videretur: qui etiam pro boni publici amore ſummo humeros graviſſimo huic oneri ſupponere (ut ſperabitur) velles. Deum oro, ut hæc honoris acceſſio & tibi & imprimis Oxonienſibus tuis perutilis ſit ac ſalutaris. Eodem pene tempore gratiſſimum hunc nuntium in-

tellexi, ex amicis, Sereniſſimum Dominum noſtrum Regem Carolum prole, eaque maſcula auctum eſſe, quam Deus hæredem tot Regnorum & Patri & Britanniæ veſtræ conſervet, ſeroque ſuccedere velit ſceptris paternis. Optabamus hic itidem felicem partum Illuſtriſſimæ Principis Arauſionenſis, ſed illa poſtquam diu cum tertiana conflictata eſt, abortum fecit, ac mire adhuc languet. Auctores ſunt medici, ut ad diſcutiendas morbi reliquias ſe ad balnea conferat Aquiſgranenſia & aquas Spadanas. Et jam ab Illuſtriſſimis Principibus itineri deſtinatus erat proximus dies Martis. De comitatu & totâ itineris ratione decreta omnia. Pro Eccleſiaſte in via futurus erat collega meus conjunctiſſimus Andreas Rivetus Gallus, Theologiæ Profeſſor. Cum ecce triduo ſuperiori iterum infirmior eſt reddita: ita ut plerique metuere incipiant, ne ea res omne hoc negotium diutius differre cogat. Neſcio quàm verè, non abſurdè tamen eos ſentire arbitror, qui dictitant coqui ac macerari eo Dominæ Principis animum, quod videat tantum illorum diſſenſum penes quos eſt Reip. poteſtas Eccleſiæque adminiſtratio. Unde illud quoque conſequitur quod videt mariti ſui, quem ſic amat, aures oppleri variorum querimoniis, ut nihil gravius dicam. Ille nihilominus aures utrique parti præbere, concordiæ utrobique ſtudere, omnia potius bono publico metiri, quam lubitu paucorum. Hagæ adhuc eſt Dux Neoburgicus. Is hæreditaria Cliviæ & vicini ſoli oppida repoſcit, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Noſtri ſe paratos reddere profitentur, ſimulac de hæreditate herciſcunda inter eum & Electorem Brandeburgicum convenerit. Quamquam profectò utcumque nulla inter eos lis amplius foret, prius neceſſe eſſet reſtitui graves impenſas quas iis in locis Ordines noſtri fecere. Itaque, ut puto, ſpiſſe illa redditio procedet: præſertim quamdiu nobis à Cæſare metuimus. Matthiam Martinium Bremenſem Theologum noſti, ut arbitror, vel ex tot Scriptis, vel ex eo quod Synodo interfuerit Dordrechtanæ. Is ante ſeſquimenſem deceſſit non levi dolore meo. Erat Vir enim undecumque doctiſſimus: in Germania quidem majorem virum non noram: & in hoc Eccleſiæ diſſidio multum de ſacienda concordia cogitabat: omnino plus æquitatis in eo reperi, quam multis aliis, cujus rei teſtes habeo literas non unas, quas ad me ſcripſerat. Et quæ viri erat ingenuitas, ad hoc ſtudium profitebatur ſibi plurimum profuiſſe noſtram de Pelagio & Maſſilienſibus Hiſtoriam. Inſtitutiones Oratorias meas jam acceperis ſpero, ſed ſine literis ullis. Tam ſubito enim portitor abitare parabat, ut vix ſermonem cum eo mutandi tempus daretur. Spero operam quam illi ſtudio impendimus, non diſplicituram ullis qui Literarum & Eloquentiæ ſint amantes. Quod verò in mea ad Lectorem præfatione dico, idem hic dico; gaudere me quod opera illa ſim perfunctus; ac reverti liceat ad Hiſtoriam Eccleſiæ veteris diutius quàm par erat intermiſſam. Nec enim ultra video quid morari poſſit: niſi quòd Linguæ Latinæ Commentarios quidam pene cum convitiis expoſcunt. De quo nihil hoc bimeſtri proximo ſtatuere poſſim: ſed potero Typographis reverſis à nundinis Francofurtenſibus. Interea nos antiquitates Eccleſiæ detinebunt, ad quas jam diu anhelavi; non quaſi à literis unquam alienus ſim futurus, ſed adhibere eas volo non ut opus, ſed ut operis acceſſorium. Non diutius te, Illuſtriſſime Domine, morabor, ſi unum hoc addidero, me hâc hebdomade fuiſſe in Aula Illuſtriſſimorum Bohemiæ Principum: atque ibi locutum mecum ex Anglia reducem Illuſtriſſimum Britanniæ Legatum, qui prolixè mihi expoſuit ſummum erga me amorem tuum. De quo quidem perſuaſiſſimus & antea fui: ſed tamen perjucundum fuit ea quoque cognoſcere ex ore tanti Herois, & quidem qui iſta diceret tuo nomine: ut cum tam nobile par cogitarem, & quis ego homullus forem, tacitus mecum admirarer bonitatem Dei, qui mihi conciliaſſet hos amatores mei.

Quamobrem Deum Optimum Maximum rogo ut te Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine diutiſſimè Eccleſiæ Britannicæ, & ſimul etiam mihi amorem hunc tuum conſervet.

Lugd. Batav.
clↄ Iↄc xxx.
Non. Sextil.
St. vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui devotiſſimus & obſtrictiſſimus cultor,*

G. J. Vossius.

## CLXIX.

## Pocockio.

*Syriacam ejus Verſionem & Notas ad 4 Epiſtolas Apoſtolicas (ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Johannis, & unam Judæ) evaſiſſe tandem typographorum prela ſignificat, exemplaria, tranſmittit & de Oratoriis ſuis quædam adjungit.*

*Doctiſſime & Amiciſſime Pococki,*

Mitto ad te viginti exemplaria utiliſſimi laboris tui, quem iv Apoſtolicis Epiſtolis impendiſti. Spiſſiùs aliquanto proceſſit editio quam vellem. Sed leve illud, dum emendatè ſatis prodeunt, uti ſpero. Saltem operam id dedit filius Dionyſius quem coram vidiſti: & inprimis de Dieu qui poſtremam relegendi curam in ſe ſuſceperat. Non jam repetam quantopere me affectu atque honore hoc obſtrinxeris. Feci alias, & tu id me ſcribere non pateris, quæ tua eſt humanitas. Quare priora non repetam. Non deſinam tamen cogitare, quâ ratione affectum erga te teſtari optimè poſſim. Mitto Oratoriarum ad te Inſtitutionum mearum exemplar geminum. Quarum unum tibi reſerves, alterum ornatiſſimo & amiciſſimo M. Rouſe dabis. Et tertium quartumque amicis aliis addidiſſem niſi hominem amicum ad vos euntem, ulterius gravare moleſtum fuiſſet. Accedit quod ne illud quidem ſcirem, an Oxonii uterque ſitis, an minus; audio enim totâ pene Angliâ vehementer graſſare peſtilentiam, eoque quibus id integrum eſt, penè omnes ſe in agros recipere longius diſſitos. Non dubitem quin ea potiſſimum cauſa ſit, cur vix quiſquam mihi ex Anglia hoc trimeſtri proximo reſponderit. Pluribus reſcribam, ſimulac cognoro non fruſtrà me ſcribere. Simul tum ad D. Rouſe, quem merito maximi facio, & faciam ſemper, de nonnullis exarabo. Salutabis plurimùm Ampliſſimum D. Cancellarium, atque omnes ſummos viros, à quibus tam humaniter ſupra merita mea me exceptum apud vos eſſe tute noſti, ut catalogum hic texere non habeam neceſſe. Raptim.

Lugd. Batav.
clↄ Iↄc xxx.
vi Id. Sext.

*Tuus ex animo,*

G. J. Vossius.

## CLXX.

## Georgio,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Commentarios ſuos offert Rhetoricos. Joh. Chriſtophorum de Berg, Moravum nobilem cum familia exulantem optime commendat.*

*Reverendiſſime Pater, Domine Illuſtriſſime,*

Crebro ejus temporis in mentem venit quo coram licuit, ut Poëta ait

— *audire & reddere voces:*

quo etiam tanto à te adficiebar honore, quem non alteri poſt Sereniſſimum Regem debere malim. His non medio-

diocriter animatus, magis & magis operam do, ut bene mereri poſſim de Eccleſia Dei & Republ. Literariâ. Ac partim quidem omnis ſum in ſcribendis novis, partim in iis, quæ jam ante in lucem emiſi, augendis & limandis. Ex quibus ſunt Commentarii noſtri Rhetorici, opus jam ante annos amplius xxiv. publici à me juris factum. Batavis jam tum illud dicâram, ut non debuerim nunc aliis quamvis nihilo ſecius de me meritis conſecrare. Exemplar ejus operis tranſmitto, atque ut à cultore tui devotiſſimo ſerenâ fronte ſuſcipias, etiam & etiam rogo. Is qui de manu, (ni fallor) in manum tradet, eſt nobiliſſimus adoleſcens, Adamus Jeriſlaus à Berg, Moravus, Joannis Chriſtophori de Berg filius. Quo loco pater ante novennium hoc fuerit apud ſuos, vel unum illud indicio erit, quod Sereniſſimus Bohemiæ Rex eum potiſſimum ex nobilitate, præeſſe voluerit cunctis Moraviæ terris, quas quidem hæreditarias accepiſſet. Earum enim penes nobiliſſimum hunc virum gubernatio fuit, cum titulo ſupremi præfecti. Sed majus eſt quod ſinceræ Religionis aſſertor, ac meliorum partium defenſor acris fuit. Tantus vir nunc patriâ extorris, boniſque patriis & avitis exutus, opem eorum implorat, qui bonis & bonæ cauſæ, ſemper optimè voluerunt. Sexennium apud nos cum uxore & liberis ita vixit, ut bonis ſemper chariſſimus foret. Nihil quoque uxore ejus (ut intelligo) vel melius vel cordatius; neque item liberis ſuavius quicquam. Ex quibus notus mihi natu maximus adoleſcens erectæ mentis, & qui omnino præclari aliquid promittat. Annos habet prope ſexdecim, & pro tempore quo ſtudiis operam dedit bene profecit. Utinam ejus in Britannia haberi ratio poſſit, imo & fratrum atque adeo & parentum. Quos ego vehementius commendarem, partim quia ſic eorum virtus meretur, partim quia ſic poſtularunt aliqui ex Collegis. Sed cùm intelligam & à Sereniſſimo Bohemiæ Rege, & aliis qui auctoritate plurimum poſſunt, id ſedulo factum eſſe, non operam arbitror meam vel cujuſque mei ordinis magnopere eam ad rem requiri. Committere tamen non potui quin hinc proficiſcentes, ſaltem votis meis proſequerer, ac quomodocumque etiam apud te affectum teſtarer meum. Deus te, Reverendiſſime Domine atque Illuſtriſſime, diu Eccleſiæ ſuæ totique Britanniæ ſoſpitem conſervet.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄ c xxx, Id. Sextil.

*Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi nominis tui cultor devotiſſimus & obſtrictiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CLXXI.

## G. Joh. Voſſius, Claudio Salmaſio, S. P.

*Invitat eum ad Academiam Lugdunenſem. Deprædicat Exercitationes in Plinium. Commentarium in Concilium Iliberitanum ut edat, impensè optat.*

JAm ante trimeſtre à me reſcriptum oportuit. Nec officio defuiſſem ſi ſatis vidiſſem quomodo aut quid potiſſimum ſcribere deberem. Ancipitem me reddebat, quod diverſa adeo ſtudia viderem in illo Scaligeranæ διαδοχῆς negotio. Cujus illum exitum expectabam, quem virtus tua meretur. Dolebam interea livorem tantum poſſe. Sed de eo nihil ſcribere auſus eram: Imo ſic ſemper fui ut potius vitia ferrem aliena, ac graves etiam injurias concoquerem, quam illis divulgandis operam darem. Simul cernebam, quantum tua ſcire ea intereſſet, aliunde etiam te poſſe cognoſcere. Interim gaudeo, ſaltem euſque rem eſſe perductam, ut omnes intelligant, ſolum obſtitiſſe livorem, quo minus fierent ea quæ nominis tui amantiores optabamus. Nec tamen penitus ſpe excidimus: poſtquam oblati mille quingenti annui, tantum ut præſentia tua & ſcribendo Academiam hanc ornes. Sane ſtipendio iſto majus habet docentium nemo. Et puto paulatim incrementa capere poſſe. Imo vero de eo non dubito. Et honeſta in re es ut de minuto non neceſſe habeas laborare. Quare ſi alia non morentur, hoc quidem non tanti putabis, ut propterea te carere cogamur. O utinam nos ſic bees, ut Literarium illud oraculum conſulere hic nobis coram liceat! Quod tanto magis opto, quanto me penitius penetro in Plinianas Exercitationes tuas. O Theſaurum interioris doctrinæ! Jam tertia eſt hebdomas, quod à Drovartio exemplar accepi. Pro quo gratias ago, ſi non quas debeo, at quantas poſſum. Quotquot Literas amamus valde deſideramus tertium quoque volumen quod promittis. Nemo tamen ſic feſtinare te velit, ut valetudini incommodes; quartana illa quæ tamdiu detinuit te ſatis indicat, nec ferreum tibi corpus eſſe. Sed tamen quantum valetudo ferat matures, rogamus. Et quid diſſimulem? cum magnopere me illius voluminis deſiderium teneat, tamen in majori apud me exſpectatione eſt Commentarius tuus in Concilium Iliberitanum. In quod legi Libros tres Ferdinandi de Mendoza Madriti editos. Sed quam multa & verius & plenius dici poſſint facile video. At non item video à quo id melius quam à te fieri poſſit. Fortaſſe autem tutius talia apud nos edantur. Eoque impenſius opto ut ſi ſine tuo tuorumque incommodo poſſis advenire, non detrectes. Habebis hic non paucos nominis tui & Admiratores & Cultores, in quibus nomen profiteor meum. Quis ſit animus in hac re tuus brevi ſpero ſciemus, vel ex te ipſo, vel ſi longius Lutetia abſis, ex literis iis quas Clariſſimus Juſtellus ea de re Nobiliſſimum Somelsdici Dominum aut Rivetum Theologum dabit. Si veneris, mihi quidem gaudebo, Academiæ vero gratulabor: ſin iis conditionibus, quæ nunc Collæ ad unum vel alterum offeruntur venire recuſabis, non deſinam tamen gratulari & mihi te amico, & literis te patrono, & tibi cui hoc Deus conceſſerit, ut præclare adeo de ſtudiis mereri & poſſis, & velis.

Lugd. Batav. cIↄ Iↄ c xxx. iv Kal. Sept.

## CLXXII.

## Gerardus Johannes Voſſius, Matthiæ Berneggero, S. P.

*Applaudit illi de labore, quem in Juſtinum Hiſtoricum ſuſcepit: ſibi vero, quod Grammaticæ Inſtitutiones ſcholis etiam Argentorat. recepta eſſent. Pro communicata Metrophanis Critobuli Grammatica Græco-Barbara gratias agit, quam ut lucem proximè videat, uti & Commentarii ſui de Lingua Latina, curaturum ſe pollicetur.*

REſcripſiſſem jam diu, Præſtantiſſime Berneggere; ſed jam à longo tempore, in neminem incidi, qui ad vos ſe iturum diceret. Quanquam vero nihil mihi jucundius eſſe ſoleat, quam per literas colloqui cum hominibus eruditiſſimis, fateor tamen mirè me ſegnem eſſe, ſi metuam, ne fruſtrà ſcribam; quod crebro nunc fit, milite vias paſſim obſidente, abſque eo eſſet, ne laborem quidem defugiſſem. Commentarium quem in Juſtinum, aliquot abhinc annis ſcripſi, cum cura relegendi, eaque excerpendi, quæ imprimis placitura arbitrarer, ſed ut dixi defuit, per quem tutò ea mitterem. Et præterea mirè diſtringebar, edendis commentariis noſtris Oratoriis: quæ tandem ad finem perducta eſſe lætor. Nunc verò labor, puto iſte, ſuper-

pervacuus fuiſſet, quia credo, jam lucem viderit editio, quam adornaſti. Impensè faveo ſtudio, quod in hunc Scriptorem inſumſiſti: Benè de hiſtoria externa mereris, & Latinis. Nec facilè alius, ad eam rem magis fuiſſet idoneus, quam qui ut tot Diſciplinas, ita Hiſtoriam omnem animo eſt complexus. Nec opera noſtra (de qua limanda cogitationem abjecimus) perierit nobis; ſed utilis erit ad ea, quæ de Temporum ratione aliquando, ſi Deus volet, juris publici faciemus. Volupe fuit cognoſcere, Proceres veſtros, non infra ſe putaſſe, curam Grammaticam; quæ nunc apud δοκησισόφους ita ſordet, ut minor iis videar, quia ſtudium hoc non neglexi. At quanto aliter ſapuerint apud Romanos, etiam viri Principes, non ignoras. Quod verò ſcribis, in repaſtinanda Gymnaſii veſtri Grammatica, adjumento fuiſſe noſtram; id mihi longè gratiſſimum fuit. Nam in talibus ſcis, non honorem ſpectavi, ſed publicum commodum. Valdè me beaſti, Grammatica Græco-Barbara Metrophonis Critobuli. Multum lucis adferet ad intelligendum linguam vulgarem. Planè lucem videre debet. Quod fiet hyeme proxima, ſic enim recepit Elzevirius; qui niſi operam ſuam addixiſſet, vel ad alium iſſem, vel nunc remiſiſſem. Idem ubi ad nos redierit, excudet Commentarios noſtros de lingua Latina. Mallem hac ætate, ea in lucem dare, quæ ad Eccleſiæ antiquitates pertinent. Quod ſtudium me a prima tenuit adoleſcentia, ſed etſi non pauca in eo elaboravi, tamen vix quicquam prodiit poſt Hiſtoriam de Pelagio, & Maſſilienſibus. Nempe alia me tenuere: non illa mala quidem:

*Sed fugit interea breve, & irreparabile tempus,*
*Omnia dum capti circumvectamur amore.*

Vale longe doctiſſime Vir, & quod facimus, id porro etiam faciamus, ut nos mutuo amemus.

Lugd. Batav.
cIↄ Iↄc xxx.
Poſt. Cal. Sept.

## CLXXIII.

*Præſtantiſſimo*

## Vlamingio,

S. P.

*Hiſtoriam Tamberlanis, itemque ſtratagema, quo ſeditioſos duces & ſatrapas oppreſſerit, recenſet, ſimile quid de Rege quodam Perſarum ſubjungens.*

HUmanitas tua, Præſtantiſſime Vlamingi, qua immetentem me ſuperioribus diebus proſecutus es, permovit me, ut ſimulatque Lugdunum reverſus eſſem, primam mihi curam ducerem, tuo ſatisfacere poſtulato. Atque utinam in majoris momenti re, navare tibi operam poſſem! cognoſceres non ingratum me, pro beneficio tuo. Sed quum ea deſit occaſio, proximum exiſtimavi eſſe, ut ſaltem ex levi hac re, meum in te animum perſpiceres. Quod tantò apud te feci confidentius, quod ſcirem, te non rem ipſam ſed animum tantùm, ac benignum affectum meum æſtimaturum. Hiſtoria itaque quam petieras ita ſe habet.

Tamberlanes (qui Orientalibus Timour dicitur) patrem habuit Torgai. Natale ei ſolum Chougia Bilgar pagus. Patrem ejus Torgai, alii bubulcum fuiſſe ajunt, alii ſutorem egenum: Timour ipſe cum robore corporis eximio eſſet, ad furta animum applicuit. Nocte quadam, cùm ovem furto abſtuliſſet, paſtor id conſpicatus, ſagittis duabus, una femur, altera humerum percuſſit. Eo ex caſu cognomen Lenk, *ferrum* notat, accepit. Unde conjuncta voce Timourlenk dictus eſt; hinc noſtri corruptè pro Timourlenk, Tamberlanem vocant. Ad hiſtoriam redeo. Tamberlanem duobus impeditum vulneribus, facilè paſtor aſſecutus eſt, atque ad Huſeinum, Huratæ Regem perduxit. Is Timourum verberibus cæſum agi in crucem juſſit. Erat Regi filius Giaet Eddin parum mentis compos. Is pro Timouro interceſſit; atque ut ſibi donaretur, à patre multùm abnuente, tandem impetravit: eumque humili ex loco, ad ſummas dignitates perduxit. Evenit ea tempeſtate, ut rebellaret, qui Provinciam Siguſtaen pro Rege tenebat. Miſſus eo cum exercitu Timourus, brevi bellum confecit, captoque duce ipſo, omnes theſauros invaſit, ac contra Dominum ſuum, bellum parare cœpit. Cumque eum opprimere nequicquam Rex tentaret, paulatim ita ejus crevit potentia, ut Regem Huſeinum perimeret, ac filium ejus Giaet Eddin, ſalutis ſuæ authorem, in carcerem conjiceret, ubi fame mortuus eſt: jurejurando enim confirmarat Timourus, nihil illi à ſe nocitum iri. Poſtea cùm jam rerum potiretur Timourus, accidit ut Samarcandæ urbi Principi, erronum, atque nequam hominum magna eſſet turba. Ii ſimulatque Timourus ab urbe diſceſſiſſet, Præfectum urbi ejecerunt, ac totam turbârunt Rempublicam. Tantaque eorum potentia erat, ut ipſe eos metueret Timourus. Septies illi turbas renovârunt. Tandem cùm parùm proficere ſe videret Timourus, ad ſtratagema animum convertit. Convivium ergo ſplendidum inſtituit. Eò totam hanc promiſcuè turbam, ſummæ, atque infimæ dignitatis homines vocavit, ac ſingulos in ſuos ordines diſtinxit. Poſtea Duces, ac præcipuos eorum ad ſe vocavit, iiſque ſua manu poculum propinavit, (magni id apud Orientales honoris habetur) inde purpura circumdatos, ex atrio à miniſtris abduci juſſit. Ii ſingulos extra atrium comprehenſos jugularunt, donec ad noviſſimum perventum fuit. Atque ea ratione ſeditioſos hos Timourus, obtruncatis Ducibus repreſſit. Pari ratione Perſarum Rex (eſt is avus ejus, qui jam imperio præeſt) qui toto vitæ ſuæ tempore, Timouri exemplum imitandum ſibi propoſuit, ad imperium pervenit. Mos eſt, Perſis Regibus, fratrum oculos candenti ferro exurere, quo ab iis ſecuri imperare poſſint in regnum affectum. Excæcarat ea ratione, fratres ſuos omnes, Perſarum Rex, frater hujus de quo nunc nobis ſermo eſt. Hic callidior cum viſus eſſet cupidiſſimus, in Parthiam profugit. Ibi cùm aliquot annos egiſſet, cognoſcit fratrem ſuum defunctum, ac regnum, juſtus hæres cùm deeſſet, à Satrapis regni inter ſe diviſum. Petit itaque à Parthorum Rege; quandoquidem juſtus regni hæres ſit, ut auxilio ſibi eſſe in repetendo regno velit. Ille quod rem arduam, magnique videret negotii, hoc negato, argentum ei dedit, quo vi militum millia ſcriberet. Copiis iis coactis Perſa in limites Perſiæ contendit. Erat Satraparum ex numero, vir ætate, ac prudentia magna, qui ſive quod juſtam hujus exſulis cauſam videret, ſive quod juſta portione defraudatus eſſet ipſe; ſimulatque de ejus adventu cognovit, cum eo conſpiravit. Cæterùm cùm tot numero eſſent Satrapæ, immenſi laboris opus fuiſſet, omnes eos bello ſuperare. Itaque quod viribus deerat, aſtu ſupplendum ſtatuit. Convivio regio inſtituto, omnes Satrapas regni invitavit. Regem exſulem in inſidiis extra urbem eſſe juſſit. Satrapæ cùm adveniſſent, & mero incaleſcere cœpiſſent, famulos omnes, quorum magnam ſinguli turbam adduxerant, exire juſſerunt. Ita enim moris eſt, Principibus Orientalibus, ut nolint famulos lætitiæ, atque ebrietatis ſuæ ſpeculatores. Itaque poſtquam ii diſceſſere, in luxum, atque ebrietatem ſolvuntur: interea in urbem Perſa admittitur. Is ſexcentis comitatus militibus, perſonatus in atrium introrumpit, ac ſinguli cùm unum obtruncandum ſibi propoſuiſſent, brevi omnes conficiuntur. Inde illi, ne rem qui foris excubabant famuli cognoſcerent, lætis clamoribus, ac hilaritate, omnia complent. Poſtridie cùm dominorum tardum à convivio diſceſſum famuli admirarentur, nihil tale opinantes, capita eorum ſudibus impoſita, ac circum faſtigium palatii exſerta vident, qua re quum Dominum ſuum deſideraret quiſque, turbas dare non auſi, domum ſuam diſceſſerunt; eaque ratione Perſa exſul regno eſt potitus.

Habes quam deſiderâras, ornatiſſime Vlamingi, hiſtoriam fuſius aliquanto à me perſcriptam; quia quantùm ve-

nuſt.

nuſtatis, brevitas attuliſſet, tantùm deceſſiſſet perſpicuitati. Quum ejuſmodi in rebus, quando gentium mores, incogniti ſunt, tota obſcura ſit hiſtoria. Salutem plurimam, parentibus tuis, ac cognato tuo Noomſio, à quo ſi videndi facultas non datur; ſaltem ut literas habere liceat, pro me impetra. Vale.

Lugduni Batavor.
VII Kal. Octob.
CIↃ IↃC XXX.

*Tuus omni officio,*

DIONYSIUS VOSSIUS.

---

## CLXXIV.

## Joanni Beverovicio,

S. P.

*Epiſtola planè familiaris.*

UT ex Anglia reduci volupe erat Dordrechti videre te ſoſpitem ac valentem, ita ingratum illud fuit, quod tam cito avellerer. Amo enim te, mi Beverovici, atque id non modo ob egregiam doctrinam & virtutem tuam ſingularem, & mellitiſſimæ indolis ſuavitatem; ſed etiam quia me amas, neque id modo, ut bene de ſtudiis multorum merentem, ſed etiam ut olim meritum de tuis. Id enim nec tuæ ad me literæ diſſimularunt, & apertè, quoties res tulit, promere apud alios ſoles. Nempe ſic animati eſſe ſolent, quibus cor magnus ille Prometheus de meliori finxit luto. Nec ultro optare doctores debent, quam affectum. Quo amplius neque parentes à liberis, neque Deus ipſe exigit à nobis. Sed ô tempora! quam multos, imprimis dum fatales iſtæ controverſiæ Bataviam turbarunt, reperi, qui inſignem ex eo laudem ſperarent, quòd pro beneficio maleficium rependerent nobis! Quanto magis à talium moribus abſuiſti, tanto impenſius te amari à me æquum eſt, & ſane, abſque paucis foret tui ſimilibus (quos inter merito ſuo Ampliſſimum Blyenburgium refero) pœniteret propemodum operæ totis annis quindecim urbis veſtræ Gymnaſio impenſæ. Quotidie enim video ſentioque, quantum ea res incommodarit ſtudiis noſtris. Sed eo me ſolor, quòd ut in cæteris, ita in his etiam, cuique ſtatutum ſit, quâ viâ ſit eundum, & quouſque pertingat. Quare ulterius alii famæ quadrigis decurrant, non ſi eo vincamur, propterea apud Deum perierit opera noſtra. Iſti famæ aucupes exprobrent nobis vilem, atque ut vocare ipſi ſolent, aſinariam operam. At ego non propterea deſinam putare, inſipientis eſſe ſuo potius, quam publico omnia bono metiri, & paullum aliquid honoris majoris facere in terris, quam ut Deo obedias luculentè omnia compenſaturo in cœlis. Sed iſtos mitto: atque ad te redeo, cujus me verſiculi valde delectarunt. Et animus erat iis ornare frontiſpicia Oratoriarum noſtrarum, quæ ante paucos menſes iterum in lucem prodiere. Sed non poteram id facere, niſi apponerem quoque quos ſcripſerat affinis Næranus & Bonifacius Italus, & collega Heinſius, atque alii complures. Malui igitur præterire univerſos, quam delectu quempiam offendere. Interim ſcias nihil mihi gratius fuiſſe vel literis vel verſibus tuis.

Lugd. Batavor.
CIↃ IↃC XXX.
Non. Octobr.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CLXXV.

## Petro Cunæo.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir atque amice ſumme,*

GRaviter in amicitiam noſtram peccarem, ſi in eo, quod ſerio adeo petis, morem minùs gererem. Equidem jamdudum id feciſſem, niſi, ut primo adventû domeſticis negotiis, ita nunc aliis obruerer. Otium hic eſt, quamdiu nondum docere publice aggreſſus ſum, cæterum id minus ſegne. Nam ut de eo nihil dicam, quod totus ſum in ſchedis meis digerendis, quæ res plus moleſtiæ habet, quàm primò putarem; etiam exteri, qui vel è vicinis civitatibus, vel terris etiam longinquis, huc veniunt, item indigenæ ut initiis fieri ſolet, non paululum mihi temporis eripiunt: pene non minus, quam Lugduni unquam factum. Nec tamen dicere poſſum, mihi non eſſe otium ad literas exarandas: Sed, ſic animatus ſum, ut mirifice ſoleam procraſtinare hoc officii genus: quod ubi diebus, atque adeo hebdomadis totis factum, tandem etiam (pudet dicere) in oblivionem venit. Idem ne mihi in hac recula vitio amplius verti poſſit; cum literas tuas ſub noctem accepiſſem, confeſtim ad Bazirium has, quas vides, exaravi. Mirabitur, ſcio, ille: nec enim puto, meas, poſt tantum ſilentii intervallum literas exſpectat. Interim ex his me non oblitum ſui facile videbit, atque idem deinceps comperiet, quoad à virtute non deſciſcet. Gaudeo me hic quoque reperiſſe, qui præclarè de eo ſentiant. Eſt ſane egregio ingenio, & ſi, ad magna animum adjecerit, non videtur impar futurus, verum quid ego hæc ad te? qui melius me ejus indolem introſpexeris. Gratias tibi ago, quod filium meum in his, quibus Lugdunenſes offendit, defendis. Teneri ex officio id facere, vellem omnes ſcirent. Nam cum id negotium Proceres hujus urbis ſuis commiſerint advocatis, atque eos inter & filius teneat locum: honeſtè ſatis ſe oneri ſubducere non poſſit. Et tamen non illæ ejus ſunt partes, quæ forent, ſi hæc res non me, & Lugdunenſes ſpectaret. Omnino enim primas etiam in iis, quæ filio, ut natu minimo competeret, alius tenet. Non quia meus impar, ſed quia paternum agitur negotium. Quod ſi ſic quoque non ſatisfacit Lugdunenſibus, videbo, an expediat, plane hac eum controverſia abſtinere. Quod gratiſſima tibi fuerit commendatio Roſecrantzii, plurimum gaudeo. Apud Hubertum non degere eam ob cauſam cognovi, quod in longum tempus ſe obſtringere noluerit: quippe qui propoſitum habeat, ubi hic doceri publicè cœperit, quandoque hebdomadam unam alteram apud nos ſtudiis ſuis dare. Tibi interea, vir amiciſſime, quod laborem tantum ſumere volueris, gratias ago ſummas: invenies me promptum ſemper, ſicubi viciſſim operam meam tibi utilem exiſtimabis. De uxore mea, penè exciderat. Quod ajunt eam aërem hunc minus poſſe perferre, vaniſſimum eſt. Valet illa non deterius quam antehac. Quin ſpem concepi, proſpera hic magis valetudine uſuram. Vale, vir amiciſſime, & cum tua, à me meaque ſalve.

Amſtelodami.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CLXXVI.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*De Vocatione ſua ad Amſtelodamenſes certiorem eum facit, cauſſas, quæ eos ad illuſtre erigendum Gymnaſium impulerint recenſet, diſſolutam Academicorum Lugdunenſium vitam ſeriò improbat.*

*Illuſtriſſime Domine ac Reverendiſſime Pater,*

JAm tertius eſt dies, quod de gravi convenior negotio, cujus te quamprimùm certiorem faciendum putavi. Hoc, quod dixi, iſtiuſmodi eſt. Atque utinam præſens potius conſilium capere tecum poſſim. Jam ab aliquot annis ex vicinis Bataviæ urbibus, ad Academiam noſtram & ætate minores & doctrina inferiores, quam antehac ſolent, mitti

mitti adoleſcentulos videmus. Mores quoque eorum quotidie fiunt deteriores. Itaque non Baccho modò ac Veneri perpetuo litat pleraque omnis adoleſcentia, ſed crebriores etiam cædes proximo hic ſexennio commiſſæ, quam antea totis triginta annis atque amplius. Hæc res male habet parentes urbiumque proceres; imprimis Amſtelodamenſis civitatis, quæ hâc unâ parte infelicem ſe dolet, quod liberos, cum necdum modum vitæ ſciunt, Studiorum cauſa in Academiam hanc, ubi diſſolutè à magna parte vivitur, mittere cogatur. Atque illud eo magis ad animum revocat, quia hoc ipſo anno primarii civis ſuique dignitate conſtituti filius, civem necavit Lugdunenſem. Magis etiam ſua intereſſe hoc Amſtelodamum putat, quia tam multi ad nos ex urbe ſua, ſtudiorum cauſa, confluunt, quam ex ſeptem Bataviæ civitatibus, aut plerſque etiam provinciis totis. Jure igitur optimo occurrendum huic malo arbitratur. Convenere ergo urbis ejus Proceres univerſi, omniumque conſenſu ſtatutum eſt, non melius ſibi ſe & liberis conſulere poſſe, quam ſi in urbe ſua erigant illuſtre Gymnaſium, ubi Profeſſores duo aut tres doceant Hiſtoriam, Philoſophiam, aut alia quibus juventus imbui debet. Atque hoc decretum eo majori favore atque applauſu à civibus exceptum eſt, quia in tam populoſa urbe, ſeu indigenas ſpectemus, ſeu advenas, ex cunctis ferè Chriſtiani orbis regionibus; magna eorum copia eſt, qui vel egregiæ ipſi eruditionis ſint, vel ſaltem doctrinæ peramantes. Horum igitur omnium votum fuit, ut & ipſi audire quotidie aliquem poſſint, qui vel antiquitates gentium, aut naturæ arcana pandat. Itum hoc animo ad me, ac rogatum ut hac in re addicere operam florentiſſimæ Reipub. vellem. Itum quoque ad Caſparum Barlæum Philoſophum ac Poëtam inſignem. Stipendium mihi obtulere altera parte majus, quàm apud nos Profeſſores habent. Nec abhorret animus: nam & pulchrè mereri hic de publico mihi licebit; & glorioſum erit primum me jeciſſe fundamenta Illuſtris Gymnaſii, quod fortaſſe aliquando cum inclytis Academiis fama nominis contendet. Uxor etiam valde proclivis eſt, quia ſi quid mihi humanitus contingat, malit ea in urbe eſſe, ubi viduis bene-meritorum optime conſuli à Proceribus ſolet. Liberi etiam adhortantur, quia longe facilior illic aſſurgendi ſibi occaſio erit, in tanta dignitatum ac munerum multitudine. Eo magis quia jam Proceres ipſi & mihi & meis ſpem pollicitando fecere, futurum ut occaſiones non dimittant, quibus familiæ meæ conſuli poſſit. Conſanguinei & amici ſuadent ne hanc conditionem abnuam; variaſque etiam rationes adjungunt, quas longum eſſet exponere. Oravi Deum animum mihi ut illum inſpiret, ut eligam quod Reipublicæ atque Eccleſiæ imprimis utile erit, ac mihi meiſque ſalutare. Fortaſſe aliqui partium ſtudio nimis laborantes, & quibus inſitum à natura eſt alienam felicitatem invidis intueri oculis, mihi id vitio vertent. Sed conſolor me in eo quòd ſapientis atque probi ſit potius ſequi conſcientiam ducem, & bonorum conſilia, quàm vanas quorundam voces. Talium imprimis, qui eapropter quod Magiſtratus jus ſuum tueri ſatagat, adverſus unius aut alterius tribunitias conciones ſeditioſaque conſilia clamitant, eum partium ſtudio in præſentibus Religionis controverſiis teneri, & ex ſuo ingenio proborum dimetiuntur animos, in longe melioribus ea reprehendentes vitia quibus ipſi laborant. Equidem ſi eò venero, oſtendam me non alteri Eccleſiæ adhæreſcere, quam hactenus feci, omniaque in triſti hac diſcordia ad pacem & concordiam dirigam, eâ prudentiâ quâ Dominus mihi ſervo ſuo conferre dignabitur, ut ita tandem quantum in me eſt, noſtra Reſpubl. (navi quæ fluctibus ac ventis agitatur ſimilis) tranquillum in portum appellere ſeſe valeat.

Hæc raptim nunc exaravi. Poſt paucos dies certiora perſcribam. Nunc plura non licet; quia hodie mittendæ ſunt hæ literæ Hagam, ad Illuſtriſſimum meique amantiſſimum Dom. Vane, Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Legatum; qui craſtino mane iter ſuſcepturus in Britanniam, cum ſine meis redire literis nefas fuiſſet.

Illuſtriſſime Domine, Pater in Chriſto Reverendiſſime, Deus Opt. Max. diu te incolumem Eccleſiæ ac Britanniæ, imo & mihi meiſque conſervet.

Lugd. Batav. CIↃ IↃCXXXI. XII. Jan. Stylo Novo.

*Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Nominis tui cultor obſtrictiſſimus & devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CLXXVII.

## Erycio Puteano,

S. P.

*Similis cum priori Argumenti.*

FAtum quodammodo meum videtur, perpetuis occupationibus ab officio literarum impediri. Sæpius ſcribere cupidum graviſſima retinuerunt negotia, quæ ſi unquam, nunc certe in me obruunt. Petis ut de ſtatu meo faciam te certiorem, ego quoque non petenti purgandi cauſâ ſignificaſſem, ut non voluntatem æque officii præſtandi, quam poteſtatem deeſſe mihi intelligeres: res ita habet. Annus fere integer elapſus eſt, quod partim corrupti adoleſcentium mores, partim aliæ cauſæ Amſtelodamenſes Magiſtratus perpulere, ut conſilia de erigendo illuſtri Gymnaſio inirent. Id & ſibi jucundum & liberis utile fore prævidebant: quippe qui nullo obtentu ad Academiam feſtinare Lugdunenſem poſſent, atque in parentum conſpectu ac metu eſſent, quoad firmatâ ætate, & ſtudiorum propemodum ſpatio decurſo ad graviora ſe transferrent, ac ſupremum honoris gradum peterent. Ad hoc illud accedit, quòd in civitate ea qua incolamus, magnitudine, non alteri, ut puto, tota Belgicâ cedit, ingens Doctorum & Semidoctorum copia eſt, qui vel quotidie vel quoties res ſinunt aliquem de egregio argumento diſputantem audire expetent. Diu itaque re deliberatâ inter proceres utilem omnes cenſuere. Inde diſpicientibus quos potiſſimum ad docendum vocarent, primas honoris ejus mihi tribuendas putarunt. Et ne tranſire ad ſe dubitarem, ſtipendii magnitudinem aliaque propoſuerunt, multò quam hic fruor, ampliora. Illud bis mille & quingentorum in annos ſingulos florenorum eſt, additæ & ædes publico ſumptu conductæ florenis nongentis. Liberorum ſe rationem habituros adjecere. Sunt enim præter filias liberi, quorum unus & alter civilis nunc honoris capaces videntur. Vides ipſe quanta hæc ſint. Illud imprimis quod poſtremo dixi, ego nunc huc nunc illuc inclino. Et modo cum propinquis, modo cum amicis rem communico. Plerique conditionem ut accipiam ſuadent. Ita mihi dies itineribus & conſultando, pene dixerim, pereunt; dum Haga ultro citroque commeo. Exitum brevi res habitura eſt. Simulatque conſtituero, neutiquam poſtrema tanto amico ſignificatio. Opuſculum tuum de Begginarum inſtituto accepi. Quæ vidi, perplacent; ſed, ne quid diſſimulem, perlegendi otium occupationes, quas retuli, non conceſſere. Cæterum & non lecta Puteano digna facile præſagio, quo ex fonte, præter limpidas aquas, quis exſpectet quicquam? Audes tamen monere, ut cenſere tua ſcripta velim. Summo modeſtiæ argumento, ut cui eruditio cenſuræ jus deferat, ſua ipſe aliorum ſubjicere judicio velit. Nimirum eſt hæc Puteano digna modeſtia, in quo certare virtutes omnes videntur; quæ ut aliorum in ſe amorem attrahunt, ita ab annis xl, & amplius ita meum illexerunt animum, ut nunquam niſi fato indiſſolubile amicitiæ vinculum ſolvi poſſit. Cætera proximis literis perſequar. Nam nunc, quod volo, non poſſum. Cum ἀντίδωρον non habeam mitto tranſlationem IV. Apoſtolicarum Epiſtolarum à Syriaco, ea ſcio ar-

argumenti cauſa grata erit, & quia meo nomini dicata eſt ab eruditiſſimo interprete. Vale, ſumme vir idem atque amice.

Lugd. Batav. cIↃ IↃCXXXI. XIII. Kal. Febr.

Salutem Præſtantiſſimo Tuldeno, cui prima occaſione reſcribam, nunc enim non poſſum ob intempeſtam noctem & animum curis laſſatum.

---

## CLXXVIII.

## Gerardus Voſſius, Hugoni Grotio

### S. P.

*Conſcium facit litium quæ Amſtelodamenſes inter & Lugdunenſes ſuper Gymnaſio illuſtri agitentur. Dionyſium filium à Barone Slupeskio invitari ad iter Conſtantinopolitanum refert, utrum deſideriis filii annuere debeat, ſententiam ejus ſollicitè rogat.*

JAm ex Ampliſſimo affine tuo Reigersbergio intellexeris, Vir maxime, ut Amſtelodamenſes cauſis compulſi graviſſimis, conſtituere in urbe ſua cogitent Gymnaſium illuſtre: atque ut eam ad rem utilem exiſtiment, operam tum meam, tum collegæ, & amici veteris Gaſparis Barlæi. Sed Leidenſes planè habent perſuaſum, detrahere eam rem multum poſſe nomini, & exiſtimationi Academiæ ſuæ: eoque omnem movent lapidem, ut hoc negotium diſturbent. Primùm negant juris hoc eſſe ulli civitatum, præterquam ſuæ: cui pro tolerata fortiter obſidione, præmii loco ſit attributum, ut Academiam habeat, ad quam Hollandiæ, & Zelandiæ ablegetur juventus. Amſtelodamenſes autem arbitrantur, aliud eſſe Academiam ſtatuere, quam ad rem opus ſit privilegiis, & immunitatibus à ſuprema poteſtate conceſſis: aliud autem Gymnaſium erigere; in quo juventus, & alii Muſarum amantes, abſque ejuſmodi privilegiis, liberali imbuantur doctrina: quale jus penes ſingulas eſſe civitates. Exiſtimant quoque, eam rem plurimùm commodare poſſe Leidenſibus; quia ſi annum unum alterum diutiùs apud ſe detineatur juventus, & eruditione auctior ventura ſit ad Academiam, quod ex honore loci futurum, & judicio firmatior, quod efficiet, ut deinceps hic minus ſit turbarum. Urgent iterùm Leidenſes, ſi habere Amſtelodamenſes velint Profeſſores aliquos, ſaltem non alibi iis docendum fore, quàm in Scholis claſſicis: uti apud Dordrechtanos fecere Profeſſores, Nanſius, Polyander, Marcellus. Amſtelodamenſes ajunt, non eſſe laborandum Leidenſibus, utrum in auditorio aliquo Scholæ Claſſicæ, doceant Profeſſores: an loco aliquantùm diſſito, qui magis deceat non magis Doctores ipſos, ſed etiam adoleſcentes, jam rude à ludi moderatore donatos, ac pariter tot præſtantiſſimos cives, qui ſtudia colant, ac de rerum natura, vel imperiis, aliiſque rebus præclariſſimis, publicè alios diſſerentes audire exoptent. Denique objectant, ut hæc eſſent, non tamen debuiſſe Amſtelodamenſes ullum ex Academia hac vocare: ſed potiorem iis habendam fuiſſe rationem Scholæ, quæ totius ſit Hollandiæ, ac Zelandiæ, quàm quæ unius ſit urbis futura: præſertim cùm ipſi nobile ſint membrum in Procerum conventu, à quo Curatores Academiæ ſtatuuntur, ut quos hi ſtatuerint Academiæ Profeſſores, iidem ab Amſtelodamenſibus ipſis præfecti fuiſſe Academiæ ſint dicendi. Neque negant Amſtelodamenſes, hæc alicujus eſſe ponderis; ac propterea Delegati eorum, in Ordinum conventu ante menſes duos, cùm à Leidenſibus ſuper hoc compellati eſſent, eò inclinabant, ut ſi rogarentur, ne quemquam vocare ex Academia ſua vellent, morem ea in re gererent, dummodò mihi ſatisfieret, quo invito pacta conventa non poſſent reddere irrita. Leidenſes verò paſſi ſunt optimam occaſionem effluere, quamquam dies dicta eſſet conventus, & ea de cauſa ſemel iterumque Lugduno Hagam excurriſſem. Nimirum honeſtius urbi ſuæ putant Leidenſes, ſi non tam rogent Amſtelodamenſes, ut à propoſito deſiſtant, quàm ſi in proximo Ordinum conventu, qui menſe Martio futurus, interdicatur Amſtelodamenſibus, ne Illuſtrem Scholam erigere, aut ſaltem ne quemquam ex Academia, ad Scholam Urbis ſuæ vocare Profeſſorem poſſint. Amſtelodamenſes autem negant, ſe quicquid facere velle, quod privilegiis Leidenſium adverſetur, ſed ſi iis repugnet conſilium de Gymnaſio, in quo doceant Profeſſores publici, ſolum opus eſſe, ut privilegium hoc ſibi monſtretur: eo viſo, velle ſe ab inſtituto deſiſtere. Ad me autem quod attinet, eo ſe potiſſimùm ajunt de me cogitaſſe, quia non ſolùm opera mea in publicè docendo Hiſtoriam, pergratum toti urbi argumentum, utilis ſit futura; ſed etiam in dirigendis Scholis duabus claſſicis (quarum non melior facies ſit, quàm in cæteris Bataviæ urbibus) juvare conſilio Ampliſſimos Conſules poſſem: quippe qui non ſine fructu annis totis XV. Dordrechtanæ Scholæ, ante hos annos XV præfuiſſem. Negant præterea, cùm in Academiam Profeſſores vocantur, ſtipulationem intercedere, qua obſtricti Profeſſores, non alio ire poſſint, ſi res eorum ſic ferant. Si jus eſt Leidenſibus, abrogandi munus Profeſſoribus, cujus rei exempla nuper vidimus (ut de ſocero Junio taceam, cui profeſſio linguæ Hebrææ erepta invito:) ſanè etiam Profeſſoribus jus eſſe abdicandi ſe munere quando vellent. Ac hujus rei exempla multa ſuppetere: ut in Danæo ſe conferente in illuſtrem Scholam Gandavenſem: Gomaro, Middelburgum eunte; Meurſio proficiſcente Soram, & compluribus aliis. Si profeſſione fungens non poſſit à ſe vocari, tantum requiri, ut Profeſſor muneri renunciet: nec dubitari poſſe, quin ſaltem eum tum vocari ſibi liceat. Hæc ſunt, de quibus Leidenſes in proximo Ordinum conventu, controverſiam Amſtelodamenſibus moturi videntur. Quod ſi ſic etiam ſe nihil efficere poſſe animadvertant, puto, contenti erunt, à Proceribus noſtris XX aut circiter, millia expetere, ut deinceps liberaliùs habeant Profeſſores alicujus nominis, atque alios etiam conſequantur, qui vel docendo publicè, vel ſcribendo illuſtrare hanc Academiam poſſint. Hujus rei indicium non unus mihi eorum fecit, qui Leidenſibus familiariùs utuntur. Nec obſcurè innuunt, diſceſſum meum cauſaturum, ut luculentiori conditione Salmaſius iterùm advocetur: ut paulùm illud damni, quod in me faciet Academia, magnitudine ejus viri abundè compenſetur. Equidem ſi venerit, gratulabor, eo magis, quia ei docendum publicè non erit, eoque defæcatiori animo totus erit in ſcribendo. Mihi tam felici eſſe non licuit, cui bis de die docendum fuit, ut ignoſci mihi debeat, ſi ſcriptorum præſtantia ab aliis vincar. Laus hæc publica eſt; nec omnia omnes poſſumus. Ac de iſto hactenus. Ad aliud nunc venio, in quo conſilio atque opera mihi opus tua. Ante dies tres quatuor, redditæ literæ filio meo Dionyſio à Generoſiſſimo Barone Chriſtophoro Slupeskio, quibus ſignificat fortaſſe iturum ſe Conſtantinopolin, & ad alios Orientis tractus: ac quia meminerit, quanto ardore filius ſoleat expetere, ut terras eas luſtraret, ut quæ deeſſent in Arabicis, ab Arabicè loquentibus poſſet addiſcere, voluiſſe ſe nunc occaſionem offerre, qua ſine Parentum moleſtia, voto ſuo poſſet ſatisfacere: comitem enim hujus itineris aſſumturum. Non abhorret filius, qui nihil æquè deſiderat, quàm ut hoc fiat. Sed quiddam ſcrupulum mihi injicit atque uxori. Nam quia Illuſtriſſimus hic Baro, in Religione ſequitur opiniones Eccleſiæ Romanæ, & filius meus ad ætatulam (necdum annorum XX eſt) judicio non adeo eſt firmato, ut ineſcari promiſſis nequeat, aut argumentis decipi ſpecioſis; parum tutum arbitror, eum committere itineri tam longinquo cum iis, qui rem Deo ſe gratam facturos putarent, ſi ad gremium Eccleſiæ Romanæ filium abducerent. Suſpicio mihi injecta ab aliquo, à Rege Chriſtiano Legatum iri aliquem Conſtantinopolin; inque hujus comitatu Baronem Slupeskium fore. At Rex

non mittet alium, ut puto, quàm ſuæ in Religione ſententiæ. Eum Preſbyter comitabitur, & alii ὁμόδοξοι. Quare tantò plus periculi filio ſit, in tanto eorum numero, qui diverſum ſentiant à nobis. Ut mittam, quod fortaſſè in iis futuri homines malis moribus, quos affricare meo poſſent. Ille quidem ſe ſatis firmo ad ea pectore arbitratur: ſed ego multis edoctus exemplis, tuta etiam timere didici. Nec propterea conſultationem omnem de hac re abjeci. Fortaſſe enim Illuſtris hic Baro minus etiam Romanæ Eccleſiæ placitis adhæret, quàm cùm viveret nobiſcum. Fortaſſè etiam comitabitur ephorus, Paſchalis Medicus, Gallus, qui tantùm non juravit in verba zelotarum noſtrorum. Fortaſſè & unà iturus, fratrum generoſorum tertius, qui ut intelligo, in Religione planè noſter eſt. Et ſi Legatus mittendus, fortaſſè erit aliquis, qui in Religionis controverſiis, non male ſentiat de Eccleſiis noſtris. Quales è politicis Gallia habet multos, qui diſtinguere æra poſſint lupinis: Hæc ſi eſſent, facilem me poſtulatis filii præberem. Eſt enim is Baro, Chriſtophorus Slupeskius, ut ſi unum illud de Religione excepero, nihil in eo poſſit deſiderari. Pius eſt, ac Numinis metuens: Gravis eſt, modeſtus, & cordatus. Ingenio excellit, & pro ingenio rara ei eruditio. Et mei, filiique eſt amantiſſimus. Quare ſi pulchra fuerit occaſio filio viſendi Orientem, nullis, vel exiguis impenſis meis: nec cauſa ſit ſatis gravis, cur in Religione ei ab ἑτεροδόξοις metuere debeam: ſanè fore puto, ut morem ei geramus. Verùm haut animus annuere, antequam de eo, quod dixi, penitùs aliquid cognôro. Quare rem feceris longè mihi gratiſſimam, & amicitia noſtra dignam, ſi ea, quæ vel jam ſcias de itinere hoc, vel ex Illuſtribus Baronibus, aut aliis poſſis cognoſcere, ad me, iis ignaris, perſcripſeris. Ego quidem & filius Generoſo Baroni reſcripſimus. Sed de metu eo qui Religionem ſpectet ne γρῦ quidêm. Id enim magis abalienare; quàm conciliare poſſe videbatur. Si inconſultum planè erit, ut filius ſe unà in viam det, aliæ à nobis cauſæ, & veræ poterunt adferri, cur id minus fiat.

Accepi his diebus, literas ab ornatiſſimo Oomſio noſtro, quibus ſignificat, impenſè ſe deſiderare reſponſum ad literas eas quas ad te miſit, poſtquam mihi ſententiam tuam, de equeſtri S. Michaëlis dignitate perſcripſeras. Nihil iſti acceptius fuit humanitate ea, qua morem nobis geſſeris, atque optat, ut de cætero etiam certior à te fiat.

Salutant te, uxorem, liberos, omnes mei, atque unà filius tuus, qui in ſtudiis probare ſe pergit.

Lugd. Batavor.
cIↃ IↃ c xxxI.
Prid. Id. Feb.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

---

CLXXIX.

*Viro Maximo*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Eloquentiæ Profeſſori digniſſimo.

*Cogitationes ſuas de itinere filii ejus Dionyſii Conſtantinopolitano amicè perſcribit.*

*Vir maxime,*

QUod hæreas, nec leviter ſtatuas quicquam, in negotio certè difficili, minimè miror: quod verò, à me conſilium petas, mirarer meritò, niſi jamdudum id mihi neutiquam novum feciſſet, toties exploratus erga me amor tuus. Qui non conſcium modò me conſiliorum tuorum facit, ſed & calculum noſtrum poſcere conſuevit, utut iſte nullius apud te ponderis eſſe mereatur. Et fateor profectò interdum me, liberius fortaſſe quam par erat, tibi ſic jubenti, ubi ſe obtulit occaſio, ſententiam meam expoſuiſſe. Nec vereor idem hic agere, niſi quod quiſquam, in tam longa peregrinatione, commodi ſimul & incommodi, cernere valeat, id & tu quâ vales prudentiâ, optimè diſcerneres, & (quod tecum nemo) filii tui genium, mores, indolem, virtuteſque omnes, & vitia haberes perſpectiſſima. Quantum quidem ego juvenem, admiraculum præſtantem novi, ea eſt in ipſo eruditio, atque is ſolidioris eruditionis ardor, ut non niſi maximo cum fructu, peregrinationem iſtam, obire poſſit. Nec facilè affulgebit commodior oportunitas, quam hæc ipſa, quâ citra peculiare diſpendium ullum, in comitatu Virorum Illuſtrium, quorum probitas, & eruditio, ſunt extra dubium, Gallias, Italiamque peragrare, & Conſtantinopolin adire, invitatur ſponte, quinimò vel beneficio adfecturus, benefactores ſuos, ſi tam amicæ petitioni obſecundaveris. At verò quouſque filius tuus, in Religione fixam mentem, quouſque firmum pectus gerat, adverſus illecebras, quibus omnis juventus facillimè ſolet, præſertim foris irretiri; & præ cæteris, ingenia, quæ cæteris præſtant, ſunt obnoxia: Id tu melius judicaveris, quam conſultor quiſquam extra ædes tuas, fuerit ille, vel prudentiſſimus mortalium. Ego quod non ſub alio morum Magiſtro, quam te Patre, ſit educatus hactenus, non poſſum non optima ſperare, ſimul & credere: tu quouſque paternæ ſollicitudini aurem præbuerit, & ſpei tuæ ſatisfecerit, in vitæ, & morum regimine, non potes non penitus noſcere. Ego non lubens deſideriis filii honeſtiſſimis, & ab ardore proculdubio generoſo proficiſcentibus adverſer, nec diſſuadere profectionem velim, imò ſuaſerim potius, ſi eatenus meo judicio fiderem, ut conſilium impertiri ſtatuiſſem. Id verò non ſtatui, nec ſuadeo, nec diſſuadeo: Atque eo quidem minus, quod intellexerim huc te potius inclinare, ut nondum eat foras filius, ſed maturam magis ætatem, & quam unà cum annis offerret ſortem Deus, ſub oculis tuis expectet. Quod ſi ea tibi potius mens eſt, viro prudentiſſimo, & Patri teneriſſimo, quid ego in re tanta dicam aliud, quam Deum Opt. Max. precaturum me, ut tibi & huic, cæteriſque liberis tuis, in omnibus velit eſſe propitius, quod voyet omni adfectu

Hagæ Com.
die 19. Feb.
1631.

*Tuus,*

G. R. DOUBLETIUS.

---

CLXXX.

## Diodoro Tuldeno,

S. P.

*Gratias agit pro donato ſibi Commentario ejus de ſui cognitione; quod opus ob argumentum & tractandi modum inſigniter laudat.*

ALiquandiu eſt, Clariſſime Tuldene, quod tuum de ſui cognitione Commentarium, & dono quidem tuo, accepi. Ac licet, ſi unquam variis interim diſtringerer curis, quandoque etiam ab urbe abeſſem (cauſam fortaſſe jam aliunde cognôris) impetrare tamen à me non potui, quin per intervalla nunc hanc, nunc illam partem, in manus ſumerem; quod majori dubito voluptate fecerim, quam fructu: unum doleo, occupationibus me iis implicitum fuiſſe, ut inſignem adeo librum non qua curâ oporteret, evolverem. Sed ſic quoque præſtantiam facile cepi, qua allectus ad eum ſæpius recurram. Duo potiſſimum ſunt, quæ commendare ſcriptionem valeant, argumentum & tractandi modus. Hoc ſi ſpectemus, omnes implêſti numeros. Argumentum, cujus ſit pretii facile prudentes intelligant, imprimis corruptis hiſce temporibus. Quam ſapiens ille Chilon, aut quicunque is ſi reſurgeret. Dicti ſui utilitatem, vel potius neceſſitatem conſpiceret: quibus te, Doctiſſime Tuldene, laudibus dignaretur, qui ſic ſiſtere

ſtere ſeculi vitia mirans, nunquam non laudando propoſito? Videret & in Belgis (utut Barbara ei nominaſſent) naſci viros, qui Græcorum & imitarentur, & æquarent ſapientiam. Quamquam parum hic ſit æquaſſe, qui, Chriſtiana Religione perfuſus, quicquid hic gentilis eſt ſapientiæ, longius opere hoc exſuperes, quam luna ſidera minora. Equidem, qui ſæpius calamitoſa hæc tempora deploro, tanto majores tibi gratias ago, quanto magis, feneſcente hac ætate, eorum mihi vitia videor intelligere. Atque utinam dignas referre gratias poſſim; ſed qui vix libri pretium capio, qua ratione, juſta æſtimatione metiri poſſim? Attamen ſimulatque meus eſſe cœpero, ac Muſas ſereniori animo inviſere licebit, (quod propediem fore arbitror) primam curam otio meo ſepoſui, tuum accuratius luſtrandi atque evolvendi opus. Ex quo ſane mihi, ac aliis cunctis diſcere ſemper licebit. Nunc aliud non poſſum quam pro munere gratias agere, quod data opportunitate, compenſare nequaquam differam. Plurimam ſalutem dices ſummo & viro & amico Erycio Puteano. Imo & aliis, quos mei amantes judicabis. Vale, Præſtantiſſime Tuldene, & diligere nos perge.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄcxxxı. ııı Non. Mart. nocte intempeſta, ut plurimum meus eſt mos ſcribendi literas.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## CLXXXI.

## G. J. Voſſius, Erycio Puteano,

### S. P. D.

*Jacobum Skytteum Generoſum adoleſcentem ad mutuum literarum commercium de meliori commendat.*

MAgnam capio voluptatem, quoties cogito, uti ab iisdem magiſtris literas docebamur adoleſcentuli; ita utrumque poſtea idem eloquentiæ ſtudium adamaſſe, atque etiam iis adjutum; me quidem præcepta ejus pro viribus in literas referendo, te vero, quod non paulo majoris ſpiritus, bene dicendo: quo illud es conſecutus, ut quos veterum potiſſimum tibi imitandos propoſuiſti, eos non provocare modo, ſed ſuis etiam cædere in caſtris videaris. Quanquam vero ea parte longiſſime vincar: tamen illud me ſolatur, quod ſtudium non plane diſſimile, eoſdem fere nobis amicos plurimis in terris peperit: uti variis eorum exemplis comperi qui in Germania, Italia, Gallia, Britannia, Sarmatia, aut vicinis imperiis degunt. Putidum fortaſſe fuerit, diu ejuſmodi ſermoni immorari: cum me ipſum etiam ſpectet: ſed Sueonum regno tacere non ſinit præſens occaſio. Nam ut cæteros ſileam, qui quotidie vel huc veniunt, vel me literis ſuis compellant. Hiſce proximis diebus non ſemel de tuis laudibus ſermo apud me fuit Generoſo adoleſcenti Jacobo Skytteo, quem video non ſolum legiſſe omnia pene, quæ divulgaſti, ſed tanta eorum admiratione teneri, ut unus ei Puteanus ſit inſtar omnium, qui triverint hunc eloquentiæ callem. Ac magnopere ille gaudebat cum ex me cognoſceret, quæ inter nos animorum conjunctio foret, meque maximopere rogavit, ut ſimulac ad te ſcriberem, ſuas literas adderem meis. Omnino enim ſe velle tibi innoteſcere ajebat. Hunc honeſtum ejus ardorem ſcio tibi non ingratum fore: partim quia optime ſemper volueris ſtudiis adoleſcentiæ: partim quia publici intereſt, ut illuſtri loco nati, quando literarum ac eloquentiæ amore flagrant, in præclaro hoc propoſito magis magiſque animentur. Eſt vero adoleſcens is minimus natu filiorum Perilluſtris ac Generoſi viri, Joannis Skytte ſenioris, L. Baronis in Duderoff, Domini in Grouſoo, & Stronszarum, Equitis aurati. Qui quantus ſit in regno Suecorum ex eo cognoſces, quod idem ſit ex ſummis regni Senatoribus: idem univerſæ Livoniæ, Careliæ & Ingriæ gubernator: idem Academiæ Upſalienſis Cancellarius. Idem Finlandiæ Septemtrionalis Judex provincialis, nec facile dixerim, quanta indies incrementa apud Suecos ac populos vicinos literæ ac eloquentiæ capiant hujus Viri operâ: Ut vere Mecænatis nomen mereatur. Quin ejus maximè inſtinctu Sereniſſimus Rex Guſtaphus Dorpathi in Livonia illuſtre Gymnaſium erexit, in quo Baro Skyttius orationem inauguralem ipſe habuit anno ſuperiori ııı. Id. Octobris. Imo ſuis etiam ſumptibus in Academia Upſalienſi Profeſſorem Eloquentiæ extra ordinem alit. Ut jam in Academia non Regiis modo Profeſſoribus, ſed Skyttiano etiam ſe jactet. Nec minora ſunt, quæ molitur: inprimis vero totus eſt in eo, ut Regem non fortiſſimum modo ſed etiam eruditiſſimum inflammet ad Academias, Collegia, ac Scholas excitandas in cunctis ditionis ſuæ terris; Etiam (quis credat?) in Lapponia illa, dubium fabulis an hiſtoriis magis decantata. Gaudeamus, mi Puteane, quod etiam ſub frigido illo axe Muſarum ardent amore, nec Muſarum modo, ſed etiam noſtri utriuſque. Multi enim, ut dixi initio, noſtri iſtic amatores, tui etiam admiratores. Quare, ut puto, nec grave tibi erit, tribus verbis reſpondere Illuſtri Baroni Skyttio. Quod non ipſi modo, ſed & mihi atque adeo Illuſtriſſimo parenti ejus longe erit gratiſſimum. Literas Amſtelodamum procurabis, ibi enim alterum jam menſem vivo. Necdum tamen Hiſtorias ac Politicen profiteri ſum publice aggreſſus. Interim ſtipendium nobis liberaliter fluit: ac fruimur otio beato, ſed minime ſegni. Nam non minus interim ſcribendo prodero, quam ſi ingens corona à dicentis ore penderet. Plurimam ſalutem dices V. Cl. Tuldeno, Caſtellano, & ſi qui præterea ament ſtudia noſtra.

Amſtelodami.

## CLXXXII.

## Danieli Paræo,

### S. P.

*Certiorem facit eſſe ſibi conſtitutum Lugdunum commutare cum Amſtelodamo, eo quod auguſtim longe ſtipendium expectare ibidem habeat, ſuturum etiam commodiùs melius proſpicere, uberioremque amici ex ſe ſperare fructum queant, inter quos & ipſi operam ſuam abunde pollicetur.*

IS amor eſt noſter, Præſtantiſſime Paræe, ut peccaturus mihi videar niſi quamprimum te facerem certiorem eorum, quæ pertinent ad ſtatum rerum mearum. Amſtelodamenſes noſtri decrevere ſcholam erigere illuſtrem: ac me Hiſtoriarum ad profeſſionem & Politices vocarunt, nempe (verbo ut dicam) ut quod oneris hic ſuſtineo, idem ſuſcipere in Rep. ſua velim. Quæ eos conſilia impulerint, longum eſſet adſcribere. Sed tamen facile cogitare poſſis, non niſi ſuaviſſimis de cauſis tantos ſumptus facere velle. Quippe ut de uno me dicam, ſi domum acceſeam, ſtipendium futurum centenis aliquot ſupra ter mille florenos noſtrates. Et amici præterea pollicendo commodorum mihi meiſque ſpem egregiam fecere. Illi quibus oculi dolent, quando literis & literatis bene eſt, hunc animum Amſtelodamenſium in calumniam rapiunt. Mihi vero certiſſimum eſt, ſolo ſtudiorum, & publici boni amore hæc eos ſuſcepiſſe, neque ego eorum poſtulato acquieſcerem, niſi viderem, ſic melius poſſe me Reipub. literariæ inſervire. Quanto enim fuero animo defæcatiori, tanto pulchrius mereri licebit de ſtudiis, docendo pariter, ſcribendoque, fortaſſe & ſic magis prodeſſe potero amicis meis: quos inter te etiam, mihi Paræe, merito tuo expono. Utinam urbis ejus exemplum imitentur Haerlemenſes. Id fore quondam in ea republica opinio eſt. Quin jam ſeriò de eo actum fuit. Quin

& Delphenſes tale quid promittere videntur. Quæ ſi accidunt, facilius deinceps ratio haberi poterit virorum præſtantium. Nunc enim id fieri nequit, quia functiones vacant nullæ. Sed de iſtis propediem ſcribam pluribus, aut ſaltem poſt menſem. Tum enim Amſtelodamum ibo: Atque eò ut venero, non deſinam diſpicere, ecquem fructum capere poſſis ex amicitia noſtra. Nec eo minus idem hic, & Hagæ facient amantes Paræani nominis & noſtri, ſcire tamen vellem quò maximè animus feratur, & in quo vel me vel amicos alios, poſſe aliquid exiſtumes. Si poſſumus, volupe erit; ſin minus, affectum tamen teſtabimur. Oratoriarum mearum exemplum recipies à veſtratibus Bibliopolis. His enim uti & Denarium Meurſii noſtri, ſe daturum eas recepit typographi noſtratis filius, qui nunc eſt Francofurti. Vale egregie vir, ac deinceps etiam nos ſemper mutuo amemus.

Lugd. Bat. Prid.
Kal. Aprilis.
Τάχιστα.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

## CLXXXIII.

*Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Voſſio, J. Crucius,

S. D.

*Amicitiam ejus affectat, eruditionem ac merita inſigniter extollens.*

NOminis tui, Vir Clariſſime, ac Doctrinæ, quodam quaſi ſplendore deterritus, ſcribere ad te hactenus ſuperſedi. Sed impetravit à me has qualeſcunque literulas, cum mei officii ratio, tum tuæ humanitatis opinio. Quorum unum impellit, alterum invitat, ut amicitiam tuam ambiam; & benevolentiæ tuæ erit, ſi exambiam. Certe quanquam amici tibi non deſint, quos plures virtus tua habet, & eruditio, qui verbis aut literis te compellant, tamen & ego venire in partem geſtio, & ſeria tui obſervantia, eam à te inire gratiam, qua me, qui in affectu aliis hilum non cedo, in numerum tuorum cooptare haud dedigneris. Ita mihi ſemper in amore, & in pretio docti, qui inſignem qua pollent, eruditionem, cum virtute eximia, ſociarunt, ut non minus boni audiant & ſapientes, quam literati. Equidem non poſſum, aut tacere quæ de te ſentio, aut non ſentire ea quæ de illo debeam, in quo (non blandior) omnia quæ in aliis ferè ſingula, reperiuntur univerſa. Cum Poëta hoc dicam,

*—— potius fugientia ripas*
*Flumina devincas, rapidis aut ignibus obſtes,*

quam viri verè literati doctrinam venerari me veres. Sed cum mihi non ſit ea dicendi vis, ea copia, ut quæ de te ſentio, verbis queam exprimere, longeque infra doctrinæ tuæ faſtigia ſubſidant, quæ vel mente concipio, vel cogitatione complector, nec verba minus deſint animo, quam rebus animus, prolixius ea emetiri calamo, non eſt conſilium. Loquuntur ingenii tui monumenta, quæ nunc ſeculum miratur, & ſera aliquando venerabitur poſteritas. Loquitur, ut alia taceam, ſubactum illud, & omnibus numeris abſolutum opus Inſtitutionum Oratoriarum tertium nuper editum. In quo, quis & quantus ſis, non obſcurè prodis; & ita ſentiunt, qui melioris doctrinæ guſtum ac ſenſum habent. Loquitur denique & indefeſſa tua in ſtudiis, hac etiam ætate, φιλομαθία, qua te affixum tenes libris, ut teſtæ ſuæ cochlea. Quam quoties ex relatu aliorum intelligo, ſtupeo ſubitque mirari, virum tantum, tam calide adhuc & ἀκαμάτως ſtudiis ſuis deſudare. Sed creſcentem ſequitur cura & labor eruditionem, ut umbra corpus: nec quenquam minus de ſe ſentire video, quam eos qui ſupra vulgum ſapiunt: nullus quoque minus doctrina ſatiari, quam quibus Palladis leviter laciniam libaſſe, non eſt ſatis, ſed in abditiſſima ejus adyta penetrare decretum, & ad doctrinæ ἀκμὴν eniti. Quibus omnibus accedit ſollicita & perpes formandæ juventutis cura. Ita enim non aſſueviſti ſolum, ſed natus es, ut libenter te impendas, ſæpe etiam ſeriis relictis, in commoda juventutis. Etſi quæ ſeria magis ſunt? & aut ego fallor, aut Reipublicæ accedit quicquid in iſtis, ab inſtitutione conficitur, qui illi creſcunt, & adſurgunt. Sed cum præceptorum fere mores, in adoleſcentum migrent ingenia, & ab iis mutuentur, quod in omnem ætatem tranſmittunt, beatam ego illam judico juventutem, cui tua inſtitutione, fini datum. A qua fieri non poteſt, quin ad magna exſurgant, & ad ampla Reipub. munera, cum laude obeunda. Jacent mehercle, etiam optima ingenia, ſi deſint, qui excolant. Ita fœcundiſſimi ſterileſcunt, aut ſylveſcunt, ſine cultura, agri. Adde illam, etiam reliqua, frugum luxuriabunt copia. Et quis dubitet in animis, culturam poſſe, quod in terra? ſic tamen, ut quod in terris evenit, validiori aratro, ligone, marra, raſtro, ad fœcunditatem provocanda ſit una, molliori altera, quædam ultro fœcunda, levi manu colenda, dum rudioribus altera, ac non niſi per ſudorem, magna promittat. Idem in ingeniis. Felix ille qui nihil negotii ſecum habet; at hic de ſe melius dici poteſt meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit. Ut nulla malignitas tanta ſit, quam non aſſidua virtutis exercitatio corrigat, & inſtitutio: aut minus diſciplina & labor in ingeniis poterit, quam in reliquis induſtria. Magnos ſane viros, perditâ pene ac deſperata adoleſcentia in patriæ ſalutem natos accepimus. M. Torquatum ingenii tarditas in agrum tanquam in exilium ablegaverat, hic tamen periclitantem Latino tumultu patriam, inſigni triumpho reſtituit. L. Valerium Flaccum, quem Roma projectæ libidinis juvenem, virum omnis poſtea modeſtiæ, ac probitatis, exemplum vidit. Jam quid Q. Fabii Maximi adoleſcentia fœdius? quid vero illo ſene ornatius, quid auguſtius Roma tulit? Q. autem Catuli juventutem deliciis & luxu diffluentem quis crediſſet in patriæ aliquando Principem, exſurrecturam? Duos in una Sylla homines fuiſſe dixeris, turpem adoleſcentem, & virum fortem: duos etiam in Julio Cæſare, in Veſpaſiano, Imperatoribus. Themiſtoclis vero adoleſcentia quid licentius? at is exinde juventæ ſuæ maculas, rebus ſtrenuè geſtis ita eluit, ut Græcorum clariſſimus extiterit, & prælio navali, Perſis ad Salaminem victis, patriæ libertatis aſſertor fortiſſimus. Plurima generis hujus exempla, omnis retro ætas tulit, ut non ſit deſperandum inſtructori, ſi primis conatibus non reſpondeat eventus. Præſertim hoc ſæculi contagio, & morum licentia, quam tu quoque opinor, vides & doles. Benignior Deus aſpiciat,

*—— Qui ſolus opem, qui ſumma medendi*
*Jura tenes —— ——*

Ille te, Vir Clariſſime, meo voto ſoſpitet, & Reipublicæ literariæ diu ſervet incolumem. Animo interim ſemper, interdum & literis jungamur, quæ ſi obtineam, inter repoſita & cimelia habebo. De me factum volo, & faciam ubi occaſio erit. Re hoc malo oſtenſum, quam verbis dictum. Vale iterum, & amplus, Academiæ (ea eſt tua laus) ornamentum, & φιλοῦντα ἀντιφίλει.

Delphis 6. Cal. Maji.
M DC XXXI.

CLXXXIV.

## CLXXXIV.

## Gerard. Joh. Voſſius, Hugoni Grotio,

S. P.

*Negotium de conſtituenda nova ſchola adhuc dum Amſtelodamenſes inter & Lugdunenſes agitari ait, nec tamen dubitat, quin illi cauſâ futuri ſint ſuperiores.*

MAgnis animis ſuperiori hebdomade actum eſt, de negotio meo Hagæ in Illuſtrium Ordinum conventu, inter Leidenſes & Amſtelodamenſes. Minantur Leidenſes nihil ſe deinceps tribuere velle ad bellum adverſus Hiſpanum, ſi Amſtelodamenſes violent privilegium ſibi à Philippo Rege conceſſum, ut pro obſidione bis fortiter tolerata, erigere poſſint Academiam. Aperta enim eſſe Privilegii verba, quibus cavetur, ne ulla Hollandiæ aut Zelandiæ urbs talem Scholam erigat. Amſtelodamenſes jubent attendere ad ea quæ antecedant vocem hanc *talem*, nempe privilegiatam, ſive quæ honores graduum conferat, immunis ſit à tot oneribus, ſuam habeat juriſdictionem. Quæ ſint forma Academiæ: non illud, quod publicè doceatur, cum hoc multa habeant Gymnaſia, quæ vocant Trivialia; omnia verò illa, quæ vocantur Illuſtria: ut Schola Bremenſis, Sigenenſis, Steinfurtenſis, Dantiſcana aliæque. Imo idem Dordrechtanos juris ſibi vindicaſſe, atque Middelburgenſes: nec Leidenſes ſe unquam oppoſuiſſe. Primum hoc agebatur in Ordinum conventu, ut Civitatum Deputati ſententiam ferrent de mente privilegii Leidenſibus à Philippo, hoc eſt Principe Guilielmo ſub nomine Philippi conceſſo. Sed ubi videre pleraſque civitates eò propendere, ut pro Amſtelodamenſibus ſententiam ferrent (quæque enim graviter ferret, jus ſibi eripi deinceps in urbe ſua alendi Profeſſorem publicum) maluere eam controverſiam ad Curiam utramque devolvi. Utrum paſſuri id ſint Amſtelodamenſes, necdum ſcio. Sed ſi ſint, non dubito, quin Amſtelodamenſes ſint futuri ſuperiores. Uſque adeo apertum mihi videtur, ſingulas civitates id juris habere. Hæc ego ſubito in chartam conjiciebam: quod nollem Nobiliſſimum illum Polonum, qui has literas perfert, & multa de laudibus tuis diceret, ſine meis ad te literis venire. Propediem cætera perſcribam. Hæc enim ego, quod dicitur, ſtans pede in uno, ſane raptim adeò, ut metuam ne legere ea poſſis. Sed nimiæ feſtinationi ignoſces. Proxima hebdomade, hoc eſt poſtrid. Kal. Majas Amſtelodamum migro. Quod Deus benè vertat. Ibi judicium exſpectabo Curiæ, ſi ad eam cauſa deferatur. Sin minus, cum Amſtelodamenſibus quid faciendum ſit conſultabo. Ita enim petiere, cum per hanc urbem Haga ſe domum conferrent. Vale Ampliſſime Vir & amiciſſime.

Lugd. Batavor.
cIↃ IↃ c xxxi,
xxix April.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CLXXXV.

## Johanni Rouſe,

Bibliothecario,

S. P.

*Commendat adoleſcentes aliquot nobiles. Migrationem ſuam ex Academia Lugdunenſi ad Gymnaſium Amſtelodamenſe indicat. De Mariano Scoto proximè Archiepiſcopo Hiberniæ reſcripturum ſpondet.*

QUas literas vides non Lugduni Batavorum ſcripſi, ſed in Amſtelodamenſi urbe, emporio per orbem totum inclyto, & Belgicæ fœderatæ, ut ſic dixerim, Venetiis. Ea civitas viris & opibus potens hoc uno nomine viſa ſibi infelicior, quòd præter vulgarium Scholarum præfectos non haberet publicos juventutis Doctores. Eoque erigere ſtatuit, Gymnaſium, ut vocant, illuſtre; cujus fundamenta, ut jacere vellem, petierunt, nec à me modo id obtinuere, ſed etiam Caſparo Barlæo, Poëta & Philoſopho egregio. Ille Philoſophiæ Profeſſor futurus, ego Hiſtoriarum ac Politices. Labor idem mihi qui Lugduni: ſtipendium pene altera parte majus. Nec tamen tam illud ut migrarem perſuaſit, quàm quòd non paulò melius liberis hic meis poſſim conſulere, & plus otii ſum habiturus ad ea conficienda, quæ animo confeci. Verè enim id dicere poſſum, mei me aliquam, majorem liberorum, maximam autem poſteritatis rationem ea in re habuiſſe. Accepi à Reverendo viro Ludovico de Dieu Marianum Scotum calamo exaratum. Non dubito quin ſit exemplar illud de quo mecum Oxonii verba faciebas. Nam ajebat de Dieu id ſibi tranſmiſſum à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Hiberniæ: ac quanquam literæ nullæ eſſent additæ, tamen quia Hiſtorici eſſet argumenti, mihi tranſmiſſum colligebat. Simulatque vero in manus ſumſi, vidi nomen meum frontiſpicio aſcriptum, quod omnem utrique ſcrupulum ſolvebat. Itaque primâ occaſione ad Reverendiſſimum Dom. Archiepiſcopum ſcribam. Quod eo hoc tempore non facio, quia ob tranſmigrationem, & curas alias, non potui hoc volumen Mariani ſic verſare, uti vellem, atque uti eum oporteat, qui apud heroem illum nolit crudum promere judicium. Nam ingenuè ut dicam, quod res eſt, tantum carptim complura legi: quod facile mihi omnes ignoſcent qui norint vitam meam, præſertim hoc tempore. Qui has tibi literas tradunt, ſunt tres fratres Adamus, Guilhelmus, & Carolus, filii Nobiliſſimi Viri Leonardi Neyenburgii, qui dum viveret, primum Imperatori Rodolpho, poſtea Matthiæ qui in Imperio ſucceſſit, à Conſiliis fuit. Ephorus eorum eſt Joannes Addon natione Bohemus: cujus & gentis ſunt juvenes illi quorum ſtudiis præeſt. Rogarunt obnixè me, ut ne in Britanniam ituros ſine commendatitiis meis dimittere ſe vellem. Lubens iis morem geſſi: quippe qui probitatem illorum ac modeſtiam haberem perſpectam. Quo nomine non mihi ſolum ſed collegis etiam meis fuere accepti. Quare ſi fortaſſe in ſolo extero, conſilio egeant tuo, ejus participes illos facias. Doctiſſimum & amiciſſimum Pocockum in Syriam eſſe profectum, ut majora ibi Orientalium linguarum incrementa caperet, intellexi ex Britanno, qui Oxonio veniret; & Hamburgum ad Britannum Legatum proficiſceretur. Negabat ſe quicquam literarum apportare, quòd ſubitò decedere ſit coactus. Attamen ſecurum me reddebat de exemplaribus Pococko tranſmiſſis. Unde & colligo accepiſſe vos duo Oratoriarum Inſtitutionum exemplaria quæ adjunxeram. Diu ea res me valdè ſollicitum habuit, propterea quod nihil de illis intelligerem. Heri me convenit Mulenius Danus, ephorus Nobiliſſimi juvenis Roſæcrantzii. Is mihi Arontii exemplar inauratum ex dono typographi obtulit, ex quo etiam cognovi eum de nova theſium mearum editione cogitare. Itaque de iſto etiam proximis vel ad ipſum vel ad te literis ſcribam.

Vale, Vir Clariſſime & amiciſſime, meoque nomine plurimùm ſaluta ſummos viros, Acc. Fruen, Gu. Juxon, Br. Duppam, D. Prideaux, Sam. Fell, Thomam Claytonum; Sed & optimum & doctiſſimum Harriſonum & omnes quos noſtri ſcis amantes.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxi.
III Id. Majas.
St. vet.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

CLXXXVI.

## CLXXXVI.

# Proceribus Amſtelodamenſibus.

*Laudat præclarum Procerum inſtitutum, erigendi in urbe ſua Illuſtrem Scholam; gratulaturque ſibi quod opera & conſilio ſuo hac in re cogitent uti, attamen dubia quædam objicit, ſuper quibus ſententiam illorum penitius exquirendam putat.*

*Ampliſſimi & Præſtantiſſimi Viri,*

Jam octiduum & paulo amplius eſt, quòd me Lugduni domi meæ fruſtrà quærebatis: ſed Hagæ tamen reperiſtis. Judicium tum faciebatis pulcherrimæ cogitationis veſtræ, de conſtituenda apud vos Illuſtri Schola, ne habeatis neceſſe rudes & improvidos adoleſcentulos tam cito ablegare in Academiam; quod quanto ſæpe cum periculo fiat, triſtibus etiam documentis cognoviſtis. Et ſane quamquam hoc ipſi non addebatis, tamen facilè illud per me video, curæ id etiam vobis eſſe, ut urbs veſtra, undique propè beata, literarum etiam gloria magis caput attollat. Quod autem, in tanto negotio meam quoque operam conducibilem fore exiſtimaſtis: equidem gaudeo. Nec aliena mihi mens ad morem eà parte gerendum vobis, atque adeò magno etiam animo capeſſendum, quod expoſcitis. Sic enim ſemper fui, ut in eo quod ſemel ſuſceperim, non ſinam claudicare diligentiam meam. Sed tamen non levia etiam ſunt, quæ ſcrupulum injiciunt. Primum illud cogito, vivere me in Academia toto terrarum orbe inclyta. Ac fruor in ea emolumentis, quantis mei ordinis quiſquam. Nempe à bis millibus ea propè abſunt, ſi etiam immunitates accenſeam. Quæ cum cogito, neſcio an ſatis ex re ſit veſtra, ſi ad me potiſſimum eatur. Nec enim ab hoc loco avelli poſſim, niſi laboris ſit non multò amplius, emolumentum non paulo majus. In quo mihi non videor peccare, cum alioqui periculum ſit, ne fabula multorum fiam, malignis adeò temporibus, ſi Academiam Schola Illuſtri commutem levibus de cauſis. Sane non hic modo male audiam ſed vicinis etiam locis, ad quos vel viva voce docendo, vel induſtriæ monumentis nomen pervenit meum. Itaque ſic exiſtimo, nihil me poſſe in re tam gravis momenti ſtatuere, niſi prius conſtiterit, quibus conditionibus ſim avocandus, ſive laborem, quem ſuſciperem, ſive præmium reſpiciam. Terret etiam (ingenue ut dicam) offenſa Ampliſſimorum Academiæ literatorum. Nam poſcebatis, ut iis ignaris, tranſigi omne hoc negotium inter nos poſſit. At hoc ſi fiat, Æolum extimeſco, & Septentrionis filios: ſed enim vos, velut humani Joves, ſi prius compellari non poſſint, ſaltem ſedare queatis tempeſtatem iſtam, quam nunc formido. Quid multis opus? In tam arduo negotio, nec abnuere tantæ urbis Proceribus pulcherrimum poſtulatum fas putavi: Et tamen graves etiam cauſas video, cur arbitrer, penitius aliquantò mihi explorandum eſſe de tota hac re animum & ſententiam veſtram. Deus & vobis, Ampliſſimi Proceres, & mihi mentem illam inſpiret, quæ & glorioſo ejus nomini inſerviet, & inclytæ urbi veſtræ, atque adeo Bataviæ univerſæ, tum etiam mihi ac familiæ meæ ſit maximè ſalutaris.

Lugd. Batav.
Cal. Jun cIↄ Iↄcxxxi.

*Nomini veſtro & inclytæ veſtræ Reip. addictiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CLXXXVII.

# Hugoni Grotio,

S. P.

*Enarrat difficultates in conſtituendo Gymnaſio illuſtri Amſtelodamenſibus ex proteſtatione Leidenſium motas. De filio quid ſibi ſtatuendum ſit, & num oblatam Conſtantinopolim eundi occaſionem amplecti debeat ſollicitè exquirit, maximè cum vario ex ſodalitio, in religione & moribus ſeductionem facilem ſuſpicari poſſet.*

Jam ex Ampliſſimo affine tuo Reigesbergio intellexeris, vir maxime, ut Amſtelodamenſes cauſis compulſi graviſſimis conſtituere in urbe ſua cogitent Gymnaſium illuſtre: atque ut ad eam rem utilem exiſtiment operam tum meam tum collegæ & amici veteris Caſparis Barlæi. Sed Leidenſes plane habent perſuaſum, detrahere eam rem multum poſſe nomini & exiſtimationi Academiæ ſuæ: eoque omnem movent lapidem, ut hoc negotium diſturbent. Primùm negant, juris hoc eſſe ulli civitatum, præterquam ſuæ, cui pro tolerata fortiter obſidione, præmii loco ſit attributum, ut Academiam habeat, ad quam Hollandiæ & Zelandiæ ablegetur juventus. Amſtelodamenſes autem arbitrantur, aliud eſſe Academiam ſtatuere, quam ob rem opus ſit privilegiis & immunitatibus à ſuprema poteſtate conceſſis: aliud autem Gymnaſium erigere, in quo juventus, & alii Muſarum amantes, abſque ejuſmodi privilegiis, liberali imbuantur doctrinâ: quale jus penes ſingulas eſſe civitates. Exiſtimem quoque, eam rem plurimum commodare poſſe Leidenſibus, quia ſi annum unum alterum diutius apud ſe detineatur juventus, & eruditione auctior ventura ſit ad Academiam, quod ex honore loci futurum: eo judicio firmatior quod efficiat, ut deinceps hic minus ſit turbatum. Urgent iterum Lugdunenſes, ſi habere Amſtelodamenſes velint Profeſſores aliquos, ſaltem non alibi iis docendum fore, quam in ſcholis claſſicis: uti apud Dordrechtanos fecere Profeſſores Nanſius, Polyander, Marcellus. Amſtelodamenſes ajunt non eſſe laborandum Leidenſibus, utrum in Auditorio aliquo Scholæ claſſicæ doceant Profeſſores, an loco aliquantum diſſito, qui magis deceat non modo doctores ipſos, ſed etiam adoleſcentes jam rude à ludi moderatore donatos, ac pariter tot præſtantiſſimos cives, qui ſtudia colant, ac de rerum natura, vel imperiis, aliiſque rebus præclariſſimis, publicè alios diſſerentes audire exoptent. Denique objectant, ut hæc eſſent, non tamen debuiſſe Amſtelodamenſes ex Academia hac vocare: ſed potiorem iis habendam fuiſſe rationem ſcholæ quæ totius ſit Hollandiæ & Zelandiæ, quam quæ unius ſit urbis futura: Præſertim cum ipſi nobile ſint membrum in Procerum conventu à quo Curatores Academiæ ſtatuuntur, ut quos hi ſtatuerint Academiæ Profeſſores, iidem ab Amſtelodamenſibus ipſis præfecti fuiſſe Academiæ ſint dicendi. Neque negant Amſtelodamenſes hæc alicujus eſſe ponderis: ac propterea delegati eorum in Ordinum conventu ante menſes duos cum à Leidenſibus ſuper hoc compellati eſſent, eò inclinabant, ut ſi rogarentur, ne quemquam vocare ex Academia ſua vellent, morem ea in re gererent, dummodo mihi ſatisfieret, quo invito pacta conventa non poſſent reddere irrita. Leidenſes vero paſſi ſunt optimam occaſionem effluere, quamquam dies dicta eſſet conventu, & ea de cauſa ſemel iterumque Lugduno Hagam excurriſſem. Nimirum honeſtius urbi ſuæ putant Leidenſes, ſi non tam rogent Amſtelodamenſes ut à propoſito deſiſtant, quin ſi in proximo Ordinum conventu, qui menſe Martio futurus, interdicatur Amſtelodamenſibus, ne illuſtrem ſcholam erigere, aut ſaltem ne quemquam ex Academia ad Scholam urbis ſuæ vocare Profeſſorem poſſint. Amſtelodamenſes negant ſe quidquam facere velle, quod privilegiis Leidenſium adverſetur. Sed ſi iis repugnet conſilium de Gymnaſio in quo doceant Profeſſo-

feſſo-

by Google

feſſores publici, ſolum opus eſſe, ut privilegium hoc ſibi monſtretur, eo viſo, velle ſe ab inſtituto deſiſtere. Ad me autem quod attinet, eò ſe potiſſimum de me ajunt cogitaſſe, quia non ſolum opera mea in publicè docendo Hiſtoriam pergratum toti urbi argumentum, utilis ſit futura, ſed etiam in dirigendis ſcholis duabus claſſicis (quarum non melior facies ſit, quam in cæteris Bataviæ urbibus) juvare conſilio Ampliſſimos Conſules poſſem: quippe qui non ſine fructu annis totis xv. Dordrechtanæ Scholæ ante hos xv. annos præfuiſſem. Negant præterea cum in Academia Profeſſores locantur, ſtipulationem intercedere, qua obſtricti Profeſſores non aliò ire poſſint, ſi res eorum ſic ferant. Si jus eſt Leidenſibus abrogandi munus Profeſſoribus, cujus rei exempla nuper vidimus (ut de ſocero Junio taceam, cui profeſſio linguæ Hebrææ erepta invito) ſane etiam Profeſſoribus jus eſſe abdicandi ſe munere quando vellent. Ac hujus rei exempla multa ſuppetere: ut in Danæo, ſe conferente in illuſtrem ſcholam Gandavenſem; Gomaro Middelburgum eunte: Meurſio proficiſcente Soram; & compluribus aliis: ſi profeſſione fungens non poſſit à ſe vocari, tantum requiri, ut Profeſſor muneri renunciet: nec dubitari poſſe quin eum tum vocari ſibi liceat. Hæc ſunt de quibus Leidenſes in proximo Ordinum conventu, controverſiam Amſtelodamenſibus moturi videntur. Quod ſi ſic etiam ſe nihil efficere poſſe animadvertant, puto, contenti erunt à Proceribus noſtris xx. aut circiter, millia expetere, ut deinceps liberalius habeant Profeſſores alicujus nominis, atque alios etiam conſequantur, qui vel docendo publice, vel ſcribendo illuſtrare hanc Academiam poſſint. Hujus rei indicium non unus mihi eorum fecit, qui Leidenſibus familiarius utuntur. Nec obſcurè innuunt diſceſſum meum cauſaturum, ut luculentiori conditione Salmaſius iterum advocetur: ut paullum illud damni quod in me faciet Academia, magnitudine ejus viri abundè compenſetur. Equidem ſi venerit gratulabor, eò magis, quia ei docendum publicè non erit; eoque defæcatiori animo totus erit in ſcribendo. Mihi tam felici eſſe non licuit, cui bis de die docendum fuit, ut ignoſci mihi debeat, ſi ſcriptorum præſtantia ab aliis vincar. Laus hæc publica eſt: nec omnia omnes poſſumus. Ac de iſto hactenus. Ad aliud nunc venio, in quo conſilio atque operâ mihi opus tuâ. Ante dies tres quatuor redditæ literæ filio meo Dionyſio, à Generoſiſſimo Barone Chriſtophoro Slupeſkio, quibus ſignificat, fortaſſe iturum ſe Conſtantinopolim & ad alios Orientis tractus: ac quia meminerit, quanto ardore filius ſoleat expetere, ut terras eas luſtraret, & quæ deeſſent in Arabicis, ab Arabice loquentibus poſſet addiſcere, voluiſſe ſe nunc occaſionem offerre, quia ſine parentum moleſtia voto ſuo poſſet ſatisfacere. Comitem enim itineris hujus aſſumturum. Non abhorret filius, quin nihil æque deſiderat, quam ut hoc fiat. Sed quiddam ſcrupulum mihi injicit atque uxori. Nam quia Illuſtriſſimus hic Baro in Religione ſequitur opiniones Eccleſiæ Romanæ; ac filius meus ob ætatulam (necdum annorum xx. eſt) judicio non adeo eſt firmato, ut ineſcari promiſſis nequeat, aut argumentis decipi ſpecioſis: parum tutum arbitror, eum committere itineri tam longinquo cum iis, qui rem Deo ſe gratam facturos putarent, ſi ad gremium Eccleſiæ Romanæ filium abducerent. Suſpicio mihi injecta ab aliquo à rege Chriſtiano Legatum ire aliquem Conſtantinopolim, inque hujus comitatu Baronem Slupeſkium fore. At rex non mittet alium, ut puto, quam ſuæ in religione ſententiæ. Eum Presbyter comitabitur, & alii ὁμόδοξοι. Quare tanto plus periculi filio ſit, in tanto eorum numero, qui diverſum ſentiant à nobis, ut mittam, quod fortaſſe in iis futuri homines malis moribus, quos aſſricare meo poſſent. Ille quidem ſe ſatis firmo ad ea pectore arbitratur. Sed ego multis edoctus exemplis tuta etiam timere didici. Nec propterea conſultationem omnem de hac re abjeci. Fortaſſe enim Illuſtris hic Baro minus Romanæ Eccleſiæ placitis adhæret, quam cum viveret nobiſcum. Fortaſſe etiam comitabitur Ephorus Paſchalis medicus Gallus, qui tantum non juravit in verba Zelotarum noſtrorum. Fortaſſe & unà iturus frater Generoſorum tertius, qui, ut intelligo, in religione plane noſter eſt. Et ſi Legatus mittendus, fortaſſe erit aliquis, qui in religionis controverſiis non male ſentiat de Eccleſiis noſtris. Quales è politicis Gallia habet multos, qui diſtinguere æra poſſint lupinis. Hæc ſi eſſent, facilem me poſtulatis filii præberem. Eſt enim is Baro Chriſtophorus Slupeſkius, ut, ſi unum illud de Religione excepero, nihil in eo poſſit deſiderari. Pius eſt ac numinis metuens, gravis eſt, modeſtus, & cordatus. Ingenio excellit, & pro ingenio rara ei eruditio, & mei filiique eſt amantiſſimus. Quare ſi pulchra fuerit occaſio filio viſendi Orientem, nullis, vel exiguis impenſis meis: nec cauſa ſit ſatis gravis, cur in Religione ei ab ἑτεροδόξοις metuere debeam, ſane fore puto, ut morem ei geramus; verum haut animus annuere, antequam de eo quod dixi, penitius aliquid cognoro. Quare rem feceris longe mihi gratiſſimam & amicitiâ noſtrâ dignam, ſi ea quæ vel jam ſcias de itinere hoc, vel ex Illuſtribus Baronibus aut aliis poſſis cognoſcere, ad me iis ignaris perſcripſeris. Ego quidem & filius Generoſo Baroni reſcripſimus, ſed de metu eo, qui Religionem ſpectet, ne γρῦ quidem. Id enim magis abalienare, quam conciliare poſſe videbatur. Si inconſultum plane erit, ut filius ſe in viam det, aliæ à nobis cauſæ, & veræ poterant adferri, cur id minus fiat. Accepi his diebus literas ab ornatiſſimo Oomſio noſtro, quibus ſignificat, impenſe ſe deſiderare reſponſum ad literas, quibus ſignificat, quas ad te miſit, poſtquam mihi ſententiam tuam de Equeſtri S. Michaëlis dignitate perſcripſeras, nihil illi acceptius fuit humanitate ea, qua morem nobis geſſeris. Atque optat, ut de cætero etiam certior à te fiat. Salutant te, uxorem, liberos, omnes mei, atque una filius tuus, qui in ſtudiis probare ſe pergit.

Lugduni Batav.
clↃ Iↄ c xxxi.

*Tuus omni officio,*

G. J. Vossius.

CLXXXVIII.

*Baroni*

## Jo. Slupeskio,

S. P.

*Tempus ſuper itinere filii Dionyſii Conſtantinopolitano deliberandi ſibi concedat rogat. Amſtelodamenſes ſtrenuè negotiari de erigenda apud ſe illuſtri Schola ſignificat.*

JAm quaſi annus eſt Illuſtriſſime & amiciſſime Slupeſki, quod Generoſiſſimi fratris tui, Nicolai Slupeſki, alloquio ſuaviſſimo iterum frui dabatur, nec quidquam ad perfectionem gaudii mei requirebatur, niſi quod qui antea nobili illo fratrum pari beabar, tunc dimidium ejus non viderem, nec ſi nunciaretur, ſubinde Baronem Slupeſkium velle me compellatum, è famulitio aut liberis quærere, —— poſſem. Illud vero etiam dolorem non mediocrem adferebat, quod intelligerem te, cum jam unà in viam dediſſes, valetudine adverſâ coactum patriam repetere. Nam, ut amor ſollicitus eſt, triſtiora etiam metuebam. Mirabatur tum frater, me nullas à te literas accepiſſe, quas à te ſcriptas probe conſtaret. Ægrè erat, eas intercidiſſe. Ita enim ſuſpicabar cum Paſchali medico jam in Gallias profectus eſſet. Nec multo poſt alteræ mihi à te literæ, atque illæ à te Lutetia Pariſiorum perſcriptæ. Sanè utriſque literis nihil mihi carius eſſe potuiſſet: partim quia caperer mirâ ſermonis elegantiâ, partim quia reluceret ubique ſumma humanitas atque amor mei. Sed Pariſinæ tamen illæ non paulo acceptiores, quia hæ metu me illo liberabant, quem valetudo incuſſerat. Quippe ex his cognovi, te redditum

P ubi,

tibi, & jam emenſis itineris ſpatiis, cum florentiſſimo fratrum pari, feliciter Lutetiæ agere. Hoc mihi eo jucundius fuit, quia ibidem haberetis virum illum, quo ego nihil undique conſummatius novi, ac quo quanto familiarius uti licebit, tanto vos beatiores putabo. Nihil, puto, opus addere illud, me Hugonem Grotium dicere, quod intelligerent etiam nominis Grotiani hoſtes. Illud potius dicam, quamquam valde gaudeo vos adeo eſſe felices, tamen, cum Batavicè bona confero cum veſtris, & aliorum extra has terras, non vobis quidem quos ſic amo, & colo, ſed tamen aliis quibuſdam hanc felicitatem, pœne dixerim, me invideo. Scio enim quantum damni in eo faciam, quod tot annos hoc viro careo. Neque aliud æque opto, quam illam mentem Proceribus noſtris, ut eum reſtituant patriæ & ſuis. Ex epiſtola quam ante quatriduum ad Dionyſium meum ſcripſiſti, video te cogitare Conſtantinopolim & Orientis tractus: nec abnuere, imo potius expoſcere filium tanti itineris ſocium & comitem. Equidem cum Illuſtre genus veſtrum & cæteras laudes tuas cogito, non poſſum non ſummas tibi gratias agere, quòd tantus tanto honore atque affectu pariter me meoſque proſequaris. Nec tamen tam ſubito ego & uxor ſtatuere quicquam potuimus, partim quia itineris totius rationem ac quas vocant *ἀξιώσεις* aliquanto ſaltem penitius noſſe antea oporteret: partim quia animus meus nunc alio negotio plane diſtinetur. Quod cujuſmodi ſit, non defugiam exponere. Amſtelodamenſes decrerunt illuſtrem erigere Scholam in urbe ſua. Atque hoc ut faciant, duo imprimis impellunt. Primum movet liberorum cura, quos, tot triſtibus edocti exemplis, tam cito in Academias licentia corruptas ablegare metuunt. Nec enim idem moribus obtinet Belgarum, quod gentis veſtræ: Sed apud nos ætas ea, quæ in vitia omnia maximè ebullit, maximè ſine cuſtode relinquitur. Sufficere exiſtimant, ſi aliquis mores inſpiciat, cum ætatis beneficio, vitia ignorant. Præterea impellit civium amor, quibus ſtudia ſunt cordi. Magnus enim eorum eſt numerus in hac urbe, qui & noſtram & Academias alias his proximis viginti, vel triginta annis luſtrarint: neque nunc minus, quoties licet, audire aliquem cupiant de rerum natura, vel rebus geſtis, aliiſque rebus gravibus publice diſſerentem: Advenarum etiam non pauci ibidem degunt, quibus idem eſt ardor. Nempe præter illos, qui ſolas ſectantur Muſas, cum Apolline ſuo, habet ea urbs viros Mercuriales, quibus doctrina pariter curæ ſit ac opes, Mercurii ſui exemplo, non mercium modo, ſed eloquentiæ etiam præſidis. Deſiderium eſt igitur civitatis, ut quemadmodum longe ſupra alias urbes caput extulit divitiis, ita etiam literarum laudibus magis & magis fiat inclyta. Tanti ut voti compos exiſtat, exiſtimavit, eos ſibi advocandos Profeſſores, qui tum ſcriptis jam inclaruiſſent, ut nomen naſcenti Scholæ dare poſſint: tum etiam Venere aliquâ ac facundia polleant in docendo, ut facilius allicere & detinere auditores valeant. Qui ea in urbe me aliquando audire, quales etiam e Proceribus ſunt, perſuaſere cætero Senatui (quam verè ipſi viderint) non eſſe me ab his laudibus deſtitutum. Itaque miſſi ad me è Senatu, qui poſtularent, ut huic Reip. operam meam addicere vellem in iis publicè docendis, quæ apud Leidenſes narro. Item præterea ad Caſparem Barlæum: qui cum aliis ſcriptis, tum præcipue poëmatis magnum ſibi nomen non in patria modo, ſed vicinis etiam regnis paraſſet. Quam diſertè autem tetrica Logices præcepta idem ante annos duodecim ſolitus ſit in hac ipſa Academia tractare, teſtes plurimi ſuperſunt, qui florentiſſimo auditorio docentem audierunt. Quare hunc Philoſophiæ Profeſſorem deſignarunt? Luculentam domum habebit, ac præterea annos florenos noſtrates mille & quingentos. Mihi præter domum, quæ octingentis conducitur, annumerabuntur quotannis bis mille & quingenti. Spes etiam aliorum facta, quæ commemorare ſingula nihil attinet. Et jam affectum ſuum erga liberos teſtari cœperunt, Franciſcum meum referendo in numerum Advocatorum urbis ſuæ, qui Hagæ degunt. Huic Amſtelodamenſium inſtituto non ſatis æquos ſe præbent Leidenſes: quibus illud unice in votis, ut diſturbare conſilia eorum poſſint. Sed Procerum ſapientiores negant eos quicquam effecturos; Qua de re certiora proximis ad te ſcribam literis. Simul etiam plenius ſignificabo, quid nobis videatur de poſtulato filii, rogantis, ut comitari te in Orientem poſſit. Quamquam profecto vix nos extricare poſſimus, niſi, ut dixi, re omni, de qua conſulendum, melius perſpecta. Sperat igitur filius ſe alteris literis tuis melius de omnibus poſſe edoceri. Quicquid autem futurum, æternum tibi debebo, quod luculentè adeo teſtari volueris, erga me & meos, quanti nos facias. Deus hanc tibi mentem perpetuo conſervet, mihi autem & meis vires largiatur ad ea præſtanda officia quæ animum gratum in noſtri ordinis hominibus deceant. Generoſiſſimis fratribus tuis, atque etiam doctiſſimo viro Paſchali, plurimam meo nomine ſalutem dicito.

Lugd. Bat.

*Generoſi nominis tui, ac totius illuſtris domus ſuccultor,*

G. J. Vossius.

## CLXXXIX.

*Epiſtola familiaris.*

PUdet, Vir Clariſſime, omiſſi officii cui me tam benignè a te provocatum vel per intempeſtivam moleſtiam invigilaſſe oportuerat. Verum omiſſi ad tempus potius pudere, quam prorſus amiſſi pigere præſtat; quia tamen video me diutini ſilentii rationem debere, eam paucis cape. Poſt illas quibus humaniſſimo tuo ad amicitiæ munia colenda atque continuanda invitamento reſpondi gratiaſque egi, literas: cum plerique hic omnes Panico quodam terrore lymphati, convaſatis querelis, quaſi publico graſſante incendio, aut minitante tectis ruinam terræ motu, mortalium illam ſcopam peſtem (recentis ante quinquennium plagæ etiamdum memores) quæ anno qui jam proximè præteriit, Londini metuebatur fugientes inconſulti ruerent urbem egreſſi; & ipſe cum Nobilibus fidei meæ commiſſis, in Cantium intra viceſimum ab urbe lapidem receſſi. Exinde quæſitam à me reverſo nec inventam diu mittendi opportunitatem jam tandem nactus, ſalva tibi omnia ſana fauſtaque cum ſperem, tum per literas hasce animi ſignifices, propria illa perque omne ævum perennia precor atque animitus voveo. Impendio magis mihi lætitiæ ripas exuperaturo animo, ſi virtute tuâ, quà mereris optimè ſi volente Deo qui te uſque provehat maxime omnia tibi ſecunda & proſpera eſſe intellexero. Quæ vota tua, nec minus Reipubl. Literariæ nomine concepta (tacitas privati cultus atque honoris flammas jam olim in intimis pectoris mei penetralibus accenſas taceo) jubeat firma, fixa, rataque eſſe ſummus ille bonorum fautor Deus. Vale, vir præſtantiſſime, & me, quod facis aut fallis, amantem redama, nunquam ſecus merebitur

*Tuus,*

Tho. Farnabius.

Multum me debere video autori Satyræ cui nomen *Dii veſtram fidem*, cupioque tam honorificæ mentioni gratus eſſe, ſiquidem noſſem cui deberem. Quod ſi tibi, Vir Clar. is nomine innoteſcat, hanc, quæſo, apud te ineam gratiam. Quin & alteram; ſi quid habes ad Martialem, cujus ſecundam curam, &, uti ſpero, ſaniorem, diu cogitavi, jam apparo. Scripſi ad Cl. Heinſium, ſi qua poſſet, mihi compararet P. Scriverii epiſtolicas quæſtiones ad Janum Rutgerſium; ut & tractatum de dubiis apud Martialem locis; quorum mentionem ſubinde facit in Notis ſuis. Vale, vir clariſſime.

Londini, Nonis Juniis,
CIƆ IƆCXXXI.

## CXC.

## Johanni Meurſio,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

CErtior factus in Daniam ire præſtantiſſimum virum Davidem Gulielmium, nefas putavi negligere talem adeo commodam ad te ſcribendi occaſionem. Et tamen nihil magnopere erat quod literis committerem. Attamen ubi ſemel calamum in charta poſuero, facile amor aliquid dictabit. Quare illud primo, jam diem eſſe tertium quod apud nos Eraſtius agit. Semel iterumque adfuit mihi etiam in cœna. Quo minus ſemper mecum fuerit, neſcio utrum modeſtia ejus in cauſa ſit, an quod nobiles quidam Dani id non permiſerint. Sed quod hactenus feci ut oſtenderem quanti apud me eſſet commendatio tua, id deinceps etiam faciam: eo lubentius, quia vir eſt longe optimus & candidiſſimus, & qui te ſui inſtar colat atque obſervet, ſæpe etiam non alio quam patris nomine compellat. Magnæ mihi voluptati fuit cuncta ex eo cognoſcere quæ ad te pertinerent. Gaudeo etiam ex eo me intellexiſſe, quidquid illud erat de Bibliopola veſtro, nam cum paulo aliter hic res narrabat, melius ora malevolis obſtruam. Tū *μακαρίτε* Coddæi libri ſuperiori hebdomade ſunt divenditi. Hæc auctio erat fatum librorum Rutgerſii, ſed Heinſius conſilium mutavit. Formidat ne ſui vilius vendant; ſi tam citò auctio una alteram excipiat. Et ſanè non temerè ita exiſtimat: utrum intra hebdomadas paucas, an demum poſt ferias longas auctio ea futura ſit, nihil ipſe certi habet; ſed dixit ipſe ante triduum velle ſe mecum de re tota conſultare; atque id decreturum quod maxime mihi probabitur. Unde colligo eum propendere ut ne diu admodum ea res differatur. Quando erit ut te, uxorem, liberos hic videamus? Male ſit militibus illis qui ſic vias infeſtant, ut bonis ſit male, neque nos te frui poſſumus. Sed quæſo ſimulac occaſio ſeſe obtulerit, eam ne negligas, rectaque te domum noſtram confer cum tuis. Nam cur alibi potius divertas quam cum homine qui tuas virtutes ſcit æſtimare, & fratris te inſtar amat? In Batavia gliſcit diſſenſus inter Proceres. Diſputatur de induciis. Pleræque civitates eo inclinant. A quibus diſſentiunt Harlemenſes & Leidenſes. Etiam pleræque civitates ajunt in ordinem cogi debere Amſtelodamenſes; quippe qui Smoutium Eccleſiaſtem ex urbe exire juſſerint, & è ſuis unum alterum velint intereſſe ſynedrio. Uti apud Leidenſes & Delphenſes ſit. Item qui non minus Remonſtrantibus jus concionandi facere cœperint quam Luteranis, Mennoniſtis, Judæis. Sane male eſſet Magiſtratui niſi militum ſe præſidio adverſus factioſos cives tueretur. Vorſtium ut aliquid tandem ſcriberet commonui, qui ſponte eo inclinabat, ſed pudebat diuturni ſilentii. Paruit tamen. Eſt Vir utriuſque noſtri amantiſſimus. Quod addo, ne propter ſilentium hoc amorem ejus putes imminutum. Denarius tuus poſt duas hebdomadas prælo ſubjicietur. Uxor uxorem tuam, liberi omnes mei, filia potiſſimum filiam ſalutat.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄ c xxx.
vi Id. Jun.

---

## CXCI.

*Lautam Amſtelodamenſem conditionem ex animo ipſi gratulatur, familiare colloquium inter maxima ſua vota ponens.*

*Amicorum opt. max.*

ERgo Amſtelodami agis? & conditione quidem adeo lautâ? Ita me poſtremæ tuæ credere jubent. Gratulor profecto ex animo. Digna eſt fortunâ iſtâ virtus tua. De Barlæo inaudiveram jam ante de te nihil: & nil minus, fateor certè, cogitaveram. Sed an Græcas quoque literas, uti Leidæ profiteris: an Hiſtorias duntaxat? illud fac ut primis literis ſcire poſſim: tum quis tibi in Leidenſi Academiâ ſubſtitutus: inſuper, quem finem illa urbium duarum controverſia ſortita fuerit: & quid ab utrâque curiâ judicatum. Denarii mei exemplaria rectè accepi, gratiaſque magnas ago pro editionis curâ. Scripſeram de literarum Caſauboni editione; ac quæſiveram quo in loco illa eſſet: ſed tu planè nil reſcribis. Nuper admodum, aliud agens, incidi & in iſtas duas: quas, ſi tempeſtivum eſt, curabis ſuo loco inſeri. Quod invitas, ut excurram, vellem ut vis; ſed hæc tempora non permittunt, inſidentibus paſſim vias prædonibus potiùs quàm militibus. Quam jucundum mihi foret te videre & amplecti! ſed lætitiam hanc congreſſus mox triſtitia, poſtquam diſcedendum foret, oppido acerbam faceret. Mihi bene eſt in Dania, Dei gratia; favent Proceres, amant docti, nec mutare temerè velim; optem tamen, ſi ſors ita utriuſque noſtrum ferat, ut corporibus jungeremur uſque ad mortem individui, ſicut animis juncti ſumus: eſſet mihi id profecto omnium multo jucundiſſimum: ſed permitto iſta Deo, qui res hominum omnes ordinat; ejuſque ſanctæ voluntati me ſubjicio. De Hiſtoria amici noſtri, idem planè hic Doctorum eſt judicium. Meam verò adeo probari tibi valdè gaudeo: neque dubito, quæ placere tibi potuit, eam etiam aliis placituram eſſe. Plura vellem, ſi liceret coram colloqui. O ſi tempus aliquando iſtud nobis donet Deus! quam utrique noſtrum iſthuc gratum foret! Vale, Vir clariſſime, & amiciſſime, in ætatem uſque Neſtoris; & ſalve cum tuis omnibus à nobis. Reſalutant Laurenburgius, & Stephanius.

Dabam Soræ ad diem 13. Jun. cIↄ Iↄ c xxxi.

*Tuus fide optimâ,*

JOH. MEURSIUS.

---

## CXCII.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*De conſtituendo apud Amſtelodamenſes Græcæ linguæ Profeſſore nil certi ſibi conſtare ait, quamdiu illos inter & Lugdunenſes lites ferveant: Habere autem Profeſſores Lugdunenſes, quod ſibi de diſceſſu ſuo gratulentur, ſingulis enim ſtipendia fuiſſe aucta, ne alii tam facile alio pelliciantur. Jam etiam id agi, ut Salmaſius proxime Leidam adducatur.*

EUnt in Daniam Fœderatæ Belgicæ Legati, in quibus è Friſia Præſtantiſſ. Scæfferus, è Batavia vero noſtra Ampliſſimi Viri Beverius & Oetgens: hic Conſul Amſtelodamenſis, ille Conſularis Reip. Dordrechtanæ, filius Clariſſimi illius Beverii, qui ante bimeſtre ſeptuagenario, ut puto, major deceſſit. Nefas fuiſſet eos ſine meis ad vos literas venire: præſertim cum etiam petieris, ut tibi quamprimum reſcribere vellem, ecquid de docendis apud nos Græcis literis ſit conſtitutum. Equidem vocatus huc ſum ea conditione, ut illos ſubirem labores, ſubibam quos Leidæ. Eoque Græcas literas cum Hiſtoria univerſa conjungi oportebit. Quo in conſilio nonnihil aliqui nutant: qui me totum partim in rebus Hebræorum, partim Romana Græcaque Hiſtoria eſſe mallent. Ecquid tamen in eo ſint mutaturi, non poſſum dicere, propterea quod de tota hac re Proceres noſtri ſileant. Videntur nolle hæc ad animum revocare priuſquam lis Hagenſis ſit deciſa. Nullus dubito quin curia utraque ſententiam ſit latura pro Amſtelodamenſibus. Saltem hoc ſcio, pleroſque quibuſcum locutus ſum, cum Amſtelodamenſibus ſentire. Sententia feretur poſt duas



tres

tres hebdomades, ut ex iiſdem Senatoribus cognovi. Interea ut dixi neque nos docemus publice, neque Amſtelodamenſes quicquam de pluribus advocandis ſtatuere, ne Lugdunenſibus, eo intellecto magis ira gliſcat circa præcordia. Nam ſi iis diu invidia fuit urbis hujus potentia, & ad invidiam odium acceſſit, poſtquam Amſtelodamenſes connivendum putarant in Remonſtrantium concionibus, maximeque ubi ſeditioſos cives urbe ejecerunt, qui honorifice à Lugdunenſibus excepti: quid futurum iis deinceps animi putas quando noſtri illuſtre erigunt Gymnaſium, & Doctores Lugduno arceſſuntur? Præſertim ſi audierint eos de pluribus advocandis ſerio cogitare. Valde autem habent Lugdunenſes Profeſſores quod ſibi de diſceſſu meo gratulentur. Nam Curatores Conſuleſque ne alii tam facile alio pelliciantur, ſingulis Profeſſoribus auxere ſtipendium, aliis quidem ducentis, aliis vero trecentis florenis. Itaque, Theologi item Cunæus & Schrevelius jam habent mille ſeptingentos, unde de cæteris poſſis conjectare. De editione Epiſtolarum Caſauboni adhuc deliberatur. Petunt Elzevirii ut cura Heinſii vel Riveti Epiſtolæ exſcribantur commoda manu, iis deletis quæ præteriri ſatius ſit. Sed nec Heinſius nec Rivetus laborem eum ſuſcipere volunt, vel etiam ſumptus in eam rem facere ullos. Quare fortaſſis tarde hæc editio procedet, ſi modo unquam ſucceſſura. Videntur Elzevirii ex Scaligerianis non multum feciſſe lucri. Id nunc minus promptos facit ad edendas Caſaubonianas. Hugonis Grotii libri de Jure Belli, opus nunquam ſatis laudatum, hac in urbe excuſi multo auctiores. Arbitror fore ut ubi Mercatores rediere à nundinis Francofurtenſibus excudantur à Gulhelmo Cælio Commentarii mei de L.L. Leidenſes Profeſſionem Linguæ Græcæ obtulere Antonio Æmilio qui Rector fuit Gymnaſii Ultrajectini, ſponteque ſe munere eo laboris tædio abdicavit. Sed Antonius Profeſſionem abnuit. Mavult deinceps vivere extra munia publica. Vir eſt doctus, dives, & qui ſplendorem illum Academicum non multum moretur. Arbitror Profeſſionem eam deinceps offerendam Mag. Jeremiæ Hoelelluo, *a* quondam correctori Ambergenſis Gymnaſii Electoralis Collegæ Beckmani: nunc Bulanæ eſt Scholæ Rector. Vir eſt moribus ſimplex, ſed trium Linguarum & Philoſophiæ admodum gnarus. Salmaſius putatur Leidæ affuturus proximo Octobri aut initio Novembris. Stipendium erit bis mille florenorum. Etiam per literas ei ſpes facta liberæ habitationis. De qua tamen nihil ſtatutum poſtremo conventu Curatorum, quod ægre viderentur aſſenſuri Conſules. Nempe ubi coram aderit, facile ſe id quoque effecturum cenſet Somerſdicius. Valde totum hoc ægre fert Heinſius, ut facile potes cogitare. Unum eſt quod facere poſſit, ut abnueret vocationem. Nam ſolum Thyſii & Walæi filii qui ſtudiorum cauſa in Galliam abeunt, literas Curatorum deferent. Scis autem ſolere aliquem magni nominis mitti. Tuningius Scaligeri cauſa in Gallias miſſus: Herpenius ob Rivetum. Ego minutus homo cum vocandus eſſem Lugdunum, miſſi ad me ex Curatoribus Nobiliſſimus Van der Milius, ex Leidenſibus, Conſul Henhautius cum Syndico Zeiſtio. Eſt vero Salmaſius ingentis ſpiritus. Quare niſi Rivetus, Juſtellus, & amicorum alii moneant, ut hoc diminutum contemnat, plane futurum ut provinciam quam quodammodo recepit detrectet. Brevi rem omnem ſciemus. Salutem mei omnes tuæ tuiſque, ex animo quantum poſſint adſcribi, petiere. Etiam doctiſſimis Collegis, imprimis Laurenbergio & Stephanio ſalutem dices.

*a* Hoelze-lius.

Amſtelod. III Kal. Sept. 1631.

*Tibi fraterno amore junctiſſimus,*

G. J. Vossius.

CXCIII.

## Jacobus Armachanus, Gerhardo Johanni Voſſio,

*Viro Clariſſimo*

Salutem.

*Latii Hiſtoriam Pelagianam, ubi hic deſierat, perſequitur, & ad eum ablegat.*

PErvenerunt in manus meas abhinc ampliùs annis XIII. Johannis Latii de Pelagianis & Semi-pelagianis Commentarii: quibus eorum originem & progreſſum uſque ad tempora Johannis Papæ, qui Severino ſucceſſit, ſtudioſè diligenterque eſt perſecutus. Delectatus ſcriptionis genere, ab anno in quo ille deſiit ducto principio, proximorum temporum Hiſtoriam adjeci: ex Lugdunenſis Eccleſiæ ſcriptis & Flodoardo, majore ex parte, eam contexens; de meo vero (illius, quem ſuſcepi continuandum, exemplo) *nihil adferens niſi ordinem.* Vix dum autem iſta abſolveram, cùm Hiſtoria tua Pelagiana prodiit, & curâ & vigiliis elaborata: in cujus parte extremâ, ea ferè omnia occupata à te comperi, quæ ego tumultuariâ operâ in Adverſaria mea conjeceram. Itaque tum quidem ῥάκος illud ἄγραφον abjeci penitùs: verùm ubi obtuliſſent ſeſe mihi poſteà alia ad *Gotteſchalci* cauſſam pertinentia, quæ in noſtri utriuſque Collectaneis deſiderari videbam; antè exorſa retexere placuit, & ad priorem illum centonem etiam, iſta attexere ἐπιβλήματα. Quæ, cujuſmodicunque ſint, ad te allegare viſum fuit: ſi cui fortè uſui, in novâ Hiſtoriæ tuæ editione adornandâ, eſſe poterint. Ea tu, ut ab homine exiſtimationis tuæ cupidiſſimo profecta, æquo ac libenti animo accipies. Vale.

Dublinii, v. Calend. Julias
anno æræ noſtræ Chriſtianæ
M DC XXXI.

CXCIV.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Blauwium typographum in opere eius de Cretenſibus adhuc triconem agere cum tædio refert. Grotii Mare Liberum à Seldeno & Graſwinkelio impugnari ſubdit.*

QUod moras tantas vir atque amice ſumme nectat Blauwius noſter, id non tibi tam moleſtum eſt quam mihi. Eo magis quia idem facit in Maimonide mei Dionyſii τοῦ μακαρίτου. Simulac literas tuas à veſtrate mercatore accepi, recta me contuli domum ejus. Sed aberat ab urbe. Rediturus poſtridie dicebatur. Diſtuli igitur ſcribendi ad te officium, ut perſcriberem certiora. Nunc ultra differre non licet, quia jamjam abiturus is à quo literæ mihi tuæ redditæ ſunt. Et necdum Blauwius reverſus. Compellavi interea fratrem ejus natu minorem ante menſes ſex ſeptem ex Italiâ reverſum. Expoſui illi quæ ſententia tua foret. Ille petere ne quid agerem ante reditum fratris. Hoc cauſæ cur non remittam ſcripta tua. Simul ille quid diceret certo te viſurum ſpecimen editionis, antequam ad vos redierit Danus hic Mercator. Facilem ſe & citam ſcire ad te id procurandi viam. Negabam me credere niſi quod viderem tot annis eluſus. Omnia meliora ſpondebat, & hac ipſâ hebdomade orſurum, vel ſaltem ſimulac fratrem compellare dabitur. Quid facerem? Urgebo opus filii & tua: & tua magis quam illud filii locutus ſum, & ante annum circiter

&

& heſterna iterum die Noomſium Arlanderveniæ dominum de Cretenſium editione ejus honori dicanda, & opus ipſum luſtrandum dedi. Qui valde eo capiebatur. Sed ægre ferebat triconem Blauwium ſic nos omnes fruſtrari. Nec ultra ego quicquam commonere, vel innuere potius (etſi nec id opus fore apud honeſtam animam arbitrer) quamdiu necdum videret lucem. Peſtilentia quæ ſuperiori anno ex una Leidenſi urbe ſexdecim hominum millia abſtulit, videtur nobis nunc comminari. Sed ſperamus meliora. Obeunt de hebdomade nunc trecenti nunc quadringenti. Nihil id tam magna in urbe præ Leidenſi ubi quaque hebdomade cum lues illa maxime graſſaretur, etiam mille quingenti & ultra moriebantur. Grotii Mari Libero reſponſum à Seldeno J.C. Anglo, cujus de Syris diis & marmora Arondeliana & alia extant. Illuſtres Ordines noſtri in mandatis dedere Graſwinkelio J.C. meo ante annos viginti diſcipulo & convictori ut opus hoc refellat. Mitto ad te primam partem Annalium Batavicorum filii Matthæi. Scio quam rerum noſtratum ſis intelligens, & tanto facilius probaturum ſe tibi confido. Clariſſimis viris Laurenbergio, Stephano Joannidæ, aliis ſalutem plurimam, imprimis lectiſſimæ conjugi & optatiſſimis liberis. Cui & conjux mea ac filius filiaque ſalutem adſcribi petiere.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄc xxxi.
III Non. Jul.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

## CXCV.

## Guilielmo,

### Epiſcopo Londinenſi.

*Inſtitutum Amſtelodamenſium de erigendo illuſtri Gymnaſio, ſeque illuc vocando, ac lites, quas ob hoc ipſis Lugdunenſes moveant, prolixè recenſet. Conqueritur etiam quod invidi ſubinde ſtudia in hiſtoriam Eccleſiaſticam ſufflaminarint, ac res etiam familiares non parum afflixerint, ut longè opulentior Lugdunum venerit, quàm nunc recedat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

MIrari te longum adeo ſilentium meum non ſolùm arbitror, verùm & certe ſcio. Quippe qui eorum, quæ in cauſa ſunt, cur ſcribendi hoc officium diutius diſtulerim, minimè, ut puto, gnarus eſſe poſſis. Itaque rem omnem in pauca conferam. Poſtquam Lugdunenſes viderunt, eo me propendere ut Amſtelodamum commigrarem, id unum petierunt, ut ſaltem rem in integro relinquerem, uſquedum locuti eſſent cum Amſtelodamenſium illis, qui Hagam ad Illuſtrium Ordinum conventum miſſi ab urbe ſua forent. Interea diem ille ex die ducere, & neſcio quas ob cauſas moras nectere. Jam menſis unus & alter exſpirârat, cùm fruſtrà reſponſum exſpecto. Tandem cum Academiæ Curatores Lugdunum veniſſent, idem à me poſtulant quod ante. Moleſtum mihi erat ſic animi pendere. Sed quid facerem, niſi Lugdunenſes mihi apertè inimicos vellem? Aliquanto poſt in Hagenſi Ordinum conventu magnis ſtudiis certatum inter Amſtelodamenſes & Lugdunenſes Delegatos, utrum Amſtelodamenſibus liceret illuſtre erigere Gymnaſium cum in propinquo ſit Academia, cujus id ſolius jus videatur, ut in ea publicè doceant Profeſſores. Non obſtitere Amſtelodamenſes, quo minus omnis tum controverſia ab ipſis Proceribus decideretur. Quod ſi contigiſſet, ſine dubio pronuntiatum pro Amſtelodamenſibus foret. Parvi enim momenti ſunt, quæ Lugdunenſes pro ſe adferunt. Nec facile Civitates adverſus ſeipſas ſententiam tuliſſent. Quippe ſi Amſtelodamenſibus id non licet; nec alteri vel Hollandiæ, vel Zeelandiæ Civitati licebit, cùm utriuſque Provinciæ ſit Academia Leidenſis. Id verò nunquam dixerint vel hujus vel illius Provinciæ Civitates. Præſertim cùm non una alteraque ſit ex majoribus, quæ idem ac Amſtelodamenſes affectet. Solùm eas impedit, quod ſumptus eſſent faciendi maximi, quibus vix pares nunc videantur. Attamen meliora ſperant tempora. In quorum præjudicium nihil nunc fieri velint. Adde quod Dordrechti in Batavia profeſſi publice ſint Polyander, Nanſius, Marcellus: Middelburgi verò in Zeelandia, Gomarus, Mordiſonus, alii; nec unquam ſe Lugdunenſes oppoſuere: ut ſatis liqueat, quod nunc animati aliter ſint, id totum eſſe ab invidia profectum erga Urbem tantæ potentiæ: Niſi credere malumus ex eo id eſſe, quia metuant ne vehementius Lugdunenſibus Amſtelodamenſes incommodent, partim ob loci propinquitatem, partim ob opes immenſas, ut ſi velint, facile in urbem ſuam poſſint ſummos quoſque viros ex Academia Lugdunenſi magnis promiſſis allicere. Utcumque illud eſt, in eo quem dixi ordinum conventu poſtulatum ab Amſtelodamenſibus & Lugdunenſibus, ut utrique judicium hujus controverſiæ committerent curiæ tum Hollandiæ tum ſupremæ. Itaque & Amſtelodamenſes, ne quicquam præter leges tentare viderentur, Senatorum judicio rem permittere. Quæ cum ad te perſcribere vellem, intelligo paucis hebdomadis vel potius diebus negotium conſummandum. Quare officium ſcribendi paulùper differebam. Verum tres, aut quatuor effluebant hebdomades, priuſquam parati eſſent Lugdunenſes. Paratis illis novæ iterum ſpes quæſtionis unâ atque alterâ hebdomadâ definiendæ. Sed adhuc ſub judice lis eſt. Quamobrem cum iteratò me ſpe fruſtratum viderem, ulterius differendam ſcriptionem non putabam. Ajunt quidem fore ut intra dies paucas decidatur. Sed hoc alteris tum literis malim ſignificare, quàm diutiùs nunc ſilere, ne penitus immemor videar officii mei. Priuſquam Amſtelodamenſes Haga domum redirent, convenit inter eos & Lugdunenſes, ut Amſtelodamum commigrarem, ſed conditione hâc, ne publicè docere aggrederemur, dum lis ea penderet. Etiam Academiæ Curatores, cùm Hagam excurriſſem, idem à me poſtulârunt. Quare hic otio nunc fruor, ſed negotioſo. Nam præterquam quod nonnihil mihi moleſtum eſt tam diu à publico docendi munere abſtinere, etiam ſolicitus ſum de Legibus atque aliis, quæ ad conſtitutionem novi Gymnaſii pertinent. De his enim ut nunc cogitarem petiere urbis hujus Proceres. De controverſiæ verò exitu minimè ſum ſolicitus. Nam nulli penè is dubius eſt. Nec multum cauſæ ſuæ confidunt Lugdunenſes. Sed ajunt plerique eo ſe litem movere Amſtelodamenſibus, ne ſi forte Gymnaſii illius gloria quandoque vel incommodet Lugdunenſi, vel etiam luminibus obſtruat, à poſteris accuſentur, quod initio non obſtiterint, cum iſta ab Amſtelodamenſibus tentarentur. Quidquid verò de Academia eſt Lugdunenſi, in eo prope omnes conveniunt prudenter agere Amſtelodamenſes, ac rectè conſulere, non modò civibus ſuis, & juventuti, ſed etiam oppidis vicinis; cum periculo non careat ſi adoleſcentes, priuſquam vitæ modum ſciant, mittantur eam in Academiam, ubi non in Collegiis vivant, ſed in ædibus apud cerdones in quos imperium exerceant ipſi; unde fit, ut noctu bene poti per plateas graſſentur, non ſine periculo & ſuo & alieno. Invitus quicquam exaro, quod nomini Academiæ ejus obeſſe poſſit, quam non amare modò debeo ſed etiam venerari. Attamen & id veriſſimum eſt, etiam ab eo tempore quo poſtremò ad te ſcripſi, complures graviſſimè vulneratos, ac nunc etiam Zelandum bono genere prognatum ex vulnere decumbere; de cujus vita planè conclamatum videatur. Reus verò, ut fieri iſtic ſolet, fugâ ſibi conſuluit. Quod ſuggerebas ne Proceres patriæ offenderem, id quamquam antea fixum mihi erat, tamen monitu tuo incitatus, ſerio magis attendi. Sed neminem reperi qui ægrè ferret, vel factum improbaret meum. Imo plerique ex Lugdunenſibus apertè ita dicunt, tam me prudenter facere, qui melio-

rem Amſtelodamenſium conditionem ſim amplexus (nam & idem ſe facturos meo ſi loco fuiſſent) quàm Amſtelodamenſes peccent ſubducendo eum Academiæ qui bonam juventuti operam navet: nec enim concoquere id ſe poſſe Amſtelodamenſes ex Academia ejus Provinciæ, cujus ipſi ſint pars illuſtris, vocare quemquam in urbem ſuam, cùm magis rationem habere debuerint Provinciæ quàm ſuæ civitatis. Et ſane ſpecioſè admodum iſta dicuntur. Sed obtendunt Amſtelodamenſes jus eſſe Profeſſoribus quovis commigrandi, quo velint: ad hæc ſe prius rem omnem communicaſſe cum Lugdunenſibus, nec obſcure iis ſignificaſſe, ſi neutiquam parati me eſſent dimittere, poſſe de eo conveniri, dummodo mihi ſatisfieret, cui ſe obſtrictos faterentur. Quod ſi tum à Lugdunenſibus, & aliquot etiam menſibus poſt fuerit ceſſatum, non eſſe profectò quod nunc Amſtelodamenſes accuſent, ſed ſe ipſos qui in me retinendo fuerint negligentiores. Alia etiam non levis momenti pro ſe adducunt. Sed video me jam alteram paginam expleviſſe. Quare ne longior ſim, abrumpam, ſi unum illud adjecero, plus omnino mihi hic otii fore, ad ea limanda ac perficienda, quæ ſum exorſus. Imprimis autem quod toties tibi, Illuſtriſſime Domine, poſtulatum, me ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam accingam, quantum per munus publicum licebit. Magnus eſt animi mei ardor ad præſtandum aliquid quo Spartam illam ornem. Ac quanquam malè me habet, quod ſex ſeptem homines (quorum magna ante annos duodecim in Eccleſia erat auctoritas) propterea quod inter extremas ſententias cum antiquitate aliquid medium probarem, ſic afflixerint rem familiarem, ut longe opulentior Lugdunum venerim, quam nunc recedo: tamen magis ægre eſt animo meo, quod relictis propemodum ſtudiis ſacris coactus ſim docere bis de die in ſtudiis humanitatis. Nam manè quidem Xenophontem, Ariſtophanem, aut alium ejus generis enarrare ſoleo: poſt prandium autem Florum, Juſtinum, aut ſimilem. Niſi quod poſtremo biennio dum expono Sulpitii Severi Hiſtoriam Sacram, occaſio fuit expendendi univerſam Hiſtoriam veteris Teſtamenti. Mallem eadem occaſio fuiſſet in rebus Chriſtianorum, propter provinciam illam quam ſuſcepi. In qua lento admodum pede ſum progreſſus. Abſque eo fuiſſet his annis duodecim, ſi bene me novi, minimùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſex ejuſmodi volumina ac eſt Hiſtoria Pelagiana, nec minoris bonitatis edidiſſem. Sed hoc ferre illi non poterant, qui quod honoris mihi accederet, ſibi decedere arbitrabantur. Ego vero etſi optimi cujuſque aliquo etiam magnatum favore ſubnixus, temporibus tamen cedendum putavi. Nec aliter poteram, ſi conjugi ac liberis conſultum vellem. Nunc auctoritas eorum de quibus conquerebar, multum refrixit. Planeque omnia ſuo magis momento penſantur: maxime è cordatiſſimo hujus urbis Senatu. Verum oblitus non tam mei, quam negotiorum tuorum iterum materiem ingredior de qua priuſquam omnia dixero, diem clauſo componat veſper Olympo.

Deus Opt. Max. te, Illuſtriſſime Domine optimeque Mecænas, Sereniſſimo Regi Carolo, Regno Britanniæ magnæ, Eccleſiæ univerſæ ac amicis & cultoribus tuis, familiæ in his meæ, quæ aſſidue pro te vota facit, diuturnam ac incolumem vitam largiatur.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxI. Pridie Idibus Quinct. Stilo Veteri.

*Devotiſſimus & obſtrictiſſimus Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo nomini tuo,*

G. J. Vossius.

## CXCVI.

## Erycio Puteano, Ger. Jo. Voſſius S. P. D.

*Circulum Urbanianum novum inventum amicè gratulatur. Studium Dionyſii ſui in vertendis annalibus Belgicis Reidani laudat, ſimili diligentiâ Cæſarem caſtigatum & illuſtratum edituro manuſcripta aliquot expoſcit.*

QUot Epiſtolas à te, tot amicitiæ veteris nova accipio pignora, vir atque amice eximie. Tu & ſæpe, & raro abſque munere, ego & rarius, & cum munere non niſi quandoque, & poſt longa temporis ſpatia ad te ſcribo. Certe natum te non literis modo, ſed & amicis demerendis jam dudum experior. Vellem & ipſe non tot aliis diſtringerer, quo referre paria liceret. Sed facile novi humanitatem tuam, quæ nihil ultra requirit, quam animus & occupationes privatæ ac publicæ ſinunt. Quam niſi excuſationem haberem, jam dudum puduiſſet, quod, ut aliis, ſic benevoli etiam affectus indiciis me hactenus viceris. Non vacat jam cuncta exſequi: noviſſimum duntaxat munus tuum dicam: Circulum hunc, quo quid elegantius, venuſtiuſque, quid ingenioſius? Superaſti priorum induſtriam: imo pene dixerim ingenii humani modum: ut qui hoc pacto non de mortalibus ſolum bene merearis, ſed de illo παντεπόπτῃ ſole: cui hactenus nullam requiem ſperanti metam laborum poſuiſti. Certe nequeo, amicorum, qui quidem ſuperſint, vetuſtiſſime, quin gratuler tibi ſuper novo hoc invento: quod mihi non ob autorem minus, quam ob rem ipſam placuit. Etiam, quas poſſum gratias, habeo: non quaſi hic primus accepti beneficii dies ſit: ſed quia novum prioribus cumulum addidiſti. Itaque jam nunc, quem olim quoque dicaveram, animum & operam offero. Tu ſicubi tenues vires noſtras utiles tibi fore judicabis, prompte utere. Scis mutaſſe jam Dominum urbes, quibus & ego & tu originem debemus. Proinde ſi forte vel hic, vel alibi præſtari pro te quicquam poſſe exiſtimas, ſive id apud Proceres noſtros, ſive apud Illuſtriſſimum etiam Principem Arauſionenſem erit, tantum indica. Efficiam ne voluntatem meam aut ſtudium requiras. Jam menſes ſunt duo, quod præter morem, bene longas ad te literas ſcripſeram. Eas dederam perferendas neceſſario ac propinquo meo Joanni Corputio, cujus parens ante in Senatum Dordrechtanum allectus, nunc Roterodami eſt rei maritimæ præfectus. Sed is cum prius per Brabantiam iter in Gallias cogitaret, poſt ubi de Arauſionenſis Principis in Geldriam expeditione intellexit, conſilium mutavit, ac quas dederam literas, ſexta mihi, ex quo ſcripſeram, hebdomade remiſit. In iis præter ea quæ ad adoleſcentis commendationem pertinerent, alia nonnulla, etiam illud erat, ut opus noſtrum Grammaticarum Inſtitutionum, quod ante annos xxx, & amplius, ſcribere orſi eramus, tandem prælo ſubjici cœpiſſet. Jamque in ſecundo libro occupamur. Filius meus Dionyſius cui nihil ab longo tempore jucundius & exoptatius contigit, literis tuis & iis, quas eodem tempore ab doctiſſimo Tuldeno accepit, Latine reddit Annales Belgicos Reidani. Quæ tranſlatio cum à Magnatum multis expeteretur, jam ante menſes tres excudi cœpit. Atque ex libris duodeviginti octo jam abſoluti, atque arbitror intra menſes ſex ſeptem ejus te operis exemplar viſurum. Eidem decretum eſt, Cæſarem, ſibi perfamiliarem ſcriptorem, plurimiſque à ſe locis caſtigatum, & notis illuſtratum, edere in lucem. Eam ad rem uſus eſt uno alteroque meo, & editionibus vetuſtis; ut de variantibus Fulvii, & aliorum lectionibus nihil dicam. Sed enim impenſe deſiderat plurium manuſcriptorum copiam. Et jam aliquorum ei ſpes facta. Non dubito quin apud vos, qua publicis, qua privatis Bibliothecis inveniantur. Quocirca ſi unum alterum calamo exaratum exemplar Cæſaris nanciſci

ciſci ac tranſmittere ad nos poſſis, ſanctè ſpondeo, optima fide redditum iri. Sin mittere hac non ſinatur, proximum eſt, ut per adoleſcentem quempiam conferri cures. Modo tanti codices illi videantur, ſumptus ut æquum, refundam. Horum alterum ſi conſequi filius poſſit, obſtringes non illum modo, ſed me quoque, qui quidquid liberis meis fit, mihi præſtitum exiſtimo. Vale ſumme vir.

Amſtelodami, prid.
Non. Sept.

## CXCVII.

*Cum filio ſuo Johanne affinem Junium de meliori commendat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine Illuſtriſſime,*

REdit tandem ad Cantabrigienſes ſuos filius meus. Diutius quidem pro opinione apud nos hæſit. Sed ſcis quàm ægrè liberi à Parentibus divellantur, præſertim ubi aliquamdiu extra eorum fuerint conſpectum. Infirmior etiam valetudo filii ſuaſit, ne citò nimis dimitterem. At nunc poſtquam ſibi penitus reſtitutus videtur, nolim eum diutius abeſſe ab Academia Cantabrigienſi: ubi præclaram adeo occaſionem habet maximos faciendi progreſſus apud tot Præſtantes viros, quos demum æſtimare didici, cùm præſens doctos eorum ſermones audirem: eoque nec uſpiam certe lubentius verſari filium meum velim. Et tamen parum abfuit, quin ei hic unius & alterius hebdomadis moram necterem: ſed metuebam ne peccarem in Collegii Leges. Alioqui paulum retinuiſſem, idque fine eo duntaxat ut per eum ſignificarem ſententiam utriuſque Hagenſis curiæ, ſuper lite inter Lugdunenſes & Amſtelodamenſes. Siquidem utrimque jam à partibus producta omnia quæ potuerunt, nec ſupereſt aliud, quàm ut à Senatu judicium feratur: quod intra dies XII. vel præterpropter, fore, ex compluribus Senatoribus cognovi, cum ante dies paucos Hagam Procerum noſtrorum poſtulato excurriſſem. Cæterum vel omnia me humana fallunt, vel pro Amſtelodamenſibus pronuntiabitur. Hactenus quidem vix in unum alterumque, atque eos partibus obnoxios incidere datum, qui non rem ſatis liquidam putarent. Obſtare conſules Lugdunenſes, nihil miror; partim quia damni inde aliquid civibus, ſi tardius eò concedant adoleſcentes: partim quia ſi alibi etiam publice doceatur, majora Profeſſoribus ſuis ſtipendia perſolvere cogantur, ne alio ſe pellici patiantur. Quod quàm verum ſit, experimentum vidimus ante ſeſquimenſem; quia Profeſſoribus ſingulis ducentis, aut trecentis florenis noſtratibus auxere ſtipendium. Sane tantam tamque ſubitam liberalitatem erga ſingulos non perſenſit Academia, dum ſtetit. Hoc jam boni ſe mihi, vel Amſtelodamenſibus potius, debere ipſi prædicant Profeſſores. Nempe quia deceſſus meus & Amſtelodamenſium liberalitas ejus rei cauſa ſint κατὰ συμβεβηκός. Et ſperant iidem, præcipue qui magis excellunt, his non paulo majora. Quæ res ut gratiſſima hominibus doctiſſimis, ita malè habet eos, qui Lugduni minus liberaliter habere publicos doctores mallent. Interea hicà publicis (ut vocant) lectionibus abſtinetur. Sed otio fruor negotioſo, dum de ordine ac ſtatutis Athenæi noſtri laboro, quàm poſſum maxime. Nec tamen in variis illis curis quibus diſtineor, non aliquid quotidie penè reſeco, quod Eccleſiaſticis detur. Hæc enim ſumma votorum mihi uti & ſtudiorum potiſſima. Eoque operam do ut cætera ſeponam, quæ priori potiùs, quàm ætati huic videntur convenire. Et tamen quotidie urgeor, ut ſaltem ea promam in ſtudiis aliis, quæ jam habeo parata. Quod vix video ut effugere poſſim. Affinem meum Franciſcum Junium in Gallias profectum literis ipſius certior factus fui. Poſtea etiam epiſtola ampliſſimi Hugonis Grotii edoctus ſum in Britanniam rediiſſe. Sed quo animo reverſus ſit, non addit. Neque de eo quicquam ad me affinis. Unde colligo eum à ſcribendo abſtinuiſſe, quia nihil adhuc certi quod ſcriberet, haberet. Rogo te, Reverendiſſime, & Illuſtriſſime Domine, ut commendatum eum habere velis. Non eſt indignus tanto Patre filius. Probitas, eruditio, & quæcumque bonos commendare viros ſolent, in eo non vulgaria ſunt ſed eximia. Fides etiam, quâ in Illuſtriſſimi Comitis Arundelii domum fuit, inſignis eluxit: & exercitt labores graves per novennium integrum. Addit tribus verbis Hugo Grotius, ſeſe amore Junii de eo ad te ſcribere auſum eſſe. Id mihi gratum accidit. Scio quanti ſit ab eo commendari, qui Belgicæ miraculum ſit. Rogo quòd mei cauſa, & Junii noſtri gratia velle ſcio, id tanto facias lubentius ob magnum patrem, magnum etiam hunc familiæ Junianæ amicum. Mihi licet cætera ignotus Junius foret, tamen ſi ſerio commendatum à Grotio ſcirem, tanti id eſſet, quam ſi omnem ejus vitam introſpexiſſem, ac per omnia probaſſem. Tantum ego illi tribuo viro quem à prima novi adoleſcentia, quem ſuſpexere etiam hic omnes ante triſte illud terræ noſtræ diſſidium; quem denique ſoli non æſtimant, qui virtutis pariter ac doctrinæ ſunt hoſtes. Mihi quoque videor ſcire quo apud te loco ſit, Reverendiſſime Pater, eoque liberiùs ea promere auſus ſum. Filium etiam quid, optime Mecænas, commendem tibi? Affectus hactenus ita eluxit, ut non ultra rogem, quam eum ut conſerves. Ipſum verò hortari non deſinam, ut magis magiſque tanto tui favore dignum ſe præſtet. De victoria noſtri Principis nihil, puto, addere opus: quia abſque dubio omnia etiam apud vos jam pervulgata. Multi hoſtium & in his nobiles quamplures cæſi ſunt, multi ſubmerſi: ac plus quàm quater mille capti. Non adeo imprudens hoſtile conſilium fuit: Sed nebula ſubito coorta valdè claſſi incommodavit. Ea enim factum ut à laterna Admirali aberraretur, naveſque ſingulæ telis noſtrorum paterentur, unde locorum non ſatis gnari dedere ſe quam confici à noſtris maluerunt. Si verum dicere licet, non exiguum eſt, quod & Principis prudentiæ, & virtuti militum noſtrorum debetur; tamen abſque illa nebula, quam Deus immiſit, difficilis nobis nec incruenta victoria fuiſſet.

Deum Opt. Max. oro

*Reverendiſſime Pater, Domine Illuſtriſſime, Mecænas optime,*

Ut deinceps quoque terris noſtris faveat adverſus hoſtem potentiſſimum, magnam vero Britanniam in longa pace conſervet, tibi multos in annos valetudinem proſperam largiatur, bono publico omniumque devotorum nominis tui cultorum, quos inter æternum.

Amſt. clɔ Iɔcxxxi.
Prid. Kal. Octobr.
Stil. Nov.

*Obſtrictiſſimus cliens tuus,*

G. J. VOSSIUS.

## CXCVIII.

## Ger. Joh. Voſſius, Jacobo Crucio,

S. P. D.

*Amorem ipſius magni facit. Tardas & impolitas literas negotiorum multitudine, & aliquot Scriptorum molitione, excuſat.*

ETſi quas mihi tribuis laudes, agnoſcere nec debeam, nec velim, irrepit tamen animo, neſcio quæ voluptas, quod ab erudito doctum, à probo bonum, haberi me videam; quorum illud ut aſſequerer, ætatem meam ſtudiis omnem impendi, ſpe non tam tumidæ famæ, quàm de publico benè merendi: hoc ex æquo omnibus expetendum, ut pii, & ſint ipſi, & aliis videantur. Itaque non diffi-

diffiteor jampridem, debitorem me tibi, qui immerentem me, ſaltem de te tale meritum nihil, cumulare laudibus, & tanta proſequi humanitate volueris. Atque eo magis dolet, tardè adeo me tibi reſpondere. Et utinam ſolus hic aliquid in me deſiderares? ſimili modo vapulo propè ab omnibus amicis meis. Sed ita eſt, mi Cruci, neque ego in me tantùm juris habeo, ut quæ velim, poſſim; neque illæ vires humanæ, ut animus eodem tempore, omnibus ſufficiat. Me tum propinqui, tum exteri diſtinent quotidie, ſatis alioqui occupatum, tum publico munere, quod cæteris antehabui ſemper; tum iis quæ vulgare paro, aut jam emitto. Sic nunc quoque calefacimus prelum Commentariis noſtris de Arte Grammatica, in quibus τεχνογράφων veterum, & nobiliorum noſtræ ætatis Grammaticorum labores, ad examen revoco; plurimaque optimorum Scriptorum loca, vel mendoſa corrigo, vel obſcura illuſtro. Hoc opus mox conſequentur Originum libri, tum ii quos de re Poëtica fecimus. Scio non defore, qui omne hoc argumentum humile, & inferius ætate mea arbitrentur. Et ego idem ſentio. Sed nolui labores tantos, quos maximam partem, ante annos propè xxx. exhauſi, æternum tineis gratificari. Nolebam etiam multorum fallere expectationem, qui jam pridem promiſſa mea impleri poſtulabant. At his defunctis, majore animo, ſi vitam ſummum Numen conceſſerit, aggrediar, quæ jam pridem de Hiſtoria Eccleſiæ, & quæ huc pertinent mecum agitavi. Igitur tot tantiſque ſemper penè obrutum, dixerim, occupationibus, miretur quiſpiam in reſcribendo amicis eſſe aliquanto negligentiorem? Ingenuè & verè dico, ſi ſubinde literas ad amicos dare cupiam, plurimam adeo præcipitari ſcriptionem opus eſt, ut aliud penè agenti, eas excidiſſe, quiſque judicaturus ſit. Nec id me malè habet, quia ſatis profectum ad laudem arbitror, ſi quæ molior, utilia, quæ dico, non barbara habeantur. Quo modo animatur aliter ſcribere non poſſum, quam occupatum decet. Sed novi candorem, & prudentiam tuam. Non diſertas à me literas, aut quod huic ſæculo potius videtur, affecto acumine ornatas deſideres. Habe igitur ſimplices haſce, quas ſolus tui amor dictavit. Habe ſimul animum meum, quem ſi non alia re, at certe eruditione tua, ne humanitatem dicam, abundè tibi conciliaſti. Vale.

Amſtel. Poſt. Kal.
Octob. An. cIↃ IↃc
xxxi.

## CXCIX.

### Erycio Puteano V. Cl. Gerardus Johannes Voſſius,

S. P. D.

*Magnam ejus apud eruditos & bonos in Belgica eſſe æſtimationem affirmat. Amicitiam & familiaritatem cum Nobiliſſimo Beaumontio ſpondet.*

Literas tuas avidè exſpectatas avidius legi. Es, & ſemper eris Puteanus: hoc eſt, totus candidus, maximuſque & amicorum, & eorum, quæ faciunt, æſtimator; ita ut multum ambigam, ecquis vel minima in re gratificari tibi poſſis, cui non magnopere propterea te devinctum putes. Talis mihi viſus es ſemper, & quo longior tecum mihi conſuetudo eſt, eo magis creſcere humanitas tua videtur. Nec dubito, quin licet iſtuiſmodi ſis quadam naturæ bonitate, tamen non parum etiam ſibi vindicent ſtudia, quibus te addixiſti. Ea tu verè ſcribis nulli eſſe noxia: at ego etiam toti ea orbi utiliſſima eſſe prædico. Næ barbarum ego illum cenſeam, cui tantus ſtudiorum antiſtes non ſit cordi: nedum ut lædere, aut iniquior ſaltem eſſe audeat quiſquam. Quare quod ſignificas pro confeſſo jam eſſe puta. Eſt vir, inter cæteros mei amantiſſimus Simo Beaumontius, ſive Bellimontium malis, qui in Collegio Patrum fœderatæ Belgicæ jam annis aliquot magno cum honore fuit. Doctiſſimus ipſe doctiſſimum quemque in pretio habet, & viciſſim in pretio habetur. Is hactenus in caſtris noſtris, vel Leodici fuit. Nunc ab Illuſtriſſimo Principe Arauſionenſi Hagam miſſus, ut cum Patrum cæteris de pacis conditionibus, ſi conveniri forte poſſit, conſultet. Sed intra diem unum alterum iterum Trajectum cogitat & caſtra. Huic vero te poſſe ignotum eſſe arbitraris? Præſertim Dordrechtano: ubi tot non amatores modo, ſed admiratores tui habes. Ubi etiam progenies tua nobili & Patriciæ familiæ implicita. Ubi ipſe cum optimo parente tot annos vixiſti. Hic ſaltem tanto viro neſciri non potes, qui nominis tui fama Belgicam & veſtram & noſtram (utinam communem dicere liceat) jampridem imples. Sed faxo ego, ut qui te ob egregias animi dotes & merita erga Remp. literariam, hactenus plurimi facit, etiam ut amicum complectatur. Nec eo minus, quoties occaſio ſe offeret, apud Procerum alios conabor, quicquid potero: imprimis urbis noſtræ, cujus ob ſummam potentiam non levis eſt auctoritas. Certe etſi nulla tecum amicitia fuiſſet (cujus diuturnitatem quoties cogito, gliſcit in pectore occultum aliquod gaudium) tamen eximiæ eruditioni tuæ, & hoc, & majora multa, deberem. Tu vero, ſi quid etiam, quod ab tanto ingenio profectum eſt, laudaverim, id lætaris? Debeo & volo. Itaque ſi noſtrum tanti tibi teſtimonium ſit, ut ingenioſiſſimo operi tuo præmittere, publicèque legi velis, nequeo, quod tibi placuerit, non probare. Nam veriſſime dixi: neque eò quiſquam impudentiæ unquam procedet, ut adulationis hic aliquod veſtigium eſſe dicat. Quod filii mei cauſa laborem ſuſceperis perluſtrandi Bibliothecas quæ apud vos ſunt, & me obſtringis, & illum. Ego certe lætor, etiam vinculis tuis illigatam eſſe ſobolem meam: ſic perennatura eſt amicitia noſtra. Gratias me agere, & plurimam ſalutem adſcribere petiit.

Amſtelod. Prid.
Id. Octobr.

## CC.

*Clariſſimo Viro,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori celeberrimo.

*Urget de Archivis reſponſum, de Veneti oratoris martyrio Paſquinum quid voluerit, liteſque Legatorum cum urbis Romanæ præfecto de ſuperiori loco explicat.*

*Clariſſime Vir,*

OStendit mihi in alteris illuſtriſſimi Molini literis, propenſiſſimum tanti viri, erga te adfectum, & jam ante abundè tibi exploratum, is qui ſummoperè te colit Thadæus Vicus, & inde allatas quas vides chartas, ad te mitti poſtulavit, quod & ipſius, & tui cauſâ facio, quam lubentiſſimè. Molinus ſcire deſiderat, cui nunc potiſſimum operi impendas mentemque manumque & Molini vice Vicus iterum obnixè petit, feſtinari illud de Archivis reſponſum, de quo ſcripſi nuper. Paſquinus, quid de Veneti oratoris martyrio voluerit, difficile ſit conjicere, niſi ante noris Romà exceſſiſſe, mandato Senatus Veneti, Legatum qui apud Pontificem erat Piſaurum, eo quod Thadæus Barberinus, urbi Romæ à Patruo Pontifice Præfectus, & ſibi, & Legatis cæterorum Principum, præripere locum tentaſſet, quem Legati Principibus ſuis, præ omnibus, uno Papa excepto, deberi de jure perpetua poſſeſſione ſtabilito contendebant. Cùmque inde enata eſſent publica diſſidia, & Veneti Legati veredarius armatâ manu per Thadæum immiſsâ, liberatus eſſet ex ædibus Sancti Marci, Legato inſeſſis, in quibus ille cuſtodiebatur, quod emptus à Tha-

à Thadæo crederetur, uti ipſi cederet obvius. Legatus rem omnem Sereniſſimæ Reipublicæ nuntiavit, ac protinus mandatum accepit, domum revertendi, ſecutique exemplum Legati cæteri, urbe exceſſere omnes, atque in ſuburbanis degunt, uſque dum ſinguli intelligant à ſuis, quæ ſit Dominorum ſuorum ſuper hac re ſententia. Nunc ultra non morabor tua magis ſeria, quam meæ ſunt literæ. Deum precor, ut tibi, & familiæ tuæ æternum faveat. Vale.

Hagæ Comit. raptim, die 22 Octob. 1631.

*Tuarum virtutum cultor omnibus officiis,*

G. R. DOUBLETIUS.

Memor ſis rogo Grotiani quem emi mihi petieram libri. Iterum vale.

## CCI.

### Salutem in Chriſto.

*Epiſtola familiaris.*

Literas hodie tibi debeo binas: totidem enim accepi nec redditi. Sum in hoc genere æris ſolvendo paulo tardior. Et certè aliquid tantum eſt quod poſſim ſolvere. Tanta enim mole negotiorum gravatus ſum, ut aliquid ſit & ſæpius, quod mihimet-ipſi debeo nec ſolvere poſſum, quidni ergo & amicis aliquando? Et quod nunc in hoc ſcribendi officio tibi non deſim, gratias ago ſtylo huic contractiori, qui hoc unum novit, multa paucis concludere.

Intelligo ex utriſque literis tuis metum injectum eſſe Lugdunenſibus, non ſolum ne te amitterent, ſed & ne Academiam: ſaltem ne Profeſſores quoſque digniores ad ſe allicerent Amſtelodamenſes. Eos autem Primores juvenum facile ſequuntur, ſicut illi præmia ampliora. Et quid ſine his Academia? Supereſt ut vel ſtipendia adaugeant Leidenſes, quod in bonum cedet Profeſſoribus: Aut ut Profeſſores Amſtelodamum concedant, quod malum minatur Academiæ: Quin & civitati etiam, quæ ex frequentia Studentium ditior facta, nec cupit ſcio lucrum dediſcere. Reliqua, in tantum te ſpectant, cupio audire, ſed quum cauſa finita eſt, & quum ſtatio tua fixa.

Filium tuum ſalvum, & reducem geſtio videre. Hoc bene eſt, ſed male quod abiit me neſciente. Quid? Ut ad te, quem tanti facio, quanti ſpero noſti, abeat filius tuus ſine me? Iterum (ſi quæ occaſio detur) non faciet ſpero. Et unicè probo quod tam cito remiſeris. Non quaſi de progreſſu ipſius, dum apud te dubium ullum, ſed ne in Collegii ſtatuta peccaret.

Si quæ parata habeas, nolim ut abſcondas. Noſti quid ſit, Lucerna ſub modio. Nec erit male poſita opera, ſi ſcripta illa quæ ut antiqua ſunt, ita ante hoc ſæculum penè antiquata, è pulvere ſuo extrahas, iiſque aliquid lucis addas. Semper tamen inculco Baronium, & eò magis quia Eccleſia (ſic enim ſcribis) ſumma votorum tibi.

Fran. Junius redit in Britanniam citius multo quam opinabar, utpote qui ſatis novi quo animo in Gallias profectus ſit.

Attulit ſecum literas ab Ampliſſimo viro Hugone Grotio, ad me datas. Gratiſſimæ illæ (virum enim illum doctiſſimum ſemper agnovi) ſed reſcribendi otium non datur. Nota etiam mihi probitas & eruditio Junii, nec opus ut à te habeam illum commendatiorem. Scias velim, me & tui & Grotii & ſui cauſa facturum quod poſſum.

Victoriæ Principis veſtri gratulor. Cedat precor in gloriam Dei, & bonum Eccleſiæ. De prudentia ipſius, & virtute militum, non eſt apud me dubium; ſed ſi iterum & in mari non rubro Iſraelem præivit nebula, date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

De filio tuo iterum. Et iterum ſi placeat. Nam cur non & hic duplex primogeniti portio? Certè mihi curæ erit, quam diu ipſe ſibi. Tu eum hortare ut facis. Et quo magis te & tua in eo conſpexero, eo majori cura me eum proſecuturum ſpondeo. Quod reliquum, te & illum, & tuos, Deo fovendos commendo. Et quam fuerit opportunum te rogo, ut nomine meo virum illum ſpectatiſſimum Hugonem Grotium, eique pro literis per Junium miſſis gratias agas. Hoc facto ſcias me

Novemb. 7. 1631.

*Amicum ſemper tibi fore fideliſſimum,*

GUIL. LONDON.

## CCII.

*Clariſſimo, & Eruditiſſimo Viro,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtor. & Linguæ Græcæ Profeſſori digniſſimo.

*Suetonium ſuum ipſius cenſura ſubmittit. Quibus elogiis compellare Salmaſium oporteat amice exquirit.*

*Vir Clariſſime,*

Suetonium hunc, ſcriptorem, ut ego quidem exiſtimo, & tu non ignoras, longè præſtantiſſimum, ac cura noſtra, ſi non nitidiorem, certè non pejorem redditum, jam primùm ad te mitto. Per occupationes eſt, quod non potuerim maturius. Animadverſiones noſtræ, non ita multæ, aut elaboratæ ſunt; ſed ejuſmodi tamen, ut putem tibi homini doctiſſimo, & antiquitatis amantiſſimo, non ingratas fore. Quam malè Author hic cum optimis quibuſque, à Librariis habitus ſit, nemo paulo humaniorum ignorat. Hi ingenioſius alieno opere plus ſatis eſſe voluerunt, omnia immutantes trajicientes, omittentes, pro libitu, ut viſa abundare, aut hiare quælibet. Reliqui Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores minores jam ſub prelo ſunt. Pars eorum tertia, in qua illi ſex, qui conjungi ferè ſolent, leguntur, carceres mordet. Eam Claudio Salmaſio, viro, meo quidem judicio, conſummatiſſimæ eruditionis, inſcribere eſt animus, ut hac via aditum mihi ad amicitiam ejus ſternerem. Præſcriptio noſtra ejuſmodi eſt: *Excellentiſſimo Viro, Claudio Salmaſio.* Quod ipſum, an pro dignitate ejus, amplius ſatis ſit, tu non ignoras, qui eum propius noſti. Velim hac in parte, tuo conſilio nos juves. Quod ſi feceris, facturum autem confido, beneficium hoc tuum, ut & alia in me merita, æternum, & publicè aliquando, ſi otium Deus, & vitam longiorem dederit, agnoſcam: ſpecimen hoc animadverſionum velim per otium evolvas, & ſi quid ineptum, aut alienum in iis ſit, pro authoritate tua caſtiges. Vale, vir eruditiſſime, & me ama, qui te efflictim. Reverendiſſimus avus meus, fratres, & omnes noſtri, te, tuoſque omnes quam officioſiſſimè ſalutant. Ad filium tuum Matthæum brevi ſcribam: habeo quod ejus intereſt non ignorare.

Raptim, Lugd. Batav. 8 Nov. CIↃIↃCXXXI.

*Dom. veſtra dicatiſſimus,*

MARCUS BUXHORN. ZUERIUS.



Digitized by Google

## CCIII.

### Erycio Puteano,

Hiſtoriographo Regio,

S. P.

*Deprædicat humanitatem Puteani, quòd tanti ſuos æſtumet labores, & Grammaticam ſuam publicis ſcholis introducere cogitet. Cæterum de titulo Regis Sueciæ, in inſcriptione quam protuliſſet, aut peccatum in numiſmate, aut perperam lectum arbitratur.*

IPſe credideram, Vir Clariſſime, primis, quas ad te daturus eram literis, ſcripturum me quando initium facturi eſſemus publicè docendi. Sed ut multa opinione citius cadunt, alia in multum ſpatium trahuntur, ita quoque Scholæ noſtræ quæſtio, diu agitata, necdum conquievit. Propinqui tamen jam ſummæ ſpei ſumus. Quippe Proceres noſtri, aliquot abhinc diebus, Hagam ſunt profecti, ut Curiæ utriuſque ſententiam audiant; Et tantùm non deciſa lis eſt. Triduo, aut quatriduo, niſi plurimum me, & pleroſque alios, opinio fallit, ipſe ſcire, & quod ſciam, ſignificare tibi potero. Quid de tota cenſeam controverſia, nihil repetere opus. Nam ante ſcripſiſſe memini; nec mutata in ullo aut ſpes, aut ſententia eſt noſtra, ut ſtabilis plurimum illis opinio, qui pro cauſa nituntur bona. Cæterum quod tantas mihi gratias agendas putes, pro munuſculo agnoſco, & præter meritum fieri, & ſimul humanitatem tuam. Sed jamdudum ita aſſueviſti me, ut cum Puteanum nomen video, ipſam me humanitatem adſpicere cogitem. Profectò Muſas humaniores ſine causâ appellari, fere hodie dicere liceat, ſi earum cultores hodie lubeat æſtimare. Tu unus, ſi alius quiſquam, iis nomen aſſeris ſuum. Eoque injuriam tibi faciamus, niſi, quomodo me vocas, immerentem, te potius Muſarum vindicem appellemus. Et tamen gaudeo, non minus promptam mihi eſſe ad hoc voluntatem, utcumque ſucceſſus diſpar ſit. Ex eodem humanitatis fonte proficiſcitur, quod laborare te ſcribis, ut Grammatica noſtra in quibuſdam Scholis apud vos recipiatur. Exiſtimo tamen, fruſtra te fore, ob partes eas quibus nunc domus Dei diſtrahitur. Etſi nihil in libellis iis ſit, quod ea quibus nunc diſſident, tangant. De Inſcriptione ea quam proponis. GUSTAPHUS ADOLPHUS, D. G. GOTHORUM, VANDALORUM REX, MAG. P. FINLAND. DUX ET HONICARELS NEC NON INGRI; temerè arbitror confuſa poſtrema verba; nam Guſtavi inter titulos eſt, *Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Eſtoniæ, Careliæ & Ingriæ.* Hoc inter cætera oſtendunt, variæ Rutgerſii, quas huic Regi dicavit. Et ex iis qui Regnum hoc deſcripſere, ſatis eſt res aperta. Quare aut peccatum in numiſmate, aut perperam lectum. Suſpicor omiſſa poſtrema litera, ſic ſcriptum eſſe, DUX ESTONI. CARELI. NEC NON INGRI. Saltem ſic inſcribi debuit, aut aliquid aliud eſt, quod me fugit. Barlæum nomine tuo ſalutavi, cui id longe gratiſſimum fuit. Ac prima occaſione, ad te ſcripturum promiſit. Nunc reſalutari juſſit. Vale ſumme, & vir, & amice.

Amſtel. cIↃ IↃ c xxxi. Non. Decemb.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCIV.

*Summo viro & amico*

### Erycio Puteano,

### Gerardus Johannes Voſſius,

S. P.

*Plempium amicum ad profeſſionem medicam apud Lovanienſes de meliori commendat.*

*Maxime & amiciſſime Puteane,*

EAdem hora, qua literas tuas accepi, operam dedi, ut Plempium noſtrum convenirem, ex quo intelligo (quod alioqui apud cæteros premit) Brabantiæ veſtræ aliquos, civili alios dignitate, alios doctrina inſignes, atque in his etiam Præſtantiſſimum Fromondum, ſedulò operam dare, ut profeſſione Medica apud vos Lovanienſes fungatur. Horum ille literas quotidie exſpectat. Atque illud in cauſa eſt, cur negaret, cum de Bononienſi Lyceo animum ejus tentarem, reſponſum præcipitare adeo ſe poſſe. Sed tamen non obſcura indicia perſpexi, facile intelligere, quam honorifica ſit futura Bononienſis illa Profeſſio, ac quantum etiam emolumenti adferre poſſit. Profectò minime abhorret. Verum, antequam de ea aliquid audiſſet, animum ſuum de Lovanio quodammodo aperuit amicis. Et negari non poteſt, propiorem ſic Batavis ſuis fore. Quod longe etiam jucundius, ſi inter veſtræ & fœderatæ hujus Belgicæ Proceres pacis negotium procedat: uti optamus & confidimus. Equidem gaudeo, ſic Italos, ſic Belgas de Plempio cogitare, vir eſt ut optimus & humaniſſimus, ita ingenii elegantis, Philoſophus acutus, Medicæque artis callentiſſimus. Si me, ſi urbem hanc ſpectarem, mallem non aliò pedem referret. Verum enimvero ſic doctrinæ atque virtuti Plempii faveo, ut quam optime ei eſſe velim. Quod de Circulo tuo augendo cogitas, ſane gaudeo. Nam etſi nihil in eo quiſquam deſiderat, non tamen ignoro, ab eo ingenio, eaque doctrina, deinceps etiam poſſe expectari, quæ doctiſſimos doceant. Et placet, ſi Ampliſſimo Simoni Bellimontio exemplar tranſmittas. Non deſinam Præſtantiſſimum & optimum virum amore tui magis & magis accendere. Ac tacente etiam te apud Procerum alios id facere non ceſſabo. Id enim vere amici munus eſſe ſatis intelligo. Plura nunc ſcribere non poſſum, quia tabellarius Lovanienſis, qui hodie demum me convenit, cras ſummo mane abitum parat ſolito celerius, quia, ut inceſſus fidem faciebat, arthritide cœperat laborare, & ne gliſceret hic malum extimeſcebat. Sed intra paucos dies, ut ſpero, de Plempiano negotio certiora perſcribam. Occaſio erit per tabellarium Antwerpienſem. Tu, amiciſſime, operam dabis, ne ambiguæ hæ literæ meæ fraudi eſſe Plempio poſſint, fortaſſe ſatius ſit nihil hac de re ad Ampliſſimum Chryſogonum Flaccium ſcribere Bruxellas, uſque dum literas à me aut Plempio acceperis, aut iſtic, quid de Lovanienſi cathedra Medica ſtatutum ſit, cognoris. Quamquam quid ego de iſto ad te? Qui, per te melius quid facto opus ſit intelligis. Et quod nunc in mentem venit, credo nec Præſtantiſſimus Flaccius ignarus eſt, quid Lovanii in Plempii cauſa agatur.

Amſtelodami, Prid. Non. Decembr.

CCV.

## CCV.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Eloquentiæ Profeſſori.

*Urget de Archivis reſponſum, de Veneti oratoris martyrio Paſquinus quid voluerit, liteſque Legatorum cum urbis Romanæ præfecto de ſuperiori loco explicat.*

*Vir Clariſſime,*

PRælegit mihi è literis Illuſtriſſimi Molini, ad ſe ſcriptis, Dominus Thadæus Vicus, ferè id quod inde exceptum, vides hic tibi tranſmitti: ferè inquam; nec enim ſi conferatur cum Archetypo, in omnibus, ſat ſcio, reſpondeat. Addidit, quod videam nihil, verùm omiſit quædam, quæ inprimis ego, dum legentem aſſequebar, notaveram. Uti quod verecundè admodùm & magno obſervantiæ teſtimonio, profitetur hiſce ipſis literis, Vir Illuſtriſſimus, non audere ſe jam tantoperè pro tranſmiſſo ſpecimine tibi obſtrictum, ultra eſſe moleſtum, aut importunum; ideoque poſcere, ut Vicus tanquam motu proprio, nulla Molini id petentis, mentione facta, aut per ſe, aut per Dominum Van der Myle, aliumque prout conſultum judicabit, ulteriorem dicti operis perfectionem efflagitet. Quod Vicus omiſerit, hic in eo quod vides apographo, certè neſcio. Cæterùm id ego quale accepi lubens tranſmitto; ac ne quid fortè in Italico Idiomate, legentem moretur; ſubnectam interpretationem Latinam. Quanquam verò confido ſupervacaneam iſtam operam meam fore, malo tamen in hanc partem, ſi peccandum eſt, peccare potius, ne defuiſſe videar quantillum, id eſt, laboris, aut tædii. Ergo habe.

*Tenor in Literis à D. Molino Venetiis 14 Novemb. ad Secretarium Vicum, Hagam.*

Habui à Domino Voſſio compendium, in materia Archivorum, quo elegantius eruditiùſve deſiderari nequeat, meiſque ei literis, teſtatum facio, quantoperè id mihi fuerit acceptum. Verùm quoniam mihi ſcribit, non habuiſſe ſe plus temporis, quam diem unicum adimplendo iſti operi, propter feſtinationem quâ urgebatur, rogo te procures, quo poteris modo opportunius, ut idem D. Voſſius, inſigni ſua virtute, gratam hanc perfectam reddat; Tractatum iſtum dilatando, & ampliando, præcipuè, quod attinet conſiderationes commodi, & incommodi, quod & in privatos, & in Principes, poteſt redundare, ex eo quod habeant, aut non habeant, habeantque bono, aut ſequiori ordine compoſita Archiva: Videaſque ſi inducas eundem D. Voſſium, ad plenam operis perfectionem, quæ certè res erit pulcherrima, atque eo magis, quoniam non eſt, quod ego quidem ſciam, ab aliis pertractata. Ex textura exigui illius ſpeciminis, quod ad me miſit, magni valoris D. Voſſius, tam mihi *videtur concinnè ordinata*, *ut perfectionem*, uti dixi, mereatur, &c. Subjungit poſtea Vicus, miſſum ad te iri literas à D. Molino, per D. Van der Myle. Petiit à me ut ſi quid cognovero, non abhorrere animum tuum ab hoc labore, id ei ſignificem, quo lætum D. Molino nuntium mittere & ipſe poſſit. Si octiduo abſolvi nequit, rogat viginti dierum horas ſubciſivas impendere, ne graveris, idque cùm maximè erit integrum, quod & memini dum me recolo, in ſuis literis dicere Molinum. Ego de meo addam nihil, certus me fruſtra calcar additurum, ſive te impellat, ſive non impellat ad hoc ſtudium, tanti viri ſtimulus; qualis eſt omnibus eruditis, & tibi præ omnibus, qui illi & præ omnibus, Molinus. Tantum rogo, ut ſi te operi accingas, noſſe id liceat, uti ſatisfaciam D. Vici, & ſic quoque ipſius Illuſtriſſimi Molini deſiderio. Vale vir clariſſime, cum lectiſſima conjuge, & erudita liberorum familia, boniſque omnibus fruere, quæ tibi precatur.

Hagæ Comitis,
XII Decembr.
CIƆ IƆ CXXXI.

*Tuus,*

G. R. Doubletius.

## CCVI.

## Jacobo Uſſerio,

Archiepiſcopo, Armachano, Hiberniæ Primati.

*Inſigniter extollit Archiepiſcopi humanitatem, quâ Hiſtoriam Godſchalci & controverſiæ Prædeſtinatianæ nomini ſuo dicare voluerit. Prolixè diſquiritur de mente Auguſtini de prædeſtinatione, quam minùs Godſchalcus fuerit aſſecutus. Adjicit quædam de Mariani Scoti nova procudenda editione.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

OMnino me in ruborem dedit eximia illa humanitas tua, quâ Hiſtoriam Godſchalci, & Prædeſtinatianæ controverſiæ, tanta à te cura elaboratam non modò tranſmittere, ſed mihi etiam dicare volueris. Quid enim ejus non pietatis ac eruditionis modò, ſed etiam dignitatis virum, hoc honore Voſſium dignari? Equidem maxime Præſul, æternum tibi hoc nomine obſtrictus ero, ac una mecum tot adoleſcentes, ſtudiorum amantiſſimi liberi mei. Omnibus nobis atque adeo cunctis, qui vel ex Juniana familia, vel eidem innexi ſumus, eadem eſt mens, pro hoc beneficio gratum (ut poterimus) animum & ore & ſcriptis teſtari. Nimirum ſinguli propè exiſtimant ſibi hoc habitum honoris, quod mihi præſtitiſti. Plurimum te ſemper, Præſtantiſſime Domine ac Illuſtriſſime, æſtimavi jam ab eo tempore quo publici juris feciſti aureum illum Commentarium tuum de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione ac ſtatu, ab Apoſtolicis temporibus ad noſtra uſque tempora perductum. Ex quo multa me bona didiciſſe profiteor. Atque id prædicare apud omnes ſoleo, eos præſertim, qui cum Sacris Literis omnem conjungere Eccleſiæ Hiſtoriam amarent. Nec reperi quemquam, qui non ubi commendatione noſtra avidè totum opus perlegiſſet, debere ſe mihi ob judicium hoc fateretur. Sed enim nunquam putaſſem me aliquando à fœtus hujus parente, honore tanto mactatum iri. Etſi autem in Godſchalci hiſtoria non per omnia eandem inſtitimus viam (& quis facile duos dabit quibus in cunctis conveniat) plurimum tamen gaudeo in eo quod rei, ni fallor, caput eſt, probe nos conſentire. Uterque enim B. Auguſtini ſententiam amplectimur. Sed in quæſtione relinquitur an illam quoque Godſchalcus, & ſiqui Godſchalcum ſequantur, ſatis aſſequantur? Metuo ego ne eam Godſchalcus exceſſerit. Nec enim doctiſſimo ſui ſeculi Rabano & tot Moguntinæ Synodi patribus in Auguſtini lectione verſatiſſimis, facilè fidem detrahere auſim: qui ea dixiſſe ajunt quæ nunquam dixiſſet Auguſtinus. Nec Remigius defendere omnia Godſchalci audet: ſed contentus eſt dicere, ſiqua ſtultè & abſurdè effræni ſua lingua effutierit homo inſtabilis ac inconſtans, non propterea etiam damnari oportere, in quibus illi cum B. Auguſtino ſatis conveniret, quemadmodum optime obſervaſti operis tui capite 6. Nec, ut ingenuè dicam, confeſſiones ejus dimovere me adhuc de ſententia illac potuerunt. Siquidem ex ἀξιοπίστοις intelligo in Bibliothecis Gallicis exſtare cætera de Godſchalco quæ ſententiam meam mirifice confirment. Ea ubi accepero (bonam illorum ſpem mihi amicus fecit) faciam te, uti debeo, de re tota certiorem. Atque ut nihil haberemus, præter illa quæ jam lucem viderunt: nonne potuit Godſchalcus, & confeſſionibus ſuis ea ſola complecti, quæ Auguſtino arctiùs hærentibus probarentur, & alia aliàs ſuperaddere, quæ Auguſtini ſidem amantibus

tibus diſplicerent. Quod eo mihi credibilius Godſchalco eveniſſe; quia video in eadem controverſia noſtra ætate viris etiam eruditis quædam excidiſſe, ac deinde diſputando ulterius quoque protractos, dum conſentanea placitis dicere allaborant. Atque in his non verear reponere optimam illam & candidam Joannis Piſcatoris Theologi Herbornenſis animam, cujus auctoritatem memini aliquando in diſputatione publica objectari clariſſimo ſocero meo Franciſco Junio: illum autem ſuaviter reſpondere nolle ſe omnia Piſcatoris dicta præſtare. Novi & his in terris quamplures etiam τȣ̃ θείȣ λόγȣ κήρυκας, qui non ſolum in regeneratione, ſed in omnibus actibus piorum irreſiſtibilem eſſe Dei gratiam contendant, eoque non poſſe quemquam plus boni facere quam facit. Soleo illis oggerere, pœnitentiæ ſic vim infringi. Nam ſi quicquid boni à nobis negligitur, id defectu gratiæ negligitur, eoque aliquid nos facere noluimus, quia Deus illud operari à nobis noluit: ſane quoties cubitum ituri, acta diurna cum animo noſtro revolvimus, vix ſerio dolebimus ob officium neglectum. Sint preces, ſint eleemoſynæ, ſit admonitio aliorum, ſit exemplum quo præire debuimus. Ubicumque ceſſatum, cogitabimus non fuiſſe placitum Deo vires nobis conferre ad agendum bonum. At quanto vividior erit pœnitudo, ſi conſtet ceſſationem officii non eſſe ex gratiæ ſed voluntatis defectu; ſæpe pios aliter per gratiam Dei poſſe: ſed non ſemper ex poteſtate gratioſe collata agere. Quanto hæc conſentanea magis non ſcripturis modo ſed etiam B. Auguſtino & antiquitati univerſæ! Ac poteram id genus etiam alia adferre, niſi roſas mallem conſectari quàm ſpinas, ac prope id conſuetudine mihi in naturam vertiſſet proprias potius papulas obſervare quam alienas. Quare ne illa quidem attuliſſem, quæ cum reprehenſione aliquorum conjuncta eſſe video, niſi neceſſarium putaſſem, ex noſtris temporibus colligere de antiquis. Si enim ætate noſtrâ ſic prædeſtinationis controverſia tractatur à nonnullis, ut non ea modo dicant, quæ dixit Auguſtinus; ſed ſuperaddant quæ non dixit, imo iis contraria quæ dixit, ſane nec difficile creditum, fuiſſe olim nonnullos qui ſimiliter exorbitarent, & in his fuiſſe monachum non omni ex parte laudatum, ut qui contra præſcriptum monaſterio ſuo exierit, nulloque vocante nomen prædicatoris aſſumpſerit; qui etiam prædeſtinationis dogma proponendo hoc egerit, ut (quod Remigius non diffitetur) velut novus atque admirandus prædicator exiſtimaretur: qui præterea vulgari errore implicitus ad veritatem dogmatis ſui adſtruendam ſe ſponte examini aquæ, picis, & olei offerret. Quibus conſideratis, ſtatuere malo, dixiſſe quidem Godſchalcum quæ dixerat Auguſtinus, ſed plus dixiſſe quàm dixerat Auguſtinus, eoque & rectè illum damnatum à Rabano & Synodo Moguntina propter illa quæ non dixerat Auguſtinus, vel alia is mente dixerat; ac recte quædam Godſchalci capita defenſa eſſe ab Remigio quæ etiam dixerat Auguſtinus, & eâ mente dixerat quâ capiebat Remigius. Valde autem placet quod idem Remigius ait, partim de illis qui Auguſtini ſententiam amplecterentur, partim illis qui ſcripturas ſic interpretarentur, ut priores patres & ipſe ante Pelagianam controverſiam Auguſtinus ſolebat. Utrorumque ſententia honoranda, quia & illa ex Divina Auctoritate vera eſſe monſtratur, & iſta quâdam piâ ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur. Fiduciam ſumpſi, Ampliſſime Præſul, pluribus hac de re tecum diſſerendi; quia id mihi per te licere exiſtimarem, partim quia in Britannia cum eſſem, ſic prædicari à pluribus audivi eximiam non modo doctrinam, ſed etiam humanitatem tuam: partim quia excellenti adeo beneficio à te nullo meo merito affectus perſuadere mihi aliud non poteram, quàm amari me à te plurimum; & majoris etiam fieri quum videret non mihi modo, ſed, ut arbitror, aliis quoque qui penitius me noviſſent. Quod ſi occaſio dabitur, denuo in lucem edendi Hiſtoriam meam de Pelagii & Maſſilienſium controverſiis; non diſſimulabo quantum tibi debeam tum privato nomine, qui ſic nomen ornâris meum, tum communi, quia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ amantibus tantopere allaxeris ad illum de Godſchalco quæſtionem majori cura perpendendum. Sin illud de Hiſtoria noſtra ſpiſſiùs procedet, aliter diſpiciam ſi non ut merito me tuo exſolvam, ſaltem ne vivam ingratus. Venio ad alia. Jam biennium eſt quod Oxonii cum eſſem, doctiſſimo ornatiſſimoque Joanni Rouſſio, Bodleianæ Bibliothecæ præfecto, referrem cogitare me de nova editione Mariani Scoti: cujus Librum tertium cum MS. Gemblacenſi, & altero collatum haberem, nec pauca me in meis de temporibus commentariis annotaſſe, quæ ſcriptori illi facem allucerent. Tum ille prædicare nobilem operam quam, Illuſtriſſime Præſul, auctori huic impendiſſes. Subjiciebam ego, Lubentem me, codicem meum in Hiberniam tranſmiſſurum. Illi, ſi rectè memini, oggerere, velle ſe hac de re ad te ſcribere, ac fortaſſe ejus te ſententiæ fore, ut non gravate ipſe communicaturus ſis mecum labores tuos. Jam annus propè abierat, cum Lugduni domum meam venit Clariſſimus Vir Ludovicus de Dieu; ac præfatus quædam de illuſtri dono, quo à te affectus eſſet, ſubjungeret, ut ſibi quoque miſſus eſſet Marianus Scotus: Cæterum, cum is non faciat ad ſtudia ſua, planè ſe exiſtimare, eum mihi tranſmiſſum eſſe, utcunque nihil de eo perſcriptum eſſet. Mox ego firmare illius ſuſpicionem ſermonibus inter me & amiciſſimum Rouſſium habitis. Ergo ille mihi in manus dare Marianum: cujus ut primorem paginam conſpexi, monſtro adſcriptum ei nomen meum. Subriſit ille, quod antea iſtoc non animadvertiſſet. Multis eo tempore occupationibus diſtringebar. Et ſemel iterumque domo proficiſcendum erat. Poſt hebdomades aliquot, ubi meus eſſe cœpi, Marianum (quem curſim antea inſpexeram) accuratius cum edito conferre cœpi. Vidi præmitti Mariano quædam ad temporum rationem pertinentia: quæ cujus ſint neque nunc ſcio. Sequebatur deinde primus Mariani Liber, ubi, ut conſpexi, octo prima capita, quæ in editis deſiderantur, valde ſum exhilaratus. At duplicatum gaudium poſtquam animadverti hic verè eſſe Librum ſecundum: eum autem, qui vulgo habetur ſecundus, tertium eſſe. Multum etiam lætatus ſum conſpectis paginis aliquot Libri tertii, ad quarum oram variantes lectiones magna curâ annotaſſes. Dolebam cætera deſiderari. Sed cum in quaternionem incidiſſem, ubi tempora continerentur ex Mariano ab an. Iↄ cccc uſque ad cIↄ LXXXVII animadverti ex inſcriptione ea quæ deſiderarentur ex Wigornienſi exſcribi debere. Quemadmodum & quæ Libro primo deſunt poſt annum Jacobi XLIII. ex eadem peti debent: ſi rectè capio quod poſt eum annum adſcribitur. Scriptum quidem reliqua Libri tertii eodem modo haberi in Chronicis Florentii Wigornienſis. Verum arbitror *tertii* errore calami pro *primi* ſcriptum eſſe. Nam charta in qua id notatum, proximè Librum ſecundum Mariani præcedit. Nunc Reverendiſſime Domine, certior fieri exopto de Mariano tuo (verè enim tuo qui tibi potiſſimùm vitam ſit debiturus) quid fieri à me velis. Etſi nihil de eo mihi à quoquam perſcriptum, nec ornatiſſimus de Dieu, à quo accepi vel tantillum ejus noſſet; ex ſermone tamen ab Rouſſio noſtro Oxonii habito ita plane colligo id te voluiſſe, ut beneficio tuo integer nunc demum Marianus prodiret: quem antea & capite habuimus & membris aliquot truncatum. Eoque niſi aliud tibi placitum cognôro, editurus hic ſum ſcriptorem illum: quod jam ante feciſſem, ſed præeſſe volui editioni. Id Lugduni non potui, quia pauculis menſibus poſt codicem acceptum, commorandum mihi iſtic erat. Deinceps melior Amſtelodami occaſio erat: quo commigravi ingentibus præmiis invitatus. Nempe potentiſſima hæc Reſpublica Illuſtre erexit Gymnaſium, in quo publice frequentiſſimo non adoleſcentium modo, ſed doctorum virorum, primariorum civium auditorio omnis ævi hiſtoriam, ac civilem doctrinam profiteor. Sed etſi non obſcure mihi videor mentem tuam perſpexiſſe: velim tamen me ſive à teipſo, Reverendiſſime Domine, ſive ab aliquo tuorum, paulo penitius de ea edoceri. Interea ego quæ afferre ipſe, ad ornandam hanc editionem potero, procurabo. Valde quidem diſtineor, & tantum non obruor negotiis. Sed (ut ſpero) quod dies non ſinunt, noctes da-

dabunt. Divinum numen tibi undecumque, maxime Domine, diu proſperet ætatem, bono tuo & cultorum nominis tui, præcipue Eccleſiæ totius, Britanniæque ac Hiberniæ tuæ.

Amſtelod. cIↄ Iↄc xxxii. iii. Id. Januar.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor, ac cliens devotiſſimus.*

## CCVII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Voſſio,

Præceptori æternum obſervando,

S. D.

*Blyemburgii ſui obitum luget. Viros graves & prudentes, præcipue magnum Grotium tam parvi Batavos æſtimare, atque id potiùs agere, ut expellant, magnopere indignatur.*

IN cauſa veſtra Lugdunenſes cauſa cecidiſſe V. N. ſocer meus ex judicibus unus mihi retulit. At ſe provocare ad Ordines huic, credo & aliis, ſcripſere civitati. Si rectè atque ordine olim virtutem veſtram coluiſſent, & comitem tantæ eruditionis majeſtatem conſervaſſent, nunc non neceſſe haberent ſublatam ex oculis invidere melioribus. Neque hic ſubſiſtunt, ſed etiam ſi Dis placet, ſummo Heroi, & nunquam ſatis laudato H. Grotio, manus injicere, (ô flagitium) tentant, aliaſque civitates, ſeu potius iſtos, qui eâdem viâ ad Magiſtratum graſſati ſunt, in conſenſum trahunt. Hi mores, hæc tempora, vix obductam cicatricem refricant acerrimi doloris, quem cepi ex obitu, heu nimis immaturo, magnanimi Blyemburgii, qui multis quidem flebilis occidit, nulli quam mihi flebilior. Jam fermè moriens me vocat, mi Beverwice, inquit, jam diu ex vultu indice animi dolentis collegi quam res meæ depoſitæ eſſent. Equidem confiſus arti tuæ, & affectui, ſperaveram ex hoc malo me emerſurum, ſed quandoquidem Deo aliter viſum, ego, quo nunquam amittes amiciorem, pro tuis in me officiis, gratias habeo immortales, & filios (adſtabat major natu) æternum tibi relinquo obligatos. Quid mihi, Doctor utriuſque noſtrûm amiciſſime, animi tum fuiſſe cenſes? ac quomodo iſta, & iſtiuſmodi plura audiendo temperare à lacrymis potuerim? Certè vix nunc hæc recordatio ſinit, præſertim hac tempeſtate, quâ rebus viri incomparabilis, aliquod pondus in hac ſaltem urbe, afferre potuiſſet. Qui è Magiſtratu heroicas ejus virtutes colunt, cæteris ferè numero pares, genere, virtute, prudentia, eruditione, longè ſuperiores. Imo abſque uno foret, quem noſti,

> Ὧ οὔτ' ἄρ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι, οὔτε νόημα
> Γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι ——

Cuncti animis & votis, faverent rigido, veræ virtutis cuſtodi, neque paucis probatus potius, quam multis foret.

Qui è noſtris hodie, (non aderat nuper ὕπατος Καλέριος φιλοχείτος) ad conventum Ordd. Præfecti videbunt, ne quid Heros ab iſto detrimenti capiat. Quin & ipſus mihi affirmavit, ſe magni facere virum magnum, & gratum ſibi fore ejus adventum, ſi authoritate publica ut potuiſſe referebat, venire maluiſſet. Quis non indignetur Batavos inveniri, qui Bataviam eo cive carere velint, qui eam immortali illuſtravit gloria, æternum Patriæ, & ſeculi decus.

> Τῶ δ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.

Cùm ut Zelandiam, & ultra omittam, in Gelria multos ſibi faventes habeat, necnon in Friſia, inter quos affinis meus Veltdnelius, qui ex collegio Ordd. Gener. Legatione, ad Moſcoviæ Ducem functus, iterum concilio Status adſcriptus eſt. Hujus, communis ſoceri Senatoris, & meo quoque nomine rogo (nam ibi eſſe ex fide dignis accepi) amiciſſimam ipſi ſalutem dicas. Plura quæ tutò literis non committuntur, utinam in ſinum tuum effundere liceat! Non occiderunt omnium dierum ſoles. Interim vivat, rarum probitatis, & eruditionis exemplar, vivat, & æternum lætus bona tempora ducat; atque te cum illo, V. Cl. cum Cl. Barlæo, aliiſque literarum, ac Patriæ columinibus. Quod ſi amare non deſinis, hunc Voſſianæ diſciplinæ alumnum, id quæſo ne ſilentio teſtatum facere velis.

Dordrechti, 12 Jan. cIↄ Iↄ cxxxii.

*Virtutum tuarum cultor obſervantiſſimus.*

JOHAN. BEVERWIJCKIUS.

## CCVIII.

*Viro Clariſſimo, & Eruditiſſimo,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

S. P.

*Refricat ſui memoriam; laborum ipſius in hiſtoria Eccleſiaſtica magnam apud omnes expectationem eſſe. Suſcepiſſe ſe Commentariis illuſtranda Agapeti & Baſilii parænetica, in quibus, ut MS. vel alia ratione adjuvetur, expetit. De phraſi quadam Agapeti eum conſulit. Quando rubri Imperatoribus calces uſui eſſe cœperint, ſententiam rogat.*

NOndum opinor excidit animo tuo, Voſſi Excellentiſſime, noſtrum Amſtelodami colloquium, cum VII Kal. Sextil. præteriti anni, Album tibi meum offerrem. Is ipſe jam impenſè te rogo, æquo animo feras, me his tandem literis mei apud te memoriam renovare. Locum certè amplius pudori relinquere nullum potui, qui me à ſcriptione, ut olim Leydæ à crebriori acceſſu retardaret. Satis ſuperque, novi tuam humanitatem. Luculentam ejus erga me ſignificationem dediſti, cùm me Lugduni, adhuc hærentem, publice diſputantem, benigne audires. Nunc germano fretus candore tuo, me immeritum, ut in amicorum numerum recipias, obnixè precor. Sanè quanta hic omnium ſit expectatio de tuis laboribus, in hiſtoria Eccleſiaſtica, dici non poteſt. Majorem ego, φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν, reverſus excitavi. Adeo ut ſi liberare publicam fidem velis, opere nondum integrè perfecto, ἀποσπασματίῳ quodam nos beare opus ſit. Ita omnium hic in te oculi conjecti ſunt, ut qui ſolus es, quem Herois Caſauboni τοῦ μακαρίτου, partes adverſus ὑπεροπτικοὺς Loiolitas ſuſcipere æquum eſt. Nemo enim te melius poteſt id præſtare. Cæterum ὦ θαυμάσιε χαῖρε, ſcito me non ſine conſilio Clariſſ. Lindenbrogii, (qui te ut plurimum ſalvere jubet) Commentariis illuſtranda, τὰ Ἀγαπητοῦ καὶ Βασιλείου παραινετικὰ κεφάλαια, mihi propoſuiſſe. Illius ad Imperatorem Juſtinianum, hujus ad Leonem filium. Si ſingularem illam tuam, quâ σὺ φιλομαθεῖς promovere ſoles, benevolentiam mihi præſtiteris, & nonnullis meam editionem, ut facilè poteſt capaciſſimus omnis eruditionis tuus animus, ornaveris, θαυμασίως ὅσον me tibi devincies: fortè in inſigni illa domeſtica tua, aut alius viri docti Bibliotheca, quod ſcias, latet manuſcriptum aliquod, aut ipſe etiam qui nihil ignoras, nihil non perlegiſti, quædam monenda habes.

Certè ſi MS. alicujus copia mihi fieri poterit, idoneos ſponſores dabo, qui me bona fide redditurum ſpondeant. Ignoſce, Vir literatiſſ. Totum illud imputabis tuæ humanitati, quæ me adeo impudentem facit. Ego quidem ſummæ tenuitatis mihi conſcius, non facile, in his ſtudiis quid tentarem, niſi conſilio amiciſſimi noſtri Lindenbrogii id facerem, qui & Pariſienſem utriuſque editionem, & excepta

cepta ex Scholiis Moſchopuli in Agapetum, mecum communicavit. Deſcripſit ea Florentiæ, ex MS. quodam Bibliothecæ Marcianæ. Taceo graviſſimas, quæ me incitant, cauſas, quibus obtundere animum tuum, religio eſt. Negare velle, & magiſtratus noſtri, & optimorum hujus urbis virorum, de me aliquam eſſe ſpem, quem Parens jam quinto ætatis anno ſtudiis initiavit, ἀπεπόνατον. Tentandum igitur aliquid quod & ex re mea erit, & erga literas optimas, immane ardens ſtudium teſtabitur. Μὰ τὸ θεόν, quam ego delector ſtudio humaniorum literarum: in quibus ætatem huc uſque fere contero. Quo niſus fundamento, animum ſapientiæ præceptis compoſitum, & excultum, poſſe tandem aliquid in Eccleſia, cui me devovi, utile præſtare ſpero. Utinam ὦ θεῖε & θαυμάσιε Voſſi, rivulum tuæ benevolentiæ, in me derivares, quem ego tantopere admiror, colo, veneror. Athenienſes publicis execrationibus ſanciebant, ne quis ulli unquam viæ ignaro, indicium denegaret; tua id poſtulat excellens, & ſingularis ſcientia, germanus candor præſtat, ut φιλομαθῶν neminem, fruſtra dimittas. Sed quæſo, Vir eruditiſſime, quo ſenſu dicit Agapetus, Τμήματι δ, ἐξ ἐρυθροῦ δέρματος περικείμενοι. An ut apud Terentium neglecta jacet, ut Sophocles in Ajace accipit, pag. 106. edit. Henr. Stephani. An quia agunt excubias, & præſidii cauſa, ut in Principum aulis locati ſunt: τμήματι β. πῶς κόσμος πολιτείας, κγ. ὑπὸ τοῦ θεῖου, καὶ παντεφόρου βλέμματος, numquid novum hoc eſt vocabulum? Baſilius etiam τμήματι ξγ. Imperatori τῶν πεδῶν τὸ ἐρυθρὸν ὑπόδημα tribuit. Sed quando in uſu, Imper. rubri calcei? quibus etiam meretrices, & delicatiores mulierculæ, utebantur. Germanicum nobis eſt proverbium: Es gehört mehr zum dantz dan ein pahr rohter ſchuhe. Πέδιλα alias ἐρυθρά, ſunt punicei calcei; quales erant triumphalium virorum. Albanos olim Reges, puniceo pedum tegmine deliciatos eſſe, Dion. Caſſius docet lib. 43.

Expone quæſo de his mihi quid ſentias, Vir eruditiſſime; nec admitte, ut fruſtra ad fores tuæ humanitatis, & benevolentiæ acceſſerim. Scio te germanis, & antiquis adhuc eſſe moribus; neque indigere eum amicis, quem omnes docti ſuſpiciunt. Ætatem, & ipſe meam agnoſco; nondum enim XX ætatis annum ſum egreſſus. At eleganter Thebanus noſter Vates, quem jam XIII ætatis anno, interpretabar, nec ſine Doctorum voluptate legebam. Φυοντι δ' ἐν νέοις ἐν ἀνδράσιν πολιαὶ θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. Etiam hoc novi, quantum a te omnis faſtus abſit, qui bonos non ægrè admittis. Apud te, virorum omnium Doctiſſ. cœpti veniam fortè impetro. Paulum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus. Si non ſubtilis ingenii, diligentis tamen, καὶ φιλομαθοῦς teſtis erit labor. Hæc in ſinum gratiæ tuæ ὦ δαιμόνιε effundere libuit. Tui enim ſolius, πάντα κρατῶ ἐγγόνασι. Vale eruditiſſime virorum noſtri ſeculi, me totum tuum ama, & literarum, quando vacat, alloquio dignare.

Datum fœliciter Hamburgi, CIↃ IↃC XXXII. XV Kal. Febr.

*Diffuſiſſimæ eruditionis tuæ, germanarumque virtutum, æternum cultor,*

BERNHARD DAMKE.

Salutant te officioſe, & ſalvere jubent, D. Frider. Lindenbrog. & Parens meus, qui inter primos colit.

Vir optime, ne fortè decipiant te tabellarii, ſcito nos ſemper pro literis hic ſolvere; ut non opus ſit duplum illos accipere.

Si me ut ſpero, reſponſione dignatus fueris, literæ curabuntur ſeu reddentur Hamburgi, qui commoret apud colendiſſ. Parentem meum, M. Joachimum Damke, Paſtorem Templi Nicolaitani.

## CCIX.

## Erycio Puteano,

*Viro Cl.*

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris. Quâ ſimul offert Dionyſii filii Panegyricum & Carmen in laudem Batavia ſcriptum.*

IN mediis occupationibus gratiſſimæ literæ mihi tuæ advenerunt. Quibus licet reſpondere vix res ſinebant, nefas tamen putavi nuncium ſine meis ad te literis remeare. Quam tu legem propè mihi impoſuiſti aſſiduis officiis, atque exemplo. Pulcherrimum animi tui fœtum, ut vidi, exoſculatus ſum affectu quo debeo, & is meretur. Et tamen necdum ea cura, qua velim, luſtravi. Erit id ſimulac cura, quæ nunc premit, paullum abſceſſerit: hoc eſt intra biduum. Nihilominus ſic quoque ſpondere auſim, omnia parente ſuo eſſe digniſſima. Sed iſti non inſiſtam, nequid videar auribus dare. Exemplaribus fieri, quod petieras, jam cœpit. Etiam Plempio dedi: qui lectulo jam quartum, vel quintum, ni fallor, diem æger attinetur. Hoc immoderata ei ſtudia attulere, dum in Avicenna ſuo ex Arabico transferendo eſt perdius & pernox. Monui ſedulo ſtudia non eſſe inventa ad crucem. Et ſic prodeſſe debere, ut diu proſit. Nec culpam diffitetur. Sed negat ab animo ſuo impetrare poſſe, ut corrigat. Is ſtudiorum eſt ardor. Qui ſi modum exceſſerit, profecto dulcis eſt inſania. Vix ædes eram ingreſſus, cum prius ipſe, mox ſeorſim parens ejus verbo inquirit, quid ſit de Medica apud Lovanienſes veſtros profeſſione. Et ecquid de eo certi ſit ſtatutum. Negavi hoc: & tamen nolui ejus ignarum eſſe, alterum eſſe, qui commendetur Sereniſſimo Archiduci, à quo etiam animo ſit neutiquam alieno. Ex eo cognoſcere poſſis quo propendeat. Quid mirum? Minus abeſſet à ſuis. Et jure aliquid putat, eſſe ubi degat, ea cum gloria candida Puteani anima, & doctor ſuus Fromondus, ut de aliis taceam. Panegyricum & Carmen filii Dionyſii dubitavi an mittere ad te deberem. Poſtea etiam geminum offerre exemplar auſus ſum. Quorum alterum dabis illi, quem inoffenſum ea legere poſſe exiſtimabis, omnino enim liberius aliquibus in locis eſt locutus. Sed, qua prudentia es, facile id dabis Patriæ amori. Scis Batavis ſuis ſcribere. Et ego ſic ſcribentibus in partibus adverſis ignoſcere ſemper ſoleo. Mitto quod quiddam & calamo emendaſſet, ſi domi fuiſſet. Audio generum cum filia eſſe Dordrechti. Si Amſtelodamum venerint quæſo hoſpitem me ne dedignentur. Beneficium mihi præſtari à familia tua credam. Et volupe erit videre & audire tuam progeniem; generum etiam amplecti. Vale vetus & magne amice. Salutat te filius Dionyſius, qui ipſe ſcripſiſſet, niſi, ut dixi, foris fuiſſet, diſtentus: ſed antequam exiret, hoc à me adſcribi poſtulârat.

Amſtelodami, Prid. Kal. Februarii, nocte intempeſta, ut fere ſoleo.

## CCX.

## Jo. Arn. Corvino.

*Excuſatio ſilentii. Auſpicia & ſucceſſus profeſſionis Amſtelod.*

HActenus, Præſtantiſſime Corvine, non reſpondi literis tuis, partim quia cognatum tuum Zeiſtium exſpecta-

ſpectarem, in quo me feſellit opinio mea; partim quod plane hærerem ipſe, ita ut ſemel iterumque, manum calamo admoverim, ſed mox eundem depoſuerim, quia ab animo impetrare non poſſum, ut ullum animo ſcrupulum injicerem, quo minus ad nos quamprimum venires. Nihil enim æque deſiderabam. Et tamen metuebam, ne aliquid eorum deficiat in iis, quæ ſcribis, ſi domicilium hic fixeris. Simul videbam, de iſto melius te ex avunculo tuo Perſinio poſſe edoceri. Quem ſuper eo, ſi Hagam iſſem, conſuluiſſem ipſe. Illud interim ſcio, tutò admodum te hic victurum. Ea enim eſt Magiſtratus prudentia ac vigilantia, ut malevoli nihil erga tui ſimiles poſſint. Quam vellem, ne tantopere abjeciſſes voluntatem procudendi typis optima quæque. Quam bene pariter de ſtudiis & familia tua mereris: Si vir ea doctrina ac judicio curæ illi incumberes, ut antiquorum tot monumenta aurea, quæ pene interciderunt, per te quaſi ab Orco revocarentur: vel quæ paſſim corruptæ leguntur, tuâ operâ integrius, caſtigatius, ornatius prodirent. Sed eo ab conſilio ſemper mihi viſa abhorrere conjux tua, poſtquam Lugduno abeundum ſibi alio ſtatuerat. VI. Id. Januarii Inauguralem habui Orationem in Illuſtri Gymnaſio noſtro. Poſtridie item Barlæus. Ac uterque frequenti admodum auditorio diximus non adoleſcentulorum modo, ſed etiam virorum eruditorum graviumque. Literas tuas τῷ μεγάλῳ inſcriptas, ſimulac mihi ab amico traditæ ſunt, procuravi ſedulo. Nunc mitto reſponſum ejus, ex quo facile perſpicias, quanti te faciat. Itaque admodum tibi illud gratum fore ſcio. Uno excepto, quod addit ob odium quorundam Vatinianum, nondum adeo liquidas eſſe res ſuas, quam vellent, qui viri ejus virtutes norunt, nec doctrinæ pariter & concordiæ publicæ bellum indicunt. Veruntamen magna me ſpes tenet, propediem omnia fore loco meliori. In quo ſi nos opinio fallet, non diem in patria morabitur. Num opus? præſertim cum certo familiæ ſuæ diſpendio. Si quid tuto ad eum curatum velis, ad me mitte. Ac ſi quid aliud etiam expoſcas, ſolum impera, omnia ſiquidem tui cauſa volo ac debeo. Uxori optimæ à me & mea ſalutem dices plurimam.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxII.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCXL

## Gerardus Voſſius Joanni filio, S. P. D.

*Epiſtola familiaris argumenti varii.*

Tandem, mi fili, deciſa eſt lis, quæ de Schola Illuſtri à Lugdunenſibus huic urbi mota fuit. Exitus eſt qualem optabamus. Itaque jam duabus hebdomadibus publice docuimus. Ac ſuccedunt initia ex animi ſententia. Magnus enim eſt auditorum numerus, non de juventute tantummodo, ſed etiam ex viris primariis, & hominibus eruditiſſimis. De negotio quod abiens mihi commendaras, abundè ſollicitus fui. Sed metuo ne ſpiſsè procedat, quod uterque optaremus. Nam ſi qua functio ſe offerat non indigna te, tantus continuo eſt numerus ambientium ut eorum quidem qui multis & magnis fautoribus ſint ſubnixi; ut non ego ſolum facile deſperem, ſed alii etiam, qui cauſam agerent noſtram. Nec propterea curam hujus rei agere deſinam, veruntamen facile video non poſſe te melius tui rationem habere, quam ſi nihil fiduciæ in fautoribus, plurimum poſt Deum in virtute doctrinaque reponas. Quare non dubito quin ſedulo vel Sacris literis, vel arti Medicæ incumbas. Utrumque ſtudium in Britannia aliquem te efficere poſſit: in Batavia noſtra (ut nunc ſunt tempora) ſolum poſterius. Reverendiſſimus Dom. Epiſcopus nuper ad me ſcripſit literas humanitatis plenas: ex quibus facile perſpicio, ſimulatque idoneus ſacræ functioni eris, fore ut tui habeat rationem. Attamen ſi Medicina magis arridet, non impedio quo minus hoc vitæ genus amplectaris. Ac ſeu apud Britannos ſeu apud Batavos tuos exercere illud velis, non deerit tibi favor & noſter & amicorum. Solum curandum ne incertus ſemper fluctues: tum etiam opus (ut apud Tullium in oratione quadam fuit) Labore & conſtantia. Quod ſcis poſtea Plantini ſymbolum fuiſſe. Vellem te frequentiorem eſſe in literis ſcribendis. Te denas miſiſſe ais. Quid dicam? vix tertia eſt hebdomas, quod ſecundæ allatæ, nec ex eo tempore alias accepi. Scripſi ad Caſaubonum, ut quemadmodum ante annum fecit, ita etiam deinceps tibi trimeſtri quoque annumeret de meo libras Sterlingicas quinque. Si acceperis eas ex trimeſtri, quod Decembri menſe expiravit, bene eſt. Sin necdum acceperis, ſcio quamprimum id facturum, niſi forte jam Maio dederit ſummam integram, quæ mihi debebatur. Quod ſi eſt, proximo Martio dabit tibi duplum, hoc eſt libras Sterlingicas decem. Ita enim fieri juſſi. Frater Dionyſius vocatus eſt in Academiam Dorpatenſem, quæ in Livonia, & ad profeſſionem publicam. Sane magnus eſt Rex cui ſe addiceret. Verumtamen filii ætas facit ut malim adhuc retinere. Et amici etiam auctores ſunt, ut prius apud nos Juris & Polit ices ſtudia abſolvat, quam in exteris terris figat domicilium. Pergratum mihi interea, quod nomen ejus magis & magis inclareſcit. Hugo Grotius in Bataviam venit amicorum ſuaſu, ea res multos habet peſſime, & turbas etiam in conventu Ordinum dedit. Præſertim Lugdunenſes, & Harlemenſes infeſtos habet. Quem res ea exitum ſit habitura dicere necdum poſſim. Sed nondum deſpero. Præſertim cum Delphenſes, Roterodamenſes & Amſtelodamenſes valde ei faveant, omnemque moveant lapidem, ne tantus vir alibi potius, quam in Batavia ſua vivat. Velim ad me perſcribas, quid rerum agat affinis Junius, & ubi vivat. Nihil enim hactenus de eo intellexi, præterquam quod unis literis tuis continebatur, ac tu ex Petreio te accepiſſe ſcribebas. Jam hebdomas eſt quod Aurelium Londinenſem Eccleſiaſtem obiiſſe cognovi, de quo tu nihil perſcripſeras. Dolet quod Britannia tot alios Viros egregios amiſerit. Id enim literæ tuæ teſtantur. Gratum facies ſi deinceps quoque ſignifices, qui iis ſucceſſerint. Valde laboro pro Vanden-Brukio ut præſit vendendis rebus præfecturæ maritimæ: unde ad eum quotannis luculentum ſalarium rediret. Sed obſtant nobis alii; in his Realius præfectus, iis à ſecretis, qui pro filio ſuo id munus petit. Nec deſunt alii qui ambiant. Atque etiam traducunt noſtrum illum quaſi poculis ſit addictior, nec ſuæ rei ſatis geſſerit curam. Dolet quod non magis habuerit rationem nominis ſui. Cum his diebus quempiam ex præfectis rei maritimæ ejus cauſa compellarem, benignè quidem reſpondit: ſed addebat deinceps qui munus hoc ſuſtinere velit, eum cavere oportere pro xx. aut triginta Florenorum millibus: ne iterum publicum defraudetur. At ego neminem amicorum ſcio, qui Vanden-Brukii cauſa tanto ſe periculo velit exponere. Fortaſſe facilius negotium ſuccederet, ſi quoſdam in quorum manu ea res, muneribus ac promiſſis faceremus noſtros. Sed ego artes iſtas non didici. Interim ex his facile colliges difficilem eſſe provinciam, quam ſuſcepi, & ut nonnulli ajunt, non ſatis mihi honorificam. O utinam deinceps in hujuſmodi negotiis non amplius utatur operâ meâ! Non poſſum facile aliquid amicis negare. Interea audire illa cogor, de eo quem commendo, quæ magnum mihi dolorem adferant. Etſi verum dicere licet, ex parte in cauſa eſt ſocrus, quæ vitia ejus patefacere aliis ſolet, atque etiam exaggerare ultra modum; ſic pleræque fœminæ ſunt: nec interea cogitat ſe ſibi & ſuis obeſſe. Archiepiſcopo Armachano gratias pro honore mihi habito maximas egi. Scio in cauſa Godſchalci nonnihil diſſentire: ſed facit id perhumane. Quod cur tanto viro non æquè liceat ac mihi licet in ſententia perſiſtere, poſtquam ejus opus legi? Sanè vir eſt ſummus & lectionis admodum variæ; mihique planè decretum ſcripto aliquo teſtari,

ſtari, quanti eum faciam. In eo tamen falli arbitror, quòd exiſtimat Godſchalcum per omnia eadem ac B. Auguſtinum ſentiiſſe. Omnino enim exorbitavit ea Auguſtinianæ appingens ſententiæ, quæ beatus ille antiſtes nunquam dixiſſet. Aliter ſi eſſet, non eum damnaſſet Rabanus Maurus omnium ætatis ſuæ doctiſſimus, & una cum Rabano Synodus Moguntina, in qua tot viri Auguſtiniani dogmatis non intelligentes modo ſed etiam retinentes. Nec Remigius aut Lugdunenſes auſi unquam fuere Godſchalci per omnia patrocinium ſuſcipere. Ut multo minus id nunc fieri conveniat, poſt annos prope octingentos. Ut mittam quod pro me ſtat tot hiſtoricorum cohors: quos non auſim omnes falſi arguere. Non tanti mihi monachus unus, præſertim qui ſine conſenſu præfecti cœnobio exceſſiſſet, ad prædicandum iſtic quo nemo miſerat. Sereniſſimus Bohemiæ Rex in Palatinatum eſt profectus. Pleraque oppida jam occupavit Sueciæ Rex potentiſſimus. Superſunt Heidelbergia, Frankendalia, & quædam alia quæ veteris domini amore, ut ſpes eſt omnium, facile ſe dedent, niſi validiſſima ſint præſidia Cæſarea vel Hiſpanica. Reverendiſſimo Londinenſi Epiſcopo (ut magnopere te probes) valde & tuâ & meâ causâ exopto. Optime nobis vult. Sed opera tibi danda, ut omnes in dignum contuliſſe beneficium exiſtiment. Vellem aliquid mihi temporis eſſet ea perficiendi, quæ jam diu molior. Affectum meum erga tam bene meritum monumento aliquo teſtarer. Et tibi ea res utilis foret. Sed ſcis, quàm premar, & tantùm non opprimar curis variis, quæ me urgent. In quibus non minimum illa locum tenet, ut præclare omnes boni de te judicent. Hoc erit, ſi cum induſtria junxeris quam σωφροσύνην Græci vocant, quia ut Ariſtoteles ait σώζει τὴν φρόνησιν. De affine Junio deſidero ſcire ubi & quâ conditione vivat. Poſt eas literas, quas Lutetia ante annum prope ſcripſerat, nullas ab eo accepi. Profeſſor Bodecherus agere hoc videtur, ut & gener meus & ſimul collega fiat. Sed ſoror tua hactenus animo ab eo eſt ſatis alieno. Habet alioqui, ut ſcis, inter Proceres hujus urbis non paucos ſanguine ſibi junctos. Lugduni Batavorum ante duas tres hebdomadas capitale ſumptum eſt ſupplicium de quodam ex famulitio Principis Radzivilii, qui veſpertinis exiens horis, inque hominem nequam incidens, & ab eo malè habitus, eum interemit. Vulnere ipſe tardus effugere non potuit. Hoc primum eſt ſupplicium capitale, quod Academia vidit. Radzivilius graviter adeo id tulit, ut oratione publicâ ſit conqueſtus de injuria quam ſervo ſuo feciſſet Academia. Nec exprobrare dubitavit quòd poſt xxx. nocentium impunitatem innocentis ſui ſervi ſanguine togas conſpurcaſſent. Tam liberæ voces in cœtu Procerum, Profeſſorum, ſtudioſorum non impunè alteri abirent. Sed ut puto hic connivebitur. Eſt enim adoleſcens quidem qui iſta dixit: Sed Lithuaniæ Princeps, & filius magni illius Radzivilii qui Regi ipſo Sigiſmundo prope formidabilis eſſe ſolet, qui etiam amore eo dignior, quia præclare adeo in Polonia de Reformatis Eccleſiis meretur. Barlæo noſtro non bene eſt; & neſcio quorſum hoc evaſurum ſit malum. Valde opto ne tam bono frauder collega. Res ea male cederet & mihi & imprimis novo Gymnaſio. Oratio Inauguralis quam Idibus Januarii habui, typis eſt divulgata. Eam primâ occaſione mittam. Id nunc facerem; ſed tanti non erat ut propterea ſumptibus & te & amicos onerarem. Quare meliorem captabo occaſionem. Dionyſii Reidanus propediem (ut arbitror) excudetur. Matthæus in Comitum hiſtoria magis magiſque ſe probat. Iſaacus in Græcis pulchre progreditur: & jam Evangeliſtas cum Actis ſcitè interpretatur. Præceptore utitur Brenio, erudito juvene, quem in collegio (ni fallor) noſti. Nec male Gerardus procedat aliquanto. Luſibus, ut illa ætas ſolet, addictior eſt, ſed ingenio id quo plurimum valet, compenſat. Vale, mi fili, ac ſæpe me de ſtudiis tuis & cæteris fac certiorem.

Amſt. cIↄIↄc xxxii. Kal. Feb.

*Tui Amantiſſimus Parens tantoque amantior futurus quanto pulchriora de te intellexero.*

G. J. Vossius.

Literas haſce non uno die exaravi: quòd occupationibus & interpellatione non una avocarer. Sed antequam eas abſolviſſem pene eodem tempore, binæ aut ternæ mihi literæ tuæ redditæ, prope ejuſdem argumenti: nempe quereris quod nullas à nobis literas acceperis. In cauſa autem fuit, partim quod tuas expectaremus, partim quia initia profeſſionis difficiliora eſſent, nec cæteris aliquid temporis relinquerent. Nunc poſtquam de pecunia ad Caſaubonum ſcripſi, animo ſcio eris magis defæcato. Literas eas tuis incluſi, quia non alium putem eas melius procuraturum. Literæ ſunt grandiuſculæ, quia incluſi iis, quaternionem Oratoriarum, quem deſiderabat. Clariſſimis Profeſſoribus & amicis cæteris, in his optimo & amiciſſimo Hallo, plurimam ſalutem dices.

---

## CCXII.

## Guilielmo,

Epiſcopo Londinenſi,

## Gerard. Joh. Voſſius,

S. P.

*Applauſum, quem in Auditorio Amſtelodamenſi conſecutus ſit, enarrat. De Godeſchalco Uſſerii judicium fert. In cauſſa Grotii magnum utrinque animis decertari ſcribit. Academia Lugdunenſis cum Principe Radzivilio graves lites ſubtexit.*

*Reverende in Chriſto Pater, Domine Illuſtr.*

TAndem deciſa eſt lis duarum civitatum, atque ab utraque Hollandiæ curia pro Amſtelodamenſibus eſt pronunciatum. Quare Deo propitio vi Id. Jan. Inauguralem habui Orationem: uti & poſtridie Caſpar Barlæus. Magnoque doceo auditorum confluxu non adoleſcentum modo ſed virorum gravium doctorumque, in quibus & complures qui ad clavum Reip. ſedent. Ut quamvis frequens mihi Auditorium eſſe ſoleat Lugduni, Amſtelodamenſe tamen hoc & numero aliquanto & præſtantiâ longiſſimè vincat. Atque id (ut ingenue dicam) magis animum meum juvat, quam quod hactenus hic paucis doceam horis, & ſtipendium prope alterâ parte excedat. Amiciſſimi Caſauboni Optatum accepi qui & gratus mihi fuit, quia Eccleſiæ rem adeo ſalutarem concordiam commendat; & eo gratior, quia à magni Parentis egregio ut filio, ita vindice longè exit caſtigatior: & hoc nomine gratiſſimus, quod non alterius potius quàm tuo ſit dicatus nomini, qui in ea dignitate quâ olim Optatus Eccleſiæ præeſ & ſchiſmatico hoc ævo Optati inſtar ſic adlabores, ut qui neceſſariis fidei capitibus conveniunt, Eccleſiæ etiam concordiam ſartam tectam conſervent. Cæterum hoc Caſauboni exemplum aurem mihi vellit, officiique me admonet mei: qui non minus eo, ac fortaſſe etiam multo amplius obſtrictus ſim patrocinio ac favori tuo. Equidem facio quod poſſum ſedulo; ſed mihi magis quam cuiquam dolet, quòd tot occupationibus diſtentus non iis paſſibus progrediar quibus vellem. Sed tamen promoveo. Atque unam hanc moram bonitate compenſem. Nec deſpero. Reverendiſſimus Epiſcopus Armachanus dicavit nomini noſtro laborem ſuum de controverſia quæ ante annos prope octingentos de prædeſtinatione cum Godſchalco fuit. Sane pro honore tuo habito mihi plurimum ſummo viro debeo, operamque dabo, quoad vivam, ut gratum me præſtem. Nec tamen per omnia nobis convenit in hoc argumento. Primus ſane Reverendiſſimus Uſſerius talem Godſchalci defenſionem ſuſcepit qualem non auſus olim fuit Remigius ipſe, vel Eccleſia Lugdunenſis. Eſto, ut Hincmarus non tenuerit modum in eo premendo: non idcirco non Godſchalcus modum exceſſerit in dogmate ſuo, quem jam ante litem cum Hincmaro damnâ-

damnârat doctiſſimus ſui ſeculi Rabanus Maurus, & una cum eo univerſa Synodus Moguntina, in qua tot viri ſimplicis antiquitatis gnari & Auguſtinianæ ſententiæ non amantes minus, quàm intelligentes? Quanto igitur ſatius ſit exiſtimare monachum unum exorbitaſſe quam tot viros eximios: Et quàm grave tot Hiſtoricis veteribus fidem derogare! Auguſtini ſententiam amplector & ipſe: ſed non ut eam capiebant monachi Adrumentani, & ſæculis tot poſtea Godſchalcus: verum ut eam interpretabatur Proſper, atque is cujus de vocatione gentium liber ſub Proſperi extat nomine: hoc eſt, ſic Auguſtinum capere ſoleo, ut non pugnet ſecum, ac ſimul cum antiquioribus quos adverſus Pelagium ipſe advocare in partes ſolet. Ampliſſimus vir, Hugo Grotius, ſuaſu multorum præſtantium virorum, eorum etiam, qui in dignitate ſunt conſtituti, in Patriam rediit: ſed illis ignaris, qui ante annos duodecim, perpetuo illum carceri addixerant; item iſtis qui factioſis illis temporibus, dejectis cæteris, ad honores ſummos pervenerunt. Omnes iſti paucis exceptis ſuâ intereſſe exiſtimant, ne tantus vir (nec enim magnitudinem ejus ipſi ignorant) in luce hominum verſetur apud ſuos. Quare adverſus eum in Illuſtrium Ordinum conventu magno ab iis ſtudio, ac contentione certatum eſt. Nec Grotio luculentum defuit patrocinium vel Ordinis Equeſtris vel trium magnarum Civitatum, Rotterodamenſis ubi Syndicus fuit, Delphenſis ubi natus, & Amſtelodamenſis, quæ non prudentia minus quam opibus & potentia valet. Attamen tanto impenſius obniti Lugdunenſes, quorum primarius Conſularis unus è judicibus fuit; item Harlemenſes, ubi non multum diſſimilis cauſa. Civitatum aliarum quædam ſe medias gerunt; plures ſe aggregant Lugdunenſibus, ſed ex minoribus, quæ ex placito Eccleſiaſtarum pendere imprimis exiſtimantur. Proinde, quem res ea habitura ſit exitum, non facile dixero. Faventem quidem habet florem Bataviæ; ſed ita ſæpe apud nos uſu venit, ut zelotæ, quales apud vos rigidiores Puritani, minis & clamoribus modeſtiam melioris partis expugnent. Quod ſi ſic pertendant, metuo ne maximus vir, moleſtiarum pertæſus, ſponte etiam ingrata patria excedat. Atque eo magis hoc formido, quia probe habeo perſpectum quantopere eum & Reges, ac complures deſiderent Principes, qui magnis honorum & commodorum promiſſis ſuas in terras pellicere conantur; ſed ſi extra patriam ei vivendum ſit, cunctis eum terris, pene dixerim, invideam, præterquam magnæ Britanniæ: ubi prævideo, quantopere & Sereniſſimo Regi Carolo, Domino noſtro, & regno univerſo utilis eſſe poſſit. Academia Lugdunenſis, cum videret ſe quotidie pejus pejuſque audire ob crebras pugnas ac cædes, tandem exemplo memorabili, effrænem hanc licentiam compeſcendam putavit. Nam quod in ea contigit nunquam, capitis ſupplicium de eo qui alterum interemiſſet, ſumptum eſt. Fuit is ex famulitio Principis Radzivilii, ejus cujus Parens ob potentiam Regi prope ipſi Sigiſmundo formidabilis eſſe ſolet, atque à Reformatis Eccleſiis maximi fit, ob ſummum ſtudium erga Eccleſias noſtras. Tanti Principis filius Lugdunum ſe ſtudiorum cauſa ante annum circiter contulit; nec levem adventu ſuo Academiæ honorem attulit. Servum habuit, qui uno altero comitante ex eadem familia veſperi exiens, incidit in hominem nequam, qui prius, ut ajunt, & litem intentavit, & pugna adortus fuit. Hunc vulneribus aliquot confodit ſervus is: ſed cum & vulnus ipſe accepiſſet, non potuit ſat cito ſibi fuga conſulere. Captus itaque vitaque multatus, etſi multum pro eo intercederat Princeps Radzivilius. Hoc ſupplicium graviter admodum Radzivilius tulit. Itaque ſive proprio inſtinctu, ſive ſacellani & nobilium, quos habet, ſolenni die, quo Rector Magnificus novus toti denunciatur Academiæ, ſurgens de ſtrete Principum Bohemicorum (nam inter eos & Academiæ Curatores medius conſidebat) non impetrata ex more venia, ſuggeſtum aſcendit, atque ad Profeſſorum Collegium orationem habuit, ac vehementer cum eis expoſtulavit, quod (ut verba ejus retineam) poſt triginta nocentium impunitatem, ſanguine innocentis ſervi, togas ſuas conſpurcaſſent: unde fieret, ut ipſe qui honorem præſentia ſua Academiæ attuliſſet, nihil inde præter ignominiam reportaret, propterea que ſibi animum quamprimum Academiam hanc relinquere. Quibus dictis non priorem locum repetiit, ſed cœtum continuò exceſſit. Hoc ejus factum indignè valde tulere Curatores ac Profeſſores Academici, & Leidenſes Proceres. Poſtulatum igitur ut Senatui ſe ſiſteret. Reſpondit, ſe Principem eſſe: eoque, ſi quid dicere haberent, ſe accederent. Petitum ut ſcripto traderet quæ dixiſſet. Negavit ſe de ſcripto recitâſſe; eoque fruſtra illud expoſci. Vix honos Academiæ permittit, ut nihil hac in re agatur. Et tamen, ut cenſeo, concoquet hoc factum ob illuſtrem ejus dignitatem, quicum illi negotium eſt. Et videtur non tam peccatum à Principe, qui adoleſcens eſt annorum duodeviginti, vel circiter; quam ab iis, quos in comitatu habet, ac quorum curæ eſt commiſſus. Grave etiam ducent, offendere Parentem ejus, Lithuaniæ ac Imperii etiam Principem, maximæ in univerſa Polonia auctoritatis virum, ſi quis alius iis terris, præclarè de Eccleſia merentem. Supereſt, ut gratias agam pro affectu erga filium, quem literæ tuæ, Reverendiſſime Domine, teſtantur. Porro eum quoque nomini tuo commendo; quod & ipſe, ut facerem, poſtulavit: ego verò reſcribo, me non alia ratione meos commendare ſolere, quam qua olim ſuos Cæſar Auguſtus, *Si merebitur*. Volo enim magis magiſque ſe ſuſcitet, ut tueri & ipſe familiæ decus poſſit.

Deus Opt. Max. diutiſſimè te incolumem præſtet, bono Eccleſiæ univerſæ, ac totius Regni Britanniæ; ac tuorum quoque Reverendiſſime Domine, clientum.

Amſtelodami,
clↄ Iↄc xxxii.
Id. Februariis.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi*
*nominis tui cultor ac cliens*
*devotiſſimus*,

G. J. Vossius.

---

CCXIII.

Salutem in Chriſto.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir Clariſſime*,

ADmodum gratæ mihi ſunt literæ tuæ, ut ſemper, ita nunc præcipuè. Diu enim expetii brevem, ſed magis dilucidam ſententiæ Godeſcalſianæ Expoſitionem, quam ullibi adhuc mihi videre contigit. Et certè lis illa de gratia & libero arbitrio eo inauſpicatiùs mota mihi videtur, quia vix ulli, qui à primis ante S. Auguſt. Patribus receſſerunt, tam fœliciter rem aggreſſi ſunt, ac priores illi. Nunc literæ tuæ, & chartulæ incluſæ, mihi & votis meis abunde ſatisfecerunt, & gratias ago. Si quæ tamen ſint, quæ poſt uberiorem diſquiſitionem prolixius placet ſcribere, mihi certe pergratiſſima futura ſunt.

Exercitationes Grammaticæ tibi forſan (ut res tuæ ſunt) neceſſariæ editu; aliis proculdubio utiles, mihi acceptiores futuræ, niſi te à Baronio avocarent. Summopere enim cupio Hiſtoriam veteris Eccleſiæ à te aut compoſitam, aut limatam videre: id eſt, à præjudiciis, & contrariarum factionum interpolationibus liberatam.

Gratulor tibi de Dionyſio tuo, quod annum vix egreſſus vigeſimum tam alta ſapiat. Si Rabbi Moſ. Maimonidis transferre ex Hebræo cogitat, & Author placet & Argumentum, ſc. de Idololatriæ Exordiis & Progreſſu. De nomine cui inſcribere decrêvit opus tam inſigne, id mihi voluptati erit, quod placet vobis. Interim carmina ejus quæ geminum implent Panegyricum, Principi Arauſionenſium debita, avidius perlegi, ſed (ut ſoleo) propere nimis præ negotiis, quæ me non à ſtudiis modo, ſed & à meipſo divellunt. Deus te diu incolumem ſervet tibi, tuis & mihi.

Febr. 25. 1632.
Comp. noſtro.

*Nominis & meriti tui cultori*,

Guil. Londin.

## CCXIV.

*Clariſſimo Viro*

# D. Gerardo Joanni Voſſio,

S. P.

*Auxilium & favorem ejus ſuis implorat ſtudiis. De una alteraque Agapeti phraſiologia conſulit.*

IGnoſces, Vir eruditiſſime, quod ab occupationibus iſtis tuis ſummis denuò obſtrepere audeam. Satis impudenter fateor, cùm te ſpecto; at cùm obſervantiam planè ſingularem, in te meam, quæ ſtimulos acerrimos ſuggerit, non poſſum non frontem non projicere. Et quamquam haud merear, ut benevolentia me aliqua complectare, humanitatem tamen, virtutem illam tibi propriam cum eximia eruditione, quam omnes admiramur, conjunctam, non meritum meum in conſilium adhibebis. Utrumque horum cujus ſingulari ſplendore animos tibi eorum devincis omnium, qui eruditum eſſe, & humanum, quid ſit ſciunt, ita me faſcinavit, ut omnem depoſuerim pudorem. Sine dolo dico. Nulli hæc fini, niſi ut tuum propellam favorem: ſi ſpes ea non decollabit, virgulam divinam tanti haud fecerim. Quare cum aliquando vacabit, non dubito, quin humanitatis jure, mecum acturus, literarum colloquio me dignabere. Noli eſſe difficilis, Vir Clariſſime, Clar. eruditiſſime, Erud. humaniſſime. Numquid precari dignè ſatis poſſum? Quam avidè ſingulas in horas, tuum, vir optume, de propoſito meo conſilium, ſcire expetam, dici nequit. Adeo hæreo neſcius, an vitam an mortem, futurus hic mereatur fœtus. Si vero Agapeti putà, & Baſilij ἀφωνητικῶν editio, tua opera ornaretur, aut MS. copia fieret, bene dein actum putarem. Reipſa me gratum præſtarem, & maturè ad Dominum ſuum omnia redirent. Vide, vir omnium eruditiſſime, quid maxima felicitatis tuæ ſpes, apud me poſſit. Παγκοσμίῳ, quam vocem in ſecundo capite Agap. habet, nondum me legiſſe memini. Æque ignoro, quid ſibi Baſil. Cap. 45. per tricubitalem terram ἡ πλέον τριπήχεως γῆς velit, in Latina verſione eſt, non amplius quam pedes quatuor & ſemiſſem. Nec ſimile quid occurrit, quod eſt, Cap. 54. φιλοσοφῶν περὶ σωμάτων, φιλοσόφως ψυχὰς ἰατρεύειν. Tu vir ſumme, qui lectionis inexhauſtus ἔμψυχος θησαυρὸς es, erudi me quæſo, & amore tuo æternum proſequere, ſic ego, cultu, & obſervantia. De rubeo pedum ſubtegmine, quod prioribus meis quærebam, rem puto eſſe ſatis claram. Et per ἐγρηγορμένους διὰ δώματα, excubias intelligo. Paucis hiſce, Vir Clariſſime, deſino ne patienti humanitate tua abuti videar. Dignum vero te tandem, literis me tuis judicaturum confido. Vale, vir obſervantiſſime, & ſalve ab eo qui te ex animo admiratur & colit. Salutem tibi adſcribi jubent, D. Lindenbrogius amicus noſter, ſumme colendus, & Parens meus, tuæ Cl. cultor.

Hamburgi, è muſeo meo, cIɔ Iɔ cXXXII. XVI. Kal. Martii. In Cœmeterio D. E. C. P. Nicolai.

*Addictiſſimus voto facto,*

BERNH. DAMKE.

## CCXV.

# Bernardo Damke,

S. P.

*Ad quæſita de locis quibuſdam Baſilii, & Agapeti eruditè reſpondet.*

QUod hactenus, ornatiſſime Damke, literis tuis non reſponderim, propter occupationes meas fuit, quibus quotidie ſic premor, ut ſtoiſſo, vel paxillum eſſe liceat, vix me Voſſium eſſe credam. Verumtamen quia commoda adeo occaſio eſt, per honeſtæ admodum domus adoleſcentem, literas ad te mittendi, non patiar hanc mihi diffluere. Major erga te amor meus. Sed ſic tamen, ut paucis defungar. Quæris de loco Baſilii illo, ubi ait in ſuis ἀφωνητικοῖς, ſummos juxta, ac infimos, ἡ πλέον τριπήχεως γῆς μετὰ θάνατον κληρονομήσειν. Puto non meliorem fabulam adducere poſſe, quam à magno Marone, qui ſimiliter ait, de Cœlii Mantuani ſepulchro, tres patere non amplius ulnas. Scio ut crucem fixiſſe ſe Grammaticis, magnus ille vates dixerit. Sed enim ſufficere debet, quod Cornificius, & Aſconius, ex ipſo audierint Marone, per cœli ſpatium, ſignificari Cœlii illius, quem dixi, ſepulchrum. Quem enim meliorem interpretem quæramus ipſo Poëta? Nec in dubium vocare licet ſententiam hanc, quia non ipſi hoc Cornificius, & Aſconius ſcribant. Sufficere debet, quod hæc ſubnixa ſint, non ſolum honorato tibicine, ſed etiam Junio Philargyrio. Mens igitur Baſilii iſta erit, utcumque Imperatores, non ſolum magna habitent palatia, ſed etiam, vel totius orbis Domini ſiant, non tamen domum eam, quam obitu incolunt, pluſquam tricubitalem fore. Parva certè hæc domus, ut merito dixerit Horatius,

*Et domus exilis Plutonia.*

Valdè enim falluntur, qui vel *exilii*, pro *exilis* legunt, contra omnium codicum fidem; vel qui exiſtimant, ſignificari amplum illud animarum receptaculum, quod Poëtæ Erebum dicunt: nempe ut domus illa dicatur exilis, non quia ipſa exilis, ſed quia ut nugantur, animæ, vel umbræ ſint exiles. Quanto illud veriſimilius, quod jam ab aliquot annis perſuaſi multis, Plutoniam domum, eſſe ſepulchrum. Nam Pluto, terra, quia è terra effodiuntur πλοῦτοι, ſive quicquid metallorum, juxta illud Poëtæ:

*Effodiuntur opes, irritamenta malorum.*

Et Græcis idcirco Ἅδης ab Hebræo אדמה h. e. Terra: non uti Græculi putarunt, ab α & ἰδεῖν. Nec ineleganter idem Baſilius ait, ὥσπερ ἰατροῖς περὶ σωμάτων φιλοσοφεῖν οὕτω καὶ φιλοσόφως ψυχὰς ἰατρεύειν. Scio quod objectas ἰατροὺς, proprie ἰατρεύειν, φιλοσόφους φιλοσοφεῖν. Sed placuit Baſilio μεταφορὰ illa, quam veteres vocant ἀντίστροφον, ſive reciprocam. Qualis eſt, quod altum pro profundo dicimus, profundum pro alto, gubernatorem pro auriga, aurigam pro gubernatore, æquor pro campo, campum pro æquore, flores pro ſtellis, & ſtellas pro floribus, aliaque id genus. Venio ad Agapetum. Παγκόσμιος non magis morari debet, quam παντεπίσκοπος, quod apud Nazianzenum. Hoc à σκοπεῖν, illud ab ὁρᾶν, quæ ἰσοδυναμοῦντα. Ut derivata ἔφορος, & ἐπίσκοπος, παγκόσμιος, & πλατεῖα, venuſtè de Romano imperio: Interim vulgaria Lexica, præſertim ex poſterioris ævi ſcriptoribus, compoſitis id genus verbis dictabit, qui volet. Eidem Agapeto, Οἱ διὰ δώματα ἐγρηγορμένοι ſunt excubitores. Nam comparationem facit Agapetus inter utramque fortunam, ſummam illam Imperatorum, & alteram vigilum, ſive corporis cuſtodum. Supereſt quod quæris de ἐρυθροῖς πεδίλοις, qualibus Imperatores utebantur, etiam Occidentis. Nam uſi calceis mulleis, & ſoli quidem jam à tempore Aureliani. Mullei autem calcei, qui Dioni ἐρυθροβαφεῖς. Sed quia Agapetus, ad Juſtinianum Imperatorem ſcribit, de Conſtantinopolitanis ſolùm videamus. Nihil enim certius, quam eos rubris uſos calceis. Hinc Paulus Diaconus, Lib. XVI. *Ut agnoſceretur ex rubris calceis.* Georgius Phranza Protoveſtiarius, Lib. I. cap. 17. *Suffragante Nobilitate Manuelem Imperatorem creat, cocco tincta calceamenta concedit, ſucceſſorque ab omnibus agnoſcitur.* Hinc Gregoras, Lib. III. ait Alexium ἐρυθροῖς πεδίλοις κεχρῆσθαι. Et Nicetas in Joanne Comneno, Lib. III. τὰς πόδας εἰς βασιλεῖαν περιεβάλετο φοινικοβαφῆ ἀμφίεσιν πέδιλον. Etiam Joannes Curopalates narrat Iſacium Comnenum fuiſſe Patriarchatu dejectum, quia geſtaſſet κοκκοβαφῆ πέδιλα, quippe quæ ſolius eſſent imperatoris. Poſſum & alios adducere; in his Procopium, & Zonaram.

Sed

Sed quia video te eſſe totum in Baſilio Imp. illum potius advocabo. Ille in παραινετικοῖς ad Leonem filium, cap. 63. Τῶν παιδῶν σε τὸ ἐρυθριᾶν τιμιώτερον ὑπόδημα. Hæc ut ad te ſcriberem, affectus compulit. Impensè enim faveo omnibus, qui bonam mentem amant, & ea jam ætate quâ tu es, benè de Rep. literaria mereri cogitant. Nihil tamen his meis magnoperè fuiſſet opus, poſtquam ad vos, uti ſpero, jam ſalvus, ac ſoſpes pervenit, ille ſæculi noſtri Phœnix: quod cùm dico, nihil puto addere opus; Hugonem me Grotium dicere, virum magnæ in patriam fidei, & quicquid eſt uſquam mortalium, multijuga doctrina ſupergreſſum. Et tamen temporum hoc diſſidio, habet Batavia, qui alibi, quam apud ſe vivere Heroem malint. Scilicet caligant eorum oculi, ad lumen hoc, cujus radiis perſtringuntur. Non committes, quin eum meo nomine ſalutes. Quod eò addo, quia volo te perducere in notitiam tanti viri: Oraculum hic habebis majus illo Delphico. Non tam facile, tu difficultatis quicquam reperies, quam ille exſolvet. Fœlix Hamburgum, cui nunc ſol ille illuxit, fœlicius ſi fœlicitatem intelligat! Saltem capere debent, qui literarum ſtudiis capiuntur. Sed ego nimirum, dum nonnihil me effundo in laudes ejus viri, arrogantiæ crimen ſubeo, quaſi exiſtimem, ſatis cuiquam virium eſſe, ad tollendum illum, qui ſupra omnem laudem eſt. Parenti optimo, & doctiſſimo Mag. Joachimo Damke, item Clariſſimo Frederico Taliobrogæ ſalutem plurimam dices.

Amſtelodami
cIↄ Iↄ c xxxix.
vii. Id. Majas.

G. J. Vossius.

---

## CCXVI.

*Excellentiſſimo, Clariſſimo Viro,*

D. Gerardo Joanni Voſſio,

*Addictiſſimus cultor, adſcribit*

Bern. Damke.

S. P.

*Cultum & obſervantiam prolixè teſtatur, merita ejus erga ſe extollens maximè quod favorem Grotii per ipſum impetraſſet. Theologicum ac Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudium quomodo ritè & cum fructu ſit tractandum, inſtrui cupit.*

QUâ te ſatis magnas, tibi, Vir Excellentiſſ. agam gratias? aut quid primùm extollam? diffuſiſſimamne eruditionem, quâ ſummo cuique hujus ſeculi palmam præripis? an maximam humanitatem? Utrumque in te ſupra fidem certat. Rarum hoc ſæculo ſanè munus. Ego ob omnia illa dona, malo T. E. admirari, colere, venerari, & tanquam in Numinis alicujus intuitu attonitus hærere, quam paupertini ingenii mei, cujus ſum conſcius, collutulare barbarie. Nulla vox eſt, quæ dignè ea poſſit comprehendere. Nam quidquid dixero, minus id eſt. Hæc tua eſt illa gloria, Vir Clariſſ. ut nullius laudibus creſcas, nullius vituperatione minuaris. Me tamen non planè ſilere, pietas poſtulat. Et gratitudinis eſt, præſtita beneficia agnoſcere. Quod affatim apud alios, facere malo, quam T. E. in os laudare, ne in ſcævam ſuſpicionem incurram. Deo, Vir omnium eruditiſſime, non ſemper inaurata cadit victima, & placet, dummodò ſit caſta. Tu, vir Clariſſ. non me, non ætatem meam videbis, qui me favore tuo indignum, libens lubenſque fateor: cultum modò, & obſervantiam in te meam, ab omnis fuci, & doli mali alieno animo profectam, benigna fronte adſpicies. Utinam me citius natum Melpomene placido adeo vultu vidiſſet, ut tua dignus eſſem habitus amicitia. Nunc de tarditate annorum meus in te, Vir Excellentiſſ. augetur cultus. Quem quo etiam cunque pacto teſtari velim, id omne eſt infra dignitatem tuam. Vel hoc ſi videam, quantoperè, Vir Clariſſ. de me meiſque ſtudiis ſis meritus Leydæ, tanto jam temporis ſpatio, ultra duos & ſemi annos, Præceptorem te habui, & colui. Bis cottidie licuit tua voce erudiri. Nec tamen etiam nunc, cum corpore abs te abſim, æque ac præſentem docere deſinis. Literis quæ diffuſiſſimæ, omniſque veræ eruditionis indices ſunt, inviſis, errantem corrigis, dubium me reddis certum, indoctum erudis. Æternum ſe tibi, Vir optime, Muſæ noſtræ debent. Et referet grates, quoniam non poſſumus ipſi, ille Deus quondam, qui tua dona dedit. Nimirum adeo pauci ſunt hoc ſeculo, quod niſi Phœbus Pater prohibeſſit, brevi in barbariem præceps ruet, quibus ſolida eſt eruditio. Pauciores qui fideliter docere alios ſatagant. Cum tamen ἄφθονοι ſint μουσέων θύραι, accedit & hoc, nunquam ſatis æſtimande D. fautor, quod me, non magni pretii juvenem, ingenioſiſſ. eruditiſſ. diſertiſſ. D. Hugoni Grotio, de meliori, quod ajunt, nota commendaſti. Quem ego virum, jam à primis ætatis meæ annis, quibus ſe ingenii, aut diligentiæ vis aliqua exerere cœpit, ſuſpexi plurimùm. Vivit ille extra urbem in villa, ut vocant, Dockinhuſana prædio Civis Belgæ Guilian de Mohr. Statim eò ivi. Nec enim ſe animus meus diutius continere tum poterat, tanto munitius parario. Pergratum & volupe erat, viro ſummo, cum tuo, Vir Excellentiſſ. nomine ſalutarem, & ut fidem haberet, literas tuas legendas traderem. D. Grotius, ut eſt vir admodum humanus, in prandio me ſibi adeſſe volebat, nec dimiſſionis veniam ab eo impetrabam. Et quod caput rei eſt, τῆς ψυχῆς τροφῇ τοῖς καλοῖς λόγοις, (ut cætera taceam) quam liberaliſſimè me excipiebat. Hunc ego honorem, hanc, quæ obtigit, fœlicitatem tibi, vir maxime, debeo. Nec quidquam magis eſt in votis, quam ut aut parenti meo, aut mihi ulla ſe occaſio offerat, qua gratum teſtemur animum: vel potius, cum ſatis digna referri gratia nequeat, oſtendere ſaltem poſſimus, nos benefacta in me tua agnoſcere. Ego ſanè in tam boni nominis memoria libens acquieſco, & dum trium fila ſororum patientur atra, T. Cl. in me, nihil tale merentem, affectum grato animo deprædico. Sed pecco in publica commoda, ſi te longis, Vir optime, moror. Nam & à continuis ſtudiorum vigiliis, in tanta adhuc ætate non remittis: Et in te ſolo Amſtelodamenſis Athenæi fama ſita eſt, poſtquam ut inaudio, Clariſſ. D. Barlæus, ſublimis ſpiritus, & hoc ſæculo facile princeps Poëta ægrotat. Deus eum priſtinæ valetudini reſtituere, & in honorem Belgii ſuperſtitare diu velit. Unum præter immortalium gratiarum actionem adhuc addam. Merito ſanè aliquem ſtudiorum noſtrorum finem ponimus, ut & eo fœlicius in illis verſari, & tanto majorem ex jugi diligentia fructum percipere poſſimus. Et is cum pro diverſa ſtudiorum ratione varius ſit, mihi ſacrum Theologiæ ſtudium quam maximè arridet. Non ignoro, Vir Excellentiſſ. quantum in eo laboris, & diligentiæ collocandum ſit. Mihi tamen cum benè multi adhuc anni, ſi Deus volet, reſtent, ſpero, me divina adjutum opera poſſe, continuis ſtudiis exercitum, aliquid dignum Eccleſia præſtare. Non enim mihi placet præpoſtera quorundam hominum diligentia, qui hæc ſtudia, quæ ab humanitate nomen habent, at cum ſapientiæ gravitate amicè conſpirant, non modo non excolenda, ſed ne attingenda quidem exiſtimant, leviter, & tralaticiè neſcio quibus inutilibus diſciplinis imbuti, ilicò pulpitum quærunt. Cujus commatis homines, non pauci apud nos dantur, qui dum multa paſſim ex Poſtillis, ut vocant, decerpunt, concipilant, mutilant, egregiam laudem, & ſpolia ampla referre, imo longè optimè oleum ſe, & operam inſumpſiſſe putant. Tales frequenti numero apud nos dantur Theologi. At ego cum ſtudii hujus difficultatem video, quanta linguarum ſcientia, (quas me domi jam Rabbinica, & Thalmudica Judæus quidam converſus, natione Polonus, docet,) quam diligens Patrum Lectio, & accurata Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cogni-

cognitio requiratur, non poſſum quin riſu excipiam *αὐθημερινὴς* illos ſapientes. Immobilem ſæpe miſellum pecus, mihi movet, ut doleam, eò dignitatem ſtudii Theologici rediiſſe, ut ab indignis adeo tractetur. Et ſi qui ſunt qui ſpeciem quandam eruditionis veræ fingere norint, alienis ii vident oculis, & ſat habent, ſi jurent in alterius verba: In Patribus indices ſaltem perquirunt, parvi facientes, quid & quomodo ab ipſis dicatur. Quæſtiones plurimas inutiles crepant, & ſi ad verbera res perveniret, facilè ipſi victores eſſent. Nam vita plurimorum, multo pejor Ethnicorum. In Hiſtoria Eccleſiaſtica vix pueri, & infantes ſunt. In qua excolenda, quotquot adhuc bonam mentem amant, ii maxima quæque, de tua, Vir Clariſſ. diligentia ſibi promittunt. Nec ego unquam ceſſo, omnibus bonis eruditionis, & eruditorum amantibus, plurima polliceri, de immenſa tua diligentia, & Rempubl. literariam adjuvandi prompta dexteritate. Nunc ego, Vir Maxime, Orator ad te venio, tu ſinito exorator ut ſim; idque per Muſas, per Genium tuum, per humanitatem, atque adeo omnia quibus jam immortale apud omnem poſteritatem, tibi nomen comparaſti, oro: Etiam hac in parte, pro ſumma tua eruditione, me erudias, quæ in excolendo ſtudio Theologico monenda habes, imprimis quo pacto, Hiſtoria Eccleſiaſtica, & præſertim recentior, fideliter ſit addiſcenda, & unde haurienda. Non ego ſum adeo ferus, & inhumanus, ut mei cauſa moram, velim injici continuis tuis, Vir Clariſſ. occupationibus, aut totam adeo Remp. literariam damnum pati. Sed ſi quando vacat, placet, & commodum eſt. T. Exc. eam mihi aliquando præſtabit gratiam. Sic, vir optime, mea ſtudia plurimùm promovebis: Et ego ad extremum uſque vitæ halitum, ita me Muſæ ament, nunquam tanti benefacti immemor ero. Hoc eſt, obſervande D. fautor, quod volui addere. Nemo enim omnium λαμπρὸν φάος ἠελίοιο εἰσορώντων felicius & melius Spartam illam ornare, digniuſque tueri te ſolo poteſt. Hæc ad te, Vir Excell. perſcribere volui, ſpe plus quam decumana ſubnixus, fore, ut non ingrata ſit tibi obſervantiæ meæ teſtificatio. Et ſi nimis longus dum ſum, peccare videor, veniam facile impetro. Non aliter certè potui, & pietas, ſeu gratitudo id poſtulavit, μέρος ἐστὶν εὐσεβείας τὸ ἀνταποδιδόναι τοῖς εὐποιοῦσι τὰς χάριτας, ait Baſilius Imp. Et humanitas tua cum eruditione incomparabili conjuncta, maximè me excuſabit. Vale, Vir Clariſſ. cum univerſa familia tua; ſoſpitet te diu ter ſanctus Deus, in gratiam tuorum, & ſalutem Reip. literariæ. Salutant te Vir Clariſſ. D. Grotius, & Tiliobroga; item Parens meus. Vale, vir ſumme, me ama, & aliis commenda. Et ſiquid in hiſce oris curandum, aut inquirendum habes, impera, non tu promptus adeo eris monendo, quam ego faciendo.

Hamburgi, è Muſeo meo, cIↃ IↃc xxxii. v Id. Jun.

*T. Excell. & Cl. voto facto addictiſſ. cultor,*

BERNHARD. DAMKE.

---

CCXVII.

## Danieli Heinſio,

S. P.

*Pro Herode infanticida & aliis poëmatis ſibi donatis gratias agit, Merici Caſauboni Optatum Milevitanum hoſtimenti loco eidem remittens.*

PRo Herode tuo, & Poëmatis annexis, quæ ab Collega Barlæo accepi, gratias habeo ſummas. Valdè me eorum lectio delectavit, ut omnium tuorum ſolet, præſertim in hoc ſcribendi genere, ubi certas cum Antiquis. Ἀντίδωρον quod mittam habeo nullum. Sed vices nunc meas ſupplebit præſtantiſſimus Mericus Caſaubonus: qui Optatum Milevitanum, notis ſuis auctiorem edidit, & exemplar quod mitto, tibi dari juſſit. Non dubito, quin gratiſſimum tibi futurum ſit, tum editoris cauſâ, cujus cum maximo parente, tanta tibi amicitia fuit; tum ipſius Optati, qui utinam exulceratis hiſce temporibus, magis in deliciis foret? Salve ſumme vir, & à veteri Collega, cum optima conjuge plurimum ſalve.

VIII. Kal. Mart. cIↃ IↃc xxxii.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

---

CCXVIII.

## Euſt. Swartio,

S. P.

*Collatam Scholæ Sylvaducenſis præfecturam, ut unctior aliquando conditio excipiat comprecatur, in illuſtrandis Scriptoribus antiquis pergat, hortatur, operam ſuam, ſi quid ad promotionem ejus conferre poſſit, amice promittit.*

SÆpe doluit, mi Swarti, quod tot annorum intervallo nihil de te cognoſcerem. Solum hoc retulit cognatus uxoris meæ Roverius, viſum te ſibi Hagæ. Et aliquanto poſt Boſtadius retulit, in Batavia te degere, nec id ſe unquam fugiſſe. Tanto jucundius nunc eſt ex teipſo intelligere vivere te, & valere, & memorem eſſe noſtri. Voluptatem etiam attulit, quod præfecturam Scholæ Sylvæducenſis ſis conſecutus. Utinam non ea eſſet civium pervicacia: quæ etſi ipſis damnoſior eſt, quam tibi, nihilominus moleſte tibi accidit. Sed etſi lautiore dignior es fortuna, honeſtior tamen hæc provincia, quam ut deſerere eam debeas, priuſquam unctior conditio obtigerit. Equidem ut antea ſemper, ita nunc etiam optime tibi volo: imo nunc magis, quia ex literis tuis didici generum te eſſe cordatiſſimi civis & optimi viri Vanderlachnii, affinem Cornelii & Nicolai Vanderlachnii, quorum hunc veterem erga me affectum retinere ſatis ex eo colligo, quod rarius quidem quam vellem, ſubinde tamen Lugduni me inviſere, & ſuaviſſimis ſermonibus paſcere ſoleat. Tanto magis exoptem, ut utilis tibi eſſe poſſet opera noſtra in eo munere, quod deſideras in Lycæo noſtro. Veruntamen necdum video, quo pacto perſuaderi poſſit Proceribus noſtris, ut cogitent de advocando Politices Profeſſore, qui ut Hiſtoriarum, ſic civilis etiam doctrinæ, me Profeſſorem deſignârint: meque unum huic oneri ſufficere exiſtiment. Paulo facilius impetremus de humanioribus literis. Sed tamen vir eſt clari nominis qui eodem adſpirat. Equidem utrumque veſtri mihi Collegam optem. Sed certum eſt prius cogitatum in ſe Mathematico. Quid mirum? in Mercuriali civitate: cujus commercia ſine numerandi ſcientia non conſtant, nec navigationes in omnes orbis plagas ac terras etiam ignotas ſine ſcientia ſiderali. Si quid tamen cognoro, quod tua tuorumque ſcire interſit; vel te, vel Van der Lanios faciam certiores: Seduloque exquiram, quæ ad hoc negotium pertinent; ne veterem in me amorem refrixiſſe credas. Longe tamen facilius effici poſſet, quod ſperas; ſi pertexiſſes in illuſtrandis Scriptoribus antiquis, uti cœperas. Nunc tot annis ſiluerunt Muſæ tuæ. Sed bene eſt, quod priſtinus redit vigor, curamque ſuſcipis caſtigandi & illuſtrandi Curtii. Multa enim poſt Raderi labores reſtant. Arbitror Janum Gebhardum popularem noſtrum, idem animi habere. Sed pulchrum eſt in nobili hoc circo plures decurrere. De Plauto edendo, quantum ex ſilentio tuo colligere poſſum, jam cogitationem depoſuiſti. Quod ſi eſt, non incommode, ut arbitror, domuitionem cogitet vetus editio noſtra, quæ cum variorum prodiit olim Commentariis. Sæpius mihi moleſtum fuit ea carere: Uti & Douſiaca, cui adſcriptæ Scaligeri caſtigationes. Nam Camerariam, ad cujus oram exſcripſiſti illas Scaligeri, non

parum

parum abit à Douſiaca, ut ſæpe hæſerim incertus. Nec ſi remiſeris, potius remittendi minus poteſtas erit. Sunt enim τὰ τῶν φίλων κοινά. Quare, quæ mancupio noſtra ſunt, ex uſu tua eſſe volo. Id enim meretur egregia eruditio tua; atque item præclarus erga me affectus tuus. Vale, præſtantiſſime Swarti, ac deinceps etiam amore certemus.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxxxII.
Kal. Martiis, quibus ſcis olim munuſcula mitti ſolere.

Mitto idcirco orationem inauguralem hic à me habitam nuper. Quæ etſi tanti non eſt, tamen amare eam poteris propter Autorem. Vale.

*Tuus ſine fuco,*

G. J. Vossius.

---

## CCXIX.

# Thomæ Farnabio,

S. P.

*Propoſitum de edendo Martiali poëta laudat, operam typographi ad hunc ipſi commendans; rogat ut in expoliendis ſcriptoribus juvenumque animis ſtrenue progrediatur.*

ET gratæ & jucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, optime & doctiſſime Farnabi. Eo moleſtius mihi eſt quod tarde adeo reſpondeam. Nempe jam diu ſcribere cupientem temporis anguſtia, & negotiorum moles excluſere: quæ ita me diſtinent, ut pæne conjuraſſe videantur ad eripiendum tempus, quo amicos ſalutare, aut eorum ſatisfacere poſtulatis poſſim. Tibi certe jamdudum reſponſum oportuit. Quare licet nunc quoque occupatiſſimus, malui cætera meo in te officio poſthabere. Etenim injurium me fore videbam in tuam erga me humanitatem, niſi aliquando, poſt multam cunctationem, non pertinax ſilentium, ſed pene neceſſarium abrumperem. Imprimis vero noviſſimæ tuæ literæ ſtimulos addiderunt; itaque dum recens tui memoria, & ſimul occaſio opportuna erat, vel hanc, vel illam, elabi nolui. Et quia poſtrema maxime animo hærent, ſuccurrit primum Martialis, quem edere cogitas. Ego Scriptorem illum, non ſemel à me lectum, amavi ſemper, ob venuſtatem ingenii; quod tamen odi quoties in ſpurcitiem degenerat. Sed illa tanquam non dicta prætermitto; ſunt alia divina certe Epigrammata. Itaque optabam ipſe nonnulla olim obſervata communicare: ſed volentem retinent imperioſæ occupationes. Accedit, quod omnes meos vetuſtos Codices, & eos quibus multa manu ſua annotarat Scaliger, jam ab annis quindecim retinet amiciſſimus Scriverius. Cujus penè unius nunc editionem habeo, egregiam illam (nec hoc invidia puto negarit) ſed quam tamen meliorem poſſit reddere, ſi etiam ei obtingat. Sane lib. II. Epigram. fruſtra ſollicitat hunc verſum, *Si totus tibi triduo legatur*; mavult, *Si totus triduo tibi legatur:* Atqui prior in *triduum* eſt porrecta: uti & in biduum; unde Terent. Eunuch. *Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.* Qui ſenarius eſt, Lib. III. Epigr. LXVI. diſplicet, *Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.* Atqui Lucani eſt in primo, *Illa comam lævo morienti abſcidit ephebo.* Nempe eſt ex *abs* & *cado*, ut *abſcondo* ex *abs* & *condo*. Hæc ad artem pedariam pertinent; Illud ad ἀναλογίαν· Quod ad Epigram. XCIV. lib. VII. ait, Onychem imo ſolum iſto loco muliebri genere uſurpari; Malim dixiſſet, non alibi accipi eo genere pro lapide alabaſtrite, vel ampulla inde facta: nam pro gemma fœmininum plane eſt. Itaque Plinius, lib. XXXVII. cap. 6. octie continuo jungit fœminino. Sed quid minuta adeo pergam ſectari: præſertim tam occupatus? Illud tamen omittere non poſſum, eſſe hic Typographum, qui jam diu aveat excudere Martialem tuum. Typos habet venuſtiſſimos, quod, vel me tacente, judicare poſſis, ex Juvenali ac Perſio tuo, & Horatio Bondii, quos ad te mittit, ut ipſe diſpicias, utrum committere ei labores tuos velis, an ipſe editioni in patrio ſolo præeſſe malis. Sane non facile, his quidem terris, reperias, qui venuſtius, & fortaſſe etiam accuratius tua edat. Ego etiam Scripta tua malim eleganter excudi. Nam & hic dicere liceat, gratiora eſſe quæ non bonitate modo, ſed etiam venuſtate ſui commendantur. Et omnino mihi placet, quod utiliſſimam operam & antiquis Scriptoribus & juventuti impendis: quum iniquum eſt prolixis illos Commentariis onerari. Melius tu qui ſupervacua omittis, ut eo magis aſſidua juventus ſit in fontibus ipſis hauriendis. Sed video me immemorem temporis; & nolo Londinenſem illum Mercatorem, qui tuas mihi literas tradidit, & hac ipſa hora abitum parat, ſine meo ad te reſponſo venire. Itaque te, clariſſime & amiciſſime Farnabi, optime valere opto, & noſtri amorem reſervare.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxxxII.

*Nomini tuo addictiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CCXX.

# Merico Caſaubono.

*Cecidiſſe cauſſa Lugdunenſes ſeque non ſine applauſu publice docere refert. Optatum Milevitanum ab eo illuſtratum ut ſibi tranſmittat, peramanter expetit.*

*Vir Clariſſime,*

CUjus cauſa ſæpius ſcribere diſtuli, quodque ſemper primarium mihi literarum argumentum fore exiſtimaveram, id tandem accidiſſe & ego lætor, & tu ubi cognoveris gaviſurum nullus dubito. Eſt autem de Schola Illuſtri quo eventu neſcire non potes ſi priores meas literas legiſti: nam quod credidi ipſe, & mecum plures alii, ex voto omnia ceciderunt. Judicum conſeſſus, quorum arbitrio permiſſa res erat, nihil præter leges aut æquum Amſtelodamenſes exorſos, & falſo litem à Lugdunenſibus motam. Ita hæc compoſita; neſcio tamen an id dicere liceat, nam audio Lugdunenſes nondum quieſcere, ſed ſi poſſint (multi enim poſſe negant) provocare ad Urbes Hollandiæ velle. Sed faciant quodcunque videatur; nos jam ſolennia Illuſtris Gymnaſii peregimus, & quotidie docemus, Auditorio non infrequentiori, quam Lugduni ſolebamus, vel, ſi numerus paulò minor, quicquid hic jacturæ, Auditorum præſtantia compenſat, quos inter multi ſunt grandævi, & venerabiles Viri. Sed hæc quidem hactenus; Optatum Milevitanum, à te illuſtratum prodiiſſe lætor. Et multum videre deſidero. Necdum enim mihi allatus eſt, neque Junium aut compellavi ipſe, aut ubi ſit intellexi. Credo aliis diſtineri. Sed quamvis nondum perlegere labores tuos licuerit, jam tamen præſagit mihi animus, digniſſimos fore tanti parentis tanto filio. Certè, utvis multum occupatus, nequeo quin teneat deſiderio Animadverſionum tuarum. Fateor eas eſſe occupationes meas, ut quamvis nihil ultra accedat, minime tamen otioſus ſim futurus. Verum nunquam tantum mea negotia poterunt, ut ſeponam, aut differam ſaltem percurrere tanti amici ſcripta. Ne dicam eruditi adeo viri, quod verè dicere poſſim, ex quo præſens tuam exiſtimare doctrinam didici. Ut mittam etiam eruditionem, minus an facere quidquam poſſim, cum noſtra quoque lectione tua dignatus ſis. Ingratus ſim, mi Caſaubone, niſi te amem, æſtimem, colam, inhumanus, niſi ſaltem par pari referrem. Itaque ego quidem ut dixi aveo tuum Optatum habere: & ne tuum quoque deſiderium morer, mitto Quaternionem quem deſiderari in Oratoriis

noſtris ſcripſiſti. Jam redeo ad curas quibus ſæpius te oneravi; vel potius ut priorem tibi ſollicitudinem eximam. Etenim de ſtipendio quicquid debebatur mihi accepi, excepto ſemeſtri poſtremo cujus dies Decembri menſe exſpiravit. Illud expecto, & neſcio quid Maſium moretur; quando uti ex literis tuis cognovi, jamdudum pecunias habuerit. De Peiſtero quod ſcribis, nondum perpendere potui; quamobrem ſemel placita retineo. Cæterum monitum te rurſus velim, amiciſſime Caſaubone, ut filio meo Johanni, ſingulis trimeſtribus libras quinque mittas. Credo quoque reſervaſſe te ei ſummam illam de poſtremo trimeſtri, quod Decembri finitum. Si id factum non eſt, neceſſum erit de hoc trimeſtri, quod Martio menſe exſpirabit, demi altera parte plus, libras videlicet x. Dolet ſæpe adeo moleſtum eſſe tibi; Cæterum multum in humanitate tua reponere me facile ipſe animadvertiſti. Vale.

## CCXXI.

*Clariſſimo, Præſtantiſſimo, Eruditiſſimoque*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Salutem.

*In reſarcienda Eccleſia concordia parùm, vel nihil ſe promovere dolet, hujus licet cupidiſſimus ſit, quod vel ex tractatu de Conjugio Clericorum advertere poſſit, quem inſpicere, judiciumque de eo ferre ut velit, peramanter rogat.*

*Clariſſime & Eruditiſſime Vir,*

Diu eſt quod te tacito affectu, & amo, & colo: ex quo videlicet, de præclariſſimis tuis ſtudiis, & ſcriptis, non ad pompam, ſed ad uſum, & emolumentum Eccleſiæ, atque Reipub. comparatis, cognovi. Amicum meum ampliſſimum virum Matthiam Overbequium, & diſcipulos meos, qui apud vos, dum hic immanes calamitates, totam Germaniam inundant, delituere; te ſemel atque iterùm amanter, & officioſè meo nomine, ſalutare juſſi. Et nunc ex Hermanno Conringio, ad nos reverſo, tibi id haud ingratum fuiſſe intelligo: facere igitur aliter nequeo, quin temetipſum modo compellem, quamquam mittendi occaſio præproperè, (ut hic inter haſce turbas, fieri interdum ſolet) oblata, vix ullum ſcribendi ſpacium concedat. Id autem tibi certò perſuadeas, virtutem tuam, & meum erga te affectum, quicquid hujus audaciæ eſt, expreſſiſſe. Et meorum quos dixi relatu, & ex tuis ipſius ſcriptis, haud obſcurè cognovi, te magno concordiæ & pacis, poſtliminio in Eccleſiam reducendæ deſiderio flagrare. Quo equidem, uti & ſchiſmatum odio, me dies noctesque, quaſi torqueri, neque volo diffiteri, neque poſſum. Summum autem mihi cordolium eſt, quod tanta ſit ſeculi perverſitas, tanta animorum in pleriſque pravitas, ut vix cuiquam de pace & concordia, verba facere tutò liceat. Ego viam me muniturum credidi; ſi antiquitatem Eccleſiaſticam, pro mea virili excolerem, & juventuti noſtræ quantâ maximâ poſſem curâ commendarem, atque ita ſtudium ejus, apud nos propemodum collapſum, inſtaurarem. Quod haud paulò felicius ſucceſſiſſet, niſi ingens, & diuturna, hæc calamitas, omnes laudabiles conatus, in herbâ quaſi oppreſſiſſet. Moliri tamen nonnihil volui, quamquam emoliri vix quicquam potui. Id cognoſces ex tractatu de Conjugio Clericorum, quem tranſmitto, ſi eum inſpicere tibi moleſtum non fuerit. Ego ſane grandis beneficii loco habebo, ſi non inſpicere modo, ſed etiam cenſere, & me, ubi opus eſſe videbitur, vel monere, vel docere, dignaberis. Adjunxi apparatum, ante aliquot annos, inchoatum quidem, ſed nondum abſolutum, cùm privatis curis, tùm publicis tumultibus laborem operoſiorem ſubinde interrumpentibus. Quem equidem tanti non facerem, ut à te inſpiceretur, niſi quæ de concordiâ, quaſi obiter, & aliud agendo adſperſi, à te cognoſci cuperem. Quâ fixi itidem expoſitionem Epiſtolæ ad Titum, haud magis aliàs pretii adjeci. Procemium quod libris Auguſtini, de doctrinâ Chriſtiana, & Vincentii Lirinenſis commonitorio præmiſi, cujus apud me nullum reliquum eſt exemplum, oſtendet, ut ſpero, & præcipuis amicis meis, & olim quoque ex auditoribus, unus Joachimus Wichewordius, civis veſter. Cogor hic abrumpere. Cæterum ſi hæc ipſa non ingrata fuiſſe intellexero, commodiore tempore, pluribus tecum, niſi moleſtum eſt, ſermocinabor. Vale, & virtuti, atque comitati tuæ, audaciam meam imputa.

Raptiſſ. in Acad. Juliâ, xx Mart. cIↃ IↃ c xxxii.

*Veſter quantus quantus*

Georg. Calixtus.

## CCXXII.

## Andreæ Riveto.

*Offert Merici Caſauboni Optatum Milevitanum.*

*Reverende vir, Doctiſſime Collega.*

Eunte ad vos ornatiſſimo juvene Rigaltio, non potui occaſionem hanc prætermittere, mittendi ad te Optati Milevitani, quem à ſe caſtigatum, notiſque auctum, ex Anglia tranſmiſit Mericus Caſaubonus, ut tibi traderem. Fruſtrà vero, aut ſcriptorem ipſum, aut Caſaubonum nomen commendaverim; cum utrumque in veneratione tibi eſſe ſciam. Dignus quoque tanto Parente Mericus. Quare ut lubenti animo donum accipias, pro me, & eruditio, & Parentis magnitudo, & ipſe Optatus poſtulat, cujus Epiſcopi utinam omnes hodie ſimiles forent. Si enim tam hi amantes eſſent pacis, ac concordiæ, non ita Eccleſia Dei ſcinderetur, magno hoſtium gaudio, & imbecillium ſcandalo. Verùm non tam querimoniâ nunc opus, quam remedio; ad quod tibi, & paucis tui ſimilibus, ſalutaria, ut ſpero, conſilia, inſpirabit Deus, magis magiſque. Salutem plurimam honorandæ Matronæ conjugi tuæ, & Collegis univerſis, ubi vacabit, aut opportunitas erit, meo ut nomine dicas rogo.

viii. Kal. April. cIↃ IↃ c xxxii.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

## CCXXIII.

*Clariſſimo, & Celeberrimo Viro*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtor. Profeſſori digniſſimo,

S. P.

*Literarium Ἀντίδωρον mittit, ſuum ex Academia Lugdunenſi abitum, & proximum Salmaſii adventum refert.*

*Clariſ. & Doctiſ. Vir, Collega obſervande,*

Accepi nuper, te mittente, munus à doctiſſimo Caſaubono, cui gratias agam prima occaſione. Hæc cùm ſe offerret, pereruditum hunc juvenem Medicinæ ſtudioſum, petii, ut tibi redderet munuſculum, nuperi mei operis, quod ſe tibi ſiſtit, ut à te diſcat, ſi tanti ſit, ut ab otio tuo, aut potius à gravioribus negotiis, impetrare poſſis, ut in illud oculos conjicias, & cenſeatur ubi opus erit.

erit. Quicquid ſit, animum mittentis, ut ſoleo, boni conſules. Aliud jam ſub prelo Elzeviriorum, ſudat lucubrationum mearum in Geneſin; ſed longioris operæ, quam ut poſt paucos menſes prodire poſſit. Interim paro me ad migrationem, qui in eum finem, ab Illuſtriſſimo Principe, accepi diploma, in quo ſignificat, quid me facere, aut procurare velit, & mihi in reliquam vitam adeo liberaliter proſpicit, ut ingratiſſimus ſim, niſi me totum, addicam ei muneri, ad quod me vocat, & pro viribus in illud incumbam. Quoniam autem Magnus ille puer, adhuc per ætatem, & ſtaturam imbecillior eſt, quam ut hoc anno poſſit omnino à curâ mulierum avelli; proſpexit mihi de ædibus, in ipſo Aulæ ambitu, quæ olim fuerunt Graphiarii Junii, non procul à loco, ubi convenit ſupremum Conſilium. Si aliquando Hagam excurras, non pertranſibis nos inſalutatos. Statui cum bono Deo, ad VIII. Maji publicè coram Curatoribus Academiæ valedicere. D. Salmaſius, acceptis ab utraque parte literis ſalvi conductus, in procinctu eſt, expectaturque ante Kalend. Majas. Conductæ ſunt in uſum ejus ædes capaciſſimæ, quæ fuerunt olim Equitum Melitenſium, ubi hortum habebit ſpatioſum. Plura pro tempore non addam; qui jamjam Hagam me confero, ut craſtina die, volente Deo SS. Cœnam adminiſtrem adhuc hac vice. Saluta quæſo, meo, & uxoris meæ nomine, tuam & tuos omnes.

Lugduni Batav. 20. April. clɔ Iɔcxxxii.

*Tibi ad omnia officia paratiſſ.*

ANDREAS RIVETUS.

## CCXXIV.

## Andreæ Riveto,

S. P.

*Pro donatis diſſertationibus gratias agit, laudat inſignem ejus eruditionem, ἀντιδώρου loco orationem, quam Amſtelodami habuit, inauguralem mittit, & quam latiſſimum ingreſſus ſit campum, cum totius orbis hiſtoriam recenſere ſuſceperit, exponit.*

QUid hoc, ſumme vir, ſumme idem amice? Serione ambigere te, ecquid ejus nominis ac doctrinæ ſcriptorum tuorum mittere mihi auſis? O quam mihi mens alia! nihil mei tam minutum, quod non auſim communicare. Quam vere id dicam, vel hinc vide. En tibi ἀντίδωρον, ſed quale Diomedes Glauco: puta horæ unius diſſertatiunculam pro diſſertationibus tot dierum: commune argumentum pro ſacro: paucas pagellas pro pulchro volumine; ut alia ejus generis mittam. Sed tamen ne depuduiſſe me dicas, conditione ea mitto, ut ignoſcas quod tanto inferiora tuis auſus ſim mittere. Atque ut facilius hoc impetrem, non vereor addere, majora me deſtinare propediem divulganda: quæ nominarem niſi hærerem ambiguus unde potiſſimum velim auſpicari. Quod ſi excurrere ad vos dabitur, de eo jucundum fuerit tecum conſultare, diſputationes tuas, quas miſeras avidè legi, etſi occupatior quam vellem. Argumentum pro temporibus noſtris pene vetus. Sed video te ſedulo obſervare illud antiquorum, τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς. Nam & cautius multa ponis & ſolidius firmas. Ut de genio taceam, quo hæc tractes. Præſertim ubi res cum Pontificiis, qua in Palæſtra hodie dominaris. Teſtis tuus Catholicus orthodoxus, quem quoties in manus ſumo, toties, quod diſcam, reperio. Hæc ut poſſis, multum quidem poſt Deum naturæ dotibus debes: ſed enim non minor illa felicitas, quod, præter temporis noſtri morem, ſic veteres legeris Eccleſiæ doctores: quibus, quantopere ipſe ab adoleſcentia capiar, coram aliquando me dicere commemini. Accedit, quod ſic evolvas doctores eos, quibus ſe Romana tantopere jactat Eccleſia. Et hos, & priores illos multi è noſtris ad partes advocant frequentes, qui, ſi verum dicere licet, ſatis in iis legendis ſunt infrequentes. Nimirum neque adeo fungos putant ſe cæteros, ut non animadvertant, eoſne, quorum labores adducunt, ipſi legerint, an ab aliis lectos memorent. Atqui ut eundem ſi arcum tendant Hercules & Iolaus, vel, ſi lubet puer hujus, utcunque neutrum cernas, eos ex telo miſſo diſcernas: ita cum eadem à duobus ſcribuntur, non operoſum eſt dignoſcere, ecquid ab ſcriptore dicatur, an exſcriptore. Quanto autem magis in iis, quæ habemus, placuiſti præ aliis multis, tanto avidius cætera, de quibus dicis, expectabo, ac præſertim illa in Geneſin: unde auſpicandum mihi, qui veſtigiis Sulpitii Severi velim inſiſtere, nempe novum munus a rebus ordior vetuſtiſſimis. Scis enim ut cum Civili doctrina mihi omne ævum ſit emanandum. Quæ provincia cum latiſſimè pateat, maxime inſiſtam rebus Hebræis, Græcis, ac Romanis. Nec dubito quin in eo facile tibi probaturus ſum conſilium meum, nam ſola Hebræorum Hiſtoria incipit à mundi incunabulis: ſola Prophetas auctores habet: ſola, præter novi fœderis hiſtoriam, pietatem veræ Religionis docet. Sola etiam quater mille annos, vel, ſi ab Abrahamo ordiri viſum, bis mille annos complectitur. Tantum enim eſt ad captam à Tito Hieroſolymam: Hebræis, uti ajebam, proxime, quemadmodum apud vos ſoleo, ſubdam res Græcas & Romanas. Nec enim extra res Hebræas, ulla eſt Hiſtoriarum, quæ meliora, vel uberiora, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum exempla præbeat, quàm Græca & Romana. Græcaque tanto fructuoſior, quanto imperium Græciæ ſimilis eſt noſtro. Romanæ autem hæc gloria eſt, quod ea gens arma circumtulerit per totum pene orbem, & dominata ſit annis amplius mille & ducentis, ac tot noſtri temporis imperia enata ſint è Romano. Ut vides, totius orbis hiſtoriam enarraturo in tribus hiſce imperiis maximè pes erit figendus. Neque hæc opera noſtra vobis Lugdunenſibus incommodabit, ſed commodabit magis. Nam deinceps ut ætate majores, ita majori etiam doctrina ac prudentia Academiam tum veſtram tum exteras accedent. Et quid melius his terris, quam cum neutiquam invidæ ſint Muſarum fores, ſi non unis deinceps mœnibus ſapientiæ ſtudia concludantur, ſed alibi etiam vigeant floreantque. Me quidem conſilii mei necdum pœnitet: præſertim qui, hactenus ſaltem, tam frequenti præſtantium virorum doceam auditorio. Archiepiſcopi Uſſerii labores vidi ac legi, & jam per literas ei gratias egi, quod tantæ dignitatis vir eruditos ſuos labores nomini dicavit noſtro. Nam quod de Godſchalco nonnihil diſſentit, id minime me movet. Sunt illi ſummo viro cauſæ ſuæ, ſunt item mihi meæ. Sufficit, quod uterque amplectamur Auguſtini ſententiam. Nec tanti eſt, utrum eam ſit aſſecutus Godſchalcus. Mihi ſic ſecutus videtur, ut aliquantum exceſſerit. Atque hoc vidit Rabanus Maurus, magnus ſane vir, vidit quoque Synodus Moguntina, quæ Godſchalcum damnavit. At fuere in ea complures Auguſtinianæ ſententiæ & intelligentes & retinentes. Nec unquam per omnia eum tueri auſus Remigius, vel qui Lugdunenſis Eccleſiæ nomine ſcripſerunt. Tantum conqueruntur, quod, ut exorbitârit Godſchalcus, non eo debuerit damnari ſententia aliorum, qui ſe intra effata pomœriaque veritatis continent cum Hipponenſi illo antiſtite. Quid multis? puto quæ de Godſchalco inedita in bibliothecis quibuſdam aſſervantur, fidem faciant, me veriſſima dixiſſe: ea ubi accepero, faciam te certiorem. Magnopere de eo gaudeo, quod de Salmaſio ſcribis. Scis optime quanti eum virum ſemper fecerim. Sane non alius eſt in Belgica, qui toties ſcriptis ſuis eum celebravit, jam ab annis aliquot, præſertim opere de Hiſtoricis tum Græcis tum Latinis: optarim tantum doctrinæ communi illi amico noſtro, qui fœdè adeo eum depreſſit. Mihi ſimulac pedem his in terris poſuerit, animus eſt uti illo amico ac familiari. Quod communi, ut ſpero, bono fiet, ſaltem meo & publico. De Aurelii exceſſu nihil hactenus inaudieram. Valde de eo doleo, ob veterem ſtudiorum conjunctionem, de tranſmiſſo ejus Jobo maximas gratias ago. Exemplar alterum ad Senatorem Caſimbro-

brotium mittam. Nec enim in Batavia quemquam illo ac me habuit conjunctiorem. Ac jam ab annis prope XL. triga quaſi amicorum fuimus. Si viduæ vel ipſe, vel conjux tua reſcripſerit, gratias ei meo ages nomine, atque adeo & Caſimbrotii. Id enim eum ſcio velle. Qui, niſi celerius, quam optaſſet, Jobum Lugduno remiſiſſemus, ſuis cum ſumptibus hic edere decrêrat. Facile cogitare potes quàm id gratum accidiſſet Aurelio noſtro. Sed id ego demum cognovi, poſtquam jam in itinere erat Molinæus per quem exemplar remiſimus. Sane ut cætera mittam, typi, ſi hic editus foret, non paulo eſſent venuſtiores. Vale vir præſtantiſſime, tuarumque virtutum cultorem perpetuum in poſterum quoque ama. Uxori ſalutem.

*Tuus ſine fuco more majorum.*

Amſtelodami.

G. J. VOSSIUS.

## CCXXV.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Optatum ejus Milevitanus ut apud Bibliopolas quam optime diſtrahatur ſe curaturum recipit.*

QUanto magis deſidero tecum, amiciſſime Caſaubone, confabulari, quantoque negligentius pleraſque meas literas ad te video perferri, tanto avidius animus eſt omnes arripere ſcribendi occaſiones. Eam nunc attulit mercator Londinenſis, per quem Farnabii mihi literæ traditæ erant. Vellem tamen diſceſſus ejus non tam ſubitus fuiſſet. Pluribus colloqui licuiſſet: Feriæ enim nunc ſunt, quibus ſpatium datur cum amicis colloquendi. Nam cum docendum eſt publice, otii adeo parum relinquitur, ut ſæpe vix domeſtica curare liceat. Adeò, ut plerumque literarum ſcriptionem in ferias differam: quarum bonam ſemper partem amicis do, maxime conſanguineis vel affinibus, qui inviſere tum imprimis ſolent. Optati tui exemplaria nonnulla Bibliopolæ Lugdunenſi tradidi, qui poſtea indicabit quo pretio vendere ea poſſit. Negabam minoris venundari oportere, quam noſtrati floreno Caroleo: quod paulo minus eſt quam ſolidis duobus ſive ſchellingis Anglicanis. Quod ſi conſequi hoc liceat, viginti Caroleos noſtrates, pro viginti exemplaribus, ſive triginta octo ſchellingios Anglicanos, demes de pecunia mea. Sed metuebat Bibliopola ne tam care poſſet vendere, quia paucorum ad palatum ſint Antiqui: præſertim qui argumentum tractent, quale Optatus tuus. Mi Caſaubone, valdè ſordent hic Veteres. Quod ſi quid antiquorum legere velint, id vix aliud ſit, quam de Prædeſtinatione, ut quædam Auguſtini, Proſperi, Fulgentii: Theologiæ Doctorem novi, qui nullum veterum in Bibliothecâ haberet: nec diffitebatur, ſed dubitare tamen ajebat, an non unum cujuſdam opuſculum haberet, ſeu Bernardi, ſeu Anſelmi. Quod ſi periculum videro, ne optimus Scriptor annos totos, in Bibliopolarum forulis jaceat diſpretus, aliter hoc negotium perficiam: Nempe cum Bibliopolarum variis de permutatione aliqua tranſigam. Faciliores hac in re eſſe ſolent. Nec ea res obeſſe mihi admodum poſſit, quoniam ſubinde ego, vel liberi, emere ſcriptores aliquos neceſſe habeamus. Quare nihil impedio, quo minus de proximo hujus anni quadrante, vel eo ipſo qui menſe hoc Martio exſpiravit, reſeces illos XXXVIII. ſolidos, ſive ſchellingios veſtrates. Decreveram aliquid addere, de ſtudiis & laboribus noſtris, ſed id proximarum eſto literarum argumentum. Multam ſalutem à me & mea, optimæ uxori, dices, item Rev. Dom. Decano, & toti Collegarum & Fratrum præſtantiſſimorum Collegio.

Amſtel. cIɔ Iɔ cxxxii.
Prid. Kal. Apr. St. Vet.

## CCXXVI.

## Guilielmo Boſwello,

Oratori Regis Britanniæ.

*Fatum Hortenſii minus benignum indicat, nec Proceres de ſubſtituendo alio hactenus quidem cogitare. Dolet ſuperbum antiquitatis contemptum, qui graviſſimas in Eccleſia turbas excitet. Curam præbendæ ex Canonicatu ſuo ſollicite Epiſcopo Londinenſi ut commendet, rogat.*

*Nobiliſſime & Ampliſſime Domine,*

REdditæ mihi ſunt literæ tuæ, & illæ quas ſcripſeras paulò antequam Batavia excederes, & alteræ ex Anglia tranſmiſſæ. Utraſque lectis non potui ſatis exoſculari perpetuum erga me amorem tuum, & humanitatem tam prolixam. Tantoque mihi impensiùs curandum video, ut affectui tuo poſſim reſpondere. De Hortenſio noſtro ita eſt, ut ſcribis. Sed de altero ei ſurrogando necdum cura ſuſcipitur urbis noſtræ Proceribus. Ejus rei cauſam accipe. Quo tempore Hortenſium τῶν μαθημάτων cura tenebat proficiſcendi in Italiam, ſæpe ab urbe aberat, nunc Hagam excurrens, nunc Leydam vel Delphos. Hæc res fecit, ut non ille ſolum longè alia ac juventutis bonum curaret, ſed auditoribus quoque ejus amor Matheſios refrigeſceret: vel ſi quibus ardor ille duraret, in alia Lycea deflueret. Ubi depoſuit noſter animum illius itineris deſtinati, redire quidem voluit ad labores & auditiones publicas: Sed ſæpe ἀκροατὴς erat nullus, interdum unus & alter, ut locum haberet illud Perſianum è Græco expreſſum, *vel duo, vel nemo.* Et duorum interdum (miſerum) alter erat miniſter Lycei, quem Pedellum dicimus. Hoc vidit & indoluit: idque eo magis, quia ſpem majoris ſtipendii habere non poſſit, niſi opera ejus neceſſaria publico magis videretur. Natura propenſior erat ad tabem, quâ parentes obierunt. Acceſſere varia, quæ animum ejus forte ſuâ multo celſiorem diſcruciarent: in his illud quod dixi. Eo abſumpto conſultius Urbis noſtræ magiſtratui videtur, paulum deponere curam Profeſſoris Mathematici, primoque circumſpicere de uno altero idoneo vel ad Profeſſionem Hiſtoriæ Romanæ, vel ſimilis ſtudii, cujus amore juventus vel omnis potius flagret ætas. Nec diffiteor priuſquam tuas accepiſſem literas, id me conſilii Proceribus dediſſe. Spectavi tum me ipſum, tum præcipue bonum publicum. Nam niſi vel Romana Hiſtoria vel ejuſmodi quid eo tempore doceatur, quo ego in ſacra vel Eccleſiaſtica ſum Hiſtoria publicè enarranda, periculum ſit, ne ille quoque defectus imminuat eorum numerum; qui huc ſe tanquam ad ſtudiorum mercatum receperunt. Scis enim his terris non uſque adeo multos eſſe Eccleſiaſticæ antiquitatis amantes. Homines fuiſſe ajunt, qui ab Apoſtolorum temporibus ad noſtrum uſque ſeculum ſcripturam enarrârunt: eoque non diſpiciendum quæ dogmata obtinuerint, primis etiam ſeculis, vel quale fuerit regimen Eccleſiæ, ſed quid Deus dicat in verbo ſuo, hoc eſt, quomodo ipſi novè putent ſcripturas intelligi oportere. Hic novellitatis ardor, is antiquitatis contemptus; niſi peſtilentis inſtar ſideris multorum animos afflâſſet, beatius in rebus ageretur humanis; & ſi Britannica certamina ſatis capio, non tantas Scotia turbas daret. Scio innumera animarum millia eſſe extra omnem culpam. Sed quid faciamus iſtis δημαγωγοῖς, qui ſoli ſibi ſapere videntur, proque talibus ſe venditant ſimplicioribus: illos vero qui antiquitati ſuum deferunt honorem, tanquam umbras putant circumvolitare. Imo, ut intelligo, calumniis ſuis pudore nullo, in odium graviſſimum adducere apud ſuos non ceſſant tum Regem ſuum, cordata animi bonitate ſuorumque amore, nullo Regum inferiorem, tum omnes eos quibus Deus præcipuum Eccleſiæ ſuæ regimen commiſit. Sed quia jam in hunc ſermonem incidi, literas Cantuaria accepi, quibus certior redditus ſum; quia Sereniſſimo Regi ad motus Scoticos

ticos compeſcendos milite fuerit opus, cuique Canonicorum Cantuarienſium de Præbenda annua portionem decidendam: me qui percipere ſoleam quotannis libras centum ſterlingicas, non poſſe percipere ultra octoginta. Equidem non is ſum qui non omnia Regis cauſa velim, quin quicquid habeo non modò Regiâ liberalitate, vel à parentibus relictum vel labore partum proprio, atque adeo vitam ipſam pro Regia dignitate impendere ſim paratus. Sed tamen ambigo, cum ignorem quantum conferant fratrum meorum alii, num ego qui ſolum centum percipio, privandus ſim libris vicenis. Arithmeticâ enim in hoc negotio proportione agendum non ſit: ſed Geometricâ, ut noſti. Utinam igitur grave non ſit de iſto conſulere vel Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dom. Epiſcopum Londinenſem. Non hoc peterem, niſi jam novem prope menſes forent, quibus nihil percepi. Ab clariſſimo quidem fratre Caſaubono literis certior factus ſum, mercatori meo ſe pro trimeſtri annumerare voluiſſe viginti libras, ſed eum niſi viginti quinque (ut anteà) daret, accipere quod offerebatur noluiſſe. Verum ego ad mercatorem ſcribi curavi, ut potius trimeſtri quoque viginti acciperet, quàm nihil. Reſpondit ille (niſi ab eo qui Amſtelodami habitat eludor) nec viginti illos ſe poſſe accipere. Nemo, ni fallor, æque idoneus fuerit ad conſilio juvandum quam Rev. Dom. Londinenſis, de cujus affectu etiam omnia mihi merito polliceor. Nam ipſe abundè mihi eum coram comprobavit, nec alter eo intelligentior, qui ipſe in Collegio Canonicorum Cantuarienſium fuerit. Hæc ſcripſi raptiſſimè in ædibus nob. & ampliſſimi Dubletii, qui officioſiſſimam tibi ſalutem adſcribi juſſit. Scripſiſſem ad magnos illos Eccleſiæ memoratos Antiſtites, quorum laudes nulla ætas conticeſcet. Sed, ut vides, vix nunc potui hæc iſta. Feſtinationi ignoſces & ſimulac occaſio ſit, vel potius cum voles, omnia officia cum ſalute devotiſſima offeres Reverendis & Illuſtribus Dom. Archiepiſcopo & D. Epiſcopo Londinenſi. Vale.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

---

CCXXVII.

## Philippo Paræo,

S. P.

*In Oratoriis ſuis Tropicam vocis* (eſt) *ſignificationem in ſacramentis cur non annotarit, rationem reddit.*

JAm menſes ſunt duo, Cl. Paræe, cùm noſtratium Typographorum uni dicerem, velle me, ubi nundinarum tempus inſtabit, quædam per eum ad te tranſmittere. Quod ego imprimis propter Ennium Columnæ dicebam, de quo amicum compellaram. Hodiè jam eum, ante unam alteram hebdomadem diſceſſiſſe intelligo, me penitus ignaro. Atque eo minus me conveniſſe, quia ad mercatum Francofurtenſem, plenum ſit periculis iter, ut nec ſarcinas, nec res ullas, eò hinc advehere auſint. Etiam vereri, ne quid librorum ex Germania, aut ſaltem nonniſi maxima cum difficultate referre poſſint. Atque addebat Typographus, Amſtelodamenſis Janſonius Blaeu, abſque eo fuiſſet, ſeipſum eo iturum fuiſſe, ut melius diſtraherentur libri, quos magno numero hac hyeme excudit. Quod ſi ſcribere ad te velim, id ipſa hac hora fieri oportere, quia ante veſperum nuntius eſſet abiturus; nec deinceps durantibus nundinis, ſcribendi occaſionem fore. Ne igitur oblitus videar amiciſſimi viri, pauca hæc raptim malui exarare, quam penitus tacere. Ac primum de Columna meliorem eſſe occaſionem expectandam. De Nonio certior fieri cupio; quando eum filius prælo ſubjicere cogitet. Velim enim priuſquam ad notarum editionem ſit deventum, quædam tranſmittere, quæ lucis aliquid, vel etiam medelæ, locis pluſculis adferant. Et fortaſſe amicorum unum alterum, ad idem excitabo. Quod quæris de vocis Tropicæ ſignificatione in ſacramentis, cur eam non annotarim, in Oratoriis meis, cauſam accipe. Cum primùm eas ederem, obtuli edendas Raphelengio. Sed is, quod ante neſciebam, Romanæ Eccleſiæ placita ſequebatur. Eoque cùm diſſertationem ſuper hac contineri Oratoriis noſtris intelligeret, gravatus fuit, opus hoc excudere, quia negabat fore, ut in Brabantia, atque inter Pontificios, divendi liber poſſet. Reſecui igitur, quæ ejuſmodi forent, inque Commentationes tranſtuli Theologicas, in quibus fuſè de hoc argumento tracto. Tuam vero de hac te opinionem probo, quam ſatis clarè, in Rhetoricis proponis, ſolidéque adſtruis. Quamvis & Pontificii in hac locutione Tropum adnoſcant, ſed non ſigni, verùm materiæ. Cum enim nos dicamus Panem, vocari Corpus, quia ſignum eſt Corporis; illum Panem vocari ajunt, quod ſit Corpus, quia ex Pane eſt converſum. Plura velim: ſed ecce jam interpellor. Quare abrumpo, ne morer tabellarium. Plurimam ſalutem eruditiſſimo à me filio dices. Vale egregie, ac Reverende Paræe.

Amſtelodami, cIↄIↄcxxxii. Poſtr. Nonas April.

*Tuus totus, & tuorum,*

G. J. VOSSIUS.

---

CCXXVIII.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori eminentiſſimo.

*Wilhelmi Abbatis Monaſterii ad S. Paracletum vita per Surium in compendium redacta, ut ſibi tranſmittatur, petit, quam cum Volumine Epiſtolarum ipſius quod in membrana exaratum habeat, publici olim juris facere conſtituerit. Si quid ad Saxonem ſuum obſervaris, ut juxta cum Vulcanii in Martianum Capellam gloſſis ſecum communicetur, orat.*

*Clariſſime Vir, amicorum meorum Alpha,*

NIſi tibi Stephanii tui memoria intercidit, agnoſcis primo intuitu manum, quæ toties tibi, dum Tempe veſtra Leidenſia incolerem, moleſta fuit; imo vel etiamnum eſſe non deſinit, licet nos immenſa locorum intercapedo disjunxerit. Excitat audaciam meam, ſuaviſſima humanitatis tuæ recordatio, quæ tam luculentis erga me indiciis, toto illo ſtudiorum meorum tempore enituit. In plebeis animis dulcedo amicorum, ſimul eorum facta ex oculis amolitio eſt, reſtinguitur; at mihi interjectu loci deſiderium tui vehementius gliſcit, ut creberrimè cogitationis alâ, ad te properem, videarque mihi conſuetæ familiaritatis, tecum inſtaurare commercium. Nunc verò literarium quoddam negotium fuit, de quo tecum agerem. Vita S. Wilhelmi Abbatis Monaſterii ad S. Paracletum, in Dania ab ejus quidem diſcipulo conſcripta, ſed per Laurentium Surium in compendium redacta, extat tomo II. de Hiſtoriis ſanctorum, a. d. VI Aprilis. Eam ut per amanuenſem tuum deſcribi, & per præſentem internuntium ad me tranſmitti cures, per genium te amicitiæ noſtræ rogo, atque obſecro. Penes me etenim eſt volumen Epiſtolarum, ejuſdem Wilhelmi Abbatis, in membranâ exaratum, quod olim, Deo volente, publici juris facere conſtitui. Huic verò inſtituto non parùm inſervire poterit, hoc quicquid eſt monumenti; imprimis vero ſi ad calcem libri adjungatur. Si nonnulla in Saxone noſtro, poſt meum è Belgio diſceſſum, quæ obſervationem merentur, animadvertere tibi contigit, mecum communices, etiam atque etiam abs te peto. Nam

indies adorno, novam illam Saxonis editionem, quam toties coram promiſi. Gloſſas B. Vulcanii, vel veteris alicujus Scriptoris, in Martianum Capellam, ad me tranſmittas oro; nullus dubitans, quin intra trimeſtre ſpatium, per bonæ fidei hominem reſtituam. Gratulor tibi auctos honores, cui jam liceat in majori luce poſito, & Theatro illo urbium Belgicarum, divini ingenii claritatem, per omnes literati orbis angulos, etiam ad ultimum Septentrionem noſtrum longè lateque diffundere. Inter nova habeto Selandiam inſulam hanc noſtram a. d. XXIX Feb. inſolitis contremuiſſe motibus: quid portendant, novit ille qui ſolus omnia novit. Plura non eſt dubium, quin Meurſius noſter ſuppeditet. Benè feliciterque vale, optime amicorum, & me priſtino affectu tuo conſtanter complecti dignare.

Soræ, a. d. XVI Apr. cIↄ Iↄ c XXXII.

*Obſervantiſſimus tui,*

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

---

## CCXXIX.

*Commercium epiſtolicum urget. Solonem recenti editum donat. Litem de Religione ſibi à Collega quodam motum, ſed fruſtra eum fuiſſe docet. Theologorum in Dania moderationem & manſuetudinem valdè commendat.*

*Vir Clariſſime, amicorum maxime,*

SUperiore anno nihil abs te literarum accepi, præter illas quæ datæ erant IV Id. Maji: ego tamen ſemel iterumque ſcripſi poſt id tempus, ſi non tertium, & effigiem meam miſi æri inciſam: neque dubito quin acceperis. Si ſcires quàm mihi charæ ſint tuæ literæ, & quam animum exhilarent, ſæpe ſcriberes: ac vel unum hoc te valere. Quod ut tibi diuturnum eſſe opto, atque tuis item omnibus, ita etiam ſæpe intelligere cupiam. Jam occaſio tibi eſt mittendi literas, quoties velis, & ego ipſe viam tibi indicavi: quæſo utere. Mitto nunc Solonem meum, qui ſi tibi gratum ſe præſtare poterit, mihi quoque eo nomine multò gratior eſt futurus. Quod adjunctum exemplar vides, rogo ut Barlæo tradas, & ſalutem à me addas. Quo in loco ſit Illuſtris Schola veſtra, aut quo nomine appellari Magiſtratui veſtro placeat, ſcire aveo; tum quid tu privatim agas, ac quid etiam luci deſtines ex tot monumentis tuis: inſuper de re domeſtica univerſâ. Ea quidem mihi hactenus quartum menſem eſt adflicta. Unica enim filia mea per trimeſtre cum graviſſimo certè morbo, ac periculoſo valde conflictata, poſtquam Dei beneficio (cui gratias ſummas ago, ut debeo) vix evaſit, mox in tertianam incidit, quâ nunc etiam vexatur; neque ſola: nam & filium itidem eodem tempore eadem invaſit febris; ac præterea etiam uxor, fracta curis, (noſti animum maternum & ſollicitum affectum) ac vigiliis, & laboribus diuturnis à defluxione humorum, aures pariter atque dentes crudeliſſimè infeſtante, majorem in modum cruciatur. Ego inter hæc, quanquam corpore Dei gratia ſatis ſano; tamen animi excrucior. Noſti animum mariti, noſti patris. Sed hæc homini Chriſtiano æquo animo ſunt ferenda, & ſperanda meliora. Ego fero, ego ſpero, neque ſpem evertet Deus, aut confundet. O paſſi graviora, ac ſuperiore anno, quod perlatum ad te puto, quidam è Collegis meis, Theologus profeſſione &, ſi Deo placet, paſtor, litem mihi de Religione movit, ſed coactus eſt deſiſtere; adverſari ſibi expertus ipſum adeo Regem noſtrum Sereniſſimum & Primates Regni viros; addo Epiſcopos, & Theologos item alios, ac cordatos viros omnes, & prudentes extra eum quoque ordinem. Paſſus eſt exiſtimationis ſuæ non exiguam jacturam. Certè iſtud verè dicere tibi poſſim, ſummam eſſe moderationem animi & manſuetudinem eximiam, in Theologis hujus Regni: ut ſunt viri ii non famâ nominis clari, at virtute, & doctrinâ, & humanitate ſumma excellentes: quique nihil minus amant, quàm ferociam Germanicam. Et ſic Dei beneficio tranſiit tempeſtas iſta, in tranquillitatem maximam commutata; è quâ illud boni habeo, quod didicerim quam ſim charus omnis ordinis hominibus in hoc Regno: equidem id antea ſciebam ſatis, ſed nunc magis ſum expertus. Ita nempe Deum timentibus, juxta dictum hoc Apoſtoli, omnia in bonum cooperantur, videoque manifeſte, quòd me tueatur Deus, atque pietatem meam curæ habeat. Huic deinceps me commendo: & te item, Vir Clariſſime, cum uxore liberiſque. Uxor mea, liberique, impræſens ægri, tuam & tuos plurima ſalute impertiunt.

Raptim Soræ, ad diem XXIV Apr. cIↄ Iↄ c XXXII.

*Tuus vero animi affectu,*

JOANNES MEURSIUS.

---

## CCXXX.

## Guilielmo,

### Epiſcopo Londinenſi.

*Studiorum ſuorum rationem reddit, jamque ſub prælo fervere ait Commentaria Linguæ Latinæ, poſthac totum ſe fore in enarrandis antiquitatibus tàm Hebræorum, quàm Chriſtianorum, quod inimici hactenus impediverint.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtr.*

NOlui hanc qualemcunque occaſionem ad te ſcribendi omittere, quia & iniquum erat, quemquam certæ fidei ſine meis Londinum literis venire, & raro eorum, quos norim, proficiſcitur quiſquam. Et tamen nihil magnopere quod ſcribam occurrit: niſi valere me, ac familiam univerſam: ac res Hebræorum florentiſſimo publice auditorio docere: quod non modo frequentent adoleſcentes ad magna nati, ſed plurimi etiam viri Ampliſſimi, ac ut ætate & dignitate, ita virtute doctrinaque inſignes. Ea res ut animos addit, juxta Poëtæ illud, Excitat auditor ſtudium: ita aliquid etiam incommodi ſecum trahit. Quanto enim plus in rebus Hebræorum, & temporibus iis, quæ Chriſtum antecedunt, elaboro; tanto ſpiſſius ea procedunt, quæ ad Chriſtianas Antiquitates pertinent. Si Deus mihi valetudinem & vitam diuturnam conceſſerit, ſpero me in utriſque operæ pretium facturum. Et jam diſtineor utriſque: Sed non ut prælo adhuc ſubjecerim, quod longe minoribus fervet. Puta Commentarii Linguæ Latinæ: pars eorum eſt vel Hiſtoria rei Grammaticæ, vel excellentium Grammaticorum Cenſura: pars vero, origines complexa, fontes totius Linguæ reſerat & recludit. Et comites erunt libri de Re Poëtica. In quibus aliquid auſus ſum poſt magnum Cæſarem Scaligerum. Sed utcunque in his, & aliis, non plane mihi, longeque minus mei amantibus diſpliceam: dicere tamen non poſſum, quàm mihi hoc doleat, quod inimici mei ſuperioribus annis me iſta magis tractare compulerint, quam unde longe amplius fructus ad Eccleſiam redundaret. Ut illa ſunt quæ de Hebræorum & Chriſtianorum rebus meditor quotidie. Nunc Orationem Inauguralem, ante aliquot menſes à me habitam mitto: Non quaſi dignam lectione tua exiſtimem, ſed quia nihil tam magnum, tam minutum à Voſſio proficiſci debet, quin tu Illuſtriſſime Domine ejus particeps ſis. Et hoc tantum vadimonio me obſtringo, majora me tibi in poſterum oblaturum. Vale.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XXXII. Prid. Id. Majas.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Nominis tui cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

CCXXXI.

## CCXXXI.

# Arnoldo Buchelio,

### S. P.

*Eruditos labores ne luce publica carere ultrà ſinat, hortatur; filium autem Matthæum, Annales Batavas meditantem, ſi quâ poſſit, operâ juvet peramicè rogitat.*

AMicitia quæ jam ab aliquot annis, tecum mihi fuit, Ampliſſime Bucheli, omnino poſtulare videbatur, ut contendente Amerſfurtum, filio meo, ſimul & adituro civitatem veſtram viſendi ſtudio, te, & ipſe per literas, & filii verbis ſalutarem. Quippe qui exiſtimem boni viri eſſe, etiam ſollicitum agere de amicorum rebus, & valetudine. Itaque non facile dixerim, quam gratum mihi acciderit, quod his diebus ex ornatiſſimo K. Marteno intellexi, valere te, belleque pro ætate portare. Eo autem id mihi jucundius erat, qui non modo, ut tam amicum decet, optimè tibi optare, ſed etiam quod publico, te plurimum benefacere poſſe cogitarem. Et jampridem cupidè expecto, ut patriam, ut nos omnes, tot annorum laboribus tuis bees. Sanè id ſi ob attenuatas corporis vires, tam citò non poſſis, quam vellemus, aut alia etiam de cauſa, adhuc premere labores tuos malis; ſaltem curaturum te ſpero, ut per propinquos, ac neceſſarios tuos, aut quibus aliis dare id negotii volueris, lucem quondam adſpiciant. Nam dolendum profectò ſit, ſi quæ viri, ſuis in ſtudiis præſtantiſſimi, multo ſtudio conquiſivere, publica luce careant. Accedit quod raro ſcripta, niſi ab Authore ipſo, emendatè edantur. Ideoque, & ego his temporibus, quæ ante annos xxx. & ultra commentatus ſum, protrahere in lucem molior. Hic quem vides, filius meus Matthæus Voſſius, ſcribere ante annum aggreſſus eſt, Comitum Hollandiæ Hiſtoriam; cujus majorem jam partem abſolvit, & ut arbitror poſt menſes paucos edet. Quare ſi quæ tibi ſint, quibus juvare eum, in egregio hoc inſtituto, ſine incommodo tuo poſſis, is non diſſimulabit publicè, cujus beneficio profecerit, aut fuerit adjutus. Quod eo dico, quia video hodie, adeo invaluiſſe morbum illum, ut homines addiſcere quidem velint, ſed à quibus hauſerint, non agnoſcant. Sed à talibus longè diverſus mihi, etiam filio meo animus. Itaque ſi habeas, vel Manuſcripta, vel olim edita, ac propè jam ſepulta, quibus putes lucem addi Patriæ Hiſtoriæ poſſe, honor tuus erit, publici authoritas. Et paucis diebus recepturum te, quæcumque commodaveris, fide quam optima ſpondeo. Vale.

Amſt. clɔ Iɔc xxxii. xi. Kal. Jun.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

---

## CCXXXII.

*Clariſſimo*

# Gerardo Joanni Voſſio.

*Gaudet, ſibi cum illo in hiſtoria Godeſchalki quod ad rei caput attineat convenire. Mariani exemplaria variare ait. Hujus propoſitum, & quædam alia, recenſentur.*

ACcepi, Vir Eximie, literas tuas; quibus dum amorem quo te proſequor, ex leviori ſaltem muneris indicio, rectè quidem colligis, nobiliſſimum tuum pectus inſtar fertilioris alicujus agri aperis, qui plus multo adferat quàm acceperit. Adeò munuſculum nuper tibi à me oblatum extollis, ut quo te merito meo exſolvere ſtudebas, eo me tuo totum implices, & beneficium longè majus reddere videaris, cùm te debere aliquid mihi profiteris. Utcunque verò aliqua inter nos in Gotteſchalci Hiſtoriâ oboriatur differentia; gaudeo tamen, & tibi ex animo gratulor, nos, (quod ais) in eo, quod rei caput eſt, conſentire: uterque dum B. Auguſtini ſententiam amplectimur. Quam ſive Gotteſchalcus per omnia fuerit ſecutus, ſive aliquando exceſſerit, nolim ego multùm contendere: modò (quod libenter audio) nobis ipſis cum Auguſtino conveniat, cujus ſententiam in cauſſâ Gotteſchalci tuendam ſuſceperat Remigius. Qui verò duriores ſunt, vel fuerunt, Auguſtini interpretes, nunquam mihi placuerunt: miniméque omnium inertes illi τῦ ἀργῦ λόγυ κήρυκες, qui faciunt agendo, ut nihil agamus; & homines ſponte ſuà ignavos ipſis quoque truncis reddunt ſtupidiores: quum divinus ille gratiæ præco, ex eo ipſo quòd Deus is ſit qui efficiat in nobis καὶ τὸ θέλειν ϗ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, contrarium planè deducat παρέργως· ſtudendum idcirco, ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur. Quippe quod verendum ſit, ſi ab Religione officii hic declinaverimus, &, vel nihil agendo, vel malè agendo, eum à cujus εὐδοκία illa quam habemus volendi & faciendi poteſtas tota pendet, irritaverimus; ne Deus ita à nobis laceſſitus jure ſuo nobiſcum agat, atque nos deſertus deſerat, & novas ad volendum & agendum vires (abſque quibus, ipſi nos ipſos lapſos erigere nequeamus) ultrà non impertiat. *Philip. 2. 12, 13.*

De Mariano noſtro, quî factum ut mutus omnino ad vos venerit, amantiſſimo utriuſque noſtrûm D. Ludovico de Dieu rationem reddidi. Mens verò quæ nunc eſt mihi, tum erat eadem: nempe ut, ſicut tuâ operâ ita etiam ſub tuo nomine, integer prodiret Marianus. Integrum verò in unico Cottonianæ Bibliothecæ exemplari reperi: ſi tamen integrum. Poſtrema enim pars Chronici, à Dionyſianæ æræ anno 900, uſque ad finem (quam inde deſcriptam totam ſeorſim ad te miſeram) integrior in Sichardi editione legitur: cui ſiquid deſit, ex tuo ſupplendum erit exemplari; quod illud Gemblacenſe eſſe ſuſpicor, ex quo novam Mariani editionem promiſit nobis Miræus, quam non præſtitit. Nactus ſum & alia tria exemplaria, in quibus Anglicanum Florentii Chronicon cum Univerſali Mariani hoc Wigornienſis quidam Monachus Regis Stephani temporibus commiſcuerat. Ex eorum uno, Florentium (vel potius Marianum) ſuum edidit nobiliſſimus D. Gulielmus Howardus de Naworth, Thomæ Norfolcienſis Ducis filius. Duo alia apud Oxonienſes vidi; in Bodleianâ unum, in Collegii Corporis Chriſti Bibliothecâ alterum: quorum utrumque præter Procemia, integrum librum ſecundum habuit, qui à primo aberat. *Miræus; in Sigeberti Chronic. ann. 854.*

Initio Cottoniani codicis verba iſta præfixa inveni, *Meum nomen, ut dignum, Cronica Cronicarum: cùm præ illis ſervo verba Evangeliſtarum. Nulla enim Cronica conſervat diem Menſis Solaris Reſurrectionis Chriſti, juxta hiſtoriam Evangelii, niſi iſta ſola.* Sequebantur deinde, tanquam ipſius Mariani, Tabellæ illæ Chronologicæ quas in apographi mei principio deſcriptas vides: quæ commodiùs, ni fallor, ad calcem operis eſſent rejiciendæ. Earum aliquot in Bodleiano quoque habentur codice (qui à Conſulum Indiculo incipit;) & in altero, Collegii Corporis Chriſti, plures; Romanorum Epiſcoporum Catalogo uſque ad Eugenium III. perducto, cui aliâ adſcripti erant manu, *ann.* 8. *menſ.* 4 *die* 20. quod Argumento eſt, Eugenii tempore illud fuiſſe exaratum. Ut autem intelligas, quibus in locis Cottonianum libri *primi & tertii* Chronicon à vulgato differat: Florentium Wigornienſem nunc ad te mitto, quem Franciſci Quarleſii operâ (qui mihi tum erat ab Epiſtolis, vir ob ſacratiorem Poëſin apud Anglos ſuos non incelebris) cum illo conferendum curavi; ad annum uſque Domini ɔcccc. Dionyſianum, à quo quaternio priùs miſſus initium duxit. Ubi quæ lineis ſubtùs ductis ſunt notata, à Cottoniano exemplari abſunt, & ex Florentii Annalibus à Wigornienſi de quo dixi Monacho ſunt hic intexta.

Mitto ſimul & Epitomen à Roberto Lotharingo Herefordenſi Epiſcopo, eodem quo Marianus mortem obiit anno, concinnatam: cujus in quarto de Pontificibus libro Gulielmus Malmesburienſis ita meminit: *Erat tunc temporis monachus Marianus apud Magontiam incluſus, qui longo ſolitudinis otio Chronographos ſcrutatus, diſſonantiam cyclorum Dionyſii Exigui contra Evangelicam veritatem, vel primus vel ſolus animadvertit. Itaque ab initio ſaculi annos ſingulos recenſens, 22 annos, qui circulo deerant, ſuperaddit; magnam & diffuſiſſimam Chronicam facere adorſus. Eum librum Robertus miratus unice, æmulatus mirifice, Anglia invehendum curavit. Denique captus Mariani ingenio, quicquid ille largiùs dixerat, in arctum contrahens defloravit, adeo ſplendidè, ut magis valere videatur defloratio quàm ingentis illius voluminis diffuſio.*

Ad calcem hujus Epitomes in Cottoniano codice appendix adjecta, ab altero Bodleianæ Bibliothecæ aberat: quam vel eo nomine negligendam non putabam, quòd magnæ illius Periodi Julianæ, cujus uſum magno Scaligero acceptum referimus, prima veſtigia in eâ deprehenderim. De magnis Cyclis Appendicem non diſſimilem ad finem libri primi ipſius Mariani in Collegii Corporis Chriſti Manuſcripto appoſitam inveni: quam hìc incluſam mitto; alia quoque de Mariani patriâ & variis editionibus Collectanea miſſurus ſimiliter, ſi ad editionis tuæ ornatum aliquid inde acceſſurum à te intellexero. Deus laboribus tuis benedicat: & omnia tua ſtudia in honorem gratiæ ſuæ, Eccleſiæ bonum atque Reipublicæ Chriſtianæ vertat emolumentum. Vale, Vir Clariſſime; &, ſi quæ ſunt alia, ex latore harum literarum D. Freyo fuſiùs intellige.

Dublini, anno MDCXXXII. 4 Id. Jun.

*Tuæ Dignitatis ſtudioſiſſimus,*

JAC. USSERIUS ARMACHANUS.

## CCXXXIII.

## Arnoldo,

### Comiti à Benthem.

*Commendatum alumnum ſpondet ſingulari ſibi curæ fore, pro meritis, quibus in minimis maximis illuſtri ejus nomini ſit obſtrictus.*

*Illuſtris & Generoſiſſime D. Comes,*

ET ſublime faſtigium Domus veſtræ, & humilitas mea, prohibent me morem non gerere poſtulato ulli, quod in veſtræ ſpem gratiæ poſſim: Nedum tam æquum, tam facile liceat detrectare. Etenim magnum ſemper fructum ſtudiorum meorum eſſe exiſtimavi, favorem Virorum Principum conſequi, imprimis talium, quos non cæcus amor, ſed judicium, & intellectus ſcientiarum, ad æſtimandos Muſarum cultores duceret. Itaque vel ſola hac de me opinione, neceſſitas mihi imponeretur, quicquid præſtare in tanti Herois gratiâ poſſim, promptè ſuſcipiendi. Accedit meritum quoque, cujus ſæpè mihi memoria obverſatur, quod ante annos duodeviginti, ab Illuſtri, & Generoſiſſimâ Domo veſtrâ, ut Theologiam profiterer publicè, ad Steinfurtenſe Gymnaſium ſum vocatus. Tanto magis elaborandum mihi intelligo, ut ne promptius commendaſſe ipſe quemquam alumnorum tuorum videaris, quam ego ab Illuſtri adeo nomine, commendatos mihi ſuſcepiſſe. Incitat etiam doctiſſimi Parentis, ſed infœlicis, memoria, cujus cauſa adoleſcenti, quamdiu ſibi ipſi curæ erit, non deero. Quamobrem ſic exiſtima, vel ſponte me, & hoc, & amplius velle. Solum rogo, ſic perſuaſum habeas, non in minuto hoc ſolum; ſed ubicumque tenues vires meæ navare utilem, Illuſtri nomini tuo, ac Generoſiſſimæ familiæ univerſæ, operam poterunt, fore me ſemper

Amſtelodami, cIↄ Iↄc XXXII. Idib. Juniis.

*Devotiſſimum Illuſtri nomini veſtro, & ad quodvis obſequium paratiſſimum,*

G. J. VOSSIUM.

## CCXXXIV.

## Iſaaco Baſirio.

*Excuſat ſilentium, de amicitia ſua ſecurum eum eſſe jubet, ut de re literaria porrò bene mereri pergat, hortatur.*

*Ornatiſſime Baſiri,*

SI oblivione tui longo adeo tempore ſcribere me diſtuliſſe exiſtumas, injuriam facis conſtantiæ meæ; ſi negligentia, occupationes meas ignoras. Quæ certè majores ſunt quam verbis exprimere ullis poſſum, & ſæpe quo me vertam neſcio, à mane ad veſperum modo amici, modo exteri interpellant, modo eorum literis obruor, ut cui reſpondeam, quem differam, vix ipſe certus ſim. Et ſic mihi ſæpe non dies, non hebdomadæ, ſed integri quoque menſes abeunt, ita ut deſtinata perficere, licet invitus, prohibear. Jamdudum quippe reſcribere tibi decreveram: affectus ſiquidem in te meus nuſquam minor eſt, atque antehac fuit. Quemadmodum enim non facile amore proſequi ſoleo, niſi quos dignos exiſtimo, ita quoque ubi ſemel amare quemquam cœpi, non deſultorius meus affectus eſt. Te ut dignum amore complexus ſui non perfunctorio, ob ingenii tui felicitatem, neque minorem ingenio eruditionem: Unde nihil vulgare expectabam. Publicè quoque ea opinione digniſſimum te ſatis oſtendiſti, quà diſputationibus, quà aliis in Academia noſtra exercitiis; eoque ego, cùm rarò egregia ingenia ad virtutem animum adpellere videamus, te quod ſupra vulgum ſaperes, ſemper feci maximi. Qua in ſententia ſi perſeveraveris, ut ſummis viris te commendabis, ita magnis quoque paſſibus amorem meum auctum ibis. Nec dubitare poſſum, quin & talis perſiſtas, qualem te ante cognovi: vix enim mihi perſuadere poſſum, eum qui in adoleſcentia ſua ad magna ſummis viribus contendit, nunc firmato quoque cum ætate judicio, degenerem fore. Si itaque vera auguror, eſt quod gratulari & tibi poſſim & mihi: tibi quod collatis à natura dotibus, bene utaris; mihi quod non temere te æſtimavi. Perge modo & nullis parce laboribus. Sic tandem ſæculi noſtri lumen evades. Sine illis conſequi ægrè datur, & ubi aſſecutus fueris, glorioſum eſt. Audi ingentem illum Demoſthenem. καλὸν μὲν, inquit, καὶ τὸ, τύχην ἐν τοῖς σπουδαιοτάτοις θαυμάζεσθαι, πολὺ δὲ κάλλιον τὸ τὴν ἐπιμέλειαν τὴν αὐτοῦ μηδενὸς τῶν ἐνδόξων ἄμοιρον γίνεσθαι. Tu ſi velis, potes: at velle & poſſe, ſatis ante oſtendiſti: itaque adhortari diutius nolo, ne de ſtudio tuo diffidere videar. Quod minime facere me patitur ardor ſummus ad honeſtiſſima quæque quem ante in te perſpexi. Quin & non vana me ſperaſſe, ex compluribus intelligo, qui egregiam mihi virtutem tuam prædicant. Me nunc Amſtelodami vivere, aliunde credo cognoveris. Nimirum urbis ejus proceres luculento me ſtipendio vocarunt, ad Hiſtoriam ac Politicen publice profitendam, in Illuſtri Gymnaſio. Cujus mihi pulchrum erit fundamenta jacere, uti & Collegarum aliis, quos partim jam vocarunt, partim vocare decreverunt. Plus quoque hic otii ſpero ad conſignanda ea, quibus & de hoc & venturis ſeculis bene mereri poſſim. Nec minus interea amicis in tam potenti urbe utilis fuero. Quod ſi qua in re prodeſſe etiam tibi, mi Baſiri, poſſim, nuſquam operam deſiderabis meam. Tu tantum quid exoptes, ſignifica. Imo ut nihil ejuſmodi occurrat, literis tamen com-

compellare ne intermitte, quas mihi gratiſſimas ſemper futuras ſpondeo. Vale.

Amſtelod. VII. Kal. Quintil.

*Tibi addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

CCXXXV.

## Brounero.

*Commendat ei Politica Juſti Lipſii, & diligenter elegantioribus ſtudiis incumbat, adhortatur.*

*Ornatiſſime Brouneri,*

NE diutius eludam exſpectationem tuam, etſi occupatiſſimus, mitto tandem, quem petieras, Indicem omnium eorum, quæ continentur Politicis Juſti Lipſii, ſummi ſanè viri, cujus de civili prudentia libros initiis iſtis ſtudii tui Civilis maximè accommodatos exiſtimavi, idque non ſolum ob brevitatem atque ordinem, ſed etiam ob tot laudabilia dicta, ex quibus, ſedulæ inſtar apis, ſuum hoc mellificium confecit. Tuum nunc erit ſæpius eos lectitare, quò tot aureæ ſententiæ penitius animo inhæreant. Illuſtriores etiam γνώμας & exempla præclara, quæ legendo deinceps obſervabis, vel ad oram, vel charta inſerta, è regione ſuo quoque loco annotabis. Ita deinceps ſuâ ſponte oculis ſe offeret tuis, quicquid variè adeo diſperſum reperieris. Simul dum quæque memorabilia chartæ inſcribes, etiam animo inſcribes. De cæteris coram colloquemur à feriis noſtris. Vale, & ſapiendi dicendique ſtudia ſociare perge. Ita tuis eris voluptati, & uberes aliquando ex te fructus capiet Reſpublica.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

CCXXXVI.

## Jo. Skyttio,

Seniori.

*Eſt Encomiaſtica tota, quâ in Parentis & filii laudes copioſè excurrit.*

*Illuſtris Domine,*

ÆGrè me à filio tuo divelli nullus mirabitur, cui ita atque mihi ejus mores atque indoles introſpectæ ſint. Quippe digniſſimum eum Illuſtri adeò Parente, digniſſimum tua commendatione comperi. Eſt in eo erectus ad honeſtiſſima quæque animus: eſt doctrina, judiciumque ſupra ætatem; uti & cætera omnia longe ſupra hominum vulgus. Accedit, quam in eo ſummam animadverti, doctorum virorum æſtimatio. Equidem felicem, Illuſtris Domine, qui non modo ad tantum virtutum, tantum dignitatis faſtigium perveneris; verum & liberos expectationis non minoris genueris. Felicem, dum te, Illuſtriſſime Domine, fruitur, Succiam; felicem expectatione liberorum tuorum. Ego quidem haud ſecus quàm aquileges ex vapore aſcendente aquas latere conjectant, ita ex generoſi filii tui indole maxima quæque præſagio. Et qui alius eſſe poſſit? Illo parente natus, & inſpectorem ejuſmodi habens, qualis eſt D. Simonius, in quo ſi magna eſt eruditio, majus atque acre judicium relucet; ſi judicium exactum eſt, probitas morum, vitæque integritas multò maxima eſt. Veriſſimè dico, plus in receſſu habere eum, quàm in fronte promittit: & paucis ut abſolvam, eſt, quicum lucere in tenebris, ut vulgò dicunt, poſſis. Quò magis tuam, Illuſtris Domine, prudentiam admiror, qui cautè ac circumſpectè adeò hac in re proceſſeris. Nihil enim æquè in lubrico quam adoleſcentia eſt. Et quæ ſemel hauſit, firmiter retinet. Quamobrem nulli prudentius agunt, quàm qui viris indubitatæ ut probitatis, ita prudentiæ ac eruditionis liberos ſuos commendant. Te, Illuſtriſſime Vir, cuncta hæc in Simonio habere, etiamſi negare vellem, tamen tacitè mecum crederem. Itaque dignus ille filio tuo, dignuſque illo filius tuus. Qui ſi tales porrò duces habeat, erit quondam quò ſe jactare Suecorum univerſum regnum poſſit. Ego pro viribus meis, pro exiguo adeo tempore quo apud nos moratus eſt, quod potui feci, majora ſi occaſio tuliſſet præſtiturus. Quæ ſi unquam detur, oſtendam me paratum ubique navare operam Illuſtri familiæ Skyttianæ, illi nimirum dico, quæ Sueciæ regno ceu felix aliquod aſtrum, illuxit. Te interea, Illuſtris Domine, ut diu ſupremum numen ſervare ſoſpitem velit, unice rogo. Quo non regni tantum publica commoda, ſed etiam ſtudia, (quamvis & illa non levem regnis utilitatem adferant) quæ paſſim jam aliis in gentibus viléſcunt, in Sueciæ Regno, tuo beneficio aſſurgere, uti cœperunt, poſſint. Et Te, uti Suecorum gentes ob impenſam Regno operam mirabuntur ac colent, ita perpetuis & nunquam intermorituris monumentis univerſa literaria Reſpublica poſteritati commendatum eat. Ita ſane voveo atque auguror. Vale.

Amſtelodami.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor devotus,*

G. J. VOSSIUS.

CCXXXVII.

## Erycio Puteano,

S. P.

*Litera Commendatitia. Adnectit quædam de Dionyſii ſui annalibus, eumque Cæſarem editurum uno alterove MSo. ut juvet, amicè petit.*

VEllem, Ampliſſime Puteane, quoties aut res meæ ferunt, ſcribendi ad te occaſio daretur, aut quoties occaſio datur, res meæ ferrent. Sed ſæpe contingit, ut, me occupato, nuntii veniant, ſæpe ut otioſus nuntios deſiderem. Hinc fit, ut rarius, quam pro voluntate mea, ad te ſcribam. Nam quoties ad animum occurrit antiqua illa, & ætate noſtri utriuſque coalita amicitia, dicere nequeo, quam te alloqui deſiderem, cujus amorem erga me ſemper ſum exoſculatus, ac cujus eruditionem & dotes alias quo magis conſidero, impenſiùs miror. Hinc ſæpe fit, ut etiam materia atque argumento deſtitutus, tamen confabulari tecum & jucundam veteris noſtræ conſuetudinis memoriam recolere cupiam. Ita igitur prompto, commoda ſcribendi occaſio offertur, eunte ad vos neceſſario ac propinquo meo Joanne Corputio, filio affinis mei, Ampliſſimi viri Jacobi Corputii, ante in Procerum Dordrechtanorum ac nuper in præfectorum rei maritimæ Collegium Roterodami adlecti, olim ſub Orydrio ac Rekenario condiſcipuli utriuſque noſtri. Putarunt cordatiſſimus is parens & ornatiſſimus ejus filius (qui per Brabantiam in Gallias tendit, eaque occaſione Lovanium veſtrum & excellentes ejus viros conſpicere exoptat, aliaque quæ urbs habet imprimis memorabilia) non aliunde poſſe melius de omnibus cognoſci, quam ex te, neque te conſilio ſolum, ſed ſi opus ſit, etiam commendatione poſſe adjuvare: itaque licet, propemodum nihil ſcriptione dignum haberem, nedum ſatis grave interpellandis occupationibus tuis: committere tamen nolui, quin & tu memorem me amicitiæ noſtræ, & illi, quibus optime velle debeo, facilem me amicis viderent. Sed, quod pene omiſeram, ut noſtrarum quoque rerum gnarus ſis, opus noſtrum Grammaticarum

exercitationum, quod ante annos xxx. & amplius ſcribere orſi eramus, tandem prælo ſubjici cœpit. Filius meus Dionyſius, cui nihil ab longo tempore jucundius & exoptatius contigit literis tuis, & iis, quas eodem tempore ab doctiſſimo Tuldeno accepit, Latinè reddidit annales Belgicas Reidani. Quæ tralatio cum à magnatum multis admodum expeteretur, hac ipſa hebdomade excudi cœpit Lugduni. Atque eidem decretum, Cæſarem, ſcriptorem ſibi perfamiliarem, plurimis locis à ſe caſtigatum, ac notis illuſtratum, edere in lucem. Eam ad rem uſus eſt uno alteroque Manuſcripto, & editionibus vetuſtis, ut de variantibus Fulvii & aliorum lectionibus nihil dicam. Sed enim impenſe deſiderat plurium Manuſcriptorum copiam, & jam aliquorum ei ſpes facta. Non dubito, quin apud vos qua publicis, qua privatis Bibliothecis inveniantur. Quocirca ſi unum alterum calamo exaratum exemplar Cæſaris nanciſci, ac tranſmittere ad nos poſſis, ſanctè ſpondeo, optimâ fide redditum iri. Sin mittere huc non ſinatur, proximum eſt, ut per Adoleſcentem quempiam conferri cures: modo tanti codices illi videantur, ſumptus uti æquum, refundam. Horum alterum ſi conſequi filius poſſit, obſtringes non illum modo, ſed me quoque, qui quicquid libens meis fit, mihi præſtitum exiſtimo. Vale Ampliſſime vir.

Amſtelodami. *Tuus*,

G. J. Vossius.

---

CCXXXVIII.

## Joanni Beverovicio,

S. P.

*Tam iniquè cum Grotio agi indigniſſimè fert, Beverovicium ut cauſſam ejus ſtrenuè gerat, impenſè hortatur.*

UT gratæ mihi literæ fuerunt tuæ, ampliſſime & amiciſſime Beverovici, ita haut ſane libens cognovi, quod de nonnullis ſcribis, pleniuſque ex aliis intellexi. Adeone illos tranſverſos agi, ut ingens illud Bataviæ decus, atque ævi noſtri miraculum, vivere patria in terra noluit? Hunc ſcilicet fructum maximus ille vir, non jam dico eruditionis, quæ ſola etiam potuit deterrere, ſed virtutis & meritorum in patriam reportabit? Indignor profecto, mi Beverovici, multumque indignor, quoties degenerum illorum Batavorum in mentem venit: facilius externis ignoſcam, qui virum ignorare poſſint. Sed externos habet æquiſſimos, quia non eſt illis ignorabilis doctrina ejus ac virtus. Peregrinis minus ignoſco, quibus tam bene eſt in Batavia: ſed cò ſe fore minoris exiſtimant, ſi ſuus honos tanto conſtet viro, quicum comparari minime poſſunt. Attamen his quoque ignoſcamus, quia ſuo, non Bataviæ velificantur honori. At Batavos etiam ſic affici, ut ſua bona ignorent? Certe ut amantes ſunt meticuloſi, ſubinde videre mihi videor turbines pene eoſdem, qui innocentem Africanum natali ſolo expulerunt: ſed illud apud gentes erat. Chriſtianóſne homines eo abripi? Hæccine illa proximi charitas eſt, quam ab ipſis prope incunabulis docemur? Tantum parentum noſtrorum ævo libertatis ſimul ac purioris religionis amor his in terris cœpit. Citóne adeo res noſtras in pejus labi? Te, optime Beverovici, te laudo, qui pro viribus corruptos mores ſiſtere, ac ruentis ſeculi vitiis occurrere conatis; fortiter tantum perge. Incita cupidos, accende languentes, dehortare adverſos: noli, quantum eſt in te, permittere, ut principem urbium Bataviæ ſuâ ſe exuiſſe gloriâ ſeri quoque Annales teſtentur, habeatque poſteritas, cur ingratos adeo cives damnet. Crede mihi, ut non Africani exilium noſtra tempora latet; ita ibit quoque in ævum, quomodo ſe Batavi adverſus magnum hunc virum geſſerint. Vides pravos homines nihil non movere, ut partes ſuas tueantur. Quanto æquius illum diligenter incumbere, qui bonam cauſam fovet. Digniſſima profecto eſt, ubi omnes nervos intendas. Arrecta eſt in expectationem omnis Batavia, quid Batavia? arrecta eſt Gallia, Germania, Britannia; arrectæ ſunt nationes aliæ, magnâ animi cura opperientes ſatiſne animi ac fidei ſit amicis pro tanto viro. Et ſi labaſcere illos videant, expetent ſibi quiſque tantum decus. Ne patere, ut aliis invideamus eum, quem habere ipſi poſſumus. Præceps occaſio eſt: hoc tempus eſt, quo tu quo ſimiles tui probare virtutem ſuam poſſint. Cogitandum vobis, quotquot ad clavum Reip. in urbe ea ſedetis, quotquot etiam alias Bataviæ urbes gubernant, ſpectare omnem Europam, quam fortiter pro juſtitia nitamini adverſus eos, qui tantâ pervicaciâ heroem illum oppreſſum ire conantur. Mihi ſanè, ſiquid in hac re virium eſſet, oſtenderem non modo, quanti amicum (nam patriæ utilitas privatis eſt amicitiis antehabenda) ſed quanti juſtum & æquum fratrem. Tu Beverovici, pro viribus tuis, per te in urbe veſtra, per alios quoque, urbibus aliis, depellere conare adverſantium turbines, demereberis non me tantum, vel etiam maximum illum & utriuſque noſtri amantiſſimum virum: ſed quoque quidquid ubique eſt eorum, qui doctrinam virtutemque ament. Salutem tuo nomine ſeu dixi, ſeu ſcripſi, ſummo illi viro, cui ea longè gratiſſime fuit, ac viciſſim ſalutari te ex animo juſſit.

Amſte'odami. *Tuus*,

G. J. Vossius.

---

CCXXXIX.

*Gaudet Amſtelodami eum vivere. Caſaubonum in ſuam clientelam tranſiiſſe. De Armachiani libro judicium.*

*Vir Illuſtriſſime*,

LIteræ tuæ Id. Februariis datæ nuper ad me delatæ ſunt. In quibus, quod mihi gratiſſimum, lego pro Amſtelodamenſibus pronunciatum eſſe, & te ibi inauguratum. Cedant tibi in bonum omnia: Spero enim te, Numine propitio valde, Sedem, non Studia, mutâſſe. Stipendium altera parte majus uſui erit tuis, quod paucioribus horis publice doceas, erit tibi & ſtudiis.

Caſaubonus à morte reverendiſſimi Wintonienſis in meam clientelam tranſiit, Ego patris nomine, & ſuo quæ potui feci, ut liber à curis, ſtudiis indulgeret; quibus æque ac majoribus conatibus, (ſi majores ſint) res domi anguſtiores obſtare ſolent. Alia & majora facturus ſum quum facultas adſit, & erit oportunum. Interim gaudeo tot nominibus tibi gratum acceſſiſſe Caſauboni Optatum. Si qua in re autem tibi vellat, ſpero mitius agit, nollem enim ut quid durius, quum tantis ſis occupationibus diſtentus, nec vellem ut aliis quam tuis paſſibus, & quibus feliciter poſſis, progrediaris.

Armachanus certè noſter vir doctus & gravis, Librum tibi dicatum, à ſe ſcriptum, ad me miſit. Gratias egi ut par erat: nam valde mihi Præſul ille ob multiplicem Doctrinam charus. Sed quum primum inſpexi, nonnulla occurrebant quæ mihi raptim (prout res meæ exiguæ) legenti, non ita arriſere. Præcipuè vero illa S. Aug. ſenſus reſtrictio, qui venerabilem illum Patrem nec Antiquioribus in Eccleſia, nec ſibi ipſi, ſatis conſtare permittit. Gratias vero tibi ago ſummas, quod (etſi paucis id à te factum) ſignificare placuit in quibus neceſſe tibi ſit à Viro tanto diſſentire. Dignare obſecro, ſi per otium liceat, pleniori calamo, breviter tamen, ea & ſi quæ alia ſunt deſcribere, & ad me tranſmittere, in privatum tantum uſum vertenda.

De Ampliſſimo illo viro Hug. Grotio pauca habeo. Salutes quæſo virum doctiſſimum meis nominibus. Fac etiam ut ſciat gratum mihi admodum fuiſſe, quod calculo ejus digniſſimo, indigniſſimus approbatus ſim, quod ex ipſius

ad

ad Caſaubonum literis intellexi. Cæterum reditum ejus in patriam, fateor mihi ſemper fuiſſe inter res vix credibiles, cujuſcunque demum ſuaſu fuerit. Nec deeſt mihi ratio etſi non hic & nunc inſerenda. Si iterum ſponte Patria excedat, felix eſt quod eum tot Reges Principeſque deſiderant. Hoc uno infelicior, quod non tam, aut facile, aut tuto, eligere poteſt, aut eligi. Quod præ aliis non invides eum Britanniæ, placet id quidem, & quam utilis eſſe poteſt, non magis ſcio quam agnoſco. Sed ut nunc res ſunt apud nos, de ea re ne cogitandum quidem.

Quod interjicis de turbis Lugdunenſibus, & capitis ſupplicio irrogato homicidæ, certè non ſine dolore audio hæc & ſimilia de Academiis. Inter peſſimos mores quid reſtat, ſi occidere, vel occidi, ſit Academicè vivere? Fœlix tamen Lugdunum veſtrum, quod inter tam crebras cædes, tot habet tamen Nobiles, quotidie illic advolantes, ſtudii & eruditionis cauſa, auditque aſylum Juventutis. Sed non ſic olim crevere literæ. Quod reliquum eſt, (nam alia me avocant) cura valetudinem, ut diu uſui eſſe poſſis Eccleſiæ Chriſti. Ævum ſchiſmaticum dicis; nec audeo abnuere: Interim neceſſe eſt ferre, quod nec vitare poteſt nec corrigere. Et certè morbus adeò complicatus eſt, ut neſcio quem poteſt Medicum expectare præter Deum. Authorem Salutis noſtræ dum precibus ſollicitas ſis mei memor. Vale.

Julii 3. 1632.

*Tui ſtudiſiſſimus.*

GUIL. LONDINI.

Fere inter ſcribendum accepi Orationem à te publicè habitam, certè doctiſſimam, de Utilitate Hiſtoriæ. Gratias ago maximas.

---

## CCXL.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Erycius Puteanus,

S. D.

*Scriptum ſuum de principio Meridiani conſtituendo, examini ejus ſubjicit.*

QUam familiaris ſum, Clariſſime Vir, tam liberè hoc ad te ſcriptum mitto, de principio νυχθημέρου, in orbe terrarum conſtituendo. Res iſta ut nova, ita magna eſt: & lineâ tamen conſtitui poteſt. Nuſquam incipere hebdomadem, quis unquam conſideravit? Incipere in Circulo, quem Urbanianum appellavi, & per ipſam duxi Romam, novum pariter & magnum eſt. Ne homines invenirem, mare petii; mare quod ab urbe Roma, quam remotiſſimum eſſet, & ſic tamen proximè accederem. Nimirum ſummi Antiſtitis authoritate opus erat, ut terminum Orientis, Occidentiſque homines admitterent, & hinc ſeptem dies numerarent. Si me amas, aut aliquid induſtriæ meæ tribuis, judicium tuum ad me perſcribe, tam liberè quoque, quam te familiarem humanitas tua, præcipuum eruditionis ornamentum, facit.

Lovanii, in Arce, ſubito, cùm hic tabellarius diſcederet. IX. Kalend. Sept. CIↃ IↃC XXXII.

Doctiſſimo filio tuo nuper reſpondi; ſi redditæ ſunt eæ literæ, benè eſt, & gaudeo.

## CCXLI.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Multum ſe in cauſſa ejus fuiſſe teſtatur, ac ne ſe in totum Patriæ & amicis ſubducat, obteſtatur.*

HAſce qui literas tradit, eſt Joannes Ludovicus Wolzogen, liber Baro in Nieuhauſen, Auſtriacus, qui ſeptennio exulavit, priori quinquennio in Polonia, cætero biennio Amersforti. Vir & virtute doctrinaque egregius, eoque nomine bonis omnibus carus. Matheſi ſe totum pene dederat; ſed nuſquam ſolatium præterquam in ſacris literis invenit. Cum familia in Germaniam nunc revertitur. Nec ei quicquam volupe adeo, quam ſi Hamburgum tranſiens, occaſionem habeat compellandi tui, quem facilè intelligit doctrinarum Principatum tenere, & documentum eſſe virtutis conſtantis licet infelicis, nunc tamen ut ſperamus, malaciam poſt tantas tempeſtates promittentis. Spem eam præbent Suecorum Regis virtus, & fœlicitas, & magnus erga te affectus, ut ſi Principi extero addicere operam debeas tuam, ſanè non alteri illam melius in Germania præſtare poſſis. Sed fiet hoc non ſine multorum dolore, qui & tibi, & patriæ optimè volunt, .... his, & nonnullis qui ſi non optimè, ſaltem nec malè velint, cre..... mihi diſſertatio, de poſtremo hoc diſceſſu tuo: quem apertè improbare non verentur. Plerique etiam, quod cum is ſit Reipublicæ noſtræ ſtatus, credideris hic poſſe te ſedem figere, abſque illorum comprobatione qui ad clavum ſederent. Negare ſoleo eos intelligere, quo animo veneris aut abieris. Jam annos effluxiſſe tam multos, optimam ætatis partem, quò Patria careas: effluxiſſe ſimul, tot bonas occaſiones quibus optimè potueris conſulere, & tibi, & familiæ tuæ. Iniquum poſcerent, ut ulterius differri eas velint. Nam quouſque tandem? An in effœtam ſenectutem, idque in hoc vitæ incerto? Veniſſe igitur te, ut Patria, ſi vellet, opera tua uteretur, potius quam exteri Principes. Hanc illa... ac deinceps damnum quod inde ſentiat, non tibi, ſed ſibi imputetur qui hac etiam parte fungi volueris officio optimi civis. Tantum opus eſt ſalutari ἀμνηστία. Si non ferat præſens ſtatus, ut publico ſanciatur decreto, ſaltem ferre, ut conniveatur in iis, quæ cum diſpendio Reipublicæ, & libertatis conſtituta. Vel ſi nec illud quidem ferat, alibi quam hic te malle vivere. Nec vitio verti oportere, ſi ita credideris, cùm id longè à Patria agenti perſcripſerint, qui hic agerent. Si quid igitur temerè ſperatum, culpam eſſe eorum, qui aliter ſtatum hujus Reipublicæ tibi depinxerunt. Sed ut iſta, & multa illiuſmodi, quæ longum ſit adſcribere, bellè dicantur à me, tum etiam vere: tamen & mea, & aliorum me prudentiorum in eo perſtat opinio, antequam operam extero Principi promittas, cognoſcendum, an non bona cum venia vivere apud nos poſſis. Nihil volunt poſci, quod ſapiat ſuſpicionem culpæ quâ cares; imo ne quidem tentari aliquid, antequam ſatis ſit perſpectum fore, ut impetretur quod petitur: eoque ante cæteros, nos certiſſimos eſſe debere, de propenſiſſima voluntate τοῦ ποιμένος λαῶν. Quæſo mihi veniam da, mea anima, ſi expoſcam, ne ullis injuriis te abripi ſinas, ab eo quod tibi, Patriæque & utile, & honorificum imprimis fuerit; interea utrumque hoc facere non deſinam, & cauſam tuebor quod virtuti debeo tuæ, & amori noſtro: & Deum ſimul precabor, ut ſalubria tibi conſilia inſpiret, priſtinamque animi lenitatem, quam propriam hactenus, tot injuriis preſſus, poſſediſti, deinceps etiam conſerves. Ex ædibus Georgii Doublerii, tui valdè ut debet æſtimantis, qui & ſalutem adſcribi juſſit. Salutem uxori ac filio.

*Tuus,*

XXV. Aug. CIↃ IↃC XXXII.

*Dum ſpiritus hos reget artus.*

CCXLII.

## CCXLII.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Reditum ejus impetrari poſſe, modò Proceres ſcripto compelles, ſedem ut ſibi in Batavia dent, perſuaſum cupit.*

ME nec ſilere æquum puto, nec longas dare literas opus, eunte ad te Heroina dimidio tui; quæ curatius cognoſcenda cuncta expediet, quam per literas ego facturus eſſem. De rebus tuis nihil æquè ſcripto opus, quam ſummos, & viros, & amicos eandem retinere ſententiam: nimirum rectè facturum te, ſi Proceres ſcripto compelles, ſedem ut tibi in Batavia dent. Sed facilè aſſentiunt; id antequam fiat, videndum, an Princeps fidem dare velit, effectum ſe daturum, quantum in ſe ſit, ne repulſum feramus. Alioqui ille ſi impromptior, ô quanto latius fuerit, ut opera utatur tua magnus Suecorum Rex, vel alius Principum Europæ: dummodo ne unus ille quem dicere non ſuſtineo. De quo quid fieret, valde metuo, ne unus ille dies magnorum eſſet malorum cauſa. Non poſſum plura ſcribere, quia ad hoc uſque tempus me Iſacius Pontanus diſtinuit, vir tui amantiſſimus; & jam ex famula mea intelligo, tuum abitum parare, quam & ſalutare, & has literulas tradere coram volo.

Amſtelodami.
cIↄ Iↄcxxxii.

## CCXLIII.

*Clariſſimo Viro,*

## Ger. Jo. Voſſio, Erycius Puteanus

S. D.

*Exultat ſuper præclaro Voſſii judicio de Circulo ſuo Urbaniano. Rogat, ut elogii hujus verbis munire ſibi inventionis novitatem liceat, & clariſſimum ejus nomen uſurpare publicè, itemque ne aut Proceribus, aut Principi ſtudia ſua poſthac ignota ſint, efficiat.*

BEnignè & eleganter, de Circulo meo judicas, Candidiſſime Virorum, & me obnoxium tibi, tam amicâ epiſtola reddis. Equidem tuo ſubvectus Elogio, triumphare videor: & quia tuum impetravi, nullius jam judicium metuo. Videbis igitur propediem, diſſertationem meam: videbis rem nudè nuper propoſitam, Theoreſibus ſuis explicatam. Unum rogo, ut elogii tui verbis, munire mihi inventionis novitatem liceat, & clariſſimum nomen tuum uſurpare. Verbis inquam, in epiſtola tua expreſſis. O aurum, O gemmæ! ſed ad affectum tuum venio, quem ſatis æſtimare non poſſum. Cupis enim, & me, & mea in tuto eſſe, atque etiam meos. Quid igitur dicam? Hoc effice, quæſo, ne aut Proceribus, aut Principi ignotus ſim. Ea enim ſtudia tracto, quæ cùm nemini gravia ſint, veſtra potiſſimum debent appellari: quæ cùm ab humanitate nomen habeant, nullam hoſtilitatem agnoſcunt. Utinam vero tota belli factio, ſecurà tandem quiete componatur! Tractari cœptum eſt, Deus, pacis author adſit, & ſaluberrima agentibus conſilia inſpiret! Corputii nomen antiquâ adhuc memoriâ colo. Patrem igitur, & filium à me ſalutes velim. Sed Grammaticarum Inſtitutionum opus, quantum potes, promove: ut quantum Latina habet lingua, & elegantia, induſtriæ tuæ, & eruditioni debeamus. Mihi nunc a Voſſio meo diſcere, ſuave erit. Optimum doctiſſimumque filium tuum Dionyſium, & ad famam aſſurgentem, animo complector: quem hortari quoque audeo, ut cœptam tralationem ſtrenuè proſequatur; imò ut in Cæſare illuſtrando pergat. Cæſar eſt: & hoc ad laudem ſatis. Excutiam vero Bibliothecas hic noſtras, & manuſcripta exemplaria quæram. In Martiniana, ſatis celebri, nullum eſt. Si quod, imo ſi quæ invenero, ad te mittam. Vale, & me amare perge.

Lovanii in Arce, poſtridie
Kal. Octob. cIↄ Iↄcxxxii.

## CCXLIV.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Epiſtola familiaris uxoris reditum ſignificans.*

JUcundiſſimum fuit de proſpera valetudine tua cognoſcere, ex optima, & cordatiſſima tua uxore: quæ ſalva, ac ſoſpes huc venit; & hinc Hagam abiit nudiuſtertius, pridie nempe Non. Octobr. Die uno altero ante eodem ierant, Vlamingius, Bickerus, & hujus urbis Procerum alii, audituri Legatos hoſtilis Belgicæ de Pacis conditionibus. Accepi his diebus literas Merici Caſauboni tibi inſcriptas, quas mitto. Lamerius jam dudum à me habet tuum pro veritate Chriſtiana codicem, in quo pluſcula, & correxeras, & addideras, & jam majuſculis excudere literis cœpit. Commentariorum meorum de arte Grammatica, primus jam liber eſt excuſus, & penè ſecundus. In Reidano vero, quem Latinè reddidit filius Dionyſius, nono nunc libro fervet prælum. Hæc paucula nunc ſcribenda putavi, eunte ad vos optimo, & ornatiſſimo viro, Matthiſio Eccleſiaſte inter Remonſtrantes; qui Hamburgum proficiſcitur, ducturus ibi uxorem, cum maximis opibus.

Amſtelodami.
cIↄ Iↄcxxxii.
Poſt. Non. Oct.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCXLV.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Collegii Amſtelodamenſis Profeſſori primario,

S. P.

*Deſignatos Voſſio mittit libros. Grotium admiratur, meliorem ipſi fortunam exoptans. Novum Poloniam in Uladiſlao Regem fuiſſe nactam; aliquandiu ſuſpenſam electionem altercationes tenuiſſe, quibus Pontificii anti-Trinitarios excluſos voluiſſent; pleraque vero veteri conſuetudini, Regiſque judicio relicta fuiſſe affirmat.*

TArdiuſculè præſto, quod promiſi, Vir Clariſſime; tenuit enim opinione me mea diutius patria, quam tranſivi, & in ea, partim cognati, partim amici. Nunc tandem tibi mitto libros, quos deſignaveras, uno excepto, qui ad manum non erat. Tacerem de illorum pretio, (nec enim id parvi pendimus, quod vir tantus iſta excutere dignaris) niſi tu pro tua modeſtia, cui gravis eſſe non debeo, aliter fieri juſſiſſes. Hamburgi a τὸν μέγαν aliquoties conveni, nunquam antehac mihi viſum, ſed vidiſſe juvat, & in perpetuum juvabit, in quo veriſſimum deprehendi, quod vulgo dici ſolet, omen nomini convenire. Utinam tandem & par fortuna meritis ejus reſponderet! Sperare juvat, uxorem ejus, quæ me præſente, in patriam reverſa eſt, ami-

a *Hugonem Grotium.*

Digitized by Google

amicorum conſilio, atque ope, quippiam molituram, virtute ſua dignum, ut quæ marito primum libertatis, eadem illi tandem, & patriæ recuperandæ, ſit dux atque miniſtra. Nos novum hic Deo providente Regem nacti Uladiſlaum, defuncti primogenitum, ſecunda quæque auguramur. Tenuit aliquandiu ſuſpenſam electionem altercatio, de pace inter diſſidentes, de Religione Regum ſacramento firmari ſolita, à qua Pontificii nonnullos, qui de Trinitate ſacra, minus rectè ſentiant, excluſos volebant: ſed audio veteri conſuetudini, pleraque relicta, quædam etiam futuri Regis judicio, de quo bene ſperamus, ſubmiſſa. Vale, Vir Clariſſime, & mihi favere perge.

Dabam Dantiſci, ad diem III Kal. Oct. anno æræ vulgar. cIↄ Iↄcxxxii.

*Tuæ dignitatis ſtudioſiſſimus,*

MARTINUS RUARUS.

## CCXLVI.

*Quid tranſmiſſis ſcriptis ſuis fieri velit, quæ item nunc ſub manibus habeat in lucem publicam producenda ſignificat.*

Literas tuas, Vir Clariſſime, VII Kal. Octob. datas, heri accepi. Primæ illæ à multo tempore, cum jam quintas has tibi mittam intra hoc ſemeſtre tantum. Impatienter, qui meus in te eſt adfectus, literas abs te exſpectavi. Quod Hiſtoriam autem attinet; verſor nunc in continuatione Saxonis, uſque ad Domum Oldenburgicam, à quâ inceperam, pertexenda, & non multum (Dei gratiâ) à fine abſum. Illuſtris Dominus Cancellarius Regius, etiamſi editâ Pontani Hiſtoriâ, operam repetere me iſtam voluit: quâ finitâ, quæ in Domo Oldenburgica inchoavi, etiam deinceps perſequar. Quæ pridem edidi de primis tribus Regibus, ea recudi à quoquam nolim, niſi ex meo exemplari, quod hic habeo à me correcto: idque ubi opus erit ad te mittam. Quæ tu nobis à te opera tam præclara polliceris, etiam atque etiam videre opto. Filii tui Dionyſii inſtituto ex animo faveo, & hoc ipſo patris ſui filium ſe eſſe oſtendit, quod per ejus veſtigia ad immortale nominis decus viam inſiſtit. Utinam juvare poſſem; ſed nil habeo quod ſubmittam. Ante hos triginta & tres annos cum Curas Plautinas, & una cum illis Animadverſiones Miſcellas darem, memini me locum quendam, ipſi Lipſio deſperatum reſtituere, inſpiciat, ſi operæ erit & examinet; ac, ſi dignum exiſtimabit mei nominis eâ in re meminiſſe, gratum erit. Locus exſtat Animadv. Miſcell. lib. I. cap. XIV. Quæ uxor pro emenda ſupellectile meo nomine expenderit, proximis tuis indicare, ut per Mercatorem tibi mox refundam. In patriæ meæ tot victoriis ſerio gaudeo, atque Deum ſupplex quæſo veneror que ut conſtantem ei eſſe hanc felicitatem velit. Eundem rogo, ut te tuoſque omnes diutiſſimè porro ſervet: eſtque id omnium noſtrum votum. Reſalutant te Landenbergius & Stephanius, qui exſpectat avidiſſime quæ promittes per Mulenium.

Soræ, ad diem III Novemb. cIↄ Iↄcxxxii.

*Tuus conſtantiſſimè,*

JOANNES MEURSIUS.

Defectum in Solone meo proximè mittam, nam petendum Hafniæ exemplar erit.

## CCXLVII.

### Simoni Bellimontio.

*Commendatitia Judæi.*

Etſi non neſcirem, Ampliſſime Bellimonti, quantæ occupationes te, cum alias ſemper, tum hoc imprimis tempore, diſtineant: Non eas tamen veritus ſum, interpellare. Novit me hic, quem vides, Manaſſes Ben-Iſraël, vir doctus, & probus, utinam Chriſtianus. Sed quamvis Judæorum nobis plerumque infeſtius genus eſt; hic tamen paulò nobis benevolentior; Imo ut multum commodare Chriſtianis poteſt, ſic etiam cupit: Itaque hoc nomine nonnulla etiam invidiâ laborat apud ſuos. At tanto mihi gratior, qui eo utor penè familiariter; magis etiam filius Dionyſius, non ſine emolumento literarum Hebræarum, quamvis jam ab ſexennio, ut noſtis, ſtudioſus fuit. Porro cum Vir is intellexiſſet, mihi quoque aliquem in amicitia tua locum; rogare non dubitavit, ut ſignificare tibi vellem, quid de ſe mihi videretur. Id ſolum ſcire te volui; nec ultra diſtinebo. Salutem uxori, & familiæ plurimam.

Amſtel. cIↄ Iↄc xxxii. Poſtr. Id. Nov.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCXLVIII.

### Guilielmo,

Epiſcopo Londinenſi,

*Mentem ſuam de Godſchalciana controverſia plenè exponit. Quintuplicem olim de Gratia & Prædeſtinatione ſententiam fuiſſe, obſervat, Auguſtini verò peculiarem expendit.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

Quas ad me dederas literas, duobus poſt menſibus accepi, & jam prope tantundem temporis effluxit, ex quo mihi redditæ fuerunt. Nimirum quia petieras; ut plenius aliquanto ſententiam meam de Godſchalciana Controverſiâ exponerem: expectandum putavi, uſque dum quædam hactenus inedita ad hoc negotium pertinentia ex Galliæ Bibliothecis accepiſſem, & cum curâ legiſſem. Utrumque nunc feci ſedulò: ſed ſic quoque perſtat animus in iis, quæ ea de re ante annos XIV. complexus ſum Hiſtoria de Pelagio & aliis, qui litem de gratia & libero arbitrio moverunt. Qui verò hac parte à nobis diſſentiunt, quod pace ſummorum virorum dixerim, non ſatis mihi attendere videntur, quintuplicem, olim de Gratia ac Prædeſtinatione ſententiam fuiſſe. Media in his communis illa Patrum priorum, ipſiuſque etiam Auguſtini, priuſquam cum Pelagio certamen ſuſciperet. Hæc ut res docet, & Auguſtinus paſſim contendit, non comitantis modo in ſubſequentis, ſed prævenientis etiam Gratiæ neceſſitatem fatebatur. Circa hanc ſententiam quatuor ſunt diverſæ: duæ extremæ, & totidem inter extremam mediamque interjectæ. Extrema una Pelagii fuit, qui ſic arbitrium hominis extollebat, ut neceſſitatem Gratiæ negaret. Altera erat Prædeſtinatianorum, qui ſic Gratiam prædicarent, ut non eſſet libero arbitrio, eoque nec monitis aut pœnis locus. Inter extremam Pelagii, & mediam Catholicorum veterum interjecta fuit opinio Genuenſium, & Gallorum quorundam, præcipuè Maſſilienſium: qui putabant non poſſe nos ſine gratia ſalutis negotium perficere; poſſe tamen illud abſque gratia incipere. A Pelagio igitur hactenus abitant, quod gratiam eſſe neceſſariam agnoſcerent; at in eo conveniebant, quod non neceſſe ſit nos à gratia præveniri: unde hi reliquiæ Pelagii, vel etiam Semipelagiani ſunt vocati. Inter extremam Prædeſtinatianorum & mediam veterum Catholicorum erat illa B. Auguſtini, qui cum Patrum prioribus agnoſcebat gratiæ prævenientis neceſſitatem: ſed ut eam fortius tueretur, illud ſuperaddebat, fluere hanc ab abſoluto ſalvandi decreto. Hac de Auguſtini lacinia quadruplex fuiſſe olim judicium invenio. Nam ut de Pelagianis & Semipelagianis nihil dicam, etiam Catholico-

licorum nonnulli, qui in cæteris aſſentirent Auguſtino, hoc caput, ut novum, falſum, periculoſum reſpuebant; ut liquet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum. Alii damnare non audebant, ſed tamen putabant vel plane incertum, ac potius reticendum, quia multi adeo eo offendebantur: vel ſaltem non planè certum, de quo idcirco modeſte inter eruditos poſſet diſquiri. De priori liquet, ex iiſdem Epiſtolis. Ad poſterius fortaſſe referre illud liceat, quod Cœleſtinus Papa ſcribit extremo capite eorum quæ ad Galliæ Epiſcopos de Dei gratia miſit: *Profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis reſtiterunt, SICUT NON AUDEMUS CONTEMNERE, ITA NON NECESSE HABEMUS ADSTRUERE. Quia ad confitendam gratiam Dei SATIS SUFFICERE CREDIMUS, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt.* Tertium genus, caput illud Auguſtini ſtrenuè aſſerebat: ſed ita aſſerebat, ut arbitrii libertas, monitorumque & correptionis utilitas non everteretur; nec cum priorum Patrum doctrina pugnaret. In his B. Proſperum Principem reponimus, præclaraque etiam opera Scriptoris de Vocatione Gentium. Denique aliqui ſolum attendere, quæ B. Auguſtinus de Gratia è Scripturis attuliſſet, & quomodo ea eſſet interpretatus, ac duriſſima quæque optima putare, nec laborare quicquam, quid ex iiſdem Scripturis pro libertate arbitrii doceret, aut quid de Gratia priores ſtatuiſſent: unde aliud conſequi non poterat, quam ut ſic Auguſtinum intelligerent, ut ſecum & cum Antiquis pugnaret, nec gratia libertatem arbitrii perficeret, ſed tolleret, nec correptionum ulla eſſet utilitas, ſed inane nomen. Ex hiſce, qui ut Scripturas, ita Auguſtinum perperam interpretarentur, proque errore ſuo eorum abuterentur verbis, Godſchalcum Monachum fuiſſe, Rabani Mauri, totiuſque Moguntinæ Synodi, judicium fuit. Cui nos ante annos pluſculos, in Hiſtoria noſtra de gratiæ & liberi arbitrii controverſia ſubſcripſimus: multoque nunc minus ſententiam noſtram mutare poſſumus, poſtquam nacti ſumus ea, quæ hac de re ipſe ſcripſit Rabanus. Sic igitur ſtatuimus, Godſchalcum hunc non per calumniam dici Prædeſtinatianum, uti illi qui Auguſtini ſententiam amplecterentur, eoque nomine à Pelagianis & Semipelagianis vocabantur: ſed jure meritoque ſic appellari; ut qui verbis Scripturæ & B. Auguſtini male intellectis, male etiam ſenſerit, & docuerit de Gratia & Prædeſtinatione. Diſſidet tamen hac parte à nobis vir ſummæ pietatis, doctrinæ ac dignitatis; qui nullos cenſet fuiſſe Prædeſtinatianos. Quotquot enim ſic vocati, per calumniam ita nominatos, ab iis qui Auguſtini ſententiam rejicerent: Mihi vero graves cauſæ, cur diſſentiam. Quas, quia fuſius paulo hanc rem tractare malim, diſſertatiuncula complectar, quam proximis literis tranſmittam. Idem maximus Vir improbat quod ſcripſerim, jam Auguſtini ævo fuiſſe, qui verbis ejus malè intellectis in ipſiſſum adeo inciderint errorem. Sed neque hic video, cur reſilire debeam ab opinione ea. Quæ me moveant conſignavi, eaque ad te nunc mitto, ut tui, Reverendiſſime Pater, judicii faciam. Cui quod diſpliceat, id nec placere poſſit Auctori ſuo. Vellem alteram, de qua dixi, diſſertatiunculam, & majoris illam, quam hæc, momenti, comitem ei nunc addere potuiſſem. Sed quandoquidem ea nunc eſt anni pars, qua munere publico maxime diſtringar, & in diſquiſitione illa quædam occurrerunt, ubi neceſſe ſit pluſculos è medii ævi ſcriptoribus ad partes advocari, quo ſolidius ſingula firmentur: facile veniam dabis, ſi id hoc tempore non fecerim. Exercitationes noſtræ Grammaticæ, opus novantiquum, jam ab aliquot menſibus excudi cœpit. Et ſtrenuè proceditur, me admodum lubente, qui majora ſcio expoſci. Et quantum poſſum, animum ad Eccleſiæ veteris Hiſtoriam, ab iſtis non dico difficilibus nugis, attamen levioribus, ac vere pediſſequis revoco. Filius meus Dionyſius, alter eorum, quos in Anglicano itinere comites adſumſeram, ante hebdomadas aliquot transferre ex Hebræo cœpit Rabbi Moſeh Maimonidis diſſertationem de Idololatriæ exordiis, & progreſſu. Auctor ille eſt, de quo Hebræi vulgatum illud dicere ſolent, à Moſe uſque ad Moſen non fuiſſe ſimilem Moſi. Argumentum fœcundum, & in quo Notas pluſculas addendo, varia oſtendi eruditio poſſit. Laborem ſuum hunc, ſi gratum erit, Illuſtriſſimo inſcribere nomini tuo filius decrevit. Ut eum non tanquam ſignum grati erga te, Reverendiſſime Pater, animi habeas; ſed obſidem & vadem eorum, quæ ego tibi debeo, & ſi Deus vitam conceſſerit, perfecturum me ſpero. Exiſtimat intra quartum aut circiter menſem ſe conſummaturum, & duobus aut circiter menſibus editum iri. Citius poſſet, niſi jam prælum ferveret excudendo tranſlationem ejus Annalium Belgicorum Reidani, quos pure, & ad veterum formam Latine reddidit. Jamque ex Libris XVIII. priores duodecim excuſi. Hac etiam hebdomade prælo ſubjiciet geminum Panegyricum dicatum Arauſionenſium Principi, poſt luculentas adeò victorias Hagam Comitis reverſo. Unus proſâ ſcriptus, alter carmine. Nec ego hæc omnia, in lucem ea ætate (vix annum egreſſus vigeſimum) edere eum permitterem, niſi iſtiuſmodi fore conſiderem, ut etiam literarum principibus probarentur. Hæc ego aliquanto apertius non gloriæ aut jactationis ſtudio, vel nimio meorum amore; ſed quia ſcirem, ea jucundum eſſe tibi cognoſcere, Illuſtriſſime Pater, qui tanto & me amore complecteris, & meos. Sed ego, Illuſtriſſime Domine, videar mihi oblitus cui ſcribam, & quam occupato. Quamobrem finio, more meo, cum voto ut diu te Opt. Max. Magno Carolo, diu Britanniæ Regno, diu Eccleſiæ ſuæ, diu denique mihi incolumem ſervet, qui ſi privati apud te in cenſum veniam, debitorum tibi omnium maximum me eſſe, & fateri debeo, & lætor.

Amſtelodami, ciↄ Iↄ c xxxii. vi Kal. Dec.

*Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo nomini tuo obſtrictiſſimus,*

G. J. Vossius.

### CCXLIX.

## Simoni Bellimontio,

*Viro Cl.*

## Ger. Jo. Voſſius,

S. P. D.

*Literæ Puteanum commendantes.*

AUt ego nimium amicis abundo, Ampliſſime Vir, aut alii iiſdem egent. Sane eò me jam perveniſſe video, ut Commendator jure appellari poſſim: Tu fortaſſe importuni addes vocabulum. Certe ſi ſic vocare voles, injuriam mihi fieri ne ipſe quidem dixerim; quippe gnarus, quæ occupationes diſtinere te etiam ante ſoleant, quanto nunc magis, poſtquam arduum pacis negotium, diſtinere cepit Belgicæ Proceres, in quibus tam illuſtri es loco. Sed audeo nihilominus curis, quibus iſta nunc libras, inſerere me; qua fiducia ſcis, & ſæpius dixi; nimirum amoris tui. Nunc iterum commendo, quodammodo quidem rogatu alieno, ſed magis ſponte mea. Non dicerem id, niſi dignum tua gratia putarem, pro quo loquor; Erycium Puteanum, Virum doctiſſimum, diſertum etiam, & elegantis ingenii; ut ipſe non ignoras: probum & candidum, ego imprimis ſcio, qui novi eum ab annis xiv. Una enim in patria urbe tua, ab Orydrio, & Rhekenario, liberalibus diſciplinis, in pueritia exculti ſumus. Mirens fortaſſe illum tibi commendari; ſed faciunt hoc tempora Reipublicæ, & ſpes pacis incerta. Quare unum illud, uterque petimus ut amare velis. Putat enim ipſe, ut ex literis ejus intelligo, ſua non

parum

parum intereſſe, ut poſtquam Venloa, urbs patria ejus, nobis acceſſit, aliquos in his partibus amantes ſui habeat; quos inter te imprimis eſſe cupiat. Utrum vero agris ſuis à milite metuat, an aliud ſit, dicere non poſſum. Sed ſcribet propediem ipſe ad te; & fortaſſe jam fecit. Itaque non longius curas tuas interpello. Plurimum ſaluta lectiſſimam uxorem, & liberos optimos.

Amſtelodami, prid. Id.
Dec. cIɔ Iɔc xxxii.

---

## CCL.

### Salutem in Chriſto.

*Epiſtola familiaris.*

JUnius veſter, noſterque, vos & nativum ſolum repetit. Cauſa itineris eſt Comes Arundelianus, cui jam feliciter ſervit. Comes ille non genere clarior quam virtutibus, Legatus Regius ad Sororem Reginam Bohemiæ, ad vos proficiſcitur: tum ut ei ſolatio ſit graviter amiſſum maritum dolenti: tum ut eam, ſi ita Deo & Reginæ viſum fuerit, in Angliam reducat. Hinc occaſionem avide arripiens Junius, me gaudio perfuſus adit, & vos, deſiderio prius quam ulnis amplectitur. Quæris ergo, cur Junius ſine literis meis? Certè non eſt quod nihil habeam quod ſcribam, ſcribo enim (ut vides) etſi nihil: ſed non inſcio Junio aliis manibus literas meas credidi, ut juvenis hic, præclaræ certè indolis, qualem qualem occaſionem habeat te videndi, & meo nomine ſalutandi. Filius autem eſt, & natu quidem maximus honoratiſſimi D. D. Francisci Windebank, Regiæ Majeſtatis nuper Secretarii, & à Conſiliis: viri ut alias digniſſimi, ita mihi per annos triginta & amplius amiciſſimi. Juvenem hunc eo amore quo amicos beare ſoles proſequere, & omnia quæ nunc petenda ſunt perfeciſti. Velim etiam ut Junio gratias agas, quod hic amici mei filius ei curæ ſit. Quod nec multis, nec ſæpius ſcribo, negotia mea in cauſa ſunt, non animus. Baronium tamen etiam nunc inculco, & ſcis quid magnopere velim. Hoc etiam habe: me omnia feciſſe, & facturum, quæ Grotio noſtro digniſſimo, aut honori ſunt, aut uſui eſſe poſſunt. Reliqua Dei ſunt. Vale, & quoties Deum adoras pro me ores: ſum enim,

Lond. Dec. 26.
1632.

*Tibi in Chriſto amiciſſimus,*

GUIL. LOND.

---

## CCLI.

### Joanni Meurſio,

S. P.

*Quid Danica ejus Hiſtoria à typographis fieri velit, exquirit. Scriptum de Attica regibus Jo. Janſonio excudendum tradidiſſe, refert.*

VEllem, Vir ſumme & amice, ante horam unam atque alteram ſciviſſem, Generoſum Roſecrantzium quamprimum in Daniam abire. Uberiores à me literas haberes. Non committendum tamen ut abeat ſine literis meis. Dicam quæ potiſſimum in mentem veniunt tuaque ſcire maxime intereſt. Scripſeram ſuperioribus literis, Guilhelmum Janſonium Blauwium cogitare de edendis Danicis, tum tuis, tum Pontani. Idem ad te perſcripſerat vicinus ejus Joannes Janſonius: ſed ita perſcripſerat ut aliquid caliginis aſpergeret. Nec enim animus illi uno volumine complecti opera veſtra: quod nec Pontano gratum foret, necdum tibi, ſed utraque ſeorſim edere parat, forma tamen eadem, typis iiſdem; ita ab eo qui volet, ſimul compingi poſſint; ſeorſim item ab eo, cui mens alia. Quare ne quidem in unius inſcriptione mentio alterius fiet. Sane puto te ſcire venuſtiores eſſe Blauwii typos atque eundem emendatius aliquanto ſua excudere: Nec aliud me movit, cur hoc ſcire te vellem. Tamen & alter vir bonus, & rerum ſuarum non indiligens. Quare de hoc fruaris judicio tuo. Solum ne facile nimis fidem habe quæ alter de altero perſcribat. Cogitat idem Blauwius, ut tui eſt amantiſſimus, & filium habet Juriſconſultum qui prælo præeſt, omnia tua eleganter & emendate uno volumine complecti. Idem ſi tibi videatur poſſis perſcribere quo ordine velis ea concinnari. Opus etiam ſit ſignificari quæ addi in ſingulis libris vel etiam mutari voles. Si voles, ipſe utinam in partem veniam curæ, quo magis honori & deſiderio ſatisfiat tuo. Aureum laborem tuum de Atticæ regibus Jo. Janſonio tradidi, non prius tamen quam recepiſſet ſe quamprimum prælo velle committere. Hæret adhuc, utrum hic an Harderwici id agere velit: ſi hic, meâ; ſi Harderwici, Pontani interdum opera uti decrevit.

Mitto ad te exemplar Orationis noſtræ de laudibus Hiſtoriæ, quam non fore ingratam ſpero tum argumenti cauſâ tum auctoris. Excudit nunc Blauwius Exercitationes meas Grammaticas; Jamque in tertio libro occupatur. Utinam opera iſtac ad umbilicum perducta foret. Scio enim majora à me exſpectari. Cætera literis proximis intelliges. Id propediem erit. Nunc ob feſtinationem generoſi Juvenis cogor manum tollere de tabula. Uxori ſalutem plurimam dices & liberis optimis non à me modo ſed conjuge quoque & grandioribus liberis, filiæ imprimis filia mea.

Raptim Amſtelodami,
VI Id. Jan. anni hujus
cIɔ Iɔc xxxiii.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

Quod familiæ tuæ pariter ac noſtræ felix ſit, Deum ſupplex rogo.

---

## CCLII.

*Illuſtriſſimo*

### Joanni Skyttio,

Baroni, &c.

*Reditum ipſi gratulatur filii, multumque ſe obſtrictum eſſe conteſtatur.*

NIſi ſingularis humanitas tua, Generoſe Domine, noſtras quoque terras perſonaret, & favor erga ſtudiorum cultores mihi cognitus foret, nequaquam ea eſſem fiducia, ut ultima prope hora, qua filius abit, & ego à multis interpellor, quaſi in mediis negotiis, literis aliquid committere auderem ad Virum ſublimis adeo faſtigii. Nunc quia famam de te ſcio non mentiri, & ex generoſis quoque liberis tuis viva tui imagine, certum indicium capio: Non dubitavi per literas hasce officia ac venerationem tibi meam deferre. Non quaſi tua id magnopere interſit; ſed quia obſtrictum me tibi ſentiebam in liberis tuis. Vix equidem dixerim, quanta cum voluptate conſpexerim remeantem, poſt ſexennii peregrinationem Generoſum filium tuum: in quo prudentia, eruditio, & quæ alia tantæ dignitatis juvenem ornare queant, undique elucent. Certe gratulor tibi, Illuſtris Domine, de ſobole tam eximia, & te digna. Et eo magis gratulor, quia in ſublimi poſitos multæ illecebræ à virtute ſæpe avocant; quo impenſius miratus ſum egregium & excelſum adeo animum filii tui per veſtigia paterna incedentis. Certè ſi qua in re opera noſtra illi utilis eſſe potuiſſet, non alius me promptius eam collocaſſet. Nunc quia occaſio illud non permiſit, ſaltem in altero filiorum

tuorum oſtendam, quam devoto erga te ſim animo. Juvi ejus ſtudia quantum poſſit, qui diverſa, vicina tamen urbe habitet. Ac deinceps animus idem futurus: partim quia hoc pacto bene mereri me de publico intelligo, cui aliquando is præfuturus; partim etiam in tuæ ſpem gratiæ, cui placere poſſe pulcherrimum, & non levem ſtudiorum meorum fructum puto. Vale.

Amſtelodami, ad diem x Januarii, anni hujus cIↃ IↃc xxxiii, quem Illuſtri familiæ tuæ felicem & proſperum exopto.

*Illuſtris & Generoſi nominis tui cultor,*

G. J. Vossius.

---

nil videt præter nævos & noxas. Det Deus illi ſociiſque ſanam mentem, & à reproba ſervet, quæ eſt αἱματαχέσ-τῶν (Chriſtianus oro.) Tibi (Vir ornatiſſime) vitam largiatur felicem ac longævam, ut diu ſoſpes ſuperſteſque ſis ad Dei gloriam, Eccleſiæ pacem, tuique & tuorum decus & ſolamen. Ita apprecatur & ex animo vovet,

Ex ædibus meis prope Templum Sancti Michaelis Cornhil Londini. Januarii 11 1633.

*Reverentiæ veſtræ*

*honeſtiſſimè cupiens*,

Guliel. Brough.

---

## CCLIII.

*Viro Ornatiſſimo*

## Voſſio.

***Pro humaniſſimo hoſpitio ejus gratias reddit, in ſtudiis, Eccleſiæ pacis ac commodo deſtinatis, feliciter omnia ſuccedant vota fundit. In deſcribendis ritibus priſcis & Hiſtoria Eccleſiaſtica pergat, hortatur, quamvis acrem habeat in iis adverſarium Damportum, cujus ingenium vivis coloribus depingit.***

*Reverende Vir, ac mihi plurimum honorande,*

EN tandem literas, ne qui per annum oblitus tui meique fuerim per ævum eſſe videar. Gratias igitur tibi reddo maximas, vir ornatiſſime, pro humaniſſimo illo hoſpitio tuo (quo me cohoneſtâſſe te dicam an beâſſe potius) Amſtelodami cum eſſem. Equidem quoties me in ædibus D. Voſſii pernoctâſſe, recogitat mihi animus, ſuperbit illico. Sed & vota fundo Deo Optimo Maximo ut in inceptis nuper ſtudiis tuis, Eccleſiæque paci ac commodo deſtinatis, feliciter & ex tuo & tuorum animo ſuccedant omnia. Perge, vir optime, & in Eccleſiæ bonum nate, & à Deo nutrite, donisque diviniſſimis inſtructe, illudque pro viribus agas indies, quod nomen tuum ad omnem deinceps ætatem, imo & æternitatem deferat. Certe qui apud omnes Theologiæ & Literaturæ purioris antiquiorisque ſtudioſos magni jam nominis meritiſſimò es, majoris ita es futurus. Atque apud tui amantes maxime & honorantes, inter quos ſunt viri & munere & merito ipſi honoratiſſimi, nihil gratius agi poſſe credo, quàm ut è pleriſque incognita illa Eccleſiæ primitivæ tempora moreſque quaſi ἐν τύπῳ deſcribas. At cave ſis quid agas. Aſſuetacer adverſarius, Damportus nomine, nuper Londinenſis Miniſter, jam (ſi Diſplacet) Amſtelodamenſis futurus. Is multos ante hinc annos Hiſtoriæ Pelagianæ tuæ confutationem minitatus eſt, eamque in margine jam caſtigâſſe palam eſt profeſſus. Quod ſi Hiſtoriam primitivorum temporum contexeris, diſciplinæque noſtræ (utpote ſimillimæ) fautor ſis, nonne vapulabis à fugitivo. Quin & Tertiam da (vir inclyte) Manichæanam ſcilicet, qua conſtet ſe ſuique ſimiles pari cum errore inſanire; ſine vitio tamen, quia fato ad omnia acti. Jocari lubet cum venerabili viro. Næ, qui illum Manem, habet pro adverſario. Vin' à me Hiſtoriam Dampordianam, aut Characterem potius? Brevi expediam. Maximo in pretio habitus eſt apud ſuos, & in urbe, & in orbe Britannico (Puritanos dicimus) in rebus fidei, conſilii, facti, temporalibus, ſpiritualibus, ſingula verba, oracula; conſilia, præcepta; facta exempla ſunt; Judex conſiliarius (imo &) confeſſarius, unicus Damportus eſt. Papam credas alterum, Semi-Deum, Deum. At apud ſanioris cerebri homines, longè audit alius. Vir ſuperbus magis quam doctus, novitatis avidus. In Theologia (gradum licèt Baccalaureatus ſuffuratus ſit) lippus plane & cæcus. En ſpecimen! Is eſt qui in pulcherrima (Deique favore) florentiſſima Eccleſia Anglicana,

---

## CCLIV.

*Clariſſimo & amiciſſimo Viro*

## Ger. Joh. Voſſio, E. Puteanus,

S. P.

***Theoreſin de quatuor principiis diei mittit, quid de illa ipſi & curioſis ac peritis aliis videatur, percepturus. Se interea navigationi in Orientem lucrum omne adſcripſiſſe, profitetur.***

*Virorum Optime, & Doctiſſime,*

CHryſogonum igitur noſtrum ſuſpenſum tenebo, donec de Cathedra Lovanienſi Sereniſſima Princeps pronuntiet. Ea tamen, quantum reſcire potui, in Medicum quemdam Bredanum, videtur inclinare, à Magnis hic pleriſque commendatum. Eventum expectabimus. Interea, ut affectum meum, ſtudia, & obſequia omnia, Clariſſimo Plempio offeras, rogo: quod nomen mihi in Cornelio (neſcio an ſuperſtite) æſtimatum. De quatuor principiis diei, Theoreſin nunc iſtam ad te mitto. Si judicabis oculis Ampliſſimi, Præſtantiſſimique Beaumontii, dignam eſſe, fac ut Exemplar ex his unum habeat: unum Clariſſimus Plempius. Adjunge & quartum, ut per eorum ambulet manus qui curioſi, & periti ſunt. Quæſtio vero orta eſt, utri lucrari, utri amittere diem videantur, qui cum Sole, an adverſus ſolem, iter orbis terrarum conficiunt; qui recedunt in tempore, an procedunt. Tibi quid videtur? Ego lucrum, navigationi in Occidentem adſcripſi. Vale, & me ama.

Lovanii in Arce xviii. Kal. Febr. cIↃ IↃc xxxiii.

Tuos omnes ſalvere jubeo.

---

## CCLV.

## Georgio Calixto,

Theologo,

S. P.

***Amicitiam ac familiaritatem mutuam expetit.***

SI amici mihi eſſent deligendi, Præſtantiſſime Calixte, profecto eos, vel maxime inter eruditos quærerem. Et inter eruditos non alii ſe mihi commendant, quam quos pietas: Et inter pios, vel maximè mihi probantur, quorum integra in Sacris judicia eſſe video. Unde nihil præter morem meum faciam, ſi te, vir Clariſſime, in amicorum potiſſimis habeam. Imo niſi habeam, degenerem à natura mea. Eruditionem ſive pietatem cupio, ſive doctrinam,

ſive

Google

ſire judicium acre, non aliis opus mihi eſt documentis, quam præclaris monumentis tuis; quæ cum voluptate, cum fructu, cum admiratione legi: Et gratulatus mihi ſum quam maximè, reperiſſe me in Germania virum, qui non multorum, in damnandis diſſentientibus impetum ſequeretur: ſed verè noſſet, quid ſit Catholica illa Eccleſia, quam in ſymbolo profitemur. Multum hoc ſchiſmatico ſæculo, profeciſſe mihi videtur, qui illud didicerit. Sed de iſto pluribus alias, ſi ſic videbitur, per literas colloquemur. Ad illud nunc revertar, quod orſus eram dicere, ex quo tempore, noviſſe te ex ſcriptis tuis cœpi, ſimul ingentem mihi amorem tui ortum. Ita ut nihil mihi gratius accidere potuerit ſalutationibus tuis, quibus per ornatiſſimum Overbequium, ſæpius me, cum Lugduni agerem, es dignatus. Adeoque mirarer ipſe, non citius me literas ad te dediſſe, niſi amicorum quoque intimos mihi, ſuper talibus ſæpe queri ſcirem. Diſtentus occupationibus, crebrò tantum meminiſſe amicorum poſſum; & cùm maximè ſcribere velim, prohibent non modò ſolitæ curæ, ſed & ſubita, quæ mihi non rarò ingruunt, tanta turba, ut aſſiduis quorundam curis comparari poſſint. Huc uſque egeram, & amans, & æſtimator, & memor tui, cum non uno literario à te munere provocatus, & monitus à Præſtantiſſimo Wickevortio (quo non alius amicitiæ inter nos dignior uſurpari conciliator poterat) abrùpi non tam pertinax ſilentium, quam occupationes, quas inhumanus ſim, niſi vel ad tempus, tuo in me poſthabeam amori. Crede, eruditiſſime Calixte, ſi aliorum colui amicitias, tanto magis me tuam expetiviſſe, quanto aliis dignior tu, & mihi honori magis ac fructuoſum erat, familiaritatem exercere, cum viro, veteris Eccleſiæ amantiſſimo, & ut veritatis, ita pacis ſic ſtudioſo. Debeo ego tibi, cùm ob munera, quæ auro omni præpono, tum imprimis ob affectus indicium, quod à te cœpit. Debent tibi, quotquot verè Chriſtiani ſunt, & eſſe volunt, hoc eſt, tota Eccleſia. Perge tantùm benè de illa mereri, & commoto huic ſæculo tranquillitatem reddere, quo nihil ſalutarius nobis, nihil Deo gratius præſtari poteſt. Habebis certe optimum quemque laboribus tuis faventiſſimum. Ego quidem nunquam deſinam te amare, cui me obſtrictum eſſe fateor, & lætor. Nam ſi verè olim dictum eſt, firmiſſimam eſſe inter pares amicitiam, noſtra perpetua erit; quando & mihi nihil aliud unquam in votis fuit, quàm pro tenuibus, quas habebam, viribus, occurrere Chriſtiani Orbis diſſidiis. Vale, & Deum exſpectà laborum tuorum remuneratorem.

Amſtelodami x.
Kal. Febr. An.
cIↃ IↃ c xxxiii.

---

## CCLVI.

## Claudio Salmaſio.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir Maxime,*

Literas tuas jam ante hebdomadam certè accepiſſe me, jam tibi arbitror Lamerius indicaverit. Quod tum non reſcripſi, occupationibus meis imputabis. Alioqui animus illuc inclinabat. Nam nihil æquè volupe mihi, quàm deſiderium, quod videndi habeo tui, ſcriptione crebra ſublevare, donec per anni tempus, & munus meum, excurrere Lugdunum licebit. Certè parum his proximis diebus ab itinere abfui, ſed tempeſtates & inclemens cœlum vetuere. Unde quod unum ſupererat, per literas te inviſere malui: quia iniquum ut tu rectè putas, eſt amicitiam noſtram locorum propinquitate deteri, cum illa tanto arctius conſtringere eam debeat. Quæris quid agam? edere ante menſes complures cœpi opus Grammaticum quod annis abhinc xxx. & amplius magna ex parte ſcripſi. Poſſis dicere cenſuram eorum quæ veteres, ac plerique etiam juniorum de Artis Præceptis tradidere. Tædioſum negotium: ſed operam do, ut quantum poſſum ejus faſtidium levem: Si non aliis ſaltem ſcholis proderimus. Et neceſſe fuit, ut aliquis hoc laboris devoraret. Tentavi ego, dum alii majora. Libri ſeptem erunt, quorum tertius jam ad finem vergit. His abſolutis ut puto, Origines L L. conſequentur, Opus utrumque fortaſſe leve multis videbitur. Non levis tamen labor, quo mihi conſtitit; illud interea diffiteri non poſſum, vix eſſe hæc pro ætate mea. Quare animus jamdudum gravioribus incumbere ardet. Cæterum nolui mihi compluriuin annorum labores perire. Si Deus illos abſolvere dederit, ſpero me ad utiliora, nempe Antiquitates Eccleſiæ tranſiturum. Quod te facere etiam velle ſcio. Quas mihi literas commendaſti, ne dubita rectè Hugonem noſtrum accepturum. Atque utinam ipſe de manu in manum tradere ei illas potuiſſem. Interim tanto & viro & amico amoto, nihil æque lætor, quam te ſucceſſiſſe. Velim Batavi omnes agnoſcant felicitatem ſuam: Lugdunenſes imprimis. In quibus non dubito quin familiariter utaris V. Cl. Petro Cunæo, viro non modo longe doctiſſimo & diſertiſſimo, ac Batavici ſtatus intelligentiſſimo, ſed præterea gravi & candido. Habui illum ego, cum iſtuc viverem, inter amicorum primos. Te quoque, ut idem facias, hortor. Digniſſimus eſt ille amicitia tua. Vale, maxime Salmaſi, ac nunc Bataviæ etiam noſtræ ingens decus: quod ſpondeo magis & magis ipſa deinceps agnoſcet, malevolis omnibus invitis.

Amſt. cIↃ IↃc
xxxiii vi.
Id. Febr.

*Tuus,*

---

## CCLVII.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Epiſtola familiaris. De Grotio ſubjungit, eum à Rege Sueciæ expeti, jamque pretium, quale Legatis dari ſoleat, eſſe oblatum.*

Jam ab occupationibus meis tandem ad te redeo, mi Caſaubone. Quam vellem id prius factum! Sed qui vitam meam ſciat, miſereatur potius mei quam ſuccenſeat; Uſque adeo occupationibus & moleſtiis premor. Et quaſi non abundè id eſſet, novum prioribus laborem ſponte accudi. Nimirum Exercitationes meas Grammaticas, quarum jam tertius liber ad finem properat. Opus futurum ejuſdem molis ac, quas proxime dedi, Oratoriæ Inſtitutiones. Scio alia à me expectare, cum alios, tum excellentes Britanniæ viros. Sed ſemel mihi defungendum Commentationibus iſtis, quas majorem partem ante annos xxx. elaboravi, atque ante annos xii. cum factioſi quidam ſibi ſolis Sacrorum tractationem vindicarent, iterum in manus ſumſi, & aliquot menſium ſpatio, partim limavi, partim obſervationibus novis adauxi. Sanè ad faciem eam Artem Grammaticam ſcripſit hactenus nemo. Planeque Ariſtarchum ago in Grammaticos veteres, & novorum illos, qui nomen aliquod merentur. Multa ſcriptorum veterum loca illuſtro, multa emendo. Equidem mallem ipſe nunquam aggreſſus eſſem hoc laboris. Poteram interim longe majora & acceptiora conſcribere. Sed cum hæc orſus ſum, Gymnaſii Dordrechtani præfectus eram: eoque nihil alienum à munere meo faciebam, talia conſignando. Poſtquam vero regimen cepi Collegii Theologici ab Illuſtribus Ordinibus conſtituti apud Lugdunenſes, non ſivere antiquitatis Eccleſiaſticæ hoſtes, qui plurimum poterant, ut aliis quam ſecularibus (ut vocant) ſtudiis me darem. Illis igitur regnum tenentibus, non paſſus ſum perire labores meos, quos nunc publici juris facio, ut totus deinde in ma-

jotibus eſſe & Britanniæ atque alibi gratioribus poſſim. Sed quid ego hæc tam multis? Spero ubi videris operam, non uſquequaque improbabis. Et qui poſſis tam amans mei? Verum ſcire hæc te volui, ut apud judices iniquiores operam & ſtudium defendas noſtrum. Solum hæreo, quid facto opus ſit, de vaſto penè Originum opere: quid de rei Poëticæ libris. Nam utrumque opus jam ad umbilicum perduxi. Et tamen inter excudendum, ut ſcis, aliquid novæ exquiritur curæ: Quod autem iis accedit, id ſacris meditationibus aufertur. Quid ergo? Mittam hæc faciam? Etiamne quæ de omnibus veterum diſciplinis exaravi, & tantum non ad finem perduxi? Si fas eſſet homini Chriſtiano, propemodum male illis optarem qui hæc potius tractandi neceſſitatem mihi impoſuerunt, quam porro exolvendi magnos veteris Eccleſiæ doctores: quod ſtudium ſic cum altero, à prima pene Adoleſcentia conjunxi, ut longe illud præferrem. Itaque alterum quoque nunc ſic tracto, ut melius majuſque non intermittam. Utinam tantùm foret tantum otii, ut ne ſæpe adeo ab eo avellerer invitus. Mane publica diſtineor auditione, vel ut nunc loqui amant noſtri, prælectione. A prandio conſulor à multis, quibus non poſſum operam denegare. Etiam ſalutatorum peregre advenientium nimium quantum eſt. Quid omnia referam? Videor mihi labori ſatis aſſuetus. Et tamen fateor, interdum ſub ſarcina ingemiſco, ut iniquæ mentis aſellus. Tu vero, amiciſſime Vir, ne propterea, quæſo, minus me ama. Sed ſi quando tardius officium vel ſcribendi, vel aliud exſolvo, ita tibi perſuade, non eſſe me meum; magiſque id mihi ægre eſſe, quam amantibus mei. Et iſta hactenus. Pecuniam, quæ ex Cantuarienſi Canonicatu, Regio mihi beneficio cedit, accepi uſque ad proximum Septembrem. Ut primum trimeſtre, quod debetur, ſit menſis Decembris. Multum tibi debeo, optime virorum, qui fide ea atque induſtria procures res meas. Verum quid tandem pro beneficio rependam, ne videar, vel potius ſim ingratus? Sane cogitatio hæc me ſollicitum habet, magiſque anxium haberet, niſi perſpectus eſſet erga me amor tuus. Nec tamen deſinam cogitare de teſtatione aliqua animi non ingrati.

Venio ad hortenſe negotium, de quo ſeorſim literulas ad te ſcriptas hiſce incluſi, & eas quando expedire putabis, Reverendis Fratribus oſtendas. Nunc hic plenius paulo apertiuſque animum meum aperire mihi viſum fuit. Equidem, mi Caſaubone, tametſi, ut ingenuè loquar, offendere neminem velim, nihilominus non pono offenſas alienas, præſertim injuſtas, ante jus non meum modo, ſed & collegarum & fratrum meorum. Nam quod merito metuitur, ſi ego eripi mihi meum patiar, fortaſſe etiam illi, qui mihi ſucceſſerit, carendum erit. Saltem id contentionem non mediocrem poſſit excitare. Quare prævertendum omnino huic rei videtur. Sed quia mihi tam longe remoto ſtatuere difficilius eſt, malo rem omnem arbitrio tuo committere. Quicquid feceris, id ne dubita me probaturum eſſe. Neque id de horto ſolum, ſed etiam de pecunia annua, ut hæc, quemadmodum cæteris, uno Molinæo excepto, pro ratione proventus, vel accreſcat vel decreſcat mihi.

Dicere non poſſum, quantopere Ampliſſimo Hugoni Grotio placuerint literæ tuæ & quanti te faciat. Is nunc Hamburgi agit; non dubito, quin illi triſtiſſimus fuerit nuncius, de exceſſu fortiſſimi Suecorum Regis. Nam ab eo amabatur & æſtimabatur. Imo Rex jam in mandatis non uni dederat, qui cum eo colloquerentur, ut operam & conſilium ſuum ſibi addiceret. Pretium offerebat, quale Legatis dari ſolet, uti ex fidis hominibus accepi. Etiam Holſatiæ Dux & alii Principes viri hæc agunt, ut ad ſe veniat. Simulac certi aliquid ſtatuiſſe intellexero, perſcribam ad te. Binas vel ternas ab eo literas accepi. Reſponſum adhuc debeo. Quæ cauſa, credo, intra ſeſquimenſem nihil ad me ſcripſerit. Sed facilem mihi veniam ſpondeo, quia vitam meam novit. Nuſquam eum vivere malim, quam apud nos; ut coram potius quam per literas colloqui liceret. Et facile hoc ei concederetur, ſi modo vivendi his terris poteſtatem libello poſceret. Verum metuit, ne id ſic interpretentur aliqui, quaſi culpam ullam agnoſcat, cum contra ſe præmio potius dignum ob ea exiſtimet quæ egit ſolo patriæ libertatis amore ductus. Legati hoſtilis Belgicæ Hagam reverſi, colloquuntur cum Proceribus noſtris de conditionibus pacis. Plerique metuunt, ne convenire poſſint. Uſque adeo grandia ſunt quæ utrinque poſtulantur. Sed, credo, iniquum petitur, ut æquum impetretur. Plerique Sacri Ordinis bellum præoptant. Nec obſcura eſt ratio: Nam belli tempore plus tribunitiis concionibus valent; quia multa Proceres tolerant, ne quid turbarum domi oriatur. Sed longe aliam ipſi cauſam prætendunt. Negant enim honeſtam eſſe pacem cum Idololatris, quos Deus exſcindi in verbo jubet. Negant tutam, quia artes Pontificiæ & Auſtriacæ Domus plurimum ſe occultent ſpecioſo pacis titulo. Quod ſane aliquid eſt. Sed neque talia Proceres neſciunt, qui providebunt ſemper ne quid detrimenti capiat Reſpublica. Filius meus Dionyſius, quem vidiſti mecum, Panegyricum & Poëmaticum ſcripſit honori Principis Arauſionenſis. Id fortaſſe jam acceperis. Nam exemplar affini Junio miſi Hagam, qui ſimulac in Angliam rediiſſet, curaturum recepit. Jam liber decimus quartus Reidani Belgici Hiſtoriographi, ab eodem Latine redditi, ſub prælo eſt. Spero infra menſes tres univerſum opus poſſe abſolvi. Et puto, nec Hiſtorici prudentia, nec Interpretis dictio diſplicebit. Plurimam ſalutem tum lectiſſimæ uxori, tum Reverendo D. Decano, tum chariſſimis fratribus & Collegis meo nomine dicito.

Amſtelodami xiii.
Kal. Mart. Stylo
Gregor. Raptim.

*Tuus non uno nomine*

G. J. VOSSIUS.

Agnoſco quicquid dignatione & beneficentia Regia ex Præbenda Cantuarienſi mihi ab ejus exordio debebatur uſque ad menſem Septembrem anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi, eſſe perſolutum, à Reverendo & doctiſſimo Merico Caſaubono: ita primum trimeſtre quod annumerandum ſit, incidat in anni ejuſdem menſem Decembrem. Scripſi & ſubſcripſi Amſtelodami manu propria, menſe Februario anni proximi qui eſt cIↄ Iↄ c trigeſimus tertius.

G. J. VOSSIUS.

## CCLVIII.

## Conſtantino Huygenio,

S. P.

*Reſpondet conſolatoriis ejus ſuper obitu chariſſimi pignoris, affectumque benignum ac conſtantem exoptat.*

QUod, Nobiliſſime, Ampliſſimeque Huygeni, tu quoque ſic obitum chariſſimi pignoris, meumque hunc dolorem doles: amicè facis, & liquido oſtendis, neutiquam me in eo falli, quod te ſemper amantiſſimum mei, familiæque meæ judicavi. Nimirum pro affectu hoc tuo, non potes, non peracerbum hunc mihi caſum judicare. Sanè periculum fortaſſe eſſet, ne animus de gradu totus dejiceretur, niſi partim tui, & aliorum præſtantium virorum alloquio Epiſtolari, paulatim ſpiritum, & vires reciperem: partim ſponte mihi etiam, ob oculos ſæpius ponerem, incertum vitæ humanæ, & alia, quibus ægras mentes, in caſibus hujuſcemodi, ſolari ipſe antea ſoleo. In his familiam ducit voluntas Dei, quæ Chriſtianis nobis, omnem penè paginam facere debet. Nam ut quanto nebula, ac caligo magis attollitur, tanto aër proximus fit purior, clariorque: ſic comperio mentem etiam noſtram eo reddi ſereniorem, quo amplius elevatur ad Dei providentiam, quæ nihil non providè immittit, aut permittit. Illuſtriſſi-

mo,

mo, & Invictiſſimo Arauſionenſium Principi, æternum pro ea liberalitate, debitor ſum futurus. Sed ſi cogitem, per quem mihi conciliatus ſit maximus Heros, ingratiſſimus ſim, niſi hoc ita illi tribuam, ut non & tibi beneficii partem tranſcribam. Nec nunc præter hujuſmodi verba habeo, quod rependam. Enitar tamen ſedulò, ne vel munificentiæ Arauſionenſium Principem; vel te, Nobiliſſime, & Amiciſſime Huygeni, commendationis tuæ poſſit pœnitere. Hunc animum noſtrum, qui prima occaſione ſe exeret, magnum cenſebis, ſi eum æſtimes, non pro viribus ejus, quæ exiguæ, ſed pro humanitate tua, quæ ſumma eſt.

Ampliſſimum, optimumque affinem tuum, David de Willem, ſalvere ſi juſſeris, gratiſſimum erit.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxiii, prid. Non. Mart.

*Tuus merito tuo,*

G. J. Vossius.

## CCLIX.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

Non facile dixerim, quantum mihi ſolatio fuerint geminæ literæ tuæ. Nam licet pro acerbo hoc caſu, videor mihi ſatis fortis; tamen mentiar, niſi agnoſcam ſubinde etiam non magna occaſione malum recurſare animo. Quid mirum? quando quem amiſi, is erat, in quo poſt Deum, ingraveſcente hac ætate mea, plurimùm fiduciæ mihi, meiſque repoſueram; ut non potuerint non acceptiſſimæ eſſe literæ, cum Salmaſii, & Cunæi, tum imprimis tuæ, quibus erigere animum mœrentis voluiſtis. Neſcio autem, num ab luctu ſit, an fœda anni tempeſtate, an immodico labore, ac vigiliis, quod tribus menſibus malè habuerim. Sex prioribus hebdomadis, pedem domo non extuli, ſex proximis unum illud potui, ut publici muneris cauſâ, ingrederer Lycæum, quod vix lapidis jactum ab ædibus noſtris abeſt; ſed videor mihi quotidiè virium capere incrementa, & appropinquat blandior adoleſcentis veris aura, quæ meliora, melioraque ſperare jubet: atque hæc eo etiam lubentius commemoro, ut cauſam videas cur plurimis literis tuis non reſponderim. Quarum poſtremis partim mihi Tragœdiam miſiſti tuam, partim ſignificas, ut locum quendam corrigi velis. Simulac eas accepi, quia ipſe exire non poteram, per filium arceſſivi Blauwium: Qui velle ſe excudere dixit, ſed negabat id ullo modo ante proximas nundinas Francofurtenſes fieri poſſe. Addebat, nec ſe, nec alium habere literas qualibus Auriacus excuſus, ſed viſurum quæ proximè accederent. Juro, niſi feſtinato opus putares, Francofurto tales procuraturum, quales petis. Video ejus prælum fervere plurimis, pluraque ſub manibus habere; quare vix puto, ante duas hebdomades orſurum editionem: nempe ubi ea abſoluta, quæ Francofurtum mittere cogitat. Sed ulterius ſi moram nectat, non patiar. Nec ſanè is eſt qui calcaribus egeat, præſertim in tuis; unde certum lucrum: niſi vicinus Janſonius, ut ſolet, minoribus excudat typis, quo minori pretio divendat. Credo tandem acceperis filii τοῦ μακαρίτου Reidanum; uti & de Termino Vitæ variorum reſponſa ad Beverovicium. Epiſtolam ejus nunc tantùm mitto, quia decretum erat includere literis meis Illuſtri Skyttio tradendis, ubi ad vos iturus. Sed ille jam menſem, & ultra, præter expectationem ſuam hic cogitur hærere. Video Beverovicium hoc agere, ut judicium quoque tuum perſcribas, ipſe autem Tomo ſecundo inſerat. Id quidem an placeat ſatis neſcio, ſed ſcio illud Rivetum antehac Theologiæ apud Leydenſes Profeſſorem, ubi legit judicium Epiſcopii, dixiſſe ſe adverſus illud ſcripturum. Et jam in eo totus eſſe dicitur. Salmaſius, qui & ipſe ſententiam rogatus erat, & ſic ſatis prolixum opus compoſuit, negat ſe paſſurum ut divulgetur; nempe maligno adeo ſæculo metuit, ne & ipſe vapulet. Etſi & alteram cauſam habet. Seorſim legi ſua malit, quam ut in turba compareant. Credo, ſi Grotii vel Salmaſii eſſent, quorum judicia promuntur, non invitus ſe quoque Principibus permiſtum agnoſcat Achivis. Nunc minuti quidem Heroes, & ut ſic dicam Dii Patellarii, ſi modo Dei intercurrunt. Putavi tua intereſſe, ut hoc ſcires, & ſi ea ſis prudentia, ut iſtorum etiam neſcius, non ſis ſcripturus quorum poſſit pœnitere. Filius tuus jam ante hebdomades duas Amſtelodamo diſceſſit. Cauſam neſcio, ſed maluiſſem menſem unum alterum remanſiſſet, vel propter Blawium qui eum in Matheſi inſtituere jam cœperat. Sed nihil feciſſe arbitror, niſi ex parentis voluntate, quibus abſque dubio ſua ratio conſtat. Uxori lectiſſimæ, & filio Cornelio ſalutem dicito. Sed & Lindembrochio, ſi occaſio erit.

Amſtelodami, cIↃ IↃ cxxxiii. x Kal. April.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

## CCLX.

## D. Gerardo Joanni Voſſio

Τῷ πάνυ, Εὐπράττειν.

*Scriptum ſuum de Vitæ humanæ termino nomini ejus offert ac inſcribit.*

Quamvis non fugiat me, V. Cl. quantum peccent in publica commoda, qui tuis occupationibus interſtrepunt, non potui tamen, cùm D. Mylius, ad vos iret, & verbo, & literis, te non ſalutare. Imprimis cùm hac occaſione, videndam tibi offerre poſſem, quæſtionem Epiſtolicam, de vitæ humanæ termino; de quo utinam etiam tuum judicium, habere potuiſſem; vel edendum cum aliis, vel inter Κειμήλια literaria adhuc ſervandum. Video divinæ ſapientiæ conſultos, ſatis ſudare, antequam recondita iſta planè operiant, & abſtruſam in profundo veritatem eruant. Fortaſſe hic videri poſſit, μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. Diverſæ de termino iſto, & δὶς διὰ πασῶν diſcordantes ſententiæ, ac ſingulis ſuæ rationes, etiam ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς adducitur. Xenophanes apud Varronem dicebat, Hominis eſt opinari, Dei ſcire. Annon idem hic uſurpare liceat? Ut tu, Vir Clariſſ. pro recondita, & incomparabili eruditione, judicium ferres, viſum hæc Clariſſimo nomini tuo inſcribere: & ut ſimul aliquod animi, grati, & memoris, in te publicè extaret monumentum. Utinam quale debere me ſentio, præſtare poſſem. Non tu me, ut Senecæ his utar, in grege Diſcipulorum habuiſti, ſed dignum putaſti propria, & peculiari cura, ingeniumque latens, & pigrum, injecta manu extraxiſti, omniaque benigne adeo in me transfudiſti, ut ingratiſſimus eſſem, niſi te inter gratiſſimas neceſſitudines diligerem; imo velut alterum parentem amarem, colerem, & omni obſervantia, æternùm proſequerer. Vale, mi Doctor, & meritis tuis obſtrictum amare perge

Raptim, 2 April. 1633.

*Voſſianæ Diſcipl. alumnum,*

Joh. Beverwyckium.

CCLXI.

## CCLXI.

*Clariſſimo, Humaniſſimoque Viro,*

# Gerardo Joanni Voſſio,

## Erycius Puteanus

S. D.

*Laudat egregias filii ejus ingenii dotes. Vindicias Circuli Urbaniani offert, qui de principio νυχθημέρου nautæ ſtatuant ſcire cupit.*

ET Suadam & Muſam Doctiſſimi filii tui admirati ſumus. Sed oſtendit ille ingenii dotibus, qualem Patrem habeat, & quid ſit etiam inter doctos excellere. Jam in Patre filium, in filio Patrem amo, & me utrique ob miſſum munus, novo nexu obſtrictum ſcribo. Etiam pignus vultis? has nunc Urbaniani Circuli vindicias, capite, perlegite, cenſete. Veſtras, ſingulari ratione; quia nomen Voſſii, & judicium habent. Nautæ veſtri quid omnino de principio νυχθημέρου, & linea principii ſtatuant, ſcire cupio. Sed quia per Occidentem, aperto illo novo freto, Lemairio, in Orientis Inſulas navigatur, & alium in Moluccis Inſulis diem Batavi inveniunt; opportunè Circulo noſtro utentur: non enim illud Homeri audient.

εἴ ξεῖνός τινες ἐστὶ πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα.

Quæ reliqua hujus argumenti ſunt, propediem producam. Vale, Vir Clariſſime, & amiciſſime, & cum tuis ſalve.

Lovanii in Arce, Nonis Aprilis, cIↃ IↃ CXXXIII.

Subito cum tabellarius abiret.

---

## CCLXII.

*Quo modo & ordine opera ſua digeri velit, indicat, typographiam curæ & induſtriæ ipſius relinquens.*

PAucis ad te ſcribere cogor, Vir amiciſſime, quia & hic nuntius inexpectatò ſeſe obtulit, & feſtinat parum tamen, quàm omnino nihil, ad te dare malui. De Blavio tuo, quod conjunctim Opera mea edere, cuncta conſtituerit, gratum fuit intelligere; & ut virum in propoſito hoc confirmes, in majorem modum rogo. Optarem autem excudi ea charactere eleganti, & quo fere hactenus illa ſunt excuſa à Typographis prioribus. Optimè certè meritum de te me eſſe exiſtimabo, ſi in curam hanc incumbere non gravaberis. Quæris quonam ea modo atque ordine digeri & edi velim; qua de re nunc hoc habeto. Puto lucubrationes meas omnes dividi poſſe in Tomos IV, quorum unus continebit mea Attica, uti nunc digeſta mitto; alter opera Hiſtorica, tertius Miſcella, quartus Auctores à me primum in lucem editos, atque Notis illuſtratos, & alios in quos Notas itidem aut Commentarios publicavi. Singuli verò Tomi iſti, quo emptori paulo magis commendare ſeſe queant, novo etiam opere aliquo pluribuſve augebuntur: tum & ſingula opuſcula emendata & auctiora multo erunt. Initium autem fieri ab *Atticis* velim. *De Regibus Athenienſium*, quæſo, aurem homini vellito, & urgeto editionem: ſed de *Piræo* meo, *Reliquiis Atticis*, & *Familiis*, quid futurum eſt? Miror de his nullam omnino abs te mentionem fieri. Quæſo proximis ſignifica. Mitto primum folium Solonis mei, quod ſcribebas periiſſe. Tua quæ edis maxime videre aveo. Per hunc reſcribe; nam non ſemper tales ſe occaſiones nobis offerunt: certe tradet quicquid dederis. Uxor mea cum graviſſimo ac periculoſo quoque morbo diu eſt conflictata, jam undecimam ſeptimanam, nunc paulatim (Dei gratiâ) convaleſcit; ac ſperamus bona omnia, ſalutem tibi atque tuæ plurimam dicit: ita & ego liberique, tibi, tuæ, & tuis omnibus, filia imprimis filiæ.

Scribebam raptim Soræ, ad diem x Aprilis, cIↃ IↃ CXXXIII.

*Tuus priſca fide,*

JOAN. MEURSIUS.

Quæ jam edidi, quia apud te exſtare ea arbitror, ut Typographo recudenda ſubminiſtres, abs te peto; quæ non edidi, mox ſubmittam: ut & ea, quæ in ſingulis addidi, aut emendavi. De dedicatione poſtea cogitabo, cum tempus erit.

---

## CCLXIII.

# Jacobo Roverio,

S. P.

*Epiſtola planè familiaris.*

TU verò, Cognate Roveri, ut libertatem tuam rectè accipiam, rogare etiam ſuſtines? quaſi aut hæc ſtudia non ab humanitate acceperint nomen; aut illius ſit excuſare ſemet, qui utilem amicis operam navare ſtudet. Mihi potius id reliquiſſes, qui ob dilatum (ex more ſcilicet meo) reſponſum, purgare me debeam, vel occupationes, vel aliud memorando, quò tibi ſatisfiat. Nec propterea in eo operam inſumam, quam perdere nolo. Abundè enim noſti me publicè docere, privatim ſcribere, & quaſi neutrum eſſet, vacare domeſticis, amicis; ad hæc tot indigenis, & exteris, qui quotidie ex Germania, Gallia, Britannia, terris aliis, cùm veniunt, compellare nefas putant. Quid reliquum literis? Ipſe hoc tempore impeditiſſimus ſcribo. Quid mirum? Nox eſt, quæ plerumque curarum eſſe levamentum creditur. Vix eſt mihi qui tam multa in noctem rejicere cogar; præſertim quæ hoc epiſtolare officium ſpectant. Quanquam ſic quoque, illa mihi nunc levamentum; quia haut noctem eſſe ſentio, quod te quomodocumque colloqui habeam pro curarum ceſſatione. Quæras fortaſſè, ſi ita animatus ſim, cur tam tardè à nocte ſubſidium petierim? Pluſculæ enim abiere, ex quo non reſpondi. Nimirum illud eſt commodi, in abſentium amicitiis, quod vacare iis tantum opus ſit, ubi opportunum eſt; præſentibus ſæpè, cum minimè eſt integrum. Et tamen paucos ex amicis etiam abſentibus habeo, quibus non partem aliquam temporis mei, utcumque illud puſillum ſit, gratificari velim. Tibi verò, præſtantiſſime Cognate, non volo modò, ſed etiam debeo; Ut qui non paſſus ſis ſtudia tua, ſine fructu meo procedere: Quod propter epiſtolam tuam bonæ frugis plenam dico. Equidem ingratus ſim, niſi hanc agnoſcam humanitatem: Quæ ſi paulò maturiùs ſe exeruiſſet, etiam publicè fuiſſet utilis. Nunc quæ obſervaſti, pleraque Artem Metricam ſpectant. De hac operis noſtri Grammatici liber ſecundus tractat; qui jam dudum abſolutus, ad quintum enim deventum, de Pronomine agit. Tamen ſi omiſſorum copia ita creſcat, ut Appendicem concinnare operæ videatur; erit quod publicè me tibi debere profitear. Utcumque enim non pauca mihi jam dicta ex iis quæ mones, tamen & reperi quod addere maluiſſem. Nunc de verſibus tuis quid dicam? Planè venuſti ſunt, ſic ut Romani hominis videantur, & argumento, quod tractas, nihil convenientius. Sponſum haud dubiè, etſi haut dubiè, ſua jam felicitate contentum, nova voluptate Muſa afficiet, tam ſuavis, & tam cari capitis. Equidem velim meo nomine, & illi, & ſponſæ illius, optimæ virgini, omnia fauſta appreceris: Sed & Ampliſſimo Parenti tuo, & fratrum alteri Joanni, atque adeo toti domui veſtræ. Præterire verò nefas ſit amiciſſimum Beveritium,

rium, inclytæ urbis veſtræ Prætorem. Quibus omnibus, & uxor ac liberi ſalutem adſcribi petierunt.

Amſtelodami, XIV Kal. Maji. cIↄ Iↄ c XXXIII.

*Amantiſſimus & ſtudioſiſſimus tuus,*

G. J. Vossius.

---

## CCLXIV.

## Claudio Salmaſio,

S. P.

*Epiſtola eſt familiaris, quâ hortatur eum contemnat odium inferiorum, animique magnitudine invidiam aliorum ſuperet.*

COmmittere, maxime Vir, nolui ut communis amici noſtri Hugonis literæ ad te ſine meis irent; ſi non ob aliam cauſam, certè ut hoc ſaltem modo tres amici ſimul ut poſſumus eſſemus; quorum illum iniquitas temporum, te valetudo, & cœli inclementia, & credo domeſticæ etiam curæ, me publicum docendi munus congredi nondum patitur. Sed ſpero vigorem tibi jam priſtinum rediiſſe, & ut homines ſatis æqui non ſint, aëra ſaltem eſſe. Hujus duritiem adſuetudine, illorùm invidiam animi magnitudine facile ſuperabis, præſertim ſi cogites Sophocleum illud,

Πρὸς τὸν ἔχοντ᾽ ὁ φθόνος ἕρπει.

Optaſſes fortaſſe alio documento tuas virtutes intelligere: ſed certiori non poteras. Scio quæ mihi evenerint, quamvis infra invidiam me eſſe debere putem. Et ſic hoc inter arctiora amicitiæ vincula, quod quamvis bene meriti præmia parum digna pariter retulerimus. Sanè abundè ſolatii mihi eſt quando tot bonorum, & his & aliis in terris, & poſteritatis ſimul judicia cogito. Quæ tibi, optime maxime Salmaſi, excellentiora longe & jam obtigere, & deinceps erunt. Reputemus etiam mercedem hic ereptam à ſupremo & beneficentiſſimo mortalium rectore cum fœnore rependi. Salutem plurimam uxori tuæ meo, & meæ nomine dices, quam, licet ignotam, æſtimo ob egregium parentem & majorem conjugem. Summis etiam viris Cunæo, Scriverioque cum occaſio dabitur, ſalutem impertias rogo.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XXXIII. Kal. Majis.

*Tuus ſine fuco & more majorum,*

G. J. Vossius.

---

## CCLXV.

## Joanni Skytte.

*Filium nobilem de meliori commendat Parenti.*

VIr Illuſtriſſime, quamvis inexſpectato Generoſi filii tui diſceſſu præventus, malui tamen tumultuarias prope ad te literas dare, quam nullas. Adſtringebant me huc nupera promiſſa, & ipſius filii tui rogatio. Cui ego quomodo hoc negare poſſim, cui majora longe ſponte etiam obtuli? Accedit quod non alias à me gratiores fore literas ſcio, quam ejus manibus perlatas, quem non poſſis non cariſſimum habere, ſive naturam ſpectes, cum nullum reperiatur arctius vinculum, quod parentes liberis adſtringit; ſive indolem Generoſi filii tui, quæ virtutis via ad excelſa graſſatur. Videor jam omnino videre mihi illum in ſummis Regni veſtri honoribus, quibus ſi tales multi fungantur, qualem hunc futurum confido, dubium non eſt, quin gloria gentis veſtræ aucta etiam ſit gloriæ gradum, quem virtutis ſuæ merito, & Magni Guſtavi affectu obtinet. Etenim & ingenio filius hic tuus eſt acri, & ætatem cum conſidero, pro ea ſane judicio excellenti, & pro iiſdem annis ſtudiis non leviter tinctus, præſertim quæ fortunam ejus decent. Ac nequid auribus tuis dare videar, ipſe egregium hujus rei argumentum videbis, vel Panegyricum ejus. Multa adeo bonæ erectæque mentis indicia apertiſſima in eo ſe exerunt paſſim. Ob ſubitum diſceſſum non potui legere, qua cura vellem. Sed carptim id facere cogebar. Verum ex ungue, quod dicitur, leonem. Ut monumentum etiam ſit futurum, quod poſteris placere poſſit. Satis etiam laudare non poſſum Generoſum filium tuum Joannem. Tantus in eo eſt ardor ſtudiorum: Nec præter eum retinuit illum apud nos quicquam. Exiſtimabat enim inanes fore labores, quos apud nos hactenus ſtudiis impendit, ſi ea in medio curſu deſereret. Alioqui poſtquam eum à te, Illuſtriſſime Domine, arceſſitum intellexi, ſerio hortatus ſum, ut paternæ voluntati obſequeretur. Meum non fuit inquirere, cur ſcripſiſſes; ſed ille arbitrabatur, nihil tibi gratius eſſe poſſe, quam ut hac ætate, qua ſementis ſtudiorum fieri debet, non deſtituat parentum de ſe & illuſtris familiæ ſpem. Itaque cum optime illi perſpectum animum tuum putarem, nolui nimium urgere, ut iret, ne vel ignarus tuæ voluntati contraria conſulerem, vel illo, quem ſicamo, carere viderer velle. Imo vero cupio in omnibus illi prodeſſe; eoque nulli parcere labori animus eſt. Priuſquam finio, debeo quoque gratias tibi agere, Illuſtriſſime Domine, filii mei Dionyſii nomine, quod eum ad te cum liberis venire tuis iterum volueris. Nunc id opera ejus, quibus prælum fervebat, non patiebantur, ſine offenſa multorum, & ingenti damno Typographi. Interea tanto actius Generoſi filii tui ſtudia juvare conatur, ut ſe gratum oſtendat pro eximia hac humanitate tua.

Deum Opt. Max. rogo, ut diutiſſime te ſalvum præſtet regno Suecico, familiæ tuæ & cultoribus, quos inter ego, & mei omnes nomen præ aliis profitemur noſtrum.

Amſtelodami, Kal. Jun. Styl. Greg.

*Æternum Illuſtri tuo nomini devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CCLXVI.

*Clariſſimo Virorum,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Salutem & obſervantiam.

*De Auguſtini quibuſdam locis, & critica ſua in illos exercitatione, ſententiam Voſſii percipere geſtit.*

ET incomparabilis eruditio tua, Gerharde Voſſi, nomen omni titulo majus, & incredibilis humanitas, quam Balthazar Willius, Theol. Doctor, & Bernhardus Damke, cognatus meus, cùm Francofordiæ in me inciderent, prædicare ad ſatietatem ſe mihi poſſe deſperant; ita in tui me admirationem pellexerunt, ut velut extra me poſitus, & adoleſcentis inſuper habens pudorem, iſtas ad te exararem, & utramque illam tentare aggrederer. Audax facinus, fateor; ſed nec infrequens iis qui literas amant, & bonam mentem; nec grave erit tibi, poſtquam tam arduam famæ arcem aſcendere virtute tua dignum exiſtimaſti, propius à me cognoſci, ut iſta in te adorari dignius poſſit. Exſpecto itaque de uno, atque altero, Auguſtini, in lib. de Civitate Dei, loco, & meis emendatiunculis, ſeverum & forte judicium tuum, quo ſi iſtæ obelo transfigi merebuntur, excuſabit tamen conatum meum comitas tua; & ſi hac non potero, alia via, ut expediam, mihi concede, ſalvo quem ambio unicè, favore

vore tuo. Lib. II. Cap. XX. *Die, noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur, ſaltationes undique concrepent; Theatra inhoneſta lætitiæ vocibus, atque omni genere, ſive crudeliſſimæ, ſive turpiſſimæ voluptatis exæſtuent.* Cod. unus Lud. Vivis, *Salutationes*, alter *Salutiones*, abraſo *a*. Itaque prius ille videtur probare. Sed membr. MSS. quas inſpexi in Bibliotheca Senatus Norici, *Saltationibus*. Ergo ſcribendum, *Bibatur, vomatur, diffluatur ſaltationibus; undique concrepent theatra inhoneſta l. v.* & *diffluere ſaltationibus* ut Apuleio, *ſaltatio exoſſa, & enervis*. Plinius Paneg. c. XXXIII. *Viſum eſt ſpectaculum inde non enerve, nec fluxum, nec quod animos hominum molliret, & frangeret.* Cap. XXI. *Omnino nullam eſſe Remplubicam: quoniam non eſſet res populi, cum tyrannus eam factione capeſſeret, nec ipſe populus, jam populus eſſet, ſi eſſet injuſtus.* Ita omnes editiones, quas vidi, Baſilienſis, Genevenſis, & optima omnium Pariſienſis. Sed nihil puto certius, quam ſcribendum, *cum Tyrannus eam factiove capeſſeret.* Nam factio opponitur Ariſtocratiæ, ut Tyrannis Monarchiæ, ut patet ex præcedentibus. In Cap. XXX. Obſervavi plauſtrum errorum doctiſſimi Vivis, quod etiam in omnibus editionibus repetitum. Ita Auguſtinus: *Illic enim tibi non Veſtalis focus, non lapis Capitolinus, ſed Deus unus, & verus, qui nec metas rerum, nec tempora ponet, imperium ſine fine dabit.* Mſc. *ignorat eo qui.* Deinde Vives ad verba, *Lapis Cap.*) *Jovis ſimulacrum in Capitolio erat lapideum; hinc per Jovem lapidem ſanctiſſimum Romanis jusjurandum, ut etiam in proverbium efferit.* Atqui nec per Jovem Lapidem jurabant Romani; ſed Jovem Lapidem, & erroris dudum convictus Apulei locus, quo iſtud videtur probari: nec jusjurandum illud à Jove lapideo ortum, ſed à formula quæ pronunciabatur ad projectum lapidem? nec Auguſtinus Jovem lapideum, ſed Terminum intelligit, cujus pertinacia erat ſymbolum perennaturi Imperii; ſed ego ceſſo poma ad Alcinoum mittere. Tu, vir maxime, quamprimum reſponſo tuo, me dignare, ut plauſum ingenii mei ſciam, nec dubita an ſim, quod ſum, & ſpondeo nunquam non futurum. Salve & optimo publico optimè vale, cum tuis.

Brem. ad Viſurgim,
Prid. Non. Junias.
An. CIƆ IƆ C XXXIII.

*Ampliſſ. famæ tuæ*

*cultor devotiſſimus,*

JOH. FREDER. GRONOVIUS.

CCLXVII.

# Johanni Meurſio,

*Quid in operibus ejus apud typographos promoveatur, certiorem facit, commendat filii ſui Dionyſii Hiſtoriam Reidani, geminumque ipſius Panegyricum, Arauſionenſium Principi dictum, dono tranſmittit.*

*Vir ſumme & nulli amicorum ſecunde,*

QUod non ſemel ſcripſi, & ut metuo, ſæpius conquetar deinceps, non ſinit hoc vitæ genus, quod nunc dego, ut amicitias colam, quemadmodum oportebat. Unde eſt, quod raro quiſquam literas à me accipit, niſi jam multis ante menſibus exſpectatas. Sed cum hoc male me habeat, in plurimis, tum nihil magis indignor, quam non licere mihi colloqui cum duobus tribus quos ſupra cæteros æſtimo mortales. Satis noſti in his te eſſe uti & τὸν πάνυ Grotium noſtrum. Fateor ſane jure te tuo, uti illos ſuo crebriores à me literas exigere. Sed quid agam, qui quo longius ætas provehitur, eo minus mei ſum juris, contra veterum Romanorum mores qui ab Auguſti ævo, miſſionem dabant vicena ſtipendia meritis: eos vero, qui ſenadena feciſſent, ſacramento ſolvebant, ac ſub vexillo retinebant donec agros & præmia tribuiſſent. At ego jam bis ſenadena ſtipendia feci, nec labor minuitur, ſed gravatur. Etſi negare non poſſim jus mihi eſſe recuſandi. Sed ſi quid componatur, negare non ſuſtineo, ut mihi ipſi culpam tribuere magna ex parte cogar. Nimirum ſic cogito, Muſarum caſtra non facere militiæ finem, nec certos habere ſtipendiorum annos, ſed vel maxime hic habere locum, quod dici ſolet, Imperatorem ſtantem mori oportere. Quantum ad opera tua attinet, ea brevi aggredietur Blauwius. Sed optat, ut ſi qua in adhuc editis addideris aut mutâris (& fieri vix aliter poteſt) quamprimum ea chartæ committas, & ad nos tranſmittas. Adſcribam deinde operibus tuis, quæ hic habeo, ut auctiora & ſi fieri poſſit, meliora etiam prodeant. Jo. Janſonius ante menſes jam aliquot excudere cœpit, quæ miſeras. Et puto jam prope abſolviſſe. Seorſim etiam excudet Blauwius, quæ poſtremo accepta. Nihil tuorum in via utcumque ſilentio prætetierim in literis meis. Nempe tam occupatus ſcribere ſoleo, ut non poſſim non aliquorum obliviſſe, eoque literæ meæ magis animum meum quam ſeipſas probare tibi debeant. Dionyſius meus brevi tibi Hiſtoriam Reidani Latinè à ſe redditam tranſmittet. Opus egregium eſt. Verſionem commendare ipſe nolo: illud tamen dicere audeo plurimi laboris fuiſſe. Mittit nunc Panegyricum & Carmen ad Principem ante V. menſes editum. Nunc etiam Commentarios parat in Rabbi Maimonidis libellum de Idololatria quem tranſtulit ex Hebræo. Mittit filia mea tuæ, quæ poſtulatorum comparare potuit. De corallinis operam dedit nec ſucceſſit. Nunc quoque dum hæc ſcribo in eo occupatur. Nos adhuc de pace diſceptamus, & eventus in ambiguo eſt. Princeps Rhenoberkam obſedit. Nec hoſtes ſegnes ſunt qui jam XX. millium exercitu Moſam tranſiere. Vale optime maxime vir & amice, plurimumque ſaluta uxorem, filiam, filiumque. Sed & Laurenbergium ac Stephanium noſtros. Quorum alteri Orationem noſtram, alteri filii Panegyricum dabis. Hoc enim fieri geminum exemplar miſimus.

Amſtelodami.
CIƆ IƆ C XXXIII.
Poſtr. Kal. Jul.
Styl. Gregor.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

CCLXVIII.

*Clariſſimo & incomparabili Viro,*

# D. Gerardo Joanni Voſſio,

S. P. D.

# Joh. Beverwyckius.

*Periculum, in quod Puteanus imprudenter Staterâ ſuâ ſe conjeciſſet formidat, & ut meliora ei omnia eveniant, precatur.*

LIteras tuas merum noſtri amorem ſpirantes legi, ſumma cum voluptate. Pro innumeris tuis in me beneficiis, nunquam ſatis gratus eſſe queam, quod ſerio magis opere, aliquando teſtatum faciam. Meminit tui in vita ſua, Cl. Rutgerſius, ac ejus temporis quo ſub diſciplina tua vixit, non ſine gratiſſima tanti præceptoris memoria, ſæpe ac libenter recordari ſolere ſcribit. Tuæ etiam inſtitutioni, acceptos referens quoſcumque poſtea ei Aulæ honores dedit. Ego licet nec dignitate, nec eruditione, ſim cum hoc Heroe conferendus, quicquid tamen obtinemus, quod aliis non omnino diſplicere poſſit, tibi me debere, ut merito ita lubens profiteor. Et mecum omnes diſciplinæ tuæ alumni, qui vel ipſi aliquam eruditionem conſequuti, vel eruditionem ſaltem, & virtutem reverentur. Reliqui non

æſti-

æſtimandi unius aſſis, & calumniæ pœna digni. De Cl. Puteano quod ſcribis, valdè me percuſſit, quamvis tale quid metuerem, cùm legiſſem Stateram, doctè magis, quam prudenter ſcriptam accepi ab eo literas, Statera jam edita, quam tamen præter morem ſuum non miſit. Eam Catzius Haga (ubi impreſſam quoque noſti, nec hoc noſtro melius) ex conventu Ordinum, ubi cum plauſu excepta, attulit, & mihi legendam tradidit. Deus bone! quàm bonus ille Belga, tàm malus Politicus. Non hic ferremus, qui talia de nobis, quæ ille de Rege, de importuna Archid. legatione, & ſimilia. Ac niſi amici omnia pro illo, eſt quod metuamus vicem optimi, & elegantiſſimi ingenii. Vocatus eſt Bruxellas, bis in concilio privato auditus, & ibi manere juſſus, ſæpius audiendus. Hoc totum eſt, quod huc Bruxellis ſcriptum eſſe, heri mihi retulit H. Oemius, qui Paſtor Dordrechtanus, apud ſuos audit, ſed ob amicos quos plurimos habet, nihil illi periculi fore putabat. Sibi addictiſſimum habet, Varambonum Archiepiſcopum Cæſarienſem Infanti à ſacris, Chiffletium Medicum, qui plurimùm apud Ser. Inf. poſſunt, & alios, ſed infeſtum Roſam Præſidem Hiſpanis obnoxium, & paci ut dicitur, adverſum, qui etiam cauſa eſſe putatur cur decem jam menſibus nullæ ex Hiſp. literæ ad εἰρηνοποιούς. Infaps quoque Cardinalis, qui jam in Burgundia, non minùs quàm Eugenia, illi benè volunt. Deum rogo, & benè faciant, neque ob παῤῥησίαν hanc gravius animadvertant, in virum candoris melle penitus imbutum. In quo omine deſino, V. Cl. & te cum præſtantiſſima & nobiliſſima uxore à me, meaque ſalvere jubeo.

Raptiſſime, 8 Julii 1633.
expectante tabellario.

Si quid certius de illo, tecum communicabo. Hæc quamvis pauca, quia juſſeras, ſcribenda tamen putavi.

---

## CCLXIX.

*Viro maximo, & incomparabili*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir maxime,*

Mirum in modum, gaudio me afficit filius tuus D. Franciſcus, quod tandem aliquando te nobis adfore pro certo nuntiarit. At verò diſplicet ſimul uxori, & mihi, quod conjugis tuæ unà tecum utrique noſtrum deſideratiſſimæ adventum nonniſi dubie referat. Atque ita quidem, ut ipſe credat potius, non venturam. Quæſo ſi id fieri poteſt, aliter induc, ut ſtatuas; conducet id proculdubio, ejus valetudini mirè quàm nimiùm firmæ. Tradidi Secretario Veneto Thadæo Viro tui obſervantiſſimo, faſciculum, quem miſeras, literarum ad Illuſtriſſimum Molinum. Scire deſiderare ſe ait, an à me traditæ tibi ſint, quas per Grafwinckelium miſiſſe dicit, literæ à Pignorio, (ſi bene memini) Theologo Vicentino, itemque an intellexeris, id quod D. Van der Myle ſignificaturum ſe receperat; quantoperè Illuſtriſſimus Molinus de Ægyptiorum legibus & ritibus, tuum aliquid aveat videre. Præterea ſummopere deſiderare ſcire Molinum dicebat, abſolutuſne eſſet Reydanus, D. Dionyſii, à Typographo, quod ego aſſerere non dubitabam; quandoquidem id à D. Franciſco acceperam, qui ſimul dedicatoriam communicârat, meumque ſuper ea judicium, (quod tu quam ſit tenue, noſti ipſe, ſi quiſquam alius) fratris, ut inquiebat rogatu, quæſiverat. Quid dicam: mihi placent omnia, quæ à tam eleganti ingenio, prodire poſſint, etiam inviſa. Et placent etiam multò magis, poſtquam videre, & perſpicere contigit. Si quid tamen eſſet, uti diverſæ ſunt hominum mentes, quod placeret minus, quam cætera quæ perplacent; id ego literis ſignificare vellem, quod ex abſente cauſam, qua motus diverſum à me ſenſerit, intelligere, eaque intellecta, me ipſum refellere non liceret. Coram iſta fiunt liberius, & accipiuntur æquius. Interim nihil ego improbo, quod probarit ille, præſertim ſi tuus acceſſit probandi calculus. Vale, & tuo, unà cum uxore, ad nos adventu bea

Hagæ-Comitis ſumma cum feſtinatione, die XI Jul. CIↃ IↃCXXXIII.

*Tuum*

ἐξ ὅλης τῆς καρδίας,

G. R. Doubletium.

---

## CCLXX.

## Gulielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Gratias ei agit pro benevolè communicatis ad vulgandum Marianum ſcriptis, cujus editionem primâ occaſione promittit.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

Neſcio felicem me an infortunatum appellare debeam. Quippe hinc ingens ille favor, & affectus tuus, me tantopere evehit, & ſingulari gaudio implet, quod tum magni, tum eruditi Præſulis cum mihi amorem obtigiſſe videam: inde rurſum angor, quod in tanto affectu tuo quem par eſt animum teſtari nequeam. Semper occupationibus obrutus nunquam meus ſum. Et ſi forte aliquod reſpirandi ſpatium, ſimul & otium ſpero colloquendi cum iis, quorum aut favore obſtrictus ſim, aut amicitia, ſubito plerumque nova moles ingruet, ut jam dediſcam ſperare vacuum à laboribus tempus, qui ſemper negotia nova habeam dum adhuc veteribus quam maxime diſtineor. Equidem non ignoro ad labores hominem natum, & quietem hic ſolidam habere nequire. Sed enim cum cogito ingratum me videre poſſe in optimè de me meritos, quorum inter primos te, Illuſtriſſime Domine, pono, parum abeſt, quin importunis adeo occupationibus indignor. Pudet dicere quod menſes elapſi ſint ex quo tibi, Reverendiſſime Pater, debeo literas & gratias pro eo quod benevole adeo cætera etiam ad Marianum pertinentia tranſmiſeris. Ita ut ſi moram compenſare gratiarum magnitudine æquum ſit, nulla verba inveniam, quibus ſatisfacere poſſim. Animum ſolum tot & tam variis impeditum nihilominus ſemper veneratione tui plenum retineo: & quia ille bonus eſt, facile veniam ſpero apud te, Illuſtriſſime Præſul, qui humanitatem tuam prolixe adeo in me effudiſti. Nunc tandem quas diu volui literas celerare libuit ob occaſionem, quâ non aliam habere meliorem potui dum apud nos eſt Præſtantiſſimus Boſwellus: cujus ſi eruditionem æſtimem, non minus miror ingentem, quâ te proſequitur venerationem. Volupe fuit mihi ſermones conferre cum eo, quem pro ſummis virtutibus tuis tantum eſſe cultorem tui viderem: cumque eo pro cujus pietate, doctrina, induſtria, magna in Hibernia incrementa additum iri ſpero melioribus ſtudiis. Cæterum ad Marianum ut veniam, eum in lucem mittere per diverſa hactenus nequivi. Nam & cura operum quæ ſub prælo habeo obſtabat, & Typographus tam multa & varia receperat ut culpare non poſſem, ſi moræ aliquid poſtularet. Non committam tamen, quin primâ, quam Deus dederit, occaſione, præſtem, quod & tibi & mihi in votis eſt. Tantum breve ſpatium rogo, quo in ordinem redigam mea, & expedire animum liceat ab iis quibus nunc diſtinetur. Te interea, Illuſtriſſime Domine, ſupremo numini, me & illi & tibi com-

commendo: atque oro ita habeas perſuaſum, neminem te inter Belgas habere, qui Illuſtre ac Reverendum nomen tuum devotius veneretur.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

Amſtel. cIↃ IↃ c xxxiii. vi. Kal. Sextil.

G. J. Vossius.

---

CCLXXI.

## Gerardus Joannes Voſſius,

*Viro Clariſſimo,*

## Erycio Puteano,

S. P. D.

*Periculum metuit quod Staterâ belli & pacis Puteanus ſibi ipſi dicatur appendiſſe, proximâque occaſione de fortuna ſua ut certum reddat, expetit.*

ETſi valde faveo novo honori præſtantiſſimi viri & amici Plempii, tamen vere dico, cum dolore ab eo avellor. Plane maluiſſem ut patrium hoc Lyceum ingenii doctrinæque ſuæ laudibus decoraſſet. Præſens ejus properus abitus haſce mihi literas, vel potius tumultuarias literulas extorſit; uberiores dari nunc oportebat, quia raro iis procurandis tam boni offerantur amici: ſed nunc facere quod poſſum, cogor, non quod volo. Intellexi his diebus editam à te Stateram pacis & belli, multis quidem ingenii & doctrinæ indiciis relucentem, ſed φιλαληθιότερον, quam tempora hæc ferunt. Quare & Bruxellas vocatus dicebare: non poſſum dicere quam id male me habuerit, ſed tamen ſolatur eximia eruditio, & pius animus, & magni quos habes amici. Nec enim illi patientur triſtius te propterea haberi. Tu quæſo, ſi conſultum putas, fac me quamprimum de rebus tuis certiorem. Scis illud poëtæ:

*Res eſt ſolliciti plena timoris amor.*

Summi numinis cuſtodiæ te meque commendo. Scribebam præcipiti ſi unquam calamo.

Amſtelodami. vi. Kal. Sextil. An. cIↃ IↃ c xxxiii.

---

CCLXXII.

## Hugoni Grotio,

*Conſcium facit periculi, in quod Erycius Staterâ ſuâ Belli & Pacis incurrerit.*

*Vir Ampliſſime, amicorum Optime Maxime,*

EUnte ad vos Matthiſio, haud aliud ſcribere habui, quam quod his diebus haut lætus accepi, optimum, & diſertiſſimum virum Erycium Puteanum, in periculum, aut certè moleſtias aliquas incidiſſe. Scripſit Stateram Belli, & Pacis, quo nonnullis de partium ſuarum impotentia prolatis, complures offendit. Noſti faſtum Hiſpanorum, & Principum aures, quorum nec hæ, neque illi veritatem accipere ſuſtinent. Itaque niſi noſſem multos ei in aula Bruxellenſi, quò vocatus eſt, amicos eſſe: niſi quoque ingenium, & eruditionem illius æſtimari ſcirem, ſiniſtri aliquid vererer. Nunc optima non omnino deſpero. Utinam non aliud audire cogantur, quam quod olim in ſimili ferè negotio, à Phalaride ajunt fuiſſe dictum Simonidi? Μέλοιτ' ἔτι Μυσᾶν ἀκλέης πόνος. Rerum hic novarum nihil. De Pace adhuc ambiguæ opiniones. Haud dubiè, priuſquam conveniat, de noſtris, aut hoſtium armis aliquid audiemus. Opus noſtrum Grammaticum quotidie procedit. Jam libro quinto prælum fervet. Reidanus filii mei Dionyſii intra hebdomadem unam & alteram finem accipiet. Simulac editus erit, tibi mittet, qui jure tuo non illum modò, ſed quicquid etiam à me, aut meis proficiſcitur exigere potes. De filio tuo ſubinde Rectorem Oſtdorpium conveni, cujus literas accipies cum meis. Abſque eo eſſet, fuſiùs ſcriberem. Ingenium ſemper laudat. Viſus tamen paulo plus diligentiæ requirere. Quod celare non debui, quatenus tuis, non minus quam meis benè volo. Quia una alteraque hebdomade domi cum meæ non videram, ipſe acceſſi domum illius, & commonui, ut frequentius me, meoſque inviſeret. Simul autem vellebam de Oratione quadam è Tacito, quam promiſerat ſe carmine redditurum. Non deſinam eum monere, & hortari, omniaque illa facere, quæ te velle ſcio. Vale Ampliſſime vir,

*Tuus tuo merito,*

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxiii, v. Kal. Sextil.

G. J. Vossius.

---

CCLXXIII.

## Joanni Hülſemanno,

S. P.

*Amorem atque amicitiam ſuam illi teſtatur, pro donatis diſſertationibus gratias agit, atque ſimilibus monumentis Eccleſiam beet, Deum precatur.*

CUm nihil, Clariſſime Hülſemanne, lubentius legam, quam Præſtantium virorum literas, tamen adeo tardus ſæpius ſum in reſcribendo, ut videri poſſim metuere, ne ſi diligentior hac parte ſim, nimis multas ab iis accipiam. Quod non aliunde eſt, quam à negotiorum mole. Atque hæc in cauſa etiam fuere, cur prioribus tuis literis, tanto ſcriptis affectu, non reſponderim. Acceſſit fiducia facilitatis tuæ: ſed nunc alteris etiam prævento, ulterius in ſcribendo eſſe remiſſo non licet, ne injurius videar in amicitiam noſtram nuper initam. Quomodo enim, præterquam Epiſtolari hac via, colere eam liceat, quandoquidem tanto disjungimur intervallo? Itaque non facile committam, ut hac in re induſtriam noſtram deſideres. Multum enim, mi Hülſemanne, amo te, ac æſtimo; ac crebro in mentem venit, jucundæ illius diei, quo unà de rebus divinis colloqui dabatur: ſæpeque mihi optem tales recurrere; facile enim tum perſpexi egregias animi dotes. Atque opinionem de te meam poſtea auxere duæ & viginti diſſertationes tuæ eruditiſſimæ, quas muneri reliqueras. Deum oro, ut in hac ſtatione diuturnè contingat, quo deinceps ſimilibus monumentis Eccleſiam bees. Nihil verò æque me in ſermonibus tuis delectavit, quam quod ſtudium pacis ac concordiæ junxiſſes amori veritatis ſtrenuè tuendæ adverſus omnes, πτωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τοῦ χριστοῦ δογματίζοντας, καὶ δοξάζοντας. Nam quod de Ebionitis veteribus Euſebius ſcripſit, id nobis accommodare liceat, Novis illis, quos ſemiebionitas poſſis dicere. Rerum novarum, poſt Rhenoberkam captam nihil hic habemus. Etſi vero aliquot ab annis omnia fluxerint ex voto, nihil tamen æque exopto, quam ut bellum hoc pax excipiat. Cujus ſpem vel toto ſinu admitto.

*Non ſemper imbres nubibus hiſpidos Manant in agros.*

Ut monet Flaccus. Quare & nobis, his locis, & Germaniæ etiam veſtræ, imo & noſtræ, quandoquidem in ea vitalem primo auram hauſi, ſperare liceat ſerenitatem poſt nubila & turbida. Quo in voto deſino, idque eo lubentius, ne longior ſim præter morem, qui verborum parcus eſſe ſoleo,

ſoleo: ſolum rogo, ita tibi perſuadeas, ſicubi uſui hic tibi ulla in re eſſe poſſim, vel aliis etiam, quos commendare nobis voles, operam me daturum, ut intelligas quanti te faciam.

Amſtelodami VII. Kal. Sept. An. cIↄ Iↄ cxxxiii.

*Te æternum amaturus,*

G. J. Vossius.

## CCLXXIV.

## Hugoni Grotio.

*Littera commendatitia Sliſſeri. Meminit in iis etiam de morte Archiepiſcopi Cantuarienſis, & ei ſuffecto Londinenſi. Jucundum ſibi eſſe ſcribit, quod percipiat apud exteros Principes magnam Grotii rationem haberi, id dolet, quòd in Batavia res ejus in ambiguo adhuc pendeant.*

*Ampliſſime Vir,*

QUi has defert, nomine Johannes Fredericus Sliſſer, Hala-Saxo, Lugduni aliquamdiu ſtudiis operam dedit: unde per urbem noſtram Helmſtadium cogitans, ajebat, deſiderio ſe maximo teneri videndi ac ſalutandi tui: quod quo honeſtius poſſet (utrum motu proprio, an conſilio alieno non ſat ſcio) obnixe rogabat, aliquid ſibi literarum ad te dare vellem. Primùm tergiverſabar non tam quia hactenus non vidiſſem juvenem, quam quia occupatiſſimus eſſem hoc tempore, & uxorem tuam quotidie hic expectamus, per quam quicquid ſcribendum eſſet, optimè curaretur: ſed enim ille inſtare, & viſus perhoneſtus, literarumque, ac literatorum amans. Quare tantillum nolui denegare. Prorſus vero erat, ut una mitterem Reidanum à filio Latinè redditum. Quippe jam menſis eſt quod lucem vidit, ſed nolui ignotum onerare. Fortaſſe jam aliunde intellexeris de obitu Archiepiſcopi Cantuarienſis. Ei ſuffectus, ut audio, Epiſcopus Londinenſis, vir ut mei tuique amantiſſimus, ita veritatis, & pacis admodum ſtudioſus, & eapropter non æque carus illis, quibus novellitas, & diſſidia placent. Deus diuturnam ei vitam det. Aliquid hic cognovi de colloquio tuo cum Sereniſſimo Daniæ Rege. Aliunde etiam percepi, ut Rex Poloniæ de te cogitet. Mihi hæc perjucunda, qui optimè, ut debeo, tibi tuiſque volui ſemper, nec velle deſinam: ſcio tamen quid magis exoptarim; ſed ſi Tardipede illo Deo, Dii Batavi tardiores eſſe pergunt, equidem infœlicitatis noſtræ cauſa illis magis tribuenda erit, quam tibi, cui miſerum eſt ſemper pendere. Quod cum dolore ſcribo. Vale, Vir, & amice incomparabilis.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxxxiii. x Kal. Octobr.

*Tum tuo merito,*

G. J. Vossius.

Poſtquam has literas exararam, pluribus cum Sliſſero ſum collocutus, & intelligo eſſe eundem, qui ante annum locutus mecum de recta ſtudiorum ratione. Sæpius etiam me docentem audivit, imò & ſermonem tecum habuit Hamburgi. Calixto Germaniæ, ut ego quidem cenſeo, Theologo Principi, eſt familiaris. Hæc quia me fugerant, cum ſuperiora ſcriberem, attexere volui, quia ad commendationem ornatiſſimi, & doctiſſimi juvenis facere videbantur. Iterum vale.

## CCLXXV.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Judicium ejus de optimâ ratione inſtituenda pueritia perjucundum fuiſſe cognitu ait, licet ea haud facile effectui dari queat. Cæterum decreto cautum eſſe ſcribit, ne quis extra ſcholas publicas pueritiam inſtituat, omneſque privatæ informationes ac conventicula diſturbentur.*

EOrum quos vides, unus eſt nobiliſſimus juvenis Guldenſternius Danus, cui Parens ſuperſtes, eques auratus, vir ut antiqui ſtemmatis, ita magnæ in Regno authoritatis. Alter eſt ornatiſſimus, doctiſſimuſque Ernſtius Helmſtadienſis, qui in Academia Sorana juris Profeſſor Meurſiique noſtri Collega fuit. Hi luſtrata Gallia, Italia, ac Sicilia, nunc domum redeunt, magnæque fœlicitatis cenſent, quod Hamburgi ſibi compellandi tui occaſio erit. Perjucundum mihi fuit cognoſcere judicium tuum de optima ratione inſtituendæ pueritiæ, neque mihi alius unquam animus fuit: ſed proximis duodecim annis, & quod excurrit, vix ulla in Bataviæ civitate, potiri ea Doctoris, ac cœtus quem deſcribis fœlicitate licuit; ut omnino aut privatim domi alendus fuerit pædagogus, aut puer in ſcholas publicas ablegandus. Cum enim tota Reip. facies immutaretur, illud etiam cautum facit, nequis extra ſcholas publicas pueritiam inſtitueret. Quo pacto fiebat, ut nec Eccleſiaſtico, nec Scholaſtico munere dejectis ſtudia ſua prodeſſent, ad ſe ſuoſque ſuſtentandos: nec Parentibus qui Remonſtrantibus addictiores forent, poteſtas eſſet liberos ſuos aliis committendi Præceptoribus, quam qui Synodalibus ſe decretis adſtrinxiſſent: ſed Decretum hoc paulatim in urbe hac, biennio proximo, aut triennio, cœpit negligi. Ita ut nunc, tres quatuorve ſint, qui ſeorſim honeſtiorum Civium liberos inſtituant, aliqui etiam in convictum recipiant: ringente admodum Gymnaſiarcharum altero, nomine Stado, ejus quem de nomine noſti, filio, qui Patri in ſcholaſtica hac Palæſtra ſucceſſit. Is poſtquam Proceres me utriuſque ſcholæ ſuæ curam gerere voluerunt, ſæpe apud me conqueritur, quod Ordinum, Urbiſque Decretum ſic negligatur, eamque cauſam eſſe ait, quod tam paucos habeat diſcipulos, paucioreſque convictores. Nec minus fatigat Scholarcharum alios, ut quicquid eſt ſcholarum hujuſmodi diſturbetur; ſed ſurdis canit, quia pleriſque ex ipſis Proceribus, altera magis via placet. Et ſanè audio, eos gratulari ſibi, de liberorum in privatis ſcholis profectu: ſed quot numero diſtinctos, quam multos item in convictum habeant, nondum poſſim dicere, pleniuſque de eo exquiram die craſtino. Nunc fieri id non potuit; nec niſi heſterna die literas de hoc tuas accepi. Intelligo ex filio tuo, uxorem tuam intra octiduum vel circiter hic fore, eamque Hamburgum cogitare. Id ſi eſt, de iſto, & aliis, optima ſcribendi occaſio erit. Habitat Lugduni Batavorum, vir egregius & cordatus, Matthias Overbekius, literatus ipſe, ac literatorum amans; nec paucorum adoleſcentum, qui ſacra ſtudia excolere nutricius ac Mecænas. Hic nihil æque exoptat, ac ſtudet, quam ut ex ampliſſima hæreditate, quam cum cohæredibus adiit, decidatur portio, quæ ſufficiat ſex ſeptem alendis, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudioſis. Ac partim eo movetur, quod utile ſit futurum Eccleſiæ Dei, his maxime temporibus, quibus omnes, prope in partes eunt; paucique adeo rectam inſiſtant viam: partim illo etiam, quod certo ſciat, nec ignorare cohæredes poſſint, eam fuiſſe defuncti ſententiam; cui grave eſt refragari, utcumque civili jure conſtringi fortaſſe non poſſint. Videor mihi ex Overbekio non obſcure intelligere, cohæredum eſſe unum (cognatum arbitror) quibus hæc non ſatis placeant, eoque à me mirum in modum petiit, ut ad te tranſmitterem, quem ipſe hac de re conſignarat, quo plenius mentem

tem ſuam intelligas; ſimul rogavit, ut hoc negotium commendarem tibi, quem conſilio & auctoritate ajebat plurimum apud cohæredes poſſe. Hæc ea ſunt, de quibus nunc ad te ſcribere volui. Vale, vir incomparabilis, & valetudinem tuam, pro qua innumeri vota faciunt, cura diligenter: ſalutat te familia univerſa; ſimul filium tuum, de quo non dubito, quin magnis paſſibus, in ſtudiis pergat; præſertim ex quo tecum aſſiduè eſt, & te Ἐγχειρίδιον τῶν omnium habet.

Amſtelodami, ciↄ Iↄcxxxiii. poſt. Kal. Octob.

*Tuus tuo merito,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCLXXVI.

## Guilielmo,

### Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Archiepiſcopalem ei in Eccleſia Cantuarienſi congratulatur dignitatem. Offert duo Dionyſii filii munera: Hiſtoriam Reidani e Belgico in ſermonem Latinum tranſlatam, & ex Hiſpanico in Latinum, opus de conciliandis S. Scripturæ locis, quæ in Pentateucho videntur inter ſe pugnare. Se in Eccleſiæ Hiſtoria ſtrenuè laborare, ſignificat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

TRiſtem nuncium huc allatum de morte Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cantuarienſis, lenivit mox fama, quæ adferebat, plurimorum eo vota, ac, ut addebant, Regis ſapientiſſimi eo conſilia tendere, ut tu in ſummo hoc pulcherrimoque Eccleſiaſticæ dignitatis gradu locareris. Quæ mihi eo magis volupe fuit audire, quia & quo ſtatu Eccleſia Chriſtiana nunc ſit, & quantum tibi pietatis ac prudentiæ ad eam dirigendam, quodammodo videor intelligere. Unde ſpem maximam concipiebam, fore, ut Dominus Deus, cujus in manu corda hominum ſunt, magis magiſque huc animos flecteret. Eo dum flagro deſiderio, ecce Haga mihi ab amico literæ, quibus perſcriptum, jam eam te in ſedem aſcendiſſe. Ac paucis poſt diebus idem diſperſit fama, qua non aliam lætiorem longo tempore ad aures noſtras advolaſſe poſſum dicere. Nec tamen tam bene in Batavia hac, nec puto in Britannia agitur, ut malevoli deſint, vel etiam male creduli, quibus quia primæva ſordet Antiquitas, exoſaque eſt Eccleſiæ diſciplina, eo alteri hoc honoris collatum præoptent, nec linguæ id virulentia diſſimulent. Sed iſtis moribus jam à multis annis in Eccleſia Dei vivitur: beneque agitur cum bonis ſi tales maledicere ſolum poſſint, malefacere non poſſint. Nec interim non magnus numerus eorum, qui rectius ſapiant, ac mecum divinam venerantur Majeſtatem, cujus providentia huc faſtigii perductus es, & ſupplices eandem rogent, ut diu te graviſſimis hiſce temporibus regere Eccleſiam permittat. Quæ quanto diutius prudentia tua dirigetur, tanto haud dubie felicior erit. Quantum ad filium meum Johannem attinet, eum ex tuo potiſſimum, Reverendiſſime Pater, conſilio, & quorundam hic amicorum, revocavi: & agit nunc in ædibus meis. Quid facto mihi opus ſit, & an remittere eum in Britanniam conſultum ſit, adhuc hæreo: Fortaſſis tempus me in hanc aut illam partem trahet. Filiorum alter Dionyſius hiſtoriam patriam è Belgico ſermone Latinè tranſtulit, & vulgavit; quam hic mitto. Auctor Vir fuit doctus, gravis, prudens, & quod in Hiſtorico primum, Reipub. ejus quam deſcribit, apprime intelligens. Sed quorundam judicio, quia Guilhelmo Naſſovio, Friſiæ Gubernatori, à Conſiliis eſſet, Naſſoviæ domui in hoc opere addictior, quam Hiſtorico conveniret. Ab hoc fonte & capite eſſe arbitrantur, quod Vir alioqui laudatiſſimus & Belgicorum Hiſtoricorum facile princeps, ſic Arauſionenſium Principibus, & maxime Comiti Wilhelmo Naſſovio bene geſtorum gloriam adſcribat, ut juſtum decus vix tribuat Fœderatæ Belgicæ Patribus: de quibus liberiora ſubinde judicia occurrunt. Ut mirandum non ſit, ſi minus quandoque pepercerit, vel Sereniſſimæ Reginæ Elizabethæ, vel Gallorum Regi, vel Cæſari, vel exteris Principibus, aut Rebuſpublicis. Addidi huic operi alterum quod ex lingua Hiſpanica proxime vertit de conciliandis Sacræ Scripturæ locis, quæ in Pentateucho pugnare inter ſe videntur. Etenim utile viſum eſt Chriſtianis omnibus, quæ ad Quæſtiones divini operis commentati eſſent Rabbinorum doctiſſimi: quorum ferè omnes opiniones hic liber complectitur. Uterque hic labor in cauſa fuit, quo minus Maimonidis diſſertationem de Idololatria conſummaret. Nunc tamen ad eam rediit, totuſque incumbit, ac vix ſexta pars operis ſupereſt, ut intra quintum hebdomadem vel circiter Typographo tradi poſſit. Nec ſegnius ego deſudo in Eccleſiæ Hiſtoria. Sed quotidie deploro, quod non in villam aliquam me poſſim ad menſes aliquot abdere. Nunc quibus horis non publico munere diſtringor, iis dicere non poſſum, quam multi interpellent, partim Belgæ, partim Exteri, plerique aut genere illuſtres, aut doctrina clari, quorum ego affectum non poſſum non exoſculari: ſed dum me illis do, dormiunt opera tot quæ habeo affecta. Quamobrem, adventante hyeme, gaudeo, quia tum magis meus eſſe incipio. Sed peccare me video, Illuſtriſſime Domine, qui in his difficillimi muneris initiis, tam longis literis tempus majoribus & melioribus eripiam curis tuis.

Deum Optimum Maximum iterum oro, ut quemadmodum te gratia ac providentia ſua in ſummi Præſulis ſede collocavit: ita etiam prudentia ac fortitudine roboret, & cunctis Spiritus ſui donis cumulet: ut improborum conſilia & conatus irrita reddat, ad Sereniſſimi Domini Regis, & florentiſſimi Regni Britannici, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ bonum.

Amſtelodami, ciↄ Iↄcxxxiii, poſtr. Kal. Octobr.

---

## CCLXXVII.

*Clariſſimo*

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Opera ejus ſpiſſe procedere refert. Publicas privataſque res novas familiariter cum eo communicat. De ſimultate Heinſii cum Salmaſio nonnulla aperit.*

QUam tardus ſit Joannes Janſonius in excudendis tuis Regibus Atticis, argumento eſt, quod nunc demum ad Indicem deventum. Ipſe ad Nundinas Francofurtenſes abiit. Petebam ab uxore & Typotheta primario, ut, quantum excuſum eſſet, occaſione hac ad te mittere liceret. Sed abſente & neſcio Janſonio, negabant ſe hoc audere. Nempe durantibus his inimicitiis inter ipſum & Blauwium, ſub quolibet lapide metuunt ſerpentem. Fortè quia Blauwio, non minus quam ipſo, utor familiariter, metuere, ne Blauwio ea traderem; is verò quam celerrime recuderet, quo utraque editio ſimul prodiret, non levi hujus Janſonii damno. Hoc ne vererentur, juſſi, ut chartas ipſi ad te mitterent obſignatas; ſed ſurdis canebam. Quæ ad primum operum tuorum Tomum pertinerent, rectè accepi, inque ineditis juvit oculos & animum paſcere tot bonis, quæ videre erat in lætis & latis illis tuæ Græciæ campis. Ringantur duo tres malevoli: juſtum virtuti doctrinæque tuæ ſemper pretium erit: invidi autem quid niſi paſtoritia fiſtula excipiuntur à cunctis, qui ſtudia hæc ſciunt ſuo pretio æſtimare. Ad editionem quod attinet, ſuper eo ipſe ad te Blauwius

vius ſcribit. Metuo ne tibi longior mora videatur, quod demum poſt trimeſtre editionem auſpicabitur. Sed, mihi crede, ita prælum ejus variis fervet, ut ante vix poſſit. Et præterea propemodum omni charta deſtituitur; nec ille modo, ſed etiam Typographorum alii: idque quia mercatores chartæ quod Bataviæ deſtinatum putabatur, id omne in Moſcoviam, & loca alia, avexêre. Itaque jam tertium menſem in Exercitationibus meis Grammaticis ceſſare operæ coguntur, me plane illibente. Nam exonerari tandem minutiis illis exoptem, quo totum me dem iſtis, unde & plus mihi honoris, & quod caput, publicæ gloriæ. Mitto tibi Reidanum à filio Dionyſio tranſlatum: de quo judicium tuum non anxius exquiro, gnarus ab amicis plurimum, qualiacunque etiam laudari. Hic tamen, ne quid diſſimulem, ſatis magnis ſtudiis labores ejus excepti ſunt. Adeo & conciliationes locorum ἐναντιοφανῶν in Pentateucho ſcriptas ab docto Judæo, hac in urbe inter ſuos Eccleſiaſta; à filio verò meo in Chriſtianorum gratiam, ex Hiſpanico tranſlatas, ſed ſtylo qui argumento iſti magis convenire videbatur ne floſculos hic ullos expectes. Si minus ex hoc opere quicquam haurire ſit, quod ſtudia tua juvare poſſit, poteris donare Academiæ noſtræ Theologo, vel alii amicorum, omnino invenient Theologi quod diſcant. Pauci enim Rabbinos legunt, vel intelligunt; At noſter ille Manaſſes Ben-Iſraël (id enim Conciliatori nomen eſt) omnem prope ætatem in hujuſmodi ſcriptoribus trivit. Maimonides, quem ex Hebræo filius idem vertit, & notis illuſtravit, properat ad finem. Rerum novarum publice vix quicquam habemus. Princeps quid agat, ambigitur; exercitum habet numeroſiſſimum. Sed & hoſtium majores, quam antea, vires ſunt, ut non aliud tempus, plus ei glôriæ addere poſſit, ſiquid præclari geratur. Quod ſi privata etiam notorum noſſe cupis, Lugduni Feſtus ſuam Johannam Cuchlinam, ſuam Rutgerſiam Daniel Heinſius, Johannes etiam Latius ſuam Balduiniam amiſêre. Feſti Hommii uxor graves & diuturnos dolores, & cancro excruciatum corpus habuit. Teſtamentum una fecerant ambo ejuſmodi, ut qui diutius viveret, meliori aliquanto loco eſſet, quam defuncti hæredes. Sed hæc ubi certam ſe mortem manere brevi videt, callide, marito ignaro, aliud fecit teſtamentum. Itaque dimidia bonorum omnium parte quamprimum cedendum Hommio. Non Bibliotheca, non aliud quicquam, quin juſto ſit pretio æſtimatum. Sed Hommius non tam male ferre videtur, quam alii qui illi optime volunt. Cuchlina ex Bertii liberis non alios hæreditatem adire voluit quam duos illos, qui in patriam huc remearunt. Id Bertium peſſimè habet, equidem doleo propter minimum natu, omni à culpa immunem, quem Bertius in memoriam ſoceri mei Franciſcum vocarat, ſpondente pro eo in Baptiſmo uxore meâ. Heinſii uxor hydropica erat ex malo lienis, quod & alios morbos pariebat; nec multum à delirio aberat. Multum ei morbum adauxit infortunium fratris, mercatoris Amſtelodamenſis, qui foro ceſſit. Ille verò conqueri ſolet de ſorore, quod propemodum ex aſſe eſſet hæres Jani Rutgerſii. Quaſi, ſi qua hic culpa eſt, ea non omnis in Jano potius Rutgerſio, quam Heinſia reſederit. Salmaſius Lugduni vivit, ſed impetigine ita fœde laborat, ut hactenus inviſere nos auſus non ſit. Quanta ſimultas Heinſii erga eum nemo Lugduni ignorat. Et quod pejus eſt, traxit ille non paucos in partes, qui ſolo Heinſii amore, peſſime de Salmaſio loquantur. Fœdum hoc malum obtrectationis, quo eruditi tantopere laborant. Prorſus ſatius erat neſcire literas, quàm eas fœdare ſic invidiæ & loliginis ſucco. Hugo Grotius Hamburgi adhuc degit; ſed vitio ſtomachi mala valetudine agit, ut heſterna die ex filio natu ſecundo, qui ſtudiorum cauſa in urbe noſtra agit, intelleximus. Equidem Deum non intermittam precari, pro incolumitate ejus viri, qui, ſi totum æſtimemus, parem non habet, ſuperiorem ſaltem neminem. In Britannia fato nuper functus eſt Abbotus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. Succeſſit ei Guilelmus, Londinenſis Epiſcopus, vir pietate, prudentia, eruditione nemini ſecundus, mei quoque amantiſſimus; idem pacis publicæ ſumme ſtudioſus, denique laudibus dignus majoribus, quam ego aut alius quiſquam tribuere ei poſſit. Cætera cognoſces ex nobiliſſimo Guldenſternio, & optimo doctiſſimoque Eruſtio, qui luſtrata Belgia, Germania, Gallia, Italia, Sicilia, hodie ad ſuos remeant. Petebant ut ad te literarum aliquid ſcriberem. Sed ſatius putavi ut epiſtolam hanc Crugio tuo darem, ne faſciculo librario ſimul egregium illud par onerarem. Dicito ſalutem plurimam uxori tuæ, à mea, quam utinam meliori valetudine aliquando videam. Liberi etiam mei tuos impenſe ſalutant. Sed Collegas etiam optimos, maxime Laurenbergium & Stephanium VV. CLL. impertias ſalute. Vale.

Amſtelodami, pr. Non. Oct. cIↄ Iↄc xxxiii.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CCLXXVIII.

*Typographum in promovendis operibus ſuis urgeat, rogat; inique fert Heinſium inter & Salmaſium diſſidium. Reidani Hiſtoriam & Manaſſis Ben-Iſrael conciliationes locorum Pentateuchi à filio Dionyſio Latine redditas, laudat, ac ad majora capeſſenda exhortatur.*

GRatas mihi tuas fuiſſe, nullus dubitas: neque eſt quod ego exprimam. Janſonii noſtri tarditatem valde miror, ac fortaſſe amat ille Reges meos quaſi ſub cuſtodia habere. Sed bene agitur, quod jam finem ſuum ſpectent: niſi ſane, quod confido, jam acceperint. Neque enim Indices, ad quos pervenerat Typographus, diu adeo remorari illos poſſunt. Doleo contentionem inter duos hos librarios, cùm vicinos, tum cognomines. Sed non aliter ſolent illi, quibus vita eodem quæſtu toleratur. Magis autem inique fero, quod diſſidii inter Heinſium & Salmaſium eſt. Non debeat, inter viros tanti nominis. Miſera certè & ridicula eſt ambitio, tum indigna quoque invidia, parem in altero honorem aut ſtipendium animo iniquo ferre. Quanquam de ſtipendio ſane ut exiſtimo non contenditur, nam hoc Heinſius ſuperior. Reidani Hiſtoriam, & Judæi a hominis Conciliatorem libens vidi: magis etiam quia filio Dionyſio utrobique parta eſt gloria: Faveo ex animo, & creſcentem famam gratulor. Sed quid Julius Cæſar ejus, an quieſcit? altum enim in literis tuis eſt ſilentium. Pridem moviſti ſalivam, tam præclari operis promiſſione. Meorum operum primum Tomum rejici in extremam hyemem, facile fero; dummodo tum ſeriò editio promoveatur. Quæſo ne urgere ceſſes. Exiſtimabam fore ut minuta illa tria Opuſcula, *Piræus*, *Reliqua Attica*, & *Familia*, ſeorſim excuderentur: ſed ſpes ea, uti video, me fefellit: tamen fieri optaſſem; liberandæ apud amicos fidei meæ, quam obſtrictam à biennio illi tenent. In his ſalve cum uxore liberiſque, à me mea atque meis. Imprimis Dionyſium tuum ego ſaluto & exhortor ad majora capeſſenda; neque enim ſic incepit, ut deſineret. Reſalutant Laurenbergius ac Stephanius. Filia mea Corneliæ tuæ plurimam ſalutem dicit, & gratias agit pro navata ſibi opera.

a *Manaſſis Ben-Iſraël.*

Soræ ad diem xxix. Novemb. cIↄ Iↄ c xxxiii.

*Tuus fide Batavâ,*

Joh. Meursius.

## CCLXXIX.

### Merico Caſaubono,

S. P.

*Gaudii ſui, quod ex promotione Epiſcopi Londinenſis in Archiepiſcopum Cantuarienſem concepit, participem eum*

*eum cupit. Grotium à Dania Rege magni ſtipendii ſpe vocatum eſſe aſſerit. De Reidani Hiſtoria à Dionyſio filio Latinè reddita, quæ ad notitiam auctoris faciant, quædam addit. Eam ſimul cum libro Manaſſis Ben-Iſraelis, quo ex Rabbinis ἐναντιοφανῆ conciliantur Pentateuchi loca, ex Hiſpanico pariter à filio Latinè reddito, dono tranſmittit.*

SImulac intellexi, Clariſſime Caſaubone, Reverendiſſimum Patrem, ac utriuſque noſtri Mecænatem, Guilielmum Londinenſem hactenus Epiſcopum, ad Archiepiſcopalem eſſe dignitatem evectum, equidem præ voluptate mihi abripi extra me videbar, non tantum quod Præſulem utrique noſtrum adeò faventem, ſummum in Eccleſia Britannica tenere dignitatis & auctoritatis locum cognoſcerem; ſed vel maxime ipſius Eccleſiæ cauſa; cujus ſtatum indies in melius iturum non dubito, poſtquam nacta eſt antiſtitem ejus pietatis, tam raræ prudentiæ, & eximiæ adeo doctrinæ. Non debeo apud te laudare eum, cujus mirandas dotes melius me noviſti: tantum felicem prædicare libet Britanniam univerſam, maximeque Eccleſiam Cantuarienſem, fortunatos nos, qui Præſulem hujuſmodi nacti ſimus. Det modo ei numen vitam longævam, & quotidie ſpiritu ſuo impleat ad bonum Eccleſiæ ſuæ, & totius Regni Britannici; cujus proſperis ita faveo, ut patriæ alteri oportet. Hic rerum novarum non aliud eſt, quam quod noſter & hoſtium exercitus iiſdem in campis conſederunt. Vires utrimque pares eſſe feruntur; niſi quod equitatu nos ſuperemus, ex quo auxilia Suecorum (quinque millia equitum ſunt) acceſſere. Plerique ad manus deventum iri antea arbitrabantur. Sed nunc plerorumque opinio hoſtem non facile ſe prælio commiſſurum, ſolumque hoc acturum, ut ſe caſtris ſuis tueatur. Magnus Hugo Hamburgi adhuc agit, & à Daniæ Rege vocatus eſt magni ſtipendii ſpe. An oblata ſit accepturus, nondum mihi conſtat. Die heſterna hinc uxor ejus ad illum profecta eſt, credo, ut ſimul de re tota conſulent. Eo anxia magis deliberatio, quia & Illuſtriſſimus Oxenſternius, Suecici Regni Cancellarius amicis eum literis invitat. Quod ex conjuge ipſa accepi. Et ſcio in Poloniæ regno quoque de eo cogitari. Et jamdiu alicui ſe regno addixiſſent, niſi Batavorum Procerum aliqui in cauſa eſſent, cur moras necterent. Mallent illi in patria eum vivere. Sed ita ſciſſa ſtudiis Reſpubl. efficere non poſſunt, quod volunt. Meus quidem animus eo magis inclinat, non du recuſaturum occaſiones oblatas, quanto tam averſam à ſe patriam experitur. Mitto tibi Hiſtoriam Belgarum, quam nuper tranſtulit Dionyſius filius meus. Rogamus uterque gratum habeas hunc ejus laborem. Sententiam fide optima expreſſit; & exiſtimatur ſcripſiſſe ea dictione, quæ hiſtoriæ conveniat. Cæſarem imprimis ac Tacitum imitatur; quos prope in ſanguinem & ſuccum vertit. Sed quid ego in judicio tibi præ eo, qui tuum potius judicium expecto? Solum igitur de Auctore ipſo addam, fuiſſe virum Conſularem, aliiſque dignitatibus perfunctum, etiam Delegatum in Generalium Ordinum conſeſſu, & à Conſiliis Guilielmo Comiti Naſſovio, Friſiæ Gubernatori: ut non alter melius penetrare potuerit arcana hujus Reipublicæ. Magna ſcripſit libertate, non ſolum quæ exteros Principes ſpectarent, ſed etiam quæ ad Fœderatæ Belgicæ Patres pertinerent. Eoque noluit ſua prodire, niſi duodecim annis ab obitu ſuo exactis. Nempe metuebat offenſas Potentium quas prævidebat. Alterum quod Reverendo Decano exemplar daretur, non habebat filius: ſed ne ἀδώρητος ſit, mittit ei librum Manaſſis Ben-Iſraëlis, quo conciliat ex Rabbinis ἐναντιοφανῆ Pentateuchi loca, ex Hiſpanico à ſe tranſlatum. Nec operam ea verſione filius perdidit, cum nil prope operoſius ſit, quam oſtendere convenientiam locorum Scripturæ quæ pugnare videantur. Non inutilem profecto laborem iis navârit, qui ſcribere poſthæc in Libros Moſaicos volent. Non omnia in illo volumine probamus. Judæi eſt opus, in hac urbe ἐκκλησιάζοντος inter ſuos. Sed tamen videbimus, ut qui poſthac commentari in Moſaica volent, ex Rabbinis ſibi non lectis hinc depromturi ſint, quibus gratiam ac venerem ſuis concilient, & multijugæ lectionis honorem ab imperitis conſequantur: Nimirum ſic hodie vivitur. Alii vere eruditi, alii videntur. Pecunias meas quod attinet, rogo, amiciſſime Caſaubone, per Peyſterum mihi dimidii quantum anni eſt mittas. Tantum enim debitum jam à ſuperiori menſe, qui September fuit: Tamen tam te amo, nolim incommodo tuo facias. Etiam negotium horti mei, & quicquid me ſpectat, tibi quantum poſſum, commendo. Spero & favorem Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi prodeſſe mihi poſſe in re longè æquiſſimâ. Salve cum conjuge lectiſſima à me meaque & liberis.

Amſtelodami,
CIƆ IƆC XXXIII.
Id Oct. St. N.

*Nomini tuo devinctiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCLXXX.

*Clariſſimo Viro,*

# D. Gerardo Voſſio,

# Franciſc. Burgersdicius,

S. P. D.

*Conſolatoria ſuper filii Dionyſii obitu.*

ET ſi ſciam te, Clariſſime, atque Amiciſſime Voſſi, tota vitâ ſic eſſe philoſophatum, ut non tam inanis ſubtilitas, & reconditæ, atque imperveſtigabilis veritatis indagatio, nullum habens laboris ſatis dignum pretium, te caperet; quam fructus, quem in componenda vitâ, in coercendis animi affectibus, atque adeo in utrâque fortunâ moderatè ferendâ, ſapientia ſuis cultoribus promittit, & præſtat: tamen cum intellexiſſem te dilectiſſimo tuo filio Dionyſio orbatum eſſe, putavi ad officium meum pertinere; non ſolum ut teſtarer, quam gravis mihi quoque, caſus ille tuus ſit; ſed etiam ut conarer, qualicumque alloquio lenire dolorem, qui nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixus. Sed quid ſcribam? aut unde ordiar? aut quo dirigam Orationem? Quæcumque enim in mentem veniunt, ea tu omnia jam mente præcepiſti, & multo etiam plura, haud dubie, & efficaciora; quæ ſi malo tuo modum non ponunt, metuo ut ulla meâ oratione poſſit mitigari. Sed tamen ad te redi pauliſper, mi Voſſi, & momentum temporis diſcute, craſſam immoderati luctus caliginem, quæ tibi fortè nunc adimit, aut impedit exercitatiſſimæ mentis uſum; deprehendes certò lugere te amiſſum filium, non quidem ſine causâ, ſed forte ſupra cauſam: aut ſi hoc à te impetrare non potes, da te mihi pauliſper, & patere, affectum tuum diſputando oppugnari, ab homine tui ſtudioſiſſimo. Amiſiſti filium ſcilicet, quid? An putabas te immortalem genuiſſe? An quicquam contigit tuo, quod quiſpiam mortalium, auſit ſperare non obventurum ſibi? Quin non amiſiſti profecto, ſed præmiſiſti, ſecuturus ipſe, cum Summus Imperator vocabit. Abiit ille certè, ſed ex valle lacrymarum, ex ſentina malorum, ex Theatro vanitatis, ex immundo mundo, in quo optima quæque, divitiæ, natales, gloria, voluptas, & quæ præterea nos homunciones ſtupemus, quid ſunt? Vapor, fumus, umbra, nihil, aut ſi quid minus nihilo eſt. Æſtima tamen hæc mundana, quanti velis, & pluris etiam quam ſoles; ſi rationem ineas, intelliges, quantum abitu ſuo, lucri fecit. Sperare potuerit Crœſi divitias; tamen ſperare tantum potuit, & quis præſtitiſſet? At nunc quas, & quantas divitias conſecutus eſt? Divitias ἀφθάρτους καὶ ἀναφαιρέτους. Quippe jam hæreditatem adiit, quam neque rubigo exedere poteſt, neque fures, aut latrones eripere: quæ extra omnem fortunæ aleam conſtituta, neque Domi-

Dominum ſuum deſerere poteſt, neque ab illo deſeri. Si Natales ſpectes, non jam ille, Voſſii filius, non Junii Nepos, (& tamen quam honeſta hæc & clara nomina?) ſed Dei altiſſimi filius, & frater J. Chriſti eſt. Efferat ſe mundi Civis, & gloriam ſuam, celebritatemque jactet; omnia ſordent, collata magnificis, iſtis Titulis. Principes, Reges, Imperatores, pudenda nomina ſunt præ iis, quos Deus adoptavit ſibi, & divinæ illius υἱοθεσίας, fecit compotes. Jam voluptate quantâ fruitur! quam nec oculus vidit nec auris; noſti cætera. At filium amiſiſti bonum, pium, & doctum ſupra ætatem. Tanto minus luctui locus eſt; ſi filium amiſiſſes improbum, & impium erga te, impium erga Deum, nulla profecto ſollicitudo, nullus luctus par eſſet tanto malo. Nunc verò, quid luges eum, quem certò ſcis cœpiſſe fœlicem eſſe, ex quo deſiit eſſe tuus? Infirmitas eſt, mi Voſſi, aut paternæ affectus violentia, animo non æquo ferre, fœlicitatem obtigiſſe illi, qui ſua obſervantia, maximè meritus eſt à te diligi. Erat ſanè ille ſupra ætatem doctus, & quid porro pollicebatur? ſed quam multa nunc intelligit? quam multa ſcit? quæ ante ignoravit, quæque omnes ignorabimus, quamdiu hâc vitâ fruimur, quam tuus ille cum meliori commutavit. Præterea magnum eſſe debet, doloris tui levamen, quod unum è multis amiſiſti ſolummodo; in quorum ſingulis habes, defuncti virtutem, & eruditionem ſuperſtitem. Noli ergo vicem tuam plangere, quod unum amiſiſti: ſed benè tecum agi potius exiſtima, quod plures tibi relicti ſint, qui aut paria jam præſtant, aut certè pollicentur. Neque vero fruſtra eſt illa cura, quod fortè quereris, quam in illo educando, atque erudiendo impendiſti; jam mundo teſtatus eſt, præclaro opere, quid tibi debeat, & Patri, & Præceptori: Et nunc idem teſtimonium, de tua diligentia, & fide, reddit apud Deum, cui omnes aliquando reddemus rationem, etiam liberorum nobis conceſſorum. Quid ego? an prorſus te Stoicum eſſe jubeo? vel etiam Stoico duriorem, hoc eſt ad caſum, tam funeſtum, ἀναισθητον, aut certè ἀδάκρυτον, καὶ ἀπαθῆ? nihil minus. Velim ſanè malum ſentias, etiam ut lugeas, etiam ut defleas: ſed ita ut hominem te deflere memineris, qui non potuit immortalis naſci, qui non potuit fieri immortalis, niſi moreretur. Sed jam modum Epiſtolæ exceſſi, ita me quoque affectus abripuit: ut jam libentius tibi ignoſcam, ſi tibi paternus affectus, luctum, & deſiderium ejuſmodi extorqueat, quod in aliis, pro maſcula tua ſapientia, ſoles improbare. Remitto etiam tibi librum, pro cujus uſu, gratias tibi ago, ſanè magnas, & veniam peto, tam longæ moræ. Vale cum uxore, & familia, & hoc meum alloquium amicitiæ tribue.

Dat. Lugd. Batav.
Kalend. Novemb.
cIↄ Iↄc xxxiii.

## CCLXXXI.

*Viro Doctiſſimo*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Petrus Cunæus,

S. D.

*Ejuſdem cum priori argumenti.*

*Vir Clariſſime*,

DE obitu filii tui, juvenis præſtantiſſimi, & ad ſummas laudes evecti, aliquid ex vagis rumoribus primò, ac noviſſimè nunc omnia certa, ex cognati noſtri, D. Barlæi literis accepi. Is caſus, tam triſtis, & inopinatus, quam acribus ſtimulis animum paternum egerit, facile cogitare poſſum, cùm etiam mihi ingentis doloris acerbitatem attulerit, ac me vehementer commoverit. Præterquam enim quod pro neceſſitudine noſtra, & animorum conjunctione; quicquid tibi luctuoſum eſt, nos amicos tuos aliqua ex parte tangit; etiam illud non exiguum eſt, quod ad publicam ſeculi cauſam pertinet. Qui enim prima juventutis ſpatia ingreſſus, illuſtribus ingenii monumentis, jam nunc promeruerat faventem omnium eruditorum exiſtimationem, quanto majora deinceps, de ſe expectanda relinqueret, nemini dubium fecit. Et ille quidem gloriæ ſuæ, vixit ſatis diu: quod tibi, tuiſque, eſſe ſolatio poteſt. Quod autem earum rerum, quas perficere, & conſummare, ad literarum decus poterat; ſpes omnis abſciſſa nobis, abreptaque ſit, noſtrum magis, quam tuum eſt damnum. Sed non debent hæc apud te prædicari, qui unus omnium optimè ſcis, quantum amiſerimus omnes. Ego inter tot officia, quæ tibi hoc tempore, repræſentat amicorum humanitas, quemadmodum penitus quieſcere, aut tacere non potui, ita illud te duntaxat rogabo, ut nihil aliud ob oculos ponas, niſi luculenta illa, & præclara ſapientum præcepta, quæ tute ipſe in hujuſmodi malis, ſuggerere aliis ſoles; uti cogites viri boni eſſe præbere ſe fato; ad hoc, nihil novi tibi accidiſſe, uſui quædam nobis, at nihil mancipio dari: Et pro ea ipſa exigui temporis uſura, grates agendas eſſe Summo Deo, qui & hoc munus tibi, huc uſque conceſſit, & alios tibi ſuperſtites adhuc ſervat liberos, quibus meliores optare, nec ipſe poſſis; Cætera non addam: Et jam plus fortaſſe dixi, quam apud te opus fuit. Neſcio an intellexeris etiam, D. Vorſtii domum nunc funeſtam eſſe. Obiit enim filiolus ejus, natu maximus, ex hoc Epidemico morbo. Vale, Vir Clariſſime, cum lectiſſima uxore, liberiſque.

Lugduni Batavorum.
7. Novemb. 1633.

## CCLXXXII.

*Reverendo Viro & Clariſſimo*,

## Joanni Gerardo Voſſio,

S. D.

## Henricus Erneſtius.

*Humanitatis officia, quæ ſibi Amſtelodami cum eſſet, abunde exhibuiſſet grata recolit memoriâ, ſuper quoque litteras ejus favorem Grotii ſibi conciliaſſe lætatur. Publium ſuum Syrum ut edendum quam primum curet, expetit.*

ETſi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi eſſem chariſſimus: tamen magis id perſpexi, quum Amſtelodami te inviſerem. Ubi mihi certe pietatem, fidem egregiamque tuam & ſingularem erga me voluntatem, ſatis abunde feciſti teſtatam: idque adeo, ut me tuis tuorumque perpetuum debitorem lubens agnoſcam: Utinam vobis centeſimam ſaltem ejus debiti partem ſolvere poſſem! Verum de me ſic velim judices, me tibi tuiſque curis ſemper, quoad ejus fieri poteſt, tanquam mihimet ipſi ſummo cum ſtudio præſto futurum. Literas tuas Hugoni Grotio viro incomparabili ipſe Hamburgi tradidi: ille me, quâ eſt humanitate, ita excepit, ut potuerim videre, commendationem tuam magni apud ipſum eſſe ponderis. Commemorabat mihi, ſe fuiſſe cum Sereniſſimo Rege noſtro Chriſtiano IV. Glucſtadii, à quo peculiari propemodum humanitate, quam clementiam hodie Principum aura ſtudioſi appellitant, dimiſſus eſt: O miſeri Hollandi qui eſtis, quod neſciatis in propriis arare bovibus, iiſque idoneis. Rex Angliæ & S. Populuſque Hamburgenſis legatos ad Regem miſerunt Sonderburgum, ubi Rex hybernabit,

quorum ἀναφορὰ, ut equidem credo, in Regem ipſum XIV. Novemb. ut heic numeramus, audietur. Publium meum Syrum quod attinet, velim ut eum edendum quamprimum cures; quæ impendis ego bonâ fide reſtituam. Valde heic in Dania deſideratur & Lubecæ etiam: Si Nobiliſſimo Domino Guldenſternio utriuſque noſtrum ſtudioſiſſimo eum inſcribes, de gratitudine ejus nolito dubitare. Tu, virorum egregiorum optime, vale unà cum tuis omnibus in Chriſto Jeſu.

Dab. è prædio Regio Hal, in Cimbrica Cherſoneſo XII. Novemb. CIↃ IↃ CXXXIII.

Dn. Guldenſternius te multa impertit ſalute, proxima occaſione ipſe tibi ſcribet. Peto abs te, amiciſſime amice, ut mihi reſpondeas, & literas ad Joſan thor Lippe mercatorem Hamburgenſem mittas. Iterum vale etiam atque etiam.

---

## CCLXXXIII.

## Hugoni Grotio,

### S. P.

*Luget optimi Dionyſii mortem mæſtiſſimus parens. Opus ſuum Grammaticum apud typographum ſpiſſè procedere, moleſte fert. Magno cum applauſu Eccleſiaſticam Hiſtoriam publice à ſe doceri, edocet.*

QUam afflixerit me caſus hic triſtiſſimus, amiſſo filio cariſſimo Dionyſio, me etiam tacente, facilè per te æſtimabis; ut qui & illum non malè, & me cognitum habueris: eoque perſpicias, quantum in eo præſidii fuerit, ingraveſcenti, & continuis laboribus ac vigiliis paulatim defetiſcenti ætati meæ. Nec poſſum non cogitare, quantum amiſerint natu minores liberi mei, quorum ille ſtudia, ac mores, paterno potius, quam fraterno affectu moderabatur. De uxore quid dicam? cujus unus ille moleſtiam, & ægritudinem idoneus erat detergere. Quid multis opus? omnes ejus obitum vehementer dolemus; non quidem ipſius cauſa, qui ut vitam duxit, pietatis, ac devotionis plenam, ita ſanctè in Domino obdormivit: ſed noſtri ipſorum gratiâ: qui in recenti adeo dolore, fortaſſe paulo eſſemus infœlices minus, ſi infœlicitatem noſtram minus intelligeremus. Et tamen cùm cogito, quanto nunc meliori conditione ſit filius, Deumque eſſe, qui & dederit, & abſtulerit; eum optimè perſpexiſſe quid filio, quid mihi cæteriſque expediret: Illam quoque eſſe virtutem aliorum liberorum, ut pœnitere eorum non poſſit; quin de pleriſque, vel potius omnibus, optima maxima liceat ſperare: planè, inquam, quoties hæc cogito, ingratiſſimus quidem erga Deum forem prorſus, niſi ſic quoque mihi videar admodum fœlix, dummodo grata mente ſciam, divina agnoſcere beneficia, erga me, & meos. Dabit ſpero Deus, ut magis & magis hæc animo obverſentur. Et credo à triſtibus iſtis cogitationibus avertent occupationes; quæ utinam non nimiæ forent; Nunc unde ſubſidium in tali negotio foret, inde verius obruor. Non de ſtudiis queror, quæ moderari ipſe poſſum: ſed de tam multis, qui quotidie nunc conſilium, nunc operam requirunt meam. Nam vix è Lyceo noſtro pedem extuli, cum interpellandi initium video, non finem, niſi quum ad cœnam vocor. Quare interdum cogito mecum de veteribus Romanis, qui in Tuſculanum, aut Pompejanum aliquod ſe abdebant. Ego id non poſſum, qui quotidie publico munere diſtineor. Sed ut poſſum, quando non ut volo; vel potius deinceps debeo, quod poſſum. Sic enim Deo viſum. In Grammaticis exercitationibus jam tribus menſibus ceſſatum, quia charta Typographo deeſſet. Verum videtur jam redire velle ad ea quæ ſuperſunt abſolvenda. Multo diutius ſi diſſetæ, non ante nundinas proximas lucem videant. Eſt mihi hæc mora eò moleſtior; quia ætati huic alia conveniunt. Scies me jam Juris Canonici Doctorem factum. Publicè enim cum ex Euſebio, & veterum aliis enarraſſem Hiſtoriam Eccleſiæ, uſque ad Concilium Nicænum, cœpi de Conciliis ipſis tractare, & jam enarravi Canones Concilii Niceni, Ancyrani, Neocæſarienſis: ſed & Illiberitani, quod in codice Græco, à Juſtiniano confirmato deſideratur. Vident noſtri homines, non paulo aliam fuiſſe faciem Eccleſiæ veteris quam noſtræ. Vident & Pontificii, nec ſuas Eccleſias ad amuſſim antiquis temporibus reſpondere: Imo multa eſſe maximi momenti, ubi à veteribus ſit receſſum. Inſolens & argumentum noſtris terris, eoque in magna hac urbe, numeroſior conventus auditur hominum honeſtiſſimorum. Candidius & modeſtius hæc tractare non poteram. Atque hanc laudem mihi omnes concedunt, etiam qui quædam mallent præteriri; quò facilius aliis eant perſuaſum, antiquos Patres, in maximis, mediis, minimis, à partibus ſuis ſtare. Ego verò, ne crabrones irritem, quod veriſſimum eſt, ſubjicere ſoleo, aſſignatum Hiſtorici munus eſſe: Hiſtoriæ autem animam eſſe veritatem, eoque non videndum, quid horum, vel illorum opinioni, ac conſuetudini ſit congruentius; ſed ſine partium ſtudio exponendum, quid antiquis temporibus placuerit: Num vero ubique, an alicubi, an nuſquam, ubi receſſum, profectum quoque ſit, id non eſſe hujus loci expendere: ſed tamen rem utilem facturos, qui vetera tempora cum novis, novaque antiquis componere volent, & cauſas utrorumque expendere: ut ubi nos melius, gratulemur nobis; ubi veteres rectius, non nimium deinceps . . . . . . . nobis; Videor autem mihi hoc modo, apud non paucos, non illud modo conſequi, ut minus iis ſordeat antiquitas; ſed etiam veritatem fidei, & pacis, ac charitatis ſtudium, promovere non parum. Adfuit mihi ante paucos dies, utriuſque noſtri amantiſſimus civis tuus Verhoevius urbis noſtræ Medicus, retulit autem, ut Ludovico Houwen mercatori Amſtelodamenſi, cum Johanne Gualtheri mercatore Hamburgenſi, controverſia ſit, ex ſocietate quadam oborta. Hic Ludovicus Houwen nihil æquè deſiderat, quam ut propter rerum humanarum incertum, tandem ratio utrinque ineatur: niſi enim id utroque ſuperſtite fiat, difficilius illud poſtea fore, magnaque fortaſſe ſecum tracturum incommoda. Hamburgenſis quem dixi, eſt affinis D. Aſſueri Matthiſii, qui uxorem apud vos duxit? Et conſtat omnibus Hamburgenſem eum, magno te loco, ut debet, habere. Quare cùm ſanctiſſimum ſit, inter Chriſtianos paci ſtudere, & Ludovicus Houwenus, & ejus nomine Medicus Verhoevius, obnixè me rogarunt, ut hoc negotium commendare tibi vellem. Putant enim, ſi paucis eum monueris, fœliciter hoc negotium confici poſſe.

Cum hucuſque perveniſſem, Medicus Verhoevius intervenit. Quare deſinam, ubi unum hoc adjecero, me ſedulò inquiſiiſſe, de Pædagogio quale deſiderabas. Sed neſcio, an ſatis omnia hic voto poſſint reſpondere. Scio qui decem, aut duodecim fœliciter inſtituat, ſed in uno convictu habet neminem. Quare neceſſe eſſet, ut apud Patruum, vel alium adoleſcentuli viverent. Alius eſt qui in victu octones, aut plures habet; qui & ipſe ab inſtitutione commendatur. Palatius eſt aliquanto addictior Zelotis; quæ res effecit, ut paulo hærerem; prima occaſione Patruum conveniam. Nunc demùm intellectum mihi ubi degat.

Vale Ampliſſime vir, & mei in ſanctiſſimis precibus memor eſto coram Domino; ac conjugi dic ſalutem.

Amſtelodami, XII Novemb. CIↃ IↃ CXXXIII.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

## Gerardus Joannes Voſſius, Claudio Salmaſio,

*Viro Clariſſ.*

S. P.

*Dolet, quòd ſpe adventûs ejus in Belgicam exciderit. Hortatur tamen ne elaboratiſſimis ſuis ſcriptis orbem erudire, ac de univerſa Rep. literaria bene mereri, unquam ceſſet.*

QUas ante aliquot hebdomadas literas miſi, eas jam puto accepiſti. Alebar tum ſpe adventus tui, non tanta quidem ac fuerat, cum primum de te agebatur: ſed non omnis tamen decollârat. Interea ex Curatoribus Academiæ noſtræ accepi, quomodo conditionem hanc abnueres, atque honeſtas etiam cur ita faceres, cauſas adferres. Itaque ut video nunc ſpe mea penitus excidi, neque ego modo ſed quotquot te hic tantopere præſtolabamur. Neque conſilium tuum hoc improbare auſim; præſertim cum ex literis tuis facile perſpexerim, nunquam fugiſſe te quid animi alteri foret, qui omnem moveret lapidem, ut ne iis animis res ageretur, quibus oportebat. Intelligo nunc prælum fervere tertio Exercitationum tuarum opere, quod ſi eſt gaudeo. Quid de me mirum? qui tot bona me docueris, ſeu linguam utramque ſpectem, ſeu ſcientiam naturalem, ſitum locorum & prope diſciplinas univerſas. Vere hoc quoque Exercitationum ad Solinum opus eſt theſaurus, non liber. Nec inferiora ſcio erunt, quæ conſequentur. Quin tanto fortaſſe potiora, quanto præſtat Solino Plinius, cui ni fallor nunc uni deſudas. Ringantur omnes malevoli atque invidi. In eo ſtudiorum genere nihil ſimile ætas noſtra vidit: utinam conſpiciat poſteritas ſimile. Sed hoc voti eſt. Nunc quidem unus es qui iſta poſſis. Spero brevi fore, ut non ſolum de Rep. literaria bene merearis: ſed etiam de Eccleſiaſtica antiquitate, & Catholica illa Eccleſia quam Symbolo nos credere profitemur: ſed plures jactant quàm noverunt. Et jam quidem præclara hoc de argumento exorſus es. Ea ad pertexenda Deus confido valetudinem ſuggeret & vires. Etſi te occupatiſſimum ſcirem & ipſe etiam ſatis multis diſtringerer; committere tamen non potui, quin affectum hunc meum literis iterum apud te teſtarer. Vale maxime & amiciſſime Salmaſi.

Lugduni Batavor.
cIↃ IↃ c xxxiii,
Id. Novembr.

CCLXXXV.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio, Erycius Puteanus,

S. D.

*Epiſtola familiaris. Promittit de uno & omni, nuper oblectamenti ergo, à ſe ſcriptum libellum.*

*Clariſſime vir & Amice,*

QUæ ſcribenda erant, mulier hæc nuper indicaverit. Ego ſum ut ſoleo; imo ſileo, & quorundam ſino perſtrepentes ſermones præterfluere. Interim oſtendit mihi Clariſſimus Plempius noſter, judicia apud vos edita. Unum quidem infeſtum, & ab homine quantum video, malignæ mentis: duo reliqua, etiam à pleriſque hìc laudata. Ego rogare Deum pergo, ut inducias nobis donet; mutet homines, qui cæde, & ſanguine delectantur. Rex noſter ut potentiſſimus, ita optimus eſt, paratus à bello abſtinere, ſi non iniquæ conditiones ſunt: quemadmodum in ipſa Statera ſcripſeram. Viderint, quibus univerſum negotium commiſſum eſt, quæ non iniquæ debeant haberi. De *Uno*, & *Omni*, librum nuper ſcripſeram; ſed ut me potius oblectarem, quam erudirem alios. Typographus ubi abſolverit, exemplar faxo ſine mora accipias. Clariſſimum Barlæum, ſi me amas, nomine meo complecteris. Scriptionem differre adhuc cogor. Bonum nomen ero, cum fœnore officia candoris perſolvam. Vale, & ſcribe.

Lovanii in Arce, Prid. Kal.
Decemb. cIↃ IↃc xxxiii.

*Totus tuus.*

CCLXXXVI.

## Claudio Salmaſio.

*A luctu, quo ob amiſſum Dionyſium ſuum conſtringatur, animum aliquanto laxari ait, ex quo literas ejus conſpexiſſet, atque eo magis eundem rogat, valetudinem ſuam curet, neque ad animum revocet ſiniſtra duorum aut trium judicia: quin potiùs de re literariâ bene mereri pergat, quo præclariora poſterorum de eo judicia ſint futura. Optat præcipuè, ut ea, quæ ad Eccleſiaſticas Antiquitates pertinent, publicam proxime adſpiciant lucem.*

NOn facile dixerim quanto in luctu fuerim; imo quo in dolore nunc quoque ſim. Semper enim recurſat memoria tam cari pignoris. Dies ſcio inſipientibus quoque paulatim minuit mœrorem; nec in noſtri ordinis hominibus ratio minus valere debet; quin potius prævertere in nobis tempus illud continet. Sed enim carendo eo filio, cujus virtutes rariſſimas mecum optime intelligis, quotidie magis & magis intelligo, non quantum publicum modo, ſed quantum ipſe etiam amiſerim. Omnino immaturus ejus deceſſus, meas quoque, non meorum ſolum rationes in ſtudiis conturbavit. Minores vero natu, & Doctorem ſuum, & vitæ omnis ducem amiſerunt. In ea calamitate nulla in re æque nunc ſolatium invenio, atque illis quæ Deus & Pietas ſuadent. Jubet Apoſtolus ne eorum inſtar lugeamus qui ſpem Reſurrectionis non habent. Alter ait, beatos eſſe qui in Domino obdormierunt. Præterea docemur bonis omnia in bonum cedere. Pater ille cœleſtis optime norat quid filio, quid mihi, quid meis expediret. Quare ſi ſubinde me recolligo, & cogito mecum quàm turpe ſit futurum, ſi qui iſtiuſmodi præceptis præire aliis ad conſtantiam ſoleo, nunc dolori ipſe, eique inutili ſuccumbam. Magnaſque Deo gratias ago quod me ſpiritu ſuo firmet, & profecto quam ingratus fuerim erga Deum, ſi ſolùm cogitem quid abſtulerit, non item quantum reliquerit immerenti in liberorum cæteris. Multum vero tibi debeo, amiciſſime Salmaſi, quod ipſe non bona valetudine, dignatus tamen ſis me allocutione per literas, quæ & propter argumentum, & quia à te venirent, non parum doloris abſterſerunt. Solatio etiam fuere literæ quas Triumviri illi in eo caſu perſcripſere; Clariſſimi dico viri, Cunæus, Burgerſdicius & Conſtantinus: quos licet antea amiciſſimos, propterea tamen magis deinceps amari debeo. Nam alloquium eorum tam opportunum pro grandi habeo argumento amoris erga me. Et ſi occaſio dabitur, non refugies verbo hoc iis ſignificare. Reſcripſiſſem id ipſe ſingulis: ſed uti hactenus reſpondere tibi neglexi, itidem illis, nempe ne literas triſtes hujus argumenti multas ſcribendo, dolorem mihi refricem ſæpius, quem ſepultum magis expedit valetudini & ſtudiis meis. In tuis verò illis tam amicis

ſcriptis, mi Salmaſi, unum illud valdè dolorem attulit quod, de invaletudine uxoris exaraſti: tum autem quod Medicorum judicium eſſet, ab hydrope tibi metuendum. Cohorrui cum legerem, & mei aliorumque tui amantiſſimorum, & magis uxoris lectiſſimæ & dulciſſimorum liberorum tuorum, & maxime boni publici cauſa; de quo non alius melius hoc tempore meretur. Sed tamen in mentem venit, eo hæc medicos dixiſſe, ut valetudinem tuam tam caram bonis, ſedulo magis curares: Omniaque cœlo huic noſtro aliquanto inclementiori, convenienter agas: ac imprimis ne ad animum revoces, duorum fortaſſis aut trium ſiniſtra judicia, ac laudationes malignas, ſed potius grato in Deum animo, ſæpe illud cogites, quo in loco cœleſte numen te conſtituerit, quaſi in Theatro omnium Doctrinatum, in quo quicquid candorem cum præclara eruditione conjunxit, tibi ac præterea uni alteri (in his ſcis me dicere, tuum τὸν πάνυ Grotium) pariter adſurgit. Et cum tam benigna bonorum omnium judicia experiaris, ut qui non eo te loco habet, ſi non doctrinæ, probitati ſaltem bellum indixiſſe videatur: tamen non dubito, quin præclariora etiam futura ſint poſterorum judicia, præſertim ſi dederit Deus, ut ea quæ ad Eccleſiaſticas Antiquitates pertinentia jam affecta habes, vel confecta in lucem ac manus hominum evenire contingat. Utinam mihi Deus tam longam vitam concesſerit, ut laboribus illis tuis frui detur. Verè enim dixero, nullum eſſe ſtudium, quod me à plurimis annis magis ceperit; nec malevolis æque cenſeo, quod ſuperiorum temporum tempeſtate non levem bonorum meorum jacturam facere ſim coactus, quam illud quod ab his ſtudiis ſim abſtractus, quibus eo magis animo meo morem geſſiſſem, & magis conſuluiſſem publico. Aphrodiſium de Fato, quem petieras ex Bibliotheca mea, mitto. Nec citius remitti poſtulo, quam tibi videbitur. Vel tota enim hyeme eo, & additis Scriptoribus carere poſſim, propterea quod etiam compareant in Bibliotheca hujus urbis publica, cui filius meus Matthæus eſt Præfectus; hunc enim honorem ei Proceres noſtri habuere, ut τῷ μακαρίτῃ fratri ſorrogarent. Quare ſi quid vel in ea, vel in noſtra uſui eſſe poſſit, ſcias non magis te promptum eſſe poſſe in petendo, quam nos faciles in mittendo. Vel quinquagenos ſi ex mea eodem poſcas tempore, gaudebo, quod aliquo pacto liceat oſtendere, quanti te faciam; & quam omnia tui cauſa velim. Uxor tuam ſalute plurima impertit, quam doluit de adverſa ejus valetudine, tam gaviſa eſt de ſecunda; Quam utrique veſtri, & familiæ univerſæ diuturnam optamus.

Amſtelod. III. Non. Decembr. cIↃ IↃc xxxIII.

Poſtquam, Maxime Salmaſi, ſuperiores literas ſcripſeram, intelligo ex meis ob intenſius gelu nautas non audere ſe itineri committere, metu ne non ſine maximo periculo conglacientur in via. Nempe dies heſternus, quo tuas accepi, poſtremus fuit, quo hinc ſolverent. Supereſt ut terreſtri itinere liber mittatur. Sed id non ſatis tuto fieri ſolet, præſertim quia ut committam librum aurigæ, tamen is non ulterius contendit quam Harlemum, ubi alio opus qui Leydam deferat. Sed operam dabo ut fidum hominem naneiſcar, ex iis quibus abeundum Lugdunum. Sane dolet, quod non ſtatim tuæ ſatisfaciam voluntati, ſed nunquam importuniùs, toto penè anno, poſci liber potuerat, quam hoc tempore. Credo ſi præſciiſſes, biduo vel triduo ante ſcripſiſſes. Nimirum, mi Salmaſi, diſcendum adhuc cœlum Batavum, & quomodo hic vivatur. Τάχιστα.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCLXXXVII.

*Ampliſſimo Viro*

# Jacobo Wittens,

Quæſtori Dordrechtano,

S. P.

*Dolet filii Dionyſii prœmaturum obitum, eruditionem & quantam reſpubl. literariæ in eo ſacturam fecerit, exponit.*

FEriis noſtris autumnalibus, Ampliſſime, & conjunctiſſime Witti, excurreram Hagam-Comitis, una cum filia natu majore: Ac eo id animo à me factum fuit, ut inde eam abducerem Dordrechtum, quo viſendis amicis, tuæ ante cæteras familiæ, biduum, vel triduum daremus. Sed enim vix pedem poſueram Hagæ, cum intelligo de graviſſimo lectiſſimæ uxoris tuæ morbo: quæ res, & mihi & filiæ maximum attulit dolorem. Quare importuniſſimum tempus ad vos proficiſcendi ratus, conſilium deſtinere hoc mutavi. Amſtelodamum redux, & quidem non una poſtea hebdomade, cognovi ex affine tuo Viviano, viro ſanè ex reliquiis aurei generis, needum quidem optimè eſſe conjugi, ſed indies tamen convaleſcere; quod mihi non mediocri voluptati, nec mihi ſolum, ſed univerſæ familiæ meæ fuit. Nam ut liberi noſtri, non ſanguine juncti eſſent, cui me familiæ benè velle æquius eſſet, quam cui hinc parens, inde ſocer, ante annos propemodum quinquaginta fuerint innexi? Sed ſolidum ac diuturnum hoc eſſe gaudium, non ſivit triſtiſſima calamitas, quæ me domumque meam adflixit. Puto enim jamdudum ad aures tuas perveniſſe, ut amiſerim ſuaviſſimum Dionyſium meum; quo ſuperſtite, omnia adverſa facilius ferebam. Deum immortalem! quantùm ille de ſe, imo, prope dixerim, quid non ſpondebat? Quis ejus ætatis Claſſicos Scriptores, Latinos, & Græcos, diligentius evolverat? quam feliciter, etiam ubi magni viri ſæpe hærent, enucleabat? quanto cum genio imitabatur? Quis plurium linguarum notitiam complexus? Non ego illas vulgares dicam, in his Gallicam, Italicam, Hiſpanicam; ſolùm nominabo eruditas illas, ut Hebræam, tum antiquiorem illam, tum Rabbinicam; Item Syram, Chaldæam, Arabicam; Armenicæ etiam, ac Æthiopicæ dare ſeſe cœperat: Vix anni ſpatium requirebatur, quin multa, magnaque habuiſſet Reſp. literaria, ſtudio, operaque ejus perfecta: Nec illa Linguarum modo variarum, & multijugarum, eruditionem teſtantia, ſed acre etiam ingenium, limatiſſimum judicium, & quod ante omnia puto, eximiam pietatem. Nunc immatura mors ſpes omnes abſcidit. Niſi quod diſpiciam, quid facto optimum de Maimonidæ opuſculo, ex Hebræo Latinè ab eo reddito, & notis illuſtrato: Item de Julio Cæſare quem poſt Scaligerum ipſum, feliciter innumeris pænè locis, caſtigavit, & notis eruditis fecit planiorem. De cæteris conſilium ſequar Plinii, qui non perfecta haberi jubet pro non inchoatis. Salutem plurimam dices optimæ uxori, & liberis, item præſtantiſſimis viris, Conſuli Beaumontio; & Syndico Catſio. Item M. Beckio, Colvio, Bewerio, Becmanno, cæteriſque amantibus noſtri. Sed cùm occaſio erit, ne me operâ tuâ, in ſalutationibus illis, abuti velle cenſeas. Vale.

Amſtelodami, cIↃ IↃc xxxIII. x Decembris.

*Tuus, ut & tuorum,*

G. J. VOSSIUS.

CCLXXXVIII.

## CCLXXXVIII.

## Erycio Puteano,

S. P.

*Dionyſii ſui mortem triſtis annunciat, & quantum in eo amiſerint elegantiora ſtudia, poſthuma quæ tranſmiſſurus proximè ſit teſtatura arbitratur.*

MAgnus me luctus tenet, mi Puteane, amiſſo Dionyſio meo, quem ego filium amare ſolum poteram, ob excellens ingenium, & raram hoc ſeculo, ea præſertim ætate, modeſtiam & probitatem. Nunc tam varia acceſſerat eruditio, nec illa in Latinis modo Græciſque literis, quæ ſolæ totam hominis ætatem occupare poſſunt, ſed etiam Hebræis, Syris, Chaldæis, Arabicis. Ut de Æthiopum lingua, & aliarum Orientis gentium taceam, quia objectari poſſit, iſtarum non multo plus quam guſtum habuiſſe. Ut quoque prætercam Gallicam, Italicam, Hiſpanicam, quibus loquebatur. Sed iſtas in vulgaribus haberi ſcio dici poſſe. Et jam Cæſaris editionem novam moliebatur. Jam Maimonidem de Idololatria ex Hebræo fonte in Latinam linguam à ſe derivatum, & Commentario redditum illuſtriorem, communicare Reipubl. literariæ geſtiebat. Jam quoque animo conceperat ex Rabbinis omnibus, quorum volumina avide devorabat, ingens volumen, quod præcipue complecteretur quæ ad Judæorum converſionem pertinerent. Nunc, ſi Maimonidem & Cæſarem excepero, quæ non multum deſiderant (ita prope abſunt à perfectione) omnia jacent plane imperfecta, ut etiam pro non inchoatis debeant haberi. Quid in Reidani Annalibus transferendis præſtiterit, nondum potes vidiſſe, & hibernâ hac tempeſtate majuſculum volumen commode ſatis tranſmitti non potuit. Sed enim curabo meliori occaſione, nequid dignum amicitia noſtra in me requiras. Volo enim te omnium eſſe participem, quæ à me, aut meis proficiſcantur. Sed præter eam, quam dixi cauſam, altera etiam cur nunc non mitterem, acceſſit ratio, quæ à temporibus his erat. Utcunque enim nihil niſi innocentes curem Muſas, tamen non ignoras, quibus temporibus vivatur, ſane ſuſpicionum, atque utinam ſuſpicionum modo, ac non etiam malevolentiæ, & peſtilentiæ plenis. Contemnamus hos uterque, mi Puteane, utcunque id durum videatur, præſertim ab iis ſi perferendum, qui ex literis noſtris humanitatem hauſiſſe debebant. Ego vero te ob amorem pacis amo impenſius. Scio te iſta & amore magni regis veſtri, & ſimul universæ Belgicæ ſcripſiſſe. Valeant ſanguinarii illi, quibus nihil dulce præter bellum & opes quas inde ingentes expectant. Equidem non tam rerum ſum noſtrarum ignarus, ut non videam innumeras opes bello accreſcere. Sed ego pro pecuniæ ac diaboli mancipiis habeo, qui bellum præoptent, ſi inter partes honeſtis tranſigi conditionibus poſſit. Nec aliud mihi perſuadere poſſum, quam Belgicæ veſtræ Proceres belli, ac tot calamitatum pertæſos candidè nobiſcum negotium hoc tractare. Deum Opt. Max. uterque, optime & amiciſſime Puteane, oremus, ut illis quibus negotium hoc incumbit, magis magiſque animum illum inſpiret, eorumque conſilia ad exitum, utriſque partibus felicem, perducat. Barlæo noſtro literas tuas præbui legendas, cui jucundiſſimum fuit videre, quanti ſe facias. Voluit ut ſuo nomine plurimum ſalutarem.

Amſtelod. anno
ciɔ Iɔ c xxxiv.,
III Non. Jan.

Novuſque hic annus, ut tibi, conjugi, liberis, feliciſſimus ſit, voveo atque exopto, ut debeo.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

## CCLXXXIX.

*Clariſſimo*

## Gerardo Joanni Voſſio.

*Deſideratam hactenus Clementis epiſtolam mittit, ut & nuper editum de Veritate librum: de utroque ſuum addit judicium.*

*Vir Ampliſſime,*

CItius ad acceptatiſſimas tuas reſpondiſſem, ſi expectâſſes. Tandem fidam nactus manum, mitto Epiſtolam illam Clementis ſtylo gravem, ſanctitate venerandam, & ſtylo & ſanctitate Apoſtolicam. Nec divinari poſſum, cur Clementem hunc doctiſſ. Heinſius non Romanum velit eſſe, ſed alium quendam. Ipſiſſimæ hic leguntur ſententiæ, quæ apud Irenæum, Clementem Alexandrinum, Euſebium, Hieronymum, habentur; & quod antiquitati ejus imprimis favet, vix duo reperies novi Teſtamenti loca, eaque ex Euangeliis, ex Epiſtolis nullum. Fateor τὸ Ῥώμης ex conjectura repoſitum rubro notari minio; ſed hoc abundè reſarcitur ex nominibus planè Romanis illorum, qui literas has Corinthiis detulerunt, & humilis tunc ſedis Apoſtolicæ fuerunt legati. Quin ex illâ Conſtitutionum farragine aliquid aſtruitur, cum in quinto Libro eadem quæ hic de Phœnice narratio iiſdem pæne concepta verbis habeatur; arte ut conjecto farcientium, quâ ex genuinis Clementis floſculis figmento ſuo fidem faciant. Mitto etiam nuper editum de Veritate librum. Nobile opus ſi liceat ex Authore & argumento, potius quàm ex opere, judicium ferre. Ni fallor, hic vere latet Veritas in puteo, cum non novam quam pollicetur; ſed aut nullam aut abſtruſiſſime reconditam nobis afferat. Veſtrum eſto judicium. Mihi ſaltem nihil ſcienti non licet hinc ſapere, ſint illic limpidiſſimæ aquæ, at & in profundo ſunt, ϰ ἄντλημα οὐκ ἔχω. Spero me brevi te inviſurum, nec tantum amico ſed eruditione ipsâ fruiturum; in te enim quaſi oculis cernam lucentem veritatem illam, quæ ſe & facilè & purè prodet. Interim ſi per otium liceat, Nobilitati noſtræ logicanti horam unam impendas rogo, ſed ſi opus ſit non ſine virgulâ cenſoriâ. Qui veritati ſtudet, non gravabitur caſtigari. Alterum velim exemplar Clariſſ. Barlæo dones (viro mihi nondum noto ſed plurimùm honorato) ſimulque petas, ut breviter judicium ſuum reddat; vel ſi placuerit, margini apponat infirmioribus medelam. Expectamus hic Epiſtolarum faſciculum à Dodrectano quodam Medico de Termino vitæ: unaque Tractatulum verius quam Epiſtolam præſtantiſſimi noſtri Salmaſii. Quam timeo ne malo ſcripſerit omine! In ſummo enim languore vivit, vel potius moritur; illum tu habes, ſi quem uſpiam tui amantiſſimum, ego vero tui ſimillimum. Pergas vir optime, teneriores ſemper fovere literarum conatus, & me ama. Vale.

Lugd. Bat. III. Non.
Febr. An. Domini.
ciɔ Iɔ c xxxiv.

*Tibi omni obſequio*

*devotiſſimus,*

Stephanus Goffe.

## CCXC.

*Clariſſimo Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Erycius Puteanus,

S. P.

*Dionyſii filii mortem dolet. Animi recreandi cauſſa libellum ſuum de Uno & Omni legendum offert.*

TAlem amittere filium, mi Voſſi, quam acerbum ſit, meo affectu metior. Cogita ad me quoque, tam triſte vulnus pertinere; Ita quæ tua ſunt, aliena non puto. Tam variam vero doctrinam, & peritiam linguarum, in ætatem tam floridam cadere potuiſſe! Prælegi hic Epiſtolam tuam amicis meis, viris doctis, qui mecum ingemuerunt. Sed tuum eſt fortiter ferre hanc ærumnam, quæ neceſſitate ſuâ ducitur. Ita Deo placuit, cui obtemperare pietas jubet. Ecce ut te recreem, certè ut à dolore avertam, Amœnitatem iſtam mitto, de *Uno*, & ſic *Omni*, ſcriptam. Lege quæſo, & tantum mihi otii impende, ut intelligam etiam nugas à te meas æſtimari. Alterum exemplar, ut Clariſſ. Barlæo, nomine meo, tradas, rogo, & amiciſſimam ſalutem nunties. Reidani Annales avidiſſimè expecto: in iis enim Dionyſium tuum extinctum complectar. Is immortalis eſt, & mox quoque in Bibliotheca Belgica noſtri Valerii Andreæ legetur. Vale, & tibi vendica.

Lovanii in Arce, Prid. Non.
Febr. clↄ Iↄc xxxiv.

Ad Clariſſimum Barlæum proximè ſcripturus ſum.

---

## CCXCI.

*Clariſſimo*

## Gerardo Johanni Voſſio,

S. P.

*Ingenium Damporto malignum aſſerit, ſe verò Paſtorem Delphenſem à Rege & Archiepiſcopo deſignari, quod tamen onus ſtudioſe declinandum putet.*

*Vir Ampliſſime Clariſſimeque,*

LIteras has nunc ad manus meas ex Angliâ delatas ſtatim tibi mittendas duxi, alioqui Deo volente me latorem habituræ eſſent poſt paucos dies. Ex illis quam gratum ſit quod pro Eccleſiâ noſtrâ moliris facile intelliges, cum is qui ſcribit ſit Regi à ſacris, & cum Archiepiſc. noſtri (ni fallor) literis ad te miſſus cum Comitem Arundelianum huc comitatus fuerit. Sed vereor ne propter impeditum iter diu ſcriptæ fuerint; videntur enim illæ, quæ ad me dantur, primis meis ſolis reſpondere; Expecto adhuc recentiores, & à viro longè potentiori; Interim ex his quædam diſces; illud imprimis ratum facis transfugam illum nunquam in quæſtionem vocatum fuiſſe de rebus Eccleſiaſticis; ſed planè deſertorem fuiſſe militiæ ſuæ, quod jure noſtro caſtrenſi gravius eſt puniendum, ſin ex partium ſuarum zelo voti compos fiet; fruatur ſuo grege Paſtori ſimillimo vere vario (& Jacobini illius inſtar) maculis interſtincto. Tuæ utcunque pietati, & inſigni erga Matrem noſtram Eccleſiam amori, immortales debentur gratiæ. Raptim hæc. Vale, Vir optime, & me ama: quem vereor, ne diutius quam velim, habeas in his regionibus inquilinum. Nam & à Rege ipſo & Archiepiſcopo deſignatus ſum Paſtor Mercatorum noſtratium, qui Delphis habitant, in locum Forbeſii; hoc eſt ingentis oneris & invidiæ. Sed Dii meliora! Hoc eſſet vel amicorum contra proverbium ἄδωρον δῶρον. Adeoque per totum ferè menſem Hagæ verſatus ſui cum Prolegato noſtro ut iſtud onus inoffenſo Rege declinarem: quod ſpero. Boſwellius feſtinatò petit Angliam, ſed reverſurus. Tu tamen ante accipies ab ipſo literas (ut ait) debitiſſimas. Iterum vale.

Lugd. Batavorum,
VII Kal. Martii,
anno D. 1634.

*Amplitudinis veſtræ
ſtudioſiſſimus,*

STEPH. GOFFE.

Ecce nunc alias accipio literas quæ afferunt Metaphyſici noſtri Baronis non tam proteſtationem quam Literarii Belli provocationem; vix licet mihi jam percurrere. Sed Clariſſ. Barlæo (quæſo) tradas ut viri φιλαυτίαν veritati (quam jactat) inimiciſſimam advertat.

---

## CCXCII.

*Clariſſimo*

## Gerardo Johanni Voſſio,

Salutem in Chriſto.

*Conſolatur eum de filii Dionyſii morte, opera autem ejus poſthuma, aut perfecta edenda, aut nulla monet. Voſſiana contra Novatores & pro Pace Eccleſiæ conamina laudat. Labores Grammaticos ad finem perductos eſſe gaudet, eò vehementiùs, quò magis ſtrenuè in Baronio poſthac progreſſurum ſperet.*

ACcipies hic (mihi merito chariſſime) unam, eandemque brevem epiſtolam. In eâ tribus tuis mihi exoptatiſſimis reſponſionem, ſed qualem moles negotiorum (quâ penè opprimor) permiſit, rudem ſcilicet & incultam, ſolâ brevitate gratam, ſolo amore candidam. Reliqua tota una litura ſunto.

Et primis literis tuis de tempeſtate, quæ domum tuam invaſit, & filium proſtravit, tam meritis quam natura chariorem, conſultiùs non reſpondi, ne manus meas in crudum adhuc vulnus immitterem. Spero jam cicatricem contraxit. Et tu quod decet, teque dignum eſt, feciſti, patienter te, & tua Deo, (qui ſuis, quæ optima novit, impertire ſolet) ſubmittendo. Ibi enim aut acquieſcendum eſt, aut in hac vita nullibi. Sed opera quædam filii tui ſi placet edere, quibus ille etiamſi mortuus luce fruatur, aut perfecta des nobis aut nulla.

De Novatoribus noſtris apud vos quæ ſcribis vera ſunt, quæ contra illos conaris pia, & pro Pace Eccleſiæ. Si nolint ſe ad pacatiora ſtudia recipere (& certè nolunt) ſint quod eſſe cupiunt, inter puſillos gigantes, modo ſint quod eſſe, & haberi merentur, inter doctos ſcioli, & inter prudentes temerarii.

Literæ tuæ ſecundæ cauſam Blawii tantum exponunt patris, filiique, & quo conſilio Twiſſum typis mandarit. Certè prudenter Farnabius, qui mentionem Privilegii ſui fecit; ſed valdè inconſultò Londinenſes Typographi Privilegia ſua ſilentio damnarunt. Unde enim exteri caveant quod neſciunt? Num Prophetas volunt Typographos eſſe? Sed reſponſum his literis retulit diu abhinc Blawii filius, utpote quem ſtatim poſt literas tuas acceptas, ſine ulteriori proceſſu, ſumptibuſve, dimiſi è Curiâ in tui ſolius gratiam. Reſponſum putavi illud ſcripto melius, præcipuè cum tunc nihil mihi daretur otii. Et video ex ſubſequentibus literis tuis, fidum ſe fuiſſe narrando tibi Parentique ſuo quid in ea re fecerim. Gratias enim literæ tuæ referunt, & tuas & patris. In literis autem tuis noviſſimè ſcriptis, non ſolùm



Digitized by Google

ſego gratias mihi ſupra meritum repenſas, ſed hoc etiam, te labores tuos Grammaticos ad finem perduxiſſe, Gaudeo certè, & eò magis, quia ſemper cogito de Baronio. Librum etiam unà cum literis miſiſti, tradidit mihi Goffius, qui & antehac literas has ad te detuliſſet, ſi citius redire potuiſſet. Goffium ante non vidi, de eo, modeſtiâ, & doctrinâ ejus ab aliis, ut etiam à teipſo ſæpius audivi. Si pergat (nil dubito) poſſit pro meritis præmium & expectare & recipere.

Conſilium tuum in editione horum librorum, nempe ut ſub nomine & auſpiciis, aut Principis Walliæ aut Eboracenſis, prodeant, valdè probavi. Neceſſarium tamen duxi illud cum Sereniſſimo Rege Carolo communicare. Partim ut intelligat quàm memor & gratus ſis pro beneficio in te collato; partim ut ſciat obſequium tuum non ſibi ſolum, ſed & ſuis paratiſſimum: præcipuè vero, ut penes illum ſit eligere utri horum Principum Illuſtrium liber iſte tuus inſcriberetur, an utriſque? Gratioſè quidem accepit Rex optimus, quod intendis. *Et forte aliquando* (inquit) *Nomen fronte inſcriptum, invitabit filium meum ad ejus lectionem, licet forte minus ſeriam.* Hoc verò juſſit, ut tibi reſcriberem; velle ſe ut libri hujus dedicatio (quando ita tibi placuerit) ſit Illuſtriſſimo Walliæ Carolo. Perge nunc, & librum hunc habeamus publici juris.

De Novatoribus iterum in his literis ſcribis. Certè quod vellent turbare omnia, ſuum eſt, quod non poſſunt, Dei. Interim miſerrime laceratur Eccleſiæ Chriſti facies, corpuſque; neque (diſciplinâ penitus fractâ & concuſſâ) videt ipſa prudentia, quibus artibus vulneribus hiſce poſſit ſuccurri.

Quod reliquum eſt, gaudeo te vinculis morbi tui liberatum, ut poſſis iterum Eccleſiæ, Reipubl. & amicis inſervire. Vales. Ex animo ſic optat,

Datum ex ædibus meis Lamb. Feb. 27. 1634. Stilo noſtro.

*Amiciſſimus tibi,*

GUIL. CANT.

## CCXCIII.

## Jacobo Wittio,

Quæſtori Dordraceno,

S. P.

*Verſus ejus ſuæ cenſuræ tranſmiſſos, eleganter & cum cura elaboratos laudat, amiceque hortatur, ingenium fæcundum altioribus ſtudiis exerceat.*

NOn pauci, dilecte Cognate, per ſe, vel amicos, ſuos tranſmittere labores, meumque judicium expoſcere ſolent. Nec facile dixero, quantopere ſæpius hæream. Nam ſi laudem, intelligentioribus videar ineptus; ſi vituperem, amicis eorum, & ipſis magis videar malevolus. Nunc in nulla Charybdi laborandum. Verè enim, & ex animo dico, ſimulac aureolos verſus tuos accepi, ferreolum me zelotæ cujuſdam ſcriptum depoſuiſſe: iiſque quicquid moleſtiæ ſenſeram prius, penitus fuiſſe deterſum. Sed dic, ô bone, quod alterius etiam verſus, tuis eſſe comites volueris, Batavâne ſimplicitate factum? an callidè potius, ut purpuræ tuæ ſplendor magis conſpicuus foret? Sanè non ſoleo ego cuiquam detrahere, neque nunc faciam quia utrumque veſtri æſtimo; ſed tamen injurius tibi ſim, niſi dicam in perpaucis me videre illam ingenii elegantiam, illum etiam Romani ſermonis candorem, qui tuis in verſibus relucet. O utinam ſæpe nobis tales dares, & quod dicere liceat, digniori te argumento. Nam & illud non parum conferre ad hoc ſolet, ut nos in iſtis animi fœtibus vivamus; & poëmatis quidem, non ſolis tamen, te inclareſcere velim: fœcundius quippe ingenium, quàm ut inde ſolum tibi laudem pares. Emaculandus, illuſtrandus, unus alter tibi veterum ſcriptorum. Abundè tibi gloriæ à prioribus relictum. Mox etiam alia, & alius generis ſequantur, de quibus coram melius colloquemur. Equidem non poſſum non Beverwicium meum amare, quod utrumque hoc ſtudeat, ut benè de publico mereatur, & ſe quoque tollat humo. Tune, mi Witti, te vinci ſines? Profectò ſi tam caro capiti iraſci poſſem, facerem illud, & facerem vehementius. Quo nomine? inquies: eo ſanè quod illo ingenio, & doctrina, illo ætatis flore, illo otio, illis fortunæ bonis, præter duo tria poëmatia nihil elaboraris: Et quantum vel ex te ipſo, vel aliis intellexerim, necdum aliquid ſub manibus ſerio habeas, quo nomen tuum à rubigine vindices; quo familiæ nobili, & ante in Galliis, & jam ſeſquiſeculo in hac Belgica, novum decus addas; quo denique non exiguo ſis ornamento urbi patriæ: de cujus honore ac gloria, bene multis annis, *iſtic habitus, & tot liberorum ibi parens factus, plus multis indigenis, etſi id minimè ſciant, ſoleo cogitare. Vellem illam urbem, copia excellentium virorum cum quavis Bataviæ, vel Belgicæ certare. Si aſſurgere nondum poteſt ad Roterodami, vel Delphorum gloriam, (quantas animas duæ illæ urbes dederint, non capiunt miſelli, qui carpunt) at ſaltem opera danda ut habeat qui proximè abſint. Cætera curæ erunt Orbis Rectori. Hic tibi, conjunctiſſime Witti, illam mentem inſpiret, ad quam nunc te adhortor. Idem te, & univerſam familiam tuam diutiſſimè ſoſpites conſervet. Salutabis in ea omnes; ac præterea & Colvium, & Beverwicium, & quoſcumque fucato hoc ſæculo, vere ſcias amantes noſtri.

Amſtelod. clↄ Iↄ c xxxiv. poſt Kal. April.

*Tuus ſine fuco,*

G. J. VOSSIUS.

## CCXCIV.

*Clariſſimo*

## Gerardo Voſſio,

S. P.

*De Nihuſio ſpeciatim plura cognoſcere, à Voſſio autem, qua ratione toties objecto reformatis ab Eccleſia Romana ſchiſmati reſponderi poſſit, erudiri percupit.*

*Vir Clariſſime & optime,*

QUantum doleo improviſum filii tui diſceſſum prolixiores literas non pati: Accedit etiam craſtina concionandi cura. Utcunque virum præſtantiſſimum mihique plane ſine merito amiciſſimum inſalutatum præterire non poſſum. Habes me obſequio quam intime devinctum; Utinam aliquando contingeret exprimendi facultas; Hactenus perventum non licuit ex Angliâ quicquam reſcire; Plurima expecto à chariſſimo noſtro Boſwello, qui quantum debet meritiſſimo de ſe & Eccleſiâ noſtrâ Voſſio, mihi in mandatis dedit, ut vice ſuâ quam poſſum feriò agnoſcerem. Forſan hoc ipſe literis ſuis præſtitit, ſic enim ſtatuit aliquandiu Briellæ impeditus. Ex filii reditu plura velim de Nihuſio Abbate intelligere. Quem provocationis ſuæ exitum invenit. Quid adhuc ediderit, quid agit. Et ſi per negotia tua liceret vehementer erudiri cupio quâ ratione, & quibus authoribus optime poſſem inſtrui adverſus illud cui maxime innituntur Pontificii de ſchiſmate noſtro ab Eccleſiâ Romanâ. Sed plura nunc non licet. Hanc Seldeni noſtri Diatribam quod incompactam habes, hiſce temporis anguſtiis imputabis; Utcunque quia nondum ad manus tuas perveniſſe ſuſpicabar, obſequii mei teſtem mittere geſtiebam. Omnia mea boni conſulas oro. Vale.

VI Idus Aprilis, clↄ Iↄ c xxx iv. Hagæ-Comitis.

*Tuus totus,*

STEPHANUS GOFFE.

## CCXCV.

# Cl. Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P.

*Feſtinationem affinis Merceri agrè fert, quæ obſtiterit, quo minus hoſpitium & humanitatis jura ei potuerit comprobare, in aliud tempus Salmaſium cum familia ad ſe invitans. Intereà nil magis optat, quam ut ſubinde erudita Salmaſiana ſcripta prodeant.*

MAgnæ mihi voluptati fuit conſpectus optimi adoleſcentis Merceri tui. Juvit enim videre eum qui & affinitate tibi eſſet junctiſſimus, tantoque & parente & avo prognatus. Solum vellem ut apud me divertiſſet & aliquot hic hæſiſſet diebus. Si quando ipſe occupatior fuiſſem, colloqui cum filio potuiſſet, eoque duce & comite urbem hanc & quicquid in ea memorabile luſtrare; ſed negabat id ullo pacto nunc fieri poſſe. Quæſo ſi necdum valetudo tua & anni tempus ferant ut nos cum uxore, liberis, affine inviſas, veniat is affinis tuus. Cura ejus habebitur tanta ut ſollicitum te eſſe nihil ſit opus. De Botanicis ſcire aveo an propediem viſura ſint lucem: Memini te coram de iis loqui cum eſſem Lugduni. Ab eo tempore nihil intellexi, niſi quod Epiſtola quadam Lugduno perſcripta Hardervicum ſpes quoque eorum fiat. Vellem autem literæ illæ paulo aliter meminiſſent ejus operis, in quo ut in cæteris feciſti tam multa, doctiſſimos etiam docebis, præclareque de medicorum filiis, ut alios taceam, mereberis vetera nomina explicando: quod non poteſt, niſi qui naturam & vires plantarum exacte calleat. Ecquis maligne laudet, nihil ad te quia infra te, præſertim cum perveriſimile ſit, fieri iſtæc non tam quadam animi malitia quam in gratiam alicujus qui ferre illud non poſſit, ut in iſtis & tot aliis ſapere etiam judiceris ubi is plane videat nihil. Intellexi te aliquid, imo librum juſtum edolaſſe de vitæ termino, quem lucem videre exoptem, modò nihil in eo adverſus receptam ſententiam his terris περὶ προορισμοῦ Nec eam arriperent. Damno hoc magno meo didici, atque iſtoc abſque dubio apertè etiam ſatis vides. Pluribus nunc colloqui tecum velim. Sed affinis ait ſibi abeundum, ut morari non liceat eum. Et mihi nunc eundum ad Gymnaſia urbis, quia eſt ſolennis examini dies, unde mihi in curatorum numerum adlecto abeſſe non licet. Vale, Salmaſi, decus nunc Bataviæ quoque hujus & ſeculi deliciæ. Ταχέως.

cIↄ Iↄ c xxxiv.
v. Idus Aprilis.

---

## CCXCVI.

# Hugoni Grotio,

S. P.

*Johannem Grotium magnis à ſe laudibus ornatum parenti remittit.*

REdit, Illuſtriſſime Domine, ad te generoſus filius Johannes: cui, quod potui, hactenus præſtiti; partim juvenis causâ, cujus id virtus, & amor doctrinarum merebatur; partim tuæ in ſpem gratiæ, quem boni omnes, ac prudentes, ſuo jure maximi faciunt; non modo ob ſublimem locum, in quo es conſtitutus; ſed etiam ob ſingularem doctrinam, & humanitatem ſummam: quæ virtus cum in omnibus, in Herotbus prope eſt divina. Atque iſta etiam prædicant, qui his degunt terris; quia ſtatim in oculos incurrunt; qui verò propius abſunt, laudant virtutes alias occultiores, non minus Heroem decentes; de quibus nihil à me expectas, qui non de te mihi ad te ſcribendum, ſed de literis tuis, quas mei causâ, in Bataviam miſiſti. Sanè illuſtris filius Johannes honeſtam admodum memoriam ſui apud Batavos relinquit. Præclare de eo cenſent urbis hujus Proceres: nec dubitant, quin patriæ ſit futurus præſidium, atque ornamentum. De ſtudiis quid attinet me ſcribere, quandoquidem viva ipſe Epiſtola erit? Solum igitur illud dicam, exoptare me, ut ad ſuos reverſus, unum alterum ſcriptorem nobilem, & eum potiſſimum quo genius maximè traxerit, aſſiduè verſet, & quotidiè nonnihil ſcribendo, magis, & magis, eum exprimere conetur. Cœperat aliquid fœliciter tentare, de geſtis maximi Regis Guſtavi. Videre eſt in illis bonæ dictionis lineamenta, maximè ex Cæſare, & Tacito. Nec interea diffiteor, nondum ſtylum ſatis firmaſſe; eoque opus ut legendo, & imitando pergat; illo pede, quo cœpit, greſſum dies formabit, haud aliter ac in pueritia videmus: nam & eloquentiæ ſtudium habet pueritiam, habet juventutem, ac vigorem ſuum. Nihil me occupatius, ut vix ſciam quid foris geratur; ſtudiorum verò ejus nihilominus mihi cura erit, quin & potius major. Inque partem curæ, aſſumam filium meum Matthæum, cum aliorum, tum maximè omnis hiſtoriæ intelligentem admodum; & jam otii eramus uterque, quæ deeſſe filio potiſſimum videbantur; & ſimul quibus imprimis caperetur: cum ecce narrat, ſibi in animo eſſe Gallias, præcipueque Italiam viſere: velle autem ante hyemem proximam reverti, ad ulterius capiendum ingenii cultum. Primitus mirabar plurimum; ſed rationes conſilii hujus non aſpernandas afferebat; ſatius enim eſſe, ut æſtate peregrinetur: hyeme apud nos degat. Præterea nunc habiturum ducem, & comitem Skyttium, virum & doctrina egregium, & quod huc potiſſimum ſpectat, in probitate & prudentia pariter inſignem. Quo alioqui ſit fruſtrandus, quia eum Illuſtris frater ſuus Benedictus impensè deſideret. Inſuper malle recentem à ſtudiis reverti in Patriam, quam ubi quædam, peregrinationis diuturnitate in oblivionem venerint. Denique ajebat, animadvertere ſe, me editione operis Philoſophici, quo in veteres, & recentes Grammaticæ artis ſcriptores, Ariſtarchum ago, multaque antiquorum illuſtro, vel emendo, eſſe aliquanto occupatiorem, quam ut æque ſibi vacare poſſim, quam futurum eſſet hyeme, opere interim abſoluto; ſimilia de filio afferebat qui diſtineretur Annalibus Batavis concinnandis: Eaque opera intra paucos menſes abſolvi poſſe cognorat. Mirabar filii ætate in ea prudentiam; ſed filium tuum eſſe cogitare mox cœpi; occurrebat Poëtæ illud. Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum virtus; ſanè animi eſt excelſi, magnaque ſpondet. Nempe totus eſt in eo, ut nobile genus, nobiliori animo illuſtret, in quo multum abit à Nobilium, ſi ſic loqui liceat, Vulgo, quod quia vera non intelligit bona, umbris capitur. Tuum verò hunc, imo omnes tuos, vix opus ad virtutes, ac ſtudia adhortari, ne fiat illud vetus, Equis ad campum. Deum Opt. Max. rogo, ut hanc in liberis fœlicitatem tibi perpetuam eſſe velit, teque, Illuſtriſſime Domine, diutiſſimè incolumem ſervet, non tibi modo, & tuis, ſed potiſſimum Suecico Regno; cujus etſi nomen inclytum ſemper fuit, tamen ſub Guſtavo nulli Regum inferiore, maxima honoris ſui, per univerſum orbem, incrementa cepiſſe, nos exteri judicamus: & puto gens Suecica agnoſcit non invita.

Amſtelodami,
III. Id. April.
ↀ Iↄ C XXXIV.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor, ad officia omnia paratiſſimus, tibi, & generoſis liberis,*

G. J. Vossius.

CCXCVII.

## CCXCVII.

*Quæ ſibi poſt diſceſſum in itinere contigerint, & quid poſthac fieri velit, familiariter communicat.*

*Clariſſime, Ampliſſime Vir,*

SEptimo die, ex quo te non ſine maximo dolore meo reliqui, fere Hamburgum attigi, felici atque inoffenſo, Numini ſint grates, itinere. Et cum milliari tantum urbe aberam, obvium habui Dominum Legatum Salvium, Bremam & ad Duces nonnullos inferioris Saxoniæ pergentem. Facile illi erat avidum rerum novarum & cupidum penitius cognoſcendi, quo ſtatu res Germanicæ eſſent, ſecum abducere. Octiduum & quod excurrit illo itinere abſumptum. Luſtravi Epiſcopatus Bremenſem atque Verdenſem. Quorum prior tantum Epiſcopum habet Principem ex Holſatia, eundemque Guſtavi Regis avunculum. Inde Gluckſtadium vidi. Quæſtuoſus ille ut Daniæ Regi, ſic Hamburgenſibus luctuoſus eſt. Aderat tunc Daniæ Rex & unus liberorum, nomine Fridericus Chriſtianus. Admiſſus ad colloquium convictibuſque adhibitus tum & munitiones ſique alia viſu digna erant, ſpectare permiſſum. Vocatum illuc à Rege D. Grotium proximoque adfuturum die, rumor magis erat quam certi aliquid affirmaretur. Quare Hamburgum extemplo contendi. Hora ante adventum meum ex urbe profectus erat. Expectavi reditum jam tertium diem ſed fruſtra. Literas quas manu mea exhibendas ad illum dediſti, in ædes ipſius deferre curavi. Dictu incredibile, quanto hoc me dolore adfecerit. Mirari ſatis nequeo, nihil me à fratre Jacobo literarum vidiſſe, doleoque ſic quoque tuas, ad illuſtrem Parentem mihi haud miſſas. Quid apud Dominum Parentem prætendam quamque rationem reddam, cur nec tu nec ille mecum ſcripſeritis, haud in promptu. Convenerat inter me & fratrem, ut proximo ſubſequenti Saturni die literas ſuas cum tabellario Hamburgum mitteret. Quo minus mox mecum ſumerem, ambiguus fratris de itinere in Gallias animus in cauſa fuit. Orationem fratris à filio Iſaaco, gnaro per quem deſcriberetur, tibi exhibitam, correctamque & tuis adjunctam literis ſpero. Tabulæ Chronologicæ, quas in uſum fratris deſcribendas filio Matthæo reliqui, ubi primum deſcriptæ erint, & mihi mittantur, oro, ſimulque exiguus liber de Nominibus propriis Hebraicis, quem nimia feſtinatione reliqui. Frater Benedictus in Germania nunc agit, in dubia ſpe eundi propediem in Gallias. Quod ſi Jacobus iter ſuum diſtulerit, acturus ſum, ut quamprimum in Hollandiam revertar ſimulque peregrinas oras adeamus. Quod utiliſſimum utrique noſtrum futurum reor. Nec abs re erit ſi eadem à Domino Parente frater flagitaverit. Conceſſurum ſpero, ſi me diutius operari literis voluerit; quod imprimis eum velle ſcio, ſed nihil perinde in exteras me evocat regiones quam tui deſiderium. Nunc primum vere cognoſco quantum fuerit tecum vivere, cum id jam mihi negetur. Hocque vehementius tibi reddi æſtuo quo magis divellor. Hæc ſumma votorum erit, ut te conjugi, liberis, amicis orbique & ſic quoque mihi ſupremum Numen, diu ſuperſtitem eſſe velit. Id precor, id voveo. Saluta dilectam conjugem atque chariſſimos liberos. Nihil gratius erit quam ab illis cognoſcere proſpera omnes frui valetudine. Et ego officii mei memor ero. Vale, meque more tuo amare perſiſte qui,

Ampliſſime Vir,

Dabam Hamb. 22 die April. An. 1634.

*ſum eroque perpetuum nominis tui cultor,*

J. Skytte, Junior.

## CCXCVIII.

*Clariſſimo Viro,*

### Gerardo Voſſio.

*De conditione ſua queritur, qua crebris hinc inde profectionibus ſtudia non parum ſufflaminent. Nonnulla de Godeſchalci hæreſi ſubminiſtrat alia, ſi quando nanciſcatur, his ſuperadditurus.*

*Clariſſime & Ampliſſime Vir,*

SI non optatiſſima Doctiſſimi Viri amicitia abundè moleſtias omnes compenſaſſet, me paulò infeliciorem ſentirem ex itinere meo Amſtelodamenſi: Quippe reverſo vel paucas tantum horas indulget Nobiliſſimus meus Patronus Dominus Verius, quibus me aptarem longiori non tam itineri, quàm itineranti domo; Namque verè ἁμαξόβιος Scytha fixam non debeo expectare ſedem, adeoque ſi rudis & barbarus rediero, non eſt pene quod me culpet Literarum Patronus, quum ſtudia lentè augeſcunt, etiam quæ maximè foventur, facile enecantur, quæ aſſiduis deſtituuntur ſubſidiis. Utcunque avido Literarum animo nulla elabetur hora, & ſi contingat Leodium rurſus adire, plenius & certius Godeſchalci quæ illic ſunt perquiram: interim fruatur Clariſſimus Vir, hiſtoriâ iſtâ Chapeauvilli tribus tomis diſtinctâ, in quâ memini me quædam alicubi legiſſe de Hæreſi Godeſchalci, quæ tamen in hâc nimiâ meâ feſtinatione invenire & monſtrare non poſſum. Ex paginâ verò trecenteſimâ viceſimâ tomi primi certò ſciet Doctiſſ. Vir eſſe quædam ejuſdem manuſcripta, tum in æde Lambertinâ, tum Laurentianâ Leodii, propè eſt ut ſuſpicarer hunc eſſe alium quendam Godeſchalcum, ſed non licet penitius examinare; Proinde omnia in manus veſtras trado; ut & ipſum me, quem credas oro,

Hagæ, 25 April.

*Dignitati veſtræ obſequentiſſimum,*

Steph. Goffe.

## CCXCIX.

### Joanni Meurſio,

S. P.

*Certiorem facit de morte filii Dionyſii, cujus Reidanum quacunque datâ occaſione ipſi promittit. Sua de Regno Attico jam accepiſſe ſperat, monet etiam ne Bibliothecam Atticam & alia erudita ſcripta literatis ulterius invideat.*

CAreo, amiciſſime Meurſi, tantopere dilecto filio meo Dionyſio; eoque careo (cur reticeam?) magno cum mœrore; ſed quem leniat dies, & imprimis divinæ voluntatis cogitatio. Poſt exceſſum ejus lentior fui in ſcribendo. Quod non miraberis, ſi ſcias quantum amiſerim. Equidem ſæpe cogito mecum, quis ille ea ætate; quantillus ego hac grandæva. Sed ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt. Atque hæc non aliqua animi mollitie, ſed maximo jure à me ſcribi, facile videbis, ubi in lucem ejus Maimonides & Cæſar prodierit. Reidanus jam excuſus fuit eo vivente, quem mittam ubi occaſionem ſuggeſſeris, vel ipſe repereo. Scio, judicabis ſic interpretem egiſſe, ut, ſi viveret auctor, non alium votis debuerit expetere. Tua de Regno Attico credo jam acceperis. In qua editione ſiquid peccatum, nulli minus quam mihi vitio vertas; quandoquidem Janſonio (ita intelligo) viſum, ut Hardervici potius excuderetur, utcunque aliud inſcriptio præ ſe ferat. Aderam

his diebus Arlandervenia Domino Guilielmo Noomſio, viro & literarum, & literatorum amantiſſimo, tui præ aliis prope omnibus. Cui cum expoſuiſſem, quàm præclarè hoc ipſo anno meriturus eſſes, editione multorum de Republica literaria: in his etiam Bibliotheca Attica, & quæ de aliis Scriptoribus conſignaſſes; pro familiaritate, quæ ei mecum eſt, dicere cœpit, paulo aliter conveniſſe, & periiſſe ſibi ſic laborem, quem in hoc argumentum inſumpſit. Attamen, ut ingenuè agam, inter eos qui tam mihi amici, ſatius exiſtimo à te id fieri quam alio quoquam. Non diffiteor poſt abitum tuum multum ei argumento eſſe inſudatum his locis. Sed enim quis orbe toto intelligentior talium Meurſio meo? Et tamen non plane fruſtrandus voto ſuo Noomſius noſter. Puto, rectè te facturum, ſi ex opere eo partem aliquam ipſi dedices. Satis animadverto ſic ſatisfactum ei iri. Vel ſi diſcerpi id opus non placet, dicetur opus aliud non plane diſſimilis argumenti. Et auſim dicere, ſi bene virum novi (noſſe autem debeo) non ingratum eum fore. Nec enim ſordidus eſt. Scripſi hæc ſubito cum Lugduno huc veniſſet noſter Mullerius, ſeque ad Dom. Roſecrantzium poſt horam literas diceret miſſurum. Nolui enim tam bellam ſcribendi occaſionem omittere. Intelligo ante dies paucos Elzevirium profectum in Daniam. Quod ſi ſciſſem, fortaſſe occaſio fuiſſet per eum mittendi Reidani; ſed hominem non vidi, nec domi meæ fuit. Uxorem tuam uxor mea, & liberos tuos liberi mei ſalutant.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxiv. Pr. Kal. Majas.

*Tuus, ſi alius quiſquam,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCC.

*Dionyſii filii laudat Reidanum. Deſiderat Sophompaneam Grotii, ut & Voſſii Ariſtarchum. Suorum operum editionem typographum tam diu differre ægre fert, ac hominem urgeat, monet.*

LIteras tuas, Vir Clariſſime, & Reidani adjunctum exemplar à mercatore Slagonienſi rectè accepi. In Reidano ingenium tui Dionyſii mirè elucet. Dictio eſt tota pura, & majorem in modum elegans, quæque Tacitum feliciſſime repræſentet. Laudibus ejus memorandis alibi occaſio erit, idque publice: hic ſi faciam, metuo ne dolorem tuum aliquatenus jam lenitum, tibi refricem, ac reſtantem, etiam augeam. Grotii noſtri Sophompaniam, quam tantopere deprædicas, admodum videre velim; quam quod tibi dedicavit nihil fecit præter amicitiæ veſtræ antiquiſſimæ dignitatem. Quod meorum operum editionem Blavius tam diu differt, malè animum meum habet: utinamque vel nunc tandem fidem liberet, inchoetque. Mitto interim quæ II. Tomi erant, & in illis Cretam meam, quam inſcriptum ivi Noomſio, veteris noſtræ amicitiæ monumentum. Peto abs te ne è manibus id dimittas, antequam excudi debeat. Ariſtarchum tuum, ſive de re Grammaticâ, libros, expecto impatienter, & nunc abſolutum ſpero. De Salmaſio planè doleo: & non poſſum non invidiam Menapiſci accuſare. Stephanius noſter jam Saxonem ſuum abſolvit, & æſtate proximâ ſe editurum pollicetur, nunc eſt totus nuptiarum, quas contraxit iterato. Salutat te plurimum; uti quoque Laurenbergius. Creta mea ſi placuerit, mox eodem quoque modo Rhodum dabo, quam affectam nunc adſervo; tum paulatim alia item, quæ concepi, ſubſequentur; ſi vitam Deus, uti ſpero, & otium dederit. Tu quæſo, quantum potes, excita Typographum & urgere excitatum nunquam deſine. Vale amice ſingularis, & ſaluta uxorem tuam liberoſque meo nomine, conjugiſque, ac meorum.

Soræ ad diem xxvii. Octob. cIↄ Iↄc xxxiv.

*Tuus ſine dolo,*

JOANNES MEURSIUS.

## CCCI.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Conqueritur ereptum fato Dionyſium non modò ſibi, ſed bonis omnibus flebilis, propter eruditionem haud vulgarem. De M. Antonini Imperatoris vitae Græco Anglicè à Caſaubono tranſlata quædam monet, quorum pleniorem requirit informationem.*

COgor me ipſum ridere, mi Caſaubone, quod ad aliquem ſcripturus, fere tanquam à ſolenni formula ordiar literas meas ab excuſatione diuturni ſilentii. Sed tamen nunc ſcio facile veniam à te & aliis impetrabo ceſſationis meæ, poſtquam ad veteres tarditatis cauſſas longè gravior ex mœrore acceſſit, ob amiſſum optimum & ſuaviſſimum Dionyſium meum, de quo ſæpe ad te ſcribere cogitavi; ſed cum calamum in manus cepiſſem, dolor recrudeſcebat, quem cogitationibus aliis amoliri ſatius erat. Mollitiem hanc animi accuſabis, meque ad Philoſophorum veterum præcepta deduces, & imprimis ea quæ nobis ſolatia ſacra ſuggerit fortuna. Iſtis verè munio pectus ſedulò, qui fortaſſe ſuccumberem, niſi attenderem ad illa quæ nec gentium Philoſophi ignorarunt; ac præcipue niſi oculos attollerem ad divinam Providentiam, quæ ſuaviter ſic omnia diſpenſat, ut ea quoque quæ moleſtiſſima ſunt carni, ſalutaria ſint ſpiritui. Hæc mihi propono, his me ſolor, quoties occurrit qualem & quantum amiſerim; Quot enim ille vulgares Linguas erat complexus, in his Hiſpanicam & Italicam, ut de Gallica taceam? quot etiam Linguas eruditas non modò Latinam Græcamque, ſed Hebræam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicam, ut de cæteris nihil dicam? Quos etiam Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos non legerat? & ita legerat, ut non magis memoriam mirarer in retinendo, quam judicium in ea ad uſum transferendo. Sed nihil æquè exoſculabar, quam indolis bonitatem ſtudiumque pietatis, & contemptum voluptatum, & aliorum quibus ætas illa capi ac decipi ſolet. Nec virtutes hæ occultæ eſſe poterant. Itaque jam à Proceribus nonnullis Regni Suecici agebatur ut in Sueciam profectus, ibi ſex ſeptem menſibus linguam Gentis addiſceret, atque ad Archiva admiſſus ex ſermone etiam præſtantiſſimorum hominum, antiquas ac recentes res Suevorum cognoſceret; inde ad nos reverſus Regni ejus Hiſtoriographus, mercede non exigua cuncta literarum monumentis traderet. Quod ſi porro etiam operam ſuam regno vellet addicere, longè majorum ei in regno bonorum promiſſa fiebant. Itaque Proceribus iis flebilis occidit: nulli tamen magis quàm mihi, quia ſi quid affectum habeam, imo quicquid aliquouſque à me ſcribendo perductum, id ſi quid humanitus contigiſſet, optime unus pertexere potuiſſet: Sed quid hæc tam multis? gratias Deo ago, quòd talem mihi filium dederat: nomen quoque ejus ſit benedictum, qui eum fortaſſe, ne à mundo corrumperetur, illa in ætate ad ſe recepit. Gratiæ quoque ei, quòd tot alios mihi liberos reliquerit, qui omnes (niſi quod in Johanne meo, majorem ſtudiorum amorem exoptarem) induſtria vitæque exemplo planè mihi ſatisfaciunt. Quid Domino pro tot beneficiis rependam? Iſta cum ſcriberem, ecce mihi tabellarius qui tradat geminum exemplar M. Antonini Imperatoris de vita ſua Anglicè à te de Græco fonte redditi, notiſque illuſtrati. Atque utinam linguæ, quâ ſcripſiſti, intelligentior eſſem; interea Græca cum Britannicis, ut poteram, conferenti, maximè libro primo, & iis de quibus diſſeris in notis, viſum ſic fuit non pauca te melius Xylandro percepiſſe, viro alioqui doctiſſimo, beneque de ſtudiis merito. Vellem Johannes meus in duobus tribus locis explicare, hærenti mihi, (linguæ quippe Anglicæ multis partibus intelligentior) ſententiam tuam potuiſſet. Præſertim verbis de Sexto; ubi in laudibus ejus ponit, τὸ [illegible]

τὸ

τὸ αἰνεμένων, niſi οἰομένων reſcribendum. Tales enim inſtar ſimplices, nec attendunt ad multa amicorum minus laudabilia: quod ad conſervandam amicitiam plurimum facit. Sed nihil pronuncio, quia inſcitia linguæ nihil certo mihi de mente tua auſim promittere, utcunque eam adſequi viderer. Sed ubi redierit filius juvabit plenius cognoſcere. Aliquantò ante ubi Antoninus ait, ἢ τὸ διεγερτικὸν ἀνδρὸς ἐπιδείκνυσθαι, nonne præſtaret, ἐπεγερτικόν; præſertim quando αἰσθητικὸν anteceſſit? Ac poſt aliqua, ubi Severi nomen retines, nonne reſcribendum hoc pacto, παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Οὐήρου τὸ φιλοίκειον, καὶ φιλάληθες, καὶ φιλοδίκαιον, καὶ τὸ δι' αὐτὸν γνῶναι Θρασέαν, Ἑλβίδων, &c. Sed de iſtis tu melius judicabis, qui ſcriptorem eum totum nunc, quod dicitur, in ſanguinem & ſuccum verteris. Præclarè meritus es de Britannis, quibus ex tanto Principe haurire præcepta ſapientiæ licebit. Quam viam ſi, exemplo tuo, plures inſiſterent, multi Patriæ ſolum Linguæ gnari, frugibus potius quàm quiſquiliis, paſcerentur. Sed amiciſſime mi Caſaubone, non poſſum te celare imbecillitatem meam quantumcunque mihi (fortaſſe & aliis) fortis videar. Cum ego hunc præclarum laborem tuum in manus ſumerem, mox ſeſe obtulit pagina à titulo proxima, qua laborem tuum inſcriberes divino Viro, magno illi Mecænati noſtro. Vide pugnantiſſimos noſtros affectus. Gaudio ingenti erat, quod & illud illuſtre nomen decorares, & nomen illud non minus decoraret opus tuum. Et tamen dolor ingens me invaſit, ob amiſſum filium Dionyſium, quicum ego omnia communicâram de officiis, quæ Heroi illi familia mea deberet; qui etiam prope nihil non ejus auſpiciis edere decrêrat. O ſpes hominum incertas! Nunc ego, nunc mei, tanto poſt te unum intervallo relicti, ut gemino jam monumento hoc egeris, ne ingratus videaris. Et ſæpe metuo, ne qui merita Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini ſciant, & quomodo in Batavia hìc vivam, neſciant, vel ſocordiæ me reum agant, vel ejus vitii, quo infeſtius terra nihil pejus ſuſtinet aut creat. Utinam opus meum Grammaticum (quod tanto mihi labore ſtetit, quo etiam præclare me puto meritum de Republica literaria) liberis potius poſt meum obitum reliquiſſem divulgandum, quam ut nunc videar tam lentum nomen, atque ut veteres dixêre, vere trico & bovinator. Sed facta nequeunt reddi infecta. Non deinceps curæ huic aliud prævotti ſinam. Deſinam, nec ſine dolore, unum ſi addidero, quod ſcire debes, jam ante menſes aliquos, me accepiſſe à Peiſtero pecuniam, quæ provenit menſe Septembri anni ſuperioris. Itaque menſe Martio hujus anni, totius ſemeſtris proventus mihi debitus, quem te paratum mihi refundere, ſimulac literas meas videris, jam ex Peiſtero intellexi. Multam ſalutem dicito Reverendo Dom. Decano, & univerſo fratrum Collegio, quod colo, & colam ſemper, uti debeo. Optimam verò uxorem tuam non meo ſolùm ſed conjugis etiam nomine plurimâ ſalute impertias rogo. Vale.

Amſtelodami. ClƆ ƆC XXXIV. Kal. Maji St. Vet.

*Tuus, uti debeo,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCII.

*Præmiſſis quæ ad Canonicatum ejus pertinent, dolorem ob ereptum ipſi præmatura morte filium Dionyſium conteſtatur; ad nonnulla Antonino ſuo mota dubia plenius reſpondet.*

Etſi ſerius aliquantò reſcribam, Vir Clariſſime, & à me non una ratione excuſari poſſit (non ignoras opinor Capituli Generalis celebratione ſolemnem nobis per ſtatuta noſtra ſemper eſſe Junium; ut & Novembrem menſem, eaque negotiis Eccleſiæ noſtræ cujuſcunque generis expediendis deſtinata eſſe Capitula) eò tamen minus mihi de excuſatione laborandum, quod etſi non verbis, re tamen ipſa literis tuis dudum jam à me ſatisfactum eſt. Simulac enim tuas accepi Kal. Maji datas, 25 libras (quantum Londini tum caſu verſanti mihi in promptu erat:) Peiſtero ipſi numeravi; cæteras autem 25 paucos poſt dies, Beviro Peiſtrii Delegato, Cantuariam reverſus. Sed ut ſignatiùs rem intelligas, ſcripta eſt apocha Peyſteri 23 Maji; Beviri autem, 5 Jun. Reliqui ſi quid hic tibi negotii, cum ſuperioribus meis literis ſit omnis ejus ratio tibi expoſita, tu autem ejus mentionem in tuis omiſeris, non eſt quod hoc tempore plura ſuper eo addam. Illud tamen non te celabo, Illuſtriſſimum Dominum Archiepiſcopum (cui per ſtatuta noſtra peculiaris Cantuarienſis hujus Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ſummaque hic poſt Regem authoritas) nuper Archiepiſcopalem Viſitationem per Delegatos inſtituiſſe, multaque tum ad univerſum hujus Eccleſiæ ſtatum, tum ad ſingulorum Canonicorum jura pertinentia ad ipſum relata eſſe, & ab ejus cognitione jam pendere, quæ cum erunt judicata, ſi quid ad te pertinebit, per me reſciturus es. Luctum tuum ob mortem chariſſimi tui Dionyſii prolixè narrabant tuæ, quem etſi maximum fuiſſe, prout à te magno affectu patrique facundia deſcriptus eſt, animo concipiebam cum legerim tuas, non tamen aut iniquus, aut expectatione mea major mihi viſus eſt. Si enim à me, ſi ab aliis hic plurimis, quibus aliquot duntaxat ingenii ſui præludiis innotuerat, ita exceptus eſt triſtiſſimus ille nuncius, & multos à nobis gemitus exprimeret, diuturnoque doloris ſenſu afficeret; quantum tuum patris indulgentiſſimi, doctiſſimi, ſimul & Præceptoris diligentiſſimi dolorem fuiſſe amiſſo tali filio neceſſe fuerit, facile erat conjicere. Ego ſanè ita affectus ſum, ut niſi te hominem haud vulgari more ad pompam & faſtum literatum, ſed verè ac ſolide ſapientem cogitaſſem, oneri tam gravi ferendo parem fore planè deſperaſſem. Sed noto plura de eo, ne vel teſtam Demeam, tuum dolorem renovem, vel te conſolando, nimium ipſe mihi videar tribuere, quaſi meliora poſſim ego ſuggerere, quam quæ prompta tibi de tuo ac parata fuiſſe, quorumque utilitatem jam uſu ipſo perceperis, tuis ipſe literis abunde teſtatus es. Reliquum igitur eſt, ut de Antonino tibi reſpondeam. Narras te bina ejus exemplaria accepiſſe; ſed literarum, quæ cum exemplaribus ad te curanda Peiſtero tradita ſunt, nullam facis mentionem, ut minime dubium ſit, eas periiſſe. Rogabam te per illas (ſcripta autem ſunt illa, ſi bene memini, circa medium Januarium:) ut binorum exemplarium alterum ad virum ampliſſimum, & doctiſſimum Dominum Boſwellum, Regium iſtic Oratorem, niſi aliter tibi ipſi videretur, ſive tuo ſive meo nomine curares. Is ad vos jam redierit necne, compertum non habeo. Audio enim nuper eum hic fuiſſe: ſed audio tantum. Non enim hactenus accidit ut viderem. Jam ſub prælo eſt, & brevi, ut audio, proditura ſecunda ejus libri editio; non me ſane procurante, (in aliis enim jampridem ſum) ſed Bibliopolâ, cujus impenſis prima prodiit, ſuis compendiis conſulente. Valde enim, ut videtur, primam editionem quæſtuoſam expertus ſit, cum intra paucos menſes direpta ſint omnia exemplaria. Quod de quibuſdam locis ſententiam tuam proponis, magnam in eo gratiam à me iniviſti, qui magno redimerem familiarem tibi linguam Anglicam, ut plura loca comparare ſine alterius ope potuiſſes Lib. 1. ubi utraque Xil. editio de Sexto, τὸ ἀθεώρητον τῶν οἰομένων, tu conjicis, τὸ ἀθεώρητον τὸ αἰνεμένων, quaſi Antoninus Sextum ab ingenua quadam ſimplicitate (ſi mentem tuam rectè capio) commendaret, quod amicorum peccata pari quadam cum vinolentis (qui minimè perſpicaces hic eſſe ſolent) facilitate præteriret. Ego per τῶν οἰομένων, eos intelligebam, quibus οἴησις & οἴημα vulgò in Philoſophorum libris tribuitur, τοὺς ἰδιώτας nempè, καὶ ἀπαιδεύτους; atque inde commendari Sextum, quod talis ac tantus Philoſophus oſtendendæ ſapientiæ occaſionis pro cæterorum Sophiſtarum, τῶν ψευδοφιλοσόφων more (illuſtre exemplum apud Aulum Gellium, lib. 1. cap. 2.) qui quocunque loco quocunque tempore, Theoremata & Scita Stoica crepare ſolebant, minime captaret ipſe; ſed cum inter homines idiotas & Philoſophiæ rudes ver-

verſaretur, ab intempeſtivis ejuſmodi diſputationibus cautè abſtineret, ne ſe pariter & Philoſophiam ipſorum odio & contemptui temere exponeret. Quo & iſta Epicteti pertinent, Wolf. edit. cap. 68. μὴ λάλει τὸ πολὺ ἐν ἰδιώταις περὶ τῶν θεωρημάτων, &c. quæ & proximo cap. repetuntur. Qualia & ex aliis plurimis multa adduci poſſint. Vocem autem ἀθεώρητον, in hunc ſenſum ex Laërtio exponebam, ubi ex Stoicorum ſententia virtutes alias eſſe θεωρηματικὰς, τὰς ἐχούσας τὴν σύστασιν ἐκ θεωρημάτων, aſſerit; alias autem ἀθεωρήτους ὅτι ἔχουσιν, &c. Si cui magis arridebit ut verba iſta paſſivè accipiantur, & τὰ δοξαζόμενα, ſint dogmata ipſa & opiniones Philoſophorum, non ego valde repugnarim; præcipuè ſi exemplo non careat: Eadem autem tum fuerit ſententia. Hæc quoque ſemper obſcuro hoc loco, quæ etſi non tam ſatisfaciant ipſi mihi, ut pro veris & certis auſim obtrudere; haud minus tamen etiam nunc arrident, quàm quod tibi obiter hoc agenti venit in mentem. Si tamen te accuratius expenſâ, (quod ut facere mea causâ ne graveris etiam atque etiam te rogo) in priori ſententia perſtiteris, tanti facio tuum judicium, ut minime diſſenſurus ſim. Alio loco, ubi Xyl. editio pag. 155. συνεχτικόν, reponis tu ἐνεχτικόν; ita omnino ſenſus poſtulat. Sed, quod tu non advertiſti, jam in Notis Xylander ipſe monuerat, & in Verſione expreſſerat, quod & à me factum eſt, p. 158. quod legitur παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Σευήρου, τὸ φιλοίκειον, &c. corrigendum fuiſſe τοῦ Οὐήρου, videris innuere; nec tu ſolus ita cenſes. Ita enim (ut alios omittam) hunc locum edidit Præſtantiſſimus Salmaſius, in Hiſtor. Auguſt. pag. 77. Ego tamen adhuc ἐπέχω, cum utrumque tam *Veri* quam *Severi* nomen ab Antonio noſtro (quem Catilium Severum à materno proavo nominatum teſtis Jul. Capitol.) ad hunc Lucium Commodum, jam imperii conſortem, tranſire potuerit. Imo vero ita rem habere liquidò affirmare poſſumus, ſi Galeno fides, qui περὶ τῆς περὶ τὰ πάντα χαίψαντας, exertè Anton. Imperatorem, Severi nomen, quo prius appellabatur ipſe, in Lucium tranſtuliſſe prodit. At Galeni codices depravatos hic cenſet Baron. Ann. Chr. 163. §. IV. & pro *Severo*, reſcribit ipſe *Verum*. Cui ſanè ſententiæ alter Galeni locus (à Baronio tamen hic præteritus) λόγῳ περὶ τῶν ἰδίων βιβλ. non parum favere videtur, ubi Galenus cum de mutatione nominis idem dicat, Verum non Severum ſcriptum præferunt editi Codices. Sed quicquid hujus ſit, cum non deeſſe viderem, quod objici poſſit, ſi quid in Antonio, non prius expenſis utrinque rationibus, mutarem; expendendi autem locum fore tuum maxime opportunum, ſi quando Antonius noſtris Commentariis illuſtratus Græce proditet in lucem; ideo in hac editione conſultò prætermiſſa eſt omnis rei ejus mentio. Nam notulæ illæ quæ nunc γεύματος χάριν editæ ſunt, vix centeſima pars ſunt eorum, quæ nobis in hunc divinum Scriptorem pridem jam notata ſunt. Xylandrum Interpretem, virum doctiſſimum, optimè de literis meritum, agnoſco libens. Eundem tamen in hujus ſcripti verſione negligentiſſimè vel infeliciſſimè verſatum eſſe, negabit nemo qui Græca accuratè expenſurus eſt, & mihi eſt exploratiſſimum. Nobis tamen Anton. legentibus, ipſum intelligere, non Interpretis errores ſugillare, propoſitum fuit; etſi quæ inter legendum obſervata ſunt, non ut aliis ea probarem; ſed ut mihi ipſi ſatisfacerem; primò à me factum eſt. Quare, etſi iidem, qui verſionis Anglicanæ, animi oblectandi cauſa à me ſuſceptæ, publicandæ authores fuerunt, iidem ut Græcam editionem adornem, valdè ſuadeant; ægre tamen, quantum video, præſtituri ſumus. Sacra enim profitentes, alia ſcil. nos hic occupatos habent; inter alia, concionandi grave onus; nec otii tam fœlices ſumus, ut ad iſta divertere, utcumque gratiſſima & optatiſſima, ſæpe vacet. Sed epiſtolæ modum jam exceſſi. Vale, Vir præſtantiſſime, & amare perge.

Cant. poſtr. Id. Julii, 1634.

*Tuum, quantus quantus eſt,*

MER. CASAUBON.

Mitte quæſo cum proxime ſcribes ad Beyſterum talem Apocham, qualem jam ferè biennium eſt, cum miſiſti; ea nempe præſcriptione, te ex præbenda tua ab initio ad Octobris menſem 1634. tibi debebatur, rectè ac plene accepiſſe. Sed mitte eâ conditione, ut non niſi exacto Sept. eam mihi tradat, cum præter 2 ç libras, quæ jam tibi paratæ ſunt; alteras 25 quæ tum debebuntur, acceperit. Plurimam quæſo tuæ tuiſque à me meaque & univerſo noſtro Collegio dic ſalutem.

---

## CCCIII.

## Stephano Goffe,

### S. P.

*Gratias agit pro muneribus eruditis. Nihuſium Abbatem multum gloriari ait, quòd nemo hactenus ei contradicat. Goffeum ut pugnâ eum adoriatur incitat, victoriam certam ſpondens.*

ERgone, doctiſſime Stephane Goffe, non ſatis nuper munificentiam tuam exeruiſti, donando me Nobiliſſimi Viri opere de Veritate, & longè deſideratiſſima Clementis ad Corinthios Epiſtola: denuoque Bibliothecam amici immerentis augere voluiſti Præſtantiſſimi Seldeni ad Hebræorum leges commentatio? Quas pro multiplici dicam tibi munere grates? Nunc enim quo paria faciam nihil occurrit; ſed ſpero, occaſionem datum iri magis teſtandi affectus. Popularis ille tuus (ſcis quem dicere velim) recuſat ſe ſubjicere Statutis Eccleſiæ Belgicæ. Rogatur ab amantibus, ut morem gerere velit. Quod & Eccleſiæ & ipſius cauſâ facere ſe ajunt; ſed ille immotus perſtat velud Marpeſia cautes. Ac miniſtris etiam Belgicis ſtat animus, non admittere in ordinem Eccleſiaſtarum, niſi ſententiam mutet. Aliàs ſi fiat perſcribam: nec officio in eo, vel aliis, unquam deero; non amore vel odio cujuſquam: ſed quia bono Eccleſiæ omnia metior, quam doleo ſic ſcindi, hinc ab iis, quibus tanti eſt Papalis auctoritas, inde ab iſtis, quibus præ novellitate tota ſordet Antiquitas. Abbatis Nihuſiani diſſertationes mittere non poſſum, quia jam diu repetiit, & quod unicum ipſe hoc habeat exemplar, extrà urbem gravatè miſſurus ſit. Sed Eiſenici geminum tibi accepi exemplar ut alterius amicum participem facias, quem voles. Nemo hactenus ſe offert ad pugnam: quod illi glorioſum, noſtris ſatis indignum. Malunt diſſertare de umbone, ubi adverſarius dicat, non quæ ipſe, ſed quæ ipſi volunt, &, bene, male, reſpondeant, nemo contradicat. Hoc animo meo dolet, & ſcio grave eſſe nonnullis, quos quo minus in arenam deſcendant, & publici muneris, & privatarum occupationum grave onus impedit. Unus tamen Ordinis tui ſe paratum decertare retulit mihi. Et fortaſſe alii ſunt etiam, quos ego ignorem. Sed optime, amiciſſime Goffe, num indignam hanc te provinciam putes? non imparem te jamdudum perſpexi. Animis opus; vel ſi ſic videatur, offer te eminus cominus populari tuo, qui in Patria non admodum diſſimilem inſiſtit viam. Scio te non indigere conſilio, vel auxilio meo; ſed tamen quia, ut ajunt, plures oculi plus vident, noli putare uſpiam claudicare tibi poſſe operam meam. Volo omnia tua cauſa & magis publica: & mihi quoque jucundum erit, tam amicum uſque adeò nobilem curam ſuſcipere, tamque dignam cogitationis ſuæ. Quid enim hac cauſa æquius, quomodo non juſte ab iis recedatur, qui te ferro & flamma perſequantur, & ideo perſequantur quia ab ipſis diſſentias amore ſimplicis veri in ſcripturis relucentis, confirmatus etiam conſenſu ſanctorum Patrum, ſimiliter ac tu primis ſeculis Scripturas interpretantium; denique, quia credere non poſſis quæ credi non poſſunt, ut quæ contradictionem involvunt: Cujus rei manifeſtum exemplum, cum proxime una eſſemus in μετουσίας dogmate,

te, expendebamus. Sunt alia etiam multa quæ adverſus Romanæ Eccleſiæ errores ac tyrannidem poſſunt in medium adferri; ſed vel hoc unum quod dixi quantivis mihi pretii videtur! Quamobrem, mi Goffe, cogita, quæſo, an non putridam illam clavam Nihuſio qui ſibi Hercules ἀλεξίκακος videtur, vel ſi malis alteri illi in Anglia ſimilia ſpiranti, debeas de manibus extorquere. Favebo & applaudam victori quem te fore ſpondere auſim, & bonitate cauſæ nixus & ingenio doctrinaque tuâ. Vale, optime doctiſſimeque Goffe.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxiv. poſt. Kal. Maji.

*Tuus*,

G. J. Vossius.

## CCCIV.

*Doctiſſ.*

### Martin,

Præfecto Collegii Regnalis,

S. P.

*Commendatitia in gratiam Comitis de Lechno data.*

Dicere non poſſum, Doctiſſime Martine, quanto fuerim gaudio affectus, cum primum intelligerem Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Dom. Epiſcopum Londinienſem ad Archiepiſcopalem eſſe dignitatem evectum. Equidem maximum ex eo amorem Dei colligebam erga Eccleſiam ſuam regnumque Britanniæ univerſum: Quantas enim dotes in eum divina contulerit bonitas? quas qui non vident, ſi tales inveniantur, cæci ſunt: Si non ſuo pretio æſtimare norint, valdè invidiæ, ac loliginis ſucco laborent, neceſſe eſt. Quanquam quid ego hæc apud te, qui tot annis longe me rectius herois ejus virtutes perſpicere potuiſti? Ac memini adhuc Sermonum, quos de iis una Londini habuimus. Quemadmodum & tanti Mecænatis erga te affectum non obſcurè cognovi. Atque ut iſtorum, ita & ſæpe eorum in mentem venit, quæ de Religionis controverſiis, ac ratione eas ſopiendi, non injucunde vel inutiliter diſſerebamus. Tanto moleſtius eſt, quod tam longo tempore nullum inter nos literarum ſit commercium. Hoc ſilentium mihi abrumpendum putavi, pulcherrimam mihi ſcribendi occaſionem præbentibus Illuſtriſſimo Comite de Leſhno, &, qui ei à ſtudiis, erudito Viro Joanne Jonſtono Doctore Medico. Noluere enim ſine literis meis viſere Academiam Cantabrigienſem: atque ego minutum hoc ſcribendi officium non debui Illuſtriſſimo Comiti denegare. Nam præterquàm quòd turpiſſimum eſſet leviculum adeò detrectare, poſcente id tam ſublimis proſapiæ juvene, tamque erudito, tam doctorum omnium amanti & æſtimanti; etiam alia ratio debendi illud acceſſit: quia cognati ejus Illuſtriſſimi Barones Slupeskii diu mecum Lugduni vixère, juvenes excellentis ſpei: etiam poſtea fratres eorum, mei unius cauſa, Amſtelodamum venere; ac totis ſex menſibus ſunt commorati. Mitto alia. Unum reticere non debeo. Illuſtriſſimi Domini Comitis parentem eſſe maximæ autoritatis virum per univerſam Poloniam, regni ejus Palatinum: quem cum æſtiment omnes, tum imprimis illi qui in religionis negotio noſtras potiùs Eccleſias quàm Pontificias ſequuntur. Quippe quod magnus ille Radzevilius eſt apud Lituanos, id Palatinus ille de Leſhno inclytus heros eſt Polonis ſuis. Hæc ego pluribus ſum proſecutus; quia nollem eum à te, vel aliis Academiæ Cantabrigienſis ſummis viris ignorari. Unde futurum videbam, ut nec ipſe ſatis cognoſceret, ſi uſpiam terrarum, ſane in Britannis ſimul conſpirate eximiam doctrinam ſummamque humanitatem. Nunc pulcrum erit ſi eâ natum proſapiâ, in eam ſpem educatum, in terris etiam longè diſſitis, veſtri præconem habeatis. Hæc intempeſtâ nocte ſcribebam. Plurima ſalute impertias excellentes Academiæ veſtræ viros; præſertim quos amantiores noſtri exiſtimabis.

Amſtelodami, poſtr. Id. Maji, cIↄ Iↄ c xxxiv. Ταχέως.

*Tuus ex animo*,

G. J. Vossius.

## CCCV.

*Affectum ac inſignem, quam in promovendis filii ſui ſtudiis collocâſſet, operam gratus deprædicat, mutua officia pollicitus.*

*Clariſſime Vir, Amice obſervande,*

Fungens non ita pridem legatione nomine Sereniſſimi Regis mei ad complures in hoc occidentali tractu Europæo Principes, non poſtremum duxi in tanta rerum mole atque continuo negotiorum ſtrepitu, virorum virtute, conſilio, doctrina præſtantiorum, conſortio & converſatione refici ac relaxari. Id cum ubique apprime curarem, tum in fœderatis Belgii partibus, ob hominum honore & gravitate florentiſſimorum frequentiam atque humanitatem, ſingulariter mihi non prætermittendum exiſtimaram: Tot autem & tantis obrutus impedimentis cum remiſſius deſiderio meo obſequi coactus eſſem, nihil ardentius expetivi, quam vel tibi uni innoteſcere, tuamque amicitiam atque amorem conciliare, utpote cujus inſignis prudentia ac eruditio in pluribus Europæ partibus clariſſimam meruit famam. Sed cum id mihi ſive urgentium mearum occupationum multitudine ſive temporis inopia & brevitate ereptum ſit, pro eo ac debeo graviter moleſteque fero. Interim tamen cum id quod mihi non accidit, filium meum conſecutum eſſe videam, eumque non ſolum ſemel in amorem receptum foveri abs te, ſed ex intimo affectu optimis monitis dirigi & in literis juvari probè ſciam, gratulandum mihi exiſtimo: eoque magis poſtquam à nonnullis intellexi qua facilitate recipias, humanitate tractes, ſedulitate exerceas ingenia tuæ curæ commiſſa. Quippe arbitror filium etiam meum majori utilitati ſibi, mihi ſolatio, Patriæ uſui poſſe exiſtere, ſi ei, ut ex tuæ ſapientiæ fonte in ſui ingenii cultum rivulum aliquem attraheret, ſpatium temporis longius concederetur. Nunc cum & meæ privatæ rationes & præſens rerum Status exigat, ut in Poloniam quamprimum revertatur, quod illum in commercium tuarum literarum ſapientiæque lubens adſciveris, & in profectu ejus ita deſudaveris, ut non ſine inſigni fructu ac emolumento tam celebris viri in bonis literis auxilia ſenſurus ſit, eam quam poſſum tibi maximam habeo gratiam. Ita profecto & me in præconia laudum tuarum traxiſti, & filium meum ad omne officii genus ac grati animi teſtificationem obligaſti. Quod reliquum eſt viciſſim mutui mei affectus declarandi occaſionem exoptans, optimæ valetudinis magnæque ſapientiæ maxima incrementa à Deo Opt. Max. tibi apprecor. Vale.

Clariſſ. Dom.

Dabam in Suec. 16 Maji 1634.

*Veſtræ ſtudioſiſſimus*,

Joan. Sawadski,

*Gubern. Suecenſis.*

## CCCVI.

# Hugoni Grotio,

*Viro Clariſſ.*

## Ger. Joan. Voſſius,

S. P. D.

*Mittit ei opuſculum Schikardi de Judæorum Purim ſive Bacchanalibus una cum ejus literis. Hortenſium cum applauſu Mathematica profiteri refert. Sophompaneam tragœdiam non ſine lachrymis à ſe fuiſſe lectam. De Nihuſio & arte ejus nova diſputandi, quædam ſubjungit, ſuper quibus judicium Grotii expoſcit.*

*Vir Clariſſime,*

MItto ad te Guilhelmi Schikarti literas, & ſi non fallor, ejus פורים, ſive de Judæorum Bacchanalibus opuſculum. Quam inde capio conjecturam, quia ad me miſerit, quicum non ea illi amicitia, vel illud literarum commercium, hactenus fuit. Simul literas accipiẽs Hortenſii, civis tui, quem puto aliquando non inglorium patriæ urbi fore. Eſt & illi familiaritas, ſed literaria, cum Schikarto: uti & cum Gaſſendo, & aliis in Matheſi claris viris. Ipſe nunc diſciplinas Mathematicas, in urbe hac, ſed extra ordinem profitetur. Attamen is eſt confluxus audientium; is quoque genius docentis, ut non dubitem, quin propediem eum Collegam ſimus habituri. Ptolemæum ſic ſequitur, ut Tychonianam, & Copernicanam ſententiam ſimul proponat, & explicet. Nec obſcurum nobis in Copernicanam magis inclinare: utcumque ea Romæ ſit damnata à Cardinalibus, anno cIↄ Iↄc xvi, atque iterum anno ſuperiori: Imo Galilæus Galilæi Florentinus, quia hanc ſententiam, & viva voce, & ſcribendo defenderet, in carcerem fit conjectus, nec inde emittendus, priuſquam pœnitentiæ ſatis egerit. Quam rem à Nuntio Apoſtolico Bruxellis Lovanium perſcriptam eſſe mihi conſtat, ex Fromondo: qui his diebus Antariſtarchum ſuum hoc de argumento ad me miſit. Heſterna die iterum legi Sophompaneam tuum; ſed non ſine multis lachrymis. Nec enim mihi cornea fibra eſt. Movebar argumento ipſo, de certiſſimis ſcripturarum fontibus hauſto, & à te tam graphicè nobis expreſſo. Movebar quoque recordatione Authoris, magni ſanè totius orbis eruditi, præcipui item, ſi non unici, Belgicæ ornamenti: cui ubivis potius, quam in Patria, maximis à ſe beneficiis affecta eſſe licet. Vellem magno civi tuo voluntas, vel potius otium eſſet, de eo cogitandi ſerio. Sed receſſus animorum unus ſcit, quem Καρδιογνώστην, in ſcripturis vocari propterea videmus. Amſtelodamenſium affectus non deferbuit. Sed quicquid ſine illo tibicine ſtruitur, corruit. Et metuo, ne rigoris illud, in tuendo civitatum, ſuæ imprimis, jure, magis poſſit abalienare eum, qui plurimum poteſt. Omnino enim pecuniis ad bellum opus eſt. Nec ſufficit hæc civitas una, vel etiam Batavia univerſa. Tandem tempus putatur, ut fœderatæ quædam Provinciæ in commune ſolvant quod debent. In hoc ſi Batavi perſiſtant, ſpiſſè procedet Caſtrenſe negotium. Intelligo & eos, qui Provinciarum omnium nomine magnum illud Collegium conſtituunt, cogitaſſe, de Guilhelmo Comite in Germaniam mittendo, majori etiam ſtipendio promiſſo. Sed Batavi in illo dicuntur conſpirare, quod pecunias nolint eam ad rem contribuere: quia ſe neſciis, non potuerit, vel debuerit, iſtius momenti conſtitui quicquam. Cætera cognoſces ex Fabricio, juvene elegante, & erudito, atque ex poëmatis tibi jam noto, qui Hamburgum, ob morbum matris eſt arceſſitus. Eunte illo, paulo liberius de rebus Batavis ſcripſi: quæ me ſæpè habent ſollicitum, ſed ſpero aderit ὁ Θεὸς quaſi ἀπὸ μηχανῆς· cui te, conjugem, filium commendo.

Amſtelod. cIↄ Iↄ c xxxiv.
v Kal. Junias.

Ampliſſime ſummeque vir, ſuperioribus ad te literis raptim, ſicut nunc meus eſt mos, exaratis, aliud quiddam in mentem venit. Jam annus, & credo, ultra eſt, quod in urbe hac degit Bartholdus Nieuhuyſius, vir doctus, & ſubtilis, Lutheranus quondam, & Calixto Theologo perfamiliaris, poſtea Pontificius, atque ad Abbatis dignitatem evectus; ſed ea, bello hoc Suecico exutus, & nunc extorris. Is in Germania, priuſquam huc concederet, multum, diuque cum Lutheranis ſolitus diſſertare, ſuper Religionis controverſiis: ſed non ad morem vulgarem. Poſcit ἀπόδειξιν, invictumque aliquid, quodque animum poſſit, aut debeat reddere, ἀμετάπειστον, καὶ ἀμετακίνητον. Negat opus de ſingulis diſputare. Eligere ſuos Lutheranos, vel etiam Calvinianos, & quoſvis alios, poſſe, ubi maximè exiſtiment ſuæ Eccleſiæ cauſam triumphare. Si unum viderit argumentum, velle redire ad eos, unde malum pedem extulerit. Sin diſputando intelligant, nihil ſolidi crepare, quicquid hactenus obtenditur, æquum videri, ut redeamus ad Romanæ Eccleſiæ ſinum. Edidit novo anno, ut vocat ipſe, Εἰρηνικόν; quo Lutheranos in hanc formam provocat. Crebrò & me inviſit. Et quamvis de aliis quoque rebus colloquamur, tamen jam iterum, tertioque, eò nos ſermo provexit. Illo igitur poſcente cauſam juſtam, cur parens meus à Romana abierit Eccleſia, reſpondi multa, de veteris, præſentis Romanæ Eccleſiæ diſcrimine. Sed tandem in eo pedem figebamus; Romanæ Eccleſiæ Doctoribus, ita Scripturas interpretantibus, ut manifeſta iis vis fiat, planéque abeant à primorum ſeculorum Doctoribus, imo interdum (ut in tranſſubſtantiationis dogmate) ſenſus interpretationi reclamet, manifeſtaque ſit contradictio: Nec ſolum ſic interpretantibus, ſed etiam, niſi ſimpliciter interpreteris, ferro te, & flamma perdere paratis: jure ab ejuſmodi Doctoribus receditur, ac ſeorſim cultus Dei, celebratur, partim conſcientiæ ſtudio, partim vitæ conſervandæ, quam Patriæ, Eccleſiæ, familiæ, & amicis conducibilem exiſtimamus. Si valetudo, ſi otium tibi, ſi res etiam tuæ ſic ferant, ut hujuſmodi tractes, quod arbitror; quæſo paucis ſaltem perſcribe, quid tibi de hac re videatur, & quam potiſſimum viam, cum iſtiuſmodi hominibus inſiſtendam putes. Vale.

---

## CCCVII.

# Hugoni Grotio.

*Salmaſium Lugduni malè vivere & ob aërem ipſi moleſtiorem, & ob Heinſium obtrectatorem, nihilque magis, quam abſentiam Grotii ſibi dolere, cujus reditum optimum quemque optare dicit.*

*Maxime & Amiciſſime virorum,*

NOn excuſabo apud te diuturnum ſilentium, quamvis te prope ſolitarium ſciam vivere, eoque gratiores amicorum literas credam. Etenim ſatis occupationes meas noſti; & quod ſcriberem, nihil magnopere erat. Nunc ſcriptionem differre diutius nec volui, nec potui: Quippe mihi videbatur, Salmaſii ad te literas à me, ſed ſine meis literis venire. Vir ille nihil æquè, quam tuam abſentiam dolet. Nec multum miror, cum vivat Lugduni. Scis quid velim dicere. Ante dies non ita multos, adfuit mihi quiſpiam ex amicis Ariſtarchi, qui in tantum, moribus, & doctrinæ Salmaſianæ detractum ibat, ut non multum ſupra ſemidoctos ponere videretur. Cui cùm non mediocriter adverſarer, ille quodammodò mihi poſtea accedere, ſed dicere, hæc nemo Lugduni promere auderet. Nemo credo ex Paraſitaſtris Ariſtarchi parvulis: Nam alia mens paulo cordatioribus, qui & Salmaſio, & Ariſtarcho, ſuas tribuere laudes ſciunt. Cæterum præterquam quod nonnulli Salmaſio non ſatis ſint æqui, etiam aër eſt moleſtior, ut ambigat, an ætatem illic vivere poſſit. Hoc ſpero: nollim enim Batavia, poſtquam ſole ſuo caret, citò adeo fraudari

ſydo-

ſydere, quod nuper acceſſit. Utinam hoc effici poſſit, ut brevi fruamur utroque. Hoc in voto optimo cuique. Procerum quidem hujus urbis animus eſt in te qui fuit, & debet: ſed opinio eſt, nihil effici poſſe, priuſquam aliquid certi de pace, vel induciis, aut bello conſtiterit. Gallus ſedulò operam dat, ne Belgica coaleſcat; multaque ad bellum promittit. Sed verendum, ne ſi auſcultemus, facilè aliquid impediat poſtea, cur pollicitis ſtare non poſſit. Operis mei Grammatici jam dimidia pars excuſa eſt. In quarto enim Libro occupantur Operæ. Intra ſex ſeptem menſes puto cætera conſummanda. Mitto tibi Panegyricum, & Poëmatium, filii Dionyſii. Gratum utrumque fore ſcio ego, & ſperat filius: quamvis ſe probare tibi rudem Muſam vix arbitretur. Vale, & cum filio ſalve. Etiam Tiobrogæ ſalutem dices, ſi occaſio erit.

Amſtelodami.

---

## CCCVIII.

## Joanni Bodechero Banningio,

### S. P.

*Familiariter quædam annotat ex opere Banningii poëtico, quod cenſuræ ſuæ commiſerat auctor, cætera ipſius judicio relinquens. Laudat morem Veterum quo amicus alterum de ſcriptis ſuis fideliter admonebat, quem hodie ob faſtum recitatoru, vanitatem & jactationem monitoris deſiiſſe dolet.*

SImulac, Præſtantiſſime Bodechere, paulum licuit reſpirare, tuis me poëmatis delectavi. Non leve exiſtimo, quod tibi propoſueris omne carminis genus. Multos enim qui in genere uno laudem merebantur, in alio ſua vena deſtituit. Quod de te non dixero; Etſi maximè capiar Elegiis, & Hendecaſyllabis: Idque ob σαφήνειαν, quam ego principem Orationis virtutem cenſeo: Ita ut ſi elegantiam ſociare ei nequeam, malim ἀμαθέστερον dicere, modò σαφέστερον. Adoleſcenti mihi mens alia; ſed ætas animum jamdiu mutavit. Quod verò meum etiam judicium exquiſieris, de affectu ſanè gratias ago. Sed alio potius eum oportuit, ſi velles aliquid, quod ſcribere opere videretur. Et tamen ut fidem facerem, lecta mihi tua, volui quædam annotare, quæ tui facerem judicii.

In paneg. pag. 3. Tygreſque, ] Tygreſque Græcè τίγρεις. Celuberum ] Penultima Catullo, Martialique porrecta. Et Græcè ἴβηρες. Belgiadum, ] video, qui non refugiant. Ἀναλογία tamen aliud poſtulet. A *Belgium* deduxeris; ſed longè aliud Belgium, ac Belgica, etſi doctiſſimi etiam confundant. Cur non Belgarumque?

Pag. 9. Illa dies ad d. ſ. quod atrox. ] Video verſum *quod* exigere. Et fortaſſe habes, qui præivit. Alioqui maſim, *qua atrox:* ut Seneca; *Venient annis ſecula ſeris, Quibus oceanus vincula rerum Laxet.*

Pag. 10. Carbaſa *Celuberum* ] de quantitate penultimæ jam dictum. Panopæa ] Panopea, Græcè πανόπεια, non πανοπαῖα. *Alta voce.* ] Nihil vulgatius trivio. Sed veteres puto ſemper, *clara*, vel ſimile.

Sylv. III. p. 1. Scævior, ] non memini in comparativo legere. Simile tamen ſit *ſiniſterior*, quod apud Naſonem. Et convenit ſignificatio, quia σκαιὸς, ſive ſcævus idem ac ſiniſter. P. 2. Medæa] Medea Græce, μηδεία, per ει non αι. P. 3. Iaſpide] Non memini me τεσσυλλαβῶς legere. Sylv. VI. —— *Redux Profeſſor, & omnem* ] Prima in Profeſſor, neceſſe, ut eundem habeat modulum quem *profiteor*. At prima eſt ſemper correpta. Eleg. IV. *Queſtibus* ] Queſtibus quia non *à quæro* hìc, ſed *à queror*. Eleg. V. *Nec Polydectes ego* ] Poſtrema in *Polydectes*, quia Græca πολυδέκτης, ut πανδέκτης. Eleg. XIV. *Heſper aquas* ] ab ἕσπερος, vel eſt veſper, vel Heſperus, non Heſper. Eleg. XVIII. *Junctas Azone* ]. Dicunt Latini *Azoni*, vel cum *Azone*. Serm. IV. *Id licet ipſe negarim, in limine ſcribens.* ] Feſtinatione in ſcribendo, vox præterita, quia pes deeſt. Carm. IV. *Hos pauculos verſus habe obſides mei.* Nulla hic Triemimeris, quam Horatius, nec in epodon libro, nec alibi neglexit. Saltem nolim vox aliqua, totum pedem tertium conſtituat in Jambico ſenario. Poteras *Paucos habeto hos obſides verſus mei.* Eam legem veterum, ſaltem elegantiorum, nec video in illo, *Ille belluo celebris, ut hic nepotulus*, Cæſura ſit hoc pacto, *Celebris belluo ille, ut hic nepotulus.* Vix etiam Triemimeris in iſto, *Pæana vocem addit ſuam Ripperſius.* Carm. V. ad Tulpinum. *Largus percrebuit vocibus undique* ] prima in *creber* longa, ideo & in increbeſco. Nec aliter Virgilius, vel alius quiſquam veterum. Carm. VI. *Divûm voluptas, & conviva diceris* ] Placetne pari, quarta quippe ſede, ſpondæus? Car. VII. *Præcocis ſapientia* ] ſcio in Glyconio à Catullo; prima ſede poni Trochæum: ſed ubi id deinceps obſerves? Id Horatius non facit: nec ipſe facis. At ſecunda in *præcocis* eſt brevis. Nam eſt à *præcoque*, *præcoquis*, & contractè præcox: In gignendi caſu *præcoquis*, ſecundâ correptâ. Ita omnes antiqui juxta naturam ejus unde deſcendit. Hendecaſyllabo I. Epicurus dicitur Pater ipſe veri; κατά τι, dixerit, quem me ſcis dicere. Sed quid de illo viro rigidiores? Pater veri, qui Providentiam negat divinam? Mittam alia. Hendecaſ. II. *Dum nullo peregre pudore tacta. Peregre* non venit ab adjectivo, ut *doctus:* Eoque ſi Grammaticorum canonibus ſtandum, corriperet ultimam. Hend. IV. *Eſtne hoc poſtridie redire Leuwi.* Secunda in *poſtridie* eſt longa. Phalæcio. Phalæcium oppono, eumque Martialis, Lib. II. Epig. VI. *Si totus tibi triduo legatur.* Objicies amicum noſtrum ibi annotare, leviculâ trajectione legendum ſervaſſe, *ſi totus tibi triduo legatur.* At refellitur hoc ſenario, Terentii Eunucho. *Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.* Idem in Andria: *Venit Chremes poſtridie ad me clamitans.* Et par ratio in aliis è *die* compoſitis. Catullus; *Jube ad te veniam meridiatum.* Solum *quotidie* excipitur. Hend. IV. *Nec profecto facis.* Non improbo, quia non occurrit Poëta, qui ultimam in *profecto* corripiat, vel producat. Tamen ratio poſterius ſuadet, quia *profecto* eſt, *pro facto*, Mooy-ſnaer. Ergo quaſi ablativus. Sed non tanti hoc. *Irarum ratio modo liberat*, ] Deeſt aliquid. Hend. VI. *Nummuliſque âpiſci* ] Puto à Typographis operis eſſe, quod prima in apiſci notatur circumflexo; ſanè eſt brevis; ut indicat compoſitum *adipiſci*. Item *indipiſci* ex *indu* & *apiſci*. *Hugeno, & Chelys æmulo campo*, ſi Chelys hic gignendi caſus, chelyos dici oportuit. Hendecaſ. VII. *Venuſta pyxis*, ] pyxis Græce πύξις.

Hæc ego duntaxat amore tui, & ſcio te non aliter acceptururo, qui & me noſti, & occupationes meas. Siquid in iis fuerit, quod monuiſſe non erit ingratum tibi, ſanè non dico operæ, ſed opellæ pretium fuit, hæc exarare. Sin minus volupe erit, me ſtudium ſaltem probaſſe. Erant alia de quibus quæſiſſem, ſi unà fuiſſemus. Sed id quia fieri non potuit, ſic mihi perſuadeo, tibi rationem omnium conſtare: vel ecquid melius dici poſſit, per te ſatis viſurum, ubi animum intenderis, non in univerſa poëmata, ſed ſingulatim in hoc vel illud; ut ſit cum Typographus tantum poſcit Autographi, quantum philyra excudenda capiet. Mihi quidem ſic uſu venit, ut nunquam mihi videar perſpicacior, quam cùm eo animo mea lego, quaſi deinceps, nihil amplius juris in ea ſim habiturus, ubi facta erunt publici judicii. Atque utinam mos Veterum hodieque obtineret, ut amici fideles convocarentur, coram quibus noſtra recitaremus. Nunc optima illa conſuetudo negligitur, quia is faſtus recitatoris, ut non ſuſtineat moneri: ea vanitas, & jactatio monitoris, ut neminem, quorum monuerit amicum, ſinat ignorare. Plurimam ſalutem optimis parentibus dicito.

Amſtelodami. cIↃ IↃcXXXIV. Poſtr. Kal. Jun.

Tuus,

G. J. VOSSIUS.

CCCIX.

## CCCIX.

# Joanni Beverovicio,

### Senatori, & Medico Dordrechtano,

### S. P.

*Epiſtola familiaris.*

QUam vellem, ſuaviſſime Beverovici, alter alterum ſæpè videremus! Videremus? imo audiremus, ut ait ille, Multum oculi, ſed plus aures, debere fatentur. Attamen ſi non licet tam fœlicibus eſſe, ſaltem liceret Literarum commercio frequentiori, *audire, & reddere voces.* Bellè, inquies, qui toties provocatus ſcribendo, Deo illo, quem Tardipedem vocant, in reſcribendo tardior videaris. Quem colorem me hic quæſiturum putas? aliquid adferendum ex Rhetorum meorum ληκύθοις. Didici ex illis, & porro alios docui, incidere, & controverſiam, εἰ μέγα ἢ μικρόν. Crede mihi ſiquid in me culpæ, ſanè perexiguum eſt. Et nunc lentiorem me fecit, quod literas Hamburgo expectarem, ab eo, cui miſeram tuas, & unà librum de Vitæ Termino. Tardius ſcio accepiſſe, quia, cui commiſeram, non habuit tam citò occaſionem mittendi commodam, quam uterque optamus. Reidanum filii mei τοῦ μακαρίτου, quem ſuperſtes promiſerat, comitem dederam. Tanto magis cupiebam, ut tuto omnia perferrentur. Nullas tamen ab incomparabili viro literas recepi. Et credo in cauſa eſſe, quod non amplius ſit Hamburgi, ut edoctus ſum literis, inde ab Illuſtri Barone Skittio ad me perſcriptis. Aliunde etiam accepi, Francofurti eſſe. Nec de eo dubito. Tantum ſpero, opto, voveoque, ut quia ingrata eum patria reſpuit, alibi ſic habeatur, ut doctrina ejus, & virtus merentur. Mihi quidem, nihil hic magis, quam alteri ſeritur, aut metitur, ſed ſic ſum ab teneris unguiculis educatus, ut alius eſſe non poſſim, niſi Bataviam amare deſinam, & ſimul quicquid eruditum, & honeſtum. Valdè deſidero ſcire, an jam Salmaſii diſſertatio de fatali Fine, lucem viderit. Video te hoc agere, ut me quoque producas in arenam. Nec reformido Retiarios, aut Myrmillones, quibus candor ineſt. Sed quid, ſi pro candidis, inciderem in nigros? Equidem ſemel nullo meo merito, habitus peſſimè, nunc propè ſub omni lapide metuo ſerpentem. Quare ſtat ſententia, extra teli jactum ſpeculari, ut abiturum hoc ſit uni alteri, qui ſuum judicium perſcripſere; & ſimul animus avidè expectit Salmaſiana: qui fortaſsè ſic, quicquid præclari exhauriet, ut nihil mei deſiderare quiſquam velit. Saluta plurimum amantes noſtri; in his Colvium, & Roverium; quos monere debes, ut aliquod ingenii, doctrinæque ſuæ monumentum poſteris procudant. Poſſunt. Et magnam in tribus vobis fiduciam habeo: quos Patriæ Civitati ornamento eſſe maximo exoptem. Adderem τὸν μακαρίτην filium, non levi literariæ Reip. damno denatum. Sed aliter viſum magno Imperatori, qui è ſua ſtatione eum evocavit, cùm prodeſſe publico inciperet. Tamen Maimonidem ejus, ac Cæſarem, lucem viſuros ſpero, & quidem intra hunc annum. Nunc nihil moratur, niſi quod Editione Commentariorum de arte Grammatica ipſe diſtineat.

Amſtelodami,
cIↃIↃc xxxiv.
Jun.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## CCCX.

# Gerardus Voſſius, Joanni Filio

### S. P.

*Multis atque egregiis paterni affectûs monitis onuſtum Joannem filium in Indiam dimittit.*

CUm à te divellerer, ut in triſtibus Poëta loquitur,

*Vix illud potui dicere triſte Vale.*

Decrêram ea dicere, quæ ſi quid, te abſente, humanitus paterer, maximè vellem inhærere animo tuo. Sed eo me ſolor, quod illa ætate ſis, quæ ſatis per ſe intelligit, quid facto ſit opus. Potius igitur vota nunc facienda, ut Deus Spiritu te ſuo ſic regat, ut nihil agas, aut velis, quod non conſcientia, & honeſtas jubeat. Beatus Auguſtinus dicebat, bonâ ſibi conſcientiâ opus eſſe, propter Deum; bonâ famâ, propter homines. Ita planè confido, & hujus, & illius, te rationem habere velle. Nam mille mortibus triſtior eſt vita, ſi diſpliceamus Deo, & probis. Non Jupiter, ſed Deus, Ἀποτρόπαιος, vel ſi Latinè malis, averruncus, hoc unquam ſiverit, ut vel levis ſuſpicio de alterutro neglecto animo meo oboriatur; dum vaſtum hoc iter, Deo Duce, Angelo ejus comite, capeſſis. Maluiſſem antea te, paterno & avito exemplo, ſtudiis vitam tueri. Sed video aliter placere Deo, qui noſtra dirigit, aliamque tibi voluntatem partim permiſit, partim immiſit. Feram etiam quod adverſatur animo magno. Tu tantò magis. Tantundem ubi ſimus, à cœlo abſumus. Non operoſum negotium hoc ſeculo, ire ad Garamantas & Indos, & revocare gradus. Verùm ſuperas evadere ad arces. Hoc opus, hic labor eſt. Senſiſti his terris impedimenta bonæ mentis. Nec decrunt quoquo pedem feres. Quare ſemper eſto, quod dicitur, inter ſpinas calceatus. O ſi diem illum videam, quo quaſi geminis alis, per ora virûm voles, hinc inſigni pietate, inde pulcherrimi nominis famâ nixus! Sed ſi breve duntaxat ætatis mihi ſpatium ſupereſt, etiam poſtquam ad meliores ſedes penetrâro, eam tibi fœlicitatem à Deo precor. Sed precibus meis, tuas quoque te addere oportet, eaſque ardentes, quò facilius à Deo exaudiamur. Hoc age, mi fili, Quicquid offenſæ adverſus numen, hoc reſtinguent lacrymæ, à pœnitentia profectæ. Adulari non eſt Patris, præſertim ſenis, idque ideo negotio, ubi agitur, tum de ſalute æternâ, tum de nominis honeſtate. Addere etiam poſſis, de valetudine, & vita tui amantiſſimi Parentis. Nam ſi ſiniſter nuntius perculerit porrò aures meas, quid niſi mœrore brevi contabeſcam? Sed meliora Deus dabit, & tu quoque ſcio, cogitabis tecum Poëtæ illud:

*Utque ego majores, ſic me coluere minores.*

Et iſthoc,

*Ab alio expectes, alteri quod feceris.*

Eoque majori tibi curæ erit, omnem ſic vitam tuam componere, ut ſenile hoc cor, tot curis propè conſumptum, recrees, & reficias. Hoc poſt Deum in manu tua eſt; nec divina bonitas claudicabit. Tu cum bono Deo manum move. Vale, dilecte fili, atque iterùm vale, & tertio vale.

Amſtelodami,
cIↃIↃc xxxiv.

## CCCXI.

*Affectum & merita in ſe & ſuos gratus agnoſcit, amicitiam ac familiare alloquium etiam poſthac ſibi exoptans.*

*Vir Celeber. Ger. Voſſi, Amice deſiderate.*

OPtarim utique quàm non tantum privatis tuis in me meoſque, verum etiam publicis in rem literariam meliorem meritis, plurimum me juxta cum bonis omnibus debere, lubens profiteor; tam etiam commoditatem ſatis op-

opportunam, jampridem atque in præſens etiam oblatam fuiſſe, qua id manu ſaltem, cum aliter nondum datum ſit, ingenue tibi teſtatum facerem. Quando autem id mihi hactenus pluribus ſe ingerentibus impedimentis, denegatum eſſe fide ſanctâ tibi teſtari poſſum, ſpero omnino, animum in te meum, quem tibi totum debere agnoſcere non nequis, etiam officiis quibuſvis deditum & promptum nunquam non debere me velle tibi, pauculis ſaltem lineolis facile me poſſe tibi comprobare. Ericum filium meum, qui ſe, magno tuo merito, totum tuum jam ſæpius mihi profeſſus eſt, urgentibus de cauſis domum modo revoco, monitis rectis & ſolidis probè inſtruendum, priuſquam mundo ulteriori, errore ſeculi præſentis violentiore, committatur, quem tamen intra paucalos menſes ad vos rediturum, nolim omnino Belgio veſtro valedicere, quam ſapientia tua, quicquid dictare equidem ipſi ſufficiam, confirmari ſibi coram deprehenderit. Plurima aliàs cilent, de quibus te convenire jam valde pridem geſtio, verum intempeſtiva tabellarii præſentis compellatione, temporis juſtâ uſura excluſus, cum ſummo meo deſiderio ſatis non poſſe modò fieri deprehendam, opportunam utique commoditatem mihi voto continuo exoptare non deſinam, quouſque etiam eâ ex parte, ipſum fatum meum, quod nullum niſi ſolius Dei effatum agnoſco, me ex aſſe bearit. Interea cum tuis omnibus ſupercœleſti noſtro *βιοδότῃ* religioſè commendatus vale optime.

Ex Roſenholmiano meo 3. Non. Julii Anno 1634.

OLIGERUS G. ROSENCRANTZ.

CCCXII.

*Eruditiſſimo, Clariſſimoque Viro Amico æternùm colendo, D.D.*

Gerardo Joanni Voſſio,

Iſaacus Baſirius

S. D.

*Suam ipſi teſtatur venerationem, rationemque ſuorum reddit ſtudiorum, atque ut in Patrum lectione conſilio ſe juvet, impensè rogat.*

QUod ad te ſtudiis graviſſimis diſtentum perpetuò perrumpere audeo, vir noſtri ſeculi eruditiſſime, facit inſignis tua illa humanitas, quâ in tuis præterpropter quadriennium ad me datis ad hoc officii genus, cunctantem alioquin ſua mandata animavit. Nempe veteri, quâ te æternum proſequor, veneratione defungi identidem geſtit animus: quinimo iſtuc ipſum gratitudinis leges imperant; præclaris tuis monitis ac blandis præceptionibus factus erectior, meum exinde in bonis literis profectum qualemcunque, habeo tibi quod acceptum feram. Nimirum tuis hortamentis, quibus me per literas dignatus es, obſecundare totus adnitor; votorum ſummam complexurus ſi me meaque conamina, tametſi haud ea unquam futura ſunt tanti tibi aliiſque Reipub. literariæ Principibus, quandoque approbem ſeculares literas, aliquampridem abdicare habui neceſſe, uti in Theologica ſtudia totus effunderer, & Auguſtiſſimæ animarum ſcientiæ me meaſque omnes Scholaſticas curas devoverem unicè: hinc in perorationum vernacularum provincia aſſiduo politiora omnia ſtudia ſenſim obſoleſcunt: neque verò piget ſic à Toga ad Pallium tranſgredi, ſed id cauſor, quo tu nil mirere ſi fluo luculentus, & quoties calamus agitandus eſt, frigeam totus: imprimis ſi incomparabile tuum illud nomen appellandum mihi eſt. Emoriar, ni minore negotio putem me ad Senatum integrum literatorum poſſe dicere. Sed (quâ es æquitate) miſſis defenſionibus. Ad Patres ſubinde divertor, Græcos imprimis, quos ut ſecundum ſacroſanctum Scripturarum Oraculum profunde ſuſpicio: ita, Vir ſumme, ſi aliquod tuum ſuper iis conſilium, vel verbulo *καὶ ἰδὲ παρέχειν*, exorare liceret, omnes omnino habeam cauſas, te quod facio æternum venerandi. Nempe tametſi in eam rem Pedariorum Scriptorum eſt affatim, tamen de ordine Lectionis, de delectu, de charactere quo ſpuria à genuinis queant ſecerni, ſi te ducem vel verbo impetrem (cujus in eo diſquiſitionum genere præclarum ſtudium, Hiſtoriæ Pelagianæ, Scriptorum veterum Catalogi, præcipua atque elaboratiſſima ſingula loquantur & orbis admiratur,) næ in ſacratiſſima illa venerabilis Antiquitatis Penetralia continuo involo. Tu qua es in ſtudioſos mei ordinis incredibili pietate, meum hac in parte ſtudium, datâ occaſione, & per otium aliquando tuum adjutare dignator. Aliquid novi ex tuis Commentationibus frequenti Doctorum hic celeuſmate efflagitari ſcito: utinam ne lucem iis, nobis autem fructum diutius invideres. Convivo Illuſtriſſimo Præſuli D. Thomæ Mortono, Antiſtiti Dunelmenſi, cujus Apologia Catholica, cauſa item Regia adverſus Rob. Bell. de Officio Principis Latinè extant. Is me ſibi à ſacris adoptavit, abhinc quinquennium; qui ut eſt rara eruditione, ita tua, quibus colluſtraris, ſcripta apud ſe habet. Franciſcum tuum ſalutavi pridem, aliquotiens per literas, adeoque utroque ſermonis genere, modo Latinè, modo Græcè attentavi, quo aliquid literarum extunderem; ſed enimvero ni meæ interciderint, ille *ἐθελοκωφεῖ*. Eum ego tamen ob veterem conjunctionem deamo, adeoque meis verbis ſalvere perpetuo affatim cupio. Si quando ſyllabarum aliquot munus mihi deſtinas, id uti pro *κειμηλίῳ καὶ θησαυρῷ* ſemper reputabo. Ita ad clariſſimum D. Cunæum tranſmittere erit in proclivi: is quippe me meaque ſtudia ſuis identidem ſuſtentat.

Vale, ſtudioſorum omnium Oraculum, & me juxta cum obſervantiſſimis tuis clientibus concenturiari patere. D. Opt. M. cœleſti ſuo te ſpiritu perpetuo impleat.

Dat. ex Arce Aucklandiana in Diœceſi Dunelmenſi VII. Kal. Septemb. Anno ultimi temporis ↀ Iↄ CXXXIV.

CCCXIII.

Joanni Meurſio,

S. P.

*Reidanum Dionyſii filii donat. Judicium de Sophompanea Grotii. Salmaſium non ea gratia eſſe apud Lugdunenſes, qua mereatur, invidiamque Menapiſci (Heinſii) multum ei obſtare refert. Stephanium ad exhibendum Saxonem Grammaticum inſtigandum monet.*

MItto ad te, chare Meurſi, Reidanum *τοῦ μακαρίτου* filii mei, quem placiturum confido & filii & argumenti, & dictionis etiam cauſa. De quo judicium tuum quoque ubi acceperis exſpectabo. Jamdiu miſſum oportuit; quippe inter primos eſſe te conveniebat cui mitteretur: neque id ſolum ob amicitiam noſtram, ſed etiam quia tanta cum laude ipſe in Hiſtoria Patriæ ſis verſatus. Nunc Danica non minori tractas gloria. Mallem ego Batava, etſi valde faveam Danicæ genti, vel ob tot eximios Proceres, quos ſcriptis tuis decorare jamdiu orſus es. Sed enim nulla hic culpa tua, verum Patrii ſoli, exteros magis quam ſuos æſtimantis. Aliter ſi eſſet, non alibi potius quam his terris ageret bonis omnibus laudatiſſimus nec ullis tacendus ſeculis Hugo Grotius. Qui quanti te faciat ſcio ex ſermonibus, quos de te habuimus hac in urbe ante ſeſquiannum circiter. Quam autem ejus erga me amor perſeveret, luculentum brevi argumentum videbis. Suum enim Sophompaneam nomini dicavit meo. De Joſepho ſe aperiente fratribus in

Ægypto Tragœdia eſt. Qua nihil omni hoc ſeculo eo in genere divinius ſcriptum puto. Editionem ejus proximo menſe ordietur Blauwius. Noomſius Arlandervenizæ Dominus ſæpius cum laude meminit tui. Et vellem oſtendere ei ſi licuiſſet partem illam literarum quæ ipſum tangit. Sed utrum nunc in prædiis ſuis an Harlæmi vel Hagæ agat, ſatis dicere non poſſum. Intra hebdomades duas reverſurum ex famulitio intelligo. Certus ſum gratiſſima ei fore, quæ ſcripſiſti. Ariſtarchus meus ſive de Re Grammatica Libri VII necdum prodierunt. Intra menſem tamen vel circiter abſolventur. Salmaſius prope convaluit. Itaque non dubito quin Arnobium ſuum & alia brevi ſit daturus nobis. Non eſt ea apud Lugdunenſes gratia, qua meretur. Imprimis ei obſtat Menapiſci invidia, qui non deſinit erga eum eſſe qui eſſe ſolet erga non Batavos ſolùm ſed prope omnes eruditos. Vale ſingularis amice & uxorem ac liberos ſaluta meo, conjugis, ac liberorum nomine. Nec Stephanium vel Lautenbergium præteritos velim. Valdeque aveo ſcire an non tandem nobis Stephanius Saxonem Grammaticum ſit daturus. Quæſo de hoc quoque aliquid proximis literis ſcribe. Et ſi ceſſat ille, calcaria ſubde. Digniſſimus eſt ſcriptor cui tam bonum ingenium operam impendat ſuam.

Amſtelodami, Non. Sept. cIↃIↃCXXXIV.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

## CCCXIV.

*Clariſſimo, Præſtantiſſimo, Eruditiſſimoque Viro,*

## D. Gerhardo Joanni Voſſio,

Salutem.

*Judicium ejus ſuper digreſſione de arte nova expoſcit, ac pro viribus Eccleſiæ tranquillitati & concordiæ ſtudere teſtatur.*

*Clariſſime, Præſtantiſſime, & Eruditiſſime Vir, & Amice honorande,*

SI quàm te amo, & æſtimo, tam prolixas quoque poſſem ſcribere literas, prolixiores à nemine unquam accepiſſes. Quoniam verò, non quantum adfectus imperat, ſed quantum feſtinatio in patriam pergentis, & Hamburgum tranſeuntis, permittit, ſcribere licet; noli mirari breves te nunc accipere. Miſi autem Leidam ad amicum meum Overbequium, quæ tibi, ut ſpero, rectè tradi faciet. Non ſunt fortè tanti, quæ per tantum maris, & terræ tranſportentur, aut quibus luſtrandis, tute tempus teras, niſi tamen digreſſioni, de arte nova, argumentum, & ſcopus ad quem collimavi, pretium ſtatuant. Quo pacto ad ſcribendum, vi quaſi injectâ, pertractus fuerim, ex ipſâ intelliges. Utinam autem quidquid ejus eſt, ad Eccleſiæ tranquillitatem tantoperè faciat, quanto ego eam, quum meditarer, & commentarer, ob oculos poſitam ſemper habui! Quemadmodum enim moleſtiſſimum mihi eſt, ſi cum quopiam mortalium contendere cogar; ita è contra nihil accidere poteſt gratius, quam ſi publicè queam prodeſſe, & vel è longinquo, & obliquo viam aliquam concordiæ oſtendere. Utinam alii, ſicut me, ſine dubio acutiores ſunt, ita quoque in viâ quam dixi reperiendâ, ſint fœliciores. Gratulabor mihi, ſi me procul à tergo, relictum animadvertero. Scripturis equidem juxta ſenſum, quem ex communi intelligendi modo, in ſani hominis conceptu, facere natæ ſunt, acceptis, unanimem primorum V ſeculorum conſenſum, adjungo ſive ſubjungo: ad quem niſi reſpicimus, nullum ego ſane controverſiarum, vel ut rectius loquar, miſeriarum noſtrarum finem video. Non placent, qui ejus rationem non habent, ſed ſuo ſaltem ingenio indulgent, & fidunt, ſuoque arbitratu, & judicio vetera rejiciunt, nova invehunt. Sed ſententiam meam, ſi legere digneris, pleniùs perſpicies; quæ eam demum, mihimetipſi probabitur, ſi tibi eam probari cognovero. Neque minus gratum erit, ſi moneas, aut corrigas, ubi monendum aut corrigendum cenſueris. Quamquam ego, quod hic egi, quaſi aliud agendo egi; obverſatur animo, genus irritabile vatum. Multi autem admittunt, ex obliquo & per ambages expetita, vel alicui hypotheſi aptata, quæ ſi planè & nudè proferrentur, rejectum eſſent. Salve plurimum & vale.

Hamburgi, ex itinere raptim, VI Eid. Sept. cIↃIↃCXXXIV.

*Tui amantiſſimus & ſtudioſiſſimus,*

Georgius Calixtus.

---

## CCCXV.

S. P. [illegible]

*Adoleſcentes aliquot commendat. Muſæ ejus quid editioni parent, ſcire avet. De Dionyſii filii præmaturo obitu conſolatur. Notas in Curtium juventuti promittit, cujus bono etiam dediſſet periodum quandam Imperiorum, in qua IV Monarchiarum incrementi & decrementi cauſas ſtrictim expoſuiſſet.*

*Clariſſime & Eximie Vir,*

SIſtunt ſe tibi aliquot Suedicæ gentis adoleſcentes, quorum pars ante vel domo vel menſâ meâ uſa eſt. Dom. Illuſtris Skyttii ex fratre nepos, Laurentius Skytte, ingenium ἐκ τῶν πολλῶν, & ad præclara natum, doctrinâ & judicio, quam pro ætate, majori, ut ex primo congreſſu deprehendes; magis cum excuſſeris. Menſâ verò meâ uſus Nobiliſſimus Claudius Sternskyld unà cum Præceptore ſuo M. Erico Broms. Ille erectæ & verum nobilitatis decus ſpirantis indolis, hic ſtudiis moribuſque optimis. Omnes famâ tui exciti unicè deſiderant ſumma tua eruditione & converſatione dulciſſima frui, quam ut eis gratificari velis (quod tamen ſine diſpendio graviorum tuarum occupationum fiat) eſt quod eorum nomine peto. Illi debito id honore & redhoſtimento pro virili penſare inſuper haud habebunt. Sed & hoc pro veteri tuo in me favore ac amore majorem in modum rogo, ut ſi à gravioribus paulum otii decerpere poſſes, me epiſtola tua dignari, & quid Muſæ tuæ, quæ ſemper egregiè publico laborant, editioni pararent, mihi ſignificare velles. Mea tibi officia iterum conſtabunt prompta. In præmaturo chariſſimi tui Dionyſii obitu non poſſum non tibi συμπάσχειν. Et quid ni? cum ingenium tam eximium & illud Bataviæ decus, à quo tantæ eruditionis monumenta jam profecta, & majora, ſi per fata licuiſſet, expectanda erant, ut herba ſolſtitialis ceciderit. Sed quia Deo anima ejus placuit, ideo properarat ejus finem qui melioris & veræ vitæ introitus. Illius voluntatem cum quotidianis precibus expoſcemus, eidem utique fas eſt acquieſcere, ſed quid ego unguem in ulcere & ſolatia tibi quæro quæ ipſe domi habes; & non ſolum ut pater ſed etiam ut Chriſtianus dolere ſcis. Deus te erigat ac te nobis & Reip. Lit. diu ſervet. Recenſui notas meas in Curtium & auxi, quæ ſi tanti luci dabo in juventutis gratiam: cujus bono etiam ſcripſi Periodum quandam Imperiorum, in qua IV Monarchiarum incrementi & decrementi cauſas ſtrictim expoſui, ſed Wittebergæ indignè excepta eſt & publicata à Typographo mendis plena. Nunc verò caſtigatiorem edere animus eſſet, ſi diligentiorem Typographum reperire poſſet. Ignoſce, Vir magne, nugis meis, & me quod facis, ama. *B. V.*

Upſaliæ, a. d. IX Septembr. cIↃIↃCXXXIV.

*Tui ſtudioſiſſ.*

Johannes Loccenius.

CCCXVI.

## CCCXVI.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Quod eruditis ſcriptis nomen ſibi publicè acquirere inſtituat amicè gratulatur. Ἀνέκδοτα ſummi parentis in lucem edat hortatur. Salmaſius quæ ſub manibus habeat, Grotiumque operam ſuam Suecico addixiſſe regno ipſum edocet.*

QUæ ad Antonini loca à me producta reſpondes, Præſtantiſſime Caſaubone, ea planè fuere ad guſtum meum; nec ab alio quoquam veriſimiliora iis adferri poſſe arbitror. Quòd verò alteram jam editionem Typographus cogitet, ſatis arguit, quam grata fuerit Britannis opera tua, quà vertendo, quà illuſtrando. Ac quanto ſunt majora, quæ nunc ſub manibus habes (hoc enim non obſcurè ſignificant literæ tuæ) tantò, ut auguror voveoque, majus te ex iis decus manet. Et tamen non dubito tibi autem quoque vellere de ἀνεκδότοις illis parentis tui τοῦ πάνυ, quorum Cantuariæ cum eſſem Indicem apud te vidi. Tuum & tam candidi erit, non invidere lucem jam perfectis, & tam eruditi, extremam affectis manum admovere. Scio idem optare etiam Salmaſium noſtrum, quicum de te, deque parente tuo honorificus ſermo fuit. Triduo cum conjuge domi meæ hiſce Amſtelodamenſibus fuit nundinis. Multuſque nobis de interioribus literis ſermo, quos meminiſſe juvat, ſi ſcire aves, quid nunc ſub manibus habeat, primum Arnobius Commentario luculento illuſtrior lucem conſpiciet. Mox ſequentur de vitæ termino Liber, & grande opus de re Veſtiaria. Noſſe te arbitror, ut Grotius operam ſuam regno addixerit Suecico. Vellem tempore fæliciori. Nunc, ut literæ conſentiunt è Germania perlatæ, res retro eunt, Germaniæ quidem Suecorumque malo; non item Galliæ tuæ, cujus Rex cum Cancellario ſuo, ſeriò advigilat, ut iidem fines regni ſint ac quondam, cum Rhenus terminaret. Atque eo ſpectat, quod Sueoni ſuppetias mittat, ſed conditione ea, ut urbes nunc has, nunc illas, quas in ditionem redegit, oppignoret Gallo. Cancellarius Oxenſternius, ut Cæſareum Hiſpanique exercitum Francofurto audivit imminere, Moguntiam ſe recepit. Utrum & Grotius Moguntiam ſit Cancellarium ſecutus, à quo maximi ſit, an in Galliam ad Regem miſſus ſit, non poſſum certo dicere. Sed non dubito quin inter paucos dies futurus ſim certior. Opus noſtrum Grammaticum poſt menſem, ſpero, videbis. Gaudebo me moleſtiſſimo labore defunctum. Oratori Regio Boſwello miſi Antoninum tuum. Cum acciperem exemplar geminum, nullæ additæ literæ erant. Cumque exemplar mittere vellem (id fuit poſt acceptas literas) jam is Britanniam profectus dicebatur. Filius meus diutius hìc hæſit, cum alias ob cauſas, tum illam, ut de maternis bonis cognoſceret. Intra pauciſſimos dies liquida fient omnia. Apocham triennii, ut petieras, mitto. Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo, Mecænati noſtro optimo maximo, res meas curæ fore confido. Sed & tibi commendatiſſimas eſſe ſcio: Quare nihil de iis addo. Nos omnes plurimum te uxoremque ſalutamus. Reverendum etiam D. Decanum totumque fratrum collegium plurima ſalute impertias velim.

Amſtelodami, pr. Kal. Oct. anno 1634.

*Tuus tuo merito,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCXVII.

## Guilielmo,

Archiepiſcopò Cantuarienſi.

*De exantlato in Commentarios Grammaticos, (30. annorum opus) labore gaudet. Jam verò valde urgeri de rei Poetica libris, vaſtoque Originum opere. Libros ſuos de Arte Grammatica Walliæ & Eboracenſi principibus inſcribere num audere poſſit, conſilium ejus rogat. Maimonidem filii Dionyſii propediem promittit.*

*Reverendiſſime Pater, Domine Illuſtriſſime,*

GAudeo me tandem ad finem perduxiſſe labores meos Grammaticos, quibus cenſuram exerceo in omnes hujus Artis Scriptores, cauſas eruo Sermonis Romani, optimoſque ejus auctores vel corrigo vel illuſtro. Utinam pro labore maximo, quo mihi ſteterunt, fructus etiam ex iis redeat ad Rempubl. literariam. Jam anni ſunt triginta & amplius, quod in hoſce Commentarios congeſſi, quicquid penè ad hanc artem pertinens ex infinitis ſcriptoribus obſervaſſem. Ea ne ulterius luci inviderem, flagitarunt à me homines eruditiſſimi, tum hiſce, tum terris etiam longe diſſitis. Quemadmodum & valde urgent de rei Poeticæ libris; in quibus, præteritis rei metricæ minutiis, Ariſtotele imprimis duce in penetralia ejus Artis duco juventutem plane ἐπιστημονικῶς, tanc alia facie, quam factum hactenus à quoquam. Nec minus, qui videre expoſcunt vaſtum Originum opus, prælo & ipſum diu paratum. Sed gravioribus diſtentus, & his, & aliis id genus ſepoſitis, de ſolis Artis Grammaticæ libris ſeptem, perſuaderi mihi paſſus ſum: non quaſi ignorarem, quantopere jaceat hoc ſtudium temporibus noſtris; verum tanto magis neceſſe putabam, exſurgere aliquem qui hoc labore ſeriò fungeretur, partim ne tenera ætas diutius tot laboribus imbuatur, partim ut homines doctiſſimi, ſed aliis ſtudiis occupati, intereaque in hiſce minutiis ſæpius hærentes, haberent hic, qui labore ſuo eorum levaſſet laborem; quo fine quatuor luculentos indices adjeci. Nempe quibus perlegendi non eſt otium, fortaſſe conſulendi ſubinde voluntas non deerit. Cum autem conatus ſim prodeſſe toti Reipub. literariæ, tum imprimis cogitavi in Editione hac de Magnæ Britanniæ Gymnaſiis: quibus ſi utilis fuerit opera hæc noſtra, cœlum mihi digito attingere videbor. Sæpius etiam in mentem venit Illuſtriſſimi Principis Walliæ, uti & Illuſtriſſimi Principis Eboracenſis. Nam etſi non ignoro, cœleſtes illas animas haud eſſe diu detinendas in Grammaticorum ſpinetis; fortaſſe tamen, ubi paullum ætatis acceſſerit, non ingratum erit hæc quoque inſpicere, ac aliquantum roſarum decerpere, præſertim ſi prætorgida ſua nomina, aut alterutrius, in librorum frontiſpicio conſpexerint. Atque hoc eſt, Reverendiſſime Pater, de quo nunc conſultum per Epiſtolam venio. Sane labores hujuſmodi non abſurde, niſi fallor, à tam excelſis hominibus humilitati ſuæ aliquid præſidii petunt. Scio Commentarios hoſce magis convenire Artis Doctoribus, multumque jam in literarum ſtudio provectis. Attamen fatendum, totum opus eſſe de literis, ſyllabis & voculis earumque ſtructura; à quibus ætatulæ Illuſtriſſimorum Principum auſpicandum erit. Quod poſſim igitur hoc tempore iis accommodatius offerre? Spero etiam tenui hoc munuſculo utcunque comprobatum iri me humillimum obſequium, quod debeo Domino meo Sereniſſimo Regi CAROLO: Cujus quoties ego ingens beneficium, quod conciliante te, Illuſtriſſime Domine, accepi, mecum cogito, cogito autem quotidie, toties Deum rogo quæſoque, ut mihi largiatur, ſervo eſſe non ingrato, nec indecori magnæ Britanniæ regno. Vires quidem mihi exiguæ, vel potius nullæ; ſed in alio ſi quoquam prolixiſſimus, in me omnis obſequii affectus. Atque ex eo aliquid capio voluptatis, quando his

terris occaſio ſe offert, retundendi malevolorum calumnias, quibus Anglicanam Eccleſiam, maximeque ejus Antiſtites traducunt. Facio autem id ea modeſtia, qua poſſum; neque id tam contradicendi ſtudio, quam amore veri rectique, & quia ægre fero tam facile iis aures præberi ab imperitis. 'Procerumque..... ſtudium hoc meum, quia iidem ſunt homines, à quibus dicta factaque ſua vident in deteriorem partem rapi.' Quaſi non liceat adhæreſcere Doctrinæ & Ordini veteris Eccleſiæ, cum occulte foveas in pectore Papam, cum Hiſpano. Nempe illiuſmodi ſunt maledicta, quibus novarum rerum cupidi ſe ulciſcuntur, poſtquam turbare omnia volunt, nec poſſunt. Maimonidem filii mei ὁ μακαρίτης proxima demum hebdomade prælo ſubjiciet. Typographus antea negat ſe potuiſſe, quod typis deſtitueretur Hebræis. Deinceps opera dabitur, ut tamdiu promiſſus non minus emendate quam eleganter exeat. Eamque ad rem mihi operam ſedulo pollicetur Typographus; qui illuſtriſſimo nomini tuo plurimum ſe debere fatetur, pro opera & affectu, eo in negotio quod ante aliquot menſes per literas commendâram. Petiit à me ut tibi, Reverendiſſime Pater, gratias ſuo nomine agerem, quod quo minus ipſe faceret, pudore impediretur. De Johanne meo quid ſcribam? non poſſum in eo excitare illum ſtudiorum amorem, quem requiro; & jam alia mecum agitare animo incipio, ſed ante ſeſquimenſem nihil certi perſcribere potero. Ita non tam meus quam filii fluctuat animus. Cætera de rebus meis cognoſces ex doctiſſimo & optimo Goffio, quem ego vere amo, quia bonam mentem amat, teque, Illuſtriſſime Domine, ſupra omnes reveretur ac colit.

Deus Opt. Max. te, Reverendiſſime Pater, Domineque Illuſtriſſime, diutiſſimè Eccleſiæ totique Regno Anglicano ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxiv. vii. Kal. Nov. St. Vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cliens,*

G. J. Vossius.

## CCCXVIII.

### Claudio Salmaſio, Gerardus Joannes Voſſius, S. P.

*Gratulatur ei adventum in Academiam Lugdunenſem, atque ad conſtantem amorem liberaliter eum invitat; Grotium vero utrique amiciſſimum, eripi ſibi magnopere dolet.*

IN gratulantium ingenti numero qui te haud dubie totos jam dies, maxime Salmaſi, circumſiſtit, nec ego quo in te amore ſum, temperare potui à ſcriptione. Felicem judico Bataviam, quæ te fruitur; ſapientes quorum beneficio fruitur. Etſi vero nunc ab Lugdunenſi abſim Academia, nihilominus ſic quoque gaudium magnum capio, quatenus & in propinquo agitantem inviſere & frequentius literis compellare erit. Adeoque nec præcipitis autumni frigus, etſi paulo languidiorem, nunc prohibuiſſet excurrere, ni publici, quod ſuſtineo, muneris vinculum retinuiſſet. Sed dabit ſpero Deus & vitam mihi & occaſionem compellandi ejus, quem abſentem etiam tantopere veneratus ſum ſemper. Nunc Lugdunenſi in Academia tot nominibus beata, literæ etiam, variaque omnis eruditio, atque adeo ut Romana & Græca, ſic Eccleſiaſtica etiam antiquitas, non paulo ſublimius quam adhuc caput efferent. Ac ſi Scaligero, Lipſio, aliis illa magnis viris ſe jactat, non minore deinceps incola poterit ſuperbire. Utinam quæ tam juſta æſtimatione metiri eruditionem tuam novit Batavia, alia aliquanto in magnum Hugonem fuiſſet. Doleo quotieſcunque cogito eripi publico noſtro virum eximiis adeo virtutibus quas poſteritas melius æſtimabit; doleo quoties avulſum à me amicum & te quoque eodem tam tui amante cariturum reputo. Sed variæ rerum vices ſunt, & ego uti ardentiſſimis votis ſemper optavi iterum jungi Hugoni noſtro, etiam impendio diem illum videre deſideravi, qui te ſoſpitem Bataviæ ſiſteret, magnaſque ſummo Deo gratias ago, cui incolumitatem tuam debemus. Vale, vir idem atque amice maxime, & ſi quando magnam in qua vivo urbem viſere (ſic meretur) animus erit; quæſo cum Conjuge & tuis, ne alibi potius quam domi divertas meæ. Id vero honori mihi ducam maxime, planeque dignum erit amicitiâ noſtrâ.

Amſtelodami, v. Id. Nov. Nocte intempeſtâ.

## CCCXIX.

*Clariſſimo Viro*

### Gerardo Joanni Voſſio.

*De Dedicatione operis ejus Grammatici Walliæ principi familiariter nomine Archiepiſcopi agit. Hortatur autem, ne poſthac amplius de humaniori literatura cogitet, ſed Theologicis penitus ſe accingat.*

*Vir Clariſſime,*

LIteris tuis, elapſâ ſeptimanâ ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum manu mea traditis, hodie ab ipſius ore hoc reſponſum ad te propere perſcribendum accepi: ipſum nimirum Regi ſignificâſſe conſilium tuum, atque Regem lubentiſſimis auribus illud accepiſſe. Adeoque Reverendiſſ. noſter Dominus perluſtrato tuo per me miſſo volumine ſuadet, ut ſub una Dedicatione omnes ſeptem Libri ſimul prodeant, atque illâ ad Illuſtriſſimum Carolum Principem Walliæ, Fratre ejus Duce Eboracenſi hac vice prætermiſſo; hoc notanter dixit. Et quoniam veſtra librorum compactura noſtrâ & politior eſt & apertior, convenientius viſum eſt, ut Liber ille quem Illuſtriſſimo Carolo miſſurus es, Amſtelodami compingatur, ne craſſities (ut ſolet) ſub noſtra ligatura impeditior & inconcinnior videatur. Vides quam penſiculatè res tuas expendit Mæcenas & literatum & Eccleſiæ & noſter: jam reſtat ut Editionem illam matures, & ſi vacabit, ut ſæpius de te vel ego aliquid accipiam, ex quo poſſim de ſtudiorum tuorum ratione cum amicis meis diſſerere, atque hoc ex re tua maximopere futurum ſpondeo. Unum inſuper moneo, ne amplius de humaniori literatura cogites, adeoque omiſſâ circa Rem poëticam, & Originum libros operâ, neceſſe eſt ut Theologicis te penitus accingas. Hoc pæne efflagitant Reverendiſſimus noſter Præſul & omnes eruditi. Et ſi conſilia tua de illis Theologicis quæ ſub manu tenes, Reverendiſſ. Archiepiſcopo præſcribas, ſcio (ſic enim dixit) illa acceptiſſima fore. Nec dubito quin hoc pacto tibi tuiſque omnibus bene conſules. Me interim devotiſſimum habes, paratiſſimumque fideli opera negotiis tuis incumbere, ſi quæ mihi curanda commiſeris. Atque hoc debeo meritis illis Cl. Voſſii non publicis ſolum, ſed privatis erga me, quem (ut ſæpe agnovit Archiepiſcopus) pulchro Elogio affeciſti. Indignum vereor niſi quod laudes manere dignum faciam. Vale, Vir doctiſſime & ſaluti tuæ proſpice.

Londini, decimo die Novembris, Stilo veteri.

*Totus ex animo tuus,*

Stephanus Goffe.

Brevi accipies literas ab ipſo Archiepiſcopo, quas nunc per ingentem negotiorum molem expedire non licuit. Et quo-

quoniam Liber tuus non patitur moram, hanc mihi provinciam injunxit. Literæ tuæ ad ornatiſſ. Franciſcum Junium miſſæ ad me illico deferentur.

## CCCXX.

*Clariſſimo Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

*Damportum à grege ſuo aufugiſſe, ac mira de eo narrari refert.*

*Vir Clariſſime,*

NOn dubito quin literæ veſtræ ad me datæ de Damporto jamdudum ſint in manibus Reverendiſſimi honoratiſſimique noſtri Domini Cantuarienſis. Atque hoc tibi debitum fuit, ut ex illis legeret quam ſerio & ſedulo rem noſtram, nec tam noſtram quam Chriſti agas. Hoc feci privati cujuſdam amici ope, inconſulto etiam ipſo Boſwello. Habet enim ille alios tibi gratias referendi modos: nam perlectis illis ad me tuis maximas egit, & pollicitus eſt ſe brevi ad te ſcripturum. Interim ſi quid habeas, ne dubites ad me dare, cogiteſque in nullius manus literas veſtras deventuras, quin & inde honorem & gratias ingentes reportabis. Damportus per biduum Hagæ fuit, nec Boſwellum inviſit. Quid ſentis? an omnia ſana? an non hoc rei indicium eſt? literas dimiſſorias nondum habet; ſed jam petit ex Anglia. Quæ hæc fraus? Nam certiſſimum eſt ipſum aufugiſſe à grege ſuo: De quæſtione quidem de Ceremoniis contra illum motâ, expecto quotidie literas quæ mira narrabunt. Audio ipſum ferociſſime contra Genuflexionem noſtram concionatum fuiſſe, filiumque tuum Cantabrigienſem ægre hoc tuliſſe. Hoc ſi verum ſit velim cum aliis quando occurrent ſcribas. Vobis utriſque maximas ago gratias. Chartulam hanc perlectam rogo ut comburas, illud enim de Cantuarienſi tibi ſoli dictum velim. Iterum vale.

*Tuus,*

STEPHANUS GOFFE.

Per latorem hunc literæ tuæ ad me certiſſimè venient, ſive hic, ſive quod ſæpius Hagæ fuero, atque per illum, ut narrabit melius, poteris ſingulis ſeptimanis, cum opus fuerit, benè mittere.

## CCCXXI.

*Viro maximo*

## Gerardo Johanni Voſſio,

S. P. D.

## Johan. Fredericus Gronovius.

*In media frequentia malignum ſe calere debere receſſum conqueritur. In vocationis negotio ne quid fraudis intercesſiſſe ſuſpicetur, orat. Lucretium ejus MS. denuo pervolutare optat. Miſcellanearum ſuorum partem cenſura ejus tranſmittit.*

DEſiderium veſtri, Vir magne, quod ipſa mora creſcit, mihi in hac ſolitudine, incentivum fuit, ut denuo quia bella occaſio erat, inficetis literis te inquietarem. Miraris ſolitudinem dici tantæ celebritatis locum, præſertim ibi ſtudiis vacanti, ubi nec cogitandi, nec quieſcendi ſpatium datur, ubi,

*Nos transeuntis riſus excitat turba,*
*Et ad cubile eſt Haga.*

Ego verò in media frequentia, malignum receſſum colere videor, qui nec amicum, nec familiarem habeam, præter unum Heilerſichium; ſed & illum diſtrictior jam cura otioſa garritui tempus concedere vetat. Ampliſſ. D. Senator, vir eſt ad amuſſim factus, & omni comitate me excipit. Sermo quoque ipſius minus eſt tragicus, & poteſt ſecurum convivam pati. Equidem nihil omittam, quod ratio mei muneris exigat, ut ſi quæ nobis exhibita ſunt beneficia, ea perdidiſſe ſe fateantur. Sed peſſimus mos eſt, promovere faſtum, & ſpiritus imperitorum adoleſcentium, iiſque in quam minutis indere contemptum Doctorum ſuorum: quem profecto ego optavi, eo agro deſitum eſſe, in quem mores malos Plautinus ille mittebat, ſi qua poſſent ſerendo interfieri. Ipſæ literæ ſic obſeruntur, & à teneris ea imbibitur opinio, potiorem ſemper pecuniæ, quam eruditionis æſtimationem habendam. Scilicet cavendum eſt ſerio, ne unquam ſalius ſit arbiter, qui cum deſignare vellet, ἀνόητον ἄμουσον mortalem, ex hac nota literatorum ajebat, eum eſſe, quos odiſſe divites ſolent. Ex Tobia Andreæ cognoviſſe te puto, reviviſcere negotium illud, Landsbergenſis Principis, cujus conficiendi ſpe, Cl. Altingius me Groningam excivit. Illuſtriſſimæ Principi Matri placui, ob iſtorum commendationem, & unicè velit me huic provinciæ præfulcire. Sed re non amplius integra, meque jam in aliam ſervitutem tranſcripto devolvi, à me repudii omen, in heros meos, quorum animos optimus Tobias fruſtra, puto, tentavit. Nemo vitio mihi vertet, ſi ſerio illi de me benè mereri vellent, meque dimittere, non alienum à votis meis, eſſe locum, ad amplam fortunam, & honorem promptum: ſin honeſtati potius quam commodo meo velificabor. Et gratus mihi erit nexus, in quem iniquo meo tempore me caſus dimiſit. Illud te oratum volo, ſumme fautor, ne ſuſpiceris quicquam, me cum heris meis fidem obſtrinxi, fraudis contractui noſtro miſcuiſſe. Deum teſtor omnem ambitionem me depoſitam habuiſſe, nec vel minima cogitatione præcepiſſe ea, quæ nunc evenerunt eo tempore, cum conditiones ab iſtis mihi propoſitas amplecterer. Illud conſilium quod à callido homine ſuggeſtum, apud te aliquando promebam, ſtatim à diſſuaſu tuo abjeci, & damnavi. Et utcumque res cadet, ipſa conſtantia mea demonſtrabo, ſincera omnia eſſe à me acta, quamvis multa acida, hic & jam mihi obvenerint, & prævideam poſt fidelem operam, ab iis quibus maximè ea expenditur, parum nobis gratiæ, honoris nihil fore. Quod apud te ſolum penetre cupio, & indicium eſſe incomparabilis fiduciæ, quam de tuo erga me affectu, concepi; & publicè nunquam diffitebor, ſiquidem nomen erimus poſteritati non omnino oblitum. Vitam ſic trudi ſcimus, & ſurgere ſæpè aliquid, quod in ipſis floribus angat. Supellectilem librariam à Germania ſuperiori recepi menſe, quæ me tandem Muſis reconciliabit. Mirè optem denuo, pervolutare Mſcr. Lucretium tuum, ut ſpicilegium colligam eorum, quæ in feſtinatiſſima priori collatione oculis conniventibus prætermiſi. Itaque rogo, an pati poſſis, ut ſi Lugdunum in reditu, ad vos (qui ſpero, poſt hebdomadas, aut ad ſummum quatuor, non differetur) tranſeam, à Salmaſio illum repetam. Summus ille Vir, in nuperis ad me ſuis prolixè ſe excuſavit, ne putarem eo animo, ſe librum abſtuliſſe, quaſi in ſcriptorem illum aliquid meditaretur, & mihi quod enotaveram, ire vellet præreptum. Non queo comminiſci, quæ ipſi cauſa fuerit hujus de me ſuſpicionis. Nam nec mihi nunc otium, ut in integro edendo, aliquod operæ pretium, præſtitutum ſperem; & ſic viros de Republ. jam benè meritos, præcipuè illum, veneror, ut quidcumque ab iis diſcere malim, quam quæ ipſe parùm certè didici alios docere. Miſcellaneis meis per otium, quod breve nunc mihi, extremam manum impono. Boxhornius denuo mihi fidem fecit, ſe cum Janſonio de iis collocuturum. Si perſuadebit gratum erit; ſin jaceant, nonnunquam premantur in animo, donec mihi ipſi inviſa eſſe cœperint. Nam ut noſti in talibus, expirante juventutis gratia, nihil ferè eſt, quod ipſi authores

res amemus. Salve plurimum, & vale cum tuis, publico bono, cui natus es, præcipuum literarum decus. Scripſi currente calamo.

Hagæ-Comitis, Eidib. Novembris, Juliani An. clↄ Iↄc xxxiv.

Miſcellanea mea ex conſilio tuo, fecui in quatuor partes, dempto etiam Titulo, Exercitiorum Criticorum, & Saturæ, quæ nomina delicatas aures radebant. Singuli libri xviii vel xx habebunt capita. Atque adeo primam Sectionem, hic ad te mitto. Collegi in ea quæ ſparſim ad hiſtoricos libros notaveram. Minus placebunt vulgaria nimis hiſtorica nonnulla quæ immiſcui. Sed ſcias, viro nobili cuidam & Juriſconſulto eam deſtinari, & ii non capiuntur aridâ illâ, ut vocant criticâ. Aveo cognoſcere judicium tuum, & ſi quid inaudiviſtis de optimo Fabricio; reſcribe quæſo duobus, aut tribus verbis, & puta familiari colloquio meo tantum temporis dari. Salve iterum & vale, præſidium noſtrum. Cum obſignare has vellem, venere mihi, ab Clar. Pontano, literæ indicantes, ſe in mandatis dediſſe filio tuo, quem ſaluto, ut exemplar Epiſtolæ ipſius adverſus Jeſuitam, qui C. Croji operi edidit, mihi exhiberet; id ſervari uſque ad reditum meum peto.

## CCCXXII.

*Præſtantiſſimo Viro,*

### Gerardo Joanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo.

*Literas ejus unà cum expetitis libris gratiſſimas ſibi adveniſſe ſignificat de Schedis ſuis Ipſi quid videatur, certiorem ſe faciat; non impediturum ait, quominus primos iſtos conatus, ad periclitanda hominum judicia, per amicorum aliquem divulget, modo id fiat nomine ſcriptoris ſuppreſſo.*

*Conjunctiſſime Dom. affinis,*

EXprimere verbis nequeo, quàm mihi gratæ venerint literæ, Gloſſarium Vulcanii, Heſychium aliosque libros, ad me pervehentes: interim quod verbis nunc aſſequi non poſſum, re ipſa, Deo dante, teſtabor. Heſychium tribus quatuorve abhinc menſibus, in eum præter ſpem incidens, undecim flor. emeram; Vulcanii Gloſſarium nuſquam reperiebam. Quapropter, ut de eo mihi gratulor, ita neque importunè miſſus a te Heſychius; cùm melioris notæ pleroſque Authores, bis coemere ſoleam; ut & hic Londini, & in agris, ubi plerumque æſtatem, tranſigere ſolemus, bibliothecam qualitercumque inſtructam poſſideam. Ingenuè quid de ſchedis, quas ad te tranſmiſi, ſentiam fatebor: Invaſit me commune hominum vitium, qui arbitrantur ea quæ ipſi cum labore ſcripſerunt, ab aliis quoque cum voluptate legi. Nunc verò cùm tute eas tibi non diſplicuiſſe teſteris, teneri non poſſum, quin porrò urgeam, ut certiorem me facias, an tuto famam periclitari poſſim, deque edendis iis cogitare. Vidi Jul. Cæſ. Bulengeri, atque aliorum quorumdam, ſuper hac materiâ tractatulos; mihi tamen minimè ſatisfacere potuerunt; requirebam in iis, neſcio quid, quod an ipſe aſſequi potuerim, judicandum tibi relinquo. Non contemnendum commentationibus iſtis, adjeci auctarium, ex quo ad vos miſſæ ſunt: ſpes adhæc eſt uberioris materiæ; prout ea ſe quotidie Catalogum Artificum perſcripturo offert; non obſtabo tamen, quominus primos iſtos conatus, ad periclitanda hominum judicia divulges, per amicorum aliquem, ſuppreſſo tamen ſcriptoris nomine, quod non niſi curis ſecundis deberi puto. Cæterùm de his plenius, ſi tu idem ſentias. Literas Stephani Goſſe ad te tranſmitto, ex quibus Reverend. Archiepiſcopi conſilium, à propoſito tuo diverſum non eſſe intelliges. Det Deus ut labores tui, quemadmodùm merentur, Regi noſtro ac Principi adlubeſcant. Si quid ſuper ea re, ad Dominum Goſſe literarum perſcribas, primâ quaque occaſione eas ad ipſum perferam; aut ſi forte abſit, in agris ad eum perferendas curabo; quod ut commodè fieri poſſet, ipſe D. Goſſe proſpexit. Vivit Cantabrigiæ, in Collegio Divi Petri, amiciſſimus mihi, totique veſtræ familiæ D. Joannes Francius, qui incluſas à ſe, ad filium tuum Johannem literas dedit. Aït Præfectum Collegii Jeſu, Richardum Stearne, ac reliquos iſtius Collegii ſocios paratos eſſe, ut prorogetur tempus illud abſentiæ, quo filio tuo indulſerant, ſi modo per ipſum filium tuum, aut per te poſtuletur. Si quid tibi, tuiſque ulla in re gratificari poſſim, nunquam expectationem tuam fallam. Precabor interim Deum Opt. Max. ut tibi, uxori tuæ, totique familiæ vitam, ac valetudinem firmam largiatur.

Raptim in Ædibus Arundelianis Anno clↄ Iↄc xxxiv. 15. Nov. St. vet.

*Tuus omni officio,*

F.F.F. Junius.

## CCCXXIII.

*Clariſſimo Viro,*

### Gerardo Joanni Voſſio,

Affini conjunctiſſimo.

*Opuſculo ſuo quid fieri debeat, & num edendo illud famam periclitari poſſit, amice eum conſulit.*

*Conjunctiſſime Affinis,*

JAmdudùm, cum hic apud nos eſſes, quid de conſcribendo Artificum catalogo in animo haberem, ex me audiviſti; haud muto factum. Sed dum ei rei prolegomena quædam præmittenda putabam, obſervatiunculâ unâ aliquâ, plures alias quandoque eliciente, ac poſt ſe veluti trahente, excrevit opus, in juſti ferè voluminis formam. Ac novâ ſe quotidie materiâ ſuppeditante, metuo ne in nimiam tandem excreſcat molem, quicquid illud eſt, quod ex diverſiſſimis Authoribus, in unum quaſi corpus congeſſi: Interea per otium inſpicies, ſcio, opuſculum hoc à me elaboratum; ac me judicii tui ſcientem, quamprimum facies. D. Petræus, atque alii quidam viri, optimi, meique amantiſſimi, ut edam ſuadent; minimè tamen perſuadere poterunt, niſi fortè ſuffragio tuo juventur. Vale, conjunctiſſime D. Affinis, cum ſorore cariſſima, atque omnibus liberis.

Raptim, Londini in Ædib. Arundelian. Anno 1634.

*Tuus omni officio,*

F.F.F. Junius.

## CCCXXIV.

*Magna cum apud Britanniæ Regem in gratia eſſe atque inſtitutum Regio filio Grammaticum opus dedicandi non tantùm Regem ipſum boni conſulere, ſed etiam deſiderare, ac ne in titulo erret formulam aliquam ad eum tranſmiſſum iri promittit.*

*Doctiſſime Voſſi,*

QUamvis Regis erga te animum ante paucos dies perſcripſerim, nunc tamen oblatâ occaſione eodem defungar munere, ne fortè primæ literæ non delatæ anxium te & ſuſpenſum teneant. Macte ſodes, editionem matura

Prin-

Digi Go

Principi noſtro dicandam. Hoc Rex non tantum boni conſulit, ſed videtur etiam exoptare, & quod eo ſit erga te animo, optimo noſtro Domino Archiepiſcopo penitus debetes, niſi quod merita tua de Literis & Eccleſiâ hoc ipſum efflagitant. Scias inſuper & hodie ſecundam de libro tuo coram Rege factam fuiſſe mentionem, eamque hoc pacto: Occurrebat mihi dubium ne forſan exterus Scriptor erraret in titulo Principi noſtro plene & proprie aſſignando, adeoque neceſſum habui Reverendum Virum Decanum Saliſburienſem (is enim Principi inſtituendo jam præeſt) hâc de re conſulere. Ille de Walliæ titulo ſcrupulum injecit, ex eo quod ante certam ætatem non obtineatur, utpote qui ex creatione quidam Principibus noſtris addatur, & non ex jure naſcendi. Proinde Reverendus ille Vir Comitem Arundelianum in conſilio habuit; per quem tandem res ad Regem delata eſt. Qui ſtatuit aperte ne Princeps Walliæ vocaretur, ſed Princeps Magnæ Britanniæ, Dux Cornwalliæ & Comes Ceſtriæ, &c. Et ne error aliquis obveniat, uni ex Fecialibus mandatum eſt ut ſtatim formulam aliquam ſecundùm Leges ſuas componat, quam ipſe ad te tranſmittendam curabit per manus (uti credo) Præſtantiſſimi Domini Boſwelli. Nunc reſtat, ut te curâ hâc literariâ, quam celerrime emancipes, & ſtilum illum inſigniter felicem Eccleſiæ tradas, & ſacrum reddas. Scias velim literas tuas ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum fore acceptatiſſimas; Sed cum negotiis graviſſimis undique ſit conſitus, breves videtur exoptare, & tales quæ ſtudia tua narrent potius quam gratias. Vale. Salutem tuam faxo cures, & ama

Raptim. Londini,
Novemb. die 25.
St. vet. 1634.

*Tui obſervantiſſimum & amantiſſimum,*

STEPH. GOFFE.

---

CCCXXV.

## Marco Zuerio Boxhornio,

S. P.

*Pro Suetonio ejus gratias agit, nonnullaque circa illum eruditè obſervat. Quod Salmaſii ambiat amicitiam, laudat, quem virum omnibus aliis antepenit.*

GRatias tibi ago, ornatiſſime Zueri, pro munere: & magis quia Scriptorem illum non uno ſemper nomine amavi. Quare placet, quòd non tibi ſolum familiarem eum reddideris, ſed notis etiam ornandum putaris. Sed quid ſibi vult quod in Claudio ſcribas Bauſtum Syllam? vidi an in erratis ejus nos moneres. Nunc contra in Indice propriorum nominum in litera B. Bauſtum reponis nobis. Pene ſuſpicor, ab alio eum eſſe Indicem concinnatum. Nam ſcio te ſcire, etiam Filio Syllæ Dictatoris prænomen fuiſſe Fauſto, uti Filiæ Fauſtæ. Fidem inter alios fecerint Aſconius argumento Orat. pro M. Scauto, & Plutarchus in vita Syllæ. Puto & non à te, ſed librario eſſe, quod ais, ut Diogenes ſcripſit βίους φιλοσόφων, ita Plutarchus reliquiſſe βίους παραλλήλους, nec enim ſunt βίοι παράλληλοι, verùm παράλληλοι, h. e. vitæ comparatæ. Sed de iſtiuſmodi minutiis fortaſſe aliquando coram colloquemur. Placet quod fragmenta Tranquilli appoſueris. Utinam cætera dediſſes, quæ quidem extant, id enim omnino & Suetonii intererat, & tua. Nunc in iis meminiſti librorum de Grammaticis & Rhetoribus, qui extant: non meminiſti libri de Poëtis qui non extat. At B. Hieronymus loco eo quem adducis, non minus hunc reſpexit, quam priores. Et mox opponis ipſe verba Scaligeri ex vita Lucani. Quæ tum inedita quidem, ſed poſtea prodiit beneficio Scriverii noſtri. Quare ea non debuit omitti. Uti nec vita Perſii vel Juvenalis, utcunque huic aliquid aliunde aſſutum. At illud maxime mirandum, quod omittis luculentam Terentii vitam: quam certum eſt non Donati eſſe ſed Suetonii. Horatii vitæ, quæ corruptiſſimè edita, vellem caſtigationes Rutgerſii addidiſſes ex editione Pariſina. Non ingratum eſt, quod præmiſeris Tranquillo, quæ de vita & ſcriptis ejus habemus in Hiſtoricorum hiſtoria noſtra. Sed non inſeruiſti quæ in appendice interponenda monui, cum ea non ſit aſpernanda acceſſio. Voluiſſem & librarii errorem ſublatum, ubi Tranquillum ſi Suidæ codicibus ſtandum, feciſſe de Cæſaribus, Libros VIII. ſed ad minima iterum relabor. Laudo quod etiam cogites de aliis Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus: etſi difficile ſit poſt Homerum Iliada ſcribere. Verum χαλεπὰ τὰ καλά. Nec tu ut cenſeo tam meſſem uberem quam ſpicilegium promittis. Atque id colligo ex parte ea quam miſeras. Legi in iis quæ ſatis arriderent, ſed cogitare de ſingulis non licuit, quia alia quædam magis urgerent, & Lamerius ſignificaret proxima hebdomade editionem inchoatam, tum autem notam quantorum virorum conſilio uti Lugduni poſſis. Quod Salmaſii te amicitiæ inſinuare velis, bonum factum. Quid enim non ab ſummo illo viro diſcere poteris, ſi eo amico utaris, facile hoc videre potuiſſi vel ex iis, quæ ſcripſit in eos Hiſtoricos, quos nunc habes ſub manibus. Quem enim exiſtimas eo in genere tam multa bona doctiſſimum quemque docere poſſe? Quare eo viro laudando non facile peccabis, potius metuendum, ne cum omnia, quæ cenſes dixeris, infra veras ejus laudes ſubſiſtas. Plurimam ſalutem dicito tuis, imprimis optimo doctiſſimoque ſeni avo tuo.

Amſtelodami.
Kal. Decemb.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

---

CCCXXVI.

*Clariſſimo*

## Salmaſio, Gerardus Voſſius

S. P.

*In inquirendis columnis Traiana & Antonina itemque Arauſicana urbis Arcu Mariano ſedulum ſe fuiſſe; ſed non niſi in priori petitis ejus ſatisfieri poſſe. Addit ex electis Rubenii Iconem unius alteriuſque ſtatuæ, togatæ ac tunicatæ, operi forſan, quod de re veſtiaria molitur, commodi quid allaturam.*

NOn dubito quin Columna Trajani plurimum commodare poſſit operi, quod de Re Veſtiaria bono publico ſub manibus habes. Prope apud omnes Bibliopolas, & eos, qui tabulas chartaſque divendunt inquiri juſſi: ſed omnem operam luſi. Blauwius ſuam offerebat ad eam Româ petendam. Id tardum videbatur negotium, hyeme imprimis. Tandem in mentem venit Joachimi Wickefortii, ejus apud quem nummos Velſerianos hic uterque vidimus. Ex ejus igitur Bibliotheca nunc mitto. Atque utinam de Antonina idem facere potuiſſem. Ajebat Wickefortius, necdum eam æri inciſam, attamen manu cujuſdam Presbyteri in charta expreſſam Romæ exſtare, proque ea ſe obtuliſſe florenos ducentos: ſed non potuiſſe eo pretio nanciſci. Arauſicanæ urbis Arcus Marianus nec ipſe in lucem prodiit. Pluribus ſum locutus, qui Arauſicæ viderint, miréque commendent. Ac Pontanus noſter qui his diebus mihi affuit, ut optimam habuerim occaſionem tuas de manu in manum tradendi, ajebat ſe ante biennium locutum de eo cum Hugenio Arauſionenſium Principi à ſecretis, eum dixiſſe curaturum ſe ut ne diutius tam nobili monumento careant homines literati: ſed nihil poſtea intellexiſſe: nec id ab eo vel alio præſtitum in animum poſſe inducere. In electis Rubenii eſt Icon unius alteriuſque ſta-

tuæ

tiæ togatæ ac tunicatæ. Volui idcirco mittere. Cancellario Friſio in hunc fere modum inſcribi literæ ſolent;

*Nobiliſſimo, Ampliſſimo ac Magnifico Viro Domino Chriſtiano Frys Toparchæ in Cragerup, Sereniſſimi Danorum Regis Cancellario ac Regni Senatori.*

Quod ubi prole iterum augebere, me vel uxorem fidei ſponſorem fore promittis, id ſane pergratum utrique, eoque ardentius pro ſalute veſtra vota faciemus.

Amſtelodami, IV Idib. Dec. CIƆ IƆ CXXXIV.

---

## CCCXXVII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Johanni Voſſio.

*De locis quibuſdam in Clementis R. epiſtolis eum conſulit. Quid Puritanis præcipue vero illorum coryphæo fiat, cognoſcere cupit.*

*Vir Ampliſſime & Doctiſſime,*

SI quem unquam me certe torquent iniquiores literæ, utpote quas naturâ ſuâ & pulchras & difficiles amare mihi licet, aſſequi non licet. Tot enim negotiorum undæ me obruunt ut illis pro voto frui non poſſum; & certe (quod res eſt) mitius carerem, ſi facilis & celeberrima Voſſiani pectoris Bibliotheca longius abeſſet. Quorum aculeos infixit mihi nuperus ille cum doctiſſimo viro congreſſus? in quo non tantum plenos eruditionis fontes perſpexi, ſed felicem diffundendi ſe facilitatem. Mihi enim (ea ſumma veſtra fuit humanitas) plane patere voluiſti, in ſinu veſtro concluſos omnes liceret aggredi Eccleſiæ Patres. Adeoque ſi voti mei compos eſſe potuerim humanitatem erga me veſtram repetito itinere ultus eſſem; ſed cum illud improviſa rerum turba non patitur, feret doctiſſimus haſce literarum moleſtias. Ex quo redii; in Clementis Romani Epiſtolas nuper in Anglia ex vetuſtiſſimo MS. exemplari editas incidi. Illas puto jamdudum ad manus veſtras delatas, ſin minus à me celerrime mittendas expectabis. Miram video ſtyli ſimplicitatem, piam plane doctrinæ pietatem, quæ Apoſtolicum ſapiat virum. Sed unde illud de Moſe? *καὶ πάλιν λέγει, Ἐγὼ δὲ εἰμὶ ἀτμὶς ἀπὸ χύτρας·* cum nullibi in Scripturis nec ſuum ſenſum, nec verba inveniatur. Et illud; *ἡ γραφὴ αὕτη, ὅπου λέγει Ταλαίπωροί εἰσιν οἱ δίψυχοι, οἱ διστάζοντες τὴν ψυχὴν, οἱ λέγοντες ταῦτα ἠκούσαμεν καὶ ἀπὸ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ ἰδοὺ γεγηράκαμεν, καὶ οὐδὲν ἡμῖν τούτων συμβέβηκεν.* Quæ etiam verba repetuntur in ſecundâ Epiſtolâ, & vocantur Προφητικὸς λόγος. Sic etiam in illa ſecunda (cujus tantum fragmentum habemus) duos Dialogos inter Chriſtum & diſcipulos nobis exhibuit. De quibus fortaſſe dici poteſt ipſum à Magiſtro ſuo Petro traditione edoctum; ſed de Moſis & Prophetico dicto quid conjectandum? An ut Junius in Notis ſuis ex Chryſoſtomo Scripturas quaſdam periiſſe? Hoc eſt *remedio magis quam morbo laborare.* Hoc ipſum obſervare licet ab ipſis Evangeliſtis & Apoſtolis aliquando factum. Matth. cap. 2. verſ. 23. *ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.* Actor. 2: 35. *Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν.* Epheſ. 5: 14. *διὸ λέγει Ἔγειραι ὁ καθεύδων*, &c. Sic Ignatius in Epiſtola ad Magneſios de Die dominico, *ὁ προφήτης ἔλεγεν εἰς τὸ τέλος ὑπὲρ τῆς ὀγδόης.* Jam quo pharmaco? Reſponſorias prolixiores à vobis non expecto, ne Reipub. literariæ injurius eſſem, dum publico bono detrahi horas illas neceſſe erit, quæ levioribus hiſce quæſtiunculis impenduntur. Saltem unico verbulo reſcribas per filium qui Hagæ vivit, ut parte ſaltem tui fruar donec liceat ipſo te. At quid interim de Puritanis noſtris? Certe plura indies audio de illo apud vos ipſorum Coryphæo, adeoque libere dicam, me rem Clar. Voſſio dignam de illo in manus veſtras commendâſſe: nam cum ſis plane non tam Eccleſiæ noſtræ Filius quam Patronus, non poteris rem gratam magis & Regi & veſtris Amſtelodamenſibus præſtare quam ſi efficias ut prudenti Magiſtratuum cautela ſtatim dimittatur. Ex ipſius amicis audio ipſum à Claſſe veſtra æque ac ab Hierarchiâ (ut ſolent dicere) noſtrâ abhorrere; ipſum contra Acta publica in ſe lata de Regno turpiter aufugiſſe; Eccleſiam relictam inſalutatam adhuc Paſtore deſtitutam. Et cum talis ſit ut libertatis Belgicæ eſt permittere, ut lateat, ita amicitiæ non eſt ut promoveatur. Spero dignas vobis gratias brevi reddendas. Interim vale & bono publico vivas.

Amplitudinis veſtræ,

Hagæ, Decemb. 34.

*Omni officio animique affectu ſtudioſiſſimus,*

STEPH. GOFFE.

---

## CCCXXVIII.

*Incomparabili Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Emblematum & Orationum, opuſculum nuper à ſe editum, officioſè offert, poſthac in Juvenali illuſtrando ſedulam collocaturus operam. De codicum uſu valde ſibi gratulatur, ac ubicunque licuerit, devinctam ſe oſtenſurum mentem, promittit.*

*Vir Clariſſime,*

OFfero tibi merito tuo opuſculum, quod nuper in vulgus exire juſſi, & inter ſummas occupationes per intervalla condidi, cùm non liberet otiari partim Emblemata ſunt, ad quæ nihil dictum, niſi quod in confeſſo, ante me natum fuit, & nemo è plebe etiam ignorat. Aliter tamen quam vulgo, dixi, & proinde novum, atque indictum videbitur, quod unuſquiſque, quanquam Platonem, aut Ariſtotelem non legerit, quotidie loquitur, & ſentit. Partim orationes ſunt, in quibus nihil præter officii mei rationem, debes æſtimare. Non paſſus ſum diligentiam meam deſiderari, cùm aut occaſio, aut alius, atque alius, quem ex Romana antiquitate explicandum ſuſceperam, ſcriptor invitaret. Promittimus certè quæcumque non præſtamus. Et hoc ad laudem mihi ſatis eſt, eâ ætate inquam magna eruditio non cadit, imo quâ magnus eſt, qui ad confeſſionem ignorantiæ profecit. Nunc Juvenalem meum pergo illuſtrare. De uſu codicum tuorum, valdè mihi gratulor, & devinctum me oſtendam, ubi per me licuerit, & tibi placuerit hujus hominis affectum experiri. Sed vereor ne humanitate tua abutar. Interea tamen mox libros tuos remittam, quam primum intellexero, eos à te deſiderari. Opus tuum de Arte Grammatica, avidè hic omnes expectamus. Spes nuper facta brevi proditurum. In tua autem manu eſt, vota noſtra explere. Vale, Vir incomparabilis, & me ama.

Raptim Lugd. Bat. Kal. Febr. CIƆ IƆ CXXXV.

*Clariſſimo nomini tuo dicatiſſimus,*

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

## CCCXXIX.

# Claudio Salmaſio.

*Carmen ejus in honorem urbis Amſtelodamenſis, mirum in modum placuiſſe; attamen de illo tacendum apud Lugdunenſes, neque enim gravi plurium offenſâ cariturum ſic laudâſſe Amſtelodamenſes.*

DAuſqueji doctrinam atque induſtriam jam ab annis novi pluribus vel ex Commentario in Silium. Orthographica demum vidi menſibus abhinc duobus: nempe excuſo jam opere Grammatico, appendicibus exceptis, ubi ſemel iterumque ejus memini, & ad eum remitto Lectorem. Video operæ fore, ut labores ejus conferam cum noſtris Originum libris. Nam & ipſe in originibus de Orthographia tracto: & quantum patuit, ſecundùm Dauſquii Tomum obiter luſtranti, crebrò concurrimus. Et qui aliter potuimus, cum uterque noſtrum aſtruamus ſententiam, ex lapidibus vett. Grammaticis & manuſcriptis? Carmen quod honori urbis hujus feciſti; non mihi ſolùm, ſed aliis quoque mirum in modum placet. Gaudeo in iis quoque eſſe Barlæum noſtrum: Genium plane probabat. Equidem non dubito quin niſi Camœnarum delubro conſpicereris parcus & infrequens, quàm propitiam habes Minervam. Tam divæ illæ futuræ ſint faventes; eorumque qui temporibus noſtris Poëtarum habentur Principes, alios ſe æquaturus, alios ſuperaturus. Scis quantum uſus polleat. Bene interim ſit inſomniæ illi, quæ cauſa eſt tot bonorum verſuum, ac ſi valetudini non incommodet, ſæpe redeat. Præſtabit tibi, quod μικροπετάλοις illis; in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo. Quantumcumque autem verſiculi tui placuerint, ſi tamen mihi credis, ſilebis de iis apud Leidenſes tuos. Novi ego & meo & alieno experimento, ut levicula de cauſa plumbeas iras gerant. Non ſine gravi plurium offenſa abiret, ſic laudaſſe Amſtelodamum. Scis quod olim à Platone ſcriptum Πᾶσι πόλις παίγνη πέλε φιλοπαίγμων, ἄλλος τε καὶ ὅμοιον χώρει ἔχει, ſed imprimis graviter ferrent diſtichon poſtremum. Ac noſtri quoque proceres uti gaudent de affectu & augurio tuo, ita invitis illis fiat ſi Leidenſes ut nihil non ante triennium movere in Ordinum conventu cum de Gymnaſio Illuſtri hic conſtituendo ageretur, ita occaſione inde arrepta, quod Batavis de Athenis ſcribis preſſum eos ire dicerent nobilem Academiam. Quod noſtris & moleſtius forent, quoniam optimè Academiæ volunt. Quid mirum, quando non ea Leidenſium propria, ſed totius Bataviæ communis eſt. Niſi noviſſem candorem tuum, non iſta ſine circuitione ulla ſcriberem. Nempe amorem tui gliſcere his terris etiam apud Leidenſes volo, non vero malevolentiſſimo omnium apud vos materiem dari, quaſi averſiori ſis animo ab urbe. Sic enim (novi eum intus & cute) interpretaretur. Et habet niger ille duos tres eodem in ludo edoctos per quos nihil non audet. Sed de iſto ſatis vel potius pluſquam ſatis. Apud te tamen facilis mihi hujus loquacitatis venia fuerit. Hugonem Grotium jam Lutetiæ eſſe confido: Tres enim jam hebdomades ſunt & amplius, quod uxor Moguntiá huc perſcripſit poſtero ſe die cum tota familia commutaturam maritum, nec iter hoc ulterius poſſe differri. Quod jam bene vertiſſe ſpero. Exercitationes noſtræ Grammaticales non abſolventur, niſi poſt duas hebdomades. In cauſa eſt quod è Britanniâ exſpectare debuerim, quibus titulis ornandus eſſet Sereniſſimi Regis primogenitus. Ei enim opus noſtrum inſcribemus.

Lectiſſimæ uxori à me meaque ſalutem.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxv.
Pr. Non. Febr.

## CCCXXX.

*Clariſſ. Viro*

# Gerardo Voſſio.

*Occupationes quibus ab otio litterario arceatur, quid item Parentis opera inedita remoretur fuſe recenſet. Obitum amiciſſimi ſui Auguſtini Lindſellii acerbe luget, cujus erga ſe merita inſigniter extollit.*

NOn erit, Vir Cl. quod de excuſanda literarum tuarum tarditate, (quod à te non ſemel factum eſt) deinceps labores, cum jam exemplo te meo tueri poſſis, qui literis quas Octobri menſe ſuperioris anni reciperem, nunc demum reſpondeam. Non tamen hoc à me factum, vel imitandi tui cauſa, ſi quando res tuæ ita tulerunt, ut ſerius reſponderes; vel ut exemplo meo fultus ſecurius in poſterum ſileres. Οὐ μὰ τὸ φίλιον τὸ ἐμόν τε καὶ σόν (ut olim Platonicarum elegantiarum ſimul & dogmatum decus illud ingens Syneſius loquebatur) οὐκ ἔγωγε hoc in me facinus admiſerim, qui non in poſtremo felicitatis meæ loco ſemper poſui ponamque ſemper, hoc mihi tecum amicitiæ, mutuarum literarum commercio firmatum excultumque, jus intercedere. Dicam igitur, quod res eſt, mi Voſſi, Quantum video, in eo ſatis conſpirant noſtrum utriuſque fatum, quod vitam vivere otioſam, neutri datum eſt. At in eo diſcrimen ingens, quod tuæ omnes curæ, omnia negotia ad literas & Muſas pertinent; quorum ſc. fructum percipiunt tum fœliciſſimi Juvenes, qui te quotidie audiunt; tum qui tua laborioſiſſima ſcripta legunt per totum orbem literarium docti graveſque viri. Mea pleraque negotia quam diverſi ſint generis vel inde potes colligere, quod totos haud raro menſes occupatiſſimo mihi tranſigere contingit, quibus tamen totis librum videre, aut certe ſtudendi cauſa, non contingit. Hoc quo minus mireris, ſcias velim (ut alia nunc taceam) qui Reſidentes, (ut vocamus) ſunt hujus Eccleſiæ Canonici, iis tum univerſis ſimul, tum ſingulis per vices agenda curandaque multa incumbere, quæ temporis haud minimam partem, quod unicuique ſuppetit, ſibi vendicent. Superiori anno moleſtiſſimo Theſaurarii munere ſum defunctus. Hoc anno ſum Receptor Eccleſiæ, onere fateor, ſi genus ipſum laboris, & præcipue ſi præmia utriuſque ſpectentur, non adeo moleſto aut gravi; à Muſis tamen, & otio literario non minus alieno, quam quod erat Theſaurarii. Quæ quidem de occupationibus meis eò fuſiùs, non habita tuarum ratione, ſunt à me nunc expoſita, ut errorem, in quem te poſtremæ meæ induxerunt, tibi eriperem. Ita enim ex iis collegiſſe te aperte ſcribis, multò majora me ſub manibus habere, quam quæ hactenus (Majoris ea certe mitto pro tuo erga me amore, quam pro eorum merito æſtimata) à me præſtita ſunt. Magnam ſane in eo, mi Voſſi, amoris tui vim agnoſco, tum quod talem me tibi fingis, à quo magno poſſint à te tuiſque ſimilibus expectari, tum quod, cum ita de me judicas, ne ipſe mihi deſim, cohortatione tua, quantum in te eſt, providere ſatagis. Plurimum igitur amori me tuo debere profiteor libens. Cum tamen hominis ſit, meo judicio, vani ſtultique eam de ſe opinionem excitare, quam deſtituturum ſe certò ſciat, etiam atque etiam te rogo, ut quam opinionem de me temere concepiſti, eam, me non ſpondente, imò alia omnia profitente, & bonam copiam ejerante, tibi quam poteſt celerrimè, avelli ſinas. Jam enim dudum eſt, cum de meis ſtudiis, non meâ ſane, quod ſciam, culpâ, ſed fatis ita volentibus, actum eſt; & ea nunc vita eſt, ut ſi hactenus omnia pro voto ſucceſſiſſent, nunc tamen vel invito decoquendum, & arenâ, quod ajunt, cedendum eſſent. Neque tamen ſpero ita vivemus unquam, ut ἐτώσια ἄχθος ἀρούρης, & fruges duntaxat conſumere natos, quiſquam merito nobis exprobrare poſſit. Abſit hoc à nobis, ut eò vecordiæ unquam deveniamus. Si ut profimus aliis, Scriptis & lucubrationibus no-

ſtris non datur, at ſunt aliæ perſonæ quam gerimus, & profeſſioni Sacerdotis non minus convenientia, in quibus non inutiliter ad Dei gloriam occupatum iri quicquid in nobis eſt induſtriæ, confidimus. Interim ſi contingat, ut aliquid interdum edamus in lucem, hoc ſcil. ſucciſivis horis noſtris debebimus totum, magiſque recreationis noſtræ quam laboris erit. Ad Parentis autem ἢ μακαρίτου τὰ ἀνέκδοτα edenda quod hortaris, res factu facilis eſſet, nec à me tam diu dilata, ſi ea eſſent ejuſmodi, vel quæ perfecta æſtimari mererentur, vel ſaltem ita effecta, ut ſine Authoris injuria publicari poſſent. Horum cum neutrum ſit, & eorum quæ præcipua ſunt, non ſine ſummo labore ad perfectionem aliquam perduci poſſint, & argumenti ſint à meis ſtudiis, id eſt ſacris, alieni, (quales ſunt operoſiſſimæ in Polybium animadverſiones, ampliſſimi de re Veſtiaria Commentarii, &c.) quid aliud iis præſtare poſſim, quam ut dum vivam ipſe, fideliter à me integra illibataque conſerventur; & poſt obitum, ſacræ publicæ alicujus Bibliothecæ cuſtodiæ fideique committantur, non video. Cætera ſi quæ ſunt, qui minore opere indigent, ut publico pateant (ut ſunt fortaſſe Notæ in Epiſtol. ad Atticum, & alia nonnulla id genus) aut quæcunque ſunt argumenti Theologici ſeu Eccleſiaſtici, quæ ulla mea quantacunque opera ſive perfici, ſive quocunque modo ad publicam utilitatem diſponi poterunt; in his operam noſtram publico non defuturam, ſi Deus vitam nobis & otium, quæ ſufficiant, audeo tibi promittere. Quamquam ut verum fatear, nupera quædam calamitas ſtudia mea vehementer afflixit, ex qua vereor ne longum ſit, priuſquam ſe integre recolligant. Obiit enim ante menſem unum aut alterum omnium meorum amicorum, quibuſcum familiaritas mihi & de literis frequens communicatio hic intercedebat, longè doctiſſimus Auguſtinus Lindſellius, poſtquam Herefordienſi Dioceſi, cujus erat Epiſcopus, annum vix integrum, ſanctitate & integritate vitæ præſul, etiamſi olim vixiſſet, admirandus, præfuiſſet. Vix eſt ut tantam eruditionem in tanta modeſtiâ, tanta obſcuritate (etſi jampridem toto hoc regno celeberrimæ famæ fuerit) latere potuiſſe quiſquam credat, hoc præſertim ſeculo, quo ſcribendi cacoethes pleroſque homines, qui aliquid ſciant, tam impotenter transverſos agit. Nullum genus eſt eruditionis, in quo non ita excelleret, ut tota vita nihil aliud egiſſe videretur. Nullus liber antiquus aut recens, Latinus, Græcus aut Hebraicus; nullus ferè Gallicus, Italicus aut Hiſpanicus, qui quidem alicujus momenti fuerit, quem notum non haberet, totumque ita excuſſiſſet, ut pro re nata ſuam de eo ſententiam apud amicos doctè pariter ac copioſè proferre non poſſet. Hic ante quatuordecim plus minus annos, cum libellum quem contra patrii nominis infamatores edideram, legiſſet & probaſſet, antea ſibi penitus ignotum ita complecti cepit, ut deinceps non aliter de me ſollicitus eſſet, quam ſi propiori aliquo naturæ vinculo ipſi conjunctiſſimus fuiſſem. Nullum officii genus eſt, quo mihi commodare potuit, quod inexpertum reliquerit. Nam & ſtudia mea quà conſulendo ſæpiſſime, quà docendo non tardò adjuvavit; & fortunas meas aliquando tenues non ipſe modò ſponte ſua liberalitate ſublevavit, ſed & ab aliis ut ſublevarentur, ſua apud magnos viros authoritate, nunquam à me ne minimo quidem verbo ſollicitatus, effecit: Ille denique fuit, qui benigniſſimum Dominum ac Patronum, nuper Epiſcopum Londinenſem, nunc Cantuarienſem Archiepiſcopum (in tanto dignitatis faſtigio meritis quam loco longè celſiorem) primus mihi conciliavit; ut omnia propè ipſi debeam, tanquam fortunæ meæ fabro & architecto præcipuo, quæcumque mihi fœlicia poſtea contigerunt. Sed ut ad ſtudia redeam, aſſiduus hic mihi ἐργοδιώκτης erat, & temporis acti ſeverus exactor, penſis etiam interdum impoſitis quæ pro ratione ſive virium mearum, ſive otii & temporis, maxime congrua judicaret. Paucos ante mortem annos, totus in eo fuerat, ut Græcorum veteris Eccleſiæ Scriptorum Scripta quædam ἀνέκδοτα, magno ære non ita pridem è diverſis Europæ Aſiæque locis comparata & huc allata, quam emendatiſſima cum Latina Interpretatione in lucem emitteret. Me quoque (magis id quidem amori erga me ſuo indulgens, quam humeris meis confiſus) ad partem tam glorioſi propoſiti vocârat, mandatâ mihi veteris Græci codicis, qui Commentationes in partem Pſalmorum, Chryſoſtomo vulgò adſcriptas continet, Interpretatione. Quæ quidem eò facilius à me ſuſcepta, quod dies ad perficiendum data, nec alia conditione impoſita quam ſi per alias occaſiones liceret. Alia quippe erant plura, ſeu majoris ea momenti, ſeu quod acceptiora futura eſſent, prælo deſignata, priuſquam harum uſus eſſet. Neque jam quicquam reſtabat, quam ut Typographus primo quoque tempore ad opus accingeretur, cum ſupremum diem obiit Præſul Illuſtriſſimus. Sed Deo laus, quod ille ſuperſtes, diuque ſit ſuperſtes oro, quo vivente nunquam Patrono cariturae ſunt in Anglia meliores literæ; cujus potiſſimum auſpiciis, & prudentiſſima adminiſtratione, ut eò perductum negotium illud, quo perductum diximus, cum Præſul Illuſtriſſ. obiit, omnes hic agnoſcimus; ita & in cura providentiaque ejus, nulli non pari negotio omniumque hactenus difficultatum feliciter victrici, ſpes nobis non exigua, tot conatus & labores, ob intempeſtivam præcipui inſtrumenti jacturam, incaſſum non futuros. Sed vereor ne qui modo pertinax ſilentium excuſandum habebam, idem nunc importunæ prolixitatis crimen incurrerim; adeo hoc quoque verum illud experior, quam ſit illud in omni re difficile, ut ne quid nimis. Ad literas igitur tuas redeo, etſi jam pertæſus prolixitatis, ne in tanta ſermonis redundantia, me tibi non reſpondiſſe queri poſſis. Grotium & Salmaſium, incomparabiles Heroas, quod in tuis memoras, rem feciſſe mihi gratiſſimam. Etſi enim vitæ eam rationem inire, ut inter eruditos nomen profiteri meum poſſim, non datum eſt, in eo tamen non leve ſolatium, quo ſupra vulgus non parum aſſurgere mihi videor, quod viros verè doctos affectu (ſed & judicio fortaſſe) non vulgari colo eorumque incolumitatem in maxima parte fœlicitatis meæ pono. Sed ô ſeculi infamiam, ſummum illum virum, deſultoriæ vitæ incommodis tamdiu jactari, & incertis ſedibus errare! Dignum certè virum, de cujus virtutis poſſeſſione omnes Europæ reges & regna, ſi ſaperent, haud paulo majori contentione inter ſe decertarent, quam olim urbes illæ Græciæ de Homeri umbra. Sed nimirum tanti ſtant ei Libertas, & Veri amor, qua non pauciores ubique fere inimicos, quam Eruditio & divinum Ingenium admiratores illi pepererе. Sed quando, ut ait ille, nondum omnium dierum Soles occidêre, non eſt quod deſperemus res ejus aliquando tranquilliore loco fore. Filium tuum Johannem reducem, ut & Opus Grammaticum, quod promittis, (illum corporis, iſtud ingenii tui fœtum in utroque te complexurus) libens videbo, & avidus expecto.

De re tuâ pecuniariâ, ſerum me tibi ſcribere; ſcribam tamen; 24. nempe die Menſis Octobris ultimo elapſi 50. libras, quæ tibi debebantur, Peſteri Delegato Cantuarienſi, perſolutas eſſe: alteras autem 50 libras (quod jam magis tempeſtivum me tibi ſcribere:) ſi interim te priores illas accepiſſe (quod ſemper obſervandum tibi eſt) vel verbo ſignificaveris, intra paucas ſeptimanas tibi paratas fore. Res tuæ reliquæ omnes, prout feret occaſio, mihi ſemper erunt curæ. Sed hortenſe illud negotium tuum (quando & ſucceſſoris tui res ad te pertinere rectè judicas) adhuc pendet & ſub judice lis eſt. Quando erit aliquid conſtitutum, quod brevi ſperamus, omnia per me plene reſciturus es. Vale, Vir præſtantiſſime, & amare perge

Cantuar. VIII.
Kal. Mart. 1635.
Stilo vet.

*Tui tuorumque omnium*

*merito tuo amantiſſimum,*

MER. CASAUBONUM.

CCCXXXI.

## CCCXXXI.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Grammaticas ſuas Exercitationes dono mittit. Grotium Regni Suecici Lutetiæ Pariſiorum Legatum agere, ſibique Sophompaneam tragœdiam inſcripſiſſe narrat. De Collegio Cantuarienſi & Canonicis quo in Anglia loco ſint, accuratius aliquanto ab eo informari cupit.*

EN tandem tibi Exercitationes meas Grammaticas, Præſtantiſſime Caſaubone. Addidi & alterum exemplar quod dandum Reverendo D. Decano. Plura miſiſſem, niſi ſcirem argumentum hoc non facere ad multorum palatum. Sed munificus magis ero, ubi edidero quæ ſequentur argumenti gravioris ac ſanctioris. Literis proximè miſſis nihil mihi gratius fuit. Satisfactum mihi jam à te uſque ad Septembrem anni ſuperioris, qui fuit quartus & trigeſimus ſupra cIↃIↃc. Expecto igitur ſemeſtre Præbendæ meæ, quod expiravit in Martio hujus anni quinti & trigeſimi. Jam intellexeris confido, Hugonem Grotium Legatum agere Regni Suecici Lutetiæ Pariſiorum. Sophompaneas ejus (tragœdia eſt de Joſepho Iſraelis filio) hic excuditur. Eam eò juſtius mittam propediem, quia nomini meo inſcripſit. Scio placituram. In mentem venit hoc ipſo die, quo iſta ſcribimus (is eſt VI Id. April.) ab Henrico octavo, ejectis monachis in Eccleſiâ Cantuarienſi conſtitutum eſſe Decanum cum XII Præbendariis ante annos XCIV. Contigit ſemel iterumque, & ſæpius fortaſſe, ut nonnemo, me & aliis præſentibus ea referret, quæ oſtenderent Ordinem hunc Canonicorum ſeu Præbendariorum eo in Angliâ loco eſſe, quo pauci his terris exiſtiment. Sed ego, etſi ſuper eo aliqua me audire memini coram, tamen non habebam, quæ de aliis certo reſponderem objectantibus quibuſdam, non ſatis me decora, & dignitatem ordinis noſtri ſcire. Si grave non erit, velim per otium tribus verbis ſignifices, quo loco in regno Anglico Collegium ſit noſtrum. Video Monachos olim & Cantuarienſem ſtatuiſſe Archiepiſcopum, dummodo Regi placeret. Sed ſcire malim, quæ penes eos fuerit, ex quo Præbendarii ſubſtituti. Uti ecquem locum obtineant in Parlamento. Quibus Secularium (ut vocant) pares cenſeantur. Et ſiqua id genus. Neque id faſtu ſcire aveam. Alienum id à moribus meis, præſertim qui longè adeò diſſitus vivam. Sed ne imperitior videar illis, qui diu quidem in Anglia vixère, ſed neutiquam eo aſſurrexerint, quo nos regia evexit dignitas, ut noſtri ideo hic mirentur eos exactius me ſcire, quæ ordinem noſtrum ſpectant. Vale Reverende & Amiciſſime D. Caſaubone, meoque nomine plurimum Reverendum D. Decanum & univerſum DD. fratrum Collegium ſaluta. Nec minus lectiſſimam uxorem tuam, quam & mea ſalute plurimâ impertit & filius Matthæus, quem coram vidiſti. Is nunc totus eſt in Annalibus Hollandicis, quorum libri quinque primi excuduntur. Ut ſpero & iſtos intra menſes duos videbis.

*Tuus omni officio,*

cIↃIↃcXXXV.

G. J. VOSSIUS.

## CCCXXXII.

## Hugoni Grotio.

*Diſſerit de rebus publicè hactenus in bello domi foriſque geſtis.*

*Illuſtris Domine,*

MUltum tibi debeo, quod ea cum humanitate, idque geminis literis, non gravatus ſis me facere certiorem de victoriis Sereniſſimi maximique Regis veſtri; ita arbitror ſic eſſe perpaucos, qui non eapropter & ſibi gaudeant & magno veſtro regno gratulentur: maximas etiam gratias ago, quod nolueris me celare de Oratore, quem fœderatæ Belgicæ Ordines Conſtantinopoli habent. Conqueſtus ſum ſuper eo apud aliquos qui in Republ. noſtra plurimum poſſunt. Sed facile cognovi nihil iis de iſto negotio conſtare. Aliqui exiſtimare malle hanc de eo ſuſpicionem conceptam. Alii dicere ſi quid ejuſmodi exiſtet, fortaſſe privata nonnullorum authoritate compulſum, & nihil tale unquam in Procerum conventu decretum. Illud quidem pro certo habe, Summates Urbis noſtræ viros & Regno & Regi veſtro maxime favere, ac quantum in ſe nunquam perpelluros, ut quiſquam concitet Muſulmannos adverſus Regem Chriſtianum, & ita Chriſtianus, ut is triſti hoc Religionis Chriſtianæ diſſidio imperium in conſcientias uni ſciat Deo convenire. Quare ſiquid ejuſmodi factum ab Oratore noſtro, neceſſe eſt aliquid monſtri alere, quod ad hæc eum virum non communicato cum aliis conſilio impulerint. Nova hic, quæ noſtram ſpectant Rempub. pene nulla, aut parvi illa momenti. Niſi quòd ab Americana Societate noſtra Paraibam in Braſilia expugnatam naves poſtremo inde appulſæ referant. Is locus ſitu non longe Olinda civitate, quam nomine regionis perperam Pernambucam vocant, tribus conſtat caſtellis, non magno diſſitis intervallo. Eo magis mirandum, quod exiguo adeo temporis ſpatio in noſtrorum venit poteſtatem. Nec inutilem in eo capiendo operam præſtitit nobilis veſtras Artiſſimi. Quem me aliquando ſic compellare memini. Eo autem major hæc victoria habetur, quod molæ aliaque purificando ſaccharo idonea noſtris integra ſint relicta. Accedit, quod qui ante in talibus operam Hiſpanis locabant, eam nobis addixerint. Unde tantum animi Americanæ noſtræ Societati acceſſit, ut ante diem unum alterum liberum in eos tractus commercium mercatoribus conceſſerint, modo decimas rerum inde allatarum penderent. Fervere hic jam incipit armorum apparatus ad proximam æſtatem. Vix enim dubitandum, quin grave immineat bellum ab Cardinale Hiſpano, qui illuſtrem victoriam ad Norlingam adeptus, non minores hic ſucceſſus imaginatur, cæterum diverſitatem belli nonnihil impedimenti allaturam confidimus. Germanis Mars apertus placet ſemper, raro Batavis qui multo maximam ſpem in propugnaculis ſitam habent. Nec ratio belli, quod jam ſexaginta per annos adverſus potentem adeo hoſtem geritur, conſerere ſemper manus permittit. Victi enim Batavi difficulter cum victoribus inſtaurant certamen. Nec æquum uni diſcrimini ſalutem Patriæ maxima ex parte committi. Pro documento nobis ſit ad quantam ſpem erecti nuper Germanorum Principes ſubita clade una quaſi è ſummo faſtigio deciderint. Et hactenus quidem ſenſerunt & adhuc ſentiunt, quam futile ſit, niſi neceſſitate ſumma urgente, unico prælio de ſumma rerum decernere. Imprimis Udenhemum à Cæſarianis interceptum, quem in locum Galli, tanquam munitiſſimum, aurum, argentum, annonam, cæteraque bello neceſſaria comportarant. Quicquid anni labore & impenſis acquiſitum unicâ pene horâ rapuit. Hinc plerique ominari improſperos Gallorum ſucceſſus. Filius is nobis, qui antea fuit, ſic eſt commendatiſſimus. Nec patitur ille in vita aut ſtudiis quicquid deſiderari. Qua de re plura proximis literis ſcribas. Vale.

Amſtelodami, pr. Kal. Mart. cIↃIↃcXXXV.

*Illuſtri tuo nomini addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCXXXIII.

*Dolet, cum domi non reperiſſe. Officium literis exequitur.*

*Generoſe Domine Baro,*

VAlde animo meo ægre fuit, quod nec pridie quam diſcederetis, Illuſtriſſimum Dominum Legatum, vel te, quem ſic amo, ſic æſtimo, domi reperiſſem. Foris cœnare quiſpiam è famulitio dicebat, neque poſtero mane minus operam luſerim, quia ſic maximi herois, parentis veſtri, vel regni potius negotia tulere, ut jam currum adſcendiſſetis priuſquam, etſi non multis paſſibus ab ædibus veſtris, eo veniſſem, & extremum vale dixiſſem, optima quæque & tam bonæ legationi, & itineri veſtro comprecando. Sed quod facere tum non licuit, id vero nunc per literas facio, verbis quidem parcius, ſed affectu non minus uberi ac devoto. Illud quoque non parum mihi dolet quod non ſatis perceperim mentem tuam de chartis hic relictis. Siquidem ſic opinabar, non eas te legi à me vel te, ſed alias, quas ipſe ſcripſeras. Has autem, quæ non amplius, ut arbitror, quam dimidiam negotii partem complectebantur, tecum ipſe domi retuleras. Altera illas die repertas primis aliquot diebus hic relictas ignoravi. Sed tamen fortuna bona in eas incidi, ſponteque eras aut perendie eram remiſſurus. Opus dari cœpta, ut tumultuarie ſaltem à me legerentur, & aliqua caſtigatæ magis dictionis indiga notarentur. Sed multa adeo ſe obtulêre, ubi prorſus hærerem, quod res Suecicas, mentemque ſcriptoris haud ſatis perſpicerem; ut ſtatuerim non poſſe eam rem hac nocte confieri. Nam poſt ſeptimam demum veſpertinam redditæ mihi ab eo cui dederas literæ tuæ: atque idem ait ſe cras ſexta matutina Hagam repetere; utinam horis ſex ſeptem una nobis duobus eſſe licuiſſet. Plus promoverem, quam vel triduo nunc toto valeam. Nam quis mortalium rei minus intelligens, ſæpius turpiter me darem. Si tamen tanti putaveris, Patrueli tuo poſſis Suevicum tranſmittere exemplar, ut is Germanicè exprimat mihi. Equidem non patiar ulla in re operam meam deſiderari. Utere, fruere, me, meis, in hoc, in cæteris. Non alius vel hic, vel alibi reperiar, quam

Amſtelodami,
clɔ Iɔc xxxv,
xxi Martii,
xii Nocturna.

*Veſtræ Illuſtriſſimæ Familiæ æternum devotus,*

G. J. VOSSIUS.

Gratum fuerit ſi Illuſtriſſimo parenti (quem equidem deinceps, non ob prudentiam, vel doctrinam maximam devotius quam ob eximiam humanitatem colam) obſequium meum ſedulo in cunctis offeras. Te Illuſtriſſime Baro, & tecum pariter fratrem D. Jacobum, nobile adeo par juvenum, uxor, ac liberi plurimum jubent ſalvere, proque vobis mecum non deſinent aſſidua facere vota ad Deum. Raptim.

## CCCXXXIV.

### Claudio Salmaſio,

*Viro Clariſſ.*

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

PApyri iconas remitto, qui Stapelio longe gratiſſimæ fuerunt, multumque debere ſe fatetur. Nec minus mihi jucundus fuit conſpectus literarum, quibus olim ſocer meus ad ſacram profeſſionem Leidam vocatus Heidelberga. Eoque gratius donum, quod nondum videram. Primaque occaſione id perſcribam ipſe; ſed dum quod mei ſcis non eſſe inſolens, officium hoc ſcribendi differo, quæſo hujus affectus mei ne penitus Puteanos fratres ſiveris expectes. Quod juſtius eo facies, quia eos amavi & colui ſemper ob præclara erga literas merita. Uxor mea jam menſem ſecundum ægrotat, non ſic tamen ut perpetuo ſit lectulo affixa. Et jam convaleſcere videtur; ſpero vere adulto, omnia meliora. Interea partim hæc invaletudo ejus in cauſa, quod longiuſculo tempore non ſcripſerim; partim etiam quod eadem mallem una cum literis meis mittere de Re Grammatica libros. Quod ne nunc quidem facio: ſed fiet intra octiduum. Jam Bibliopegis exemplaria aliquot tradidi compingenda. Ex quibus prævertere neceſſum eſt, ea quæ in Britanniam mittentur. Id faciam die craſtini, vel perendini. Simulque expoſtulabo cum affine Junio de non miſſis ſtatuarum iconibus. Equidem planè neſcio quid in cauſa ſit. Nec enim ſuſpicari poſſim, Illuſtriſſimum Comitem nolle exterorum quenquam aliquid è ſuis monumentis primum publici juris facere. An forte faſciculus literarius, quo & literæ hujus argumenti continebantur, minus in affinis manus pervenerit? Id eo minus velim, quia addita erant quædam de rebus non parvi momenti, eaque publica authoritate firmata. Sed quicquid erit, utrum acceperit exemplaria primogenito Sereniſſimi Regis Caroli, & aliis tradenda. Scio, jam cognoveris, Ampliſſimum Grotium Lutetiæ agere, ac ut Legato Regni Suecici honoris ei officia eſſe præſtita, ut poſtquam in conventu Regis ac Procerum expoſuiſſet quæ in mandatis habebat, privatim cum Rege ſermones de toto negotio Suecico ac Germanico habuiſſe. Equidem ob hæc & alia non minus gaudeo, quam dolere illum ſcio, qui in caſtris non humanitatis quidem ſed inhumanitatis & malevolentiæ facile principem locum tuetur. Utinam tantum non eo loco res Suecicæ viderentur, ut Gallorum etiam Regi ſatis ſit difficile futurum, inſtaurare eas, ſi vel maxime velit. Sed iſthoc θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Nil deſperandum: dum in Galliis eſt Grotius, filiarum juniorem amiſit. Credo frigore hyberno, & moleſtiis itineris morbum contraxerit. Intelligo parentem, etſi valdè amàrit conſtantiſſimè hunc caſum ferre, nec illum doloris indicium domeſticis in vultu ejus relucere. Non eadem conſtantia filio ejus Petro apud nos agenti. Quid mirum, adoleſcens eſt; & ab nemine fratrum vel ſororum ſic ſe dilectum atque ab illa arbitratur. Quare ſic primis aliquot diebus lachrymis indulſit, ut vix cibum caperet. Sane & ipſe vocatione & alloquio conatus, ſed non ſemel, dolorem hunc abſtergere. Nunc meliuſcule omnia, niſi quod ubi mentio ejus, dolor recrudeſcit. Sed alio potius ſermonem derivamus. Vale, optime maxime Salmaſi, & cum uxore lectiſſima ab omnibus nobis ſalve.

Amſtelodami,
clɔ Iɔc xxxv.
Pr. Kal. April.

## CCCXXXV.

*Præſtantiſſimo Viro*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Affini Conjunctiſſimo.

*Opus ſuum de Pictura veterum typis committendum, ipſique Britanniæ Regi offerendum, amicos ſibi perſuadere ait, proinde ut quam optimè illud accuret ſollicitè rogat. Deſiderio Salmaſii in depingenda una alteraque antiqua ſtatua propediem ſatisfactum iri ſpondet.*

*Conjunctiſſime adfinis,*

VIdes hic auctarium non pœnitendum, (niſi me fallant amici, quorum hac in parte judicium deſideravi) opuſculi

opuſculi illius, quod olim ad te tranſmiſi; quodque propediem typis committendum, ultimis tuis literis indicaſti. Amicos dico, non Seldenum, Petræum, Oughtredum, qui priora approbaverant; ſed fratres Wrenni, quorum alter nunc eſt Epiſcopus Herefordienſis, in magna apud Regem gratia, alter verò Decanus Windſorienſis. Ambo certè in omnibus oſtendunt, quam benè tibi, mihique velint. Tertii libri caput ultimum, quod rationem picturas dijudicandi pertractat, nonnihil reconcinnavi, ac porrò quid in ſingulis corporis humani membris, verè pulchrum olim judicaverint adjeci; quemadmodum & caput tuum de Statuarum materia; quoniam ea res quoque, ab hac rectè judicandi ſcientia, non videtur aliena: ſubdubitavi aliquamdiu, an ſeptimum caput Libri tertii cum hac, quam nunc vides, appendicula, peculiari quodam titulo vindicem, inſcriberem; ac picturam veterem ſtatim exciperet vindex, ſive de ratione picturas dijudicandi. Tu facies quod conſultius judicabis; aut in duo opuſcula diſpeſces, aut conjunges. Mihi certè, ſi Regi noſtro inſcribatur opuſculum, omnia conjungi debere, atque in unum volumen componi videntur debere. Miraberis fortè, nimiam hanc levis Tyrocinii fiduciam, noliſque me adeò temerè periculum famæ adire. Ego quoque, ab hac arrogantioris auſi, ut mihi quidem videbatur, temeritate, alienior eram; donec ſuaſit, ac penè perſuaſit, Rev. Epiſcopus Herefordienſis; qui lectâ hac, quam nunc tranſmitto, parte, multis aſſeveranter urſit dubium an tergiverſantem, conſtare ſibi dicens, quàm acceptum Regi, Proceribus Regni, omnibus denique futurum ſit opuſculum. Dignabitur profectò Rex noſter, inquit, hoc tuum ſcriptum inſpicere, pro eo quo artes haſce proſequitur adfectu; nunquam quicquam gratius ei obtingit, quàm ſi poſt regni curas, offeratur aliquod antiquæ artis ſpecimen, quo oculos, animumque paſcat. Quinimò nupertimè adhuc, dum tuas ſchedas percurro, inquit, adfui Regi ſuper antiquorum eximia arte, nonnulla ſciſcitanti; atque ei ſpem feci, viſurum brevi opuſculum aliquod, ſuppreſſo tamen tuo nomine, cum cura elaboratum. Reſpondi non tanti mihi videri tumultuarium hoc opuſculum, quod inexſpectato ferè excidit majus opus, Catalogum nempe Artificum, molienti: daturum operam, ut majus hoc opus, tanti patrocinii gloriam magis mereatur. Ad hæc Rev. Vir, tanto magis hac in re, conſilio meo obſequeris; quandoquidem ſpero fore, ut Sereniſſimus Rex, pro navata ſtrenue opera, animos tibi addat, ad reliqua pari induſtriâ proſequenda. Unum tantùm in hiſce tuis lucubrationibus requiritur, inquit, Rex noſter inquit, ac Proceres Regni multique alii ingenuarum artium amantes, Latinè quidem intelligunt, Græcè non item. Minus gratum hoc nomine futurum erit opuſculum, niſi Græcam paſſim Interpretationem adjicias. Multis ſuper eâ re mecum egit. Non repetam ſingula. Video certè Typographo, mihi, publico, non inutilem fore hanc operam: ſi quid ex hac re commodi obtigerit, amicis qui hanc mihi operam non denegabunt, deberi putabo. Quædam talia ſunt, ut à filiolis tuis, Iſaaco, atque Gerardo, fortè ad probandum Græcæ Linguæ tyrocinium transferri poſſint; ubi major aliqua emphaſis latet, nemo melius exprimere ea poſſet, quam adfinis noſter Nærarius; ſed is gravioribus fortè curis diſtinetur; pertentabis animum, ſi impetrari poſſe putabis. Utcumque tamen, vel precibus, vel pretio inveniendus erit aliquis, qui id præſtet. Refundam quicquid impenderis; nolim enim noſtras has qualeſcunque curas, minus gratas eſſe, ob leves aliquas impenſas. Typographus quoque, ſi quid ea res editionem differat, moram hanc æquo animo feret, quoniam ſic denique fiet, ut exemplaria magis diſtrahantur. Ad quod etiam conducet, ſi quàm minima, ac portabili (ut loquuntur) formâ, minimeque ſumptuosè excudatur; ne quem pretium ab emendo deterreat. Cùm primum has de pictura obſervationes congererem, quin etiam cum eas ad vos tranſmitterem, nihil minus quàm de editione cogitabam; unde etiam evenit, ut de interpretandis Græcorum Authorum locis, minimè laboraverim; putaveram majori operi reſervanda eſſe hæc, quaſi prolegomena; ſed quoniam præter opinionem in juſti operis formam excreverunt, eſt neſcio quid, quod mihi ſuadet, famam hoc opuſculo prætentare, donec reliqua prodeant. Sunt multa loca ex Authoribus Græcis, quæ nudam tantum rei geſtæ Hiſtoriam, aut Apophthegma aliquod, aut aliquid ſimile continent, ea Latinè tantùm imprimi velim, ne in nimiam molem excreſcat opus. Reliqua loca Græca, quæ Emphaſin quamdam habent, ac in ipſa phraſi præcepta quædam continent artis, integra ſervari velim, adjecta interpretatione; aut ſi Latinè tantùm videantur imprimenda, optem nihilominus, ut Græca verba quæ vim aliquam habent, ad oram adjiciantur, quo peritis pariter, atque imperitis Græcæ Linguæ ſatisfiat. Dabis veniam pluribus, præter amorem meum verbis: non leviter animum meum tangit hæc cura. Quicquid poſthac, Deo volente, adornabo, ipſe ſemper hac cura defungar; neque amicis meis negotium amplius faceſſam. Certiorem quoque feciſti me Clariſſimum Claudium Salmaſium, unicè optare ſpecimen aliquod ſtatuæ palliatæ, chlamydatæ, habitus Epheborum, & ſimilium; jam ante per D. Boſwellum, ipſe Salmaſius tale quid petierat; quin etiam Gallicum aliquod ipſius Salmaſii ſcriptum penes me eſt, quo à Boſwello petit, ut hoc à Comite Arundelliæ impetraret: placet Comiti propoſitum, ac mecum re communicata, deſiderio Clariſſimi Viri, quamprimum ſatisfieri volebat. Negabam partem illam antiquæ eruditionis, quæ verſatur circa rem veſtiariam, ita mihi perſpectam; ut pictori, quod exemplar potiſſimum exſcribere debeat, præmonſtrare auſim: Compellaturum interim D. Seldenum, ac Patritium Junium; eos enim in hac re magis fortè verſatos, pictori commodius ſtatuas delineandas aſſignare poſſe. Placuit Illuſtriſſimo Comiti ratio conſilii mei. Confeſtim itaque ad Junium advolavi, oſtenſaque Cl. Salmaſii manu, quam non iniqua vir Magnus poſtularet docui. Rogavi ut conveniret D. Seldenum, atque ad ædes Arundellianas, comitante Seldeno accurreret: gratiſſimum id fore Comiti, ſi inſpectis monumentis antiquioribus, Artifici quid delineandum videretur, oſtenderent. Recepit facturum Junius; nec tamen venit; acceptis deinde tuis literis, iterùm interpellavi, atque illam tuarum literarum partem, quæ id urget, prælegi: Reſpondit, ſe non immemorem fuiſſe promiſſi; ſed nunquam in D. Seldenum, variis negotiis civilibus diſtentum, eoque rarò ſe domi continentem, incidere potuiſſe: daturum operam, ut ubi primùm compellare datum erit, unà cum ipſo advolet. Quatuor aut quinque ſunt hebdomadæ, ex quo venturum recepit, & nihil interim fit; neque poſſum adſequi conjecturâ, quid tantulam rem moretur. Non deſinam tamen eniti, ut tandem aliquid fiat. Niſi fortè inveniat amicum aliquem Cl. Salmaſius, qui in Britanniam fortè excurrens, ex ipſius ſententia, quæ delineanda ſint oſtendat. Si quis talis offeratur, & me, & Artificem non imperitum, ad omnia officia paratiſſimos experietur. Imo ſi fortè dum in agris ſum, talem aliquem appuliſſe intellexero, Londinum ſtatim excurram, neque operam meam requiri in re tantulâ patiar. Interim hunc animi mei dubium, etiamnum motum de inſtituenda dedicatione alios celabis: niſi fortè & ipſe putaveris, non inconſulte me facturum, ſi conſilium Herefordienſis Epiſcopi amplectar. A quo conſilio ſi non abhorrebis, cura ſciam te, me, meaque, unico tantùm verbo Archiepiſcopo commendaſſe; quod magnum addet animum, timidè alioquin tantam rem aggreſſuro. Scis quantum apud Regem noſtrum, valeat vir merito eminentiſſimus. Precor interim Deum Optimum Maximum ut te, tuoſque, publico, mihi incolumes ſervet. Vale.

Raptim. In ædibus.
Arundelianis, anno
Domini, 1635. Cal.
April. ſtylo vetere.

*Tuus omni officio,*

F.F.F. JUNIUS.

Continuatam hanc opuſculo meo appendicem, ita raptim exſcripſi, ac properanter miſi, ut ne quidem eam

potuerim perlegere, antequam Reverendo Epiſcopo legendam præberem; imo ne quidem otium fuit percurrendi, poſtquam Reverendus Vir eam reſtituit, propterea quod ſtatim videbatur ad te mittenda; maluiſſem alioqui Græcam Interpretationem, locis ſuis ex conſilio Epiſcopi paſſim adjicere, ac primò quidem conſilium erat, quamprimùm hoc facere: ſed ſubibat animum cogitatio, poſſe Typographum falli, in voluminis formâ, ac Typorum modo eligendi; niſi ante Cal. Majas, totius operis conſpectus, certiorem conſilii rationem ſuggeret. Nunc aliquâ ex parte, animo meo ſatisfeciſſe mihi videor, & quemadmodum hæc prorſus videbantur addenda, ita nunc verbum non amplius addam. Unum hoc iterùm rogo, ne patiaris propter leves aliquas impenſas ſpem meam imminui. Inveniendus eſt aliquis, aut precibus, aut pretio, &c. Grati animi teſtimonium nunquam requires, ſat ſcio. Etenim ut ut non acceſſerit, officii hujus gratia, tibi tamen obſtrictum me eſſe ſemper agnoſcam. Iterum vale, & me amare perge.

## CCCXXXVI.

## Jacobo Wittio,

Quæſtori Dordraceno,

S. P.

***Epiſtola familiaris.***

CHartam mitto beneficii ab urbis veſtræ Proceribus collati, Franciſco Fr. Fil. Junio, ſpero hoc viduæ dabit Quæſtor, ut tanto nunc promptior ſit in exſolvendo, quanto ego tardior fui in negotio urgendo. Negabis fortaſſe tam me lentum eſſe debuiſſe, cum non poſſim ignorare, quam id viduæ ſit moleſtum. Sed ſic ſum, nulla tamen culpa mea; quando quotidie minus, minuſque meus eſſe incipio; ſi hoc ita proceſſit, quid amicorum negotiis, imo quid tandem ſtudiis meis fiet? Et tamen manet ardor, quod ante biennium cogitaram, excurrendi ad vos cum aliquo meorum; idque ſi Deus vitam, & valetudinem, feriis autumnalibus. Juvabit videre veteres amicos, eos imprimis, quos veteris ſui Doctoris necdum pœnitet: In quibus jure repono, ut de te taceam, Colvium, Beverovicium, J. Roverium. Grammaticum noſtrum opus grande, & arduum jam excuſum; & habet Bibliopega aliquot exemplaria, quæ compingat. Propediem ad te tranſmittam. Difficiles nugas, dicent malevoli. Quid mea? quando jam diu talium voces didici contemnere. Et certe ſi necdum ſciam, quando futurum tandem, ut norim? Quippe jam annum ago undeſexageſimum. Deo gratias ago, quod ætas ſic ſatis vegeta, utinam de conjuge idem poſſim dicere. Sed illa in dies deficiſcit; ut multum metuam, ne vita illa ſit vitalis. Jam excudi cœperunt Annales Hollandiæ, & Zelandiæ, quos filius Matthæus conſcripſit: ſcio non diſplicitutum opus, ubi videris. Sanè priores non parvo poſt ſe relinquet intervallo. Domeſticum quidem hoc teſtimonium meum; ſed tanto religioſius hæc ſcribo, qui vanus nolim deprehendi, vel domi cæcus. Excuſa propemodum tragœdia Grotii, Sophompaneas, ſive Joſephus, qui altero illo nomine Ægyptiis vocatur. Placebit argumentum, nec minus Romana vere dictio: credo & eo nomine, quia meo nomini inſcripſit. Et illam, unà cum noſtris tranſmittam. Authorem, non ut dictitant aliqui, ab Illuſtriſſimo Oxenſternio ſolum, ſed à Regina, & Regni Suecici Proceribus, Legatum ad Gallos miſſum, credo jamdiu intellexeris. Uti & illud, quod Regi fuerit longè acceptiſſimus; qui gaudet non modo reverſum in Gallias, ſed honore auctiorem redire. Spero vir ille, quo affectu erga Patriam eſt, non Suecicis modo, ſed Belgicis etiam rebus, multum in Galliis commodabit. Quod non ſcriberem, niſi melius noſſem, quam multi, qui ſolis ſibi judicium vindicant, cum nulli magis ignorent. Confido illum Deo curæ fore, utcumque res Suecorum, in Germania quidem, in extrema ſtare tegula videantur: ſed jam ad argumentum venio, quod non ita curſim poſſit referri. Quare abrumpo, teque multum, & uxorem optimam, & familiam totam jubeo ſalvere: idemque facit conjux, cum liberis. Vale, ampliſſime & integerrime cognate.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxv.
Non. April.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCXXXVII.

## Guilhelmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Exercitationes ſuas Grammaticas ei tranſmittit, ut ipſe in manum Walliæ Principi tradere velit, rogat; quæ porrò in humanioribus confecta habeat, recenſet, quorum tamen editionem Theologica & ad antiquitates Eccleſiaſticas pertinentia præoccupatura ſint.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

TAndem finem ſuum implent Exercitationes noſtræ Grammaticæ: quarum geminum mitto exemplar, unum Celſiſſimo Walliæ Principi, alterum tibi Mecænati meo optimo maximoque; qui nunc iterum bonas mihi precandus es preces: Nempe ut tantus Princeps, non aliunde potius quam ab Illuſtri manu tua accipiat Commentationes noſtras: atque ab ore ſacro tuo etiam cognoſcat ſubmiſſiſſimam devotionem pectoris mei. Atque hæc quidem eâ conditione oro rogoque, ſi ſic res ac tempora ferant. Quid enim fieri poſſit, vel debeat, infinitis partibus melius me perſpicies. De exemplarium cæteris quid faciendum cenſeam, ex ornatiſſimo Dellio cognoſces. Nihil tamen acturus niſi ex conſilio tuo.

Opere hoc copioſiſſimo, ſed juventuti & *φιλολόγοις*, quàm ſacra tractantibus utiliori, ad finem perducto, aliquandiu ſeponenda video, quæ bonas literas, vel humanas ſcientias ſpectant. Et ſi permulta jam prælo parata ſint ut præter Originum libros, vaſtum en opus! etiam tres de Re Poëticâ libri diu expetiti, quia hactenus eam diſciplinam, ratione illâ, tractârit nemo. Item liber *περὶ ἐγκυκλοπαιδείας*, ſive de ſcientiarum artiumque omnium naturâ, nexu, & uſu. Item Græcorum Olympiades. Ad hæc rerum Romanarum Annales. Pluraque id genus, quibus non inſiſtam. Nempe totum me accingo ad ea, quæ Theſibus Lugduni editis, Belloſiti recuſis, ante annos multos complexus ſum: caſtigatius auctiuſque multo, idque librorum forma, divulganda; videlicet ut duo ſint Libri de Baptiſmo, & ejus ritibus: totidem de Euchariſtiâ libri, uti & de ſtatu Animæ poſt mortem; Alius de creatione & fine mundi; Alius de lege, & bonis & malis operibus. Et porro ita in aliis non editis modo ſed & hactenus *ἀνεκδότοις*. In cunctis iis nihil æque mihi propoſitum eſt, quàm ſtudere paci ac concordiæ Eccleſiæ; ſimul ut ſacræ ſcientiæ candidatis notitiam atque amorem veteris Eccleſiæ inſtillem.

Vix ea lucem viderint quin, *σὺν θεῷ*, ſecuturum eſt opus noſtrum de mundi Antiquitatibus, uſque ad vocationem Abrahæ, & inde de rebus Hebræorum uſque ad Chriſti natalem, vel Hieroſolyma à Tito deleta. In his ad duo iſta imprimis collimo. Primum ut ſacram Chronologiam accuratius tractem, quam à Scaligero magno alioqui viro, & aliis aliquot, factum. Deinde ut difficilia multa veteris Inſtrumenti loca, præſertim *ἐναντιοφανῆ* enarrem: ac ſententiam noſtram, tum rationibus ſolidis, vel ſaltem veriſimilibus, tum item auctoritate

titate ſanctorum Patrum, & Rabbinorum aliorumque confirmem.

Tertia nobis cura erit de Chriſtianorum rebus; quod opus bipartitum. Priùs exponetur Hiſtoria Eccleſiæ, ut candidè ita ſuccinctè: rationes etiam verbo uno altero inſpergentur, quibus diverſis ſententiis reſponderi queat. Poſteriùs ea omnia ſeligentur, ſuper quibus nunc controverſia eſt. Hic modeſtè cum Baronio & aliis, manus conſerimus. Sic utriſque conſulimus, & illis quibus ſufficit ſcire rem geſtam: & iſtis, quibus opus eſt adverſariis occurrere. Hanc curarum partem optarem, vel primam lucem conſpicere, niſi multa adeo adhuc cruda intercurrerent; partim quia toties, uno quando non, ab indigenis & exteris interturbor, partim quoniam in his conſignandis in illo Eccleſiæ Catholicæ ſchiſmate, ac tantis partium ſtudiis veritatis ſtudium neutiquam ſufficit, ſed prudentia etiam opus eſt ſingulari. Eoque ubi paulum priora proceſſerint, nihil æque exoptem, quam ut cum uno altero Magnæ Britanniæ, antiquitatis intelligenti & prudentia conſpicuo, per literas ſubinde de talibus conferendi felicitas obtingat.

Nondum in ſcribendo huc uſque perveneram, cum mihi à Dom. Goſtio literæ tuæ exoptatiſſimæ. Quid primum hic, quid poſtrêmum eloquar? Téne illo dignitatis loco Dei gratia conſtitutum, tantis ac tam denſis negotiis obrutum, hoc me honore dignari indignum, ut ea cura, eo affectu reſpondeas ſingulis literis meis? O affectum eximium! quem niſi videam nihil me fuerit arrogantius ſtultiuſque; niſi profitear, nihil me terra proferat ingratius.

De poſthumis filii mei Dionyſii, ſimiliter ac tu, cenſeo, nihil nempe ejus divulgari oportere, niſi perfectum. Quippe imperfecta, ut recte olim Plinius, cenſenda pro non inchoatis. Diſſertationem tamen Maimonidis ab eo verſam, judico propè adeo abeſſe ab ultimâ manu quam edendo ſolet adhibere, ut haberi id opus poſſit pro abſoluto. Et jam editum foret, niſi Blauwius J.C. uxore ducta in vicina ageret urbe, ac demum circa Kal. Jun. domuitionem cogitaret. Parenti optimo, parum erudito extra Matheſin, non auſus fuit abſens committere curam operis.

Filius Joannes operam ſuam addixit præfectis Indicæ negotiationis. Fiſci iis fuerit advocatus. Spero idoneum magis fore ſeculi rebus quam eum expertus ſum in humanitatis ſtudiis vel ſacris. Nihil igitur ſupereſt, quàm ut honeſtè alteri loco cedat in Collegio. Interim multum me Regiæ beneficentiæ tuæque ſollicitudini debere profiteor; quòd hactenus ei bene in Anglia fuerit, ſaltem bene eſſe potuerit, niſi per ipſum ſtetiſſet. Quicquid ſupereſt, ſpero exequetur conjunctiſſimus affinis meus Franciſcus Junius; ad quem fuſè ſcripſi. Si qua in re opus ei fuerit conſilio vel auctoritate tua, confido illam non defore. Reverendiſſime, Illuſtriſſime Dom. Deum rogo, ut diutiſſime te ſalvum ac ſoſpitem eſſe velit, quo Eccleſia Anglicana, illa omnium hodie Eccleſiarum Helice & Cynoſura, deinceps etiam recto curſu ac ſecunda navigatione feratur.

Amſtelodami, CIↃ IↃC XXXV. poſtrid. Non. April. St. vet.

*Illuſtriſſimæ tuæ Reverentiæ humillimus ac devotiſſimus cliens,*

G. J. Vossius.

## CCCXXXVIII.

### D. Dello,

Reverendiſſimo Archiepiſcopo Cantuarienſi à Sacris,

S. P.

*Rogat tranſmiſſa Exercitationum Grammaticarum exemplaria rite diſtribuat.*

Fiducia, optime Delli, quam mihi amiciſſimus Goſtius fecit, non dubito aliquid à te exigere, in quo mihi utilis eſſe poſſit opera tua. Eſt hæc futura in exercitationibus Grammaticis quas mitto. Duorum exemplarium, quæ amictu boloſerico eminent, unum Celſiſſimo Walliæ Principi deſtinatum, alterum Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo, communi Mecænati ac Patrono noſtro. Si ludere nonnihil in re ſeria licet, cui viridi veſtitum convenientius erit, quam vireſcenti D. Principis ætati? cui cæruleo contectum magis competat, quàm D. Archiepiſcopo, cœleſtia curanti? Addidi his duo in membranis compacta, & marginibus paginarum inauratis, unum Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Londinenſi, alterum Bodleianæ Oxonienſium Bibliothecæ. Quorum ille Reverendiſſimo Mecænati meo D. Archiepiſcopo in priori dignitate ſucceſſit; hæc verò, ut præclarum Oxonienſis Academiæ ornamentum, ad curam ejuſdem tanquam Cancellarii pertinet. At, inquies, tertium primis duobus chartæ par reperio. Ita eſt, ſed hoc ſuperpondium eſt. Nempe metui, ne ex proceribus cuiquam exemplar latius eſſet offerri, quem equidem ignorarem, tam longè à Britannis degens. De illo igitur plane agendum fuerit, ex conſilio Reverendiſſimi Dom. Archiepiſcopi. Sunt & tria chartæ ſecundo tertioque non diſparis, ſed ſolo hoc inferiora, quod oræ paginarum non renitent auro. Horum unum eſto ejus qui ſtudiis præeſt Celſiſſimi Walliæ Principis. Intelligo eſſe D. Brian Duppa, antea Decanum Ædis Chriſti apud Oxonienſes; cujus viri doctrinam pariter ac humanitatem, cum ante quinquennium & amplius Oxonii eſſem, abundè ſum expertus. Tanto minus dubitavi ad eum ſcribere, & hunc novum ei honorem oneroſum, ſive onus malis, longè honeſtiſſimum, gratulari. Nempe & hic locum non minus habere cenſeo, quam in regenda Republica, quod olim à doctiſſimo Varrone dictum fuit, Onus eſt Honos qui ſuſtinet Rempublicam. Alterum exemplar Rouſii eſto Bibliothecæ ejus præfecti, quam ante dixi. De tertio facile vides non poſſe te præteriri, quem anteà incognitum auſus ſum onere hoc onerare, veriùs quàm honeſtare. Sed ſimul putavi aliquod mittendum Symbolum amicitiæ, deinceps contrahendæ. Sæpius enim mihi per literas compellandus poſthac eris, occaſione earum rerum, de quibus aveam cognoſcere ſententiam Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi. Non eſt minutiis interturbandus, qui tot tantaque negotia ſuſtineat. Quare ſic ad heroa ſcribam, ut quædam tibi committam qui in diſtrictiſſimo commoda noris fandi tempora. Mittere etiam animus exemplar Academiæ Cantabrigienſi, & Decano Cantuarienſi, ac amiciſſimo Caſaubono. Sed exiſtimavi non tibi hoc curæ committendum, cùm exequi liceret per ornatiſſimum affinem meum Franciſcum Junium, qui in ædibus agit Illuſtriſſimi Comitis Arondelii. Multis amicorum non mitto, quia argumentum non eſt ejuſmodi, ut faciat ad genium omnium. Sed ubi quæ ſacram Hiſtoriam, vel Eccleſiæ dogmata ſpectant, edidero, non ero parcipromus, verum munificus & liberalis. Si tamen nunc quoque peccatum, monito opus. Mittam quamprimum iis, quibus oportebat. Vale.

Amſtelodami, CIↃ IↃC XXXV. 7. Idus Apr. St. Vet.

G. J. Vossius.

Hiſce literis ſcriptis, in mentem venit, ut amicus putavit, perperam à me Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum D. Guilhelmum in præfatione ad Celſiſſimum Walliæ Principem, ſtatui ab primo Archiepiſcopo Auguſtino tertium ſuper ſeptuageſimum. Nam inquiebat, eſt Archiepiſcopus LXXV. Occurrebam hoc pacto, ſequi me Landavenſem Epiſcopum Godwinum, cui ſi ὁ μακαρίτης Reverendiſſimus D. Georgius Abbotus eſt LXXIII. ſane Reverendiſſimus D. Guilhelmus erit LXXIV. ab Auguſtino autem omnium primo LXXIII. Nam ſi ab eo numerem, primus non veniet in numero. Ut in Ovidiano illo

*Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus.*

Ubi non duodecimus ſed tertius decimus annus ſignatur.

Novum

Novum eidem viſum quod & Auguſtiſſimi Regis & Celſiſſimi Principis nomen ſcriberem per K. Sed Latinis C. & K. non literæ ſunt diverſæ, ſed ejuſdem literæ ductus diverſi. Nec judicio tam Karolus poſui, quàm conſuetudine; quia meminiſſem, ſic me in membranis optimis & vetuſtiſſimis exaratam hanc vocem inveniſſe. Atque ita quoque Petrus Pithœus, vir optimè de antiquitate meritus, in Francicis Annalibus crebro admodum Karlus, vel Karolus expreſſit. Etſi nec Carolus refugit. Nempe ſcribendi modus hic eſt arbitrarius, nec in eo verſantur vectigalia Populi, vel ſalus Regni, ut dici ſolet. Sed quid minutis inſiſto? Utinam ne graviora ſint, in quibus aliquid me fugerit. Nempe homo ſum, nec humani quicquam à me alienum puto.

Iterum vale, optime D. Delli.

---

## CCCXXXIX.

*Reverendiſſ. & Doctiſſ.*

## D. Brian Duppa,

Illuſtriſſimo Magnæ Britanniæ Principi à Studiis.

*Dignitatem, quâ Regii Principis Ephorus conſtitutus, impensè gratulatur, Exercitationeſque ſuas Grammaticas pariter offert.*

*Reverende Doctiſſimeque Vir,*

SÆpe animum meum ſubit recordatio, qua me humanitate exceperis Oxonium venientem, ubi tum Decanum te eſſe Ædis Chriſti commemini. Nunc vero intelligo; admotum te ſtudiis illius, à quo poſt Auguſtiſſimum Regem, (cui de noſtri utriuſque temporibus ſiqua ſuperſunt, annos Deus largiatur) ſpes Magnæ Britanniæ potiſſimùm dependet. Bene æternum ſit optimis & ſapientiſſimis viris, per quos Deus hanc mentem inſinuavit Sereniſſimo Regi, ut ex ſummorum virorum abundanti tantopere Britanniâ unum te omnibus præferret, cui cara adeò pignora committeret. Cœleſti etiam numini ſupplicamus, tui quoque, ſed magis Regni causâ, imo tot Regnorum, ut magis magiſque te ſpiritu ſapientiæ firmet. Quid enim homulli abſque divinâ gratiâ poſſumus? Faxit illa ut te tanti Principis Ephoro, ætas gaudeat præſens, & omnis poſteritas, pro tam nobili opera, præconia debita rependat. Quamvis verò non ea vis animo, nec illa fœlicitas, ut in hujuſmodi ſortem naſcerer, nunquam deſinam erga inclytam Sereniſſimi Regis ſtirpem, animum teſtari devotiſſimum. Cujus primum argumentum ſunto Exercitationes Grammaticæ, quas ſi Illuſtriſſimo Walliæ Principi dicarentur, illuſtriores fore exiſtimavi, & ſimul hoc me conſequi poſſe, ut opere tantulæ ætati non prorſus inconveniente, obſtringerem me ad graviora ſanctioraque. Exemplar confido Illuſtriſſimus Princeps, jam ante has tibi redditas, ab Reverendiſſimo D. Archiepiſcopo Cantuarienſi acceperit. Sed nefas erat, ſi non tam bellam occaſionem amplecterer, aliquo ingenii noſtri monumento, ut poſſem comprobandi erga te animum & officium meum. Nempe iſto potiſſimum, ut eumpſe fœtum ad te quoque transmitterem: non quaſi commentatione hac uſque adeo mihi placeam, ſed quia leve, quam multi cenſeant, putent artem Grammaticam, artium & ſcientiarum omnium janitricem, eo uſque perducere, ut non multum adeo nunc, à faſtigio, ac perfectione ſua abeſſe videatur. Ceſſarum hâc parte à viris magnis. Subii ipſe onus fortaſſe aliquo honoris noſtri, publici diſpendio non item. Idem ſpero judicabis, ubi operoſam adeò operam noſtram introſpexeris. Vale, vir ſumme, & amiciſſime, animoque tuo ita perſuade dum vivam, tui me nominis cultorem fore.

Amſtelod. cIↄ Iↄcxxxv. 14. Kal. Maji.

*Tuus omni officio,*

G. J. Vossius.

## CCCXL.

## Epiſcopo Londinenſi.

*Epiſcopalem gratulatur cathedram. Exercitationes ſuas Grammaticas offert.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſ.*

GRatias Deo ago, quod cum decreviſſet grande illud Eccleſiæ columen D. Gulhelmum in Archiepiſcopali ſede conſtituere, te potiſſimum voluerit in Londinenſis Eccleſiæ Cathedra tanto ſuccedere heroi. Hinc enim omnes pietatis juxta & antiquitatis amantes ita fore augurantur, ut arctiſſimâ veſtri duorum conjunctione, magis & magis ſordeat novellitas, ſplendeat vetuſtas. Quem affectum meum cum optimo quoque communem perſcribendi nunc occaſionem arripui avidè, quod Exercitationes meas Grammaticas ad Celſiſſimum Magnæ Britanniæ Principem mitterem. Putavi enim recte & ex officio me facturum, ſi eâdem eminentiſſimo nomini tuo exemplar offerrem, quod ut boni conſulas rogo. Equidem ignorare non poſſum, quanto gratius munus foret, ſi in ſacro argumento induſtriam poſuiſſem. Sed alterum illud ætatulæ Celſiſſimi Principis magis conveniebat. Nec in graviori re deinceps opera noſtra claudicabit, modo Deus mihi conceſſerit valetudinem & vires. Quem ipſum rogo ut te, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine, diutiſſime ſalvum ac ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, cIↄ Iↄcxxxv. 12. Kal. Majas St. Vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor devotus,*

G. J. Vossius.

---

## CCCXLI.

## Joanni Rouſe,

Bibliothecario Bodleiano,

S. P.

*Geminum Exercitationum Grammaticarum offert exemplar; unum Bibliothecæ publicæ, Bibliothecario alterum, optatque & in poſterum ſui benevolam inter excellentes Academiæ viros memoriam eſſe, cùm antehac in ipſorum numerum benignè fuerit adſcitus.*

GAudeo, præſtantiſſime Rouſe, tam bellam mihi occaſionem oblatam abrumpendi diuturnum hoc ſilentium, quod non ab ulla tui oblivione eſt (melius de me meritus es) ſed ab occupatiſſimo vitæ genere, quod meum me eſſe neutiquam ſinit. Quam vero occaſionem dixi, ei mihi præbita eſt ab noſtris de re Grammatica libris, Celſiſſimo Magnæ Britanniæ Principi inſcriptis, quorum exemplar melioris chartæ & inauratum mitto, ut inſtructiſſimæ Bodleianæ Bibliothecæ illatum, aliquid inde honoris accipiat, & ad auctorem ſuum id transfundat. Alterum etiam codicem comitem eſſe juſſi; ſed hoc animo, ut ubi hoc officio perfunctus erit, in privata tua Bibliotheca aliquid repenat loci. Affectum hunc erga te conſules boni. Non diffiteor argumentum operis noſtri vile haberi à multis. Sed aliis ceſſantibus, ſuſcipiendum id nihilominus exiſtimavi. Turpe enim cum tanta ſeges ſit eorum, qui quotidie bene mereri ſtudent de diſciplinarum aliis, non inveniri, qui idem conentur Grammatica in arte, cum priuſquam ad majora myſteria admittamur, minoribus illis initiari opus ſit. Ab hac doctiſſimorum virorum circa eam diſciplinam incuriâ provenit, ut [illegible]

cetur

cetur quàm à doctoribus ejus, dum vulgatis inſiſtunt ſententiis; nec quà eundum, ſed quà itur, greſſum dirigunt. Porro (quod multis minus fiat veriſimile) ſatis operoſa nobis hæc opera fuit, dum (ut cum Terentiano Mauro dicam) recondita quæque

*Dumos inter & aſpera*
*Scrupoſis ſequimur viis,*
*Fronte exile negotium*
*Et dignum pueris putes.*
*Aggreſſus labor arduus.*

Sed de opera noſtra nihil addam, maloque te remittere ad præfationem, quam præmiſi ad Lectorem. In priori Epiſtolâ, quæ eſt ad Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Principem, mentionem facio Oxonienſium inclytæ Academiæ, & eximiæ humanitatis, quâ me ſummi ejus viri exceperunt. Nempe occupationes tam denſæ, quibus penè obrutus ſum, necdum ſivere, ut aliter affectum erga bene meritos teſtarer, quam debiti mei profeſſione. Sed ſpero aliquando melius erit: quod opto, ne videar ingratus. Deſidero ſcire, vivatne & valeat ornatiſſimus Edwardus Pococke, & utrum è Syria, ut confido, ſit reverſus, ubi item degat. Volupe erit cum eo deinceps colere amicitiam, ante quinquennium inchoatam. Salutabis plurimum meo nomine, excellentiſſimos viros Academiæ veſtræ, imo & noſtræ, quando & me in Academicorum veſtrorum numerum adſciſcere non dubitâſtis, XII. Nov. Ann. CIƆ IƆCXXIX. ut bene noſter Pocockius, in opere nobis dicato annotavit. Sed, ut puto, non occaſio jam ſalutandi Doct. Juxon, quem ad Epiſcopalem dignitatem evectum audio, uti & Doct. Brian Duppam ſtudiis admotum Celſiſſimi Walliæ Principis. Verum arbitror agere adhuc Oxonii, D. Acceptum Fruen, item D. Prideaux, ac D. Samuel Fell: Sed & D. Claytonum, & ornatiſſimos viros, Harriſonum ac Chillingworth, atque alios. Quare eos, quæſo, ut dixi, ſalute plurima imperti: imo ſi grave non erit, perſcribe ut valeant, & an eadem quæ, cum iſtic forem, munia apud vos obtineant. Mihi perjucundum erit aliquid de illis ex te cognoſcere. Vale, doctiſſime & amiciſſime Rouſe.

Raptim ſcribebam Amſtelod. CIƆ IƆC XXXV. XII. Kal. Majas St. Vet.

*Tuo nomini merito tuo addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCXLII.

*Debitis merita ejus in filios laudibus proſequitur, ac ut in poſterum de illis bene mereri velit, petit, benefacta benefactis quacumque data occaſione compenſaturum pollicetur.*

HAud abs re facturum me exiſtimavi, Vir clariſſime, ſi te quoque tot annis, tot beneficiis mihi conjunctiſſimum, brevi epiſtolio, ſed intra præcordia nato, compellarem. Enimvero tanta ſunt tua, de me, tamque præclara merita ut cui plus eo nomine debere poſſim, velimve, ſciam neminem. Cætera verò longe antiſtat ingens illud nec mea unquam memoria exceſſurum beneficium: quod filiorum meorum, non unum, non duos, ſed trinos, pignora mihi chariſſima ad optimarum rerum ſcientiam, quâ neque majus aliud, neque præſtabilius, non incitatis modo, quo ſolo obſtringi æternum poteram; ſed duxeris etiam, traxeriſque; ne ſic quidem innato tibi bene merendi ſtudio ſatisfactum ratus, niſi & ſimul informator fores. Quod quantum ſit, rem ex vero æſtimantes, etiam me tacente, nôrunt cuncti. Sincerum tuum in me meoſque affectum, & alia hujuſcemodi, quæ deteri prædicando nullus abnuerit, ne modum epiſtolæ exceſſiſſe, vel ſolum id egiſſe videar, libens & conſultò prætermitto. Ego ſaltem omnium, dum ſuperſtes fuero, recordabor; ſin, occaſionem nactus, officia eſſe mea aliquid judicâro: non negligam actu promptus eſſe, benefactaque benefactis reponere. Interea ſic me animatum credas velim: Filium Benedictum, Britannia jam decedentem mareque tranſmiſſurum ubi ad vos appulerit, ut complectaris foveaſque facile te exoratum iri confido, ſi cogitare tibi ſubierit, quam ipſi ſemper cultus fueris, quamque prolixè ei operam navare, cupereque jamdudum cœperis. Vellem is tuo conſortio longum frui, adeoque te Doctorem habere poſſet; ſed quia neceſſum eſt in patriam, ſeſquianno haud vitam, regrediatur, infelicem hac parte eſſe oportebit. Habes Laurentium, excitatæ indolis ingenique, quem doctrina affeciſſe, ubi honorificum, mihique & compluribus aliis futurum, eſt quam maximè jucundum. Adeo non veremur, ne ab materie devinciendi ulterius familiam noſtram deſtituaris. Quid mihi hac legatione præſtitum, quanquam memorare poſſem, tamen filio optime relaturo quævis, ſupervacuum videtur. Hoc ſaltem profiteri licebit; nihil omnium ſecus quam optaram eveniſſe. Jam in eo ſum, ut hinc diſcedam; Belgicis navibus, uti ſpero, transfretaturus. Deus te bono literarum, tuoque decori incolumen ſervet, & ſenectâ ætate, quam ſcio expetis, dignetur. Vale.

Kalendis Maji, CIƆ IƆCXXXV.

*Virtutum & Eruditionis tuæ admirator & cultor perpetuus,*

JO. SKYTTE, Senior.

## CCCXLIII.

### Petro Staeckmans,

In Coll. Gener. Ord. Deputato,

S. P.

*Argumentum ac ordinem totius operis Annalium Batavorum, quod filius Matthæus condat, concinnè perſcribit.*

ALiquid moleſtiæ mihi attulit, vir ampliſſime, quod tam avidè expectanti reditum tuum, occupationes inviderint hanc fœlicitatem: nam abſque his fuiſſet, ſcio, quæ humanitas tua, cùm urbem hanc tranſires, non expertem me ſiviſſes jucundiſſimi alloquii tui; ſiquidem, non ignoras, ut cibo corpus, ita animum ſermonibus ali, illis imprimis, qui promuntur, non ab uno è multis, ſed illo quem ſua virtus, ac doctrina, in ſublimi loco collocârunt. Benè interim quod publicis mihi occupationibus tuis ereptum, compenſâris literis longè humaniſſimis: in quibus videre, viſus ſum imaginem tui. Eò magis volupe foret ſatisfacere illi, quod poſtulas; ſed enim quos filius Matthæus, Bataviæ, Zelandiæque Annales condidit, nunc penes Typographum ſunt: qui jam editionem auſpicatus, inque iis promittit ſe paſſibus tantum progreſſurum, ut intra menſes duos, vel circiter, lucem videant, libri quinque priores, quibus ducentorum quidem annorum tempora, non ſuſè quidem, nec confuſe tamen perſtringit: accuratè verò perſequitur proximos trecentos, qui in anno definunt trecenteſimo poſt milleſimum. Priuſquam verò partem alteram publici juris faciat, decretum ei edere, quæ obſervata illi, de Batavorum libertate: Quæ ſanè ante Burgundorum, & Auſtrianorum, in has terras imperium, maxima ſemper fuit. Quod nec ſemper diſſimulant ſcriptores, ſatis Auſtriacis addicti. Longum eſſet omnes recenſere; ſed multorum inſtar, fuerit Pontus Heuterus Delphius, qui in ſecundo Burgundicorum non veritus ſit ſcribere, *Brabanti, Namurcenſes, ac Hannones Principibus ſuis in gratiam Comitis obtemperarunt. Leodienſes, Hollandi, ac Zelandi, minime; quantumvis Comes Albertus, omni ratione, Comiti Ludovico gratum facere ſtuderet. Precario enim fermè Regulis hujus temporis Liberis populis imperabant.* Pag. 36. Si dicendum quod res eſt, Vir ampliſſi-



pliſſi-

pliſſime, longè alia facies hujus Reipublicæ fuit, ſub Comitibus Hollandis, atque etiam Hannoniis, & Batavis: alia ſub Burgundis, & Auſtriacis, qui cum vellent, quod quo jure, quâ injuriâ, poſſent, libertatem pene omnem peſſum iverunt, partim dolo, partim vi. Nihil liquidius erit, ubi filii liber, ſuper hoc argumento, prodierit in lucem. Quod ſi ea, non dico, extremam manum accepiſſent, ſed non multa adeo, ſolum memoriæ ergo rudius, concepta intercurrerent, qualia qualia forent, jam nunc tranſmitterentur. Atque id coram etiam me dicere commemini. Porro opere eo, non ſolum Belgicæ, ſub Burgundis ſtatum expendit, ſed ab ipſis incunabulis ejus libertatem eſt probaturus. Vis, Vir ampliſſime, ut pictorum more, lineis quibuſdam, picturaque μονογράμμῳ, ac ut veteres dixêre, ſubleſtâ faſtigia carpam operis univerſi? Erit id quadripartitum. Primum quidem Bataviam, à Romanorum; deinde à Saxonum, Francorum, & Wiltorum ſervitute vindicabit. Tertius liber in eo totus verſabitur, ut ſocietatem inter Friſios Batavoſque initam probet, & quo pacto illi tandem communibus votis Principem elegerint. Poſtremus Ordinum Comitumque collatam poteſtatem habet; ubi imprimis oſtenduntur Principum artes, in obterendâ Belgarum libertate maximéque Burgundicæ domus & Auſtriacæ: & in illâ quidem Philippum Bonum occulte, Carolum Audacem palam; in hac ſimulando Carolum V, Philippum vi, Reipublicæ libertatem evertere conatus. Iſtis comprobandis prope et prora, & puppis, Leges, Privilegia, Statuta Ordinum Comitumque. Partim tamen etiam ad partes advocantur Meieri Annales Flandricæ, Haræi Brabantica, Flandrica Marckantii, Burgundica Heuteri, ejuſdemque Auſtriaca, Annales Hollandici, Belgicâ olim linguâ conſcripti, Trajectina Hedæ, & Friſica Ubbonis Emmii hiſtoria, atque alii nonnulli; ſed ſuper iſtis fuſius diſſeremus, ubi vel tibi Amſtelodami pauxillum hærendi, vel mihi Hagam excurrendi occaſio erit. Vale, Vir ampliſſime, diuque fœderatæ hujus Belgicæ bono, ſoſpes age, & incolumis.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xxxv,
iv Id. Majas.

*Ampliſſimo nomini tuo*
*addictiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CCCXLIV.

## Hugoni Grotio,

### Regni Sueciæ Legato.

*Gratulatur ei faſtigium Legati Suecorum regni. Sophompaneam cæteraque ejus ſacra poemata excudere typographum cœpiſſe. Concordiam Anglicanæ Eccleſiæ Epiſcopis à Catharis magis magiſque difficilem reddi; per calumniam ubique ſpargere Zelotas, Regem & Epiſcopos de reducendo cogitare Papiſmo refert. Vindicat Archiepiſcopi Cantuarienſis famam. Commendat Juſtum Rykwaert juvenem egregium. Pro honore dedicationis Sophompaneæ ejus gratias agit.*

DE honore legationis, quo longè eo digniſſimum Sueciæ te regnum extulit, ex animo gaudeo, eumque, & tibi tuiſque & Sueciæ univerſæ, atque adeo Chriſtiano orbi, fortunare cupio. Atque idem votum omnium, qui virtutem amant. Equidem ſemper rebus Suecicis optimè volui: nunc tamen impenſius id facio; quia video eam intelligere & æſtimare poſſe virtutes, laudeſque tuas. Optimè diu ſit Illuſtriſſimo Heroi Oxenſternio, cujus prudentia tam Sueciæ, quam tibi, conſultum nunc, & porro conſuletur, ſi in maximis expenſis, quas tanti honoris exigit faſtigium, malignius ſolvatur: ut aliqui amantes tui verentur (amor res eſt meticuloſa) ſi hinc Cæſar, inde Polonus oppugnent, nec Chriſtianiſſimo Regi res ſatis erit cordi; ſed hæc curabit ille, qui Regum corda habet in manu: & ea eſt ingenii tui ſagacitas, ut tempori ſcias omnibus providere. Ac propemodum metuo, ne iſta legens, fortaſſe rideas, tam anxiam ſolicitudinem eorum qui hic ſumus: præſertim cum à Voſſio proficiſcantur, qui ab animo ſuo potuit impetrare, ut tam ſero tantum tibi honorem gratularetur. Ut in me etiam conveniat, quod Ciceroni olim ajebat Auguſtus, Poſtremum accedere amicorum; ſed illi ambigua voce ludere viſum, quia ſimiliter Tullius, cum laudandum diceret Octavianum, tollendumque. Meus verò animus tam perſpectus tibi, ut ceſſationem iſtam nunquam ſis crediturus ab imminutione amoris provenire. Et verò cum multa variaque meum hoc officium ſint morata, nihil æquè tamen ac illud, quod de Sophompanea, ac cæteris poëmatis ſacris, certi aliquid reſpondendum putarem, ac de hebdomade in hebdomadem, à Blauwio rejiceret. Nihil æque mihi grave in talium genere fuit, quàm quod ſic eluderet, ut neutiquam ſatisfacere poſtulatis tuis poſſem. Bene interim, quod tandem ſe exſolvit, nec inelegantibus typis excudit, & ut emendate excuderetur, mecum providit: ſi quid tamen oculos fugerit, vel melius nunc occurrerit tibi, quàm prius, velim perſcribas, ut ſaltem editione ea, quæ minoribus typis ſequetur, corrigatur. Non dubium enim quin vicinus Janſonius, uti in opere tuo de Jure Belli fecit, ita hæc etiam poëmata minori forma divulgare cogitet. Huic malo non aliter occurrere Blauwius poſſet, quam typis itidem exiguis, ſed elegantioribus recudendo. Valdè hic animi hominum ſuſpenſi de claſſe quam Sereniſſimus Britanniæ Rex parat. Plerique metuunt, ne quia multimodis offendimus, in nos cudatur faba. Cæterum, quod ajunt, Regem, vel Proceres ad Papiſmum vergere (ita his quoque terris prædicant vulgo) id ab animis proficiſcitur exulceratis, nec quicquam probantibus, niſi quod Gallicis Eccleſiis conforme, hoc habent optimi & doctiſſimi quique Britanniæ, quod magni faciant Eccleſiam veterem, nec in dogmate ſolum libenter ſapiant cum primis ſeculis, ſed etiam ritus, qui tum obtinuere, lubentes ſequantur. Hac propter Cathari, qui id Papiſmum vocant, non deſinunt traducere ſic ſentientes, & ſimpliciores, quorum maximus numerus, magno zelo abalienare ab Regum optimo, & Epiſcoporum illis, quibus orbis Chriſtianus genuinæ antiquitatis reverentiores non habet. Quam noxium, ac periculoſum id Regno ſit, ſiquis non intelligit, ex Zelotis pleriſque in Batavia capere poſſit experimentum. Quare Rex ſtudet, ut qui fide conveniunt, ritibus etiam ſimiles ſint; ſed audio Puritanos Anglos dicere non debere Indigenis minorem eſſe in iſtis libertatem, quam exteris; Regem, intellecto hoc, egiſſe, ut Gallis etiam, ac Belgis nati, ſed in Britannia, ac Anglicè à pueris edocti, Anglicis ſe Eccleſiis jungerent, ut ita facilius Eccleſiæ iſtæ coaleſcerent. Hos propterea vehementer conqueſtos; Regique indicium factum, ut Britannia excedere cogitent. Dixiſſe ad illud Regem; puerorum eos ſimiles eſſe plorantium priuſquam vapulent. Nec videri Regem illos diutius urſurum, dummodo tandem pauſa fiat odioſè adeo traducendi Proceres optimos, & in contemptum adducendi præſentem Eccleſiæ Anglicanæ formam. Horreſcit animus referre, quibus maledictis, & mendaciis, Zelotæ (me etiam præſente, ne quid iis affingi potes) Antiſtites optimos, mihique notiſſimos proſciderint. Quanto hic tutius, tanto id quoque hic vehementius, & frequentius ſit. Quales cum in Angliam veniunt, indigenarum etiam animos magis turbant: ut iſta Zelotarum utriuſque gentis commercia concordiam Eccleſiæ Anglicanæ reddant difficiliorem. Quam falſum autem ſit quod Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum Cantuarienſem ajunt cogitare de Papatu reducendo, ſi non aliunde mihi ſatis conſtaret, vel inde conjecturam planiſſimam caperem, quod me tum per alios, tum literis etiam ſuis, hortari non deſinit, ut breviter Baronianos Annales refellam, Regique operam hanc noſtram dicem. Vix etiam ſemeſtre eſt, quod Sacellanus Regius, coram Rege, & Archiepiſcopo, in concione dixerit, eo

anno,

anno, ac menſe, ac propemodum die, centeſimum annum expirare, ex quo Henricus VIII. Papatum omnem ex Anglia penitus ejecerit: ac votum idem Sacellanus addebat, ut ne unquam, vel ſub Rege Carolo, vel prole ejus reduceretur. Quod apertis favoris indiciis Rex, & Archiepiſcopus mox approbarint, univerſa Eccleſia acclamante, *Amen.* De affine Junio multum gaudeo, quod tanti eum facias, ut operam ejus potiſſimum exoptes: ſcio quantum hoc ei incrementum in ſacris, & civilibus ſtudiis afferre poſſit. Sed qua conditione apud Illuſtriſſimum Arundelium vivat, dicere non habeo, uti nec illud, an ad certum annorum ſpatium, ſe familiæ illi obſtrinxerit. Exiſtimo me citius ſuper eo aliquid reſcripturum, quam exiſtimes. Eſt apud nos juvenis annorum XXVIII, nomine Juſtus Rykwaert, filius optimi doctiſſimique Theophili Rykwaert, Eccleſiaſtæ Remonſtrantium, & ante ſchiſma, & nunc quoque apud Britannos. Is Gallias cogitat, ſpe illa, quod nobilis alicujus liberis præfici honeſta conditione poſſit. Latinè non modo, ſed Græcè etiam doctiſſimus eſt, ac ea lingua verſus etiam edidit complures. Intelligo & moliri editionem Epigrammatum Græcorum, quæ fecit. Valdè ob hanc peritiam, æſtimari à Cunæo, & Heinſio ſolet; ut de aliis taceam. Non dubitarem eum tibi commendare, ſi mores mihi perſpectiores forent. Diſpares de eo Remonſtrantium ipſorum opiniones ſunt. Corvinus, & moderatiorum alii amant, ac à judicio, & probitate laudant. Alii culpant, tanquam non ſatis ſiccum. Excuſant amantes, eo quod nihil mirum in juvene ſit, ſi laſſus diurno labore (nam apud Wytinium, egregium mercatorem, & liberis ejus à ſtudiis fuit, & præfuit codici accepti, & expenſi) circa veſperum horula interdum cum amico frontem exporrigat: quod cum domi ſuæ facere non poſſit, in diverſorio fieri neceſſum eſſe. Raros Lugduni, etiam melioris notæ, aliter vivere. Quodammodo amaſſe etiam ex Catonis magis, quam B. Pauli præſcripto ajebat ei inimiciſſima ſecta Contraremonſtrans. Sed conſtanter id pernegant amiciores: vel ſaltem rident nugas, quod in ingenio optimo, ita minutatim omnia ad vivum reſecentur. Quorſum iſta, inquies, ad me tam multis? nempe ne quem tic commendem, ut non vera, falſaque ſcias. Tum autem, ut videas, an privatim etiam utilis eſſe poſſit. Credo, homo eſt, & adoleſcens, ſed excitato ingenio, & qui ſi volet, (ut velle puto) altius aſſurgere poſſit, quam vulgares animæ ſolent. Si forte ad te literæ per ipſum dandæ, non apertè omnia ſcribere liceat, quia experientia comperi, literas ab adoleſcentibus in ſuo negotio reſerari ſolere, priuſquam tradant. Et hæc cùm ſcribam, tamen amo juvenem ob dotes egregias. Tantum neſcio, in ambiguis illis, vel diſcrepantibus amicorum pariter ac inimicorum judiciis, quid credere debeam. Mei interim officii erat, nihil te celare. Jam nunc enim de eo compellari incipio, ut commendem tibi, non quo otatis ipſe opera ejus, (nihil enim illis de eo cogitationis) ſed ut, ſi poſſis, commendes alteri, quandoquidem hic exigua ſpes emergendi. Nec paternæ facultates illæ, ut ſucco ſuo vivere poſſit. Sophompaneæ XX exemplaria fratri tuo tradidit Blauwius, decem melioris, totidem vulgaris chartæ. Cætera ad te utriuſque chartæ mittit; ſed plura miſſis, ſi voles, à Bibliopola accipies. Nam ſi benè Blauwium novi, non is eſt, qui ad exemplaria paucula attendat. Ipſe ex duodecim exemplaribus, quæ mihi pro opera debet, in Angliam aliqua mittam: uti Junio Cataubono, aliis; ante omnes Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo. Quod tantus egregium animi fœtum nomini meo dicaris, & antea multum ſolatii attulit filium lugenti, & nunc magnitudinem beneficii hujus cogitanti, ſummam adfert voluptatem. Quare quod antea etiam feci, iterum, iterumque meo, & meorum nomine nunc facio; gratiaſque agimus, quas poſſumus, quis debere plurimum omnes profitemur. Mitto melioris chartæ exemplaria duo librorum de Arte Grammatica: unum tibi, vel filio potius; alterum ei cui voles, hoc eſt alicui non planè tetricum hoc, & quodammodo puerile ſtudium aſpernanti, ſeu is Rigaltius, ſeu Puteanus, ſeu alius erit. Si tertium, affectus teſtandi, cuiquam dandum putes, quamprimum mittam: vel à Bibliopola Pariſienſi, cui exemplaria Blauwius mittit, per famulorum aliquem petendum. Facile inter me & Blauwium conveniet. Miſerat fratrum Puteanorum alter ad Salmaſium literas Lugdunenſium, quibus ſocer meus Junius Heidelberga, in Lugdunenſium Academiam vocabatur; miſerat autem ut mihi darentur. Pro quo affectu ſummi viri, & per Salmaſium gratias egi, & nunc quoque id facio, & occaſionem opto grati animi comprobandi. Claudam eo literas haſce, quod filius Petrus, probitate vitæ, mihi, Corvino, & aliis ſatisfaciat, nec induſtriam, quandoquidem mediocris eſt, magnopere deſideremus. Ut ſic pergat, vel potius ſe vincat, fortaſſe etiam hortatus noſtri, ſed paterni præcipuè efficient. In me, quod curam ejus reſpiciat, non patiar aliquid requiri. Ego, uxor, liberi, te, Conjugem, & tuos plurimùm ſalutamus, Deumque rogamus, ut te, Illuſtriſſime Domine, Sueciæ, & orbis Chriſtiani bono, diutiſſimè incolumem conſervet.

Amſtelodami, CIↃIↃCXXXV, Idibus Majis.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

G. J. VOSSIUS.

---

CCCXLV.

*Clariſſimo*

## Gerardo Johanni Voſſio,

Salutem & Officia.

*Literas à Voſſio expetit, per quas Illuſt. in Polonia Comes Leſcinius, claris in Anglia viris, inclareſcere poſſit.*

IN votis quidem erat, Vir clariſſime, te ante abitum Illuſtriſſimi Comitis Leſcinii in Angliam, videre; verum quia partim promotione quæ hac die fiet, diſtractus, partim rebus itineri parandis, id facere nequeo, per haſce mihi tecum eſſe agendum exiſtimavi. Totum negotium in tuis literis verſatur, quibus inſtructi Angliam petere voluimus. Magnum te in illa inſula, collati à Regibus honores teſtantur, Illuſtriſſimo Comiti ſatis erit, ſi tuis ibidem amicis ſignificaveris, magnum literatorum æſtimatorem eum eſſe. Utramque Academiam videbimus, in utraque aliquot ſeptimanas conſumpturi. Te patario viri magni innoteſcent, quorum tamen & ego non paucos amicos habeo. Addere non oberit, ſi videbitur, Parentem ipſius unicum in Polonia Reformatæ Religionis patronum eſſe, prout Princeps Radzivilius in Lithuania, prudentiſſimum & literatiſſimum inter Palatinos haberi, & quod ad rem facere maxime videtur, in magno apud Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem favore, quem multis literis teſtatum fecit. Ipſius Comitis dotes ex aliorum forte relatione noſti. Sed quid ego multis in his te, Vir clariſſime, turbo: ſufficit petiiſſe, ut literas nobis ante diem Jovis vel Veneris ſubmittantur Lugdunum. Hoſpitium nobis eſt in Pappengraft apud Dominum de la Rue. De favore erga nos tuo nihil dubitamus, quem ut continuare erga me præſertim velis, obſervanter peto. Vale, Vir clariſſime.

T. C.

Lugduni 15. Maji ipſo die promotionis meæ in Medicinæ Doctorem.

*addictiſſimo,*

JOH. JONSTONO.

## CCCXLVI.

## Claudio Salmaſio,

S. P.

*Epiſtola familiaris, quâ ſimul offert de arte Grammatica commentarios ſuos.*

TAndem, maxime vir, ad te mitto, quæ, paucis exceptis, olim obſervavi in antiquis ac recentibus artis Grammaticæ ſcriptoribus. Gaudeo me equidem defunctum moleſtiſſimo labore in argumento adeo tetrico & in ſpeciem puerili. In quali me omnem deinceps quoque ætatem conſumere optent malevoli. Me vero ſolatur quod qualis qualis materies ſit, non inamœne vel incurioſe eam tractarim, modo formam operis cum priorum opera lubeat conferre. Et niſi pertæſum fuiſſet diuturnioris moræ in hujuſmodi, ut creditur, minutiis, longe pulchriora eſſent interſperſa. Sed Catone hoc nunc contenta ſit adoleſcentia, & quod eſt ſcholarum, quarum præfectis conſulere voluimus. Grotii eximii Sophompaneam credo, vel jam acceperis, vel pauciſſimis diebus accipies à fratre ejus Guilhelmo Grotio Hagenſi Juriſconſulto. Sin is ceſſarit, non committam ipſe ut diutius frauderis. Maximæ mihi voluptati fuit, quod intelligerem bonis omnibus laudatiſſimum virum non ab Illuſtriſſimo Oxenſternio modò ſed à Regno Suecico miſſum ad Regem Chriſtianiſſimum, ac ab eo & Regni proceribus honorifice adeo exceptum. Deus tantummodo faxit ut perpetuum gaudium gaudeamus. Quod erit, ſi Galliæ ſatis cordi erit Germaniæ ſtatus, & Deus conſilia Regis fortunarit. Ab affine Junio tandem literas accepi Kalendis Aprilis exaratas. Vellem tranſmiſiſſet, quæ petieramus. Verba ejus ex Epiſtolâ exſcribi juſſi, ut quid rei ſit, certius intelligas. Sed fortaſſe interea, vel Patricius Junius vel Seldenus promiſſis ſteterint. Si quid cognoro ex literis proximis, ſtatim perſcribam. Scire aveo quando ſperes commentarios tuos rei veſtiariæ poſſe Typographo tradi, item quid de Arnobio ſtatueris. Blauwius noſter poſt menſes duos auſpicabitur editionem operum omnium Meurſii quorum magna pars hactenus *ἀνέκδοτος*. Cætera meliora erunt vel auctiora. Salve plurimum à me, uxor ab uxore, imo uterque ſalvete à nobis omnibus, & una vobiſcum D. Elichmannus.

Amſtelodami,
cIↃ IↃc xxxv.
VIII. Kal. Jun.

*Tuus omni officio,*

G. J. Vossius.

## CCCXLVII.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Cretenſia ejus laudat. Suos de re Grammatica libros cum Sophompanea Grotii tranſmittit; quæ publice, quæ privatim nova acciderint, familiariter perſcribit.*

CRetenſia tua, optime maximeque Meurſi, accepi, mihi quidem perjucundum fuit videre, opus longe eruditiſſimum amiciſſimi viri multoque etiam gratius credo futurum Arlanderveniæ Domino. Nunc ab urbe abeſt: ſed ſimulac redierit faciam quod mei muneris eſt. Nunc habe meos de re Grammatica libros de quibus me aliquando, cum Collegæ eſſemus colloqui memini. Tandem lucem vident neſcio quo honore meo, ſcio adoleſcentiæ & ſcholarum bono. Addo & Sophompaneam maximi & tui amantiſſimi Hugonis Grotii. Quod eo facio lubentius, quia mihi operam hanc ſuam conſecravit. Certus ſum multum voluptatis tibi attuliſſe, quod homo Batavus ſuis ante neglectus, nullo merito ſuo, nunc Deo propitio ad illud faſtigii decus ſit evectus, ut Legatus ſit Regni Suecici ad Chriſtianiſſimum Regem, à quo etiam honorifice admodum eſt exceptus. Filiam juniorem magni ingenii Puellam amiſit ſimulac Lutetiam venit. Morbum ex hiberno itinere contraxerat. Audio nec alteram ſatis commode valere. Quis Reip. noſtræ ſtatus deinceps ſit futurus difficile eſt dicere. Fœdus initum cum Gallo, quod Deus utinam fortunet. Multorum enim metus, ne minus ſit ſalutare futurum his terris. Cauſas quid dicam? Non omnia literis committi poſſunt. Sane non dubium quin eo offenderimus Britannum. Quamquam de eo & aliæ offenſæ ſint cauſæ. Strenue rem geſſimus in Flandriâ, unde magna cum clade à Philippino propugnaculo rejectus Hiſpanus. Galli quoque ab eodem juxta Hujam inſignem victoriam reportarunt. Omnino Cardinali ut vocant Infanti infeliciter initia hæc procedunt. Sed an ut gaudendum nobis quod prælio ſuperior ſit Gallus, ita optandum ſit eundem bello vincere difficile dictu eſſet. Plane verendum ne tam potentis vicini aliquando pœniteat. Nam quid æque nobis adverſum Hiſpanum commodavit quam ejus longinquitas? Sed hæc curæ erunt numini ſupremo. Burgersdicius poſt longum morbum Lugduni exceſſit. Uti & aliquanto ante Socer ejus Verbomius. Etiam Heinſius uxorem amiſit, de quo, abſque dubio, jam aliunde intellexeris, & fortaſſe ex meipſo, nec enim ſatis memini: Nam annus & amplius multo eſt quod exceſſit. Salmaſius necdum Leidæ aliquid in lucem divulgavit: ſed meliori utitur valetudine quam antehac. Barlæi uxor graviter ægrotat, nec extra periculum eſt. Mea infirma ut ſolet, ſic tamen ut par videatur rei familiari. Honartius Senator & Conſul urbis noſtræ Bickerus, Legati in Poloniam miſſi, cum Friſio Senatore, qui Franekeræ quondam juris Profeſſor fuit. Nempe hoc fine ut diſpiciant num inter Suecum & Polonum pacis negotium tranſigi poſſit. Adrianus Pauwius Advocatus Hollandiæ & Legatus fœderatæ Belgicæ in Galliam hæret iſtic hactenus ſed invitus, quia ut ſcribit, negotium totum, cujus cauſa miſſus erat, confecit. Multum ſollicitat per literas ut redire liceat. Sed nihil hactenus efficere tot literis vel precibus potuit. Cauſam melius Illuſtriſſimus Princeps quam Procerum multi intelligat. Simon Beaumontius qui ante in Generalium Ordinum conſeſſu locum ſuum tuebatur, nunc Syndicus eſt urbis Roterdamenſis. Tamdiu ceſſarunt Roterodamenſes novum Syndicum in Hug. Grotii locum creare, quamdiu is operam ſuam extero Principi nondum addixiſſet. In cauſa eſt quod conditione iſtac Grotius Syndici munus hoc ſuſceperat, ut ne illi poſſent repudiare cum vellent. Itaque exiſtimat ſtipendium ſibi vetus deberi uſque dum Legatus à Sueciæ Regno conſtitutus. Et multorum ea opinio (ſi dicendum quod res eſt) plane hoc deberi, præſertim cum nihil egiſſe, niſi ex ſenatus præſcripto fateantur. Sed tempus abrumpendi tandem hanc ſcriptionem. Uxor uxorem, filia filiam, imo omnis familia mea omnem tuam ſalutat. Salutem etiam Cl. Viris Stephanio & Laurenbergio dicas.

Amſtelodami,
cIↃ IↃc xxxv.
VII Kal. Jun.
St. Nov.

## CCCXLVIII

## Axelio Oxenſternio,

Cancellario Regni Suecici,

S. P.

*Baronem Skytte favori ejus commendat, ut & ſuas de re Grammatica commentationes.*

AB diſceſſu tuo, Illuſtriſſime Dom. Cancellarie, plurimus inter urbis hujus Proceres ſermo fuit, de maximis virtutibus tuis; quibus præcipuè attribuunt omnes, quicquid poſt Sereniſſimi Regis exceſſum, pro libertate Germaniæ, fœliciter geſtum fuit. Ac licet priuſquam pedem in fœderata hac Belgica poſuiſſes, jam omnia laudibus tuis fœliciſſimè perſonarunt; tantum tamen abeſt, ut quod multis uſu venit, præſentia quicquam de iis detriverit, ut decus ejus multis partibus auxeris. Quod non ſcriberem, niſi Ampliſſimos Conſules, alioſque hujus, & aliarum urbium Proceres, uno id ore, dicentes, ipſe audiiſſem. Quodque præſens facilè animadvertiſti, id poſtmodo, uberius vidi, quam gratam rem feceris, & ipſis, & cunctis bonæ mentis amantibus, eximium illud beneficium conferendo, in Summum virum Hugonem Grotium: in quo neſcio plus ne amem eximiam pietatem, atque ut erectam, ita ſuaviſſimam indolem; an verò magis mirer divinum ingenium, & incomparabilem doctrinam. Non equidem diffiteor, ſupereſſe aliquos, qui aliud malint, ſed ferè, qui vel vehementer læſerint, vel metuant, ne tantus ſuis obſtruat luminibus. Hæc coram etiam me attingere commemini. Nunc ea, argumentum literarum eſſe volui, eunte ad te, Illuſtriſſime Domine, Generoſo Barone, Jo. Skytte juniore, juvene ob egregias animi dotes, mihi percaro, & quem, tanto majoris ſcio facies, quod Excellentiæ tuæ, ut alterius parentis, obſervantiſſimus ſit cultor. Pluraque de eo dicerem, niſi id putidius fortaſsè videretur, ipſo literas deferente. Ecquid etiam addam de opere noſtro Grammatico, quo cenſuram exerceo in veteres ac recentes ejus artis ſcriptores? Miſi hoc in Texeliam, & credo, jam acceperis. Non ſtultè adeo ſapio, ut exiſtimem, cum, ut cœlum Atlas dicitur ſufferre, ſic res Suecicas, & Germanicas, ſi non unus, at longè tamen præ cæteris ſuſtineas; illis ſepoſitis debere tantum Heroa pauxillum temporis puerili ſtudio impendere. Longè aliò ſpectavi. Nempe ut opus hoc à manu tanti literarum Patroni, tantique literatorum Mecænatis, facilius, & fœlicius deveniat ad eos, qui pueritiæ, & adoleſcentiæ ſtudiis in Suecia præſunt. Spero, cum aliquando omnia magis erunt liquida, ac ſerena, quæ ad regni ſalutem pertinent, hanc quoque, nec ipſis regibus indignam curam ſuſcipi à te poſſe, ut ne diutius tot ſupervacanea, tot falſa, vel incerta, prima illa, & optima ætas diſcere cogatur. Equidem hoc nomine, ſæpè non doctoribus minus ſuccenſeo, quàm diſcentium miſeret me. Paulò iſta familiarius ſcripſi, quam fortaſſe meæ ſortis homini, ad tantum Heroa conveniret. Sed divina, quam præſens comperi, in tanto faſtigio humanitas aliquanto me audaciorem fecit. De publicis nihil addo, quæ ſpero ex aliis, & in his à Blomartio noſtro cognoſces.

Deum Opt. Max. oro, ut prudentiæ ac fortitudinis ſpiritu, porro excellens nomen tuum ornet, Sueciæ, Germaniæque, ac noſtræ etiam Belgicæ, bono publico.

Amſtel. cIↄ Iↄc xxxv. Prid. Id. Jun. Feſtinantius aliquantò quam vellem, ſed properatus Domini Baronis abitus ita cogebat.

*Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi nominis tui cultor æternum devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CCCXLIX.

*Clariſſimo Viro*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Eloquentiæ Profeſſori digniſſimo.

*Opus ejus Grammaticum cedro dignum judicat, Lexicon etiam Etymologicum nimiopere expetit. Lexicon Martinii emendatum & auctum quo excudatur, operam ipſius orphanorum nomine, implorat. Calixti Theologiam Moralem cum digreſſione de arte nova Nihuſii commendat, virum ipſum pereruditum æquum modeſtum, candidum paciſque Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimum prædicans. Conatum ſuum in edendis Theologicis, quæ Polyander & Heinſius epigrammatis jam condecoraſſent, Voſſiano etiam calculo approbari cupit.*

NOn tam gratus eſt ros cœleſtis hortulo meo, atque mihi ſunt literæ tuæ, vir excellentiſſime, amice ſumme, quas ex longo intervallo, abs te cupidiſſime accepi; plenas doctrinæ, & bonæ mentis, in qua radiat pietas, & candor. Neque ego, neque Collegæ mei redhoſtimentum norunt, beneficentiæ tuæ exercitæ in eos quos commendavimus. Utinam tandem aliquando, inveniamus, aut ſaltem illi, qui jam ſe vobis totos debent, Heilerſigius, & Gronovius noſter, juvenes ambo bonæ ſpei. Vidimus hiſce diebus, commentarios tuos de re Grammatica editos, opus rarum & immenſi laboris dignum quod in cedro ſcribatur; & ex Cabeliavio viro elegantis ingenii, accepimus, nunc quoque ſub prælo eſſe Lexicon Etymologicum, quod jam tempore Synodi Dordrechtanæ meditabaris: cui operi ex animo favemus, idque nimiopere expetimus. Martinius noſter, ὁ μακαρίτης, Lexicon ſuum ante obitum, nonnihil emendavit, & auxit, in ſpem editionis ſecundæ. Filiæ ipſius ſuperſtites, plurima te ſalute impertiunt, & pro amicitia, quam pater defunctus tecum coluit, conſilium abs te petunt. Nollent enim ſibi laborem patris perire, inter tineas, & blattas, ſiquidem cum Typographo, honeſtis & æquis conditionibus tranſigi poſſet. Germania noſtra continuis bellis attrita, è proximo nullam ſpem facit iterandæ editionis, quòd Typographi plerique ad incitas redacti, hæredibus Martinii, vix præmium laboris promittunt. Si apud Amſtelodamenſes Janſonios, aut alios florentiores Typographos, aliquid foret ſperabile, tuam cum primis opem, fiducia paternæ amicitiæ implorarent. Vide, vir maxime, quam audacter, abutuntur benignitate tua, quod ne mihi vertas vitio, amanter peto. Malui enim in hanc partem peccare, mihique notam inurere, quam orphanis tanti viri, qualicunque hoc officio deeſſe. Edo nunc S. Theologiæ libros quatuor auditoribus meis, ante annos aliquot dictatos, ut deinceps ſcriptionis tantæ ſuperſedeant, rudes quidem illos, at ſuaſu amicorum, deſtinatos in uſus tyronum. Profuerunt mihi Theſes tuæ Theologicæ, & Hiſtoricæ, quas creberrimè laudo, & hiſtoria Pelagiana, ad cujus inſtar vellem omnes partes Theologiæ noſtræ, ab ultima antiquitate, ad ætatem noſtram, ſcitè prudenterque repetitas. Quod quidem opus à nemine, quam abs te, vir maxime, rectius elaborari poſſet. In Academia Julia vivit D. Georgius Calixtus, vir, in parte quidem Lutheranorum; ſed pereruditus, æquus, modeſtus, & candidus, qui edita nuper parte Theologiæ moralis, cum digreſſione de arte nova Nihuſii, Veronii, aliorumque Pontificiorum, mihi ſalivam movit, & ſpem injecit reparandæ doctrinæ, altercationibus ultimi ſeculi nimis labefactatæ, & implicatæ: ſi modò plures, cum bono Deo, in hanc rem conſpirarent. Evolvit is ferè omnem antiquitatem ſacram, adhibito lumine analytico, quò dialecticæ, & ſophiſticæ diſputationes, à neceſſariis vinculis etiam certis, ſapienter diſſipantur: quarum confuſio luminibus cœleſtis veri hactenus obſtruxit. Ob-

ſtant quidem non pauci nycticoraces, qui ferale carmen dicere, bonorumque ſtudia traducere non deſinunt: ſed & horum crocitationes Deus facilè compeſcet, & in columbinos gemitus vertet. D. Polyander, & D. Heinſius, Epigrammatis ſuis opuſculum meum condecorarunt. Si ſinerunt occupationes, ego, quæ non inverecundius forte peto, ſtudium conatumque meum calculo tuo approbari velim. Intra menſem proximum imponam, Deo dante, colophonem. Quartum Alphabetum jam typis exſcribitur. Primus liber agit, de naturâ, & conſtitutione ſacræ Theologiæ, ubi de illius principio, ſcriptura ſacra: alter de ſummo hominis bono, & ultimo fine, æterna beatitudine, ubi definiuntur quædam hypotheſes, de animæ immortalitate, de ſtatu illius ſeparatæ, de reſurrectione carnis, de fine mundi, deque ultimo judicio. Tertius de ſubjecto nempe homine, quatenus civis Dei, capax illius regni, & æternæ ſalutis; ubi de illius ortu, & ſtatibus, adeoque de Deo, de creatione, de hominis lapſu. Quartus de principiis æternæ ſalutis, nempe gratia paternæ miſerationis, fraternæ redemptionis, & ſupernæ, ſanctæque vocationis; deque mediis quibus æterna ſalus obtinetur, externis, Verbo Dei, Sacramentis, Miniſterioque ſacro: interno, nempe fide ejuſdemque conſequentibus, unione cum Deo, juſtificatione, ſanctificatione, bonisque operibus, horumque ſtatu, Libertate Chriſtiana, & Exercitio, Chriſtiana Militia, & precatione; cujus fructus, eſt pax conſcientiæ, quæ eſt vitæ æternæ initium. Hæc eſt Theologiæ meæ σκελετός. Si intellexero, piis, & doctis non diſplicere, quintum & alios edam, quibus deſcribo ſacræ Theologiæ partem propriam, quæ continet officia Chriſtiana, tum hieratica, tum politica, tum ſcholaſtica, tum denique œconomica. Vides quam familiariter tecum agam, amicorum ocelliſſime, & pro candore tuo facilè agnoſcis. Abrumpo, & hemiolum reſponſum expecto. Bene vale, Vir doctiſſime, & ſalve, cum charitatibus tuis à me meiſque æternum.

Dat. Bremæ, æræ nobis uſitatæ cIↄ Iↄc xxxv. Prid. Cal. Julias.

*Qui virtutes, doctrinam,*

*& in Remp. Literariam,*

*Merita tua æſtimat*

*Teque colit*

LUDOV. CROCIUS.

D. Bergius, & D. Willius, plurima te ſalute viciſſim impertiunt, atque diu bene agere, & gaudere jubent, viri tui juxta mecum amantiſſimi.

---

CCCL.

## Hugoni Grotio,

S. P.

*Affini Junio quæ obſtent, quò minùs operam ſuam ei dicare queat, exponit, aliumque denominat. Negotium Arlandervenia Domini, de obtinendo per Grotium Equeſtri in Galliis dignitate, urget. Filio Petro Grotio profectionem in Indiam nullis rationibus perſuaderi poſſe; propoſitum ipſi eſſe, Sophompaneam Belgicis reddere rhythmis, quod idem alii attentent. Galilæus de Galilæis ut Amſtelodami vivat, operam dari: Leonis Allatii de Pſellis eruditum ſcriptum laudat.*

QUo tempore, Illuſtriſſime Domine, literæ meæ affini Junio reddebantur, jam itineri cum Dom. Comite accinctus, vix pauca ad me unum potuit exarare. Profitetur multum ſe tibi debere pro tanto affectu, nec ſi ante annos aliquos, ea conditio eſſet oblata, alteram fuiſſe prælaturam. Nunc ita ſe Arundelianæ domui obſtrictum, ut bona cum gratia nequeat diſcedere. Præterea jam iſti ſe vitæ generi adſueviſſe: fore etiam ut interrumpatur utile propoſitum, de Picturis veterum, ſepulcriſque explicandis: quod in gratiam Sereniſſimi Regis, & Illuſtriſſimi Comitis ſui jamdiu ſuſcepit. Jam tres ad me libros tranſmiſit, eruditos ſanè, plurimæque lectionis; quos Blauwius noſter edere cogitat. Sequentur poſtea alii, non tam de arte, quam de artificibus ipſis. Credo pictorum, ſculptorumque illuſtrium, ab omni ævo indicem velle texere: ſed eum ad modum, quo actum mihi de Hiſtoricis Græcis, ac Latinis, Giraldo de Poëtis. In hoc opere adhuc diſtinetur. Vellem filius tibi, aut gener, vel cognatione junctus aliquis, tam pulchra in opera poſſet commodare: Quomodo Hægæ Ill. Camerarius generum à ſecretis habet. Sed ejus, qualem depoſcis, non paulò latiùs ſe cura diffunderet, quia non Regni ſolum Suecici negotia, vel etiam privata, reſpicis; ſed etiam quomodo ſtudiis, ſacris pariter humaniſque, quam optimè merearis de orbe Chriſtiano atque erudito. Sed dum idoneus tibi ad iſta quæritur, fortaſſis non aſpernanda ſit opera Rykwaertii, de quo ſuperioribus literis ſcribebam. Sagaci ingenio eſt, ac Latinis, Græciſque literis inſtructus. Ætas etiam quæ judicium adferat: namque duodetrigeſimum exceſſit. Conſiderem ſi ſub tuis agat oculis, remiſſiorum de vitæ genere laxiori paulo, quam ædibus tuis conveniret. Sed ſuper eo cum nemine hic loqui volui. Solum à Corvino, & aliis depoſcitur, ut ne eum in Gallias ire patiar, ſine commendatitiis ad te meis. In quo me amico homini difficilem non præſtabo. Utcunque enim fortaſſe aliquid ſit, quod in hoc juvene culpari mereatur, ſi tamen is eſſe deinceps volet, quam ſperamus; magnum ſibi, & pulchrum nomen parare poſſit. Neſcio an ſuperioribus ad te literis ſcripſerim, de Ampliſſimo Guilhelmo Noomſio Arlandervenæ Domino, perſiſtere eum in propoſito, de acquirenda in Galliis Equeſtri dignitate. Jam ante annos aliquos, priuſquam in Patriam redires, egi de eo tecum per literas. Nunc poſcit, ut negotium hoc, iterum commendem. Malle tibi, quam alteri ſe debere. De pretio memini jam annis ſuperioribus, dediſſe alteri in mandatis, ne quid moram adferret. Forte erit, quod paulo averſiorem te, vel uxorem reddiderit. Scio, quid dicatur. Sed mihi Hiſtoria omnis notior, quam alteri: quippe qui utrimque utilem ſanando malo operam navarim. Sed parum tutum eſt omnia literis committere. Solum dixero, multis partibus minus in hoc culpæ eſſe, quam aliquis rei geſtæ totius neſcius exiſtimaret. Sed de iſto ſatis. Tu, ſcio, & illi, & familiæ tui amantiſſimæ, hanc operam non denegabis. De filii tui Petri Grotii animo, ſuper profectione in Indias, jam diu mihi conſtitit, ex literis meis, & iis apud quos habitat. Ante ſeſquiannum quidem non abhorrebat; eoque diligentius ſtudiis operam dabat, quæ ad illud vitæ genus conducunt. Nutare autem viſus, ex quo hic ſparſa quædam, de meliori forte, quæ familiam maneret. Ubi autem certus nuntius de ſumma retulit dignitate tua, planè cogitationem iſtam abjicere viſus eſt. Nec leviter eum firmavit, quod cum in urbe hac Illuſtriſſimus Dominus Cancellarius pedem poſuiſſet, benigno admodum ſermone ſit exceptus; in tantum ut quo magis ad ſtudia, virtutemque accenderet, ſponte filio promiſerit, velle ſe cogitationem quoque ſuſcipere ejus promovendi. Volui & ipſe filii tui animum tentare, atque adeo, ſi non prorſus eſſet alienus, magis ad iter accendere. Sed fruſtra me fore ſtatim perſpexi, & jam dudum ſeſe ajebat, ad parentem perſcripſiſſe. Imo ſi candide me velis ſcribere, quod cenſeo, (velle te ſcio) prope omnium qui hic ſumus, judicium eſt, ſi nimium à matre, vel maternis amicis urgeatur, ſic interpretaturum, quaſi ob corporis vitium minoris cenſeatur, longéque relegetur ad Garamantas, vel Indos. Novi ego commodo filii maximè ſtuderi. Sed non hoc ætas ſtatim capit: nec deſunt, qui ubi intelligunt parentum propoſitum, longe aliter apud eum interpretentur; præſertim ex adoleſcentibus. Scis

moribus

moribus Batavis ſatis eſſe inſolens, ut quis eo mittatur, niſi qui minus ſe vita probet. In tuo negant quicquam requiri, quod præſtare ipſe poſſit. Inviſit hac hebdomade me Realius, is qui præfuit noſtris in India. Cumque de filio tuo mentio incidiſſet, dubitare ſe multum ajebat, annon eadem quæ hic, magis etiam obſtare filio in Indiis poſſent, quà itinerum mari terraque difficultatem ſpectemus, quà authoritatem apud inconditos illos homines, vix homines. Spero jam ante menſem, & amplius, acceperis Sophompaneam, uti & opus noſtrum Grammaticum. Intelligo hic ex Amſtelodamenſibus noſtris eſſe, qui ignari idem eſſe propoſitum filio tuo Petro, toti ſunt in Sophompanea, Belgicis rhythmis reddendo. Ita mihi retulit Moſtardus Reip. huic a ſecretis. Realio, quem his diebus adfuiſſe dixi, valdè commendavi negotium Galilæi de Galilæis. Nec facilè dixerim, quantoperè optet, ut non alibi pedem figat. Ajebat ſe manibus pedibuſque operam daturum: Et idem ut agerem volebat. Tamen de ſucceſſu nihil audebat ſpondere. Hortenſius mirè exoptat hoc ipſum atque unà ſenior Blauwius, ut alios taceam. Facilius eſſet negotium, niſi tam multi ex iis, qui clavum tenent, pecunias majoris facerent, quam doctrinam, & urbis gloriam. Quod ipſum mihi etiam viſus ſum cognoſcere, ex Conſulis Flaminii relatu. Nam & cum conveni: nec deero deinceps aliis compellandis, qui aliquid, & poſſint, & velint. Leonis Allatii de Pſellis, & eorum ſcriptis diatribam vidi, & legi, & doctrinam viri æſtimo, ac jam locutus ſum cum Blauwio ſeniore, de ejus ſcriptis hic divulgandis. Nec abnuit: ſed exſpectat reditum filii Juriſconſulti, qui jam duos propè menſes Goudæ eſt, cum uxore. Abſque ejus amoribus fuiſſet, non Sophompaneas tuas, tam ipſum fuiſſet negotium, ut eo tardius ſcriberem, quia alieno me nomine puderet. Nihil in Blauwiis ita diſplicet, quam quod tam multa recipiant in ſe, & adeo tarde promiſſa exſolvant. Corvino cujus menſa fruitur filius, ſi vel tribus verbis reſponderis, vel ſaltem literis meis ſalutem adſcripſeris, ut oſtendere valeam, de affectu veteri, nihil deceſſiſſe ex eo, quod filium tuum juris ſcientia imbuere ſtuduerit, rem facies, & illi, & conjugi ejus pergratam. Facilè omnes ſuſpicioni indulgemus. Mihi quidem nec ſeritur, nec metitur. Sed ſcis quid velim. Et facilè vides, ſic vel hoc, vel illud agendum, ut ſponte iſtud à te profectum eſſe videatur. Alia quoque veniunt in mentem, ſed tertiam cum paginam impleverim, cætera literis alteris reſervo. Deus Opt. Max. te, Illuſtriſſime Domine, cum familia tota, diu Chriſtiani orbis bono, & Reip. literariæ conſervet.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ C XXXV,
Kal. Quintil.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

G. J. Vossius.

## CCCLI.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Petrus Cunæus,

S. D.

*Pro eruditiſſimis de Grammatica arte libris gratias agit. De particula citra recto uſu conſulit.*

*Vir Clariſſime,*

ANte paucos dies, cum me D. Barlæus, cognatus meus, invitaſſet, conſtitueram ad vos excurrere, ac tibi gratias coram agere, pro libris tuis de arte Grammatica, quos ex munere tuo accepi: cæterum mox caſus aliquis inopinatus me hic detinuit, fecitque, ut per literas, præſtare cogat hoc quidquid eſt officii. Utique ſi, quiſquis grate munus accepit, jam gratiam retulit, exiguum eſt, quod aut ego debeam tibi amplius, aut tu à me deſideres. Etenim nihil quidquam mihi, à multo jam tempore, accidit jucundius. Sed quia longè ſatius eſt, re, quam verbis, aut ſola mente rependere officia, angit cruciatque me, inertiæ meæ conſcientia, quod in publicos uſus nihil evulgem; neque ſit unde par pari dare hoſtimentum tibi queam. Ego dum opus illud hic illic inſpicio, plurima reperio, quæ majoris operæ, curæque ſublimioris ſint, quam promittit Titulus. Quod autem Ariſtarchum, noluiſſe te inſcribere ais, in eo *εἰρωνείαν* tuam agnoſco. Certe primum librum ſine intermiſſione perlegi, cum ſumma admiratione, & percurram evolvamque ſæpius. Adeo ubique ingens ubertas, lectiſſimarum obſervationum, & reconditæ cujuſdam doctrinæ illic eſt. Ex cæteris quos ordine perlegere nondum potui, illud tamen ſummatim didici, haud ſatis me Latine ſcire, multaque eſſe, quæ male dudum percepi. Quæſivi in his ſolicitè, an aliquid de recto uſu particulæ, *citra*, traditum extaret, ſed non inveni. Pertinet autem ea inveſtigatio, ad Juriſconſultorum controverſiam, quæ oritur ex verbis Diocletiani, & Maximiani in L. *Tranſigere* 18. Codic. de tranſactionibus. Quippe Cujacius lib. 6. obſervat. cap. 11. & lib. 19. cap. 39. Item Goveanus lib. 1. Variarum Lectionum, cap. 30. atque alii plures, ſtatuunt voce ea, exceptionem ſignificari, ut de nullis criminibus publicis, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere liceat, præterquam de falſi crimine. Briſſonius autem lib. 3. de verborum ſignificat. in voce *citra*, & in lib. ſingulari, ad L. Jul. de Adulter. & Rævardus lib. 4. Var. Lect. cap. 6. Omnino negant idoneos Scriptores Latinos, ea voce ſic uſos unquam fuiſſe, idque paſſim ex legibus etiam noſtris, atque ex aliis conſtitutionibus ipſius Diocletiani, & Maximiani, quæ ſunt in eodem codice, oſtendunt. Quare vocem eam pro *ſine* accipiunt, ut ex ipſa illa lege nemo de criminibus, quæ ſanguinis pœna carent, tranſigere poſſit, quin ex tranſactione illa, in crimen falſi incidat, planè & ſine falſi crimine tranſigi de his nequeat. Diſceptatio hæc omnis ex uſu ejus vocis pendet. Et certè, niſi ex norma Latini ſermonis vox *citra*, exceptionem, quandoque denotet, & pro, *præterquam*, accipi poſſit, falſa eſt Cujacii & Goveani opinio. Nam exemplum quod ex L. *unica*. Cap. de re uxor. Act. §. *accedit*. 13. circa finem adfertur, non multum ad rem facit, cum is locus extet in noviſſimis conſtitutionibus Juſtiniani, qui ex ſeculi vitio, ſæpè loquitur barbarè, nec illam ſecutus eſt Latinæ linguæ puritatem, quæ ſuperfecit adhuc Diocletiani, & Maximiani tempore. Si propediem ad vos venero, cupio ex te intelligere, quid ſentias, Vir Clariſſime, quem Latinitatis habeo Authorem optimum certiſſimumque. Vale, & uxorem tuam, liberoſque ſaluta.

Lugd. Bat. VI.
Julii 1635.

## CCCLII.

*Illuſtriſſimo Viro*

## Hugoni Grotio, Gerardus Voſſius,

S. P.

*Rykwaertum Juvenem denuò illi de meliori commendat.*

ANte dies paucos acceſſit me Optimus, & Doctiſſimus vir Theophilus Rykwaert, partim, ut de more viſeret, partim etiam rogatum ut aliquid ad te literularum, in gratiam filii ſui Juſti, qui has ad te defert, exarare vellem. Facio vero id, ac lubens, præſertim quando idem è me poſcunt Barlæus, Corvinus, Haſius, quem jam ante annos viginti, ex Egliſſemiano certamine cognitum tibi arbi-

arbitror. Eſt Juſtus hic juvenis, ingenio valens, ac eruditus, quemque tres iſti, quos proximè dixi, etiam à vita & moribus mihi commendant, & adverſus obtrectatores, quibus nunquam humana caret vita, magno affectu tueantur. Laudat quoque hac parte filius meus Matthæus, cui non ita magna, aliqua tamen cum eo familiaritas fuit: uti & filio tuo Petro, occaſione ea quod uterque juris ſcientia à Corvino imbueretur. Sanè digniſſimum arbitror, cujus ratio habeatur, ſive ejus opera utilis tibi eſſe potuerit, ſive alium iſtic notis, cujus liberis erudiendis præfici poſſit. Volupe fuit ex Lomelio, Pavoni à ſecretis, nudiuſtertius cognoſcere de valetudine tua tuorumque, præſertim poſt vulnus nuper familiæ inflictum tuæ, quod primo animum valde perculit, ut omnium tui amantium, ita maximè Petri tui, ſic ut aliquot diebus, nunc cibo abſtineret, nunc vix tangeret: mentionem verò cariſſimæ Mariæ etiam poſtea non niſi lacrymans audiret. Omnino amore magno hi duo ſe mutuo complectebantur. Advocando, & alloquio, deterſimus mœrorem, ut potuimus, memores quæ nobis præſtitiſſes literis non unis, nec ſolis, ſed Sophompanea comitans, in maximo luctu noſtro. Sed dicere etiam non poſſim, quantum ſolatii attulerint filio tuo, quas literas ſcripſeras ad parentem, fortes profectò: partem enim earum à ſe exſcriptam, mihi quoque filius oſtendit. Hactenus filius tuus uſus Corvini convictu; ſed conqueritur hoſpes ejus, ſe anguſtius habitare, alia etiam prætendit, præſertim de valetudine majoris filiæ. Si ibi minus bene poſſit, ut alius in ædibus benè filio ſit, à Patruo curabitur, ac lubens in ſocietatem hujus curæ veniam. Bina operis noſtri Grammatici exemplaria, jam diu ſpero acceperis, uti & à Blauwio Sophompaneam, & geminas exinde à nobis literas, quibus inter alia de Junio noſtro, Galilæo de Galilæis, & Leone Allatio, reſpondi: de duobus his plenius aliquid, brevi ut ſpero ſcripturus. De publicis rebus nihil addo, quia non dubito, quin aliunde, melius certiuſque ea intelligas. Salutant te plurimum uxor, ac liberi, ac mecum etiam Heroinam conjugem, ac familiam univerſam.

Amſtelodami, xvi. Kal.
Sextil. Anni cIↃ IↃ cxxxv.

## CCCLIII.

## Juſto Cæciliano Puteano, Eryċii F.

**S. P.**

*Medicæâ Hiſtoriâ valdè ſe, ait, capi, reciprocum munus mittit Hiſtoricum. Tenenſium cladem dolet. Epigrammate parentis, ut & anonymi non parùm fuiſſe recreatum profitetur.*

MAgnæ voluptati mihi filioque eſt, ſemperque erit, recordatio tui, Ampliſſime Doctiſſimeque Puteane; uxori item, filiæque meæ, non minus jucunda eſt memoria ſuaviſſimæ & cordatiſſimæ ſororis tuæ, in quam, ſi ita fas loqui, Dii ſinguli videntur contuliſſe quod pulcherrimum haberent. Utinam vero, ſic res veſtræ tuliſſent, ut utriuſque præſentia diutius frui licuiſſet. Gaudeo interea quod Parentes, & omnes veſtros repertis ſalvos. Scis quam me, & meos, cura hæc coxerit, quandocunque pericula cogitaremus, quæ nunc læti evaſiſtis. Medicæa Hiſtoria valdè capior, tum doni cauſâ, tum argumenti & ſcriptoris. Dignus ſanè fœtus Parente tuo, ſuoque, nec Medicæis ſolùm Heroibus gratus, ſed orbi univerſo. Nec venio ἄδωρος· qui ἀντίδωρον mitto, impar magis authore; quam diſſimile argumento. Hiſtoriam pro hiſtoria, ſed Voſſianam pro Puteana. Spero tamen non diſplicituram, vel propter Batavos veteres, quorum virtutem hi noſtri æmulentur velim. Et faciunt profectò, utcumque hujus anni geſta placere non poſſint. Sanè Tenenſium cladem dolemus. Crudelitatem in urbe exercitam, non Brabanti magis deteſtantur, quam Batavi. Utinam Præfectus urbis tempori impotentes Gallorum mores cogitaſſet. Nec tamen iſtud ſatis, vel Gallos excuſat, vel ſi qui è Belgis Fœderatis, fœdum exemplum ſint ſecuti. Scio quàm Deus talia ſoleat vindicare. Unde ſtatuere potes, quid de edito Epigrammate Parentis tui cenſeam Imperatori tamen noſtro, qui furorem militum ſiſtere non potuit, optimè & volo, & velle ſemper debeo, tum ipſius cauſâ, tum quia in eadem navi navigo. Alterius Epigrammatis, quis Author ſit, non adſcripſeras. Sed quiſquis ille, & venuſtate ſua, & novitate rei, quam refert, me delectavit. Salutem plurimam ſummo Parenti tuo dicito, meo nomine. Etiam te, ſororemque ſalute impertiunt omnes mei.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ cxxxv.
xi Kal. Aug.

*Tua univerſæ familiæ amicus ſummus,*

G. J. Vossius.

## CCCLIV.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Gratias agit pro cumulatis in ſe & filium beneficiis, quem nunc quidem in Indiam dimiſerit. Scipionis Gentilis filium benevolentiæ ejus commendat. Sophompaneam Grotii nomini ſuo inſcriptam dono offert.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſ.*

QUanto plura majoraque eſſe negotia tua omnes agnoſcimus, tanto majori me gaudio implevit conſpectus literarum tuarum, quibus humaniſſime, ac pro occupationum mole, qua premeris & tantum non opprimeris, ubertim etiam, ac ſingulis quidem Epiſtolis meis reſpondes: unis exceptis, quas famulitii incuria intercidiſſe prædicant mihi illi ipſi quibus dederam; Sunt ii Barones Skyttii, liberi Illuſtriſſimi Legati Suecici, quorum unus ante ſexennium, duo ſuperioribus menſibus à Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege Equeſtri dignitate ornati ſunt. Sed ſi deperdita Epiſtola noſtra, bene eſt quod nihil continuerit, niſi quæ ab omnibus legi poſſent. Ex ornatiſſimi Dellii, qui dignitati tuæ Illuſtriſſimæ à Secretis, literis intelligo, opus noſtrum Grammaticum tam felix fuiſſe, ut de manu tanta in tanti Principis manum traderetur: quod ſine dubio grati animi teſtificationem noſtram gratiorem reddidit in tot Regnorum ſpem creſcendi. Præterea ex Epiſtola Clariſſimi Richardi Sterne certior factus ſum, ut inter graviſſima Eccleſiæ, Regnique negotia, res Cantabrigienſes homulli, filii dico mei, curæ tibi ſerio fuerit, & quantum hoc mihi commodarit. Quid aliud faciam, quam ut quas poſſum gratias agam ingenuèque agnoſcam in me immerentem tot indies pene beneficia cura tua paterna conferri, ut poſt Deum immortalem plus debeam nemini. Tanto juſtius ſic cuncta mea ſtudia compono, ut imprimis ſic de merito probentur. Ac hoc tempore quidem bonam ſibi partem ejus vindicat Chronologia ſacra, in qua dicere vix poſſum quantopere à ſummis etiam viris ſit aberratum. Operæ ejus non multum adeo reſtat: quam deinde alia conſequentur. Filius Joannes Indias petiit, Advocati Fiſcalis dignitate ornatus. Spero te hoc munere dignum, dignum etiam familiâ geret. Non alia facilior ratio eſt rem faciendi honeſtè: ſed ſub terris vix alia quoque corporibus umbræ adſuetus periculi plenior. Domino confidam, cujus eſt terra & plenitudo ejus. Si ſciſſet filius uti affectu Illuſtriſſimi nominis tui, & tot Magnæ Britanniæ bonis; longè melius conſuluiſſet ſibi, & minus damni familiæ dediſſet. Sed ſi frugi porro erit, facile vetera iſta condonabuntur. Huc uſque literas perduxeram, nec ultra ſcribendo avocare fas puta-

Digitized by Google

putabam, cum ad me veniunt homines honeſtiſſimi; unus etiam, ut opibus florentiſſimus, ſic literis ornatiſſimus. Hi mecum ſermonem ſerere hujuſcemodi: Noſſemne Scipionem Gentilem Norimbergenſis Reip. apud Altorfinos ante aliquot annos Profeſſorem Juris: noſſemne item fratrem ejus Albericum Gentilem, qui Oxonii Profeſſor fuit, filium etiam in Collegio Joannis ibidem habuit. Annui, meque ſedulo ſcripta utriuſque legiſſe dixi, nec ſine fructu. Illi tum ſubjicere, eſſe quiddam, quod me poſtularent pro Scipionis filio; nempe ſcire me quæ facies eſſet Palatinatus patriæ meæ. Hic Scipionis viduam ingentia à Cæſaris damna perpeſſam, itaque quæ filiam præterea haberet, non eſſe idoneam filio in ſtudiis porro educando. Optare ſe ut in Angliæ Collegio aliquo apud Cantabrigienſes, vel Oxonienſes, ubi patruus fuiſſet Profeſſor, vivere daretur. Adoleſcentem eſſe boni ingenii, indolis optimæ, & eos in ſtudiis progreſſus feciſſe, ut Scholas Claſſicas, quas triviales vocant, emenſus, jam aptus publicis Academiæ auditionibus videatur. Obnixè igitur rogarunt, ut hoc votum ſuum ad te, Illuſtriſſime Domine, perſcribere, & negotium verbis tribus commendare velim. Dixi non audere me toties literis in ea rerum mole diſtento obſtrepere. Sed cum mirificè urgerent, modeſtiæ meæ non fuit diutius adverſari in re tam honeſta. Pulchrum ac prope divinum eſt benefacere afflictis, præſertim qui opem poſtulant. Et facile commoveor erga eorum liberos, qui bene meriti de ſtudiis: Quales Scipio & Albericus Gentiles. Quam multa enim partim ad bonas literas, partim ad Jus Civile ac Canonicum pertinentia bono publico divulgârint, ſatis teſtatum facit Bibliotheca Bodleiana, in cujus Catalogo eorum libri non indiligenter recenſentur. Scio in his Germaniæ rebus magnam eſſe ejuſmodi petitorum copiam. Sed fortaſſe huic adoleſcenti proderit habuiſſe patruum Profeſſorem apud Oxonienſes tuos. Præſertim quandoquidem is videatur non tanti feciſſe Zelotas hujus temporis, quam amaſſe cum veteribus bonam mentem. Hoc enim mihi ex pleriſque ejus ſcriptis videor non obſcure intelligere. Illuſtriſſimus Reginæ ac Regni Suecici Legatus ad Galliarum Regem Hugo Grotius, paulo antequam dignitate ea auctus, tragœdiam ſcripſit de Joſepho fratres agnoſcente. Speramus eum Joſephi ſui inſtar pro magnis malis, quibus affectus à ſuis, in dignitate hac prælustri multa beneficia iis collaturum. Tragœdia ea inſcribitur Sophompaneas, nomine Ægyptio, quod Pharao dederat, ad Græcam conſuetudinem inflexo. Alioqui pro eo apud Moſem eſt juxta Maſoretica puncta Saphnath Pahaneach, apud Joſephum Pſontomphanecus, corruptius apud Ruffinum Pſonthonſanicos. Exemplar mitto, propterea quia nomini inſcripſerit noſtro. Addidi & alterum, domeſticorum cui voles, ornatius miſſurus, ſi ad manum fuiſſet aliquod. Expeditio à noſtris una cum Gallo ſuſcepta non admodum feliciter procedit. Spe devoraveramus Brabantiam & Flandriam. Nunc non male nobiſcum agi putabimus, ſi munitiſſimum illud propugnaculum Scengkianum, quod negligentia unius, quem dicere nolo, tam fœde amiſſum, recipere valeamus. Utinam ne Deus vindex graviter nos puniat, propter barbaram & prope his terris inauditam crudelitatem, quam in capta Tinenſium urbe exercuere Galli, admiſtis etiam (ut ajunt) aliquibus è Belgis, qui tamen paulo minus exuiſſe hominem viſi ſunt. Super eo varii in Brabantia circumvolitant libelli, qui non leviter iis terris depreciant nomina Ducum noſtrorum. Ne vero huc etiam deferantur, publica cavetur auctoritate. O quando erit illa dies, ut nos aurea pax reviſat.

Deum Opt. Max. oro, ut hanc ipſam Magnæ Britanniæ perpetuam eſſe velit: teque, Reverendiſſime in Chriſto Pater, in tantis Eccleſiæ ac regni negotiis, animi ac corporis viribus magis & magis augeat.

ↀↄ Ιↄ c xxxv, IV Kal. Aug. St. vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui devotiſſimus cultor,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCLV.

## Guilhelmo Dell,

Domino Archiepiſcopo Cantuarienſi à Secretis,

S. P.

*Mutatis perſonis, ejuſdem cum antecedenti eſt argumenti.*

Auſus eram, optime & amiciſſime Delli, opere meo Grammatico ſive Ariſtarcho malis (vix aliud convenientius nomen dare potuiſſem) non paulum tibi imponere oneris: ſed excrevit illud multo amplius quam putarem, nullâ quidem culpâ meâ, ſed infortunio, dum aliqui (nec culpare auſim, quia forte ſic muneris ratio tulit) involant in commentationes noſtras prope dixerim harpyarum inſtar. Sed bene ſit tibi, mi Delli, qui eas tam benigno affectu ac labore ab unguibus eorum viſcoſis reglutinaſti, ſi modò viſcoſi dici debent, quando plerique ſaltem ſponte erant facturi officium, modo ſciſſent quibus & à quo exemplaria iſtæc mitterentur.

Quas miſeras ad Præſtantiſſimum Goffium literas, eæ curaram, ut Hagam, inde in caſtra mitterentur. Sed poſt aliquod tempus eas recepi. In Angliam profectum prædicant. Simulac redierit reddentur.

Mitto ad te exemplar Tragœdiæ quam nuper edidit Illuſtriſſimus Regni Suecici ad Galliarum Regem Legatus Hugo Grotius. Hæc per ſe grata ſcio erit (nihil enim illa eo in genere elegantius) ſed illo gratiorem fore confido, quod nomini meo inſcripſerit. Argumentum eſt de Joſepho fratres ſuos agnoſcente. Sophompaneam inſcripſit, quod nomen Joſepho à Pharaone impoſitum.

Scripſi ad Illuſtriſſimum Dominum Archiepiſcopum. Nihil eſt in literis quod moram non patiatur. Trades igitur cum commodum tempus exiſtimabis. Præcipuum fere argumentum eſt, rogari me hic à quibuſdam, ut quia decrerint Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Dominum noſtrum orare, ut Scipio Gentilis adoleſcens annorum circiter viginti, recipi poſſit in Collegium aliquod Oxonienſe aut Cantabrigienſe, hoc poſtulatum ſuum literis meis ad Patronum noſtrum Opt. Max. velim complecti. Sperant aliquantum id ſibi profore. Non lubens pro aliis ſollicito, qui propriis ſic, perſe ſatis ſuperque occupatum, diſtineo. Tamen miſericordia erga ignotum prorſus vicit. Eſt is adoleſcens filius clariſſimi Scipionis Gentilis Juris dum viveret Profeſſoris apud Altorfinos in Germania. Defuncto patre ſtuduit Ambergæ, civitatis ſuperioris Palatinatus. Quo amiſſo, vidua mater non eſt alendo in ſtudiis filio. Maxima enim à Cæſare damna accepit. Sperant amici poſſe admitti in Collegio aliquo Oxonienſi: nam patruus adoleſcentis, Albericus Gentilis Juris iſtic Profeſſor fuit. Quamquam ſeu Cantabrigiæ ſeu Oxonii recipiatur, parum refert, dum in ſtudiis progredi, ac patris patruique exemplum poſſit æmulari. Ajunt enim ingenio valere & vitæ eſſe probæ. Mihi eſt ignotiſſimus; ſed fide hæc eorum ſcribo, qui noſſe poſſunt & debent. Fortaſſe locus nuſpiam vacat, aut indigenæ alicui addictus exteris non patet. Sum rei omnis ignarus. Tamen quia memini exteros etiam admiſſos, paſſus ſum mihi perſuaderi, ut Illuſtriſſimum Dominum & Patronum compellarem. Tu rem ita diriges, ut ne moleſtus ei ſim: qui ſatis, ut dixi, meis occupo, tantâ tanti herois gratiâ prorſus indignus, quâ abuti profecto non debeo; præſertim ubi mihi nec ſeritur, nec metitur. Totum quod feci, feci non mei causâ, ſed Dei, qui nobis viduas ac pupillos commendat. Et ſcis homines eruditos facilius miſericordia tangi erga prolem eorum qui ſtudiis excelluerunt. Vale, optime Delli, & nos amare perge.

Amſtelodami. III. Kal. Aug. St. Vet. ↀↄ Ιↄ c xxxv.

*Addictiſſimus tibi,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCLVI.

## Guilielmo,

### Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Matthæi filii Annales Belgicos officioſè tranſmittit.*

*Reverendiſſime, in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

CUm doleam multa adeo eſſe, quæ ſtudia remorentur, tum non leviter moleſtiam hanc auget, quod Typographi ſic moras nectant, in edendis tum Dionyſianis, tum etiam meis, præſertim quæ ſacram Chronologiam tangant. Gaudeo interea ſaltem excudiſſe alterius filii Matthæi (quem & ipſe participem menſæ tuæ facere dignatus fuiſti) quinque libros Antiquitatum Hollandicarum ab anno circiter nongenteſimo, quando Comitatenſis dignitas in Repub. hac eminere inter Optimates cœpit, uſque ad annum milleſimum trecenteſimum; ubi primo hoc volumine deſinere viſum, quia exinde is honos, deficiente maſcula ſtirpe, penes Comites non Batavos, ſed domo Hannonios fuit. Uti poſtea penes Bavaros, hinc Burgundos, ac denique Auſtriacos. Univerſa hæc perſequi filio animus eſt modò vitam Deus, & valetudinem conceſſerit. Exemplar nunc mitto, partim quia tibi omnia mea, ac meorum grata eſſe ſcio, partim quod quæ tradit, magnam partem, minime ſaltem Latino ſermone tradita ſint. Proceribus quidem noſtris mire opus gratum fuit, uſque adeo ut ad ſtrenue pergendum, largo honorario ſint proſecuti, non ſine ſpe, cum nova pars prodierit, Hiſtoriographi ſui titulo cum ſtipendio publico ornandi. Etiam alterum addidi exemplar chartæ itidem auguſtæ, cujuſmodi quatuor ſunt tantummodo excuſa, duo hominibus Batavis ubi ſcripta dicataque, duo autem quæ nunc in Britanniam tranſmitto. Alterum hoc cui debeatur, multis partibus melius me, Illuſtriſſime Domine, perſpicies. Tui igitur judicii hoc totum eſto. Spero operam non diſplicituram, non modo quia & judicium & fides & dictio ſe probent; ſed etiam quia majorem partem nunc demum Latino prodeant ſermone, plurima etiam nec indigenis ſint obſervata. Siquid forte intercurret, ut fortaſſis in operis ipſius initio, quod non conveniat Regum Imperio, cogitandum hæc ſcripta eſſe in Optimatium Republica, non regno, quæ regendi forma, ſi ἁπλῶς loquamur, longè ſine dubio optima; ſed ut Alcibiades & Auguſtus dixere, boni eſt civis præſentem Imperii ſtatum mutatum nolle. Deus Opt. Maximus, te, Reverendiſſime Pater, & Illuſtriſſime Domine, diu ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxv. Id. Oct. St. No.

*Reverendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ cliens longe devinctiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CCCLVII.

### Salutem in Chriſto.

*Ad ternas ejus literas familiariter reſpondet.*

STrena ſint literæ hæ (Vir Clariſſime) quam Kalendis hiſce Januariis mitto more & fide antiquis. Tres ni fallor apud me ſunt literæ tuæ & omnes gratiſſimæ, pro tribus unam reddat vel ipſa inurbanitas. Nec tamen inurbanitas adeo me gravat quàm negotium; nec tam illam affecto quàm hoc premor. Veniam dabit ſcio humanitas tua ſingularis, amico nimium extra ſe viventi.

Ad literas tuas quod attinet, lego in ſecundis tibi à Dello ſignificatum (juſſi enim ut ſcriberet ipſe tum occupatior) opus veſtrum Grammaticum egregium quidem & quod ſupra vulgaria ſapit, de manu meâ in optimæ ſpei Principis tranſiiſſe. Quod tibi gratum fore ſpondere mihi auſus ſum, etiamſi literis ſupervenientibus de ea te ſiluiſſes. Sed quid Princeps? Illud enim puto adhuc audiviſti. Quum poſt menſem mentio Archiepiſcopi coram ipſo facta eſt, novi, inquit tenerulus, ſed quando mihi alium allaturus eſt librum? Spero futurum ut tam libri ſit tenax, quàm afferentis memor.

In his etiam lego me unam epiſtolam tuam non legiſſe, imo ne vidiſſe quidem. Intercidit enim, ſic ſcribis, incuriâ eorum quibus dederas, fortè præmiſſa eſt in Sueciam quo non ſum ſecuturus. Huic ut reſpondeam non expectas.

Si Sternius meus, ſic enim eſt, rationem tibi reddidit gratam rerum Cantabrigienſium, fecit quod ſe decuit & mihi pergratum fuit. Nolui enim tibi deeſſe, quia ſibi defuit filius tuus. Spero nunc meliora, referet ab Indiis quo Advocati Fiſcalis dignitate ornatus abiit. Det Deus ut ſe te dignum gerat.

Quod de Scipionis Gentilis filio, nepote Alberici ſcribis, mihi grata ſunt omnia. Commendatus etiam venit à doctiſſimo amico meo Joan. Seldeno. Et valuiſſent apud me facile nota veſtra & Seldeni, quin & vel nomen Alberici mihi virtutibus ſuis abundè noti, ſi quidquam in ea re potuiſſem. Sed aditus qui olim patuit noſtris, jam in rem ſuam & literariam attentioribus multo obſtructior eſt. Nec poſſum ea præſtare, quæ facultas ſi daretur mihi in ſummis notis ſemper fuere: Erigere ſcilicet afflictos & bene merentium, inter quos Albericus non infimus fuit, etiam ſeros nepotes fovere.

Auctum dignitate Legati Suecici Hugonem noſtrum Grotium jam antea audivi & ſimul gaviſus ſum, non ita quando revocatum apud nos ſparſum fuit. Sed invidiæ tuba cecinit illud, & quamprimum audivi famam mentitam lætitia auctior rediit. Literis etiam ſuis è Gallia me decoravit, ſic enim de doctiſſimo illo viro ſentio cui opto ſumma. Tragœdias & Poëmata alia quæ ille dicaverit tibi, tu mihi dediſti, optatiſſime ad manus meas pervenerunt. Pauca legi, utinam otium daretur ut reliqua poſſim.

De expeditione veſtra una cum Gallo prima ætate ſuſcepta vere ſcribis & graviter. Nolo ea de re quidquam adjicere præter hoc unum ſupereſſe vos (Gallos dicam an Belgas neſcio) in urbe Tirlinenſium direpta irruptionem illam plus quàm barbaram Gothorum & Vandalorum, de qua & everſis omnibus ſacris toties & tam funeſtè conqueſtus eſt ſuo tempore S. Auguſtinus.

Reſtant literæ tuæ tertiæ. Nec illæ ſine dono me petunt. Cum illis enim moram ingratam nectentibus Typographis circa Dionyſiana veſtra & tua alterius filii tui Matthæi nempè fœtum ſuſcepi. Et certè multum me afficit videre patrem in filio, Gerardum in Matthæo. Ita judicium & dictio nec de fide dubito ſeniorem in juniore adornarunt. Quæ interſperſæ ſunt parum cum Regum imperio convenientia Apologiam una ſecum ferunt. Scripta ea eſſe in & ſub regimine alio, ubi populus ut alios mores, ita & alias leges poſtulat. Nec Proceres veſtri ſatis honori ſuo conſulunt, ſi non juvenem de illis tam egregie meritum, ut ſtipendio, ita & titulo ornent. Creſcat hic in ſolamen tibi, & uberrime in ſinum tuum refundat ſpes in Dionyſio amiſſas. Et quotquot alia tibi cordi ſunt, cum anno fœliciter currente & revertente, omnia tibi vovet

Datum ex ædibus noſtris Lambeth, Kal. Jan. 1636.

*Amicus tuus ſtudioſiſſ.*

W. Cant.

CCCLVIII.

## CCCLVIII.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime & amiciſſime Caſaubone,*

RECepi à Peiſtero quantum mihi è Cantuarienſi Præbenda anni hujus cIↃ IↃ c trigeſimi quinti menſe Martio debebatur. Expectabo igitur ab eodem, ubi tibi integrum erit (id brevi fore ſpero) quod ſexto poſt menſe Septembri puta expiravit. Mitto nunc non quidem de meo quicquam, ſed de cari capitis filii mei Matthæi (quem cum τῷ μακαρίτῃ vidiſti Dionyſio) labore. Sunt quinque libri Antiquitatum Batavicarum: nempe annorum cccc. Hiſtoria, quæ anno cIↃ ccc. terminatur: quando Comitatus honos maſcula ſtirpe deſita, à domo Batavis ad Hannoniam tranſiit. De fide optima ſcriptoris tibi ſponſorem me do. Confido autem ſeſe etiam & judicio, & dictione probaturum tibi, nec minus Reverendo Domino Decano; cui alterum mitto exemplar. Siquid vel initio erit, vel alibi, quod non ſatis conveniat genio Imperii Britannici, obſervandum: hæc ſcripta eſſe imprimis Batavis, quos Optimatium imperio uſos, etiam ſub Comitibus ſatis conſtat. De rebus publicis quid ſcribam? Amico Gallo libere ſignifico ſocietatem hanc Gallicanam peſſime nobis ſucceſſiſſe. Sed plerique qui eam initio avide adeo amplexi, nunc vetera Britanniæ gentis merita, magis ad animum revocant. Propediem puto Legatos mittendos; quod & Britanniæ & fœderatæ Belgicæ bono fore confido. Uxor & omnes mei, te una cum lectiſſima conjuge plurimum ſalutant. Multa etiam ſalute imperties Reverendum Dominum Decanum, cum univerſo venerabilium fratrum Collegio.

Amſtelodami,
cIↃ IↃc xxxv.
Id. Octob.

*Tuus tuo merito,*

G. J. VOSSIUS.

En literarum exemplar ante menſem, vel propè ſeſquimenſem ſcriptam & traditam, ut amiciſſimo mihi, ita optimo & doctiſſimo Stephano Goffio, caſtrenſi apud nos Anglorum Eccleſiaſte. Is tum ituro in Angliam Illuſtriſſimo Electore Palatino comes erat futurus. Ac fortaſſe jamdiu in Anglia ſunt. Heſterna tamen die ex quopiam intellexi adhuc in Zelandia hærere ob ventum adverſum, vel ſaltem non ante hebdomadam abiiſſe. Exiſtimavi igitur, tutius fore, ſi juberem a literis priores reſcribi, ne reus immerito agar pertinacis adeo ſilentii. De legatis quod ſcripſeram, necdum proceſſit; ſed hoc nunc agi utrinque videtur, ut induciæ fiant. Spiſſum ſane negotium, cui tamen opinione celerius accelerando haud mediocre momentum attulerit non illaudatus urbis Epiſcopus Urbanus. Quem ex viris minime vanis & talium gnaris accepi ſeriò hoc moliri, ut Orbi Chriſtiano pax reddatur, Marte qui ubique hic lavit relegato ad Mahamedanos, cujus res noſtris diſcordiis gliſcunt. Peſtilentia vehementer graſſatur totâ propè Belgica fœderata; Lugduni Batavorum imprimis; ubi quandoque una hebdomade rapiuntur mille ac quingenti. Noſtris Amſtelodamenſibus optime fuit diu. Nunc lues hic quoque incrementum capit. Hactenus tamen toti familiæ noſtræ optime eſt. Sed quid porro futurum ſit, quis dixerit? Tanto ardentioribus votis opus ad Deum; cujus me meoſque ac pariter totam familiam tuam, ſed & univerſum venerabilium Fratrum Collegium commendo.

*Tuus tuo merito,*

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxv.
12. Kal. Dec.

G. J. VOSSIUS.

## CCCLIX.

## Joanni Iſaacio Pontano,

S. P.

*Criſin ſuam ſuper verſu quodam Catulliano amici cum illo communicat.*

DE Catulliani loci emendatione, Optime & Doctiſſime Pontane, amplandum cenſeo. Legis apud Poëtam hoc pacto:

*Ego inuber, Ego Adoleſcens, Ego Ephebus, Ego Puer.*

Sane metrum non refragatur, quod Galliambicum eſt. Prima enim ſede fuerit Anapæſtus, hinc Tribrachus, quod interdum fit hinc Jambus, tùm Dactyli duo, inde Anapæſtus. Quæres, quid ergo aſſenſum moretur? Nimirum illud, quod non cenſeam *inuberem* poni, pro ablactato, ſed notare macilentum; ut quod veniat, ab *uber* adjectivo. Quare *uber* & *macer* pugnantia ſunt. *Inuber* igitur idem ac *macer*; ſed *inuberis* vox inſolens. More ſuo ideo Gellius interpretationem ſubjecit; cum *Oſtrea*, inquit, *Inuberes macraque eſſent.* Eſt hoc ab *uber* adjectivo. Ab *uber* autem ſubſtantivo, pro mamma non videtur *inuber* dici, ſed ſolum *ſububer*, pro ὑπομαστιδίῳ, quod apud Iſidorum, & fortaſſe etiam *exuber*, ut hoc Scaligero demus, qui ita putavit, nec authorem laudare poſſit ſuæ opinionis. Ad hæc ſi *abuber* ſubſtantivo veniret, *inuber* non ſignificaret ablactatum, ſed ſububerem, & quaſi uberibus incumbentem. Quomodo *inuber* & *exuber* contraria forent, illud ſignificaret, ἀπομάζιον, hoc ἀπογάλακτον. Denique ut *inuber* aliquis, poſt ἀπογαλακτισμόν, diceretur, fortaſſe ne ſic quidem, Catulliano illi loco ſatis conveniret. Neque enim Atys erat recenter ablactatus; ſed Puer, Ephebus, Adoleſcens, dici poterat. Imo cum in illis, *Adoleſcens*, *Ephebus*, *Puer*, quo ordine ponit Catullus, decreſcat Oratio, elegantiæ Catullianæ fuiſſet, extremum locum tribuere voci, quæ recens ablactatum ſignaſſet. Non auſim igitur, *mulier* damnare, quod eſt in antiquis Codd. etiam editione, quæ Regii Lepidi anno prodiit cIↃ cccc LXXXI. ſed Mulier ἀσυνδέτως efferendum, ne claudicet metrum. Sententia fuerit, Mene nunc Mulierem, & Eviratum eſſe, qui ante Adoleſcens, Ephebus, & Puer fui? Nec hoc ſcribo, quaſi vehementer tuæ ſententiæ refrager. Velim enim omnes conjecturas tuas eſſe certas, quod nulli tamen mortalium evenit. Eo facilius veniam dabis paulum diſſentienti. Quanquam ne iſta quidem ſcripſi, quaſi multum abeam, ſed ut videas ad ſtaminandam opinionem, eam firmiori ubicine opus eſſe. Locus de quo ſcripſeras eſt, in primo de Art. pag. XVII. uti alter libro de Conſtructione, pag. CCXLIV. Uterque infra virtutes tuas, quod alibi fœlicius præſtabitur. Salutem multam imperties Conſuli Ampliſſimo Brinkio, Collegæ item Theologo Diſtio, de Zevecotio adderem, niſi pauci adeo dies eſſent, quod nobis adfuiſſet.

Amſtelodami.
cIↃ IↃ c xxxv.
7. Kal. Nov.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCLX.

## Joanni Bruneo,

V. Cl. Quæſtori Midleburgenſi,

S. P.

*Ingenti benevolentia ab Ordinibus Hollandiæ exceptas fuiſſe Antiquitates Batavas filii Matthæi. Exemplaria*

*via ritè inter Proceres Zelandiæ diſtribuenda cura ipſius permittit.*

QUam vellem, Ampliſſime Vir, atque idem non animorum minus ſimilitudine quam affinitate conjunctiſſime, ut ſi non tam diu, quam optabamus, paulo ſaltem diutius, frui licuiſſet, tui quidem mihi, uxori autem meæ, conjugis tuæ, imo & liberis meis, præſentiâ utriuſque veſtri. Omnes enim pariter vos colimus & æſtimamus: & ſi verum ſcire cupis, permoleſtum eſt, quod tam longo ſpatio divellimur, nec ſæpius una eſſe liceat: mihi imprimis, qui ex ſermone tuo ut mirificam voluptatem, ita fructum etiam capere ſoleo: hac veteris noſtri amoris fiducia nunc ad te ſcribo. Scio probe te memorem eſſe ſermonis habiti inter nos, cum hic fores, de Annalibus Hollandiæ & Zelandiæ à filio Matthæo exaratis, dicatiſque Illuſtriſſimis Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæque Ordinibus. Quam grata hæc fuerit opera Proceribus Hollandiæ, quid dicam? putidius id fuerit perſcribere; ſed ut cætera taceam, vel inde conjecturam, vir ſagaciſſime, poteris capere, quod ſint honorario proſecuti (apud te non diſſimulabo) florenorum CCCCL, ex quibus quadringenti quidem illi pro opera aſſignati, quinquaginta vero pro exemplaribus. Majus illud, quod, ut ex non uno nobiliſſimi conceſſus accepi, nihil æque hoc tempore obſtiterit, quo minus terræ ſuæ Hiſtoriographum conſtituerent, quam quod metus foret, ne alius, qui res noſtri ævi deſcribendas ſuſcepit, hanc qualemcunque ſocietatem ad infringendum honoris ſui decus facere arbitraretur. Nihil vero hoc obſtiterit Zelandiæ veſtræ, quæ, ut arbitror, nullum hoc tempore iſtoc honore proſequitur. Et ſpes à multis hic facta filio mihique, quod nunc non fecere Proceres, facturos occaſione alia, præſertim ubi alia pars operis prodierit in lucem. Plura hic addere de filii laboribus non eſt meum, nec tu ipſe, qua modeſtia es, id probes. Sed te ipſum, & intelligentiſſimum quemque operis judicem capio. Mitto nunc exemplaria novem: tot enim in illuſtri illo conſeſſu Proceres eſſe intelligo, ſed ſuperaddidi tria. Unum ſeorſim antea dandum Nobiliſſimo Knuttio, quem intereſt noſtra in tantis negotiis, quæ ſuſtinet, prius vel fugitivo oculo luſtraſſe hunc laborem, quo facilius ſtatuat, quid facto ſit opus. Scio præſtantiſſimum virum per ſe ſatis fautorem fore operæ publico bono inſudatæ. Sed nec inutilis propterea erit commendatio tua, præſertim quando, niſi valde fallor, aliqua etiam ejus eſt conjunctio cum uxore tua. Parum abfuit quin ad ipſum ſcriberem. Sed nolui tibi diffidere. Eo minus quia & negotium commendavi (nihil horum ignorare debes) Ampliſſimo Senatori Cromen; cum in urbem hanc noſtram his diebus ad nuptiale feſtum ſe contuliſſet. Is ineunte Novembri in urbe veſtra futurus ad aliquam juris controverſiam decidendam cum Juriſconſultis & arbitris. Præterea & hic & Hagæ locutus ſum, cum urbis veſtræ Secretario ampliſſimo Van der Burgio Illuſtris Berkii τοῦ μακαρίτου genero. Et is bonam addixit in hac re operam. Hunc alterum ex tribus reſiduis exemplar dandum. Tertium cedat Illuſtrium Ordinum Zelandiæ à ſecretis: ſive ſeorſim, ſive cum novena illa Proceribus exhibendum. Quid expediat facile perſpicies: ſi ſciſſem quando conventuri fuiſſent Illuſtriſſimi Ordines veſtri, filio auctor fuiſſem ut ipſe excurreret. Nunc plane de eo incerti ſumus. Accedit, quod non ſinit ejus pudor ut curio & buccinator ſit laudis ſuæ; melius iſta per amicos peraguntur; mitto quod lue per fœderatam hanc Belgicam graſſante non ſecure ſatis in turba aliquis ſe navi committat. Quamobrem omne tibi commendo negotium, & illis ſimul quos ante memoravi; ſpero autem pro gratia pulchre navata gratias me vobis acturum propediem.

Amſtelodami,
clↄ Iↄc XXXV,
4 Kal. Nov.

*Amplitudini tuæ addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCLXI.

*Doctrina & pietate eximio Viro,*

## D. Gerhardo Voſſio,

Profeſſori digniſſimo.

*Conſolatoria de obitu filii ejus Dionyſii.*

*Vir Doctiſſime, & amande Dom. Voſſi,*

NUntium immaturæ diſſolutionis Dionyſii tui antea intellectum, proximè D. Franciſcus mihi ex ordine triſti retulit triſtiſſimus. Non enim ſine præcipua animi ægritudine, caſus ejuſmodi recenſeri, vel audiri potuit. Equidem ea obſtrictum neceſſitudine, & iis meritis obligatum me tenes, ut non propriis familiæ miſeriis differar magis, quàm tuarum ſenſu conturber. Luctum ergo mihi hoc renovavit, Leonardi ante biennium amiſſi, & me cauſa triſtitiæ quam addidit plurimùm propter filium omnibus affatim cumulatum dotibus. Arduum & rarum eſt, ætatem doctrina antevenire, rariùs fama, & ſcriptis illam celebrare. In illo utrumque ſic eminebat, ut vix pater tanto filio digniſſimus alterutrum quoque exoptatius videre potuiſſet. Sed fuerit hoc divinum, benigni erga te animi teſtimonium. Brevem tamen locupletis poſſeſſionis uſuram gratè potius recordare, quàm te ejus avulſione impatienter lacerari. Nec primum, nec unicum, nec graviſſimum tibi hoc ſoli contigit. Deus revocavit donationem ſuam, tuum cum modo, & ratione mœrorem experiri vult. Etſi itaque res coacta, ingentem videatur moleſtiam aſpergere, & humanitatis alteri, in alterum ſæpè criminationis immodeſtiam extundere ſoleat. Prudens nihilominus, ſemper refugit ab omni ſpecie impatientiæ; quanto magis Chriſtiana mens fortiter illa tolerat, quæ Deus extra propoſitum noſtrum immittit, pro pleniſſimo Domini jure, quod in homines habet. Hæc ego non ſcribo, amice intime, tanquam ſi dubitem, te corculi eruditæ familiæ tuæ extinctionem, non moderatè ferre, atque indignando potiùs exagitare: ſed quaſi in ſummo ſenſu mœſtitiæ, luctus & ſqualoris tui, non aliud inveniam remedium, quàm quod in cœleſti conſolatione, & profundiſſima æternæ providentiæ meditatione, conquieſcat. Abiit tuus Dionyſius, & vitam innocentem fœlici exitu, in Chriſto ſervatore noſtro clauſit, memoriam nominis ſuavem cognatis relinquens, & Rheidani Annales Latinè legentibus, admirationem puriſſimæ dictionis, expromptique judicii afficiens. Donum iſtud ultimum retinebo ſemper, ac æſtimabo plurimum animo meo, quem conjunctionis noſtræ antiquitas, & literaria tua munificentia totum occupat, fortunâ cupiditati meæ reſiſtente ad remunerandum. Vale præſtantiſſime amicorum, & gratuitam affectionem amoris erga me tui, fidenter conſerva. Tuam conjugem, mea peramanter ſalutat, atque hanc calamitatem, communibus exemplis, præterire jubet. Tamdiu enim variis miſeriis in hac vita affligemur, quamdiu volet is, qui niſi hæc pati nos vellet, fieri non permitteret. Illius clementiæ vias noſtras commendo, & vos iterùm, atque iterùm, cum tota domo ſalvere jubeo.

Hagæ-Comitis,
16 Nov. 1635.

*Tuus, ut diu noſti,*

L. CASEMBROOT.

## CCCLXII.

## Hugoni Grotio.

*In negotio Galilæi Galilæi adhuc laborare Proceres. Petro filio necdum placere iter Indicum, non autem diſplicere ſtudia, ut vel ſolis illis tueri decus ſuum auſit.*

*Leonis Allatii opera editorem non unum inventura affirmat. De Tacito quod cogitaverit, in effectum detur, optat.*

*Illuſtriſſime Domine,*

QUod de negotio ſummi viri Galilæi Galilæii tardè adeo reſcribam, diutina fecit ab urbe abſentia Syndici noſtri Guil. Botelii; qui rem omnem apud Dominos Ordines fideliter procuraturum ſe recepit. Nec ſane ad eam rem, alter magis idoneus eligi poterat. Sed non puto eum affore ante Chriſti natalem. Magnus eſt affectus Procerum urbis noſtræ erga Galilæium, eorum ſaltem, quibus ſcientia in pretio eſt. Ante omnes, prædicare debeo Nob. Realium; qui nihil æque exoptaret, quam ut Galilæius, prætextu offerendi Ordinibus noſtris, ſuas de re maxima cogitationes, has ipſe in terras veniret. Poterat, inquit, opera hinc dari, ut figere hic domicilium vellet. Sed votum hoc viri, de ſuo etiam largiri ad detinendum parati, metuo ne provecta in iſtac Galilæi ætate, planè fruſtrà ſit. Joannes Narſius, quia veretur, ne ulla ſui deinceps à Proceribus Suecicis ratio habeatur; operam ſuam præfectis negotiationis Indicæ addixit. Ac intra triduum, ſi ventus faverit, navem aſcendet. Octoginta menſtruos florenos aſſignarunt. Obtinebit in itinere locum quem vulgus ſupremi Mercatoris vocant. Hinc inter præfectos juſtitiæ facturus. Medicam ſimul artem exercebit; & majoris honoris ſpes facta. Nec tamen hujuſmodi filium tuum Petrum, magnopere commovent ad ſimile iter ſuſcipiendum. Domi, vel apud exteros etiam Principes, dignitatem quampiam præferret. Sed quia non ignorat, quam miſerum ſit, ab incerta ſpe pendere: Ita decrevit ſtudia ſua componere, ut vel ſolis illis tueri decus ſuum poſſit. Juris prudentia imprimis placet, ſed ſic ut, ex conſilio tuo, ea ſociare velit, quæ ad mercaturæ intelligentiam pertinent. Literas ad Illuſtres juvenes Slupeskium, & Skyttium ſedulo procuravi. Leonis Allatii labores, etiam vetera illa *ἀνέκδοτα*, quæ habet, excudere qui paratus ſit, non unum hic habemus. In iis & Blauwius eſt. Sed dum totus eſt in Atlante ſuo adornando, non facilè dixero, quam tardè promiſſa exſolvat. De Tacito quod cogitas gaudeo. Metuo alioqui, ne alius quiſpiam in tuam involet purpuram, ſuiſque inferciat pannis, diſſimulato nomine tuo. Scis jam dudum eſſe, quod quæ meditatus es, non ſint in tua poteſtate. Mihi quidem quicquid eorum vidi, ac legi, impensè, ut omnia tua, placuit. Berneggerum, & doctrinæ, & virtutis nomine, merito æſtimo, & amo. Nec officio deero ſiquis locus patuerit in ulla Illuſtrium Scholarum, his & vicinis terris. Vale Illuſtriſſime Domine, & cum Heroina conjuge, & familia, à me & meis ſalve. Salutem etiam plurimam mei amantibus dico: Imprimis Rever. & Ampliſſ. Bignonio, & Cordeſio, à quibus quod amer, tui, ut alia, beneficii eſt.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxv,
Non. Decemb.

S. P.

Dum literas, quibus hæc incluſi, pluſculum detineo, quia deeſſet commoda mittendi occaſio, ecce nobis Haga hoc reſcriptum DD. Ordinum. Partem primam Annalium Hollandicorum, quos Matthæus miſit, ſpero, jam acceperis: Niſi fortè futurum, ut unà cum hac epiſtola recipias. Spero operam non fore ingratam. Quæſo commone, ſicubi erratum putabis. Editione altera corrigi poterit. Filius tuus indies ſe magis, & magis inſignem reddit, non ſtudiorum modo profectu, ſed modeſtia etiam, judicioque, quo pro ætate illa, plurimum valet. Itaque honori, etiam tibi, atque familiæ fore confido.

Idibus Decembris,
cIↃ IↃ c xxxv.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

G. J. Vossius.

Geminæ literæ D. Deodato inſcriptæ, ab Collega meo Hortenſio ſunt: Rogat is te plurimum, per famulorum quempiam deferri jubeas. Vale.

CCCLXIII.

## Joanni Chriſtenio.

*Roterodamenſibus unum alterumque egregium virum in illuſtris ſua Schola Profeſſorem commendat.*

*Præclare, & Conſultiſſ. Chriſteni,*

PLurimum ſemper à prima etiam adoleſcentia amavi urbem veſtram, vel eo nomine, quod pueritiæ ſuæ ſtudia ei barbaro illo ſeculo debuerit magnus Deſiderius, vir nec ſua ætate quoquam minor, nec noſtra fortaſſe nec intermedia, ſaltem ſi totum conſideremus Eraſmum; non ſtudium hoc vel illud, quando non ita feliciter agitur cum ingenio cujuſquam, ut ei ſe doctrina totam indulſerit, ſed felicis eſt (ut minimum dicam) vel in decuplam ejus partem recipi. Multum vero gaudeo, quod Proceres veſtri cedere nolint proavorum gloriæ, ſed nunc quoque omnibus nervis contendant, ut augeant decus literarum, quibus magnus ille ſtudiorum in urbe veſtra alumnus orbi illuxit, divinarum nempe, ac præterea, non dico profanarum, ut quidam *μέγα πνέοντες* loqui amant, ſed humanarum, quia humanæ inſerviunt vitæ; ut ſileam de ſacris literis ad quarum intelligentiam ex iis plus redundat commodi, quam capiunt illi, qui eas nonnulli tanquam canis e Nilo deguſtarint. Quæ eo à me fine ſcribuntur, ut videas, quanti faciam propenſiſſimam voluntatem tuam, claris doctoribus, etiam extra ſtudia ſacra, augendi gloriam, illuſtris jamdiu, ſed quæ illuſtrior fieri poſſit, Academiæ Scholæ veſtræ. Ac ſcio eandem eſſe mentem Collegarum præſtantiſſimorum, præ ceteris optimi & viri & Theol. D. Dyſtii. Cæterum de Gronovio ſic habe: Non alium nunc occurrere mihi, cujus & doctrinam, & induſtriam magis commendare ſim paratus, ſi certo Pariſiis adhuc agere conſtaret. Metuo enim ne viſendæ Italiæ & tot veterum in ea monumentorum amore flagrans, jamdudum eò conceſſerit. Si recte atque ordine me facturum putes, per literas Lutetiam miſſas exquiram, utrum Pariſiis etiamnum degat, vel ut diſceſſerit, quando iſthic exſpectetur ab amicis, quos ille, ob ſingularem in literis doctrinam habet complures. Memini mihi valde à ſummis viris per literas commendari Matthiam Berneggerum, Profeſſorem Argentoratenſem ingenii & doctrinæ & nominis. Nempe rebus Germaniæ uſque adeo turbatis, tertium tum annum nihil perceperat ſtipendii, eoque maluiſſet veteres ſedes mutare Academia vel Schola aliqua Illuſt. Belgicæ Fœderatæ. Sed is ſuperiore Februario fatis conceſſit, multis relictis ingenii & eruditionis monumentis, in his ut Hiſtorica ſolum dicam, Juſtino à ſe recenſito. Generum habet, vel habuit potius (quando ipſe ad ſuperos ut dixi conceſſit) Joannem Freinsheimium, ſatis clarum notis ſuis in Florum, ac Tacitum, & amplis in Curtium commentariis inſcriptis Nobiliſſimo Equiti Joachimo Wickefortio urbe hac degenti, tibique ut arbitror cognito. Idemque parat Suetonium, Salluſtium, Ammianum, Thucydidem, Pachymerium, Livium, & alios. Sed enim non ſat ſcio, utrum is tam paratus ſit Germania ſua excedere, ac ſocer fuit. Et arbitror Auguſtanæ Confeſſioni addictum, ut iſtis locis ſolent. Quod ut exiſtimo, ſuffiaminaret Procerum veſtrorum animum erga virum ſummum. Hannoviæ adhuc agit Joannes Philippus Paræus, magni Theologi Davidis Paræi Filius, viri multis ſcriptis celebris. Hic facile pertrahi poſſit in has terras, quia miſero Germaniæ ſtatu res ejus anguſtas ſunt redactæ. Poſſet claritas ejus nominis ac paterni ſimul aliquod decus addere Gymnaſio. Notus eſt mihi, tum aliter tum etiam per literas. Notior item Jacobo Laurentio urbis noſtræ optimo & doctiſſimo Eccleſiaſtæ: quem ſuper eo compellaſſem, niſi

valetudo obſtitiſſet, quæ nec ſcivit, ut ſtatim literis tuis reſponderem. Sane ſi afflictam Germaniam cogitemus, non dubitandum quin plurimos habeat viros inſignes probitate ac doctrina, quorum opera Reip. literariæ bono in Gymnaſiis ſuis hæ uti provinciæ poſſent. Nec dubito quin complures ſuggeri poſſint, ab iis, qui terras eas luſtrarunt, & urbe in veſtra ac vicinis vivunt. Quamquam nec Belgica hæc fœderata pulchris caret ingeniis & huic aptis provinciæ. Solum dolet, quod cruda ſic ſtudia propellantur in ambonem, & forum. Quæ res nobis barbariem priſtinam minantur. Verum nolo in triſti omine deſinere. Malim optima ſperare, vel eo nomine, quod videam ampliſſimos urbis veſtræ Proceres tum literarum eſſe & literatorum ſtudioſos.

Raptiſſime Amſtelodami ſcribebam.
cIↄ Iↄc xxxvi. xi. Kal. Jan. St. Vet.

Rev. Dom. Dyte, viro ſummo & aliis Collegis præſtantiſſimis ſalutem plurimam, ubi otium erit, meo nomine, quæſo dicito. Volo enim ſciant utcumque tardus ſim in ſcribendo, probe tamen eorum me eſſe memorem. Ἔῤῥωσο.

G. J. Vossius.

CCCLXIV.

## Gerardus Voſſius,

*Viro Clariſſimo*

## Antonio Æmilio,

S. P. D.

*Commendatitia Gorſſii, uxoris propinqui, ut impetretur ipſi functio Eccleſiaſtica.*

NIhil lubentius facio, quam ut amicis proſim, præſertim, ſi eadem publico commodem. Tale hoc negotium eſt, de quo nunc agam tecum. Eſt inter uxoris meæ propinquos, optimus, & doctiſſimus juvenis, Gorſſius, qui annos multos, non literis modo, & Philoſophiæ, ſed ſacris etiam ſtudiis, operam Lugduni dedit. Jam ante quinquennium, cum ibidem hiſtorias profiterer, aliquo inter ſtudioſos loco fuiſſe memini. Atque interea longe maxima cepit incrementa, ut ex pluribus intelligo. Sed neſcio quo infortunio fiat, ut ejus non habeatur illa ratio ab Eccleſiaſticis, quæ debebat. Id ipſum, id nos, & alios amicos male habet; eſt enim benè natus. Matrem an aliquando apud nos videris, neſcio; fuit ea Davidis Ruteri, Ampliſſimi nunc ſenatus Brabantici, Hagæ ſenatoris ſoror germana. Avunculi fuere Wereſtenius, & Martinius, ibidem ſenatores. Avia erat Montenea. Noſti familiam perveterem. Quid conſanguineos omnes recenſeam, pleroſque Nobiles, vel ſaltem Patricios: ſuſpicantur aliqui, obſtare juveni, quod moderatius paulo ſe gerat, quam Zelotis placeat; ſcio ego tibi Zelotarum mores non probari; hominum natorum, ad perdendas, non Eccleſias modo, ſed totas etiam Reſpublicas. Quod igitur minus gratum reddit talibus, id eum commendabit, non tibi modo, ſed Ticmanno, quem ego virum amavi ſemper, non modo doctrinæ nomine, ſed etiam moderationis, quæ ſi unquam, his temporibus requiritur; ſed aliud etiam obeſſe ei ſuſpicantur, puta quod ſuis ſtuduerit impenſis. Ajunt tantam eſſe eorum copiam, qui ſtudiis ſuis abſolutis, ut aliorum, quibus paulo auctior ſors, haberi ratio non poſſit, aliquid dicerent, ſi tales annum unum, aut alterum expectare cogerentur. Nunc ſemper negliguntur. Hoc pede ſi pergatur, quotuſquiſque tandem, qui aliqua in re ſit, liberos ſuos ſtudiis ſacris deſtinarit? ſed quid his inſiſto? Ad rem ipſam potius venio. Intelligo Eccleſiam Liſſæ (is pagus eſt inter Harlemum & Leidam) carere verbi Miniſtro. Gorſſius autem, quem dixi, non veretur operam ſuam offerre, ad ſacrum hoc munus; ſcio aliquos quoque eſſe, qui Eccleſiæ illi præfici exoptent; ſed ubi ſinguli ſint auditi, cogitari poterit, quis digniſſimus ſit. Et non ſolum hic Synedrii, vel Claſſicalis voluntas ſpectanda, ſed etiam ejus qui jus Patronatus habet authoritas. Eum eſſe ſcio Nobiliſſimum virum, Duickemburgium urbis veſtræ Prætorem, quicum, ut arbitror, aliqua tibi notitia intercedit. Huic Gorſſium commendari exoptem. Et ſi operæ putas, aſſumes quoque Ticmannum noſtrum. Neutrum commendationis pœnitebit. Perſpecta enim mihi juvenis, & modeſtia, & doctrina. Dubitabam an ipſe, ad Dom. à Duickemburg, ſcribere vellem. Animum audendi præbebant ſummæ viri virtutes, quas ab omnibus commendari video; ſed tandem putavi melius, id vos coram facturos, apud Nobiliſſimum hunc virum. Pluribus non morabor te tam occupatum, ipſe adeo uſque occupatus, ut vix hæc ſubito potuerim conjicere in chartam.

Amſtelodami, cIↄ Iↄcxxxvi. Jan.

CCCLXV.

## Stephano Goffio,

Eccleſiaſtæ Caſtrenſi Colonelli Verii,

S. P.

*Damporti negotium ſpiſsè procedere, difficulterque apud Amſtelodamenſes in concionatorum numerum receptum iri, ſignificat.*

CRedo jamdudum tibi, Optime & Doctiſſime Goffi, mirum videtur quod tardè adeo ac tertiis demum literis provocatus reſpondeam. Tantæne inquies occupationes tuæ? ſanè majores illæ, quam facile me cuiquam perſuadere poſſe exiſtimem. Sed tamen alia concurrerunt. Tardè enim cognovi, ſuper quibus certior fieri deſiderabas; nec erat cui tuto literas committerem. Nam filius, ad quem illas Hagam mitti petieras, is Amſtelodami erat. Damportus ſæpius hic concionatus eſt, & gratus eſt non paucis, maximeque iis qui maxime faciem Eccleſiæ Britannicæ damnant. Sed necdum de eo advocando actum cum Miniſtris Eccleſiæ Belgicæ, multoque minus cum Proceribus urbis. Videntur paſtores non alieni ab eo; dummodo ſubjicere ſe velit claſſicis decretis. Id utrum facturus ſit, dicere non habeo. Sed quorundam opinio eſt facturum, ut Hookeri inſtar, ſpe excidat. Apud Proceres nihil æque ei commodare poſſit, quam quod multi illis perſuaſum eunt, hoc agere Epiſcopos Angliæ, ut imperium in Eccleſias Belgicas exerceant; vaniſſimum hoc commentum animis eorum evellendum, inque eo adlaboro, ut debeo. Utcunque autem fautoribus non deſtituatur Damportus, nihil tamen efficiet, niſi oſtenderit hic literas, quibus ab ſuâ Eccleſiâ ſit honeſtè dimiſſus: tum item niſi comprobarit liquidò, ſibi in Anglia ſolum quæſtionem fuiſſe, de ceremoniis vel hierarchiâ; non item aliquid interceſſiſſe, quod Regem, aut Regnum, ſpectârit. Hæc nunc ſola perſcribere potui. Plura ubi cognoro, faciam te quamprimum certiorem. Jucundiſſimum mihi fuit ex te cognoſcere, de literis Clementis in Britannia editis. Nondum eas conſpexi. Alioqui judicium meum perſcriberem de locis inde à te excerptis. Nec propterea eas transmitti opus. Nam tuto ſatis id facere vix poſſis durante hoc gelu. Sed ſi quando huc excurres, vel fidum hominem habebis, cui committas, non ingratum erit conſpicere. Nihil vero in iſtoc feſtinato opus. Vale, vir præſtantiſſime & amiciſſime.

Poſtr.

Poſtr. Kal. Jan. Anni cIↄ Iↄ c xxxvi. quem tibi ac familiæ meæ, Britanniæ Magnæ, ac fœderatæ huic Belgicæ ſalutarem exopto.

*Tibi addictiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CCCLXVI.

## Danieli Paræo,

S. P.

*Patriam, parentes, vitaque hactenus tranſactam modum ſtrictim recenſet.*

Vellem, Vir Clariſſime, Reverendus & ornatiſſimus vir, Jacobus Hintzerus, priuſquam alias adiret Bataviæ urbes, pedem poſuiſſet in Amſtelodamenſi, noſque compellaſſet: vel enim valde fallor, vel juvare eum conſilio, in accedendis quibuſdam Eccleſiis, vel etiam Magiſtratibus, potuiſſem: nunc quia poſtremo in urbem hanc venit, vix quicquam potui præterquam apud Ultrajectinos. Et tamen id minutum fuit; interea præſtiti quicquid potui. Nec quicquam lubentius feci. Uſque adeo gratus mihi acceptuſque erat, partim ob virtutem & doctrinam, partim quia à tuo filio commendaretur, jucundumque eſſet ex eo cognoſcere, quæ ad te & Paræanam domum pertinerent. Amſtelodami jam vivo commodeque habeor à Proceribus civitatis. Itaque Deo gratias ago, qui eam mihi mentem inſpiravit, ut non abnuerem conditionem, cum huc vocarer; ſcio Gymnaſium hoc novum fore: ſed ante annos etiam quinquaginta novum fuit Lugdunenſe, cujus nunc tantum decus per orbem univerſum. Fortaſſe & non exigua quandoque erit gloria Gymnaſii Amſtelodamenſis. Ita fore confido atque auguror. Mihi vero pulchrum tunc erit, jeciſſe ejus Gymnaſii fundamenta. At interea, dices, deteret ea res aliquid de nomine qui inclytam Academiam Gymnaſio demum conſtituendo commutas. Quid dicam; vir amiciſſime? non ignoro, quantillus ſim. Sed tamen cum plurium tota hac de re judicium hujuſmodi eſt; nunquam me à nomine & gloria ejus Academiæ pependiſſe. Si dolium Diogenis incola ſuo celebratum, poſſe & me oppidulo aliquid decoris dare. Atque extra illud de Academia, quanto urbs hæc alteri præſtat! Quid ea opulentius! quid potentius! Quæ una ad bellum cum hoſte potentiſſimo plus confert, quam ......; ſed reprimam me, ne tot magnis Bataviæ civitatibus, tot Belgicæ fœderatæ provinciis, quicquam detrahere velle videar. De Procerum vero & prudentia ſingulari & ſumma eruditione, penitus tacere non poſſum; ſiquidem illa res inter cætera me compulit, ut ſedes hic ponerem. Sane complures novi, hic non minoris doctrinæ quam qui Collegæ mihi in Lugdunenſi Academia fuerunt. Certò eam talium copiam, fruſtra in aliis & urbibus & provinciis quæras. Nec ignoro, vapulare eos à nonnullis, quaſi non ſatis ſint ὀρθοδοξίας amantes. Sed hoc non aliunde eſt, quàm quia permittant conciones eorum, qui in Prædeſtinationis dogmate diſſentiunt à doctrina publice recepta. Tum autem quia aliquos urbe juſſerint exire, qui ſeditioſe multa agebant; non accuſabo quemquam, tamen ſanguinaria quorundam conſilia non ignoro. Horret animus meminiſſe ſermonum, quos ipſe, ex ore quorundam audivi; non loquor de iis, qui ab urbe juſſi abeſſe, anno uno altero. Alios tango, quos dicere nolo. Ita enim ſemper animatus fui, ut de talibus non facile loquerer, nedum ſcriberem; ſed apud te, familiarius paulo mihi agendum putavi. Sic tamen ut nulli periculum creem: poſtquam ab iis urbi eſſe periculum amplius non poteſt. De patria quia perſcribi petis, paucis expediam. Parens mihi fuit Joannes Alopecius, ſive Voſſius, Ruremundanus. Is temporibus Friderici Pii in Heidelbergenſi Academia, Zanchium, Urſinum, & alios audivit; atque anno 1573. in agro Heidelbergenſi Eccleſiaſtes factus. Poſt exceſſum ejus Electoris anno 1627. quaternis auctus liberis, ſed ex quibus ſolus ſupereſſem, in Bataviam venit cum Eccleſiaſticis cæteris qui Lutheri de Cœna Domini ſententiæ ſubſcribere noluiſſent. Itaque jam anni ſunt quaſi L I V. quod Palatinatum non viderim. Multis familiariter uſus ſum, quibuſcum amicitia in Palatinatu parenti interceſſerat; ſed poſt tantum annorum intervallum prope omnes defuncti: Joannes Mylius Neoſtadienſis Eccleſiaſtes, puer eum ibi ſæpe in paternis ædibus vidit: ut mihi his etiam diebus retulit: Nam in extrema Batavia prope Gorcomium ac Sylvam-Ducis Paſtorem agit. Apud hujus matrem vel novercam potius Barbaram Myliam ab octavo ætatis anno vixi, uſque ad X V I I I. quæ multa mihi referre ſolet de laudibus parentis quem octennis amiſi. Norat ea parentem optime, quia arcta fuerat amicitia parenti meo cum marito ejus Jacobo Mylio, viro perdocto, & fido Dei ſervo in eodem diœceſi. Horum memini quia ſoror Joannis Mylii, Jacobi filia nupta fuit Balthaſari Lydio, quicum tibi, ni fallor, amicitia, aut ſaltem commercium literarum fuit. Et anno uno me natu grandior erat, ſuperiori verò anno deceſſit paucis poſt maritum hebdomadis. Omnino pauci eorum ſuperſumus, qui in Palatinatu temporibus Frederici Pii, aut initii Ludovici nati ſumus. Me vero ſemper illud habuit peſſime, quod ab anno ætatis X X I I I. priuſquam dulcem patriam reviſiſſem, ſcholaſtica fuerim functione diſtentus, primum in Academia paucis menſibus, mox in Gymnaſio Dordrechtano annis X V. & ultra, inde Lugduni iterum, partim in Collegio Theologico, cui quadriennio præfui, partim in Academia ipſa, in qua docui circiter novennium; ſed ad alia jam delabor, de quibus non rogaras, nempe mihi jucundum tecum eſt per literas confabulari. Itaq̃e calente calamo ſcribo, quicquid in mentem venit; neque enim glorioſæ aliquid ex epiſtolis quæro, qui eas ſæpe ne relegere quidem ſoleo; nedum id otium ſit cum cura aliqua eas exarandi. Abunde eſt, ſi raptim adeo ſcribentis manum aſſequi poſſis. Pro Chriſtianæ inſtitutionis elementis gratias ago, mihi opera valde probatur; nunc quod mitterem ἀντίδωρον erat nullum, ſed fore propediem ſpero; nec enim inutiliter tempus abire patiar, quo necdum publice docemus: verum omne illud impendam digerendis ſchedis meis. Puto, mox à nundinis Francofurtenſibus edendos Commentarios meos de L. L. grande opus & in quo non parum operæ poſuerim, & tamen nec parum reſtat, quod nonnihil terret, cum cæteras cogito occupationes meas: ſanus ſubinde infelici mihi videor natus ſidere, quod nunquam liceat eſſe otioſo, ac dulcibus Muſarum ſtudiis frui ex ſententia. Ajunt hoc ſolatio eſſe poſſe, quod ipſa illa ſidera ut luceant hominibus perpetuo moveantur. Mentibus noſtris, quas cœlitus habemus, aliquid eſſe cum cœleſtibus illis corporibus commune: verum ut mihi quidem videtur, non tam ſideribus, quam candelis nos comparari oportet: ſidera lucent ac eadem permanent: nos lucemus aliis atque interim conſumimur. Sed uterque clariſſime & amiciſſime Paræe, hoc cogitemus ut conſumantur corpuſcula, manere animum, manere honorem in terris, longeque auguſtius præmium in cœlis. Quare me quidem laboris adhuc non pœnitet: ſcio nec te, qui bene de ſtudiis ac pietate mereri non deſines. Vale.

*Tuus totus,*

Amſtelodami.

G. J. Vossius.

## CCCLXVII.

*Epiſtola familiaris.*

Etſi ſemel iterumque, ad te ſcripſi, Vir Clariſſime, tamen hanc occaſionem negligendam non putavi. Primis literis commiſi quæ in Cretâ ſuis locis inſerenda cupiebam;

bam; tum & alia ſcribebam, quæ ad operum meorum editionem pertinebant: quam ut porro urgere velis, etiam nunc in majorem modum rogo; ac confido, ſemel tandem, poſt promiſſa multiplicia eam inchoatam eſſe. Si id fieri commode queat, Tomo hiſtorico primum locum dari velim: quem tranſmittam, volente Deo, primo vere; ſimul aliquem certum hominem, cui committere tuto poſſim, nactus fuero. Qui has adfert eſt Jonſonii miniſter; & ſe rediturum dicit circa proximum Paſchatis feſtum; itaque & huic trades ſi curatum quicquam voles. Quæſo autem, uti ſcribas mihi quidvis quod putabis ſcitu non ingratum fore de Leidenſis Academiæ ac Gymnaſii veſtri ſtatu. Audio Salmaſium in Galliam ſe recepiſſe, forte nunquam rediturum. Ego quidem ſic exiſtimo: ſiquidem familiam & ſupellectilem univerſum ſecum adduxit:

*Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.*

O te, meque, ter felices, quorum animos tranſverſos non ambitio ulla capit aut invidia. Tu quid novi jam moliris? Nam non ceſſas, ſatis ſcio. Ubi libri de Poëtica, ubi filii tui Cæſar, & quæ alia exſpectamus. Hodie natalem celebro ſeptimum & quinquageſimum per benigni Dei gratiam; utinam ut præſentem te adeſſe opto, ita votum tu repræſentare poſſes: magnus mihi ad lætitiam cumulus acceſſurus eſſet: ſed quam fruſtra ſunt hæc verba, tam hoc animo meo dolet, quod non liceat te frui. Itaque iterum te rogo in epiſtolæ hoc fine, ne committas, ut hunc ad me redeuntem vacuum abs te dimittas. Vale diu, amicorum præſtantiſſime, cum uxore liberiſque. Ego, mea ac mei annum hunc felicem vobis apprecamur.

Scribebam raptim Soræ, a. d. VI Januar. CIↃ IↃ CXXXVI.

*Tuus antiquâ fide,*

JOAN. MEURSIUS.

Illud quoque monitum velim, ut effigies in convenienti loco Tomi primi collocetur. Iterum vale.

## CCCLXVIII.

*Agit de negotio hortenſi. Verſionem ſuam Anglicam de Vita M. Aurelii Antonini donat, magno illam ſtudio exceptam fuiſſe, ac de ſecunda jam cogitari editione aſſerit.*

QUas à te poſtremas accepi IV Id. Octob. datas redditæ ſunt illæ mihi circa medium Novembris; nec multis interjectis diebus 50 libras quantum tibi ad id temporis debebatur, Peyſtero tuo αὐτόχειρ numeravi, & cum pecunia reſponſum ad tuas, ut memini, ſatis amplum dedi. Quare ut priſtina non regeram, ſcito me haud multò poſt, communicatis ipſi quas in eum finem ſcripſeras ad me literis, de horto controverſo cum B. noſtro egiſſe, idque quo candidius ſecum agi intelligeret, privatim primò; quod valde ipſi gratum fuit. Non enim quantum video, publicæ ſive Collegii, ſive quorumcunque cognitioni cauſam ſuam libenter commiſſurus eſt, unde & bonitati ejus quantum confidat, potes conjicere. Niſi fallor, unicum hoc illi refugium ſupereſt, ut literis ſuis ad te ſive querulis ſive blandis (Τῶν γὰρ πρὸς ταῦτα πεφυκότων, vel inter primos εὔχεται εἶναι) aliquid à te eliciet, quod vel ad obtendendum conſenſum tuum, vel ad amoliendam ulteriorem rei diſquiſitionem faciat. Tui erit judicii quid reſponſurus ſis. Sed cave ne quid ad te detrimenti rediturum inde putes, ſi in propoſito perſtiteris. Seriò enim id à me cavebitur, & ut res nunc ſunt, ne minima quidem metuendi cauſa. Nam ad Præbendarias tuas rationes quod attinet, cum binæ tibi conditiones initio propoſitæ fuerint, quarum alteram ea conditione amplexus es, ut alterius, ſi quando ita malles, jus tibi ſervares integrum; ſi (quod ego ſuadere aliquando memini) optionis hujus pro te nata arbitrium, aliqua voluntatis tuæ ſignificatione per literas mihi promiſiſſes; valde fallor, aut & novæ conditionis non pœnitendos fructus hoc anno, me Theſaurario, percepiſſes, & ad primam redire (quandocunque velles) liberum tibi fuiſſet. Quod eò à me dicitur, non ut te conſilii tui pœniteat, ſed quo magis intelligas non admodum tibi cujuſquam gratia opus eſſe, ut in his ſecurus remanere poſſis, quas nunc obtines. Atque hæc quidem hactenus. Mitto ad te bina exemplaria non ineleganter (ut ſunt hic noſtri Bibliopegæ plerique hujus artificii valde imperiti) compacta libri hic nuper editi. Eſt autem Marci Aurelii Antonini, Rom. illius Imperatoris nunquam ſatis laudati, *De Vitâ ſuâ* (ut vulgo vocant) in linguam Anglicam verſio. Dubito an liber ſit tibi unquam viſus: non enim opinor alioquin inter Hiſtoricos tuos Græcos penitus omiſiſſes. Quanquam revera inter illos, niſi per publicum errorem, nullus illi locus. Eſt enim liber non Hiſtoricus, ſed Philoſophicus purus putus, & planè divinus: neque de Vitâ ſuâ, verus illi titulus, ſed τὰ εἰς ἑαυτὸν, quod longè aliud eſt, & ex intima Philoſophia Platonica exponendum, ut paucis in notis ad librum judicatum eſt. Miſi bina exemplaria, ut ſi tibi videtur, alterum ad virum ampliſſimum & doctiſſimum D. Boſwellum, Regium apud vos Oratorem, ſive tuo ſive meo nomine cures. Sane hic tanto ſtudio excepta eſt hæc verſio, ut quamvis adhuc muſteus propè ſit liber, & à prælo calens, jam tamen de ſecunda editione cogitare incipiant. Etſi tu Anglicam non intelligas, non dubitavi tamen aliquem tibi iſtic amicum vel Anglum vel qui Anglicæ linguæ non ſit imperitus, cui novus liber munus ſit futurus non ingratum. Vale, & ocyus (ut hortenſe negotium à me expeditiùs curetur) reſcribere meum eſto.

Lond. V Idus Jan. 1636.

*Tuus,*

MER. CASAUBON.

## CCCLXIX.

# Abrahamo van der Mylio,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

SCis, conjunctiſſime Van der Myli, ab annis tot, ut aliquanto amplius ſit, quam tertiæ ætatis meæ pars, te amari à me plurimum, & æſtimari. Nec eo minus formido, ne propterea quod tot literis tuis, tam humanis, tam eruditis, non reſponderim. Niſi jam à doctiſſimo genero tuo Colvio, & aliis (ut reliquos mittam) in urbe veſtra degentibus, cognoris, quam pene mihi ex conſuetudine in naturam verterit, etiam amiciſſimis, etiam doctrina, vel dignitate clariſſimis, raro reſpondere, nempe vix aliter, niſi gravis, ac penè ſontica cauſa urgeat. Nec uſpiam magis hoc vitium meum dominatur, quam iis ubi mea res agitur, vel liberorum. In quo immane quantum differo à Mercuriali urbis hujus populo. Nulli autem tam grave quam optimæ uxori meæ: quæ ſi verum dicit, prorſus valetudinem perditum eo. Quid agam? Vix ab auditorio publico revenio, cùm ex urbe noſtra, ex aliis Bataviæ urbibus, ex Fœderatis terris, ex Britannia, Gallia, Germania, tractibus aliis compellor, idque ad nonam veſpertinam. Quare vix temporis aliquid ſupereſt vel ſtudiis propriis, vel literis ad amicos, niſi illud inter & ſecundam nocturnam. Tum duntaxat interpellatorem habeo neminem, interpellatricem ſubinde unicam, conjugem dico, ſæpius tamen interpellaturam, niſi ut ipſa ait, ſurdo caneret. Metuo interea ne immutandum mihi ſit iſtiuſmodi vivendi genus, modo vitalem mihi diu hanc vitam velim. Cogito ſeriò, & cogitabo porro, partim ut amantibus mei (quos inter illuſtrem ſcis te locum obtinere) ſatisfaciam magis, partim etiam, ut paulum temporis obtingat limandis illis, quæ annis pene XL non inutiliter mihi videor obſervaſſe. Tu vero nil

cogna-

cognate, beatus mihi videris, non quidem undique (quis enim omni ex parte felix?) attamen multis nominibus, inter cætera eo, quod plus otii ſuppetat præclarè, & cogitandis, & ſignandis rebus, animum omni alimonia dulcius paſturis. Atque hoc imprimis dictum velim, propter tuos contra non caros labores tuos, de Eccleſiæ concordia, quæ ſatis diu in propria ſæviit viſcera: ut tandem tempus ſit deſinere, ſi publici cura tangat ulla. Quod vero nec in hac ſæculi iniquitate, tam pulchram depoſueris cogitationem, mihi quidem gaudeo, tibi vero, & magis Eccleſiæ gaudeo; quam vel hoc argumento, colligo amari à Deo, etſi iſtis odiis, ac rixis multum degeneraſit. Deus tibi hanc bonam mentem eſſe perpetuam velit: Et ſimul pro pietate hac tua, non poteſt hanc vitam modo, ſed etiam dum his terris, teque tuoſque remuneretur. Quod tempus utinam liceat videre? ut tandem pacis amantes ſuus etiam maneat honos. Satis autem mirari non poſſum, ea ætate, ac in tam gravi negotio Eccleſiæ diſtrictiſſimo, etiam otium eſſe cogitandi ea, quæ ad arcana pertineant Naturæ. Atque ego quidem nihil magnopere adverſus ea habeo, præterquam quæ coram afferre memini: ſed denuò doctiſſimum Collegam Hortenſium collegi: Atque ut paucis, quid ſibi videretur, perſcriberet rogavi. Paruit quidem, ſed quàm tardè hinc æſtimes licet, quod nondum quartus eſt dies, ex quo reſponſum accepi. Atque hanc quoque cauſam eſſe ſcito, cur tardius acceperis meas. Nolebam enim ſcribere, quin per me, vel alium, ex parte ſaltem, æquiſſimo tuo poſtulato ſatisfacerem. Acceſſit valetudo incommodior ex catharro: quæ nec publicam aſcendere Cathedram hodiè ſivit. Eoque juſtius veniam dabis, filum hoc ſcriptionis abrumpenti: Etſi alia erant, de quibus, quia aliter non licet, ſaltem per literas colloqui liceret. Vale, Clariſſime cognate, & cum uxore lectiſſima, à me, mea, & liberis ſalve.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxvi, pr. Kal. Febr.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

## CCCLXX.

## Merico Caſaubono.

*Epiſtola familiaris, cui ſubiungit Dordrechtanos, Amſtelodamenſium exemplo illuſtre Gymnaſium inſtituiſſe: Ultrajectinos Scholam ſuam cum Academia commutaſſe.*

*Reverende Clariſſimeque Caſaubone*,

Literæ tuæ mihi redditæ ineunte Februario, pauloque poſt à Peiſteri procuratore pecunias recepi, quæ ex beneficio Regio menſe Septembri ſuperioris anni mihi ceſſerant. Has multo tu ante annumeratas, ut ex literis tuis video. Sed niſi ſpiſſe admodum ab hominibus illis peccetur, non ſoleo cum iis verba commutare. Nunc amice rogandus es, ut quantum in te eſt, pro veteri affectu erga me, procures, ut prima occaſione percipiam pecunias ſemeſtris ejus, quod exſpiravit menſe Martio anni hujus poſt milleſimum ſexcenteſimum trigeſimi ſexti; id mihi erit gratiſſimum. Quod acceptus tibi fuerit labor meus Grammaticus, gaudeo equidem. Uti & quod probes Annales Batavos filii mei Matthæi. Et ſane iisdem cordatis & eruditis omnibus impenſe hic placent. De ſtudiis noſtris ſcribam literis proximis: nam nunc nihil eorum ſub prælo; ſed excuduntur hic de veterum pictura libri tres affinis mei Franciſci Junii, ejus qui in ædibus agit Illuſtriſſimi Comitis Arundelii. Rerum novarum jam hic aut nihil, aut parvi ea momenti, eo excepto quod Scenckianum propugnaculum, inter Rheni & Vahalis fluenta ſitum, priori æſtate inſidiis ab hoſtibus interceptum, undique à noſtro ſit cinctum milite. Quippe Illuſtriſſimus Princeps Auriacus, ut fama perceperat, nova hoſtem opera Cliviano in agro qui ultra Vahalim ex adverſo jacet, moliri, illico Wilhelmo Naſſovio, exercitus, ut vulgo vocant, Mareſchallo, in mandatis dedit, ut quotquot militum occulto contrahere poſſet, quamprimum ad ea hoſtium conamina impedienda illuc perduceret. Quod graviter adeo ab eo factum, ut inopinantibus ſupervenires, & prius plures eorum fugam quàm arma cogitarent. Qui locorum munimentis, quæ Infans, ut appellant, Hiſpaniæ, ad retinendum Scenckianum propugnaculum fieri curarat, fidebant, poſt aliquot oppugnationes ceſſere, non exigua ante clade accepta. Solum Ferdinandi propugnaculum, in honorem Cardinalis Ferdinandi ſic vocitatum, cæteris opera & natura loci validius hoſtes retinuere, quia ad Tormentorum jactus, qui crebrò ab obſeſſis fierent, noſtri paterent. Hoc tamen ſimul incluſum nunc cum ipſo propugnaculo noſtrorum operibus, ita ut brevi urgente rerum penuria potituri illo loco videamur, quo Hollandi, Geldri, ac Ultrajectini carere nequeunt. Quippe commode adeo inde incurſus in haſce ditiones patet, ut niſi mature ſatis, cum interciperetur, alia fuiſſent oppoſita propugnacula, magnam ſuerint univerſi cladem accepturi. Subvenire nunc ſuis cogitant hoſtes. Sed tota adeo militum furore vaſtata eſt Clivia, ut pabulum equi, victum homines deſiderent, quos jam in Gueldra civitate equinis non abſtinere carnibus nunciatur. Hocque adeo ex eo evenit, quod Illuſtriſſimi Ordines qualecunque annonæ genus ex hoſtico in hoſticum prohiberi vetuerunt. Imo & interdictum ipſis agricolis, ne cibaria niſi uſum in diem coëmant, nec amplius quam ſuſtentandæ propriæ familiæ ſit opus. Reperiuntur tamen hic, qui auri fame inſatiabiles, adverſum ea nituntur, & occulto quicquid poſſunt avehant. Sed illorum jam ſex ſeptemve ſuſpenſis, cæteris haud dubie illorum caſus metum incutiet. Ita nunc hic ad cuncta adverſa fortunæ edocti, animadvertere incipiunt. Etiam rei maritimæ cura ex parte reſumpta, & navium præfectorum aliqui, qui oblata occaſione priori ætate Dunkerkanos non invaſerant, aut carceri ad viginti quinque annos addicti, aut exilio ad certum tempus pro delicti gravitate mulctati. Omne verò æs quod ipſis debebatur ærario inlatum. Quamvis autem ita hic cuncta armorum ſtrepitu reſonant, non tamen apud multos promovendorum literatorum amor ceſſat. Dordrechtani exemplo Amſtelodamenſium, Illuſtre Gymnaſium inſtituère, non quidem cum magnificis ſtipendiis, ſed prout potuit urbs honoratior quam ditior. Idem & factum ab Ultrajectinis, ſed illi conſenſu ejus loci Ordinum ſexto & viceſimo Martii die ad Academiæ dignitatem locum ſuum evexere: facta Profeſſoribus Doctorum creandorum poteſtate. Attamen in eo maximùm à cæteris Academiis differt, quod non ſuo Rectori, ſed ipſis urbis conſulibus ſtudioſi obedire cogantur; imo & illis immunitates negentur, quas pleraumque alus in locis habent. De his ſatis. Salutem plurimam optimæ uxori à me & meis omnibus. Item à me Reverendo D. Decano & optimorum doctiſſimorumque Fratrum cæteris.

Amſtelodami cIↃ IↃ c xxxvi, Kal. Apr. St. Nov.

*Tuus tuo merito*,

G. J. Vossius.

## CCCLXXI.

## Diderico Vlamingio,

Dom. ab Oſthorn,

S. P.

*Culpâ magiſtri ſtudia filii eius ſufflaminari indignatur, rationeſque reſarciendi damni præſcribit.*

Moleſtè me habuit, Nob. Ampliſſimeque Vir, quod filiorum, natu majoris, profectus in ſtudiis malignè adeo

adeo reſponderit votis noſtris. Sine circuitione, & ambagibus, apud virum tam cordatum loquar. Non minus ille, anno primo, promoviſſe debuerat, quam quarto, nunc exacto, contigiſſe video, doleoque. Sed factum nequit reddi infectum. Avolavit irreparabile tempus, optima optimæ ad ſtudia iſthæc ætatis pars. De cætero igitur, quod inſtat, agamus, ne itidem diſpereat, quod puero temporis divinâ ſupereſt bonitate. A voto ordiar. Utinam ſuppeteret bonus docendi pueritiam artifex, qui ſex ſeptem pares ætate, ac profectu, honeſte etiam eductos, imbueret Latinæ Linguæ atque liberalium artium primordiis. Huic, citra dubium, etiam aggregandi erant bini liberi tui. Nam in illa quadragenorum, aut plurium, una in Claſſe turba, & eorum quidem tam ingenio, profectu, moribus, etiam differentium, vix credi poteſt, quam minutum ſit illud, quod propter ſic diviſam Magiſtri curam, ad puerorum ſingulos redit quotidie. Nec propterea contendero, unum uni committi oportere, quod nonnulli tentant, ſed ſæpe infœliciter. Nam præterquam, quod res ea magnorum eſt ſumptuum, abeſt æmulatio, quæ ſtudia omnis ætatis, multum alit, & fovet. Et Linguæ præterea melius addiſcuntur allocutione multorum. Mediam igitur viam iniſti velim. Sed ſi paucorum adeo bonum ſub bono Doctore conſortium nequeat obtineri, (quippe in quo negotio plurium parentum conſtantis ſententiæ conſpiratio requiratur) eundum nobis erit, quo ivere Parens, Avus, Proavus, & ita porro Majores noſtri; hoc eſt ad Scholas Claſſicas quales habemus, ſi non quales optamus. Quamquam urbem veſtram, non eſt quod ſuarum pœniteat, ſi cum ſcholarum aliis conferantur. Sanè locum etiam hic habet illud Auguſti, Contenti ſimus hoc Catone: vel ſi ſic malis, duobus his Catonibus. Quare ſi in alterutram mitti tuos placet, equidem, quod me quidem judice, non leve adeo putandum, Voſſius hic, liberique ejus, in partem aliquam curæ iſtius venire ſunt paratiſſimi, in veſtræ ſpem gratiæ, quos adeo erga me benevolos, hactenus perſenſi. Sed ut video, metus eſt multorum, ne ſi liberi ſui propè adeo abſint à Parentibus ſuis, partim corrumpantur indulgentia Matrum, partim etiam conſortio conſanguineo, aliorumque æqualium familiari uſu: qui multos avocat, in urbe hac uſque adeò (quæ fœlicium civitatum infœlicitas eſſe ſolet) luxui dedita. De Heroina conjuge tua, aliud me ſperare ſuadent prudentes ejus ſermones. De iis qui puero noti, ac uſu conjuncti, nihil, quia mihi ignoti, dicere habeo. Sed ſi aliò mittere perſtat animus, non diſplicent Harlemum, ac Hardervicum. Illud quia propinquum, & eadem habet artis Grammaticæ præcepta, & ludi moderator, ab eruditione, & induſtria commendatur: Hoc verò, quia Gymnaſium ejus urbis, jam a multis annis, optimè audit, ac heſterna etiam die intellexi, ex Iſacio Pontano, viro utriuſque noſtri amantiſſimo, qui per hanc urbem Ultrajectum, ad generum tendebat, non incumbere iſtic præceptores partæ olim gloriæ, ſed id potius agere, ut augeant hujus nominis decus. Unum morari hoc conſilium poſſit, quod mutare ex parte Grammaticen cogeretur; ſed enim non uſque adeo variant, Batavica, & Hardervicena præcepta. Utraque enim Grammatica ex Lithocomo profluxit, etſi emendatores non eandem ubique inſiſtant viam. Præterea parum adeo eſt, quod in Grammaticis didicit filius, ut non multum neceſſe habeat dediſcere. Sanè examini intererant Cognati tui, Arlanderveniæ Dominus, & Bronchorſtius. Non præteritorum, & ſupinorum, doctrinam norat: quin nec ſatis callebat primam Grammatices pagellam. Utrum autem magis expediat, eum vivere, cum Dieſthio Theologo; an Acronio Ludimagiſtro, difficilè dixerim. Utrumque commendabat noſter Pontanus; de Dieſthio addebat, ſolere eum habere, in convictu, qui illuſtrem ſcholam frequentarent. In his negotium ei non optimè ſucceſſiſſe. Præferre igitur ætate ac profectu minores, qui facilius illi morem gerant. Fuſius iſta ſcripſi, ut eo facilius certi aliquid ſtatuere poſſis. Nec enim leve eſt negotium cariſſimorum pignorum, ubi de paranda agitur virtute, & doctrina. Moram diuturnam in deliberando non ſinit ætas puero procedens. Non minutum eſt, ſic, culpa Magiſtri, nequam periiſſe tibi aurum, & impenſas; ſed longè majus periiſſe ſic puero, auro magis aureum tempus. Tanto magis curandum, ut damni, quod factum, induſtria reſarciatur; ſcribebam iſta occupatiſſimus, ad occupatiſſimum: ſed loquaciorem fecit amor tui, tuorumque.

Amſtelodami,
CIϽ IϽ C XXXVI.
12. Aprilis

*Addictiſſimus tibi tuo merito,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCCLXXII.

## Conſtantino Huygenio.

*Grammatices ſuos labores aliquo apud ipſum loco haberi gaudet, nec diſſimulat graviora ex Eccleſiaſtica Hiſtoria multos præoptare, quorum poſt hæc ſpem facit.*

CUm nulli eorum, Nobiliſſime Huygeni, tuas qui virtutes ſingulares ſuo ſciant pretio æſtimare, cedere hac parte ſim paratus: plurimum tamen (cur diffitear?) vereor, ne interdum ſic de me cogites: O hominem ruſticum, qui nec geminis literis meis tam amicis, ab tam longo tempore ſcriptis, reſponderit hactenus? Hic ſi inter homines elegantiores vivere ſciret, nonne minutum quid ab ſtudiis, vel occupationibus, ſubſecaret, quo non avarus ejus temporis, leviter ſaltem ſatisfaceret? Equidem ſi alius ſic mecum ageret, Vir Præſtantiſſime, facilè in has cogitationes venirem. Eo juſtius ſuſpiciones tuas formido: quas minimè extimeſcerem, ſi ſatis me tibi notum arbitrarer. Noſſes enim vitæ hoc meæ genus, quod me invitum licet, in hos quaſi ſcopulos crebro illidit, adeo ut mihi prope ſolemne ſit peccare adverſus omnes, in epiſtolari hoc officio. Tam multi mihi hactenus veniam dedere, ut facilem etiam mihi, apud hominem tam intelligentem, veniam fore ſperem. Neque alia nunc excuſatione utar. Quod labores noſtros ſic prædicas, rem magis te dignam, quam meritis noſtris facis. Habent Commentationes meæ, quod ſe jactent laudibus tuis. Non quidem eas ſcripſerim rudis ab eruditione; ſed vix ſperare auſus eram, ejus doctrinæ, ac loci hominem, ſe demiſſurum in hæc Grammatices ſenticeta. Et propterea diligentior fueram, in annotandis rerum faſtigiis, quo doctiores iſta ſaltem luſtrarint, oculo fugitivo. Cogitabam mecum illud Bilbilici vatis:

*Lemmata quid quæris, cur ſint adſcripta, docebo,*
*Ut ſi malueris, Lemmata ſola legas.*

Sed ut video, opinione melius mihi apud te labor hic proceſſit. Atque idem de quibuſdam aliis ſummis viris diſſimulare non poſſum. Utinam de omnibus etiam amantibus noſtri, dicere idem liceat. Nempe argumentum his diſplicet. Nec diffitentur, magnum illum Hipponenſem Præſulem olim Grammaticen ſcripſiſſe: ſciunt & togatorum doctiſſimum, & ipſum Julium Cæſarem, virum bellica laude tam illuſtrem, de Analogia libros reliquiſſe; & quidquid de Auguſto, Claudio, cæteriſque affero, ſibi quoque probè perſpectum ajunt. At negant me ingraveſcente hac ætate, eaque de me hominum expectatione, ad minutias haſce, etſi non incurioſè tractatas, deſcendere debuiſſe. Rem magis me dignam, fore magis etiam utilem Eccleſiæ, ſi animo nulli affectui mancipato, eruere ad lucem antiquitates Eccleſiaſticas, multis adhuc tenebris involutas. Et ſanè hoc ſtudium fuit à prima adoleſcentia. Nec quidquam præter temporum iniquitatem paulum inde abſtraxit. Multa quoque in hoc genere, vel confecta jam habeo, vel affecta. Eo majori voluptate redeo nunc ad ſtudia meliora, quæ magis placitura confido, & tibi, & aliis itidem bonis. Gravioribus iſtis laſſus fortaſſe iterum revertar ad eruditionis ſtrumentum, ad nuces. Non tamen ea cura

ture reddat avis fera, ut domum redire obliviſcar. Niſi fortaſſe, ante me longus corripiat ſomnus. Quippe jam annum pulſo ſexageſimum, ut vitæ non ita multum ſupereſſe videatur; ſed hæc curæ erunt Imperatori ſummo, qui ubi è ſtatione hac noſtra avocabit, læti ad meliores ſedes avolabimus. Pertæſi etiam ineptiarum, quibus ſeſe, & alios diſcruciant, erudituli noſtri nihilo ſæpè amantiores bonæ mentis, quam infrunitum vulgus, cui facilius ignoſcas. Pereant ſtudia univerſa, ſi nos duntaxat gloriæ præſtant animalia, nec ad ſolidam pietatem, ac prudentiam ducunt. Scio te juxta mecum ſapere, Vir Nobiliſſime, eoque lubentius hanc querimoniam apud te depoſui, non quaſi mihi hic quidquam feratur, aut metatur, ſed quia me miſereſcat Ordinis noſtri. Sed de iſto ſatis, ne in Epiſtola hac videar velle rhetoricari. Vale, Nobiliſſime Huygeni, una cum Heroina Conjuge, ac familia univerſa.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxvi,
Id. April.

*Addictiſſimus nomini tuo,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXIII.

## Gerardus Joannes Voſſius, Joanni Beverovicio,

*Viro Clariſſimo,*

S. P. D.

*Librum de termino vitæ dono datum, novum veteris amoris indicium gratus interpretatur: materiam, de qua ſcripſiſſet, gravem eſſe & valde controverſam judicat, ſibi tamen eo acceptiorem, quod à Sancto vetuſtatis choro minimum recedat.*

INvitus à Colvio (meo an tuo dicam?) divellor, ſi in candore hoc meo, locum inveniret livor, non poſſem tamen Dordrechtanis boni quicquam invidere. Attamen ſi poſſem, puto, & injurato credes, è ſacro Ordine neminem me præoptaturum, Amſtelæ urbi præ Colvio hoc: Jure dixerim, quicum vivere amem; prope etiam porro συμπαιδάζειν, quicum obeam lubens. De honeſta illa, & erudita Beverovicii anima, idem cenſeo. Atque hoc par cum ſic diligam, merito lætor de amore, quo mutuo vos, & me pariter complectimini, eumque affectum, perennare vobis volo. Pro novo veteris hujus amoris indicio, capio etiam, quod dono tranſmiſeris operis de vitæ termino editionem iteratam cum acceſſione luculenta, quæ me valdè oblectavit. Debebit tibi poſteritas quod tot bona ingenia excitâris ad diſquirendum de hac re. Num placet, qui pomum Eridis, à te jactum prædicant, ſiquidem eſt hæc controverſia, ex iis, in quibus liceat diſſentire; dummodo nec Deo adimatur futurorum contingentium præſcientia: nec homini, arbitrii ſui libertas: quorum prius qui facit, Dei, qui alterum, hominis deſtruit naturam. Quomodo tamen hæc duo, & in iſto, quod ſub manibus habes, & in cæteris negotiis conſpirent, non cuivis promptum eſt dicere. Quare iſtoc ſanè ventilent homines acuti. Nos interea laboribus eorum ſuaviter fruemur, eoque avidius iis paſcemus animum, quia tuo, hoc eſt amiciſſimi hominis, epulo excipimur. Scias vero, nulla à te fercula apponi, quæ magis ſint ad guſtum meum, quam ubi video minimum recedi à ſancto vetuſtatis choro, αὐθεκαστίας καὶ ἰδιογνωμοσύνας jubeo ſibi habere res ſuas. Mihi quibus antiquitas deſipit, parum ipſi ſapere videntur. Reſponſum debeo conſanguineo meo Somerio, Collegæ tuo optimo & doctiſſimo; ſed dabo operam propediem, ut me exolvam. Salutabis meo nomine, plurimum, ante omnes vero, lectiſſimam uxorem tuam.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxvi,
7 Kal. Maias.

## CCCLXXIV.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Calandrini negotium ipſi commendat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſ.*

ADfuit mihi heſternâ die vir honeſtus, nec dignitati tuæ ignotus, Philippus Calandrinus; quem tum patruelis ſuus comitabatur, tum alter vir ut virtute, ita literis cultiſſimus, mihique perſamiliaris. Eorum uterque Calandrinianum mihi negotium eſſe commendatiſſimum exoptabat. Referebat vero Calandrinus, ut valdè cupiat ſuas literas in manus Auguſtiſſimi Regis Caroli pervenire: eoque id deſiderare impenſiùs, quia ignarus ſit, utrum priores, quas Magnatibus aliquibus miſit, redditæ ſint. Ex eodem intelligo, hoc in mandatis habere, ut monilia Regia quæ terris hiſce ſunt, Majeſtati Auguſtæ reſtituantur. Sed incaſſum ſe ait laborare, fruſtraque etiam operam de hinc inſumpturum, dum ſic ſunt Burlamachii res, nec eas hic pecunias recipit, de quibus ad Auguſtiſſimum Regem ſcribit. Neceſſum igitur eſt, ut ea ſumma de illa Burlamachiana detrahatur, poſteaque cedat in ſolutionem vel imminutionem pecuniæ quæ Burlamachio numeranda ſit à Sereniſſimo Rege. Agitur res non Calandrini modò, quem auxilio digniſſimum omnes arbitrantur; ſed etiam ornatiſſimi affinis ejus, viri à multis annis mihi cogniti, quem ob virtutem ab omnibus prædicari & æſtimari ſemper intellexi. Imo agitur negotium Regiæ ipſius Majeſtatis, cujus monilia ſe reſtituere poſſe Calandrinus deſperat, niſi precibus ſuis apud Sereniſſimum Regem relictus ſit locus. Intelligo Calandrinum, non ignaro te, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine, in Bataviam ad expediendum, Regium negotium profectum eſſe. Ac video eo plus præſidii collocare in bonitate & prudentia tua heroica, ne pariter mala gratia ſit apud optimum omnium Regum; ſimulque in ſui ac familiæ in gravem incidat probroſamque ruinam. Equidem fateor me his argumentis compulſum eſſe, ut has ad te, Illuſtriſſime Domine, literas darem, meaſque etiam preces ſociarem, quo facilius Calandrinus, voti ſui apud Sereniſſimum Regem compos fiat. Res eſt Deo acceptiſſima, erigere afflictos, tuæque id eximiæ dignitati conſuetudine diu jam in naturam vertit: quod tot beneficiis maximis ipſe obſtrictiſſimus facilius certiuſque poſſum prædicare. Neque in hoc negotio Calandrino ſolum auxiliares præbebis manus, vel etiam affini ejus: ſed multos quoque ſanguine ipſo, vel affinitate iis junctos (in quibus & aliqui ſtudiis & ſcriptis clariſſimi) æternum inclyto Regi Regnoque ac Illuſtriſſimo nomini tuo obſtringes. Omnes pariter oramus, ut Deus Opt. Max. Sereniſſimam Majeſtatem Regiam, ac pariter te, Reverendiſſime atque Illuſtriſſime Domine, Magnæ Britanniæ Regnis ac Eccleſiæ ſuæ permultos in annos conſervet, ſalvos & incolumes.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xxxvi,
VIII Kal. Iun.
St. Vet.

*Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi nominis tui devinctiſſimus pariter ac devotiſſimus cultor,*

G. J. Vossius.

Juſtum quia haſce literas argumentum complecti putarem, nihil nunc quidem, quod proximis fiet, de rebus meis

meis particulatim perſcribo; præterquam Reverendiſſimæ dignitatis tuæ literas probe mihi redditas, & infinitum debere quod ea cura, in ea dignitate, in illis occupationibus, mihi tantillo reſcribere non fueris gravatus.

---

## CCCLXXV.

### Salutem in Chriſto.

*Cauſam Calendrinianam curæ ſibi fore promittit.*

*Digniſſime Voſſi,*

Literas accepi tuas. Datæ ſunt ad 8. Kalend. Junias. Literæ prægnantes erant. Nam ex illis ſemel apertis prodiere literæ Calendrinianæ Regium nomen perferentes & petentes manum. Quas priores miſit neſcio. Has ſicut impenſius deſideratis & ille pro ſe & tu pro illo in manus Regias dedi.

Rex Sereniſſimus ut vidit quo tendebant literæ tradidit eas Secretario Domino Joanni Coco, à quo puto reſponſum poteſt Calendrinus expectare. Mihi enim nullum dedit Rex, nec ad me pertinet in rebus ad monilia & pecunias ſpectantibus reſponſa dare. Hoc tamen tibi auſim dicere, niſi admodum falſa mihi memoria nimis labilis ſuggerat, Calendrinus parum candide ſe geſſit, in negotio de monilium jocaliumque Regiorum reſtitutione. Nec hoc mihi tantum viſum eſt, ſed & aliis & ſummis quidem Regni Proceribus. Sed audio nunc fere ſuperatas eſſe illas difficultates, & ſi ita res ſit gaudeo. Sin aliter, non habeo quo te amplius detineam. Nam quo in loco res Burlamachianæ jam ſunt, ego planè neſcio. Scio quod ſcribis Calendrinum in Bataviam profectum ad expediendum Regium negotium. Si ille interim operam det ad impediendum ſub neſcio quali prætextu (ſicut nonnulli apud nos prudentes augurantur) quid eſt quod ego illi in gratiam præſtare poſſim? Spero meliora de perſona & familia, tam bene de te merente. Et ſi quid poſſim pro Calendrino, nihil prætermittam, ne occaſionem ipſam, ſemel ſi conſtiterit ſedulam illum Regio negotio navare operam. Hoc quamprimum volui te ſcire literas Calendrinianas in manus Regias perveniſſe. Vale.

Ex ædibus meis Lambeth, Iun. 9. Stilo noſtro, 1636.

*Sic jubet tibi amiciſſimus,*

W. CANT.

---

## CCCLXXVI.

*Reverendo, Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir Clar. Dom. & amice plur. obſervande,*

DOmum reverſus proſpero ſatis, per Dei gratiam, itinere, memoriaque repetens promiſſum filio Iſaaco Hannonis Periplum, nihil prius habui, quàm ut, quod receperam me facturum, præſtarem; fidemque meam liberarem, nec non literato filii tui deſiderio, quadantenus ſatisfacerem, mittendo exemplar Latinum juxta atque Græcum, illud quidem ex Interpretatione Conradi Geſneri, hoc verò ex Baſilienſi quod anno MDXXXIII prodiit, exemplari exſcriptum manu Patris mei τῦ μακαρίτε. Notæ ad Varronis Satyras, alia occaſione ad vos, ſi Deus volet, perferentur. Interim gratias, quas poſſum, habeo maximas pro inſigni erga me immerentem, humanitate, ac benevolentia, tot ac tantis beneficiis, jamdudum comprobata, quibus remunerandis etſi me longe imparem ſentiam, adeoque ratio accepti, atque expenſi hactenus, haudquaquam inter nos conveniat, remunerabo te tamen grato animo. Sanè voluntatem emetiar tibi abundè. Vale, Vir humaniſſime, cum tota familia, cui, atque imprimis uxori, multam à me ſalutem, ut dicas oro. Dominus Deus verus ille Ἀλεξίκακος, quam diutiſſimè vos omnes incolumes conſervet, ad Eccleſiæ, Patriæque ſalutem, atque ornamentum.

Dordraci, pridie Kal. Iunii, cIↄ Iↄ c xxxvi.

*R. T. obſervantiſſimus,*

JACOBUS LYDIUS.

---

## CCCLXXVII.

### Ludovico Crocio,

S. P.

***Diu quidem ſiluiſſe, nuſquam tamen claudicaſſe affectum ſuum profitetur, in illis promovendis, quos commendaſſet; nunquam tamen felicius ſucceſſiſſe, quàm nuper in Heilerſichio, qui fortunam ſuam multum commendatitiis ipſius debeat. Jam Heilerſichii munere Gronovium fungi narrat, quem non ſacris quidem, ſed literarum tamen ſtudiis Heilerſichio ſuperiorem laudat.***

DIc bona fide, doctiſſime, & quod majoris ego facio, mi optime Croci, utrum miraris magis, quod tuis, & præſtantiſſimi Willii literis compluribus, vir ego haud malus, & veſtri utriuſque amicus non è multis, non unius anni ſpatio neglexerim reſpondere: an quod nunc poſt ceſſationem veſtram ſponte, nullo etiam oblato ſcribendi argumento, Epiſtolam hanc mittam? Quid impulerit quæres; nempe non aliud, quam, quod cogitarem, non (venia ſit verbo) matulæ ſolum, ut in veteri dicto eſt, ſed incuriæ etiam modum eſſe oportere. Nec enim amicitiæ fiduciâ, ſemper licet eſſe negligenti. Vides, ut negligentiam ipſe hoc appellem; ſed hoc cùm facio, nulli injurius ſum præterquam mihi. Utcumque enim alius, incuriam hoc duxerit, probè tamen mihi conſcius ſum, nullius minus me fuiſſe (eorum dico, qui aliquid apud me poſſunt) quàm mei ipſius, idque jam à biennio, aut triennio. A mane ad veſperam ſalutor, compellor, diſtineor, ab nonnullis, commodo, & meo, & publico, à pluribus diſpendio, & meo, & Reipublicæ Literariæ, cui non poſſum præſtare, quod volo, & à multis annis pollicitus ſum, ſed utcumque videar incurioſus in amicorum rebus, quia non facile reſcribam, nihil tamen me induſtrium magis, in iis exequendis quæ poſtulor. Spero neuter veſtri conquereretur uſquam, claudicaſſe affectum meum, in illis promovendis, quos commendaſſetis. Non tamen fœlicius unquam ſucceſſit, quàm in Heilerſichio. Eum confeſtim deduxi in ædes ampliſſimi Michaëlis Pauwi, quem virum noris ſc.o, partim ex Parente Conſule, magni nominis, temporibus Synodi Dordrechtanæ, partim ex fratre Legato nunc, ab Illuſtriſſimis, fœderatæ Belgicæ Ordinibus, ad Chriſtianiſſimum Regem. Multum profectò veſtri amborum literis commendatitiis debet. Nam abſque illis eſſet, non in eam dixi domum veniſſet; unde auſpicato præfectus curæ, & inſtitutioni filii, quem unicum habet Illuſtriſſimus Arauſionenſium Princeps. Spero majores eum honores manere paulatim, quam ipſe exiſtimet: dummodo is porro erit, qui fuit, & fortuna ſemper ſua rectè uti ſciat. Nunc eo, quo Heilerſichius ante, munere fungitur Gronovius, non ſacris quidem, ſed literarum tamen ſtudiis, Heilerſichio ſuperior: nam bono judicio, ut de induſtria taceam, in optimis quibuſque Latinis ac

Græ-

Digitized by Google

Græciæ Scriptoribus eſt verſatus. Quod propediem fortaſſe teſtabuntur Criticarum Obſervationum Libri, quorum partem vidi pariter ac probavi. Magna omnino, & pulchra nobis, ab hoc ingenio ſperamus; ſed ecce jam Bibliopola veſter adeſt, cui has literas tradi oportet. Quare abrumpam; ſalutem dices plurimam Doctori Willio, quem talem hic comperi, ut non poſſim non amare; ſed & eruditiſſimo Cochio, cujus monumenta ſic ſalivam mihi movent, ut in iis illum reponam, qui magnum ab eruditis, ac imprimis a poſteris, pretium ſint relaturi, nec æquè aliquod deſiderem, quam ut pergat ſic de ſtudiis mereri. Et quid impedit quo minus ſalutem etiam adſcribam Clariſſimo Bergio? Viro raris virtutibus; ſed mihi illum, quam maxime commendat, quod intelligo, antiquitatis eum eſſe admodum amantem, nec triſtibus hiſce temporibus, affectu, ſed pretio ſui omnia æſtimare. Te quoque ſic animatum ſcio; planéque confido, nunquam te in hoc Eccleſiæ ſchiſmate, pacis, & concordiæ ſtudium velle deponere. Vale.

Amſtelodami, VI Id. Jun.

*Tuus & Collegarum tuorum ex animo amicus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCCLXXVIII.

*Viro maximo*

### Gerardo Joanni Voſſio,

### Johan. Fredericus Gronovius

**Salutem & obſervantiam.**

*De Salmaſio malè ſibi metuit, eò quòd promiſſis ac minis in Gallia ad ſimulandum urgeatur religionem, reditusque ipſi in Belgicam difficilis valdè efficiatur. Graſwinkelium obſervata ſua in Salluſtii bellum Catilinarium ad finem ferè perduxiſſe ait, à ſe verò poſtulare critica ſi quæ ſuppetant, operi addenda, quæ ut melius conficiantur MS. Voſſii codicem expetit.*

SAnctius eſt mihi otium tuum, quàm ut tralatitia ſalutatione id interpellem. Quia tamen aliquid de Salmaſio, ſcribi petieras, quod alios ſcire nollem, certè ſolus ſcire juſſus eram, his exaravi. Reverendo D. Riveto, gratiſſima fuit tua ſalutatio, atque hanc à me, tibi vicem reddi voluit. Is de Salmaſio hæc mihi. Emiſſarii Pontificis, rurſum variis ipſum pollicitationibus tentarunt, ut ad mutandam Religionem ipſum adducerent. Sed ille omnibus ſpretis, paravit ea quæ eſſent itineri: in quo non leve fuit, quod vix ullis rationibus, uxor expugnari potuit, ut reditum ad has terras pararet. Itaque tandem ipſe conſtituerat, reverti ſolus, ne quid Domini Curatores, in fide ipſius deſiderarent. Sed novum ecce de tranſverſo, quod nos omnes in maximum metum conjecit. Princeps Condæus ampliſſimam ipſi in Gallia dignitatem, cum lautiſſimo ſalario, obtulit hac conditione, ſi aliam ſimulare vellet Religionem. Cùm ille ſolita conſtantia id refutaret commotior paulo Princeps ceceſſit alio, ac ſtantem reliquit: mox reverſus; ſed ſi Rex id tibi det in Gallia ſtipendium, quod Lugduni accipis, eademque lege, & libertate, numquid habes rationis Patriæ te negandi? Ille rurſum proponere fidem datam, obligatamque apud DD. Curatores, quam infirmare nec fas eſſet, nec ſe, ut frangat, ulla ſpe, aut præmio propoſito, adductum iri. Iratus plane Princeps, inſalutatum reliquit, ac poſtero die, per quemdam ex amicis, ipſi ſignificari fecit, ni ille ultro maneret, atque acciperet conditionem, quam poſterius ipſi obtuliſſet, fore ut Decreto Regis Chriſtianiſſimi, Gallia egredi prohiberetur. Quæ res vehementem ipſi, omnibuſque ejus amicis attulit perturbationem, adeo ut ipſe, pater Catholicus, & uxor, quæ tantopere antea repugnaverat, unum hoc jam optabile habeant, liberum pedem patria efferre, & huc reverti. Hæc ex epiſtola ipſius ad Rivetum, quam ipſe mihi prælegebat, & Gallice ſcriptam interpretabatur. Hujus enim conſilium in re crepera expetebat; neque enim dubitabat, ſi illud Regis edictum conficeretur, res ipſius ad incitas redactum iri, certè πολλὰ χαίρειν dicendum eſſe iſti majorum ſimplicitati, cujus in Regnis non licet dicere nomen, veſtri libertatem vocant. Hæc forte non grata tibi, ſed nec mihi ipſi ſcribenti, opto ut in vino, & aqua ſcripta ſint; ut vovere ſolent, qui infauſtos nuntios habent de amoribus ſuis, Poëtæ. Vidi nuper Clar. Graſwinkeli noſtri obſervata ad Salluſtii bellum Catilinarium, affecta ferè, & quantum permittunt alia negotia, quæ nunc ipſi impoſita ſunt, propediem abſolvenda. Quamquam merè politica ſint, ipſeque abhorreat, à ſevera Critica; gratum fore tamen ſibi teſtatus eſt, ſi velut in epiſtolam conjicerem, quæ animadverſione digna haberem, quæ ipſius operi adderetur, ut ne hac in parte id mancum eſſet. Exiſtimo juvari me poſſe, ſcripto codice tuo, quem aliquando offerebas mihi, & peto ut appareat promiſſum, occaſione commoda. Neque enim properandum eſt, antequam nactus fidum fueris hominem cui theſaurum iſtum credere velis. At Coleri editionem & Notas petii à filio tuo. Eum quæſo cura, ut prima occaſione habeamus. Neque enim vidit eam antehac Graſwinkelius. Vale Clariſſime Virorum, & me ama.

Hagæ raptim, III Eid. Iun. Anno CIↃ IↃ CXXXVI.

Heinſii Epiſtola contra Balzacum cœpit excudi.

---

## CCCLXXIX.

*Epiſtola familiaris.*

CUm Soranus iſte Civis, Vir & amice præſtantiſſime, ad te iret, ſine meis eum Literis dimittendum non putavi. Tuas ſcriptas III Non. Jun. recte accepi: ſed non mea, quæ omnino exſpectabam. Quia vero nunc Typographus ſerio editionem inchoare velle dixit, libet ſaltem hâc vice etiam fidem ejus, experiri. Itaque exſpecto ſpecimen, quod promiſit: &, ut porro certa omnia exequatur, valde cupio. Mitto in eundem finem reliqua, ad Cretam quædam, ſuis locis inſerenda, quod ut per amanuenſem tuum cures, etiam atque etiam rogo. Filii annales legi; nec mirari ſatis poſſum, aut judicii in ætate Juvenili gravitatem, aut ſtyli quoque majeſtatem, Hiſtoriæ parem. Faveo naſcenti famæ, quantum quiſquam, & applaudo: pergat ſic cum bono Deo, magnum aliquando virum Patriæ daturus ſuæ. Tibi gratulor talem filium, & ut diu conſervet ſummum eum numen velit opto ac voveo. Peſtem invaleſcere doleo, ſed incolumem te tuoſque ſervaturum eſſe Deum confido: utque faciat ex animo precor neque ego id duntaxat, verum mea quoque & mei, qui vos omnes ex interiore animo ſalutamus.

Raptim Soræ ad diem XVIII. Jun. CIↃ IↃ CXXXVI.

*Tuus antiqua fide,*

JOH. MEURSIUS.

De Patriæ rebus fac me quæſo certiorem. Peſtis Leidæ denuo graſſari dicitur. Arlander-veniæ Domino, niſi grave eſt, multam à me ſalutem; dicito etiam Barlæo noſtro, Viro non è multis & amico veteri. Ubi videro Typographum ſerio manum operum editioni admovere, mittam Danicam Hiſtoriam. Dum cunctatur Civis noſter, commodum ſe offert nobis Joannes David Zurmerius; itaque utendum ejus opera exiſtimavi, hominis imprimis fidi, & utrique noſtrum amici. Iterum ſalve, atque vale, amicorum optime maxime.

## CCCLXXX.

*Ad Honoratiſſimum & Reverendiſſimum in Chriſto Patrem*

## Gulielmum,

Epiſc. Londin. & Magnum Angliæ Theſaurarium.

*Honorem Theſaurarii Regii amicè ipſi gratulatur.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Honoratiſſime Domine,*

QUod Theſauris te ſuis Præfectum voluerit Sereniſſimus Dominus optimus Regum Carolus, id ingenti me gaudio perfudit. Solum dolet tarde adeo id perveniſſe ad aures meas. Abſque doctiſſimo & amiciſſimo Goſſio eſſet, nunc etiam neſcirem. Sed ajunt poſt longiuſculum etiam intervallum gratulandi officium non ſolere eſſe ingratum. Quod ante igitur feciſſe mallem, id nunc demum ſerius quidem nec tamen ſerio minus facio, tantamque honoris acceſſionem fortunare volo non tibi modo tuiſque, ſed cum Eccleſiæ tum Regno Angliæ univerſo. Atque ita fore auguror, ſive ſpectem tum tuam pietatem, tum prudentiam, induſtriam, fidem, quibus in tractandis pecuniis Regiis opus eſt: ſive etiam cogitem cujus rei ex quo primo in Britannia pedem poſui, ignarus eſſe non potui, quanta tibi conjunctio animorum ſit cum heroe illo Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Guilhelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi. Hæc ſpem faciunt optimam, ſi minus ferrea hac ætate prorſus aureum redire Eccleſiæ ſeculum poſſit, habituros nos tamen tale, quod ab aureo propius abſit. Quocirca non deſinam una cum meis aſſiduè preces funditare ad Deum boni omnis fontem, ut tum Sereniſſimo & Auguſtiſſimo Regi meo Carolo, tum toti familiæ Regiæ, tum utrique etiam veſtri, tam nobili pari, ac porro aliis Eccleſiæ ac Regni antiſtitibus ad res Britannicas feliciter moderandas longam & proſperam vitam conſervet.

Amſtelodami, ciↄ Iↄ c xxxvi. v. Kal. Sextil. St. Vet.

*Reverendiſſimi & Honoratiſſimi nominis tui cultor devotus,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXXI.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Cauſſam Calandrini deſerit, doletque, quòd illâ moleſtiam ipſi aliquando creâſſet. Opera ſua, quæ vel confecta, vel affecta habeat, recenſet.*

*Reverendiſſime, in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

USum opera mea, an abuſum Calandrinum dicam, propè hæreo incertus. Saltem facile mihi perſuadere ſinam, egiſſe illum magis negotium ſuum, quam Sereniſſimi Regis. Negat ille quidem ſuum abs Regio poſſe divelli, de quo quid ſit neſcio: ſed vellem, cum operam meam poſtularet, candide magis aperuiſſet, quorſum iſtæc tenderent. Sed ipſi porro viderint; nec enim mihi ſeritur, qui Calandrinis nec teruncium acceptum unquam tuli. Sed illos potius ob ſummam facilitatem in commendando, habeo debendi reos. Interea dolet, quod in rebus nihil ad me pertinentibus moleſtiam tibi, Illuſtriſſime Domine, pepererim: quod fateor, verè eſt in Eccleſiæ imò & Regni negotia peccare.

Tandem Typographus aggreſſus eſt filii Maimonidem de Idololatria. Deinceps omnia ſpero liquidiora. Ne ſolitarius prodat, addam ei comitem de eodem argumento Diſſertationem noſtram. Qua ex opera noſtra ſpero lucis non parum capere poſſe veteres cùm τοὺς ἔξωθεν, tum imprimis Eccleſiæ Scriptores. Dum cætera majoris operæ molior, ſi ſic Illuſtriſſimo nomini etiam tuo videatur, publici juris faciam, duos de Baptiſmo Libros: de quibus memini me ante aliquot annos ſcribere. Prior majori ex parte antea editus, alter de Ritibus nunc demum proditurus. Abſolvi & tripartitum opus de Symbolo Apoſtolico, Athanaſiano & Conſtantinopolitano. In quæ præter alia, de eorum Auctoribus, & additione Conſtantinopolitano facta. Operoſior labor de temporibus Hebræorum uſque ad capta à Tito Hieroſolyma. Hic ut de cæteris, ita & de LXX. Danielis Hebdomadis diſſero. Quem & ipſum ſpero intra annum hunc lucem videre poſſe. Niſi prævertat labor alius, & ſæculo hoc utilis de Controverſiis inter Latinam Græcamque Eccleſiam. Atque in his propè omnibus crebra mihi ſed modeſta cum Baronio diſſertatio; ut grandioris operis ſint quædam quaſi σπαραγμάτια ac ſegmenta.

Cætera me ſpectantia, ubi otii tantum erit, cognoſces ex optimo doctiſſimoque Goſſio: cujus ego candorem ac pietatem magis magiſque amo & æſtimo. Nec facile ſatis prædicavero in eo, ut antiquitatis, ita rerum omnium præclarum cognoſcendi ardorem. Quæ ejus modeſtia eſt, ſperabat hac etiam parte ex converſatione nobiſcum aliquid ſuis ſtudiis incrementum. Eoque etſi perhoneſtè adeo à Nobilibus & Summatibus viris hic haberetur, ægrè tamen divellebatur; ſed qui ſuus non eſſet, alienis poſthabere propria debuit commoda.

Propitium numen Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine, longævam tibi & proſperam vitam largiatur.

Amſtelod. ciↄ Iↄ c xxxvi. Kal. Sext. St. Vet.

*Reverendiſſimi Illuſtriſſimique nominis tui cliens devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXXII.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Laudabili applaudit propoſito de revocando jure illo, quo Cantuarienſes Præſules in luſtrandis regni Anglicani Academiis olim uſi fuiſſent, bonaque multa exinde Britanniæ auguratur.*

*Reverendiſſime, in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

MIhi gaudeo, Britanniæ gratulor, Deo gratias ago, de immiſſa animo tuo cogitatione ſanctiſſima revocandi juris ejus, quo Reverendiſſimi Cantuarienſis Præſules jam ab antiquis temporibus in luſtrandis Regni Anglicani Academiis uti frui ſolent. Sane non corpora ſolum noſtra fluxa ac fragilia ſunt, ſed humana etiam inſtituta, licet optima, facile per incuriam in pejus vergunt. Eoque ad retinendum grande illud diſciplinæ bonum nihil exoptatius à Deo & Rege potuit evenire, quàm ut priſcum jus tanto præſuli reſtituatur, per eum potiſſimum labantibus moribus obviam eatur, cui ut ſacrorum ſic morum bonorum præcipue cura incumbit, quique ſic ſanctimoniam ab illis exigere ſciat; ut eadem præcedat cæteros. Sunt quidem florentiſſimæ Academiæ ambæ: ſed cura tua deinceps ſe vincent, ac pulchriores pulchrioreſque ſemper exurgent. Quod bonum ſuum ſapientiſſimi quique per ſe ſine dubio vident, ac magis & magis intelligent, nec ſolum noſtra ætas, ſed poſteritas etiam, ut ſui temporis emendatori gratias propterea ſemper aget. Prius qui me jucundiſſimo hoc negotio lætiſſimus

ſimus ipſe perfudit, optimus & doctiſſimus Goſſius noſter fuit. Is aliquamdiu ſtudiorum ergô hac in urbe egit, ac me uſus perfamiliariter; quia, quæ viri modeſtia eſt, arbitraretur, ſtudia etiam ſua ex nobis aliquid poſſe capere incrementi. Gaudeo me incidiſſe in amicum tam amantem bonæ mentis, & de quo non poſſim non optima quæque mihi augurari.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxvi.
Pr. Non. Sext. St. Vet.

## CCCLXXXIII.

### Salutem in Chriſto.

*Delata ſibi decreto Regis viſitandi Academias poteſtate, ut Academici ſub auſpicium ſtudiorum ea mox principia imbibant, quæ & Dei cultum & Eccleſiæ pacem & Academiarum honorem promoveant, operam ſe daturum, ac Goſſium rogatu Electoris Palatini gradum Profeſſoris in Theologia obtinuiſſe ſignificat.*

*Vir Clariſſime,*

LIteræ tuæ (prout ſemper ſunt) mihi gratiſſimæ fuerunt. Recepi eas per anni ferè abhinc ſpatium, ſed ut libere dicam quod veritas poſtulat, majora negotia quolibet ferè momento animum ſatis ad hoc officium propenſum plane ad alia avocârunt.

In illis gratularis huic Regno, mihique quod jus luſtrandi Academias Præſulibus Cantuarienſibus ab antiquis temporibus debitum revocavi. Opus ſane arduum & revocare quod diu intermiſſum, & exercere quod ſemper inviſum. Sed quum miſericordia Dei atque optimi Regis juſtitia poteſtas viſitandi Academias mihi & meis multis retro annis debita jam denuo decreta ſit, dabo operam & ſpero non inutilem ut Academiæ floreant & ut Academici moribus cultiores, doctrinâ politiores, Religione primævis temporibus conformiores evadant. Et ut ab ineuntibus ſtudiis ea principia imbibant, quæ & Dei cultum & Eccleſiæ pacem, & Academiarum honorem promoveant. Nec quicquam verius eſt quàm illud quod ſcribis humana inſtituta omnia, etiam optima, facile per incuriam in pejus vergere. Quid igitur fit, quum malitia nonnullorum qui inordinata tantum amant, aliorum incuriæ ſuperadditur?

Goſſius hic interfuit diu à receptis literis veſtris, ſed adeo occupatum me invenit expectatione adventus Regis & Reginæ, ut vacuum eum remittere neceſſe fuit. Gradum tantum Profeſſoris in Theologia obtinuit rogatu (juſſu i. e.) Frederici Principis Electoris Palatini, qui unà cum Rege Oxoniam petiit. Præco eſt Goſſius ille virtutum tuarum; nec immerito, ſenſit enim & fatetur quantum tibi devinctus ſit, dum Amſtelodami Muſis inſerviit.

De Calendrino nolo ego plura, & quod aperte ſatis in ſcriptis tuis video, tu forte de illo pauciora, ſi quæ mihi & tibi quoque innotuiſſent. Nolo tamen ut illud ullo modo moleſtiam tibi creare poſſit. Soleo enim ego quæ ab amicis tui ſimillimis in gratiam alicujus tertiæ perſonæ ſcripta ſunt ſacere ſi poſſim & juſta ſint, ſed deliberare ſi ſuſpecta. Ignoſcas quæſo moram harum literarum, & quando iterum placuerit ſcribere, ſperabo me poſſe, tu autem ſemper puta me velle multo citius reſponſum dare. Vale, & dum quotidie Deum colis, ſis, quæſo, memor in orationibus.

Datum ex ædibus Lambeth, Iunii 1637.

*Amici tui perquam fidelis,*

W. Cant.

Oro ut Globos terreſtrem & cœleſtem magnitudine ampliori, Topographia aliiſque deſcriptionibus eruditè delineatos, & pro more undique aptatos, placeat tibi emere & ad me mittere. Vir iſte mercator nobilis & mihi perquam gratus Job Harbye pretium tibi ſolvet. Solum cupio opera veſtra uti, ne fraudem patiatur in re illi non ſatis nota.

## CCCLXXXIV.

### Fortunato Plempio.

*Deteſtatur militum furorem, ac tàm crudeliter actum eſſe Thinis. De opere Fromondi, & Authore ipſo judicium ſuum profert.*

NEſcio, Clariſſime Plempi, utrum magis meis debeam occupationibus ſuccenſere, an potius moribus meis, hominis, (nec diffiteor) tardiſſimi in officio Epiſtolari. Abſque utroque horum eſſet, egone nihil hactenus reſpondiſſem Plempio? Viro tam ſuavis indolis, tam raræ doctrinæ, ejus etiam in Rep. literaria dignitatis? Quod ſi magnam aliis in humanitate tua, mihi & perſpectiſſima, fiduciam haberem, poſt tantam ceſſationem, deinceps quoque à ſcribendo abſtinerem, tantùm, quia putarem, ſerum eſſe officium hoc, neque aliorum eſſe ſimilem, qui contemptum hoc ſui interpretantes, plumbeas idcirco iras gererent. Sed mihi negotium cum Batavo, qui nunquam exuet ſimplices ac candidos ſuæ gentis mores. Ac talem ſe ſemper, mihi, & amicis, quos hic magno numero habes, exoptem. Videor mihi bellè ſatis negotium meum egiſſe, ſic me excuſando. Sed ſolusne Plempius candidus, in Voſſio candor deſideretur? Ne Deus ſinit. Quare, ne, non dico alius in me, ſed ipſe candorem deſiderem meum, cogor aliud apud te apertè promere, cur alteris literis tuis non reſponderim. Verbo dicam, puduit. Cur verò inquies? Meminiſti argumenti? Erat id de furore noſtrorum in Thinenſi oppido. Vix de eo ſcribere nunc ſuſtinet animus. Ubi horribilis iſte nuntius aures meas perculit primò, nihil fortunatum nobis ſperavi, uſque dum ſupplicibus votis, & ſeria delicti pœnitudine, Deum nobis propitium reddidiſſemus. Nec ſanè vel me, vel alios ſimiliter animatos, opinio fefellit. Scis ipſe, quæ ſint conſecuta, & melius longè nobis. Nec tibi, vel ullis, in Brabantia, magis ægre eſt, tam crudeliter (Scapham dixero Scapham) actum eſſe Thinis, quam Voſſio, & amicorum aliis. Nobis, nobis, ea res maximè detrimenti fuit. Nec tam Batavorum tuorûm hic culpa, quam Gallorum. Scio ut plerumque, quando res ſecius cadit, alter alteri impingere ſoleat culpam. Attamen exploratum mihi, prope omnem hic Gallis culpam tribui debere. Et tu, credo, nunc in eadem es ſententia. Non quaſi diffiteri velim fortaſſè, & gentis tuæ ſex ſeptem, vel plures, etiam, ſi ſic velis, Gallis fuiſſe immixtos. Etiam Bataviam ſcio habere, qui facile alieno, etſi peſſimo, rapiantur exemplo. Ad Principem quod attinet, ſi pietas non abſterruiſſet, ſaltem gloriæ ſtudium, Principibus omnibus innatum, non ſiviſſe, ſic licentiam Gallicam graſſari, modò in furore illo, ullus fuiſſet, vel rationi, vel authoritati, relictus locus, locumque non potius habuiſſet Poëtæ illud:

*Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.*

Necdum placere arbitror, ut filum abrumpam, ſed velle, ut aliquid addam de opere Clar. Fromondi, quo me, quo amicorum alios, ſummus vir donavit. Niſi mihi tecum homine tam candido, & cui tamen candore nolim cedere, ſermo foret, ſilentii tam longi, quam tamen nunc dicam, reticerem cauſam. Ipſe non abhorreo ab Origani opinione; quam ſatis probabilem, etiam judicavi; priuſquam aliquid Origani vidiſſem. Non tamen, ut alteram, Ptolemaicam dico, opinionem reſpuam. Scis quam difficulter à me impetrem, ut aliquid improbem, quod majorum comprobavit authoritas. In ſacris ſanè nunquam ab iis recedam, quæ conſenſu Eccleſiæ veteris comprobantur. Hic aliquanto alia ratio: Accedit quod tot Antiquis, ante Ariſtotelem, longè alia mens fuit. Et tamen Ptolemæi opinionem haudquaquam damno: ſolum exiſtimo eſſe hoc, inter Naturæ occulta, ac poſſe inter homines eruditos, de negotio illo diſquiri. Vis, & aliam ſilentii mei cauſam? Is qui adverſus doctiſſimum Fromondum ſentiat, Hortenſius eſt, Collega mihi in urbe tua patria conjunctiſſimus. Scis quæ hac

de

de re ſcripſerit: quædam ſcio affectu juvenili, ſed magis magiſque judicium creſcet; ut ſi res integra foret, eadem fortaſſè, aliter tamen fuerit dicturus. Interea multum pro dono debeo Fromondo: Legi lubenter, & legiſſe juvit, & perſtat animus, quem ſæpius apud te aperui; virum eſſe qui inter ſæculi noſtri Principes doctrinarum debeat reponi: planéque animo meo ægre eſt, quod deſinat vos beare, tam multis, quorum ſpem, in prioribus Reip. literariæ fecit. Hæc ego recens à funere veniens, chartæ ſubito mandabam, metu, ne ſi ultra differrem ſcribendi munus, tandem obrepere, etiam amiciſſimo homini, poſſet opinio, quaſi non idem abſens forem, qui coram eram. Tu verò contra ſic habe, clariſſime, & amiciſſime Plempi, me præclaras animi tui dotes, non amare ſolum & æſtimare; ſed etiam venerari, ac porro veneraturum ſemper, dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus. Salutem, ſi occaſio erit, clariſſimo Puteano dices; de filio cujus noſſe aveo, an jam è Sarmatia fuerit reverſus: Nam nihil à ſex ſeptem menſibus de eo cognovi; ita ut interdum metuam, ne quid ei in itinere humanitus evenerit. Si moleſtum non erit, vel ad me, vel ad Stapelium, tribus de eo verbis, perſcribes. Eximio etiam ſæculi hujus ornamento Tuldeno, ſalutem meo nomine impertias; ſed & ſummo viro Fromondo.

Amſtelodami,
clↄ Iↄ c xxxv,
III Eid. Sext.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXXV.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

NUnc demum forte territus literis tuis, excudere omnia tua Blauwius cœpit. Mavult enim cuncta, quam ſolum hactenus inedita. Et ſic expedit literarum ſtudiis, ut uno & altero volumine, vel tertio etiam, contineantur, quæ Vir illo ingenio, doctrina, induſtria bono elaboraſti publico. Salmaſius necdum è Galliis reverſus. Grandes ei honores offeruntur in Galliis; ſed videt non ſemper præſtari, quidquid promittitur: nec tanti ſunt æmuli ut eo non redeat ad nos. Scripſit adverſus Grotium Seldenus de Mari Libero. Reſcribit Illuſtrium Ordinum mandato Graſwinkelius J. C. Hagenſis, quondam meus Leidæ convictor, natus, ſi forte ſic magis noris, ex Baſia ſorore Baſii rationalis cameræ præfecti. Comes Mauritius ad Indos Orientales abiturus gubernator futurus eorum locorum. Vides quam illuſtres heroes nunc eum locum ſint obtenturi quam antea: nolo addere cætera. Scis me dicere, non quidem terræ filios, attamen nihil qui forent ad tantam proſapiam. Deus faxit ut bono ſit Reip. noſtræ. Pauwius Hollandiæ Syndicus & in Gallias ante biennium circiter Legatus quotidie expectatur; ſed in Syndici munere ei ſuffectus Catzius Dordrechtanus Syndicus. Ipſe fungetur munere, quod in rationali camera obtinuit prius. Fortaſſe Syndicus hujus urbis Borelius Venetias iturus Legatus revocato Domino de Lier; ſaltem honos is ei oblatus; ſed an uxor aſſenſura ſit, non ſatis conſtat. Nec enim aliquid invita hac velit. Deus Opt. Max. diutiſſime te tuis, nobis, imprimis publico conſervet. Optimæ tuæ uxori conjux mea ſalutem, filiæ filia, omnes nos omnibus vobis. Etiam CLL. VV. Laurembergio & Stephanio & cæteris porro Collegis plurimam dicito ſalutem. Raptim, ut ſoleo.

Amſtelodami,
clↄ Iↄ c xxxvi,
poſtr. Id Sext.
St. Nov.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXXVI.

## Gerardo Johanni Voſſio,

*Viro Maximo*

S. D.

## Johan. Fredericus Gronovius.

*Quantum ex Salluſtianis ejus profecerit, publicè aliquando ſe teſtaturum aſſeverat. Salmaſium propediem Belgica ad futurum ſperat. Quod de Benthemio bene mereri cogitet lætatur. Miſcellanea ſua edendi ſpem omnem decollare queritur. Graswinkelium juſſu Ordinum contra Seldenum pro libertate maris ſcribere confirmat.*

CUm in eo eſſem ut elegantiſſimis filii tui literis, reſponderem, nec opinanti, humaniſſimæ tuæ, ſupervenerunt; adeo gratæ mihi; ut ſacro eas oſculo adorarem, ſimul manum agnovi. Salluſtii omnes rectè mihi redditi ſunt, & nunc quoque bene pudiceque aſſervantur. Quid ego inde profecerim, non ſine prædicatione tuæ benignitatis, teſtabor fortè aliquando publicè, ſi tamen perrupero carceres, quibus nunc undique, & undique ne prodeam, neſcio quæ iniqua fortuna me circumvenit. Noſti, non infœcundos prorſus, nos eſſe nugatum, ſi in obſequentem materiam incidimus. Cl. Salmaſius, cum cura dicendus, nunc tandem bona fide, propediem adfuturus exſpectatur. Si mandatum Dominorum Curatorum, quo ipſum revocabant, veniſſet in manus ejus, antequam ſolvit è Galliis Ampliſſ. Legatus ab Hemſtede, non ultra nunc abſentem deſideraremus. Incidit etiam conſilia Principis Condæi, & aliorum magna Salmaſii cum lubentia, imminens Galliarum ſtatus, unde horribiles afferuntur nuntii, vobis proculdubio certiores. Itaque etſi dimiſerint eum, nec ullo nunc ſufflamine iſtiuſmodi inhibeatur, nonnihil terrent tamen pericula itinerum, quæ ubi numinis clementia, prudentiaque ſua evitandi rationem inierit, nihil erit propius, quam ut divinum, & exoptatiſſimum Heroem hic amplectamur. De Benthemio lætor oppido eſſe tibi in manibus, quo neceſſitates ejus ſubleventur. Eſt enim ille haud dubiè non indoctus, cæterum modeſtis moribus, inculpatæ vitæ juvenis: Parente natus valdè honeſto, proboque, & de Bremenſi Schola egregiè merito, qui plurimos eo beneficii genere juvit, quo tu nunc ejus filium. Quo magis dignus eſt, ut paternæ bonitatis, velut redhoſtimentum cernat, & ipſe benè moratus, de quo confirmem nunquam te commendationis tuæ pudorem habiturum, ut quidem hominem confirmare oportet. Quare ultrò meas preces, cum illius conjungo, ut de erudito, pudenti, & fortè Eccleſiæ Dei, olim profuturo juvene, quemadmodum ſoles, bene mereri velis. Miſcella noſtra, Papinianaque, quantum ab aliis ſtudiis reſpirare licet, quorum & locus hic, & rationes meæ me admonent, ingenti cumulo adaucta hic ſunt. Sed edendi quicquam nunc omnis ſpes mihi decollavit, poſtquam in Galliis, Salmaſius licet valdeadniſus, ut nunc ibi agitur, nihil impetrare potuit, & non ita pridem nova perfidia L. mihi illuſerunt. Interim monſtra librorum quotidie prodeunt, & ingenti cum gratia excipiuntur eorum, qui quidem præter titulum, & præfationem nihil legunt; Cæterum ſoli faciunt, ut gaudeat, qui ſcripſit. Sed heu! alia major infœlicitas mea, quis hic Bibliothecam tuam mihi reddit? Ego quidem etſi prolixus beneficiorum interpres ſum, & agnovi ſemper magnitudinem tuorum ergà me meritorum, tamen cùm maximè inopia ipſa me docet, quantum ſit, Voſſianæ Bibliothecæ uſu liberali perfrui. Promittebat nuper filius tuus Statii Gryphianum exemplar alicunde ſe nanciſci poſſe. Id nollem eum oblivioni tradidiſſe. Meus hic ſumptus ſit, ut & pro altero Colinei; operam mutuam imo majorem

ipſe,

ipſe, imo omnes è gente veſtra (ita de me meriti eſtis) gratiſſimo lubentique imperetis. Junii de Pictura veterum, an abſolutum ſit, aveo ſcire. Eſſet fortè ubi is liber uſui mihi eſſe poſſet, in Statianis meis. Magnus Rivetus te peramanter ἀσπάζεται. Ampliſſ. Graswinkelius ruſticatur, vel potius in rure vero, barbaroque, bellum gerit cum Seldeno, pro libertate maris. Verum eſt, cum juſſu Illuſtriſſ. Dominorum Ordinum id opus meditari: atque ipſe adeo hiſce oculis diploma vidi. Vale decus noſtrum, & literarum præcipuum, & ſalve cum ſanctiſſima Matrona tua, filiis, filiabus, familia.

Hagæ, ὡς τάχος, uti juſſeras, ad diem IV. Kal. Sept. Anno Chriſti cIↃ IↃ c XXXVI.

Vidiſti proculdubio librum nuper editum in æmulationem magni Charonenſis: vidiſti & non doles malè ſentire de bonis, qui ſic ſeipſum contemnit.

## CCCLXXXVII.

## Ludovico Crocio,

### Theologo,

### S. P.

*Epiſtola familiaris.*

Sic hactenus in animum induxi meum, Clariſſime Croci, etſi Epiſtolari officio fortaſsè ab aliis vinceret his terris; non tamen à quoquam ſuperari amore tui. Nam ſi quis alius videbar, eo te pretio æſtimare, quo dignum erat ſummis virtutibus tuis. At poſtquam, quos proximè de Theologia labores, juris feciſti publici, verſare per otium cœpi; etſi maximi ſemper fecerim, cogor tamen non paulo te ſublimiori loco collocare. Itaque me ipſum culpo, qui dum animus meus tam multis diſtrahitur, amicum non coluerim uti debui. Niſi fortaſsè nunc te ipſum hic ſuperâris. Quod ſi eſt, non video quomodo culpari meritò poſſim. Utcumque eſt, gratulor Eccleſiæ Dei ac Germaniæ imprimis veſtræ, quod te habeat, Deumque oro, ut diu te ſoſpitem conſervet. Atque id quidem eo juſtius facio, quia magno dolore conſpicio, tam in arctas copias cogi, qui benè de Eccleſia, non poſſint minus quam velint. Cum gemitu ſæpè mecum conſiderans ſtatum Eccleſiarum noſtrarum, dico, *fuimus Troes.* Tu & pauci ſimiles tui, quos ut aurei ſæculi reliquias colo, ſiſtere debetis exitium, quod minatur nobis, ſolidioris doctrinæ odium, aut contemptus. De me quidem ita habe, poſſe me concoquere malignitatem ſeculi, eorum imprimis, qui eſſe malunt imperiti, quam videri: paulo minus iſtorum, qui non eruditioni modo, ſed virtuti etiam bellum indixerunt. Etſi verò perjucundum mihi fuit, per ſe legere, doctum, & laborioſum opus tuum; tamen aliquid voluptatis inde etiam acceſſit, quod Voſſius tuus inter ſummos viros, quos celebras,

*Se quoque Principibus permiſtum agnovit Achivis.*

Exeuditur nunc Dionyſii mei τὸ μακαρίτου, Maimonides, de Idololatria, Latinè redditus, & notis illuſtratus. Comitem dabo Diſſertationem noſtram luculentam de eodem argumento; maxime de gentium cultu. Mittam ἀντίδωρον, ubi prodierint: uti & Cl. Cochio. Quem virum intelligo Franekeram, à vobis avocari. Credo non dimitteretis, ſi fortunæ eſſent Reip. veſtræ, quæ olim. Aureo eſſet ineſcandus hamo; quod fortaſsè tempora hæc non ſinunt. Virum amo, ac eadem mens erat filii, quod Maimonides ejus luculentis indiciis oſtendet. Sum ejus munificentiæ obſtrictus. Sed operam dabo, ut me exolvam. Collocutus ſum cum Bibliopolis noſtris, de ſummi, & amiciſſimi Martinii, heu quondam noſtri, Originum libris. Arridet argumentum. Sed prela aliis diſtinentur, & ſtatus Germaniæ, ubi id genus librorum diſtrahi ſolet, tardiores nunc facit. Magnam pacis ſpem faciunt aliqui. Majori commodo hæredum excudatur, ſi ea affulſerit. Sed tamen ulterius etiam tentabo, quid poſſim. Nihil enim laboris recuſem, propter liberos ejus viri, quem mortuum etiam amare nunquam deſinam. Vale. Plurimam ſalutem V V. Cl. dicito, Bergio, Williſio, Cochio, Cabeliawio.

Amſtelod. cIↃ IↃ c XXXVI. XI. Kal. Octobris.

## CCCLXXXVIII.

## Henrico Ernſtio,

### S. P.

*P. Syrio ejus quid fiat, exponit.*

Vir eruditiſſime, & quod non paulo majoris facio, integerrime, credisne me ignorare, mirari te, planeque eveniſſe, præter opinionem, quod compluribus Epiſtolis tuis hactenus non reſponderim? Sed ſine dubio, id in optimam partem interpretaberis; ſi ſcias, me hoc in vitæ genere non poſſe, quæ vellem, & propterea in Epiſtolari officio mirè eſſe tardum. Egone abſque illo eſſet, non ſcripſiſſem, ad Illuſtriſſimum Heroa Roſecranzium? Ne Deus ſirit, ut ejuſmodi moribus eſſem. Sed undecunque ad me querelæ; quas innocentiſſimus cogor concoquere, idque Spartana patientia. Nam crede mihi, durum mihi, quod nec aliis, nec mihi ipſi ſatisfaciam. Tanto tamen majoris te facio, quod nullæ in literis tuis querelæ. Tuæ profectò fuiſſent juſtiores, quam aliorum quorundam qui occupationes meas melius noſſe debebant. Niſi iſtæ obſtitiſſent, multa ingenii, & induſtriæ noſtræ monumenta, ſaltem pro modulo noſtro, exarata intra hoc triennium, amici, & literatus orbis vidiſſet. Schedæ P. Syri tui, ſedulo adeo cum Manuſcriptis collati à te, pudicè hactenus adſervatæ nobis. Utinam quod abitum paranti ajebam, triduum hic perſiſtere licuiſſet. Confectum habuiſſes negotium. Tardiorem poſtea fecit cariſſimi Dionyſii exceſſus, qui negotium receperat, & ejus iter in Hiſpaniam, cui dicandum opus videbatur; & moles occupationum, quâ ipſe urgebar. Tandem negotii hoc dedi filio Gerardo; qui & binos, ex Bibliotheca mea, codices Manuſcriptos, & aliunde alios nactus, aliquot etiam editiones veteres, tibi inviſas, ſtrenuè in eo ſcriptore operam impendit. Planè confido fore, ut intra hanc inſtantem hyemem, lucem videat, tuâ, & filii gloriâ. Salve eruditiſſime, & candidiſſime amice, ac amare nos perge.

Amſtelod. cIↃ IↃ c XXXVI. Prid. Non. Octobris.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## CCCLXXXIX.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Aubertus Miræus

### S. P. D.

*Chronicon ſuum Belgicum cenſura atque judicio ejus offert, & ut exemplar operis de Hiſtoricis Latinis ſuis ſumptibus ſibi tranſmittat, orat.*

*Vir Clariſſime,*

A Multis retrò annis, ingenii veſtri monumenta, vidi, & legi. Audaciam nunc ſumo ad te ſcribendi, quod

de tua ſingulari humanitate, nuper communis quidam amicus, multa coram prædicavit. Sed & exemplar unum, Chronici noſtri Belgici, unà cum Typo veteris Galliæ Belgicæ, & viarum in ea militarium tranſmitto: ut ſi tanti ſint, cum otio percurras, & libere cenſeas. Ego certè judicium veſtrum plurimi faciam, & magni id beneficii loco habebo. Poſt pauculos enim menſes, meditor alteram Chronici noſtri editionem: ideoque lubens audiam illius judicium, qui de tot Hiſtoricis, & Chronographis, publicam ſententiam tulit. Et verò diu eſt, quod exemplar veſtri libri, de Hiſtoricis Latinis, hìc quæro, nec venale reperio. Velim itaque meo ſumptu exemplar unum Antwerpiam, ad me mitti; & quicquid expenderis promptè refundam. Si quid porro ſit, in quo ego hic aut alibi, viciſſim tibi gratificari queam, operam omnem meam libens offero, & rogo ut de tuis ſtudiis, ac ſcriptionibus, præſertim Hiſtoricis, quibus ab ineunte ætate mirificè capior, ſubinde certiorem me reddas. Vale.

Raptim, Antwerp.
IV Idus Novemb.
CIↃ IↃ C XXXVI.

*Cl. Dominationis veſtræ ſtudioſiſſimus,*

AUBERTUS MIRÆUS.

---

## CCCXC.

*Quantum in Arabica lingua profecerit, & quæ ex Syria litteraria ſecum apportaverit ſpolia exponit, quid autem iis poſthac fieri velit, arbitrio ejus relinquit.*

*Inſigniſſime & Clariſſime Vir,*

QUin aliquam mei rationem (recordationem ſaltem) & adhuc habeas dubitare non ſinit ille, quem ante annos jam aliquam multos erga me profeſſus es amor. Nihil certe gratius in patriam reverſo poteſt accidere, quàm ut eum etiamnum non defeciſſe intelligam. Si rationem exacti in Syria temporis ut reddam (quod jure poteris) expectes, vereor ne mihi expediendo impar prorſus fuerim. In lingua Arabica exercitatior paulo ſi redierim; ſi tenui librorum Arabicorum ſupellectile ditatus, quid hìc tanti ut melioribus ſtudiis tot horas (ne annos dicam) ademiſſe non pudeat & pœniteat, niſi in his plus profeciſſem? Si tanto oneri pares eſſent humeri mei, ſunt penes me proverbiorum Arab. antiquorum ſex Chiliades, quas audacter dicam in lucem edi è re literaria eſſet. Eſt & hiſtoria quædam compendioſa à Creatione ad annum Hegiræ ultra 600. Saracenicæ iſti Erpenianæ & ſtili elegantia & judicio (ſi quid ego cenſeam) longe præferenda, cui in linguam Latinam transferendæ ni tenuitas me mea deterreret, libenter me accingerem. Sequi poſſent & alia. Et fieri forſan poteſt, Deo volente, vitamque & otium concedente, aliquid ſi tu quem ſtudiorum meorum fautorem & arbitrum elegerim, calculo & præceptis tuis animos addideris. Plurimum certe vigoris à candore & monitis tuis receptura ſunt ſtudia mea penè langueſcentia. Vale, magne literarum Antiſtes, & me amare perge.

Oxon. in C. C. C.
Decemb. 5. 1636.

*Dignitatis tuæ addictiſſimus,*

EDWARDUS POCOKE.

## CCCXCI.

*Viro maximo,*

### D. Gerhardo Joanni Voſſio,

### Johannes Fredericus Gronovius

Salutem & obſervantiam.

*Meliorem valetudinem gratulatur. Iſaaci Caſauboni epiſtolas Rivetum ſibi tradidiſſe, ut editionem earum curaret, ſignificat. Si quid habeat, quo amplius ornatiuſque opus reddi poſſit publico ne invideat, monet. Subito natium ſe occaſionem emittendi Statianam ſuam diatriben gaudet, in deploratiſſimo tamen Statii loco opem ejus ſollicitat.*

MUltis conteſtarer apud te, Vir maxime, graviſſimum dolorem meum, quo affectus ſum, ſimul accepi, valetudinem tuam tentatam eſſe: niſi gauderem nunc intemperantius, poſtquam priſtinas vires, ſanitatemque recuperaviſſe, omniaque in melius mutata intellexi. Cujus rei cauſa ex animo tibi gratulor, precorque Deum Opt. Max. ut hoc ſit proprium bonum, & talis Neſtoreos annos continues, pergaſque ingentia merita tua cumulare, docereque nos, quæ aliunde, aut ex alio diſcere non poſſumus. Ego per numinis gratiam, adhuc benè me habui, nec de ſolito fervore ſtudiorum, quicquam remiſi. Quod narro tibi, quia omnem ſectam, rationemque, vitæ meæ, non ſecus ac ſollicito patri filius, Ephemeridas, approbare geſtio: qui ea præcipuè de cauſâ magnorum Virorum notitiam, familiaritatemque appetii; ut ſub his quaſi cenſoribus agerem, ac voluptatum illecebras, quæ in hac ætate, bonis etiam immodeſtius interdum effervescunt, fallerem, aut metu aliquo continerem. Neſcio an in proximis meis ſignificaverim tibi, tradidiſſe mihi ſummum Virum And. Rivetum, Iſaaci Caſauboni Epiſtolas, magna pietate collectas, ut editionem earum curæ haberem. Eæ nunc cœptæ ſunt prælo dari, opus anxie exſpectatum, pluriſque identidem reconditæ eruditionis emblematis vermiculatum. Quod ſi unquam cum incomparabili Viro commercium literarum inſtituiſti, aut aliunde quod habes, quo amplius ornatiuſque id poſſit reddi; & nos optamus, & tuæ humanitatis eſt, nec nobis, nec publico latentes ejuſmodi Theſauros invideri. Ea quoque occaſione, cum jam omnis mihi ſpes decollaſſet, his in regionibus quæque edendi, ſubita alia occaſio affulſit Statianam diatriben emittendi è Veſtæ penetralibus. Uterque liber abſolutus erit, ante proximas nundinas, ſi Deus volet. Quæ in re unicum moleſtiſſime fero, quod nec cenſione, nec aliis ſubſidiis τοῦ πάνυ Salmaſii, exactior ante editionem, fieri poterit labor noſter. Jam enim duo menſes abierunt, ex quo, nihil de illo auditur, preceſque ad Deum allegamus, ut decus illud incomparabile, Leydenſi Academiæ reddat. Te aliquando rogaveram, ut videres, an aliquid opis, adferre poſſes deploratiſſimo loco, in Lib. III. Silv. Carm. II. quod eſt Propempticon Metii. *Sunt quibus exploret rupes gravis, arte Molochus.* Niſi autem tu, aut ille hoc faciatis, vix erit, ut ſpes ulla ſuperet. Et promiſeras ſanè: ſed multiplicia negotia tua, catenatæque occupationes, ne urgerem, me prohibuerunt. Nunc repeto promiſſum, rogoque ut unius horulæ ſpatium, iſti cogitationi impendas. Quod & perpetua humanitas tua, ſtudiumque benè merendi ſpondet. Et quia utcumque nunc cunctetis, olim in Originibus tuis, deſideratiſſimo opere, de voce *Molochus*, aliquid dicendum eſt, quantum eſt, ut in devotiſſimi tui cultoris gratiam id anticipes. Saluſtios tuos remittam, ſimul habebo, cui tutò & ſine ſumptu tuo, eos tradere poſſum. Haveo nunc inſpicere Dauſquei de Orthographia, veteris novique Latii librum, & Claudianum ex edit. Stephani Claverii. Illum certo ſcio tua in Bibliotheca eſſe: hunc arbitror.

trot. Multa enim ad hunc ſcriptorem notavimus, multa emendavimus, alter, quam in Rap. Scaliger, & ſua Barthius, immiſcuimuſque Statianis noſtris. Sed neſcio an quædam à Claverio ſint occupata. Vehementer itaque rogo, ut eos prima quaque occaſione per amicum, aut ſi non obveniret, per rhedarios ad me mittas. Brevis mora erit, dum utar: & ſalvos puroſque recipies. Potuiſſem alterum petere ab amico noſtro S. quem noſti. Sed ille abſentium amicorum, non tepore aliquo, ſed torpore, & ignavia, pæne dixeram, ſed apud te, prorſus incurioſus eſt. Incluſas ad Hardervicenſes Tabellarios, haud gravatim, per tuas curabis. Vale, præcipuum decus ſæculi noſtri, & ſalve cum lectiſſima matrona tua, filiis, filiabus, omni denique familia, meque ama.

Hagæ-Comitis, XIX Kal. Jan. An. CIↃ IↃ CXXXVII, quem feliciſſimum tibi, tuiſque, incipere, & decurrere, à Deo Optimo Maximo precor.

*Tui obſervantiſſimus,*

JOH. FRED. GRONOVIUS.

Jam clauſeram epiſtolam, ut latori traderem, cum ecce commodum, hæc occaſio obvenit libros tuos mittendi. Atque en quatuor Saluſtios: Nunc Silium Giuntæ adhuc ſervo. Pro Statio Colinei, pretium filio tuo Gerardo debeo. Libellum Gretſeri etiam meum, adhuc penes te eſſe credo. Sed hujus nunc non uſus, ut illorum, quos petii, & iterum peto, ut mittas quamprimum.

---

## CCCXCII.

*Illuſtriſſimo*

## Chriſ. Slupesky.

*Miſeriam Judæorum dolet, quòd ita violenter in Judæorum bona involetur; mallet potiùs ſedulam Chriſtianos iis convertendis, impendere operam, armiſque inſtructiores adverſus Judaicam pervicaciam eſſe: violenta tamen media magnopere abominatur.*

POſtquam, Illuſtriſſime Domine, cœleſte numen eripuit terris, quem mihi dulciſſimum dederat Dionyſium, ſæpius quidem propoſitum fuit, literis apud te teſtari dolorem, quem conceperam: ſed mox idem dolor retrahebat, quem ſic mihi refricaturus magis videbar. Nec potui facile à me impetrare, ut tibi quoque moleſtiam afferrem, ut coram affatim perſentimus, poſteaque perſpeximus ex luculentis literis tuis, quibus eum decreti in Orientem itineris comitem expetebas. Præterea neque his terris tam commoda ſcribendi Romam occaſio fuit. Adeo ut ne illud quidem ſciam an poſtremas noſtras acceperis, quas dederam ad Ampliſſimum Senatorem Venetum Dominicum Molinum. Nunc patriæ te redditum magnopere gaudeo: atque ut poſt longi temporis peregrinationem ei conſilio atque opera plurimum proſis, Deum, patrem luminum quæſo rogoque. Judæorum de quibus ſcribis, miſeret me prorſus: Quanto mallem ſedulo ut operam darent Chriſtiani iis convertendis. Hoc fine jam Thalmudicis & Rabbinicis totum ſe dare cœperat ὁ μακαρίτης Dionyſius meus. Nunc pleriſque omnibus terris mira eorum eſt paucitas, qui ſua tueri adverſus hanc gentem ſciant: pauciores etiam qui idonei videantur iis expugnandis: merito accuſamus Judæos pertinaciæ, ſed nec ipſi ſumus exſortes, quando apud noſtros propemodum jacent Orientis literæ, ſæpeque optimam cauſam luſoriis magis armis tutamur quàm decretoriis: quaſi hoc aliud ſit quam prodere veritatem. Non hoc ſcriberem niſi ſæpius obſervaſſem, quam levi amictu Judæi excant tela noſtra: atque id hac in urbe Amſtelodamenſi magis etiam cognovi quam ante. Quamobrem valde opto, ut quia multum metuo, ne & in florentiſſima alioqui gente Polonica, non multum abſimilis ratio ſit, ea pro authoritate qua magis & magis valebis apud tuos, in hoc prorſus incumbas, ut homines Chriſtiani armis ſint inſtructiores adverſus Judaicam pervicaciam. Spiritus Dei & Scripturæ ſunt pro nobis. Hæ volvendæ diu, noctuque ille exorandus. Apage malæ cauſæ tela, ignes, ferrum. Solus Dominus conſcientiis præeſt. Nihil hic Imperatorem poſſe, rectè olim Cæſar Maximilianus. Hæc eo lubentius ſcribo, quia hoc à vitio immunis eſt laudatiſſima natio veſtra. Spero & ab illo, quod nec falſis criminibus circumvenire velit, opum gratia quas ſæpe poſſident, ſubinde nec artibus bonis partas. O quam multa exempla nobis omnis ſuggerit hiſtoria calamitatum Judaicarum, quas perpeſſi nunc zelo ſacerdotum, ſed qui non eſſet ſecundum ſcientiam, nunc protervia vulgi, vel incitantibus vel conniventibus, quos minime oportebat; nunc avaritia principum & aulicorum, ubi res eorum prodigalitate ſunt abſumptæ: unde habeant, non quæritur: ſed habere oportet. Ne videar querimoniam vel accuſationem inſtituere falſo, complura tranſmiſi ex magni nominis ſcriptoribus exſcripta. Abunde illa arguunt quid fere impulerit ſive Chriſtianos ſive qui Chriſtianæ ſaltem religioni nomen dediſſent, ut ita in Judæorum bona involetur. Mea nihil intereſt quid in Polonia vel alibi rerum geratur. Sed horreſcit animus quoties cogito quam parum ſolliciti omnes ſumus de ſalute proximi; quem malis artibus noſtris magis avertimus à nobis, & ſimul ab æterna ſalute ſua, ſaltem quantum in nobis. O pulchra & nobilis anima mei Slupeskii, quàm te averſum à talibus exopto! imo prorſus confido. Nota enim mihi tum prudentia, tum pietas etiam tua quibus, dum hiſce ageres terris, poteram dicere, familiam ducebas: contentus ero illo, quod æqualium inferior eſſes nemine. Itaque nihil mihi mediocre de te ſpondeo, dum valetudinis neutiquam ferreæ majorem habeas rationem, quam cum apud nos eras. Alii Baccho & Venere eam perdebant, tu nimio ſtudiorum amore & ardore: ſicut medicorum & intelligentium judicio, plane eſſes ſufflaminandus. Nunc ætas, ut non dubito judicium per ſe acre, magis firmavit: Quare de iſto verbum non addam. Potius illud dicam, non ſolum ſic quia natura hoc fert mea, ſed etiam in tuæ ſpem gratiæ, nullum defore officii genus à me optimo & Illuſtriſſimo fratri tuo Floriano Slupeskio, quamdiu his terris agit. Atque utinam amplius poſſim. Hæc ſcripſi bella adeo occaſione oblata per Illuſtriſſimum Regis Poloni legatum, qui filium ſuum ſtudiorum ergo in urbe hac eſt relicturus. Vides ut perſeveret inclytæ veſtræ gentis judicium de Voſſio tuo. Nec dubito quin multum de nobis judicium auxerit tua & inclytæ familiæ tuæ æſtimatio. Tanto æternum devinctior ero. Uxor mea & liberi mei ſex (quippe & natu maximum fatum abſtulit) dum artus regit ſpiritus, tui ſemper memores erunt. Impenſe etiam ſalutant. Properante calamo in tantis occupationibus ſcribebam.

Amſtelodami. Anno Soſpitatoris noſtri CIↃ IↃ CXXXVII. XIII. Kal Jan.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCXCIII.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Johannes Elichmannus,

S. P. D.

*Quo pacto ex Arabicis nonnulla Græcorum cumprimis Laërtii loca emendari poſſint, oſtendit.*

EX vulnere, quod in communis amici immaturo funere ſenſit, Stapeliorum familia; ego quoque haud eximium dolorem cepi; tum quod τῷ μακαρίτῃ, raram in ſchola noſtra, diligentiam, & ingenuitatem, adamarem magnoperè, tum etiam ob incommodum, quod exinde circumvenit ampliſſimam Th... Nec dubito quin ad te hujus damni ſenſus pervenerit quoque imprimis. Novi enim quam calido affectu, & non ſine ſingulari judicio, is tuam nobiliſſimam Polymathiam proſequebatur conſtantiſſimè; novi etiam, & mecum novit literatus orbis, quàm impensè tu amare ſtudeas, ac fovere, literarum, atque artium cultum, atque cultores, & de noſtro μακαρίτῃ præſertim. Faciet aliquando ut ſpero, fidem, opus illud Poſthumum, ſi ut feciſti μαιεύσασθαι, ita nunc pergas ὀρφανίζειν. Et facit quidem tuæ εἰς τὸν μακαρίτην pietatis apud me opinio, ut æquiore animo feram, quod ut non acciderit, noſtris lacrymis, nunquam poſſumus efficere; ſolatium etiam percipio, cùm animo volvo perennaturam amici memoriam, cujus poſthumum fortuna manet, tam nobilis tutelæ. Licet autem ego præter amorem rerum cùm noſtratum, tum etiam elegantioris Scholæ publicatum, quod aliquid momenti ad earum curam, & ornatum poſſit afferre, penes me vix inveniam; molitus ſum tamen, nonnihil ad ornatum, jam dictæ editionis, ut Authoris deſiderio aliquo modo obſequerer. Ea res te habeat arbitrum nunc oportet, ac moderatorem; ideoque rogo, ni moleſtum ſit, aliquo reſponſo mihi edices, quod faciendum videbitur. Dixeram τῷ μακαρίτῃ me in volumine aliquo Arabico, inter legendum deprehendiſſe, ex Græcorum traditione de Thalete narrari quiddam aliter, quàm apud Laërtium, præcipuè quod ſcripta, quorum Author dicendus C. Th... Ille tunc ſtatim impellere, darem operam, ut & inde aliquid, novæ lucis ſuæ editioni accederet; quod promiſi futurum, ſi præterea quoque ſe offerrent, quæ varietatem eam, Illuſtriorem poſſent reddere, & contra Laërtii authoritatem, majus aliquod pondus adderent, novæ Antitheſi. Ceſſit autem ea res ex voto. Nam inveni in iis, quæ Arabes à Græcis habent, inter alia ad iſtum ſcopum, inſignem indicem omnium ſcriptorum Ariſtotelis, quem in Tr. de vita, morte, & teſtamento Ariſtotelis, ſecutus ſententiam Andronici Rhodii, ponit Ptolomæus ille, qui ſummus Philologus Peripateticus ſua ætate. Laudatur Longino, uti refert Porphyrius in vitâ Plotini. Iſtum indicem animus erat inſerere vitæ Th...... ex Arab. Interpretamentis petitæ; quia Ariſtoteli tribuit pleraque ſcripta, quæ apud Laërtium dicuntur eſſe Th...... Et ſic illorum ſententiam egregiè firmat, qui aliunde perſuaſi, apud Laërtium in Catalogum ſcriptorum Th...... multa temere intruſa, ibique redundare ſtatuunt. De his volui τὸν μακαρίτην, paulò antequam nobis ereptus eſſet te rogare, num placeret, ut hic unus aut alter denuò Typis Arabicis, cum Verſ. Lat. imprimeretur, qui operi poſſit præfigi, poſt textum Laërtii. Sed fata hoc judicium in te devolverunt, in quo ſi ceſſandum ſtatuas, parcam operæ quæ reſtat; paratus aliàs amici communis manibus fidem ſervare integram. De variis lectionibus ex tribus diverſis Manuſcriptis Vaticanis, ſpem quoque mihi fecerunt Holſtenius, & Donnatius, uti ex hujus (quo Leidæ ſum uſus familiariſſimè) literis addictis cognovit quoque, ὁ μακαρίτης, verùm quia tandem ſilent ad meas monitorias, ſpem quoque illam incipio amittere. Amicitia uti video, vitium Romæ facilè contrahit. Cæterùm moleſtus adhuc ero, ſi petam, quod vix abſque verecundia cogito. Verùm dabis veniam, ſpero, pro ſolita humanitate. Accepit à me mutuò ὁ μακαρίτης noſter, duos Libellos Joannis Lalemantii, alterum com. in lib. De Diebus criticis Galeni, Lyon 1560. 4o. Alterum, De Varia Anni Ratione, Ibidem, 1571. 8o. Vellem commoda occaſione moneri parentem τοῦ μακαρίτου, libros iſtos mihi eſſe reſtituendos, mutuò conceſſos à ſeſqui anno. A D. Salmaſio literas poſtremum accepi datas Cal. Decembris è portu Diepenſi, in quibus conqueritur, ſe toto bimeſtri ibi fruſtrà tranſitum opperiri. Ejus familia omnis cum tota ſupellectili, hìc jam fuit in tertium menſem. Comitari eam non potuit, ob naufragium vehementiſſimum, quod ipſe & uxor paſſi ſunt adeo, ut maluerint, relictâ ventis familiâ littus repetere; & ſecundiorem navigationem exſpectare. Hoc conſilium malè ceſſit hactenus, & quidem cum majore incommodo, quia nihil è nave ſecum ſumpſerant, earum rerum, quæ quotidie ſunt ad commoditatem vitæ neceſſariæ. Ignoſce, Vir Clariſſime, quod tam multis te fatigem, aut diſtineam. Unum adhuc addam, quod omnium eſt maximè cordi, me nimirum uti debeo, ſuſpicere te, ac colere, ob celebratiſſimam virtutem, atque eruditionem, quæ famam intermori tuam nunquam ſinent; optare etiam quamplurimùm, ut poſſint hujus obſervantiæ teſtes, tibi dare officia, quæ grata habeas. Ea interim dicabo, præſtiturus, ubi juſſeris. Vale, Vir Doctiſſime.

Dabam Leidæ Cal.
11. Januarii, 1637.

---

## CCCXCIV.

## Joanni Elichmanno,

## Ger. Joan. Voſſius

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

SI tam meus eſſem, quam vellem, Optime, & Præſtantiſſime Elichmanne, non ſiviſſem profectò, ut tu quoque acceſſio illis amicorum fieres, qui experimento ſuo didicere, quam tardus, nulla licet culpa mea, ſim in reſpondendo literis amicorum, longè licet gratiſſimis ſemper, ſæpe etiam caris adeo, ut auro contra caras non putarim. Hoc ſi perſuaſerim (& non vano homini fidem habere te confido) diuturnum hoc ſilentium meum in optimam capies partem. Magnum mihi dolorem attulit, obitus Stapelii noſtri, tum quia me fideli amico privatum, tum Theophraſti cauſſa; cujus editio ut video, non ea erit, quæ illo ſuperſtite fuiſſet; ſed ne infeliciter tamen exeat, curæ imprimis erit clariſſimo Gorvino. A me hac parte, non ita multum præſidii erit, qui ſi cum Stapelio τῷ μακαρίτῃ, & tecum veſtriſque ſimilibus comparer, tantummodo, ut in veteri eſt proverbio, inter Apia verſer. Nempe non omnia poſſumus omnes. Te verò etiam & etiam rogo, ut ea ex Arabico, & aliunde perficias, quæ ornandæ editioni novæ facere poſſint. Ad libros quod attinet, quos commodato à te habuit ὁ μακαρίτης, præſtabo, ne quid tui diſtrahatur auctione publica, quæ forum circa ferias Paſchales. Ut nunc repoſcam, neſcio an conſultum putes. Intra hoc ſemeſtre, quartum jam extulere, qui peſtilentia deceſſerit. Poſtremus intra hanc hebdomadem exceſſit. Vides ut nihil Podalirius, aut Machaon, nihil Hippocrates aut Galenus, adverſus τὸ θεῖον valeant. Si quid Salmaſius jam ha-

habuerit Stapelius, quod reſtitui oportent, quæſo tempori mone. Mihi res cordi erit, ne damno ſit humankas viri ſumma. Quem ego Leydæ redditum, ſic gaudeo, ut non facile dixerim: ſed ſcire aveo, quibus propediem, ingenii, doctrinæque fœtibus, Illuſtrem eam urbem, imo totam Bataviam potius, reddere cogitet illuſtriorem, indignantibus iis, qui virtutis viri, & doctrinæ ſe hoſtes, utcumque aliud videri volunt, abunde comprobant quotidie. Te quoque velim, tandem juris ea publici facere, quæ ſcio diu, ex Arabico, & aliis Orientis linguis obſervaſſe, eruditiſſimis etiam hactenus ignota: ſalutem plurimam dic viro, vel heroi incomparabili Salmaſio, ac familiæ ejus univerſæ. Utinam tempus videam, quo iterum Amſtelodamum præſentia ſua decoret: ſed de iſto, ipſe occaſione prima, ad eum ſcribam. Nunc propter frigus non auſim poſcere, ut excurrat, cum conjuge: ſed verna inſtat tempeſtas.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxvii, xviii Martii.

## CCCXCV.

*Studia ſua ne deſpiciat, conſtantique amore proſequatur, expetit.*

*Oratorum Summe, Philoſophorum Maxime, Belgicæ Varro,*

OPeribus tuis velut ſaccharo, & nectare dulciſſimo quotidie recreor: nam quæ ſcribuntur à te cuncta, tuum ſapiunt ſalem, ac te referunt. Hac ſapientia, facundia, artibus optimis ſatis inſtructus, ne deſpicias noſtra, quæ ſi mutila inveneris, hiulca, & nec ſatis excuſa, ea dele, reſeca. Si laudaveris conatus noſtros, gaudebo nimis, quia à te omniſcio, licet falsò merui laudari. Summe doleo quod unum exemplar non mittam, nam unum ſolum habui pro meo uſu. Ita avari ſunt Typographi, qui ſolum ſibi omnia aſſumunt. Amicus noſter D. Fontanus indicabit. Vale ergo bonarum artium ſpecimen, Plinius, aut a Lucius ipſe meus, meque amare perge.

a F. Luciſius.

Ex Muſæo noſtro 1636. die vero 2. April. Amſtel.

*Te reverenter colit,*

ZACUT. LUSITANUS, M.D.

## CCCXCVI.

### Claudio Salmaſio,

S. P.

*Reditum ex Galliis, atque equeſtrem & conſiliarii dignitatem à Rege ipſi collatam gratulatur. Gerardum filium notas interea & caſtigationes in Publii Syri ſententias ſcripſiſſe, refert, quas propediem ad eum elimandas miſſurus ſit.*

CUi has ad te literas dedi, is eſt Henricus Ernſtius, vir optimus & candidiſſimus, Canonicus Widburgenſis, juris antehac in Sorana Academia Profeſſor, ac ibidem Clariſſimi Johannis Meurſii Collega. Is nunc in Gallias abit, Ephorus Illuſtris & generoſi Comitis Woldemari filii Regis Daniæ ex nobiliſſima matre, ac quaſi uxore Regis, quippe conſentientibus regni proceribus adſcita, præviis etiam Sacerdotis ſolemnibus, non tamen in regni ſpem liberos datura, ſed honoris Comitatenſis, vel ſimilis. Nimium impar obſtabat genus, quo minus legitimæ prorſus uxoris loco haberetur; etſi hoc contubernium proxime ad juſtum connubium accederet. Hoc igitur Ernſtio cum filio regio ad vos eunte non potui committere, quin literularum aliquid exaratem, ſi non ob aliud, ſaltem ut reditum è Galliis gratularer, meumque teſtarer gaudium, quod cum lectiſſima conjuge ac liberis ſalvus ac ſoſpes ſis reverſus. Id jamdiu à me factum oportuit; ſed hebdomas aut amplius abierat, antequam de adventu cognoſcerem; poſteaque quia aliud magnopere quod ſcriberem nihil erat, malo meo more de die in diem differre cœpi, donec hæc ſe occaſio offerret. In edendo opere meo de origine & progreſſu Idololatriæ pervenit Typographus jam ad librum ſecundum. Filius Gerardus notas & caſtigationes ſcripſit in Publii Syri ſententias. Eas cum variantibus Ernſtii ante memorati Lectionibus in lucem dabit propediem. Antequam tamen excudantur, ad te mittet, quia ut intelligere ex te memini, cum MSS. ſedulo contulens, variaque obſervaris. Ea jam ante biennium liberaliter offerebas; ſed puto ſatius, ut prius videas, quid ſine Theſeo filius potuerit. Aveo ſcire quid potiſſimum nunc habeas ſub manibus; ſed hoc ſcribes cum ab aliis curis eris laſſus. Nulli ego ſcribendi laborem impoſuero, qui tantus ſum ipſe in ſcribendo ceſſator. Salutem à me & meis conjugi dicito.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxvii. xiii. Kal. Majas.

Per occupationes prope exciderat, addere, quod ſolum poterat juſtum eſſe ſcribendi ad te argumentum, lætari me plurimum, quod à Chriſtianiſſimo Rege decoratus ſis pro meritis tuis Equeſtri dignitate, & Conſiliarii titulo. Ringantur invidi magis etiam ſolito, dum tibi tantus honos totique familiæ tuæ perpetuus bene vertat; quod Deum oro rogoque. Vale.

## CCCXCVII.

### Merico Caſaubono,

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

SI tu, uxor, liberi valetis, gaudeo; ego & tota familia mea valemus. Jam menſes ſunt quatuor quod recepi pecunias, quarum debitio in Septembrem ſuperioris anni inciderat. Martio igitur anni hujus cIↄ Iↄ c xxx. ſeptimi deberi cœperunt proventus ſex menſium. Has ſpero jam à Reverendo & Ampliſſimo Quæſtore acceperis. Feceris igitur rem gratiſſimam, ſi per Peiſterum pro humanitate priſtina ad nos procures. Rerum novarum quas operæ ſit perſcribere nihil hic habemus. Multorum urit animos ingens damnum, quod ab Dunkerkanis ſingulis prope hebdomadibus accipitur. Non difficile adeo ſit huic malo indies gliſcenti obviam iri, nec tamen occurritur. Facilius ferretur, ſi merum eſſet infortunium: nunc latiſſima ſubeſt culpa: quæ penes quos reſideat non eſt hujus loci diſputare. Animi omnium hic valde ſunt ſuſpenſi, expectatione claſſis quam Sereniſſimus Rex Carolus parat, votumque prope omnium, ut ea Rex utatur ad reducendos in paternam ditionem Principes Palatinos Sereniſſima Bohemiæ Regina prognatos. Atque eo magis id optatur, quia ut novo etiam bello involvantur Auſtriaci magnopere Fœderatæ Belgicæ expediret. Solum metuitur ne ceſſetur, quia pace magis & magis floreſcant res Britannicæ. Claudius Salmaſius, poſt biennii & ulterius in Galliis, moram, rediit Leydam equeſtri dignitate & conſiliarii titulo à Chriſtianiſſimo Rege decoratus. Maimonides Dionyſii mei τοῦ μακαρίτου excuſus eſt, ſolâ præfatione exceptâ. Etiam liber primus operis mei de origine & progreſſu Idololatriæ jam eſt abſolutus: proximaque hebdomada alterum auſpicabitur Typographus. Intellexi jam prælum fervere Epiſtolis à Clariſſimo Parente tuo exaratis. Excuditur hic Hiſtoria Danica Meurſii, cujus & opera cætera voluminibus certis diſtincta ejuſdem



dem

by Google

dem Typographi induſtriâ prodibunt. Plurimum uxorem lectiſſimam ſalutat uxor mea, imo potius omnes mei tibi & tuis ſalutem adſcribi juſſerunt. Meo verò nomine præterea multa ſalute imperties Reverendum D. Decanum totumque noſtrum fratrum Collegium.

Amſtelodami, XII. Kal. Maji,
S. N. Anni hujus cIↃ IↃ c XXXVII.

---

CCCXCVIII.

*Illuſtri Viro,*

## Hugoni Grotio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Urget negotium in procuranda Noomſio Arlanderveniæ Domino equeſtri dignitate.*

QUi haſce ad te literas defert, is Henricus Ernſtius eſt, multum mihi amicus, ob eruditionem, & amorem illum quo doctos omnes proſequitur, longeque acceptior, ob eximiam animi integritatem, ſummumque candorem. Fuit is in Academia Sorana, ubi jus eſt profeſſus, Meurſii noſtri Collega. Sed Sereniſſimus Daniæ Rex, maxima probitate viri intellecta, voluit eum eſſe Ephorum filii ſui, Illuſtris Comitis Woldemari. Eſt is natus ex matre admodum nobili, quamque Rex prope uxoris habuerit loco. Nam, & conſentientibus eam Regni Proceribus adſcivit, & ſacerdotali interventu, conditioneque illa, ut naſcituri, Comitum eſſent titulo inſignes; cum ex legitima uxore prognati, in ſpem Regni educentur, & mox ducum titulo gaudeant. Sed de iſtis, ſi voles, plenius omnia cognoſces, ex Ephoro, qui gratiſſimum fore ajebat, ſi per ipſum potiſſimum aliquid ad te mitterem literarum. Hanc ego ſcribendi occaſionem eo avidius ſum amplexus, quia jamdiu officium neglexi, & Arlanderveniæ Dominus Guilhelmus Noomſius, interpellare non ceſſat, de alteris ad te literis exarandis, quibus nomine ejus rogem, ut ne gravatè onus illud procurandæ ei equeſtris dignitatis decus, ſuſcipere in te digneris. Multos ego id menſes facere neglexi, tantùm quia putarem, non admodum te capi negotiis hujuſcemodi, & probè meminiſſem jam antea te auctorem fuiſſe, ut potius hoc expoſceret à fœderatæ Belgicæ Legato, neceſſario, ac propinquo ſuo. Ajebat noſter, nec ſibi iſta excidiſſe: ſed non libenter ei in ulla re obnoxium fore: eo ad te iſſe, & quia ſuperioribus literis ſcripſiſſes, ſi opera illius propinqui ſui uteretur, & tua quoque commendatione opus videretur, non illi à te amici hominis officium defore: eo affectum ſe tuum ſibi ulterius etiam polliceri, in tantum, ut citra illius operam, quam nolit, haud gravatè id honori ejus ſis præſtiturus. Addebat quoque rem te facturum, non ipſi modo longè acceptiſſimam; ſed etiam amicis cæteris, præcipuè avunculis duobus, Domino ab Oſthoorn, & Conſulari Geelvinckio, nunc urbis Quæſtori. Et verum dicere ſcio; cum ſingulari eum amore complectantur. Nec ſanè ulli gravis vivit, comis, & humanus omnibus, etiam Graviæ familiæ peramicus; ſic ut mutuæ etiam ſint vocationes. Eo facilius confido, ſi abſque incommodo tuo poſſis, hanc ſuſcipies cogitationem; ſin aliis item denegaris, vel aliud ſit quod impediat, tribus id verbis perſcribes; ſi non ob aliud, ſaltem ne hoc ſcribendi officium, vel amiciſſimo homini, vel familiæ ejus videat negligentius egiſſe. Cætera ex alteris literis cognoſces, quas Hagam miſi, ut per Tabellarium citius perferantur. Nam de Ernſtio metui, ne in via moram trahat. Iis inter alia, hoc quoque Noomſianum negotium complector; ut celerius habeam, aliquid de mente tua polliceri, vel ſi id fieri commode non poſſit, aliam inſiſtat viam, ad quam ſcio non defore ei conſilium tuum. Illuſtri Conjugi tuæ & familiæ univerſæ, ego, uxor liberi, plurimam dicimus ſalutem.

Amſtelodami. cIↃ IↃ c XXXVII.
Prid. Kal. Majas, St. N.

---

CCCXCIX.

## Guilielmo,

Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Quanta anno ſuo climacterico paſſus fuerit, recenſet. Operis de Idololatria quandam exhibet delineationem. De rebus Scoticis anxie ſe ſollicitum profitetur.*

*Reverende in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

EXegi jam annum tertium ſupra ſexageſimum, quem climactera antiquitas dixit, ac facile negavit abire ſine animi & corporis offenſione. Mihi quidem cœpit à febri permoleſta; mox conſequebantur morbus Colicus & Nephritis; à quibus hactenus ſemper fueram immunis. Aliquantiſper huſce malis liberatus, amitto filiam unicam, & naturæ dotibus egregiam, & linguarum artiumque ſtudiis excultam. Nec multo poſt Deus ad ſe vocat Filium meum Gerardum, quem ego tanquam oculos, vel ſi quid his carius, amabam. Ingenium doctrinaque elucent ex caſtigationibus in Velleium jam editis. Ac propediem ejus Emendationes in Valerium Flaccum & Cenſorinum videbunt lucem. Extremo quem dixi anno morbus me invaſit articularis, & quem magis metuo, magnus corporis languor. Nec is in totum remiſit; videor tamen paulatim mihi vires recuperare. In opere de Religione Gentili & Phyſice Chriſtiana pauca ſolum folia ſuperſunt. In priori argumento Deos omnes, qui vel homines fuerint, vel pars aliqua hujus compagis naturalis. In poſteriori, excuſſi omnia de Cœlo, Elementis, Meteoris, Homine, Quadrupedibus, Avibus, Piſcibus, Serpentibus, Inſectis. Viſum hic ſiſtere; jam enim libri ſunt quatuor ſatis grandes, qui duos Tomos conſtituent. Nec tamen jam ante menſes duos juris publici fieri poterunt, quia indices erunt concinnandi, & Typographus meus aliis diſtinetur. Opera interim à me dabitur, ut quam citiſſime poſſim, tam diu promiſſa debitaque exſolvam. Multa antea de me retuli quæ non mediocriter me retardarunt, tum in Opere dicto ad umbilicum producendo, tum ſæpius ut officium meum erat, Reverendiſſimam Dignitatem tuam literis meis compellando. Sed ad mala alia acceſſit perpetua anxiaque ſollicitudo de rebus Scoticis. Novi ego mores & animos eorum, & ut quicquid poſſint, auſint, quibus in Sententiis & Ritibus Eccleſiæ novella omnia magis quam antiqua placent. Tum autem juſtus mihi metus eſt, ne in Anglia etiam, quos ſimile Sydus afflavit, nunc rebus ſuis deſint hac occaſione, nec vel his, vel iſtis, flabella in oris deerunt exteris: Alii quidem ſolius ſectæ amore, alii vero, quia intereſſe ſua exiſtimant diſtrahi & infringi vires Regni tam potentis florentiſque. Eo impenſius Deum Opt. Maximum oro quotidie, ut Sereniſſimum Regem Carolum Regum, qui hodie vivunt, optimum, prudentiæ & fortitudinis ſpiritu firmet, omniaque Achitopheli conſilia diſſipet. Te quoque Illuſtriſſime Domine, & quod majus duco, Eccleſiæ Catholicæ Antiſtes Reverendiſſime, precibus meis ſupremo numini commendo; quo porro vitam diutiſſime ſoſpitem ducas, præclareque de Eccleſia Dei, ut paratiſſimus es, in poſterum etiam annis plurimis mereare.

Amſtelod. cIↃ IↃ c XXXVII. Id. Majas.

*Reverendiſſimæ & Illuſtriſſimæ dignitatis tuæ cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

Am-

Ampliſſimus Miſſelden, qui ante annum vel ultra, Regii negotii ergò huc miſſus fuit, de Reverendiſſimo nomine tuo hic ſemper eſt locutus, & omni ubique ſermone melioribus ſe addictum partibus oſtendit. Id autem volupe mihi admodum fuit, & perſcribere antè volui, ſed impedierunt morbi & tot adverſa. Iterum vale, magnum Eccleſiæ columen, Præſul eminentiſſime.

---

## CCCC.

## Joachimo Borgeſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

ETſi variè ut ſoleo diſtringerer, Doctiſſime Borgeſi, minime tamen committendum putavi, ut Junia mea, ſine meis ad vos, literis rediret. Præſertim cum tuis tanto ante tempore ſcriptis, necdum reſponderim. Et tu interea de ſoceri mei nepote, uxore, & liberis meis, arctè adeo ſanguine conjuncto, benè mereri non ceſſes; majoraque etiam deinceps expectemus, poſtquam primam ille in claſſem adſcitus, ab tui unius ore pendebit. Puer agilis eſt, & amoeni ingenii. Sed ætatem noſti ceream prorſus in vitium flecti. Tanto ſtudioſius adlaborandum nobis, ne corruptis adeo temporibus alius fiat quam vellemus. Quod quidem non modo illi, matri, familiæ toti, etiam τοῖς μακαρίταις, patri, avoque: ſed univerſæ Eccleſiæ Dei, contumelioſum foret, in qua magnus avus, longè lateque, adeo virtutis, doctrinæque ſuæ radios ſparſit. In partibus adverſis, hoc Ithacus velit, & magni mercentur Atridæ. Quod cum juxta mecum pervideas, nihil neceſſe puto, pluribus tibi eum commendare. Malim ego, ſi meus magis forem, nec ſi momentis penè ſingulis avocarer, paulùm adtexere de ſtudiis noſtris, quæ pertinent vel ad ſacram, vel externam hiſtoriam. Nam & teomrigena ſic hiſtoria capit à multis retro annis, ut qui propius norint, digniſſimum cenſeant, qui in Academicis ſpatiis, de lumine tuo lumen accendas juventuti. Eoque cogitandum tibi, quomodo optimè aliquo ingenii doctrinæque monumento, conceptam de te opinionem foveas, atque augeas. In Baronianis ſpiſſè mihi negotium procedit. Sed jam excuſa dimidia pars operis noſtri, de Gentilis Idololatriæ origine & progreſſu. Quo in opere multa etiam ſacris illuſtrandis intercurrent; Franciſci Junii, Franciſci filii, diſcipuli tui patrui, opuſculum de Pictura bene eruditum, ad te mitto. Gratum fore confido. Vale.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxvii,
Non. Iun.

---

## CCCCI.

*Epiſtola familiaris. Præcipuè urget operum ſuorum editionem.*

LIteras tuas, Vir Præſtantiſſime, rectè accepi, hâc ipſâ horâ. Gratum mihi maximopere fuit videre Commentarium de re Grammaticâ, quem non dubito famæ tuæ reſponſurum: legam ubi compactus erit. Summæ ſane mihi voluptati fuit, cum viderem. Idem dixerim de Sophompanea Grotii, cui & ingenii hunc foetum gratulor, & honorem ſplendidæ Legationis. Faxit Deus ut fruatur diutiſſime: quod ex animo illi opto. De meorum operum editione adeo lenta fieri haud poteſt certe quin commovear: ſiquidem ut acrius promoveatur, non exiguum eſt cur velim. Quæſo urge ut facturum te confido, & ſi potes paulo certiora ſcribe per hunc, qui hæc tibi adfert: qui quandoquidem feſtinat finem nunc imponere cogor. De Rep. tecum ſentio, Deum Opt. Max. rogo uti porro fortunare eam velit. Vale diutiſſime cum uxore liberiſque quibus ego, uxor, mei plurimam ſalutem dicimus.

Soræ Danorum, ad diem
vii Junii, cIↄ Iↄ c xxxvii.

Quæ in dedicationibus mutare volui, quæſo ut obſerventur, & imprimis ut Typographus, quantum potuerit, maturet; nam Hiſtoriæ Danicæ libros decem quibus totum Pontani opus retractare juſſus fui, flagitant hic optimates atque docti; metuoque ſi nunciari veſtri pergant, ne excudi apud nos ſuperiores mei velint; quod & aliquod detrimentum Blavio ſit allaturum; ſic enixè etiam rogatum cupio ne neceſſitatem mihi hanc imponat. Iterum vale, mi Voſſi, animæ dimidium meæ. Præfationem ad Illuſtrem Dominum Cancellarium, quando Regi Sereniſſimo opus dedicandum erit concerpere poteris.

*Tuus*,

JOANNES MEURSIUS.

---

## CCCCII.

## Joanni Elichmanno.

*Commendatitia filii Iſaaci.*

*Clariſſime, & Amiciſſime Elichmanne,*

PAulùm hæſi, utrum hoc tempore, filium ad te mittere expediret. Et, me dubio, magis animi anceps uxor erat. Credo aliquid inaudieris, de infeſto unius, & alterius animo, erga me, meoſque. Mihi propterea animus non eſt, deſerere virtutem. Ero qui fui, utcumque illi ſint, qui fuere ſemper. Bene merendo de publico, ſimul etiam de ipſis, modo occaſio ſit, nos ulciſcemur. Nec alia animus vindicta uti. Majora exuperavi. Nec ut ſpero nimia iſtæc ſemper lenitas abalienabit à me viros bonos; quales non paucos habet Academia veſtra. Atque ut ego aliter fuiſſem animatus, Iſaacus meus ſic ardet Arabicæ Linguæ amore, ut difficile eſſet diutius detinere. Hunc igitur quaſi de manu, in manum trado. Poterit is uno alteroque menſe, opera tua uti, & præſtantiſſimi Golii, cujus ego, ut doctrinam, ſic virtutem, tot jam annos ſum expertus. Omnia mihi de illo polliceor. Atque ut ille fortaſſis, diebus Canicularibus domo, tu, qui abeſſe æque ab urbe nequis, filio multorum inſtar eris. Pluribus nihil nunc opus, quia pro literis uberioribus, ipſe filius erit viva Epiſtola. Magno Salmaſio, quem nemo unquam ſatis exiſtimaverit, plurimam ſalutem dices. Optimo item, doctiſſimoque Golio noſtro. Hoc tempore non onerabo pluribus, quia filio id negotii dedi.

Amſtelodami, cIↄ
Iↄ c xxxvii. xvi.
Kal. Quinctiles.

*Tuus totus*,

G. J. VOSSIUS.

Quibus Athenis olim μετοικία, in memoriam, quod cives tum ſedes ſuas mutaſſent. Nempe ut vides, eopſe die, quo & meus domicilium mutat. Sed ut ſpero, ad breve tempus, ne oneri ſimus, quanquam parati pariter omnia agere, in tuæ ſpem gratiæ.

CCCCIII.

## CCCCIII.

## Baltazari Willio,

S. Theol. & Philoſ. Doctori

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

QUamquam quod ſciberem nihil erat, non ingratum tamen fore putavi; ſi vel hoc ipſum potius ſcriberem, quam in ſilentio perſiſterem. Non ſemel à te literas accepi; ſed exiſtimavi, bellè me ſatisfacturum amicis, qui vitam, & occupationes meas noſſent, ſi eorum gratia facerem, quidquid poſſem. Itaque quem commendatum iſti, juvi qua parte potui, plura etiam facturus, in tuæ, Collegarumque ſpem gratiæ. De literis verò non diffiteor, ſi ſcribendæ illæ ſolum ſint, affectus teſtandi ergò, non item, quod grave aliquod negotium urgeat, tardiorem ea parte quam ego ſim, me noſſe neminem. Atque hoc facilè concedunt, qui ſciunt, quam à mane ad veſperum diſtringar. Nec aliud in cauſa eſt, cur tam multa, quæ in lucem exire amici expetant (quippe quæ confecta jam ſint, vel affecta) nihilominus cum blattis, & tineis rixari ſinam. Spero interim ſummum, intra menſes quatuor, opus meum, de cultu Gentium Idololatrico prodire poſſe. Eo multa etiam complectar, quæ ſcripturis faciant illuſtrandis. Vale optime, doctiſſimeque Willi, ac ſic tibi perſuade, nunquam fore, ut candidum illud Willii mei pectus, pectore excidat meo. Salutem plurimam, meo nomine, dicito Clariſſimis & Præſtantiſſimis Theologis, Crocio, Bergioque: quos amare, & æſtimare, nemo ſatis poſſit, niſi qui neſciat, quanti reformatarum hodie Eccleſiarum interſit, ut controverſiæ, quibus ſcindimur, manſueto potius Chriſti ſpiritu dirimantur, quam illo, qui nunc ſic in plurimis dominatur. Etiam ſalute impertias doctiſſimum Parentem tuum, ſi vitali, ut ſpero, aura fruatur. Tranſiit hanc urbem, ante menſem, vel amplius, Doctor Cabeliavius, ac compellatum me voluit: ſed domi non eram. Nunc utrum in Batavia ſit, an ad vos reverſus fuerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Iterum vale.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ CXXXVII. XIV. Kal. Quinctil.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCCIV.

*Viro maximo,*

## D. Gerhardo Johanni Voſſio,

## Joannes Fred. Gronovius

Salutem & obſervantiam.

*Caſauboni epiſtolas ad finem properare; Rivetum Apologiam pro B. Virgine ſub incude habere, certiorem facit.*

*Vir ſumme,*

CUm Præſtantiſſimus Chriſtenius noſter adveniſſet, ſub ipſum articulum temporis, quo perficiebatur Libellus meus, non potui eum dimittere, ſine exemplari, quod tibi perferret. Id tu quidem accipies, ut profectum ab homine obſervantiſſimo tui, quodque ſiquidem legere dignatus fueris, lima tua exornetur: non quaſi ego dignum judicem, ut eruditiſſimos oculos tuos ſubeat. Fortaſſe habebit interdum Gerhardus tuus, quo ſe delectet; atque utinam tam doctæ pueritiæ ſatisfacere potuiſſem. Illud fortè non opus eſt, ut addam, quum legeritis, & errores meos notaveritis, gratiſſimum futurum mihi, ſi de omnibus ſimpliciter monear. Noſtis enim ingenuitatem, & φιλομάθειαν meam; & is veſter erga me eſt amor, ut ab deriſu, & reprehenſione malignorum, veſtris monitis, & amica reprehenſione, ſecurum præſtare non ſitis gravaturi. Supereſt ut aurem tibi vellam, Vir amiciſſime, de Epiſtolis Is. Caſauboni ad Meurſium, tum de MSS. Ovidii, aut excerptis potiùs eorum, quæ cum hic eſſes, mihi promiſeratis, tuque puerque tuus. Vale, & ſalve, cum lectiſſima matrona tua, filiis, filiabus, totaque domo: & ama conatus noſtros, ut effectui impari ignoſcas.

Hagæ raptim, ad diem XVIII Kal. Iul. ann: Chr. cIɔ Iɔ CXXXVII.

*Tui nomini devotiſſimus,*

JOH. FRED. GRONOVIUS.

## CCCCV.

## Hugoni Grotio.

*Res Belgicæ maritimas propemodum peſſum ire dolet. Heinſium Sacris obſervationibus totum vacare ſcribit.*

*Illuſtriſſime Domine,*

QUi has ad te defert, eſt Joannes Mullenius, natione Danus, vir ſi alius, integræ, & inculpatæ vitæ, eoque Proceribus ſuæ gentis gratior, & acceptior; in his Illuſtriſſimo Roſekrantſio, cujus non degenerem filium, cura ſua dum Lugduni ageret, quod ante biennium, vel ultra fuit, doctrina longè reddidit auctiorem. Notus mihi, atque adeo amicus, pene eſt à ſeptennio, ut eo fidentius de illo judicium feram. Nunc aliorum adoleſcentum ſtudiis præeſt, ſed itidem è primaria nobilitate Danica. Is impensè ardebat deſiderio videndi, & compellandi tui; atque ad eam rem, putabat utiles ſibi fore literas ad te meas. Morem geſſi libens; quia gaudebam mihi ſic ſatis in ſcribendo, ſed nulla mea culpa, negligenti quodammodo neceſſitatem imponi aliquid exarandi. Et interea quid ſcripturus ſim vix ſcio. Nam publica tibi in ea dignitate conſtituto, aliunde melius, certiuſque innoteſcunt. Quale inter alia, ut res noſtræ maritimæ propemodum peſſum eant: non ſine magna indignatione multorum, non eorum modo, qui hunc fructum putant mutatæ ante annos quaſi duodeviginti Reipublicæ; ſed aliorum etiam, qui quotidiana propè damna ſua deplorant, & in facili remedio dolent negligi illud, ac mirabiliter, in ceſſationis ejus cauſas inquirunt. Heinſius in ſacris exercitationibus, jam ad Lucam devenit. Ac quo operi huic melius vacet, impetravit ab Ampliſſimis Curatoribus, ut aliquandiu non doceat publicè. Nobis non licet eſſe tam beatis; quibus quina de hebdomade Acroaſes incumbunt. Utrum vero elaboratiora daturus ſit, non niſi poſt menſes ſex ſeptem judicium fieri poterit. Nam ſevera adeo lege interdixit, ne excuſorum cuiquam videndi fiat poteſtas, ut hactenus, non niſi Philyram, adjutante amico, viderim. Sed alius eſt, ὁ πάνυ, qui plura conſpexit. Is negat, tanti eſſe quam jactitat. Utcunque eſt, hoc unum ſcio, eum in hoc ſacro ſtudio planè ὀψιμαθῆ, nec ſatis ab aliis quibuſdam ſtudiis inſtructum, neutiquam daturum, quæ tuis poſſint comparari. Quamobrem nihil æque deſidero, quam ut divini, in divino hoc argumento labores tui, aliquando, vel apud nos, vel ubicunque videant lucem. Opus noſtrum de Idololatria Gentium, vix intra menſes quatuor poterit abſolvi. Ita dies totos diſtrahor. Et ſimul aliqua hic culpa eſt noſtra, dum manum neſcimus de tabula tollere. Heroinæ conjugi tuæ ſalutem à nobis omnibus: etiam liberis, inque iis, omnium optatiſſimo juveni Petro tuo, modo is jam ad vos redierit.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ CXXXVII, VI Id. Quinctil.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

CCCCVI.

## CCCCVI.

# Hugoni Grotio

### S. P.

*Filium ejus Petrum redeuntem commendat. De Noomſii negotio denuò ipſum admonet. Libellos aliquot famoſos contra collegam Barlæum ſparſos eſſe indicat, quòd Manaſſis Judæi opuſculo de creatione carmen præpoſuiſſet, quo pietatem agnoſceret in homine Judæo, Deoque etiam ſervire fateretur, ſcripſiſſe quoque adverſus eum Vedelium librum de Deo Synagogæ.*

REdit ad vos, Illuſtriſſime Domine, filius Petrus Grotius juvenis, magnis animi dotibus, & quod ego in illo ingenio, illaque pro ætate doctrina palmarium cenſeo, moribus modeſtis, optiméque compoſitis. Quos quia paterno hauſtos exemplo, altos vero, à noverca tua injuſta, necdum tamen viris bonis penitus exhauſta, in Galliam ſecum adferet; nihil æque tecum optabo, quam ut ne illos eâ terrâ, bonis maliſque fœcunda, adoleſcentiæ, ſatis per ſe lubricæ, inſidiatrice, uti in diſcipulorum non paucis comperi, immutari ac corrumpi contingat. A quo tamen nihil verendum, quamdiu filius malorum fugere conſortium, & animum rebus agendis, vel ſtudiis occupare perget. Hactenus quidem in urbe noſtra, & aliis, optimè apud optimum quemque audit. Ipſo hoc eunte ad vos, de rebus meis pauciora ſcribam. Futurus ille pro viva Epiſtola; unde etiam ut plenius, ita jucundius omnia cognoſces. Salmaſii uxor auxit maritum prole femella. Excuditur ejus liber de re funebri. De Noomſio curæ fore ſpero, eo magis, quia gratus, acceptuſque non ſuis modò ſed illis etiam, quibus minimè exiſtimes. Οἶδας γὰρ τὴν ἐπιβουλὴν ἢ ἐνέδραν τοῦ προθύμου κατὰ τοῦ μεγαλοθύμου ut mittam cætera. Sin invitus illiuſmodi rebus impliceris, vel majoribus intentus, in tantillis debere ulli Gallorum nobis: Proximum eſt, ut conſilio juves. Malit ille per te fieri, nec cauſam ejus rei video. De Legato noſtro quod ante biennium monueras; afferebat cauſas cur ei debere nollet. Hæc ego urgente Aclandervenio Domino gnaris avunculis iterum perſcripſi. Sed ſi id nonniſi incommodo aliquo tuo confieri poſſit, ubi ego reſciero, ita rem tractabo, ut nulla offenſæ occaſio ſit. Menſibus proximis, libelli aliquot famoſi ſparſi fuerunt, imo palam divenditi; Alii adverſus Conſularem Oetgens Dominum à Waveren, ob affectatum Dominium Æmelandiæ: alii autem contra Collegam meum Barlæum, quod Manaſſis Judæi opuſculo de Creatione carmen præpoſuiſſet, quo pietatem etiam agnoſceret in homine Judæo, Deoquo etiam, ſervire fateretur. Nec libellis traduxiſſe horribiliter ſuffecit. Editus nunc adverſus eum, à Vedelio, Theologiæ apud Daventrienſes Profeſſore, liber cum hac inſcriptione, de Deo Synagogæ: ſumma ut intelligo eo redit, Deum negari ab illis, qui Chriſtum neſciunt, imo blaſphemant. Uxori à mea, liberis item à meis ſalutem.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxvii, $\frac{3}{12}$ Iul.

*Tuus ut ſuus,*

G. J. Vossius.

## CCCCVII.

*Illuſtriſſimo*

# Joannes Skytte.

*Obitum filii ipſius dolet, immortalem verò virtutum ejus memoriam fore confidit. Jo. Skytte alterum inſigniter laudat.*

ILluſtriſſime Domine, poſt exceſſum optimi & eruditiſſimi Dionyſii mei, qui totum ſe tum Deo, & ſtudiis, tum inclytæ familiæ veſtræ, atque adeo univerſæ Sueciæ regno devoverat, nihil æque mihi triſte accidit, ac nuncius de obitu Generoſiſſimi filii tui Joannis Skyttii, à cujus præclaris virtutibus cum maxima quæque exſpectaremus, diuturna etiam optaremus. In flore eum ætatis eripuit terris ſummus Imperator, qui cuique ſtationis ſuæ tempus adſignavit. In hoc tamen dolore non mediocri ſolatio mihi fuit, quod pulchram animam (nec melius poterat) patriæ & cauſæ quam Deus probaret, impendit. Eoque nomine ab noſtris etiam hominibus, ubi occaſio ſe obtulerit (fit autem hoc ſæpius) maxima cum laude memorari ſolet. Quod ſi filium Matthæum, uti nunc totus eſt, in temporibus Batavicæ antiquis, etiam, uti propoſitum habet, recentia deſcribere tempora Deus permittet, neutiquam ejus hiſtoria eximias Nobiliſſimi juvenis laudes conticeſcet. Quod enim majus hiſtoriæ decus, quam quod ſi promeritum cuique decus rependat? Ac vel me auctore idem his & aliis locis, facient alii, quibus pariter animus eſt res hujus temporis ad poſteros propagare. Res noſtræ mari non optime procedunt, culpa plane noſtra: qui vero in vitio ſint, varii varie diſſertant. Mihi non animus eſt movere hanc odii pleniſſimam Camarinam. Illuſtriſſimus Arauſionenſium Princeps ſic milite Bredam cinxit, ut ſolvendæ impar videatur hoſtilis exercitus. Galli in eo eſſe dicuntur, ut obſidione cingant Grevelingam in Flandria, quod ſi feliciter ſucceſſerit, multum terris hiſce commodabit. Ad privata quod attinet, uxor cariſſima, lectulo adfixa plane de valetudine etiam medici judicio periclitatur. Abſque quo eſſet, juvaret pluribus colloqui. Pauca tamen illa non potui non ſcribere, redeunte ad vos Nobiliſſimo juvene Joannes Skytte. Quem ego ſic amo ut paucos. Itaque avellor invitus. Sic ſane apud nos ſe geſſit ut exemplo eſſe poſſit. Nihil ejus moribus amabilius, nec ſiniſtri quicquam de eo ad me meorumve aures pervenit. Plane etiam confido fore, ut ſeſe probet abunde & variarum linguarum & hiſtoriæ omnigenæ & aliorum notitia, quæ ſic natum ornent juvenemque. Salve Illuſtriſſime Domine, cum Heroina conjuge, & ad maxima natus liberis optimis ac dulciſſimis, quorum mihi amor durabit, dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxvii, prid. Kal. Sextil.

## CCCCVIII.

*Præmiſſa meritorum grata recordatione, de Judæis ſibi quid ſtatuendum ſit, atque an juſtè Chriſtianorum infanticidæ proclamentur, exquirit.*

*Clariſſime atque Excellentiſſime Vir,*

RUmpendum tandem erit ſilentium, neque tamen & illud excuſare velim, quin potius deprecer ut à te veniam; quid enim dicam, aut quam excuſationem adferam tam diuturni ſilentii mei? Occupatior eram, defuit ſcribendi occaſio, vel materia. Scilicet ulla eſſe potuit tanta cura: difficile literarum commercium: aut deſtitutus unquam eſſe poſſum, quid ad te ſcribam, ad te inquam, Vir incomparabilis? Si nihil enim aliud, niſi tua erga me eximia merita propenſum illum animum, ſummam qua me complectebaris benevolentiam, commemorem; an non ſatis ampla & opulenta ſcribendi materia? quod ſi nunc meum tibi gratias referendi ſtudium, & promptiſſimam voluntatem teſtari velim; videnturne hæc vel longiſſimis literis poſſe comprehendi? Sane, ſi quid eſt, quod juſtæ excuſationis loco adferri mereatur; verecundia erit, quæ me ſæpius ad te ſcribere incipientem deterrebat. Nimirum, grave mihi admodum videbatur ad te ſcribere, à quo Latini ſermonis magna quondam hauſeram incrementa, cujus nunc jam pridem uſum poſthabui. Sic hærebam, atque à meipſo diffidebam; ſed vicit tandem officii neceſſitudo, vicit amor tui; ceſſit & ipſa verecundia pudori: pudebat

nempe tanto te tempore exigere à me ſcribendi officium, non tamen adhuc exegiſſe. Acceſſit hortator vehemens, tui, unà mecum, uti debet, amantiſſimus Germanus meus, quem ego, patria limina deſerentem, hac una re beatum judico, ac prope invideo quod te conſpecturus brevi amplexuruſque ſit; jamque mihi intueri videor illam tuam humanitatem, illos amores, quos illi exhibiturus es. Dabis igitur veniam, ſive quod tam diu ceſſatum à me ſit, ſive quod nunc audenter nimis te laceſſam literis. De me omnia, quæ voles ex fratre meo cognoſces; unum hoc ex me velim ſcias, neminem eſſe cui plus, libentiuſque quàm tibi, debeam: nihil eſſe, quod me magis ſollicitum habeat; quàm ut intelligas, in quem beneficia contuleris, cui operam tuam, cui tot labores impenderes. De te autem tuiſque qui valeas, quid agas aut potius quid orbi profuturum pares, ex tuis potiſſimum literis ſcire cupio. Hic finem facerem, ſed venit in mentem, quod nos anno proxime elapſo mirè omnes exercuit. Id ut tibi perſcribam, vel ipſa me cogit ſcribendi ad te dulcedo. Judæorum genus adeo diffudit ſe per univerſum hoc Regnum Poloniæ, ejuſque provincias, ut omnes pene inſederit urbes, oppida, villas, hac maxima in finitima Germania, bellorum tempeſtate. Tanta hæc multitudo, fieri non poteſt, quin multorum offendat animos, Mercatorum imprimis & Subditorum, qui Judæis ſubeſſe ægre ferunt, quibus eorum operæ à Nobilibus locari ſolent. Inde odia immortalia, perpetuæ de illis querelæ. Sed imprimis frequens eſt, quod reos deferant cædis infantium Chriſtianorum. Crimen, ſæpe nimis, quia impune licet, objectum, neſcio an unquam ſatis fuerit probatum. Proximo hoc anno Lublini, inventus à matre diu quæſitus puerulus, aquis ſubmerſus dexterâ aure præciſâ, veniſque omnibus acu apertis tenui; atque adeo ſupremo Regni noſtri Tribunalitio Lublinenſi judicio oblatus eſt: cunctorum mox animos ingens adverſus Judæos ſuſpicio pervadit; hinc ſine mora capti, quos violentiſſimæ præſumptiones urgebant, tormentiſque tam diu quæſiti, ut unus eorum vi doloris ſuperatus, paucos poſt dies obierit; cæteri tandem, quia fateri renuebant, dimiſſi: feciſſe tamen Judæos immane hoc homicidium publica fama eſt. Accuſatos, convictos, damnatoſque ob idem hoc crimen Tridenti Judæos ſcripſiſſe commemini Sabellicum, ex eoque refert in Annalibus ſuis Dlugiſſus noſter, quin & in veſtro Belgio, niſi me fallit memoria, accidiſſe, prodit Hiſtoria. Mirum ni nocentes ſunt, quos tanta toto orbe premit invidia, fama accuſat. Odione dicam Chriſtiani ſanguinis tantum eos patrare facinus; an quia forte opus ad remedia habent, aut ad ſua ſacra, ſive denique ad Magicas artes, quibus plerique impenſe delectantur? An dicam impleri maledictionem illam Moſis? Deut. 28. *Omni tempore calumniam ſuſtinentes.* Tu quid de toto hoc negotio ſentias, aut ſentiendum putes, rogo plene me doceas: tuum enim judicium in utramvis partem lubens ſequar. Sed vide, quo provectus ſum voluptate tecum loquendi. Ergo jam vale, mi ſuaviſſime Voſſi; meque amare perge; tum ſi quid in hac Epiſtola mea vel rude vel inconditum (vereor ne omnia) teneras & inſuetas talibus aures tuas offenderit, corrige, cæterum mihi ignoſcas precor. Iterum vale.

Dabam ex Rure meo paterno Klickoviæ. Prid. Kal. Aug. Ann. Sal. MDCXXXVII.

*Tui obſervantiſſimus,*

*Chr. Slupecius de Conary,*

*Secr. Ser. R. Poloniæ.*

## CCCCIX.

*Lectiſſimo Domino Doctori*

### Gerhardo Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori longè eminentiſſimo, Varroni verius nominando.

*Argumentum ſimile epiſtolæ* CCC XCV.

CUm nomen tuum toto terrarum orbe celeberrimum ad unguem contemplor, parum abeſt quin obſtupeſcam; mente enim capere nequeo, unde tantos ſcientiarum omnium theſauros exhaurias, doctrinâ, facundiâ, & omniſciâ eruditione refertiſſimos, quos in publicum mortalium uſum quotidie depromis. Nos milites puſilli, ſub vexillo fœcundiſſimo ſolertis ingenii tui ſtipendium facimus, ſcripta tua eruditiſſima venerantes. Ergo fortiſſimus Anteſignanus, rudia hæc, & inermia ne deſpicias: Imò corrigas rogo. Scio quam ſis rara indole præditus, & quam rectiſſimè de omnibus ſentias, amoreque genuino ſtudioſos proſequaris, & maximè me, qui authoritate tua, ſcripta ſua tuetur, munit, ac defendit, lege lib. 3. in com. hiſt. 47. Ad aras ſolertiſſimi ingenii tui, hæc prolegomena appendo, ut pretium quod ex ſe non habent inde poſſunt demereri. Vale ergo Belgicus Varro, & Zacutum tuum, te amantem, redama.

Amſtelodami, 1637 die vero Septemb. 3.

*Te veneratur*

ZACUTUS LUSITANUS, M. D.

Non poſſum remittere priora folia, hanc præfatiunculam lege, & parce meo tardo ingenio, quod ut aliud naturale agens, ultra meas activitatis ſuæ agere non poteſt.

---

## CCCCX.

*Viro incomparabili*

### Gerardo Joanni Voſſio,

In Amſtelrod. Gymnaſio Profeſſori celeberrimo.

*Commendatitia & familiaris.*

*Vir incomparabilis,*

POſt tot, tantaque tua in me officia, puto ambitioſum non eſſe, ſi amoris tui liberalitatem, inter amicos, lætiſſima prædicatione circumferam. Id quod facio libentiſſimè, & frequenter, quoties incido in homines, honeſtarum artium, modeſtæque pietatis amantes. Cæterùm cùm tam uberem, & penè immenſam eruditionem ingenio complexus ſis, nihil tamen in laudibus tuis, commemoro frequentius, quam ſanctiſſimos illos, & defæcatos mores, amoremque Religionis puriſſimæ, & innocentiæ. De qua quoties judicandum eſt, animum imperturbatum, ſine faſtu omni, ſine pugnandi libidine ſemper affers. Hæc tamen idcirco non ſcribo, quaſi tu non potius virtute tua, quam meis laudibus cenſeri velis: ſed ut oſtendam, quibus rebus motus, familiaris iſte meus, qui has tibi reddit, ad notitiam tuam pervenire cupiat. Ordinat is ſtudia nobiliſſimorum juvenum, quos ſui mores, & contubernium, mihi fecit amiciſſimos. Eos ſi benignè admiſeris, non tam te, id mea commendatione motum, facere arbitrabor, quàm quod in humanitate, ſemper tuos mores tenere ſoles. Porro de rebus meis prolixius dicet ἔτος ὁ γραμματοφόρος. Leidenſes frigore tactos, ipſe coram ſenſi, & nuper amicus monuit. Quid cauſæ ſit, facile

facile ſuſpicor. Habe ſummam culpæ meæ: ſemper ſordidum eſſe putavi mutuis adulationibus atteri. Maximè tamen inſidiatur exiſtimationi meæ ὁ δεῖνα nugaciſſimus, & fumo ſuo turgens. Quod mirum videri non debet, cum ingenti ſupercilio etiam viros maximos ad cenſuram vocet: adeo poſt emiſſas aliquot tumentes declamatiunculas ſibi bellus videtur. Si vixero, non tam paribus nugis hominem, quàm ſolida ſtudiorum, & cordata ſeveritate obruam. Idque jam ago ſedulò. Sed abeant iſta: fida Voſſiorum, & priſcæ integritatis amicitia, mille fricatorum, glorioſorumque mortalium, ſimulatis blanditiis, mihi contra cara non eſt. Fœliciſſimè vale, & ſalve cum univerſa familia, Vir maxime, meque amare perge, quæ meorum votorum ſumma eſt.

Col. Agrip. XVII. Sept. An. CIↃ IↃC XXXVII.

*Tuus,*

VINCENT. FABRICIUS.

## CCCCXI.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Uberrimas agit gratias quòd curam Saxonem ſuum edendi ſuſcipere velit. Poſt Saxonem, Quinctilianum, & ſuos in Oratorias eius inſtitutiones commentarios promittit, in quo opere ſi quid ad manus ſubſidii ſit, ut adjuvetur, variantes præcipuè lectiones ex MS. codice, qui Camerarii olim fuerit, benevolè communicetur, petit. De loco quodam Saxonis eum conſulit, ac quænam apud Valer. Max. ſit inſula Lachmiorum vel Lathmiorum, exquirit.*

*Clariſſime Vir, Amice fideliſſime, gratiâ conjunctiſſime,*

QUem in Daniam quotannis, Janſonius veſter librorum vendendorum cauſâ ſolet ablegare, exoptatiſſimo me beavit nuntio, quum ſub initium præteriti veris, apud nos conſueta exerceret commercia. Spem etenim fecit mihi non exiguam fore, ut tu Saxonis noſtri edendi curam in te ſuſcipere velles, tuaque ſuaſû Typographorum veſtratium quempiam eò adducere conſtitueres, qui nitidiſſimis typis, auguſtiore formâ, & prorſus ex voto meo, florentiſſimum hunc Scriptorem procuderet, ac divulgaret. Quod ſi his verbis ipſius indubitata conſtare fides debeat, & ſi tuo me rogatu, tam largis implevit promiſſis; uberrimæ profectò tibi debentur gratiæ, non tam à me, cujus honori ac famæ tantopere faves, quàm à bonis omnibus ac doctis, qui deſiderium Saxonis noſtri hactenus ægerrimè tulerunt. Biennium certè jam integrum eſt, quod incomparabilis ille Hiſtoricus, debito per me nitori reſtitutus, faventem Typographi alicujus operam fruſtra imploravit: quid igitur ſuavius, quid jucundius, quid auditu gratius unquam accidere mihi potuit, quam te talem, tantumque virum, diligenter curaturum, ut divinus hic author, ſplendidior, & ornatior, dias in luminis oras exeat? Edoceas me, quæſo, primâ quaque occaſione, quid ſperare habeam, & cuinam Saxonem excudendum tutò committere liceat. Quod me attinet, nullam planè laboris mercedem aliam poſtulo, quam ut viginti, aut ſummùm triginta exemplaria Typographus mihi impertiat, ut primùm lucem viderit nova editio. Poſt Saxonem editum, proximam ſibi curam vindicabit Quinctilianus; in cujus duodecim Inſtitutionum Oratoriarum, totidem Commentariorum libros pænè affectos habeo. Sed quia animadverti te in libris de Arte Grammatica, parte ultimâ pag. 202, ad partes vocare membranas quaſdam MS. Quinctiliani, quæ olim Joachimi Camerarii fuerunt; omnibus abs te precibus contendo, ut variantes Lectiones ex codice iſto excerptas mecum benevole communices, & ſi quid inſuper ad manum ſit ſubſidii, eâ quâ ſoles humanitate, ſuppedites. Id quod ego olim beneficium grato animo ingenuè profitebor. Præterea quoniam frontem jam apud te deponere cœpi, per amorem iſtum quo me complectens, rogo, atque obſecro, ut libros hoſce omnes, & ſingulos, quorum in adjunctâ ſchedulâ, notatos vides titulos, per filios tuos, vel in auctione quâdam, vel ſi in Bibliopoliis reperiantur, meam in gratiam, quocumque tandem pretio, iſthic coëmas; nullus dubitans, quin quicquid meo nomine argenti expoſueris, eâ quâ par eſt εὐχαριστίᾳ tibi reſtituam. Cæterum liceatne mihi jure amicitiæ noſtræ tecum expoſtulare, quod clariſſimo viro, & communi amico noſtro, D. Meurſio, tot ſubinde variorum opera, recens edita, tranſmiſeris, me præterito, quem non minus, in intimam familiaritatem admittere dignatus es? Habet à te Reidanum filii tui, τοῦ μακαρίτου, habet alterius Annales Hollandicos, habet tuas Inſtitutiones Grammaticas, Franc. Junii de Picturâ veterum libros, & quid non? Nobis non licet eſſe tam beatis? Verum emenda, quæſo te; niſi Muſas meas iratas habere, tibi copias. Imprimis fac tractatum tuum, de Hiſtoricis Latinis, juxta ac libros de Arte Grammatica, quamprimùm à te habeam, quibus vehementer indigeo: finem ſcribendi faciam, ubi unum, alterumve propoſuero. Locus eſt Saxonis, me judice, valdè corruptus, qui extat Hiſt. Danicæ lib. VII, pag. edit. Francofurtenſis 123.

*En pia progenies trucibus concurrere telis*
*Auſa peris, ſudo prognati ſanguine fratres*
*Illata ſibi cade ruunt.* ——

Ubi quid *Sudus Sanguis* ſignificet, non ſatis intelligo. Ego *Socio* legerem; niſi mox ſequeretur: *Exitiale malum ſocio Styga funere viſent.* Tu mihi ſis Apollo. Deinde edoceas me rogo, quænam ſit *Inſula Lachmiorum*, vel *Lathmiorum*, cujus meminit Valerius Maximus, lib. VIII, cap. XIII. Exemp. extern. VII, ſub finem. Ejus etenim mentio apud Geographos nulla, quod ſciam, occurrit. Vale, decus Belgii, & deliciæ literati orbis, & cum omnibus, qui circa te ſunt, æternum ſalve.

Soræ, ad diem XXVIII Sept. CIↃ IↃCXXXVII.

*Tuus omni affectu & officio,*

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

Quas heic adjunxi literas, velim per te rectè curentur. Viden' os hominis?

## CCCCXII.

*D. Deckeri*

## Gerardo Voſſio,

Philoſophorum ocello, & in Academia inclyta Amſtelodamenſi humanarum Literarum Profeſſori celeberrimo, viroque omnis Literaturæ cultiſſimo.

*Ambit amicitiam Voſſii, librumque ſuum de Praxi Medica Admiranda offert.*

MIraberis, Vir ſolertiſſime, quænam me capiat ſiducia tuam ſic meis literis compellandi & amplitudinem & magnificentiam. Certe ſelectiſſimæ virtutes tuæ unà cum candidiſſimis moribus conjunctæ id efficiunt, & aliæ animi & corporis dotes ita te omnibus amabilem præbent, ut non aliud abs te contendam, quam ut me in amicorum tibi arctiſſimè conjunctorum album adſcribi patiaris, qui te non ſolum diligam, verum & unicè obſervem. His fretus, tuâque in ſtudioſos humanitate confiſus has tandem ad te dare decrevi, quas comitabitur liber meus puſillus, rudis & tenuis, cui novato nomine de Praxi Medica Admiranda ti-

tulum dedi: licet enim Medicus re & opere non ſis, in arduis tamen medicinæ clivis emedullandis te verſatiſſimum eſſe, & putavi, & puto: nam ingenii acumine polles, eleganti facundia, & rerum omnium cognitione es prædictus, ita ut non ſolum celeberrima Amſtelodamenſis civitas, illuſtre Lycæum Leydenſe, ſed Europa tota, imo univerſus orbis te omniſcium vocet, tua amplectetur opera, Lemniſco ornanda, digniſſima Cedro, eaque pleniſſimis, ut ajunt, tibiis jactet, & prædicetur. Quare, Zacuti, tuarum laudum acerrimi propugnatoris, licet ignoti, tui tamen amantiſſimi, libellum inermem ne deſpicias: nec enim Dii croco infecti ſemper cinnamoma eructant, ſed pultem in caſa fumaria, Reges rapam in tugurieto, & ipſæ Gratiæ fraga, myrtilloſve ſæpe in montibus, & ſylvis pro delicatis epulis comederunt. Quare illius errores mentis tuæ ſagaciſſimæ limâ ſolerti caſtiga: id enim feram libentiſſimè. Hanc curam ſi non moleſto animo pro me ſumſeris, habebis Zacutum tuum laudum vocaliſſimum præconem, atque omni tempore memoriæ tuæ clariſſimæ non ingratum. Quocirca ſi quid eſt, quod tui cauſa me valere exiſtimes, impera, exequar enim libentiſſimè. Vive ergo diu cum dilectiſſima familia tua, & ita videas filios tanta prole beatos, ut ii tanquam novelli olivarum, uſque ad quartam generationem in circuitu menſæ tuæ adeſſe queant. Vale ergo, Vir omniſcie, noſtri quoque gloria ſecli. Ex Muſæo noſtro.

*Te amat, colit, obſervat*

D. Zacutus Lusitanus.

---

## CCCCXIII.

## Guilielmo,

### Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Expetitos globos ſedulò eſſe procuratos, ſe in opere de Idololatria gentili ſtrenuè adhuc progredi, filium Johannem in India Orientali conceſſiſſe fatis enarrat.*

*Reverendiſſime, in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

IN diuturno conjugis meæ morbo, jam tertium enim is menſem exceſſit, ne mediocre ſolatium affudit Literarum tuarum, quas merito magno mihi ſemper honori duco, conſpectus: magis etiam ubi ex iis vidi, ut quo antehac affectu eo proſequi me pergas, quanto minus merentem, tanto magis Illuſtriſſimo nomini tuo obnoxium ac devotum. De globo utroque procuratum ſedulo: probe enim ſcio non alios uſpiam eſſe qui melius vel ſydera nobis, vel terras mariaque expreſſerint. Auro tamen & ſcitamentis aliis, commemini ornatiores miſſos ad aliquos viros principes qui iſtis caperentur: Sed tales nunc parati erant nulli; nec Britannia deſtituitur viris rerum hujuſcemodi intelligentibus, qui iſtoc ſuppleant: atque ut alios transmitti malis, non deerunt quos jam miſſis demerearis. Mitto Maimonidæ Librum jam diu excuſum. Sed hactenus hæſi vellemne comitem ei dare, Exercitationem de Rabbinorum temporibus, ita præfatio dilata: interim ſtrenue pro occupationibus quæ ſic diſtinent, progreſſus ſum opere in eo quo omnis Gentilis Idololatriæ cauſas eruo ex hiſtoria veteri vel rerum natura, hactenus tentatum nemini. Nam quanto aliam inſtiterit viam Lilius Giraldus Italus, vir eruditus, nemo poſſit ignorare, niſi qui non legerit. Atque hæc quidem non externis modo Scriptoribus, ſed etiam Theologis antiquis allucent facem; ſubinde etiam Scripturis Sacris. Quod magis fiet omnibus iis quæ deinde conſequentur, modo Deus mihi valetudinem & vitam, uti ſpero.

Filius meus Joannes in India Orientali fatis conceſſit. Præclare rem gerebat, paulo tamen ſumptuoſius quàm vellem. Manebant eum magni honores & unde intra annos tres quatuor in re unctiſſima redire domum poſſit. Sed aliter viſum ſupremo Deo. Interim ſolatur tum affectus Procerum noſtrorum, qui ſumma ei deſtinarant: tum imprimis quod pie admodum eſſe defunctum intelligam.

Deum Opt. Max. oro, ut ſalvus & ſoſpes annos permultos ſis Eccleſiæ Anglicæ, vel potius Catholicæ, cujus Epiſcopos omnes ſuprema poſt Deum & Chriſtum manet cura.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxvii. Prid. Kal. Oct. St. Vet.

*Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi tui nominis cliens devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## CCCCXIV.

*De operibus ſuis ſciſcitatur urgendum typographum eſſe, ac quibus diſtribuenda ſint exemplaria, monet. MSS. quædam publicæ Amſtelodamenſium Bibliothecæ commendat.*

QUanquam bis jam ad te ſcripſerim, tamen nec hunc Mercatorem Slaghtienſem ſine meis ad te literis dimittere potui: per quem uti ne graveris reſpondere etiam te atque etiam rogo. Opuſculum de Idololatria Gentium, ut Velleium Scylacemque, & Batavicos Annales filiorum maxime videre aveo. Pro navatâ mihi operâ, apud Typographum cunctatorem, gratias, quantas poſſum, ago; & enixè abs te peto, ut pro amicitiâ noſtrâ, hominem urgere pergas; quod facturum te confido. Quæſo, effice ut operas partiatur, alterumque Typothetam etiam adhibere velit; in quem finem Hiſtoricum Tomum in duas partes ſeparavi; ita meo, & multorum in hoc regno Procerum, deſiderio ſatisfaciet. Simul autem editio abſoluta fuerit, velim Hagam exemplaria duo mittas: unum Mylo, alterum Riveto; tria Leidam, Heinſio, Cunæo & Vorſtio: unum tibi vindicabis: cætera viginti minimum, aut, ſi potes, etiam quatuor, ſtatim huc ad me curabis. Poteris id commodiſſime per Ludovicum Elzevirium; quem deinceps apud vos commoraturum, libens ſanè ex illo ipſo intellexi. Sæpe nobis ejus opera, ad curandas literas noſtras, uſui erit. Miſit nuper ad me Typographus, duo exemplaria primi tantum ternionis, cum certe plures exſpectarem, & progreſſum longius exiſtimarem: ſed cauſam affert, ſatis frivolam nec ſufficientem ſane. At placebit, ſi deinceps quod prolixè pollicetur, culpam ſuam, maturanda graviter editione, emendaverit. Quæ interea folia excuſa erunt, quando nunc tam bona occaſio ſeſe offert, quæſo mitte, ut quid exſpectare habeam, ſcire poſſim. Vale, Vir, & amice magne. Uxorem tuam, quam convaluiſſe ſperamus, liberoſque ego, uxor, liberique ex interiore animo ſalutamus.

Rapt. Soræ, ad diem xii. Octobr. cIↄ Iↄ c xxxvii.

*Tuus, conſtanti affectu,*

Joh. Meursius.

Si ad Dominum Rivetum aliquando es ſcripturus, quæſo, Viro, quem omnino magni facio, plurimam ſalutem nunties; & conſtantem, etiam in ſilentio, affectum meum: tum hoc munus literarium qualecunque meis verbis itidem pollicearis. Iterum vale.

Eſt hic vir quidam doctus, penes quem ſunt libri aliquot Manuſcripti Græci, quos ut Ampliſſimo Magiſtratui urbis veſtræ, ad ornamentum Bibliothecæ illic publicæ, cui præfectus filius tuus, venales offerrem, à me petiit: neque ego id negare homini amiciſſimo potui. Sunt autem iſti uno volumine comprehenſi:

Athe-

1. Athenæi Περὶ μηχανημάτων.
Bitonis Κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων, καὶ καταπαλτικῶν.
Heronis Χειροβαλλίστρας κατασκευὴ, καὶ συμμετρία.
Heronis Ctesibii Βελοποιικά.
Apollodori Πολιορκητικά.
Bitonis Μηχανικά.
Julii Africani Κεστοί.
Heronis Alexandrini Βελοποιητικά. Idem liber cum ſuperiore, niſi quod figuræ variant: ideoque nonnullius plane pretii. Hos indicat quadringentis Florenis Hollandicis.

2. *Libanii Epiſtolæ*, plus minus trecentæ, trecentis Florenis.

3. *Calliſthenes de Vita Alexandri*, Scriptor ævi medii, centum Florenis. Et hæc quidem exemplaria ſunt in folio perſcripta, ut loquuntur. Quæ ſequuntur verò in Quarto.

4. *Nicephorus Imp.* Περὶ τῆς παραδρομῆς πολέμου. Florenis centum. Et hi quidem ſunt in charta omnes ſcripti; qui ſequitur verò in membranâ.

5. *Meletius Monachus*, Περὶ φύσεως ἀνθρώπου. Quem Latine vertit, ediditque Nicolaus Petreius Corcyræus, Venetiis, an. 1552. itidem Florenis centum.

Quæſo juva, quantum potes, commendatione tuâ, ut hos libros emere Magiſtratus velit, poteruntque ex editione eorum filii tui nominis famam augere, & poſteritatem etiam magis ſibi obligare. Si huc animum inclinabit Magiſtratus, poterit pecuniam mittere per Johannem Davidem veſtrum, & Libros per eundem accipere. Tertium vale; & effectum, quantum potes, iſtud dato.

6. His præmiſſis à me additur *Theodori Methochitæ*, cujus partem pridem edidi, Hiſtoriæ Corpus univerſum, ingens volumen, in folio, quod Florenis quadringentis comparare Magiſtratus ſibi poteſt.

7. Ac præterea *Andreæ*, *Cretenſis Archiepiſcopi*, *Homiliæ XX.* Florenis ducentis quinquaginta.

Si fortaſſe grave erit emere non viſos Libros, impetra, cui libebit filiorum, liberam legationem, qui eos videat, & me ſimul. Certè gratior advenire mihi hoſpes nullus poſſit. O quam illum ſim ardenter complexurus. Atque utinam te ipſum, amicorum opt. maxime, ſi quo loco eſt Hamburgum, Amſtelodamum veſtrum eſſet, non tamdiu diſtuliſſem ad te excurrere: quem videre & complecti, ſi id liceat, adhuc ſemel ante ſummum diem optem. Sed hoc voti eſt; quod quis ſcit an unquam effectum nobis dare Deus velit. Interim ei te ex animo commendo, ac tuos omnes, ego atque mei omnes. Quartum ſalve, ac vale.

Si Librorum ſorte horum nimium videatur pretium, quod non puto, noſti ipſe nullum aliud libris Manuſcriptis, eſſe, quam id quod poſſeſſor ſtatuit.

---

## CCCCXV.

## Hugoni Grotio.

*Epiſtola familiaris.*

*Illuſtriſſime Domine*,

Quas nono Julii ſcripſeras, eas demum ix Octobris accepi à Van der Burgio. Tantæ moræ cauſa eſt, quod eas literas, cum erudito Philolai opere ciſtæ ſuæ incluſerat: Nauta autem Rhotomagenſis, cui hanc commiſerat, tam ſero appulerit. Heſterno die Hortenſio legendum Philolaum dedi: qui valde eo capitur. Ac Blauwius excudere eſt paratiſſimus. Idem excudere avet Ἀνθολογίαν tuam, ſed conditione hac, ſi placeant typi, quibus uſus in tuo de Jure Belli: majores enim non habet. Maimonides filii τοῦ μακαρίτου, poſt menſem ut ſpero editus erit. Excudentur & noſtra, de Origine ac Progreſſu Idololatriæ. Salmaſius necdum reverſus; ſed ex Riveto intelligo propediem affore. Aliud metueram; ſed gaudeo, quod nolit illis gratificari, qui in Galliis remanſurum ſperarant. In filio tuo, nihil, vel nos, vel alius, hic deſiderat quicquam. Lues quæ ſuperiori anno, plus minus duodeviginti millibus Leidæ abſumpſit, vehementer ſatis Harlemi hoc anno graſſata; minus urbe noſtra; ſic tamen, ut ante menſem unum alterum, de hebdomade tolleret ſupra ſexcentos: nunc longè remiſit, ſiquidem intra idem ſpatium, intra trecentos amittimus. Heinſius, ut ſpecimen oſtenderet obſervationum ſuarum in Novi Inſtrumenti libros, Philyram excudi curavit: ſed nondum contigit videre; nec ſuper eo laboro. Subinde fallor, ſed vix arbitror illud hic fore. Jam ſexennium eſt, quod paratum ſeſe diceret ad editionem; ſi eſt qui fuit, non intra alterum ſexennium id erit. Præclarum eſt ingenium, ſed à majoribus ſtudiis, ad tantam rem non ſatis paratum; ſed ipſe viderit. Nihil mihi hic ſeritur, aut metitur. Minus malignus eſſet; amore eſſet digniſſimus utriuſque noſtri. De iis, quæ ad Rempub. hanc pertinent, quid ſcribam? Aliunde illa melius, potiſſimum ex affine Reigersbergio cognoſces. Illuſtriſſimæ Dominæ conjugi tuæ, ſalutem à me, & meis, uti & optimis liberis.

Amſtelodami, prid. Kal. Novemb.

*Illuſtri nomini tuo addictiſſimus*,

G. J. Vossius.

---

## CCCCXVI.

## Georgio Slupeskio,

Baroni.

*Animum devinctum & ad quævis officia paratum cunctaque ſe velle Illuſtri domûs cauſſa, teſtatur.*

*Illuſtris Domine*,

Magnam mihi voluptatem attulerunt literæ tuæ, quas cum legerem, viſus ſum mihi coram loquentem audire. Et pondus etiam attulit quod de manu in manum traderentur ab lectiſſimo juvene fratre tuo Floriano: qui quod cum cæteris virtutibus conjungere cupit ſcientiam militarem, rem facit & ſe & genere ſuo condignam. Quod autem cum apud exteros morari vellet, caſtra prætulit Arauſionenſium Principis, facile non Batavis modo, ſed cordatis omnibus ſuum eſt judicium probaturus. Utinam vero ulla in re, quam petis, utilis eſſe illi poſſit opera noſtra; id egregia virtus ejus promeretur, imo etiam debetur eximiæ humanitati atque amori tum tuo erga me, tum duorum majorum natu fratrum: ſic enim me devinxiſtis, ut omnia velim Illuſtris veſtræ domus cauſa. Quod Nobiliſſimus Dominus de Naglonce, Illuſtriſſimus Sereniſſimi Regis Polonici ad Britannos, Belgas, Danos Legatus, præſtantis ſpei juvenem filium ſuum, una cum Ephoro optimo & doctiſſimo, apud nos potiſſimum ſtudiorum cauſa relinquere velit, id vero mihi accidit perjucunde: ac quemadmodum gaudeo perennare præclarum Nobilitatis Polonicæ judicium de me, ſic opera quoque in poſterum à me dabitur, ut nec heroem illum nec alium veſtræ gentis quemquam conceptæ de nobis opinionis poſſit pœnitere. Vale, Illuſtriſſime Domine, tuique ſic ac familiæ veſtræ amantem, porro amare perge.

Amſtelodami, CIↃ IↃ CXXXVII, XIII Kal. Dec.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor*,

G. J. Vossius.



CCCCXVII.

## CCCCXVII.

## Davidi Wederburno,

Scholæ Aberdonenſis Moderatori.

*Suos de Originibus libros, quid retardaverit, exponit.*

PErgratæ mihi fuere quas miſeras literæ, teſtes locupletes egregii erga me affectus tui, eoque gratiores quod non ſolum mitterentur ab homine eruditiſſimo, beneque promerenti de ſtudiis juventutis, ſed etiam ea ex urbe, quæ terris pariterque Reipub. literariæ dedit τὸν μακαρίτην Jacchæum, Philoſophum ac Medicum inſignem, conjunctiſſimum, dum fata ſinerent, Collegam meum, & Compatrem acceptiſſimum. Bibliopolæ, quem commendaſti, utinam in ulla re utilis eſſe potuiſſem; ſed ille nullo in negotio nobis uſus eſt. Monui, ut ſi reveneriṫ has in oras, liberius operam expoſcat noſtram, quam ego bono nulli negare ſoleo; nedum repulſam ferret qui ab homine commendaretur doctiſſimo & noſtri etiam amanti. De originibus noſtris ſic res habet. Jam anni ſunt XXII, quod ad umbilicum perduxeram, vel ſaltem id feciſſe videbar. Ac tempore Synodi Dordrechtanæ, hoc eſt ante annos XX monſtraram labores hoſce præſtantiſſimo viro & amico Martinio. Anno uno altero poſt cum Typographis jam tranſegeram, ut in lucem ederentur; cum ecce literas Brema ab eodem Martinio accipio, prelum jam fervere Etymologico ejus edendo: itaque nomine Typographi rogare hoc impenſe ut editionem operis noſtri differre eouſque vellem, donec bonam partem diſtractum ſuum opus foret. Dedi hoc amici poſtulato lubens. Proximis verò annis ita aliis ſemper diſtentus fui, ut vacare editioni non potuerim. Nunc excuduntur libri noſtri de Diis Gentium ſive Origine & Progreſſu Idololatriæ: ac ſpero intra trimeſtre poſſe abſolvi. Hinc aliqua ſequentur quæ ſacri ſunt argumenti; dummodo mihi DEUS valetudinem largiatur, quam tibi optimam exopto, ut publico diu utilis eſſe poſſis.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ C XXXVII,
4 Kalend. Dec.
Styl. Nov.

*Tui ſtudioſiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCCXVIII.

## Joanni Skyttio,

Gubernatori Livoniæ,

S. P.

*Quantum in humanitate & bonis literis filii proficiant, ac ipſe quid operæ benè de iis merendi impendat, Illuſtriſſimo exponit Parenti.*

TAmetſi & tuas, Illuſtriſſime Domine, interpellare curas minime oporteat, nec meæ occupationes patiantur ſupervacuam ſcriptionem, generoſo tamen filio tuo Joanne ſcribente, occaſionem hanc negligere non potui, ſed operæ pretium putavi non ſalutare modo, verum & gratulari tibi de cunctis filiis tuis, plane ad decus paternum adſurgentibus. Etenim cum plurium ipſe liberorum parens conſcius mihi ſim, quo amore & univerſos & ſingulos complectar: non poſſum mihi aliud perſuadere, quam longe tibi jucundiſſimum accidere, quicquid de progenie tua boni teque & ſe dignum cognoris, ſcio enim te ita credere, me quod ſcribo non cæco adfectu, ac longe minus ut aliquid auribus tuis dem, quorum utrumque procul à ſenecta mea eſſe decet; ſed judicio & experiendo edoctum ita ſcribere. Ac ut prius dicam de primogenito tuo, is jam ſex menſibus, & quod excurrit, mecum prandet, & cœnat, imo ante dies paucos plane in ædes meas receptus, ut totis diebus ſit nobiſcum. Nimirum id, Illuſtriſſime Domine, dandum judicavi tum ſublimi dignitati tuæ, tum indoli egregiæ filii tui, & tamen longe plurimis jam primariis viris, & fœderatæ noſtræ Belgicæ Rectoribus, idem negavi; ſed videbatur mihi filius ille tuus longè digniſſimus, quem præ aliis omnibus amore complecterer. Quippe ſi pietatem & modeſtiam dicam, reliquos non ſui tantum ordinis, cui indulgere pluſculum ſolemus, ſed plurimos humilioris etiam ſortis anteceſſit. Imprimis vero incredibilem ejus ardorem in ſtudiis amo & miror. Occurrit animo, rarum eſſe ut qui poſt Minervæ caſtra, ſecutus ſit illa Martia, iterum ſe totum det Muſis, cum duo hæc adverſari maxime videantur. Ille tamen tantam ex iis voluptatem capit, ut niſi ſcirem, nunquam illum caſtra ulla vidiſſe crederem: imo prioris temporis recordatio etiam faces illi ac calcaria ad ſtudia ſubdere videatur, tantò lubentius, etſi ob numeroſam prolem, anguſtius habitem, in ædes recepi meas. Ubi occaſionem deinceps longe meliorem habiturus, quoties vel quandocunque libuerit me, aut filiorum quem voluerit, conſulendi in ſtudiis ſuis; vix patiuntur occupationes ut tempora a Deo quieti deſtinata, reficiendo corpori impendam: nihilominus ſupra colloquia, quæ ultra prandium & cœnam ſæpe extendimus, horam quotidie, ſæpe & ultra impendo, ut quibuſcunque modis poſſim, deſiderio tuo atque illius ſatisfaciam. Cætera, quæ per occupationes ipſe nequeo, egregie filius meus Dionyſius ſupplet, qui tanto incenſus eſt amore promovendi ſtudia filii tui, ut magis non poſſit. Adeo ut non dubitem, quin ſi ardor ille filium tuum diu teneat, uti planè confido, ubi is ad te redierit, & tu in illo habiturus ſis ornamentum Illuſtriſſ. familiæ tuæ & Sueciæ ingens præſidium. Atque iſta de primogenito. Nefas verò mihi aliud ſit dicere de filio tuo Benedicto, cujus ardens ingenium & maximarum rerum capacem animum, ut par eſt, æſtimo. Quare uti ille nuſquam ſibi deeſt, ita neque nos ſinimus vel induſtriam noſtram claudicare, de quo plura adderem, niſi intempeſta jam nox eſſet, & craſtini quos cogito, labores, me capiendæ quietis monerent. Spero propediem me iterum de eo ſcripturum, ſcio enim non poſſe me tibi facere rem gratiorem, quam ſi de omnibus faciam certiorem, quæ ad tam cara pignora pertineant.

Deum oro, ut te Illuſtriſſime heros, diutiſſime & Sueciæ Regno, & generoſæ familiæ, addo, & nobis, quibus omni cultu te tuoſque proſequi animus eſt, incolumem præſtet.

Amſtelodami.

G. J. VOSSIUS.

## CCCCXIX.

## Abrahamo van der Merio,

Senatori Curiæ Hollandiæ.

*Ad curioſè ſimul & jocoſe quæſita ubi Cælum cauſam adferat delectationis illius infandæ: an Porphyrius ad Chriſtianam religionem fuerit converſus: cur Sympoſia dicantur ne ſit: cur vinum generoſum vocetur Theologicum item Coſ. & Coſta; familiariter reſpondet.*

TAndem aliquid reſpondeo, vir ampliſſime atque conjunctiſſime, tardene adeo? inquies. Quid dicam? ſic ſum: præſertim ubi publica magis urgent, uti contigit his muneris primordiis. Et ſciebam mihi negotium eſſe cum facili creditore, ut propè periculum fuerit, ne menſibus aliquot pergerem tricari. Verum id minime paſſus es, ut ex filii ſermone nuper, ac propè etiam ex literis intelligo. Nempe credo obſervabatur tibi illud fœneratoris Alphii, vel optima nomina non appellando fieri mala. Quia igitur ulte-

ulterius moras nectere non ſinis, paucis ad ea quæ quæris reſpondebo. Ac primum de illo, ubi Cœlius cauſam adferat delectationis illius, quam nolo dicere. Eſt locus ille non in Epiſtolis Calcagnini, ſed alterius Cœlii patria Rhodigini Lib. xv. Var. Lect. C. x. Alterum fuit, An Porphyrius ad Chriſtianam fuerit converſus religionem? Ita viſum tum aliis plurimis, tum Annalium Eccleſiaſticorum conditori, Cæſari dico Baronio, cui illud impoſuit, quod hodieque extat panegyricus hominis Chriſtiani, qui nomen præfert, Porphyrii. Hujus auctor creditur eſſe Tyrius ille, qui Phœnicia ſua lingua primo Malchus, poſtea Græcanica Porphyrius nominatus; ſed enim auctor longe alius eſt, puta Publius Optatianus Porphyrius. Ut cætera mittam argumenta, non pertigit Malchus ad tempora Conſtantini Auguſti: cui panegyricus ille perſcriptus. Nec Malchus Latinè ſcribebat; nec in iſto carmine genius Tyrii illius ſpirat, impii, ſed magni omnino viri. Quæſtiunculas annectis convivales cur συμπόσιον facetis hominibus figura ea, quæ grammaticis vocatur ὑφ' ἕν, dicatur ne lis? Cauſam reddit Horatius, quo judice,

*Natis in uſum lætitiæ ſcyphis*
*Pugnare Thracum eſt.*

Cur vinum generoſum vocetur Theologicum? credo miraris, quia nihilo deterius palatum ſit Juriſconſultis, Medicis, Philoſophis, quam Theologis, & fortaſſe etiam putabis hoc ad injuriam aliquam eorum pertinere, qui ſacris præſunt. Equidem nolim quemquam ejus ordinis irritare, ne forte excitem crabronem. Quare tantum dicam, eo jure dici vinum Theologicum, quo Horatius Pontificum dicit cœnas & dapes Saliares quod item Cicero epulas Saliares, Apuleius Saliares cœnas. Ut nihil dicam de adjicialibus Augurum cœnis, de quibus Varro, Seneca, Plinius, Macrobius. I nunc & dic Pontifices, Salios, Augures, palato multum valuiſſe; hac ſapientiæ parte caruiſſe Prætores, Conſules, Proconſules; cave tamen exiſtimes, hæc pertinere quicquam ad τοὺς θείου λόγου κήρυκας, qui noſtris in terris degant. Apud nos omnes ſicci, ut ſcis. Ad Germanos ito, vel potius accommoda hæc illis, qui in pontificiis militant caſtris, de quibus ſecurius ſæpe mentiri licet, quam de nonnullis noſtrorum verum dicere. Pergis rogare, cur melioris notæ vinum, non ſolum dicatur Coſ. ſed & Coſta. Nimirum in Coſ. quidem ad vinum Coum, de quo Plinius in quarto decimo, verum ſingulæ magis literæ ſpectantur, quæ Colorem, Odorem & Saporem ſignant, objecta trium ſenſuum, Viſus, Odoratus, Guſtus: ita hæc ipſa priori ſyllaba in Coſta denotantur; ſed altera hic ſyllaba acceſſit, ne ſolum tribus ſenſibus in hauriendo flore Liberi patris opus eſſe videatur, ſed vero univerſis, hoc eſt præter tres iſtos tactum etiam & auditum, quorum initiales literæ T. A. ſyllabam efficiunt, nam & calor præſertim æſtate, demit vino gratiam, & nimius frigus hyeme, calor autem & frigus tactus ſunt objecta. Nec auditum excludere licet, quandoquidem vina generoſa hoc habent, quod ob ſpiritus copiam tum in vaſe ſic æſtuent, ut audiri poſſit, tum etiam calici infuſa, ac mox auribus admota. Cujus rei non ſemel periculum apud Dordrechtanos meos in cellis feci vinariis, ſic jubentibus iis qui ſua mihi vina commendatum irent. Aut valde fallor, aut una alteraque ſupereſt quæſtio: verum minor Schedularum cui ea inſcripta fruſtra nunc à me quæritur. Ni fallor erant eæ de Periplo orbis, & ſcriptoribus, quorum lectio negotioſo homini, ſed φιλομαθεῖ, maxime conveniret; ubi ſe ſchedula ea obtulerit, reſpondebo de priori. De altero agam fortaſſe in opere meo de orbe diſciplinarum & univerſis diſciplinis. Salutabis plurimum optimam conjugem & heroinam ſocrum, item affines Vetium & Vivianum cum uxoribus. Etiam ubi occaſio erit Ampliſſimum Præſidem Crom.... Mea etiam vos omnes ſalutari juſſit.

*Tuus totus,*

Amſtelodami.

G. J. Vossius.

## CCCCXX.

## Danieli Paræo

### S. P.

*Pro honore, quo Lucretium ſibi inſcribere voluit, prolixum affectum, operamque in adjuvandis ſtudiis largam offert. Medullam Hiſtoriæ univerſalis commendat. Hiſtoriam ejus Eccleſiaſticam excudendi ſpem facit. De expoliendo Nonio Marcello inſtitutum approbat, in deſcribendis Palatinorum ac Bavarorum Principum vitis ſtrenuè pergat, hortatur.*

Jam quartus eſt menſis, doctiſſime & amiciſſime Paræe, quod Amſtelodamum veni. Ubi dum ſum, redditus eſt mihi Lucretius carus tuus, verè carus omnibus merito ſuo, nunc carior merito tuo mihi ante alios, quem, eo dicando, feceris tibi debitorem. Quare ut antea etiam ſcripſi, ſolum diſpicio, quomodo me utcunque poſſim exſolvere, de quo cum nunc cogitarem aliquid ſcribere, occaſione nundinarum Francofurtenſium, commodior priori oblata eſt occaſio adventu optimi & doctiſſimi Jacobi Hintzeri: Qui longe mihi gratiſſimus fuit, partim quidem ob egregias animi dotes, partim verò ob pulcherrimam operam, quam Eccleſiæ DEI & Reip. literariæ navat deſcribendis apparandis iis, quæ magnus avus tuus in ſchedis reliquit. Quantulum enim eſt, quod heros ille tot bona chartis commiſit, ſi ea jaceant propemodum diſpreta, vel ſaltem nunquam videant lucem? Ex eodem cognovi, præfore de ſtudiis liberorum Illuſtriſſimi Comitis Iſemburgenſis. Quod non improbo. Etſi enim is eſt afflictiſſimæ Germaniæ ſtatus, ut nec principes viri tantum poſſint erga bene merentes, quam vel ipſi vel nos optaremus: ac fortaſſe etiam lucroſius tranſigi poſſit cum opulento ac liberali mercatore: nihilominus tanto illud magis ex honore tuo erit ac publico bono, quanto liberi excelſius nati, & ubi adoleverint, amplius etiam terris proſunt. Interea non deſinent amici hic tui (in quibus præ cunctis nomen profiteor meum) meminiſſe tui, quoties vel profeſſio in Academia, vel illuſtri Gymnaſio, vel regimen Scholæ, in celebri quapiam urbe vacarit. Non quaſi omnia poſſimus in tanta Candidatorum & prenſantium copia: ſed quia aliquid poterit affectus erga te noſter, multoque amplius virtus & rara doctrina; tum tua, tum imprimis parentis tui, maximeque inclyti illius avi. Necdum enim ita male agitur cum Batavia, ut magna ejus merita exciderint animis hominum, utcunque atro carbone multi Proceres noſtros apud exteros depingant, quaſi neſcio quid monſtri in religione alant: Quod hactenus videre non poſſum. Utcunque illud non inficior, pleriſque in urbibus ita eſſe animatos, ut ſolis iis, qui Dordrechtanæ Synodi decretis ſubſcribunt, publica loca & ſtipendia tribuant. Iis qui in prædeſtinationis dogmate Melancthoni vel Lutheranis accedunt, permittant, ut Eccleſiarum ſuarum ſumptibus, privatis in locis doceant: dummodo conſtet alienos eſſe ab iis dogmatis, quæ repugnant harmoniæ Eccleſiarum, quale imprimis eſt Photini ac Samoſateni, quod Socinus de novo paxillo ſuſpendit. Medulla tua Hiſtoriæ univerſalis valde me delectat. Quam non paucis è juventute de meliori nota commendavi. Quid enim turpius quam ſi ea particula Hiſtoriæ veteris contenta ſit? Diffundendus eſt animus per omne ævum, quod pauci hodie faciunt. Tanto majorem fructum ac gloriam ex opere hoc reportabis. De hiſtoria tua Eccleſiæ La-Merium conveni ipſe, ac poſtea idem filius fecit. Sed nihil promittere voluit, qui neſciret de magnitudine libri. Solet ille magis capi iis, quæ minoris ſunt molis. Addebat jam prelum fervere multis & variis. Reſpondi nec feſtinato opus eſſe, ſufficere, ſi poſt menſes ſex ſeptem editionem ordiatur. Quod ſi is difficilem ſe præbeat, non deerunt, ut ſpero, alii, qui lubenter id facient. Diſſimulare tamen non poſſum, nuſquam difficilius eſſe Typographum reperire, quam

quam apud nos, niſi quis ſuis ſumptibus librum edat. Fit hoc ob rerum omnium ſummam caritatem, quam cauſat grave & diuturnum bellum, quod nobis eſt cum hoſte potentiſſimo. Sola excipio ἱερινὰ, & nugalia quibus nihil vendibilius, ut ipſi non diſſimulant Typographi. De Nonio Marcello quod ſcribis, pergratum mihi eſt. Perge tantum, & quemadmodum Lucretium tibi devinxiſti, ita de hoc etiam ſcriptore optime mereri. Non quia tantopere æſtimem ejus eruditionem, ſed quia tam multa ex veteribus adducit, quæ fruſtra apud alios quæramus. Diſpiciam etiam annon juvare te hac parte poſſim: ſive iis, quæ ἀνέκδοτα habeo ab aliis obſervata, ſive etiam noſtris. Omnino enim faveo inſtituto tuo: quia ſatis jam perſpexi, quantum in poſterum à te expectare debeamus. Columna olim ſum uſus amici beneficio, cum in tragicorum fragmenta notas ederem meas: ſed ipſe non habeo, & amicus ille à quo habui, neſcio, an uſque adeo paratus ſit in exteras oras mittere, ſed tamen, ſi ille tantillum mea cauſa recuſaverit, aliunde poſcam ab iis, qui faciliores ſint. Saltem non ceſſabo, uſque dum miſero. Craſtino die Lugdunum tendo, aut ſummum perendie, ubi hanc curam curabo. Magnopere etiam lætor, quod Palatinorum Principum ac Bavarorum vitas edere decreris. Valde faveo huic propoſito, partim quia Palatinatus mihi natale ſolum; partim quia illa portio eſt hiſtoriæ univerſæ, quam urgere ſemper ſoleo. Sed de iſto & aliis tecum pluribus loquar proximis literis. Interim, amiciſſime Paræe, egregia, & parentis & avi proles, mutuo nos amemus inter nos.

Amſtelodami. *Tuus ſine dolo, moreque majorum,*

G. J. Vossius.

## CCCCXXI.

## Jacobo Wittio S. P.

*Epiſtola familiaris.*

UT dies non ſine nocte, ita nec amicorum ſcriptiones ſine ſilentio. Cavendum modo ne nox longa fiat, qua ad Lethen itur. Quod ne nobis contingat, poſt anni hujus ſilentium has ad te literas mitto. Superiores tradideram Polyandro, qui ſe ad urbis veſtræ Eccleſiaſten dixerat ſcripturum. Verum nec ille ab Eccleſiaſte, nec ego à te reſponſum accepi. Unde prope eſt ut mala fide curatas ſuſpicer. Fortaſſe jam aliunde intellexeris, ut Amſtelodamum à Proceribus ejus urbis vocatus ſim, quo in illuſtri Gymnaſio, quod magno Bataviæ bono erigunt, Hiſtoriarum ſim ac Politices Profeſſor. Stipendium annuum erit bis mille ſexcentorum florenorum. Accedit pulchra habitatio, quam hic vix octingentis aut etiam nongentis conducere: magnæ etiam factæ ſpes liberis meis; quorum mihi potiſſimum ratio habenda fuit. Jam enim plerique idonei eſſe incipiunt, qui munia publica capeſſant. Joannes Cantabrigiæ Socius eſt Collegii Jeſu. Franciſcus eſt Advocatus Curiæ Hollandiæ, ſtrenueque pro ætate ſæpius jam cauſas egit. Matthæus paucis menſibus cogitat edere hiſtoriam Comitum Hollandiæ. Dionyſius quid poſſit propediem oſtendet, partim in Latinis & Græcis, partim in Hebræis, Arabicis & aliis Orientis linguis. Nec malignam de ſeſe præbent ſpem Iſaacus, & Gerardus, omnium ille minimus, qui jam annum explet undecimum, & Latinis, Græciſque literis; hiſtoria etiam ſacra, Romana, Græca, non tinctus quidem, ſed tamen pro ætate non leviter eſt adſperſus. Filiarum natu major, Cornelia jam nubilis, quippe quæ annum exegit duodevigeſimum. Nec pro ſexu minus ſe probat quam fratres. Soror ejus Joanna jam novennis eſt, & ipſa ingenii ſatis amœni. Utinam ſic res tuæ ferrent, ut me cum omni cognatorum tuorum familia, ac imprimis uxorem meam & ſororem ejus Mariam, quarum utraque te ſæpe habet in ore, ſemper in corde, inviſere cum præſtantiſſima tua uxore ac liberis poſſis. An nunquam illa dies adveniet? mihi vero juveneſcere viderer, ſi tam beatus forem, qui ſaltem vel ad paucas vos hebdomadas hic conſpicerem. De nobiliſſima matertera, heroina matre tua, tacere cogor, quia ætatem ejus id ſcio minime ferre. Sed tamen volupe eſt, quod vivat & valeat. Quod ut diuturnum eſſe poſſit, Deum rogo. Cui te, Vir Ampliſſime ac Nobiliſſime, & dilectiſſime cognate, etiam & etiam commendo. Salutem dices meo nomine & omnium noſtri, conjugi lectiſſimæ, liberis, & dominæ matri. Sed & clariſſimo Ferrio, cujus ego vindicias pro Scholaſtico orthodoxo, cum fructu & voluptate legi. Tuum erit quando occaſio dabitur, præſtantiſſimum virum monere atque adhortari, ut porro bene mereri de Eccleſia Dei pergat. Vale.

Amſtelodami. *Tui amantiſſimus, non minus virtutum tuarum cauſa, quam ob arctiſſimam conjunctionem ac neceſſitudinem noſtram,*

G. J. Vossius.

Imperiales XXVIII quos miſeras affinis mei Cazimiri Junii viduæ, accepi! deque eo per affinem meam, Mariam Juniam, certiorem ipſam feci. Aveo noſſe ecqua dignitate in patria tua fungaris. Amicus retulit te vel urbis eſſe Senatorem vel Principis Lotharingici Conſiliarium. Quæſo ne patere me hoc diutius ignorare. Iterum vale & ama nos: ſcis votum amantium, Amari volunt qui amant.

## CCCCXXII.

## Joanni Meurſio.

*Triſte Corneliæ ſuæ fatum mœſtus luget parens. Alia quadam familiariter ſubjungit.*

UTinam, Clariſſime, & Amiciſſime Vir, de me & meis perſcribere poſſem jucundiora. v. Kal. Februarias ipſa Gerardi mei natali amiſi ſuaviſſimam majorem natu filiam Corneliam, virginem ea pietate, moribus illis, ac rei domeſticæ intelligentia & cura, illa, ut de Latina taceam, Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ linguæ peritia, illa notitia tum omnis generis Muſices, tum & calamo, & penicillo pingendi, ut tot bonis boni numinis gratia concurrentibus, omnibus fuerit admirationi qui noſſent, fatendumque ſit non eam profecto minus ſui ſexus laudibus excelluiſſe, quam ſuis filiorum quos habui vel habeo quemquam. Quodque dolorem auget, ea mihi momento erepta, dum per glaciem theda cum fratre Matthæo & ſorore Joanna Illuſtriſſimique Polonici Legati Filio fidei meæ commendato, nec non Ephoro ejus traha Leidam fertur. Non quidem quicquam imprudenter exiſtimo hic factum à meis (ſiquidem ea craſſities glaciei erat ut centenæ eodem tempore trahæ veherentur ſine periculi formidine) ſed non impudens minus quam imprudens trahatius, dum invitis ſeſſoribus prævertere vult antecedentes, ad latus ubi piſcati antea fuerant, tenuique glacie aqua erat obducta, deflectens, omnes præcipitavit in aquas: unde prima quidem extracta Cornelia (heu nuper mea!) ſed jam terrore & caſu plane exanimata: Cæteri vivi educti virtute potiſſimum, poſt Dei gratiam, Matthæi mei qui ter in aquas inſiliit, non ſine magno ſui periculo, ut ſuccurreret alieno. Prope iſta Leidam contigere, qua occaſione filia eſt avito inlata ſepulchro. A triſtibus veniam ad lætiora, ea nempe quæ te & tuos ſpectent labores. Tandem perſuaſum Typographo eſt, ut

ſerio ſtaret diuturnis promiſſis. Nec dubita quin intra menſem unum vel alterum Danica tua ſit obſoluturus & exorſurus ea quæ ad *πολυμαθειαν* pertinent. Maimonides Dionyſii mei jam ante annum & ultra abſolutus, ſed adhuc deeſt, præfatio. Salmaſius de uſuris ſcripſit. Quod opus ſe tranſmittere tibi heſterna die Elzevirius aiebat. Heinſiana in Nov. Teſtament, opera credo jam in medio Paulinarum occupatur Epiſtolarum. Fortaſſe ſubſequentur Salmaſianæ notæ; quod ſi erit, plurima in Heinſiana animadvertet. Imo & in hoc de uſuris videre poſſis, adverſum Ariſtotelis Politicorum paraphraſtem (nec ignorare virum potes) accurate differentem. Hottomanni Aſconium ex filii mei Iſaaci Bibliotheca ad te mitto. Is, imo & conjux & omnes mei plurimum ſalvere te & uxorem optimam & liberos jubent. Eſtque is affectus eorum mihi longe jucundiſſimus. Nam profecto quid pulchrius quàm quod junior ille ait Iſocrates, *τὰς ἢ παῖδας ὥσπερ τῆς ὀσίας ἔτω ϗ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν.* Vale magna Meurſii anima & æternum mihi meiſque anima.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxviii.
Τάχιστα.

*Tuus tuorumque totus*,

G. J. Vossius.

---

CCCCXXIII.

*Triſtem filiæ ejus caſum deplorat. Cunctatorem ſubindè ſtimulet, orat.*

Literæ tuæ, quibus diem non adſcripſeras, Vir Clariſſime, heri demum mihi traditæ. Narras caſum vere triſtem & deplorandum filiæ majoris tuæ, in quâ, præter pietatem ac virtutes jam cæteras alia tot tam præclara currebant. Ego, uxor liberique indoluimus ex animo, ac vix lacrymas tenuimus, qui paternum & maternum ipſi quoque affectum gerimus. Ac tu quidem, ut Vir plenus Chriſtianâ ſapientiâ, ideoque animo ad quævis firmo conſolatione haud eges; verum mater pro infirmitate ſexus & teneriore animo quin diſcrucietur gravius fieri nullo modo poteſt. Sed oportet cogitare tot & tantis dotibus ornatam virginem quantas nullam in antiquitate tota, necdum noſtro iſtoc ſeculo habuiſſe, credi poteſt terræ quæ non capiebat tam illuſtre decus ſuum, Deum ereptum voluiſſe, & in cœlo cui vere debebatur collocatum. Ad negotium meum tranſeo. Video Typographum & iterum cunctatum eſſe; & propoſitum mutaſſe. Utinam perſeveraret ſemel tandem & abſolverit inchoatum: ut id Regi Sereniſſimo ac Senatui exhibere poſt tam longam exſpectationem poſſim. Urge quæſo, quod te facere ſcio, virum: neque deſine compellare. Video præfationem quinque priorum Librorum, quæ eſt ad Regem, item alteram ad Lectorem, tum elenchum item Operum quæ priore iſto Tomo continentur, & effigiem quoque meam prætermiſſam. Haud ſperaverim, negligentiâ aut oblivione factum ſed dilatione tantum qua differri talia ſolent, & poſt cætera abſoluta demum excudi. Ubi abſolutus fuerit primus Tomus, quæſo cures ad me mitti exemplaria viginti; quædam aliis meo nomine diſtribuito Leidæ & Hagæ amicis, quorum nomina ſcio me in literis ſuperioribus perſcripſiſſe: imprimis verò, quod vel me tacente debes, tibi unum retineto. Filio tuo Iſaaco quantas poſſum gratias ago pro Aſconio: etiam tibi qui mittendi illi auctor. Vivite ac valete omnes, tu uxor liberique, & ſalvete à me, mea, atque meis interiore animo quem addictum vobis univerſis ſcitis.

Raptim; Soræ ad
diem xxi. Maji.
cIↄ Iↄ c xxxviii.

*Tuus ac tuorum conſtanti affectu*,

Joannes Meursius.

CCCCXXIV.

Hugoni Grotio,

S. P.

*Noomſii Arlandervenia Domini obitum narrat, & quid cauſa ipſi fuiſſet, cur equeſtrem prenſarit dignitatem. Exemplar epiſtolæ Polycarpi ad Philippenſes Græcum cum ſit mutilum, ex Sirmondi codice defectum deſcribi ac ſuppleri curet, nomine Thyſii rogat. Philolaum, ut petiiſſet, Hortenſio ſe tradidiſſe ſcribit; valdè etiam id agere Hortenſium, ut impenſis publicis ad Galilæum de Galilæis mittatur. Exemplar operis Conſt. l'Empereur de Hebræis legibus Grotio deſtinatum an rectè acceperit, ipſius nomine exquirit.*

Jam tertia eſt hebdomas, Illuſtriſſime Domine, quod poſtremas tuas accepi. Iis ſaltem poſt longiuſculam in ſcribendo ceſſationem, quam primum oportuit reſponſum dediſſe; ſed more ſuo moratus me eſt J. C.

Credo jam intellexeris de exceſſu Noomſii Arlanderveniæ Domini. Amabam virum quia tam amicum ſe geſſiſſet erga me, & meos; & ea pietate eſſet erga Deum, quam in paucis iſtius fortunæ hominibus deprehendas. Unum ſemper ejus animum cruciabat, quod ſtultè ante connubium egiſſet, & per eſt veriſimile hoc fatum ei acceleraſſe: adeo illud ad animum revocabat; etſi nihil ab eo peccatum deliberato: ſed ſi probè ab eo ſum edoctus, ebrius inſidias evitare non valuerit, quas ſobrius non ſemel effugiſſet. Credo & eam fuiſſe cauſam, cur equeſtri dignitate ornatum ſe cuperet; ut quia videret, uno altero obſtante, in Magiſtratu legendo, ſui rationem haberi nullam; titulis aliis, non inferior æqualibus videretur. Non tamen S. Michaëlis ordinem expetebat (negabat ſe pro tempore eo, tantos ſpiritus gerere) ſed ſuffeciſſet honos, quomodocumque nobilitatis nomen referret.

Convenit me his diebus, Thyſius antea Hardervicenus, ſed ab annis jam xvii. Leidenſis Theologus. Is decrevit edere in lucem ea quæ pertinent ad Scriptores Eccleſiæ, qui primo vixerint ſeculo. Quales etiam Ignatius, & Polycarpus, etſi ætatem ulterius continuarint: ſcis Latinè extare Polycarpi Epiſtolam ad Philippenſes: Eam Græcè dicitur habere Sirmondus. Habet & Salmaſius beneficio Sirmondi; à quo exſcriptam nactus quoque Thyſius; ſed ait, ſi ex Latinis judicium ſit faciendum, partem deſiderari in illis quæ Salmaſius, & ipſe habeant Græcè. Metuere igitur, ne fucus ſit Salmaſio factus à Sirmondo, partem Epiſtolæ Græcè ſibi reſervante, ne honos iſte, editæ Epiſtolæ ejus, ſit penes quemquam à Romanæ Eccleſiæ ſententia alienum. Quæ deſiderantur, quantum recordor, incipiunt ab illis verbis. *In his ergo ſtate, & Domini exemplar ſequimini, &c.* Petiit igitur Thyſius, hoc ad te ſcriberem, plurimumque te rogarem, ut operam des, quo Græcum Sirmondi Exemplar, ipſe videas, & per Amanuenſem, quæ deſiderantur exſcribi cures; vel ſi Sirmondus non paſſurus ſit codicem ſuum extra limen deferri, ſaltem per alium, tantum efficias ut etiam extrema à quocumque, ſed fido tamen, homine, de codice ejus exſcripta habeamus. Multum metuo, ne ſua Thyſium de Sirmondo fallat ſuſpicio; ſed ut verum eſſet, parum eſt veriſimile, quod facere noluit, in gratiam eruditi Galli, id Belgæ ergo facturum, & ſi in hoc aut ſimili negotio, fruſtra antehac fuiſti, ut mihi relatum, merito vereatis, ſecundo te repulſam laturum. Volui nihilominus hoc veteri dare Collegæ, nec tibi ignoto, ut perſcriberem quod à me petiiſſet.

Meurſii Opera, hebdomade proxima, incipiet excudere is, qui optimum virum jam quinquennium eluſit. De Philolao, quem ut petieras, tradidi Hortenſio, & Blauwio, quid futurum tandem ſit, juxta ſcio cum ignatiſſimo. Blauwio editionem commendavi ſedulo. Poſtea negotium omne commiſi Hortenſio; qui ad ſe Philolaum,

 non

non me miſſum aiebat: oſtendi igitur partem literarum, quam mihi mitteres, ſed eo fine, ut judicio Hortenſii, & Blauwii, vel ederetur, vel remitteretur. Mox cauſatus me tribus menſibus detinuiſſe; Id pernegavi, qui pridie domum poſt veſpertinam octavam accepiſſem. At inquiebat literis ſubſcriptum, ante trimeſtre eſſe exaratas. Narravi ergo, ut juvenis is cui Philolaum ad me dederas deferendum, eum cum literis ad Hortenſium, arcæ ſuæ incluſiſſet. Hanc ut ipſe mihi juvenis expoſuit, trimeſtri fuiſſe Rothomagi detentam. In iſtoc, & ſimilibus, ϑεμαὶ τῆς Hortenſii moleſtior mihi foret, præſertim merita mea cogitanti; niſi virtutibus hanc compenſari putarem, & ad iſtiuſmodi penè obduruiſſem jam ab adoleſcentia. Impensè ab eo actum, ut publicis impenſis, & authoritate Ordinum Generalium, ad Galilæum de Galilæis mitteretur. Perhonorificum hoc foret, & ex colloquio cum viro reconditæ doctrinæ, multa addiſcere daretur. Ac forte in Gallia, vel Italia, luculentior obtingeret dignitas, quam apud nos habet; ſed enim metuo, ne tam facile id nunc ſit conſecuturus; poſtquam urbicus ſenator Realius, Indicus antea Præfectus, vitæ huic eſt ereptus, qui valdè hoc negotium urgebat, ut noſſe te arbitror. Quamquam vero non leviter incommodare poſſit illuſtris urbis hujus Gymnaſio, ſi compluribus menſibus, nullæ habeantur auditiones Mathematicæ: nihilominus decretum, ſi auxilio noſtro ei opus erit, adjutare eum apud urbis hujus Proceres: Idque ea fiducia, quod publico nomine, & ſtipendio miſſus, futurus ſit devinctior ad ſe ſiſtendum poſtea Batavis; & quodcunque fructus ex profectione perceperit, ſuis potius impertiendum quam alienis.

Hæc cum ſcripſiſſem intervenit Conſtantinus l'Empereur, Hebræorum apud Leindenſes literarum Profeſſor, vir tui amans, & æſtimans, ſupra ſui ordinis complures. Is ſe miſiſſe ad te aiebat, quod proxime de Hebræis Legibus opus edidit; ſed cum adderet, vix eſſe tres quatuorve hebdomadas, quod miſiſſet: negavi mirum eſſe, ſi reſponſum haberet nullum, quandoquidem magna ſæpè incuria eſſe eorum ſoleat, quibus libros damus deferendos. Non peſſime actum iri, ſi vel tertio, poſt menſe acceperis, vel quarto. Id tibi in meis, mihi ſemel iterumque in tuis, (ut illo quem miſeras Philolao) contigiſſe. Recepi tamen ſic poſcente hujus me rei mentionem facturum iis quas jam literas exararem. Idem Conſtantinus revidere poſtremo ſolet paginas excuſas Exercitationum ſacrarum Heinſii in Novum Teſtamentum. Credo partim, ob Hebræa quæ intercurrunt; partim ne quid aſpergatur, quod rerum ſacrarum, præſertim de quibus controverſantur in ſcholis, minus probet intelligentem. Is retulit mihi jam deventum eſſe à Typographo ad notas in Epiſtolam ad Romanos. Tranſiit hanc per urbem Illuſtriſſimus Regis Polonici Legatus, vir doctus, & perhumanus, tuoque affini in Gallus, juventutis tempore, perfamiliaris. Jam credo ex eo cognoris, ut legatio hæc ſucceſſerit in Britannia. Nam ad affinem tuum ſcripturum ſe aiebat. Apud nos filium, cum Ephoro relinquere maluit, quam apud Leidenſes, ob tot fœda quæ proximo menſe illic peracta erga mulieres, imo & adoleſcentes. Referre ea pudet. Heu quantum locus ille immutatus ab eo qui in utriuſque noſtri erat adoleſcentia.

Jam aliquot menſes præteriere, quod in lucem prodiit affinis mei Franciſci Junii Opus, de Pictura Veterum: quod alia de Pictoribus Antiquis ſubſequentur. Is mihi commiſit, ut Exemplar ad te transmitterem; ſed non video, ut commode hinc fieri poſſit, hyberna tempeſtate: filio igitur exemplar dedi, quod fratri tuo optimo Guilielmo daret. Is occaſionem aliquam melius intelliget.

Amſtelum Vondelii, quam illuſtri tuo nomini inſcripſit, jam ut puto videris. Diu quominus ageretur, obſtitere aliqui Presbyterii, ut arbitror, nomine. Tandem id Conſuli Gravio commiſſum ut perlegere cum cura vellet. Dixit ſe nihil invenire, quod jure offenderet. Nam quod dicerent, παπίζειν totum drama, uti & Authorem, id ſibi parvi ponderis videri; eo quod perſonæ debuerunt introduci, non ad tempora reformationis, ſed temporibus ſuis accommodatæ. Nudius tertius primo actum id drama, idque majore tanto cum applauſu, quanto diutius eluſa fuerat populi expectatio.

Deus Opt. Max. diutiſſime te & Heroinam conjugem, & filiorum utrumque, cum filia optima (quos omnes ego, & omnes mei impense ſalutari juſſerunt) ſalvos, & ſoſpites conſervet. Scribebam feſto Epiphaniæ anni hujus CIƆ IƆCXXXVIII. quem proſperum ac fœlicem, ut inchoantis anni tempore fieri amat, comprecater, niſi ſuperiori voto, & hoc, & alia, mihi complexus viderer.

*Tuus æternum cultor,*

G. J. VOSSIUS.

*Paucula infraſcripta ad Epiſtolam* DLXVII. *ſpectant.*

Denuò te compello, magne & Reverendiſſime Domine; quæſo ignoſce. Addidi exemplari ad te miſſo alterum tuo ſimillimum, ei, ſi ſic res ferat, dandum cui imprimis debui. Pro tua prudentia, quid facto ſit opus, melius me perſpicies. Item duo alia vulgari ratione compacta; unum pro eo, quem oblitus fuero; nec enim dubito, quin aliquis mihi præteritus ſit, dum ſic propero, cujuſmodi ſolœciſmi facilem mihi veniam fore confido, apud eximiæ adeò humanitatis virum. Alterum autem mitto pro ornatiſſimo viro, qui Reverendiſſimæ dignitati tuæ eſt à ſecretis. Nempe non minus potui vel debui, quando ab eo exoptem mihi hanc operam dari, ut curà illius, per famulitium aliquem ſingulis mittantur ea exemplaria, quæ tanto numero mittuntur. Iterum Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine, ſalve à Voſſio, nomini tuo æternum obſtricto.

*Libellus memorialis pro ornatiſſimo D. Secretario.*

Mitto exemplaria octodecim. Compacta quidem duodecim: quatuor Reverendiſſimo D. Epiſcopo Londinenſi: duo duabus Academiis. Septimum D. Uſſerio Archiepiſcopo Armachano. Octavum D. Epiſcopo Ciceſtrenſi. Tria adhæc Cantuariam deſtinata; unum univerſo Canonicorum Collegio, alterum particulatim D. Decano, & tertium Caſaubono. Supereſt duodecimum affini meo, Franciſco Junio, agenti in ædibus Arundelianis. Sex inſuper ſunt incompacta; unum Doctori Steward: tria Londini agentibus, D. Patricio Junio, D. Seldeno J. C. D. Th. Farnabio. Duo Oxonium mittenda, D. Rouſe bibliothecario & D. Ed. Pococke, ex Syria reverſo. Confido autem affinem meum D. Junium, paulò antè memoratum, modo in Urbe agat, ſimulatque cognôrit advecta eſſe exemplaria, lubentem ſe additurum ſocium in exemplaribus procurandis, ſi ita opus videatur.

*Inſervire viciſſim in omnibus paratiſſimus*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCCCXXV.

## Martino Pilio

### S. P.

*Inſtituto ejus applaudit, quod perennem patrui Pilii memoriam reddere voluerit.*

ITa eſt, ut ſcribis, Ornatiſſime Pili. Plane ego, & Præſtantiſſimus Patruus tuus, iiſdem in pueritia præceptoribus, Oxydrio, & Rekenario, viris doctiſſimis, uſi ſumus. Sed quod in vita ejus, de viro Cl. Franciſco Nanſio, lego, longè aliter eſt. Quippe is demum poſt exceſſum Oxydrii, Latinas Græcaſque literas docere Dordrechti cœpit: At ſuperſtite Oxydrio, jam Leidam ſe contulerat Pilius, ut vel ex Rekenarii epiſtolis à te editis cognoſcere licet. Imo quo tempore docere Nanſius cœpit, (id anno fuit CIƆ IƆ XCI) jam

jam juris ſtudio ſe Pilius addixerat. Primum ego Nanſium, poſtremumque audivi; ſed nunquam ego, & Patruus claſſe fuimus conjuncti. Quid mirum? quando ille ut ætate, (ſeptennio enim natu grandior erat) ita etiam eruditione longè ſuperior foret. Itaque poſtquam ille Gymnaſium Dordrechtanum reliquit, præter dulcem ſui memoriam, etiam exemplum reliquit, quod imitaremur. Sanè laudibus ejus ego, & æquales mei non leviter ad ſtudiorum amorem accendebamur. Præſertim cum Academicarum feriarum tempore, excurreret Dordrechtum, & veterem ſuum Præceptorem Rekenarium, in Gymnaſio docentem, honoris, & amoris ergò, audire dignaretur. Ac licet vix egreſſi eſſemus pueritia, tamen quotquot necdum ſubduxeramus manum ferulæ, facilè videbamus, nihil gratius Rekenario eſſe iſta diſcipuli comitate. Nunquam ſane eruditius, ac diſertius docebat, quam honorario hoc auctus auditore. Poſtea etiam multa magni erga Rekenarium affectus indicia dedit; præſertim ubi præterito Rekenario, quaſi Græcè non ſatis gnaro, Rectori Oxydrio Hadrianum Marcellum ſuffectum vidit. Quam graviter id tulerit, argumento erit, quod cum audiiſſet à Marcello, ejuſque diſcipulis, aliquot ſic ſpargi, Rekenarium Græca vix delibaſſe; Gymnaſium ſit ingreſſus, ac nobis audientibus, in hanc ſententiam, Marcellum ſit affatus. Intelligo optimum, & doctiſſimum Præceptorem meum à te, tuis traduci, ut Græcis literis minus excultum. Acceſſi igitur, ut ex diſcipulo æſtimare diſcas magiſtrum. Homerum cedo, vel Iſocratem, vel quemque Græcum ſcriptorem voles. Experiamur, quid uterque ex tempore interpretando poſſit. De peritia utriuſque penes Franciſcum Nanſium, & alios judicium eſto. Carmine & politiori literatura præſtabat Rekenarius: Sed longo eum intervallo ſuperabat Marcellus, ut Artium, & Philoſophiæ ſcientia, quam Lovanii hauſerat, ita & peritia ſermonis Græci. Nec exiguum eo honorem reportarat aliquot ante annis, Antverpiæ, quo tempore & privatam ibi ſcholam aperuerat Bonaventura Vulcanius. Sanè ita vulgo ferebatur, plures Græcè eruditos è Gymnaſio ſuo emittere Marcellum, quam Vulcanium. Equidem multum metuo, ne id magis incuriæ Vulcanii fuerit tribuendum. Nam quantus in Græcis fuerit is vir, optimè præter Academiam Lugdunenſem, in qua biennio quaſi docentem audivi, teſtantur ejus tot monumenta per univerſam diffuſa Europam. Sed enim iſta tum nos fugiebant admodum adoleſcentes. Nec aliud æque mirabamur, quam ſic à Patruo tuo, vix annos nato duo & viginti, provocari ad certamen, ſenem, qui annos XXX, & quod excurrit in literis Græcis inſumpſiſſet. Sed hanc Pilio fiduciam gignebat, quod priuſquam iret Leidam, ab Oxydrio Græcè doctiſſimo, præclarè ea lingua eſſet imbutus, & cùm Leidæ degeret aſſiduè, manu tam Græcos verſaſſet, quam Romanos. Unum tamen in ſe Leidæ culpabat, quod Rami, potius quam Ariſtotelis præceptis, à Præceptoribus eſſet imbutus; Primus enim Philoſophiam Peripateticam, in Gymnaſium Dordrechtanum introduxit Marcellus. Nec dubium, quin ad amorem Ariſtotelis, multum eum accenderit tum Juſtus Lipſius, qui in Epiſtola quadam ſcripſerat, non fore magnum, cui magnus eſſet Ramus: tum etiam Petrus Molinæus, vir omnino Peripateticus, quo utebatur perfamiliariter. Sic igitur claudicaret hac parte doctrina, & ipſe frequentare Peripateticos cœpit: Ac initium fecit ab initiis Crellii, qui eo tempore palmam in hac arte præripuiſſe cæteris videbatur. Meminit ipſe ejuſce rei, in literis ſuis, ad Nob. & Clar. Joannem Polyandrum ſeniorem: quicum & magna illi notitia erat. Cumque per varia animum diffunderet, nunquam tamen deponebat amorem Poëſeos. In quo quantum præſtiterit, conjecturam capere licet ex iis quæ jam editione nova ab Orco vindicaſti. Sic ille Latinis Græciſque literis, & cum liberalibus artibus, tum proſa, vorſaque facundia inſtructus, animum ad juris ſcientiam appulit; cujus exemplum ſi imitarentur adoleſcentes, non tot in publicum cruda propellerent ſtudia, melinſque & ſibi & publico conſultum irent. Sed hæc emendare non eſt noſtrarum virium. Tuam pietatem erga Patruum non poſſum ſatis laudare. Quid enim iniquius fuiſſet, quam ut laudatiſſimus undecumque Patruus tuus, à quo nihil non magni Patria expectabat, paucos intra annos intercideret totus? Id permittendum nulli bono, & ſtudiorum amanti erat. Minimè omnium tibi, fratris filio: quem, ut video, Typographus tuus in ipſa inſcriptione nepotem vocat; quaſi Nepos non ſic ſe habeat, ratione avi, uti filius ratione Parentis. Sed permutatum hoc, & à quo minimè, pendeant, vel ſalus Patriæ, vel honos Patrui. Et fecit ille non ſine exemplo doctiſſimorum noſtræ ætatis hominum; non tamen eorum, ut arbitror, qui Romanis temporibus purè loquebantur. Nam locus unus alter quem objectant è digeſtis, vel malè lectus, vel malè intellectus. Quod in jure ſic ſubactus, facilè videbis; ubi tam ad puſilla etiam te demittere voles. Illuſtri Dom. Exlegato Beverio, affini tuo, magno Patriæ columini, ubi occaſio feret, plurimam meo nomine ſalutem dicito.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ CXXXVIII,
XV Kal. Febr.

*Tum omni ſtudio,*

G. J. Vossius.

## CCCCXXVI.

## Merico Caſaubono, Iſaaci Fil.

## Gerardus Joannes Voſſius

### S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

*Reverende Clariſſimeque Vir,*

SI Gregorianam temporum ſeu emendationem, ſeu depravationem ſequimur, decurrit hodie annus vetus: cras inibit novus, quem fortunare cupio tibi ac familiæ toti & venerando fratrum Collegio. Nos hic poſt mortes Dionyſii, Joannis, Corneliæ; poſtque morbos graves Matthæi, Iſaaci, Gerardi, & corpore interdum languemus, & animo ſubinde, ut Auguſti utar voce, betizamus. Accedunt moleſtiæ aliæ pene quotidie. Sed in univerſis voluntati divinæ acquieſcimus. Interea ſpiſſius procedunt Muſarum labores. Adde quod Typographus noſter ipſe moras plurimum nectat, ac ſæpius habet quod exiſtimet prævertere oportere, uti nunc Barlæanam deſcriptionem pompæ quam hic conſpicere fuit, ingrediente urbem Regina Matre Medicæa: ea intra menſem aut circiter cum picturis elegantiſſimis prodibit. Hoc magis ſepoſitis pauliſper noſtris in iis feſtinatur, ne diuturniori mora gratiam deperdant, ſi quæ cum Italorum pompis collata tantum fuere mediocria, hæc nimis magno molimine tarde admodum videant lucem. Rerum hic novarum nihil habemus, niſi de capto Briſaco nomine Galliarum Regis. Eo difficilius ſuccedet pacis negotium in Germania. Neque enim adduci ſe ſinet Rex Chriſtianiſſimus, ut reddat locum tanti momenti. Abſque eo autem Cæſar omnes conditiones pacis reſpuet. Interea hoc inde boni proveniet fœderatæ Belgicæ, quòd Cæſar non poterit æſtate proximâ exercitum adverſum nos mittere, uti decreviſſe fama undique percrebuerat. Abunde enim nunc milite ſuo opus ei erit tuendis regionibus iis, in quas è Briſaco fieri poſſit irruptio. In urbe hac intra menſes duos tres non minus XL è viris Mercurialibus foro ceſſerunt. At qui etiam ajunt plures eſſe quinquagenis. Et complures in iis qui debeant ultra trecenta florenorum noſtratium millia. Hæc res perdet plurimos qui illis crediderant, nec leve hinc damnum toti mercaturæ, quod & magnopere incommodavit publico: præſertim ſi verum eſt quod ajunt, moribus antiquis viriſque rem ſtetiſſe Romanam: pecuniis adverſus tam potentem hoſtem ſtare cadereque Batavam. Interea hoc ſolatii nobis quod hinc æſtimare diſcimus animi bona præ illis fragilibus

ac fluxilibus. De præbenda Cantuarienſi quæ bono meo exſpiravit hoc menſe Decembri, curæ tibi fore confido, ut ea pecunia annumeretur Mercatori Amſtelodamenſi Coſtenio, ſive quem ille in Anglia huic rei præfecerit. Uxor uxorem optimam, imo nos omnes ſalutamus vos omnes.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ c xxxviii,
pr. Kal. Februarias.

## CCCCXXVII.

*Clariſſimo*

## D. Voſſio,

D. & Amico plurimum honorando.

*Dolorem ſuum ex calamitate eius teſtatur, proſpera poſthac omnia apprecatus.*

*Clariſſime Vir, & amice peculiariter mihi honorande,*

AJunt aliqui, in luctum ſat gravem te, cum iis qui tibi cariſſimi, conjectum diebus hiſce proximis. Si ita eſt & ipſe equidem unà lugeo. Ex quo enim benevolentiam erga me tuam, quoties te accedo, imò etiam alias experior affatim; non poteſt non mihi tua tuorumque, ut proſperitas eſſe gaudio, ita cordolium ciere calamitas, præſertim tanta. Quod ipſum ſaltem, quin verbo tibi perſcriberem, continere me nunc non potui: Solari te coner inſuper; ſed vereor, ne ſic ad animum tibi revocans caſum triſtiſſimum, irritem potius vulnus, adeò recens. Quicquid ſit, ferendum tamen eſſe denique æquo animo, quod infectum reddi nequit, Magiſtri ſapientiæ, tibi haud quaquam ignoti, docere nos ſolent. Deum rogo, ut mœrorem hunc tuum, & honoratiſſimæ domus tuæ totius compenſare aliàs gaudiis, ac felicitate hic & æternùm dignetur.

Harlemi, xxxi Jan.
MDCXXXIIX.

*Cl. D. V. ſervus,*

BARTOLDUS NIHUSIUS.

## CCCCXXVIII.

## Simoni Beaumontio,

Syndico Roterodamenſi,

S. P.

*Verum ac geminum vocabulorum, juridicina & cauſidicina uſum declarat.*

VIr ampliſſime, atque eximie, tertio jam & pluſculo intervallo, manum admoveo calamo ad reſcribendum; & quod de die non erat, nocturni temporis beneficio (O beatas noctes non ſtudentium minus quam amantium!) impediet nullus. Seu *juridicina*, ſeu *cauſidicina*, tuo voles in verſu, fautores habes non malæ ætatis ſcriptores, atque eos quos maximè voles, vel Juriſconſultos, vel verborum juris retinentiſſimos. De Tertulliano qui virum norit, nemo inficias ierit. Is opere Scholaſtico, de Pallio, quod exaravit ubi Presbyter erat factus Carthaginenſis, occaſione ea quod velut, *ἀχεσβῶς χειτωνίζων*, pro toga, pallium aſſumpſiſſet, hunc in modum ſcribit capite tertio! *Cato juridicina ſua in tempore humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcis favit. Juridicinam* dicit pro tempore eo, quo jus diceret Prætor. Prætores enim cinctu Gabino, hoc eſt nudo humero dextro, (hoc enim eſt quod Tertullianus ait humerum exertus,) jus civibus dicebant. Hoc cognoſcere eſt ex veteri interprete Perſii in illud, ſatyra quinta.

*Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.*

Atque item Iſidoro Originum, Lib. XIX. cap. 24. Ut autem *à juridicus, juridicina*, ita *à cauſidicus* formarunt juriſconſulti veſtri, *cauſidicina*. Qua voce uſus Ammianus Marcellinus, Lib. XXX. *Ad ultimum id habet cauſidicina cum cæteris metuendum & grave, quod hoc pene ingenitum eſt penè litigantibus cunctis, ut cum jurgia mille caſibus cadant; accidentia ſecus in poteſtate eſſe exiſtiment Patronorum, &c.* Dixerit aliquis hunc & hominem fuiſſe Græcum, & militem, ut ipſe de ſe refert, extremo Hiſtoriæ ſuæ. Dabo igitur Aurelium Symmachum, Oratorem eumque Conſularem. Is tribus in locis hoc uſus eſt vocabulo. Ut Lib. V. Epiſt. XV. quæ ad Theodorum *Sancto Lampadio, germano tuo, & ad ſpem proceſſus, & ad bonam viam morum, cauſidicinam credidi profuturam.* Item, Epiſt. LXXIII. quæ ad Licinium: *Modeſtiori cauſidicinæ dare nomen affectat.* Alibi idem, *Qui Magiſterio tuo cauſidicina inſinuo candidatos.* Sed quid his inſiſto? Præclarum quidem Symmachi nomen, quem in florido dicendi genere, nullo Veterum minorem ait Macrobius, Saturnalium Lib. V. cap. 1. Malis tamen ſcio Imperatores, qui ſtante Roma, & eadem qua Symmachus vixerint ætate, ſunt hi Theodoſius, & Valentinianus. A. A. *Si qui verò cohortales, vel ſubjecti cohorti, ullam ante hanc legem geſſit militiam, aut cœptam dudum etiam nunc gerit, aut cauſidicinam in foro ampliſſimæ præfectura, atque Illyrici, vel urbano profitetur judicio, in eodem latarum pridem conſtitutionum ſanctio obſervetur.* Vides illuſtrem locum eo ex opere, quod mecum ſcio miraris, Vir ampliſſime, non magis eſſe, in manibus eorum, qui ſe Themidi veſtræ ſacrarunt. Et ſanè quid ἀναλογώτερον utroque, quæ diximus, vocabuli. Nam ut *à cauſidicus, cauſidicina, à juridicus, juridicina*; ſic *à carnifice, carnificina, à veſtifice, veſtificina*, apud Tertullianum de Pallio, *ab indice, indicina*, Apuleio VIII. Mileſiarum, & aliis alia id genus. Vale, Vir maxime, & porro nos amare, ac de Republica Batava bene mereri perge.

Pag. 451. edit. Hamburg.

Codicis Theodoſ. Lib. VIII. Tit. 4.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xxxviii.
Kal. Febr.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCCXXIX.

## Claudio Salmaſio,

## Gerard. Voſſius

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

NOn abſque periculo, ſalvus interim ac ſoſpes, cum filio filiaque nunc unica Amſtelodamum perveni, & eapropter gratias Deo noſtro ago, quas poſſum. Contradum Pauli Brunſwicenſem (male Heresbachium putâram) mitto quidem, ſed vix video ut juvare aliquid poſſit. Hotomannum de Uſuris nec habeo, nec hic ex amicis queo nanciſci. Scio tamen Lugduni in Galliis excuſum anno cIɔ Iɔ c x i x, cum aliis aliquot ejus viri opuſculis. Mirum præteritum eſſe in Oceano Juris, cujus tomo ſeptimo (ſeptem & viginti voluminibus conſtat) habentur ſeptem de Uſura Scriptores. Hoc volumen tranſmiſiſſem, niſi ſciſſem certo eſſe etiam in Bibliotheca Leidenſi. Sed ex Bibliotheca noſtra habeo nunc domi meæ, ac tranſmittam ſi verbo indices. In indice tot voluminum video & aliis tomis multa de hoc argumento interſperſa eſſe. Sed quandoquidem Leidæ hæc habetis, quæ ſi ulli, tibi ſane patere debent, nihil de eo addendum putavi. Sin à nobis malis, univerſa

in

Google

in arca concludam ac mittam. De honore habendo nobis in baptiſmatis ſponſione uxor gratias agit, ut convenit, rogatque obnixè, ut utaris vicaria ejus opera, cujus maxime velis. Sic enim apud Batavos, & credo aliis etiam terris uſus eſt, ſi loci intervallum vel valetudo vel aliud obſtiterit quo minus, quis coram adeſſe perque ſe obire ſponſionis munus poſſit. O ſi ſuaviſſima mea Cornelia, quam ſic ob virtutes dileximus ego & uxor, imo innumeri nobiſcum, hoc potuiſſet pro nobis. Sed facta eſt voluntas Domini, cujus nomen ſit benedictum. Conjugi tuæ lectiſſimæ ſed & affini tuæ optimæ ſalutem adſcribi juſſit uxor mea; ſimul obſtrictiſſimus tibi Iſaacus meus & qui plura tamen debere exoptat, quo mancupio totus ſit tuus, ſaltem non minus quam parentis, plurimum te & conjugem ſalutat.

Amſtelod. cIↄ Iↄ c xxxv i i i.
Non. Febr.

## CCCCXXX.

## Gerardo Joanni Voſſio,

τῷ πάνυ,

## Johan. Fredericus Gronovius,

Salutem & obſervantiam.

*Conſolatoria.*

LUctus ille veſter, Vir maxime, triſtiſſimus, & inopinatus, omnes quidem ubi auditus eſt, mirificè affecit, me verò prorſus exanimavit. Quare etſi magnoperè cupiebam, quia non voce poſſem, & planctu, literis ſaltem, adeſſe complorationi veſtræ: tamen adhuc ſive me, ſive te reſpicerem, refugit animus, nec huic ſcriptioni vacare permiſit. Sciebam φιλόςοργον καὶ φιλότεκνον te eſſe, & in acerbiſſimo hoc vulnere, veterem cicatricem reſcindi. Sciebam amiſiſſe te puellam obſequentiſſimam, probatiſſimam tuis, quæ ſimulacrum erat paternæ maternæque virtutis, ingenii, morum: unde dulcis illa ſpes nepotum proximior, & hoc avidior. Nec leto triſtius leti genus ignorabam veniſſe ante diem, haut fato, ut veteres loquebantur. Quare auſus non ſum admonere te, dum

*—— Stat pectore demens luctus,*
*Et admoto latrant præcordia tactu.*

Nunc tandem religio mihi officio deeſſe diutius: & parandum fuit alloquium, ſive mavis, lacrymæ cum amici, quem Parentis inſtar veneror, cujus liberos amore, & ſtudiis ut æquales, fratres, ſorores, ingenio, doctrina, & ſpe, ut majores amplector, lacrymis miſcendæ. Cur tamen lacrymæ modo? Vir es magnus, bonus, Chriſtianus, in hac palæſtra, qua Deus aſcetas ſuos caſtigat, ab ineunte ævo exercitatiſſimus: ad hæc venerabilibus annis, & multa hujuſcemodi exempla legiſti, vidiſti, cognoviſti. Quare non debes aptare tibi vulgaria iſta, quibus exulceratæ mentes, ad ſanitatem revocantur; ſed ab ipſo caſu ſumere animos, & ab iis quæ maximè cruciant, & faciem ſubdunt dolori, petere ſolatia. Nam quoniam amas illum, qui ſe vult ſolum amari, qui jubet Parentibus, conjugibus, liberis, dicere, non novi vos; imo odi vos; quoniam non vulgarem in modum, ipſe ab illo zelote amaris; non debes mirari, ſi ea eripit tibi, quæ inter cariſſima etiam bene compoſitis affectibus reputantur, quæ aliqua parte amorem tuum, qui ſurſum vocatur, terræ alligabant. Nec enim parvo conſtat, mortalibus vera ſapientia, aut amor ſummi boni, ſine magnis documentis habetur. Quod verò præmiſiſti imaginem tuam, virginem, unicum pietatis, pudicitiæ, modeſtæ elegantiæ exemplar, quid aliud eſt, quam petiiſſe à te Deum has ſuorum munerum primitias, quaſi in ſacrificium, quantum humanitus provideri poterat, mundum, ſanctum, inviolatum, purgatum, & regenitum agni immaculati ſanguine: quod velut ſponſor, & vas eſſet aliquis, ſecuturæ olim tuæ in eadem beata loca profectionis. In quo, quod tibi, ſpei tuæ, mundo ereptum, id ſervatori ejus, & caſtiſſimo Cœlitum choro acquiſitum eſt. Ipſa vero ſors mortis, ſeu ut magis ex formula ſacramenti noſtri loquar, ipſe commeatus, quo ſummus ei arbiter hujus militiæ vocationem dedit, eſt ille quidem illætabilis, lugubris; & præfeſtinus, ſi hominem roges; nequaquam verò deplorandus, ſi roges eum, vel ipſam potius, quæ ſemper ita ſe geſſit, ut eam modo horam fœlicem arbitraretur, ut huc ſolum adſpiraret. Quid enim luctuoſum, per quod ad lætitiam ſolidam tranſitur? ad peccati immunitatem, quod ſolum illætabile, flebile, miſerum in nobis? Neque tamen metum, aut cruciatus, aut tabem lentam, vivi ſepulturam cadaveris, non mortem denique ipſam ſenſit: ſed uno ictu, levi corporis vulnere, momento æternam animæ ſanitatem redemit, & ſpiritum ſemper in hoc paratum, non flens, repugnans, vix appellata Creatori ſuo reddidit. Quomodo autem præpropere, & ante diem, (ut pueriliter, & ſtultè Pagani loquebantur) venit, quod ad voluntatem Dei, & mandatum, & præſtitutum rebus volvendis, ordinem evenit? Vivit ergo illa puriſſima, & beata anima, pulchri corporis aliquandiu hoſpes, & tuum amorem ab ſe, ad id quod ſolum amabile eſt, revocat, jamque haud dubium amplius curæ veſtræ teſtimonium, coram omnibus ſanctis perhibet, quod à Deo acceptos, Deo ſervetis, veri οἰκονόμοι τῶ χαρισμάτων αὐτῦ· data in anteceſſum, & ſuppoſita pignori futuræ veſtræ aſcenſionis, abiit non invita, non imparata, non gemens, & tum cum cito abſolutis ſtipendiis evocata, miſſionem meruit. Nihil ergo hic lugendum; ſed adoranda voluntas τῦ ἐν ὑψίςοις, quæ cum tot præſtantium pignorum tibi numerum largita ſit, eam tecum rationem duxit, ut fœcunditatem fœlicitatemque conjugii tui, inter cœlum, & terram partiretis. Omitto nunc de incerto humanarum rerum, de varietate diſcriminum, & ipſius bonæ fortunæ inſidiis, de conditione communi: omitto omnia illa, quæ ex literis τῶ ἔξω, contra jacturas tales, præſidia comparantur. Nempe has cùm unus optimè omnium calleas, ſemper tamen ſacras habuiſti potiores, & hinc demùm ſalubria φάρμακα. Nec ignoro omnium horum te quoque meminiſſe; ſed quia loquax res dolor eſt, videtur, & hanc ſolatiis neceſſitatem imponere, ut ſimiliter ſint, & ſæpe nota nimis repetant. Deus Opt. Max. animum tuum erigat, honorandum ſenium vegetet, & quod cenſeri queat, abruptum liberorum tuorum, qui præiverunt, annis id in tuis, in graviſſimæ Matronæ tuæ, in fratrum, & ſororis ſuperſtitum augeat. Vale Vir Σεβασμιώτατε· & hoc officium meum, ut a pietate profectum interpretare.

Hagæ-Comitis, Idib. Februar.
Anno cIↄ Iↄ c xxxv i i i.

Graswinkelius ὁ πάνυ, & egregius Heilerſichius, ſalutant te officioſè, dolent cum dolente, & in mei alloqui cupiunt venire partem. Incluſas, ni grave eſt, jubebis ad Hardervicenos nautas deferri.

## CCCCXXXI.

*Viro Clariſſimo,*

## Merico Caſaubono,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

***Filia Cornelia triſtem caſum mœſtus nunciat.***

IN ſummo mœrore meo pauxillum hoc literarum ſcribo, præſtantiſſime & amiciſſime Caſaubone, ſiquidem

Dominus Deus quam mihi dederat abſtulit filiam natu majorem optimam Virginem, & multis nominibus laudatiſſimam, quam rem ex aliis qui norint malim te intelligere. Quodque dolorem mihi auget, erepta mihi triſti infortunio. Dum enim his ut terris, credo & Britannicis, obtinet hyeme, per glaciem rheda, ſive traha malis, una cum fratre, ſorore, cognato & duobus aliis fertur; nec impudens pariter & imprudens auſcultare vult meorum & aliorum monitis univerſi rupta glacie in aquas præcipitati. Tenella illa mea, partim caſu, partim metu exterrita, mox obriguit: cæteri, ſed non abſque maximo periculo, evaſere. Sed plerique eorum ſalutem poſt Deum debent filio Matthæo, qui non ſemel in aquas inſiliit ſponte, ut ſalvaret cæteros. Sic Deus, mi Casaubone, me exercet in hac vita, qui & hactenus dat illud, &, ut confido, porro dabit, ut in ſanctiſſima ejus voluntate conquieſcam. Jam ut ſcis viginti quinque debentur mihi libræ Sterlingicæ ex Canonicatus Præbenda, quam vocant. Nempe exſpirarunt Decembri menſe anni ſuperioris cIɔ Iɔ c xxxvii. Tantumdem hic mihi hodierno die annumeravit honeſtiſſimus & ornatiſſimus Kuſtenius ea fiducia, ut quamprimum refundatur ei Cantuariæ ſibi, vel illi, qui nomine illius oſtenderit ſchedulam à me ſubſcriptam, ſpero nullam fore moram vel in te, vel fratrum chariſſimorum quoquam. Plurimam ſalutem à me & meis dicito lectiſſimæ uxori, ſed & Reverendo D. Decano & toti Collegio venerabilium fratrum.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ c xxxvii.
xviii. Febr.

---

## CCCCXXXII.

### Claudio Salmaſio,

*Viro Clariſſ.*

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

IN mœrore quem conceperam ex obitu optimæ & ſuaviſſimæ Corneliæ meæ, dolorem illum Leida abeunti non mediocriter auxit, quod partim ex Elichmanno, partim etiam ex epiſtolio tuo, intelligerem de nephritide, adverſaque valetudine, qua impeditus, non uti ante, ita à funere, etiam inviſiſſes. Atque eo pejus me hoc habet, quod ex eo nihil intellexerim. Scis autem quam amor ſit ſuſpicioſus. Simul nonnihil moleſtiæ animo attulit meo deſiderium cognoſcendi, quid proximo Curatorum conventu factum eſſet de rebus tuis, & an manſerint promiſſis. Sed ſi valetudo eſt proſpera, minus laboro, de cæteris: quanquam ſi ullus mortalium, is ſim, qui magnum inde dolorem caperem, ſi tantum poſſet improbitas, ut te illud ſeculi decus, ac Batavicæ etiam Academiæ præſidium, à terris avelleret noſtris. Quod ne Deus ſinat, ut unquam videam. Credo, jam filiam tuam Mariam ſacro ſtiteris baptiſmati. Sed ſive id jam factum, ſive futurum propediem, ex more Batavo, arbitror & Gallico, munuſculum mitto, quo adultior tua meminerit optimæ conjugis meæ: cujus utinam valetudo ſiviſſet, ut ipſa de ſacro fonte levaret; ſed quia nec ipſa poteſt ad vos venire, nec de Cornelia dulciſſima, Deo ſic viſum fuit, vicaria opera opus vel fuit vel erit, dum ipſa ſuſceptrix, & ſacræ initiationis arbitra cenſeatur. Tantum Junia mea Merceram tuam rogat, ne vili metallo, ſplendido luto, munuſculum minutum, ſed ſolo æſtimet affectu. De Hottomanno nihil mirum, ſi Haga nihil receperis; nam quo ad te ſcripſeram die, eo ad nos filius Haga venit. Ac necdum ad Hagenſes reverſus, & ut arbitror jam ſerum eſt ex advocatorum elegantioribus exquirere de hoc opere. Quare niſi aliter videatur, operæ parcetur; ſin aliter placitum, fac ut ex Iſaaco meo intelligam. Nihil enim mihi vel meis jucundius eſſe poſſit, quam ulla in re tibi, hoc eſt reipublicæ Literariæ, utilis eſſe poſſit opera noſtra. Salutem plurimam tibi, conjugi, affini tuæ, uxor, imo omnes nos dicimus.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ c xxxviii,
Non. Kal. Martias.

---

## CCCCXXXIII.

### Joanni Cabeliavio,

Juriſconſulto,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

DIcere non poſſum, mi Cabeliavi, quam grata mihi fuerit utraque epiſtola tua: poſterior imprimis, qua mihi carum adeo pignus, lugenti, omni ſolatiorum genere mederi voluiſti. Hunc animum tuum niſi habeam pergratum prorſus fuero ingratus. Quamobrem, etſi ſemper te dilexerim, non leve tamen eſt, quod amori acceſſit noſtro. Nec propterea opinari te velim, molliter adeo me ferre triſtiſſimum hunc caſum, cujus gratia, tantum aſſumendum tibi laboris putaſti. Scis ætatem ſenilem, & ut teneris ab unguiculis, ſtudiis ſim innutritus, ſacris imprimis: quæ tractare ſoleo, non, ut alios ſolùm reddam meliores, ſed ut prior ſim ipſe, quales eſſe alios velim. Sed de iſto pluribus colloquemur, ubi Amſtelodamum veneris. Nam ſpem eam mihi fecit alloquio ſuo optimus affinis tuus. Advenies exoptatiſſimus: Neque id modo, ob eruditionem inſignem; ſed etiam ob pietatem, & candorem, quibus omnem doctrinam, in ſummis etiam viris poſthabeo, ſæculo enim vivimus fucato, & maligno: adeo ut qui raram doctrinam cum excellenti probitate, animique candore conjunxerunt, ſint vix totidem, quod Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili. Sed mihi ut videtur, ad carceres prope decurſum hoc vitæ ſpatium. Tibi, ut arbitror, longa reſtat via; in qua conficiunda multum metuo ne graviora etiam ſubeunda ſint, quam illa, de quibus ſcribis prioribus literis. Non omnia, hominibus eruditis præſertim, Dei metuentibus, evenire ſolent ex animi ſententia. Nimirum melius novit Deus, quid cuique expediat. Literas tui amici remitto, ut volueras. De tuis fiet ut ſcripſeras. Barlæus tui amantiſſimus plurimum te ſalvere jubet.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xxxviii,
poſtr. Non. Mart.

*Tuus omni ſtudio.*

---

## CCCCXXXIV.

### Franciſco Gomaro,

*Viro Clariſſ.*

Præceptori veteri, affinitate conjunctiſſimo,

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*De Lyra Davidica ipſi gratulatur, ac pro inſigni hoc munere, ut & pro conſolatoriis ſuper triſtiſſimo filiæ obitu gratias agit.*

QUod M. Tullius ait de Phidiæ ſigno, ſimul id adſpectum, & probatum; id intelligentiſſimi cujuſque judi-

judicium eſt, de opera tua, in Hebrææ poëſios notitia quaſi ab Orco revocanda. Nam & eruditiſſimus hic labor tuus novitate argumenti facile in oculos incurrit omnium, & quanto gratiora eſſe debent, quæ ſacras attingunt literas, tanto magis vel prima facie ſe commendat, & tamen majorem allaturus fructum, quo magis inſpiciatur. Sanè apud nos video extolli hanc commendationem, non ab iis modò, qui nomen nobiſcum Chriſto dederunt; ſed iis quoque qui, ſe ajunt, Moſaicis contentos ſacris; laudarentque iidem impenſius, ſi cum Hebræis literas conjunxiſſent Græcas. Magnas igitur gratias habeo pro Opere, quod & noſtra ætas, & poſtera æſtimabit ſemper. Altero etiam nomine, & ego & conjux hoc tempore, poſt tot merita vetera tibi obſtringimur, quod ea ætate illis occupationibus non gravatus fueris, nos in hoc triſtiſſimo dilectæ filiæ obitu, ſolatii pleniſſimis literis alloqui. Valdè illæ gratæ nobis, acceptæque, imprimis mœſtiſſimæ conjugi, quam non mediocriter refecerunt. Spero Deum porro daturum, ut ea quæ ſcribis, ad animum revocet magis & magis. Nec illa ſegniter id hactenus fecit, ſed recurſat vel minima occaſione dolor. Nec leviter excruciat, quod erepta filia nunc ætate hac graveſcente, & valetudine adeo infirma, ſibi conflictandum videt cum ancillari vecordia, ſegnitie, ac moribus improbis. Nam antea longè maxima pars oneris in filiam recumbebat, quæ ad regundam familiam nata videbatur; non ſine parentum, & fratrum admiratione. Ita circumſpectè, nec moribus gravibus minus quàm placidis moderabatur, ea quæ ad rem familiarem pertinerent. Niſi hoc non minus foret, quod dixi, majus etiam de pietate, & ſacrorum intelligentia, adderem de peritia ſermonis Gallici, Italici, Hiſpanici. Nec Latinè neſciebat. Adderem de Muſice univerſa, arteque tum calamo, tum penicillo, & coloribus pingendi. Sed dolorem talia meum quoque, qui virum, quodque caput eſt, Philoſophum me Chriſtianum commemini, refricant magis, quàm mitigant. Ergo his miſſis, ad ſtudia noſtra venio. Excuditur opus noſtrum, de Origine & Progreſſu Idololatriæ Gentilis, & humanæ mentis aſcenſu ad Deum: quo ipſo cum Nationum Theologia triplicem refero conflictum; hiſtoriæ priſcæ unum, ſcientiæ naturalis alterum, ac tertium Scripturæ Sacræ. Sed opus tam varium, ac difficile in ſpiſſis adeo occupationibus non poteſt non ſpiſſe procedere. Salutem plurimam dicito, non uxori modò, generoque; ſed clariſſimo etiam Altingio; item Nobiliſſimo Magdoello. De affine Junia, & matertera ejus Manieria nihil addo, quia hoc negotium uxoris ſoleo literis committere.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ C XXXVIII,
VI Id. Mart.

## CCCCXXXV.

## Joachimo Borgeſio,

Gymnaſiarchæ Groningano,

S. P.

*Gratam & conſolationem, & donationem libri fuiſſe, oſtendit.*

PEramice à te factum, Doctiſſime Borgeſi, quod mœſtum me, propter exceſſum optimæ cariſſimæque filiæ, conſolandum per literas putaris. Omnino enim valdè me hic caſus affecit; ſic tamen, ut ſolidi plurimum ſolatii percipiam; quod jam à teneris ſim edoctus, nihil nobis ſecundi vel adverſi contingere; citra Dei voluntatem. Unus ille melius, quid filiæ, quid parentibus expedierit, novit, quam orbis univerſus. Dei ſunt cuncta, dat ille, & adimit, cum viſum. Nec ſanè illis temporibus vivimus, ut homini prudenti ac pio valdè adblandiri hic mundus poſſit. De me quidem illud dixero ingenuè, longe jucundiſſimam mihi hanc vitam fore, abſque duobus illis foret, quod voluptatem magnam capio, partim quidem in ſenectute hac addiſcendo, porro quæ me reddere poſſint meliorem, partim vero, voce, ſcriptis, factis, benè merendi de omnibus, pro modulo gratiæ, quam mihi admenſus eſt Dominus. Pergratum quoque fuit Ἀντίδωρον tuum; quod cave, ut facis, poſthac deprecies. Omnino contra cenſeo, te mihi pro ſcrutis & frivolis repoſuiſſe; non contentus ſum dicere aurea, malo dicere auro magis aurea. Nam quis homulus ego, pro duobus maximis Regibus, Davide, & Salomone? quid ſcripta noſtra, imo humana omnia, præ θεοπνεύστοις; Præ iſtis aurum non eſt aurum, ſed lutum, & ſi quid illis vilius. Valdè etiam mihi probatur opera tua, in pietate ſic à teneris inſtillanda unguiculis. Hoc enim præfatione operis abundè teſtatum facis. Nimirum quanto corruptiora ſunt ſecula, tanto magis gliſcenti malo obviam eundum eſt, præſertim Scholarum Præfectis. Equidem cum te ſic animatum eſſe videam, non poſſum non & mihi gaudere, & Juniolo noſtro gratulari, quod talem nactus ſit Doctorem. Quare quod alioqui facerem, & vehementer facerem, ut puerum de meliori nota commendarem tibi, id nunc neceſſarium non arbitror. Nam cum affecta etiam hac ætate omnia metiaris juventutis bono; eo imprimis quod ad viam perducit æternam, quo pacto perſuadere mihi poſſum, ceſſaturam unam operam tuam in eo adoleſcentulo, quem cùm ingenii cauſa ames, tum propter avi ſummi viri merita erga Eccleſiam Dei. Cujus etiam tralationem in iis, quæ nunc à te edita, præ cæteris omnibus, verſandam pueritiæ manibus putaveris. Vale, Vir præſtans & amice.

*Tuus,*

Amſtelodami,
cIↃ IↃ C XXXVIII,
VI Id. Mart.

G. J. VOSSIUS.

## CCCCXXXVI.

*Clariſſimo Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori Celeberrimo.

*Commendatitia.*

*Vir Clariſſime,*

EA mea fœlicitas fuit, ut quantum apud te poſſem, non raro etiam in amicis meis experirer. Quos cùm ea comitate excipias, qua me ſoles, illi, quod tuæ humanitatis eſt, mecum beneficium interpretantur. Utrum hujuſmodi homines errent, an verò rectè ſentiant, id explorare, quæ mea ambitio eſt, non lubet. Si quis tamen hodie vivit, quem amari à te valde velim, is omnino eſt Jacobus Seertlingius, qui has tibi tradit. Is in eadem mecum urbe natus, hic apud Ubios ita mecum vixit, ut nihil poſſit dici conjunctius. Unus ſanè fuit, qui ægritudinem animi mei leniret, & hoc in loco moleſtiſſimo, vivendi tædium ſuavi contubernio ſolaretur. Cum enim omnes in hac civitate, magis fatui ſint, quàm fabrorum betæ, idque ab ineunte ætate addiſcant, ut craſſè & loquantur, & ſentiant, nitorem omnem, à verbis pariter, & judicio arceant: apud hunc unicum, cordatè ſapere licuit. Adderem alia, ſed neſcio, quomodo hominis familiaris, ſemper ſuſpectæ laudes ſunt. Noſti inviſum morem quorumdam, qui alios Alcæos faciunt, ut ipſi Mimnermi videantur. Unum dicam; juſtæ ſanæque indolis eſt, & rectè judicat. Quod in omni laude palmarium eſſe, tu me ſæpe, Vir Optime, & Candidiſſime, docuiſti. Excute ſolum, in manus ſume, attrecta, & miraberis ineptam ſollicitudinem meam, qui aliunde cauſas, cur Seertlingium ames, con-

conferam, cùm ipſe domi plures habeat. Vir incomparabilis, fœliciſſimè vale.

Coloniæ Agrippinæ Proprid. Kal. Apr. A. cIↃ IↃ cxxxviii.

*Tuus ex aſſe,*

VINCENT. FABRICIUS.

## CCCCXXXVII.

*Clariſſimo, & Celeberrimo Viro*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori digniſſimo,

S. P.

*Dolorem ejus ex calamitate domeſtica lenire ſtudet. Salmaſium totum eſſe in opere de Uſuris, multum etiam eum deferre Voſſio ſuo; Samuelem Petitum conditionem à Franekerenſibus oblatam acceptaſſe indicat.*

*Clariſſ. Doctiſſ. & Celeber. Vir, amice conjunctiſſ.*

NOn poſſum, nec debeo, noſtrum Heilerſigium ad vos abeuntem dimittere, ſine literis meis. Quamvis enim talis ſit, qui meos ſenſus norit, & quomodo erga te & tuos ſim affectus, teſtari poſſit; nolui tamen id ejus verbis committere, ſine ſpeciali Syngrapha. Non libenter obductam familiæ tuæ cicatricem refrico: id tamen coram Deo, apud te debeo profiteri, vulnus illud tuum, me graviter affeciſſe, & mali non ignarum, tibi & lectiſſimæ uxori tuæ, unà cum mea, feriò condoluiſſe; ſed qui te novi non Philoſophia tantum, ſed Chriſtiana etiam ſententia, & opera, non dubitavi quin conſilio Dei acquieſceres, & manum ejus oſculareris, vel percutientem. Id te feciſſe & forti animo caſum hunc tuliſſe, ſignificavit nuper mihi amicus noſter, Nobiliſſ. Salmaſius, qui hic aliquot dies, ſui nobis uſuram fecit, totus in Uſuris deſcribendis, & diſtinguendis, in quibus tale ſpecimen edidit omnigenæ eruditionis, & diffuſiſſimæ lectionis, ut qui, nonnullorum arte ſecus de eo ſenſerant, nihil vulgare deinceps à tali ingenio exſpectent: in quo nec tu falſus fuiſti, nec pro eo qui eſt in te candore, unquam diſſimulaſti, quam tibi diſplicerent ſequiora illorum judicia, qui ei raram & exquiſitam eruditionem derogarent. Quantum tibi deferat, teſtis eſſe poſſum, ex iis quos unà de te contulimus ſermonibus, in quibus id interea enumerabat, quæ ſibi infelicia accidiſſent, quod eo tempore Leidam veniſſet, quo Clariſſ. Voſſius emigraverat, cujus communicatione & conſortio frueretur. Sed ita Deus ſedes, & habitationes noſtras determinat, ut nullibi ſimus ubi nobis nihil ſit deſiderandum, donec ſedes illas incolamus, in quibus Deus eſt, omnia in omnibus. Ei te, tuoſque omnes, ex animo commendo; & reliqua de quibus apud te libenter garrirem, noſtro Heilerſigio committo, teque cum tuis, à me, & mea, ſalvere, plurimum cupio.

Hagæ Comitis. Poſtrid. Kalend. April. cIↃ IↃ c xxxviii.

*Tuus ut ſuus omni ſtudio & affectu,*

ANDREAS RIVETUS.

Novi, quam benè velis affini meo Molinæo, ideo exiſtimavi tibi gratiſſimum fore, ſi ſignificem eum adhuc athleticè valere, Dei beneficio, quamvis ſeptuagenarius ſit, & auctum eſſe numeroſâ prole, ſuperſtitibus ex ſecunda uxore, quinque liberis impuberibus. Addam Samuelem Petitum qui tibi ex ſcriptis notus eſt, conditionem à Franckerenſibus oblatam, in locum Bogermanni acceptaſſe, & venturum proximo Auguſto.

## CCCCXXXVIII.

*Clariſſimo Viro,*

### D. Gerhardo Johanni Voſſio,

Eloquentiæ & Hiſtoriæ Profeſſori Celeberrimo.

*Sympathiam ſuam in morte filiæ ejus teſtatur. Pro donatis theſibus Theologicis diſputationes ſuas in Aug. Confeſſ. gratus tranſmittit. Juvenem quendam commendat. Syntagma ſuum Sycophantas quoſdam tanquam Socinianum palam inceſſere, graviter conqueritur.*

DE obitu filiæ tuæ, Vir Excellentiſſime, & ſumme, virginis ornatiſſimæ, ſex Linguarum peritæ, aliiſque virtutibus ſupra ſexum, & ætatem ſuam condecoratæ, mihi renuntiatum eſt. Quem ego caſum familiæ tuæ, non ſine maximo dolore, ac συμπαθείας, accepi. Digna enim illa erat, quæ Parentibus honoratiſſimis gaudium pareret, & familiam augeret. Verum ſupremo Imperatori aliter viſum, qui eam juſſit ſubito, à ſtatione ſua diſcedere, ne ſeculi plures moleſtias devorare nobiſcum cogeretur, qui in horas cupimus diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Eapropter ſancto pectuſculo, ne ſanè fœlicitatem invideamus; ſed illud proceſſiſſe in locum omnibus piis communem: in quem ſeriùs, ocius ſequemur, omnino ſtatuamus. Uxorem lectiſſimam, cum filio priſtinam valetudinem jampridem recuperaſſe ſpero, quam utrique, tecum firmam, & perpetuam, ex animo precor. Pro Theſium tuarum Theologicarum Theſauro, mihi dono dato, immortales ago gratias; pro quibus licet ἰσόῤῥοπον, dare nequeam; tamen quaſdam meas olim in Auguſtanam Confeſſionem, à me diſputatas mitto, quas tanquam ſignum nexus mei, in quodam Bibliothecæ tuæ angulo reponere ſiquidem id mereantur, haud graveris. Qui verò harum lator eſt, juvenis eſt Linguarum Orientalium amantiſſimus; qui jam in Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, & Syriacis, mediocriter profecit, ac Rabbinos legere cœpit. Qua de cauſa etiam tibi ſiſti voluit, ut authoritate tua Linguarum Profeſſoribus, in Academia Leidenſi, D. D. l'Empereur, D. Golio, & D. Ludovico de Dieu, commendatus, in penetralia Orientis, ſeſe facilius ingerere; & Arabicæ cum primis Linguæ notitiam ſibi, tantis Ducibus, atque Magiſtris, comparare poſſit. Quod illius propoſitum non potui non probare, & illius amore, hanc tibi faceſſere moleſtiam. Des hoc, amabo te, amicitiæ noſtræ, quod toties, tamque audacter, ſanctiſſima tua ſtudia interpello. Antequam claudam, de ſycophantarum quorumdam morſibus, apud te queri cogor, qui Syntagma meum, clam & palam, inceſſunt tanquam Photinianum, & Socinianum, à quorum hominum erroribus ita abhorreo, ut à veneno præſentiſſimo Chriſtianæ Religionis. Calumniæ author eſt Flockenius, diſcipulus quidam olim meus, quem tibi, Vir ſumme, & Polyandro noſtro unicè commendaveram, quem me propter variè ornaſtis, juviſtis. Is, is hanc mihi nunc rependit gratiam. Sed Deus qui innocentiæ meæ teſtis eſt, veritati patrocinabitur, & vitilitigatores confundet. Ignoſce, quod hanc animi mei ægritudinem, in ſinum tuum effundere audeo; & cum charis tuis longum, ac benè vale, & ſalve.

Dat. Bremæ Anno cIↃ IↃ c xxxviii. 18. Apr. juxta veterem formulam.

*Excellentiæ tuæ,*

*devotiſſimus,*

LUDOVICUS CROCIUS.

CCCCXXXIX.

## CCCCXXXIX.

## Hugoni Grotio

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

DOlet, Illuſtris Domine, quod tardè adeo ex conjunctiſſimo Collega meo Barlæo reſciverim de itinere Cl. viri Joachimi Wichwortii; ſi præſciſſem, non paſſus eum forem ſine meis Lutetiam literis proficiſci. Nunc abierat priuſquam cognoſcerem eum de abitu certi aliquid ſtatuiſſe. Itaque nec valedicendi poteſtas fuit. Moleſte etiam tuli, quod epiſtola mea, tot ante menſes exarata ad te, diu adeo delituerit apud Præſtantiſſimum fratrem tuum Guilhelmum. Vel me non ſatis intellexerat filius meus Franciſcus, vel Franciſci mentem non ſatis ſit aſſecutus frater tuus. Nam volueram, ut literas per tabellarium mitteret. Affinis de Pictura opus, per amicum mittam, ubi occaſio obtuliſſet. Gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus mœſtum erigere ſtudes. Nec tamen mihi videor, molliter ferre tam durum caſum: nec id cenſent amici: mirantur magis, quando cogitant, cujus ipſi animi forent in ſimili negotio. Nempe mecum aſſiduè revolvo, ut curæ ſemper fuerim Deo meo, qui unus melius me, & omnibus mortalibus novit, quid mihi, quid meis expediat. Nec infœlices cenſeo, qui in flore ætatis diſcedunt. Non corrumpentur à ſeculo hoc, quo ab annis xx ita improbitas, & ἀθεότης, cœpit incrementa, ut animus vehementer exhorreſcat; quando mecum reputo, quæ tempora videantur imminere, ſi ſic porro procedetur. Eadem aliquid ſolatii afferunt conjugi optimæ, nec tamen in hoc dolore ſuo ſatis cordatæ. Me quidem ſæpe ejus gemitus & lacrymæ ſomnum capere non ſinunt. Nam & mihi refricant cauſas doloris. Recurro igitur ad vetera ſolatia millies ei dicta, & quod plus ſæpe valet arte, ad alias cogitationes abducere ægram ejus mentem annitor. In opere noſtro excuſa ſunt, ut vulgo numeramus Alphabeta quatuor. Quintum quantum conjecto ſupereſt. Miraberis ſcio, me non poſſe manum tollere de tabula. Sed primo ſatis viſum ex priſca hiſtoria, adducerem quæ ad Religionis gentilis primordia, & progreſſum pertinerent. Poſtea non ſum viſus mihi ſat utilem operam publico navaturus, niſi mentem humanam adducerem quoque ad veri numinis cultum. Itaque juvit per omnia me naturæ opera diffundere; inque iis conſiderare, Dei bonitatem, potentiam, ac ſapientiam. Valdè enim ab iis diſſencio, qui inanem naturæ ſpeculationem arbitrantur. Collegæ Hortenſii iter ægrè procedit. Delegati Provinciarum in generalium Ordinum conſeſſu aſſignarunt in itineris impenſas, bis mille Caroleos: quos petere juſſerunt, ab rei maritimæ Præfectis, vel ſimili Collegio, quod Amſtelodami ſit. Diſplicet id huic urbi. Si idem feciſſent Ordines Hollandiæ, negotium jam confectum haberemus. Metuitur nunc ne, ſi in minuto hoc fœderatarum Provinciarum Delegatis gratificetur, res ſit exempli non optimi, ac aſſueſcant imperare quantum volent: immenſam autem pecuniam volent ſemper, ſi urbem hanc opibus ut ajunt affluentem, habere cœperint in talibus obſequentem. Scripſi nuper cur noluerim me immiſcere editioni Critolai, totumque hoc commiſerim Hortenſianæ induſtriæ. Ita factum, ut nihil ejus hactenus ſit editum. Sed paucis abhinc diebus, Salmaſius ad Iſaacum meum ſcripſit, ut cognoſceret, quid de hoc opere fieret. Occaſione ea compellatus Blauwius, qui retulit jam figuras, quas vocant, inciſas: ac propediem opus ipſum velle excudere. Commonebo Hortenſium ut magis urgeat. Sed vix illi quoque ſat curæ fore arbitror, quam diu incertus itineris, ſic animo fluctuat. Hoc ſi videro poſt longam ceſſationem, curam ipſe hanc lubens ſuſcipiam. Iſaaci mei Scylax Caryandenſis, Geographus vetus ſerio ab eo caſtigatus, excudi abhinc menſe cœpit. Etiam Mæotidis periplum ἀνέκδοτον addet. Conjux & liberi uxorem præſtantiſſimam, ac filios, filiamque plurimum ſalutant.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxvIII,
poſtrid. Kalend.
Majas, St. N.

*Illuſtris tui nominis cultor,*

G. J. Vossius.

## CCCCXL.

*Viro Ampliſſimo*

## Georgio Ratallero Doubletio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Joannem Vætanum in Prorectorem Scholæ commendat.*

INtelligo apud vos, vacare Prorectoris ut vocant locum. Cogitare proinde mecum cœpi, de Scholis Bataviæ; quarum pleriſque ſuccreſcere video, non auſim ſatis dicere fungorum ſegetem, (nam quæ hæc Latinitas?) attamen copiam talium, qui priuſquam didicerint, docere alios præſumant. Hujus mali fons caputque eſt præpoſtera quædam miſericordia Procerum erga imperitos, fame fortaſſe, niſi ſui ratio habeatur, perituros; quos dum curant, immiſericordes fiunt erga innocentem illam ætatem, quæ eo magis erat curanda, quia curare ſe neſcit. Exiſtimavi igitur, cùm tot annos inſtituendæ impenderim adoleſcentiæ, nihil me facturum à moribus meis alienum, ſi & publici boni ergo, & in eorum ſpem gratiæ, qui ſcholæ apud vos bonum curant, commendarem tibi Joannem Nætanum, Samuelis filium, ſpe illa, ut tua opera, commendetur iis quibus Scholæ cura incumbit. Juvenis hic, (nam cur diſſimulem) in illo quidem capite, quod ſic hodie eſt controverſum, Melanchtonianæ eſt addictior ſententiæ; ſed quod comperi, alienus planè ab illis, qui monſtri aliquid alentes, Φωτινιάζουσι, ſive mavis Σοκινιάζουσι. Quales à me neutiquam ſperent, ut pueritiæ apud nos cenſeam præfici oportere. Hac fiducia, literas iſtas exaravi, nec alioqui in gratiam meorum acturus. Tu quoque ſi eum Scholæ Curatoribus commendare non graveris, facies, & rem mihi gratiſſimam, & pulchrè mereberis, de Parentibus, pariter ac Pueris, & eadem Curatoribus, quidigna tibi poſtea gratias agent. Eſt enim pius, ſobrius, modeſtus. Quam raræ ſunt laudes iſtæ temporibus noſtris! Jam præterea quod in iſto munere ſpectatur, Latine eſt ſcientiſſimus, Græce gnarus, carmen etiam pangit fœliciter. Dexter eſt in inſtituendo & induſtrius. Novi juvenem familiariter, norunt & liberi, ut fidentius iſta ſcribam.

De rebus meis nihil habeo addere, niſi jam majorem partem eſſe abſolutam operis mei, de Idololatriæ Origine & Progreſſu. Optimæ conjugi tuæ à me, & meis, ſalutem plurimam dicito.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxvIII,
v Idus Majas.

## CCCCXLI.

## Joanni Meurſio,

*Viro Clariſſimo,*

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

POſt ſuperiores literas de optimæ ac eruditiſſimæ filiæ meæ exceſſu diu alia nos tenuit ſollicitudo. Filius Matthæus (is cujus de primis Hollandiæ Comitibus commentarios habes) duos tres menſes nunc ambigua nunc adverſa valetudine uſus eſt: credo ex nimia animi conſternatione, & aquæ injuria, quando pene impos mentis, ubi ſic omnes periclitantes in glacie vidit, ea rupta in aquas ſæpius inſiliit; nunc hunc nunc illum liberandi gratia, quod feliciter ei ſucceſſit in omnibus, præterquam ſorore Cornelia: addo & ſeipſo; quando tandem in morbum hæc erupere gravem, adeo ut Medici quini (binos advocaram, ſed tres amore familiæ, &, ut aiebant officii ergo ſponte acceſſerant) de vita ejus vel plane, vel pæne deſperarent. Nunc ille magis magiſque per Dei gratiam convaleſcit. Sed uxoris morbus illum filii excepit. Quid mirum ſi muliebris animus non ſufficiat omnibus ferendis? etiam prope conſtantiam meam tot adverſa expugnaſſent, præſertim accedentibus aliis, in his nonnullis, quæ tu ſcio tantum pro pulicum morſibus habes; illorum uti nequitia qui ſibi omniſcii (omniſcioli potius) videntur, & tanquam ab alvo te meque ſic ingentes Grotii & Salmaſii animos deſpicere ac depreciare, non ceſſant. Hac hora venio à Blauwio qui certo addixit tres intra hebdomades Hiſtorica tua & Danica & Belgica ad finem perductum iri. Bina quidem præla tuis quotidie fervent, ut mihi ſignificat filius Iſaacus cujus Scylax & noſtra item de Idololatria Gentili & Philoſophia Chriſtiana eo tardius procedunt, qui unus alter ex operis Typographicis alio ſe recepere, & nolim ego qui in tuis diſtinentur inde avocari, præſertim qui ſemper dixerim paratum me eſſe ad menſes aliquot differre: dummodo non in aliis ſed tuis alacrius progrederetur. Cur demum poſtquam à te literas acceperit miſſurus ſit quæ petis, ex ejus epiſtolà cognoſces. Aliquid ſubeſt pigritiæ. Utcunque enim neſcias, quas miſerit chartas, poterat omnium mittere nunc exemplar, & ubi tuas acceperit chartas ſupplere in iis quæ recepiſti. Sed prætexebat gravem in tantis occupationibus fore laborem ex faſcibus ſingulis folium ſive Philyram unam eximendi. Non laudo, ſed cum domus ejus vitam attendo utcunque excuſaro. Heinſius vetus Collega noſter in excudendis ad N. T. notis jam pervenit ad Epiſtolam Philippenſibus ſcriptam. Vale optime & ſumme vir, & cum uxore, filio & filia à me, conjuge & liberis univerſis ſalve plurimum.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c
xxxvIII. Prid. Id. Junias.

---

## CCCCXLII.

## Franciſco Junio, Fr. Fil.

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

QUi has ad te literas defert, conjunctiſſime Affinis, is eſt ornatiſſimus juvenis Joannes Roue, Profeſſoris Eloquentiæ, in inclyta Roſtochienſium Academia frater. Octennium jam in Wittebergenſi, Lipſienſi, Roſtochienſi Academia vixit: Ac linguis, præcipuè Orientalibus, ſedulam dedit operam, ſub egregii nominis viris Buchnero, Smidio, Troſtio eo qui & Syriaci Teſtamenti, & Lexici editione, non leve ſibi nomen paravit. Exinde anno integro, luſtrata illi Suecia, Daniaque. Sed egregius animus nequit his ſe ſpatiis continere, ſed noſſe avet quicquid in orbe eſt præclari. Itaque in Bataviam venit, ac Leidæ ſub Golio Profeſſore, in Arabicis ſe exercuit: Inque ædibus vixit Elichmanni, Medici experientiſſimi, & quod magis huc facit, Arabicæ, Perſicæ, Ægyptiacæ, & aliarum linguarum periti. Nunc magnam cogitat Britanniam, magnis (ita cenſeo) fœtam viris. Commendatitias eo, ut intelligo, obtinuit à Præſtantiſſimo Boſwello, Gentis Britannicæ ad Belgicæ fœderatæ Proceres Oratore. Sed quem dixi Elichmannus hoſpes ejus, petiit ut meas quoque adderem. Quod eo lubentius feci, quia & Cornelius Grotius, magni Hugonis filius, cum filio meo Matthæo per literas commendârat. Poſtea etiam in prandiolo, quo eum cum Collega Hortenſio, & Haſio Medico exceperam; ſic tribus nobis ſe probavit, ut amore noſtri dignum, imo bonorum omnium putaremus. Non animus quidem tam occupato faceſſere quicquam negotii; ſed facies quod poſſis, quod mihi gratiſſimum erit, meque ad ſimilia in tuæ ſpem gratiæ præſtanda paratiſſimum ſcito. Ab Nobili D. Boſwello ſpes ei facta eſt, poſſe cum Britanno natalium ſplendore inclyto, proficiſci ad illuſtriſſimum Sereniſſimi Regis Caroli Oratorem, qui Conſtantinopoli agit. Quare quoque in iſtoc, ſi quid valeas, non patieris, ſcio, operam tuam deſiderari. De exceſſu filii mei Joannis in India Orientali jam diu exiſtimo aliunde cognôris. Scripſi de eo ad Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum Dom. Archiepiſcopum, ne quid ignoraret, cujus maximè ſcire intereſſet. Sic ſunt ſpes humanæ. Poſt tantas impenſas, benè tandem fore ſperabam. Et ille meus magnam ſui exſpectationem ſuſcitarat. Jamque Proceres hic noſtri, cogitationem ſuſceperant, de ornando eo dignitate luculenta, quæ eum potuiſſet, ut ſic dicam, totum inaurare: ſed Deo aliter viſum. Ex Bibliotheca ejus deſidero, nimium quantum librorum, quos donâram. Et in his aliqui, quos ut recuperare his terris poſſim, minimè videam. Intelligo de nova Vitruvii editione te cogitare; ſanè placet animus: Et in noſtris, ſive τῶ μακαρίτυ filii malis, vetus erat editio Florentina, quam uſui tibi futuram arbitrarer. Habeo alioqui & alteram, ibidem excuſam, non multo poſt curante Jocundo Veroneuſe: ſi uſui eſſe poſſit, tranſmittam. Clariſſimus Salmaſius, Vir nunquam ſatis laudatus, magnas tibi gratias agit, pro opero tuo de Pictura: & Ἀντίδωρον mittit, quæ de Uſuris ſcripſit. Unum eſt volumen ſed ejuſdem argumenti; jam alterum ſub prelo eſt. De exceſſu Corneliæ meæ ſuaviſſimæ, & eruditiſſimæ virginis ſcio, jam cognoris, ex ſorore Brunæa. Eo magis triſtia illa refricare, mihi animus non eſt. Quæſo, mi Affinis, ne tam ſegnis ſis in ſcribendo. Tueberis te exemplo meo: ſed ſi vitam meam tam moleſtam, & occupatam noſſes, facile excuſaveris. Uxor nunc Amersfordi eſt, apud Nætanam ſororem: Idque authore Medico, qui arbitrabatur uſque adeo valetudinariam recreari poſſe, tum aëre ejus loci meliore, tum colloquio ſororis, & amicorum, quos alios in his Thinſium affinem habet. Exuditur opus noſtrum gemini argumenti, de Theologia Gentium, & Phyſiologia Chriſtiana: jamque perventum ad philyram centeſimam, ſive id clarius, ad Alphabetum quintum. Excuditur & Scylax Caryandenus filii mei Iſaaci, qui & de Ptolemæi Geographicorum nova editione conſilium ſuſcepit. Vide ecquibus Codd. ex Anglia MSS. juvare poſſis. Multa enim in eo corruptiſſimè nunc leguntur. Quæſo meo nomine ſalutes, quos mei in Britannia ſcis amantes. Catalogum nunc texere non eſt animus. Vale, optime Affinis, & à nobis omnibus ſalve; etiam cognato tuo Brunæo, qui poſt ſuum ex Anglia reditum, nobiſcum Amſtelodami vivit.

cIↃ IↃ c xxxvIII,
III Kal. Julias,
St. Nov.

CCCCXLIII.

## CCCCXLIII.

## Conſtantino L'Empereur, Gerardus Joannes Voſſius, S. P. D.

*Commendatitia Georgii Gentii.*

*Nobilis & Magnifice Vir,*

ACcepi hodie literas à viro Cl. Ludovico Crocio, Theologo Bremenſi, quibus mihi commendat Georgium Gentium, Dhama-Saxonem, eum qui has ad te literas defert: Ac porro à me petit, ut ne eum dimittam Leidam, ſine literis meis συστατικαῖς vel ad te, vel Golium noſtrum, vel Ludovicum de Dieu; viros famâ nominis egregios, ſed eorum judicio, qui penitius mecum norint, longè hac majores. Ac vos potiſſimum nominat, quia juvenis hic hactenus Orientis linguis ſedulam dedit operam: atque ut uberiorem ex iis capiat ingenii fructum, ad vos potiſſimum, tot Orbis Academiis inſuper habitis, capeſſit gradum. Horam vel amplius, cum eo ſum collocutus. Video eſſe eruditum, & quod ſcis, majoris me facere, modeſtum. Auguſtanæ confeſſioni eſt addictus: quod & Crocius ſcribit, & ipſe agnoſcit. Laudavi ejus propoſitum, quod ex fonte Hebræo Scripturarum peteret intelligentiam; Et ſimul addere vellet, quæ ex tralationibus, & Paraphraſibus, Orientis poſſent hauriri. Subjeci interim ſicut ſoleo, ut Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſanctorum Patrum commentariis legendis, partem aliquam temporis dare vellet: multaque in eam rem attuli, quæ incitare ad hoc poſſent. Devenimus occaſione hac, eum in ſermonem, ut aliquid dicendum eſſet, qui juniorum, de antiquis Eccleſiæ temporibus, ſui quoque memoriam: apud poſteros reliquiſſent. Apud eum quem ſcirem, Auguſtanæ eſſe confeſſionis, & præterea in diœceſi natum eſſe Magdeburgenſi, mentionem injeci de Centuriatoribus Magdeburgenſibus: quos ut multa fugiſſe, non eſt dubitandum, ita quin plurima præclarè viderint, nemo ſanus ambigit. At eruditus juvenis in hoc doctrinarum genere, ſtatim inſcitiam ſuam prodidit. Nec nomen iſtius operis noſſe aiebat, nec vidiſſe unquam. Deduxi igitur in Muſæum meum, & opus commonſtravi univerſum. Cogitavi ego mecum, quod olim dicebat Tullius, O tempora, O mores! Sic jacere antiquitatis ſtudium, pariter apud nos, & eos quos dixi? Iraſcebar non optimo juveni, & qui hac parte, penè extra omnem foret culpam: ſed Doctoribus Theologis, quos audiiſſet tam diu. Nempe ſcripturarum interpretationem, ex junioribus ſolum petere jubent: Veteres autem Eccleſiæ Doctores, uti Megarenſes olim οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι. Tanto magis te amo, Nobiliſſime, & Ampliſſime vir, qui eximia Linguarum Orientalium peritia minime contentus, jam ab annis pluribus in eo operam inſumas tuam, ut veteres Eccleſiæ Doctores, ſocies novis, & novos item antiquis. Quod ſi ab omnibus fieret, melius cum Eccleſia Dei ageretur. Optimæ conjugi, ac Clariſſimis viris, Golio ac de Dieu (quibus per otium hunc juvenem commendabis) plurimam meo nomine ſalutem dicito: ſed & Collegis aliis, ac amicis; verum ut dixi, ubi ſponte ſe occaſio feret. Non is ſum qui ex magno pariter viro, ac amico, & munus nunc ſuſtinenti, ſub quo tam corruptis temporibus, propemodum Alcides ſuccumbat, ſalutgerulum facere ſtultè adlaborem. Tamen committere non poſſum, quin extra ordinem, unum memorem: ſcilicet avunculum tuum, eumque conjunctiorem; mihi quoque alio nomine, quod Belgam, in fœderatis hiſce terris, Antiquitatis Eccleſiaſticæ, (qua ſic me capi ſcis, jam ab adoleſcentia) nec amantiorem, nec intelligentiorem ſciam aliquem. Ni grave eſt, aliud quoque eſt, quod ſummo illi viro ſignifices: accepiſſe me reſponſum, ab Illuſtriſſimo Suecorum Legato, Hugone Grotio; in cujus literis, hæc iiſdem verbis legere eſt, *Polycarpi Epiſtola Græca, non puto plus habere Sirmondum, quam habeat Salmaſius. Ultima ſunt,* ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα, καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ.... *Ex Græcia quin id damnum ſarciri poſſit, ſiquis allaboret, vix dubito. Danda opera eſt ut quæratur & Hermas Græcus, qua de re Anglos quoſdam monui.* Vale vir, amiceque eximie.

Anno cIↃ IↃ c xxxviii. Poſt Kal. Julias.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CCCCXLIV.

Extractio Epiſtolæ ad Dom. VOSSIUM miſſæ, per FREINSHEMIUM, de dato 11. Julii Juliani 1638.

*Quid in nova Taciti Curtiique editione moliatur, familiariter exponit, opem ipſius implorans.*

TAcito, ipſe ut ſpero, locum aliquem adſignabis in Bibliotheca tua. Tum cum libebit introſpicere, infinitum devincies homines tui ſtudioſos; ſi quæ minus rectè vel commodè ſe habent, annotes, atque moneas. Eſt enim præ manibus alia major editio, quam multorum annorum opere, atque labore paratis ſubſidiis, tendimus fieri ornatiſſimam. Inſtitutum noſtrum probavimus, & alibi viris magnis, quorum ille Grotius jam miſit aliquot, ſuſpicionum, atque emendationum, in Authorum paginas: eas nos inſeremus locis ſuis, cum fide, & gratitudine. Non dubitamus autem, quin tibi, dum Scriptorem iſtum tractas, egregia notarum ejuſmodi, meſſis ſuccreverit. Ad quam annonam dividendam, ſi nobis diſpenſatoribus uti placet, aliqua forte peccabimus, per imperitiam, aut levem aliquam culpam, ſed tamen dolus aberit. Idem te rogatum puta de Curtio. Quamquam enim ejus Notæ, jam aliquatenus ſint progreſſæ, ut vides ex pagellis, quas cenſuræ tuæ ſubjicio, multa tamen adhuc inſeri poterunt ſequentibus: ſed & indici, cui, ut poteris animadvertere, multa refertantur, quæ vulgo commentariis adſperguntur: ne dicam omiſſa poſſe ſubjici etiam abſoluto jam operi. Eum Authorem edo, ſumptibus Viri Nobilis, atque docti, Joachimi Wicfortii, civis veſtri. Utque jam ſentias, quam obnoxia ſit excellens humanitas impudentibus deſideriis, audeo rogare, ut faſciculum ei inſcriptum, reddi cures; mercedem quæ expendenda erit, ipſe libenter, aut ſolvet, aut reſtituet, moleſtiam non conciliarem tibi, ſi certam aliquam occaſionem noſſem, quâ ad mittendas ei literas uti liceret. Eſt & alia cauſa, quam & ipſam non diſſimulo: ut nimirum viro illi, qui fortaſſis, oblata hac occaſione, conſilio tuo uti cupiet, ſuadeas quod ad Authorem eum rectè atque ordine perornandum pertinere, arbitraberis. Atque ut ſummatim inſtituti noſtri ordinem teneas, poſt notas has, ſubjicietur ipſa Curtii Hiſtoria; capitibus, atque verſiculis, diſtincta, cum adnotatione, ſimilium locorum, ad Taciti ferè formam. Inde priorum Librorum qui perierunt vicem ſcribam, ſtylo, atque genio, quantum poterit Curtiano: quem interjecto tempore, tum occaſione notarum penitus meditor, & inter ipſam textus editionem ſæpius relego, aliquanto familiarem mihi reddere potero. Totum opus Index finiet, quem præcedet variarum Lectionum Libellus. Ad decus ſimul, & explicationum locorum aliquot illuſtrium, accedunt rerum variarum ſimulacra, Typis æneis expreſſa. Ita hanc editionem cenſemus fore omnibus aliis, quæ quidem hactenus proceſſerunt, longè ornatiorem, locupletiorem, commodiorem, atque utiliorem. Sunt autem quæ obſtare poſſent ex mole operis, (nam ſi ita pergamus, duo volumina implebit) ſumptuum gravitas, & mora paulò longior. Cum enim id nobis in votis ſit, ut edere poſſimus hos Authores, ad uſum hominum

num quam accommodatiſſimos: ſemper conamur ut quicquid ab aliis in eos obſervatum eſt, ſi tamen aliquid momenti adferre judicamus, ſuo loco, atque ordine inſeramus, idque quo longius ſit ab invidia, ipſius ferè Authoris verbis. Jam autem ſcripſerunt in Curtium; Popma, Loccenius, Acidalius, Glareanus, Modius, ſed verboſiſſime Raderus, cujus ex prolixis commentariis, quamquam recido, (ut ex ipſa collatione, cùm vacabit, cognoſces) quantum poſſum; non tamen evado, quin magna acceſſione, Notas meas onerem. Tamen ſi Wicfortio nimis prolixum fore videbitur id opus, reliqua, dum tempori moneat, impenſius detumere jubebo.

---

## CCCCXLV.

## Hugoni Grotio.

*Philolaum ejus ſe urgente excudi cœpiſſe; etiam in promovendo Hortenſii itinere, amiciſſimo Collegæ non defuturum ſignificat.*

*Illuſtriſſime Domine,*

EUnte ad te Petro Peltſio, & aliquid à me literarum poſcente, etſi hoc tempore valdè diſtrahar; tamen ornatiſſimo id juveni, & Ampliſſimo ejus tui amantiſſimo Parenti, dandum putavi, ut aliis hoc officium præverterer. Valdè jucundus mihi filii tui Petri J. C. adventus fuit, qui & aliquot nobiſcum dies Amſtelodami egit. Poſt eas literas quas veniens exhibuit, alteras tuas benè longas, ac tanto gratiores accepi. Sed nunc reſpondere, nec his, nec aliis licet. Fiet hoc autem epiſtola proxima. Solum mitto quæ Hiſpanicè Manaſſes exaravit. Sed cenſeo non ſatisfacere iſta quæſitis tuis. Agam ipſe cum eo accuratius, Philolaus me urgente excudi cœpit. Hactenus opera mea ab Hortenſio, in promovendo itineris inſtituto, poſtulata non eſt. Aliunde quicquid eo pertineret, reſciſcendum fuit. Nunc quia meam ſibi operam, apud Proceres utilem fore arbitrabatur, non deero amiciſſimæ Collegæ. Sed utinam id antea feciſſet! Non debuit hoc negotium, eo pede quo cœptum tranſigi. Monſtravi illi in literis tuis quæ ad laudem ejus, & hujus inſtituti commendationem pertinerent. Petiit, ut ea ſibi à filio meo exſcripta traderem. Tum item ut Conſulem Conradum Verburch, & Conſularem Bicherium accederem, tuamque de tota hac re ſententiam prælegerem. Feci id lubens, & video non leve apud eos pondus habere judicium tuum, uti ſanè debet. Facturi ſunt omnia quæ ſalva Hollandiæ Ordinum authoritate poſſunt. Verum & de hoc, & de aliis, literis proximis. Jam enim adeſt Peltſius, & tempus abitus inſtat. Illuſtri Dominæ conjugi, & familiæ toti ſalutem à me meiſque.

xiv Iul. Stil. Nov. cIↃ IↃ c xxxviii.

*Tui nominis cultor,*

G. J. Vossius.

---

## CCCCXLVI.

*Viro maximo,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Joannes Fredericus Gronovius,

ſalutem & obſervantiam.

*Caſauboni Epiſtolas ad finem properare; Rivetum Apologiam pro B. Virgine ſub incude habere, certiorem facit.*

POſt longum ſilentium, alloqui ſtatui te, Vir Clariſſime, non quaſi de obſervantia mea, ſine iſto officii genere, minus certum te arbitrarer: ſed quia poſt aliquot dierum nimiam contentionem, otiari hodie, & ſalutare amicos conſtitueram. Scelus eſſet me ex conſuetudine tua ſilendi, de ſanctiſſimo veriſſimoque amore tuo erga me malè ſuſpicari: cujus ea habeo, ſenſique [illegible], ut ſive ſtudia mea, ſive vitæ rationes inſpiciam, tantum tibi acceptum feram, quanto nunquam paria tecum, aut cùm tuis facere quivero. Nec de meo in te animo ambigere te poſſe puto, quin ingratiſſimum bipedum me eſſe exiſtimes, quod in tam probos mores, tam ſimplex, & venerandum ſenium non cadit. De meis nunc ſtudiis pauca: quæ quidem tota in civili jure occupantur, quando hoc urgebant cognati, & hanc mihi unicam anchoram reſtare providebam. Itaque libris tuis rarò, nec niſi ex intervallo utor: nec enim unquam adeo in iſtud mare immergar, ut dulcium ante omnia Muſarum, quas tanta ambitione procatus ſum obliviſcar. Epiſtolarum Caſauboni opus ipſum abſolutum eſt; in appendice nunc hæremus, cui ſi per me ſtaret, non per moras Typographi, jamdudum colophonem addidiſſemus: cupio enim nimis moleſtiſſimo labore levari; quum immenſo temporis diſpendio, fructu præ lectoribus quibuscumque exiguo, gloria ut in alieno opere nulla, hactenus exantlavimus. Ad Meurſium τ̃ χαίων, ſcripſeram rogaveramque, ut à Caſaubono ad ſe ſcriptas nobiſcum communicaret. Eæ literæ miſſæ ad Cracovium Agentem Ordinum, integrum annum in Dania peregrinatæ, vix tandem ad deſtinatas manus pervenerunt. Interea cum tua comitate, Epiſtolas illas ſummi viri accepiſſemus, ante duos ferè menſes reſpondit Meurſius, eaſdemque in faſciculum collectas, una miſit. Egi igitur gratias illi, & exemplar diatribæ Elzeviriis, uti poterat, curandum Soram dedi. Sed quoniam horum quoque fides ſuſpecta ſit mihi (certè cùm Brema ad Salmaſium ſcripſiſſem, uſus officio Bibliopolæ, qui meas ad illos miſerat, reſponſum detinuerunt ſemeſtre integrum, & detinuiſſent diutius, aut perdidiſſent, niſi ipſe in has oras profectus popoſciſſem) has ſcripſi, & alia via, ſi poteſt, per Blauwium velim quamprimum mitti; idque ut per filiorum aliquem mihi effectum dares, rogare auſus ſum. Reverendus Rivetus ſub incude habet Apologiam pro beata Virgine, in duas tributam partes: quarum prior hiſtoricam, quatenus vera ſciri poteſt, & commentitiam de vita ejus perſequitur. Poſterior de cultu ejus aget. Heilerſichius Buræ eſt cum Domina Principe, & Illuſtriſſimo Diſcipulo ſuo. Uxorem tuam, ſanctiſſimam Matronam, & liberos omnes ſaluto officioſiſſime. Ad Iſaacum ſcribam propediem. Eſt enim penes me Juſtinus, quem ille Peiraredo comitem dederat, cum fœnore conjecturarum ejus. Vale, Vir Σεβασμιώτατε, & me ama.

Hagæ, ad diem, Prid. Calend. Sextil. Anno cIↃ IↃ c xxxviii.

---

## CCCCXLVII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerhardo Johanni Voſſio

S. P.

*Curtium mittit, judicium ejus de Notis in eundem ſuis expectat, & propediem emendatiorem editionem pollicetur.*

*Vir Clariſſime,*

CUrtium ad te mitto, & in eum meas Notas, de quibus ut ingenuè fatear, judicium Poëtæ in partes vocare liceat:

*Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,*
*Quis legis hæc, aliter non fit, amice, liber.*

In re ardua, etiam citra operis effectionem, honeſtus conatus, bonis haut improbari ſolet. Si Deus vitam & vires dede-

dederit, quod nunc minus limatum, ut iterata editio, (modo eam ſperare liceat) ac dies poſterior, prioris magiſter ſarciat, operam dabo. Libelli quidem mei indignè ab homine, cæterarum rerum omnium, niſi lucri incurioſo habiti ſunt, ita ut pudeat me editionis. Omnia ſcatent mendis. Et aliquem ex malignitate inſeruiſſe crediderim, niſi hominis (Jacobum Marci à me ſignificari ſcis) ſupinam negligentiam perſpectam haberem. Altera editio σὺν θεῷ, emendatior & acutior prodibit. Ut autem ſummæ tuæ eruditioni ſemper aſſurgo, ita tuum de Notis meis in Curtium expecto judicium, cui lubens acquieſcam. Ut aliquid in Curtium commentarer, poſt alios, Superiorum juſſa, & hujus loci juvenum deſiderium urſerunt; quorum etiam captui, non eruditis hæc ſcripſi. Quid tuæ Muſæ, jam nobis parent, unicè ſcire aveo. Si me reſponſo dignaberis, harum lator Daniel Jonæ juvenis eruditus, ex fide curabit. Vale, virorum eruditiſſime, & me amare perge.

Upſaliæ, a. d. XVII Auguſti, CIƆ IƆ C XXXVIII.

*Tibi addictus,*

JOHANNES LOCCENIUS.

## CCCCXLVIII.

### Stephano Stephanio,

*Viro Clariſſimo,*

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

NOlui ulterius differre ſcribendi munus, præſertim reditum parante Severino veſtro. Nam nunc quoque ſi negligam, metuo ne etiam differam in illud tempus, quo abſolutum erit opus noſtrum, de Gentium Theologia, & Chriſtianorum Phyſiologia. Atqui ut ex voto meo acceleret Typographus, non ante tres menſes ad finem poterit perduci. Ita grande futurum, non quia mole delecter, ſed quia illud poſcat diffuſum adeo argumentum. Cæterum ubi edidero, non patiar, te aliunde id habere quam à nobis. De Saxone Grammatico edendo, nondum hic cuipiam potui perſuadere. De præſtantia ſcriptoris, non vocant in dubium, quæ dixi: ſed aiunt opus fore perpaucorum hominum, ſe autem omnia ſplendido illo luto metiri. Debebat is ſcriptor non alibi edi, quam in ipſa Dania, idque luculentis, & elegantibus Typis, charta etiam optima. Hoc ex honore eſſet Daniæ. Ac ſi Typographi non ſufficiunt, impenſis Regiis, vel Nobilitatis, aut Academiarum ſumptibus fieri id conveniret. Quæſo ſiquid horum jam fuerit decretum, vel ſimile aliud fac me quamprimum certiorem. Jam à multis annis ſic amo Saxonem, ut nihil æque exoptem, quam eum eſſe in plurium manibus: nec alium ſcio, qui medicam illi manum admovere fœlicius poſſit, quam te Popularem ejus doctiſſimum, & jam à tam longo tempore, non minore judicio, quam induſtria in hoc verſatum. Fuit his diebus horam unam nobiſcum, Præſtantiſſimus Collega tuus, Doctor Chriſtianus Matthias: video eſſe virum, ut integrum, ita egregiè doctum: ſpem fecerat redeunti ad me. Decretam autem conviviolo excipere, ſed ex Fiſchero quicum ad me advenerat, cognovi temporis fuiſſe anguſtia excluſum. Non committes quin plurimum ſalutes meo nomine: uti & dignum omnium Doctorum amore, Laurembergium. Memini me coram Cluverio jam ante annos plus minus XX. conſpicere Græco-Latinam ejus Græciæ deſcriptionem; nunc verò nequitia illius, cui in has terras dederat deferendam, ſolum tabulas ſupereſſe. O factum malè! Rectè interea egerit, ſi laborem denuo ſuſcipiat, non dico, utraque lingua. (Quid enim opus?) ſed Latina ſolum ea complectendi, quæ ad tabularum illuſtrationem pertineant. A meorum quopiam ſi Clariſſimus Laurembergius hanc provinciam detrectarit, poſtulatum fuit, ſed quis illo melius hanc ſpartam ornaverit? Nec enim dubium quin tam longo temporis intervallo plurima obſervarit, non aliis modò, ſed ſibi etiam antea incognita. Vale, vir & amice egregie, noſque ama porro.

Amſtelod. CIƆ IƆ C XXXVIII.
III. Kal. Oct. St. Gregoriano.

## CCCCXLIX.

### Joanni Meurſio,

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Priori ſimilis.*

FIlius Matthæus à graviſſimo morbo utcunque convaluit. Iſaacus adhuc decumbit, ſed indies vires recuperat. Ego, conjux & reliqua familia rectè valemus. Danica & Belgica tua hiſtoria tandem ad finem perducta: quo nomine gaudeo. Deinceps ut cætera maturentur, urgere Blauwios non deſiſtam. Tuum quoque erit idem crebris facere literis. Sic quoque ſpiſſe ſatis procedet negotium; id abunde es edoctus damno tuo, & ego atque alii id experimur quotidie. Abſque hoc eſſet jam diu habuiſſes quæ ſcripſimus de veteri Theologia Gentilium & Phyſiologia Chriſtiana: ſive de origine & progreſſu Idololatriæ, & ex mirandis naturæ eorumque cauſis humanæ mentis adſcenſu ad Deum. Ut grande eſſe opus videas, quintum ejus (ut vulgo opera metimur) alphabetum jam excuſum eſt. Supereſt ſextum quod fore cenſeo ſupremum; ſed quando id abſoluturus ſit Typographus dicere non poſſum. Jam tres ſunt hebdomades quod ceſſat in noſtris, atque idem porro faciet minimum menſe toto. Hoc enim ipſe prædicat; conſenſeram ut Scylacem filii & id opus quod ſub manibus me habere dixi, paulum ſeponeret, dummodo in tuis eo eſſet diligentior. Nunc mihi etiam præponit hominem Gallum, cujus Philolao ſive opere de motu terræ prælum jam fervet. Nec dici poteſt quantum nos omnes moretur Atlas ejus, opus multorum grandium voluminum. Prodiit jam Salmaſii pars prior de uſuris, ac propediem etiam alteram habebimus. Heinſius in Novum Teſtamentum jam ad Apocalypſin pervenit. Opinio eſt multum eum adjutari iis quæ Scaliger obſervarat, cujus chartas ſcis in ſolius Bibliothecarii eſſe poteſtate. Adhæc intelligo eum à vidua Erpeniana habere omnia quæ ad maritum undique tranſmiſerant viri doctiſſimi, quando is Novi Teſtamenti editionem moliebatur cum notis à flore doctorum undique ſubminiſtratis. Confido candore eo fore noſtrum illum, ut ne alienum tollat in armum, ſed ſuo ſingula tranſcribat auctori. Quamquam quid hoc noſtra, dum quæ edantur talia ſint ut multa etiam doceat eruditos! Abrumpam ſi addidero, triduo proximo affuiſſe mihi ſenatorem Scapium convictorem quondam tuum, & ſollicite inquiſiviſſe ecquid de te, & omni familia tua, certi haberem: tandem ubi intellexiſſet de literario noſtro commercio, vehementer illud me rogaſſe ut ſuo nomine plurimum te ſalutarem, ac pariter conjugem. Nec minus conjux mea & liberi univerſi ſalutant te ac tuos.

Amſtelodami, CIƆ IƆ C XXXVIII,
III. Kal. Octob. St. Greg.

Regina Medicæa conjux dum fata finerent Henrici IV. perhonorifice excepta eſt ab urbis hujus Proceribus: puto pompatici illius ingreſſus tabulas æri inciſas cum Barlæanis, & aliorum verſibus lucem propediem uſuras. Id ſi eſt, curabo

bo ut exemplar habeat. Leidæ obiit Meermannus advocatus melioris notæ; item conſul Lanſcothus atque alii. Omnino his locis terriſque vicinis acutæ febres dominantur quæ multos tollunt. Deus & nos & tuos diu conſervet. Iterum vale.

---

## CCCCL.

## Joanni Frederico Gronovio,

## Gerardus Joannes Voſſius

### S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

NOn recordor tale quid ex ore meo profectum quale ſcribis, ſed ſcio ex aliis, partim Leydæ adhuc degentibus, partim in oras jam profectis exteras, audiſſe me, juvenem illum qui à convivio tecum ſermones iſtos habuit, & bonæ indolis videri, & pro genio illo præclaræ expectationis: ſolum metui, ne corrumpatur à non nemine, quo utitur familiariter. Ut te quoque ſic judicare dixerim, non ſit veriſimile; nec verum arbitror. Quia vero de Clariſſimo Golio ſcribis, non poſſum reticere, de quo præter me, & ipſum ſcire puto neminem; cum inſidiæ illæ ſtructæ eſſent filio meo Franciſco, à Leydenſium ſeu uno, ſeu pluribus. Non vacat jam in hoc accuratius deſcendere: de Vatiniano unius odio erga me, qui à multis jam annis me perditum cupiit, non graviter minus, quam verè ſum conqueſtus. Neque ignorabam ab eo plurimum amari illum inimicum meum (meum vero? imo tot aliorum, non paulo majorum me) verum virum eſſe prudentem ſcribam, neque minus mei amantem arbitrabar. Atque eadem nunc quoque in opinione ſum. Itaque ſic convenit, ut ſi Amſtelodamum veniret non alibi quam apud me diverteret. Ac ſpopondi ego, etſi affinitate conjunctos in urbe haberem, tamen non commiſſurum, quin ubi me honore iſtoc dignaretur, exemplum imitarer; & ſanè is eſt quem ex Profeſſorum primis, inviſere ſemper ſoleam. Quamobrem ut vel hoc fidis ejus commiſiſſem auribus, non tamen perſuaſero mihi, hujus indicium illis facturum, qui nullam negligunt occaſionem nocendi mihi, & meis. Quod ego gravatè ipſum quoque ferre cenſeo. Si conducibile exiſtimes, de eo ad ipſum ſcribam Golium; vel ipſe nomine meo ſaluta; & literis commonſtratis exquire, quid rei ſit. Comperies hominem, non eruditiſſimum modo; ſed Batavo, vel ſi malis Germanico candore. Tanto magis opinio hæret adoleſcentem, unde iſtud habes, hæc protuliſſe, ut expiſcaretur ea, quæ neſciret: vel alterum illum tam ei familiarem, impoſuiſſe illi quo abalienaret à te, viro non malarum partium, etſi propter aliquas, quas in iis videas, virtutes, ferre ſcias malos. Tam familiariter quam iſta non memini me de illis ſcribere; ſed fortaſſe inde eſt, quod paulo commotior, ſimulac tuas accepi, iſta in chartam conjeci. Quoties cogito, quam improbe mecum egerint, qui ſolis ſibi maſculam eloquentiam, & reconditam omnem doctrinam vindicant, proletaria ſolum mihi, & me intelligentioribus conceſſa: non poſſum non deplorare ſtudiorum infœlicitatem, ac cerdones etiam, præ multis noſtri ordinis, beatiſſimos putare, dum bonam mentem colant. Tu vero, mi Gronovi, ita tibi perſuadeas velim, amari te à nobis plurimum, & amatum iri ſemper, idque ob eas virtutes, quas benignitati debes divinæ. Si qua in iſto de quo ſcribis negotio opera mea utilis tibi eſſe poſſit, perſcribe: Nuſquam deero. Si moleſti eſſe volent, potius quam ut noceant, omnem in me transfer culpam, quatenus poſſis. Nam obdurui ad iſta. Tui diſpar ratio: quem nolim cum ingeniis conflictari ejuſmodi, dum pro virtutibus, doctrinaque, nondum promeritos adeptus es honores; ad quos in hac temporum malignitate, fortaſſe malorum etiam faventis opus eſt. Lugduni ubi iterum excurreris, id credo deinceps ſæpius futurum, dum excuduntur tua. Plurimam ſalutem dices τῷ πάνυ Salmaſio, alteri cum Illuſtriſſimo Grotio Europæ ocello. Utilia Codris omnibus rumpantur, nulla te maledicentia, ab amore divini illius hominis avertat. Matthæus, Iſaacus, Gerardus meus, te plurimum ſalutant.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ cxxxviii,
poſt. Kal. Octob.

---

## CCCCLI.

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

### S. P. D.

*Gaudet inveniri, qui operam dent, ut inter eos, qui ſic in literarum ſtudiis emineant (Salmaſium & Heinſium) animorum ſit conſenſus. Ut tamen inter ſpinas calceatus ſit, malo edoctus ſuo, fideliter ſuadet.*

ISaacus meus prope ab omni febre eſt immunis, interea infirmus, hodieque primum ex cubiculo in cœnaculum deſcendit, quod ei bene vertat. Studia aliquot de die, horis tractare jam cœpit, & pro imbecillitate corporis aliquanto ardentius, ſic ut ſufflaminandus ſit nobis, ſuadente etiam medico. Dolet admodum quod deſtituitur Mureto ad Ethica Nicomachia. Operam dedi ut alicunde nanciſceretur. Et hæc cauſa eſt cur diem unum reſpondere neglexerim; ſed hæc quoque ſpes me fefellit. Philolaus de quo aliquando ad me ſcripſeras, intra tres circiter hebdomades fuerit excuſus. Id volumen, quia iiſdem typis edatur ac mea, ceſſant in noſtris: ſed tanto ajunt alacrius ſe poſtea perrecturos. Nec enim minus ſe optare quam me ut tandem perducatur ad umbilicum. Gaudeo inveniri qui operam dent ut inter eos, qui ſic in literarum ſtudiis emineut, animorum ſit conſenſus. Solum exopto ut qui tractare hoc negotium volent, & prudentia valeant & probi ſint ac benevoli. Quæ tria ut optime noſti in eo qui ſuadere aliquid valet, requirebat Stagirita noſter optimus, idem ſapiendi dicendique magiſter. Imprudentiæ fuerit ſi quis ſuſcipere hanc provinciam cupiat, nec mores partium ſatis habeat perſpectos. Jam confeciſſe ſe negotium lætabitur, cum magno molimine magnas egerit nugas, meliori etiam parti plus periculi crearit. Quanto enim occultius, tanto nocebitur certius. Quæ minime dicerem, niſi ter edoctus malo meo. Jam niſi quis probus ſit & benevolus, metus eſt ne deterioris ſed amicioris commodis magis velificari gaudeat. Novennium circiter eſt cum collegarum duo operam mihi ſuam offerrent, ut eum mihi conciliarent amicum quem me ſcis dicere. Egi iis propterea gratias, atque adjeci, nihil mihi fore jucundius, ac ſi hoc perfecerint multum me iis debiturum; atque ut viderent quanti eos facerem, ajebam me omne hoc negotium illorum fidei committere, præſtiturum me quæcunque illis viſum: poſtulare ſolum ſi poſt tot injurias acceptas animo fuerim tam humili ac demiſſo, ne hoc negotium aggredi velint, niſi in iſto ſaltem gratificare velint, ut ipſi exiſtiment ſolum dicis gratia acturum aliquid, non autem bonâ fide; eoque brevi fore quod dicitur anum ad armillam; illam inſiſtant viam, ut ſimulatio iſtæc nihil det incommodi aut mihi aut meis. Receperunt ſe de eo cogitaturos, nec aliquid moturos, niſi æque ratione habita utriuſque noſtri. Neque poſtmodo te unquam de eo compellarunt, ſive id eo factum, quia eludendum minimè putarent candorem meum, ſive etiam diſplicuerit hæc diffidentia mea. Cur enim non ſuſpicari liceat in me etiam (nam hominem me ſcio) deſideraſſe? Nec ea hoc animo ſcribo ut

minus

minus audias, qui animis vos eſſe velint minime alienis; ſed duntaxat, ut, quod æque noris me ſilente, ſis inter ſpinas calceatus. Rem magnam præſtabunt qui negotium hoc component cum eo, quem ego & tot alii mecum (ſed falſo fortaſſis) credebamus amare neminem niſi qui paraſitari ſciat, & ſecundas agere, imo contemptis cæteris, ut ſtudiorum omnium aut prope omnium Principem veneretur. Quem etiam judicavimus nec ſupparem ferre needum parem: quanto minus longe ſuperiorem? Et tamen Chriſtianum eſt hoc negotium, ut alii alios amemus. Quare exiſtimo non debere te animo eſſe alieno ab iis qui de conciliandis vobis cogitant, dummodo ut dixi & mores alterius habeant perſpectos, & ſi non magis æque tamen ſint amantes tui. Quos inter ex iis quidem quos noverim facile principem tribuerim locum Clariſſimo Riveto: nam & ex ſermone ſemper & nuper etiam ex ejus ad me literis abunde perſpexi illius erga te amorem conſtantiſſimum. Grave etiam pondus erit Nobiliſſimi Somersdicii atque aliorum, quos nihil attinet dicere cum longe me illos melius noris. Tantum non fidei nimis habendum eis qui vel alterius imprimis vel ſuum pariter negotium agunt. Non tui ſolum amor ſed etiam veneratio me compulit, ut præter conſuetudinem meam in ſcribendo tam longus forem: ſed confido id fore tibi minime moleſtum. Aveo noſſe quando tua ad Simplicium viſuri ſumus. Nec tamen nimis ſollicite id quæro. Scio quo magis tua producis, hoc plura à te diſcere orbem Literatum. De uſura Scholaſticorum quos vocant plurimos habeo: ſed eadem prope chorda aberrant. Aliquanto cautiores qui ſæculo hoc vixere, quorum aliqui nobis; nec video tamen ut multum inde accedere tuis poſſit. Si quid tamen voles, tuis æque ac meis ſerviet commodis. Uxorem tuam uxor, imo ei tuamque veſtri omnes nos & pariter affini tuæ ſalutem dicimus.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxviii,
iv Non. Octob.

---

## CCCCLII.

## Hugoni Grotio

### S. P.

*Typographum minùs minuſque ſibi ſatiſfacere queritur. Hortenſium impenſis publicis iter propediem ſuſcepturum, ſcribit.*

Minus minuſque mihi, Illuſtriſſime Domine, ſatisfacit Blauwius noſter. Perſuaſi de Philolao: ſed (planè præter opinionem meam) noſtra de Idololatria intermittit. Jam menſem in iis ceſſatum. Et ait altero etiam menſe opus, antequam Philolaum perduxerit ad finem. Iiſdem typis excuditur, quibus mea ſolent. Negat autem, illam ſibi eſſe typorum ejuſmodi copiam, ut eodem tempore utrumque opus excudi poſſit. Nullus tuis edendis magis idoneus eſſet Elzeviriis Leidenſibus: quia charta, & typorum bonitate vincunt. Et puto non recuſarent, niſi alii in ea urbe dehortarentur; imprimis ille, qui ſe amicum tuum ait, nuperque ad te ſcripſiſſe. Et ſcripſiſſe etiam ex filio tuo intelligo. Quàm vero amicus, melius ex Illuſtri Barone Jacobo Skytte cognoſceres, ſi is modo ſermones de te, præſente altero, quem in cœlum extollebat, habitos ſecum referret. Nobis quidem hic, recenti memoria, indignationis pleniſſimus expoſuit. Nequitiam tum hominis ridebamus. Nec interea mores mutaſſe, clare ex multis deprehendimus. Hæc ego non referrem, niſi conſtaret de ſtomacho tuo, qui patientia pluſquam Spartana, concoxeris multis partibus majora. Et ſcis invidiam illi, ac malignitatem, jam diu in naturam vertiſſe: nec alium erga alios eſſe, quos doctrinam cum virtute putet conjunxiſſe. Hoc ego, ut de aliis taceam, abunde meo malo didici: didicit Meurſius, diſcere nunc cogitur maximus Salmaſius: ſed nemo dixerit, quam ille ejus mendacia, ac calumnias contemnat. Quod ego non æque potui, cum eum conjuraſſe erga me viderem, cum inimicorum illis, qui toti in eo erant, ut me meoſque omnibus everterent fortunis. Redeo ad edendi tua curam: de qua certiora perſcribam, ubi vel fratri, vel filio fuerim locutus. De Suecicis quid opus ſcribere quem nihil illorum fugiat? Adderem alioqui Cancellarium Oxenſternium in Germaniam cogitare, ut diſpiciatur de pacis negotio. Eo & iturus Comes Danus, natus ex eadem, imo iiſdem, cujus filium, ante annum, vel amplius vidiſti, cum Ephoro Erneſtio. Sed is qui huc mittetur, major eſt natu illo quem vidimus. Sic mihi Nobilis Suecus retulit, ex literis, quas ab avunculo Regni Suecici Senatore acceperat. Putabam Collegam meum Hortenſium dilaturum iter in terras exteras, propter luculentam rationem quam ſcripſeras, & ille ex Deodato cognorat. Sed longè alia ei mens. Nec miror. Bina illa Caroleorum noſtratia millia, ad hoc iter ſunt aſſignata ab Ordinibus Generalibus. Præterea fruitur ſtipendio nongentorum quos percipit ab urbe hac. Vides quantum profueris. Non vidit loca extera. Nunc impenſis publicis præluſtri titulo iter ſuſcipiet, quæ res, & nunc honori illi futura, & poſtmodo memorabitur ad ingentem ejus gloriam. Deus illi gratam tribuat mentem, & tributurum confido. Ait ſe primò in Britanniam iturum: unde in Gallias, tum Venetias, inde prout res dederit. Sed cum longiſſimo tempore nihil mecum communicaſſet, uti neque cum Blauwio; nempe quia credo ſumus occupatiores aliis, quam ferendo ſimus; tandem mihi ſignificavit, de Anglia dicis gratia ſe ſpargere, quo iter hoc ſit occultius. Sed recta iturum in Gallias, non Lutetiam tamen, ne de eo Italia cognoſcat, ex illis quibus fortaſſe innotuerit, ſi Lutetiæ videant. Nolle enim ſe periculum magno ſeni creare. Ne Venetiis quidem agere ſe quicquam velle per literas, niſi ex conſilio illorum, qui rei ſunt planè intelligentes. Si per eum literas dare vellem, nihil committendum iſtiuſmodi, ubi feſtinato opus foret. Fortaſſe enim ne locuturum quidem tecum. Poſtremum hoc plane foret, præter opinionem Conſulis Ampliſſimi Conradi Verburchii. Nam eum ſcio ab affine tuo optimo Reigersbergio literas petiiſſe commendatitias, quo gratior acceptiorque filius ſuus, juvenis plus minus annorum xx eſſe poſſit. Is ſi ad vos venerit, ſcio acceptiſſimus fuerit. Parens enim vir eſt, non uno nomine laudatiſſimus, & qui plurimum in hac urbe poſſit. Præſertim Conſule Gravio, ante octiduum defuncto: Bichero in præfectos negotiationis Indiæ Orientalis relato. Vlamingio Ooſthornio, Hagæ inter Delegatos hujus urbis degente, & ut arbitror, hoc acturo, ut vivere poſſit vitam privatam. Video enim, & eum horum temporum eſſe pertæſum. Si ab Manaſſe nihil acceperis literarum, mirari noli. Nam menſis, & prope etiam alter eſt, quod morbo decubuit. Uti & contigit Iſaaco meo. Eo nihil actum in ejus Scylace Caryandenſi, & illo qui ante annos circiter ſeptingentos, ex Scymno, Chio, & aliis deſcripſit Mæotidis periplum. Sed ſatis te detinui. Modum neſcio ſcribendi, dum nunc ſileo prorſus, nunc multiloquus tua moror tempora. Heroinæ conjugi ſalutem plurimam dicito, & filiæ optimæ. Nam filios intelligo, jam in Germania Martiales factos. Clariſſimis viris, Bignonio, Cordeſio, Rigaltio, & omnibus non aſpernantibus me, ſed ſi optima occaſio ſic ferat, ſalutem etiam impertias rogo.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxviii.
xiv Octobris.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

CCCCLIII.

## CCCCLIII.

# Edwardo Miſſeldeno Anglo,

S. P.

*Rationem ac methodum tractandi ſtudia filio ejus præſcribit.*

VEllem, Vir Ampliſſime, priuſquam in Angliam redires paucis tecum de ſtudiis filii colloqui licuiſſet. Pleraque enim melius tribus verbis coram quam longo ſermone per epiſtolam expreſſero. Nec propterea deero petitioni tuæ, cum omnia tui cauſa velim, cujus prudentia, virtus, candor (ut cæteras nunc dotes prætermittam) à tot annis mihi non incognitæ fuerunt. Dum filius mihi adfuit tuus, alternis fere diebus exercui, nunc proſâ condendo aliquid, nunc carmen pangendo. Præterea potiſſima eorum exigere ſoleo, quæ me publice docentem audiiſſet, ac ſi qua minus fideliter percepta, ea aliquanto fuſiùs diducere, aut apertiùs enarrare. Nec inutilis ei fuit manuductio noſtra in iſtis, quæ pertinerent ad terrarum ſitum, ac imprimis Imperii Romani: ſine cujus notitia nihil aut parum in Hiſtoria videmus. Ac ſibi ipſi niſi adoleſcens defuiſſet pauculis hebdomadis quibus ſive Harlemi, ſive in urbe noſtra fuit (putabam ego aut Hagam iſſe aut morbo decumbere) plenius ſatisfeciſſet expectationi tuæ. Et tamen ne nunc quidem eſt quod pœniteat profectus: præſertim ab eo tempore quo ſermonem inter nos ſevimus; ego & is, quem ad me miſeras. Tenuia quidem iſthæc initia ſunt eorum quæ animo conceperam, inque tuæ ſpem gratiæ & filii amore acturus eram, modo diutiùs ſubſtitiſſet apud nos. Sed ſcis iſtoc vetus: Dimidium, qui cœpit, habet. Imo ſecundum Aſcræum vatem, Dimidium plus toto. Tanti intereſt ut ne in ſtudiis quoque malè incipiamus. Quia igitur non malè apud nos cœpit, velim in patriam redux pede eodem pergat: ac cum Cicerone Livium jungat. In Hiſtorico hoc primum attendat quæ ad elegantiam ſermonis pertinent. Codicem habeat in quo annotet verba, & formulas, ex Livio à ſe excerptas, ac ſubjiciat ſingulis quomodo ea hoc tempore transferre poſſit in uſum ſuum. Altera cura eſto Hiſtoriæ. Quemcumque Livianum leget Librum, ejus ſibi compendium concinnet, minimum duplo auctius epitome veteri, quæ cuique Libro præmitti ſolet. Tertium eſto, ut ea conſideret quæ mores majorum virorum vel prudentiam tangunt civilem. Præceptaque & exempla ſingula ad locum referat communem. Hoc fine codicem habeat in quo chartæ diſtinguantur titulis virtutum moralium & cap.tum prudentiæ tum togatæ, tum militaris. In ordine iſtorum titulorum, utrum Ariſtotelem an alium ſequatur, non multum arbitror referre. Velim etiam quia paſſim & in hoc ſcriptore & in aliis occurrunt quæ tangant mores uſuſque Romanos, ad manum ei ſemper ſint collectanea Roſini, quibus complectitur gentis ejus antiquitates, de urbis ſitu, diis, ſacerdotiis, Comitiis, Magiſtratibus, legibus, & alias. Nunc ſi quis in iſtis plane fuerit hoſpes, is exiguo fructu veteres leget. Ac hac quidem ætate Roſinus ad iſta ſuffecerit. Poſtea ſatius fuerit ipſos legere ex quibus ſua Roſinus collegit, & alios quos Roſinus videre non potuit. Poſtremùm hæc cura eſto ut luculentæ orationes illæ, quæ apud Livium extant, Dialecticorum more reſolvantur, ut compareat, in quo cardo rei conſiſtat, quibus argumentis cauſa nitatur, quomodo occurratur adverſario, quæ adferantur ad conciliandos auditores, quæ ad affectus commovendos. Nec enim facile dixerim quantum ea res conferat ad eloquentiam: præſertim ſi quis ad exemplum iſtorum argumentum eligat noſtris aptum temporibus, in quo quantum licet inſiſtat antiquis. Hæc tam multa conſiderare operoſi videtur operis, præſertim pro ea ætate quâ nunc eſt filius tuus. Sed non aliam præſcribo viam quàm ipſe inſtiterim bono meo: ac longe optimam eſſe in variis ſum compertus, qui recta via graſſari vellent, ad ſolidam potius doctrinarum arcem, quàm umbratilis gloriæ. Et hæc quidem ſufficere arbitror pro ratione privatim Livium legendi, quam publicè hactenus enarrantem audivit. Sed nolim in Romana conſiſtere Hiſtoria. Sacram & Patriam præmiſiſſe oportuit. Subjungere etiam opus Græcam Orientalem & omnium gentium quæ irrupere in Romanum Imperium. Quo pacto autem ex iſtis univerſalis Hiſtoriæ notitia optimè comparetur, chartâ alterâ expono. Spero operam hanc meam boni conſules. Idem facturus eram in ſtudio Philoſophiæ, niſi ſatius putaſſem, ut filius pluſculum Linguæ utriuſque Hiſtoriarum & proſaicæ ac poëticæ eloquentiæ ſtudiis inſiſteret. Et ſub manibus habeo, imo jam olim habui, & aliquamdiu intermiſſum ſimulac potero ad incudem opus revocabo, quod partim erit de Philoſophorum ſectis, partim de Artium ac Scientiarum omnium utilitate ac nexu. Eo fuſè diſſero, quomodo ſit Philoſophandum. Summa eo redit auſpicandum eſſe à ſecta peripatetica, poſtea diffundi oportere per ſectarum alias imprimis Platonicam, & Zenoniam, ſive Stoicam; denique ſiſtendum eſſe non in Pyrrhonia, quæ etiam ambiget in certiſſimis, ſed Polemonis Alexandrini, quæ Electrix ſive Græce malis ἐκλεκτικὴ dicitur, nec in ullius Magiſtri verba jurat, ſed ſingulas ſingulorum ſuo æſtimat momento. Verum hoc judicium non niſi poſt Sectarum omnium notitiam in iis oritur qui veritatem prope majoris faciunt quam ſeipſos. Ea virtus needum cadere poteſt in ætatem filii tui. Quare ſuffecerit hoc tempore ut Philoſophia ſit Peripatetica contentus. Non fatigabo te meque ulterius. Deum rogo, ut filio tuo adoleſcenti optimi ingenii bonam mentem conſervet. Omnino enim ſi volet præclarum quid, indoles ejus promittit: velle autem ſpero vel potius confido. Vale, Vir Ampliſſime, & nos tui amantes porro eo loco habe quo hactenus facis.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxviii,
iii. Kal. Decemb. St. Gregor.

---

## CCCCLIV.

# Hugoni Grotio.

*Exceſſum ſocrus condolet, mortem etiam Cunæi indicat, ut & gravem Barlæi morbum, quem vel inde contraxiſſe ſuſpicatur, quod nimis ad animum revocaſſet, quæ adverſus eum ſcripta eſſent à D. Vedelio, & M. Schokio, qui & nunc minetur librum inque eo probare præſumat, Grotium quoque in caſtris militare Socini. Non diffitetur autem latere ſub eo triumviros & ipſi notos. Hortenſii iter dilatum eſſe, quid de Meurſianis operibus typographus tandem decreverit, plane ignorare ſe dicit.*

*Illuſtriſſime Domine,*

MUltum doleo, de exceſſu optimæ ſocrus tuæ, quicum memini, me non ſemel domi tuæ prandere, & ſermones ſerere non injucundos, pro temporibus illis, quibus omnia mutationem Reip. in pejus minabantur. Interea optimè ſcis, magis agendas eſſe gratias Deo, quod ei vitam conceſſerit tam diuturnam, ut & tempora meliora, & tot bellos conſpiceret nepotes, nepteſque, quam dolendum quod non ulterius ei reliquerit vitæ uſuram. Leidenſibus item ereptus Petrus Cunæus, magnum ejus Academiæ columen. In Zelandiam ierat, unde æger rediit domum, Collega Barlæus jam tertium menſem laborat quartana, metuitur ei à μαρασμῷ. Ut convaleſcat, non videtur idem fore qui quondam. Afflixit valetudinem opere properando, quod nunc excuditur, & hoc de ingreſſu Reginæ Matris in urbem noſtram, & honore pompæ ei exhibito. Typis prodibit Auguſtis, plurimis exornatum picturis. Atque hoc, quod dixi, non diſſimulat apud amicos; ſed multum metuo ne morbum hunc inde contraxerit, quod nimis ad animum revocaret, quæ adverſus eum

ſcripta ſunt à Doct. Vedelio, & Magiſtro Schokio. Hic Ultrajecto jam in Daventrienſem Scholam conceſſit, ac opera poſtrema, quod vernacula ſcripſit lingua, minatur librum juſtum, quo comprobet, te quoque in caſtris militare Socini. Nam illa de ſatisfactione Chriſti, tantum temporum illorum gratia, quo facilius falleres, ſcripſiſſe: ubi illa via non proceſſit, te, larvâ depoſitâ, oſtendiſſe, quis fores, in libris de veritate religionis Chriſtianæ. Ubi minimè ſacræ Triados myſterium tradas, dicas Moſem populo tantum temporalia promittere; Chriſti præcepta nova eſſe, ac perfectiora Moſaicis; Chriſtum dici filium Dei, quia natus è virgine, conceptus è Spiritu Sancto. Arbitror non defore his terris, qui reſpondeat, ſed multum intererit, à quo id fiat. Etiam hoc pro ſe advocat, quod Crellio non reſponderis; quaſi non Theologorum hic æque cauſa agatur, ac tua; quaſi item jam ſemel acerbi Ravenſpergeri maledictis (quem à Sibrando ad hæc incitatum, mihi, ex affine, utrique eorum amiciſſimo, probè conſtat) fœdè adeo exceptus ſapienter hoc illis relinquas, qui nihil niſi quod ipſi faciunt, rectè factum putant. Sed de ipſo ſatis: quem Voetii eſſe hyperaſpiſtem ſatis ſcire te puto, atque ab eo ſua legi priuſquam excudantur, fatetur apertè: Eo Heinſius noſter utitur amico: ut mirandum non ſit, ſi diſertim ſcribat, non te minus eruditum eſſe Heinſium; ſed nominis eſſe hunc magis honeſti. Deus meliorem largiatur mentem, & adoleſcenti, & Triumviris, qui ejus opera tam turpiter abutuntur. Hortenſius hac hyeme hic ſubſiſter. Interim parabat ſe ad hoc, ut paratior ſit ad colloquendum cum Galilæo de Galilæis coram, vel per internuntios, aut literas, & loco aliquo tuto, aut propinquo. Blauwius ſenior vita exceſſit: filiorum, quibus cura eſt Typographia, alter ægrotat. Quid de Meurſianis tandem decreverint, planè ignoro. Danicam ejus impreſſere hiſtoriam; at non videntur facilè aggreſſuri ea, quæ ad vett. Scriptorum emendationem, vel Romanas, aut Græcas Antiquitates pertinent. Janſonius de quo ſcripſeram, vir eſt honeſti nominis: ſed partium quas Contra-remonſtrantium vocant, uſque adeo ſtudioſus, ut à paucis eo vincatur. De affinis meæ junioris in Zelandia agentis, filio ſi quid ſcripſero, Azoti is nomine, literis meis ſignificabitur. Videtur hic in Britanniam, inde in Gallias rectà Lutetiam iturus. Nolim te amore familiæ Junianæ decipi à quoquam. Alioqui hæc non ſcriberem; Et ut puto deinceps quoque aliquid exarandum erit. Salutant te, conjugem lectiſſimam, & liberos plurimùm omnes mei.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ CXXXVIII,
XV Dec. St. N.

*Tuus æternum*,

G. J. Vossius.

## CCCCLV.

*Merita ipſius gratus deprædicat. Triſtem filiæ mortem dolet. Peregrinandi ſtudiorum cauſſa animum oſtendit, favoremque conſtantem ſibi exoptat.*

*Venerandiſſime Vir*,

SI negligentiam officii mei excuſare apud te cœpero, vereor ne rationes meæ omnes quæ te ab his illiteratiſſimis hactenus liberarunt, unica illa ratione maximorum tuorum erga me meritorum vincantur. Quanquam enim fatear me pepercisſe ſummis occupationibus, quibus dies noctesque jugiter obrueris; æquiſſimo dolori, cui ob amiſſam incomparabilem filiam parentis affectu indulges: non tamen debuiſſem te mea gratitudine, infinita hac cunctatione fraudare. Interea id tibi interpoſita fide ſpondere poſſum affectum gratamque memoriam quam ſtylo aut non expreſſi aut uſquequaque non potui, animo verbiſque hactenus fuiſſe profecutum, atque impoſterum novis incrementis auctorum. Humaniſſima enim tua, triennii quaſi, converſatio, liberrimus ad tua omnia acceſſus, & quod maxime veneror, diligens eruditiſſimaque informatio, omnes gratitudinis ſpecies me excogitare experiri jubet. Ut ſi ego gratæ mentis tantum teſtimonium dare poſſem, quantum tu ſummi affectus, Apollineo tuo judicio, quo me ut audio coram aliis ornas: Prædicarem me fœlicem quod condignas gratias referre ſcirem, quemadmodum te digniſſimum qui ita multorum gratias mereare. Vulnus, Clariſſime Vir, quod tibi filiæ lectiſſimæ mors inflixit, & quidem variis nominibus nimis grave, hac epiſtola non refricarem, niſi & defunctæ magnæ virtutes & tuus amor à me quoque teſtem aliquem doloris exigerent. Nam quemadmodum ipſa propter tot in ea virtutes, quibus omnibus notabilis atque exemplar erat, meritò à me laudari debet: ita tu privato nomine profecto mereris ut acerbiſſimum hunc caſum tanquam immaturum in ſinu tuo defleam. Sed quid ego tam glorioſam memoriam exili hac charta, quæ dignas laudes non capit, proſequar; cui ſi par eſſem maximum æternitatis monumentum vellem erigere? quid te in memoriam graviſſimi luctus reducam, cui præſtaret ut ſolatia adhiberem & tanto dolori paria? Reverentia mea erga mortuam hanc recordationem ejus expreſſit. Sublimis tuus animus tam ſapientiæ præceptis quam altero domeſtico caſu antea inſtructus mea ſolatia tanquam minora ſupprimit. Quinetiam domi præter tot egregios filios filiam ſolatio habes, ex qua id adhuc ſperare potes quod graviſſimus caſus, humanus tamen tibi in altera præripuit, cui quoque ego opto, ut ſorori virtutibus par, fato felicior ſit. Porro quæ hucuſque tuis tanquam meis exolvi, ea nunc verè meis dabo, quo ſi calculo tuo facta mea probaveris, perſuadeam mihi nihil me egiſſe aut deinceps acturum cui non ſua ratio conſtet. Vitam quam per annum quietam in patria vixi placuit tandem hac peregrinatione mutare, ut & ſtudia hac velut cote acuantur, & ætas his laboribus ad majores præparetur. Poſt Angliam ubi jam trimeſtre tranſegi propediem Gallias inviſam, & illis tuum Grotium; tuum malo dicere, quanquam & patriæ meæ ſit, quia mihi de ejus benevolentia veſtræ amicitiæ nomine promittam. Potes etiam tu data occaſione tua commendatione eandem pro me parare: ſi modo hac mea petitione tantum à te qui plura quoque ſoles amicis indulgere, poſſum impetrare. Ex Galliis dein quem locum meæ peregrinationi ulterius deſtinem certius cognoſces, cum nihil tam flagranter cupiam quam habere te & conſcium & rectorem eorum quæ à me laudabiliter ſuſcipiantur. Poſtremum, Vir Clariſſime, tu ne deſinas eadem conſtantia qua ego te venerari, tuo viciſſim affectu me complecti, ne aut ego hoc deſideratiſſimo paratoque amoris præmio fruſtrer, aut tu videaris meum cultum non putare tanti. Vale.

Lond. XX Decemb.
cIↃ IↃ CXXXVIII.

*Tuus, tuique obſervantiſſimus*,

Laurentius Skytte.

## CCCCLVI.

*Eximio Viro*,

# Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori digniſſimo.

*Poëmatum ſuorum exemplar officioſè offert.*

*Vir Incomparabilis*,

POëmatum meorum exemplar ad te mitto; ineptiſſimum libellum, & qui de authoris infelicitate prolixè teſtatur. Agnoſces te, cùm de rebus omnibus incorruptè, & divinum in modum, judicare ſoleas, de me ſaltem parùm accuratas hactenus ſententias dixiſſe. Quæ enim ipſe tecum ſentire, aliiſque magnificè de meis ſtudiis promitte-

re conſueviſti, in hoc opuſculo planè nulla apparent. Nunquam ineptè æſtimare ingenia ſoles; utique, in me uno falſus es. Itaque opinor jam nolles, perfectam editionem, cujus me propemodùm ſuppudere cœpit; & jam te laboris ſumpti, dum hactenus, maximo ſtudio editionem promoveo, quemadmodum me conſilii pœnitet. Sed memineris ad hebetudinem ingenii mei, acceſſiſſe, fortunæ vitæque varietatem. Quæ me tot annos hinc inde jactatum, & alia omnia diu potiùs conantem, ſi qui eſſent, ardoris poëtici igniculos bona fide colligere vetuit. Diverſis enim agitationibus diſperſi, antequam ſolida aliqua flamma fieret, evanuerunt. Atque hoc quoque narratis amicis tuis, ut non tam in judicando deceptum, quàm tantam meam calamitatem proſpicere non potuiſſe ſentiant. Animadverto quoque præterea, quàm propè abſim a peccato, qui aliqua opuſculi parte, Clariſſimo nomini tuo inſcripta, quaſi vili quadam commiſſione, obſoleſcere te audio. Sed vulnerata jam causâ, non alibi præſentius remedium, quam incomparabili tua æquanimitate invenero. Vale, Vir maximè, & ſummam tuam benevolentiam mihi perpetuam eſſe patere.

Ultraj. Kal. Januar. An. cIↄ Iↄ c xxx ix. Quem tibi & clariſſimæ familiæ tuæ, fœliciter evenire opto, voveoque.

*Tui obſequentiſſimus,*

VINCENTIUS FABRICIUS.

## CCCCLVII.

### Vincentio Fabricio ſuo,

### Gerardus Joannes Voſſius S. P. D.

*Verſus laudat elegantes, ac deinceps etiam poeticam hanc Spartam ornet, hortatur, ita tamen, ut ſeveriora ſapientiæ ſtudia ſemper prævaleant.*

MUltum & ego, & familia mea tibi debemus, pro honore, quem habitum iviſti nobis, verſibus tuis elegantiſſimis: feciſti, ut non modò viveremus in laboribus noſtris, ſed etiam tuis: qui quod Juriſconſultus Scævola fruſtra ſperabat, de Mario Ciceronis, caneſcent ſæclis innumerabilibus. Quamquam nec Marius ejus intercidit totus, quia aliqua parte vivit in illis, quæ perennarunt: facies autem prudenter, ſi deinceps etiam Poëticam hanc Spartam ornaveris: ſed ſic ut magis te vindicent ſibi ſapientiæ ſtudia. Maximi quidem facio, quà merito eruditis places, δίζυγα νέμεια, ſed præ toto Parnaſſo, cum Suadæ ſacello, placent edita doctrinæ ſapientum templa ſerena. In quibus & te, illo Themidos præcipue, aſſiduum eſſe intelligo lubens: Imo ab iis qui ad nos veniunt, refertur propediem fore, ut adlegaris in myſtarum numerum: ſummæ mihi voluptati erit, quando iſtoc de honore auctum inaudiero. Quamquam enim quod Vallæ olim in ore fuiſſe ferunt, Plures ſint Doctores, quam docti: Nec tamen exiguus adeo eſt numerus eorum, in quibus titulus non fallat. Et facilius ſic ad honores muniveris viam. Quod cùm hiſce terris veriſſimum eſſe comperiamus, tum credo multo magis habere locum in Germania tua, ſive malis noſtra. Utinam tandem furere Mars deſinat; qui nunc præclaris tot ingeniis incommodat. Tu interim durabis amiciſſime Fabrici & ex monito vatis tui, rebus ſervabis te ſecundis. Atque ut ſpiſſius procederet de patria tua, nunquam Bataviæ, aut fœderatæ Belgicæ, deerunt, qui ingenium dignis cupiant ornatum honoribus. Equidem ad hoc, operam omnem offero. Nam cum omnia ante voluerim causâ tua: nunc etiam velle omnia debeo, poſtquam me obſtrinxiſti beneficio tuo. Vale, optime, & amiciſſime Fabrici.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxx ix, prid. Non. Januarias.

## CCCCLVIII.

*Impenſè laudat Hiſtorica Voſſiana ſupplementi loco mittit quatuor Chronologos antiquos & Antonii de Leon Orientalis atque Occidentalis Bibliotheca Epitomen. Vitam S. Demetrii Martyris deſcripturus, in ætatem Demetrii Chryſoloræ inquirit. S. Syncleticæ vitam ab Athanaſio expoſitam, ac pro deperdita hactenus habitam latuiſſe ſub S. Theclæ titulo, cenſet, eique in Batavia Typographum quærit, daturus fortaſſe poſteà & B. Antonii vitam, eodem D. Athanaſio Authore; cumque ſcriptum hoc in opere de Hiſtoricis Græcis in dubium vocetur, rationes ipſius efflagitat.*

AFfectus in te meus ex Arte Hiſtorica tua genitus, primævos emiſit vagitus in Patria; nutritus eſt Romæ ex opere itidem tuo de Hiſtoricis Græcis; grandior demum factus eſt in Hiſpania ex altero quod in lucem dediſti de Hiſtoricis Latinis. Tandem nunc properat in ſinum tuum, evolaſſetque antea, ut hoc qualecunque obſequii, & venerationis ſpecimen præberet aſſiduis laboribus tuis, floridiori doctrina, & eruditione multijuga refertis. Sed vacuis manibus non eſt auſus properare. At quamvis propria ad hoc temporis non poſſit afferre, aliena tibi tamen dare non reformidat: à præfationibus, quas ad Lectores ſumma humanitate, & modeſtia tua in veſtibulo operis ejuſdem de Hiſtoricis Latinis præfixiſti, invitatus. Mitto tibi igitur quatuor antiquos Chronologos, ſcilicet Herempertum Longobardum, Lupum Protoſpatham, Anonymum Caſſinenſem, & Falconem Beneventanum ab Antonio Caracciolo Clerico Regulari Viro Illuſt. & omnibus numeris abſoluto in lucem emiſſos: & Epitomen Orientalis & Occidentalis Bibliothecæ, hoc eſt, Elenchum Scriptorum ferè omnium, qui de novo Orbe hiſtoricè ſcripſerunt uſque ad annum M DC XXIX. Hiſpano Idiomate pro tempore conſarcinatum ab Antonio de Leon excellentis ingenii Viro, & in rerum Indicarum notitia, eruditione magna ornato: quam plane præſtat in multis quidem operibus, quæ ſi lucem aſpicient, argumentorum, materiarumque novitate, ac excellentia, omnibus certe probabuntur, auctoritateque apud omnes valebunt, ac ætatem noſtram ornabunt profecto, Indicaſque regiones, & res oculis omnium aperient. Sed ejus potiſſimum doctrina, & multijuga Lectio in Bibliotheca & de Scriptoribus Indiarum elucet; quæ adhuc inedita, ducenta & amplius folia complectitur. In ea enim quid egregie ſcriptum docet, quid falsè rejicit, quid apocryphe monet, & omnia demum in ſani judicii ſui trutina expendit. Quod pariter egregie quidem, & peraccurate agit ſingulari ingenii acrimonia, Ibericorum literatorum decus, & Amicorum ſuorum delicium V. C. Thomas Tamagus de Vargas Toletanus Hiſtoriographus Regius Caſtelli, & Indiarum primarius in MS. Catalogo propediem edendo, quem de Scriptoribus Hiſpanis materno idiomate exaravit.

Chronologi igitur prædicti, & qui in præcitata Epitome Orientalis, & Occidentalis Bibliothecæ (quiqui modo ſint) recenſentur, tui exercitus Latinorum Hiſtoricorum ſigna augere poterunt. Augebunt & ducenti ferè Hiſtorici Latini, & Græci aliqui, à me inter legendum obſervati, quos in ſchedas relatos habeo; tibique eos polliceor, & dabo ſi appendicem novam, vel ſecundam cogitas editionem. Quamque multi, & major ferè eorum pars cum veſtibus aliis, quàm propriis nominibus inducti, imò & omni alio prorſus, ſive ornatu, ſive notitia, etiam temporis in quo peculiariter floruere, deſtituti. Ita enim extra proprium ſolum, imo in extraneo, jam Latinam Linguam non minus

nus quam omnem aliam, quæ materna non ſit minus amante, nudi, & vagantes ſunt à me deprehenſi. Patriam, ſi poſt ſeptennem peregrinationem quam ago cum Illuſtr. & Reverendiſſ. DD. Laurentio Campegio Senogallienſe Epiſcopo, & Comite Sereniſſ. D. N. Domini Urbani Papæ VIII. & Sanctæ ſedis Apoſtolicæ in his Hiſpaniarum Regnis cum poteſtate Legati de Latere Nuncio, cui à ſecretis famulantes undevigeſimum jam annum calcamus, incolumiter nobis repetere D. O. M. concedet; fortunâ ſi non comptos, ac perornatos, ſaltem non adeo nudos eos tibi proferam, nec deſperandum, comites alios ſibi adſcituros. Utinam & majores ſymbolas vigiliis tuis conferre valerem, non tenuerem quidem; ſed me ſumma hilaritate id facturum compertum habere potes. Is eſt amor in te meus; inque maxime proficuos labores tuos de Republica Literaria, ſed ſummo loco de Hiſtorica bene merentes, cui facem addidiſti diligentia, & eruditione tua, imo oculos efformaſti. Utinam cætera opera tua, ſcilicet, Partitiones & Inſtitutiones Oratorias; de Rhetoricis Græcis, itemque de Latinis, de Hiſtoricis antiquis; de Anonymis Vitarum Scriptoribus; & res geſtas omnis ævi abs te digeſtas mihi videre contigiſſet; in omnibus ſummam doctrinam tuam contemplari mihi licuiſſet; & fortè ſymbolulas aliquas conferre non deſperaſſem; id profecto minimè prætteribo, ſi ullo unquam tempore ad manus meas devenient.

Vitam & miracula Sancti Demetrii Martyris Theſſalonicenſis Græciæ Procoſ. ego ſcripturus, ut habebis ex adjuncto folio typis dato, undequaque monumenta ad opus conquiro. Inter cæteros autores, qui hucuſque mihi in manus inciderunt, unus Demetrius eſt Chryſoloras, Theſſalonicenſis, ut conjicio ex Panegyrico ab eodem ſcripto, in magnum hunc Martyrem, ejuſque unguentum. Sed quo tempore floruerit, quod ſummopere noſcere cupio, me latet adhuc. Septem alios reliquit Panegyricos, ſive Homilias, ut ex codicibus Vaticano, & Regio in Bibliotheca Monaſterii S. Laurentii in Eſcuriali apparet; ſuntque de Transfiguratione D. N. Jeſu, &c. De ſancto ejus ſepulchro; In ſanctam Reſurrectionem; in Annunciationem Deiparæ, & ſemper V. Mariæ; in Dormitionem ejus; de Domini noſtri nativitate; & gratiarum actio ad ſanctiſſimam Deiparam. In Regio autem codice additur alius ſub nomine ipſius ad Pulicem, quem exſcribendum curavi. Addo inſuper Indicem Manuſcriptorum Græcorum & Latinorum de Sancto prædicto apud me, vel re ipſa, vel notitia tenus exiſtentium; teque perenixè rogo, ut ſi quid de Demetrio Chryſolora præfato innotuerit, & ubi cæteri qui deſunt Autores reperiri poſſent; & an fortè aliquis iſtic in Græcis codicibus Bibliothecæ Theodori Douſæ, quos ſecum à Græcia advexit Georgius frater ejus latitet, mihi indicare ne graveris. Officia enim quæcunque tua in his, ſummi beneficii loco adſcribam. Spero equidem, ac conſequar, ut te de me optime meritum eſſe jure læteris, officiaque tua in hominem nullo non tempore memorem, gratiæque referendæ ſtudioſum ſentias.

Sanctæ Syncleticæ vitam quam Divus Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus ſcripſit, & Baronius in ſuis Annotationibus ad Martyrologium Romanum ſub die v. Januarii, deperditum non ſine gravi totius orbis Chriſtiani jactura deplorabat, in tenebris jacentem à blattis & tineis ſubtraxi, ac deſcribendum curavi è Græco Codice Regio, adeo pervetuſto, ut jure credatur annis mille ſenior, & forte ætatis ipſiuſmet Autoris. Dignum Athanaſio opus, & verè genuinum ejus, ut tu in Græcis eruditiſſimus ſpero cognoſces. Eſt typus vitæ aſceticæ, & norma ad perfectionis viam. Delituit hucuſque ſub nomine vitæ Sanctæ Theclæ. Titulus enim operis ejuſdem corruptus erat, & in limine ejus, & in Indice Bibliothecæ Regiæ prædictæ, quem Guilielmus Lindanus eques Ruremondenſis legerat, & tali pacto de eo notitiam attulerat Baronio, qui poſtea ex iis in Annotationibus ſuis ad Martyrologium Romanum ſub die XXIII. Septembris aſſeruit Divum Athanaſium S. Theclæ vitam ſcripſiſſe, ut ad eandem vitam Sanctæ Syncleticæ ſuſius demonſtro in Prolegomenis meis, quibus, & notis eam exorno, & propediem publici juris faciam. Folia communia quatuordecim Græcus textus complectitur, totidem Latine factus à Davide Colvillo Scoto, omnia denique erunt quadraginta plus minus. Onus eam excudendi ſi Typographus aliquis in ſe ſuſcipere vellet, libenter illi traderem, ſi pecuniæ aliquæ ſummam, & exemplarium certum numerum inter amicos dividendum conferat; quam tamen pecuniam non accipiam, ſed tot libros quot eorum pretium conventæ ſummam implebit. De his ſi cum Typographo amico, ſive Lugduni Batavorum, ſive Amſtelodami, ſive alibi tractari poſſet, & ſcire quicquid in hoc certo ſtabilire liceret, me tibi devinctiſſimum faſſurum pro comperto habeas. Iis enim intellectis quid expediet conſtituam. Fortè B. Antonii quoque vitam dabo, eodem Divo Athanaſio Authore, & priſtino genuinoque nitori, ac ſplendori reſtitutum; unde nonnulla ei erepta & fraudata liquido conſtabit ex collatione ejuſdem vitæ, quam David Hoeſchelius è Codice Boico edidit anno M DC XI; cum quatuor antiquiſſimis exemplaribus Bibliothecæ Regiæ Monaſterii prædicti, quorum unus non ſolum ætatis illius, ſed peculiari ipſiuſmet Athanaſii ſcriptione, vel ſaltem ejus Amanuenſis exaratus, ut piæ memoriæ Antonius Mauritius Monachus Hieronimyanus, eruditus, & cordatiſſimus vir, arctiſſimo neceſſitudinis vinculo mihi conjunctus, eidem Regiæ Bibliothecæ Præfectus, ac Monaſterii Prior, ex Clariſſim. Spectatiſſimorumque virorum in iis autoritate, opinabatur. Modeſtiæ enim ſummæ B. Athanaſii tribuitur, autoris nomen in inſcriptione deſiderari, cujus in aliis tribus honorificentiſſimo ſanctitatis titulo mentio habetur. Sed quia legi lib. 4. c. XIII. de Hiſtoricis Græcis, te in dubium revocare opus hoc genuinum eſſe B. Athanaſii, ego (humanitate tua fretus, quod perenixè abs te flagito) deſperare non audeo te probaturum mihi aperte, quibus ſententia tua nitatur rationibus; ut ſi quando vita hæc per me edatur, ut dixi, eas producere poſſim, dum neceſſario mihi de his aliqua libanda erunt. Interim te etiam atque etiam oro, ut neminem atque me habere credas, vel firmioris in te animi, vel præclarioris in te benevolentiæ; quæ etiam ad præſtantis ingenii adoleſcentem D. Matthæum, cæteroſque filios tuos jam nunc prolatari incipit; eamque quibuſcumque potero officiis, ac ſtudiis illis ſemper probabo, & quia virtutibus illos perornatos audio, & quia tuos. Ratio enim hæc tantummodo ad illos per diligendos me ſemper alliceret; facietque qui ab omnibus in oculis ferantur. Ea ornamentorum eſt præſtantis animi tui vis; ea laborum, ac vigiliarum tuarum apud philaretos autoritas. Salvere igitur ipſos meo nomine jube, & cura, ut perpetuo eorum unicuique, ut tibimetipſi, me addictiſſimum credant. D. O. M. tibi cum renati anni principio perennes, felicitates auſpicari, & ea poſſidenda, ac tenenda concedat; quæ tuo, familiæ tuæ, publicæ rei literariæ, & amicorum tuorum commodo, ornamento, & jucunditati, vitam tuam adeo incolumem, longævam, ac in utroque homine beatam efficiat, ut nulla magis. Ita optat, ita vovet intimo cordis affectu ex merito, & juſtitia.

Mantuæ Carpetanorum, v. Id. Januar. CIƆ IƆ C XXXIX.

*Servus tuus ſtudioſiſſimus,*

LAURENTIUS COCCUS.

## CCCCLIX.

*Viro maximo*

# Gerhardo Johanni Voſſio,

# Johannes Freder. Gronovius

S. P. D.

*Obſervationes ſuas cenſuræ ejus ſubmittit.*

EN tibi, Vir venerande, obſervationes noſtras, hoc eſt, vitrea fracta, & ſomniorum interpretamenta. Quarum etſi ea eſt indoles, ut exererent potius domo tua, & tot oculos, aureſque eruditas ſubterfugerent: tamen quia id poſſe deſperant, veniunt ultrò, & plauſum ſuum, ſive benignus is ſit, ſive Eumolpianus, & ſolitus auſpicantur. Adde quod bona pars muneris tui eſt, & luculentiſſimæ Bibliothecæ debetur: abſque qua fuiſſet, nunquam ad eas, κατ' ὄναρ, adſpiraſſemus. Si beneficium optimè intelligit, qui dedit, te ergo nemo verior arbiter, utrum nos prudenter an ſecus, eo ſimus uſi. Sane majore ingenio, doctrinâque, ac ego homines, quales vel adoleſcentes tui, majora eruere potuiſſent. Neque tamen ſpernenda omnino ſunt levia, & aliquam laudem nanciſcitur, qui ea colligit, etiam ideo, quod illi ſe dignis intenti hæc lubentius prætereunt, certè non ſubtiliter conſectantur. Vidiſti olim aliquas; ſed acceſſit nunc nova veſtis, & deſcriptio tota immutata eſt; multa quoque ſuperflua reciſa: brevitati quippe in proponendis ſingulis ſtudemus, ut gratiam quæ ipſis deerat, ubertate, & copia mererentur. At non potuit adhiberi omnibus, ea meditationis, ut ſic dicam, coctura, & maturitas, quam in nonnullis pro captu, & modulo noſtro apparere putamus, cum præſertim liber tertius inopinanti, dum operæ exercentur, ſe legendus, & dirigendus fuerit. Hos morbos vitiaque, ex edicto Ædilium palam rectè apud te pronuntio: ut ſiquidem indignum cenſeatur munus hoc quod offerretur tibi, ſine fraude tamen ac ſimpliciter egiſſe videamur; ſin placuerit, id bonitati magis tuæ, quam ipſius merito acceptum feramus. Vale, ac ſalve, Vir maxime, cum graviſſima matrona, uxore tua, liberiſque, & me amare perge.

Dabam Hagæ, a. d. XIII Kal.
Febr. clɔ Iɔ c XXXIX.

## CCCCLX.

*Epiſtola familiaris.*

*Nobiliſſime Boſwelle,*

PErjucundum mihi fuit cognoſcere, Reverendum Dom. Doct. Higgeum antehac Sacellanum Reginæ Bohemiæ, nunc Regio favore pro egregiis virtutibus ſuis, factum eſſe Decanum Lichtfeldenſis Eccleſiæ. Præclaræ viri ejus dotes jam duo ante luſtra non fuere mihi ignotæ. Nunc verò magis magiſque amo, poſtquam perſpicio quantum iis acceſſerit incrementi. Planeque ita mihi perſuadeo hunc quem ſcribis honorem non tam faſtigium ei, quam ulterioris fore dignitatis gradum. Tantum Deus longam ei vitam concedat, quo diutiſſime præclarè de publico mereatur. Simſonii tui, quem aliquando mihi commendaras, candidum pectus, ei perhoneſti mores magnopere mihi placent; omnino optima de eo auguror, ac cum tui tam ejus cauſa velim omnia. Tu modo diſpice in quo porro ei utilis eſſe poſſit opera noſtra de Gentili Theologia & Phyſiologia Chriſtiana ſpiſſè procedit partim Typographi ſegnitie, partim ob occupationes meas: quæ profectò tantæ ut haſce item literulas non licuerit exarare, niſi poſt noctem intempeſtam. Spero autem fore brevi ut te hic videamus: quo de nonnullis conſilium tecum capere liceat. Sin ea felicitas non obtingat, vel primis ipſe fenis excurram. Vale Nobiliſſime & amiciſſime vir.

Amſtelodami, clɔ Iɔ c XXXIX.

## CCCCLXI.

*Nobiliſſimo Viro*

# Cornelio van der Mylio.

*Meurſii hiſtoriam Danicam quid moretur, quò minùs diſtrahatur. In ſuis de Idololatria Gentili & Phyſiologia Chriſtiana libris prælo fervere, docet.*

*Nobiliſſime & maxime Vir,*

JAm diu quidem eſt, quod Blauwius Meurſii Danica abſolvit: ſed diſtrahi non ſivit, quia de re hercilcenda, inter ſenioris Blauwii τοῦ μακαρίτου, hæredes, needum convenisſet. Quod ſi priuſquam divenderentur, illis amicorum de quibus ſcripſerat Meurſius exemplaria traderentur, metuit ne fortaſſe Typographus alius nanciſceretur exemplar, ac dum Blauwii in vendendo ceſſant, id opus celerrimè recuderet. Id perſcribi ad te Blauwii voluere, quo moram hanc in optimam caperes partem. Sanè nec ipſe codicem mihi deſtinatum urſi, ne ſi aliunde Typographus quis, nactus exemplar recudiſſet, mea vel fraude, vel incuria peccatum videretur. Deinceps nihil periculi futurum. Nam paucos intra dies, opus hoc publicè proſtabit. Fervet nunc prælum, opere noſtro, de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana. In quo tum Originem & Progreſſum Idololatriæ explico, tum admiranda Naturæ, & eorum cauſas. Cumque gentiles, admiratione naturæ, eò ſint abducti, ut ſolem, & alias naturæ partes colerent pro Diis; mihi contra propoſitum eſt, hominem à cauſis ſecundis, deducere ad cauſarum omnium cauſam. Operam dedi, ut ne adeo diffuſum argumentum, confuſè tractaremus; Multa etiam adſerimus aliis indicta, omnia vero planè alia facie, quam priores. Confido intra menſes quatuor, poſſe ad umbilicum perduci. Mitto ad te Scylacem, & Velleium filiorum meorum; Addidi utrius exemplar alterum, ut cum hiſtoria Meurſiana, ad Clariſſimum Baltazarem Bonifacium, eadem opera tranſmittatur. Addidi & literarum aliquid ut me adhuc vivere, & de ſtudiis non peſſimè mereri intelligat: ſimul etiam, in tam longo ſilentio, non minus amare, quam cùm in ſcribendo eſſem frequentior. Vale vir Nobiliſſime, beneque de patria, ac literarum ſtudiis, ac ſtudioſis promerere, meque tui nominis cultorem ama, vel immerentem.

Amſtelodami,
clɔ Iɔ c XXXIX.
Τάχιστα.

*Tuus omni officio, idque merito tuo,*

G. J. Vossius.

## CCCCLXII.

Salutem in Chriſto.

*De ſcripto ſuo olim contra Jeſuitam Fiſcherum edito, nunc juſſu Regis recuſo, & ex Anglico in Latinum transferendo certiorem facit, illud judicii ejus acumini ſubjicit.*

*Vir eximie,*

BInas à te accepi literas. Diu hæſerunt apud me quaſi mutum & nihil reſpondentem. Harum priores ad me datæ ſunt pridie Kalend. Octob. 1637. Poſteriores vero

12 Ka-

12 Kalend. Auguſti 1638. Puderet me certe tanti ſilentii tali amico, niſi ſatis tibi nimium mihi nota eſſent inteſtina pericula (pene jam bella) quibus laboramus. Cauſa horum malorum è ſcandalo accepto, ſed non dato, prorupit, ſed cum gravi ſcandalo dato Religioni reformatæ, quæ apud multos Scotorum (in tenebris illiteratorum illiberaliter verſantes) didicit contra Regem ſuum arma ſumere & aſſumpta defendere. Spero meliora, ſed vix habeo quod promittam.

Nolo particularia literarum veſtrarum examinare, non ſolum quia non datur otium, ſed quia negotia cum tempore utplurimum aut variantur aut finiuntur. Præcipuè poſt tam longa intervalla, quibus neceſſitate pene cogente prorſus ſilui. Spero tamen uxorem tuam, è longo illo quem meminiſti morbo liberatam.

Quod verò nunc me impellit te Vir literatiſſime & otia tua ſi quæ habes interpellare hoc eſt: Voluit Rex Sereniſſimus (i.e. apud me juſſit) ut ſcripta quædam mea non tamen ſub nomine meo tunc edita contra Fisherum Jeſuitam iterum prelo & ſub nomine proprio committerem. Interim ſcripſit contra illa mea Jeſuita A. C. Fisherus ipſe, an alius neſcio. Multa impedierunt quo minus illi poſſem reſpondere; præcipuè verò multiplicitas negotiorum quibus quotidie fatigatus & qualibet fere horulâ avocatus fui, me penitus ineptum reddidit huic operi. Sed inſtitit Rex Sereniſſimus, ego obtempero; & ſine læſione octavi præcepti temporis quædam fragmenta furatus ſum, & lucubrationes meas quales quales ſint perfeci, & in lucem edidi. Nolui te hoc ignorare, & libellum tibi miſiſſem niſi quod Anglico idiomate conſcriptum tibi prorſus inutilem fore putarem. Sed audio ita quibuſdam hic placuiſſe, ut in ſe ſuſcipiant è malo Anglico bonum Latinum facere, ſaltem quod ad phraſin attinet. Nam aliter quid poteris à me jam ſene & per annos totos duodecim ad minimum à libris literiſque avulſum expectari. Quamprimum liber iſte meus utcunque imperfectus Latine loqui didicerit, tibi exemplar mittam, & acerrimo judicii tui acumini ſubdam, libentius à te amico auditurus in quibus erravi, quàm ab inimicis apud quos utriuſque factionis ſcio decretum eſſe non parcere. Vivas, valeaſque, & me, ut ſoles, ames, & contra malevolos Orationibus tuis quoties coram Altari Dei & Chriſti noſtri ſis devolutus, tutum præſtes

*Tibi tuiſque amiciſſimum,*

W. Cant.

Dat. ex ædib. Lambethan. pridie Calend. Mart. 1639.

## CCCCLXIII.

## Guilielmo,

### Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Zelum Puritanorum, adverſus clerum Anglicanum immoderatum deteſtatur, prudens autem Regis Caroli conſilium deprædicat, dum auctor fuiſſet, ut, quæ contra Pontificios Guilielmus ſcripſiſſet, in lucem denuò proferret; ita enim calumniam, quòd idolomaniam papalem revocare epiſcopi ſtudeant, retundi, meliuſque famæ ipſorum conſuli poſſe.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

NOn leviter percellunt animum meum, quæ de armis à Scotorum gente adverſus Regem ſuum ſuſceptis, non ex tua modo Epiſtola, ſed ſermone etiam intelligo prope omnium, qui vel ex Britannia huc veniunt, vel literas inde accipiunt à ſuis. Hoc etiam me pungit, atque urit, quod homines improbi, quorum larga ſemper ſeges fuit, eritque, cauſam tanti mali arceſſere amant, non unde oportuit, ab iis quibus in Eccleſia nihil niſi novellum placet; ut Æolis aliis, tantæ tempeſtatis flabris, quibus utile bellum: Sed ſacro Angliæ ordine, quaſi hoc agat, ut gradibus quibuſdam gens purior & tenax Euangelii (ſic enim loquuntur) iterum ruat in εἰδολομανίαν papalem. Et quo excellentiori loco quemque Deus conſtituit in Eccleſia ſua, hoc magis tanti eum criminis agunt reum. Quamobrem ſatis prædicari nequit ſapientiſſimum Sereniſſimi Regis Caroli conſilium, dum auctor eſt, ut quæ adverſus Jeſuitam Fiſcherum ſcripſiſti, ea denuo edantur, ſed ſic ut in frontiſpicio teſtentur nomen Auctoris. Quantum mihi inde boni promittam, haud facile dixero. Nuper ſane cùm avidè multi legerint calumnias adverſus te Anglico ſcriptas ſermone, Belgiceque tranſlatas; mirum in modum illæ frigere cœperunt, ſimulac ejuſce gentis lingua prodiit quoque oratio tua, qua malignis hominibus, humaniùs quàm merebantur, reſpondiſti. Majorem etiam utilitatem ac fructum mihi ſpondeo ſimulac edideris ea, quæ promittis; præſertim ubi Latinè quoque viderint lucem, imo ut confido, etiam Gallicè & Belgice: nec etiam Scotia ſolum Tribunitios alit ſpiritus, ſed exteris etiam terris non deſunt Rebellionis flabella. Hiſce nunc paucis obſtrepere volui occupationibus ſummis, quibus non premeris, ſed obrueris. Nec plura nunc addam, quia metuo, ne, ſi ulterius ſermonem producam, ſine meis ad te literis veniat vir & civis optimus Griffinus Higgius. Tam malis enim temporibus malo ſic virum doctiſſimum ac reverendiſſimum nominis tui & amatorem & æſtimatorem laudare, quam ab aliis animi dotibus, etſi & iſtæ egregie in eo luceant. De opere quo prælum fervet hactenus, ſcribam paucos poſt dies; nunc ob cauſam quam dixi, manum de tabula cogor tollere. In precibus noſtris nunquam deſinam meminiſſe tui, gnarus quantum Eccleſiæ Catholicæ præſtes boni. Utinam ſua ſatis bona intelligat.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxix.
xii. Kal. Aprilis.

## CCCCLXIV.

*Excellentiſſimo Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Stephanus Joh. Stephanius

### S. P. D.

*Difficiles quod adeò habeat in edendis ſuis Typographos indignatur. Exemplar Voſſiani de Idololatria operis avide deſiderat. De Meurſio conclamatum fere eſſe refert.*

QUod binis jam literis tuis nihil planè reſponſi loco repoſuerim, veniam à te magis expoſcere, quam excuſationem aliquam, intermiſſo officio prætexere paratus ſum. Imprimis tibi, maxime Virorum, uberrimas debeo gratias, de ſingulari diligentia tua, quam in Saxone meo iſthic edendo hactenus adhibuiſſe, te poſtremis tuis ſignificaſti. Demirari ſatis nequeo, quo facto fiat, quod florentiſſimus hic Scriptor, Typographorum veſtratium favorem, quem tantopere ambiit, nondum exorare potuerit: præſertim tua commendatione accedente, quæ nihil non perſuadere ipſis meritò debuiſſet. Hac itaque ſpe falſus, ac fraudatus, conſilium cepi, vel te ipſo ſuaſore, & authore, Magnates hujus Regni ſubinde ſolicitare, ut honeſtum propoſitum meum, ſuâ munificentiâ juvent, ac provehant. Quæ res etſi moram nonnullam injicit expectationi, Doctorum virorum, quorum in animis ſpem ſatis amplam, de meis in tantum Hiſtoricum notis, ac obſervationibus, jamdudum concitavi; proderit tamen, plurimumque momenti adfert, ad augenda, & accuratius expendenda, conjectanea noſtra, quæ nondum ultimam receperunt manum. Florilegio meo Fabiano quid contigerit, edoceas me velim. Si

& hac in parte, operam ſuam mihi denegaverint Typographi, fac ad me redeat, primâ quâque occaſione. Meæ poſthac lucubrationes, quas non paucas affectas habeo, longum, imo ultimum vale, Belgio veſtro, ſe dicturas cum indignatione minantur. Opus tuum de Gentium Theologia, & Chriſtianorum Phyſiologia, prorſus abſolutum jam eſſe, ut nullus dubito, ita exemplum ejus avidè deſidero. Tuum eſt me voti damnare, fidemque tuam apud me liberare, quam antehac non ſemel ultrò dediſti. Cl. D. Meurſius noſter, proh dolor! ad deſperationem uſque Medicorum decumbit. Stillicidio urinæ laborat, quod plurimum puris admixtum habet. Ulcus in veſica enatum hariolatur. Deus Opt. Max. priſtinæ ſanitati reſtituat, diuque nobis, incolumem, florentemque ſervet optimum hunc virum, & de Republica literariâ tam præclare meritum! In quo voto finio, teque charum caput, divinæ protectioni ſeriò commendatum ſalvere jubeo, atque ex animo expeto. Officioſiſſimis te verbis ut reſalutarem, rogarunt virorum par incomparabile, DD. Chriſtianus Matthias, & Johannes Laurembergius; hic famâ eruditionis, & longâ familiaritate tibi notus, ille inter ornamenta ſeculi numerandus, & recentioris tibi amicitiæ vinculo conjunctus. Vale, decus Belgii. De cætero, ut propenſum illum affectum in me tuum, quem tot tamque luculentis indiciis expertus ſum, perpetuum, atque conſtantem conſerves rogo, atque obſecro.

Soræ, a. d. v Mart. ccIↃIↃcxxxix.

*Obſervantiſſimus tui,*

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

---

## CCCCLXV.

*Viro celeberrimo,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori,

S. P.

*Lucium de continuandis Centuriis Magdeb. adhuc cogitantem, ſciſcitari ait quodnam Voſſii hac de re conſilium ſit, qui olim in animo habuiſſet ſuis cum notis eaſdem emittere; quas ſi concinnatas teneat, vel concinnare velit, rem cunctis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſis gratiſſimam præſtiturum. Salmaſii de Eccleſiis ſuburbicariis aliquos libri, ubi & quando prodierint, percipere cupit; Barlæi Præſepe Chriſti effeciſſe apud ſe, ut & cætera ejus deſideret opera profitetur.*

UT fœliciter cum bono Deo ad meos redii; ea ſedulo mecum ruminare cœpi, quæ & commiſſa accepiſſem, & quorum me maximè recordari deceret. Tu, Vir Clariſſime, tuaque dicta, & facta, cum primis obveniebant. Nempe qui me humaniore benevolentiâ, te accepiſſet, vix meminiſſe quemquam poteram. Singula percenſere nihil attinet. Hoc ſaltem profiteor, tantum tibi obſtrictum me agnoſcere; ut vehementer viribus meis diffidam, ſintne ullæ aliquando in me reperiendæ, quibus utcumque grati animi ſignum dare valeam. Si quas tamen Deus ſuffecerit tibi tuiſque lubens, meritoque dico. Cæterum Clariſſ. noſtris DD. Buxtorfio, & Lucio, ſalutem tuo nomine diligenter (ut par erat) nuntiavi: quorum ille jamdudum aliquas tibi deſtinaſſe ſe, ſignificabat. Iſti autem alteri, maxima tecum communicandi, injecta eſt cupiditas. Itaque à me poſtulavit, te ut ipſius nomine peramanter, ac officioſè reſalutarem. Tum quodnam tuum de Hiſtoria Eccleſiaſtica propoſitum rogarem. Narravi enim illi, quæ tecum de Centuriis Magdeburgenſibus collocutus fuerim. Inter alia; tibi hucuſque latuiſſe, eas Baſileæ, operâ ipſius D. Lucii, recuſas, ac tribus Tomis diſtinctas prodiiſſe. Tibi item animi fuiſſe, tuis cum notis eaſdem emittere; poſtea eam curam certis de cauſis depoſuiſſe. Porro, tibi etiam indicaſſe; ipſum D. Lucium, reliquas Centurias addere conſtituiſſe; meque ad hoc, quæ ex Antonini tertia parte haberi potuerint, excerpta illi tradidiſſe. Hortatus itaque me eſt, ut de hoc ipſius inſtituto denuo ad te ſcriberem; ac quodnam eſſet tuum ea de re conſilium expeterem. Nam ſeculum illud decimum quartum, in quo deſiere Centuriatores, adeo jejunum à nobis deprehenſum eſt, ut poſt Occam, vix ſecundum inveniamus, ex quo, quæ Eccleſiaſticam doctrinam concernunt excerpamus. Novimus Wiclefi eſſe ea tempora: verùm cùm ne in ipſa quidem Angliâ, quidquam nuper de illo, ſive indagare, ſive corroſare quiverim; quid deinceps ſperemus incertum eſt. Relatum fuit ibi terrarum, à præclaræ eruditionis Theologo; Anglum aliquem, qui hodieque in vivis, univerſam Wicleſi hiſtoriam conſcripſiſſe, ſed vernaculâ, neque tamen illum hactenus, abs Typographis, editionem impetrare potuiſſe. Quod ſi Clariſſ. Vir, tuas aliquas notas, in dictas illas Centurias, aut concinnatas habeas, aut concinnare velles; equidem non ſolum rem præſtares omnibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſis gratiſſimam; quippe, qui norunt, quantum tibi, tùm in Theologia, tùm Hiſtoria, univerſa Reſpublica Chriſtiana, ac literaria, tuo merito deferat: ſed & ſi illaſdem ad nos permittere tibi videretur, omnino daturi eſſemus operam, ut Appendicis in modum, fideliter præcedentibus tomis annecterentur. Præter iſta, percipere etiam ex te optârim: ubi, & quando, & quo ordine in lucem prodierint, Excellentiſſ. D. Salmaſii, de Eccleſiis Suburbicariis libri? Nam ab eo tempore, quo mihi Heroem illum, ejuſque ſcripta tantoperè commendaſti; ſedulò inveſtigare utrumque ſategi. Alterum proceſſit. Nam Lugduni Batavorum, alloquium, aut potius colloquium, ad unam atque alteram horam, ſumma ejus humanitas mihi indulſit. Inde deſiderium operum ipſius multo intenſius me inceſſit. Lugduni fruſtratus aliis, quàm quæ ibidem impreſſa eſſent, (ut liber de Uſuris) pro cæteris, Lutetiam ſum remiſſus, ubi primitus procuſa fuiſſent. Eo poſtquam veniſſem. De Eccleſiis Suburbicariis, præter Euchariſticon ad Sirmondum, nil aut exhibere, aut indicare poterant. In hoc Euchariſtico, deprehendo mentionem Epiſtolæ, ad amicum, Cenſuræ, & aliorum, quorum nunc memoriam non recordor: libro autem ad amicum amiſſo, revidere nequeo. Itaque niſi ſuggeras editionis cujuſque locum, & Typographum; ubi inquiram? Invitus poſthac carebo iſtis. Noſtris omnino omnibus, & Bibliopolis, & aliis magnum Salmaſii nomen inauditum: niſi uni, qui recenter Lugduno veſtro rediit. Tandem obnixè rogo, Clariſſ. D. Barlæum, vicinum tuum, haud gravatim meo nomine plurima ſalute impertias: ejus Præſepe Chriſti, abs te mihi indigitatum, tandem Hagæ-Comitis inveni, magis nunc cupio, & alia ejuſdem inſpicere opera. Illud prætertim, quod deprædicas Grammaticæ tuæ, lib. 1. cap. 3. fine. Neſcio tamen, typiſne deſcriptus, & publicatus, huc uſque fuerit. Saluto familiam tuam dilectiſſimam, ac nominatim in eâ, DD. Matthæum, & Gerhardum, (ſi probè recordor nominum) filios tuos; quibus mea officia promptiſſima offero. Si tamen quid reliquum habeam, quod tibi, tuiſque offeram, ac non verius debeam; ſum enim, maneoque,

Tibi, Vir celeberrime,

Baſil. 12 Mart. ccIↃIↃcxxxix.

*Tuiſque cultu, ac officiis, addictiſſimus,*

JOAN. RODOLPH. WETTSTEIN, F.

CCCCLXVI.

## CCCCLXVI.

## Joanni Meurſio,

S. P.

*Quòd in operibus ejus excudendis tàm longas typographi moras nectant, & ipſe valde indignatur. Quid etiam Danicæ hiſtoriæ exemplaria retardet, quid item in republica literaria agatur, & qualis Salmaſio lis à Vorſtio mota ſit, carptim recenſet. Mittit Gronovii literas cum faſciculo obſervationum, auctoremque de meliori ei commendat.*

MAle me, præclare Meurſi, habet, quod Blauwii fratres poſt patris exceſſum ſic moras nectant in excudendis tuis; licet jam ſextus ſit annus, imo ut reor ultra, ex quo & parens ipſe & filiorum natu maximus editionem eorum ſponte promiſerant. Nunc prætexunt parentis exceſſum cur differant. Quippe negant magni aliquid ſe poſſe ordiri, niſi de erciſcundo conveniret prius inter liberos qui ſeni numero, ex quibus duo duntaxat ætate aliis ſuperiores rem Typographicam ſuis curaturi impenſis, ac vel commodis vel damnis. Atqui ut audio, longe maxima hæreditatis pars conſiſtit in iis, quæ hoc artis & mercaturæ genus ſpectant. Uti ſunt immenſa pene librorum copia tot linguarum, tam varii typi ænei, tabulæ pene innumeræ ex eodem ære, partim terrarum ac marium, partim illuſtrium virorum, herbarum, & aliorum id genus deſcriptionem vel figuram continentes. Equidem metuo ne tam facile conveniat inter hæredes, dum hi æſtimabunt iſta minoris, magno alii: nec vel inter arbitros tam facile componuntur talia. Siquidem Mercurialibus leve diſcrimen inter animam & nummos. Hac propter metuo ne ſpiſſe hoc negotium conventionis procedat; ac ſi expectandum ſit donec inter eos fuerit confactum, diu tibi mihique fieri fucus poſſit. Quamquam non ignorem eos dicere propediem eam rem compoſitum iri: nec dubium ipſimet quin longe melius res ſuas intelligant. Credamus igitur illis. Verum aliud ecce: negant tua ſe poſſe ordiri priuſquam abſolverint commentationes meas de Idololatria, ſive de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana. Cur vero, inquies: videlicet quia non ſufficiant ſibi characteres ad tua excudenda in quibus tot Græca intercurrunt, niſi vel paratus ſis, ut prodeant minutis illis oculos pene ſuffugientibus, talibus fere, ſi non iiſdem, ac filii mei Iſaaci notæ in Scylacem prodierunt: vel ego ſinam ut labores mei de argumento ante memorato in annum unum alterum differantur, quod ego ſi perpeti velim, non ſimiliter ſe animatos fore, ob certiſſima damna quæ eos maneant, præcipue opere jam pene ad finem perducto. Quid agamus, vir optime & amiciſſime? Ego qui te fratris inſtar dilexi ſemper, vim illis hac parte facere non poſſim, vix etiam iſtoc ſi poſſim velim, quia jam undique vix ſine populo ab ignaris occupationum mearum magnopere accuſer, quod extremam imponere manum tabulæ neſciam. Attamen niſi aliter viſum tibi fuerit, ſimulac mea lucem aſpicient, non patiar quantum in me erit ulla tuis prævertere ſed noſtris; nam & hoc noſcere tua intereſt, non poterit coronis imponi, ſi forte ante Solſtitium, ſaltem non ante Kal. Junii. Hæc cura prope anxia perſcribere ad te volui, quia non ignoro quam mecum fœtus proprios ames, & ætatem etiam tuam vergere cogites ſubinde: ſimul etiam metuerim, ne Blauwius forte, quem ut ad te ſcriberet rogavi, Mercuriali more fucum quodammodo faceret literis ſuis. Tu utriuſque lecta epiſtola melius ſtatues quod ex re ſit tua. Equidem poſt ceſſationem adeo diuturnam nunc quoque expectandum cenſeo, donec mea produxerit ad umbilicum, tum etiam ſi idem eſſe volet qui fuit ſemper, cum alio alia credo ineunda erit via. Quamquam, quod de mulieribus conjicio, ait, id de hoc hominum genere (etiam illam melioris notæ quale illud, quicum negotium nobis) merito dicere liceat, in eodem omnes videri ludo doctos, ſi non ad malitiam, ſaltem ad lucrum, cum alieno etiam diſpendio. Nunc ad aliud venio. Hiſtorici operis tui nullum hactenus exemplar accepi, nedum Mylius, vel amicorum alii quibus ea à me mitti voluiſti. In cauſa eſt quod quamdiu needum inter hæredes Blauwicos eſt conventum, minime conducibile exiſtiment exemplaria his terris illa in hominum manus venire, ne ſuſpicio oboriatur, intercepti commodi ex libris divenditis. Quam vellem ne facilem adeo te præbuiſſes literis ad Blauwium proximis! ſimulac cognovi te, iis etiam annumeratis exemplaribus quæ inter amicos hic diſtribui cuperes, necdum accepiſſe xx. hominem pro jure meo increpui ac negavi pauciora debere quam XXXVI. Proinde ad te XVIII. mitti oportere. Ille cum hoc haberet χρεοφύγετον temet literis tuis acquieſcere, ſi ſena mittantur exemplaria. Pertendi ego, neſcire me, quid ad ipſum ſcripſeris, ſed probe ex iis, quæ ad me exaraſſes, perſpectam habere ſententiam tuam. Quocirca ſi non poſſim impetrare æquam, ſaltem mediam inſiſteret viam, nec pauciora mittat duodenis. Et ita diſceſſi; ut facturus videretur. Quod ad Academiam attinet Leidenſem, in ea non ſine magno rei literariæ diſpendio deceſſit vetus collega noſter Petrus Cunæus: ac paulo poſt ejus obitum uxoris etiam conſecutus. Oratione ei parentavit Vorſtius: verſibus autem complures. Opinio multorum eſt, ejus in locum ſucceſſurum eſſe Jacobum Gothofridum J. C. Dionyſii filium, Syndicum Genevenſem; ſaltem literis Curatorum Leidenſium ei profeſſio eſt oblata. Sed heſterna die ex filio Iſaaco Leidâ redeunte, cognovi eos quibus is notior deſperare propemodum. Sunt qui ſermonem injiciant de Ampliſſimo Simone Beaumontio, Middleburgenſis prius Reipub. nunc Roterodamenſis Syndico, qui intermedio tempore inter Proceres ut vocant generales fœderatæ Belgicæ fuit; aiunt non abhorrere ab hoc profeſſorio ac tranquillo vitæ genere. Sedenim vix fore arbitror, ut in eo vocando conveniant Curatores & Conſules; ſcis quas ille partes ſecutus ſit, ſciſſa ante annos viginti Rep. noſtra. Jam mihi cum uno Profeſſorum Leidenſium ſermo fuit qui id fore negabat. Vides manere magnam partem malignitatem temporum, quæ te meque & tot bonos vexavit immerentes. Ariſtarchus ſive potius exercitationes Sacræ in N. T. quibus ſcis Heinſium diu noctuque incumbere, vix intra menſes duos vel tres juris erit publici. Utinam quoque divulgaret; quæ ejuſdem argumenti elaboravit Joſephus Scaliger: ſcis enim ſummum virum multum in eo deſudaſſe; ſed edere ſua auſum non fuiſſe quia in multis non à Beza modo, ſed aliis etiam à noſtris diſſideret. Salmaſius poſt excuſum prius de uſura volumen, nunc in alterum incumbit, in Simplicium quoque animadverſiones edit. Vorſtius parat ſcribere adverſus ea, quæ Salmaſius ſcripſit in exercitationibus Plinianis ad Solinum, ubi in eo totus eſt uti doceat Saccharum veterum eſſe à noſtro diverſum. Hanc Salmaſii opinionem erroneam exprobravit ei Vorſtius in convivio multis præſentibus, ac poſtea quoque apud amicos eandem improbabat: popoſcit igitur Salmaſius ut publice refelleret. Id ſe iis facturum promiſit. Cæterum recepit Vorſtius, ſe amice cum eo acturum, non ut multi nunc ſolent è Theologis, aut Criticis; Argumentum enim de Sacchato nihil niſi dulce exigere, ſane amarorem omnem & animi & ſermonis adverſari. Primus quod ſciam hanc controverſiam movit Joannes Menardus Ferrarienſis in Epiſtolis medicinalibus, eumque in Paradoxis Medicis eſt ſecutus neſcio an gentilis, ſaltem cognominis mihi Leonardus Voſſius, ſeu ut ipſe ſcribebat Fuchſius. Verum Salmaſius novis opinionem eam argumentis ſtabilire eſt aggreſſus. Mitto ad te literas Gronovianas cum faſciculo inquo obſervationum ejus libri. Juvenis eſt integræ vitæ, & ingenii acumine, doctrinaque pollens, dignus planè amore tuo, & omnium bonorum. Miſi antehac ad te Epiſtolas Caſauboni, in quibus & illa comparebunt ad te exaratas, quas hoc fine, ut ederentur, miſeras mihi. Inter quatuordecim dies iturus Gronovius in Gallias. Quare ſi quid ei ſcribere voles, (velle puto, quia id præclaræ dotes ejus merentur) ad me literas mittas; quia

cum

cum ſuis procuraturus tuas, ſimul etiam quibus tibi reſponderit, forem miſſurus. Scylacem Caryandenum Iſaaci filii mei tandem vides. Quod mitto exemplar unicum eſt, nullum in ædibus ſupereſt, alioqui alterum ad D. Stephanium addidiſſem, ſed Blauwius non perpetitur ulla ex ædibus ſuis exire priuſquam conventum ſit inter hæredes. Et vix illud quod mitto potui impetrare. Collegæ tuo, ampliſſimo Doctori Chriſtiano Matthiæ ſalutem dices plurimam. Dolet quod non uti decreram una cum doctiſſimo Fiſchero conviviolo excipere licuerit. Etiam ſalute imperties Dom. Laurenbergium. De Dom. Stephanio addiderim, niſi ad eum tranſmitterem hoc tempore exemplum literarum quas per mercatorem Suecum nuper mittere ſtatueram paucis poſt diebus, aut per alium, Germanum natione hominem doctum & ut putabam fidum. Sed metuo ne acceperit; & fortaſſe ne tu quidem eas quas tum ſcripſeram. Uxor tuæ conjugi, filio, filiæ ſalutem adſcribi juſſit.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxix. xiii. Kal. April St. V. — *Tuus totus,* G. J. VOSSIUS.

---

## CCCCLXVII.

*Viro Clariſſimo*

### Gerardo Joanni Voſſio,

In Academia Lugduno Batava Profeſſori digniſſimo,

S. P.

*Ad reſponſum Voſſii de loco quodam Euſtathii quo Dianam Triglam nuncupatam aſſeruit, breviter quædam reponit.*

JAm vir es, mi optime Clariſſimeque Voſſi, qui rogatus à me, ut ad illuſtrationem Idoli Vandalorum, quod illis tricipiti vertice, Trigla dictum, locum mihi & verba Euſtathii, qui ad manus non eſt, ſuggereres, quod is Dianam etiam Triglam nuncupatam, ut volunt, aſſeruerit; tu non modò Euſtathium, ſed & plures adducis, qui Dianam tricipitem deſcribunt. Quibus, (ut ſunt hæ literæ noſtræ humaniores dico, inexhauſtæ propemodum, ut eruditionis, ita & diſquiſitionis) addi & alii idem dictitantes poſſunt, & inter Græcos Ariſtophanes, & Lucianus, & præter etiam hos, Burdigalenſis Auſonius, qui in Ternario ſuo, verſum Maronis ſic expreſſit:

*Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.*

Sed quod erat præcipuè in quæſtione, Triglam etiam Dianam appellatam non dicunt. Et ut redeam ad Euſtathium, ejuſque verba quæ adducis, nec ille iis Triglam Dianam nuncupatam ait, ſed ſacrum fuiſſe Dianæ Triglam piſcem, qui Latinis Mullus appellatur. Cur autem illi ſacer fuit? An ut vult Chariclides à te laudatus, quia Triglis, ſive Mullis Hecate delectabatur? Et iterum cur delectabatur? An quia apud inferos, quod Eraſmus habet, Hecatæ cœna vilibus piſcibus, ut erant Mænides, Triglæque, perficiebatur? At Eraſme doctiſſime, Triglâne ſive Mullus, adeo tibi vilis, qui, teſte, apud Macrobium noſtrum, Sammonico, ſeptem millibus nummûm Romæ divendebatur? Quod autem Athenis locus fuerit, Trigla dictus, & inibi Hecatæ ſimulachrum, cum inſcriptione *Hecata Triglathena*, hic an *Hecata Mullo Minerva*; an ut legiſſe videtur Eraſmus, *Hecata Triglatina* reddendum, ecquis docebit? Jam quas adducis notationes, & quod ſimile aliquid ſonet, *Trigla* cum Τριοδίτη & *Trigone*, quis illa ut vera etyma probabit? Sed mitto hæc haud fortaſſe magis expedienda nobis, quam Grammaticus ille, qui cum omnes ſolvere poſſet, ut refert Suetonius, quæſtiones, unum difficile expediebat nomen. Interim clarum certumque eſto, amari à me Voſſium, & id ut mutuo fiat, porrò ſemperque optare. Hæc ad egregium illud doctumque reſponſum tuum, ſuper quæſito de loco Euſtathii meo; ſed Laconicè & è lectulo: nam ad Muſas, Muſæumque reſpicere, quomodo in afflictiſſima hac valetudine poſſem?

Hardervici, 23 Mart. 1639. — T. JOH. ISACIUS PONTANUS.

---

## CCCCLXVIII.

### Auberto Miræo,

### Gerardus Joannes Voſſius.

S. P. D.

*Pro luculento Chronici Belgici dono gratias agit, qui falſus de morte ejus rumor fuiſſet, exponit. Hoſtimenti loco ſuos de Hiſtoricis Latinis libros pollicetur.*

MUltum tibi debeo, Reverende atque eximie vir, pro luculento Chronici Belgici dono: quo longe plurima & me doces & doctiſſimum quemque. Quod ipſum de monumentis aliis tuæ dixero induſtriæ; utinam vero, mox à literis tuis acceptis, qualecunque mittere ἀντίδωρον licuiſſet, videlicet commentationes noſtras de Hiſtoricis Latinis: in eo cum totus eſſem, ecce nuncius Leida adfertur, ad meliorem te vitam avocatum. Dolui vehementer ſtudiorum vicem, de quibus hactenus præclare adeo meritus es, ac mereri porro non ceſſas, ſed tamen ſuſpectior paulo is nuncius erat, utcumque commercium ſibi literarium tecum intercedere dictitaret; videbar mihi & in aliis vanitatem hominis comperiſſe, vel ut mollius dicam, nimiam credulitatem. Proinde Typographo noſtro Blauwio in mandatis dedi, ut id exquireret ex Typographis Antwerpienſibus, quibuſcum ſibi negotium foret. Res erat facilis: ſed nimis ſe in eo negligenter geſſit. Demum ex Clariſſimo Plempio (id pauculos ante menſes fuit) cognoſco lætiora omnia. Petii igitur ne Lovanium hinc abiret ſine literis ad te meis & volumine noſtro hiſtorico. In hoc morem ſe geſſurum promiſit. At abunde mihi perſpectus viri candor, etiam amor, quo complectitur utrumque noſtri. Tamen ſive ab amicis, quos hic plurimos habet, ſive aliis occupationibus detentus, facere neglexit. Gaviſus igitur ſum cum Lambertus Voſſius vir ornatiſſimus diceret, & tecum ſibi notitiam eſſe, nec pauca de virtutibus tuis prædicaret. Avide igitur, hanc occaſionem apprehendi meis te compellandi literis: ſed exemplar quod mittere animus fuerat, cum vellem maxime non potui; unicum filii Matthæi habebamus, in quo nihil eſſet exaratum, id in morbo nupero quo ante menſes paucos diutiſſime decubuit ei ſurreptum videtur. Miſimus igitur ad Typographos hujus civitatis, ſed nullum in ullius officina comparet, nec Leidenſis ipſe editor ullum præterea obtinet; tamen opera dabitur ut ab aliquo amicorum quodpiam nanciſcar; nolim enim ingratus cenſeri. Hoc duntaxat ſcire te velim, urgeri me undique ad editionem novam in qua non levis erit acceſſio. Nunc ſub manibus habeo grande opus de Theologia gentium & Phyſiologia Chriſtiana. Plura nunc nequeo, quia abitum urget eruditiſſimus Voſſius.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxix.
iv. Kal. Aprilis.

CCCCLXIX.

CCCCLXIX.

## Erycio Puteano,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P.

*Inſtituto de ineditis ejus epiſtolis divulgandis applaudit, pariterque hortatur, quæ affecta vel confecta habeat, ut proferat. Matrimonium liberis ut felix fauſtumque ſit, amici precatur.*

JUcundum mihi, maxime Puteane, fuit & nuper ex Clariſſimo Plempio, & nunc ex doctiſſimo Lamberto Voſſio cognoſcere de proſpera valetudine non tua modo ſed familiæ univerſæ. Quod vero diceris cogitare de Epiſtolarum tuarum ineditis hactenus divulgandis, id eo mihi gratius eſt, quod nemo paulo humanior ignoret te in venuſto hoc floridoque dicendi genere, plane regnum tenere. Interea omnes tui nominis amantes vehementer hoc cupimus, ut excuſo hoc opere, quod multum ad ornandam eloquentiam facturum nemo dubitat, denuo recurras ad ea, quæ ſi non confecta, ſaltem affecta habeas in Matheſi, Doctrina civili, Hiſtoria vel externa vel ſacra: in quorum ſingulis valere te plurimum abunde comprobaſti, ingenii doctrinæque monumentis, quæ jam in omnium prope bibliothecis viſuntur: nimirum nihil vel tibi honeſtius, vel publico utilius eſſe poterit, quam ſi hac varietate labores tuos diffindas. Atque ita pietatis, prudentiæ, eloquentiæ, & nos & poſteritatem, pabulo paſcas. Hanc in ſcribendo libertatem meam, ut in bonam capias partem, non eſt animus rogare. Novimus alter alterum à pueris, ut in facilitate tua, & amicitia noſtra, abunde habeam fiduciæ. Intelligo quoque cum filium tuum, tum filiam itidem, par liberorum ſuaviſſimum, connubium contraxiſſe ſe dignum, planeque ex animi tui ſententia, quo nomine haut ſecus gaudeo, ac ſi ſanguine juncti mihi forent. Quæſo hoc iis meo nomine ſignifica, omnia me eorum nomine velle ac Deum rogare ut matrimonium utrimque bene iis vertat, teque ac domum tuam nepotibus ac neptibus augeant avitæ virtutis æmulis. Mittit ad te filius Iſaacus Scylacem ſuum, quem gratum fore confido, & ob antiquitatem Scriptoris, & ob bonam ei operam impenſam ab amici filio, qui paterno exemplo te ſciat æſtimare.

Amſtelod. cIↃ IↃ cXXXIX.
IV. Kal. Aprilis.

CCCCLXX.

## Hugoni Grotio,

Regni Suecici ad Regem Chriſtianiſſimum Legato.

*Meurſium gravi adeò morbo affligi, ut jam Medici deſperare incipiant, cum mærore refert.*

*Illuſtriſſime Domine,*

VIncentio Fabricio per Angliam in Gallias tendente, una cum adoleſcente Patricio Hamburgenſi, cujus ſtudiis præeſt; facile perſpexi, vix duos intra menſes meas tibi reddi poſſe literas. Nolui tamen illum ſine illis dimittere, præſertim cum ipſe urgeret, ut ſaltem minutum aliquid exararem, & iſtiuſmodi, ubi in mora nihil foret periculi. Eo autem lubentius morem geſſi, quia amavi juvenem, ob animi candorem & egregiam doctrinam, quam ex Poëmatis ejus, & fortaſſe etiam literis jam videris. Simul illud etiam, quum me omni officiorum genere ſibi demerendum putarit. Equidem & ipſe etiam, ſi qua poſſim, ei benè faxim lubens, ſed nunc non alio gratificari poteram, quam paucula ad te ſcribendo. Cæterum intra paucos dies de aliis fuſius tecum loquar, & quæ magis ad nos pertineant. Nunc illud cum dolore referam, utriuſque noſtri amantiſſimum Joannem Meurſium (quemadmodum ejus Collega Sorâ Danorum ad me ſcripſit) graviter adeo morbo decumbere, ut jam Medici deſperare incipiant: ſcis calculo ſemper fuiſſe vexatum. Nunc vero etiam urinam emittit planè purulentam, ulceris in renibus, vel viſceribus indicem. Ita paulatim imminuitur numerus eorum qui literas colunt. Quando me quoque Imperator meus arceſſere hinc velit, ſcis me ſcire juxta cum ignariſſimis, ſed tamen minimè terret annus quem jam ingreſſus ſum Climactericus. Puto nec Chriſtiano homine indignum eſſe illud Bilbilici vatis, ſummum nec metuas diem, nec optes. Ego vero etiam optarem, niſi cura meorum tangeret, & voluptatis non parum caperem ex eo, quod mihi videar de pluribus benè mereri. Hoc quodammodo divinum videtur, ita divini planè beneficii eſſe agnoſco.

Omnis mea domus, te, Heroinam lectiſſimam uxorem tuam, & liberos plurima ſalute impertit.

Amſtelodami, cIↃ IↃ cXXXIX. XVIII. Kal. Maj. quo die deſita Legis ſervantes Judæos, Amſtelodami video celebrare primum Azymorum.

*Tuus æternum.*

CCCCLXXI.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori digniſſimo.

*Librum de Sanctorum reliquiis, aliiſque antiquis monumentis illi à Cocco deſtinatum mittit. In vaſto Roſweydi de Sanctorum vitis, opere ordinando, deſudare ſe dicit, eluctari tamen, Januario jam ſub prælo fervente, lucemque ſibi de Hiſtoricis commentaria ſæpè præbere, quorum iteratam editionem exoptat.*

*Clariſſime Domine,*

SEſquiannus eſt ferè, cum ad exemplar libri recens in Hiſpaniâ excuſi, de neſcio quibus ſanctorum reliquiis, aliiſque antiquis monumentis, miſit Laurentius Cocchus, Vir humaniſſimus, qui Senogallienſi Epiſcopo, Pontificio Nuntio à ſecretis eſt; alterumque addidit exemplar, ad D. T. deſtinandum; ſed non prius quam literas adjungendas dediſſet. Eas tandem à paucis diebus accepi, ſive oblivio obrepſerat, ſeu quæ illum avocarant curæ. Eâ nunc utor occaſione, D. T. ſalutandi, offerendique ei obſequium meum. Notus opinor, Dominationi tuæ, fuit Heribertus Roſweydus. Et vaſtum opus, de ſanctorum vitis, meditabatur, collegeratque jam plurima, nihil adhuc digeſſerat, cum eum mors, anno ætatis 60 oppreſſit. Ne fruſtrà ei labor ſuſceptus eſſet, adjeci ad ea, quæ congeſſerat, ordinanda animum. Chaos eſt vaſtum, præſertim ob medii ævi barbariem. Eluctor quà poſſum. Sub prælo mihi jam Januarius ſudat, qui duos tomos haud ſanè tenues, complectetur. Lucem ſæpenumero mihi doctiſſimus tuus, de Hiſtoricis commentarius, præbet. Audieram eum recudi, avidéque id expetebam: præſertim, quod pleraſque vitas, poſſe te certo authori tribuere, D. T. pollicetur. Optem id profectò, & lubens quos obſervaro authores ſuggeram. Vitarum vetuſta probataque exemplaria MSS. quæ Dominationi tuæ ſint ad manum, non vulgo trita, ſi indicârit, beneficium agnoſcam, & lubens quo licebit, obſequio munerabor. Vale Vir Clariſſime.

Antwerpiæ, 20 Aprilis, 1639.

*Clariſſimæ D. T. ſervus in Chriſto,*

JOANNES BOLLANDUS, è Societate Jeſu.

## CCCCLXXII.

## Joanni Skyttio.

*Vitam filii perhoneſtam, & non aſpernandos in ſtudiis profectus, contra fœdam calumniam, Illuſtr. Parenti confirmat.*

*Illuſtris Domine,*

AD aures meas pervenit, ſic relatum tibi eſſe filium tuum in ſtudiis quorum gratia huc miſeras, plane eſſe ſocordem ac negligentem, & quod ad vitam, inutiliter pecunias abſumere: ac præterea ne Eraſtum quidem, quem illi Ephorum dederas, ab hoc crimine eſſe alienum. Hic nuncius horrendum in modum utrumque horum perculit. Filius tanto cum mœrore mihi ea retulit, ut prope à morbo ei formidarem. Nec tamen me ipſum leviter ea res affecit. Sane filius in vicinia noſtra habitat, ædes vix lapidis unius jactu à meis diſtat, omnes perhoneſtè de eo ſentiunt & loquuntur: ebrium nec ego nec domus meæ quiſquam conſpeximus. Nec vel jurato facile crediderim, fuiſſe unquam in lupanari, vel cum ſcortis gnarum leves etiam ſermones agitaſſe. Quare Illuſtris Domine, mirificas iſtas ſuſpiciones de animo tuo depone. Siquid iſtorum foret, Voſſius tuus non ignoraret. Ad Eraſtum vero quod attinet, tantum abeſt, ut ulla in re violet pietatem, ut potius ſuperſtitione aliqua in alteram partem peccare videri poſſit. Interea dicere non poſſum, an non paullo faciant majores ſumptus quam voles. Multum intereſt, quo pacto quis filium velit vivere. Non idem hic parentes ejuſdem etiam opulentiæ ac dignitatis ſentiunt. Hic tuum eſt legem præſcribere juxta quam ſeſe componant. De nullo vero æque conqueritur filius tuus, quam quod multo carius omnia, quam alii emere cogatur. Nempe qui pannos ei divendunt aut veſtes parant (& par aliorum ratio) non pretio exigunt, quale ab aliis parata ſolventibus pecunia, ſed ut uſuram ſorti annumerent: quippe qui ſpe ſolum ſolutionis vivant. Et nuper non defuit, qui credere nihil vellet ultra, niſi pro eo ſponderet filius. Hæc alteri dictabam in ſummis calculi doloribus, qui hocce anno climacterico meo (ſexageſimum enim tertium ſum ingreſſus) excruciare me cœperunt. Plura adderem, ſi dolor ſineret. Sed ſi Deus permiſerit, ut iterum eſſe incipiam, qui antea fui, fuſiùs de omnibus ſcribam. Nunc ſic habe, & vitam filii eſſe perhoneſtam, & non aſpernandos in ſtudiis, dum hic eſt, præcipue in univerſa Hiſtoria, progreſſus feciſſe. Mihi nec ſeritur nec metitur. Sed officii mei putavi ut tam fœdæ calumniæ occurrerem. Eadem exiſtimavi me rem facturum gratiſſimam, ſi opinionem, quæ ſine dubio vehementer te pungeret, animo tuo evellerem. Deus Opt. Max. te & omnem familiam tuam diutiſſime proſperam ac ſoſpitem conſervet.

Aliena manu hactenus: hæc mea ſubſcripſi.

Anno Chriſti, cIↄ Iↄ c xxxix, xi Kal. Jun.

*Illuſtriſſimi nominis tui devotiſſimus cultor,*

G. J. Voſſius.

## CCCCLXXIII.

## Georgio Ratallero Doubletio.

*Epiſtola eſt conſolatoria. Subjungit ſua etiam mala, quæ annus climactericus ſibi attuliſſet.*

*Nobiliſſime, Ampliſſimeque Vir,*

LAcrymas non tenui, cum ex ornatiſſimo Heemskerkio noſtro de triſtiſſimo caſu tuo cognoſcerem. Nec interim mihi tam quicquam ſolatio fuit, quam animi tui conſtantia. Sic enim omnem hactenus vitam compoſuiſti, ut quotquot te novimus, poſſidere credamus benè præparatum pectus ad adverſa quæque ſubeunda. Gravis Auſter te perculit: ſed non ut bonæ mentis naufragium facias. Gemina anchora jam à puero fundaris, Princeps illa Chriſtianæ Religionis, cujus teſſera eſt patientia. Hac intravit Chriſtus ipſe ad gloriam, ad cujus exemplum vocati ſumus, nec patimur ſine voluntate Dei; qui ſolus novit quid expediat nobis, hæc & tot alia ex chartis Apoſtolicis, animo occurrant tuo; quæ ſolidum ſolatium præſtabunt. Nullus Medicus tam benè ægræ menti medebitur, quam cœleſtis ille, verbo & ſpiritu ſuo. Vulnus facit, ſed & medicinam. Quare ſi dolor urſerit vehementius, juvet alioqui Deum, nec alteram illam aſpernari anchoram, & longo à priori vincitur intervallo. Præcepta inquam, & exempla quæ omnis nobis ſuppeditat Hiſtoria, & Socratica Philoſophia. Sæpe à Seneca, & Epicteto, ejuſque Interpretibus, cordatior ſum regreſſus. Turpe putabam, ſi εἰ ἔξωθεν, vincerent hominem à pueritia Chriſto ſacratum. Quicquid erit, dum dolor recens, avocandus ab ea parte, qua dolet, hoc ratio nunc efficiat: Cætera præſtabit dies, quæ multum etiam poteſt in inſipientibus. Quod ad exequias me vocas, affectum tuum video, de quo nunquam dubitavi; ſed à feria quarta hebdomadis Paſchalis, cum morbo conflictor hactenus. Primum me vehemens tertiana afflixit: ſed vix octiduum duravit; mox colici excepere dolores, iique peracerbi; nec multo poſt exeruit ſe nephritis, quæ dies, noctesque me cruciavit. Nunc dolor multum remiſit. Virium tantum, ut etſi pedes extra ædes ponere non ſuſtineam, tamen in Muſeum quaſi pertreptem: quique antea vel duodenis in ſtudiis horis par eram, nunc binæ ſufficere incipiunt: Interea multum metuo, ne nephritis me, per omnem vitam comitetur, grave malum, & una cum arthritide doctis perfamiliare, in ſenio præſertim. Sic beavit me hic annus Climactericus: id jocoſius in re ſeria dictum judicabis; ſed enim vere adverſa nos beant, quia ad vitam præparant beatam. Non ultra teneo te. Nam cum has accipies, occupatus exequiis, ne his quidem legendis fortaſſe vacabis; ſed leges cum poteris. Claudam iſto epiſtolam Ὦ φίλτατον κάρα, cum cariſſimo Chriſti diſcipulo uterque recumbamus in ſinu Domini. De Velleio cras literas à Gerardo meo habebis; nunc iſti ſimul ac tuas acceperam, volui reſpondere. Uxor, & omnes mei, te, ſocrum, & affines, mecum ſalutant plurimum.

cIↄ Iↄ c xxxix. xxiii. Maji.

*Tuus æternum,*

G. J. Voſſius.

## CCCCLXXIV.

## Hugoni Grotio

S. P.

*Climactericum quemque annum infeſtum ſibi fuiſſe obſervat. Salmaſium convaleſcere, Meurſium cum gravi conflictari morbo, narrat. Opus ſuum de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana ſpiſſè procedere, ægrè fert, quid de Gratiano futurum, vix ſe videre profitetur.*

VErna hac tempeſtate, Illuſtriſſime Domine, ingreſſum me ſcias κλιμακτῆρα ſeniorum, tertium & ſexageſimum, quem ajunt advenire cum periculo interitus vitæ, vel morbi gravioris: Non ut puto, præciſè, ob numeri vim, ſed propter qualitates inditas naturæ. De me quidem illud dicere habeo, ex ſeptimis quibuſque, nullum non mihi morbum apportaſſe, præterquam ſextum, hoc eſt ætatis meæ, ſecundum & quadrageſimum. Credo animi ægritudinem ſufficere tum ad me affligendum, divina bo-

nitas putavit. Erat enim is annus, ſeculi hujus vigeſimus; quo quot adverſa pertulerim à malis, quam triſtia conſpexerim in tot bonis, imo ſummis, & viris, & amicis, apud nullum minus exponi opus quam te, qui vel ſolus utramque feceris paginam. Sin corporis potius morbos attendero, non alius mihi annus infeſtior fuit Climacterico quarto, ſive ætatis duodetrigeſimo. Nam ſi quicquid morborum, vita pertuli univerſa, in unum confletur, vix puto æquarit, unum illius anni, tam gravem, ac diuturnum morbum; quem mox excepit mors conjugis, itidem octavum & vigeſimum annum agentis. Septimus Climactericus mihi attulit Arthridem, quæ & poſtmodo, me ſemel iterumque magna vi eſt adorta. Nunc ab quadriennio circiter, immunis fui, credo, diætæ beneficio, & ratapotiocum, quibus hebdomade quaque uti ſoleo. Hoc verò ſenili Climactere, poſt quem num alterum ſim viſurus, ſolus vitæ, ac mortis arbiter novit, primum tertiana me invaſit, quem XXXV annis proximis nulla febris corripuerat, præter unam, quam uxor arbitrari ſolet profectam ab ſcurrili vexatione inimiciſſimi mihi, tibique amici, quem cum affine convivio exceperam. Nempe annus erat ſeculi primus & vigeſimus, quo nihil obloqui fas erat, ſed Spartana concoquere ſapientià, neceſſum fuit, utcumque, vel cibi, & potus reliquiis conſpurcaſſent. Sed poſt longos logos, redeo ad eum, unde cœperam κλιμακτῆρα, vix tertiana deſierat dolor me occupavit colicus, quem non niſi adoleſcens ſemel eram expertus. Hinc ſecutum eſt grave nephritidos malum, à quo mihi metueram nunquam, quia nullum mali ſignum hactenus in ſaccato illo corporis humore animadverteram. Nunc vero me duabus & ultra hebdomadibus perpetuo propemodum lectulo adfixit. Sunt tamen dies prope jam duodecim, quod ab eo videar mihi liber, cumque Muſis in gratiam redierim, ac vires etiam paulatim recipiam. Hoc tam amanti mei ſignificandum putavi, ut ſi forte, ex fratre de morbo intelligens, dolore ſis affectus, literis meis hunc animo detergeam tuo. Simul illud addo magnum Salmaſium, quem diu ſalvum, ac ſoſpitem eſſe, non paulo majoris intereſt Reip. literariæ, poſt morbum graviſſimum, nunc convaleſcere magis ac magis. In opere de Theologia Gentili, & Chriſtiana Phyſiologia, tribus jam menſibus ceſſatum à Typographo. Premitur quidem, dum diſtinetur, editione Latina Barlæanæ commentationis, de ingreſſu Mediceæ Reginæ in urbem noſtram; mox tralatione Gallica, & Belgica; ac menſe proximo, etiam morbo meo. De tuis cum Janſonio locutus ſum. Nunc ait, nunc negat. Nihil illo lubricum magis. Anguillam ajunt ficulno conſtringi folio. Hinc quo pacto teneam, vix video; ſed de iſto, jam frater, & filius, ad te ſcripſerint. Nec enim unquam huc veniunt, quin illud, ut Janſonium ipſi compellent, commoneam, filium imprimis. Jo. Meurſius periculoſè decumbit: ſcis, ut arbitror, calculo laboraſſe ab adoleſcentia. Nunc vehementius vexatur, quam antehac unquam: nec ulcere, ut creditur, veſicæ profluere illi ſolet niſi purulentus humor; ſic ad me collega ejus Stephanius, (à quo novam & longè caſtigatiorem Saxonis Grammatici editionem quotidie expectamus) ante menſem, & ultra perſcripſit, nec de vita ejus parum metuit. Vale cum omni familia diutiſſimè.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ C XXXIX,
prid. Non. Jun.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CCCCLXXV.

*Viro Clariſſimo,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori celeberrimo.

*De triſti conqueritur ſtatu, & quod in ſenecta ætate ſub paupertate, cui adſuetus nunquam fuiſſet, ingemiſcere cogatur. Commendat Parentis Chronologiam ſacram, & ut in excudenda illa adjutet, ſi quod perperam etiam ſcriptum deprehenderit, corrigat, enixe petit.*

*Clariſſ. Vir, Patrone, & Amice colendiſſime,*

Diu inter nos ſiluimus; viciſſitudine inquam literarum, non autem animorum προθυμίᾳ, atque affectu benevolo. Id tu quidem ex omnibus iis, quas ad communem amicum noſtrum, Dominum Laurentium, crebro ſcribere ſoleo, affatim intelligere potuiſti. Nunquam enim in illis, tui gratiſſimam memoriam intermiſi, neque omittere etiamnum cogito, quoad vixero. Ita totus in pectore meo hæres defixus, ut vel tædeat, vel pudeat etiam, nullum mihi ſuperare argumentum, te condigne demerendi. Triſtiſſima etiam tempora, me huc uſque ita exercitum tenuerunt, ut unde vitam ſuſtentarem, vix invenirem: prout & meis aliquot ad Laurentium noſtrum ſcriptis, ſatis ſuperque tibi conſtare arbitror. Obtuli nuper Domino Henrico Laurentio, Parentis mei τοῦ μακαρίτου, Chronologiam ſacram, quàm apud nos typis edi voluit. Sed cum in Germania, tam miſera ſit ratio Typographicæ rei, hac tempeſtate, in animum induxit, apud vos illam in lucem producere. Quo nomine mihi valde gratulatus ſum. Meminiſti, Vir Clariſſime, te antehac deſiderium tuum, hujus libri, mihi in literis explicaſſe. Nunc igitur illius compos factus es. Maluiſſem quidem apud nos, edi potuiſſe, eo fini, ut ipſe prælo præeſſem, ac mendas præcaverem. Quare cùm res nunc aliter ferat, oratum te velim, mi amantiſſime Domine Voſſi, ut manibus paternis hanc gratiam facere ne dedigneris, atque operis Typographicis, interdum ſicubi uſus fuerit, ſuccurras. Argumentum hoc ſcio, tuum ἔργον eſſe. Proinde planiſſimè perſuaſus ſum, laborem hunc Patris tibi fore gratiſſimum. Noſti quem adverſarium, dum in vivis fuit, in ſpinoſa hac materia habuerit, qui ſcilicet nimium ſibi placere ſolitus fuit, planéque ut tu alibi loqueris, ἰδιογνώμων, καὶ αὐθέκαστος, vehemens alieni nominis inſectator. Utinam ſuperviveret, & Pareanum hoc opuſculum videre poſſet? non quod placiturum credam, ſed ne in aliis quoque dona Dei deſpiceret. Tu quæſo Ἐργοδιώκτην te præbe, ac ſi quid perperam ſcriptum offendes, tuæ prudentiæ velo contegas. Quam libertatem lubens tibi tranſmitto. Spero viris doctis hunc laborem probatum iri, quo præſertim Hiſtoriæ ſuam majeſtatem, maſculè aſſertum ivit, fideique Chriſtianæ, non ex profanis, ac Gentilibus Scriptoribus, θεμέλιον ſuum conſtabilivit. De cæteris abundè ſcripſi ad Dominum Laurentium, ex quo rerum mearum ſtatum intelliges. Senſi animo liberalem Εὐεργεσίαν veſtratium: & Deum laudo. Interim ſpes melior apud nos nulla adhuc dum affulget: ſub quâ tantum non lentè conficimur. Mihi quidem in ſenecta hac ætate, nihil durius, vel acerbius, unquam accidit, quam ſub paupertate ingemiſcere, cui adſuetus nunquam fui. Eoque ſæpiuſculè fit, ut me vitæ hujus pertædeat. Sentio tamen altiſſimi benedictionem; quâ largiter me ſuſtento. Vale, Clariſſime Vir, meque amare, ac juvare perge.

Hanoviæ, anno 1639,
ad diem 3/13 Junii.

*Tui ſtudioſiſſimus,*

Ph. Pareus.



CCCCLXXVI.

## CCCCLXXVI.

## Merico Caſaubono,

S. P.

*Puritanos tantas in Eccleſia turbas excitare, multum doles. Imminutionem annuæ ſuæ præbendæ, ſi & alios damnum tangat, patienter ſe laturum, favore cauſſæ regiæ, pronunciat.*

PLurimum tibi debeo, Reverende & Clariſſime Caſaubone, quod tantum mei causâ ſumſeris laboris, ut iſta de motibus Britannicis perſcriberes mihi. Licet enim non prorſus eorum ignarus forem, haud mediocriter animum juvit, iſta ex te plenius planiuſque cognoſcere. Proderit quoque ad hoc mihi, ut majori de his fiducia ſermonem cum nonnullis feram, qui unum hoc à Regiis putant, ut Romana reducatur ſuperſtitio ac tyrannis. Sic ſolent beare eos, quibus religio eſt abire à veteris Eccleſiæ conſenſu. Papæ mancupia ſunt, qui non juniorum ſomnia præjudicio antiquitatis vitia arbitrentur. Soli ſapiunt Cathari: ſunt cæteri umbræ circumvolitantes, vel ſi quid iſtis levius vaniuſque. Equidem in hiſce turbis aſſiduè facio vota pro Sereniſſimo Rege meo & Reverendiſſimo Dom. Archiepiſcopo. Nihil boni ab iis ſpero, qui nihil penſi habent, quod dicant vel faciant, dummodo id faciat pro novellitate. Quod ad imminutionem præbendæ annuæ, ſcire aveo utrum in Collegio fratrum proportione agatur Arithmetica, ut loquuntur, an Geometrica. Nec enim æquum videtur, ut qui tanto minus, quam præſentes fructus capio, is tantundem faciam damni. Cæteroquin ſi omnino ſic ſtat ſententia, ut etiam abſentes damnum tangat, non hoc agere velim, ut præſter indemnis. Tam mihi Regia cauſa eſt curæ, ut longe majora velim propterea & velle æternum debeam. Ad neminem Summatium ſuper eo ſcribere in Angliam potui. Valde adverſatur animo moleſtiam iis faceſſere literis meis, quos ſcio Regni & Eccleſiæ negotia humeris ſuis ſuſtinere; ſed tamen videbo an vim facere mihi poſſim. Cæteroquin tam facilis eſſe ſoleo, ut omnia potius perferam, quàm ulli ſim moleſtus. Interim rectè fecerit is, qui nomine Amſtelodamenſis mercatoris pecunias meas accipit hoc tempore, quia ſemeſtre expirant, ſi ſuperiori trimeſtri nihil accepit, contentus ſit quadraginta libris Sterlingicis loco quinquagenarum. Mitto ad te Velleium filii mei. Gratum fore confido & noſtri causâ, & quia poſt ſummos viros non paucis vulneribus medicinam fecit. Hæc raptim ſcribebam: mediocriter nunc valeo. Nam jam altera eſt hebdomas quod rurſum in publicum prodeo & in Lyceo iterum doceo. Toto antea menſe cum morbo ſum conflictus, & ſat gravi; ne nunc quidem priſtinæ vires redierunt.

Plurimum ſaluta lectiſſimam uxorem, Reverendum Dominum Decanum & Collegium fratrum univerſum.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxix. prid. Kal. Quinct. St. Gregor.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCCLXXVII.

## Ludovico Crocio,

S. P.

*Scriptum ejus eò ardentius ſe legiſſe ait, quò magis illo malevolis os occluſiſſet, qui optimum vindictæ genus putent, ſi diſſentientes Socinianiſmi ſuſpectos reddant. Hortatur ad conſtantiam, ac ut moleſtias omnes ſemper habeat, veteriſque Eccleſiæ honori, recentis verò concordiæ ſtudeat, amicè rogat.*

QUo tempore, eximie Croci, tuas priores accepi, paulo poſt alteras, cum refutatione dogmatum Socini, gravi morbo decumbebam. A quo ne nunc quidem convalui prorſus: in tantum tamen, ut licet corpore non ſatis firmo, publicè tamen jam iterum doceam. In morbo autem recreavit me non mediocriter, quod non deponeres memoriam, & amorem noſtri, ac munere etiam teſtari voluiſſes, quanti me faceres. Eo ardentius, paulum remittente morbo, legi tua. Pretium operæ feciſti occurrendo illis, in quibus infauſtus ille Fauſtus, à veteris Eccleſiæ conſenſu abeundum ſibi putavit. Eadem os occluſiſti malevolis, qui, ſi quis vel digitum latum ab iis receſſerit, optimum hoc vindictæ genus putant, ſi ſparſerint eos Σοκινίζειν. Hoc in te quoque ſucceſſurum ſibi putabant. Sed in ruborem dedit nuperus ille tam bellus fœtus tuus. Verùm non ſine horrore dico, ubi mendacii, & calumniæ rei agebantur, non aliud invenere κενοφωνεῖν, quam quod dicis causâ, non ex animi tui ſententia iſtæc ſcripſiſſes. Sed illi ipſi, qui alioqui à te abirent, hoc putidius putabant. Optimus, & modeſtiſſimus quiſque, utroque, ut aiunt, pollice, extollit, quod in triſti hoc Eccleſiæ ſchiſmate, animo ſis moderato, nec defugias, quo minus illud teſteris, non obſcurè præclaris ingenii, doctrinæque monumentis. Si qui moleſtiam faceſſant, tu in eſt id ſuper habere, cui conſcientia, publicum bonum, Dei honor, pro ampliſſimo ſint theatro. Vale ut, & amice ſumme, ac quanto major veteris eſt Eccleſiæ contemptus, quantoque plures his quidem terris, (nec enim par ubique dementia) ſua omnia judicio metiuntur, tanto magis veteris Eccleſiæ honori, recentis vero concordiæ ſtudeamus; imo ſic animati, tantò impenſius amemus nos inter nos. Plurimam, clariſſimis & optimis Collegis, ſalutem meo nomine dicito.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xxxix. poſt. Kal. Quinct.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

## CCCCLXXVIII.

## Baltazari Willio,

S. Theol. Doct. & Profeſſori.

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

AMbigo, Clariſſime & amiciſſime Willi, utrum magis gaudeam, quando tuas accipio literas, hominis tam amici; an impenſius doleam, quando mecum cogito, ſic me diſtringi, ut cum paria maximè facere velim, non tamen poſſim. Solatur illud, quod ſciam, non poſſe te iraſci tam amanti tui, jam ab illo tempore, quò primùm te conſpexi Lugduni, imo erectam etiam animi tui indolem, perſpicere mihi viſus ſum. Valetudo quotidie fit firmatior, quæ menſem totum me, vel lectulo affixit, vel cubiculo concluſit. Etiam Salmaſius, ὁ πάνυ, qui graviter decubuit, magis, & magis ſibi reſtituitur. Magnum in eo damnum metuebam Reip. literariæ; ac idem mecum formidabant omnes, quos non tangit nigræ loliginis ſuccus. Pro egregio munere, non uno, quo me ornaſti, gratias ago, & meo nomine, & publico, de quo benè mereri non ceſſas. Clariſſimo Parenti, & Collegis omnibus ſalutem dices plurimam.

Amſtelod. cIↃ IↃ c xxxix. poſtr. Kal. Quinct.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

CCCCLXXIX.

## Andreæ de Naglowitz.

*Wickenfortiorum contra Witmakerum, Mercurialem cauſſam commendat.*

JAm plures ſunt menſes, Illuſtris, & Nobiliſſime Domine, quod commendatum nomini tuo ibam, negotium quoddam, ornatiſſimi, & præſtantiſſimi, Johannis Wickenfortii, verè Mercurialis pulli, quando ad inſtar Mercurii, fœliciter adeo, cum exoticarum mercium cura, ſociat jucundos Muſarum labores. Inque his nec vinci ſe patitur frater ejus Joachimus Wickenfortius, vir Principibus multis gratiſſimus. Is ob prudentiam, & merita præclara, ante duos tres menſes, è Galliis huc rediit; ſed Equeſtri dignitate auctus, à Rege Chriſtianiſſimo. Multum vero, & ego, & præcipuè Johannes Wickenfortius, imo tota domus Wickenfortia obſtringitur nomini tuo Excellentiſſimo, pro ſingulari affectu, quod rem tibi commendatam curæ tibi eſſe paſſus ſis. Nam abundè perſpeximus nihil vel à te neglectum, vel Illuſtriſſimo, nec unquam ſatis laudato, Principe Radzevilio. Quantum vero favoris in animis peperit veſtris, æquitas cauſæ; tantum ea odii excitavit, in animo, tum debitoris Johannis Witmakeri, qui propter æs alienum in cuſtodia detinetur; tum fratris ejus, negotium hoc ipſum, ut fieri ſolet, ad animum revocantis. Uterque enim nihil niſi vindictam ſperat, & ſpirat; atrocia etiam comminantur: Ut mirum non ſit, ſi haud parùm, & Domini rebus, & vitæ metuat ſuæ, negotiorum Wickenfortianorum adminiſter. Itaque Dominus ejus Johannes Wickenfortius, plurimum à me expetiit, ut alteras Excellentiſſimo nomini tuo literas ſcriberem, quibus rogarem, ut mei, & Wickenfortiorum ergo, laborem ſuſcipias ſcribendi ad Illuſtriſſimum Principem Radzevilium, & Tribunal Vilnenſe: quo miniſter Wickenfortii, in ſolo nunc agens peregrino, tuto ſecuréque res Domini exequi poſſit; nec neceſſe habeat aſſiduo eſſe in formidine, ab improbo illo pari fratrum, quod dura, diraque comminatur. Multum etiam ad iſtud conferet, ſi ſimulac res ferat, decidi poſſit. Quam ad rem commendatio tua plurimum adfert momenti, ſanè quantò celerius controverſia finietur, tanto citius ſe noſter ſubducere poſſit periculo; quod alioqui in tam vaſta, & populoſa urbe effugere, perdifficile eſt. De Nobiliſſimo filio tuo ſic habe: virtuti, & modeſtiæ litare, & ab optimo quoque amari, ac magni fieri: ſtudiis etiam non ſegniter incumbit, ut planè confidam ſatisfacturum expectationi Patris, Patriæque.

Amſtelodami,
clↃ IↃ c xxxix,
xii Kal. Aug.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor,*

G. J. Vossius.

CCCCLXXX.

## Joanni Iſacio Pontano.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime & Ampliſſime Pontane,*

AB annis xxxv. non ita graviter ægrotavi, ac omni eo tempore, quod inter Paſchæ, & Pentecoſtes ferias interceſſit. Tertiana primum me afflixit, mox colici dolores, hinc nephritis; à quo malo, per omnem vitam fueram immunis. Quid porro futurum ſit novit Deus. Illud ſcio, agere me Climactericum, quem ſenibus periculoſum aiunt, non quaſi ulla vis ſit numerorum, ſed quia Deus naturam ſic fecit, ut ad numerum, figuram, ac pondus, cuncta exequatur. Atque hoc inter alia, etiam dies critici arguunt. Nec tamen hæc eo à me dicuntur, quaſi annum hunc formidem. Etſi enim ſeptimo quoque anno mihi fuerit pejus; tamen fortaſſe jam periculo ſum defunctus; atque ut aliter eſſet, quod præcipit Martialis, ſummum nec metuo diem, nec opto. Vix tamen valetudini eram reſtitutus, cùm Matthæus denuò incidit in morbum, meo quoque graviorem: ac ne nunc convaluit prorſus. Abſque his fuiſſet, alteruter noſter, non literis modo reſpondiſſet tuis, ſed etiam egiſſet gratias, pro inſigni munificentia. Danica enim tua jam diu accepimus, & melioris quidem chartæ codicem, ut Typographo mandâras. Opus hoc plurimùm tibi famæ adſtruet. Jam antea quidem, eam tot ingenii, doctrinæque monumentis, ſat magnam pararas; quibus vel ſolis, (penè ſingulis dixeram, nec judicium id pœnitendum foret) immortalitatem nominis tui jam diu promeritus es. Veruntamen quia maligno vivimus ſæculo gaudeo tui, & literarum causâ, novum nunc tibicinem, eumque benè validum acceſſiſſe. Danicam Meurſii hiſtoriam necdum videris, ea intra dies, paucos diſtrahetur publicè. Hactenùs ſoli amici, quibus donavit, exemplar habent, iique perpauci. Mitto nunc ad te Velleium Gerardi mei; ſed & Scylacem Iſaaci: nunc incompactum, quod aliud hoc tempore exemplar non haberemus. Spero non diſplicituros utriuſque labores. Multa enim pulchrè iis correcta, obſervataque. Noſtrum opus quod jam diu promiſi, vix quartum intra menſem perducetur ad finem: Nam accreſcit ſub manibus. Et Typographus ſubinde, omiſſis noſtris, alia excudit: ut ante menſes duos tres, Barlæi Medicæa, cùm Latinâ tum Gallicâ & Belgicâ Linguâ.

Vale Vir & Amice optime, & nos amare perge, qui etſi tardiores in literariis reſponſis videamur: nulli tamen cedimus amore tui, cujus pro diuturna valetudine, & vita, nec ego, nec liberi, vota facere ceſſamus.

Amſtelodami,
clↃ IↃ c xxxix.
x. Kal. Sextil.

*Tuus æternùm,*

G. J. Vossius.

Ampliſſimo Brinkio, & Clariſſ. Viris, Dieſtio, & Zevecotio ſalutem dices, ſi otium, & occaſio erit.

CCCCLXXXI.

*Viro Maximo & Reverendo,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Joannes Fredericus Gronovius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

CUm aliquandiu hic egiſſem, Vir magne, incidi fortuito in Bibliopolam, qui Theſes tuas Theologicas olim recudit. Ego, ut juſſerant filii tui, expoſtulare cum eo, quod non exemplaria plura in Bataviam mitteret, conſtare cum lucro ſuo & ſtudiis doctorum hominum, qui magno ejus libri copiam redimerent. Ille unicum tantum ex omni numero reſtare ſibi ajebat, egiſſeque ideo cum Typographo, ut propediem editio repeteretur. Ut vero me audiit domui tuæ familiarium eſſe, exultabat, prenſanſque manum meam ne ipſi beneficium negarem, orabat, promiſiſſe te olim cum hic eſſes aiebat ſibi ſecundas curas, & non parvum augmentum operis. Jam eſſe tempus, ut promiſſi admonearis. In quo literis ſuis meas petebat adjungi, & tanto certius egregiam ejus voluntatem tibi nunciari. Viſum id fore non ingratum tibi, ideo libens parui homini bono, teſtis & index ſerti illius deſiderii, ſi modo tibi otium veteres tuas delicias retractandi. Vix certè ullum

ſcriptum tuum in Anglia notius eſt, & majore cum guſtu plauſuque legitur. Et deſignabit ipſe puto hominem Londini, ad quem tuto ſchedas tuas mittere poſſis. Nos ex hac Inſula jam incipimus pedem movere. Vidimus hic multos Theſauros, ſed inter aquas Tantali, frui enim deſultoria hæc vita non permiſit. Tarde ad eos acceſſus peregrinis patet, quem poſſe tamen patientia multa pauci exemplo noſtro didicere. Ipſe Bibliotheca Bodleiana tot Statutorum caſſibus adverſus exteros munita eſt, ut duas integras hebdomadas hic exegerim, antequam tractare ullum MS. Codicem mihi licuerit. Nec licuiſſet unquam (adeo ſæpe obſtat nobis pudor noſter) abſque V. C. Patricio Junio fuiſſet, cui ſoli debetur, ſi quid ſtudia noſtra hic adjuta ſunt. Interim reſpondimus futiliſſimæ ...... cujus pater, quantum in ipſo fuit, nihil reliquit, quo minus ſtuporem ſuum, inſcitiam, malignitatem publicaret. Cum itaque tam male ſeipſum traduxerit, nos tantum Judicis vice functi ſumus, & involucris quibuſdam, quibus vix tamen latere poſſet, nudum evolvimus. Forte is libellus in Gallia edetur, una cum textu Silvarum. Codices Arundellianos, quos ad Rivetum τῷ πάνυ deſtinatam, ut vobis redderentur, curatos rectè puto. Tuam de Idololatria Veterum Commentationem & Gerhardi Vellejum avidè videre geſtio. Nos cras diſceſſuri hinc Cantabrigiam ſumus; inde Londinum, ac cis dies pauciſſimos in Galliam σὺν θεῷ transfretabimus. Vale, Vir ſumme, & ſalve cum uxore & liberis lectiſſimis.

Scripſi raptim Oxon. prid. non. Sextil.
Stylo veterate Anno CIƆ IƆ CXXXIX.

Nomen Bibliopolæ eſt Guiliel. Webbius.

---

## CCCCLXXXII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Voſſio.

*Opus ſuum de Primordiis Britannicarum Eccleſiarum dono mittit, ac de publicando Mariano Scoto aurem vellicat.*

*Clariſſime Vir,*

OPeris mei de Primordiis Britannicarum Eccleſiarum, ſimulatque ſumma manus ipſi impoſita fuerat, atque à prælo exierat, aliquot exemplaria in Hollandiam tranſmiſi, illic inter præcipuos amicos meos diſtribuenda, in quo numero, quum te tuis meritis habeam, ac per hoſce multos annos habuerim; negotium illi dedi, cui hanc provinciam demandavi ut tibi quoque unum ex iis curaret exhiberi. Totam ferè Hiſtoriam Pelagianam ipſi intexui, idque quà potui diligentià & fide, ubi fortaſſe invenies, quæ aliquantum te juvare poſſint, ſi quando alteram Operis tui editionem adornaveris: quod ſpero te facturum, & Marianum Scotum quoque cujus in *a* Libro meo commotam videbis expectationem, aliquando prelo commiſſurum, atque publico donaturum. Miſi ſimul *b* De Scriptoribus Hiberniæ, qui eodem tempore prodierunt, D. Jacobi Waræi, libros duos, quia tibi non ingratos futuros illos augurabar. Ego quanquam vergente jam ætate, atque in ingreſſu ſenectæ, integra tamen ac vegeta valetudine (Deo laus) perfruor: idemque de te ominor ac opto; & rem ita ſe habere ex literis tuis lætus intelligam. Vale Clariſſime Vir, ac Deo commendatus eſto.

*a* Pag. 736.
*b* De quibus ibid. pag. 972.

Dublinii, die $\frac{1}{11}$ Aug.
MDCXXXIX.

*Tui amantiſſimus,*

JAC. USSERIUS ARMACHAN.

## CCCCLXXXIII.

*Viro Clariſſ.*

## Joanni Beverovicio

ſuo,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

VAldè me ſollicitum habuit morbus tuus, de quo ex variis inaudiveram. Nunc de reſtituta valetudine, gratiſſimum attulit nuncium Præſtantiſſimus Colvius noſter, atque ita magno me gaudio implevit. Nec ſolum lætari me puta, quia amico melius ſit, & tali quidem, qui de publico benè mereri & poſſit, & velit: Meipſum gaudeo liberatum anxia de te cura. Valde enim coquebat animum meum. Nec enim ignorare potes, quanti a teneris quoque annis fecerim ingenium tuum; quo cum eximiis quibusque certares, vulgares vero animas, albis præverteres quadrigis. Hujus me judicii pœnituit nunquam, ac pœnitere, ne poſſit, ſedulo caves, diſpergendo per orbem tam præclara ingenii, doctrinæque monumenta. In his Ideam Medicinæ veteris; in qua tamen ob tam vaſtum argumentum, tum demum omne punctum tuleris, ſi iterum manum admoveris, non quidem ut cuncta quæ poſſes ex antiquis dicas (id enim laboris prope eſſet infiniti) attamen propemodum alterum tantum adtexas. Ad hoc quidem, ſi mei res arbitrii foret, non minorem tibi annorum numerum concederem, quam eſt Muſarum. Niſi ſatius putes, ut annis Charitum numerum æques: poſt novennium autem, tertio prodeat Idea tua, non minus conſummata illo futura tempore, quam Plato eſſe voluit Ideas ſuas, vel ſaltem quando non ſinit humana imbecillitas, quam proximè abſutura, ſi cum aliorum induſtria comparetur. Vides quid de te, cui adhuc virent genua, ſperare auſim. Mihi de me ſpem ejuſmodi concipere, nefas: quando frigida ſenectus deinceps artus debilitabit; ſanè anno hoc Climacterico, quem ſenum multi formidare ſolent, pejus valui, quam annis proximis tribus & triginta. Nam præter tertianam, colicus me invaſit dolor, etiam quod antehac nunquam, renum calculus vexavit hebdomade, & ultra; ubi dolor aliquantum remitteret, quæ antea avidè legeram de calculo, accuratè à te ſcripta, iterum in manus ſumpſi: fœtumque mentis tuæ conſului, quia parentem ipſum coram minus poſſem. Jam vero tres ſunt menſes, quod malum id non recurrit: credo in Morboniam, unde malum attulerat pedem, rediit, me ſalvo ac ſoſpite relicto; quod utinam Deus diuturnum eſſe ſinat? Intelligo ex Colvio noſtro prodiiſſe jam in lucem, quæ elaboraſti de fœminis eruditis, quare propediem pro hoc labore, gratias tibi ſum acturus; niſi vel tu ab ingenio receſſeris, non mittendo, vel ego ad ingenium rediero, tardius reſcribendo quam velles. Quicquid erit, non te eo minus amabimus. Tuum verò tam erit mihi ignoſcere, quam amici ſui ignoſcebant, magno Medicæ facultatis veſtræ ornamento Hieronymo Cardano: qui cur negligentior fuerit à ſalutationibus ac epiſtolari commercio, ſi minus nunc locus occurrit, reperies in octavo de rerum varietate, cap. XLIII. Hujus viri exemplo excuſabis me apud alios quoque amantes mei, ſed hoc in me vitium, ut vocant, culpantes: quaſi ego in tot occupationibus, amicorum eſſe in non neceſſariis poſſim, qui ne in neceſſariis quidem ſum meus. Præterea dices iis, hoc ſive vitium, ſive aliter vocandum, cùm primum ab ſolis eſſet occupationibus, nunc longa conſuetudine, prope in naturam vertiſſe. Habes epiſtolam verboſam, & à ſolo tuî expreſſam amore. Claudam eam ſolemni Tullii formulâ.

Va-

Valetudinem tuam cura diligenter. Et cogita hoc mecum petere, tam multos, qui adverſa valetudine, ad te recurrunt; etiam illos qui te non viderunt, ſed mecum tamen, ex utiliſſimis laboribus tuis, præcepta hauriunt valetudinis, vel tuendæ, vel recuperandæ. Præter morem de ſalutandis amicis, non adſcribo. Id laboris nunc melius imponam communi amico Colvio, qui has tibi literas daturus.

Amſtelodami, cIↃIↃcxxxix,
poſtr. Idus Sept.

## CCCCLXXXIV.

*Clariſſimo Viro,*

## Joanni Meurſio,

S. P.

*De operibus eius edendis ſpiſſe negotium procedere, ait. Prodiiſſe intereà Heinſianas in N. Teſt. exercitationes; ſed fore putat, ut adverſus eas Salmaſius ſcribat, ac ſingula penè refellat.*

QUod meliore utaris valetudine, jucundum fuit cognoſcere mihi & meis omnibus. Ego quoque mediocriter nunc valeo ac pariter uxor & liberi, uno excepto Matthæo. Tandem reſponſum à fratribus Blauwiis erat qui ſexennium vel ultra, non dico vana te meque ſpe lactaverant, ſed tot etiam fecerant promiſſa, te etiam de iis non cogitante, ſponte ad tua cuncta excudenda ſe obtulerant. Malum factum, nec quo ſeſe excuſent inveniunt præterquam quod mors paterna conſilia ſua diſturbârit; ſignificavi multum me metuere ne publice de injuria hac conquereris. Non aliud reſponſum, quam id quidem in te eſſe, ſed ſe ſibi probe conſcios eſſe innocentiæ ſuæ. Tentavi animum Janſonii, ſed is ait nullos typos ſibi otioſos intra annum fore, adeo multis ſe edendis diſtineri. Elzevirius exiſtimat ſe intra menſes non ita multos hac in urbe propriam adornare velle Typographiam. Sed non arbitror illi eas opes ut tam grande opus auſit ſuis ſuſcipere impenſis. Fortaſſe tamen Patrueles Leidenſes parati fuerint in hoc adjutare. Laminam æream, cui vultus tui inciſſo, item alia, præcipue ſcripta tua, remiſiſſem, niſi Blauwius uterque ab urbe abeſſet, ut recipere nihil licuerit. Prodiere tandem Exercitationes Heinſianæ in Novum Teſtamentum. Fore puto ut adverſus eas ſcribat ac ſingula pene refellat Salmaſius, niſi interceſſione amicorum Heinſii ſufflaminetur. Exiſtimabat Heinſius ſe ſic cum hoc doctiſſimo Burgundo agere poſſe, uti tecum, mecum & tot aliis ſolet. Sed eſt Salmaſius omnis injuriæ gravioris impatientiſſimus. Hæc raptim; quia jam jam currus adſcendendus erat Hagam ituro, quod bene vertat. Vale cum omni familia & ab omnibus meis ſalve.

Amſtelodami,
cIↃIↃcxxxix,
xxv Sept.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## CCCCLXXXV.

## Hugoni Grotio.

*Prodiiſſe tandem Heinſianas in N. T. Exercitationes; ſed gravem in Salmaſio cenſorem habituras, ſignificat, cui innumera, imò omnia, quæ de ſuo deprompſerit penu, refellere animus ſit.*

*Illuſtris & Ampliſſime Domine,*

CUm propter urbis nundinas, Lyceo noſtro hebdomadis unius feriæ forent, committere non potui, quin tam bonam occaſionem amplecterer, excurrendi Hagam, partim ut inviſerem ampliſſimum & amiciſſimum Georgium Rarallerum Dubletium; exceſſu optimæ & ſanctiſſimæ uxoris ſuæ Schoterboſſiæ mœſtum; partim etiam, ut coram ſalutarem heroinam conjugem tuam; quam lætus ſalvam ac ſoſpitem comperi; lætiorque audivi læta omnia referentem de te ac tuis. Dum hic ſum, reddita mihi à te literæ ad Iſaacum meum. Ex iis video, te non accepiſſe faſciculum illum, quem per Bibliopolam Pariſienſem miſeramus. In eo inter cætera, erant literæ meæ de valetudine adverſa, qua uſus ſum Climacterico hoc anno. Video, & alias quaſdam non traditas tibi uti neque illas Manaſſis Ben-Iſraël; ſed de his jamdudum ſum id arbitratus, ob quædam, quæ ex filiis cognoram. Exemplar igitur Amſtelodamo mecum attuli, ut hinc mitterem. Unarum, quas ipſe ſcripſeram, exemplar retinui, manu filii exſcriptum. Mittam ubi rediero domum, modo tanti id ſit. Tandem prodiere Exercitationes Heinſianæ in Novum Teſtamentum. Credo eas jam acceperis, priuſquam hæ tibi literæ reddantur. Obiter pluſcula luſtravi; ac quanto penitius inſpicio tanto vehementius ardeo deſiderio eorum quæ ante tot annos elaboraſti in eoſdem ſacri inſtrumenti libros. Utinam vero & Clariſſimo Salmaſio pertexere detur ejuſdem argumenti labores quos promiſit. In iis refellere illi animus eſt innumera ab Heinſio dicta: imò omnia quæ de ſuo deprompſit penu. Facile credo, hanc contentionem, non parum detracturum nomini Heinſiano; ſed partim eo me ſolor, quod nemo ignoret, ipſum ſibi hoc malum intriviſſe; dum perpetuus eſt in traducendis omnibus, quibus præclarum eſt in Repub. literaria nomen: partim ac imprimis iſto, quod contentionis hujus bonum ſperare liceat eventum; ſine dubio enim, multa etiam doctiſſimos quoſque docebit Salmaſius: & fortaſſe etiam Heinſius hinc diſcet, modeſtius de ſe ſentire cæteriſque ſuis laudibus hanc addet, ut ne tam credulus ſit palpatoribus qui eum Phœnicis, Dictatoris, Atlantis ſtudiorum elogiis onerant verius, quam honorant. Sanè & Heinſius, & qui eum ſolum, hodie doctum ajunt (quid faciamus tam fatuis?) toti jam in fermento jacent, ſolum lecta præfatione Salmaſii, quam præmiſit libro de modo uſurarum. Quamquam ego Salmaſio author fuero deinceps, non tam acerbè hominem literis clarum tractandi, modo ipſe etiam remittere velit de illo maledicendi ſtudio. Indignum mihi planè videtur, ſic inter ſe committi homines doctiſſimos; ſed iniquum etiam majores, melioreſque eo, quem me ſæpius nihil attinet nominare, ſic vilipendi, quaſi in Doctorum grege nonniſi extremum locum cum ſcabioſis Grammaticis mereantur. Sed de iſto nimis multa. Audio ἀιθελογίαν tuam Lutetiæ excuſum iri. Gaudeo ob typos meliores; etſi meam, meorumve operam Amſtelodami in mendis Typographicis emendandis, probare tibi maluiſſem. Verum quid de illo ſperemus, qui poſtquam ſexennium, vel circiter (tamdiu eſt, ut exacte tempus dicere non poſſim) retinuit tot edita, & inedita Meurſii, nunc negat ſe poſſe illa excudere, & paratum dicit, remittere univerſa? Eſtque hæc eo gravior injuria, quod non Meurſius illum ambierit, ſed Meurſio, de alio cogitante, & hoc ad eam rem paratiſſimo, ille poſtularit ut commendatione mea, alteri præferretur. Scripſi ex ædibus ampliſſimi Dubletii, qui ut te colit, & æſtimat, ita amiciſſimam adſcribi ſalutem petiit.

cIↃIↃcxxxix,
vii Kal. Octob.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

CCCCLXXXVI.

## CCCCLXXXVI.

## Claudio Salmaſio.

*Duos commendat juvenes. Librum ejus de modo uſurarum avide à ſe legi dicit, placere, ob præfationem adverſus ſycophantam; magis etiam magiſque in fumos abire illud de lingua Helleniſtica commentum.*

*Nobiliſſime & undecunque doctiſſime Salmaſi,*

QUi has ad te literas defert, patria eſt Suecus, nomine Joannes Granius ephorus illuſtris juvenis Bielkii, qui arcta affinitate inclytæ Oxenſterniorum familiæ eſt innixus. Uterque apud nos ſtudiorum cauſa ſeſquiannum vel circiter vixit. Nunc Leidam ſe conferunt. Ac Granius quidem (nam Bielkio non is ſtudiorum ardor quem optaremus) ut literarum & literatorum eſt amantiſſimus, ita nihil priùs ducit, quàm ut te videat, & compellet præcipuum literariæ ſidus Reip. Poſcenti igitur aliquid ad te literarum, denegare id nec volui nec honeſte potui. Quippe me amavit & coluit ſemper, quam qui maxime; & Bielkius is cujus ſtudiis præeſt à primariæ Nobilitatis Suecæ viro, dignitate Comite mihi fuit commendatus. Quamobrem non ingratum fore confido, ſi dum hac hieme commoratur Leidæ bis ter ei poteſtas fiat compellandi tui, deque ſtudiis conſulendi. Mirè enim devincies, & pariter ipſos Bielkios & Oxenſternios qui eum multum amant, ob mores optimos & ſingularem Illuſtris juvenis ſibi commiſſi curam. Tua de modo uſurarum, quando aliquid mihi à meis otii eſt, avide lego, nec ſatiari queo. Ut in cæteris, ita hic quoque à te congeſtus doctrinarum pene omnis generis penus. Cæterum vix riſum tenui, cum me præſente vir quidam bonus doctuſque diceret, ſe librum hunc emere, non propter tam multa quæ doctiſſimos quoſque in opere ipſo doceres primus, ſed ob præfationem adverſus ſycophantam, cujus virus retundi non ex tuo modo honore erat; ſed prorſus è re publica. Magis vero magiſque in fumos abit illud de linguâ Helleniſticâ commentum, quo ſic placebat ſibi & ſuis. Memini enim mihi amicum ejus dicere, neminem hactenus vel veterum vel juniorum fuiſſe, qui linguam novi inſtrumenti intellexerit. Idque ob Helleniſticæ linguæ imperitiam, cujus θεόπνευ[illegible] ille ſolus ſit gnarus, eoque unice idoneus ad abſtruſa omnia reſeranda. Cum non ipſe ſolum, ſed etiam amici ejus tam ſtultè ſapiant, hanc larvam ei detrahi intereſt Orbis Literati. Decrêram aliquid addere de S. Antonii vita. Sed id jam à te factum retulit mihi filius meus Iſaacus. Nec propterea quicquam fieri velim incommodo tuo. Cogitabis, ſed cum aliquid otii fuerit à tuis, quæ prævertere æquum eſt. Uxor uxorem, filia affinem tuam, filii te plurima ſalute impertiunt.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xxxix.
Non. Octobr.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

## CCCCLXXXVII.

*Viro undequaque maximo,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Cantuarienſis Eccleſiæ Canonico, & Hiſtoriæ ſacræ Profeſſori.

*Nonnulla ſibi ad libros de Idololatria obſervata, indicat, & quid Petavium in quodam Hori Apollinis loco fefellerit.*

POenitet me jamdudum fidei, quam diſcedenti dabam, Vir maxime, fore ut intra octiduum ad te redirent, duo iſthæc quæ nunc mitto, inſignis tui Idololatriæ operis volumina. Nec enim licuit interea percurrere, nedum accuratè legere univerſa. Ubi reliqua quoque abſolverit Typographus, iteratâ lectione, ſi Deus vitam dederit, animum explebo. Cæterum uti juſſeras, indicavi locis aliquot, quæ legenti obiter, occurrere Typographi errata, aut feſtinantis calami παροράματα. Porro cum inciderim in locum de anno Ægyptiaco, qui eſt pag. 209. Et geminam quam habeo Hori Apollinis editionem inſpicerem, inveni, ut ſi alterutrâ ſit uſus Petavius, verſioneſque tantum inſpexerit, mirum non ſit ſi negaverit, lib. 2. cap. 89. reperiri quod ex illo capite Scaliger allegaverat. Sed cùm non ſit veriſimile, virum tantum verſionibus in materia controverſa contentum fuiſſe; neque ad Contextum Græcum voluiſſe recurrere, probabili mihi conjecturâ duci videor, ut credam uſum eadem Editione Græca, qualiſcumque illa ſit, quam in verſione ſua ſecutus eſt Bernardinus Trebatius Vincentinus, uti Trebatium Interpres Gallus. Caruiſſe enim illa videtur libri ſecundi capitibus II. Τί ἀστῦ κίοσον. Et V. πῶς πλίμμα σῶμα. Et XXIII. Πῶς μέλλον ἔργον. Atque inde factum, ut qui quærebatur locus, octogeſimum ſextum caput, non octogeſimum nonum illic occuparet. Prodiit Trebatius Horum Latinè, ac Chunrado Peutingero dedicavit, anno 1313. Iſtam autem, quam ego Græcam, cum Latina Interpretatione Trebatii habeo, in Octavo expreſſiſſe ſe ad Aldinum exemplar, curante Angelo Argonenſi, teſtatur Typographus Petrus Vidovæus, ſub ſcuto Baſilienſi, Pariſiis ſcilicet anno 1521. quanquam poſtremum hoc, de loco, & tempore editionis certo aſſerere non auſim, probabili tantum nixus conjectura, deeſt quippe folium unum meo exemplari. In hac ipſa ergo Editione Græcus Contextus habet illa tria capita ſupra recenſita; Latinus non habet, uti nec Gallico-Latinus, qui Pariſiis prodiit, anno 1574. ex Officina Galeotti à Prato, & Joannis Ruellii; niſi quod hic ſub Appendicis titulo, ad veterem codicem tria illa cum octo aliis capitibus ſit reperire. Typographi autem iſti Pariſienſes anno 1574. doloſè ſuppreſſo Trebatii nomine, tum primum quas dabant prodire verſiones lectori perſuaſum voluerint, cum tamen Latinam Trebatii darent. Hæc monenda duxi, ut ſcires quid fefellerit Petavium, interea neutiquam excuſandum, quod non proxima ſaltem capitula percurrendo vacare voluerit. Erat & coram ſermo nobis de Lapide porcino, ſeu Piedra de Puerco, qualem quod hinc diſcedens affini meo...... a me reſtituere, non fueris gravatus, habeo gratias. Tantæ virtutis lapidi poterat locus fuiſſe non incommodè, pag. 1087. Curaboque ut intelligas quid ſenſerit de eo, dum viveret Elichmannus, ubi reſcivero ſub Appendicis, vel Addendorum nomine animum tibi eſſe aliqua adhuc calci operis attexere. Id ſi ſtatuas, deliberes velim an & horum quæ ſequuntur, operæ fuerit meminiſſe.

Pag. 676. Ubi de aquis in lapides concreſcentibus ſermo eſt, locum meretur Wookevium ſeu Ocheium, antrum in Mendippiis collibus Minerariis prope urbem Welles, quam eumdem cum Bathonienſi ſortitur Epiſcopum, in Agro Somerſetenſi Angliæ ſitum. Mentionem ejus obiter in Belgis habet Cambdenus, cum accolas non minora de eo ſomnia narrare ait, quam de Sybillino commenti ſunt Itali. Somnia equidem ſua de utroque narrantes, audivi & ipſe utriuſque accolas: ſed & pererravi utrumque, & obſtupui fateor, ad ſtupenda naturæ in hoc Anglico opere cum comitante Heemskerkio noſtro, Stirias lapideas innumeras, ex aquæ intramontanæ ſtillicidio, ſua capere incrementa, ad oculum ſimul & contactum cernerem: hic poſtes integros ex concretis aquæ guttulis, longo temporis lapſu ſic efformatos, ut ad ſummam altitudinem concavum montis ſuſtinerent, hic figuras lapideas varias, ac multiplices, uno loco pendulas, altero in alterum ſuccreſcentes, ac paulatim ſibi mutuo quaſi procedentes obviam conſpicerem, taliaque viderem, quæ magno nolim non vidiſſe. Maximam autem ſtillicidii, quod nunquam ceſſat, & de tribus binas nobis faculas extinxerat,

rat, partem rivuli abripiunt, per diverſos anfractus, uno omnes antri oſtio effluentes, ortique ab inſigni fontis ſcaturigine, quæ non minus dimidio ab ingreſſu milliari Anglico meta nobis erat, iſtius ſubterranei erroris. Mea nunc quoque me narrare ſomnia crederes, niſi me noſces. Atque hæc niſi ſufficerent, ac nimina jam eſſent, poteram ſingularia quædam tum temporis non injucunda viſu obſervanti, ex meo itinerario adjicere. Cæterum habet & Gallia, in Agro Turonenſi, antrum huic non omnino abſimile, quod cellam guttularem dicunt, ſeu *la Cave Gauttiere*, ſed longè magis admirandus mihi videtur, & ſitus, & lapideſcentia hujus Anglicani. Ad pag. 758. Et ſagittæ & fulmina, uno eodemque vocabulo Italis, *Saëtte*, Anglis Shafts dicuntur, idque non poëticè, ſed uſitate, & plebeio quoque loquendi modo. Ad pag. 762. Memoratu dignus eſt, ſeu tonitrus, ſeu fulminis ictus, qui ante annos ſex ſeptem, prope Middelharniſſe, & Sommelsdicum, claudo greſſum reſtituit, arbores radicitus erutas, in altum ſuſtulit, & in vicina pomaria, ultra ſepes, arboreſque altiores alias trajecit, & molendini in fruſta diſparſi vela, inſpectantibus pluribus, trans amplum illud maris an fluvii iſtic oſtium, ita diripuit ut in adverſam oram conjecerit intervallo duorum ad minimum Italicorum Milliarium. Uti hæc omnia mihi paulo poſtquam accidiſſent, ipſo illo in loco, narrarunt, & partim commonſtrarunt, accolæ fide digniſſimi.

Quod pag. 837. Principis Condæi nulla fiat mentio, etſi XIII. menſe nati, & tamen ſententia ſupremi Parlamenti Regii, extra natalium dubium conſtituti nihil miror.

Pag. 858. Ægyptios hominem myſticum cicadâ picta expreſſiſſe, ait Horus Apollo, lib. 2. cap. 55. quod non ore canat, ſed διὰ τῆς ῥάχεως φθεγγόμενα. Pertinet illud ad ea quæ coram diſceptabamus nuper.

Pag. 1041. Talpis cutem detrahi, ut appareant oculi, non eſt opus, cùm ſatis conſpicui ſint etiam in vivis, quod non ſemel exploravi ipſe.

Pag. 1045. aut alioquin pag. 2137. Adduci potuiſſet nec ἀλόγως, id quod de Simia Chriſtum Legiſlatorem verum eſſe demonſtrante, non miraculo ſimile, ſed verè miraculum; modo verum, ex relatione, & literis Anglici apud Mogolem Legati Thomæ Rouvi Rœ, adhuc puto ſuperſtitis, narrat Purchaſius eo, quem coram ante annos aliquot oſtendiſſe me tibi memini loco.

Pag. 1161. Pergamenorum ſpectaculo annuo, aut melius, pag. 1196. Atticæ legi adjungi potuiſſent, Anglorum Cock-Pits/ ſeu creberrimæ apud Anglos pugnæ Gallorum, in amphitheatris quoque ad hoc extructis, exhiberi ſolitæ, uti & tauros, urſoſque inter ſe & canibus quoque committere publicè conſueverunt, diſco etiam jacto certare, & luctas ſingulis diebus feſtis, & quotannis coram ſupremo urbis Londinenſis Magiſtratu, præpoſitis victori præmiis exercere iidem ſolent, circa campos Moorfields dictos. Quæ omnia cùm bellicæ virtutis, & diſciplinæ ſint argumenta, in honorem Nationis obiter attingi poſſent; Textui tamen quam Appendici convenientiora putem. Tuo interim judicio, permittens ſingula, finem imponam, longiori, & fortaſſe non ſine tædio legendæ tibi Epiſtolæ. Vale, Vir maxime, cum lectiſſima conjuge, & præſtantiſſimis liberis.

Hagæ Comitis
duodecimo Oct.
1639.

*Tuus in æternum,*

GEORGIUS R. DOUBLETIUS.

## CCCCLXXXVIII.

*Noomſii Arlandervenia Domini mortem nunciat. Quòd filium Iſaacum in Scylacis editione tàm benignè adjuviſſet, officia reciproca gratus offert. Inſtitutum operis ſui de Idololatria breviter declarat.*

*Nobiliſſime Salmaſi,*

AB eo tempore quo domi me tuæ tam humanè comiterque & hoſpitio & menſa ſermoniſque tui epulis excepiſti, nulla quidem dies intervenit, quum adverſa uxoris valetudo ſatis per ſe moleſta, eo dolorem augeret, quod tua lectiſſimæque conjugis & affinis tuæ præſentia hic ut ſperaveramus frui minime nobis liceret. Atque idem moleſtiſſime accidit Arlandervenia Domino qui quantopere delectatus fuerit elegantiſſimis verſiculis tuis, haud facile dixerim. Itaque decreverat, huc ubi veniſſetis, humanitatis officiis teſtari affectum ſuum. Dixerat de convivio, ad quod advocaſſet homines urbis lectiſſimos. Sed alterum quia innuebat potius quam exprimebat, utrum id vaſa fuerit Porcellana (ut vocant) melioris notæ conjugi donare tuæ; an aliud quippiam, non habeo dicere. Hominem tam amicum & qui me parentis inſtar coleret, ante ſex hebdomadas fatum abſtulit nobis conſanguineorum dolore magno etiam meo meorumque. Quod filio Iſaaco Scylacis editionem meditanti tam benigne communicaris, quæ ad hoc inſtitutum & aliorum etiam Geographorum pertineant multum profecto omnes pariter tibi debemus, operamque ut poſſumus dabimus ut ne ingratos nos dicat poſteritas. Quæſo, maxime Vir, in hoc amore perſiſte. Spiſſe procedunt operæ in iis quæ ſcripſimus de Idololatriæ Origine & Progreſſu. Metuo ne multi hic ea expectent quæ Romanam propius Eccleſiam tangant. At nos fere contenti ſumus diſſerere de Diis Gentium. Interim in iis quæ ſyderum, elementorum & mixtorum corporum cultum ſpectent, non omnino perfunctorie pando, quæ juvare poſſint naturalis ſcientiæ amantes. Nempe non ſatis viſum ex naturæ mirandis falſam refellere religionem, niſi in iiſdem etiam mentem humanam adducerem ad veri numinis cultum. Certior fieri deſidero an multum promoverit Typographus in illis de uſura; eoque in mandatis Iſaaco meo dedi, ut ex te de iſto & aliis exquireret. Hoc libertatis illi lubens ſcio concedes, qui fores tuas non hominis, ſed humanitatis eſſe hactenus expertus. Heroinam tuam conjugem & affinem tuam plurimum ſalutamus.

Amſtelodami,
CIƆ IƆ CXXXIX,
Id. Octobris.

G. J. VOSSIUS.

## CCCCLXXXIX.

*Viro docto, & incomparabili Domino, Doctori*

### Gerardo Joanni Voſſio.

*Obitum Parentis nunciat, amicitiam Voſſianam hæreditario jure ambit, diſſertationem quandam cenſuræ ejus tranſmittens.*

NOn dubito, Clariſſime, & Celeberrime Vir, fautor plurimum honorande, quin rumor de obitu Patris mei, ad Excellentiam veſtram fuerit allatus. Quare dolore, & triſtitia, me affectum judicabis facile. Hoc etiam, Vir celeberrime, te angere, mihi non abſque te perſuaſum habeo. Primùm propter jacturam rei literariæ, (quam lugent omnes Muſæ, Gratiæque omnes) cui tu ſolus nunc ſervator exiſtis. Secundo propter ſincerè ante annos XL. initæ amicitiæ fœdus, quod ſatis inviſum, à morte jam interruptum videtur. Ego igitur abs te peto, Clariſſime Vir, proſequaris tali amore, Meurſium filium, quali Patrem proſequutus es, ut in ſtatu triſtiori, hoc ſolatium mihi ſuperſit, Voſſium benevolum habere; & profectò me repulſam laturum non confido: quandoquidem æqua & juſta ſit petitio. Actus funebris habitus eſt, die VIII. Octobris, more Magnatum, & Equeſtris ordinis hominum. Diem etiam obiit magnus Cancellarius Chriſtianus Fris, Patris mei amicus ſingularis. Celeberrime Vir, fautor plurimùm,

timùm, videtur mihi Blavius, in excudendis Hiſtoriis tardus admodum fuiſſe, ſed jam ſane in cæteris lucubrationibus, quæ ad ſecundum tomum operum pertinent, tardior. Intellexi autem ex tua Epiſtola, nuper per Sartorem noſtrum accepta, quod lucubrationes excudendas, velles remittere; quod ſi ille Typographus nolit inceptis finem imponere facias quæſo. Et hac de re me certiorem reddas, Vir ſumme, maximoperè rogo. Huic epiſtolæ, incomparabilis Voſſi, adjunctam invenies Diſſertationem, contra Anonymum, qui falsò conatur Majeſtatem debitam Reipublicæ Sereniſſimæ Venetorum, de bono titulo, & jure Inſulæ Cretæ, atque Cypri adimere. Quod autem ſpecimen meum, antequam prælo ſubjiciatur, quæſo corrigas, & in illo delenda deleas, & inſerenda inſeras: ſpero etenim mihique perſuaſum habeo, hoc in negotio, me conſilio tuo, & judicio uti poſſe, propter amorem erga patrem meum, etſi mortuum, tamen veſtigia cordi tuo perpetuò impreſſa. Vale, Vir ſumme, fulcrum rei literariæ, ornamentum patriæ, &c.

Datum Soræ, an. cIↃ IↃ cxxxix. die xvi. Octobr.

*Tuus omni cultu & obſervantiâ,*

JOANNES MEURSIUS Filius.

---

## CCCCXC.

## Joanni Meurſio, Juniori,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

VAlde me, mi Meurſi, afflixit exceſſus clariſſimi & ſummi Viri, parentis tui; non me ſolum, ſed omnes meos: Uxor mea vicem dolebat matris tuæ; filii, tuam; filia, illam ſororis tuæ: interea ut nobis, ſic & vobis ſolatio eſſe debet, quod terrenam hanc vitam meliori commutavit, quod æternum vivet nominis ſui fama: quod etiam in liberis vivet, te imprimis, quem paternæ virtutis ac doctrinæ æmulum fore pollicemur nobis. Eam in nobis fiduciam gignit cum ingenium, & ſub tanto doctore, parente tuo, educatio, tum ſpecimen illud doctrinæ, quod ut paternæ adderetur Cretæ, tranſmiſiſti. De eo edendo curæ mihi erit. Sed hactenus non licuit cum Blauwio colloqui, quia uxorem quam vix tribus habuit menſibus, amiſit, & adhuc totus luctui ſe dat, me quoque hiſce tribus hebdomadibus, intra quas literæ mihi tuæ redditæ ſunt, domi detinuit, tum obitus unicæ ac dilectiſſimæ meæ Johannæ, tum graviſſimus morbus filii Gerardi: de quo parum ſpei poſſe vel diem ſupervivere: fiat voluntas Domini, quem interea oro, ut nobis conſervet tam carum pignus, modo & nomini divino glorioſum, & nobis filioque ſalutare ſit. Eripuere mihi filiam morbilli, ut nunc vocant, morbus Epidemicus ac mire malignus: quo & filius decumbit. Huic tamen longe majus a febri, continua & ardentiſſima, quam morbillis ipſis periculum eſt. Non potui committere, egregie & amiciſſime juvenis (noſti illud Iſocratis *περὶ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τὴν οὐσίαν, οὕτω καὶ τὴν φιλίαν τὴν πατρικὴν κληρονομεῖν*) quin in ſummo licet dolore, & animi anxietate hæc pauca ad te exararem, præſertim rogante id Severino veſtrate mercatore. Cui & monumenta tradidiſſem, paterna, de quibus ſcripſiſti; ſed ajebat ſe terra iter facturum, eoque nihil hoc tempore ad vos præter litteras poſſe perferre. Captabo ipſe occaſionem aliam niſi Blauwius mutato conſilio, editioni ſe accingat. De omnibus colloquar tecum literis proximis, ſi Deus & valetudo permiſerit. Ego & omnes mei matrem tuam, & liberos optimos peramanter ſalutamus, omniaque offerimus officia, quibus utilis his terris opera noſtra eſſe poſſit. Plurimam etiam ſalutem dicito clariſſimis viris Stephanio & Laurembergio.

Amſtelod. cIↃ IↃ cxl. VIII Kalend. April. St. Gregor.

*Tuus tuorumque,*

G. J. VOSSIUS.

---

## CCCCXCI.

*Viro incomparabili & maximo,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Salutem & officia paratiſſima.

*Merita ipſius erga ſe & fratrem magnoperè extollit, pro quibus æternum ſe Voſſiano nomini devinctum profitetur. Sibi inſuper Conſtantinopolin abiturienti, commendatitias ad Pocokium expoſcit.*

*Incomparabilis & maxime Voſſi, eruditionis numen mihi venerandum,*

ECquid habeo, quod referre poſſum, quo liceret mihi eſſe grato? Pro maximis erga me beneficiis tuis, nihil habeo, quanquam quædam velim, vel ſi hoc admittis, parum daturus, qui multa conceperam. Quid illud quæſo eſt? Totus ego. Neſcio, quomodo me carius vendam, qui ſic inducere debitum queam. Sic mihi feliciter cedet mea ſolutio. Neque maxima tua benevolentia, humanitas eadem tua, ſumme Vir, dubitare me ſinit, utrum ſic tibi ſatis ſolvendo ſim, qui nihil mihi relictum vides, quo ultra reſpondere poſſem. Habes itaque me, & mea omnia, quem me ſi inſolutum acceperis, nunquam putabo fœlicius magna mihi redemiſſe. Quanquam aliis jacturam feciſſe videri queas, qui tam ineleganti homine beneficia maxima, ſic dicam, vendideris, poſthæc cautiùs mercaturam eſſe inſtituendam. Quibus ego quidem non habeo quid reſpondeam, niſi quod videam Deos quoque non ſatis cautè mercari, quibus ſæpè pro maximis votis rei farre & polenta ſatisfaciunt, & ſic olim religioſi eſſent, qui ab iis aurum, argentum, magiſtratus, victorias, triumphos, ſex conſulatus, Pontificatum, innumera trophæa, ſumma omnia in ſpem gratiæ accepiſſent.

Atque utinam, ſicut per iſta, quibus decori ſumus, vultus lineamenta, qualis intra animus ſit, deprehendi ſæpe poteſt, ſic etiam per hæc manus impedimenta effluere poſſet, qui intra me regnat, gratus animus: de cætero nollem eſſe majorem in modum ſollicitus, maximè apud te, incomparabilis Voſſi, qui, *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, ſic Philoſophos inter emines omnes, alioque genio, ingenia judicare, & diſcernere didiciſti. Non fucus hic aliquid fecerit, & quæſita ſub lingua verba quæ fundum in animo non habeant, non preſſa manus, non dextrum prehenſum genu, & ſi demiſſius quid imitatur facilis imponere levitas; alia tua bonæ probæque mentis argumenta ſunt, quæ mihi apud te enotavi, quæ non affero, ne docere velle videar. Fratrem quoque, eâdem operâ, dum me reſpiceres, cogitare & agnoſcere cœpiſti, juſſiſti præſente me, ut inquirerent in ejus Cornelium Nepotem, Sleuſingæ, vel Erfurti proſtantem, quod ut fieret tacitus precatus ſum. Cui frater meus ita de recto ſtylo diſſertationem præfixit, ut quod ſæpè teſtatur, tuo ore loqui malit quam ſuo, ut non tam Auguſti Buchneri magni profecto Witebergæ viri, Præceptoris noſtri diſcipulum agnoſcas, quam ex tua exiſſe domo, ſcholaque videri queat. Non pœnitebit ſpero, operæ, quam recognoſcendo admiratori tuo impendes, cùm non minus impurorum hominum, maximi aliquando viri, & qui veritatem eruditionis ſupergrediuntur, ſcripta de ſe judicia repetere legendo debeant, quanto rectius peccabis, ſi quid ex altera parte docti ubique de te viri ſentiant, non gravaberis agnoſcere. Inter quos quidem neſcio, an frater meus, non ſuo quo-

quodam jure ſit reponendus, qui non gratis quidem hæc ſcripſiſſe putat, ſi tu, maxime vir, ſuum de te ſenſum non intelligas, cùm bene ſciat, non ſemper dari occaſiones ſummis viris, ut quid minuti aliqui de ſe Diſſentiant, intelligere ordine poſſint, & ſi dentur, malle evitare, ne in ſuam gloriam cupidi videantur; ut poſſim præterea fratri eſſe teſtis, nunquam ipſi ſpem mutui amoris tui, ne nunc quidem etiamſi intimè deſideret, eſſe factam, ut eò minus cauſam habere queas aſpernandi, cùm nihil adulationi ſcripſerit, judicio, & hinc amori omnia. Quæ propterea pro fratre affero, quod tres annos natu major me ſit, & hoc meæ ætatis, quam ago juventute, Erfurti ſcripſerat, & ante quaſi biennium, eodem ſenſu in diſcurſu ſuo, de ſacra eloquentia Roſtochii impreſſo, ubique ſcilicet maxima cum tui admiratione loquitur. Quo fœlicius ſpero poſthæc frater in tuam gratiam illabetur, ſi vel ſemel quis, vel qualis ſit aſpicietur. Hæc perorare pro fratre volui, eò confidentius, quia eum, ſicut præpoſtera hic fortuna luſit, ex me agnoſcere incepiſti, quod verſo ordine debuiſſet. Hic autem qui literas offert, ſub peregrina ſpecie non parum tegit, & eſt Anhaltinorum Principum Conſiliarius, qui ut haberet occaſionem tui colloquii, ſecum has ſumpſit, de quo plura ſcriberem niſi vetaſſet. Frater certè ejus ſub Vezanglio, Generalis Auditor eſt, ſuntque Francofurto ad Oderam oriundi, mei conterranei.

Pro me autem, ſumme Voſſi, maximoperè rogo, ut quia animus adhuc eſt, Conſtantinopolin abire, navibus in principio Septembris, Octobris, ſtylo veteri diſceſſuris, ornare me tuis ad Pocokium, quod facilè erit, literis, & velut commendare velis; ego dabo ubique operam, ut non indignus tua maxima amicitia videri queam. Prolixiſſimè vale, incomparabilis maximeque Voſſi, etſi mereo, vel licet non mereo, quia vis me ama.

*Totus tuus quantus quantus,*

M. CHRISTIANUS RAVE.

## CCCCXCII.

*Viro incomparabili*

## Claudio Salmaſio,

Equiti,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Suum de Heinſianis in N. Teſt. Exercitationibus judicium perſcribit.*

LEidam ſcire velle dixit mihi Nobiliſſimus Eques Petrus Hoofdius, quem me hic tecum prandiolo aliquando excipere commemini. Eſt is Præfectus trium oppidorum & Goylandiæ. In Belgicis poëmatibus, quæ plurima edidit, plane regnat. Vita ac geſtis Henrici IV. ab eo ſcriptis nihil tali in argumento vel elegantius vel prudentius dari poſſit. Scio quanti faciat viros virtute doctrinaque excellentes, præcipue duos Europæ ocellos clariſſimos, eum ad quem nunc ſcribo, & una popularem atque amicum ſuum, Illuſtrem Grotium. Quare fore prævideo, ut pedem Leidâ non efferat priuſquam te ſalutarit. Nolui igitur committere, quin per eum aliquid ad te literarum darem: ſi non ob aliud, ſaltem ut ex eo, ut viva epiſtola, cognoſcere poſtea liceat de proſpera valetudine tua tuarumque, pro qua vota facit quicquid hominum eſt eruditorum. De ſtudiis propriis nihil ſcribere habeo, niſi opus noſtrum quod prælo ſubjeci tardius procedere ob occupationes ſæpe minutas, ſemper denſas. Exercitationes ſacras φίλω ἀφίλω, quia necdum in Bibliothecam retuli, menſem adhuc occupant. Ita fit, ut quandoque ſe quaſi ſponte in manus ingerant. Sed vix dicere poſſim, quam non ſint ad guſtum meum, dum vel aliena lego vel minuta, vel falſa. Et tamen hoc ſtomacho eſſem, ut omnia poſſim concoquere, niſi tot experimentis compertiſſima malignitas male adeo me haberet. Sed fortaſſè Deo viſum opera tua uti, ut modeſtius de ſe ſentire, melius de aliis diſcat loqui. Quod ſi fiat, ſcio te quoque paratiſſimum fore ſic errores ejus corrigere, ut honoris & amoris ergo, quantum licet, homini parcatur. Vale Vir Nobiliſſime maximeque, & meo meorumque nomine lectiſſimæ conjugi & optimæ affini ſalutem plurimam dicito.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxxxix,
Kal. Novembr. Styl. Greg.

## CCCCXCIII.

## Hugoni Grotio.

*Operis ſui de Idololatria brevem mittit delineationem, ad quaſtionem ſuper prohibitione ſculptilium motam, pauca reſpondet.*

*Illuſtriſſime Domine,*

HOdie ex filio tuo, qui Amſtelodami nunc eſt, lætus intellexi, decretum tibi eſſe tam multa, magnaque, quæ parata habes excudenda, Typographis dare: eaque occaſione non pauca de Blauwiis ſumus collocuti: inque his, ut tam fœdè, tot annos, Meurſium eluſerint: tandemque, nempe poſt ſeptennii circiter moram, urgenti mihi promiſſa reſponderint, ſe de operibus ejus edendis mutaſſe ſententiam, & paratos eſſe, omnia mihi remittere quæ huc, ut ederentur, miſiſſet. Scripſi id Meurſio, qui non multo poſt, hac vita ereptus. Quo tempore & Hardervici exceſſit Iſacius Pontanus. Utrumque fuiſſe Danici Regis Hiſtoricum, puto te non ignorare. Ad Typographum ut redeam: Uterque Blauwius paratiſſimus eſt, recudere Commentarios tuos, de jure pacis & belli, ſed cenſet filius, quod æquiſſimum, ſi tradi ſibi velint, luculentam illam operis acceſſionem, aliorum etiam editionem ſuſcipere oportere. Non abibit hinc filius, quin quo animo ſint cognorit. Quare de eo nunc amplius non addam, gnarus fideliter omnia, filium ad te perſcripturum. In noſtris de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana, perventum ad ſerpentium naturam, cultumque: quibus καὶ θεῷ illa de Inſectis ſubdam; ut ſic abſolvam, quæ ad animalium naturam pertinent. Ante eam partem, præmiſi tamen de cultu Angelorum, & Animarum: tam de natura cultuque corporum Cœleſtium, Elementorum, & τῶν μετεώρων, quatenus ex mirandis eorum, ad Deum adſcendimus. Ea puto, intra menſes tres, ſummum habebis. Tum paulum ſtrigabo, & interquieſcam: ſed mente ea, ut deinde alia divulgem, quæ nonniſi limam aliquam expoſcant. Placet enim conſilium quod dediſti, fortaſſe tamen prævertet, tertius memorati operis tomus; in quo agendum mihi de ſtirpibus & foſſilibus: ut ita totam rerum naturam abſolvam; quatenus quidem ſufficit inſtituto meo. Item de affectionibus rerum corporearum, in Deorum numerum relatis. Nam abſque hac parte, mutila fuerit hiſtoria de Gentium Diis. Ac denique de ſymbolica Gentium Theologia; ſive de ſimulachris, ac ritibus ſacris, eorumque cauſis. Atque in hac demum parte, agendum mihi vides, de quæſtione, quam ſuper præcepto ſecundo moves. Manaſſes quidem arbitratur ו illud nec copulativum eſſe, nec disjunctivum, ſed paragogicum: ut ſententia ſit, Non facies tibi ſculptile ullum, cujuſcumque illud habeat ſimilitudinem. Hoc colligit ex eo, quia Deut. V. 8. illud ו omittitur. Scriptum enim לא־תעשה לך פסל כל־תמונה quod Arias etiam Montanus, κατὰ λέξιν reddit, *Non facies tibi dolaturum omnis effigiei.* Ac ſimiliter cœpit Onchelos

chelos in Paraphraſi Chaldæa, cujus ſic verba Fagius expreſſit. *Non facies tibi imaginem, cujuſcunque ſimilitudinis eorum quæ ſunt in cælis, &c.* Chaldaice eſt, כָּל־צוּרַת צְלֵם quod conveniens Hebræo reddas, *ſculptile omnis ſimilitudinis.* Sanè Chaldæis, צלמא non *imago* modò, ſed & *ſtatua*, ut in Lexico ſuo Chaldaico reddidit Buxtorfius. Utcumque id eſt, videmus & Chaldæum, Paraphraſtem illud ι. neglexiſſe. Cenſeo itaque ſi nudis inſiſtimus verbis, non interdici eo præcepto picturam, ſed ſculptilia duntaxat: nec intercedo quominus Judæi, ſive Iſraelitæ potius, in vexillis ſuis ſigna habuerint animantium, ut Rabbini annotarunt, ad Num. II. 2, ubi de Iſraëliticis vexillis ac ſignis. Sed utcumque non exprimantur picturæ, præcepto ſecundum Hebræos ſecundo; ſatis aliunde liquet, & Dei picturam prohiberi, & cunctas cultûs gratia effictas. De his, ſe ſcripturum ad te receperat Manaſſes. Verum ut anticiparem pauxillis iſtis, effecit quod ne, more meo, de die in diem, differret, metuerem. Planè enim alia quam ſtudia animo agitat, Luſitanis nihil, ob paupertatem ſynagogæ, Doctori ſuo perſolventibus. Nempe ſi Judæis fides, (ut videntur mihi verum dicere) ſeſe in urbem receptis, noſtri illis eſſe familiares, negotiatio etiam ſæpe communis, ut facilè fuerit noſtris, omnes eorum artes bonas, malas, cognoſcere. Sed noſtri vel ad clavum ſedent, vel eos habent fautores & amicos. Quare non operoſum fuit ſiquid periculi, vel apud nos, vel in Hiſpaniis etiam oboriretur, illis in luto relictis, vel profunda potius palude, emergere opera eorum, qui & his, & terris aliis plus poſſent. Manaſſes igitur Braſiliam cogitat, ut iſtic, fortaſſe quidem Doctorem agat; ſed præcipuè tamen mercaturam exerceat. Non parum ſtudia amat, & gloriam ſitit: ſed res familiaris ſuadet, quod dixi. Nec enim eſt magna in re. Et jam ab Arauſionenſi Principe commendatitias accepit ad negotiationis Americanæ Præfectos.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c xl, Kal. Jan. ſed St. Veter. Planeque ineuntem hunc annum & tuæ Illuſtri familiæ & noſtræ, tibi mihique æternum addictiſſimæ, proſperum, ac fœlicem exopto.

*Devotiſſimus dignitati tuæ,*

G. J. Vossius.

## CCCCXCIV.

# Claudio Salmaſio.

***Epiſtola commendatitia.***

*Vir Illuſtris doctrinâque incomparabilis,*

FAcio, non invitus, ut Deorum liberos, hoc eſt, juvenes præclaro genere natos, vel conſilio vel auxilio juvem, præſertim ſi operam requirant meam. Nolui igitur Nobiliſſimo Reio literas ad te negare, quo commodiori occaſione fruatur & adſpectu & alloquio tuo: Juvenis eſt vita & moribus probatiſſimus, eruditionis & eruditorum amantiſſimus, & ante biennium vel circiter (ex quo tempore ſtudiorum ergò in urbe hac Amſtelodamenſi fuit) multum mihi commendatus ab Illuſtriſſimo ſuo parente Sereniſſimi Poloniæ Regis tum Legato, partim ad fœderatæ Belgicæ ordines, partim ad Magnæ Britanniæ ac Daniæ Reges. Huic velut Achates aliquis à parente additus eſt Eraſtus vere ἐραστής; quippe vitæ inculpatiſſimus dignus parente egregio apud ſuos Theologo filius, qui & non aſpernandam apud Britannos in Philoſophia ac Theologia doctrinam eſt conſecutus. Confido te facilem fore in iis admittendis. Illi vero ſic humanitate utentur tua, ut non abutantur, gnari ſatis non eſſe in publica peccandum commoda. Alterum quoque eſt, de quo aliquid ſcribendum putavi: Adfuit mihi ante paucos dies Paſtor Eccleſiæ ejus quæ in urbe hac Auguſtanam ſequitur confeſſionem. Narravit is mihi aliquando tecum collocutum Joannem Caſparum Schertenberk, qui Illuſtriſſimo Comiti à Warthen eſt à ſecretis, huic Schertenberkio te pollicitum libros quoſdam tranſmiſſurum Dreſdam ad Nobiliſſimum Dom. à Friſen Electoris Saxonici Conſiliarium. Hoc ſi factum in mandatis habebat, ut pretium vel mihi, vel tibi, vel Bibliopolæ annumeraret. Interea jam habere ſe aiebat tua de uſuris, Epiſtolas Caſauboni, Petavii Rationarium temporum, Velleium filii, & Orationem noſtram de Hiſtoria. Quo magis me penetro in Exercitationes noſtri דניאל ſive Graio malis nomine Theocriti a Ganda (hoc enim titulo Poëmata quædam Belgicè edidit) tanto magis in mentem venit vetus illud,

Καλὸς Θεόκριτος ὁ μόνος ἀνθρώποις ἐρᾷ.

Id quo publico bono deluceat magis, longam tibi à Deo vitam & valetudinem exopto, teque etiam ut hanc ſedulo cures plurimum rogo.

Amſtelodami, Anno clↄ Iↄ c xxxix, vel ſi ab ipſo natali Chriſti potius quam Kalendis Januariis annos putemus clↄ Iↄ c xl: qui ut felix tibi decurrat, & felicior ſæpe redeat, iterum iterumque comprecor. Uxori & tuis ſalutem noſtris verbis dicito.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## CCCCXCV.

*Excellentiſſimo Viro, Domino*

# Gerardo Joanni Voſſio,

S. P. D.

*Matthiæ Berneggeri indicat obitum. Studia ſua in perornando Curtio exponit, benevolentiam ſocero præſtitam in ſe transfundi cupit.*

EXceſſum Matthæi Berneggeri ſoceri mei amantiſſimi, merito inter primos ejus amicos, ſignificandum tibi duxi, Excellentiſſime Voſſi. Quippe & prolixi affectus, obſervantiæque, qua te conſtantiſſime proſequutus eſt, ipſi præ cæteris conſcius fui; & documentorum quibus, amorem tuum, in illum viciſſim declaraſti. Nihil dabo conjunctioni noſtræ; ſed profecto amiſiſti amicum, quotquot ipſi in deliciis fuiſtis, qualem optare haud paulò facilius eſt, quam reperire. Ego in tanta jactura literaria, negotia pro ſolatiis accipio, cùm maximè Curtio perornando intentus: in quem ſupplementi mei ſpecimen, tibi non ineptum eſſe viſum, Vicoforti noſtri literis compertum habeo. Id nuncium me liberavit à metu reliquorum judiciorum. Nec enim vereor, ut cuiquam diſpliceat, quod tibi tantæ eruditionis, tamque ſubacti judicii viro placuit. Quamquam ſanè, neque ſperem magnum aſſenſum, tumultuario opuſculo, neque aliam ejus infamiam deprecor, præterquam ut vetere ſupplemento deterius habeatur. Vale, Vir Excellentiſſime, cum eruditiſſimo filio, & quam ſocero meo dum vivebat, benevolentiam præſtitiſti, quum mereri videbor, in me transfunde: tantam amicitiam ſi non pari dignitate, certè fide non minori culturum.

Dabam Argentorati, ad diem v. Cal. Mart. 1640.

*Excellentiſſ. Famæ Doctrinæque tuæ*

*Candidus æſtimator cultorque,*

J. Freinshemius.

## CCCCXCVI.

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Super morte conſolatur patris, gratulatur autem, quòd de re fœneraria Commentarios ad finem perduxiſſet, pro Epicteto etiam Simpliciòque doctos quoſcunque gratias ei debere affirmat, hortaturque ne poſt hac unquam bene de re literaria mereri deſinat.*

VEhementer, ut debui, dolui, poſtquam cognovi ex filio meo Iſaaco de exceſſu nobiliſſimi & maximi parentis tui Senatoris, quæ malis temporibus laus eſt optima, integerrimi, ſuaque commoda præcipue publico demenſi. Hoc enim conſtans de eo bonorum eſſe judicium, ſæpius ex iis intellexi, quos non paulo me melius ſcire convenit res Gallicanas. Præclarâ adeo famâ deceſſiſſe tanto plus luctui tuo adferre ſolatii oportet, quanto minus in noſtra eſt manu quomodo naſcamur vel etiam educemur; ſed neque tum cogitandum quantum & quam bonum parentem amiſeris, quàm quod hoc eum ætatis præmiſeris. Cum enim moderata eſſe conveniat vota noſtra, puto non multo ulterius te auſurum à Deo nunc poſcere liberis tuis parentum ſuorum vitam, quam ætatis ejus quâ parentem tuum Deus ad ſe advocavit. Hæc ut cætera melius me perſpicis, ut nihil attineat ea nunc ob oculos ponere quæ ſacri nos docent Doctores, vel etiam optimus quem paras, Epicteti interpres Simplicius. Cujus quando incidit mentio non poſſum omittere, quin addam illud, multum me gaudere ac tibi æque & publico gratulari, quòd jam ad finem perduxeris tuos de re fœneraria Commentarios; planeque id confidere fore intra menſes non ita multos, ut tibi quicquid bonorum doctorumque eſt hominum gratias etiam agat, pro Epicteto Simplicioque tam bene ingenii doctrinæque tuæ face illuſtrato. Plane enim ita habe magnam jam eſſe ejus operis expectationem. Interea maturandum veriùs quàm feſtinandum, non operis dico cauſa, ſed tui: qui quomodo tam multis & operoſis nunc ſufficere poſſis in ea corporis imbecillitate, ſatis mirari minime poſſim: etſi ipſe pro vitæ meæ genere (ni fallor) laborioſus ſatis. Quare ſic publicum te attendere velimus omnes ut etiam reſpicias te & uxorem optimam & liberos parvulos: quorum non minus quàm Reip. Literariæ intereſt, ut diu te fruantur ſoſpite ac ſalvo. Hoc tanto facilius conſequentur, quanto tu conſtantius malevolorum artes ac furorem perrexeris contemnere. Mea ac liberi ſalutem plurimam lectiſſimæ conjugi & optiſſimæ affini tuæ adſcribi petierunt.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xl,
III Kal. Mart.

---

## CCCCXCVII.

## Cl. Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Conſolatoriis ejus reſpondet. Ipſum verò hortatur, ut malorum hominum calumnias contemnat, valetudinemque ſolicitè curet.*

REcte ſentis, Nobiliſſime Salmaſi, graviſſimum eſſe hunc caſum qui me afflixit gemina prole amiſſa: in quarum una mater, in altera ego, imo ambo in utraque multum adeo fiduciæ reponebamus. Sed ſic humana ſunt omnia in quibus ſolatio nobis divina eſſe voluntas debet. Huic ſoli acquieſco quia ſolus novit Deus, quid Parentibus expedierit, quid liberis. Et magni eſt divini erga nos amoris argumentum, quod conſtanti adeo in Deum & Chriſtum fide abierunt. Gerardus verò tam in graviſſimo morbo cordatus & patiens, tam aſſiduis ad Deum precibus intentus adeoque ardentius ut omnibus tam admirationi quàm exemplo foret. Non meliorem mihi vel meorum cuiquam exceſſum exopto. Et tute aliquid etiam illud eſſe fateberis, quod pulchella reliquerit ingenii doctrinæque ſpecimina, ut non abierit hinc, niſi pro ætatula bene de publico meritus. Quare omnino ſic etiam illum amiſiſſe quam habuiſſe quem Deus mihi non debuit, malo. Dolet verò ex animo quod intelligam male tibi à pedibus eſſe; Metuo ſubinde ne hæc tibi proveniant à ſtudiis immoderatis, cujus ego intemperantiæ ſæpius accuſor ab amantibus noſtri. Non poſſum verò mihi perſuadere eſſe hoc imbecillitatis, inde quod nimis ad animum revoces calumnias hominum malorum, quarum ſpecimen, etiam ex verſiculis huc tranſmiſſis, perſpexi. Ringebar quidem, ſed neque ridebam ſtultitiam minus. Et video mecum ſentire optimum ac doctiſſimum quemque. Collocutus autem ſum cum multis, tum hujus incolis civitatis, tum vicinarum etiam, & qui ab oris venirent exteris. Magis magiſque ſordent, quod ſic tecum agant, Acheronta etiam ſi poſſunt (pii ſcilicet homines) moturi adverſus te. Sed non meretur ut diutius iis immorer. Cætera ex filio cognoſces Iſaaco. Uxori optimæ & affini tuæ ac liberis à me ſalutem conjux adſcribi voluit.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xl.
IX. Kal. Aprilis.

---

## CCCCXCVIII.

## Georgio Ratallero Dubletio.

*De Gerardi filii morte, & quàm piè mundo exceſſerit, certiorem reddit.*

*Nobiliſſime & Ampliſſime Dubleti.*

REm veteri & arctiſſima noſtra amicitia digniſſimam feciſti, quod in luctu ob exceſſum unicæ & ornatiſſimæ filiæ meæ ſolandum me putaris literis tuis: quæ non leve ſane apud me pondus habuerunt, ſed ſic divinæ viſum voluntati, ut luctui illi ſatis magno alterum adderet dolorem non uno nomine graviorem. Quinto enim die à funere Joannæ meæ in eundem variorum morbum (morbillos vulgo nuncupant, etſi morbus ſit ſæpe peſtilentia ipſa moleſtior, nec pericaloſus minus) incidit, deliciæ meæ tuæque, Gerardus; eumque die abſtulit XVII. nempe quintæ matutinæ puncto, die XXVII. Martii. O ſpes hominum inanes! nec enim facile dixero quantum mihi pollicitus ſim ab illo ingenio cum judicio pro ætate in literis tam exacto. Quæ cum pulcherrima putarem, magis tamen capiebar indolis bonitate, ita veritatis, ſive veracitatis, ita pacis ac concordiæ erat ſtudioſus, omnia domi foriſque in meliorem partem interpretando, ac prout vixit, ſic vivere deſiit: quod magnum & conjugi ſolatium adfert. Multa benigne de multis prædicamus judicio charitatis: hic non opus ex charitatis regula judicium fieri, quia aliter de exceſſu judicium ferre non licet. Omni enim tempore, quo decubuit, mire patienter morbum tam gravem tulit, aſſidue Deum ardentiſſimis precibus comprecando, noſtras preces exigendo, vel ut ſacri eloquii verba prælegerentur: is, qui nec parentes, nec fratres, vel ſorores, nec ut arbitror quenquam, verbo aut vultu perſtrinxit, deplorabat, quod non ardenti ea pietate coluiſſet numen, quo oportuit, ſed fiduciam veniæ ſe repoſitam habere ajebat in miſericordia Dei patris cœleſtis, & merito ac interceſſione ſoſpitatoris

 Jeſu

Jeſu Chriſti: talis ille ad extremum uſque halitum. Sic ut vir perdoctus, cum nocte quadam vigilaret, faſſus ſibi ſit lachrymas excuſſas, dum videt, tanto ea in ætatula meliorem ſe, magiſque χριστιανίζοντα. Verbo ut dicam, exemplo cunctis, omnium judicio fuit, nec meliorem ego mihi, uxori, liberis adhuc ſuperſtitibus exopto. Idemque de ſe prædicat matertera quondam Diamantia, nunc Nærana. Quæ fuſius ad te unum perſcripſi, ut qui præ cæteris dolebis mecum, idem mecum gaudeas, quod eum non amiſerimus ſed meliores in ſedes præmiſerimus. Editionem Valerii Flacci, & Cenſorini commendavit fratri Iſaaco. Utrumque enim opus abſolutum. De Nobiliſſimi Mylii negotio meminero, hactenus nihil licuit: imo nec Typographo Cornelio Blauwio, qui eodem morbo amiſit conjugem νεόγαμον. Vix enim tribus ei fuerat menſibus nupta. Exequiæ filii futuræ die Saturni hora prima pomeridiana. Id non addo, ut eas cohoneſtes (ſcio in tam parvis liberis; & paterna illa ſollicitudine exigi non debere nec fieri poſſe) ſed ut omnium ſis gnarus. Significabis hoc ipſum Ampliſſimo Senatori, & cognato, ut nunc loquimur, veteri amico Davidi Rutero, ex quo conſanguineorum filii facile intelligent cæteri.

Rapt. Amſtelodami,
cIↃ IↃ C XL. XXVIII.
Martii.

*Tuus Totus*,

G. J. VOSSIUS.

---

CCCCXCIX.

*Clariſſimo, & Doctiſſimo Viro,*

## Gerardo Johanni Voſſio,

Hiſtoriarum & Chronologiæ Profeſſori celeberrimo.

*Conſolatoria.*

*Clariſſime & celeberrime Vir, olim Collega, ſemper Amice,*

NOn poſſum verbis exprimere, quam fuerim commotus, quando Præſtantiſſimus Dubletius, mihi per occaſionem communicavit, quas à te acceperat literas, ſuper iterata illa tam paucis diebus probatione, qua Deus patientiam tuam, & lectiſſimæ Matronæ uxoris tuæ, voluit non quidem ſua cauſa experiri, qui vos intimè novit, ſed aliis in exemplum exhibere. Et certè opus fuit vobis, ſpeciali gratia ſpiritus divini, ut hanc jacturam lucro deputaretis, præſertim iis quos Deus ad ſe recepit, hujus ſeculi incommodis, & corruptelis exemptos, & cœlo exceptos. Taceo unicæ quæ ſupererat puellæ carentiam: ſed qualis fuit juvenis ille, qui in ea ætatula poterat, quæ pauci attingunt, poſt multorum annorum labores? At non quamdiu, ſed quam benè vitam hanc duxerit, cogitaſti; & quam fœlicem finem Deus laboribus ejus impoſuerit. Et certè, hoc præſertim corruptiſſimo ſeculi ſtatu, admiranda ſunt quæ de ejus victoria narras. Cur enim hoc nomine, non indigitarem, beatum illum exceſſum, & fidem illam ac conſtantiam, cujus ad extremum uſque vitæ halitum edidit teſtimonia? Beati eſtis, tali filio cœlorum cive, qui in terra, ſui memoriam tam ſuavem, omnibus bonis, & doctis reliquit? Beati qui quæ humanitus vobis accidunt, divinæ Providentiæ, adſcribitis, & in ea acquieſcitis; ſiquid poſſunt, amicorum συμπαθείᾳ, ſi κουφίζονται οἱ λυπούμενοι συναλγούντων τῶν φίλων, tot ſunt qui vobiſcum lugent amici, quot ſunt, quibus non ignotus erat maximæ ſpei juvenis; ſed quem ſpes melior non feſellit, quem etiam non lugetis, quomodo lugent ii qui ſpem non habent. Præivit, ſequemur ad nos non rediturum, qui ad eum tendimus, id eſt ad Deum. Det tibi, Vir clariſſime, in iis qui ſuperſunt gaudia diuturniora, eoſque benedictionibus ſuis, coram oculis tuis cumulet, teque iis diutiſſime conſervet, cum lectiſſima uxore, quam tecum cum mea, ſaluto officioſiſſimè, cum reliqua familia. Vale.

Hagæ-Comitis,
poſtr. Kal. Apr.
cIↃ IↃ C XL.

*Tuus omni officio & affectu,*

ANDREAS RIVETUS.

---

D.

## Andreæ Riveto,

Summo & Theologo & Amico

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Salmaſium Leidæ malè haberi, ac virulentos modò verſiculos contra illum prodiiſſe, narrat: ægrè fert tantum inter eruditos eruditionis & candoris divortium, propter quod etiam doctiſſimi multi ludibrium fiant indoctis. Meliorem ipſis mentem à Deo precatur.*

GRave omnino eſt geminum illud vulnus quod accepi: præſertim iſtud de filio, ea in ætatula iſtac eruditione, ea inſuper vita ac moribus, ut in illo minus deſiderarim quam meipſo. Sed ſic quoque plurimum debeo numini, quod egregiam hanc prolem mihi donarat, vel potius commodarat. Non leve eſt quod monumentis ſuis vivet in hominum memoria: Majus, quod nomen ejus inſcriptum ſit vitæ melioris. Quare omnino malo, hunc datum mihi filium, quam ſi Deus dediſſet nunquam: planeque pro eo quoque beneficio debitorem me agnoſcam ac profitebor ſemper. Non facile autem dixero, quam mihi gratum fuerit, quod me literis tuis ſolandum putaris; nec Deus qui hunc tibi animum inſpiravit, epiſtolam tuam in me infrugiferam eſſe ſinet. Idem dixero de literis quas nudiuſtertius ad me miſit ὁ πάνυ Salmaſius. Cujus quando nunc mentio incidit, diſſimulare non poſſum quam male me habeat, quod Leidenſium nonnulli loliginis ſucco plani, inſaniendi adverſus eum finem faciant nullum. Non ſatis erat ubique eum traducere, niſi & neſcio quem, ſancto Martyri, qui Tertullianum ſuum doctorem vocare ſolet, cognominem, verum moribus, ut ex ſcripto apparet, valde diſparem, inſtigarent ad ſcribendum pro manibus, ut ipſe loquitur, Cunæanis? Profecto, ſi quoties quis à defuncto modeſte diſſentit, pro manibus ejus liber debeat prodire, contra quem non eruditorum immanes pro manibus libri ſcriptitentur? Te, meque etiam hæc maneat fortuna, nec enim poſſumus negare, quandoque à priorum nonnullis nos abire. Et qui aliter poſſimus, cum illi ipſi ſæpius abierint ab iis, qui fuerant, nec conſenſerint ſemper cum illis, qui eſſent; ad hæc quid fieret Ariſtarcho, à quo ſæpe adeo acerbe, & præter meritum ullum vapulat Nonnus? Non metuit ne quis ſcribat pro manibus Nonni? Cujus ſancta anima poſtquam mille & ultra annis in Domino obdormivit, nec ulli gravis fuit, multorum vero mentes ſacro pavit alloquio, quaſi inquietata, & quantum in ipſo fuit Ariſtarcho, velut cœlo devocata fuit ad cauſam Leidæ dicendam pro opera honori Chriſti, & Euangelii illius impenſa. Num ullum talis rei exemplum habemus à longe plurimis retro ſæculis? Crede mihi, optime & prudentiſſime Rivete, non eo hæc ſine à me ſcribi, quod lubido me teneat obſtrigillandi quemquam, nedum illum, cui male licet merito, ob doctrinam & quia collega fuerit, honorem ſuum debeo: ſed ſolum hæc à me dicuntur, quod ferre non poſſim tantum eruditionis & candoris divortium, propter quod etiam doctiſſimi multi ludibrium indoctis debent. Nempe ſic cum iis agitur, ut domi ſint talpæ, Argi foris, imo oculatiores Argo, quippe qui videant etiam quod non eſt. Miſſi ad me his diebus verſiculi virulenti in Salmaſium, nem-

Digitized by Google

nempe ex eorum quos dixi officina, ut quidem ad me perſcriptum, & poſtea ſermone eorum didici qui Leida venirent. Et addunt, non hic ſtaturam rem, ſed de vi cogitari. Verum ego caſſas hæc terriculas puto. Sapient magis; nec hoc boni ſirint. Orandus interim Deus nobis, ut meliorem hominibus mentem inſpiret, ad gloriam ſui nominis, & honorem ac utilitatem Reip. literariæ, cui ab moribus iſtis magis magiſque eſt contemptus, nullâ literarum, magna quorundam literatorum culpa. Hanc querimoniam tutis auribus vel literis committere volui apud te, cujus ut rara doctrina, ita eximia pietas ac prudentia, & erga amicos fides, nota eſt omnibus iis qui penitius inſpexere. Vale, vir maxime, & amare nos tui nominis cultores perge; nec optimæ ſolum conjugi, ſed ſi quando otium erit, etiam clariſſimo affini tuo Molinæo meo nomine ſalutem dic plurimam, vel huic potius ſcribe. Jucunda enim mihi ſemper fuit, eritque tam eruditi doctoris mei memoria: addo & collegæ ex quo ambo in Cantuarienſium Canonicorum ordinem ſumus adſciti.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xxxix.
III. Id. April.

## DI.

## Georgio Ratallero Dubletio.

*De nova diſputandi arte Nihuſii agit, exemplar apologiæ ipſius contra Andabatam Helmſtadienſem (Calixtum) mittit. Sententiam ſuam de illa, plura aliquando coràm expoſiturum pollicetur.*

*Nobiliſſime & Ampliſſime Dubleti,*

JAm ab aliquot retro annis graves & crebræ fuere Domini viſitationes, ut ἑβραΐζοντες cum Scriptura & Eccleſia loqui ſolemus. Itaque quoties cogitatio eo defertur, metuo ne hic ceſſet manus Domini: ac ſi aliquantum temporis ſine gravi incommodo labatur, in lucro illud pono, & gratias ago bonitati ſupernæ. Quod ſi plane ita divina ferat voluntas, ut alia me maneant adverſa, ita fore prorſus confido, ut qui vulnerat, etiam ſaucio ſpirituale ſuum balſamum affundat. Nihil pium ex nobis, ſed in Chriſto omnia poſſumus. Neſcio ecquid audieris de nova diſputandi via, qua ſola confiſi Pontificii in quovis dogmate provocant noſtros. Huic ſe oppoſuerat Calixtus, Theologus Confeſſionis Auguſtanæ, & quidem, ſi quid judicare de his valeo, facile omnium, qui eam in Religione Chriſtiana ſententiam profitentur, doctiſſimus & cordatiſſimus. Huic reſpondit vetus ejus condiſcipulus, Ducis Wimarienſis, qui nuper vita exceſſit, præceptor, ſed poſt deſertos Lutheranos Abbas Pontificius: Abbatia autem ſua à Sueco milite ejectus, ac inde in Bataviam profugus, ubi nunc tertium quartumve annum agit, vir doctus, & perhumanus, nec infacetus. Hunc aliquando ad me perduxere Overbequius P. M. & Joachimus Wikefortius: ac fine hoc illo, ut de uno altero capite eorum, quæ inter Pontificios & noſtros controverſa forent, diſſertaremus. Poſtea idem ſponte etiam ſua ad me venit non ſemel: ſæpiuſque de nova illa diſſerendi arte, ut vocant collocuti ſumus. Quia vero quam inſiſtat diſputandi viam, non aliunde melius quàm ex apologia ejus contra Andabatam Helmeſtetenſem, hoc eſt Georgium Calixtum, cognoſcere eſt: eo geminum ad te exemplar ex quaternis quæ dono accepi, tranſmittendum putavi. Unum tuo inſerviat uſui, cujus ego in talibus etiam judicium magni meritò facio: alterum Clariſſimo Riveto vel ipſe dabis, vel per famulum mittes. Cauſam conſilii mei, ubi otium erit, facile ex te cognoſcet; nempe propterea illum potiſſimum elegi, quia ex Theologis Fœderatæ hujus Belgicæ κρατιστεύοντα, & controverſiarum quæ nobis ſunt cum Eccleſia Romana intelligentiorem ſcirem neminem, amicus quidem meus pervetus putat Nieuhuſium toto opere σοφίσματα nectere, cui non per omnia adſenſero; ſed puto etiam iſtis conditionibus palæſtræ quas præſcribit, cauſam noſtram ſuperiorem fore. Et illius rei ſemel iterumque experimentum diſſertando illum in modum cepi. Sed de iſtis pluribus aliquando coram: ubi & valetudo meorum, & feriæ publicæ excurrendi ad vos facient poteſtatem. Omnes mei te plurimum ſalutant.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c. xl. pridie Idus Aprilis. Quo die ſi fuiſſem Hagæ, non commiſiſſem quin Illuſtris Legati Suecici Joachimi Camerarii rectà petiiſſem domum, eique & familiæ in multa ſæcula omnia eſſem fœlicia comprecatus: Nempe quia hic eſt dies ille, quo lucem primum Banbergæ ante annos cxl. vidit avus ejus Joachimus Camerarius, quo viro, ut cæteras ejus laudes taceam nullus in Germania melius eſt meritus de literis Latinis pariter & Græcis. Ubi ſponte ſe occaſio obtulerit, ſalutem plurimam & Dom. Legato, & filio, generoque dicito.

## DII.

*Viro Incomparabili, Domino Doctori,*

## Gerhardo Joanni Voſſio.

*Ejuſdem cum* CCCCLXXXIX. *argumenti.*

LIteræ tuæ, Vir celeberrime, cùm dolorem noſtrum augerent, ex tuo, quem non minus domeſticum nobis, Paterna conjunctio effecit; è veſtigio ubi reſponderi mandabant: Ne à fideliſſimis amicis deſtitutus, cum ſolatium non potes expectare videreris συμπάθειαν. Ipſe enim noſti, ſimplex quidem, & vulgare, ſed unicum eſſe noſtrum, adverſus mala omnia præſidium; voluntatem Dei; quæ nullum à Chriſtianis patitur murmur, quia quod inflixit, non malum vulnus eſt. Quippe quo firmitas, & conſtantia, imo ipſa animæ valetudo, ac ſanitas quæritur. Nos quidem cum patrem, caput amiſerimus, ſic fermè, veluti naturale eſt, extabuimus. Et tamen reſumimus ſpiritum, tanquam ſurculos edituri, poſtquam cladem maximam fortuna fecit. Tibi membrum aliquod abreptum, quamquam chariſſimum, ſi nihil aliud, leviorem præ nobis dolorem, eſſe patietur. Cumque orphani nos paululum erigamur, quid tanto viro defuerit, cui ſolidum eſt omne Chriſtianum robur; & in hac cauſâ, viridique ſenectute, virenti palmæ non abſimile. Sed hactenus quidem, ne quod dici ſolet, Sus Minervam. Quod diſſertationem meam ſpectat; ſi præter ſpem Blauwius manum non admoviſſet, Elzeviriis eam tradi peto, qui non hanc modo, ſed & Cretam ipſam, abſque omni morâ edituros, polliciti ſunt. Quicquid fuerit (nam & Cretam non video ſic urgeri nunc debere) quæſo, ut diſſertatiunculam, cum Elzeviriis mitti impreſſâ valeat, quos proximè ſperamus. Paucarum pagellarum eſt, jacturæ, aut impenſæ illius, quæ ob exilitatem vix æſtimari poſſit. Alias, præter Cretam omnes Parentis lucubrationes, quotquot fuerint, remitti peto; hoc enim regno, excudi facilius curabo. Spero autem antequam de Cretâ quicquam fiat, me literas à te recepturum; quibus me certiorem facies, an Parentis dedicatoria, ad Franciſcum Molinum annexa ſit. De quibus omnibus, porro te etiam atque etiam rogatum volo, Vir maxime, ut moleſtiam imputare fidei, ac benevolentiæ tuæ copias; mihique ad omne genus, tam officiorum, quam literariæ laudis facem præbere, imo ut rectiùs dicam, calcar addere. Potes enim, poteſque. Mater, ſoror, tui, tuorumque cauſâ, ſollicitæ ac prorſus anxiæ ſalutem tibi dicunt plurimam, & decumbenti filio, meliora omnia per me, & mecum ſimul apprecantur. Vale, decus unicum ævi noſtri, noſtræ domus præſidium.

Datum Soræ, ad diem xii April. Anno 1640.

*Tuus omni cultu & obſervantia,*

JOAN. MEURSIUS Filius.

Hæc ſcripſi, etenim dubito, num Epiſtola mea per Hamburgenſem nuntium miſſâ, tradita ſit.

## DIII.

*Viro Illuſtri, Excellentiſſimoque*

## Gerardo Joanni Voſſio,

Rhetori ac Polyhiſtori digniſſimo,

Salutem plurimam ac debitam obſervantiam.

*Commendationi ejus plurimùm ſe debere agnoſcit, ac quò gratum re ipſâ teſtetur animum, filiorum aliquem Conſtantinopolin ad ſe invitat, maximos in eruditione Orientali progreſſus facturum.*

*Illuſtris ac Excellentiſſime Voſſi,*

TUis literis plurimum me debere, iis quas in Angliam abituro gratioſè communicabas, meis ex Anglia ad T. Exc. datis literis, libentiſſimè agnovi, veluti hâc agnitione, partem grati animi monſtraſſem. Illuſtriſſ. quoque Hugo Grotius earum cauſa me Pariſiis honorabat. Conſtantinopoli quoque, hic inquam, ubi jam decem ferè menſes, cum Cl. Pocokio tuo dego non ingratus, earum, quas non viderat, nomine ſum ſuſceptus. Ita ut gratias agere maximas debeam, pro iſtis tuæ in me benevolentiæ teſſeris, adeo utilibus in meam rem. Et eo ipſo me veluti aliquem tuorum aſcitum commendaſti, ut ingratus ſim, niſi ſingularem, & ut fœliciter credam, paternam quandam curam deprædicem. Gratitudinis cauſa impræſentiarum, hoc ex animo ſuadeo tuæ Excell. ut aliquem tuorum filiorum, Iſaacum, vel Gerardum, navi Hollandicâ, vel ſi iſta deſit, Anglicâ, quæ in initio Auguſti, vel ad finem Julii ex Douvrâ ſolvit, & Generalis vocatur, quod totius Societatis Turcicæ Mercatores, merces ſuas imponunt, huc mittas, ubi maximum pro eruditione Orientali commodum facere queat, cùm & hic librorum ſit copia, emendique poteſtas ſatis magna, licet pretia cara ſint; & ſi quis Græcas viſitare Eccleſias velit, quæ hic in Oriente ſunt, queat manuſcripta quædam reperire, quæ præſenti pecunia redimat. Vivendi ratio, filio tuo foret facilis; cum Illuſtr. Confœderati Belgii Reſidens D. Cobs, vel mihi biennii menſam, domumque, & hoſpitium liberale promiſerit, quodque recepiſſem, niſi quædam alia me intercepiſſent, Pocokius ſcilicet, & Anglicus Legatus. Quod quum mihi fecerit peregrino, quid tuo non faciet filio, cui multis nominibus, Belgium quoque ipſum debet eſſe obſtrictum? Et nullius hic quoque æſtimatur adeſſe tabulæ, cum omnes Legati cogantur hic ſplendidè, & liberaliter vivere, veluti verſantes in oculis Turcarum, qui ex ſplendore externo, gratiam ſuam favoremque inclinant, cum Legatis honorificum ſit, ſplendidos ſecum habere domeſticos, nobileſque, quo ipſo modo P. Golius, per quatuordecim menſes, gratis vixit, in ædibus Cornelii Hagæ, & ego ipſe ſi magis ducerer deliciis, quam ſtudiis, vel decennium hic commorari queam. Perſidem verò, cum Dei aſpirante gratiâ, intra menſem, vel aliquanto ultra, petiturus ſum, conſilio meo ea inde reportaturus, quæ per propriam diligentiam potero, cui interdum pecunia deſit, ſed nunquam conſtans firmuſque, & quadratus animus, quo aliquid certè reportabimus, aliiſque viam, quam ex noſtra Religione nemo ſtudioſorum ingreſſus eſt, aut doctorum virorum monſtravit, inveniam unde & noſtra Reſpublica literaria ditari queat, cùm indignum ſit, Mercatoriam Rempublicam, ex Oriente ſuos advehere Theſauros, nobis inde nihil, aut parum divitiarum venire. Id quod quemadmodum ferre nequeo, ita ſpero, me cum filio tuo Iſaaco poſſe, noſtris doctis viris, oculos aperire; ut ſciant non minus ſibi, quam Mercatoribus Orientem eſſe petendum, cujus ſcientias, hiſtoriaſque, & millena eruditionis genera, non melius ſpernimus, quam illi noſtras ignorant, quibus ut optima quoque noſtra ex animo optamus, ita plurima noſtra, ex illorum reliquiis lucem ſine dubio magnam accipient. Quod verò id hactenus factum non eſt, non defectu librorum ſcientiarumque fit, ſed quod docti noſtri, adeo diligenter Orientem non inveſtigant, uti Mercatores, magno mehercule noſtro damno, & ignominia. Concedes itaque, Excell. Voſſi, ut cujuſcumque ex præclaris filiis tuis animus cupidine has videndi oras ducitur, eum permittas ſuis votis, neque in itinere plus periculorum eſt, quam domi, magnoque in mari, quam parvo, id quod proh dolor! Filiorum ſubita mors oſtendit. Et hic Conſtantinopoli pericula tanta non ſunt, quanta vulgo creditur, & ab iis ſpargitur, qui peregrinationibus ſuis, ex periculorum commentis ordinibus majorem adſtruere gloriam, & admirationem contendunt, qualibus ingeniis, & nunquam delectatus ſum, & nunquam credidi. Quot hic per decennium, imo per vicennium vivunt, qui tale quid non ſenſere! Uniuſcujuſque prudentia, poſt divinam providentiam omnibus iis, quæ accidere queunt præveniet. Quod itaque P. Golius, Pocokius, Gravius, & is quem commendaſti, Chriſtianus Ravius hic aut fuere, aut ſumus, ut Daſam, alioſque taceam; hoc amorem filio tuo, facile concitabit, maximè cum ex Golio, Pocokioque conjecerit, quantum eruditionis hic comparari queat. Quod ſi vero Ptolomæum prius edere velit, amarem ut eum Græco-Arabicè magis, quam Græco-Latinè ederet, pluribus ad eum perſcriptis de cauſis. Utinam veſtri Amſtelodamenſes, aliquot juvenes mitterent, alerentque in diverſiſſimis Orientis partibus, ut duo aut tres conjunctim omnia inquirerent! quoniam impoſſibile eſt, ut unus aliquid ſingularis perficiat, quod ſemper miror melius intelligere Mercatores, quam Doctos. Hiſce vale, Excellentiſſ. & Illuſtriſſ. Voſſi, & me ama.

Conſtantinopoli, 13 Apr. 1640.

*T. Exc. obſervantiſſimus,*

CHRISTIANUS RAVIUS

## DIV.

*Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Domino,*

## Dn. Gabrieli Guſtavo Oxenſtiern,

Libero Baroni in Kinutho, Domino in Toreſio, & Stureforſa, &c. Regni Sueciæ Senatori & Proregi, &c.

*Epiſtola commendatitia.*

*Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine,*

REdiit ad vos Generoſus Dom. Bielkius, juvenis bonorum amore dignus, mihi quidem non modo ob genus præclarum, majorumque virtutes, ſed etiam propter indolem optimam longe ſemper chariſſimus, non modò dum Amſtelodami fuit, ſed poſtquam etiam abiit Leidam: redit autem doctrina auctior; qua parte tamen non auſim dicere, plane expleturum vota & deſideria veſtra. Sed nihil impedit, quominus etiam in patria majora addat incrementa, partim legendo ſcribendoque, partim commercio hominis eruditi ac fidi: verum ea eſt veſtra prudentia, ut de iſto melius coram judicium facturi ſitis, quam ego vel alius his verbis. Et habebitis optimum & doctiſſimum Granium, qui his diebus magna cum laude ſupremam in utroque jure lauream eſt conſecutus. Ex eo omnium, quæ ad ſtudia Generoſi Bielkii pertinent, optime cognoſcetis. Eſt is vir magna pietate, ac moribus optimis, idemque ea eſt doctrina ac facundia, ut his etiam nominibus ſemper mihi fuerit acceptiſſimus. Sane in paucos incidi gentis Sueciæ, qui paria faciant, nedum ſuperarent. In curando vero juvene, cum præfectus è vobis fuit, ſumma ejus ſemper eluxit fides ac induſtria. Non facile dixerim quoties de genero juvene mecum ſit collocutus, inque ſtudiorum ratione qua eum informandum putavit, non poſſum non utroque

quod

quod dicitur pollice, inſtitutum ejus comprobare. Tanto dignior, cujus à te, præclare heros, & à procerum aliis, ratio habeatur? ſive exiſtimabitis operam ejus in Academia, ſive in Reip. negotiis patriæ utiliorem fore. Intereſt hoc non modo ipſius Doctoris Granii, ſed etiam Nobilitatis Suecicæ: ſi enim huic viro ea virtute ac doctrina poſt operam Generoſo Bielkio ſumma fide navatam, publice honor expendatur: præterquam quod eum admodum vobis obſtringetis, futurum etiam, ut eo ad ſimilem induſtriam ac fidem accendantur alii, quos nobilibus adoleſcentibus in terras exteras mittendis præficere cogitabitis. Ut nihil jam de eo dicam, quod illo munus iſtoc quod imponetis, egregie ſuſtinente (neque enim de eo dubitandum) futurum eadem ut magna ex parte ad vos redeat honor, & illi de quibus bene merebitur, Illuſtribus Proceribus, qui tam recte ſibi proſpexerint, gratias agant immortales. De me ſic habe, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, devotiſſimo me animo eſſe erga florentiſſimam gentem Suevicam; ac jam ab viginti annis, partim Leidæ, partim Amſtelodami ut potui comprobaſſe: ac ſi quos mihi commendandos putabis, nunquam me commiſſurum, ut ullum meum officium deſideretur.

Deus Opt. Max. diutiſſime tam Illuſtre caput & patriæ, ac familiæ, ac amicis ſoſpes ac incolume conſervet.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xl, Id. Aprilis.

*Illuſtriſſimi nominis tui cultor devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## DV.

*Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Domino,*

## D. Gabrieli Benedicto Oxenſtiern,

L. B. in Morby, Domino in Lindholmen & Roſersberg. &c. Regni Sueciæ Senatori & Theſaurario, &c.

*Epiſtola commendatitia.*

*Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine,*

NOn poſſum dicere quam gratæ mihi fuerint literæ ab tanto heroe ad me miſſæ, queis commendaſti mihi Generoſiſſimum juvenem Bielkium. Itaque cum antea eum diligerem, poſtea etiam impenſius ejus ſtudui commodis, nec ulla in re, qua opera mea uti vellet, officium noſtrum claudicavit. Nec inutiles ei fuimus; credo tamen profectus majores deſiderabis. Sed enim ſi nobiles adoleſcentes omnes in ſtudiis nervos intendant, merito & nobis gaudemus, & illis gratulamur; ſin fortaſſis majorem requiramus induſtriam, lætamur tamen dummodo nobis non plane perierint impenſæ; & tam corruptis ſeculi moribus, ita ſe geſſerint, nihil ut ſit quod vitæ probitati & honeſto nomini multum adverſetur. Sane indole hic juvenis eſt perbona, planeque ita fore confido, ut deinceps in patria ſi ſtudia continuet, & docti fidique hominis conſiliis ea dirigat; id ſuppleat, quod non injuria nunc deeſſe videatur. Sed de iſto non præibo conſilio, quando optime ea ſine monitore perſpicis. Et melius ea exponet doctiſſimus Gravius, qui vir ſedulam ſemper Generoſi juvenis ſuæ fidei commiſſi, curam geſſit, ſive ſtudia ejus, ſive vitam moreſque attendamus; nec dubitandum, Illuſtriſſime Domine, quin excellentiſſimo nomini tuo, & procerum aliorum ſit charior acceptiorque futurus, quod nuſquam paſſus ſit fidem & induſtriam ſuam deſiderari; ſane & in hac urbe iis qui novere, & Lugdunenſi in Academia, ubi ſupremos in utroque jure eſt adeptus titulos, ab optimo & doctiſſimo quoque & amatur, & æſtimatur: atque ita eorum judicium eſt, non defore tam pio candidoque, tam docto & prudenti viro, qui vel ab honore Academico, vel civili munere, conſultum, & illi velint & patriæ ſimul, quæ multum ex eo capere poterit utilitatis: Mihi quidem id ſi contingat, jucundiſſimum erit, nec mihi duntaxat, ſed aliis etiam qui ſtudiis, & Sueciæ toti bene velint. Porro ſi qua in re illuſtriſſimo nomini tuo inſervire poſſit opera noſtra, ea ſemper erit paratiſſima; nec committam, ſi quos nobilitatis Sueciæ adoleſcentes commendandos mihi putaris, quin omni eos conſilio, & auxilio juvem, dummodo ſibi ipſis non deſint. Nihil enim jucundius mihi, quam de ſtudiis eorum bene mereri, qui aliquando columina futuri vel ſtudiorum, vel Regni, vel Reip.

Deus Optimus Maximus perdiu te, & Illuſtriſſimam familiam tuam ſalvam, ſoſpitemque conſervet, bono Regni Suecici, ac ſimul cultorum tuorum.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xl. Id. April.

*Excellentiæ tuæ devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## DVI.

*Multa ſe ob aſſertam Syntagmate ſuo Gratiam Univerſalem pati, paſſimque nunc ut Pelagianum, nunc ut Arminianum, nunc ut Socinianum traduci, queritur. Calixtum etiam, quod concordiæ ſit ſtudioſior, à ſuis impugnari.*

*Excellentiſſime Vir,*

QUam verum ſit Comici illud, *Veritas odium parit*, experimur quotidie, qui illius conſtante profeſſione plurimos in nos concitamus: à quibus clam & palam impugnamur, nunc ut Pelagiani, nunc ut Arminiani, nunc ut Sociniani; cum ab omni partium ſtudio alieni unam veritatem omnibus hominum opinionibus & affectibus antiquiorem cenſeamus. Ingrati quidam diſcipuli calcibus nos ſuis petunt & tantum non conculcant, tanquam jurati hoſtes GRATIÆ UNIVERSALIS, qualem omnibus ſufficientem in Chriſto offerri Syntagmate meo doceo. Id Belgis quibuſdam veſtris diſplicuit, quorum Academicis præjudiciis, hi facti ſunt ferociores & in nos iniquiores. P. Polyander, vir alioquin candidus & nobis amicus, jam plane ſilet, ut neſciam an ſibi amor noſtri conſtet. Æmuli noſtri artibus ſuis effervent, ut Combuſius quidam è Schola Caſtellana huc vocatus ſit, qui unguis eſt in vulneribus noſtris, quæ conſolidare deberet. Verum ita ſibi Suffenus eſt, ut tum hic, tum alibi non benignè de ſcriptis D. Bergii, D. Willii & meis judicet & parti adverſæ, à qua vocatus ſit, apertè velificetur. Nos ſolatur cauſa, juſtitia & conſcientia. In ære ſum doctiſſimi filii tui, qui triumphum claſſicum Trompii veſtri dono mihi miſerat per amicum, qui, eo mihi in limine ædium mearum exhibito, ἀφαντος ἐγένετο. Doleo autem nimis quod neque ἀντίδωρον nunc ad manum mihi ſit, neque humanitas mea viro optimo innotuerit, adeoque barbarus illi videri poſſim jure meritiſſimo. Excuſa nos, amato utrique. Sed & quæ in Docenium, filium Conſularem, pronuper contuliſtis, ut ille non prolixe ſatis prædicare poteſt, ita nos vobis obnoxios æternum faciunt. Qui has tradit, auditor noſter eſt brevi huc redituros, cui tuto tradi poſſunt, ſi quas ad nos dare velis. D. Calixtus Profeſſor Helmeſtadienſis, peculiari nunc libro à ſuis impugnatur, quod concordiæ ſit ſtudioſior, quam moroſi Stentores, quibus claſſicum è ſuggeſtis ſuis canere prolubium eſt. Sic impulſi ſumus utrinque a domeſticis fidei, quibus pacis cenſores ſumus. Adeo ſedit animis plurium illud:

*Nulla ſalus pacis: bellum te poſcimus omnes.*

 Claudo

Claudo & ſalutem cum officiis Cl. T. Scytte à D. Bergio utroque Willio & me.

Bremæ prid. Non. Maji, Anno 1640.

*Clarit. Veſtræ devotiſſimus Servus,*

Ludovicus Crocius.

## DVII.

## Ludovico Crocio,

### Theologo Bremenſi.

*Domeſticas ſuas refert calamitates. Succenſet rigidis pacis ac concordiæ Eccleſiaſticæ oſoribus, ac tanto etiam magis, quantò longius animos alienent illorum, qui Auguſtanam ſequantur religionem.*

*Eximie & Vir & Amice,*

Nihil hactenus, ut arbitror, ad te perſcripſi de gemino vulnere domeſtico quorum utrumque ſuperiori menſe Martio accepi. Prius Dominus ex hac vita evocavit filiam, quam haberem unicam, jam ea ætate, qua viro maturæ judicantur, etſi nos, quodammodo ſeptentrionis filii, non adeo calide hoc connubiale negotium terris frigidis urgeamus. Hæc res mihi permoleſte accidit: ſolatus me interea ſum voluntate Dei: eo magis quia pie adeo, uti vixerat, obdormiſſet. Dolorem quidem augebat quod tam reverita eſſet parentes, etiam complexa eſſet variarum linguarum, & artium ſcientiam, ob quam non exiguam erat laudem adepta apud eos, quibus innotuerat. Sed enim conſolabar iterum me illo, quod pietatis tam cito haberet mercedem: & quod ad terras attinet, ſi bona mundi, ſane nec mala ejus noſſet, nec jam obnoxia ſit periculo ne male nubat, vel filios nanciſcatur male morigeros, ut tot alia mittam. Vix tres erant hebdomades, quod ita mecum colluctor: cum ecce nobis etiam adimitur filius natu minimus, mihi cognominis qui cum caſtigationibus edidit Velleium: ut propediem Valerius Flaccus & Cenſorinus, ſedulo caſtigati conſequentur: poſtmode fortaſſe Servius, & emendationum in varios Scriptores libri. Hæc ille jam præſtiterat, cum necdum annum expleſſet primum & vigeſimum. Nempe agebat Climactericum tertium ſi ſeptenariis numeremus. Uti & vix paucis eum menſibus exceſſerat Dionyſius meus Reidani annalium interpres, adoleſcens tot vulgarium, linguarum ac præter Latinam Græcamque tot Orientis linguarum intelligens. Ejus ſpero verſionem Maimonidæi operis de Idololatria intra duos tres menſes tranſmittam. De caſtigationibus in Julium Cæſarem nihil certi ſpondeo. Ad Gerardum τὴν μακαρίτην redeo, cujus obitus non minus quam Dionyſii ante ſeptennium magnum mihi attulit dolorem. Nam præter mores ſuaviſſimos amabam judicium & doctrinam, qua aliis etiam ætatem vincere putabatur. Quid facerem, niſi ut me ſolarer eo, quod eum jure ſuo repetiiſſet Dominus; nec tam amiſſus eſſet quam præmiſſus, nec tam ereptus nobis, qui fortaſſe eum brevi ſequemur, quam mundi hujus miſeriis. Nihil quoque periculi nunc, ne corrumpatur à mundo, poſtquam illi valedixit, & uti vixerat pie etiam in Domino obdormivit. Sane omni morbo, non fratribus modo, ſed aliis etiam & quidem ætate provectis, exemplo fuit. Poteram videri jam malis defunctus, cum ipſe in morbum incido qui me lectulo aliquamdiu affixit, diutius vero detinuit domi: ita ut vix tertia ſit hebdomas quod pedibus me porto meis. In adverſis hiſce Deus ſpiritu ſuo nos firmavit, & ut confido nos roborabit porro. Ne tibi quidem vel collegis doctiſſimis, ut ex literis tuis, & variorum ſermone intelligo omnia ex voto procedunt. Qui lites fovere in Eccleſia malint, probare in vobis nequeunt pacis iſtud ſtudium, quod ſocer ſic in Erenico, imo Theologorum quiſque optimus, ſemper commendavit. At longe alia mala mihi eſt mens, qui vota etiam pro longiori talium vita facere ſoleo. Magnam partem hoc malum provenit ex antiquitatis contemptu, quam pro nobis ſtare certiſſimus ſum, ſed iſti ἰδιογνώμονες nihil probant, quod non didicere à magiſtris ſuis, viris ſæpe doctiſſimis, ſed non minus errori obnoxiis, quam veteres Eccleſiæ doctores, Apoſtolicis temporibus propiores, ac noſtris (hoc enim video prope in confeſſo eſſe omnibus) pietate etiam ſuperiores. Cumque vos acerbe adeo reprehendunt, utinam cogitarent quantopere à nobis alienent eos, qui Auguſtanam ſequuntur confeſſionem. Merito enim illi objectant omnia omnium εἰρηνικὰ, & tam amica alloquia, iis præcipue terris, ubi admiſſi nondum ſumus, nihil eſſe, niſi doloſos aucupum cantus ad volucres decipiendas. Nam inquiunt, ſi in pauculis cum iis facientes ferre non poſſunt, ſed fœde adeo eos traducunt: quid boni expectent de iis qui diſtare ſe profitentur totis paraſangis? Paulo iſta liberius præter morem ſcripſi indignitate rei motus. Vobis interea ſatis eſto, quod probetis vos probatiſſimo cuique: quod poſteritas omnis hoc ſtudium veſtrum pollice utroque commendabit: quod Deus ut confido, magis magiſque huic ſtudio benedicet: & ſi minus in terris luculentam, in cœlis vobis mercedem rependet. Salutem plurimam clariſſimis collegis D. Bergio, & DD. Williis dicito.

Amſtelodami, ꟾↃ Ꟶ C XL, XX Junii.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

Libellum mitto de Reprobatione Abſoluta, neſcio cujus auctoris, ſed nuper hic editum. Anglus putatur auctor.

## DVIII.

## Hugoni Grotio

### S. P.

*Adverſa domeſtica effeciſſe ait, ut in ſuis excudendis opera aliquandiu ceſſârint, proximè autem opus de Gentili Theologia & Phyſica Chriſtiana expectare iubet. Aurea autem plane eſſe, quæ in Commentario in N. Teſt. doctos doceat Grotius: Diatribam verò de Antichriſto, alia item de Cœna paucis placere, quod à communi abeant ſententia.*

*Illuſtriſſime Domine, Vir undecunque maxime,*

Literas haſce exarabam, in Gallias ituris, Bartholo, Thoma, Caſparo Bartholinis, liberis Caſpari Bartholini Philoſophiæ, ac Medicinæ, dum viveret, in Academia Hafnienſi Profeſſoris, viri acuti & pereruditis ingenii, doctrinæque monumentis, per orbem celeberrimi. Præterea comitem ſe iis in viam dedit Theodorus Fuirenius, eorum quos dixi conſobrinus, natus ex Doctore Medico, ampliſſimi Conſulis noſtri, Andreæ Bicheri, conſobrino Bartholinorum. Materteram uxorem habet Olaus Wormius Medicinæ in Academia ante memorata Profeſſor, cujus extant, Faſti Danici, doctum & utile opus. Item liber de Runica, ſive antiquiſſima Danorum literatura, vulgò dicta Gothica. Hæc de iis qui literas perferunt, juvenibus eruditis, ac ut cenſeo, non indignis, quos ad ſalutationem & alloquium tui admittas. Nunc de meis loquar. Poſt amiſſam dulciſſimam Joannam meam, puellam jam nubilem, & variis artibus, ac animi dotibus inſtructam, filiam unicam: Poſt ereptum item Gerardum cariſſimum, in quo ſemper certare putavi judicium cum ingenio, pietatem cum induſtria (Velleium ejus vidiſti, & Valerius Flaccus, ac Cenſorinus, fortaſſe item alia conſequentur) in alia quoque adverſa incidi, quæ non mediocriter animum premerent; ne tamen opprimerent, operam dedi quam potui.

Vix

Vix tamen dubito, quin crebrior eorum cogitatio, & uxoris mœror, aliquid etiam contulerint ad morbum, qui me lecto aliquandiu affixit, duos etiam menſes detinuit domi. Ita factum ut ceſſarent operæ, in excudendis meis, quibus prælum antea fervebat; ut item quaſi intermitterem prorſus epiſtolare officium. Quamquam de te, altera etiam ceſſationis cauſa erat. Nam interea temporis, ſemel iterumque adfuit Nobiliſſimus genere, animoque, filius tuus Petrus, qui ſæpius eſt cum Blauwiis collocutus, ac quorum opus foret, omnium te facturum certiorem recepit: ut hac parte opera mea non valdè opus foret. Nunc valetudini melius eſt, etſi non ut ſolet. Abſoluti duo tomi, Theologiæ & Phyſices Chriſtianæ, jamque Indices concinnantur. Binos intra menſes, te viſurum opus id confido. A noſtris jam, ad majora, melioraque, me confero. Legendis iis, quæ in Novum Teſtamentum fuiſti commentatus, nequeo ſatiari. Aurea planè ſunt quæ me, imo me longe doctiores doces. Propertianum illud leviter liceat immutare:

*Cedite Romani ſcriptores, cedite Graji,*
*Neſcio quid majus Sol opere hoc videat.*

Jamque aggreſſi eſſent Blauwii excudere, niſi reſponſum expectaſſent, num typi, ac chartæ forma placeat tranſmiſſa. Vix hæc lucem viderint, quin prælo ſubjecturi Commentarios de Jure Belli, & Pacis; item ἀνθολογίαν tuam, & quæ alia voles. Diatriba de Antichriſto paucis placet, qui quidem ſegreges ſint ab Eccleſia Romana: uſque adeo radices in animis omnium egit opinio illa de urbis Epiſcopi, adverſus Deum, & Chriſtum, elatione ſæpe ut volunt, & clariſſime ſcripturis prædicta. Sanè reſpiciens ſpatium omne ætatis anteactæ, jam à prima penè pueritia, recordor ſententia ea perſonuiſſe pulpita, nec preces publicas ſæpius fuiſſe conceptas ſine deteſtatione Antichriſti Romani, & raſæ turbæ. Quorumdam opinio eſt, ut vera diceres, non expedire, ut populus in eam opinionem veniat. Nempe non abeunt à noviſſimo utrique noſtri, Bal. Lydio, τῷ μακαρίτῃ, qui increpitus à me, quod inter multa veriſſima, quædam, etiam falſo impegiſſet Doctoribus Eccleſiæ Romanæ; ubi defenſitare ea quæ dixerat, χρησφύγετον non reperit aliud, tandem eo ſe contulit, nullo cujuſcumque penicillo ſatis fœde Romanam Eccleſiam poſſe coram populo depingi. Mihi verò præſtabat opinio, veritatem non egere mendacio, & manifeſte falſis, fidem etiam detrahi veris. Quod Ultrajectini Voetii de Diatriba ſuper cœna judicium ſit, cognoſcere ſatis poteris ex epiſtola juvenis ad me, qui coram audiit docentem. Exemplum tranſmiſi hac commodâ occaſione: etſi fortaſſe res ipſa vix tanti, ut legere ſuſtineas, videbitur. Mihi, & hæc quam proxime dixi diſſertatio, & illa quam paulo antea commemoravi, & aliæ mole exiguæ, pondere maximæ, plurimum placuerunt. Nec ſatis mirari poſſum, etſi divinum ingenium tuum non ignorem quomodo in illuſtriſſimo illo onere, & ea ſalutantium multitudine, ſufficias tam multis, iiſque plurimum indictis, tum perſpiciendis tum nos, & alios docendis. Nec minus ſtupent alii: credo & mali, qui diſſimulent. Maximi Salmaſii opus de fœnore Trapezitico, credo jam legeris. Non erit ad palatum, ſive Cloppenburgianum, ſive Voetii. Huic opus ipſum, illi præfatio reſpondet, ſed neque ringi deſinet ſacer Exercitator; adverſus quem, adeo multa aſperguntur, ſanè pererudita. Hæc ſola nunc occurrebant.

Vale Illuſtriſſime Domine, amicorum tuis meritis prime, & à me, & conjuge, & omnibus meis ſalve.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ C XL,
XV Junii.

*Tui Illuſtriſſimi nominis cultor,*

G. J. VOSSIUS.

## DIX.

## Ludovico Crocio,

## Gerardus Joannes Voſſius

### S. P. D.

*Magnam ſe moleſtiam capere dicit ex eo, quòd, qui Reformati velint audire, tam ſint deformes, nec vel veritatis ſatis ſtudioſi, vel concordiæ amantes ſatis. Heinſii ad N. T. notas doctioribus non adeò probari, multaque in opere ſuo de fœnore Trapezitico Salmaſium refellere, novas etiam parare, in quibus oſtendat, nihil Heinſio dictum boni, quod aliis fuerit indictum; quicquid de ſuo attulerit, eſſe falſum, ſæpe etiam ridiculum.*

*Summe Vir pariter & Amice,*

PAuci ſunt dies ex quo ſcripſi: tamen amor non ſinit ut hanc etiam commodam negligam occaſionem. Obverſatur ſemper animo vitæ brevitas, & cum tot adverſis conflictatio: quæ non tacite innuunt, ſed plena voce dicunt, Jeſu, & ſponſæ ejus amantes, dum vita divinitus conceditur, debere alios aliis eſſe & ſolatio & ad durandum hortamento: quod non coram modo ſermone, ſed abſentes etiam literis conſequimur. Magnam quidem moleſtiam ex eo capio, quod qui reformatam Religionem profitemur, tam ſimus deformes, nec vel veritatis ſatis ſtudioſi, vel concordiæ amantes ſatis: verum alienam culpam nemo præſtiterit, ſatis eſt, nos ſi noſtram. Quare hoc ſolum agamus, ut omnia agamus non amore hominum, ſed Dei & Chriſti: quem amorem depreciant, qui negitant eum ſecundum gradum aliquem reprobis eſſe cum electis communem. Credo jam videris veteris collegæ mei Heinſii ad Novum Teſtamentum notas: fortaſſe & illa quæ à maximo Salmaſio cum alibi tum opere de fœnore Trapezitico refelluntur. Atque (ut omnium fere exſpectatio eſt) idem ſuas ipſe in N. T. novas edet. Verum ob parentis exceſſum, in Gallias ipſi proficiſcendum. Hæc res editionem annum facile, vel amplius morabitur, grande omnino opus futurum. In quo ut intelligo, comprobabit inter cætera nihil Heinſio dictum boni quod aliis fuerit indictum; quicquid de ſuo attulerit eſſe falſum, ſæpe etiam ridiculum. Scio te mirari cum hæc legis; mirarer & ipſe niſi τὸ πᾶν Salmaſium noſſem; ſed tute ex opere memorato tanquam ex ungue leonem exiſtimabis, mihi enim in toto hoc negotio nec ſeritur nec metitur. Optem ego ut concordibus animis eruditi omnes honori ſtudeant divino, non ſuo, unde illa in loquendo ſcribendoque acerbitas multis. Sed enim annis permultis mire Salmaſius divexatus ab illo, quem, ubi improbo, reticere malo: præſertim cum ſic quoque ſatis intelligar. Quæſo per otium librum, quem dixi, adire grave ne duxeris: uti & præfationem operis Salmaſii de modis Uſurarum. Hic abrumpam, quia & is, qui literas feret, & vir quidam doctiſſimus, advenere. Salutem dices collegis doctiſſimis & clariſſimis.

cIↃ IↃ C XL. III.
Kal. Julias.

## DX.

## Winando Rutgerſio,

### S. Theologiæ Doctori.

*Fortunam ejus ſibi curæ cordique eſſe profitetur, omnique datâ occaſione promotionem quærere. Nuper quid obſtiterit quo minus in profeſſione philoſophica Ultrajecti M. Ro-*

*M. Reinero ſucceſſiſſet, & quid ejus cauſâ Hardervici tentârit, amicè refert.*

*Vir Clariſſime & Amiciſſime,*

JAm pene ſeſquiannus eſt quod multis conflictor adverſis, nam & febri interim laboratum & arthritide, & colico dolore & calculo, ex quibus duo poſteriores morbi antea mihi fuerunt ignoti. Sed & conjux ac liberi prope omnes ægrotarunt, duo ex illis erepti nobis, vel mundo potius. Filia unica & ſuaviſſimus Gerardus, cujus extant fœliciſſimæ in Velleium Paterculum caſtigationes, ac brevi ut ſpero conſequentur ejus Valerius Flaccus, Cenſorinus & alii, quæ & illi honori & Reip. literariæ utilitati fore confido. Hæc omnia (ut taceam quædam quæ dicere nolo) non mediocriter animum meum afficiunt. Corpus interim animo, animum ſpe meliorum temporum ſuſtentamus. Quod ſi ſpes ea fruſtrabitur, ſaltem non fallemur de promiſſis beatioris vitæ, ubi lachrymæ omnes detergebuntur. Nec tibi omnia ex voto fluere, indicant literæ tuæ, ac præterea ex optimo ac doctiſſimo Alberto van Filligen intelligo. Crede & hanc fortunam tuam mihi eſſe dolori maximo, omniaque tua cauſa velle ac cupere: neque unquam ulla occaſio abit, quin te commendem & dotes tuas. Parum abſuit quin voti fuiſſem compos factus Ultrajecti, ubi deſiderabatur qui ſuccederet in locum M. Reineri Philoſophiæ Profeſſoris acutiſſimi. Pro te ſtabat Profeſſor alter Philoſophiæ M. Segwertius, qui de meliore nota te commendarat, atque ea pro nomine & fama tua (hanc zelotes quiſpiam arrodebat) attulit apud Proceres, quæ ex me audierat; puto confectum haberemus negotium niſi Regina Bohemica, dum hæc agimus, Palatinum quendam commendaſſet præceptorem antea liberorum ſuorum. Is igitur à Primatibus prælatus, quanquam vero majus erga te erat ſtudium meum, tamen gaudeo non penitus eſſe aberratum, juvenis enim eſt eruditus, & perhoneſtus. Nec fuit tamen tale quid denegandum Reginæ, exuli quidem, ſed tamen Britannici Regis ſorori, & cujus liberi forent Pronepotes Guilhelmi Arauſionenſis præclare adeo promeriti de his terris. Hoc facilius repulſam feres præſertim cum nemo te eo aſpiraſſe poſſit ſuſpicari; imo quod res eſt, te ignarum fuiſſe omnium omnes ſciant. Aliquid etiam per amicum tentabam Hardervici, uti & alibi. Sed nihil hactenus potui, id eſt, ab multitudine competitorum: ſubinde etiam ab zelotis, quibus ſuſpectum eſt, quicquid loca incolit, ubi Clariſſimus Vorſtius quondam docuit. Utinam affinis tuus mecum ſociaret operam ſuam, plus efficeremus; ſane varios variis commendat locis: in his etiam Cabeliavium Amſtelodamenſibus noſtris. Urget ut præferatur filio meo Franciſco Juriſconſulto, putabam me effugiſſe Varinianum ejus odium erga immerentem. Sed, ut experior, ſpes me fefellit. Mihi non eſt animus, par pari dare hoſtimentum. Feram ut ſoleo: imo patientius tanto, quanto ex corporis imbecillitate ſæpius ſubit cogitatio, brevi Deo rationem fore reddendam vitæ anteactæ. Vale vir, & amice ſumme, & cum uxore à me & uxore ſalve.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xl.
Non. Quinct.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DXI.

## Georgio Ratallero Dubletio.

*Epiſtola familiaris.*

*Nobiliſſime Ampliſſimeque Dubleti,*

AB eo tempore, quo te Hagæ inviſit chariſſimus meus Iſaacus, prius quidem morbus diutinus me afflixit, mox cum aliis fuit conflictandum adverſis, ſine duris, ſed quas patientia facit leviores. Nempe ad omnis, ut videtur, obdurandum eſt mihi, donec hæc vita durabit. Aſpera tam multa eripuere etiam mihi animum reſpondendi amicorum literis, tuis quoque tam amicis, cum ſaltem gratulari oportuiſſet honorem eximium. Sed tanta erat amicitiæ fiducia, ut facilem mihi apud te negligentiæ hujus veniam fore putarem, præſertim alio meas quodammodo partes apud te fungente. Iuſtiorem etiam reddebat, quod aiunt, gratulationes etiam ſeras eſſe gratiſſimas; contra quam in conſolationibus uſu venit, ubi dolor, qui callum jam duxerat, refricatur. Cæterum non modo opto, ut nova hæc ac ſumma dignitas tuæ familiæ ac toti patriæ ſit ſalutaris; ſed ita etiam fore confido, nec aliud bonorum hic judicium eſt. Negant omnes à multo retro annis ejuſmodi dignitate digniorem electum. Solum mirantur, alii qui tum malis temporibus ac virtuti adverſis non diutius te præteritum. Autumnales feriæ noſtræ hac hebdomade cœperunt: nec abhorret ab eo animus; ad vos excurrerem. Sed uxorem domi ſolam relinquere non ſuſtineo: nam ut una ſe in viam det, id vero nihil eſt. Ea eſt corporis infirmitas; verum Junia affinis, Caſimiri vidua, nunc eſt Amersforti. Ea propediem cum ſorore Neomaea ad nos veniet; id ubi erit, abeſſe domo licebit; quia ſic habebit uxor, quibuſcum ſe oblectet. In opere noſtro de Theologia Gentili, ac Phyſica Chriſtiana binis jam menſibus operæ typographicæ ceſſant; ſed vehementer ac ſuo jure urgent Indicem ac Dedicationem. Hæc etiam cauſa erit, cur excurram, neque enim morari ultra typographos licet. Ita queruntur de damno quo eos macto. Sed nimis me diffundo, de his & aliis propediem plura.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xl. xl.
Kal. 6.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DXII.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro, D.*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſori eximio.

Salutem ab Authore ſalutis.

*Echo memorabilis, quæ Romæ extra portam D. Laurentii percipiatur aliis, licet admiranda præfertur, ejuſque ſtructura artificioſa deſcribitur.*

*Clariſſime & Doctiſſime Vir, Literatorum decus.*

D. Laurentius nuper Amſtelodamo redux, poſt ſalutem mihi impertitam tuo nomine, (de qua officioſa ſalutatione mihi ſummè gratulor,) retulit, & inter alia, te cupidum eſſe ſcire, quæ obſervavi circa Echonem illam admirandam, Romæ extra portam Capenam, hodie D. Laurentii vocatam. Cum meum unicum ſtudium ſit, benè mereri de literis, & principuè de literatis, (inter quos te ut Coryphæum, & Antiſtitem veneror, & amplector) nolui deeſſe hac in re, tam exigua, imo gratularer mihi, & laudi ducerem, ſi ſæpius (de ejuſmodi rebus interpellatus) vobis poſſem inſervire, opella mea, & talento exili. De Echone ergo illa, hæc habe, quæ ipſe obſervavi. Extra portam An. 1614.
D. Laurentii, in via Appia extat, Cæciliæ Metellæ ſepulchrum, ſeu potius turris, ſphæricâ extructa figurâ, vulgus hodiè Caput Bovis nominat, ſcilicet à boum capitibus, quæ circumcirca exſculpta ſpectantur. Hujus Mauſolei muri, craſſitudinem habent 50. meorum pedum, ut ipſe dimenſus ſum. Exterior ſtructura eſt ex ſolidis quadratis lapidibus, interior ex lateribus conſtat. Prope hanc turrim, audivi memorabilem illam Echonem, quæ quaternis vicibus ſucceſſive, ſine interpellatione, perfectè, & particulatim

ſtim repetit omnia verba, quæ pronunciantur, nempe totam dictionem, ſententiam, vel verſum integrum; cum inclamarem, *Arma virumque cano, Troja qui primus ab oris*, repetiit quater iſtum verſum integrum: eo loci unde procedit ſonitus, extant 4. muri, ſeu arcus potius, unus poſt alium, à ſe invicem paulo disjuncti. Ultra illas quaternas vices, ſeu clamores, audivimus quidem ſonitum, & murmur, ſed imperfectum. Obſervavi & Lutetiæ Pariſiorum, in horto Regio Arcis Luparæ, ſimilem ferè Echonem; Contre une muraille de la hauteur de 10. ou 12. pieds, en un coin du jardin eſt une Echo, laquelle refere parfaitement, un long ordre des paroles, quand on chante, ou crie, exempli gratia, *Si c'eſt pour mon pucellage:* Omnia hæc verba uno ſonitu, ſimul exprimebat aliquoties. Longe alia eſt Echo illa, quam audivi, 2. leucis Lutetia diſtantem, nempe in Pago Charenton, illam enim audivi ipſe, Quatorze fois repeter les paroles, diſtinctement & clairement, leſquelles ſe finiſſent, & abaiſent petit à petit, dont eſt referé grandement, *heu, heu*, comme la voix & complainte, d'un qui meurt. Hæc Echo admirationem quidem meretur, ob toties repetitum unum verbum (ſi enim clamaveris, Jan, nihil aliud reſpondebit quam Jan, Jan,) ſed verſus integros, integrè, & ſæpè etiam recitat. Talis eſt & illa Echo, quam Cardanus lib. 18. de Subtilitate, teſtatur vocem reddere decies & ter. De tali etiam loquitur Lucretius;

An 1602. Ticini.

*Sex etiam aut ſeptem loca vidi reddere voces,*
*Unam cum faceres.* ——

Ejuſmodi Echonis mentionem facit & Plinius, lib. 36. cap. 15. quæ fuit Olympis, & Athenis, diciturque fuiſſe Heptaphonem; idem tradit Plutar. lib. de Garrulitate, & refert rem quaſi admirabilem. Colophonis loco addam, verba Boiſſardi, quæ habentur prima parte Topographiæ Romanæ, de ſupradicta illa Echone; *Ad radices collis, in quo Mauſoleum Cæciliæ Metellæ ſitum, ſi quis integrum verſum heroicum pronunciet, Echo admiranda eundem reddet, integrum, & articulatum ſæpius. Ego Virgilianum illud primum Æneidos diſtinctè repeti, octoties integrum audivi, & poſtea confusè aliquoties. Nuſquam gentium ejuſmodi Echo auditur, quæ ideo tanto dicitur excitata artificio, ut in funere hujus Cæciliæ, plorantium ejulatus, exclamationes, & planctus funebres, in immenſum multiplicarentur.* Et Franciſcus Schottus, eadem ferè refert, in ſuo itinerario de hac Echone.

Hiſce, Vir Clariſſime, te Deo Opt. Max. commendo, unà cum familia.

*Tui obſervantiſſimus,*

Hardervici, 8. Jul. 1640.

ERNESTUS BRINCK.

## DXIII.

## Thomæ Farnabio.

*Grammaticam ipſi novam gratulatur, ac quòd ſuo inſcribere illam nomini, ſuique in opere ipſo cum honore meminiſſe voluerit, gratias agit. Modeſtè de ſuis ſcriptis judicat ipſe, nihilque operoſius eſſe arte Grammaticâ, adſeverat.*

*Præclare Farnabi, Vir pariter atque Amice ſumme,*

QUid poſt egregia tot ingenii, doctrinæ induſtriæque tuæ monumenta, in otio iſto non dubitaris negotium ſuſcipere, novæ Grammatices concinnandæ: id quam animus vulgaribus vulgare & ipſum judicabitur, tam mihi videtur animi eſſe erecti, nec imperitorum opinione, ſed ſuo quidque pretio æſtimantis. Ac ſcio mecum probe conſentire eos omnes qui neceſſitatem hujus ſtudii intelligunt, & quanto olim in honore fuerit etiam apud principes viros. Quæ apud te referri non merentur, qui, quid hac de arte ſtatuas, facto ipſo comprobaſti. Quod vero pulchram hanc operam tuam inſcribere volueris nomini noſtro, feciſti pro affectu tuo, quam jam ante perſpexi, cum aliunde, tum ex eruditis in varios Poëtas Scholiis: opera erudita, in qua cum candide laudare ſoleas, ſi qui probe alicujus loci mentem præ aliis aſſecuti videantur; ipſe etiam Achivis iſtis me permixtum agnovi. Gratias itaque & pro iſtoc habeo, & præcipuè pro gratiſſimo munere, quod nunc mittis. Et fortaſſe vix alteri mittere poteras, cui labor ille foret acceptior. Operam verò dabo, ut quanti te faciam, intelligas. Quod verò poſcis, ut ſicubi diſceſſeris à me, in bonam partem accipiam id factum nolim. Quid enim gravatè id feram, qui toties abeo ab aliis & quotidie addiſcendo abire à me ipſo ſoleo? Non ſoleo morari quid ſcripſerim; ſed quid rectum putem, ac præfiſcine hoc dixerim, gratiorem mihi eſſe veritatem, quam ipſemet ſum mihi. Quare ſicubi me fugerit aliquid, quod poſtmodo mutatum velim, non ſum medicus tam miſericors, ut urere & ſecare verear illos animi mei fœtus. Atque hoc conſpicies, ſi Deus ſiverit, ut aliquando illi de Arte Grammatica Commentarii recudantur. Multa enim interim obſervavi, quæ ad oram allevi Codicis noſtri; multa fors obſervabo, ſi Deus hanc mihi diuturnam eſſe vitam volet. Crede mihi, Cl. Farnabi, nihil arte hac noſtra operoſius, difficileque in plurimis certi aliquid conſignare, niſi quis omnes veteres evolverit cum cura atque adeo optimos quoſque Codices MSS. adierit, vel eos ſaltem, qui bona fide variantes Codicum lectiones annotarint. Et ſic quoque in ambiguo quædam relinquentur ob tot loca corrupta à librariis imperitis, qui quæ non intelligerent, mutare ſolent, magno rei literariæ diſpendio. Sed ſeptennium primum luſibus & Grammatiſticæ datum, alterum ſeptennium utrique linguæ, & Elementis Rhetorices, Poëtices & Logices impendi; poſteaque gravioribus ſtudiis totos inſumpſi annos quinquaginta, perque varia admodum ſtudia pro exiguo ingenii noſtri modo me diffudi. Tanto temporis ſpatio, tantam reperi difficultatem in hocce noſtro ſtudio Grammatico, ut citius aliquis in Theologia, Juriſprudentia & Medicina, (non apud Anglos quidem, ubi tardè honores illi conferuntur, ſed aliis etiam in terris, quas nominare nihil attinet) Pileolum conſequi poſſit Doctoralem, uti vocant, quam ut conſummatus ille evadat Grammaticus. Tantoque gratiores & acceptiores eſſe, omnibus bonis labores eorum debent, qui ut aliorum ea parte labores imminuant, ſedulo operam dent. In iis te quoque eſſe, doctiſſime Vir, gaudeo. Rideant, an ringantur, non ἀχεάμματοι modò; ſed etiam, qui ſtudium hoc leviter deguſtarunt, nihil penſi uterque ducamus; præſertim quando nihil eſt, quod invideamus iſtis Suffenis, qui, quia minora ſtudia neſciunt, eò in majoribus majores ſibi videntur; cum in his etiam tanto ſint minores, quanto magis humanitatis ſtudia neglexerint. Vale, Clariſſime Farnabi, ac deinceps etiam amemus nos inter nos.

Amſtelodami, cIↃIↃcxl, prid. Kal. Sext. St. Nov.

G. J. VOSSIUS.

## DXIV.

*Clariſſimo Viro,*

## Gerardo Voſſio.

*Vita ac laudes (Guliel. Laudi) Cantuarienſis Epiſcopi deſcribuntur.*

*Clariſſime & Doctiſſime Vir,*

ECce hic habes ſummaria vitæ hucuſque præteritæ Reverendiſſimi Archiepiſcopi Cantuarienſis: cui Neſtoreos annos optare omnes cordati debent.

In Collegio Sancti Johannis Oxonii enutritus, in quo optimam ſui memoriam poſuit; auxit enim illud ipſum Col-

Collegium, tum ædificiis ſplendidis, tum redditibus duplo amplius quam prius.

Oxonienſem Academiam, cui præeſt ut Cancellarius, decoravit multis beneficiis; primo privilegiis firmioribus quam ante hac: locupletavit Bibliothecam publicam, rarioribus Manuſcriptis codicibus in omni genere Linguarum & Artium, ab extimis Orbis finibus petitis, Indicis, Arabicis, Perſicis, Græcis, Hebraicis, Latinis.

In Academia propriis ſumptibus Lecturam Arabicam fundavit, & annuo ſtipendio honoravit.

Univerſæ Eccleſiæ quanta teſtimonia Curæ, Pietatis & Providentiæ addidit!

Corruptiones præcipuè Simoniacos corrigendo, doctos & pios commendando, fovendo omnes qui eruditione & ingenio valent.

Collapſam Eccleſiæ Anglicanæ diſciplinam reſtaurando, ad primam primorum Reformatorum ſcopum perducendo, Eccleſiæ paci & ſecuritati per nuperam Nationalem Synodum optime & provide conſuluit.

Eccleſiæ Paulinæ Londinenſis per totum terrarum orbem celeberrimæ magnitudine columnas contra ruinam appoſuit, curavit reparari ſplendidiſſime.

Succurrit quotidie innumeris pauperioris ſortis hominibus; qui litibus vexantur facilem ipſis præbens aurem, & operam, curam & conſilium.

A latere Sereniſſimi Regis adſtat fidiſſimus Conſiliarius, honoris Gentis avidus, Conſiliis incorruptus, ſincerus, cordatus.

In juventute ſemper ingenii acumine celebris, ſummus & acutus Philoſophus, poſtea demum Concionator ſedulus, & doctus: ſcriptor eruditus contra Pontificios, de præcipuis Fidei capitibus & corruptionis Pontificiæ columnis. Teſte lib. ab ipſo edito judicio omnium doctiſſimo, & antiquitatis puræ propugnaculo.

Collegii Joannenſis primò Socius deinde Præſes. Demum quod concionibus erat celebris & frequens, concionator Regius è Capellanis (ut loquuntur) domeſticis. Decanus Gloceſtriæ brevi factus; à Gloceſtria promotus in Epiſcopatum S. Davidis; & inde Bathonienſis & Wellenſis Eccleſiæ præfuit Epiſcopus, & inde ad ſedem Londinenſem evectus, & inde propter vitam inculpabilem, ſingularem integritatem, & rerum Eccleſiaſticarum experientiam, Metropolitanus totius Angliæ, ſedem Cantuariæ jam occupat, & in bonum totius reformatæ Eccleſiæ diu occupet, votis ardentibus contendo ad Deum.

Vale, Vir doctiſſime, vix errare potes nimia Hyperbole, omni Rhetoricâ major eſt ſummus Archiepiſcopus; in hoc inter multa felicior, quòd te nactus eſt amicum, & clientem. Me quæſo calci Catalogi amicorum adjicere dignare.

Ex Aulâ Seren. Reginæ Bohem. Hagæ comitis ½ Auguſt. An. ſalutis Chriſt. MDCXL.

*Tuus in omni obſervantia & officio amicus,*

SAMSONUS JOHNSONUS.

---

## DXV.

*Maximo Viro,*

# Franciſco Gomaro.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir undecunque maxime,*

REdit ad vos fratria cum filio, qua occaſione volui ad te pauca perſcribere, de quibus hic inter nos loquuti ſumus. Video illam de filio, mire eſſe ſollicitam; & meritò profecto ſi quomodo nunc in Academiis ſoleat vivere juventus, cogitemus. Nec puto [illegible] ſatis eſſe in noſtra hac ad compeſcendum adoleſcentem, ſi fortè, quod ne Deus ſinat, ab aliis ſeductus ad partem ſe applicuerit deteriorem. Plus mihi fiduciæ fuerit in te, & Nobiliſſimo Magdaello, & genero tuo. Ingenium adoleſcenti felix obtigit, & bona indoles. Interim ut ætas ea [illegible] bore proclivis eſt ad otium, ſubinde monitoris eget [illegible]. Qualis ſi obtigerit, nihil fore puto, quod magnopere requiratur. Quod ad rerum mearum ſtatum: ſpiritu ſuo ſolatur nos Deus, qui geminum rurſus vulnus inflixit, unicam auferendo filiam, longè ſuaviſſimam, boniſque adeo artibus excultam; filium item ejuſce ingenii, ac doctrinæ quæ ex illius Velleio Paterculo ſatis relucent, ac luculentius ſe exerent, in Cenſorino, & Valerio Flacco, quos innumeris locis caſtigavit, & fratri Iſaaco edendos reliquit. Te quoque afflixit Deus, auferendo conjugem, quæ ubi ætate adeo provecta maximè auxilio eſſe poterat. Sic ubique fit voluntas Domini; qui ſolus novit, quid liberis ſuis conducat. Gaudeo interea, quod in eadem urbe, tecum vivat gener optimus, cum ſimilium morum filia tua: ſed quia horum jam mentio incidit, non poſſum reticere, quod mihi & aliis etiam his in locis, quandoque in mentem venit. Arbitrabantur illi mecum, non malè te familiæ, ac publico conſulturum, ſi adhuc ſuperſtes cogitares, de genero tuo Curatoribus Academiæ ſic commendando, ut in Profeſſorum adſciſcatur numerum. Scis numeroſam illi prolem eſſe, & quotannis gliſcere; nec defæcato ſatis animo tractari ſacra ſolent, ubi anxia rei familiaris cura ab iis avocatur. Honoris etiam acceſſione generoſa mens accendi conſuevit ad majorem doctrinam, ac nominis claritatem. Si aliter illi conſulere non poſſis, quid ſi in eum transferas profeſſionem Hebraicæ linguæ, vel ſaltem ejus partem? Ut ſi præcepta artis Grammaticæ, curioſè ac perſpicuè tradat; Tu uſum eorum, quod excellentius in ſacris ſcriptoribus oſtendas. Hoc vel tale quid, curæ eſſe velim, dum vita manet; quia ingrato vivitur ſæculo, ut vix putem, ſi humanitus aliquid tibi contigerit, cura id Curatoribus fore, propter merita tua, licet majora quàm dicere poſſimus. Exemplum ex ſoceri familia capio. Non obolo ex publico auctior ſum, propter ſoceri virtutes, & benefacta. Nec eſt, quod vel ob acceſſionem majorum laborum, quos totis jam 40 annis, bono publico ſumma cum fide ſubeo, melius ſecum iri actum exiſtiment liberi mei. Verè nimis ille Veronenſis, omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe, benigne eſt. Primis ventis ſecundis in Gallias diſcedet Claudius Salmaſius, ad familiam herciſcundam; ſiquidem Parens ejus obiit, Senator Divionenſis. Eâ conditione ab Ampliſſimis Curatoribus dimittitur, ut reditum ſe promittat. Plurimùm Academiam Lugdunenſem exornat, & ab eruditiſſimis quibuſque, oraculi inſtar, conſulitur. Equidem varia magis ac reconditâ ornatum doctrinâ novi neminem. Vellem autem non tam diu rei funebris argumento fuiſſet diſtentum. Mallem dediſſet Commentarios in Arnobium, Conciliumque Illiberitanum, & quæ de primatu urbis Epiſcopi ſcripſit, Quamquam opus hoc, dum is in Gallia erit, à Lamerio excudetur. Cætera nonniſi à reditu lucem videbunt. Uti & quæ commentatus eſt in Novum Teſtamentum. Magna horum pars refellet, quæ in S. Exercitationibus prodidit Heinſius: In his illa quæ adverſus Bezam diſſeruit toto opere, propter quæ, & in Galliis eſſe audio, qui patrocinium Bezæ ſuſcipere volent, ferre nequeunt; quod religioſè adeo ſibi caveat, nequid dicat adverſus R. Eccleſiæ decreta; interim nihil penſi habeat, tanto conatu oppugnare Bezam, quem cùm ſæpè ſaltem verum perſpexiſſe negare non poſſit, tamen ne [illegible] quidem, unquam nominare dignetur. Sed falli arbitror, qui, quod non nominet, ajunt à contemptu profectum. Potius fuit inde, quod ſua etiam in R. Eccleſia legi velit. Nam memini eum & me commovere, ut relictis controverſiis ſacris, ea ſola tractarem, quæ ubique legerentur. Quantula, inquiebat, pars eſt orbis, ubi Reformata obtinet religio? Literas etiam conſpexi, Roma ab Holſtenio, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto exaratas, quibus monebatur, magis etiam, quàm

in

in Nonni Ariſtarcho feciſſet, cavere ſibi debere, nequid in Exercitationibus offendat, ſi Romæ ſua legi vellet. Verùm quid alienus ad me animus pertinet, qui ſolum præſtare meam ſoleo culpam? Vale vir ſumme, affinis conjunctiſſime, deque me, innumeriſque aliis benè merite. Uxor, & omnes mei, plurimum te ſalutant, uti & Nobiliſſim. Magduellum.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xl. xv. Auguſt.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

---

## DXVI.

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Pro inſigni litterario munere gratias agit, eique applaudit, quod tam illuſtribus doctrinæ monumentis triumphet de iis, qui omne nominis decus ereptum vellent: Sed brevi deſæviturum omne malum auguratur; quod tantò magis optat, quantò cupidiùs ſcripta ejus inedita efflagitent eruditi.*

Bibliothecam miſiſti nobis, Vir Nobiliſſime, vere ἀγαθῶν ἀγαθίδας, pro qua munificentia tanta gratias ago, quantas poſſum. Plurimum vero gaudeo, non modò quod tam multa me doceas, ut & cæteros; ſed etiam quod tam illuſtribus ingenii doctrinæque monumentis plane triumphas de iis, qui hactenus in eo ſunt, ut omne nominis decus ereptum eant. Ac quantum video, non deſinent ſpiſſis mendaciis traducere. Unde etiam eſt commentum illud de cauſa itineris tui Amſtelodamenſis. O quanto mercentur Atridæ iſti, ut verum dicerent! Quanquam nec illud ſi foret, deſinerent follibus immenſis de te mendacia ſpirare. Imo ne quidem ſi perſuadere poſſent ut eo ires, quo Meurſium fugarant. Multum me recreat; quod non revoces iſta ad animum, alioqui & ipſe moleſtius nequitias iſtas ferres. De Theologo qui calumniæ tibi litem intendit, ſemper tale quid metui ex quo ſua edi petiit. Novi ego mores talium, idque magno cum malo meo. Spero, imo confido, valido te eſſe ſtomacho, ut & hoc ſis concocturus. Hoc ſi erit, virtutibus tuis facile ſuperabis, quod boni omnes vovent: qualium longe major eſt numerus quam exiſtimares. Id quotidie video, ut ex decreſcente indies fama inimici tui (qui non deſinit concitare adverſum te vel Acheronta ipſum, hoc eſt, quicquid ἀλλόδοξον amat) non obſcure colligere poſſumus brevi deſæviturum id malum. Placet, quod pagella una altera Coptiano occurreris. Fortaſſe tamen non inutile, quo jam te ſponte propendere coram intellexi, ſi ubi Lutetiam Pariſiorum veneris, oſtenderis quam paucæ ſint lectionis qui hoc quod docuiſti univerſo Juriſconſultorum choro repugnare arbitramus. Tamen finem aliquem reſpondendi malevolis eſſe velim, quia id fiat cum diſpendio literarum, ſi nimis ſit diuturnum. Scis me ex parte ſcire, quam multa hactenus indicta obſervatis, quæ adhuc domi premas; non quia invideas ea publico, cujus amore ſcripſiſti: ſed quoniam qui nomini tuo invident, calumniis ſuis avocando tantum valeant, ut editionem eorum morentur. Vel ob hoc ipſum ſi odiſſe nobis Chriſtianis quempiam licet, odio ſunt digniſſimi, qui tantopere incommodant doctrinam ſtudiis. Eruditiſſimum Croci opus Blauwius ſe editurum recepit, ſimul ac excuſa erint Illuſtris Grotii in Novum Teſtamentum notæ. Hæ lucem videre poſſint intra tres menſes, ſi cœpto pede pergant. Nam cum demum cœperint quando Hagæ una eramus, jam quadraginta folia ſive ut vocant, biniones excuderant. Sed enim quid præter gentis tuæ humanitatem & eximiam indolem tuam impulit te, ut mihi gratias ageres, quod domo exceperim, quaſi non meæ potius partes ſint, gratias agere quod hoc mihi honoris habitum ſit. Equidem magna anni parte vel ſanguine aut affinitate junctum, vel quempiam aut in dignitate conſtitutum, aut eruditione clarum hoſpitem habeo: ſed dicere hoc poſſum nullo ſic me hoſpite lætatum omni mea vita, quam magni Belgæ in Galliis, magni Galli in hac Belgica, quos ego dies Creſſa, ut ille loquitur, nota ſoleo notare, & æternum meminiſſe juvabit, non me duntaxat, ſed omnes meos. De famula tua, quaſi moleſtiæ aliquid crearet nobis, quæſo opinionem depone. Nihil inſolens vidimus. Pro itinere Gallicano non deſinet domus noſtra facere vota, uſque dum cognoverit vos ſalvos & ſoſpites veniſſe in Gallias. Nec minoribus vobis proſequemur, potius credo majoribus, ubi intellectum erit, vos reditum parare. O felicem & exoptatum diem, quando iterum alii alios complectemur! Uxor & mei mecum Conjugem tuam plurimùm ſalutant.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xl. v. Kal. Septembris.

---

## DXVII.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Voſſio,

Salutem in Chriſto.

*Turbas à furioſis novatoribus in Anglia excitatas, familiare litterarum commercium impedire conqueritur. Dolet etiam Voſſium à Climacterico anno male mulctatum, ſanitatem ipſi precatur. Librum ſuperiori anno editum cum Canonibus noviſſimæ Synodi nationali mittit, & ut Eccleſiæ ipſiuſque incolumitatem jugi à Deo oratione impetret, religioſe hortatur.*

Annus elapſus eſt (Vir eximie) à quo, literæ priores veſtræ (ſed quibus reſponſum non dedi) ad me pervenerunt. Sed annus occupatiſſimus fuit, & in quo vix libere ſpirare, ne dum ſcribere potui. Regis in partes Regni Boreales diſceſſus: negotia quæ eo abſente mihi aliiſque incubuerunt: pacificatio illic ſancita, ſed vereor an ſatis tuta: à reditu Regis Conſilia inita: Parliamentum indictum, conventum & diſſolutum, negotiis Regis & Regni non compoſitis: ſtatim à ſoluto Parliamento ſeditioſa & furioſa in me, & domum meam, hominum malè feriatorum & conditionis infimæ inſurrectio, quingentis ad minimum domum meam horâ noctis mediâ obſidentibus, ſed Deo gratias fruſtrà: Convocatio ſive Synodus Nationalis ſequuta eſt ut (ſi fieri poſſet) res Eccleſiæ turbas non darent, nec Religio (ut ubique gentium ſolet) pallium fieret. Interim apud nos omnia arma ſonant. Et inter hæc quæ me, & animum meum pacis cupientiſſimum peſſimè habuerunt, qui potui de literis tuis, utcunque ſemper mihi gratiſſimis cogitare?

Sed omiſſis quæ me diſtinuerint, & manum à tabula, gratias tibi ſummas ago, quod memor mei literas miſiſti. Junius chariſſimus attulit tuas, meas etiam refert; ſic enim decreveram, ſed abiit literis meis nondum tranſcriptis. Breviores ſunt quam aut res poſtulant aut quæ tam diuturnum ſilentium poſſunt expiare. Sed non ignoras (idipſum enim lego in tuis) quantas turbas, & quam malas nobis hic in Anglia res Scoticæ dederunt: furioſi novatores quo tendunt ſcio, quo pervenire dabitur novit Deus, & jam Angliam armati invaſerunt. De his autem nec vacat nec placet ſcribere, ne quid fellis chartulas meas nigraret, quum video ubique, & apud exteros etiam, nomen meum, famamque, illorum virulentis calamis, laceratam & fœdatam undique.

Redeo itaque ad privata. Et certè doleo annum tuum Cli-

Climactericum tam malè te mulctâſſe. Sed non eripuit cum ſanitate vitam, nec diu detinebit ſpero revertentem ſanitatem. Et (quod impenſiùs opto) Deus dabit ſolatium pro malis illis quibuſcunque quæ annus iſte tibi parum fauſtus intulit.

Mitto per Junium librum meum ſuperiori anno editum, ſed Idiomate Anglicano. Promiſi fateor editionem Latinam me tibi antehac miſſurum. Nec falſus ſum in hoc, ſed deceptus. Vir enim ſatis doctus, & cui ſatis otii eſt, hoc in ſe ſuſcepit, &, ut apertè tecum agam perfecit: Sed quum paulo penitiùs inſpexi, vidi non pauca in quibus ſenſum, plurima in quibus ſtylum non eſt aſſequutus. Et melius multò duxi ſupprimere tranſlationem, quæ nec me, nec mea loqueretur, quam talem edere, unde exteri omnes, quibus lingua Anglicana non ſatis nota eſt, me quidem, ſed ſpeculo male fido, intuerentur. Si corrigi potent potes adhuc expectare, ſed vereor transferentis ſocordiam magis quam calamum; cum hoc libro meo Canones mitto noviſſima Synodo conſtitutos, quibus videre potes me nec Eccleſiam nec veterem Eccleſiæ tramitem deſeruiſſe. Reliqua, ſicut & teipſum Deo, & gratiæ ejus commendo, efflagitoque ut temporibus hiſce quibus tam ſubdole, tam violenter res noſtræ undique petuntur, velis jugi oratione Deum & Salvatorem noſtrum fatigare, ut incolumem ſervet ſervum ſuum, &

Dat. ex Ædib. meis Lambeth. Aug. 31. 1640.

*Tibi (Vir doctiſſime) amiciſſimum,*

Will. Cant.

## DXVIII.

## D. Guilielmo,

### Archiepiſcopo Cantuarienſi.

*Pro gemino munere literario gratias agit, utrumque ſufficiens fore confidit retundendis calumniis, quæ adverſus Eccleſiam Anglicanam ſparguntur, pro cujus etiam tranquillitate vota ad Deum ſubinde faciat.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

ACcepi ab affine Junio geminum munus tuum, auro contra non carum, quippe utrumque aureum totum, & illud, inquam, Conſtitutionum ac Canonum Concilii Cantuarienſis ac Eboracenſis, & alterum collationis inter te, tum Epiſcopum S. Davidis, & Jeſuitam Fiſcherum. Utrumque me judice, ſatis fuerit, ſaltem eſſe debet, calumniis retundendis, quæ adverſus Eccleſiam Anglicanam, ejuſque Antiſtites, te imprimis, Reverendiſſime Domine, ſparguntur à malevolis, in unum hoc præcipuè intentis, ut in odium adductis primitivæ Eccleſiæ & Dogmatum & Conſtitutionum tenacioribus, ſufficiantur ocyus, qui juniorum omnia placitis metiantur. Mihi quidem utrumque opus inter κειμήλια ſemper erit, & tantillo tempore quo habui, non leviter uſui fuit, malignioribus frænandis, modeſtioribus firmandis. Sane longè alii rumores differebantur, quam his libris edocemur. Vellem, redeunte ad vos affine, per eum mittere licuiſſet operoſiſſimos labores meos de Deorum Rerumque Natura. Verum is ajebat, ſe promiſſis obſtringi, quo minus diutius hic liceret commorari. Indices jam omnium librorum ſunt concinnati; in quo non leve mihi tædium ſubeundum fuit. Solum opus excudi eos, quod mirè avet Typographus longioris moræ & ipſe pertæſus. De cæteris meis rebus quid dicam? Pro me melius omnia referet Junius, qui vivæ erit epiſtolæ loco. Interea nos non deſinemus vota fundere pro Sereniſſimo Domino Rege, incolumitate tua, & Anglici Scoticique Regni concordia; quod tanto faciemus impenſius, quanto magis Regni utriuſque motus dolemus: De quibus aliqua attingis literis tuis longe humaniſſimis, & ante triduum acceptis (pro quibus quas poſſum, & debeo, gratias ago) ſed minime leviora ſunt, quæ poſt ſcriptas tuas accidiſſe ex nunciis, haud vanis intelligo. Sed nondum imminutum eſt brachium Domini: qui licet peccatis noſtris merito ſit iratus, tandem tamen ſpero miſerebitur, ac lachrymas noſtras in gaudium convertet. Tempus ei præfigere non poſſumus: ſolus enim novit, quando quid expediat nobis. Attamen non diu abſore illud, magis divina bonitate, quam animis tantopere exulceratis ſperare auſim. Ac propterea iterum iterumque Deum Opt. Max. rogo, ut errantibus, ne quid gravius dicam, mentem inſpiret largiorem. Te verò, Illuſtriſſime Domine, Eccleſiæ Anglicanæ bono diutiſſime ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, poſtr. Non. Oct. St. Greg. Anno cIↄ Iↄ c xl.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi tui nominis cultor æternum devotus,*

G. J. Vossius.

## DXIX.

## Joanni Ant. van der Linden.

*Editionem Heſychii nec non Onoſandri urget.*

*Vir Clariſſime,*

SPerabam pluribus nos ante abitum tuum colloqui poſſe, inter alia de Heſychio, ut penitius mentem tibi exponerem meam: Id melius quam literis potuiſſem. Sed cur compellare denuo non licuerit, ſat gravis eſt cauſa, quam promis. Quem enim magis partus tangit uxorius, quam maritum? Jam ſpero prole ſis auctus: aliter ſi eſt, (ſi ſic fas loqui cum illis gentium ſcriptoribus) facilem Ilithyam comprecor conjugi, ſive malis Junonem Lucinam.

Ad Heſychium ut redeam. Sperabam eum filii mei beneficio viſurum lucem candidiorem. Nec tamen diſſimulare poſſum, paulo id tardius fore, quia nunc totus eſt in Geographicis Ptolomæi conferendis & corrigendis. Imo & de Melæ Avieni Rufi, aliorumque editione cogitat. Hæc aliquid temporis auferent: ut fortaſſe Schotani V. Cl. editio lucem videre poſſit, priuſquam hic ſatis ſit paratus. Non abhorret igitur animus mittere exemplar quod petis: ſed ſi jam editio ſit in procinctu: præſertim ſi jam contextus partem deproperaverit typographus, ſic quoque tempori mittatur, ut in notis quas ſubjunget operi, videat ecquid melius alteri obſervatum. Clariſſimo Rigaltio miſi Onoſandrum manu magni Scaligeri emendatum, idque ante annos viginti. Editionem alteram adornare dixerat mihi Clariſſimus Rutgerſius, ſed hactenus nihil conſpeximus. Nequid ſimile nunc contingat, cautio eſſe debet, præſertim cum non ignores ſcriptorem eſſe, qui eruditis ſæpius ſit conſulendus. Nemo quid rei ſit te melius norit. Quare ſolum cognoſce, quouſque perducta ſit egregii viri opera. Pro nuntio exequar: ſi enim prævertere filium poſſit (& poſſe cenſeo) nolim peccare in commoda publica: ſolum metuo, ne ſpiſſe res procedat. Jam anni triginta & amplius ſunt quod Clariſſimus Heinſius promiſit. Et multa oſtendit mihi quæ obſervarat, verum aut valde fallor, aut editurus nunquam. De Clariſſimo Schotano longe meliora ſpero, paucioribus, ut arbitror, diſtento. Quare ſi intellexeris ex eo, jam jam edendum nobiliſſimum Grammaticum, nolim in me illi quicquam commodi claudicare: ſin ſpiſſum erit negotium, quid impedit, quominus tum mittatur, quando res magis calebit? Interim domus meæ uſui inſerviet. Illuſtri Salmaſio epiſtolam tuam mittam, necdum enim abiiſſe reor: ſecus ſi eſt, Lutetiam mittetur per primum tabellarium. Scripſi nocte intempeſta, toto enim die ex quo tuas accepi, reſpondendi otium fuit nullum.

Scho-

Schottanum ſaluta meo nomine, ac dicas velle me omnia ejus cauſa. Si otium etiam ſit & occaſio commoda, Collegas ſalute impertias: in his ſummos viros Mokoski, Vedelium, Pinackerum, Winſemium, Cochium. Plures non auſim nominare, ne onerem te, velut ſalutigerulum quendam, qui melius tempora locare potes. Et tamen ſi mei res judicii fuerit, dixero non leve eſſe ſi amicis pateat, nos memores eorum eſſe. Quid magis decet eruditorum chorum? Τάχιστα.

Anno cIɔ Iɔ c xl.
Pr. Kal. Septemb.

*Tuus*,

G. J. Vossius.

---

DXX.

## Guilhelmo Grotio, J. C.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime Vir*,

PLanè dolet, quod cum tam opiparo à te convivio ſim exceptus, nequidem licuerit, te frui familiarem in modum. Prope dixerim occupationibus iſtis tuis, quæ te inviderunt nobis, peſſime ſit, niſi multum tibi attulerint lucri. Nam hoc ſi eſt, caruiſſe horis aliquot malo, quam damno ut fuerim amore tui. Annumeravit mihi famulus tuus, mei ut aiebat, cognominis, florenos centum quinquaginta ſex, ſtuferos quinos. Receperam ante à Matre tua, florenos duodeviginti, ſtuferos quindecim, in univerſum ſint ex uſura, floreni centum ſeptuaginta quinque. Quantum ſit reditus, centum florenorum in annos quindecim, quinis quotannis uſuræ loco datis. Sed quod Parens tuus, me ignaro, in obligatione de ſemis, & quadrante, indignum erat amicitia veteri noſtra. Quare recidendum, & uxor, & ego putavimus. Et niſi promptior tua fuiſſet liberalitas, amplius imminuiſſem. Sed occurrebat, fuiſſe centenos iſtos ablatos ex majori longe ſumma Ordinibus locata, qui quantum annumerent non ignoras. Commodè igitur hoc interpretaberis, quod vel obolum, uſuræ loco receperim, præſertim, cum dimidium duntaxat fuerit meum, ut retuli coram. Mitto ἀνθολογίαν Illuſtris fratris tui, & rectè facere cenſeo, quod malit excudi Pariſiis. Nec enim Typorum venuſtate Blauwius noſter unquam æquipararet. Notas N. T. præter Corſellium relegit Bremius, qui priori accuratior, & in iis, quæ literaturam tangunt, eruditior: ſolùm hoc me habet male, quod operas dividunt, uſque adeo feſtinante Blauwio, ut citiſſimè hac editione defungatur. Abſque illo fuiſſet, putaſne permiſſurum me fuiſſe, ut alius opere hoc præſtaret? Sed puto eos hebdomadis ſingulis, excudere folia, ſive biniones decem, vel amplius. Quid hic in occupata adeo vita, poſſim ego, vel Iſaacus meus? Præſertim quando hic ſuis, illiſque fratris Gerardi, qui ſua ei moribundus commiſit, ſic premitur, penè dixerim opprimitur. In meis, quibus prælum adhuc fervet, vix binis par foliis ſum, quaque hebdomade. Loquar tamen die craſtino cum Blauwio, nec opera mea, vel meorum, ubi utilis eſſe poſſit, uſpiam claudicabit, non modo, quia debitor ſum virtutibus, & meritis fratris tanti, ſed etiam quia literis meis promiſſi damnas. Uxori optimæ, & Matri venerandæ, ego, uxorque, plurimam ſalutem dicimus, atque ita habe, nihil familia mea eſſe paratius, ad commodandum tibi, tuiſque.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xl. iv.
Kal. Sept.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

DXXI.

## Hugoni Grotio,

Regni Suecici Legato, ad Chriſtianiſſimum Regem.

*Quid cum notis ejus in* IV. *Evangeliſtas agatur, & quàm virulenter Mareſchius quidam Sylvaducenſis paſtor contra diatribam de Antichriſto ſcripſerit, enarrat.*

*Illuſtriſſime Domine atque Excellentiſſime*,

SImulac tuos in 4. Evangeliſtas commentarios accepi, avidè eos legere cœpi; ſed in hac occupatiſſima vita, nunc carptim, nunc ſic, ut ſæpius à lautiſſimis, ad quas invitatus, epulis avocarer. Hoc unum ex præcipuis eſt malis meis: quod uno die decies, imo vicies interpellor, atque ita bonæ mihi horæ effluant, penè cum veteribus dixerim, mala ætate. Tandem me accedit Blauwius, paratiſſimum ſe dicens ad eos excudendos. Placuit oratio. Volui igitur ei dare tertiam quartamve partem eorum, quæ ad Matthæum annotaſti: idque eo fine ut me paſcerem reliquis, quæ reſervâram domi; ſimul ut viderem quid foret, quod offendere aliquem, tam malignis temporibus poſſe arbitrarer. Sed negavit id poſſe fieri; quia tria ſimul præla hoc opere eſſet occupaturus. Quare nec alterum tomum me poſſe retinere. Proxima erat cura, ut quam emendatiſſimè ederentur. Dixit ſe domi habere Aialam, cui negotium id eſſet ſatis curæ futurum, nec ſeſe defore huic rei: tum autem, ultimam quam artifices illi probam vocare ſolent, perlectum iri à D. Corſelles. Negavit ille, tanto ſe labori parem: Eoque adſcitus ſocius D. Bremius. Vides quam multi diſtineantur curâ hac, ut omnia ſint correctiſſima. Et quæ vidi ſubinde, ea bonam ſpem faciunt, ſaltem pro Editione prima, ubi quam difficile ſit, non aliquando ut aliquis dormitet, ſæpiſſimè in editione meorum ſum expertus. Etſi quid humanitus erroris obrepſerit, non poterimus propterea Corſellio ſuccenſere, qui ex correctione nullum percipit lucrum: ſed totum hoc lubens præſtat, partim amore boni publici, partim veneratione excellentiſſimi nominis tui. De quo mihi optimè conſtat. Eo autem non leviter impellebatur Corſelles, quod negaret Typographus opus hoc, in quo tot Græca, & Hebræa intercurrerent, velle excudere, niſi tuo quis nomine, ſpontè ſe offerret, qui corrigendæ probæ ultimæ curam ſuſciperet. Interea idem Corſelles, ut hodie, ipſe mihi retulit, metuit non parùm ne ſatis ſuam operam, licet indefeſſam, probet: ſed inquit, ſi qui irrepſerint errores, id tribui oportere nimiæ Typographi feſtinationi, tot ſimul prælis, uno opere diſtentis, ſic ut ſæpè uno die, ſenas etiam accipiat probas. Tum autem fieri quandoque, ut quæ ab eo, in margine ſint correcta, non emendentur à Typotheta. Quin ipſe ei fortè non fuerit domi; (quod quandoque fieri eſt neceſſe) non expectari, donec redierit, ſed Aialæ, qui ad manum, opera uti. Quid multis? Negat Corſelles, vel luculento ſe pretio deinceps adductum iri, ut tantum probarum, quinarum nempe, vel ſenarum, deinceps, uno ſuſcipiat die corrigendum. Sufficere ſingulas occupato homini; præſertim quando canis, quod dicitur, feſtinans, parere cæcos ſolet catulos. Hic ecquid ab eo ὑπερβολικώτερον dicitur, dicere non eſt meum. Vir interim mihi bonus videtur, etſi non πολυκόσμητος, ſaltem tanti, ac meritò virtutum poſſides, nominis amator, & cultor. Ne illud quidem diſſimulandum putavi, aliquando, ut aiebat, culpam videri eſſe à feſtinatione, vel ejus quo uteris librarii, vel etiam tot, tantiſque negotiis diſtenti authoris. Exemplum unum alterumque, quod animo potiſſimum occurreret, afferebat. In Math. I. 25. ἕως. *Negationem hanc de tempore ante partum nihil affirmare; ſed de tempore poſteriore: multis exemplis, ab aliis eſt demonſtratum; quibus addam locum, qui infra eſt:* ubi reſcribendum, *de tempore poſt*

*partum, & de tempore priori.* Ac ni fallor, ſic ſe repoſuiſſe aiebat. Alibi, inquibat, ubi ſermo de Joſepho Arimathenſi, manu propria, addideras, *Imitatore Samuëlis:* hic ille non dubitabat, quin voluiſſes, *Simeonis*, nempe juſti illius, qui expectabat liberationem Iſraëlis. Rectène, an ſecus, ſic correxerit, melius ſcirem, ſi codex tuus fuiſſet ad manum. Hæc negabat ſe dicere, quaſi plus ſapere vellet, qui mortalium nemini plus, quam Excellentiſſimo nomini tuo tribueret. Sed ut viderem, ſi forte feſtinatione erret corrector, ignoſci oportere, cum neque authores, dum feſtinant, attendere ad omnia valeant. Præterea narrabat ſe literis commonitum, ut ſi quis ſcrupulus incidiſſet, me compellaret. Et inquiebat plane *ἀδύνατον*, quando tam longè habitans à me, non poſſit ire redireque intra horæ ſpatium: tum autem non permiſſurum id Typographum qui moram hanc non ferret. Poſtulavi igitur à Typographo, ut ſaltem tranſmitteret, mihi quæ jam edidiſſet; ut per otium videam, ecquid offendam, quod in edendis, vel erratis debeat commoneri. Nihil tamen fiet, quin prius tuum judicium de iſtis cognoro. Fortaſſe jam videris, quæ adverſus diatribam de Antichriſto, ſcripſit Mareſchius. Quorum inſtinctu id fecerit, facile potes cogitare. Præfatio planè eſt virulenta. Eſt is Mareſchius Paſtor Sylvæducenſis, & ibidem Theologiam profitetur. Ut magis opus redderetur exoſum, præfationem ſic erat exorſus: „Nuper prodiiſſe opuſculum de Anti„chriſto, eo edente, qui & Crellii, & Volkelii Socinia„num librum ediḋiſſet. Sed Janſonius, qui jam Blauwiis eſt reconciliatus, noluit ſic excudere, ne prior eos læſiſſe, vel periculum creaſſe videretur. Itaque hæc Mareſchius, ſi ſua à Janſonio vellet excudi, adimere eſt coactus. Super duobus præcipuè erit cogitandum. Unum eſt, quomodo filius peccati atque perditionis Caligula eſſe poſſit; cum Epiſtola ad Theſſalonicenſes utraque ſcripta ſit, poſtquam Apoſtolus fuiſſet Theſſalonicæ, ut ipſe Apoſtolus indicat. Theſſalonicam autem venerit demum anno Claudii XIII. ut ex Actis cognoſcere eſt, cap. XVII. & tota temporis ſerie, quæ in iiſdem Actis anteceſſit. Alterum eſt de nomine ΟΤΑΠΙΟC ubi C non poteſt aliud notare quam ducenta. Nam *ἐπίσημον ς* valet quidem VI. ſed in literis non habet locum, eoque in ΟΤΑΠΙΟC, nequit C haberi pro ς. Succurrent fortaſſe, quibus occurrere utrique valeas; ſed ut aliter eſſet, in argumento tam obſcuro, pulchrum fuerit conjecturas ſuas doctis expendendas dediſſe: ſi quid alius præterea viderit quod magis probetur, laus ea ſit publica. Tantum abſit calumnia, malum diabolicum: adſit amor Chriſtianus; qui nunc toto prope Orbe Chriſtiano exulat, ac nuſquam difficilior inventu, quam apud eos, qui inimiciter adeo veteri Eccleſiæ adverſantur, nec quidquam, niſi novellum probant. Intelligo ſtatuiſſe Blauwios, diatribas illas ſeorſim editas, ſubjungere Notis in IV. Euangeliſtas. Verum quid ſi diſpiciatur prius, quæ inimici contra ſint allaturi. Fertilis eorum ſeges his terris, ſub duobus, vel tribus qui pariter plantant, & irrigant. Si non ante Natalem Domini, ad eas ſe accingere diatribas Typographus poſſit, fortaſſe ſat temporis habeas diſpiciendi, quid mutatum, vel additum velis; ſin illo feſtinante, excludaris temporis anguſtia, poſſint poſt ſex ſeptem menſes adjungere, primo ſolum foliolo mutato, quod additionem diatribarum teſtetur poſtmodo. Quod ad noſtra attinet, jam menſes ſunt quini, vel plures, quod Typographus in iis ceſſat. Primò fuit, quod concinnandi eſſent indices. Id ſatis moleſtum fuit negotium homini ſic diſtricto. Ubi ego paratus fui, (id jam ante ſex hebdomadas fuit) maluere progredi in tuis. Nec diſplicuit, quia interea paulum mihi licuit reſpirare, (ut cætera mittam) ſalutantium turba ſat impedito. Tamen aiunt Blauwii, ſe meis etiam hæc ipſa hebdomade vacaturos, ac breviori quam exiſtimem ſpatio, omnia perducturos ad finem. Nam intereſſe ſua, ut tandem opus hoc prodeat: cujus mora diuturna multum damni fecerint. Jam menſes ſunt aliquot, quod Toparchæ cujuſdam uxor, fœmina cordata, opulenta, *ἄπαις*, mecum locuta, de Equeſtri honore acquirendo in Galliis marito ſuo. Occaſio inde erat, quod non aliena eſſet in domo Dom. Arlandervenii. Quod ipſum tamen addo, illâ ut metuo invitâ. Planè enim juſſit, ut prætertito prorſus, cujus id nomine expoſceretur, duntaxat exquirerem, utrum, Illuſtris & Excellentiſſime Domine, operâ tuâ, hoc honoris maritus poſſit adipiſci. Id ego rogare per literas neglexi, quia alia magis animum meum occupant, quam curæ iſtiuſmodi. Poſtquam tamen aurem item mihi vellit, puduit oblivionis, & negligentiæ; nec ultra dilaturum hoc negotium duxi.

Multum interea metuo, ne fruſtra ſit; propterea quod invitus ſcio, in ea dignitate conſtitutus, ſuper talibus, nihilque ad Reip. utilitatem pertinentibus, negotii aliquid faceſſas, quibus debere nihil malis. Verum ſi ut puto, non fuerit ex honore tuo, homini huic Religione Pontificio, cæterum optimo, tui, tuorumque, noſtri etiam amantiſſimo, eam quam ambit operam præſtare; proximum erit ut perſcribas viam aliquam, quâ id confieri optimè poſſit. Id ipſi dixi, ſed videbam, malle illud honoris debere excellentiæ tuæ, quam alteri; aiebat non profecto quod minori ſe id pretio, ab illis quos compellares conſequi poſſe opinaretur, ſed quia honoratius id marito ſit, ſibi fore arbitraretur.

Illuſtriſſimæ D. Heroinæ Conjugi, quam ex Zelandia jam ſalvam, ac ſoſpitem appuliſſe confido, ſalutem plurimam meo, & meæ nomine dicito.

Amſtel. clↃ Iↄ c xl. v. Kal.
Octobr. Styl. Gregor.

Accepi à fratre juriſconſultiſſimo, de Religione Chriſtiana opus aureum, cum acceſſione Notarum, quæ plurimum illud illuſtrant, multaque etiam doctiſſimos docent. Etiam in perhonorificam noſtri mentionem incidi: quo nomine, excellentiæ tuæ debeo plurimum, & maximas ago gratias, quod non deſinas in loco tam ſublimi, proſequi me affectu veteri, vel etiam majori. Vale Decus ſæculi, & ſic raptim ſcribenti, omnia prout in buccam veniunt, vel mentem potius ignoſce, prout hactenus ſoles.

---

## DXXII.

*Clariſſimo Viro*

## Franciſco Gomaro,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Argumentum de Prædeſtinationis decreto aliquantò, ſi non melius, attamen talium captui, quibuſcum ſit negotium, accommodatius tractet, amice rogat.*

JAm anni ſunt triginta, quod Leidâ excurrebas Dordrechtum ad rem hereiſcundam, inter hæredes Junianos. Eo tempore memini tibi, præſente me, ſermonem fuiſſe cum Reverendiſſ. D. compatre meo Jo. Becio de permiſſionis natura: Tu mecum & ſatis diligenter de Prædeſtinationis objecto. Fluctuabat eo tempore nonnihil animus meus, in hoc difficili argumento. Perſiſtebam in ea ſententia, quam à Præceptoribus præcipuè ſocero Junio, teque acceperam; in qua etiam multum firmabat non indiligens B. Auguſtini & Proſperi, aliorumque authoritas; ſed imprimis aliquid ſacræ Scripturæ loca, impenſius mihi favere viſa ſunt ſententiæ illi quâ prædeſtinatio creditur, fide, & perſeverantia prior; non prævia ejus conditio. Sic cum affectus forem, non ſatis tamen videbam, quomodo eluctarer à quibuſdam, ſi vulgatiorem de prædeſtinationis objecto ſententiam ſequerer. Commodè ſic, Deo volente, evenit ut quemadmodum dixi, Dordrechtum venires, ac pluſculo

los illic hæreses dies. Ibi demum mentem tuam, quàm aliqui referre potiùs tentârant, quam expoſuerant, aſſequi cœpi; nec poſtea deſerui. Ita mihi viſum ſolidè occurri iſtis, quæ objectari viderem, ſcrupulumque animo injeceram meo. Gaudebam etiam, quod viderem utcumque B. Auguſtinus, Proſper, & qui eamſe ſententiam profiterentur, non iiſdem vocabulis uterentur, idem tamen voluiſſe, niſi pugnare eos ſecum velimus: quod cur ſtatuamus, cauſæ nihil videbam. Quin planè æquum cenſebam, ut quales nobis lectores exoptamus, tales nos præſtemus, tum junioribus tum antiquis. Interea ſubinde mihi, cum hominibus eruditis ſermo de hoc argumento fuit; ſed paucos reperi, qui ſatis caperent mentem tuam. D. Walæo, & præterea uno altero exceptis. Ac profectò metuo, ne plerique ex iis, qui proximè ſic adverſati, nondum percipiant ſatis, quid voles: magiſque ex ſuis hypotheſibus judicium, quam tuis ferant. Parum alioqui credibile eſt, illos adeò durè, aſperèque acturos adverſus te, cujus ſententia non uno nomine mitior eſt, & gravioribus ſubnixa argumentis; utcumque vulgò longè aliter feratur. Eo laudabilior fuerit opera, ſi per otium fuſius aliquanto Theſes tuas diducas, vel Theſium ſingulis aliqua ſubdas, quæ lucem afferant. Omnino enim altera ſententia non receptior modo, ſed ſimplicior iis ſaltem qui, ut ait ille, numero Philoſophari, vel θεολογεῖν potius amant. Nam homini accuratiori, ſi penitius rem omnem introſpicere volet, non obſcurum fiet, longè ſolidius, ſic objectum ſtatuendo, tecum occurri iſtis, quæ adverſus illam ſententiam afferebantur à doctiſſimo Arminio. Quanquam verò ſic exiſtimo, non levi te affectum injuria, imo eo graviori, quo ætas ingraveſcit magis: tamen multa cenſeo fratribus condonanda, propter communem ſervatorem Chriſtum: qui quid nos docuerit de remittendo, neminem fugit; tu autem propter ſponſam ejus, Eccleſiam, quam abunde laceram, ſcindi ulterius miſerum ſit. Malim arma converti in Romanam Eccleſiam, & illos qui ſanctæ Trinitatis dogma, & Chriſti ſatisfactionem, tanto ſtudio impugnant. Quæ omnia infinitis partibus, melius me intelligis. Et tamen perſtat animus, ut aliquanto, melius non dixero, ſed aliquanto tamen, talium captui quibuſcum eſt negotium, accommodatius, hoc tractes argumentum. Non ignoro ætatem, & occupatiſſimum vitæ genus; ſed ſubactum, cum in aliis, tum præcipuè infelicitate temporum, in hoc argumento, judicium, magnopere imminuet illum laborem. Nec ſi Deus ad meliorem evocârit vitam, quod ut ſerum ſit exopto, alterum repertum iri exiſtimem, qui tuam te melius ſententiam exponat. In quo quantacumque ſit modeſtia tua, facilè te mihi adſenſurum puto. Non defuturus Typographus, vel his locis: & omninò expedit, ſciant omnes ſententiam tuam non repugnare Confeſſioni Belgicæ: (quin & ego quidem ſemper iſtam hactenus cepi) illam potius illuſtrare, dogmaque acutioribus alioquin horridiuſculum mitigare, ac mollire, mirandum in modum; utcumque nonnullis, vel obtuſioris pectoris, vel præjudicio laborantibus, prima facie aliter videatur. Nempe non attendunt à Confeſſione Electionem attendi, per modum executionis, à ☐, ordine naturæ, per intentionis modum. Diſſimulare interim non poſſum, quid his diebus amicus, vir doctus, dixerit de hoc negotio, non improbari, quod eam ſequaris ſententiam; ſed quod adverſantes damnes: quaſi diceret, ſuccenſeri, non ob ſalſitatem doctrinæ, ſed ob acrimoniam cenſuræ. Equidem ſcio id in Romana Eccleſia obſervari ut in his diſcrimen faciant: quomodo damnarentur in ea, qui Thomiſtarum damnarent opinionem, de B. Virgine in peccato originali concepta. Quomodo ſcis item Bulla Pontificia damnatum Michaëlem Baium; non quia ejus ſententia id mereretur, ſed quia improbari nollent aliorum opinionem. In Baji dogmatis erat, Pelagii eſſe errorem, poſſe peccatum vitari ſolis viribus naturæ; & quædam alia hujus generis. Hoc aliorum quoque, è Pontificiis quorundam judicium eſt: qui tamen damnatos ſe cum Baio negant. Nempe quia non aliorum opinionem condemnent. Sic illam Pii V. & Gregorii XV. bullam intelligere jubent Toletus, Suarez, alii. Sed quid iſta adverſus te, qui non hæreſeos accuſes diſſentientes, uti Baius, qui diſſentientes ajebat, cum Pelagio hæretico ſentire? Quomodo modeſtius poteras diſſentire, quàm iſto modo quo ſcribis? Sed ſic dum me diffundo, nonnihil otio abutor meo, magis tuo. Quare hic ſiſto. Pro ſummo affectu erga Juniam affinem, & prolem, ego & conjux gratias agimus, quas debemus, vel ſaltem quantas poſſumus. Pro genero tuo pauca ſcripſeram; ſed ex iis quæ ſcribis facilè video, nihil eſſe hoc tempore movendum; ne dum pro tuis adlaboras, proſis alienis, & male volentibus; magiſque obſis rebus tuis. Sanè quod tu metuis, id ego paucis hiſce menſibus expertus ſum, in negotio tam ſimili, ut vix ovum ovo ſimilius eſſe poſſit. Longo tempore, magnoque molimine quædam movebam, idque ut videbatur applaudentibus, quorum ea res in manu erat. Sed in ϑέσει effeci quod volui: planè autem Vulpiones illi oviculam hanc (licet aliud ſonet cognomen meum) ἐν ὑποθέσει eluſêre. Vides ut neſciam vulpinari. Nam iſtorum mores, ſi præſciſſem, operæ pepeciſſem. Nunc fruſtra mihi multæ bonæ horæ abierunt. Verùm quid mea? Nondum mihi omnium, ut puto, dierum ſoles occiderunt. Dominus providebit. Cui te, tuoſque, ac me etiam, meoſque commendo.

Amſtelodami, cIↃ IↃ cxl.,
x Kal. Novembris.

---

## DXXIII.

## Jo. Rod. Wetſtenio,

Græcæ linguæ Profeſſori,

S. P.

*Domeſtica recenſet mala, quæ opus de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana non parum retardaverint; affectam quoque Centuriarum Magdeburgenſium continuationem Ludovico Lucio, quod in Eccleſiaſtica hiſtoria jam ſibi præclarum comparaſſet nomen, totam tranſcribit.*

Non diffiteor, doctiſſime Wetſteni, me tertiæ demum epiſtolæ tuæ, vel ut te video exiſtimare, quartæ reſpondere: ſed enim hæc querimonia tibi communis eſt cum plurimis, quando intra hunc ſeſquiannum nec decimæ eorum parti reſpondi, qui ad me ſcripſere. Itaque repoſui ingentem epiſtolarum vim, quibus adhuc deberem reſponſum. Ex primis es, cujus literas in manus cœpi, ut tandem officio ſatisfacerem. Nempe inter illud temporis ſpatium non multum licuit ſollicito eſſe de hoc literarum commercio. Scire enim te velim, hoc anno meo climacterico rarò me bonâ fuiſſe valetudine, bis etiam periculoſè ægrotaſſe: ſemel initio ejus, item ejus exitu. Præter alia me afflixere nephritis & morbus colicus: quos morbos non perſenſeram antea: & ſuaves medici jubent me optima in poſterum ſperare. Compluria enim exempla ſe noſſe ajunt eorum, qui eos poſt climactericum, ſi antea nunquam, nec deinceps ſint, experti. Bono igitur animo ſimus, mi Wetſteni, nec malo futuro, male ſi erit, quia nihil mali bonis. Nec illud ſeu malum, ſeu bonum dici debeat (ſed bonum potius quia bono noſtro cœleſtis pater immittit) in morbo meo ſtitit. Et uxor vehementer ægrotavit: vixdum convaluerat, in morbum incidit filia unica, literis & bonis artibus inſtructa. Quam Deus eripuit nobis, grande ſolatium noſtrum, ſed præcipuè uxoris. Vix hebdomadas erat, cum meus Gerardus, delicium illud meum, morbo abripitur. Exanthemata erant, quibus ut ante ſoror, ita & ipſe exceſſit. Utrum ejus Vellejum videris, neſcio: reliquit & caſtigationes in Valerium Flaccum, ac Cenſorinum, quas propediem lucem puto viſuras. Gravis etiam morbus Matthæum ſemel iterumque invaſit. Is eſt, qui Annalium Batavi-

tavicorum edidiſſet libros V, & intra hebdomadem alteros quinos prælo committet. Quid cætera memorem, mi Weſtſteni, & mireris temeritatiam non negligentiam duxero, ſed ceſſationem. Vix dicere poſſim quam parum proceſſerit ob iſta opus meum, quo prælum antea fervebat. Eſt hoc de Origine Idololatriæ ac Progreſſu, & naturæ mirandis, eorumque cauſis & progreſſu inde ad cauſam principem, naturæ auctorem. Brevius ſi malis, eſt de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana; ſed ecce breviſſime, de natura Deorum & rerum. Valdè incuſor ab Typographo, quod magno ejus diſpendio, tarde adeo prodeat hoc opus; magis incuſaret, niſi fortunam domus meæ noſſet. Spero interea, intra menſes tres, quatuor, duo volumina, quorum utrumque binis conſtet libris, lucem eſſe viſura; ſed de rebus meis abunde. Venio nunc ad illud de quo magis noſſe aves. Equidem nihil magis exoptem, quam ut Centurias Magdeburgenſes edere poſſim, cum brevibus noſtris notis. Præclarum eſt opus; ſed eſt, ubi aliquid ab Centuriatoribus illis datum affectæ & anticipatæ opinioni: homines enim erant. Eſt ubi humanitus error obrepſerit, præcipuè iſtis, quæ dies poſtea docuit, at à Scriptoribus antiquis, qui tum temporis nondum viderant lucem: vel ubi doctiſſimi homines in Scriptoribus jam ante editis locum eſſe corruptum obſervarint. Plane ſpiſſum hoc Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ negotium eſt, multis vel tenebricoſum, vel ſpinis obſitum; ſæpe in rebus meis afflictis ſcribere volui, me provinciam hanc ſuſcepturum, quam depoſceret; ſed ſemper reſilui, cum viderem eam rerum mearum faciem, ut nihil promittere auderem. Juvenes eſſe εὐέλπιδας, magni illius Stagyritæ eſt effatum. Sed ſenecioni mihi idem hactenus fuit animus. Verum tot incurrentibus adverſis, nihil audeo polliceri. Quamobrem nihil æque exopto, quam ut alius minus negotiis diſtentus, viribus etiam animi corporiſque florentior, hoc ſuſcipiat negotium. Is eſto, qui hoc ſaxum diu jam volvit, vir clarus Ludovicus Lucius: quem ex ſcriptis jam ante vicenos novi annos. Nulla vero libentius legi quam quæ adverſus Socinianos editavit, manibus enim pedibuſque obviam eundum Sectæ, uſque adeò & Chriſti naturæ meritoque & veteris Eccleſiæ dogmatis adverſanti. Ad Theſes meas Theologicas quod attinet, excuſæ vel potius recuſæ ſunt Oxonii; ſed jamdiu eſt, quod & illa ſunt diſtracta exemplaria. Quare efflagitant plurimi, ut novam procurem editionem, diſſertationibus variis adjunctis, quæ necdum lucem viderunt, atque jam à me ſcriptæ & viris eruditiſſimis viſæ ante annos viginti. Quid Voſſius tuus de ſe ſpondeat, dum nihil illi otii eſt ab amicorum negotiis, præterquam nocte intempeſta, qua & ipſe has literas ſubito exaravi, ne amiciſſimo viro injurius videret? Præter præſtantiſſ. D. Lucium nomine etiam meo ſaluta pulchram Buxtorfii animam, magni parentis prolem præclaram.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c xl, iv Kal. Nov. St. Greg.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

---

DXXIV.

## Joanni Beverovicio

ſuo,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

*Vir Clariſſime,*

SCio jamdiu eſſe quod promiſerim gratias me acturum tibi pro munere de eruditis fœminis: quod magnopere me delectavit. Atque iſtoc quidem quod dixi, pollicebar, priuſquam eo nomine obſtringerer. Nempe ut credere aliquis poſſit, quo celerius animum meum paſcerem epulis inemptis. Quicquid de iſto ſit, ab eo tempore, quo dono iſthoc opus miſiſti, ſilui ſtrenue: non tam oblivione ollæ, quam quia arbitrarer ceſſare aliquantiſper poſſe hoc literarium officium noſtrum in tot adverſis; præcipue morbo meo gemino, & conjugis, & liberorum, & ex hiſce etiam mortibus ſuaviſſimi Gerardi, & pro ſexu non inferioris Joannæ, unicæ filiæ meæ. Hanc taciturnitatem noſtram minus te mirabitur nemo, qui ſcias quam alioquin etiam negligens in epiſtolis eſſe ſoleam. Hoc oſtendit non paucos: non te Clariſſime & Amiciſſime Vir, ut ſatis inde video, quod nihilominus mittere volueris Dordrechtum tuum, plerorumque liberorum, quos partim habeo, partim habui, natale ſolum, ut parentem meum mittam, quem ea in ſacris doctorem habuit, & matre mea defuncta, alteris nuptiis non indecori familiæ innexuit ut me quoque taceam, qui pueritiæ meæ ſtudia illi debeo, & fortaſſe plura, quam acceperam, refundere ſum conatus. Quorum ut video, ne tu quidem poſteritatis paterts eſſe ignarum. Nempe ſic ſtat ſententia, quantum colligere poſſum, nullæ ut ad me, vel in publicum potius, chartæ prodeant tuæ quæ non perhoneſte meminerint veteris præceptoris: qui tamen quando tua legit, & ſe diſcipulum lubens agnoſcit tuum. Atque illum affectum cognovi, ex illis etiam quæ decertata inter te, ſumme vir, & τὸ πάνυ Salmaſium. Huic te reſpondere ſcribis, ſane magis ſic elucebit veritas, ſed alternatio ſit non altercatio, de quo plura ſcriberem, niſi probe mihi notum eſſet, quanti virum facias; quantopere etiam improbes Coptianæum & ſimilium ſcribendi morem. Vale vir Præſtantiſſime & Amice, atque intra unum alterum menſem. opus noſtrum de Gentili Theologia, & Chriſtiana Phyſiologia expecta. Jamdiu prodiiſſet niſi & me valetudo mea meorumque impediiſſet & typographus magnopere moraretur, qui ſepoſitis noſtris totus eſt in edendis quæ Illuſtris Grotius in quatuor Euangeliſtas pereruditè elaboravit. Spero ea ante Kal. Januarias lucem viſura. Eximio Colvio, & quos alios noſtri ſcis amantes ſalutem plurimam dicito.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c xl.
poſt Id. Novembris.

---

DXXV.

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Artium & Philoſophiæ Doctori celeberrimo.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime & celeberrime Vir, Amice honorande,*

NUdiuſtertius interfui funeri, τοῦ μακαρίτου, Antonii Thyſii, in Academia Doctiſſ. duobus Theologis orba, in tantillo temporis ſpatio. Spes aliqua affulget, D. Biſterfeldium, qui ad defuncti D. Walæi profeſſionem vocatus eſt, affuturum circa ver proximum. Niſi jactura tanta brevi reſarciatur, & Academiæ de celebri etiam J. C. & Philoſopho provideatur, frigebunt ſtudia, & vicini ad ſe florem ſtudioſorum pertrahent. Cum ibi eſſem exiit in lucem novus affinis mei Molinæi fœtus, quem Decano, & Capitulo Cantuarienſi placuit dedicare. Mitto hodie exemplaris Cantuariam operâ D. Boſwelli. Unum tibi retinui, qui inter eos es allectus, & affinis mei in Canonicatu Collega. Accipies igitur illud à me, nomine authoris, qui erga nomen tuum, non minus affectus eſt, quam tu erga illum, quod ei etiam nuper teſtatus ſum. Celſiſſimus Princeps cum filio craſtina die, huc Groningam versus tendit, ob

cauſam

cauſam tibi notam. Ego interim hic quieſco, ubi ſi opera mea tibi, aut tuis eſſet neceſſaria, eam vobis libenter impenderem. Heri tumulatus fuit D. Brouchovius, cujus locum in Concilio Ordinum Generalium implebit D. Aerſenius. D. Salmaſius tandem appulit Diepam, poſt agitationem periculoſiſſimam, dierum octodecim, in quorum quarto amiſit filiam majorem natu, quæ in corpore imbecillo, ferre non potuit tantam concuſſionem. Rhotomagi aliquamdiu egit, apud Senatorem Sarravium, virum doctiſſimum, & doctorum amantiſſimum, ac tandem Lutetiam Pariſiorum pervenit. Boxhornius ſub prelo habet librum de Trapeziticis, an hic tolerentur tantum, vel approbentur? Audio eum ſatis modeſtè rem illam tractare, quia eum veſtigia terrent. Hæc habui quæ pro tempore, & raptim, ad te ſcriberem, quæ boni conſules, & me amare perges, qui tibi & tuis, omnia proſpera voveo. Vale.

Rapt. Hagæ-Com. xv Kal. Decemb. cIↄ Iↄ cxl.

*Tui ſtudioſiſſimus,*

ANDREAS RIVETUS.

## DXXVI.

*Celeberrimo & undiquaque Eruditiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori digniſſimo,

S. P.

*Gronovium à multis Gymnaſio Daventrienſi Profeſſorem deſtinari ait, num verò vocationem, ſi offeretur, accepturus eſſet ſollicitè à Voſſio exquirit.*

*Vir Clariſſime, fautor, & Amice honorande,*

QUod ſæpè ante hoc tempus, facere decrevi, ut tot benevolentiæ officiis à te affectus, cultum, & obſervantiam meam, etiam calamo declararem, id ulterius ne differam, præſens occaſio me monet. Vacat in illuſtri Lycæo noſtro, Profeſſio Hiſtoriarum & Eloquentiæ, quæ cum ante biennium, ab ampliſſimo hujus urbis Senatu, in commodum ſtudioſæ juventutis, inſtitueretur, ex commendatione Doctoris Vedelii, Martino Schoockio fuit demandata: qui nunc eam derelinquit, hinc in Academiam Groninganam, ad Profeſſionem Phyſicæ, & Logicæ evocatus. De ſucceſſore igitur jam laboramus, qui munus iſtud deinceps cum laude adminiſtret. Commendatur nobis à Leydenſibus, & Ultrajectinis, filius Giſberti Voetii, & ut amicorum literis, plus ponderis adderetur, ipſe ſe nobis præſentem ſtitit: ac undecimus jam dies eſt, ex quo in urbe hac moratur. Sed quantum animadvertere poſſumus, ipſi hæc provincia non obtinget: præterquam enim quod valde juvenis adhuc eſt, nec illis dotibus videtur ſatis inſtructus, quæ ad munus iſtud exornandum requiruntur: noſtri etiam in cooptando novo Doctore, cautiores jam erunt. Ideo de alio cogitandum eſſe exiſtimo. Hæret in animis multorum, nomen & fama Gronovii noſtri, cujus etiam mentio fiebat, ante biennium, cum Hiſtoriarum, & Oratoriæ Profeſſor vocandus eſſet, nec ille, credo, tunc temporis ab ejuſmodi conditione alienus fuiſſet, præſertim cùm & ingenium, & ſtudia illius, ad otium literarium tunc propendere, ipſe deprehenderim. Nunc vero de ejus voluntate & inſtituto judicare nequeo, cùm toto eo tempore, quo à nobis diſceſſit, nihil de ipſo cognoverim; nec ipſe Gronovius, quod vehementer miror, quicquam ad me ſcripſerit. Id quidem ſcio, quæ ejus eſt virtus ac eruditio, non defuturas ipſi emergendi occaſiones, cùm habeat in ſua familia, tot præcipuæ dignationis cognatos, per quos honeſtiſſimam conditionem, exambire poterit, ſi modo in patria pedem figere voluerit. Obſiſtet nihilominus eunti iſtis in locis, Lutheraniſmo ſic addictis, Religionis profeſſio. Hoc ipſum forſitan permoveret, ad ejuſmodi functionem in hiſce provinciis amplectendam: quamvis & alia adſint, quæ reditum in Patriam bellorum incendiis adhuc ardentem, non parum remorentur. Præterquam verò, quod Gronovius à me, cæteriſque Profeſſoribus noſtris commendatur, fama ejus quoque innotuit aliquibus ex Senatu noſtro, qui Hagæ-Comitis in Collegiis Ordinum hanc civitatem ſubinde repræſentant. Ab illis igitur juſſus, & à Collegis meis monitus, præſentem ejus conditionem inquirere, non potui hoc officium ſcholæ noſtræ denegare, imprimis cùm pro ea quæ inter Gronovium, & me intercedit amicitia commodum illius omni ratione promovere allaborem. Rogo itaque te, Vir clariſſime, ne grave putes, quod ſuper hac re ſentias, num Gronovium hanc vocationem, ſi offeretur, accepturum putes, & ubinam locorum nunc degat, paucis indicare, vel ſi nihil de eo ſperandum judices, alium quempiam ſi quis occurrit, nominare. Præſtabis ea in re, nobis omnibus gratiſſimum officium, & de ſchola noſtra, ſtudiiſque humanioribus optimè mereberis. Conditio ſanè non eſt ſpernenda, tali præſertim loco, & inter tales cives, literis ſic addictos. Stipendium eſt ſeptingentorum florenorum, & forſitan augebitur, ſi condignum hominem, quem unicè quærimus, nanciſci poſſumus. Finem facere cogor. Vale, Vir præclariſſime, cum univerſa familia, & me inter cultores tuos numera. Reſponſum vero quamprimum exſpecto.

Dab. prid. Kalend. Dec Jul. An. 12. cIↄ Iↄ cxl.

*Praeclariſſ. Dominationi tuæ, omni fide, & officio addictiſſ.*

JOANN. CHRISTENIUS,
*J. U. D. & Prof. Illuſtr. Gymnaſii, P. T. Rector.*

## DXXVII.

*Nobiliſſ. Ampliſſimoque*

## Dubletio.

*Sententiam ſuam peculiarem de quarta orationis Dominicæ petitione declarat. Præcedentem commendationem proſequitur.*

POſtridie Kal. Jan. an. hujus cIↄ Iↄ c xl i. unde auſpicatius ordiar quam à voto? Id vero facio lubens meritoque; Deumque oro, ut tibi tuiſque omnia ſuccedant, non dico ex animi ſententia (nec enim ſcimus quid expediat nobis) ſed prout maxime Deus ſenſit conducibile eſſe animarum ſaluti. Hoc patris cœleſtis judicio fretus, facilius multa ut debeo perfero adverſa: ac magis magiſque in eam adducor ſententiam, ut credam ſoſpitatorem noſtrum in precatione ea quam edocuit Apoſtolos, non juſſiſſe ut terreſtris panis peteretur, ſed cœleſtis: non quaſi nefas putem expetere illum, præſertim ubi defecit: ſed quia exiſtimem Chriſto apud Matthæum fuiſſe propoſitum animos noſtros à terreſtribus, de quibus uſque adeo ſolliciti ſunt, ad cœleſtia attollere. Atque curſum animare debet quod promittit ſalvator, non ſi ceſſemus terrena expoſcere, eo nos iis cariturus: ſed cum nobis curæ ſunt cœleſtia, & iſta votis aſſiduis flagitemus, Deum ſponte nobis largiri velle, quæ ad vitam terrenam neceſſaria erunt. Præter iſta quæ dixi, & plenius precationi dominicæ apud Euangeliſtam ſubjunguntur, & complurium ſanctorum patrum authoritatem, qui ſimiliter ſenſere, & vocem ipſam ἐπιούσιος, quæ non alium panem ſignare poteſt, quam ἐπιούσιος βίω, valde etiam in hac ſententia firmat ſeries ipſa precationis. Quid enim convenientius quam ut duo rogemus iſta, ut bona conſequamur, & ſimus immunes à malo? Bonum ſpiri-

tuale, tum finem attingit, tum viam, ſive ut loquuntur in ſcholis, media ad finem. Finis eſt gloria Dei, eoque poſcimus, ante omnia, ſanctificationem nominis divini. Via complectitur hæc tria; primum oblationem ſpiritus ſancti, unde petimus ut veniat ad nos regnum ſpiritus, & verbi divini: deinde operationem ejuſdem ſpiritus, per quam voluntatem facimus Dei, non noſtram; denique conſervationem ſpiritus ejuſdem, ac per eum perſeverantiam noſtri in fide & ſanctimonia, quæ per panem futuræ vitæ indicantur. Objectant huic ſententiæ adverſarii, ſi per panem intelligamus alimoniam ſpiritualem, ταυτίζειν ſecundam petitionem & quartam. Sed hoc non dicerent, ſi cogitarent diſcrimen Baptiſmi & Euchariſtiæ, ac Chriſtum utrumque inſtituiſſe Sacramentum. Mitto alia quæ eos refellant. Ad immunitatem à malo venio, quæ reſpicit malum præteritum & futurum. Ad prius pertinet, ut remittantur delicta, quæ jam commiſimus. Ad poſterius, ut ne Diabolo permittetur tentatio & victoria de nobis. Ubi una erimus, pauxillum ſuper iſto ſi vacabit diſſertabimus. Equidem cum primo calamum in manus ſumerem, non putabam me iſthoc argumentum, & tam fuſe, ut nunc, tractaturum. Sed facilis ad amicum tantum (uno trium, quibus pro rebus humanis valde mihi placeo) & occaſio ſe ſcribendi offert, & argumentum. Nec negare tamen velim, fortaſſe me nihil fuiſſe ſcripturum, niſi Guiottus noſter rogaſſet, ut aliquid ad aliquem exararem, quod ex re ſua foret. Satis egi, eoque minus pœnitet, quia ſic ſpe video bona, quod luculentum tui & aliorum affectus indicium præbet. Bis locutus ſum, & una mecum collega meus Barlæus, cum Domino de Heemſted; is omnia prolixe pollicitus: ſed volebat ut Guiottus ſerio ſecum perpenderet, num hæc conditio ſatis ſibi conveniret, quandoquidem, ſi non Beverovicenſem, ſed alteram conſequeretur, à Mitopio hactenus adminiſtratam, periculum foret, ne quandoque ad Dunkerkanos auferretur. Noſter metuebat, ne hæc eo dicerentur, ut abſterretur, & Olikannio, vel alii faventior foret. Interim ut dixi, & mihi & Collegæ large promiſit; & quia Collegæ memini, ſcias & tertium additum hodie Cabeliavium, nepotem ejus Cabeliavii de quo in Hiſtoria Borrii anno CIƆ IƆ LXXXVII. orationem inauguralem hodierno habuit die: ſcripſi poſt duodecimam noctumam. Et ſcio longiores non expoſcis, ſive quia ſatis occupatus, ſive quoniam quod omnes jubent, parcere me etiam valetudini meæ voles.

Amſtelodami, CIƆ IƆ C XLI. diem quid addam? nolo videri obliviosus ejus quod initio Epiſtolæ ſcripſi. Quanquam ſi hæc culpa eſt dicenda, nec ſic ſatis vitarim: nam & annum à me expreſſum nunc in mentem venit.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

Filii Matthæi alter Batavicorum Annalium tomus jam traditus eſt typographo; uti primus de domo Egmondana, ita hic futurus de Hannonica, & tertius de Bavarica, quartus de Burgundica. Mitto de reliquis.

---

## DXXVIII

## Hugoni Grotio.

*Quæ irritum Duræi Eccleſiaſticæ pacis ſtudium reddiderint, nuncque deſperatum prorſus faciant, ac turbatiſſimum Angliæ ſtatum furoremque Puritanorum cum horrore refert. Dolet Archiepiſcopum Guilielmum multa innocenter pati oportere, & Grotium quoque ſermone variorum vapulare, ob diatribam de Antichriſto.*

*Illuſtriſſime Domine, Vir Incomparabilis,*

PRopè interdum eſt, ut adaptem mihi Catullianum iſtoc:

*Fulſere quondam candidi tibi ſoles.*

Videlicet dum mens in ſano corpore ſana fuit. Nunc ferè alter eſt, dum vires, minus minuſque ſolitis ſufficiunt laboribus. Interea Deo gratias ago maximas; quod annis totis ſexaginta, ſi paucos excepero morbos, qui in Climactericum incidere, non corpore minus, quam animo valuerim, ſi deinceps pejus fuit, eò ſic voluiſſe Deum arbitror, ut ſarcinulis collectis totum me componam, non ad exilium quidem, ut Gentiles dixere, ſed patriam, quo caput Eccleſiæ ſuæ aſcendit. Bona tamen ſpes familiam meam habet, melius fore, ubi blanda Zephyri aura reduxerit nobis egelidos veris tepores: qui foras ſinent exire, & ambulatiuncula diſcutere hunc penè dixero veternum. Id eam jam binis ternis menſibus parum licuit, ob aëra, penè aſſiduè nebulis fœdum, ſane magis, quam à multis retro annis memini; non in ſeptentrionali hac Hollandia modo, ſed Auſtrali etiam, ac vicinis Provinciis. Itaque alii, alio morbo cubant. Tuſſientium verò è catarrhis crebris, ac moleſtiis plena prope omnia. Hæc qualecumque ſolatiolum adferunt in morbo meo; magis tamen quod non prorſus cogar libros abjicere, & non deſint amici, qui alloquio reficiunt pio, & erudito. In horum numero, nunc eſt, optime & egregie de Eccleſia promerens, Joannes Duræus. Jam quaſi hebdomas eſt, quod è Germania huc venit, à ſuis in Britanniam revocatus. Quid promoverit, ex literis ejus intelliges, quas ad te ut mitterem juſſit. Plurimum autem metuo, ne in irritum cadant, quæcumque hactenus inter Lutheranos egit. Jam decennio, antequam ille hanc provinciam ſuſciperet, nihil æque objectabant Lutherani, quam pacificatores omnes agere hanc cauſam malo dolo, ut nempe poſtquam pro fratribus agniti ſint, ſimplicibus Lutheranis os ſublinant, errores ſuos affricent, & numero auctiores facti γνησίως Lutheranos ſedibus expellant. Atque hujus rei firmamenta adferebant partim ex veteribus exemplis, partim ex eo quod Synodus Dordrechtana, in damnanda Remonſtrantium ſententia, ſimul condemnarint Lutheranam; partim etiam, quod Doctores in exilium ejecerit, auditorum cœtus ſub gravi pœna interdixerit. Ergo inquiebant, ite ac prius componite controverſias inter vos, & Remonſtrantes, qui etſi in ſacramentario negotio diſſideant, æque ac vos, in dogmate tamen de prædeſtinatione propius abſunt à nobis, plerique etiam plane conſentiunt. Quamquam vero adventu D. Duræi, non omnino ſuam opinionem mutârant Lutherani: plerique tamen aliquanto meliorem de eo ſententiam conceperunt, eo quod miſſus foret à Clero Anglicano. Nam agnoſcebant, Eccleſiam, qualis ſub Eduardo, Elizabetha, Jacobo, & hactenus ſub Carolo fuit, ſeu doctrinam, ſeu ritus conſiderarent, propius ſecum convenire. Præterea videbant, vel rarò, vel nunquam, ab iis qui regimen, Liturgiam, & diſciplinam Angliæ comprobarent, ſuas Eccleſias convitiis & maledictis fuiſſe impetitas, quod, aiebant, à maxima parte aliarum Eccleſiarum fieri ſolere. Sed quid animi nunc, ad ineundum cum Eccleſiis Gallicis, & Belgicis, fore putabimus, ubi cognorint, hoc agi in Britannia, ut accuſatis, damnatis, ejectis omnibus, quos non longe à ſe abire, & omnino modeſtiæ, & pacis amantiores credebant, triumphant ſoli, quos ipſi Calvinianos, in Anglia autem Puritanos nuncupant? Equidem horreo, quando cogito, quæ Londino à plurimis, ſed ferè Puritanis perſcribantur, præcipuè de Reverendiſſimo Archiepiſcopo, eum in cuſtodiam abductum, perduellionis reum. Liber etiam his terris (urbem certe dicere non poſſum) Latine editur hujus argumenti; præcipites nimis fuiſſe Scotos, in abjurando Epiſcopatu; nec Anglos ſine Hierarchia hac poſſe regi; ſed recidenda ſtipendia, longe maximam partem; ſufficere ſingulis ternas quaternas, ſummum quinas libras ſterlingicas: meliores verò ſufficiendos in locum multorum; in his Wrenni, Montacutii, potiſſimum Archiepiſcopi Cantuarienſis, quippe intus, & in cute (utcumque adhuc aliud ſimulet) Papiſtæ. Hoc etiam abundè comprobari, ex Opere Anglicè, adverſus Jeſuitam; dum Menevenſis (S. Davidis) eſſet Epiſcopus, perſcripto & poſtu-

poſtulato Regio, ſuperiori anno, pluſculis additis recuſo. Objectatur quod de Eccleſiis Reformatis h. e. Puritanis, ſiniſtros habuerit ſermones; imo (quam hoc verè dicatur neſcio) Calvinum vocarit Nebulonem. Et hæc propter, gravis inſtituitur querimonia, quòd iſtoc auſit contra magnum illum Heroa, terræ filius, cujus Natales ſatis noti ſunt in Britannia. Quaſi non ad majores etiam dignitates evecti ſint alii, qui non tam honeſte nati, ac ille Noſter; ſed neque de Papiſmo quod ajunt, in animum poſſum inducere; cum & coram, & literis non unis, me fuerit adhortatus, ut Baronio reſponderem. Longè aliter etiam de eo prædicant, apud me qui maximè illi familiares. Metuo igitur, ne Papiſmum, ut vulgò fieri amat, vocent id omne, quod Puritani reſpuant, utcumque vel ſemper, vel primis ſaltem ſeculis obtinuerit in Eccleſia Chriſtiana. Et ſanè abſolvere illum ab hoc crimine poſſunt, quæ in Synodo Cantuarienſi & Eboracenſi, ſub utriuſque Archiepiſcopi præſidio, adverſus Papiſtas, uti & Socinianos, ſunt decreta anno ſuperiori. Viſa tibi arbitror. Mihi quidem exemplar, ab ipſo D. Archiepiſcopo transmiſſum fuit. Et iis quibus innotuit ejus erga me affectus, vilioris me pretii idcircò putant. Non ſoleo tamen de ejus erga me amore quidquam jactare. Novi enim noſtrorum invidiam, ac mores; ſed ex Anglia venientes hoc diffuderunt. Et in his Ampliſſimus Dortrechtanorum Conſul, in Angliam nuper Legatus, Guilhelmus Beverius, niſi is Cornelius potius, retulit non uni, quomodo, cùm de variis Regni rebus, cum Reverendiſſimo Archiepiſcopo eſſet collocutus, & jam utriusque currus diverſam inſiſteret viam; miſerit famulum, qui paulum ſiſteret currum Beverianum: tum alterum alteri occurriſſe: cæterum Beverium grande quiddam expectaſſe; Archiepiſcopum verò non aliud poſtulaſſe, quam ut amiciſſimo ſuo Ger. Jo. Voſſio plurimam diceret ſalutem. Hoc qui audiêre, πλημμελῶς factum negant. De ſalute quidem ex ore Conſulis, ac Legati accepi, ſed de cætero reticuit. Leve tamen delictum, & cui facile ignoſcant, qui ſciunt, quàm paucos in Batavia ſit invenire, qui cum mediocri doctrina, animum ad componendas Eccleſiæ lites adferant. Neque hæc dico, quod ad rem tantam videar idoneus: ſed quia ad excuſationem ejus multum valeat, quod me talem putârit. Tu quoque Illuſtriſſime Domine, multum ſermone variorum vapulas, quaſi iſtis in Anglia Papiſſantibus faveas. Imo Papaturienſium iſtic gratia, de Antichriſto eam fovere ſententiam diceris, quam diatriba tua complexus es: ſcio te iſtac calumnia non terreri. Tamen metuo, ne & alii deinceps adverſus te exſurgant, & virulentum calamum ſtringant. Jam credo videris, & alterius Galli, ſed in Gallia agentis, nec de nomine tibi ignoti Antidiatribam. Ajunt, & Voetium quædam moliri; ſed παρέργως miſſis, aliquid etiam dicamus de tuo in Euangeliſtas IV. Commentario. Is videtur intra tres hebdomadas poſſe abſolvi. Ternis proximis excudent diatribas tuas, & Indicem, una cum erroribus commiſſis, quos interea temporis à te miſſum iri ſperant. Opus noſtrum de Idololatriæ origine, & rerum naturâ ſpiſſè procedit, non ſolum culpa Typographi, qui totus in tuis deludat, ſed etiam ob invaletudinem meam, quæ non permittit, ut ſim qui in meis eſſe ſoleo. Et ſanè ſi per Typographum liceret, mallem, ad menſem, unum alterum, differre editionem operis noſtri, in cujus Indicibus quatuor operoſis, pro totidem libris, nunc occupantur operæ Typographicæ. Utinam verò non morbus me etiam impediret, quo minus ſæpius Typographum excurrerem, & ut tua procedant, attenderem. Nunc toto menſe, imò & altero, vix pedem extra domum pono. Et rarò ſatis conſulor ab correctoribus. Jam aliquandiu eſt, quod quaternionem ad me miſere, in quo pag. 768. ubi vidi in αὐτογράφῳ, vel potius inde exſcripto [illegible] pro [illegible]: Item μίσθ@ pro μισθός. In poſtrema etiam pagina, in eodem exemplari fuit Thedotio pro Theodotio, κ'ἂν pro κἂν, δίομαι αἴδα, pro αἰδῶ. Hæc ſimiliter Typotheta poſuerat, nec noſter ille correxerat. Vellem Brenius ſolus par fuiſſet labori, qui talium intelligentior eſt emendatore altero. Equidem ſuſtuli illa quæ dixi; quia adhuc integrum erat corrigere, ſed vereor, ne ejus generis multa relinquantur: ſatis præſidii, dum ponunt, in eo quod transmiſſum exemplar. Quaſi in iis, qui abſente Authore excuduntur, non opus ſit, ut Typographi pretio nulli parcant, in parando ſibi homine, ad emendandum idoneo; non ea modo, quæ Typothetæ peccant, ſed etiam authoris Amanuenſis. Quod me meaque placere maximo Salmaſio ſcribis, gaudeo. Nempe utriuſque veſtri, & aliquot aliorum, qui cum doctrina virtutem & candorem, rem raram, conjunxere, ſolari me ſoleo, adverſus obtrectationes Phœniculi, cum ſuo Hyperaſpiſte, & aliorum, qui toti ab eo pendent & in ejus gratiam, à quo laudari in ſcriptis exoptant, non ceſſant cædere me, Salmaſium, & hunc homullum, qui ita ſcribit. Uxori heroinæ, quam ſalvam rediiſſe in Gallias lætor; & liberis tuis, meo, uxoris, & filiorum nomine ſalutem dicito.

Amſtelodami,
1641. poſtr.
Id. Jan.

*Tuo Illuſtriſſimo nomini devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

## DXXIX.

*Reverendo & eximio Viro,*

## D. Iſaaco Barggravio,

S. Theologiæ Doctori, Venerabil. Canon. Cantuarienſium Decano.

*Suos de Idololatria libros, cum Dionyſii filii, idem argumentum ex Maimonide tractantis, opuſculo offert.*

*Reverende Domine Decane,*

JAmdiu eſt, quod nullas ad te officii atque amoris teſtes literas miſi. Nimirum ceſſare volui, donec mitterem volumina bina de Gentium ſacris à Deo abducentibus, & naturæ myſteriis adducentibus in admirationem & cultum veri numinis. Nec tamen diu adeo diſtuliſſem literarium hoc officium, niſi varii rumores de Anglicanæ Eccleſiæ ſtatu quodammodo reddidiſſent in nonnullis animi incertum. Sed ſpero, Deus deſinet peccatis omnium iraſci, ac veritatis, ac ordinis publici amantibus faventia ſua adſpirabit. Ac pro iſto quidem aſſiduè ad Deum preces fundo. Opus noſtrum gratum tibi fore confido; uti & ſymmyſtis univerſis. Fuſè ſatis de illo ſcripſiſſe mihi videor epiſtola illa, quæ non uni tibi, ſed toti Canonicorum inſcripta Collegio. Quare iſta non iterabo, ſed te ſolum rogabo, ut exemplar hoc, quod particulatim tibi mitto, boni conſulas: nec tam in eo donum attendas, quàm affectum donantis. Atque idem de Dionyſii mei Maimonide dixero. Scivi id te facturum, me non poſcente; ſed metuebam, ne ſi de eo ſiluiſſem, non eximiæ humanitatis tuæ fiducia neglexiſſe viderer, ſed arrogantia aliqua, quaſi hoc mihi deberi putarem. Tu verò Reverende D. Decane, vel paucos intra menſes alia itidem expecta. Nam vobis omnibus præclarè muneris veſtri ſatagentibus, minimè committendum mihi exiſtimo, ut præter ea quæ publicè docendo in Illuſtri hoc Gymnaſio Belgis præſto, aliiſque huc commigrantibus, tanquam ad mercatum bonarum artium, non etiam ſcribendo procudam ejuſmodi, quæ florentiſſimis Angliæ veſtræ, imo jam meæ quoque ingeniis, placere poſſe confidam. Nimirum in eo ſum totus, ut bene merear de Eccleſia & Rep. literaria, non his modo terris, ſed etiam exteris, Anglia cumprimis, quæ tot jam me nominibus obſtrictiſſimum tenet. Eâdem mihi hoc conſequi videor, ut orbis videat, ordinis noſtri homines publicis invigilare commodis; quippe ubi in hoc tantopere etiam deſudent

ſudent illi ipſi, qui impediuntur variè, quominus ſint præſentes.

Vale, Reverende atque eximie Domine Decane, cumque optima conjuge & liberis à me ſalve: præſertim ſalutem à medici velim præclare ſpei filio, quem hic cum ſummâ voluptate vidimus coram. Utinam modò ſic res ejus tuliſſent, ut ego illo, ille me diutius frui potuiſſet.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xli.

*Tui reverendi nominis cultor,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DXXX.

### Gratiam & Pacem à Deo Patre, & à Domino noſtro Jeſu Chriſto. Amen.

*De Confeſſionum publicarum & librorum Symbolicorum in Eccleſiis uſu diſſeritur.*

PEroptaſſem Reverendi admodum Doctiſſimique viri, fieri potuiſſet, ut ipſe coram, hæc appoſita deliberationum capita, veſtris Reverentiis obtuliſſem. Sed quamvis multis, magniſque adducar argumentis, ut id expetam, pluribus tamen, & longè multo majoribus retrahor, à conatu, quo id effectum dari poſſet. Revocor enim in Magnam Britanniam, maximiſque precibus à me contendunt amici, ut nullibi nec ullam ob cauſam, me detineri patiar, donec eò pervenero: quoniam ibi omnino inſperatam, & exoptatiſſimam, rei bene gerendæ anſam, mihi offerri autumant: meque per omnia ſacra adjurant, ne tantæ occaſioni deeſſe velim. Ergo illorum vocationi nunc obtemperandum erit, ita ut ſimul debitus erga Dignitates veſtras reſpectus non intermittatur. Spero igitur vos in optimam partem accepturos hanc affectus mei erga Eccleſias veſtras propenſi teſtificationem, quâ honorem ſuffragii in re tanta, quæ omnes concernit Evangelicos, vobis delatum volui. Et ne forſan iſtud quod in Appendice, de Confeſſionum particularium uſu, non legitimo, dicitur aliqua cum ſermonis libertate, ſit vobis offenſioni, velim ut rectè mentem meam de eo percipiatis; atque cauſam cur ita loquutus ſim intelligaris. Conſtat haud dubie veſtris prudentiis complures eſſe libros in Eccleſia Lutherana Symbolicos, præter Auguſtanam Confeſſionem, de cujus etiam exemplaribus variatis, & invariatis, ac horum authoritate non parùm diſceptatur. Noſtis Catechiſmos, Majorem, Minoremque Lutheri, Articulos Smalcaldicos, & Catecheſin Hutteri, in ſuperiori Saxonia, & alibi Symboli loco eſſe; noſtis & ibi, & aliis in locis, aut formulam concordiæ Jacob-Andræanam, aut cum ea particulares formulas, qualis Confeſſio eſt Wittembergica, aut corpus doctrinæ Jul. aut corpus doctrinæ Philippi, &c. inſtar Canonis haberi; ſi non primarii, ſaltem paulò pluſquam ſecundarii. Has tot Confeſſionum diſtinctas formulas, (quamvis & inter ipſos Lutheranos, perſæpe acres pariant, ſuis de opinionibus concertationes, & nobiſcum, in opere quæſitæ reconciliationis, non paucas afferant remoras, & difficultates:) facilè tamen omnes admitto: ut extent, & quantum poſſunt, valeant, ſi modò unum abſit, quod omnino intolerabile videtur, & nihilominus ubique locorum fermè invaluit: nempe euſque attollant, atque extendant plerique ſuarum Confeſſionum loquendi formulas, ut iis tam ſuos ipſorum Doctores Academicos, quam aliarum Eccleſiarum Paſtores, ita circumſcriptos & limitatos velint, ut nec ſibi ſuiſque in prophetando ullam libertatem, ultra præciſos Confeſſionum terminos concedant, nec cum exteris pacificè agant, aut amicitiæ Chriſtianæ jura obſervent cum ullis, niſi cum iis, qui in ipſorum verba jurare parati ſint. Hinc eſt quod mihi de Confeſſionum fine, atque uſu legitimo, cum Hamburgenſibus, cum Lubecenſibus, cumque D. Buſchero Helmeſtadienſium Profeſſorum Cenſore, (quod ſcilicet, ex præſcripta formula non ſemper loquantur) & aliis quibuſdam præſertim Lutheranis diſceptanti, illud quod in Appendice dicitur de abuſu Confeſſionum, in mentem venerit: ut ab errore quo, & privatam ſuam, & publicam quantum in ſe eſt, omnium Evangelicorum pacem, impediunt, & interturbant, revocentur.

Hoc igitur quod Lutheranis, qui vocularum quarundam aucupio delectantur, dictum eſt; nolim à vobis, aliter quam à me prolatum eſt, accipi; quoniam exiſtimo, Confeſſiones publicas, non ſolum utiles, ſed etiam neceſſarias Eccleſiis eſſe; neceſſarias eſſe dico, non tantùm ut extent, in veritatis Evangelicæ teſtimonium, adverſus Pontificiorum, & aliorum graves errores, humanaſque traditiones, quibus conſcientias credentium ſub jugum cæcæ obedientiæ, mittere conantur; ſed etiam ut conteſſerationem fraternam initio Reformationis inter pios veri Dei cultores, in fundamento puræ Religionis, antea conſtitutam porrò confirment. Ac proinde utiles quoque poſthac fore judico, ad communem Eccleſiæ cujuſque ſententiam, in præcipuis doctrinæ capitibus agnoſcendam, & ad concordiam inter eos qui diſſidiis non neceſſariis diſtrahantur, promovendam. Haud quaquam igitur oportet eas abolere, aut flocci fieri; ſed tamen nec ita uſurpari, ut loquendi formulæ iis comprehenſæ, vel in aliarum Eccleſiarum, vel in Propheticæ libertatis, vel in Concordiæ religioſæ, vel in Communionis Chriſtianæ, vel conſcientiæ ſcrupuloſioris præjudicium adhibeantur. Ideoque, obſervandum erit, me Lutheranis in memoriam revocare voluiſſe ipſorum confeſſiones eſſe ſcripta humana, quibus illaqueare conſcientias minime convenit. Nullus enim tenetur ullas humanorum verborum formulas, aliter admittere quàm quatenus agnoſcit ſibi permiſſum fore, bonâ cum illorum pace, quorum cauſâ id facit, illas ita interpretari, ut cum fidei analogia, ſibi in Dei verbo revelata, poſſit eas conciliare: quod ſi permittatur, tum etiamſi verba nova, atque priſcis inaudita, (qualia tamen, nollem temerè à quoquam uſurpari:) in confeſſionibus humanis, inveniantur, & poſſit ea quiſpiam, aliquali adhibitâ interpretatione ſano ſenſu accipere; judico illum pacis cauſâ, id tutò facere poſſe; imo & debere potius, quam ut otioſa certamina, de phraſibus & loquendi modis excitet; ex quibus lites, maledicentiam, invidiam, & ſuſpiciones malas oriri dicit Apoſtolus. Atque hoc illud eſt, quod ego in meis, cum Sueciæ, & Daniæ Theologis, agere, pro mea in Chriſto libertate volui, quando phraſes Lutheranas, de orali manducatione, deque omnipræſentia corporis Chriſti, me certo ſenſu admittere poſſe profeſſus ſum; atque ita interpretatus ſum, ut fidei analogiæ mihi revelatæ, non repugnarent in conceptu meo, quamvis eas nec approbarem, nec iis me teneri vellem, nec promiſcuè adhibendas eſſe cenſerem; hoc tamen aliqui ex noſtris, non rectè attendentes, meam hanc parrheſiam, animo non ſatis æquo, ferre videntur; putant enim agnitæ in Eccleſiis veritati, hac ratione aliquid derogari; à qua ſententia ego ingenuè fateor me alienum eſſe, cum ſciam non his, aut illis, loquendi modis, ſed in rebus ac ſententiis, ſenſuque verborum, analogiæ fidei conſentaneis, veritatem conſiſtere; nec unius hominis particularem, & certo ſenſu limitatam, phraſeos hujus, aut illius acceptationem, præjudicium ullum afferre poſſe, omnibus Eccleſiarum Confeſſionibus, quæ mentem Reformatorum manifeſtè produnt. Nec denique meæ qualicumque phraſeos, licet incommodioris admiſſione, Orthodoxiam labefactari poſſe, quamdiu in præparatoriis tanti operis ſolummodo verſamur. Etenim hoc jam præcipuè agitur, ut ad Tractatus ordinatos, conſtantes & univerſales, amicabiliter intendendos, de mediis, modoque procedendi, in concordia ritè conſtituenda, perducantur affectus illorum, qui hactenus maximam ſtudii ſui partem collocarunt, in clamoribus, & inanis verborum pugnis; à quibus ut tandem abducantur, & ad res ipſas pertrahantur, mihi non videbatur inconſultum, hoc pacto agere: præſertim cum hoc agens nihil præter veritatem ſenſus mei profiterem. Jam autem ſi quis velit à mea interpretatione diſſen-

diſſentire, facilè id permittam, dummodo id fiat pacificè; & nolit propter ejuſmodi opinionum diverſitatem, omnia Chriſtianæ Communionis vincula diſſolvere, quod, proh dolor, inter multos, nimis ſæpe fieri ſolet hodie!

Hæc paulo fuſius apud vos ediſſero, Reverendi in Chriſto fratres, quoniam non ſum neſcius, quantùm poſſint aliqui, in præjudiciis, aut aliorum animis inſtillandis aut apud multitudinem fovendis: nec ignoro, quantis obnoxium ſit ſuſpicionibus, & ſiniſtris imperitorum interpretamentis, hoc quod præ manibus habeo negotium. Conor itaque hac ratione, huic mederi malo: atque ideo à veſtris pietatibus efflagitabo, ne facilè aliud de noſtro inſtituto apprehendatis, præter illud, quod re ipſa præ ſe fert. Stamus enim in conſpectu Domini, qui judicabit propediem ſecreta cordium. Nolite igitur ante tempus, de proximo judicium ferre, aut ex invidioſis conjecturis, præpoſterè à quibuſdam hauſta judicia temerè admittere: ſed ex hiſce de nobis judicate. Libenter enim, quicquid de re tota ſtatueritis, excipiemus: quando id nobis communicare non gravatè volueritis: quod rogo etiam ut faciatis: quo mens veſtra, iis quorum intererit eam intelligere, pateſiat ad multorum ædificationem. Valete.

Dabam Amſtelodami, Jan. 1/4, anno 1641. Jo. DURÆUS.

## DXXXI.

### Guilielmo Boſwello,

Equiti, & Sereniſſimi Regis Caroli ad Fœderatæ Belgicæ Ordines Prolegato.

*Quo in ſtatu res Angliæ, ac Regis præcipuè, Cantuarienſiſque Archiepiſcopi ſint, anxius anquirit.*

*Vir Illuſtris, atque Eximie,*

HOc etiam nomine nunc debeo tibi quod certiorem me facere volueris quo loco res forent Reverendiſſ. Dom. Archiepiſcopi optimi Mecænatis mei. Non minus obſtringor iſta etiam parte ipſi Dom. Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui, & ſuis & totius Regni ac Eccleſiæ Britannicæ rebus ita perturbatis, noſtri tamen cogitationem non depoſuit, deque ſtatu ſuo me voluit edoceri, idque per te virum eo loco conſtitutum, & amicum communem. Atque ego quam primum literis tuis reſpondiſſem, niſi in mentem veniſſet, ſatius fore ſi unam alteram hebdomadem hoc officium differrem, quo interea cognoſceremus, quem exitum iſtorum ſperare tandem liceret. Sed jam dies illi evolarunt, & æquè incertus ſum ac dudum. Qui literas ſubinde è Britannia hac accipiunt, ajunt propediem fore, ut relictis vetuſtatis quiſquiliis, Eccleſia Anglica ad inſtar Scoticæ componatur, nec vel nomen Epiſcopale fando audiatur, ſolaque obtineat Apoſtolica, & ἰσονομία, & doctrina quam ab anno uſque CIↃ IↃ LXVIII, ſed præcipue hoc Archiepiſcopo oppreſſam conqueruntur. Hos ſi audimus, non de Archiepiſcopali modo dignitate, ſed Archiepiſcopo etiam actum ſit. Deus meliora. Tu Vir illuſtris quod fidei habendum ſit melius perſpicis. Ego interim aſſidue vota fundo pro Sereniſſimo Rege Carolo Regiaque familia, ac Regno & Eccleſia, particulatim etiam pro Reverendiſſimo Cantuarienſi Archiepiſcopo. Quem quod Papiſtam ajunt, id ejuſmodi eſt ut nihil à vero alienus dici poſſe arbitror. Scio ſtudioſiſſimum ſemper fuiſſe veteris Eccleſiæ, & Anglicanæ illius, quæ Eduardicis obtinuit temporibus. Sed hoc ſi fuerit Papiſta eſſe, mirum à Regina Maria tam multos, quia ſic ſaperent, ut hæreticos fuiſſe vivicomburio & aliter ſublatos. Nec excidere poſſunt ſermones quos coram non ſemel habuit mecum. Iis ſemper adhortabatur, ut Annalibus Baronii reſponderem, quod & non unis ad me literis fecit. Tamen fore puto paucis diebus, ut liber in lucem exeat Latinè, quo hoc propoſitum ſit auctori commonſtrare Reverendiſſimum Dominum, quem dixi intus & in cute Papiſtam eſſe, atque hoc ipſum evincere conabitur locis quamplurimis operis ejus, quod cum Menevenſis etiam Epiſcopus foret, adverſus Jeſuitam quendam perſcripſit, & anno ſuperiore poſtulato Regio recudi Londini juſſit. Intelligo & ex viris bonis doctiſque qui librum videre, hoc exprobrari vehementer Reverendiſſimo Præſuli, quod Calvinum vocarit nebulonem. Id factum non credam, niſi oculis locum conſpexero. Ea igitur occaſione invehitur in D. Præſulem quod tantum Heroa ſic nuncupet is, cujus, ut ait, natales adhuc in Anglia omnibus ſint cognitiſſimi. Ex hujuſmodi non difficile eſt conjecturam capere de cæteris. Utrum vero in Batavia is liber mandetur typis an alibi, Anglia puta, vel terra quapiam Belgicæ fœderatæ, ne illis quidem conſtitit unde hæc hauſi. Quod ad Commentarios noſtros de Gentili Theologia, & Phyſiologia Chriſtiana, ſolum ſupereſt, ut excudatur Index libri quarti, ac operis Præfatio, Dedicatioque. Index intra duas erit hebdomadas abſolutus. Urgebit deinde Typographus cætera: cujus intereſt ut opus quàm citiſſime prodeat. Ego quas potero moras nectam, diu tamen hominem querulum & lucri cupidiſſimum eludere non licebit. Vellem excurrere Hagam ut una de negotio hoc tecum conſulerem, uti & Nob. & Ampliſſ. Dubletio. Sed non ſinit valetudo, quæ jam me tribus hebdomadis detinuit domi. Objectat uxor quod ex quo ſcæva illa de Reverendiſſimo D. Præſule variorum literis huc perſcripta, pejus cœperim valere. Mihi tamen ſatis bellè videor, & proprias ferre & amicorum fortunas: ſæpeque cogito fidelibus etiam adverſa omnia in bonum cedere, &, ut Chryſoſtomus pulchre Homilia quadam comprobavit, neminem lædi niſi à ſeipſo. Sed fortaſſe memet non ſatis novi. Et diffiteri non poſſum cum primum hunc nuncium acciperem, vehementer me dolore fuiſſe affectum: partim quidem propter Reverendiſſimum Præſulem, & alios quoſdam magni nominis, quorum ego & virtutem ac doctrinam & veteris Eccleſiæ amorem ſemper feci maximi: partim verò ac imprimis, quod Regno diu florentiſſimo à magna metuerim immutatione: quæ raro felix eſſe conſuevit: nec nunc felix eſſe poſſit, ſi ut exoptare multos video, futura eſt imminutione Majeſtatis Regiæ, & non levi deſpectu Eccleſiaſticæ vetuſtatis: quam ſi mei res foret arbitrii corruente indies Papatu toto orbe velim magis & magis triumphare. Sed ſpero metus noſtros fore vanos, quales ſæpe hominum Scholaſticorum eſſe ſolent. Vale, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Vir, & cum uxore lectiſſima ſalve ab

Amſtelodami, v Kal. Febr. CIↃ IↃ CXL. *æternum tibi devotiſſimo,* G. J. VOSSIO.

## DXXXII.

### Joanni Beverovicio

Senatori & Medico Dordrechtano

S. P. D.

*Modeſtè de ſe ſentit, nec judicio ſuo, quod de Metonymico loquendi genere expoſuiſſet, quicquam arrogatum vult, ſed aliis dijudicandum relinquit. Reverii adverſam valetudinem dolet, quodque præclarum ingenium publico hactenus invideat. De Caſſiano quid ſentiat, exponit.*

AN quia & ipſe Palæmonis arte non pauca conſignavi, Ampliſſime Beverovici, eo ſimiliter ſapere me putas ac nobilem illum Grammaticum Vicentinum: qui tam ſtulte ſapiebat, ut putaret nomen ſuum propterea à Marone poſi-

loquitur: non item de ingrato illo zelota qui tibi ac veteribus collegis tuis tantum invidiæ, atque odii conflare his terris per literas conatus. Equidem permultum vereor, ne Duræo à ſuis domum revocato multorum refrigeſcat ardor in hoc εἰρηνικῷ negotio: non quaſi ab uno hoc pendeat negotium: ſed quia qui miſerant eum, non tantundem poterunt deinceps, ſi negotium proceſſerit in Anglia ex ſententia Parliamenti inferioris: in quo prope omnes ad faciem Genevenſis Eccleſiæ reformari Eccleſiam malle, dicuntur, quam ad formam Eduardi VI, vel Elizabethæ tempore receptam. Non deſino Deum orare, ut Spiritu S. & Sereniſſimum Regem & Proceres Regni gubernet, ne zelo improvido Eccleſia Catholica aliquid capiat detrimenti. Scis ſuum honorem Calvino & Bezæ, magnis ſane viris, deberi: ſed & ſuum debere eſſe pretium antiquitati, & iſtis Eccleſiæ Doctoribus, qui ad antiquitatis normam, ubi à ſcripturis non abiret, inſtaurarunt Eccleſiam Anglicanam. In quibus non modo tot magni Angliæ viri fuere, ſed etiam Pet. Martyr. & Martinus Bucerus, quem quanti ſocer meus Junius facere ſoleat haud facile dixerim. Sine dubio jamdudum intellexeris de exceſſu ſummi viri, & mihi peramici Doct. Fr. Gomari: in quo maximæ virtutes: quas tamen aliquantum depreciabat zelo, & animi impotentia. Aggreſſus erat te quoque, ſumme item vir, & amice, publice refellere, ſed ſic ut nemini parceret. Contentus erat dicere (ſi vera mihi ejus diſcipuli referunt) novum Lutheranorum hyperaſpiſtem. Multa propter Chriſtum, & ſponſam ejus concoquere debemus: non Spartana, ſed Chriſtiana patientia. Obiit XI Januar. terræ mandatus XVIII ejuſce menſis. Spero te progredi in iis, quæ & veritatis, & concordiæ cauſa præclare es exorſus. Minor eris multis hominibus cordatis qui te in cœlum tollunt, ſi ſufflaminare te valeant nonnulli omnia novellitate metientes. Mihi jam ad umbilicum perducti libri VI de Theologia Gentium, & Phyſiologia Chriſtiana. E quatuor indicibus jam poſtremus eſt ſub prælo. Simulac excuſum erit opus, è primis eris, quem participem faciam. E paucis enim es, quorum pietatem doctrinamque, cum judicio hoc tempore æſtimem. Plurimam ſalutem clariſſimo Bergio, Willioque nuncia.

Amſtelodami,
ciɔ Iɔ c xl i,
Non. Martii.

G. J. Vossius.

## DXXXVI.

### Gerardo Joanni Voſſio,

*Viro ſummo,*

### Ludovicus Crocius

S. P. D.

*Zelotas ſuos Acheronta movere, ut candorem, veritatem & concordiæ ſtudium ſibi extorqueant; ſed fruſtrà eſſe dicit, quandoquidem nec bona, nec mala fama nos à Chriſto avellere debeat. Scripta Duræi Irenica à Lutheranis cupidè quæri ac legi. Gomari improvidum zelum, & quicquid iniquius dictum ſcriptumve eſſet, velle ſe amore pacis publicæ concoquere.*

CHriſtophoro Timplero inſcriptas à F. Junio affini tuo literas Rudgero fratri illius, Reip. noſtræ Phyſico, homini Zelotas noſtros in omni occaſione in nos extimulanti actutum tradi curavi; qui non ſibi, ſed fratri ante quinquennium defuncto datas ajebat. Impetravi tamen reſponſum, quod hic incluſum accipies. E morbo gravi te iterum eluctatum gaudeo, & aſſimilem in modum ut honoratiſſima uxor tua morbi ſui reliquias edomet & vincat, Deum ſoſpitatorem obnixè precor. Zelotæ noſtri Acheronta movent, ut candorem, veritatem & concordiæ ſtudium nobis extorqueant: ſed vanas ſcimus ſine viribus iras. Virtus enim invicta omnem pravum affectum ſui-ipſius agnoſcit ultorem. Res agitur putidis calumniis domi foriſque. Colliguntur hinc inde ſuffragia Academiarum & Claſſium veſtrarum, quibus à plebe minores habeamur ac prope inauditi per provincias veſtras paſſivitus damnemur. Hoc ſeculum eſt! Quid agamus? Nil conſcire ſibi, hic murus aheneus eſto. Detonant in nos omnia pulpita, omnes cathedræ veſtræ, ſiquidem fama vera eſt. Sed nec bona, nec mala fama nos à Chriſto avellere debet. Duræus, Vir eximius, in Angliam profectus, ne jota quidem ad nos perſcripſit, ex quo hinc diſceſſit. Miramur tam longum viri ſilentium, ac veremur ne quid illi vel in via vel in Regno contigerit ſiniſtri. Capita rerum hactenus in negotio ἐιρη-νικῷ ab ipſo geſtarum à Lutheranis cupide quæruntur ac leguntur. Domino Calixto exemplaria aliquot miſi & aliis iſtarum partium. Sciret Deus moderata ingenia quæ veritatem ſimul amant & pacem. Audio naves in exteras regiones de Anglia ſolventes in portu diligenter excuti, ne quid literarum tranſvehant, quibus crepera Regni ſtatus exteris intempeſtivius revelentur. Triſte eſt quod de Parlamenti inferioris ſenſu ſcribis. An enim una Genevenſis Eccleſiæ facies præ omnibus placet? An hæc eſt illud Apoſtolicæ Eccleſiæ [illegible], ſine omni macula, ſine ruga; cæteræ omnes imbubinatæ? Magni ſanè Viri, Calvinus, Beza, alii, & de populo Dei ſeculo præterito præclarè meriti: ſed Petrus Martyr & Martinus Bucerus iſtis nihilo ſunt inferiores. Fatebuntur ipſi illi, quos modeſtius de ſe ſentire novimus, quam infruniti quidam eorum admiratores, quibus omnis pia Antiquitas præ illis ſordet. D. Gomarum è vivis exceſſiſſe dudum acceperamus, cujus immoderatum & improvidum zelum jampridem fræuaſſem, ſiquidem id è publica re judicaviſſem. Malo bonas horas aliis tribuere, & quicquid in me iniquius dictum ſcriptumque fuit, amore pacis publicæ concoquere. Horret enim animus inteſtinas fratrum & Symmyſtarum lites. Nunc Antipapiſmum ſub incudem revoco & Antiſocinianiſmum. Si Typographi veſtri fortean ſint adeundi, velim, ſiquidem integrum eſt, edoceri, an ſit qui libellos quoſdam noſtros typis ſuis exſcribat. Nam æmuli nos forſan ita devenuſtarunt, ut deinceps nemo ſuam nobis collocet operam. Theologiam Gentium, & Phyſiologiam Chriſtianam, opera eruditiſſima ad indices uſque jam typis exſcripta, ut primum ad colophonem perducta fuerint, cupidiſſime exſpectamus. Deum ex animo veneror, ut proſpera valetudine & aquilæ ſenectâ te, Vir ſumme, beet, quâ hæc & alia plurima reconditæ eruditionis monumenta à manu tua habeat & admiretur poſteritas. Salutem plurimam officioſiſſime ſcribo tibi, fautor maxime, matronæ honoratiſſimæ & filiis eruditiſſimis à DD. Bergio, Willio, & me quoque. Bene valeto & ſalve æternum, ô maximum Decus noſtrum.

Bremæ, x Kal. Apr.
Anno æræ noſtræ
ciɔ Iɔ c xl i.

## DXXXVII.

### Andreæ Riveto,

Theologo.

*Pro munere chartaceo gratias agit. Quæ ſuum de Gentili Theologia & Chriſtiana Phyſiologia opus impedivetint, ut tardiùs in lucem prodiret, rationes profert.*

SI ego homo umbraticus, & qui anguſto Scholaſtici ticulo contentus ſemper fui, relatus unquam fuiſſem in numeros hominum elegantiorum, metuerem, ne tuo etiam viri ac pariter amici ſummi judicio, inde expungerer jamdudum,

dudum, quod toties peccem in leges eas vivendi, quas prudentiores, & ad unguem facti, exacte adeo obſervant. Nam ut mittam vetera (grandis enim eſt talium meorum ſolœciſmorum ſeges) quam ruſticum plane quod nunc dicam. Miſeras mihi aureolum vatem veteris in Philoſophia doctoris mei, nunc etiam in Canonicorum Cantuarienſium Collegio, Collegæ honoratiſſimi. Magni Molinæi nomen adderem, ſi hoc inter nos eſſet opus, qui tacitu etiam veneramur nomen, quod orbis prædicat univerſus. Num vero vel auctori præclari operis, vel tibi, qui miſeris literulis egi gratias ut oportuit. Non Amyclæ magis tacitæ Voſſio tuo, defenſitare hæc non poſſim: eſt tamen quo me purgem. Animus erat ad pauculas hebdomadas differre officium ſcribendi, ac unà tum tibi pariter, tum affini tuo, tranſmittere qualecunque ἀντίδωρον noſtrum de Gentili Theologia & Phyſiologia Chriſtiana. Jam ad umbilicum propemodum mihi perductum hoc opus videbatur, cum in morbum prius ego, poſtmodo uxor incidimus. Hebdomadas ea res multas morata eſt Typographum. Redii poſtea ad labores. Opereque ut videri poterat perfecto, cogitare de luculentis indicibus cœpi. Hæc res non exiguo mihi in tantis occupationibus labore ſtetit. Aliud acceſſit; multa cœpi deſiderari in iis, quæ jam excuſa. Itaque & auctarium ſuum ſingulis ſubjeci libris. Nunc tandem & iſta typis commiſſa. Cum ecce a filio Iſaaco intelligo (& is indicium ejus rei tibi ſe debere profitebatur) prodiſſe in Galliis opus novum de Gentium Theologia. Non putavit mea in lucem protrudenda, donec iſthoc vidiſſem. Negavit ſe habere Elzevirius is qui hac in urbe degit: ſed ejus cauſa ſcripſit Leidam ad cognominem Typographum. Heſterno demum veſpere, is Elzevirius, quem hic degere ajebam, domum meam venit, ac narrat, ut navis cum è Galliis appulſa ſit, quæ Bolduci, Otia Chriſtiana, in quibus multum ad noſtri operis argumentum pertinentia, inter alios libros apportaret, atque hac hebdomade me habiturum. Moras igitur nectam, ut videam, ecquid ſit, quod neceſſe habeam, vel nova appendicula, aut præfatione, vel aliter commonere. Simulac vero perfecero, è primis eris, quibus ſum officii ergo miſſurus. Atque idem habes de eximio affine tuo: cui non minus quam lectiſſimæ conjugi tuæ, meo nomine ſalutem dices, quando otium erit vel occaſio ſcribendi. Gratularer præterea familiæ veſtræ, ſi quod dictum mihi, filium eſſe ſponſum, conſtaret; ſed ubi certiora cognôro, hoc inter alia novarum mihi literarum argumentum eſto.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ c xl i,
ix Kal. Apr.

*Tuus omni ſtudio,*

G. J. Vossius.

DXXXVIII.

*Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum & Chronologiæ Profeſſori celeberrimo,

S. P.

*Bolducii Oggium Chriſtianum ſtrictim recenſet. Salmaſium ex quo Lutetiam veniſſet, magnis impetitum fuiſſe calamitatibus domeſticis, reditum quoque in Bataviam difficilem ei reddi; aſſiduum eſſe in ſtudiis ac ſubinde ad typographos materiam novam, quam Regia ſubminiſtrent membrana, mittere; Voſſio reliquiſſe librum Croji de Verſionibus antiquis, cui de typographo proſpiceret. Eundem opus Heinſii in N. T. ad examen revocaſſe, innumeraque in eo deprehendiſſe σφάλματα. Inſperatas ſubjicit filii nuptias, quibus felicia cuncta precatur.*

*Clariſſime & Eximie Vir, & mihi plurimùm honorande,*

SUfficiebat mihi quod ex Doctiſſ. juvene filio tuo, certus fueram factus, redditas fuiſſe tibi literas, cum opuſculo affinis mei, neque quid ultra expectabam, cùm Ampliſſ. Dubletius, tuas mihi attulit, ex omni parte gratiſſimas, niſi quod de tua, & lectiſſimæ uxoris tuæ adverſa valetudine, addiſco primùm, ſed cum lenitivo melioris ſortis, quæ priores tuas, & publicæ rei literariæ, utiliſſimas curas, non amplius remorabitur. Exoptatiſſimus eſt ubique hic labor tuus, & Galli noſtri inter alios, ejus publicationem impatientius expectant. Det Deus, ut intra paucos dies, fiant votis compotes. De Bolducii Oggio, ut appellat, Chriſtiano, egeram cum filio tuo, eique librum oſtenderam, in Bibliopolio Elzevirii, putabamque ad te fuiſſe delatum. Sunt nonnulla quæ cenſuram tuam merentur. Totius operis ſcopus eſt, ut oſtendat, ab ipſis mundi primordiis, per omnes ætates, oblatas fuiſſe Deo placentas, figuras Sacramenti Euchariſtiæ, etiam in Orgiis, & Bacchanalibus, & in eum finem multa colligit ex gentilium ſacris. Ordine Capucinus eſt, natione Gallus, homo octogenarius, qui etiam ſcripſit libros, de Eccleſia ante legem. Magnus Salmaſius ex quo Lutetiam venit, variis calamitatibus fuit impetitus. Socrum amiſit, uxorem habuit tam graviter laborantem, ut quatuor continuis diebus, iterata ſanguinis miſſione opus fuerit. Variè etiam fuit tentatus, ne ad nos rediret, nec ſe poteſt penitus extricare, quamvis ei ſtet redeundi animus. Sperat ſalvum conductum, aut potius dimiſſionem, ex publicatione libri, de Primatu, qui ſub prælo ſudat, & vires acquirit eundo. Mittit ſubinde ad Typographos, materiam novam, quam ei ſubminiſtrant regiæ membranæ. Reliquit tibi librum noſtri Croii, de Verſionibus antiquis, ut aliquem ex Typographis veſtris excitares, qui illum typis deſcriberet. Nuper accepi literas ab Authore, qui fere deſperat de editione, his in locis, petitque, ut ſi obtineri non poſſit, ad eum remittatur ſcriptum. Rogo ut me certiorem facias, an aliquid ſit ſperandum. Idem Author mihi ſignificat, ſe opus Heinſii in N. Teſtam. ad examen revocaſſe, animadvertiſſe innumera Authoris σφάλματα, & Bezam defendiſſe. Primam partem abſolviſſe, quam miſſurus ſit Genevam, niſi ſit hic qui excudere velit. Vir doctus eſt, & in linguis ad id neceſſariis apprimè verſatus. Poſtquam à te reſponſum accepero, ad eum reſcribam. Opus eſſet feſtinato, quia Celſiſſimus Princeps, voluit ut unicum ſuum in Angliam comitarer, nec ſatis ſcio, an mihi tempus ſuppeteret, nuptiis mei filii intereſſe, quæ Leydæ celebrari debent nono Aprilis. Hæc res inopinato nobis accidit, cùm miſſus eſt Buram, & Leydæ apud amicum vicinum, viduæ Burgersdikiæ diverteret, invitatus fuit ad cœnam, cum hoſpite ſuo, ubi cùm vidiſſet puellam octodecennem, defuncti Collegæ filiam, in eam vota ſua convertit, & communicato mecum conſilio, cùm viderem eouſque proceſſiſſe, ut proteſtaretur ſe non poſſe dimoveri, ſciremque puellam, honeſtis parentibus ortam, & mediocres eſſe facultates, annui, quando quidem ille, xxxvii. ætatis annum attigit, & amici ex Gallia, ab initio mihi ſuaſiſſent, ut occaſione data, eum huic jugo alligarem, quod fœlix fauſtumque ſit, Deum precor, & ab amicis, qualis es inter primos, peto, ut vota ſua meis jungant; qui etiam tibi, & tuis omnia proſpera voveo, & ſi voluerit Deus me in Angliam deducere, fac ut mihi ſignificetur, ſi quid in re tua, aut tuorum, poſſim, habebis me promptum, & paratiſſimum. Salutem plurimam D. uxori, à me, & mea. Vale.

Hagæ-Comitis,
xxvi Martii
cIↃ IↃ c xl i.

*Tibi addictiſſimus, & ad omnia officia paratiſſimus.*

Andreas Rivetus.



DXXXIX.

ſi fata virum! ſed in tanto luctu & negotiorum quibus obvolvor & involveris, nihil à me jam expectes, quo aut deſiderium illius veſtrum, aut meum ſolari poſſim. Illud enim in tanta clade verè expertus ſum, Parvi dolores loquuntur, magni tacent. Quod ut maxime vellem εἰς βουκόλημα τῆς λύπης, tempus fortè & verba quæ præpedit dolor, nec mihi ſatis in expedito ſunt, me deficerent. Itaque ad lætiora, dilata in aliud tempus tam gravis caſus memoria, deflectam. Nam quid, obſecro, jucundius aut honorificentius à Clariſſ. Salmaſio audire potui, quàm te exquiſitiſſimis tuis ad Juſtinum notis æternum mihi nomen adſtruxiſſe, nullo tamen aut perexiguo meo merito? Potes certe tu ſine ullo famæ tuæ damno & intertrimento, quæ tecum nata per te in immenſum creſcit aliquid mihi de tua luce impertire, idem faciens ut qui lumen de lumine accenderit; vereor tamen ne apud eos qui me penitùs norunt, tantum affectui tuo dediſſe, quantum veritati detraxiſſe videatis. Οὔ τίς τοι θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις. Neſcio enim, ex animo dico, pudore an lætitia ſuffuſus ſim, dum me quoque principibus permixtum agnovi. An obſecro te tanti erant obſervatiunculæ illæ, quæ mihi Amſtelodamo Lugdunum naviganti ὁ δὴ πάρεργον inter nautarum & vectorum ſtrepitus notatæ erant, ut me tot titulorum & elogiorum mole fortè an invidia onerares. Hac quidem parte legis illius immemor quæ pretia rerum ex affectu æſtimari vetat. Sed paucis tam parvo fama poſteritatis conſtitit, quam mihi, qui quod ab ingenio meo aut doctrina ſperare non poteram, à commendatione tua tam facile, tam præclare impetraverim. Quod neſcio an tibi acceptum & inter beneficia referre debeam, qui me è tenebris eruere, & ſic melius latentem in tantam lucem producere conaris. Etenim aut tibi tantæ ignoti hactenus hominis laudationis invidia ſuſtinenda eſt, aut mihi contra anteactæ vitæ inſtitutum & virium mearum conſcientiam adnitendum eſt, ne tu temerè aut nimia charitate hæc de me prædicâſſe videaris. Unde autem id conſequi poſſim non video, niſi ad pueritiæ ſtudia quæ mihi ſatis fœliciter ceſſerant, recurrendum, aut de novo triginta annorum miſerè in ſummis ferè calamitatibus, aut agrorum cultura deperdita tempora reſarcienda ſint; quod ut vellem maxime & per negotia liceret, ætas jam feſſa & ingraveſcens, torque inſuper adverſis facta, in tanta præſertim ingeniorum vilitate, non ſineret; niſi igniculis quibuſdam gloriæ, cujus apud bonos, non leve præmium eſt, ſuccenderer, quos aut tu cum patre & fratre tuo, aut Gronovius noſter mihi è Batavia diſcedenti ſubdidiſtis. Quamvis enim ruri deliteſcere & unius memet dominum feciſſe latebræ, unica mihi cura eſſet: quamvis omni libraria ſupellectile deſtitutus eſſem, quam fratri juniori, abjecto omni inſtrumento artis clauſaque taberna tradideram, ut tamen Gronovio, qui tum Statium excolebat ſatisfacerem, cepi etiamnum fallendo labori Poëtam illum in manus, in quo aut emendavi aut notavi non pauca, quæ ferò ad Ampliſſ. & longe Clariſſim. Virum Sarravium Senatorem Pariſ. miſi, tam ipſius gratia quam Gronovii, quem Lutetiam venturum ab ipſo Sarravio per literas didiceram. Quo factum eſt, ut cum tantiſper hic Gronovius commoratus eſſet & Sarravius paulo poſt cum delectis è Senatu Pariſienſ. Senatoribus, Rothomagum juri provinciam dicundo à Rege miſſus eſſet, ego interim utroque exciderim brevique poſtea Gronovium Maſſilia ſolviſſe tum peragrata Gallia, & Venetias profectum eſſe, per literas ejuſdem Sarravii ad Salmaſium didicerim. Poſt exactum autem Statium quum unicum penes me Tacitum ex reliquis libris haberem, auſus ſum etiam quædam in tantum Authorem, poſt tot tantorumque virorum, quorum ſcripta omnino, nomine ferè, mihi ignota erant, cui poſtremi conatus ἀποσπασμάτια quædam ad te miſiſſem, niſi quotidie meſſis ſub falce creſceret, brevi omnia miſſurus ad te; & quia hæc & alia in lucem edere amicis & magnis viris impellentibus animus eſt, gratiſſimum facies ſi quæ ad illum obſervata tibi aut Doctiſſ. Patri tuo, eorum me participem eſſe velis, ut aliquatenus te retaliare poſſim. Habebis interea ſummarium eorum, quæ ad Statium elucubravi. Etiam quædam olim mihi puero notata ad Lucanum addidi, quia à Salmaſio ſpes nobis injecta eſt te nobis illum terſiſſimum daturum propediem. Quo ſucceſſu tenuem hunc laborem ſuſceperim tuum erit judicium; interim meliora à te expecto, ipſe meliora à te monitus daturus. Utrumque candidus imperti, aut his utere mecum, tam bene quam tibi pararis, modo ne in publicum prodeant quæ ad Statium pertinent, quem brevi editurus ſum, & ad vos miſſurus. Cum autem hæc ſcriberem, opportunè reddita mihi eſt Clariſſ. Huggenii honorifica & amica pariter epiſtola, ad quem protinus reſcripſi, & in eodem faſce & ſub eodem involucro omnia quæ ad te pertinent obſignavi, eumque oravi, ut poſtquam ea aut percurriſſet aut exſcribi curaſſet, ad te perferri curaret; viciſſimque ſi quid ad me reſcripturus eſſes, per eum illorum mihi copia fuerit, quod ut certius & citius procurari poſſit, obſecro te ut non contentus ea via, uti velis opportunitate negotiatoris Bergeracenſis, qui Amſtelodami, agit nomine Villepontus, qui quicquid à te venerit Burdegalam deferendum ad Henricum Boudeüyns, quæ illius eſt humanitas & affectus erga me curabit. Adjeciſſem his quædam Epigrammata à me nuper effuſa potius quàm elaborata, niſi ea fere jam ſub prælo eſſent, & te tanta mole ineptiarum obruere vererer. Satis in præſentia harum veniam impetrare. Sed jam finem faciam, poſtquam Chariſſ. Patri tuo, lectiſſimæ Matronæ Matri tuæ mihi ſummopere colendis, totique adeo ſanctiſſimæ familiæ tuæ proſpera omnia ex animo voverim. Vale tu, atque iterum vale, merito tuo mihi amiciſſime Adoleſcens, meque tui tuorumque obſervantiſſimum porro quod facies amare perge.

Dat. Lutetiæ XII. Cal. Majas,
Salutis nobis per Chriſtum
partæ, 1641.

---

## DXLIV.

*Clariſſimo Viro*

## Gerardo Voſſio.

*Litem de Grammatices ſuæ Compendio ſignificat, Regio nutu dein compoſitam.*

QUæ populum ſcire, uti nunc ſunt res noſtræ par erat, ex epiſtola quam nomini tuo, Vir Clariſſime, inſcribere auſus eram, nota ſunt: quæ ſapientes, ex iſta ſi vacat, ſeductus accipies. Quum Grammaticam Scholis apud nos Edicto imperatam omnes propemodum docti atque indocti clamitarent alii curtam, prolixam alii, hi methodum, illi materiam incuſarent, Daneſius quidam Epitomen Grammaticæ edidit: hanc Haineus (quem Miſum ego, quia Gallis *Haine* odium ſonat, agnomino) apud Archiepiſcopum Cantuarienſem, Epiſcopum Ciceſtrenſem, alios mancam clamitat, ſuam ex Regia Daneſiana conſutam promovere ſtudet; res ad Regiam Majeſtatem defertur, cujus mandato evocatus ego huic operi deſignor: quod à me abſolutum Rex ad Proceres qui illi à Sacris Conſiliis demandat, hi ad Scholarchas tres & his adjectum Haineum, pernicioſo credo conſilio, ne & hic novas res moliri arguerentur qui mihi autores. Plura cùm publicus tum privatus ſuper recenti vulnere ex obitu dilectiſſimi filii adjicere non permittit dolor. Si quid erit, quo, vel conſulendo, vel monendo, aut etiam, ſi promerebitur, cohortando, me beare dignata fuerit nota mihi dudum prolixa tua humanitas; faciam ne apud ingratum aut immemorem pereat illud beneficium, verùm trabali fixum clavo ſtet apud eum, qui te meritiſſimè ſemper coluit, religioſiſſimè uſque colet, eſt eritque tuus,

Londini, Maji Nonis, an.
Domini cIↃ IↃ C XLI.

THO. FARNABIUS.

Ego jam per quinquennium ſeceſſi in rus meum ad viceſimum ab urbe lapidem. Londinum ſubinde viſo. Si quid ad me voles, tradet mihi Aſſuerus Regemorterus, alumnus quondam meus, qui Lugduni ſtuduit, ſuſcepitque gradum Doctoris Med. Habitat is Londini, in vico qui vocatur Lime ſtreet.

## DXLV.

## D. Gerhardo Joanni Voſſio,

τῷ πάνυ,

## Ludovicus Crocius

S. P. D.

*Commendatitia. Quâ ſimul ſignificat, quàm malè ſecum agatur ab Rectore novo, Jo. Combaiſio, qui publicâ diſputatione Syntagma ſuum propter aſſertam univerſalem gratiam, ut Heterodoxum & Huterianum ſugillaverit. Dolet magnum multorum offendiculum, ſibique conſtitutum eſſe ait, conſcientiam quantum poſſit, liberare, & deinceps omnibus malis opponere patientiam.*

*Virorum maxime,*

MOre noſtro juvenes literatos ad vos iter ſuſcipientes & immenſum eruditionis veſtræ pelagus admirantes literis meis fores veſtras pultare jubeo, quæ mea eſt confidentia. Eapropter ignoſces ſi in publica ſimul & privata tua commoda ita pecco. Neque enim aliter poſſum, quando diſcipulis meis multum inde emolumenti cupientes, ut gratè fatentur, ſervire cupio. Nunc ſiſto Henricum Oldenburgium, Collegæ quondam mei in hac Schola filium, in Academiam Ultrajectinam abeuntem, ex quo cognoſces quam male nobiſcum agatur ab Rectore novo, Johanne Combaiſio, qui publica hodie diſputatione Syntagma meum propter aſſertam univerſalem gratiam allegatis verbis meis in Theſibus ſuis ut Heterodoxum & Huterianum traduxit & ſugillavit, non ſine magno multorum offendiculo. Collega meus D. Bergius, qui Excellentiam veſtram mecum officioſiſſime ſalutat, partes noſtras contra eum piè ſimul & cordatè egit; ſed ſurdo narratur fabula: quoniam Palladio ſuo, abſoluto Reprobationis decreto, ex quo omnes, qui non ſunt ſingulariter electi, nulla prorſus ratione damnationem evitare poſſint. Quid ad hæc dicent Lutherani ad conteſſerationem Eccleſiarum Evangelicarum toties à piis Majoribus noſtris provocati, ſi videant nos viperinis morſibus invicem confici, & gratiam univerſalem omni modo negari, qua conciones Evangelicas enervari ad ravim uſque inculcant: Moderata docendi ratio ſordet huic ſeculo, & ἠπιότης multis bonis utrinque improbata pleriſque allubeſcit. Conſcientiam liberabimus, quantum poſſumus, & patientiam deinceps omnibus malis, Deo juvante, opponemus. Acta Alenconienſia hiſce diebus à D. Meſtrezatio Pariſienſi Theologo, Viro moderato, accepi, quibus cauſa Teſtartii & Admiraldi cognita & definita fuit. Vobis ea haud dubie nota ſunt. Quid verò de iis videatur, velim mecum amiciter communicari. Utinam Buceros, Junios & his ſimiles Theologos haberemus redivivos, viros ſapientia & charitate maxima præditos; ne aliter ſentirent quam proletarii, aut etiam ὀψιμαθεῖς quidam novitii. Sunt nunc multi in vulneribus Eccleſiæ ungues. Sed quid quiritor? Claudo, avocatus laboribus officii. Bene vale, Vir maxime, & ſalve *meminì*.

Bremæ. 11. Kal. Jun.
An. CIↃ IↃCXLI.

## DXLVI.

*Quantam in Meurſio & Pontano jacturam fecerit, explicat, jam unicum ſibi Voſſium ſupereſſe, Heinſii enim benevolentiam ſe tantopere non ambire: at Salmaſio innoteſcere vehementer cupere, atque ut fidelem hac in parte operam Voſſius ſibi præſtet, etiam atque etiam orare.*

*Excellentiſſime, Clariſſime, Doctiſſimeque Domine Voſſi, amice fideliſſimâ gratiâ conjunctiſſime,*

AB exceſſu communis amici noſtri Clariſſ. Domini Meurſii τοῦ μακαρίτου tanta exercuit animum meum conſternatio, ut in unico iſto viro omnium ferè amicorum me feciſſe jacturam putaverim. Id cauſæ fuit, quod & tui quædam quaſi temporaria me inceſſerit oblivio; quam conſueta literarum miſſiculatione in præſens abſtergendam duxi. Te etenim ex omni amicorum numero, quos Belgium mihi conciliavit, ſolum me reliquum fecit ἡ ἀγαθὴ τύχη. In primis nemo illic mortalium præter te nunc eſt; cui debent aliquid ſtudia mea, poſteaquam heu! amiſi chariſſime caput D. Johannem Iſacium Pontanum, etiam νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις. Niſi ſi etiamnum in pectore Clariſſ. Scriverii noſtri, amoris erga me priſtini vivat ſcintillula. Nam de Heinſii affectu vereor ne certi aliquid ſperare mihi liceat; quippe quem verſilis animi hominem & in amicitia inconſtantem eſſe perhibent. Utut ſit, ipſius benevolentiam tantopere non ambio, modo tu me favore, quo ſoles, proſequi non deſinas. Salmaſio equidem, Viro celeberrimo, & ſeculi noſtri Varroni, innoteſcere vehementer diſcuperem; ſi idoneus mihi pararius & proxeneta obtingeret, qui animos noſtros mutui amoris vinculo conjungeret, aut ſaltem ad amicitiam ipſius facilem mihi aditum pararet. Huic rei cum neminem te aptiorem ſciam, peramanter rogo, imò omnibus abs te precibus contendo, ut fidelem hac in parte operam mihi præſtes, & quacunque poteris ratione (poteris autem plurimis) tanti viri favorem & benevolentiam conciliare mihique comparare ſtudeas. Ut vero ipſe, fortaſſe ardui, hujus negotii initium facerem & velut fundamentum ponerem, literas Salmaſio inſcriptas exhibendas duxi; quas velim prima quoque occaſione Lugdunum Batavorum, per bonæ fidei internuncium, ad Salmaſium perferendas cures; verùm non ſine adjunctis tuis literis, quæ noſtris gratiam pariant & auctoritatem. Epiſtolio meo comitem dedi Simplicii Commentarium in Epictetum, manu Clariſſ. Meurſii ad exemplar Manuſcr. diligenter emendatum, quem ipſi fore gratiſſimum confido. Cæterum nullus dubito, quin lucem aſpexerit Tractatus tuus de Origine Idololatriæ. Si ita eſt, obſecro te iſtius libri unico ſaltem exemplari me bees atque impertias. Quinimo niſi grave tibi nimis ſit, majorem in modum abs te peto, Henrici Caniſii Antiquas Lectiones, quocunque tandem pretio, iſthic coemere, & huic Bibliopego noſtro domuitionem paranti committere digneris: cui in mandatis dedi, ut meo nomine ſolveret quicquid petieris. Vehementer enim indigeo iſtius libri uſu. Quod me attinet, totum nunc habet Saxo meus; quem tandem aliquando poſt tam diu fruſtratam multorum expectationem publici juris facere conſtitui, Deo juvante & vitam ac valetudinem clementer ſuppeditante. Vale, Vir eminentiſſime, & me, ut ſoles, ama.

Soræ, v Id. Junii,
CIↃ IↃCXLI.

*Tui obſervantiſſimus,*

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

## DXLVII.

*Viro Clariſſimo*

## Stephano Stephanio,

Profeſſori Hiſtoriarum.

*Saxonem edenti applaudit, amicitiamque Salmaſii ipſi ſpondet.*

*Clariſſime & Amiciſſime Stephani,*

MUlta me in literis tuis delectarunt, præcipue quod ſcribis, jam totum te eſſe in Saxone tuo, eumque propediem viſurum lucem. Bene de te opera hac mereberis; melius de patria Saxonis, tuaque; optimè de omni Repub. literaria, ac poſteris univerſis. Semper mirificus me amor tenuit tam nobilis Scriptoris; nec mirari ſatis potui, eum dictionis cultum barbaris temporibus conſpici in gente adeo ad Arctum remota, quem fruſtra deſideraremus iis in locis, ubi vernaculus fuiſſet ſermo Romanus. Nec debuit Scriptor ille debere alteri ſalutem, quam civi ſuo, inque tuis, ante omnes, Stephanio, cum multis aliis nominibus, tum imprimis τὸν ςέφανον promerenti ob civem ſervatum. Quid enim aliud cenſeam, qui jam ante annos XIV, ex caſtigationibus tuis, Heinſio mihique (qui & illo tempore amor erga nos fuit tuus) inſcriptis, imo ut tu ſcribere non dubitabas, dicatis, ſatis perſpicere mihi viſus ſui, nihil à te profecturum, niſi ingenio tuo doctrinaque dignum, ac magna induſtria elaboratum. Applauſum totius eruditæ caveæ jam nunc auſim tibi polliceri. Atque utinam jam reverſus è Galliis foret ὁ πάνυ Salmaſius, quem intra menſem vel circiter affore ſpero: ſimulac redierit, tradam ei quæ illi miſiſti. Interim metuere incipio ne ea jam habuerit à filio Iſaaco. Scis non alienum fuiſſe à moribus τοῦ μακαρίτου, noſtri amici, ut libros grandi pretio divenderet, poſtquam prius exſcripſiſſet, quod in rem ſuam foret. Si auſus fuiſſem reſerare, non dico literas tuas, quod nefas duxerim, ſed faſciculum iſtum in quo liber iſte, contuliſſem cum variantibus lectionibus codicis ejus, quem à filio meo Iſaaco habuit; cujus & propterea non ſine præconio meminit. Utcunque eſt, commendabit te ſatis incomparabili viro hic erga ipſum affectus tuus; & ſi quid deeſſe videbitur, id ſupplebit noſtra oratio, qui te in oculis ferimus. Henrici Caniſii Lectiones varias nanciſci nondum potui: nec ipſe habeo; ſed quando opus, utor codice, qui eſt in Bibliotheca Amſtelodamenſi. Intra ſex hebdomades Leidæ diſtrahentur libri Clariſſ. Fran. Gomari; in cujus Bibliotheca quin ſit futurus, nullus dubito. Si aliter nequeo, opera dabitur, ut inde tibi mittatur. Vellem nunc plura, ſed ecce jam advenit Bibliopega veſter. Quare abrumpam. Verum inquies, nihil reſpondes de opere tuo, quo Idololatriæ originem atque progreſſum, atque adeo, ut Theologiam Gentilem, ita & Philologiam Chriſtianam perſequeris. Ita eſt, ſed dicare ſtatueram in Anglia, ſummati viro. Nunc res illic turbatæ me conſilii ejus anxium reddunt. Hoc unum obſtat, quo minus habeas. Jam abſoluti Libri IV. ſolaque præfatio deſideratur. Interim ſic habe, ex primis te fore, cui hoc affectus mei teſtimonium ſim miſſurus. Plurimam ſalutem dicito præclaris viris collegis tuis; quorum uni nunc ſcripſiſſem, niſi temporis anguſtia excluderet.

Amſtelodami, CIↃ IↃ CXLI, x Auguſti. Τάχιστα. Nec enim aliter nunc potui.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## DXLVIII.

*Libellum in amicitiæ tesseram, judicioque ejus ſubmittit.*

*Vir Clariſſime, Domine obſervande,*

JAmdudum geſtit animus aliquid ad te literarum dare, quibus ſignificarem, quanti faciam, quod tibi innotuerim. Merebatur id ſumma humanitas tua, qui per varios amicos meos ſæpius me ſalutari, benevolentiamque mihi tuam declarari volueris. Impellebat me admiratio eruditionis tuæ. Ei propoſito exequendo, quæ hactenus defuit, nunc data eſt occaſio. Neque enim debuit, ſine literarum familiariori alloquio, te adire libellus hic, qui his diebus ex Muſæo meo erupit: quem, quæſo, ita recipias, ut ab æſtimatore tui profectum, receptum ita judices, ut nec veritati amicum, ſi forte, officere, nec ea, ubi non aſſecutus fuerit, carere permittas. Certè enim tuum eſt in hoc negotio veritatem clariſſimam facere, qui eam & prophanæ & eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitionem, ſacrarumque literarum peritiam, itaque ſubactum judicium habes, ut melius quàm quivis alius ea de re diſſerere poſſis. Meum certè nihil niſi voluntatem ſacras Literas illuſtrandi conſenſumque cum orthodoxa Eccleſia laudari, aut potius probari volo. Magnus, ut ajunt, eſt vir ille, cujus ſententia à noſtra diſſidet. Quem tamen non poſſum mihi perſuadere ſeriò id ſpectaſſe, quod quidam volunt, ut Papa non ſit Antichriſtus. Potius eſt, ut credam, voluiſſe ipſum oſtendere, quo locis is, tanquam Antichriſtus, habendus ſit, qui nihilo melioribus encomiis in S. Literis afficiatur, quàm quibus Cajus aut quivis alius impius, idololatra, tyrannus, impoſtor, affici potuerint. Si tamen alia mens ipſius eſt, ἄγιον ποιμὰν τῆς ἀληθείας. Ego cum magno iſto viro litigare non volui; quod quovis tempore mihi licebat, quid in illis ſacris textibus dici putarem, exponere viſum eſt. Si alius aliter judicat, præſtare non poſſum. Comparet dicta, Lector, & verum vincat. Tu verò, Vir Clariſſime, ſi me judicii tui certiorem feceris, maximo me affeceris beneficio. Vale & bono Literarum perenna.

Dab. d. 11 Jun. 1641.

*Clar. tuæ obſervantiſſimus,*

JOHANNES COCCEIUS.

## DXLIX.

*Viro Clariſſimo*

## Johanni Cocceio.

*Epiſtola familiaris.*

AMavi te & æſtimavi jam ab eo tempore, quo Bremâ ad me miſiſti primum, ut arbitror ingenii tui fœtum. Quem quanti fecerit ὁ μακαρίτης Dionyſius meus (utque poſt tot annos in ea ætatula, annorum nempe ter ſeptenorum, Orientis linguis impenſos) ſæpius ex ipſo lectis tuis audivi, & non ſivit poſteritatem plane ignaram eſſe judicii ſui in notis ad Maimonidem de Idololatria. Id opus jam ante quinquennium prodiit in lucem, ſed non manus hominum, quia dum ego aliud opus molior de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana, jacuit apud Typographum, expectans duntaxat, ut noſtra, ob argumenti ſimilitudinem qualem qualem, prodeant ſimul. Interim me mortes meorum, & aliorum morbi valde afflixerunt, nec ſivere ſatis officio fungi in eo, ut amicorum literis reſponderem. Tam bella tamen ſcribendi occaſione, nolui eſſe negligentior: etſi nondum legiſſem, quæ de Antichriſto adverſus illuſtrem virum obſervaſti. Nempe paulo poſtquam & literas, & munus hoc acceperam, intervenit amicus,

ctus, vir eruditus, qui ubi in menſa conſpexit diſſertationem tuam, ad dies tres quatuor petiit ſibi legendi fieri copiam. Nolui negare id homini amico: præſertim quia ſorem id temporis negotiis variis diſtentus. Sed cras ut cenſeo, reſtituet: neque enim eludet eum, qui ſeſe dicit, legendi tua deſiderio teneri. Sed cave putes, auctorem quicum tecum negotium eſt, non ſentire quod ſcribis. Quantum novi videt multa ſuperſtitioſe geri in Papatu, & tyrannicè. Sed & aliqua in Eccleſiis aliis ſolet improbare, & omnia metiri imprimis doctoribus antiquis. Intelligo jam reſpondiſſe iis, qui priores refutare aggreſſi. Sed ne γρῦ quidem eorum vidi vel editum, vel meditum. Ita diſtrahor, ut non poſſim vacare iis quibus velim. Interea gratias tibi ago pro munere, atque ita habe, multum te diligi à me, & magnopere optare, ut quale id donum, quod olim legi, multa elabores. Eccleſiam & Rempub. literariam tibi planiſſime obſtringes. Summis viris & Theologis Makoskio, & populari Vedelio, plurimam, ubi otium erit, ſalutem dicito: Et ſimul à Voſſio tuo qui nihil æque quam pacem & concordiam reformatæ exoptat Eccleſiæ, permultum ſalve.

III Kal. Quinct. ↄIↄ Iↄ CXLI.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## DL.

## Joanni Meurſio Joannis Fil.

*Epiſtola familiaris.*

*Eruditiſſime & Amiciſſime Meurſi,*

NUdius tertius tuas accepi literas & ſimul Diſſertationes civiles miſcellaneas, longe gratiſſimas. Quid enim jucundius eſſe poſſit, quam magni Parentis tui non degeneris filii videre monumenta, Parentis inquam tui, quem ego ſemper ſic dilexi, ut fratrem non potuerim magis. Exemplar, quod jam decreram heri, transmittam cras Nobiliſſimo Mylio, & aliis, quos præclari patris tui amantiſſimos putavi. Animus erat nunc longas ad te literas dare, ſed jam hora ea inſtat, quâ abeundum mercatori Severinio, quem ſine meis ad te literis abire nefas putavi. Jam horas quatuor & ultra diſtinuit vir doctus Superintendens Lippicus: quo factum ut ſpe exciderem omnia perſcribendi, quæ vellem. Sunt ea pluſcula, ſed id alteris fiet literis. De Jacobo Marci ſolum tangam. Putavi ego jam diutiſſime impreſſa eſſe, quæ illi & ego, & filius Iſaacus, ſic commendaveramus. Quid faciam, ſi tanta eſt hominum incuria, nequid gravius, & verius dicam. Si liceret, vellem nunc ſcribere Clariſſimo Dom. Eraſtio, quem intellexi jam rediiſſe in Academiam Soranam. Nam ſero deſideravi ad quædam reſponſum. Salutare nunc ſatis eos erit: uti & egregios viros D. Laurenbergium, ſæpius Doct. Eraſtium, ſæpiſſime Magiſtrum Stephanium. Unum addam, quem, ni memoria fallit, vidi nunquam: Is eſt magnus, Joannes Raw Logices & Eloquentiæ Profeſſor, cujus fratrem, nunc Conſtantinopoli agentem, me aliquoties convenire memini. Narrabat ille mihi de Cornelio Nepote ab illo edito, ſed etſi inquiſierim, videre illum nondum licuit, verum Bibliopola Amſtelodamum ſpem ejus videndi fecit: idque paucas intra hebdomadas. Vale amiciſſime juvenis, cujus cauſa ego omnia velim, & optimæ matri, de qua ego & uxor crebro loquimur, & quam his terris vivere optaremus, plurimam dicito ſalutem: ſimul elegantiſſimæ virgini ſorori tuæ.

Amſtelodami, ↄIↄ Iↄ CXLI. XIV Jun. St. N. *Τάχιστα.*

*Tuus æternum, & ſupra quam credere poſſis,*

G. J. VOSSIUS.

## DLI.

## Joanni Antonio van der Linden.

*Heſychium mittit: filium Iſaacum itinere ſuo Britannico-Gallico præclaram Reip. literariæ operam navaturum eſſe, promittit.*

*Clariſſime Van der Linden,*

NOli exiſtimare, quia tam longo tempore non reſponderim, eo minorem eſſe erga te affectum meum. Sed ſic ſtatue, nec valetudinem meam, nec meorum, nec adverſa alia, iſthoc ſiviſſe, ut meus & amicorum forem. De Heſychio ſic habe: tantum me expectaſſe, per quem tuto mitterem. Nunc juvene hoc qui à Clariſſ. Coccejo mihi literas addidit, ſe ſponte ad iſthoc onus offerente, nolui ultra differre: præſertim ex quo filius Iſaacus, cujus gratia diutius reſervatus, in Angliam abiit, inde Gallias petiturus. Haud facile dixerim, quam utilem literariæ Reip. apud Anglos operam navet, tam multis Græcis ſcriptoribus, tum ineditis deſcribendis, tum jam editis cum vetuſtis exemplaribus conferendis. Et ut bene eum novi, nihilo magis claudicabit hac parte ejus in Galliis induſtria. Interea nihil impedit, quo minus clariſſimus Schotanus adnotet, quæcunque ſibi ex veteris amici mei Sopingii codice uſui eſſe poſſint. Ubi redierit meus perſcribam. Quanquam malim, ſi is fortaſſean, ut juvenes ſolent, tardius reditum paret, temporius Heſychium recipiam. Subinde conſulendi ejus occaſio mihi etiam incidere ſolet. Semper enim hunc ſcriptorem literaturæ Græcanicæ non librum, ſed theſaurum putavi. Nihil attinet, ut arbitror, pluribus de hoc tempore diſtinere: feriæ inſtant caniculares; quibus ut ſpero coram te amplexari, & ſermones una jucundiſſimos ſerere licebit. Vale Clariſſime & Amiciſſime Van der Lindi.

ↄIↄ Iↄ CXLI, III Kal. Quinct.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

## DLII.

*Libros dono ſibi tranſmiſſos impenſe laudat, gratiaſque pro iis decentes agit.*

*Præſtantiſſime Voſſi, & quia religioſum me cultorem tui non aſpernaris numero amicorum adſcribere, eoque nomine cenſere, Amice ſumme,*

SOllicitè mihi anquirenti qua uſus opportunitate reſponderem ad priores quas ad me dediſti literas prid. Kalend. Sextiles ↄIↄ Iↄ XLI, ecce alteræ à te ſcriptæ quidem Kal. Decemb. mihi verò redditæ Kal. Majis ſuperveniunt. Tantum moræ deſideriis noſtrum mutuis, (ut etiam de meis hinc ad te miſſis ſuſpicari datur) poſt emenſum mare non ita magnum creat tantilla intercapedo terræ, XX ſc. à Londino milliarium. Tanquam verò parum foret me nihil tale meritum literarum tuarum humanitate dignari, pergit propenſa tua benignitas, jam ante ſatis obligatum, irremunerabili librorum beneficio ulterius mancipare, quos ab ingeniis vegetis, judiciis ſolide terſis profectos, ab amiciſſima manu quam ſemper admiratus exoſculabar miſſos, niſi venerer, diſperceam male, mortalium omnium ſtupidiſſimus, ingratiſſimus. Ut enim de exactiſſima Maimonidæ editione eruditiſſimi filii tui tralatione notiſque exornata taceam; (quis enim juvenis ad literas nati & formati, jamque μακαρίτου, merita verbis conſequi velit, æquare valeat?) quàm altè atque ex ipſis adeo reconditiſſimæ Scientiæ archivis, Theologiæ Gentilis & Philoſophiæ Chriſtianæ (tanquam Nili ex Goyome & Lunæ montibus per Zaire & Zambre lacus, Abyſſinos populos, Nubas regiones,

 Æthio-

Æthiopiam, Ægyptum, ſeptena dein oſtia in Mediterraneum deflui) originem & progreſſum ex antiquitatis rupibus & ruderibus, per Theologorum ſcita, Philoſophorum placita, Poëtarum myſteria, Hiſtoricorum faſtos & fidem ad nos deducis, omnigenâ fretus eruditione, linguarum cognitione penitiſſimâ, ingenii vena maſcula, judicii acie heroicâ, methodi luce plane divinâ. Sed unde mihi hunc calculum? Homini à Muſis averſo, quarum caſtra Academica adoleſcens olim deſerui, nomenque dedi ad Colonias Martias? atque inibi florem ætatis diu exercui: Terra tandem marique per Galliam, Hiſpaniam, Hiberniam jactatum me paupertas impulit audax in hoc piſtrinum, docere coactum antequam didiciſſem, redegitque dura Dea ut neceſſe haberem ad ſtudia per faſtidium relicta me recipere. Ubi nec inutili nec planè ingloria defunctus opera θεωρητικὴν & πρακτικὴν emenſus, ἀπολαυστικὴν jam ſperare cœpi. Sed & hujus ſpei inciſus eſt nervus, exorto apud nos diſſidio uſque ad arma civilia; quorum furorem avertat precor Deus, qui te, Vir Clariſſime, mihique chariſſime, tuos tuaque tueatur. Ita vovet

Ex agro Cantiano, prid. Kal. Quintilis, 1641.

*Merito tuo,*

*voto meo tuus,*

THO. FARNABIUS.

---

## DLIII.

*Clariſſimo*

## Arcerio.

*Heſychium ſiſtit eumque fore confidit, qui exornando expoliendoque eruditiſſimo hoc Grammatico eruditorum ſpem expleat.*

*Eximie & Clariſſime Vir,*

DIc bona fide, nonne ſatis diu videor tibi eluſiſſe ſpem tuam? Sed ut olim Varro Satyram inſcripſerat, Eſt modus matulæ; ſic ego dixerim ceſſationis, quam tu, ut confido, conſules boni. Tandem igitur Heſychium mitto, poſtquam Britanniam petiit Iſaacus meus; cui nihil æque in voto, quam ut ingenio induſtriæque tuæ plurimum eruditiſſimus debeat Grammaticus. Multi hactenus Scriptorem eum promiſere; ſed te eum fore confido, qui ſpem expleas Reip. literariæ. Pluribus loquar tecum occaſione alia, nam is, per quem Heſychium mitto, jam adeſt, & ſi ante veſperum abire volet, uti decretum, ultra morari non audet. Salve amiciſſime Arceri, & nos tui gratia omnia velle exiſtima.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xli. iii. Kal. Jul.

*Tuus omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DLIV.

*Gratiam Dei Univerſalem acriter impugnari docet, nuperque Synodum Suyd-Hollandicam Roterodami coactam, omnibus, qui pro illa ſtarent, Sabellianiſmum, Photinianiſmum, Pelagianiſmum Socinianiſmum, imò Sadducaiſmum, & Atheiſmum imputâſſe, quibus tamen conſcio Senatu ſit reſponſurus.*

PLacuit, Vir maxime, harum latori, præluſtris Proconſulis Dantiſcani ab Hobten filii profecto, in Academiam Leidenſem profecturo, in conſpectum tuum me venire pariter, ex quo didicerat omnibus bonis adhuc à me miſſis fores Muſarum tuarum fuiſſe apertas. Patere igitur Virorum amiciſſime, ut & hic experiatur id nos ex vero ſibi teſtatum fuiſſe. Concertationum Scholaſticarum, in quas nos Zelotarum quorundam importunitas conjecit, ὑπομνημάτιον quoddam mitto, ut intelligas in quo nunc verſemur pulvere. Synodus Suyd-Hollandica Roterdami nuper celebrata, ut & Profeſſores Leidenſes peſſimè de nobis informati videntur: quippe qui literis ſuis tum ad Magiſtratum noſtrum, tum ad Collegium Scholaſticum & Eccleſiaſticum datis deplorant quod Schola & Eccleſia hæreſibus variis contaminetur, quæ hic fuerit præluſtris officina Veritatis & Orthodoxias. Putant enim hic foveri Sabellianiſmum, Pelagianiſmum, Semipelagianiſmum, Photinianiſmum, Sadducæiſmum, Atheiſmum. Vix monſtra horribiliora Orcus habet, quàm apud nos ſtabulari credunt optimi illi viri. Nimirum quos dogma de univerſali & ſufficienti gratia non poterat de ponte dejicere, illi tot ab antiqua Eccleſia damnatis hæreſibus erant gravandi. Miror veſtros tam præcipites fuiſſe, ut ſe ad æmulorum noſtrorum prava deſideria rebus noſtris immiſcuerint & præjudiciis ſuis gravare voluerint. Spero Deum & Magiſtratum illius miniſtrum remedium inventurum tanto malo & morbo. Precibus & conſilio nos juvabis, ne cauſam bonam malè agendo perdamus. Bene vale, & ſalve πανοικὶ à D. Bergio, D. Willio & me, Virorum optime, maxime.

Brem. Aug. 4. cIↄIↄcxli. ſecundum veterem formulam.

R. D. T.

*Obſervantiſſimus,*

L. CROCIUS.

---

## DLV.

*Epiſtola familiaris, præcipue rogat ut Gronovio calcar addat, ad accelerandum iter matureque ſubeundum munus Profeſſoris.*

*Eminentiſſime Vir, Amice maxime.*

CUm ad vos rediturus eſſet amiciſſimus noſter Fontanus Medicus, qui per aliquot dies nos Daventriæ dignatus eſt præſentia ſua, dimittere eum nolui ſine literis meis ad te, quem ego perpetua obſervantia mihi colendum ſumſi, & cujus memoriam non niſi cum vita deponam. Ejus affectus mei teſtimonium perhibebit hic noſter, qui has ad te defert, eademque opera renunciabit, quanto cum honore, cum & præſens adeſſet noſter Hendornius, ſermo nobis fuerit de Clariſſimo Domino Voſſio, non ſine ingeminatione illius voti, ut is diu nobis ſit ſuperſtes. Utinam vero, Vir Clariſſime, occupationes tuæ, quas promovendis literis perpetuo impendis, aliæque curæ domeſticæ tantum otii tibi concederent, ut ad exemplum Fontani excurſione aliqua in haſce oras, ſuaviſſimoque amicorum alloquio ac hoſpitalitate, mentem aliquatenus reficeres; foret id nobis ſupra quam dici poteſt acceptum. Optamus id quidem vehementer; ſed ſi reſpicimus incommoda ingraveſcentis ætatis, voto iſto potiri vix licebit. Spero autem me circa Nundinas Amſtelodamenſes, ſi Deus volet, in veſtram urbem venturum, tunc & te videbo, coramque jucundum os oculoſque ſuaviabor. Interea ſummo cum deſiderio exſpectamus literas à Gronovio, vel potius eum ipſum, ut ſubeat apud nos Profeſſionem, ad quam illum vota & ſtudia noſtra jampridem deſtinarunt. In ſuis, quas ante tres menſes ab eo accepi, valde miſeratur jacturam noſtrarum literarum quibus ſtatum & conditionem hujus Profeſſionis pluribus perſcripſeram; ideoque jam in alium id munus collatum eſſe exiſtimat. Reſpondi autem, rem adhuc eſſe integram, noſtraque interceſſione effectum, ut Proceres noſtri, reditum illius ſe expectaturos, promiſerint, modo certiores reddamur, ipſum hanc vocationem ſuſcepturum. Poſtquam redux factus fuerit in Hollandiam, ſine dubio te compellabit, antequam ad nos ſcribat,

bat, vel ipſum ſe ſiſtat. Rogo itaque, Vir Clariſſime, ut rei literariæ hoc officium præſtes, optimoque Gronovio calcar addas, ne ulterius tergiverſetur, oblatam hanc felicitatem, quam multi concupiverunt, pauci verò ſunt adepti, ſerio amplecti. Experietur ſane, rebus ac ſtudiis ſuis hac ratione optime conſuli, multumque præſidii in amicorum benevolentia hic ſibi repoſitum eſſe. De Profeſſione Trajectina necdum aliquid certi eſt ſtatutum. Deliberant adhuc à quorum ſuffragio res pendet. Fervor iſte, quo pridem ferebantur ad tertium Juris Profeſſorem vocandum, videtur frigore aliquo contactus. Interim noſtra ſorte hic contenti vivimus, ſi non æquè ſplendida, certè non minus quieta, & ſtudiis noſtris accommoda. Noſtrum quondam ſpectrum nocturnum Trajecti jam moratur. Si is favorem illum, quo nonnulli è Primariis in nos propenſi videbantur, poterit imminuere, ſine dubio oſtendet ſe ea in te non alium quàm à multis bonis viris, quos arrodere conſuevit, hactenus eſt cognitus. Niſi moleſtum tibi eſt, Vir Clariſſime, data occaſione uti me inſinues in gratiam Clariſſimi Domini Lyræi, ſummopere rogo. Eam quippe commendationem mihi multum utilitatis allaturam certo ſcio. Deus Optimus Maximus te, Vir Clariſſime, cum tota familia benigniſſime protegat.

Dabam devotiſſimo affectu Daventriæ Idibus Auguſt. ann. cIↃ IↃCXLI.

*Tuæ Eminentiæ omni fide & officio addictiſſimus,*

J. Christenius.

---

## DLVI.

*Ejuſdem cum ſuperiori Epiſt.* DLIV. *argumenti.*

NEſcio ſane, Vir celeberrime & amicorum maxime, an Dantiſcanus ad vos iturus certaminum noſtrorum initia proculdubio exhibuit, in quæ conjecti ſumus à malefico & ingrato diſcipulo. Nos ſtamus pro Gratia univerſali ac ſufficiente, quam cum ſpeciali Electionis gratia nihil pugnare exiſtimamus. Niſi illam aſſeramus, non videmus quomodo Euangelium ſatis plenè docere & juſtitiam Dei damnantis eos, qui non credunt in Chriſtum, tueri poſſimus. Sed ſunt qui hanc doctrinam dicunt putidam & humani cerebri figmentum. Mirum, inter Theologos Chriſtianos eſſe, qui ſecius quam Juriſconſulti de favoribus humanis, de favore divino ſentiant. Illos enim prudentes juris ampliandos cenſent. Nunc iterum exemplar mitto Theſium noſtratum, ſi prius forſàn non ſit redditum. Synodus Suyd-Hollandica nuper Roterodami coacta de liticula Scholæ noſtræ ad Senatum ſimul & nos ſcribere non dubitavit, & nobis improperare hæreſes antiquitus damnatas, Sabellianiſmum, Photinianiſmum, Pelagianiſmum, Socinianiſmum, imo Sadducæiſmum & Atheiſmum; de quibus ne per febrim unquam ſomniavimus. Reſpondebimus conſcio ſenatu, qui hoc ipſo die nos in Curiam vocat, ut de hac re deliberaretur, & quod controverſioſum eſt prudenter ſopiretur: quod ut fiat, Deum veneror. Vorſtius & Glaneus harum latores, vivarum inſtar epiſtolarum erunt, & ſtatum noſtrum vobis prolixè exponent. Quapropter ego nolo latius. Bene vale, Virorum maxime & ſalve à nobis μυριάκις.

Brem XXIII. Sextil. cIↃ IↃCXLI. ſecundum veterem formulam.

*Clariſſ. tuæ, obſervantiſſimus,*

J. Crocius.

## DLVII.

## Hugoni Grotio.

*Iſaacum filium ſalvum in Galliam veniſſe benigneque ab eo exceptum, impensè gaudet, ac ut favore eum porrò proſequatur, rogat. Quid editionem operis Theologico-Phyſici moretur, indicat, ac cæterorum quoque ſtudiorum rationem reddit.*

CUm gaudio intellexi ex literis filii Iſaaci, ut ſalvus Pariſios venerit, Excellentiam tuam compellarit, & quod fore ſciebam, acceptiſſimus fuerit; Clariſſ. Salmaſium, alterum orbis literati decus, cum dolore ſuo non repererit, eò quod in Burgundiam abiiſſet. Nec dubito, quin ab eo tempore Excellentiam T. compellarit ſæpius: niſi forte quod factum nolim, veneratione ejus faſtigii veritus ſit, ne in publicum peccaret. Quamobrem licet non ignorem, alloquio neminis, reddi poſſe doctiorem, prudentiorem, meliorem; ab uxore tamen commonendum putavi, ut ne ſine cauſa, & modo interpellaret: atque interea, ne paucis iſtis menſibus, quibus in Galliis futurus, diffluere ſibi patiatur occaſionem tam bellam, nec poſtea redituram. Tuæ vero Excellentiæ, curæ eum fore, uſque adeo ſum perſuaſus, ut neque id rogandum magnopere putem. Imo ſi peccandum eſt, in hanc filium partem peccare malim, quod ſæpius compellet, quam ſubruſticus pudor ſineret. Et tamen non ignoro, heroicæ mentis tuæ negotia, partim Regni Suecici, imo aliorum etiam ingeniorum bono, partim Eccleſiæ Catholicæ, quam ſoli adſpernantur vitilitigatores omniſcioli, Eccleſiæ veteris contemptores, qui magis magiſque cornua ubique tollunt ob felicem in Britannia ſucceſſum, ubi meliores eorum, quos dicere nolo, meliorum ſe mortem expectare creduntur, ſequiores vero etiam, manibus pedibuſque procurare. Mihi vero de talibus, vix ſcribere etiam tutum.

Quid moretur editionem operis noſtri, ut ſic dixerim, Theologico-Phyſici, & per te, perque ea quæ proximè dixi facilè vides. Tamen, ut ultra ceſſem, non ſinit res Typographi, cui prorſus injurius ſum, nulla licet culpâ meâ. Jam ſex menſes ſunt, quod opus id non inſpexi, nempe quia etiam Indices jam excuſi, ſolaque deſideretur Dedicatio. De eo, cui deſtinaram, fieri ut video nequit: utrum Clero Anglicano inſcribatur, deliberabo, ubi Hagam excurrero. Id intra tres erit hebdomadas: quando offerenda erit Illuſt. Ordin. filii pars altera Annalium Batavicorum: ea erit de Comitibus, ex domo Hannonia. Quæres fortaſſe, cum tam diu non admôrim manum operi de Theologia Gentili, quid interim moliar: nec enim ceſſare me exiſtimabis. Equidem in tot adverſis, utcumque forti ſim animo, non longam adeo mihi vitam polliceor. Quare eorum inſtar, qui abitum parant, convaſare mea incipio. Hoc eſt, relego & edita, & plura inedita; qualium majorem longè copiam reperio, quam putabam: ſi vita, & valetudo ſiverint, plura videbis noſtra, intra biennium, vel circiter, quam putares; ſed ſi prope jam ad carceres decurſum hoc vitæ curriculum, manebit eorum cura liberos, præcipuè Iſaacum meum, penè dixerim delicias meas: quem iterum iterumque Excellentiæ T. commendo. Heroinæ conjugi ſalutem dicito, imo familiæ omni, à familia mea longe inferiori ſed Excellentiæ T. devotiſſima.

Amſtelodami, cIↃ IↃCXLI. poſtr. Kal. Sept. St. N.

*Illuſtris Excellent. T. obſequio ſervitioque paratiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DLVIII.

*Agit de edendo Heſychio, operamque Voſſii expetit.*

*Vir Præſtantiſſime,*

NOn eram tanti, quem amiciſſimus Collega meus D. Lindanus tibi commendaret, & in notitiam benevolentiamque veſtram inſinuaret. Jam vel hoc nomine Heſychii editio allubeſcit, quod tantam rem mihi κατ' ἀρχὰς conſecerit. Tu enim eruditorum eximie & tanti in orbe literato nominis & meriti prolixè omnia polliceris, quod mihi ſperare improbum fuiſſet, niſi τὸ φιλοφιλεῖν σε innotuiſſet. Heſychium autem tarde & cunctanter, hortantibus Collegis amiciſſ. DD. Lindano & Coccejo apprehendi, vergente quidem huc & trahente prona mea voluntate, rapiente autem neceſſitate penè rei ob publicam utilitatem & ad exornationem muneris ſuſcepti; at repellebat conſcientia tenuitatis, quæ optaret tanto Grammatico doctiorem operam admoveri. Cæterum, quod intelligo de eruditiſſimo Viro, filio veſtro, eum cogitare de hac re, id me tantum reprimit, quantum tua pollicita impellunt. Itaque velim ſcire, quanti temporis res ſit & quantæ lubentiæ. Si enim magnopere velit & in propinquo ſpes exitus ſit, reſilire me præſtabit & locum cedere meliori. Sin autem, fervidè urgebo τὴν ἔκδοσιν τῶν ἐμῶν, fretus veſtra tam benigna pollicitatione, ſimulque aliorum inſignium virorum, qui Symbola conferre ultrò etiam promiſerunt. Tui autem, Vir maxime, exemplaris cujus uſus erit, ſignificabimus, & poſt breviſſimi temporis uſuram, fide optima, remittemus. Plura hoc tempore incumbentibus aliis & tabellario feſtinante, non addo: proximis prolixior ero, niſi offendendi metus inhibeat. Publica à Domino Lindano intelliges. Vale, & nos ab his initiis amare perge. Salutem autem plurimam Domino Barlæo, Viro ſummo, præter tuos, & inter eos Clariſſimum Iſacium, quem tibi & Reipublicæ literariæ Deus velit diurnare.

Raptim, ad diem xvi Kal. Octob. Jul.

*Tuus* ὅλως,

CHRIST. SCHOTANUS,
*G. L. Profeſſ.*

## DLIX.

*Ampliſſimo Viro*

### Jacobo Wittio.

*Negotium filii Matthæi ut ſibi commendatum habeat, ipſique Hiſtoriographi Bataviæ titulum cum ſtipendio ab Ordinibus impetrare ſtudeat, majorem in modum rogat.*

*Ampliſſime D. Conſul, Cognate eximie,*

HOc ſemper conatus ſum in liberis meis, ut tempora ſua publico bono, Bataviæ imprimis, metirentur. Eoque fine Dionyſius meus ὁ μακαρίτης, Annales Belgicos Reidani, prudentiſſimi Scriptoris, Latinâ donavit togâ. Eumque deinceps erat continuaturus, niſi aliter viſum fuiſſet Numini ſupremo. Matthæus ad vetera Batavorum tempora deſcribenda ſe contulit. Et ante annos pauculos, quinque libros primos edidit, quibus complexus trecentorum annorum hiſtoriam; nempe omne id tempus, quo Hollandi Comitibus domo Hollandis paruerunt. Exinde totidem libros condidit, de Comitibus domo Hannoniis. Eam partem proxima hebdomade decrevit offerre Illuſtriſſimis Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus; ſuſcepit verò hunc laborem ſpe illa, quam Ordines ipſi, cum ſuperiorem partem afferret, fecerunt. Nempe ut eum Hiſtoriographi ſui titulo, cum ſtipendio decorarent. Sanè Conſeſſus nomine ſignificatum non modò gratum fuiſſe laborem; ſed peti ut hiſtoriam Gentis ſuæ eodem modo retexeret. Sed ut nunc tempora ſunt, illa jam animo effluxerint, aliqui fortè nec ſtudia curant, nec honorem majorum, aut Gentis hujus à tot ſeculis florentiſſimæ. Quare planè opus eſt, ut in Illuſtriſſimo Conſeſſu quidam, qui omnia ſuo pretio ſciant æſtimare, hanc operam commendent. In quo ſpero, facilè primos fore, qui in corona Hollandicarum urbium, jure ſuo primas tenent: præſertim cum id etiam futurum ſit ex honore urbis, ubi meus ille, ac ſimul veſter, natus, eductuſque. Planè fore confido ut iis accenſeatur, qui literarum ſtudiis veſtram etiam urbem exornarint; quod à paucis factum proximo ſeculo, ſuperioribus fortaſſe à nullo. Tanto impenſius operam dandam intelligo, ut ne bonos ſuis deſit benè de urbe, totaque Hollandia merentibus, & ſi Deus ſiverit porrò merituris, ſaltem nunc ſic animatis, quorum voluntatem promptiſſimam non deſtituet; Inclytæ urbis veſtræ favor, quem erga me & meos ſummum ſemper ſum expertus. Amicus meus, quem hic habeo, vir ſanè cordatiſſimus ajebat; nunc iis vivi temporibus, quibus Proceres hujuſmodi munera conferre non aliis ſoleant, quam gratuitò honoris ergò; non qui ornare hiſtoriam patriam velint. Et exempla promebat eorum, qui ſtipendio fruantur; ſed nihil minus quam hiſtoriam Bataviæ, vel veterem, vel novam cogitent. Reſpondi ego me nulli noſtrorum Procerum facilitatem invidere; ſed ita confidere, ſi tam benignos ſe præbeant erga eos, quibus decretum nihil exequi eorum quæ ſuſcepere; non claudicaturam eorum munificentiam erga illam domum, quæ triplici jam monumento comprobavit, quantopere honori Bataviæ ſtudeat apud Gentes exteras omnes. Sanè literas habeo à primario Magnæ Britanniæ viro, qui ad me ſcribit, viſos lectoſque ſibi filii Annales; taliſque ſi opera impenſa eſſet rebus Britannicis, fore ut grande ſui laboris pretium referret. Plura adderem, niſi mallem alios, quam me, præcones eſſe monumentorum filii mei. Vellem autem de his ſcripſiſſem ad te prius. Metuo enim, ne has literas demùm accipias, poſtquam in Hagam abierint Proceres. Quod ſi eſt, neceſſe ſit, tribus verbis per literas negotium filii iis commendari; quod alioqui melius fieret coram, dùm adhuc in urbe ſunt veſtra. Sanè Conſul Bickerus recepit, ſe velle craſtino mane (is dies Sabbathi erit) de eo negotio agere, cum Collegis ſuis, quo majori animo, rem illi urgeant Hagæ; ſed quid faciendum ſit, quâ prudentiâ es, longè me perſpicies melius. Uxori lectiſſimæ totique familiæ, à me, uxore, & Matthæo meo, plurimam ſalutem dicito.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxLI, XII Kal. Octobr. quo Romulum die natum fuiſſe, credidit antiquitas.

*Dignitatis tuæ ſtudioſiſſimus affinis cultorque ſummus,*

G. J. VOSSIUS.

## DLX.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime Virorum,*

SUmmo cum gaudio accepi ab his, qui Amſtelodamo veniunt, proſpera te frui valetudine, quam bono publico propriam tibi faxit, Deum veneror. Miſi nuper Exercitationem de Calculo, in cujus pag. 44. ſi inſpexeris verba tua, non verba has quærere, aut cineres, ut inquit ille, videbis, ſed quæ dicere vetat ingenuus pudor. De Nobiliſſimo Salmaſio diu eſt, quod audio, venturum, mallem feliciter advenisse. Non turpe puto talis Viri dextra cecidiſſe, honorificum vero, amica. Ego poſt reſponſionem illam ad vernacula deflexi, quibus prælum hic ſudat. Meditor & de Tabe quid, ac Hydrope, quale dedi de Calculo.

Tu,

Tu, cum aliud vix poſſis, conatum proba, & diſcendi deſiderium, quod ipſe inſtillaſti. Conſulis filia cras nubit Capitoni, qui ſoceri favore Senatoris Dordrechtani munus jam biduum obit, antequam (ut Chriſtiana charitate cedere par eſt) implevit ſponſi. Mallem tibi uni & ſoli adeſſe, quam turbæ nuptiali. Sed vel abſens nobis aderis, & ſi quid ad ſalutem hoc, non omittetur tuæ ſpumans patera. Vale, Vir magne, & ſalve ab eo qui ſemper fui, ſum & ero

*Nomini tuo æternum grato animo devotiſſimus,*

JOH. BEVEROVICIUS.

Nobiliſſimæ uxori tuæ & eximiis filiis amiciſſimè S.D.

Dordrechti, prid. Kal. Octobr. CIƆ IƆ CXL I.

---

## DLXI.

*Grotium in Antichriſto à ſe diſſentire valdè miratur, ac ut excellens ingenium veritati magis accommodet, impenſe optat.*

*Vir celeberrime, Domine & Fautor obſervande,*

PLus tibi debeo, quod me literis tuis manu tua ſcriptis dignatus es, quam ſi per Amanuenſem nitidius, ut ais, ſcriptæ eſſent. Nec meas ego nitore quam affectu æſtimari epiſtolas malim. Candidæ mihi quàm politæ magis placent. Si ita eſt, ut ſcribis, illuſtrem Virum H. G. eſſe authorem Commentarii locorum de Antichriſto, iſque ita ſentit, ut is Commentarius præ ſe ferre videtur; doleo ſanè ipſius vicem; & hoc mihi reſtat dicere quod ſolent Rabini non abſurdè שרא ליה מריה. Ego verò de Authoritate ita ſcripſeram, non quod omninò ambigerem, quis eſſet, aut quaſi ignorarem, magnos etiam viros labi poſſe, & eorum plerumque magnos lapſus eſſe; ſed quod ad illum ipſum virum illuſtrem hoc ſcripſiſſe, vel ſaltem illa mente, quæ omnis Eccleſiæ Reformatæ ſcientiam uno ictu tollit, ſcripſiſſe nollem, idque illo viro indignum, atque eum ſcopum, quem indigitabat epiſtola mea longè minùs abſurdum judicabam. Mihi verò dolet, (ita æſtimo eruditionem tanti Viri) accidiſſe, ut, qua in re laudatorem ipſum me habiturum confidebam, ſi quid conatus eſſem, in ea haberem adverſarium. Nam ſi quis putet, ea me cauſa delatum eſſe ad hanc ſcriptionem, ut me componerem magno Viro, is me ignorat planiſſime. Utinam voluiſſet ingenium ſuum veritati accommodare! Quàm exactè, quàm eruditè, quàm ornatè, quàm copioſè, ac perſpicuè idem argumentum, contractis clariſſimis Scripturarum teſtimoniis, Prophetarumque comparatis vaticiniis, phraſibus enucleatis, ænigmatibus ſolutis, additâ luce Hiſtoriarum, gravi & ſolido interpoſito de ſingulis rebus judicio potuiſſet illuſtrare! Quàm geſtirem in illis conſertiſſima doctrina Commentariis habitare, quæ imaginor ab ipſo proditura fuiſſe, ſi verum quæreret! Nunc rei indignitas miſeris nobis & pueris, qui alioqui tantos viros vix contra contueri audemus, vocem extorquet. Quod ſi videt, multa ſuperſtitioſè ac tyrannicè geri in Papatu (quæ certè tot ac tanta ſunt, ut animus pius non poſſit non cohorreſcere) ſuadebitne nobis, ut redeamus ad illud regnum Superſtitionis & Tyrannidis? Et annon videt, Superſtitionem & Tyrannidem capitales Antichriſti notas eſſe? Si quid verò etiam in aliis Eccleſiis non probat (nec miror: ſunt enim variæ Eccleſiæ quædam plus, quædam minus de Antichriſti doctrina & moribus trahentes) hæccine illas ſanandi commoda ratio erat, ut perſuaderet nobis, Papatum ut Antichriſtianum non damnari ſacris Literis, in quo tamen multa ſuperſtitioſè & tyrannicè fiunt; ut ſcil. ad illum tanquam ſinceritatis exemplar redigantur & reformentur. Metitur omnia Doctoribus antiquis. Potes nos (Vir excellentiſſime) omnium optime erudire, quantum deferendum ſit Doctoribus vel antiquiſſimis extra Scripturam loquentibus; & an hodiernus Papatus cum antiquis illis verè Doctoribus, non ſeductoribus conſentiat. Hoc tamen, quod de Antichriſto nos docet, ſcio, quod nec veterum Doctorum ſit ſententia, nec Pontificiorum. Sed quo dilabor? Neque enim tecum, Vir excellentiſſime, mihi agendum eſt, tanquam cum ipſius advocato: qui tibi, ut rerum harum gnariſſimo & locupleti arbitro conatum & ſtudium meum, ut aliis piis & doctis Viris, vehementer cupio probari, qui aliàs non perfunctorius laborum meorum ſat tenuium laudator es. Qua fiducia audeo à te contendere, ut & conſilium meum (qui non tam in H. G. illuſtri Viro, adverſarium legi, quam occaſionem datam de iiſdem rebus, de quibus ille dixit, & pro conſcientia & pro officio dicendi, non omiſi) benignè interpreteris, lapſus meos ac defectus humaniter feras & indices. Quod porrò me ad ſimilia veteribus elaboranda exſtimulas, pro lege accipio: & in eo ſum, prout cura mihi demandata efflagitat, quantumque labores quotidiani permittunt, totus. Fateri tamen audeo tibi, Vir eximie, non mediocriter ſtudium aliquando noſtrum hebetari temporum, an hominum iniquitate. Quò enim multùm laboraſſe, torſiſſe ſe noctes & dies, collegiſſe, ſcripſiſſe, deſcripſiſſe, ſi perfecta cum blattis tineiſque certare debent? Nihil ego magis cum officio meo atque ſcopo ſtudiorum conjunctum invenio, quàm ſedula meditatione Scripturæ ſententiam ex genio linguæ illuſtrare. In iſtiuſmodi genere aliquid nonnunquam naſcitur apud me, quo ut mihi ipſi profeciſſe, ita me rudioribus prodeſſe poſſe videor. Inter iſta eſt Jobus meus. Sed experior hic tantam editorum (qui reſpuunt quicquid non ſtatim ſortem cum centeſima redditurum eſt) moroſitatem, dum à Typographis (ſunt autem qui dimidium impenſarum pro copia ſua vellent ſubire) rogantur, ut mihi videar à Midis iſtis ſtultis & ingratis operam meam ut indignam luce & oculis hominum ignominia notatam domum referre: quod indignum & intolerabile eſt. Si ſic pergitur, pereunt ſtudia & tandem nihil niſi fabulæ & cantilenæ legentur. Vide quo me abducat humanitas tua. Ita enim te abutor, ut mihi jam videar ἀπειρόκαλος. Quod aliquando vix effugimus, quum lubenter ſcribimus & tempus, ut mihi nunc, conceditur. Convictor enim meus Eques Polonus, qui his literis aditum ad tuam comitatem quærere voluit, in tempore me de itinere ſuo admonuit. Sed hic abrumpo, Vir eximie, teque divinæ curæ commendo. Vale, & me ama.

Scribebam die 18 Octobris, 1641.

*Cl. T. obſervantiſſimus,*

J. COCCEIUS.

---

## DLXII.

# Hugoni Grotio.

*Commendat Baronem Skytte. Pro incomparabili Annotationum in IV. Evang. opere gratias agit; valdè autem ſibi dolere, ait, quod nomen ejus lacerare non deſinant juratiſſimi inimici, ac ubique calumnientur Grotium in gratiam Richelieu, hoc agere, ut omnes ad errores Pontificios reducat, quibus meliorem exoptat mentem.*

*Illuſtriſſime Domine,*

GEneroſus Baro, Benedictus Skytte, relicta domi conjuge, in Gallias redit; Parentibus, uxore, amicis, Medicis etiam authoribus, qui ſic arbitrantur valetudinem adverſam, quam in corpore naturâ infirmo auxit bonorum liberum amiſſio, corrigi poſſe peregrinatiuncula, & mutatione aëris, Gallias terris prætulit aliis; partim quia Medicos habeat excellentiores, partim etiam Excellentiæ tuæ cauſa,

cauſa, quam tam ſibi faventem, & propitiam exoptat, quam perſenſit prius: Eoque fine aliquid etiam literatum à me petiit, quo Excellentiæ tuæ commendarem. Id vero facio lubens, eoque lubentius, quod & ob ingenium, doctrinamque, & genus, ac gentem, per ſe ſciam commendatiſſimum. Nimirum nihil hic opus circumſpicere, ex præcepto Theognidis, atque etiam Horatiano, ne mox incutiant aliena mihi commiſſa pudorem. Gratias Excellentiæ tuæ ago immortales, pro opere immortali, & incomparabili Annotationum in quadrigam Evangeliſtarum: quod ex quo accepi, jam dies eſt quartus, avidè, ſed pro occupationibus, queis premor, cœpi devorare. Ac video eſſe reconditæ eruditionis theſaurum. Utinam his epulis liceret animum magis paſcere! Præterquam quod evocaretur ſic mens à cogitatione tot adverſorum, (quæ interim mediocriter fero, & fortaſſe magno animo) etiam legendis tuis, meliora poſſem reddere, tam multa noſtra in ſacris, in quibus nunc limandis aliquantum occupor. Nihil in opere, de Idololatria & Naturæ mirandis ſupereſt præter præfationem, ſecundi voluminis, heſternaque die excudi cœpit. Inſcripſi Clero Anglicano; quod conſilium meum gaudeo, nec Excellentiæ tuæ improbari. Minus uret animum Reverendiſſimi Archiepiſcopi, ſi opus, (ſibi deſtinatum quod ſciat) videat ſaltem Clero dicari, quam ſi ad Illuſtres item Ordines noſtros, vel Regnum Sueciæ, ut plerique erant authores. Illa adverſus Reverendiſſimum, de quibus ſcribis ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. Valdè me malè habet, quod videam tam ſævum animum eorum qui Doctores ſunt Religionis reformatæ. Gaudeo interea quod ipſe in Galliis agas. Noli enim putare, minus Excellentiæ tuæ eſſe infeſtos. Quod facile intelligo ex iis quos hic habemus. Jam mihi cum nonnullis diſſertandum fuit. Illi colligunt ex poſtrema tua diatriba, adverſus Borboritam, & Frontonem, Excellentiam tuam in gratiam Cardinalis Richelieu, hoc agere, ut redeant omnes ad errores Pontificios. Contra contendi, velle & Excellentiam tuam, ut Romana Eccleſia reformetur; ſed putare à Reformatoribus quibusdam, in his Calvino, modum eſſe exceſſum. Quemadmodum verò non ſequitur, nec Italus eſt, nec Hiſpanus, ergo nec Belga, aut Gallus; itidem neque conſequi non placet illi reformatio Lutheri, minus etiam Calvini: ergo nec placet illi reformatio ulla Romanæ Eccleſiæ; non quam Caſſander, aut ante etiam Eraſmus exoptabant; quamque magnam partem ſecuti, qui ſub Eduardi VI. reformarunt Eccleſiam Anglicanam; ſive hunc in modum malis, non placet reformari, ut volunt aliqui (διογνώμονες, καὶ αὐθέκαστοι) veteris Eccleſiæ contemptores; Ergo nec eo modo, quem probant veteris Eccleſiæ gnari & amantes. Confido me mentem tuam, in illa diatriba, melius perſpexiſſe, quam Excellentiæ tuæ inimicos juratiſſimos. Qui niſi in Galliis viveres! Sed nihil cætera dicere attinet: Chartæ tamen eorum, dente Theonino, vel Leonino, aut Urſino, etſi quid efferatum magis, rodere & lacerare, nomen non deſinent. Nihil tam benè, tam verè dixeris, quin detorſuri ſint aliam in mentem, alii malignitate, alii imperitia, ac ἀλογιστίᾳ. Jam prævideo, quid ſis dicturus mihi, nempe ut in pietate ordinum facis.

*Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.*

Atque ita confido, Deumque oro, ut tanta aggreſſum, amore Eccleſiæ, miſere ſciſſæ, ſpiritu ſacro firmet magis ac magis. Intelligo jam Hagæ eſſe apud fratrem libellum illum, de quo ſuperioribus ad me literis ſcripſeras. Gaudeo quia inde melius Excellentiæ tuæ mentem perſpicere erit. Eo lubentius poſt hebdomadem unam alteram me Hagam conferam, ut legendi iſtic poteſtas fiat. Etiam abſque illo fortaſſe irem, cùm filii cauſâ, tùm meâ, ut colloquar cum Oratore Anglico Boſwello, quo melius volumina noſtra, Britanniæ Clero dicata, eo tranſmittantur: ſi tamen valetudo, vel tempeſtas, iter impedient, per literas exequar; ſimul ſcribam ad fratrem Juriſconſultiſſimum, quem annotata illa ad conſultationem Caſſandri, ad diem unum aut alterum communicaturum, mecum non invitum, prorſus habeo perſuaſum. Nihil erit periculi, ne in manus veniat aliorum culpâ meâ. Vale, Illuſtriſſime Domine, meum etiam Iſaacum habe commendatum, quantum publica privataque ſinunt. Dominæ conjugi, & familiæ toti, ab omnibus nobis, ſalutem plurimam dicito.

Amſtelodami, CIↃ IↃ CXLI, XXVIII Octobris, h. e. ipſo natali Eraſmi. Cujus herois memoria, pagina hac exeunte, penè ordirer novam. Nam eum quando cogito, & tempora noſtra confero, Eccleſiæ miſereſcit; ſed diſtentus exiguis, diſtentiſſimum maximis, non detinebo, ſeu tolutiloquentiâ meâ, ut Caſei dixere, ſeu aliter vitium hoc meum vocandum putabis.

*Illuſtriſſima Excellentia tua devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DLXIII.

Salutem Plurimam.

*De Grotianis in Caſſandri Conſultationem Annotatis.*

*Vir Clariſſime & Celeberrime, Amice conjunctiſſime,*

HAs literas trado D. Junio filio D. Junii olim Pariſiis apud Proceres noſtros magni nominis. Matrem habet matronam honeſtiſſimam, quæ hunc ſuum filium amicorum conſilio huc miſit militatum, juſſitque ut occaſione data ſalutaret poſteros noſtri Junii ὁ μακαρίτου. Statuit igitur hoc exequi apud vos, & memoriam renovare ſtirpis communis. Scripſit ad me Saravius Senator Vir doctiſſimus & doctorum amator, ſe vidiſſe Pandectas, ſic enim loquitur, Doctiſſimi Voſſii de Idololatria, & mirari quod ſine præfatione emiſſæ fuerint. Cauſam ei aperui in mea reſponſione. Vidi hic in tranſcurſu libellum Annotatorum in Caſſandri Conſultationem, cujus uſuram obtinui ſpatio bihorii. Si proſtaret eum cum otio expenderem. Mira item mihi videntur quæ à tali Viro Papatui conceduntur. In miſerrimos ſeculorum fines incidimus. Deus meliora! Quem tibi & tuis, Vir Clariſſime, propitium & in omnibus faventem adprecor. Vale.

Raptim x. Nov. 1641.

*Tuus & tuorum omni officio & affectu,*

Andreas Rivetus.

## DLXIV.

*Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Illuſtriſſimo,*

Briano Duppa,

Epiſcopo Ceſtrenſi Ephoro Principis Walliæ.

*Suos de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana Libros nec non Dionyſii filii de Idololatria Maimonidem offert.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine honoratiſſime,*

SI parum reſponderem ſummorum de me virorum expectationi, qui aſſiduè à me aliqua efflagitant ſtudiorum monumenta; plura etiam quam ut tam multis ingenio, doctrinâ, induſtriâ, par eſſe valeam, excuſatione nulla æquè quod æquos judices poſſim excuſari, quàm quod animus, publici ejuſque graviſſimi muneris, ſeu onere, ſeu honore ſit diſtractiſſimus; & ſi quid otii ſuperſit,

ſit, id propemodum omne auferat, vel rei familiaris in tot adverſis cura, vel officioſa nimis amicorum interpellatio. Equidem ſi res lautior foret domi, fortaſſe me urbi ſubducerem, atque aliquò in villam abderem, non tanquàm Timon μισάνθρωπος, ſed ut perficiendo ea quæ habeo affecta, amicis, poſteris, Deo ipſi melius temporis mei reddere rationem. Et tamen experior quodammodò, ſic etiam animum nonnihil valere, quo intendero, poſſeque etiam in negotiorum mole otio ea ſubciſivo, ſi diurno minus, nocturno ſaltem non ineleganter diſpungi. Eaque noctium fiducia aggreſſus ſum opus arduum de Idololatriæ origine ac progreſſu, & mentis humanæ, ex natura adſcenſu ad Deum. Id vero contexui ex ſcriptura S. literatura, hiſtoria, veteri novâque, & naturæ admirandis. Dicavi Antiſtitibus Eccleſiæ Anglicanæ, in quibus etiam illuſtre nomen tuum; præſertim ad Eccleſiæ Ciceſtrenſis honorem accedente maximi Principis cura, quem tot Regnorum manet faſtigium. Fore tibi laborem hunc non ingratum, facile colligo ex affectu, quo me ſemper es proſecutus. Luculentaque ejus indicia ante annos XII. Oxonii perſenſi, cum me nullo non prolixiſſimæ humanitatis genere dignareris. Eo minus rogandus es, ut quod ſponte etiam facies, boni conſulas munuſculum tum meum, quod dixi, tum filii Maimonidem, utrique Angliæ Academiæ inſcriptum, ut hoc etiam nomine tibi mitti debuiſſe videatur. Sanè ſic vellet, ſi viveret, Dionyſius meus, itineris mei Anglici comes, ac tuam etiam erga ſe humanitatem expertus coram. Deum Optimum Maximum rogo, ut Auguſtum Regem Carolum, Sereniſſimum Walliæ Principem totamque domum Regiam multos in annos feliciter conſervet; teque pariter, omneſque Regni Proceres, & Eccleſiæ Anglicanæ Antiſtites, pro quibus, eò ardentiùs preces fundo, quo magis ſeſſa multorum ſtudia video, doleoque, non quaſi Cantuarienſibus inſertus Regia benignitate hic aliquid attendam mei, ſed ſolius Regis Regnique, & in hoc Eccleſiæ amore; pro cujus concordia vel mortem appetam lubens.

Amſtelodami, CIƆ IƆ C XLI. XII Kal. Dec. Styl. Vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## DLXV.

*Ejuſdem argumenti.*

Magnifice atque Eximie Domine Procancellarie, Excellentiſſimi inclytæ Oxonienſis Academiæ Profeſſores, Doctores, ac Magiſtri, Domini plurimum honorandi.

EN vobis fœtum tenellum, quem ὁ μακαρίτης filius meus Dionyſius, paulo antequam fato concederet, enixus apud nos fuit; prope dixerim, ut Pallada Jupiter apud priſcos nationum Theologos. Sed paganicus ille Jupiter cum Minerva ſua adhuc in gentibus vivit, meus non Jupiter, ſed gnatus, jam abhinc octennio vixit. Nam quadriennio, ex quo videratis coram vivere deſiit in terris, qui nunc meliore vitâ fruitur in cœlis. Utinam verò hic non tam animæ iſtiuſmodi videatur, ut neque illum parentis ſui, neque parentem, ſi viveret, fœtus illius poſſet ſuppudere. Hæc quidem de veſtro me judicio ſpes habuit, cum filio Iſaaco auctor forem, ut eum (quod ipſi utinam ſcriptori potius facere licuiſſet) undecunque doctiſſimis florentiſſimæ utriuſque Academiæ Anglicanæ Viris offerret dicaretque. Fecique hoc eo lubentius, quia ſcirem, ſi quid hoc in opere excidiſſet filio (& qui aliter poſſit in ætate adeo juvenili?) non ignoſcendi minus, quam cognoſcendi, vobis animum fore. Cogitabam ſimul, ut Halicarnaſſenſis ille Dionyſius ait, Apollinem in Panegyricis eſſe ὥσπερ προσωπεῖον τι τηλαυγὲς προκείμενον τοῦ λόγου: ita mei quoque Dionyſii Commentarium, quo Maimonidem ſtuduit illuſtrare, ſic illuſtratum in jubare nominis veſtri, ut non ſcriptionis magis, quam inſcriptionis cauſa, conſpicuus notuſque fiat omnibus. Nec aliter filius, editor relictorum, dubitaſſet iſtoc publice teſtari, niſi ſe, ſtudiorum gratia, regna petente externa, à me id commodius fieri poſſe, haut temere exiſtimaſſet. Maimonidæ, & Tralationi ac Commentario Dionyſiaco addidi de penu proprio libros quatuor, æternum mihi venerando Anglicanæ Eccleſiæ Clero inſcriptos. Iis ago de conflictu Theologiæ Gentilis, & Phyſices Chriſtianæ. Ac Idololatriæ quidem originem expono ex literatura, Hiſtoria, mundi fabrica & ſacris literis. Atque ex iiſdem enarro Naturæ admiranda; quibus ſtulti abripiuntur in cultum Naturæ, ſapientes autem deducuntur in admirationem & cultum Conditoris. Si priora noſtra de Hiſtoricis Latinis, aliaque, ut annos ante duodecim coram vidi lubens, locum adepta in inclyta Bibliotheca veſtra, etiam quæ nunc mitto, hoc, ſpero, honoris ab eximia veſtra humanitate conſequentur. Pro iſtoc affectu, etiam aliis in rebus erga me teſtatiſſimo, in laudes veſtras perlubens excurrerem, præſertim quando raram atque omnigenam Doctrinam mirabundus mecum cogito. Verum & maxima perſtringendo prodidero inſaniam meam, & veſtram, in os laudando, modeſtiam offendero. Et fortaſſe alius iſtis reſervatur locus. Quare hic ſiſtam. Solum Deum Opt. Max. rogo, ut Auguſtum Sereniſſimum Regem Carolum, & illuſtres Regni Proceres, ac vos etiam, non de Anglia modo, ſed univerſo orbe præclarè adeo merentes, diutiſſime ſalvos ac ſoſpites feliciter conſervet.

Amſtelodami, CIƆ IƆ C XLI. X. Kal. Dec. St. Vet.

*Ingentis veſtri nominis admirator cultorque,*

G. J. VOSSIUS.

## DLXVI.

*Idem.*

Reverende Domine Decane cæterique Metropolitanæ Cantuarienſium Eccleſiæ Canonici, Domini, ac fratres plurimum honorandi.

JAm anni ſunt duodecim, quod Sereniſſimi Regis bonitate cooptatus ſum in honoratiſſimum collegium veſtrum ac coram etiam cum ternis liberis omni à vobis comitate atque humanitate exceptus fui. Ex quo tempore ſemper animus mihi arſit cupidine, quomodocunque teſtandi poſteris gratum erga vos affectum. Viſus ſum mihi nunc aliquam reperiſſe occaſionem literario hoc munere, tum universè dicando Clero Anglicano, in quo etiam continetur egregium nomen veſtrum; tum particulatim in ſecundo volumine vos nominatim exprimendo, tanquam eos, quibus arctiùs jungerer. Geminum nobis inſtitutum eſt: partim enim enarro originem & cauſas Idololatriæ: quas oſtendo non quidem fuiſſe nullas, ſed ſtultas, vel ſaltem erroneas; partim verò pando naturæ arcana, de quâ multi quidem ante nos tractârunt: ſed nos, ut puto, ſicut alio fine, & crebro alia atque alia ſcripſimus. Quanquam verò materies ſit diffuſa variaque, quantum tamen licuit operam dedi, ut ne eſſet ἀμέθοδος & confuſanea; quod pro certiſſimo habere ſoleo ἀπαιδευσίας argumento. Sed de propoſito noſtro fruſtra hoc loco adferam plura, cum fusè ſatis de eo dicam in utriuſque voluminis proloquio. Solum igitur rogo, ut affectum hunc hominis devotiſſimi nobis boni conſulatis, atque ita perſuadeatis vobis, nulla terrarum intercapedine poſſe fieri, ut non eo vos affectu colam, quo proſequar præſentes.

Deus Opt. Max. univerſum Anglicanæ Eccleſiæ Clerum, inque eo particulatim vos, Domini mei, ac fratres in Chriſto venerandi, diutiſſimè feliciter conſervet.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c x l i. 9. Kal. Dec. St. V.

*Reverendi ac Clariſſimi, nominis veſtri cultor,*

G. J. Vossius.

## DLXVII.

*Eadem cum præcedentibus.*

*Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime,*

QUo magis aggraveſcit ætas, & fortaſſe adverſis multis prope defatiſcit: eò magis gliſcit affectus iſte gratum teſtandi animum erga tam bene de me promeritum Angliæ Regnum. Ac cum magnum Magnæ Britanniæ Regem cogitarem, facilè eo impulſus ſum, ut non alteri Grammaticos dicarem Commentarios, quàm proli ejus auguſtæ. Sic enim opinabar ſtudia prima, primæ ætati inprimis convenire, atque etiam deberi. Atque antea etiam ſic ratiocinabar mecum, quia ad Hiſtoriarum Profeſſionem vocatus forem in Academiam Cantabrigienſem: facturum me non abſurdè, ſi eidem Academiæ, & præcipue ejus Cancellario Illuſtriſſimo Duci Buckingamiæ, Latinorum Hiſtoricorum Hiſtoriam conſecrarem. Hiſce ſic defunctus in eo totus eram, ut gratam mentem teſtarer erga Clerum Anglicanum: præcipueque cui, aut quibus potiſſimum deberem. Scripſerat filius Dionyſius, (quem Oxonii vidiſti mecum, & cum liberorum meorum aliis tam humaniter, comiterque excepiſti) is, inquam, in Maimonidem de Idololatria Latinè à ſe redditum Commentarium ſcripſerat. Occaſione illâ amicis rogantibus, eò animum adjeci, & uno quaſi faſce complecterer, quæ de Gentili Idololatria obſervaſſem. Spiſſè mihi negotium proceſſit, multis adeo occupato; quæ ratio eſt, cur nunc demum Maimonides prodeat, etſi jam ab annis quatuor, imo ultra excuſus. Ac tum produiſſe mallem: ſed junctim exire malebat Typographus. Nunc noſtri quoque operis quatuor libris abſolutis, ulterius differre nec volui, nec debui: licet ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit, duos præterea libros addere decrêrim: ut ita integram planè habeamus, tum Theologiam Gentilem, tum Phyſicen Chriſtianam. Ac de Maimonide quidem auctor filio Iſaaco fui, ut fratris τοῦ μακαρίτου labores offerret, dicaretque florentiſſimæ utrique Regni Academiæ Anglicani. In quarum altera quantum fuerit nominis tui decus, quantum etiam Reverendiſſimi D. Duppa, & quomodo ea doctrina ac virtus, gradum vobis fecerit, ad grandius in Eccleſia faſtigium, quantum etiam honoris mihi tribueritis immerenti, apud alios potius, quàm apud Vos, memorandi fuerit locus. Quod verò ad libros quatuor à me exaratos, non per omnia quidem ſed quoddammodo tamen imitari volui exemplum B. Cypriani abſente Epiſcopo Romano ad Clerum ſcribentis. Utinam verò, ſi id de ſingulis expectare nimium eſt, ſaltem optimus, & doctiſſimus quiſque è Clero hunc affectum noſtrum conſulat boni. Quod facient, & ſcio, quicumque paulo penitiùs me, & hunc Angliæ amorem norint. Nec quia hæc nunc qualiacunque amoris mei monumenta mitto, eo me gentis humaniſſimæ Præſtantiſſimæque meritis ex animo exſolvi meo. Scio enim longè majora deberi, & (ut taceam heroas alios) ante omnes Auguſto Regi, ergaquem, non aliter quàm ſubditos ejus compellando, hactenus officium probavi meum; ut facilè videam, & aſſiduè cogitem, quanto majus ſit quod deinceps à me deſideretur. Sed ſpero Deum daturum in hac etiam ſenectute, ut probi omnes videant, neque hâc parte me opinionem eorum eluſiſſe. Velle quidem & conari non deſinam.

Diutiſſime feliciter vale, eximie Antiſtes, & quod hactenus facis, porro etiam me faventiæ tuæ Zephyro aſſlare non graveris.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c x l i. ix. Cal. Dec. Styl. Vet.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor devotus,*

G. J. Vossius.

## DLXVIII.

## Eduardo Pococke,

Socio Collegii Corporis Chriſti.

*Salvum ac ſoſpitem Conſtantinopoli Oxonium rediiſſe gratulatur. Dionyſii filii de Idololatria Maimonidem cum ſuis de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana libris dono tranſmittit.*

*Clariſſime ac Amiciſſime Vir,*

IN tot adverſis non mediocriter mihi voluptati fuit, quod te ſalvum ac ſoſpitem Conſtantinopoli rediiſſe Oxoniam intelligam: Deoque gratias pro hoc beneficio ago, cum privato nomine de amico tanto lætus, tum etiam publico, quia facile video, quantum deinceps Reſpublica literaria, ac pariter Dei Eccleſia, utilitatis ex te capere poſſit. Si enim jam ante tria luſtra tam bene potueris de ſtudiis mereri: quid non poſthac ſperabimus, ex quo & ætas, & tot annorum induſtria, doctrinam pariter ac judicium firmarunt? Gratulor ergo tibi [illegible]mi Pococke, gratulor Oxonio, totique Angliæ, imo literato orbi hunc reditum tuum. De quo ſimulac cognovi, continuo pene hunc calamum corripui, ut affectum meum, quem coram non poteram, literis teſtarer. Nolui verò planè inanem eſſe epiſtolam meam; cui idcirco adjunxi Maimonidem de Idololatria à filio meo Dionyſio (quem coram mecum vidiſti Oxoniæ) Latine redditum, notiſque illuſtratum; item libros quatuor à me exaratos, de falſâ nationum Religione, humanæque mentis ex natura adſcenſu ad Deum: planeque confido, & τοῦ μακαρίτου filii, & mei cauſa, grata fore hæc munuſcula, præſertim cum nec argumentum poſſit diſplicere. Vale amice παλύγλωττε, ac deinceps etiam amemus nos inter nos.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c x l i, ix Kal. Dec.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

## DLXIX.

*Similis Epiſt.* DLIV.

DIu ſane eſt, Virorum & Amicorum maxime, quod nequicquam colloquimur. Matthias noſter Möſum ituriens, poſtremæ vicem fecit epiſtolæ. Cura valetudinis veſtræ & amor calamum me jubent corripere, quo te laceſſam. Quæ nos intemperies homullorum aliquot infrunitorum agitet, ex publica credo, fama noſti. Quum enim dogma de Univerſali ac ſufficiente gratia illis non videretur ſat virium habere ad defamandum nos in Belgio veſtro, & apud amicos alios in Academiis & aulis Principum, affinxerunt nobis hæreſes nefandas, Sabellianiſmum, Photinianiſmum, Pelagianiſmum, & neſcio quid non. A Synodis veſtris ea de re moniti ſumus, quibus ante menſes aliquot nos excuſavimus. Earum Deputatos nunc Hagæ congregatos rem arbitrari audimus. Utinam feliciter! Hæreſes & ſchiſmata, quæ dividunt Eccleſiam, averſamur. Veritatem antiquitus & à majoribus veluti per manus traditam veneramur, & conſenſum Catholicum omniorum Orthodoxorum inde à tempore Apoſtolorum ſequimur.

De

De ſalute veſtra cupio fieri certior. Vale, Vir amiciſſime, & ſalve πανοικί.

Bremæ, 24 Novembris cIↄ Iↄ c x l i, ſecundum veterem formulam.

*Clarit. tuæ omni officio & affectu,*

Ludovicus Crocius.

---

DLXX.

## Ricardo Steward,

Theologiæ Doctori.

*Ejuſdem cum ſuperiori Epiſt.* DLXVIII. *argumenti.*

*Reverende & Clariſſime Vir,*

NOn patiar interire, vel etiam flacceſcere amicitiam, quæ mihi tecum jam ante annos tot in Batavia fuit, magnam partem ferruminante eam Nobiliſſimo Viro Georg. Ratal. Dubletio, nunc ſupremæ Curiæ Hollandiæ Zelandiæque Senatore laudatiſſimo. Ut durare videas affectum hunc noſtrum, mitto aliquod amoris μνημόσυνον, partim de filii μακαρίτου penu. Ac de noſtro quidem vides Paralela Theologiæ Gentilis, ac Phyſices Chriſtianæ, ſi modo is titulus explet materiam operis; quo non minus cum Religione Gentium confero hiſtoriam veterem, quam ſcientiam naturalem. At de penu filii eſt Maimonidis de Idololatria liber, Latinè ab eo redditus, & uberi illuſtratus Commentario. Utinam hoc filio diutius frui licuiſſet; neque id mei magis, quam publici boni gratia exopto. Sed ferenda quæcunque immittit Deus. Solus quippe ſcit, quid mihi, quid expedierit filio. Nihil vero gratius mihi contingere potuerit, quam ſi intellexero utriuſque noſtri operam, tibi, tuique ſimilibus, quales habemus paucos, neutiquam improbari. Hoc ſi conſequar, non erit quod de malevolorum judicio laborem. Vale, inſignis Vir, pariter ac amice; ac porro nos ama ut ſoles.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c x l i, vi Kal. Dec.

*Tui nominis admirator,*

G. J. Vossius.

---

DLXXI.

## Joanni Rouſio,

Bibliothecario Bodleiano { Collegii Orialenſis } Socio.

*Idem.*

*Vir Clariſſime,*

SCio Stagiritam noſtrum dicere, ſilentio diuturno amicitias dirimi; & longo tempore nullum inter nos literarium fuiſſe commercium. Nec propterea tamen exiſtimo vel tantillo amorem noſtrum eſſe imminutum, ut qui non vili lucro amicitiam metiamur, ſed bono publico. In qualibus ceſſare in ſcribendo licet, ubi publicum finit, imo cum damno ejus, nimium erga amicos foremus officioſi. Sed nunc videret mihi verè amicitiam violare, niſi rumperem ſilentium, teque literulis meis compellarem. Quippe & ego & filius ὁ μακαρίτης, quædam juris fecimus publici, quæ operam deſiderant tuam, ut permaturè inſerantur Bibliothecæ, non Apollinis Vaticani, tantopere veteribus celebratæ, ſed multis partibus præſtantioris Oxonienſis veſtræ. Ac à filio quidem eſt Maimonides de Idololatria Latine redditus. Quod opus frater ejus utrique Anglicanæ Eccleſiæ dicavit. Et gratum erit, tum argumenti cauſa, tum quia ſemper in ore habere ſcriptor ejus Dionyſius ſolet Clariſſimos Oxonienſis Academiæ Viros; à quibus paterni itineris comes adeò humaniter, admodum adoleſcens, fuerat exceptus. Addidi de noſtro quatuor Libros de Idololatriæ Origine & Progreſſu, & ex naturæ operibus adſcenſu humanæ mentis ad Deum. Non puto, vel te, Clariſſime Vir, vel ex Academiæ veſtræ heroibus aliquem mihi eſſe orandum, ut ne gravetur opus noſtrum inſerere celebratiſſimæ toto orbe Bibliothecæ veſtræ. Hoc feciſtis, cum necdum Academiæ veſtræ membrum forem; & nunc non idem expectem Academiæ inſitus, præſertim in opere quod æternum mihi venerando totius Angliæ Clero conſecrarim? Quare de hoc tam amico poſtulato, verbum non addam; tantummodo peto, ut plurimum meo nomine ſalutes ſummos & florentiſſimos Academiæ Oxonienſis Viros, præſertim eos qui ante annos 12. me & ternos filios tam prolixa humanitate exceperunt. Nomina adderem, niſi ut ejus temporis Procancellarium, & in Æde Chriſti Decanum, atque alios item aliquos ad ſublimiorem gradum evectos eſſe cognovi jamdiu, ita de aliis idem confiderem, licet nihil habeam certi. Verum promitto mihi de eximia humanitate veſtra, fore, ut vel tute, Vir Clariſſime, vel præſtantiſſimus Pocokus, vel alius noſtri amans, certiorem me faciat de tot luminibus Academiæ: de quorum conditione jucundum erit cognoſcere, præterquam eorum, quos (ut fluxæ ac fragiles ſunt res humanæ) magnum Numen ademerit terris; quanquam & de illis, ſi juſto omnia pretio æſtimemus, gaudendum potius ſit, poſtquam eos Deus ex calamitoſa hac vita in ſedes tranſtulerit beatas. Atque ut præter has nihil magnopere mihi; ita eaſdem tibi ſed ſeras exopto, quo diutiſſime proſis Reipublicæ literariæ, tum externæ.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c x l i, vi Kal. Dec. St. Vet.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

DLXXII.

## Patricio Junio,

Bibliothecario Regio.

*Idem.*

DUm, Vir eximie, prelum fervet editione Maimonidæ de Idololatria, una cum filii mei τοῦ μακαρίτου Dionyſii Tralatione, ac Notis; ſolo adducti titulo amici aliquot rogarunt, ut eadem, quæ de Gentilium Idololatria jam olim mihi obſervata ſcirent, ſubciſivis percurrerem temporibus, & (quia metuerent, ne alioqui laboris hujus fructus periret Reipublicæ literariæ) ſimulac poſſem juris facerem publici. Quæ mea facilitas eſt, parui illis; ac alacriter quidem ſum aggreſſus, ſed ut fieri ſolet, ſub manu opus crevit, & cum opere moleſtia, ob molem occupationum, quæ me quotidie pene avocarent. Verum ſic quoque non modo quid filius, ſed quid ego etiam præſtiterim, ſi quis alius, optimè judicabis. Solum metuo, ne, non tantum tibi abs re tua otii ſit, ut legere valeas, vel etiam ſaltuatim percurrere. Ut hoc veteat, facit operis magnitudo tanta, patens ut ipſe ab relegendo quæ ſcripſit, poſſit deterreri. Notum illud, *Audiis* vatis —— *Laudato ingentia rura Exiguum colito:* Non minus dicere poſſimus: Ingens laudato volumen, Exiguum legito. Sed, quicquid de noſtro hoc labore futurum, boni ſcio conſules affectum; præſertim quando utrumque opus Angliæ Clero, & Academiis dicatum. Atque ut aliter foret, raro eruditio tua cum maximâ humanitate non ſineret, ut non grata tibi foret hæc voluntas noſtra bene merendi de ſtudiis literarum. Ex literis filii Iſaaci intelligo, quantopere faveris ſtudiis adoleſcentis ἀπευγίζοντος, pro quo gratias ago, quas poſſum; pluraque

que nunc adderem, niſi ad varios adeo ſcribendis literis abrumpere epiſtolam citius cogerer, quam vellem.

Amſtelodami, cIↄ Iↄcxli. v. Cal. Dec. St. Vet.

*Tui nominis clariſſimi*

G. J. Vossius.

---

DLXXIII.

*Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo*

## Jacobo Uſſerio,

Archiepiſcopo Armachano, totius Hiberniæ Primati.

*Idem.*

*Reverendiſſime Antiſtes, Dom. Illuſtriſſ.*

CUm primò ſolum animus foret, ſcribere de Gentium Diis ac Sacris, eorumque origine ac cauſis; poſtea ulterius ſum provectus; rerumque naturam exponere ſtudio fuit, fine non alio quàm ut naturæ myſtis ejus myſtas facerem, qui condidit naturam. Hujus laboris noſtri, quem officii ergo, ſummis Cleri Anglicani viris conſecravi, exemplar nunc mitto, qualecunque ἀντίδωρον operis tui auro contra non cari, quo antiquitates Eccleſiarum Britannicarum complecteris. Adjunxi Maimonidæ ſimul librum de Idololatria, cum tralatione & commentario filii mei Dionyſii juvenis, ſi fas eum à parente etiam prædicari, ingentis dum viveret & pietatis & doctrinæ. Eamque operam ille Angliæ dicare decrêrat, extincto autem, duabus Angliæ Academiis inſcripſit frater ejus Iſaacus; is quem ante menſes paucos non vidiſti duntaxat, ſed etiam uſque adeo humaniter excepiſti, ut de tanto affectu tuis in literis non gaudium modo teſtetur, ſed penè etiam triumphet. Nunc hic in Galliis agit, ac totus eſt in eo, ut exſcribat, quæ in bibliothecis reperit ἀνέκδοτα. Plane confido, reducem in patriam amantibus ſui, & his, & aliis in terris, neque inglorium, neque inutilem fore: neque commiſſurum, ut neſciant poſteri, quantum debeat Summatibus Britanniæ, aut Galliæ viris. Atque hoc votum meus Deus ſecundet. Te ſimul, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine, diu ac feliciter conſervet, ut fluctuantibus Eccleſiæ rebus pro anchora eſſe poſſis. Hoc Deum aſſiduè precabor. Plura de aliis vellem, ſed chariſſimæ conjugis morbus, & adverſa alia non ſinunt: ut mittam, quòd occaſione hujus operis ſcribendum ſit varias in terras. Scis enim, quàm latè pateat Reſpublica literaria; atque ut amicitiam eorum, qui ad hanc pertinent, nulla diſſolvant regionum ſpatia.

*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis tui cultor atque admirator,*

G. J. Vossius.

---

DLXXIV.

## Merico Caſaubono.

*Idem.*

*Clariſſime Vir, Reverende Frater in Chriſto,*

TAndem prodeunt bina familiæ noſtræ opera: unum Maimonides, cum Tralatione, & Notis Dionyſii mei, cujus & Annales Belgicos è Reidano Latinè redditos accepiſti; alterum autem à nobis exaratum, De *Religione Paganica*, & triplici cum ea conflictu; Hiſtoriæ veteris, de qua 1. libro; Scientiæ naturalis, de qua 2. & deinceps; Scripturæ Sacræ, de qua Opere univerſo. Dionyſii mei laborem ſacravi binis Angliæ Academiis; ubi ob tot S. Theologiæ Doctores, atque Linguarum Orientalium Profeſſores, vel earundem bene intelligentes; plurimi erunt, qui non modo de monumento hoc mei, (eo, quem cum fratribus duobus, non vidiſti modò, ſed etiam benignè adeo excepiſti) benevolè judicare poterunt, atque etiam volent. Hoc & laudabilis opera filii ſpondet mihi, & laudatiſſimorum virorum affectus erga me, & meos. At labores proprios dicavi, laudis nullius indigenti Angliæ Clero, cujus Canonicorum Cantuarienſium Collegium pars eſt honorata. Nec propterea in generali nomine ſiſtendum mihi putavi; ſed minimùm altero in volumine, quod majus priori, exprimere nominatim volui eos, quibus conjunctus arctiùs forem. Atque utinam affectus hic gratus ſit fratribus meis Reverendis, quam ſtudioſus eſt veſtri animus illius, à quo opus hoc proficiſcitur. Tria mitto exemplaria, unum inauratum, ut inſeratur Bibliothecæ Cantuarienſi, ſi merebitur. Duo alia Venerando D. Decano, ac tibi, Collega optime & amiciſſime. Plura addidiſſem, ſi in grandibus Operibus tam munifici eſſent Typographi quàm deberent. Sed hoc inſuſurrare liceat in aurem, mi Caſaubone, gratum fore, ſi, ubi videris, deſiderari pro ſingulis utriuſque operis, vel ſaltem mei, exemplar aliquod, mihi id quamprimum ſignifices. Etſi cariſſimè veneant exemplaria, proprio tamen ære potius mercabor, quam ut ulla in re patiar officium claudicare. Vides quàm familiariter tecum agam, quod optime conſules. Uxorem, Reverendum D. Decanum, & fratres dilectos plurimùm ſaluta.

Amſtelodami, cIↄ Iↄcxli. vi. Cal. Dec. St. Vet.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

DLXXV.

## Thomæ Farnabio.

*Idem.*

*Præclare & amice Farnabi,*

*Scribimus indocti, doctique volumina paſſim.*

SAnè tam multa hodie ab imperitis edi videmus, ut ſi ſic res procedat, & lectores ſuos, ut cœpere, porro inveniant, plane ſit metuendum, ne nepotibus noſtris veſcendum ſit glandibus, uti Atavorum temporibus fiebat. Sed bene eſt quod non deſint Triptolemi novi qui fruges obſerant, inque his facilè tuum locum ſuſtines, dum juventutem glandibus veſci vetas, eamque deducis ad frugiferos agros optimorum Latii ſcriptorum ac ingenii doctrinæque tuæ vomere, h. e. non perſpicuo minus, quàm erudito ſtylo, facis, ut bene culti niteant magis & magis. Sed bellè de antiquis ſcriptoribus merendi non una eſt via. Nos eodem tendimus quo tu; ſed aliter & indicio ſunt quæ hactenus ſcripſimus, & ea quoque oſtendunt quæ nunc mitto. In iis duo hæc præſtare conor, ut pandam priſcam Gentium religionem, ſine qua intelligi nequeunt ſcriptores veteres, atque ut exponam quid Plato, Ariſtoteles, Zeno, & Philoſophorum alii, imo & Poëtæ cæterique ſcriptores de rerum natura ſenſerint atque ſcriptis conſignârint. Planè confido, hæc etiam per quæ illis ſcriptoribus à te illuſtratis lucem porro aliquam affundere ſtuduimus, non diſplicitura præſtanti ingenio tuo, qui pro candore, & veterum auctorum amore, nihil æque exoptes quàm ut multi tecum in ſocietatem veniant illius gloriæ, quæ paratur illuſtrandis auctoribus vetuſtis. Eoque gratiora omnia fore perſuaſum habeo, quia ſacrata à me ſint non exteræ genti ſed veſtræ, imo quodammodo etiam noſtræ; poſtquam & ipſe Sereniſſimi Regis beneficio Angli[illegible] Clero ſum in-

inſertus, ab utraque etiam Academia, ut membrum adſcitus. Addidi de filii Dionyſii penu Maimonidem cum ejus tralatione ac notis, eumque non minùs placiturum ſpero, quàm noſtra: & affectum hunc augebit, quòd is quoque Angliæ inſcribatur. Quæ deinceps ſim aggreſſurus, animi adhuc pendeo; uſque adeo multa ſunt quæ limare, perficereque ardet animus, modo Deus vitam conceſſerit, & valetudinem proſperam: quam tibi non minus quàm mihi exopto. Vale.

Amſtelodami. CIↃ IↃCXLI. III. Kal. Decembris.

*Tuus,*

G. J. VOSSIUS.

## DLXXVI.

### Franciſco Junio Fr. F.

*Epiſtola familiaris.*

*Nob. & Clariſſime affinis Juni,*

TAndem vides Commentarios noſtros, de Theologia gentili, & Phyſica Chriſtiana; quos gratos fore confido, non tibi modo, ſed etiam Clero Anglicano, cui eos dicavi. Mitto etiam Dionyſii mei Maimonidem, à fratre Iſaaco inſcriptum duabus Angliæ Academiis. Iſaacus adhuc in Galliis eſt; ſed iter in Italiam adſectat; de quo non poſſum adſentire. Terrent non ſumptus modò, ſed etiam pericula. Spero, nihil acturum, me inconſulto; etſi videam Illuſtrem Grotium, iter non diſſuadere. De obitu ſuaviſſimæ cognatæ Joannæ Brunæ, jam ex ſororis literis, vel filii ejus, ſine dubio intellexeris. Næranus noſter gravi morbo decumbit; multumque vitæ metuitur. Franciſcus meus multo me, imo omnes nos, mœrore adficit. Matthæus alteram Hiſtoriæ Bataviæ partem emiſit, & Hiſtoriographi Batavi titulum ab Illuſtribus Ordinibus Hollandiæ eſt adeptus. Non levis is honos. Sed de magnitudine ſalarii, necdum quod ſcimus ſtatutum. Sunt in Proceribus qui dicant ſatius videri, ut quoties pars operis nova exhibetur, filio perhoneſtum detur honorarium cum ſalario, quàm ut certum ſit annuum: quia tam multi pecuniâ fruantur otioſi: Exemplum capere ex Heinſio jubent, qui poſt ſcriptam Sylvæ-ducis captæ hiſtoriam, nunquam admovit manum hiſtoricæ ſcriptioni; ſed in utramque aurem ſtertit ſecurus, gratiſque ſtipendio fruitur. Alii contra contendunt, ejus culpam non debere aliis obeſſe: quorum induſtria gemino jam pateat opere. Accepi his diebus minutam ſchedulam, à te miſſam mihi: in ea (præter illud de ſtipendio Cantabrigienſi, à Caſaubono accepto, & Hoofdio Londini annumerato) illud etiam erat, faſcem Librariam miſſam à te Amſtelodamum eſſe: in iis libris quoſdam pro Ampliſſimo Doubletio emptos: chartas item quaſdam tradendas Hoofdii Londini agentis fratri, prope Remonſtrantium templum habitanti. Is apud me fuit cum altero fratre, hic itidem habitante. Verum nobis nihil hactenus traditum; eoque opus erit perſcribi per quem nautam miſſi ſint libri, cæteraque. Alioquin enim metuo, ne cuncta perierint filio, Dubletio, Hoofdio. Dubletius ſæpe ex me inquirit, ecquid de libris certi habeamus. Quæſo fac nos de nautæ nomine certiores, deque cæteris etiam, quæ nos attinet ſcire. Hæc non infima ſaltem, ſi non princeps cauſa fuit, cur ad te ſcriberem. Deſidero etiam ſcire, quomodo valeat Illuſtriſſimus Comes Oxfordiæ, cujus, ni fallor, ſtudiis es præfectus, & ecquid ſpei ſit de veſtra in has terras profectione. Spem enim qualem qualem conceperam ex ſchedula tua antedicta: epiſtolam enim non videor mihi poſſe nominare. Agunt hactenus mecum bini liberi fratris tui, Caſimiri Junii ὁ μακαρίτε. Franciſcus tibi cognominis ingenio ſic ſatis valet, & induſtria ſe mediocriter probat, foreque confido, ut ea quotidie capiat incrementum. Planè hoc ago, ut dignus ſit & Avo, & Patruo; quorum non prænomine minùs, quàm cognomine gaudet. Prodiere Illuſtris Grotii annotata in Novum Teſtamentum. Iis addidit tres Libellos cum Appendice, qua defendit, quod ſcripſit, Antichriſti nomine, non intelligi in Scripturis Epiſcopum Romanum, ſed Cæſarem illum, gentilem dico, Eccleſiæque perſecutorem. Hoc multos habet peſſimè; qui judicant fore, ut omnes magis abhorreant à Romana Eccleſia, ſi Epiſcopum ejus eſſe ipſum Antichriſtum habeant perſuaſiſſimum. Sed qui ſtatuunt cogitari debere de concordia orbis Chriſtiani, exiſtimant, hanc opinionem eſſe noxiam; foreque ut non cogitetur de remedio, quia nemo cum eo ullum ſibi negotium eſſe velit, aut ab eo boni quicquam, ſperare, qui ſit Anti Chriſtus, & in hoc ſolo operam omnem ponat, ut ad inferos præcipitet. At meliori Eccleſiam fore loco, ſi non deſperemus de bonitate Dei, ac confidamus poſſe Deum, qui non Regum modò, ſed Paparum etiam corda habet in manu ſua, paulatim aperire oculos & mollire corda eorum, qui & ſuperſtitione, & tyrannide, tantoperè à primis ſæculis receſſerunt. Atque ut Romæ non ſuccederet pius conatus, multum profici poſſe, ſi in Galliis ſuccedat, ubi ingens illorum eſt numerus, qui ſic Romanam ſequuntur Eccleſiam, ut in præcipuis, quæ nos oppugnamus, faveant ſententiæ noſtræ: ſed ſolum plus moderationis requirant à nobis, majorem etiam venerationem erga Eccleſiam veterem, quam non Parens quidem tuus, non alii multi, in Anglia præcipuè; ſed multi tamen ἰδιογνώμονες ϗ αὐθάδεις, pretio ſuo neſciunt æſtimare. Dum hi ſic diſceptant, ego, egregie adfinis, vota ſuſcipiam pro Eccleſia reformata, ut eam Deus ſpiritu veritatis, & pacis, regat magis & magis. Et te quoque eidem numini commendo. Vale diutiſſimè, & quæſo ſubinde nos literis tuis compella.

Amſtelodami, CIↃ IↃCXLI. Kal. Dec. St. Vet.

*Tuus, dum ſum,*

G. J. VOSSIUS.

## DLXXVII.

### Andreæ Colvio

ſuo,

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

EN Tibi, Vir atque amice eximie, pro Caſſiano tuo MS. ac ob devotionem pectoris, ſtylique venuſtatem, ut quicumque editi codices conferantur, haud indigno, qualecumque Ἀντίδωρον noſtrum; de cujus argumento dicerem aliqua, niſi jam abhinc biennio, partem hic bonam vidiſſes, pleraque etiam excurriſſes. Miraberis, ſcio, ſpiſsè adeo opus hoc ſucceſſiſſe. Nolim ego omnem culpam rejicere in Typographum. Magis ipſi in cauſa fuimus, vel potius Amici, & exteri ſalutatores, quorum indies creſcit ſeges; ſic ut nequeam (quod poteram ante annos pluſculos) negotiorum molem ſubciſivi temporis otio eleganter diſpungere. Africanum id feciſſe proditum à Velleio, ſcriptore fidei non ſubleſtæ, præterquam in ſui ævi rebus. Verum nobis non licet eſſe tam beatis. Omninò enim ut metuo, valedicendum ſtudiis, mittendique Libri, tot annorum ſpatio congeſti, ac mihi ſtantes pluſquam annis millenis. Vel hoc ſi nimis durum, publico etiam, ac poſteris noxium, ſubducere me aliquò cogat; putà in villam aliquam; neque deſunt, ex illis facile agentibus, atque etiam amantibus noſtri, qui cùm mei miſerentes, tum amore ducti Reip. literariæ, villam ad tempus, vel aliud offi-

offerant, ut iſtic ex animi ſententia, vacare poſſim limandis, & perficiendis tam multis, quæ nunc vix inſpiciendi eſt otium, & me mortuo, fortaſſe æternum cum blattis, & tineis rixabuntur. Nec alienus ab hoc conſilio forem; verùm uxoris valetudo non ſinit, ut ſic menſes totos ab ea divellar: Vides quàm animi hæream incertus. Tu cordatiſſime Colvi, viam diſpice quâ me expediam. Talem mihi indicari velim, qua neque frauder amicorum eruditorum (quos inter locum facilè tuum tueris) ſuaviſſimis alloquiis; neque Exterorum variis è terris adventantium Virorum, vel rara doctrinâ, vel præluſtri genere, ac dignitate Præſtantium, ſermonibus acceptiſſimis, ſive de ſtudiis noſtris, ſive de vita & ſcriptis eorum ſint, quos exteris in locis amo, & æſtimo, ſive etiam de publico rerum ſtatu; cujus notitia quantoperè requiratur in Hiſtoriarum & Civilis ſcientiæ Doctore neutiquam potes ignorare. Multum autem vereor, ne utcumque omnes in te partes verſes, aut hiſce univerſis fateare carendum, aut quando iſta prope omne tempus ſibi vindicent, quod à munere publico ſupereſt, agnoſcere cogaris, ne illis me defraudem, & plurimorum offenſam incurram, deinceps mihi nihil legendum, ſcribendumque dixeris. Si ita mecum agitur, quo pacto par fueris ſpiſſis hiſce duobus voluminibus, quæ mittis? Mane, iſtuc ibam; Nam totas noctes in utramque aurem dormio: ſed quod à decima eſt Nocturna, ad ſequentem ſecundam, impendo penſiculandis illis, quæ tot annis in adverſaria retuli. Ac propterea opus hoc, de Paganica Theologia, & Chriſtiana Phyſiologia, poteram inſcribere, Noctes Amſtelodamenſes. Sanè tanta eſt comitas, & modeſtia Indigenarum, & Exterorum, ut quia tum ipſi ſomnum capiant, mihi ſtudia neutiquam interturbent. Atque hoc imprimis verum eſt hiberno tempore, quo domi ſe continent ſtudioſius, frigoris causâ, in quo ego iſta tecum garrio, ut vel hinc videas amoris mei erga te ignem, quem neque noctis hibernæ frigus vincere potuerit. Sed Varro olim, eſt modus matulæ: nobis etiam ſit modus Epiſtolæ. De cæteris confabulandi tecum lubido erit, ubi Tibi otium erit amicos hac urbe inviſendi; quod nimis raro facis. Simul tùm ſerram reciprocabimus, ſuper multis, de quibus differo in eo, quod mitto, opere miſello mag s, quàm confuſaneo; quippe mirè admodum vario, at non ἀμεθόδῳ quod vitium habere ſoleo, pro certiſſimo ἀπαιδευσίας argumento. Ac ſcio te quoque hominem non φιλολογώτατον modò, ſed etiam φιλοσοφώτατον, in iſto juxta me ſentire. Vale, vir & amice egregie, ac meo nomine, præter uxorem lectiſſimam ſaluta Conſulem Wittium, cum cognata noſtra conjuge; Item Doctorem Bevervicium. Quid pluribus oneremus? Si poſſim, velim uni & alteri novi operis exemplar mittere, videbo quid poſſim.

Amſtelodami, cIↃ IↃ cxli.
vi. Id. Dec.

## DLXXVIII.

## Danieli Heinſio.

*Ipſius in N. Teſt. Exercitationes eximiè laudat, inter alia autem jucundiſſimum ſibi fuiſſe fatetur, quod in tuendo Eraſmo antiquum obtineat. Hoſtimenti loco ſuos de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana libros transmittit.*

*Nobiliſſime & ſumme Vir,*

DOlet rara adeo nobis eſſe literarum commercia, collegis veteribus, & parvo adeo diſſitis locorum intervallo. Equidem ſilentii pertæſus, committere non potui, quin novo hoc anno ineunte, fauſta omnia per epiſtolam comprecarer tibi, filio & filiæ, ac ſimul Ampliſſimo genero tuo. Altera etiam ratio ſcribere me juſſit, ſatis enim diu eſt quod nonniſi per filium gratias tibi egi pro munere acceptiſſimo eorum, quæ ad N. Teſtamenti libros annotaſti. Luculentum eſt ingenii doctrinæque tuæ monumentum; atque utinam Deus longam tibi ætatem tribuat, ut porro in iſtiusmodi argumento deſudet induſtria tua. Nec deterrere debet, quod aliis ſimile ſtudium ſit. Sic enim comparatum eſt cum ſcripturis, ut nullius ingenio vel labore, exhauriri poſſit veritas, tam profundo earum puteo contenta. Semper ſupererit quod diſcamus: ut vel ſæculum vitæ noſtræ adderetur. Quemadmodum adverſus omniſciolos iſtos ſæpius in vitæ extremo dicere ſolet ſocer meus Junius. Unum opto, ut quicunque in ſacra hac palæſtra ſe exercere, & pariter alios volent, ſic in ea verſentur, ut tum veritati, quatenus humana ſinit infirmitas; tum etiam modeſtiæ litent, ac candori. Sed plerique hoc pari non poſſumus, qui, ſiquid alteri acceſſerit, decedere nobis arbitramur. Cum quo vitio, corrupto hoc ſæculo, facile etiam eruditiſſimis obrepenti, magnis viribus decertandum cenſeo: ne noſtrapte culpa male adeo audiat eruditio, ut quotidie cum dolore conſpicimus. Sed triſtibus iſtis miſſis, redeo ad gratiſſimos labores tuos: in quibus diſſimulare non poſſum, inter alia mihi fuiſſe illud jucundiſſimum, quod antiquum obtineas in tuendo Eraſmo, viro optime de literarum ſtudiis merito, nec minus de toto ſanctorum Patrum choro. Quem profecto mihi ſæculi noſtri dabunt, in quo duo hæc æque concurrant, imo ſi quem vel intra mille annos proximos ab harumce laudum eximio juſtius prædicari poſſe exiſtiment, nomen ejus edant. Quare etſi hominem fuiſſe ſciam, nec jurare ſemper in ejus ſententiam velim, (quem honorem nulli hominum deferendum cenſeo) tamen probare eos non poſſum, qui tam irreverenter illum habent: parum cogitantes, quibus temporibus vixerit, quantumque omnis ei debeat poſteritas. Venio nunc ad tertiam hujuſce ſcriptionis cauſam. Ἀντίδωρον mittere volui, non quidem dignum præſtantiſſimo ingenio tuo: ſed noſtri tamen ingenioli modulo non penitus, ut puto, indignum. Eſt id commendationum noſtrarum de Theologia Gentium & Philoſophia Chriſtiana, in quibus ſi non videar tibi & eruditiſſimis Collegis, operam & oleum perdidiſſe, erit ſane, quod hunc fœtum noſtrum deinceps amem vehementius. Sin ſecus; ſed nolo male mihi ominari, potius in voto, unde orſus ſum, deſinam, nempe tibi tuiſque omnia hoc anno felicia exoptem: Imo & Collegis veteribus, quibus ſi occaſione commoda ſalutem meo nomine dixeris, longe id erit gratiſſimum. Filio nob. ſalutem adſcribi ſine dubio juſſiſſet Iſaacus meus, niſi eum Galliæ haberent. Vere proximo reducem ſperamus.

Amſtelodami, cIↃ IↃ cxlii. poſtrid. Kal. Jan. St. N.

*Nob. & maximi nominis tui amantiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DLXXIX.

*Omnem ſiniſtri de Voſſio ejuſque Scriptis judicii ſuſpicionem eximere ſtudet.*

*Reverende & Excellentiſſime Vir,*

ACcepi nuper illa quæ ad me miſiſti munera. Quo nomine & hunc animum & me debere tibi fateor. De quibus aliiſque pluribus, ut ſpero, ſum ſcripturus, cum ordine perlegero. Noſti enim qui & ipſe aliquando maxima cum laude inter nos verſatus es, quam hoc tempore, ex inſtituto Academiæ, quo & recenſendi ſtudioſi, & alia nonnulla peragenda ſunt, ab octavo Februarii ad primum ſequentis ſeptimanæ, diſtrahi ſoleam. De affectu meo & obſervantia ſi quæris, nemo neſcit, quomodo de te ſcriptiſque tuis judicare ſoleam. Quo magis deteſtandi ſunt, qui Verſus quoſdam, quos in maledicum, qui de facundia aliorum judicare ſolet, conſcripſi, de te ſcripti, tibi aliiſque perſuaſerunt: quod amici jam non ſemel indicarunt nobis: cum

cum id ne in mentem quidem veniſſe nobis ſciam. Homo, de quo cogitabam, natione Batavus, aliquandiu Profeſſor tandem ludo literario præfectus eſt, in qua cura expiravit. Qui non magis fortaſſe tibi, cum privatim de omnibus ſententiam ferret, quam aliis pepercit. Simile eſt, quod cum nemo olim magis Rhetorica tua, non ſemel nec eodem modo edita, commendarit aliis, ea à me perſtringi, non quidem forte crediderunt ipſi, perſuaſum tamen tibi diſtrahendis inter nos animis nonnulli voluerunt: quo nihil diabolicum magis, nihil magis hodie uſitatum. Cum de *Loyolita* quodam egerim, qui de autoribus antiquis petulanter ac ſiniſtre judicat; quod à te factum non memini, quem ob eruditionem ſingularem ſemper veneratus ſum, qui ſum ac futurus ſemper,

Lugd. Batavor.
cIↄ Iↄ cXLII,
Febr. 27.

*Reverentiæ tuæ devotiſſ.*

DANIEL HEINSIUS.

## DLXXX.

*Viro Clariſſimo*

### Merico Caſaubono,

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

QUantum rationes inire valeo ejus temporis, quo navis Anglicana hinc ſolvebat, inter merces ſuas etiam deferens exemplaria complura operis noſtri de Paganica Theologia, & è naturæ mirandis manuductione hominis ad Deum; Jam una & altera hebdomas paullove amplius eſſe poſſit, quod tuque & Fratres venerandi acceperitis labores noſtros. Sed celerius aliquando an tardius hi vobis redditi ſint, parvi duco, præ iſto ut ne viris doctrinæ ejus judiciique diſpliceant illa, quæ in tot occupationibus ſummo nihilominus mihi labore ſtetiſſe nequeo diffiteri. Nec illud ſolum voveoque optoque ut fratribus meis placere poſſint, verum etiam ut Clero Angliæ univerſo. Nunc quia & ſenio & tot me adverſis atteri indies video, magis magiſque cogito de ſarcinulis colligendis; eoque totus in eo ſum, ut tam multis quæ habeo affecta, præſertim illis minoris molis, extremam admoveam manum. Et jam aliquid prælo tradere occepi, de quo proximis literis. Filius meus Iſaacus, quem in Anglia vidiſti, jam è Galliis Italiam cogitat, ut varias luſtret Bibliothecas & exſcribendo *ἀνέκδοτα*, ubi facultas dabitur, poſſit melius poſtea mereri de Republica Literaria. Quo deſiderio ſanè honeſto ardet more juvenum qui (ut ſcis) quicquid volunt, vehementer volunt. Ego & filii & publici boni amore in hoc voluntati ejus non deſum.

Lectiſſimæ conjugi ac liberis, item Reverendo D. Decano & univerſo optimorum Clariſſimorumque Fratrum Collegio plurimam à me dicito ſalutem.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cXLII, Idus Januarias ſtylo Anglicano. Quo ipſo die ante annos XCVI Heidelbergæ, natali meo ſolo, abolito Papatu, reformata fuit Eccleſia. Sed peccatis noſtris factum, ut nec integro ſæculo licuerit hoc beneficio frui.

*Tuus tuo merito,*

G. J. VOSSIUS.

## DLXXXI.

Salutem plurimam & obſervantiam.

*Ex Conſtantinopolitano itinere redux beneficiorumque olim ſibi collatorum memor, Bibliothecæ ſuæ Orientalis, ex 400 MSS. refertæ uſum liberaliter offert.*

*Excellentiſſime Voſſi, Fautor & Amice venerande,*

COnſtantinopoli redux factus, quod ibi literis intellexiſſem optimum & clariſſimum filium tuum Iſaacum hic in Anglia eſſe, ſperabam hic invenire, & aliquod optimæ notæ manuſcriptum Arabicum ex Bibliotheca mea Orientali, quam per Dei gratiam ſatis magnam reportavi, donare decreveram, ſed abitu in Galliam meum reditum præverterat. Nunc quod intelligam reditus mei famam in Belgio ſparſam, non poſſum facere, quin amicis & fautoribus eundem indicem, tibique certe pluribus nominibus obſtrictus ſum, nam hac ad Magnatem me recommendabas, & Illuſtriſſimus Grotius eo me nomine amavit, ut plurima ab eo prona erga me voluntatis ſigna retulerim. Quod ſi itaque filius tuus Iſaacus meum ad vos adventum prævertat ex Gallia reditu, quem ipſi fauſtiſſimum voveo, ut tam præclari filii ſummis virtutibus quaſi reviviſcas pater, licet nunquam mori ipſe queas, hoc rogo, ut meo nomine ſalutes, & poſtquam Catalogum meæ Bibliothecæ perlegerit, quemcunque librum uſui deſiderabit, non denegatum iri meo nomine rogo promittas. Quadringentorum Manuſcriptorum Græcorum, Ebræorum, Arabicorum, Perſicorum, Turcicorum, Ruſſici & Armenii Catalogum penes Leidenſes imprimi credo. Clariſſ. ac Doctiſſ. filium Matthæum amicum meum colendum ſalutabis, ipſumque Gerhardum præſtantiſſimum juvenem, quos vos Deum rogo ut ſanos propediem & florentiſſimos reperiam. Gratias autem ago ingentes etiamnum pro veteri illo literarum tuarum beneficio, rogoque tibi perſuadeas non apud decoctorem ea depoſuiſſe. B. V.

Londini, ex Colleg.
Gresham, 21 Jan.
St. Vet. 1642.

*A tui Nominis*

*obſervantiſſimo,*

CHRIST. RAVIO.

Incluſas rogo literas Cl. Golio tranſmitti, ni grave, jubeas, ita novo beneficio me obſtringes. Ἔῤῥωσο.

## DLXXXII.

S. P.

*Apologeticum ſuum adverſus Grotium mittit, Voſſii judicium de eo exquirens. Salmaſii reditum adhuc dubium videri, accepiſſe per diligentiam filii Iſaaci Voſſii, exemplar expeditionis in Alanos per Arianum, in quo mira habeantur de militia Romana, ab eadem opera Urbicium expectare. Helleniſticum ejus opus mox lucem viſurum refert. Voſſium pariter inſtigat, ad promenda ea, quæ de antiquitatibus habeat Eccleſiaſticis.*

*Clariſſime & Doctiſſime Vir, Collega & Amice conjunctiſſime,*

EXpectavi tempus quo prodiret meus Apologeticus, ut gratias tibi agerem pro elegantiſſima & amica epiſtola tua, ſimulque ad nonnulla reſponderem quorum in ea memineras. Videbis libellum meum non in D. Grotium ſed in illius votum, quod à te perlectum non dubito. In quo certe ipſe quæſivi D. Grotium, nec talem inveni qualem olim & non ita pridem exiſtimavi. Quis enim ab eo tantum viru-

virulentiæ, & tam odioſas digreſſiones expectaſſet? Coegit me ut veritatem & innocentiam tuerer, acrius aliquanto quam voluiſſem ei reſpondere, ſpero tamen teipſum judicaturum, neque me modeſtiæ & gravitatis munere & ætate mea dignæ limites tranſgreſſum fuiſſe, nec potuiſſe aliter agere quam feci, niſi noſtram cauſam prodere voluiſſem. Quod ſpectat Suevum illum, nihil mihi eſt cum illo commune, cujus ab initio culpavi petulantiam, nec diſſimulavi in epiſtola quam à me extorſit ejus importunitas, cum mihi plane ignotus eſſet, quantum a candore & modeſtia receſſiſſet. Cum autem abuſus ſit particula meæ epiſtolæ in ſua illa invectiva, non potui etiam quin lectorem meum moneam quantum illius agendi modum improbarem. De cætero libenter ſubmitto ſcriptum hoc meum judicio tuo, poſtquam collatione cum adverſario ſcripto facta, utrumque expenderis. Miſi nudiuſtertius ad D. Corſelium unum operis Blondeliani cum duabus epiſtolis ad te & eum ſcriptis; ſpero te accepiſſe. Aliud folium miſeram antea ad Blawium, à quo nondum accepi reſponſum. Hæc duo folia multa habent notatu digna, circa poteſtatem ordinationis, in quibus etiam nonnihil habet de Novato, Iſchyra, Zachæo, contra ſententiam D. Grotii. Amicus noſter Nobiliſſ. Salmaſius, expectabat partum uxoris propinquum, ut ad nos rediret. Nec exiſtimo omne impedimentum fore ſublatum, poſtquam Cardinalis Eminentiſſ. fuit; nihilque amplius eum remoraturum. Accepit per diligentiam filii tui, qui ei deſcripſit Florentiæ, exemplar Expeditionis in Alanos per Arianum, in quo dicit ſe mira habere de Militia Romana, & quæ ad eam ſpectant. Ab eadem opera expectare Urbicium, ut opus Principi noſtro promiſſum, his adjumentis inſtructus poſſit abſolvere. Ejus Helleniſticus nunc, poſt abſolutum meum Apologeticum, diligentius procedit. Significaveram Ampliſſ. Saravio, quæ in literis ad me tuis, de eo habebantur. Ille quanti te, & tua, omnia faciat, non poſſe ſe verbis exprimere dicit. Expectaturum reditum filii tui, ut illum rurſus amplectatur, & ab eo audiat quantos ex Italia theſauros ſit allaturus. Interim ſemper urget apud me, ut te inducam ad ea promenda quæ habes de antiquitatibus Eccleſiaſticis. Si quid ad Blondellum reſcribere velis, meam offero operam, in literis tuis curandis, ejuſque & meo nomine à te peto, ut opus illud Typographo ſubinde commendes, & ut emendatè prodeat horteris. Princeps noſter affligitur chiragra & podagra, quæ curis hodierni temporis addita, eum macerant, reipublicæ tamen huic, etiam ad multos annos, neceſſarium. Deus eum nobis ſervabit, quem tuis omnibus faventem & propitium precor. Vale, Vir amiciſſime.

Hagæ Comitis,
x Kal. Febr.
cIↄIↄcxlii.

*Tibi addictiſſimus & ad omnia officia paratiſſimus,*

Andreas Rivetus.

---

DLXXXIII.

## Georgio Ratallero Dubletio,

Senatori.

*Epiſtola familiaris.*

*Nobiliſſ. Ampliſſimeque Vir,*

Cum proxime ad te literas darem, videbar mihi de exemplaribus cæteris ſtare promiſſo intra octiduum poſſe. Sed ſpatium illud pene menſtruum invaſit, dum Bibliopegarum unus pergit eſſe, qui ſolet, hoc eſt, tricobo vinator, & ſiquid ex Lucilio amplius dicere poſſumus: alter vero, quem prioris vitium correcturum putabam, morte parentis ſui, & aliis cauſis ſonticis, nequivit, quod volebat, aut velle ſaltem viſus fuit. Tandem tamen, ut vides, me exſolvo, & tarditatem meam facilius excuſabit, quod interea non licuerit foras prodire, ſed tardipes tardipedi Deo aſſederim aſſiduus, ob malum ſubinde recurſans; quod tamen ſatis leniter me ſubinde tractavit: à publico munere avocavit, non a Libris, & dulcibus Muſarum ſacris. Itaque interim limavi libellum de tribus Symbolis, & alterum de Dominico Anno, Menſe, Die, Nativitatis, Baptiſmatis, Mortis. Metuo ne illi, qui orbi me quam urbi conſulere malunt, hunc morbum, dummodo tam placidis me luminibus ſemper intueatur, ſubinde optent revenire. Minus auditoribus deceſſerit, quam lectoribus acceſſerit. Ut redeam ad exemplaria, quæ mitto: eſt in iis unum grandi forma, quod tibi mitto: ſed ea, ſi placet, conditione, ut quod prius habuiſti, alteri cedat amicorum. Cum Hagam ad te irem, in mandatis dederam Bibliopegæ, ut à Typographo etiam peteret illa chartæ melioris. Non alia tradidit, quam Hagæ vidiſti. Credidi igitur non ſtetiſſe promiſſis. Sed redux intelligo, tria quatuorque in charta Auguſta impreſſiſſe. Curavi ex iis duo compingi, quorum alterum putavi non ad alium quam ad te ire oportere. Nam de Anglia vel domina juniore Principe, ſerum eſt, & ut vides, nec inauratæ paginæ, quæ lenocinia attendi ſolent. Poſſis tuum curare à famulo deferri ad Nobil. Archieshoskium, qui habitat non longe, ſi recte recordor, à Secretario Ordinum Bellimontio, apud quemdam nomine Patrem, vel ex adverſo. Is Pater, ambigo, ſitne œnopola an diffuſor. Quicquid eſt, vir tam clari nominis non fuerit obſcuri domicilii. Et jamdiu illi debeo exemplar, quia melius eſt de me meritus, quam fortaſſe exiſtimares. At mittam quod teneat multiplici promiſſo. Vellem ejus valetudini melius eſſet, ſed metuo ne qui tam multa fortiter conſilio & manu his terris geſſit, non ſat fortiter ferat injurias, quas accepit. Mitto præterea exemplar Doctori Johnſono, item alia duobus Senatoribus, Reigersbergio, Dedelioque; ac denique unum Advocato G. Grotio, qui, quam in te bonam pro me operam navarit, non ignoras. Matthæus meus in Friſia eſt, unde propediem reducem exſpecto. Iſaacus Lugduni fuit in Galliis: ac puto, nunc vel Florentiæ eſſe, vel Romæ fortaſſe. Ait ſe auctores ejus itineris habere illuſtres Grotii & Salmaſii animas. Sed Grotianum imprimis. Nam alter, quem in Burgundia inviſit (ut ipſe ad me ſcribit) diutius apud ſe detinere, quam ut hiberna tempeſtate tam moleſtum iter inſiſteret.

Amſtelodami,
cIↄIↄcxlii,
ix Kal. Febr.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

---

DLXXXIV.

## Jacobo Corputio,

Senatori, & Scabino Reip. Dordrechtanæ.

*Iſaaci filii peregrinationes tàm benè ſuccedere, cumque à ſummis viris benignè excipi valdè lætatur. Opus ſuum de Theologia Gentium & Chriſtiana Phyſiologia dono mittit.*

*Ampliſſime Corputi, Affinis conjunctiſſime,*

Binas à te literas accepi, in ea brevitate prolixum ſpirantes affectum, præcipuè in promovendo Matthæi mei negotio; quod primo etiam tibi curæ eſſe velim, & fore confido. Is nunc in Friſia eſt, nec eo, cur abierit, es ignarus. Intra triduum exſpecto reducem. Iſaacus meus Lugduno Galliarum, in Italiam profectus: Ac puto nunc eſſe Florentiæ, & inde iturum Romam. Non parvo mihi ſtant liberi; ſed id grave non eſt dum illis curæ ſit erudita pietas; quod hactenus de Iſaaco poſſum dicere. A ſummis Britanniæ Magnæ Viris, præclarè adeo eſt exceptus, ut ſi ſcribam, prope metuam, ne fidem inveniam. Idem de Galliis dixero, ubi etiam Senatoria dignitate conſpicui, ſed quorum

con-

conſanguinei iſtic Junianæ, non indecoræ familiæ eſſent innexi, inviſere eum in diverſorio, non gravabantur. Magni verò etiam nominis viri, opiparo convivio dignabantur. Dixeris iſta, vel Parentis, vel Avi gratia eſſe facta. Equidem credo, & hæc aliquid valuiſſe. Sed tamen plus cenſeo potuiſſe, quæ ſibi poſt Scylacem editum, poſt Juſtinum, & Geographorum aliis obſervata, quæ ſecum circumfert; in aliis etiam ſtudiis cognitiſſima eſſe, familiari ſermone comprobat, viris non ex ima cavea. Eò lubentius habenas laxavi, ut ex magnis tot terrarum hominibus, non doctrinam minus, quam nomen augeret; ſpero & pietatem, quæ cæteroquin rarò auctior fit per tot maria, & terras currendo. Potius gentes vitia ſua affricant, quàm virtutes. Et ſæpè id cogito. Solum ſpero profore nobis preces, quas ad Deum pro eo fundimus. Tum etiam quod ejus inſatiabilis diſcendi cupido, animum avocabit ab inſanis voluptatibus, quibus capi juventus ſolet. Cum poſtremò, una Hagæ eſſemus, promiſi me miſſurum labores meos, de Paganica Theologia, & Philoſophia Chriſtiana. Tandem me promiſſis exſolvo, ac citius feciſſem, niſi valetudo detinuiſſet, & bibliopegæ inertia. Geminum, ut vides, argumentum ſum complexus, quorum alterutrum ſatis foret arduum; utramque ego provinciam ſuſcepi; ſed an operam ſim probaturus, vel edocto, è grege Paſtorum, vel invido, è numero Profeſſorum, non eſt curæ Hippoclidi inquirere. Miſerum eſt pendere à malignorum judicio. Paratus ſum ſtare, & cadere eruditorum judicio his terris, magis exterorum, maximè poſteritatis. Et interea hæc cuncta parvi puto, dum Deo rationem valeam reddere, & talenti, & temporis conceſſi. Puto autem id mihi faciendum propediem. Nec enim tam laborioſa, in tot adverſis vita, longam ſinit ſperare ætatem. Quam neque ulterius exoptem, quam opera noſtra utilis eſſe poſſit Eccleſiæ, ac Reip. literariæ. Uxori ſalutem dicito, præterea filio cum nuru, genero cum filia. Adderem de juniori filio, niſi eum, ut puto, extera adhuc haberet tellus. Longam habes epiſtolam, ab homine occupatiſſimo. Cauſam ſi quæras, nox erat, qua ego, omnibus iis qui de die interpellant dormientibus, tibi mi conjunctiſſime affinis, vigilabam.

Amſtelodami, cIↃ IↃ C XLII, IX Kal. Febr.

*Tui tuorumque amantiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DLXXXV.

## Joanni Beverovicio

Senatori & Medico Dordrechtano,

S. P.

*Invidiam malevolorum, atque injurias quaſcunque Chriſtianà ſe laturum patientià recipit.*

GAudeo, Vir Ampliſſime, Clariſſimeque, non me duntaxat curæ tibi eſſe ſed etiam meos. Mitto igitur geminam apocham, manu Franciſci mei ſcriptam; ſed in qua ſpatium reliquerit, ubi nomen quæſtoris ſcribi poſſit: Uti & tempus, quo ſalarium hoc expiravit. Neque enim deſubito poterat reperire formulam, quam ſequi ſolet: Miſiſſem eadem opera labores noſtros, de Paganica Theologia, & Philoſophia Chriſtiana: quo in opere, ter quater minimum, tui facta nobis mentio. Quid minus poteramus, te nullam negligente occaſionem, teſtandi amoris erga me tui? Sed nolui tantæ molis opere, onerare tabellarium. Convenientius id fiet per nautam, proxima hebdomade. Salmaſius eſt primo vere rediturus in Bataviam. Sic ſuis ad me ſcribit literis. Reſpondit jam libello, de Lingua Helleniſtica, qui abſente eo prodiit iis terris; necdum tamen prælo ſubmiſit; nec dicere poſſim, utrùm Lugduni, an Lutetiæ Pariſiorum malit edere. Non arbitror viſum illi eſſe reſponſum tuum. Saltem non memini. Mallem in editione Epiſtolarum mearum, pro Copriani nomine, aſteriſcum poſuiſſes, vel Cyprianum ſcripſiſſes. Nolim ego crabrones ſuſcitare, cùm domi ſat reperiam negotii; & malo meo abundè ſum edoctus, ſi tales digito attigeris, omnem penè ſylvam accendi. Et tamen ſi quid moliatur feremus. *Lenit albeſcens animos capillus.* Non æque laceſſentes procaciter ferre potuiſſem, quo tempore, me doctore utebaris. Quamquam tum etiam injuriarum non eram impatiens prorſus. Sed nunc illa, quæ ſæculi homines pro magnis ducunt, penè deſpicatui habeo; etiam illa, quæ pertinent ad nominis decus. Sat decorum nomen, ſi illud ſcriptum fuerit in cœlis. Nec eo ſegnior ſum futurus, in benè merendo de Rep. literaria. Abundè ad hoc calcaria, ac ſtimulos ſubdet; quod cùm non multum ſupereſſe mihi vitæ poſſit, propediem ratio erit Deo reddenda talenti, quod porro etiam operam dabo, ne arguar defodiſſe. Optimæ conjugi ſalutem dicito: uti & Colvio, præcipuo tecum in urbe Patria ſtudiorum Ornamento.

Amſtelodami, cIↃ IↃ CXLII. VIII. Kal. Febr.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## DLXXXVI.

*Gratias ei agit pro munere literario, & quod in eo non ſemel nominis ſui honorificè meminiſſe dignatus fuiſſet. Hoſtimenti loco Theſaurum inſalubrium, propediem pollicetur.*

*Venerande Vir,*

MItto ſerius quàm voluiſſem filio tuo ſalarium utriuſque anni, quod non ſine difficultate obtinui, præſertim poſterioris. Objiciebatur enim non amplius eum Hagæ vacare cauſis agendis, ideoque cauſam ceſſare. Utinam in majoribus oſtendere liceat memorem me gratumque eſſe tuorum beneficiorum, quæ & olim in me contuliſti, quæque non deſinis cumulare indies novis. Neſcio certè quibus verbis tibi gratias habeam, non tantum pro tam inſigni munere, quod me in ruborem dedit, ſed & quod in eo non ſemel honorificè nominis mei meminiſſe dignatus es. Monſtravit Colvius locum de vitæ termino. Ego omnia à capite ad calcem diligenter perlegam, videborque in ejus lectione à te ipſo, ut olim, erudiri, & ab ore docentis pendere. Tu certè cum paucis potes, quod ego cum multis conor. Prodibit brevi Theſaurus inſalubrium noſtra lingua, cum tabellis æneis, & verſibus D. Catſii, qualis editus eſt, ac jam quintum Amſtelodami edetur Theſaurus ſalubrium. Munus parum te dignum, ex nomine tamen, & hoc animo tuis rependendum. Decrevi tum vernaculis valedicere, & redire ad magis ſeria. Quamvis iſta tantum habeam pro occupatæ mentis diverticulis: & quæ nonnihil Bibliothecæ affricent. Miror in reſponſione mea, te movere Copranicam vocem. Ego etiam ea uſus, ſed nullo quenquam lædendi animo. Neque ullam cauſam offenſionis video. Tu perge, Vir Reverende, de Republica literaria optime mereri, & me, ut ſoles, amare, qui ſum & ero,

*Innumeris meritis tuis æternum devinctus, & devotus,*

Joh. Beverovicius.

Salutant te D D. Colvius & Corputius, qui etiam cauſæ cum Conſulati Wittio favit, cum jam nummos aſtu recepiſſem. Uxor mea puerperio (quod nonum erit) vicina, tibi, optimæ conjugi, & liberis omnia fauſta mecum precatur.

## DLXXXVII.

*Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,*

# D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Gaſpar Scioppius

S. P. D.

*Pieruccium inſignem Philoſophum prolixis verbis commendat. Ipſe quid publico meditetur, indicat.*

*Clariſſime & Præſtantiſſime Vir,*

Nihil planè dubito, quin ornatiſſimi juvenes Juſtus Riccovartius & Cornelius Vuerchovius, qui me perfamiliariter hic uſi ſunt, ſatis tibi confirmarint, quanti tuas excellentes ingenii animique dotes faciam, quantumque ætati noſtræ de lumine tanto gratulandum putem. Quo minus mihi nunc laborandum intelligo, ut ambitioſa mei erga te amoris ac ſtudii profeſſione tuam mihi mutuam voluntatem conciliem. Miſſis igitur ambagibus pro amico te in partem voco negotii, in quo cum conſilii & prudentiæ tuæ vires maxima cum laude tua experiri, tum ab omni Republica, inprimiſque à Batavis tuis magnam & ſolidam gratiam me judice inire poteris. Id cujuſmodi ſit, ex Italica relatione, quam unà mitto, intelliges. Galilæus ὁ μακαρίτης pro veteri, quæ mecum ei intercedebat, amicitia mihi curæ eſſe cupiebat; ut relictis...... inventi ſui experimentum caperetur, idque tanto impenſius, quanto gratius ei fuit, quod Pieruccium diſciplinæ ejus alumnum in contubernium meum adſciviſſem, propterque ſpectatam ejus fidem & ſingularem in omnium meorum bonorum hæredem feciſſem. Is jam triennium apud me fecit, & uſque eo mihi ſe probare pergit, ut eum in ſenectutis meæ præſidium cœlo demiſſum ſtatuam. Cæterum verba non invenio, quibus divini ingenii ejus vim ſatis dignè prædicem. Nam quicquid dixero, minus erit. Promittit ille quidem in hoc Patavino Athenæo Juris Civilis interpretationem, in qua tam cumulate omnibus ſatisfacit, ut in hoc uno ſtudio videatur quoddam quaſi tabernaculum vitæ ſuæ collocaſſe. At illum ſui propemodum pœnitet ac piget, cui neceſſitas incumbat iſta profeſſione vitam tolerandi, quam genio ſuo magnopere alienam ac modo non adverſam experitur, cum ſit maxime ποικιλόφρων pectuſque cujuſque modi artibus inſtructum gerat, quarum una quævis victum aliis ſatis lautum ex ſe præbere poſſet. Si ſuis ea fata auſpiciis vitam ducere permitterent, ille quodcunque Mathematicarum diſciplinarum genus & Philoſophiam liberam nulliuſque Magiſtri verbis addictam profiteri ac docere alios impendio præoptaret, ſatis quippe ſibi conſcius, poſſe ſe non verbis doctiſque dictis auditores paſcere (quamvis nec ab iſtis non ſatis ſit paratus) ſed res nomini unquam nec viſas, nec auditas, omnemque humanam admirationem exhauſturas manuum & oculorum ſenſibus ſubjicere, quas magni Principes, ſatis ſcio, ut videre poſſent, impenſo pretio depaciſci nihil dubitarent. Ego quidem, cui tam admiranda oculis & manibus uſurpare contigit, planiſſimè mihi perſuadeo, ſi Pythagoras Plato & Ariſtoteles, in terris nunc exiſterent, nec ſuum illud diſcendi ſtudium abjeciſſent, nihil eis prius futurum, quam ut ad veri iſtius Philoſophi acroaſin certatim convolarent. Madaurenſis autem Philoſophus, niſi omnia me fallunt, non jam Hippiam, ſed Pieruccium floriloquio ſuo dignam cenſeret, ejuſque ποικιλοφροσύνη diſtincte explicanda ingenium delaſſare mallet. Tanta tamen hominis eſt modeſtia, ut iſtas ingenii ejus divitias nemo niſi diu multumque eo uſus poſſit animadvertere. His accedit quod ego palmarium duco, quoque nomine plus hominem amo, ardens divinarum literarum amor, & mirificum S. Scripturæ ſtudium, unde ſibi mentem ſcientia augeri, ſenſuſque ad boni ac mali diſcrimen exercitatos fieri gaudet (quod Apoſtolus perfectorum eſſe teſtatur) ne ipſum fallant animi vaſra ſub vulpe latentes (quales ab Alphonſo meo de Vargas deſcriptos vidiſti) neve inveniatur νήπιος τις κλυδονιζόμενος καὶ περιφερόμενος παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. Hunc ego talem virum tibi nunc concilio, ejuſque demerendi occaſionem tibi offero: quam tanto avidius arrepturum te arbitror, quanto plus Batavorum publice privatimque intereſt, ipſis non intercidere fructum illum, quem eis Galilæus ex invento ſuo augurabatur. Si ergo iſtic ſint, qui rem tantam cordi habeant, ſive per te, ſive per P. Fulgentium Servitam Reip. Venetæ Conſiliarium, ſeu denique per quos viſum eis fuerit, cum Pieruccio tranſigere poterunt; quem ſtudii, quod Galilæus erga nomen Batavum ſingulare profitebatur, hæredem eſſe præſtabo, ſicut etiam fide mea tibi recipio ac polliceor, futurum ut ex rebus ipſis homini omnium gratiſſimo operam te navaſſe intelligas, nec minimum mihi velut amicitiæ veſtræ interpreti ac paratio debere nolis.

De me ipſo meiſque conſiliis, ſtudiis & actionibus alias te certiorem faciam, nunc in anteceſſum hoc tantum narro, me jam Exegeſi ſeu *Prophetia Scripturæ* (quam S. Petrus vocat) plus quingenta folia expleviſſe, ea ipſa clave ad aperienda ejus myſteria uſum, quam idem Apoſtolus nobis reliquit, vix tamen à quoquam adhuc intellectam. Prophetæ ſcilicet præter mandata de credendis & faciendis (quæ Iſai. 45. *Juſtitia & Recta*, Johan. 16. *Omnis veritas* dicuntur) & an *Secreta* ſeu Ventura (Amos 3. 7.) ſive Chriſti & Eccleſiæ paſſiones ac glorias cum ſingularum temporibus exquiſiverunt & ſcrutati ſunt, & à Chriſti ſpiritu ſibi revelatas nobis miniſtrarunt (1 Pet. 1. 10, 11.) & dies iſtos annunciarunt tempora refrigerii & reſtitutionis omnium; ſive adventum Chriſti anteceſſuros (Act. 3. 20, 21, 24.) ut ſcrutando ſcripturas ſcire poſſemus, quæ primi temporis ſeu diluculi paſſiones & gloriæ, quæ medii diei paſſio ſeu tribulatio magna à multis Pſeudochriſtis & ab uno Antichriſto ſine ulla externæ gloriæ parte, quæ horæ noviſſimæ (poſtquam tempus non erit amplius) præſenti ſeculo veniente Patre futuri ſeculi (Apoc. 10. 7. Iſai. 9. 6. Heb. 2. 5. 8.) ſine ulla paſſione gloriæ futuræ eſſent. Iſta trium temporum unius diei 12. horarum ſicut & triduanæ mortis Eccleſiæ, vel 40. horarum eventa, comparatis inter ſe Scripturarum locis luculentiſſimè expoſui: quæ ut minori negotio intelligi queant, omnemque altercandi occaſionem omnibus præcidat, quatuor libellos, iſtis indicibus ſeu titulis jam confectos habeo.

1. Fons ſapientiæ intento digito monſtratus, hoc eſt, Eclogæ ex S. Scriptura & Sanctis Patribus de S. Scripturæ ſtudio, ejuſque ſtudii neceſſitate, utilitate adjumentis & temporibus.

2. Clavis Scientiæ ad aperienda regni cœlorum myſteria propediem conſummanda, hoc eſt, ſpecimen Exegeſeos Propheticæ in Pſal. 45.

3. Annunciatio regni Chriſti ac populi Chriſtiani in orbem terræ futurum uſque ad noviſſimum annorum & expeditionem Gog & internecionem ejus.

4. Syſtema artis Prophetandi, continens ejus artis finem, officia, materiam ſubjectam & inſtrumenta, exemplo Galeni in Syſtemate artis Medicæ.

Vix autem ſperare audeo, fore ut quicquam iſtorum in Italia edendi venia mihi detur, non quod quicquam in eis vel decretis Romanæ Eccleſiæ de fide, vel bonis moribus adverſetur, ſed quod mores Curiæ Romanæ omnes Eccleſiæ leges jam olim in poteſtatem ſuam perduxerint, nec jam cuiquam fas ſit quicquam tale dicere aut ſcribere, quale ipſi Pontifices in D. Bernardo, Brigitta & Catharina Senenſi non modo verè rectèque dictum faſſi ſunt, ſed etiam pro ſaluberrimo fidelium dogmate religioſè obſervari voluerunt; quicquid autem hujus edi contigerit, ad te quamprimum curabitur perferendum, cujus ego me diſcipulum perhiberi minime erubeſcam, quæque à me proficiſcuntur, ea judicio tuo ſtare aut cadere facile patiar. Deus te, Vir Clariſſ. publico literarum bono diu vitalem ſervet ac proſperet.

Patav. ad diem 20. Febr. 1642.

## DLXXXVIII.

## DLXXXVIII.

*Viro Clariſſimo*

Stephano Stephanio,

Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Suos de Theologia Paganica libros in veteris amoris ſymbolum mittit, placituroſque confidit. Ipſum, ne diutiùs Saxonem ſuum orbi literato invideat, amicè hortatur.*

TAndem à tui amantiſſimo Voſſio, magni, ac veteris amoris, minutum novumque Symbolum accipe: Libros quatuor de Theologia Paganica, & Philoſophia Chriſtiana, placituros confido. Cur, inquies? Quia confido affectui tuo, quo & me aliquem eſſe putas. Et ſi eloquendum, quod ſentio, etiam confido exactiſſimo judicio tuo. Probe enim mihi conſcius ſum, permulta me attuliſſe, ad hoc opus, vel alia, vel aliter dicendo. De hoc nolim me ſubmittere judicio hominum exiguæ lectionis; quales diſtinguere neſciunt, inter dicta, in dictaque noſtra, & aliena. Ipſi interim ſibi placent, licet nihil adferant, niſi millies dictum, qua ſperant latere poſſe, quæ exſcripſerint. Malim igitur tui ſimilibus placere; quia jam ab eo tempore, quo Lugduni unà viximus, abundè memini, quam φιλομαθὴς, ἢ πολυμαθὴς, fores. Eoque avide deſidero noſſe, quid de Saxone tuo fiat. Hic ſcriptor, & genti tuæ multum gloriæ, & tibi æternum parabit decus. Tantùm ne moras ulterius necte, ne & patriæ, & propriæ gloriæ, malè conſulas. Ad me quod attinet, decrevi majora, quæ partim edidi, partim confecta, vel affecta habeo, diffindere libellis ſeptenis, vel pluribus fortaſſe; eo alacrior, ad ea grandioris molis rediturus: modò Deus mihi tribuerit vitam, & valetudinem ſecundam. Ex pluribus intelligo Clariſſimum Ravium, apud vos profiteri eloquentiæ ſtudia. Quo nomine gaudeo: nec committes, quin permultam, meo nomine, illi ſalutem dicas. A fratre ejus Conſtantinopoli reduce Londinum, literas accepi; unde intellexi quantoperè deinceps de literarum ſtudiis poſſit promereri. Ingentem enim MSS. theſaurum ſecum attulit. De Clariſſimo etiam Laurembergio ſcire aveo, quid moliatur. Nec enim tam nobile ingenium ceſſare exiſtimem. Illum etiam plurimâ impertire ſalute, ne grave duxeris. Vale ſumme Vir, & porro amemus nos inter nos.

Amſtelodami, clↄ Iↄ cxlii,
v Kal. Martias. Τάχιστα.

## DLXXXIX.

Ludovico de Dieu,

Theologo.

*Dionyſii filii Maimonidem, cum ſuis de Paganica Theologia, & Phyſiologia Chriſtiana libris, amicè offert.*

*Vir Reverende Clariſſimeque,*

EN tibi literas à Ravio, Conſtantinopoli Londinum reduce, has incluſerat literis ad me datis, uti & alteras ad Golium, quas ſeorſum mitto: nolui vero dimittere hanc tam commodam occaſionem ad te ſcribendi; & eadem mittendi Maimonidem Dionyſii mei τοῦ μακαρίτου. Accipias tanquam exiguas naufragii tabulas. Si longiorem Deus vitam ei conceſſiſſet, multa haberemus ex Talmudicis ab eo ſcriptis illuſtrata, nec pauciora pro religione Chriſtiana adverſus Judæos. Ad me quod attinet, poſt opus quadripartitum de Theologia Paganica, & Phyſiologia Chriſtiana, ante menſes pluſculos luci mandatum, magis magiſque cogito ſemper ætatem adfectam, vires infirmas, atque ut nihil æque mihi deficiat, quam otium: quo permulti adeo uberi affluunt. Quare totus ſum non tam in novis inchoandis, quam perficiendis & emendandis iis, quæ antehac ſubſecivis ſcripſi temporibus. Neque tam operam hanc ſuſcepi juvenum more, ut ſcilicet clarius nomen exſplendeſcat, quam ut me probem Deo: cui propediem fortaſſe ratio erit reddenda temporis mei. Te quoque neutiquam otioſos tranſigere dies, & muneris ratio clamat, & tot aurea ſcripta, & conſtans fama. Eo impenſius Deum rogo, ut diutiſſime te Eccleſiæ ac Reipublicæ literariæ ſalvum ac ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, clↄ Iↄ cxlii,
Idib. Martiis.

*Egregii tui nominis cultor ſummus,*

G. J. Vossius.

## DXC.

*Eruditiſſimas Dionyſii filii notas in Maimonidem de Idololatria acceptiſſimas ſibi fuiſſe gratus profitetur, & ut omnia ſic maximè placuiſſe, quod æternam Servatori divinitatem ſtrenuè aſſeruiſſet. Reip. quoque literariæ de Ravio ex Oriente reduce ac Perſica Turcicaque lingua peritiſſimo gratulatur.*

*Ampliſſime, Clariſſime Vir,*

OPportunè admodum advenit hodie ad me D. Ravius, cujus literas ad me miſiſti, ut & harum mearum ad te viciſſim lator eſſet. Maximas tibi habeo gratias, quod præclaro munere laborum præclariſſimi filii tui τοῦ μακαρίτου, juvenis longiori vita digni, beare me volueris. Nec diſſimulare poſſum, inter cæteras ejus præclaras doctiſſimaſque Annotationes, vel maxime oblectaſſe me, quod Servatoris noſtri æternam divinitatem fideliter tueatur, eumque Angelum illum fœderis fuiſſe aſſerat, qui nomine Jehovæ inſignitus cum Patribus egit. Vivat nomen ejus inter eruditos, dum Sol & Luna ſplendebunt. Te autem, Vir doctiſſime, qui jam orbem noſtrum tot luculentis operibus illuſtraſti, & plura non minoris eruditionis & utilitatis affecta habes, de valetudine conqueri doleo. Opto menti tuæ, vegetæ adhuc & doctrina onuſtæ, validum vegetumque corpus, quo quos parturis fœtus eniti fœliciter atque ex animi ſententia queas, unde Reipublicæ literariæ ſplendor novus naſcatur. Ravius noſter ex Oriente redit Perſicæ, ac præſertim Turcicæ linguæ peritiſſimus, quam promptiſſime hic cum ſuo, quem adduxit Arabe Chriſtiano loquentem non ſine admiratione audivi. Gratulor ipſi ac Reipublicæ literariæ quam exinde ſplendidiorem iri redditum ſpero. Soſpitet labores ejus Deus Optimus Maximus, qui ut & optima tua ſtudia ſecundet, atque valetudinem tuam firmet, etiam atque etiam rogo.

Datum Lugd. Bat.
25 Martii, 1642.

*Reverentiæ tuæ ſtudioſiſſimus,*

Ludovicus de Dieu.

## DXCI.

Joanni Thomæ Bangio,

Profeſſ. Hebraicæ linguæ Hafnienſi,

S. P.

*Munus ejus de Ægyptiorum Hieroglyphicis, eò gratius ſibi fuiſſe dicit, quo plura ejus argumenti parata habeat, quæ partem Theologiæ Paganicæ, de cultu Symbolico, ali-*

*aliquando conſtituant. Quæ deinceps editurus ſit, indicat. Dunſium acceptiſſimum ſibi eſſe affirmat.*

QUod literis tuis, Vir Præſtantiſſime, tam amice me compellas, humanitati tuæ magis adſcribo, quam virtuti meæ, aut in Remp. literariam meritis. Quamquam famam alicujus doctrinæ non abjicio: ſed ſufficit, ſi ut in eruditis duces non ſumus, ita fortaſſe non agmen claudamus. Doleo, quod juvare non poſſum illo de Cicerone relegato & revocato; adoleſcentem tamen vidiſſe me recordor. Non parum gaudeo munere tuo de Ægyptiorum Hieroglyphicis, multa & ejus argumenti parata habeo, quæ partem operis conſtituent de cultu Symbolico: hoc eſt, tertii voluminis de Theologia Paganica; cujus fortaſſe jam quatuor primos libros videris. Superſunt nunc illa de plantis, ac lapidibus, idem de affectionibus in deos relatis: et denique de ſtatuis ac ſimulachris aliiſque religioſi cultus ſymbolis. Nunc tamen aliis prælum deſudat, quia juvit labores iſtos diffindere nonnullis ad Religionem noſtram pertinentibus. Cujuſmodi ſunt de tribus Symbolis, Apoſtolico, Athanaſiano, Conſtantinopolitano: adhæc de annis, quibus Chriſtus natus, baptizatus, mortuus, & alia pluſcula id genus. Nempe ætatis memor ſarcinulas colligo, ut ſolent aliò migraturi. Dunſius mihi acceptiſſimus eſt, non ſolum ob commendationem tuam longe gratiſſimam, ſed ob ſuave ingenium & mirum proficiendi ardorem. Quare non patiar eum in me ullum officii genus deſiderare. Tam patet illi omnis bibliotheca mea, quam ſi arcto me ſanguine contingeret. Plane perſuaſum habeo virtute doctrináque aliquando patriæ & ſuis præſidio & ornamento fore. Si quos huic ſimiles, commendatione tua non indignos putabis, faciam profecto, ut intelligas, quantum tui cauſſa, & Danicæ juventutis, præſtare ſim paratus. Vale vir eximie, & magno animo bene de ſtudiis mereri perge.

Amſtelodami,
clↄ Iↄ c xliii,
xvi Kal. Apr.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

---

DXCII.

## Joanni Thomæ Bangio

S. Ling. Prof. in Academia Regia Hafnienſi,

S. P.

*Epiſtola familiaris.*

VIx hora abierat, quod per famulum Dunſio noſtro literas miſeram ad te perferendas: cum ecce me compellat ornatiſſimus Eraſmus Hammerus, ac quod me tum temporis fugiebat, eum ſe eſſe ait, qui literas Dunſio datas in Daniam ſit delaturus. Subjeci me, id ſi ſciſſem, aliquam etiam ejus facturum mentionem in epiſtola, quam ad te exaraſſem. Adhæc ille, gratiſſimum ſibi fore, ſi nunc quoque aliquid adjungerem. Non tamen putavi repoſcendas literas, cum opere æque facili liceret alteras contexere. Neque enim ſoleo operoſe ſcribere ad amicos, ſed prout quidque in buccam venit, ita illino chartis. Quæ ſæpe vix aliud præſtant, quam ut jubeant amicum gaudere, vel, ſi Græcum mavis, χαίρειν à quo uſu vetuſtiſſimo primitus τοῦ χαίρειν nomen datum fuit. Quod ad Hammerum attinet, intra hebdomadem triennium exſpirarit, quod mihi eum commendares, ac pariter Ludovicum Johannis Epiſcopi Othonienſis filium. Sed non videntur ſic res tuliſſe Hammeri, ut multum in urbe Amſtelodamenſi foret: ut qui Muſarum ſibi ſedem Leidam eſſe maluerit, & Galbas etiam luſtrandas putarit: Aliter animatus noſter Dunſius erat, qui jam pluſculis menſibus hic degit & in vicinia quidem, cui propterea noſtræ ſemper patent fores: omnino enim juvenem diligo, ac fore ſpondeo, ut cum reducem licebit amplecti, nihil non ſapienter ab eo factum intelligas. Nihil vel illi vel mihi jucundius, quam ut ubi domum fuerit revocatus, afferat ſecum notitiam rerum variarum minime protritarum, ſed quæ fugiant, ut modeſtiſſimè dicam, etiam eruditorum vulgus. Nec alius erga Hammerum animus fuiſſet. Amo itidem ingenium ejus & probitatem. Sed alia mens iis, quibus, credo, mos ei gerendus fuit. Interea quid refert, unde doctrinam haurias, dummodo pectus ea irrigaris? Quod quin ab Hammero pulchre actum ſit, nullus dubito. Neque alio hæc fine à me ſcribuntur, quam ut videas, me quidem omnia juvenis cauſſa voluiſſe. Simul etiam longior ſum, quia non injucundum eſt, tecum per literas confabulari. Quod porro etiam facere paratus ſum ſeu argumentum ſcribendi erit, ſeu ſecus. Amantibus enim vel de nihilo naſcitur Hiſtoria.

Amſtelodami,
clↄ Iↄ c xliii,
xvi Kal. Apr.

*Tuo nomini addictiſſimus,*

G. J. Vossius.

---

DXCIII.

*Duæ ventilantur quæſtiones: Una de tormentis futuri ſeculi, an ſatius ſit, miſeris omnino non eſſe, quam pœnas inferni ſuſtinere. Altera, de Animæ eſſentia, perfectione & virtute. Sitne tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte.*

QUam libenter & quam ſæpe (Vir Ampliſſime, Doctiſſime & plurimum dilecte) de te & vicino tuo Domino Barlæo cogito, ipſe mihi ſum conſcius, non conabor tibi literis exponere. Superioribus diebus cum vos honoris cauſa viſerem, quos vehementer obſervo, caſu accidit ut in tua menſa ſermo oriretur, de iis rebus de quibus vos tam Philoſophice quam Theologice ſolerter diſſerentes audiebam cum ſumma delectatione: te quidem de tormentis futuri ſeculi, an ſatius ſit miſeris omnino non eſſe, quam pœnas ſub quibus ſunt, ſuſtinere; illum autem de Animæ eſſentia, perfectione & virtute. Sitne tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; de quibus mihi ingenio vix mediocri instructo, otio certe nunquam abundanti, adverſa etiam per annos multos modo valetudine, modo fortuna vexato, liceat cum veſtra bona venia paucis quid ſentiam ſubſcribere: Ut ſic abſens tacitus vobiſcum loquar, & leniatur ſic deſiderium meum, quod facere me nolo credatis exſpectatione literarum aut reſponſionum veſtrarum, quæ etſi me incredibiliter delectarent; ego tamen vos mea cauſa à gravioribus ſtudiis ad nugas revocari nolo: Satis me habere putabo, ſi & meas tibi eſſe redditas, & tibi vicinoque tuo, ut cupimus eſſe intellexero, ſententiam veſtram pluribus (quando favente Deo rediero Amſtelod.) auditurus, eique acquieturus, qui non ignorem vobis ab omni cura expeditis, ingenioque florentibus, quotidianum eſſe cum libris uſum, & cum omni doctrina, utpote in iſta luce viventibus Batava, ſumma omnium virtutum ingeniorumque præſtantia, ſeminibuſque eloquentiæ & reconditioris intelligentiæ referta. Accedo ergo primum ad miſeros iſtos in quibus, quæ erudit nos natura, inveniri tormenta hæc ſunt.

Invidia, de qua Poëta ait, Siculos non inveniſſe Tyrannos tormentum majus. Dolorem, omnes ſciunt quam grave ſit malum, eum ſcilicet quem Triſtitiam dicimus. Deſiderium præterea Narciſſi fabula, & alia experimenta teſtantur quantum habeat mali. Metu denique multos eſſe mortuos non eſt rarum meminiſſe. Sed quis quæſo invidus unquam fuit, qui non ipſam invidiam ornaverit. Deſiderium celebrant Poëtæ, quaſi nullus alius ſit amantium fructus. Mœſtos tenebras, & omnia quæ malum augeant quærere quotidie experimur. Malum fugiunt meticuloſi, ſed ipſum timorem adamant. Hæc ſi vera ſunt, vide num hi

hi miſeri velint eſſe ſine his pœnis? Et ſi non velint his cedere, cur eos credat aliquis malle non eſſe, quam iſtas ſuſtinere? Omnis porrò Spirituum pœna voluntaria eſt, & non poteſt (quoniam à voluntate proficiſcitur) non voli: & ſi volitur ipſa miſeria, poteſtne credi eos malle non eſſe, quàm hanc pati? Conſtat enim multa proverbialiter dicta eſſe, ad exprimendam pœnæ gravitatem. Tormenta & cruciatus qui in futuro ſeculo animabus impiorum parati ſunt, tantos eſſe ut præſtet omnino non eſſe, in ipſa Theologia videtur indubitatum: ſic enim Chriſtus ſuo ore enunciavit, Melius fuiſſe proditori, ut natus non fuiſſet ille homo. Tormenta etiam futuri ſeculi agnoſcit Philoſophia ipſa; neque ſi his quæ præſens vita patitur compares, ludicra noſtra hæc præ iis, flores, roſas & delicias, ipſa Philoſophia jurare dubitaverit. Novit enim animæ, poſt hanc vitam, potentiam, cum ea quam in materia habet, non pati proportionem. Novit affectus quos hic colligit, illic ad proportionem ſtatus & exiſtentiæ excreturos. Novit itaque in immenſum & bona & mala non per Hyperbolen ſed ipſa re augenda. Verum cum hæc omnia doceat nos Philoſophia, huc uſque tamen attingit, ut melius illis non fuiſſe cenſeat. Quod ſi hoc certum ſit in Theologia, ex iis quæ naturam ſuperant contigiſſe putandum videtur. Cum hoc judicium (quod melius fuerit illis non eſſe) vel ex natura rei vel ex opinione perſonarum, ſit penſitandum. Perſonas duas video examinandas, ipſum illum qui pœnis irretitus manet, & prudentem aliquem qui rem humanitus exiſtimet. Priorem pœnas ſuas fovere iiſque delectari oſtendimus. Prudentis judicium non tam certum eſſe, ſed falli poſſe videtur. Si naturam conſulamus; quid quæſo facit aliquid alio melius in natura? Seu in qua ratione melioratio eſt conſideranda? Melioratio haud dubio eſt in ratione Entis & illud melius eſt in ratione Entis, quod plus de Ente habet. Et poteſt quæſo quis dubitare, num id quod eſt, & quantum homo eſt, & plus quam homo eſt, & ita plus quam homo eſt, ut comparatio inter ipſum & hominem nulla maneat, plus habeat de Ente, quam nihil, quam quod non exiſtit. Præterea quid reſpondebimus eis qui docent, omnes actus noſtros ab ipſa æternitate, catenatis à cauſarum neceſſitate paſſibus, uſque ad ipſum liberi arbitrii exercitium alligatos & perductos? Videbiturne Deus tot hominum myriadum myriadas, æternis horrendis & ineffabilibus pœnis ante omne ævum addixiſſe gratis, viam muniviſſe, greſſus coegiſſe, fatalem pœnam perſtruxiſſe? Quæ ſi ita ſint, quorſum poſthæc cum gemitu fundemus preces? Quorſum per aſpera exercitia carnem domabimus? Quorſum ſolicitudinem & extentum ad futura animum, vel ipſi colimus, vel aliis ad colendum commendabimus? Sed excrevit calamus. Hæc ſunt illa varia in utramvis partem quæ colloquii & exercitationis gratia exciderunt, donec te videro, ut de tuo promptuario ſumantur, &c. Quod ad iſta attinet quæ à Domino Barlæo accepi de anima, ego cum Aug. lib. 6. de Trin. 6. exiſtimo totam animam in toto eſſe corpore, & totam eſſe in qualibet ejus parte. Sed niſi me in hoc deſtituat memoria mea, memini didiciſſe me ſecundum triplicem diviſionem eſſe triplicem totalitatem. Eſt totum quod dividitur in partes quantitativas, totum aliud quod dividitur in partes rationis & eſſentiæ. Eſt & tertium potentiale totum, quod dividitur in partes virtutis. Prima hæc totalitas quantitativa non convenit animæ nec per ſe nec per accidens. Secunda totalitas convenit, & ſic anima tota ſecundum totalitatem perfectionis & eſſentiæ eſt in toto corpore & qualibet corporis parte. Sicut albedo recte dicitur eſſe in tota ſuperficie & tota in qualibet ejus parte, ſi totalitatem ſpeciei & eſſentiæ intelligimus. Sed ſi de totalitate quantitativa mentio fiat, quam albedo per accidens habet, non erit tota albedo in qualibet ſuperficiei parte: neque ſi totalitatem virtutis notemus; cum magis poſſit movere viſum albedo, quæ eſt in tota ſuperficie quam quæ eſt in aliqua ejus particula. Sicut anima non eſt tota ſecundum totalitatem virtutis in qualibet corporis parte, ſed ſecundum viſum in oculo, ſecundum auditum in aure, &c. Et licet ſit tota in qualibet parte, non tamen eodem modo compartitur ad partes, & ad totum: cùm ad totum primò & per ſe reſpiciat tanquam ad proprium & proportionatum perfectibile: ad partes autem per poſterius, ſecundum quod partes habent ordinem ad totum. Porrò anima cum unitur corpori, non ut motor tantum, ſed ut forma non mediante aliquo corpore, neceſſe eſt ſit in toto & in qualibet parte, cum ſit forma ſubſtantialis quæ eſt perfectio totius, ſicut & cujuſlibet partis, non vero accidentalis, ut forma domus poſita in compoſitione & ordine, quæ etſi toti domui non tamen dat eſſe ſingulis partibus. Quomodo autem potentiæ animæ diſtinguantur, quem habeant ad invicem ordinem: Utrum una potentia ex alia oriatur; ſed & utrum omnes potentiæ animæ remaneant in ea poſt mortem; & denique ſit ne alia forma præter intellectivum in homine animum; hæc & alia ejuſmodi Domino Barlæo viro eruditiſſimo cum his quæ raptim de Anima ſcripſi relinquo. De rebus meis nihil ſcribo; ſed me tibi Dominoque Barlæo totum, ſalutemque meam quam ſerio poſſum commendans. Negotii adminiſtrandi rationem ſingulari veſtræ ſapientiæ permitto in Domino. Literas incluſas Domino Johanni Nebſtero reddendas, cures, vehementer oro, cui me multum debere & plurimum devinctum eſſe profiteor, ejuſque officium tam benignum ab excelſo quodam animo liberalique profectum libenter amplector. Etſi interim, ulli privato etiam nobiliſſimo eſſe oneri nunquam cogitavi; quod ſi compenſare meis officiis non potero, memoria tuebor, & proſequar laudibus, quamdiu vita fruor, apud omnes, ipſumque Sereniſſimum Regem Reginamque: ut ex optima ſaltem voluntate qua boni omnes & ſapientes Viri meriti beneficia conſueverunt, aliquam ſibi relatam eſſe gratiam exiſtimet. Δώη ἔλεος ὁ κύριος τῷ οἴκῳ αὐτοῦ τοῦ Νεβστήρου, ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε ἢ πολλὸν, ἢ καὶ γυναικὸς στερείαν μου οὐκ ἐπῃσχύνθη· ἀλλὰ γενόμενος ἐν Ἀμστελοδάμῳ ἐζήτησέ με καὶ εὗρε· δώη αὐτῷ ὁ κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· Vale Vir ornatiſſime, & me tuæ humanitatis ſummæ ſemper memorem, ſicut & dignitatis tuæ ſtudioſum valde amplectere; Dominiſque Barlæo & Nebſtero meis verbis ſalutem plurimam, quæſo, accerſes, &c. Iterum vale à tui amantiſſimo.

Hag. 19. M. 1644.

ARCHIB. CASSELIUS.

## DXCIV.

*Illuſtriſſimo*

## Joanni Skytte, Seniori,

Libero Baroni in Duderoff & Gronſio, Senat. Reg. Suec. Cancellario Academiæ Upſalienſis, &c.

*Filium ejus Benedictum, adverſa valetudinis ergo, Gallias petentem, ſalutaribus monitis ſe dimiſiſſe ait. Filium ſuum Iſaacum in iiſdem ac Italicis terris peregrinantem multa ex inclytis toto orbe Bibliothecis inedita exſcribere lætus nunciat. Dolet, non paulò plenius de primogeniti ejus exceſſu hunc ſuo conſtitiſſe; accuratius enim quadam dicturum fuiſſe. Intereà ſibi ſuiſque perſeverare voluntatem fatetur, quacunque ratione teſtandi poſteris, quanti faciant Illuſtriſſimam Skyttiorum domum.*

JUcundum mihi fuit, Illuſtriſſime Domine, videre filium tuum Benedictum, quem ob eximias animi dotes plurimi ſemper feci. Majorem tamen ex ejus conſpectu cepiſſem voluptatem, niſi narraſſet de valetudine adverſa: Cujus ergo terras alias peteret, Gallicas imprimis, cœli ſolique lætioris & medicis experientibus felices. Dabam operam, ut mederer ſalutaribus ac fortibus monitis. Fortaſſe fallor. Nec enim morbi cauſſam, vel naturam mihi aperuit.

ruit. Attamen vereri occœpi, ne quid ſit, quod generoſiorem ejus animum coqueret. Novi enim ab aliquot annis, pleraque altius ad animum revocare, quam ex magni Catonis præſcripto oporteret. Vellem etiam magis imbibiſſet ſortem rerum humanarum, nulli undique & uſquequaque arridentem. Quod ne quidem expediret nobis, diſcipulis Chriſti, cum Magiſtro ituris per anguſta ad auguſta. Atque & hæc & alia, memini me miſcere ſermoni, qui nec illi erat ingratus. Locutus cum eo filius meus Iſaacus in Galliis eumque ſui itineris comitem optabat. Sed meus Italiam cogitabat ad viſendas Bibliothecas toto orbe inclytas. Multa ex iis exſcribit hactenus inedita, quæ redux, Deo juvante, juris faciet publici. Ptolemæum quoque dabit multis partibus ab ingenio & antiquis codicibus emendatiorem. Geographica Scylacis Cariandenſis cum Notis ſuis jam ante biennium in lucem emiſit. Proximè vero divulgavit opus poſthumum fratris ſui defuncti Dionyſii. Eſt id Moſis Maimonidis Rabbinorum doctiſſimi: cujus de Idololatria Diſſertationem Latine reddidit & uberi Commentario illuſtravit. Iſaacus vero, cum pluſcula in hoc opuſculum præfari vellet, recte ſe facturum putavit, ſi aliquid miſceret de Illuſtriſſimæ domus veſtræ affectu erga fratrem nunquam ſatis laudatum. Vellem Iſaaco meo paulo plenius conſtitiſſet de primogeniti, quondam, tui fortiſſimi juvenis exceſſu. Accuratius quædam dixiſſet. Sed ea fortaſſe ex Illuſtriſſimi Jacobi Skyttii literis aliquando dabit cognoſcere. Mihi meiſque perſeverat voluntas, quacunque ratione licebit, teſtandi poſteris, quanti faciamus Excellentiſſimam domum veſtram, tum aliter, tum de ſtudiis præclare meritam & porro mereri percupidam. Egregiæ animæ Illuſtriſſimi filii tui Jacobi Skytte, ſuaviſſima mihi ſæpe memoria occurrit, nec mihi duntaxat ſed & conjugi & liberis. Quæſo ne grave duxeris ſalute eum impertiri nomine omnium noſtri. Proxima occaſione ad eum ſcribere decrevi, lubentius etiam facturus, ſi ipſe me prævertrit. Nunc ad te, Illuſtriſſime Domine, ſcribendi occaſionem nolui negligere, eunte ad vos Nobili Sueco Jo. Kreutſio, qui Galliis Italiâque luſtratis, anteaque annis totis apud nos literarum ſtudiis impenſis, reditum in patriam parat.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xlii,
iv Kal. April.
St. Novo.

*Illuſtriſſimo nomini tuo,*
*totique inclytæ familiæ devotiſſimus,*

G. J. Voſſius.

---

## DXCV.

# Joanni Cloppenburgio,

Theologo,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Zevecotii obitum luget, quicum interiorem coluerit amicitiam; laudat ejus genium atque ingenium ſuave, eruditionemque præclaram, verſus à Barlæo in honorem ejus ſcriptos mittit, ac pro Diſſertatione de Baptiſmo pro mortuis gratias agit.*

NOn mediocrem mihi dolorem attulit, Clariſſ. Cloppenburgi, nuncius de exceſſu communis amici, doctiſſimi Collegæ tui Zevecotii. Quem virum, ut ante annos viginti circiter, primulum vidi, amare genium ingeniumque illud continuo cœpi. Neſcio quæ Suada, ut de Pericle olim dictum, in labris ejus ſedebat, ſic ut facile cæteros literatos imprimis pelliceret in amorem ſui; nec mediocriter capiebar ejus verſibus facili vena profluentibus. Quanta vero cum laude hiſtorias fuerit profeſſus, nulli melius dicent, quam qui docentem audierunt: neque id nos ignorare ea, abſentes licet, permittunt, quæ ad Tranquilli Julium obſervavit, & obſervata Politica inſcripſit. Recte ſentis interiorem mihi cum eo amicitiam fuiſſe, neque unquam in Amſtelodami hac urbe ponebat pedem, quin domum peteret recta & de ſtudiis confabularemur, aliquando etiam querelas ſuas de nonnullis in ſinum deponeret noſtrum. Quod ſi ſerenior mens foret (nunc ea nubila ob valetudinem aliquandiu adverſam) pangerem aliquid in gratiam amici; ſed cum non magis id corporis imbecillitas, quam occupationes ſinerent, cum clariſſimo Collega meo Barlæo, Philoſopho pariter, Poëtaque eximio, ſuper iſto egi; qui cum decima nocturna de eo à me compellatus foret, poſtero mane verſus eos miſit, quos nunc vides. Nempe unus ille optimæ viduæ & eleganti adoleſcenti pro nobis erit duobus: præſertim quando nec valetudo ſivit, ut facerem, quod vellem, & noſter ille, ut noſti, in Poëſi plane dominatur. Eoque nihil attineret pannum noſtrum cum illius purpura componi. Atque iſta de me ſcio facile ornatiſſimæ viduæ ſatisfacient: dummodo tu ſis facundus mentis noſtræ interpres. Sanè quacunque in re vel illi vel filio poſſit utilis eſſe opera mea, nuſpiam ſentiet eam claudicare. Pro Diſſertatione de Baptiſmo pro mortuis, gratias ago. Πολυθρύλητος eſt quæſtio, multumque deinceps etiam, ut metuo, agitanda. Noſtram nunquam habui ut Κυρίαν δόξαν. Sed in alienis etiam eſt, quod deſiderem. Tuam expendere animus eſt; neque enim judicium præcipitare ſoleo. Quod ſi deinceps etiam alia ejus generis de penu tuo promere voles, & ut nunc feciſti, ad dapes tuas invitaris, facile me ſcholico illi convivio addicam, imo, pene dicam, acceſſero invocatus. Ampliſſimo Brinkio & (ne ſingulos nominare ſit opus) univerſis illuſtris Gymnaſii veſtri vel Curatoribus, vel Profeſſoribus, ſi occaſio ſe offeret, ſalutem meo nomine dicito, imo & clariſſimi Collegæ. Utcunque enim non aderat iſta ſcribenti, tamen id velle non dubito.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xlii,
iv Kal. Aprilis.

---

## DXCVI.

S. P.

*Animadverſiones in Grotii Annotata ad Caſſandrum ipſius cenſuræ ſubmittit: præterea ſignificat, Mareſii Vindicias ſub prælo eſſe, proximeque Salmaſii de linguâ Helleniſticâ opus lucem aſpecturum.*

*Celeberrime & Clariſſime Vir, Collega & Amice obſervande,*

POſt repetitas gratias pro munere doctiſſimarum lucubrationum tuarum, quas mihi nomine tuo dedit Ampliſſimus Dubletius: Reddo nunc χάλκεα ἀντὶ χρυσείων Animadverſiones meas in Viri magni Annotata ad Conſultationem G. Caſſandri. Quid me moverit ut onus illud ſuſciperem in præfatione videbis, nec ſpero improbabis agendi modum, nec modeſtiam deſiderabis, quam obſervare conatus ſum, cum mihi res ſit cum adverſario cujus dignitatem colo, & eruditionem admiror. Sed cum veritas magis nobis eſſe cordi debeat, quam deſerere non poſſumus oppugnatam ab iis qui ejus aſſertores eſſe debuerant, eam, prout debui, & ſemper obſervaturus ſum, præferam omnibus quæ alias laudanda agnoſco in præſtantiſſimis alioquin ingeniis. Nec te judicem & cenſorem rejiciam, ſed potius appellabo, ſi tibi vacet oculos in hanc lucubratiunculam conjicere. Mareſius ſuas ad appendicem vindicias, commiſit Typographo, & qui male exceptus fuit, vix abſtinebit à retaliatione. Audio Eminentiſſimum Cardinalem, præſente Cardinale Mazarino, graviter increpaſſe Milleterium & Veronum pro hæreticis ſcriptis & concionibus. Videbimus, ſi Deus vitam prorogaverit, quo tan-

tandem iſtiuſmodi conatus perducetur. Opto tibi & tuis omnibus omnia fauſta & proſpera.

Hagæ-Comitis, 7 April. 1642.

*Tuus omni officio & affectu,*

ANDREAS RIVETUS.

Filius tuus vidit Salmaſium Divioni, eique dedit unum exemplar Annotatorum, quorum habebat quatuor in Italiam deferenda, Salmaſius promittit ſe poſt Paſcha venturum Lutetiam & omnia diſpoſiturum ut redeat ad nos. Abſolvit opus ſuum ſatis ſpiſſum de lingua Helleniſtica, quod brevi ad Typographum miſſurus eſt.

## DXCVII.

## Andreæ Riveto

### S. P. D.

*Libellum de tribus Symbolis exhibet, ac quibus impulſus rationibus, præter opinionem, ſeorſum ediderit ſignificat, judicium ipſius expoſcit. Decreviſſe in lucem dare, quæ de hiſtoria Paſſionis & Reſurrectionis Dominicæ ſcripſiſſet. Pro nupero ingenii ejus doctrinæque dono gratias agit.*

NOn decreveram, Clariſſime Rivete, quem mitto de tribus Symbolis, libellum, ſeorſum in lucem dare; ſed Sereniſſima Regina Britannica cum prole Regia, & Celſiſſimo Principe Arauſionenſi Friderico, cum filio Principe Guilielmo, in urbem hanc advenientibus, putavi & me debere tam læta die officium teſtari non modo erga Celſiſſimos Principes, ſed etiam erga Regiam Magnæ Britanniæ Majeſtatem. Quorum utrumque me conſequi poſſe exiſtimavi, ſi opuſculum hoc Regio genero dicarem. Utinam vero tibi etiam probetur hic labor noſter. Quod ſi erit, magis quam nunc probabitur auctori; ſin aliquid improbabis, quæſo facias certiorem, neque in iſtac ſolum opella ſed etiam cæteris, ſive ea lucem viderint ſive deinceps. In tam denſis occupationibus & illa πολυγραφίᾳ, nihil mirandum ſit, ſi quid excidat. Eo ſoleo ſtudioſe exquirere ſummorum virorum judicia, ut, vel addita editus pagella aliqua, moneam lectorem, vel in editione ſecunda corrigam. Decrevi edere quæ ſcripſi de hiſtoria Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis. In quibus præcipue opera deſudat noſtra in conciliandis ſcripturis, & ex literario penu conciliandis nonnullis. Utinam propius, ut Leidæ quondam, habitaremus; ſed votis iſtoc non fiet. Quare ſic quoque operam dabo, ut pro modulo nec de ſacris, nec externis literis male dicar meritus: ſcribam, quæ ſcio; quæ neſcio, ſi hic minus potero, in ſchola diſcam cœleſti. Pro nupero ingenii tui, doctrinæque dono, gratias ago ſummas. Et ſi porro, ut confido, imperties nobis labores tuos, propediem iterum grates agam. Deum rogo, ut nos omnes regat ſpiritu veritatis ac pacis, quo, quatenus humana ſinit infirmitas, unum ſapiamus omnes.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ cxlii, poſtr. Pentecoſtes.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## DXCVIII.

*Pro filii Maimonide & pro Parentis de Idololatria Gentili & Phyſiologia Chriſtiana eruditiſſimis ſcriptis gratias agit. A ſe H. Grotii de Veritate Religionis Chriſtianæ libros, ut & Catecheſin breviorem ac Anglicanæ Eccleſiæ articulos, in Arabicam linguam converſos promittit, plurimum è re Chriſtianorum fore exiſtimans, ſi hujuſmodi libri Orientalibus proponantur.*

*Præſtantiſſime & Clariſſime Vir,*

CUmulatè me beaſſes vel ſolis literis tuis, ex quibus & valere te & noſtri memorem adhuc eſſe percepi. Non enim celare debeo quanta & in felicitatis & in gloriæ parte ponam à tali Viro amari. Jam verò adjunctum munus, quibus verbis prædicabo? Iſtum primo Maimonidis tractatum, Latine redditum, notiſque eruditiſſimis illuſtratum à tanto tanti Patris filio, Dionyſio Voſſio. Quam ſtupendi ingenii & induſtriæ Juvene? qui antequam eo ætatis pervenerat, quo qui bonas literas vel primoribus labiis delibaverint, ſatis properaſſe videantur, totam abſolverat ἐγκυκλοπαιδείαν, nec quicquam quod hominibus ſcire datum, intactum reliquerat. Quam illi ex voto ceſſiſſe videatur, qui tam ſciendi avidus fuit, quod nobis minime, ut præmature è terris, in quibus dum peregrinamur, qui plurimum norunt, ex parte tantum ſciunt, in cœleſtem patriam transferretur, ubi & ſcientia & beatitudine ἰσάγγελος fieret. Huic annexum mirandum illud opus tuum de falſa Nationum Religione, humanæque mentis ex natura aſcenſu ad Deum, quo & filii μακαρίτου & tuæ ſimul gloriæ magis quam Mauſoleo vel ſuperba Pyramidis mole extructa conſuluiſti, & quam pene ſupra humanæ naturæ terminos ipſe ſcientiæ gloria aſcenderis, oſtendiſti: Opus (ut illa C. Plinii de Avunculi ſui Hiſt. Nat. cui merito debeantur adſcribam) diffuſum, eruditum, nec minus varium, quàm ipſa natura; quo cum omnes ſtudioſos tibi mirum in modum devinctos reddideris, tum me, ſingulari præ cæteris beneficio devinctiſſimum, cui per tot annos à literis & libris politioribus exulanti, in hoc uno Bibliothecam inſtructiſſimam aperuiſti, ut nulla ſit alia voluminum conquirendi neceſſitas. Quin & ne vel hic Theſaurus ullo, qui nullo contra carus fuiſſet, mihi pretio redimendus eſſet, munere tuo caviſti. Dum igitur donum & donantis ſimul affectum perpendo, quas tibi gratias debeam ſcio, quas referam neſcio. Tibi vero, utriuſque beneficii Αὐτῶν ἐκ μακάρων ἀντάξιος εἴη ἀμοιβή. Quod ad ſtudia noſtra, magis turbata ſunt, quam ut aliquam eorum rationem tibi reddam. Neſcio an plantis Arabicis faveat Cœli noſtri temperies. Quod ſi Deus otium & vitam conceſſerit; dabo forſan operam, ut lucem videant, vel Editio in ſaltem parentur, libri ſex Ampliſſimi Viri Hugonis Grotii de Veritate Religionis Chriſtianæ in Linguam Arabicam verſi: uti & Catechiſmus brevior, & Articuli Eccleſiæ noſtræ. Certe quam maxime è re Chriſtianorum in partibus Orientalibus, craſſiſſimis ignorantiæ tenebris miſerè demerſorum, eſſet, ut hujuſmodi libri illis communicarentur, unde qui credere ſe profitentur, haurire & ipſi poſſent, & alios docere. Aliis, è contra, ſi qua operæ pretium viderentur, è Lingua Arabica & Latinum ſermonem transferendis manum admovere non pigebit, ſi à te diſcere liceat, quo præcipue modo, ſtudiis noſtris vel Arabicis vel Rabbinicis Reſpublica literaria, vel tantillum, juvari poterit. Vale, ſumme Vir, & favere perge.

Oxon. è C. C. C. VI. Id. Aprilis. 1642.

*Sincere atque ex animo te colenti,*

EDWARDO POCOCKE.

## DXCIX.

Χαίρειν ϰ̀ εὖ πράττειν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

*Ipſius & literati orbis judicio μελέτημα ſuum Chronologicum ſiſtit. Examinat Chronologiam exitus Iſraëlitici. Prodromum ſuum Chronol. mendis ſcatere dolet. Tria Paſchata enumerat, & Feſtum ἀνώνυμον Joh. V. non fuiſſe Paſcha, aliquot argumentis evincit.*

Clariſſ.

*Clariſſ. & Præſtantiſſ. Vir, Dom. mi & Amice honoratiſſime,*

QUia conſtat *ἀνεῳγμένας εἶναι τὰς τῶν χαρίτων θύρας*; non dubitavi Præſt. Tuam per ingenii monumenta ſatis cognitam; hiſce literis audaćtius affari. Mitto quoddam *μελέτημα* meum *χρονολογικὸν* nuper editum, idque cenſuræ tuæ, quoad fieri poteſt; ſubjicio; quæ quo acrior fuerit, ac rationibus pollentior, hoc futura mihi eſt gratior, & ad ſcopum veritatis tuendum, vel contingendum obtinendumque conducibilior. Non equidem inficior, hoc mihi ſtudium à multis jam annis ita cordi fuiſſe, ut nec ingenii (ſi quid in me eſt) laureolam quæſierim, nec commodis meis ſervierim. Unica meta fuit Chriſti Salvatoris noſtri gloria & Eccleſiæ decus. Quicquid aſſecutus ſum, divinæ id acceptum fero gratiæ; Aſſecutus autem mihi; ſi quid videre poſſum, videor tantum, ut omnium qui alicujus ſunt nominis in hoc genere ſcriptorum, quos legi; calculos ad normam judicii revocare, erroreſque ſingulorum deprehendere poſſim. Veruntamen ne meo fortè judicio falſus temere in publicum prodirem, ac mea proferrem immaturius; in animum induxi aliorum hominum doćtiorum explorare judicia, atque audire ſententias. Contradicentes nonnullos hactenus habui; ſed auctoritatibus ac opinionibus magis pugnantes, quam certis rationibus. Quumque animadverterem, magnos quoſdam hodie ſcriptores, velut defatigatos in novis ſubinde cudendis mundi Epochis, periodum iſtam pridem à Joſ. Scaligero excogitatam amplecti, quippe quæ Cyclos ubique promptos, & in his quoque (ſi Muſis placet) Indićtionum Romanarum in annis mundi methodum repræſentet; pertæſus ego jampridem vani hujus Pægnii, cœpi tandem de canonibus judicii Chronologici, & legibus generalis ac veræ mundi Æræ ſerio cogitare. Has igitur ſimpliciter breviterque conſignatas benevolo Lećtori publicè offero, ut, quid in iis jure deſideretur amplius, cognoſcam, & deinceps vel adjungam vel corrigam; aut, ſi me id pia fata vetabunt, aliis me doćtioribus ac tanto negotio perfungendo dignioribus expoliendà relinquam. Libet ex iis unam conſiderare. Nimirum veram hanc eſſe regulam, nemo negaverit: Ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis fundamentaliter exſtrui oportere ſacrum hunc Orbis creati computum; ſed iis rećtè ad rem accommodatis: *e. g.* Quæritur ad quem mundi annum referenda ſit Exodus, ſeu quoto M. anno filii Iſraël ex Ægypto duce Moſe migrarint? Non te fugit, quanta hic Chronologiſtarum ſit diſcrepantia. Judæi quidem in ſuis parvis Chronicis exprimunt annum mundi 2448. quamvis æræ ſuæ univerſali (qua numerant uſque ad æram Chriſtianorum annos integros ſaltem 3760.) minime cohærentem. Sed noſtrorum Chronologorum hactenus nemo fuit, quin plures numeraverit annos; donec tandem ante annos 17. (Anno & 25.) prodiit Philip. Lansberg. Gæſanus, qui in ſua ſacra Chronologia annos 2448. numerat, quod & Judæos ait agnoſcere. Tametſi idem Gæſanus à juſtis illius anni M. Cyclis procul aberrat, propter reliquarum ſuæ Chronologiæ partium inconvenientiam. Exinde quæritur, quamdiu in Ægypto commorati ſunt filii Iſraël? Reſpondet Moſes in Ex. 12. v. 40. annos 430. habitaſſe eos in Ægypto. Hoſce jam annos ſi quis à deſcenſu Patr. Jacobi in Ægyptum velit denumerare, actum egerit cum Gilb. Genebrardo Theologo Pariſienſi, cumque Reimaro Urſo Ditmarſo Mathem. Cæſareo. Neque enim ultra 210. annos ab illo deſcenſu ad hunc ſolennem exceſſum elapſi fuerunt, ut verus calculus arguit. Quum itaque reliqui 220. anni altius ordiendi ſint, quæro unde? Plerique omnes hodie eos petunt à 75. anno ætatis Abrahæ è Charris diſcedente. Qui ſic? quia ibi primum (inquiunt) accepit promiſſionem ſeminis. Itan' ergo nulla promiſſio facta ei ex Ure patria evocato? Nulla (ajunt) niſi terræ quondam hæreditario jure poſſidendæ. Eho nonne hæc eſt promiſſio? Quare ergo terræ hæreditatem pollicebatur, annon ille ſimul promittebat ſemen? Et qui ſemen, nonne & Chriſtum ſemen illud Benedićtionis complećtebatur. Hæc nempe ſtatim illa *προκυρωμένης τῆς διαθήκης εἰς Χριστόν*, de qua Paulus Gal. 3. v. 16. quæ annis 430. ante legem datam facta eſt, ipſo tempore Abrahæ vocati, non ex Harante, ſed ex Ure Chald. Gen. 15. v. 7. atque aſſumpti è regione trans flumen, Joſuæ 24. v. 3. priuſquam habitaret in Haran ſive Charris. Sic enim Vocationem hanc (unam, non geminam) cum verbo promiſſionis (quæ velut anima eſt Vocationis) conjunctam deſcribit B. Lucas in Actis 7. v. 2, 3, 4. Et Apoſtolus ad Hebræos c. 11. v. 8. Per fidem vocatus Abr. auſcultavit Deo, abeundo in locum, quem accepturus erat in hæreditatem, & exivit neſciens quo. Jam ſi per fidem vocatus exiit, utique habuit promiſſionem, tamquam materiam fidei circa quam ſive objectum. In omnibus hiſce teſtimoniis, Vocatio illa & egreſſio atque obedientia Abrahæ aſtringitur ad primam ex Ure migrationem; nuſquam verò ad diſceſſum ex Haran. Sequitur ergo illos 430. annos *τῆς παροικήσεως τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν* (ut eſt in Græcis Bibliis) à prima illa vocatione Abra. ex Ure & primum ſuſceptâ inde peregrinatione ordiendos eſſe; minimè verò quinquennio poſt, à profećtione ex Haran. Aliàs forent tum annis 425. Sic in Lib. Judicum anni Servitutis accommodandi & includendi ſunt legitimorum Judicum annis. Item in Hiſtoriis Regum Judæ & Iſraëlis magna requiritur diligentia & *ἀκρίβεια* in collatione annorum Succeſſionis rećtè inſtituenda, ne inter regna & alia inconvenientia admittantur: qua in re plerique omnes hallucinantur. Sic in multis aliis, de quibus ſuo loco.

Ante ocтennium edidi Prodromum quendam Chronologicum de veritate & certitudine Æræ Chriſtianæ, necnon de numero Paſchatum Miniſterii Chriſtiani. Illum verò ego nollem editum propter plurimas mendas in eo reſiduas, quas non ſine magna moleſtia tollere ac mea manu corrigere me oportuit in iis exemplariis, quæ amicis hinc inde communicavi. Vix unum mihi reſtat, idque variè interpolatum, ſi quæ ſe occaſio det ejus denuo edendi.

Paſchata Miniſterii Chriſti numero ſaltem tria, quorum uni tantum primo Chriſtus ſolenniter celebrando interfuit, anno Æ. C. 32. ætatis 31. 30. videlicet completo, excurrentibus diebus 110. Cyclis Lunæ 14. Solis 13. Biſſextili Juliano 19. Exodico 355. Mundano 967. die 13. Apr. f. 1. A ſecundo, quod à Judæis peractum eſt 4. Apr. f. 7. Luna 16. (quum ex Lege debuiſſet pridie, feria 6. celebrari) abfuit, ut patet ex Collatione Textûs Joh. 6. & 7. cap. v. 1, 8, 30. anno Æ. C. 33. ætatis 32. annis elapſis 31. & diebus inſuper 100.

Tertium denique fatale Paſcha, ſecundum Legem, celebrandum erat die 26. Mart. (quæ fuit Lun. 15. à primâ *φάσει*) f. 6. & prid. f. 5. mactandus & comedendus fuerat Agnus Paſch. quod & à Chriſto diſcipuliſque ejus factum. Verum obſtitit traditio veterum, ne ſcilicet Paſchatos celebratio Sabbato ordinario anteferretur, ac favit hac in parte inſtituto Seniorum, Pontificum & Scribarum, ut nempe Dominum Jeſum abolerent ac tollerent ante Feſtum, Matt. 26. v. 5. Anno Æ. C. 34. ætat. C. 33.

Feſtum autem illud *ἀνώνυμον*, Joh. 5. quod attinet, pro Paſchate non habendum eſſe planè ſentio. 1. Quia *ἑορτὴ* quoties Paſcha ſignificat, habet præfixum ſibi articulum *ἡ*, qui hìc deſideratur. Sic diſtinguitur etiam in Bibliis Græcis, Exod. 23. v. 15. & 16. Item Ex. 34. verſ. 18. *τὴν ἑορτὴν ἀζύμων φυλάξῃ*, Feſtum illud Azymorum obſerves. At verſ. 22. ſic *καὶ ἑορτὴν ἑβδομάδων ποιήσεις μοι ἀρχὴν θερισμοῦ πυρῶν*. Et Feſtum ſeptimanarum feriaberis mihi initium meſſis triticeæ. Etſi enim cum articulo & uſurpatur de Feſto Tabernaculorum, *Joh.* 7. manet tamen hæc obſervatio, ut ſine art. non uſurpetur de Feſt. Paſch.

2. Quia Euangel. Johannes, qui ultimum ſcripſit, hoc ſibi propoſitum habuit, teſte Irenæo, ut conderet quot Paſchata Miniſterio Chriſti tribuenda ſint. Jam verò non niſi tria tandem commemorat: I. Joh. 2. verſ. 13, &c. Ejuſdem præteriti mentio fit Joh. 4. verſ. 45. II. Inſtantis mentio fit, Joh. 6. verſ. 4. præſentis aut præteriti nuſquam, niſi implicitè, fit mentio, vel potius veſtigium extat, Joh.

Joh. 7. verſ. 12. Non enim ad hoc Paſcha II. venit Chriſtus, neque Hieroſolymam aſcendit ante Feſtum Judæorum Scenopegiæ. Interea loci continet ſe in Galilæa, nec vult in Judæa verſari: quod in ipſo culpant & fratres & cognati ejus, Joh. 7. verſ. 3, 4, 5. Requirunt Judæi, v. 11, 12. Occidere eum cogitarant, verſ. 25. III. Indicatur Joh. 11. verſ. 55. & deinceps ſequentibus cap. deſcribitur, nec minùs è reliquis Euangeliſtis.

3. Quia ſic ordine ſequuntur Feſta apud Euangeliſtam commemorata; Primum ἡ ἑορτὴ τὸ πάσχα τῶν Ἰουδ. Joh. 2. Cujus memoria bis renovatur, Joh. 4. verſ. 45. Deinde mox ſubjungitur, Joh. 5. verſ. 1. ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, Feſtum Judæorum, videlicet illud quod deſignatur, Exod. 23. verſ. 16. Feſtum Hebdomadum ſive Pentecoſte. Hinc ſequitur Joh. 7. Feſtum Judæorum ἡ σκηνοπηγία, de quo Chriſtus, ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, q. d. Ego qui non aſcendi proximè εἰς τὸ πάσχα τὴν ἑορτὴν τῶν Ἰουδ. (Joh. 6. verſ. 4.) ἐγὼ καὶ νῦν οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, idem ego ne nunc quidem ad hoc feſtum Scenopegiorum aſcendo. Et videtur Chriſtus in hoc feſtum, quod erat complementum cæterorum, ipſius Paſchatis feſti (à quo abfuerat) honorem hoc pacto uſurpatione Articuli, velut de induſtriâ conferre velle.

4. Quia Chriſtus ipſe Luc. 13. verſ. 6, 7. trium duntaxat annorum indicinam facit ſub parabolâ ficûs. Item verſ. 32. Ecce (inquit) ejicio dæmonia, & ſanationes facio hodie & cras, & tertia die conſummabor. Itaque tria tandem fuerunt Chriſti operantis Paſchata, tribus annis incompletis. Nam quod vinitor, Luc. 13. verſ. 8. etiam quartum annum ſterili ficui indulgeri poſtulat, ad ſubſequens Apoſtolorum tempus prædicationemque pertinere videtur.

5. Feſtum iſtud Joh. 5. non fuiſſe Paſcha, ſed potius Pentecoſten, probatur autoritate cum veterum, tum recentiorum, ut puta Ignatii, Irenæi, Hieronymi, Epiphanii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, Euſebii, Caſſiodori, Oroſii, Theophylacti, Petri Lombardi, Guillermi, Bedæ, Hoſpiani, Maurolyci, Panvinii, Lucæ Oſiandri, Eraſmi, Maldonati, Pererii, &c. Denique D. Crameri, qui in Germ. ſuis Bibl. ad Margin. capitis S. Johan. aſcripſit Pfingſterfeſt.

Maldonatus ex illis Domini verbis. Joh. 4. verſ. 35. Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, negat ſecundum Paſcha rectè ſtatui poſſe; cenſet enim proverbiale eſſe dicendi genus Judæis uſurpatum de frugibus ſerotinis. Nam quoties menſe Niſan, vel Iſar, propter anomalam quandam aëris conſtitutionem, nondum ita maturuiſſent fruges, ut meti poſſent, dicebant, ſupereſſe adhuc anno vertenti abſolvendo menſes quatuor, intra quos (ajebant) ſatis matureſcent fruges, & metentur; atque adeo tempus eſſe expectandum. Hæc Chriſtus ad ſpiritualem Euangelii ſegetem, meſſemque transferens, inquit, ἰδοὺ λέγω ὑμῖν, ἐπάρατε τοὺς ὀφθ. ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. Inſtabat nempe meſſis altera triticea, quo tempore Chriſtus hæc ad diſcipulos loquebatur, menſe Ijar decurrente, ubi peracto primo Paſchate, ex Judæa in Galilæam revertens per Samariam tranſiret (Johan. 4. verſ. 3, 4.) ante Feſtum Pentecoſtes. Inde ergo paulò poſt rediit Hieroſolymas ad Feſtum Hebdomadarum, de quo Joh. 5. vers. 1. Videatur etiam Samuel Petitus in Eclogis Chronologicis, c. 12. Et Gerh. Mercator, qui quatuor annos ſtatuit, nihilominus in præfatione ſuæ Harmoniæ, Tametſi (inquit) veteres omnes, tres tantum annos poſuerint. Quæ cum ita ſint, relinquitur omnino illud Feſtum, Johan. 5. minime Paſcha fuiſſe, adeoque tria tantummodo Paſchata miniſterii numeranda eſſe.

Sed deſino jamjam pluribus tibi negotium faceſſere legendis, quæ alteri reſervabo occaſioni, ſiquidem T. P. ſuis me viciſſim literis beare non dedignabitur. Ἔῤῥωσθαι ἐν τῷ Χριστῷ ἀναστάντι ἐκ νεκρῶν, καὶ ἡμᾶς ποτὲ ἀναστήσοντι ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

Dabam Stralſundi ex Muſæo meo proprio. Feſti Reſurrectionis Dominicæ. An. Æ. C. 1644. à Paſſ. C. 1608. Eſtque hic præſens dies 6. Id. ſeu 8. April. juxta meum computum à rebus conditis 2000676. i. e. anni 5477. & d. 202. Ex his nimirum colligat T. P. quem ſtatuam primum rerum conditarum diem. Eum nempe quem Ægyptii quondam (teſte Plut. in Oſiride) ἑορτάζοντες τῇ ἱερᾷ, μέλι καὶ σῦκον ἐσθίουσι, ἐπιλέγοντες. ΓΛΥΚΥ Η ΑΛΗΘΕΙΑ.

*T. P. & Humanitatis ſtudioſiſſimus,*

ANDR. HELVIGIUS R. Sch.

---

## DC.

*Defunctum ipſius filium maximis laudibus cumulat, ejuſdem non minus opera poſthuma mirifice commendata, ſuoque illa fato grande vulnus animo inflictum affirmat.*

*Clariſſime atque eruditiſſime Vir,*

ÆGrè mihi accidit nuper, quod ornatiſſimus Ravius ſine meis ad te literis dimittendus eſſet; ſiquidem diſceſſurum ſe ipſo demum diſceſſus momento indicaret. Exinde optimi parentis, jam plus quam octuagenarii valetudo, & alia atque alia ſæpius mihi, ut forte ad te ſcribere volui, inopinanti remoram injecerunt. Quapropter per veterem tuam erga me, quam de novo comprobâſti, benevolentiam rogo, ne prætermiſſi officii culpam velis imputatam affectui erga te meo; quippe quo te pro ſummis meritis tuis ſummopere diligo & obſervo. Inprimis verò, cùm tam mirificè me affecerint, certantibus inter ſe lætitia & mœrore, literarium quod miſiſti munus, comitesque literæ tuæ. Nam cum tua tuorumque, quàm privatim & publice profiteri viſum fuit, amicitia exultarem, tum Præſtantiſſimi filii tui μακαρίτου poſthumus fœtus me graviter commovit. Non potuit enim non refricari priſtinum vulnus, ab immatura ejus morte mihi inflictum, cum præfixum chariſſimum illud nomen, & extrema, quæ in terris reliquit, cœleſtis animi veſtigia conſpexi. Alias per ſe nunquam non ob animum verſatur ille dies, quo poſtremum hic adfuit mihi. Nam cum ſupra ætatem ſapuiſſet ſemper, tunc quidem tantum cœleſtis ſapientiæ ſpirabant ejus dicta, &, quæ communicaret mihi, cogitata atque inſtituta vitæ, ut jam in cœlitum ordinem tranſcriptus videretur. Ut autem paulo poſt vitæ id ipſum meæ, & omnium, qui norant, delicium ereptum intellexi, majus mihi, qui forte tunc iniqua valetudine conflictabar, vitæ tædium obrepſit. Nec ſecus, quam ſi de proximis unus fuiſſem, uti vero affectu eram, ſolatio opus habebam, qui te conſolari deberem. Nolo autem redintegrare tibi luctum, præſertim cum defuerim leniendo: ſed occaſione ita ferente non potui non, quod ubique facio & facturus ſum, dum vivam, intimum teſtari amorem, quo Dyoniſium tuum vivum complexus fui, & defuncti memoriam colo. Leve fuit, equidem fateor, quicquid à me potuit in illum proficiſci: & quamvis permagna contigerunt aliunde, nihil tamen exiſtimo fuiſſe, ut non majora meruerit & virtus & eruditio ejus. Cum itaque amanti nihil jucundius nihilque optatius ſit quam redamari, ſicuti volupe mihi fuit, ab illo, dum in vivis eſſet, viciſſim diligi: ita gratiſſimum mihi accidit, veſtri etiam amoris erga me teſtificatione id ipſum approbari. Cui quidem atque humanitati veſtræ acceptum fero, quicquid hac parte laudis gratiæ aut lætitiæ mihi acceſſit; maximaſque pro eo, uti & gratiſſimo dono, gratias ago. Quamprimum, volente Deo, iſtuc venero, nihil mihi prius erit, quàm ut te ſalutem, & ſincerum animi mei affectum coram quoque teſter. Maxime autem beaveris me, ſi ſubinde etiam domi meæ conſpectu tui, & dulciſſimi conſortii parte aliqua frui poſſim. Interim, Celeberrime Vir, & tibi & lectiſſimæ conjugi liberiſque tuis plurimam ſalutem dico, atque omnem felicitatem precor; pro me enixurus ſedulo, ut amicitiam quæ & olim inita

inter nos, & nunc renovata fuit, quibuſcunque poſſum ſtudiis colam. Vale, & amantem tui ama.

Dabam Lugd. Bat. xv. April. cIↃ IↃ c xlii.

*Clar. tuæ totus devinctus, atque ad omnia officia paratiſſimus,*

JACOBUS GOLIUS.

---

DCI.

## D. Gerardo Voſſio

S. P.

*Pro tranſmiſſo dono literario gratias agit. Dionyſii defuncti & Iſaaci ſuperſtitis Voſſiorum eruditionem multùm admiratur, ac Iſaaci iter ad Italos Judæos, maximè probat.*

*Celeberrime Vir, & Amice integerrime,*

LIteras, quas prid. Id. Maji ad me dederas, reverſus domum inveni. Iiſque avidè perlectis magno perfuſus ſum gaudio; quod non tantum veterem & indelebilem amico licet abſenti in me favorem permanere, ex dono literis conjuncto perciperem; ſed reipſà quoque ex utriuſque filii tui ſcriptis experirer, tuum in me affectum hæreditario jure in poſteros tuos propagari. Ne quid jam de utilitate & fructu dicam, quem multiplicem ex munere literario iſto perſentiſco, & porro ulteriori lectione hauriam. Sunt juniores, qui eadem cum filio tuo Dionyſio tentarunt, eademque conati fuere. Quis tamen ignorat, quid diſtent æra Lupinis? Dionyſius ὁ μακαρίτης ea præſtitit, quæ non facile quis imitetur: cum Maimonidæ verba & phraſin Latiniſſimè & tanta fidelitate expreſſit, ut conſignificationes (liceat ita cum Philoſophis audacius loqui) etiam non prætermiſerit. Id quam ſit arduum in Orientalium ſcriptis Occidentali quadam lingua exprimendis norint, qui id ſæpius aggreſſi fuere. Præterea nobis omnibus abundè ſuam probavit πολυμαθίαν, in doctiſſimis, quas ſingulis paragraphis ſubjecit, notis. Fratris ſui veſtigia premit filius tuus Iſaacus, quod vel ſola ad Lectorem præfatio oſtendit; adeoque ſpem facit, fore ut quæ frater ad meliores occupationes ſe recipiens perficere nequivit, ipſe tandem omnibus literatis exhibeat. Quò non parum conducit iter ad Italos Judæos ſuſceptum; quos eruditione præcellere, indicio ſunt tot præclara volumina ibidem excuſa. Imo quum eò Græci, Syri, Perſæ, Arabes ſe conferre non rarò ſoleant, quid D. Iſaaco deerit, quin in iſto ſtudio ad eruditionis culmen aſcendat? Deus Opt. Max. eum faciat reducem; quo parentes gaudio delibutos reddat; nobiſque omnibus ſua dona impertiatur. Cæterum volui quidem ἀντίδωρον remittere; verum præ avaritia Typographorum nequeo; qui in Orientalibus excudendis remiſſiores ſunt. Attamen, Deo volente, intra menſes tres debitum exſolvam. Interea Patrem Jeſu Chriſti veneror, ut tibi tuiſque omnia ſecundet, & una cum lectiſſima tua, ab uxore mea & eo ſalvebis qui eſt

Lugd. Bat. 14 Kal. Maji, anno partæ ſalutis 1642.

*Dignitatis veſtræ obſervantiſſ. & amantiſſ.*

C. L'EMPEREUR.

---

DCII.

*Wenlngium quendam illi commendat: miratur Triglandii in ſuum Syntagma acerbitatem. Diſſertationes ſuas ejus cenſuræ ſubmiſſurus.*

*Maxime Voſſi,*

ETiamſi intra anni decurſum nihil ad meas reſponderis diverſis occaſionibus ſcriptas literulas, quibus vel amicos, vel res noſtras pietati tuæ à multis jam annis commendare conſuevi: tamen ſolenne meum obſervaturus Muſarum tuarum fores pulsare haud deſino, etiam atque etiam rogitans ne feſtiviſſimos obdas peſſulos meque deinceps habeas pro excluſiſſimo. Non ita tetricus es, ſat ſcio, tot jam exemplis antehac edoctus. Idpropter pium ac modeſtum juvenem Georgium Huldericum Wenningium Archipalatinum nunc mitto, iturum in Bataviam & Angliam, ut Eccleſiarum ſtatum coram penitus cognoſcat & reverſus cum prudentia operam ſuam populo Dei collocet. Is vivæ inſtar epiſtolæ res noſtras explicabit, ſiquidem eum audire lubet & vacat. Oſores univerſalis gratiæ etiamnum ſcripta noſtra ſollicitant. Neſcio an videris, quæ D. Triglandius in Syntagma meum nuper commentatus ſit. Miratus ſum viro collibuiſſe ipſiſſima Syntagmatis verba exagitare & cum aliorum placitis, imo & Pelagii erroribus confundere, ubi de univerſali gratia cum Orthodoxa antiquitate & Catholica Eccleſia diſſero. Præjudicium cauſæ noſtræ peperit, quam tamen bonis me approbaturum confido. Ubi Diſſertationes meæ Exegeticæ & Apologeticæ ad umbilicum perductæ fuerint, id quod propediem futurum ſpero, eas cenſuræ tuæ ſubmittam. Interea gratiæ verbi Dei commendo te, Vir maxime, πανοικί.

Brem. xx. April. veteris cIↃ IↃ c xlii.

*Excellentiæ tuæ devotiſſimus,*

L. CROCIUS.

---

DCIII.

## Georgio Ratallero Dubletio,

## Gerardus Joannes Voſſius.

*Epiſtola familiaris.*

QUantum video, Nobiliſſime Dubleti, de Junio, ut Hagam is veniat, ſpiſſum eſt negotium. Fuit his diebus mecum, ſed negat ſi ab Oxonienſi Comite poſſe avelli: nec Hagæ alterutri quicquam eſſe negotii. Huc tamen cum Comite venturum, ſimulac de Reginæ Britannicæ ad nos profectione facti erint certiores. Interea Hoofdius prope impatienter urget ut ſibi tradantur, quæ una cum libris fuerant tranſmiſſa. Et hoc fine tradidit mihi apocham; ut conſtet, ſuo huc ea mitti periculo. Nihilominus hoc agendum, ut κειμήλια illa qualiacunque fido tradantur homini: ut ipſi in ſimili negotio nobis fieri vellemus: de quo fruſtra ad te, in quo dubium, utrum probitas, an prudentia præcellat. Accepi literularum aliquid à filio ad te quod mitto. Ac paulo poſt etiam alteram accepi epiſtolam, unde liqueat quincto Aprilis etiamnum fuiſſe Florentiæ; paucis vero diebus Romam iturum. Totos pene dies in Bibliothecis deliteſcit, & deſcribendis Scriptoribus Græcis hactenus ineditis occupatur: optat ſe centimanum Gyan, ut eo beatius redeat domum cum ἀνεκδότων theſauro. Nunc enim ſolum ſe non ſufficere tam multis exſcribendis, nec unum invenire Florentiæ Græcè gnarum, vel ſaltem cujus opera in hoc negotio juſto pretio uti valeat. Quare ſubinde ſe triſtibus oculis intueri multa & præclara repoſta, quibus videndis profecto nulla deinceps affulgebit occaſio. Retuli filii mentem matri. Illa nihilominus malit filium redire bimanum quam centimanum: qualem ſe negat peperiſſe, & tali conſpecto ait, vel oculos clauſuram, vel latebras quæſituram, ut ſolent, qui necdum ære lavantur. De ſtudiis noſtris ſi quæris, totus in eo ſum, ut veteres relegam chartas, atque inde ſeligam, quæ poſſe lucem ferre arbitrabor. Eſt vero tanta eorum turba, quæ jam cum blattis & tineis rixantur, ut edendis (limam enim deſiderant) vix decem anni ſuffecerint. Longe enim eorum numerum exſuperant, quæ hactenus in manus hominum venire paſſus ſui. In hiſce igitur ad incudem revocandis, tantum ſudo, quantum

tum ſinunt, qui aſſidue interpellant. Ampliſſimis viris, Reigersbergio, Dedelioque ſalutem plurimam.

Amſtelodami, cIↃ IↃ CXLII, III Kal. Majas.

---

## DCIV.

*Summo Viro*,

## Gerhardo Johanni Voſſio,

S. P. D.

## Johannes Ravius.

*Lætatur ipſi ſuum in arte Logicâ ſtudium non improbari. Obtrectatorum preſſus calumniis petit, ut ipſum velit bona famâ reconciliare. Varia affert de Nihuſii enunciandi formâ, quam contra Horneium defendit. Voſſii benevolentiam captat.*

Est utique permagni affectus, nec, uti modeſtia tibi dictitavit, minutum, ſed quod reapſe experior, probum juſtumque ſymbolum, quod ad me deſtinaſti. Qui enim inter meritos de Arte Logica me referre tantus ipſe vir aggreſſus es, quid facis aliud, quam ut nomen meum conſecres? Ego autem qui mereri primum volo, & hactenus fui incertus, an aliqua me via ſic etiam duxerit, ne prorſus eam à bonis deſertus, poſt tot obtrectatores meos te primum invenio laudatorem: Principem utique & ſummum Virum, quemque unum non reverear omnibus, opponere. Cui ſi primum placuero, facile bonis probatum me confidam. Ego quoque ut debeo tibi jam à pueritia mea, & Magiſtrum te mihi publice præſtitiſti, ut erudis me ac doces quotidie, ita non poſſum vel hoc ipſo non agnoſcere beneficium tuum, qui in Arte Logica ſtudium atque operam meam confirmas. Ita enim undique preſſus ſum calumniis & malevolorum inſultibus, ut jam ante annos tres ipſos omnem ſpem atque animum abjectum; Quid enim facerem unus adverſus tot multos? Quod tam diſparibus armis? Loco iniquo? Ubi ſola autoritas, nulla ratio placet. Ubi omnis conatus nixuſque, contumacia ipſa virtus ſibi exitio erat. Tacui ergo hactenus, & iſta equidem lege, ut ſciſcitantibus etiam Collegis, ne ſententiam auſus fuerim proloqui. Ad pedes abjeci ultrò, deſerui; tantum ut ne fraudi eſſet veritati patrocinium. Itaque evenit ut quæ conculcanda projeceram, ſervata ſint jam omnia. Utcunque enim demandata mihi Profeſſio Logica, tamen iſta evanuit conditio, ne novarem. Dimidium ergo nunc Soræ licet, ut alibi liceant omnia. Quæ ipſa tamen ex veteri documento intra ſpem metumque comprehenſa ſunt. Ego quoque ſi alter ille perditis rebus mereri potuit gratias, quod de Republica non deſperaſſet, poſſum oſtendere ſimiliter aliquot parvos bonæ indolis ac virtutis igniculos. Et credo utique non aberratum me à favore illorum, in quorum poteſtate ſita apud nos eſt libertas literarum, ſi primum audeant ipſi credere. Qui enim iſtis coloribus depictus ſum, quibus male nominati homines aliaque omnia obſcœni ominis ſolent, non poſſum ſic mea ultro virtute renitere, niſi magnorum virorum judiciis ante omnia ſublevatus. Quapropter, mi Domine, ſi vel à te, quod longè credo facillimum, vel ab aliis impetrare poſſis, ut honeſtè de me ſentiant, ut jubeant velint me hanc Philoſophiæ ancillulam pudicè ac liberaliter Dominæ ſuæ erudire, abſolveres beneficium, & quam mereri volentem habes, benè merentem ipſe efficeres. Quanquam non auſim hæc plura à te petere, qui jam ſatis in me munificus extitiſti. Quod ſcias, omnia mea, ut video, intercepta mihi, hoc munuſculo reſtituiſti omnia. Quicquid enim ſani bonique eſt in multis illis, ut libellus titulo promittit, quæ ab aliis Logicis non tradita ſint de forma Enuntiationum & Syllogiſmorum ſimplicium, id omne meum eſt. Et admiror Nihuſii mentem, quare ille veteranus tanta ambitione annixus ſit, ut eſſet inter Philoſophos τοὺς ἀλλήλων κλέπτας. Præcipue cum etiam juvenis ſcrinia compilare non reveritus ſit. Non me convitiari, ex iſtis collige. Nunquam Nihuſio veniſſe in mentem de forma hac enunciandi (*Id, quod eſt homo, eſt id, quod eſt animal.*) niſi poſt illa quæ an. cIↃ IↃ CXXXVIII. IV Kal. April. ediderain, quæque ſtatim eodem anno Coloniæ Agrippinæ in Bibliopoliis viſa mihi Nobiliſſimus Conradus Labun, Eques Pomeranus, recens tum a contubernio, ipſe homo doctiſſimus, reſcripſit. Non alia afferre eum, quàm ex editis odorari potuerit, & ideo illum in multis falli, quia rationem principiorum nondum viderit; quorum ergo præſcripta ratio eſt, hæc dexterrimè tenere; quorum autem occaſio ſe non præbuit, hæc ſtatim corrumpere. Iſtam à ſe conſtitutam formam enunciandi [aliquid, quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal] eſſe, quidem apud imperitos, quod interpolat rem domini, apud doctos, judicium. Nihil enim aliud dictum, nihil factum, niſi quod factum. Iſtam quoque conſtitutam formam enunciandi à nemine aut inveniri aut aſſeri potuiſſe, niſi qui ex ſuis cunctis principiis eam eduxerit, in quæ ille adhuc impingit. Ex iſta forma enunciandi multa ſequi infallibiliter, quæ ipſi adhuc non videntur. Quâ de cauſâ? quia illa pars principii, ex qua derivantur, adhuc latet. Ideoque illum in forma enunciandi & ejus primis principiis parcum, in forma Syllogiſmi fermè omnem eſſe. Quæ cauſa? Scilicet conſtituta forma enunciandi, omnes errores in Syllogiſmis, qui illi debebantur, diſſipati erant. Illum tantum Appendicem demonſtrationis edidiſſe à me in fine libri iſtius promiſſam, diſcentibus neceſſariam, mediocriter doctis ſuperfluam, & à quocunque etiam homine expectatam. Hæc ſumma duntaxat capita ſunt. Taceo modos loquendi, ſive non evitatos & alias recentes ac meos, ſive etiam de induſtria leviter inflexos, reapſe τ᾽ αὐτῆς. Dolum ſtatim in principio deprehenſum habui. Quæ quæſo ἀφορμὴ illa hujus libelli, & præcipuè iſtarum pollicitationum, de forma enunciandi & Syllogiſmorum? Sanè ut in Modalibus autor ipſe itaque à me laudatus eſt, qui primus recentiorum oſtenderit, ad Prædicatum modos pertinere, ut partem Termini: ita negare non poteſt, formam enunciandi, ex qua iſtud fluit, ſibi tum ignotam, imo aliam fuiſſe. Nam qui veram copulam non habet, veterem autem malam copulam avellit à Prædicato cujus pars erat, & pro vera copula ſubſtituit, ille erravit in tota forma enunciandi, tam in terminis quam in terminorum connexione. Demere enim termino, & ex parte materiali facere formalem adeoque copulam, eſt offendere in univerſum formæ Logicæ fundamentum. Totam ergo formam enunciandi immutavit, ut etiam manifeſtiſſimum eſt, minime defendit. Imo, quid in cauſa fuit, quod cum an. cIↃ IↃ CXXXIII. Horneius illum refelleret ex copula, ab eo tempore nihil ex copula, hoc eſt, ex forma enunciandi reſponderit. Ego autem ſequente ſtatim anno aggreſſus ſum Horneium, & ex vera enunciandi forma, tum à me primum multo ſtudio & pro maximis convitiis reperta, defendi Nihuſium. Ita quidem, ut Horneius admiratus ſit, quomodo id in mentem venerit, quod aliam copulam præter conſuetam exigere, & alio igitur fundamento, niti cœperim. Unde ipſius hoc pulchrum exſtabat conſilium, ad Henricum Rhanium J. U. D. & Profeſſorem, tum Collegam meum, pro ſe quidem non malè initum, ut in herbis iſtas diſputationes opprimerent; longè enim alia ex iis principiis ſequutura, quàm quæ appareant. Hæc ego tum frequentiſſimis Collegiis, in Academia florentiſſima MDC Studioſorum publicè ac privatim agitare. Undequaque ad omnes Academias delapſa, ſententiæ meæ, nec in Anglia neque Tubingenſibus incognitæ, locis maximè diſſitis. Tabulas producere poſſum & homines; ſed cauſam videamus, quæ Nihuſium confidentem in iſto voto ſuo reddiderit. Claritas nominis ſui, obſcuritas mea, aut ætas, juvenis tum XXIV annorum. Quomodo me opportunum vidit ad omnes injurias

jurias facile ferendas. Sed iſtarum rerum quicquid ſit, patiar, ut cœpi, & ſuffecerit mihi conſcientia & fructus in publicum. Non enim neceſſe eſt, quærere quibus autoribus literæ beatæ ac felices ſint, dum ſint modo. Et poteſt ille à Deo miſſus eſſe, ut vel autoritate ſua adjuvet verum, quod ea ſola hactenus preſſum eſt, vel niſi gratus exſtiterit, etiam materia nominis mei fiat. Id enim certum eſt, utcunque ego tacuero, poſteritas non tacebit. Dum veſtra me judicia noſtris Mecænatibus, in has Logicorum, ut putant, calumnias minime otioſis, antiqua fide & bona, quod ajunt de nota commendarint.

Tu autem, fortunate Senex, ignoſce homini ſic in tot tantiſque negotiis tuis ſtrepenti, & exiſtima hæc talia eſſe ταῖς Λιταῖς Ὁμήρου, & non tam diſertum me à calamitate, quam loquacem factum. Tibi quidem parvum ſemen verborum ad me, in tantam uſque ſegetem excrevit, ab homine minime Philoſopho, quia non ſyllabas modo, ſed ne verba quidem numerare aut appendere cœpi, ſed fundere. Non videbor prætexere cauſam miſerabilem, ſi quemadmodum ad tantum virum hactenus ſcribere non ſim auſus, jam ante noſti. Et profecto video ſæpe ineptos homines ambire veſtram gratiam, & negotium ſcribendo faceſſere; nec unquam hactenus in me reperi, quod dignum eſſet tantorum virorum perſonis. Nunc veſtra me benevolentia, ut ſolet inſperatis fieri in gaudiis, ne temperare quidem permiſit, & ex contrariis admodum cauſis idem fermè novum crimen pecco. Benè ſit Hemerodromo, qui me non finire, ſed abrumpere jubet. Vale optime, & fratrem & me tibi aſſere ac vendica, ſi merebimur.

Soræ Dan. VIII Id.
Maji CIƆ IƆ CXLII.

---

## DCV.

### Joanni Rave,

Eloquentiæ Profeſſori,

S. P.

*Non eſſe jurandum in cuncta Ariſtotelis, ac quadam ab eo reperta poſſe addi, quadam melius dici arbitratur. Ravii quæ in rationis diſciplina reperiſſet, laudat, & ſi diſſenſus iſte bonos etiam quoſdam offendat, quâ ratione invidiam optimè declinare queat, conſilio inſtruit.*

PRæclare Rave, ſi quis alius in adoleſcentia jurare in ſingulas Stagiritæ noſtri ſententias ſoleat, eum me fuiſſe commemini. Neque hoc animi mihi tantummodo fuit ſeptennio illo, quo ſub magiſtris acutiſſimis operam darem diſſerendi diſciplinæ, & univerſæ ſapientiæ ac prudentiæ ſtudiis, donec tandem ſupremâ in illis laureâ non indignus judicarer; ſed biennio etiam poſt, cum Ariſtotelis Ἀκροαματικὰ in Leidenſi Lyceo publica authoritate enarrarem. Quum pluſculis etiam annis poſtea hoc animi permanſit, ſed paullatim veritatis luce adactus confiteri cœpi, aliqua divini viri repertis addi, aliqua etiam melius dici poſſe, idque non modo in Philoſophia ipſa (quod in ſcientia naturali etiam Hypſeâ cæciori clarum eſſe arbitror) ſed in ipſa quoque Ἀποδεικτικῇ & Διαλεκτικῇ; quibus duabus omnem diſſerendi diſciplinam veteres complectebantur. Placet igitur, quod à Plinio ad Cænium ſcriptum video. „Sum „ex iis qui miror antiquos, non tamen, ut quidam tempo„rum noſtrorum ingenia deſpicio. Tuum ſane amo, & exoſculor: cum ab ea, quæ aliis in ſtudiis elaboras, tum ob reperta iſta in rationis diſciplina: quæ non poſſunt non amari ab rationis amantibus. Quod ſi forte ea res invidiam creat, forti hoc animo devorandum. Sin iſte diſſenſus etiam offendit bonos, & qui aliquid poſſunt, iſtum errorem quadam arte ut corrigas elaborandum. Nempe ne publice è cathedra aliud doceas, ſed ſententiæ tuæ arbitrum facias orbem literatum ſcriptis eruditis; ita non erit, quod, qui adverſantur, dicant, minus à te in cathedra impleri munia, ad quæ ſis vocatus, imo erroribus imbui auditores: & paulatim tamen ex monumentis ingenii doctrinæque tuæ veritas elucebit, quibus dum undique applauditur, futurum confido, ut quos nunc maximè habeas adverſos, pedibus in tuam concedant ſententiam. Valde autem placet, quod hæc ſtudia ſic tractes, ut oſtendas ſectari te veritatem, quæ carior eſſe nobis debet, quam ipſi nobis ſumus: & interea etiam litare te modeſtiæ, quæ cum ubique ſectanda, tum imprimis locum habere debet iis in rebus, quæ elegantioribus ingeniis vere ſint animi pabulum, non tamen iſtiuſmodi, ut inde vel animarum ſalus, vel vectigalia populi dependeant. Pluribus nunc colloquerer tecum, niſi Præſtantiſſimus frater tuus, quem ob præclaram eruditionem, præſertim Orientalium linguarum ſcientiam multum amo, pro viva ſit epiſtola futurus. Ex eo igitur, quicquid ad res noſtras pertinebit, ubertim cognoſces.

Amſtelod. CIƆ IƆ CXLII,
prid. Kal. Quinct. Stil.
Gregoriano.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DCVI.

*Summo Viro,*

### Gerhardo Johanni Voſſio,

S. P. D.

### Johannes Ravius.

*Ingenii ſui fœtus parvi pendit. Accuſatur contra rationem ſtatûs & Nobilium privilegia dixiſſe. In ſcriptis ſæpius ſe lapſum fatetur, id quod laboribus ut & memoriæ imbecillitati dandum.*

DUdum mecum delibero, an hoc quidquid eſt chartarum ad te mittam. Nam ut legas, nec neceſſe nec volupe eſt, niſi quod jacturam facias temporis optimaſque horas tam male colloces. Ut autem ex iis, tanquam exemplo quodam, judicium eruditionis meæ capias, nulli hominum æque incommodum eſt, quam mihi, meo enim me indicio inſtar ſoricis prodiderim. Quapropter, mi Domine, ſi ulla alia de cauſa in conſpectum tuum venire patior hos fœtus meos, niſi boni animi, & mediocris induſtriæ, interque continentiſſimos docendi labores otii reddendi gratia, procul adhuc ab omni virtute me exiſtimato, cujus tamen primordia & meditor quotidie & exerceo. Et ignoſces ipſe conatui meo, ſi intellexeris, quam impium ſit, altiſſima pace iſtaque eruditiſſima ſimul viridique ſenectute communis omnium Patris tacere velle beneficium Dei. Quanquam deriſus ſatis fuerim hoc Regno, quod de magno Climacterico prædicare multa cupiam, cum apud ſe moris atque inſtituti non ſit, iſtos annos obſervare. Ita ipſi plus æquo ridiculi erant! Mihi non tam annus, quem ipſum nec ſibi homo nec uſque adeo naturæ debet, quam Dei gratia oſtento erat. Et cum Regnorum mutationes, præſentes ubique turbas, machinationes aliaque conſidero, videor mihi graviſſimis ex cauſis ad hanc pietatem excitatus eſſe. De me ac nomine meo ſollicitus non ſum; non enim exiſtimo homines nobis, quàm actiones, aut actionum ſummas bonamque in iis mentem ſpectanda, &c. Confiteor tamen, gratiſſimum & mihi fuiſſe, ſi aliter gratulari licuiſſet.........autem quam fatale mihi extiterit, ægrotare ad ipſius editionem. Cum enim initium ſic ſatis procederet, & jam morbi vis ingraveſceret quotidie, ego tamen nollem deſiſtere, pervicit malum. Abſolveram nihilominus fermè ultimas laudes Academiæ noſtræ. Interea fama malum toto Regno exierat, quemadmodum contra rationem ſtatus & pri-

privilegia Nobilitatis dixiſſem. Alii qui ſpecioſius me obruere cogitabant, febri imputare, & quod Soræ non potuerim edere, itaque domi me non fuiſſe. Eratque tam gravis & acerba prorſus invidia, ut latere debuerim per biennium, donec furor iſte poneret. Redit itaque xv Aprilis, ad quem tentanda erat editio, ſed redit ſimul valetudo; & de vita mea deſperant omnes. Itaque cætera non licet ex ſchedis ne exſcribere, niſi aliqua ultima eaque incompoſita. Maturandum tamen erat, quod & tempus idoneum & virum nactus eſſem, opprimendis penitus calumniis. Quapropter exiſtimabam ſatius eſſe, partem, eamque ferè meliorem relinqui, quam deeſſe bonæ hominum exiſtimationi, quam profectò mihi tutiorem eſſe judicio omni alia fortuna. Atque ita de ſtatu noſtræ Eccleſiæ, de conditis ubique locis ſacris, totisque urbibus & propugnaculis, de modo imprimis tenendæ pacis, de pace ipſa, & aliarum gentium ſpe atque expectatione anxia, nemo quicquam leget, etiamſi dicta ſunt omnia & perſcripta omnia. Quod quidem cum alii deprehenderint, quia cauſas neſciunt, vituperabunt. Quamque & plura longè metuerim. Omnino enim & lapſus ſubinde fui, & oneri ceſſi, & indulſi mihi, nec ſemper intendi animum, nonnunquam fatigatus, & tanquam inclinans. Quod quidem in magnis viris opprobrio non eſt, quibus alia & multa & maxima incumbunt; mihi autem prorſus turpitudini eſt; quia hoc cum magnis viris non pecco. In quo tamen (vide ingenioſam hominum ſocordiam!) hoc mihi excogitavi ultro ſolatii, quod quivis non videat immodulata poëmata judex. Et certè agnoſcis iſtius juvenilis exemplum ambitionis, quod melius dicere voluerim, quàm poteram. Itaque nihil amplius affero ad excuſationem, quàm bene veterem ignavorum querelam, quod ad meliora ſibi omne quondam in juventute præſidium defuerit. Defuit tamen, ut mire video, quamplurimum ab aliis, nec minimum à meipſo. Nunc enim vir iſta errare incipio, quæ juvenis cum laude poteram. Et vides ubique iſta. In illis equidem Commentatiunculis ad Miltiadem, Cæſarem, Livium; proletaria valde ſunt, & quorum me ſtatim pœnitet & revera pudet, quamprimum ſcripſi. Video me voluiſſe, deprehendo lapſum, ſæpe de emendatione cogito, ſæpe de non amplius conando. Sed iſtæ diſceptationes meæ tandem in iſta ſtultitia deſinunt, quod putem, nomen & gloriam hominis ſpectari, non ejus fructûm in Rempublicam. Sive autem iſta πρόφασις quædam, ſive arrogantia ipſa eſt, confiteor tibi, mi Domine, non licere mihi, quæ ſic edam, conſiderare. Qui enim publicè bis, privatim per tres quatuor horas quotidie doceo, variiſque admodum & ſtudiis & ingeniis & profectibus impeditus ſum; memoriæ uſque adeo infirmæ, ut mea ipſius præcepta Logica, ſtans in cathedra & heri interpretatus, reminiſci non poſſim, valetudine plerumque adverſa, & poſt vexatus undique calumniis, maliſque amicis; non poſſum meliora edere. Et profectò hæc talia pro editis, nec habeo nec agnoſco, neque quiſquam extraneus facile accipiet. Tantum pro uſu & manuductione juventutis ſunt, ut jactis quibuſdam fundamentis cætera à nobis ſuperſtruantur. Ego enim exiſtimo & vos ipſos longè majorem ubique gentium in literas fructum laturos, ſi alii vobis idoneos auditores lectoreſque pararent. Occluſis enim initiis ipſo itineris capite, quis viator erit? Itaque exiſtimo tam neceſſarium eſſe habere Philoponos, quàm Varrones. Neceſſarium, inquam, non ſalutare aut glorioſum. Et hæc eſt altera pro me ſcripta defenſio, quæ ſic iterum parata eſt, quaſi prorſus ea opus ſit. Tu autem, maxime Vir, qua per virtutem ſimul & gloriam in minorum gentium patres modeſtia & comitate es, fave cœptis atque animo meo, & exiſtima me in literis adorare, potiùs occidentem quàm orientem Solem, nec unquam ingratum fore adverſus te, iſtud noſtri ſeculi, omniumque lumina & oculos accendens, ſydus. Deus modo te noſtro Hemiſphærio diuturnum porro & ſalvum præſtet. V. B.

Soræ, Id. Maji,
CIↃ IↃ CXLII.

## DCVII.

*Pro oblatis filii Maimonide & patris de Idololatria Gentili & Phyſiologia Chriſtiana libris, ſolennes gratias agit, Authorem utrumque ab eruditione inſigniter commendans.*

*Clariſſime Domine,*

EX diſerto Voſſianæ familiæ penu, ô quantum librorum accepimus, quinque numero Volumina, pondere Bibliothecam: ſpectantibus deauratam, inſpectantibus auream! Longè fœcundiorem te Jove Ethnico celebramus, Minervæ non ſolùm Patrem, ſed Avum; dum & libros in lucem edis, & patrizantem in libris conſcribendis Filium. Cerebri ac ſpinæ medullam vel hinc cernimus continuam, quod ex vaſe utroque ſobolem germanam ſuſcepiſti; ex altero ſcientiam, ex altero tam ſcientem. Filius ille tuus Dionyſius, priuſquam fato conceſſit, tibi fatum enixus eſt, cui concedat fatum. Maimonidem bis ille fidiſſimus tranſtulit, verbo & ſenſu; novi idiomatis januæ clavim aptando Commentarii. Poſtquam ipſum Deus in vitam beatiorem tranſtulit, huc etiam tranſtuliſti monumentum ejus in vitam Muſarum. Verum quod vivet in ſcriniis noſtris, ac multo poll.ce verſabitur, illud minimum eſt. Nam ex Muſis Oxonienſibus, quas ille non ſolum ſcriptionis auxit beneficio, ſed Inſcriptionis titulo decoravit, unà cum æternitate honorem & amplexus reportabit. Indignum eſſet liberalibus ingeniis ſub eodem quo ingreſſa frontiſpicio non poſſe regredi charitatem, omniaque honoris veſtigia nos adverſum ſpectare at nulla retrorſum; vivet itaque tam in pectore quam in oculis; aliorum ſcripta legèmus, judicabimus; illius diligemus, efferemus laudibus. Talia ſi meruit Filius, quod ſeminarium doctrinæ rigavit ingenii flumine, quid meruiſti Pater, qui exundaſti in univerſum Cleri Anglicani hortum? Nam in fronte quatuor tuorum voluminum Inſcriptionem præfigis, Clero Anglicano; amplam quidem, ſed in ſcriptorum Præſtantiæ anguſtam. Libros ab omnibus legi dignos, ornare ſi velles juſtæ menſuræ titulo, non literarum genti, ſed omnium gentium literatis dicere debuiſſes. Verum hac in te ſingularem tuam agnoſcimus dilectionem. Cum enim unicus tu extraneorum omnium præter unum alterum ab orbe toto ſelectus fueris, & in primariæ noſtratis Eccleſiæ ſodalitium adoptatus, mutui honoris ergo, confratribus huc in gremium illud theſauri conjicis, quod lati orbis fruitioni debetur. Nemo in toga noſtra perſtare jam poteſt indoctus, niſi perſtet etiam inhumanus, ac ea nolit perlegere quæ ad ipſum humane mittuntur. Nam ex promptuario tuo haurire datur omne genus Eruditionis, Artes, Hiſtoriam, Philoſophiam, Theologiam. Dum in iſto quem vocas Gentilis Theologiæ & Chriſtianæ Phyſices conflictu, Dei ſpeculationem è creaturis eruere proponis, à naturæ cultu Idololatrico vindicare, ſecernere, elevare, diſponere, prima facie promittis non ſolum veram ſcientiam mundi, ſed mundum ſcientiæ. Elaborata hæc myſteria ſuſpiceremus vehementius, niſi tuo prodirent nomine: admirationem operis mergit Autoris excellentia; in ſylva quercum, in Oceano balænam non miramur, nec in Voſſio magna, quia nihil is profert minus maximis. Proinde cum ſatis laudet, qui dicit te ſimilem tui, nos reliqua præconia mole gratiarum ſupplebimus, ſimilia hæc tui incrementa inſeremus donorum regiſtro, reponemus cum Sociis in Bodleiana, ubi Claſſem Voſſianam fulgidis protendent foliis, & æmulatione accendent Heroas calami. Cuſtodi te ſanum, ſervet te Deus felicem, nos te fore vivacem curabimus.

E domo noſtræ
Convocationis,
Maji 24.

*Eximiis tuis meritis clariſſimè devincta,*

Oxonienſis Academia.



DCVIII.

## DCVIII.

*Clariſſimo & Celeberrimo Viro*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Jacobus Gothofredus

Salutem.

*Eum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtrandam invitat. Henricum Alerſium eidem, famamque iſtius de optima commendat notâ.*

ETſi me dudum in tui amorem pertinax tuum meliores literas juvandi ſtudium, collectæque inde famæ celebritas, quam alii alioquin ſæpe merentur, alii habent, pertraxerit, nondum tamen opportuna ſeſe mihi hactenus interpellandi tui occaſio obtuliſſe videbatur: ſed commodum nuper accidit, ut cum Reipublicæ noſtræ nomine Divionem Legatus iſſem, in Salmaſium noſtrum τῶν πάνυ prope Belnam inciderem: Ibi ſtatim, atque inter primores ſermones, jucundiſſima tui memoria habita: deque operibus tuis hactenus præclare editis utriuſque judicia concinere; mox & in id convenire Hiſtoriæ potiſſimum Eccleſiaſticæ illuſtrandæ ſtudium tibi, neque alii temere melius deinceps impingendum, eamque gratiſſimam laborum tuorum ſummam metamque impoſterum eſſe oportere. Id quod abs te impetratum tam enixe cupio, quam in hoc ſtudii genere ἀμουσίαν meam ſubinde oblectare ſoleo; cujus rei exiguum ad te ſpecimen propediem mittere jam olim conſtitueram, eamque primum ſcribendi ad te materiam mihi ſepoſueram. Sed enim curſoriâ hâc prævertere nunc viſum in gratiam ornatiſſimi & doctiſſimi Viri D. Henrici Alers, ad vos proxime ni fallor recurſuri. Ita credas mihi velim, Vir Clariſſime, non temere hoſpite ullo gratiore multos annos heic uſos nos, quàm eo ipſo. Ita publicè is hâc morum elegantiâ, eo animi candore, hiſce ingenii dotibus, hic egit, ut proborum primorum quorumvis affectum animamque ſibi conciliarit. Uno tantum infelix, quod ſpes ejus privatas, liberaleſque operas eventus aliqua eluſerit; Trippii, inquam, egregii cæteroquin juvenis, diſpar in literas quibus excolendus traditus fuerat, ſaltem ne inter idiotas haberetur, affectus; eâ re liberioris vitæ ſtudium, cuſtode remoto. Id ſummatim ad te perferri operæ putavi, ne alioquin alterutrius fama ſui diſſidio laboraret, vel aliunde cauſas ejus maligna interpretatio arceſſeret, præ illa quam veriſſime nunc perſtrinxi: quæ ubi ſemel tibi comperta, hac fide mea, explorataque fuerit, ad alios, ubi opus propagandam ſpero cupioque. Publice enim intereſt opinari eorum qui ad magna nati ſunt, exiſtimationem ad nos pertinere, ne aliqua ſui parte unquam per ſuſurros labaſcere queat. Rem verò te candoreque tuo dignam feceris, ſi hæc apud matrem juvenis propinquoſque extuleris: Eademque me tibi devinxeris, ſi Alerſium, cui ego factum cupio, commendatione tuâ juveris: ſimul & reſponſo bearis. Interea dum Philoſtorgium tibi ſubmitto, in amicorum tuorum cenſum referri cupio. Vale Vir Cl. & Celeber. annos multos.

Dabam Kal. Junii,
1642. Genevæ.

## DCIX.

*Reverendo & Incomparabili Viro,*

## Gerardo Johanni Voſſio,

## Joh. Fredericus Gronovius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris argumenti.*

*Reverende & maxime Vir,*

JAmdudum argumentum non unarum ad te literarum habui, cum de aliis rebus tum quod libros interdum ex Bibliotheca tua deſideratem, ſed quia deſideria iſta fere momentanea ſunt & ſerum eſt quod non fit ſtatim, paupertate mea plerumque me involvo. Ad graviorem autem ſcribendi materiam, præterquam quod tibi non valde vacare ſcio, me quoque tardiorem efficit, quod in duplici hac profeſſione publice ſuſtinenda privatiſque habendis Scholis tantum invenio quod agam quotidie, ut facile alias cogitationes ceſſatum dimittam. Eo autem laboro vitii, ut nihil eorum, ex quibus qualemcunque fructum manare putem debere, negligenter agere poſſim aut perfunctorie; ita fit ut delaſſatus in iis quæ revera occupare nos haud erat tanti ad alia meliora oſciter & minimè ſufficiam. Jacent ergo illa quæ multa moliebar, immo feſtinabam, & jacebunt aliquandiu, dum non niſi faſtidioſe & ex intervallo tangere licet. Sed tanto credo fient maturiora. De cætero hæc quidem ſolitudo vehementer me delectat. Amamur, colimur, audimur frequenter ſatis pro numero, qui hic eſt ſtudioſorum; nemo obtrectat, æmulatur nemo. Itaque nulla de re, quæ animum torqueat ſolliciti in diem vivimus. Iſaacum tuum valere & rem bene gerere ſpero & cognoſcere haveo. Item quid fiat iis, quæ ſub prælo habebas. Incluſas rogo ut haud gravatim tradi cures Cl. Freinshemio qui me magna affecit injuria, quod adventum ſuum in veſtram urbem celatum me habuit. Commode enim per ferias Pentecoſtes ad vos excurrere potuiſſem & hebdomadem illam, quæ alias magis Bacchanalium quam feſti more hic agitur & acta eſt, ſiccius ſaniuſque apud vos ponere. Vale Vir maxime & graviſſimam Matronam tuam, filium Matthæum & Hulwedelium, niſi grave eſt, à me ſaluta.

Daventriæ poſtrid. Eid.
Jun. CIƆ IƆ CXLII.

Paſcaſium, Groſippum & Polyænum Caſauboni deſiderabam his diebus; ſi iis egere paululum potes, rogo ut ad me mittas. Leviter chartæ rejiculæ involuti tradi poſſunt tabellario Daventrienſi in de Warmoeſtraet in den Yſſel in de blinde Man / deſtinati ad me domi D. Chriſtenii qui te obſervanter ſalutat.

## DCX.

## Joanni Friderico Gronovio,

Hiſt. & Eloquentiæ Profeſſori.

*Epiſtola familiaris.*

QUas Clariſſimo Freinshemio literas inſcripſeras, confeſtim curavi, & nunc reſponſum ejus mitto. Video virum eſſe optimum doctiſſimumque, ſemel iterumque una fuimus, excepto quod non una eſſes, cætera læti. Literas ab Iſaaco meo jam binas accepi Roma, ſpero intra trimeſtre denuo affore nobis. Grotius Riveto fuſius, ſed una alteraque pagina Laurentio reſpondit. Nunc uterque reſpon-

Digitized by Google

reſponſum parat: porro Riveti illud jam excuditur ab Elzeviriis. Polyænum mitto & unà Groſippum, unde colligo cogitare te adhuc de re nummaria. Utcunque ex literis tuis intelligam, quantopere diſtinearis, confido tamen fore brevi, ut aliquod ejus argumenti in lucem des. Si quid ultra ex mea Bibliotheca tuis poſſit inſervire commodis, expoſce. Paratior ero ad mittendum, quam tu ad petendum. De Salmaſii reditu nihil certi potui cognoſcere. Puto etiamnum Divione eſſe. Plurimam ſalutem doctiſſimis collegis dicito.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c XLII. XVII. Jun.

*Tuus totus*,

G. J. VOSSIUS.

## DCXI.

*Clariſſimo Viro*,

# Gerardo Joanni Voſſio,

# Joannes Rouſius

S. P. D.

*Excuſato ſilentio ſuo, gratias agit pro tranſmiſſis ſibi & Bodleianæ Bibliothecæ librorum faſciculis; maximos illi honores ideircò ab Academia decretum iri ſignificans.*

*Ampliſſime Vir, Doctiſſime Amice*,

FAto quodam meo fieri videtur, ut cui plus debeam, illi fere minus perſolvam. Id cum in aliis vitæ meæ actionibus non ſemel adverti, tum nusquam magis (quod ſciam) quam literis amicorum reſpondendo, ubi ceſſator intolerabilis vix unquam ad diem ſolvo. Cauſari poſſem fortaſſe occupationes, quibus in munere meo fungendo diſtineor; verum ejusmodi excuſationes ut quotidianæ nimis & jejunæ, ita amicitia noſtra prorſus indignæ. Ut enim cujusvis generis impedimenta obtendam, leve quidem eſſet unum vel alterum officioſum vocabulum in epiſtolam conjicere, præſertim ad Heroem Ger. Jo. Voſſium, qui me toties nec merentem non ſolum literis tuis humanitate pleniſſimis provocavit, ſed & libris eruditione conſummatiſſima refertis à ſe compoſitis iterum atque iterum donavit. Vides, Ampliſſime Vir, quam tecum agam ingenue, me ſiſto ipſe propriæ negligentiæ reum, cum non aliud habeam quo me apud te honeſtè purgem. Literas tuas cum librorum faſciculis, quos mihi, doctiſſimo Pococko, & Bodleianæ noſtræ dono miſiſti, accepi, poſt unum vel alterum menſem quàm à te datæ, de quibus, ut & aliis reconditæ & ſtupendæ eruditionis tuæ operibus mihi antea donatis, immortales gratias ago. Illos verò quos Bodleianæ deſtinâras, Reverendiſſimo D. Procancellario, aſtantibus Collegiorum præfectis, eaque fere horâ quâ mihi à Tabellario allati, tuo nomine in manus tradidi. Neque opus ſciſcitari, quo vultu quoque animo ab illis accepti: nempe ut ancile de cœlo delapſum, ſive ut reliquias ſacras certatim contrectant & ſuſpiciunt. Humanitatem & eruditionem Doctoris prædicant, de ἀντιδώρῳ reponendo aliqui cogitant. In hoc autem omnes conſentiunt, ut in ſolenni Ordinum Academicorum conventu, gratiæ per literas Academiæ nomine (qui honos apud nos maximus) tibi decernantur. Poſtremò mihi injunctum (quod & alias ipſe ſponte feciſſem) primo quoque tempore locum illis in armario Bodleiano nobiliſſimum aſſignare, nomen verò Cl. Voſſii in Regiſtro magno cum aliis Heroibus in perpetuam rei memoriam inſcribere.

Doctiſſimum filium tuum Iſaacum, quem ſuperiori anno cum filio D. Heinſii mihi per literas commendaſti nondum vidi. Audio eum cum Legato Chriſtianiſſimi Regis, (id quod & literis mihi ipſe ſignificavit) in Galliam trajeciſſe. Si in reditu nondum abjecit conſilium Oxonium inviſendi, dabo operam ut intelligat quanti & quam chara familiæ Voſſianæ apud nos memoria. Valemus hic omnes per Dei gratiam amici tui quos Oxonii cognoviſti. Reverendiſſimus Prideauxius Epiſcopus Vigorniensis, Academiæ Procancellarius, nunc brevi cathedram Theologicam relicturus; Archiater Claytonus, vir bonus & ſumme doctus qui de te & honorifice & ſentit & loquitur; D. Fellus Profeſſor Margaretæ, cum tu hic eſſes, nunc verò Ædis Chriſti Decanus; D. Fruinus Collegii Magdalenenſis Præſes frater tuus, Eccleſiæ Gloceſtrenſis Decanus, & alii qui te officioſiſſime ſalutant. Ignoſcas Clariſſime Vir feſtinanti calamo, dabitur occaſio brevi iterum ſcribendi. Interim vale & habe in numero cultorum tuorum,

Oxon. 17. Kal. Jul. 1642. Styl. Vet.

*Obſervantiſſimum tui*,

JOH. ROUSIUM,

Acad. Oxon. Bibliothecar.

## DCXII.

# Georgio Calixto.

*Opus de Theologia Gentili Chriſtianaque Phyſiologia cum Dionyſii de Idololatria Maimonide dono tranſmittit.*

*Clariſſime ac Summe Vir*,

CUm omnis doctrina, vel divina ſit vel humana, hæc ad Deum ducat, illa perducat: rectè me atque ordine facturum hoc tempore putavi, ſi opus conderem, quo ex utroque facerem cinnum, ſive ut Græci dicunt, κυκεῶνα· ſed ſic, ut præcipuè verſarer circa humanam, quæ geſtorum hiſtoriam & notitiam naturæ comprehendit; unde ad doctrinam divinam, illam pietatis nempe, ſive Chriſtianæ fidei, & vitæ præcepta, aſcenditur. Hujuſce laboris noſtri, ſatis operoſi, pro mole quidem occupationum, quibus diſtineor, exemplar mitto lubens meritoque. Nec ingratum fore confido. Addidi opuſculum de tribus Symbolis, & Maimonidem τοῦ μακαρίτου filii mei Dionyſii. Item Panegyricum Matthæi mei Illuſtrium Ordinum Hiſtoriographi & Amſtelodamenſis Bibliothecæ Præfecti. Pene addideram volumen ingens de Arte Grammatica; ſed metuebam, velle hoc viderer, ut ejus lectione repueraſceres: vel etiam hoc agerem, ut avocarem ab labore indefeſſo, quo & voce & ſcribendo divinis vacas, veritatis pariter ac concordiæ aſſertor. Sed Grammatici illius laboris loco, alia gravioris argumenti exſpecta, modo Deus vitam ac valetudinem conceſſerit. Horneio præclaro Philoſopho ac Theologo plurimam à me ſalutem dicito.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c XLII. XV. Kal. Quint.

*Tui nominis æſtimantiſſimus*,

G. J. VOSSIUS.

## DCXIII.

*Illuſtriſſimo*

# Hugoni Grotio,

Legato Suecico ad Regem Chriſtianiſſimum.

*Præmiſſis familiaribus, Annotationes ejus in Nov. Teſt. prædicat, nihil hactenus tale, vel tantum prodiiſſe adſeverans: inimicos verò multum offendiſſe, ait, quod*

Pa-

*Papam negâris eſſe Anti-Chriſtum; quod omnes errores Papiſtarum vel defendas, vel excuſes; quod ſeditioſos dicas, qui Genevenſem Eccleſiam ſequantur, & Calvinum non dubites ut crudelem inceſſere. De litibus Calvinum inter & Bucerum diſſeris, ac hujus ſcripta, quæ Genevæ prodiiſſent, ex ſententia illius caſtrata fuiſſe dicis. Junii de Eccleſia Romana judicium exprompit. Rivetum quoque ac Laurentium contra Grotium reſponſa parare.*

POſt per'longi temporis moram, Illuſtriſſime Domine, ad officium iterum redeo. Binas Excellentiæ tuæ literas accepi; quarum priores exaratæ, octavo die Aprilis: iis Sorberium commendabas: ac placet, tum ingenium elegans, tum varia eruditio. Allocutus eſt eruditorum complures; in his etiam Cl. Rivetum. Is commendavit Illuſtri Comiti Rhenenſi, ac tantum videtur effeciſſe, ut præfuturus ſit ejus liberis, ac præter victum habiturus ſit centum Imperiales. Gaudet Domina Comes, ſe opera Domini Riveti, nactum juvenem modeſtum, doctum, & quidem reformatæ Religionis. Nam inquit, metuebam, ne cum maritus ſit Confeſſionis Auguſtanæ, quempiam præficeret Lutheranum. Sed demùm Auguſto menſe eſt futurum, ut in ædes Dominæ Comitis, marito in caſtris agente, recipi poſſit. Nunc ea cura mordet Sorberium, ne interea Lutetiam Pariſiorum ſcribat Rivetus, & qui Eccleſiaſtarum, illi degunt reſcribant, de quopiam incautius ſibi dicto factore. Utcumque erit, nec ego, nec alii hujus urbis, patientur eum quicquam in nobis deſiderare. Alteræ Excellentiæ tuæ literæ ſcriptæ fuerunt x Maji; ex quibus intelligo tandem Excellentiæ tuæ traditum eſſe opus noſtrum, de Theologia Paganica, & Scientiæ Naturæ. Id ego jam compactum dederam, ante menſes permultos IIII, qui Lutetiæ diſtribuit libros à Blauwiis editos. Hic enim erat tum temporis. Simul mandabam ut poſtquam in Gallias rediiſſet, adderet pro amico, cui dare velles, ex incompactis exemplar quodpiam, vel etiam geminum. Item filio Iſaaco, tum adhuc agenti Lutetiæ, minimum duo exemplaria, & ſi plura expoſceret etiam tertium, quartumve. Sed non multo poſt, epiſtolam à filio accepi, unde intelligerem dolere illi, quod ante abitum non potuerit eos codices nanciſci; quo gratum animum erga benè meritos teſtaretur. Quid iis exemplaribus factum ſit, exquiram ex Blauwio. Sic enim non Blauwiis nunc ſcribendum mihi, fratrum eo, qui junior erat, paucos ante menſes defuncto. Magis ea res obeſſet Reip. literariæ, niſi fratrem propemodum ex aſſe hæredem feciſſet. Abſque eo foret, qui ſupereſt, impar eſſet ſumptibus faciendis tantis. Quippe ut mittam cætera, Typographiæ ergo, alit quotidie ſupra homines xl. Utrum præter compactum exemplar, etiam acceperis unum, plurave incompacta, non potui ex literis Excellentiæ tuæ cognoſcere. Si neglectum Bibliopolæ, petat famulitii aliquis; facilè ei in memoriam revocabitur, quod me præſente, ſtylo æneo, in charta deletili ſcribebat. Probè etiam Blauwius, & famulus ejus meminere, quibuſcum de eo ſum locutus, ubi literas Excellentiæ tuæ accepi; & nullam ejus rei in iis vidi mentionem. Ea quæ ſcripſi proxime Excellentiæ tuæ, probari valde gaudeo: Quod verò etiam laudibus extollas planè triumpho. Quamquam nullius Suada poſſit eſſe tanta, ut quas mihi laudes tribuis, eas mihi arrogem. Ac tam lævam mentem à numine deprecor. Interea exceſſus iſte amoris, in prædicandis meis, ſolatur me non parùm, cum alii ſic depretiant, ut nec juſtas laudes concedant. In quibus ille, qui flando inanes glorias, ſatis docet, cujus ſit gentis. Miſi illi per amicum noſtra, cum filii Maimonide. Rogatus, an nihil vellet reſcribere? negavit, ſui moris eſſe reſcribere, niſi prius legiſſet. Bellè hactenus. Poſt menſem literas accipio. Ait ſibi gratos eſſe hos labores, uti alios noſtros: Cæterum judicium non apponere, quia non ſoleat judicium ferre, niſi opere integro perlecto. Perleget credo ad Kalendas Græcas, ac judicium tum expectabo; quod perſcribat, an minus (dicam cum Comico) cicum non interduim. Quæ ad Nov. Teſt. adnotaſti, quanto ſtudioſius verſo, tantò magis exoſculor, ac ſtupeo protius. Nihil hactenus tale, vel tantum prodiit. Sanè inimici de iis tacere, quam vituperare illa malunt. Sed tria ſunt, quibus, ſic eos offenderis, ut nec ſulſo ululam odiſſe pejus poſſit. Primum eſt, quod Papam negaris, illum Anti-Chriſtum. Ac tuæ quidem Excellentiæ propoſitum illud video, ut facilius coaleſcat Eccleſia miſere adeo ſciſſa. Illis verò hoc ſtudium, ut quantùm pote abhorreant omnes ab Eccleſia Romana, arctèque ſibi adhæreant. Itaque multi exiſtimant, expedire ut credatur Anti-Chriſtus; nec opinionem eam evellendam animis, utcumque falſa foret. Optimè Barucephalum noſti, Dordrechtanum illum concionatorem. Nam vere id erat, ſi Tullii more, concionatoris utendum vocabulo. Is amicè à me monitus, ne in concionibus tribueret Pontificiis, quæ nulli eorum non vehementer improbarent. Ille quærere, num ego patrocinium ſuſcipere vellem Papiſtarum? Reſpondi alia eſſe ſatis multa, quæ verè poſſent culpari; nec veritatem egere falſis: Nec poſſe eum unicum Pontificiorum producere, qui ſic ſenſiſſent; me ſexcentos allaturum, qui contrarium docerent. Ad incitas redactus, torvo vultu dicere, neminem poſſe ſatis fœde Romanæ Eccleſiæ doctrinam coram populo depingere, ut magis eam abominetur. Non multum abluit oratio eorum, quibuſcum ſum locutus Amſtelodami. Cui, inquiunt, bono, ulterius non haberi pro Anti-Chriſto, quam ut plures quotidie deficiant à nobis ad Romanam Eccleſiam? Quaſi non abundè eorum ſit, qui hoc faciunt, rerum ſuarum ſatagentibus apud nos Pontificiis Doctoribus; noſtris pleriſque omnem penè fiduciam reponentibus, partim in acerbioribus Magiſtratus adverſus Pontificios edictis, partim in eo quod ſe frigide, etiam cauſam ſuam agentibus, obloqui liceat nemini. Alterum quo aſciam in crura impegeris, ipſimet eſſe ajunt, quod omnes errores Papiſtarum, vel defendas, vel excuſes. Magnam partem hæc eorum opinio inde originem trahit, quod Papiſticum credant, eoque erroneum, quicquid non conveniat Doctoribus ſuis. Dicere ſoleo, ἀμαθέστερον μὲν, ἀλλὰ σαφέστερον, tria diſtingui tempora oportere, *Conformationis*, quæ in primis ſeculis, quod ad multa etiam in conſecutis: *Deformationis*, quæ jam ante etiam ſucceſſorem Gregorii Magni, Bonifacium (intermedius enim Sabinianus ſolum quinque menſibus ſedit) in nonnullis eſſe cœperat; ſed ſeu tyrannidem, ſeu ſuperſtitionem attendamus, à temporibus Hildebrandinis, magna imprimis incrementa cœpit: *Reformationis*, cum & optimo, & doctiſſimo quoque tam tyrannidis, quam ſuperſtitionis pertæſo undique, emendatio Eccleſiæ expoſceretur, variique exulceratæ Eccleſiæ medicinam afferre conarentur. Sed plerique non ſat juſto pretio antiqua tempora æſtimantes: unde αὐθαδείᾳ quadam, non ea modo rejecere, quæ à deformatis erant temporibus, ſed etiam cum Apoſtolicis traditionibus nihil non (ut ſic dicam, quando Conformationis voce uti cœpi) conforme traderetur. Jure igitur Excellentia tua negat, alba omnia linea ſignari oportere, quæ Reformationis Authores immutarunt; cum non ea modo plerique ſuſtulerint, quæ à deformibus erant temporibus, ſed etiam, ut ſic dicam, conformibus: hoc eſt Apoſtolico tempori convenientibus. Tertium cujus ergo ſic bilis turgeat, eſt iſthoc, quod ſeditioſos dicas, qui Genevenſem imprimis Eccleſiam ſequuntur; & Calvinum, non dubites, ut crudelem inceſſere. De priori ajunt, te præcipuè tangere, tum Anglos, ſive potius Britannos reformatos, tum Belgas fœderatos, & in his Amſtelodamenſes. Quod ad Britannos, plerorumque judicium eſt, rectè fieri, quicquid hactenus ab iis factum. Nam Regem eſſe deſinere, qui ſupremo Regi non paret; non parere autem, qui vel Papiſta ſit, vel papizet; papizaſſe vero hactenus Eccleſiam Anglicanam, mox ab exceſſu Henrici VIII. cum Eduardus Eccleſiam reformaret, liquet judicio eorum, qui flos Theologorum credebatur; nec ſuorum omnia judicio metiri vellet, ſed externam etiam opem expoſceret, in hac Buceri ac Martyris; è quibus jam tum Bucerus non ſatisfecit Calvino: Et qui Calvino adhærerent, Buceriſmum voca-

vocabant, ſi qui Calvino non conſentirent; ac qui Bucero faverent, novum credebantur Papiſmum, quaſi dicerent Calvino-papiſmum, vel Luthero-papiſmum introducere. Bucerus non poterat ferre vehementiam Calvini, quem optimè norat ex quo Argentorati una vixerant, & melius noſſe didicit, ex quo Genevam revocatus. Accuſare igitur ejus (quo jure melius me ſcias) maledicentiam maximam, & quod diſſentientes non ferret, ſed durè adeo, aſperèque perſequeretur, ſic ut etiam fratricidam, uti lego, nuncuparet. Calvinus ſic à magno viro increpitus reſpondere; hæc eſſe genii potius ſui, quam judicii; & (ut Calvini ipſius verba, ad Bucerum retineam) ſic ſcribere, *Ut verum fatear, nulla mihi cum maximis, & plurimis vitiis meis, difficilior eſt lucta, quam cum iſta impatientia, neque certe nihil proficio, ſed nondum id ſum conſecutus, ut belluam planè domuerim.* Hæc ſanè ſatis modeſtè, ſi id poſtea conſecutus. Illud verò concoquere non potuit, quod idem Bucerus, qui eum vel norat, vel noſſe putabat, non veritus eſſet ſcribere; *Judicas prout amas, vel odiſti; amas autem, vel odiſti prout lubet.* Quod cum legiſſet, literas ſcripſit, quarum hoc initium. *Cum literæ tuæ mihi ſub cœnam allatæ eſſent, tanto gaudio perfuſus fui, ut non meminerim tribus totis menſibus, lætiorem mihi horam affulſiſſe. At cum eas ſuper cœnam, utcumque percurriſſem, lectione ipſa, ſic fui flagellatus, ut proxima nocte irrequietus ſemper æſtuarim, nec toto poſt triduo fuerim apud meipſum,* &c. Traducebant Calvini amici Bucerum, quaſi novum Papiſmum erigeret; nempe uti de tua dicunt Excellentia, interpolatum te Papiſmum exhibere. Bucerum negat, à ſe hoc nomine accuſari Calvinus. Sed optare tamen, ut ne cauſam præbeat calumniæ, dum ſic mediam Excellentiæ tuæ inſtar inſiſtit viam. Quod cum ex cunctis ejus pateat ſcriptis, tum præcipuè, à forma reformationis, præſcripta Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi; & illis quæ Anglicanæ Reformationis ergò ſcripſit. Cum vero Bucerus propius ad Romanam Eccleſiam accederet, quam Lutherus; Calvinus longius ab ea abiret, quam idem Lutherus; extra Lutheraniſmum, duæ ortæ appellationes, Buceriſmi, & Calviniſmi: & fatebatur Calvinus, Buceriſmum eſſe magis tolerabilem, quam Calviniſmum, ſi non ad obruſſam Scripturæ rem exigi oporteret. Nunc Bucerum paci nimium date, ſe omnia metiri veritate. Sed Calvini verba audiamus. *Fruſtra mihi excuſas, novo Papiſmo erigendo* (quod nempe Excellentiam Tuam ajunt factitare) *te non ſtudere; ſed vellem aliis omnibus, ſic exploratam eſſe puritatem tuam, ut ne ſuſpicionis locum relinqueres. Fruſtra etiam id te dare operam ne quid Calviniſmi admiſceatur. Si à ſcripturâ ſemel deflectendum ſit, non ignoro, quam ſit tolerabilior Buceriſmus, quam Calviniſmus,* &c. Buceriſmo Excellentiam Tuam magis favere, quam Calviniſmo, res clamat; Atque hunc, ſi Scripturis non repugnet, magis tolerabilem eſſe Calviniſmo, agnoſcebat ipſe Calvinus. Solum igitur quæſtio oritur, An Buceriſmus ei magis obverſetur Calviniſmo? Facile eſſet cuivis, hanc decidere controverſiam, niſi Scripturæ etiam poſſent malè intelligi à Calvino, & eum ſequentibus. Puto igitur operæ eſſe videre, quomodo eas intellexerint Veteris Eccleſiæ Doctores. Quod ſi fiat, ſine dubio, vicerit Bucerus. Exiſtimo autem rem facturum non inutilem, qui ex Buceri ſcriptis colligere velit, quæ ad controverſa dogmata, & concordiam Eccleſiæ pertineant. Sed conſulendæ ſint Editiones illæ, quas nobis Germania produxit; non quæ ex ſententia Calvini caſtratæ, prodierunt Genevæ. Exempli gratia, Commentario in Pſalmo II. ſic habet Argentoratenſis Editio Anni CIↃ IↃ C XXIX. *Non poſſum non ſanum judicium optare quibuſdam, qui hoc noſtro ſeculo plurimos admodum turbarant hoc paradoxo; ſola nos fide ſervari. Cum viderent tamen hoc eo rapi, ac ſi juſtitiam ſola animi exiſtimatione, finirent, & bona opera ſecluderent. Quæ jam illa Charitas, quæ huic malo, uno verbulo mederi dedignetur? Fide formata juſtificamur, aut per fidem bonorum Operum, voluntatem, ac ita juſtitiam conſequimur. Aut fides, fundamentum, & inde eſt juſta vita,* ut Auguſtinus *dixit. Neque veris enim quiſquam eſt offendendus,* &c. Ubi pro hiſce, ſic habet Editio R. Stephani quæ Anno prodiit CIↃ IↃ C L IV. nempe triennio à morte Buceri, decennio ante mortem Calvini: *Nemo gravari debet, cum videt offendi homines, quod ſancti aiunt, Nos ſola fide ſalvari; adjicere vivâ, formatâ, per dilectionem efficaci, aut quid hujuſmodi. Nam qui offendantur hoc dicto, putant eos, qui illud uſurpant, juſtitiam in inanibus animi cogitationibus collocare, bonorum operum ſtudio tanquam fruſtraneo repudiato. Ut igitur ne veris quiſque offendendus eſt,* &c. Cum vero omnia fere Buceri, ſint moderatiſſima; tum imprimis, præfatio in Commentarios ſuper quatuor Euangeliſtas, in Editione Argentoratenſi Anni CIↃ IↃ XXX. quæ & ipſa prætereita, in Editione Rob. Stephani Anni CIↃ IↃ L III. Nempe probari illa iis non poſſunt quibus Romana illa Eccleſia, non eſt Apoſtolica, ſed Apoſtatica: Nec ſedes Chriſti, ſed Anti-Chriſti; nec vivum ſed mortuum eſt Corpus. Doctiſſimus ſocer Junius, cum nollet ab iis diſcedere, qui cenſent, Romanam Eccleſiam eſſe Meretricem Babylonicam, & tamen ſtatueret, in ea ſalvari innumera millia; ajebat eſſe vivum Corpus, ſed ulceribus obſitum. Meretricem eſſe, ſed adhuc Sponſam Chriſti, vel Conjugem, quia Chriſtus necdum illi miſerit libellum repudii. Sed non eo ſatisfecit Genevenſibus, qui illam dicerent Idololatricam, ac proinde neminem in ea ſalvari. Narravit mihi Doctor Antonius Thyſius aliquando cum Genevam veniſſet, & ſoceri mei nomine, multam ſalutem diceret D. Bezæ, illum continuo ſubjeciſſe; *Et quomodo valet chariſſimus frater Junius? Vir eſt egregie de Eccleſiis noſtris meritus; quanquam in uno capite diſſentiat à nobis.* Id caput erat de Eccleſia, quam Junius negabat, tam arctis limitibus concludi, ac multi volunt; ſed jam metuere incipio, ne prolixitate tanta moleſtus ſim occupatiſſimo. Ad alia igitur venio. Clariſſimus Rivetus reſponſum parat, atque id ait ſibi non fore difficile. Omnibus tui, ſuique ſcripti comparationem inſtituentibus fore liquidum, cauſam ab Excellentia tua deſertam. Rogare ſe Deum, ut dotes ingenii melius colloces, quam factum proximè. Ita ille. Cur cauſam deſertam à tua dicat Excellentia, cauſam non video aliam, quam quod non agas de univerſis, quæ fuerant objecta; quaſi non dicas initio, hoc tempore non alia te velle defendere, quam quæ tuam Excellentiam tangant. Reſpondere etiam Epiſtolæ tuæ parat Laurentius. Indignè fert ſe ſic remitti ad veteres, cum Theologiæ ſtudium ſibi proprium ſit, & iſtos, ut ait, legerit; ipſeque ætate non niſi triennio, ut inquit, præcedas. Inde colligi poſſe quanto ſpatio prius huic ſe ſtudio dederit, & tot laboris ſui monumenta habere teſtes, quæ jam abhinc annis circiter XXX. diverſis divulgarit temporibus. Culpatur à cunctis, quod Apoſtatam probare velit, ex ſententia partis adverſæ: ajunt enim eos potius Σχισματίας eſſe accuſandos, qui non ſteterunt tecum, à partibus Illuſtriſſ. DD. Ordinum Hollandiæ. Nec tantum fiduciæ habet; ut auſit dicere, potiorem fuiſſe cauſam eorum, qui Remp. immutarint. Negat ſe controverſiæ iſti velle immiſcere. Ac alii contra, jam immiſcuiſſe ſeſe, & animum ſuum aperuiſſe, qui ex partis adverſæ judicio, judicium ipſe de Σχισματι ferat aliena. Non ſolet ſic loqui; nec proximis turbis male de Republ. meritus fuit. Itaque Collegis tam erat exoſus, quaſi Proceribus paraſitaretur. Nunc placere iis ſtudet; mirantur aliqui Procerum iſtam μεταμόρφωσιν. Ait ipſe non potuiſſe concoquere quod Amſtelodamenſes Eccleſiaſtæ dicerentur ſeditioſi, in illo Mareſii ſcripto. Nam in his & ſe nomen ſuum profiteri. Reſponſum, ſermonem tuæ Excellentiæ fuiſſe de iis, qui tum anno fuere hujus ſeculi, XIX tum item decennio poſt. Nihil hic magnopere ad præſentes pertinere, quia Triglandius Leidam conceſſerit; Smoutius ſit exactus, Cloppenburgius profugerit, aliqui fato ſint functi. Modeſtiores nunc eſſe adſcitos, ſive ea laus ſit Presbyterii, ſive Procerum prudentiæ. Vix habet hic quod opponat, quam

illud, Quid tum? Plurimam ſalutem D. conjugi, & familiæ tuæ.

Amſtelodami, cIↃ IↃ C XLII. XVII. Junii.

*Excellentiæ tuæ devinctiſſimus,*

G. J. Vossius.

DCXIV.

## Andreæ Colvio

S. P.

*Commendatitia Nobilis Poloni.*

PRæclare Colvi, qui haſce tradet literas, Nobilis eſt Polonus, reformatæ Eccleſiæ filius, pluſculis ab annis mihi notus, nec non ob virtutis ſtudiorumque amorem pergratus. Is menſes aliquot in urbe veſtra ſedem figere decrevit; velim igitur, ut auxilio & conſilio juves, partim cogitando de domicilio, ubi honeſte habeatur, partim etiam (quando moleſtum non eſt homini tam occupato & privatis & Eccleſiæ negotiis) pauxillum confabulando. Atque utrumque horum etiam peto ab egregia Bevervici anima. Pene ſcripſiſſem ſuper ea re etiam ad communem hunc amicum; ſed quid attinet iſthæc iterare, quæ ex literis hiſce ipſe etiam poſſit cognoſcere? Satis es expertus nulli in literis ſcribendis Romanum Lentuli magis nomen convenire quam mihi. Quid mirum? abſque noctibus eſſet nihil à me expectare deinceps poſſit Reſp. literaria. Nunc, quod amici de die eripiunt, de ſomni tempore decido. Quare propediem, ut puto, aliquid noſtri conſpicies: in his libellum de tribus Symbolis, Apoſtolico, Athanaſiano, & Conſtantinopolitano, quod Nicenum etiam nuncupari ſolet, quia Nicenum comprehendit. Sed tibi, tam amico capiti, iraſci ſi poſſem (cujus ne cauſam quidem præbuiſti in pueritia, etſi ea ætas valde cerea ac lubrica) nunc ſane vehementer ſuccenſerem quod non ſequaris exemplum noſtrum in bene etiam de poſteris merendo. Quod neutiquam ſcriberem niſi quantum valeas ſcirem. Occupationes quod prætexas, aliquid, & nihil eſt; vires ſi eas tibi neges, alium quæras cui perſuadeas. Cave igitur, ne cogar ſuſpicari, placere tibi, ut cum gentili loquar Poëta, antiquæ ſacra Vacunæ & Vacunales focos. Plurima ſalute impertias Conſularem Wittium & affinem ejus Vivienum, ac pariter lectiſſimas conjuges; ut taceam tuam, & Bevervicium meum. Abunde ſalutigerulum feci, quare deſino.

Amſtelodami, cIↃ IↃ C XLII.

DCXV.

*Scriptionis ſuæ occaſionem memorat, & quid animi Batavis ſit erga Pietruccium ſcire avet. Enarrat prædii ſui reditus & amœnitatem, quo vendito, de commodâ ſenectutis ſede ſibi proſpecturum.*

*Clariſſime & Præſtantiſſime Vir,*

JAm quatuor ſunt menſes, cum literas ad te dedi, unà cum Synopſi Syſtematis mei, quo artem prophetandi, euangelizandi vel prædicandi ſum exſecutus. Cum autem tanto tempore nullum à te reſponſum acceperim, aut meas aut quas reſcripſiſti intercidiſſe ſuſpicor. Et quoniam Illuſtriſſimus Alexander Syncleticus, domo Cyprius, ex Nobiliſſima Roncaſiorum Comitum familia, primarius in hoc Athenæo anteceſſor, me certiorem fecit, filium ſuum Aloyſium ad vos nunc profectionem parare ſub Auriaci Principis militia adoleſcentiæ rudimenta poſiturus, viſum mihi eſt iſtam tui literis iterum ſalutandi occaſionem non omittere. Una igitur cum iſtis accipies priorum exemplum, quodque mihi humanitas ſua ſpondet, nos quamprimum certiores facies, quid animi ſit Batavis ſuis, cum ex te quæ Pietruccius à ſe expectari jubet cognoverint. Is ſalutem tibi amoris ac ſtudii pleniſſime per me nunciat: cujus ſi familiaris uſus tibi contigiſſet, ſat ſcio, non me quicquam amicitiæ magis, quàm veritati, in laudibus ejus prædicandis tribuiſſe fatereris.

Ego etiamnum hic hærere neceſſe habeo, mirifice geſtiens Alpes tranſvolare, ut aliquo in loco, ubi libertas æqua ſit omnibus, vulgandis lucubrationibus meis vacare poſſim. Dux Mantuanus pro vectigalibus, quæ ex Monteferrato capere ſolebam, cum ea miniſtri ejus plures annos in ærarium ejus intuliſſent, tandem mihi feudum Cavadoro (vulgo Cavatorre) cum Marchionis appellatione in Monteferrato tranſcripſit, ut id cui velim vendendi poteſtatem habeam. Ceſſit mihi quoque fundum optimum maximum Godio vel Goito finitimum, à flumine Mincil ad Veronenſes uſque fines pertinentem, qui tantum complectitur ſpatii, ut eum equo vectus non niſi decem horis circuire poſſit. Solum ejus eſt uberrimum & rerum omnium præterquam ſalis & olei feraciſſimum, quod Marchiones Piſcariæ fundi dominos, cum familia centum capitum alere ſolebat, fuitque poſtea bene diu Mantuanorum Ducum deliciæ, cum præſertim venationis, aucupii & piſcatus maxima ſit ibi commoditas: etſi nunc & pleraque agri Mantuani poſt diuturnum bellum ibi verſatum fundus eſt ſatis incultus & ſylveſtris: quem tamen Pietruccius, qui ſuperiore anno poſſidere eum nomine meo cœpit, uno triennio affirmat tam fructuoſe coli poſſe, ut videatur non minus quatuor Ducatonum millibus annuis redditurus. Sed Marchionatus nihil domino affert emolumenti, adeoque non tam facile aratorem inveniet, niſi quem præter juriſdictionem in ſubjectos & venationem, cujus multiplex ibi eſt commoditas, Palatium Ampliſſimum Principe non indignum alliciat, ſi præſertim æſtates in loco ſatis edito, unde in mare Liguſticum proſpectus patet, jucunde exigere gaudeat. Iſtorum venditione cum pecuniæ aliquantum redegero, non erit, opinor, quod ultra me cis Alpes detineat. Cum quid ejus ex ſententia tranſactum fuerit, egoque de loco, qui ſenectæ meæ ſedes ſit, conſtitutum habuero, curæ mihi erit, ut ne quid rerum mearum diutius ignores. Te interea, Vir Præſtantiſſime, proſpere valere beneque rem privatam & publicam gerere opto & auguror.

Patavio ad diem 2. Julii, 1642.

*Tui obſervantiſſ.*

Gaspar Scioppius.

DCXVI.

*Illuſtri Viro,*

## Joanni Skytte,

Baroni, &c.

*Commendatitia Freinshemii.*

*Illuſtriſſime Domine,*

JAm ſpero literas acceperis, quas IV Kal. April. dederam Nobiliſſ. juveni Jo. Kreutzio. Ut denuo ſcribam, bella facit occaſio, eunte ad vos Viro clariſſimo Jo. Freinshemio, quem Hiſtoriarum & Eloquentiæ in Upſalienſi Academia Profeſſorem conſtitutum, & ante ex aliis intellexi, & nunc ex ipſo audio, gaudeoque. Atque hoc omne, præclare literarum ac literatorum Mecænas, tui unius eſt beneficium, qui & de Præſtantiſſimo Freinshemio, atque ejus familia & de Academia patria atque adeo omni Rep. literaria pulcherrime mereri voluiſti. Hæc & fidentius ſcribo, quia mihi

& ex ſermone & tot ingenii doctrinæque monumentis & aliorum etiam ſummorum virorum judiciis, vir hic notiſſimus eſt; digniſſimus ſane, quicum vel in tenebris mices, & ea ingenii elegantia, ut non facile poſthabeam cuipiam; inque ſcriptoribus antiquis ingenio tam ſubacto, ut his & vicinis terris hactenus ſe omnibus probarit ea in palæſtra verſatis. Sane multa ſunt, qui prima facie quantivis pretii videntur, ſed ſi introſpicias, comperimus ſecundum veterem adagionem, pro theſauro carbones. In noſtro hoc contra eſt, qui longe plus habet in receſſu quam in fronte promittat. Neque unius hoc mei judicium eſt. His paucis diebus locutus ſum cum multis, qui uno ore omnes, ut indefeſſum laudant tuum ſtudium in bene merendo de literis, ita & prudentiam extollunt in hoc viro è literatis ſeligendo, qui familiæ Skyttianæ, ſanè illuſtriſſimæ, ſi fieri poteſt, lucis aliquid addere porro apud poſteros, & ornatiſſimus ipſe ornamento eſſe, licet longè ornatiſſimæ, diu noctuque conabitur; & ſi Deus longam illi vitam ac valetudinem, quod velit, etiam poterit. Nihil attinet plura de clariſſ. Viro addere, qui eà eſt modeſtià, ut ſi iſta à me ſcribi ſciret, verecundius tanto Heroi literas offerret noſtras. Metueret ſcilicet ne ex compacto, hoc fieri ſuſpicari poſſes: verum ne ille quidem ſcriptum me ſcivit, niſi cum jam nauta abitum pararet. Quæſo ubi occaſio erit, ſalutem dicito Generoſo filio Baroni Jacobo Skytte, volo enim ut ſciat, me memorem eſſe ſui, neque me ſolum, ſed omnem familiam meam: à qua itidem ſalutem adſcriberem, niſi hoc ipſo mane Ultrajectum ſe cum aliis amicorum contuliſſent.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ C XLIII.
III Non. Qu.

*Illuſtriſſimæ familiæ tuæ*
*æternum devotus,*

G. J. Vossius.

---

## DCXVII.

*Ipſum in ſe ſuoſque filios propenſum affectum mirè extollit, ad mutua ſe illi officia devinctiſſimum eſſe confeſſus. Freinshemium in Suecia magni fieri, propter multiplicis ſcientiæ monumenta, refert.*

*Clariſſime & Præſtantiſſime Vir,*

NOn dici poteſt, quam gratæ mihi fuerint literæ tuæ, quas Creutchio & Freinshemio ad me perferendas tradidiſti. Et cum in iiſdem pleniſſime referas, quæ ſemper fuerit ac etiamnum ſit animi tui in me & filios propenſio, vix ac ne vix quidem lucis hujus uſurâ dignus exiſtimarer, niſi eandem ſummo obſervantiæ cultu proſequendam mihi judicarem; potiſſimum verò hoc nomine, quod & filium Benedictum in Galliam proficiſcentem ſalutaribus monitis & exemplis inſtructum dimiſeris, & filio tuo Iſaaco ſine dubio ſuaſor & autor exſtiteris, ut in præfatione ſua Rabbi Moſis Maimonidæ de Idololatria libro appoſita & mei & filiorum mentionem faceret præclariſſimam, ipſeque promittas, te præclariora tuæ in nos omnes voluntatis in poſterum & ad omnem poſteritatis memoriam ſpectantia editurum documenta. Quibus quidem officiorum generibus te nobis vehementer devincies, ut omni tempore parati ſimus & de te tuiſque bene ſentire, & optime mereri. Freinshemius cùm præter literas meas evocatorias, commendatione teſtimonioque tuo inſtructus ad nos ante perpaucos menſes venerit, talemque ſe in omnium conſpectu 25 die præterlapſi menſ. Aug. exhibuerit, qualem monumenta ejus in publicam lucem antehac emiſſa eum declararunt, ingenio ſcilicet acerrimo & omni eruditionis genere refertiſſimo, non dubitabis, quin eundem ſingulari amore ſimus complexuri. Imò verò cum tot in eo conſpiciantur multiplicis ſcientiæ ornamenta, vere profiteri poſſum, Academiam Upſalienſem adventus illius felicitate mirifice recreatam. Et cum iis dotibus jam ſit cumulatus, ut multorum in re literaria tenuitati & ariditati facile poſſit conſulere, procurabimus, Deo juvante, ne eum profectionis in Sueciam ſuſceptæ pœniteat. Quantum tibi debere cupiat filius Jacobus, literis ad te datis oſtendet. Benedictus, quem Deus præpotens heſterna luce ſalvum & incolumem nobis omnibus reſtituit, & feliciſſima quæque domui tuæ & tibi longiſſimum diuturnioris vitæ curriculum comprecatur. Vale omnium literatorum decus ſingulare.

Jenecopiâ Auſtralium Gothorum,
4 Octob. 1642.

*Tibi tuiſque & obligatiſſ.*
*& addictiſſimus,*

Johannes Skytte.

---

## DCXVIII.

# Ludovico Crocio,

## Theologo Bremenſi,

## S. P.

*De Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana opus, placuiſſe confidit, aliud de tribus Symbolis opuſculum cenſuræ ejus ſubmittens, quæ deinde moliatur, recenſet. Grotium arduam ſuſcepiſſe provinciam conciliandi Eccleſias Reformatas cum Romana confitetur.*

ANte menſem plus minus miſi ad te, eximie Croci, opus noſtrum de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana: utrum acceperis, non quæram. Nam his diebus adfuit mihi quiſpiam qui ſalutem mihi ab eo diceret, cui Bremam miſiſſem volumen antea memoratum. Nomen quærenti, negabat ſe ſcire: & ſolum ſe hoc juſſum dicere ajebat, quod dixiſſet. Sane apertior erat circumlocutio iſta, quam cum Trojani belli ſcriptorem dicimus pro Homero. Nam multi præterea id bellum deſcripſerunt. Ego autem labores noſtros uni tibi in Germaniam miſeram. Quare recepiſſe te gaudeo: ac placere confido, non quaſi præclare de noſtris ſoleam ſentire: ſed quia nec livor negarit, multa hic eſſe aliis indicta, eoque ſcripta mihi, non exſcripta. Miſcui vero & ſacra profanis & profana ſacris, ut utrique ſcholæ prodeſſem. Vides, cur tantopere confidam, probaturum te operam in hoc opere locatam. Ac eo impenſius, ſcio, probabis, quia probitatis ſemina, dum rerum naturam tracto, inſperſimus paſſim. Reſtat pars ea, quæ eſt de foſſilibus & plantis; ſed hanc nondum exaſciavi, & jam alia quædam in manus ſumpſi, ut ita laborem illum inſititiis aliis diffindam. Argumento fuerit opuſculum hoc de tribus Symbolis, quod mitto. Atque hoc itidem ſi probaris, approbatius & ipſe vindicabo. Jamque prælum fervet ſimili libello de tempore nativitatis ac paſſionis Dominicæ. Sane utraque quæſtio, ut noſti, perplexi eſt negotii. Fortaſſe conſequentur tum liber de Vitiis Sermonis, tum Harmonia Evangelica de Paſſione ac Reſurrectione Chriſti, ubi duo hæc potiſſimum ago, ut ordinem geſtorum exponam & ἐναντιοφανῆ conciliem. Non parum hic veterum juniorumque debeo induſtriæ, ſed etiam ſpicas quaſdam legendas nobis relinquerunt. Et in tanto eorum diſſenſu, non minoris eſt judicii, quam laboris certi aliquid conſignare. Illuſtris Grotius arduam ſuſcepit provinciam conciliandi Eccleſias Reformatas cum Romana; non quod ſe vivo multum hinc boni proventurum ſperet, ſed quod pulcherrimum etiam putet ſerere arbores, quæ alteri ſeculo proſint. Nec ignorat ſuperſtitionem & tyrannidem Papalem. Sed ſcit innumeros eſſe paſſim ex Catholicis Romanis, præſertim in Galliis, quibus ea improbentur. Quales exiſtimat facile adduci poſſe ad concordiam, ſed requirit idem in noſtris etiam plus moderationis. Quanquam multa Romanæ Eccleſiæ vulnera oſtenderint, quædam etiam feliciter ſanarint, eſſe tamen, ubi ipſi novum faciunt vulnus, eoque locum habeat illud Poëtæ, *Exceſſit medicina modum.* Rectene an ſecus allegat ejus ſenten-

 tiam,

riam, optime perſpicies ex ejus animadverſionibus in animadverſiones Riveti. Quarum idcirco exemplar mittere volui, fortaſſe quia deinceps controverſia cum Grotio futura multo longius abeunte, miſſos facient Bremenſes. Utcunque egerint, ſcio vos fore ſemper divinæ gratiæ patronos, nec eam cauſam deſerturos, à qua ſtant Scriptura & Eccleſia vetus. Imo ut Romanam & Auguſtanam Eccleſiam mittam, fere optimus ac doctiſſimus quiſque eorum, qui in reformatis Eccleſiis aliquo in pretio habuerint antiquitatem, nec planè forent ἰδιογνώμονες ἢ αὐθέκαστοι, vel alterius ſententiæ ſuam plane mancipaſſent. Salutem plurimam dicito clariſſimis viris, Collegis optimis doctiſſimisque, Bergio, Willioque. De Neufvillio adderem, niſi id officii in ſe recepiſſet filius, qui haſce traditurus.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XL I I, I I I Non. Qu.

*Tuus futurus dum ſum,*

G. J. Vossius.

Pag. 933. operis noſtri de Idololatria pro virtutibus tuis ſat jejune te laudo. Alias v. id corrigetur. Scio humanitatem tuam, quem talibus offendere non poſſim.

---

## DCXIX.

## Georgio Ratallero Dubletio,

Senatori Cur. ſup.

*Conſolatoria.*

*Nobiliſſime, Ampliſſimeque Vir,*

INdolui vehementer, poſtquam ex eo, qui tuas mihi literas adferebat, intellexi de exceſſu optimæ adfinis tuæ: nec enim antea id cognoveram, neque tam id literæ tuæ ſignificabant, quam hujuſmodi quid innuebant, fortaſſis, quod aliunde malles me percipere id, de quo non ſcribere modo ſed cogitare etiam foret permoleſtum. Ac ſortem quidem defunctæ nemo ſapiens lugebit. Quid enim certius, quam vitam hanc plus aloës habere quam mellis? Ego ſi multos ante annos defunctus forem, quot adverſa non vidiſſem! Sed doleo vicem optimi & præſtantiſſimi affinis tui: qui neſcio an facile alteram ejuſmodi vitæ comparem ſit repertурus. Interea temporis eam quoque provinciam minus difficilem reddet; quod ni fallor, unica ſolum proles relicta & in re tanta. In hocce verò luctu, ut confido, eum ſe præſtat, quem ſemper cognovimus: pectoris nempe bene præparati quamvis ferre fortunam. Quam ad rem vehementius etiam incitare eum debet gentilis & affinis ſui exemplum. Cujus tanto juſtior fuit dolor, quanto moleſtior multiplicis adeo ac tenellæ prolis educatio; ſed nulla eſſe tanta triſtitia debet, ut animum, non dico, commoveat, ſed de ſtatu dejiciat. Fruſtra hactenus ſtudiis & ſacris & externis operam dedimus, ſi hoc non magnam partem ex iis hauſimus, quomodo medela debeat fieri animis ægrotis; imo illud etiam qua ratione conſequamur, ne animus multum diuve moveatur adverſis, id erit, ſi mens ad omnem ſit eventum præmunita. Nam tela, quæ prævila, ea vel amictu evitamus, vel levius ſaltem feriunt, ut dici ſolet: Atque iſta ſcribenti venit in mentem, ſi tute, qui tam fortia verba exaras, cognoſceres nunc filium dulciſſimum quem ante biduum Florentia (ubi tantum temporis, partim Muſis conferendis, partim ἀνεκδότοις exſcribendis, impendiſſe noſti) ſalvum ac ſoſpitem veniſſe Romam: literis ipſius edoctus gaudebas. Si inquam eumpſe nunc triſti fato exceſſiſſe audires: nonne ea res omnem illam, quam ſic prædicas, ſapientiam facile expectoraret? Ego mox omne tam triſte abominare, eo facilius, quia omnia, ejuſmodi quidem, flocci facio. Huic cogitationi pauxillum inſiſtens, non alio animo, quam ut me ipſum excuterem (valde enim difficile eſt illud γνῶθι σεαυτόν) ut pugnantes videas affectus, riſi & ingemui. Denique in eam mentem ſum adductus, fore me non imparem fortunæ, per gratiam divini ſpiritus, qui non tentat ſupra vires. Quorſum, inquies, iſta tendunt? Nempe, ut oſtendam, omnia nos nobiſcum antea revolvere debere, quæ valeant obtingere in hac vita; ſi nihil eorum, quæ metuimus, uſu venit, lucro reputabimus: majores etiam Deo gratias agemus: ſin ſecus, animo erimus præparato: ſed noctuam Athenas, qui iſta ſcribam. Mitto tibi exemplar opuſculi de tribus Symbolis: quod gratum erit, ut omnia noſtra. Addidi alterum, Ampliſſimo Reigersbergio, tertiumque affini tuo Dubletio, quem plurimum meo ſalutes nomine, rogo, uti & Senatorem collegam, quem dixi. Mitto & alia exemplaria: ſed de illis curæ futurum cognato Brunæo: in his unum cedet Doctori Johnſono, aliud Equiti Zulichemio, tertium D. Riveto: quartum Equiti Wickefortio: quintum Conſulari Conradino Burgio; ſextum ipſi cognato. Vix ſcripſeram iſta, cum in mentem venit, de Nobil. Boſwello, Dedelio, Caſio. Quare & iſta tibi deſtinavi; ſed conditione ea, ut ſi voles, non per tuum id famulum fiat, ut recipiant, ſed per Brunæum noſtrum. Tantum monendus erit, vel potius ſignificabo, ut ipſe domum veniat tuam.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XL I I, Non. Quinct.

*Tuus tuo merito,*

G. J. Vossius.

Cum ex literis affinis meæ Brunææ cognoſcerem filium ejus ægrotare, conſilium mutavi, omniaque ad te exemplaria miſi. Si meliuſcule valuerit, tuam poterit domum arceſſi, per famulum, ut levet tuum illum labore diſcurrendi per urbem ad exemplaria tradenda. Omnia tuæ prudentiæ committo, qui facies, prout maxime tibi erit commodum. Prænomen Domini Dinglei, imo vix nomen ſciebam. Id exemplar procurabit Doctor Johnſonus, ad quem de eo ſcribo.

---

## DCXX.

## Hugoni Grotio

Legato Regni Suecici,

S. P.

*Scriptum Laurentii contra Grotium virulentum recenſet, ac male metuit, ne, quem non alium ante, quàm bonum virum noviſſet, is deinceps totus in Zelotarum partes concedat.*

PAucis diebus quum Amſtelodamo me Hagam conferrem, dono ab Laurentiade accepi libellum adverſus Excellentiam tuam exaratum. Ubi titulum legi, averſam paginam inſpexi. Video tuis aptari ineptè Horatianum illud, de montium partu enitentium, non aliquid montibus dignum, ſed murem, eumque ridiculum: unde & ſubjicere voluit, alterum hoc ejuſce vatis: *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?* ſed *legendum admiſſi* juſſerat excudi. Verum ut videtur, monitus, juſſit vocem primam deleri, quia metro repugnaret: voluit autem pro ea, reponi, *ſpectandam*, vel potius *luſtrandam*, genere muliebri, quia, ut inquiebat, ad Grotianam Epiſtolam reſpiciatur. Quaſi non ſic deficiat præverbium *ad*; ut integrè ſit, *ad luſtrandam Epiſtolam*. Provehor ad libellum ipſum. In aditu ipſo, video lituram; ſed ſic ut tralucerent hæc verba, *ex familia Oxenſterniana*; delere hæc voluit, quia Axelius Oxenſternius, qui Leidæ ſtudiorum gratia agit, nollet in verba ſua, tanquam oracula, illini chartis, & volitare per hominum manus & ora. Nec ſi pœnitendum hoc Nobilis juvenis judicium ſit, eo tam culpandus ille, quam qui uno ore talia ipſius auribus inſtillant aſſidue. Omnino

enim

enim hoc agi video, ut Proceribus Suecicæ diſpliceas, inque Legati munere ſufficiatur alius Excellentiæ tuæ. Ulterius legere cœpi. Incido in verba illa, *citius aquam è pumice elixerim.* Pene dixiſſem δός μοι λεκάνην. Poſui paulum libellum? Mox, ut fit, recipio; ſimul alter intervenit, qui jam legerat, oſtendit verba illa, Noch grooter Pot. Ait proverbium eſſe potantium largius, & more Græcanico, grandius poculum expoſcentium. Etiam in bibendo, ut narrabat idem, proverbium eſſe incipit, Noch grooter Pot / ſeydt Jacob Laurentſz. Alius referebat lectum ſibi, in eodem libello, Grotius komt al te laet in School. Ego, inquiebat, potius dixero, Laurens is al te vroeg geloopen uyt de School. Melius enim diſcere debuiſſet Grammatices Latinæ præcepta, priuſquam ad ſacra animum appelleret, manibus illotis. Longum ſit adſcribere, quid ſinguli rideant, aut carpant. Atque ego nec iſta ſcripſi ſine dolore. Amavi enim virum, nec prorſus exui amorem, quia primum hoc eſt viri ἁμάρτημα: & fortaſſe ad ſaniorem mentem redibit. Antea enim ſemper oſtendit diſplicere ſibi facta collegarum, atque eo nomine, minus iis gratus fuit, at gratior Proceribus; ſic ut propterea, nec invidia fratrum ſuorum careret, multa etiam ab iis indignè pateretur. Miranti autem tam ſubito mutatum, reſpondit, ſua intereſſe, & liberorum, ne ipſe pro ſeditioſo haberetur. Interfuiſſe etiam Presbyterii, ne ad unum omnes ſeditionis arguerentur, ac propterea ſe ejus defenſionem ſuſcepiſſe. Dixi ego, non agi de Paſtorum ſingulis, qui nunc Presbyterium conſtituant. Eos qui criminis tanti arguerentur, maximam partem vel fato conceſſiſſe, vel alibi locorum agere. Uti Triglandium Leidæ eſſe Profeſſorem, Smoutium, qui urbe exactus, eſſe Rotterodami, Cloppenburgium, qui ſponte metu pœnæ profugit, in Hardervicenſi Gymnaſio jamdiu Theologiam docere: in locum defunctorum, eorumque quos dixi, ſuffectos alios, conſentiente Magiſtratu; ad quos illud de Seditione nihil pertineat; imò ne ad Hanekopium quidem, qui cum Proceribus magis quàm fratribus ſeditioſis faveret; eorum artibus, de munere ſit dejectus. Addidi facta quædam, quæ non poſſet diffiteri: etiam quæ ex ore unius poſt fugam percepiſſem. Item oggeſſi querimonias de fratribus, à quibus tam multa, ob concordiæ ſtudium diu eſſet perpeſſus. Ad hæc non aliud reſpondere, nominandos ab Excellentia tua fuiſſe, qui Eccleſiaſtarum ſeditionis forent rei: nec talium ſe patrocinium velle ſuſcipere: nunc cùm ἀορίστως loquaris, de Amſtelodamenſibus Eccleſiaſtis, periculum eſſe, ne omnes eidem crimini involvantur. Quaſi non & ipſe, dum ἀορίστως omnes tuetur, tam ſontes quantum in ſe, quam inſontes abſolvat. Magnam interim gratiam init, ab omnibus crimini iſti obnoxiis; ac literas quotidie accipit ab ejus farinæ hominibus, etiam ut intelligo, ex ipſa Anglia; quibus impensè gaudet, ut propterea valdè metuam, ne quem, non alium ante quam bonum virum novi, vel ſaltem, quam talem, ut ſeditioſis ſe non ſatis probaret; is deinceps totus in zelotarum partes concedat. Hoc eo juſtius metuo, quia in Pontificiorum quidem lectione ſedulus fuit, ſed ea eſt ἀκρισία, ut non ſatis ſciat diſtinguere, quæ Romana Eccleſia ex primis ſeculis retinuerit, quæque in iis mutarit: Item quæ ſentiant univerſi, & de quibus ſecus judicent prudentiores. Negabam quæ ſubinde Pontificiis objectat, ea ſtatui ab tota Eccleſia Romana, imo à multis negari ajebam. Ille contra, quæ in Romana Eccleſia ſcribantur pro dogmatis ejus Eccleſiæ habenda, quia nihil in ea niſi approbatum ſcribere liceret. Ego ad iſta ex eodem principio colligere ſententiam aliorum, qui diſſentiunt, pro approbata habendam, quia horum æquè libri, cum venia ſuperiorum, prodeant in lucem. Quæ duo cùm ſint ἀσύστατα, fatendum eſſe ſuper nonnullis non conveniri, quia nihil ſit authoritate ejus Eccleſiæ deciſum. Non dubium vero eſt, quin ſi reſpondeas viro, alia atque alia objecturus ſit Pontificiorum loca, potiſſimum illorum, qui à cordato nemine defendi poſſe videantur: atque iſthoc fine id acturus, ut dijudicent omnes, quibuſcum conciliationem quæras. Hic ſi provoces ad eos, qui moderatius ſapiant, apud cordatos multum, apud eum nihil feceris, quia dicit iſtos ſic loqui, ut tegant execranda dogmata: alios quos ipſe adducat, candidè ſententiam Eccleſiæ ſuæ aperire. Etſi multum metuo, ne qui Laconiſmo gaudes, hæc fuiſſe adeo deducta, non abſque tædio legas. Mei nihilominus officii putavi, plenius tibi virum deſcribere, quò certius ſtatuas, an cum eo pedem figere velis. Valde id exoptat, quia nunc ſe contemni putat: quod impotenter fert, quia xxx. annis fuerit Paſtor; & xx. edidérit volumina; ſed quæ, ut ajunt, qui Typographica è re & literaria mercatura ſe ſuſtinent, à paucis emantur, aut nullis: ut non mirandum ſit, ſi antea virum non noris, fortaſſe nec alii in Galliis; ſi reſcribendo gratificari homini voles, neceſſe fuerit hiſtoriam noris anni xxviii. vel proximi hujuſce ſæculi. Mirantur aliqui è Proceribus, negari à Laurentio, quæ tum ab Eccleſiaſtis acta. Nec puto, iis invitis, lucem viſura, quæ ad ſeditionis pertinent authores. Contigere ea biennio, priuſquam Amſtelodamum commigrarem, ut non poſſim exactè rem dicere. Duplo plura; quam nunc facio, ſcribere erat animus; ſed dum hæc ſcribo, ſepties minimum ſum interpellatus. Et jam nunc Doct. Johnſonus, Bohemiæ Reginæ Eccleſiaſtes, accedit: cui cum dicerem inſtare tempus, qua literæ eſſent tradendæ tabellario Gallicano, & addidiſſem eas ad te mittendas, rogavit, ut Excellentiam tuam plurimum ſuo nomine ſalutarem. Volebat, ut adderem, quomodo in Parliamento accuſatus ſit ἑτεροδοξίας, non ipſe modo, ſed & Regina, quod talem foveret: ſed negotium hoc prudentia quorundam eſſe diſcuſſum. Propediem ſpero me cætera ſcripturum.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xlii. xxi. Julii, Hagæ Comitis; è domo Ampliſſimi Rataleri Dubletii, qui & ipſe petiit, ut plurimum Excellentiam tuam ſalute impertirem.

Nimia feſtinatione factum, ut ſuperioribus literis, in hiſtoria peccarem, confundendo duos libellos Laurentiadæ, quos eundem intra menſem divulgavit, eadem forma, ac magnitudine. Quorum prior adverſus Excellentiam tuam, perſcriptus, quem jam acceperis aliunde, ſcio. Alter adverſus fœminam, Lingua Belgica, in qua illud, παροιμιῶδες, Noch grooter Pot. Quæ ea fœmina ſit, ipſe in præfatione exponit. Vocat Helenam Jacobi. Plateam addit in qua Amſtelodami habitet, ait lardum habere venale, poſt mariti exceſſum, nupſiſſe ſuo famulo Pontificio, & ab eo perſuaſum, ad Papatum defeciſſe. Accuſat vehementer impudentiæ, quod venerabili Senatui Eccleſiaſtico fuerit auſa quæſtiones proponere, & ſolutionem ſubitam exigere.

---

## DCXXI.

## Merico Caſaubono.

*Epiſtola familiaris.*

*Reverende Clariſſimeque Caſaubone,*

JAm facile cum animo tuo æſtimare potes, cur has ad te literas ſcribam, nempe quia ex beneficio Regio mihi annumerandæ ſint libræ ſterlingicæ quinquaginta. Niſi forte quadraginta duntaxat; nec enim, qui tam longè abſum, ſcire poſſim, ecquid nunc etiam decidi oporteat de ſumma. Filius meus Iſaacus poſt viſas & luſtratas Gallias vel potius Bibliothecas cum viris doctis, in Italiam quoque abiit. Florentiæ tribus circiter menſibus ſubſtitit, ubi imprimis eum detinuit Bibliotheca Medicæa. Unde multa ἀνέκδοτα ſe deſcripſiſſe filius pene dixerim gloriatur. Inde Romam abiit, præſertim propter Vaticanam. Neapolin etiam acceſſit, ubi illam luſtravit, quæ Jani Parrhaſii olim fuit. Romam inde rediit, ubi etiamnum erat ante hebdomades ternas, ut ex ejus literis cognoſco, ſed primo die,

quo æſtus aliquantum remiſerit, ait ſe Venetias iturum. Hæc ſine majuſculis impenſis fieri non poſſunt. Quocirca rogo, ut cura tua citra longiuſculam moram (modò ullo pacto ſic res veſtræ ferant ut confido) mercatori Hoofdio annumerentur pecuniæ ante memoratæ. Id ego in hoc rerum mearum ſtatu beneficii loco ſum habiturus. Quin noſtra de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana jamdudum acceperis, minime ambigo. Quod vero ab tam longo tempore nihil acceperim reſponſi, id ego nulla fieri negligentia arbitror, ſed ob rerum Britannicarum ſtatum præſentem, qui animos veſtros in rebus, quæ infinitis partibus ſunt majores, defixos & ſuſpenſos tenet. Quod unum valeo, id volo, nempe aſſiduo ut preces fundam ad Deum pro Sereniſſ. Regis Regiæque familiæ ac univerſi Regni incolumitate. Auguſta Regina ab Amſtelodamenſibus noſtris magnificè excepta. Qua occaſione & ipſe gratulari volui libello de tribus Symbolis, quem idcirco dicavi juniori Arauſionenſium Principi, non tam ut Principis inclyti filio, quam ut genero Regio. Mittam prima occaſione. Multa & alia habeo editione prope parata; ſed ita à mane uſque ad veſperam interpellor, ut non decuplam ejus valeam, quod poſſem, ſi in prædium aliquod me abdere ad menſes pauculos liceret. Facimus tamen, quod valemus, cujus rei indicia & alia aliquot conſpicies brevi, modo Deus vitam & valetudinem conceſſerit utrique noſtris. Id Deum oro, ſi ſalutare nobis. Plurimam dicito ſalutem lectiſſimæ conjugi & Reverendo Domino Doctori Decano, & univerſo reverendorum fratrum collegio. Quia ab his XII annis, quo una eramus, è collegio venerando, & fatum aliquos abſtulit, & publica utilitas ad majora tranſtulit, ſcire aveo, quibuſcum nunc fratribus hoc decus quodammodo habeam commune, & an adhuc vita fruatur optimus Dr. *Angan*: cujus ſubinde inter alios mihi memoria occurrat.

Amſtelodami, cIↄIↄCXLII, III Kal. Sextil. Quo die olim Londini religionis ergo combuſtus Rombertus Barens, Anglus, Sac. Theologiæ Doctor, cujus extat liber de Pontificum vitis. Anni nunc ſunt CII.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

DCXXII.

*Viro incomparabili*

## Gerhardo Johanni Voſſio,

## Samuel Petitus

S. P. D.

*Ipſius in ſe amorem maximi facit.*

QUanquam non ſim neſcius, Vir ſumme, quam religioſe adiri debeas, ne in publica commoda peccetur, tamen mei eſſe putavi officii, beneficiis tuis in Samuelem Sorberium meum è ſorore nepotem provocatus, teſtatum tibi facere quantum tibi debeam, vel eo maxime, quod meus Sorberius me à te amari perſcripſit, quod cum unice velim, facile mihi perſuaderi paſſus ſum: Bea me igitur τῷ πάνυ tuo amore, & certus eſto te à me omni obſervantiæ genere coli, meque omnia tua cauſa velle: certè quicquid imperaveris, à me impetrabis. Vale Vir maxime.

Neumagi, Nonis Sextilibus, anni Dionyſiani cIↄIↄCXLII.

DCXXIII.

## Hugoni Grotio.

*Grotium tam variis impeti libellis, moleſtè fert, quod metuat, ne avocent à magno annotationum in V. T. opere. Rivetum quoque id agere, ut ipſi ſecum committantur, dum in partes advocet, quæ ante XXV. annos ſcripſiſſet. Heinſium totum in eo eſſe, ut novam det editionem ſuarum in T. N. annotationum; ac Mareſium immane cudere volumen adverſus ea, quæ in Romana Eccleſia Calviniani improbent. Interea invaleſcens de jure patronatus certamen, Angliæque negotium magnopere ſe ſollicitum habere fatetur.*

MAgnopere gaudeo, Illuſtriſſime Domine, quod, quæ ad V. T. obſervaſti, ea à Typographo perducta ſint non modò ad Pentateuchi finem, quemadmodum ſcribebas: ſed ut ex aliis Hagæ, poſtea intellexi, ad Regum libros; qua appellatione credo, etiam Samuelis libros complectebantur. Sed valde mihi moleſtum eſt, quod videam Excellentiam tuam variis impeti libellis, quod metuo, ne avocet in magno illo opere. Quanquam non deſunt qui exiſtiment fore, ut non reſcribas, ne quidem Cl. Riveto. Huic ſtudioſè id actum arbitrantur, ut nos committeret: ut qui toties advocet ad partes, quæ ante hos annos XXV. in Collegio ſcribebam. Quaſi non aliter ſcribendum ſit, quando cum adverſario cominus congredimur; aliter quando de concordia conſilium initur. Non ignoravit hoc Georgius Wicelius, qui præfatione Viæ Regiæ ad Imperatorem Ferdinandum ait, Polemica ſcripta noſtra tanti non facimus, quin hæc velimus, aliquanto pacatiora eſſe; verum tempus militiæ tunc ita poſtulavit, ut ſentirent ii, cum quibus commiſſus eram, & mihi vires eſſe, & mea tela nocere. Puto ἐπίμετρον quintum Jacobi Laurentii jam videris, in quo tuæ ad ſe Epiſtolæ quodammodo παρῳδίας & σκάζοντας, eâdem ut arbitror ex officina, & geminum carmen Salebrii Santræ: prius utrumque Hugenii eſſe, ſatis convenit, & ſponte narrarunt, qui noſſe poſſunt. Ac tacentibus amicis, ſtyli ſalebræ proderent: Idem eſt, qui in gratiam Heinſii, poſtquam audierat, Salmaſium velle eum refellere, Epigramma ſuum ſic obſignabat:

*Te duce, qui rugiet, variâ & ſine dentibus irâ,*
*Neſciat hos ungues in Daniele Leo.*

Salmaſius vero iis lectis, ſcribebat Riveto, ab Leone illo ſalvum fore Danielem; ſed periturum Heinſium. Is Heinſius, nunc totus in eo eſſe dicitur, ut novam det editionem ſuarum in N. T. annotationum: ſic mihi retulere maximè familiares. Credo corriget, de quibus ſibi à Salmaſio metuit: Hic utrum propediem in Bataviam ſit remigraturus, non ſatis ſcio; ſed ſatis ſcio, Curatoribus tam longam abſentiam minus probari, tantoque fore gratiorem, quanto celerius advolarit. Mareſchius, ut intelligo, immane volumen cudit adverſus ea quæ in Romana Eccleſia, noſtris improbata; aliquibus reſciſſis, laudem mereri, vel ſaltem tolerari poſſe docuiſti. Metuo ne parum cum Excellentia tua agatur humaniter, hoc eſt, non tanquam cum doctrinarum Principe, imo vel homine doctiſſimo, nedum velut cum imagine Regis, qui Dei imaginem ſuſtinet in terris. Magnos animos duo dant & illi, & aliis ſimiliter animatis, antiquitatis contemptus, & Calvini admiratio; ſed de priori nolunt fateri, ut ex eo capere potes, quod ſic indignetur Laurentius, ob conſilium ſalubre ſibi datum ab Excellentia tua. Ait ſibi hoc jam adoleſcenti, inſtillatum à Doctoribus, ut amaret veteres: quaſi uterque ignoremus, quæ mens fuerit ejus Magiſtris. Eorum alterum, cum antiquitas objectaretur, dixiſſe ſcimus. Et nos patres foremus, ſi iis vixiſſemus temporibus. Id verene dixerit, hinc ſciri poteſt, quod tunc multa ſint habita pro hæreticis, quæ noſtra ſuſtinent; ut quæ in Ætio, Vigilantio, aliiſque un-

improbata. Non quaſi idcirco hæreticos cenſeam; ſed quia exiſtimabat ille, ſolus eſſe ætatis; ut aliquis pro veteris Eccleſiæ Doctore habeatur: nec ſimul ὁμόνοια attendatur. Credo autem non inutile foret, ſi penitus cognita foret vita Calvini. Magnæ fuere illi vitæ, & ingenii dotes, ſed & ille ſuos manes patiebatur: quod fateri nolunt ejus unius tanti admiratores. Abominantur Bolſeciana; ſed in illis etiam ſunt tabulis publicis ſubnixa. Et apud varios homines integerrimos, pariter ac doctiſſimos, ſuppetant non pauca, quæ ejus doceant animi impotentiam, & quantoperè oderit ſemper diſſentire, à ſe ſignis audere. Hæc ſatius foret tegi; ſed video plurimos, non tam virtutes Ducis ſui ſequi, quam vitia; idque magno Eccleſiæ damno: cui convenientior foret ſpiritus manſuetus, & majorum reverens. Quare cogitandum, an non expediret, candidam extare diſſertationem de eo, quod de Calvino judicium fuerit ſuæ ætatis, & quantillum ab eo, & diſcipulis, antiquitati fuerit tributum. Quod Riveto necdum reſpondeas, ſed illa ad N. T. perducere malis ad umbilicum, ſanè gaudeo. Nihil magnopere, ut puto, feſtinato opus; Et fortaſſe præſtiterit etiam conſpicere Mareſchiana, priusquam reſpondeas. Poteris credo, multos parietes unâ fideliâ dealbare. Quicquid eſt, nolim ſufflaminari tam utilem laborem, quem ſuſtines, in illuſtrando V. T. Nondum illa vidi, ſed facile poſſum æſtimare, vel ex illis ad N. T. ubi duo præ cæteris admiror, quod nemo antehac, tam multa ἐναντιοφανῆ, conciliarit: quod nullus ex humanitatis ſtudiis plura attulerit ad ſacras literas illuſtrandas, minuſque partium ſtudiis abreptus. Hic jam certamen gliſcit de jure Magiſtratus in Eccleſiaſticis. Defendit illud Vedelius antea Genevæ & Daventriæ Profeſſor Theologiæ, nunc autem adverſus eum ſcripſere Triglandus Leidæ Profeſſor, & Revius, qui in Collegio regundo Feſto Hommio ſucceſſit. Is Feſtus, cùm jam ante menſes complures, ſe munere eo abdicaſſet, ante duas hebdomades, vel tres, ex hac vitâ exceſſit. Oratione ei Polyander parentavit. In Synodis, & concionibus, graviter agitur quæſtio, de jure patronatus. Facilius puto, efficerent Eccleſiaſtæ, quod volunt, niſi Celſiſſimus Princeps Arauſionenſis, & Illuſtriſſimus Brederodius, viderent, & ſuam hic cauſam agi. Negotium Angliæ magnopere me habet ſollicitum; non ſanè propterea, quia inde quotannis præbendæ fructum capiam; quam quia veterem amo Eccleſiam, & vicem doleam optimi Regis: pro quo aſſiduè vota facio. Apud cordatiores res hæc ſuſpectiores reddit Puritanos. Negant enim ſe videre, quid regale Regi velint relinquere. Et nonnulli his locis metuere incipiunt, ne ſi iſtic effecerint, quod volent, hic novi fiant motus, quia animos addet fœlix ſucceſſus in Regno Britannico, & ſi res laboret, inde etiam auxilium expectent. Mihi vero, vivo Arauſionenſi, non ita multum periculi videtur his terris: quia & illius intereſt, & militem in manu habet. Vale, Illuſtriſſime Domine, & cum uxore lectiſſima, & liberis ſalve; ſemperque dignum animum Excellentia tua, hoc malo ſæculo conſerva.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XLII. x. Kal Sept.

*Illuſtriſſima Excellentia tua cultor,*

G. J. VOSSIUS.

---

DCXXIV.

*Clariſſimo Viro*

## Gerhardo Johanni Voſſio.

*In explicando Cenſorino de die Natali occupatum ſe dicit. Adornare etiam Theatrum Heroicum Imperatorum Auſtriacorum & aliorum Principum, in quo ab eo adjuvari cupit. Gellium laudat. Venales judices deteſtatur. De Anagrammatiſmo Theoreſin quàm proximè emiſſurus.*

*Optime, Clariſſime, & amiciſſime Vir,*

Diutius quidem ſilui, non amoris defectu, ſed temporum vitio, hominumque, qui nihil literis, aut amori noſtro concedunt. Hic ſanè à literis ortus eſt, & ab iis artibus, quibus quieti non factioſi, eruditi non ambitioſi ſumus, in ſuo uterque munere occupati, ut benè de omnibus mereamur. Ego certè, quod tu præſtas, conari me profiteor & poſt quadraginta duorum annorum publicas continuaſque Diſſertationes, audienti me juventuti, vocem ingeniumque impendo. Omne quidem ſic ſcriptorum genus attigi; auſus, amœnitatis cauſâ, etiam Cenſorini de die Natali librum explicare: quo deinde argumento, ad curioſam temporum doctrinam, converti ſtylum, & plurima hactenus non obſervata, produxi. Cùm alios docerem, diſcere ipſe potui, qua ratione tempora omnia, ex tempore computarentur. Specimen aliquod in meo libro, de biſſexto eſt: qui adjunctam dierum Diorthoſin habet. De Circulo Urbaniano nihil jam dico: totus enim editus adhuc non eſt: nihil de Olympiadibus, quæ limam exſpectant. Amici de Nundinis jam quoque moleſti ſunt: quas diſtuli, ut tabulam prius expenderem Nundinalem, in Gruteri inſcriptionibus, pag. CXXXVI. Torquent me Circuli iſti abrupti, & numeri: an ad Lunam referendi? Si quid in te opis eſt, ſi quid in amicis, fac juver, gratiamque a me uberem exſpecta. Theatrum nunc adorno heroicum, ſive Elogia Imperatorum Auſtriacorum, Ducum Burgundiæ, Regum Hiſpaniæ, ſed ex illis utriſque ſtirpem trahentium; ad alios deinde Principes, exemplo Jovii, (cujus olim Muſæum perluſtravi) operam tranſlaturus. Jucundum ſit, Viris etiam locum doctis, & amicis dare. Statui verò & imagines, à meliore manu addere, & his auxiliis opus commendare: quæ ſi ulli libro, Elogiis certè conveniunt. Ut ſcriptionis formam videas, geminum hoc ſpecimen mitto, Albertum inquam, & Fredericum. Burgundiæ Duces unà Orcheſtrâ abſolvi, mox etiam tranſmittendos. Exemplaria enim à Typographo quotidie exſpecto. Sed quid audio? In Aulo Gellio te eſſe? Laudo conſilium. Hic ille ſcriptor eſt, qui magnam Antiquitatis partem noctibus ſuis illuſtrat, varius, Latinus, accuratus. Quantum, O Muſæ, damnum! Librum VIII intercidiſſe! Quantum bonum, ſuppleri poſſe! Vide etiam an caput ultimum libri XX, præfatio operis totius fuerit potiùs quam concluſio, ut nunc habetur. Pluſcula obſervabam nuper, cùm ſelecta totius voluminis hujus capita publicè explicarem: ſi tempeſtivum ſit, mittere velim, & meam quoque Symbolam, ut ita dicam conferre. Tu me ama, & ad me ſcribe; ut intelligam amari me; ſilentium autem hactenus meum, pro delicto non cenſeri. Sic nunc toto animo te complector, qui totus,

Lovanii, in arce Regia, III Kal. Sept. cIↄ Iↄ cXLII.

*Tuus ſum & ero ſemper,*

ERYCIUS PUTEANUS.

Hanc utinam aliquando videas, quemadmodum Anna Romeria clariſſima matrona nuper vidit! Det mihi hæc, priuſquam moriar, gaudia bonus Deus. Vale.

Mi Voſſi,

Licetne addere? Temporum hominumque vitium, in principio epiſtolæ hujus accuſo. Sed unus hìc potiſſimum eſt, totus malus, ac perverſus; dives tamen, & inſtrumentis nequitiæ abundè inſtructus; qui (ô nefas) epiſtolas meas, & ad me miſſas, fraude intercipere, & reſerare, elegantiam, & ingenioſum facinus putârit. Deprehenſus tandem, accuſatus, convictus, evadere pœnam potuit; adhuc mihi, & amicis meis timendus. Tantum nummi poſſunt, qui ſcelere gubernantur. Magis miſeris, ſi narrem omnia. Fecit hic igitur, ut quia amicorum nomina

occul-

occultanda erant, de Anagrammatiſmo Theoreſin ſcriberem: quæ parata eſt, ut in lucem veniat, ad te ſic quoque tranſmittenda. Si igitur Raſelramium leges, quem notare velim, intelliges. Sed de hoc homine alias. Quomodo & literas, ſed alieno ingenio, attingat, Viri docti indignentur. Iterùm vale, & me ſemper ama.

---

## DCXXV.

*Bodocum quendam illi commendat; Revii & Vedelii altercationum meminit. Diſſertationes ſuas tranſmiſſas ipſius judicio committit.*

SIſto tibi, maxime Voſſi, Academiæ Roſtochienſis Oratorem, D. Laurentium Bodocum Polonum, qui Belgicæ veſtræ vult eloquentiam ſuam innoteſcere. Commendatus fuit D. Bergio, τῷ νυνὶ ἐν ἁγίοις, à D. Jeremia Elborough Paſtore Eccleſiæ Hugle-Hamburgenſis; ſed, hoc fatis functo, literas mihi reſignandas exhibuit, ut, me patario, tuas auderet pultare fores. Ad innumera beneficia, quæ tibi debeo, amicorum principi, hoc jam dignare coaddere, ut generoſus animus intelligat, preces meas apud te pondus habere. Inclinare videtur ad partes noſtrarum Eccleſiarum. Hortatus ſum eum, ne ſe mancipet partibus, ſed verum è ſolis Scripturis & Orthodoxa eruat Antiquitate. Nos in eodem hæremus luto, & ob amorem pacis & conciliandæ Eccleſiarum concordiæ domi foriſque vapulamus. Præter D. Hug. Grotii, & D. Riveti collationes incidi hiſce diebus in ea, quæ D. Revius cum D. Vedelio acrius diſputat de poteſtate Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis, & quæ de adoratione Chriſti, qua Mediatoris, in Academia Ultrajectina diſceptantur. Si hæc non avocabunt veſtratium animos à nobis ad ſua, quid tandem de nobis omnibus fiet? Theologia Gentilis cum Commentario in Symbola me cogunt ingratum mori. Nihil enim à me expectari poteſt, quo tanta munera minima ex parte penſem. Nautæ cuidam noſtrati commiſi Diſſertationes noſtras & Declarationem D. Hermanni Hildebrandi, Collegæ mei, ut ad pedes tuos deponat. Siquando vacabit, limis ſaltem inſpice, ut videas quibus de rebus male ferati quidam nobiſcum litigent; & ſicubi animadvertas me à janua veritatis aberrare, in viam revoces. Vera enim docenti, lubens cedo. Bene vale, virorum & amicorum maxime, & vive quam longiſſimè Deo, Reipub. tuis, nobis.

Bremæ, Kalend. Sept. Julianis, ciↃ Ↄ c x l i i.

*Tui obſervantiſſimus,*

L. Crocius.

---

## DCXXVI.

# Joanni Friderico Gronovio,

Profeſſori Daventrienſi.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime & amiciſſime Gronovi,*

PRoximis feriis autumnalibus partem bonam Hagæ fui, filius partem ibidem, partem in Zelandia; nunc vero in Friſiam abiit. Me vero ſubinde preſſit valetudo mala. Præſertim hac nocte, urgentibus doloribus nephriticis, à quibus ante climactericum immunis ſemper fui: ac nunc tertio ab iſto anno, denuo incurſant. Dum ego filiusque domo abſumus, literæ è Galliis domum meam perlatæ, quas nomini inſcriptas tuo judicavi ex eo, quod incluſæ eſſent meis, ubi id petitur, ut ad te mittantur. Cæteroquin ex inſcriptione vix aliquis ob characterem inſolentem id dignoviſſet: cujus rei periculum hic ipſe feci, cum duobus, tribus oſtenderem, qui Gallicis literis non aſſueviſſent. Vix hæc æger ad te perſcribo, attamen tam longam ceſſationem ex abſentia noſtra cogitans, putavi non ulteriori moræ indulgendum. Puto eſſe literas à ſenatore Saravio: ſecus ſi eſt, per otium ex te cognoſcam. Reſcribere ſi voles, mittam, quo juſſeris: vel includam meis ad Illuſtrem Grotium: qui tuto rem per famulitii quempiam procurabit. Theologo Dieſtio, Juriſconſulto Chriſtenio, Iſendornio Philoſopho, plurimam ſalutem dicito.

Amſtelodami, ciↃ Ↄ c x l i i. Non. Sept.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

## DCXXVII.

# Hugoni Grotio,

Legato Suecico.

*Beuningium juvenem quendam commendat. Bellum Puritanicum multos habere ſollicitos, & inter Puritanos ipſos non ſatis convenire, refert, novumque Independentium excludi genus.*

*Illuſtriſſime Domine,*

QUi haſce ad Excellentiſſimam Tuam defert literas, Beuningius eſt, patria Amſtelodamenſis, juvenis elegantis ingenii, moribus optimis, variæ eruditionis non minus, quam juris ſui curioſus: ut meritò hæc urbs, de eo habeat tibi magnum aliquid polliceri. Patrem habet ſuperſtitem, urbis ſenatorem. Mater eſt ſoror conſularis Alberti Conradi Burgii qui nunc Hagæ agit, in ordinum delegatorum Collegio. Avus is Beuningius fuit, qui ante annos ſex ſeptem, Conſulatu geſto, magnâ cum laude exceſſit. Is juvenis, cum Excellentiæ Tuæ cuperet commendari literis meis; parui lubens, eoque lubentius, quia ſcirem non ingrata eſſe Excellentiæ tuæ alloquia eorum, qui virtutis via ad decus graſſantur, atque iis nati ſunt, qui Remp. hic ſuſtinent, & Illuſtre nomen tuum amant & colunt. Bellum Puritanicum hic multos habet ſollicitos. Eccleſiaſtas quo affectus trahat, non obſcurè ex precibus publicis cognoſcere eſt: horum aliqui non dubitant, Deum expoſcere, ut benè cœptum Reformationis opus fœliciter procedat; Regiſque ut emolliatur animus. Quæ etſi commodam mentem capiunt, tamen ſatis eſt apertum, haud aliud exoptare, quam ut Rex inani titulo ſit contentus, ac novellitas doctrinæ de Antiquitate triumphet. Sed unum eſt in quo non ſatis conveniat illis, qui ſe Epiſcopis opponunt. Multi omnem regendæ Eccleſiæ poteſtatem penes Presbyterale collegium eſſe volunt: Alii vero ajunt, hoc jugum gravius Epiſcopali. Quare contendunt, ſingulis id committendum Eccleſiaſtis, ut ſecundum Dei verbum, populum doceant, & gubernent. Atque ſic ab Epiſcopalibus & Presbyterialibus (ſicuti vocant) diſtincti, independentes nuncupantur. Pimius, cujus magna adeo in Parlamento eſt authoritas, prioris eſſe ſententiæ dicitur, [illegible] multi hac parte, ei adverſantur, qui cætera convenire videntur. Eſtque plurimorum id judicium, utcunque infracta omni Regis poteſtate, & abolito Epiſcopatu, geminum agerent triumphum: Eos inter ſeſe mox commiſſum iri; quia multi non à Presbyterii poteſtate minus, quam Epiſcoporum abhorreant. Ulterius procederem in ſcribendo, niſi cogitarem tarde admodum fore, quod has literas recipies. Novi enim quomodo proficiſcantur juvenes, qui exteras petunt Regiones. Vale Illuſtriſſime Domine, ac diutiſſimè orbis bono ſuperſis. Dominæ conjugi plurimam dic ſalutem, nec non liberis.

Amſtelodami, ciↃ Ↄ c x l i i. Poſt. Non. Sept.

*Excellentiæ tuæ cultor devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

DCXXVIII.

Digiti

## DCXXVIII.

*Salve,*

*Princeps Ingenii ac Doctrina*

## Gerarde Johannes Voſſi.

*Totus in illius laudibus. Freinshemii hortatu eum literis compellat.*

QUem non ſuo nomine magis quam hoc elogio compellare debeo, cum primum compellare audeo. Nemini me adulari vel natura patitur, vel conditio adigit: ſed Germano more ſenſuque teſtor, à te expectari, quæ hoc tempore, inter ſumma etiam ingenia, à nemine expectantur. Præſtitiſti enim ea quæ hactenus nemo præſtitit. Singularis providentia Dei te in curas incomparabiles excitavit: id quod ſerio exiſtimo, & ſæpe pro tua incolumitate vota facio; quippe qui nihil habeam, quod me à veneratione tui abſtrahere poſſit, ſicut interdum malignitate ſeculi videmus accidere apud eos, qui nec beneficia cœli æſtimare, neque officia humanitatis exercere didicerunt. Eſto hoc argumentum ingenuæ ſimplicitatis, quod cum calamo ſtatim cogitationes animi huic chartæ ſe infundunt, poſtquam ſcribendi ad te conſilium amiciſſimus noſter Freinshemius inſtauravit apud me confirmavitque. Nam Velleium iſtum, ad tantum virum, niſi fors teſtandæ obſervantiæ, mittere tanti non putaſſem. Verum, ut audio, non minor quam eruditio, & humanitas tua, quæ vel venia vel favore meam hanc ſcriptionem dignabitur, ſpero. Deus te ſervet, Vir Illuſtris.

Scribebam Argentor. 1642. 9 Septemb.

*Illuſtri tuo nomini dicatiſſimus,*

Jo. Henricus Boeclerus.

## DCXXIX.

S. P.

*Diverſorum auctorum ſcripta memorat, partim à ſe ipſo tranſmiſſa, partim ſibi ab amicis. Expectat laborem, quem Grotius ſuo examini oppoſiturus ſit.*

*Clariſſime & doctiſſime Vir, Collega & Amice conjunctiſſime,*

EX reditu noſtri Heilerſieg comperi quam benigne & amice cum eo & aliis de me fueris collocutus, & memoriam mei apud alios es teſtatus, quo nomine non ſolum in hac occaſione, ſed in aliis multis plurimum tibi debeo. Clariſſ. & Rever. David Blondellus ſcripto tibi brevi ſignificavit gratitudinem ſuam, pro ea opera quam ei impendiſti in opere ſuo commendando D. Blauwio, qui ejus editionem ſuſcepit & ſpecimen ad me miſit. Per D. Spanhemium, qui heri nobis adfuit accepi folia quæ ad te mitto, ut ea tradas Typographo aliis jungenda. Quæ reliqua ſunt brevi ſequentur. Additionem huic epiſtolæ concluſam jubebis ſuo loco reponi, & D. Blauwio meis verbis ſalutem dices, urgebiſque ut properet & ad me mittat folia quæ ſingulis ſeptimanis excudentur, ut ea autori mittam qui, ſi quæ menda irrepant, ea notabit. Amici quidam ad me miſerunt epiſtolam Vigilii de quinque capitulis à P. de Marca editam cum ſua Diſſertatione, in qua multum laborat ut Pontificem illum ab inconſtantiæ nota liberet. Mitto ad te unum exemplar ex duobus quæ accepi, quod levidenſe munus ab animo tibi addictiſſ. accipies. Saravius Senator qui unum ad me miſit de te ſentit & loquitur tanquam de Viro hoc noſtro ſeculo eruditiſſimo & à quo nihil prodit niſi terſum & exactum. Rogat per me ut doctiſſimas lucubrationes non ſinas diu doctorum hominum gaudia morari, præſertim quæ ad antiquitatem Eccleſiaſticam pertinent. Expecto novum laborem à D. Grotio, qui examini meo opponit, ut quidem ille ait, poſtea quieturus, votum pro pace Eccleſiaſtica adverſus Rivetum & alios irreconciliabiles: Ego, ſi Deus dederit eum excipiam cum ſolita modeſtia, & ſi poſſim majori. Noſti quo in ſtatu ſunt res Sedanenſes; Princeps ſua ipſius confeſſione reus interceſſione Celſiſſ. noſtri Principis ſalva vita elabitur, ea tamen lege ut Rex novum præfectum Sedanum mittat cum decem cohortibus, nec loci Domino & ejus familiæ ibidem habitandi poteſtas fiat. In Religionis negotiis nihil mutabitur. Noſter Molinæus paulatim declinans ex morbo continuo eo adſpirat ubi nulla mutatio. Conſtitui Deo dante ad vos excurrere, ſed hucuſque impedimenta mihi fuerunt objecta, etiam nunc expectanda mihi eſt D. Spanhemii inauguratio; poſtquam, ſi Deus dederit, te & tuos ibi ſum ſalutaturus & cum Typographo acturus. D. Salmaſius ſerio promittit ſe ad nos venturum ante hyemem. Miſit ad Elzevirios librum de Græca lingua & ejus variis Dialectis & de Helleniſtica. Biſterfeldius adhuc detinetur à Principe Tranſilvano nec ſpes eſt eum facile inde iri ereptum. De alio erit cogitandum. Rogo ut occaſione data certiorem me facias te hunc faſciculum accepiſſe & in eo contenta. Salveaſque interim & ſemper à me & à mea cum Domina conjuge & liberis tuis, inter quos gratulor D. Matthæo, quod re ipſa aliquid pro eo fuerit præſtitum, ut deinceps alacrius operi inſiſtat. Deus tibi alterum reducem ſiſtat auctum omni eruditionis genere ſanum & ſoſpitem.

Hagæ-Comitis, 3 Octob. 1642.

*Tuus omni officio & affectu,*

Andreas Rivetus.

## DCXXX.

## Andreæ Riveto

S. P.

*Blondelli chartas typographo rite à ſe traditas refert. Præclarum Saravii affectum reciprocis ſuis officiis demulcendum ſpondet. Spanhemium Leidenſi gratulatur Academia, amicitiamque cum eo arctiorem inire geſtit. Salmaſii ſœtus Helleniſticum avide expectat. Mutuas Grotium inter ac Rivetum de Anti-Chriſto controverſias ut moderatis utrinque animis agitentur, optat. Deteſtatur autem maledicentiſſimum Ulmenſis cujuſdam contra Grotium ſcriptum. Pro decretali Vigilii Papæ epiſtola, ac diſſertatione Petri de Marca gratias agit, judicium de Mareſii ſcripto ſubjungens.*

NEgotio filii in Friſia ex animi ſententia confecto, domum redux, cum variæ mihi ab uxore literæ redderentur, nullas avidius ac majori cum voluptate legi, quam tuas, magne pariter & vir & amice. Primaque hæc mihi cura fuit ut clariſſimi Blondelli chartas ad Blaeuwium ipſe adferrem, & fidei ejus atque induſtriæ, quantum poſſem, commendarem. Feci vero id lubens, non tantum tuâ cauſâ, cui ſcio quantum debeam, vel etiam Blondelli, quem antea de ſolo nomine mihi cognitum, nunc merito ſuo inter ſummos ſeculi hujus viros repono, mihique hac occaſione bella innotuiſſe, non gaudeo ſolum, ſed penè triumpho; ſed imprimis, quia opere tam erudito, multa etiam doctiſſimos docebit. Eorumque in numero, non quidem doctiſſimorum (curtam novi ſupellectilem noſtram) ſed illorum tamen, qui eruditiores redeant à lectione hujus operis, lubens etiam profiteor nomen meum. Perjucundum mihi eſt laudari à laudatiſſimo Senatore Saravio: ac tanti viri affectus vehementius ad bene merendum de ſtudiis

diis accendit. Sed ego jam ab anno illi multum debeo, propter benevolentiam ſummam, qua Iſaacum meum complexus in Galliis fuit. Ipſe enim hoc ad me filius ſemel iterumque perſcripſit. Dices fortaſſe, hoc ſi tam longo tempore reſciverim, mirari te, quod hactenus ei nullas per literas gratias egerim. Ego vero, eximie Riveti, non quidem miror (quippe jam à multis annis nulla in re frequentiores committo ſolœciſmos, quam in epiſtolico hoc commercio) ſed multum tamen doleo, quod parte hac non ſatis me iis probem, quibus maxime & vellem & deberem. Omne vero hoc malum inde potiſſimum proficiſcitur, quod à mane ad veſperam, nunc hic, nunc ille, vel operam deſideret noſtram, vel ſaltem alloquium expoſcat. Sum vero ea frontis mollitie, ut nihil ſuſtineam negare. Ubi igitur ſic dies mihi prope mortuus eſt, animum ſubit ea cogitatio: Ergone mihi viliora erunt ſtudia, etiam ſacra, quam ars ſua erat Apelli, qui, ut à Plinio accepimus, nunquam tam occupatam diem agebat, ut non lineam duceret? Continuo me in Bibliothecam proripio, ac omnium, quæ ad epiſtolare negotium pertinent, ſecurus, arripio, eas ordino, & ſicubi lima opus videatur, operæ non parco. Atque ſic ubi non totum mihi diem periiſſe cognoſco, ſuavius me ad menſam vel lectum confero. Nec eo hæc animo à me dicuntur, quaſi diu ſcriptionem ad Ampliſſimum Saravium differre ſit animus. Speravi hactenus filium nobis affore ante hyemem, ut pariter ei gratias ageremus. Sed heſterna die literas à Florentia accepi, quem jam Venetiis eſſe, imo inde ad nos iter capeſſere arbitrabar, ut nunc vix ſperem ante ver adultum, videre me eum poſſe. Eâ quia ſpe excidi (& ob Florentinæ Bibliothecæ tot ἀνέκδοτα, multum metuo ne diutius moretur ac dixi) ſtatui occaſione eâ ad Ampliſſimum Senatorem ſcribere, quam probabis ſcio. Jam ſub prælo eſt unus alterque libellus noſter, quibus excuſis commodam accipiam occaſionem, & eos mittendi & teſtandi ſingularem pro tanti viri merito affectum noſtrum. Clariſſ. Spanhemium domi meæ vidi mihi, ſcito. Nec æque dolui, quam quod vix ſemihorâ alloquio ejus frui liceret: Cujuſcunque is conſilio Leidam vocatus, bene, imo optime meritus eſt de Academia. Non committam, quin me quoque his terris ſui ſciat amantiſſimum, quem ex dono jam diu Genevâ tranſmiſſo æſtimare addidici. Et aliquid amoris ſerenus addidit vultus, ubi coram adſpexit. Eum coram me ducebat candida Hottoni anima. Quo in viro rara ſocietate, cum eruditione pietas, & prudentia conſpirant. Spem fecit, verno ſe tempore velle in hanc urbem redire. Utinam tum tecum etiam frui liceat τῷ πάνυ Salmaſio. Quem ante hyemem nobis affore non poſſum in animum inducere. Difficulter credo, quæ maxime cupio. Utinam ſaltem videamus cum Zephiris & hirundine primâ. Exequias ire triſtis ſoleo. Sed funeri Helleniſtico lætus juſta ſolvam. Non dubito, quin eo ex opere multa bona hauſturi ſimus docti pariter indoctique. Aliter qui ſentiant, τὸ τῆς χελιδόνω χρέμμαν ἐσθίειν. De novo labore Illuſtriſſimi Grotii primum ex te didici. Exemplar non accepi. Sed intelligo jam in urbem hanc adlatum ad alium. Imo & ubi volo, habiturum me exemplar. Tuum quoque reſponſum ajunt jam pene perductum eſſe ad umbilicum. Planeque mihi ſpondeo, fore ejuſmodi, ut tam modeſtiam laudent cordati, quam doctrinam eruditi. Omnino Reip. Chriſtianæ intereſt, excuti ab hominibus doctiſſimis, quid nos Eccleſiæ Romanæ, quid nobis illam concedere oporteat. Sed eam ſi provinciam ſuſcipiat antiquitatis neſcius, ne legere quidem curem. Eo impenſius gaudeo, ab utriſque veſtri potius, quam ab minutis iſtis patellariis diis haſce controverſias tractari. Neſcio an videris Ulmenſis illius maledicentiſſimum ac omnis violentiæ pleniſſimum ſcriptum, quod hic adverſus Grotium prodiit. Homo is docentem me audivit, ut ajunt, qui norunt. Atque aliquis qui à pluribus novit annis, mira mihi narrat de vita hominis anteacta. Liberaliſſimus eſt in donando quæ ſcripſit, ſed hactenus me ne compellavit quidem, καὶ οὐ Φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Vellem non abuſus eſſet parte literarum tuarum, quam opuſculo præmiſit, quaſi patrocinetis tot mendaciis, quæ nihil ad Eccleſiæ negotium. Tales magis cauſæ obſunt quam juvant. Et video hominem fanaticum nec aſſis hic fieri, nec ab aliis, qui ſimiles amant labris lactucas. Egone iſtud probarem dicendi genus, qui (quod hic promere liceat) ne in amiciſſimo quidem, & multis partibus ut doctiore, ſi m[...]ltiore, probare potui quod tam multa inſperſiſſet, quæ nihil ad cauſam pertinerent? Quale illud περὶ λογισμασίας, non quidem Eccleſiaſticæ ſed civilis. Vide quæ non audeam in ſinum tuum effundere, nunquam id facturus (non adeo læva mens nobis) niſi putarem, hanc à veteri & ſincera amicitia concedi, ſeu licentiam ſeu libertatem. Pro decretali Vigilii Papæ epiſtola, ac Diſſertatione Petri de Narca, quantas poſſum, gratias habeo. Futurus mihi inter itineris Friſici comes libellus. De afflicta clariſſimi Præceptoris mei, conjunctiſſimi vero affinis tui valetudine valde doleo. Solatur vero, quod ad tantam ætatem illum Eccleſiæ ſuæ conceſſerit divina bonitas. Nulla ætas ejus laudes conticeſcet, & Deus in illa die mercedem rependet. Pro voto erga filium ſponſum, ac gratulatione etiam de Hiſtoriographi munere gratias ago tanto majores, quanto præ aliis multis non dico affectus tuus apud Batavos Proceres eluxit, ſed etiam fidelis ſe opera exeruit. Nempe non ſinis, ut ulla in re claudicet benevolentia tua erga me meoſque. Brunæus noſter tradidit mihi Blondelliana illa, quæ per eum mittebas. Et jam Blauwius accepit, qui etiam reliqua avidè exſpectat. Miſit ad me clariſſ. Mareſius quæ ſcripſerat pro ordine Mariano Sylvæ-Ducenſium. Nec quicquam video quo offendam, dum cogito, quo in ſtatu res fuerint. Multum promotum ſic quoque. Sed alter eſt ſcrupulus, an non illuſum ſit Pontificiis, quia longe alia iis mens fuit, cum primum tranſigerent nobiſcum. Quamquam quid illud ad me, vel etiam Mareſium? Lectis iſtis fore ſpero, ut clariſſimus Voetius acquieſcat. Planeque ſic mihi perſuadeo, Viro doctiſſimo illuſum eſſe ab aliquo Sylvæ-Ducenſium ferventiore. Quod non difficile fuit apud eum, qui ipſe, quicquid vult, ita vehementer vult, ut non eat, ſed currat. Uxori lectiſſimæ uxor mea ſalutem voluit adſcribi. Sed & nomine noſtro ſalutem, quando ſponte ſe occaſio offeret, Nobil. Ampliſſimoque Hugenio, Dubletio, Gulielmo, Wickefortio, doctiſſimo etiam Heilerſichio, quem eo impenſius amo, quod in amore noſtro annunciando, ſæculo hoc maligno, bonum ſe virum præſtare non deſinat.

Amſtelodami,<br>
cIↄ Iↄ c xL II,<br>
III Non. Nov.

*Æternum tuum,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DCXXXI.

# Hugoni Grotio,

### Legato Suecico.

*Duos commendat juvenes. Vedelii mortem nunciat, multumque moribundum cruciaſſe, aut, quod terris eriperetur, priuſquam potuiſſet Revio & Triglandio reſpondere. Mareſii adverſus Voetium ſcriptum prodiiſſe; ac quid de illo, Procerumque Sylvaducenſium ſimulatione ſentias ſcire avet.*

*Illuſtriſſime Domine,*

QUi haſce literas affert, eſt Johannes Duns, natione Danus, juvenis eruditus, ingenio & judicio bonus, pietate & induſtria nulli ſecundus. Seſquiannum me docentem hic audivit, ac privatim ſæpius collocutus, eoque notior mihi & meis, quia in vicinia habitavit. Auguſtanam complecti Confeſſionem, vix neceſſe habeo dicere, cum Danum dixerim. Literas ad Excellentiam Tuam, non alio fine petiit, quam ut videndi & alloquendi, vel potius audiendi hoc orbis Oraculum, honeſtior faciliorque dare-

daretur occaſio. Itidem, ante menſem unum alterum, Clariſſimi Collegæ Barlæi filius, patri cognominis, poſtularat à me aliquid literarum; ſed eâpſe hora, quâ abeundum illi, ac mox etiam mihi publicè docendum foret. Spem feceram epiſtolæ Brillam mittendæ, prius quam navim Gallicanam conſcenderet. Sed partim me promiſſi oblivio cepit, partim alia impedierunt: In his cogitationes de Matthæi mei connubio. Ejus gratia ante tres hebdomadas, Leowardiam abii. Ac poſt dies ſex ſeptem denuo σὺν θεῷ proficiſcar, ut præſentia mea Nuptias condecorem. Pater ſponſæ eſt Juriſconſultus, & Leowardienſis Reip. Conſiliarius, & Scabinus. Mater filia Verrutii Syndici, dum viveret, Groningenſis, ac ſoror ejus, quæ nupſerat Schombergio, Reip. Groninganæ nomine, in Collegio Ord. Generalium Delegato. Vedelius Theologiæ apud Franekeranos Profeſſor, dum in Friſia ſum, fatis conceſſit. Moribundum cruciabat quod terris eriperetur, priusquam potuiſſet Revio & Triglandio reſpondere. Horum uterque acerbe ſatis ſcripſit adverſus ſcriptum ejus de Conſtantini Epiſcopatu, quo Magiſtratus jura circa res Eccleſiæ defendit. Collegæ defuncti mihi Franekeræ ajebant, fortaſſe reſponſum ſic etiam edendum, ſed deletis, quæ, ut par pari redderet hoſtimentum, virulentius chartis illeviſſet adverſus Revium. Eſt is Revius, ut me alias ſcripſiſſe arbitror, Regens Collegii Theologici, quo in munere Feſto Hommio ſucceſſit. Vedelii mors Collegæ Barlæo flebilis non erit; à nemine enim horribilius fuit tractatus, quam ab iſto. Prodit etiam nunc liber Mareſii Sylvæ-ducenſis Profeſſoris adverſus Voetium; qui prius Theſibus Ultrajectina Academia diſputatis, accuſarat Sylvæ-ducenſes Proceres Idololatriæ, quod ex Reformatis, plerique adſcribi voluiſſent in ſodalitatem B. Mariæ. Quod tamen factum erat, ut vis ejus Collegii, quæ magna, infringeretur noſtrorum conſortio. Noluerunt noſtri apertè eſſe perjuri illudere maluerunt. Artificium noſtrorum neſcio an ſis probaturus. Ubi Mareſchiana videris, fortaſſe ſatius fuiſſet iſta non in apertum proferri. Nunc ne Proceres Sylvæ-ducenſes in quibus, & Ill. Brederodius, Idololatriæ ſint ſuſpecti, omnibus ſipariis deductis, penè nudam Venerem cum ſuo Marte, ſolis inſtar oſtendit. Sed de iſto malim, ubi Mareſchiana legeris, judicium tuum cognoſcere.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c XLII.
XXIV. Octobr.
Τάχιστα.

*Excellentiæ tuæ obſtrictiſſimum,*

G. J. Vossius.

## DCXXXII.

*Ab ejus filio Iſaaco viſitatum ſe fuiſſe lætatur, quem obſequiis colere pro viribus ſtudeat, à patre reſponſum brevi expectans.*

*Clariſſime & eruditiſſime Vir,*

ISaacus filius tuus juvenis virtutis ſpectatæ, & ſupra ætatem probitatis antiquæ Italiam perluſtrans animi & ſtudiorum cauſa, me Lucam humaniſſime adivit. Thyrſo voluptatis decumanæ meum pectus percuſſit admirantis, ſuſcipientis indolem tantam. Tibi gratulor, mihi gaudeo, te tanto filio, me tantâ lætitiâ auctum, tui ipſius vivam imaginem in eo intuentem, quem tibi deprecor incolumem ſuperſtitemque ad annos Neſtoreos. Hoſpitalitatis noſtræ mutuam teſſeram literariam agnovit, quam in Cimeliarchio ſacratiore ſervo. Mea illi antiqua vota indicavi de recudenda Polymathia, & Amaltheâ etiam aucta emendataque. Pararium mihi aſcivi in meis ſchediis interpolandis, ſi per te liceat, poſtliminio patriæ reſtitutum. Interim quæ obſequii in eum ſigna præ me tuli, eadem tu in me candidioris animi argumenta agnoſce; & ignoſce, ſi meritis veſtris paria facere per meas opes non licuit. Et quia meæ nugæ canoræ tantam lucem literatorum ferre nequeunt, calculum, oro, ſuſpende, clientem patronus defende, & quid Critici ſentiant de Amaltheâ, veluti Jovis ſuffragium tuam opperior Criſim. Deus te, tuaque fortunet æternum.

Lucæ, Kal. Nov.
cIↄ Iↄ c XLII.

*Tibi addictiſſimus,*

Josephus Laurentius.

Reſponſione ſi me dignabere, eam Guilielmo Bartilotto per Lucam Donatum ad Balthaſſarem de Judicibus Bibliopolam Lucenſem curabis tradendam quàm primum.

## DCXXXIII.

# Joachimus Mart. J. C. fil.

S. P. D.

*Scribendi occaſionem & deſiderium ejus videndi exponit, munere aliquo literario ipſi oblato. In fine aliquod problema proponit.*

SAlve & tu mihi tandem aliquando, Optime & maxime Virorum, Voſſi, jamdudum honorate, ſed nondum ſalutate. Aliis enim hactenus eam conceſſi felicitatem, ut ſi non coram, ſaltem per literas tecum colloquerentur, & virtutem inde ſuam, atque eruditionem augerent. Ego tanto Viro negotium faceſſere, & meliores aliquot ipſi horas perdere nolui. Ac ſic perrexiſſem, niſi admodum nuper Gothofridus noſter Cretſmarus Juvenis elegantis ingenii, nec proletariæ eruditionis, ex Gallia redux, quam è Belgio abierat, inter alia à me rogatus mihi tuam erga Germanos meos humanitatem, quique tibi proprius perhibetur, candorem oppidò prædicaſſet. Forſitan & ille tibi, quem abſens colit, veneratur, æſtimat, nondum excidit, ſed locum adhuc obtinet tuos inter cultores non poſtremum. Ejuſmodi inter nos ſermone habito, occaſione ſcribendi inſuper à probo & modeſto viro juveni Joanne Selfiſchio Germ. cujus opera his in locis Janſonius veſter in vendundis libris uſus eſt, oblata, diutius infelix eſſe nolui. Venio igitur ad te literatorum hodie Dictator, levidenſi aliquo munere (ſine eo enim accedere, religioni mihi duxi) quod ut benevole accipias etiam contendo à te. Etiamque tædet alloquii mei quo olim Danorum Regem ſapientem & comem honoravi, exemplum offerendum eſſe tam comto capiti in viliore charta, cum reliqua omnia quæ nitebant, jamdudum diſtributa ſint; ſed tu animum offerentis trutinabis, non ſcripti veſtem. Quod ſi hac ratione tibi, Vir Clariſſime, filiiſque tuis doctiſſimis innoteſcere potis eſſem, ſicuti jam H. *Grotio*, D. *Heinſio*, Aug. *Buchnero* immortalibus undiquaque nominibus innotui, horam profecto qua has ad te exaravi, ponerem inter feliciſſimas. Sæpe quidem optavi illam mihi diem illuceſcere, quà mundi ocellum Amſtelodamum adire, teque in eo miraculum convenire poſſem; verùm cùm res meæ miſerrima illa bellorum continuatione incredibilem in modum attritæ ſint, hactenus me fruſtra illud optare animadverti. Si autem Deus mihi per te aliquem illic loci Mecænatem impoſterum excitaret, grato animo beneficium ac ſtudium illud agnoſcerem, & perpetuis laudibus proſequerer. Priusquam has literas finiam, tibi Philologo Excellentiſſimo, aliquod pro bellariis ex penu literario apponi Problema, non ſpero moleſtum futurum. Hoſpes meus Simon Paul. Anatom. & Botan. Profeſſ. hâc in Acad. ſolertiſſimus, nuper ex epiſtola Hippocratis ad S. P. Q. Abderitanum ΡΑΒΔΟΥ ΑΝΑΛΗΨΙΝ deprompſit ac ſeſe nondum à quopiam Criticorum, quid ſibi ipſa vellet, edoceri potuiſſe, cum ne quidem P. Caſtellanus Medicus doctiſſ. in Syntagmate de feſtis Græcorum quicquam de illo feſto ſibi lectum ſcripſitet. Cum mihi pro ea, quæ cum Viro illo optimo intercedit familiaritate, poteſtas fieret de hoc loco meum exponendi, literatorum infimi, judicium,

dicium, diligenter expenſo loco, adverti eum talem eſſe, qui citra ullum detrimentum ignorari poſſit. Et facile conceſſerim neminem illorum quos ille de Hippocratici loci intellectu percontatus eſt, rationem reddere potuiſſe: cum mea ſententia privata illa fuerit ſollennitas quæ ipſo Hippocratis tempore vix pluribus in Græcia, quam Cois civibus nota fuerit, ab iisque peculiarem ob cauſam celebrata. Quod enim ſi aliquem Italum aut Gallum, imo, ex ipſa hac Siolandia, aliquot miliaribus Hafnia remotum hoſpitem ad χλωαγίαν Amakeranam, quæ plurimum quotannis in vico ad unum miliare hinc diſtante in Bacchanaliorum ſtultitia peragitur, invitarem, an conjiceret quid rei indicato in loco peragendum ſpectandumque eſſet. Suſpenditur ab agricolis, quos è Belgio huc viciniæ olim commigraſſe aiunt (nomen enim Belgarum hodieque retinent) ad funiculum anſer, cui collum ſebo & ſmegmate quam poteſt fieri pinguiſſime inungitur. Illic incitatis equis periculum faciunt ruricolæ, an pedibus ſuſpenſæ avis collum curſu illo veloci apprehendentes poſſint avellere, quod cum ob glabram illam, nervis, oſſibus, cuteque firmiter concretam cervicem, plerumque fruſtra ab iis tentetur, equiti illi pro epinicio riſum pro anſerino capite avulſo, probe adipe illitas manus deportant. Si tu Vir. Clariſſ. aliqua de VIRGÆ iſtius aſſumtione ejuſque feſto nos pro immenſa tua lectionis & antiquitatis notitia docere poteris erit illud longe nobis gratiſſimum. Vale, Vir candide, & adfuturum cum illo qui has adferet Joachimum de cætero tuum futurum epiſtolio aliquo exhilara. Ego hocce meum obſidem impoſterum obſervantiæ cultusque in te mei ſiſto.

Scrib. Hafn. XVII. Calen. Jan. ann. ſerv. humano generi dati cIↃ IↃ C XLIII.

---

## DCXXXIV.

## Gerardus Joannes Voſſius,

## Samueli Sorberio

ſuo,

S. P. D.

*De Utopia Mori ac paradoxis in illa vocabulis agit.*

NEc valetudo, nec occupationes, mi Sorberi, ſivere, ut celerius literis tuis reſponderem. Præterea ſperabam, jam aliunde tibi ſatisfactum eſſe. Tu tamen urgere non deſinis, ut facilè intelligam, mei quoque officii eſſe, ut ſatisfaciam exſpectationi tuæ. Præter affectum mutuum hoc requirit amor meus erga avunculum tuum Samuelem Petitum, qui te ſic diligit, & cui magnoperè ſit obſtrictus totus orbis literatus. De *Cynemernis* tamen, & *Trapemernis*, deque *Syphograntis*, & *Trabinoris*, nolim eſſe ſollicitus; quia Morus ipſe negat, hæc ex Latina Græcave Lingua eſſe arceſſita. Meminiſti verborum, Lib. II. *Suſpicor eam gentem* (Utopienſium) *à Græcis originem duxiſſe, propterea quod ſermo illorum, cætera fere Perſicus, nonnulla Græci ſermonis veſtigia ſervet, in Urbium, ac Magiſtratuum vocabulis.* Solùm igitur laborabimus de illis, quæ a Græco fonte derivantur, uno alterove excepto, cujus origo manifeſtè Orienti debetur. Quale eſt *Mithra*: ſic enim pro *Mythra* apud Morum reſcribi debet. Deum hoc ſignificari Morus ait. Nempe verò id Lingua Perſica, qua ſol ſic ſignatur, Heſychio teſte. Is verò Perſis Deus, vel unicus, vel ſummus. Qua de re Lib. II. de Theologia Gentili cap. 9.

*Barzanes*, ex parte priori huc etiam pertinet, ſi, ut arbitror, fuerit ex בר bar, filius, & Ζὰν, ſive Ζάνης, hoc eſt, Jupiter. Ac *Bar* etiam habes in *Bar-Jeſus*, *Actorum* XIII. 6. Item *Bar-Jona* & *Bartimæus*, & *Bartholomæus* ſive *Bar-Ptolomæus* malis. Ζὰν verò pro Ζὴν, idem ac Ζεὺς. Sed pro ζὰν etiam dixere ζάνης; unde hic Alexandrino Chronico, ſive faſtis Siculis, dicitur Pater Martis. Quemadmodum igitur Μαζεὺς Phrygiis idem ac ζεὺς; ſic Salentinis *Marzanes*, vel potius *Mazanes*, idem ac *zanes*. *Barzanes* igitur Jovis filius: quod nomen aptè impoſitum Syphograntorum Principi, quia Reges, Principesque, ſunt Jovis progenies, ſi non naturalis, ſaltem, ut Alexander Magnus dicebat, adoptiva. Notum eſt illud Callimachi in hymnis, Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Cynemernos* verò, & *Trapemernos*, non eſſe vocabula Græcis debita, indicant hæc verba Mori: *Primos quoſque dies Cynemernos ipſorum Lingua, poſtremos Trapemernos appellant.* Sic enim locus is legendus, non uti reperio in Lovanii editione anni cIↃ IↃ LXV. *Primos quoſque dies Cynemernos, ipſorum poſtremos Lingua Trapemernos appellant*; ſequitur deinde, *quæ vocabula perinde ſonant, ac ſi primifeſti & finifeſti vocantur.* Poterat aliquis ſuſpicari *Cynemerinos* ſcribendum, quaſi eſſet à κυνὸς vocabulo, & ἡμερινὸς, ut ad caniculares dies reſpiciatur. Alterum item eſſe ab eodem ἡμερινὸς, & vocabula τροπῆς, puta χειμερινῆς ut brumalis dies attendatur. Sed ceſſare hæc commenta debent, quando ſic voces forent à Græcis, quod noluit Morus; qui alioqui non appoſuiſſet interpretationem, *primifeſti*, & *finifeſti.* Nec ſanè explicatio iſta convenit Græcanicæ origini. Neque aliter de *Syphograntis* & *Tramboris* nominibus ſtatuendum: quod ſi ex Græcia eſſent petita, non Græcis ea vocabulis Morus explicaret. Nunc prius dicit ſonare *Phylarchum*, poſterius, *Protophylarchum*. Inanis igitur operæ ſit, nominum iſtorum ἔτυμα vel à Græcis arceſſere. At contra *Abraxas*, non à Perſis, vel Oriente, eſt; ſed planè à Græcis; nempe ex literis Græcis ex quibus conſit numerus CCC LXV. quot dies habet annus abſolutus, quot etiam orbes cœleſtes eſſe tradebat Baſilides hæreſiarcha Alexandrinus, qui ſub Adriano Imperatore vixit, ſeque jactabat Glauciæ eſſe diſcipulum, qui B. Petri, Apoſtolorum principis, interpres fuit. Hic Baſilides aiebat, ſupremum orbem cœleſtem, ſive ſupremam virtutem, ex qua progeniti ſunt Dii cæteri, *Abraxas* nuncupari, & hoc nomen dierum CCC LXV. numerum complecti. Ac poſterius hoc veriſſimum eſſe computatio oſtendit; ſiquidem

A —— valet —— 1
B —— —— —— 2
P —— —— 100
A —— —— —— 1
Ξ —— —— - - 60
A —— —— —— 1
Σ —— —— - 200

Summa 365

Meminere Irenæus Lib. I. Cap. XXIII. Epiphanius hæreſi XXIV. Hieronymus Lib. I. Comment. in Amos. Auguſtinus, Theodoretus, & Damaſcenus, in iis quæ de hæreticorum fabulis ac ſectis ſcripſere. In gemma Fulvii Urſini erat Αβρασαξ; ſed ſic quoque idem manet numerus, quia ſolum eſt literæ ξ & σ trajectio. At apud Morum perperam eſt *Abraxa*, quia ſic ducenti anni deſint juſto dierum numero. Nunc cætera perſequamur, quæ à Græcis eſſe res ipſa oſtendit. Ordini verò literarum inſiſtam. *Achoriorum* populus Utopienſibus dicitur oppoſitus. Puto reſcribendum *Achororum*, Ἄχορος enim, *chori expers*; & Ἄχωρος, *expers χώρας*, ſive *regionis*; ſicut igitur *Utopia* ex οὐ & τόπος, quia Nuſquam eſt, ut Nusquamiam fortaſſe poſſis dicere; ſic populus iſte, quia nulla in regione degit, verè Ἄχωρος nuncupatur. Ac ſimiliter *Ademus* Syphograntarum Princeps, cui nullus δῆμος, ſive *populus*. Aliter nempe vocem ἄδημος cepit Morus, quam Sophocles, quando teſte Heſychio, ei ἄδημος *abſens à patria*, ut ſic ἔνδημος opponatur. Alaopolitarum par eſt ratio. Uti nuſquam *Utopia*, nuſquam populus *Achororum*, nuſquam Rex *Ademus*, ita nuſquam gens *Alaopolitarum*: quæ vox notat cives ex nullius regionis po-

populo. Eſt enim conflatum ex *πολίτης civis*, & ἄλαος, non quatenus ἄλαος, idem ac τυφλός, ſed quatenus eſt à στερητικῷ & λαός compoſitum. *Amaurotum* præcipua Utopienſium civitas, interim verò ἀμαυρὸς hoc eſt *obſcura*, quippe hactenus nulli viſa, nec videri quita. *Anemonum* Poëta Laureatus, & ob lauream typho inflatus atque, ut Maro loquitur, linguæ ventoſæ; ſanè Homero ἀνεμώλιος, quaſi ἀνεμώνιος, ab ἄνεμος *ventus*. Anydrus eſt flumen, ad quod ſita Amauroti urbs. Uti nuſquam ea urbs, quæ ſic in tenebris deliteſcit: ſic nuſquam fluvius ἄνυδρος, ſive *aquæ expers*, quæ Græcis ὕδωρ. Nam quomodo fluvius ſit, ſi aquæ ſit expers? *Butreſca* Moro religioſi dicuntur, qui cœlibatum præferant matrimonio, à θρησκεία, quo cultus ſignificatur religioſus, & βοῦ ἐπιτατικῷ, ut in βούλιμος, βούπαις, & ſimilibus. *Butreſca* igitur valdè religioſi. *Hytlodeus* quia mera narrat mendacia, de Utopienſibus, ſic dictus quaſi *nugarum peritus*, vel *nugas edoctus*: à δαίω *diſco, doceor*, & ὕθλος *nuga*: unde cum φλυαρία ſubinde conjungitur, & ὑθλεῖν idem ferè ac φλυαρεῖν. *Nephelogeta*, gens fuiſſe dicitur pro qua Utopienſes bellum geſſerint contra Alaopolitas. Malim autem *Nephelogeneta*; νεφελογενέται autem *ex nube geniti*, hoc eſt, commentitii æquè ac Poëtarum Centauri, quos νεφελογενεῖς & νεφελογενέται dixeris quia ab Ixione ex nube geniti dicuntur. Sanè γενέτης tum parentem, tùm etiam ἔγγονον ſive *prolem* deſignat ut author Heſychius. *Phylarchus*, φύλαρχος qui & φυλάρχης, *præfectus tribus*. Ut *Protophilarchus* πρωτοφύλαρχος *tribubus præfectorum princeps*. *Polylerita* ἀπὸ τῶν πολλῶν λήρων, quia λῆροι ſint ac nugæ quæcumque, ſive Hytlodæus, ſive Morus hoc de populo narret. *Tricius Apinnius*, quem Hytlodæus ſodalem ſuum vocat, non aliud nomen habere debuit, quàm tale. Nam uti ille ab ὕθλοι & φλυαρίαι dictus, ſic hic à *tricis apiniſque*, hoc eſt ὕθλοι ac λήροις Martialis Apophoretorum Epigram. 1. *ſunt Apinæ tricæque, & ſiquid vilius iſtis*. *Zapolita*, qui quingentis millibus diſtare ab Utopienſibus dicuntur, potiùs *Zapolitæ* vocandi, à πολίτης civis & ζᾶ, quod in compoſitione auget: ſicut in ζαμενής, ζάθεος, ζάπλουτος. Eſt igitur *populus civibus abundans*. Spero me iſtis ſatis feciſſe petitioni tuæ. Niſi quod fortaſſe judicabis, ſubinde quædam feliciter minùs compoſita videri, ſi hoc pacto vocabula interpretemur. Non diffiteor; ſed nos non poſſumus præſtare culpam Mori: ſanè ne ipſa quidem vox, *Utopia* ſatis commode conficta. De quo ſi ambigis, ſponſorem pro me dabo ſummum virum Ivonem Villiomarum Aremoricum, hoc eſt, Joſephum Scaligerum, animadverſionum in controverſos Titii locos lib. x. cap. ix. ubi ſic ſcribit: *Verbum Utopia, quamquam ab ornato, & docto viro, Anglo confictum, tamen Græcum non eſt. Et qui Utopiam Græcum putant, ii quid ſit Græca componere neſciunt.* Ac memini idem à me dictum olim, in iv. Oratoriarum partitionum cap. 1. Poſtremò quærebas, utrum in præfatione Mori, cùm dicitur, *Joannes Clemens, puer meus filius, an famulus* deſignetur. Planè famulum cenſeo; ſic enim Græcorum exemplo, loqui Romani ſolent, etiam antiquiſſimi, quorum eſt, *Marcipor*, pro Marci puero, hoc eſt ſervus; ſimiliaque, *Publipor*, *Caipor*, atque alia de quibus fusè dixi, Commentariorum Rhetoricorum lib. iv. cap. xii. §. iv. ſcribebam ipſis Kalendis Januariis ineuntis anni cIɔ Iɔc xliii. quem annum feliciſſimum tibi, ſtudiiſque tuis exopto. Atque idem precor, tum Clariſſimo Riveto, quod tu per occaſionem ei ſignificabis; tum eximio Petito, quem meo etiam nomine, ſi quando ſcribas, plurimùm ſalutes rogo. Ipſe id nunc facere decreveram, ſed per tabellarium non licebat. Et ſciebam te avidè adeo deſiderare reſponſum noſtrum, ut malis literas ad avunculum differri, quàm ut propterea injiceretur mora epiſtolæ ad te noſtræ. Iterum vale.

Amſtelodami.

## DCXXXV.

*Pro tranſmiſſo libro gratias agit, hortatur, pergat de Eccleſia & Republ. ſcribendo bene mereri. Ut habeant Salmaſius & Petitus, refert. Blavium moneri cupit, ut Blondeliano operi coronidem imponat. Milleterii apoſtaſia.*

*Clariſſime & celeberrime Vir,*

REddidit mihi Ampliſſ. Dubletius munus tuum auro mihi carius, nodos te vindice digniſſimos. Ego pro ratione temporis celeriter percurri pleraque, eadem poſtea cum otio expenſurus: ſed tamen ex ea lectione agnoſco me multa didiciſſe, vel quæ neſciebam, vel quæ non ita accuratè noveram. Methodus qua uſus es exacta & facilis Lectorem allicit, perſpicuitas ubique elucet, variorum autorum opiniones exactè ad trutinam revocantur, & quæ maxime probari debeant, ita aſſeruntur & confirmantur, ut nihil ſuperſit quod deſideremus, niſi ut porrò in talibus pergas de Eccleſia & Repub. literaria bene mereri, & antiquitatem illam illuſtrare, quam maximi facere debemus. Gratias autem tibi ſummas ago, quod me inter alios amicos hoc munere beare volueris. Nobiliſſ. Salmaſium ſalutavi Leidæ, adhuc claudicantem ex pedum infirmitate, poſt labores maris, quibus addita fuit podagra. Promittit ſe ad nos venturum cum primum convaluerit. Eum hortatus ſum quantum potui, quod etiam fecerunt amici Pariſienſes, ut neglectis parum utilibus controverſiis, & vitilitigationibus, deinceps ſe traderet ſeriis illis in quibus plurimum poteſt, & ex quorum tractatione major utilitas, in bonum Eccleſiæ, ſperari poteſt, & laudabilior fama expectari, quod nos ab illo impetraturos confido. De Cl. Petito non magna ſpes affulget, præſertim ſi quod Sorberius ad me ſcripſit, periculum ſit ne in Maraſmum incidat, ad quem prævertendum coactus eſt, ſepoſitis aliquantulum ſtudiis ruſticari. Deplorandum erit ſi quæ cum maximo ſumptu & labore collegit in Joſephum imperfecta maneant. Quod de optimo affine meo Molinæo petis, dabo operam ut ſitim tuam in eo expleam. Octimeſtre totum in ſuſcepta peregrinatione ad Alvernos impendit, cujus temporis maximam partem tranſegit in loco qui dicitur S. Meon, ubi ſunt acidulæ quas Medici judicaverant aptæ pellendis ſymptomatibus quibus vexabatur. D. Graſſius Reipubl. Lugdunenſis expertiſſimus Medicus, propria ſponte per diſpoſitos equos eum inviſit, dies quinque continuos cum eo egit, ut morbi naturam detegeret, & quibuſdam quæ ſecum attulerat pretioſis medicamentis eum donavit; nec quicquam ab eo præter preces & benedictionem poſtulavit. Non planè fuerunt inutiles aquæ, quæ tamen morbi inveterati pertinaciam vincere non potuerunt, ſed utcumque imminuerunt. Itaque Maringam veniens ad Elaveram, ubi eſt Eccleſiola reformatorum, ibidem concionem habuit, & navigiolum conſcendens in Ligerim deſcendit Bleſas verſus, ubi aliquot dies apud generum ſuum quievit. Exinde ad filium profectus Caſtellodunum in Agro Carnotenſi, aquas, quas ſecum aſportaverat ſumpſit per dies quindecim, & ibidem habita concione & diſtributa Euchariſtia, cum totius Eccleſiæ admiratione, Lutetiam Pariſiorum venit, ubi à veteri grege cum maximo gaudio fuit exceptus Carentoni ad Matronam, & poſt duas hebdomadas, quibus cum familia ab amicis fuit exceptus lautiſſime, duobus florenorum millibus ab Eccleſia acceptis, (quæ ei etiam ſchedam tradidit, quæ ſpondet, ſi in Acad. & Eccleſ. Sedanenſi deficiant ordinaria Profeſſorum & Paſtorum ſtipendia, omnia ex ærario Pariſienſis Eccleſiæ quamdiu vixerit, ei refundenda fore) Sedanum rediit, unde nudiuſtertius literas habuimus à filia ejus quam hic vidiſti, quæ proſperum ejus adventum, cum totius Eccleſiæ lætitia nobis narrat, additque Medicos conjectare, ſi nihil aliud accidat, poſſe eum adhuc integrum decennium in eo ſtatu durare. Itaque illa ad nos reditum meditatur. Habes hiſtoriolam in qua libentius tecum excurri, quod ſciam te ex affectu de talibus in-

 qui-

quirere, quem amicum ſemper teſtatus es & propenſum in optimum illum Dei ſervum. Gratulor tibi reditum Iſaaci tui Lutetiam Pariſiorum, quem Saravius ampliſſ. ad me ſcribit veniſſe opimis onuſtum ſpoliis ex illuſtr. Bibliothecis, quæ poſtea in uſum literatorum ſit liberaliter ſparſurus. Deum precor ut eum tibi reſtituat gratia ſua cumulatum, & ab omni ſuperſtitionis contagio quod in Italia & locis ſimilibus graſſatur planè liberum. Tibi inſuper, Vir Clar. & D. uxori tuæ, valetudinem firmam & proſpera omnia exopto, quod mecum facit uxor mea, quæ vobis plurimam ſalutem dicit. Vale.

Hagæ Comitis, 15 Kal. Jan. 1643. Quas vobis cum toto anno brevi inchoaturo, feliciſſim. precor.

*Clariſſ. & celeberrimo nomini tuo addictiſſimus,*

ANDREAS RIVETUS.

Auſimne à te petere ut D. Jo. Blauwio autem vellas, qui tamdiu ceſſat ab opere Blondeliano? Non poteſt cauſare defectum copiæ quam vocant, quam adhuc habet ſatis uberem. Efficit hac ſua perendinatione, ut autor etiam ceſſet, quaſi de fœtus ſui obſtetricatione deſperans. Vocarunt eum Lutetiam illuſtres quidam viri, qui eum ſumptibus ſuis alunt, ut ſtudiis illis vacet à quibus avocabatur, per ordinariam Miniſterii functionem. Pauca ſuperſunt capita ad priorem illam partem, quæ ſi Blauwius aliquot folia mittat, intra paucorum dierum ſpatium abſolvet. Interea Choppini in libris de Politia Eccleſiaſtica errores non paucos nec leves annotavit, in Mæcenatum ſuorum gratiam. Milleterius tandem quod faciebat fecit, & Pontificis ſe adjunxit, factus exinde redemptor vectigalium.

## DCXXXVI.

### S. P.

*Diſſertationes ſuas amicis non traditas dolet, quæ tamen iram aliquot Theologorum mitigare potuiſſent. Suos filios in Belgium venturos ipſius favori commendat.*

NAutæ culpa, Vir maxime & amiciſſime, Diſſertationum mearum ſarcina, perditis duobus faſciculis, unà cum adjunctis literis, huc rediit. Excuſſus enim fatetur, ſe ædes D. Cabeliavii, ad quas ſarcinam amicis Leidenſibus & Hagienſibus deſtinatam deponere juſſus erat, invenire non potuiſſe. Quippe quas mutaverat, me inſcio, cui notum eum non procul à Nobiliſſimo Domino Grootehuſen habitare. Inde factum ut cum indignatione repetierit, navique ſuæ reddiderit. Id ſcire te volui, ne fides D. Cabeliavii, communis amici noſtri, fieret ſuſpecta. Doleo autem vehementer, quod Diſſertationes illæ meæ neque vobis neque aliis amicis fuerint exhibitæ. Mitigaſſent forſan iram quorundam fratrum, qui utramque Synodum Hollandicam iterum concitarunt, ut tum ad Magiſtratum, tum ad Miniſterium hujus loci periculis abs doctrina de univerſali gratia à nobis aſſerta veritati & Eccleſiæ Chriſtianæ imminentibus denuo ſcripſerint, quamvis ſtylo paulo leniore, quam anno 1641. niſi quod jam etiam deputatos Synodicos reliquarum provinciarum in conſenſum adverſum nos attraxerint. Idem quæritur etiam extra Provincias Belgicas in Helvetia, Galliis & alibi, ex conſilio D. Altingii, qui pro opinionibus Piſcatoris, præceptoris olim ſui, tanquam pro aris & focis pugnare videtur. Quid tandem de nobis fiet? An hæc doctrina tantopere in Belgio fœtet? An Eccleſia Chriſti Miniſtros Belgas deinceps habebit perpetuos cenſores & fidei dictatores? D. Spanhemium, novellum Leidenſium Theologum audimus rigorem Allobrogicum in prælectionibus ſuis ad vaticinia V. T. de Chriſto ſtrenuè inculcare. Sic gratiam, pacem & miſericordiam, imo reditum in patriam ſperamus & ambimus? O miſeriam! Ignoſces, Vir candidiſſime, dolori meo & favore tuo me meoſque conſtanter complectaris. Duo mihi filii ſunt ſacræ Theologiæ deſtinati, quos Philologiæ cauſa vellem aliquantiſper in Belgio veſtro pedem figere, quippe quod hac parte excellit, ſi patronos inibidem invenirent, qui pædagogias commodas eis ad minuendum ſumptus procurarent. Pietatem ac modeſtiam ſpondeo. Conſilium verò tuum hac in re obnixè peto. Alter in Hebræis, Chaldæis & Syris mediocriter exercitatus eſt, & jam attingit Arabicas literas. Alter, præter Philoſophiam, Græcas, Latinas & Hebræas literas, θεολογούμενα tractat. Si quid in me viciſſim ſupereſt, quod Excellentiæ tuæ gratum ſit, id tam paratum tibi, quam paratiſſimum credat. Calamum ſiſto. Bene vale, Vir excellentiſſime, & ſalve μυριάκις.

Brem. $\frac{11}{21}$ Jan. CIↃ IↃ CXLIII. Quem cum pluribus ſubſecuturis vobis proſperrimum decurrere animitus precor.

*Excellentiæ tuæ devotiſſimus,*

L. CROCIUS.

## DCXXXVII.

*Admodum Reverendo, & incomparabili Viro,*

# Gerhardo Johanni Voſſio,

### Canonico Cantuarienſi,

### Salutem & obſervantiam.

*Tranſmiſſum Epithalamium laudat: novæ conjugis virtutes extollit. Aldhelmi carmen de laudibus virginitatis ab eo petit.*

*Reverende & maxime Vir,*

ACcepi lepidiſſimum Epithalamium, diſertiſſimi Poëtarum Collegæ tui, inque eo magnum beneficium, quod non authori magis, quam tibi debeo, cujus interventu, & delenifica facundia id impetratum eſt. Nec minuit ejus pretium, quod ſeriùs, & poſt exſpectationem repræſentatum eſt, triduo nempe, poſt peractas nuptias; quia nullam hic veſtram culpam eſſe ſcio, & ipſe ſtatim editione ſacta curavi, ut temporis illud damnum reſarciretur. Integer igitur eſt tanti applauſus honor, integra vobis apud me gratia, tibi præcipuè, cujus ingentibus erga me meritis, ingentem acceſſionem factam, tam diligenti tua opera, lubens profiteor. Agnoſco imprimis candorem tuum, quod adeò ſollicitè me doces mollia verba, quæ me apud occupatiſſimum, & quibus delinimentis ſoleat ambiri, haud ignorantem voti compot......... Quibus quod opus non habui, tuæ adſcribo ſolertiæ, paratus alioquin accuratiſſimis precibus, emere bona tanti vatis omnia, ſi citiùs tuæ mihi redditæ fuiſſent. Nunc unà cum optimis verſibus accipe malos, niſi tamen ingenii largitor, amor, homini non Poëtæ, qualem eſſe authorem, æque ac meipſum novi, brevem poëtandi proſperè calorem ſubjecerit. Sed iſtos maneat, vel Eumolpi plauſus, ſiccum haud interdum: quod autem præcipuum eſt, dies jam noctesque ſunt duodecim, quod cum uxore vixi: nunquam autem credidiſſem ante, tam perditè amare me poſſe; nec gratiarum ſatis perſolvere poſſum ſupremo illi πανδαρίνμφῳ, qui tam amabilem mihi conjugem adjunxit. Intueor ſuaviſſimos mores, jucundum obſequium, pudorem, & caſtitatem ſingularem, peritiam rei familiaris, frugalitatem ſine conſinio ſordium, animos ſine ſuperbia, modeſtiam in cultu & veſtitu, ſtudium ſoli marito placendi τῷ φιλανδρὶ μένῳ, ut ſic loquar, odiumque ſodalitiorum etiam muliebrium, & futilis garrulitatis, omnia denique quæ ego, in tua graviſſima Matrona (genus nobile excipio; id quoque tamen honeſtiſſimum eſt) paucíſque aliis ad hoc exemplum ſemper, & admiratus ſum, & contingere mihi in mea exoptavi. Atque hæc ipſo flore juventæ, & non minima corporis gratia, dote etiam honeſta, ſed longè uberiori ſpe hæreditatis, ſi-

qui-

quidem ſuperſtites eſſemus, commendari adeo me adſuit, ut indies magis non ἐρωτόληπτος, ſed prorſus ἐρωτομανής reddar. Audeo hoc apud te confiteri virum & optimum, & φιλόστοργον, ſine metu ludibrii, quo laudantis impatientia traducitur. Faſciculum epiſtolarum periiſſe nobis doleo: malo tamen periiſſe, quàm malè redditum eſſe. Inerat unà ad τὴν ἐρωτύλον quam commiſeram homini ſoli conſcio deliciarum mearum: & utramque incidere nolebam in manus eorum, quos licet proximos hic mihi, hactenus juſtis de cauſis celatos ejus negotii habueram. Ideo ad te potius direxeram, præterito illo, qui plerumque, quæ ad me veniunt Hamburgo, quæque à me eodem commeant recipit. De filio Iſaaco nihil adjeciſſe te miror, cui per hanc peregrinationem eamdem, quam fratri ſollicitudinem præſto, precorque ut ſalvus, multis cum egregiis monumentis, ad vos ſalvos redeat. Scire itaque aveo ubi nunc ſit, quoſque de eo ultimos acceperis nuntios. Rogo etiam, ut ex tomis antiquarum lectionum Caniſii, illum in quo Aldhelmi carmen de laudibus virginitatis ad me mittas. Mira petitio, inquis, poſt zonam nuper ſolutam pactaſque nuptias iſtum librum velle legere. Sed literarum negotium hic ago: contuli enim libellum iſtum cum MS. in Anglia bonæ notæ: inde omnes ſuppleri lacunas, multa etiam corrupta reſtitui. Eam opellam recognoſcere libet; quamvis nec mirum, ſi ut intelligere diſcam mea bona, cupio Encomium legere ejus rei, quæ non ita pridem in prædam mihi ceſſit. Vale, Vir incomparabilis, & ut divinæ clementiæ, quæ ſenium tibi vegetum conceſſit, quamque ut diutiſſime concedat, oro, vivendi tenore te accommodes, interdum ride, ac hilaritate curas tempera.

Daventriæ, ad diem VII Kal. Febr.

*Merito deditiſſimus,*

*devotiſſimuſque tibi,*

JOHAN. FREDER. GRONOVIUS.

Collegæ mei te viciſſim humaniſſime, & obſervanter ſalutant. Ego quoque omni cum reverentia, Matronam tuam, & nobiliſſimum Junium tuum. Ad Clar. Barlæum de eodem oleo ſcripſi.

---

## DCXXXVIII.

*Græcorum Latinorumque Anatomen inſtituit, additis Notis, quas ipſi cenſendas miſit.*

*Clariſſime maximeque Vir,*

PErpetua mihi eſt agendarum gratiarum apud te neceſſitas, ſive meum fratrem, vere alterum me, ſive meipſum intueor. Quia enim benevolentia illum ſis complexus, non opus eſt referre ad te, & quem mihi animum oſtenderis, alibi dicendum erit, cum licere mihi rectiùs & prolixè poteſt non immemorem eſſe. Nunc quidem cum præter opinionem redire ad ſuos Elzevirius inſtituit, pauca eaque incondita neceſſario mihi ad te perſcribenda ſunt, ne prorſus negligere humanam voluntatem tuam videar. Librum tuum de Symbolis Eccleſiæ & cupidiſſime & non uno cum fructu pervolvi. Præter enim operis argumentum alia quoque pro meis uſibus excepi. Scilicet quæcunque de forma & charactere Symbolico ſparſa per totum ſunt librum, tranſtuli in Commentarios meos de Brevitate. Quam materiam admiror veteribus ipſis adeo relictam. Neque enim mihi contigit aliquem Græcorum Latinorumque Authorem offendere, qui iſtam perſecutus ſit Ideam. Primum igitur eſt, quod à te peto, ut ſi abſque moleſtia tua fieri poſſit, mihi aliquas erigere veluti Hermas velis, & ſuccurrere aliqua ſubmonitione ad iſtud opus. Video enim per totum Oratoris opus fuſam eſſe hanc dicendi formam. Et laborem incipio intelligere, quo plura mihi nunc demum adminicula paro. Inſtituo enim Anatomen authorum, & in minima reſolvo quæ toto opere continebantur! More concordantiarum, ut vocant. Ciceronis ergo Rhetorica, Aſconium, Photium, Agellium, ſic habeo diſſectos; ultimuſque mihi hactenus exſtitit Demetrius: quem pro bono juventutis editum ante omnes cupio. Cauſas allegare non opus eſt apud te; modum formamque deſcribere neceſſe eſt, ut tuo judicio labor meus probari Elzeviriis poſſit. Quia enim ſpes mihi facta ab ejus filio, non poſſum deeſſe ſtudiis Tironum, & defungi libenter incœpto velim. Contuli autem Victorii & Morelli editiones. In capita diſtinxi, ex ipſius autoris inſtituto & more, in verſus autem ſive periodos ex editione Victorii. Indicem fere abſolutum, quem ſpero non inutilem fore. Præterea aliquid Notarum adjicio; quod qualecunque ſit, exiſtimavi non prætermittendum eſſe. Victorii & Caſelii Commentationes juſto mihi videntur prolixiores, alterius ſane bona fide exſcriptas. Tabulæ quoque illæ Cyllenii, non neceſſariæ. De autore Victorii & tuum judicium præſcripturus ſum. Hæc ſunt propoſiti mei. Mitto autem initium Notarum mearum & Indicis, ut æſtimare poſſis, an aliquid digni ſit........ publica. Et ſane utrumque ſic deſcriptum eſt, velut canis ex Nilo bibere dicitur & fugere. Elzevirius enim properat, ego peſſime habeo, ita ut Diſputationem publicam habere non potuerim, etiamſi jam datum erat ſignum. Quapropter oro à te, ut ſperes etiam meliora, quam nunc ex ſchedis meis excerpta ſunt. Sero enim mittenda erant neceſſario, ut confirmari poſſint ii, qui ſumptum facere debent. Unicum addo. Hieroclis neſcio quantus amator factus ſim; neſcio an plura habeantur, quam in Aurea, de Providentia, & quæ exſtant in ſermonibus Stobæi. Et incepi eum pari modo ἀνατέμνειν. Ignoſce Domine, quod tam audacter de his talibus ad te ſcribo. Ego enim exiſtimo in eruditione vos pro Oraculis nobis publice conſtitutos. Eaque utinam aut conſulere aut ſequi etiam velint plerique, non utique tam....... multum & malorum librorum. Vale Domine. Ego enim propter valetudinem ſcribere plura non poſſum, quam ſalutem fratris mei. Vale, inquam vale.

Soræ, 28 Jan. 1643.

*Tui nominis cultor perpetuus,*

JOH. RAVIUS.

---

## DCXXXIX.

## Georgio Ratallero Dubletio.

*Epiſtola familiaris.*

*Nobiliſſime & Ampliſſime Vir,*

SEmel iterumque locutus hic ſum cum Ampliſſimo Alberto Conradi Burgio, qui ſecundum factus Conſul, ac collegas habet Pancratium, Geelvinckium, & Gravium defuncti conſulis Gravii filium digniſſimum. Is Burghius retulit mihi à nemine ſe hactenus compellatum de negotio filii Matthæi: ſed cauſa jam à ſuperioris anni conſulibus approbata, velle agere, quantum poſſit, nec videre, cur adverſari aliæ civitates valeant, cum nihil eorum hic fiat incommodo. Ait ſe craſtino die abiturum Hagam, qui erit decimus Februarii. Id volui tibi conſtare: etſi ſic quoque ſpiſſum vereor negotium, cum raro adeo ſit domi, ſi is Hagæ eſt, qui hic fuit. Itaque jam ab aliquot annis ſæpius cum fruſtra fuiſſem, non ſoleo accedere niſi conſtiterit, quâ horâ vacare poſſit, ut compellem. Id video Hagæ fieri non poſſe in tanta adeuntium copia, ut nulli horam certam valeat addicere: eo magis dolet, quod tam moleſtum negotium ſuſceperis. Atque utinam potius ſponte obviam fiat, qui nuſquam minus, quam domi eſſe ſoleat. Heſterno die literas accepi à filio Venetiis, quem ſalvum ac ſoſpitem gaudeo. Scribit non diu ſe iſtic hæſurum, ſed intra menſem rediturum in Gallias. In ſumptibus, quos facio, ſolatur quod ſit frugi & φιλομαθής, inque omnibus

biblio-

Digitized by Google

bibliothecarum pluteis ac forulis ruſpandis plane φιλόπονος. Non quidem tanquam Jaſonem aliquem cum vellere aureo, attamen cum multis ἀνεκδότοις, auro contra non caris reducem me viſurum confido; niſi quid mihi interea humanitus obtigerit, vel etiam cariſſimo iſti capiti; ſed ut ſumptibus nonnullis mihi hoc iter Iſaacii mei ſtat; ita majoribus connubium Matthæi. Nudius-tertius mihi redditæ literæ ab Illuſt. Grotio ex quibus intelligo intra tres menſes poſſe abſolvi, quæ annotavit ad libros veteris Inſtrumenti, eos etiam, quos Hebræus Canon non agnoſcit. Hinc fore, ait, ut prælum deſudet iſtis, quæ ad Acta Apoſtolica, Epiſtolas & Apocalypſin eſt commentatus. Equidem exopto ut videre liceat. Sane illis in IV. Euangeliſtas multa me bona docuit: ac ſicubi recedam, occaſionem tamen accuratius meditandi præbet. Imprimis deſidero Apocalypſeos interpretationem, quando noſtri, ſi Hieronymum Zanchium & paucos alios excepero, cuncta ad urbis Epiſcopum ſolent referre, præter antiquorum mentem à quibus invitus abire ſoleo. Et tamen non diffiteor in Prophetiis poſſe eſſe, quæ antiquioribus inviſa, nos ipſa docuerit dies, optima etiam ſtultorum, ut ajunt, magiſtra. Deus te diu familiæ, Reip. & amicis conſervet. Ampliſſimo Reigersbergio ſalutem dicito; item affini Nobili Dubletio, item Reverendo Doctori Johnſono & ſi Hagæ fuerit Doct. Goffio. Huic debeo exemplar de Idololatria, quod diu miſiſſem, niſi in mora fuiſſet bibliopega. Ante diem unum accepi compactum; ſed neſcio ubi degat Goffius, & gravare famulum tuum nolui.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ CXLIII. IX. Febr.

*Tuus totus*,

G. J. Vossius.

---

DCXL.

## Georgio Ratallero Dubletio.

*Epiſtola familiaris.*

*Nobilis & Ampliſſime Senator*,

QUos ad me quadringentos miſiſti florenos, eos heſterna die accepi. Ac ex pecunia apud Quæſtorem Dordrechtanum collocata Aprili proximo refundo. Pro cura & affectu quas debeo gratias ago. Matthæus meus, ut arbitror, intra hebdomadas duas vel præterpropter affuturus eſt nobis. Quod opto, ut videam, numquid in Annalibus Bataviciis promoverit; omnino ex illorum eſt genere, quibus ſubinde auris ſit vellenda. Ergo ubi redierit pro ἱεροδιδάκτης ero. Ante triduum redditæ mihi ab Iſaaco literæ, quibus ſignificat, ſe poſt duos tres dies Venetiis Mediolanum cogitare, atque inde Genevam. De Mediolano, urbe hoſtili, non multum adlubeſcit. Sed ſolatur, quod in hujuſmodi moderari linguam ſciat. Ampliſſimo Reigersbergio ſalutem; uti & gemino nomine conjunctiſſimo affini tuo Dubletio, nec minus patrueli. Et cur non ſuaviſſimis liberis addam, præſertim natu maximo Philippo. Ubi occaſio fuerit excurrendi, erit, ſpero, quod de profectu ejus mihi gaudeam, tibi gratuler.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ CXLIII. Non. Mart.

*Tuus omni officio*,

G. J. Vossius.

---

DCXLI.

## ...... Borrio J. C.

*Epiſtola familiaris.*

HEſterna die, Cognate optime, literas miſi Ampliſſimo Dubletio inſcriptas, ecce nunc alteras, quibus Senatori Reigersbergio commendo negotium tuum. Ubi diem adſcripſeris, aliquid ſigillo, quod impreſſimus, ceræ ſubdes. Valde exopto, ut voti tui compos fias. Quod ſi pluribus ſcribendo exiſtimabis me aliquid poſſe, tuum eſt iſthoc mihi ſignificare, qui paratior ſum ad gratificandum tibi in quocunque negotio, quam tu ſis futurus in poſcenda opera noſtra. Redditæ mihi heri literæ etiam ab ſocero tuo Ampliſſimo, cui, ut arbitror, nihil attinet hoc tempore reſpondere. Nam eadem reponerem, quæ tibi ſcribo. Plurimam autem meo nomine ſalutem dicito; uti & ſocrui & conjugi & utrique adfini, niſi alterum illorum Galliæ adhuc tenent. Meus Iſaacus poſt luſtratam Britanniam, Galliam, Italiam, nunc de domuitione videtur cogitare. Poſtremæ quas ab eo accepi literæ Venetiis ſcriptæ erant; ſed addebat intra triduum ſe Mediolanum cogitare Genevam. Si Deus ſiverit, redibit ad nos ingenti Manuſcriptorum Codicum necdum editorum ſupellectile inſtructus. Aſſidue pro ejus reditu vota ad Deum fundo: negotium etiam omne divino numini committo, quod ſolum novit quid expediat utrique noſtri. Eo autem ſollicitior ſum, quod toties jam in liberorum flore novercam experior fortunam, ſi ſic fas loqui Chriſtiano. Vale chariſſime cognate.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ CXLIII. Poſtr. Id. Mart.

*Tuus omni officio*;

G. J. Vossius.

---

DCXLII.

S. P.

*Quorundam librorum mentionem facit, qui ſibi miſſi fuerint, nec non, qui propediem lucem viſuri ſint.*

*Clariſſime & celeberrime Vir, Amice, Collega conjunctiſſime*,

MIſit ad me Gothofredus Syndicus Genevenſis ante bimeſtre, quatuor exemplaria Philoſtorgii ſui. Sed literæ quibus mihi indicabat amicos quibus ea deſtinaverat, in via perierant. Scripſi ergo & petii ut mihi ſignificaret quid de exemplaribus factum vellet. Te, Vir Clariſſime, inter alios nominavit, cui unum deſtinaverat, quod nunc ad te mitto, & ſimul peto ut te accepiſſe ſignifices. Miſi ad te inter primos tertiam lucubratiunculam meam de pace Eccleſiæ. Non dubito quin nauta eam domum tuam detulerit, quamvis de ea nihil quicquam ex te audiverim. Spem mihi fecit Blawius brevi ſcriptum aliquot tuum abſolutum iri, & ſe poſtea noſtri Blondelli opus curaturum. Multum eum devincies, ſi aliquando Typographum hortari digneris, ne deinceps ſit ceſſator. D. Salmaſius promittit ſe poſt feſtum Paſchatis iter ad nos inchoaturum. Interim emiſit Funus Helleniſticum, quod erit eriſticum. Sed non potuit ab eo propoſito dimoveri. Is adverſus quem Oſſilegium ſcripſit eſt Samuel Bochartus meus affinis, occaſione colloquii habiti Rothomagi apud ampliſſimum Saravium. Non probat quod quæ privatim inter eos tranſacta fuerant, eliminaverit. Plura pro tempore non addo ne ſeria tua remorer. Tibi & tuis omnia fauſta precor.

Hagæ-Com. 24 Martii, 1643.

*Tuus omni affectu & officio*,

Andreas Rivetus.

## DCXLIII.

*Clariſſimo Viro,*

# Andr. Riveto

Theologo.

*Gratias agit pro diſſertatione ejus de Pace Eccleſia, nec minus Gothofredo, de munere Philoſtorgiano ſe ipſum culpans, quòd in illis, quæ ad Veteris Eccleſiæ tempora pertinerent, non æquè limatum quid publico dare poſſit; quæ verò moliatur, ac quid Blondelli, opus moretur, indicat. Salmaſii reditum impatiens expectat. Funus ejus Helleniſticum & Oſſilegium valdè ſibi placere, profitetur.*

*Reverende ac Clariſſime Vir,*

MUltum tibi, nec paullo amplius debeo Ampliſſimo Gothofredo de munere iſto Philoſtorgiano. Vere miſiſti ἀγαθῶν ἀγαθίδας, ſive enim Philoſtorgium attendem, multa docet, quæ abſque eo eſſet, neſciremus: ſive τὸ πάνυ Gothofredum, licet magni ſemper eum fecerim, valde tamen hac opera auxit apud me exiſtimationem ſuam. Adeo multa ſunt quæ non me modo & mei ſimiles, ſed longe etiam doceat doctiores. Sed quoties mecum cogito tot florentiſſima Galliæ tuæ ingenia, neſcio, magiſne doleam ſortem fœderatæ hujus Belgicæ, an gratuler Galliæ, quæ tot tantivis pretii laboribus beare tempora noſtra, & poſtera ſimul ſæcula non ceſſat. Belgica vero hæc num ultra duos tres laudare poſſit (ſi modo tantus eorum numerus) qui lucem adferre veteris Eccleſiæ temporibus vel velint, ſi poſſint, vel poſſint, ſi velint? Atque in horum, quos nunc culpo numerum referre etiam liceat nomen meum, quamvis pro tuo erga me amore benigne adeo de me loquaris, & ſcribas, etiam in nupero ingenii doctrinæque tuæ monumento, pro quo munere magnas ago gratias, atque utinam poſſim aliquid rependere. Sed ita diſtineor, ut ſemper metuam, ne promere aliquid ſi velim, illud crudum adeo ſit, ut non faciat ad palatum eorum, qui dapibus adſuevere exquiſitis. Et tamen durat ardor ille nobis ferventiſſimus Eccleſiaſticæ Antiquitatis. Quantillum vero hoc, ſi ut Aſpendius tibicen, mihi duntaxat canam & Muſis! Id me facere negabis. Equidem facio in illis quidem, quæ ad veteris Eccleſiæ tempora pertinent. Quamquam in aliis etiam quantillum eſt, quod promoveo. Nunc ſub prælo eſt Elzeviriano liber de vitiis ſermonis, falſo ſuſpectis, & variis gloſſematis: ubi propoſui mihi, tum aperire in quam multis à puro ſermone abeant hodie multi non ineruditi, tum tueri quæ temere à multis culpari ſolent, tum lucem adferre ſemibarbaris ſuperiorum ſeculorum ſcriptoribus, quorum ſermo, cum allium & cepas oleat, ſæpius tamen grandes habet ſenſus, ut non videam operam ludere, ſi præſtem, ut melius intelligantur. Interea quid iſta magnopere ad ea, quæ amici ab hac ætate mea expoſcunt, ut aliqua ſaltem ex parte iis ſatisfacerem. Blauwio dedi excudendum libellum de anno Chriſti natali & emortuali. Qui licet necdum divulgatus ſit, tamen jam ante menſes ſex ſeptem ad finem perductus à typothetis. Adjungere volui minutam diatribam de genere Chriſti. Tantummodo quinque eſt, ut vocant, quaternionum. Et nihil mei à Blauwio, his exceptis excuſum intra quinque hos menſes. Quæ idcirco attuli, ut videas, nihil mea obſtare doctiſſimo operi Blondelliano. Quid igitur, inquies, moratur? Vir Blauwius eſt minime malus; ſed ut Mercuriales omnes ſolent, erepto fratre, in quem magna pars oneris recumbebat, ſerio diſpicere ſolet quid ſit in rem ſuam. Habuit autem & aliunde, quæ excuderet, & quæ abſolvi poſſe exiſtimaret, ante proximas nundinas Francofurtenſes: quod de Blondellianis non auſus erat ſibi promittere. Maluit igitur illa prævertere. Acceſſit, quod characteres Blondelliani tam minuti forent, ut brevibus & nebuloſis hyemis diebus typotheta miſa cum moleſtia legeret, quod fere ad candelam fuit. Propterea voluit exſpectare dies & longiores & ſereniores. Sic vero in animum inducas tuum, atque idem Clariſſimo Blondello perſuaſum velim, nunquam ab meis ullam ornatiſſimo ejus labori remoram fore, ſed neque paſſurum, ut opere illo alterius, quo nunc prælum fervet, ad umbilicum perducto, poſthabeat (ſi quid valeam) Blondelliana cujuſquam ſcriptis. De magno Salmaſio quod ſcribis, mox à Paſchalibus feriis domuitionem ad nos parare velle, valde me gaudio affecit. Pene dixerim, ſæculum mihi videri, quod eo caremus. Funus Helleniſticum ejus, & Oſſilegium legi. Placet cauſa Salmaſiana, & in Oſſilegio etiam modeſtia. De Funere improbarem acre illud & acerbum, niſi noſſem, quam crudeliter ille, quem impetit, tractare ſoleat omnes bene de ſtudiis mereri cupidos, quaſi honoris illud, quod aliis accedit, illi decederet. Mihi contra ſemper viſum fuit, à nullo omnem eruditionem poſſideri, ſed bene nobiſcum agi ſi cum Hercule obtineamus partem decumanam. Imo hoc ipſum arbitror obtigiſſe nemini, ut multum is mihi demum ſcire videatur, qui ſcit, quantum neſciat. Hoc utinam omnes non chartis (uti ego nunc facio, & ille, quem me ſcis dicere, aſſolet) ſed animo inſcribamus penitiſſimo. Gratum fuit intelligere, quis ille ſit, quicum diſputat in Oſſilegio maximus Salmaſius. Nam multa erudite objicit: ut hinc affinis tui Bocharti egregiam doctrinam non obſcure intelligam. Sane ſi iſtis armis non poſſit defendi cauſa Linguæ Helleniſticæ, actum de ea & conclamatum. Bene etiam ſit affini, qui Salmaſiano illi ſcripto occaſionem dedit. Abrumpam, qui & alteram me video paginam impleſſe. Niſi hoc addere operæ eſt, gemino me nomine gratias iterum tibi agere, tum pro Diſſertatione tua de pace Eccleſiæ, eo magis quia fuere complura unde proficerem, tum pro opera in tranſmittendo Philoſtorgio Ampliſſimi Gothofredi, quem non patiar deinceps expertem eſſe ullius, quod juris publici faciamus. Uxori lectiſſimæ ſalutem.

Amſtelodami, clↄ Iↄ c XL I I I.
Prid. Kal. April.

---

## DCXLIV.

# Merico Caſaubono, Iſaaci Filio.

*Epiſtola familiaris.*

*Reverende ac Clariſſime Vir, conjunctiſſime Collega,*

HOdie adfuit mihi Hoofdius, urbis hujus incola, ac ſignificavit ut à fratre literas accepit Londino, è quibus intelligat, accepiſſe eum trimeſtre iſthoc ſalarium, quod à menſe Septembri debebatur mihi ex Regia beneficentia, ſeque id hac ipſa hebdomade refundere mihi paratum ajebat. Sed & luculentam ſpem faciebat alterius trimeſtris, quod extremo Decembri exſpiravit. Ego hac occaſione ſcribendum mihi putavi, ac gratias tibi, & univerſo Reverendorum fratrum collegio agendas, quod mei, longe diſſiti, uſque adeo turbatis Angliæ rebus memores eſſe pergatis. Et ſi nuper, pro modo ingenioli, doctrinæque noſtræ, teſtari volui affectum erga fratres reverendos, animum iſtum non deponam, dum vivam. Ægre mihi eſt, quod tam pauca de dilectis adeo capitibus intelligam: Sed ſcio, peccata omnium noſtri meruiſſe, ut tanti fiant motus in Eccleſia pariter ac Regno, qui non ſinunt ut literaria ſint commercia, ſicut ſolent. Et tamen, ut confido, dabit Deus his quoque finem. Huc aſſiduo preces meæ adſpirant & tot bonorum. Ætas mea, egregie vir & amice, ingraveſcit. Sarcinulas igitur colligo, ut potiora eorum, quæ quadraginta & amplius annorum ſpatio exaravi, juris fiant publici: atque id non in ſacris modo, etſi his imprimis, ſed etiam politioribus literis & Philoſophia. Quæ nunc ſub

manibus habeam literis proximis cognoſces. Tam multa enim ſunt quæ molior, ut quid primum, quid medio loco, quod poſtremo exſequar, equidem ne ipſe quidem ſatis perſpiciam. Uxori optimæ, Reverendo Decano, Venerandorum fratrum ſingulis, filiorum plurimam dicas, rogo.

Amſtelodami, CIƆ IƆ CXLIII. Kal. Maji, St. Vet.

*Tuus æternum & fratrum Reverendorum,*

G. J. Vossius.

## DCXLV.

*Ipſius de Grotio judicium probat, quem Pontificiæ religionis ſuſpectum miſere à quibuſdam qui unà notantur, vapulare ait. Diſcordiam Eccleſiarum dolet.*

REfocillârunt animum meum literæ tuæ, maxime Voſſi, quas Dozenius noſter felici manu mihi ⅞ Jun. exhibuit, quod veterem mei amorem ſpirarent ac niveum candorem, ob quem te literatus orbis mecum admiratur ac colit. Eodem momento cum tuis accipiebam optimi D. Calixti eruditiſſimam Commentationem de Bono perfecte ſummo ſive æterna beatitudine ſuſpenſam ad aram beatæ memoriæ Georgii Ducis Luneburgici; qua, ut & antehac, Georgii Caſſandri de communione ſub utraque dialogo & annexis, βιβλιοθηκίδιον meum locupletavit. Is in concordiæ Eccleſiaſticæ ſtudio ſibi conſtat adverſus exſerta capita Orci galea quantumvis munita Sycophantarum, ut præfationes horum libellorum canora voce atteſtantur. Judicium tuum de Illuſtriſſimo Grotio mihi apprimè arridet. Interpretatio tamen dictorum præcipuorum de Antichriſto à diverſis jam examinata, mihi non ſatisfacit. Ego Romanum Epiſcopum, qualis jam diu eſt & infallibilem ſcripturarum interpretem & Hildebrandinum ............ conſcientiarum, totiuſque Chriſti Eccleſiæ oſtentat, eo loco habeo, quo Caſaubonus noſter ὁ πάνυ olim in Exercitationibus doctiſſimis ad Annales Baronii. Etſi enim non ſit maximus ille Antichriſtus, qui paulo ante ultimum ac decretorium hujus mundi diem, tyrannidem ſuam in Sanctos Dei exercebit, ut D. Zanchius meo animo rectè in Miſcellaneis ſuis judicavit: tamen magnus videtur: quo hodieque in domo Dei vix major eſt, ſiquidem eum cum hierarchia ſua integrè conſideremus. Non tamen dubium eſt, quin pii quidam urbis Epiſcopi fuerint & porrò eſſe poſſint, qui myſterium illud iniquitatis abominentur. Vapulat eruditiſſimus Grotius tam à Lutheranis quibuſdam, quàm à noſtratibus hoc nomine, quod in partem Pontificiam, quàm Evangelicam non paulò pronior videatur. Claſſicum belli ſacri, adverſus eum ab omnibus Lutheranis ſuſcipiendi decantatum à Johanne Peyſterto Ulmenſi..... .......... ſcatet maledicentia. Laurentius veſter ſatis calidè in eum ſcribit. D. Rivetus acutè quidem, ſed, ut mihi videtur, moderatiùs. Utinam tandem aliquando diſceremus omnes, quæ veræ Chriſti Eccleſiæ ſit nota, unitas videlicet, quam declarant mutua officia charitatis à Chriſto nobis tantopere commendatæ. Collegarum quidam, hujus notæ obliviſcuntur, dum hujus ſtudium nobis vertunt in notam hæreſeos. Et veſtri frigidam more fabrorum ferrariorum nonnunquam ſuffundunt & litium favillas ſponte ſua emorituras redaccendunt. Nam non ſine pacis noſtræ impedimento ejecta quædam in Belgicam linguam vaſa invulgata ſub titulo Hoornſte Sorghe, continens epiſtolam ad Magiſtratum noſtrum directam, in qua horrendæ hæreſes, Sabellii, Photini, & aliorum nobis improperantur: ſed & Synodici Nordhollandici Deputati nova epiſtola, in qua repetunt, ad quæ antehac reſpondimus, tanquam gladio ignem noſtrum iteratò fodiunt, & æmulos noſtros, quamvis præter intentionem, animant. Concordiam illi quidem ſuadent, ſed quia hypotheſes quaſdam noſtras cum reformata Eccleſia pugnare putant, bellum propè ſopitum & patientia noſtra depugnatum, facile inſtaurabunt. Recordor nunc ejus quod D. Rivetus alicubi ad D. Grotium teſtatur de Confeſſione quadam T. Claritatis qua Eccleſiis Belgicis ſatisfactum ſit. An illa edita eſt? Quæ & ubi? Vellem ſane eam videre, ſi forſan illa ad redintegrandam concordiam noſtram faceret! Si ea ad manum eſt, ne quæſo, eam nobis invide. Nihil enim antiquius nobis eſt, quam magnorum virorum exemplo veritatem juxta ac pacem colere. Pro voluntate in me filiumque meum hodie degentem Leidæ, quantam poſſum ac debeo gratiam habeo. Eſt ille quidem linguarum Orientalium & Medicinarum ſtudioſus, ſed paulo quàm vellem verecundior. In occaſione Excellentiæ tuæ ſerviet mecum. Tempore excluſus, claudo, teque cum amoribus tuis ſalvere jubeo.

Bremæ rapt. 21 Jun. / 1 Jul.

*Excellentiæ tuæ devotiſſimus,*

L. Crocius.

Incluſæ per famulum, quæſo curentur & audaciæ meæ ignoſcatur.

## DCXLVI.

# Ludovico Crocio,

### Doct. & Prof. Theologo.

*Ut in adverſis quibuſcunque animo bono infractoque eſſe pergat, amicè exhortatur; Injurios eſſe Grotio dicit, qui ad Pontificiorum caſtra tranſiiſſe ſpargant, cùm moderatam potius affectet reformationem, atque reconciliationem Romanæ Eccleſiæ cum Reformata.*

*Clariſſime & amiciſſime,*

VEllem, uti petieram, ornatiſſimus Doſenius me acceſſiſſet pridie quam eſſet abiturus; ſed nunc demum in urbem venit poſt ſemihorulam rediturus, ut mox navem adſcendat. Interea, etſi nunc mecum ſint hoſpitum nonnulli, in his Nobiliſſimus Magduellus, militaris judicii præſes in Friſia, nefas putavi non ſubito aliquot literularum exarare. Gaudeo te tam multis infeſtis, animo eſſe bono infractoque: ac Deum oro, ut ſemper idem eſſe velis; ſtat à partibus tuis ſcriptura: ſtat omnis vetus Eccleſia: ſtat etiam ex reformatis optimus quiſque & doctiſſimus. Amo Conſulem Doſenium, quod te amet, & faveat, foveatque cauſam optimam. Memini te literis ſuperioribus de Illuſtri Grotio judicium meum expoſcere; de quo pluribus alias loquar. Nunc ſolum dixero, injurios illi eſſe qui Pontificium eſſe factum ſpargunt. Arbitratur in reformatione à noſtris facta, multa rectè eſſe emendata, multa non; item, ut hic etiam locum habeat Poëtæ illud, *Exceſſit medicina modum.* Putat ea, quæ non ſunt propria Eccleſiæ Romanæ, ſed univerſæ, (qualia ſane quæ continentur Canonibus Eccleſiæ univerſæ, codice à Juſtiniano etiam Imperatore comprobato) non poſſe pro Pontificiæ Eccleſiæ propriis haberi, nedum ut ab Antichriſto profecta cenſeantur. Sedulo attendit, quæ ſemper in Eccleſia obtinuerint, quæ poſtea, alia aliis citius tardiuſque fuerint ſtatuta. Ac plane cenſet, ut in Romana Eccleſia multa à multis ſuperſtitioſe fiant, nec tyrannidem plurimorum Paparum probare bonus quiſquam poſſit; ita quoque ſeu doctrinam, ſeu regimen Eccleſiæ, ac ritus ſpectemus, multa in noſtris poſſe jure improbari, magis interim in iis qui Calvinum ſequuntur, quam qui Auguſtanam Confeſſionem. Facilius enim cenſet inter Lutheranos conventurum (præſertim tales qualis Calixtus, præclarus ſane vir) interque Pontificios, præcipue Gallos & alios, non plane Eraſmum, Caſſandrum, Caſaubonum, Anton. de Dominis, & ſimiles exoſos: quam inter eos, qui in Calvini verba jurarunt, & qui Romanæ Eccleſiæ placita rigidiùs duriùſque quam neceſſe ſit, inter-

interpretantur, aut qui ex particularibus Romanæ Eccleſiæ doctoribus putant de univerſa Eccleſia Romana ſtatui oportere; nec ſane quod negat Epiſcopum urbis eſſe Antichriſtum, ab alia æque cauſa eſt, quam quod videt, nullam eſſe ſpem reconciliationis, vel ejus etiam tentandæ, ſi hoc altè adeo animis ſit inſcriptum agi de conciliatione cum Antichriſto, Diaboli Vicario. In cunctis vero, quæ ad hoc argumentum pertinentia exaravit, non hoc petit, ut alba omnia ſignemus linea: ſed ſtudium laudemus, & expendamus cuncta ad Scripturas ex primæva antiquitatis mente intellectas. Idem ſummus vir jam pene abſolvit quæ duobus ingentibus Tomis ad difficilia Veteris Teſtamenti loca annotavit. Ac mox conſequentur Commentarii in Acta, & cætera Nov. Teſtamenti. Filium deſidero videre. Nondum enim me convenit. Nulla in re operam meam deſiderabit. Pro ingenii tui monumentis, quæ ſubinde mittis, gratias ago quantum poſſum.

## DCXLVII.

*Diverſa plurimorum judicia de Spanhemio refert, laudato ab his culpato ab illis.*

*Vir Clariſſime,*

Libellus hicce, quem tranſmitto, lucem videre vix auſus eſt; fuerunt enim, qui ſupprimendum eum eſſe dicerent, quod peſſime conſultum foret Religioni Chriſtianæ, ſi ejuſmodi de Chriſto opiniones vulgarentur. Certè Theologica facultas religioni habuit, ut teſtimonio aliquo librum munirent. Cordatior fuit Dominus L'Empereur qui quod petii, lubens volenſque præſtitit. Sed hæc coram malo. Dominum Salmaſium brevi rediturum, conſtans nunc omnium vox eſt; ſin moretur diutius, locum forſan apud multos inveniat, quod Dominum Heinſium Hagæ-Comitis dixiſſe intelligo, honorarium Profeſſorem veriùs onerarium vocari poſſe. Dominus Spanhemius ſuos hic habet admiratores; ſed nec deſunt, qui ipſi invideant: planè diverſa hominum experitur judicia. Inventus eſt nuper vir doctiſſimus, qui in magna copia (ſermo fuit de facundia Spanhemii) maximam ſæpe reperiri inopiam, dixit. Alii alia dictitant, quæ ubi Amſterodamum venero, audacius promam. Vale, Vir Clariſſime, & ſtudiis meis favere perge. Dominus Baro ſalutat Clarit. T. quam poteſt officioſiſſime; idem rogat obſecratque, ne, ſi quando Lugdunum veniat alio quam ſuo uti velit hoſpitio.

Anno 1643, 20 Julii.

*Claritati tuæ devotiſſimus,*

LEVINUS WARNERUS.

## DCXLVIII.

### Gerardus Joannes Voſſius, Hugoni Grotio

S. P.

*Filius Iſaacus, Burgiuſque adoleſcens quid agant ſcire cupit. Avidè omnes Grotianas in V.T. notas expectat. De infirma valetudine ſua certiorem facit, quam ex immoderatis ſtudiis contraxiſſe putat; proinde animum obfirmaturum, ne novi quid poſthac aggrediatur.*

*Illuſtriſſime Domine Legate,*

Gaudeo Iſaacum meum Mediolano ſalvum ac ſoſpitem Lutetiam reverſum. Quamquam paulùm malè me habet, quod ſimulac veſtra urbe poſuerat pedem, de reditu quidem tribus me verbis fecit certiorem, ac per tabellarium proximum prolixiùs ſe ſcripturum promiſit; at ne per ſecundum quidem nuncium literarum aliquid miſit; ut ſubvereri cogar, ne Mediolano feſtinantiùs, hoc iter tam longum confecerit, quàm à querquero illo morbo, vix dum depulſo, corporis ſineret infirmitas. Quod ſi, ut ſpero, valetudo nunc ſecunda ei, nolim iterum eum moretur.....ndia, quo minus fruendo coram Excellentia tua, cum itineris ſui fructum ſuperaddat, cujus conſequendi occaſionem fruſtrà deſideret poſtea. Intelligo etiam Lutetiæ eſſe filium Ampliſſimi Conſulis Conradi Burgii. Cui quàm benè velis, abundè cognovi ex Excellentiæ tuæ ad me literis, jam ab eo tempore, cùm eum commendarem, per Gallias, ut credebatur, unà cum Hortenſio iturum ad τὴν μακαρίτην Galilæum de Galilæis. Quamquam verò nullus dubito quin idem ſit, qui olim fuit; tamen longè fuerit jucundiſſimum ex tuâ Excellentiâ intelligere, quid cenſeas de ejus vita, ſtudiis, atque induſtria. Crebro enim itare in aulam veſtram, eoque frequentiùs quod ibidem habeat amitinum ſuum Beuningium, narravit mihi hodieque Nobilis Filius tuus, Petrus Grotius: qui patruo Guilhelmo, atque adeo penè ejus familia omni, Haga abeunte; nihil cauſæ vidit, cur non & ipſe feriis fruatur, iiſque amitinos Reigersbergios in urbe viſitet noſtra. Avide omnes bonam mentem amantes expectant, quæ ad veteris Inſtrumenti Libros annotaſti. Cognoſco jam Excellentiam tuam in tertio volumine deſudare. Utinam mihi Deus longam adeo vitam concedat, ut qui illa in novum Fœdus plus oculis meis amo, etiam me paſcam cæteris, citra dubium nihil niſi nectar ſpirantibus. Malevoli ringantur; certent porrò non dictis, ſed maledictis; quaſi cuminum fererent, aut ocymum. Sol non invidet veſperæ. Et tamen vellem non tantas moras necti ab eo qui reſponſurus ſit, illis ſic habenas irarum in Ex. T. effundentibus, optimeque etiam dicta in deteriorem rapientibus partem; qui nihil æquè audiunt inviti, quàm quod medicina dicitur modum exceſſiſſe. Valetudo mihi ab aliquot hebdomadis, ut non peſſima, ita parùm proſpera, credo ab eo, quod ob diurna impedimenta non ſat parcam noctibus. Interim animus nihil novi auſpicari. Quorſum enim? qui tam multa ſim aggreſſus, ut me ſubinde ſtultitiæ condemnem. Sic enim egi, quaſi longiſſimam mihi ætatem ſponderem. Sero nunc ſapio. Nempe, ut olim ajebat ille: Sapere incipimus plerique omnes, cùm deſinimus vivere. Nec tamen magnoperè id malè me habet ſemper. Utcunque enim illa, quæ perficere non licebit, haberi debent pro non inchoatis; tamen præter honeſtam voluptatem, quam ex ea ſtudiorum varietate cepi, hoc feci boni, quod in iis, quæ jam juris publici facta, vel effecta habeo, multa ob ſtudiorum nexum, illuſtrius, ſaltem magis ex animi noſtri ſententia tractavimus, quàm ſi in ſtudiis, ſcriptiſque, arctiores mihi limites præfiniiſſem.

Deus Opt. Max. Excellentiam Tuam, conjugem Heroinam, ac familiam univerſam, diutiſſimè ſalvam ac ſoſpitem conſervet.

Amſtelodami, CIƆ IƆC XLIII. v. Id. Sextiles.

*Illuſtriſſimæ Excellentiæ Tuæ cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

Conſulem Flamingium Dom. ab Oſthorn nudiuſtertius amiſimus, magno cum bonorum dolore. Suſtulere illum ingentes calculi dolores: propter quos ſæpè mortem exoptavit, corde alioqui vegeto, ac firmo. Multum amiſi in viro tam amanti domus noſtræ: ſed non paulò amplius eſt, quod in eo perdidit Reſp. De faventia erga Excellentiam Tuam, ſcis ipſe, & nunquam apud me occaſionem, vel minimam neglexit teſtandi erga Excellentiam Tuam propenſiſſimum affectum.

## DCXLIX.

*Summo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Joannes J. F. Schildius

Bremenſis

S. D.

*Copioſis verbis ejus benevolentiam aucupatur. Nuperum cum ipſo colloquium ſibi gratulatur. Vovet, ut ſit quàm diutiſſime orbi literato ſuperſtes.*

VIx mihi bona ſua ſatis intelligere videntur, quibus divina quadam virgula Excellentium virorum voluntates conciliantur. Nam ſi priſcorum, quos nunquam vidimus, non libros ſolum, verum etiam imagines conquirimus, quid iis fortunatius eſſe poteſt, qui vivorum gratia, & amicitia florent, qui non admirantur ſolum homines admiratione digniſſimos, ſed vident, alloquuntur, conſulunt, complectuntur? Sane refert Plinius ſecundus Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, ut viderat, abiiſſe. Tanti putabat Barbarus, etiam vultum celeberrimi viri cognoviſſe. Ac ne longius hæc arceſſam, me quoque inſitum illud mortalibus ſtudium, magna & inuſitata noſcendi, in haſce Provincias excivit. Non eſt quod ipſe me differam. Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror, reprehendenda, ut humanitatis ac benevolentiæ tuæ ſenſum alliciam, qua ſola propemodum mercede in Belgium profectus mihi videor. Nihil præſtantius, nihil amabilius, nihil quod impellat magis homines ad ſuſpiciendum, quàm virtutis magnitudo. Adde, ad virtutem ſi inuſitatæ eruditionis gloria accedat, incredibilem quandam hominum admirationem accedere. Diu te, Vir maxime, eo loco conſentiens hominum exiſtimatio collocavit, quo multis ſeculis vix alium. Jamdudum nomen tuum iiſdem, quibus Lingua Romana, ſpatiis pervagatur. Meruit hoc ſingularis, ac prope divina quædam virtus tua; meruere tot immortalis ingenii monumenta, quot peregiſti volumina,

*Hæc quæ ſecula, poſterique poſſint*
*Arpinis quoque comparare chartis.*

Ut taceam ex filiis honorem, quorum duos, ni fallor, immatura mors abſtulit, non minus ob egregias animi dotes tibi charos, quàm quod filii fuere. Non eſt autem verendum, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum, quicquid de te dixero, omne infra dignitatem tuam fuerit. Equidem Clariſſ. Virum Ludovicum Crocium non ſine grata animi memoria recordor, cujus commendatio maximo nobis apud te adjumento & ornamento fuit. Ei lubens debeo, quod cum menſe Majo iſtic ad te adiremus, integram ferè horam doctiſſimis ſermonibus nobiſcum tranſegiſti. Nihil ibi audiſſe me, niſi profuturum, memini, nihil didiciſſe, quod neſcire rectius fuerit. Ut omittam, quàm tu omnia iſta mira in ſermone, mira etiam in ore ipſo vultuque ſuavitate, condiveris; planè inſtar Homerici Neſtoris, cui

— μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Itaque illa horula, quantum admirationem animi mei, tantum auxit deſiderium. Exinde ſcribere ad te ſæpe conantem deterruit pudor meus, & tenuitatis meæ conſcientia. Quid enim? Annon ipſi noſtræ modeſtiæ vim facimus, cum te tot diverſis functionibus diſtrictum impeditumque literarum inſuper alloquio fatigamus? Annon ipſum me pudeat mei, quod homo adoleſcens, nulla vel ingenii vel doctrinæ laude commendabilis, ad incomparabilem Heroa Voſſium ſcripturiam? Oneravit iſta triſtis de invaletudine tua nuncius, de qua ipſe Cl. Crocii filio, amico meo perſcribebas. Qui hercle nuncius graviſſimo me dolore confudit, cum mihi non unus homo ſed literæ ipſæ, omneſque bonæ artes in uno homine ſummum periculum adire viderentur. Nam qui voluptatibus dediti, quaſi in diem vivunt, vivendi cauſas quotidie finiunt: qui verò poſteros cogitant & æternitatem laboribus ſuis ſibi devinciunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat. Enim vero jam ante perculerat me præfatio in partem quandam Theologiæ gentilium, diffuſiſſimi illius operis, nec minus varii, quam eſt ipſa natura. Sed, quæ Dei Opt. Max. fuit indulgentia, hactenus ſeculo noſtro ſervatus, teque & domum & literas ſuſtentas; ſperamus etiam porrò ſuſtentaturum. Nihil enim tam certum eſt ex his, quæ timentur, ut non certius ſit, formidata ſubſidere. Quamobrem ſpe metum temperabimus; præſertim quando nihil ſcævum iſtinc allatum meminimus. Non morabor te diutius. Quod ſi ad me quoque, velut rivi ex illo benigniſſimæ naturæ tuæ fonte decurrant, næ ego creſcam & exultabo, næ ego non dicam aliud mihi, quam numen adfuiſſe. Offero tibi exiguum obſervantiæ meæ pignus, avi mei Oblectamenta Metrica, quibus ille, tanquam ocio quodam literato, intervalla negotiorum diſpungebat. Aliud, te dignum, munus haud invenio. Ipſum me, ſi alicujus precii putas, totum tene, habe, poſſideque. Impendam me tibi, ſi poſcas; impendam, etſi non poſces. Vale.

Lugd. Bat. cIↄ Iↄ CXLIII.
XVIII. Kal. Septembris.

## DCL.

*Bergii fatum deflet quodque poſt obitum adhuc calumniis pateat, quas quidem in præfatione Diſſertationum ſuarum abſtergere conetur.*

*Virorum maxime Voſſi, & Amicorum,*

HEi! lachrymas, quibus Bergii fatum defleo, ſemivivus in ſinum tuum effundo, ut excuſem ἀχαριστίαν meam, qua nondum me delendi reum profeſſus ſum tibi pro divino opere, Gentilium Theologia & tribus Symbolis, quod te tui ſimilem, hoc eſt, παντεπιστήμονα oſtendit. Efficit illud ut tibi ingratus moriar. Nullum enim redhoſtimentum tanto dono dignum à me eſt ſperabile, à quo nil niſi humiles myricæ. Deum obnoxie veneror, ut te nobis & Reipublicæ Chriſtianæ ſuperſtitare ac diurnare velit. Æmuli noſtri ne defuncto quidem hic parcunt, ſed varias de eo ſpargunt calumnias, quas præfatione diſſertationum mearum abſtergo, ut propediem, ut ſpero videbis. Saniores Gentilium olim ſapiebant rectius, quorum vox erat

*Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.*

Item,

*Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis habet.*

Quanquam hic vir nemini erat inimicus. Sed nobis, quoad ſumus, pugnandum eſt pro veritate, juſtitia, pace. Hac enim lege ad Chriſti commilitium vocati ſumus. Et ut pia olim anima canebat,

*Nunquam bella piis, nunquam certamina deſunt,*
*Et qui cum certat mens pia ſemper habet.*

Hæc raptim. Salutem tibi ſcribo, Vir ſumme, & familiæ à Collega D. Willio ſuperſtite & me, cum officiis & gratiis pro honore mihi immerenti in Theologia veſtra delato.

Brem. XIII. Cal. Sept. cIↄ Iↄ CXLII.

*Tuus, omni officio & affectu,*

L. CROCIUS.

DCLI.

## DCLI.

*Diuturni ſilentii cauſas enarrat. Mortem Comitis Straffordiæ luget. Commendat ipſi Iſaacum Voſſium, modeſtiſſimi ingenii juvenem.*

*Vir doctiſſime, amiciſſime,*

OLim ad te literas non mitto, non deſidia, non oblivione tui, ſed longis & aſſiduis peregrinationibus impeditus. Annis ſuperioribus Germaniæ partem non exiguam luſtravi; poſt (quaſi antea non vidiſſem) in Italiam contendi. Secuti ſunt itinera duo Hibernica, brevia quidem illa, ſed incommoda, & niſi inſignium amicorum quorundam conciliatio & convictus moleſtias repenſaſſet, maxime pœnitenda. Nunc demum lares colo Londinenſes meos. En tibi rationem ſilentii illius cui tamdiu indormivi. Cauſas ex alto non peto, nec circuitu ago. Impræſentiarum ſi quæris quid agam, ſcito pauca at bella minantem vivere nec recte nec ſuaviter. Non utique quod à fortunæ ſubſidiis imparatus ſim, ſed quod poſitus in querulo & moroſo corporis ſtatu, gravibuſque ac diutinis languoribus (duntaxat calculi vellicationibus quæ me indies premunt) laſſus & conquaſſatus, etſi victus alioquin parci ac reſtrictioris, Οὐχὶ ζωῆς ἀσφάλειαν ἀλλὰ θανάτε πορίζουσιν ἐμαυτῷ προσ-ενδιάζω μακρῷ θανάτῳ τὸ μὴ ἀποθανεῖν σοφιζόμενος. Acceſſit cumulus his malis mors Straffordiæ Comitis eximii Mecœnatis mei, Regnorum trium exempli ac convicii, extincti magna bonorum ſapientiumque civium penuria, alieniſſimo Reipublicæ tempore, ac majore ingratæ patriæ quam ſuo damno. Loquor liberius fateor quam pro conditione temporum ac rerum noſtrarum, ergo hæc ſoli commiſſa tibi celare memento: Ac tacitus noſtras intra te fige querelas. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

Commendo qui has literas reddet tibi Iſaacum Voſſium ex Gerardi filiis. Juvenis probus eſt, & modeſtus, ingenium habet non publici examinis, amatque bonas literas ac bonam mentem. Eum tu, pro inſigni humanitate tua, quam ego olim adeo prolixè expertus ſum, complectêris: dum in veſtra celeberrima civitate commorandi animum habuerit, ornabis commodabiſque, & cum abeundi conſilium formaverit, fauſtis votis proſequeris. Ita veteribus tuis erga me officiis ac ſtudiis novum pondus accedet. De cætero (urget enim nec me longius evagari ſinit) cum primum commode potueris, de ſalute tua velim me certiorem facias, & quid eruditi veſtrates novi moliuntur, quid tu imprimis, ex cujus ſcriptis nil lego niſi profuturum, nil diſco quod neſciſſe rectius & utilius fuerit. Ignoſce, Vir amice, quod officium iſtud tamdiu debitum tam ſero tamque parum cumulate reddo, & ſi potes, priſtinam tuam erga me voluntatem conſerva.

Londini, prid. Kal. Sept.

*Amicitiæ ac humanitati tuæ devinctiſſimus,*

JOANNES PRICEUS.

## DCLII.

*Illuſtri*

Hugoni Grotio.

*Commendat filium Iſaacum. De auctoritate Epiſcoporum ſententiam ſuam profert. Quadrageſimæ antiquitatem adſtruit.*

*Illuſtriſſime Domine,*

DE filio Iſaaco plurimum gaudeo, quod ſoſpes Lutetiam redierit, & ſic Excellentiæ Tuæ placeat, ut ſponte etiam in ædes recipere ſis dignatus, ſatius etiam cenſeo, ut ſi moleſtiam ea res non adferret, aliquantiſper commoretur. Eum domi videbit, atque audiet, cujus dicta ſingula pro oraculis habere debet, foris etiam notitiam ſummorum virorum conſequetur: Bibliothecis variis fruetur. Utrobique verò erit, unde non modò doctior fiat, ſed etiam prudentior. Amo innocentes Muſas: ſed neque me fugit, quantum decus etiam ei, qui nunquam capeſſet Rempubl. accedat, eo, quod rerum civilium non ſit penitus imperitus. Multum etiam lætor; quod eouſque produxeris annotata tua in vetus Inſtrumentum. In novo, cenſeo non inutilem fore Excellentiæ tuæ (fortè jam videris) variantium lectionum libellum qui, in adverſariis, Ludovici de la Cerda Hiſpani, caput conſtituit XCI. De Blondelli opere, ità eſt ut ſcribis. Petierat doctor Rivetus, ut Blauwio commendarem. Primùm refugi, eo nomine, quod putarem Epiſcopis adverſari. Dixit ſecus eſſe, mediam inſiſtere viam nec Armachano Archi-epiſcopo diſplicere. Paucas ſolum paginas inſpexi. Mea hæc ſententia eſt, jam Apoſtolicis temporibus, Epiſcopos Presbyteris præfuiſſe; facilè largior non fuiſſe eos, dum Apoſtoli, adhuc continerentur Palæſtinâ vel cùm primùm extra eam Eccleſiæ colligerentur. Sed ubi excrevêre illæ, & Apoſtolorum numerus eſt imminutus, ſecùs cenſeo. Atque ut verum eſſet, quod ὁ πάνυ Salmaſius arbitrabatur, demum cœpiſſe circa annum centeſimum, Religio foret recedere ab ea gubernandi forma, quam totius orbis Eccleſiæ comprobaſſent. Nigrinus non eſt mihi notus, ſed vidi literas, quas qui ſcripſerat, ajebat, ſe ex ore ejus audiviſſe, me ſuperiorem Quadrageſimam ex more Romanæ Eccleſiæ obſervaſſe. Quis ei hoc perſuaſerit, neſcio. Quanquam id verum, privatim publicèque multa me dixiſſe de Quadrageſimæ antiquitate & uſu; vehementer etiam improbaſſe, quod noſtri homines ne quidem Paſſionis Dominicæ die ſoleant jejunare; ſolidè me poſſe evincere, ſemper aliud obtinuiſſe in Eccleſia veteri; nec tamen laudaturum, qui hoc uno nomine turbet Eccleſias noſtras; poſſe enim quemque jejunare domi ſuæ, cum id non ſit interdictum. De Ignatio filii, grata ſunt quæ ſcribis: deque valetudine tuenda, quod commones, gratias Excellentiæ Tuæ ago. Dominæ conjugi, ac liberis, ſalutem plurimam à me, meorumque dicito.

Amſtelodami, CIƆ IƆ CXLIII,
VII Id. Septembris.

## DCLIII.

*Epiſtola familiaris quâ inter alia notatur Doctorum diſſidium.*

*Præſtantiſſime Vir,*

SChedas haſce reperi, quas mitto, ut ſtem promiſſis, non quia dignas judico, ut eas legas, aut eas tibi uſui fore exiſtimem. Locutus etiam ſum viduæ p. m. Van der Meril, ſuper arcanis Papatus, quæ penes eum depoſita fuiſſe putas. Illa mihi promiſit ſe inquiſiturum ea Delfis (ubi Manuſcripta apud filiam adſervantur) & ſecum allaturam quæ ſimulac mihi tradita fuerint, tranſmittam.

Salutavi D. Voetium tuo nomine, illud ipſi gratiſſimum fuiſſe animadverti; qui de te ſumma cum laude locutus; præſertim quod antiquitatis arcana penes te hoc in ſeculo propemodum ſuo adſerventur, & ſumma cum conſtantia propugnentur, præſertim contra dogmata F. Socini, quòd à D. Grotio non ita fieri dolemus: quem volubilem eſſe quis non animadvertit? habent profecto ſuos nævos præclara ingenia. Adfuit nobis D. Heinſius nuperrime, qui illuſtriſſimi Salmaſii adventum nullo carmine celebrabit. Rogum funeris Helleniſtici Hyperaſpiſtes ejus Schoockius præparat. Et profecto magnum incendium. D. Voetius habebit etiam qui cauſam ejus agent contra D. Carteſium. Scripſit ante paucos dies ad me Illuſtriſſima & doctiſſima Elizabetha, Bohemiæ Princeps: dolet & ridet doctos ita digladiari; & ita contemptui exponi una cum eruditis ipſam ſcien-

ſcientiam. Theologis hoc quaſi proprium antehac creditum fuit. Sed & Critici & Grammatici de lana caprina bellum excitare noverunt. Nolo autem hanc camarinam movere, præſertim apud te quem pacificum ſemper agnovi. Salutat te communis noſter Beverovicius, qui ſummo cum deſiderio epiſtolas tuas expectabit, ſuper anno climacterico: quia jam novum opus epiſtolicarum quæſtionum parat. Ignea enim hæc ingenia à ſcribendo vix ſe temperare poſſunt. Ego Eccleſiam meam pro epiſtola habere gaudeo. Vale, Vir Clariſſime, cum tota familia.

Dordrechti, 10 Sept. 1643.

*Tuus omni obſequio,*

ANDREAS COLVIUS.

Vidi apud D.D. Arminium ſcripta quædam de Arte Magneſia, quæ ſi meis ſumptibus tranſcribi poſſent, faceret mihi magnus Barlæus inſignem gratiam. Sed hæc vix ab eo petere auderem. Quocirca ejus de Magnete philoſophicas quæſtiones expectanda nobis erunt. Interim ſalutabis peramanter Virum celeberrimum meis verbis.

## DCLIV.

*Incomparabili Viro*

## Gerardo Joanni Voſſio, Johannes Fredericus Gronovius

S. P. D.

*Librum de Seſtertiis perfectum dicit proximè edendum. Orat, ut quoſdam autores mittat, ad hunc laborem ſibi utiles & neceſſarios.*

QUod ſæpius Author fuiſti mihi, Vir maxime, ut quæ de Seſtertiis, ab doctiſſimis viris perperam tradita mihi viderentur, in unam aliquam diſſertatiunculam conjicerem; id tentatum non ſemel, ſemper autem hactenus per occupationes intervenientes abruptum; his tandem feriis, & ſummo ſtudio ſum aggreſſus, & pro captu meo, non infeliciter perfeci. Dedi cum primis operam, ut rem ſententiamque meam, ita dilucidè proponerem, ut non poſſit ab ullo, mediocriter docto, paulò attentiùs legi, quin intelligatur: iis deinde rationibus, ac authoritatibus munirem, ut neminem contradicturum, qui intellexerit, liceat ſperare. Atque hoc eo magis, quod deprehendi ex ſcriptis divini Salmaſii noſtri, cum nuſquam hanc materiem ex profeſſo tractet, quæcumque tamen obiter, aut explicat, aut corrigit, cùm ſæpe non conveniant illis, quæ alii tradiderunt, noſtra cum ratione ubique ad amuſſim conſentire. Curabo fortaſſis; imò conſtitutum eſt omnino curare, ut circa paucas tempeſtates hic edantur, quæ concepimus: non prolixum eſt hoc quicquid eſt ſcripti, trium putà, aut quatuor philyrarum. Authores quibuſcum res eſt mihi, ſunt Budæus, Georg. Agricola, Hotmannus, Scaliger, Paſchaſius Groſippius. Hos diligenter legi, & expendi. Cæterùm Agricola, & Hotmannus, citant quemdam Portium, qui eodem ferè tempore, cum Budæo ſcripſerit: habeo libellum Matthæi Hoſti, de numerandi ratione emendata, in qua ſuam hiſtoriam rei nummariæ allegat: ni fallor etiam, Erycius Puteanus aliquid hujuſmodi edidit, & P. Ciacconius. Hos quos non vidi nondum, videre tamen, ſi fieri poſſet, nimis quàm cuperem: eaque de cauſa oro, quos eorum Bibliotheca tua ſervat, eos ad me commodato tranſmittere quamprimùm ne graveris. Valde etiam indigeo Grammaticorum opere Putſchiano: nam cùm eorum loca quædam examinanda ſint, id hactenus, niſi ex ipſis verbis, quæ allegant Authores mei, facere nequivi. Collega noſter Cl. Iſendornius in Hollandia eſt, ei dederam in mandatis, ut Grammaticos hos, & Andreæ Schotti obſervationes humanas, meo nomine à te peteret. Eo enim indigeo propter Livium, quem à nobis recenſitum, & plurimis locis ſaniorem futurum Elzevirii ſub prælo habent. Nunc quod commodo fiat tuo, ejus adventum exſpectare te nolim, ſed prima quaque occaſione, deſignatos libros, aut quorum eorum tibi copia eſt, mitteres. Vides quàm ſimpliciter humaniſſimis verbis tuis credam, quibus aliquoties, adverſum te, adeo audacem me eſſe juſſiſti. Vale, & ſalve, Vir incomparabilis, cum graviſſima matrona tua, liberiſque & nuru. Annon addendum erit propediem, nepote, vel nepte? Et quomodo rem gerit, ὁ πάνυ Matthæus? Mea uxor (gratias Deo) intumuit admodum, & ut ſpero, intra tres menſes, tres erimus. Iterum valete, & me amate.

Daventriæ, ad diem III Eid. Octob. an. CIƆ IƆ CXLIII.

Iſaacus autem ubi, & quàm benè agit? ſed & quæ ſpes, de Salmaſii reditu?

## DCLV.

## Johanni Frederico Gronovio.

*Deſideratos tranſmittit libros, ac univerſam Bibliothecam ſuam in uſum liberaliter offert. Salmaſio ab Ordinibus navem mitti bellicam, qua eum reſtituat Academiæ, nunciat.*

*Clariſſime Gronovi,*

PErgratum eſt, quod uſui tibi eſſe poſſit bibliotheca mea: eo magis, quia ipſe nequeam, prout vellem, ob nimiam ſalutantium multitudinem. Abſque noctibus foret, cum nunc male mecum agatur, peſſime. Nam quid mei ſimilibus, vel noſtri potius infelicius eſt, quam aſſidue avelli à libris, quod mihi interdum decies de die contingit? Mitto autem ex iis quos popoſceras Grammaticos methodicos, à Putſchio editos. Habeo & Priſcianum Manuſcriptum, bonæ notæ, Aldinum & hoc antiquioris editionis. Quos miſiſſem, ſi id velle ſcirem. Scis & mihi Nonium eſſe Manuſcriptum longe optimum. Siquid locorum voles inquiri, non gravate id fiet: mitto præterea Schotti obſervationes humanas. Item Leonardum Porcium Vicentinum de ſeſtertio, talentis, aliiſque: Item Aquilæ & Mameranni libellos Aquilæ adjunctos, adhæc Henniſchium Mathematicum de Aſſe & ejus partibus; Chifletium de Numiſmate antiquo, & Puteanum de ratione pecuniæ Romanæ; volui & videres Grepſium de Siclo & Talento, licet ambigerem annon id conſpexiſſes, tum autem num uſui eſſe poſſet. Paſchaſii Groſippi ſive Scioppii Mercurium, Priſciani, Fannii, Bedæ, & Meriani opuſcula addidi, quod ad eos & Vineti notas quædam Scaliger adſcripſiſſet. Habeo & mei conſanguinei Budelii de Re nummaria libros duos, cum xxv aliis libris, quos ſuis adjecit, ſed magis ad juris ſcientiam quam philologiam pertinent. Mittam tamen ſi ita voles. Quas tanto ante literas Clariſſimo Iſendornio dederas, eas accepi ante biduum, cum pridiè mihi redditæ forent à Reigersbergio, quas dediſſes ornatiſſimo Gerardino. Iſaacus meus Lutetiam eſt reverſus & cum Illuſtriſſimo Grotio vivit. Utrum ante hyemem ſit reverſurus, an ea exacta, dicere nequeo. Valde triumphat de tam multis à ſe deſcriptis, quæ adhuc ἀνέκδοτα. Salmaſio ab Illuſtribus Ordinibus navis jam mittitur bellica, quæ eum referat Academiæ. Multum gaudeo de elegantiſſimi ingenii viro Vincentio Fabricio, omnino honore de quo ſcribis, digniſſimus eſt. Nec hic apex fuerit ſed gradus. Matthæus meus te [illegible], ejus conjux, quantum rationes putamus, binis tuam menſibus anteverter. Utrique facilem partum opto; & ut ſæpius læta prole maritos faciant parentes.

tes. Clariſſimis collegis, Duiſtio, Iſendornio, & (quem præmiſiſſe oportuit ſi tanti res foret) Chriſtenio ſalutem. cIↄ Iↄ c XLIII, XXVI Octob. mira feſtinatione, ob eos qui ſcribenti intervenerunt.

## DCLVI.

Εὖ πράττειν.

*Dolet quæ ad eum deſtinâſſet, literas periiſſe. Crellii vehementiam improbat. Grotium ad Pontificios tranſiiſſe fertur.*

ANte trimeſtre, maxime Voſſi, ſarcinulam librorum nauta quidam noſtras ad pedes tuos deponere juſſus, unà cum duobus faſciculis, quorum alter tibi, alter D. Heinſio cum adjunctis literulis inſcribebatur, aliiſque amicis: Sarcinulam, interveniente quodam ſtudiis noſtris non ſatis propitio, à nauta iſto ad nos reportatam video, ſed abſque adjunctis literis & prædictis faſciculis: Ubi verò hæreant, neſcio. Hæc propter peramanter peto, ut in proxima occaſione me doceas, an cum literis Dyodecadem Diſſertationum mearum & orthodoxam declarationem D. Hildebrandi, Collegæ mei, acceperis, necne: & ſi quid in his deſideres, nos liberè moneas. Sumus enim dociles. In locum D. Bergii, conjunctiſſimi quondam Collegæ mei, plebs noſtra vocavit D. Crellium, D. Pezelii ex filia nepotem, affinem meum, virum doctiſſimum, antehac in Academia Viadrina Profeſſorem Theologum, ſed rigidum Piſcatorianorum placitorum aſſertorem & Bergianæ moderationi contrarium. Hic proculdubio præſentia ſua à follibus noſtris inflatus Camerinam denuo movebit, niſi Deus ſingulari gratia alium ei animum inſpiraverit. Summum Virum, D. Hugonem Grotium ad Pontificiorum caſtra jam tranſiiſſe, publica fert fama & eopſe excidiſſe gratia Regni Suecici, quod ob mutatam Religionem ei non fidat. Dolerem ſanè, ſi id factum. Quid hujus ſit, vos rectiùs ſciveritis. Theologia veſtra gentilis & phyſiologia Chriſtiana, divinum opus, quotidie paſcit animum meum. Vivit in eo Voſſius noſter & æternat, quem cum univerſa familia ſoſpitem perpetim ſalvere jubeo, eique ſum

Bremæ v. Cal. Dec. vet. cIↄ Iↄ c XLIII.

*Devotiſſimus,*

LUD. CROCIUS.

## DCLVII.

## Friderico Spanhemio,

Theologo.

*Opuſcula ſua de genere & annis Chriſti, ac de tribus ſymbolis dono mittit, applauſum etiam, quem in Academia Leidenſi jam conſecutus ſit, gratulatur.*

*Eximie & Clariſſime vir,*

QUod coram promiſeram nuper, nunc præſto. Utinam modo opuſculum, quod mitto, ſapiat palato tuo. Cujus ego judicium multorum inſtar æſtimo, cæterum illi de genere & annis Chriſti, addidi, alterum aliquanto ante divulgatum, de tribus ſymbolis. Nempe ut opuſculum tam minutum, ſi augeſceret, paulo fieret commendabilius. Magnam ex eo voluptatem capio, quod omnia ſic Leidæ tuis perſonant laudibus. Sic enim intelligo ex multis, qui inde huc veniunt. Sordeſcere cœperant veteris Eccleſiæ tempora, quæ bellè adeo ſocias cum noſtris. Te tibicine, non metuam, ne juventus deinceps diſpretui habeat doctores antiquos. Nec ignoro, quantum debeamus magnis viris, quos paterna & avita ætas tulit. Ac male de nobis, pejus de Eccleſia meremur, ſi ſic eos amplexemur, ut propterea priores, præſertim primævos illos faciamus depontanos ſenes, ut cætera mittam damna, hoc pacto ne ingrati quidem animi crimen effugiamus. Illud quoque præclare de Academia ſperare jubet, quod ſalvus ac ſoſpes redierit ὁ πάνυ Salmaſius. Vir undecunque magnus, ac ut in cætera hiſtoria ita Eccleſiaſtica, ſiquis alius penitus ſubactus. Quid non à tam nobili pare, una in urbe degenti, liceat ſperare? Quocirca non deſinam Deum rogare, ut uterque veſtri, multos in annos, lætus interſit populo Batavo.

Vale, Præſtantiſſime Spanhemi, atque ita tibi perſuade, nunquam fore, ut officium meum claudicet, ubi opera noſtra utilis eſſe poſſit tibi, vel tuis.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XLIII.
Poſtr. Non. Decembris.

## DCLVIII.

## Andreæ Riveto,

Theologo.

*Libellum de genere & annis Chriſti judicio ipſius permittit. Salmaſium ſalvum ſoſpitemque rediiſſe impensè lætatur, nec dubitat, per eum atque Spanhemium velut ab orco poſſe revocari ſtudium antiquitatis.*

*Reverende, ac Clariſſime Vir,*

MInutum mitto opuſculum de genere & annis Chriſti, in quo plus mihi inſumptum laboris, quam pro mole videatur. Sed utrum operæ reſpondeat fructus, tui eſto judicii, quod merito maximi ſemper feci. Plura, & ut confido meliora hoc à me anno habuiſſes, niſi valetudo nunc mea, nunc conjugis obſtitiſſet. Ingentem Salmaſium ad nos ſalvum ac ſoſpitem rediiſſe, impensè lætor, magis etiam gaviſurus, ſi alternis dederit nobis nunc de Scholica literarum dape, nunc de veteris Eccleſiæ rebus: Quo pertinerent, quæ ad Concilium Illiberitanum commentatus fuit. Sed nimis diu cum blattis & tineis, ut metuo rixantur. Spero hoc duce, & ſimul Clariſſimo Spanhemio, velut ab orco poſſe revocari Eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudium, quod poſt tuum à Leidenſibus abitum, ac Thyſii obitum, jacuit velut ſepultum diſpretumque. Utinam & Petitus haſce in oras, cujus mihi quidam ſpem fecerat, fuiſſet advocatus. Sic cum iis quadrigam feciſſes, quamvis paullum ſeparatus loci intervallo. Majori ego disjunctus, lubens currum veſtrum eſſem conſecutus, uti olim triumphantium ſolent. Vale, vir & amice eximie, ac meo & conjugis nomine, plurimum ſaluta conjugem tuam; cujus frater clariſſimus quo pacto valeat ſcire deſiderem. Ergo, quando otium & occaſio melior erit, aliquid ſcribendi ad me (non urgeo negotium, qui ipſe uſque adeo negligens eſſe ſoleo in literario commercio) quæſo de iſthoc tribus verbis adſperge quippiam.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XLIII. Poſt. Non. Dec.

*Reverendo ac Clariſſimo nomini tuo addictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

DCLIX.

## DCLIX.

## Georgio Ratallero Dubletio

Senatori curiæ ſupremæ.

*De annis & genere Chriſti libellum donat, quæ porrò confecta vel affecta habeat, recenſet.*

*Nobilis Ampliſſimeque Vir,*

TAndem vides libellum de annis Chriſti: cui & diatribam præmiſi de genere Chriſti, dicavi eum laborem urbis noſtræ Conſulibus. Id enim jamdiu expectabatur ab iis. Majoris aliquid molis maluiſſem, ſed non ſivit vel mea vel uxoris valetudo, quæ diu nos afflixit & adhuc detinet conjugem; operi de Vitiis Sermonis accudere animus Gloſſarium Latino-barbarum. Quod erit tripartitum, de vocibus penitus barbaris, de barbarorum iis quæ ortum Latio debent, de Latinis quidem, ſed non more Latinorum uſurpatis. Exemplum primi generis eſt, burdo, pro mulo, bannus pro proſcriptione. Alterius albedo pro albore, labilis pro infirmo. Tertii, capella, pro ſacello, hoſpes pro caupone. In ſingulis harumce partium prius videbo de nominibus, tum verbis, hinc particulis. Ut claſſes ſint futuræ novenæ. Tripartito gloſſario ſubdam de iis quæ falſo eruditis etiam hominibus barbara cenſentur. Ac gloſſario quidem id propoſitum mihi, ut intelligantur poſteriorum ſeculorum ſcriptores. Nam ſi res univerſæ Eccleſiæ, omniumque imperiorum ſcire volumus, intelligi opus non illos modo, qui purè caſteque locuti ſed etiam labantis Latinitatis, atque adeo collapſæ auctores. Malles credo, hæc ab alio fieri, ſed neque ego hoc ætatis id laboris ſuſciperem, niſi jam olim egregiam iſtorum ſylvam mihi paraſſem. Edendo igitur illa, quæ ad barbariſmum ſeu cœciſmum pertinerent, longius ſum digreſſus, ne periret labor iſte vel mihi, vel publico. Interea opera etiam dabitur, ut priusquam iſta videant lucem, (id vix ante ſemiannum erit, ita ſub manibus labor creſcit) quædam in publicum prodierint, quæ ad Philoſophiam vel Eccleſiæ hiſtoriam pertineant. Filius Matthæus, in eo eſt totus, ut tertium Annalium tomum tradat typographo, quod proxima fore hebdomade exiſtimat. Iſaacus, poſtquam periculoſe adeo Mediolani ægrotarat, ſoſpes rediit Pariſios; ubi in ædibus Illuſtriſſimi Grotii agit. Puto, ſic expedire, ut majorem ſibi & juris, & rerum civilium ſcientiam paret: quod vix alibi tam feliciter poſſet, quam ea in urbe & domo. Supereſt rogem, ut ſingula opuſcula iis per famulum procures, quibus à me mitti in frontiſpicio adſcripſi. Potueram, & credo, debueram parcere hac in re occupationibus tuis. Sed ſi per tabellarium ſingulis miſiſſem ſeorſim, ſcribendum fuerat ſingulis. Laboris iſtius fugienti ignoſces. Vale, Nobiliſſime Senator, præſidium & delicium noſtrum.

Amſtel. cIↃ IↃCXLIII.
Poſtr. Non. Dec.

---

## DCLX.

*Viro Illuſtri,*

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*De felici gratulatur reditu: quanta eius expectatio fuiſſet, quanta etiam ingenii monumentorum nunc ſit, exponit. Suos de Theologia Paganica libros offert, ac quomodo ab Heinſio excepti fuerint, ſignificat. Pro affectu, quo Iſaacum in Galliis excepiſſet, gratias agit. Matthæum ſuum ab Ordinibus Hiſtoriographum Batavum creatum, eodemque, quo Heinſius, pretio frui.*

TAndem igitur læta advenit dies, quâ de te, magne Vir pariterque amice, proſpera fors Batavis reddidit, ac nobis. Quod bene proſpereque vertat equidem verè dixero, menſes prope ſingulos, mihi annum viſos, dum amici te caremus, imo Batavia ſole ſuo deſtituitur. Ex ſingulis qui è Galliis venirent, vel quibus ſcripſiſſes, ſi occaſio daretur, quærere de te ſoleo, & adventus tui ſpe. Malis negantibus, te de reditu cogitare; illi contra propinquam ſpem facere. Abſque eo eſſet, non tam diu ſiluiſſent literæ meæ. Multum verò gaudeo, quod interea dum abes Leidenſium Doctorum numero, acceſſerit Clariſſ. Spanhemius; vir, quantum ex omnibus intelligo, dignus, quicum in tenebris mices. Quiddam grande eſt candor hoc ſeculo, nigrorum hominum tam feraci. Et ad ejus laudes accedit, quod vetera Eccleſiæ tempora æſtimat, quia novit; contra quam alii tam multi, quibus eſt moris contemnere, quod non didicerunt. Quid verò deinceps primò à te expectabimus? Eſt qui Colophonem de uſuris malit. Alius Arnobium. Ego Concilium Illiberitanum. Amici quidam de Epiſcopis & Presbyteris. Illuſtriſſimus Princeps Arauſionenſis de re militari veterum. Sanè hunc prævertere æquum eſt. Sed qui igneam ingenii tui aciem, acre judicium, omnigenam doctrinam novit, & quam multa jamdiu habeas parata ad prælum, is non dubitabit ſperare gemino etiam prælo poſſe operam tuam deſudare. Et tamen nihil ejuſmodi auſim expoſcere, vel etiam ſuadere. Quippe valetudini metuo, quam non eſſe ferream nuperus oſtendit morbus in Galliis. Quare ſubinde animo illud obverſetur, quod ſapientiſſimo Auguſto crebro in ore eſſe ſolet, Lentè feſtinandum. Atque hoc cum tibi valetudinis cauſa curandum exiſtimem, mihi longe alia de cauſa occini poſſit: puta, ne non iis, quibus tu animi dotibus inſtructus, feſtinare nimis ſi velim, fiat illud, quod proverbio dicitur de Cane feſtinante. Sane dum in Galliis diſtineris, quædam feci juris publici, an feſtinantius quam oportuit, tui eſto judicii. Ea ſunt quatuor de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana. Ad hæc de tribus Symbolis, & genere atque annis Chriſti. Ea mitto, una cum filii Dionyſii Maimonide. Primum iſtorum, de Paganica dico Religione, & Naturæ ſcientia ſimulac edideram, Clariſſimo olim Collegæ Heinſio ἀντίδωρον (nam Exercitationes illius in N. T. ab eo acceperam) L. M. Q. per adoleſcentem qui verbis ejus ſignificavit, necdum ſe reſcribere, quia non ſoleat judicium ferre, de iis quæ necdum legerit. Plane hoc Socraticum. Quam ſtulte enim de necdum viſis judicia vulgo ferri ſolent? Sed ut ne parum humanè mecum egiſſe cenſeas, menſe toto poſt literis mihi gratias egit; ac ut conſtantiam videas, addidit, velle ſuum etiam judicium, ubi legerit, perſcribere. Necdum legiſſe arbitror, nec fieri poſtulo, quia nec tanti mea facio, ut bonas horas noſtris conſumat, vel obiter etiam luſtret, quo vel ex ungue Leonem, quod dicitur, vel ex ungula æſtimet Aſinum. Hoc igitur futurum ad Kalendas Græcas. Maximas ago gratias, quod Iſaacum meum tanto affectu in Galliis exceperis. Nunc Lutetiæ agere, ſcio te ſcire: Nam tribus verbis rem proxime tetigit literis ad me ſuis. Omnino autem in talibus eum ſcribendis paulo fuſiorem optarem. Credo exiſtimavit, ubi huc veniſſet, omnia poſſe melius coram cognoſcere. Hyeme hac Lutetiæ eum agere permiſi, quia in ædibus Illuſtris Legati optima ei occaſio erit augendi ſcientiam & Juriſprudentiæ, & Civilem. Uxor mea male admodum valet, quod ſcis ei eſſe inſolens. Res ea non paulum moratur ſtudia mea, quæ ſatis alioqui lente procedunt, in tanta interpellantium turba. Plurimum & tibi & lectiſſimæ conjugi tuæ ſalutem adſcribi juſſit. Uti & filius Matthæus, quem Illuſtres Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordines Hiſtoricum ſuum creârunt, eodem pretio quo fruitur Heinſius; ut hac parte illos videas Collegas. Uxorem duxit

duxit Friſiam bono genere natam, benè educatam; quæ res mihi in plurimis adverſis ſolatio eſt.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c XL III.
Poſt. Id. Decemb.

## DCLXI.

*Incomparabili Viro,*

### Gerhardo Joanni Voſſio,

### Johan. Fred. Gronovius

S. P. D.

*Commentarium ſuum de Seſtertiis ipſius limæ & cenſuræ tradit & ſi qua non ſatis Latinè dixerit admoneri poſtulat.*

Audaciæ meæ caſtigationem, & merebar, & metuebam, tanto munere Bibliothecæ tuæ impetrato, Vir maxime, tu benignitate tua etiam, ut modeſta videretur petitio mea, effeciſti. Rectè igitur & in tempore accepi utrumque faſciculum; gratias egiſſem citiùs, niſi unà, quomodo beneficio tuo fuerim uſus, cognoſcere te voluiſſem. Et nunc igitur id facio lubens privatim, & publicè feciſſe gaudeo, in Commentario a quam mitto, *de Seſtertiis*: atque hoc unum fortaſſis in opuſculo, cætera exſpectatione tua inferiori, credo, tibi probabitur. Nihilominus rogo, obſecroque, ut vacuam aliquam horam nactus, lectione tua digneris, etſi quidem emendationem recipit, nec una litura ſatis abſolvitur univorſum, in quibus excidiſſe videbimur, comiter moneas. Quid enim mirum, ubi tot errorum diverticula, ſummi viri vitare non potuerunt; ibi me quoque interdum à vera via aberraſſe? quodque in illis in eam revocandis præſtiti ſtudium, id ab aliis, te præſertim, qui præter cæteros, & præcipuè potes, me exſpectare? Hoc effeciſſe me ſpero, ut nonnulli è turba eruditorum, qui hæc legerint, in Veteris rei Nummariæ ſummis enuntiandis, attentius, & conſideratius ſint locuturi: quod ſi illud accedit, ut aliquis ex vobis literariæ rei Principibus, meo conatu incitatus, præcipuam quæſtionem, doctius, & accuratius explicet, non minus id gratum erit, quàm ſi ipſe rem acu tetigiſſe judicabor. Erant nonnulla, quibus non inutiliter, opinor, plures paginas produxiſſem: ſed quia inter edendum natis, & operarum inſtantia, & labores ordinariæ functionis, otioſius expendendi (in quo rarò mihi ſatisfacio) ſpatium denegabant, in aliam occaſionem, ea reſervavi. Libros per occaſionem remittam, aut ſi citius indigebis, ut quoſque petes. Illud ſcire velim, conſtetne tibi, uter prior Budæus, an Portius ſua publicarint: Nam neuter alterius meminit, & primus videri vult obſervaſſe, decies ſeſtertium, decies centena millia, nummum ſignificate: item ſeſtertia, non nummum eſſe unum, ſed pecuniam ſeu collectionem mille nummum. Ego Budæo primùm adſcripſi, quem legeram; poſt altero inſpecto, dubitare cœpi. Iſaaci tui fortuna non delector minus, quam ſi ipſi mihi contigiſſet; Deumque precor, ut ſoſpes ad vos ſoſpites cum theſauris ſuis redeat, & tam doctam, ſapientemque peregrinationem, ſummo cum literarum emolumento, & æterna (qualis tamen ante eſt) Voſſii nominis gloria ſeculis commendet. Petri Fabri Semeſtribus aliquando uti velim, ſi lubet, & carere potes. Adjeci tuo exemplaria tria incompacta, quorum unum Matthæus tuus, ad ſe recipiet, alterum Ampliſſimo Hoofdio, tertium Clariſſ. Corvino, quod commodo fiat tuo, trades, cum officioſiſſima ſalutatione. Velim cognoſcere, ſatiſne tibi Latine videamur dicere *Locum* Authoris, quod Galli appellant, *un paſſage*, & vulgo receperunt omnes: *Locus Ciceronis*, &c. *correctus*; & ſimilibus; etenim cœpi & hic hæſitare. Unum rogo fortaſſis nimium familiariter, ut ſi legeris libellum, & aliqua probaveris, verbo ſcribas, non ſine aliquo fructu publico editum: Id autem peto, non vanæ ambitionis cauſa (à qua procul abſum, & ſic nunquam me ita frontem perfricuiſſe, ut hoc peterem) ſed ut viſo hoc teſtimonio, gaudeant illi, qui ſumptum editioni præſtiterunt, Curatores noſtri. Eadem cauſa admiſi, in fronte operis triatum illum, poſt maximos Viros, &c. cujus me ſanè pudet; ſed hoc illice fuerunt invitandi ad nummos. Vale, & ſalve, Vir incomparabilis, cum graviſſima matrona tua, liberiſque, à quibus auctam tibi domum feliciter, & auguror, & opto.

a Pag. 85. & 23.

Daventriæ, poſtrid. Eid.
Decembris.

Cl. Barlæo proximè ſcribam, & mittam exemplar una cum obſervationibus, quas promiſi ipſi, necdum habet. Collegæ mei Dieſtius, Chriſtenius, Iſendornius, te plurimum ſalutant.

## DCLXII.

*Epiſtola familiaris, quâ grates ipſi agit pro duplici dono literario, & ſui in illum conſtantis affectûs ſecurum eſſe jubet.*

*Vir admodum Reverende & Princeps Hiſtoriçorum noſtri ſeculi,*

Summas T. R. gratias ago pro dono utriuſque ſcripti tui pereruditi atque elaborati. Prius in quo de Chriſti genere anniſque accuratè diſſeris, evolvere incepi. Quamvis cum tuſſi ſenili interdum conflicter, non tamen ea ſicca eſt, atque adeo aſpera, ut pulmonem meum nimium quatiat, vimque moleſtam mihi aliquando pituitam pectore meo expellendi impediat. Qua vi munitus, utrumque munus meum; Academicum ſcilicet, atque Eccleſiaſticum fortiter ac conſtanter etiamnum præſto. Quo nomine quamplurimi amici mei probitate atque ingenuitate tibi ſimiles, mihi & coram & per literas familiares ſuas tecum gratulantur. Pro qua amica gratulatione, ſicuti me tibi tuiſque, ita me illis illorumque liberis ac propinquis ſummoperè devinctum eſſe lubens agnoſco. Epithalamii in nuptias unicæ filiæ meæ cum Johanne Pollione Edamenſis Eccleſiæ quondam Paſtore ante annos viginti ſeptem connubio junctæ à T. Rev. conſcripti, probe memini, illudque aliis carminibus tuis in Doctoratus mei Theologici honorem compoſitis adjungere decrevi, nec non cæteris verſibus intimorum amicorum meorum, tam veterum, quam recentiorum; ſed priuſquam illud faciam, ea de re privatim tecum, oblata occaſione, colloquar, & cum eximio vate ac vicino tuo D. Barlæo, qui nuperrimè ſuo quoque epithalamio nuptias nepotis mei Johannis Pollionis condecoravit. Juſſi nepotem meum nunc civem veſtrum, ut amicitiam vobiſcum inchoatam, quibuſcunque poterit rationibus, foveat. Unum exopto, ut quanta, tum propter te, tum propter conjugem tuam vultum ac mores magni Patris ſui repræſentantem, liberos veſtros complectar benevolentia, aliquando ipſis reipſa demonſtrare poſſim. Uxor mea te tuamque officioſiſſime reſalutat, ac mecum precatur Deum Opt. Max. ut ſanctis lucubrationibus tuis è cœlo cumulatiſſime benedicat.

Datum Leidæ,
27 Decemb.
1643.

*T. R. addictiſſimus,*

JOHANNES POLYANDER
à KERCKHOVEN.



d by Google

## DCLXIII.

*Commentarium de Lingua Helleniſtica lectu ſibi perjucundum fuiſſe fatetur; illi tamen Scokium repoſiturum librum adverſus Veſpillonem cum indignatione refert. Quid de Epiſcopis & Presbyteris antiqua Eccleſia ſtatuendum ſit, utrum ejuſdem fuerint authoritatis, ab eo exquirit.*

*Nobiliſſime Salmaſi,*

VAldè me beaſti literis tuis, præſertim qua benigne adeo ſentis de laboribus meis. Utcunque enim me inferiorem laudibus tuis putem: eſt tamen pergratum à te laudari; non quia non putem aliquid à te dari amori, ſed quia ſic facilius me ſolor, tantum aliis odio noſtri indulgentibus, ut laudes etiam juſtas negent. Perjucundum mihi eſt legere Commentarium tuum de Lingua Helleniſtica; proquo, quantas poſſum, gratias ago. Spero hac opera Colophonem impoſueris diſſertationibus tuis de hoc argumento. Quamquam Groningæ eſſe intelligam Scokium (Spokium nuncupant alii quod Belgis ſpectrum notat) qui iis, quæ de Funere Helleniſtico, & Oſſilegio ſcripſiſti, repoſiturus eſt librum adverſus Veſpillonem. Vel inde maledicentiam hominis vides, ſi fortaſſe antea te fugerit. Sanè vulgo omnes ex iis, quæ hactenus divulgavit, ita arbitrantur, in calumniando non minus eſſe impudentem illo ipſo, cujus cauſam ſuſcepit. Sed vide ſæculi ſtultitiam. Sic fertur, cogitari Franekeræ de ſubſtituendo Profeſſore Theologo in locum τοῦ μακαρίτου Vedelii. De compluribus jam eſſe ſermonem, ac in his etiam nomen eſſe Scokii. Spero, quanquam graves peccatis noſtris pœnas commeremur, nondum tamen ita exoſas Deo eſſe Academias fœderatæ Belgicæ, ut tam nobilis Sparta huic committatur. Noſſe deſidero, multumne abfuturus ſit à ſententia tua, qui exiſtimet, dum ſupereſſent Apoſtoli, & ab his miſſi, quos & ipſos Apoſtolorum nomine dignabantur, penes eos fuiſſe quandam ὑπεροχήν· iis verò defunctis Eccleſiam vidiſſe, requiri, ad ſchiſmata cavenda, ut penes Presbyterium eſſet quidem gubernatio Eccleſiæ: ſed in hoc ipſo emineret is, penes quem foret Presbyterorum ὑπεροχή, quique propterea ſingulari notione, Epiſcopus ſit nominatus. Hoc eo ſcribo, quia nulli cordato placet illa ἰσοτιμία, quæ in noſtris obtinet Eccleſiis. Quæ ſuper eo ſententia fuerit ſoceri mei Junii; quæ item neceſſarii ac propinqui mei Franciſci Gomari, probè adhuc memini. Neuter Anglicanam Eccleſiæ gubernationem per Epiſcopos improbabat. Scio etiam, illam à Feſto Hommio apud Anglos Theologos in Dordrechtana Synodo longe prælatam formæ regundi quæ his obtinet locis: ubi quantæ ſæpe in claſſibus contentiones ſint, quanta item ἀταξία, malim ex aliis intelligas, modo curæ ſit noſſe, quod vix arbitror. Hoc malum magnam partem tolli poſſe exiſtimo, ſi Presbyterium habeat ſuum προεστῶτα, cujus authoritate multi pervicaces, præſertim homines adoleſcentes, typho plurimum inflati, melius compeſcerentur, quam in iſta ſit ἰσοτιμίᾳ. Nec quia ſuper eo judicium tuum expoſcebam, eo abſtrahere animus eſt ab iis, quæ publico paras, ut orbis literati deſiderio ſatisfacias. Dabitur, ſpero, ſuper eo colloquendi locus, ſimulac occaſio erit tibi ac uxori optimæ, excurrendi ad nos: de quo nihil ſuperioribus ſcripſi literis, quia & te arthriticum intelligebam, & uxor item veteri morbo laborabat. Nunc illi meliuſcule eſt; nec ei minus jucundus erit veſter adventus, quam mihi exoptatus. Cum proximæ tuæ literæ redderentur mihi, rogabat conjux, an jam ad te ſcripſiſſem. Annui: Tum illa; Scin', me juſſu tuo, adſervare duos faſciculos D. Salmaſio inſcriptos? Unde, inquam, illi nobis? Neſcire ſe ajebat, niſi quod de altero ex Suecia putaret. Et jam annum eſſe & ultra fortaſſe quod accepiſſemus: nec tibi mitti potuiſſe, quod ſingulis te menſibus expectaremus. Ita mihi memoriam refricavit. Mitto igitur, quod ante octiduum miſſum oportuit; & ſimul literas, quas filius Iſaacus Lutetiæ Pariſiorum tranſmiſit ad nos ut tibi redderentur.

Amſtelodami, ſecundum Stylum Julianum poſtr. Kal. Jan. anni hujus cIↄ Iↄ c xliv. quem tibi ego, conjux conjugi, liberi liberis, imo omnes omnibus vobis feli. em ac proſperum exoptamus.

*Nob. & Amplitudinis tuæ cultor,*

G. J. Vossius.

## DCLXIV.

### Georgio Ratallero Dubletio,

Curiæ Supremæ Senatori.

*Epiſtola familiaris.*

*Nob. Ampliſſimeque Dubleti,*

INtelligo Nicolao Matthæi van Hulter litem adverſus Arentium (ſive Aquilium vel Arnoldum) Matthæi F. Booſch. nec aliud jam ſupereſſe, quam quod reviſionem vocant; te vero in iis fore, quibus incumbet rem judicatam recognoſcere. Poſtulatum igitur ab amico, ut vellem hoc negotium tibi commendare, quò (quod in omni te facere negotio conſtans eſt fama) in hac etiam controverſia facere ne graveris: hoc eſt, ut ne moleſtum ducas totam cauſſam introſpicere. Litis naturam nec ſcio, nec laboro noſſe. Sed quia poſtulatum hoc mihi non iniquum videretur, nolui vim facere naturæ meæ, quicquam ulli denegando. Præſertim quandoque in iis, qui hoc à me expoſcerent, communis foret amicus Juriſconſultiſſimus Gulielmus Grotius, cujus cauſa omnia volo. Et fortaſſe ab hoc illud conſilii datum van der Hulsio; de quo ut inquirerem tanti non putavi. Amicas ab viro amico, Clariſſimo Riveto, literas accepi, quibus perhoneſte judicium fert de transmiſſo opuſculo. Multaque adjungit de affine ſuo Petro Molinæo, nempe eo, quod ſcire averem, quid de ejus foret valetudine. Tandem iſta ſubjungit: —— Gratulor tibi reditum Iſaaci tui Lutetiam Pariſiorum, quem Saravius ampliſſimus ad me ſcribit veniſſe opimis onuſtum ſpoliis ex Illuſtriſſ. Bibliothecis, quæ poſtea in uſum literatorum ſit liberaliter ſparſurus. Deum precor ut eum tibi reſtituat gratia ſua cumulatum, & ab omni ſuperſtitionis contagio, quod in Italia, & locis ſimilibus graſſatur, plane liberum. —— Huic Riveti voto plane applaudo. Interim illud de *locis ſimilibus* leviter me offendit. Suſpicor quippe eo cogitationem retuliſſe, quod nunc in ædibus agat Illuſtris Legati Suevici: ſcio enim probe, quam animo ſemper ab eo fuerit adverſo, ſimulac pedem poſuit in his terris. Simulac igitur reſcribendi fuerit occaſio, vel potius tempus, tribus verbis hunc ſcrupulum eximere adnitar. Et ipſe coram plenius faciet filius. Nam ſummum intra tres menſes ſe nobis affore confidit. Hoc ego & uxor vovemus, & tu ſcio nobiſcum, amice optime maxime: quem Deus ut diutiſſime ſalvum & ſoſpitem conſervet precari ſemper ſoleo, ac quaſi novo hoc Anno, ex conſuetudine veteri impenſius mihi faciendum exiſtimavi. Scribebam Poſtr. Non. Jan. Sed ſi Grotius noſter paulo lentius ambulabit, ipſis Kal. Jan. Stylo Gregor. poſſis recipere literas. Sed non tanti iſtoc ut ineunte Anno hoc votum intelligas.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

DCLXV.

## DCLXV.

*Viro Clariſſimo,*

### Joanni Frederico Gronovio,

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Libellum de Seſtertio eximiè laudat, reciproci muneris loco bipartitum de Genere & Annis Chriſti opuſculum mittit.*

QUam gaudeo de munere tuo, molem ſi libelli ſpectes, minuto; ſin fructum, ingenti. Ita multa bona de Seſtertio, obiter etiam de aliis doces vel doctiſſimos; in his etiam heroas illos Budæum, Hottomannum, Scaligerum, & tot alios in Rep. literaria principem obtinentes locum. Gratulor ingenio tuo; gratulor urbi veſtræ, imo orbi, quando ut voce urbem, ſic orbem calamo doces. Deus diutiſſime te conſervet, præſertim ſeculo hoc ad barbariem non ſenſim eunte, ſed gradu adeo præcipiti graſſante. Quæ eo fidentius ſcribo, quia nihil periculi eſt, ne ſermo cujusquam inflare poſſet, quando non minus modeſtiam mirari ſoleo quam ingenio acri acre additum judicium, & utrique raram eruditionem, & multijugam. Utinam à publico munere amplius tibi otii ſit, quo propediem frui liceat aliis etiam quæ primus docebis. Hoc vere pulchrum eſt, poſtquam multi adeo exſcriptores potius quam ſcriptores eſſe cœperunt. Mitto ad te literas filii quas Lutetia Pariſiorum exaravit. Simul etiam aliquid noſtri, opuſculum bipartitum de Genere & de Annis Chriſti, imo & tria addidi exemplaria, quæ, quibus tradi velim, inſcriptio teſtabitur. Miror interdum tot bona prodire à Gymnaſio veſtro, cum minora quædam Academiæ præſtent. Nec dubito, quin ampliſſimum urbis veſtræ ſenatum hoc magis magiſque accendat ad bene merendum de vobis; qui urbis (jam ab eo tempore illuſtris doctrinarum ſtudiis, quo ſinu ſuo fovit immortale ſeculi ſui decus Eraſmum) nomen honoremque per orbem longe lateque diffunditis ingenii ac doctrinæ monumentis. Plurimam dices ſalutem, tum lectiſſimæ conjugi, tum Collegarum iis, quibuſcum mihi datum coram colloqui, & quorum ſcriptis frui licuit. Theologo Dieſtio, Juriſconſulto Chriſtenio, Philoſopho Iſendornio, cui ſignificabis accepiſſe me jam à Doctore Fontano etiam utiliſſimos ejus in naturali Scientia labores.

Scribebam Amſtelodami, Poſt. Kal. Jan. Stylo, quo uti vos arbitror, Juliano, Anno partæ ſalutis, clↄ Iↄ c xliv. quem tibi & conjugi, imo & Clariſſimis Collegis fauſtum & felicem precor.

## DCLXVI.

*Ejus ſuffragium in Genealogicis ſuis Controverſiis ſibi gratulatur. Antiquitatis commendatur ſtudium.*

*Vir celeberrime,*

ACcepi præſtantiſſimum munus tuum, quod eo mihi commendabilius eſt, quia id à manu tua habeo. Feciſti ſane, ut cujus eruditioni omnia ſumma hactenus tribui, ejus etiam humanitatem ac benevolentiam deprædicare debeam. Serius verò vices ſcribendi ad te occupandas cenſui, ut ſpatium haberem lucubrationes tuas evolvendi, quæ diffuſam lectionem, raram eruditionem, & ſubactiſſimum judicium, adeoque characterem tuum ubique referunt. Gratulor mihi cæteroquin, quod pleraque quæ de Genealogicis Controverſiis, & Anno Natalitio in dubiis meis annotaveram, ſuffragio tuo comprobari videam. Quod ipſum non parum me in eâ, in quâ hactenus fui, ſententiâ confirmat: Diſſertationem tuam de tribus Symbolis ſumma cum voluptate etiam excuſſi, ubi ea nos doces, quæ nondum animadverſa à viris etiam eruditiſſimis fuere. Noſti verò ipſe melius omnibus, in argumentis id genus varia occurrere, in quibus licet ἐπέχειν, propter multa veterum dicta, in quibus non uſquequaque ſibi conſtant. Antiquitatis ſtudium meritò à te commendatur, & eruditis omnibus commendatum eſſe debet, modò ſumma ſemper primæ antiquitatis habeatur ratio, & ad eam revocentur ſecula omnia ſequiora. Quod & tibi ita videri certus ſum. Nobiliſſimum Salmaſium reducem habemus, & ab ipſo habebimus propediem varia opera eximia, quæ affecta hactenus reditum Authoris, & ultimam manum exſpectarunt. Nihil niſi magnum & inuſitatum ab utroque veſtrum nobis & orbi literario polliceri debemus. Vale, Vir Celeberrime, & me ingentem eruditionem tuam ſuſpicere, & Voſſiano nomini, cujus ſumma ubique meritò Claritudo eſt, devotiſſimum eſſe perſuaſum habe. Scripſi ὡς τάχιστα.

Lugd. Batavor.
Idib. Januar.
clↄ Iↄ c xliv.

*Tuus omni cultu & officio,*

FREDER. SPANHEMIUS.

## DCLXVII.

*Silentium excuſat. Gratias pro quodam munuſculo habet. Ejus valetudinis curam gerit. Epigramma in Clepſydram.*

ELige ſis, Voſſi Ampliſſime, ſocordiæ ne hoc ſilentii imputatum velis an occupationibus quarum in perpetuo me rotatu & conflictu verſari ſcis cum Politicorum, tum Aulicorum, item & præcipuè Militarium. Quidquid ſit, fatale fuit, Barlæum, ſemel mihi elapſum, denuo inter nos commeare, ne quid à me literarum traderetur, niſi tam amica manu. His omiſſis, gratiam habeo & referre velim, de munuſculo imprimis grato; docto denique & præſtanti, ut ſunt tua; ſine fuco dicam, ſupra ſeculum omnia & ejuſmodi, ut cum eſſe tu quidem deſieris, paucis animus ſufficiet talia aggrediendi, nemini vires exequendi. Perculiſti me vero, mi Amice, adverſa valetudine quacum te tres totos menſes conflictatum nuncias. Abſit, abſit ingenti animo ægre ut ſit in hoc tugurio! Neque vero dejici te pateris, qui in ipſo corporis languore tantæ rei manum mentemque adjeceris. Macte, mi ſenex, hoc vigore & ſtando quidem tu, id eſt hoc agendo quod agis mori deſtina. Differ autem hoc & protolle, quantum pote, ſi Patriam, ſi tuos, & in his me amas, qui te integerrimo affectu;

Hagæ-Comitis,
Non. Februar.
clↄ Iↄ c xliv.

*Tuus,*

C. HUGENIUS.

Narrabam hodie Barlæo epigrammatia mihi hac nocte excidiſſe, quorum numeros non verba, tenerem. Occurrit unum commode quod eum ad ætatis fluxum & ſenii quaſi πενθισμὸν ſpectet; ecce hic adſcribo, ut vel rideas, ſi tanti eſt, quæ in incendium hoc noſtrum properè luſimus. Barlæus ſecum portat.

IN CLEPSYDRAM.

*Verto vitrum? verſa redeunt ad munia ſtillæ:*
*Quiſquis heri liquor hac tranſiit, hic hodie eſt.*
*Dicite, queis ſummæ jam deſcendentibus ævi*
*Monte paris primas ultima bruma nives.*
*Veſpillo non eſuriat, ſi fata ſenectæ*
*Clepſydram dederint vertere cuique ſuæ?*



Digitized by Google

## DCLXVIII.

*Pro litterario munuſculo gratias perſolvit Ἀντίδωρον de Judæorum legibus forenſibus promittit.*

*Vir Præſtantiſſime,*

POſtquam D. Warnerus, unà cum priſtini favoris teſtimonio, à te donum eximium mihi obtuliſſet; iter meditabar ad amicos Amſtelodamenſes, quibuſcum, partim meo, partim aliorum nomine, expedienda erant negotia. Verum aliis curis iter remorantibus tandem læſo pede impeditus, conſilium mutare neceſſe habui: adeoque quam ore gratiarum actionem cogitabam, ſcripto conſignare fas fuit. Siquidem limatum & eruditum ſcriptum tam multa me docuit, docetque; ut meritò ingratus habear, ni id apertè fatear, & ſaltem gratitudinem pollicear. Jam demum verò agnoſco, doctum eum demum cenſeri, in quo omnium ſcientiarum genera eſt invenire; unam atque alteram ſcientiam, licet exactiſſimam, non perficere eruditum virum. Quam ſe mutuò provehunt diſciplinæ, ſi in una mente unam ſedem fixerint; & ibidem de gloria certent! Sed quia rarò fit, rarò hujuſmodi orbis lumina conſpiciuntur, qualia Scaliger, Salmaſius, Voſſius aliique pauciſſimi; quorum ſcripta ubi lego, & relego, cum ſumma voluptate, maximam percipio utilitatem, neque etiam ſatietas me unquam tenet iſtorum librorum, qui abundantia ſua, ſemper nova præbent fercula, quæ famem exaſperant. Ἀντίδωρον, ſpero, initio æſtatis accipies; at diſſimillimum muneri, quo me beâſti; diſſimillimum inquam valore & materia ipſa; quippe in quo Judæorum Leges forenſes novo codice, puta, ſecundo cum Romanis confero: Humi ſerpens, & mediocribus inſudans, cum nonniſi ſumma meditemini, interim eo animo ſumo, quod vobis etiam placeam, meaque grata eſſe & fore confidam. Vale amicorum decus, & ſalvebis cum tua dilecta liberiſque à nobis omnibus, imprimis ab eo qui permanet.

Lugd. Batavor.
5 Kal. Martii,
anno peractæ
ſalutis 1644.

*Virtutum & eruditionis tuæ*
*admirator,*

C. L'EMPEREUR.

## DCLXIX.

*Epiſtola familiaris argumenti.*

*Salve Vir Clariſſime & Præſtantiſſime,*

ETſi multo gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas Nonis Novemb. anni 1642. datas menſe demum Auguſto anni ſuperioris accepi, reſcribere tamen adhuc diſtuli, partim quod non eſſet, de quo ſcribendum videretur, partim quod Iſaaci tui, vel noſtri potius, literas expectabam, quibus me de itineris ſui proceſſu exituque certiorem faceret. Sed quoniam ille noſtri omnino oblitus videtur, *Aio* certe locuto litare, quomodo Lipſius noſter ajebat, parum penſi habet, nolui hanc tui ſalutandi occaſionem amittere, quam mihi offert Nobiliſſimus & literarum amantiſſimus juvenis, Eques Danus, qui has tibi reddet, vivæque epiſtolæ fidem de præſenti vitæ meæ ſtatu diſtinctius omnia narrabit. Ipſe quid rerum geras aut moliaris, ſcire quidem ſtudeo, recteque omnia eſſe magna cum voluptate accipiam; nec tamen propterea te ullam temporis partem ſeriis tuis ſubtractam mihi expenſam ferri poſtulo, cum ſatis mihi ſit, ex Iſaaci literis de vobis quæ velim cognoſcere. Tu fac ne ceſſare eum patiaris, utque illis Pervigilii verbis ſubinde aures ei perſonent,

*Perdidi vocem tacendo, nec me Phœbus reſpicit.*
*Sic Amyclas cum tacerent, perdidit ſilentium.*

Pieruccius noſter, Pandectarum publicus jam interpres, utrique veſtrum pleniſſimam amoris & officii ſalutem verbis ſuis adſcribi petiit, quos & ego ex ſententia rem gerere ac valere precor ac voveo.

Patavis, ad diem
12 Mart. 1644.

*Tui amantiſſimus & obſervantiſſimus,*

GASPAR SCIOPPIUS.

## DCLXX.

### S. P.

*Quædam hiſtorica ejus cenſuræ ſubdit, additis aliquibus à Calixto diſputationibus.*

COnſtitueram equidem, Vir longè clariſſime maximeque, literis meis nunquam tibi moleſtus eſſe; ut tamen nunc tandem aliquando veniam polliceri mihi auſim apud te, facit eximius tuus erga me favor, quam ne apud illos noſtros quidem diſſimulâſti qui in tranſcurſu tantum te ſalutarunt. Tum vero officii mei eſſe judico ſaltem ſemel manu & ſcripto teſtari, me eſſe inter ſingularis doctrinæ ac virtutis tuæ admiratores ac cultores unum è multis. Id quod uti tibi perſuadeas, eſt profecto quod etiam te atque etiam rogem. Ejus rectius teſtandi ergò nunc mitto quæ elapſo anno edidi hiſtorici argumenti. In quo genere quoniam te primum æſtimo, tuæ cenſuræ unice omnia ſubmitto. Haud diffiteor procul à meo munere & vitæ genere, (ut qui totus praxi Medica occuper) eſſe quicquid iſtuc eſt ſtudiorum, ſed protractus ſum invitus in hanc ſcenam, ab iis qui novis artibus clariſſimæ veritati nebulam objicere in laude collocant. Calixtus noſter longam tibi vitam ac vegetam ſenectutem juxta mecum precatur: mittique per me voluit tibi diſputationes quas proxime habuit de Tranſubſtantiatione & viſibili Eccleſiæ Monarchia, quas totidem ejuſdem argumenti haud multo poſt ſequentur. Haud dubito non ingratum fore munuſculum hoc profectum ab homine ut tui ſtudioſiſſimo, ita ejuſdem tecum in ſacris negotiis ſententiæ, hoc eſt, animi Eccleſiaſticæ concordiæ cupidi, cujus (proh dolor!) hodie ſunt pauciſſimi. Vale Vir optime & maxime, & me porro benevolentia proſequere.

Helmſtadii,
CIↃ IↃ C XL IV,
17 Martii.

*Tui cultor,*

HERM. CONRINGIUS.

## DCLXXI.

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius.

*Calpurnii Piſonis liber de Continentia Veterum Poëtarum, Pariſiis in Cœnobio S. Victoris an adhuc lateat, noſſe avet.*

REtulit mihi multa de ſingulari humanitate tua Nobiliſſimus Blitterswicius, Scabinus Bruxellenſis, Eryci Puteani, amores; petiit verò ut ad te mitterem verſiculos quoſdam partim Latinos, partim Gallicos. Hæc ſola nunc ſcribendi occaſio fuit, quod alioqui occupationes vix ſivere, defuncto heſterna die Jacobo Laurentio Eccleſiaſte, & qui gemino Libello Illuſtrem Grotium impetivit, ac fortaſſe memineris te cum eo prandiſſe aliquando domi meæ. Hunc Collegam habui in cura Scholarum; quæ præcipua eſt in examine ante Paſcha, atque iterum ſenis poſt menſibus. Filius Iſaacus σὺν θεῷ intra menſem unum aut alterum affuturus nobis. Literas tuas accepiſſe video, iisque magnopere gaviſum. Heſterna die in manus meas, neſcio

Digitized by Google

neſcio qua occaſione, incidebant Merulæ in Ennium Commentarii, ac quidem locus iſte ubi ait, plura ſe adferre fragmenta, quam ab Hieronymo Columna factum. Ea ſe habere ex Calpurnii Piſonis libro de Continentia veterum Poëtarum, viſo ſibi Pariſiis in Cœnobio S. Victoris. Non ſemel, multis abhinc annis, ſed fruſtra ſemper, alios de hoc opere rogavi. Noſſe igitur etiamnum aveo, utrum adhuc ibi lateat, an fortè jamdudum lucem viderit. Gratum erit id ex te cognoſcere: Sed imprimis quo pacto nunc valeas, & domus univerſa. Nunc tamen reſcribi velim, niſi cum non alia diſtinebunt. Uxor mea paullo nunc melius habet.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c XLIV.
XI. Kal. Aprilis.

## DCLXXII.

## Cl. Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P.

*Commendatitia.*

QUi haſce defert literas filius eſt Ludovici Crocii S. Theologiæ Doctoris, ac Profeſſoris primarii in Illuſtri Bremenſium Gymnaſio, eademque in urbe Eccleſiaſtæ diſertiſſimi. Cum hoc ejus parente jam ab eo tempore, quo Dordrechti Synodus fuit, amicitia mihi haud vulgaris interceſſit. Id enim & viri eruditio & integritas mereri viſa eſt. Quanquam non ignorarem eſſe complures, non optime affectos, quod in Synodo Dordrechtana, mollius aliqua interpretaretur: uti & in Calvino. Sed de iſto non eſt nunc agendi locus. Hujus filius, quem ob probitatem, eruditionem, & quia φιλομαθὴς, amo, jam ante menſes pluſculos à me petiit, ut ſi quid ad te ſcribere vellem, ad ſe mitterem, quod literas de manu in manum tradendo occaſionem haberet videndi & affandi tui. Ego promiſſi mei oblitus id facere neglexi. Merito igitur ſuis literis aurem vellit. Nec erat, quod ſcriberem. Quid tu? Suffecerit hoc tempore & morem geſſiſſe adoleſcenti, & ſimul gratificaturum parenti. Quem ſcio ingentis nominis tui, non amatorem modo, ſed admiratorem etiam cultoremque.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c XLIV.
VIII. Kal. Aprilis.

## DCLXXIII.

*Ejus opera maximi facit. Commendat illi Pagninum, filium. Ipſius quoque judicium de ſua Amalthea Onomaſtica requirit.*

*Excellentiſſime Domine,*

NOſtræ antiquæ familiaritatis teſſeram bonis avibus, ſub auſpiciis magni Molini olim initæ, fractam deprecans coram tuo Iſaaco filio Lucæ, juvene eruditione modeſtiaque ſingulari eam interpolandam curavi, eique ad te literas mittendas tradidi, quarum reſponſionem adhuc deſidero. Juvenem illum tui vivam imaginem præ ſe ferentem, eâ, quâ potui, humanitate ſum proſequutus, quem iterum Lucam petiturum ſummis votis opperiebar. Sed ſpe fruſtratus, en iterum ad te literas exaro amoris, & obſervantiæ in te meæ teſtes locupletiſſimos. Te ſemper veluti numen literatum colui, tuaque typis edita exoſculor, veneror. Rhetoricam, Grammaticamque tantum habui: ſi quid præterea in lucem editum, cura ad nos perferendum. Hujus epiſtolæ lator erit Sanctes Pagninus adoleſcens indolis præſtantia, natalium ſplendore, modeſtiæ dote præclarus, nepos magni illius Sanctis Pagnini ſacræ Scripturæ interpretis, ubique terrarum notiſſimi. Iſtam petit urbem, negotiis operam navaturus. O quam vellem hunc tibi de meliori nota commendatum! Tuo patrocinio, clientelæ tuorum filiorum trado, addico. Hic à patriâ non degenerabit claritate, & probitate. Huic, obſecro, reſponſionem, literaſque tradas ad me: illæ non aberrabunt. Operum tuorum Indicem mitte, vel ſi quid habes levi manu promulgatum illi trade; tua enim mihi aurum coronarium, tuæ literæ ad me exaratæ in Cimeliarchio repoſitæ ſervantur. Te numen & lumen paſſim deprædico. Quare te obſecro, ut tui cultorem benignus reſpicias, tuis reſponſis digneris.

Amaltheam Onomaſticam jam diu in lucem edidi; bonis avibus? ignoro. Tuum de ea judicium opperior, quod ſemper in me benigniſſimum ſenſi in Polymathia, quam auctam, & Amaltheam etiam, ex unis geminas factas video. Quid ſi per te ibi typis recuderentur? Sublimi ferirem ſydera vertice. D. Iſaacum filium, ſi ibi tecum, meo nomine ſalvere jube. Ille ſaltem mihi tuo nomine reſcribat. Tibi denuo ex animo commendo Pagninum, meque tuo patrocinio ſingulari. Deus te fortunet ad Pylios annos.

Lucæ, Non. Apr. 1644. *Eruditioni probitatique tuæ ex aſſe mancipium,*

JOSEPHUS LAURENTIUS.

## DCLXXIV.

*De quibuſdam cum illo conferre cupit, in ejus Genealogia, & tempore nativitatis ac paſſionis Chriſti contentis. Commendat ipſi Polonum quendam. Theologiam ſuam Biblicam pollicetur.*

*Clariſſime Vir, Amice & Fautor exoptatiſſime,*

DIſſertationem tuam geminam, de Genealogia & tempore Nativitatis & Paſſionis Chriſti, à te donatam mihi, gratiſſima manu ac mente accepi: & ut legi, miratus ſum ſummam in antiquitate experientiam, ac Neſtoris annos tanto authori precatus ſum, ut ex tanta experientia complures ejuſmodi tractatus, in Eccleſiæ commodum, protruderentur. Quàm vellem de nonnullis iſtius Diſſertationis tecum conferre, niſi moleſtum tibi eſſet: Sed accipe hæc pauca. Quæ de Panthere affers, non parum me erudivere. Eſt inter Judæos liber blaſphemus, Sepher-Tholedoth Jeſu inſcriptus, quem olim deſcriptum habui, ſed D. Buxtorfio conceſſi, eo quod publicationem ejuſdem cum Notis promitteret: in illo, memini me à D. Buxtorfio audire, Petri filium ex adulterio Mariæ fingi Jeſum; hinc ſuſpicabar Petri nomen eſſe פנטר, pro פטר, quum ſoleant Dagesh in Nun reſolvere alicubi Chaldæi: Buxtorfius affert nomen פנטירא in Lexico Chald. Rabb. Thalmudico, ibique allegat eundem libellum תולדות ישו: ſed apud neminem ex Scriptoribus Chriſtianis illud nomen inveniri ſcribit, quam apud Damaſcenum; id quod video, ex Diſſertatione tua, aliter ſe habere, quum & Epiphanius, & Origenes, hoc habeant. Porro, in aſſignanda cauſa feſti Natalis Chriſti, conſtituti in Decembrem, miror à te non fuiſſe additas duas alias, quas obſervavi. Prima eſt ex Joh. III. 30. Illum oportet creſcere, me vero minui. Verba ſunt Johannis Baptiſtæ, de Chriſto. Hinc Johannis Baptiſtæ feſtum in Solſtitium æſtivum, quo incipiunt decreſcere dies, Nativitatis Chriſti in hybernum, quo creſcere, conſtitutum videri poſſit: ut inſinuat alicubi Prudentius, ſi recte memini. Altera eſt, quia menſe Decembri celebrabatur feſtum Matris Deorum; cui ſurrogatum feſtum nati filii Dei; idque pia, ut loquuntur, fraude; quam & tu ipſe alicu-



Digitized by Google

alicubi inſinuas, de Chriſti menſe dieque natali, Theſi III. Hæc nunc ſufficiant, ne te cæteroqui ſatis occupatum obruam. Cæterum.

Qui has tibi offeret, doctiſſimus juvenis, Polonus eſt, Rutgerus Hermannides, olim meus convictor, nuper in Gallia magnis rebus adhibitus, niſi mors Richelii intercesſiſſet. Philoſophiæ ille ac Theologiæ hactenus operam dedit, quidque profecerit in ſermonis elegantia, tu ipſe rectius judicare poteris. Patriam hoc rerum ſtatu repetere vix audet: & ſunt, qui tantum ingenium hic detinendum, atque majoribus aptandum, judicant. Id vero, ſi fieri debeat, ſcio, nullum ſe in Hollandia certiorem atque promptiorem commendatorem aut promotorem inventurum, Clariſſimo Voſſio. Hoc igitur nomine eundem tibi commendare volui, ut ſive Pædagogia aliqua inter Mercatores veſtrates, (aut Proceres aut alios) requiratur, ſive Rector Scholæ, aut Profeſſor alicubi petatur, ſive quocunque alio modo, eum commendes, quo vel ſumptus ſtudiorum continuandorum tolerare, vel talentum creditum rectè locare poſſit. Non dubito, ingenium hujus juvenis ipſum tibi placiturum, vel nemine commendante. Quocirca confiſus humanitate & benevolentia tua, abrumpo; & ut me amare pergas etiam atque etiam rogo. Vale. Deus te diu nobis incolumem præſtet.

Dabam Daventriæ, an. 1644. 6 Idus Aprilis.

*T. Cl. obſervantiſſimus,*

HENRICUS à DIEST.

Juſſeram Janſonium tibi offerre meo nomine Theologiam Biblicam, nuper à me editam. Eam ſi necdum acceperis, procurabit, qui has tibi offeret, Rutgerus Hermannides.

## DCLXXV.

*De Monachorum tonſura nonnullos Auctores officiosè tranſmittit.*

*Nobiliſſime Salmaſi,*

PEne altera elapſa eſt hebdomas, ex quo non ſatisfacio expectationi tuæ. In cauſa, præter cætera fuit, quod demum die heſterna comparare mihi potui Arcudium. Nihil occurrebat, quod magnopere juvare poſſit præter illa p. 612. Mittendum tamen putavi, quia negligenter ſatis luſtraſſem. Addidi Hoſpinianum de Monachis, qui fusè de tonſura raſuraque. Item Altenſtangii Lexicon propter Scholaſticos quoſdam, quos advocat voce Tonſura. Etiam Galenum Weſtcapellum, qui aliquid habet tum in Commentario de Sacerdotio Chriſtiano, cap. 6. fol. 72. & ſeq. tum in Originibus Monaſticis cap. 22. p. 137. & 138. a. Præterea Collectanea Eſpencæi, propter Concilia. Eorum loca index ſuggeret in tonſura. Video & quædam habere Cornelium à Lapide in 1. ad Corinth. cap. 11. præcipue ad verſ. 6. Sed mittere neglexi, quia nihil haberet Bellarmino & aliis indictum. At ut conſtaret melius, quo pacto à noſtris jam occurſum ſit Bellarmino, miſi quæ adverſus eum Junius & Sutlivius Anglus ſcripſere, cum tarde adeo de Arcudio negotium procederet, raptim quædam de argumento iſtoc epiſtola ſum complexus: vel hoc fine, ut videres, quam multa in hoc argumento me fugerent. Tanto jucundius erit proficere ex tuis, quibus orbem inſtruis univerſum. Iterum vale.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

Cum viderem ciſtellam plurium eſſe librorum capacem, ac ſcirem Bellarminum te habere, ejus loco volui mittere Gregorium de Valentia hominem doctum, & quem acuminis ergo Bellarmino Hieronymus Zanchius ſoleat præferre. Videbis & ab eo veterem cramben reponi.

## DCLXXVI.

*Illuſtriſſimo Viro,*

# Hugoni Grotio.

*Bombardarum antiquitatem & uſum inveſtigat, locumque aliquem Grotianæ diſſertationis (de Origine Gentium Americanarum) emendatum cupit.*

*Illuſtriſſime Domine Legate,*

MAgna cum voluptate legi, quæ repoſuiſti obtrectatori. Eamque diſſertationem tuam recudere parat Blauwius. Cæterum metuo ne alicubi, vel Amanuenſis tui, vel Typographi incuria, pro *octogeſimo*, irrepſerit *octavo*. Locus eſt, ubi agis, de uſu Bombardæ apud Venetos; unde acceperint Turcæ. Paginam exprimerem, niſi exemplar meum Blauwius haberet. Hiſtoria ſic habet.

Anno 1354. Bertholdus Monachus reperit Bombardas, ſic Hieronymus Ziglerus in Illuſtrium virorum hiſtoria.

Anno 1357. Lovanienſes Bombardis adverſus Flandros uſi, eoſque duodecim habuere, ac Donderbuſſen appellarunt. Sic Petrus Divæus in rebus Brabanticis.

Anno 1360. Lubecenſes præparaſſe eas è Chronico Slavico, probat in Geldricis ſuis, Iſaacus Pontanus. Idem Chronicon à Lindembrogio ſubjunctum Adamo Bremenſi.

Anno 1374. Hollandi iis uſi in oppugnatione Gildemburgi, temporibus nempe Dom. Jacobæ. Verba Chronici (quod hactenus ineditum filius Matthæus habet) ſic ſonant.

Anno 1378. vel 1380. Veneti primum uſi, contra Genuenſes, in conflictu ad foſſas Clodias. Unde & Itali tum primum inventas credidere.

Sanè Guido Pancirolus, de Novis repertis, Lib. II. Tit. x. ſic ſcribit: *Tormenta illa bellica, quæ Bombardæ dicuntur, inventa fuere à Germano quodam, circa Annum Chriſti*, 1378. *Eaque prima uſurpata fuerunt à Venetis, cum Genuenſibus ad foſſas Clodias confligentibus, quos hi ſuo conabantur ſubjicere dominio.*

Sub Urbano Octavo, Anno 1380. repertam ait Platina.

Nempe quia Veneti, Anno 1378. & 1379. vel juxta alios 1380. uſi ſunt, eam tum demum repertam, uterque Italus prodidit. Interim illud extra controverſiam manet, Venetos ſi non Anno 1378. ſaltem 1380. jam uſos eſſe. At ante Annum 1354. repertam nemo putarit, nedum tum Veneti acceperint à Germanis. Quare exiſtimo, ubi nunc eſt, pro *milleſimo trecenteſimo octavo* in Autographo fuiſſe, milleſimo trecenteſimo octogeſimo, ac ſic reponi debere, cum diſſertatio recuditur.

Utrum reſponſurus ſit latius, tantum abeſt ut ſciam, ut non arbitrer adhuc diſſertationem tuam vidiſſe. Eſt hic juvenis eruditus, diſcipulus Petavii, antea Minorita, qui Libellum edet de eodem Argumento; ſed hic contendet Americanos eſſe à Phœnicibus. Nempe ut quemadmodum Carthago eorum colonia & Gades, bonaque pars Hiſpaniæ poſſeſſa, ita & hi Americam tempeſtate, vel aliter, fuerint delati. Pro ſe afferet, quæ de Atlantide Plato, & alia ex Ariſtotelis auditionibus mirandis, Diodoro Siculo, Plutarcho. Sed ſuam ſententiam dicet; alios non nominabit, nec refellet.

DCLXXVII.

## DCLXXVII.

# Johanni Coccejo

*Viro Clariſſ.*

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Theologicam in Academia Franekerana profeſſionem ipſi gratulatur: pro inſigni commentariorum in Jobum munere gratias agit, ſuos de genere & annis Chriſti libellos munuſculi loco mittens.*

*Reverende ac Clariſſime Coccejé,*

MAximâ voluptate affectus fui, quando intelligerem te in Illuſtri Friſiorum Academia conſtitutum Theologiæ Profeſſorem. At quamquam tuo etiam nomine maximopere gauderem, eo quòd te digna tibi Sparta obtigiſſet; magis tamen publico nomine lætabar: partim videlicet quia in te concurrere viderem in aliarum etiam ſcientiarum doctrina, inſignem Orientalium Linguarum peritiam, in qua parte non paucos noviſſem valde imparatos: partim etiam quòd te alieniſſimum ſemper judicaſſem à malo, etiam ſacri ordinis viris nimis familiari, immodeſtia dico, quam pejus odiſſe oportebat quam ſullo ululam. Utinam hac in re ſequerentur potius exemplum magni ſoceri mei Junii: à quo Chriſtianam illam lenitatem animi ſummopere ſcio omni vita fuiſſe commendatam, etiam poſtremis ſermonibus, quos habuit cum Præſtantiſſimo Præceptore tuo Martinio. Equidem operam dedi ſemper, ut ab illa maledicendi aliis prurigine, quæ verè peſtis eſt Eccleſiarum, immunis forem, & ſi non ſatis caverim, ſemper perire ea ſcripta malim, quibus deliquerim, quam in mei opprobrium ac poſterorum damnum vivere. Magnas vero atque adeo ingentes tibi gratias ago pro illuſtri munere, quo ornatum ire voluiſti, & me & bibliothecam meam; factum præclare, quod potiſſimum volueris operam ponere in operoſo ac difficili Jobi volumine. In quo multa adeo etiam doctiſſimis hactenus negotium ſolent faceſſere. Ne dubites, quin orbis literatus ſemper tibi ſit gratias acturus, quòd toties tenebras diſpellas Phœbeâ illa lampade ingenii & eruditionis tuæ. Deus, mi Coccejé, longam tibi vitam & valetudinem proſperam largiatur, ut diutiſſime ſimiles gignas fœtus, qui te meliores ad ſedes tranſlato, non deſinant pro te apud poſteros loqui. Vellem aliquod ad manum fuiſſet *ἀντίδωρον*, quo poſſem affectum teſtari; ſed cum id non poſſem hoc tempore, ne is qui tuos mihi attulit commentarios auro contra non caros, vacuus prorſus ad te rediret, miſi libellum, an libellulum dicam, de genere & annis Chriſti. Et tamen dubitabam, an non jam ante cuipiam dederim tibi deferendum; facilè enim iſtiuſmodi minutiarum oblivíſcor; ſed id ſi factum, bene eſt, quòd virtus doctrinaque tot tibi conciliarint amicos, quorum facile aliquis à tam bona manu accipere dignabitur. Majus vero aliquid deinceps expecta. Plurimam à me ſalutem dicito Collegis, ſummis viris Collegis tuis ornatiſſimis, Maccovio, Cloppenburgio, Pynakero, Lindio, Winſemio, Schottano, ac tanto impenſius, quantoque noſtri amantiorem putabis.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XL IV.
pr. Non. Majas.

## DCLXXVIII.

S. P.

*Epiſtola familiaris argumenti.*

*Vir Clariſſime & Doctiſſime, Amice & Collega obſervande,*

PEtiit à me D. Roſayus ut ei ad te viam aperirem. Vir eſt elegantis ingenii, promotus Doctor Medicus, in Mathematicis & aliis Philoſophiæ partibus bene verſatus. Quid quærat vel optet, ipſe tibi exponet. Si poſſis eum in ſuo propoſito juvare, non conferes beneficium in ingratum aut indignum. Scripſi ad D. Caſaubonum, eique gratias egi pro munere, quod ipſius nomine à te accepi. Nunc tibi & D. Matthæo filio tuo gratias ago maximas pro tertia parte Hiſtoriæ, quam mihi ipſius nomine, reddidit D. Senator Dubletius. Adfuit mihi hodie Doctor Forbeſius autor Lucubrationis cujus primam partem tibi communicavit Elzevirius. Ipſe Amſtelrodamum ſe confert, ut cum Typographis agat; habet enim tertiam partem abſolutam. Te inter primos ſalutaturus eſt, & dignum judicabis tua admiſſione & benevolentia. Affinis meus Molinæus adhuc cum diuturno illo morbo conflictatur; ſubinde tamen aliquas Conciones habet, cum ea judicii lima, quæ nihil redolet morbi. Miſit huc Philoſophiam ſuam, id eſt, præter Logicam, Phyſicam & Ethicam, eadem Methodo brevi & perſpicua. Expectamus hic D. Salmaſium, cum Epiſtola de Coma, quæ valde comata eſt, quia cum promiſiſſet unum folium, excrêvit ad octodecim vel viginti. Reliqua ipſe tibi indicabit. Nos hic valemus, Deo gratiæ, tibique & tuis omnia fauſta expetimus.

Rapt. v Id. Majas,
cIↄ Iↄ c XLIV.

*Tuus omni affectu & officio,*

ANDREAS RIVETUS.

## DCLXXIX.

*Quoſdam in ſe inſurrexiſſe queritur. Aliquot Exercitationes contra Pontificios promittit.*

*Clariſſime & eximie Vir, Domine & Amice plurimum honorande,*

LIteras tuas, unà cum adjuncto librorum tuorum eruditiſſimorum dono, ſcriptas xv Kalendas Quinctilis, anno cIↄ Iↄ c XLII, hoc demum anno IV Kal. April. accepi. Miror, ubi tam diu delituerint; nec ipſe minus, ſine dubio, miraberis. Ante annum & quod excurrit, proficiſcebatur ad vos quidam meorum familiarium, Mauritius Bonerus. Ei nonnulla ad te perferenda tradideram, quæ an reddiderit, nondum me docuit. Credo literis ejus idem contigiſſe, quod tuis; & forte adhuc è latibulo alicunde advolaturas. Pro munere autem illo tuo, ſi quantas meretur, aut quàm acceptum fuit, tantæ agendæ ſint gratiæ, fateor mihi verba defore. Imprimis verò animi tui candorem & moderationem cum ſumma eruditione conjunctam veneror. Has tibi reddet Nobiliſſimus juvenis Johannes Chriſtianus à Boineburg, dignus ſanè, quem tuâ benevolentia complectaris. Hyemem quæ præteriit, apud nos hic exegit, commendatus quidem à Sereniſſimo Principe Erneſto Saxoniæ Duce, ſed à ſuâ ipſius virtute & diſcendi cupiditate longè commendatior. Quali latratu artifex novus, qui à nobis ad partes tranſiit, & apud vos hodie degit, me infeſtat, non potes ignorare. Sed feci ei poteſtatem latrandi, quantum & quamdiu libuerit. Moguntiæ pari rabie in me nuper inſurrexere: quibus tamen reſpondebitur, ut veritas vindicetur. Prodibunt etiam hâc æſtate, ſi Deus annuat, Exercitationes de viſibili Eccleſiaſticâ Monarchia, Tranſubſtantiatione, Sacrificio, Pontificiis oppoſitæ.

poſitæ. Tenuia ſunt quæ his adjunxi; inſpicies ſi vacat. Deus te diu ſervet incolumem bono publico. Vale.

Ex Academ. Julia, quæ eſt Helmſtadii, x Kal. Junias, ciↄ iↄ cxxiv.

*Tui amantiſſimus,*

GEORG. CALIXTUS.

## DCLXXX.

## Gerardus Joannes Voſſius,

## Franciſco Junio

ſuo,

S. P. D.

*Egregia, Juveni Doctoratus honorem ambienti, monita ſubminiſtrat.*

*Nobiliſſime & Ornatiſſime Cognate Juni,*

HEbdomadibus duabus Hagæ fui, eoque tardius reſcripſi, domum enim reverſus, reperi multa quæ prævertere æquum erat. Diſputationes tuæ mihi admodum gratæ ſunt. Pro iis gratias ago: quod & mecum facit Reverendus, & tui amantiſſimus Hottonus. Nec diſplicet ſi nunc de ſuprema juris laurea cogites, dummodo titulo eo qui juventutem inſtare ſæpius ſolet, minimè de priſtina modeſtia tua, præcipuo ætatis tuæ ornamento, quicquam decerpatur. Doctor eris non doctior. Gradus vocatur non apex. Valla dicere ſolebat majorem longè eſſe numerum doctorum à recto *Doctor*, quam *doctus*; nec ſcio an non titulus ſit magis onus quam honos. Ut hic quoque habeat locum, quod de capeſſentibus Remp. à Varrone dictum fuit, Onus eſt honos, qui ſuſtinet Remp. Nec hæc dico ut deterream, ſed ut cogites cum honore eo quid oneris ſuſcipias. Quod impoſterum etiam accendere ad hoc ſtudium debet. Scis enim, aſſumpto Juriſconſulti titulo, profiteri te cuivis de quavis re conſulenti paratum reſpondere. Quoties igitur hoc elogio ſalutaberis, toties in mentem veniet, quid orbi de te promittas. Quare gradus iſte, ut vocant, non ut uſu venire ſolet, remiſſiorem te in ſtudiis faciet vel manibus glorioſis inflabit: ſed faces ſtimulosque novos ſubdet, ut ſis, qui videri voles. Ita mihi bene ſit, ſuaviſſime Cognate & filii inſtar dilecte, quam ego ſtudiis tuis per omnia bene volo. Alioqui enim iſta non ſcripſiſſem; ſed magnus avus, ſocer, & præceptor meus, item conjunctiſſimus affinis, & condiſcipulus, parens tuus, & uxor mea ſuaviſſima & cordatiſſima, amita tua; non ſinunt quin aſſidue de te, ſororeque, nec minus matre optima cogitem. Hoc nunc itero nihil æque mihi gratum fore, quam ſi poſtquam laurea juridica fueris decoratus, conjungas cum juris utriuſque ſtudio τὴν φιλολογίαν καὶ φιλοσοφίαν: nempe tum linguarum & hiſtoriæ univerſæ ſtudium; tam quæ dabunt Academia, Lyceum & Porticus, addo, & ubi judicium erit firmatius, Potamoniam ſectam, quæ familiam ducit, ubi priores prius fueris edoctus. Mallem hæc ſpatia antea emenſus fores. Sed nunc non diſpiciendum quid quandoque præſtiterit; ſed quid nunc ex re ſit tua. Plurimam ſalutem dicito Nobiliſſimo Magduello; addo & egregiæ filiæ, cujus ſuaviſſimæ mores nunc etiam recordatione me delectant. Item Reverendo Clariſſimoque Theologo Mareſio. Si ſalutigerulum ex te facere velim, addam & duos Collegas Theologos & pulcras animas Tobiæ Andreæ, & Altingii, quem doleo hinc abiiſſe priuſquam reverterer: Et pulcre adeo de te & propterea etiam de univerſa magni Junii familia merenti doctori Steinbergio. Sed præ cæteris ſaluta matrem & ſororem dilectiſſimas mihi, ut noſti; nec tantum nomine meo id fiat, ſed etiam uxoris & Iſaaci mei. Et ubi occaſio erit, poſſit & mater Dominam Schombergiam ſalute plurima impertiri.

Amſtelodami, xxiv. Maji.

## DCLXXXI.

*Viro Clariſſimo,*

## Joanni Friderico Gronovio.

*Epiſtola familiaris.*

*Clariſſime & Amiciſſime Gronovi,*

GRatum mihi fuit cognoſcere eam tibi deſponſam quæ placuit tibi & placere erit digniſſima. Ut amoribus faviſſem tuis, ſi de iis mihi conſtitiſſet; ita nunc connubium fortunare cupio: atque id ut obtingat Deum ex animo rogo. Cum tuas accepiſſem literas, Collegæ domum acceſſi; ſed Hagæ apud Nobiliſſ. Wickefortium erat & duas circiter hebdomadas permanſit. Vix redierat, quin animum de verſiculis tentarem. Belle adeo rem egi, ut continuo addiceret. Sed cum vellem ſponſæ nomen ex literis tuis ſignificare non potui, quia eam reliqueram in menſa cubiculi, unde neſcio ubi à ſe repoſitam, invenire poſſe famula negabat. Sed hoc leve, quando argumentum Clariſſ. Collegæ expoſui. Interea, nempe ante triduum domum meam venit Elzevirius Bibliopola, ac tuarum ad ſe literarum argumentum enarrat. Quod ad priorem earum partem, nunquam ego illas Hamburgo ad te litteras accepi. Omnino diligentius in rem inquirendum. Circa idem tempus Bremа ad me faſciculum miſit Clariſſ. Crocius. Non recepi, ſed delatus ad me faſcis librarius qui Cabeliavio inſcriptus. Ego juſſi in navem referri. Inde Cabeliavio delatus; ſed utrum faſciculus ad me qui miſſus erat, ei ſit traditus, dicere non poſſim. Per Bidellum inquiſivi; reſpondit intricatum ei quid, & ſe Bremam literas miſſurum ut recipiam. Hoc de Bremenſi faſciculo, qui nihil ad te pertinet. De Hamburgenſi tuo metuo ne quis itidem fraudem frauſus ſit. Omnino cogitandum, quomodo reſciſcere valeamus nequitiam hominis hæc agentis, qui unusne ſit, an habeat ſociennum nequeo dicere: nec nimis ſuſpicioni puto indulgendum; ſæpius me feſellit. Hodierno die denuo mihi ſermo fuit cum Clariſſ. Barlæo. Diſtinebatur, ſuperioribus diebus, Epithalamio in Schouterorum illum, qui Leidæ uxorem antea habuit Overbeekiam. Nunc occupari ſe ajebat verſibus deſtinatis Principi Bohemiæ Elizabethæ, cui dicandum Opus miſcellum Catzii ac Barlæi. Emblemata eſſe arbitror Catziana, ſed Barlæi ac Weſterburgii Eccleſiaſtæ Dordrechtani verſibus Latinis facta illuſtriora. Et tamen video, certo aliquid præſtiturum, ſi tribus verſibus imo verbis, id tibi gratum fore ſignificaris. Quid ſi ſcribas hoc pacto? verbo te antea feciſſe indicium animi tui literis apud me, & cognoſſe ſummum virum non paſſurum ut ulla in re claudicare affectus ſuus videatur. Proinde te voluiſſe in anteceſſum gratias agere, pleniuſque facturum, ubi acceperis optimi affectus indubitatum argumentum. Pleniſſime ſicubi deinceps valeat. Nam (ut liberius tecum loquar) vix in occupationibus iſtis & tam lucroſis, facturum puto, niſi literulis digneris. At ſi hoc grave non erit, facturum non dubito, imo ſpondeo. Plurimam ſalutem dicito Clariſſimis Collegis, ac memento, ſi ſerum non eſt, quamprimum ſignificare de nomine ſponſæ, & quo titulo tua ſignetur profeſſio. Puto Hiſtoriarum & Eloquentiæ; ſed tamen peccare hac in re Collega nolit: Eo malim certius conſtare.

## DCLXXXII.

*Locum B. Ambroſii, ubi prohibeat, ne vir muliebri ſtolâ, vel mulier virili ſchemate, utatur, perſcribit.*

*Nobiliſſime Salmaſi,*

VErba B. Ambroſii ſunt Epiſt. XV. ad Irenæum, ſive lib. IV. Epiſt. III. ubi exponit, cur lex prohibeat ne vir muliebri ſtola, vel mulier virili ſchemate utatur. Ait vero eam legem eſſe naturæ ſubnixam. Cum enim natura nos vel mares creet, vel fœminas, ac plurimum in mutis etiam animantibus notæ ſint, quibus exterius quiſque ſexus internoſcatur, naturæ eum adverſari, quiſquis habitu alium mentiatur ſexum, quàm dederit natura. Mendacium eſſe turpe in verbo, turpius in veſte. Fœdum eſſe in fœmina, ſi mentiatur ſexum meliorem; fœdius in viro, ſi mentiatur ſequiorem. Malum eſſe, ſi quis in plateis conſpiciatur capillis more muliebri demiſſis. Pejus eſſe, ſi Clericus ſic ſe ſiſtat in templis; ut quando Sacerdos ſacra facit bene barbatus, contra qui ſacræ menſæ inſervit, adſtat fœmineo more capillatus, aut etiam cirratus, ut pueri Romani. Ergo, inquit, pariant, ergo parturiant, qui criſpant comam, ſicut fœminæ. Verum habeant excuſationem, qui patrias uſque ſequuntur, ſed tamen barbaros: ut Perſæ, ut Gothi, ut Armenii: Major quidem eſt Natura, quam Patria. Si non negat gentes barbaras habere excuſationem, plane ad mulierum morem intonſas; quid de iis cenſuiſſe putandum quæ minus tonſæ. Nec enim puto quiſquam dixerit naturam dare capillitium, ut continuo reſecetur, nec eam permittere, ut hoc tempora & aures muniamus, atque adeo, ut quantum vitæ conditio & mos patrius ſinit, etiam decore inempto ornemus caput. Raptim ſcribebam, cum jam ad Gymnaſium me hora vocaret. Vale.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## DCLXXXIII.

*Rogat ut Laurentio Cocchi Italo reſcribat.*

*Ampliſſime Domine,*

INcluſas Aloſto ad me miſit Guilhelmus Heſius, ut ad Ampliſſimam Dominationem tuam deſtinarem. Nuper ſcripſit ad me Madrito D. Laurentius Cocchi Italus, aliquot Nunciorum Papæ in iſta Aula Secretarius, percunctatusque eſt quid iis literis ſit factum, quas ante annum alterumve Domino Voſſio inſcriptas, mihi tradi unà cum libro Hiſpanico curarat. Si otium eſſet eruditiſſimo Viro, ut paucis ei reſcriberet, rem mihi gratiſſimam faceret; vereor enim ne, ut eſt genius Italorum, ſe vel ab eo contemptum, vel à me deluſum exiſtimet. Vale, Vir Ampliſſime, eique & à me & obſequia omnia defer, & ſalutem plurimam precare.

Antwerpiæ, VI Junii, 1644.

*Ampliſſ. Dominationis tuæ humillimus cliens,*

JOHAN. BOLLANDUS.

## DCLXXXIV.

## Claudio Salmaſio

S. P.

*Sententiam in controverſia de Coma & quàm altè, vel demiſſè reſecare oporteat capillos, moderati profert. Multus autem eſt in ruſpandis cauſis, atque antiquitate de Clericorum ac Virginum Deo dicatarum tonſura.*

MUltum doleo, Nobiliſſime Salmaſi, quoties cogito, frigeſcente adeo charitate, ſine qua fides eſt exanimis, moveri controverſiam de Pilis; non quaſi non hac parte etiam peccetur à multis; ſed quia qui in contrarium abeunt, ipſi etiam modum excedant, dum præfinire modum ſtudent, ne aures capillis obtegantur, nedum aliqua colli pars. Profectò non pauca ſunt, de quibus infinitis partibus magis erat laborandum. Sed quia in ſimpulo, ſi vera aures ad meas perlata, fluctus iis concitare viſum eſt; non potui non gaudere, quod in eo nunc totus ſis, ut malo iſti, Eccleſiæ bono, medearis. Profecto non placent intonſi, quorum capilli formidant ferrum: uti uſu veniebat Monachis Meſopotamiæ, Maſſaræorum more κόμας γυναικείας περιβαλλομένοις; ut de iis locuples nobis teſtis eſt Epiphanius hæreſi LXXX, quæ eſt Meſſalianorum; Ubi & ipſe eos improbat. Sed non hoc in quæſtione eſt, utrum intonſi eſſe debeamus: ſed quam altè, vel demiſſè reſecare oporteat capillos. Paulina urgent verba. Verum reverendo Bezæ adſentio, qui cenſet eos κομᾷν, qui forficem refugiunt, mulierum inſtar: eos verò κείρεσϑ, quibus capilli præciduntur: utcumque non ſolum tecta ſit cutis, ſed longius etiam diffundantur, dummodo ne excedatur τὸ πρέπον, quod variat pro temporibus & locis vitæque conditione. Græcorum erat Proverbium, Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; Romani vero veteres radebant & capillos, & barbam, quod vel ex veteribus nummis conſpicuum eſt. Servi contra alebant capillos, ſed radebantur, cum pileo donarentur. Quam multæ item gentes comatæ, ut pars Galliæ tuæ quæ inde nomen ſortita. Item intonſi Sicambri. Et quid cæteras memorare attinet tam multas? ut omnino ſicut Ambroſius ait in alenda coma, *excuſationem habeant qui patrios uſus ſequuntur.* Nec ſane qui uſque ad oricillam capillos demittet, vel ulterius aliquanto capillos alere dicendi ſemper. Ἁπλῶς enim ſi loquamur, alimus capillos, dum forceps receſſit, non menſibus modo vel hebdomadibus, aut diebus, ſed etiam momentis. Uti enim creviſſe, non creſcere arbores videmus, ita & in capillorum ſurculis uſu venit. Eos alimus dum ipſi nutrimur. Naturalis interim inclinatio docet turpe eſſe viro ſi mulierum inſtar in lumbos demittat capillos, vel etiam nates: mulieri item fore turpe, ſi procedat capillis uſque adeo detonſis, ut non multo ultra aures protendantur, inſtar adoleſcentum vel aliorum etiam, qui ſe ad vulgatiorem aulæ morem componunt. Equidem ita cenſeo difficile eſſe aliquid de tonſuræ modo gentibus cunctis præfinire. Plane enim is variat non modo pro locis ac temporibus, ſed etiam pro diverſa adeò vitæ conditione. Aliud enim ætati convenit prætextatæ, aliud mediæ, aliud ſenili. Nec quod decet Regem vel aulicum, id etiam clericum. Nec quod militem, id mercatorem, opificem, ruſticum. Tondere eſt ex iis ἃ ἐνδέχεται μᾶλλον ϰαὶ τὸ ἧττον, ut non qualitates modo, ſed etiam actiones & paſſiones, ſicut proditum ab Ariſtotele in Categoriis.

Perplacet vero, quod non de hoc ſolo decrêris ſcribere argumento, utcumque multa ſis doctorus orbem literatum: ſed etiam addere ſtatueris de tonſura Clericorum, ac Virginum Deo dicatarum. Video diſquiri de origine hac tonſuræ. Athanaſius Lib. de Virginitate, Deo ſacratæ Virginis exigit τὰς τρίχας κεφαλῆς ἀποκεκαρμένας. Sed animadverto ſocerum Junium ambigere num ſit is liber genuinus. Et inter alia mihi ſcrupulum immiſit, quod paulo ante legas, ſi virgo obſervet eo Libro præcepta, fore ut nomen illius ſcribatur in Libro vitæ & inveniatur ἐν τῷ τρίτῳ τάγματι τῶν ἀγγέλων. Quæ ſuſpicionem injiciunt, neſcio quam certam, juniorem fuiſſe eum ſcriptorem Areopagita, qui pene ſeculo poſt Athanaſium vixit, quantum variis colligere indiciis poſſum. Sed utcumque iſtoc ſit, non dubitandum ſaltem, quin tonſura ea in uſu fuerit anno quadringenteſimo. Nec tamen hoc inde adſtruxero cum multis, quod Hieronymus Epiſtola ad Auguſtinum quæ eſt XXVI, ſic ſcribat. *Fratres duos dominum Alipium &* *domi-*

*dominum meum Euodium, ut nomine meo ſalutes, precor coronam tuam.* Vel quod Auguſtinus ipſe Proculianum Epiſcopum Epiſt. CXLVII alloquitur hoc pacto: *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri. Per coronam noſtram nos adjurant veſtri; per coronam veſtram vos adjurant noſtri.* Poſſumus enim his in locis *per coronam* non tam intelligere tonſuram capitis vel raſuram verticis, quam μετωνυμικῶς regale ſacerdotium. Aliqui etiam ſignari putant gaudium & gloriam: ut Philipp. IV. & Apocalypſ. III. His igitur argumentis non pugnabo, ſed nonnullis ſaltem in locis obtinuiſſe horum temporibus, evincere poſſe videor ex iſtis B. Hieronymi in gravi illa objurgatione ad Sabinianum Diaconum. *Moris eſt in Ægypti, & Syriæ monaſteriis, ut tam virgo, quam vidua quæ ſe Deo devoverint, & ſeculo renunciantes, omnes delicias ſeculi conculcaverint, crinem Monaſteriorum Matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea contra voluntatem Apoſtoli inceſſura capite, ſed ligato pariter ac velato. Nec hoc quiſquam præter tondentes novit, & tonſas; niſi quod quia ab omnibus fit, pene ſcitur ab omnibus.*

Interea duo hic in conſiderationem veniunt. Prius eſt quod non dicit hoc ubique obtinere, ſed in Ægypto & Syria: ut hinc liqueat morem fuiſſe particularem. Deinde item quod non ad Apoſtolorum provocat inſtitutum, ſed morem vocat. Quemadmodum & cauſas ſubdit non myſticas profecto ut juniores ſolent; ſed naturales plane. Sic enim ſubjungit. *Hoc autem duplicem ob cauſam de conſuetudine verſum eſt in naturam: vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne à parvis animalibus quæ inter cutem, & crinem, gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur.* Plerique etiam adſtruere tonſuram illam conantur ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. XLIV. quo interdici ajunt *ne Clericus alat comam aut barbam.* Quomodo etiam citat Gregorius, nominis ejus nonus. Sed poſt barbam in Gemblacenſi Codice eſt *tondeat*, in Gandenſi S. Bavonis *radat.* Utcumque de barba eſt de coma convenit. Adhæc pro ſe adferunt B. Auguſtini Librum de Monachorum opere Cap. LXXXI. & duobus ſeqq. Ac ſane Calvinus etiam Inſtitut. Lib. IV. Cap. XIX. §. XXVII. ſcribit ex hoc Auguſtini opere conſtare, unde originem habuerit clericorum tonſura. Nempe quia illo ſeculo non alii capillum alerent quam delicatuli, & elegantiarum ejuſmodi ſtudioſi, quæ virum minus decerent; eo viſum mali fore exempli, ſi clericis illud permitteretur; eoque ſatius judicatum, ſi vel tonderentur vel raderentur, nequid effœminati præ ſe ferrent. Sed de raſura nihil ibi Auguſtinus, neque ea tum temporis exigebatur. Quid verò requirat indicant hæc verba: *Quo pertinet quæſo tam aperte contra Apoſtoli verba comare? An ita vacandum eſt, ut nec tonſores operentur?* Et mox, *vereor in hoc vitio plura dicere, propter quoſdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa & pene omnia veneramur.* Adfert deinde hoc eorum argumentum *luctuoſe ridiculum*, ut vocat Auguſtinus: *Virum inquiunt, prohibuit Apoſtolus habere comam. Qui autem ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum, jam non ſunt viri.* Quaſi hoc vellent, proinde iis licitum mulierum inſtar comam nutrire. Hæc oſtendere videntur, fratrum eos, quos Auguſtinus deſignat, non modo ad oricillam uſque, vel paulo ulterius demiſiſſe capillos, ſed crediſiſſe ſe poſſe mulierum vel pene mulierum inſtar alere capillos. Quæ quid ad tonſuram, qualis in clericis, vel monachis, urgetur? Quare in Africa, ut puto, necdum ea obtinuerit tempore Auguſtini. Multi tamen vetuſtam adeo arbitrantur, ut originem ab ipſis arceſſant Apoſtolis. Quod & Iſidorus facit Lib. II. de officiis clericorum Cap. IV. Atque idem cenſet ad exemplum fieri Nazaræorum: quaſi non, qui Monachi eſſe incipiunt, tondeantur; tonderentur vero qui Nazaræi eſſe deſinerent. Nonnulli etiam qui itidem Apoſtolos putant tonſuræ auctores, hujuſmodi ſe narratiuncula tuentur: Petrum cum ad Evangelium prædicandum miſſus foret, ab inimicis ita fuiſſe attonſum; ſed ei benedixiſſe Chriſtum: atque ita quod opprobrii ergo factum erat, verſum eſſe in honorem. Sic Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus & Ceolfredus apud Bedam Hiſtoriæ Anglicæ Lib. V. Cap. XXII. Item tot ſeculis junior Jacobus de Voragine in Legenda Aurea, ubi de Cathedra Petri. Quibus tanta tonſuræ placet antiquitas, allegant Dionyſium Areopagitam Cap. IV. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ubi monachum ait, quando initiandus à ſacerdote, σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγίζεσθαι. Id Perionius vertit, *ſigno crucis conſignatum tonderi.* Sed puto, Dionyſium hoc velle, tonſuram fieri non σφαιροειδῶς ſive in orbem, ſed σταυροειδῶς, ſive in modum crucis: ut apud Orientales obtineret. Et ſanè hujus tonſuræ σφαιροειδῶς etiam in Euchologiis Græcorum fit mentio. Interea non ex iſtis ea colligitur tonſuræ antiquitas, quam multi arbitrantur: modò verum ſit, quod multis argumentis alibi oſtendimus, atque ante nos aliis comprobatum, Dionyſium eum ſummùm extremis B. Hieronymi temporibus vixiſſe. Præterea citant, ut etiam Eſpenæus nuncupat, *vetus Marcelli decretum.* Qui ab anno CCCIV ſedit uſque ad annum CCCIX, quinquennio nempe ante Silveſtrum I. Decretum id habemus apud Gratianum, Decreti part. II. cauſſa XX. quæſt. I. *Illud autem ſtatuendum eſſe cenſemus, ut ſi in minori ætate filii monaſterio oblati fuerint, vel ſacram tonſuram, vel velamina ſuſceperint: dignum quidem duximus, ut XV anno à prælatis moniti verbis inquirantur, utrùm in ipſo habitu permanere cupiant, an non: ſi verò permanere profeſſi fuerint, ulterius pœnitendi locum minimè amplecti poſſint. Si verò ad ſecularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur: quia ſatis inutile eſt, ut coacta ſervitia Domino præſtentur.* Sed hoc decretum Gratianus quidem tribuit Marcello Papæ: ac in Gloſſa ibidem Martino Papæ adſignatur. Et ejus temporibus magis convenire, in margine adſcriptum Conciliorum editionis Binianæ. Is verò Martinus poſt Marcellum annis claruit ampliùs trecentis. Nempe anno IↃCXLIX, & proximo quinquennio.

Raſura autem multò eſt recentior, quàm tonſura. Pro antiquitate ejus Anicetum Papam adducunt, qui ſedit anno Dom. CLXVII, uſque ad annum CLXX. Is jubet capillum radi ad modum ſphæræ, quaſi dicat, σφαιροειδῶς, non Græcorum more, σταυροειδῶς. Verùm Epiſtolam eam ſuſpectam eſſe, nec Bellarminus diffitetur. Imò jam olim eam Cuſanus apocrypham pronunciavit, poſteaque Antonius Auguſtinus, Lorinus, alii magno numero, quicquid contra contendat Turrianus. Et ſanè non tantam eſſe raſuræ antiquitatem multifariam comprobatur: inter alia eo, quòd Clemens Alexandrinus lib. III. Pædagogos tonderi jubet, non novaculâ, quod illiberale ſit, ſed forfice. Atque ille de cunctis loquitur Chriſtianis. Ac ſacerdotes tangit Catholicos, quod Donatiſtarum morem eos radentium improbat Optatus Milevitanus contra Parmenianum. Hieronymus quoque in Ezechielem cap. XLIV, ait, ſacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi. Sed ipſum audiamus: *Juxta quod diximus, nec calvitium novaculâ eſſe faciendum: nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos demittendos, ut aperta ſit cutis.* Ex triplici hac motus auctoritate Bellarminus lib. II. de Monachis agnoſcit, raſuram primitus non obtinuiſſe. Et ſanè non occurrit nunc quiſquam, qui quingenteſimum ante annum meminerit raſuræ. Atque in iis, qui de Monachis agentes ſolius tonſuræ faciant mentionem, etiam eſt Joannes Climacus in Paradiſi ſcala, Gradu IV. Vixit ille, non anno quidem CCCXL, ut Trithemius putavit: ſed anno IↃLX, quemadmodum nec Bellarminus diffitetur in ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

Sed cum ego hæc tam multis, obliviſcor mei, imò tui. Nam quid ego, niſi γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, ac præterea, quod cujus labores mirer, eos morer? Uxori lectiſſimæ ſalutem. Spero me poſſe vos inviſere, ubi filium reducem è Galliis videro. Sed gratiſſimum fuerit, ſi prius te, & conjugem, & quos è liberis ac familia adducere præterea integrum

grum erit, apud nos conſpexero. Etiam uxor, quæ aliquanto melius valet, (vides, cur hoc addam) impensè id flagitat.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ CXLIV, VII Id. Jun.

*Incomparabilis doctrinæ virtutumque tuarum cultor,*

G. J. Vossius.

## DCLXXXV.

## G. Blitterſvicio

Sup. Senatus Geldrici Senatori.

*Senatoriam ei gratulatur dignitatem.*

*Vir Nobiliſſime,*

Pergratæ mihi literæ tuæ fuerunt, quas Leidæ ſcripſeras: Eo gratiores, quod ex eis intelligerem, te cooptatum in collegium atque ordinem Senatus Geldrici. Gaudeo vero tum tuo nomine, cui optima quæque opto voveoque; tum etiam patriæ cauſa, quæ deinceps multum etiam virtuti ac prudentiæ tuæ debebit. Cur enim non Geldriam pro patria habeam, quando parenti, avo, proavo ac aliis porro è majoribus meis, Ruremundæ contigit naſci atque educari? Quodque ad locum ubi primùm hauſi vitalem auram, quoque ob belli Belgici tempeſtates ſe receperunt Parentes, is vix ſenis me habuit primis, vitæ menſibus. Exinde enim, relicto à parentibus Palatinatu, pauxillis annis terram Flandriam, at plus quam ſexaginta Hollandiam incolui. Ubi cum tam longo tempore mihi fuerit optime, cur non hanc alteram, vel tertiam liceat patriam nuncupare. Noli enim me tam anguſti animi putare, ut quem patriæ amorem debeo, conſtringi patiar intra oppidum, vel unius ditionem: ac tantum abeſt, ut ejus pœniteat opinionis, ut parum abſit, quin mundum mihi patriam dixerim, non tam ea mente qua Philoſophus olim ſe mundanum reſpondit, quam longe alia, qua omnes ejuſdem patriæ cenſemur, qui cives ſimus unius Reip. literariæ, quotquot cum virtute, toto terrarum orbe, ſociamus ſtudia literarum. Sic Nobiliſſime Blitterſvici, etſi tua ſe proſapia jactet Bruxella, tamen tu meus civis es, uti ego tuus, quia una eſt Sparta, literaria ſcilicet, nobilis ſane civitas, quam uterque incolimus, ac tot nobiſcum alii, non illa in Peloponneſi regione ſita, ſed latiſſime in mundo diffuſa: quam videor mihi, ſi commodum interpretem nanciſcar, Spartam Spartarum poſſe dicere. Hoc pacto ego non Palatinatum aut Geldriam, aut Bataviam modo patriam vocâro, ſed etiam patriæ partem dixero Brabantiam tuam, doctiſſimorum hominum adeo feracem, ut non ſit quod aliis invideatis. Et tamen fatendum, paulo arctius Brabantis adſtringi mihi Geldros meos: in quibus principem facile locum tuetur grande, & immortale literati orbis decus tuus meusque Erycius Puteanus. Viden' quam te amem, amice nobiliſſime, quod in mediis occupationibus otioſe adeo tecum confabuler? Nec tamen minus longo ſermone jam Senatorem & (quod tempus majores curas exigit) recentiſſime ad hoc dignitatis evectum; patriæ meæ bono, morari nunc animus mihi. Tamen hoc non prætereundum mihi, utcunque literæ priores Leida transmiſſæ admodum fuerint gratæ acceptæque; quibus acceptis gratulari quamprimum me oportuiſſet: (& feciſſem niſi obſtitiſſet valetudo meorum) nihilominus valde etiam me in alteris illis exoſculatum fuiſſe tantum amorem mei, quem undique ſpirant. Nobiliſſime & Amiciſſime Blitterſvici, porro ſemper alter alterum amemus, & quantum utriusque ſinent tempora epiſtolari officio hunc aremus amoris campum. Sic habe, vix aliud mihi literis tam elegantis, ac cordati viri jucundius eſſe poſſe. Salutem adſcriberem multis, niſi maximam longe partem extra Bruxellas viverent. Hoc igitur tempore contentus ero addere, me uxoremque illi ſeu Veneri ſeu Junoni tuæ (cujus ego belliſſimæ bellulam adeo imaginem hic conſpexi, & multo etiam belliorem animum auguror) plurimam precari ſalutem, ac Deum rogare, ut ſæpe vos ſimili veſtri prole faciat parentes.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ CXLIV. XI. Kal. Quinct.

*Nobiliſſimi nominis tui cultor,*

G. J. Vossius.

## DCLXXXVI.

## Joſepho Laurentio,

*Viro Clariſſimo*

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Diuturnum excuſat ſilentium, benevolentiam, quâ filium Iſaacum exceperit, prædicat, officia mutua liberaliter promittens.*

Noli putare, vel locorum, vel temporis intervallo poſſe non dico infringi, ſed etiam imminui amorem erga te meum. Quamdiu mihi in memoria erit magnus ille Molinus, quam diu ante oculos egregia ingenii doctrinæque tuæ monumenta, & ut cuncta dicam, quamdiu artus hos ſpiritus regat; firma erit amicitia noſtra, quæ ex tam bono principio, Molino inquam, conflata eſt: nec offendere debet, quod tardius reſpondere amicis ſoleam. Id jam à luſtris multis familiare mihi eſt malum: uſque adeo, ut conſuetudo pene verterit in naturam. Hoc excuſationis genere cogor toties uti apud amantes mei, ut pudeat propemodum cantionem eandem canere tam crebro. Interim multum temporis auferunt ſalutationes tam multorum, occupationes publicæ, & privatæ, valetudo aliquando mihi, longeque ſæpius, ac ſemper pene conjugi adverſa. Jam aliud etiam adjicere iſtis amici, qui me norunt, ſolent, ajunt illi, utcumque veriſſima ſint quæ adduxerim, tamen nec poſtremas in cauſis tenere, quod qui multa variaque ſub manibus habeo, difficulter ab iis avellar, quæ publicam poſſe lucem ferre, vel ego, vel amici non diffidant. Abſque his eſſet, egone non ſubinde literis meis compellarem egregiam ac pereruditam Balthaſſaris Bonifacii animam? Nunc (pudet dicere) nec illud ſcio an ſuperſit. Poſtquam enim ad plures abiit Nobiliſſimus Cornelius van der Mile, qui ſedulus erat in arvo illo Epiſtolari excolendo, non tam commoda mihi amplius occaſio eſt exquirendi de viris Italiæ præclaris. Sed hac parte, ut confido, ero beatior, ubi advenerit è Galliis filius meus Iſaacus, quem intra tres hebdomades, ſummùm menſem, expecto. Agit hoc tempore in ædibus Illuſtriſſimi Suecorum Legati Hugonis Grotii, viri de quo quicquid laudum congeſſeris minus erit. Multum tibi debeo, quod tam amice filium exceperis, ac ſi rediiſſet, magis eundem obſtringere tibi fuerit paratus. Sæpius mihi per literas nunc doctrinam Præſtantium in Italia virorum, nunc etiam erga ſe, meque, affectum prædicavit. In his etiam egregia erat laus tui; ſed conciſius ille omnia quam vellem. Tanto impenſius reducem opto, quo pendere ab ore liceat fuſius omnia deducentis. Simul per illum melius exequar ea; de quibus ſcribis. Aggreſſus ſum loqui de tuis cum uno altero Typographo. Nec abnuere prorſus viſi. Sed aiebant ſe paulo frigidiores in excudendis libris, quia non æque diſtraherentur ac ſolent, idque ob grave bellum in Germania, Britanniaque, quibus nunc illud inter Danum ac Suevum acceſſit. Præcipue vero querimonia erat de Germania, cujus bona pars male vaſtata de fame potius cogitet quam fama, aut libris. Verum de hiſce, ac cæteris accuratius omnia literis proxi-

proximis, ubi filius aderit. Sanctes Pagninus, juvenis optimus, mihi commendatiſſimus eſt, tum ob virtutes ſuas, tum quia nihil non tui cauſa volo, tum imprimis ob ingentem illum Pagninum, qui meritis, ac fama nominis orbem implevit univerſum. Equidem cum plurimum quoque illi debeant ſtudia mea, non patiar erga nepotem gratum in me animum deſiderari. Vale Clariſſime & Amiciſſime Laurenti.

Amſtelodami, cIɔ Iɔ c XL IV.
III. Non. Quinctiles.

## DCLXXXVII.

## Gerhardo Johanni Voſſio,

*Viro Clariſſ. & Eruditiſſ.*

## D. Joſeph. Laurentius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris. Qua exponit, qua in animo habeat: officia ſua offert, & reſponſum flagitat.*

TOtus in lætitiam diffuſus frontem exporrexi, cum tuas tamdiu exoptatas vidi, legi, relegi, ſpirantes adhuc antiquum in me amorem, Lethæis nunquam delendum aquis, vel locorum longinqua intercapedine. Te enim ſemper ut literarii cœli ſolem colui, tuum filium ſuſpexi, tua ſcripta Palatino cimeliarcho non indigna tanquam ſacroſancta cum veneratione pertracto; ſed vix unum atque alterum exemplar in noſtra urbe, adeo rara, quia præclara. Ego Rhetoricam contractam, Oratorias Inſtitutiones, & Grammaticam, & nihil præterea habeo, aveo tamen reliqua typis tradita noſſe, quæ curabo ad me perferenda. De reducenda Polymathia cum Opuſculis Philologicis, item Amalthea cum auctario multo ad trientem uſque, adeo ut opus ferme in duplum excreverit, imprimendum in folio, ut dicitur, utrumque te obſecro pro eâ, quæ inter nos maxima intercedit familiaritas, ut urgeas, inſtes, omnem moveas lapidem pro amico tam charo, qui ſe ſuaque tibi nexa mancipiumque devovit. D. Iſaacus ſi rediit [ut ſpero] incolumis, à me plurimùm ſalveat, quem ſequeſtrem voveo inter me & Typographum, cum quo agat ſedulo, ſerio peragat, meque certiorem reddat per eundem Pagninum, quem tibi de meliore nota commendavi. Si quid in Italis oris ſcire cupis, aut habere, me tibi Jovi Mercurium cenſe, qui ſtatim tabellis alatis nunciabit, aut aſportabit, quæ tibi in votis. De D. Balthaſſare Bonifacio mihi amiciſſ. nihil mihi certi, per proximum tabellarium aliquid ſcribam. Heinſius, Farnabius, adhuc in vivis? literatorum proceres ibi & alibi agentes noſſe percupio. Italia noſtra deſtituta luminibus jacet in tenebris. A tuo filio de hoc certior, oculato teſte fies. Mihi vivere cupiens & amicis ſexagenarius ad coronidem perduxi publica ſtipendia, rude jam donandus, emeritum meritus, ſed non recepturus, quæ eſt publica horum temporum calamitas. Literis aliquando te compellabo, (ah ne dedignere) reſpondeat D. Iſaacus, ut tibi parcas bono publico valde laboranti. Me tibi commendatum ex corde amantem redama. Ita Deus te tuaque fortunet, felicitateque mactet æterna. Vale.

Lucæ, Id. Aug.
cIɔ Iɔ c XL IV.

## DCLXXXVIII.

*Sui parentis obitum luget, cauſam, quod non potuerit ſtare promiſſis. Salmaſius ſibi non conſtat.*

*Vir Clariſſime,*

EX quo humaniſſimis pariter ac doctiſſimis colloquiis me dignatus es, varius me & infelix caſus volvit ac revolvit. Invaleſcente enim, qui jam à multis menſibus inceperat, parentis mei morbo, vix Flandriam, habitationis locum, pedibus calcaveram, quin illico reducem me in Hollandia non exoptant modo, ſed & quam maxima feſtinatione revocant. Et ut quamplurimum malum unum premit aliud, ita funeſtum illud, de deſperata parentis optimi valetudine, nuncium, alio multo triſtiori comitatum ad aures meas pervenit, nempe eum miſeram hanc vitam beata morte commutaſſe. Qui quamvis ultimus Chriſtianorum & exoptatiſſimus ſit terminus, ut qui animam è miſerrimo hujus corporis ergaſtulo demigrantem, ſperatæ beatitudinis poſſeſſione beat, dici tamen non poteſt quanto hoc ipſum mœrore animum meum percuſſerit; præſertim cum oculos in fratres ſororesque converterem, parvulos adhuc, qui pio pariter ac ſolerti patre orbi, variis rerum caſibus ſubjecti, & diluvio declinantis orbis objecti videntur. Hæc in cauſa ſunt V. Clar. quod promiſſis meis de mittenda Eccleſiarum Zelandicarum συμφωνίᾳ ad Eccleſias Anglicanas, hactenus non ſatisfecerim. Verum triſtiſſima animi fluctuatione utcunque pacatâ, ubique ſollicitè inquiſivi, ut quod addixeram effectum darem. Quod nunc præſto. Si quid hic eſt præterea in quo opera mea aliquod tibi commodum afferre queat, felicem me prædicavero, ſi literis hoc indicaveris. Porro, ſummopere mihi & Eccleſiis noſtris gratulor, quod & tu V. Clar. ſuper intricata de pilis controverſia ſententiam tuam aperire volueris, utinam id aliquanto prolixius factum fuiſſet. Sed non video quomodo Cl. D. Salmaſius p. 25. f. tantam alendis comis licentiam concedat, cum ipſe ore mihi dixerit, intonſos capillos, vel intonſis ſimiles virorum naturæ prorſus contrarios eſſe, quum ſane (ut dicebat) geſtari non poſſint effluxi, ſed neceſſario, fœminarum inſtar, ſollicite repurgari, religari & variis nodis vinciri debeant, quod viros utique non decet. Hac de re tecum Vir Cl. præſens, ſi occaſio ferret, libenter ſermones miſcerem, ut & de aliis nonnullis, quod in aliud tempus differre cogit neceſſitas. Sed graviſſimas tuas, quibus Eccleſiæ & Reipubl. bono implicatus es, curas, literis prolixioribus interrumpere Religio mihi eſt, eoque finem facio, ſummum Numen ſupplex orans ut te, Vir Clar. Eccleſiæ ſuæ & orbi literato diu ſervet incolumem.

Dabam Ardenburgi 17. Aug. Æræ Chr. 1644.

*Illuſtriſſ. nomini tuo dicatiſſimus,*

DANIEL GRAVIUS.

## DCLXXXIX.

## Claudio Salmaſio.

*Ereptam præmatura morte filiam condolet. Commentarium de Cæſarie virorum, & mulierum Coma ab omnibus laudari teſtatur.*

*Nobiliſſime Vir,*

MAgnopere mihi dolet, de amiſſa ſuaviſſima filia, de quo nihil antea inaudieram. Et auxit dolorem, quod de alterius filiæ morbo eadem cognoſcerem. Uxorem verò eo magis hæc res affecit, quod refricavit ei memoriam trium liberorum, quos eodem morbo amiſit. Nec in his dolor ſtitit; mox, ut fieri ſolet, cogitatio ſubiit Corneliæ ſuæ, quam

quam triſtius factum ſuſtuliſſet. Deum immortalem! Quid homuli ſumus, niſi bulla, vel σκιᾶς ὄναρ? Te conſtanter hæc ferre, plane perſuaſum habeo. Sed & conjugem ſupra ſexum cordatam: quæ probè novit, quod Poëta vetus ait, Nemini per æquor inoffenſum labi currum ad candidum calcem. Imo quod Chriſtiani ſcimus, ne quidem expediret nobis fluere omnia ex voto. Commentarius tuus de Cæſarie virorum & mulierum Coma, tam multa omnes docet, ut nunquam ejus pœnitere poſſit auctorem; etiam ſolidè adeo, quod propoſuerat, evincit, ut reſponſurum arbitrer neminem. Collocutus ſum cum pluribus; in nullum hactenus incidi, quin utroque, quod dicitur, pollice laudaret. Atque ego de iſtoc citius ſcripſiſſem, niſi ſperaſſem, coram melius id facturum, filio è Galliis reduce. Nunc ille, ut ex literis tuis intelligo, etiamnum Lutetiæ eſt. Ego verò putabam, jam ante duas tres hebdomadas ſe dediſſe in viam. In quo, ſi fallor, quid dicam, quam videre me quam difficulter poſſit à Galliis avelli. Ejus cauſâ, quem mihi commendas, omnia faciam, quæ potero, uti debeo. Ego & uxor ſalvere te jubemus, totique familiæ fauſta omnia comprecamur.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xliv.
x. Kal. Sept.

*Æternum tuus*,

G. J. Vossius.

## DCXC.

*Illuſtriſſ.*

## Hugoni Grotio,

Legato.

*Lævinum Warnerum juvenem Weſtphalum commendat. Iſaaci filii reditum anxius expectat, ac pro beneficiis in eum collatis, immane quantum Grotio debere fatetur. Ejus etiam in V. T. notas à multis impensè deſiderari ait, valde indignatur, quòd de Anthologia aliiſque operibus, ſpiſsè adeò opera typographica procedat.*

*Illuſtriſſime Domine*,

QUi haſce literas reddet, Lævinus Warnerus, patria Weſtphalus juvenis eſt tum pius & probus, ſingulari in ſtudiis induſtria, idemque in Orientalibus linguis apprimè verſatus: quod conſtans omnium de eo judicium eſt. Nec obſcurum eſt ex iis, quæ in lucem emiſit. In his proximè fuit, centuria Proverbiorum & Sententiarum Perſicarum. Sexennio cum laude præfuit ſtudiis Illuſtrium Dominorum Comitum de Chinitz, & Tettau. Omni eo tempore, gratus, acceptusque fuit, & Maximo Salmaſio, & Golio, Conſtantinoque L'Empereur; mihi etiam quoties Leidâ Amſtelodamum excurreret. Nunc incredibili ardet amore adeundi Conſtantinopolin, partim ut penitius cognoſcat arcana quæque literaturæ Orientalis: partim ut augeat prudentiam, videndo & urbes, & hominum mores. Nec difficile ei fuit, à me elicere aliquid literarum ad Excellentiam tuam; cum putaret, faciliorem ſic fore ſibi compellandi viam. Jam duæ ſunt hebdomades; quod literas à filio Iſaaco accepi, unde intelligebam, poſt dies paucos velle ſe in viam dare. Id ſi fecit, jam ante aliquot dies, Lutetia diſceſſerit. Eo impenſius eum expectamus, quòd ſuperiori hebdomade navis Zelandica, dum Gallias petit, tempeſtate periit; inque ſubmerſis, tres fuerunt adoleſcentes hujus urbis, probe mihi cogniti, qui ſtudiorum cauſâ, in Gallias tendebant. Immane quantum Excellentiæ Tuæ debeo, pro beneficiis multis, in quibus neſcio ecquid majoris facere me oporteat, quam erga filium Iſaacum, affectum, ac benevolentiam ſingularem. Quantum eo nomine debeamus, nequeo effari; nec tamen de illo multa impræſentiarum ſcribam: malo aliarum mihi id literarum ſit argumentum, poſtquam datum erit filium amplecti, & omnem ex eo itineris rationem coram cognoro. Multi hic ſumus, qui ingenti flagremus deſiderio paſcendi oculos, & animum iis, quæ, ad Vetus Inſtrumentum adnotaris. Gaudeo rem eò perductam, ut nunc de ſolis Indicibus laboretur. Sic enim ex Præſtantiſſimo, Excellentiæ Tuæ fratre, intellexi. Sed nequeo ſatis concoquere, quod de Ἀνθολογίᾳ, atque aliis huc transmiſſis ſpiſsè adeo negotium procedat. Interim aliquid eſt, quod jam cœperit Blauwius, novam editionem Operis de jure Belli, & Pacis, ſignificavit mihi ipſe, ante octiduum, & ultra. Uxor plurimam ſalutem Excellentiæ Tuæ adſcribi juſſit, ſed & Heroinæ conjugi, ac liberis nobiliſſimis, uterque fauſta omnia comprecamur.

Amſtelodami,
cIↄ Iↄ c xliv.
Non. Septembr.

*Excellentiæ Tuæ cultor æternum*,

G. J. Vossius.

## DCXCI.

S. P.

*Encomiaſten agit Dionyſii Voſſii defuncti. Exercitationem à ſe elaboratam offert. Quendam Nicolaum Matthiæ commendat.*

BIennium eſt & ſemeſtre, cum binas tuas literas grata manu & mente accepi, viva certè Voſſianæ humanitatis & nivei candoris, exemplaria. Etenim ex iis intellexi commendatitias meas, quas optimi juvenes Dunſius & Eraſmus Hammelius tibi meo nomine tradiderunt, plurimum ponderis apud tuam humanitatem habuiſſe. Hunc affectum in me & meos gratiſſima mente, uti par & æquum eſt, complector; ac voveo viciſſim datum iri mihi occaſionem de te tuiſve bene merendi. Hocce mutuum ac meritum gratificandi tibi ſtudium auxit donum illud eximium, quod humaniſſimarum literarum velut benignum quoddam auctarium eſſe voluiſti. Poſthumum ſcriptum indigito à filio tuo clariſſimo *b. m.* DIONYSIO VOSSIO elaboratum maximâ cum ingenii & eruditionis laude. Ego illud inter rara meæ Profeſſionis κειμήλια numero. In eo non unum Muſarum certamen iniri jucundo quodam oculorum ſpectaculo obſervare licet. Interpres ὁ μακαρίτης ætate minor grandævo Moſi Maimonidæ (ſit venia Homerico & Virgiliano Patronymico in Proſa) autori ſcripti Rabbinici de Idololatria, viro magnæ authoritatis & celebritatis apud Rabbinos & Chriſtianos Ebraicæ linguæ æſtimatores haut cedit. Imo quo magis præſtat puritas linguæ Latinæ Rabbiniſmi farragini, eò laudabilior eſt interpretatio ipſo textu. In Commentariis verò tres Linguæ cardinales certant de Primatu. Agmen ducit Rabbinicæ Antiquitatis peritia, & Ebraicæ Literaturæ cognitio ætate juvenis unum & viginti annos nati major, atque veteranos in admirationem rapit. It comes Græca & Latina, notiſque grande decus & lumen addit. Etiam Eccleſiaſticæ antiquitatis radius ſubinde Lectoris oculos ferit. Hæc omnia in Druſii monumentis & aliis id genus paucis comparent. Auſim affirmare, ſi, poſtquam ex ephebis exceſſit, tanta dexteritate Codices Rabbinorum evolvere potuerit, atque eruditis Commentariis illuſtrare; quod ætate grandior redivivus Druſius audiiſſet, ſi cœptam horum ſtudiorum telam pertexere ipſi fuiſſet propoſitum: ſed aliter viſum ſapientiſſimo Deo, humanarum rerum moderatori ſummo, cujus opera & judicia quia nobis ſunt abyſſus, ideò ſola veneratione metiri ac complecti ea obligamur. Ut autem debitam animi gratitudinem aliquo indicio adprobarem tuæ humanitati: ecce prodit de paupertinâ muſei mei ſupellectile gemina Exercitatio antiquitatis literariæ, ſi non tuo muneri dignitate par, ſaltem ob mittentis affectum & gratificandi ſtudium, haut ingra-

ingrata, uti ſpero, tibi futura. Claudet epiſtolam, qui eam exhibet, Nicolaus Matthiæ juvenis ab eruditione, modeſtia, vitæ integritate, aliiſque virtutibus commendatiſſimus, quem ut tuo amore & favore in poſterum complecti velis, ſalutaribus ſtudiorum conſiliis ſublevare, atque peregrino patrocinari haut grave ducas, inter maxima publicarum ac privatarum occupationum gravamina, quibus te in dies, imò horas diſtrictum teneri novi, præſentis ſcriptionis votum & ſumma eſt. Raram tuam humanitatem erga ſe literis ad me ſcriptis oppido deprædicavit Dunſius, adeo ut aditum ad tuas Muſas ſubinde ſibi patere gratus agnoſceret. Quod ſi præſentem, qui in poſterum à tuo ore pendere conſtituit, ſimili benevolentiâ dignum judicaveris, præs ero collati hujus in Nicolaum noſtrum favorabilis beneficii te haut pœnitebit, & parens honoratus Regiæ hujus Metropolis civis maximopere demereri conabitur, apud me verò ejus memoria erit ſempiterna. Vale, Vir ſumme, ſummoque ſtudio bene de literis ac literatis mereri perge.

Hauniæ, Kal. Oct. cIↄ Iↄ c xliv.

*Tuo nomini addictiſſ.*

THO. JO. BANGIUS, M.S.

## DCXCII.

*Illi reditum filii gratulatur, conſilium ejus expoſcit in excudendo quodam Bocharti opere.*

*Clariſſime & celeberrime Vir, Amice & olim Collega conjunctiſſime,*

NOn poſſum pro noſtra amicitia quin tibi gratuler felicem reditum Iſaci tui, quem in tranſcurſu tantum vidi, & velut fulgetrum. Occupati fuimus tum in S. Cœnæ præparatoriis; quæſivi eum ſub veſperam diei Dominicæ apud Senatorem Dubletium, apud quem exiſtimabam eum divertiſſe: qui mihi ſignificavit hoſpitio materteræ fuiſſe uſum, & abiiſſe paulo ante Leydam, ubi expectabatur à D. Salmaſio qui conqueſtus eſt ſe præteritum fuiſſe. Cauſam ſatis conjeci, quod à me ipſo intellexerit recenter, morbum illum qui tibi duos abſtulit filios, filias ejus binas intra paucorum dierum ſpatium letho dediſſe. Sed id reſarciri facile poterit per literarum commercium, miſſis, ſi quos habet pro illo faſciculis. Cum autem ad te redierit auctus divite ſupellectile intus & extra, ſpero eum deinceps tuo conſilio, & amicorum flagitationibus conceſſurum, ut publici juris faciat nonnulla, quorum editione doctos & pios ſibi devinciet; præſertim ſi Ignatii Epiſtolas quas habet pleniores ex Manuſcripto Florentino nobis communicet. Qua de re paucis apud eum egi, monitus ab Ampliſſ. Sarravio, qui id enixe petierat. Samuel Bochartus affinis meus per literas ſuas teſtatus eſt, quantum debeat filio tuo, qui ipſius cauſâ à via tantopere deflexerit, ut Cadomi eum inviſeret, qui ex communicatione cum eo non dubitat quin patris veſtigia ſit ſequuturus. Narrabit etiam tibi quid moliatur vir ille doctus, & quæ ipſi fuerint objecta impedimenta ne quod ſuſceperat peregerit, aut iſthic peragere ſpes aliqua ſuperſit, ubi tyrannis etiam in bonas literas ſævit, erit à nobis juvandus in parturitione fœtus utiliſſimi. Tentabimus [nempe quia Cl. Viri L'Empereur & Golius poſſent emendationi præeſſe.] J. le Maire, quod ſe facturum ſuſcepit D. Salmaſius. Si minus ſuccedat videndum erit, an commodè Amſterodami cudi poterit opus tam varium & tot Linguarum Characteribus aſperſum. Tu cum filio poteris juvare & nobis conſilio præire. Hic exſpectamus brevi noſtros bellatores, & intra biduum Gynecæum, qui hactenus per ſemeſtre ſolitarii viximus. Cauſam intellexi à D. Dubletio, cur ſpe noſtra fruſtrati fuerimus qui te expectabamus, ut hic in amplexus tuos veniret filius. Firmet Deus valetudinem tuam, & D. uxoris tuæ, efficiatque ut diu filii ſuperſtites ſenectutem veſtram ſolentur, & pulchra prole beent, tam corporis quam animi. Affinis Molinæus ſemper cum veteri morbo conflictatur, ita ut tamen ſuperſint vires quibus die & nocte perambulet; & ſubinde conciones habeat elegantes & efficaciſſimas. Ego & uxor valemus (Deo gratia) vobiſque omnia proſpera vovemus. Vale.

Hagæ-Comitis, XIII Octobr. cIↄ Iↄ c xliv.

*Tibi & tuis addictiſſimus,*

ANDREAS RIVETUS.

## DCXCIII.

*Incomparabili Viro*

# Gerardo Joanni Voſſio,

# Johannes Fredericus Gronovius

S. P. D.

*De Seſtertiis diatribam paratam ait. Orat, ut ſecum quoſdam de re nummaria ſcriptores communicet.*

ANte paucos dies ſcripſi ad te unas, Vir maxime, eaſque ad amicum miſi, ut tibi traderet. Si tamen moratus eſſet, præbente occaſionem politiſſimo illo juvene, qui has adfert, non committerem, ut ipſe in mora eſſem mihi, ſed κατὰ δεύτερον πλοῦν de eodem argumento te interpellare conſtitui. De ſeſtertiis, quod ſuaſeras, diatribam habemus paratam, & ornatam, ſic ut aliqua ſecunda, cum ſpe lucem videre poſſit. Budæi, Hotmanni, Agricolæ, Scaligeri, Groſippi, virorum longè eruditiſſimorum plurima παροράματα, ea modeſtia, qua par eſt deteximus: Noſtram ſententiam dilucidè expoſuimus, & argumentis tantum non apodicticis adſtruximus. Libellus erit ſex aut ſeptem philyrarum: & conſenſerunt Ampliſſimi Curatores noſtri, ut ſumptibus iis, quibus Theſes deſcribuntur, impenſa impreſſionis adſcriberentur. Itaque nunc in eo ſum, ut extremam manum imponam: nam ni properem, liber fiet grandis; Ita quotidiana plura ſubnaſcuntur. Cæterum præter illos, quos nominavi, quoſque vidi, ſcripſerunt, ni fallor, de re nummaria, Portius, Matthæus Hoſtus, P. Ciacconius, Erycius etiam, ni fallor, Puteanus. Quamquam eos magis deſcripſiſſe ex illis putem ſua, aut de reducendis veterum ſummis, ad noſtræ pecuniæ ſummas, ſollicitos fuiſſe, quàm quippiam attuliſſe novi, aut inquiſiviſſe in formulas veterum: tamen videre eos gestit animus, antequam noſtra edantur. Eos igitur, ſi ſervat Bibliotheca tua, commodato ad paucos dies petii: ipſum quoque Groſippum: non enim ſatisfacio mihi, in legendis denuo, & conſiderandis eorum ſententiis, cum quibus mihi res eſt; præſertim cum brevi corrigere noſtra omnibus permiſſurus ſim. Petieram præterea Grammaticorum corpus, & Schotti Obſervationes Luſchianas. Quod commodo fiat tuo; repeto illam petitionem, & ut ſine mora, ſiquidem poteſt, compotem me facias voti, per primos tabellarios; nam ſumptum hunc lubenter faciam, dummodò, uti deſideratis potiar. Vale, Vir incomparabilis, & ſalve cum graviſſima matrona, omnibuſque tuis.

Daventriæ, ad diem XII Kal. Novemb. cIↄ Iↄ c xliv.

Fabricius noſter, ab Epiſcopo Lubecenſi Duce Holſatiæ; ad Conſiliorum munus eſt evocatus: cujus honoris, fortunæque cauſâ ex animo gaudeo.

DCXCIV.

## DCXCIV.

*Clariſſimo & Venerando Domino,*

# D. Gerardo Joanni Voſſio,

# Joh. Smith

S. P. D.

*Nil antiquius ejus judicio habet. Bochartus & Grotius commendantur.*

TAm prolixa, Vir Clariſſime, humanitate Commentarium de Batavorum oppido ſcriptoremque ejus antehac complexus es, ut ille à Typographica fornace calens ante alios ad te merito properat, cujus beneficio quoque & opera lucem videt. Si nunc æquè, atque nuper expectationem ſui apud te ſuſtinet, & tuetur, eſt quod mihi gratulor & de aliorum judiciis ſecurus ſerio cogitem de excutiendo ſupellectile antiquaria. D. Blauwium multis negotiis diſtrahi ſentio, eadem tamen qua exemplaria ad Bibliopolas mittit opera, mihi amiciſque vacabit ſpero, inprimis ad exteros, in exemplari quod doctiſſimo Sam. Bocharto, Reformatæ Cadomenſis (Caen vocant) Eccleſiæ Paſtori inſcribo qui nobis omnium gentium origines, ex cap. Geneſ. X. & Orientalium linguarum monumentis recludit, & altero quod D. H. Grotio quanquam ignotus, cum literis deſtino, illius opera quam in Batavicæ Reipublicæ antiquitate deſcribenda poſuit, meretur, ut qui illum ducem ſequimur, illi noſtra quoque probemus. Si tamen res apud Blauwium ſecus cedat, prius exemplar D. Riveto commendabo, ſuper altero te conſulere cogar. Interea bene vale, Vir Clariſſime, publico rei literariæ bono, & fave.

Scrib. Noviomagi,
XXIII Oct. Greg.
An. cIↃ IↃ C XLIV.

## DCXCV.

# Hugoni Grotio.

*Effuſum ex reditu Iſaaci ſui gaudium nunciat, ac pro honore filio habito, ut & pro præclaro munere literario maximas gratias agit.*

*Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine,*

DE reditu Iſaaci mei magnopere gaudeo: hodie dies eſt quartus decimus, quod primum amplecti datum fuit. Ex ſermonibus, quos interea commutavimus, plurimum cepi voluptatis; nec vel quantum profecerit, pœnitet, vel impenſæ; facile etiam video, quantum Excellentiæ veſtræ debeam, pro honore, quem filio, ac familiæ, meo habuiſti. Nec beneficium tantùm, cujus & ipſe è ſermonibus ejus fructum percipio, unquam excidet animo cujusquam noſtri. Spero me paucos intra dies, à Juriſconſultiſſimo Excellentiæ veſtræ fratre, accepturum quæ ad veteris Teſtamenti codicem annotaſti. Nunc magnas ago gratias pro eo, quod tam præclaro munere augere volueris Bibliothecam noſtram. Sed ubi licuerit, Ambroſia ejus paſcere animum, diu noctuque, multis partibus amplius debebo; nec deſinam profiteri. Nunc pauculi dies, quibus careo, totus mihi annus videntur. Scio aliter fore animatos, qui terris hiſce ſucco turgent loliginis. Sed oblatrent quantum volent; ubi multi numero, mentes & operam conjunxerint, non decuma eruditionis pars exprimetur. Deus, Excellentiſſime Domine, vitam & valetudinem diu conſervet, terrarum, atque Eccleſiæ bono. Illuſtri Dominæ Conjugi, multam, Ego, Uxor, filii, ſalutem dicimus, pariterque, Nobiliſſimæ filiæ.

Amſtelodami, cIↃ IↃ C XLIV. IX. Kal. Novembr.

*Illuſtriſſimæ Excellentiæ Tuæ, obſtrictiſſimus,*

## DCXCVI.

*Non poſſe contra ſe definiri quicquam contendit, niſi auditum penitus; interim ſe imperterritum perſiſtere.*

*Clariſſime Vir,*

MItto legenda, tum quæ diſputanda brevibus propoſuit Canonicus, tum quæ edidi per Moguntinum quendam: qui tamen menda reliquit ſatis multa. In Latino opuſculo prodidi quæ vulgo hic terrarum ſunt incognita. Placetne perluſtrare, ac mihi dein reddere? Necdum enim ſuppetit mihi exemplar aliud. Ambiunt ut video, tuum contra me judicium & evulgaturi quidem. Per me tibi licet quod lubet. Hoc tamen ſcio neminem poſſe quidquam definire contra me ſolide, qui non audierit me penitus, poſtquam objectionibus impeti cœpi ab iis, qui, ut candide eloquor, pugnare contendunt, quæ non pugnant, & ſequi evidenter, quæ non ſequuntur: ac profecto noſtrorum omnium ſententia, res ita habet, ut ſcribit Petavius in ſchedula, hiſce inſerta. Prudenter Lutheranus, libris editis clarus, non ita pridem, epiſtola quadam ad me; malle ſe audire partem utramque, quam judicem agere. Sapit item Piſcator, qui ante ictum ſapit. Id eſt, per quem tibi creatur moleſtia, rectius ille curaret res magis neceſſarias. Ego non vacillo; triturus matrem facile; quia tela conjiciuntur in eam non fortiora quam eſt juncus. Hæc animo ſcribo candido, atque in te tuoſque amiciſſimo. Utinam gratus reapſe eſſe poſſim de benevolentia, quam à tot jam annis, indignus ego expertus inſigniter. Salve, Vir optime, mihique omnibus modis honorande.

XXIV Octobris, cIↃ IↃ C XLIV.

BARTOLDUS NIHUSIUS.

## DCXCVII.

# Georgio Calixto,

S. T. P.

*Scripta ejus magnoperè laudat. Erbermanni vindiciis num reſponderit, quærit. Vidiſſe quoque ait contra eum annotationem de communione Græcorum ſub una; ſed non reperiſſe quidquam, quo deſtruantur ab ipſo adſerta de communione publica, quæ in Orientalibus fiat Eccleſiis.*

QUæ miſeras, eximie Calixte, de beatitudine æterna, Tranſubſtantiatione, Monarchia Eccleſiæ viſibili, & dominicæ nativitatis feſto, ea accepi univerſa, & quamquam plurimum tam egregiis capiar donis, impenſius tamen lætatus ſum, quod divina bonitas tibi vitam, valetudinem, vires animi conſervet ad tam bene de noſtris poſterisque temporibus promerendum. Ac idem mecum ſentiunt his locis quotquot non aliam in Religione Chriſtiana ſectam ſequuntur, quam fit ab utroque noſtri. Illis vero qui in cuncta Romanæ Eccleſiæ placita jurarunt, eo facilius ignoſcere debemus, quod hoc concordiæ ſtudium omnibus ſatis probetur, qui à Romana Eccleſia receſſerunt, ſicuti ex Buſcheri, & ejus farinæ aliorum deliciis conſpicere eſt. Sed his bipartito commentario ſolide adeo occurſum video, ut nihil ultra requiratur. Neſcio ſitne & reſponſum Erbermanni vindiciis hocce anno Moguntiæ editis. Ubi inter alia miror ſectione tertia contendere te Papale tribunal tibi vindicare, tanquam judicium tuum haberi velis tanquam

quam publicum omnium Eccleſiarum idque ἀναμάρτητον. Ac qui ſic argumentari ſolent ſolos ſe putant canonas Logicos obſervare in fidei negotio, cæteros circumvolitare tanquam umbras. Vidi & eoſe anno editam contra te annotationem de communione Græcorum ſub una ſpecie, ut inſcriptio promittit. Ubi legi non reperi quidquam quo deſtruantur à te adſerta de communione publica quæ fit in Eccleſiis Græcanicis & Orientalibus. Sed longa mihi eſſet ſeries rerum complectenda, ſi cæteris id genus inſiſterem; nec valetudo hoc tempore ſinit, quæ ab aliquo retro tempore infirmior eſſe cœpit. Credo commonet, ut magis magiſque cogitem de commigrando. Tu vero, Excellentiſſime Vir, perge cum divino auxilio ſtrenue decurrere hoc curriculum ad quod es vocatus. Pro multis teſtium millibus conſcientiam habes. Et applaudet omnis eorum chorus, quibus dolori eſt inconſutilem Chriſti tunicam ita miſere diſcindi. Equidem id ingenue dixero, quod apud alios prædicare non deſino, nullius ſcriptis è Germania aut vicinis terris æque me capi, quam ejus ad quem nunc ſcribo. Conjunctiſſimo Collegæ tuo doctori Horneio ſummo viro ſalutem plurimam dicas rogo. Nam & ille nobis è reliquiis aurei generis.

*Tuus æternum,*

Amſtelod. cIↄ Iↄ c xLIV. 4. Kal. Novemb. Styl. Greg.

G. J. Vossius.

---

## DCXCVIII.

### Andreæ Riveto,

### Theologo.

*Multùm ſe ex diatriba Salmaſiana de Herode infanticida profeciſſe, fatetur, curandum verò Heinſio eſſe, ne de illa quicquam ſtudioſi inaudiant adoleſcentes.*

*Reverende Clariſſimeque Vir,*

REmitto tandem Salmaſianam diatribam de Herode infanticida. Ex qua quantum profecerim, non pœnitet. Atque hunc fructum non ſolum debeo τῷ πάνυ Salmaſio, ſed etiam beneficio tuo; abſque quo foret, necdum conſpicere licuiſſet. Bene interim eſt, quod in libris, quos Iſaacus meus è Galliis expectat, propediem comparebit. Optime id Collegæ veteri Heinſio ceſſit, quod extra Leidam vix quiſquam de hoc Salmaſiano reſponſo inaudierit. Alioquin id ſtudioſi adoleſcentes efflagitarent à Bibliopolis quotidie. At iſti lucripetæ quamprimum ſubjicerent prælo; quod de ſe ſponte his diebus quiſpiam fatebatur mihi. Nempe ut volent libri per hominum manus, vix ardentius eſt ſuſcitabulum, quam ſi premi conſtet. Ubi Leida, atque Haga redierit ad nos Iſaacus, nihil æque volupe erit ex eo reſcilcere, quam ut valeant veteres amici, & quid agant, quibus ſcribendo etiam cura eſt exterorum & poſteritatis. Præ cæteris volo, ut exquirat de magno ſene, conjunctiſſimo affine tuo Molinæo; quem, poſt exceſſum Clariſſ. Gomari, ſolum nunc omnium præceptorum meorum habeo ſuperſtitem. Omnia illi proſpera atque fauſta opto; ac pariter tibi, cui multum debeo, non ſolum ut Collegæ antehac quod non leve duco, ſed ut mei meorumque ſtudioſiſſimo, iis etiam temporibus, quibus ſi mihi de me credere licet, premerent innocentem. Plurimam ſalutem meo & uxoris nomine dicito lectiſſimæ conjugi tuæ.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xLIV. x. Kal. Decemb. nempe pridie ejus diei, quo hæc Amſtelodamenſium civitas ſe fœderatis junxit partibus. Nempe craſtino, quo noſtræ tibi literulæ reddentur, ab eo tempore completus erit annus ſeptimus ſupra ſexageſimum. Deus faxit ut civitas grato ſemper animo hoc beneficium æſtimet.

*Tuus omni officio,*

G. J. Vossius.

---

## DCXCIX.

### Joanni Seldeno, J. C.

*Libros de Paganica Theologia & Phyſiologia Chriſtiana cum filii Dionyſii de Idololatria Maimonide dono tranſmittit.*

EN tibi, vir doctrina famaque maxime, Στρωματεῖα noſtrum contextum ex memoria geſtorum, natura rerum, & monumentis ſacrarum literarum. Quo in opere hoc unice ſtuduimus ut nationes, & qui proxime ab iis abirent, ab impia ſua pietate abduceremus, eademque deduceremus ad veri Numinis notitiam, amorem ac venerationem; ut deinde eos fax verbi divini, quod nequit natura vel hiſtoria externa, feliciter ad cultum perduceret Chriſtianum. Atque hoc quale quale munus eò gratius fore confido, quòd magnam partem eodem pertineat præclarus tuus de Diis Syris labor; qui, ut tot alia, caneſcet ſeclis innumerabilibus: quemadmodum de Marci Ciceronis Mario ſcripſit Scævola Juriſconſultus. Adjunxi etiam Maimonidæ opus de Idololatria cum filii mei Dionyſii ἐ μακαρίτε tralatione ac notis. Ac neque operam iſtam fore ingratam, planè habeo perſuaſum, vel eo nomine, quòd cum ſtudiis aliis, præcipuè duobus Philologiæ & Juriſprudentiæ, conjunxeris tot Orientis Linguas, ut hâc etiam parte ſit difficile parem alterum reperire. Vale, vir ſumme, & tui admiratorem ac cultorem porrò ama.

*Præclaro tuo nomini æternum addictiſſimus.*

Amſtelod. cIↄ Iↄ c xLIV. Kal. Dec. St. Vet.

G. J. Vossius.

---

## DCC.

### Epiſcopo Novæ Caſæ.

*Epiſtola familiaris.*

*Reverendiſſime, & eximie Vir,*

REſcripſiſſem de iis, quæ tetigiſti literis tuis, niſi valetudo obſtitiſſet & alia quædam. Spero id à me fieri poſſe propediem. Quamquam quid ego de iſtis ad te, & quidem degentem ea in urbe? Hoc nonne fuerit ligna in ſylvam? & tamen ulla in re poſſim gratificari, quæ omnia tua cauſa velim? Utcunque vero diſtinerer mirifice, nolui tamen eum juvenem qui tuas mihi longe acceptiſſimas literas reddidit ſine meis reverti. Amo enim non modo propter commendationem tuam, ſed etiam propter parentem nobiliſſimo genere prognatum, & à Rege Bohemico olim præfectum bonis Regiis in Moravia, quicum mihi ab annis compluribus aliquis amicitiæ uſus interceſſit. Ingemiſco ſæpius, quoties cogito tam multos & genere & dignitate, aliquos etiam eruditione conſpicuos, nunc variis adeo terris exules agere. Sed multis melius eſt infeliciores videri, quam ut cuncta hic fluant ex animi ſententia. Salmaſio te uti familiariter gaudeo. Nam quid eo viro mentis capacioris? Simulac ad eum ſcripſero, decrevi affectum tuum literis teſtari.

Jam cogor abrumpere. Van der Bergio noſtro abitum neceſſario parante.

*Tuus æternum,*

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xLIV. Kal. Decemb. Τάχιστα.

G. J. Vossius.

## DCCI.

*Nobiliſſ. Baroni*

## Herbert.

*Librum ejus de Religione Gentilium, errorumque apud eos cauſſis inſigniter laudat, & pro tam præclaro munere gratias agit.*

ALiquot nunc effluxere menſes, Nobiliſſime & Generoſiſſime Baro, quod librum tuum acceperim de Religione Gentilium, errorumque apud eos cauſis: idque unà cum literis Sereniſſimi Electoris & tuis. Et pro libro, & pro literis non poſſum non gratias agere quam maximas. Delectatus ſum plurimùm & Argumento, & Scriptionis genere. Vix itaque dixerim, quam avidè, quantoque cum fructu illum devorarim. Non jam animus eſt, ut ſcribam tibi, quid de hoc opere ſentiam. Scio quam difficulter audire laudes tuas poſſis. Audiant has illi, quibuſcum ſæpe de hoc Scripto colloquor, cum tempus & occaſio patitur, quæ nunquam non ſeſe offert. Dum itaque ſæpius lego, & relego, illos tuos Commentarios, animadverti verum eſſe iſtud, nullam in bonis rebus eſſe ſatietatem. Inde factum eſt ut ſerius tibi reſpondeam, gratiasque agam maximas, quod participem me feceris lucubrationum tuarum. Nec quod ſit, ubi diverſum à me videatur tibi, id pretium apud me imminuit. Quùm auget verius. Præterquam enim, quod nolim opiniones meas haberi, velut κυρίας δόξας: pulcherrima mihi præbetur occaſio, penſiculandi ea quæ ſcripſi; ac vel corrigendi, vel firmandi magis. Ut mittam quod multa adhuc indicta reſervavi poſtremo Volumini, quo agendum mihi primum de Plantis, & Foſſilibus; hinc de Affectionibus in Deorum numerum relatis; poſtea de cultu Naturæ univerſalis; ac denique de cultu Symbolico mixto. Ac diu illa univerſa in lucem prodiiſſent, niſi novis curis ſemper avocarer. Supereſt, ut ſicuti meo nomine gratias ago pro tam præclara opera: illas agere etiam poſſit orbis univerſus. Id maxime deſidero, tantoque id citius futurum, quantò citius lucem adſpiciet. Quod ſi in eo excudendo, utilis eſſe opera mea poſſit, vel hic, vel alibi, niſi in Anglia excudi ſatius exiſtimabis, libentiſſimè illam offero. Vale Illuſtriſſime & Generoſiſſime Baro.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xlv.
III. Kal. Jan.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## DCCII.

*Illuſtriſſ. & Sereniſſ.*

## Electori Palatino.

*Librum Baronis doctiſſimum laudat; ſed ſuſtinendo judicio Electoris, de opere illo corrigendo, imparem ſe profitetur.*

*Sereniſſime Princeps,*

QUamvis opus non fuiſſet, ut Serenitas Veſtra commendaret librum Nobiliſſimi ac Generoſi Baronis H. de Cherbury, cum bonæ merces ſeipſas ſoleant commendare; tantum tamen voluptatis percepi ex literis Serenitatis Veſtræ, ut majorem nunquam. Itaque non poſſum non gratias agere immortales Serenitati Veſtræ; tum quod me dignum cenſuerit, cui aliquid commendaret. Liber memorati Domini Baronis, & doctiſſimus eſt, & ea qua potui attentione illum pervolvi. Sed ad ſuſtinendum judicium Veſtræ Serenitatis, de opere illo corrigendo, modo ab ullo corrigi poſſit; neceſſe eſſet, ut meipſum ſuperarem. In eo etiam video incredibilem Serenitatis Veſtræ humanitatem, quod tantum mihi attribuat, meque hominem minutum uſque adeo obliget. Faciam ego ſemper quod debeo, & quod poſſim; plura etiam facturus ſi liceret. Sed neque Serenitas Veſtra plura à me expetit, neque plura ego poſſim.

Deus, Sereniſſime Princeps, Serenitatem Veſtram tueatur & provehat ad ea quæ deſiderat.

Amſtelodami,
cIɔ Iɔ c xlv.
III. Kal. Jan.

*Serenitati Veſtræ devotiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DCCIII.

*Viro Clariſſimo,*

## Hugoni Grotio.

*Theſaurum Sacrarum ejus Obſervationum valde commendat, prolixas pro eo gratias agens. Quæ impediant, quò minus & ipſe in Sacris aliquid dare poſſit, indicat.*

*Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine,*

ACcepi jam ante menſem quæ ad Veteris Teſtamenti Libros, Excellentia Veſtra annotavit; Sacrarum Obſervationum, non Librum, ſed Theſaurum. Adeo ubique multa ſe offerunt, partim paucis obſervata, partim hactenus inedita. Juvit etiam cognoſcere, quid in tanto ſcribentium diſſenſu, judicio illo accurato maximè comprobaſſes. Magnopere præterea delectavit, quod oſtendis, multa adeo in Veteri Interprete, quæ carpi à Novis ſolent, commodam capere Expoſitionem, planeque conſentaneam contextui Hebræo, etiam ut nunc legunt Maſſorethæ. Nempe ſcribere voluiſti, non tantùm concinna atque erudita brevitate; ſed etiam non induſtria, quam plurimi, ſed ſtudio partium minori; quando alterum hoc corrumpere hoc ſæpius Religionis negotium ſolet. Quamobrem immenſum quid æternumque Excellentiæ Veſtræ debebunt, qui ſeriò amant legere & intelligere Scripturas. Ac privato etiam nomine, non ſolum pro munere magnifico, ſed quod majus puto, pro opera tam utili teneor atque obſtringor, eò impenſius Deum rogo, ut Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ, longam ætatem, ac optimam valetudinem largiatur; quo & illud, quod in Novi Inſtrumenti Libris enarrandis ſupereſt, perficias; atque adeo veteres reſumas labores; non quaſi deſiderem, ſed quia confidam Spiritum Domini plura deinceps conſimilia bono publico edocturum. Scribo hoc eò fidentius, quia planè cenſeo, Excellentiam Tuam, hac parte, non abire, à communi quondam Præceptore, ſocero meo Junio. Is aiebat, ſi vel annos centenos ſupereſſet, neutiquam ſe ingenio ullo vel induſtriâ, exhaurire poſſe, quæ profundo inſunt Scripturarum puteo; ſæpe mihi paucis ante obitum menſibus retulit, ſi abſolvere daretur, quæ ad Bellarminum annotaſſet, nolle cogitationes alio adjicere, quam ad veteres ſuas Commentationes limandas. Sæpius iſtius mihi in mentem venit; nec tamen peccare deſino, in procudendis novis, ac ſæpè minutis, quale illud quod pauculos intra menſes conſpicies: Eſt id de Sermonis Vitiis, & Gloſſematis Latinobarbaris: opus fortaſſe non inutile juventuti, ad Sermonis Latini caſtimoniam: Aliis item ad intelligendos ſeculorum poſteriorum Scriptores, quantivis illos pretii, ſæpè interim ſemibarbaros. Hæcne ætati meæ conveniunt, qua cum inchoavi annum qui intra hunc ipſum, cIɔ Iɔ c xlv. ætatis erit ſeptuageſimus? Fons caputque hujus mali eſt, quod ſi qualia præferrem, & fortaſſe parata habeo, publici juris facerem, calumnias malorum

lorum non injuria extimeſcerem; quando ſatis ſum edoctus quantum velint & valeant. Accedit quod tam multa in tam variis ſtudiorum generibus ſim aggreſſus, ut quoties cogito de ſingulis, vix videam, quid primò, quid deinde, in manus ſumere imprimis conveniat. Interim exiſtimo, è primis fore. Librum ſingularem de natura, & conſtitutione Poëtices; duos autem de temporibus Poëtarum, Græcorum & Latinorum, tum eorum qui deperiere, quam qui Libitinam effugere potuerunt; Tres verò Libros, de artis totius Poëticæ præceptis. Credo comitem addam Harmoniam Euangelicam, de Paſſione & Reſurrectione Domini, opus jam ante annos viginti quinque laboratum. Sed poſtquam avidè devoravi, quæ ad Euangeliſtas obſervavit Excellentia Tua, non pauca conſpexi tum quibus firmare mea poſſem, tum quoque propter quæ pedibus mallem in Excellentiæ Tuæ ire ſententiam, eoque propria vineta cædere lubens. Nec ſiverint id mores mei, ut hoc diſſimulem, ubi lucem adſpiciet.

Amſtelodami, Pridie Kal. Jan. Stylo Iuliano, cIↄ Iↄ c XLV. quem fortunare opto, Excellentiæ Veſtræ, Heroinæ conjugi, & Nobiliſſimis liberis. Quod mecum vovet conjux & liberi, & ante omnes, obſtrictiſſimus Excellentiæ Veſtræ, Iſaacus meus.

## DCCIV.

## Joanni Seldeno, J. C.

*Pro præſtita in negotio ſuo opera tam pulchra, ingentes agit gratias, nec non pro honore, quo filium Iſaacum non ſemel excepiſſet: eum nunc ſecum vivere ait, ac magnum Scriptorum ineditorum theſaurum, perluſtratis Anglia, Gallia, Italiaque nobiliſſimis Bibliothecis apportâſſe; non tamen parvi hoc ſibi ſtetiſſe, ſed hoc ingenium ſuum eſſe, ut magno etiam rei familiaris damno, cuncta publicis metiatur commodis.*

*Clariſſime, Virorumque eximie Seldene,*

JUcundius mihi fuit, quam facile dixero, ex affine Junio, & ornatiſſimo Hoofdio, cognoſcere de ſingulari erga me meoſque affectu tuo, ac opera quoque eo in negotio, quod mea intereſſet plurimum. At longe illud jucundiſſimum, partim ex conjunctiſſimo Collega Pellio, partim ex optimo Hoofdio reſciſcere, de felici totius negotii ſucceſſu. Quare nimiùm quantùm obſtrictus ſum præclaris Regni Britannici Proceribus & eximio nomini tuo, & præſtantiſſimo D. Sadler, atque aliis qui luculento adeo argumento, amorem noſtri, ac in me ſtudiorum comprobarunt. Multùm etiam hoc nomine debere profitentur, & Mattheus meus Illuſtrium Hollandiæ & Zelandiæ Ordinum Hiſtoriographus, & filius alter (ut de tertio Juriſconſulto taceam) Iſaacus meus, qui non ſemel perhumaniter adeo à te exceptus Londini; & ante duos, tres menſes, Gallia, Italiaque, triennii quaſi ſpatio, luſtratis magnos præclaroſque Scriptores hactenus ineditos, pene dixerim theſaurum apportavit; alios poſt alios juris publici facturus, bono literarum, nec ſine teſtatione, quorum beneficio tantùm potuerim in ſtudiis & meis & liberorum. Ac eadem multo juſtius mens mea, quando fructus quidem hujus beneficii, magnam partem ad liberos redundat. Attamen me imprimis ſpectat, qui magno cum rei familiaris damno, cuncta publicis metior commodis. Itaque (ſi familiarius mihi paullo loqui tecum permiſſum) poteram ego, ſi quantum pecuniarum Bibliothecæ impendi apud Illuſtres Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines collocaſſem, tantùm inde percipere, & amplius etiam, quam ad me redit ex Britanniæ Magnæ, magno illo, nec ſatis æſtimando beneficio. Nempe hoc facit, ut minori moleſtia ſumtus in ſtudiis ſufferam, animoque magis defæcato limare pergam tam multa quæ habeo affecta. Quippe longe eorum excedunt numerum, quæ hactenus emiſi. Ac intra hunc annum, ut ſpero, complura eorum conſpicies, in non uno ſtudiorum genere. Jam enim ſub prælo ſunt nonnulla. Nimirum nunquam ceſſo quia ſemper cogito, quantillum abſim à ſeptuagenario. Semper igitur illud in mentem venit, propediem mihi rationem eſſe reddendam temporis, quod divina hactenus bonitas conceſſit. Tibi vero, magne Seldene, ingentes ago gratias pro præſtita opera tam pulchra, tum etiam hoc tempore opportuno; & (ut de liberis nihil repetam) facit item mecum optima conjux, ſummi Viri Franciſci Junii proles. Et cur non illud addere liceat; Etiam qui antea celebrarent toto orbe celebratiſſimam doctrinam tuam, non minus efferunt in cœlum ſingularem beneficentiam ac humanitatem, atque in me (ſaltem ſic judicant amantes mei, quales longè plurimi) non ſolum collata, vel præſtita hæc putare, ſed omni eruditorum ordini his terris.] Tantum mihi meiſque adlaborandum magis, ut ne præſenti ſeculo, vel poſtero ingrati unquam fuiſſe videamur. Neque is ſolum animus futurus eſt noſter erga te; ſed cunctos qui tam bene de familia mea mereri voluerunt. Quæſo hanc meam, meorumque mentem, ubi otium erit, ſignifica. Ac ipſe etiam, prima occaſione, uni alteri ſignificare decrevi.

Amſtelodami, poſtr. Kal. Jan. anno cIↄ Iↄ c XLV, quem tibi tuiſque, & toti Regno Britanniæ Magnæ fortunare ex animo cupio, optoque.

*Æternum tibi tuo merito obſtrictiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DCCV.

*Clariſſimo & doctiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Amico chariſſimo,

S. P.

*Ipſi diſſertationem Theologicam mittit, eumque monitorem & cenſorem ſibi exoptat.*

ACcipe, Vir Clariſſime, promiſſam Diſſertationem de conſenſu doctrinæ Auguſtini de Gratia Dei, cum perpetua Catholicæ Eccleſiæ doctrina. Qua Diſſertatione inſpecta, facile perſpicies, tui dilectionem, & doctrinæ tuæ reverentiam & exiſtimationis tuæ curam, etiam nunc cum te de facie non noſſem, tantum apud me valuiſſe, ut niſi muneris divinitùs impoſiti neceſſitas me impuliſſet, non fuerim palam daturus hanc [licet mitem & benignam & cum honoris tui Præfatione conjunctam] ſignificationem diſſenſionis meæ ab eo quod abs te profectum eſſet. Tametſi perſuaſum habeo, & jam ex diuturna conſuetudine comperiſſe mihi videor te non ægre ferre; ſi quiſquam, ſincero veritatis ſtudio, & recta ratione ſuffultus, ſeorſum abs te aliquid ſe ſentire amice & modeſtè profiteatur. Et te ita eſſe animo affectum confido, ut malis *καὶ τὰ ἴδια ἀναιρεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας*, abſit enim à nobis Chriſtianis ut in hoc φιλαληθείας officio nos ab Ethnicis anteverti ſinamus. Laudatur princeps Apoſtolorum quod alterius poſtmodum nati Apoſtoli juſtam reprehenſionem non ſpreverit. Nec minus audientis celebratur *εὐηκοΐα*, quàm monentis *παῤῥησία*. Homines ſumus & mutua ope ſublevamur. Amicam juſti monelam pſaltes ſuaveolentis & refocillantis olei loco habuit. Tu mihi in legendis noſtris, ut pari libertate ac benevolentia fidum te præſtes monitorem, & amicum cenſorem, etiam atque etiam rogo. Vale, Vir humaniſſime, amice chariſſime, & quod facis nos ama.

*Tibi addictiſſimus,*

Joannes Forbesius, *à Corſe.*

## DCCVI.

*Nobiliſſimo, Reverendo, & ſummo Viro,*

# Joanni Forbeſio,

Domino à Corſe, S. Theologiæ Doctori eximio, inque Academia Aberdonienſi, ejuſdem Profeſſori,

# Gerardus Joannes Voſſius.

S. P. D.

*Conſenſum antiquitatis in S. Scripturæ interpretatione & controverſiis Theologicis magnopere commendat, Forbeſioque in antiquitatis ſtudio aliis præeunti applaudit.*

NOn dubium eſt quin omnibus, veritatis ac concordiæ amantibus, dolorem adferat maximum, quòd antiquæ toties repullulent hæreſes; quandoque etiam ſuccreſcant novæ, & olim inauditæ, nec minus veteribus illis ſectis veritati adverſæ & paci. Cujus rei cauſam eſſe præcipuam arbitror, quod qui animum adplicant ad legendum S. Literas, magnam id partem faciant, vel cum ſtulta ingenii ſui fiducia, vel præjudicio ab iis profecto, quos per omnia ſequi ſibi propoſuerint, vel ab animo haut aliter eas interpretandi, quàm iis locis, ubi degant, conducibilius videatur, ad conſequendum, vel retinendum mundi bona. Quomodo adfecti parum cogitant, Scripturas non eſſe Scripturas, quoties alio intelliguntur ſpiritu, quàm ſunt ſcriptæ. Niſi igitur de infœlici eorum grege eſſe velimus; quemque veritatem magis amare convenit, quàm ſeipſum; ac ante omnia quidem ſcrutandum, quid Deus dicat in verbo ſuo: ſed ne perperam illud interpretemur, quando omnes ad errorem ſumus proclives, attendere etiam debemus, non modo quid unus & alter, ſed omnino quid conſtanter docuerit Eccleſia Dei. Quantoperè enim repugnat perſpicuitati Scripturæ ſi ita exaratæ credantur, ut, ab Apoſtolorum exceſſu, ne in præcipuis quidem fidei capitibus, ipſi eas Eccleſiarum doctiſſimi ceperint Antiſtites? Quantum item adverſatur bonitati Dei, & amori erga nos, ſi per tot ſecula, ad Scripturarum intelligentiam, defuiſſe ſtatuamus Spiritum Dei, viris licet pietate, & ſanctimonia præcellentibus, Eccleſiæque ſemper commendatiſſimis, atque eò melioribus, quo Apoſtolicis propiores erant temporibus? Nec ignoro, dicta hæc noſtra parùm deſcendere in animos multorum, quia videant etiam ad antiquitatem provocari in cauſa deploratiſſima. Qui cogitare debebant, niſi iſti hoſpites forent in veterum lectione, non tam futilibus motum iri. Viderent enim bellos hoſce provocatores, incaſſum jactare antiquos, præterquam apud vetuſtatis neſcios, qualibus ſe os facilè ſublinere poſſe ſperant. Cæteri autem, qui hiſtoria Eccleſiæ ſunt exculti, nullo negotio cernunt opiniones eas, quas fruſtra venditant pro antiquis, ſi non heri, vel nuper natæ ſint, plurimùm ſaltem cœpiſſe demum ante duo, tria, vel ſummùm ſex ſeptem ſecula, vel non multo amplius. Ut obducere illis liceat hoc Optati Milevitani lib. 6. Quæ eſt iſta nova, & ſtulta ſapientia, novitatem quærere in viſceribus vetuſtatis? Quis verò non fateatur, præſcriptione iſtiuſmodi, multum firmari animos noſtros, in genuina Scripturæ interpretatione: Validius quoque munitiuſque hæreſes refelli? Quare hoc armorum genere, ſemper pugnatum fuit à S. Patribus: qui præcipuè quidem feruntur, Scripturæ authoritate; nec tamen prætereunt priorum temporum conſenſum. Hoc luce clarius eſt ex iis quæ diſſerunt adverſus Marcionem, Valentinum, & his æquales; item Samoſatenum, Arrium, Macedonium; nec minus Pelagium, Neſtorium, Eutychem; ut præteream hæreticorum cæteros. Vellem iſta adtenderent, qui territi diffuſo adeò, ut ajunt, Eccleſiaſticæ antiquitatis oceano, propterea, veteres Theologos non legunt; & quia negligunt, neſciunt; & poſtquam ignorant, aſpernantur; ac ne temere contemnere, vel ſoli neſcire videantur, etiam traducendo illos, complurium animos ab iis abalienant. Tanti mali fons, caputque eſt, otii amor, ac laboris fuga; dùm non ſatis cogitant, certiſſimum illud Ariſtotelis effatum in Nicomachiis, artem ac virtutem, verſari circa id quod difficilius eſt. Et tamen difficultatem illam, de qua tantoperè queruntur, multum leniat rectus ſtudiorum ordo, & hoc omni hiſtoriæ innatum, quod delectat, & aſſidua ingentis boni cogitatio, quod ex hiſtoriæ Eccleſiæ, veterumque Theologorum lectione, ad nos redit; fidem fecerint, vel ſolius Magnæ Britanniæ veſtræ, vel etiam noſtræ, tot Theologi ſummi: Ante omnes κειμήλιον illud hominis Joannes Juellus Antiſtes Sariſburienſis. Quis enim è Conciliis, vel Doctoribus (quotquot primis fuere annis ſexcentis) non animoſius modò, ſed doctius quoque, vel felicius impugnavit adverſarios? Non defuere quidem, quibus hoc diſputandi genus minus probaretur; ſed præſtantiſſimi etiam Whitackeri judicio, timidiores hi fuere, quàm neceſſe erat. Poteram & alios ſubdere magno numero; ſemper enim Britannia abundavit Theologis, ut Scripturarum, ſic antiquitatis etiam intelligentiſſimis; ſed ut de iis pluribus, brevitas inſtituti non ſinit. Ad te itaque venio, eximie Forbeſi, qui uti habuiſti antea, quem ſequereris, patrem tuum τὸν μακαρίτην, Patricium Forbeſium, Epiſcopum Aberdonienſem, virum undequaque doctiſſimum; ita ipſe deinceps, in hoc antiquitatis ſtudio Patriæ præibis, ac cunctis amantibus rectam ſtudiorum viam. Nihil me auribus tuis dare, indicio omnibus erit utraque hæc & Theologica, inquam, & Hiſtorica Inſtructio tua, & ille ſignorum tuorum adſpectus, adverſus tot infeſta Hæreticorum agmina. Quem equidem neſcio, utrum comparare velim phalangi Macedoniæ, an aciei Romanæ; ſed huic potius, quando (quod defuiſſe phalangi Polybius oſtendit) copiis tuis ſemper erit locus, ſic armorum viribus, ſic ſcientia, atque arte inſtructis, ad nullum non pugnæ genus. Habet igitur ſacrata Muſis adoleſcentia, unde melius ſapiat, dum videt eos, qui ſic avocant ab antiquis, ſibi ſemitam non ſapere, licet aliis monſtrent viam. Habet quoque media illa, ac conſtans ætas, quò accendatur deinceps ad ſtudium, antiquitatis, ſi priùs neglexit; vel ſi ſerum id putet, ſaltem ab alienis videre oculis adſueſcat, ubi nequit ſuis. Habent denique etiam, in veteribus Theologis ſubacti, unde proficiant: Imò ſi ipſi pariter benè mereri de hoc ſtudio volent, non deerit hinc exemplum, quod ſcribendo æmulentur: quo ita magis & magis gliſcat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ honos, ac fructus. Vides ut quod noſtrum ſit, de laboribus tuis judicium, non pigitum fuerit memorare; ac confido idem omnes uno ore dicturos, quorum palato antiquitas ſapit. Et vero nunquam tam feliciter agatur cum Eccleſia Dei, ut etiam boni omnes per omnia conſpirent; confido tamen, etiam ex iis qui antea diſſenſerint, hiſce tuis lectis, conventuros non paucos; ſaltem in illis Religionis capitibus, ſuper quibus in ſex Conciliis Univerſalibus, vel Africanis etiam, & Arauſionenſi olim convenit. In iis autem, quæ non ad fundamentum, ſed ſtructuram pertinent, non pacem minus ſectæ, quàm amplectar veritatem: ut qui ſciam non modò, hæreſin vitandam, ſed etiam ſchiſma: ac propterea licet ubique grata eſſe veritas debeat, aliter tamen cum fratribus, quàm Hæreticis, eſſe diſputandum. Utinam verò, Nobiliſſime ac Clariſſime Forbeſi, hac cruda ac viridi ſenectute, pertexere tibi detur, cætera hujus operis, auro magis aurei. Hoc ut contingat, rogamus omnes Dominum Deum cui Eccleſiæ ſuæ cauſâ, curæ fore confidimus, & te & labores tuos.

Amſtelodami,
x Kal. Sext.
1645.

## DCCVII.

# Claudio Salmaſio.

*Epiſtola familiaris.*

*Illuſtris Domine,*

UTi in negotio de La-Barta feci apud Proceres noſtros, quod potui, ac porro etiam adlaborabo; ita & in Doctoris Botteſii de Grandi-Villa rebus velim apud Typographos quantum poſſim. Inter alios locutus ſum cum Amſtelodamenſi noſtro Elzevirio, qui frigidè omnia: ſed poſtea cum convenit Iſaacus meus, viſus ei non penitus abhorrere. Compellavi poſtmodo Blauwium, qui promiſit, vel nullius ſe opera uti velle, vel hujus de quo ſcripſeras. Sed nunc quicquam occurrere negabat, in quo transferendo aliquid Latine, Italice, Gallice ſibi eſſe uſui poſſit. Nam fratre defuncto, omne ſibi onus incumbere Typographiæ, nec audere nimium ſuſcipere, qui parte potius vacare malit in hac per Germaniam, & Angliam bellicâ tempeſtate, quæ Typographos perdat. Benignius reſponſum eſt, quod mihi narravit, conjuge ſuâ præſente, Doctor Botteſius. Sed metuo ne (modo verba bene intellexerint) verba utrique dederit. Saltem aliter ille apud me; etiam ubi duas illi literas oſtenderam, licet omnia tua cauſa velit. Certiora ubi ex eo cognoro, quamprimum te faciam certiorem. Croii liber necdum, delatus eſt in urbem noſtram; ſed cùm avide de eo inquirerem, monſtrarunt mihi Gomari Scripta & ante omnia præfationem eam, qua promitur de livore & calumniis quibus ſic incomparabilis Heinſius creverit. Diſplicent artes plusquam Pelasgæ; & puto, nec Præſtantiſſimo Croio erunt acceptæ: quem pariter impeti non eſt dubitandum. Ad quem præterea hæc pertineant, quid attinet dicere? Quam vellem, ut ſincera ſemper fide in gratiam rediretur? Verum quantillo eruditi multi diſtant iis quos nolo dicere! Plurimum te, uxorem, liberos, ſalutamus ego, uxor, Matthæus, & Iſaacus meus-tuus ante omnes.

Amſtelodami,
ciɔ Iɔ c xlv.
xii. Kal. Febr.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

---

## DCCVIII.

*Reſponſum ſuum contra Moguntinos illi transmittit. Mutua Chriſtianorum odia dolet. Poloniæ Regis conamen laudatur.*

*Clariſſ. & eximie Vir, Domine & Amice magnopere honorande,*

RAræ ſunt occaſiones ad vos ſcribendi vel mittendi, nec mihi commodiores aliæ ſeſe offerunt, quàm ſi forte ex auditoribus noſtris unus & alter ad vos iter inſtituant. Literæ quæ variantibus tabellariis per diverſa loca tranſeunt, inter viciſſitudines plerumque pereunt. Hâc igitur occaſione per eum, qui haſce offert, oblatâ, ſi nihil aliud, ſaltem te, quem ex animo amo & æſtimo, ſalutare volui. Adjunxi nuperum meum maledicis Moguntinorum vindiciis oppoſitum Reſponſum: de quo quæ tua ſit ſententia ſi candidè & liberè me docueris, magno me affeceris beneficio. Diſcordiam & odia mutua Chriſtianorum doleo, imo deteſtor: & concordiæ aliquam viam invenire diſcupio. Interim fieri poteſt, ut aberrem, & ſcopum parum dextrè feriam. Sed aliorum judicia & correctiones lubens audiam & admittam, neminis autem lubentiùs & avidiùs, quam à te profectas, quem multiplici & perfectâ eruditione pollere, & pari concordiæ deſiderio teneri certus ſum. E noſtris nonnulli quod primæ & priſcæ antiquitatis in conſtituendâ Religione rationem haberi volo, damnant: alii, quod rem per colloquia tentari ſuadeo, improbant; neque deſunt qui omnem conatum, curam & ſpem inſtaurandæ concordiæ rectiùs abjici quàm ſuſcipi cenſeant. Quod meditatur & molitur Sereniſſimus Poloniæ Rex, opus eſt planè pium, Regium & Chriſtianum, nec tamen deſunt, qui dehortentur noſtros, ne controverſias in colloquium deduci patiantur. Magis propemodum turbant & terrent, quæ in Anglia aguntur, quorum nihilominus propter locorum intervalla & itinerum difficultates rara & tenuis ad nos dimanat notitia. Angit ſanè animum tranquillitatis auram, quæ ex iis locis adſpirare cœperat, & nos in ſpem malaciæ erexerat, in diram & truculentam tempeſtatem converſam eſſe: Hyems, quæ exacta eſt nobis propter viciniam & tranſitum exercituum inquieta fuit & turbulenta: idque adeo eſt cauſa, quod reſponſum contra Moguntinos nondum integrè prodierit. DEUS Eccleſiæ ſuæ & tantopere afflictæ Germaniæ tandem miſereatur, teque, Vir eximie, bono publico incolumem ſervet diutiſſime. Officioſe te ſalutatum cupit Clariſſimus Collega meus D. Horneus. Vale.

Ex Acad. Julia.
v. Kal. April.
ciɔ Iɔ c xlv.

*Veſter quantus quantus uſu mancupioque,*

Georgius Calixtus.

---

## DCCIX.

*Illuſtri & Incomparabili Viro,*

# Gerardo Johanni Voſſio,

S. P.

*Illius auſpicio Rectorum Ind. Orient. patrocinium quærit. Iter in Perſidem adornat. Querimonia Græca Eccleſia. Literarum laterem laudat & commendat.*

*Illuſtris & incomparabilis Vir, ſol, & ſal ævi noſtri, decus præſentium, exemplum poſterorum.*

DEfunctus, ut noſti, mihi in peregrinis verſanti, Anslonius, exterrita mea ſtudia, quæ propter graviſſimas Patriæ clades, per biennium retro externorum beneficio, ſuſtentata fuerunt, & porrò debent: quapropter te, Maxime Vir, etiam atque etiam rogo, ut inſitata, ævo noſtro tua benevolentia, humanitate, & comitate, ſtudia mea fovere, & promovere velis, quæ certè promoveris, ſi viris Illuſtribus commendaveris; ut Hoſdio, & aliis, tibi ſine numero notis; ut illorum beneficio, & quantulacumque munificentiâ, quæ optimè cœpi, emoliri queam: utque turbatæ Anſlonii obitu, Muſæ animentur amicorum certitudine, omniſque generis difficultates, & procellas, per Orientem, fœliciter illorum favore, propellere queam. Alterum quo mea ſtudia promoveris, & tibi devinctiſſima reddideris, ſi à ſocietate Indica, literas commendatitias ad Ind. Orient. Rectores procuraveris: cum enim Perſidem petere omninò debeam, ubi excolendis Perſicæ amœnitatis floribus, aliquamdiu ſubſiſtendum erit: gratum & tutius erit Indicæ ſocietatis patrocinio frui: Offerri illi quoque mea qualiacumque poſſunt ſtudia, in remotiſſimis illis equidem Provinciis; non eſt dubium, quin omnis generis indigeant opera. Max. Vir, ſi huic neceſſitati meæ obſtetricatus fueris, me fœlicem, & ad tua, tuorumque imperia promptiſſimum reddideris. Res equidem eſt digna commendatione, & promotione; ut ſcilicet illa ſtudia, quibus Arabes tot annos floruerunt, tandem etiam Chriſtianis innoteſcant Europæis. Quantum licuit per improbos labores, & adverſos caſus, in hoc ſtudiorum campo, futuros, eluctari animus eſt, modo tu, & alii, animum favore tuo addideris. Non dubito, quin è re mea acturus ſis,

ſis, pro tuo in me favore; quid poſſis, non quidem quà mereor; ſed quà totum terrarum orbem demereri ſtudes. Quæ hic geruntur; ex præſenti literarum latore, ſummo mihi amico, Mercatore Amſtelodamenſi, Byzantii florentiſſimo uberiùs cognoſces; etiam quæ de noſtris ſentiant, externæ nationis doctiſſimis ſtudiis. Mercator noſter eſt virtute rariſſima præditus, quem ideo ſi amaveris, doctioribus, prout quidem natura fictus, & factus eſſe videtur, faventiorem reddideris. Mirantur Proceres hujus imperii, aliorum regnorum Legati, quænam cauſa eſſe poſſit, quare Ill. Ordines huc denuò Legatum mittere torpeſcant: alii eos huic amicitiæ indignari alii parùm ſua de gloria ſollicitos, interpretantur: factum mihi nunquam videtur, ſi factum nunquam probatum, & ſibi probatum nunquam probandum; Gentis gloriam armis ubique claram, literis, & omnibus artificiis locupletem, unius ignaviâ obſcurari. Satius certè erat, ignotum eſſe, quàm ignobilem: actiones multæ perverſæ; imo ne fingi quidem poſſunt: Doctioribus Græcæ Eccleſiæ inſidiatur, exilium minatur. Hinc lamentationes, & querimoniæ Græcorum, qui aliud non crepant in ſermonibus; niſi Belgarum Miniſtros, Eccleſiæ Græcæ exitio huc miſſos, ut qui præter pietatis normam, & Eccleſiæ formam, Turcarum potentia ære Eccleſiæ Græcæ effuſo, Græcis miſeris, atque invitis, Patriarchas impiè obtrudunt: prout nuper factum, ubi 100000. Imp. in Turcas effuſis, incerto populo, & reclamante, ἀνάξιος, obtruſus fuit: hinc debitis Eccleſia Græcorum oppreſſa; miſeri vexati. Plura ex Mercatore ſenties, Viro certè ingenio dulciſſimo. Ital. Hiſp. Turcicæque peritiſſimo, doctis addictiſſimo, quem quo majori honore, & amore proſecutus fueris, quod certè pro uſitata tibi, tuiſque, humanitate facies, tanto tibi tuis mihi omnibusque doctis, faventiorem reddideris: ille equidem eſt unus, qui hic mihi pecuniolam, liberaliſſimè mutuo dare ſolet: Mihi perplacuit Mercatoris modeſtum, & omni doctorum favore, laudeque dignum ingenium, quique ſi tibi, Maxime Vir tuiſque operam præſtare poterit, promptum deprehendes; meaque animi ſtudia, quæ tibi, tuiſque quamdiu vixero debeo, ſemper offero, tu illis cum tuis ne abuti quidem poteris. Mihi enim nullum gratius fieri poteſt officium, quàm ſi amicis officium facerem, proinde cum tuis liberrimè imperare licet, imperata lubenti animo exequar. Et ſine dubio multis doctis gratum præſtare potero officium, pro ea quæ mihi, cum Græcorum, Muhametanorumque intercedit doctiſſimis familiaritate, ut facilè quicquid hic extat, per me impetrari poſſit. Hic literarum limites ſiſto, Vir Maxime, etiam atque etiam rogans, ut me cum tuis amare pergas, habebis certè ſemper qui te coluit, colet, & ſuſpiciet, tuis tuorumque nutibus.

D. Byzantii
7. Maji An.
45.

*Addictiſſimum,*

G. GENTIUM.

---

## DCCX.

*Libri, quem Uſſerius ediderat, fata refert.*

*Clariſſime Domine Profeſſor,*

EN tibi donum Reverendiſſimi D. Uſſerii Archiepiſcopi Armachani, quod jamjam diſceſſuro ipſe quoque Oxonio abſcedens ad te perferendum tradidit: opus inter πολυδάκρυτα hæc & plusquam Civilia bella mediumque armorum ſtrepitum natum, fato adeo adverſo, ut vixdum editum incendio, quo ante annum præterpropter oppidum correptum fuit, penè totum conflagrarit. Sed dimidia exemplarium pars commodùm paulò ante ex ædibus Typographi alio tranſlata ignem evitavit. Atque ita ille Ignatius nunc flammarum, ut olim ferarum rabiem omnino effugere non valuit. Tarditatis autem meæ (utpote cui ex Anglia reduci jam quarta ſeptimana labitur) culpam aut excuſarem aut deprecarer rationibus, quæ mihi ſuppetunt, complurimis, niſi metuerem, ne non ſatis ſummæ humanitati & æquitati tuæ tribuere ac confidere tibi viderer, quod crimen ita plane deteſtor, ut priori iſti tarditatis vitio ſive culpæ affinis eſſe multo malim, quam ut huic obnoxius habear. Sed vel hæc ipſa effutiendo vereor ut ſatis utrique noſtrûm conſulam tua negotia ſtudiaque interturbando, meoque qualicunque otio abutendo. Itaque manum tollam de tabula, ubi tibi, uxori lectiſſimæ, filiiſque eruditiſſimis plurimam ſalutem impertitus fuero. Valete ergo & vivite diu felices atque incolumes patriæ, familiæ, mihi.

Dordraci Kalend.
Jun. cIↃIↃCXLV.

*Reveren. tuæ obſervantiſſ. & addictiſſimus,*

JACOBUS LYDIUS.

---

## DCCXI.

*Reverendo variaque eruditionis Theologo,*

# Jacobo Lydio,

## Gerardus Joannes Voſſius

### S. P. D.

*Præclarum Uſſerii munus ſibi filioque Iſaaco longè gratiſſimum fuiſſe dicit. Silentium ſuum excuſat, ac quæ ipſe editurus opera ſit, recenſet.*

TErnas à te literas accepi: unas cum dono Reverendiſſimi Armachani, quod per mihi gratum fuit, tum propter eruditas ad Ignatii vulgarem editionem notas, tum propter genuini Ignatii veterem tranſlationem. Ipſum Græcum Codicem non vidit vir ſummus Uſſerius; ſed ea fœlicitas reſervata fuit Iſaaco meo, qui Florentiæ è bibliotheca Medicea deſcripſit, ac primus orbi Chriſtiano dedit oppoſita è regione verſione antiqua ex editione Uſſeriana. Non poſſum, Amiciſſime Lydi, ſatis exprimere, quantopere me Reverendiſſimus Uſſerius, ac imprimis filium meum, dono ſuo bearit: quanquam & tu quoque, in aliquam hujus beneficii veneris ſocietatem: qui cùm nobis ex Britannia apportaſti, & ſimulac pedem in urbe patria poſuiſti, eum continuo miſiſti mihi; prope gnarus, in hujuſmodi etiam negotio, locum habere, quod vulgo dici ſolet, bis eum dare, qui det citò. Sed ut eo nomine laudari tu mereris, ita ego metuo, ne potius caſtigandus tibi videar; qui nec de hoc dono reſcripſerim quippiam, nec ad alteras literas repoſuerim quidquam. Poteram pro me adferre, tum adverſam valetudinem meam, ac præcipuè uxoris mire adflictam: tum mortes filiorum Franciſci J. C. tum Matthæi Hiſtoriographi; ſed enim aliud præterea eſt, quod me negligentiorem fecit, in poſtulato Reverendi & præſtantiſſimi Roberti Bayllii. Scripſeras in edendis noſtris feſtinato opus eſſe: At Typographorum duorum, quibus hic utor, prælum in tantum diſtinebatur variis, & ingentibus voluminibus, ut uterque negaret, intra aliquot menſes, quicquam mei poſſe excudi. Sed exinde nuſpiam non velle omnia agere in meæ ſpem gratiæ. Non peccaſſem, ſi quamprimum te hujus reſponſi feciſſem certiorem, ſed nunquam in reſpondendo ſum tardior, quam quum ſcribere non licet id quod ego & alter mallemus. Ita factum, ut in totum ſcribendi officio ſuperſederem; ſed ante menſes ſex ſeptem Blauwius exorſus eſt libros, quos exaravi, de omnium artium, & ſcientiarum natura, uſu, ac nexu. Elzevirius autem excudere cœpit librum unum de Natura & Conſtitutione Poëticæ, & tres de Arte Poëtica: quibus jungentur duo, unus de Græcorum, alter de Latinorum Poëtarum temporibus. Sed quoniam hæc grandibus aliorum

rum voluminibus intermiſcent, noſtra vix philyram unam ſingulis hebdomadibus procedunt. Interea pollicentur, poſt duos ſummum menſes, ſe in noſtris aſſiduos fore. Quod ſi tum quoque eadem maneat mens. Reverendo, Clariſſimoque Baylio, non committam, quantum in me fuerit, quin ejus expectationi ſatisfaciam. Sin id ſerum tunc erit, ut metuo; non deerunt alia atque alia, quæ publici juris faciam: In his quinque reliqui libri de Paganica Theologia, qui non affecti modo, ſed etiam confecti; uti & tres de Harmonia Evangelica, in argumento Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis in Cœlos. Addetem alia, ſed non petiiſti tam catalogum propediem σὺν θεῷ edendorum, quam ut reſponderem de editione eorum, quæ de Baptiſmo, & imprimis de Anabaptiſmo ſcripſi, & iſti argumento vicinis. Tamen fortaſſe, nec iſta ignorare malueris. Id enim poſtulat amor domus noſtræ hæreditarius, jam ab annis octoginta circiter cœptus inter Avum tuum præclaræ doctrinæ virum, ac Parentem meum; poſtea vero continuatum, inter me, & Avi tui viduam, optimamque Matrem tuam; quæ te ſcio non ignorare, ac ſtimulum eſſe debent, ad amorem etiam præſtandum filio meo, quaſi μονογενεῖ, qui nullum in ſe benevoli affectus officium ſinet claudicare. Vellem te aliquando hic videremus. Etſi quid minuti negotii fuerit, hoc etiam impellat, quod viſurus apud nos es ingentem turbam MSS. etiam hactenus ineditorum. Hoc philtro te alliciendum putavi. Neque enim ignoro, quam ſis φιλόβιβλος & φιλόμουσος. Uxor & filius te plurimum ſalutant, ſalutem etiam noſtro dicito nomine, optimæ ſorori, ac egregiis fratribus: per otium quoque Illuſtri Viro Wittio Exlegato, ac cæteris quos nominis noſtri amantes imprimis ſcias.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c XLVI.

---

DCCXII.

*In quo ab ipſius filio in Notis Velleianis, diſſentiat, ſcire geſtit, & ut utriuſque ſententia, ſine tamen omni contentione, conferatur optat.*

*Illuſtris Domine,*

AN acceperis literas, quibus aliquoties obſervantiam erga te meam teſtatus ſum, neſcio; neque reſponſum efflagito, gnarus tuarum occupationum, quæ publico debentur. Sed repeto tamen nunc quoque id quod dixi officium, fretus tua æquitate, quam videor mihi abſens etiam tanquam apud præſentem perſpexiſſe. Adeo non ſum alias cupidus creandi magnorum Virorum curis moleſtiam, ut ardentiſſimos quoque affectus, quibus in venerationem eximiarum virtutum & doctrinarum feror, potius intra animum & pias voces contineam, quam more ſeculi ambitioſus ſatagam promulgare. Sed quia ſemel cœpi te per literas venerari, vel ob hoc ipſum in eo genere officii perſeverandum duco, ne parum conſtanti propoſito, quod ſemel deſtinavi, videar ſuſcepiſſe. Acceſſit nova cauſa, ex ſermone cujuſdam ſtudioſi, qui à Vobis ad nos pervectus tuo nomine me ſalutavit, adjecitque te ſcripturum fuiſſe, ſi temporis ratio tuliſſet, in cauſa filii, à quo in notis Velleianis diſſentirem. Præterea nihil explicare poterat de tua mente. Itaque me ambiguum reddidit ac pænè ſollicitum, ſi quid forte mihi excidiſſet, quod tibi diſpliceret. Sed cogitanti diligenter nihil occurrit, quod à veneratione, quæ tibi, ab æſtimio, quod filio tuo debetur, alienum eſſet. Honorifice aliquoties laudari filium, ſive potius laudes ejus ſtilo meo majores nominatim agnovi. De cætero, vix eſt ut diſſentire meminerim in re alicujus momenti: interdum ſuſtinui aſſenſum, non quod parum probarem feliciſſimas ejus emendationes, ſed quod in hoc genere ςοχαςικῇ omnimodam certitudinem vix dari crederem. Fuerit forte, ubi meam quoque ſententiam attulerim: ſed abſque omni propoſito contentionis, quod ſancte teſtor: quippe qui nihil magis ſemper ſolitus ſim exſecrari, quam altercationes literarias quæ hodie in genus quoddam tralatitii moris tranſmigrarunt. Editio Velleiana filii tui adeo certe mihi placuit, ut omiſſurus fuerim omne conſilium edendi ejus Auctoris, niſi aliam propoſiti formam, uti per ſe apparet, deſtinaſſem. Maximopere itaque rogo, ut me certiorem faciatis, ſi quid deſideratis, reperietis eandem, quam hactenus fovi, mentem, venerandis tuis meritis. Vir ſumme, & æſtimandis filiorum doctrinis, germano candore fideque deditam. Vale, incomparabilis Domine, & mihi fave.

Dat. Argent. 3. Auguſt. 1645.

*Illuſtri nomini tuo devotus,*

JOH. HEN. BOECLERUS.

---

DCCXIII.

## Carolus Ludovicus

Dei gratia, Comes Palatinus Rheni, S. Romani Imperii Archidapifer & Princeps Elector, Dux Bavariæ, &c.

*Commendat ipſi Baronis de Cherburii ſcriptum de Religione gentilium, idque perlegere velit & corrigere rogat.*

SAlutem & benevolentiam noſtram, Reverende & Doctiſſime, Nobis ſincerè dilecte. Petiit à Nobis Nobiliſſimus & generoſus, tam proſapiâ quam literis & armis clarus Baro Herbertus de Cherbury, ut librum quendam à ſe ſcriptum, de Religione Gentilium, Errorumque apud eos Cauſis, in quo multa allegat loca, ex tuo libro, de Origine & progreſſu Idololatriæ extracta, tibi commendaremus. Quâ in re ideo libentius ipſi gratificari placuit, tam quod dictus ipſius liber te aliquo modo reſpicit, quam quod omnia in eo contenta tuo judicio ſubmittit. Argumentum (prout ab illo tractandum ſuſcipitur) adeo novum eſt, ut accuratam mereatur diſquiſitionem. Te igitur valde rogamus, ut præfatum Librum diligenter perlegere, & quicquid viſum fuerit in eo corrigere, explicare aut amplificare ne graveris. In quo Nobis gratiſſimum feceris, tum etiam ipſi ſupradicto Domino Baroni, ut qui eximiam tuam doctrinam cum primis ſuſpiciat, tuoque frui favore multum deſideret. Nos igitur hoc Nobis ab amicitiâ tuâ promittentes, te bene valere, & de propenſiſſimo noſtro in te affectu te certum eſſe cupimus.

Dab. Londini 14. Aug. Anno. 1645.

*Amicus tuus benevolus,*

CAR. LUDOVICUS.

---

DCCXIV.

*Reverendo & Doctiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Prædictum librum ſuum ejus cenſuræ ſubjicit. Univerſalem Divin. providentiam in gentilibus ſtatuit.*

*Reverende, & Doctiſſime Vir,*

OPus hoc à me concinnatum, ſed ex tuo præcipuè libro, De Origine & Progreſſu Idololatriæ, deſcriptum; tibi cum primis ſubjiciendum curavi, quem facilè Authorem hujus ſeculi Coryphæum agnoverim. Sed & id quoque me permovit, quod alicubi, à te diſcrepans, an errore meo, vel tuo evenerit, haud illicò dixerim. Ut fateri tamen neceſſe ſit, homini ſenio laboranti, & calamitatibus publicis afflicto,

Digitized by Google

afflicto, plurima excidere poſſe, quæ accuratiorem normam deſiderent. Tu igitur, Vir præſtantiſſime, ubi ita viſum fuerit, corrige, emenda, explica; ſed & pro humanitate tua, adjice, auge, amplia. Quùm enim à te præſertim profectum ſit opus, tuâ intereſt etiam, ut numeris omnibus abſolutum prodeat. Providentiam quidem univerſalem, ſummum Dei attributum ſemper agnovi; cujus (obſcuris ſcilicet) veſtigiis in ipſa Gentium Religione inſiſto. Neque obſtitit, quod Eccleſiæ Patres, egregii ſcilicet Authores, ſæpe contra Gentiles invehantur. Plurima enim ficta, & falſa, & inania; ut in eorum Religione deprehendi queant, eundem tamen Deum Opt. Max. ac noſtrum, ex eadem virtute coluerunt. Præmium bonis, pœnam malis etiam poſt hanc vitam ſtatuentes. An inde verò ſalutem æternam conſequi poſſint Gentiles, viderint alii: nihil enim hic decerno; ſed eouſque ſaltem. Providentiam Divinam univerſalem, pertigiſſe contendo. Cæterùm hæc ex operis contextu peti mallem. Unà cum hiſce, literas Sereniſſimi Principis Electoris accipies; quibus ad ea, quæ à D. tuâ peto, exequenda hortatur. Tu benè quidem vale, Vir doctiſſime, & rem literariam eruditiſſimis tuis lucubrationibus promove.

Dabam ædibus meis prope Weſt-Monaſterium, 1⁄11 Auguſti, 1645.

*D. Tuæ addictiſſimus,*

HERBERT DE CHERBURY.

Librum noſtrum hic ſimul accipies, in quo vitiis amanuenſis facile, (uti ſpero) cordonabis.

---

## DCCXV.

## Claudio Salmaſio.

*Cum Podagra ſibi confictandum fuiſſe nunciat, ne tamen ſtudia planè neglexiſſe putet, ſuum de Vitiis ſermonis librum offert, quæ deinceps editurus ſit indicat, eumque ad ſe familiariter invitat.*

*Eximie Vir & Amice,*

SI multis exprimere velim quàm mihi jucundum fuerit, de valetudine tua cognoſcere, & quid in ſtudiis bono publico moliaris; faciam quiddam, non ſatis dignum veteri firmataque amicitiâ noſtrâ, quæ non ſinit, ut in hujuſmodi negotio dubitet alter, de alterius conſtantiſſimo affectu. Iſtoc igitur mittam, ac potius de rebus meis te faciam certiorem. Ac primùm quomodo mihi cum arthritide fuerit conflictandum, non illa quidem, quæ me prorſus arceret à Muſarum ſacris, ſed ejuſmodi tamen, ut domi contineret, quandoquidem turpe putarem, ſi inſtar Tardipedis Dei, claudicarem foris. Ut autem videas haud nimium in me valuiſſe Divam malignam, quam nos podagram vocamus, mitto ad te opus literarium de Vitiis ſermonis, & gloſſematis Latino-barbaris, cujus partem non exiguam, morbi tempore, partim ſcripſimus, partim ex veteribus ſchedis digeſſimus. Exiguo id loco ducent qui literas aſpernantur: non tu, vel alius, qui utilitatem cum difficultate conjunctam æſtimabitis ſuo pretio. Equidem hic quoque cum Terentiano Mauro fas ſit dicere:

*Fronte exile negotium,*
*Et dignum pueris putes:*
*Aggreſſis labor arduus,*
*Nec tractabile pondus eſt.*

Quod magis judicabis, ſi alterum quoque volumen conſequetur; ſed hoc antequam lucem videat, edere animus eſt grande opus, de omnium diſciplinarum naturâ, & conſtitutione, earumque ſcriptoribus, tum antiquis, tum (modò magnoperè mereantur) etiam novis. De Re Poëtica etiam, & Poëtis Latinis & Græcis, quinque libros habeo paratos. Ad hæc, tres Harmoniæ Evangelicæ, de Chriſti Paſſione, Morte, Sepulturâ, Reſurrectione, & Aſcenſione in Cœlum. Item opuſcula varia, quæ videbis, ubi pedem poſueris in ædibus noſtris. Hæc adfero, ut faciliùs te, ubi occaſio dabitur, in viam des. Etſi de me aliud promittere nihil habeo, niſi facilem menſam, lectulum mollem, frontem porrectum, & quod non in infima parte putandum, colloquia & ſermones quales amamus uterque, quoties bonus nos Deus conjunxit. Atque utinam, aliquod tum poſſis Typographo, ingenii, doctrinæque monumentum committere; ſive de dicatione perſtet animus, quem ſcribis, ſive aliquid melius in mentem venerit: ſcio enim nihil à te proficiſci, niſi ingenio perfectum, atque elaboratum induſtria, planèque iſtiuſmodi, quod non placiturum ſit, ſeculo non modo noſtro, ſed etiam poſteris. Quo in omine deſino, teque pariter, ac lectiſſimam uxorem (illam mihi notam virginem, notam matrem, ac ut cenſeo etiam aviam) plurimùm ſalvere jubeo.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c x l v, poſtr. Non. Sept. St. Gr.

*Tuus totus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DCCXVI.

*Incomparabili Viro, Collegæ veteri,*

## Danieli Heinſio,

## Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Volumen de Vitiis ſermonis, & gloſſematis Latino-barbaris offert.*

PRoximè edidi volumen de Vitiis ſermonis & gloſſematis Latino-barbaris. Nimirum, mihi duo propoſui, prius eſt ut pro viribus aliquid conferrem, ad barbariem profligandam; alterum ut lucis aliquid adferrem mixobarbaris illis, quæ legere eſt, apud ſuperiorum ſeculorum ſcriptores. Eunte igitur ad vos Langermanno, juvene optimo, & arcto ſanguine juncto communi amico noſtro Gronovio, occaſionem negligere nolui, mittendi exemplaris, non quia tanti putarem, ut inſpiceres, ſed quod exiſtimarem, id officii mei eſſe, nec tibi noſtra ingrata eſſe poſſe, Collegæ veteris, & tui amantiſſimi, jam ab annis propè quinquagenis. Amorem etiam tuum viciſſim perſpexi vel proximè, cum una apud Golium cœnaremus. Quem ego virum maximi facio, ut debeo; ſi meo nomine ſalutaveris, rem facies longè gratiſſimam.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c x l v, I V Idus Octob.

---

## DCCXVII.

*Clariſſimo & ſpectatiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

## Euſtachius Suartius

S. P. D.

*Cedro dignis ipſius operibus maximè afficitur. Adornat novam Curtii editionem, quâ in re ejus opem implorat.*

REligioni mihi fuit, Vir Clariſſ. ac venerande, Waesbergium noſtrum velis remiſſque ad vos evolantem poſt ſilentium diuturnum abſque meis literis conſtantis mei & religioſi in te affectus cultuſque indicibus dimittere. Quam impenſe te ſemper æſtimarem ob eminentes ingenii tui dotes & luculenta oppidò in Rempub. literariam merita, quibus

bus præclaras diſciplinas feliciter tot annorum decurſu illuſtraſti, quæque per totum eruditum orbem diffudiſti, non πρῴην ϗ χθὲς omnibus bonis palam feciſti, idque ego quoque apud alios profiteri malo, quam laudes tuas culpa ingenii mei deterere. Vel nuperrimus, ut innumeros alios ſilentio premam, fœtus tuus, εὖγε σοφῶς τε acclamantibus eruditis, nitidus exaſciatus ita ſalivam mihi movit, ut ſpem certam inde conceperim, nos propediem abſolutiſſimis tuis quoque Originum libris iri beatum, quorum ſpem jampridem nobis in operibus tuis cedrinis præluxiſti; in qua palæſtrâ incomparabilem Virum, Cl. Salmaſium, cui olim Lutetiæ innotueram, cum opus illud de Eccleſiis Urbicar. & Suburb. contra Sirmondum moliretur, feliciter quoque deſudaſſe, recondita ejus eruditio nobis fidem facit. Deus omnis boni fons & dator vobis totius eruditionis Duumviris vires animi corporiſque integras, præſtet. Ad me quod attinet, ego verò jam nunc totus nova editione Curtii adornanda in hoc otio liberali poſt tot ſpinoſos & ærumnoſos labores juventuti impenſos, diſtineor, publici juris facturus, quæ olim & nunc in cultiſſimum iſtum Auctorem mihi obſervata, in quo me non adeo indiligenter fuiſſe, operamque & oleum in eo perpoliendo non penitus perditurum, editio quamvis accuratiſſima doctiſſimi Freinshemii ſpondet, meque inflammat. Iccirco te etiam atque etiam oro quæſoque Vir Clariſſ. conatibus meis impigrè ſubvenias, comiterque impertias, quò meliorem ac terſiorem fieri Curtium poſſe autumes. Modii editionis mihi copiam facere digneris, aliarumque veterum, quas habes, ut & Gualteri Paraphraſeos Poëticæ, quæ omnia poſt collatum contextum, cui cis paucos dies manum admovere geſtio, optima fide ad te illibata remittam, deprædicaturus publico præconio tuum literas juvandi ardorem, propenſumque in me affectum. Unum ſuperat, Vir obſervande, quod reſciſcere aveo, fandone aut reapſe compertum habeas, prodiiſſe nuper Pariſiis, ut mihi ante aliquot menſes amicus quidam ſe ibi vidiſſe proſtantem adfirmavit, novam editionem Curtii cum Commentariis, niſi forte, ut didici in Commentario in Silium, Dauſqueji, qui promittere inibi videtur. Vale, Vir Clariſſime, ex animi ſententia, cum honoratiſſima conjuge, quam à nobis officioſè ſalvere jube, & doctiſſimos filios tuos, meque amare perge,

Dab. Ultrajecti, prid. Id. Oct. clↃ Iↄcxlv.

*Nominis tui celeberrimi,*

Eustathium Suartium.

## DCCXVIII.

*Viro Ampliſſimo*

# Gerardo Joanni Voſſio,

## Guntherus Henricus Plathnerus Getus,

D. Conſil. Saxon.

S. P. D.

*Illius ſcripta mirificè extollit. Sacra Chriſti Hiſtoria pertexta ſpecimen aliquod ejus judicio committit.*

Legi, Ampliſſime Voſſi, pleraſque lucubrationes tuas, quibus eruditum hoc ſeculum illuſtrare dignatus es; legi, quam, atque ex illis, magnam, & utilitatem, & voluptatem percepi. Diu enim jam factum eſt, quod ingenti tenebar deſiderio, Theologiam Gentilium, à Viro aliquo tui ſimili, ex veterum ſcriptis deductam videre. Nam quæ de Mimiſi Diabolica, Cacozelia Gentium, Theologia Philoſophica, Viri Doctiſſimi hactenus ediderunt, egregia quidem ſunt, ſed neſcio quomodo ad ſitim explendam, non ſufficiant. Tu verò magnis nos invitas poculis, & vel συνθεωρεῖν jubes; quod lubentiùs facimus, quia ex erudiſſimis tuis horreis, non tantùm,

*Bellerophontes premitur humor equi,*

ſed etiam ſuaviſſimum Philoſophiæ merum, Divino Theologiæ Nectare permiſtum, adeò ut omne mihi punctum tuliſſe videaris; qui tanta dulcia tot utilibus miſcuiſti. Elegantiſſimi porrò libelli tui, de genere, anno, & menſe Nativitatis, & Paſſionis, Salvificatoris, & D. noſtri Jeſu Chriſti, non potuerunt me non magno perfundere gaudio, tùm quod undique Voſſiana i. e. Doctiſſima quæque ſpirent; tum quod eamdem tractantem materiam, in multis confirmarint, in multis quoque juverint. Poſtquam enim Illuſtriſſimus Wilhelmus Dux Saxoniæ, me non tantùm in Conſiliariorum Aulicorum, ſed etiam Aſſeſſorum ſupremi Conſiſtorii Eccleſiaſtici, album recepit, ab officio meo non alienum fore duxi, ſi ex Philologicis; vel ad ipſam τὴν θεόπνευστον γραφὴν, vel beatorum Patrum monumenta, congeſtis obſervationibus Hiſtoriam ſacram Domini noſtri Jeſu Chriſti, horis ſubciſivis pertexerem.

Quod igitur Natatoriam qui expetunt, facere ſolent, ut antequam verticoſis ſe committant fluminibus, vada tentent; idem mihi faciendum cenſui. Exercitationem nempe de Vaticinio Jacobi, Gen. XLIX, ſub ficto Phabetrani nomine, in publicum ideo præmiſi; ut Doctorum judicia, de hoc ſcriptionis genere experirer. Etſi autem non deſint, qui Theatricum illud σοφῶς ϗ καλῶς acclamitent: Verùm quia mihi maxime verendum, ne iſti amoris affectu minus φιλαλήθως judicent, ad te Ampliſſime Voſſi, hominem quem mihi fama humaniſſimum, ſcripta eruditiſſimum demonſtrant; ignotus licet ad ignotum venio, tuoque exactiſſimo judicio ſubmitto exercitatiunculam iſtam, ex qua tanquam ex ungue de toto κυριακῶν, (hoc enim titulo Hiſtoriam illam ſacram inſignire fert animus) ſyſtemate judicare poteris; multoperè rogans, ut & audaciæ meæ ignoſcere, & vel inter ultimæ admiſſionis amicos, eum numerare ſuſtineas, qui te ob edecumatam eruditionem ſemper fert in oculis. Quod ſi porrò quid de conatibus noſtris ſentias, certiorem me reddere dignatus fueris, profectò me non tantùm tibi reddes amiciſſimum, ſed omnibus quoque meis officiis efficaciam, ut iſta eſſe verè judicare poſſis. Vale Ampliſſime Voſſi, & ut tibi, tuis, bonoque publico diu valeas, cura.

Vimar. x Kal. Nov. An. clↃ Iↄcxlv.

Voſſio *addictiſſimus,*

G. Plathnerus.

## DCCXIX.

*Viro ſumma eruditionis, Clariſſimoque,*

# Gerardo Joanni Voſſio,

S. P.

*Quaſdam theſes ab ipſo accuratè vult trutinatas: Calixtus à quibuſdam arroditur.*

Nullus dubito, Vir maxime, rectè tibi tradita quæ fratris mei curæ commiſeram, de Germanicorum corporum habitu, ſimulque Programmata quædam Academica. Erat tum conſilium propediem, literis te adire, non tamen niſi edito majoris non nihil molis libello. Verùm illa ſpes decollavit, quam de edendo opere conceperam, præ multitudine negotiorum, quæ mihi partim ars mea, partim Magiſtratus pepererunt inſperato. Ne itaque nimis ſilentio peccem, viſum fuit ſaltem has chartas tranſmittere, donec cætera lucem videant. Inter hæc, quas adoleſcens Nobilis Theſes heic propoſuit diſputandas, ex Scholæ more, cum primis optarim, abs te ſevero judicio expendi: ac quidem ipſius mei cauſâ; utpote qui urgeor hoc argumentum in illam

illam quæ propoſita eſt ſententiam latiùs diductam publicare; quod tamen ego haud auſim, niſi benigna doctiorum cenſura invitet. Programmata à memet ipſo ſunt profecta, leviora tamen, neque niſi ad adoleſcentum fortaſſis captum; ut etiam hæc cum aliis meis ſacris, in unum Opuſculum haud competant jungi. Ipſe tu quid ſuadeas, Vir maxime, utinam liceat intelligere! Etenim tua mihi ſententia pro plurimis eſt. Librum meum de ſanguinis generatione, ac motu naturali, altera editione apud vos, recoctum dabit frater, qui ſi haud diſplicuent, gaudebo. Calixtus noſter navata tam præclara Eccleſiæ opera, id impetravit, ut qui hactenus fuit Semi-Papiſta, nunc Semi-Calviniſta audiat Zelotarum Ordini. Quam virulenter illum ſit inſectatus Jeſuita Erbermannus in Irenico, quod vocat Catholicum, fortè jam vidiſti; ejuſdem novas διατριβὰς, indubiè dabunt nobis Nundinæ Francofurtenſes. Omnibus illis voculis generoſum contemptum, innocentia fretus, Calixtus opponit. Erbermanno tamen fortè aliquid regeret. Vide quam ſit miſera conditio eorum, qui tranquillandæ Eccleſiæ dant operam. Quam veremur, ne etiam te, ab ejus argumenti ſcriptis, abſterreant mores hi ſeculi noſtri, pati omnium animorum immoderatione infeſti? & tamen heic quidem, iſtis tuis nihil eſt deſideratius. Neque enim facilè expreſſerim, quanti etiam in hac doctrinæ parte faciant te, cùm alii, tum Calixtus, & Hornejus noſtrates. Uterque illorum, juxta mecum te, ſumme Virorum, ſalvere, atque valere jubet plurimum.

*Tuæ doctrinæ cultor,*

HERMAN. CONRINGIUS.

## DCCXX.

*Clariſſimo eruditiſſimoque Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio.

*Ejus fama prædicat magnitudinem. Suorum ſtudiorum mutationem indicat, & exemplar Hiſtoriæ Pelagianæ ab illo petit.*

HÆc eſt ſemperque fuit magnorum Virorum ſors, & calamitas, ut etiam ſi maximè velint, talem nec poſſint latere, nec immunitatem conſequi, ab officioſis venerantium moleſtiis. Fœlices ter & ampliùs, inquis, quos irrupta tenet cum Muſis ſuis copula; nec ulla divellunt è tam jucundis amplexibus ingrata clientum conſortia. Cuperes, proculdubio, cuperes, ſi fata ſinerent, circumvolitantes umbras, leveſque populos diſpellere, & quàm ardenti ſtudio optares, perpetua tranquillitate, nulliſque violanda interpellationibus inacceſſus perfrui, credo equidem, eruditiſſime Voſſi,

*—— —— Sed te decor iſte quod optas*
*Eſſe vetat, votoque tuo, tua forma repugnat.*

En igitur ego inter tot procos, novus tuarum virtutum, inexhauſtæque eruditionis cultor accedo, tam tibi nunc ignotus, quàm tu univerſo Orbi literario notiſſimus; nunc inquam, Vir Clariſſime, quondam enim per biennium, auditor tuus, dum in Academia Lugdunenſi, Sulpitii Severi ſacram hiſtoriam enarrares, à te dilectus, & ſuavi colloquio ſæpiſſimè honoratus fui. Ab eo tempore in Galliam noſtram redux, totum me foro dedi, donec valetudini, & indoli meæ indulgens, juſſi Stichum, Mævium, & Sempronium res ſuas ſibi habere, & me in Ciceronis, Senecæ, Virgilii, Scaligeri, & Voſſii dulciſſimos ac nimis abditos ſinus recepi. Ita eſt certè abhinc aliquot annis ſingula tua ſcripta & miror, & verſo nocturnâ diurnâque manu; & dum recentiſſimè hæreo Poëticis tuis Inſtitutionibus, repentè quaſi in bicipiti ſomniaſſem Parnaſſo, Poëta fio, effluuntque nobis hi otii noſtri, Præceptorumque tuorum informes fœtus, pro quibus, ſi quod ſupereſſet in Muſæo tuo exemplar Hiſtoriæ Pelagianæ, illud omnibus votis efflagitarem, non tam meo, quàm Bocharti noſtri, quàm multorum Doctorum nomine: Sic eruditiſſime Voſſi, viliſſimo rete, aureum tripodem piſcarer, & crepundia, Orbiſque noſtri quiſquilias, Eois mercibus commutarem. Sed, ô pudor, quàm te violo, & tua jura reſolvo! Inductus nihil unquam de te meritus, vix notus, graviſſima tua ſtudia ſumme importunis epiſtolis interrumpo, delicatiſque auribus obſtrepo rauco cantu, nec veniam, quam ſolam tamen vix ſperare debueram, ſed præmia poſco. Ignoſce tam effræni audaciæ, quam nobis fecit, & olim perſpecta ſingularis tua humanitas, & incuria, aut egeſtas, quotquot ſunt Librariorum, non dicam, in hac noſtra Cadomenſi Academia, ſed & Rothomagi, & Lutetiis; omnium quippe ſummâ cum curâ excuſſæ ſunt officinæ, nec in ulla repertus aureus iſte liber tuus, quem ſi ſupplicitèr petentibus conceſſeris, habebis tunc pro tanto munere debendi reum, tibique devinctiſſimum me, qui jam propter incomparabilem tuam doctrinam ſum & ero in æternum

Cadomi, 18 Kal. Dec. 1645.

*Tui obſervantiſſimus,*

D. BRIEUX.

Si quid dignaberis ad nos vel mittere, vel ſcribere, illud ſi placet, fidei & curæ, committes Domini Adriani Fyk Delfis nunc degentis, in ſuprema Mediomatricum Curia quondam Senatoris.

## DCCXXI.

*Viro Clariſſimo,*

## Joanni Brunæo.

*Negotium filii Matthæi urget. Nempe ut Zelandiæ proceres Hiſtoriographo ſuo annuum aſſignent ſtipendium, exemplo Hollandiæ, quæ jam prævivſſet.*

*Ampliſſime Vir, cognate cariſſime,*

LUculentam mihi ſpem fecerat filius Matthæus, ſuperiori te Majo, ac conjugem pariter affore nobis. Sed licet vix aliud æquè in votis eſſet, video tamen non ſic res tuas tuliſſe. Multa erant, de quibus alloqui decreram: quorum alia ad fratris tui filium pertinerent, alia etiam ad communia ſtudia noſtra; quiddam etiam quod me quoque tangit, quia tangit filium. Jam hoc cùm dico, ſatis intelligis, maximoperè me optare, ut Zelandiæ Illuſtriſſimi Proceres deſiderium noſtrum expleant de eo, quod nunquam ipſiſè adeo proceſſurum putabamus: Nempe ut Hiſtoriographo ſuo annuum aſſignent ſtipendium; exemplo Hollandiæ, quæ ubi præiviſſet, non ſe huic rei defore pollicebantur: nec ignoro quis moram injecerit juſtiſſimæ petitioni noſtræ; ſed poſtquam ille vita exceſſit, ſpero facilius hoc fore negotium; præſertim ubi ſemel ſacra ſua commovere voluerit Brunæus, vir, & amicus ſummus: quem utinam tam literis ad iſtoc poſſem accendere, quàm me poſſe confidam, ſi vel ad horas paucas colloqui daretur. Nullius equidem commodis obſiſto; ſed non iniquum arbitror, ut ejus potius ratio habeatur, qui mentem non in varias diviſit curas, ſed tot jam annos in eo totus eſt, poſteris ut prodat Geſta inclytarum Gentium, Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæ.

*Paulum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus.*

Quid majores à ſuis nepotibus magis requirunt, quam ut ne virtus ſua ignoretur? quid dignius ſe nepotes egerint, quam ut præclarè de eo mereantur, qui deſiderium illud majorum expleat? Vellem inclytis ac laudatiſſimis Proceribus veſtris, ob oculos ponere poſſem, quam nulli labori, imo nec impenſæ parcat filius, ut veritatem, in profundo

 Demo-

Democriti puteo latitantem producere in apricum poſſit: Nempe totum ſe huic uni curæ mancipavit. Quid in alio quoque ſimile? Scio te iſta non diffiteri. Solum optò, ut quibus commiſit Deus rei patriæ curam, hoc negotium, non infra cogitationes ſuas putent. Ac non confido defore Nobiliſſimum Cnutium, qui affectum mihi ſuum in hac re coram declaravit. Multum illi, & cunctis, quibus hoc negotium cordi erit, debebimus, ſi gratias agere illis liceat, pro eo quod nunc expetimus. Ego, conjux, filiæ, & tuam, & tuos plurima ſalute impertimus.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xlv. xv. Kal. Dec.

*Tuus æternum,*

G. J. Vossius.

## DCCXXII.

### Joanni Brunæo, J. C.

*Viro Clariſſ.*

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P.

*Matthæum filium denuò commendat, & ut Zelandiæ Ordinibus in Hiſtoriographum quàm commendatiſſimum reddere ſtudeat, vehementer cupit.*

GAudeo, Ampliſſime Vir, chariſſime cognate, quod tam te videam memorem mei, & meorum. Prout auctor fuiſti, libellum mitto Illuſtribus DD. Zelandiæ Ordinibus offerendum. In quo tantùm abeſt, ut mihi videar peccare, ut potius exiſtimem me non publici minus habere rationem, quam familiæ meæ. Nam ſi hac parte Proceres aliis nolint terris cedere, quæ res majorum à pluribus ſæculis, poſteris tradiderunt; nunc rectè de publico mereor, ſi offeram eum, qui ſpartam eam non minus ornare velit quam poſſit: Imo non minus poſſit, quam illuſtres ipſi Proceres velint. Tot jam annos non dico, ſed luſtra, Hiſtoriæ Belgicæ, Fœderatæ maximè, cura ac cogitatio diſtinuit domum noſtram, ut nemo in ea non potuerit aliquid videre ſupra vulgus. Nunc hic unus ſupereſt, qui ut de ejus ingenio, doctrinaque, nihil nunc dicam (putidius hoc forſan videretur) at ſaltem non leve videri debet, quod tot annos non minima fuerit pars ſermonum, quos de antiquis Fœderatæ, imo univerſæ Belgicæ rebus, pæne aſſiduè internos, in domo, ut arbitror, non prorſus illiterata, commutavimus. Accedit quod iſtiuſmodi ad hoc negotium Bibliotheca ſit inſtructus, ut neſciam ecquis alius præferri debeat. Nec de excuſis id ſolùm libris dixero (quanquam, & hoc non leve putandum) ſed maximè MSS. quos neſcio numquis plures de Hiſtoria Belgica ineditos habeat, vel etiam compluribus annis comparare ſibi poſſit. Quid dicam de filii ἐ μνημείοις obſervationibus multis, quas in ſchedis aſſervamus. Non ego præter morem meum iſta ſcriberem tam prolixè, niſi putarem, id nunc à me exigi, ſi non publici minus quam domeſtici boni amans ſim. Tu modo curam hanc ſuſcipe, ut Illuſtriſſimis Proceribus Zelandiæ veſtræ, pro affectu erga me & meos, & cum his etiam tibi agere gratias poſſim. De Nobiliſſimo Cnutio omnia mihi ſpondeo, & Procerum aliis, quos in cauſa filii Matthæi me Hagæ memini convenire. Ita mihi ſereno vultu affectum ſuum teſtari viſi ſunt. Nec culpa fuit noſtra, ſi qua velut canina ſcæva obturbarit, qui ſtudium hoc non aliter quam canis Nilum deguſtarat. Cui tamen in cæteris laudibus nihil detractum velim. Non hoc vel moribus, vel ætati conveniat meæ. Quid ego pluribus te nunc diſtineam, Ampliſſime Cognate? Ea es prudentia, ut per te videas, quid nunc factu ſit opus: ea autem benevolentia atque amore, ut omnia noſtri cauſa velis. Quod ſi quid præterea à me fieri poſſe putes, tribus verbis perſcribas: ſed imprimis tempus illud expectabo, ingenti cum deſiderio, quo te conjugem, & quos liberorum unà adducere viſum erit, coram amplecti licebit. Plurimam omnibus vobis adſcribi ſalutem uxor juſſit; ſed & Cognato Brunæo, ſi adhuc hoſpes fuerit patrui ſui.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xlvi.

## DCCXXIII.

### Winando Rutgerſio,

S. Th. Doctori.

*Dolet, quòd opera ſua non potuerit eſſe utilis, in conquirendis quos poſtulaverat libris, ſcriptum tamen Petri Tyrei, de apparitionibus Spirituum, ſi deſideret, amice offert.*

*Clariſſime atque amiciſſime Domine Doctor,*

VAlere te & tuos gaudeo. Valeo & ipſe mediocriter, melius valiturus, niſi male valeret conjux. Exiſtimet aliquis me ad tam diuturnum malum paulatim obdureſcere. Et foret fortaſſe, niſi pariter, & animi, & corporis dolore diſcruciaretur; ut ferreus ſim futurus, niſi dolore ejus doleam. Interim quantum poſſim, dolorem tempero, tum ſapientiæ præceptis, tum etiam ſtudiorum amœnitate; quæ non ſinit ut quidquam remittam de laboribus antiquis: imo nugis animum remittere, etiam innoxiis, prope idem videtur, ac animum amittere. Admodum mihi eſt ægre, quod non potuerit vel mea, vel filii opera tibi eſſe utilis, in conquirendis libris de quibus ſcribis. Studiosè luſtratæ ſunt tabernæ librariæ, conſultique quos oportuit; ſed incaſſum ſudavimus. Negant eos amplius apud Bibliopolas, vel Typographos reperiri. Deſidero ſcire an habeas Petrum Tyreum Societatis Jeſu Theologum, & Profeſſorem Herbipolenſem; cujus duo extant libri; unus de apparitionibus omnis generis Spirituum Dei, Angelorum, Dæmonum, & animarum humanarum; cum appendicibus, de Spirituum imaginibus, ac cultu, ac Purgatorii veritate. Alter verò liber qui eſt quadripartitus, tractat de Dei in V. T. Apparitionibus & Locutionibus; tam externis, quam internis, Coloniæ à Cholino eſt excuſus Anno cIↄ Iↄ c. folio in quaternam plicato: paginis conſtat quaſi quingentis. Si eo deſtituaris, & videre deſideres non patiar, ut quicquam hac parte requiras. Si quando excurres, cujus toties jam ſpem feciſti, ſedulo uterque luſtrabimus, ecquid vel mea, vel filii Bibliotheca habeat, quod doctiſſimis laboribus tuis utile eſſe poſſit. Salutant te & conjugem uxor & filius.

Amſtelodami, cIↄ Iↄ c xlvi.

*Tuus ut ſcis ſine fuco more majorum,*

G. J. Vossius.

## DCCXXIV.

*Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Ab ipſo comprobatum librum ſuum publicè daturus eſt. Ejus colloquium deſiderat.*

*Præſtantiſſime, colendiſſimeque Domine,*

LIteras tuas, quas mihi curavit Excellentiſſimus Veſter Orator, accepi. Ex quibus intelligo, te perlegiſſe lucubra-

lucubrationes meas, de Gent. Religione, Errorumque apud eos cauſis; neque diſplicuiſſe tibi, vel Opus, vel ſcriptionis genus. Tuum judicium tamen circa ea, quæ inter nos controvertuntur, deſidero. Eoque magis quod tumultuaria opera, (mediis bellorum inteſtinorum cladibus) apud Caſtrum meum de Montgomery (ubi per biennium commorabar) ſcribenti, in errores dilabi proclive fuit. Sed & errare tecum minus probroſum eſſet aliquando, quàm rectè cum aliis ſentire. Is enim es, Vir Magne, ut Authoritatem tibi ipſi, etiam in argumento quovis conciliare poſſis. Sicubi tamen aliquid a me rectè animadverſum eſſe arbitreris, id pro ingenuitate tua ſignifica, quò ita reliqua omnia expungam, quæ in te redundent, prodeatque tandem in lucem meus qualiſcunque Liber. A te porrò, Vir Optime, ſcire vellem, pretium quod Typographus, pro impreſſione libri exigat, ut nummos ita pro valore tibi tranſmittam. Cum enim haud ab aliis, quàm idoneis Lectoribus evolvi vellem librum, eum ſumptibus meis excudam. Utinam mihi per valetudinem, & negotia, liceret vere proximo, Bataviam tuam inviſere, ut dulciſſimo alloquio tuo fruerer; & circa dubia, quæ occurrunt, ſententiam tuam expoſcerem! Multa quidem in hoc argumento, expleri vellem, cùm fieri nequeat, quin ut plurima deſint, quæ ad rem totam illuſtrandam faciant. Sed ea præſertim quæ circa quinque Articulos noſtros Cathol. proferri poſſint equidem expiationum genera varia, quæ in remedia criminum, excogitabant, ſive vafri, ſive inepti ſacerdotes, à nullo adhuc ſatis tractata eſſe, pro dignitate argumenti puto. Circa hæc omnia igitur, reſponſum tuum cum bona venia expecto. Benè vale, magnum literatum Decus, & Ornamentum, meque ſi placet, ama.

Dabam ædibus meis Weſtm. Jan. 15/25.

*Tuus æternum,*

HERBERT.

Quod operam tuam, mihi commodare, in libro meo excudendo, polliceris, gratias quàm maximas tibi ago. Sereniſſimus Princeps Electoralis, mihi monſtravit literas tuas, quibus me ſummo honore cumulas; quo nomine me tibi devinctum eſſe ſcias.

## DCCXXV.

*Nobiliſſ. Baroni*

## Herbert.

*Præclarum ejus opus apud typographos quæ morentur, indicat. Promittit etiam ſemel iterumque, reſcripturum ſe, quid cenſeat de illis, ubi ipſi aliud videatur in eodem opere. Neminem autem mortalium ſe minus moveri ob diſſenſum alienum, fatetur.*

*Illuſtriſſime D. Baro,*

SEro reſcribo ob mortes meorum; unius natu maximi filiorum Franciſci, in Curia Hollandiæ & Zelandiæ Advocati; Alterius natu proximi, Matthæi, Illuſtrium earumdem Provinciarum Hiſtoriographi, & Amſtelodamenſis Reip. Bibliothecarii: cujus fortaſſe Annalium libros XV. videris. Itaque nunc Liberorum mihi nihil, præter Iſaacum, qui paucos ante menſes, Ignatium genuinum edendo, benè bonis de Eccleſia meritus videtur. Quippe antea nonniſi Latinè exſtabat, idque Reverendiſſimi Armachani Antiſtitis beneficio. De præclaro opere tuo, ſæpius cum Typographo ſum collocutus; tardiùs autem reſponſum accepi: in cauſa erat, quod nunc in edendis libris, ſint difficiliores, propter motus Britannicos, & Germanicos. Iſtis enim terris immane quantum hinc librorum diſtrahi ſolet. Nunc aliter eſt ob cauſam quam referebam. Quæſivi tamen quantum exigerent, tuis ſi ſumptibus prodiret. Blauwius qui mea excudere, nec ſemper tamen ſolet, paratum ſe poſt ſex menſes prælo committere, idque impenſis ſuis, dummodo ipſe centena exemplaria emas, & pro quoque ſeſquiflorenum Hollandicum, ſive XXX. ſtuferos noſtrates, perſolvas. Sed editurus aiebat forma ac Typis quibus opus meum, de Theologia Pagana, & Philoſophia Chriſtiana, lucem videt. Ambigebat quid diceret, ſi Typis tam grandibus excuderetur, ac tua illa præclara de Veritate, ac Errorum cauſis. Uſque adeo nunc prælum ejus diſtinetur multis, ac ante id, quod dixi, tempus, ordiri Editionem non poſſit. Interea temporis, & à te reſponſum expectabo, & ipſe ſemel, iterum, ac tertiò, fortaſſe perſcribam, quid cenſeam de iis, ubi aliud tibi videtur. Nunc ſolum ſignifico, ita me animatum eſſe, ut non arbitrer aliquem mortalium minus moveri ob diſſenſum alienum. Perplacet, quod mihi, & aliis ſæpius referebat ſocer, ſummus Vir Franciſcus Junius: Sic ego, ſic ille; eruditi viri diſpiciant, quid melius ego, quid rectius perſpexerit alius. Imprimis hoc propter Druſium dicebat, ſubinde aliquid affectui indulgentem, virum interim Hebræis literis pereruditum, & aliquid obſervantem, alteri inviſum. Nempe aliquid ſinguli videmus; nemo omnia: ſed quidquid ſinguli valemus, in publicum proferamus, ut penes poſteros judicium ſit, quibus eo facilior erit delectus, quò candidiùs quiſque expoſuerimus, quid nobis videatur. Sæpe veritas e Democriti puteo difficulter educitur; ut multorum manibus, atque opera opus ſit. Interea quia ſic poſcis, non defugiam laborem perſcribendi minutatim de nonnullis, ubi diſſentire videamur. Et quia longioris ea res operæ ſit, ſi non unis, pluribus id literis faciam. Noli enim uſpiam, ab tam illuſtri viro, ejus ingenii ac doctrinæ, quicquam à me deſiderari. Sic planius erit, ubi mihi perſtet animus, ubi aliquid à te commodius dictum putem, ubi ſtatuam facilè per ſe conciliari, quæ pugnare videantur. Et tibi quoque hoc opere inedito, & mihi parte commendationum alterâ, corrigendi aliquid occaſio dabitur. Si hic excudi velis, & id neutiquam poſſit fieri, ante menſes ſex: ſalvis ac ſoſpitibus nobis, abunde temporis erit, de variis diſſerendi per literas, quia coram non licet. Utinam vero brevi aliquid cognoſcerem de Alcyoniis Britannicis. Deus Opt. Max. diutiſſime Te ſalvum ac ſoſpitem, Illuſtriſſime Domine, conſervet.

Amſtelodami, CIↃ IↃ CXLVI. Poſtr. Id. Jun.

*Illuſtriſſimæ dignitatis tuæ cultor æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCXXVI.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Apud Amſt. Profeſſori celeberrimo,

S. P.

*De incolumitate illius lætus hortatur, ut in inſtituto ſcribendi pergat, omnia felicia ipſi porrò comprecatus.*

*Clariſſime Vir, fautor mihi plurimum colende,*

CUm tuæ ſubmitterentur mihi nuper Dantiſcæ literæ, eædemque & vitæ mihi tuæ, & affectus erga me amici, exiſterent teſtes deſideratiſſimæ: auſim dicere, vix olim (ſi Plutarchus vera narrat) majus gaudium Alexandro Magno accidiſſe, ex nuntio, quod redivivus factus eſſet Homerus; ac mihi tui cauſâ ſubmœſto tum accidit ex eo, quod ſupereſſe te, mihique haud leviter etiam favere intelligerem. Nam ita me propridem amicorum quorumdam literæ occupârant, ut Voſſium inter mortales eſſe deſiiſſe, per-

perſuaſus eſſem. Igitur ubi ſic ex adverſo, & manus, & mens tua mihi comparuit, ſuperſtitis, atque optimè precantis; quid potui potius, vel debui etiam, quam exultare, atque in futurum quoque benè tibi viciſſim apprecari. Ac Magno quidem Alexandro illi, gaudium, quod dixi, exſtitit, ob gloriæ privatæ ſpem, vanam illam, & inanem. Mihi dum Voſſium ſupereſſe video, ſpes adfirmatur publici boni, reique communis literariæ: quam ſi quiſquam graviter gnaviterque promotum ivit, ipſe certe hoc præſtitit, idemque proponi locupletiſſimè eſt præſtiturus; dum vita eum dignetur Deus. Minimè me de exſpectatione hac dubitare ſinunt, quæ præfaris, in graviſſimis diatribis illis de tribus Symbolis, & Chriſti genealogia. Quarum nomine, & gratias ago multò maximas, & ut ſarcinulas [quod minitaris] colligere amplius pergas, publicoque exponere nihil differas, opto. Hoſtimenti loca an eſſe ex me poſſit, quod nuper de Pauli......... expromſi, equidem ambigo. Interim quod voluntatis eſt propenſæ, teſtari ita volui; cùm præſertim & Ornatiſſimus........ Et literæ tuæ mihi affatim atteſtentur nec ἀντιλογήματα iſtiuſmodi mea diſplicere tibi. Quod ſi quid de Pauli iſto loco ſuccurrit, quod ſubmoneas, de exquiſitiſſimis obſervationibus tuis, gratiſſimum profectò accidet. Cum tempore ſequentur alia forte, quæ affecta apud me hactenus latitant aliqua, neſcio, an à Commentatoribus, ac prorſus etiam quædam antehac prætérita. Quod vale dicturiens requiris, ut amemus nos mutui, ego cum cultu etiam nominis tui perpetui memor obſervabo; tanto etiam ad nomen numero ſexagenario ipſe accedens, quantò tu, cùm Dei beneficio nunc excedis. Compleat in te verò, Vir maxime, Deus Opt. Max. atque ſuperexaugeat etiam, quod vitæ mortalis ſummum eſſe dicitur; neque id ſinat in te obtinere locum, quod animum auferat. Quæ niſi vim nimiam, vel corporis etiam reſpectu, mihi pridem intuliſſet, ſanè vel coram te etiam, Vir faventiſſimè, venerarer; Patronis præſertim magnis quibuſdam in Belgium veſtrum me invitantibus. Sed ſi in terris viſuri unquam nos non ſumus, conjunget nos certè cœlum in beata viſione, ad quam per labores, ſudores, vigiliaſque noſtras hinc enitimur, reddituri Deo, otii, negotiique noſtri rationem, atque iſthic demùm deſituri γινώσκειν ἐκ μέρους, ἢ ὡς ἐν αἰνίγματι. B.V.

Liſſæ Polonorum,
An. MDCXLVI,
x Kal. Febr.

*Celeberr. nominis tui cultor perpetuus,*

GEORG. VECHNERUS.

---

DCCXXVII.

*Clariſſimo Viro,*

## D. Gerhardo Joanni Voſſio,

Profeſſori Hiſtorico.

*Carmina quædam in obitum Grotii compoſita mittit. Hujus Viri illuſtre encomium.*

*Clariſſime Domine,*

INcidi hîc fortean in Carmina quædam non omnino invenuſta, compoſita ab Anglo generoſo in Beat. Mem. Clariſſimum virum D. Hugonem Grotium: & licèt ferè idem ſonant, Iliada poſt Homerum, & Epitaphia poſt Barlæum veſtrum, velle conſcribere: duxi tamen me operæ pretium facturum, ſi ea qualiacunque tandem ſint, velim exſcribere, & amicis Dom. Grotii Viri nunquam ſatis laudati, vel mittere, vel oſtendere. Non quod ſit mihi in animo Poëtaſtrum hunc cum D. Barlæo velle committere; abſit! Sed tantùm ut D. V. & alii apud Belgas doctiſſimi Viri intelligant, Gentem noſtram univerſam (quæ modo callet literas) cujus mentem hæc Carmina ſatis, opinor, exprimunt, cum reliqua literatorum per orbem caterva, quaſi pacto, & fœdere inito, amicè conſpirare, in hoc ſcilicet, quod extra aleam dubitationis apud poſteros habebitur; nempe Dom. Hug. Grotium illuſtriſſimum fuiſſe, Heroa; uſque ad ſtuporem ferè & miraculum doctum, ſimul & ſapientem, omni laude majorem, univerſa tam divinarum, quàm humanarum omnium literarum ſupellectile cumulatiſſimè inſtructum. Non opus eſt pluribus, imo nec omnino iſtis, præſertim in literis ad D. V. conſcriptis. Gratias habeo D. V. ob officia, & beneficia mihi immeritò in ædibus veſtris collata, cùm nuper veteris amicitiæ recolendæ gratiâ, D. V. inviſerem Amſtelodami.

Deum Opt. Max. quæſo, quod quotidiè facis, obnixiſſimè ſupplex obteſtari non deſinas; ut pacem, & pietatem, ab Eccleſia, & Regno (olim florentiſſimis) apud Anglos, jam ferè exules factas, tandem aliquando utrique in integrum reſtituere, propitius dignetur: in hiſce piis votis, multos habet D. V. Collegas comprecantes, & inter eos, ſervulum D. V. omni obſequio obſtrictum

Bruxellis in ædibus Domini Henrici Devie, Angli Legati, Febr. 2. in feſto Purificationis. 1646.

E. DUNCOMIUM.

---

DCCXXVIII.

## Claudio Salmaſio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Kyperi rem equidem curæ ſibi eſſe affirmat, ſed certi adhuc nihil poſſe promittere; nulli tamen occaſioni ſe defuturum.*

*Vir Nobiliſſime,*

TArde reſcribo, nec aliter potui ob graviſſimum ampliſſimi Schapii morbum. De eo prope fuit conclamatum: hactenus tamen convaluit, ut pedem poſuerit in curia, cum maxime ejus præſentia opus foret, quia de novo creando Magiſtratu, agendum eſſet. Nec tamen ea firmitas corporis, ut novo Academiæ Magnifico Rectore deſignato Leidam ſe conferre fuerit auſus. Facile in recidivam incidiſſet, cui infirmitatis adeo viribus, non æque par fuiſſet ac ante. Nudiuſquartus demum compellandi poteſtas facta. Deque Præſtantiſſimo Kypero, gratus ei ſermo noſter fuit. Jam antea de hoc locutus ſum, cum Conſularium duobus, vel tribus, ſed negabant ſibi conſtare de eo, quod putabam. Refricavi eis memoriam eorum, quæ ſemel iterumque acta eſſent, de advocando Medico & Botanico. Nec abnuere illi utiliter de eo poſſe cogitari; ſed putabant quidam eſſe, quod hoc tempore prævertere oporteat. Et hoc quale foret retulerunt. Quamquam ſatis id per me intelligerem. Pertinet autem ad Juriſconſulti profeſſionem. Ac ſimilia dicere Ampliſſimus Schapius, ſed prolixè quædam addebat, de affectu ſuo erga Ornatiſſimum Kyperum. Satis vidi, non per eum ſtaturum, quo minus, vel Leidæ, vel apud nos ejus ratio habeatur. Putavi mei muneris eſſe, ut tam bene affecti amorem, magis etiam accenderem. Itaque multa retuli, de eruditione, quam ex Commentationibus illius perſpexiſſem: Etiam in Chymia, quam ego ſcientiam, ſed ſic, ut Antiquis etiam ſuus conſtet honos, magni ſemper feci. Sed enim Conſul Schapius ea reſpondit, unde cognoſcerem ſe non eſſe hujus ignarum. Ac benignè adeo dimiſit, ut facile viderem, ſi per alios non ſteterit, plurimum in eo reponi fiducia poſſe. Equidem certi nihil habeo promittere, eo minus, quia hoc habent ferè urbis noſtræ Proceres ut diverſa eorum ſint ſtudia ac putent præterea nihil maturandum, an feſtinandum

dicam?

dicam? Propè quaſi ex Lentulorum eſſent familia, quales etiam Auſtriacos magis quam Heroas Gallos eſſe ferunt. De me interim ita habe, me nulli defore occaſioni, quin eam arripiam, ut ſi poſſim, perficiam quod velles. Atque id quidem Clariſſimi Kyperi cauſa, quem jure æſtimo, tum in tuæ ſpem gratiæ, cujus ergo, nihil non velle debeo. De rebus meis poteram fortaſſe aliqua addere, quamquam minuta, ut omnia ſunt mea; ſed cultore tui nominis ac penè dixerim numinis, Iſaaco filio, Leidam eunte, malui ex ipſo omnia à te cognoſci.

Amſtelodami, CIↃ IↃ C XLIV.
v. Id. Febr.

## DCCXXIX.

*Inclytam ejus famam in Anglia refert. Ibidem ejuſdem opus contra errores Anabaptiſticos valdè deſideratur & expetitur.*

*Vir Clariſſime,*

ETſi pro veteri neceſſitudine atque amicitia quæ tibi olim cum parente utroque interceſſit non exigua & quam jure quaſi hæreditario ad me aliquatenus devolutam jactare ſoleo, nihil optatius mihi accidere poſſet quàm ſi de re aliqua Theologica, Hiſtorica aut Philologica ſententiam tuam interdum exquirerem, attamen tibi penitus literis involuto negotiorumque mole diſtrictiſſimo, ne dicam obruto, novam ſubinde te interpellando moleſtiam creare hactenus mihi fuit religio. Nihilominus ut id quod ante cavi ſedulo, nunc tandem committere audeam fecit doctorum virorum, quos mihi in Anglia amicos paravi poſtulatio, cui ut morem gererem, æquum fuit. Neſcis, Vir eruditiſſime, quàm te Regni iſtius viri literati, & imprimis illi qui in eruditorum choro funem ducunt, uti in ipſis Muſarum Gratiarumque manibus doctum & eductum, omnigenæque antiquitatis promum-condum venerentur ac ſuſpiciant. Eorum complures (inter quos nunc D. Rob. Baylius Deputatus Scoticus imprimis mihi nominandus) rogant te & obſecrant oppidò quam obnixè, ut opus illud tuum adverſus errores Anabaptiſticos (quod affectum habes, quodque oculis obiter luſtrare cum te Amſtelodami officioſè ſalutaret, ſibi datum fuiſſe D. Baylius amicis denarravit) quam fieri poterit ocyſſimè in lucem edere digneris. Si vero ad omnia perpolienda non ſuppetat otium, illam partem quæ de Pædobaptiſmo tractat publico uti non invideas. Exiſtimant enim, nec abs re hac rerum tempeſtate perquam neceſſarium eſſe ut id ſcriptum Anglorum manibus teratur, utpote apud quos errores iſti Anabaptiſtici (ut alios penè innumeros prætercam) Eccleſiæ faciem miſerè deturparunt. Dabis ergo hoc, uti ſpero, virorum pietate & doctrina conſpicuorum juſtis precibus, dabis Eccleſiæ regnoque Anglicano, dabis veritati utroque quaſi cornu nunc inibi laboranti. Ego verò, Vir doctiſſime, per quem vota ſua ad te deferri voluerunt, meum quoque ipſorum votis votum adjungo, Deumque oro ut otium ac valetudinem tibi largiatur ad ea perficienda quibus de omnibus Chriſti Eccleſiis bene mereri poteris. Vale cum uxore lectiſſima totaque familia, quibus plurimam ſalutem impertit

*C. T. deditiſſimus,*

Dord. 22. Feb.
1646.

JACOBUS LYDIUS.

## DCCXXX.

Salutem plurimam.

*Buxtorfianarum Diſſertationum meminit. Locus quidam Voſſii intricatus videtur, & interpretis indigus; poſt ſuas igitur adductas rationes ejus judicium ſuper hac re plenius expectat.*

SEmel atque iterum tuis, Clariſſime Voſſi, reſcripſi. Anno ſuperiore, hâc ipſa anni tempeſtate, noſtris vid. Francofurtum deſcendentibus, per ornatiſſimos duos ſtudioſos Tigurinos, (Lavaterum alterum) Diſſertationes VII. vel VIII. Cl. D D. Buxtorfi noſtri, miſi; quarum unam atque alteram D. Capello placuit arrodere. Nempe, prævidit is, Revelationibus ſuis arcani punctationis ambos quod aiunt oculos, effoſſum iri, ſic ſi pergat noſter ille. Verum, ex vindiciis, quas modoque mitto, judicium, Cl. Vir facies, quibus præſidiis uterque ad ſuum opus acceſſerit. Si, quod ſperare jubet, cum bono Deo, de Punctorum origine proceſſerit; curabo mature tibi quoque perferatur. Puto enim non ingratum accidere (etiamſi diu nullis reſponſis ejus abs te factus ſim certior) ſi ſic gratam, tuæ in me olim exercitæ humanitatis memoriam, integram meo animo perſtare, utcunque conteſter. Quando enim de meo id facere adhuc dum nequeo, ſpero, quod in noſtra ſaltem terra obnatum fuerit, ſi mea ad te pertingat opera, tantiſper meam penuriam ſuppleturum, maxime cum ad eam nondum maturitatem aſſurgere mea meſſis potuerit. Nolo autem te, Vir Cl. ignorare, diu multumque me deſiderare ac optando quærere illum de merito Chriſti Scriptorem, cujus in præfatione lib. de Satisfactione Ampliſſimi Viri Hugonis Grotii, meminiſti. Deſii tamen mirari, cur id à maximi ingenii Viro, cum eundem hæreticum oppugnaret acerrimè ac ſolidiſſimè, prætermiſſum: Cur abs te non ſuppletum, quod gemina præſtare, facili negotio, & proxime ad ſententiam ſummi Viri, poteras? Deſii, inquam, mirari, ex quo noſtrorum Theologorum certamina vidi & expertus ſum, quæ imprimis apud nos (Polano olim præcinente) hodieque vigent; ſic tamen ut, Dei gratia, nullæ inde turbæ. Expertus vero iſta ſum, quando Cl. D. Lucio noſtro D. M. ſuccedere juſſus, vindicias controverſiæ de Cauſa meritoria Juſtificationis, ab eodem mihi delegatæ, ſuſcipere, aliquorum conſilio & inſtinctu, ſive debui, ſive etiam volui ac tentavi. Oppugnavit enim illum graviſſimus ac Doctiſſimus pariter Anglorum Theologus, D. Thomas Gatakerus, ac iis quidem argumentorum plerumque præſidiis, quibus ego verba reponi poſſe cernebam, aut verius offucias: pauciſſima verò alia, quæ rem tangerent, minus refutarent Tua, in eâ lite, authoritas, V. Cl. me non parum intricavit, quod ſic d. l. ad Lect. præfatus es. Cum *duo nobis pepererit Chriſtus, impunitatem & præmium, illud ſatisfactioni, hoc merito Chriſti diſtinctè tribuit vetus Eccleſia.* Mox: *Satisfactio conſiſtit in peccatorum tralatione: Meritum in perfectiſſima obedientia pro nobis præſtita imputatione.* Nam, quod ad prius, *diſtinctionis* illius, in Patrum ſcriptis nullum invenio veſtigium; ſed meritum & ſatisfactionem Chriſti promiſcuè uſurpare videntur: unde frequens meritum mortis ipſius appellatur. Quanquam fateor, hæc diſtingui ex accurata eruditione ſic poſſe: planè uti explicas Reſp. ad Ravenſp. c. 1. p. 3. Itaque ſi quæ vetuſtatis loca tibi obſervata ſunt: denuo id rogo, illa mihi ſuggerere ne graveris. Poſterius, quod ad alterum lemma, candido, eget interprete. Neque enim ſatisfactio videtur peccatorum tralatio; ſed hæc, velut effectum, ſequitur ad illam. Alterum verò, ſi de imputatione loquitur Obedientiæ PRO NOBIS, h. e. loco noſtro *parta:* quemadmodum vulgo nunc ſcribunt, *imputari nobis alteram hanc ſatisfactionem Chriſti partem:* (eſſe namque eam geminam, alteram pro pœna, alteram pro obedientia.) Fateor nullum me in Sacris literis hujus opinionis deprehendiſſe fundamentum. Atque ea quidem ſententia, ſi ſic graſſari pergat, uti hactenus; brevi (mea conjectura) nobis novam Theologiam refinget. Nam, ab imputatione obedientiæ progrediuntur, ad vicariam illius præſtationem: inde ad ſatisfactionem; inde ad ſacerdotium. Tum, ut veri ſpeciem magis obtineat, *nobis* imputari, faciliuſque obtrudant, aiunt; noſtrâ vice præſtitam à Chriſto, *quâ homo* fuit,

fuit, ſeu ſecundum humanam naturam. Qui pernicioſus error, prope abeſt quin meritum Chriſti funditus nobis evertat. Video D. Paræum mature ſat valuiſſe occurrere gliſcenti malo, Epiſtolæ ad S. Comitem Witgenſtenium, in ultima Edit. Explicat. Catech. Palat. à Philippo vulgata. Sed & à D. Gomaro, nupera editione Operum, excuſſam illam video, parum (ſi liberè licet) ſolidè. Maluiſſem, vindicaſſet is (Gomar.) Elenchticam ſuam Diſp. de Mat. & Form. Juſtificationis: quam doctè caſtigavit ille, cujus ſupra mentionem facerem, Theologus Anglus. Pleroſque omnes modernos videre videor ad illud impingere; *ſola ſatisfactione paſſiva* (ſic enim caté diſtinguunt ab Activa, ſicut pariter, de *Obedientia* & *Juſtitia* loquuntur, cujus Script. vel Eccleſiæ autoritate, neſcio:) *Nobis remitti peccata:* & tantum peccata remitti, *a* non item concedi vel tribui gloriam ac beatitatem. Ego verò certus ſum, neque Script. S. talia docere, neque talia dogmata conſtare poſſe cum fidei principiis; neque in eam ſententiam ituros, quotquot Ampl. V. Cap. VIII. extremum te ſatisf. probant: vel ei ſaltem non contradicunt, quod eſt in univerſa Eccleſia receptum, Chriſti ſanctitate & innocentia noſtram contegi impuritatem, culpamque ac pœnam deleri, &c. Summa, *Juſtum eſſe mortuum pro injuſtis*, 2 Cor. v. 12. 1 Petr. III. 18. Jam, dum novis & puriori antiquitati inauditis diſtinctionibus illis invehunt, & ſatisfactionem (dicto modo) duplicem ſic partiuntur, ut altera quidem valeat pro culpa, altera pro pœna; vel altera pro debito pœnæ, altera pro debito obedientiæ; vel altera pro redemptione à malo, altera pro acquiſitione bonorum; vel (nondum enim certi ſunt quod horum teneant) altera pro vita æterna privative, altera pro eadem poſitivè conſiderata, &c. (taceo plura:) Non ſatis eſt ſibi hæc ſomniare, ni & ſpiſſis libris propalent; & inſciis tyronibus ſedulo inſtillent, eo quod putent, actum eſſe de Lege & Euangelio, Satisfactione & merito Chriſti: (quæ tamen perpetuo confundunt) niſi ſtrictè obſervetur ea diſcriminatio: ſcilicet, Paſſionem & Mortem Chriſti *ſolam* valere ad remiſſam peccatorum tantum; quia ſcriptum ſit, *ſi peccaveris morte morieris.* Itemque, activam obedientiam ſolam valere ad jus vitæ æternæ promerendum, ſecundum illud: *Fac hoc & vives.* Hinc miræ phraſes. Imputari nobis meritum; & Chriſti quidem ipſius meritum; adeo ut nobis non minus atque Chriſto debeatur vita æterna; adeoque Jure experiri peccatoribus nob. cum Deo liceat. Mira profectò Gratia, quod jure depoſcitur & expoſtulatione obtinetur! Si hoc eſt *Evangelium*; de re nihil dicam, jam in nomine adhuc hæſito. Verum quid ego hæc ad te? Ut ſtudia noſtra nonnihil, V. Cl. cernas, & juves. Nam ea quæ ſuprà attigi, intricant & impediunt. Unde maximopere peto, ut explicatiùs nonnulla ad me perſcribere digneris: Quibus ſi addideris conciliationem eorum quæ Diſp. de Pecc. Orig. contra Pelag. par. 2. antith. 4. nomine Catholicorum propoſuiſti, cum dictis à Chamiero, eodem nomine Panſtrat. Cathol. To. 3. lib. 1. cap. 4. Sect. 7. Theodoret. in cap. V. 12. ad Rom. imo Auguſtin. cont. adverſar. Leg. & Prophet. lib. 1. cap. 16. To. 6. Oper. col. m. 599. nihil poſſet accidere optatius. Certe ſum, ſine ſcript. S. obambulare utramque phraſin: *Imputari nobis à Deo primum peccatum Adami: & imputari nobis Chriſti meritum, Obedientiam, Juſtitiam.* Non nego horum vel alterutrum; ſed ſanè & Script. S. convenienti ſenſu intelligo; quem neſcio an aſſequantur, qui putant, rationem imputationis peccati primi eſſe, arctiſſimam noſtri cum Adamo conjunctionem, quippe patre, capite & radice totius generis humani. Hæc ſi militaret ratio, nil fingi poteſt, cur non perinde alia omnia, poſt primum illud, imputentur nobis peccata: quando non deſiit eſſe Pater, Caput, Radix, inde à Lapſu. Sic pariter falluntur, (niſi ego valdè fallor) qui fundamentum imputationis juſtitiæ, ponunt Vicariam Legis per Chriſtum impletionem; quâ, nos redemptos à Legis perfecta obſervatione ajunt. (Palan. Lucius Macc.) Certe nihil aliud credo Ampliſſ. Virum abſtinuiſſe ab illa tractatione de Merito, præter iſtam diſceptationem quam in Apologetico, ſibi inter Tilenum & Molinæum auditam ſcribit. Si quid enim judicare valeo (novi autem meam tenuitatem) non minus noſtri Theologi caſtigandi veniunt, quam refutandus hæreticus, ob negatum Chriſti meritum. Et quid durius eſt, datis principiis plerorumque modernorum, maxime illo (Chriſtum, *qua homo eſt*, meruiſſe) dubito, an ſolidè ullatenus hæreticus poſſit convinci. De his tamen tuum V. Cl. judicium ſubactiſſimum, quod iterum iterumque peto, expecto; quod ſciam, & in his te poſſe plurimum, & antiquitatis premere veſtigia fortiter. Opto autem te, commune ſtudiorum columen, Deus Opt. Max. Eccleſiæ Scholæque ſuæ diuturnum indulgeat ſoſpitem. Salut. plur. quæſo, Cl. D. Barlæo, tuoque F. D. Matthæo, cum officiis paratiſſ. nomine.

*a Sic Bellar. lib 1. de Juſtif. c. 6. ſub fin. cui reſp. D. Paræus lect. 251. Chamier. Tom. 3. l. 21. c. 15. Sect. 47. 49.*

Dab. Baſileæ, prid. Non. Mart. Stilo Vet. CIϽ IϽ CXLVI.

*Tui V. Cl. ſtudioſ.*

JOH. ROD. WETSTEIN.

---

## DCCXXXI.

*Pro collatis in ſuum filium beneficiis grates perſolvit. Colloquium Turonenſe diſſolvitur.*

OBrutus ſum abs te, maxime Voſſi, mole beneficiorum, quibus filium meum hodie unicum, quum in Belgica veſtra degeret, affatim ornaſti, neque video qui ſim ſolvendo, juxta cum illo. Quod redhoſtire nequimus, id perpetuâ & gratâ recolemus memoriâ, & Dominus è cælo remunerabitur. Germania noſtra inteſtinis bellis diſſociata, exteris abit in prædam. Diæta Monaſterienſis & Oſnabrugenſis etiamnum eſt in ancipiti. Pax ſi coeat & cum Hiſpano Gallis conveniat, Provinciæ veſtræ dabuntur in dotem Regiæ filiæ, ut fama eſt, non ſine maxima rerum veſtrarum, fortaſſis & noſtrarum, converſione. Colloquium Turonenſe in Pruſſia diffluxit præter votum noſtratium D. Bergii & D. Calixti, qui concordiam Eccleſiarum calidè ac ſincerè quæſiverunt. De infallibili Controverſiarum judice, quem pars Pontificia Pontificem Romanum ſtatuerunt, noſtris enixè repugnantibus, conveniri non potuit. Atque ita, quantum ſcimus, re infectâ diſceſſum & domum itum eſt. Audio ſpiſſum opus contra univerſalem Gratiam D. Amiraldi Salmurienſis Theologi à D. Spanhemio in Academia veſtra opponi. Quid verò eſt quod de hoc argumento tantopere inter nos digladiemur? Quaſi Dei gratia nimis ampla eſſe poſſit, quæ ipſo cœlo amplior eſt. Harum lator Adolphus Pulckenius Medicinæ ſtudioſus, Medicis in Academia Leidenſi amat commendari. Quod ſi abs te obtineat, pergratum erit. Bene vale, Vir maxime & amiciſſime, cum amoribus tuis, & ſalve jugiter.

Brem 5 Mart. Greg. CIϽ IϽ CXLVI.

*Omnigenæ doctrinæ & virtutis tuæ, admirator & cultor,*

LUD. CROCIUS.

DCCXXXII.

## DCCXXXII.

*Summo Viro,*

## Gerhardo Joanni Voſſio,

S. P. D.

## Fredericus Spanhemius.

*Exercitationes ſuas de Gratiâ univerſali illi tranſmittit, judicium ipſius de iſtis expectans.*

ERuditiſſimum munus tuum accepi cum gaudio, & non parum me tibi obnixum profiteor, quod me non publicè tantùm cum aliis, ſed & privatim tibi obſtringere volueris. Ego omnia tua cum ſumma voluptate, & fructu pari lego, & ingentem eruditionem tuam, non mirot tantum, ſed etiam colo. Mitto ad te Ἀντίδωρον aliquod, Exercitationes noſtras, de gratia univerſali, quas mihi expreſſit νεωτεροποιΐα hominis, qui non tam in me, quàm in Academiam noſtram invaſit: ſi dogmata minus tibi probentur, aut valdè fallor, aut probabis ἀλληλουχίαν eorum, quæ docemus, & deprehendes illum, quocum commiſſus, docere ἀσύστατα, & quæ ſe invicem pervertunt. Auſim etiam à te contendere, Vir celeberrime, ut cauſam cum cauſâ conferre, & aliquot horas nobis indulgere velis. Judicium tuum expecto, cui plurimùm tribuere ſoleo. Non dubito quin iſtam Theologorum συῤῥάξιν deplores. Idem me tecum facere perſuaſiſſimum habe, & quamvis de bonitate cauſæ certus ſim, infœlicitati tamen meæ imputo, quod ingratiis meis, in certamen iſtud litigioſum pertractus fui. Vale, Vir ſumme, cum clariſſimis filiis, & me nominis veſtri gloriæ dicatiſſimum amare perge. Scripſi raptiſſimo calamo.

Lugd. Batavor. xx Mart.
cIↃ IↃ cxlvi.

---

## DCCXXXIII.

*De filii Matthæi obitu certiorem reddit, atque ut in Hiſtoriographi Ordinum munere Iſaacus ſurrogetur exoptat.*

*Ampliſſime ac conjunctiſſime Adfinis,*

PUtavi ob arctiſſimam conjunctionem noſtram, hoc mihi agendum, ut ex me potius, quam aliunde cognoſceres de obitu filii mei Matthæi, quem xx Martii morbus (maximam partem veternus erat) abſtulit mihi, intra quatriduum, quo lecto adfixus fuit. Biduo jam ante, tale quid mihi præſagiebat animus, cum in menſa mea referret, ut, dum aſſiduus eſt in geſtis Dominæ Jacobæ deſcribendis, frigore ſæpius horridiuſculo corriperetur. Sic res ſunt humanæ. Mihi eſt animus cum bono Deo, qui tot adverſa pertuli, hoc quoque forti animo perferre. Et ut melius poſſim, amicorum me precibus commendo. Scio non defore, qui ambiant apud Illuſtres DD. Ordines Hiſtoriographi officium. Equidem non poſſim dicere me alterum huic muneri ſcire magis idoneum fratre ejus Iſaaco; de quo plura dicerem niſi filius foret. Et poſſet ille una munus Geographi Ordinum implere, quod olim ſuſtinuit Philippus Cluverius. Solum terret quod multum mihi laboris fuerit exhauriendum, priuſquam id obtingeret Matthæo noſtro, ut Hiſtoriographum facerent Proceres noſtri. Sed fit etiam, quod cum moleſtia fit. Decretum per otium de hoc agere cum Ill. & Ampliſſ. Wittio cognato, quem ſcio ita eſſe animatum, ut nuſpiam paſſurus ſit operam ſuam claudicare. Et fortaſſe è re fuerit, ſi rei iſtius non fuerit ignarus. Nam facile obtingeret, ut aliquis cogitationes, & molimina mea, quæ cum uno duntaxat Dubletio communicavi, obturbare conetur. Hæc ergo nunc raptim adeo, ut vix ſciam quid ſcribam. Sic undique interpellor; & tamen non dimittendus erat inanis nuncius, qui hac hora ad vos contendit. Salutem uxori ac liberis, nec minus Ampliſſimo cognato Wittio.

cIↃ IↃ cxlvi,
xxiv Martii.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

---

## DCCXXXIV.

S. P.

*Ipſi condolet ob inexſpectatum filii obitum.*

*Clariſſime & doctiſſime Domine Collega & Amice integerrime,*

QUo ipſo tempore accepi exoptatiſſimum ingenii Iſaaci tui fœtum, eodem triſte nuntium mihi allatum fuit, de inexpectato obitu Matthæi tui; in quo non tuæ tantum & familiæ tuæ, ſed etiam Reipubl. Batavæ & Literariæ gravis jactura, me graviter affecit. Doleo certè tam paucis annis, tot nobiliſſima ingenia nobis fuiſſe erepta, & te tantum virum in pleriſque culturâ te dignâ fuiſſe privatum, & penè orbum redditum. Sed id me ſolatur, quod non ſolum ſis Philoſophus ſententia, ſed etiam fortiſſimus opera, & in talibus jam exercitatus, ut quos oſtenderunt terris tantum fata, nec ultra eſſe ſiverunt, Deo cujus erant ſine murmure reddideris. Eum precor ex animo, ut Iſaacum tuum ſuperſtitem diu ſervet, vivat coram illo, & tibi in omnibus ſuccedat, non degener filius, ſitque tibi & afflictiſſimæ matri ſolatio, toto vitæ veſtræ tempore. Hac ipſa hora monuit me filius meus ſe Amſterodamum, ab amico invitatum, proficiſci. Quod pluribus feciſſem, tribus verbis ago feſtinatò, juſſique ut præſentia ſua ſuppleret, tibique & Dom. uxori, à me & mea quæ *non ignara mali*, vobis condolet, omnia officia & ſervitia deferret.

Hagæ-Comitis,
ix Aprilis,
cIↃ IↃ cxlvi.

*Tibi addictiſſimus,*

Andreas Rivetus.

---

## DCCXXXV.

*Conſolatoria, quâ filii fatum patienter ferendum, pro animi conſtantia monet.*

*Reverende & Clariſſime Vir,*

NUper cum ad nos Heidanus noſter rediiſſet maximo cum animi dolore, tuum intellexi. Ereptum nempe filium tibi clariſſimum, qui ætate ea eſſet, ut quæ maxime optares, expectare ab eo poſſes. Ego candide ac bonâ fide teſtor, quæ amicis eveniunt, evenire & mihi. Cum interim non dubitem, quin magno, quin compoſito ac forti animo ferenda ea eſſe ac toleranda ſcias, quæ præſide Monarcha illo maximo ſummoque homuncionibus his miſeris objiciantur nobis. quibus idem, cum eidem videbitur, expectandum eſt; ne de eo quidem dubitare poſſem, quin à te tibi quàm à me fortiora ſuppeditari poſſint remedia, quæ quotidie in uſum tuum promas: cui hæc jampridem animo infixa ſedent; poſtquàm toties præſertim cum adverſis jam commiſſus es; ſed & aliis conſtantiæ jam toties exemplum fuiſti. Hæc obiter, cum ad vos quidam properaret juvenis*, qui ut verbo ſe commendarem tibi petiit. Neque jam compareт, cui & Rutgerſii, quam vides, vitam, & ab ipſo conſcriptam, & à genero meo hic editam, tra-

tradidiſſem. Reverende & Clariſſime Vir vale, & nos, qui te veneramur, ama.

Lugduni Batavor. An. cIↄ Iↄ cxlvi, Aprilis xviii.

*Nominis tui obſervantiſſ.*

Daniel Heinsius.

## DCCXXXVI.

### Salutem & incolumitatem perpetuam.

*Voſſianorum filiorum præcocia fata luget. De Anabaptiſmo & Baptiſmo librum tertiò efflagitat, varia item alia ad prælum parata præſtolatur.*

Tandem me Saxone ſuo dignatur Stephanius noſter. Bonum factum, inquies, ſummè virorum. Fateor ingenue, in amicitiam noſtram non parùm deliquiſſe me, quod tamdiu defraudaverim te novello hoc ingenii noſtri fœtu cujus tibi primum exemplar jure merito debebatur. Sed hanc moram imputes velim Batavis tuis, quorum verum elogium extat lib. xxx. Livii GENS INIQUIS REGUM TEMPORIBUS IMMINENS. Illi etenim perfidis Suecis ſupparaſitantes, dulciſſimam patriam noſtram iis involvere calamitatibus, quæ omnibus bonis omnem de amicis bene merendi alacritatem prorſus excuſſere. Illi mare hactenus infeſtum reddiderunt, imò maria omnia. Illi vias omnes & auditus, qui antehac negociatoribus noſtris ad vos patuerunt, ſuis armis excluſerunt. Sed JUSTUS JEHOVAH JUDEX. Vereor ne grave fatum impendeat Belgis, qui contritionem Joſeph nihil penſi habuerunt, ſed ex injuſtâ prædâ ſibi exiguum lucelli quæſiverunt, de quo non tertius gaudebit hæres. Verum quorſum iſta μεμψιμοιρία? Te potiſſimum alloquor, ad te orationem converto, quem triennium eſt, quum alloquutus ſum. Peramanter rogo, ſi quid emendatione dignum in Notis hiſce animadverteris, candidus ut impertias. Erunt, cum bono Deo, curæ ſecundæ meliores. Totus nunc in eo ſum, ut Hiſtoriam Chriſtiani III. Danorum inclyti Regis, poſt beatum Meurſium, ad finem perducam. Editurus ſum & alia rerum Danicarum monumenta, quæ propediem, σὺν θεῷ, lucem videbunt. De tua valetudine, quam non adeo proſperam, utpote ſeptuagenarii ſenis, eſſe inaudivi, vehementer ſollicitus ſum. Deus te incolumem præſtet, Vir incomparabilis, egregio Reipub. literariæ bono, in annos Neſtorios! Salutem tibi plurimam adſcribit D. Laurenbergius noſter & D. Eraſtius.

Soræ, τάχιστα, die xxiv Aprilis, anno Meſſiæ Regis æterni cIↄ Iↄ cxlvi.

*Tui obſervantiſſimus,*

Stephanus Johannes Stephanius.

## DCCXXXVII.

*Clariſſimo & præcellentis doctrinæ Viro,*

### Dn. M. Stephano Joanni Stephanio,

Sereniſſimi Regis Daniæ Hiſtoriographo, inque Equeſtri ac Regia Academia Sorana, Profeſſori Ordinario.

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*De Saxone ejus in lucem publicam prodeunte effuſè ipſi applaudit, impenſiſſimè rogitans, ut eruere pergat, inque apertum proferre alios etiam rerum Danicarum Scriptores, imo & recentem hiſtoriam ingenii doctrinæque ſuæ penicillo poſteris prodat.*

Tandem læta affulſit dies, qua non dubitandum, æternumne Cimbricæ gentis decus, Saxo Grammaticus veſter, Stephanii mei popularis ſui beneficio, ſanus, bonâque corporis habitudine, pereruditο etiam Commentario auctus, illuſtriorque, ac verbo, ut dicam, omnino ejuſmodi qualem hactenus deſideravimus, in lucem, manuſque hominum elegantiorum venit. Exprimere non poſſum, quam bene mihi de te ipſo, de gente veſtra, deque univerſa Republica literaria meritus videaris. Deus plurimos tibi annos largiatur, ut melius meliuſque mereri poſſes. Quamquam tantum effectum tibi, ut ſi vel brevi (id non benignum numen ſirit) humanitus aliquid triſtius ſubeundum foret, ſic quoque æternum, ut in te Saxo, ſic tu in Saxone tuo ſis victurus; nullaque dies ſit deletura beneficium utriuſque veſtri. Si ante annum habuiſſem hos labores tuos, crebrius nomen tuum legeretur in opere noſtro de Vitiis Sermonis: in quo videbis aliquando etiam ad partes avocari Suenonem tuum. Scio, quod mitto ἀντίδωρον impar eſſe tuo. Sed ut quomodocumque æquarem, volui addere libellos duos de Symbolis, unum alterum, de genere atque annis Chriſti. Nihil opus rogare, ut boni conſulas. Novi enim quanti me meaque omnia ſoleas æſtimare. Nec impedio, quo minus dein eps etiam huic indulgeas errori tuo. Illud vero impenſiſſime rogo, ut pergas eruere, inque apertum proferre alios etiam rerum Danicarum Scriptores, imo & quæ noſtro ſæculo, quæ feliciter, quæ ſecus contigere, ingenii, doctrinæque tuæ penicillo poſteris prodas. Nolim tamen in hoc rogando te longo uti ſermone, quia non dubito quin quotidie illud à te poſtulent, atque exſpectent, viri & Illuſtriſſimi generis, & maximæ in Dania veſtra auctoritatis; quorum præcipue valere apud te voluntas debet. In ſtudiis gravi hac ætate, præſto quantum poſſum; pluraque poſſem, ſi memet corona illa adhuc cingeret octonum liberorum, qua me beatum Leidæ noviſti. Nunc ad meliores ſedes, Deus tranſtulit univerſos, excepto Iſaaco Voſſio J. C. quem confido brevi multa publico daturum. Is filiorum erat natu minimus, uno dempto Gerardo cujus Velleium, & alia quædam videris fortaſſe. Nolo triſtibus illis diutius immorari. Plurima ſalute impertias egregios viros, & mihi caros Collegas tuos, D. Laurembergium, & D. Eraſtium. Addo & optimum, & cordatiſſimum, D. Meurſium, cum filio, filiaque.

Amſtelodami, xi Jun. cIↄ Iↄ cxlvi.

## DCCXXXVIII.

*Epiſt. familiaris.*

*Reverende idemque Amiciſſime Croci,*

Quanquam in ſcribendo aliquanto ſim negligentior; non tamen ſi quis è nobis hinc ad vos eat, eum ſine meis ad te literis dimittere ſoleo. Quare & conſuetudinem hanc nunc retineo, redeunte ad vos Neumanno, juvene, & probo, & pereruditο, & utroque nomine hominibus doctis acceptiſſimo; ante omnes τῷ πάνυ Salmaſio: qui & aliquando eum per literas mihi commendavit. Quamobrem confido ei nuſquam defore, tuum, & aliorum præſtantium hominum favorem, ſi qua in re eum fortaſſis deſiderabit. Audio, gaudeoque omnia apud vos jam quieta eſſe & tranquilla, poſtquam abiit Doctor Combachius. Equidem hæc Alcydonia, non diuturna modo, ſed perpetua vobis eſſe velim. Sed quoties malos, pravoſque hominum mores cogito, non poſſum mihi aliud perſuadere, quam nonnullos homines, qui niſi nocerent, morerentur, ubi qualiſcumque Dux obtigerit, redituros ad ingenium, velut anus ad aſmillam. Multum tamen bonæ ſpei habeo,

in Procerum veſtrorum prudentia; qui non ſinent hujuſmodi, cum urbis, atque Eccleſiæ malo, turbare, & cum ratione inſanire. Edidi aliquot ante menſes tomum priorem de Vitiis Sermonis: quo operam dedi, tum ut caſtigatior ſit ſermo, puriorque, tum etiam ut ſemi-barbari illi, qui poſt irruptiones Gothicas, atque alias, Romanum Imperium tenuere, melius ab hominibus non ineruditis, intelligi poſſint. Etſi vero ſciam non ferre tua tempora, ut iſtis legendis vaces; volui tamen ut videres, quia indignum amicitia noſtra putarem, aliquid mei prodire in lucem, cujus non facerem te participem. Cætera, quæ ad me, & alios noſtri ordinis, his in locis pertinent, & præterire nunc animus eſt, quia melius, certiuſque, ex Neumanno cognoſces, qui viva erit epiſtola. Et ſanè gaudeo eum potiſſimum ad vos ire, cui & noſtri Gymnaſii, & Leidenſis Lycei ſtatus eſt cognitiſſimus. Etſi enim mihi longe eſt jucundiſſimum, per literas colloqui tecum; tamen vel inertia quadam, vel ob aſſiduas occupationes, quodammodo, lætor, ſi in ſcribendo liceat eſſe breviori. Salutabis plurimum Clariſſ. Dn. Wittium, quem amo, & æſtimo, nec ejus memoriam deponam. Deum rogo, ut utrumque veſtri, diutiſſimè conſervet, cum familiæ, tum imprimis Eccleſiæ bono.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ CXLVI,
prid. Id. Jun.

*Nominis tui cultor,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DCCXXXIX.

*Summo & Excellentiſſimo Viro,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Τῷ πάνυ Profeſſori Hiſtorico.

*Ipſius ſe ſcriptis mirificè affici teſtatur. Turonenſe Colloquium non videtur mereri nomen Charitativi. Nihuſius notatur.*

NEumannus noſter, Virorum & Amicorum maxime Voſſi, redux à vobis, epiſtola exhibita, cum eruditiſſimis Commentariis tuis, de Vitiis ſermonis, me mirificè affecit, quod humanitatem, ac benevolentiam tuam, non ſatis prædicare poſſet. Sed & munus tranſmiſſum, ipſo tacente, egregium affectum in me tuum eſſe voce proclamat. Vere & ſine fuco affirmo, nullas tuis chariores mihi literas ab amicis dari, quibus tanquam divino nectare, & ambroſia, quando langueo, reficior, quando ſuaviſſimum, & candidiſſimum ſpiritum tuum ex iis haurio. Debendi reum me tibi, quod ſum fateor. Nihil enim à me proficiſci poſſe ſcio, quo dignam aliquam remunerationem faciam. Pro incolumitate tua, tuorumque Deo litare interim haud ceſſabo. Alcyonia nobis ſunt, ſingulari Dei beneficio conceſſa, ab abitu Combachii. Turbabunt ſi poſſint, quidam balatrones, ſi quis fibulam à prudentia Magiſtratus reſtrictam fortaſſean luxaret. Non deſunt enim, qui veſtros ſollicitent, ut in nos caninam exerceant facundiam. Scripſi diſſertatiunculam, de ſopiendis Eccleſiæ diſſidiis, anno nuper præterito, quæ à quodam Polono, Torunium ad ſuos miſſa fuit, quum Colloquium Charitativum, quod vocant, authoritate Regia inſtitueretur: in quo Pontificii, noſtris parum charitatis, Lutheranis vero etiam minùs oſtenderunt. D. Calixtus vir egregius, & ad concordiam pronus, à ſuis peſſimè ibidem habitus fuit. Moguntini Jeſuitæ in eundem ſæviunt. Neque Nihuſius vetus, niſi fallor, diſcipulus ei parcit, qui mirum concordiæ modum, nupero ſcripto, apud vos, ut ſuſpicor, edito, excogitavit, quo tergiverſantem, aut ſuccumbentem damnat, ad panem, & aquam. De quo quid ſentias, candide, quæſo, ut ſoles, mecum communica. Cogor calamum ſiſtere, quia Glaucus, juvenis probus, & non indoctus, harum lator feſtinat. Benè vale, & ſalve, Vir ſumme, πανοικί, à D. Willio & me, qui ſum

Bremæ, $\frac{5}{15}$ Sext.
cIↃ IↃ CXLVI.

*Eruditionis ac virtutum tuarum æſtimator, & cultor quoad ſum,*

LUDOVICUS CROCIUS.

---

## DCCXL.

## Antonio Matthæo, J.C.

## Gerardus Voſſius

S. P.

*Commendatitia.*

SÆpè mihi, ſumme Vir, jucunda obverſatur memoria ejus temporis, quo Clariſſimus ſocer tuus, atque ego, morum ſimilitudine conjunctiſſimi, amicitiam colebamus, uſque ad ejus extremum vitæ diem. Nec illius me temporis oblivio cepit, quo & tu atque ego, alter alterum coram amplexi ſumus: cujus ego, dum doctrinam ac virtutes, amare & æſtimare didici. Nec ſcio utrum magis, talem tibi ſocerum, an illi talem generum gratularer. Eo impenſius gaudeo, tam bellam mihi oblatam eſſe occaſionem, teſtandi affectum hunc, ab tot annis minimè eſſe imminutum. Et qui poſſit? Cùm tua & eruditio inſignis, & virtus eximia, quæ ſola mihi amorem mereri, in noſtri ordinis hominibus ſemper viſa ſunt, quantùm dies accrevit, tantùm doctorum judicio, teſtatiora ſunt cunctis. Quocirca cum unico uxoris meæ fratris filio, optimè conſultum vellem, non aliud potui in animum inducere, quam ut eum tibi de meliore nota commendarem. Quem eo gratiorem fore confido, quod & bonarum ſit literarum amantiſſimus, & probitate ac modeſtia egregius, & juris ſtudio biennio jam in Academia vacarit, quæ quondam tantopere, magno Parente tuo poterat gloriari. Sed exiſtimavi, quod non poſſit Parens, ὁ μακαρίτης, id poſſe apud Ultrajectinos tanto Patre natum, non minorem filium. Quocirca author, nec ſolus tamen fui, ut ad vos potiſſimùm ſe conferret, & quæ juris ſtudio hactenus deeſſent, ea ſuppleret de pectore tuo Papinianeo. Nec dubito, quin longe ſit futurus gratiſſimus, non ſolùm, quia ſic erecta ejus indoles mereatur, ſed quia natus ſit magno ſanè viro, & præclare de Eccleſiis noſtris merito. Eſt enim Franciſci Junii, nobilis viri, ſed nobilioris Theologi, ex filio natu maximo nepos; quem nunquam familiæ indecorem fore confidimus. Solum rogo, idemque facit mecum conjux, facit Juniana omnis familia, ſic illum complectàris, ut ſtudia ejus quamplurimum tibi debeant. Vale, Vir maxime, & qui amor inter ſocerum, & me fuit; is deinceps eſto inter te, meque, atque etiam duret inter liberos noſtros. Quid enim pulchrius? quàm, ut junior ille Iſocrates olim ad Demonicum ſcribebat, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ CXLVI,
prid. Non. Jul.

*Tuus æternum omni officio,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCXLI.

*Clariſſimo Viro,*

### D. Gerardo Joanni Voſſio,

Profeſſori Hiſtorico.

*Voſſianorum filiorum præcocia fata luget. De Anabaptiſmo & Baptiſmo librum tertiò efflagitat, varia item alia ad prælum parata præſtolatur.*

*Vir Clariſſime plurimùmque Reverende,*

Literæ tuæ amoris, ac benevolentiæ ſignificationibus refertæ, mihi ſanè fuerunt oppidò quàm gratiſſimæ. Illud tamen animum meum, in doloris ſenſum rapuit, ubi verè μελάγχλαινα γράμματα, triſtis duorum filiorum fati mentione conſpexi; quo magis Deum rogo, ut filium ſuperſtitem (quem magis ex virtutum, doctrinæque fama, imo & monumentis, quam ex vultu novi) Dom. Iſaacum Voſſium quàm diutiſſimè incolumem conſervet, ad ſenectutis tuæ fulcimentum, & oblectamentum. Equidem, niſi te, ad caſus iſtiuſmodi adverſos, forti conſtantique animo excipiendos divinarum, humanarumque literarum præſidio, beneficioque probè munitum, mihi planè perſuaſum, perſpectumque fuiſſet; jamdudum officii mei eſſe duxiſſem, mœſtitudinem quæ animum tuum pervellere potuit, literis meis, qua poteram, evellere. De Baptiſmo, & Anabaptiſmo, commentationes tuas, etſi nunquam non tempeſtivas fore arbitrer; tamen nunc vel maximè fore, ſi eo quo ſcripſi tempore, lucem aſpiciant; ut credam, faciunt amici cujuſdam mei, qui Rev. D. Baylio, familiariter utitur, ex Anglia datæ, ad me nuper literæ. Cæterum quemadmodum ſalivam mihi moverunt ſcripta varia, quæ memoraſti, ad prælum parata, ita non mediocriter me affecit manuſcriptorum quos peregrinando filius collegit, librorum mentio. Quod autem, amiciſſime Domine, velle te ſcribis, ac deſiderare meum adventum, utique egometipſe id nimis quàm velim. Nihil enim animo meo objici poteſt magis ἑλκυστικόν, quàm iſtud ipſum quod propoſuiſti illicium, præſertim ubi priſtinam, & avitam amicitiam una atque eadem opera, reſarcire, atque ſtatuminare dabitur. Simulac Deus otium mihi fecerit, grallatorio, ne dicam, Pegaſeo gradu ad vos advolabo. Interim ſalutem plurimam, tibi juxta, atque uxori lectiſſimæ, filioque D. Iſaaco impertio. Salutant vos quoque fratres mei, ſororeſque quotquot hic degunt. Vale, Vir doctiſſime, & me quod facis, amare perge.

Dordrechti, Idibus Sext. CIↃ IↃ CXLVI.

*Reverentiæ tuæ obſervantiſſimus,*

Jacobus Lydius.

---

## DCCXLII.

*Celeberrimo Viro, Domino*

### Gerardo Johanni Voſſio,

Hiſtoriæ Profeſſori.

*Memorat, ad quos Apologiam ſuam direxerit, obſervato contrario ejus, quod Voëtius faciat.*

*Reverende, Clariſſime, ac Celeberrime Vir,*

Ita ſemper apud me reputavi, faciendum eſſe mihi contrarium ejus, quod facit D. Voetius, dum affectibus ſuis obtemperat, ſi quid benè factum velim. Ea cauſa me movit, ut cum Tribunal ſuum iniquum inchoarit, alloquio ad Clariſſimos, & Celeberrimos Belgii Profeſſores; Ego præſentem meam Apologiam, maluerim per Apoſtrophen, ad illos claudere: & cum illuſtrem veſtram Scholam (quæ in te, Celeberrime Domine, & egregio Barlæo, plus ſplendoris fundit, quàm novella Voetii Academia per ſe, & mille ſibi ſimiles poſſit unquam ſperare) in ſua compellatione prætermiſerit; Ego putaverim etiam illius judicio me, meaque eſſe ſubjicienda; ut ſaltem apud plures meam conteſter innocentiam, quam ille voluit eligere, apud quos me calumniaretur. Te igitur rogo, Doctiſſime Virorum, ut æqui bonique conſulas, quod graviora tua ſtudia his næniis interpellem. Spero brevi me daturum ſolidiora, & utiliora Eccleſiæ: ſed neque fama in ea fuit negligenda. Perge benè velle mihi, qui reverà ſum, & manebo in ævum.

Groningæ 11/21. Aug. 1646.

*Tibi ad omnia obſequia paratiſſimus,*

Sam. Mareſius.

---

## DCCXLIII.

*Viro Clariſſimo*

### Guinando Rutgerſio,

### Gerardus Joannes Voſſius

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

Quod tu, uxor, generque, cum filia benè valetis, equidem gaudeo; ego mediocriter valeo, quod de uxore non poſſum dicere; atque ad ejus adverſam valetudinem accedunt, quæ non muliebrem modò, ſed & virilem conſtantiam poſſent expugnare; imprimis mortes duorum filiorum, qui ætate exſuperabant cæteros: Ii ſunt Franciſcus Juriſconſultus, & Matthæus, Ordinum Hiſtoriographus, quorum uterque intra ſemeſtre proximum exceſſit. Cum octonis liberis Amſtelodamum veneram, unica nunc proles ſupereſt: utrùm vero hanc etiam terræ ſim daturus, an potius velit Deus, ut unus filiorum ſuperſit, qui ubi fatalis illa hora advenerit, oculos mihi claudat, id cum Horatio dixerim, *ſcire nefas*: quandoquidem, ut ait idem: *Prudens futuri temporis exitum caliginoſâ nocte premit Deus.* Noli autem propter tot adverſa putare, ſic me iis premi, ut officio deſim. Propè enim nihil remitto à veteri labore, licet ſeptuagenarius: Quia tantò ſum temporis avidior, quantò citiùs mihi ejus rationem reddendam video. Sed mihi multas bonas horas auferunt tum amici, tum qui vicinis, vel remotis etiam à terris ſalutatum veniunt. Si tam ſtultè ſaperem, quam Plautinus ille miles, nec meo me pede metiri didiciſſem, poteram fortaſſe ſuaviludiis quibuſdam fidem habere, qui mihi ſimilia his conquerenti, ridiculè reſpondebant, Nimia eſt miſeria, doctum eſſe hominem nimis. Sed mittamus affanias. Ego propter crebros adeo viſitantium acceſſus, non poſſum ſic limare mea, ut eruditæ caveæ uſquequaque ſatisfaciam. Ac propterea, ſæpè receſſum aliquem opto, qualis ille in quo nunc degis; abſque eo eſſet, quod miles ſæpè incommodat: ut mihi narrant, qui tuas mihi literas reddiderunt. Mitto nunc ad te IV Tomos operis noſtri de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana. Quatuor ſuperſunt, qui quando lucem ſunt viſuri dicere nequeo. Ita multa ſunt, quæ forſitan prævertent. Miraberis fortaſſe, cur non miſerim prius, ſed cum Clero dicaſſem Anglicano, tam multa eò exemplaria mittere neceſſe fuit, ut non potuerim amicorum multis donare, quibus antehac ſoleo. Quid amicos dico? Negavi etiam liberis, quia nullum ſupereſſet, præter unicum, in

quo novas curas annotarem. Sed poſtquam intellexi, tanti tibi eſſe noſtra, ut pretio tuo emi velis, emere ipſe malui, quam ut tu nummum impenderes. Præſertim cùm non indignum ſit homine Theologo & Philoſopho argumentum, ut planè confidam, non diſpliciturum. Sane à ſummis viris ac ſtudiorum principibus benigna ſatis judicia accepi. Operis noſtri de Natura, & Nexu diſciplinarum, vix octo, ut vocant quaterniones ſunt excuſi. Jam menſes ſunt aliquot quod operæ ceſſant: non culpâ noſtrâ, ſed quia ſcripturienti hoc ſæculo variis adeo prela diſtinentur bonis malis. Leloyherium de Spectris non vidi; ac metuo ne idem ſit ac Lu. Lavaterus de Spectris; qui Genevæ excuſus, an. CIↃ IↃ LXXX, apud Euſtathium Vignon. Forſan incideris in alicujus Jeſuitæ, vel ſimilis farinæ librum. Mos enim illis corrumpere nomina eorum, qui inter hæreticos, quodammodo familiam ducunt. In his autem Lavaterus ille, Theologus Tigurinus, Henrici Bullingeri gener; cujus ſcio varia videris monumenta: Et fortaſſe illud de Spectris. Sed hunc ab illo Leloyherio diverſum putaris. Dixi, quid mihi videatur. In quo ſi fallor, tam pereat ſuſpicio noſtra, quam extrema faba, ut in proverbio eſt. Non ignoras, ut Ampliſſimorum Academiæ Leidenſis curâ atque operâ, aliqua ſit facta medicina inimicitiis inter ſummos viros Salmaſium & Heinſium. Saltem hactenus, ut ne alter in alterum poſthac calamum ſtringeret. Sed non multo poſt Goeſii Senatoris Leidenſis (is affinis tui Heinſii gener eſt) liber in lucem prodiit adverſus Salmaſium; in quo traducit magnum illud ſæculi decus, ut merum Grammaticum. Cætera tacere malo. Quare metuo, ne incaſſum fuerit omnis Curatorum labor. Si bene Salmaſium novi, non feret hoc Heinſius inultum. Sed denuò ſe Salmaſius accinget ad impugnenda, quæ is ſcripſit, præſertim in N. Teſt. O ſi tandem homines, in ſtudiis excellentes, condonare multa publico poſſent, nec mutuo, ſic dente leonino ſe roderent. Non modò de Rep. literaria, ſed etiam de ſeipſis mererentur longè melius. Nunc quid faciunt, niſi quod apud imperitos ſordeant, & unà ferè cum illis ſtudia univerſa? Pluribus non detinebo, partim quia jam adſunt, qui has ad te literas deferent; partim quod nolim longus videri: præſertim poſtquam ipſe adeo in ſcribendo brevis eſſe ſoles. Uxori, filio, genero, plurimam ſalutem dicito; imo & vos omnes ſalutant conjux, & filius Iſaacus; qui annum & amplius redux ex peregrinatione, Britannica, Gallica, Italica; quibus penè quadriennium inſumſit, non ſine ſtudiorum incremento. Quod facilius perſpicies, ſi aliquando excurreris. Hoc fore adulto vere proximo, ſpem fecere illi, qui literas has tradent. Nomina adderem, ſi inquiſiſſem. Sed leve peccatum, cùm liceat mihi ſic eos apud te ἀνειφορίζειν.

Amſtelodami, VI Id. Septemb.
CIↃ IↃ CXLVI.

## DCCXLIV.

## Gerardo Joanni Voſſio,

## Claudius Salmaſius.

*Gaudet, ipſum non ceſſare orbem ſcriptis demereri, domeſticis licet doloribus turbatum. Annales filii defuncti perfectas gratulatur. Malis ſuſpicionibus premi, queritur.*

*Clariſſime, & Celeberrime Vir,*

HAgam profecturus, & cùm jam eſſem in procinctu tuas accepi: quod erit mihi pro excuſatione tarditatis in reſpondendo. Gaudeo te cum dilectiſſimo filio valere: ſed lectiſſimæ uxoris morbus me ſollicitat, ac tuo pro illa minus ſana dolore doleo. Deum precor, ut citò liberetur iſto malo, tuque eo metu, in quo nunc es propter illam. Te non ceſſare tamen æternum victuris ſcriptis poſteritatem demereri, lætus etiam accepi. Bonum factum quoque, quod τȣ̃ μακαρίτȣ Matthæi tui Annales excudantur, & quod eorum ſeries, ut egregiè poteſt, ita etiam vult Iſaacus tuus pertexere, ſeriò tibi, illique gratulor. Vellem ut velles de Provincia Hiſtoriæ, ei ab ordinibus Hollandiæ mandanda. Nemo hac tempeſtate id melius poſſet præſtare quàm ipſe: & faxo omni occaſione, id ita eſſe intelligent illi Procerum, quibus notus ſum. Non multi illi ſunt, non enim ſum ambitioſus, nec pluribus innoteſcere cupio: præcipuè Magnatibus, qui quos putant ſe inferiores valdè deſpiciunt; ita eos non admodùm ipſe ſuſpicio. Sed noſtris qui fortaſsè aliquid volent in meam gratiam, ut etiam in hac cauſa vobis ſint ſuffragatores, inſtabo.* Mitto tibi librum alterum Verini de Tranſubſtantiatione. Dubitavi diu an mitterem, quia contra Grotium eum ſcriptum accepiſti. Quoniam omnes volunt me Verinum eſſe, quàm verè, viderint, non credidi te diverſam orbitam ſecare à communi ſententia. Malitia tota vergit adverſus Pontificios, & Lutheranos. Et velim ſcire, quid tu, & Iſaacus tuus de eo ſentiatis. Uxor mecum vos officioſiſſimè ſalutat Te, uxorem, & filium. Vale.

Leydæ Idib. Septemb. CIↃ IↃ CXLVI.

## DCCXLV.

*Clariſſimo*

## Joanni Sadlero.

*Ingentes ei gratias agit, pro præbenda egregiè ſibi curata. Animo autem valdè ægro fert, quod à multis traducatur, quaſi in Remonſtrantium militet caſtris.*

*Vir Eximie,*

EGi antehac gratias pro egregio erga me affectu, nec inſigni minùs operà tua. Denuo ago, pro meritis inde conſecutis, quæ fusè mihi expoſuit ornatiſſimus Hoofdius; nec verbis modò enarravit, ſed re ipſa comprobavit. Annumeravit enim mihi per fratrem octoginta libras ſterlingicas, quas difficili adeo tempore adhuc, & fortaſſe deſiderarem æternum, absque te fuiſſet. Atque idem bene ſperare juſſit de cætero. Tantum ſibi in poſterum etiam promittebat, de amore tuo, atque innato illo ardore bene faciendi omnibus, præſertim quos literarum ſtudia commendant. Atque idem Hoofdius, apud me deprædicabat affectum ſummi viri, Domini Oliverii Sancti Joannis, & cùm aliis dotibus magni, tum in ſtudiis noſtris nullo inferiori Joanni Seldeno. Equidem veſtrorum in me meritorum magnitudinem quoties cogito, tantum eſſe video, ut ſi effari coner, cogat obmuteſcere, neque aliud ſim facturus, niſi ut Poëtæ loquuntur, *Divinitus ora mihi dentur dena, ac lingua decem*. Et tamen aſſiduè hæc animo meo obverſatur cogitatio; ut aliquo monumento, qualiſcumque ingenii, ac doctrinæ noſtræ id ignorare non ſinam nepotes noſtros, & qui ab his ſequentur. Neque id mihi operoſum erit, qui totus ſum in limandis veteribus laboribus; ſed hactenus ineditis, numero tam multis, ut contendere poſſint cum iis, quæ hactenus è noſtris lucem viderunt. Interea valde animo ægrè eſt meo, quòd non deſunt, qui homulum hunc, tam amantem floreniſſimi quondam Regni Britannici inſimulant quaſi cum magno Heroë, his terris conſilia capeſſam de iis, quæ ad ſtatum Regni pertineant veſtri: quaſi item in Remonſtrantium militem caſtris: liceat dicere illud Lucilianum, *Pergula Pictorum, veri nihil, omnia falſa*. Aſſiduè preces fundo, pro bono Britanniæ, paceque Regis & Procerum. Nec verbum ore excidit meo, unde, qui verum amet, culpare poſſit. Neque unquam ſacra Remonſtrantium accedo, vel ab annis XXV. ſed ſola eorum, quorum publica ſonat in Templis no-

ſtris Doctrina. Quibuſcum ſolis menſam etiam Dominicam frequento. Nec aliter his terris dicet quiſquam. Arctaque mihi familiaritas, etiam literarii commercii, cum omnibus penè Theologiæ Doctoribus, in Academiis & Illuſtribus Gymnaſiis Belgicæ fœderatæ. Ut ſatis dicere non poſſim, unde opiniones adverſæ. Equidem ſoceri, & Præceptoris Franciſci Junii ſententiæ inſiſto, vitamque æmulor, quantum poſſum, & liberis ejus exemplum ob oculos ponere non deſino. Plura in re fortaſſe ſupervacua non addam: ne præter morem id faciam, qui parcus verborum eſſe ſoleam. Salutem plurimam dicerem, à Clariſſimo Viro, communi amico, Joanni Pellio; ſed ut noſcere te jam arbitror, is Amſtelodamenſe Gymnaſium commutavit Bredano, ubi Philoſophiam ac Matheſin docebit. Mallem hic doctiſſimi viri amicitiâ frui; nec tamen conſilium ejus damnare audeo. Planè enim confido, melius illi iſtic fore, favore Illuſtriſſimi Arauſionenſium Principis, intelligentiſſimi, quantum Matheſis valeat in re militari.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ C XLVI.
XVI. Kal. Oct.

*Tuus totus,*

G. J. Vossius.

## DCCXLVI.

### Merico Caſaubono, Iſaaci Filio,

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris.*

*Reverende ac Clariſſime Vir,*

Redeunte ad vos Hoofdio noſtro, committendum non putavi, ut ſine meis ad te literis abiret, præſertim cùm tam multa mihi retulerit de affectu erga me tuo. Equidem ſemper de eo fui perſuaſiſſimus; ſed tamen juvat hoc ex illo etiam cognoſcere. De rebus meis quid ſcribam, ipſe vix video. Nam mallem lætiſſima quæque referre, ut communia gaudia gaudeamus. Nunc pleraque omnia triſtia. Ut de valetudine uxoris perpetuò adverſa: deque mortibus duorum filiorum, unius Franciſci, Juriſconſulti, alterius Matthæi Illuſtrium Hollandiæ ac Zelandiæ Ordinum Hiſtoriographi, ac Præfecti Bibliothecæ Amſtelodamenſi. Prior unicam, alter geminam prolem reliquit. Atque hujus tomus quartus jam exuditur, quo perſequitur res Comitis Jacobæ Bavaræ: in qua Bavari præeſſe Hollandiæ deſierunt. Exinde etenim tranſlatum imperium ad Burgundos, uti inde ad Auſtriacos. Cum autem volumen hoc conſtet libris quinque, ſolum quatuor abſolvit Matthæus, quintus addetur ab unica nunc prole Iſaaco J. C. quem fortaſſe ante quinquennium videris in Anglia. Exinde Gallias, & Italiam triennio luſtravit, magno cum ſtudiorum fructu. Vix dicere poſſim, quam multa optimæ notæ, hactenus *ἀνέκδοτα* attulerit. Quorum alia poſt alia lucem videbunt. Prævertet tamen Geographia Ptolomæi, quam cum variis MSS. contulit, & innumeris pene locis caſtigavit. Fortaſſe de his antehac quædam ſcripſi. Deum rogo, ut propediem ex te lætiſſima intelligam de rebus Britanniæ compoſitis. Vale, vir eximie, & cum lectiſſima conjuge, plurimum à me, uxore, ac filio ſalve.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ C XLVI,
XVI Kal. Oct.

## DCCXLVII.

*Iſti Crippingium commendat. & Hiſtoriam Eccleſiaſticam ejus videre quamprimum cupit.*

Pulſat hodie, amicorum maxime, fores Charitum Muſarumque tuarum Burchardus Crippingius noſtras, ſalutigerulus tui Crocii, qui eruditiſſimos labores ingenii tui æſtimat & admiratur. Quærit ille in Belgio veſtro Pædagogiam honeſtam, quæ, ſi te patrono, ipſi obtingat, tuus erit homo. Patre natus eſt viro bono, Scholæ noſtræ Collega. Sin, agnoſcet tamen cum obſervantia affectum. Adfuit mihi non ita pridem Baro *a* quidam à Wolzogen profectus in Poloniam, qui ſpem mihi fecit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de Myſterio Sacro-Sanctæ Trinitatis, manu tua conſcriptæ & edendæ in morem Hiſtoriæ Pelagianæ. Imple ſpem noſtram & votum, ſi potes, & matura. De poſteritate ut es meritiſſimus, ita meritis tuis hanc coronidem impones. Sic vive, virorum ſumme, & Crocium tuum redamare, quod facis perge. D. Willius, Collega meus plurima te & tuos juxta mecum impertit ſalute.

*a Is eſt Joh. Lud. Wolzogenus, poſtea Fauſti Socini aſſecla haud indoctus.*

Raptim, Bremæ
XIX. Octobris
CIↃ IↃ C XLVI.

*Excellentia tua, Vir maxime devotiſſimus,*

Ludovicus Crocius.

## DCCXLVIII.

*Viro maximo, incomparabili*

### D. Joanni Gerardo Voſſio,

Theologiæ Doctori,

### Samuel Sorberius

S. P. D.

*A Giallardo librum editum ait. De quo hic ejus ut & aliorum judicia avidè expectet.*

En epiſtolas, Vir ſumme, quas ad me miſit & ad te ſcribit Ægidius Gaillardus Nobilis quidam Gallus, qui à caſtris Pontificiorum ad noſtra aliàs tranſiit, & edito libro pietatem & doctrinam ſuam probavit. Illi nuper venit in mentem neſcio quid circa Neſtorium, quaſi perperam in Epheſina Synodo fuerit livore Cyrilli hæreſeos inſimulatus damnatuſque; eaque de re edidit librum, cui titulus eſt *De Suppoſito*, cujus verò, ut puto, copiam ſibi fecit optimus Reverenduſque Curcellæus. Efflagitat autem Gaillardus, ut à te reſponſum, ut & à Salmaſio Spanhemioque extorqueam. Sed imprimis à te, cujus æquitatem & ſubactiſſimum in expendendis veterum dogmatis judicium novit. Si quid igitur ad illum, vel ad me quibus mentem tuam ſignifices, literarum per Curcellæum noſtrum ſcribas, gratiſſimum feceris, & quo tibi devincies Virum Nobiliſſimum. Tu vale, Senex venerandiſſime, ſeculi noſtri decus primarium, cum tuis omnibus, quibus ſalutem quæſo plurimam meo nomine dices.

Lugd. Batavor.
III Novemb.
CIↃ IↃ C XLVI.

Audio Joh. Croium in eadem ſententia eſſe in qua Gaillardus noſter.

## DCCXLIX.

*Illius ſententiam ſuper Arithmeticis notis vel Ziphris exquirit.*

*Clariſſime & Celeberrime Vir,*

NIſi cognita orbi humanitas tua eſſet, haudquaquam ignotus, graviſſimas occupationes tuas, intempeſtivis literis, interpellare auſus eſſem. Ea mihi & ſpem fecit diſcendi à te, quod docere ſolus potes & pudorem qui cum peregrinitate mea conjunctum eſſe debebat, ademit. Quæſtio his diebus apud nos mota fuit, de vera origine vulgarium Arithmetices notarum, quas Ziphras vocant, 1. 2. 3. & varie ea res agitata. Sed de Antiquitate, & qua occaſione, apud nos in Europa, quibuſque temporibus, uſurpari primum cœperint nemo quicquam. Additum & hoc, rationem non apparere, cur apud Latinos V quinque, L quinquaginta notet. Recondita penes te omnis Antiquitatis cognitio, hæc aliis ferè inacceſſa, faciliime expediet. Quod ſi graviſſima negotia tua patiantur, ut vel tribus verbis, mentem tuam, Domino Richtero harum latori aperias, felicem me arbitrabor, & maximo beneficio affectum. Brevem me eadem nominis tui reverentia facit. Deus te, incomparabile ſeculi noſtri decus, ſoſpitet.

Leidæ ex ædibus Spanhemianis III. Id. Dec. cIↃ IↃ CXLVI.

*Cl. nominis tui cultor addictiſſ.*

GEORGIUS HORN.

## DCCL.

*Clariſſ. Viro*

### D. Mareſio.

*Laudat Theologiam ejus Elenchticam, affectumque erga ſe & affinitate ſibi annexos, benignum ut conſervet, rogat.*

*Reverende & Clariſſime Vir,*

VAldè capior Theologia tua ἐλεγχτικῇ, opere docto & laborioſo: ut de Nepotis Chronicis judicabat Catullus, videlicet (lubet alterius vatis verſiculos παρῳδιάζειν)

*Gallis ingenium, Gallus dedit ore diſerto*
*Sacra Thalia loqui.*

Itaque quantum ſpiſſæ occupationes ſinunt, valdè eo me oblecto: multumque eo nomine debere me tibi fateor, quod muneri miſeris, offerendum manu amicâ Hottoni, optimi virorum: ſpero me propediem poſſe ἀντίδωρον mittere: ſed argumento diſpar. O utinam non ſic diſtringerer, ut ſacris etiam poſſem manum addere extremam: quorum notitiâ, ut longe vincar, haud minus tamen capior fortaſſe, quam præclari ordinis veſtri quiſquam. Crede enim mihi, eximie Mareſi, vita mihi eo injucundior, quod ſic à melioribus avocer, & valetudine uxoris, & adverſis multis, & aſſiduis undique interpellationibus. Et facilè me id puto poſſe perſuadere qui ſine dubio doles, ereptas tibi ab aliis bonas horas, quas adverſus communem hoſtem maluiſſes impendere. Interea multum gaudeo, non tantum in animo tuo quicquam valuiſſe moleſtiarum, ut propterea careremus Elenchtica tua Theologia, quæ in canis legetur ſeculis. Affinis mea Junia nunquam deſinit mihi prædicare ſummam tuæ domus humanitatem erga ſe, & ſuos. Quo nomine gratias ego, & uxor, habemus quantas poſſumus. Rogo ut hunc adfectum conſerves, præſertim ſi quid valeas, pro nobis, & optimo adoleſcente Franciſco Junio: quem ego penè parentis inſtar amo: non modo propter magnum avum, ſocerum, & præceptorem in Hebræis, ac Sacris meum; ſed etiam, quia virtutis via ſtrenue graſſatur ad honorem. Plurimam ſalutem conjux uxori tuæ adſcribi petiit. Meo etiam nomine, ſi grave non erit, ſalutem dicito duobus Clariſſimis Collegis tuis, D. Withmario, & D. Paſori, quem gaudeo nunc etiam ſacrum in ordinem adſcitum.

Amſtelodami, cIↃ IↃ CXLVII. VIII. Kal. Feb.

*Virtutum tuarum cultor,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCLI.

*Viro Clariſſimo,*

### Antonio van der Linden,

### Gerardus Joannes Voſſius,

*Judæum, ad ſupremam in arte medica lauream aſpirantem, commendat.*

HEſterno die convenere me Rabbi Manaſſes Ben-Iſraël, & Iſaacus Rocamora, natione Luſitanus, Religione Judæus. Eorum hic biennio operam medicinæ dedit, illoſque in arte veſtra progreſſus fecit, ut confidat ſe non indignum ſuprema in hâc laureâ. In re tenui conſtitutus, putabat, ex inclytis Lyceis, illud ſibi diligendum, ubi minus avare Nobiliſſimæ artis honori pretium ſtatueretur. Impensè mihi hunc Rocamoranum commendabat Manaſſes, vir tui amantiſſimus & in quo, ſi unam excipias Religionem, nihil requiras. Equidem (quod de paucis, non ejus modo ſectæ, ſed cæteris etiam hominibus dixero) dignum exiſtimo, quicum vel in tenebris mices. Poſcebat ille, ut literularum aliquid ad te exararem, quibus voti ſui te facerem certiorem. Nihil Religionem obſtare poſſe arbitror; quandoquidem quo tempore in urbe patria agebas Haroni Amſtelodamenſi, itidem Judæo, is honos à Leidenſibus fuit collatus. Ac memini me ex veteri Collega τῷ μακαρίτῃ Vorſtio, audire, plane in hoc negotio, haud in conſiderationem venire, quæ fidei ſunt, ſed quæ Medicæ artis; præſertim cum his terris, Judæis etiam concedatur artem eam exercere. Valdè deſidero noſſe, utrum animus tibi perſtet, de nova editione elegantiſſimi ſcriptoris Cornelii Celſi. Equidem nullus dubito, quin tuo beneficio, meliori toga prodire, celſiori etiam in loco Celſus licet poſſit collocari. De Heſychio, quæſo autem velle eximio Schotano. Sæpè me ejus commonuit filius; ſiquidem periculum videtur, ne tam longo tempore non redeundo unde abierat, inter aves feras incipiat numerari. Id fieri nolim, neque te ſponſore tam integro, & viro, & amico, fieri æquum puto. Salutabis eum meo nomine plurimum. Uti & duo apud vos S. Theologiæ columina.

Amſtelodami, IV. Kal. April. cIↃ IↃ CXLVII.

## DCCLII.

*Eximio & ſummo Viro*

### Georgio Calixto,

### Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Scripta ejus quanti in Batavia æſtimentur, edocet. Parum autem Torunienſi colloquio effectum eſſe, cum multis dolet. Simile ut inſtauretur, ſed eventu diſſimili, optat.*

REdit ad vos ornatiſſimus Duvius; per quem ante biennium accepi tum gratiſſimas literas tuas, tum doctiſſi-

mum reſponſum adverſus Moguntinos. Utrum gratias egerim, non poſſum certò dicere; factum puto. Fortaſſe tamen diſtulerim, ubi cognovi te ad Toruntenſe Colloquium profectum; ſed ſi id minus à me factum, nunc ago; eò juſtius, quia tua omnia, ut debeo, amo, & æſtimo. Nec ſanè ex Germania quidquam huc locorum defertur, quo æque capiantur meliores animæ, ac illis ex Academia Julia. Valdè multis dolet, non plus effectum eſſe, Torunienſi Colloquio; cujus licet culpa imprimis ſit penes adverſarios, plus tamen ſperare licuiſſet; ſi ex noſtris etiam cæteri eam animi moderationem attuliſſent, quam tu cum Clariſſimo Bergio; ſed ferè ita fit, ut quod quiſque didicit retineat, ſicut claudus pilam. Pauci etiam, quid Eccleſia Catholica ſit, ſciunt, vel cogitant. Nec facilè dixero, quantum mali det Eccleſiæ antiquitatis contemptus. Utinam vero, Sereniſſ. Poloniæ Regis auſpiciis inſtaurari ſimile colloquium, ſed eventu diſſimili poſſit. Sæpius ejus rei ſpem mihi fecit Nobilis Italus, ſed Poloniæ Regi perfamiliaris. A Britannia, ut nunc ſe res habet, nihil ad hoc negotium auxilii expecto. Vellem hoc tempore, pro munere non uno, ἀντίδωρον mittere potuiſſem; ſed ut ſpero fiet hoc propediem. Varius enim prælum fervet, partim in humanis, partim etiam divinis. Quando enim ætatem cogito (jam ſeptuageſimum exceſſi) feſtinandum mihi video, ſi quid me vivo cupiam videre lucem. Deum Opt. Max. rogo, ut longam ætatem, ad bene de Eccleſia merendum, largiatur tibi; ſed & Clariſſimo Hornejo, & doctiſſimo Conringio, quibus ſi meo nomine ſalutem impertias plurimam, rem facies gratiſſimam.

Amſtelodami, CIↃ IↃ C XLVII.
III. Kal. Majas Styl. Greg.

## DCCLIII.

*Viro ſummo,*

### Gerhardo Joanni Voſſio,

Seculi ornamento,

S. P. D.

*Deſiderium ſuum exponit & ſcribendi cauſam, occaſione chymicorum ſibi ſuppeditatam, cupiens idcirco, ab illo ex antiquitate erudiri.*

QUanquam, Vir ſumme, mirari poſſis, quod ego, homo ignotus, & ex Pomeraniæ oris id ad te auſim: credo tamen me excuſari poſſe, vel una iſta fiducia, quâ præſentem olim veneratus ſum, & loquentem audivi. Res quidem tanti momenti non eſt, ut hac ſcriptione forſan, interpellare debeam tuos labores; & graviſſima ſtudia: quia verò ad alium ire non licebat, à quo erudirer, condonaturum te ſpero importunitati meæ. Et ne multis te remorer, Vir magne, ſtatim in limine ſcribam, quid te velim. Notum eſt, quam hodiè nimium inſaniat turba Chymicorum, circa laudes Medicinarum, quæ ex Metallis, & Mineralibus petuntur. His ut fidem adſtruant, Argentum ſumunt maximè ab antiquitate, & quidem Ægyptiorum: à quibus Mineralia, & Metalla, ob præclaras in Medicina dotes, ac vires, in numerum Deorum relata, & tanquam Deos, ac Numina quædam culta fuiſſe, magno hiatu clamant, ac teſtantur. Memini hanc in rem, de cultu foſſilium, in Theologiæ Gentilis ad Lib. III. & IV. præfatione, quædam moneri; atque alibi in libris iſtis tradi; Paganos multis rebus, unde inſigne aliquod commodum ipſi ſenſiſſent, divos nonnunquam honores tribuiſſe; ſed hæc parùm facere ad notitiam Theologiæ Gentilis; ad Symbolicam tamen plurimùm conferre. Quia ut conſtat, & allium, & porrum, & cæpæ, inter Numina accipiebantur; ob utilitatem ſcilicet, quam hæc talia præſtabant hominibus. An autem tale quid, Metallis, ac Mineralibus præſertim, ob hanc cauſam, quam nominari contigerit, difficile eſt ſine gravi aliquo Authore affirmare. Nec cordato unquam homini hoc in mentem credo venire poſſe, uti id ſentiat, aut credat. Quis enim tam graviter delipiat, ut quia Solis vires maximè conſpicuæ ſint in ſole terreſtri, hoc eſt auro; huic ob id Metallo, nomen ab ipſo inditum eſſe velit, & religioſè poſtea tanquam Numen, ab Ægyptiis adoratum? Quis item Martis, Veneris, Jovis, Saturni, Lunæ nomina, noſtrati Ferro, Argento, Stanno, Plumbo, Cupro, Mercurio tribuat, ob naturæ, & virium cognationem? Quod hodie Chymici faciunt; quo jure, & quibus fundamentis, ipſi viderint. Quas tantopere vires jactant, de illis puto parum conſtitiſſe Antiquis; nec ipſis hodie Chymicis quicquam certi de illis conſtat. Interim multa inſruniti obla erant, de auro potabili, de auri anima, & tinctura, de cæterorum Metallorum, & Mineralium extractis, Eſſentiis, Spiritibus, & Tincturis, de quibus ne ſomniaſſe quidem credo Ægyptios. Alios quidem uſus Metallorum, non negaverim. De Chymicorum verò nugis, an certi aliquid ex Antiquitate adſtrui poſſit, à te, Vir ſumme, erudiri velim, & quidem ſi dignus videar, uno vel altero verbo, ego tam grande beneficium, ſi non alio, ſaltem obſervantiæ, & pietatis in Præceptorem redhoſtimento, ſubmiſſè, ac devotè, compenſare ſtudebo. Vale, & diu vive bono Reipub. literariæ.

Dab. Stetini, 5 Maji, 1647.

*Magnific. T. obſervantiſſ.*

GEORGIUS KIRSTENIUS,
*Med. D. & Profeſſ. Regim.*

## DCCLIV.

*Viro Incomparabili*

### Gerardo Joanni Voſſio.

*In hiſtorico ſuo opere ab eo juvari, nec non Monachorum Orientalium vitam ex antiquitate uberius doceri petit.*

*Celeberrime Voſſi,*

QUas nuper pagellas Sulpicianas, per doctiſſimum Richterum, miſi, eas à te pari humanitatis affectu, ac cætera, exceptas fuiſſe, cum gaudio intellexi. Gratias pro tanta in opus noſtrum προθυμίᾳ agere nunquam poſſum: debeo ſemper. Nunc quoniam paulatim, ex hiſtoria Veteris Teſtamenti, ubi pede magis inoffenſo pergere licuit, ad ampliſſimos hiſtoriæ exoticæ campos pervenimus, & nobis Imperium Græcorum, Judæiſque formidati Syriæ Reges, tum Romani dicendi erunt; quantum humanitatem tuam fas eſt, oro, & obteſtor, ut lectionis tuæ, & hiſtoriarum fontes nobis pandas, ac quæ videntur impertias. Imprimis quod hiſtoriam Arrianam ſpectat, in qua noſter cum cura, & apparatu majori verſatus videtur, neſcio an pari ubique fide, & abſque ira ac odio. Eam igitur, Celeberrime Voſſi, commendatam tibi præ cæteris habe, & quicquid videris dignum obſervatione tua, fac tibi debeamus. De vita Martini, & Monachorum Orientalium, noſti quid deſiderem. Ea vel omninò ſine decenti notarum veſte, publicanda erunt: vel tu ſuccurrere, & inopiam ſublevare tua copia debes. Occurrunt ibi multa antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta de Monachorum prima origine, habitatione, inſtitutis, veſtitu, victu, & quantum poſteriores, ab antiqua illa ſeveritate, declinarint ad ſocordiam. Quæ omnia requirunt tantam antiquitatis illius peritiam, quantam in te ſolo, ſeculum noſtrum agnoſcit, & veneratur. Sed ego & prioribus tui in Sulpitium affectus documentis & optima, quam Richterus fecit, ſpe incitatus, polliceor nobis, Sulpitium tua opera inſigniter illuſtratum.

In-

Interea vale, Vir ſeculi noſtri maxime, & me, cætera omnibus, affectu in te, & cultu nemini inferiorem, amare, & ornare perge.

Leidæ, XVIII Maji, CIↃ IↃ CXLVII.

*Clariſſ. nominis tui cultor addictiſſimus,*

G. HORN.

## DCCLV.

*Viro Excellentiſſimo*

## Gerhardo Joanni Voſſio.

*Vindicat Junium contra Scaligerum. Sponſalia in Belgio typis excudi curaturus, ut & alia de literis Antediluvianis & Hieroglyphicis.*

PAucis lineis prolixam εὐαγγελιογραφίαν, ſignaturus, tuique ſic florentis ſtatus nuncio brevi gaviſurus, faventiſſime Voſſi, ſubjicio acri tuo judicio, & candido, geminam Exercitationem: alterâ undequaque doctiſſimum Junium vindicatum, & ab acerbiore cenſura maximi Joſephi Scaligeri, omninò non malè, ſed veritatis perſtudioſo. Etenim viri ſummi eximias, & ingenii vaſtiſſimi opes, ut numero plurimas, ita pondere graviſſimas, ex animo veneror. Eadem eſt penè controverſia literaria, quam hic duo, doctiſſimus Joannes Buxtorfius, & ingenioſiſſimus, atque eruditiſſimus Ludovicus Capellus, ventilant. Sed hæc melius publica loquuntur ſcripta. Porrò paſſus ſum meis manibus extorqueri Sponſalia, quæ ſi Excellentiſſimus Vir, vel oculo emiſſitio, ſaltem luſtrare dignatus fuerit, & probaverit; conabor efficere, ut mixtus hic ſeveritate ingenii à Muſis triſtioribus, reſpirantis, luſus, lucem à veſtratibus typis ſit mutuaturus: ſin minus, mihi etiam diſplicebit. Tuam igitur celeberrimo Typographo Janſonio ſententiam ſuper hac lucubratiuncula (uti ſuper aliis de literis Antidiluvianis Adami, Sethi, Enochi, Noachi, &c. item de literis Hieroglyphicis Ægyptiorum, quæ tibi muneri miſſa ſunt) ſi indicare haud grave duxeris, ſempiterna erit apud me hujus beneficii memoria. Quod ſi haud noſſem inſignem tuam humanitatem, & candorem, quem optima anima, Meurſius, mihi ſæpè deprædicavit, & te legendi, & memet ſcribendi liberarem labore: quem tantæ nunc publicæ occupationes circumſtant, ut lictores olim, Conſulem Romanum. Quod ſi ſuaſeris in aliis, quæ domi peperi, foris veſtiendis, & nutricandis, haud ero in poſterum difficilis. Metuo ſaltem genio loci: nihil ne inquam, abmorſos ungues ſapiat, ex angulo inſularis Septentrionis venire putatur. Sed feſtinantiùs hæc, quàm oporteret, ad Virum tam eximium, & celeberrimum; quem plurimùm ſalvere jubet

Hauniæ, 2 Junii, 1647.

THOMAS JO. BANGIUS, *Acad. Haunienſis p. t. Rector M. S.*

## DCCLVI.

*Clariſſimo Viro,*

## Jac. Gothofredo.

*Pro Philoſtorgio ejus reciprocum munuſculum de Arte Poëtica mittit, plura poſthac promittens.*

*Ampliſſime ac ſumme Vir,*

JAm tot ſunt anni, ex quo me donaſti graſſimo munere, Philoſtorgium dico; qui me valde delectavit, partim quia magnam adfert lucem hiſtoriæ ſuorum temporum; partim ob ei impenſos doctiſſimos labores tuos. Non parum itaque tibi ſtudia mea debent, nec mea modo, ſed aliorum quoque antiquitatis amantium. Hactenus pro operâ, ac dono, gratias egi nullas. Præter tot adverſa, adferre multa poteram, quæ me fecerint negligentiorem; ſed malo culpam agnoſcere, & tardè officium facere, quam nuſquam. Nunc verò differre ultra ſi velim, nullum delicto reperire mantelum poſſim. Bella adeo ſe offert ſcribendi occaſio; eunte ad vos, inque Galliam reliquam, soceri mei, magni viri Franciſci Junii, ex maximo natu filio, nepote optimo, & doctiſſimo. Rogo etiam ut ne grave ducas, de manu ejus accipere minutum ἀντίδωρον. Videlicet quæ de Arte Poëtica, proximè in lucem dedi. Excuduntur, præterea, quæ de Baptiſmo ſcripſi. Item de univerſis veterum ſtudiis libri pluſculi; & quædam alia quæ non ingrata fore ſpero. Mirari vero noli, ſi eodem tempore, plura diſtineam præla. Malo cum Ariſtide eſſe, ἐκ τῶν ἀκεραιόντων, quam τῶν ἱμώντων. ſed iſta quæ dixi, aliaque multa, multos ante annos ad umbilicum perduxi, ſolum ſupereſt ut edantur. Nec animus eſt diu alterius differre. Convaſare enim ætas jubet, cum ſeptuageſimum exceſſerim. Veniam interim poſtulo, ſi non omnia faciunt ad palatum tui ſimilium, quales ſanè perpauci. Eò impenſius opto, ut me porro ames, & aliquo habeas loco labores noſtros. Vale, Vir eximie, & maximos Viros, Deodatum, & Tronchinum, quos in Batavia ante annos XXVI. cum voluptate vidi, plurimum meo nomine ſaluta.

Amſtelodami, CIↃ IↃ CXLVII. IV. Id. Sept.

*Tuus æternum,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCLVII.

*Clariſſimo Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio.

*Britannicas turbas deſcribit. Denuò monet de edendo opere contra Anabaptiſtas, quippe quod in Angliâ valdè expectetur.*

LIteræ ex Anglia nuperrimè ad me datæ, triſtia omnia nuntiant. Exercitus enim Farfaxii, qui maximam partem conſtat ex Anabaptiſtis, jam rerum potitur, Regemque captivum detinet, nec minus Presbyterianorum (uti eos appellare Angli aſſolent) quàm Epiſcoporum, Eccleſiaſtico regimini, bellum indixiſſe videtur. Independentibus, qui idem agunt, haud ſegniter, auxilium ferentibus: adeo ut duabus partibus infœliciter contendentibus, tertia jam palmam præripuiſſe judicari poſſit. Nunc certè redeo in memoriam. Vocum aſperrimarum quorundam in Anglia virorum, non imi ſubſellii, & cætera piorum, & doctorum, pacem (tanquam conſiliis ipſorum inimicam) cum Rege, procul eſſe jubentium. Quæ utique ſicuti tunc aures meas raſerunt, cùm eas audire contigit, ita nunc me conturbant vehementius, animique mei ſerenitatem obducunt. Miſerrima Anglia! Miſerrima Eccleſia! cui ſuppetias ferre quemadmodum non eſt cujuſvis, ita Deo acceptiſſimum fore nemo ſanus dubitet. Tuum, Vir doctiſſime, auxilium quod præſtare potes, ne denega, & quod jamdudum Viri docti ac probi deſiderant; Opus illud contra Anabaptiſtas, ſaltem quatenus Pædobaptiſmum aſſerit, fac quæſo lucem aſpiciat. Etenim amici tui, meique idipſum rurſus efflagitant, hoc te afflictæ Angliæ daturum ſperantes. Sperâram mihi hac æſtate tempus, locumque, datum iri coram, de hiſce, aliiſque ſermones ferendi. Sed ſpei jam ſucceſſit ἀελπία. Rogo, ut quid de libri editione, amicis promittere poſſim; ubi per occupationes licebit, mihi indicare non dedigneris. Interim vale, Vir clariſſime

riſſime atque humaniſſime, & me, (quod facis) amore ac favore tuo amplecti perge. Uxorem lectiſſimam filiumque D. Iſaacum ſalvere jubeo.

Dordr. 3 Idib. Sept. 1647.

*R. T. obſervantiſſimus,*

JACOBUS LYDIUS.

## DCCLVIII.

*Illuſtriſſimo Celſiſſimoque*

## Ludovico,

Duci Gelriæ, Comiti Egmondæ & Zutphaniæ.

*Egmundanorum Comitum ſeriem ab annis plus millenis recenſiturum ſe, pollicetur.*

*Princeps Celſiſſime,*

SI prius fuerim obſtrictus Celſitudini veſtræ, quod ea dignum me cenſuerit, cui aliquid imperaret; certe nunc quam obſtrictiſſimus ſum, poſtquam video prolixam meam voluntatem, atque hanc uſque adeo imbecillem, tanta excipi benevolentia, à Celſitudine veſtra, non aliter, quam ſi quod volo, poſſem, & quod poſſem jam egiſſem. Utinam vero ſic foret! nec incomparabilis illa humanitas Veſtræ Celſitudinis, non ex benignitate tantum, ſed etiam merito ex meo proveniſſet. Quam homulus ego mihi gratularer! Verum cùm vires meæ non ſuſtineant hoc oneris, ut exſolvere valeam, quantum vellem, & deberem: gaudeo ſaltem, quod Vir Nobilis, Mortimerus, pro ſolitâ ſua humanitate indicarit Celſitudini Veſtræ, utcumque mihi deſit facultas, non deeſſe tamen deſiderium, & voluntatem inſerviendi Celſitudini Veſtræ. Quod vero ſtemma attinet Celſitudinis Veſtræ, ſumma enitar ope, ut ſi quis fortaſſè mortalium Ducale illud genus ignorat, deinceps videat, nulli illud cedere Principum in Orbe Chriſtiano. Quo fine Comitum Egmundanorum ſeriem ab annis plus millenis, in Originibus ſuis Batavis, referet filius meus Iſaacus. Hoc opus lucem conſpicere poſſe confido, non multo poſtquam ad nos reverſus erit Mortimerus. Id ſpero brevi futurum. Puto ope ille, & conſilio, non mediocriter nos juvabit. Deus Opt. Max. Celſitudini Veſtræ felicia omnia, & proſpera largiatur.

Amſtelodami, anno cIↃ IↃ c xlvii. prid. Kal. Octobr.

*Celſitudini Veſtræ devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCLIX.

*Celſiſſimo Principi*

## Ludovico,

Duci Geldriæ ac Juliæ, Comiti Egmundæ & Zutphaniæ.

*In exornando & expoliendo Illuſtriſſimo ejus ſtemmate, præſentiam Nobilis Mortimeri impensè deſiderat.*

*Celſiſſime Princeps,*

SPiſſius video procedere ſpem, quam de reditu paulo celeriori, feciſſe mihi viſus Nobilis Vir Dom. de Marimottuo. Nec ambigo quin ſic tulerint res Celſitudinis Veſtræ, ut ne reverti celerius poſſet. Dum verò is abeſt, cælator ſublimis generis Veſtri, priſcorumque inſignium, eò rem perduxit, ut nihil, quantum ſciam, ultra requiratur, quam præſentia ejus viri uſque adeò ſeduli, in Celſitudinis Veſtræ negotiis, quorum non alter, his terris, ut opinor, intelligentior. Ego verò abſente eo meticuloſe rem gero. Optimè noſti, Egregie Princeps (quem non ego magis, ob ſublime genus veneror, quam proprias dotes, in his, doctrinam raram excelſi ſtemmatis comitem) quod olim dicebat Poëta Hiſpanus, non hujus temporis, quo tot annos cum gente ea bellum gerimus; ſed ille priſci ævi Bilbilicus vates:

—— *Peccant*
*Securæ nimium, ſollicitæque manus.*

Itaque operæ illæ, juxta mecum, impenſæ illius operam deſiderant. Nec minus ille vel illis, vel mihi utilis fuerit aliis in negotiis ſic nati Principis. Quod non ſemel perſpexi, vel paucas ante hebdomadas, cùm Hagam-Comitis excurriſſem, atque occaſio foret, de Celſitudine Veſtra colloquendi cum aliquot viris in dignitate non exigua conſtitutis. Ages quod pro eximia prudentia expedire judicabis. Equidem ut Illuſtriſſimum Ducem horum facerem certiorem, mei eſſe officii exiſtimavi: qui æternum ero

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xlvii. prid. Non Novembris.

*Celſitudinis Veſtræ cultor devotiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

## DCCLX.

## Cornelio Tollio,

ſuo,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris & jocoſa.*

DE laudibus Alexandri Mori multa à variis intellexi, ut de eruditione ejus dubitare nequeam. Utrùm vero venturus ſit, in has oras, ſi ad profeſſionem ſacram à Proceribus veſtris ſollicitetur, nondum dicere poſſum, ſed paucis diebus, vel ego, vel filius, ſuper eo reſcribet. De Plutarchi mente in Sympoſiacon, primò gaudeo te laborare. Nempe nondum ſcis mores amantium, nec hac ætate multum noviſſe attinet. Diſpar mei ratio, qui bis amavi. Non ſoleo ego mea profundere: ſed quo tempore amatoribus accingebar, cogebar, ne tenacior audirem, nunc erga famulos, nunc alios etiam liberalior eſſe, quam conſueveram. Marſupium mihi vel apertum ſemper, ad dandum aliquid, vel ſaltem non aliter conſtrictum, quam nodo folii porracei, ſcis iſtiuſmodi folium, quam tenue ac fragile ſit: ut nihil referat ſitne crumena aperta, an folio ejuſmodi nodata; ſic proverbiale illud dictum etiam cepit Cœlius Rodiginus lib. xxix. Antiq. Lect. cap. xvi. Nec ſanè aliter Plutarchus capi poteſt. Hoc abundè diſces, ubi tam ſerio rem ages inter Virgines Belgicas, quam hactenus feciſti inter Virgines Muſas. Nob. & Ampliſſ. Wynbergio, uti & Clariſſ. Doct. Walkenirio, plurimam à me ſalutem dicito.

Amſtelodami, cIↃ IↃ c xlvii. Non. Novembris.

DCCLXI.

Digitized by Google

## DCCLXI.

*Viro incomparabili*

# Gerardo Joanni Voſſio,

## Vincentius Fabricius

S. P. D.

*Et patrem Voſſium, & filium laudibus ornat, ac utriuſque ulteriorem ſibi amicitiam pollicetur.*

NOn patitur candor tuus, & eximia erga me benevolentia, prolixè apud te de me deprædicare, quot nominibus, & quantoperè, tibi, tuiſque devinctus ſim. Poſtrema profectò epiſtola tua, ejuſmodi fuit, ut etiamſi abſque cæteris tuis beneficiis foret, planè certius ipſe poſſim de paterno tuo in me affectu, quem pluris æſtimo, quàm quicquid ſatis indulgens fortuna hactenus ſuggeſſit. Id unice Deum precor, ut tanti Viri amicitia, ac amore dignus inveniar, quem Reipub. literariæ maximè intereſt, præter cæteros mortales, in vegeta illa ſenectute, diutiſſimè eſſe ſuperſtitem. Iſaaci filii creſcenti gloriæ, ex animo faveo, gaudeoque quod tam dignè ſuſtineat onus, quod humeris ejus incumbit; ut nempe tam parentibus ſanctiſſimis, quam bono publico, fratres repræſentet, jacturaſque tantas compenſet. Uti hactenus conſuetudine plane fraterna convincti viximus; ita ſpero illam inter nos animorum conjunctionem æternam fore. Nec puto aſpernari ipſum veterem amicum, quem tenuitas primò ingenii, aliaque adverſa, mox Reip. negotia, à literarum gloria arcuerunt. Nunquam tamen ulla negotia ita me occupant, ut non meminerim benevolentiæ veſtræ, aut mihi tempus deeſſe patiar, ad diligenter evolvendos incomparabilis ingenii tui fœtus, quos provecta quidem, ſed fœcundiſſima illa ſenectus quotidie parit: in quibus profectò nihil ſenile eſt, præter admirabilem, judicandi, & ſcribendi maturitatem. Iſta unica mihi voluptas in poſterum ſupererit, implicito tot negotiis, & à priſtinis meis amœnitatibus, per mille divortia miſerrimè diſtracto. Filio Viri Cl. Manaſſis Ben-Iſraël, libenter affectum meum, luculenta aliqua opera fuiſſem teſtatus, ſi uterque in molliora, & oportuniora tempora incidiſſemus. Sed ipſe coram accuratius omnia ediſſeret. Uxori matronæ laudatiſſimæ, ut à me, meaque, officioſiſſimam nunties ſalutem, obſervanter oro. Uxor mea illam uti matrem colit, & veneratur, hactenus ſibi ignotam, ſed ex inſtitutione mea, gnariſſima illius erga me inuſitatæ benevolentiæ. Ego dum vivo, me clientem tuum, tuæque familiæ profitebor. Deus vos ſervet optimè volentes, omnique exoptata fœlicitate perfruentes.

Gedani, Kal.
Dec. 1647.

## DCCLXII.

*Celeberrimo & Clariſſimo Viro,*

# D. Gerardo Joanni Voſſio.

*Morum falſis criminibus indignè petitum, & innocentem enixè ipſi commendat.*

*Celeberrime Vir,*

AD tuas quas mihi reddidit, Junius veſter, bene doctus & moratus juvenis, quem ideò quoque animo complector, nondum reſpondiſſe me ſcio, neque adhuc reſponſurus eram, ob non redditum adhuc Commentarium de Poëtica, niſi ſontica quædam eò cauſa me nunc adigeret; candoris quoque tui fiducia fretum. Nullus dubito, Vir de literis, & literatis meritiſſime, quin Reverendi & Clariſſimi Viri, Alexandri Mori, Paſtoris, & Profeſſoris in hac Eccleſia & Academia celeberrimi, fama, meritumque tibi innotuerit; tum ex aliis, tum ex eo quoque, quod jam in Belgium quoque ad Profeſſionem Theologicam invitatur. Et is tamen, ut ſummæ virtutis comes invidia eſſe ſolet, jam ab aliquot annis ab æmulis, non una ratione laceſſitur, lancinatur: quorum impetus feliciter ſemper non eluſit, ſed eliſit, doctrinæ partim ſanctitate, partim morum innocentia. Neque dum tamen confectam rem video: novum ecce, horrendumque crimen impingi audio, & blaſphemiam in Spiritum Sanctum. Quo quidem nuntio, totum me cohorruiſſe fateor, protinuſque de innocentia ejus tutanda cogitare cœpi: nam etſi calumnias illas ex Orci faucibus erutas ipſe, quà valet integritatis fiducia, quibus ingenii dotibus, nemo melius quam ipſe diluere poſſit, & magnificè diruere; non potui tamen, quia amici mei ſummi, imò Eccleſiæ noſtræ hac parte res geritur, mihi temperare, quin συμπαθείας meæ teſtimonium, in candidiſſimum ſinum tuum effunderem, ſimul & vicem apud te ſeriò dolerem, temporum horum iniquiſſimorum; quibus pax Eccleſiæ indies, magis magiſque turbatur. Certò enim ſcias velim, Vir candidiſſime, paciſque ſtudioſiſſime, agnoviſſe me in Moro noſtro, doctrinam conſtanter ſinceram, ſobriam, & à variis quæſtionibus abhorrentem, vitam inculpatam, mores candidos, ingenuos, ab omni fuco alienos, cum charitatis ardore vivido. O ſi Deus nobis ubique benè multos ad hanc formulam, & characterem factos ſufficeret! Certè paci Eccleſiarum optumè conſultum eſſet, quæ nihil habitura eſſet vel inſidiarum, vel aucupii. Sed quid facias iis, qui procul ab ira, & ſtudio, bona fide nunquam abeſſe poſſunt? ſenſit ut modo dixi, Morus noſter quorumdam ex hoc ordine inſidias: qui ideo propter nonnulla doctrinæ capita, antehac ipſi litem moverunt, quæ ceſſare viſa, poſteaquam is publicè certiſſimis argumentis præbitis, nulli ſuſpicionis nebulæ locum reliquit. De Spiritu Sancto, nemini adhuc male feriato in mentem venit, ut dicam, ſcribere: imò hoc ipſum doctrinæ caput, ſæpiùs pro concione ad populum tractavit feliciſſimè, & ſumma cum Orthodoxia: etiam cum anno Symbolum quod dicitur Apoſtolorum tractaret. Ad ſummum, adeone ſtipites eſſe nos hìc, adeone Eccleſiaſticos hic noſtros, Eccleſiæ curam abdicaſſe, qui hujuſmodi erroribus, culpæque affinem tolerare, in animum inducerent ſuum, neque tolerare modò, ſed etiam operoſè retinere, quoties vocatio aliqua, ut aliàs Londino, ita noviſſimè Lugduno Galliarum contigit? Velut merito ſuo nobis chariſſimum, deceſſoribuſque ſuis ſummis digniſſimum: cui & ideo triplex eodem tempore munus impactum, Eccleſiaſtæ, Profeſſoris ac Rectoris: quibus omnibus, tam gnaviter, tam ſincerè defungitur, ut ſi ſingula tantum incumberent. Quare oro te, Vir omnium humaniſſime, juxta nobiſcum in hanc ſollicitudinis partem, venire velis, quo inculpatiſſimo viro, ſua conſtet apud vos fama, & exiſtimatio: præjudicioque hoc etiam meo juvare laborantem apud vos digneris: ſequentur propediem publicæ literæ & teſtimonia in eamdem rem. Feceris ipſe hac in re, negotium dignum nomine tuo, verè Chriſtiano: feceris mihi rem longè gratiſſimam, quaſi mihi exhibitam. Ego vicem referam tibi, tuiſque, ubi ubi potuero. Vale, Vir ſumme, meque amare perge.

*Tuus ad omnia ſtudia,*

JACOBUS GOTHOFREDUS,
*J. C. & Ex-Conſul.*

## DCCLXIII.

*Summo Viro,*

## Joanni Seldeno.

*De Re Poëtica commentarium officioſè offert.*

*Summe Vir, & cui in ipſo literarum initio ſic animo dictante profiteri cogar, plurimum me debere.*

QUi haſce tradet, eſt is Ampliſſimus Petrus Grotius, filius Illuſtriſſimi, Reginæ, Regnique Sueciæ ad Chriſtianiſſimum Regem Legati, dum viveret, Hugonis Grotii, mihi à pueritia ejus, ob præclaras animi dotes, longè chariſſimus, nunc Sereniſſimo Principi Bohemico Philippo à conſiliis. Ac ſcio, hoc lubentius conſpicies, quod undecumque maximus parens, te, tuaque omnia, cujus ego auritus teſtis eſſe poſſim, ſemper fecerit maximi; etiam poſtquam avidè hauſiſſet, quæ eruditè adeo de Mari clauſo repoſueras. Nimirum ſic animi ſunt illorum, quod de meliore luto formatos ajunt; ut diſſentire inter ſe poſſint, ſalvâ amicitiâ: præſertim ubi utrimque ſtimulantur, patriæ commodis. Hoc igitur in Britanniam tendente, fortaſſe ob Principis ſui negotia; committere non potui, quin nuperum animi mei fœtum, Commentarium videlicet de Re Poëtica, ad te, ut oportuit, tranſmitterem: Non quaſi putarem, tantum tibi ab rebus tuis privatis, longeque minus à maximis Regni negotiis, otii eſſe, in hoc tempore, ut talibus legendis vacare ullo modo poſſes; ſed quia tam commoda occaſione, deeſſe non deberem officio meo erga illum, cujus erga me beneficia nollem; quæ modò Deus vitam diuturniorem conceſſerit, ne ingratus unquam poſteris videar, publicè ſtudebo profiteri. Quomodo animatus porrò etiam me, meaque tuæ benevolentiæ commendo: ac pariter tam benignè erga me affecto, Præſtantiſſimo, & adeò benè apud omnes bonos audienti S. Joanni. Atque ad eum quoque literas exarare erat animus; cum ecce magnoperè avocat triſtis nuntius, de ſubito exceſſu Clariſſ. Collegæ mei Gaſparis Barlæi, contiguis ædibus habitantis: cujus numeroſæ familiæ ſolandæ vix ſufficio; ſed faciam tamen quod poſſum.

Scribebam Amſtelodami, poſtr. Kal. Jan. anni hujus ↄIↄ Iↄ C XLVIII. quem tibi, regnoque univerſo, fœlicem exopto, uti etiam aſſiduè Dominum Deum precor.

*Maximarum virtutum tuarum admirator, ac cultor obſtrictiſſimus,*

G. J. VOSSIUS.

---

## DCCLXIV.

*Viro Clariſſimo*

## Frederico Spanhemio,

## Gerardus Joannes Voſſius,

S. P. D.

*Epiſtola familiaris, quâ etiam dubia ejus Evangelica multùm laudat.*

*D. Rector Magnifice,*

QUid de aliis fieri cogitem, ſi mihi ipſi permoleſtum ſit, quod ſæpè vel nihil, vel tardè adeo reſpondeam ſummis viris? Nec tamen mirabitur quiſquam, qui ſciat, quantopere, dico ſingulis propè horis, ſed momentis penè ſingulis interpeller, partim ab indigenis, partim à peregrinis. Acceſſit nunc invaletudo aliqua; nec dolor exiguus ex obitu Clariſſimi Collegæ Barlæi, quæ duo & ipſa hocce quatriduo fecere, ut negligentior viderer. Noli tamen putare, quidquam mihi eſſe gratius literis tuis. Scio quippe quanto in loco Deus te conſtituerit; non modo ſi Batavam Academiam adtendam; ſed imprimis ſi Eccleſiam univerſam. Atque utinam nec te diutius funebria, nec Salmaſium fœnebria, vel hiſce ſimilia diſtineant. Hic quoque præclare, uterque de temporibus noſtris meremini; ſed ſatis datum argumento iſtiuſmodi. Magis profutura poſteris ſcio, quæ ſimilia ſint à te ſcriptis dubiis Evangelicis. Quo labore non capior modò; ſed ſatiare me vix poſſum. Hæc non ſcriberem, niſi accepiſſem, quia ſic erudita tua facundia in Orando placuit, etiam alia à te expoſci non valde diſſimilis argumenti. Et ſanè ſapiunt quos hoc argumentum tangit. Nec enim ſciunt, qui tractare illud melius poſſint; ſed enim exiſtimo, alia aliorum vota eſſe, qui cogitant, ſic annos ire hominis occupatiſſimi, æquiuſque eſſe, ut ne pereant tot præclarè in ſacris obſervata, ſed ad poſteros propagentur. Verum ſermonem hunc abrumpam, ne cogar audire illud, quod ipſe multis occuper, longè inferioris argumenti, uti de Vitiis ſermonis, de Re Poëtica, & ſimilibus vix cuiquam alteri, quam adoleſcentiæ profuturis. Fateor, & ſuram præbeo, nec verbum addo. Venio potius ad epiſtolam tuam, quæ de Moro fuit. Equidem putabam de eo non amplius cogitari; ſic videbar mihi, non malè colligere ex verbis Cl. Gronovii, qui paucis diebus nobiſcum fuit. Utcumque eſt, nihil hactenus à me pro eo, vel adverſus eum dictum, factumve. Senectus facit, ut quietis ſim amantior, quàm ut me implicem negotio, ubi illos video diſſentire, quos hactenus non ſolum amo; ſed etiam ſuſpicio. Adfuit aliquot ante dies mihi filius Geberhardi Elmenhorſtii, Patricii Hamburgenſis, viri benè de ſtudiis meriti. Abſque dubio videris ejus Apuleium, Gennadium, Arnobium, aliaque. Coluit amicitiam mecum, & quod majoris longè faciendum, cum Joſepho Scaligero, Andrea Schotto, Daniele Heinſio, Jano Rutgerſio, & quo non? Hujus igitur filius Bibliothecam paternam velit divendere: idque potiſſimum Lugduni, quia nuſpiam major numerus vacantium Theologiæ, & Philologiæ ſtudiis. Negant id fieri ſine Urbicorum Procerum conſenſu. Interim plurimùm in eo poſſe, qui inclytæ ſit Academiæ Rector Magnificus. Popoſcit igitur filius, & hæres unicus Bibliothecæ, ut vellem tribus de eo verbis ad te ſcribere; ſperat non hoc negatum ſibi iri, quandoquidem tanta patri amicitia fuiſſet cum ſummis Academiæ Leidenſis viris. De hoc dicere poterit Cl. Heinſius; cum cujus genero, ego & ille, de hac ipſa re, pauxillos ante dies ſumus collocuti. Si quid Heinſii operam in iſto poſſe exiſtimetur, dixit gener ſe ei ſcripturum; ſed judicabat nihil ultra adſenſum tuum requiri, vel præterquam ut tribus verbis ſignificetur, æquum tibi videri, ut hoc permittatur, ob præclara merita Elmenhorſtii, præſertim cùm futurum ſit, bono ſtudioſæ juventutis. Continet enim Bibliotheca illa multos Scriptores præclaros; ut videre eſt ex Catalogo, quem habet Typographus La Mair. Vale diutiſſime, atque ſalve ab eo, qui æternum colet te, ob rariſſimam eruditionem, & cæteras virtutes.

Amſtelodami, ↄIↄ Iↄ C XLVIII. XV. Kal. Februarias.

## DCCLXV.

## DCCLXV.

*Celeberrimo Viro,*

## Gerardo Joanni Voſſio,

S. P. D.

## Fredericus Spanhemius.

*De Moro queritur. Eum heterodoxiæ & inquieti animi coarguit, ſeque ad publicam ſui defenſionem cogi dicit, nec Gothofredum ſibi probari.*

Dilata fuit negotii, quod mihi commendaveras expeditio, quamvis non defuerim officio, nec Academia, in ea apud Ampliſſimum Magiſtratum noſtrum promovendo. Non ceſſavi tamen in eo urgendo, nec deſtiti, donec res conficeret ex voto. Integrum itaque erit hæredibus Cl. Elmenhorſtii auctione publica bibliothecam τοῦ μακαρίτου hìc diſtrahere. Quòd tibi ſignificandum duxi. Philippicæ cujuſdam in me à Moro ex mera ærugine ſcriptæ, evulgationem, vobis curæ eſſe audio; cui ſpecioſum pacis nomen præſcripſit, ut & panegyrici potiùs, quàm σκωπτικῶν. Quamvis verò nihil tale ab iis expectarim, quos ſemper ſincero animo colui; & iteratis juramentis Morus coram Magiſtratu, & Proceribus Genevenſibus, teſtatus fuerit, ſe de me, haudquaquam in iſta oratione cogitaſſe; demonſtrare tamen poſſum, non exiguam ejus partem, in me unum deſtinatam eſſe. Quod ſuo loco, ad hanc neceſſitatem mei defendendi adactus, profiteri cogar, & me publicè purgare, quia publicè traducor. Videbit etiam Lector, quid de incomparabili iſto Heroe judicandum ſit, qui à Cicerone, dubio procul didicit ſingulis propemodum pagellis, pædagogica affectatione Græca, ſuæ orationi miſcere, & verſus. Quod quàm ex regulis artis fiat, nemo te melius novit. Qui etiam teſtimonia illa Genevenſibus extorta fuerint, & quibus artibus, quammultis ex fide mihi narrandum erit; qui ejus rei documenta compluſcula evidentiſſima habeo, à primariæ dignitatis, in Republica & Eccleſia Genevenſi viris. Conſtabit inde omnibus, quì ab hoc Heroe in hoc negotio actum fuerit. Nec dubito Genevenſes ægerrimè laturos, literas ſuas, & ſuorum miniſtrorum evulgari. Publicè etiam narranda erit hiſtoria, qui & alibi, & Genevæ vixerit, ut conſtet omnibus, quid de eo judicari debeat. Nec hìc verebor, ad acta, & conſcientiam Genevenſium ipſorum provocare. Et quamvis mei haudquaquam meminerit, Genevæ in teſtimoniorum iſtorum petitione, non quidem amore mei, ſed ne pateret repulſam, haudquaquam tamen permittere debeo, me eo nomine apud multos, & à multis traduci, qualia ex odio, vel invidia, ea de homine iſto dixerim, quæ aliena ſunt à candore, & veritate. Nec ob certum id genus σκωπτικὰ, & emendicata elogia, à ſcriptore profecta (qui nihil aliud ſe cupere dixit, quàm ut inflatis velis eum in Hollandiam propellere, ulla ratione poſſet) ſententiam muto; ſed conſtantiſſimè, & veriſſimè profiteor; cum & heterodoxiæ Salmurienſis, & ambitioſi, ac turbulenti, & inquieti ingenii, ſi ullum mortalium, meritò à me accuſatum fuiſſe, Cl. Viri etiam .......... & Bornius non patientur ſe cruentari, & famam ſuam proſcindi. Scio quos habeas Panegyriſtas, & quibus de cauſis. Ego meâ me innocentiâ includo, donec cogar publicè læſus, publicè etiam famam meam tueri. Ut me potiſſimum malè habet, illorum opera negotium iſtud vel commendari, vel urgeri, quos ego toto animo ſemper ſuſpexi. Eo te loco ſemper cum Clariſſ. filio, fuiſſe ſincerè, & verè teſtari poſſum. Eventum Deo committo, qui & Mori, & meum animum novit, & quid in tota hac cauſa actum fuerit utrinque. Ille & Καρδιογνώστης eſt, & judex aliquando erit. Nihil à me officii, vel ſtudii in nobiliſſimo Viro, qui hoc negotium primus novit, mihi conciliando, prætermiſſum fuiſſe, & gaudeo, & gaudebo ſemper. Vale, Vir celeberrime, cum Clar. filio, utut Mori ſummè ſtudioſo.

Scripſi raptiſſimo calamo
Lugd. Bat. XXIII Mart.
cIↃ IↃ CXLVIII.

Quanti Godofredi elogia facienda ſint, & multis demonſtrare poſſum, & probare ea ex mera loligine erga me proficiſci, cujus cauſæ ipſi parum honorificæ ſunt. Nobiliſſ. Salmaſius, profeſſus eſt, haudquaquam ſuo vel conſilio, vel operâ, iſta omnia evulgari. In viros itaque conſilii iſtius authores, inquirendum nobis erit.

---

## DCCLXVI.

*Clariſſimo Viro,*

## Iſaaco Grutero,

S. P. D.

*Barlæi defuncti munus multos ambire dicit, ut tamen præ aliis, ipſi prodeſſe poſſit commendatione ſuâ, percupit.*

Accepi unas, alteraſque à te literas; quibus & tertiæ ejuſdem ex parte argumenti à Colvio noſtro acceſſerunt. Reſcribo tandem, non tam quia ſit quod ſcribam (ſoleo autem, quoties nihil certi habeo, quod reſpondeam, ſcribendi officium differre) quàm ne te ulterius fatigem, exarandis novis. Miraris fortaſſe quod dicam, non ſatis me ſcire, quid ſim ſcripturus. At qui itaeſt, cauſas accipe. Necdum à Proceribus noſtris conſulatur de alio, in locum defuncti Collegæ Barlæi ſufficiendo. Interea non exiguus eſt eorum numerus, qui id munus depoſcant. Et ſunt in his, qui jam publicè Philoſophiam ſint profeſſi, partim in Batavia partim extra eam. Urbs hæc tres è civibus ſuis habet Artium ac Philoſophiæ Magiſtros. Nec ſolet, ſi domi parem muneri habeat, quærere alium foris, niſi forte, is albis, quod dicitur, equis prævertat. Vellem conſtaret Proceribus, quantum in Philoſophia etiam operæ ac temporis collocaris. Nunc à proſa, verſuque facundia iis notus es; ſed filius meus retulit mihi, quantum etiam laudis promereris, ſapientiæ & prudentiæ ſtudiis. Noli dubitare, quin bona id fide, ſignificaturus ſim Conſulibus ac Curatoribus. Et tamen in tanto tam multorum ambitu, difficile ſit videre, quò maxime ſint inclinaturi. Si certiora cognoro, curabo, ut quamprimùm de omnibus ex meis, vel filii literis, ea intelligas. Utinam prodeſſe tibi in hoc negotio poſſim; quod non tui modò cauſâ velim; ſed etiam optimi, & cordatiſſimi Ant. Vivieni, cujus te domeſticum eſſe ſcribis. Amo eum, & æſtimo non tam, quia arctiſſima inter ejus uxorem, & meam; ſed quia non alterum novi, qui cum potius in tenebris micem: ut jam mittam magnam doctrinam, majoremque ejus amorem; qualis in paucos cadit. Salutabis illum, & uxorem lectiſſimam. Nec diffugies ſalute impertiri raræ eruditionis virum, Colvium noſtrum, cui nunc ſolùm iſthoc dicito; de Barlæi & vita, & obitu, propediem viſurum Orationem Corvini J.C. Is enim me ob invaletudinem, ac pariter Collega Ruſio impedito, in magna auditorum corona parentavit. Vale, mi Grutere.

Amſtelodami,
cIↃ IↃ CXLVIII.
Kal. Febr.

*Tuus,*

G. J. Vossius.

## DCCLXVII.

*Clariſſ. Viro*

## Ludovico Crocio.

*Edita ſua opuſcula mittit, plura ſpondens. Amyraldi cum Spanhemio contentionem enarrat.*

*Clariſſime & ſumme Vir,*

Diu eſt quod nihil ad te literarum dedi. Nimirum ingraveſcit ætas, nec imminuuntur labores, vel privati, vel publici. Præterea invaletudo uxoris, tardiorem in ſcribendo facit, & ſalutatorum nimium quantum; fœliciter aliquanto vetus Collega Heinſius, cui hoc anno, licet quadriennio me natu minori, abſtinere à publicis auditionibus. Mihi non licet eſſe tam beato: ſed neque poſtulavi unquam, quia cenſeo ſtantem Imperatorem mori oportere. Quare nec ſino claudicare munus publicum, nec quæ poſteris cudo: In quibus à noctibus ſubſidium peto. Proximè juris publici feci nonnulla de Re Poëtica, ex quibus libellum de Natura, ac Conſtitutione ejus artis nunc mitto, unà cum opuſculo de Imitatione, & recitationibus Veterum. De Artis præceptis, ad manum minimè erant. Libri de Poëtis Græcis ac Latinis, propediem prælo parati erunt. Recuſæ etiam viginti diſputationes de Baptiſmo; quas dubitavi, an mitterem; quia pleræque omnes habentur in diſputationibus Leidæ ſuſceptis, ac Oxonii uno volumine recuſis. Miſi nihilominus, quia in his luculentam acceſſionem videbis. Et ſi prioribus malis eſſe contentus, facilè reperies, qui non gravetur loci aliquid in libris ſuis impertire. De D. Amyraldi cum Clariſſ. Spanhemio contentione ſcire te arbitror; uti & illa Mori Genevenſis Theologi, cum eodem Spanhemio. Credo jam videris Genevenſis Reip. Eccleſiæ, Scholæque teſtimonia, Moro data adverſus Spanhemium: ſunt enim in urbe hac excuſa. Quæ Amyraldus repoſuit Spanhemio, vidi quidem apud amicum; ſed in fœderata hac Belgica, unicum tantum exemplar exſtat, ab authore ipſo tranſmiſſum. Miraberis poſtquam videris. Non Spanhemium modò, ſed Cl. Rivetum vehementer culpat, ob literas, quas ad amicos ſcripſerat acerbius. Puto alteruter aliquid reponet; ſic ſæviunt Reformatæ Eccleſiæ Antiſtites in mutua viſcera. Nec tamen pari culpa, in diſpari cauſa. Tuam, Vir Cl. in reſpondendo modeſtiam non poſſum non utroque pollice comprobare. Vellem hac in re imitarentur exemplum tuum, qui ſtipiles tui Theologos tepidos appellant. Equidem & ipſe multis partibus malim talibus annumerari, quàm Zelotis quibusdam, qui omnes ſuam in ſententiam jurare volunt, niſi convitiis, & quovis calumniarum genere malint obrui; ſcilicet hoc eſt, θεολογεῖν: Mihi perſtat animus non degenerare, ab exemplo eorum, qui rectius præiverunt; ante omnes ſoceri mei viri nunquam ſatis laudati. Ac ne putes me ſolum hic eſſe ejus ſententiæ, ingenuè dico, magis magisque & Proceres, & Theologos urbis laudari veſtræ, qui ἐρισικὰ illa pertæſi, modeſte malunt ſapere: quod ſi eſſet in Britannia, non Iliada malorum, ſed ἀγαθῶν ἀγαθίδας haberemus. Intelligo in urbe Bremenſi eſſe Cl. Goldaſti Bibliothecam. Quod ſi eſt, non invitus, mei cauſa facies, vel amici hominis, qui hoc è me flagitavit, ut puero tradas deſcribendum Manuſcriptorum Catalogum, ſi conſequi poſſis, quo deinde, hìc qui ſumus, fiamus participes. Plurimam ſalutem dicito, Clariſſ. & Amiciſſ. Doctori Balthazari Willio, item optimo Hermanno Hildebrando. Vale, magne Vir, & Amice.

Amſtelodami,
IV. Kal. Majas.
CIↃ IↃ CXLVIII.

*Tuus ut ſuus,*

G. J. Vossius.

## DCCLXVIII.

*Illuſtriſſimo & Generoſiſſimo*

## Erico Oxenſtierna,

Comiti in Zudermor, L. B. in Nimitho, Dn. in Fyholm, & Tydeun; &c.

*Benevolam ſui memoriam munuſculis literariis refricare ſtudet.*

*Illuſtriſſime & Generoſiſſime Comes,*

Redeunte ad ſuos Gothardo Wolravio, Clariſſimi Loccenii privigno, officii mei putavi, Excellentiam veſtram facere certiorem, quomodo in hac ætate ſenili, non malè valeamus, & porrò etiam animus ſit, operam dare, ut Eccleſiæ proſimus & Reip. Literariæ. Cujus rei geminos hoſce libellos, quos mitto, argumentum eſſe volo: Unus eſt de Baptiſmo; alter autem de Conſtitutione Poëticæ, cui adjeci opuſculum, de Imitatione, ac recitatione Veterum. Vides me non ceſſare. Et brevi ſpero me poſſe alia mittere; quibus prælum nunc fervet. Omninò plus prope facio, quam poſſum, quia aliud mihi perſuadere vix poſſum, quàm brevi me à ſummo Imperatore, vocatum iri in ſedes meliores. Quo ut pertingam, in eo totus ſum, ut facilius temporis rationem reddam, quod mihi divina bonitas conceſſit. Nunquam non animo meo, obſervantur Excellentiæ Veſtræ virtutes, quas miratus ſum præſens, nec prædicare unquam deſinam. Multùm optaſſem, diutius frui licuiſſet; ſed literæ ſunt, quæ abſentes faciunt præſentes. Quia igitur pedibus venire ad tam longè diſſitum non licet, à manibus præſidium petit, ad me quodammodo ſiſtendum; ſcio qua humanitate es, in bonam partem interpretaberis, hunc adſectum meum erga Excellentiam Tuam: pro qua aſſiduè vota facio, uti & Illuſtriſſimo fratre, regni negotia apud Monaſterienſes, tanta cum laude tractante, atque imprimis, magno Parente veſtro; qui & inclytæ antea domui veſtræ, & maximè potentiſſimo Regno, tantum fulgoris, prudentiſſimis ſuis conſiliis attulit, ut promeritæ ejus laudes titulos omnes exſuperent.

Amſtelodami,
CIↃ IↃ CXLVIII.
Poſtr. Id. Majas.

*Veſtra Excellentiæ, ac toti familiæ inclytæ Oxenſterniæ ad ſervitia omnia paratiſſimus,*

G. J. Vossius.

## DCCLXIX.

*Viro celeberrimo,*

## D. Gerardo Joanni Voſſio,

Hiſtoriarum Profeſſori digniſſimo.

*Suum filium Lugdunum mittendum ipſi de meliore notâ commendat.*

*Vir Clariſſime,*

Literarum raritatem non oblivio aliqua tui fecit, ſed quia aliis plerumque negotiis occupatus, non exiſtimabam fidem amicitiæ noſtræ, iſtis tantùm niti oportere. Sæpiùs tamen affectus, & ſtudiorum tuorum, quæ mihi olim declaraſti memor, laudum tuarum hìc præconium feci. Teſtimonium & velut vadem hujus affectus filium habebis, quem 12 annorum & animi, & ingenii viribus, ſecundum vota mea pulchrè efflorеſcentem, chariſſimum & vitæ, & familiæ noſtræ pignus, ad vos mittere deſtinavi: Ille, Vir ampliſſime, cùm venerit; ſi per horulæ ſpatium, quotidie exa-

by Google

erudito colloquio tuo dignatus fueris, ampliori me debito devinxeris; ſuaſit enim hoc mihi, cùm amœnitas urbis veſtræ, Literarum decus, hominum, & nationis illius elegantia, & lepos, tum præcipuè fiducia humanitatis, & amoris tui, in me, meoſque. Expreſſit id nulla alia neceſſitas; neque inopia Literarum & Literatorum, quorum ſub hac demùm Regina, ſpero pulcherrimam meſſem futuram: ut ad *Gradivum* illum Patrem *Martem*, *Apollinem* adjunctum iri præſidem noſtris arvis, læto augurio ominemur. Vale lumen literati Orbis, & me pari affectu benevolentiæ per literas tuas dignare. Salutabis ex me chariſſimos filios tuos, quorum nunquam apud me memoria intercidet.

Dab. Lincopiæ, an. Chr. MDCXLIX, 5 die Februar.

*Tui obſervantiſſimus*,

JACOBUS SKYTTE.

## DCCLXX.

*Viro Clariſſimo, Præſtantiſſimo*

## D. Gerardo Johanni Voſſio,

Hiſtoriographo celeberrimo,

S. P. D.

## Andreas Eſſenius.

*Opus quoddam ſuum illi offert; mentem de negotio liberationis humanæ ſuam explicat, ipſius tamen judicio libenter acquieturus.*

*Vir Clariſſime, literarum, & ſeculi noſtri decus præſtantiſſimum.*

LIbrum Celeberrimi Viri Hugonis Grotii adverſus Socinum, pro fide Catholica, de Satisfactione noſtri Jeſu Chriſti exaratum, rectè virorum inſigniter doctorum calculo comprobatum, docuiſti jam pridem, in reſponſione ad judicium Hermanni Ravenſpergeri de eodem opere. Utinam ab illo tempore pari ſtudio, tum Papiſmi tyrannidem, tum Socinianiſmi effrænem licentiam vitaſſet, refutaſſet, compeſcuiſſet, Vir celeberrimus! Jam nobis ſerò poſt illius exceſſum; at ſerò potiùs quàm nunquam: & per me tandem (multorum tamen hortatu inductum) at per me potius, quàm per neminem, tot annos deſertum opus ſuſcipiendum fuit. Nequaquam iſto (ingenuè enim quod res eſt fateor) omnigenæ eruditionis apparatu; indubitatis tamen, uti confido, SS. literarum teſtimoniis, genuinis eorum vindiciis, firmiſque rationibus, ubi opus, è naturâ petitis. Exemplum hujus ſcripti tibi, tum in multis aliis, tum ſpeciatim in hoc ipſo labore inſigni magiſtro, prorſus debitum, quo par eſt animi affectu, ac reverentia L. M. Q. mitto, offero. Certè ſcriptis tuis quàm plurimis, multijuga eruditione refertiſſimis, quibus hac etiam ætate, non minus vegetâ quàm grandi, ſtrenuam operam impendis, in re literaria, & antiquitatibus communis dudum factus es Magiſter. In magnis tenebris ſidus tam fulgidum, in ambiguis ducem peritiſſimum, meritò nobis gratulamur: ſed mihi ſpeciatim in hoc opere, propter doctiſſimam Grotiano Tractatui, præfixam præfationem, & laudatam pro illo reſponſionem, quibus non parum me hic adjutum ſeriò confiteor. Unum tamen, de ſingulari tua humanitate, certò mihi perſuaſus, hic commemorare audebo, ubi ſicut à Grotio, ita etiam à te in alia concedendum putavi; ſed tam humili verecundiâ, quàm vel à filio juvene requiras. In negotio liberationis noſtræ, Deum non eſſe conſiderandum, ut partem offenſam, non ut creditorem, non ut judicem ſuperiori ſubjectum; ſed ut Rectorem, & quidem ſummum planè aſſentior: neque enim illis, quâ talibus, jus puniendi competit; iſti autem competit quidem, ſed non præter legis formulam. At quæritur, qualis ſit Dei in iſto negotio actus? Actum eſſe juriſdictionis Rectori competentem neceſſum eſt: Legis abrogationem ac derogationem, omninò vobiſcum nego: Legis ὡς ἔκειτο καθόλȣ ſtrictam executionem, prout noxa caput ſequitur, & noſtra pœna infinita, ob infinitam Dei majeſtatem, Legis tranſgreſſione læſam, in obligatione erat, pariter rejicio. De diſpenſatione, an interpretatione κατ' ἐπιείκειαν manet controverſia. Illam hic non agnoſco: diſpenſatur de lege, cùm perſonæ alicui permittitur, quod alii iſtius ordinis per legem prohibetur, aut res aliqua ſimiliter ab obligatione tollitur. Sic diſpenſatio definiente Grotio, eſt actus ſuperioris, quo legis manentis obligatio circa quaſdam perſonas, aut res tollitur. Sicut derogatio eſt partialis abrogatio: ſic diſpenſatio eſt objectiva quædam derogatio, qua id quod per legem alias obligaretur, ab obligatione eximitur, cæterum lege ipſa manente integra. Porro ut lege non exiſtente non committitur peccatum: ἡ γὰρ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία; ſic facta diſpenſatione non eſt peccatum, quod aliàs futurum erat peccatum, ut conjugium inter liberos πρωτοπλάστων, ablatio opum Ægyptiarum Iſraëlitis facta, &c. At fideles non ſimpliciter impunè auferunt peccata ſua, quaſi peccata non eſſent, quæ eſſet diſpenſatio, ratione perſonarum; nec certa quædam peccata, quæ eſſet diſpenſatio ratione rerum: ſed pœnas dederunt æquivalentes, optimaquê proportione, peccatis ſuis reſpondentes, per ſponſorem conjunctiſſimum. Ita nos abſolutè lege ſoluti non ſumus, nec à legis vinculo relaxati, Ὅτι εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, 2 Cor. V. 15. Sic non ſolum νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν, Rom. III. 31. Ὅπως τὸ δικαίωμα τȣ͂ νόμȣ πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, Rom. VIII. 4. Καὶ τέλος νόμȣ Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, Rom. X. 4. Ἐπιείκειαν qualemcumque adhibere cujuſvis eſt; ea vero quæ legis in puniendo executionem ſpectat, ſolius Rectoris eſt: quæritur autem de liberatione noſtri, à pœna, per pœnam ſuccedaneam κατ' ἐπιείκειαν. Hujuſmodi interpretatione Deus in Evangelio declarat, pœna ſecundi Adami, nos præſtari immunes, juſtitiâ ipſius conſtitui juſtos; ſicut ex primi Adami reatu juxta legem (verbis tamen ſynecdochicè acceptis) omnes reatum infinitum contraximus; ſic per legem, nos eramus obnoxii: at ſatisfactionem per nos in propriâ perſonâ neceſſariò præſtandam non expreſſit Lex; per ſponſorem faciendum non excluſit: ſed neque admiſſibilem pronuntiat, ὡς καθόλȣ κεῖται. In Evangelio eſt, ἐπανόρθωμα νόμȣ, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλȣ: ſic Ἐπιεικῶς admiſſus eſt ſponſor, & ob ſolutionem illam pœnalem, quæ κατ' ἀκριβοδίκαιον videbatur recuſanda, ſaltem erat recuſabilis, nos liberati ſumus à pœna. Tralatio iſta pœnæ non eſt quidem formaliter actus interpretationis, ſed eſt actus judicii, ſecundum jus ἐπιεικεῖ interpretatione (quæ nobis Evangelio expreſſa eſt) mollitum, atque ea ratione relaxatum. Confer ſodes laudatæ reſponſionis tuæ paginam 78, cum noſtra pag. 459. Ignoſce, Vir Præſtantiſſime, ut calamo libero, ſic animo ſtupendæ eruditionis tuæ, & lucubrationum accuratiſſimarum obſervantiſſimo ſcribenti. Ignoſce iterum interpellanti, dum convaſas tua (ut nuper loquebaris,) cedro digniſſima, & antiquæ veritatis, ac veræ antiquitatis ſtudioſis deſideratiſſima. Hoc denique munuſculum, maximæ obſervantiæ exiguum monumentum, pronus accipe. Sicubi à veritate aberro, benignè in viam reducere diſcipulum, utinam vacaret, ac liberet! Deus Optimus Maximus te ſeculi noſtri decus, & validum Reipublicæ Literariæ columen, quam diutiſſimè incolumem nobis ſervet.

Dabam in Neder-Langhbroek, XIV Kal. Mart. anno vulgaris æræ Chriſtianæ CIↃ IↃ CXLIX.

## DCCLXXI.

*Clariſſimo & Celeberrimo Viro*,

# Gerardo Joanni Voſſio,

# Cl. Salmaſius.

*Epiſtola familiaris, in quâ pauca de Brittannicis turbis.*

ACcepi nuper Londino, Vir Celeberrime, literas à Seldeno noſtro, cum quibus, & has ſimul incluſas reperi, quæ filio Iſaaco inſcriptæ ſunt. Reſignatas vides; quia ita mandavit Seldenus, ut ſi prædictus Iſaacus in his oris amplius non eſſet, eas aperirem, quia ad rem meam, quod in his ſcriptum eſt pertinet. De filio tuo doctiſſimo, velim ſcire an adhuc hæreat Monaſterii. Audio res turbatas eſſe, inter Reginam & Parliamentum. Si quid habes de his certi, gratum feceris, ſi vel tribus verbis ſcribas. Terribilem Britanniæ magnæ tragœdiam, omnes jam ſciunt, mirantur, & deteſtantur. Tanta me tenet indignatio, & dolor, ut plura de eo non poſſim. Jam noſtri ſunt certiſſimi Regum occiſores, quod Jeſuitis ſolis antea objiciebatur. Deus tales terris peſtes avertat. Meam ad Tollium, quæſo te ut cures. Vale, & me ama.

Leidæ, 18 Febr. 1649.

---

## DCCLXXII.

# A Mademoiſelle Voſſius.

*Epiſtola Conſolatoria ſuper obitu mariti ipſius.*

*Mademoiſelle*,

S'Il êtoit des afflictions, comme des fardeaux, qui ſe trouvent plus legers, quand plus de perſonnes les ſoutiennent; celle dont il a plû à Dieu de vous viſiter, en retirant à ſoy feu Monſieur Voſſius vôtre Mary, ne vous devroit point être fort peſante; puiſque s'intereſſent en vôtre perte, tous ceux qui ont eu l'honneur de le connoître, & qui ont profité de ſes travaux. Je me ſens obligé de devoir, & d'affection, de me profeſſer de ce nombre; reconnoiſſant qu'en ſa mort, les bonnes lettres ont perdu une grande lumiere, le public un rare ornement, vous un bon Mary, & moy un bon Ami. Cependant & à vous, Mademoiſelle, & à nous tous, ne reſte que de mettre le doigt ſur la bouche, & d'aquieſcer, en la bonne volonté de celuy, qui eſt le ſouverain Arbitre de la vie, & de la mort. Nous n'entrons en ce monde que pour en ſortir; en tous les contracts de Mariage, il ſe parle de la mort; pource que le Ciel, qui fait les Mariages, ſe reſerve le droit de les diſſoudre, & vous n'avez point perdu vôtre Mary, mais ſeulement, il eſt allé le premier au rendes-vous general de tous les enfans de Dieu: Car ayant veſcu comme il a fait, de la vie des Gens de bien, il eſt mort de la mort des juſtes; & ayant ſi bien fait profiter les talents, que le Souverain Maître lui avoit departi, il eſt maintenant receu en la joie de ſon Seigneur. Et outre cette commune conſolation des Chrêtiens, que *Bien heureux ſont ceux qui meurent au Seigneur*. Vous en devez tirer une particuliere, de ce qu'il eſt mort ancien, & raſſaſié de jours, vous laiſſant un fils heritier de ſon nom, & de ſon Erudition, & s'étant acquis par ſes doctes labeurs tres utiles au public, & à l'Egliſe de Dieu, une reputation immortelle. Auſſi ne doute-je point, que la ſageſſe, & la reſolution, avec laquelle il s'eſt compoſé de longue main à ce depart, n'ait fait d'aſſez fortes impreſſions ſur vôtre Eſprit, pour l'admettre avec moins de perturbation. Vous n'avez garde en cette occurrence, de parler comme une femme mal ſage, ainſi que faiſoit celle de Job, êtant fille d'un ſi excellent Pere, que Dieu vous avoit donné, veufve d'un tel Mary, qu'il vient de vous retirer, & Mere d'un tel fils, qu'il vous a conſervé, d'un plus grand nombre d'enfans, pour être vôtre Benjamin, & le Baſton de vôtre vieilleſſe. Veuille ce Pere de toute miſericorde eſſuier vos larmes par la main de ſa grace; je l'en ſupplie de tous mes vœux, & vous de croire, que comme je cheriray, tant que je vivray, la memoire de M. Voſſius, auſſi demeurerai-je ſans varier, & à Mr. vôtre fils, duquel je plains l'abſence en cette occaſion.

A Groningue ce 16 Mars / 5 Avril 1649.

*Mademoiſelle, Vôtre tres-humble, & tres-obeiſſant ſerviteur*,

DES MARETS.

FINIS.

# INDEX EPISTOLARUM

## Ad Viros Claros à GERARDO JOANNE VOSSIO miſſarum.


A.

[ABbot] Georgio Archi-Ep. Cant. 102
[Æmilio] Antonio. 206
Amſtelodamenſis Reip. Conſulibus. 112
[Arcerio] Arnoldo. 300

B.

[Bangio] Ioanni Thomæ. 315. 316
[Banningio] Ioan. Bodechero. 175
[Bargravio] Iſaaco. 287
[Baſirio] Iſaaco. 140. 146
[Beaumontio] Simoni. 236
[Bellimontio] Simoni. 145
[Belo] D. Hieronymo. 59. 77
[à Benthem] Arnoldo Comiti. 140
[Berckio] Ioanni Equiti. 37
[Berneggero] Matth. 103
[Beverovicio] Ioan. 105. 142. 176. 211. 262. 284. 289. 313
[Blitterſwicio] G. 363
[Blyemburgio] Adriano. 71
[Borgeſio] Ioach. 223. 239
[Borrio] Briano. 344
[Boſwello] Guil. 42. 47. 51. 82. 136. 252. 289
[Boxhornio] Marco Zuerio. 183
[Brounerio] Briano. 141
[Brunaeo] Ioan. 203. 377. 378
[Buchelio] Arnoldo. 139

C.

[Cabeliavio] Ioan. 238
[Calixto] Georgio. 148. 327. 367. 389
Cantabrigienſi Academiæ. 72
Cantuarienſis Eccleſiæ Decano & Canonicis. 305
[Caſaubono] Merico. 97. 99. 133. 136. 149. 159. 170. 179. 187. 203. 209. 221. 235. 237. 260. 294. 308. 311. 333. 345. 388
[Cherbury] Dom. de Herbert. 379
[Charleton] Georgio Ciceſtrenſi Ep. 59. 67
[Chriſtenio] Ioanni. 205
[Cloppenburgio] Ioan. 318
[Cocceio] Ioan. 298. 359
[Colvio] Andr. 309. 330
[Corputio] Iac. 312
[Corvino] Ioan. 126
[Crocio] Ludovico. 37. 39. a. 39. b. 212. 217. 260. 275. 291. 331. 346. 384. 396
[Crucio] Iacobo. 119
[Cunaeo] Petro. 105

D.

[Damke] Bernardo. 130
[D. Dell] Rev. Archi-Epiſc. Cant. à Sacris. 191. 201
[de Dieu] Ludovico. 315
[Doubletio] Georgio Ratallero. 241. 258. 269. 271. 276. 285. 312. 322. 332. 343. 344. 352. 354
[Dudley] Carletono. 42. 44. 46. 47. 94
[Duppa] Brian, Princ. Walliæ à ſtudiis. 192
—— Eidem Epiſc. Ceſtrenſi. 304

E.

Electori Palatino. 369
[Elichmanno] Ioan. 220. 223
[L'Empereur] Conſtantino. 243
Epiſcopo Novæ Caſæ. 368
[Ernſtio] Henr. 217

F.

[Fabro] Ioan. Adolpho. 38
[Fabricio] Vincentio. 250
[Farnabio] Thomæ. 133. 277. 308
[Forbeſio] Ioanni. 371

G.

[Gaffe] Steph. 172. 206
[Gomaro] Franc. 55. 83. 238. 278. 282
[Grenvillo] D. Fulconi, Equiti & Baroni de Broock. 42. 48
[Gronovio] Ioan. Frid. 246. 326. 336. 350. 355. 360
[Grotio] Giul. 281
[Grotio] Hugoni, Regis Suecici apud Gallos Oratori. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 13. 14. 15. 19. 26. 28. 30. 32. a. 32. b. 61. 73. 93. 106. 111. 112. 143. 144. a. 144. b. 151. 156. 157. a. 157. b. 162. 168. 174. a. 174. b. 187. 194. 198. 199. 204. 222. 224. 225. 229. 233. 241. 244. 247. 248. 257. 258. 263. 267. 274. 281. 286. 301. 303. 327. 331. 334. 336. 338. 347. 349. 358. 365. 367. 369
[Grutero] Iano. 39. 40. 55
[Grutero] Iſaaco. 395

H.

[Heinſio] Dan. 132. 310. 375
[Hoffero] Adriano. 53
[Hulſemanno] Ioan. 156
[Huygenio] Conſtantino. 150. 210

I.

[Jacobo] Archi-Epiſcopo Armachano. 294
[Junio] Franc. 75. 84. 242. 309. 360
[Junio] Patricio. 307
[Juxon] Guil. Epiſc. Londinenſi & Angliæ Theſaurario Supremo. 214

L.

[Lancelloto] Androſio, Epiſc. Wintonienſi. 30. 34. 38
[Laud] Guilielmo, Batonienſi & Wellenſi Epiſcopo. 66. 68
—— Eid. Epiſc. Lond. & Archi-Epiſc. Cantuarienſi. 72. 77. 80. 81. 86. 101. 105. 117. 119. 128. 142. 145. 155. 158. 179. 190. 192. 200. 202. 211. 214. 222. 228. 253. 280. 294. 306
[Laurentio] Ioſepho. 363
[van der Linden] Antonio. 389
[van der Linden] Ioan. 284. 299
[Ludovico] Duci Geldriæ, Comiti Egmondæ & Zutphaniæ. 392
[Lydio] Iac. 373

M.

[Mareſio] Samueli. 389
[Martinio] Matthiæ. 92
[D. Martin] Præf. Collegii Reginalis Cant. 173
[Matthaeo] Anth. 385
[van der Merio] Abrah. 57. 63. 230
[Meurſio] Ioanni. 49. 50. 85. 89. 95. 98. 115. a. 115. b. 116. 147. 154. 158. 169. 177. 196. 216. 232. 242. 245. 255. 263
[Meurſio] Io. filio. 266. 299
[Miſſeldeno] Eduardo. 248
[van der Mylio] Abrah. 208. 252

N.

[de Naglawitze] Andr. 261

O.

[Oxenſtierna] Erico M. Axelii fil. 396
—— Axelio. 197
—— Gabr. Guſt. 272
—— Gabr. Bened. 273
Oxonienſi Academiæ. 305

P.

[Parao] Danieli. 36. 109. 207. 231
[Parao] Phil. 137
[Pilio] Mart. 234
[Plempio] Fortunato. 215
[Pocockio] Edw. 102. 306
[Pontano] Io. Iſ. 203. 261
[Puteano] Erycio. 35. 106. 109. 118. 120. 122. a. 122. b. 126. 141. 156. 165. 257
[Puteano] Iuſto Cæciliano, Erycii fil. 200

R.

[Rave] Ioan. 324
[Riveto] Andreæ. 134. 135. 270. 292. 319. 337. 345. 351. 368
[Reverio] Iacobo. 88. 152
[Rouſe] Ioan. 111. 192. 307
[Rutgerſio] Winando. 275. 378. 386

S.

[Sadlero] Ioan. 387
[Salmaſio] Claudio. 68. 94. 103. 149. 153. 163. a. 163. b. 168. 180. 183. 185. 188. 196. 221. 236. 238. 246. 264. 265. 267. 268. 269. 279. 352. 354. 357. 358. 361. a. 361. b. 364. 372. 375. 380
[Seldeno] Ioan. 308. 370
[Seriero] Paulo. 76
[Skytte] Ioan. 141. 147. 153. 230. 258. 330
[Slupeskio] Io. Baroni. 113
[Slupeskio] Georgio Baroni. 219
[Slupeskio] Chr. Baroni. 219
[Sorberio] Sam. 340
[Spanhemio] Frid. 351. 394
[Straeckmans] Petro. 193
[Stephanio] Ioan. Steph. 245. 298. 315. 384
[Sterne] Richardo, Epiſc. Dunelmenſi. 58
[Steward] Richardo. 74. 307
[Swartio] Euſt. 132
[Templero] Clementi. 8
[Tollio] Cornelio. 392
[Tuldeno] Diodoro. 108

V.

[Vlamingio] Diderico, Dom. ab Oſthorn. 104. 109
[Vorſtio] Conr. 9. 18
[Voſſio] Ioanni, ipſius fil. 90. 96. 100. 127. 176
[Uſſerio] Iac. Archi-Epiſc. Armachano. 123. 308

W.

[Wardo] Samueli. 59. 74
[Wederburno] Dav. 230
[Wetſtenio] Io. Rod. 283
[de Willem] Davidi 53
[William] Ioan. Epiſc. Lincolnienſi. 58
[Willio] Balthaſ. 224. 260
[Witten] Iacobo. 34. 164. 190. 232. 302
[Wren] Matth. 85


INDEX

Digitized by Google

# INDEX EPISTOLARUM

## Ad Gerhardum Joannem Vossium miſſarum.


A.

[APpelboom] Haraldus. 295
[Armachanus] Iacobus. 116

B.

[Bangius] Tho. Io. 365. 391
[Baſirius] Iſaacus. 177
[Beale] Hier. 69
[Becius] J. 11
[van Berchen] Ludovicus. 21
[Bertius] Petrus. 62
[Beververicius] Iohannes. 57. 125. 151. 154. 302. 313
[Beclerus] Ioh. Henr. 337. 374
[Bollandus] Ioannes. 257 361
[Boſwel] Guil. 41. 46. 51
[Boxhornius] Marc. Zuerius. 121. 184
[Brieux] D. 377
[Brinck] Erneſtus. 276
[Brough] Guil. 148
[Buchelius] Arn. 44. 64
[Burgerſdicius] Franc. 160

C.

[Calixtus] Georg. 134. 178. 360. 372
Cantabrigienſis Academia. 65
[Carolus Ludovicus] Comes Palatinus Rheni. 374
[Caſaubonus] Meric. 171. 185. 208
[Caſembrot] L. 204
[Caſſelius] Archib. 316
[Cherbury] Herbert Dom. de. 369. 374. 379
[Chriſtianus] Io. 285. 290. 300
[Coccejus] Ioannes. 298. 302
[Coccus] Laur. 250
[Colvius] Andr. 79. 349
[Conringius] Herman. 356
[Crocius] Ludovicus. 197. 240. 273. 292. 300. 301. 306. 322. 336. 341. 346. 348. 351. 362. 385. 388
[Crucius] Iac. 110
[Cunæus] Petrus. 161. 199

D.

[Damke] Bernhard. 126. 130. 131
[à Dieſt] Henr. 357
[de Dieu] Ludovicus. 315
[Doubletius] G. R. 29. 33. 43. 45. 108. 110. 123. 155. 264
[Dudley] Carleton. 40. 41. 46. 47. 54
[Duncomius] E. 380
[Duræus] Ioan. 288

E.

[Elichmannus] Ioannes. 220
[Elmenhorſtius] Geverhard. 20. a. 20. b. 21. 22. a. 22. b. 23
[L'Empereur] Conſt. 322. 356
[Epiſcopius] Simon. 24
[Ernſtius] Henr. 161
[Eſſenius] Andreas. 327

F.

[Fabricius] Vincentius. 216. 240. 249. 293
[Farnabius] Thomas. 90. 114. 296. 299
[Forbeſius] à Corſe Io. 370
[Freinshemius] Io. 243. 265

G.

[Gentius] G. 372
[Goffe] Stephanus. 165. 166. 167. 169. 180. 181. 182. 184
[Golius] Iac. 44. 59. 121
[Gothofredus] Iac. 326. 393
[Gravius] Daniel. 364
[Gronovius] Ioan. Frederic. 153. 181. 213. 216. 218. 224. 237. 244. 252. 261. 316. 342. 350. 353. 366

H.

[Heinſius] Daniel. 310. 383
[Helvigius] Andr. 320
[Horn] Georg. 389. 391
[Hugenius] Conſt. 355

I.

[Johnſonus] Samſon. 277
[Johnſon] Samuel. 67
[Jonſtonus] Ioannes. 195
[Junius] Fr. 11. 23. a. 23. b. 25. 29. 70. 91. 97. 182. a. 182. b. 188.
[Junius] J. 41

K.

[Kirſtenius] Georg. 390

L.

[Laud] Guilielmus, Batonienſis & Wellenſis Epiſcopus. 62. 66. 68
——— Epiſc. Londin. & Archi-Epiſcopus Cantuarienſis. 78. 80. 87. 101. 121. 129. 147. 166. 202. 212. 215. 252. 279
[Laurentius] Ioſephus. 339. 357. 364
[Loccenius] Ioannes. 178. 244
[Luſitanus] Zacutus. 221. 226. 227
[Lydius] Iac. 212. 373. 381. 386. 391

M.

[Mareſius] Samuel. 386. 398
[Mart] Ioachimus. 339
[Meurſius] Ioannes. 48. 50. 69. 83. 99. 138 144. 152. 159. 170. 207. 213. 223. 228. 233
[Meurſius] Ioannes filius. 265. 271
[Miræus] Aubertus. 217

N.

[Nihuſius] Bartholdus. 236

O.

Oxonienſis Academia. 325

P.

[Paræus] Phil. 259
[Petitus] Sam. 334
[Plathnerus] G. Henr. 376
[Pocock] Edw. 88. 218. 319
[Polyander] Ioan. 28. 353
[Pontanus] Io. Iſ. 63. 256
[Prицæus] Ioan. 349
[Puteanus] Erycius. 43. 84. 143. 144. 148. 152. 163. 166. 335
[Pyraredus] Ioan. 295

R.

[Rave] Chr. 266. 272. 311
[Ravenſperg] Herm. 20
[Ravius] Ioan. 323. 324. 343
[Ritcher] Georg. Andr. 291
[Rivetus] Andr. 134. 240. 270. 284. 293. 304. 311. 318. 337. 341. 344. 359. 365. 383
[Roſenkrantz] Oligerius G. 176
[Ronſius] Ioan. 327
[Ruarus] Martinus. 36. 144

S.

[Salmaſius] Claudius. 387. 393. 398
[Sawadski] Ioan. 173
[Schildius] Ioan. L. fil. 348
[Schotanus] Chr. 302
[Schottus] Andr. 17. 18. 21
[Scioppius] Gaſpar. 314. 330. 356
[Seldenus] Ioannes. 74
[Skytte] Sen. 190. 225
——— Iun. 169. 331. 396
——— Laur. 249
[Slupecius] Chr. 225
[Smith] Ioan. 367
[Sorberius] Samuel. 388
[Spanhemius] Fred. 355. 383. 395
[Stephanius] Stephanus Ioan. 137. 217. 253. 297. 384
[Swartius] Euſtachius. 375

T.

[Templerus] Clemens. 7. 10. 11

V.

[Vechnerus] Georg. 379
[Vorſtius] Conr. 10
[Uſſerius Armachanus] Iac. 139. 262

W.

[Wardus] Samuel. 54
[Warnerus] Levinus. 347
[Wetſtein] Ioan. Rodolph. 254. 381
[Wren] Matth. 65. 88
[Wtenbogaert] J. 17


F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google